POLYANTHEA

NOVISSIMA.

NOVISSIMA
POLYANTHEA
In Libros viginti distributa.

OPUS SUAVISSIMIS FLORIBUS celebriorum sententiarum, tam Græcarum, quàm Latinarum refertum.

Olim quidem a Dominico Nano Mirabellio, Bartholomæo Amantio, & Francisco Tortio, ex plurimis Auctoribus tum sacris, tum profanis vetustioribus, & recentioribus collectum.

NUNC VERO STUDIO ET OPERA

IOSEPHI LANGII CAESAREMONTANI Philosophiæ & Medicinæ Doct. & in Archid. Friburgensium Brisgoiæ Academia Matheseos, Græcæ linguæ, & Historiarum Professoris ordinarij

Ordine concinno digestum, & innumeris Etymologijs, Definitionibus, Dictis memorabilibus, Apophthegmatis, Similitudinibus, Adagijs Græcis, Latinis, & Germanicis, Exemplis, Emblematis, Hieroglyphicis, Mythologijs, rebusq; alijs locupletatum, ornatum, & illustratum.

Theologis, Concionatoribus, Philosophis, Oratoribus, Poetis, Artium denique cæterarum, & scientiarum Professoribus & Studiosis apprime utile, & necessarium.

Indice Titulorum omnium totius operis adiuncto.

SUPERIORUM PERMISSU, ET PRIVILEGIIS.

VENETIIS, Apud Io. Guerilium, MDCXVI.

EXCELLENTISSIMO

ET ERVDITISSIMO VIRO

D. LAELIO DE FONTE

PHILOSOPHO, ET MEDICO, &c.

Ioannes Guerilius S. P. D..

EXIMIVM illum omnigenarum litterarum thesaurum, Polyantheam dico, nouis quibusdam ornatum & locupletatum flosculis, denuo prælo meo subijcere cogitanti, non aliud patrocinium, & tutelare Numen quærendum esse visum est, quàm idem, quod à nominis tui celebritate iam antea Operi huic typis meis edito accessit. Imitor enim in hoc veteres illos Nauarchos, qui nauigaturi, tutelari cuidam Numini in prora nauis picto vel ficto, quà se, quà nauem dedicatam perpetim, sanctamque voluere. Namque si auri sacra fames eò audaciæ pectora mortalia cogat, vt quamuis sæuis agitata tempestatibus, ventorum iniurias experta, fortunarum iam semel fecerint iacturam, & vnicæ forsan tabulæ seruatam debeant vitam; nihil tamen dubitent rursus se fragili nixa ligno, malefido credere pelago, & dubiæ sorti, salutis propriæ prodiga, comittere: Quanto magis & potiori iure, Læli Excellentissime, ego gratitudinis meæ cymbam prospera beneuolentiæ tuæ aura actam & tractam, ad cognitum portum per virtutum tuarum profundum sulcando, dirigo? vbi non infesta procella molestat, sed sedata humanitas inuitat; non periculum terret, vel repulsa absterret, sed prudentiæ Pharos lumen præbet, benignitas pleno excipit sinu. Hęc etsi aliquod illicium & calcar addere videntur, tamen alia causa biceps huc, vt hoc Opus dedicatum & deuotum tibi cupiam, maxime me impulit.

Prima, quod omnium tam sacrarum quam prophanarum litterarum succus & medulla, & verè Πολύσ ἄνθη, in hoc Opere contenta, non alij, quam ei, qui earundem culmen attigerit, & ἐγκυκλοπαιδείασ ἀνακεφαλαίωσισ iure merito audiat, sacra esse debeat. Neq; id auribus tuis me tribuere existimes velim, nam testem volo & voco omnium litteratorum confessum & consensum, qui in te vnum disciplinarum & eruditionis consummatam gloriam accumulant: Testis ipsa est maris Domina Vrbs Venetiarum, à qua publicæ famæ præconio summopere commendaris: Ipsa denique id demonstrat experientia, cui quicunque contraire nititur, nę ille mihi helleboro indiget. Etenim, quid sacra & prophana Philosophia tam abstrusum

sub litterarum cortice abdidit, quod non sagaci indagine eruas? Quis est tam intricatus Dialecticæ labyrinthus, quem non felici ingenio, tanquam Ariadnes filo, perrumpas? Quis Sophistarum tam phaleratus gryphus, quem non velut Alexander Gordium nodum facile dissoluas? Nihil iam dicam de tua in Arte medica præstantia, in qua omnes numeros facile absoluisti; & proinde te iure Venetiarum Aesculapium, salutis humanæ fulcrum, Libitinæ terrorem saluto. Consulto pretereo Tullianum flumen, & Maronianas opes, quas in lingua tua suauiloqua Suada locauit. Atq; hęc omnia in te cum solida & constanti virtute ita coniuncta sunt, vt in dubium vocari queat, doctrinæne an integritati tuæ, primæ debeantur. Sed quid ad tua encomia meus lituus? aliud requirunt eloquentiæ flumen, aliud spacium, quam quod epistolari angustia circumscribatur.

Altera causa est, vinculum illud arctissimum & adamantinum, quo me tibi tùm aliàs sæpius, tum maximè abhinc triennio, & quod excurrit, deuinxisti: ibi enim periculosissimo morbo affixum lecto, sęuis excarnificatum doloribus, exhaustum viribus, & iamiam mortalitate exuendum, è medijs mortis faucibus eripuisti, abituram animam reuocasti, & Deo annuente (cui illud primitus acceptum refero) pristinæ saluti restituisti. Ecquidnam ad tam prolixum beneficium addi posset? Hinc secundum Deum, salutis Authorem, tibi debeo, quod huius lucis vsura, charæ coniugis, & dulcissimorum pignorum fruar mutuo aspectu: Tu filijs patrem, coniugi maritum, Reipublicę ciuem superstitem reseruasti; beneficij tui est, vt hoc Polyantheæ Opus vnà mecum lucem aspiciat; industria tua egit, vt id quod ago, agerem, & quod dedico, tibi dedicarem. Vnde tam industrium officium, tam augustum beneficium in animi mei penetralibus constantem fixit sedem, adeo vt nulla temporis iniuria eius memoriam expunxerit, nulla obliuio deleuerit, donec supremus ille Architectus hoc fragile carnis tuguriolum destructurus, ipsum colonum euocauerit, & hinc auocauerit.

Tuum nunc erit, Læli Excellentissime, hoc qualecquale Xenium, animi gratissimi, & tui studiosissimi non vulgare indicium, serena fronte suscipere, & authoritatis tuæ scuto à Theoninis dentibus sartum tectumq; conseruare, meque meosque solita tua humanitate & fauore complecti. Vale.

LECTORI CANDIDO
IOSEPHVS LANGIVS S.P.D.

*EXHIBEMVS tibi, Lector humanissime, nouum opus nouissimæ Polyan-
theæ, studio quidem & opera nostra perfectum: ornatissimi autem viri
IOANNIS GVERILII Typographi, de litteris atque litteratis optime meri-
ti, cura & sumptu, necnon Typorum, vti vides, cum elegantiatum varie-
tate adornatum & distinctum. Polyantheam nouissimam cum diximus: om-
nia comprehendisse nos existima, quæ & de opere ipso, & de nostro labore,
quem in eo restaurando adhibuimus, deque differentia huius nostræ & alia-
rum editionum dici possunt ac debent. Nam primum quidem ad Polyantheæ nomen quod attinet,
quo vtilissimum hoc opus à primo authore, eruditissimo viro Nano Mirabellio ante centum annos fuit
insignitum, retinendum id multas ob causas esse putauimus: & retineri quoque iure quam optimo à
nobis posse, bonis nonnullis & doctis viris visum est. Si enim Dominicus ille Nanus operi suo tunc
primum in lucem prodeunti hoc esse nominis ideo voluit; quod ex fragrantissimis tam sacrorum, quam
prophanorum authorum Viridarijs collectorum flosculorum multitudinem contineret: multo sane id
rectius de hoc libro nostro prædicari hac dici poterit. Non enim hic certis tantum ac definitis quibusdam
additionibus, aut sententiarum temere congestarum quadam farragine amplificatus, sed innumeris
prope cum sacris tum profanis sententijs, necnon Apophthegmatis Similitudinibus, Adagijs, Exem-
plis, Emblematis, Hieroglyphicis & Fabulis auctus, locupletatus, exornatus in lucem hominumque
conspectum producitur. Quod quidem ita se habere diligens Lector manifesto comperiet: si aliquam
inter priores editiones & hanc nostram, volet comparationem instituere, remque accuratiùs conside-
rando, locum cum loco conferre non dedignabitur. Siue enim ipsius Mirabellij editio seorsim sola, si-
ue cum ijs, quæ à Bartholomæo Amantio & Francisco Tortio in simili argumento collecta, & postea
à Materno Cholino Mirabellianis adiecta sunt, coniuncta consideretur: apparebit sane præter Defi-
nitionum ac Diuisionum plerisque in locis accumulatarum aceruum, præter item sententias satris lit-
teris & Patrum monumentis excerptas, paruum admodum pauperemque reliquarum rerum pleris-
que, sub titulis apparatum contineri. Nam Apophthegmatum atque Similitudinum, Adagiorum item
& Exemplorum opes, quæ & locupletare & exornare orationem maxime possunt, tam angusto cir-
cumscribuntur ac finiuntur pomœrio, vt non raro Lector auidus post exhaustum irritæ inquisitionis
tædium manu vacua, indignabundus cogatur discedere. Vt interim nihil dicamus de Emblematis,
Hieroglyphicis, Apologis siue Fabulis; authorum item siue scriptorum nominibus: quæ adeo parce ac te-
nuiter ab illis sunt collecta & consignata, vt vel omnia vel singula vixter quater ve in toto opere li-
ceat inuenire. At nostra hæc editio, præter item sententias Sacræ Scripturæ & Patrum, locos quoq; con-
tinet Biblicos numeris librorum sacrorum & capitum atque versuum breuiter tantum expressos:
habet auctam sententiarum Poeticarum & Philosophicarum supellectilem: offert Apophthegmatum
& Similitudinum non aspernandam varietatem & copiam: adducit plerisque in locis, vbi mate-
riarum id ratio permittit Exempla tum sacra ex Biblijs, tum profana ex cæterorum Historicorum
monumentis petita. Emblemata vero, Hieroglyphica, Fabulæ & Scriptorum nomina, etsi non om-
nibus æque titulis subijciuntur, certisque de causis haud raro subijci non possint: tamen frequentius
hic quam in vlla superiorum editionum conspiciuntur apposita. Vnde profecto Lectori Candido mi-
nime obscurum esse potest, hanc nostram editionem non solum flosculorum numero præclarè adau-*

ctam

ctam: sed etiam ea de causa vetus Polyanthea nomen iure meritoque retinere. Quod verò eandem Nouissimam indigitare nobis placuit: haud præter rationem id quoque factum esse, demonstrandum est. Nam etsi fatendum nobis sit, & libenter ingenueque fateamur, nos huius operis nec primos inuentores existere: nec ad id locupletandum poliendũve primos manum admouisse: tamen vel ipso liuore teste, nobis concedendum est: nos de emendando eius ordine ac titulorum dispositione: deq; materiarum & sententiarum tollenda confusione, que per integrum iam seculum (quod vehementer mirandum est) omnes editiones occupauit, primos consilium curamque suscepisse. Cum enim partim ipsi animaduerteremus, partim ab ijs, quorum manibus priores editiones frequentius terebantur, edoceremur, quantum in illis cum circa materiarum indices siue titulos, tum etiam sententiarum genera rectè disponenda esset aberratum: quippe, vbi Definitiones legerentur permixtæ diuisionibus, sententiæ Sacræ profanis: vbi dicta Poetarum, Philosophorum, Historicorum, Apophthegmata, item Similitudines, Adagia, Græca, Latina, Italica promiscue & sine ordine vllo, temere essent congesta: quæ à Mirabellio iam posita erant, sæpè inter Amantij Tortijq; Collectanea superflue & non sine Lectoris tædio, conspicerentur repetita: breuiter, vbi tanta passim materiarum, titulorum, sententiarum se offerret cum ambiguitas, tum confusio. quanta vix rudem illam indigestamq; molem siue Chaos Ouidianum laborasse credendum est: arbitrati profecto sumus, nos politioris litteraturæ studiosis, alijsq; bonis & doctis viris rem gratissimam facturos: si quantum fieri quidem posset, sublata confusione illa, commodiorem operi dispositionem ac titulorum seriem induceremus. Itaq; resectis primum superfluis & inutilibus, ambiguis quoque plurimis in locis (neque in omnibus enim plane licuit) correctis, & ad sensum genuinum reductis seligi cætera & ad certas classes atq; distincta quasi domicilia reuocari curauimus. Ac primus quidem locus Definitionibus & *Ethymologijs: secundus vero diuisionibus est assignatus; postea Sententiæ Biblicæ & Loci Sacræ Scripturæ seorsim, tertium & quartum locum sibi vendicarunt. Ab his quoq; separatæ Patrum siue Ecclesiasticorum Doctorum sententiæ sedem suam sortitæ sunt: quibus Gnomæ Poetarum suis inclusæ finibus subijciuntur. Philosophorum porro placita cum Oratorum & Historicorum sententijs coniuncta, quod non magnam hæc inter se dissimilitudinem habere viderentur, sub vnum Philosophicarum Sententiarum indicem congesta sunt. Ab his præterea separatim suam quæq; tribum obtinent Apophtegmata, Similitudines, Adagia: quibus non minus suis distincta terminis Exempla cum sacra tum profana succedunt. Hæc postremo suis insignita rubricis siue indicibus sequuntur Hieroglyphica, Emblemata, Fabulæ atq; Scriptorum nomina. Quæ quidem omnia ita disposita & ordinata sunt. vt Lector humanus citra errorem aut tædium vllum ex hoc vel illo genere, quæ proposito suo accommodata iudicabit, facillimè possit depromere; vtq; ipsi iam operi nouissima planè facies ac forma inducta esse videatur. Quod si igitur domum illam rectè nouissimam appellamus, quæ, quod ad vsum habitantium minus eßet commoda, periti artificis consilio destructa, & partim ex ijsdem ruderibus, partim verò noua materia, conclauibus tamen cubiculisq; rectius ordinatis, restaurata est: cur, quæso, Polyantheam hanc nostram eo insignire Epitheto non licebit, quæ itidem ex ruinis ruderibusq; veteris editionis, inutilibus, ineptis & superfluis prius reiectis, multis autem vtilibus appositis, necessarijs ac nouis aliunde aßumptis, & quod caput est titulorum ac sententiarum ordine correcto reparata, Reipublicæ literariæ est restituta? Quod igitur reliquum est, spe bona ducimur, Lectorem beneuolum nostros in hoc restaurando opere conatus, labores atq; sumptus grato ac liberali animo accepturum: si quid etiam in hac iterata editione vel in serie titulorum vel materiarum delectu vel distinctione & ordine sententiarum à nobis minus conuenienter pertractatum deprehenderit, non voluntate ac studio, sed imbecillitate humana lapsis, veniam benigne daturum. Pollicemur autem ac spondemus seriò, quicquid in hac editione forte neglectum est, id nos, vbi deerratis admissis bonorum & doctorum virorum admonitionibus certiores facti erimus, in sequenti maiore fide & industria plenius effectum daturos. Vale, Lector humanissime: & si tuis studijs aliquid commodi hoc labore nostro attulimus, quod sane magnopere optamus, nos tu vicissim cole ac dilige. Scr. Friburgi Brisgoiæ Mense Martio Anni 1615.*

INDEX TITVLORVM

SECVNDVM LITERARVM ORDINEM,

IN HOC POLYANTEÆ NOVISSIMÆ OPERE DIGESTORVM,

Additis paginarum numeris, quo facilius poſſint inueniri.

Euan-

Index Titulorum.

Osculum

Index Titulorum.

DOMI-

DOMINICI NANI

AD LECTOREM

ELEGIA.

TEmpora quisquis amas Florenti ornare corona,
Atque cupis vario cingere flore comas,
Ingredere hos hortos & odora rosaria: Nanus
Compositas alacri dat tibi fronte rosas.
Hic est quod deceat, pueros iuuenesque, senesque,
His ornare potest sexus vterque caput.
Nulla Venus nobis, nulli hic cantantur amores,
Nec Iouis hic mœchi, furtaque Martis erunt.
Turpe quod est factu, quis dicere credat honestum?
Talia nam in fibras semina mortis agunt.
Si qua poetarum recitantur carmina nobis,
Non ea sunt oculo despicienda graui.
Eruimus spurcis fuluum de sordibus aurum,
Lilia de medijs sentibus, & violas,
Ausonia hic latus vel Hymettia rura peragrans
Collige: non tribulos, non aconita leges.
Hos matrona potest legere & virguncula flores:
Nil tibi, quo frontis ruga, trahatur, erit.
Hos non pœniteat tetricos legisse Catones.
Hos probet Hyppolyti, Penelopesque pudor.
Ista monent frenis flagrantem arcere iuuentam,
Ne ruat in mores luxuriosa malos.
Sydereo hic disces animas quid donet olympo,
Tartareis miseras quid quoque mergat aquis.
Vtere, si qua placent; nostros lacerare labores
(Aut ede vtilius) desine, liuor edax.

IN NOVVM OPVS

NOVISSIMÆ POLYANTHEÆ

CLARISSIMI VIRI IOSEPHI LANGII

CAESAREMONTANI.

A. Helius, Flander.

ARgiuus olim dum Iuuenis nouissimos
Molitur ausus, seque parat supra
Librare vulgus, atque fama,
Et spolijs inhiat superbis:
Intacta primus per freta Nerei
Vncta insuetum tentat iter trabe,
Spreuitque & iras, & pericla,
Atq. minas maris æstuosas.
Tandem q; victor Doridis aureo
Orbauit audax Colchida vellere,
Secumq; præmia ampla sumpti
Retulit in patriam laboris.
Casoque quondam furtulis aurea
Custode pugnax mala Tirynthius,
Hortosq; honore fructibusq;
Exuit aut colis micantes.
At tu sagaci pectore & ingenij
IOSEPHE, acutis dum radijs potens
Orbem pererras, atque passim
Singula discutis, ecce totam
Priuas amœnis, queis reliquas solet
Excesse longum & Hellas, & Itala
Tellus, opum præstantiorum
Ponderibus, melioris æui.
Spargisque pleno per populos sinu
Fœcundus & ditas patriam nono ex-
teroque longe Lidijs qui
Diuitijs potior, thesauro.
Macte vsque clarum nomen in extima
Extende secla qua cadit aureus.
Surgitq; Phœbus; & perennes
Perge animi explicuisse dotes.
Decreta laudum sunt tibi præmia,
Cortina si me Delphica vel tripus
Non fallat: haud fefellit vnquam,
Statque tuis sua fama libris.

PO-

POLYANTHEAE NOVISSIMAE LIBER PRIMVS.

A

ABNEGATIO.

ABNEGATIO. Græcè, ἀπάρνησις, & præpositione sublata, ἄρνησις, infìciatio, negatio. Ἀρνέομαι, Nego, Recuso, φόνον ἀπαρνούμενοι, Cædem inficiantes. Hebræa, seu sancta lingua, quæ aptissimas vocum, ac nominum definitiones tradit, duabus voculis abnegationem, & negationem denotat, 1. est כחש Chaschach, ab eodem verbo, quod idem est, ac si Latinè dicas Negauit, denegauit, abnegauit, mentitus est, frustratus est, non respondit voto. Cognationem habet cum שכח Sciachach, oblitus est, & חשך chasciach, obtenebratus est: nam quæ animo sunt obtenebrata, & obliuioni tradita, abnegata, vel negata dici possunt, secunda altera vox est מאן maen, idest, Renuit, recusauit. Vnde principale nomẽ Maen, recusans, & Meanim, recusantes, quod idem est, ac abnegans, & abnegantes. Cognationem vero habet maen cum negatiua particula אין ayn, idest, Non. Hinc ἀνανεύω, repugno, & per aphæresin ἀναίνομαι, renuo.

Abnegare in sacris, & Ecclesiasticis scriptis, significat in genere repudiare, relinquere, vel sententiam, personam, vel rem aliquam planè deserere. Sumitur tum in bonam, tum etiam in malam partem. In malam, vt si quis quoquo modo, vel verbis, vel sermone, vel gestu, nutu, silentio, opere vario, subindicet se abhorrere a Christiana doctrina & eius professione. Contrarium eius est, cõfiteri. Damnatur abnegatio Christi, & Christianę pietatis nonnullis locis.

SENTENTIAE BIBLICAE.

Qui negauerit me coram hominibus, negabo & eum coram Patre meo, qui in cœlis est, *Matth.* 10.33. *Luc.* 12.9.

Vos, Iesum Sanctum, & Iustum, tradidistis, & negastis ante faciem Pilati, *Act.* 3.13. & 14.

Si quis suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem abnegauit deterior. 1. *Tim.* 5.8.

Si Christum Iesum negauerimus, ille negabit nos. Si non credimus ille fidelis permansit; negare seipsum non potest, 2. *Tim.* 2.12.13

Habentes speciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes, de vita, 2. *Tim.* 3.5.

Confitentur se nosse Deum, factis autem negant. *Tit.* 1.16.

Quis est mendax, nisi is, qui negat, quoniam Iesus non est Christus? Hic est Antichristus, qui negat Patrem, & Filium. Omnis qui negat Filium, nec Patrem habet. 1. *Io.* 2.22.23.

Quidam impij Dominum N. Iesum Christum negant. *Iud. quarto.*

EXEMPLA.

Petrus, *Matth.* 26.70.71.72.74. *Marc.* 14.68.69.71. *Luc.* 22.57.58.60. *Ioan* 18,17.25.27.

Iudæi, *Ierem.* 5.12. *Act.* 3.13.14. & 7.35. Pseudoprophetæ, Doctores, seductores, impij, Athei, & quotquot a Christi doctrina deficiũt, 2. *Tim.* 2.12. & *Tit.* 1.16. 2. *Pet.* 2.1. 1. *Io.* 2.22. *Iud.* 4. Nicolaitæ. *Ap.* 2.15. Apostatæ, qui ex Ecclesia egressi sunt, sed non erant, ex Ecclesia. *Ioan.* 2.19. Hi omnes abnegationis vinculo detinentur, nisi resipiscant, & ad Christum reuertantur, qui Petrum respexit, & lapsum ad gratiæ participationem amplissimam reuocauit.

PATRVM SENTENTIAE.

Sunt quidem dies munerum, quæ apud alios honoris titulum, apud alios mercedis debitum expungunt. Nunc ergo, inquit, recipiam meum, vel rependam alienum. Si hunc morem sibi homines de superstitione consecrauerunt, tu, extraneus ab omni eorum vanitate, quid participas idolothyta solennia, quasi tibi quoq; præscriptum sit de die, quominus id, quod homini debes, vel tibi ab homine debetur, citra diei obseruationem luas, vel recipias? Da formam, in quam velis agi tecum. Cur enim & lateas, cum ignorantia alterius tuam conscientiam contamines? si non ignoraris quod sis Christianus, tentaris. Et contra conscientiam alterius agis, tanquam non Christianus. Enimuero, etsi simulaueris, tentatus a ddictus es. Certè, siue hac, siuè illac, reus es confusionis in Deo. Qui autem confusus super me fuerit penes homines, & ego confundar super illo, inquit, penes Patrem meum, qui est in cœlis. *Tertul. de Idololatria, cap.* 13

Nusquam Christianus aliud est. Vnum Euangelium, & idem Iesus, negaturus omnem negatorem, & confessurus omnem confessorem Dei, & saluam facturus animam pro nomine eius amissam, perditurus autem de contrario aduersus nomen eius lucri habitam. Apud hunc tã miles est paganus fidelis, quam paganus est miles infidelis. Non admittit status fidei allegationem necessitatis. Non est necessitas delinquendi, quibus vna est necessitas non delinquendi. Nam & ad sacrificandum, & directo negandum, necessitate quis præmitur tormentorum siue pœnarum: tamẽ nec illi necessitati disciplina conniuet: quia potior est necessitas timendæ negationis, & obeundi martyrij, quam euadendæ passionis, & implendi officij. *Idem, de Corona militis, c.* 11.

Frustra erit dicere, & si me negauero Christianum, non negabor a Christo, non enim ipsum negaui. Ex illa enim negatione tantundem tenebitur: quia se Christianum negando, Christum in se negans, etiam ipsum negauit. Plus est autem quod & confusioni cõfusionem comminatur. Qui me confusus fuerit coram hominibus, & ego confundar eum coram Patre meo, qui in cœlis est. Sciebat enim a confusione, vel maxime formari negationem: mentis statum in fronte consistere: priorem esse pudoris, quam corporis plagam. *Idem, in Scorpiaco aduers. Gnosticos c.* 9.

Vnam classem, vnum animarum genus a læta (Christianorum) celebritate abdico atque propello, gemens quidem & dolens, ac ne audientes fortasse lugens, nec exitiũ suum sentiẽtes deflens (hoc enim totius eorum plagæ maximè miserabilè est) sed tamen abdico, eos nempe qui non supra firmam, & stabilem petram, sed supra siccam & sterilem seminati (hi autem sunt qui leuiter, ac defunctoriè ad pietatis doctrinam accesserunt, atq; exigua fide præditi sunt) quia altas in terra radices non egerant, confestim extorti sunt, ac prospicientes, vt alijs placerent, postea ad breuẽ & exiguum diaboli assultum, paruumq. tentationum æstum exaruerunt. Atq; his etiam adhuc peiores, magisq. ad hoc fausto, & læto conuenti proscribendi sint, qui tempori, atq; ijs, qui nos ab eo, qui in altũ ascenderat, pulchreq. captiuos nos duxerat, in malam, & funestam captiuitatem abducebant, ne tãtillum quidem obstiterunt: verũ vltro ac sponte improbos, & viles se præbuerunt, vt qui ne paulisper quidẽ repugnarint; aut aborta ipsis ob Verbum aliqua calamitate, vel tentatione scandalum passi sunt, verum cum breui quodam & caduco quæstu, aut obsequio, aut exigua potentia salutem suam miseri commutarint. *D. Greg. Nazianz. Orat.* 3.

Summum delictum esse, quod persecutio committi coegit, sciunt etiam ipsi qui commiserunt, cum dixerit Dominus & iudex noster, Qui me confessus fuerit coram hominibus, & ego illum cõfitebor coram Patre meo, qui in cœlis est. Qui autem me negauerit, & ego illum negabo. *D. Cyprian lib.* 3. *ep.* 14.

Sicut scriptum est, Donaui tibi omne debitum, quia me rogasti: sic scriptum est, Qui me negauerit coram hominibus, negabo & eũ coram Patre meo, & coram Angelis eius. *Idem lib. 2. epist. 7.*

Petrum, quem Christus negaturum ante prædixerat, ipse non negauit, sed sustinuit, & amare suam illam negationem flentem ipse postmodum leniit. *Idem ad Nouatianum hæreticum*

Non poteris confiteri, nisi scias quantum noceas si negaris. Cœlo martyres gaudent, veritatis inimicos ignis absumit. Paradisus Dei testibus floret: negatores gehenna complexa æternus ignis inardescit. *Idem de laude Martyrij.*

Nonne vobis videtur ille, qui lapsus est semiuiuus esse, si vitale aliquid fides spiret? Nam qui penitus Deum ex suo corde abijcit, ille mortuus est. Qui ergo non penitus abijcit, sed per impressionem tormentorum ad tempus negauit, semiuiuus est. Aut si mortuus est, cur ei dicitis agendam pœnitentiam, qui iam curari non potest? Si semiuiuus est, infunde vinum & oleum: non vinum sine oleo: Sed quod & foueat, & remordeat. Tolle eum in iumentum tuum, trade stabulario, duo æra ad eius curam impende, esto ei proximus. Proximus autem esse non potes, nisi facias misericordiam. *D. Ambros. de pœnit. lib. 1. c. 10.*

Potest fieri, vt aliquis victus supplicijs, sermone neget & corde adoret. Nunquid eadem causa est eius qui sponte negat, & eius, quem tormenta inclinauerint ad sacrilegium, non voluntas? quã indignum autem, cum apud homines valeat certaminis gratia, vt apud Deum valere non asseratur? Nam sæpe in hoc athletarũ seculari certamine, etiam victos, quorum fuerint certamina probata, vulgus hominum cum victoribus coronare consueuit: maxime quos viderit, aut forte dolo, aut fraude exclusos victoria. *Idem de pœnis. lib. 1. c. 3.* Vide & *c. 4. eiusdem lib. 1*, vbi idem argum. repetitur.

Cuius rei gratia in cachinnum solueris & deflois, qui tantorum tibi sponte factus es causa mœrorum? ante illud terribile tribunal Christi staturus, & summa cum examinatione rationem pro cũctis actibus redditurus, cum vtique non de his solum iudicandi simus, quæ voluntate atque proposito, sed etiam quæ coacti aliquando committimus. Qui enim, inquit, negauerit me coram hominibus, negabo & eum coram Patre meo. Et certe plerunque contingit vt extorqueatur alicui negatio Dei, sed tamen non effugit ista supplicium. Nam pro hac quoque pœnas luemus. *D. Io. Chrys. hom. 6. in 2. c. Matth.*

Triplex Domini ad Petrum de Charitate interrogatio, a Domini ignoratione proficisci minime existimanda est (ne ita quidam decipiantur) verum triplicem negationem triplici assensione bonus medicus depulit. *S. Isidorus Pelusiota. epist. lib. 1. epist. 103.*

Vide Apostasia & Apostata. Ibi multa de impia abnegatione & defectione a Christo.

ABNEGATIO in bonam partem sumitur in S. Scripturis, vt sequentia dicta testantur.

SENTENTIAE BIBLICAE.

Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus: & qui amat filium & filiam super me, non est me dignus, & qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus. Qui inuenerit animam suam perdet illam, & qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam. *Matth. 10. 37. 38. 39.*

Iesus dixit discipulis suis, Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. *Matt. 16. 24. Marc. 8. 34. Luc. 9. 23.*

Qui amat animam suam, perdet eam, & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. *Ioan. 12. 25.*

Abnegatio nostri, seu mortificatio regenerationis pars præcipitur supra citatis locis, *& Rom. 6. 4. 2. Cor. 4. 10. & 5. 17. Galat. 5. 16. Ephes. 4. 22. Tit. 2. 12. Hebr. 4. 10. & 12. 16. 1. Pet. 1. 22. & 2. 5. 24. & 4. 1. Ioan. 5, 19.*

EXEMPLA BIBLICA.

Abraham, *Gen. 12. 1. 4. & 22. 1. 9. Hebr. 11. 8.*
Moses, Exod. 2. 11. *Act. 7. 23. Hebr. 11. 24.*
Leui & Leuitæ, *Deuter. 33. 9.*
Ruth Mohabitis, *Ruth. 2. 11.*
Elisæus Propheta, 1. *Reg. 19. cap. 5. 20. 21.*
Amasias rex Iuda, 2. *Chronic. 25. 9. 10.*
Apostoli D. N. Iesu Christi, *Matth. 4. 20. & 9. 9. 19. 27. Marc. 1. 17. 18. & 10. 28. Luc. 5. 11. Ioan. 6. 67.*
Christi sectatores, & discipuli, *Luc. 14. 26. & 18. 22.*
Zachæus publicanorum princeps. *Luc. 19. 8.*
Pij nonnulli (quos postea Confessores, & Martyres innumeri sunt imitati in Ecclesia Christiana) *Ioan. 12. 25. 1. Corinth. 7. 28. 30. 31. Hebr. 10. 33. 34. & 11. 37. 38.*
Paulus Apostolus, *Act. 15. 26. & 20. 24. & 20. 21. 13. Gal. 6. 14.*
Prisca & Aquilas, *Rom. 16. 4.*

SENTENTIAE PATRUM.

Nihil est aliud sui ipsius abnegatio, nisi summa rerum omnium vitæ prius transactæ obliuio, atque a suis ipsius voluntatibus recessio, quam in vita communi assequi longe est difficillimum, ne dicam ab omni prorsus, vt fieri possit, facultate remotissimum. *Basil. Magnus in Regulis fusius disputatis, q. 6.*

Quum D. N. Iesus Christus, post multa documẽta, ad omnes loquatur, ac dicat, Si quis venit ad me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me: item, Sic igitur quicunque ex vobis non renunciat omnibus quæ possidet, nõ potest meus esse discipulus: Nos præceptũ hoc ad plura arbitramur pertinere, quorum necessaria alienatio sit. Nã & diabolo renunciamus in primis, itẽ; carnis affectib. qui abdicauimus occulta dedecoris, consanguinitatibusq. ac familiaritatib. quæ cum hominib. nobis sint, similiterq. consuetudini etiam vitę, quæ perfectioni Euangelicę satis aduersatur. Et, quod his omnib. magis necessarium est, quilibet sibi ipsi renunciat, qui exuit veterem hominem cum actibus suis, qui corrumpitur secundum desideria erroris. *Idem ibid. q. 8.*

In summa, cui propter Christum mundus totus crucifixus est, & ipse Christo, qui possit esse amplius particeps eorum, quæ in mundo sunt? Cum D. N. Iesus Christus rem ipse ad summum prorsus fastigium perducat, nempe odium animæ, & suiipsius abnegationem, quando dicit, Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, tumq; subiunxit, Et sequatur me. Et rursus, Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & sorores, insuper & animam suã, non potest meus esse discipulus. Perfecta igitur abnegatio, in eo consistit, si quis id assecutus fuerit, vt ne de vita sua quidquam effectus sit omnino, esto habeat mortis responsum, ita vt nihil sibi consulat. *Idem ibid.*

Qui deponit veterem hominem cum operib. suis, abnegat semetipsum, dicens, Viuo autẽ non ego, viuit vero in me Christus, tolliq. crucem suam, & mundo crucifigatur. *D. Hieron. in Matth.*

Credens in Christum quotidie tollit crucem suam, & negat seipsũ. Qui impudicus fuit versus ad castitatem, temperantia luxuriam negat. Qui formidolosus, & timidus assumpto robore fortitudinis priorem se esse nescit. Iniquus, Si sequatur iustitiam, negat iniquitatem. Quod scientes nõ solum persecutionis tempore, & necessitate martyrij, sed in omni conuersatione, opere, cogitatione, sermone negemus nosmetipsos, quod ante fuimus, & cõfiteamur Christũ, qui in Christo renati sumus. *Idẽ in ep. ad Algasid.*

Fecerunt ciuitates duas, amores duo, terrenam scilicet amor sui, vsque ad contemptum Dei: cœlestem vero amor Dei, vsque ad cõtemptum sui. Illa in seipsa, hæc in Domino gloriatur. *D. Aug. lib. 14. de ciuit. Dei, c. 28.*

Si perit homo amando se, profecto inuenitur negando se. *Idem ser. 47. de diuersis.*

Si vis Domini discipulus esse, crucem tuam tollas, & Dominum sequaris, necesse est, idest, angustias & cruciatus tuos, vel corpus solum, quod in domum Christi est. Parentes, coniuges, liberi, propter Deum relinquendi erunt. De artibus & negotiationibus. & de professionibus etiam liberorum, & parentum causa dubitas. Iam tunc demonstratum est nobis & pignora, & artificia, & negotia, propter Dominum derelinquenda, cum Iacobus, & Ioannes, vocati a Domino, patrem, nauemq. derelinquunt, cum Matthæus de telonio suscitatur, cum etiam sepelire patrem tardum fuit fidei. Nemo eorum quos Dominus allegit, Non habeo, dixit quo viuam. Fides famem non timet. Scit etiam famem non minus sibi contemnendam propter Deum, quam omne mortis genus. Didicit non respicere vitam, quanto magis victum? Quotus quisque hæc adimpleuit? Sed quæ penes homines difficilia, penes Deum facilia. Sic tamen nobis de mansuetudine, & clementia Dei blandiamur, vt non vsque ad idolatriæ affinitates, necessitatibus largiamur. *Tertullian. de idolatria c. 12.*

Martyres quærunt saluare animam suam, propterea perdunt, vt saluent eam. Qui vero saluare volunt animam suam, vt non perdãt eam, hi & corpus & animam pariter perdũt in gehennam. *Orig. hom. 36. in Luc.*

Si quis amator vitæ præsentis, & eam putans esse optimam, parcit animæ suæ timens mori, & putans animam suam per hanc mortem perire, iste volens hoc modo saluare animam suam, perdet illam, alienam faciens eam a vita æterna. Si quis autem contemnens vitam præsentem, propter Christi verbum, & confidens de vita æterna, vsque ad mortem pro veritate certauerit, perdet quidem animam suam quantum ad vitam præsentem, tradens eã pro pietate in mortem, quæ abusiue dicitur mors: sed quoniam propter Christum perdidit animam suam, magis eam faciet saluam in vita æterna. Alio autem modo sic intelligimus textum. Si quis intelligit quæ est vera salus, & acquirere vult eam salutem animæ suæ: iste abrenuncians hanc vitam, & abnegans seipsum, & tollens crucem suam, & sequens Christum, perdit quantum ad voluntates carnales animam suam propter Christum, & propter omnem doctrinam eius. & perdens animam suam hoc modo, saluat eam per opera pietatis. *Idem tract. 2. in Matth.*

Si intelligis quid sit alium abnegare, tunc recte percipies, quid sit abnegare teipsum. Qui alium abnegauerit, fratrem puta, aut seruum, aut quemuis alium, si cædi eum virgis videat, si arceri vinculis, quicquid aliud mali pati eum conspexerit, non occurrit,

non

non auxiliatur, non flectitur, nec prorſus vllo modo mouetur, ceu penitus alienatus ab illo. Sic igitur nullo nos pacto corpori noſtro parcere vult, ve neque ſi cæditur, neque ſi pellitur, neque ſi vritur, nec ſi quid aliud huiuſmodi patitur, ei parcamus. Quid dixit non parcamus, cum id profecto ſit vere parcere. Nam etiā tunc patres maxime filijs parcunt, cum magiſtris tradentes maxime rogant, ne parcant. Sic igitur Chriſtus non dixit, Tamen non parcas: ſed ſignificatius ac expreſſius, Denega teipſum, pericula ſubi, certaminibus te offer, & qualis alius hæc patiatur, ſic efficiare. Nec dixit, neget, ſed, abneget, vt hac adiectiuncula plurimum addat: quam abnegare multo plus, quam negare proſecto ſit. *D. Ioann. Chryſoſt. in Matth. hom. 56.*

Tunc nos ipſos relinquimus, tunc nos ipſos abnegamus, cum vitamus, quod per vetuſtatem fuimus, & ad hoc nitimur, quo per nouitatem vocamus. Penſemus, quomodo Paulus ſe abnegauerat, qui dicebat, Viuo autem iam non ego. Extinctus quippe fuerat ſæuos ille perſecutor, & viuere cœperat pius prædicator. Si enim ipſe eſſet, pius profecto non eſſet. Sed qui ſe viuere denegat dicat, vnde eſt, quod ſancta verba per doctrinam veritatis clamat? Proinde ſubdit, viuit vero in me Chriſtus, ac ſi aperte dicat Ego quidē a me metipſo extinctus ſum, quia carnaliter nō viuo: ſed tamē eſſentialiter mortuus non ſum, quia in Chriſto ſpiritualiter viuo. *Gregorius Magnus in Euan. homil. 32.*

Niſi quis a ſemetipſo deficiat, ad eum qui ſuper ipſum eſt non appropinquat, nec valet apprehendere, quod vltra ipſum eſt, ſi neſcierit mactare quod eſt. Sic olerum plantæ tranſponuntur, vt proficiant: atque vt ita dia erim, eradicantur, vt creſcant. Sic ſemina rerum in terræ admatione deficiunt, vt in reparatione ſui geneſis vberius aſſurgant. Vnde enim videntur perdidiſſe, quod erant, inde incipiunt apparere quod non erant. *Idem ibidem.*

Cum S. Andrea vt ſimul crucifigamur & nos, attentius auribus cordis audiamus vocem dicentis: Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum: ac ſi dicat: Qui me deſiderat, ſe deſpiciat, & qui vult facere voluntatem meam, diſcat frangere ſuam. *D. Bernardus ſer. de S. Andrea.*

EXEMPLA.

Chriſtus Dominus & ſeruator noſter, quum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo: Sed ſeipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo, humiliauit ſeipſum, factus obediens vſque ad mortem, mortem autem Crucis. *Philippen. 2. verſ. 6.7.8.*

Paulus Apoſtolus Ieſu Chriſti vincula, mortem, & aduerſa quæque pauci faciens dicebat Diſcipulis, Spiritus ſanctus per ſingulas vrbes teſtificatur dicens, vincula, & afflictiones me manere. Sed nullius rei habeo rationem, neque vita mea mihi ipſi cara eſt, vt peragam curſum meum cum gaudio, & miniſterium, quod accepi a Domino, ad teſtificandum Euangelium gratiæ Dei. *Act. 20. verſ. 23.24.*

Cap. 15. Eiuſdem hiſtoriæ Apoſtolicæ de Paulo & Barnaba dicebāt diſcipuli eos eſſe homines, qui pro nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti expoſuerant ſuas animas. Ab abnegatione ſui laudantur, quod nulla pericula pro Chriſti nomine refugerint.

Idem Apoſtolus, cap. 21. eiuſd. lib. Act. ardentiſſimum illum affectū, erga Chriſti Euangelium exprimit, animumq; paratum ad ferendam crucem demonſtrat, quippe qui ſeipſum abnegaſſet, dicens Diſcipulis, Quid facitis flentes, & affligentes cor meum? Ego nō ſolum alligari, ſed & mori paratus ſum Hieroſolymis pro nomine Domini Ieſu. Et ad Galatas cap. 6. Mihi abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem mundus mihi crucifixus eſt, & ego mundo.

Abraham, Moſes, Iob, Dauid, Prophetę, Martyres innumeri ſeipſos abnegarunt, vt Chriſtum ſequerentur. *Hebr. 11.*

Vide Mortificatio.

ABSOLVTIO.

DEFINITIO, ET ETYMOLOGIA.

Abſolutio dupliciter ſumitur: vel pro rei inchoatæ perfectione, Græce τελείωσις. Hebr. סוף *Soph*, finis: vel pro liberatione. He braice צדק *hiſdik*, Grece ἀπόλυσις. De hac poſteriore ſignificatione hic agimus, forenſe vocabulum eſt, condemnationi oppoſitum. Illi enim dicuntur abſolui, qui coram iudicibus petracti cauſa cognita dimittuntur, iuſtificantur, accuſationum, legū, obligationum variarum vinculis ſoluuntur.

Coram hominibus abſolutio illa dupliciter conſideratur, vel reſpectu Abſoluentis, vel reſpectu Abſoluti. Agens abſoluit inductus vel precio, & inter auaros locum meretur: vel gratia, & amore, & ad amicitiam pertinet, vel æquitate, & iuſti appellationem ſubit. Patiens vero abſoluitur: primo quidem a crimine, de quo fuerat accuſatus, ſecundario autem a pœna tum animi, tum corporis (a quouis ſupplicio) tum fortuna, a mulcta quauis.

Polyanthea Noniſſ.

Coram Deo, eſt liberatio a peccatis, ſeu reatu, ab ira Dei, pœnis æternis, denique tum a ſatanæ, tum a conſcientiæ accuſatione. Hæc fit in terris & in cœlis, eo modo quo Theologi prolixe declarant. Tantum dicta quædam ſacræ Scripturæ, quæ vocem Hebream *Hiſdik* reſpiciunt, & abſolutionem illam indicant apponimus, cum aliquot Patrum ſententijs. Hæc vox igitur fluit a verbo *Tſadhak*, quod in prima coniugatione ſignificat, iuſtus fuit, iuſtificatus eſt. Pſalmus. 143. 2. Non erit iuſtus in conſpectu tuo omnis viuens. In tertia vero coniugatione *Hitſeddik*, fecit eſſe iuſtum, iuſtificauit, declarauit iuſtum. Deuterom. 25. 1. Exod. 23. 7. Pſalm. 82. 3. Prouerb. 17. 15. Iſai. 5. 23. Væ ijs, qui iuſtificant impiom propter munus, id eſt, abſoluunt impium. Hinc per ephereſin δικαιόω, iuſtum puto, iuſtificor: δικαίωμα δίκαιος, iuſtus: δικαιωσις, & δικαίωμα iuſtificatio, δικαιοσύνη, iuſtitia; item δικάζω, δικάζομαι, iudico cauſam, δίκη, cauſa, &cæt. quæ voces in Sacris Libris noui Teſtamenti frequenter occurrunt.

Abſolutio autem diſtinguitur in diuinam, Eccleſiaſticam, & politicam.

De Eccleſiaſtica, quæ fit Chriſti nomine & mandato. Vide Matth. decimoſexto, decimo nono, & 18. 18. Ioann. vigeſimo, vigeſimo tertio.

De abſolutione diuina, vide quæ de remiſſione peccatorum occurrunt dicta in ſacris Scripturis, item de iuſtitia hominis peccatoris coram Deo. Exempla ſunt iuſtificati, & Abſoluti omnes a peccatis, nempe Adam, Abel, Patriarchæ, poſt & Chriſtiani omnes, ante & poſt Chriſtum in carne manifeſtatum.

Abſolutionis humanæ, tum Eccleſiaſtica, tum politica plurima in hiſtorijs occurrunt exempla. Quaſdam veterum Theologorum ſententias de abſolutione noſtra coram Deo ſubijciamus.

Peccatis contraximus chirographum culpæ, pœnam ſanguinis debebamus, Venit Dominus Ieſus ſuum pro nobis ſanguinem obtulit. *D. Ambroſ. de virginit. lib. 3.*

Non gloriabor, quia iuſtus ſum, ſed gloriabor, quia redēptus ſum. Gloriabor, non quia vacuus peccati ſum, ſed quia mihi remiſſa ſunt peccata. Non gloriabor, quia profui, neq; quia profuit mihi quiſquam: Sed quia pro me aduocatus apud Patrem Chriſtus eſt, Sed quia pro me Chriſti ſanguis effuſus eſt, propter me Chriſtus mortem guſtauit. Qui pro te mortuus eſt, aduocatus eſt tibi, & ſanguinis ſui merces te ſeruat. *Idem de Iacob & Vita beata, lib. 1. cap. 6.*

Quod tegitur non videtur, quod non videtur, non imputatur, quod non imputatur, nec punietur *Diuus Hieronymus in pſalmo trigeſimo primo.*

Dominus noſter deſcendit ad nos, vt fieret mortalibus, & peccatoribus proximus. Ille duo bona habebat, iuſtitiam, & immortalitatem, nos duo mala, iniquitatem & mortalitatem, vnum eſt culpa, alterum pęna. Culpa eſt quod iniuſtus es, pœna, quia es mortalis. Ille vt eſſet proximus ſuſcepit pœnam tuam, non ſuſcepit culpam tuam, niſi delendam. Suſcipiendo pœnam, & non ſuſcipiendo culpam, & culpam deleuit & pœnam. *D. Aug. de verb. Domini ſec. Luc. ſer. 37.*

Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata, non in quibus non ſunt inuenta peccata, ſed quorum tecta ſunt peccata. Cooperta ſunt peccata tecta ſunt, & abolita. Si texit peccata Deus, noluit aduertere, ſi noluit aduertere, noluit animaduertere: ſi noluit animaduertere, noluit punire, noluit agnoſcere, maluit ignoſcere. *Idem in pſ. 31.*

Iam olim contra ſuperbos clamatum eſt. Beatus cui non imputauit Dominus peccatum, non enim imputat ijs, qui fideliter, & realiter dicunt, Dimitte nobis debita noſtra. *Idem lib. de perfect. iuſtitiæ.*

Nemo ſibi dat, quod non habet. Ergo cum ſis iuſtus non petis eſſe iuſtus, niſi conuertendo te ad quandam iuſtitiam manentem, a qua ſi recedis iniuſtus es, ad quam ſi accedis, iuſtus es. Te recedēte non deficit, te accedente non creſcit. Vbi ergo eſt iſta iuſtitia? Quæres in terra? Abſit. Reſpice ergo, tranſcende, vade illuc, vbi ſemel loquutus eſt Deus, & ibi inuenies fontem iuſtitiæ, vbi eſt fons vitæ. *Idem in pſ. 61.*

Opus erat ſanguine iuſti ad delendum chirographum peccatorū. Quanta bona egit paſſio. *Idem ibid.*

Dauid ad miſericordiam, inquit, confugio ad communem peccantium portum. Vides & iuſtum miſericordia ſaluatum. Vbi miſericordia, pœnæ locus non eſt. Quid contulit Deus ſaluti latronis? Remiſſionem peccatorum. Quid vero intulit latro? Confeſſionis fidem grandem, excelſam, cœlum tangentem. *D. Ioann. Chryſoſt. in pſ. 50.*

Illumina oculos meos Domine, & ſapiens ſum, delicta iuuentutis meæ, & ignorātias meas ne memineris & iuſtus ſum, deduc me dñe in via tua, & ſanctus ſum. Verūtamē niſi interpellet ſanguis tuus pro me, ſaluus non ſum. Non modo iuſtus, ſed & beatus, cui non

imputabit Dominus peccatum. *D. Bernard. serm. 22. in Cantic.*

Sufficit mihi ad omnium iustitiam solum habere propitium, cui soli peccaui. Omne quod mihi ipse non imputare decreuerit, sic est quasi non fuerit. Non peccare de iustitia est; hominis iustitia, indulgentia Dei. *Idem serm. 23. in Cantic.*

ABSTEMII.

Abstemius dictus est qui vino abstinet, Græc. ἄοινος. Gellius libro 10. capit. 23. Qui de victu atque cultu populi Romani scripserunt, mulieres Romæ atque in Latio ætatem abstemias egisse, hoc est, vino semper, quod Temetum prisca lingua appellabant, abstinuisse dicunt, Chaldæi vinum aqua dilutum *temed* appellarunt. a quo quodcunque vinum Latinis veteribus dictum est: inde temulentia, temulentis, ebrij, lo brijs abstemij oppositi, & μέθη Græcis, ebrietas, vnde temetum, & nonnulli existimant, quamuis ex articulo, & nomine conflata compositio non ita conueniat. Ouidius Metam. lib. 15.

Clitorio quicunque sitim de fonte leuarit,
Vina fugit, gaudetq; meris abstemius vndis.

Alimenta & necessaria sunt pro conseruatione humani indiuidui, & iucunda. Abstinentia igitur qualiscunque siue necessitati, siue voluptati tantum detrahat, vel in nobis sita non est, sed a natura morboue prouenit (sic quidam ab ortu, quidam ex morbo redduntur abstemij: sunt & qui nihil omnino cibo potusue assumãt) vel in nobis sita est. Abstinent proinde ab alimentis tam necessarijs quam iucundis alij quidem sponte, alij coacti. Et sponte quidem ijs, vt præsentibus vti, sic absentia comparare recusant, fine vel inhonesto (vt qui ferme seipsos vitæ tædio, aut desperatione acti enecant) vel honesto atque bono.

De cibi potusue vsu vel abstinentia, regulas Ecclesiæ tradidit Apostolus sequentes:

Qui manducat (qui bibit) non manducantem (non bibentem) haud spernat: & qui non manducat (abstemius) manducantem (vinum bibentem) non iudicet. Deus enim illum assumpsit. Tu quis es, qui iudicas alienum seruum? Qui manducat (bibit) Domino mãducat (bibit) & qui non manducat (qui non bibit) Domino non edit (non bibit) & gratias agit Deo. *Rom. 14. 3. 6.*

Non est regnum Dei esca & potus: sed iustitia, pax & gaudium in Spiritu S. *Rom. 14. 17.*

Itaque si mortui cum Christo liberi estis ab elementis mundi, quid vt viuentes in mundo ritibus oneramini? Ne attigeris, neque gustaueris, neque contrectaueris. *Coloss 2. 20. 21.*

Ne amplius esto abstemius: sed vino pauculo vtere, propter stomachum tuum & crebras tuas infirmitates. *1. Timoth. 5. 23.*

Vt naturæ ductu quidam a vino abstinent, & proprie dicuntur abstemij, sunt & qui ex diuino, vel honesto instituto, aut saltem nõ turpi vinum nullo modo gustant.

Dicta, et Exempla Biblica.

Dominus de Nazaræis loquens, Vir (inquit) siue mulier cum fecerint votum vt sanctificentur, & se voluerint Domino consecrare, a vino & omni quod inebriare potest abstinebunt, nempe toto Nazareatus sui tempore. *Num. 6. 1. 2. &c.*

Samsonis Nazaræi matri edixit Angelus, caue ne vinum bibas aut siceram. *Iudic. 13. 4. 7.*

Ioannes Baptista Abstemius declaratur. Vinum & siceram non bibet, inquit Angelus. *Luc. 1. 15.* Venit Ioannes non bibens vinum. *Luc. 7. 33.*

De Rechabitis abstemijs ex patris instituto, Hieremias, Posui (inquit) ante filios familiæ Rechabitarum scyphos, atque calices plenos vino, & dixi eis: Bibite vinum. Qui dixerunt, Non bibemus vinum: quia Ionadab filius Rechab pater noster præcepit nobi dicens, Ne bibatis vinum & vos & filij vestri in æternum. *Hierem. 35. 5. 6.*

Aaroni & sacerdotalis ordinis viris reliquis dicit Dominus, Vinum & omne quod inebriare potest, non bibetis tu & filij tui, quando intrabitis tabernaculum testimonij, ne moriamini: vt habeatis scientiam discernendi inter sanctum, & prophanum, inter pollutum, & mundum, doceatisque filios Israel omnia legitima mea, quæ locutus sum ad eos per manum Mosis. *Leuitic. capit. 10. 9. 10.*

Vinum non bibet vllus sacerdos, quando ingressurus est atrium interius. *Ezech. 44. 41.*

Cogitaui (inquit Salomon) in corde meo abstrahere a vino carnem meam, vt animum meum transferrem ad sapientiam. *Eccles. 2. 3.*

Abstemiorum laudes in ebrietatis detestatione & vini abuso. vide Esai. 5. 11. 12. 22. & 22. 13. & 28. 1. 7. & 56. 12. Daniel. 1. 8. Ose. 4. 15 Ioel. 3. 3. Amos 2. 8. 12. & 6. 6. Habac. 2. 5. Rom. 14. 22. Ephes. 5. 18. 1. Tim. 3. 8.

Sententiae Patrum.

Ne propter pabulum, inquit Apostolus, solueritis opus Dei, quod opus? de quo ait, Bonum est carnem non edere, & vinum non potare. Nam qui in istis seruit, placabilis & propitiabilis Deo non est. Quidam credit omnia manducanda esse, quidam autem infirmus olera vescitur: qui manducat, ne nullificet non manducantem. Tu quis es, qui alienum seruum iudicas? Et qui manducat, & qui non manducat Deo agit gratias. Cum autem humano arbitrio vetet controuersiam fieri, quanto magis diuino? Ita sciebat quosdam castigatores & interdictores victus incusare, qui ex fastidio, non qui ex officio abstinerent, probare vero qui in honorem, non qui in conuitium creatoris. Et si claues macelli tibi tradidit, permittens esui omnia ad constituendum idolothytorum exceptionem, non tamen in macello regnum Dei inclusit. Nec enim, inquit, esus aut potus est Dei regnum, &c. Esca nos Deo non commendat, non vt de arida dictum putes, sed potius de vocta & accurata. Si quidem subijciens, nec si manducauerimus abundabimus, nec si non manducauerimus deficiemus: tibi magis insonat qui abundare te existimas, si edas, & deficere, si non edas, & ideo ista detractas. *Tertullianus de Ieiunijs aduers. Psychicos, cap. 6.*

Clamat Apostolus, Non est regnum Dei cibus & potus, sed iustitia & pax & gaudium. Item alio loco, Esca ventri, & venter escis: Deus autem & hunc & hanc euacuabit: corpus autem non fornicationi, sed Domino, & Dominus corpori. Deus ventre non editur, ne cibis, quos Dominus dixit perire, & in secessu naturali lege purgari. Nam qui per escas Dominum colit, prope est, vt Dominum habeat ventrem suum. Cibus inquam verus, & sanctus, & mundus est fides recta, immaculata conscientia, & innocens anima: quisquis sic pascitur, Christo conuescitur, talis epulator conuiua est Dei, istæ sunt epulæ, quæ Angelos pascunt, istæ sunt mensæ quæ martyres faciunt. Hinc est vox illa Legis, Non in pane tantum viuit homo, sed in omni verbo quod proficiscitur ex ore Dei. Hinc illa Christi, mea esca est, vt faciam voluntatem eius qui me misit & vt consummem opus eius. Hinc, Quæritis me, non quia signa vidistis, sed quia manducastis de panibus meis, & saturati estis. Operamini autem non eam escam, quæ perit, sed escam permanentem in vitam æternam, quam filius hominis vobis dabit, hunc enim signauit Deus. Iustitia, inquam, & continentia, & reliquis virtutibus, Deus colitur. Nam & Zacharias refert (capite septimo.) Si manducetis, inquit, aut bibatis, nonne vos manducatis aut bibitis? exprimens cibos, aut potus, non ad Deum peruenire, sed ad hominem: nec enim carneus Deus est, vt carne placetur, nec in has voluptates attonitus, vt nostris gaudeat cibis. Deus sola gaudet fide nostra, sola innocentia, sola veritate, solis virtutibus nostris. quæ habitant non in ventre, sed in animo, quasque nobis acquirit diuinus timor, & cœlestis motus, non terrenus cibus. Ex quibus congruenter insectatus est Apostolus superstitionibus Angelorum seruientes, inflatos a sensu carnis suæ, caput Christum non tenentes, ex quo omne corpus per nexum concatenatum, & fibula charitatis mẽbris mutuis innexum atque concretum, crescit in Deum, sed illa seruantes, Ne tetigeritis, neque contrectaueritis, quæ imaginem quidem videantur habere religionis, dum corpori non parcitur, nullum tamen emolumentum omnino iustitiæ, dum ad elementa, quibus per baptisma mortui sumus, voluntaria seruitute reuocamur. *Nouatian. epistol. de Cibis Iudaicis, apud Tertullian. cap. 5.*

Vinum bibere non turpe est, absit: (hæc sunt hæreticorum præcepta) sed Apostolus Timotheum nolens propter multas ægritudines prorsus esse abstemiũ, vini modici vsum ei concessit, quod dedecus esse non putaret non posse absque illius auxilio vinum laborans membrum erigere. *Chrysostom. hom. 1. ad populum Antiochen.*

Essæi, quos Iosephus, & Philo Iudæus descripserunt, a vino (vt ab esu carnium) abstinuere, quod vinum dementiæ venenum, sed irritamentum esse dicerent. Hæc scribens Philo, inquit *Sozomenus lib. 1. cap. 12.* significare voluit illos Hebræos, qui sua ætate religionem quidem Christianam profitebantur, adhuc tamen morem Iudæorum in vita fuisse sequutos, & eorum instituta seruasse. Idem repetit *Nicephorus*, & *Sophronius* quoque testatur in vita Marci. Philo (inquit) videns primam Ecclesiam Alexandriæ Iudaizantem, quasi in laudem gentis suæ de eorum conuersatione scripsit.

Ex Tatiani Schola circa annum Domini 181. progressi sunt Encratitæ, quos *Epiphanius* depingit libro secundo, tomo primo. Ij ne in mysterijs quidem vino vti noluerunt, sed aquæ, vnde dicti sunt ὑδροπαραστάται, quasi d. aquæ patroni. Et de Seuerianis idẽ dicit, οἴνου παντελῶς ἀπέχονται, id est, a vino prorsus abstinent. Rationẽ abstinentiæ a vino istorum hæreticorum, vinum turbare mentem

tem homini, & iam ad libidines, iam ad iram, iam ad inſaniam excitare. Atqui diſtinguendus, ſcernendusq. fuit abuſus à ſobrio vini vſu, nec temperantibus & bonis viris imperantium & ebriorum culpa imputanda.

Montaniſtæ item vino abſtinnerunt, Tertulliano teſte, libro de ieiunio contra Pſychicos. Manichæi, vt ſcribit Auguſtinus ad Fauſtum, vinũ non bibebant, dicentes fel eſſe principem tenebrarum, cum veſcantur vuis: nec muſti aliquid vel recentiſſimi ſorbebant. Turcæ permulti a vino abſtinent.

ETHNICORVM *Abſtemij*.

De abſtemijs veterum ſacrificijs, vide quæ in loco de ſacrificijs, & libationibus dicuntur. Populos autem nonnullos legimus vinũ ad ſe importari prohibuiſſe, ne illo effeminarentur, ac ſceleris legibus, atque pœnis ebrietatem coercere fuiſſe ſolitos.

Apud Locrenſes Epiaephyrios, ſi quis iniuſſu medici, & non recuperandæ valetudinis cauſa, vinum bibiſſet, capite plectebatur, quod lege a Zaleuco ſancitum eſt. Apud Maſſylienſes lege cautum, abſtemię vt ſint mulieres: apud Mileſios de hac re legem extare ſcribit Theophraſtus. apud Romanos oe famuli, nec ingenuę mulieres vinum bibune, atq; adeo nec adoleſcentes ingenui ante trigeſimum annum. *Athenæus, dipnoſophiſt. lib.* 10.

Vide AQVA.

Plato lib 11. de legibus, adoleſcentes abſtemios eſſe vult vſque ad 18. ætatis annum. *Ariſtoteles*, Polit. lib. 7. c. 17. vinum teneriorībus corporibus accommodatum eſſe pernegat, & propter morbos puerilem ætatem arcet a vino.

Cœlius Rhodiginus quærit cur nonnulli ſine abſtemij? & reſpondet problematice, an ſtomachi malæ conſtitutioni acceptum referri oportet, quæ calens cum ſiccitate contrariam aquæ requiret qualitatem: an adiuuat, & ſtomachi debilior conteatus, nocumentis vini calentis obnoxius: quia ſuapte vi, diſſecandi quodammodo poteſtatem vinum retinet: Suffragatur, & cerebri ob læſio facilis, ac vini multum euaporantis ictus, ex vtriuſq; partia ſympathia: quam tertio interiorum comprobat Galenus. *Lect. ant. par. lib.* 28. *c.* 28.

POETICAE SENTENTIAE.

Ἐπεὶ τί δεῖ βροτοῖσι πλὴν δυοῖν μόνον,
Δήμητρος ἀκτῆς, πώματος θ' ὑδρηχόου,
Ἅπερ πάρεστι καὶ πέφυχ' ἡμᾶς τρέφειν.

Quid vita poſcit, niſi duo, mortalium;
Cereale munus, & liquorem fluminis?
Hæc alere natura eſt potis paſſim obuijs.

Menander apud Strobæum, ſerm. 5.

Diſcite quam paruo liceat producere vitam,
Et quantum natura petat. Non erigit ægros
Nobilis ignoto diffuſus conſule Bacchus:
Non auro, murraq; bibunt. Sed gurgite puro
Vita redit: ſatis eſt populis fluuiuſq; Ceresq;.

Lucanus Pharſal. lib. 4.

quæ non iuuat nuda manu
Captaſſe fontem? celerius ſomnus premit,
Secura duro membra verſantur Thoro.

Seneca tragicus in Hippolyto.

APOPHTEGMATA.

Fridericus III. Imperator quum intellexiſſet Leonoram coniugem ex qua nullam prolem ſuſcitauerat, facile fœcunditatem conſecuturam, modo vino (a quo ſemper abhorruerat) præſertim in Germania frigida regione, vteretur: Eſto, inquit: ſed malim vxorem ſterilem, quam vinoſam. *Æneas Syluius lib. 2. Comment. de Geſtis Alphonſi*.

Succedat Auguſto Friderico ſua Auguſta Leonora: quæ, tantum abeſt iniquo animo ſui mariti reſponſum acceperit, vt etiam palã profeſſa ſit, Ee ſi domini mei (Fridericum appellans) iuſſioni tã libens pareo quã viro: ſi tamen vini vſum mihi mandauerit, mori optarim potius quam parere. *Idem*.

HIEROGLYPHICA.

Longa ieiunia & diuturnæ ſitis tolerantiam per camelum ſignificari, ex eo manifeſtum eſt, quod nullũ animal tanta in ſigne magnitudine tam exigua cibi paucitate nutritur, neque dies plures ſitim tolerat, cum ſatis conſtet Camelos in duodecimum vſque diem ſine potu perdurare. *Pierius Valer. lib.* 12. *c.* 39.

Aegyptij hominem ſibi ab ebrietate cauentem ſignificare volentes, Noctuam oua ſua deſugentem effingebant: quando memorant oua Noctuæ ea vi pollere, vt ſi per triduum ebrioſis in vino dentur tædium eius adducant, & abſtemios homines reddãt: quod etiam afferuit Philoſtratus, qui abſtemiom ſcribit ita reddi puerum, vt donec vsacerit vini odio teneatur ſi priuſquam vllum vini guſtum nouerit, Noctuina oua, leuiter cocta, illi ſorbillanda propinētur; vini enim odium inde ſuboriri quia temperatior hic fiat naturalis calor, *Idem lib.* 20. *c.* 21.

Polyanthea Nouiſs.

EMBLEMATA.

Alciatus emblem. 23. propoſuit ἄγαλμα Bacchi, & Palladis in eodẽ altari, vt nimirum ſignificetur prudentiæ incrementum eſſe aliquod ſi ſtudioſi homines non ſint prorſus abſtemij.

Sequenti vero, nempe embl. 24. Arbor Olea, quam vitis arctiſſime complectitur, exclamat,

Quid me vexatis rami? ſum Palladis arbor.
Auferte hinc botros. Virgo fugit Bromium.

Vini vſus (inquit Valerius Max. lib. 2. c. 1.) olim Romanis fœminis ignotus fuit, ne ſcilicet in aliquod dedecus prolaberetur: quia proximus a Libero patre intemperantiæ gradus ad inconceſſam Venerem eſſe conſueuit. Et lib. 6. cap. 3. Egnatius Metellus vxorem, quod vinum bibiſſet, fuſtim interemit. Idque factum, non accuſatore tantum, ſed etiam reprehenſore caruit, vnoquoque exiſtimante, optimo illam exemplo violatæ ſobrietatis pœnas pependiſſe. Et ſane quæcunque fœmina vini vſum immoderate appetit, omnibus & virtutibus ianuam claudit, & delictis aperit.

ABSTINENTIA.

VAria ſunt voluptatum obiecta, varij moderandarum voluptatum habitus vniuerſim quidem trito illo Stoicorum apophthegmate, Ἀνέχου καὶ ἀπέχου comprehenſi: quorum hoc in iucũdis, illud in triſtibus potiſſim. locum habet, in ſpecie vero obiectorum diſtinguendi varietate: ſic vt de voluptatibus corporis priore, de voluptatibus animi poſteriore loco agatur. Temperantiam (moderationis, abſtinentiæ, continentiæ, modeſtiæ, grauitatis, frugalitatis, verecundiæ, pudicitiæ ſororem natu maiorem & altricem) σωφροσύνην, ſapientum inſtituto, populi vſu, ὅτι σώζουσα τὴν φρόνησιν, quod prudentiam conſeruet, teſtantur Etymologici. Prudentia animi oculus quidam practicus eſt, Animus corporis famulitio vtitur. Corpus vtpura mortale, ad ſui conſeruationem externis multis indiget, quæ ſenſuum organis, ex quo manet bus apprehenſa, partim induiduo, partim ſpeciei humanæ conſeruandæ, propagandæq. inſeruiunt.

Ad vtramque curam voluptatis corporeæ illecebra, contrarijque doloris fuga, ceu eſca quadam, natura mortales accendit, incitat que. Voluptas omnibus connata ſenſibus, in guſtu, & tactu communiſſima vehementiſſimaq. in viſu, auditu, olfactu, vt hominis propria, ita quoque remiſſior. Appetitum vtrumque recta moderatur ratio, vehementiorem maiore, remiſſiorem minore vi edomans, alias alio hic σωφροσύνη Temperantiæ inſignita nomine. Et quidem circa alimenta & venerea κυρίως: circa viſus veto, auditus, odoratus obiecta ἀκύρως verſetur Temperantia, mediocritatis vbique ſtudioſa.

Ab ea exorbitans vitioſus habitus, Ακολασία dictus, hominẽ a ſtatu excellentiæ ſuæ propemodum diuinæ, ad quem natura duce, comite Temperantia, peruenerat, ad brutorum Libidinem, Ingluuiemque deijcit. Ab eadem deficiens vitioſus habitus, vt nomine caret, ita rarus inuentu, ſuperſtitionis contumaciæ deſperationis, ſimiliumq. vitiorum quæ comitatur, naturam, nomenque frequenter induit.

Alimenta autem & neceſſaria ſunt pro conſeruatione humani indiuidui, & iucunda. *Abſtinentia* igitur qualiſcunque, ſiue neceſſitati, ſiue voluptati tantum detrahat, vel in nobis ſita non eſt, ſed a natura morboue prouenit (ſic quidam ab orto, quidã ex morbo redduntur abſtemij, ſunt & qui nihil omnino cibi, potuſue aſſumant) vel in nobis ſita.

Abſtinent proinde ab alimentis tã neceſſarijs, quam iucundis, alij quidẽ ſponte, alij coacti, & ſponte quidẽ ijs ve præſentib. vti, ſic abſtentia cõparare recuſant, ſine vel inhoneſto (ut qui ſame ſeipſos uitę tædio enecant) uel honeſto, atq; bono. Quæ abſtinentia huius ſect. eſt propria quatenus a cibo abſtiaet, & voluptatẽ moderatur, uel ut malum aliquod compeſcat, aut euitet. Ita quidam pœnitentes ieiunate ſolent, alij abſtinent ab alimentis ad corporis morbos edomandos aut præcauendos: vel ad animi uitia cohibenda, Luxuriam puta & inobedientiam. Alij a cibo abſtinẽt, ad bonum aliquod impetrandum, puta uel animi illuſtrationem in theorica ſapientia, aut practica pietate, uel corporis ſecunditatem & robur, uel fortunæ bona, diuitias, honores, uictoriã, &c.

Iam uero coacti abſtinent illi, quibus alimenta eripiuntur, uel diuinitus, tempeſtate, frigore, rerum neceſſariarum ad uictum penuria, uel humanitus, puta ab hoſtibus obſidentibus, uel a Magiſtratu reos ad abſtinentiam tolerandam cogente.

Abſtineo, abſtines, penult. breui, abſtinui, abſtinere, ex abs, & teneo eſt ab aliqua re omnino ſe cohibere, & quaſi ſe tenere procul a ſe illa, ut abſtinet furto, qui rem proximi non attingit, abſtinet alimen-

alimentis, voluptatibus, qui cibis, potu, venere non vtitur. Abſtinuit cœna, qui non cœnauit. Ἐγκρατείας nomine Græcis in genere, temperantia, in ſpecie caſtitas, continentia, moderatus & interdum parcus atque admodum adſtrictus & tenuis alimentorum vſus, & modeſtia item in omni conuerſatione ſignificatur. Xenophon apomn. lib. 1. ἐγκράτειαν dicit ἀρετῆς εἶναι κρηπῖδα, & Ariſtoteles hic & lib. 7. cap. 4. καὶ (inquit) ἡ ἐγκράτεια ἡ χυδαιοτέρα. Cum genitiuo frequenter occurrit, ſicut & ἐγκρατής, & tum exponitur etiam Abſtinentia.

Moſes Geneſ. 45. cap. 1. verſ. de Ioſepho fratres ſuos ſingulari quodam intimoque cordis affectu complectente dicit, eum non potuiſſe vltra ſe cohibere, multis coram adſtantibus, vtitur vocib. *Leiehappk*, quæ ſignificant, quod Galli dicunt, *Il ne peut plus ſe tenir, ou retenir*. *Apak*, impetum fecit: in quarta coniugatione *hithappak*, continuit ſe cum violentia quadam. Sicuti Ioſeph, Gen. 43. 31. Lauit faciem ſuam, & egreſſus eſt, & *Iethappk*, continuit ſe vi quadam, *il ſe fit force*. Inde nonnullorum iudicio fluit *Mithappek*, Abſtinens, qui vim ſibi quandam infert ne rebus, quas attingere recuſat, tandem vtatur.

Abſtinentia a cibo in genere a Græcis appellatur Νηστεία, ἢ νὴ particula priuante & ἐσθίω μαι, quod eſt validum, & firmum eſſe: quoniam inedia & cibi abſtinentia corporis vires eneruat. Sunt qui νηστείαν & νηστεύειν a νὴ & ἐσθίειν, ſiue σιτεῖσθαι, volunt eſſe deductum. Ieiunus ſiue a cibo abſtinens, inediaue laborans, ἄσιτος, ἀπόσιτος, νῆστις, ἄπαστος, ἄγευστος, &c. Hebraice appellatur *Tzom*, i. ieiunauit: quod vt literarum tranſpoſitione, ita modo tantum ſignificandi variat a verbo *Motz*, i. emunxit, emulſit, quod ieiuniũ emungat, & emulgeat vel exhauriat vires atque corporis pinguedinem.

A cibis *abſtinentia* quadruplex eſſe videtur: nempe *Naturalis*, voluntaria, miraculoſa, violenta, ſiue coacta. Naturalem vocamus, quando quis natura vel ſana ac bene conſtituta, vel morbo aliquo vitiata atque corrupta a certis cibis abhorret, ac proinde ab ijs abſtinet.

Voluntaria, quæ certa ratione atque conſilio ſuſcipitur. Hæc autẽ pro diuerſo fine varia eſt, atque multiplex, nempe medica, politica, religioſa, ſuperſtitioſa: de quibus prolixe differunt eruditi.

Miraculoſa vires humanas ſuperat, & a Deo nonnunquam mirabili ratione ad veræ doctrinæ commendationem, atque confirmationem Sanctis viris conceſſa fuit. Huiuſmodi fuit Moſis, Heliæ, Chriſti ieiunium 40. dierum, quod miramur, non imitamur.

Violenta, ſeu coacta viget in annonæ penuria, famiſq. tempore. Et hæc quidem de vocis & rei definitione & varia acceptione.

Abſtinentia a cibo & potu, non quia aliqua Dei creatura mala ſit, ſed pro ſola corporis caſtigatione ceſſatio. *Secundum Augu. Iunium de fide ad Petrum*.

Abſtinentia eſt cohibitio gulæ, luxuriæ, cupiditatis, auaritiæ, ambitioniſq. & ſuperbiæ, *ſecundum commentatorem ſuper 1. Ethic.*

Abſtinentia (vt quidam volunt) ſic differt a continentia, quod continentia eſt, cum nos a voluptatibus continemus. Abſtinentia autem pro iuſtitia accipitur, cum ſcilicet abſtinemus ab alienis, nulli vim inferentes, nihil cuiquam eripientes. Continentiæ poteris dare nomen abſtinentiæ potius, quam econtra. Continentia enim quid ſpecialius eſt, Abſtinentia vero generalius: Sicut temperantia putatur ſub iuſtitia eſſe, vel ab ea non poſſe ſeparari, illa vero ſine hac frequenter eſt. Quare rite continentia vocatur abſtinentia.

Omnis abſtinentia, omnis innocentia, apud Græcos vſitatum nomen habet nullum, ſed habere poteſt, ἀβλάβειαν. Nam innocentia eſt talis affectio animi, quæ noceat nemini: reliquas enim virtutes frugalitas continet. *Cicero lib. 3. qu. Tuſc.*

Vide plures definit. inter ſententias Philoſoph. huius loci.

DIVISIO.

Abſtinet, AEger, Egens, Cupidus, Gula, Simia, Virtus.

ABSTINENTIA eſt ciborũ ſubtractio, quæ contingit ſex modis.

- *Propter ſolam ſanitatem conſeruandam, vel acquirendam.* — *AEger.*
- *Propter penuriam ſolam.* — *Egens.*
- *Propter auariciam.* — *Cupidus.*
- *Propter delectationem ſequentem comeſtionẽ.* — *Gulosus.*
- *Propter inanem gloriam.* — *Hypocrita.*
- *Propter Deum & eſt duplex, ſcilicet Virtus.*
  - *Diſcreta, quæ eſt ratione regulata moderatio ciborum. Quod fit cum quis abſtinet a cibis, vt oportet congruentia perſonarum, cum quibus viuit, & perſonæ ſuæ & pro valetudinis ſuæ neceſſitate: nec pertinet ad regnum Dei, niſi cum fit rationabiliter & ex dilectione Dei. Hæc ſecundum Archiepiſcopum Florentinum.*
    - *Cauſatur, vel conſeruatur in quatuor quæ ſunt.*
      - *Aſſuefactio ad aliquid licitum.*
      - *Debita ordinatio, quã faciunt quinque conditiones, ſcilicet.*
        - *Expectatio conuenientis horæ manducationis.*
        - *Moderatio deliciarum in cibis pro perſonarum ſtatu, & conditione.*
        - *Moderata ciborum ſumptio in quantitate, ſecundum complexionem.*
        - *Non ardens, nec rapax edacitas.*
        - *Simplex, & non accurata, nec ſtudioſa ciborum præparatio.*
      - *Elongatio ab allicientibus ad gulam: quales ſunt pingues menſæ.*
      - *Conſideratio inducentium ad abſtinentiam, quæ ſunt.*
        - *Natura, quæ ſecundum Philoſoph. libro ſexto animalium, os paruum, & guttur arctum homini dedit.*
        - *Scriptura, quia initium vitæ hominis panis, & aqua, Eccleſiaſt. 29.*
        - *Fortuna inducens ad vitæ parcitatem, cum omnes homines habeant eandem naturæ paritatem.*
        - *Mors futura, de qua Greg. nihil ſic valet ad carnis deſideria domanda, ſicut cogitare, qualis ſit futura mortua.*
    - *Efficit in homine.*
      - *Quoad animam, vel mentem.*
        - *Eleuationem mentis.*
        - *Memoriæ tenacitatem.*
        - *Intellectus acuitatem.*
      - *Quoad Corpus.*
        - *Corporalem vitam delectabilem, & ſanam facit.*
        - *Templum Dei efficit.*
        - *Munditiam corporis cauſat.*
  - *Indiſcreta triplex ſecundum B. Thom. 4. ſententiarum, diſt. 15. q. 3. artic. 1.*
    - *Cum licet natura paucis contenta ſit, ſubtrahuntur neceſſaria vitæ, de quo Hieron. in decret. de conſec. diſt. 5. Non mediocriter. De rapina holocauſtum offert, qui temporalium bonorum, vel ciborum nimia egeſtate, vel manducando, vel ſomni penuria immoderate corpus affligit.*
    - *Cũ ſubtrahũtur neceſſaria valetud. debita circũſtãtia locor. officior. & pſonarũ*
    - *Cum per eū omittuntur vtiliora, vnde Hier. de conſec. diſt. 5. Non mediocriter. Rationabilis homo dignitatem amittit, qui ieiunium charitati, vel vigilias ſenſus integritati præfert.*

Vir

SENTENTIAE BIBLICAE.

Vir siue mulier cum fecerint votum, vt sanctificetur & se voluerint domino consecrare, a vino & omni, quod inebriare potest, abstinebunt. *Num. 6.*

Tobias filium suum ab infantia timere Deum docuit, & abstinere ab omni peccato. *Tob. 1.*

Iustus comedit & replet animam suam, venter autem impiorum insatiabilis. *Prouer. 13.*

Anima saturata calcat fauum: anima esuriens amarum pro dulci sumit. *Prouer. 27.*

Sapiens cor & intelligibile abstinebit se a peccatis, & in operibus iustitiæ successus habebit. *Eccl. 3.*

Beata terra, cuius principes vescuntur in tempore suo ad reficiendum, & non ad luxuriam. *Eccl. 10.*

Initium vitæ hominis aqua & panis. *Eccl. 29.*

Vtere, quasi homo frugi, his quæ tibi apponuntur. *Ibid. 31.*

Noli auidus esse in omni epulatione, & non te effundas super omnem escam: in multis enim escis erit infirmitas, & auiditas appropinquabit vsque ad choleram. *Eccl. 37.*

Qui abstinens est, adijciet sibi vitam. *Ibidem.*

Et si iustitiam quis diligit, labores huius magnas habent virtutes, sobrietatem enim & sapientiam docet & iustitiam & virtutem, quibus nihil est vtilius in vita hominibus. *Sapien. 8.*

Cibus tuus quo vesceris, erit in pondere. *Ezech. 4.*

Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. *Matt. 5.*

Is qui manducat non manducantem non spernat. Et qui non manducat, manducantem non iudicet. Qui enim manducat Domino manducat, gratias enim agit Deo, Et qui nõ manducat, Domino non manducat, & gratias agit Deo. *Rom. 14.*

Omnis creatura Dei bona est, & nihil reijciendum est, quod cum gratiarum actione percipitur. *1. Tim. 4.*

Nolite fraudare inuicem, nisi forte ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi. *1. Cor. 7.*

Omnis enim qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet, & illi quidem vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam. *1. Cor. 9.*

Ego igitur si curro, non quasi in incertum, sic pugno, non quasi aerē verberans: Sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne forte cum alijs prædicauero, ipse reprobus efficiar. *Ibidem.*

Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis: caro enim cõcupiscit aduersus spiritum. *Galat. 5.*

Nos autem qui Dei sumus, sobrij simus. *1. Thess. 5.*

Ab omni specie mala abstinete vos. *1. Thess. 5.*

Sanctificatur enim per verbum Dei & orationem. *1. ad Tim. 4.*

Iuuenes hortare, vt sobrij sint. *ad Tit. 2.*

Sobrie, iuste, & pie viuamus. *ad Tit. 2.*

Charissimi obsecro vos, tanquam aduenas, & peregrinos, abstinete vos a carnalibus desiderijs, quæ militant aduersus animam. *1. Petr. 2.*

Sobrij estote & vigilate, quia aduersarius vester diabolus tanquam Leo rugiens circuit, quærens quem deuoret, cui resistite fortes in fide. *1. Pet. 5.*

Vna autē curā omnē subinferentes ministrate in fide vestra virtutem, in virtute aūt scientiam, in scientia abstinentiam. *2. Pet. 1.*

Vide pleraque in titulo Ieiunium.

PATRVM SENTENTIAE.

Bonum est in cibo, cum gratiarū actione percipere quicquid Deus edendum præcipit. Abstinere autem ab aliquibus, non quasi malis, sed quasi non necessarijs, non est malum. *Aug. de diffinitio. recta fidei.*

Non interest omnino scilicet ad veritatem, quid alimentorum, vel quantum quis accipiat: dummodo id faciat pro congruentia hominum, cum quibus viuit, & personæ suæ, & pro valetudinis suæ necessitate, sed quanta facilitate & serenitate animus his valeat, cum oportet, vel necesse est carere. *Aug in lib. de qu. euang.*

Quam suaue mihi subito factum est a suauitatibus nugarum abstinere, & quas mittere metus, fuerat, iam dimittere gaudium est. Eijciebas enim eas a me: tu vero summa suauitas intrabas pro eis, omni voluptate dulcior, sed non carni, & sanguini: omni luce clarior, & omni secreto interior, omni honore sublimior, sed non sublimibus in se. *Aug. 9. confessionum.*

Vtantur diuites consuetudine infirmitatis suæ, sed doleant se aliter non posse. Melius enim possent, si aliter possent. Si ergo non extollitur pauper de mendicitate: tu quare extolleris de infirmitate? Vtere cibis electis, pretiosis: quia si consueuisti, aliter non potes, quia si consuetudinem mutas, ægrotas: conceditur tibi, vtere superfluis, da pauperibus superflua. Vtere pretiosis, da pauperibus. *Aug. de ver. do. c. 5.*

Qui sibi a carnibus temperant, vt alias escas difficilioris præparationis, & pretij maioris inquirant, multum errant. Non enim est hoc suscipere abstinentiam, sed imitari luxuriam. *Aug. in ser. de dominic. 4 in aduentu.*

Abstinentia est a cibo & potu, non quia aliqua Dei creatura mala sit, sed pro sola corporis castigatione cessatio. *Au. de fi. ad Pe.*

Quisquis rebus prætereuntibus restrictius vtitur, quam sese habēt mores eorum, cum quibus viuit: aut intemperans, aut superstitiosus est. Quisquis vero sic eis vtitur, vt metas consuetudinis bonorum inter quos versatur, excedat, aut aliquid significat, aut flagitiosus est. In omnibus enim talibus non vsus rerum, sed libido in culpa est. Quid igitur locis & temporibus & personis conueniat, diligenter attendendum est, ne temere flagitia reprehendamus. Fieri enim potest, vt sine aliquo vitio cupidinis vel voracitatis pretiosissimo cibo sapiens vtatur, insipiens autem fœdissima gulæ flamma in vilissimum olus exardescat, & sanus quisque maluerit more domini pisce vesci, quam lenticula more Esau nepotis Abrahæ, aut ordeo more iumentorum. Non enim propterea continentiores nobis sunt pleræq; bestiæ, quia vilioribus aluntur escis. Nam in omnibus huiuscemodi rebus non ex earū rerū natura, quibus vtimur, sed ex causa vtendi, & modo appetendi, vel probandū, vel improbandū est quod facimus. *Aug. de doct. Christ.*

Abstinentia tua, atq; ieiunium tuum eo magis Deo grata sunt, quod cum moribus sanctis offeruntur: vt quæ in alijs sunt vmbracula vitiorum: in te fiunt ornamenta virtutum. *Hier. in ep. ad Deme. virginem.*

Nonnulli vitā pudicam appetentes in medio itinere corruunt, dum solam abstinentiā carnium putant, & leguminibus onerant stomachum, quæ moderate parceq. innoxia sunt: & vt quod sentio, loquar, nihil sic inflammat corpora, & titillat mēbra genitalia, sicut indigestus cibus, victusq. conuulsus. *Hier. in ep. ad Furiam.*

Mater sanitatis est abstinentia, mater ægritudinis voluptas, sine enim carne & vino cito friget Venus: & a patre Libero ad incōcessam Venerem gradus est proximus intemperantiæ. *Hier. in ep.*

Modicus ac temperatus cibus carni & animæ vtilis est. *Hier. ad Rusticum.*

Ante annos robustæ ætatis, periculosa est teneris abstinentia grauis. *Hier. ad Lætam.*

Quid prodest tenuari corpus abstinentia, si animus intumescit superbia? Quid virtutis habet vinum non bibere, & ira & odio inebriari? *Hier. ad Celantiam.*

Non mediocriter errant, qui bono magno præferunt mediocre bonum. Nonne rationabiliter homo dignitatem amittit, qui vel ieiunium charitati, aut vigilias præfert sensus integritati. *Hier. in ep. & hab. de conse. dist. 5.*

Abstinentiæ virtus nulla est, si tantum quisque corpus non edomat quantum valet, aut valde inordinata est, si atterit plus, quam valet. *Greg. lib. 20. moral.*

Per abstinentiam non caro, sed carnis vitia extinguenda sunt. Sic necesse est, vt artem continentiæ quisque teneat, quatenus non carnem, sed vitia occidat. Sæpe enim dum in illa hostem insequimur, etiam ciuem quē diligimus trucidamus, & sæpe dum quasi ciui parcimus, ad prælium hostem nutrimus. *Greg. lib. 20. mor.*

In abstinentia discretio seruanda est. *Ibid.*

Eisdem alimentis vitia superbiunt, quibus nutritæ virtutes viuunt: & cum virtus alitur, plerunque vires vitijs augmentantur, quū vero immensa abstinentia vitiorum vires extenuat, etiam virtus deficiens anhelat. *Ibid.*

Incassum per abstinentiam corpus atteritur, si inordinatis motib. dimissa mens vitijs dissipatur. *Greg. in pastoral.*

Non cibus, sed appetitus in vitio est. Vnde & lautiores cibos plerūque sine culpa sumimus, & abiectiores non sine reatu concupiscentiæ degustamus. *Greg. lib. 30. moral.*

Plerunque dum plus iusto caro restringitur, etiam ab exercitatione boni operis eneruatur, vt ad orationem, & prædicationem non sufficiat, dum incentiua vitiorum in se funditus suffocare festinat. *Greg. in hom. & 30. moral.*

Per sermonem, qui signantur, nisi abstinentes, qui foris carnem afficiunt, interius tamen fructum abstinentiæ non acquirunt. Crucem igitur Domini Simon in angaria portat, quia cum ad bonū opus sine bona voluntate ducitur, rem bonam sine fructu operatur. Simon ergo crucem portat, sed in cruce non moritur, quia abstinentes exterius per abstinentiam corpus afficiunt, sed interius per desiderium mundo viuunt. *Greg. super. euan. par. 5.*

Solus in illicitis non cadit, qui se aliquando & a licitis caute restringit. *Greg. 5. moral.*

Abstinentia est, quando quis pro amore Dei & salute propria, non ab illicitis tantum, imo interdum & a licitis atque concessis se cohibet. *Ibidem.*

Abstinentia est, quæ edendi horam non præuenit, vt fecit Ionathas in fauo mellis: non lautiora quærit edere, vt Israelitæ in deserto: non accuratius parare, vt filij Eli in Sila: non ad superfluitatem, vt Sodomitæ, non vile quodlibet, vt Esau edulium infame concupiuit. *Greg. in hom.*

Chorda in cithara si minus tenditur, non sonat: quia nimirum tanto quisque sibimet debet moderamine præesse, vt ad culpam nō caro superbiat, & inde ad effectū rectitudinis in operatione subsistat. *Greg. 15. mox super illud, Versa est in luctum cithara mea.*

Magnus discretionis labor est exactori, & aliquid impendere, & aliquid denrgarr: & non dando gloriam restringere, & dando naturam nutrire. *Greg lib. 30. Moral.*

Et, conuiuia tunc ex charitate veraciter prodeunt, cum in eis nulla abstinentium vita mordetur, nullus ex irrisione reprehenditur, nec in eis inanes secularium negotiorum fabulę, sed verba sacrę lectionis audiuntur: cum non plus quam necesse est, seruitur corpori, sed sola eius infirmitas reficitur, vt ad vsus exercendæ virtutis habeatur. Hæc si vos in vestris conuiuijs agitis, abstinentiũ (fateor) magistri estis. *Greger. Natal. Episc.*

Sic abstinere, vel ieiunare debemus, vt non nos necessitati ieiunandi subdamus, vt iam non deuoti, sed inuiti rem voluntariam faciamus. *Prosper l. 2. de vita cont.*

Qui cibis abstinent, & mala agunt, dæmones imitantur, quibus culpa adest, & cibus deest. *Isid. super Amos Prophetam.*

Ciborum saturitas carnis luxuriam sufcitat. edacitatis vitio crescit carnis tentatio. Saturitati semper libido adiuncta est. At contra, ieiunio libido restringitur, ieiunio luxuria superatur. *Isi. l. 2. Solilo.*

Nihil sic iucundum est, vt cibus bene digestus ac decoctus. Nihil sic ad salutem, nihil sic sensuum acumen operatur, nihil sic ægritudinẽ fugat vt moderata refectio. Sufficientia quippe cũ nutrimẽto & sospitate, simul etiam procreat voluptatẽ, exũdantia vero morbũ facit, & molestias ingerit, & ægritudines generat. Quod ẽt facit fames: hoc etiam facit plenitudo ciborum, magis autem peiora. Fames quippe in paucis diebus aufert hominem, liberat ex hac vita pœnali: excessus vero ciborum consumit, & putrescere facit corpus humanum, & macerat ægritudine diuturna, & tunc eũ morte crudeli consumit. *Chrys. super Epist. ad Hebr. ser. 29.*

Abstinemus magis propter sanitatem quam propter beatitudinẽ. *Idem super Matth hom. 32.*

Moderantia est nimium ciborum appetitum rationis imperio euocare. *Hug. de S. Victore.*

Semper virtuti cibus ieiunium fuit: de abstinentia quoque prodeũt castæ cogitationes, rationabiles virtutes, salubria cõsilia, & per voluntarias afflictiones caro concupiscentijs moritur, & virtutibus spiritus innouatur. *Leo Papa in ser. de ieiun. deci. mensis.*

Melior est rationabilis quotidiana cum moderatione refectio, quã per interualla arduum, longumq. ieiunium. Nouit immoderata inedia non solum mẽtis labefactare constantiam, sed etiam orationum efficaciam reddere, lassitudine corporis eneruatam. *Io. Cassian de inst. mo.*

Ipsis fit grauior consuetudo subtracti cibi, qui se escis alijs nesciũt consolari. *Cassi. super Psal. 130*

Non solum crapula vini mentem inebriare consueuit, verum etiã cunctarum escarum nimietas vacillantem, ac nutabundam eam reddit, omnique integritatis ac puritatis contemplatione dispoliat. *Cassi. de inst. mon.*

POETICAE SENTENTIAE.

Hor. 2. Serm. 2.

Accipe nunc, victus tenuis quæ quantaque secum
Afferat imprimis valeas bene. nam variæ res
Vt noceant homini, credas, memor illius escæ,
Quæ simplex olim tibi sederit. at simul assis
Miscueris elixa, simul conchylia turdis:
Dulcia se in bilem vertent, stomachoq; tumultum
Lenta feret pituita. vides, vt pallidus omnis
Cœna desurgat dubia? quin corpus onustum
Hesternis vitijs animum quoq; prægrauat vna,
Atq; affigit humo diuinæ particulam auræ.
Alter, vbi dicto citius curata sopori
Membra dedit, vegetus præscripta ad munia surgit.

Ouid. 15. Met.

Heu quantum scelus est in viscere viscera condi,
Congestoque auidum pinguescere corpore corpus,
Alteriusq; animantem animantis viuere letho!

Et infra.

Ergo ne pietas sit victa Cupidine ventris.
Parcite, vaticinor, cognatas cæde nefanda
Exturbare animas: nec sanguine sanguis alatur.

Iuuenalis.

Adspicimus populos, quorum non sufficit iræ
Occidisse aliquem, sed pectora, brachia, vultum
Crediderint genus esse cibi: quid diceres ergo,
Vel quo non fugeres, si nunc hæc monstra videres.
Pythagoras? cunctis animalibus abstinuit qui
Tanquam homine, & ventri indulsit non omne legumen;

Virg. Opusc.

Nec Veneris, nec tu vini capiaris amore:
Vno namque modo vina, Venusq; nocent.
Vt Venus eneruat vires, sic copia Bacchi
Et tentat Gressus, debilitatq; pedes.
Multos cæcus amor cogit secreta fateri:
Arcanum demens detegit ebrietas.
Bellum sæpe parit ferus exitiale Cupido:
Sæpe manus ad itidem Bacchus ad arma vocat.
Perdidit horrendo Troiam Venus improba bello:
Et Lapithas bello perdis Iacche graui.
Denique cum mentes hominum furiarit vterque:
Et pudor, & probitas, & metus omnis abest.
Compedibus Venerem, vinclis constringere Lyæum:
Nec te muneribus lædat vterq; suis.
Vina sitim sedent: natis Venus alma creandis
Seruiat: hos fines transiluisse noces.

Ouid. 16. Epist.

Disce meo exemplo formosis posse carere:
Est virtus placitis abstinuisse bonis.

Teren. Eun.

Verbum hercle hoc verum est: sine Cerere & Libero friget Venus.

Anthol. Sacra Iacob. Billij.

Sinuitij expertes Chananæos pagina primum
Isacidum in medio sacra habitasse refert.
Post etiam seruile iugum subijsse, datosq;
Imperio tandem numinis esse neci.
Quæ primum negat obsequium caro perfida menti,
Cogitur inuitis post dare colla iugo
Denique cum longo subiectam tempore carnem
Mens tenuit, sancta tum caro morte cadit.

Menander.

Γαστρὸς δὲ πειρῶ πᾶσαν ἡνίαν κρατεῖν.
Ventris autem conare omnem habenam continere.

Idem.

ἡ κοιλία καὶ πολλὰ χωρεῖ κ' ὀλίγα.
Venter & multa capit & pauca.

Ouid. Metamor. lib. 15. fabula 5.

Parcite mortales dapibus temerare nefandis
Corpora.

Ouid. ibid.

Vnde fames homini vetitorum tanta ciborum est?

Horat. serm. l. 2. Satyra 7.

Nempe inamarescunt epulæ sine fine petitæ,
Illusique pedes vitiosum ferre recusant
Corpus.

Iuuenalis Satyra 11.

Hæc olim nostri cum luxuriosa Senatus
Cœna fuit. Curius paruo quæ legerat horto
Ipse focis breuibus ponebat olusculo, quæ nunc
Squalidus in magna fastidit compede fossor.

Iuuenalis Satyra 11.

Voluptates commendat rarior vsus.

Sophocles in Electra.

Ζῆν αἰσχρὸν αἰσχρῶς τοῖς καλῶς πεφυκόσιν.
Οὐ γὰρ δίκαιον ἄνδρα γενναῖον φρένας
Τέρπειν ὅπου μὴ καὶ δίκαια τέρψεται.
Turpe est honesto loco natis turpiter viuere.
Quippe non decet animi generosi virum,
Gaudijs non licitis delectarier.

Idem.

Ἀλλ' ἐγὰρ δρᾶν ἐσθ' ἃ μηδὲ δρᾶν καλά,
ὅσοι δ' ἐ φιλοσοφοῦντες ἐκπονοῦσί τι,
ἐνταῦθ' ὑπάρχει τῶν βίων γαστρὸς κρατεῖν.
διδάσκαλος γὰρ ἐστιν ἡ εὐτέλεια σοφῶν,
καὶ τῶν ἀρίστων γίνεται βουλευμάτων.
Inhonesta factu nec dictu quidem honesta sunt.
Quicunq; vero philosophicis se dedunt laboribus,
Addiscunt per vitam compescere ventrem.
Videlicet frugalitas est magistra
Sapientium, optimorumq; consiliorum.

Pallada.

Γαστέρα μισεῖ Θεός, καὶ βρώματα γαστρός.
εἵνεκα γὰρ τούτων σωφροσύνη λύεται.
Ventrem Deus odit, ventrisq; epulas:
Propter ista enim soluitur temperantia.

PHILOS. ET ORATORVM SANTENT.

Τῶν ἡδέων τὰ σπανιώτατα γινόμενα, μάλιστα τέρπει. εἴ τις ὑπερβάλλοι τὸ μέτριον, τὰ ἐπιτερπέστατα τὰ ἀτερπέστατα ἂν γίγνοιτο. id est.

Dulcia quæ rarissima sunt, maxime delectant. Si quis modum excesserit, iucundissima quæq; iniucundissima fient. *Democritus.*

Κρατεῖ ἡδονῆς οὐχ ὁ ἀπεχόμενος, ἀλλ' ὁ χρώμενος μέν, μὴ προεκφερόμενος δέ· ὥσπερ καὶ νεὼς καὶ ἵππου οὐχ ὁ μὴ χρώμενος, ἀλλ' ὁ μετάγων ὅποι βούλεται. idest, Moderatur voluptati, non qui penitus abstinet, sed qui hoc modo vtitur, vt non abripiatur cum ipsa, vt naui, & equo moderatur haud qui non vtitur, sed qui, quo libuerit ducit. Aristippus.

Χάρις τῇ μακαρίᾳ φύσει ὅτι τὰ ἀναγκαῖα ἐποίησεν εὐπόριστα, τὰ δὲ δυσπόριστα οὐκ ἀναγκαῖα. id est, Gratia habenda est naturæ beatæ, quæ res necessarias parabiles fecerit, difficiles autem paratu nõ necessarias, *Epicurus.*

Εἰ βούλει πλούσιόν τινα ποιῆσαι, μὴ χρημάτων προστίθει, τῆς δ' ἐπιθυμίας ἀφαίρει.

ἀφαίρει. id eſt, Si quem volueris diuitem efficere, non eſt, quod augeas opes, ſed minuas cupiditates.

Ἐγκράτεια δ' ἐστὶν ἀρετὴ τοῦ ἐπιθυμητικοῦ, καθ' ἣν κατέχουσι τῷ λογισμῷ τὰς ἐπιθυμίας ὁρμώσας ἐπὶ τὰς φαύλας ἡδονάς. id eſt, Cõtinentia eſt virtus affectionis animi, per quam coercemus ratione cupiditatem ruentem in prauas voluptates. *Epicurus.*

Βρύζω τῷ κατὰ τὸ σωμάτιον ἡδεῖ, ὕδατι καὶ ἄρτῳ χρώμενος, καὶ προσπτύω ταῖς ἐκ πολυτελείας ἡδοναῖς οὐ δι' αὐτάς, ἀλλὰ διὰ τὰ ἐξακολουθοῦντα αὐταῖς δυσχερῆ. id eſt, Turget mihi voluptate corpuſculum, aqua & pane vtor: at ſumptuoſas voluptates expuo, non tam ipſarũ cauſa, quam ſequentium ipſas incommodorum. *Eiuſd. Epicur.*

Τότε χρείαν ἔχομεν τῆς ἡδονῆς, ὅταν ἐκ τοῦ μὴ παρεῖναι αὐτὴν ἀλγῶμεν· ὅταν δὲ τοῦτο μὴ πάσχωμεν ἐν αἰσθήσει καθεστῶτες, τότε οὐδεμία χρεία τῆς ἡδονῆς. οὐ γὰρ ἡ τῆς φύσεως ἡδονὴ τὴν ἀδικίαν ποιεῖ ἔξωθεν, ἀλλ' ἡ περὶ τὰς κενὰς δόξας ὄρεξις. id eſt, Tum opus habemus voluptate, cum eam abeſſe dolemus: quum vero non ita afficimur in tranquillo compoſituque ſenſu conſtituti, nihil nobis voluptate opus eſt. Porro naturalis voluptas non aliquid damni extrinſecus nobis accerſit, ſed quæ intra nos eſt vanæ opinionis appetitio, ea vero lædit. *Idem Epicurus.*

Eſurientibus ſapores & odores ſunt delectabiles, ſed plenis & nihil egentibus nec odores, nec ſapores ſunt delectabiles. *Ariſtot. de ſenſu & ſenſato.*

Δεῖ τὸν εὖ φρονοῦντα τὸν λογισμὸν ἀεὶ κρείττω τῶν ἐπιθυμιῶν πειρᾶσθαι ποιεῖν. id eſt, Perpetuum hoc eſſe debet ſapientis inſtitutum, vt rationem cupiditatum dominam conſtituat. *Demoſthen.*

Si quod naturæ ſatis eſt, replere indigentiam velis, nihil eſt, quod fortunæ affluentiam petas. Paucis enim minimiſque natura contenta eſt, cuius ſatietatem ſi ſuperfluis velis vrgere, aut iniucundum quod infuderis fiet aut noxium. *Boethius l. 2. de proſ. 5. de conſ. phil.*

Multos morbos fercula multa ferunt. Innumerabiles morbos, innumerabiles coquos numera. *Seneca ad Lucil.*

Vna ſylua pluribus elephantibus ſufficit: homo vero paſcitur vix terra & mari. *Ibidem.*

Hanc ſanam & ſalubrem formam vitæ tene, vt corpori tantum indulgeas quantum bonæ valetudini ſatis eſt. Cibus famem ſedet, potio ſitim extinguat, veſtis arceat frigus, domus munimentum ſit aduerſus infeſta corporis. Hanc vtrum ceſpes erexerit, an varius lapis gentis alienæ, nihil intereſt. Scito te hominem tam culmo quam auro tegi. Cogita in te præter animum nihil eſſe mirabile, cui magno nihil magnum eſt. *Seneca Epiſt. 8.*

Venter præcepta non audit. Poſcit, appellat, non eſt tamen moleſtus creditor, paruo dimittitur, ſi modo das illi quod debes, non quod potes. *Seneca ad Lucil. Epiſt. 21.*

Sine faſtidio implẽdus eſt venter. Quid enim ad rem pertinet quid accipiat, perditurus quicquid acceperit. *Ibidem.*

Taurus pauciſſimorum iugerum paſcuis impletur: vna ſylua pluribus elephantis ſufficit: homo & terra paſcitur & mari. Quid ergo? an inſatiabilem nobis natura aluum dedit, cum tam modica corpora dediſſet, vt vaſtiſſimorum edaciſſimorumq. animalium auiditatem vinceremus? Minime. Quantolum enim eſt, quod naturæ datur? Paruo illa dimittitur. Non fames nobis ventris noſtri magno conſtat, ſed ambitio. Homines itaque ventri obedientes animalium loco numeremus, non hominum: quoſdam vero, ne animalium quidem, ſed mortuorum. *Epiſt. 60.*

Multis tormentum eſt vino carere, & prima luce excitari. Non eſt ſumma felicitatis noſtræ in carne ponenda. *Idem Epiſt. 75.*

Ad vos deinde tranſeo, quorum profunda, & inſatiabilis gula hinc maria ſcrutatur, hinc terras, alia hamis, alia laqueis, alia retiũ varijs generibus cum magno labore perſequitur. Nullis animalib. niſi faſtidio pax eſt. *Idem Epiſt. 75.*

Infelices eſtis, qui intelligitis vos famem maiorem habere, quam ventrem. *Ibidem.*

Faſtidientis ſtomachi eſt, multa deguſtare, quæ vbi varia ſunt, & diuerſa, inquinant, non alunt. *Idem Epiſt. 92.*

Subtilitas animi ciborum copia impeditur. *Ibidem.*

Paruo cultu natura contenta eſt. Etenim quis hoc non videt deſiderijs iſta condiri omnia. Darius in fuga cum aquam turbidam, & cadaueribus inquinatam bibiſſet, negauit vnquam ſe bibiſſe iucundius: nunquam videlicet ſitiens biberat. *Cicero in Tuſcul.*

Congrediendum eſt nobis tanquam in acie quadam cum voluptarijs rebus, cumque iſta vini licentia cominus decertandum, vt aduerſus eas non fuga, nec abſentia ſimus tuti, ſed vigore animi, & conſtanti præſentia, moderatoq. vſu temperantia, continentiaq. tueamur. *Macr. l. 2. Saturnal.*

Iuſtæ nimium cauſæ fuerunt, propter quas tot numero leges de cœnis, & ſumptibus ad populum ferebantur. Et imperari cœptũ eſt, vt patentibus ianuis pranſitaretur & cœnaretur. Sic oculis ciuium teſtibus factis luxuriæ modus vt fieret. Prima autem omnium de cœnis lex ad populum Orchia peruenit. Summa autem eius præſcribit omnibus numerum conuiuarum. At niſi peſſimis effuſiſſimiſq. moribus viueretur, profecto opus ferendis legibus non fuiſſet. *Idem lib. 3. Saturn. c. 17*

Ita etiam vitanda eſt ciborum varietas, vt varia ſolent vina vitari. Nam pulmentorum varietas recipit varia condimenta, quibus gula vltra quam naturæ neceſſe eſt, laceſſitur. Et fit inde congeries, dum prurito deſiderij amplius, vel certe de ſingulis parua libantur. Sic Socrates ſuadere ſolitus erat illos cibos potuſve, qui vltra ſitim, famemque vitandam producunt appetentiam. *Idem li. 7. c. 4. Saturnal.*

APOPHTHEGMATA.

Socrates eum qui virtutem, tanquam patriam, intueri deſiderabat, admonebat, vt abſtinentiſſimam vitam agens voluptates omnes veluti Sirenes fugeret. *Stob. ſerm. 15.*

Idem, Quoſdam hoſpites ſuos quum ſatis tenui cœna excepiſſet, cuidam quærenti reſpondit: Si boni ſunt, æquanimiter ferent: ſi mali non eſt curandum. *Laertius.*

Idem, Suadere ſolitus erat illos cibos potuſve vitandos, qui vltra ſitim, famemq. vitandam producunt appetentiam. *Xen. Macrob. Saturnal. lib. 7. c. 4*

Plato, Extat præclara epiſtula Platonis ad Dionis propinquos, in qua ſcriptum eſt, his fere verbis: Nullo modo placuit bis in die ſaturum fieri. *Cic. lib. vlt. Tuſc.*

Bias Prieneus, Beatus quidem eum eſſe dicebat, qui & diues eſſet, & cupitis potiretur. Sed eum qui nihil concupiſceret, longe beatiorem fore. *Maximus ſer. 3. de Caſtitate.*

Ariſtides, Quum Græcis tributa indixiſſet, tanto pauperior redijt, quantum abſumpſerat in peregrinatione. Atqui in tali genere functionis ſolent alij meſſem opimam metere. Eo magis ille cauit, ne quid ſuſpicionis eiuſmodi conflaret ſibi, proinde ſuis impendijs rem geſſit. *Plutar. in Græc. apopth.*

Idem, Quum Themiſtocles irriſiſſet Ariſtidis conſilium hoc agentis, vt cenſus eſſet in tuto dicens eam laudem non eſſe viri, ſed ſcrinij tuto ſeruantis aurum: deinde ſummam boni ducis laudẽ definiret, ſcire ac præſcire hoſtium conſilia: Et iſthuc, inquit, ô Themiſtocles, faciendum eſt: ſed in primis oportet habere manus abſtinentes, atque hæc egregij ducis præcipua laus eſt. Hoc ſermone notauit Themiſtoclis rapacitatem, & oſtendit, a publico bono abſtinendum eſſe omnibus. *Plut. in vita Ariſtidis.*

Anacharſis, eius ſtatuis atque imaginibus inſcribebatur, γλώσσης, γαστρὸς, αἰδοίων κρατεῖν, id eſt, Linguæ, ventri, pudendis temperandum. Quod maximorum malorum cauſa ſit lingua effrenis, luxu nil turpius, libido pecudem ex homine reddat. *Laertius libro 1. cap. 9.*

Zeno Citienſis, Ne per morbum quidem cibo magis delicioſo fruẽdum opinatus eſt. Igitur medico columbinum pullum conſulente ipſe conſilij impatiens, non ſecus quam Manem ſeruulum, ſi ægrotaret, curari ſe iuſſit. Nimirum volebat, non ſe mollius tractandum, quam ægrum aliquem ſeruum. Si enim abſque precioſis alimentis recuperare ſanitatem ſerui poſſunt, quid idem nobis futurum prohiberet? ſane indignum eſt, virum bonum vllo ſe ſeruo molliorem præſtare. *Muſonius in lib. de alimentis.*

Ariſtippus. Moderatur voluptatis non qui penitus abſtinet, ſed qui hoc mundo vtitur, vt non abripiatur cum ipſa: vt naui, & equo imperat haud qui non vtitur, ſed qui, quo libuerit ducit. *Stobæus.*

Democritus dicere ſolebat: Fortis eſt, non tantum hoſtium, ſed & voluptatum victor. *Stobæus ſer. 7.*

Idem, quemadmodũ vnctio non quæ ſuauis eſt, aut longa bona eſt, ſed quæ ſanat: ſic cibus, non qui ſuauis eſt aut multus, bonus eſt, ſed qui valetudinem tuetur. *Max. monac. ſer. 27.*

Idem. In capiendo cibo omnis celeritas abſit: hoc enim caninum eſt, beſtiamq. magis quam hominem decet. *Maximus ſer. 27.*

Epictetus ſolitus eſt dicere, duo eſſe vitia omnium teterrima ac grauiſſima intolerantiam & incontinentiam: cum aut iniurias, quæ ſunt ferendæ, non toleramus, neque ferimus, aut a quibus rebus, voluptatibuſque nos teneri debemus, non tenemur. Itaque, inquit, ſi quis hæc duo verba cordi habeat, eaq. ſibi imperando, atque obſeruando curet, is erit pleraque impeccabilis, vitamq. viuet tranquilliſſimam. Verba duo hæc dicebat, ἀνέχου καὶ ἀπέχου, id eſt, Suſtine & abſtine. *A. Gellius lib. 17. c. 19.*

Epicurus, interrogatus, qua quis arte diteſceret: Non ſi præſentibus addiderit, reſpondit, ſed vſum ac neceſſitatem ſibi perſuaſam circunciderit. *Stobæus ſer. 17. Non augendæ ſunt opes, ſed minuendæ cupiditates.*

Demoſthenes dicebat, hoc eſſe perpetuum ſapientis inſtitutum, vt rationem cupiditatum dominam conſtituat. *Stob ſer. 57.*

Cyrus Perſarum Rex, hi qui repentinis abſtinent voluptatibus, non id agunt vt lætentur nunquam, ſed vt per hanc continentiã multo maiore in poſterum tempus lætitia afficiantur. *Bruſonius lib. 1. c. 9. ex Xenophonte.*

Darius fugatus ab Alexandro cum aquam turbidam, & cadaueribus inquinatam bibiſſet, negauit ſe vnquam bibiſſe iucundius. Nunquam videlicet ſitiens biberat. *Cicero Tuſcul. quæſt. vltimo libro.*

Alexander Macedo, ob aquarum defectum in itinere ſiti laborabat; igitur cum forte oblata eſſet galea aqua plena, vbi galeam in manus accepit, circunſpiciens quos circa ſe habebat equites,

demiſſo

demisso capite, & fixis in potum oculis, ingustatam reddidit aquam, probatisq; viris dixit: Si solus bibero, hos mœror instigabit. *Bruso lib. 1. c. 9. ex Q. Curtio.*

Cato maior quamuis complures vrbes cepisset, nihilominus tamen dicebat, hisce diebus quos in castris fuisset, nihilo plus accepisse, quam quæ ex hostium agris comedisset ac bibisset. *Plutarchus.*

Idem, neque, inquit, mihi ædificatio, neque vas, neque vestimentũ vllum in manu pretiosum, neque pretiosus seruus, neque ancilla. Si quid est quo vtar, vtar: si non est, ego sum, quo cuique per me vti atque frui licet. *Brusonius lib. 1. cap. 9.*

Tiberius Cæsar ab amicis interrogatus, Cur non tam facile magistratus, & præfecturas suas mutaret? respondit se data opera hoc fecisse semper. Natura enim omnes qui administrationi præsint pecuniæ esse cupidos, plurimumque studij ad rem magis magisque augendam eos collocare. Cæterum si diutius in magistratu versentur, segniores ad quæstum faciendum fieri. Muscas enim, si longius corporum vlceribus insideant, minus graues, & molestas fieri; quippe sanie vlcerum ad satietatem vsque refertas, & eum qui vlceribus scateat diutius acceptum afflictumque iri, si saturis iam repulsis, famelicas alias ad vulnera admittere velit. *Nicephorus Eccle. hist. histor. libro primo capite decimoseptimo.*

Iulianus Imperator, eunuchos, coquos, tonsores eiecit è palatio. Rogatus quã ob causam: negauit sibi esse opus eunuchis cũ vxor decessisset: nec opus esse coquis, quod simplicissimis cibis vesceretur. De tonsoribus dixit, vnũ multis sufficere. *P. M. lib. 8. apoph.*

Alexander Seuerus, cursore nunquam vtebatur, nisi seruo suo, dicens: Ingenuum currere nisi in sacro certamine non debere. Cocos item, piscatores, fullones, & balneatores non habuit nisi seruos suos: nolens quenquam ingenuum sordidis ministerijs dehonestare. *Ælius Lampridius.*

Rodolphus Imperator, quum in bello, quod contra Ottacarum Bohemiæ regem gessit, potu laboraret cum toto exercitu, ferunt rustico (qui messoribus potum ferret) ablatam hydriam sicera plenam: atque Imperatori oblatam. Quam cum ille vidisset, reddite, inquit, homini vasculum suum: non ego exercitui, non mihi sitiebam. Sicque sua abstinentia partim exercitum eo potu refocillauit, partim ad sitis patientiam inuitauit suo exemplo. *Æneas Syluius libro tertio commentariorum, in res gestas Alphonsi.*

Alphonsus rex, quum fugato Iacobi Caudolæ exercitu sine tentorijs ac commeatu (siquidem ex insperato aduenerat) pernoctare sub dio cogeretur, & Ioannes Esenitanus, Alphonsi studiosus raphanum vnum, in tam magna militum inopia, & panem vnũ cum dimidio caseoli Balearici, regi misisset, recusauit: Non decere, inquiens, Imperatorem ieiuno exercitu mandere. *Panormitan. l. 3. de rebus gestis Alphonsi.*

Pyrrhi Iniculus Vasco, is peregre iter faciens, cum ad meritoriam tabernam venisset, & apposita esset cœna omni ex parte olitoria, cum vino dilutissimo, omniaque administrarentur quam parcissime, finita cœna iussit ad se vocari medicum, ad mercedem capiendam. Igitur caupo cum respondisset: Ecquid, malũ in viculo maxime agresti medicum requiris. Ibi ille. Num, ò bone, teipsum ignoras? quo fit igitur merces operæ suæ par: medici pretiũ accipe, non cauponis. Sensit autem, frugalitatem sobrietatemque optimam hominis esse medicinam. *Adrianus Barlandus.*

SIMILITVDINES.

Xysti Philosophi. Quemadmodum solent homines abscindere aliqua membrorum suorum, pro sanitate reliquorum: Ita etiam ex malis affectibus ac temperantiæ contrarijs, abscindenda sunt, quæ animum in deterius rapiunt. *In Enchiridio.*

Plutarchi. Vt qui sacrum exhibent, ipsi nihil inde gustant: Ita quidam alios alliciunt, ipsi abstinentes. *In Moralibus.*

Thrineri. Vt rosæ iucundissimum odorem spirant, licet minimo nutrimento fruantur: Sic & abstinentia ad omnem virtutem magnum habet momentum, & compendium: etsi pauci sint qui eurent. *Apophtheg. §. 108.*

ADAGIA.

Acolo non ficui. Ἀκόλῳ τὰ χειλώνι βύσαι.

Prouerbium hortatur ad victum tenuem. Nam ἀκόλους Græci vocant minutas offulas. Suidas.

Μυσιναρα.

Qui duriter ac sicce viuerent. Vox videtur ficta à mure & palea.

Allium in reribus. σκόροδον ἐν δικτύοις.

De sordido commeatu dicebatur.

Phormionis tori. στιβάδες φορμίωνος.

De stratis sordidis ac frugalibus, minimeque delicatis, qualia sunt cubilia militaria.

Cilicij Imperatores. Κιλίκιοι στρατηγοί.

Dicebantur homines hirsuti, & pilis obsiti.

Vita doliaris. ζωὴ πίθου.

Idest Vita dolij. Prouerbio dicitur vita frugalis, parca, ab omni strepitu atque ambitione semota. Poterit torqueri, & in eos, qui nimium sordide, & minus dure, atque immunde viuunt.

Tanquam in phiditijs. ὡς περὶ ἐν φειδιτίοις.

Vbi quid parcius, nimiumque frugaliter actum significabimus.

Hecatæ cœna. Ἑκάτης δεῖπνον.

Veteres cœnam perparcam ac impendio frugalem, Hecatæ Cœnam appellabant, quod apud inferos tenuissimo victu, minimoque cibo eoque vilissimo viuitur.

Oliuam ne comedas, cum vrticam habeas hyberno tempore.

μηδ᾽ ὅτε τὴν ἐλαίαν ἐσθ᾽ ἀκαλήφην ἔχων χειμῶνος ὥρᾳ.

Adagij vsum non video, nisi quando significabimus extremam victus parsimoniam, vt nec vrticæ quicquam adhibeatur condimenti.

Sicyon arrodens vxor lacernam texe.

Τὸν Σίκυον τρώγουσα γύναι, τὴν χλαῖναν ὕφαινε.

Arrodens Sicyon, vxor, subtexe lacernam.

Verba mariti iubentis, vt vxor tenui contenta victu, peragat opus suũ.

Thymbra victitans. Θυμβροφάγος.

Adagio dicebatur, vel qui tenuius ac liberius vitam agerent, vel qui moribus essent parum blandis, vel qui hilariter citraq; solicitudinem paruo contenti viuerent, quod Thymbra herba genus sit.

Salem lingere. ἅλα λείχειν.

Dicuntur, qui perquam tenuiter victitant. Plautus.

Si caseum haberem, non desiderarem obsonium, εἰ τυρὸν εἶχον, οὐκ ἂν ἐδεόμην ὄψου.

Dicendum, vbi quis minimis, vilissimisq; contentus est. Plutarchus.

Bey Kaſs vnd Brot wil ich nicht hunger leyden.

Xenocratis caseolus. Ξενοκράτους τυρίον.

De cibo, qui per quam diu durat, priusquam absumatur. Apposite dicitur in sordidos quosdam, quibus hic mos, omnem penum eo vsq; seruare, quoad fuerit corruptus. Stobæus.

Aspera vita, sed salubris.

In vitæ rationem duriusculam quidẽ, sed tamen ad rectam morum institutionem idoneam, conuenit illud Homeri ex Odyss. 1.

Τρηχεῖ᾽ ἀλλ᾽ ἀγαθὴ κουροτρόφος.

Idest,

Aspera, sed iuuenum nutrix bona.

Salem & caseum edere.

Consimile hoc cum præcedentibus. Plinius.

BIBLICA EXEMPLA.

Abstinentiæ ciborum exempla: Adam, *Genes. 2. v. 16, 17.* Moses, *Exod. 24. vers. 18.* Manue vxor, *Iudic. 13. vers. 4.* Israelitæ, *20. v. 26. 1. Sam. 14. 26.* Dauid. *2. Sam. 23. versi. 16.* Achab. *1. Reg. 21. 27.* Rechabitæ, *Ierem. 35. vers. 6. 14.* Ezechiel, *Ezech. 4. 9.* Esdras, *Esd. 8. 21.* Nehemias, *Nehem. 1. ver. 4.* Israelitæ, *9. v. 1.* Iudith. *Iudith. 4. 8. 10.* Dan. *Dan. 1. 8. & 9. 3.* Iosaphat, *2. Par. 20. v. 6.* Iechonia, & populus, *Baruch. 1. v. 5.* Esther, *Esth. 4. 16.* Ioannes Baptista, *Matth. 3. 4. & 11. 18.* Anna Prophetissa filia Phanuel, *Luc. 2. 37.* IESVS CHRISTVS, *Matth. 4. 2. Luc. 4. 2.* Apostoli, *Luc. 10. v. 7. & 24. versi. 42. Ioan. 21. 13* Paulus & Barnabas, *Actor. 14. 23.*

Abstinentiæ præceptum violare nolentium exempla: Rechabitæ, *Ierem. 35. vers. 6.* Eleazar, *2. Macc. 6. vers. 19.* Septem fratres, *7. vers. 2. &c.*

Continentiæ exempla: Ioseph, *Genes. 39. vers. 8.* Thamar, *2 Sam. 13. vers. 12. 13.* Iob, *Iob. 31. vers. 1.*

PROFANA EXEMPLA.

Carolus Magnus ieiunijs etiam cum periculo valetudinis corpus suũ exercuit. *Mutius lib. 8.*

Otho Magnus Imperator, cum Hungaris conflicturus, ieiunium in castris indixit. Deique auxilium inuocauit. *Vuitichindus lib. 3.*

Demosthenes orator insignis, sobrius & aquam potans, Æschinẽ aduersarium suum bene potum vicit. *Athenæus l. 2. c. 2.*

Marcus Cato potabat in expeditionibus aquam: extra quam si immenso æstu sitiret, tum potabat acetum, aut fatiscẽtibus viribus postremo loco parum vini sumebat. *Plutarchus in Catone.*

Persæ, natalem diem festum etsi summo semper honore, studio, & conuiuijs celebrarint, filijs tamen indulgentissimi etiam parentes vinum prohibebant. *Alexand. ab Alexandr. li. 2. c. 25.*

Apud Romanos vinum ante annum trigesimũ bibere, viris quoque criminosum fuit, sexuo vero interdictum penitus: nisi sacrorum causa, & solennibus festisque diebus. *Idem ibidem.*

D. Hieronymus annos fere sexaginta durauit incredibili abstinẽtia.

Hilarius modicis ficubus aridis & exiguo pane, decrepitam fouit senectutem.

Nicolaus quidam apud Heluesios à Vualdem, sutrinam exercens, sine vllo penitus cibo, multis annis durauit inter vastas solitudines, incredibili sanctitatis fama celeber. Hunc cum Episcopus Constantiensis coegisset ad sumptionem Eucharistiæ, reuomuit, id quod fore prædixerat.

Columba virgo Perusina, solis fructibus repressit famem.

Demetrius Chalcondylas vir Græcus, Abstinentia singulari, multos dies persistebat ieiunus.

Socrates, minimo viuebat sumptu, vescebatur pane & lacte.

Anacharsis apud Ciceronem. Mihi, inquit, pulpamentum fames, cubile solum, vestis Scytharum tegmen.

Zeno crudis duntaxat vescebatur, & pallium perenne ferebat. Aquam bibebat loco vini, vt discipulos suo exemplo ad Temperantiam imitaret, hinc exijt prouerbium Zenone temperantior.

Apollo-

Apollonius Tyaneus à vino & carnibus abstinuit.

Dominicus author ordinis Prædicatorum, toto decennio abstinuit vino.

Fulgentius Episcopus Rupensis nulla vnquam necessitate adduci potuit, aut cogi, vt esitaret carnes, aut vinum biberet.

Iacobus minor vinum aut siceram non bibit, carnes nunquam manducauit, oleo nunquam vnctus est, nunquam vsus balneo, nunquam nouacula rasus.

Anchimolus & Mosscius sophista Elienses, tota vita hydropotæ fuerũt, solisque ficis desiderio ventris satisfecerunt.

Emericus filius sancti Stephani regis Pannoniæ, vinum tota vita non degustauit.

Locrenses Zephyri, vino vti capitale ducebant.

Porus Rex Indorum, aqua & pane vixit contentus.

Masinissa Rex Numidarum, iam nonagenarius semel tantum interdiu vescebatur, sine polmento.

Mithridates Rex Ponti, iam senex cibum, capturus non accumbebat verum stans vescebatur.

Viriatus Princeps Lusitaniæ, vbi bellum aliquod mente conceperat, non prius accumbebat mensæ aut in lecto aequiescebat, quam propositum absoluisset.

Augustus breuissimi cibi fuit, ad medias interdum epulas satiatis iam conuictoribus accedebat, primusque surgebat mensa.

Lacedæmonij nullam disciplinam abstinentia habuerunt potiorem. Pinguis & obesi ventris adolescentes Inedia macerabant.

Ægypti armuentus Amasis edicto, non prius cibum capiebat, quam cẽtum octoginta stadia percurrisset.

Platonis frugales erant cœnæ, propterea dicebat Timotheus, bene cum ijs fore, quos Plato excepisset conuiuio. Delicatiores epulas, opipara spreuit conuiuia, viuebat contentus oliuis Academicis, pane item & aqua.

Telemachus Acarnensis victitabat fabis.

Socratis tanta fuit temperantia, vt omnia fere vitæ suæ tempora valetudine inoffensa vixerit.

Rogatianus Senator semel tandum interdiu dabat operam cibo.

Persarum Magi nihil in cibum præter farinam & olera recipiebant.

Indorum Gymnosophistæ alebantur pomis & farina.

Ægyptiorum Sacerdotes carnibus & vino abstinebant, pane etiam raro vescebantur, ne onerarent stomachum: oleũ tantum in oleribus nouerant, ouum & lac vitabant.

Diogenes nunquam pendebat de crastino, sed in præsentem modo horam sibi corrogabat cibum, ob id *ἐφημέριος* dictus, id est quotidianus.

Epaminondas Thebanus victu fuit adeo paruo & tenui, vt a vicino in cœnam inuitatus, cum dapsilem & affluentem delitijs mensam reperisset, iratus recesserit, dicens: Ego te opinabar rei diuinæ operam dare, non de contumelia cogitare. Sic infestus extitit obesis & corpulentis, vt quendam aqualiculo portẽtoso submouerit ab exercitu, quod ad tegendum eius corpus vix clypei tres sufficerent.

Lycurgus dicere solitus est, non esse vtendum maiore cibo, quã qui ad repellendam famen sufficeret, amota crapula.

Scribit Marcellinus, *Constantium Imperatorem* nunquam gustasse pomum, nunquam nares in publico extersisse, nunquam expuisse. Idem superatus a Persis, frusto panis a quadam vetula porrecto inediam repulit.

Pericles Atheniensis a cœnarum & cõuiuiorum apparatibus horrebat adeo, vt nec apud amicos cœnitaret.

Plato sæpius siti laborans, è puteo hauriebat aquam, iterumq; effundebat, vt ita cupiditatem castigaret.

HIEROGLYPHICA.

Longa ieiunia, & diuturnæ sitis tolerantiam per *Camelum* significari, ex eo manifestum est, quod nullum animal tanta insigni magnitudine, tam exigua cibi paucitate nutritur, neque dies plures sitim tolerat: cum satis constet, in duodecimum vsq; diem *Camelos* sine potu perdurare. Vnde à Poetis *Εψιτιεντες* appellantur. *Pier. Valer. l. 12. p. 117.*

Per tympanum Gregorius lib. Epistolar. sexto, ad Anastasium, Abstinentiæ tenuitatem hieroglyphice interpretatur, à materia scilicet Ipsa, qua constat Tympanum. Nam id dubio procul coriũ est ex pelle iam arefacta: quæ tamen prius diu fuerit macerata: ita vir ieiunio confectus, ab omni luxu alienus, parce ac duriter viuens, quis laudes Deo canat. *Idem Pierius l. 47. p. 461.*

EMBLEMATA.

Andreæ Alciati.

Emblema xxxi.

Marmorea in tumulis vna stat parte columna
Vrceus, ex alta cernere malleusum est.
Ius hac forma monet dictum sine sordibus esse,
Defunctum puras atque habuisse manus.

Eiusdem Emblema xxxiv.

Ἀνέχου καὶ ἀπέχου.

Et toleranda homini tristis fortuna ferenda est,
Et nimium felix sæpe timenda fuit.
Sustine (Epictetus dicebat) & abstine oportet.
Multa pati illicitis absq; tenere manus.
Sic ducis imperium vinctus fero poplite taurus.
In dextro: sic se continet à grauidis.

FABVLA.

De Vulpe & Vua.

Vulpes sublimeo Vuam dependentem de vite conspicata, ad illam subsilijt iterum atque iterum, omnes vires corporis adhibens, si forte attingere posset. Tandem defatigata inani labore, discedens ipsa sese quasi consolans: At enim acerbæ nunc etiam, inquit, vuæ sunt, & ista imprimis austera; neque si in via reperiatur, videtur tollenda esse.

De ijs fabula dicitur, qui necessitati obsequuntur, & libenter abstinent ab ijs, quæ obtinere non possunt. *Ioach. Camerar. fabul. lib. p. 157.*

Plura de hac materia si desideras, consule tum cognatos, tum contrarios titulos; Continentiæ, Ieiunij, Temperantiæ, Ebrietatis, Intemperantiæ, &c.

ABVSIO, ABVSVS.

DEFINITIONES ET ETYMOLOG.

Abusio siue abusus dicuntur, cum aliqua re per licentiam male vtimur. Nam abuti est perperam vti, siue nimis licenter vti. Vnde Cicero: *Noli abuti nimis patientia nostra.*

Abusio Græcis, *κατάχρησις, εως, ἡ.* & *καταχράομαι*, abutor dicitur.

Abusio & Abusus, Adiunctum huius vocis significationem aperit, vt non solum pro licentiori morum corruptela accipiatur, sed & ad vsum illicitum cuiuscunque rei. *Insulanus.*

Abusus pariter, nisi aliquid adijciatur significationi, in bonam sumitur partem: Simpliciter vero prolatum in malam. *Rebuffus l. bona ciuitatis ff. de verb. signific. Lucas l. vsum aqua. C. de aqua ductibus.*

Abusus & Vsus contraria iudicantur. Nam authore Boetio, vtimur ijs, quæ nobis vtentibus permanent: ijs vero abutimur, quæ nobis vtentibus pereunt. *Iacobus Spiegelius in Lexico iuris ciuilis.*

DIVISIO.

ABVSIO
- *Iuramenti, iurando. S. Thom. secunda Secundæ q. 89. ar. 2*
  - *Sine necessitate, quia vi detur Deo paruam exhibere reuerentiam, qui ex leui causa Deum testem inducit, quod non præsumeret de aliquo viro honesto.*
  - *Sine debita cautela, deficiente aliqua comitum, quæ sunt*
    - *Iustitia,*
    - *Iudicium,*
    - *Veritas.*
  - *Imminente periurij periculo. Vnde Eccles. 23. Iuramento non assuescat os tuum.*
- *Rei bonæ est peccatum. S. Thom. 3. sent. dist. 38. art.*
- *Potestatis ad regendum alios est pessima, sicut bonus vsus est optimus. Vnde & priuilegium meretur amittere, qui sibi concessa abutitur potestate, de Regulis in libro 6.*

SENTENTIAE BIBLICAE.

Non induetur mulier veste virili, nec vir vtetur veste fœminea. Abominabilis enim apud Deum est, qui facit hoc, *Deuteron. 22.*

Non decent stultum delitiæ: nec seruum dominari principibus. *Prouerb. 19.*

Per tria mouetur terra, & quartum, quod non potest sustinere, per seruum cum regnauerit: per stultum cum satiatus fuerit cibo, & per odiosam mulierem, cum in matrimonio fuerit assumpta, & per ancillam, cum fuerit hæres dominæ suæ. *Prouerb. 30.*

Tres species odiuit anima mea, & aggrauor valde animæ illorum, pauperem superbum, diuitem mendacem, & senem fatuum, & insensatum. *Ecclesiastico 25.*

PATRVM SENTENTIAE.

Magna abusio, parcitas putatur auaritia, sobrietas austeritas creditur, silentium tristitia reputatur. Econtra, remissio discretio creditur, tristitia silentium reputatur, loquacitas affabilitas, cachinnatio, iucunditas, mollicies vestimentorum & equorum fastus honestas: lectorum superfluus cultus munditia. *Bernard. in apolog.*

Magna abusio est, vt corpus induatur, & contra regulam suis vestibus anima nuda deseratur. *Ibidem.*

Mira abusio, domus ardet, ignis instat à tergo, & fugienti prohibetur

betur egredi, & hoc ab his, qui io incendio positi sunt. *Ber.in Ep.*

Cæco lumen, surdo sermooem, sapienoam bruto offerre, labor irritus, *Cyprianus.*

Duodecim sunt abusiones clauſtri, quibus tota religionis summa cor rnmpitur, scilicet prælatus oegligens, discipulus iuobediens iuuenis otiosus, senex obstinatus, monachus curialis, religiosus causidicus, habitus pretiosus, cibus exquisitus, tomor in clauſtro, lis io capitulo, dissolutio in choro, irreuereotia iuxta altare *Hug.lib.1.clauſtr.animæ.*

Inter abusiones hujus seculi sola maior est, senis obstinatio: qui morti proximus mortis noo horret aduentum: qui quasi ad oſtium huius mundi positus, foris spectat, nec tamen vitæ præsentis attendit egressum, nec futura considerat. *Ibidem.*

Duodecim sunt abusiones seculi, scilicet sapiens sine operibus, senex sioe religinne, adolesceus sine obedientia, diues sine eleemosyna, fœmina sine pudicitia, dominus sine virtute, Christianus contentiosus, pauper superbus, rex iniquus, Episeopus negligens, plebs sioe disciplioa, populus sine lege. *August. de 12. Abusion.*

Ridiculosa res est aut magis periculosa, speculator cæcus, doctor inscius, præcursor claudus, prælatus oegligens, præco mutus. *Gilbert.*

POETICAE SENTENTIAE.

Billius l.3. Anthologiæ S.

In rebus mundi non est idem omnibus vsus,
Nec cunctis paribus cuncta ferunt animis.
Namq; bonos non blanda inflant, non aspera frangunt,
Sed fidei inuicta gaudia vera iuuant.
Terra autem & fœni breuiter florentis amator,
Seu caret optatis, seu fruitur, miser est.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

ὥστε οὐ κατηγορητέον τούτων τῶν πραγμάτων ἐστίν, δι' ὧν ἄν τις μετ' ἀρετῆς πλεονεκτήσειεν, ἀλλὰ τῶν ἀνθρώπων, τῶν περὶ τὰς πράξεις ἐξαμαρτανόντων ἢ τοῖς λόγοις ἐξαπατώντων, καὶ μὴ δικαίως χρωμένων αὐτοῖς, hoc est. Quare non accusandæ res illæ sunt, per quas cũ virtute alijs præstare possis: sed homines potius, qui aut res illas male tractando corrumpunt, aut eloqueotiam ad fallacias & iniurias coose runt. *Isoc. ad Nicoclem.*

Non debet ea mulier, cui vir booorum suorum vsumfructum legauit, cellis vinarijs, & olearijs plenis relictis putare id ad se pertioere. Vsus enim noo abusus legatus est. Ea suot inter se contraria. *Cicero in Topicis.*

APOPHTHEGMATA.

ARISTIPPVS delectatus aliquando insigni vnguento, male sit, inquit, malis cinædis, qui rem tam bellam infamarunt, sentiens, multa per se booa reijci culpa vtentium male. *Laertius libro 2.*

THEODORVS ATHENIENSIS obijcieotibus qood doctrina ipsius multi redderentur deteriores, respondit, id aliorum vitio accidere, qui doctrinam ipsius sinistra exciperent, cum ipse dextrã porrigeret. *Plut.lib.de animi tranquil.*

Diogenes aliqoando Platoni occurrit, caricas edens, eiqoe offerens dixit. Licet participem esse, eum acceptas edisset, Participẽ esse dixi, inquit, noo deuorare. Μεταχεῖν, εἶπον, οὐ καταφαγεῖν. Hic locus ad rem seriam potest accõmodari, videlicet in eos, qui principis, præceptoris aut parentum permisso abutuntur ad inconcessa. Veluti si quis admooitus, oooesse ioutile degustare dialecticam, totam vitam ei impendat studio. Dictum ita refertur a Laertio, vt dubites vter alteri obtulerit caricas. *Laertius lib.6.*

Epictetus cooſpiciens quendam impuris moribus audacem, confidẽti liogua, improbo tamen studio Philosophiæ disciplinas contrectare, ioclamabat Deum atque hominum fidem, his verbis increpans hominem: O homo, vide quo mittas, num purgatũ sit vas. Nam si ad arrogantiam ista immiseris, interierint: si computruerint, io vrinam aut io acetum vertentur, aut si quid his deterius. Sensit eruditionem esse perniciosam, si in animum inciderit prauis affectibus corruptũ, & quo quæque disciplina sanctior, hoc fit perniciosior, si contigerit improbo. Velut bono Theologo nihil melius, malo oihil pestilẽntios. *P.M.li.8.apoph.ex Gelly li. 17.cap.19.*

Prometheus quum ignem è cœlis io terra deportasset, eumque primum visum Satyrus cõplecti vellet, & exosculari. Heus, inqoit, ni caues birce, profecto dolebit tibi mentum. Admonens, etiam quæ oatura pulcherrima sunt maximeque nno necessaria, tamẽ fieri peroiciosa, nisi recte vtaris. *P.M.8.Apophth.ex Plut.*

SIMILITVDINES.

Origenis. Qoemadmodum Iudæi peccantis circumcisio pro præputio habebitur, cootra gentilis recte agentis præputinm pro circumcisione, sic & quæ pura creduntur, pro impuris imputabuntur ei, qui non vt oportet neque quantum opnrtet neque vnde oportet illis vtitur. Sed quæ dicuotur immuoda, omnia sunt mũda mundis, *in c 15.Matth.*

Eiusdem. Vinum sanos, & commode degentes iouat, & (sicut scriptura loquitur) cor hominis duntaxat lætificat, febricitantibus vero si sumpserint perniciem continuo & interitum patit. Ita fit vt eadem res eodem modo sumpta, vni qoidem vitam, alii autem conferat mortem. *In lib.iudic.homilia 5.*

Nazianzeni. Siquidem & mellis satietas vomitum mouet, quantũuis sit mel. Breuiter vt Salomoni, sic & mihi videtur, suũ cuique negotio destinatom esse tempus. Et videmus quæ per se bona sunt, si non bene qooqoe tractentur, boni gratiam amittere, nõ aliter atque hybernis mẽsibus suot intempestiui flores. Nec mulieres virilis nec viros muliebris ornatus decuerit. Vt nec luctui conuenit musica, oec in potum lachrymæ. *Lib.1.de Theologia.*

Theodoreti Episcopi, rerum humanarum oatora quidem bona sunt, prudentia, & temperãtia, & iustitia, & animi magnitudo, & aliæ partes virtutis: mala autem, imprudentia & intemperantia, & iniustitia, & timiditas, & alia quæ sunt his similia. Diuitiæ autem & paupertas, & seruitus, & domioium, & sanitas, & aliæ vitæ humanæ prosperitates, & aduersitates, sunt cuiusdam mediæ sortis, & conditionis. Sunt enim veluti quædam instrumenta hominibus proposita. Et qui sunt quidem ex hominibus optimi, & præstantissimi, per vnom quodque eorum quæ dicta sont, sibi virtutem comparaot. Tam enim os qui se propter diuitias efferunt, quam qui in paupertate degunt, videre licet virtutis curam gerentes, & benefactorum in sanitate laudantes, & io morbo se tolcranter & fortiter gerentes: & seruos, qoi propter temperantiam, & iustitiam clari euadunt, & rursus alios, qui in paupertate quidem vitium amplectunmr, & noo solum furantur, sed etiã mortuorum monimenta diripiunt, & sacrilegia committere non verentur, alios vero, qui dinitias iniustitiæ instrumentũ efficiunt, & insanitate quidem superbi suot, & insolentes, in morbis antem maledicta, & blasphema verba eructant. Per quæ facile sciri potest, quod eorum quidem qui vtootur, diuitiæ, & paupertas, & seruitus, & dominium, & quæ sunt his similia, nũc quidem laudanda, nunc vero vituperanda suot. Quemadmodum, & ferrum ounc quidem hominum vitæ opem ferre dicimus, vt quod per aratrum, bipalium, & ligooem terram colat, per falcẽ autem putet arbores, per dolabram vero, & sertam, & domorũ, & variorum iostromentorum, & multiplicis suppellectilis constitutionem præbeat: nunc autem nonnulli id illi iosidiari dicur, dnm vident enses, & cædes quæ per eos fiuot. Sed neque ensis cædium causa est, sed is qui ense male vsus est, neque diuitię & paupertas, aliæque vitæ prosperitates, & aduersitates reprehendi, & accusari merentnr, sed qui vnoquoque eorum præter leges vtuntur. *In Epitome Diuinorum decretorum Tit. De prouidentia.*

Augustini. Neque propterea pro patria non est miles armandus, quia cootra patriam oonoulli arma sumpserunt: aut ideo vti nõ debent boni doctique medici ferramentis medicinalibus ad salutẽ quia his ad perniciem etiam iodocti pessimiqoe abotuntur. Quis enim nescit, sicut vtilia vel inutilia fuerint ea quæ quęruntur, ita eloquentiam, hoc est, peritiam facultatemque dicendi, sic esse vtilem vel inotilem, vt fuerint vtilia vel inutilia, quæ dicuntur. *Libro 1. contra Cresconium c.1.*

Plutarchi. Prometheus, Satyrum cum primom videns ignem vellet amplecti admonuit cum exurere contiogentem, at oculis præbere lumen, Calefacit, inquiens, & seruit artibus: Sic eadem res vtcunque vteris, ita perniciosa est aut vtilis. *In Moralibus.*

Si multi inebriantur vino, non ob id incidendæ vites, ita vt fecit Lycurgus, sed propius admouendi fontes: Ita si multi abutuotur poetica, noo protinus abijcienda, sed adhibenda cautio, vt fiat salutaris. *In Moralibus.*

Plinij, vt in rerum oatura quæ spectatissima florent, celerrimo marcescunt, veluti rosæ, lilia, violæ, cum alia dorent: Ita in hominom vita quæ florentissima sunt, citissime vertuntur io diuersum. *Li. 9 c.15.*

Polypos, stopidum alioqui animal, in captandis cuoctis incredibili vtitur solertia. Ita qoidam ad solum quæstum suum sapiunt, alibi pecudes meræ. *Li. 9.c.29*

Vina vasis infusa è taxo factis, mortifera sunt: Ita salutaris alioquio eruditio, si inciderit in homiocm pestilentem, moribus illius redditur noxia. *Li.16.c.11*

Paul. Man. vt aqua marina ad potum inutilis, melius sustinet naues quam fluuialis dulcis, & potui aptior. Ita suum vnaquæq; res vsum habet, si quis vtitur ad id quod oportet. *In similibus.*

Vt Philosophus missa lingua victimæ, rem simul & optimã & pessimam misit. Sic opes optimæ suot, si recte vtaris: pessimæ, si secus. *In Prouerb. Lingua quo vadis?*

EMBLEMATA.

Andreas Alciatus rerum abusuot eleganter depingit Emblemate 73.

Rupibus aereis, summique crepidine saxi
Immites fructus ficus acerba paris:
Quos corui comedunt: quos deuorat improba cornix,
Quæ nihil humanæ commoditatis habent.
Sic fatuorum opibus parasiti, & scorta fruuntur,
Et nulla insto s vtilitate iuuant.

Idem Alciatus in Emblemate 91. Ocni effigies.

Impiger

Impiger haud cessat funem contexere Sparto,
Humidaq; artificis iungere fila manu.
Sed quantum multis vir torquet strenuus horis,
Protinus ignaua veneris asella vorat.
Fœmina iners animal, facili congesta marito
Lucra rapit, mundum prodigit inque suum.

FABVLA.

De Satyro & igni.

Allato igne in terras, quem Hesiodus scribit Prometheũ Ioui furto subtractum apportasse mortalibus: tum igitur Satyrum delectatum splendore, & claritate flammæ, voluisse aiunt, ignẽ amplecti, & osculari. Sed Promethea monuisse, futurum hoc cum detrimento barbæ ipsius. Aduret enim hanc, inquit, & cum cruciatu exulcerabit mentum. Ibi ferunt Satyrum reprehendisse factum Promethei, qui malum splendidum mortalibus attulisset. Prometheum vero docuisse malum non esse. Nam vrere quidẽ ignem, sed lucem etiam atque calorem suppeditare, cum ad vitæ iucunditatem, tum omnium artium vsum, & opificia, si quis illo vti recte sciat.

Fabula docet, exquirendum vsum verũ in rebus omnibus, ne peruersa vsurpatione damna nobis ac nostris accersamus.

AVCTORES.

De abusu legendi.

De abusu, & quemadmodum hic cum iuuenes tum senes corrumpat, vide prolixum sermonem apud Stobæum, *Serm. 154. ex Iunci libro de Senectute*. De duodecim gradibus Abusionum scripsit integrum librum D. Aur. Augustinus, qui habetur *Tom. 9. eius operum*. Germanice quoque idem est excussus Augustæ apud Sigismundum Grimm, Anno 1521. in quarto.

ACCEPTIO PERSONARVM.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Acceptio personarum Græce προσωποληψία, ας, ἡ, & προσωπολήπτης, τοῦ, acceptator personarum dicitur. Est iniustitia, qua persona personæ præfertur in conferendo ei aliquid, quod ex debito iustitiæ alteri est conferendum, ratione alicuius conditionis transitoriæ, non congruentis ad ipsam rẽ, existentis circa personam, puta diuitiarum, potestatis terrenæ, vel cognationis carnalis, & non ob meritum eius ad rem ipsam. *Secundum Alexandrum de Ales 2. secunda, tractatu de accept. personarum.*

Acceptio personarum, est attendere ad conditionem personæ nihil facientem ad illud negotium.

vel sic:

Acceptio personarum, est inæqualitas iustitiæ distributiuæ, inquantum aliquid attribuitur alicui præter proportionem. *Secundum S. Thomam, secunda secundæ q. 63. art. 4.*

DIVISIO.

Acceptio Personarum in octo maxime prohibetur.

In:
- *Pœnitentiæ impositione d. 26. q. 7. Sacerdos.*
- *Pœnitentiæ definitione. d. 3. q. 9. Necesse.*
- *Fidei prædicatione. d. 95. q. vbi.*
- *Hospitum receptione. d. 42. q. quiescamus.*
- *Eleemosynarum largitione, d. 61. q. 1. si cupis.*
- *Dignitatum promotione. d. 40. Multi.*
- *Iudiciorum declaratione. de reg. iur. l. 6.*
- *Honoris exhibitione. d. 5. q. 1. vilissimus.*

SENTENTIAE BIBLICAE.

Non sequeris turbam ad faciendum malum: nec in iudicio plurimorum acquiesces sententiæ, vt à vero deuies. Pauperis quoque non misereberis in iudicio. *Exod. 23.*

Non accipies munera, quæ excæcant sapientes. *Exod. 23.*

Non consideres personam pauperis: nec honores vultum potẽtis, iuste iudica proximo tuo. *Leuit. 19.*

Non accipies pretium ab eo, qui reus est sanguinis. *Num. 35.*

Nulla erit distantia personarum: ita paruum audies vt magnum. *Deut. 1.*

Deus magnus, & potens, & terribilis, qui personam nõ accipit, nec munera, facit iudicium pupillo, & viduæ, *Deut. 10.*

Non accipies personam, nec munera: quia munera excæcant oculos sapientum, & mutant verba iustorum. *Deut. 16.*

Maledictus, qui accipit munera. *Deut. 27.*

Nõ respicias vultum eius (ait Dominus Samueli de Eliab filio Isai.) neque altitudinem staturæ, quoniam abieci eum, nec iuxta intuitum hominis ego iudico. *1. Reg. 16.*

Non est enim (ait Iosaphath rex Iudicibus) apud Dominum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerũ. *2. Paral. 19.*

Ignis deuorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt. *Iob. 15.*

Caue ne multitudo donorum inclinet te. *Iob. 36.*

Vsquequo iudicatis iniquitatem, & facies peccatorum accipitis? *Psal. 82.*

Amici diuitum multi propter dona. *Prou. 14.*

Qui odit munera, viuet. *Prou. 15.*

Munera de sinu impius accipit, vt peruertat semitas iudicij. *Prouerb. 17.*

Accipere personam impij in iudicio, non est bonum, vt declines a veritate iudicij. 18.

Multi colunt personam potentis, & amici sunt dona tribuentis. 19.

Victoriam, & honorem acquiret, qui dat munera, animam autem aufert accipientium, 22.

Cognoscere personam in iudicio non est bonum. 24.

Qui arguunt impium, laudabuntur, venietq; super eos benedictio *Ibid.*

Qui agnoscit in iudicio faciem: non bene facit iste, & pro buccella panis deserit veritatem. *Prou. 28.*

Non subtrahet personam cuiusquam Deus, nec verebitur magnitudinem cuiusquam; quoniam pusillum, & magnum ipse fecit, & æqualiter est illi cura de omnibus. *Sapient. 6.*

Non sit manus tua porrecta ad accipiendum. *Eccl. 4.*

Noli quærere fieri iudex, ne forte extimescas faciem potentis, & ponas scandalum in agilitate tua. *Eccl. 7.*

Bona excæcant oculos iudicum. *Eccl. 20.*

Est qui perdet animam suam præ confusione, & ab imprudẽti persona perdet eam, personæ acceptione perdet se. *Ibid.*

Nec accipias personam vt delinquas. 42

Omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. *Isai. 1.*

Væ, qui iustificatis impium pro muneribus 5.

Qui excutit manus suas ab omni munere, iste in excelsis habitabit. 33.

Nolite iudicare secundum faciem, sed iustum iudicium iudicate. *Ioh. 7.*

Non est acceptio personarum apud Deum. *Rom. 2.*

Non est distinctio Iudæi, & Græci: nam idem Dominus omnium, diues in omnes, qui inuocant illum. *Rom. 10.*

Expoliantes vos veterem hominem, cum actibus suis, & induentes nouum, eum qui renouatur in agnitionem Dei, secundum imaginem eius, qui creauit eum, vbi non est Gentilis, & Iudæus, Circumcisio, & Præputium, Barbarus & Scytha, seruus & liber, sed omnia, & in omnibus Christus. *Coloss. 3.*

In veritate deprehendo (ait Petrus) quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet eum, & operatur iustitiam, is acceptus est illi. *Act. 10.*

Væ illis, qui in viam Cain abierũt, & deceptione mercedis, qua deceptus fuit Balaam, effusi sunt. *Iude.*

Mirantes personas quæstus causa. *Ibidem.*

Fratres mei, nolite in personarum acceptione habere fidẽ Domini nostri Iesu Christi gloriosi. Etenim si introierit in cœtum vestrum vir annulum aureum habens in veste splendida, introierit autem, & pauper in sordido habitu, & attendatis in eum, qui indutus est veste præclara, & dixeritis ei, tu sede hic bene: pauperi autem dicatis, tu sta illic, aut sede sub scabello pedum meorum, nonne iudicatis apud vosmetipsos, & facti estis iudices cogitationum iniquarum. Si tamen legem perficitis regalem secundũ scripturas, diliges proximum tuum, sicut teipsum, bene facitis: si autem personam accipitis, peccatum operamini, redarguti a lege, quasi transgressores. *Iacob. 2.*

PATRVM SENTENTIAE.

Si hanc distantiam sedendi, & standi ad honores Ecclesiasticos referamus, non est putandum leue esse peccatum, in personarum acceptione habere fidem Domini gloriæ. Quis enim ferat eligi diuitem ad sedem honoris Ecclesiæ, contempto paupere instructiore & sanctiore. *Augustinus, & est in glossa Iacobi 2. super illud: Fratres mei nolite peccare.*

Quis est qui non iudicat personaliter, qui diligit æqualiter. Dilectio æqualis facit non acceptari personas: nam cum homines diuerso modo pro suis gradibus honoramus, tunc timendum est, ne personas accipiamus. *August. tract. 30. in Ioan.*

Absit Domine, vt in tabernaculo tuo præ pauperibus accipiantur personæ diuitum: aut præ ignobilibus nobiles, quando potius infirma mundi elegisti, vt confunderes fortia. *Augustinus in sermon.*

Quicunque consanguinitate, aut amicitia, vel è conuerso hostili odio, vel inimicitijs in iudicando ducitur peruertit iudiciũ Christi, qui est iustitia. *Hieronym. in Origen super Amos.*

Multa nos facere cogit affectus, dum propinquitatem respicimus corporum, & corporis & animæ, offendimus creatorem. *Hieronym. ad Fabiolam.*

Nec bonis aduersariorum, si honestum quid habuerint, detrahendum, nec amicorum laudanda sunt vitia, & vnumquodque non personarum, sed rerum pondere iudicandum est. *Hieronym. ad Pammachium.*

Alienum te a personis omniũ redde iudicio, ac propter iniustitiam in iudicio pauperem ne defendas, nec propter gratiam diuiti indecenter assistas, aut si non potes facere, cognitionem respue causarum. *Hieron. epist. ad Damasum Papam.*

Inter

Inter omnia peccata sacerdotum est maximum, quod non causas, sed personas considerant, & despecto iusto paupere, iniustos diuites honorant. *Ambrosius super Malach.*

In iudicio gratia absit, causæ merita discernantur. *Ambrosius lib. 5. de Offic.*

Remota personarũ acceptione, diffinitiua proferatur sententia. *Gregorius. & habetur 11. q. 3. Summopere.*

Personam hominis accipere, est hominẽ non quia homo, sed propter aliquid, quod circa ipsum est honorare. *Gregorius in Hom. 4. Moral.*

Iudicare digne de subditis nequeunt, qui in subditorum causis non merita, sed odium vel gratiam consequuntur. *Idem in Hom.*

Iudices iniqui errant à veritate sententiæ, dum intenqunt qualitatem personæ, & exulcerant sæpe iustos, dum improbe defendũt iniquos. *Isid. lib. 4. de summo bono.*

Diues cito muneribus corrumpit iudicium: pauper autem dum nõ habet quod offerat, non solum audiri contemnitur, sed etiam contra veritatem opprimitur. *Isidorus ibidem.*

Vos non attenditis merita causarum, sed personarum, nõ iura, sed munera. Non quod ratio dictet, sed quod voluntas affectet, non quod sentiat, sed quod mens cupiat: non quod liceat, sed quod libet. Nunquam in vobis est ita simplex oculus, vt totum corpus lucidum sit, sed aliquid semper dimittitis fermenti, quo totam massam corrumpitis. *Innocentius lib. 2. de vtilitate conditionis humanæ.*

Pauperum causam cum mora negligitis, diuitum causam cum instantia promouetis. In illis rigorem ostenditis, in istis ex mansuetudine dispensatis. Illos cum difficultate respicitis, illos cum facinore tractatis. Illos negligenter auditis, istos subtiliter auscultatis. *ibidem.*

Si forte pauperum causam suscipitis, illos remisse fouetis. Quum autem diuitũ causam suscipitis, illos pertinaciter adiouatis. Pauperes despicitis, diuites honoratis: istis reuerenter assurgitis, illis despicabiliter communicatis. *ibidem.*

Clamat pauper, & nullus exaudit: loquitur diues, & quilibet applaudit. Diues locutus est, & omnes tacuerunt, & verbum illius vsque ad vrbem perducunt. Pauper locutus est, & dicunt, quis est hic, & si offenderit, subuertent eum: clamat vim patiens, & nullus exaudit, vociferatur, & non est qui iudicet. Diuiti dicunt Tu sede hic bene: pauperi vero, tu sta illic, vel sede sub scabello pedum meorum, *ibidem.*

Nescit personas respicere, qui meram cogitat æquitatem. *Cassiodo. l. 2. epist. 13.*

POETICAE SENTENTIAE.

Homer. 1. Illiados.

——ἀντίον πολλῶν.

Λαῶν ἐστιν ἀνὴρ ὅν τε Ζεὺς κῆρι φιλήσῃ.

Instar multorum est, quem æquus Iuppiter amauit.

Iuuenalis Satyr. 7.

Dat veniam coruis, vexat censura columbas.

Ouid. Metamor. l. 3.

Curia pauperibus clausa est, dat census honores:
Census amicitias: pauper vbique iacet.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Prorsus persuasimus, quod multi furto non erubescunt, quod multi adulterio gloriantur. Nam sacrilegia minuta puniuntur, magna in triumphis feruntur. *Seneca ad Lucilium ep. 88.*

Amor, & odium, & proprium commodum sæpe, faciunt iudicem non cognoscere verum. *Arist. l. 1. Rhetoricorum.*

Interrogatus Solon, quid esset lex? respondit: Araneæ tela, Quia, si in eam inciderit quid debile, retinetur, graue autem pertransit tela rescissa. *Laert. Diogenes de vita, & moribus Philosoph.*

Xenocratis videns quendam latronem ad patibulum duci, subrisit dicens. Quod magni fures minores morte damnabant. *ibidem.*

Plura multo homines iudicant odio, aut amore, aut cupiditate, aut iracundia, aut dolore, aut lætitia, aut spe, aut timore, aut errore, aut aliqua permotione mentis, quam veritatis aut præscripto, aut in eis norma aliqua, aut iudicij formula, aut legibus. *Cic. lib. 2. de Oratore.*

Quam porro subtiliter Anacharsis leges aranearum telis comparabat. Nam vt illis infirmiora animalia retineri, valentiora trãsmitti, ita his humiles, & pauperes constringi, diuites, & præpotentes non alligari aiebat. *Vale. Maximus lib. 7. tit. Sapienter dicta ac facta.*

EXEMPLA SACRA.

Elias increpat regem Achabum, 1. *Reg. 18. 17.* Elisæus Ionamum. 2. *Reg. 3. 13.*

Nathan sapienter admodum regem Dauidem turpissimo adulterio & nefario homicidio pollutum ad resipiscentiam pertrahit. 2. *Sam. 15. 1. &c.*

Elias, Ieremias, Ezechiel, populi Iudaici, magnatum, principum, regum scelera luculenter describunt & damnant, sine personarum acceptione, deiq; cõminationes expressis verbis denuntiãt.

Daniel Nebucadnezaris, & Balsazaris potentissimorum regum Babyloonicorum scelera grauiter arguit. *cap. 4. 24. & 5. 22. &c.*

Prophetæ minores, Oseas præsertim, Amos, Michæas, Nahum, Sophonias, acerbissimis reprehensionibus se personarum acceptores haud fuisse testantur.

Ioannes Baptista Herodis regis personam minime respexit, quo minus ei libere diceret, non licet tibi fratris tui habere vxorem. *Marc. 6. 17.*

De Christo Seruatore Isaias (*cap. 11. versi. 3.*) dixerat, non secundum aurium auditum arguit. Nullius equidem personam accepit, sed Scribis, Pharisæis, Iudæorum principibus sæpius dixit, Væ vobis, hypocritæ, Auferetur à vobis regnum Dei, &c. Herodis ingenium perstringens, vulpem appellat. Quum ei tribueretur laus, ille, quod non esset personarum acceptor, respõdit aduersarijs. Quid me tentatis, hypocritæ.

Historia Eccl. referta est Martyrum, Confessorum, Episcoporum exemplis, qui Regum & Imperatorum personas minime respexerunt, quo minus honorem diuinum, fidei veritatem, Ecclesiæ dignitatem constanter vsque ad mortem defenderent.

EXEMPLA ETHNICA.

Traianus Imperator, cum Tribunum militum renuntiasset, strictũ ensem ei porrigens, dixit, Cape ferrum hoc, & siquidem recte Imperium gessero, pro me, sin aliter, contra me hoc vtere. *Dion. in Traiano.*

Mulier quædam, quum aliquando eum ad audiendum vrgeret, ille vero per otium sibi non licere respondisset, subiunxit, Ne ergo imperes. Quo audito de mulieris causa Traianus cognouit. *Idem* De Philippo Macedonum rege eadem referuntur.

Cum a Themistocle Simonides poeta præter æquum quiddam postulasset. Neque tu, inquit, bonus poeta esses, si modos contêneres & numeros inter canendum, neque ipse bonus prætor, si gratiam amici legibus præferrem. *Plutarch. in Themist.*

Papinianus ab Imperatore Caracalla iussus parricidium Getæ fratris in Senatu & apud populum diluere recusauit, dicens, Non tã facile parricidium excusari posse, quam patrari.

Phocion Atheniensis genero suo Charilao, repetũdarum reo, causamque coram iudicibus dicturo, adesse noluit, dicens, Equidem mihi generum te hominem iustum & probum optaui. Quo dicto desertoque genero, inde se proripuit. *Plutarch.*

Epaminondas, Thebanorum dux, filium corona donatum, deinde securi feriri iussit, quod præcepti paterni contemptor cum hoste conflixisset, eumque vicisset. *Plutarch. in Paral.*

Brutus Consul & Manlius Torquatus liberorum suorum personas minime respexerunt, imo capite mulctarunt, vt patriæ libertatẽ conseruarent. *Valer. Max. lib. 5. c. 8. & l. 6. c. 3*

Zaleucus Locrensis, cum legem tulisset de adultero excæcando, eiusque filius in adulterio deprehensus esset, se vno, filium altero priuauit oculo, ne ob acceptionem personæ lex lata violaretur. *Idem, lib. 6. cap. 5.*

Apophthegmata, Similitudines, Adagia, cæteraque ad hunc locum nonnihil illustrandum facientia, vide infra in Tit. Diuitiæ. Fauor. Paupertas. Potentia. Potestas. Magistratus, &c.

ACCESSIO, INCREMENTVM.

ADAGIA.

Accessio pusilla aut nimia.

Crœsi pecuniæ teruncium addere.

Teruncius nummus, à tribus vncijs dictus, vtilis ac prouerbio locum fecit. Crœsus Lydorum Rex inter prodigiose diuites celebratur.

Holerum appositio. *αἱ τῶν λαχάνων προσθῆκαι.*

De re nullius momenti.

Gleba aruum. *βῶλος ἀρουρα.*

Vbi quis exigua maximis apponit, credens sese nonnihil iuuare.

Gutta vini. *σταλαγμὸς οἴνου μυρίοις χοεῦσιν ὕδατος ἐγκεχυμένος.*

Quum paululo boni nimia mali vis admiscetur: diluitur enim & euanescit si pauxillum vini plurima corrumpas aqua.

Ne maior thylaco accessio.

Hoc vti licebit prouerbio, quum digressio longior est, quam res ipsa. Basilius idem alijs verbis expressit, lib. de Spiritu sancto, ἵνα μὴ γένηται τὸ προσθετὸν πολλαπλάσιον τοῦ κεφαλαίου. id est. Ad istum alioqui modum accessorium multo maius esset ipso principali.

Vide Infra Tit. de Vtilitate.

ACCIDENS.

DEFINITION. ET ETYMOLOG.

ACCIDENS Græce *συμβεβηκός, τό.* Nam *συμβαίνω*, accido dicitur, quod adest & abest præter subiecti corruptionem *secundum Arist. lib. Prædicament.*

Acci-

Accidens est, quod adest & abest, sine eius rei, in qua situm est, interitu: cuius genera duo sunt, alterum, quod separari potest, alterum quod non potest. *Porph. c. 6*

Est accidens, quod fit quidem non semper, nec necessario, nec plerunque. *Metaphys. l. 10. c. 7.*

Accidens est, quod nihil horum est, nec genus, nec definitio, nec proprium, rei autem conuenit, & quod cadere in rem vnam aliquã, & in eandem nõ cadere, veluti sedere, & conuenire eidem, & nõ conuenire potest. *Top. l. 1. c. 4*

Accidentis vocabulum varium est, ac multiplex, quippe quorũ necessarium continetur: tum non necessarium, denique & possibile. *l. 1. de prior ib. Anal. cap. 3.*

Accidens dicitur, quod alicui conuenit, & vere dicitur, non tamen necessario nec plerunque. *Met. l. 4. c. 30. T. 35.*

Accidens est quod inest alicui, & vere dicitur de eo, non tamen necessario, nec in pluribus, & non tantum quoad esse, sed quoad locum, & in aliquo, & in hoc tempore, & huius causa non est determinata, sed contingens & indeterminata. *Aristotl. 5. Metaph.*

Accidens dicitur illud, quod inest alicui, non secundum se, non tamen de essentia rei. *Idem ibid.*

Accidens, & esse in subiecto conuertuntur *Porphyr.*

Accidens seorsim per se, sine aliquo subiecto esse non potest. *Idem.*

Accidens est, quod adest, & abest, præter subiecti corruptionem. *Idem.*

Accidens est, quod nec genus, nec species, nec differentia, nec proprium est: semper autem in subiecto est. *Idem.*

Accidens, quasi cum alio cadens, appellatur. *Simpl. 1. de anima.*

Accidens, tam vniuersale, quam particulare, in subiecto existit. *Auerroes in prædic.*

Accidens id esse dicimus, quod in substantiam non conuertitur. *Boet. in Porph.*

Accidens, sine re cui accidit esse nequit. *Idem.*

Accidens inseparabile est, vt cæcitas oculorum, nasi curnitas, cicatrix cum ex vulnere occalluerit. *Porphyr. in 5. voc.*

Accidens nihil prohibet, & quando & ad aliquid proprium fieri, vt sedere, cum sit accidens, solo aliquo sedenre, proprium erit, simpliciter autem proprium non erit. *Arist. topic. 1.*

Accidentis fallacia duplex continet accidẽs, vnum quod accidit rei subiectæ, alterum quod assignatur rei subiectæ. *Alber. Mag. in 1. Elench.*

Accidentium captiones omnes vna solutio diluit, dicendo quod nõ est necessarium. *Arist. lib. 2. Elench.*

Moueri, quod accidens est, quod potest separari, de homine, & equo dicitur, sed ita vt primum de indiuiduis, secundo autem loco de ijs, quæ indiuidua continent. *Porph. c. 7.*

Cum contrariæ differentiæ misceri iungique inter se non possunt, tamen contraria sæpe accidentia coniunguntur. *Porphyr. capitulo 14*

Accidenti attributæ sunt rerum omnium inter se comparationes, quæ ab accidente ducuntur, vt vtrum expetendum magis, quod honestum est, an quod vtile. *Top. l. 1. c. 4.*

Accidentia, quæ non ita insunt per se, quemadmodum supra definiuimos, non possunt sub scientiam demonstratiuam cadere: eo quod in ijs conclusio necessaria esse non potest. Nam quod accidens est, potest non inesse. Ego enim sic accipio hoc loco nomẽ accidentis. *l. 1. de Demonst. c. 6. T. 18*

Omnium accidens facillimum est ad probandum. Cum enim cæterarum non solum conuenire docendum sit, satis est ostendere conuenire, & inesse accidens: difficilimeque accidens refellitur, propterea, quod perpauca complectitur. neque enim declaratur, in accidente, quomodo conueniat. *Top. l. 7. c. 3.*

Accidens est quiddam, quod haud procul abesse ab eo quod non est videtur. *Meta. l. 5. c. 2. T. 4*

Cur accidentis non sit ars, & scientia, hinc perspici potest, quod cũ ars omnis, & scientia in eo, quod semper, vel plerumque est, versetur, in neutro horum est accidens. *Meta. l. 10. c. 7.*

Et quæ accidunt, omnia duobus modis diuidi possunt, per formas, aut per accidens. Per formas, vt colorum alius albus est, alius niger. per accidens, vt si id, cui color conuenit, diuidi potest, *l. 3. de cœlo c. 1. T. 7*

Accidentia non per se ac vi sua, sed in singulis rebus simpliciter dicuntur. *Metaph. l. 4. 9. T. 15.*

Ratione accidens toto prius est: vt musica præditum homine musico, *Metaph. l. 4. c. 11. T. 16.*

Id quidem, quod vt accidens, & quod vt verum, omittendũ est: præsertim cum illius incerta, & infinita causa sit. huius quædam animi affectio, & vtrunque in reliquo eius quod ex genere certatur, nec naturam quandam eius quod est extra esse declarat. *Metaph. l. 2. 5. c. 3. T. 8.*

Perspicuum est, accidens ad quoddam tempus & cum aliquo collatum proprij nomen obtinere posse. *Top. l. 1. c. 4.*

ACCVSATIO.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Accvsatio, Græce κατηγορία, ας, ἡ. Nam & κατήγορος accusator dicitur. Est in causam tractio, hoc est, apud iudicem vel aliũ quemlibet, aliquem peccasse ostẽsio. Plerunq; pro reprehensione accipitur. Hinc & accusator & accusatrix deducuntur, & accusatio, & accusatiuncula eius diminutiuum.

Accusator vocatus quasi ad causator, qui ad causam vocat eum quẽ appellat. *Isidor. l. 18. origin.*

Accusator is dicitur, qui aliquem coram iudice accusat & criminalem sibi quæstionem mouet. *Iacobus Spiegelius in Lexico iuris ciuilis.*

Accusatori interdum præmium debetur: vt cum famosi libelli auctorem indicauerit, *l. lex Cornelia in fin. de iniur.* reum ve impietaris hoc est, hæreseos arguerit. *Secundum Albericum in leg. 1. C. Quibus ex caus. fer. pro præm. libert. accip. Idem Spieg. ibid. in voce Accusare & accusator.*

Accusare est aliquem quasi apud iudicem percurere, & quasi malleo ad incudem pertundere, vt in quam velit is qui accusat formam redigatur. Vnde proprie est apud iudicem, vel alium, & aliquando apud illum, quem accusas, ostendere quempiam peccasse *Idem Spiegelius ibidem.*

Accusatio, vox media, tum in bonam, tum in malam partem sumitur, vt plerumque in malam, præsertim in sacris literis. Hebræis, *Sitnah.* Genes. 26. 21. & Esdr. 4. 6. aduersatio, accusatio, inimicitia, rixa, odium, à verbo *Satan*, aduersatus est, accusauit: vnde Satan, aduersarius, accusator, & tam de diabolo quam de homine dicitur. De diabolo, Iob. 1. 6. de homine, 1. Sam. 29. 4. & 2. Sam. 19. 23. & alibi accusator est frequenter aduersarius, odijs impulsus, & rixas quæreos. Accusator ab ijsdem *Malschin* appellatur, a verbo *Laschan*, i. linguax fuit, obiectauit, detulit aliquem lingua sua, falsa accusatione detraxit. Ps. 1. v. 1. 5. Prouerb. 30. 10. Græcis κατηγορία, accusatio, κατήγορος, accusator. Vide Luc. 6. 7. Ioann. 18. 29. Tit. 1. 6. Satan vero, humani generis aduersarius, κατήγορος, accusator dicitur fratrum, quos indesinenter accusat coram Deo: Apo. 12. sicuti constat ex Historia Iobi, cap. 1. & 2.

Quid inter sit inter accusationem & maledictionem, docet Cicero, orat. pro Cœlio. Accusatio crimen desiderat, hominem vt notet, argumento probet, teste confirmet.

POETICAE SENTENTIAE.

Martial. lib. Spectaculorum, ad Cæsarem, quod expulerit delatores Epi. 4.

Turba grauis paci, placidæq; inimica quieti,
Quæ semper miseras sollicitabat opes.
Traducta est Getulis, nec cepit Arena nocentes:
Et delator habet, quod dabat, exilium.
Exulat Ausonia profugus delator ab vrbe:
Impensis vitam principis annumeres.

Idem Martialis in Vacerram delatorem lib. 11. Epi. 67.

Et delator es, & calumniator,
Et fraudator es, & negotiator:
Et fellator es, & lanista: miror
Quare non habeas, Vacerra, nummos.

ETHNICORVM SENTENTIAE.

Queri apud amicos de ipsorum erratis honestum est, accusatio vero, inimicorum est. *Thucyd. lib. 1.*

Iniquum videtur insimulare eum qui absit, maxime quom fieri possit, vt si quæ crimine obiecta sint, præsenti refutatione diluantur. *Dictys de bello Tr. lib. 1.*

Carere debet omni vitio qui paratus est in alterum dicere. Is demũ maledicit, qui non potest verum ab altero audire. *Cic. in Sallust.*

Nulla salus Reipublicæ maior est: quam eos, qui alterum accusant, non minus de laude, de honore, & fama sua, quam illos qui accusantur de capite ac fortunis suis pertimescere: Itaque semper hi diligentissime laboriosissimeque accusarunt, qui seipsos in discrimen existimationis venire arbitrati sunt. *Ex Diuin. in Verr.*

Multa esse oportet in eo, qui alterum accuset, primum integritatem atque innocentiam. Nihil est enim quod minus ferendum sit, quã rationem ab altero vitæ reposcere eum, qui non possit suæ reddere. Accusare enim debent ij, qui nullo suo peccato impediuntur, quo facilius alterius peccata demonstrare possint. *Ex Diuin. in Verr.*

Omnes qui alterum in iudicium vocant, prouidere debent non solum quid oneris in præsentia tollant: sed etiam, quantum in omnem vitam negotij suscipere conentur. Legem enim sibi ipsi indicunt innocentiæ, continentiæ, virtutumque omnium, qui ab altero rationem vitæ reposcunt: atque eo magis, si id faciunt nulla re commoti alia, nisi vtilitate communi. Nam qui sibi hoc sumpsit, vt mores corrigat aliorum, ac peccata reprehendat: quis huic ignoscat si qua in re ipse à religione officij declinarit? *5. Act. in Verr.*

Postu-

Postulatur ab omnibus, vt ab ijs se abstineant maxime vitijs, in quibus alterum reprehenderunt. Furem aliquem aut rapacem accusaris: vitanda tibi semper erit omnis auaritiæ suspicio. Maleficum quempiam adduxeris aut crudelem, cauendum erit semper, ne qua in re asperior aut inhumanior fuisse videaris. Corruptorem, adulterum: prouidendum diligenter, ne quod in vita vestigium libidinis appareat. Omnia postremo quæ vindicaueris in altero, tibi ipsi vehementer fugienda sunt. Etenim non modo accusator sed ne obiurgator quidem ferendus est is, qui quod in altero vitium reprehendit, in eo ipso deprehenditur 5. *Act. in Verr.*

Nihil est tam inhumanum quam eloquentiam, &c. 2. *Offic.*

Nihil est tam alienum ab eo, qui alterum coniurationis accuset, quam videri coniuratorum pœnam mortemq; lugere. *Pro Syll.*

Sine summo scelere non potes, quod maleficium in alijs vindicaris, idem in illorum socio, cum scires, defendere. *Pro Sylla.*

Danda est opera, ne quid contra æquitatem contendas, ne quid pro iniuria. 2. *Offic.*

Hoc præceptum officij diligenter tenendum est: ne vnquam innocentem iudicio capitis accersas. Id enim sine scelere fieri nullo pacto potest, 2. *Offic.*

Innocens, si accusatus sit, absolui potest, nocens nisi accusatus fuerit, condemnari non potest. *Pro Rosc. Am.*

Vtilius est absolui innocentem quam nocentem causam non dicere. *Pro Rosc. Amerin.*

Impediri bonam rem est melius, quam concedi malæ, 3. *de Legat.* χρὴ δὲ κατηγορεῖν μὲν ὑγιῶς τοῖς τὰ ἐλεγχθέν ἀδικοῦντας, τιθέντας δὲ τοῖς τ' ἀσελγεῖς τοιαῦτα πράττοντας· τον γὰρ αὐτον λόγον οὐχ ὁμοίως ἐπιλαμβάνειν δεῖ ... ἀλλὰ ... διανοίας λέγοντες.

Nam accusare putandi sunt, qui lædendi causa conuitia dicunt: admonere, qui propter audientium vtilitatē idem faciūt. Nec enim de eadem oratione sententiam est eandem, si animo non eodem dicatur. *Isocr. in panegyr.*

Αὐτῶν δὲ τοὺς νουθετοῦντας καὶ τοὺς κατηγοροῦντας, τοὺς μὲν λόγους χρῆσθαι παραπλησίοις, τὰς δὲ διανοίας ἔχειν ἀλλήλαις ὡς οἷόντε ἐναντιωτάτας· ὥστε περὶ τῶν ταῦτα λεγόντων ὑμᾶς μὴ ταὐτὰ γιγνώσκειν. ἀλλὰ τοὺς μὲν ἐπὶ βλάβῃ λοιδοροῦντας μισεῖν· τοὺς δὲ ἐπ' ὠφελείᾳ νουθετοῦντας ἐπαινεῖν καὶ βελτίους τῶν ἄλλων νομίζειν, καὶ τούτων αὐτῶν μάλιστα τοὺς ἐξηγουμένους ... τὰ πονηρὰ τῶν πραγμάτων, καὶ τὰς συμφορὰς τὰς ἀπ' αὐτῶν γιγνομένας. Fieri certe quidem non potest, quin & qui monent, & qui accusant, verbis vtantur non fere dissimilibus, cum vis vtriusque orationis quam longissime discrepet. Quare vos non decet de his qui eadem dicunt, eodem modo sentire, sed qui nocendi animo conuiciantur, vt qui rempub. euersam cupiunt, digni odio sunt, qui autem vestræ vtilitatis causa monent, laudandi, & optimi ciues iudicandi: atque inter hos is maxime qui euidentissime possit malas actiones, & ortas inde calamitates suis quasi coloribus depingere. *Idem in sociali.*

Apophthegmata.

Demosthenes, iussus ab Atheniensibus, vt quendam accusaret, tecusauit, sed facta in eum populi acclamatione, surgens dixit, Vos me, viri Athenienses, consultorem habebitis etiam inuiti: calumniatorem vero, ne si velitis quidem. *Brusen. l. 1. c. 6.*

Cicero. in Cælium melius differentem ac accusantem, quam defendentem crimina, vrbanissime bonam dextram, malam vero Cælium sinistram habere dicebat. *Brusen. lib. 1. cap. 16.*

M. Crassus, cum leui de caussa nunc accusator, nunc patronus in vna eademque causa esset, Sicinius homo mordacissimus interrogatus, cur Crassum non ob id reprehenderet. Non facio, inquit, quando quidem fœnum in cornu habet. *Brusen. lib. 1. cap. 16. ex Plutarcho.*

Adagia.

Τενέδιος ἀυλητὴς Id est, Tenedius tibicen. *Dicebatur testis falsus & calumniator. Hinc natum, quod Philonome tibicinem suum subornauit, qui testaretur apud Cygnum, ipsam à Tenne de stupro fuisse interpellatam ac vi etiam tentatam. Steph. in catalogo vrbium.*

Exempla Biblica.

Falso accusatorum exempla: Ioseph. *Gene.* 39. 14. Abimelech, 1. *Sam.* 22. 9. Mephiboseth 2. *Sam.* 16. 3. & 19. 26. Naboth, 1. *Reg.* 21. 6. Amos, *Amos.* 7. 10. Christus, *Matth.* 26. 61. *Mar.* 14. 58. & 15. 3. *Luc.* 23. 1. Stephanus protomartyr, *Act.* 6. 11. Paulus & Silas, *Act.* 16. 20. Iason. *Actor.* 17. 7. Paulus, 18. 13. & 21. v. 21, 28. & 24. 5. & 25. 7. Accusationis falsæ pœna, & exempla: Aman, *Est.* 7. 10. & 8. 7. Duo senes, *Daniel* 13. 36. Accusatores Danielis, *Daniel* 6. 23. & 14. 41. Alcimus cum iniquis, 1. *Macchab.* 7. v. 5. 6. Simon, 2. *Macch.* 4. *vers.* 5. 6.

Profana Exempla.

Tennes Cynici Colonis regis filius, falso a nouerca apud Patrem de incestu oblato accusatus fuit. Cum illa potius priuigni amore incensa, repulsam ab eo tulisset. *Pausan. l. 10.*

Nero Imperator intimos, & familiares quosque curauit interfici ex sermone morientium: qui tamen nihil aliud inter moriendum spectabant, quam vt de aduersatijs vltionem sumerent. *Bodin. lib. 4. Dæmonom. c. 4.*

M. Cato Maior a pop. Rom. prudens appellatus maximis Romanorū odijs exercitus est, quadragies enim se a ies reus causam dixit, sẽperque absolutus est. *Sabellicus, l. 1. c. 6.*

Bellerophon, à Stenebæa Præti Argiuorum regis vxore, tentatæ pudicitiæ falso accusatus fuit, cum illa eum ad stuprum aliquoties frustra prouocasset. *Homer. Iliad. 3. Natal. Com. Mytholog. l. 9. c. 3.*

Tiberius cæsar causa quæstus tantum delatoribus tribuit, vt nemini dem abrogaret, siue quid veri, siue vani referret.

Vitellius quoque Imper. delatos Mathematicos inauditos capite puniuit.

Domitianus dum rapinis intendit animum, ita antes delatoribus patefecit, vt nihil cuiquam suum esset.

Quod de Constantioo Imper. idem traditur, vt delatores omni tẽpore admitteret, eosque ingenti studio foueret. *Alex. ab Alexandro, l. 4. c. 22.*

P. Scipio Africanus iniuste à Q. Q. Petillijs Trib. pleb. accusatus fuit, quasi pecunia corruptus esset ab Antiocho, vti conditionibus granosis, & mollibus pax eum eo Pop. Rom. nomine fieret. *P. Æmilius ex T. Liu. Decad. 4.*

Aristogiton Atheniensis, cum à lictoribus per tormenta vexaretur, vt conscios proderet, conscium neminem indicauit; omnes vero amicos Hippiæ participes insidiarum esse dixit. Cum hos morte mulctasset Hippias tyrannus, tum Aristogitoo amicorum stratagema ei exprobrauit. *Polyænus, l. 1.*

Hieroglyphica.

Apud Ciceronem in oratione pro S. Roscio: Anserem inuenies pro accusatore Hieroglyphice positum, qui obstrepat tantum, noceat tamen nihil. Cum Canis non tantum allatret, sed etiā mordeat. Eius verba sunt non importune repetenda. Anseribus cibaria publice locantur, & Canes aluntur, in Capitolio, vt significent, si fures venerint, at fures internoscere non possunt, significant tamen, si qui noctu in Capitolium venerint, & quia id est, suspiciosum, tametsi bestiæ sunt, in eam partem potius peccant, quæ est cautior. Quod si luce quoque Canes latrent, cum Deos salutatum aliqui venerint, opinor his crura suffringantur, quod acres sint etiam tum cum suspicio nulla sit. Simillima est accusatorum ratio: alij vestrum Anseres sunt, qui tantummodo clamāt & nocere non possunt, alij Canes, qui & lateant, & nocere possunt. *Pier. Valer. l. 24. fol. 226.*

Fabula.

Boues & Ilex.

Trabem iligneam trahebant boues, adiuncti ad illam. Hæc autem indignari, & queri, atque boues accusare vt ingratos, à quibus ita raptaretur, cum frondibus suis sæpe illos pauisset, cui boues: Cū nos in hac opera stimulis incitari videas, & gemitus atque anhelitus audias, debet profecto in mentem tibi venire nos inuitos trahere.

Fabula docet, quemque iniuriæ, & damni sui auctores non oportere temere accusare debere.

Vide Calumnia, Delatio, Detractio.

ACEDIA.

DEFINITION. ET ETYMOLOG.

Acedia, quæ & Græce ἀκηδία. ας, ἡ, dicitur est tristitia, de bono diuino, in quantum diuinum, de quo Charitas gaudet. Ἀκηδία ἐστι παράλυσις ψυχῆς, καὶ νεῦρον ἔκλυσις ... εὐαγγελικῆς ... ἀποστροφὴ τῶν ἐπαγγελμάτων, κοσμικῶν μακαρισμός, Θεοῦ διαβολή ... id est. Acedia est remissio animæ, & resolutio mentis, pusillanimitas exercitationis, odium professionis, mundanorum beatificatrix, detractatio Dei quasi inmisericordis, & existentis sine benignitate, attonita in psalmodia, infirmans in oratione, in ministerio ferrea, in opere manuum non pigra, in obedientia improba, *Hæc ex Ioan. Climacho.*

Acedia est tædium bene operandi, & tristitia de re spirituali, vel recessus mentis à bono spirituali diuino, cui oporteat mentem inhærere ex necessitate. *Hæc ex Beat. Thom. secunda secundæ, quæstion. 35.*

Acedia est ex confusione mentis nata tristitia, siue odium, & amaritudo animi immoderata. *vt ait Hugo lib. 2. de Sacramentis.*

Acedia est torpor mentis, bona inchoare negligentis. *secundum Richardum.*

Acedia est de virtutum laudabili exercitio vtriusque hominis languida delectio. *secundum Gregorium in Homilia.*

Acedia est tristitia aggrauans mentem, vt nihil boni ei agere libeat, *secundum Ioan. Damasc. lib. 2.*

Acedia est pigritia, & inertia, & fatigatio animi, qua quis bonum

num inchoatum fastidit. *secundum Ciceronem lib. Tusc. quæst.* Acedia ab inuidia differt. Quia inuidia est de bono alieno. Acedia vero de proprio. Nec placet opinio eorum, qui scribunt per c. geminatum, cum breuiet primam syllabam.

D I V I S I O.

ACEDIA in secunda Secundæ, quæst. 35. Beatus Thomas.

- *Primo modo est, tristitia de bono spirituali, & sic est generale peccatum, & non vnum de septem. Quia omne peccatum refugit bonum spirituale, virtutis ei oppositæ, vt superbia refugit bonum spirituale, quia est actus humilitatis, & luxuria bonum castitatis, & sic de alijs. S. Thom. secunda secundæ, q. 35. art. 2.*
- *Secundo modo est horror spiritualis boni, in quantum est laboriosum, vel molestum corporis, aut impedimentum delectationis eius, & sic à vitijs carnalibus non separatur, quibus quis quietem, & delectationem corporis quærit, & sic non est vnum de septem.*
- *Tertio modo, est tristitia de bono spirituali inquantum diuinum, & sic est speciale peccatum, & vnum de 7. quia opponitur speciali virtuti, quæ est charitas, cuius est gaudere de bono diuino, & sic est peccatum articulo secundo.*
  - *Capitale, quia ex ea promptum est, vt alia vitia oriantur secundum rationem causæ finalis, & hac diuersimode assignatur, art. 4.*
    - *Secundum B. Gregor. 31. mor. ex acedia oriuntur 6. scilicet desperatio, pusillanimitas, torpor, rancor, malitia, euagatio, quia ex tristitia spiritualium, & diuinorum fastidio eueniunt tria, scilicet.*
      - *Recessus, vel fuga spiritualium contristantium quæ sunt finis, vel ea quæ sunt ad finem, & sic oriuntur ex acedia filiæ 3. scilicet*
        - *Desperatio, qua receditur ab vltimo fine.*
        - *Pusillanimitas, qua receditur ab his, quæ sunt ad finem, scilicet ab arduis, quæ subsunt consilijs.*
        - *Torpor, quo receditur à spiritualib. pertinentibus ad iustitiam communem, quæ subsunt præcepto.*
      - *Impugnatio spiritualium contristantium, & sic oriuntur secundum B. Gregor. ex acedia filiæ duæ, scilicet.*
        - *Rancor, qui est indignatio in personas inducentes ad bona spiritualia, vt hic sumitur.*
        - *Malitia, quæ est, quando quis intantum tristatur super spiritualibus, & diuinis, vt etiam ea detestatur.*
      - *Accessus ad delectabilia non delectabilia, & sic oritur secundum Beatum Gregorium.*
        - *Euagatio mentis illicita, quæ est quando propter tristitiam spiritualium quis se transfert ad delectabilia exteriora, fastidio spiritualium, quia secundum Phil. 8. Ethico. Nemo diu nequit esse sine delectatione.*
    - *Secundum Isid. lib. de summo bono ponuntur 11. qui distinguit tristitiam ab acedia. Nam secundum eum propriè accipitur,*
      - *Tristitia inquantum vt receditur à graui, & laborioso opere, & ab Isidoro assignantur orti 4. scilicet.*
        - *Desperatio.*
        - *Pusillanimitas.*
        - *Rancor.* — *De quibus sup.*
        - *Amaritudo quæ non est speciale vitium, sed quidam affect' rãceris.*
      - *Acedia, inquantum quis accedit ad debitam quietem laboris tædio, & sic oriuntur septem filiæ, scilicet.*
        - *Otiositas cum prætermittuntur præcepta.*
        - *Somnolentia, cum negligenter implentur præcepta.* — *Hæc duo sub torpore comprehenduntur.*
        - *Importunitas mentis, cum vagatio mentis circa illicita residet in ipsa arce mentis volentis se diffundere ad diuersa.*
        - *Curiositas cum indebitè vel imodice se diffundit ad diuersa cognoscẽda.*
        - *Verbositas cum indebite, & immoderate vagatur in verbis.*
        - *Inquietudo corporis, cum per immoderatos membrorum motus euagationem mentis indicat.*
        - *Instabilitas, cum diuersorum fit locorum mutatio, vel propositi.* — *Quæ quinque ad mentis euagationẽ pertinent, quam ponit Beat. Gregorius sup.*
  - *Mortale, quandocunque talis tristitia pertingit vsque ad consensum rationis, quam committit in fugam, & horrorem, & detestationem boni diuini, carne contra spiritum omnino præualente, art. 3.*
  - *Veniale, quandocunque non contingit vsque ad consensum rationis, sed est in sola sensualitate, propter repugnantiã carnis ad spiritum, art. 3.*

S E N T E N T I A E   B I B L I C A E.

Acedia, vel tædium, homini est causa impatientiæ, & carnalis desiderij, & causa multiplicis mendacij. *Num. 11.*

Vade ad formicam, ò piger, & considera vias eius, & disce sapientiam, quæ cum non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem, parat in æstate cibum sibi, & congregat in messe quod comedat. *Prou. 6.*

Vsquequo piger dormies? quando consurges è somno tuo? *ibidem.*

Sicut acetum dentibus, & fumus oculis; sic piger his, qui miserunt eum in via. *Prou. 10.*

Vult, & non vult piger, anima autem operantium impinguabitur. *Prou. 13.*

Pigrũ deijcit timor: animæ autem effœminatorũ esurient. *Prou. 18.*

Abscondit piger manum sub ascella, nec ad sinum applicat eam. *Prou. 19.*

Propter frigus piger arare noluit, mendicabit ergo æstate, & non dabitur ei. 20.

Omnis piger semper in egestate est. 21.

Desideria occidunt pigrum, noluit enim quicquam operari. *Ibid.*

Sicut ostium vertitur in cardine, sic piger in lectulo suo. *Prou. 26.*

Non oderis laboriosa opera, & rusticationẽ creatam ab altissimo. *Eccl. 7.*

In lapide luteo lapidabitur piger, & omnes loquentur super æstimationem eius. 22.

De stercore boum lapidabitur piger, & omnis qui tetigerit eum, manum excutiet. *Ibidem.*

In omnibus operibus esto velox, & omnis infirmitas non occurret tibi. 31.

In omnibus operibus tuis præcellens esto, & ne dederis maculam in gloria tua: otium enim multa vitia docuit. *Ibid. 33.*

Maledictus qui opus Dei facit negligenter. *Ierem. 48.*

Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignẽ mittetur. *Matth. 7.*

Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. *Matth. 11.*

Inutilem seruum eijcite in tenebras exteriores, illic erit fletus, & stridor dentium. *Ibid. 25.*

Ille seruus, qui cognouit voluntatem Domini sui, & non se præparauit, & non fecit secundum voluntatem eius, vapulabit multis, qui autem non cognouit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis. *Luc. 12.*

Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet eum. Si quis in me non manserit, mittetur foras, sicut palmes, & arescet, & colligent eum, & in ignem mittetur, & ardet. *Ioh. 15.*

Scienti igitur bonum facere, & non facienti, peccatum est illi. *Iacob. 4.*

S E N T E N T I A E   P A T R V M.

Πάντα τ' ἄλλα πάθη, ἢ τ' θυμικοῦ μέρους τ' ψυχῆς, ἢ τ' ἐπιθυμητικοῦ μόνον ἐφάπτεται, ἢ καὶ τ' λογιστικοῦ, οἷον ἡ λήθη καὶ ἄγνοια, ἡ δὲ ἀκηδία πασῶν τῶν τ' ψυχῆς δυνάμεων ἐπιδραττομένη, πάντα σχεδὸν ὁμοθυμαδὸν κινεῖ τὰ πάθη. διὸ καὶ πάντων τῶν ἄλλων παθῶν ἐστὶ βαρύτατον. καλῶς οὖν ὁ κύριος τὸ κατ' αὐτὸ φάρμακον δέδωκεν ἐν τῇ ὑπομονῇ ὑμῶν λέγει κτήσασθε τὰς ψυχὰς ὑμῶν.

Omnes alij affectus, aut iracundiam in anima attingunt, aut concupiscentiam, aut partem animæ rationalem, cuius generis est obliuio, aut ignorantia. At Acedia omnes animæ vires depopulans, omnes fere vnanimiter affectus commouet. Quapropter omnibus aliis quoque affectibus est grauissima. Probe itaque Christus aduersus hanc nobis præstitit pharmacum. In patientia

tieotia, inquit, vestra possidebitis animas vestras. *Maximus de Charitate Centuria prima.*

Deleta Carthagine, magno videlicet terrore Rom. Reipubl. extincto, tanta de prosperis rebus mala secuta sunt, vt corrupta concordia, prius saevis cruentisque seditionibus, deinde mox malarum connexione curatum, bellis ciuilibus tantus sanguis effusus est, vt crudeliora pateretur a ciuibus, quã ab hostibus. *August. lib. 1. de Ciuitate Dei.*

Torpor & ignauia ducunt, si lectioni continuato studio semper insistis, ut illorum caligine incurris. Si in desinenter lacrymas fundis, ipsos etiam oculos amittis. Si protelatis vigilijs psalmi rum centum persoluis, insaniam capitis acquiris. Si quotidiano labore te conficis, ad opus spirituale quando consurgis? *August. in lib. de co. flictu vitiorum & virtutum 9.*

Nemo securus esse debet in hac vita, quę tota tentatio nominatur, vt qui potuit fieri ex deteriore melior, non fiat ex meliore deterior. *August. confession. lib. 10.*

Nullus fructus otij, imo magis dispendium Oriosus Esau amisit primatus benedictionem, quia maluit cibum accipere, quam quaerere. *August. epist. ad Vercellenses.*

Nihil in sancto proposito deterius est otio, quod non solummodo non acquirit noua, sed etiam peracta consumit. Sanctae vitae tantin processu gaudet, & crescit, cessatione torpescit & deficit. Quotidianis ac recentibus virtutum incrementis instauranda mens est, & viuendi hoc iter non est transacto, sed de reliquo metiendum. *Hieron. epist. ad Demetriadem.*

Facito aliquid operis, vt semper Diabolus inueniat te occupatum. *Hieron. ad Rusticum monachum, & habetur de consecr. dist. 5. Nunquã.*

Radix desperationis est ignauia: & non solum radix, sed nutrix eius & mater. Nam sicut vestimentum & tineam generat & nutrit, ita ignauia non solum gignit ex se desperationem, sed alit & souet. *Ioan. Chrysost. lib. de lapsu.*

Per torporem vires & ingenia defluunt. *Isidorus Soliloquiorum lib. 2.*

Fugienda est otiositas, mater nugarum, nouerca virtutum. Inter saeculares nugae, nugae sunt. In ore sacerdotis blasphemiae sunt. *Bernardus de consideratione lib. 2.*

Non dormientibus prouenit regnum coelorum, nec otio & desidia torpentibus beatitudo aeternitatis repromittitur. *Leo in sermone de Apparitione.*

Experimento probatum est, acedię impugnationem non declinãdo fugiendam, sed resistendo superandam. *Ioannes Cassian. de Institut. Monachorum lib 10.*

Accedia est solitarijs magis experta, & in eremo commorantibus infestior hostis ac frequens. *Ibidem.*

Sicut in vnoquoque opere mater inuenitur constantia, ita vniuersae doctrinae & disciplinae nouerca est negligentia. *Boetius lib. de scholastica disciplina.*

Vult & non vult piger. Pigri vocabulo denotatur, qui volt regnare cum Deo, & non laborare pro Deo. Delectant praemia, cum pollicentur: deterrent certamina, cum iubentur. *Beda super Prouerb. lib. 2.*

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Male mihi esse malo, quam molliter. Si mollis es, paulatim effoeminatur animus, atque in similitudinem otij sui & pigritiae, in qua iacet, soluitur, dormio minimum, & breuissimo somno vtor, satis est mihi vigilare desijsse. Aliquando dormisse scio, aliquando suspicor. *Seneca epist. 33.*

Nullus mihi per otium dies exit. Partem noctium studijs vendico. Non vaco somno, sed succumbo, & oculos vigilia fatigatos cadentesque in opere detineo. *Seneca ad Lucil. epist. 8.*

Gloriari otio, iners ambitio est. Vitaro in vdium otium adducere solet. *Seneca ad Lucil. epist. 69.*

Generosos animos labor nutrit. *Seneca ad Lucil. epist. 30.*

Dormio minimum, & breuissimo somno vtor. Satis est mihi vigilare desijsse, aliquando non dormiuisse scio, aliquando suspicor. *Seneca ad Lucil. epist. 33.*

Demetrius vitam securam, & sine vllis fortunae incursionibus mare mortuum vocat. In otio inconcusso iacere non est tranquillitas, malitia est. Attalus Stoicus dicere solebat: Malo vt me fortuna in castris, quam in delicijs habeat. *Seneca ad Lucilium ep. 68.*

Luxurioso, frugalitas poena est: pigro supplicij loco labor est: delicatis miseria est: desidioso studere, torqueri est. *Idem epist. 27.*

Non putant desidiosi fieri, quicquid facere non possunt. Ex infirmitate sua de virtute ferunt sententiam. Eodem modo haec, ad quae omnes imbecilles sumus, dura atque intoleranda credimus, obliti quam multis torm ëtum sit vino carere aut prima luce excitari. Non illa difficilia sunt natura, sed nos fluidi & enerues sumus. *Ibidem.*

Diu delibera, cito facito. Nil curare, hoc est insanum esse. Nil posse, hoc mortuum viuere. *Idem in Prouerb.*

Quies tibi, non desidia fit. Et cum ab ijs auditur, tu saocti aliquid, honestique tractabis. *Seneca ibidem.*

Nil agere semper infelici est optimum. *Ibid.*

Pigritia est nutrix egestatis. *Ibidem libro de benefic.*

Nullum beneficium dandum est negligenti. *Seneca libro de benefic.*

Pestis est mortalibus ignauia. *Plato libro de Repub.*

Nullum ens naturale natum est otiosum. *Arist. lib. 10. de animalibus.*

Corrumpunt operantem propriae tristitiae. *Aristot. lib. 10. Ethic.*

Impossibile est negligentibus dominis, seruos esse sollicitos. *Idem libro Oeconomicorum.*

Etenim ignauia nemo immortalis factus est, neque quisquam parens liberis, vt aeterni fierent, ignauiam optauit, magis vt boni, & honeste vitam suam agerent. *Salustius in Iugurtha.*

Summam laetitiam atque lasciuiam diuturna quies comparat. *Salust. in Catilinaria.*

Non votis neq; supplicijs muliebribus auxilia deorum parantur, sed vigilando, agendo, bene consulendo omnia prospere cedũt. Vbi socordiae atque ignauiae te tradideris, nequicquam deos implorabis. *Salust. ibidem.*

Pigritia, est animi inertia vel fatigatio, qua quis bonum inchoatũ consummare fastidit. *Cic. in Tuscul. quaest.*

Vide: Desidia, Ignauia, Otium, Otiositas, Pigritia.

ACQVISITIO.

DEFINITIO. ET ETYMOLOG.

Acquisitio, emptio, res acquisita, emptione, generatione, educatione, vario labore, & iure quocumque. Hebr. *Miknah*, vel *Mikneh*, à verbo *Kanah*, idest, nactus est, adeptus est, acquisiuit generando, emendo, comparando, educando, vel quacumque alia ratione id fieri potest. Graec. κτῆσις & περιποίησις, peculium, à verbo περιποιέω, Hebraeis etiam acquisitio, *Rachusch*, dicitur à *Racasch*, quod cum alio verbo conuenit, nempe *Ragasch*. Primum verbum significat acquisiuit, collegit facultates: alterum, conuenit cum tumultu: opes enim non sine dolore, tumultu, labore multiplici congeruntur.

Acquisita res dicitur Hostiensi, vel empta, vel quouis titulo lucratiuo habita. *Iacob. Spiegel. in Iurid.*

Acquisitum id propriè dicitur, cuius dominiũ translatum est. *Idem in voce Acquirere.*

Acquirere potest homo, donec viuit. l. 2. si creditores, in fine, ff. de separat. *Idem Spieg.*

Acquiri dicitur ei, ad quem commodum pertinet, l. si extraneus, in fine, ff. de iure dot. *Idem Spieg. in voce Acquirere.*

SENTENTIAE BIBLICAE.

Colligat vnusquisque, quae sufficiunt per singulos dies. *Exod. 16.*

Non decipiat vnusquisque proximum suum. *Leuit. 19.*

Statera iusta & aequa sint pondera, iustus modius, aequusque sextarius. *Ibid.*

Quando vendes quidpiam ciui tuo, aut emes ab eo, non contristes fratrem tuum. *Ibid. 25.*

Non assumes & trãsferes terminos proximi tui, quos fixerunt priores in possessione tua. *Deut. 19.*

Non habebis in sacculo diuersa pondera, maius & minus. Nec erit in domo tua modius maior & minor. Pondus habebis iustum, & verum: & modius aequalis & verus erit tibi, vt multo viuas tempore super terram, quam Dominus Deus tuus dederit tibi: abominatur enim Dominus eum, qui facit haec, & auersatur omnem iniustitiam. *Deut. 25.*

Maledictus, qui transfert terminos proximi sui. *Deut. 27.*

Mendaces filij hominum in stateris. *Psalm. 62.*

Sic semitę omnis auari animas possidentium rapiunt. *Prou. 1.*

Statera dolosa abominatio est apud Deum: & pondus aequum voluntas eius. *Prou. 11.*

Alij diuidunt propria, & ditiores fiunt. Alij rapiunt non sua, & semper in egestate sunt. *Ibidem.*

Substantia festinata minuetur: quae autem paulatim colligitur manu, multiplicabitur. *Prou. 13.*

Qui calumniatur pauperem, vt augeat diuitias suas, dabit ipse ditiori, & egebit. *Prouer. 22.*

Qui congregat thesauros lingua mendacij, vanus & excors est & impingetur ad laqueos mortis. *Ibid. 21.*

Qui festinat ditari, non erit innocens. *Prouer. 28.*

Vir, qui festinat ditari, & alijs inuidet, ignorat quod egestas superueniet ei. *Ibidem.*

Peccatori autem dedit Deus afflictionem, & curam superfluam vt addat, & congreget, & tradat ei, qui placuit Deo. *Eccles. 2.*

Quid necesse est homini maiora se quaerere, cum ignoret, quid cõducat sibi in vita sua? *Ibid 7.*

Aestimauerunt lusum esse vitam nostram, & conuersationem vitę compositam ad lucrum, & oportere vndecumque etiam ex malo acquirere. *Sap. 15.*

Non sit porrecta manus tua ad accipiendum, & ad dandum collecta. *Eccl. 4.*

Qui

Qui aceruat ex animo suo iniuste, alijs congregat, & in bonis illius alius luxuriabitur. *Ecclesiast. 14.*

Sicut in medio compaginis lapidum palus figitur: sic & inter medium emptionis, & venditionis angustiabitur peccatis. *Eccle. 27.*

Væ qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis vsque ad terminum loci, nunquid habitatis vos soli in medio terræ? *Esa. 5.*

Væ, qui prædaris, nonne, & ipse prædaberis? *Esa. 33.*

Væ ei, qui multiplicat non sua, vsquequo aggrauat contra se densum lutum? *Abacuc 1.*

Væ, qui congregat auaritiam malam domui suæ, vt sit in excelso nidus eius, & liberari se putat de manu mali. *ibid.*

Ignis in domo impij, & mensura minor iræ plena. *Mich. 6.*

Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra. *Matth. 6.*

Quid prodest homini, si lucretur vniuersum mundum: seipsum autem perdat? *Matth. 16.*

Theophilus Iurisconf. modos acquirendi complectitur. §. fina. per quas personas nobis acquir. lib. 2. Institut. iuris ciuil. tit. 9. atque acquisitiones, aut iuris gentium esse, aut iuris ciuilis. Iurisgentium quidem esse quatuordecim: nempe donationem, hostium spolia, lapillos in litore maris inuentos, id est, pretiosas gemmas, animalium nostrorum fœtus, alluuiones, insulam in mari aut flumine natam, prædia ad alueum à flumine desertum habere, alienam materiam in eam speciem quæ in pristinam redire nequeat, mutasse, ex aliena, & sua materia speciem fecisse, duorum materias eiusdem vel diuersi generis voluntate dominorum, aut fortuito commixtas esse, ex materia aliena in solo suo ædificasse, alienā arborem in suo plantasse, consensisse in alieno fundo bona fide possesso, thesaurum in suo inuenisse.

Ciuiles autem acquisitiones dicit duplices, vel singularium rerum, & quæ per vniuersitatem: singulares, vsucapionem, ius accrescū di, legatum, fideicommissum. Per vniuersitatem, quando vna quidem res geritur, sed multa nobis sub vno acquirūtur, tales quatuor sunt acquisitiones, hæreditas, bonorū possessio, arrogatio, libertatum causa, bonorum addictio.

Quæ iuris ciuilis magistri de acquisitione tradiderūt, compendio collegit. *Petrus Gregor. in Syntagmate iuris vniuersi, par. 3. de Actionib. l. 22.*

Non solum Respublicas, sed & priuatos homines decet, dum maxime viribus florent, ea acquirere quæ illis aliquando vsui esse valeant, vt quum necessitas ingruerit, paratum quo refugiant habeant præsidium. *Xenoph. de reb. gest. Græc. l. 6.*

ACTOR, ACTIO.

DEFINITIO ET ETYMOLOGIA.

Actor, Græce πράκτης dicitur: Is est, qui aliquid agit: & actio omnis actus: vnde actionē Iurisconsulti vocant ius, quod cuique debetur in iudicio prosequendi. Propter qđ Vlpianus scribit, duo esse actionum genera, in rem, quæ dicitur vendicatio & in personam, quæ appellatur condictio. In rem actio est, per quā rem nostram, quæ ab alio possidetur, petimus. In personam actio est, qua cum eo agimus, qui obligatus est nobis ad faciendum aliquid, vel dandum.

Actio, conatus, studium, molimen, opus, Hebr. *Halila*, & num. plur. *Mahalalim*. Sed obseruandum est, quum in actionibus humanis multa occurrant inconsiderate admodum, & deprauato mentis iudicio commissa, radicem huius nominis esse *halal* verbū, quod significat, infantiliter loquutus est, insipienter cogitata protulit, conatus est aliquid infantium more. Hinc *halal*, infans. Vide Etymologicum trilingue. Lugduni editum, Anno 1607.

Differunt autem actor, & author sic, quod actor est, qui recitat: Author vero, qui facit opus. Quare scriptores poematum, & aliorum, authores dicūtur, & ita authores pacis, authores belli. Quō autem author scribatur, vide infra in dictione Authoritas.

SENTENTIAE POETICAE.

Iacob. Bill. sacra Anthol.

Non dubie nostri Deus est & rector & author,
Cum toto affectu quæ bona sunt gerimus.
Ex oculis speciæ clarebunt intima cordis,
Qui ut hominis mentem spiritus intus alit.
Sanctus enim sanctos facit. & de lumine lumen
Exoritur: nullus fit bonus absque bono.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Omnia virtus in actione consistit. *Cic. 1. Offic.*

Non paranda nobis solum, sed fruenda etiam sapientia est. *3. de Finibus.*

Non procacitate linguæ vitæ sordes eluuntur. *Cic. in Sal.*
Polyanthea Nouiss.

Non ex singulis vocibus philosophi spectandi sunt, sed ex perpetuitate atque constantia: resque spectari oportet, non verba. *5. Tusc.*

Virtus, integritas, probitas in homine: non linguæ volubilitas, non ars, non scientia requiri solet. *Pro Planco.*

Ea magna voluptas est, æqualem ac parem verbis vitam agere: atque ita viuere, vt omnis oratio moribus consonet. *Cic. in Sal.*

Misera est senectus, quæ se oratione duntaxat defendit. *Cato Maior.*

Ita viuunt quidam, vt eorum vita refellatur oratio: atq; cæteri existimantur dicere melius, quam facere, quum sit melius facere, quam dicere. *2. de Finibus.*

Sunt, qui, quum populi non solum commoda, verum etiam salutem oppugnent, & impediant, oratione assequi volunt, vt populares esse videantur. Vt C. Gracchus, quum largitiones maximas fecisset, & effudisset ærarium, verbis defendebat ærarium. *3. Tusc.*

Epicurus tantummodo induit personam Philosophi, & sibi hoc ipse nomen inscripsit: quum non multum differret à iudicio ferarum, præsertim quum omne malum dolore definiat, bonum voluptate. *5. Tusc.*

Cum Philosophorum vita miserabiliter pugnat oratio. *2. Tusc.*

Plus in negotiis gerendis res, quam verba prosunt. *4. Acad.*

Sunt facta verbis difficiliora. *Cic. ad Q. Frat.*

Est alienum viro, quod alteri præceperit, id ipsum facere non posse. *3. Offic.*

Quid verba audiam, cum facta videam? *3 Tusc.*

Qui suos casus aliter ferunt, atque vt alijs authores ipsi fuerunt, non sunt vitiosiores, quam fere plerique, qui auari auaros, gloriæ cupidos gloriosi reprehendunt. *3. Tusc.*

Noli imitari malos medicos, qui in alienis morbis profitentur, se tenere medicinæ scientiam, ipsi se curare non possunt. Sed potius quæ alijs tute præcipere soles, ea tute tibi subijce, atq; apud animum propone. *Seru. Sulp. Cic. fam. 4.*

Tu qualis es, talem esse existimes: vt quantum à rerum turpitudine abes, tantum te à verborum libertate seiunges. Deinde vt ea in alterum ne dicas, quæ quum tibi falso responsa sint, erubescas. *Pro M. Cælio.*

Vita humana ex multis actionibus consistit: at felicitas actiones absoluit. Nam omnis actio virtute aut duce fortuna fit.

Virtus consideretur in ipso vsu, fortuna in successu. *Hippoda.*

Sunt autem actiones propter se expetendæ, ex quibus sola actio petitur: ex quo sunt genere virtuti consentaneæ actiones. *Aristotel.*

Bene enim & præclare facta omnia in iis dicuntur, quæ vi sua, per se, & propter se expetuntur. *Arist.*

In omnibus actio est optima eius, qui optime ad id affectus est, qđ & omnium, quæ sensui subiecta sunt, nobilissimum. quæ eadē sic necesse est & absolutissima & suauissima. Vt autem quæq; actio plurimum habet iucunditatis, ita est perfectissima, at ea demum perfectissima est, quæ ab eo proficiscitur, qui bene affectus aptusque est ad eam rem gerendam, quæ omnium optima est earum, quæ propositæ sunt sensui. *Arist. Eth. l. 10. c. 4.*

Certe mentis & animi actio sapiens longe excellere videtur, quæ & cognitione dirigitur, & præter se nullū finem sibi proponit, & propriam habet oblectationem, quasi ipsa maxime augeatur.

Quocirca & quod satis est, & otium, & vacuitas defatigationis, quantum natura humana patitur, cæteraque omnia, quæ beato viro tribuuntur, hac ipsa actione continētur. Actiones autē multa desiderant, eoque plura & maiora, quo maiores, & clariores. *Idem 10. Ethic. c. 7.*

Quoniam non quiduis aptum ad faciendum, & patiendum naturā habet: sed ea omnia, quæ vel contraria sunt, vel habent in se cōtraria: tam id quod facit, quam quod accipit, & quasi patitur, similis sint eiusdemque generis necesse est: speciei vero dissimilis, & contrariæ. Hoc enim natura comparatum est, vt corpus à corpore, succus à succo, color à colore, & vno nomine id qđ eiusdem generis ab eo, quod est eiusdem, quid ferat. *lib. 1. de Ortu, cap. 7. T. 50.*

Agere patique & repugnantiam recipiunt, & magis ac minus. *In Categ. c. 9. de agere & pati.*

Ea vicissim, vltro citroque mouere mouerique possunt, quæ & facere possunt, & pati. *l. 1. de Ortu, c. 6. T. 45.*

Quoniam quod patitur, & quod facit, eiusdem similisque generis, dissimilis vero speciei esse debent: hæc autem cōtraria sunt: perspicuum est, tam contraria, quam ea, quæ ijs interiecta sunt, eam vim habere: vt eorum inter se quædam faciendi ferendique vicissitudo esse possit, præsertim quum in eis rerū ortus interitusque plane situs sit. *l. 1. de Ortu & Interitu. c. 7. T. 51.*

Quod simile est, nullaq; ex parte diuersum: id consentaneum est nihil à simili accipere, & quasi pati. *l. 1. de Ortu c. 7. T. 48.*

Quod patitur, id vel humidum est, vel durum, vel compositum ex his. *l. 4. Meteorolog. c. 5. T. 30.*

Pati ne vno quidem modo dicitur, sed vnum genus est patiendi, cum aliquis interitus a contrario oritur: alterum, cum salus potius, & conseruatio eius, quod vim habet, vt sit, ab eo pro-

curarur: quod & iam est in rerum natura, & ita simile est, vt vis agendi ad actionem similitudine accedit. *l.2.de Anima.c.5.T.57.*

Nihil quatenus coniunctum, & copulatum est ipsum, à se patitur. *Metaph.l.8 c.1.T.2.*

Si plane quod verum est, fatear: nec opera, quæ in docendo, & quę in discendo ponitur, nec efficientia, & perpessio idem sunt, proprie, sed id, cui hæc insunt, ipse, inquam, motus. *lib.3. de Natura, cap.3.T.22.*

Ea quidem, quæ copulata sunt, in se vicissim non agunt, quæ autem apta sunt inter sese, & se tangunt, ea quadam faciendi, & ferendi vicissitudine tenentur. *l.4.de nat.c.5.T.48.*

Neque facere, & accipere ea proprie possunt, quæ se inter se non possunt contingere: nec vero permisceri primum possunt: quæ se inter se non certo quodam genere contingant, & cohæreant. *lib.1.de Gen.c.6.T.43.*

Contemplare velut in speculo tuas actiones: vt honestas quidē magis ornes, turpes vero abscondas. *Bianti, apud Stob. ser.22.*

Ad omnes in Republ. res & actiones perficiendas tria requiruntur, imperij administratio, obedientia & victoria. Administrare imperium ad meliores pertinet: obedire ad deteriores: vincere ad ambos. Etenim rationalis animæ vis imperat; quæ ratione caret obtemperat: simul autem ambæ vincunt affectus. Nam virtus vtrisque vt decet coniunctis inolescit: & mox a voluptatibus atque mœroribus tranquillum serenumque reddit animum. *Archytas Pythag. de lege & iust.*

Natura nos ad vtrumque genuit, & cōtemplationi rerum, & actioni, *Sen. de vita beata.c.31.*

Quomodo res appetere sine vllo virtutum amore, & sine cultu ingenij, ac nudas edere operas minime probabile est (misceri.o. inter se ista, & conserri debent) sic imperfectum ac languidum bonum est, in otium proiecta virtus, nunquam id quod didicit, ostendens. Quis negat illum debere profectus suos in opere tētare? nec tantum quid faciendum sit cogitare, sed etiam aliquādo manum exercere, & ea quæ meditata sunt ad verum perducere? *ibid.c.32.*

Omnes actiones totius vitæ, honesti ac turpis respectu temperantur: ad hæc faciendi & non faciendi ratio dirigitur. Quid sit hoc dicam: vir bonus quod honeste se facturum putauerit, faciet, etiam si laboriosum erit: faciet, etiam si damnosum erit: faciet, etiam si periculosū erit. Rursus qđ turpe erit, non faciet, etiā si pecuniam, etiam si voluptatem, etiamsi potentiam. *idem, epist.76.*

SENTENTIAE HISTORICAE.

Ad prudentiam, & iustitiam potentia, & fortuna debent adiungi, vt ciuiles actiones pulchritudinem & magnitudinem adipiscantur. *Plut. in Dione.*

Actionum honestarum suum est tempus, sua ætas: & vero omnino bona à turpibus solo modo discernuntur. *idem in Agesilao.*

Dum suppetit facultas, & otium, & quandiu mentis atque corporis sanitatem concedit Deus, benefaciendum est. *Philip. Cominæus, lib.9.*

Est omnino periculosum actiones exemplis moderari, nisi eædem rationes nō in vniuersum, sed singulatim omnes concurrāt, deinde nisi eadem prudentia gubernentur, postremo, nisi præter, cætera omnia, suas fortuna partes agat.

SENTENTIAE POETARVM.

Cum quid sanctum agis, bonam spem
Tibi propone, certas quod
Conatum iustum etiam Deus adiuuat.

Menander.

Neud vitam immortalem, ò dulcis animu,
Festines, sed opus tuis viribus par aggredere.

Pindarus.

Facis vt libeat quod est necesse.

Publius.

Exerce studium, quamuis perceperis artem.
Vt cura ingenium, sic & manus adiuuat vsum.

D. Caro.lib.4.

Autor abit operis, sed tamen extat opus.

Ouid.

Duo cum idem faciunt, sæpe possis dicere,
Hoc licet impune facere huic, illi non licet:
Non quod dissimilis res sit, sed quod is qui facit.

Terent.in Adelph.

Quid est suauius quam bene res gerere, bono publico?

Plaut. in Capt.

----ratio secretam gannit in aurem,
Ne liceat facere id quod vis vitiabis agendo.

Persius.

Qui homo cum animo ab ineunte ætate depugnat suo,
Vtrum id ita ne esse maluerit, vt eum animus æquum censeat,
An ita potius, vt parentes, & cognati eum esse velint:
Si animus hominem perpulit, actum est, animo seruiuit, non sibi.
Si ipse animum perpulit, dum viuit, victor victorem cluet.
Tu si animum vicisti, potius quam animus te, est quod gaudeat.
Nimio satius est, vt opus sit te ita esse, quam vt animo lubet.
Qui animum vincunt, quam quos animus, semper probiores cluent.

Plaut. in Trinummo.

Oderunt peccare boni virtutis amore:
Tu nihil admittes in te formidine pœna.

Horat.1.epist.16.

Vtinam neque turpia agas, neque patiare,
Hoc enim virtutis certissimum est periculum.

Theognis.

HIEROGLYPHICVM.

Aloe, quod vulgo ob viriditatem semperuiuum quoque vocatur, imprimis fouetur à sole, & cum eius radiis elegantissimi flores illius circumaguntur. Ita quoque præclaræ laudabilesque actiones à sole iustitiæ, Christo Deo Optimo Maximo conseruantur, semperque durant: nec à malis, & inuidis hominibus, tanquam crassioribus nebulis, vnquam possunt obscurari vel labefactari. *In Collectaneis Hieroglyph.l.1.*

ADIVRATIO.

DEFINITIO ET ETYMOL.

Adiuratio, Græce ἐξορκισμὸς, ῦ, ὁ. nam ἐξορκίζω adiuro dicitur. Estque adiurare, per inuocationem diuini nominis, vel alterius rei sacræ obsecrando, vel imperando inclinare eas secundū se, vel in comparatione ad eas aliquid agendum vel patiendum. *secundum Rich in 4.d.37.art.3.q.2.*

Adiurare, est ordinare aliquid ad aliquid per diuina, secundum B. Th.2.2.q.90.art.1. vnde res huiusmodi artibus à Iurisconsultis dicuntur Exorcizatores.

DIVISIO.

ADIVRATIO est duplex, secundum B. Thomam 2.2. quæst.9.

- *Deprecatiua per modum deprecationis, cum scilicet non intenditur imponere necessitatem adiurato, sed tantum per sanctificationem, vel ob reuerentiam diuini nominis, vel cuiusuis rei sacræ intendimus aliquid ab alio obtinere, & est duplex s.*
  - *Licita, qua deprecando adiuramus.*
    - *Deum.*
    - *Angelum bonum.*
  - *Illicita, qua deprecando adiuramus.*
    - *Hominem tam superiorem quam inferiorem.*
    - *Dæmones.*
- *Compulsiua vel coacta, cum intendimus necessitatem imponere adiurato, & est duplex, scilicet.*
  - *Licita, quando adiuramus per virtutem Diuini nominis.*
    - *Dæmones ne nobis noceant spiritualiter vel corporaliter.*
    - *Irrationalem creaturam, in quantum regitur malo spiritu.*
  - *Illicita, cum imperando adiuramus.*
    - *Deum.*
    - *Angelum bonum.*
    - *Hominem non subditum.*
    - *Dæmones, vt doceant, auxilientur.*

BIBLICI LOCI.

Adiurare, est cum obtestatione diuini nominis aliquem ad aliud inducere. Alij sic: Adiurare, est interposito iureiurando, & Dei autoritate præcipere, vt intelligas te coram Deo consistere, & velut a Deo ipso rogari. Græcis, tamen Scriptoribus significat iureiurando aliquem adstringere. Sicut etiam à Theologis accipi consueuit, pro eo quod coniurare dicunt, id est, per Dei nomē adhibitum præcipere. Vnde & Exorcistæ in illis primis Ecclesiæ incunabulis dicti, qui miraculorum dono pollentes, inuocato Christi nomine, Diabolos eiiciebant.

Adiurare ergo primo significat iusiurandum ab aliquo exigere, vt tibi caueas, *Marc.5.7.* secundo imperare aliquid diuini nominis authoritate interposita, *Act.19.13.1. Thes.5.27.* quæ posterior significatio ex illa priore fluxit.

EXEMPLA SACRA.

Adiurationis exempla: Abraham seruum suum, *Genes.24. versic.2.* Ioseph

Ioseph Israelitas, *Gen.* 33. *v.* 3 & 50. 25 *Exo* 13. 19. Iacob Iosephū, *Gen* 47. *v.* 31. & 50 5. Iosue Achanem, *Ios* 7. *v.* 19. Achab Michęā, 1. *Reg.* 22. *v.* 16. Cayphas CHRISTVM, *Matth.* 25. *v.* 63. Dæmon CHRISTVM, *Marc.* 5. *v.* 7. Pharisæi cæcum natū, *Io.* 9. 24. Exorcistæ Iudæi Dæmoniacos, *Actor.* 19. 12. Paulus Thessalonicenses, 1. *Thess* 5. 27. Paulus Timotheum, 1. *Tim*, 5. 21.

ADIVTOR, ADIVTORIVM, ADIVVARE.

DEFINITIO ET ETYMOLOGIA.

ADiutor, *hebr.* 1. firmus, auxiliator, opitulator, præsidium, & iuuamen, suorū, Deus sæpissime nominatur, præsertim in Psalmis, 9. 10. 18. 19. 27. &c. & quidem immediate. Adiutor homini dicitur, idque Dei adiutoris beneficio, tum in Ecclesia, tum in varijs vitæ nostræ casibus, Iob. 26. 2. & 29. 12. & 31. 35. Psal. 72. 12. & 109. 12. Rom. 16. 3. 9. 21. & 2. Corint. 1. 24. & 8. 23. Philip. 2. 24. & 4. 3. Coloss. 4. 11. Philem. 1. 2. Mulier adiutorium mariti dicitur, Gen. 2. 20. Adiutor infirmitatum nostrarū Spiritus S. Rom. 8. 26. Gr. Βοηθός, Hebr. 13. 6.

SENTENTIAE PATRVM.

Homines omnes æque diligendi sunt, sed omnibus si prodesse non possis, his potissimum subueniendum est, qui pro locorum & temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus constricti, tibi quasi quadam sorte iunguntur. *Aug. de doctr. Christ lib.* 1.

Hæc lex est diuinæ prouidentiæ, vt nemo à superioribus adiuuetur ad cognoscendam gratiam Dei, qui non ad eandem puro affectu inferiores adiuuerit. *Aug. de vera relig.*

Iustum consilium est, vt qui se à potentiori vult adiuuari, adiuuet, & inferiorem, si est ipse potentior. *Aug. de serm. in monte, l.* 1.

Nihil sic probat amicum, sicut onera amici portare. *Augus. de verb. Apostol.*

Eleganter dictum est, cum quis in puteum cecidisset, & aqua eum suffocaret, accessit alius, & eo viso admirans, ait quomodo huc cecidisti? Obsecro, inquit, cogita, quomodo hinc me liberes, non quomodo huc ceciderim, quæras *Aug. in quad. epist ad Hier.*

Non facile inueniuntur in aduersitate præsidia, quæ non fuerūt in pace quæsita. *Aug. in serm.*

Necessitates aliorum, quantum possumus, iuuemus, & plus interdū quam possumus. Nihil tam secundum naturam est, quam iuuare consortem naturæ. *Ambr. de offic.*

Si non potest alteri subueniri, nisi alter lædatur, cōmodius est neutrum iuuari, quam grauari alterum. *Amb. de offic. l.* 3.

Illis fauemus sæpius, à quibus referendæ gratiæ vicem speramus. *ibidem.*

Vult Deus vnumquemque alterius angustias vt proprias sentire, & quomodo sibi in tali tribulatione, si esset, subueniri sibi cuperet, ita ipse alteri propter Deum subuenire non postponat. *Hier. in epist.*

Impudens postulatio tempore necessitatis, & angustiæ ab eo quærere auxilium, quem in prosperitate contempseris. *Hieron. super Hieremi. l.* 2.

Habens loquendi locum apud diuitem, damnationem pro retento talento timeat, si non apud eum, sicut valet, pro pauperibus intercedat. *Greg. in hom.*

Habens intellectum, curet omnino ne taceat, habens rerum affluentiam, à misericordia non torpescat, habens artem, qua regitur, vsum ipsius cum proximo partiatur, habens loquendi locum apud diuitem, pro pauperibus intercedat: talenti enim nomine cuilibet reputabitur, quod etiam minimum accepit. *Greg in quadam hom super parabolam talenti.*

Qui potest emendare, & negligit, participem se proculdubio constituit, qui alterius bonum adiuuat, suum facit. *Greg. in reg.*

Minus proximum amare conuincitur, qui non cum eo in necessitate illius ea, quæ sunt sibi necessaria, partitur. *Greg in epist.*

Adiuuare imbecillem charitatis est, adiuuare velle potentem, elationis *Greg.* 7. *mor.*

Tunc amor tuus ad teipsum temperans erit, & iustus, si quod proprijs subtrahitur voluptatibus, fratris necessitatibus non negetur: sic amor socialis efficitur, quum in commune protrahitur. *Bern. de diligendo Deo.*

Oleum pietatis & miserationis vnguentum: quāto copiosius in fraternas necessitates effunditur, tanto donis potioribus augmentatur. *Cassian. in quadam epist.*

Age sic alium, vt tuum non obliuiscaris negotium, amicis ita enim prodesse debemus, vt nobis non noceamus. *ibid.*

Quid tibi fidelissime opus sunt arma, qui habere talia probaris auxilia? ipse enim pro te pugnat, cui nullus resistit, ipse insequitur, quem nullus declinat. *Cass. sup. Ps* 55.

Gratum debet esse subsidium, cuius solutum magis soluenti crescit incommodum, quam suscipienti proficiat in augmentū, & quod dantem iuuat, & accipientem pro temporis necessitate lætificat: vt sic in vna mercatione, quod rarò solet emergere, vterq; videatur desiderata commoda percepisse. *Cass. in quadam epist.*

Polyanthea Nouiss.

Nullius ope indigere se putat, qui alteri suam negat. *Lact l.* 6.

Satis ibi vacillat humanum studium, vbi non requiritur Dei auxilium. *Aug. quodam serm.*

SENTENTIAE PHILOSOPHICAE.

Homini iucundo, & probo miserrimum est, si eum adiuuare oportet, quem non iuuat. *Senec. de benefic.*

Habet in aduersis auxilia, qui in prosperis commodat. *Se. in prouerb*

Qui succurrere perituro potest, quum non succurrit, occidit. *ibid.*

Lento adiutorio opus est contra mala continua, & fœcunda, non vt desinant, sed vt ne vincant. *Sen de ira lib* 2.

Homo in adiutorium mutuum generatus est. *Sen. l.* 2 *de ira*

Nemo non quum alteri prodest, sibi profuit; virtutum omniū pretium in ipsis est, recte fecisse facti merces est. *Senec.* 82, *epistola.*

Succurrere paupertati amicorum stude, imo potius occurrere. *Sen. in lib. de mor.*

Pœnam à quo merueris frustra petis auxilium. Ab alio expecta, alteri quod feceris. *ibid.*

Alteri viuas oportet, si tibi vis viuere. *Sen epist. lib* 43.

Fructus ingenij, & virtutis omnisque præstantiæ tunc maximus capitur, cum in proximum quemque confertur. *Cic. de amic.*

Homines hominū causa generati sunt, vt ipsi inter se alij alijs prodesse possint. *idem* 1. *offic*

Vide, Amicitia, Auxilium, Beneficium, Officium.

ADMIRATIO.

DEFINITIO ET ETYMOL.

ADmiratio ab admiror, quod Græce θαυμάζω, & est timor ex magna imaginatione *secundum Ioannem Damascenum li.* 2. *c.* 15. Hebr. *Timmahon.* à verbo *Tamah.* i. miratus est cum stupore. Inde Græce voces.

POETICAE SENTENTIAE.

Ab admiratione, doloris, cupiditatis, metus & lætitię impetus, quibus cruciantur homines, nasci putat *Horatius lib.* 1. *epist.* 1. Et ratiocinatur homines his non affici, si res, quæ admirationem inducunt, contemnerent; cæterisque animi liberioris tortoribus vacui essent. Versus hi sunt.

Nil admirari, prope res est una Numici,
Solaque quæ possit facere, & seruare beatum.
Hunc Solem, & Stellas. & decedentia certis
Tempora momentis, sunt qui formidine nulla
Imbuti spectent. quid censes munera terræ,
Quid maris extremos Arabas ditantis, & Indos?
Ludicra quid? plausus & amici dona Quiritis?
Quo spectanda modo, quo sensu credis. & ore?
Qui timet his aduersa, fere miratur eodem
Quo cupiens, pacto pauor est vtrobique molestus,
Improuisa simul species exterret vtrumque.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Μάλα φιλοσόφου, τοῦτο τὸ πάθος, τὸ θαυμάζειν, οὐ γὰρ ἄλλη ἀρχὴ φιλοσοφίας, ἢ αὕτη, id est, Maxime videtur esse Philosophi hic affectus, nempe admirari. Nō enim aliud Philosophiæ principiū est, quam idipsum.

Ex tribus, quæ ad gloriam pertinent, hoc tertium est, vt cum admiratione hominum honore ab ijs digni iudicemur. Admirantur enim communiter illi quidem omnia, quæ magna, & præter opinionem suam animaduerterunt. Itaque eos viros suscipiunt, maximisque efferunt laudibus, in quibus existimant se excellentes quasdam, & singulares virtutes perspicere. *Cic.* 2. *offic.*

Admiratione autem afficiuntur ij, qui anteire cęteros virtute putantur, & cum omni carere dedecore, tum vero ijs vitijs, quibus alij non possunt obsistere. Nam & voluptates, blandissimæ dominę, sæpe maiores partes animæ a virtute detorquent. *idem.*

Vita, mors, diuitiæ, paupertas omnes homines vehemētissime permouent. Quæ qui magno excelsoq; despiciunt animo? tum quis non admiretur splendorem, pulchritudinemq; virtutis? *idem.*

Maxime iustitia admirabilitatem ingenerat, ex qua vna viri boni nuncupantur, mirifica autem quædam res multitudini videtur: nec iniuria. Nemo enim iustus esse potest, qui mortem, qui dolorem, qui exilium, qui egestatem timet *idem.*

Maximeq; admirantur eum, qui pecunia nō mouetur: quod in quo viro perspectum sit, hunc dignum spectatu arbitrantur. *idem.*

Irritamentorum est omnium in quæ insanimus, admirator, & cōscius. Ne concupiscamus efficies, si ne ostendamus effeceris. Ambitio, & luxuria, & impotentia scænam desiderant. Sanabis ista, si absconderis. *Sen epist.* 94.

Nihil adeo magnum, neq; tam mirabile quicquam,
Quod non paulatim minuant mirarier omnes. Luc. lib. 2.
Si quid mirabere, pones inuitus. Horat. 1. epist. 11.

EXEMPLA SACRA.

Admirationis exēpla: Isaac, *Gen.* 27. 20. Iacob. 45. 26. Gedeon, *Iud* 6. 22. Regina Saba, 2. *Reg.* 10. 4. 2. *Paralipo.* 9. 3. Nabuchodonosor,

Daniel.3.91. Turbæ, *Matth.9.33.* & 12.23. CHRISTI auditores, 13.54. Plebs, 15.31. Discipuli, 19.33. *Luc.11.14. Ioan.7.21.* Plebs promiscua, *Marc.11.18.* Multitudo, *Marc.1.22.* & 7.37. & 9.15. *Actor.2.7.* Populus, *Luca 1.21. Act.3.11.* CHRISTI auditores, *Matth.13.54. Marc 6.2. Luc.2.47.* & 4.22. CHRISTI discipuli, *Matth.19.25.* & 21.20. *Marc.6.51* & 10.32. *Luc.8.25.* & 9.43. Ierosolymitani, *Matth.21.10.* Pharisæorum discipuli, & Herodiani, *Matth.22.22. Marc.12.17. Luc.20.26.* Pharisæi quidam, *Marc.2.12. Luc.5.26* Scribæ & Pharisæi, *Luc.5.26.* Capernaitæ, *Marc.1.27. Luc.4.32.* Decapolitani, *Marc.5.20.* Puellæ a mortuis excitatæ parentes. *Marc.5.42. Luc.8.56.* CHRISTVS. *Marc.6.6. Luc.7.9.* Galilæi. *Marc.7.37.* Pilatus, *Marc.15.v.5.44.* Cognati Zachariæ, *Luc.1.21.63.* Ioseph, & Maria, *Luc.2.v.33.47.* Petrus & eius condiscipuli, *Luc.5.9* Pilatus, & Pharisæi, *Luc.20.26.* Iudæi, *Ioan.7.15. Act.9.21.* Principes, & Seniores populi, *Act.4.13.* Moses, *Act.7.31.* Simon Magus 8.v13. Paulus, 9.5. *Galat.1.6.* Pauli comites, *Act.9.7.* Circumcisi fideles, 10.45. Qui conuenerant apud matrem Ioannis orationis causa, 12.16. Sergius Proconsul, 13.12. Fidelium inimici, *1.Pet.4.4.* Omnes incolæ terræ, *Ioan.17.v.6. Apoc.13.3.*

Vide Stuporis Exempla.

ADMONITIO.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Admonitionum genera.

Admonitionum duo sunt genera, alterum acriter obiurgans, alterum leuiter curans, argumenta mihi videntur probi principis. Imperandi modum singulorum motibus accommodato decenter, cum probis moderate, cum supinis vehementius, cum audacibus acerbe, cum cautioribus denique leuiter agens. *Ex Sopatri Epist.*

SENTENTIAE POETICAE.

Ex Comicis Græcis.

Ὁ σκληρότατος πρὸς υἱὸν τῷ ῥήματι.
Τοῖς μὲν λόγοις πικρός ἐστι, τοῖς δ' ἔργοις πατήρ.
Valde in monendo si quis asper filio,
Verbis acerbus est quidem, sed re pater.
Ἅπαντές ἐσμεν εἰς τὸ νουθετεῖν σοφοί,
Αὐτοὶ δ' ἁμαρτάνοντες οὐ γινώσκομεν.
Alios monere, si quid errent, nouimus,
Errata at ipsi nostra non cognoscimus.
Ἄνθρωπον ὄντα ῥᾴδιον παραινέσαι,
Ἐστὶν ποιῆσαι δ' αὐτὸν οὐχὶ ῥᾴδιον.
Alium quidem monere homo facile potest,
Sed ipse non facile itidem illud fecerit.

Horat. lib. 1. Epist.

Feruet auaritia, miseraque cupidine pectus?
Sunt verba & voces, quibus hunc lenire dolorem
Possis, & magnam morbi depellere partem.
Laudis amore tumes? sunt certa piacula, quæ te
Ter pure lecto poterunt recreare libello.
Inuidus, iracundus, iners, vino, ius, amator?
Nemo adeo ferus est, qui non mitescere possit,
Si modo culturæ patienter commodet aurem.

Terentius in Andria, *facile omnes, cum valemus, recta consilia ægrotis damus.*

Ouidius.

Impatiens animus, nec adhuc tractabilis arte,
Respuit, atque odio verba monentis habet.

APOPHTEGMATA.

Thales, rogatus, quid esset facile? Alterum, ait, admonere. Omnes enim, cum valemus, recta consilia ægrotis damus. P.M. *lib 7. apoph. ex Laert. 5.*

Zeno Citiensis, quodam in conuiuio immoderatius vorante obsonia, neque quicquam alijs reliquum faciente, piscem ingentem, qui apponebatur, e patina sustulit, quasi solus illũ deuoraturus. Quum alter intuens Zenonem, significaret se mirari impudentiam; Quid, inquit, putas conuictoribus tuis accidere quotidie, si meam opsophagiam ferre non potes? *Laert. lib. 7. c. 1.*

Idem. Quidam in conuiuio accumbens Zenoni, eũ, qui sub ipso sedebat, pulsabat pede. Zeno autem vicissim pulsabat illius genua, & ad ipsum conuersus: Quid (inquit) putas, hunc pati qui infra te accumbit? Ita multi offenduntur, quamuis leui incommodo, quum alios ipsi maioribus afficiant, nec sentiant. *Laert l. 7. c. 1.*

Diogenes. quidam in publico gestans longam trabem, per imprudẽtiam percusserat Diogenem, moxq ex more dixit, Caue. At Diogenes. Num, inquit, me vis iterum percutere? Alij sic narrãt: Dicenti caue, baculum impegit in caput: & post ictum adiecit, Caue: par pari referens: nam ante læsionem dicendum erat caue. *Laert. l. 6.*

Leo Byzantius, quum Philippus adornaret bellum aduersus Byzantios, Leo adijt illum, percontans hunc in modum: Quid, inquit, accidit tibi, Philippe, vt bellum instituas? Vt, inquit, tua patria, ciuitatum pulcherrima, huc adducatur, vt intelligat se a me diligi, eoque ad fores amasiorum meorum venio. Ad hæc Leo: At qui redamari cupiunt, haudquaquam eum gladijs venire solent ad fores amasiorum. Amatores enim non egent bellicis instrumẽtis, sed ciuilibus. Hoc dicto in diuersum flexo Regis animo, patriam suam liberauit. *Philostr.*

SIMILITVDINES.

Vt equis non in ipso cursu frænum inijcimus, sed ante cursum: sic qui propensi sunt ad iram aut libidinẽ, ante rationibus ac monitis refrænandi sunt, priusquam in periculum ventum sit. *Plut.*

Nutrices pueros lapsos non obiurgant aut puniunt, sed accurrentes erigunt, deinde obiurgant: sic amicus, cum affligitur, adiuuãdus est, & erigendus, postea monendus, & obiurgãdus, quod suo vitio in eam calamitatem inciderit. *Plut.*

Qui dentibus laborãt protinus medicum adeunt, malum exponũt: qui febre tenẽtur, accersunt: at phreneticus nec accersit, nec admittit, ob morbi vehementiam. Ita qui vitia sua celant, nec admonentem patiuntur, de his nulla salutis spes. *Plut.*

Oculo lippienti non est admouendum lumen: Nec animus affectu laborans admittit grauem admonitionem, sed admittenda laus est, ac sic medendum. *Plut.*

Quemadmodum Telephus, quoniam carebat amico, coactus est ab hoste petere remedium ad medelam vulneris: ita qui non habẽt liberos animos, à quibus admoneantur, sæpenumero ab inimicis audiunt sua vitia. *Plut.*

Remedia statim mordent vel offendunt, postea conferunt salutem & voluptatem: Ita salubria monita initio sunt nonnihil amara, postea correcta iucundissima. *Plut.*

Vt pituita paulatim collecta tum maximè apparet ac vincit, cum natura vincitur: Sic quidam amici potentes admonere non audent, nisi labantur: sed simulatq; commutata fortunæ aura sunt humiles facti, tum obiurgant. *Plut.*

Sanus ferr, si exprobres intemperantiam, libidinem, luxum: eadem non ferret ægrotans: Sic admonendus amicus, cũ desierit irasci aut amare. *Plut.*

Ictum quem præuideris, commodius excipis: sic præcogitatum malum minus offendit. *Senec.*

Medici vetant admoueri remedia, cum morbus in accessu est, ac sæuit, sed nõ cum se remittit: Ita ad primos illos iræ aut doloris motus non est adhibenda consolatio, vel admonitio, sed vbi tẽpore cœperint esse leuiores. *Senec.*

Elleborum, tametsi efficax, Medici vetant dari senibus, aut pueris, aut exilibus: Ita admonitio sic est temperanda, vt ferre is possit, quem velis emendare: nec solum spectandum est vitium, sed natura quoque eius, cuius vitio studeas mederi. *Plin. lib. 5. c. 25.*

Herbæ salutares consuetudine perdunt medendi vim: Ita admonitio, si assidua sit, non emendat assuetum iam obiurgationibus. *Plin.*

In Narniensi agro terra imbre fit siccior, æstu humescit, vnde Cicero iocatur illic ex imbre puluerem, ex siccitate fieri lutum: Ita quosdam admonitio reddit deteriores. *P. in lib. 31 c. 4.*

Quædam gemmæ aceto maceratæ imm itescunt, pleræq; melle decoctæ: Ita quosdam meliores reddit acris obiurgatio, quosdam admonitio blandior. *Plin.*

Imperatores instructa acie solent, quanquam paratissimos ad prælandum milites videant, eos tamen cohortari: ita iuuenes erecti ad laudem ad literas sunt adhortandi. *Cicero Philippic. 4.*

Caprifici ficus nunquam maturescit, sed tamen gignit vermiculos, qui deuolantes ad veram ficum, perfosso ficorum cortice, maturitatem illis tribuant: ita sunt, qui ipsi nihil queant egregium facere, sed tamen aliquo pacto stimulant alios, vt id faciant. *Plut.*

ADOLESCENTIA.

DEFINITIO, ET ETYMOLOGIA.

ADolescentia, Græce *νεότης*, & *νεανίας*, ὁ, adolescens dicitur, & secundum Ciceronem in Topicis, flos ætatis: vel, vt alij volunt, extrema pueritia, dicta ab adoleo, quod modo significat accresco, quia crescentes pueri, cum primum puberes fiunt, olere hircum incipiunt: propter quod hirquituli sunt appellati: hinc adolesco, vnde adolescẽs, cuius diminutiuum est adolescẽtulus, & adolescentia, cuius prima ætas ephebia dicitur. Vnde ephebus, qui in prima est adolescentia. Teren. in Andria: Nam is postquam excessit ex ephebis Sosia. Ephebus dicitur, quod iam sit in pube, quæ Græce ἄβη dicitur, vnde & ἔφηβος, qui iam ad pubertatis annos peruenit.

SENTENTIAE BIBLICAE.

Tria sunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro, viam aquilæ in cœlo,

cœlo, viam colubri supra petram, viam nauis in medio mari, & viam viri in adolescentia. *Prou.30.*

Lætare ergo iuuenis in adolescentia tua, & in bono sit cor tuum in diebus iuuentutis tuæ, & ambula in vijs cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum, & scito, quod pro omnibus his adducet te Deus in iudicium: Aufer ergo iram à corde tuo, & amoue vitiositatem à carne tua. Adolescentia enim, & iuuẽtus vana sunt, *Eccles.11.*

Adolescens loquere in tua causa vix cum necesse fuerit. *Eccl. 32.*

In medio magnatorum loqui non præsumas, & vbi sunt senes, nõ multum loquaris. *ibid.*

Adolescentes subditi estote senioribus. *1.Pet.5.*

Adolescentum erga seniores officium, *1.Pet.5.5.* ad mundi contemptum excitantur, *Ioan.2.5.15.* Adolescentularum & adolescentum officium, *Tit. 2. 4. 5. 6.* Adolescentulæ quales esse debeant, *vers.4.5.*

Sententiae Patrum.

Sicut ignis in lignis viridibus suffocatur: ita sapientia in adolescentia tentationibus, & libidine impedita non explicat suum fulgorem, nisi labore & studio, & oratione incentiua iuuentutis intra repellantur. *Hieron. ad Nepotian.*

Vicina est lapsibus adolescentia. Quia variarum æstus cupiditatum feruore calentis inflammatur ætatis. *Ambrosius de Viduis, libro 1.*

Honor adolescentium est timorem Dei habere, parentibus deferre, honorem habere senioribus, castitatem tueri, humilitatem non aspernari, diligere clementiam & verecundiam, quæ ornamenta sunt iuuenili ætati. In senibus grauitas, in iuuenibus alacritas, in adolescentibus verecundia commendatur. *Ambrosius li. 1. de Offic.*

Verecundia cum sit omnibus ætatibus, personis, temporibus, & locis apta, tamen adolescentes iuueniles que annos maxime decet. Vt artifex in materia commodiore melius operari solet, sic verecundia in ipso quoq; corporis decore plus eminet. Ita tamen, vt etiam ipse non sit affectatus decor corporis, sed naturalis, simplex, neglectus magis, quam ornatus, vel cultus, vel expetitus. *Ambr. lib.1. de Officijs.*

Iuuenes plerunque seueritas admonitionis ad profectum dirigit. Senes vero ad meliora opera deprecatio blanda componit. *Gregorius in Pastorali.*

Pueri ad sacros ordines nullatenus admittantur, ne tanto periculosius cadant, quãto citius conseẽdere ad altiora festinant. *Greg. Columbo Episcopo, & habetur q.1. Pueri.*

Quid amabilius verecundo adolescente? *Bernard. super Cantic. serm.86.*

Quam pulchra & quam splendida gemma morum est verecundia in vita, & vultu adolescentis, quam vera, & minime dubia bonæ spei nuntia, bonæ indolis index? virga disciplinæ, expugnatrix malorum, propugnatrix puritatis innatæ, specialis gloria conscientiæ, famæ custos, vitæ decus, virtutis sedes, virtutum primitiæ, naturæ laus, & insigne totius honesti. *ibidem.*

Adolescentulum verbosum, & eloquentiæ studentem, cum sit sapiẽtiæ inanis, non aliud quam hostem iustitiæ reputa. *Bernardus ad Eugenium.*

Multos videmus iuniorum super senes intendere moribus [illegible], antiquorum tempora præuenire meritis, & quod deest ætati, virtutibus compensare. Quia iuxta Apostolum: Nemo contẽnat adolescentiam bonæ indolis, senectus venerabilis non est numero annorum, sed magis merito morum computata. *Bernard. ad Theobaldum militem.*

Adolescentibus in ludo literarum positis non tam placent solida, quam picta: quare potius pulchra, quam vtilia sectantur. Nec tã agentia diligunt, quam sonantia: magis gaudent foliorum amœnitate conspergi, quam fructuum vbertate nutriri. *Ioannes Chrysost. in prologo super Matth.*

Indigne transacta adolescentia odiosam efficit senectutem: Et honeste acta superior ætas, fructus capit authoritatis. Quid enim senectus surripere valet, in quo iuuentus reprehẽsibilis non fuit? *Cassiodor. in Epistolis.*

In illa ætate, quando crines flauescunt, caro nitescit eburnea, oculorum gemmis facies rosea decoratur, valetudo corpori subministrat, & ætas iuuenilis lõgioris vitæ spatium repromittit. Quãdo viget ratio, vigent etiam corporis sensus, visus acutior, auditus promptior, incessus rectior, vultus iucũdior. Qui in hac ætate se domant, & Deo se sociant, præmium Ioannis Baptistæ expectant. Tales enim offerunt hostiam viuentem, Deo placentem, & immaculatam, non aure, non pede, non lingua carentem. Audiat hoc secum sera cõuersio: quibus ex defectu senectutis aures obturantur, oculi turbantur, vt breuiter cuncta perstringam, ipsi in se per se deficiunt. Hi non offerunt agnum immaculatum, sed (vt ita dicam) porcum cruentatum. Sicut enim porcus in immunditijs, sic senex iacuit in vitijs. Et sicut porcus siliquis pascitur, sic senes fabulis, & rumoribus delectantur. *Hugo. in libro de claustro animæ.*

Polyanthea Nouiss.

Sicut in senibus sobrietas, & morũ perfectio requiritur, ita in adolescentibus obsequium, & subiectio, & obedientia rite debetur. *Cypr. de 12. abusionibus.*

Sicut fructus non inuenitur in arbore, in qua flos prius non apparuit, sic in senectute honorem legitimum consequi non potest, qui in adolescentia disciplinæ alicuius exercitatione non laborarit. Disciplina igitur absque obedientia qualiter fieri poterit? Adolescens ergo sine obedientia, adolescens sine disciplina est. *Cyprianus ibid.*

Plato de anima disserens, ex hoc, ait, posse cognosci, animas esse immortales atque diuinas, quod in pueris mobilia sunt ingenia, & ad percipiendum facilia, quod ea, quæ discant, ita celeriter capiant, vt non tunc primum discere videantur illa, sed recognoscere atq; reminisci. In quo vir sapiens poetis ineptissime credidit. *Lactantius Firmian. diuin. instit. lib.7.*

Poeticae Sententiae.

Plaut. Asin.

Adolescentem verecundum esse decet.

Virg.3.Georg.

Tu quos ad studium, atque vsum formabis agrestem
Iam vitulos hortare, viamque insiste domandi,
Dum faciles animi iuuenum, dum mobilis ætas.

Virg. Ceiri.

Sed quoniam ad tantas non primum nascimur artes,
Nunc primum teneros firmamus robore neruos.

Hor.3.Carm.24.

. . . Et tenera nimis
Mentes asperioribus
Formandæ studijs.

Idem.1.Epist.18.

Inter cuncta leges, & percunctabere doctos
Qua ratione queas traducere leniter æuum.

Idem 1.Epist.2.

Fingit equum tenera docilem ceruice magister
Ire viam, qua monstrat eques: venaticus ex quo
Tempore ceruinam pellem latrauit in aula
Militat in syluis catulus. nunc adbibe puro
Pectore verba puer, nunc te melioribus offer.
Quo semel est imbuta recens seruabit odorem
Testa diu. . . .

Iuuenal.14.

Gratum est, quod patriæ ciuem, populoq; dedisti,
Si facis, vt patriæ sit idoneus, vtilis agris,
Vtilis & bellorum, & pacis rebus agendis.
Plurimum enim intererit, quibus artibus, & quibus hunc tu
Moribus instituas. serpente ciconia pullos
Nutrit, & inuenta per deuia rura lacerta:
Illi eadem sumptis quærunt animalia pennis,
Vultur iumento, & canibus, crucibusque relictis
Ad fœtus properat, partemque cadaueris affert.
Hic est ergo cibus magni [illegible] vulturis, & se
Pascentis, propria [illegible] facit arbore nidos,
Sed leporem, aut capream famulæ Iouis, & generosæ
In saltu venantur aues: hinc præda cubili
Ponitur: inde autem cum se matura leuabit
Progenies stimulante fame, festinat ad illam,
Quam primum prædam rupto gustauerit ouo.

Sen. Oct.

Regenda magis est feruida adolescentia.

Terent. Adelph.

. . . Quæ fert adolescentia,
Ea ne me celet, consuefeci filium.
Nam qui mentiri, aut fallere insueuerit patrem, aut
Audebit, tanto magis audebit cæteros.

Plautus in Bacchid.

Iuuenili ætati non conducit mulier, nec latebrosus locus.

Ibidem.

Isthoc illecebrosius fieri nihil potest, nox, mulier, vinum, homini adolescentulo.

Horat. in arte Poetica.

Imberbis iuuenis, tandem custode remoto,
Gaudet equis, canibusque, & aprici gramine campi,
Cereus in vitium flecti, monitoribus asper,
Vtilium tardus prouisor, prodigus æris:
Sublimis, cupidusque, & amata relinquere pernix.

Horat. in Epodo, Ode penult.

Fugit iuuentus, & verecundus color,
Reliquit ossa pelle amicta lurida.

Ouid.Epiſt.Phædræ ad Hippol.

Sint procul à nobis iuuenes, vt fœmina, compti,
Fine coli modico forma virilis amat.

Iuuenal.Satyr.13.

Credebant hoc grande nephas, & morte piandum,
Si iuuenis vetulo non aſſurrexerat, & ſi
Barbato cuicunque puer. ſi. &c.

Iuuenal.Satyr.14.

Nam quiſquis magni cenſus præcepit amorem,
Et læuo monitu pueros producit auaros:
Et qui per fraudem patrimonia conduplicari,
Dat libertatem, & totas effundit habenas
Curriculo: quem ſi reuoces, conſiſtere neſcit,
Et te contempto rapitur, metiſque relictis.

Idem.

Quem dicis iuuenem ſtultum, qui diues amico,
Qui pauperi tatem leuet, attollat propinqui
Et ſpoliare doces, & circumſcribere, & omni
Crimine diuitias acquirere, quarum amor in te eſt.

Idem Satyr.14.

Plurima ſunt, Fuſcine, & Fama digna ſiniſtra,
Et nitidis maculam, ac rugam figentia rebus,
Quæ monſtrant ipſi pueris, traduntque parentes.
Si damnoſa ſenem iuuat alea, ludit & hæres
Bullatus, paruoque eadem mouet arma fritillo.

Seneca Tragœd.2.

Peiora iuuenes facile præcepta audiunt.

Idem Tragœd.9.

Teneris in annis haud facile clara eſt fides.

Homer. in Γ Iliad.

Αἰεὶ δ' ὁπλοτέρων ἀνδρῶν φρένες ἠερέθονται.

Id eſt.

Semper autem iuniorum virorum mentes pendent.

Homer. Ψ. Iliad.

Οἶσθ' οἷαι νέου ἀνδρὸς ὑπερβασίαι τελέθουσι.
Κραιπνότερος μὲν γάρ τε νόος, λεπτὴ δέ τε μῆτις.

Id eſt.

Scis quales iuuenis viri operationes ſunt.
Velox quidem mens, ſed tenue conſilium.

Idem. η. Odiſſ.

Αἰεὶ γάρ τε νεώτεροι ἀφραδέουσιν.

Id eſt.

Semper enim iuniores inſipiunt.

Comici Græci.

Μέμνησο νέος ὢν ὡς γέρων ἔσῃ ποτέ.
Annis iuuenta ſis memor ſenilium.
Ἀκμὴ τὸ σύνολον ἄνθος ἔοικε διαφέρειν.
Iuuenilis ætas floribus ſimillima.
Νέος πονήσας πολλὰ χρηστὰ μανθάνει.
Annis iuuenta multa diſcito bona.
Νέῳ δὲ σιγᾶν μᾶλλον ἢ λαλεῖν πρέπει.
Tacere iuueni non quam loqui magis decet.
Ὀχληρὸς ἐστιν ἐν νέοις γέρων.
Iuuenum odioſus vir ſenex eſt verbis.
Νέος ὢν ἀκούειν τῶν γεραιτέρων θέλε.
Qui iuuenis es, libenter audias ſenes.

Vel.

Qui iuuenis es, ſis audiens dicto ſenum.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Certe illud expertus ſum, tenaciorem fore eorum memoriam, quę prima ætate diſcuntur. *Plato in Timæo.*

Nihil differt ætate puer, & moribus puerilis. *Ariſtoteles lib. 1. Ethicorum.*

Iuuenes non poſſunt eſſe prudentes, quia prudentia requirit experientiam, quæ indiget tempore: & multitudo temporis facit experientiam. *Ariſt.lib.6.Ethic.*

Iuuenes non ſunt maligni moris, ſed facilis moris, propterea quod nondum viderunt nequitias. *Ariſt.Rhet.lib.2.*

Iuuenes maxime ab ebrietate cuſtodire oportet. *Ariſtot. lib. 7. Politicorum.*

Pueros impuberes non in forum, ſed in agrum duci Lycurgus iuſſit, vt primos annos non in luxuria, ſed in omni opere, & labore agerent. Nihil eos cauſa ſomni ſubſternere, & vitam ſine pulmẽto agere. Neq; prius in vrbem redire, quam viri facti eſſent, ſtatuit. *Laert.Diogen.de vita & moribus Philoſophorum.*

Pueros impuberes compertum eſt, ſi plurimo cibo, nimioque vino vtantur, hebetiores fieri: atque hinc elici tarditatem, improceraque fieri corpora eorum, minuſque adoleſcere. *Aulus Gell. noct. Attic.lib.14.c.19.*

Magnum expecta gaudium, quum puerilem animum depoſueris, & te in virum Philoſophiæ deſcripſeris. Adhuc enim non pueritia, ſed qđ grauius eſt, puerilitas remanet. Et hoc quidẽ peius eſt, quod authoritatem habemus ſenum: vitia vero puerorum, nec puerorum tantum, ſed infantium. *Senec. Epiſt.16.*

Facile enim tenera conciliantur ingenia ad honeſti rectique amorem. *Idem Epiſt.90.*

Eſt enim adoleſcentis, maiores natu vereri, ex his eligere optimos & probatiſſimos, quorum conſilio & authoritate nitatur. *Cic. lib.1 de offic.*

Maxime hæc ætas à libidinibus eſt tollenda, in labore & patientia animi & corporis exercenda, vt in bellicis & ciuilibus officiis eorum vigeat induſtria. Caueant intemperantiam, meminerint verecundiæ: quod erit facilius, ſi huiuſmodi rebus maiores natu velint intereſſe. *ibid.*

Temeritas eſt videlicet florentis ætatis, prudentia ſenectutis. *Cic. lib.de ſenect.*

Libidinoſa intemperanſque adoleſcentia effœtum corpus tradit ſenectuti. *ibid.*

Qui adoleſcentium peccatis ignoſci putant oportere, falluntur, propterea quod ætas illa non eſt impedimento bonis ſtudiis. At hi ſapienter faciunt, qui adoleſcentes maxime caſtigant, vt quibus virtutibus omnẽ vitam tueri poſſint, eas in ætate maturiſſima velint comparare. *Cic.in Rhetor.*

Sic vitam adoleſcentibus vis aufert, ſenibus maturitas. *idem de Senectute.*

Adoleſcentis officium ſit, maiores natu vereri, atque ex his probatiſſimos eligere, quorum conſilio vtatur. *Cic.in Rhetor.*

Detur aliquis ludus ætati, ſit adoleſcentia liberior, non omnia voluptatibus denegentur: non ſemper ſuperet vera illa, & directa ratio: vincat aliquando cupiditas voluptaſque rationem, dummodo illa in hoc genere præſcriptio moderatioque teneatur. *Cic. pro M.Cal.*

Detur iuuentuti aliquid temporis ad ludum ætatis, atque ad inanes haſce adoleſcentiæ cupiditates; reuocet ſe aliquando ad curam rei domeſticæ, rei forenſis, Reip. vt ea, quæ ratione antea non perſpexerat, ſatietate abiecisſe, experiendo contempſiſſe videatur.

Adoleſcentes cito amicitiam inſtituunt, & cito dirimunt: adoleſcẽtum enim amicitia voluptatis cauſa omnis conſtituta videtur eſſe. Eorum enim cũ omnis in libidine, & perturbatione vita conſumitur: tum ex quo capiant voluptatem, eamq; in præſens, id omne vel ſtudioſiſſime proſequuntur. Et quia mutata ætate alia ſequuntur, quæ delectent, idcirco repente & amici ſunt, & ab amore deſiſtunt. Nam eorum amor ſæpe vna cum voluptate deponitur, cuius cita eſt & repentina mutatio. Atque etiam adoleſcentes ad fœdum amorem propenſi ſunt: magna enim pars fœdi amoris in perturbatione, & voluptate ponitur. Itaque cito diligunt, & ab amore deſiſtunt: ſæpe eodem die mutata ſententia. Hi vna verſari totos dies cupiunt, & vitæ ſocietate coniungi, quod illo modo eis adſint omnia, quæ ad amicitiam pertinent. *Ariſt.Eth.lib.8.c.3.*

SIMILITVDINES.

Vinum, quod in dolio placuit, non fert ætatem: quod recens durũ eſt & aſperum, poſtea placet: ſic adoleſcẽtia durior matureſcit, & ad frugem peruenit. *Seneca.*

Poſt hyemem denuo recurrit ver: At poſt ſenectam nulla recurrit iuuenta. *P.M.*

Nouella vitis copioſius gignit vinum: ſed vetuſtior melius: ita plura loquuntur iuuenes, ſed vtiliora ſenes. *idem.*

Perſica ob idipſum pluris vendebant, quod non durarent, niſi in triduum: ita auidius rapiendum, quod cito præteruolat, vt iuuenta. *idem.*

Vt gypſum aut argilla, dum eſt vda, in quãuis imaginem facile ſequitur fingentis manum: ita rudes animi ad omnem diſciplinam ſunt idonei. *idem.*

Vt ager, ſi non colatur, non ſolum infrugiferus manet, verum etiã multa ſylueſtria producit: ita adoleſcẽs rationis capax, niſi preceptis honeſtis exerceatur, non ſolum non euadet bonus, ſed ad multa vitia deflectetur.

FABVLA.

Pater & Filius literatus.

Reuerſo domum poſt vnum annum filio, qui ſtudiorum bonorum atque artium diſcendarum gratia abfuiſſet: Quid, inquit, pater, mi fili, de tanta pecunia factum eſt, quantam tibi miſi? Quanta? inquit adoleſcens, non enim memini. Ter, inquit ſenex, hoc anno à me tibi curata pecũnia eſt, bis vno & altero mercatu, ſemel inter hos. Atque priore quidem mercatu dedi noſtro vicino aureos ſexaginta, quos tibi renumeraret, altero totidem, poſtea tabellarius huc nuper miſſus ſexaginta, & ipſe attuliſſe tibi dẽr, tot enim tum petieras. Ita factũ eſt, inquit adoleſcens, ſed hoc nihil eſt. Nihilne hoc eſt? inquit ſenex, an nihil videtur, ſumma au-

reum centum octogiota? Pro debitis quidem nihil est, inquit filius, quæ reliqui foris. Nam tua, mi pater, meis verbis obligata fides est in centum alios, & insuper quadraginta. Hęc, inquit pater, iam summa fuerit, aureum, vt opinor, trecentorum & viginti. Fuerit sane, inquit filius, sed tu cogita, mi pater, multis mihi apud externos rebus opus fuisse, quid enim, quod vno asse venire solet, gratis datum? At cibo, potu, habitatione cômoda, cubili, vestibus, libris, charta, calamis, atramento, carere certe tua quidem etiam voluntate non debui. At magna, inquit iam iratior pater, ista summa est, quanti igitur illis cibus datus? quanti habitasti? quanto conducti lectuli fuere? & cætera quâta pecunia sût parata? Referam, inquit filius, rationes, si postulas. Ita enim fieri, inquit senex, oportet. Inchoemus igitur à minimis, inquit filius. At pone pro atramento & calamis aureolos decem. Hoc audito: satis, inquit senex, superque est rationum: nam ad hæc, si, vt alia omittam, chartę modo ęstimatio ponenda sit, iam vltra illos trecentos xx. ego tibi amplius debiturus sim.

Fabula indicat, adolescentiæ leuitatem stolidam, & profusionem esse propriam, præsertim in liberiore vita. Etiam impudentiam notat quorundam, non solum in rationibus, sed quibuscunq rebus temere referendis. Memoratur similis eodem sensu de coco, qui à condimentis inchoata relatione rationum, pro petroselinis iussisset in mensem vnum poni decem aureos.

ADOPTIO.

DEFINITION. ET ETYMOL.

ADoptio. Græce θέσις, υἱοθεσία, θετός adoptiuus dicitur, est legitimus actus, per quem, qui filius non est, pro filio habetur.

Adoptio est extraneæ personæ in filium, vel neptem, & deinceps legitima assumptio, secundum B. Thom. 4. sentent. distin. 42. q. 2. art. 1. Hâc fere omnes definitionem Cannonistæ affirmant. *Institut. de adopt. in gloss.*

Adoptare est admittere ex gratia ad participandam hæreditatem. *B. Thom. in 3. p. q. 23. art. 1.*

LOCI BIBLICI.

Adoptio per CHRISTVM, *Galat. 4. vers. 5. Ephes. 1. 5.* Adoptio, & electio Dei est gratuita, *Ephes. 1. 4.* à qua hominum salus tanquam ex vero & natiuo fonte promanat, *v. 7. 13.* commendatur. 1. Io. 3. 1. Adoptio pro extrema instauratione, vel adoptionis fruitione, *Rom. 8. 23.* Adoptionis Spiritus, *v. 15.* vide SPIRITVS adoptionis. Adoptio Iudęorum, *Rom. 9. 4.*

Adoptionis exempla, Ephraim, & Manasse, *Genes. 48. 5.* Moses *Exodo 2. 10.*

SENTENTIAE PHILOSOPHICAE.

De adoptione filij, Dial. LXXIX.
Francisc. Petrarch.
GAVD.

Adoptaui mihi filium. R. Adoptio pedissequa est naturæ, & cum sit illa nobilior, hæc cautior, quodque illa sine consilio gignentis casu quodam, hæc adoptantis certo iudicio operatur. G. Adoptione bonum filium quæsiui. R. Debuisti id quidem, si neglectum, non vt genitura, sic electio excusabilis. Nihil habes in côiugem, nihil in fortunam, quod retorqueas. G. Filium adoptaui. R. Opportunum hoc naturæ subsidijs ciuili repertum iure, multisque vtile, multis fuisse pestiferum constat. Bonum filium adoptauit Nerua, sed Traianum in sua adoptione deceptû quibusdam scriptoribus visum scio. Nam Augustum in Agrippę nepotis adoptione circumuentum, mox secuta testatur abdicatio, in Tiberij autem vel adoptione, vel successione non deceptum, sed suorum mortibus pene coactum video, quod & sermo eius indicat & præfatio testamenti. Ac Micipsa ille, cuius paulo ante memini, prorsus infelix adoptator fuit, qui non filium, sed funestum draconem regiæ, filijsque suis immiserit, quos & si moriens hortetur ita viuere, ne ipse meliores filios, adoptasse videatur, quam genuisse, sæpe tamen meliores adoptantur, quam gignuntur: neque id mirum, cum illud experientia & consilio muniatur, hoc neutro. Sæpe autem contra, non peiores modo, sed pessimi omnium adoptantur. Fusca enim & ambigua merx est homo. G. Priuignum bonum habeo. R. Rarus est priuignus bonus, rarior est vitricus. G. Bonus est priuignus mihi. R. Vt sit bonus, quid ad te? nisi forsan vt coniugis procurator gaudes. Tibi enim quid virtus aliena contulerit, nisi vt tuorum, si quos genueris, pâdatur ignauia? G. Priuignus est mihi optimus atque fidissimus, & nulli filio secundus. R. Fieri id quidê potest. Talis Augusto fuit Drusus, sed non Claudio talis Nero.

SIMILITVDO.

Plutarchi. Vt insaniat, qui fratris imaginem veneretur, corpus pulset ac verberet: ita stultum sit amare in adoptiuis nomen, verû fratrem abdicare aut odisse. *in Moralibus.*

ADORATIO.

DEFINITION. ET ETYMOL.

ADoratio. Græce προσκύνησις, εως ἡ, & προσκυνέω, adoro. Duplex est, scilicet interior deuotio mentis, & exterior humiliatio corporis: prima est principalior, ad quam & propter quam secunda fit.

SENTENTIAE BIBLICAE.

Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quæ in cœlo desuper, & quæ in terra deorsum, nec eorum quę sunt in aquis sub terra, non adorabis ea, neque coles. *Exod. 20.*

Dominum Deum tuum timebis, & illi soli seruies. *Deut. 5. & 10.*

Omnis terra adoret te Deus, & psallet tibi. *Psalm. 65.*

Dominum Deum tuum adorabis. *Matth. 4.*

Adorate eum, qui fecit cęlum, & terram, mare & fontes aquarum. *Apoc. 14.*

Vide ne feceris (ait Angelus Ioâni adorare volenti) côseruus tuus sum, & fratrum tuorum, Deum adora. *Idem 19. & 22.*

Appropinquat populus iste ore suo, & labiis suis glorificat me, cor autem eius longe est a me, & timuerunt me mandato hominum & doctrinis: ideo ecce ego addam, vt admirationem faciam populo huic miraculo grandi & stupendo. *Esai. 29.*

Hypocritæ, bene prophetauit de vobis Esaias, dicens: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est à me. *Matth. 15.*

Veri adoratores adorabunt patrem in spiritu, & veritate. Nam & pater tales quærit, qui adorent eum. Spiritus est Deus, & eos, qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare. *Ioh. 4.*

Tunc (auditis de morte filiorum nunciis) surrexit Iob, & scidit vestimenta sua, & tonso capite corruens in terram adorauit. *Iob. 1.*

Coram illo procident Aethiopes, Reges Tharsis, & insulæ munera offerent, reges Arabum & Saba dona adducent, & adorabunt eum: omnes gentes seruient ei. *Psa. 71.*

Venite adoremus, & procidamus, & ploremus coram Domino. *Psal. 94.*

Et procidentes adorauerunt eum. *Matth. 2.*

Et publicanus à longe stans, nolebat nec oculos ad cœlum leuare, sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus propitius esto mihi peccatori. *Luc. 18.*

Qui adorat Deum in oblectatione suscipietur, & deprecatio illius vsque ad nubes propinquabit. *Eccl. 35.*

Ego sum, ego sum Dominus, & non absq; me Saluator. *Esd. 43.*

EXEMPLA SACRA.

Adorationis, seu cultus Dei exempla: Cain, *Genes. 4. 3.* Abel, *vers. 4.* Seth, *vers. 26.* Noe 8. 20. Abraham, 12. 7. & 21. 33. & 22. 13. Isaac, 26. 25. Iacob, 35. *vers. 1. 7.* Israelitæ, *Exod. 4. 31.* & 12. 27. Moses, 17. 15. Iethro, 18. 19 Moses, Aaron, & Seniores Israel, 24. *versic. 1. 5.* Iosua, *Ios. 8. 30.* Rubeo, Gad, & dimidia Tribus Manasse, 22. 9. Manue, *Iudic. 13. 19.* 1. Elcana, *Sam. 1. 3.* Anna vxor, *versic. 10.* Sam. 1. *Sam. 7. versic. 9. 10.* Salomon. 1. *Reg. 3. 4. & 8. versic. 22. 23.* Dauid. 2. *Sam. 12. 16.* 1. *Paralipom. 15. 16. Psal. 5. 8. & 138.* 2. Populus è captiuitate redux, *Nehem. 9. 3.* Ezechias & turba, 2. *Paralipom. 29. 27.* Ezechias, 30. 1. Iosaphath, & Ierosolymitani, 20. *versic. 18. 19.* Iob 1. 20. Daniel, *Dan. 8. 10.* Iudith, *Iudith. 9. 1.* Tobias, *Tob.* 1. Magi, *Matth. 2. 11.* Leprosus, 8. 2. Cæcus natus, *Ioh. 9. versic. 35. 36. 37. 38.* Mulieres piæ, *Matth. 28. 9.* Apostoli, *versic. 16. 17.* Paulus, & Barnabas, *Actor. 14. 13.* Angelus. *Apoc. 19. 10.*

PROFANA EXEMPLA.

Apud Persas, Medos & Indos Reges adorari, & in salutando homines toto corpore procidere inuenimus. Quare Thebanus Ismenias iussus Artaxerxem adorare, ne côtra decus faceret, prolapsum annulum sustulisse, & ita adorantis speciem præbuisse dicitur. *Alex. ab Alex. l. 1. c. 19.*

Cyro Persarum Regi, adorandi cultum primum delatum scribit Arrianus, proximum Diis immortalibus honorem decretum. *Arrianus.*

Apud Romanos in occursu maioris Magistratus minores summittere fasces consueuerunt: vt significarent honori deferendum, & imperio parendum. Quare *Valerius Poplicola* in suspicionem Regni affectati adductus, dum concionaretur, fasces populo summisit. *Alex. ab Alex. l. 1. c. 27.*

C. Caligula, cum Cæsares salutarentur prius, adorari se iussit capite velato, vt Deum: mox *Diocletianus* vecordia intolerabili idê exequi ausus fuit. Idem *Alex. l. 2. c. 19.*

Chares Mitylenaus. Alexandrum Magnum prędicat in côuiuio quodam, cum bibisset, phialam vni ex amicis porrexisse: illum phiala accepta ad aram versum, assurrexisse: ac cum hausisset, adorasse primum, deinde osculatum Alexandrum in conuiuio mox occubuisse. *Plut. in Alex.*

ADVENTVS DOMINI.

Biblici Loci.

ADuentus Domini expectandus, *Matth.* 24. 42 *&* 25. 13. *&* 26. 40. *Marc.* 13. 33. *Luc.* 12. 40. *&* 21. 34. *Rom.* 13. 12. *Ephe.* 6. 18. *Colos.* 4. 1. 2. *Thess.* 5. 6. 1. *Pet.* 4. 7. *&* 5. 8. *Apoc.* 3. 3. *&* 16. 15. Aduentus Christi ad iudicium signa, *Matth.* 24. 4. *Marc.* 13. 16. vt furis in nocte, *Luc.* 12. 39. 1. *Thessal.* 5. 2. 2. *Petr.* 3. 10. *Apocal.* 3. 3. *&* 16. 15. qualis futurus sit. *Luc.* 17. 25. curiosa eius inquisitio damnatur. 1. *Thess.* 5. 1. *vide Mar.* 13. 32.

Patrum Sententiae.

Nulla causa veniendi Christo Domino, nisi peccatores saluos facere. Tolle morbos, tolle vulnera, & nulla causa est medicinæ. Venit ergo de cœlo magnus medicus, quia per totum vbique iacebat ægrotus. Genus ergo humanum totum perierat, ex quo peccauit vnus, in quo totum erat, ideo venit vnus sine peccato, qui saluos omnes faceret sine peccato. Non enim eum de cœlo ad terram merita nostra, sed peccata traxerunt. *August. super Ioh. & in gloss.* 1. *Tim.* 5.

Cornu Ecclesiæ tunc mirabiliter se extulit, cum Dei filius per assumptam humanitatem naturæ nostræ participem se fecit. Iā mundi redemptorem venientem recepimus, per cuius gratiam non solum recte possumus viuere, sed & ad Paradisi gaudia transire, quia ille iā pro nobis mortuus resurrexit, in cuius morte mors obijt, & Paradisus se eius fidelibus reserauit. *Gregorius in* 1. *Reg. cap.* 2.

Christus factus est ignominia hominis, & nullificamē populi: quatenus ita voluit, vt liuore eius sanaremur; vt dedecore eius salua nostra cōstaret. Et merito se pro suo homine deposuit, pro imagine, & similitudine sua, non aliena. *Tert. l.* 4. *adu. Mar.*

Christus venit vt imaginem suam diaboli arte fucatam in homine, & per lignum præuaricationis morte damnatam, per passionem crucis, & mortem, ad pristinam reuocaret pulchritudinem. *Origenes hom. in pr. Gen.*

Hoc tempus non sine causa Domini aduentus vocatur: ideo enim sancti Patres celebrare cœperunt aduentum, vt se vnusquisque præparet fidelis, & emendet, vt digne Dei sui natiuitatem valeat celebrare. *Ambr. super Lucam.*

Ille iustus venit ad nos peccatores, vt ex peccatoribus faceret iustos, pius venit ad impios, vt nos pios, humilis venit ad superbos, vt ex superbis faceret humiles. *Ambr. ibid.*

Signum aduentus dominici est in toto orbe euangelium prædicari, vt nullus sit excusabilis, quod aut iam completum est, aut in breui credo complendum, non enim puto aliquam remansisse gentem, quæ Christi nomen ignoret. *Hier. super Matth.*

Dignum est fratres vt tota deuotione Domini celebremus aduentum delectati tanta consolatione, stupefacti tanta dignatione, inflammati tanta dilectione, nec solum cogitemus aduentum quo venit, & quare, quia saluum faceret quod perierat, sed & illum nihilominus quo veniet, & assumet nos ad seipsum, vt circa hos duos aduentus iugi meditatione versemur, ruminantes in cordibus nostris quantum in priore præstiterit, quantum promiserit in secundo. *Ber. in ser. de aduen.*

Venio vt errantes corrigam, & infirmantes adiuuem, & dubitantes in fide confirmem, & bene agentium fructibus perfectis quasi suauissimis pascar, & certantes ab hostium defendam insidijs, & victores hostium, perpetuę visionis meæ corona munerem. *Bed. super Cant. lib.* 3.

Vide Christus. Item, Christi natiuitas, & Resurrectio.

ADVENTVS PRINCIPIS.

Sententiae Philosophicae.

De aduentu Principis. Dial. CXVI.
Francisc. Petrarch.
GAVD.

PRincipis aduentum spero. R. Vt multa timentur quæ optanda, sic multa sperantur quæ timenda sunt: Vtramque in partem penuria iudicij multa est. G. Spero Principis aduentum. R. Quāto sperare honestius libertatem? Nam profecto qui dominum sperat, seruitutem sperat. G. Spero principem venturum. R. Et illius commune omnium malum speras. Fuit enim quando & principes imperium, & principem populi poterant sperare. Nunc imperium principi labor est, principes populi pernicies. G. Principem venturum ego, & respublica speramus. R. Tu vero quid priuatim speres videris, in quo ipso facile falli potes, spes hæc reip. stulta est. Quis enim nisi amens speret, aut cupiat, quod pestiferum toties sit expertus. G. Spero principem venturum. R. Et secum simul motus rerum varios, mutationes vrbiū, nouas nouitates, famam, pestem, bella, discordias, hæc vel vniuersa, vel singula modernis cum principibus venire sunt solita. Si hæc placent, Principem spera: vt nil horum formidabile sit, ipsum certe inane iam imperij nomen est plenum famæ, & rumorum. Boni autem omnis effœtum, & solius vmbræ vetustatis inniaum. G. Spero venturum principem. R. Ego te vero monitum velim, vt quoties aduentantem audieris, credas te tonitru aliquod præambulum fulminis audire, nec sperare incipias, sed timere potius, si etiam alterum labi oportet. Timere enim aduersa, & si contrarium sit virtuti, consentaneum est naturæ. Sperare autem mala, & naturæ est oppositum, & virtuti. G. Spero mox principem affuturum. R. Cum præsentem videris, scito te infaustum Reip. sydus aspicere, vel memoriam ipse tuam, vel parentes interroga, tuosque auos, & proauos, ita esse reperies, vt dico, idque tu filijs & nepotibus tuis annuntia, ne ipsi quoque aduentum principis stulti sperent. Dic enim quæso, quando vnquam vel minutæ leonis aduentum feræ, vel affuturam aquilam auiculæ sperauerint? Liceat verum loqui, stultissimum, & mali sui semper auidissimum animal est homo, cæteris capiendis esca opus est, homo solis famæ sibilis capitur.

Vide Princeps, Rex, Tyrannus.

ADVERSITAS.

DEFINITIONES ET ETYMOLOG.

ADuersitas idem quod calamitas, quæ Græce συμφορά, ᾶς, ἡ, dicitur, δυστύχημα, ατος, τὸ vel δυσχέρεια, ας, ἡ infortunium & molestia.

Aduersitas est passio. vel ægritudo laboriosa egestatis, vel alterius mali, vel damni accidentis, vel illati, simulq; accepti. Cic. 4. Tusc. Quæst. in dictione ærumna. D. Aug. in lib. Confessionum.

Sententiae Biblicae.

Quia acceptus eras Deo, necesse fuit vt tentatio probaret te. *Tobiæ* 12.

Beatus, qui corripitur à Domino. *Iob* 5.

Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis. *Ecclesi.* 27.

Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit. *Rom.* 5.

Et omnes, qui pie volunt viuere in Christo Iesu, persecutionem patientur. Mali autem homines, & seductores proficiēt in peius errantes, & in errorem mittentes. *Paul.* 2. *ad Timot.* 3.

Fili mi, noli negligere disciplinam Domini, neque fatigeris, dum ab eo argueris, quem enim diligit Dominus, castigat. Flagellat autem omnem filium, quem recipit. In disciplina perseuerate: tanquam filiis vobis offert se Deus, Quis enim filius, quem non corripit pater? *Hebr.* 12.

Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. *Actor.* 14.

Patrum Sententiae.

Nemo frangitur aduersorum molestia, qui prosperorū delectatione non capitur. *Aug. de verbis Dom. lib.* 1.

Ideo Deus fœlicitatibus terrenis amaritudines miscet, vt alia quæratur felicitas, cuius dulcedo non est fallax. *August. super Matth. serm.* 18.

Noli admirari frater, si postquam Christianus effectus es, Mille te vndique tribulationes vexant. Quoniā Christus vostræ religionis caput est, nosque eius membra sumus. Debemus ergo non solum eum, sed eius vitam cumulatissime sequi: vita enim Christi respersa fuit angustijs plurimis: summa paupertate circumdata, à Scribis, & Pharisæis derisus, tandem propter nos peccatores morti turpissimæ traditus est. Vnde cōiectura est, quum te Deus immensis persecutionibus corripit, te in electorum suorum numero deputasse. Nam sine huiusmodi tribulationibus nequaquā ad Deum peruenire possumus. Omnes enim, qui ad Paradisum redire desiderant, oportet transire per ignem, & aquā; siue fuerit Petrus Apostolus, cui datæ sunt claues regni cœlorum, siue Paulus vas electionis, siue Ioannes, cui reuelata sunt secreta cœlestia: necesse est, vt oēs dicunt, Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. *Aug. in serm. ad Lippum.*

Intelligat homo medicum esse Deum, & tribulationem medicamentum esse ad salutem, non pœnam ad damnationem. Sub medicamento positus vreris, secaris, clama, non audit medicus ad voluntatem, sed ad sanitatem. *Aug. super Psal.* 21.

In fornace ardet palea, & purgatur aurum. Illa in cinerem vertitur, & illud sordibus caruit. Fornax, mūdus; aurum, iusti; ignis, tribulatio, artifex Deus est. Quod vult ergo artifex, facit: vbi punit me artifex, tolero: iubeor ergo tolerare, nouit ille purgase.

re. Ardeat licet palea ad incendendum me, & quasi consumendum me: illa quasi in cinerem vertitur, ego sordibus careo. *Aug. super Psalm. 60.*

Sicut sub vno igne aurum rutilat, palea fumat, sub eadem tribula stipula comminuitur, & frumenta purgantur. *Augu. de ciuit. Dei lib. 1.*

Nullus hominum sic iustitia præditus est, cui non sit necessaria tentatio tribulationis, vel ad perficiendam virtutem, vel confirmandam seu approbandam. *Aug. contra Faustum.*

Quis non tribulari velit, quis te non maledici desideret, vt mereatur Christi voce laudari, & cœlesti copiosaque mercede munerari? *Hier. epist. ad Heliod.*

Quid in hac vita non experimur aduersi? Quas non procellas tempestatesque perpetimur? Quibus non exagitamur incommodis? cuius parcitur meritis? *Ambrosius in libro de morte Satyri.*

Paupertas, fames, dolor, quæ putantur mala, non solum impedimenta non sunt ad vitam beatam, sed etiam ad meritum adiuuant. Vnde dicitur: Beati pauperes spiritu: Beati, qui esuriunt. *idem lib. de offic.*

Quum quis positus in prosperitate diligitur, incertum valde est, vtrum prosperitas, an persona diligatur. Amissio enim felicitatis interrogat vim dilectionis. Nec prosperitas quippe amicum indicat: nec aduersitas inimicum celat. *Greg. l. 7. Moral.*

Iustis amplius placet ea aduersitate mala perpeti, quam ex prosperitate terrenæ dispensationis cura fatigari. *ibid.*

Facilis erit consolatio, si inter flagella quæ patimur, quæ fecimus ad memoriam delicta reuocamus, atque hæc iam non flagella, sed dona esse cōspicimus: si, quæ carnis delectatione peccamus, carnis dolore purgamus. *Greg. in Registro.*

Si mens forti intentione in Deum dirigitur, quicquid in hac vita sibi amarum fit, dulce æstimat: omne quod affligit, requiem putat. *Greg. lib. 5. Moral.*

Dolor flagelli temperatur, quum culpa cognoscitur: quia tanto quisq; ferramentum medici patientius tolerat, quanto magis putridum conspicit esse quod secat. *idem l. 10. Moral.*

Mala vitæ præsentis tanto durius animus sentit, quāto pensare bonum, quod sequitur, negligit. Nequaquam nos gratia in aduersitate deserit, quia quo nos durius ex dispēsatione percutit, eo amplius ex pietate custodit. *ibidem.*

Nunquam est patientiæ virtus in prosperis. Ille autem vere patiēs est, qui & aduersis conteritur, & tamen à spei suæ rectitudine nō curuatur. *Greg. lib. 11. Mor.*

Aurem cordis tribulatio aperit, quam sæpe prosperitas huius mundi claudit. *Idem 26. Mor.*

Sanctorum mentes æternitatis præmia præstolātes, vires ex aduersitatibus sumunt. Quia crescente pugna, gloriosiorem sibi non ambigunt manere victoriam. Electorum desideria, dum premūtur aduersitate, perficiunt: sicut ignis flatu premitur vt crescat, & vnde quasi extingui cernitur, inde roboratur. *ibid.*

Donis suis Deus flagella permiscet, vt nobis omne, quod nos in seculo delectabit, amarescat: & illud incendium surgat in animo, quod nos semper ad cœleste desiderium inquietet, & excitet, atque (vt ita dicam) delectabiliter mordeat, suauiter cruciet, hilariter contristet. *Greg. super Ezech.*

De spe æternæ hereditatis gaudium sumunt, quos aduersitas vitæ temporalis humiliat. Quia non saluandos in perpetuum cerneret, si erudiendo sub disciplinæ regimine dispensatio non frenaret. *Greg. in past. c. 51.*

In omnipotenti Deo tunc certa est fiducia, quando pro bono opere aduersitas in hoc mundo recipitur, vt pulchrior merces in retributione æterna seruetur. *Idem in Registro.*

Multi in hac vita dolores sunt, qui ad amorem cœlestium quotidie impellunt: qui in hoc vehementer solum mihi placent: quia placere in hoc mundo aliquid non permittunt. *ibid.*

Nullus perfectus est, qui inter mala proximorum patiens non est. *Greg. super illud Iob. 39. Frater fui draconum.*

Nihil iniuste patimur. Carmen in nocte est lætitia in tribulatione. *Gregorius Moralium, 26. super illud Iob. 35. Qui dedi carmina in nocte.*

Faciamus de necessitate virtutem, seu voluntatem. Exempli gratia Propterea quis amisit filium, substantiam alius omnem, & fortunæ bona. Si non eris, quod semel peractū est, nec deleri amplius, nec solui posse, licebit ex ea insanabili calamitate vtilitatis aliquid comparare, si magno ac virili animo aduersos tuleris fortunæ casus, proque maledictis Domino laudem referas. Hoc pacto, quæ præter spem obuenerint mala, in voluntatis officium commutabis. *Ioan. Chrysost. in serm. 18.*

In aduersitatibus tuis non contristeris, in languoribus tuis Deo gratias age. Valere te magis anima opta, quam corpore: valere te magis mente opta, quam carne. Aduersa corporis, remedia sunt animæ. Aegritudo carnem vulnerat, mentem curat. Languor vitia excoquit, languor vires libidinis frangit. *Isidorus de summo bono, lib. 3.*

Semper Deus hic hos vulnerat, quos ad salutem perpetuam præparat. *Isidor. Soliloquiorum lib. 1.*

Omnia aduersa æquo animo tolera. Dū tibi aliena pericula memoras, mitius portas tua. *Isid. ibid.*

Discat non murmurare, qui mala patitur, etiam si ignorat cur patiatur. Per hoc quisque se iuste pati arbitretur, quia ab illo iudicatur, cuius nunquam iniusta iudicia sunt. *Isidorus de summo bono lib. 3.*

Ad virtutes spectat, tribulationes fortiter sustinere, ad sapientiam, in tribulationibus gaudere. Confortare cor suum, & sustinere Dominum, virtutis est: gustare, & videre, quoniam suauis est Dominus, sapientiæ est. *Bernard. super Cant. serm. 85.*

Voluntarie Deo sacrificant, qui inter angustias passionum iugiter gratias agunt. *Cassiodorus super illud Psalm. Voluntarie sacrificabo tibi.*

Vnde nemini nimirum debet videri, si pro nostris delictis sæpe castigamur à Deo. Imo vero, cum vexamur ac premimur, tum maxime gratias agimus indulgentissimo patri, quod corruptelam nostram non patitur longius procedere, sed plagis ac verberibus emendat. Ex quo intelligimus, esse nos Deo curæ, quibus, quoniam peccamus, irascitur. *Lact. lib. 3. cap. 25. diuinarum instit.*

Beatus est igitur sapiens in tormentis: sed qui torquetur pro fide, pro iustitia, pro Deo, illa patientia doloris beatissimum facit. *Lact. lib. 3. diu. inst.*

Nemo dubitat, qui timidi & imbecillis sit animi, aut dolorem metuere, aut egestatem, aut exilium, aut carcerem, aut mortē. Quæ omnia quisquis non exhorruit, fortissimus indicatur. Qui autem Deum metuit, illa vniuersa non metuit, ad quod probandum, opus argumentis non est. *Idem lib. 6. diuin. inst.*

POETICAE SENTENTIAE.

Virg. Æneidos.

Durate, & vosmet rebus seruate secundis.

Ouid. lib. vlt. Metamorph.

Nec enim fortuna querenda
Sola tua est: similes aliorum respice casus:
Mitius ista feres.

Ouid. Trist. lib. vlt. eleg. 13.

Contudit ingenium patientia longa malorum,
Et pars antiqui nulla vigoris adest.

Iuuenal. Satyr. 13.

Dicimus autem
Hos quoque felices, qui ferre incommoda vitæ,
Nec iactare iugum vita didicere magistra.

Ter. in Phorm.

Vnum hoc scio:
Quod fors feret, feremus æquo animo, D. Placet,
Heus, istuc viri est officium.

Sil. Ita in lib. 10. bell. Pun.

Hos mulcens quaestus Fabius, deforme docebat
Cladibus irasci, vulgumque arcebat ab ira.
Aduersis etenim frangi non esse virorum.

Horat. Od. 7. lib. 2.

Qui Martem ascribant gentes, non posse dolores
Condere, & expers solatia pascere cunctis.
Albus vt obscuro deterget nubila cælo
Sæpe notus, nec parturit imbres
Perpetuos: sic tu sapiens finire memento
Tristitiam, vitæque labores.

Ouid. 2. Metam.

Aspera crescit hyems, omnique à parte feroces
Bella gerunt venti, fretaque indignantia miscent.

Idem lib. 3. Fast.

His votis numen adorat:
Vincitur ars vento, nec iam moderator habenis
Vtitur, at votis is quoque poscit opem.

Idem 1. Trist.

Dij maris, & cæli (quid enim nisi vota supersunt?)
Parcite quassatæ soluere membra ratis.

Idem ibidem.

Ipse gubernator tollens ad sydera palmas,
Exposcit votis, immemor artis, opem.
Quocunque aspexit, nihil est nisi mortis imago,
Quam dubia timeo mente timensque precor.

Lucan. lib. 9. bell. ciuil.

Serpens, sitis, ardor arenæ
Dulcia virtuti gaudet patientia duris.
Lætius est, quoties magno sibi constat honestum.

Ouid. 4. de Pont.

Dum mea puppis erat valida fundata carina,
Qui mecum velles currere, primus eras.
Nunc quia contraxit vultum fortuna, recedis,
Auxilio postquam scis opus esse tuo.

Idem

Idem 1. Trist.

Scilicet vt fuluum spectatur in ignibus aurum,
Tempore sic duro est inspicienda fides.
Dum iuuat, & vultu ridet fortuna sereno,
Indelibatas cuncta sequuntur opes.
At simul intonuit, fugiunt, nec noscitur vlli
Agminibus comitum qui modo cinctus erat.

Idem 3. Trist.

O mihi chare quidem semper, sed tempore duro
Cognite, res postquam procubuere meæ,
Vt cecidi, cunctique metu fugere ruinam,
Versaque amicitiæ terga dedere meæ,

Senec. in Agam.

Fidem secunda poscunt, aduersa exigunt,
Aduersitas improuisa grauior.

Senec. in Herc. fur. tragœd. 1.

Quod durum fuit pati,
Meminisse dulce est.

Seneca tragœd. 6.

Fletus ærumnas leuat.

Seneca ibidem.

Aequor casum tulit, & procellas,
Mille qui Ponto pariter carinas
Obrui vidit, tabulaque littus
Naufraga spargi,

Ter. in Phorm.

Incertum est quid agam, quia præter spem, atque incredibile hoc mihi obtigit. Ita sum irritatus, animum vt nequeam ad cogitandum instituere; Quamobrem omnes cum secundæ res maxime: tum maxime meditari secum oportet, quo pacto aduersam ærumnam ferant,
Pericla, damna, exilia.

Ouid. 5. Trist.

Scilicet aduersis probitas exercita rebus
Tristi materiam tempore laudis habet,
Si nihil infesti durus vidisset Vlysses,
Penelope felix, sed sine laude foret,

Idem 1. Trist.

Scire meos casus si quis desideret omnes,
Plus quam quod fieri res sinit, ipse petit.
Tot mala sum passus, quot in æthere sydera lucent,
Paruaq; quot siccus corpora puluis habet.
Multa incredibili tulimus maiora, ratamque,
Quamuis acciderint, non habitura fidem.
Pars etiam quædam mecum moriatur oportet,
Meque velim possint dissimulante tegi.
Si vox infragilis, pectus mihi firmius esset.
Pluraque cum linguis pluribus ora forent.
Non tamen idcirco complecterer omnia verbis,
Materia vires exuperante meas,

Idem 4. Trist.

Atque tot aduersis cumulat, quot littus arenas,
Quosque fretum pisces, ouaque piscis habet.
Vere prius flores, æstu numerabis aristas,
Poma per autumnum, frigoribusque niues,
Quam mala, quæ passus, toto iactatus in orbe,
Dum miser Euxini littora læua peto,

Idem 5. Trist.

Littora quot conchas, quot amœna rosaria flores,
Quotue soporiferum grana, papauer habet.
Sylua feras quot alit, quot piscibus vnda natatur,
Et tenerum pennis aera pulsat auis.
Tot premor aduersis, quæ si comprendere coner,
Icariæ numerum dicere coner aquæ.

Mar. lib. 2. epist. 9.

Rebus in angustis facile est contemnere vitam,
Fortiter ille facit, qui miser esse potest.

Faustus.

Perfer Vlyssæo fortem de more sinistram,
Hæc bene durantis sub pede victa iacet.

Idem.

Casibus aduersis fracta qui mente recumbit,
Fortunæ ignorat dexteriore frui.

Pictorius Poeta ad Polyxenam.

Sæpe vides alios alijs accedere ventos,
Ingerere, & fluctus sese alios alijs.
Rebus inhumanis ita duris dura videmus
Subnecti, didicit qui tolerare sapit.
Si petis hæc quorsum tibi, chara Polixena dicam,
Vt quod commune est omnibus, haud doleas.

Boeth. lib. 4.

Quisquis compositus serenus æuo,
Fatum sub pedibus egit superbum,
Fortunamque tuens vtramque rectus,
Inuictum potuit tenere vultum.
Non illum rabies, minæque Ponti
Versum funditus excitantis æstum,
Nec ruptis quoties vagus caminis
Torquet fumificos Vesæuus ignes,
Aut celsas soliti ferire turres
Ardentis via fulminis mouebit.

Euripides in Medea.

Κούφως φέρειν χρὴ θνητὸν ὄντα συμφοράς.
Leuiter ferre oportet mortalem existentem calamitates.

Archilochus apud Hilæum.

Τοῖς θεοῖς τίθει τὰ πάντα, πολλάκις μὲν ἐκ κακῶν
Ἄνδρας ὀρθοῦσι, μελαίνῃ κειμένους ἐπὶ χθονί.
Πολλάκις δ᾽ ἀνατρέπουσι, καὶ μάλ᾽ εὖ βεβηκότας
Ὑπτίους κλίνουσ᾽, ἔπειτα πολλὰ γίνεται κακά.
Καὶ βίου χρήζων πλανᾶται, καὶ νόου παρήορος.
Omnia diis sit accepta, sæpe ex rebus aduersis
Homines erigentibus, in atra iacentes terra:
Sæpe etiam supplantantibus, qui & firmiter stantes
Supinos sternunt, deinde multa eueniunt mala.
Et victus inops oberrat, & mente motus.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

In omni aduersitate fortunæ infelicissimum genus infortunij est, fuisse felicem. *Boet. Philos. consol. lib. 2. prosa 4.*

Quis enim est tam compositæ felicitatis, vt non aliqua ex parte cum status sui qualitate rixetur? Anxia enim res est humanorum conditio bonorum, vt quæ vel nunquam tota proueniat, vel nunquam perpetua subsistat. Hinc census exuberat, sed est pudori degener sanguis. Hunc nobilitas notum facit, sed angustia rei familiaris inclusus, mallet esse ignotus. Ille vero vtraque circumfluus, vitam cœlibem deflet: ille nuptijs felix, orbus liberis, alieno censum nutrit hæredi. Alius prole lætatus filij filiæve delictis mœstus illachrymat. Idcirco nemo facile cum fortunæ suæ conditione cõcordat. Inest enim singulis, quod inexpertus ignoret, & expertus exhorreat. *ibidem.*

Adde, quod felicissimi cuiusque delicatissimus sensus est, & nisi ad nutum cuncta suppetant, omnis aduersitatis insolens, minimis quibusque prosternitur. Adeo perexigua sunt, quæ fortunatissimis summam beatitudinis detrahunt. *ibidem.*

Cogitanda ergo sunt omnia, & animus aduersus ea, quæ possunt euenire, firmandus: ex illa, tormenta, morbos, bella, naufragia meditare. *Seneca epist. 93.*

Quis vir est, qui non est erectus ad honesta? qui non est laboris iusti appetens? qui non ad officia cum periculo paratus? *Seneca lib. de Provid.*

Nihil infelicius (ait Democritus) eo, cui nil aduenit vnquam aduersi, non licuit illi se experiri, vbi ex voto illi fluxerunt omnia, vt ante votum. Male tum de illo Dii iudicauerunt. Indignus visus est, à quo vinceretur aliquando fortuna, quę ignobilissimum quemque refugit, contumacissimum, id est, fortiter obuiantem quemque, & rectissimum, aggreditur, aduersus quem vim suam intendat. Ignem experitur in Mucio, Paupertatem in Fabricio, Exilium in Rutilio, Tormentum in Regulo, Venenum in Socrate, Mortem in Catone. *idem.*

Miserum te esse iudico, qui nunquam fueris miser, traxisti sine aduersario vitam. Nemo scit, quid potueris, neque tu quidem ipse. Opus enim est ad sui notitiam experimento. Quid quisque possit, non nisi tentando didicit. *Seneca ibidem.*

Non omnino Diis exosos esse, qui in hac vita cum ærumnarum varietate luctantur: sed esse arcanas causas, ad quas paucorum poterit venire curio. *Macr. lib. 1. Sat.*

Neque secundarum rerum prouentu insolenter abuti, neque aduersis propere debilitari oportet. *Val. Max. lib. 8.*

Omnino fortis animus, & magnus duabus rebus maxime cernitur, quarum vna in rerum externarum dispicientia ponitur, nulliq; neque homini, neque perturbationi animi, neque fortunæ succumbere. *Cic. 1. Offic.*

Magnanimi est, neque secundis rebus insolescere, neque deijci aduersis. *idem.*

APOPHTEGMATA.

Darius Xerxis pater dicere solebat, se prælijs ac rebus asperis reddi prudentiorem, vt aurum crebris ignibus redditur purius. *Xenophon.*

Vide Felicitas, Infelicitas, item Fortuna, Sors, Tribulatio.

ADVLATIO.

DEFINITION. ET ETYMOLOG.

ADulatio, Græce κολακεία, ας, ἡ. & κόλαξ, ακος, ὁ. adulator dicitur. Et est fallaci laude seductio secundum August. super Psalmos. Adulatio est excessus delectandi alios verbis vel factis. *Secundum S. Thom. secunda secundæ, q. 115. art. 1.*

Adula-

Adulatio est peccatum ex sermone vanæ laudis alicui exhibitæ intentione complacendi. Laudare enim aliquem, de quo non est laudandus, vel plus quam est laudandus, vel non ea fine, quo fieri debet, peccatum est, *Secundum Alexandrum secunda Secunda, tractatu de adulatione.*

Adulatio, inquit auctor Etymologici trilinguis, à Lugdunensibus editi anno 1607. à laudando, per metathesin dicitur. In os enim adulator homines laudare solet. Festum Pompeium astipulari video. Profligandum enim & exterendum apud eum ludendi vocabulum censeo, potius quam retinendum. Et si a canum adludentium moribus ortum videatur hoc nomen, qui adblandientes Dominis voce, gestuque caudæ, immo corporis totius Græcis dicitur *σαίνειν*. Sit ergo adulatio, quasi adlaudatio dicta Heb. verbum *Calak*. id est, partitus est blande, & *Kikalik*, blanditus est, vnde *Calaklackkoth*, adulationes blanditiæ, vocibus Græcis originem dedisse arbitror. Alia obseruatu digna vide in eodem Etymologico.

Adulatio est peruersa laudatio, & videtur nomen sumptum à sono. Canes enim, quorum mira est adulatio, fere exprimunt hunc sonum. Vel dicatur, quod adulator verbum (quod est voce, vel gestu fauorem capio) dicitur quasi adulor. quod hoc in aulis maxime fieri soleat. Sunt tamen, qui hoc à Græco deriuatum arbitrentur, hoc est, *ἀπὸ τοῦ δουλεύειν*, q*d* est inseruire, & *δοῦλος, ου, ὁ*. seruus. Veteres etiam aulas dixere, quas nunc dicimus ollas. Vnde aulicocta vocantur extra, quæ in ollis coquuntur, hoc est elixa. Plautus fabulam suam ab aula, hoc est, olla, inuenta, aululariã nominauit. Adulor & Adulo vsurpatum legimus. Valerius Maximus, si Dionysium adulares, ista non esses. Immo, inquit, si ista esse velles, Dionysiũ nõ adulares. Et teste Prisciano, datiuo & accusatiuo iungitur, producitque du syllabam. Iuuenalis: Quid quod adulandi gens prudentissima laudat Sermonem indocti, faciem deformis amici. *Lucretius lib. 5. Longe alio pacto gannitu vocis adulans.*

Adulatio est peccatum ex sermone vanæ laudis alicubi, exhibitæ, animo ac intentione placendi: vel est excessus delectandi alios verbis, & factis: atque dicta *παρὰ τὸ δουλεύειν* quod est inseruire & emereri gratiam, quod censetur seruile, & turpe. *Cicer. 2. Quæst. Tuscul.*

Assentatio est ars, quæ docet posse sermones, & proferre accommodos, eaque facere, per quæ in familiaritatem adiungitur: qui semet quam beneuolentissimum suo alumno esse ostensurus sit.

Κροκυδίζειν verbum adulatoribus congruere, vbi subblandiendo floccos pilosq; ex vestibus legunt, quos vocat Græci, *κροκύδας*. item *γνάφαλα*. & *τύλας*. ex quo elegantissime Galenus Phreneticidos signa commonstrans, esse in iis, inquit, stultam manuum iactationem, *καὶ κροκυδισμὸν καρφολογίαν*. i. Crocidismum, & Carphologiam, id est, festucarum collectionem. Crocylia vero nomen ciuitatis est. Scribunt Græci, *κερκωπίζειν* esse adulatorum verbum, item proprium, translatione tamen à brutis dicta, quæ cauda motantia, quã dicunt *κέρκον*, subblandiri assueuerint: id vero nostris literis cercopissare recte dicetur. Fuisse iuniori Dionysio adulatores legimus plures, quos etiam plerique Dionysio, colacas nominant: hi primum se non acute admodum videre assimulabant, quia sic afficeretur Dionysius. Expuenti quoque faciem objiciebant, quam is conspueret: nec satis: superfluitates oris collambebant etiam, quæ euomuisset, melle dulciora videri asseuerantes. At Apollophanes Antigoni adulator, illius dicebat fortunam *ἀλεξανδρίζειν*.

Sunt, qui ex adulandi gestu adulatorem nunc Paranchonisten, nũc Schematotechen nuncupent: quoniam fit propemodum Proteus quidam. Et Psomocolax legitur quandoque in veteribus libris. Esse is videtur, qui panis ac buccellæ gratia, quam vocant Psomon: passim abblanditur. Qui vero etiam plagas pati potest, Psomocolapham, opinor, recte dixeris. Nam & colax identidem sibi nomen vendicat, quoniam cibum etiam colon vocent, vnde & Bucolos: quin Cœlia quoque, id est, venter, hinc originem ducit.

Syprias vero mulieres assentandi artificio pernobiles, cum in Syriam transmisissent, Climacedas legimus nuncupatas: quoniam acclinatæ currum inscensuris Regum vxoribus gradum struerent, ac velut scalam arrigerent, quam vocant Climaca. Cœlius lib. 7. c. 53. Basilius Magnus in commentatione, fol. 365. quam de Gentilium librorum lectione concinnauit, scite admodum & docte Polypum vocat adulatorem, cuius verba mollia feriunt interiora ventris. Nam, vt inquit, polypus ad speciem subiecti soli colorem permutat, consimiliter & assentator ad voluptatem audientium variabit sententiam.

D I V I S I O.

ADVLATIO *oppositum amicitiæ vel affabilitatis, peccatum, Beatum Thomam secunda Secunda, quæst. 95.*

- *Mortale tripliciter*
  - *Quum aliquem laudamus de aliquo peccato mortali. Esaias. 5. Væ, qui dicitis malum bonum.*
  - *Quum quis adulatur alicui, vt ei fraudulenter noceat corporaliter, vel spiritualiter. Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulentia oscula blandientis. Prou. 27.*
  - *Quum quis adulatione sua alteri occasionem dat mortaliter peccandi.*
- *Veniale tripliciter.*
  - *Quum exceditur laudando, sola auiditate placendi vel delectandi.*
  - *Quum exceditur, vt euitetur aliquod malum sine alterius detrimento.*
  - *Quum exceditur, vt consequamur in necessitate aliquid bonum sine alterius detrimento.*

B I B L I C I L O C I.

Adulatio, res mala, ideo detestanda *Ps. 12. 4. Prou. 24. 28. & 27. v. 6. 14. & 28. 23. Eccl. 6. 6. Matth. 15. 7. & 12. 20 & 14. 5. & 18. 15. Rom. 9. 4. & 12. 18 & 16. 18. 1. Cor. 4. 2. & 5. 7. & 15. v. 2. 17. Gal. 6. 12. 1. Thess. 1. 6. & 2. 5.*

S E N T E N T I Æ B I B L I C Æ.

Laudatur peccator in desiderijs animæ suæ. *Ps. 10.*

Oleum autem peccatoris, non impinguet caput meum, *Ps. 140.*

Fili mi, si te lactauerint peccatores, ne acquiescas eis, *Prou. 1.*

Vir iniquus lactat amicum suum, & ducit eum per viam non bonam. 16.

Qui dicunt impio, iustus es, maledicent eis populi. 24.

Qui benedixit proximo suo voce grandi de nocte consurgens, maledicenti similis est, 27.

Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula blandiẽtis. *ibid.*

Quomodo probatur in conflatorio aurum, & in fornace argentũ: sic probatur homo ore laudantis. *ibid.*

Qui derelinquunt legem, laudabunt impium. 28.

Qui corripit hominem, gratiam postea inueniet apud eum magis quam ille qui per blandimenta decipit. *ibid.*

Melius est a sapiente corripi, quam stultorum adulationibus decipi. *Eccl. 7.*

Non laudes virum in specie sua. *Eccl. 11.*

Est qui nequiter humiliat se, & interiora eius plena sũt dolo. *ib. 19.*

Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant. *Esa. 3.*

Væ, qui iustificatis impium. *ibid. 5.*

In ore suo pacem loquitur cum amico suo, & occulte ponit ei insidias. *Ier. 9.*

In malitia sua lætificauerunt Regem, & mendacijs suis principes. *Osea 7.*

An quæro hominibus placere? *Gal. 1.*

Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis. *1. Thess. 2.*

Iuda, osculo filium hominis tradis? *Luca 22.*

Simulator ore decipit amicum suum. *Prou. 11.*

Qui dissimulat iniuriam, callidissimus est. *Prou. 12.*

P A T R V M S E N T E N T I Æ.

Adulatio est fallaci laude seductio. Duo sũt genera persecutorum, .s. vituperantium & adulantium: sed plus persequitur lingua adulatoris, quam manus persequentis. *Aug. super Ps. 59.*

Falsa laus adulatoris, & simulata dilectio mentes rigore veritatis emollit. *Aug. ibid.*

Sicut fomẽta sunt amara salubria, ita semper vitanda est perniciosa dulcedo. *Aug. de doct. Chr.*

Sicut adulantes amici peruertunt, sic inimici litigantes plerunque corrigunt. *Aug. 9. l. confessio.*

Adulantium linguæ ligant homines in peccatis, delectat enim ea facere, in quibus non solum non metuitur reprehensor, sed etiam laudatur operator. *Aug. super Psal. 9.*

Magis optabo à quolibet reprehendi, quam ab adulante laudari. Nullus enim reprehensor formidãdus est amatori veritatis. Laudator vero errat, & confirmat errorem. *Aug. 9. de Trinit.*

Adulatio fallax crudelis est. *Aug. l. 2. cont. lit. Petil.*

Emolliri adulationibus non solum fortitudinis non esse, sed etiam ignauiæ videtur. *Amb. l. 2. de offic.*

Beata

Beata mens quæ nec adulatur aliquando nec adulanti credit, quæ nec decipit alterum, nec ipsa decipitur, denique nec malum facit nec aliquando patitur. *Hier. in epist. ad Demetriadem.*

Nimis peruerse seipsum amat, qui & alios vult errare, vt error suus lateat. Quanto enim melius, & vtilius vbi ipse errauit, alij non errant, quorum admonitu errore careant. Vos qui me multum diligitis, si talem me asseritis, vt nunquam me in scriptis meis errasse dicatis, frustra laboratis, non bonam causam suscepistis: facile in eo, me ipso iudice, superamini. Quoniam non mihi placet, cum à charissimis meis talis esse existimor, qualis non sum. Profecto non me, sed pro me alium sub meo nomine diligunt, si non quod sum, sed quod non sum, diligunt. *Augustin. in epist. ad Marcellam.*

Leuius non debet putari, quod gladio minante, quam quod lingua insidiante committitur. *Aug. de Bapt. contra Donat.*

Mihi videtur omne mendaciũ esse peccatum. Sed multum interest, quo animo, & de quibus rebus quisque mẽtiatur. Non enim sic peccat, qui consulendi, quomodo qui nocendi voluntate mentitur. *Aug. in Enchir. l. 2.*

Non est mentiendum quinto genere, quia nec ipsa veritas placendi causa hominibus enuntianda est, quanto minus mendacium, quod per seipsum quia mendacium est, vtique turpe est. *Aug. l. de mend. & habetur 2. 2. q. 2. Primum. §. Non est.*

Quisquis autem esse aliquod genus mendacij, quod peccatum non sit, putauerit, decipiet semetipsum turpiter, cum honestũ se deceptorem arbitretur aliorum. *Aug. lib. de mendac. & habetur 22. q. 2 Primum.*

Adulatores sũt hostes, & scintillæ Diaboli. *Hier. super illud prouerbiorum c. 1. Si te lactauerint peccatores, ne acquiescas eis.*

Notandum est, quod dicuntur verba sapientum pungere, non palpare: nec molli manu attrahere lachrymam: sed errantibus tardis pœnitentiæ dolores, & vulnus infigere. Si cuius igitur sermo non pungit, sed oblectationem facit audientibus, iste sermo nõ est sapiens. *Hieron. super illud Ecclesiastici: Verba sapientum quasi stimuli.*

Hæc est conditio veritatis, vt eam semper inimicitiæ persequantur, sicut per adulationem perniciosæ amicitiæ comparantur. Libenter enim, quod delectat, audimus, & offendit omne, quod nolumus. *Hieron. super illud Gal. 4 Ego inimicus vobis sum factus verum dicens.*

Hoc intelligendum est, quod tantæ paupertatis fuerit Christus, & ita nulli adulatus sit, vt in vrbe maxima nullum hospitem, nullã inueniret mansionem. *Hier super Matth. l. 1.*

Nunne vobis videtur in vanitate sensus, & obscuritate mentis ingredi, qui diebus ac noctibus in Dialectica arte torquetur: qui Physicus perscrutator, oculos trans cœlos leuat, & vltra profundum terrarum, & abyssi quoddam inane demergitur: qui iambũ feruet: qui tantam metrorum syluam in suo studiosius corde distinguit, & congerit: & (vt ad alteram partem transeam) qui diuitias per fas, & nefas quærit: qui adulatur regibus, hæreditates captat alienas, & opes congregat; quas in momento, cui sit relicturus, ignorat. *Hieron. ad Damasum Papam de filio prodigo, & habetur d. 37. Nonne vobis.*

Isto maxime tempore regnat vitium adulationis: quodque est grauissimum, quia humilitatis ac beneuolentiæ loco ducitur, ita fit vt qui adulari nescit, aut inuidus aut superbus reputetur. *Hieron. ad Celantiam.*

Rumusculos, & gulosos, & palpantes adulatores quasi hostes fuge. *Hier. ibid.*

Natali ducimur malo, & adulatoribus nostris libenter fatemur: & quanquã respondeamus nos indignos, & calidus rubor ora perfundat, tamen ad laudem suam anima intrinsecus lætatur. *Hier. in epist. 1 5 t. ad Dabimanum.*

Nihil est quod tam facile corrumpat mentes hominum, sicut adulatio, plus enim nocet lingua adulatoris, quam gladius persecutoris. *Hier. super Ps.*

Non sic adulandum est principibus, vt sanctorum scripturarum veritas negligatur, nec generalis increpatio vnius personæ iniuria est. *Hier. super Ps. 17.*

Ne credas laudatoribus tuis, imò irrisoribus aurem ne libenter accommodes, qui quum te adulationibus fouerint, & quum te impotentem mentis effecerint, si subito respexeris, deprehendes post te colla incuruari, aut manu auriculas agitari asini, aut æstuãtem canis protendi linguam. *Hier. in epist. ad Rusticum.*

Nos ad patrium festinantes, mortiferos Sirenarum cantus surda aure transire debemus. *Hieron. in quadam epist. ad Greg. hom. 12 super Euang.*

Quisquis male viuentibus adulatur, puluillum sub capite iacentis ponit: vt qui corripi ex culpa debuerat, in ea fultus laude quiescat. *Greg super Eze. hom. 11.*

Adulatio si ad tempus patiẽter suscipitur, augetur, & paulisper demulcet animã, vt angore suæ certitudinis inolescat in dilectione sermonis: sed ex esse valeat: statim quum fit, sine mora finienda est. *Greg. ibid. super Ezech.*

Qui auditis blanditijs in altum se extollit, quid aliud, quam aurum reprobum fuit, quod fornax igne consumpsit? *Gregorius ibidem.*

Qui de amore non venit honor, non honor, sed adulatio est. *Bern. super Cant.*

Adulator omnis virtutis inimicus est, & quasi clauum figit in oculos illius, cum quo sermonem conserit: eoque magis cauendus est, quo sub amantis specie nocere non desinit: donec rationis obtundat acumen, & modicum illud luminis, quod adesse videbatur, extinguat. *Io. Chrys in Poly- r. l. 3.*

Et, sicut finis oratoris est, dictione persuasisse, & Medici, medicina curasse: sic adulatoris est finis, suauiloquio decepisse. *Chrysostomus.*

Adulari est seductorum. *Idem epist. ad Thess hom. 2.*

Cum aliquis actus morbus populi, vt placeat eis, quibus aures pruriunt, loquitur, quæ gratanter accipiant, loquitur quæ vicina sũt voluptati, talis magister consuit ceruicalia sub omni cubito manus. *Orig. 1. ho. super Exec.*

Qui ad voluntatem meditata deportant, & illa semper inquirunt, quæ delectent potius audientes, quam conuertant à vitijs, faciũt velamina super caput. *Orig ibid.*

Ipsa peccati nutrix adulatio, quæ sicut oleum flammis in culpa ardentibus solet administrare fomentum. *Beda super Luc. l. 5.*

Adulator est, qui tacet & dat consensum, ne offendat illum, quem credit habere propitium. *ibid.*

Adulator amicus in obsequio, hostis in animo, comptus in verbo, turpis in facto, lætus ad prospera, fragilis ad aduersa, in flatus ad obsequia, anxius ad opprobria, immoderatus ad gaudia, facilis ad humana, difficilis ad honesta. *Hug. de sanct Vict.*

Oleum peccatoris, est dilectio simulata verborum, quæ adulationibus, & blandimentis nostras mentes velut olei pinguedo, libenter ingrediẽs, rigorem veritatis emollit, & ad noxias cogitationes amoris ficti, vel potius ostentationis perducit. *Cassiod. super illud Ps oleum peccatoris non imping.*

Ficti adulatores quum cœnas diuitum captant, nihil prius meditãtor, quam illud quod putant gratissimum auditoribus fore: nisi quasdam insidias auribus fecerint. *Cassiod. in quadam epist.*

Adulatio blãda omnibus applaudit, omnibus falsa dicit, prodigos vocat liberales, auaros, parcos & sapientes: lasciuos curiales, garrulos affabiles, obstinatos constantes, pigros maturos, & graues, hæc sagitta leuiter volat, & cito infigitur. *ibid.*

Vitijs semper seruiunt blandimenta, lenocinantur dulcia delictis virtutibus vero austera, & fortia sunt amica. *Petr. Rauenn. in quodam sermone.*

Eliminat à palatijs adulatio veritatem, illi soli in magistratuum gratiam admittuntur, qui palpant blanditijs, & aures famæ bibulas calice Babylonis inebriant. Bene cum magistratibus ageretur, si scirent inter adulationem & laudem distinguere. Sæd cœca laudis ambitio plus credens alij de seipso quam sibi, vtrumque recipit indistincte. Ampliant eos beneficijs, quos torquere debuerunt, & à præsumptione adulandi supplicijs terrere. Mordacissimus detractor in absentia nihil principalius proponit, nisi quod placere existimat, Verba oris eius, iniquitas & dolus. Cum enim sal correctionis in omni sacrificio acceptetur à Domino, mel in omni sacrificio reprobatur. *Petrus Rauenn. in quadam epistola.*

Sunt nonnulli, qui, dum malefacta hominum laudibus efferunt, augent, quæ increpare debuerant. Hinc. n. per Prophetã dicitur: Væ his, qui consuunt puluillos sub omni cubito manus, & faciũt ceruicalia sub capite vniuersæ ætatis. Ad hoc quippe sub cubito puluillus, vel ceruical sub capite iacentis ponitur, vt mollius quiescat. Quisquis ergo male agentibus adulatur, puluillum sub cubito, vel ceruical sub capite iacentis ponit: vt qui corripi ex culpa debuerat, in ea fultus laudibus molliter quiescat. *Greg. l. 18. c. 3. Moral. & habetur d. 46. Sunt.*

Inter verba laudantium siue vituperantium ad mentem semper recurrendum est: & si in ea non inuenitur bonum, quod de nobis dicitur, magnam tristitiam generare debet. Et rursum si in ea nõ inuenitur malum, quod de nobis homines loquuntur, in magnã debemus lætitiam prosilire. Quid enim si non omnes laudant, & conscientia liberos nos demonstret? habemus Paulum dicẽtem, Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. Iob quoque dicit: Ecce in cœlo testis meus. *Idem, & habetur 11. q. 3. Inter verba.*

Sunt plurimi, qui vitam bonorum fortasse amplius, quam debent, laudant: & ne qua elatio de laude subrepat, permittit omnipotens Deus malos in obtrectationem, & obiurgationem prorumpere, vt si qua culpa ab ore laudantium in corde nascitur, ab ore vituperantium suffocetur. Hinc est, quod Doctor gentium se in prædicatione currere testatur, inter infamiam, & bonam famã: qui etiam dicit: Vt seductores, & veraces. *Idem, & habetur 6. q. 1. Sunt plurimi.*

Huius pestis pestilentia percutiunt principum literales, palatini, canes, adulationis artifices, fabri laudis, figuli falsitatis. Hi

sunt,

sunt, qui magniloqua condemnationis tuba in diuitum auribus Citharizant, qui modicæ adulationis fauos foras eructant, qui, vt emungant munera, caput diuitis oleo adulationis inungunt, prælatorum auribus puluinaria laudum subijciunt, qui ab eorũ pallijs aut fictitium puluerem excutiunt, aut vestem fictitiæ deplumant implumem. *Alanus de complanctu naturæ.*

Isti penes munera, laudes: penes dona fauores: penes precium præconia, famæ blandimentis constituunt. *Ibidem.*

Quid adulationis vnctio, nisi donorum emunctio? Quid commendationis allusio, nisi prælatorum delusio? Quid laudis arrisio, nisi eorundem derisio? *Ibidem.*

Adulatores à voluntate, vultum: ab animo, verbum: à mente, linguam: ab intellectu, loquelam amplo dissensionis interuallo dissibulant. Plerumq. enim exterius plausibiliter applaudendo collaudant, quos interius contradictoria derisione defraudant. Foris vultu adplaudunt virgineo: intus scorpionis pungunt aculeo: foris adulationis mellitos compluunt imbres, intus detractionis euomunt tempestates. *Ibidem.*

SANTENTIAE POETICAE.

Homerus in I. Iliad.

Ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς Ἀΐδαο πύλῃσιν
ὅς χ' ἕτερον μὲν κεύθει ἐνὶ φρεσίν, ἄλλο δὲ βάζει. idest,
Exosus mihi ille velut inferni porta,
Quid aliud quidē occultum habet in mentibus, aliud vero ore profert.

Euripides in Hippolyto.

Τοῦτ' ἔσθ' ὃ θνητῶν εὖ πόλεις οἰκουμένας,
δόμους τ' ἀπόλλυσ', οἱ καλοὶ λίαν λόγοι. idest,
Hoc est quod mortalium ciuitates bene habitatas,
Domosque destruit, grati valde sermones.

Idem Ibidem.

Οὐ γὰρ τὰ τοῖσιν ὠσὶ τερπνὰ δεῖ λέγειν,
ἀλλ' ἐξ ὅτου τις εὐκλεὴς γενήσεται. idest,
Non enim, aures quæ mulceant, loqui oportet,
Sed ea, ex quibus celebris aliquis fieri queat.

Phocylides.

Μηδ' ἕτερον κεύθοις κραδίῃ νόον, ἄλλ' ἀγορεύων. idest,
Noli aliam occultare in corde sententiam, & aliam proferre.

Plautus in Asinaria.

Pro monstro est, quando qui sudat, tremit.

Martial. Epigram. lib. 2. ad Nasicam.

Inuitas tunc me quum scis, Nasica, vocatum,
Excusatum habeas me rogo: cœno domi.

Martial. Epigram. lib. 1. ad Gargilianum.

Munera quod senibus: viduisq. ingentia mittis,
Vis te munificum Gargiliane vocem?
Sordidius nihil est, nihil est te spurcius vno,
Qui potes insidias dona vocare tuas.
Sic auidis fallax indulget piscibus hamus,
Callida sic stultas decipit esca feras.
Quid sit largiri, quid sit donare docebo,
Si nescis: dona Gargiliane mihi.

Martial. Epigram. lib. 12. in Pontilianum.

Mentiris, credo: recitas mala carmina, laudo:
Cantas, canto: bibis, Pontiliane, bibo.
Pedis dissimulo: gemmu vis ludere, vincor.
Res vna est sine me quam facias, & taceo:
Nil tamen omnino præstas mihi mortuus, inquit,
Accipiam bene te nil volo, sed morere.

Horat. Epistolar. lib. 1. epist. 17.

Tu recte viuis, si curas esse. quod audis,
Iactamus iam pridem omnis te Roma beatum:
Sed vereor ne cui de te plus quam tibi credas,
Neue putes alium sapiente bonoq. beatum,
Neu si te populus sanum recteq. valentem
Dictet, occultam febrem sub tempus edendi
Dissimules, donec manibus tremor incidat vnctis,
Stultorum incurata pudor malus vlcera celat.

Iuuenal. Satyr. 3.

Quid quod adulandi gens prudentissima: laudat
Sermonem indocti, faciem deformis amici,
Et longum inualidi collum ceruicibus æquat
Herculis Antæum procul à tellure tenentis,
Miratur vocem angustam qua deterius nec
Ille sonat quo mordetur gallina marito.

Ibidem.

Rides? maiore cachinno
Concutitur: flet, si lacrymas conspexit amici,
Nec dolet, igniculum brumæ si tempore poscas,
Accipit Endromedem: si dixeris, æstuo, sudat.

Iuuenal. Satyr. 4.

Nihil est, quod credere de se
Non possit, cum laudatur dis æqua potestas.

Persius Satyr. 1.

Non si quid turbida Roma
Eleuet, accedas examenue improbum in illa
Castiges trutina, nec te quæsiueris extra.

Ibidem.

Sed recti finemque extremumq. esse recuso
Euge tuum, & belle: nam belle hoc excute totum,
Quid non intus habet?

Ibidem.

Et verum inquis, amo, verum mihi dicito: dic me.

Ibidem.

O Iane, à tergo quem nulla ciconia pinsit,
Nec manus auriculas imitata est mobilis albas,
Nec lingua tantum sitiat canis Appula, tantum,
Vos ò patritius sanguis, quos viuere fas est,
Occipiti cæco posticæ occurrite sannæ.

Eunuch. Terent.

Omnia habeo, nec quicquam habeo: nihil cum est, nihil defit tamen.
Est genus hominum, qui esse primos se omnium rerum volunt,
Nec sunt: hos sector: hisce ego non paro me, vt rideant:
Sed his vltro arrideo, & eorum ingenia admiror simul:
Quicquid dicunt: laudo: id rursum si negant, laudo id quoque:
Negat quis, nego: ait, aio: postremo imperaui egomet mihi
Omnia assentari. Is quæstus nunc est multo vberrimus.

Ea Eclog. B. Mantuani.

Est & apud Reges rudis, timida, rustica turba,
Mimus, adulator, leno, assentator adulter,
Histrio, scurra, quibus virtus odiosa potentes
Mille modis abigunt: vt quando ead arua corui
Inuenere, fugant aues volucresq. ferasq.

Antholog. sacr. Iacob. Bill.

Lingua assentatrix vitium peccantis acertuat,
Et delectatum crimine, laude ligat.
Nulla sit vt lapso reparandæ cura salutis,
Blanditur sonitis dum male suasus honor.
Libera sit potius vox correctoris amici,
Serpere nec fibris cæca venena sinat.
Nec credens medici verbis fallacibus æger
Noxia laudata vulnera pestis amet.

Ibidem.

Non inter cicures palpone nocentior vlla est
Bellua, nec quæ plus gignat in orbe mali.
Vix etenim est vllus, cui non per verba propinet,
Quæ mage sint ipso dulcia melle necem.
Ac licet extincto coruus se corpore pascat,
Corporibus viuis abstinet ille tamen.
Sæuior at contra palpo nece parcit adempta:
At viuos blandis morsibus vsque petit.

PHILOSOPHICAE SANTENTIAE.

Φόβος κολακείαν μὲν ἐργάζεται, εὔνοιαν δ' οὐκ ἔχει.

Metus adulationem parit, sed beneuolentiæ expers est. *Democri.*

Διόρα καὶ τοὺς τέχνῃ κολακεύοντας, καὶ τοὺς μετ' εὐνοίας θεραπεύοντας ἵνα μὴ πλεῖον οἱ πονηροὶ τῶν χρηστῶν ἔχωσιν.

Discerne fraudulentos adulatores ab ijs, qui per beneuolentiam te colent: ne mali bonis præferantur. *Isocrat.*

Εὐλογέειν ἐπὶ καλοῖς ἔργμασι καλόν· τὸ γὰρ ἐπὶ φλαύροισι, κίβδηλον καὶ ἀπατεῶνος ἔργον.

Recte facta collaudare, honestum est: mala vero laudibus vehere, adulterini animi ac impostoris est. *Democrit.*

A turba, quantum potes, te separa, ne adulatoribus latus præbeas. Artifices sunt ad capiendos superiores, par illis etiam, si bene caueris, non eris. Sed mihi crede, si capiaris, ipse te trades. Habent hoc in se naturaliter blanditiæ, etiam quum reijciuntur, placent: sæpe exclusæ nouissimè recipiuntur: hoc enim ipsum imputant, quod repellunt, & subijci quidem nec contumeliæ possunt. *Senec. 1a. epist.*

Cito nobis placemus, si inuenimus, qui nos bonos viros dicant, qui prudentes, qui sanctos. Non sumus modica laudatione contenti, quicquid in nos adulatio sine pudore congessit, tamquam debitum prendimus: optimos nos esse & sanctissimos affirmantibus assentimur, cum sciamus sæpe illos mentiri. Adeo quoque indulgemus nobis, vt laudari velimus in id, cui contra tamen maxime facimus. *Senec. 60 epist.*

Alexander, cum in obsidione cuiusdam vrbis circuisset muros, ictu sagittæ percussus, quum represso sanguine sicci vulneris dolor cresceret, & crus obstupuisset, coactus absistere: Omnes (inquit) iurant me esse filium Iouis, sed vulnus hoc hominem me esse clamat. Idem nos faciamus, dicamusque: Vos quidem dicitis me esse prudentem, ego autem video, quam multa inutilia concupiscam, nocitura optem. *Senec. ibid.*

Intus teipsum considera, non qualis sis alijs credas. Plerumque boni inepti & inertes vocantur: mihi contingat iste derisus. Aequo animo audienda sunt imperitorum conuitia, & ad honesta vadẽdi contemnendus est iste contemptus. *Senec. 77. epist.*

Adulatio apertis & propitijs auribus recipitur, in præcordia ima descendit,

descendit, venit ad me pro amico blandus inimicus. *Sen. 43. epist.*

O te felicem hominem, si nihil habes, propter quod quisquam tibi mentiantur, nisi cum iam etiam causa sublata est, mentitur cõsuetudinis causa, adulator blandus consilium dabit, quod deliberanti gratius fore suspicabitur. Cassæ fidei sunt, qui iugiter blandiuntur. *Senec in epist. 21.*

Adulatio quam similis est amicitiæ: non imitatur tantum illam, sed vincit & præcedit, eo ipso gratiosos facit, quo lædit. Vitia nobis sub virtutum nomine obrepunt: Temeritas sub titulo fortitudinis latet, Moderatio vocatur ignauia: pro cauto timidus accipitur, in his magno periculo erramus. *Senec. in epist.*

Monstrabo tibi, cuius rei inopia laborant magna fastidia, & quid omnia possidentibus desit. vnum scilicet, qui verum dicat, dum nemo ex animi sui sententia dicit & suadet: sed adulandi certamen, est vnum amicorum omnium officium. *Senec. in epist.*

Malum hominem blande loquentem agnosce tuum laqueum esse. Habet enim suum venenũ blanda oratio: Diogenes cuidam laudanti dixit: Adulator desine vtrumque facere, nihil proficis, cũ te intelligam. *Senec. in epist.*

Venena non dantur, nisi melle circumlita. Bonum est laudari, sed præstantius est esse laudabilem. *Seneca de benef. & morib.*

Adulationem recipere, & adulari, detestabile est. Laudare præsentes adulatoris est. Omnes blanditores obsequiosi, seruiles & humiles sunt. Amatores adulationis iniusti sunt. *Aristot. lib. Rhetor. & Ethicor.*

Cauendum, ne assentatoribus patefaciamus aures, & ne adulari nos sinamus: in quo falli facile est: tales enim nos esse putamus, vt iure laudemur: ex quo nascuntur innumerabilia peccata. *Cic. Offic. lib. 1.*

Nec simulatum quicquam potest esse diuturnum. *Idem.*

Simulatio benignitatis vanitati est coniunctior, quam aut libertati aut honestati. *Idem.*

Habet adulatio principia iucunda: eadem exitus amarissimos habet. *Item:* Nolo esse laudator, ne videar adulator. *Idem Rhetor. lib. 2.*

Cuius aures clausæ sunt veritati, vt ab amico verũ audire nequeat, huius salus desperanda est. *Idem lib. de amicitia.*

Adulatio similis est panopliæ pictæ. Delectat enim solum: nihil vero vtilitatis præbet. *Item:* Ligna quidem augendo ignem ab ipso igne consumuntur: diuitiæ autem, cum nutriunt adulatores, ab his ipsis perduntur. *Item:* Vt corui inuolantes cadauerum oculos effodiunt: sic adulatores suis laudationibus rationem & mentem humanam corrumpunt. *Item:* Lepori canem, amico adulatorem natura infestum esse cogitandum est. *Item:* Lætandum magis reprehensoribus, quam assentatoribus: illi enim veluti stimulo animos excitant. hi vero gratificantes dissoluunt & subuertunt. *Item:* Nec vxori meretricem, nec amicitiæ adulationem præponere debemus. *Plutarch. in Opusc.*

Corui mortuorum oculos corrumpunt, quum iam eorum nullus est vsus, at adulatores viuorum animos perdunt, & animarũ oculos excæcant. *Item:* Simij iræ comparantur adulatorum iræ. *Itẽ:* Approbato eos, qui bene consulere cupiunt, non etiam eos, qui vbique adulari student; illi enim vtile in veritate cernunt: hi vero ea, quæ potentibus placent, spectant, corporumque vmbras imitantes, omnibus illorum dictis assentiuntur. *Epictetus in Enchir. & dissert.*

Delphini, quousque vnda subest, comitantur natantes, in littua vero nunquam egrediuntur: sic adulatores in sereno rerum statu manent: sicut qui amicos ad peregrinationem euntes deducunt, dum via plana est: cum asperior incipit, recedunt. *Sotion. lib. de ira, apud Stob.*

Qui delectat emolumenti sui causa, vt inde sibi proueniat in pecunijs, & ijs, quæ pecunijs comparantur, vtilitas, adulator vocatur. ἄρεσκος seruus, qui in omnibus ita se accommodare studet, vt fauorem emereatur quoquo modo, vel voce vel gestu, id quod sanè seruile est, & indignum plane libero ingenio. *Aristot. lib. 3. Ethicorum.*

Nulla in amicitijs pestis est maior, quam assentatio, blanditiæ, adulatio. *Cic. in Lælio.*

Simulatio amicitiæ repugnat maxime: delet enim veritatem, sine qua nomen amicitiæ valere non potest. *In Lælio.*

Semper auget assentatio id, quod is, cuius ad voluntatem dicitur, vult esse magnum. *In Lælio.*

Cauendum est, ne assentatoribus patefaciamus aures, nec adulari nos sinamus, in quo falli facile est: tales enim nos esse putamus, vt iure laudemur. *In Lælio.*

Assentatio, quamuis perniciosa sit, nocere tamen nemini potest, nisi ei, qui eam recipit, atque ea delectatur. Ita fit, vt is assentatoribus patefaciat aures suas, maximè, qui ipse assentitur, & se maximè, ipse delectet. *In Lælio.*

In obsequio comitas adsit, assentatio vitiorum adiutrix procul amoueatur, quæ non modo amico, sed ne libero quidem digna est. *In Lælio.*

Turpis est assentatio. *Ad Attic lib. 13. In Lælio.*

Blanditia, cum vitiosa sit, ac turpis in cætera vita, tamen in petitione magistratus est necessaria: beneuolentiam tamen ciuium blanditijs & assentationib. colligere turpe est. *De petition. Consul.*

Mihi hæreditates non honestæ videntur, si sint blanditijs officiorũ, non veritate, sed simulatione acquisitæ. *3. Offic.*

Quantum malum adulatio.

Adulationem perpetuum esse malum Regum, quorum opes assentatio sæpius, quam hostis euerterit, Q. Curtius scribit: Abs quo proditum item scimus, id esse nationis Siculæ vitium proprium germanumque. Cynicum Diogenem scite admodum & vere solitum dicere accepimus, κρεῖττον εἶναι ἐς κόρακας ἀπελθεῖν ἢ ἐς κόλακας, id est, Præstare ad coruos redigi, quam adulatoribus exponi. Quoniam illi morticina modo consectentur, hi etiamnum viuos bonosque laniatu pestifero excarnificare non desinant. Et Anaxillas dixit, adulatores esse diuitum σκώληκας, id est, vermes, *ex lib. 20. lect. antiq. Cœlij. cap. 33.*

Monet Seneca, adulatoribus non esse præbendum latus, qui artifices sint ad captandos superiores: habere enim hoc in se naturale blanditias, vt quum reijciantur, etiam placeant, sæpeque exclusas nouissime recipi. Remedium tanti mali est, nolle laudari. Et alibi Seneca: Pro sua quemque portione adulatio infatuat. Vos quidem dicitis, me esse prudentem, ego autem video, quam multa inutilia concupiscam, nocitura optem. *Idem.*

Adulatorum guttur dicitur in Psalmo sepulchrum patens. In præceptis ciuilibus Plutarchus scribit, Demetrij adulatores indignũ putasse, quo illum, opinor, arctius illaquearent, ac compeditum tenerent, ceteris regium nomen impertiri. Nam Seleucum Elephanterachen nuncupabant: Lysimachum vero Gazophylacea, at Ptolomæum Nauarchum: Agathoclea Nesiarchem. Idem alibi Plutarchus, nil intentius cauendum, quam adulatores, monet. Quoniam nullum sit perniciosius genus, quodque in præcipitiũ festinantius iuuentutem agat: quippe parentes ac liberos radicitus exterunt. *Idem.*

APOPHTHEGMATA.

Pythagoras. Pythagoras potius gaudendum redarguentibus, quam assentationibus dicebat, quos etiam hostibus deteriores iudicabat *Stobeus serm. 12.*

Alexander. Aristobulus historicus librum conscripserat de rebus ab Alexandro Macedone gestis, in quo multa supra viri fidem adulantissime affinxerat, eum quum illi in nauigatione recitasset, Alexander arreptum è manibus librum in fluuium Hydaspen demersit, & ad Aristobulum conuersus: Tu, inquit, dignior eras, vt eodem præcipitareris, qui solus me sic pugnantem facis, vt vel vno iaculo interficiam elephantes. *P. M. libro 8. apophteg.*

Idem, validissima quadam rupe capta, quum amici dicerent, illum egregijs gestis Herculem superasse: At ego, inquit, meas res gestas in imperio ne verbo quidem cum his, quæ gessit Hercules, arbitror conferendas. Adulabantur illi, sed huius animo nulla satisfaciebat adulatio. *Plutarchus in apophthegmat. Regum & Imperatorum.*

Cicero cuidam nuntianti, Cæsaris amicos esse tristes: Hoc dicis, inquit, illos Cæsari male cogitare? Irrisit adulantem nuntium, quasi Cæsariani rebus suis diffiderent, metuerentque Pompeiũ. *Plut. in Rom. apoph.*

Idem Nolo, inquit, esse laudator, ne videar adulator. Et, habet adulatio principia iucunda, sed exitus amarissimos adfert. Item, cuius aures clausæ veritati sunt, ut ab amico verum audire nequeat, huius salus desperanda est. *Rhetoric. libro 5. & libro de amicitia.*

Augustus. Augustus Romanorum Imperator Tarraconensibus pro læto ostento ei nunciantibus, quod in eius ara palma esset nata. Apparet, inquit, quam frequenter accendatis. Quod illi Dijs tribui volebant, ille tribuit illorum negligentiæ, qui nunquam in ara Cæsaris adolerent incensum. *P. M. 4. apophthegm. ex Suetonio.*

Furnius Antonij partes sequutus fuerat. At posteaquam victoria cessit Augusto, metuens sibi, subordinauit filium, qui à victore veniam peteret. Petijt, & Impetrauit. Tũ Furnius his verbis gratias Cæsari egit: Hæc vna, ò Cæsar, abs te mihi facta est iniuria, effecisti, vt mihi & viuendum & moriendum sit ingrato: significans, tantam esse eius beneficij magnitudinem, vt nulla ex parte essent referendæ gratiæ. Reprehẽsionis colore blanditus est principi. *P. M. 8. apoph.*

Sfortia. Quum quidam apud Sfortiam, vt eius sibi gratiam compararet, Tartariam accusaret, quod in conuiuio quodam eius famam criminose lacerasset. Sfortia animaduertens adulatoris improbitatem: Non opus est, inquit, vt hac in re multum persuadẽdo me labores, quum Tartalia omnibus maledicat. Peracute delatorem auertens, simul & sua vitia Tartaliæ obiectans. *Paulus Iouius de rebus gestis Sfortiæ c. 85.*

Idem, ex Sicilia nauigans quum vidisset garrulas aues triremem circumuolantes, attentasque, si quis bolus è triremi decideret, certatim illum arripere: quæque arripuisset, celeriter illam aufugere, conuersus ad suos, dixisse fertur: Persimiles sunt his garrulis purpurati & curiales aliquot mei. Simulac enim aliquod munus

aut

aut beneficiū dimicantes inuicem à me acceperint, profugiunt. Notauit autem elegantissime assentatorum mores, qui vbique præsto sunt, dum quod accipiāt, habemus in promptu, quo ablato, refugiunt, nunquam nisi vrgente necessitate redituri. *Panor. lib. 1. de rebus gestis, Alphonsi.*

Baltassar Cossa, is pontificatum adeptus maximum Ioannes tertius & vicesimus dictus, sæpenumero supra modum laudatus, inquit. Quamuis ficta de me dici sentiam, tamē iis, quæ præclara de me prædicantur, plurimum oblector. Vnde sunt, qui putant nō probandos esse, qui prorsus non ferunt vllam adulationem, quod in hoc prosit, vt intelligat laudatus, qualis esse debeat. *Aeneas Syluius lib. 1. de dictis & fa. his Alphonsi.*

Aristides, ita est (inquiebat) ingenium hominum, vt facile admittant eos, qui sciunt obsequi, ac inseruire studijs cuiusque. Hi enim soli iam benigni, ac vere viri æstimantur. At contra videre est, quam rigidi putentur, qui ab omni assentandi studio alieni, modestiam inducere moliuntur. *Stobæus.*

Aristippus, quum male audisset a Diogene, quod Dionysium coleret: Si Diogenes, inquit, sciret vti regibus, non vesceretur crudis indies oleribus. *Idem.*

Antisthenes, satius esse dicebat, incidere in coruos, quam in parasitos. Hi enim viuentis animum corrumpunt: illi solum mortui corpus. *Laert. lib. 6. cap. 1. Erasm lib. 1. cap. 7. Hoc alij Diogeni adscribunt.*

Idem. Vt meretrices bona omnia præter mentem, & prudentiam suis amatoribus imprecantur, eodem modo adulatores iis, quibus cum agunt. *Stobæus.*

Democritus, dicere solebat, recte quidem facta laudare honestum esse: mala vero laudibus vehere adulterini esse animi, & impostoris. *Idem.*

Crates. Parasitos συγκαταινεσιφάγους (quasi quis Latine conepulones dixerit) quod omnium dictis facile inter epulas annuant. *Stobæus.*

Idem, ad opulētum adolescentem, quem parasitorum comitabatur turba. Adolescens, ait, miseret me tuæ solitudinis. *Stobæus.*

Idem, eos, qui cum adulatoribus viuerent, aiebat esse desertos, non aliter, quā vituli sunt inter lupos. Neque enim illos adesse quos oportet, neque cū iis, qui adsunt, habere societatem, quam sint insidiatores. *Laert. lib. 6. cap. 1.*

Clearchus Solensis, adulatorum mores dicebat humiles esse atque seruiles: breui tempore artem eorum durare, nemo enim parasitum canum amat. Materia quoque fingendi tempore consenescit. *Athenæus.*

Anaxilaus, adulatores assimilabat vermibus, qui triticum nacti nō discedunt, donec vacuum reddiderint: sic illi diuitum substantiam rodunt. *Athen. ex Theophrasto.*

Aristonymus sæpenumero dicere solebat: Ligna dum augent ignem consumi ab ipso. Opes dum alunt adulatores, ab eis ipsis perire. *Stobæus.*

Demaratus, postquam cum ipso colloquium Orōtes habuisset asperius, cuidam dicenti: Asperius tecum egit Orontes, ò Demarate: nihil, inquit, in me peccauit. Siquidem qui ad gratiam colloquūtur, hi lædunt, non qui duriua, cumque maleuolentia verba faciunt. *Plut. in Lacon.*

Parysatis, præcipere solebat, vt qui Regem conueniret, eum alloquuturus, verbis byssinis vteretur: hoc est, mollibus, talis enim à Regibus expetitur oratio, non austera, & ad viuum resecans. *Plut. in apoph.*

Clisophus. Philippo iacenti in ipsum scommata, & admodum hilari. Ergo posthac, inquit, te non alam. Lepide inuertens rem, nam Reges in hoc alunt parasitos, vt illorum dictis exhilarentur. Quod si ipsi Reges inter se norint ludere, & in alios ridicula dicere, nihil opus sit parasitis, quum ipsi ootine parasitus agere, alioqui parasiti magis alunt Reges, quam Reges parasitos. Quanquam Plutarchus in Sympoliacis ita refert. ἀυτ' ἐγώ σε τρέφω, id est, non ego te alo: notans Regem, quod versa rerum vice pro Rege ageret morionem: Tu me alis, vt ridiculis dictis te exhilarem, non ego te. *P. M. lib. 6. apoph.*

Eudæmonicus, Alexander habebat Eudæmonicum philosophum, sed quouis parasito adulantiorem. Hic, quum aliquando tonaret vehementer, adeo vt omnes expauescerēt, dixit Alexandro: Quin tu tale quippiam facis, Alexander, fili Iouis? At ille non ferens, tam abiecti philosophi vocem, ridens ait; Nolo enim formidabilis esse, quemadmodum tu me doces, qui Satraparum, ac Regum capita me iubes super cœnam apponere. Sic Athenæus Plutarchus in vita eius secus aliquanto. Quid mihi succenses, quod pisces apponam in conuiuio, ac non potius Satraparum capita? *P. M. lib. 6. apoph.*

Alexander Macedo, quum in Hammonis templum venisset, sacerdos grādæuus illum salutauit: Salue fili, & hanc salutationem à Deo habeas. Tum Alexander: Lubens, ò pater excipiam eam salutationem, & post hæc lubens tuus ero filius, si mihi totius orbis imperium concesseritis? Sacerdos autem cū se intro recepisset, quasi Deum consulturus, respondit, Iouem id promittere, quod petijsset. Iterum ab eodem scire cūpiebat Alexander, num eorum aliqui superessent, qui patrem Philippum interfecissent, ad quę Sacerdos ait. Interfectores iam dudum dignas dederunt pœnas, qui Philippum occiderunt, sed patri tuo nemo mortalium potest tendere insidias. Tales sunt hodie adulatores, qui sub prætextu pietatis blandiloquio principes terrarum seducunt, dum eos quasi Deos extollunt, & mira adulatione ad quiduis tentandum extimulant, nullam aliam ob causam, quam vt ita principibus placeant, vt tamen nihil de dignitate, potestate, & authoritate illis decedat. *Vide Plut. in vita Alex. & Q. Curtium.* *Polyanthea Nouiss.*

Anaxarchus, quum Alexandrum se ob Cliti necem discruciantem videret. Nescis, inquit, ius, & fas adsidere Ioui, quicquid Rex facit, id iustum fasque sit? *Laertius libro 9. cap. 10. Plutarchus in Alexandro.*

Cœlius, Cliens quidam, cum Cœlio oratori omnia in sermone concederet, ille iam longa assentatione euocatus, dic, ait, contra, vt duo videamur. *Seneca.*

Cicero, quum Crassus dixisset, Neminem Crassorum Romæ vixisse diutius annis sexaginta, deinde pœnitens eius sermonis adderet, Quid mihi accidit, vt hoc dicerem? M. Tullius, Sciebas, inquit, Romanos hoc libenter audituros, & ista via venisti ad Rempubl. gubernandam, duo significans, & Crassorum nomen inuisum esse Romanis, & illum non virtute, sed blandiendo preuectum ad honores. *P. M. lib. 4. apoph.*

Seneca, Alexander cum in obsidione cuiusdam vrbis circuisset muros, ictu sagittæ percussus, quum represso sanguine sicci vulneris dolor cresceret, & crura obstupuisset, coactus absistere: Omnes, inquit, iurant me Iouis esse filium, sed vulnus hoc hominem me esse clamat. Idem nos faciamus: dicamus, vos quidem dicitis me esse prudentem, ego autem video, quod multa inutilia concupiscam, nocitura optem. *Epist. 60. ad Lucil.*

Constantinus Imperator spadonum, atque assentatorum in principū aulis tantus erat hostis, vt eos tineas, atque sorices palatij appellare crebro sit solitus. *Nicephori interpres. & Scholiastes lib. 8. cap. 5. Ecclesiast. histor.*

Sigismundus Imperator, assentatores se veluti pestes odisse, cum diceret, Brunetius Neronensis respōdit, tamen nullum genus hominum magis amas, quam adulatores. Tum Sigismundus: Vincis sane, inquit. Ita enim natura comparatum est, vt quum vitandos esse adulatores dicimus, tum maxime illis hæreamus. Nam nec tu mecum, tam diu fuisses, nisi meis moribus blādire assueuisses. *Aeneas Syluius de dictis Sigis. & Friderici Impp.*

Idem. Quum adulatores odio haberet, cuidam supra modum eum laudanti, & Dijs similem esse dicenti, alapas dedit, dicentique illi: Cur me cædis Imperator? Cur me, inquit Sigismundus, mordes, adulator? *Aeneas Syluius lib. 1. Comment. de rebus gestis Alphonsi.*

Timon Philosophus, cum vidisset Arcesilaum inter assentatores euntem: Quid tu, inquit, venisti huc vbi sumus nos, qui liberti sumus? Sensit vir prudentissimus, libertati nihil magis obstare, quā assentatores. *Refert Laert. lib. 9. c. 12.*

Antigonus. Hermodotus Antigonum in carmine scripserat Iouis filium. Is hoc legens: Illius, inquit, rei nequaquam mihi conscius fuit Lasanophorus ille per quam facere, ridens poeticam adulationem, parique modestia sui generis humilitatem agnoscens. Lasanus autem matula fictilis est, Quod si Iouis erat filius, ea res hactenus fefellerat, & seruum matulam in cubiculo ferre solitum, & Antigonum Iouis filium. *Plut. in apoph.*

Arcadion. Is odio Philippi Macedonis sponte deseruerat patriam. Euenit autem, vt Philippo Delphis agente, & ipse adesset. Eum ergo Rex accersitum rogauit: Quousque fugies Arcadion? Donec, inquit, peruenero, vbi nemo norit Philippum. Quis non miretur eam libertatem in adulatore? Sed hac libertate delectatus Rex vocauit illum ad cœnam, itaque cum eo in gratiam redijt. Quanquam libertati suberat adulatio: subindicans, Philippum nusquam non esse celebrem. *P. M. lib. 6. apoph.*

Agis Argiuus, adulator, videns Alexandrum ingentia munera dedisse cuidam ridiculo, exclamauit: O rem vehementer absurdam. Quum Alexander hac voce excitatus, dixisset, Quid tu ais? Fateor, inquit Agis, me pati non posse, quum videam vos è Ioue prognatos, omnes pariter assentatoribus delectari. Siquidem & Iupiter Vulcanum habet pro morione, & Hercules Cercopibus & Bacchus Silenis delectari consueuit. Tales videmus, & apud te magnifieri Pellilensissimum adulationis genus, sub libertatis imagine blandiri. *P. M. lib. 5. apoph.*

Anonymus. Tiberio senatum ingrediente, surgens adulator quidam exclamauit, esse libere loquendum, nec reticenda, quæ ad Rempubl. attinerent. Erectis ad hanc vocem omnibus, ipso etiam Tiberio attento: Audi, inquit, Cæsar, in quo te reprehendimus omnes, licet nullus audeat palam fateri. Impendis teipsum nobis corpus tuum diurnis nocturnisque laboribus, & curis pro Rep. conficiens. Huiusmodi multa cum diceret, sub libertatis prætextu turpiter adulans, C. Seuerus subiecisse fertur: Ista tanta libertas hunc hominem dabit exitio. *Pau. Man. lib. 6. apoph. Brufon. lib 3. cap.*

3. *cap.* 16. *ex Suetonio.* & *Tacito.*

Tiberius, adulandi studium in primarijs Reipub. Romanæ viris detestatus, & indigne ferens, quantumuis tyrannidis amicus, quoties è Senatu egrediebatur, apud se exclamabat, ò homines ad seruitutem paratos. *Tacitus.*

Isocrates, adulatores, vt impostores odio esse habendos suadebat. Creditores enim vtrique in re quauis sibi credita fallunt. *Stob. Max. ser.* 11.

Philo. Philo dicere solebat fraudulentos adulatorum sermones auersandos esse, qui cum animæ rationem non habeant, veritatē in rebus perspicere non sinant. Aut enim laudant vituperanda, aut vituperant sæpe, quæ omnem laudem excellunt. *Anton. in Meliss.* 52. *Max. ser.* 11.

Apollonius rogatus à rege Babylonio, qua ratione quietu Imperio frui posset? respondit, Si paucis credideris. *Brus. lib.* 3. *cap.* 13.

Crispus Passienus dicebat adulationi non esse claudendum ostium, sed aperiendum, verum vt solet amicæ: quæ si impulit, grata est: gratior, si effregit. Sensit non probandos eos, qui prorsus non ferunt vllam adulationem: quam vt affectare turpe est, ita ingerentem se non oportet omnino repellere. Prodest enim in hoc, vt homo perspiciat, qualis esse debeat. *P. M. lib.* 8. *apoph.*

Phocion, Antipatro petenti, vt in gratiam suam faceret quoddam, quod cum iustitia non conueniret: Non potes, inquit ô Antipater, Phocione simul amico, & adulatore vti, amicus enim non ad quiduis obsequitur, adulator autem in omnibus obsecundat. *Plut. in Græcorum apoph. Anto in Mel* §. *Maxim. ser.* 11.

Bion eos, qui auscultarent adulatoribus, dicebat esse similes amphoris, quæ auribus circumaguntur. *Pau. Man. apophteg. ex Plutarcho.*

Idem interrogatus, quod esset animal omnium maxime noxium? Si de feris, inquit, percunctaris, tyrannus: si de mitibus, adulator. *Laert. lib.* 1. *c.* 6. *Plutarch.*

Diogenes, Oratores, qui in summo pretio apud Athenienses habebantur, vocabat turbæ ministros: quod ad gratiam loqui cogerentur, ac seruiliter adulari stolidæ multitudini. *Laertius libro* 6.

Idem, Orationem blandam non ex animo proficiscentem, sed ad gratiam compositam, vocare solebat melleum laqueum, quod blande amplectens hominem iugulet. *Laert. lib.* 6.

Idem aiebat, in assentatione, veluti sepulchro, aut statua quapiam, nomen solum amicitiæ inscriptum esse. *Stobæus.*

Idem interrogatus, quænam bestia morsum haberet omnium nocentissimum? respondit: Si de feris interrogas, est obtrectator: si de mansuetis, est adulator, Nam obtrectator quidē præ se fert odium, adulator autem sub amici persona multo lædit grauius. *Laert. lib.* 9. *Stob.* & *Brusen. lib.* 1.

Idem, Græci, si cui precantur exitium, iubent abire ad coruos, *εἰς κόρακας*. At Diogenes dicere solebat, multo periculosius esse incidere in assentatores, quam in coruos. Dicti iucunditas perit nobis, quæ est in Græcarum vocum affinitate. Nam *κόρακας*, appellant coruos, & vnica literula mutata *κόλακας*, adulatores. Hoc dictum tribuitur, & Antistheni. *Laert. Paul. Man.*

Idem, interrogatus, ob quæ facta canis nomen vulgo sortitus esset. Quoniam dantibus blandior, inquit, non dantibus oblatro, malos etiam mordeo. *Laert. lib.* 6.

Idem. Aristippum Philosophum, & Socratis discipulum vocabat regium canem, quod Dionysio Siciliæ tyranno adularetur. Est enim canis animal ad adulationem, & assentationem promptissimum. *Laert. lib.* 2. *cap.* 8.

Epictetus, audiens quendam adulatoribus facile suas aures præbentem, corui, ait, mortuorum cadaueribus oculos euellunt, neque id iniuria, nullus enim vita functo luminis vsus est. At adulatores viuentium animos corrumpentes, omnem illis visum adimunt. *Stobæus, Antonius in Meliss. part.* 5. 52. *Maximus serm.* 52.

Themistius, quum videret Iouiani Romanorum Imperatoris aulam assentatoribus refertam esse, perfacete atque luculenter illos irridens, ea moribus deprehendi, ait, purpuram ipsos magis, quā Deum colere, neque aliqua re ab Euripo differre, nunc huc, nūc illuc, atque in contrarium adeo momentum refluente. *Nicephorus Callistus lib.* 10. *cap.* 42. *Histor. Eccles.*

Seneca dicebat, sicut qui amicos peregre abeuntes, dum via plana est, deducunt, dum asperior esse incipit, recedunt. Ita adulatores comitantur diuites, & luxu diffluentes viros, ac sumptus cū deficit, statim referunt pedem. *Stobæus serm.* 12 & *Maxim. serm.* 11. *ex Senecæ lib. de ira.*

Phauorinus. Actæon ab alumnis suis canibus interijt: parasiti eos, à quibus aluntur, perfundant. *Stob. ibid.*

Plato, quum Diogenē offendisset olera lauantem, dixit illi: Si Dionysio morem gessisses, profecto non lauares olera. Diogenes vicissim Platoni: Si tu lauares olera, Dionysio non inseruisses. *Laert. lib.* 6.

SENTENTIAE HISTORICAE.

Nihil dulcius, quam nulli hominum stipendij gratia adulari, sed vnumquemque sibi ipsi sufficientem ad res necessarias suppeditandas existere. *Xenophon, de reb. gest. Græc. lib.* 5.

Ex plebis adulatione omnis tyrannis nascitur. *Dionys. Halicarn. lib.* 6.

Moribus corruptis adulatio perinde anceps est, si nulla, quam vbi nimia est. *Tacit. Annal. lib.* 4.

Veritati adulatio officit. *lib.* 6.

Laus falsa, & precibus expressa, perinde cohibenda quam malitia, quam crudelitas. *lib.* 15.

Plura sæpe precantes, demeremur, quam dum offendimus. *Idem ibid.*

Semper magnæ fortunæ comes adest adulatio. *Velleius Paterc. lib.* 2.

Perpetuum malum regum adulatio. *Q. Curtius lib.* 8.

Adulatio, vitiorum altrix. *Ammian. Marcell. lib.* 20.

Adulationes, vetus in Repub. malum. *Tacitus Annal. lib.* 2.

ADULATIONIS, *Adulantis*, & *Adulatorum characteres.*

Adulationem putet aliquis esse turpem vitæ quotidianæ consuetudinem, sed quæ adulatori conducat. Adulator autem is est, qui si cum aliquo ambulet, ei dicat, viden' vt omnes in te oculos conuertunt? fit hoc nemini ex omnibus ciuibus, præter quam tibi. Heri in portícu magnum bonæ existimationis tuæ fructum capiebas. Nam quum homines ibi plus quam triginta sederent, sermoque incidisset, Ecquis ciuium esset optimus? & orsos ab ipso, & in eiusdem nomen simul omnes recidisse. Hæc ille loquitur, aliaque his similia. Idem ex illius vestimentis cui assentatur, floccos solet eximere. Quod si qua palea, vel festuca à vento acta illius capillamento adhæserit, tollit adulator, & simul deridēs, En, inquit, quia biduo hoc ego te non vidi, vt canitie barba tibi est referta? atqui tu sane, qui id ætatis homo, sis, habes, vt si quis alius capillos nigros. Iam si loquatur ille, hic vero adulator silentium omnibus imperare, in os laudare, dicenti voce gestuq; applaudere, & vbi finem dicendi fecerit, dictum bene, acclamare. Quod si quem ille tale aliquo perstrinxerit, eūdem iste acerbe irridebit, vestemque sibi in os indet, quasi risum tenere non queat. In via si qui fiant obuij, sistere gradum iubet, donec ille transierit. &c. *Theophrast. in characterib. Ethicis.*

Adulator aulicus ita describitur à Tacito, Egens, ignotus, inquies, dum occultis libellis sæuitiæ principis adrepit, mox clarissimo cuique accessit periculum, potentiam apud vnum, odium apud omnes adeptus, dans exemplum quod secuti ex pauperibus, diuites, ex contemptis metuendi, perniciem alijs, ac postremo sibi inuenerunt. *Annal. lib.* 1.

Quidam adulationi libertatem veluti subausterum condimentum admiscent, quo proteruæ inter pocula loquacitati tædium amoueant, & satietatem, idque consequantur, vt assentientes & concedentes quoties de re graui sermo inciderit, non gratiam captare, sed prudentia inferiores videantur. *Plut. in Antonio.*

Iis omnia principum honesta, atque inhonesta laudare mos est. *Tacit. Annal. lib.* 2.

Cum fortuna principis potius loquuntur quam cum ipso. *Idem Histor. lib.* 1.

Ita compositi, vt ex euentu rerum aduersa abnuant, vel prospera agnoscant. *Hist. lib.* 3.

Veri copiam non faciunt, Sed suspensa, & quo ducantur inclinatura respondent. *Annal. lib.* 15.

Aulæ in perniciem suam alunt laudatores malorum, bonorum iustitiam simulantes. *Nicetus Acom. Andronic. lib.* 2.

Vt gutta continuo stillans durum etiam saxum excauat, & arborū folia erucæ absumunt, ita adulatores ad extremum pusillis animis præditos homines absumunt. *Const. Manass. Annal. pag.* 117.

SIMILITUDINES.

Veluti lupus animal est cani simile: Ita, & adulator, & adulter, & parasitus amico similis est. Animum igitur aduorte, ne canum custodū vice perniciosos lupos nescius admittas. *Apud Stobæum serm.* 3.

Vt medico carnem secante, manus concinnitatem quandam, & elegantiam seruat, abest autem saltatoria gesticulatio: Ita libertas admittit vrbanitatem, seruata grauitate. Adulator ritu inepto, scurrilibusque iocis libertatem, veluti malis condimentis edulcat. *Plut.*

Item, quasi præceptor puerum de stylo, ac tabula obiurget: barbarismum, aut solœcismum committentem dissimulet. *Plutarchus.*

Item, quasi malus orator, nihil ad argumenta respondens, vocem, aut codicillos diligentis scriptoris calumniatur. *Plut.*

Perinde ac si quis hominis tuberibus, ac fistulis laborantis medicus similio pilos, & vngues secet: Ita adulator libertate vtitur in ijs, in quibus non est opus. *Plut.*

Bene olet vnguentum, bene olet, & pharmacum: verum illud ad nihil vtile, nisi vt delectet: hoc præter odorem maiorem habet

ber vtilitatem: sic adulator tantum iucundus, amicus etiam vtilis & necessarius. *Plut.*

Pictura colores habet iucundos: sunt & pharmaca grati coloris: si amicus ideo delectat, vt iouet: adulator tantum delectat. *Plutarchus.*

Vbi corpus vitiosis inflatum humoribus, ibi adsunt bubones: sic vbi irascitur, amat, odit amicus, id premit adulator. *Plut.*

Pharmacum non adhibitum in loco, dolet absque fructu, sic obiurgatio non vt debet admota. Atque idem facit amicus cum molestia, quod adulator cum voluptate. Lædit enim vterque. *Plutarchus.*

Mala pictura, fractis vestibus: rugis, & angulis rem repræsentat, & adulator sudoribus, clamoribus, amicum imitator, nihil exhibens sincerum. *Plut.*

Simia cum nec domum possit seruare more canis, nec onera gerere, quemadmodum equus: nec arare sicuti boues, parasitatur ac risum mouet, sic adulator cum in serijs grauibus rebus nesciat esse vsui, voluptatum minister est. *Plut.*

Quidam male pinxerat gallos gallinaceos, iussitque poero, vt veros gallinaceos procul abigeret à tabula, ne collatione deprehenderetur, sic adulator veros amicos pro viribus abigit, ne ex illorum comparatione deprehendatur fictus amicus. *Plut.*

Puluinaria mulierum, quanquam videntur renti, ac resistere capitibus, ceduot magis & accommodant sese, sic libertas adulatoris rimet quidem, sed in se recipit inclinantem. *Plut.*

Vt difficile deprehenduntur bestiæ, quæ ad loci similitudioem mutant colorem, sic eos assentatores haud facile deprehendas, qui ad omne vitæ institutum omnesque affectus sese accommodant. *Plut.*

Adulterina splendorem, ac nitorem tantum adri imitantur. Sic adulator gratiam, obsequium & hilaritatem amici. *Plut.*

Non vt polypus se quibusuis locis. Ita nos debemus oos quorumliber moribus accommodare. *Plut.*

Tragœdiarum histrionibus choro opus est amicis concinentibus, theatroque applaudeote, sic qui gaudent adulatoribus, nihil agũt nisi sint qui applaudant. *Plut.*

Quemadmodum iuxtam mathematicos superficies, & lineæ nec inflectuntur, nec producuntur, neque mouentur per se, cũ res sint intelligibiles, sed inflectuntur, producuotur, & migrant pariter cum ipsis corporibus. Ita adulator fuopte quidem affectu non mouetur, sed cum irato amico irascitur, cum gaudente ridet. *Plutarchus.*

Simia dum hominem imitari conatur, sæpe capitur, est adulator idẽ faciens, alios capit & allicit. *Plut.*

Insania alendi equos, non consequitur lenticulam, sed arua frumen cifera: sic adulatio non infestat pauperes, atque humiles, sed magnorum familiarum ac fortunarum ruina morbusque est. *Plutarchus*

Pediculi corpora exanima deserunt, vtpote defecta sanguine, qoo alebantur, sic adulatores rebus prosperis ac feracibus adsunt, aridas, & steriles ooo attingunt. *Plut.*

Vt syluestria semina, quæ spatio ac magnitudine accedunt ad triticum, haud facile repurgantur, nam per angusta foramina non excidunt, per ampla simul excidunt, sic adulatio, quæ amicitiam imitatur, non facile ab amicitia reijcitur ac separatur. *Plutarchus.*

Qui aluot belluam, primum accommodant se illius ingenio, & animaduertunt quibus rebus offendatur aut placetur, donec assuefacta fiat tractabilis: sic adulator omnibus amici studijs, & affectibus sese accommodat. *Plutar.*

Obsoniorum egregij artifices condimentis nonnihil austeri admiscent, quo dulcedinis tollant satietatem, sic adulatorea fictam quandam libertatem ac seueritatem admiscent, vt nunquam magis adulentur, quam cum videntur obiurgare ac libere loqui. *Plut.*

Aqua delabitur vbicunque cauum ac decliuem locum reperit, sic adulator vehementer vrget, si quid lapsus est amicus. *Plut.*

Vt pictura est tacita poesis. Ita silentio quoque laudat adulator, oẽpe vultuque, & obsequijs. *Plutar.*

Qui venantur, facilius fallunt feras, si aliud agentes, hoc est, iter facientes aut agricolantes, id faciant. Ita maxime laudat adulator, cum non apparet eum laudare. *Plut.*

Vt præterfluens aqua nullo certo colore est, sed semper refert colorem subiecti soli. Ita adulator sui dissimilis est, pro re nata sese adaptans. *Plut.*

In Menandri Comœdia inducitur falsus Hercules, clauam gestans, non robustam, sed inanem, ac leuem, sic adulatoris libertas mollis est, & blanda. *Plutar.*

Vt rupturæ, & spasmata tum demom mouentur, cum corpus aliquo malo corripitur, sic amici non ingenui felicibus adulantur, lapsos obiurgant, & illorum infortunio fruuntur. *Plutarchus.*

Speculum quicquid objicitur, imitatur, sic adulator. *Plutarchus.*

Vmbra, quicquid agas, respondet & adest, sic adulator quoquo te vertas sequitur. *Plutar.*

Chamæleon omoem imitatur colorem præterquam album, sic adulator in turpibus nihil non imitatur, solum quod honestum est, imitari non potest. *Plinius lib. 8. c. 33.*

Imperiti pictores cum pulcra non queant assequi, rugis, & verrucis exprimunt similitudines, sic adulator refert intemperantiam & iracundiam amici. *Plut.*

Sunt cibaria, quæ neque sanguini conferunt, neque spiritibus, neque neruis, neque medullis, sed pudenda tantum mouent, ventrem inflant, corpus turgidum reddunt. Talis est adulatoris oratio, vitiosa tantum auget, & irritat, alioquin infrugifera. *Plut.*

Medicus, si res postulet, aliquando crocum, & nardum inijcit, & lauat suauiter, & pascit humaniter: sic amicus aliquando blandus est. *Plut.*

Quidam tauris œstrum, canibus crotonem in aures immittunt, sic adulator in aurem admissus, haud facile excutitur, sed transuersum agit quo lubet. *Plut.*

Pictores illustrant lucida appositis vmbris, & obscuris: sic adulator laudans diuersa vitia in alijs, in amico nutrit, ac fouet, quæ adsunt. *Plut.*

Oratores aliquoties aliam personam loquentem faciunt, vel fidei causa, vel vt inuidiam fugiant, & adulator narrat, quæ ab alijs de amico audierit, etiam si non audijt. *Plut.*

Si quis merum, aliqui conferens aduersus cicutam, admisceat illi, venenum reddit immedicabile, quod calore vim veneni protinus deueharad cor. Ita adulator intelligens libertatem esse remedium aduersus adulationem, eam ipsam adulatiooi admiscet, quo magis sit noxia. *Plut.*

Vt monere, & moneri est veræ amicitiæ, & alterum libere facere, non aspere, sic habendum, nullam in amicitijs pestem esse maiorem, quam adulationem, blanditias, & assentationes. *Cicero, in Lælio.*

Quemadmodum qui audiunt symphoniam, ferunt secum in auribus modulationem, quæ ad dulcedinem cantumque cogitationes impedit, nec ad seria patitur intẽdi, sic adulatorum, & praua laudantium sermo diutius hæret quam auditur, nec facile est animo dulcem sonum excurere, prolequitur enim, & durat, & ex interuallo recurrit. *Seneca in epistola.*

Quemadmodum Heliotropium herba semper in eam spectat partẽ, qua Sol est, & eo condito florem contrahit: sic nonnulli ad regis omnes nutus obsecundant, & in quodcunque viderint illum esse propensum, in id feruntur, & ipsi. *Plin. libro decimooctauo, capit. vigesimoseptimo.*

Vitrum mire crystallum imitatur, res vilissima rem longe preciosissimam. Ita assentatio amicitiam imitatur, res pessima longe optimam. *Plinius libro nono capite vigesimo nono, & libro 37. capitulo secundo.*

Pardus odoris gratia allectans feras inuadit, atque occidit. Ita quidam blandiloquentia irretitos fallunt, ac perdunt. Sic principum aulæ habent nescio quid blandum, quod inuitet in perniciem. *Plin. lib. 8 cap. 17.*

Vt ranæ vltra solitum vocales tempestatem significant imminentẽ: Ita cum plurimum valet apud principes orario malorum, bonis racentibus, tum instat rerum perturbatio. *Plinius.*

Qui fascino vtuntur, laudando necant arbores, sata, pueros. Ita adulator laudando perdit. *Plin.*

Vt nihil insidiosius melle venenato (nam sunt quædam huiusmodi) ita nihil magis cauendum, quam blandus hostis. *Plin. lib. 21. cap. 13.*

Hyæna vocem humanam imitatur, & nomen alicuius edisc it, quem euocatum lacerat. Ita quidam obsequio blandiuntur, donec in perniciem trahant. *Plin. l. 7. cap. 2.*

Vt canes Melitæi potissimum in delicijs sunt opulentis ac potentibus fœminis. Ita principes effœminati delicijs, plurimi faciunt adulatores, & ad gratiam omnia tum loquentes, tum facientes. *Plin. li. 3. c. 16.*

Chamæleon qui subinde mutat colorem, omnem imitatur, præter rubrũ, & candidum. Ita adulator nihil nõ imitatur in amico præter ea quæ honesta sunt. *Plin.*

Quod oleum est muscis, formicis, ſ reque reliquis insectis, id est adulatio stultis principibus. Siquidem oleo perunctæ moriuntur illa, hi assentatione, & obsequio palponum in exitium trahuntur, ipsi trahunt rempublicam. *Plinius capitulo 30. & lib. 11. cap. 19.*

Copresso ooo innascuntur cerasa propter amaritudinem, nec buxo propter duritiem. Ita pestis adulationis fugit seuera ac tristia ingenia, mollia captat, & facilia. *Plinius lib. septimo, capite vigesimo quarto.*

Vultures triduo futura cadauera præsentiunt, eoque aduolant. Ita quidam captatores, multis etiam annis morti diuitum imminent. *Plin.*

Heliotropium ac lupinum circumaguntur cum Sole, & quo-

cuoque se mouerit ille, eodem deflectunt, & hæc cacumen: Ita proceres aulici quocunque regis ingenium vertit, eo propendēt omnes. *Plin.*

Vt suauis est antiphonum, qoam si vox omnino sit eadem: Sic iucundior amicus, ita concors, vt tamen nonnihil dissideat per omnia obseruans. *Plin.*

Hyæna sicut, & Ichneumon, nunc mas est, nunc fœmina: Ita quidā sui dissimiles, nunc fortia loquuntur, nunc mollia, nunc philosophi sunt, nunc nepotes, nunc amici, nunc inimici. *Plin lib 7.c.2.*

Vt timidus miles videns hostes appropinquantes cogitat de adornā da fuga. Sic adulator videns imminere periculum ab ijs, quorum opibus viuebat, statim retrocedit. *Apud Stobaeum serm. duodecimo.*

Similis est adulatio panopliæ pictæ, quæ delectationem quidem, sed vsum nullum præstat. *Apud Stobaeum sermone 12. Maximus sermone 11.*

Antisthenes, quemadmodum meretrices bona omnia præter mentē, & prudentiam suis amatoribus imprecantur. Eodem modo adulatores ijs, cum quibus agunt. *Apud Stobaeum serm. 12.*

Sotionis, sicut qui amicos ad peregrinationem euntes, dum via plana est, deducunt, dum asperior esse incipit, recedunt. Sic adulatores comitantur eos, qui diuitias & opes paratas in promptu habent, vt exponant liberaliter, verum sumptus cum deficit, statim retrocedunt. *Apud Stob serm. 12.*

Quemadmodum Delphini, quousque vnda subest, comitantur natantes, in littus vero nunquam egrediuntur: Sic adulatores in sereno rerum statu semper manent. *Apud Stobaeum sermone 12. & Maximum sermone vndecimo, ex Sotione lib. de ira.*

Aristonymi, quemadmodum ligna, dum augent ignem, ab ipso consumuntur. Ita opes, dum alunt adulatores, ab eis ipsis pereunt. *Apud Stobaeum serm. 12. Anton. in Meliss. p. 1. serm. 52. Maxim. serm. 11.*

Phauorini. quemadmodum Actæon ab alumnis suis canibus interijt. Sic parasiti eos, a quibus aluntur, pessundant. *Apud Stobaeum serm. 12.*

Antony Monachi, ligna, quemadmodum ab igni consumuntur, sic amplissimæ diuitiæ ab adulatoribus dilapidantur. *In Meliss. parte 1. ser. 52.*

Quemadmodum lepori canem, sic amico adulatorem natura infestum esse cogitandum est. *Ibid.*

P.M. Vt canes Melitæi potissimum in delitijs sunt opulentis ac potentibus fœminis. Ita principes effœminati delicijs plurimi faciunt adulatores, & ad gratiam omnia tum loquentes, tum facientes. In prouerbio, Canis Melitæus. *Ex Plin. lib. 3.c. vl.*

Vultures triduo futura cadauera præsentiunt, eoque aduolant. Ita quidam captatores multis etiam annis morti diuitum imminent. *In similitu.*

Non omnem escam omnes amant pisces, sed alius alia delectatur, vnde piscatores gnari, quam quisque maxime appetit, fallunt ea potissimum obiecta. Ita adulator deprehenso hominis ingenio, quibus rebus deliniatur, a quibus abhorreat, quod illi gratissimum esse intellexerit, hoc potissimum eum capeat. *In similitudine.*

Vt heliotropium ac lupinum circumaguntur cum sole, & quocunque se mouerit ille, eodem deflectunt, & hæc cacumen. Ita proceres aulici, quocunque regis ingenium vergit, eo propendent omnes. *in similitu.*

Qui fascino vtuntur, laudando necant arbores, sata, pueros. Ita adulator laudando perdit. *In similitud.*

Vt ranæ vltra solitum vocales tempestatem significant imminentē. Ita quum plurimum vales apud principes oratio malorum, bonis tacentibus, tum instat rerum perturbatio.

Thrinesi, qui alteri innititur, nunquam potest recte incedere, & qui primatis alicuius aut plebeculæ captat officium, nunquam potest quicquam libere dicere. *in apophteg. §. 113.*

Ventus subinde est eo pestilentior, quo spirat suauior: nec semper fidendum est ijs, qui blando sermone hominem excipiunt, & multa promittunt, fere enim tales sunt, qui technas & insidias struunt §. 115.

Non est mirum, quod pueri dulcia appetant, sed est dolendū, quod principes tanti assentatores faciant. Nam hi corrumpunt vniuersum hominem, dulcia vero duntaxat ventrem. § 91.

Vt Patroclus in bellum proditurus reliqua quidem Achillis arma sibi sumpsit, solam hastam, vt grauem ac præualidam, nō attigit. Ita adulator omnia veri amici symbola imitatur, præter solā admonendi libertatem. *Plut.*

Medicus dat operam, quo sanitatem tueatur, & augeat. Ita facit amicus. At adulator lacerosas titillat partes. *Plut.*

ADAGIA.

Mercenarium præconium. *Tullius.*

Laudes non ex animo tributas, sed commodi gratia per adulationem oblatas. Marcus Tullius actione in Verrem, 3. mercenarium præconium appellat.

Salutete equorum filiæ. χαίρετ' ἀελλοπόδων θυγατέρες ἵππων.

Apparet ioco vulgari fuisse iactatum in eos, qui emolumenti gratia blandiuntur.

Verbis coquinarijs. ῥήματα μαγειρικά.

Venuste dixit Aristoph. in Eq. pro verbis mollibus, blandis ac dulcibus, coquorum enim est edulcare cibum, per se subausterum.

In ostio formosus. ἐν θύρᾳ καλός. *Aristophan.*

De ijs, qui adamantur, vulgoq; gratiosi habentur.

Python formosus. Πύθων καλός. *Pind.*

Conuenit, vbi quis per adulationem falso laudatur.

Myosobæ. Μυοσόβαι. *Athenaus.*

Dicetur recte in eos, qui in friuolis cuipiam inseruire conantur.

Haudquaquam difficile Atheniensem Athenis laudare. Οὐ χαλεπὸν Ἀθηναίους ἐν Ἀθήναις ἐπαινεῖν.

Dictum est autem propter encomia orationesque panegyricas, quæ Athenis ex more exhibebantur ijs, qui fortiter oppetissent in bello, in quibus, quia plurima dicebantur in laudem populi Atheniensis, pronis auribus audiebantur, propterea, quod suis quisque laudibus fauet.

Cura esse quod audis. *Horat.*

Conuenit in diuites, qui ita demum felices fuerint, si id studeant esse, quod audiunt ab adulatoribus.

Herculanea scabies. Ἡράκλειος ψώρα.

De scabie iucunda facileq; sanabili, interprete Suida. P.Man. putat dici in eos, qui blandis adulationibus deliniti, velut iucunda quadam scabie pruriunt.

Ficum cupit. σῦκον αἰτεῖ.

In eum dicebatur, qui commoditatis alicuius gratia blandiebatur.

De fera comedi. Ἀγρίου βέβρωκας.

Dicebatur olim oscitanti. Venustius erit, si commode transferatur ad supinos, oscitabundos, & negligentes. Du hast auch vom faulem fleisch gessen. Item, Du borest nit gern dicke Brettlein. Item: vvere Nolizhavvem ein orden, es vveren so diel Monch nit vvorden.

Ἀδελφίζειν.

Dicuntur qui vocabulis adoptiuis alicui blandiuntur, & fraterculum appellant. Horatius, frater pater, adde.

Demulcere caput.

Pro blandiri, sumptum ab adulantium gestu. Germani dicunt, die Dhren meſſtem. Item, die Blumen streichen.

Refutantis laudem immodicam.

Οὔτις ἐγώ θεός εἰμι, τί μ' ἀθανάτοισιν ἐΐσκεις.

Nullum ego sum numen, quid me immortalibus æquas?

Plutarchus monet, vt hoc Homericum carmen semper habeamus in promptu tanquam pharmacum aduersus venenum adulationis, aut vbi quis nos magnificentius, quam pro merito laudat.

Cauda blandiri. κέρκῳ σαίνειν.

Cauda blandiri dicuntur, qui spe commodi cuipiam adulantur.

Præstat habere acerbos.

M. Tullius in dialog. de Amicitia Scitum est enim illud prouerbium Catonis, Multo melius de quibusdam acerbos inimicos mereri, quam eos amicos, qui dulces videantur.

Benignior pellace vulpe ἁπλοῦν ἵλαος αἱμύλης ἀλώπεκος.

De eo, qui commodi sui causa simulat beneuolentiam.

Lethale mulsum. θανάσιμον μελίκρατον. *Diogen.*

Lethale mulsum dicitur, quicquid ita iucundum est, vt idem sit perniciosum.

Χρηστολόγος.

Χρηστολόγοι dicebantur, qui probe loquuntur, & improbe faciunt. Paulus in Epistola ad Romanos huiusmodi blandiloquentiam, χρηστολογίαν vocat.

Io. Pæan *Horatius.*

Athenæus sic citat ἰὴ παιάν. *Acclamatio prouerbialis, qua consueuimus, re grauiter & feliciter peracta.*

Polycrates matrem pascit. Πολυκράτης μητέρα τρέφει. *Zenodot.*

Quoties aliquis in commendandis amicis est benignior, officiosiorque.

Ipsemet canit. αὐτὸς αὑτὸν αὐλεῖ.

Hoc est, Ipse cuiusmodi sit, factis ipsis declarat. Adagium in vtramlibet partem poterit applicari bonam vel malam.

Magis ipse Phryx. μᾶλλον ὁ φρύξ. *Æsopus.*

Ex quidem conuicio dicitatum, quoties ea magis probarentur, non quæ veriora fiat, sed quæ adulantius dicta.

Pulchre dixti. Belle narras. καλῶς ἔλεξας. *Plato.*

Huc pertinere videatur ironia illa prouerbialis, passim in Comœdijs obuia. Dixti pulchre. Belle narras, De re dictu vehementer absurdu Plato in Euthyd. Du redest vveiszlich von der Gach.

Climacides. Κλιμακίδες. *Plutarchus.*

Per iocum vocari poterunt, qui se diuitibus ad quiduis obsequij submittunt etiamsi sordidissimum sit.

Glossogastores. Γλωσσογάστορες.

Qui linguam habent venalem, eloquentes, qui ventri conducunt. Quorum in numero vel primus locus nonnullis causidicis assignandus videtur.

Ex cohorte Prætoris.

Qui ad omnem nutum præsto sunt, & cum authoritate delegantur

tur ad hoc, aut ad illud exequendum, ex cohorte Prætoris, appellari dicuntur.

Confessus in ludo talario. vel, Confessus talarius.

Nec proverbij specie caret, quod habetur in Epist. ad Attic. lib. 1. Confessus talarius, pro contaminatis hominum partim honoratorum.

EXEMPLA BIBLICA.

Adulationis exempla: Core & eius complices. *Nume. 16. versi. 13.* Doeg Idumæus. *1. Sam. 22. versi. 9.* Amalechita, *2. Samuel 1. versi. 10.* Rechab & Baczna, *4. versi. 8.* Absalom, 15. versi. 3. Siba, *16. v. 1.* Sedechias, *1. Reg. 22. versi. 11. 2. Paralipom 8. vers. 10.* Pseudoprophetæ, *1. Reg. 22. v. 11. 2. Paralipom. 18. v. 11. Mich. 3. v. 5.* Pseudoprophetæ, & Sacerdotes, *Ezech. 13. v. 12. 16. & 22. v. 28. Ierem. 6. v. 14. & 8. 11. Thren. 2. v. 14.* Iuniores Roboao consiliarij, *2. Paralip. 10. v. 10* Principes Iuda, 24. 17. Hostes Iuda, & Beniamin, *1. Esdr. 4. v. 14.* Duces, & bellatores Nabuchodonosor, *Iudith. 2. vers 4.* Mamucha *Esth. 1. vers. 16.* Regis Assueri ministri, 3. 4. Amici Aman, eiusque vxor Zare, 5. 14. Præfecti Darij Regis, *Daniel. 6. vers 7.* Alcimus, *2. Machab. 14. vers. 6.* Filia Herodiadis, *Matth. 14. versic. 6.* Discipuli Pharisæorum, & Herodiani, 22. 16. Herodes Agrippa, *Act. 12. versi. 8.* Populus adstans Herodi concionanti. *versi. 21. 22.* Iudæi, 17. 7. Accusatores Pauli, 23. 4. Tertullus, 24. 2. Felix adulatur Iudæis. 24. 27. Festus Iudæis, 25. 9. Agrippæ, *versi. 26.* Quidam schismatici Ecclesiæ Romanæ, *Rom. 16. versi. 18.* Addulationis punitæ exempla: Core, Dathan, Abiron, eorumque complices, *Num. 16. vers. 31. 32. 33.* Amalechita, *2. Sam. 1. vers. 15.* Rechab, Baæna, *2. Sa. 4. versic. 12.*

PROFANA EXEMPLA.

Domitianus à Quintiliano maximus Poeta dicitur, fortassis adulandi causa. Quoniam à Domitiano sororis filiorum institutioni præfectus fuerat. *Cuspinian.*

Decius Laberius Actor minorum, inuitatus à Cæsare, vt in scenā prodiret: respondit, se necessario coactum nihil tanto viro denegare posse, cui & ipsi Dij omnia tribuissent *Macrobius.*

Dionysius iunior adulatoribus vnice delectabatur, ab eo nuncupatis Dionysiocolaces: qui subblandiendi causa nihil se eorum, quæ apponerentur, videre, ita ementiebantur: vt ab ipso Dionysio ductari manu gestirent. *Calius lib. 22. cap. 17.*

Alexandrum Magnum, post res in Asia gestas, cum iam Indicam susceptisset expeditionem, cepit in tanto rerum successu gloriæ cupiditas, vt iam non aliter, quam prostratis humi corporibus se salutari pateretur, superabatque abunde adulatio perpetuum regnorum malum. *Sab. ll. l. 6. Enn. 4.*

Demadem Oratorem missum ad Alexandrum, quod eum Deum dixisset, x. talentis Athenienses mulctauerunt. Euagorā vero, quod Regem eundem adorauerat, interfecerunt.

Antonius Caracalla Imperator omnem illam pecuniam, quam per cōtinuas exactiones extorsit, partim militibus, partim assentatoribus largitus est. *Dion & Xiphilin.*

Andromachus Carrenus Crassi adulator, cui ille omnia communicabat, Parthis eum prodidit.

Quamuis esset ad omnes homines *M. Crassus* assentationibus subigendos peritissimus: idem erat tamen vicissim adulationibus opportunis omnium. *Plut. in Crasso.*

Patroclides item causa fuit, vt Philippus, cuius assentator erat, a Romanis vinceretur, vt author est Polybius.

Vespasianus Imper. generis sui ignobilitatem frequenter etiam præ se tulit, eosque irrisit, qui illud in Herculem referre conatentur. *Sueton.*

Clisophus, Philippi Macedonis parasitus, claudum se fingebat, quod Philippus crus fractum haberet: os, oculosque idem contorquebat, quoniam huiusmodi gestibus Dominum videbat.

Nicesias, quum Alexandrum Magnum à muscis petitum videret, quanto, inquit, hæ cæteris præstant, quæ tuum sanguinem degustant. Cum vulneratum semel conspiceret, illud Homericum protulit, *Ἰχὼρ οἷός πέρ τε ῥέει μακάρεσσι θεοῖσιν.* Qualis diuorum percurrit corpora sanguis.

Carisophus, Dionysij parasitus, quum videret eum separatim cum amicis ridentem, ipse procul etiam ridebat, interrogatusque ab eo, quid rideret, quod, inquit, existimem digna risu, quæ dicitis.

Cassander Antipatri filius. Babylonem veniens, cum Barbaros venerabundos Alexandrum salutantes conspexisset, vir in libertate enutritus Græca, atque huiusmodi spectaculi hactenus insolens, in cachinnum est effusus, ea re exarsit ita Alexander, vt arreptū crinibus caput eius ambabus manibus vehementer cōtuderit ad parietem *Plut. in Alex.*

HIEROGLYPHICA.

Fistula cum cornupeta, pernitiosam indicat *adulationem*, ob historiam scilicet, quæ super ea, & ceruo fertur. Animal id eius suauitate modulisque mulceri, & ad stuporem vsque delectari dicitur: vnde accidat, vt dum ceruus intentior in eam incumbit, Incauto illi abalienatoque mors inferatur. *Pierius Valerianus libro 47.*

Diuitem hominem adulatoribus debitum Thebanus Crates per fi- *Polyanthea Nouiss.*

cum arborem in prærupta asperaque rupe satam describebat, quippe quo sit hominibus difficilis accessus, eius vero fructus a Coruis, & Miluis tantum decerpi. Ita horum opes ab impuris tantum & adulatoribus depasci. *Pierius lib. 53. pag. 521. E.*

Apem Adulatoris Hieroglyphicum posuit Eucherius, vtpote quæ mel in ore habet, in occulto caudæ spiculum, atque ita homines, qui lingua blandiuntur, latenter vero feriunt, significare: loquendo enim mellis dulcedinem proponunt, re vero ipsa vulnus inferūt. *Pierius lib. 26. pag. 244. E.*

Sunt qui *adulatorem* blandiloquum, & mordacem simul scurrā, per *Canis* Hieroglyphicum ostendant, quorum alter in obsequium plus æquo pronus, & alter quælibet in quemuis opprobria fingere sæuus. Sumptum ex quadam Diogenis Cynici responsione *Valer. Pier. lib. 5. pag. 49. B.*

Alphonsus rex adulatores lupis haud absimiles esse dicebat. Nāquēadmodum lupi titillando, & scalpendo asinos vorare soliti essent ita adulatores ad perniciem principum blanditijs simul ac mendacijs intendere. *Anton. Panorm. de rebus gestis Alphonsi lib. 3. & Æn Sylvius de eius dictis.*

D. Greg. Adulator scorpio est, qui palpando incedit, sed cauda ferit. *In Ezech. lib. 1. c. 9.*

EMBLEMATA.

In Adulatores. Alcia.

Emblema LIII.

Semper hiat, semper tenuem, qua vescitur, auram
Reciprocat Chamaleon:
Et mutat faciem, varios sumitque colores,
Præter rubrum vel candidum.
Sic & adulator populari vescitur aura,
Hiansque cuncta deuorat:
Et solum mores imitatur principis atros,
Albi & pudici nescius.

In adulari nescientem. Alciat.

Emblema XXXV.

Scire cupis dominos toties cur Thessalis ora
Mutet, & vt varios quærat habere duces?
Nescit adulari, cui quamuis obtrudere palpum
Regia quem morem principis omnis habet.
Sed veluti ingenuus sonipes dorso excutit omnem,
Qui moderari ipsum nesciat Hippocomon.
Nec fatuo tamen domino fas vitio sola est,
Dura ferum vt mereat ferre lupata magis.

FABVLA.

Pastor quidam cani oues suas dederat custodiendas, optimis illum pascens cibis, at ille sæpe ouem aliquam occidebat, quod cum pastor animaduertisset, canem capiens volebat occidere, cui canis. Quid me, inquit, perdere cupis, sum vnus ex domesticis tuis, interfice potius lupum, qui continuo tuo insidiatur ouili. Imo, inquit pastor, te quam lupū morte dignum magis puto, ille enim palam se meum hostem profitetur, tu vero sub amicitiæ specie quotidie meum imminuis gregem.

Hæc innuit fabula, longe magis puniendos, qui sub amicitiæ specie nos lædunt, quam qui apertos se inimicos profitentur.

SCRIPTORES.

De adulatione *Stobæus sermone* 12. S. Pater maximus Anton. Mona. *Melissa lib. 2. 52.* Iuan. Carnoten. *l. 3.* Lumen animæ, *Tit. 17. & para. 2. capite* 18. Pontanus *de serm. lib. 1. c. 14.*

De adulatoribus quibusdam, & scurris, *Leonicem. lib. 3. c. 3.* De parasitis nobilibus ex Athenæo, *Raph. Volaterran. lib.* 28. Brulonius *li. 5 c. 9.* Florileg. Græcum *lib. 1. c. 42.*

De captatoribus, *Pontan. de serm. lib. 1. cap. 15.* Guglottogastor, Tretres, *lib. 10. c. 313.* De Gnathonibus, & Thrasonibus, *Ioan. Carnoten lib. 8.*

Contra Gnathonicos, *Ioan. Carnoten. lib. 6.* Adulationis & paupertatis colloquium, *Ioan. Areopagi.* De adulatione vitanda, *Seneca lib. 22. epist. 123. & lib. 4 epist. 31.* Adulatio vitanda principi, *Desid. P. M. de institutione principis Christiani ad Carolum V. statim ab initio.* Dicta contra parasitos, & assentatores, *Raphael Volaterr. lib. 28.* De parasito frustrato cœna, *Tret. lib. 8. fol. 160.* Quod Plato adulabatur tyrannis, *Tret lib. 10. folio* 357. Dionysiocolaces, & Alexandrocolaces qui, *Cælius li. 22. c. 17.*

Modus laudis absque adulatione, *Marsilius lib. 1. c. 9.* Quomodo distinguatur amicus ad adulatore, *Maximus Tyrius sermone* 14. *Plut. de discrimine adulatoris, & amici.*

ADVLTERIVM.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

ADulterium, Hebr. *Niaph.* Vide Etymologic. trilingue Lugduni editum anno 1607. pag. 24. colum. 2. Græce *μοιχεία, ας, ἡ,* vnde

vnde, & μοιχὸς, οῦ, ὁ, adulter: & est alieni thori violatio, & dicitur adulterium, quasi ad alienum thorum accessio. *36.q.1.Lex illa, §.Quum ergo,& 32 q.5. Non mœchaberis.*

Adulterium est illicitus coocubitus coniugati vel coniugatæ. *Eiuf.* *Thoma secunda secundæ quæst. 154. artic.2.*

Adulterinæ claues. & adulterinæ literæ, quæ vulgo falsæ dicuntur, & alieno annulo signatæ, & claues aliarum ad similitudinem factæ dicuntur.

D I V I S I O.

ADVLTERIVM
- *Spirituale,*
  - *Metaphoricum, quod est quodlibet peccatum. Christiani, quoniam quælibet anima Christiani est Christo desponsata.*
  - *Abusus alicuius sanctimonialis, qui est sacrilegium per modum adulterij B. Thom. secunda Secundæ, q.154.art.10.*
- *Carnale:*
  - *Simplex, quum alter tantum est coniugatus.*
  - *Duplex, quum vterque est coniugatus.*

B I B L I C I L O C I.

Adulterium damnatur, & prohibetur, *Gen.20.3.& 26.10.Exod.2.54. Leui.18,20.& 20,10.Deu.6.18.& 22,v.23.24.Iudicum 19.23.2.Samuel.11.4.& 12.10 Iob.24.15.& 31.1.Psal.73.27.Prouer.5.v.3.8.20.& 6.v.24.32.Esaia 57.1.Ieremia 2.36.& 3.1 & 5.7.& 13.36. Osea 2.4.& 4.2 Sapientia 3.16.Malachia 3.5.Matth 5.27.& 14.4.& 19.18. Marc.10.19.Ioan.8.3.1.Cor.6.10.1.Thessalonicens.4.3.Hebr.13.4.Iacob.4.4.* Adulterium committere in corde, est libidinose adspicere, & concupiscere mulierem nuptam, aut innuptam, *Matt.5.58.* Adulterium spirituale, *vide*, Scortatio spiritualis. Adulterium pro idololatria, *Apocalyp.2.22.* Adulterij mala, *2.Samuelis 12.10. & 13.v.22.29.* Pœna, *Leui 20 10 Deu.22.v.22.23.24 Io.8.5.* Adulterij, & furti collatio, *Prouerb. 6. versu29.30.* Adulterium solum est, quod coniugium dissoluit, *Matth.5.32.* Vide *Marc.10.2.2. Luc.16,18.* Adulterium ex solo intuitu, *Matth.5.27.*

Adulteri à regno Dei excludendi, *1.Corinth.6.9.Hebræo.13.4.* Adulteræ remittuntur peccata, *Ioan.8.12.* Adulterorum appellatio. *Iac.44.* metaphorice sumpta, vsitato sacræ Scripturæ more, pro ijs, qui Dei amori mundum, & suas voluptates anteponunt.

S E N T E N T I A E B I B L I C A E.

Redde vxorem viro suo: si autem nolueris reddere, scito, quod morte morieris tu, & omnia, quæ tua sunt. *Genes.20.*

Siquis tetigerit hominis vxorem, morte moriatur. *Genes.26.*

Non mœchaberis. *Exod.20.*

Cum vxore proximi tui non coibis, nec seminis commistione maculaberis. *Leuit.28.*

Non desiderabis vxorem proximi tui. *Exod.29.*

Si mœchatus quis fuerit cum vxore alterius, & adulterium perpetrauerit cum coniuge proximi sui, morte moriatur & mœchus, & adultera, *Ibid.*

Si concubuisti in adulterio, his maledictionibus subiacebis. Det te Dominus in maledictionem, exemplumque cunctorum in populo suo, putrescere faciat femur tuum, & tumens vterus tuus dirumpatur. *Num.5.*

Si dormierit vir cum vxore alterius vterque morietur, adulter & adultera, & auferes malum de terra. *Deut.22.*

Qui adulter est propter cordis inopiam, perdet animam suam, turpitudinem, & ignominiam congregat sibi, & opprobrium illius non delebitur. *Ibid.*

Qui tenet adulteram, stultus est, & insipiens, 18.

Tria sunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro. Viam aquilæ in cœlo, viam colubri super petram, viam nauis in mari, & viam viri in adolescentia. Talis est via mulieris adulteræ quæ comedit, & tergens os suum, dicit: Non sum operata malum, 30.

Omnis homo, qui transgreditur lectum suum, contemnens in animam suam, & dicens. Quis me videt? tenebræ circumdant me, & nemo circumspicit me, quem vereor? delictorum meorum non memorabitur altissimus: Et non intellexit, quia omnia videt oculus illius, quoniam expellit à se timorem Dei, & non cognouit: quoniam oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda, intuentes in absconditas partes *Eccles.23.*

Filij adulterorum in consummatione erunt, & ab iniquo thoro semen exterminabitur. Et si quidem longæ vitæ erunt, in nihilum computabuntur, & sine honore erit nouissima senectus illorum. Et si celerius defuncti fuerint, non habebunt spem, nec in die agnitionis allocutionem. Nationes enim iniquæ diræ sunt consummationes. *Sap.3.*

Multigena autem impiorum multitudo non erit vtilis, & adulterinæ plantationes spuria vitulamina, non dabunt radices altas, nec stabile firmamentum collocabunt, & si in ramis in tempore germinauerint, infirmiter posita à vento commouebuntur, & a nimietate ventorum eradicabuntur. *Ibid.4.*

Confringentur enim rami, consummati, & fructus illorum inutilea & acerbi ad manducandum, & ad nihilum apti. Ex iniquis enim omnes filij, qui nascuntur, testes sunt nequitiæ aduersus parentes in interrogatione sua. *Ibid.*

Omnis mulier relinquens virum suum, peccabit, statuens in hæreditatem ex alieno matrimonio. Primo enim in lege altissimi incredibilis fuit. Secundo virum suum dereliquit. Tertio in adulterio fornicata est, & ex alieno viro filios sibi statuit. *Ecclesiast.23*

Non tradent filij eius radices, & rami eius non dabunt fructum, & relinquetur in maledictionem, & maledicta memoria illius, & dedecus illius non delebitur. *Ibid.*

Saturaui eos, & mœchati sunt, & in domo meretricis luxoriabâtur. Equi amatores in fœminas, & emissarij facti sunt, vnusquisque ad vxorem proximi sui hinniebat. Nunquid super his non visitabo, dicit Dominus, & in genere tali non vlciscetur anima mea? *Ier.5.*

Ecce vos confiditis vobis in verbis mendacij, quæ non proderunt vobis, furari, occidere, adulterari, iurare mendaciter, libare Baali & ire post Deos alienos, quos ignoratis. Et venistis, & stetistis coram me in domo hac, in qua inuocatum est nomen meum, & dixistis, liberati sumus, eo, quod fecerimus omnes abominationes istas. *Ier.9.*

Derelinquam populum meum, & recedam ab eis, quoniam omnes adulteri sunt. *Ier.9.*

Melius est mihi absque opere incidere in manus hominum, quã peccare in conspectu Domini. *Dan.13.*

Omnes adulterantes quasi clibanus succensus à coquente. *Os.7.*

Audistis, quia dictum est antiquis. Non mœchaberis. Ego autem dico vobis, omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo. *Matth.5.*

De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ: hæc sunt, quæ coinquinant hominem. *Matth.13.*

Nolite errare. Neque sacrilegi, neque idolis seruientes, neque adulteri regnum Dei possidebunt. *1.Cor.6.*

De Bersabea vxore Vriæ filius, qui natus est tibi, morietur. *2.Re.12.*

Oculus adulteri obseruat caliginem, dicens. Non me videbit oculus & operiet vultum suum. Perfodit in tenebris domus, sicut in die condixerat sibi. *Iob.24.*

Si deceptum est cor meum super muliere, & si ad ostium amici mei insidiatus sum: scortum alterius sit vxor mea, & super illã incuruentur alij. Hoc enim nefas est, & iniquitas maxima. Ignis est vsque ad perditionẽ deuorans, & eradicans omnia genimina, *Iob 31*

Nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, vt vestimenta sua non ardeant, aut ambulare super prunas, vt nõ plantæ eius comburantur? Sic qui ingreditur ad mulierem proximi sui non erit mundus, cum tetigerit eam. *Prouerb.6.*

Si dormierit vir cum vxore alterius, vterque moriatur, scilicet adulter & adultera. *Deu.22.*

Si puellam virginem desponsarit vir, & inuenerit eam aliquis in ciuitate, & concubuerit cum ea, educes vtrumque ad portam ciuitatis illius, & lapidibus obruentur, puella, quia non clamauit, quum esset in ciuitate, vir, quia humiliauit vxorem proximi sui. *Ibidem.*

Hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra, vt abstineatis vos a fornicatione, vt sciat vnusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione, & honore: non in passione desiderij, sicut & gentes, quæ ignorant Deum. *1.ad Thess.4.*

Fugite fornicationem, quoniam fornicatores, & adulteros iudicabit Deus. *1.Cor.6.*

P A T R V M S E N T E N T I A E.

Indignantur mariti, si audiant adulteros viros pendere similes adulteris fœminis pœnas, quum tanto grauius puniri eos oportuerit quanto magis ad eos pertinet, & virtute vincere, & exemplo regere fœminas. *Aug.de adult.coniug.*

Sicut satius est fame mori, quam idolothytis vesci. Ita sanctius est defungi sine liberis, quam ex illicito concubitu stirpem quærere. *Idem de thoro coniugali.*

Nemo

Nemo sibi blanditur de legibus hominum. Omne stuprum adulterium est: nec viro licet, quod mulieri non licet. Eadem a viro, quę ab vxore, debetur castimonia. Quicquid in ea, quæ oon sit legitima vsor, commissum fuerit, adulterij crimine damnatur. *Ambros. lib. de Patriar.*

Qui formam concupiscit, quamuis sine facinore, peccatum sine teste commisit. *Athanas. apud Anton serm. 85*

Adulter vel ante gehennam est omnium miserrimus, omnia suspicans, vel ad vmbram contremiscens, ad nullum liberis respiciens oculis, sed omnes pertimescens, & qui sciunt & nesciunt, acutos videns gladios, impendētes lictores, iudicia. In dolore semper est adulter, etiam in tenebris. *Chrysost. in Psal. 7*

Quemadmodum guberoator io portu naufragium faciens, haud quaquam vllam impetraret veniam: sic oec is, cui quum per côiugium concessum sit, quo lapsum effugiat, tamen aliena scrutatur matrimonia, aut qui quamcumqoe fœminam curiosis aspicit oculis, habere qoicquam potest, quo se excuset, nec apud homines, nec apud Deum, etiamsi decies millies allegarit naturalē voluptatem. Imo quæ possit illic esse voluptas, vbi metus, vbi discrimeo, vbi periculum, vbi taotorum malorum expectatio, vbi tribunalia, vbi accusationes, vbi iudicis ira? &c. Omnia pauet metuitque: vmbras, parietes, lapides, famulos, vicinos, hostes, amicos, &c. Sed ponamus oulli notum esse flagitium, præterquam ipsi vni & mulieri, quam adulterauit: quomodo feret conscientiam redarguentem, acerbam & amarulentam accusatricem vbique secum ferens. Quemadmodum enim seipsum nemo potest effugere: ita nec illam eius curiæ sententiam. Hoc enim tribuoal noo pecunia corrumpitur, non adulationibus acquiescit, eo quod diuinum est, & a Deo oostris mentibus impositum. Certe adulter per inopiam sensus exitium suæ ipsius animæ coociliat. *Idem de verbis Iesaia, Vidi Dominum, ho. 3.*

Nihil iniquius est, quam causa fornicationis dimittere vxorem, si & ipse conuiocitur fornicari. Occurrit enim illud: In qoo alterum iudicas, teipsum coodemnas, eadē enim agis, quæ tu iudicas. Quapropter quisquis fornicationis causa vult abijcere vxorem suā, prior debet esse a fornicatione purgatus, & immunis: quod similiter etiam de fœmina dixerim. *Aug. de serm. Domini in monte, & habetur q. 6. Nihil*

Si tu abstines sine vxoris voluntate, tribuis ei fornicandi licentiam, & peccatum illius tuæ imputabitur abstinentiæ. *Aug. lib. de adul. coniug. & habetur 27. q. 2. Si tu.*

Licite dimittitur vxor ob causam fornicationis, sed manet vinculum prioris. Propter quod fit reus adulterij, quicunque duxerit dimissam ob causam fornicationis. *Ibidem in lib. 2. & habetur 32. q. 7. Licite.*

Interueniente diuortio, non aboletur confœderatio ouptialis, ita vt sibi coniuges sint etiam separati. Cum illis autem committitur adulterium, quibus etiam fuerint post suom repudium copulati. *Idem de bono coniug. & hab. 32. q. 7. Interueniente.*

Posse sane fieri licitas ouptias ex personis illicite coniunctis, honesto placito sobsequente manifestum est. *Ibid. & hab. 31. q. 1. c. Denique, §. Posse sane.*

Denique mortuo eo, cum quo fnit verum connobium, fieri coniogiom, cum qua præcessit adulterium. *Aug. ad Val. de nupt. & concupisc. & hab. ibid.*

Quemadmodum non recte dici potest, si nescit homo, non peccat (sunt enim peccata ignorantium, quamuis minora, quam scientium) ita etiam non recte dici potest. Si causa foroicationis dimiserit vxorem vir, & aliā duxerit, non mœchatur. Est enim mœchatio, & eorum, qui alias ducunt, relictis propter fornicationē prioribus. Sed vtique minor, quam eorum, qui non propter fornicationem dimittunt. Sunt enim in fornicatione gradus, vt sicut grauius peccat adulter, quam fornicator, sic grauius delinquit, qui nec sua dimissa aliam ducit, eo quod suam dimittens, aliam cognoscit. Grauius quoque, qui vxorem suam habens, ad coniugem proximi sui accedit, quam qui non habens vxorem, thorum alterius violat, vel vxoratus ad solutam accedens. Sed hos omnes incestuosi transcendunt: quos vincunt contra oaturam delinquentes. *Aug. lib. de adult. coniug. lib. 1. & habetur 32. quæst. Quemadmodum.*

Si ducturi estis vxores, seruate vos vxoribus vestris. Quales vultis eas inuenire, tales & ipsæ inueniant vos. Quis viuens est, qui nō castam velit ducere vxorem, & si accepturus est virgioem, quis non intactā desideret, intactam quæris? intactus esto: purā quæris, purus esto. Non enim illa potest, & tu noo potes. *Aug. de verbis Dom. tract. 48. & hab. 23. 6. q. Si ducturi.*

Si virgo nupserit nesciens viro alieno, hoc si semper nesciat, nunquam ex hoc adultera erit, si autem sciat, iam ex hoc adultera esse incipit, ex quo sciens cum alieno cubauerit, sicut in iure prędiorum tamdiu quisque bonæ fidei possessor rectissime dicitur, quamdiu se possidere ignorat alienum, quum vero scierit, nec ab aliena possessione recesserit, tunc malę fidei possessor perhibetur & tunc iuste iniustus possessor damnabitur. *Aug. de fide & operibus, & hab. 34. q. 2. Si virgo.*

Apostolus dicit: His, qui sunt in coniugio, præcipio, nō ego, sed Dominus, vxorē a viro suo ooo discedere, quod si discesserit, manere innuptam, aut reconciliari viro suo. Potest enim fieri, vt discedat ea causa, qua Dominus permisit. At si fœminæ licet virum suum dimittere propter fornicationis causam, qoid respondebimus de hoc, quod dicit posterius. Et vir vxorem suam oon dimittat. Quare nō addit, excepta causa fornicationis, quod Dominus permittit, nisi qood similem formam vult intelligi, vt si dimiserit (quod causa foroicatioois permittitur) maneat sine vxore, aut reconcilietur vxori, & post pauca. Dominus permisit causa fornicationis vxorē dimittere, sed quia permisit, non iussit. *Idem super epist. Paul. 1. ad Corinth. 7. & hab. 32. quæst. 7.*

Non mœchaberis, id est, non ibis ad aliquam aliam, præter vxorem tuam, tu autem exigis hoc ab vxore, & ooo vis reddere vxori, quum debeas in virtute præcedere vxorem tuam (quoniam castitas virtus est) & tu sub vno impetu libidinis cadis, & vis vxorem tuam victricem esse, & tu victus iaces, & quum tu caput vxoris sis, præcedito ad Deum, cuius caput es. Vis tuam domum capite deorsum pendere, caput enim mulieris vir est, vbi autem melius viuit mulier, quam vir, capite deorsum pēdet domus. Si caput est vir, melius debet viuere quam mulier, & præcedere in omoibus bonis factis vxorem suam. *Idem de decem chordis, & habetur 32. q. 6. Non mœchaberis.*

Sicut satius est fame mori, quam idolothytis vesci: Ita sanctius est, defungi sine liberis, quam ex illicito concubitu stirpem quærere. *Idem de bono coniug. & hab. 32. q. 4. Sicut.*

Omnes causationes Apostolus amputans, apertissime definiuit, viuēte viro esse adulteram mulierem, si alteri nupserit. Nolo mihi proferas raptoris violentiam, matris persuasionem, patris authoritatem, propinquorum cateruam, seruorum insidias, parentū contumelias, damna rei familiaris, quamdiu viuit vir, licet adulter sit licet Sodomita, licet flagitijs omoibus coopertus, & ab vxore propter hæc scelera derelictus: maritus tamen est reputādus, eius scilicet, cui alterum virum accipere non licet. Non hæc Apostolus propria authoritate decernit, sed Christo in se loquente Christi verba secutus est, qui ait in Euangelio. Qui dimittit vxorem suam, excepta causa fornicationis, facit eam mœchari, & qui dimissam acceperit, adulter est. *ad Damascenum presbyterum, & habetur 32. q. 4. Omnes causationes.*

Origo quidem amoris honesta erat, sed magnitudo deformis. Nihil autem interest, ex quam hooesta causa quis insaniat. Vnde Xistus Pythagoricus ait in seotentijs. Adulter est, inquit, in suam vxorē ardeotior amator. In aliena quippe vxore omnis amor turpis, in sua nimius. Sapiens iudicio debet amare coniugem, oon affectu. Nō regnet in eo voluptatis impetus, nec præceps feratur ad coitum. Nihil enim est fœdius, quam vxorem amare quasi adulterā. Certe qui dicunt, se causa reipublicæ, & generis humani vxoribus coniungi, & filios procreare, imiteotur saltem pecudes, & postquam venter vxoris intumuerit, non perdant filios nec amatores se vxoribus præbeant, sed maritos. *Hier. contra Iouin. lib. 1. & hab. 32. q. 4. Origo quidem.*

Nemo sibi blandiatur de legibus hominum. Omoe stuprum adulterium est, nec viro licet, quod mulieri non licet. Eadē à viro, quæ ab vxore, debetur, castimonia. Quicquid io ea, quæ non sit legitima vxor, commissum fuerit, adulterij crimine damnatur. *Ambrosius de Patriarchis, & habetur 32. quæst. 4. cap. Nemo sibi.*

Nulli licet scire mulierem, præter vxorem. Idenque coniugij datū est tibi ius, ne in laqueum Diaboli incidas, & cum muliere aliena delinquas. Tolerabilior est, si lateat culpa, quam si culpæ vsurpetur authoritas. *Idem, & habetur ibidem cap. Nemo, §. Nulli licet.*

Dixit Sara Abraham: Ecce, conclusit me Dominus, vt non pariam: intra ergo ad Ancillam meam, vt filium facias ex ea. Et ita factum est. Sed considera primum, quod Abraham ante legem Moysis, & ante Euangelium fuit. Nondum ergo interdictum adulterium videbatur. Pœna criminis ex tempore legis est, quæ crimen inhibuit. Nec ante legem vlla est rei damnatio, sed ex lege, non ergo in legem commisit Abraham, sed legem præuenit. Deus autem in Paradiso coniugiom laudauerat, non adulterium damnauerat. Habes primam Abrahæ defensionem. Secunda illa est, quod oon ardore aliquo vagæ succensus libidinis, non petulaotis formæ captus decore, ancillæ contubernio coniugalem post habuit thorum, sed studio quærendæ posteritatis, & propagandæ sobolis *Idem, & habetur cap. Dixit Sara.*

Obijciuntur Iacob quatuor vxores: quod, quando mos erat, crimē non erat, sicut Patriarchæ coniugibus excipientibus semen suū miscebantur, non concupiscentia perficiendæ voluptatis, sed prouidentia propagandæ successionis. Sic Apostoli auditoribus admirantibus doctrinam suam condelectabantur, non auiditate consequendæ laudis, sed charitate seminandæ veritatis. *Idem: & habetur 32. quæst. 4. ca. Obijciuntur.*

Quod si in adulterio perseuerare elegerit, patronus turpitudinis, & lenocinij reus maritus habebitur, nisi eam adulterij reā facere voluerit. *Gregor. & hab. 32. quæst. 1. cap. Apud §. Quod si.*

Si quis vxorem suam inuenerit adulteram, & postea deinceps placuerit habere eam in matrimonio, duobus annis pœniteat. Ideo, quia cum adultera nulla sit, quæ adhuc crimine suo non est purgata. Aut abstineat se a matrimonio eius, donec capleatur satisfactio criminis pœnitentiæ suæ. Ideo, quia post satisfactionem pœnitentiæ non meretur vocari adultera. Similiter, si virum suum vxor inuenerit adulterum, non ad imparia iudicabitur. *Ioh. Chrysostomus. & habetur 32. q. 1. c. Si quis.*

Christiana religio adulteriũ in vtroque sexu pari ratione condemnat: Sed viros suos mulieres non facile de adulterio accusant, & non habent latentia peccata vindictam. Viri autem liberius vxores adulteras apud sacerdotes deferre consueuerunt. Et ideo mulieribus prodito crimine earum communio denegatur. Virorũ autem latente commisso, non facile quisquam ea suspicionibus abstinet, qui vtique summouebitur, si eius flagitium detegatur. Quum enim par causa sit, interdum probatione cessante, vindictæ ratio conquiescit. *Innocentius Papa. & habetur 32. qua. 5. Christiana.*

POETICAE SENTENTIAE.

Plaut. in Sticho.

Bonas mulieres æquum est facere. vt absentes viros
Perinde habeant, quasi præsentes sint.

Ouid. in epist. Phædræ ad Hippol.

Peius adulterio turpis adulter obest.

Ouid. lib. 3. Artis.

Nupta virum timeat, rata sit custodia nuptæ;
Hæc decet, hoc leges, iusq; pudorq; iubent.

Idem lib. 1. de re med.

Nil mihi cum nupta. Thais in arte mea est.
——quare ne pœniteat te.

Idem li. 2. Trist.

Sed neq; me nuptæ didicerunt furta magistro.

Mart. epigr. lib. 2. in Gallum.

Subdola famosæ (moneo) fuge retia mœchæ,
Leuior ò conchis, Galle, Cytheriacis.

Idem lib. 6. de Thelesina.

Quæ nubit toties, non nubit: adultera lege est.

Hor. Carm. li. 3. Od. 6

Fœcunda culpæ secula nuptias
Primum inquinauere, & genus & domos,
Hoc fonte deriuata clades
In patriam populumq; fluxit.

Idem Serm. lib. 1. Satyr. 2.

Audire est operæ pretium, procedere recte
Qui mœchis non vultis, vt omni parte laborent:
Vtq; illis multo corrupta dolore voluptas:
Atq; hæc rara cadat dura inter sæpe pericla.
Hic se præcipitem tecto dedit: ille flagellis
Ad mortem cæsus: fugiens hic decidit acrem
Prædonum in turbam: dedit hic pro corpore nummos;
Hunc permixerunt calones. Quin etiam illud
Accidit, vt quidam testes, caudamq; salacem
Demeteret ferro.

Idem Serm. lib. 1. Satyr. 2.

Desine matronas sectarier: vnde laboris
Plus haurire mali est, quam ex re decerpere fructus.

Idem.

Discincta tunica fugiendum est, ac pede nudo;
Ne nummi pereant, aut pyga, aut deniq; fama,
Deprendi miserum est.

Iuuenal. Satyr. 1.

Quem patitur dormire nurus corruptor auaræ?
Quem sponsæ turpes, & prætextatus adulter?

Idem Satyr. 6.

Antiquum & vetus est, alienum, Posthume, lectum
Concutere, atq; sacri genium contemnere fulcri.
Omne aliud crimen mox ferrea protulit ætas,
Viderunt primos argentea secula mœchos.

Iuuenal. Satyr. 11.

Alea turpis,
Turpe & adulterium mediocribus, hæc eadem illi
Omnia quum faciant, hilares nitidiq; vocantur.

Tibull. lib. 3. eleg. 4.

Ah pereat, didicit fallere si qua virum.

Hom. lib. 22. Iliad.

Coniux erepta marito
Tanti causa mali. & belli redditur origo
Tyndaris. & quicquid cum pellice vexit adulter.

Plautus in Cistellar.

Matronæ magis conducibile est istuc,
Vnum amare, & cum eo ætatem exigere, cui nupta semel est.
Verum enim meretrix fortunati est oppidi simillima,
Non potest rem suam obtinere sola sine multis viris.

Seneca in Agamemnone.

Vltimum est nuptæ malum,
Palam mariti possidens pellex domum.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Ὁκόσαι γὰρ ἐράστριαι τελέθουσιν ἀλλοτρίων λεχέων, αὗται δὲ πολέμιαι γίγνονται πάντων τῶν ἐν τῇ οἰκίῃ ἐλευθέρων τε καὶ οἰκετέων, καὶ συνεστῶσι καὶ δόλους ἀνδρὶ, καὶ ψεύδεα κατὰ πάντων μυθίζεται πρὸς τοῦτον, ἵνα μόνη δοκέῃ διαφέρειν εὐνοίῃ, καὶ τοῖς οἰκίοις κρατῇ· ἀργίην φιλέουσα. ἐκ τούτου γὰρ φθορὴ γίνεται συμπάντων, ὁκόσα τε αὐτῇ τε καὶ τῷ ἀνδρὶ κοινά ἐστι.

Nam quæ lectos alienos amat, omnia domestica odit, tum liberos, tum famulos. Huiusmodi mulier dolos apud maritum fingit, & mendacia aduersus omnes ei narrat, vt sola videatur ei maxime beneuola esse, & familiam regat. Hæc otium amat, ab hac exitium rebus omnibus nascitur, quas & ipsa & maritus communes habent. *Perictyones Pythagoricæ ex libro de mulieris concinnitate.*

Nulli enim tunc subsessorum matrimoniorum oculi metuebantur, sed pariter & videre sancte, & adspici mutuo pudore custodiebãtur. *Val. Max. lib. 2.*

Adulteri multa ob libidinem audacter perpetrant, non tamen fortes sunt. *Arist. lib. 3. Eth. c. 8.*

Adulter, qui lucri causa adulterium committit, iniustus est, & non intemperans, lucri enim causa id facit. *Idem li. 5. c. 2.*

Non debet homo sanæ mentis vbique, & ad quamcunque mulierẽ mittere semen suum. *Arist. lib. œconomic.*

Vir non debet iniuriari fœminæ, ne fœmina iniurietur sibi. *Ibid.*

Iniuriari fœminæ, est coire cum extranea muliere, & è conuerso. *Ibid.*

Maximus honor est sobriæ mulieri, si videt sibi virum castitatem seruare, & de nulla alia muliere curare, sed præ omnibus propriam fidelem estimare. *Ibi.*

Si mulier cognouerit sibi iustum & fidelem virum, & ipsa etiam iusta & fidelis erit. *Ibid.*

Bonum opus est ab aliena muliere abstinere, propter temperantiã. *Arist. lib. 2. Polit.*

Adulteri maximam hominum inuidiam contrahunt, & non modo eos, quos iniuria lacessunt, in se vltores prouocant, verum merito pene omnes, qui eandem contumeliam, & iniuriam formidant. *Franc. Patr. de regno lib. 4.*

APOPHTHEGMATA.

Thales Milesius, adultero sciscitanti, an abiuraturus esset adulteriũ. Non est, inquit periurium adulterio peius. Significans, illum stulte dubitare de peierando, qui facinus periurio par non dubitasset committere. Eoque in atrocibus sceleribus nil ponderis habet iusiurandum. Quisquis enim audet dare venenum, audebit & cum periurio inficiari. *Laert. lib. 1. Bruson lib. 1. cap. 4.*

Socrates adulteros perinde facere dicebat, ac si qui nolint ex aqua superne profluente bibere: sed ex illa, quæ in fundo subsedit, ac deterior est *Stob. serm. 6.*

Diogenes. Quum quidam Diogeni referrent, Didymonem mœchũ comprehensum: Dignus est, inquit, ex ipso nomine suspendi. Porro Didymi Græcis testiculi dicuntur, ab his igitur, vnde nomen habebat, & quibus peccauerat, voluit eum suspendi, *Laer. lib. 6.*

Idem eos irridebat, qui cellas promptuarias obserant vectibus & seris, & signaculis: corpus autem suum multis fenestris, & ianuis aperiunt, per os, pudenda, aures & oculos. *Stob. serm. 6.*

Demosthenes, Demadi oratori dicenti, Sus Mineruam, per scomma inscitiam Demostheni exprobrans: At ista Minerua (inquit) nuper in adulterio deprehensa est. *Bruson. libro 1. capitulo 4. ex Plutarcho.*

Geradas. Lycurgi temporibus tanta erat apud omnes vxorum pudicitia, ac tam longe aberant ab ea turpitudine, quæ postea inualuit, vt prius esset incredibile, adulterij crimen apud Spartanos inueniri,ferturque dictum cuiusdam vetustissimi Spartani Geradæ, qui rogatus ab hospite quodam, quid pœnarum darent apud Spartanos adulteri, neque enim videre se quicquam super hac re sancitum à Lycurgo: Nullus, inquit, ò amice, apud nos adulter est. Quum ille subiecisset. Quid igitur, si existat. Dabit, inquit, bouem tantum, vt porrecto vltra Taygetum collo, bibat ex Eurota. Cumque ille ridens dixisset, Fieri non potest, vt tantus bos inueniatur. Et quo pacto, inquit Geradas, Spartæ existat adulter, in qua diuitiæ, deliciæ, & corporis ascititius cultus probro habentur: contra verecundia, modestia, ac obedientiæ magistratibus debitæ obseruatio, decori laudique dantur. Prudenter intellexit Geradas, ibi non posse nasci vitia, vbi non admittuntur vitiorum seminaria, eaque vbique iacere, quibus pro honore tribuitur ignominia. Atque hæc est clementissima ratio medẽdi prauis moribus, excitandique virtutis studiũ. *Plutarch. in Lacon. apoph. & in Lycurgo.*

Dionysius Senior, quum intellexisset, filium, cui principatum relicturus erat, ingenui viri coniugem adulterasse, iratus interrogauit, an vnquam tale quicquam in patre comperisset. Hic adolescens: Tu inquit, non habebas patrem regem. Nec tu, subiecit Dio-

cit Dionysius, filium regem habiturus es, ni talia perpetrare desinas. Tyranoua in filio dignum exhæredatione crimen iudicabat adulterium, qui bodie magnatum ludus est. *Plut. in reg. & imp. Apoph.*

Alexander. Quum puella pulcra nocte ad Aleaandrum ducta esset, cum eo dormitura, rogauit rex, vbi fuisset tam diu? illa respondē te se expectasse donec maritus isset cubitum: mioistros accitos acriter obiurgauit, ac, Reducite, inquit hāc: parum .n. abfuit, quio vestra culpa foerim factus adulter. Egregium castitatis exemplum, tum in iooene, sum in rege. Nam apud illos simplea stuprum pro nullo crimine habebatur. Apparer autem tum fuisse morem qui adhuc durat in Italia, vt vxores secubarent a viris, uisi si quando vocarentur. *Plut. in reg. & imp. apopht.*

Pontidius, Ponsidius interrogatus a quodam; qualem existimaret eum qui in adulterio deprehenderetur: Festiue, Tardum respondit. *Brusen. lib. 1. ca. 4.* Respondeamos nos, Turpissimum & impium nebulonem.

Sylla, Syllæ libertus, cui Fausti oomen erat, cum Intellexisset sororem, eodem tempore duos mœchos habere, Fuluium Fulloonem videlicet, & Poponium cognomento Maculam, notans perridiculum eius adulterium: Miror, inquit, sororem meam, habere maculam, cum Fullonem habeat. *Brus. lib. 5. c. 4.* Ita luduot probrosi. & ab obscœna quæque admitteuda, & patranda uati homines, seo potius moostra hominum.

SIMILITVDINES.

Ego vero sum in hac opinione, quod sicut qui adulterium cōmittit in solo corde, nondum omniuo progressus ad opus, ita si quia fecerit in corde cætera, qoæ prohibita sunt, v. cā si quis corde tantum sit furatus, aut corde tantum falsum testimonium diaerit, non vt ille qui facto furatus est, aut salsom testimonium re perpetrarit, sed tātum vt qui corde solo talia feeerit, punietur, idq. si per ipsum oō stetit, quo minus peruenerit ad prauum facinus Quod si præterquam quod voluit, aggressos qoidem est, sed oon successit, punieeur, vt qui non solum corde, verumetiam opere peccauerit. Super hæc quærer aliquis, an adulterium committat aliquis solo corde, etiamsi *factum* adulterij non peregerit, sed in solo corde fuerit impudicus. Simili modo saeies de cæteris laudabilibus. Haber autem hic locus, quo probabiliter falli possimus, quod hac opioor ratione tollendom est, Adulterium quidem io corde peractum, minus est peccatum, quam si quis adiungat etiā factum. Noo potest autem fieri, vt pudicitia sit in corde quæ obstet impudico facto, oisi quis hic quoque in eaemplo sumat virginem, iuxta quod lex dicit, in solitudine violatam. Fiogamus enim cor alicuius esse purissimom, cæterum violentam peregisse corruptionem corporis pudicæ, in eo quid lasciuū est. Hæc laue mihi videtur prorsus esse casta in oeculto quidem corpore, verū, non esse pura, quemadmodum erat ante vim illatam. At nō quia non pura, *statim* impudica, *Chryss.*

Die, quo liberis operam dedisti legitime, qoamois crimen illud nō sit, orare tamen oon audes, conuiciatus autem, & contumeliatus quod gehennam tibi præparar, antequam to ipsum mundes, manum ad cœlum tollis, dic quæso, quomodo oon inhorrescis? Qd̄ si ab incootaminato lecto resurgens times ad orandum accedere, quum in diaboli lecto sis, cur horribile Dei nomeo audes inuocare? Daboli quippe lectus est omne conuicium, ita, quasi perniciosus quidam adulter occulta voluptate eum animo adulterato, & ea pernitioso spermate, diabolicas inimicitias parit, contraque matrimonium agens omnia eos, qui pacis vinculo in vnū coartaotur, in multas dirimit partes. Quum matrimoniū, in vna duos carue couiungat, adulteriū nec coniunctos solū disseparat, sed ēt ipsum animum scindit, & lacerat. Quare, vt libere Deum adire possis eooiunctionem hanc, atq; adulterium furoris, quasi rabidum canem procul animo tuo extermina. Sic Paolus etiam iussit, Leuantes puras maous sine ira & disceptatione. *Idem.*

Sicut enim aurum videtur qoidem esse splendidum priusquam mittatur in fornacem, verum vbi traditum fuerit igni, tum vero certo dignoscitur eo quod adulterinū est, ab eo quod est syncerum separato. Sie & nostra opera, vbi diligenter examinaueris, tum euidenter reteguntur, videmusq. nos ipsos multia eriminibus ob noxius esse. *Idem.*

Sicut quisque, siue regis violarit vxnrem, sioe pauperis, siue serui. pari tatione adulter est, cum peccatum noo personarum differētia, verum ex volootate improba id seelus admittentis iudicetur Ita & hic, imo illom magis adulterum dixerim, qoi quamlibet ex vulgo, quam qui ipsam reginam violauerit, illic enim plurima irritamenta sunt, puta opes, elegantia, forma, & eiusmodi, quorum *hic* nihil inuenitur. Eadem profecto oratione illum magis ebrium dixerim, qui quolibet vino, quam qui optimo inebriatur. Ita & cupidum eum potissimum censeo, qui ne minima quidem rapere omittit. Nam qui maxima, minima fortasse contemnet. Fur igitur magis hic quam ille est. *Idem.*

Sicut nauclerus portu naufragium faciens, oeutiquam assequitur veniam: ita vir post nuptialem pottum aliena coniugia inuadēs, vel mulierem alienam curiosius spectans, nullam habebit defensionem, tam apud Deum, quam apud homines, etiamsi scaeētics naturæ voluptatem prætexat. *Ser. 9. de Ozia. Idem Chrys.*

Plinij. Coccya oua subdit in nidis alienis: Ita quidem alienas vxores faciuot matres. *lib. 10. c. 9.*

EXEMPLA SACRA.

Adulterij exempla: Ruben, *Genes.* 35. 22. Beniamitæ. *Iud.* 19. 25. Dauid 2. *Sam.* 11. 4. Herodes, *Matth.* 14. 3. *Marc.* 6. 17. *Luc.* 3. 19. mulier quædam, *Io.* 8. 2. Corinthius incestuosus, 1. *Cor.* 5. 1.

Adulterij puuiti exempla: Tribus Beniamin, *Iud.* 20. 46. Dauid 2. *Sam.* 12. 10. Pharao. *Gen.* 12. 17. Israelita cū Moabitide, *Num.* 25. 8.

EXEMPLA PROFANA.

Clytemnestra cum Aegistho adultero iu pernitiem mariti Agamemnonis coniurauit: quo ioterempto Orestis furor io matrem concitatus est. *Eurip. Sophocles.*

Euridice Macedonum Regina, Amyntha vxor, atque Philippi mater, vt adultero regnum traderet, Alexandrum ac Perdicam filios veneoo sustulit: idemque viro fecisset, oisi filia scelus detexisset. *Fulgos. lib. 9. c. 1.*

Fabia, Fabij Fabriciani vxor, dum Petronium Valentium liberali forma adolesceentem, quo cum adulterij consuetudinem habebat, maxime deperiret: maritum interfecit, vt adultero frueretur securius. *Plut. in Parallel.*

Apud Aegyptios, si quis fine vi adulterauerat, virgis cædebatur ad mille plagas: mulier oaso mutilabatur. Existimabant enim mulierem sese ad illicitam ineontinentiam exornantem, oportere ea parte mutilari, qua maxime facies exornatur. *Diodor. lib. 1. c. 6.*

Apud Arabes aliasque nationes adulteris semper capitis pœna fuit: quod pleriq; Philosophi prodidere, qui adulterium periurio grauius erimeo censuerunt. *Alex. ab Alex. lib. 4. c. 1.*

Apud Pisidas adulterij conuictus per vrbem vna cum muliere circumducebatur super asino, ad dies aliquot. *Stob. Serm.* 42.

Apud Germanos adulteram abscissis crinibus maritus expellit domo & per omnem pagum nudam verbere afficit. *Nicolaus. De Gentium morib. Hister.*

Aglata Romana matrona dispēsatori Booifacio sese prostituit: at sub Diocletiani persecutioue ad pœnitodinem ambo coouersi finē perniciosæ voluptati statueruot, *Marul. lib. 2. c. 12.*

HIEROGLYPHICA.

Eum qui coniogem haberet adulteram, veteres per *Caprum* designabaot, eratq. hoc apud illos hieroglyphicum: atque illud insuper adagium ferebatur in spurios, si de patre quispiam quæritaret, vt τοῦ μητρὸς αἲξ, responderent: Matris quippe vti eapra. *Pier. Val. lib. 10. c. 90. D.*

Per Fibrum animal Aegyptij Sacerdotes eum qui pœna sit affectus, ob nequitiam, qua fuerit io muliere aliqua petulans, significabant. Proditum enim est hoc animal in venatione deprehensum suos sibi testes abscindere, atque eos proijcere, gnarum, se eorū præcipue assequendorum causa peti. Nam & adulteri eadem affici pœna solent: vt deprehensi prælectis testibus dimittantur. *Pier. Val. lib. 13. pag. 12 F.*

Basilius ex congressu *Anguis & Murena adulterium* interpretari videtur. Admonet enim eos qui noptijs insidiantur alienis, discant cuinam feræ, cui reptili sint similes? quum naturæ quoddam adulterium viperæ, murenæque coniunctio videatur. Atque huc potius respicit Aegyptiorum Hieroglyphicum. *Pier. Val. lib. 29. pag. 272. F.*

EMBLEMA.

Cuculi.

Emblema LX. Andreæ Aleiati.

Ruricolas agreste genus pleriq; cucullos
Cur vocitent, quanam prodita causa fuit?
Vere nouo cantat Coccyx, quo tempore vites
Qui non absoluit iure vocatur iners.
Fert oua in nidos alienos, qualiter ille
Cui talamum prodit vxor adulterio.

SCRIPTORES.

De custodia, & iodagatione suspectæ impudicitiæ mulieris 4. 6. 9. *Hieron. Paduan.* Idem de adulterio 4. 6. & 7. *Vincent. Beluacensis,* 3. 9. 2. Mœchorum Epitaphia. *Anthol. Græca. l.* 4. In adulteros Lex t. *Calias* 20. 25. Mæchus cædis muliæ propemodum auctor. *Aelian. in Var. Gra. fol.* 47. Quid pateretur Mœchus in Creta, *ibi.* 52. quod fuerit ius marito in adulterio vxorem deprehensam necare. *Gel.* 10. 23. Pellex quid? *Idem Gell.* 4. 3. Qua crudelitate Macrinus Imperator in adulteros animaduerteret, *Crinitus.* 11. 9. De adulterinis couiugijs. *Aur. Aug. tom.* 6.

Vide Coniugium, Fornicatio, Matrimonium, Scortatio. Sodomia.

A D-

ADVOCATVS.

DEFINITION. ET ETYMOL.

ADuocatus, Græce παράκλητος,ου,ὁ. Nam παρακαλέω, aduoco, ille qui in iudicio est, qui iurisdictioni præest, desiderium suum, vel amici exponit, vel alterius desiderio contradicit. Vide Etymolog. trilingue Lugdun. pag. 25. col. 1.

Aduocatus a patrono sic differt: quod aduocatus generalius nomē est. Siquidem quicunque adest alteri officij gratia, aduocatus appellatur, etiam si nihil dicat, agatque, modo sit paratus defendere. Patronus autem proprie, qui agit causam, sed accusati, nō accusantis.

SENTENTIAE BIBLICAE.

Maledictus, qui peruertit iudicium aduenæ, & pupilli, & viduæ. Et dicat omnis populus, Amen. *Deut. 27.*

Væ, qui iustificatis impium pro muneribus, & iustitiam aufertis ab eo. *Isaiæ 5.*

PATRVM SENTENTIAE.

Non ideo debet iudex vendere iustum iudicium, aut testis verū testimonium, quia vendit aduocatus iustum patrocinium, aut peritus verum consilium. Illi enim inter vtranque partem ad examē adhibentur, isti ex vna consistunt. *Aug. in ep. ad Mac.*

Nihil impudentius arrogantia aduocatorum, qui garrulitatem authoritatē putant, & parati ad lites in subiectos tumida intonāt. *Aug. in quodam serm.*

Iuste aduocato dicitur: Redde, quod accepisti: quoniam contra veritatem fecisti, iniquitati adfuisti, iudicem fefellisti, iustam causā oppressisti, de falsitate vicisti. *Ambros. in serm.*

Iustus aduocatus a nullo iniustas causas accipit, nec verba dare pro iustitia sustinet. *Greg. super Exec.*

Verbosum aduocatum & studentem eloquentiæ, cum sapientiæ sit inanis, non aliud quam iustitiæ hostem reputes. *Bern. de consider.*

Hi sunt, qui docuerunt linguas loqui grandia, cum operantur exigua: largissimi promissores, parcissimi exhibitores, diuersi aduersus iustitiam eruditi pro falsitate, sapientes sunt, vt faciant malum, bene autem facere nesciunt. *Bern. ibid.*

Verbosus aduocatus aut rumpetur, aut loquetur, plenus est sermonibus, coarctatus est spiritus vteri sui, esurit, & sitit auditores, quibus iactitet vanitates, & habita opportunitate loquendi, si de literis agitur, noua profert, & vetera, volant sententiæ, resonāt verba ampullosa, interrogantem præuenit, & quærenti non respondet. *Bern. ibid.*

Miror namque, quomodo religiosæ aures tuæ audire sustinent huiusmodi disputationes aduocatorum, & pugnas verborum, quæ magis ad subuersionem, quam ad inuentionem proficiunt veritatis. Nihil enim ita absq. labore manifestam facit veritatem, sicut breuis, & pura narratio. Præscinde ergo linguas vaniloquas, & labia dolosa claude. Hi sunt, qui docuerunt linguas suas loqui mendacium, diserti aduersus iustitiam, eruditi pro falsitate, sapientes sunt, vt faciant malum, eloquentes vt impugnent verum. *Ber. ad Eug. Papam l. 2. c. 9.*

Ranæ significant clamosas aduocatorū allegationes, quæ inani, & inflata modulatione, velut ranarum sonis, & cantibus mundo deceptionis fabulas insusurrerunt. Ad nihil enim aliud volēs, nisi quod sonum vocis improbis & importunis clamoribus reddunt. *Orig. sup. illud Exod. 8. Percutiam omnes terminos tuos ranis.*

Antiqui forensem eloquentiā, caninam facundiam nuncupabant, eo quod causidici in certaminibus causarum, omissis quæ agunt, veluti canes alterutrum lacerant. *Isid. 3. de sum. bon.*

Irritare, a canibus tractum est, quorum latratibus resonat plurimū. *Sidonius.*

Hi sunt, qui causas protendunt adhibiti, impediunt prætermissi, fastidiunt admoniti, obliuiscuntur locupletati. Hi sunt, qui emunt lites, vendunt intercessiones, deputant arbitros, iudicanda dictāt, dictata conuellunt, attrahunt litigaturos, protrahunt audiendos, retrahunt transigentes. *Cass. sup. illud ps. 73. Irritat aduersarius nomen tuum.*

Hi sunt qui negant ciuitatibus inducias, mercatorib. nundinas, emptoribus mensuras, reuerentiam clericis, originem nobilibus, locum prioribus, cunctis iura, distinctis priuilegia, quibus nullum genus hominum, ordinum, temporum cordi est. *Cass. ibid.*

Hi sunt in conuiuijs scurræ, in exactionibus harpyę, in collocutionibus bestiæ, in quæstionibus statuæ, ad intelligendum saxei, ad iudicandum lignei, ad ignoscendum ferrei, ad amicitias pardi, ad facetias vrsi, ad fallendum vulpes, ad superbiendum tauri, & ad consumendum minotauri. *Cass. ibid.*

Hi sunt, quorum si nares efflauerit cuiusquam rubiginosi aura marsupij, confestim videbis illic oculos Argi, & manus Briarei, & Sphyngarum vngues, & periuria Laomedontis, Vlyssis argutias, Sinonis fallacias, fidem Polymestoris, & pietatem pigri Leonis adhiberi. *Cass. ibid.*

Quomodo inter armatos, argutos, tumultuosos, virtute, numero, contubernio poterit ex æquo & bono solui inermis, abiectus, peregrinus, & pauper, audiri, vbi est gurges de fictoribus fabularū de concinnatoribus carminum, de publicatoribus sinistrarum opinionum, qui cum non habeant, opera pro pomis spargunt, verba pro folijs, & cum non adsit medulla sensuum, abundant spuma verborum. *Cass. ibid.*

Apud caussidicos etiam ipsum silentium venale est, ac lingua eorū damnifica, nisi funibus argenteis ligetur. *Cass. ibid.*

Si quis armatus est pecunia, tanquam loricis argenteis, torrentis impetum Tulliani, fulgur incursus Hectorei, robur virtutis Herculeæ, versipelles Vlyssis vilipendit astutias. In tantum enim habendi fames incanduit, vt Dialecticæ muta sit subtilitas, Rhetoricæ languescat ciuilitas, vbi nummorum perorat pluralitas. *Alanus de conquestione naturæ.*

Si in aurem iudicis vel aduocati susurret pecunia, Orphei lyra, carmen Amphionis, Musa Virgilij, voce pecuniæ suffocantur. Quid plura? Vbi nummus loquitur, Tulliani eloquij tuba raucescit: vbi nummus militat, Hectoreæ militiæ fulgura compescuntur: vbi pugnat pecunia, virtus expugnatur Herculea: nummus vincit, nummus regnat, nummus imperat vniuersis. *Alan. ibid.*

Numquam deerit multiplex conuentus falsorum, si tantū præsentia fuerit nummorum. *Alan. ibid.*

Sæpe causas tantum differunt, quod litigantibus plus quam totum auferunt, quia maior est expensarum sumptus, quam sententiæ fructus, nec terminantur negotia pauperum cœpta, quousque eorum marsupia sint euacuata, cum tamen scriptum sit: Gratis accepistis, gratis date: ipsi vero nec gratiam gratis dant, nec iustitiam iuste reddunt. Lucrum in arca, damnum in conscientia, sed quid prodest homini, si totum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? *Innoc. de vilitate conditionis humanæ.*

SENTENTIAE POETICAE.

Ouid. lib. 1. Amo. eleg. 10.

Turpe reos miseros empta defendere lingua.
Quod faciat magnas turpe tribunal opes.

Ouid. epist. Acontij ad Cydippen.

Et mea quum sit
Optima non vllo causa tuente perit.

Catullus ad M. T. Cic. epist. 46.

Disertissime Romuli nepotum,
Quot sunt, quotque fuere, Marce Tulli,
Quotque post alijs erunt in annis.
Gratias tibi maximas Catullus
Agit, pessimus omnium poeta,
Tanto pessimus omnium poeta,
Quantum tu optimus omnium patronus.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Hi sunt qui causas protendunt adhibiti, impediunt prætermissi, fastidiunt admoniti, obliuiscuntur locupletati. Hi sunt, qui emunt lites, vendunt intercessiones, deputant arbitros, iudicanda dictant, dictata conuellunt, attrahunt litigaturos, protrahunt audiendos, retrahunt transigentes. *Sidonius in epist. de iudicibus.*

Postquam commoditas quædam, praua virtutis imitatrix sine rationabili officio dicendi copiam consecuta est, tunc ingenio, freta malitia, peruertere vrbes, ac vitas hominum labefactare consueuit. *Cicero in prologo Rhetor.*

Sæpissime vidi in causis aliquid mali facere homines minime malos. *Cicero lib. de Oratore.*

Vide Eloquentia, Iudex, Iudicium.

AEDIFICATIO.

DEFINITIO. ET ETYMOLOG.

AEdificatio, Græce οἰκοδομὴ,ῆς,ἡ, & οἰκοδομικὸς,οῦ,ὁ, architectus, & οἰκοδόμημα,ατος,τὸ ædificium, quod ex ædes, & facio componitur. Dicitur autem ædificium omnis constructio, vt puta quadrigæ, currus, portus, pontes nauium, & aliorum huiusmodi. Aedificij quoq; appellatione non solum superficiem significari, sed solum quoq; ipsum, cui ædificium superpositum est, Vlpianus putat.

Aedificatio est actus rei ædificabilis, *Themistius in Phys. Arist. l. 3. c. 27 tex. 51.*

Aedilis initio dictus est Magistratus, qui ędium non tantum sacrarum, sed etiam priuatarum curam gerebat. Postea hoc nomen & ad magistratus translatum est. Dictus est autem Aedilis, quod facilis ad eum plebi aditus esset. Sed & Aedilatus dicebatur eadem dignitas: sicut Pontificatus. *Pomp. Festus.* Aedilem Budæus, & Theodorus Gaza ἀστυνόμον vertit. *Plut. & alij,* munus Aedilitium, ἀγορανομίαν, Aedilem ἀγορανόμον appellant.

SENTENTIAE PHILOSOPHORVM.

Aedificatores lapides, quos firmos esse volunt, dulcibus aquis diu madefactos operibus imponunt. *Io. Gral. 2. de Anim. tex. 12.*

Aedes ita parandæ sunt, vt rerum possessarum salubritatis, & commoditatis rationem habeamus, *Arist. Oeconom. l. 1. c. 6.*

Aedes

Aedes sacræ idoneum locum in ciuitate habere debent, & esset talis locus, qui supereminentiam haberet, & sub hunc locum debet fieri constructio fori, quod debet esse purum ab omni mercatu, & nec opifices, nec agricolas inde appropinquare, nisi a Magistratibus vocarentur: & gratior esset locus, si Gymnasia seniorum in eo constituta sint: & circa ædes sacras decet conuiuia Sacerdotum celebrari. *Arist. pol. l. 7. c. 10.*

Aedilibus omnia circa forum curæ esse debent, & post templorum visitationem cura ipsorum est in foro, ne quis iniuriam faciat in his quæ ad hominum vsum pertinent, vt petulantię, & temperantiæ inspectores sint, & castigent eum qui castigatione opus habet, & ex venalibus considerent, quæ circa externos constituta sint. *Plato de legib. 8.*

Aediles ex secundis & primis censibus quinque eligantur, fiat autē ipsorum electio vt vrbis curatorum, vt decem eligantur per suffragia, vt ex his quinque sortiantur, & approbatos ipsos Principes pronuncient. Quiuis eligat quemlibet, qui noluerit, mulctetur quinquaginta drachmis, ad hoc vt pro malo viro habeatur. *Plato de legib. Dial. 6.*

Aediles gubernationem circa forum a legibus constitutam custodiant, & templorum ac fontium in foro curam gerant, vt nemo quicquam iniuria afficiat. Si vero quis iniuria affecerit: puniant plagis & vinculis seruum & peregrinum. At si sit indigena, in ipsorum potestate sit mulctare vsque ad drachmas centum numismatis, & iudicantes in communi cum vrbis curatoribus duplam huius mulctam exigant: idem de vrbis curatoribus. *Plato de legib. Dial. 6.*

SCRIPTORES.

De origine Architecturæ, & ædificiorum. *Polydorus Virgilius lib. 3. c. 7.* De ædificandi ratione. *Bruson. lib. 1. c. 11.* De ædificiorum vanitate. *Corusinus in apoph.* De ædificijs veterum & nouorum. *Raph. Volater. lib. 27.* Duodecima hora ædificare quid sit. *Calius Rhodig. lib. 12. c. 9.*

De Aedilis officio & munere. *Plutar in Mario. Liuius lib. 4. ab vrbe condita. Vetruuius in præfat lib. 10. Alex. ab Alex lib. 4. c. 4. & lib. 6. cap. 1.* Quando primum ædilitas cœperit, & quot fuerint ædiles, & qui curules, & qui plebei. *Idem Alex. ab Alex l. 4 c. 4* De ædilium edicto. *Gell. lib. 13. c. 13.* Loca ædilem metuentia. *Calius Rhodig. lib. 30. cap. 19.*

Vide Architectura, Domus.

AEGRITVDO.

DEFINITIO. ET ETYMOLOG.

AEgritudo, Græce ἀῤῥωστία, ας, ὁ ἄῤῥωστος, ου, ægrotus dicitur, est opinio recens magni mali præsentis, cui subijciuntur inuidentia, obtrectatio, æmulatio, misericordia, angor, luctus, mœror, ærumna, dolor, lamentatio, solicitudo, molestia, afflictio, desperatio, &c. *secundum Ciceronem lib. 4. Tusc. quæst.*

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

De ægrotante extra patriam. Dial. CXIIII.
Francisc. Petrarch.
DOL.

Aliena in patria ægroto. R. Quid refert cuius sit patria ægritudo? vtique tua est. D. Ludis me, ego extra patriam ęgroto. R. Qui extra vnam patriam est, intra aliam sit oportet, extra omnem patriam nec ęgrotare, nec sanus esse quisquam potest. D. Diuerticula verborum quæris. Extra meam patriam ægroto. R. Vnum hoc bonum huic inest malo. Nemo grabatulum tuum præmet. Non importuna vxor, aut filius sui vterq; solicitus, negligens tui Quoties putas viro vxor, patri filius, fratri frater, in vltimis laboranti puluinar iniecerint, & mori adiuuerint, quem alienigenæ vetuissent? Sæpe ibi maior est charitas, vbi minor creditur. Certe nullus astantium morbo tuo gaudebit, nullus tibi mortē optabit, quæris causam? Nullus hæreditatem tuam expectabit, omne in facinus spes, & cupiditas impellunt, hæc tranquillitas, non facile tibi in patria contigisset. Multi strarum circumsisterent sub officij specie funeri inhiantes, quæ cogitatio ægrotanti ægritudo (nisi fallor) altera est. Obsessum hinc lupis, hinc vulturibus se cernenti, iam cadauer mente captantibus. D. Extra patriam ægroto. R. Qui scis, forsitan nunc in patriam redis. Rectū, & breue iter in patriam est mori. D. Extra patriā æger sum. R. O superuacuæ semper & inanes hominum querelæ. Quasi vero ardentior extra patriam febris, aut durior sit podagra. Malum hoc omne, quod videtur, voluntarium est, atque in vestra positum potestate, vt pestes aliæ, quascunque falsa animis inuexit opinio.

De ægritudine dentium. Dial. CXIIII.
Eiusdem Petrarchæ.
DOL.

Dentium vexor ægritudine. R. Quantum fidas intestinis, vide ossa, te ipsa destituunt. D. Tremere dentes incipiunt. R. Quid mollibus spei est? duri & solidi nutant artus. D. Dentibus æger sum. R. Inualidum, & caducum animal est homo, cui etiam quæ pręualida videbantur infirma sunt. D. Magnus me dentium dolor habet. R. Et quæ ad decus præcipuumque oris robur obrigerant, doloris in materiam verti vides, vt intelligas, quam mansura sit hæc, cui tam securus insides mortalis compago domicilij. D. Iam mihi vnus, alterque dens cecidit. R. Iam ergo vel hinc existima quātum Deo debeas, tot tantisque muneribus, quorum paucissimis, ac minimis caruisse supplicium, & flebile damnum ducas, digna ingratitudinis pœna est. Seruus, vt domini largitatem, quam præsentem spernit, absentem lugeat, & quam lucris intelligere noluit, damnis intelligat. D. Iam dentibus exarmatus sum. R. Iam inermis cum voluptate luctaberis, minus comedes, parcius ridebis, lentius mordebis alienam famam. Loqui parātem facta spes dentium frænabit: si non castitas, saltem pudor ab illicitis osculis senilem petulantiam cohibebit. D. Iam mihi senectus dentes fregit. R. Iure suo illa vsa est: Tu naturæ gratias age, quæ tibi hoc suo dono vti permisit in senium, quod a multis in iuuentute repetijt qualis fuit apud vos ille modo regum maximus, qui adhuc virenti æuo pene dentibus caruit, & si iuuenilem hanc iacturā, senili postmodum eximio oculorum (vt ipse aiebat, quoq; ipse tacebat) ingenii, atq; animi vigore solabatur, exemplum vtile omnib. aliquo vel naturæ, vel ætatis incommodo affectis, ne singula defleant, neve omnem solutum teporem munificentiæ cælestis iniuriam vocent, sed seruatis perdita mulceant, aspera lenib. dulcibus acria. D. Dentes mihi rapuit senectus. R. Hos si illa non repetet, raptura mors fuerat, plenam ossium sepulturam inspice testarum dentes arentium, primum quidem terrifice albicantes, mox ruptis vulsos radicibus, atque effusos videas, non hic numerus, non hic robur, decorque valuerit. Filia Mitridatis, Ponti regis, vtroque gemino ordine dentium fuisse legitur. Prusiæ vero Bithyniæ regis filius pro superno ordine dentium vnum inferioribus cunctis parem, hoc est vnum os ab vna in alteram maxillā, nec inuenuste, nec incommode protentum habuisse. Ac Zenobia Regina Orientis inter cæteras formæ laudes, tanto dentium nitore describitur, vt inter loquendum, ridendumq. non dentib. sed candidis margaritis plenum os habere videretur. Horū quoque nunc busta perquire, singulare nihil inuenies, cuncta pridē ęqua omnibus sparsit, & atterit mors. Nimis corpus amatis, ac membra mortalia, nimis animum immortalem, ac virtutē spernitis. O cœci semper, & iniqui rerum æstimatores. D. Iam sine dentibus sum. R. Iam ergo dentium dolor nullus, sed nullum quoque præsidium, nullus vsus sine dentibus, cum labore præmolendus cibus. Et nisi dissimulas cogitandum eo tibi iter instare, vbi nil editur, atque vbi solo gaudio, cibisq. animæ viuitur.

De ægritudine tibiarum. Dial. XCV.
Eiusdem Petrarchæ.
DOL.

Tibiarum vexor ægritudine. R. In omni ædificio periculosissimum est illud vitium, quod fundamentis insidet. Cætera enim vtcunque corrigas, hoc ruinam trahit, qua instante, quid est reliquum, nisi vt quam primum ex fatiscenti migretur hospitio? D. Tibiarum ægritudine sum affectus. R. Huius ægritudinis, vt multarum causa fere omnis non aliunde quam ex vobis ipsis est. Iure igitur in vos, ex vobis orta reflectitur, obliti enim illud consilium Sapientis, Palpebræ tuæ præcedant gressus tuos, & illud alterius primum argumentum, compositæ mentis existimo posse consistere, & secum morari, neque consistere potestis, neque gressus vestros attendere, sed vt cæci præcipites, hac illac palpitando discurritis. Quid mirū igitur, si nunc ad lapidem, nunc ad lignum offenditis. Illud plane mirabile est, quod culpas vestras insontí, tribuistis naturæ, quin etiam voluptas mira dementia, equorum vos frementium turbis ingeritis, vnde sæpe ferratorum calcium vestigia reportatis. Nonne tibi videtur, quod ad Ciceronem vni dicitur pene omnibus conuenire? Hæc mala inquit stultissime tota ipse tibi addidisti. Sic est hercle. Nolite vos fallere, mala vestra magna ex parte vobis ipsi facitis, quæ postea deploretis. Tu si domi perstitisses, hoc est tecum, neque hanc forsan ægritudinem, neque harum querelarum materiam inuenisses. Vaga vita, & instabilis, quod varijs afficiatur incommodis non insolitum est D. Tibiæ doloribus agitor. R. Si tu causam doloribus præbuisti, gaude culpam plecti, si minus exortem culpæ animum solare. Et si doles molestiam adesse, & abesse culpam gaude. Vtcunque se res habeat, dolorum cuspidi, patientiæ clypeum oppone, perpetuum in omni anxietate documentum, quo nulla vnquā medicina

dicina salubrior reperitur. D. Tibiæ doloribus prægrauatus sum, R. Consulent medici, vt iaceas, nec te lecto moueas; haud inepte illi quidem, vt post damnum facias quod ante debueras. Ego autem de illorum consilijs nil amplius dicam, sed tu ipse quanti ea sint pretij tuo disces impendio. Idem tamen consulam, quod medici, sed respectu alio, illi enim te tacentem fomentis adhibitis, instaurari posse facilius opinantur, dum ad locum dolentem, nec spiritus adeo confluunt, nec humores stanti confluerent, aut cũcti. Ego te in tuo lectulo compositum, quicquid de salute corporea euenturum sit, sepositis interea curis omnibus, tranquillo tãtisper accubitu, mitigatis angoribus, de sepulchro aliquid cogitare, qualiterue ibi sis iaciturus, & præsentis status tui conditionẽ metiri velim, mortemq. ipsam, antequam veniat, tam familiarem tibi efficere, vt non horreas venientem. Mors enim sola est, quæ possit mortale corpusculum ab omni ægritudine liberare.

APOPHTHEGMATA.

Socrates Stulti, inquit, curari nequeunt, quando sinistram fortunam experiuntur: nec ægrotantes sanari possunt, si voluptatibus operam dederint. *Stob. ser. 2.*

Antigonus a graui morbo postquam conualuerat: Nihilo prius est, inquit, siquidem hic morbus submonuit nos ne animo efferamur quum simus mortales. *Plut. in apoph.* Quis docuerat Ethnicum regem Philosophiam Christiano dignam animo? Deplorabant amici, ceu magnum malum, quod tam grauiter ęgrotasset: ille interpretatus est, ex morbo plus accessisse boni, quam mali. Corpus extenuarat, sed animum reddidit modestiorem: corporis robori nonnihil detraxerat, sed animo detraxit insolentiam, morbum longe periculosissimum. Proinde non pessime res habet, quum leuior morbus arcet pellitue maiorem. *P. M.* verum hoc idem dictum alij etiam Alexandro adscribunt.

Ion Sophista, dicere solebat, rem morosam esse ægrotationem. Nam ægrotis vxor molesta est, & medicum incusant, & lectulum molesse ferunt. Ex amicis etiam si quis accedit, grauis est, & qui discedit, molestus *Philostratus, & Brusson. lib. 4. c. 20. ex Plut. lib. de animi tranquil.*

Itamus, quum apud Antigonum militaret, corporis aduersa valetudine laborans, rogatus a Rege palloris causam, ægritudinem incognitam causatus est. Rex vero animi magnificentia ductos, iubet remedia adhiberi ad eum sanandum Restitutus igitur sanitati miles, postea omnia mortis pericula vitabat. Rogatus vero a Rege mutationis causam, ait: ò Rex, tu me minus audacem fecisti, quod ijs malis me vindicasti: quibus vita a me mea contemptui habebatur. Sensit miles, ægritudinem hominibus in eo prodesse, vt omnia fortunæ bona, & ipsam etiam vitam miseram, & ærumnosam contemnant, qua, cum sani sumus, in nostram perniciem abutimur. *Brusson. l. 4. c. 15. ex Plut.*

Anaxarchus ridebat Alexãdrum, quod seipsum Deum faceret: cum autem aliquando in morbum incidisset Alexãder, & ei medicus sorbitionem imperaret fieri, ridens Anaxarchus, inquit: At nostro Deo spes omnis in sorbillatione patellæ posita est. Irridet philosophus Alexandrum Regem, qui ob fortunam propitiam, & res tam feliciter gestas, Deum se esse putabat, At ostendunt humanæ vitæ miseriæ & incommoda, quæ in dies nos circumueniunt, nos homines esse fragiles: quo fit, vt admoneamur subinde, ex hominibus nos Deos esse fingamus, nullis malis obnoxios. *Aelian lib. 8. de var. hist.*

Seneca, Nihil æque ægrum reficit, atque adiuuat, quam amicorum affectus, *epist. 76.*

Theodoricus Coloniensis Ecclesiæ Põtifex, religiosa vita, tum etiam prudentia & authoritate inter Electores imperij facile princeps quærenti Sigismundo Cæsari, quonam pacto felicitatem consequi posset? Inter mortales, ait, frustra requiris. Petenti rursum, ad cœlestem illam, quo itinere pergeret? Recta, inquit. Instanti tertio, quid agens recta vaderet? Si vitam tuam ita institueris, duxerisq. inquit, vt facturum te promisisti, dum calculus, aut podagra, siue alia valetudo aduersa acrius te oppressit. Docuit autem morbum monere nos ad capessendam meliorem vitam. *Aeneas Sylvius lib. 2. comment. de reb. gest. Alph.*

SIMILITVDINES.

Quemadmodum stulti curari nequeunt, cum sinistram fortunam experiuntur: Sic ægrotantes sanari non possunt, si voluptatib. operam dederint. *Socrates apud Stobæum ser. 2. de imprudentia.*

Vt onera contentis corporibus facilius feruntur, remissis opprimunt: Simillime animus intentione sua pressum depellit omniũ ponderum, remissione autem sic vrgetur, vt se nequeat extollere *Lib. 2. Tusc. q. Cic.*

Vt fit in prælio, vt ignauus miles, ac timidus, simul ac viderit hostẽ abiecto scuto fugiat, quantum possit, ob eamq. causam pereat nõ nunquam, etiam integro corpore, cum ei, qui steterit, nihil tale euenerit: Sic qui doloris speciem ferre non possunt, abijciunt se atque ita afflicti & exanimati iacent: qui autem restiterint, discedunt sæpissime superiores. *Lib. 2. Tusc. q.*

Vt in causis non semper vtimur eodem statu, sed ad tempus, ad controuersiæ naturam, ad personam accommodamus. Sic in ægritudine lenienda, nam quam quisque curationem recipere possit videndum est. *Lib. 3. Tusc. q.*

EXEMPLA SACRA.

Exempla ægritudinis: Aegyptij, *Exod. 9. vers.* 10. Pestilentia ob peccatum Dauidis immissa. *Sam. 24. vers. 15.* Giezi. 2. *Reg. 5. vers. 27.* Lepra Oziæ cœlitus inflicta, 15. *vers.* 5. 2. *Paral. 26. ver.* 21. Ioram 21. *vers.* 18. 19. Vlcera, quibus percussus fuit Dauid. *ps. 38. vers.* Paraliticus, *Matt. 9. vers. 2.* Homo 38. annos infirmus, *Io. 5. vers. 5.* Corinthij, 1. *Corinth. 11. vers.* 29. 30. Extraordinarius morbus Ioram ob idololatriam, 2. *Paral.* 21. *vers.* 19

Aegritudinem Hebræi, *daabon* appellant, idest, tabem, morbum tabificum, a verbo, *Daab*, tabuit præ animi mœrore aut præ senectute elanguit, perit phthisi. Idem significat verbum, *Adab*, & *Dob* Cognationem habent cum *Abad*, perijt. Et cõuenit cum his vocibus nomen *Tabes*, morbus, qui ex ægritudine plurimum oritur, quo etiam laborantes pereunt.

EXEMPLA PROFANA.

In pestilentia memorat *Thucydides* eos, qui vnice virtutem sectabãtur, vna cum affectis amicis interijsse: nam salutis suæ rationem, vt accederent ad necessarios suos, nullam habebant. *Plut. de amicor. multitud.*

C. Iulius Cæsar amicos tanta semper facilitate, indulgentiaq. tractauit, vt C. Oppio comitanti se per syluestre iter, correptoq. subita valetudine, & in diuersorio loco, quod vnum erat, cesserit, ac ipse humi & sub dio accubuerit. *Suet. in Cæs.*

HIEROGLYPHICA.

Sunt, qui *cor dentibus ambesum*, pro homine ponant, qui ægritudinibus affligetur. *Pier. Val. lib. 21.*

Veteres Aegyptij, cum aliquem medicina ab aliquo Deorum præmonstrata, a morbo conualuisse ostendere voluissent: *Columbã*, vel, vt scribunt alij, *Palumbem* lauri ramusculum rostro gestantẽ exprimebant. Ales enim ea, quoties ægrotat, lauri folio decerpto, sibi ipsa medetur. *Idem lib. 22.*

Vide, Morbus, Sanitas, Valetudo.

AEMVLATIO.

NOMEN, ET DEFINITIO.

AEmulatio, Hebraice *Kinach*, a verbo *Kinnea*, Aemulatus est, prouocauit, zelum habuit, vel ex inuidia, vel fauore, indignatus est, ægre tulit. Verbum medium. Inde ἀγανακτέω, ἀγάνημαι, indignor, stomachor: ἀγανάκτησις, indignatio. Ab Hebreo verbo fit nomen, *Kanna*. Zelotes, æmulator, qui ægre fert iniurias: vox etiam media: nempe quæ in bonam, vel malam partem sumitur, vt & *Kanno*, nomen eiusdem significationis, Gręce, ζῆλος, ου, ὁ, & ζηλόω, æmulor, est dolor quidam: quoniam bona, & honorabilia, quæ æmulus assequi posset, non similibus adesse videantur: non quoniam alijs sunt, sed quoniam non ipsi quoque. *Arist. lib. 2. Rhet.*

Aemulatio est calcar ad capessenda ardua & difficillima. *M. Anton. Natta, de pulchro, lib. 5.*

Aemulari indignos non conuenit, nec miseros, sed misereri. *Plato in Gorg.*

Aemulatio est bona & bonorum virorum: inuidia, & mala, & malorum. *Arist. lib. 2. Rhet.*

Ad æmulationem propensi sunt, qui se bonis dignos censent, quæ non habent: ideo iuuenes & magnanimi tales sunt, quibus talia bona suppetunt, quæ honoratis viris digna sunt, vt diuitiæ. Et ij, quos alij dignos censent. Et quorum maiores aut cognati, aut propinqui, aut natio, aut ciuitas honore excellunt, quia sibi propria esse, & dignos se arbitrantur. *Arist. ibid.*

Aemulabilia sunt, quæ alijs vtilitatem afferunt, & virtutes, & quæ beneficium afferre possunt: & bona, quibus frui proximi possũt. *Arist. lib. 2. Rhet.*

Aemulandi sunt, qui bona æmulabilia possident, vt fortitudinem, sapientiam, magistratum. *Idem ibid.*

Aemulatio dupliciter dicitur, vt in laude, & vitio nomen hoc sit. Nam & imitatio virtutis, æmulatio dicitur, & est æmulatio ægritudo, si eo quod concupierit, alius potiatur, ipse careat. Cicero ad Attic. *6.*

Aemulatio est dolor animi, quum alius potitur ea re, quam tu concupiueris, & tu ea careas. *Franc. Patric. de Regno, lib. 5 c. 12.*

DIVISIO.

Aemulatio dicitur dupliciter secundum Ciceronem in Rhetoricis: est enim hoc nomen & in laude & in vitio. Nam imitatio virtu-

tis

tis æmulatio dicitur, & tunc laudis est. Item æmulatio, ægritudo, si eo, quod quis concupierit, alius potiatur.

Aemulatio duplex est, alia cum animi dolore, quod alius habet, quod habere non potes: alia ex similitudine oritur, & imitatione, non ex inuidia, quæ laudanda est. *Franc. Patr. de Regno, l. 5. c. 12.*

POETICAE SENTENTIAE.

Ouid. 3. Art.

Tunc bene fortis equus reserato carcere currit,
Cum quos prætereat, quos've sequatur, habet.

Hesiodus.

Ζηλοῖ δέ τε γείτονα γείτων. Id est:
Aemulatur vicinus vicinum.

APOPHTHEGMATA.

Ecbrades Lacedæmonius dicebat, duos Lysandros Spartam ferre non posse. Et *Archestratus* Atheniensis, duos Alcibiades in ciuitate Atheniensium tolerari non posse. Adeo, tametsi diuersi & contrarij tamen erant intolerabiles. *Aelian. lib. 11. de var. hist. Plut. in Lysandro & Alcibiade.*

Aristoteles, quum Xenocratis æmulatione aperuisset scholam, hoc carmen vsurpauit:

Αἰσχρὸν σιωπᾶν, Ξενοκράτην δ' ἐᾶν λέγειν.

Idest, Silere, turpe, ac Xenocratem pati loqui. *Laert. lib. 5. c. 1.*

Alexander, quum ei datum esset scriniolum, quo nihil inter opes Darij pretiosius, pulchriusve repertum est, & quæreretur, in quem vsum destinandum esset: alijs aliud suadentibus dixit: Huic optime seruandus dabitur Homerus: sentiés, nullum esse thesaurum, illo pretiosiorem. Ita visum est iuueni, qui se totum ad exemplar Achillis componebat. *Plut. in Alex.*

SIMILITVDINES.

Plutarchi. Vt non est verus amor, qui caret zelotypia: Ita non amat vehementer virtutem, nisi ardet æmulatione recte factorum ab alija. *In moralibus.*

Thriueri. Qui ex statuis, aut gloriosis sepulchris positis gloriam aut immortalitatem sperát, similes sunt ijs, qui anticipantes messem suam prodigunt: nam & illis ij potius abutuntur viri, quam mortui. *Apoph. § 73.*

ADAGIA.

Adagia de Aemulatione, Vide sub titulo, Inuidia.

EXEMPLA BIBLICA.

Exempla Aemulationis damnatæ. Iosue, *Num. 11. v. 28.* Pharisæi, *Matth. 9. v. 11.* Apostoli. *Luc. 9. v. 49.* Ioannis discipuli, *Io. 3. v. 26.* Exorcistæ Iudæi. *Act. 19. v. 12.*

PROFANA EXEMPLA.

Plato, vir summus, & *Xenophon*, haud expertes fuisse æmulationis creduntur, eo quod neuter alterius meminerit vnquam: cum multa vterque scripserit, clari præsertim & inter se noti. *Sabell. lib. 6. cap 9.*

Aemulatio quoque non exstitit parua inter *Aristotelem*, & *Isocratem* oratorem. vide P. M. in *Adag. ex Ciceronis Orat.*

Bauius, & *Mæuius*, ineptissimi Poetæ Vergilio suam inuiderunt gloriam, de quibus ipse in Bucol. *Qui Bauium non odit*, &c.

Apell. præstantissimus pictor æmulantium ambitione sæpe vulgi iudicio superatus, prouocauit inde ad naturæ tribunal, estq. ab ea victor iudicatus, in equi figuratione. *Sabellicus lib. 6. c. 9.*

Alex. Magnus Philippi fil. viso Achillis sepulchro: collachrymari cœpit, studio, gloriæ, & æmulatione virtutis: eumq. felicem prædicauit, cui contigisset habere laudum suarum præconem Homerum. *Plut. in Alex.*

EMBLEMA.

Aemulatio impar.

Emblema CXLI.

Alaudolam miluus comitatur degener harpam,
Et prædæ partem sæpe cadentis habet.
Nullum persequitur, quo spretas fargus ab illo,
Prætereitaq; auidus deuorat ope dapes.
Sic mecum Oenocrates agit: at deserta studentum
Vitat hic lippo cura tanquam oculo.

Vide, Inuidia, Liuor.

AE N I G M A.

DEFINIT. ET ETYMOL.

Aenigma, obscura, & inuoluta est quæstio. *Alciat ex Gellio lib. 4. parer c. 19.* Cuiusmodi fuit illud, quod Homerum interemit, vt legimus apud Plutarchum, & Herodotum, a Piscatoribus Ionijs, *ὅσσ' ἕλομεν λιπόμεσθα, ὅσ' οὐχ ἕλομεν φερόμεσθα.* Quæ cæpimus reliquimus, quæ non cæpimus ferimus.

Aenigmatis ea est forma, oratio scilicet, quæ ex minime congregantibus inter se constat, quod per nominum compositionem, fieri non potest, per translationem potest. *Aristoteles de arte poetica cap. 21.*

Hebr. verbum *Chadh*, significat ænigma seu problema, proposuit quæstiones difficiles, & obscuras, quibus magis ingenij quodam acumine quam certa indagine explicantur secreta, signif. item, proposuit theses arduas acuendi ingenij gratia. Cognationem habet cum *Chadhadh*, i. acutus fuit. Est enim ænigma propositio, arguta, & arcana, Græce, *αἰνίττομαι* obscure loquor, propono ænigma. Nomen Hebræum singulare *Chidhah*, ænigma plurale *Chidhoth*, & cum affix. *Chidotham*. ænigma, vti unque verbum, nempe, & nomen, occurrit in veteri testamento. Num. 12. 8. Iud. 14. Cap. Reg. 13. 14. & sequentibus. 1. Reg. 10 & 2. Chron. 9. 1. Ps. 49. 5. & 78. 2. Prouerb. 1. 6. Ezec. 17. 2. Dan. 8. 23. Abac. 2. 6. In nouo, Apostolus 1. Corinth. 13. 12. Videmus nunc per speculum, in ænigmate.

SENTENTIAE PATRVM.

Mare est Scriptura Diuina, habens in se sensus profundos, altitudinem propheticorum ænigmatum, in quod mare plurima introierunt flumina. *Ambr. ep. 44. ad Const. Epis.*

Sic loquitur diuina Scriptura, vt altitudine sua superbos irrideat, magnos profunditate sua terreat, attentos pascat, & sua paruos affabilitate nutriat. Nostri est tarditas ingenij, quod eam non cõprehendimus & velamen cordi manet impositum, nisi ab eo qui habet clauem Dauid auferatur & Lux cordibus infundatur, *Aug.* vide eius *epist. 2. ad Volusianum.*

Quemadmodum Scriptura simplices superficie resonet, ita sapientes mysterio exercet. Habet enim in publico, vnde paruulos nutriat, & seruat in occulto, vnde mentes sublimium in admirationem dulcedinis suæ suspendat, quasi fluuius quidam mirabilis, planus simul & altus, in quo Agnus peditat, & Elephas natat. *Greg. in Moral.*

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Pytagoras Deum ænigmatice ita descripsit, Est maximi numerorũ excessus supra proximos numeros. Aenigma illud ita explicatur. Deus excessus est, nempe quo maximus numerus, denarius, videlicet, proximum nonarium superat. Vincis nonarium vnitate denarius. Deus igitur vnitas est, atque adeo denarij vnitas perfectissimi numeri, idest, naturæ omnes omnium perfectionũ gradus complexæ.

Quid omnium est antiquissimum Resp. Thales, Deus. Cor ita *ἀγένητον.*

Quid robustissimum? Necessitas, siue fatum. Superat enim omnia.

Quid pulcherrimum? Mundus. Est enim opus Dei, quo nihil pulchrius. Vel, Omnes eius partes ordine aptæ sunt.

Quid sapientissimum? Tempus. Id enim alia inuenit, reliqua inueniet.

Quid communissimum? Spes, quibus enim reliqua omnia desunt, hæc adest.

Quid maximum? Locus. Reliqua enim Mundus continet, ab hoc continetur.

Quid vtilissimum? Virtus. Hæc enim reliqua, etiam recte vtendo, vtilia facit.

Quid damnosissimum? Animi vitium: huius enim præsentia plurima bona corrumpuntur.

Quid facillimum? Quod est naturæ consentaneum. Nam voluptates etiam sunt quæ sæpenumero respuantur. *Plutarchus* hæc Thaletis ænigmata refert *in conuiuio septem Sapientum*, vt & alia multa ex veteribus Aegiptijs, & Græcis.

Ante illos solenne fuit Hebræis ænigmatice loqui, vt maximi momenti negotia elegantius exponerent, teste Iorhamo, Gedeonis filio, noxia Sichemitarum Magistratuum consilia perstringente, Iud. 9. cap. a vers. 8. ad 16. & Ioazo Israelitarum rege stultam Amasiæ regis Iudæ confidentiam ænigmate Sarcastico vellicante, 2. Reg. 14. 9.

Piorum, eruditorum, & argutorum ænigmatum ex veteribus, & neotericis collectas Centurias multas, edidit ante annos aliquot Io. Heidfeldius, quæ omnium manibus teruntur.

Cicero. Hortensius orator defensionis mercedem a Verre acceperat Sphingem argenteam, is, quum M. Tullio obliquius quiddã, & inuolutius loquuto dixisset: Non didici soluere ænigmata: Atqui, inquit Cicero, Sphingem habes domi. Nota est fabula de monstro Sphinge, quæ præmijs propositis edebat ænigmata, non soluentibus autem, mors erat præmium. *Plutarc. in Roman. apoph.*

Idem

Idem. Orator ænigmate lusit matrem Pletorij, qui Frontcium accusabat, dicens, eam, dum viueret, ludum, mortuam magistros habuisse, notans, quod, dum viueret, infames ad eam fœminæ commeare solebant: post mortem vero bona eius veniebant. Sermo videtur & absurdus, & præposterus. Nam qui ludos habent, ipsi magistri sunt & discipulos habent. Magistri autem dicuntur non solum, qui docent, verum etiam qui regunt. *P.M.lib.4.apoph.*

Plutarchus. Si quis huiusmodi ænigma componat: Quid sit quod oderit simul & amet, fugiat & persequatur, minetur, & supplicet, irascatur & misereatur, desinere velit ac nolit eadem re maxime tum gaudeat, tum tristetur? Hic sane scirpus ægre solui, & conciliari posset. Porro Sphingis ænigma permulta quoq; conficta habet. Non enim reuera tripes est senex, si baculo innitatur: neque infans est quadrupes, quia gressus molles & infirmos manib. fulcit. Amantium autem affectus veri sunt: amant, oderunt, eundem absentem desiderant, præsentem metuunt, adulantur, conuitia dicunt, &c. *Stob ser. 62.*

E x e m p l a   P r o f a n a.

Aenigmata mittebant olim Reges finitimi alterutris, & sophisticas quæstiones, quas si nesciret alter dissoluere, pecunia, aut aliqua parte Regni mulctabatur, & qui vincebat, sapientior habebatur. Idem Græci, sublatis mensis sibi ipsis gryphos, nodos, & scrupos vt dicebant, cum pœna & præmio proponebant. *M. Ant. Natta de pulchro. lib. 1.*

Vide, Argutia, & arguto dicta, Sophistica.

AE Q V A L I T A S.

DEFINITIO. ET ETYMOLOG.

Aequalitas, Hebr. *Iescher*, a verbo *Iaschar*, rectus fuit, directus est, tectus & planus fuit. Et *Meschar* ab eodem verbo, quod cognationem habet cum *aschar*, beatus fuit, & *Zaschar*, congruit. Græce ἰσότης, ητος, ἡ, dicitur. Et est proportio habentium vnam quantitatem *Secundum B Thom. 1. sent. dist. 19. q. 1.*

Μῆτερ πᾶσι ... ἰσότης ...

Par tem omnibus tribuit: aequalitas sane in omnibus optima.

Aequalis Græce ... & ... dicitur. Est medium inter defectum & excessum. *secundum Arist lib. 2. Ethic.*

Aequale est, quod habet quantitates mensuratas æquales. *Alb. Mag. lib. 3. phys. tract. 7. c. 5.*

Aequale, in iustis, & in amicitia, non similiter se habet. Nam in iustis primo est, quod est ex dignitate: secundo, quod in quantitate est: at in amicitia contra. *Arist. lib. 8. Eth. Nicom. c. 7.*

Aequalitate existente, stat iustitiæ opus. *D. Th. Etic. 8 lib. 7.*

Aequales omnes sunt numero in potestate populari, qui publicæ administrationis participes sunt. *Eustach. 5. Ethic. c. 6.*

Aequalitas in ciuitate erit, si diuitibus addantur pauperes & pauperibus diuites, vt si alij decem, alij viginti, videntur autem diuitū sex, pauperum vero quinque, accedant pauperibus quatuor diuitum, & diuitibus quinque pauperum. *Arist. Polit. 6. c. 3.*

D i v i s i o.

AEQVALITAS duplex, scilicet:
- *Quantitatis, quæ requiritur in iustitia commutatiua, vt quisq; tantum accipiat, quantum debeat, & econuerso.*
- *Proportionis, quæ requiritur in iustitia distributiua, & in merito respectu præmij. ex B. Th. 4 sent d. 46 q. 1. art. 1.*

Aequalitas est duplex, vna secondum continentiam, & sic locus, & locatum sunt æqualia: alia, quæ communi mensura mensuratur. *Alb. Mag. 4. Phys. tract. 1. c. 13.*

Aequalitas duplex, rei secundum qualitatem & virtutis similitudinem in intentione: & æqualitas proportionis ad quoddam alterum: rei æqualitas in nullo potest esse commixta: proportionis æqualitas mixtionem ingreditur. *Alb. Mag. 1. de gener & cor. tract. 6 cap. 6.*

A p o p h t h e g m a t a.

Themist. Is facilitate morum multos ciuiū sibi conciliarat, atq; hinc popularem potentiam est adeptus. Itaque cuidam ipsum admonenti: Bene principatum geres Athenis, si cunctis æqualis, & communis esse voles: respondit; Nunquam ei sellæ insederim, vnde nihilo plus a me ferrent amici, quam alieni. *Plut.*

Diog. Pecunijs si quando egeret, eas ab amicis accipiebat. At cum a quibusdam ob id suggillaretur, quod præter philosophi dignitatem mendicorum more peteret: Imo, inquit, non peto, sed repeto. Repetimus autem mutuum, aut depositum. Amicus autem egenti amico dans, non donat, sed reddit potius id, quod amico debet: quoniam amicorum omnia debent esse communia. *Laert. lib. 6.*

Epicurus. Is mirum in modum Pytagoræ institutum improbabat: qui cum doceret, amicorum omnia esse communia, iubebat, vt discipuli quod quisque habebat, deponerent in commune, dicēs id esse diffidentium verius, quam amicorum. Nam si quis verus est amicus, nihilominus habeo pro meis, quæ ille possidet, quam si deposuisset. Qui diffidit autem, aut non est verus amicus, aut dubitat de animo alterius. *P.M. lib. 8. apoph. Plato.* felicem, & beatam esse eam ciuitatem, inquit, in qua istæ voces, Meum, & Non meum, proferri non audiantur: eo quod communibus, quoad fieri potest, rebus, quæ quidem alicuius æstimationis sunt, vti ciues debeant. Sed multo magis huiusmodi vox è connubio eximenda est. *Plut. in nup. praecept. & Stob. ser. 72.*

Idem, serui, & domini, inquit, amici nunquam erunt. Nec probi, nec improbi, etiam si æqualibus afficiantur honoribus. Inæqualibus etiam æqualia inæqualia fiunt, nisi mensuram accipiant. Nā propter hæc vtraque seditionibus replentur Respublicæ. Verus enim priscus ille sermo. Ab æqualitate amicitiam procreari, *lib. 6. de legib. Stob. ser 42.*

Leon. Euryctaeidis filius interrogatus, in qua tandem vrbe aliquis possit tuto vitam agere: In ea, inquit, quam qui incolunt, neque plus possident, neque minus: & vbi iustitia viget, iniustitia imbecillis est. Grauiter admonuit, æqualitatem esse pacis & tranquillitatis altricem, inæqualitatem seditionis esse seminarium, nec ibi locū esse iustitiæ, vbi & quisque potentior est, ita licentius opprimit imbecilliorem. *Plut. in Laconicis apoph.*

Lycurgus interrogatus, quomodo liceret hostium insultum effugere. Si, inquit, nec alius alio plus requirat. Quo dicto docuit tutiores esse eos ab hostium incursu, inter quos est æqualitas, & in æqualitate concordia. *Plut. in loco apoph.*

Idem, quoniam intelligebat æqualitatem & ad frugalitatem, & ad concordiam in primis conducere, fecerat nouam agrorum partitionem, & in singulos ciues æquā portionem distribuerat. Fertur itaque, cum dein ex peregrinatione rediens iter faceret per agrum, recens demessum, conspiceretq. manipulorum aceruos, ordine positos, & æquales, delectatus eo spectaculo, cum risu dixisse comitibus: vt tota Lacedæmon videtur multorum esse fratrum, qui nuper inter se diuiserint hæreditatem. Bono principi, nihil iucundius est ciuiū concordia, rursum tyranno nihil formidabilius. *Plut. in Lycurgo.*

Idem, quum statuisset inuadere delicias, luxumq. & in his quoque tollere diuitiarum admirationem, instituit Syssitia, hoc est conuiuia publica. Percontanti vero cur ea constituisset, sic vt in singulis conuiuijs pauci cum armis discumberent: Vt, inquit, expediti sint ad parendum imperatis: & si quid tumultus inciderit, penes paucos sit delictum, sitque inter omnes potus ac cibi æqua portio. Denique non solum in esculentis, & poculentis, verum, ne in strato quidem aut vasis aut alia re quacunque plus haberet diues, quam pauper. *Plut. in Lycon.*

Curius, victis Sabinis, cum ex Senatusconsulto ei ampliaretur agri modus, quem consummati milites accipere solent, recusauit, & gregalium portione contentus fuit, dicens: esse malum ciuem, cui non esset satis, id quod cæteris esset satis. *Plinius Iunior cap. 33. de viris illust.*

A d a g i a.

Aequa concertatio.

Cum significamus duo ex æquo parte ad disceptandum, rixandumve, licebit accommodare carmen illud ex Iliad. 3.

Τὼ μὲν δ' ἰχθύες τεχμ ἔγχια ὀξυόεντα,
Ἀντίον ἀλλήλων ἰχέτην μεμαῶτε μάχεσθαι.

Id est,

Illi inter sese inmanium pugnare parentes.
Obtendunt pariterq; manus, præacutaq; pila.

Par pari.

Dicimus ubi quid ex æquo moderatum significamus.

Pari iugo, ἴσον ἴσῳ.

Pro eo, quod est, pari studio pariq; conatu.

Pertinax contentio.

Quoties ostendimus obstinatam, ac muliebrem æqualium inter ipsos contentionem, quum neuter altero vult inferior videri. Conueniet illud, quod Iliad. 4. Iuno dixit ad Iouem.

Καὶ γὰρ ἐγὼ Θεός εἰμι, γένος δέ μοι ἔνθεν ὅθεν σοί.

Id est.

Ipsa etiam Dea sum genus inde mihi, vnde tibi ortus.

Amicitiæ, æqualitas, &c.

Amicus alter ipse. *Neq; enim quicquam non commune, vbi fortunarum æqualitas, neq; dissensio, vbi eadem animus, neq, diuortium, vbi coagmentatio duorum in vnum.*

Aequalitas non parit bellum.

Aequali-

Aequalitate enim continetur concordia; inaequalitas autem discordiarum est mater.

HIEROGLYPHICA.

Per *Hirundinem* in primis Aegyptij, quæ filijs suis cibum subministraret, hominem intelligebant, qui liberis æquas hæreditatis portiones distribueret. Neque non principem, qui se ciuibus æquaret suis: neque vllo vellet ornatu, vel apparatu magis, quam reliqui sumptuosiore accipi. *Hirundo* siquidem mira filios alit æquitate, singulis cibum parem impartiens: ea adhibita diligentia: ne qui semel acceperit, his accipiat: atque ita, vt par sit omnium sportula, procuret. *Pier. Val. lib. 21.*

Vide, Aequitas, Ius, Iustitia, Lex.

AEQVANIMITAS.

DIFFERENTIA.

Aequanimitas inspectando. Bonitas in probandis his, quæ bona sunt. Aequanimitas in ignoscendis vitijs, atque delictis. *Aelianus Donatus Terent. interpr.*

Vt æquanimis dicitur, qui est æqui animi, qui nec prosperis extollitur, nec aduersis frangitur, ita Hebræi æquanimem, seu æquanimum nomine *Erech appasim*. i. hominem longarum narium, idest patientem, & tardum ad iram appellant. Id Deo proprium est, teste Scriptura, & experientia perpetua. De hominibus dicitur, pro mensura gratiæ Dei.

SENTENTIAE PATRVM.

Recti corde de præceptis Dei, & constitutionibus mundi nõ queruntur. Quia iustum est omnia æquanimiter ferre, quæ iudicaturus voluit tolerare. *August.*

POETICAE SENTENTIAE.

Solon in Eleg.

Bonus animus in re mala dimidium est mali.
Princeps o iniqua, & aqua pariter audias.
Sed quem instituerit ciuitas, & parua cum
Audire oportet, & aqua, & his contraria.

Plautus.

Iure mala, animo si bono vtare, iuuat:
Fortiter ferendo vincitur malum quod euitari non potest.

Plautus Aulul.

Pol, si est animus aequus tibi, satis habes, qui bene vitam colas.

Idem in Rudente.

Animus aequus optimum est ærumnæ condimentum.

Antholog. Sacra Iac. Bil.

Dum mutabilium decurrunt tempora rerum,
Duoq; suis mundus motibus atteritur:
Resterum est aduersa pati, & tolerare modesti,
Ne quaerulans quoquam voce mouere Deum.
Cuius iudicio nulli parcetur iniquo,
Et perpes iustos gloria suscipiet.

SIMILITVDO.

Si quis absumat absynthij pusillum, & mittat in amphoram mellis, non in totum mel exterminabit, & tantum mellis a modico absynthio disperit, & perdit dulcedinem mellis, & iam non habet gratiam apud dominum suum, quoniam vsum suum perdit. Vide enim quoniam æquanimitas dulcissima est plusquam mel, & vtilis erit domino, qui in ipsa commoratur. Si ergo iuncta fuerit iracundia, æquanimitati contribulatur animus, & non est vtilis oratio illius. *Chrysost.*

ADAGIA.

In re mala, animo si bono vtare, adiuuat.

Fortiter ferendo vincitur malum, quod euitari non potest.

Magistratum gerens, audi, & iuste, & iniuste. ἄρχων ἄκουε καὶ δικαίως κἀδίκως.

Admonet, vt qui in tractandis Respubl. muneribus versatur, patientissimis sit auribus, æquissimoque sit animo, & bene, atque male audire consuescat, neque facile populi, vel laudibus, vel conuitijs à recto dimoueatur. Wer regieren will, der muss horen, vnd nicht horen: sehen, vnd nicht sehen.

Iactare iugum.

Est incommode ferre seruitutis necessitatem Translatum à bobus nondum assuetis iugo.

Ad metã vbi perueneris, ne velis reuerti, μὴ ἐπιστρέφεσθαι ἐπὶ τοῖς ὅροις ἐλθόντα.

Finem vita æquo animo feras. Ne Horatianum illud accinas.
O mihi præteritos referat si Iuppiter annos.

AEQVVS, & AEQVITAS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Aeqvvs, Græc. ἐπιεικὴς ἀνὴρ, dicitur, & est æquum, quod præter legem scriptam iustum est. *Arist. lib. Rhet.*

Hebr. *Iessaurum*. i. rectus, à verbo *Iasshar*, vt & æqualis, atque æqualitas. Et *Schalem* perfectus fuit, absolutus, pacificus à verbo *Schalem*. in 1. coniugatione: in 11. *Schillem*. Ab eodem verbo deducitur *Schalem*, Pax, quæ æquitatis fructus est. Et Schitelum, persolutio, retributio, quibus iniquitas, & iniquus apponuntur.

Aequus vir est, qui non exacte amplectitur ius in peiorem partem, sed de suis commodis detrahi patitur, etsi lege se tueri possit: & hic habitus, & hæc bonitas, & æquitas Græce ἐπιείκεια dicitur, nec aliud est, quam iustitia quædam. *Idem lib. 5. Ethic.*

Aequus ab aqua deducitur, quia summa est aquæ æqualitas, dum quiescit, ita vt imaginem, tanquam speculum reddat. Significatque æquus planum proprie, & per metaphoram ponitur pro iusto, quia nullam in partem inclinat. Vnde æquitas dicta, & æqualis.

Aequitas, Græce ἀντιπεπονθὸς. & æquus dicitur. Et est iustitia dulcore misericordiæ temperata.

Aequitas est pars iustitiæ, & continetur sub ἐπιεικείᾳ. *Secundum S. Thom. 2. 2. q. 80.*

Aequus, & bonus vir est, qui non est exactus iuris executor in peiorem partem, sed imminuit potius, etiamsi legem ad id adiutricẽ habet. *Arist. 5. Eth. c. 10.*

Aequitas est quod naturalis ratio persuasit. *Boetius in Topic. lec. 3.*

Aequitas est directio iusti legalis. *D. Thom. Ethic. 5. lib. 16.*

Aequus est qui descripta legibus iura diminuit, & moderatur; nam que legislator ad vnguem definire non potest, sed in vniuersum loquitur, hic in eisdem intercedens delegit, quæ legislator particulariter quidem definire volebat, verum ei facere non licuit. *Arist. mag. mora. c. 1*

Aequitas est iustorum conducentiumque remissio, moderatio in commerciis, ordo rationalis animæ, quo ad honesta, & turpia. *Speusip. de Plato. definitio.*

DIVISIO.

AEQVITAS secundum Cyprianum, quæ Græce ἐπιείκεια dicitur, seruatur in

- *Legum congrua ad opus applicatione, vt scilicet potius legislatoris intentio seruetur, quam eius verba: vnde Greg. & habet 22. q. 5.*
- *Humana verba destruere intentioni debent non intentio verbis.*
- *Rerum iusta, & debita commutatione. Leuit. 19.*
- *Statera, vtrinq; iusta, & æqua sint pondera.*
- *Honorum proportionata participatione, vt in omni collegio æquitas seruetur in laboribus, & emolumentis, pro officiorum proportionata conditione, ex Archiepiscopo Floren. 4.*

Aequum duplex. vnum numero, alterum dignitate, numero seu multitudine, & magnitudine idem, & æquum dignitate id quod est secundum rationem, vt 4. ad 2. sic 2. ad 1. ambo enim medietates sunt. *Arist. pol. 5. c. 2.*

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Aequum, & iustum est extra leges scriptas, & accidit partim inuitis legislatoribus quoties latet, partim volentibus, quoties distinguere non possunt. *Arist. rhet. pri.*

Aequum est rebus humanis ignoscere, nec legem, sed legislatorem spectare, non verba, sed sententiam, non actionem, sed prælectionem, nec partem, sed totum, nec qualis nunc, sed qualis semper, aut plerunque extitit, & memoria tenere potius commoda, quam incommoda, & quæ accepit commoda, quam quæ attulit. & ad arbitrum, quam ad iudicem accedere malle: æquum enim arbiter intuetur, iudex legem, & ideo arbiter inuentus est, vt æquum valeat. *Arist. rhet. 1.*

Aequitas pacis tempore in iudicijs dominetur oportet, summum ius, summa iniuria. *Franc. Patr. de regno, lib. 2. c. 17.*

Aequitate, quam sanguine, causa, quam armis retinere parta maioribus, laudabilius æstimatur. *Corn. Tac.*

Absit iniuria, & labor, quibus nulla fructus pars est. *Salust.*

Est ita comparatum, vt etiam malorum societas, nisi æquitas, atque iustitia fuerit seruata, facillime infringatur. *Polybius.*

EXEMPLA SACRA.

Exempla Aequitatis, & iustitiæ: Abraham *Gen. 13. vers. 8.* Iacob 30. *vers. 31. 32. 33.* Iosua cum principibus, *Ios. 9. vers. 19.* Filiæ Salphaad, *Num. 17. vers. 7.* Adonibezech, *Iud. 1. vers 6. 7.* Samuel, 1. *Sam. 15. ver. 32. 33.* Dauid, 1. *Sam. 26. ver. 23 & 30. ver. 32. 2. Sam. 24. v. 23.* Assuerus, *Esth. 7. ver. 9.* Tobias, *Tob. 2. v. 19. 20. 21.* Darius, *Dan. 6. v. 24.* Populus apud Danielem, 13. *vers. 60. 61.* Antiochus, 2. *Macc.*

2. *Mach.* 4.48. *& 9. verf.* 28. Iafon, 5.9.10. Homo regius, *Mat.* 17.34. Nicodemus, *Ioan.* 7.51. Tribunus profanus *Act.* 21.38.

EXEMPLVM PROFANVM.

Neque quidem exemplum aliud præter eundum, ex quo æquitatis etiam idem hoc animal feruantiffimum effe fatemur. Quidam menfuræ, quæ magiftro impendebatur, & lapillos, & puluerem immifcebat, quo de pondere aliquid fraudaret: animaduertit Elephas apud illum carnes elixari, accenfifque cinerem è foco in ollam paria facturus iniecit. *Pierius Val lib.* 2.

Vide Ius, Iuftitia, Lex.

ÆRARIVM.

DEFINITIO ET ETYMOL.

AErarium ab ære appellatum. *Varro de lingua Latina, lib* 4. Græc. ὀπισθόδομος, ταμεῖον, ab Hebræo *Taman*, ideft abfcondere, recondere. Inde *Natmon*, thefaurus fiue ærarium publicum aut priuatum. Vide Etymologicum Trilingue, Lugduni excuffum anno 1607. pag. 831. 832. vbi multa de ærario feu thefauro obferuatu digna occurrunt. Caldæis *Thimion*, ideft thefaurus, ærarium. Syri vocant Aerarium, *Beth gaza*, domum diuitiarum, feu thefauri. Vide Thefaurus. De Gazophylacio, Euangelistæ, Marc. 12.41. 43. Luc. 21.1. & Ioan. 8. 20. Aerarium multiplex, Politicum, Ecclefiafticum, Oeconomicum, priuatum.

Antiquiffimi nondum auro argentoque inuento, ære vtebantur. Nam prius ærea pecunia in vfu hominum fuit: poft argentea: deinde aurea fubfecuta: fed ab ea qua cepit nomen retinuit. Vnde & ærarium dictum, quia prius æs tantum in vfu fuit, & ipfum folum recondebatur, auro argentoque nondum fignato, ex quorum metallis quamuis poftea facta fuiffet pecunia: nomē tamen ærarij permanfit ab eo metallo, vnde initium fumpfit. *Ifidor. lib.* 16. c. 17. *ad Orignum.*

Aerarium populi erat, Fifcus principis, donec omnia in fifcum fuum transtulit. *Alciat. de verb. fign.*

APOPHTHEGMATA.

Traianus Imperator fifcum, lienem vocare folebat, quod eo crefcente reliqui artus omnes tabefcerent. *Langus in Nicephori annotationibus.*

Conftans Imperator dicere folebat, opes publicas melius à priuatis pluribus haberi, quam intra vnum principis clauftrum referuari. *Eutrop.*

Vide tit. de Ciuitate & Republica.

ÆTAS.

DEFINIT. ET ETYMOL.

AEtas, Græcè ἡλικία, αἰὼν dicitur, quafi æuitas, vel potius ab αἰὼν deducitur ætas, ab αἰὼν, enim æuum, æuitas, & per Syncopen ætas. Aetas ab antiquis varie diftinguebantur. Seruius Tullius rex Romanorum eos pueros appellauit, qui effent infra decimum feptimum annū. Indeq; vfq. ad quadragefimum fextum iuniores dixit, quos bello idoneos elegit: fupra vero fextum & quadragefimum annum feniores nominauit. Varro autem diuifit ætatem in infantiam, adolefcentiam, iuuentam, & fenectam. Quarum fingulæ trifariam diuiduntur, vt prima pars viridis, fecunda adulta, vltima præceps dicatur. Virgilius.

Iam fenior, fed cruda Deo viridifq; fenectus.

Hebræi. ætas, *heth*, ideft tempus, opportunitas temporis, à verbo *haetab*, tempeftiuus fuit, in tempore fuit. Hinc ἔτος annus: Et *Dor*. ætas durabilis, & Sęculum à verbo Dor, perdurauit. Hinc δηρὸν, δηρὸν Diu, & δηρός. diutinus: Latinum item duro, perduro, quod ætatis curfu quodam perficitur.

DIVISIO.

Aetatum Diuifio, fecundum Varronem & Galenum atque Hippocratem.

Doctiffimus Varro quinque ætatis gradus æquabiliter putat effe diuifos, ac vnumquemque, præter extremum, in annos 15 Propterea fectio prima annum quintumdecimum attingens, pueros habet: ex puritatis ratione ita nuncupatos. Secunda ad tricefimum porrecta, adolefcentes: ab incrementi ratione nomen adeptos. Iuuenes fectionem faciunt tertiam, ad annos quinque & quadraginta, quibus inde appellatio facta, q in bellicis vfibus Reip. adiumento forent. Et inde huiufmodi ex catalogo effe dicuntur, ficut vltra catalogū, qui iam militiæ habentur inepti. Ad annorum decada fextam, feniores perueniunt. Reliquum vitæ tempus fectionem habet quintam, in qua qui agunt, iam vocantur fenes. Ex hac Varroniana ætatum diftributione commoueor fcite admodum, & congruenter vitæ tēpora fabulis comparari. Nam & Cicero, qui hifce, inquit, authoritatis præmijs fplendide vfi fuerint, ij mihi funt vifi fabulam ætatis peregiffe, nec tanquā inexercitati hiftriones in extremo actu corruiffe. In fabulis vero actus feruari quinque, non arbitror effe quem fugiat, quam nec perfona quinquies egreffe vltra exire poteft. In quo attente animaduertendū, vbi, & quando fcena vacua ab omnibus fit perfonis, vt in ea chorus, vel tibicen audiri poffit: id enim cum viderimus, ibi actum effe finitū debemus agnofcere. Hippocrates (ficuti libro de die natali prodit Cenforinus) feptem ætatis conftituiffe gradus deprehenditur. Ac primum quidem anno feptimo terminaffe: fecundum, quartodecimo: tertium, duodeuicefimo: quartum, tricefimoquinto: quintum, duodequadragefimo: fextum fexagefimoprimo: feptimum ad vitę coronidem protendit.

Galen. in lib. cui tit. ὅροι ἰατρικοί, ætates ftatuit omnino quatuor: ex quibus primam facit τῶν νέων, ideft, iuuenum: fecundam τῶν ἀκμαζόντων, ideft, vigentium: tertiam τῶν μέσων, ideft, mediorum: poftremam τῶν γερόντων, ideft, fenum. *Galenus de definitionibus medicis.*

Iuuenes poftmodum effe ait, temperatura calidos humidofq. verì præcipuè affimiles, in vigore conftitutos, calere fimul, arefcereque ætatis modo. Medios pronunciat effe frigidos, ac ficcos, perinde ac autumnus eft. Sunt vero humecti cum frigiditate fenes, τῷ χειμῶνι παραπλήσιοι. Efflorefcit in iuuenibus fanguis, in vigentibus ξανθὴ χολή, in medijs μέλαινα, in fenibus φλέγμα, Et hæc caloris natiui ratione omnia. *Idem.*

POETICAE SENTENTIAE.

Odyffea β.

Ἐγὼ δ' ἔτι νήπιος ἦα·
Νῦν δ' ὅτε δὴ μέγας εἰμὶ καὶ ἄλλων μῦθον ἀκούων
Πυνθάνομαι καὶ δή μοι ἀέξεται ἔνδοθι θυμός. Id eft,

Eram adhuc puer.
Aft vbi iam fum grandior, & reddit me alterum oratio doctum.
Ipfeq; grandefcit mi animus.

Virg. 1. Georg.

Ante Iouem nulli fubigebant arua coloni.
Nec fignare quidem, aut partiri limite campum
Fas erat: in medium quærebant: ipfaque tellus
Omnia liberius nullo pofcente ferebat.

Ouid. 1. Metamor.

Aurea prima fata eft ætas, quæ vindice nullo
Sponte fua fine lege fidem, rectumq; colebat.
Nondum præcipites cingebant oppida foffæ.
Non tuba directi, non æris cornua flexi,
Non galeæ, non enfis erat fine militis vfu
Mollia fecuræ peragebant otia gentes.
Ipfa quoq; immunis, raftroq; intacta nec vllo
Saucia vomeribus, per fe dabat omnia tellus.

Ouid. 1. Fafi.

Nondum Iuftitiam facinus mortale fugarat:
Vltima de fuperis illa reliquit humum.
Proq; metu populum fine vi pudor ipfe regebat:
Nullus erat iuftis reddere iura labor.

1. Metamorph.

Primus ab æthereo venit Saturnus Olympo,
Arma Iouis fugiens, & regnis exul ademptis.
Is genus indocile ac difperfum montibus altis
Compofuit, legefq; dedit, Latiumq; vocari
Maluit, his quoniam latuiffet tutus in oris,
Aureaq; vt perhibent, illo fub rege fuere
Secula: fic placida populos in pace regebat:
Deterior donec paulatim ac decolor ætas.
Et belli rabies & amor fucceffit habendi.

Plaut. in Afin.

Capiunt voluptates, mox rurfum miferias:
Iræ interueniunt, redeunt rurfum in gratiam.

Horat. Satyr. 6.

Quid craftina volueret ætas.
Scire nefas homini.
Viue memor quam fis æui breuis.

Idem Epift. 5.

Inter cuncta leges, & percontabere doctos
Qua ratione queas traducere leniter æuum.

Ex 6. Metam. Ouid. Fab. 1.

Non omnia grandior ætas.
Quæ fugiamus, habet: feris venit vfus ab annis.

Terent. in Adelph.

Ad omnia ætate magis alia rectius fapemus ô Demea.

Ex Metam. lib. 15. Fab. 16.

Etenim mihi multa vetuftas
Scire dedit.

Ex

Ex Trinummo Plauti.

Sapientia ætas condimentum est, sapiens ætati cibus est.
Non ætate, verum ingenio adipiscitur sapientia.

Ex Hippolyto Senecæ Tragœdia 4.

Aetate fruere, & mobili cursu fugit.
Optimos vitæ dies
Effluere prohibe.

Ibidem.

Propria describit Deus
Officia, & æuum per suos ducit gradus.
Lætitia iuuenem, frons decet tristis senem.

Ouid. lib. 3. de Arte.

Vtendum est ætate, cito pede labitur ætas,
Nec bona tam sequitur, quam bona prima fuit.

Horat. lib. 2. Carminum, Ode 11.

Quid bellicosus Cantaber, & Scythes
Hyrpine Quincti cogitet, Hadria
Diuisus obiecto remittas
Quærere, nec trepides in vsum.
Poscentis æui pauca fugit retro
Leuis iuuentus, & decor, & arida
Pellente lasciuos amores
Canitie facilemque somnum.

Menæchmis Plauti.

Confectus sum senectute, onustum gero
Corpus, vires reliquere, vt ætas mala est merx? mala
est ergo.
Nam res plurimas pessimas, cum aduenit, adfert, quas
si autumem
Omnes, nimis longus sermo est.

Idem in Bacchidibus.

Haud ætati optabile fecisti, cum istanc nactus est impudentiam.

Ouid. 6. Fast.

Tempora labuntur, tacitisque senescimus annis:
Et fugiunt fræno non remorante dies.

Corn. Gal.

Diuersos diuersa iuuant non remorante die.

Corn. Gal.

Diuersos diuersa iuuant, non omnibus annis:
Omnia conueniunt, res prius apta nocet.
Exultat leuitate puer, grauitate senectus:
Inter vtrumque manens stat iuuenile decus.
Hunc tacitum, tristemque decet: sit clarior illa
Lætitia, & lingua garrulitate sua.
Cuncta trahit secum, vertitque volubilis ætas,
Nec patitur certa currere quemque via.

Auson. l. ... Rom.

Collige virgo rosas, dum flos nouus, & noua pubes,
Et memor esto æuum sic properare tuum.

Lucretius lib. 5.
Infantiam describit his vers.

Tum porro puer, ut sæuis proiectus ab vndis
Nauita, nudus humi iacet, infans indigus omni
Vitai auxilio, cum primum in luminis oras
Nixibus ex aluo matris natura profudit:
Vagituque locum lugubri complet, ut æquum est,
Cui tantum in vita restet transire malorum.

Ouidius, item.

Editus in lucem iacuit sine viribus infans,
Mox quadrupes, rituque tulit sua membra ferarum,
Paulatimque tremens, & nondum poplite firmo
Constitit, adiutus aliquo conamine neruis.

Ouid. 15. Metam.

Quid non in species succedere quatuor annum
Aspicis, ætatis peragentem imitamina nostræ?

Pueritia.

Nam tener & lactens, puerique simillimus æuo,
Vere nouo est, tunc herba nitens, & roboris expers
Turget, & insolida est, & spe delectat agrestes.
Omnia tunc florent, florumque coloribus almus
Ludit ager, neque adhuc virtus in frondibus vlla est.

Iuuentus.

Transit in æstatem post ver, robustior annus,
Fitque valens iuuenis: neque enim robustior ætas
Vlla, nec vberior, nec quæ magis ardeat, vlla est.

Virilis ætas.

Excipit autumnus posito feruore iuuentæ
Maturus, mitisque inter iuuenemque senemque;
Temperie medius, sparsus quoque tempora canis.

Senectus.

Inde senilis hyems tremulo venit horrida passu,
Aut spoliata suos, aut quos habet alba capillos.
Polyanthea Noua.

Ouid. 2. Metam.

Verque nouum stabat cinctum florente corona,
Stabat nuda æstas, & spicea serta gerebat.
Stabat & autumnus calcatis sordidus vuis
Et glacialis hyems canos hirsuta capillos.

Terent. in Adelph.

Nunquam ita quisquam bene subducta ratione ad vitam fuit,
Quin res, ætas, vsus semper aliquid adportet noui:
Aliquid moneat, vt illa, quæ te scire credas, nescias:
Et quæ tibi putaris prima, in experiundo repudies.

Iuuenalis Satyr. 9.

Vtile consilium modo, sed commune dedisti:
Nunc mihi quid suades, post damnum temporis, & spes
Deceptas? festinat enim decurrere velox
Flosculus angustæ, miseræque breuissima vitæ
Portio: dum bibimus, dum serta, vnguenta, puellas
Poscimus, obrepit non intellecta senectus.

Horat. lib. 1. Ode 11.

Spatio breui
Spem longam reseces: dum loquimur, fugerit inuida
Aetas.

Iuuenalis 6.

Omne aliud crimen mox ferrea protulit ætas.

Tibullus 23.

Ferrea non Venerem, sed prædam sæcula laudant?
Præda tamen multis est adoperta malis.
Præda feras acies cinxit discordibus armis:
Hinc cruor, hinc cædes mors propiorque venit.
Præda vago iussit geminare pericula ponto.
Bellica cum dubiis rostra dedit ratibus.

Iuuenalis 13.

Nona ætas agitur, peioraque sæcula ferri
Temporibus, quorum sceleri non inuenit ipsa
Nomen, & a nullo posuit natura metallo.

Horat. Carm. 6.

Aetas parentum peior auis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

Iuuenalis 2.

Dedit hanc contagio labem,
Et dabit in plures: sicut grex totus in agro
Vnius scabie cadit, & porrigine porci.

Seneca Thyeste.

In nos ætas vltima venit.
O nos dura sorte creatos!

Vide, Iuuentus, Pueritia, Senectus.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Virtutis quam ætatis cursus celerior.

Aetas, vt superior, sic & posterior esse solet. *Cic. Phil. 5.*

Studia quæ sunt in adolescentia tanquã in herbis, significat, q̃ virtutis maturitas, & quantæ frugis industriæ sint futuræ. *Cic. pro Cal.*

Romanorum Rex eos pueros appellauit, qui essent infra decimũ septimum annum, indeq. ad sextum & quadragesimum, iuniores dixit, quos bello idoneos elegit: supra vero quadragesimum sextum annum, seniores dixit. *Seruius Tullius.*

Quis vllam vllius boni spem habebit in eo, cuius primum tempus ætatis palam fuerit ad omnes libidines diuulgatum? *Cicero ad Sen. post reditum.*

Non cani, non rugæ repente authoritatem afferre possunt, sed honeste acta superior ætas fructus authoritatis præbet extremos. *Cato Maior.*

De ætate florida, Dialogus 1. Gaudium, & Ratio.
Franciscus Petrarcha. GAV.

Aetas florida est, multum superest vitæ. Ra. Et prima mortalium vana spes quæ multa hominum millia, & fefellit, & fallet. Gau. Florida est ætas. Ra. Inane gaudiũ & breue, flos ille dum loquimur arescit. Gau. Aetas integra est. Ra. Quis integram vocet cui multum deest, & quantulum sit, quod restat, incertum est. Gau. Atqui lex est certa viuendi. Ra. Quis hanc legem tulit, aut, quod istud legitimum tempus est vitæ? Iniquissima vero lex, quæ non omnibus vna est. Immo tam varia, vt nihil incertius in hominũ vita, quam ipsius vitæ modus sit. Gau. Est tamen & modus aliquis & vitæ meta, quam sapientes statuerunt viri. Ra. Metam vitæ statuere, non qui accipit, sed qui dat illam, Deus potest. Intelligo autem septuagesimum, aut si natura potentior est, octuagesimũ cogitatis annum, atque ibi metam figitis, quo prouectos maneat labor & dolor, nisi forte longius spem promouit is, qui ait, Numerus dierum hominum, vt multum centum anni, quo, quam rari veniant, videmus, sed vt sit omnium, quod paucorum est, quãtulum tamen nunc etiam idest? Gau. Multum sane. Est enim iuuenum vita serior, & a senectute remotior & a morte. Ra. Falleris. Et si nil tutũ homini, illa tamen periculosior vitæ pars quam securitas omnia reddit incautam. Nihil est alteri vicinius, quam mors vitæ. Cum distantissimæ videantur, contiguæ sunt. Sem-

per illa præterlabitur. Semper hæc instat. Quocunque fugeritis, præsto est, & ceruicibus imminet. Gau. Iuuenta nunc saltem præsens est, & senectus absens. Ra. Nil mobilius iuuenta, nihil insidiosius senectute. Illa non stat, mulcendoq; fugiens abit, ista per tenebras, atque silentium pedetentim subiens improuidos ferit, & dum longinqua fingitur, in foribus est. Gau. Aetas in ascensu est. Ra. Insidiosissimæ rei fidis Ascensus iste descensus est. Vita breuis, tempus instabile furtum nullo pedum strepitu inter somnũ, & iocos effluit, & O! Si hæc temporum celeritas, vitæq. breuitas vt in fine, sic in principio nota esset, nunc intrantibus infinitum quiddam, exeuntibus nihil & quot sæcula videbantur, vix totidẽ sunt momenta. Sic tum demum fraus noscitur dum vitari nequit vnde est, quod sępe frustra huic consulitur ętati, incredula simul & inexperta est, & contemptrix alieni consilij, inops sui. Itaq; iuueniles errores, licet innumerabiles & immensos, his ipsis tamen occultos, & incognitos, quorum sunt, nil melius, quam senectus detegit, & dissimulationum, conniuentiumque luminibus ingerit, nec prius ꝙ esse debuistis, aduertitis quã quod esse noluistis, effecti estis, fieriq. iam aliud non potestis. Quod si quis in tempore, aut per semetipsam intelligere posset, aut docenti credere, ille mihi vnus ex millibus præclarus, ac felix surgeret adolescẽs, nec tam multis anfractibus ageret vitam, cuius vnica tuta, & recta per virtutem via est. Gau. Aetas indecerpta est. Ra. Quomodo indecerpta est, quæ ex quo esse cęperit, assidue carpitur, & quæ minutissimis portiunculis dum datur, eripitur? Siquidem motu perpetuo cœlum rotat, momenta horas, horæ diem rapiunt. Is aliũ diem trudit. isque alium, & nunquam quies. Sic menses prætereunt, sic anni, sic & ætas, & currit, & properat. Et vt Cicero ait, volat. Quoque ait Maro. Celeres neque commouet alas. Ita ceu nauigantibus, nec sentientibus, qui vehuntur, sæpe nec cogitantibus finis adest. Gau. Aetas incipiens, ab extremo procul abest. Ra. Intra breuis viæ spacium nihil est procul. Gau. At nulla pars a fine distantior, quam principium. Ra. Nulla quidem, sed tunc recte diceretur, quando omnes æquis spacijs viuerent. Nũc pluribus vijs, & sæpius prima ætas in mortem incidit, quo fit, vt plerunque vicinior sit extremo, qui remotior videbatur. Gau. Certe florentissima est ætas. Ra. Etsi ad hoc pauci animum aduertant, tamen ex quo loqui cœpimus mutatio aliqualis incessit, & modo per singulos syllabarum tractus, vitæ aliquid excidit, aliquid de caduco ætatis flore subtrahitur. Quid autem (quæso) plus habet hic mollis, & nitidus adolescens, quam ille durus, & squammosus senex, præter hunc, quem loquimur, ætatis breuem scilicet & caducum, immo assidue cadentem florem? Vbi quid tã dulce, tam iucundum non inuenio, cum sciat dicto citius se futurum, quod ille nunc est, vel si nescit insaniat. Nisi forte è duobus alias capitali simul supplicio addictis, ille fœlicior est habendus, qui nouissime iussus est dare colla securibus, qui mihi quodammodo, ipsa dilatione, miserior videatur, quanquam non est par horum conditio & illorum: huic enim interuenire aliquid potest vnde collegæ supplicium euadat, & viuat. Iuuenem senio eripere sola mors potest. Ad summam, paruo temporis in spacio non stat magna felicitas, & ingentibus animis breue nihil optabile est. Expergiscimini consopiti: tempus est, caligantesq. oculos aperite. Assuescite iam tandem æterna cogitare, & amare, & optare, simul autem peritura contemnere. Condiscite ab his sponte discedere, quæ nobiscum diu esse non possunt, & animo illa relinquere, antequam relinquamur. Gau. Aetas est stabilis, virẽsque. Ra. Mentiuntur, qui vel vllo quam ætatem stabilem dicunt. Nil volubilius tempore, tempus vero est vehiculum ætatum omnium, & hoc stabile fingitis? O vanitas! nihil est stabile, nunc maxime caperis.

Similitudines.

Chrysostomi. sicut corpus vsquequo febribus detinetur, & subsequentibus ægritudinibus etsi sit validum, tamen affligitur: cum autem liberatum fuerit ab obsessione morborum, recreat propriam virtutem: Sic etiam anima iuuentute febribus laborat, & amor gloriæ opprimit eam, & deliciarum, & venerearum rerum, & aliarũ multarum imaginationum. Cum autem senectus aduenerit, omnes has passiones effugiat, alias per satietatem, alias per philosophiam constrictas: has quippe suas corpore relegat senectus, nec si velit anima illis vti, permittit, sed sicut hostes diuersos recludens, velut in loco a turbis libero collocat, & multam ei operatur tranquillitatem, & timorem inducit ampliorem. *Hom. 7. in epist. ad Hebræos.*

Philonis Iudæi. sicuti non eadem discunt viti quę pueri, sed suæ cuiq. ætati disciplinæ conueniunt: Sic interdum natura fert vt animæ pueriles maneant etiam in senilibus corporibus, & contra perfectæ inueniantur in florentibus adhuc, & pubescentibus. *Lib. de Profugis f. 304.*

Synesi. Quemadmodum viarum diuortia primum quidem paruo interuallo distant, quod deinceps, quo proceditur longius magis, magisq; augescit, vt demo tota illa longissimo spacio opponantur: Ita eam adolescẽtia animaduertere licet fieri similiter, vt parua diuersitas multum discrimine et ætate prouectos. *De prouidentia, lib. 1. fol. 50.*

Augustini. nostra ætas, cum Rempub. sicut picturam accepisset egregiam, sed euanescentem vetustate, non modo non coloribus ijsdem, quibus fuerat, renouare neglexit, sed ne id quidem curauit vt formam saltem eius, & extrema tanquam lineamenta seruaret. *De ciuit. Dei, lib. 5. c. 21.*

Sicut in oculo cæci in nocte vitium cæcitatis est, sed non apparet, nec discernitur inter videntem & cæcum, nisi luce veniente. Sic in puero vitium esse non apparet, donec ætatis prouectioris tempus occurrat. *De verbis Apostoli.*

Plutarchi. vt non qui multum cecinit, aut rhetoricatus est, aut gubernauit, laudatur, sed qui scite: Sic non qui diu vixit, sed qui bene. *In Moralib.*

Senecæ. sicut amplæ, & regiæ opes, vbi ad malum dominum peruenerunt, momento dissipantur: at quamuis modicæ si bono custodi traditæ sunt, vsu crescunt. Ita ætas nostra bene disponenti multũ patet. *De breuitate vitæ ad Paulinum, c. 1.*

Quemadmodum ex amphora primum, quod est sincerissimum effluit, grauissimum quodque turbidumq. subsidit: Sic in ætate nostra, quod est optimum, primum est. *epist. 109.*

Illa herba, quæ in segetem, frugemq. ventura est, aliam constitutionem habet tenera, & vix eminens sulco, aliam cum conualuit, & molli quidem culmo, sed qui ferat onus suum constitit: aliam cũ flauescit, & ad aream spectat: & spica eius induruit: in quam constitutionem quum venit, eam tuetur, in eam componitur. Alia ætas est infantis, pueri, adolescentis, senis. *epist. 122.*

Quemadmodum nauigantibus terræq. vrbesq. recedunt: Sic rapidissimi temporis cursu primum pueritiam abscondimus, deinde adolescentiam, deinde senectutis optimos annos.

Plinij. Vti ciconias nemo aduenire sentit, sed aduenisse: nemo discedere, sed discessisse: quod noctu clanculum faciunt vtrumq. Ita iuuentutem nemo intelligit discedere, sed discessisse, & senectutem non sentimus aduenire, sed aduenisse. *Lib. 10. cap. 23. Historia Naturalis.*

P. M. vt a currente flumine tantum habes, quantum hauris: Ita ex annis semper euntibus nihil accipis, nisi quod in res duraturas collocas. *In simil.*

Sicuti vina, & poma subacerba, vetustate mitescunt, dulcescuntq.: Sic ætatis insolentia longo rerum vsu mitigatur. *In similibus.*

Vt Apiana vina, & alia quædam initio dulcia, austeritatem accipiũt ab annis: ita quidam ætate fiunt inhumaniores. *In similibus.*

Sicut Aminæa vina senio fiunt meliora: ita quidam in iuuenta solutiores, aut asperiores, ætate & vsu rerum fiunt mitiores. *In similibus.*

Scriptores

Aetatum gradus septem ex Hippocrate. *Pollux enumerat lib. 2.*

Vide præterea *Alciat. in l. pupr. appell. ff. de ver. sign.* Proclus in Alcibiade, *cap. 36.*

Septem ætates constituit septem planetis cõgruas. De ætate nuptijs accommoda. *Cælius Rhodig. lib. 28. c. 20.*

Quæ firma ætas, *Idem lib. 27. cap. 20.* Quam erudite Pythagoras hominum ætatem in quatuor partes diuisit: atque inibi de Seruio Tullio, qui Romanorum ciuium tres ætates notauerit, ex Tuberone & Gellio. *Petrus Crinitus lib. 5. cap. 9.*

Aetates humanas Planetarum consequi rationem. *Cælius lib. 19. cap. 22.*

De octo hominum generationibus *Leonicenus lib. 3. cap. 32.* Aetatũm humanæ vitæ distributio. *Cælius Rhodig. lib. 19. cap. 21.* Philosophorum placita, & Auiceonæ de ætatibus. *Idem lib. 19. cap. 22.* De ætatum finibus, pueritiæ, iuuentæ, senectæ, ex Tuberonis historia suorum, *Gellius lib. 10 cap. 28.* Fabulam ætatis peragere, ex Cicerone quid sit. *Cælius Rhodig. lib. 19 cap. 21.* Vocabula plura quibus ætates a Græcis distinguuntur. *Idem Cæl. lib. 19. cap. 22.* De ætatum moribus. Vide Aristot. in Rhetoricis. De his ipsis Dialogum dedit Nicol. Leoniceo. Thomæus, quem inscripsit *Phœnum Dial. volum. 7.*

AETERNITAS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

AEternitas Græce *αἰωνία, ας, ἡ,* & *αἰώνιος, ου, ὁ,* æternus est interminabilis vitæ simul tota & perfecta possessio, *secundum Boetium, lib. 5. de consol.* Diciturque quasi æuiternitas, & sempiternus, quasi semper æternus. Differunt autem æternum, & perpetuum, quod ęternum sit id, quod sine principio est, & sine fine, vt Deus: perpetuum autem, quod habuit principium, sed finem non est habiturum, vt anima.

A vet-

A verbo *halam*, i. Occuluit, occultauit, abscondit, deducunt Hebr. interpretes vocem *halam*, i. Seculum, Perpetuum, Aeternum, Sempiternum, & interdum significat tempus, longum, aut multum, nonnunquam tempus vitae alicuius: aliquando spatium illud tem poris apud Iudaeos vsque ad annum Zobel, seu Iubilaeum. In Scriptura S. hoc nomen, diuturnitatem temporis significat, homini, absconditam: vnde & nomen habet, nō, vt quidam volunt, quod seculi duratio quando sit illud desiturum, nobis sit abscondita. Ac nunc Aeternitatem infinitam, qualis in Deo est, sine principio, aut fine, nunc longissimum, aut longius tempus significat, vt ab orbe condito, aut ab alio notabili tempore, ad aliud tempus notabile & insigne, vt vsque ad Legem, vel Christum, vel mundi consummationem. Interdum & breuius, vt ad Iubilaeum vsque: vt Graecis *αἰών*, quod nunc aeuum, nunc aeternitatem etiā sonat. Haec omnia facile distinguet circumstantia locorum.

SENTENTIAE PATRVM.

Quicquid viget mouetur q. per semper, nec videri, aut tangi potest: aeternum sit necesse est. *Lactantius Firmianus l. de opif. vlt. c. 17.*

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Ἀΐδιοι τῶν ἀϊδίων, ἀΐδιοι, τῶν δὲ φθαρτῶν φθαρταὶ εἶναι ἀρχὰς, ὅλως δ' ὁμογενεῖς τοῖς ὑποκειμένοις.

Oportet forte, sensibilium sensibilia, aeternorum vero aeterna, corruptibilium vero corruptibilia esse principia, omnino vero homogenea ipsi subiectis. *Arist. l. 3. de coelo. c. 7.*

In aeterno nihil nec praeteritum est, neq; venturum est. Existit vere atque in rerum natura est. *Philo Iudaeus l. de mundo.*

Fuit quaedam ab infinito tempore aeternitas, quam nulla circumscriptio temporum metiebatur. Spatio tamen qualis ea fuerit, intelligi non potest: Quod ne in cogitationem quidem cadit, vt fuerit tempus aliquod nullum cum tempus esset, *Cic. 1. de natu. Deorum.*

AFFABILITAS.

DEFINITIO. ET ETYMOLOG.

Affabilitas, Graece *εὐπροσηγορία* & *εὐπροσηγορος*. affabilis, dicitur. est virtus, qua homo se habet ad conuersationem in dictis & factis delectabiliter ad omnes non aequabiliter. Cuius est principaliter conuiuantes delectare, sed quando oportet, nō veretur eos contristare, propter bonum promouendum, vel propter malum vitandum: & est media inter adulationem, & litigium.

SENTENTIAE BIBLICAE.

Congregationi pauperum affabilem te facito. *Eccl. 4.*

Nonne ardorem sedabit ros: Sic melius verbum, quam donum. *cap. 18. Eccl.*

SENTENTIAE POETICAE.

Horat. in arte Poet.

Syluestres homines sacer interpresq; deorum
Caedibus, & foedo victu, deterruit Orpheus,
Dictus ob hoc lenire tigres, rapidosq; leones:
Dictus & Amphion Thebanae conditor arcis,
Saxa mouere sono testudinis, & prece blanda
Ducere quo vellet.

Vrsinus.

Sis patiens, verax, comis, formenc modestus,
Sunt tua laudatis seria dicta locis.
Multum quippe placent admixtis dulcia acerbis:
Adde sales gratis, tempore gratus eris.
Scilicet extremam nemo laudabit vtrumq;,
Seruus aut nimium sint iocosus eris.

APOPHTEGMATA.

Demonax, cuidam sciscitanti, quomodo delegatum sibi prouinciam administrare commode posset, respondit. Si minimum loquens plurima audieris Hoc dicto princeps iubetur, & aequa, & iniqua audire. *P. M. lib. 9. apoph.*

Hortensius, ob cultum mundiorem ac gesticulationes in dicēdo molliores crebro male audiebat, in ipsis etiam iudicijs: Sed quum L. Torquatus, homo subagrestibus moribus, dum apud consilium de causa Syllae quaereretur, non iam histrionem illum diceret, sed gesticularicem, Dionysiamq; notissimae saltatriculae nomine compelleret, tum voce molli, dimissaque, Hortensius, Dionysia (in quit) Dionysia malim equidem esse quam quod tu Torquate, *ἄμουσος, ἀναφρόδιτος, ἀπροσδιόνυσος*, id est, inelegans, agrestis, aditu difficilis. Periculose maledicit alteri, cui vel idem, vel simile, vel diuersum, sed deterius vitium poterit obijci. *P. M. lib. 6. apoph.*

Titus Vespasianus admonitus ab amicis, quod plura polliceretur interpellantibus quam praestare posset, respondit: Non oportet quequam a Caesaris colloquio tristem discedere. *Suet. in eius vita.*

Affabilis, in sermone iucundus, modestus, gratus, comis, lenis, facilis dicitur. Affabilitas i He. *Chen*, i. gratia, fauor, gratia, dulcedo, a verbo *Chanan*, gratia affecit, misertus est, benefecit, gratuito. Affabilitas vera enim circa consolationes, & beneficia versatur: nam misericordiae panis non est lapidosus, inde Graece, *χαρίς χαρίεν, χαρίειν*, aliquem per gratiam praestitam laetifico. Quam suaua sine piorum & vere affabilium hominum, ad cor amicorum suorum loquentium dicta, norunt innumeri homines. Affabilitas etiam Hebraeis *Hanauah* dicitur, a nomine *Hanev*, mitis, modestus, quod cognationem arctissimam habet cum verbo *Hanah*, i. considerauit diligenter, & meretenus: vnde *Hani*, miser, pauper, nam mansuetus is dicitur, qui multis miserijs exercitatus considerat, nouitque seipsum & alios. Hinc *ענוה* mansuetudo, quae hominem docet adfari vt conuenit, atque adfabilem seu affabilitatis studiosum reddit.

Hadrianus Imp. in colloquijs etiam humillimorum mire ciuilis erat eosque detestari solebat, qui hanc humanitatis voluptatem ipsi inuiderent, hoc praetextu, quod dicerent principis maiestatem, vbique seruandam. *Dion.*

Aristippus, quum aliquando Dionysium interpellaret pro amico, nec ille preces admitteret, prostratus coepit amplecti pedes regis, & impetrauit. Id factum quum quidam velut abiectius, quā vt philosophum deceret, reprehenderet. Non ego, inquit, sum in culpa, sed Dionysius, qui aures habet in pedibus. Ingenium iuxta promptum, & ad faciendum, & ad excusandum quidlibet. *Laer. lib. 2. c. 8.*

Legati Laced. Venerunt aliquando Lacedaemonij ad Lygdamin Tyrannum, legatione fungentes: sed quum ille varijs causationibus frequenter distulisset colloquendi copiam, tandem post omnes excusationes dictum est, illum parum firma esse valetudine. sed languere nonnihil. Legati responderunt, Per Iouem, non venimus huc cum illo luctaturi, sed colloquuturi. *Plut. in Lacon.*

Caeca mulier. anui cuidam paupeculae Philippum appellanti, vt can sam ipsius cognosceret, cum hac flagitatione frequenter obstreperet illi, respondit, sibi non esse otium. Cumque anus inclamasset, proinde ne rex quidē esse velis: Philippus admiratus aniculae, liberam vocem, non illi solum praebuit aures, verumetiam alios audiuit. Hoc idem Latini tribuunt Adriano Imperatori, sed Philippo Macedoniae regi tribuit. *Plut. in apoph. Regum, & Imp.*

AFFECTATIO.

APOPHTHEGMATA.

Anicula Theophrasto licitanti quiddam, idque admodum Attice: Hospes, inquit, non vendo tanti: Notans illum, quasi non esset Atticus natura, quia supramodum affectaret atticismum. Id enim solent hospites, dum in aliena lingua volunt videri diserti *P. M. lib. 6. apoph.*

Fauorinus, ad adolescentem priscarum, & iam obsoletarum vocum affectatorem, Curtius, inquit, & Fabricius dilucide cum suis fabulati sunt, neque Aruncorum, Sicanorum, aut Pelasgorum, qui primi Italiam incoluisse leguntur, sed aetatis suae verbis loquuti sunt, tu vero perinde, quasi cum matre Euandri nunc loquaris, verbis iam olim desitis vteris. Quod si intelligi non vis, quae loqueris, non hoc abunde consequeris tacens? *P. M. lib. 6. apopht.*

Melanthius, interrogatus quid sentiret de tragoedia Diogenis, Non vidi, inquit. Notauit affectationem Diogenis in scribendo, quae saepenumero non minima obscuritatis causa est, *Plut. in lib. περὶ τοῦ ἀκούειν.*

Pacatus, Oscus Rhetor quidam clarissimus cum adeo loquendo simul & scribendo affectaret, vt nil absque schemate proferret, Pacarus obuiam ei veniens dixit, Poteram dicere Aue Osce. Irrisit hominem affectatorem, salutatione affectata. Visus est enim occupatione affectata, praeter omnem necessitatem. *P. M. lib. 8. apoph.*

Plato, Polus sophista cum daret operam, vt nimis affectate loquetur, atque hinc immodice gloriaretur, Plato hominem taxauit, O Pole, vt te tuo alloquar modo. Polus autem Graece sonat pullum equinum. Voluit autem taxare hominis affectate loquentis arrogantiam. *Laert. lib. 3.*

Demonax, quum interrogasset quendam, isque is verbis nequaquam vulgaribus respondisset, Ego, inquit, amice te nunc interrogo, at tu perinde respondes, quasi viueret adhuc Agamemnon. *P. M. lib. 8. apoph.*

Idem, Quendam Rhetorem audiens ita loquentem: Hora nimium iaculatrix adueniens regionem herbis decoratam reddidit, Non desines, ait, mecum, vt cum turba agere. Notauit autem his vebis, sermonem hominis plus satis affectatum. *Plutar. in Ro. apoph.*

Idem, Phauorini dictionem vt nimium compositam solebat arguere, ridicule, quod cum ille aegre rulisset, ait vt Philosophum vestis ocglectior, ita oratio decet inaffectata. *P. M. lib. 8. apoph.*

Augustus Cæsar Mecœnas cum verbis affectatis scribere soleret, ab Augusto hac vali dictione derisus est: Vale mel gentium, meculle ebur ex Hetruria, laser Aretinum, adamas Supernas, Tiberinū margaritum, Cilneorum smaragde, Iaspis figulorum, Berille Porsennæ, &c. *Macrob lib. 2. c. 4*

Vide, Imitatio.

AFFECTIO, ET AFFECTVS.

DEFINITIO. ET ETYMOL.

Affectio Græce διάθεσις, & interdum διατίθεμαι, afficio dicitur, & est raptus & abstractio animæ circa mores, *secundum Arist. lib. 8. Politic.*

Affectio est animi, & corporis, ex tempore aliqua de causa mutatio, vt sunt gaudium, lætitia, misericordia, cupiditas, metus, molestia, & alia, quæ a nostris modo affectus, modo affectiones dicuntur, Græci πάθος, hoc est, morbum vocant, hinc affectare, quod est nimio affectu, & anxie quærere.

Virgilius.

Vtrumque affectat Olympo.

Ouid. lib. 1. Metamor. Fab. 6.

Affectasse ferunt regnum cæleste Gigantes.

Affectus, Græce πάθη, Latinis potest verti perturbatio, quam antiqui fieri putarunt. Aegritudine, Gaudio, Spe & Metu. Fuit Stoicorum opinio hos affectus è mentibus hominum minime posse euelli, vnde prodit verus, & phanatica ἀπάθεια quam Augustinus, & Hieronymus irrident.

Affectus est (vt Zeno inquit) irrationalis & redundans animæ commotio, in animi naturam irrumpens.

Alij sic: Affectus est auersa a recta ratione aduersus animæ naturā commotio, & Aristoteles inquit: Ipsum ægrimonia voluptasque comitatur reprehendenda.

DIVISIO.

Cum binas humana anima tam Aristotelis, quam Platonis sententia partes sortita sit, rationalem & rationis expertem: sicut ex rationali parte omnis honestabilis ac laudabilis emanat sensus, ita ex irrationali nascitur affectus, quod Græce πάθος appellant: sed nostri modo affectum, modo affectionem, modo perturbationem, aliquando morbum. Neoterici passionem & appetitum dicunt.

Constituunt autem genera affectum, & excandescentiam & cupiditatem, & secuti Platonem & Aristotelem rursus excandescentiæ duas tribuunt species: de præteritis rebus dolorem, de futuris motum: totidemq. cupiditati: nam de præteritis ei lætitiam deputant, de futuris spem ascribunt. Sunt autem qui pro doloribus ægritudinem, pro spe libidinem ponant. Cæterum his affectibus contrarias & aduersantes Stoici opposuerunt, quas vocant εὐπαθείας. Cicero constantias nominauit, quas aiunt pro tribus perturbationibus, siue affectibus in animo esse sapientis: pro spe voluntatem, pro lætitia gaudium, pro metu cautionem: pro ægritudine, vel dolore, quam Neoterici tristitiam vocant, negauerūt aliquid posse in animo sapientis: stulti quippe aiunt esse, in malis affici opinatis, animosq. dimittere, & contrahere rationi non obtemperātes. Voluptas porro, inquiunt, expetit bonum, quod facit sapiens, quam ita diffiniunt.

Voluptas est, quæ cuiq. cum ratione desiderat, siquidem quæ a ratione diuersa est incitata vehementius, ea libido est, vel cupiditas, quæ effrenis in stultis hominibus inuenitur.

Gaudium, vt aiunt, de bono adepto, quod vbique adipiscitur sapiens vt cum ratione animus mouetur placide & clementer, atq constanter: quum autem inaniter & effuse animus insurgat, tum eam lætitia, quam diffiniunt, sine ratione animi elationem.

Cautio deuitat malum: quod debet sapiens deuitare, nam cum bona a natura appetimus, & a malis declinauimus, si declinatio cum ratione fiat, cautio appellabitur: quæ autem sine ratione & cum exanimatione humili atque fracta, metus nominatur, vt si metus a ratione auersa cautio.

Dolor porro, quia de malo est, quod iam accidit: nullum autem malum existimant posse accidere sapienti, nihil in eius animo pro illo esse dixerunt.

Aegrimonia, porro vel iuxta quorundam opinionem ægritudo, quę opinio recens mali præsentis, in quo demitti, contrahiq. animo rectum esse falso videatur, est (vt quidam inquiunt) irrationalis motus, omnemex animo auferens delectationem: Vel, est animi auersante ratione contractio. Apud Platonem Timeus, qui affectuum bina facit genera: ægritudinem & voluptatem ita diffinit: Aegritudo est bonorum fuga, sicut voluptas malorum omnium esca, atq; illecebræ. alij: Aegritudo est opinatio recentis mali, in quo animus submittitur. Gręcis nominata ἀῤῥωστία, ἀῤῥωστῶ, ægroto, ἄῤῥωστος, ægrotus, imbecillus.

Aegrimoniæ species decem & septem. Seneca de clementia.

Misericordia est ægritudo ex miseria alterius iniuria laborantis. Nemo enim parricidæ aut proditoris supplicio misericordia fere commouetur, vel, vt alij: Misericordia est ægrimonia, cum animi digna vel indigna passum aliquem miserantur. Græcis ἔλεος, vel ἐλεήμων.

Aemulatio est ægritudo, si eo, quod concupierit, alius potiatur, specie eatquā & in laude, & in vitio nomē hēr.nā & imitatio virtutis æmulatio dicitur. Verū ad hoc nihil attinet, est siquidē laudis.

Inuidentia est ægritudo suscepta pp alterius res secundas, quæ nihil noceant inuidenti, nā si quis doleat eius rebus secundis, a quo ipse lædatur, non recte dicitur inuidere: vt si Hectori Agamemnō. Qui autem cui alterius commoda nihil noceant, tamen quū doleat his frui, hic profecto inuidet, Græcis φθόνος appellatur.

Mæror est ægrimonia, quæ cum animo penitus insederit, ipsum vehementer affligit: alij sic: Mæror est ægrimonia flebilis.

Morositas est animi quædam displicentia, cum rudi, & subrusti, ea asperitate commouetur, quando non ita ad vnguem, & ex eius sententia actum est, quod postulabatur. Hinc morosus, peruersis moribus, moratus, bonis moribus. Græcis δυσθυμία.

Amentia est tam insignis ægrimonia, vt citra omnem rationis cogitationem deducatur, atque erumpat, vel, secundum Aristotelem est vitium irrationalis animæ partis male viuendi causa, atque principium. Ipsius proprium est, res male discernere, male consultare, male consuescere, male præsentibus vti bonis, opinione falli in ijs, quæ ad vitæ cultum honesta, bonaq. pertineant.

Comites Amentiæ { Inscitia, inexperientia, incontinentia. Exercitatio, Dei contemptus, obliuio.

Amentia, vel dementia (sine discrimine enim dici perhibent) est affectio lumine mentis carens.

Obtrectatio ægritudo ex eo, quod alter quoque potiatur, eo quod ipse concupierit, quæ riualitas etiam dici potest. Hi æce ζηλοτυπία. Oritur ex amore non patiente consortium in re amata. Vel secūdum Chrysippum, est ægritudo animi ex eo proueniēs, quod timeas ne ad sit alij, quod cum nemine velis habere commune, qui igitur ita amat, vt sit sollicitus, ne quis amore suo perfruatur zelotypus est.

Solicitudo est ægrimonia cum cogitatione, quod osci, vt Græci ὅλον vniuersum dicebant, mutata aspiratione in σ. & citati, quasi totū commoueri, solicitum dicas, ἀκρίβεια Græce.

Confusio est ægrimonia mentem tam acri commotione perfundens vt ob mentis caliginem & vehementem agitationem, ne oculis quidem exposita, contra obtueri, plerumq; ea agitari homines possint: Augustinus, Confusio, inquit, quæ mordet conscientiam quam Hebræi Basun vocant.

Angor est ægrimonia præmens.

Luctus est ægritudo ex eius, qui charus fuerit, interitu acerbo.

Aerumna, ægritudo laboriosa.

Dolor, ægritudo crucians.

Lamentatio, ægritudo cum eiulatu.

Molestia, ægritudo permanens.

Afflictatio, ægritudo cum vexatione corporis.

Desperatio, ægritudo sine vlla rerum expectatione meliorum.

PATRVM SENTENTIAE.

Passio homonymos dicitur: nam passio dicitur corporis, vt ægritudines, & vulnera: dicitur rursus passio & animæ, vt concupiscentia & ira. Est autem communiter & generaliter animæ passio, quæ & affectus animalis quam voluptas comitatur, aut tristitia. Sequitur etiam passionem tristitia, at non est tristitia ipsa passio: nam cum insensibilia patiuntur non dolent: non est igitur passio dolor, sed passionis sensus. *Io. Dam. 2 de Orthodox. fide.*

POETICAE SENTENTIAE.

Boetius de consolatione Philos. l. 1.

Nubibus atris
Condita nullum
Fundere possunt
Sidera lumen.
Si mare voluens
Turbidus auster
Vitrea dudum
Parque serenis
Vnda diebus,
Mox resoluto
Sordida cæno
Visibus obstat:
Quique vagatur,
Montibus altis
Defluus amnis
Sæpe resistit
Rupe soluti
Obice saxi.
Tu quoque si vis
Lumine claro
Cernere verum,
Tramite recto
Carpere callem:

Gaudia

Gaudia pelle;
Pelle timores,
Spemque fugato;
Nec dolor adsit.
Nubila mens est,
Vinctaq; frenis,
Hæc vbi regnant.

Iacobus Billius Antholog. sacra.

Animi perturbationes ebrietatis speciem præbere.

Ebrietas a me procul est (hoc dicis in horas)
Nec nimio est vnquam mens mea mota mero.
Quid tum? si pectus temere infaturata cupido,
Ira si ratio dat tua victa locum?
Silentibus e ansis alios incessis, et isue.
Sobrius, exiguo sis licet ipse mero?
Sobrius esse potest, ratio quem deserit omnis?
Nec madida ebrietas, nec mihi sicca placet.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Appetitus omnes contrahendi, sedandiq. sunt, excitandaq. est animaduersio, & diligentia: vt ne quid temere, ac fortuito, inconsiderate, negligenterq. agamus. 1. *Offic.*

Efficiendum est, vt appetitus rationi obediant, eamq. neque præcurrant, neque propter pigritiam, aut ignauiam deserant, sintque tranquilli, atque omni perturbatione animi careant: ex quo eluccbit omnis constantia, omnisq. moderatio. 1. *Offic.*

Si quis hoc robore animi est, atque hac indole virtutis, ac continentiæ: vt respuat omnes voluptates: omnemq. vitæ suæ cursum in labore corporis, atque in animi contentione conficiat: quem nõ quies, non remissio, non æqualium studia, non ludi, non conuiuia delectent: nihil in vita expetendum putet, nisi quod est cum laude & honore, & cum dignitate coniunctum: hunc mea sententia diuinis quibusdam bonis instructum, atque ornatum puto. *Pro M. Cælio.*

Regium est ita viuere: vt non modo homini nemini, sed ne cupiditati quidem vlli seruias: contemnere omnes libidines: non auri, non argenti, non cæterarum rerum indigere: populi vtilitati magis consulere, quam voluntati: nemini cedere: multis obsistere. *Pro Silla*

Esse abstinentem, continere omnes cupiditates: præclarum magis est, quam difficile. *Ad Quintum Fratrem epist. 1.*

Quum præcipitur, vt nobismetipsis imperemus: hoc præcipitur, vt ratio coerceat temeritatem. 2. *Tusc.*

Cupiditates sunt insatiabiles, quæ non modo singulos homines, sed vniuersas familias euertunt: totam etiam labefactant Remp. Ex cupiditatibus odia, dissidia, discordiæ, seditiones, bella nascuntur. Nec hæ sese foris solum iactant, nec tantum in alios cæco impetu incurrunt: intus etiam animis inclusæ inter se dissident, atq; discordant. 1. *de finibus.*

Moderari & animo & orationis, cum sis iratus: aut etiam tacere, & tenere in sua potestate motum animi, & dolorem, etsi non est perfectæ sapientiæ: tamen non est mediocris ingenij. *Ad Quintum Fratrem epist. 1.*

Animum vincere: iracundiam cohibere, victoriam temperare, aduersarium non modo extollere iacentem, sed etiam amplificare eius pristinam dignitatem, præclarum est. Hæc qui faciat, non ego cũ summis viris comparo, sed simillimũ Deo iudico. *Pro Mar.*

Gubernatores se ventorum mutationibus accomodant, & viri sapientes animi affectibus *Stobæus.*

APOPHTHEGMATA.

Thales Milesius interrogatus, quisnam felix dicendus esset: Qui corpore, inquit, sanus est: animo vero cautus. Sẽsit vir sapientissimus, affectus esse animi morbos. *Laert.*

Cato maior, dicebat eum optimum, & laude dignum esse imperatorem, qui proprijs suis affectibus imperare possit. *Plutarc. in Rom. apoph.*

Alphonsus Arragonum Rex aiebat, si sibi contigisset nasci temporibus, quibus Ro. Resp. florebat, se constructurum fuisse contra curiam templum Ioui Positorio, in quo priusquam venirent in Senatum patres cõscripti, odium, amorem, ac priuatos affectus omnes deponerent. Allusit ad priscorum morem, qui Iouẽ multis cognominibus insigniebant, nunc Statorem, nunc Gamelion, nunc Genethlion, nunc Phidium, nunc Xenion appellantes. Ac si tam multa possit Iupiter, illud inprimis præstandum erat, vt in synodis, in iudicijs, in senatibus, in quibus de Resp. consulatur, nihil haberent momenti affectus priuati. Nam hi sunt, qui frequenter & ciuitates, & regna bellis committunt, ac pessundant deinque. *Panor. lib. 3. de dictis & factis Alphonsi.*

Idem, nil inconuenientius esse dicebat, quam si quis alijs imperaret qui suis affectibus proprijs imperare prius non posset. Sentiens, nil perniciosius esse Reip. quam si is, qui prauos aliorum affectus coercere debet pœna adhibita, a proprijs ipse affectibus vincatur. *Panor. lib. 2. de reb. gest. Alphonsi.*

A. Politianus dicebat, sicut Tarquinius papauerum summa capita dum in horto ambularet, baculo decussit, sic semper in animo validioribus affectibus, atque potentioribus potissimum esse resistendum, *lib. de ira.*

Polianthea Noua.

Demonax cuidam seruum suum virgis cædenti, desine, inquit, te seruo tuo similem ostendere. Seruus enim est, qui suis affectibus, & cupiditatibus imperare non potest. *P. M lib. 8. apoph.*

Megabates quum Agesilaum adijsset aliquando salutandi gratia, ac iuxta Persarum morem osculum offerret: Agesilaus auertit vultum, ac refugiens osculum, ait, Præstantius duco, vt quis sibi seruet suam libertatem, quam vt alijs libertatem adimat. Intellexit nimirum vir continentiss. neminem esse liberum qui cupiditatibus seruiret: nullum imperium esse tam speciosum, quam si quis animo suo possit imperare. *Plut. in apoph. Lacon. P. M lib. 1. apoph.*

Diogenes iactanti se cuidam, ac dicenti, viros supero in Pythijs. Ego, inquit, viros, tu vero mancipia. Lusit rursus affinitate vocũ, quæ est inter ἄνδρας & ἀνδράποδα. Mancipia autem appellabat, quicũque seruirent cupiditatibus: hos philosophia vincere pulchrius est, quam in Pythijs ludis vincere viros. *Laer. lib. 6. P. M lib. 3. apop.*

Demosthenes: Sapientis esse dicebat, nunquam animo conniuere, neque affectibus quoquomodo licentius indulgere, ne effrenati rationis imperium deserant. *Stobæus.*

Antoninus Pius, quum M. Antoninus fleret educatorem suum mortuum, & adolescens ab aulicis ministris reuocaretur a declaratione pietatis erga nutriciũ: Permittite, inquit, Antoninus Pius, illi, vt homo sit: neque enim vel Philosophia, vel imperium tollit affectus. *P. M. lib. 6. apoph.*

SIMILITUDINES.

Philonis Iudæi. Quemadmodum in arcam Noe, omnes animalium species admisit, paradysus autem nequaquam: ita corpus humanum omnes affectionum motus, pestesque immanes, & indomitas admittit, virtutes autem laude dignas respuit. *De plantatione Noe.*

Maximi. Quemadmodum natura bonus existens, & omni carens affectu, omnes pariter ex æquo diligit, veluti suas creaturas, attamen virtute præditum glorificat, vt eum qui cognitionem recte obseruet: Non secus facit qui animo bono, & affectibus vacuo, præditus fuerit. *De charitate lib 1.*

Quemadmodum passerculus pede alligatus, volare incipiens, in terram funiculo detrahitur: Sic quoque mens nondum affectibus liberata, & ad rerum cœlestium cognitionem volare contendens: ab affectibus ducitur, & ad terram detrahitur. *Lib. 1. de charitate.*

Tertullianus, multum spiritualibus viribus, licet & inuisibiles, & insensibiles in affectu potius, quam in actu suo apparent. Ac si poma, si fruges, nescio quod auræ latens vitium in flore præcipitat in germine exanimat, in pubertate conuulnerat. ac si cæca ratione tentatus aer pestilens halitus suos effundit: eadem igitur obscuritate contagionis aspiratio dæmonum, & angelorum mẽtis quoque corruptelas agit furoribus & amentijs fœdis, ac sæuis libidinibus cum erroribus varijs. *In Apologet. c. 22.*

Philonis Iudæi. sicuti ciuitates dominantur paucorum, & tyrannidẽ ferentes seruiunt, oppresso molesto imperio, contra vero quæ legibus parent, degunt libere. Non aliter etiam homines quotquot in concupiscentiæ, aut cuiuscunq; vitij perturbationisve insidiosæ potestatem deueniũt, omnes seruitutem seruiunt. Sicut e diuerso liberi sunt, quotquot viuunt sub legibus, ac ratione recta *Lib. Quod omnis probus liber, f. 546.*

Quemadmodum vis ignis absumit obiectam materiam. Eodẽ modo & affectus excandescens obligurit corrumpitq. quicquid inuenit obuium. *Lib. de cognit. quæren. erud.*

Chrysostomi: Quemadmodum oculus turbatus aliud pro alio cernit: ita mens prauarum cogitationum confusione perturbata, idem pati consueuit: Itidem & qui laborant insania, alias pro alijs rerum species se videre credunt.

Pessimus scopulus vanagloria: qui nimium habet suauitatis, occurrit magis omnium noxius quam illi scopuli, qui monstruosi a fabularum inducuntur autoribus. Quemadmodum venti quidam feri, atque immanes, cum in serenum irruerint pelagus, ipsum totum e fundo perturbant, adeo vt arena sæpius vndis misceatur: ita & hæ perturbationes, cum in animam irrupesint, cuncta permiscent, & quæ superiora erant ad infima detrahunt, excæcantque mentis clarissimum lumen, atque in primis gloriæ vesana cupido. Nam honoris esse negligentem, laudemque non affectare multorum, maximo labore indiget magnæ philosophiæ, & animæ cuiusdam angelicæ, & quæ ipsum verticem cardinis cœlestis attigerit, certum argumentum est. *Homil. 1. ad Philemonem.*

Marci eremitæ, quemadmodum sunt serpentes occurrentes in nemoribus, sunt item & alij in ædibus latentes excubantes: Sic affectus sunt rationaliter formati, sunt item alij latentes in operibus, tametsi ex alijs in alios subinde transmutentur. *De lege spirit.*

Quemadmodum fuga in hyeme, & sabbato dolor est corpori, & profanatio animæ. Sic affectuum impugnatio senescenti corpori & animæ sanctificatæ. *De lege spirituali.*

Diui Bernardi: Quomodo stilla aquæ, modica multo infusa vino de-

no deficere a se tota videtur, dum & saporem vini induit & colorem, & quomodo ferrum ignitum & candens, igni simillimum fit, pristina, propriaq; forma exutum, & quomodo solis luce perfusus aer, in eandem transformatur luminis claritatem, adeo, vt non tam illuminatus, quam ipsum lumen esse videatur: Sic omnem tunc in sanctis humanam affectionem, quodam ineffabili modo necesse erit a semetipsa liquescere, atque in Dei penitus transfundi voluntatem. *De Nativ. Io. Bap.*

Epicteti. Inter deambulandum, quemadmodum caues, ne clauum calces, aut pedem distorqueas. Ita caue, ne quod in teipso dominatur offendas, & hoc si in quauis re seruemus, toties illam aggrediemur. *in Enchirid. cap. 53.*

Aristonymi: veluti gubernatores se ventorum motationibus accommodant: ita viri sapientes animi affectibus. *Apud Stobaeum serm. 1. de prudentia.*

Seneca. Quemadmodum rationi nullum animal, obtemperat, non ferum, ac domesticum & mite, natura enim illorum est surda suadenti: Sic non sequuntur, non audiunt affectus, quantumlicunq; sint. *Lib. 2. Epist. 86.*

Vt initia morborum, quamuis leuia serpunt: ita si vitia & affectus, vel leuissimos semel admittas, crescunt, & augescunt.

Affectus sunt motus animi, improbabiles, subiti & concitati, qui frequentes, neglectique apti sunt facere morbum: Sicut distillatio, nec adhuc in morem adducta, tussim fecit assidua, & vetus phthisim. *Lib. 2. epist. 76.*

P. M. Vt aestus maris auctus, aut detrimenta lunae magis sentiunt imbecilliora corpora: Ita rebus contrariis vehementius commouetur animus minus sibi constans, & affectibus vitiatus. *In Si.*

Thrineri. Magna est tempestas quae ex caelo, sed grauior, quae ipso mari oritur; nec sunt contemnendi tumultus qui ea aliis: verum maxime obseruandi affectus, qui oriuntur ex nobis ipsis. *In apoph.*

Augustini: Ira inuterascens fit odium, dum quasi susti dolor is admixta dulcedo, diutius eam in vase detinet, donec totum acescat vasq; corrumpat. Quapropter multo melius est, ne iuste cuiquam irascamur, quam velut iuste irascendo, in alicuius odium, & occulta facilitate dilabamur. In recipiendis enim hospitibus ignotis, ista solemus dicere: Multo est melius malum hominem perpeti, quam forsitan per ignorantiam excludi bonum, dum cauemus, ne recipiatur malus. Sed in affectibus animi contra est. Nam incomparabiliter salubrius est, etiam irae iuste pulsanti, non aperire penetrale cordis, quam admittere non facile recessuram, & peruenturam de surculo ad trabem: audet quippe impudentius etiam crescere, quam putatur. *Ad Profut. epistola 149.*

Tyrij Platonici: Quemadmodum accidit, vt subitis procellis crescentes amnes legitimum excedant alueum, superque, vel segetes, vel plantarum culturam praecipites lati, rusticorum operum salutem, atque ornamentum euertant: Sic & animus affectionum nimia vi abreptis ratiocinationibus depulsis, falsis nimirum, atque improbis opinionibus, praeter naturam probam surgentibus corrumpitur, quae eius menti pro ebriorum more, quibus nimia crapula inferiores concitare aegritudines solet, velut ex latibulis repentina quaedam animalia, confundunt mentem. ab ijsque cogitur proprias eorum voces personare. Si vero manifestioribus exemplis opus fit, improbitatem animi inconditae plebis assimilabimus imperio: quod quidem fit, quotiescunque in ciuitate probitas victa multitudinis penitus licentiae, atque audaciae fertur. Necesse est enim eiusmodi ciuitatem dissonantem, ac multarum partium esse, eandemque innumeris affectionibus, ac vaxijs cupiditatibus refertam, in voluptatibus quidem intemperantissimam in iracundia praecipitem, in tribuendis honoribus immodicam, in felicitatibus elatam, in calamitatibus abiectissimam esse. *Sermone 17.*

Plutarchi: Quemadmodum timidi, & qui nauseae nauigando obnoxij sunt, existimantes se meliuscule habituros, si ex acatio in gaulum, rursumque si in triremem commigrarint, nihil tamen proficiunt, bilem, timiditatemque secum circumferentes: Ita aliud vitae genus non eximit animo ea, quibus grauatur, & perturbatur, hoc est, rerum inscitiam, & rationis imperfectionem, ac id vitium, quod non potest, neque callet recte praesentibus vti. *De tranquillitate animi.*

Vt periculosior est tempestas, quae non sinit in portum appellere, quam quae vetat nauigare: ita grauiores animi motus, qui non sinunt hominem consistere, ratione perturbata, sed praecipite auferunt in tempestates, *In moral. bus.*

P. M. Vt hominem vehementer aegrotum, vel lunae deliquium, vel ventus asperior, vel maris decessus, aut huiusmodi quaepiam leuis rerum commutatio tollit è medio: ita animos imbecilles, & affectibus corruptos quaeuis offensa perturbat: cum qui firmia sunt animis, istiusmodi non sentiant *In similibus.*

Philonis Iudaei: Quemadmodum aurigae tubingalibus nunc temittere habenas, nunc in terga retrahere, quoties plus satis efferuntur impetu, solent: sic vir prudens affectus, & linguam, aliaque quibus vtimur, nunc moderari constanter, atque fortiter, ac nunc aequanimiter in viam reducit. *In lib. de sacrificio Abelis, & Caini.*

Sicut deterrimus quisque puer odit praeceptores pedagogos, atq; omnem bonum monitorem, castigatoremque. Sic affectuum amator rectam rationem, gubernatorem, ac praecipere solitam. *Lib. de sacrificio Abelis, & Caini.*

Chrysostomi: Vt ardente lampade lux vndique diffunditur, ita extincta occupant tenebrae: ideo ait, Nolite spiritum extinguere. Extinguitur, cum oleum deficit, cum vehementior quaedam vis venti perflat, cum comprehenditur, & in arctum cogitur: sic enim ignis extinguitur. Comprehenditur a curis secularibus, extinguitur malis cupiditatibus. Quando olei defectu aquam frigidam superaddimus, hoc est, cupiditatem iniustorum animas per dentem, quomodo iterum potest accendi? Vbi hinc migrabimus, cinerem, & puluerem referemus, atque fumum densiorem, qui nos accusabit. Vbi fumus est, illic necessario ignis est extinctus. *Homil. 49. in Io.*

Sicut oculorum acies pura, & lucida acute omnia intuetur, neque etiam in tenuissimis deprehendendis corporibus laborat: verum si quis malus a capite humor, vel caligo aliqua ad oculum ascendit, densa quidem ante pupillam nebula obijcitur, quae oc crassiora quidem corpora videre sinit: Ita animae vsu venit, cum omnis perturbatio, quae eam offenderat, purgata est, intente opportuna omnia prospicit: verum cum plurimis turbatur affectibus, vim omnem illam amittit, vt nihil alium valeat intueri: sed quam primum nebula obiecta, est somno atq; segnitie occupatur, & quae ad virtutem & vitam vestila sunt, nulla in his capessendis alacritate adhibita, contemnit. *Hom. 1. in Io.*

Sicut planta quidem nuper humi consita, facile reuellitur, per multum vero temporis radicibus firmata non itidem. Et vt aedificium recenter fundatum a vexantibus facile subuertitur, bene vero firmatum, multa diruere conantibus, praebet negotia. Et vt ferae, quibus locis multum temporis est conuersata, difficulter expelluntur. Et sicut febris ab initio aggressa, non magna sit laborantibus exurit, postquam autem inualuerit, & flammam excitauerit, à: sitim inducit immedicabilem: etiam si quis eis concesserit, vt potibus impletur, non extinguit, sed accendit fornacem. Sic & in vitiolo accidit affectu, si se circa primordium in animam nostram inferentem non prohibuerimus, neque fores occluserimus, ingressus iam insanabilem morbum suscipientibus infert. *Hom. 80. de poenit.*

Si membrum insanabile, metu, ne reliqua corrumpat, incidimus, non quod illud negligamus, sed vt seruemus caetera: quanto magis in ijs, qui male nobis iuncti sunt, idem faciendum? *Homil. 56. in Ioan.*

Vsquequo veluti in pictura imponat quis colores vmbra quaedam est, cum vero flores ipsos quis colorum iunxerit, & imposuerit, tunc imago efficitur: Tale quiddam erit lex. *Homil. 17. ad Hebraeos.*

Regem honoramus, & eius pupuram, & diadema, quoniam ista suot signa principatus. Si viderimus eum cum purpura conspui ab armigeris suis conculcari, praefocari, in custodiam mitti, nisi pari, nunquid reueremur tunc purpuram, aut diadema? Tunc, & ipsum schema deplorabimus. Non ergo propter canos velle honorari, quando ipse illos iniurias. Nam & ipsi te vlcisci debent, quoniam schema splendidum & honorabile confundis. Rex quidem est senex, & si senex fuerit, qui purpuram habet, magis regalis est, dum passiones animi vicerit, & velut armiger suas subijcit passiones Si vero abstrahatur, & deijciatur a solio, seruus effectus amoris, pecuniae, ornandi corpus, delitiarum, ebrietatis, iracundiae, & vestearum rerum, quali poena non sit dignus huiusmodi: *Hom. 17. ad Hebreos.*

Si qui militarem vitam viuunt, omnibus renunciant, & vbicunque bellum vocauerit, ibi aderunt, & vias incedunt, & omnia cum alacritate sustinent: Multo amplius nos Christi milites sic praeparatas esse oportet, ac dispositos ad bellum passionum, non est nunc persecutio, sed bellum cupiditatis, irae, inuidiae, aliarumq; passionum. Multum bellum per linguam, oculos, &c. *Hom. 5. ad Hebraeos.*

Procopij sophistae. Quemadmodum qui caput serpentis contudit, reliquum longum corporis syrma necauit: Sic qui primos vitiorum surculos eradicat, etiam caetera, quae inde prouenitunt sustulit. Hoc autem nunquam eueniet, nisi postibus nostris affusus fuerit crunr eius, qui interfectorem, vel occisorem inuerit. Bisariam necantur affectus, scilicet primogenitis percuntibus, & nostris ianuis in tutum collocatis ob aspersionem sanguinis. *In Exod.*

Marci eremitae Quemadmodum fuga in hyeme & sabbato dolor est corporis & profanatio animae: sic affectuum impugnatio senescenti corpori & animae sanctificatae. *De lege spirituali.*

Maximi monachi: Quemadmodum corpus propter res peccat; habetque ad disciplinam virtutes corporales, quarum admiculo resipiscit: Non secus quoque animus per cogitationes affectus in corde generantes, pari ratione ad disciplinam virtutes habet anima-

animales, vt pure, & sine affectibus res continens ad meliorem mentem redeat, *Lib. 2. de Charitate.*

Basilij. Vt in pestilentia solet euenire, ij qui corpora curant, sanos quidem, & eo morbo liberos adiumentis quibusdam ad sanitatem seruandam facientibus, securos reddunt: illos vero qui iam affecti sunt, minime attingunt? Sic sermo noster ex parte tãtum aliqua proficere poterit, custodiam, atque obseruationem contra prauos affectus animi monstrando, hos vero qui cum illis tenentur prætereundo. *De ebrietate.*

Vt feræ bestiæ blanda manu permulsæ, leui certamine superantur: ita libidines, pauores animæ, venefica mala consuetudine sopita nec perpetuo irritamento efferata, eluctabiliora deinde vi rationis fiunt *Ad Gregorium.*

Laurentij Iustiniani Patriarchæ. Quemadmodum qui compediti sunt, vt quo illis libuerit, gradiendi habeant potestatem, necesse est, quatenus è vinculis absoluantur: ita ab immoderato sunt retrahendi affectu quicunque ad Dominum rectis gressibus appropinquare peroptant. *De spirituali animæ resurrectione.*

Plutarchi. In magno fluctu non sistitur nauis, nisi pondus ancoræ retineat alto infixæ vado: Sic in magnis rerum procellis, summa ratio debet animum cohibere, ne ab affectibus auferatur. *In Moralibus.*

Vt velis vtendum pro nauis magnitudine: ita cupiditates pro facultate sunt moderandæ. *In Moralibus.*

Vt equi iam mansuefacti, etiam si auriga non vtatur habenis, tamẽ suapte sponte rectam pergunt ire viam: Sic affectus a ratione iam pridem domiti, & assuefacti, nec in somnis, nec in morbis sopita ratione, quicquam tentant turpe. *In Moralibus.*

Vt pueriles quærimoniæ facile conquiescunt: ita leues cupiditates subducta materia facile sedantur. *In Moralibus.*

Vt corpus assuescit ne conniueant, aut lachrymentur oculi, ne palpitet cor: ita multo magis animus, ne phantasijs commoueatur. *In Moralibus.*

Senecæ: Quemadmodum tempestatis, ac pluuiæ ante ipsas notæ veniunt: ita iræ, amoris, omniumque istarum procellarum animos vexantium sunt quædam prænuncia. Qui comitiali vitio solent corripi, iam aduentare valetudinem intelligunt, si calor summa deseruit, & incertum lumen, neruorumque trepidatio est, si memoria sublabitur, caputque versatur. Solitis itaque remedijs incipientem casum occupant, & odore, gustuque quicquid est, quod alienat animos, repellitur, aut fomentis contra frigus, rigoremque pugnatur: aut si parum medicina profecit, vitauerũt turbam, & sine teste ceciderunt. *Lib. 3. de ira.*

Vt nullum animal nec mite, nec ferum paret rationi, qua caret: Sic nullus affectus.

A. Politiani: Quemadmodum Tarquinius papauerũ summa capita, virga dum ambularet in horto, baculo decussit: Sic semper in animo validioribus affectibus, atque potentioribus potissimum resistendum. *De ira.*

Anonymi: Vt homini semper adest remedium aduersus serpentium virus, nempe saliua, qua contacti ceu feruenti perfusi aqua, fugiunt, emoriuntur: etiam si in fauces penetrauerint: Sic aduersus omnes pestiferas cupiditates præsens remedium semper nobiscũ circumferimus, si modo nouerimus vti. Id ab animo petatur oportet. *In similitudinibus.*

Plutarchi: Vt Circes poculis homines subito transformabantur in feras: Sic affectus repente alium reddunt hominem. *In Moralibus.*

Vt multa agrestia subnascentia in agro, mala quidem ipsa sunt, sed tamen signa felicis, atque vberis soli, si quis excolat: Sic animi affectus per se mali, arguunt ingenium non malum, si accedat recta institutio.

Vt corpus non est capax voluptatum, nisi bene temperatum: ita animus non capit veram voluptatem, nisi liber metu, & cæteris affectibus.

Vt grauiora corporis vitia, quæ in vulnus, & in tumorem erumpũt ita animi affectus, qui grauibus curis vitam reddunt molestam, vt vitium est ex atomis omnia nata credere, at non animum, quemadmodum auaritia.

Vt calceus ad pedis formam torquetur, non contra: Sic vitæ genus cuique est eiusmodi, cuiusmodi sunt animi affectus.

Vt frustra puto haurias vase è fonte turbido: ita non potes alijs iucundus esse, aut rebus obeundis accommodus, nisi purgaueris animum malis affectibus.

Qui vinum habet acre & vapidum, nec vt vinum potest reddere, nec vt acetum: ita Zenoni, τὰ προηγμένα, nec bona sunt, nec mala.

Vt qui lucernam non ferunt, multo minus ferrent solem: Sic qui mediocribus rebus perturbantur, multo magis obstupescunt in magnis.

Vt locus supinus, ac mollis, nihil expellit, quod inciderit, nec potest auertere, sic animus vitiosa præditus verecundia, nulli peruius est, nisi turpibus affectibus.

EXEMPLA SACRA.

Affectus carnalis exempla: Moyses filij Caath propinquis suis nullum dedit plaustrum, &c. *Num. 7. 8. 9.* Moriturus solicite rogauit Dominum, *27. 15. 16.* Iosua tribui suæ paruam dedit portionem, *Ios. 17. 14.* Eli *1. Sam. 4. 17. 18.* Septem filiorum mater, *2. Mach. 7. v. 27. 28.* Christus Matth. *12. 49. 59. Io. 19. 26.* Mater filiorum Zebedæi, *Mat. 20. 11.* Affectus inter se contrarij, *Mat. 28. 8. Io. 21. 18. Ro. 7. 55. Galat. 5. 17. 1. Pet. 26.*

PROFANA EXEMPLA.

Suidas Homerum cæcum putat appellatum: quod affectibus non succumberet. *Gul. Canterus.*

Socrates, qui Delphico oraculo sapientissimus omnium iudicatus est nec risit in tota vita, nec fleuit, quin vno semper, eodemq. vultu visus adeo vt mirum videri possit, quod eximiam illam animi tẽperiem, neque nuptialis lætitia variare potuit, neque tristitia illius diei, quo venenum hausit. *Laert. lib. 2. c. 5.*

In Phocione Atheniensi idem oris habitus semper obseruatus est, non ridere, non flere quisquam eum temere vidit: tanta in eo fuit obseruantia decori. *Sabellicus lib. 4. c. 10. ex Plut.*

Heraclitus Ephesius & Diogenes Cynicus philosophi, nihil vnquam de rigore animi remiserunt, calcatisq. turbinibus fortuitorum, aduersus omnem dolorẽ, & miseriam vniformi durauere proposito. *Solinus c. 4. & Laertius.*

Themistocles Atheniensis, filium suum, quem mater adamabat, atque in delicijs habebat plurimum omnium Græcorum posse, colligebat hunc in modum: Athenienses, inquit, dominantur Græcis, ego Atheniensibus, mihi mater, matri filius. *Plut. in Græc. apoph.*

Quum Pyrrhoni Eliensi Philosopho obiurganti sororem Philistam, quidam obijceret, quod oblitus esset suæ professionis (docebat enim, omnia esse indifferentia) sic elusit: Non enim, inquit, in muliercula declarabitur indifferentia. *Laertius lib. 9. cap. 11.*

Cleon quum Reipub. administrationem capessere destinasset, testatus est, se iam omnium amicitiarum vincula velle soluere, quod amici plerunque obstarent, ne liceret vbique rectum tenere clauum. *P. M. lib. 6. apoph. ex Plut.*

Alexander Quum peritum ex Indis sagittarium cepisset in fuga, qui per annulum sagittam mittere diceretur, voluit, vt artis suæ specimen ederet. Recusantem autem iratus occidi iussit. Verum cũ iam duceretur ad mortem, dixit sagittarius se multis iam annis non exercuisse artem suam, eoq. timuisse, ne erraret. Id vbi delegatum ad Regem, quod ignominiæ metu recusasset, admiratus ingenium ambitiosum, dimisit illum donatum, eo quod mortem oppetere maluisset, quam fama sua videri indignus. Apparet autem ex hac historia nos affectus nostros etiam amare in alijs. Alexander enim, cum semper ambitiosus, & gloriæ appetens fuerit, similem affectum in sagittario probauit. *Vide Plut. in Reg. & Imp. apoph.*

Alexandro Macedonum Regi, pirata quidam captus, & ad ipsummet adductus, rogatusque: Quare auderet infesta reddere maria, paucis respondit: Ego cum vna nauicula pirata nominor, tu cum idem facias magna classe, Rex appellaris. Quo dicto Alexander motus, ipsum statim dimisit. *Plut. in vita Alexandri.*

Agesilaus, Illud sibi cum primis gloriæ ducere solebat, quod Rex cum esset, cæterisque consilio prospiceret, nihilo secius in laboribus obeundis nemini cederet, quodque sibi imperaret, suique (vt ita loquar) Rex esset, id pulchrius esse iudicabat, quam quod Regnum obtineret in alios. *Plutarc. in apophe. Laconicis.*

M. Antonius Verus, Iamiam moriturus cum suos ad grabbatum stare, dolere, atque angi videret: Humanum est, inquit, humanis casibus ingemiscere, multoque magis, misericordiam prouocare, quæ oculis vsurpantur. Sensit autem hominem, non lignum, aut lapidem esse, qui nullis rebus afficiatur, sed animal quod affectibus misericordiæ tangatur, & compatiatur etiam. *Herodianus, lib. 1.*

Socrates, quum post sudorem e palæstra collectum videret alios ad potum confugere, vt sitim explerent, ipse bibere solus noluit Verum interrogatus, cur bibere nollet? Ne consuescam, inquit, affectibus. *Laer. in eius vita.*

HIEROGLYPHICA.

Philosophi antiquiores, quique doctrinam eorum secuti sunt, pedes pro contemptissima parte ponunt, esseque in anima pedes affectus voluptarios, venereę mollitudini mancipatos. *Pier. Val. lib. 35. pag. 338.*

A F F I N E S.

DEFINITIO. ET ETYMOLOG.

AFfines sunt viri, & vxoris cognati, dicti ab eo, quod duæ cognationes, quæ diuersæ inter se sunt, per nuptias copulantur, & altera ad alterius cognationis finem accedit. Consanguinitas fit per carnis propagationem. Affinitas vero per coniunctionem ordinatam a Deo. *hæc ex B. Thom.* vbi sup.

Affinitas causatur ex omni coitu naturali, & illicito.

Affinitas, Græce συγγένεια, ας, ἡ & συγγενὴς, έος, ὁ, ἡ, affinis dicitur, & est vinculum causatum ea carnis copula consanguineorum. *Hæc ex B. Thom. 4. Sent. dist. 41. ar. 1.*

Exempla Biblica.

Affinitas impiorum noxia, *Exod.* 34.16. *Deut.* 7. v. 3.4. Exemplum: Ochosias, 2. *Reg.* 8.27. Affinitatis gradus in Lege prohibiti, *Leuit.* 18. v. 6.7.8.9.10.11.12.13.14.15.16.17.

A F F L I C T I O.

D E F I N I T I O.

AFflictio, Græce θλῖψις, εως, ἡ & θλίβω, affligo dicitur, & est ægritudo cum vexatione cordis, secundum Ciceronem lib. 4. Tuscul. quæst.

Afflictio, Hebr. *Honi*, a verbo, *Hanah*, i. animo, seu mente considerauit, & percepit, deliberauit, & cogitauit. Recte, nam ideo affligimur, vt Deo paeata mentibus subijciamur. Hinc Græcia, νοέω, ἐννοέω, διανοέω ἐπινοέω, cogito, intelligo, considero, μετανοέω, resipisco, reddo ad animum, expendendo quæ fecerim. Affligo, compositum verbum Latinis ex Ad, & Fligo verbo antiquo, idest, Prosterno, in terram conijcio, & deprimo. Huius verbi sunt composita, Confligo, Profligo, &c. Dicitur etiam Hebr. *Hetseb*. mæror, dolor, tristitia, è verbo. *Hatsab*, dolore affecit, contristauit, conturbauit, mærore affecit. Effecta hæc sunt afflictionum, bona quidem, piorum respectu, quia Deus a tristitia ad lætitiã perducere solet. Græci interpretes voces Hebræas *honi & hetseb.* interpretantur κάκωσιν, ταπείνωσιν, λύπην.

Biblici Loci.

Afflictione aliena sapiendum. Exemplum: Tertius Centurio ad Eliam missus, 2. *Reg.* 1.13. Afflictionis causa perpetuo spectanda, 1. *Petri* 3.17. Afflictiones a Deo quidem sunt, sed proxima earum causa peccatum est, *Gen.* 12.17. & 45.8. *Exod.* 23.28. *Leuit.* 26. v. 15. 16.17. *Num.* 11.13. *Deut.* 8.3. & 28.7.15.16.21.22. & 31.16.17. & 32.30.39. *Iosu.* 24.20. 1. *Sam.* 7.13.14 2. *Sam.* 16 10. 2. *Reg.* 1.14. & 22. 24. & 6.33. & 15.5. & 24.2. 1. *Paral.* 5.20. & 21.14. 25. *Prou.* 3.12. *Eccles.* 2.15. *Esa.* 1.24. & 3.1. & 5.5.6. & 7.18. & 10.5.6.13.16. & 19.2 & 22.17. & 24.1. & 34.5.6. & 54.16. & 60.10. *Ier.* 10.18. & 25.6. & 3.2.28. & 45.4. *Thr.* 1.21. & 2.2.17 & 3.38.43.45. & 4.11. & 5 22. *Ezech.* 5.14.16.17. & 6. *Dan.* 1.3. *Ose.* 6.1. & 13.7.8. *Amos* 2.6. & 4. 6.7.9.10.11.12. & 6.8.10.11.13.14.15 & 8.10. *Ion.* 1.4. *Nahum.* 2. 13. *Abac.* 1.6. & *Sophon* 1.17. & 3.6. *Agg.* 1.11. & 2.18. *Zach.* 7.14. & 12.3. *Malach.* 1.4. & 2.23 *Matt.* 20.22.23. & 26.53. *Marc.* 13.13. *Ioan.* 10.18. & 18.11. *Rom.* 2.5. 1. *Cor.* 4.9. *Phil.* 1.29. 2. *Thes.* 1.6. *Heb.* 12.5.6. 1. *Pet.* 1.6.11. & 2.21. & 3.17. & 4.19.

Afflictiones non metuendæ, *Apoc.* 2 10. sed patienter, & læto animo ferendæ, *Matt.* 5.10. & 10.38. *Ioan.* 15.10. & 16.33. *Act* 5.41. & 16 25. 2. *Cor.* 8. 2. *Col.* 1.24 *Heb.* 10.34. *Iac.* 1.2.12. & 5.7. 1. *Pet.* 4.12.16 Primo, quia pios non reddunt miseros, nec perpetuo iræ Dei testimonia sunt, *Iob.* 5.17.18. *Ps.* 41.1 *Prou.* 3.11.12. *Ier* 25.27. *Matt.* 5.4.10.11. *Luc.* 6.21.22. *Rom.* 5.3. & 8 36. 1. *Cor.* 4. 11. 2. *Cor.* 4.8. 2. *Tim.* 2.11. *Heb.* 12.6. *Iac.* 1.12. & 5.11. 1. *Pet.* 2.1.9.20. & 3.14. & 4. 14. 1. *Ioan.* 3.13. *Apoc.* 3. 10. Secundo, quia ipsis pijs argumentum sunt magnæ consolationis, *Iac.* 1.2. & honorificæ sunt, *Ioann.* 21. 19. *Act.* 5.41. *Gal.* 6.17. *Ephes.* 3.13. *Phil.* 1. 20. 1. *Pet.* 4.14.16. *Apoc.* 14. 13. Tertio, quia quamuis a Satana instrumento infligantur, *Apoc.* 2.10. sunt tamen perutiles pijs, *Gen.* 33.20. *Nu.* 21.6.7. *Deut.* 28.30. & 8.3. 1. *Sam.* 6.19.20. & 7.7.8. & 2. *Sam.* 24.16. *Matth.* 5.11. *Act.* 8 4. & 14.22. *Rom.* 5.3. & 8.28. 1. *Cor.* 11.22. 2. *Cor.* 4.27. *Gal.* 3.4. *Phil.* 1. 12.13.28. 1. *Thess* 1.6. 2. *Thess* 1.4. 2. *Tim.* 2.9.11.12. *Heb.* 1.8. & 12.2. *Iac.* 1.3.12. & 5.11. 1. *Pet.* 1.6.7. & 4.13. *Apoc.* 2.10. Quarto, quia Christi, & Fidelium afflictiones sunt communes, *Matth.* 25.42.45 *Ioan.* 15.18.20. *Act.* 9.14. & 22.7. & 9.5. & 22.8. *Rom.* 8.28.29. 2. *Cor.* 1.5. & 4.10. & 13.14. *Phil.* 3.8. *Col.* 1.24. *Philip.* 23. 1. *Pet.* 1.11. & 4.13. & 5.9. Quinto, quia pijs prædictæ, ideoque ineuitabiles, & valde viles, *Iob.* 2.10. & 5.9. *Matth.* 5.10. & 10.17.38. & 16.20.25 24. & 20.23. & 29.9. *Mar.* 2.19 & 8.31.34. & 13.9.13.37. *Luc.* 9.23. & 14.17. & 18.31.32.33. & 21.12. & 24.46. *Ioan.* 15.20. & 16.2.20 33. *Actor.* 9.16. & 14.22.23. & 20.23. & 21.11. *Rom.* 8.17.18. *Gal.* 4. 29. 1. *Thess* 1.6. & 3.3.4. 2. *Tim.* 1.12.13. & 2.3. & 3.12. *Heb.* 12.6.7. 1. *Pet.* 4.12.13.17. & 5.10. *Apoc.* 1.19. & 12.13. Sexto, quia piorum afflictiones momentaneæ sunt, & illis modum Deus imponit, *Gen.* 15.13.14. *Exod.* 3.7.6. *Esa.* 7.7 & 26.20. & 28.28. & 30.20. & 31.4. & 43.2. & 48.9.10. & 51.22. & 53.7.8.17. & 57.10. & 60.10. *Ierem.* 5.18. & 30.11. *Thren.* 3.22. *Osee* 5.15. & 6.1.2.3. & 12.9. *Mich.* 7.9. 18. *Naum.* 1.6.7.11.12. *Zach.* 8.12.13.14. *Matth.* 10.30. *Luc.* 21.18.19 *Io.* 16.20. *Act* 4.28.38. & 12.7.17. & 13.17. & 14.27. & 18.9.10. & 20.32. & 21.14. & 23.12. 1. *Cor.* 10.13. 2. *Cor.* 10. & 4.17. 2. *Thessal.* 17. 2. *Timoth.* 3.11. & 4.17.18. *Hebræorum* 2.15. 2. *Pet.* 2.9. *Apoc.* 2.10. & 7. 3.

Per afflictiones experitur nos Dominus, *Iudith.* 8.21. *Eccl* 2.1. & 23 8. *Prou.* 17.3. *Sap.* 3.5.6. 2. *Thess* 24. 1. *Pet.* 1.7.

Afflictionibus plectentur ij, qui alios opprimunt, *Gen.* 15.14. *Exod.* 3.19.20.21. & 23.23. *Ps.* 31.18.19. & 63.8.9.10. *Prou.* 11.8. *Esa.* 10. 12 & 13.11. & 14.5.6. & 17.14. & 21.2. & 25.10.11.22. & 30.31. & 31. & 31.8. & 33.1. & *Luc.* 18.7. & 23.31. *Philip.* 2.28. *Col.* 3.24. 2. *Thess.* 1.6. 2. *Thimot.* 4.14. 1. *Pet.* 4.17.18. 2. *Pet.* 2.9. *Apoc.* 16.6. Exempla: Cain, *Genes.* 4.11. &c. Sodomitæ 19.13.14. &c. Fratres Ioseph, 42.21. Pharao & Aegyptij, *Exod.* 7.20. & 8.6.17.24. & 9 6.10.23 & 10.13.14.22. & 12. & 29. & 14.27.28. Core. Dathan, & Abiron, *Num.* 16.30.31.32. Adonibezech, *Iudic.* 1.6.7. Abimelech, 9.51.53. 54. Saul 1. *Sam.* 31.4. Achitophel, 2. *Sam.* 17.23. Absalom, 18.8.9. Ioab 1. *Reg.* 2.33. Semei 44. Zambri, 16.18. Achab, 22.34.35.36.37. quinquagenarius cum suis, 2. *Reg.* 1.10.11. alter v. 12. pueri illudentes Elisæo. 2.23.24. Benhadad Rex Syriæ, 8.15. Iezabel 9.30. 33. Athalia 11.15.16.20. 2. *Paralip.* 23.13.14.15. Ioas Rex Iuda. 2. *Reg.* 12.21. 2. *Paralip.* 24.25. Sennacherib, 2. *Reg.* 19.36.37. Manasses, 2. *Paral.* 33.11. Aman, *Est.* 7.9.10. Babylon, *Esa.* 14.3.4.5. Moabitæ. 15.1. Idumæi. *Ezech* 35.11.12.13.14. Tortores trium puerorum, *Dan.* 3.22. Herodes Ascalonita, *Matth.* 2.19.20. Iudæi 23. v. 36 38. *Luc.* 13.35. Iudas Iscariotes, *Matth.* 27. v. 45. *Act* .1.18. Herodes Agrippa 12.23.

Patrum Sententiae.

Qui seminant in lachrymis, in gaudio metent: ipse agricola quãdo procedit, & portat semen, nonne aliquando frigus est, ventus, & imber deterret? Attendit cęlũ, videt tristem diem, attendit, & expectat diem lætã, ne tẽpus transeat, & non inueniat quod metat. Seminate & vos in hyeme, seminate bona opera. *In ps.* 125. *Aug.*

Sicut qui seminat per hyemẽ, non deterretur ab opere, pp hyemẽ. Sic & nos pressura mundi non debemus a bono opere deterreri quia qui seminant in lachrymis, in gaudio metent. *In ps.* 120.

Duos filios habet homo, alterum castigat, alterum dimittit: facit vnus male, & non corripitur a patre, alter mox vt se mouerit, colaphis cæditur, flagellatur. Vnde ille dimittitur, & ille cæditur? nisi quia huic cæso hæreditas seruatur, ille autem dimissus exhæredatus est? Videt eum non habere spem, & dimittit eum, vt faciat quod vult. Puer autem, qui flagellatur, si cor non habuerit, & imprudens fuerit, & stultus, gratulatur fratri suo, qui non vapulat, & gemit de se, & dicit in corde suo: Tanta mala facit frater meus, quicquid vult, facit contra præcepta patris mei: & nemo illi facit durum verbũ: ego modo vt me moueo, cædor. Stultus est & imprudens, attendit quid patiatur, & non attendit quid illi seruetur. Ideo ait Propheta in quinquagesimo Psalmo: Vir insipiens non cognoscet, & stultus non intelliget hęc. Quę sunt ea quæ non intelliget stultus, & quæ imprudens non cognoscet? cũ exorti fuerint peccatores sicut fœnum. Quid est, sicut fœnum? vireot cum hyems est, sed æstate arescent. Attendis florem fœni quid citius transit? Quid lucidius? Quid viridius? Nonne te delectet viriditas ipsius, sed time ariditatem ipsius. Sed iustus, vt palma florebit. Palma in nouissimis pulchra est, vt initium eius a terra ducas, finem ipsius in cacumine, vbi habet totam pulchritudinem: aspera radix videtur in terra, pulchra coma sub cœlo est. Erit & tua pulchritudo in fine, radix tua fixa sit, sed sursum versus habeamus radicem nostram. Nunquid cum sol exierit arescit palma? Nunquid arescit cedrus? cum autem sol eadem aliquando fuerit, arescit fœnum. Veniet iudicium, vt arescant peccatores, vt virescant fideles. *In ps.* 93.

Sicut ab vno igne aurum rutilat: & palea fumat, & sub eadem tribula stipulæ comminuuntur, frumenta purgantur: nec ideo cum oleo amurca confunditur, quia eodem præli pondere exprimitur: ita vna eademq. vis irruens bonos probat, purificat, eliquat: malos damnat, vastat & exterminat. Vnde in eadem afflictione, mali Deum detestantur, atq; blasphemant: boni autem precãtur, & laudant. Tantum interest, non qualia, sed qualis quisque patiatur. Nam pari modo exagitatum, & exhalat horribiliter cœnũ, & suauiter fragrat vnguentum. *de Ciuit. Dei, lib.* 1. *c.* 8.

Boni laborant, quia flagellantur vt filij: mali exultant, quia damnãtur, vt alieni. *Aug. in ps.* 93.

Cyprian, Nisi præcesserit pugna, non potest esse victoria: cum fuerit in pugnæ congressione victoria, tunc datur vincentib. & corona. Nam gubernator in tempestate dignoscitur, in acie miles probatur. Delicata iactatio est: cum periculum non est: conflictatio in aduersis, probatio est veritatis. Arbor quæ alta radice

fundata

fundata est, ventis incumbentibus non mouetur, & nauis, quæ forti compage solidata est pulsatur fluctibus, nec fertur. Et quando area fruges terit, ventos grana fortia, & robusta contemnunt, inanes paleæ flatu portante rapiuntur. Sic, & Paulus post naufragia, flagella, post careres, & corporis grauia tormenta, non vexari, sed emendari se dicit in aduersis. *Serm. 4. de immortal.*

Nazianzenus. Sol nubibus obiectus lætius postea splendet, & post hyemis tristitiam est acceptior, iucundior tranquillitas blanda, & mare quietum post seditiones ventorum, & perturbationes aquarum litoribus allidens: sic post afflictiones nobis vita tranquillior. *Iactat. de Cypriano.*

SENTENTIAE POETICAE.

Virg. 1. Aen.

O socij (neque enim ignari sumus ante malorum)
O passi grauiora, dabit Deus his quoque finem.
Vos & Scyllæam rabiem, penitusque sonantes
Accestis scopulos, vos & Cyclopea saxa
Experti, reuocate animos, mœstumque timorem
Mittite forsan & hæc olim meminisse iuuabit.
Per varios casus, per tot discrimina rerum
Tendimus in Latium: sedes vbi fata quietas
Ostendunt: illic fas regna resurgere Troiæ.
Durate, & vosmet rebus seruate secundis.

Idem 5. Aeneid.

Isque his Æneam solatus vocibus infit,
Nate dea, quo fata trahunt, retrahuntque, sequamur
Quidquid erit, superanda omnis fortuna ferendo est.

Idem 6. Aeneid.

Tu ne cede malis, sed contra audentior ito,
Quam tua te fortuna sinet.

Ouid. 15. Met.

---Quoties flenti Theseius heros
Siste modum dixit: nec enim fortuna querenda
Sola tua est, similes aliorum respice casus.
Mitius ista feres, vtinamque exempla dolentem
Non mea te possent releuare, sed & mea possunt.

Idem 1. Fast.

Cui genetrix flenti, fortuna viriliter inquit,
Siste puer lacrymas, ista ferenda tibi est.
Sic erat in fatis.

Infra.

Nec fera tempestas toto tamen vrget in anno:
Et tibi, crede mihi, tempora veris erunt.

4. Pont. 4.

Nulla dies adeo est australibus humida nimbis,
Non intermissis vt fluat imber aquis.
Nec sterilis locus vllus ita est, vt non sit in illa
Mixta fere duris vtilis herba rubis.

3. Amor. 10.

Perfer, & obdura: dolor hic tibi proderit olim,
Sæpe tulit lassis succus amarus opem.

Ibidem ad Laurum.

Scilicet exiguo percusse es fulminis ictu,
Fortior, vt posses cladibus esse tuis.

Ibidem.

Imposuit te alto fortuna, locumque tenere
Iussit honoratum, Liuia, perfer onus. &c.
Attolle mane supraque tuos exsurge dolores,
Infragilemque animum quo potes vsque tene.

Horat. 2. Carm. 10.

Rebus angustis animosus, atque
Fortis appare: sapienter idem
Contrahes vento nimium secundo
Turgida vela.

Iuuenalis 13.

Ponamus nimios gemitus: flagrantior æquo
Non debet dolor esse viri, nec vulnere maior.

Ibidem.

Rem pateris modicam, & mediocri bile ferendam,
Si flectas oculos maiora ad crimina.

Seneca Thyeste.

Pectora longis hebetata malis,
Iam sollicitas ponite curas:
Fugiat mæror, fugiatque pauor,
Fugiat trepidi comes exilij
Tristis egestas, rebusque grauis
Pudor afflictis, magis vnde cadas,
Quam quo, refert: magnum ex alto
Culmine lapsum stabilem in plano
Figere gressum: magnum ingenti
Strage malorum pressum fracti
Pondera regni non inflexa
Ceruice pati, nec degenerem
Victumque malis, rectum impositas
Ferre ruinas, sed iam sæui
Nubila fati pelle, ac miseri
Temporis omnes dimitte notas:
Redeant vultus ad læta boni.

Lucret. 3.

Quid tibi tantopere est, mortalis quod nimis ægris
Luctibus indulges? quid mortem congemis, & fles?
Cur non, vt plenus vitæ conuiua recedis,
Æquo animoque, capis securam stulte quietem?

Statius 2. Sil. 1.

Hic finis rapto, quin tu iam vulnera sedas,
Et tollis mersum luctu caput? omnia functa,
Aut moritura vides, obeunt noctesque diesque.
Astraque, nec solidis prodest sua machina terris.
Nam populos mortale genus plebisque caducæ
Quis fleat interitus? hos bella, hos æquora poscunt.
His amor exitio, furor his & sæua Cupido:
Vt sileam morbos, hos ora rigentia brumæ,
Illos implacido lethalis Sirius igni,
Hos manet imbrifero pallens autumnus hiatu.
Quidquid habet ortus, finem timet, ibimus omnes,
Ibimus: immensis vrnam quatit Æacus vmbris.

Idem 5. Sil. 1.

Parce precor lacrimis, saeuo ne concute planctu
Pectora, nec crucia fugientem coniugis vmbram.

Manilius 2.

Quod si soleret circumspicis omnia cura,
Fraudatum inuenies amissis sidera membris.
Scorpius in Libra consumit brachia, Taurus
Succidit incuruo claudus pede, lumina Cancro
Desunt, Centauro superest, & quæritur vnum;
Sic nostros casus solatur mundus in astris,
Exemploque docet patienter damna subire.

Sen. Herc. Oet.

Dubiam salutem qui dat, afflictis negat.

Sen. Herc. Oet.

---Mortis habet vices,
Lente cum trahitur vita gementibus.

Ouid. 5. Trist. 11.

Vt sumus in Ponto ter frigore constitit Ister:
Facta est Euxini dura ter vnda maris,
At mihi iam videor patria procul esse tot annis,
Dardana quot Graiis Troia sub hoste fuit.
Stare putes, adeo procedunt tempora tarde,
Et peragit lentis passibus annus iter.
Nec mihi solstitium quidquam de noctibus aufert,
Efficit angustos nec mihi bruma dies.
Scilicet in nobis rerum natura nouata est,
Cumque meis curis omnia longa facit?
An peragunt solitos communia tempora motus?
Suntque magis vitæ tempora dura meæ?

Iacobus Bill. Antholog. Sacra.

Cur hic iusti affligantur, ac contra impij floreant:

Cum duris premitur iustus, cum floret iniquus,
Percutit anne tui pectoris ima dolor?
Nate tacitorum trahat hic dolor, æthera mente,
Atque adytum studeas promptus adire Dei,
Illic conspicies, ingenti numinis ira
Ad mala seruari non moritura malos.
Conspicies sontes aptos incommoda mitis
Præmia quo post hæc vberiora ferant.

D. afflictionum voluntariarum vtilitate.

Cur timeam, mea si est cum sunt mihi cuncta secunda,
Exagitetque meum nulla procella caput.
Namque fauor nimius non est fauor, ira sed ingens:
At fauor in magno sæpe dolore latet.
Ergo cum tanti sit non doluisse pericli,
Atque feras cursus commoda tanta dolor:
Sedulus inueniam, supplex Pater oro dolorem
Ne me reperiat, vexet, & ante dolor.

Vnum Christianum aduersas potius quam prosperas res expetere.

Quid mirum est famulis Domini quod legibus hæres,
Cum fauor, & splendens hinc tibi surgit honos?
At mihi magnus eris, dignus mihi laudibus amplis,
Si tua sit duro tempore firma fides.
Vir pius aduersis rerum non frangitur vndis,
Immo etiam flammas prouocat, & gladios.
Non est enim vita puerili dulcia quærit:
Sed qua sunt animæ pabula certa, cruces.

Aequo animo ferendas esse afflictiones.

Quid tibi, cum læta tot sorte peregeris annos,

Nunc

Nunc animus, pulsa prosperitate, cadit?
An tibi cum mittat post prospera multa dolores,
Cum tibi post sudum nubila densa, Deus:
Frangi animo, turpesq; decet geminare querelas,
Craque cum molli delaniare comas?
Aut nimia mentem luctu tenebrescere? mundus
Haud secus ac tibi lux, non Deus, ante foret.

Spirituali dolori modum adhibendum esse.

Vtilis est fletus, cum quis sua crimina luget.
Namque animi noxas eximit iste dolor.
Non tamen in luctu semper lachrymisq; manendum est,
Ne mens immodice fracta labore cadat.
Post lachrymas, gemitusq; graues clementia Christi
Confestim est oculos ante locanda suos.
Sic oculus Phœbi radiantis lumine lasus,
Ad virides sese postea flectit agros.

Res aduersas prosperis optabiliores esse.

Optio si detur fortis mihi (fœmina princeps
Dicebat;) media viuere sorte velim.
Si nequeam media, tum dura viuere malim,
Quam nimia rerum prosperitate frui.
Egregium sane dictum, ratioque perinde.
Egregia & clara Principe digna fuit.
Non desunt miseris solatia dixit: at illum,
Qui nimis est fœlix, mens bona sæpe fugit.

APOPHTHEGMATA.

Augustinus dicebat, sicut in vno igne aurum rutilat, & palea fumat, sub eademque tribula stipulæ comminuuntur, frumenta purgantur, nec ideo cum oleo amurca confunditur, quia eodem prœli pondere exprimitur: ita vna eademque vis irruens bonos probat, purificat, eliquat, malos damnat, vastat & exterminat. Vnde in eadem afflictione mali Deum detestantur atque blasphemant, boni autem precantur, & laudant. Tantum interest, non qualia, sed qualis quisque patiatur. Nō pari modo exagitatum, & exhalat horribiliter cœnum, & suauiter fragrat vnguentum, *De Ciu. Dei lib. 1. c. 8.*

SIMILITVDINES.

Chrysostomi. Disciplina exercitatio est. Nam athletam perficit fortiorem, & insuperabilem reddit in certaminibus, & inexpugnabilem declarat. In prœlijs igitur talis disciplina est omnis, & hæc præsens, vt talis sit, necesse est. Proinde oportet sperare meliora, & finem plenum iucunditatis, & pacis. Et noli mirari, si cum ipsa amara sit, fructus tamen proferat dulciores. Nam, & in arboribus, cortex pene semper amarus, & asper est, fructus tamē ipsi suauitate iucundi sunt. *Homil 3. de Ieiunio.*

Podagricos tibi ante oculos pone, qui quando acutis compunguntur dolorum stimulis, & si mille offerres vehementius dolentes, ne respicere quidem dignantur. Non enim patitur intensus dolor, vt quasi ociosi de cæteris cogitent, ac inde consolentur. Minime igitur nos huiusmodi spes alat. Nam qui à malis aliorum originem trahit, in mediocri afflictione locum habet. *Homil. 44. in Matth.*

Multi fluctus, & vndæ immanes: sed submergi non vereor, quia supra petram sto. Insaniat licet mare, petram non potest commouere. Insurgant quantumlibet fluctus, &c. *Hom. 20. cum de expulsione sua ageretur.*

Nazianzeni. quemadmodum sol diu nubibus obtectus lætius postea splendet, & ver post hyemis tristitiam est acceptius, & iucundior tranquillitas blanda, & mare quietum post seditiones ventorum, & perturbationem aquarum littoribus allidens: Sic post afflictiones nobis vita tranquillior. *In oratione ad Cypria.*

Arnoby. vt medicus, qui desperatis iubet in velle seruiri, & omnia, quæ desiderant, præcipit non negari, quos autem scit posse saluari, iubet eos artari, amaris potionibus potari, ferro secari, cauteriari: Sic fiet, vt dum saluati fuerint abstinentes, & mortui fuerint desiderijs proprijs acquiescentes, iustificabitur medicus in sermonibus suis. Dicetur ei. Nos te iniuste culpabamus, dum ligares, dum secares homines bonos, & malos nec secares, nec affligeres: insuper etiam permitteres suis desiderijs frui *in Ps. 50.*

Saluiani Episcopi, sicut optimi, & peritissimi medici dissimilibus morbis curas dispares præstant, atque alijs per dulcia medicamina, alijs per amara succurrunt, & quosdam curant cauteriorū adustione, quosdam malagmatum placabilitate, alijs adhibent durā ferri sectionem, alijs blandam infundunt olei lenitatem, & tamē diuersissimis licet cutis eadem salus quæritur. Ita etiam Deus noster, si quādo nos plagis austerioribus coercet, quasi cauterijs & sectionibus curat, quando autem rebus prosperis refouet, quasi oleo ac malagmatibus consolatur. Per diuersam enim opem, ad vnam nos vult perducere sanitatem. Solent quippe etiam nequissimos seruos, quos supplicia non correxerunt, blandimenta corrigere, & quos dominis suis verbera non submiserunt, beneficia submittunt, infantes quoque, & omnes fere paruulos contumaces, quos morigeros minæ ac ferulæ non efficiunt, interdū παίγνια atque blanditiæ ad obedientiam trahunt. Vnde intelligere debemus, nos & seruis nequissimis nequiores, & insipientibus paruulis stultiores esse, quos nec quasi malos seruos tormēta corrigunt, nec quasi infantulos blandimenta conuertunt. *De vero iudicio & prouidentia Dei, lib. 6.*

EXEMPLA BIBLICA.

Afflictionum exempla: in Eua, *Genes. 3. v. 14. 15. 16.* Adamo *v. 17. 18 19.* Antiquiore mundo, *6. v. 13.* Pharaone, *12. v. 17.* Abimelech, *20. ver. 3.* Fratribus Ioseph, *42. v. 21.* Hebræis, *Exo. 32. v. 55.* Maria sorore Mosis, *Nu. 12. 10.* Mose, & Aarone, *Nu. 20. v. 12.* Dauide, *2. Sam. 12. v. 14. & 24. v. 17.* Baasa, *1. Reg. 16. v. 2.* Giezi, *2. Reg. 5. vers. 26. 27.* Ozia, *2. Paral. 26. v. 19.* Israelitis *Esa. 3. v. 8. 9. & 5. 13. & 24 v. 5. 6. & 30. v. 13.* Paralytico, *Matth. 9. v. 2. Ioan. 5. v. 14.* Iudæis, *Matth. 23. v. 38. Luc. 9. v. 43. 44.* Elyma, *Act. 13. v. 11.* Exempla afflictionum quibus Deus modum imposuit: Loth, *Gen. 19. vers. 16.* Iacob, *32. 9 & 33. 18.* Ioseph, *41. 42.* Iacob, *45. 28.* Israelitæ, *Exod. 3. v. 7. 8. & 13. v. 21. & 22. Iudic. 2. v. 2. 15. 16. Act. 13. v. 17.* Anna, *1 Sam. 1. v. 18. 19.* Dauid, *2. 4. & 16. v. 9. 10.* Populus Dauidis, *2. Sa. 14. v. 16.* Ioachas, *2. Reg. 13. v. 4.* Tota Iudæorum gens, *Esth. 8. vers. 54. 15.* Iob, *Iob. 42. v. 12. Iac. 5. v. 11* Ezechias cum suis, *Esa. 37. ver. 31. 32. 33.* Sidrach, Misach, & Abednago, *Dan. 3. v. 17. 24. 25. 26.* Ionas, *Ion. 2. v. 8. 11.* Apostoli, *Act. 4. v. 21. & 5. v. 19.* Paulus, *9. 25 & 27. 4. 5. 2. Cor. 1. v. 10.* Petrus, *Act. 12. vers. 7. 8.*

Afflicti ad Deum clamantes exaudiuntur. *Psal. 50. v. 15.* Exempla: Agar, *Genes. 16. v. 8.* Abraham, *17. v. 20.* Loth. *19. versi. 18. 19. 20.* Ismael, *21. 17.* Isaac, *25. 21.* Rachel. *30. 22.* Iacob, *32. v. 9. 10. 11.* Israelitæ, *Exo. 1. v. 23. 24. & 3. v. 6. 7. 8. 9. Iudic. 2. v. 1. & 10. v. 11. & 12.* Moses. *Exod. 17. v. 10. 11. Nu. 16. v. 46. 47. 48.* Moses & Aaron, *20. v. 6. 7. 8.* Samson, *Iudic. 15. v. 18. 19.* Anna, *1. Sam. 1. v. 26. 27.* Samuel, *1. Sam. 12. v. 18. 19.* Dauid. *2. Sam. 15. v. 30. 31. 1. Par. 21. v. 17. Ps. 30. v. 3. 4. 12. & 54. ver. 9. & 116. ver. 3. 4. 5. Eccl. 47. ver. 5. 6* Elias. *1. Reg. 17. ver. 20. 21. 22. & 18 versi. 37. 38.* Elisæus, *2. Reg. 4. vers. 32. 33. 34. & 6. ver. 8.* Ezechias, *2. Re. 19. ver. 15. & c. Esa. 37. ver. 21. 33. 2. Reg 20. ver. 1. 2 Esa. 18. ver. 1. 2. 3. 4.* Iosaphat, *2. Paral 20. ver. 6. 23.* Manasses, *33. ver. 12. 13.* Iesus Naue, *Eccl. 46. ver. 6. 7.* Ionas. *Ion. 2. ver. 2. 3.* Tobias, *Tob. 12. versi. 12. 13.* Iudas Machabæus, *2. Mach. 4 ver. 6. 7. 8.*

AGRICVLTVRA.

DEFINITIO ET ETYMOLOGIA.

AGricultura, Græce γεωργία, ας, ἡ, & γεωργός, οῦ, ὁ, agricola dicitur, & est agrorum cultura, Inde agrestis, Græce ἄγριος, ου, ὁ, & ἀγριότης, τητος, ἡ, rusticitas. Est autem agrestis, qui vitam agit syluestrem.

BIBLICI LOCI.

Ager, ager diuerso semine non serendus, *Leuit. 19. v. 19.* Agro proximi nullū inferendum detrimentum, *Exo. 22. v. 5.* Agrorū termini non transferendi, *Prou. 22. v. 28. Deut. 19. v. 14.* Ager sanguinis, *Matth. 27. v. 8. Act. 1. v. 19.* Agri empti a Ieremia signatio. *Ierem. 32. vers. 9. 25.* Agri pro rebus agrestibus, *Matt. 6. v. 28.*

SENTENTIAE BIBLICAE.

Si læserit quispiam agrum, vel vineam, & dimiserit iumentum, vt depascatur aliena, quicquid optimum habeat in agro suo, vel in vinea, pro damni æstimatione restituet. *Exod. 22.*

Si egressus ignis inuenerit spicas, & comprehenderit aceruos frugum, siue stantes segetes in agris, reddet damnum, qui ignē succenderit. *Ibidem.*

Sex annis seminabis terram tuam. & congregabis fruges eius. Anno autem septimo dimittes eam, & requiescere facies, vt comedant pauperes populi tui, & quicquid reliquum fuerit, edant bestiæ agri. Ita facies in vinea, & olíueto tuo. *Exod. 23.*

SENTENTIAE PATRVM.

Cur tu in vsus tuos successura non præparas? vel fiscellam texe iunco, vel canistrum lentis plecte viminibus: sarriatur humus: areolæ æquo limite diuidantur: in quibus, cum olerum iactata fuerint semina, vel plantæ per ordinem positæ, aquæ ducantur irriguæ: hic pulcherrimorum versuum spectator assistas.

Ecce supercilio cliuosi tramitis vndam
Elicit: illa cadens raucum per leuia murmur
Saxa ciet, scatebrisq; arentia temperat arua.

Hieronymus ad Rusticanum monachum, & habetur de consec. dist. 5. Nun.

SENTENTIAE POETICAE.

Ouid. 1. Pont.

Tempus in agrorum cultu consumere, dulce est.

Iuuenalis 14.

Viuite contenti casulis, & collibus istis
O pueri, Marsus dicebat, & Hernicus olim,

Vestl.

Vestinusq; senex: panem quaramus aratro,
Qui satis est mensis ....

Boet. 2.5.

Felix nimium prior ætas,
Contenta fidelibus aruis,
Nec inerti perdita luxu:
Facili quæ sera solebat
Ieiunia soluere glande.

Olympius Nemesianus Ecl. 2.

Forsitan indignum ducis, quod rusticus Alcon
Te cupiam, qui mane boues in pascua ducam.
Dii pecorum pauere greges, formosus Apollo,
Pan doctus, Fauni, vates, & pulcher Adonis.

Seneca Hipp.

Non alia magis est libera, & vitio carens,
Ritusq; melius vita, quæ priscos colat,
Quam quæ relictis mœnibus syluas amat.
Non illum auaræ mentis inflammat furor,
Qui se dicauit montium insontem iugis:
Non aura populi, & vulgus infidum bonis:
Non pestilens inuidia, non fragilis fauor.
Non ille regno seruit, aut regno imminens
Vanos honores sequitur, aut fluxas opes.

Virgil. l. 1. Georgicorum.

Frigoribus parto agricolæ plerunque fruuntur,
Mutuaq; inter se læti conuiuia curant.
Inuitat genialis hyems, curasq; resoluit.

Idem lib. 2. Georgicorum.

Nec vero terræ ferre omnes omnia possunt.
Fluminibus salices, crassisq; paludibus alni
Nascuntur, steriles saxosis montibus orni:
Littora myrtetis lætissima: denique apertos
Bacchus amat colles: Aquilonem, & frigora taxi.

Ibidem.

Primus humum fodito, primus deuecta cremato
Sarmenta, & vallos primus sub tecta referto,
Postremus metito. Ibidem.
O fortunatos nimium sua si bona norint,
Agricolas, quibus ipsa procul discordibus armis
Fundit humo facilem victum iustissima tellus:

Ibidem.

Fortunatus & ille, deos qui nouit agrestes,
Panaque, Siluanumq; senem, Nimphasq; sorores.

Ibidem.

Interea pendent dulces circum vbera nati:
Casta pudicitiam seruat domus: vbera vaccæ
Lactea demittunt pinguesq; in gramine læto
Inter se aduersis luctantur cornibus hœdi.

Ouid. lib. 1. de remedio amoris.

Rura quoque oblectant animos, studiumq; colendi,
Quælibet huic curæ cedere cura potest.
Colla iube domitos oneri supponere tauros,
Sauciet ut duram vomer aduncus humum.
Obrue versata cerealia semina terra,
Quæ tibi cum multo fœnore reddat ager.
Adspice curuatos pomorum pondere ramos,
Vt sua quod peperit vix ferat arbor onus.
Adspice labentes iucundo murmure riuos.
Adspice tondentes fertile gramen oues.
Ecce petunt rupes præruptaque saxa capellæ,
Vt referant hœdis vbera plena suis.
Pastor inæquali modulatur arundine carmen,
Nec desunt comites sedula turba canes.

Horat. in Epod. Ode 1.

Beatus ille, qui procul negotiis,
Vt prisca gens mortalium,
Paterna rura bobus exercet suis,
Solutus omni fœnore,
Nec excitatur classico miles truci:
Nec horret iratum mare:
Forumq; vitat, & superba ciuium
Potentiorum limina.

Horat. Sermonum lib. 2. Satyra 6.

O rus quando ego te adspiciam? quandoq; licebit
Nunc veterum libris, nunc somno, & inertibus horis
Ducere sollicitæ iucunda obliuia vitæ?
O quando faba Pythagoræ cognata, simulq;
Vncta satis pingui ponentur oluscula lardo?
O noctes cœnæque Deum, quibus ipse, meiq;
Ante Larem proprium vescor.

Horat. Epistolarum lib. 1. epist. 10.

Nouistine locum potiorem rure beato?
Est vbi plus tepeant hyemes? vbi gratior aura
Leniat, & rabiem canis, & momenta leonis,
Quum semel accepit solem furibundus acutum?
Est vbi diuellat somnos minus inuida cura?

Philemonis ex Stobæi Serm. 54.

Δικαιότατον κτῆμ' ἐστὶν ἀνθρώποις ἀγρός.
Ὧν ἡ φύσις δεῖται γὰρ ἐπιμελῶς φέρει,
Πυρούς, ἔλαιον, οἶνον, ἰσχάδας, μέλι.
Τὰ ἀργυρώματα δ' ἐστὶν ταῦτα πορφύρα.
Εἰς τοὺς τραγῳδοὺς εὔθετ', οὐκ εἰς τὸν βίον.
Ager hominibus æquissima est possessio,
Nam quæ desiderat natura, fert ea sedulo:
Triticum, oleum, vinum, mel, atq; caricas,
Argentea adsunt vasa, itemque purpura,
Ipsis tragœdiis apta, non vitæ vsibus.

Euripidis Stob. ser. 55.

Τῶν γεωργῶν ἡδονὴν ἔχει βίος.
Ταῖς ἐλπίσιν τἄλγεινὰ παραμυθούμενος.
Agricolarum vita voluptatem capit,
Dum tristitia spe futurorum solatur.

Anaxion. Stob. serm. 25.

Ἐν τοῖς πολεμίοις ὑπερέχειν τὸν ἄνδρα δεῖ,
Τὸ γὰρ γεωργεῖν ἔργον ἐστὶν οἰκέτου.
Πῶς ἔχεις, ὡς ἰσχνὸς εἶ; ἀπόλλυμαι.
Τρέφω γὰρ ἐν ἀγρῷ χωρίον.
Virum oportet in bellis eximium esse
Agricolatio enim opus est seruile.
Vt vales? quam macilentus es? Pereo:
Colo enim prædium viri.

Ibidem.

Ἀεὶ γεωργὸς εἰς νέωτα πλούσιος.
Agricola semper in proximum annum diues est.

Philemonis.

Ἔχει τι πικρὸν τοῦ γεωργίας γλυκύ.
Agricultura suauitas nonnihil amari mixtum habet.

Aristophan.

Τῆς πᾶσιν ἀνθρώποισιν εἰρήνης φίλης
πιστὴ τροφός, ταμία, συνεργός, ἐπίτροπος,
θυγάτηρ, ἀδελφή. πάντα ταῦτ' ἐχρῆτό μοι.
σοὶ δ' ὄνομα δὴ τί ἐστιν; ὅτι; γεωργία.
O cunctis hominibus gratæ pacis
Fida nutrix, proma, opifera, procuratrix,
Filia & soror. Hæc omnia me nominabat,
Sed quodnam tibi nomen est. Agricultura.

Eiusdem.

Ὦ ποθεινὴ τοῖς δικαίοις καὶ γεωργοῖς ἡμέρα,
ἄσμενός γε ἰδὼν προσειπεῖν βούλομαι τὰς ἀμπέλους.
O dies optata bonis viris, & agricolis,
Libenter equidem intuitus affari velo vineas.

Eiusdem.

Ἀποβλέπων εἰς τὸν ἀγρὸν εἰρήνης ἐρῶν,
στυγῶν μὲν ἄστυ, τὸν δ' ἐμὸν δῆμον ποθῶν,
ὃς οὐδεπώποτ' εἶπεν ἄνθρακας πρίω,
οὐκ ὄξος, οὐκ ἔλαιον, οὐδ' ᾔδει πρίω.
ἀλλ' αὐτὸς ἔφερε πάντα, χὠ πρίων ἀπῆν.
Dum pacis amans intueor agrum,
Odi ciuitatem, & rus meum desidero,
Quod nunquam mihi dixit: I carbones emptum,
Acetum, absinthium, oleum: non enim opus est,
Sed ipsum omnia producebat: nec emendum erat quicquam.

Menandri.

Ἀγροῖκος εἶναι προσποιεῖ πονηρὸς ὤν.
Cum improbus sis, te rusticum esse simulas.

Arati.

Οὔπω λευγαλέου τότε νείκεος ἠπίσταντο,
οὐδὲ διακρίσιος περιμεμφέος, οὐδὲ κυδοιμοῦ.
αὔτως δ' ἔζωον. χαλεπὴ δ' ἀπέκειτο θάλασσα.
καὶ βίον οὔπω νῆες ἀπόπροθεν ἠγίνεσκον
ἀλλὰ βόες καὶ ἄροτρα καὶ αὐτὴ πότνια λαῶν
μυρία πάντα παρεῖχε Δίκη δώτειρα δικαίων.
Nondum diras nouerant contentiones,
Neque disceptationem querimoniis plenam, neque tumultum aut bellum.
Sed simpliciter viuebant, & procul aberat mare periculosum,
Nedum naues longinquis regionibus annonam aduehebant,
Sed boues, & aratra & ipsa domina populorum
Copiosa omnia suppeditabat iustitia largitrix iustorum.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Omnium rerum, ex quibus aliquid exquiritur, nihil est agricultura melius, nihil vberius, nihil dulcius, nihil homine libero dignius. *Cic. 1. de Offi.*

Vita rustica, quam nos agrestem vocamus, parsimoniæ, diligentiæ iustitiæ magistra est. *Pro Rosc. Ame.*

Vita

Vita rustica, maxime disiuncta est à cupiditate, & cum officio coniuncta. *Pro Ros. Amer.*

Agricolæ semper ita viuunt, vt quæstum noscant nullum, fructum autem eum solum, quem labore pepererint. *Pro Ros. Am.*

Hominum generi vniuerso cultura agrorum est salutaris. Nulla vita beatior esse potest, neque solum officio, sed & delectatione & saturitate, copiaque rerum omnium, quæ ad victum hominũ, & cultum etiam pertinet. *Cato Maior.*

Ipsa ratio arandi, spe magis, & iucunditate quadam, quam fructu atque emolumento tenetur. Etenim ad incertum casum, & euẽtum, certus quotannis labor, & certus sumptus impenditur. Annona porro pretium, nisi in calamitate fructuum, non habet. Si autem vbertas in percipiendis fructibus fuerit, consequitur vilitas in vendendis, vt aut male vendendum intelligas, si processit, aut male perceptos fructus, si recte licet vendere. Totæ autem res rusticæ eiusmodi sunt, vt eas non ratio, neque labor, sed res incertissimæ, venti, tempestatesque moderentur. 5. *Act. in Verr.*

Bos pauperibus est pro seruo. *Arist. lib. 1. Politicorum.*

Agricolæ magis appetunt lucrum, quam honorem. Et ideo delectabilius est ipsis laborare, quam principari. *Idem libro sexto Politicorum.*

Agricolæ, qui non habent necessaria, circa opera morãtur, & aliena non concupiscunt. *ibid.*

Venio nunc ad voluptates agricolarum, quibus ego incredibiliter delector, quæ nec vlla impediuntur senectute, & mihi ad sapientis vitam proxime videntur accedere. Habent enim rationem cum terra, quæ nunquam recusat Imperium, nec vnquam sine vsura reddit, quod accepit, licet alias minore, plerunque maiore cum fœnore. *Cicer. de Senect.*

Ergo in hac vita Marcus Curius, quum de Samnitibus, & Sabinis, & de Pyrrho triumphasset, consumpsit extremum tempus ætatis. *ibid.*

A villa in senatum accersebantur Curius, & cæteri senes, ex quo qui eos accersebant, viatores nominati sunt. Num igitur eorum senectus miserabilis fuit, qui se agricolatione oblectabant? Mea quidem sententia haud scio, an vlla vita beatior esse possit, neque solum officio (quod hominum generi vniuerso cultura agrorum est salutaris) sed & delectatione, quam dixi, & saturitate copiaque omnium rerum, quæ ad victum hominum, & cultũ etiam deorum pertinent. *Idem libro de Senectute.*

Semper boni assiduique Domini referta cella vinaria, olearia, mellaria, & penaria est, villaque tota locuples est: abundat porco, hœdo, agno, gallina, lacte, caseo, melle. Iam horum ipsi agricolæ succidiam alteram appellant. Tum conditiora facit hæc, & superuacanei operis aucupium atque venatio. *Cicero libro de Senectute.*

Agro bene culto nil potest esse, nec vsu vberius, nec specie ornatius, ad quem fruendum non modo non retardat, verum etiam inuitat, atque allectat senectus. Vbi enim potest illa ætas æque calescere, vel apricatione melius, vel igni, vel vicissim vmbris aquisue salubrius refrigerari? *Idem ibid.*

Illi etiam prædiuites, qui ab aratro accersebantur, vt Consules fierent, voluptatis causa sterile atque æstuosissimum Pupiniæ solum versabant, deliciarumque ignari, vastissimas glebas plurimo cum sudore dissipabant. Imo vero quos pericula Reipu. Imperatores asserebant, angustiæ rei familiaris (quid cesso proprium nomen veritati reddere?) bubulcos fieri cogebant. *Valerius Maximus lib. 4. tit. de Paupertate.*

Attilium autem, qui ad eum accersendum a Senatu missi erant, ad Imperium populi Romani suscipiendum, semen spargentem viderunt, sed illæ rustico opere attritæ manus salutem publicam stabilierunt, ingentes hostium copias pessumdederunt. Quæque modo arantium boum iugum rexerant, triumphalis currus habenas retinuerunt: nec fuit ijs rubori eburneo Scipione deposito, agrestem stiuam aratri repetere. Potest pauperes consolari Attilius, sed multo magis docere locupletes, quam non sit necessaria solidæ laudis cupidini nimis anxia diuitiarum comparatio *Ibidem.*

Etenim natus infans sine nutricis lacte non potest ali, neque ad vitæ crescentis gradus perduci. Sic ciuitas sine agris, & eorum fructibus in mœnibus affluentibus non potest crescere, nec sine abundantia cibi frequentiam habere, populumque sine copia tueri. *Vitruuius de Architectura lib. 2.*

Φασὶ δὲ καὶ ἑταιρικόν τινα ἀναγκαζόμενον ὑπὸ τοῦ πατρὸς γεωργεῖν, ἀπάγξασθαι, γράψαντα ἐν γραμματιδίῳ, ὅτι ἀπέραντόν τι καὶ ἀκατάστροφον, ἡ γεωργία ἐστί. σπείρειν ὅπως θερίσωμεν, εἶτα θερίζειν ὅπως σπείρωμεν ἄτοπόν τι τὸ χρῆμα τοῦ περιόδου. id est, Aiunt amatorẽ quendam à patre terram colere coactum, laqueo finiuisse vitam, cum in tabella scripsisset: Agriculturam esse rem infinitam, & nunquam absolui. Serendum enim, vt metamus, & metendum, vt seramus: absurdo rei circuitu. *Phauorinus Philosophus.*

Σκάπτω, καὶ σπείρω γῆν μάλα μικρὸν γήδιον, οὐ μέντοι πονηρόν γε, ἀλλὰ πάντων δικαιότατον. ὅτι γὰρ λαβὸν σπέρμα, καλῶς καὶ δικαίως ἀποδίδου αὐτό τε καὶ τόκον οὐδὲν τι πολλὴν ἀδικοῦσ' ἔδωκεν ὅτι ἔλαβε. id est, Fodio ac sero perexiguum agellum, non malum tamen, sed omnium iustissimum. Quantumcunque enim seminis acceperit: idem probe iusteque reddit, nec vnquam, quod accepit, cũ multo fœnore restituit. *Xenophon.*

ΑΠΟΦΘΕΓΜΑΤΑ.

Aristippus, cum ei quidam obijceret: Tua culpa interijt ager: Atqui melius est, inquit, agrum propter me, quam me propter agrum perire. *Stob. Ser. 55.*

Zeno Stoicus philosophus, cum videret familiarem quendam ex agri laboribus incuruatum, & circumflexum. Nisi tu agrum perdideris, inquit, ipse te perdet. *Stob. ser. 55.*

Lycurgus, sciens quantum vtilitatis humanæ vitæ agriculturæ suppeditaret studium, agros omnes ciuibus suis diuisit colendos, vt concordes inter se omnes simultatem ac prauos affectus deponerent, & simili labore omnes victum quærerent. *P. ue. in regum apoph.*

Lysander, quum ad Cyrum minorem, Persarum regem venisset, in hortum ductus, admiratus, & proceritates arborum, & directos in quincuncem ordines, & humum subactam, Cyrum interrogauit, à quo essent arbores plantatæ, & cuius solertia tam apte dimensæ? Cui respondens Cyrus, ait: Atqui ego ipse sum ista dimensus, mei sunt ordines, mea descriptio, mea enim manu sunt satæ. Tum Lysander purpuram ornatumque Persicum multo auro intuens, dixisse fertur: Recte Cyre te beatum ferunt homines, quoniam virtuti tuæ fortuna coniuncta est. *Cic. in Caton.*

Artaxerxes. Miles Artaxerxi Persarum regi malum punicum cum in vanno obtulisset, Rex magnitudinem eius admiratus, interrogauit, è quonam horto depromptum hoc donum afferret? Illo vero respondente, è domo sua, & ex suis agris, gauisus rex supra modum, missis regijs muneribus virum ornauit, & per Solem, inquit (ita enim Persæ iurare solebant) iste homo tali curatione, & agriculturæ diligentia, poterit etiam ciuitatẽ (meo quidem iudicio) ex parua ampliorem reddere. Videtur autem innuere, non tantum agros, sed omnes res, cura, & sufficienti opera, & indefesso labore, contra naturam etiam meliores, & præstantiores effici posse. *Ælianus libro de varia Historia.*

Gelo Syracusanus suos ad agriculturæ studium adhortabatur, partim, vt agri ad vsum hominum meliores redderentur, partim ne otio torpescerent. *Plutarchus in Regum, & Imperatorum apophthegmat.*

Myson Oeteus, quum Mysonem Cheneum se sapientiorem conuenisset, eum reperit æstate stiuam aratro aptantem. Dicente autem eo, non esse tempus arandi: Satis, ait Myson, tempestiuum est, ad parandum nobis victum. *Brusonius lib. 1. c. 8.*

Faraotes, Indorum rex Apollonio de eius victu sciscitanti: Ego ait, palmarum fructibus aut oleribus pascor, aut quæ præbent mihi arbores, quas ego his manibus colo. *Brusonius libro primo capite 8.*

Socrates. Amaltheæ cornu interpretatus est, ad huiusmodi similitudines accommodando. Amaltheam quidem significare illum, qui minime *ῥᾴθυμος*, id est, dissolutus, sed ignauus, & operarius esset, bona omnia consequuturum. Per cornu vero bouis, quod animal est laboriosissimum, virum operarium innui. Borros autem, & similia in cornu esse, quoniam omnia quorum egemus, in agricultura insunt, quamobrem gestantes ipsum bonus genius bonaque fortuna introducuntur. *Stobæus Sermo. 54.*

Anonymus. pulchre ille quidem, qui agriculturam aliarum artium parentem atque nutricem appellauit: qua bene habente cætera valeant, neglecta vero, terra marique iacent omnia. *Xenophon in œconom. Stobæus ser. 54.*

Attilius Regulus, is aiebat, neque fœcundissimis locis agrum insalubrem parandum, neque effœtis saluberrimum. Frustra salubris est locus, vbi peritur fame, & frustra fertilis est, vbi non licet viuere. *P. M. lib. 6. apoph. ex Liuio.*

Scipio Nasica candidatus in ædilitatis petitione cum adolescentulo competitore descenderat: cuius quum manum rustico opere duratam tetigisset, interrogauit, Num manibus ambulare consuesset? Id vt populo cognitum est, repulsam petitionis passus est, eo quod hominem agricolam spreuisse videretur. *Bruson. lib. 5. cap. 8.*

Cato Maior dicebat, fortissimos viros ac strenuissimos milites, ex agricolis gigni minimeque male cogitantes. *Plutarch. & P. M. lib. 5. apoph.*

Idem, dicere solebat ad rusticos, In re rustica operæ parcendum, in agro autem emendo minime, quod enim male emptum est, semper pœnitet. *P. M. lib. 5. apoph.*

Idem, dicere solebat, pecuniam pedibus compensari: sentiens nimirum, satis sumptuosum esse, ad villam procul dissitam crebro proficisci, sed hoc impendij pedibus compensari, si dominus impiger inuisat fundum suum. *Cicero in oratione pro Flacco.* *Domitianus Imperator* iussit excidi vineas, quod studio colendi vites, negligerentur arua. *Sueton.*

Diocletianus, quum se imperio abdicasset, atque priuatam vitam in villa sua instituisset, ab Herculio atque Galerio ad recipiendum imperium rogatus, tanquam pestem aliquam detestatus, respondit. Vtinam Salone possetis visere olera nostris manibus instituta, profecto istuc tentandum nũquam iudicaretis. Fuit autem Diocletiani villa haud procul a Salonis, vbi priuatus consenuit. *Eutropius & Cuspinianus.*

Vitruuius, natus infans sine nutricis lacte non potest ali, neque ad vitæ crescentis gradus perduci, sic ciuitas sine agris, & eorum fructibus in mœnibus affluentibus non potest crescere. nec sine abundantia cibi frequentiam habere, populumque sine copia tueri, *lib. 2. de architect.*

Idem, interrogatus, quis esset certissimus agricolæ quæstus? respondit. Si bene pascat, quis proximus? si mediocriter pascat. quid tertium? si bene vestiat. quid quartum? respondit, Arare, & terram bene vertere. *P. M. lib. 5. apoph.*

Curij Dentati. Manlius Curius, qui Dentatus cognominatus est, nõnullis arguentibus, quod ex agris bello partis partem exiguã vnicuique militum distribuisset, magnam vero Reipubl. optauit à Dijs, ne quando existeret quisquam Romanorum, cui ager exiguus videretur, qui posset alere dominum, Sentiens hominem plane ignauum esse, qui ex hac agri portione non tantum laboribus se exerceret, vt inde viuere posset. *Plin. c. 33. de viris illustribus,*

Cicero, omnium rerum ex quibus aliquid acquiritur, nihil est agricultura melius, nihil vberius, nihil dulcius, nihil libero homine dignius, *lib. 1. de Offic.*

SIMILITVDINES.

Philonis Iudæi, quemadmodum futuro Imperatori necessaria sunt exercitia venatoria. Sic admouendis ad curam reipubl. propriè pastoralis ars congruit, velut præludium quoddam magistratuum. *Lib. de Iosepho.*

Sicut mulieri, & omni fœmellæ fontes lactis sub partum scaturiunt, vt recentes fœtus rigentur alimentis necessarijs, & conuenientibus. Ita, & terrestrium animalium matri terræ omnes stirpium attribuit species, vt cognatis, non alienis cibis partus eius vterentur. *Lib. de plantatione Noe.*

EXEMPLA BIBLICA.

Protoplastus, à Deo creatore in Paradiso voluptatis horto, vt illum excoleret, constitutus: vxoris illecebris fructu vetito degustato, Paradiso pulsus terram in sudore vultus sui colere iubetur à Deo, cum hac imprecatione, vti illa pro fructibus sentes, & tribulos ei producat. *Genes. 2. & 3.*

PROFANA EXEMPLA.

Apud Indos agricolæ ita sunt à ceteris feriati, vt inter congredientes acies, volantia tela, armorum strepitum, nihilominus omnis expertes curæ iniuncta sibi munia obeant, nec lacessantur, vel minimo, *Cælius, lib. 18. c. 31. A. L.*

Phryges tanto studio agriculturæ incumbunt, vt si quis inter ipsos bouem aratorem occiderit, aut instrumentum quodpiam ad agriculturam aptum furto sustulerit, morte puniatur. *Stobæus ser. 42. ex Nicolai de Gentium moribus historia.*

Lex est Atheniensium, Bouem aratorem, qui iugum trahit, vel in aratro, vel plaustro, ne mactes: quoniam etiam ille agricola est, & humano generi laborum socius. *Ælianus lib. 5. de varia historia.*

Parij eos Milesios, quorum agri bene culti essent, aliorum dominos constituerunt, *Theat. Zvvingeri.*

Seruilius Vacia, vir prætorius, tempore Senecæ nulla re alia notus fuit, quam villæ otio, quam prope Cumas possidebat, in qua cõsenuerat. *Senec. in epist. 55.*

Pertinax Imperator, quicquid inculti soli vacabat, occupãtibus adiudicauit: decemq; annorum immunitatem ac perpetuam libertatem agricolis concessit. *Cuspiman.*

Numa Pompilius, ne populus otio marcesceret. agros diuisit: Terminum agrorum fines separantem Deum adiunxit: sigillatim, qui obseruarent, quinque agros circumirent, statuit, ex operibus ciuium mores coniectans, *Plut. in Numa.*

Musonius, nam nemo est saltem non mollis, & effœminatus, qui dicere ausit, vllum opus agriculturæ turpe aut indecens esse viro bono. Plantare enim, arare, vites colere, quomodo non honesta essent? item serere, metere, triturare, an non omnia hæc studia sunt ingenua, & bonis viris decora.

Certe, vt Hesiodo turpe non fuit pastorem agere, nec obfuit ei quo minus Deo charus, & musicus esset: ita nec alij cuipiam impedimento erit.

HIEROGLYPHICA.

Porcus Agricolationis est hieroglyphicum, & Apud Aegyptios hoc animal erat inuiolabile, propterea, quod apud ipsos porci agricolationis vsum præstarent, frumentariamque rem alicubi solis eorum operis adiuuarent. *Pierius Val. lib. 9.*

Falx, vt Cyprianus sentit, rei rusticæ, quam Saturnus docuisse fertur, signum fuit. Nam huius eius industriæ est metere, fructusq; colligere, *Idem lib. 42.*

Legimus etiam veteres agriculturam hieroglyphice per *Nili* simulacrum indicasse. Cuiusmodi autem esset effigies, lepida descriptione Philostratus indicauit, quam vide apud *eund. l. 46.*

Est etiam *aratrum* agriculturæ, & frumentarij prouentus signum, vt in quodam nummo argenteo veteri cernere est, de quo vide eundem. *Idem lib. 48 pag. 469. A.*

SCRIPTORES.

De agricultura, & vita rustica. *Brusonius lib. 8. & Artemidorus de somniis lib. 2.* Inuitatio ad rusticandum. *Marsi. Fic. lib. 7. epist. 7.* Comparatio nauigationis, idest, mercaturæ maritimæ, & agriculturæ, *apud Theonem in exercitamentis.* Laus agricolarum, *Plinius 18. 5.* Qui agricultura illustres. *Plinius 18. 3.* Agricolarum epitaphia *Florileg. Græc. lib. 3. sect. 11.* agricultura apud quos turpis, *Ælianus in varijs Græ. fol. 73. & 78.* Vbi mulieres agricolentur, *Ibidem 76.* De laudibus agriculturæ, *Albertus Lollius.* Laus vitæ agrestis, & commoda ruris, *Æneas Syluius epist. 91. & epist. 5.* De laude agriculturæ, *Stobæus sermone 54.* & in contrarium, *Sermone 55.* Cæsarum leges agrariæ ad Coloniarum iura, in Bobio oppido inuentæ. *vt Raphael Volaterranus scribit in Geographia suo.* Epistolæ rusticales Græcæ. 19. *Æliani.*

Rei rusticæ scriptores in vtraque lingua enumerantur *à Columella lib. 1. c. 1.* De rustica re selectorum, *lib. 20. Græci Constantino Cæsari inscripsit.* Eosdem omnes Ianus Cornarius Latinos fecit: *Andreas à Lacuna octo tantum posteriores*, qui de animalibus sunt. Eosdem omnes Antonius Petri Narbonensis in linguam Gallicam transtulit. Petrus Laurus in Italicam, *L. Iunij Moderati Columella de vniuersa re rustica lib. 13.* Vocabula ad agriculturam pertinentia *apud Ioan. Tortellium de Orthogra. in dictione Ag. De re rustica lib. 14. Palladij Rutilij.* De agricultura, *C. Plin. lib. 18.* De re rustica, & terra. *Vincentius Beluoac. lib. 17. Etymolog.*

Vide rusticus.

ALACRITAS.

DEFINITIO ET ETYMOLOGIA.

Alacritas est, qua erecti sensus vniuersi, vt suo quisque loco degat, quasi minime lacer, dictus alacer, & honesti tuendi causa sublimis, vultu animum promittente. Cuius extrema segnities, & proteruitas. Græcis dicta φαιδρότης.

Hebr. *Ghil, ghilah*, exultatio, reuelatio gaudij externo aliquo gestu corporis, a verbo *Ghil*, exultauit, tripudiauit, Cognationem habet cum *Galal*, volutauit, rotauit se, & cum Gillah releuauit, vt si quis præ gaudio exilit, & circumrotationibus ac tripudijs gaudium suum aperit. Hinc ἀγαλλιάω, ἀγαλλιῶμαι, &c. exulto, gaudeo. Gall. *Gaillard. gaillardise, se regaillarder.*

BIBLICI LOCI.

Alacritas Deo grata, ideo amplexanda, *Nehem. 11. v. 2. 1. Corinth. 9. versic. 17. 18 & 16. 2. 2. Cor. 9. 7. Ephe. 6. versicu. 6. Philip. 3. versi. 13. & 4. 6. Coloss. 1. 11. & 3. 23. 1. Thess. 2. 11. 1. Tim. 6. 12. Heb. 10. 35. & 11. 8. & 12. v. 5. 12. & 13. 57. Iacob. 1. 2. 5. Pet. 4. 9. & 5. 22. Pet. 1. v. 5. 1. Ioan. 4. 17.*

EXEMPLA SACRA.

Alacritatis exempla. Artifices, & operarij Tabernaculi, *Exodi 36. v. 3. &c.* Principes, & populus. *Num. 7. 12. &c.* Principes, & populus Dauidis, *1. Paralip. 29. v. 9.* Principes, & populus Ioas, *2. Para. 24. 10.* Principes reduces è captiuitate, *1. Esd. 2. versi 68.* Zacharias. *Luc. 19. 6.* Paulus *Actor. 20. versi. 24.* Macedones, *2. Corinth. 8. versi. 3.*

EXEMPLA PROFANA.

Alexander adolescens mox ex pueris excedens, Babylonem ausus est, & Susa sperare, atque adeo imperium orbis terræ sibi spondere, triginta millibus peditum, quatuor equitum fretus *Plut.*

Marsyas, frater Antigoni regis, reus, cum postularent amici de causa, vt domi cognosceretur. Imo, inquit, cognoscetur in foro omnibusque audientibus, numquid facinoris conceperimus. *Plut. in regum apoph.*

P. Scipio secundo bello Punico cum classe è Lilybæo soluit tanta cupiditate in Africam transmittendi, vt nulli ei neque remi, neque venti satisfacerent. Deuectus est paucis diebus ad promontorium Pulcri, atque ibi omnes copias in terram exposuit. *Auctor vitæ Scipionis.*

ALEA.

Alea, tessera, ludus tesserarum varia materia, & forma, varijs item nominibus constãtinum. Græce πεττεία, κυβεία. Hor.

quem

Quem damnosa Venus, quem præceps alea nudet. Martialis.
Alea parua nucis, & non damnosa videtur,
Sæpe tamen pueris abstulit illa nates.

Sententiae Philosophicae.
De ludo aleæ, & calculorum. Dial. xxvi.
Franciscus Petrarcha.
Gav.

Aleæ ludus, & calculorum placet. R. Damnosum illud, hoc inane, vtroque tamen idem ille Scæuola, quodque altius Augustus Cæsar altero vti solitus fertur. Neque rursus ideo, quod ille à ceremonijs deorum, atque hominum legibus, quas excellentissime caluit, ille à curis Summi Imperij, quod diutissime atque optime rexit, tale sibi interdum laboris diuerticulum elegit, hoc in te probauerim. Sunt enim, & doctis, ac magnis viris appetitus quidam peregrini, & sui, quorum si vt in doctrinis sic in moribus imitator fueris, facile labi queas, neque enim omnium, qui laudantur, laude digna sunt omnia. G. Aleæ ludo delector. R. Quis non delectetur super pictam tabulam consignatas numeris ostium quadraturas crispanti cubito iactare, quaque ille dixerit trepidantibus digitis rotundas in aciem tabellas mittere? Gloriosum exercitium, & præclarum nomen, & currus, & laureas meriturum! G. Calculis libens ludo. R. O puerile studium. O perditum tempus! O curæ superuacuæ! O ineptissimi clamores, stulta gaudia, iræque ridiculæ, deliros senes impendere alueolo, & pauculis lignis vagis, ac furtim insidiantibus atque latrocinantibus. Vnde latruncularius ludus apud veteres dicebatur, quo lusisse simiam author est Plinius. Miraris? Atqui proprie ludus est simiæ miscere calculos, ac transferre, & postillidere, raptim iactare manus ac trahere, insultare aduersario, & collisis dentibus minari, irasci, altercari, fremere, vicissimque interim (vt Flacci verbo vtar) caput scalpere, vngues rodere, & ad summam omnia facere, quæ prætereuntibus risum excitant. Nunquid enim horum aliquid, aut vllū penitus amentiæ genus omittitis? Nonne ita torquemini quasi, vel vestra, vel publica salus in dubio sit. Multi credo prælio vicissent si quam ligneis, aut eburneis impenderunt curam, veris militibus impendissent. Vix rei vllius tam insensum, tamque ineptum studium inuenias. Sed hoc est in regno stultitiæ commune, vt quarum rerum minor est fructus, & cupiditas, & delectatio maior sit. G. Alea delector. R. Ostendam tibi si cōsilio vti voles generosam, atque honestā aleā, qua olim Athenis docti homines vsi sunt, vt festis scilicet diebus in concilio amicorum quisque de literis aliquid in medium proferat, non sophisma lubricum, vt illi, sed solidum pro ingenio proferentis, ad virtutem aut beatam vitam pertinens. Dehinc collatione facta sine inuidia, sine ira, qui inferiores doctiorum iudicio visi erunt, facili quidem mulctentur pecunia. Hoc in philosophicas vertatur cœnas. Sic res vna conuiuio sumptum, exercitium studio, calcar ingenio ministrabit, quod hinc victos exciet, hic victores, hoc aleæ genere quo antiqui saturnalia, vos prasesta, & quo illi Atticas, vos Romanas noctes instruite. Habeta ludum, quo & ludere iuuet, & lusisse non pudeat.

De ludo taxillorum prospero, Dial. xxvii.
Gav.

Iuuat ad taxillos ludere. R. O vorago ingens, inexplebilis! O patrimoniorum fluxus tristis, ac subditus! O animi tempestas, & famæ nubes, & scelerum stimulus, & ad desperandum via. Superiores vtcunque ludi sunt, hic meus est dolor. G. At mihi prosper ludi huius euentus fuit. R. Taxillorum nullus euentus prosper, mali omnes, & miseri. Nam, & qui perdit affligitur, & qui vincit illicitur, inque insidias protrahitur. G. Prospere lusi. R. Præsens sæpe prosperitas futuræ calamitatis augurium fuit, & suas hæc pestis habet illecebras. Si qui talis ludunt omnes perderent, nemo vnquam luderet. Nunc lucrantur aliqui, sed lucrum illud arra est damni. G. Lusi, & vici. R. Bene, nisi in căput redis. Alioqui nullus campus planior, nullo in campo volubilior est fortuna. G. Lusi, & vici. R. Ludes iterum, & perdes. Quod vicisti autem hinc atque illinc mille diripiēt, quod perdideris nemo restituet. Adde quod si quid est iustitiæ, quod vincis nō sit tuum. At quod perdis, etsi non fiat alterius, tuum tamen esse desinit. Multa sunt vndique quæ ab hac insania bonam mentem dehortentur, ac retrahant, nisi vos impetus quidam auaritia pulsus vrgeret. G. Vici in ludo taxillorum. R. Scio autem te ab exactore impio fœnus centesimum accepisse, restitues, quod vicisti, & de tuo adijcies, vt non sit qui repetat, per seipsum euanuerit, tuque in somnijs felix esse desieris. G. Vici, & diues factus sum. R. cum nulla sit stabilis pecunia, sed sua potius rotunditate versatilis, tum præcipue, quæ taxillis quæritur. Taxillorum ludus nihil vlli donat eorum maxime, qui familiarius illum colunt, sed mutuat aliquid, & extorquet, eo semper inimicior, quo blādior visus erat. Nulli enim amarior est iactura, quam lucri dulcedinem degustare orso. G. Lusi, & lucratus sum. R. Gaudere lucro taxillorum tale est, ac si dulci gaudeas veneno. Vtrumque mox per venas erūpet. G. Ludo prospero delectatus sum. R. Peior est delectatio peccati, quā peccatum ipsum. Sunt qui mala consuetudine pene coacti peccant, neque post peccatum gaudent, sed tristantur, & si fieri posset, non peccasse maluerint. Quosdam vidimus inter ipsas libidinum flammas, quandam velut glaciem doloris, ac pœnitentiæ sentire, & si dici liceat velle simul, & nolle. Peiorem licet in parcem mali vsus quadam vi detortos, quos haud improbe, quis speret vsu excusso ad meliorem semitam posse conuerti. At qui de peccato exultant, quid de his oro reliquum spei est? G. Delector taxillorum ludo. R. Spero fore, ne semper, neu diu etiam delecteris, voluitur assidue fundatarum status vrbium. Tu stabiles talos putas. Crede mihi voluentur, & secum in lachrymas gaudium tuum voluent. Neque enim sic voluentur, vt vicisti, tunc inane tibi gaudium, nunc veros gemitus parabunt. G. Delectat ludere. R. Delectatio funesta, & turpis, corruptique animi. Ita enim, & conuitio dignus es. Nam quis quæso ingenuus, seu quis homo, & non potius trux bellua delectari queat ludi nomine, abundante nequitia, atque impietate fœdissima. Vbi præter hominum vultus nihil humanum sit, vultusque ipsi iracundia ac mœrore obsiti, confusisque clamoribus efferati, nec iam sunt humani. Vbi nō decor morum, non modestia sit verborum, non amor erga homines, non erga Deum reuerentia, sed iurgia, & rancores, & doli, & periuria, & rapinæ, vulnera ad extremum, & homicidia quoque. Nihil in Deum sæuius potest humana temeritas diuini nominis blasphemiæ, quibus ante omnes scelerum officinas ille ludus infelix scatet. Vbi si quos forte tacitos pudor tenet, crebro tamē suspectantes qui labijs cordis agant sciunt ipsi. Quis hunc ludū verus homo, non dicam tractare manibus, sed spectare oculis possit, & non augi prorsus fugarique scelesti spectaculi fœditate? G. Delector tamen hoc ludo. R. Vide ne Cretensium imprecatio in tuum caput inciderit, mala consuetudine delectari, quo nil dictu leuius, nihil euentu grauius propiusque exitio est. G. delector taxillorum ludo. R. Abijcienda est delectatio inhonesta, & si nō virtutis at saltem famæ studio, & pudoris cura. Nam vix aliud in actibus hominum inuenias, vbi tam clare mores, & vitia detegantur. Vidisti alacriter in prælium descensuros in hoc ludo tremere atque orare flebiliter, & suum numerum inuocare. Quosdam alibi magnanimos, ac tranquillos, illic pro parua pecunia, & precari, & irasci, & in finem furere. Quam multa pro paucis nummis sæpe ibi fecerunt viri fortes, quæ pro ingenti thesauro alibi non fecissent. Ibi enim vitiorum omnium, sed imprimis iræ atque auaritiæ regnum est. Memini, vt Naso in eo libro, quo inhonestam quidem, ac superuacuam artem docet, vtile tamen interdum aliquid interserit. Amatrices monet, vt ob animi vitia celanda, ludo hoc, aut simili abstineant, ne conspectu ira tumidæ aut auaritia exhaustę amatoribus displiceant suis. Quanto id viris dignius præcipitur, ne non modo hominum, sed dei oculos omnia videntis, & bonos animos, moresque ingenuos amātis, offendant. G. Lusi, vici, gaudeo. R. Ludus turpis, damnosa victoria, gaudiū inane. G. Vici, gaudeo. R. Omne de suo malo gaudium stultum est. Proinde Tartareus quispiam ludi huius inuentor fuit: Cuius inferi ludibrio ac noxæ, scientes vero miraculo subiaceant ac stupori. Nam quid mirabilius, quam quod veteri prouerbio vulgatum, verumque iugi experientia deprehenditur? Omnes huiusmodi ludi magistros nudos esse, atque inopes, & egenos.

Apophthegmata.

Plato, adolescentem, quod lusisset alea, grauiter increpuit, qui quū dixisset, Sic obiurgas ob rem paruam? At paruum non est, inquit assuescere. *Laert. lib. 3.*

Alexander, quosdam ex amicis mulctauit, quod in ludo aleæ sensisset eos non ludere. Siquidem multi sunt, qui in hoc ludo velut in re maxime seria versantur, non enim ludūt, qui fortunas suas omnes, interdum, & liberos, aleæ permittunt arbitrio. *Plut. in regum & imp. apoph.*

Manius Curius, Manium Curium accusator eius ad concitandam inuidiam in sipario, id est, velaminis genus, pinxerat omnibus locis, aut in neruo nudum, aut ab amicis redemptum ex alea, hoc agens, vt omnibus persuaderet, quam is esset perdite deditus aleæ. Hoc crimen ridicule inficiatus est Manius: Ego, inquiens, nunquam vici. Alter intelligi volebat, Curium assidue lusisse alea. Curius eo torsit quasi infelicitas esset opprobrata. Non est verisimile, qui frequenter ludit tesseris, nunquam vincere. *Refert Fabius.*

Cicero, Memmio cuidam vituperanti Catonem Vticensem, dicentique, quod totas noctes ebrius esset: At illud, inquit Cicero, non addis, eum totos dies alea ludere, ciuiliter excusans Catonem, qui totum diem Reipublic. negotijs dabat operam, nocturnas aliquot horas sumebat laxando animo, *P. M. libro 4. apophthegm.*

Vide infra Titulos de Ludo, & Recreatione.

Alie-

ALIENA.

POETICAE SENTENTIAE.

Horat. 1. Serm. 3.

....Egomet mi ignosco Maenius inquit.
Stultus, & improbus hic amor est, dignúsq; notari,
Cum tua peruideas oculis mala lippus inunctis:
Cur in amicorum vitijs tam cernis acutum,
Quam aut aquila, aut serpens Epidaurius?

Persius 4.

Vt nemo in sese tentat descendere nemo,
Sed praecedenti spectatur mantica tergo?

Plautus Stich.

Sed curiosi sunt hic quam plures mali,
Alienas res qui curant studio maximo.
Quibus ipsis nulla est res, quam procurent, sua.

Terent. He Haut.

Tantumne ab re tua est otij tibi, Chreme,
Aliena, vt cures, eaque nihil quae ad te attinent?

Ibidem.

Dij vestram fidem, itane comparatum esse hominum naturam omnium,
Aliena melius, vt videant, & iudicent, quam sua?

Idem Hec.

Tua quod nihil refert percontari desinas.

Catul. 21.

Nimirum idem omnes fallimur, neq; est quisquam
Quem non in aliqua re videre Suffenum
Possis, suus cuique attributus est error.
Sed non videmus manticae, quod in tergo est.

Ouid. 1. Art.

Fertilior seges est alienis semper in agris:
Vicinumq; pecus grandius vber habet.

Horat. 1. Serm. 1.

Qui fit, Maecenas, vt nemo, quam sibi sortem
Seu ratio dederit, seu sors obiecerit illa
Contentus viuat; laudet diuersa sequentes?
O fortunati mercatores, grauis annis
Miles ait, multo iam fractus membra labore.
Contra mercator, nauim iactantibus Austris,
Militia est potior, quid enim? concurritur hora
Momento cita mors venit, aut victoria laeta.
Agricolam laudat iuris legumque peritus,
Sub galli cantum consultor vbi ostia pulsat.
Ille datis vadibus, qui rure extractus in vrbem est,
Solos felices viuentes clamat in vrbe.

Idem 1. Epist. 14.

Rure ego viuentem, tu dicis in vrbe beatum.
Cui placet alterius sua nimirum est odio sors.
Stultus vterq; locum immeritum causatur inique,
In culpa est animus, qui se non effugit vnquam.

Theognidis.

Νήπιος ὃς τὸν ἐμὸν μὲν ἔχει νόον ἐν φυλακῇσι,
Τὸν δ' αὐτοῦ ἴδιον οὐδὲν ὑπισθρέφεται.
Stultus (est) qui meam quidem habet mentem in custodiis,
Suam vero ipsius propriam nil curat.

APOPHTEGMATA.

Cobares Medus, natura mortalium hoc quoque nomine praua, & sinistra dici potest (inquit ad Bessum) quod in suo quisque negocio hebetior est quam in alieno. Turbida sunt consilia eorũ, qui sibi suadent. Obstat alijs metus, alijs cupiditas, nonnunquam naturalis eorum quae cogitaueris amor. Expertus es, vnumquemque, quod ipse repererit, aut solum aut optimum dicere. *Curt. l. 7*

ADAGIA.

Nihil ad versum. *οὐδὲν πρὸς ἔπος.*
De ys quae longe discrepant ab ijs, quae proposita sunt.
Nihil ad fides. *οὐδὲν πρὸς τὴν χορδήν.*
In eos, quorum vita vehementer est inaequabilis, quorumq; mores ab oratione dissident Lucianus.
Nihil ad Bacchum. *οὐδὲν πρὸς Διόνυσον.*
Vbi quis ea nugatur quae ad rem praesentem nihil attinent. Suid.
Mira de Lente. *Rudolphus Agrico.*
Quoties res humiles, & pusilla magnificis laudibus attolleretur. Opinor Graecis efferri hunc in modum, δεινὰ περὶ φακῆς.
Quid ad farinas: *τί πρὸς ἄλφιτα?*
Quid attinet ad parandas facultates? Id recte detorquebitur ad artes steriles. Es gibt nicht mehl in den Bren. Item, Es gibt nicht Speck in die Bratvvurst, oder Erbsen.
Alia Menecles, alia Procellus loquitur. *ἄλλα λέγει Μενεκλῆς, ἄλλα τὸ Χοιρίδιον.*
Vbi quis multum verborum effutit, quae nihil ad rem pertinent.
Neque coelum neq; terram attingit. *οὔτε γῆς οὔτε οὐρανοῦ ἅπτεται.*
De re vehementer absurda atq. aliena, quaeq; nulla vicinitate pertinet ad id, de quo agitur, Lucianus.

Quid ad Mercurium? *τί πρὸς τὸν Ἑρμῆν;*
Id est, nihil ad rem. Nam Mercurius orationis est autor.
Ego de alijs loquor, tu respondes de caepis.
Cum aliud respondetur quam rogatis. Vel contra, cum inepte respondetur inepte sciscitanti.
Falces postulabam. *ἄμας ἀπῄτουν.*
In eos qui respondent id quod ad rem non attinet. Suid.
Extra chorum saltare. *ἐκτὸς χοροῦ ὀρχεῖσθαι.*
Dicitur qui dicit aut facit à re, quam proposuit, alienum aliquid.
Vltra septa transilire. *ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα πηδᾶν. Plato.*
Congruit in eos, qui à proposito digrediuntur. Vber die schnur havven.
Extra oleas fertur. *ἐκτὸς τῶν ἐλαιῶν φέρεται.*
Vbi quis terminos praescriptos transgreditur.
Incita equum iuxta nyssam. *κέντει τὸν πῶλον περὶ τὴν νύσσαν.*
Dicebatur, vbi sermo loquentis aberraret ab eo quod esset institutum. Greg. Nazian.
Haud contra ostium. *οὐ κατὰ θύραν.*
Haud contra ianuam, pro eo, quod est, non prope ad rem, & ad id de quo agitur Aristotel.
Nihil ad rem.
In eum, qui dixerit absurde quippiam, & alienum à re proposita, quadrabit illud Homeri.
Νήπιος εἰς ὦ ξεῖν' ἢ τηλόθεν εἰλήλουθας. Idest.
Nos pes stultus es, aut longinquis aduena ab oris
Nuper ades.
Meos corymbos necto. *τοὺς ἐμοὺς κορύμβους πλέκω.*
Vbi quis respondet, quod nihil pertinet ad interrogata.
Omissa hypera, pedem insequeris. *ἀφεὶς τὴν ὑπέραν τὸν πόδα διώκεις.*
Conuenit vbi quis omissis his, quae magis ad rem attinebant, leuicula quaepiam curat.
De curru delapsus. *ἐξ ἁμάξης πεσών.*
In hodiernum quoque vulgo durat adagium in eum qui oblitus propositi, alio se transfert, quemadmodum ab asino delapsus. Germani eandem seruant metaphoram. Er ist dom vvagens gefallen.
Quo terrarum raperis.
Qui longius aberrant à vero in aliena regione esse dicuntur. Er ist im Geritenfeldt.
Me mortuo, terra misceatur incendio. *Seneca.*
Significant nihil sua referre, quid postteris accidat, vel boni vel mali, cum ipsi tollantur è vita, nequaquam sensuri. Vvann ich stirb, so gilt mir ein Rubschnitz so viel als ein Ducat.
Mihi istic nec seritur nec metitur. *Plautus.*
Ista res nihil ad me pertinet, vt quae neq; meo fiat periculo, neque emolumento.
Non luctu, sed remedio opus in malis.
In malis non lamentis, sed auxilijs vtendum. Ad id conuenit illud Iliad. ω.
Οὐ γάρ τις πρῆξις πέλεται κρυεροῖο γόοιο
Quippe nihil misero fletus lamentaque prosunt.
Respublica nihil ad musicum. *ἡ πολιτεία οὐδὲν πρὸς μουσικόν. Ari.*
Haec persuasio quemadmodum olim multorum animos occupauit, ita nunc quoq; multis inhaeret, vt credant, doctos ac probos viros non esse accommodatos ad gubernandum Rempublicam.
Ἐξορχεῖσθαι.
Qui fugiunt, & ab eo quod agitur alio se vertunt, Graecis ἐξορχεῖσθαι dicuntur sumpta metaphora à saltationibus, praesertim sacris, unde subtrahere sese inauspicatum erat.

FABVLA.

De Sue & mure.

Esuriens sus murem comprehenderat, quo famen sedaret. Hoc cõspicati fabri alter ostendens alter, ridebant. Tum mus semianimis. Ridetis, inquit, qui non potestis vnum suem enutrire.
Multi sua errata non cernentes, aliena acriter animaduertunt: atque contra hos fabula dicitur. *Ioach. Cam. lib. Fab.*

ALIMENTVM.

DEFINITIO.

Alimentum, Graece *τροφή, ῆς, ἡ*, & *τρέφω*, alo dicitur, est quod praeparat operationẽ nutritiuae, secundũ. *Arist l. 2. de Anima.*

SENTENTIAE PHILOSOPHICAE.

Si alimentum non capiant, tam animalia quam stirpes intereunt, se enim ipsa liquefaciunt, & conficiunt. *lib. de Diuturnitate. c. 2. Arist.*
Aliud id, quod adhibetur, quatenus gustatum mouere potest, propterea, quod dulci sapore, vel omnino, vel alio adiuncto & permixto aluntur omnia. *l de Sens. c. 4.*
Contrarium contrarij alimentum esse dicitur, & re simili omne quod est simile augetur. *l. 8. de Nat. c. 7. T. 55.*
Cibus dum munus suum exequitur, aliquid etiam fert ac patitur. Nam aut calescit aut refrigeratur, aut aliquid aliud simul, in faciendo officio, accipit. *l. 1. de Ortu. c. 7. T. 53.*

Alimen-

Alimenti humidi reliquiæ incoctæ sunt ac crudę, maxime qualis est, cum omnis materia, quæ subsidet, tum ea maxime quæ in vesicam delabitur. *l. 2. Meteor. c. 3.*

Cibus naturam conseruat, eaque vsque ad eum finem est, dum alatur, *l. 2. de Anima, c. 4. T. 47.*

Cibus est corpus, quod sub tactum cadit: præsertim cum sonus, color, odor, nec alant animantes, nec augeant, nec interimant. *l. 3. de Ani. c. 12 T. 64.*

Alimenti ratio duplex est, altera nutriendi, altera augendi, nutriēs est, quod esse præbeat, & toti, & partibus, augens, quod accessionem ad magnitudinem faciat. *l. 2. de Gen. anim. c. 4.*

De Alimentis multa tradunt Physici. Vide Medicina.

AMBIGVITAS.

DEFINITIO ET ETYMOLOGIA.

Ambiguitas, quæ *ἀπορία* dicitur, id significat, quod impedimēto est ne progrediamur. *Plato in Cr. t.*

Ambiguitas est, quæ vnumquodque contradictoriorum ęqualibus ambit rationibus. *Alber. Mag. Ethic. 7. tract. 1. c. 1.*

Ambiguum est, quod ambit vtramque partem per rationes æquipollentes. *Albert. Mag. Metaph. 2. tract. 2. c. 1.*

SENTENTIAE POETICAE.

Vergil. 4. Aeneid.

Heu quid agat, quo nunc reginam ambire furentem
Audeat affatu? & quæ prima exordia sumat?

Idem 8. Aeneid.

Atque animum nunc huc celerem, nunc diuidit illuc
Inpartesq rapit varias, perque omnia versat.

Idem Aeneid.

Aut pugnam, aut aliquid iamdudum inuadere magnum
Mens agitat mihi, nec placida contenta quiete est.

Ouid. Epist. 16. Heroid.

Et libet, & timeo, nec adhuc exacta voluntas
Est satis, in dubio pectora nostra labant.

Idem 3. de Ponto.

Quo pede nunc vtar? dubia est sententia nobis.

Idem 4. de Ponto.

Nec quid agam inuenio, nec quid nolimve, velimve:
Nec satis est vtilitas mea nota mihi.
Crede mihi, miseros prudentia prima relinquit,
Et sensus cum re consiliumque fugit.

Terentius in Phormione.

Incertum est quid agam, quia præter spem, atq; incredibile hoc mihi obtigit.

Ita sum irritatus, animum, ut nequeam ad cogitandum instituere.

Ouid. 3. & 4. de Pont.

Quo pede nunc vtar? dubia est sententia nobis.
Nec quid agam inuenio, nec quid nolimve, velimve
Nec satis vtilitas est mea nota mihi.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Ambiguitatem eius, quod quærit, amittit, qui inuenit aliquid. *Plato in Phil.*

Ambigunt de rebus inter se amici, contendunt inimici. *Idem in Protagora.*

Ambiguum si aliquid sit, ab eius definitione est incipiendum, alioqui distinguendum est prius æquiuocum. *Dan. Barb. in prior. Rhetor.*

APOPHTHEGMATA.

Diogenes seruum quendam fugitiuum videns ad puteum sedentē, Vide, inquit adolescens, ne excidas, ambiguo verbo ludens. Nam excidit, qui in puteum decidit, & ἐκπίπτει, id est, excidit, qui de loco pellitur. *Laert. l. 6. c. 2.*

Idem interrogatus, quamobrem athletæ nihil sentirent? Quoniam inquit, suillis ac bubulis carnibus educati sunt. Nā athletæ crassioribus cibis enutriuntur, qui corpori quidem robur conferūt, sed mentis acumen hebetant. Vocis autem ambiguitas dedit ioco locum. Nam vt Græcis αἰσθάνεσθαι, ita Latinis sentire, tam ad animum quam ad corpus pertinet. At percontator ille quærebat, quid esset causæ, cur athletæ veluti sensu carentes non offenderentur plagis. Diogenes animorum stuporem notare maluit. *Laert. l. 6.*

Idem quum mentio fieret de puero stuprato, Diogenes, interrogatus cuias esset, lusit ex ambiguo dicens, Tegeates: nam Tegea ciuitas est Arcadiæ, Tegos autem interdum idem est, quod lupanar. *Ibidem.*

Isthemachus, quum mendica quædam ventris tormina pateretur, ac medicus percontaretur, num haberet in ventre? Qui potest, inquit, quum in triduo nihil comederit. Et huius dicti festiuitas iucundior est Græcis, quib. in vētre habere dicitur, quæ fert vterū. Nā id medicus percōtabatur, an esset grauida. *P. M. l. 6. apoph.*

Stratonicus musicus, quēdam qui male cecinerat rogauit, cuius esset cantio? quum ille respondisset, Carcini, multo magis, inquit, quam hominis. Carcinus enim Græce cancrum sonat. Est autē eadem vox cantoris cuiusdam nomen, quem notant Græcorū prouerbia. *P. M. l. 6. apoph.*

Idem quum trabes delapsa quosdam è conuiuis occidisset, dixit, ἄνδρες, δοκῶ εἰσὶ θεοὶ, εἰ δὲ μὴ εἰσι, δοκῷ εἰσί. Id Latine reddi non potest: iocus est ex amphibologia. δοκῷ sonat trabi, si subscribas iota, & sine hac, sonat opinor. Viri, opinor dij sunt, quod si non sunt, trabi sunt. Nisi forte δοκοί legendum, acuto accentu, vt intelligas, trabes sunt. *P. M. 6. apoph.*

Idem quum Satyrum accepisset apud Ilium peregrinari, festiniter in illum torsit illud prouerbio iactatum, in Ilio semper mala, ludens ex ambiguo vocis. Aliter enim mala dicuntur, quæ misera tristiaque sunt, aliter homines mali. *P. M. 6. apoph.*

Idem Polyitæ glorianti, quod discipulus ipsius Philopas canendo vicisset Timotheum: Miror, inquit, si ignoras, quod discipulus tuus condit decreta, Timotheus autem leges. Iocum captans ex ambiguo vocis. Nomos enim Græcis, & legem sonat, & modulos cantionis. *P. M ex Athenæo.*

Philoxenus, cui cognomen Pternocopis, patria Corinthius, orto sermone, quod turdi magno venderentur, quum forte adesset Coridus, qui male audiebat, quod corpus suum ad quæstum prostituisset. Atqui ego, inquit memini, fuisse tēpus, quo Coridus obolo parabatur, ludens ex ambiguo nam corydus etiā auiculæ nomen est. *P. M. 6. apoph.*

Demonax in Herminum Peripateticum, qui semper in ore habebat decem Aristotelis Categorias, ita lusit. Equidem arbitror Hermine, te nō indignum decem Categorijs. Iocus est ex ambiguo vocis. Categoriæ Græcis, vel prædicamenta dicuntur, vel accusationes. *P. M. l. 8. apoph.*

Idem quum Athenis quidam Romanus senator filium ad Demonactem adduxisset, eleganti forma, vestitu delicato, ac delicijs effœminatum, diceretque Salutat te, ò Demonax, filius meus: Pulcher est, inquit, & te dignus, & matri non absimilis. Vtrumque poterat dici in laudem; Nunc autem patrem notauit ex filij effœminatis moribus, & matri similem dixit mollem, & delicijs euiratum. *Ibidem.*

Lais Corinthia cuidam amatori, qui misso sigillo iubebat illam venire: Non possum, inquit, lutum est. Olim terræ genere signabant, at illa lutum esse dixit, quasi ob lutum viarum non posset accedere. Luteum sigillum nihil morabatur, argentum quærebat, *P. M. 6. apoph.*

Philippus Macedo in acie vulneratus circa clauiculam cum decumberet lecto, & medicus à quo curabatur, subinde præmium efflagitaret: Sume, inquit rex, ipsemet, habes enim clauem in tua potestate, ludens ancipiti voce: κλεὶς enim Græce, & clauem sonat, qua aperitur cista, vel ianua domus, & cōmissuram quoque humeri cum pectore. *Plut. in apoph. regum, & impp.*

Clitophus à Philippo donatus equo saucio, vendidit: & ab eo post interrogatus, vbi nam esset equus. Ex vulnere, inquit, illo confectus est. Ludens ex ambiguo, nam πέπρακται sonat vēditus est, confectus est. *P. M. 6. apoph.*

Plancus in iudicio amici, cum molestum testem destruere vellet, interrogauit sutorem quendam, quo se artificio tueretur? ille vrbane respondit. Gallam subigo. Habetur autem hoc sutorium instrumentum, quod non infacetè in adulterij exprobrationem ambiguitate conuertit. Nam Plancus in Meuia Galba nupta male audiebat. *Macrob. lib. 2. c. 2. Saturn.*

Vespa Terentius. Titius quidam studiose pila ludere solebat, sed idem noctu signa sacra frangere putabatur. Hunc quum gregales in campo desiderarent, Vespa Terentius hoc colore excusauit, vt diceret illum fregisse brachium. Nam diuorum imagines brachijs gestabant donaria. Huc allusit Vesp. *P. M. l. 6. apoph.*

Proculeius, querebatur de filio, quod expectaret mortem patris, quumque filius respondisset, Ego vero nō expecto. Imo, inquit, rogo, vt expectes. Detorsit verbum in contrarium sensum. Expectat mortem patris, qui inhiat, & expectat, qui non accelerat mortem patris. *Fab. lib. 9.*

Aug. Cæs. olim magna erat sepulchrorum religio, eaque pars agri, quæ sepulchro erat dicata, non proscindebatur aratro. Vectius itaque quum nihil hac religione deterritus patris monumentū exarasset, Augustus facere iocatus est. Hoc, inquiens, est vere patris monumentum colere. Rursus lusit ancipiti verbo, Colimus ea quæ veneramur, & colitur ager aut illud simile. Gemina fuisset amphibologia, si pro monumento dixisset memoriam, quod ab illo dictum arbitror. Siquidem eorum memoria nobis sacrosancta dicitur, qua vita defunctos veneramur, & memoria, ad Græcorum imitationem, vocamus defunctorum monumenta. *P. M. lib. 4. apoph. ex Suetonio Tranquillo.*

Idem quum plerique rei, quos Seuerus Cassius accusabat, absoluerentur, & is cui Cæsar forum extruendum locarat, diu traheret illum operis expectatione: Vellem, inquit, Cæsar Augu-

stus,

stus, vt Cassius & forum meum accusasset. Iocatus est ambiguo verbo, nam absoluitur, quod perficitur, & absoluitur, qui a causa liberatur, absoluit opus architectus, & reum iudex absoluit. *P.M.l.4.apoph.*

Romani quum ex oratione Neronis, quia in Vindicem perorabat, recitaretur in senatu, daturos pœnas sceleratos, ac breui dignū exitium facturos: exclamatum est ab vniuersis, Tu facies Auguste. Quæ vox bifariam potest accipi: Tu facies vt dent pœnas: aut tu dabis pœnas. *Suetonius in Nerone.*

Idem C. Cæsari in senatu enixe defendenti causam filiæ Nicomedis, beneficiaque regis in se commemoranti: Remoue, inquit Cicero, ilhæc, oro, quoniam notum est quid ille tibi, quid tu illi dederis. Iocus est ex ambiguo verbi. Nam dat, qui confert beneficium, & dat mulier quæ sui facit copiam. Vnde illud Martialis.

Vis dare, nec dare vis.

Male audiebat Cæsar, quod in Bithynia Nicomedi regi fuisset obsequentior, quam pudicitiæ leges postulant. *P.M.4.apoph.*

Philippus orator in male olentem, Video, inquit, me à re circumueniri, sentiens se malo odore vndique oppleri, quum circumuenire dicatur, qui dolo falli. *P.M.6.Apophth.*

Idem Causam agens, quum pusillus testis prodisset, Licetne, inquit, rogare? Quum quæsitor properans dixisset, Licet, modo breuiter: hic Philippus: Non accusabis, perpusillum rogabo. Primum in testem risus obortus est: sedebat autem in iudicem Lucium aurifice conuersus, qui sedebat ipso teste breuior. *P.M.6.Apophth.*

Curtius eques Romanus delitijs diffluens, quum apud Cæsarem cœnaret, macrum turdum sustulit è patina, eumque tenens interrogauit Cæsarem, liceretne mittere? cumque is respondisset: Quid ni liceat? ille protinus an em misit per fenestram, iocū arripiens ex ambiguitate verbi: Nam cibus è conuiuio dono mittitur amicis, quod apud Romanos erat solenne: & mittitur, quod abijcitur. *P.M.lib.4.apoph.*

Cicero, quum Cicero in Pompeij castra venisset, dicentibus, Sero venisti. Minime, inquit, fero, nam nihil hic adhuc parati video: Allusit ad eos, qui sero veniunt ad conuiuium. Iocus est ex ambiguo. Sero venit qui tarde venit: & sero, qui post tempus. *Plut. in Rom. apoph.*

Idem, quum Faustus Syllæ filius ob æris alieni magnitudinem suppellectilem suam proscripsisset: Hanc, inquit, proscriptionem magis approbo, quam paternam. Lusit ambiguo verbo. Proscribuntur homines, à quouis iugulandi, quem eru delissimo genere Sylla quamplurimos ciues proscripserat. *Plut. in Rom. apophe.*

Idem in Isauricum ita lusit: Miror quid sit, quod pater tuus, homo constantissimus, te nobis varium reliquerit. Iocus ex ambiguo vocu. Nam varius dicitur, parum animo constans, varius item, qui vestigijs plagarum notatus est. Vulgatum autem erat, hunc Isauricum aliquando a patre cæsum loris. Inde illud M. Cælij prætoris non dictum, sed factum: cuius quum sellam curulem consul Isauricus fregisset, alterum posuit loris intentum, tacite minitans illi, atque exprobrans, quod à patre loris cæsus esset. *P.M.4.apophtheg.*

Crassus quum Brutus iunior fundos ædesque paternas luxu prodegisset, & in his etiam thermas, & in sermone quodam diceret se frustra sudare, Non mirum, inquit Crassus, nuper enim exiisti balneis. Lusit ex ambiguo. Exit è balneo, qui lauit: & exit, qui vendit, alterique cedit. *P.M.6.apophtheg.*

L. Galba scurra, cuidam pilam negligenter petenti: Petit, inquit, tanquam Cæsaris candidatus. Huius competitores negligentius ambiebant, vel quia metuebant Cæsarem repulsæ impatientem, vel quia desperabant se assequuturos tali competitore, vel quia sibi illi blandiebantur. Iocus est ex ambiguo, petitur pila, quæ repercutitur: & petitur magistratus. *P.M.6.Apoph.*

AMBITIO.

DEFINITIO. ET ETYMOLOGIA.

Ambitio Græce φιλοτιμία, ας. ἡ. φιλότιμος. ὁ. ἡ. ambitiosus dicitur, & est appetitus potentiæ, secundum Alexandrum secunda Secundæ, tractatu de Ambitione quæst. 2.

Ambitio Hebr. *Ghaon*, elatio, arrogantia, superbia, a verbo *Ghaah*, elatus est, magnificus fuit, nempe in oculis suis. De Deo proprie dicitur quod & vere magnificus, magnificentia dignus, & magnifice omnia peragat. Quid autem habet homo, quod non acceperit? & cur ideo superbit, melior a semper appetit. Hinc Græce φιλο glorior.

Ambitio est dignitatis appetitus immoderatus ratione honoris, secūdum B. Thom. secunda Secundæ quæstione 131. artic. 2.

Ambitio venit ab ambio, quod proprie significat circumdo. *Virg. 6. Aeneid. Quos rapidus flammis ambit torrentibus amnis.* Et per metaphoram, aliquando ambire est blandiri & circumuenire. *Varg. Polyanth. & Nonius.*

Quo nunc reginam ambire furentem Audeat affatu. Et quoniam Romani dum honores & magistratus affectarent, singulos circuire, dextras prensare, rogareque vt se suffragiis adiuuarent, factum est, vt ambire capiatur pro eo, quod est honores & magistratus quærere. Dicimus autem ambitus & ambitio, sed hoc interesse videtur, quod ambitio proprie est honorum, & laudis immoderata cupiditas: Ambitus vero, quum ad publicos honores & magistratus turpibus ac inhonestis artibus, vt puta blanditijs, precibus, largitione, contendimus, qualis est, quæ nunc vulgo à Simone Mago Simonia dicitur. Quæcunque autem ambitus facit, ambitio facere compellit.

Ambitio est quędam Simia charitatis, charitas enim patitur est pro æternis, ambitio patitur omnia pro caducis. Charitas benigna est pauperibus, ambitio diuitibus. Charitas omnia suffert pro veritate, ambitio pro vanitate, vtraq; omnia credit, omnia sperat, sed longe dissimili modo.

SENTENTIAE BIBLICAE.

Contentus esto gloria, & sede in domo tua. *4. Reg. 14.*

Noli quærere ab homine ducatum, neque a Rege cathedram honoris. *Eccl. 7.*

Qui potestatem sibi assumit iniuste, odietur. *20.*

Nunquid regnabis, quoniam confers te cedro? *Ierem. 22.*

Non adijcies exaltari amplius in monte sancto meo. *Soph. 3.*

Quicūq; voluerit inter vos esse primus, erit vester seruus. *Matt. 20.*

Qui se exaltat humiliabitur. *23.*

Et tu Capharnaum vsque ad cœlum exaltata es, sed vsque ad infernum demergeris. *Luc. 10.*

Quod hominibus altum est, abominatio est apud Deum *16.*

Iesus autem cum cognouisset quod venturi erant, vt raperent eum, & facerent regem, fugit in montem ipse solus. *Ioan. 6.*

Dilexerunt enim gloriam hominum magis, quam gloriam Dei. *12.*

Charitas non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt. *1. Corinth. 13.*

Non efficiamur inanis gloriæ cupidi. *Galat. 5.*

Quorum gloria in confusione. *Phil. 3.*

Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. *1. Tim. 3.*

Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, tanquā Aaron. *Hebr. 5.*

Christus non semetipsum clarificauit, vt pontifex fieret, &c. *ibid.*

Moses gradis factus, negauit se esse filium Pharaonis.

SENTENTIAE PATRVM.

Noluit Christus regnum terrenum cum superbia, quæ est cathedra pestilentiæ, ideo recte dicitur, quia non fere quisquam est, qui careat amore dominandi, & humanam non appetat gloriā. *Aug. sup. Psal.*

Quoties hominibus præesse desidero, toties Deo meo præire contendo. *Aug ibid.*

Ambitio possi let omnium virtutum præmia. *Idem.*

Aerugo mentis est appetentia dignitatum, si in his suprema spes vitæ præsentis locetur. Resipiscat vnusquisque furore secularium dignitatum & cupiditatum, quæ mentem animumque perturbant, vt corpus sui esse non possit. *Ambros. super Luc. l.3.*

Hoc ipso perniciosior ambitio, quod blanda est conciliatricula dignitatum & sæpe quos vita nulla delectat, quos nulla potuit mouere luxuria, nulla auaritia subruere, facit ambitio criminosos, habet enim forensem gratiam domesticum periculum, & vt dominetur, alijs prius seruit, curuatur obsequio, vt honore donetur, & dum vult esse sublimior, fit remissior. *Amb. ibidem.*

Prope omnium criminum fontes hæc tria monstrantur esse genera vitiorum, scilicet Gula, Iactantia, & Ambitio. Causæ autem cupiditatis sunt carnis delectatio, spes gulæ, & auiditas potentiæ. *ibid.*

Ordinate ad ordines accedendum est, nam casum appetit qui ad summa loci fastigia postpositis gradibus per abrupta ascensum quærit. *Gre. ibid.*

Quisquis sacerdotium non ad elationis culpam, sed ad vtilitatem adipisci desiderat, prius vires suas cum eo quidem subiturus onere metiatur, vt & impar abstineat, & ad id cum metu cui se sufficere existimat accedat. *Gre. ibidem.*

Locus regiminis desiderantibus negandus est, fugientibus offerendus. Virtutibus ergo pollens coactus ad regimen veniat. *Gre. in pastorali.*

Sicut toto desiderio debemus occupationem fugere, ita si desit qui præsidet, occupationis onus libenti necesse est animo subire. *Gre. in re.*

Multi non tanta fiducia & alacritate currerent ad honores, si & se sentirent onere grauari, nec cum tanto labore & periculo quarumlibet affectarent infulas dignitatum. Nunc vero quia fo-

la attenditur gloria, & non pœna, purum esse clericum, erubescitur in Ecclesia, sese viles æstimant & inquilinos, qui quocunque eminentiori loco non fuerint sublimati. *Ber. in epi.*

An non limina Apostolorum amplius ambitio quam deuotio terit? an non vocibus eius nostrum tota die resultat palatium? an non quæstionibus eius tota legum canonumque disciplina insudat? an non spoliis eius tota Italia inhiat inexplebili auiditate? non quod valde Romani curent, quo fine res terminentur, sed quia diligunt munera? sequuntur retributiones nude: nuda loquor, non detego verenda, sed inuerecunda confuto. *Ber. de consideratione ad Euge. lib. 5.*

O ambitio ambientium crux, quomodo omnes torques? omnibus places, nil acrius cruciat, nil molestius inquietat, nil tamen apud miseros mortales celebrius negotiis eius. *Ber. de conside. l. 3.*

Ambitio subtile malum secretum virus, pestis occulta, doli artifex, mater hypocrisis, liuoris parens, vitiorum origo, tinea sanctitatis, excæcatria cordium, ex remedijs morbos creans, ex medicina languorem generans. *Ber. in ser. quadragesi.*

Potestatis ambitio angelum felicitate angelica priuauit, scientiæ appetitus hominem immortalitatis gloria spoliauit. Non Euam cibus deflexerat, non mandatorum destituerat obliuio: sed promissi honoris ambitio illecebrosa decepit. *Bern. in quodam sermo.*

Ambitio furoris causa. *Ber. epist. 126.*

Omnis adeundi honoris Ecclesiastici absconderetur ambitio, si se iudicandos potius, quam iudicaturos, hi qui præesse volunt populis, cogitarent. *Orig. super epist. ad Rom.*

Ambitio est quædam Simia charitatis, charitas enim patiens est pro æternis, ambitio patitur omnia pro caducis, Charitas benigna est pauperibus, ambitio diuitibus. Charitas omnia suffert pro veritate, ambitio pro vanitate: vtraque omnia credit, omnia sperat sed longe dissimili modo. *Pet. Rauen. in serm.*

Sicut is, qui inuitatus renuit, quæsitus refugit, sacris est altaribus admouendus: sic qui vltro ambit, vel importune se ingerit, est proculdubio repellendus. Nam qui se nititur ad altiora conscendere, quid agit, nisi vt crescendo decrescat: & ascendẽdo exterius, interius in profunda descendat? *Gregor. in Registro.*

Ambitiosus semper est pauidus, semper attentus, ne dicat, quod displiceat, humilitatem simulat, honestatem mentitur, affabilitatẽ exhibet, benignitatem ostendit, subsequitur & obsequitur, cunctos honorat, vniuersos inclinat, frequentat curias, visitat optimates, assurgit & amplexatur, applaudit & adulatur. Vnde nouit illud poeticum. Et si nullus erit puluis, tamen excute nullum. *Innocentius de vtilitate conditionis humanæ.*

Ambitiosus, promptus & feruidus, vbi placere cognouerit. Remissus & tepidus, vbi putauerit displicere. Improbat mala, detestatur iniqua: sed alia cum aliis probat & improbat, vt iudicetur idoneus, vt reputetur acceptus, vt laudetur ab omnibus, vt à singulis approbetur. Sed ecce grauem intra se sustinet pugnam difficilemque conflictum, dum iniquitas pulsat animum, ambitio continet manum, & quod illa suggerit, hæc fieri non permittit. Colludunt adinuicem mater & filia, iniquitas & ambitio, hæc vẽdicat sibi publicum, illa secretum *ibidem.*

Ambitiosus statim vt est ad honorem promotus, in superbiam extollitur, in iactantiam effrenatur, non curat prodesse, sed gloriatur præesse, præsumit se meliorem, qui cernit se superiorem prior es dedignatur amicos, notos ignorat, externos comitatur contemnit antiquos, vultum auertit, ceruicem erigit, fastum ostendit, grandia loquitur, sublimia meditatur, subesse non patitur præesse molitur, subditis, onerosus, arrogans, grauis & importunus. *ibidem.*

Poeticae Sententiae.

Iuuenalis Satyra 10. exemplo Seiani & Hannibalis.

Errasse fateris
Seianum: nam qui nimios optabat honores,
Et nimias poscebat opes, numerosa parabant
Excelsæ turris tabulata, vnde altior esset
Casus & impulsæ præceps immane ruinæ.
Expende Annibalem quot libras in duce summo
Inuenies: hic est quem non capit Africa magno
Perfusa Oceano, Niloque admota tepenti.
Rursus ad Æthiopum populos, aliosque elephantes.
Additur imperiis Hispania, Pyrenæum
Transilit opposuit natura Alpemque niuemque:
Diduxit scopulos, & montem rupit aceto.
Iam tenet Italiam, tamen vltra pergere tendit.
Et pauca concludendum est, mors sola fatetur.
Quantula sunt hominum corpuscula.

Claud 2. Stil.

Tradis auaritiam cuius fœdissima nutrix
Ambitio quæ vestibulis foribusque potentum
Excubat & pretijs commercia poscit honorum
Pulsa simul——

Virg. 1. Georg.

Nec tibi regnandi veniat tam dira Cupido.

Plaut. in Amp.

Virtute ambire oportet non fautoribus:
Sat habet fautorum semper, qui recte facit.

Claud. de 3. Consul. Hono.

Emitur sola virtute potestas.

Euripides in Hippolyto.

Ἔνεστι γὰρ δὴ κἀν θεῶν γένει τόδε.
τιμώμενοι χαίρουσιν ἀνθρώπων ὕπο.
Inest enim sane deorum generi hoc,
Honore affici gaudent ab hominibus.

Ouidius Tristium lib. 1. elegia 1.

Donec eram sospes, tituli tangebar amore,
Quærendiq; mihi nominis ardor erat.

Horat. serm. lib. 1. Satyra 4.

Quemuis media elige turba.
Aut ob auaritiam, aut misera ambitione laborat.

Idem serm. lib. 1. Satyra 6.

Sed fulgente trahit constrictos gloria curru
Non minus ignotos generosis.

Persius Satyra 1.

——Vsque adeone
Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter?
At pulchrum est digito monstrari, & dicier: hic est.

Ibidem.

——An erit qui velle recuset
Os populi meruisse?

Seneca Tragœdia 10.

Pauci reges non regna colunt.
Plures fulgor conuocat aulæ.
Cupit hic regi proximus ipsi.
Clarusq; latas ire per vrbes.
Vrit miserum gloria pectus.
Cupit hic gazis implere famem.

Ibidem.

Colit hic reges, calcet vt omnes.
Perdatq; aliquos, nullumq; leuet.
Tantum vt noceat, cupit esse potens.

Seneca Tragœdia 4.

Quisquis secundis rebus exultat nimis,
Fluitq; luxu semper insolita appetens,
Tunc illum magnæ dira fortunæ comes
Subit libido.
Quod non potest, vult posse, qui nimium potest.

Philosophicae Sententiae.

Timidus patriam, ambitiosus vero substantiam paternam deserit. *Stob. Ser. 4*

Ciuitas in qua ciues ad expetẽdos magistratus minime ambitiosi sunt, optime & procul a seditionibus permanet: contra vero quę aliter affectos habet ciues. *lib. 7. de legibus Plato.*

Contentio honorum, seu ambitio oriuntur ex vi irascibilis, quæ cũ in excessu fuerit, gignit feritatem. *Stob. ser. 2.*

Non solum ambitio & gloriæ stultum expers est senectutis, sed magis quod populare & ciuile est, (quare formicis etiam & apibus) ad finem vsque vitæ perdurat. *Plut. Stob. serm. 4.*

Qui nimia ducitur cupiditate gloriæ, is ambitiosus: qui non satis, vacuus ab honoris cupiditate appellatur: at qui modum tenet, vacat nomine. *lib 2. Ethic. c. 7. Arist.*

Et ambitiosum vituperamus, & eum qui nulla gloria ducitur. Illũ, quia nimio honoris studio trahitur, & iis in rebus gloriam consectatur, quibus quærenda non est: hũc quoniam ne ex recte quidem factis instituit gloriam quærere. *lib 4 Ethic. c. 4.*

Incidunt nonnũquam tempora, cum & ambitiosos, vt viros bonos & honestatis cupidos laudamus: & eos qui nullum honorem expetunt, modestos *ibid.*

Laudatur habitus qui modum adhibet, in expetenda gloria, etiãsi vacet nomine. *ibid.*

Quam rationem liberalitatem ad magnificentiam habere docuimus, paruis differentem, eandem habet ad magnitudinem animi, quæ in magnis honoribus versatur, alia quæ in paruo honore versatur. *Ethic. lib. 2. c. 7.*

Ambitiosi affectio vocatur ambitio Hinc extremi de vacua regione, quæ intra fines eorum quasi media locata est, iudicio disceptant. Estque cũ nos eum qui modum tenet ambitiosum: est, cũ eũdem, abhorrentem ab omni honore nominamus. Atque alias ambitiosũ laudamus: alias eũ qui nullo honoris studio teneatur. *ibi.*

Hoc apparet, si virtus quæ modum adhibet in expetenda gloria, cũ ambitione comparetur: forte, vt vacuitas honoris, ambitionis speciem præ se ferat; si autem cum vtraque, vtranque quoddammodo imitari videbitur. *lib. 4. Ethic c. 4.*

Ambitio multos mortales falsos fieri coegit, aliud clausum in pe-

in pectore, aliud in lingua promptum habere, amicitias inimicitiasque non ex re, sed ex commodo æstimare, magisque vultum quam ingenium bonū habere. Est autem in hoc genere hoc molestum, quod in magnanimis & munificis sæpius incidit potentię cupiditas. *Tullius in Rhetoric.*

Quicquid est huiusmodi, in quo non possunt plures excellere: in eo plerunque fit tanta contentio, vt difficillimum sit sanctam seruare societatem: difficile est enim, quum præstare ceteris cōcupiueris, seruare æquitatem. 1. *Offic.*

Pestis maior esse nulla in amicitijs potest, quam in quibusdam honoris certamen & gloriæ, ex quo inimicitiæ maximæ sæpe inter amicissimos extiterunt. *In Lælio*

Facilime ad res iniustas impellitur vt quisque est altissimo animo & gloriæ cupido. 1. *Offic.*

Complures se scelere contaminarunt imperij cupiditate. 3. *Offic.*

In liberis ciuitatibus regnandi cupiditate nihil fœdius excogitare potest. 3. *Offic.*

Cauenda est gloriæ cupiditas: eripit enim libertatem, pro qua magnanimis viris omnis debet esse contentio 1. *Offic.*

Timida est ambitio, & solicita cupiditas Magistratus: omnia non modo quæ reprehendi palam, sed etiam quæ obscure cogitari possunt timeamus: rumorem, fabulam fictam, falsam perhorrescimus; ora omnium atque oculos intuemur. Nihil enim est tam molle, tam tenerum, tam aut fragile, aut flexibile, quam voluntas erga nos, sensusque ciuium: qui non modo improbitati irascuntur candidatorum, sed etiam recte factis sæpe fastidiunt. *Pro Milone.*

Dulcedine gloriæ, gloriosum Alexādri pectus insatiabilis amor accepit, qui Anaxarcho comiti suo ex auctoritate Democriti præceptoris sui innumerabiles mundos esse referenti. Heu me (inquit) miserum, qui ne vno quidem adhuc sum potitus: Angusta homini possessio gloriæ fuit, quæ deorum omnium domicilio sufficit. *Valer. Max. lib.* 1.

Grauissimum genus egestatis, in diuitiis inopia. Relinque ambitionem, timida res est, vana, ventosa, nullum habet terminum: tam solicita ne quenquam ante se videat, quam de se laborat inuidia. Vides autem quam miser sit is, cui inuidetur & inuidet, & acrior est cupiditas, quo illam amplioris rei spes euocat. *Senec.* 88. *ea.* 21.

Neque ambitio non patitur quendam in ea mensura beatorum cōquiescere, quia quoddam fuit eius impudens votum: nemo agit de tribunatu gratias, sed conqueritur, quod non est ad præturā vsque perductus. Si desit consulatus, nec hoc quidem sufficit, si vnus est vltra: cupiditas enim non vnde venerit respicit: sed quo tendit. *Sen. in epist.*

Nunquam improbæ spei quod datur satis est: omnia meruisse existimat, nec latu pretio æstimatū putant. Maiora n. cupimus quo maiora venerint, intentioque concitatior est. Ambitio sine cupiditas in magnarum opum congestum collocata, vt flammę infinita vis acrior est, quo ex maiore incendio emicuit. *Sen. de bene.*

Sic de ambitione, quomodo de amica conqueruntur homines. Si verum affectum inspicias, non odiunt, sed litigant. Videbis voluntariam esse illis in eo moram, quod ægre ferre ipsos & misere loquuntur. Scortatores conqueruntur de molestijs amicæ, nec tamen dimittunt: & ambitionis, nec tamen eam dimittunt. *Senec.* 23. *epist.*

Cupiditas omnis ingrata, & nemo eorum, qui in Republica versantur, quos vincat, sed à quibus vincatur, aspicit. *Idem ad Lucilium epist.* 48.

Illud præcipue nos impedit, quod nobis placemus. Si inuenimus qui nos bonos viros dicat, qui prudentes, qui sanctos, non sumus modica laudatione contenti, quicquid in nos adulatio sine pudore congessit, tanquam debitum prehendimus. Optimos nos esse, sapientissimosque affirmantibus assentimus, quum sciamus, illos sæpe multa mentiri. Adeo quoque indulgemus nobis, vt laudari velimus in id, cui contraria maxime facimus. *Idem epist.* 60.

Quantulum enim est quod naturæ datur, parua illa pars dimittitur. Non fames nobis ventris nostri magno constat, sed ambitio. Nos itaque, vt ait Salustius, ventri obedientes, animalium loco numeramur, non hominum. Quidam vero non animalium, sed mortuorum. Viuis is, qui se vtitur. *Senec. ad Lucilium epist.* 61.

Nullum habet maius malum cupiditas, quam quod grata est Nemo quos vincit, sed à quibus vincatur, aspicit. Et illis non tam iucundum est multos videre post se, quam graue, aliquem ante se. *Idem epist.* 74.

Cupiditas felicitatem suam non intelligit, quia non, vnde venerit, respicit, sed quo tendat. *ibidem*

Relinque ambitionem: timenda res est vana, ventosa, nullum habens terminum. *Idem epist.* 86.

Quæcunque videntur eminere in rebus humanis, quam pusilla sint in comparatione humiliorum, per difficiles tamen & arduos tramites adeuntur. Confragosa in fastigia dignitatum via. *ibidem.*

Qui virtutem suam publicari volt, non virtuti laborat, sed gloriæ. *Idem epist.* 95.

Apophthegmata.

Socrates animaduertens Antisthenem ambitiosius ostentare vestem laceram & detritam, facetè hominem increpauit, οὐ παύσῃ inquit, ἐγκαλλωπιζόμενος ἡμῖν. id est, non desines te nobis comere? Significans, eiusdem esse ambitionis vtilitatem amictus ostentare, & delicato vultu sese venditare. *P. M. lib.* 8. *apophe.*

Idem Alcibiades cum Socrati magnifica misisset munera, & Socrates respuere videretur, Xantippus auidè dissuasit, & donum magnificum ac indignum vt non acciperetur esse dixit. Tum Socrates inquit, hęc mittit ambitiosè, & nobis nostra est ambitio. Alij namque videri & laudari cupiunt, dum alios ornant muneribus: alij vero ex eo laudem sibi parare studeat, quod præter communem consuetudinem omnia contemnant: & sic omnibus sua innata est ambitio. *P. M. lib.* 8. *Apophe.*

Idem quum Antisthenes Cynicus palliū haberet pertusum, idque obuertens fissuram omnibus daret inspiciendam: Per fissuram (inquit Socratres) pallij tui, video tuam inanitatem: eleganter notans, turpiorem esse ambitionem ex vilitate cultus, quam ex amictu splendido. Atque vtinam inter Christianos non sint multi Antisthenes, qui sub veste fosca, vili, sordidaque plus celent gloriæ, quā alij diuites habent in holosericis ac byssinis. *P. M. lib.* 3. *apophe.*

Diogenes quum aliquando perfusus esset aqua, staretque toto distillans corpore, circumstantes aliquot, vt fit, commiserabantur hominem indigna passum. Quibus Plato (nam & is forte tum aderat:) Si vultis, inquit, cōmiserari Diogenem: abite: notans in philosopho gloriæ cupiditatem. Hoc igitur spectaculo quoniam delectabatur, felix erat potius quam miserandus: at si nullo teste perfusus fuisset, tum vere fuisset miserabilis. *Laert. lib.* 6.

Idem Rhodios quosdā adolescentes elegantiore cultu conspiciēs, dixit, τῦφος οὗτός ἐστιν, id est, hic fastus est. Rursum, quum vidisset Lacedæmonios substricta tunica parce sordideq. cultos, ἄλλος, inquit, οὗτος τῦφος ἐστιν, id est, hic alius fastus est. Significans, nō minus peccare eos qui ad ostentationem sordide vestiuntur, quam qui splendido vestitu sese iactant. Vnde scitum est illud diui Hieronymi, Pullas æque vt candidas euita. *P. M. lib.* 3. *apophthegm.*

Plato frugalis quidem erat, sed tamen amans mundiciei: contra Diogenes, sordidus. Itaque calcans Platonis culcitram, præsentibus aliquot Dionysij amicis, quos Plato inuitarat ad conuiuium, dixit: Calco Platonis ambitionem. Mox Plato: At quanta superbia tumes ipse Diogenes, dum alienam superbiam te calcare putas? Hoc ipsum ab alijs narratur lepidius Diogeni dicenti, Calco fastum Platonis: Calcas, inquit Plato, sed alio fastu. Nam hoc ipsū fallus erat, quod iactabat mundiciei contemptu: & qui sordibus gloriantur, non minus ambitiosi sunt quam qui splendide vestiūtur, sed aliter: Turpior est autem ambitio, ex fuco virtutis laudē captans. Sotion tamen hoc nō ascribit Diogeni, sed Platoni Cynico. *Laert. lib.* 6.

Cato Vticensis quum M. Octauius, duas habens legiones haud procul ab Vtica, Catone postularet, vt inter ipsos de imperio statueretur: Cato legatis nihil respondit, verum ad amicos conuersus, Quis iam miretur, inquit, rem male gestam esse, quum in ipsa morte in nostris videatis dominandi cupiditatem? Significans, ambitione ducum bellum infeliciter cessisse. *Plutarch.*

Alphonsus rex dehortantibus amicis, ne ob imminentia pericula bellum pro Ioanna Neapolitanorum regina, contra Martinum Pontificem, qui regno eam spoliarat, susciperet: Non abhorreo, inquit, periculum, cum sine labore & periculo nemo vnquam gloriam consecutus sit. *Panormitan. de rebus gestis Alphonsi lib.* 5. *cap.* 2.

C. Caninius. Rutilius & Scaurus cum competitores essent in consulatu, Rutilius tandem Scauro cessit. Sed Scaurus ambitus Rutilium accusabat, quoniam in tabulis Rutilianis scriptum esset, A. F. P. R. atque interpretaretur Scaurus, Actum fide Publij Rutilij: quasi suffragia Rutilius corrupisset, nec potuisset fieri consul Scaurus, nisi ex renunciatione Rutilli, Rutilius rursus interpretabatur: Ante factum, postea relatum. Tunc C. Caninius eques Romanus, quum Ruffo adesset, exclamauit, neutrum illis litteris declarari. Id enim significare: Aemylius fecit, plectitur Rutilius: passus est repulsam. *Brusonius lib.* 1. *c.* 15.

Caius Cotta in ambitione artifex, dicere solebat, se operam suam, quod non contra officium rogaretur, polliceri solere omnibus, impartire autem ijs apud quos optime poni arbitraretur. *Brus. lib.* 1. *c.* 15.

Horatius, quum rediret ad suos, trium Curiatiorum fratrum quos occiderat spolia gestans, quorum vni desponsa fuerat Horatij soror virgo, illa autem agnoscens sponsi paludamentum, quod ipsa manibus suis confecerat, solueret crines, ac fletu sponsum mortuum inclamaret: Horatius sororem gladio transfigit, dicens: Abi hinc cum tuo præpostero amore, oblita fratrum

mortuorum, viuique, oblita patriæ. Tantum valuit amor laudis, & patria gloria. *Liuius & Plin. vir. il.*

Afer Didio Gallo qui prouinciam ambitiosissime petierat, deinde impetrata re, tanquam coactus, quærebatur, vrbane. Age, inquit, Didi, aliquid & reipub. causa labora. *Brus. lib. 1. c. 15.*

Cicero, coci cuiusdam filius ambitiosissimus, cum candidatus in campum descendisset, ac a Cicerone petisset suffragium, Tullius coquum agnoscens, ait, Ego quoque tibi faueo. Respexit autem Cicero ad officium hominis, cui ideo fauere cuperet, ne sale perderet offam. *Brus. lib. 1. c. 15.*

Diogenes de seipso dicere solitus est, se implere & ferre tragicas execrationes. Nam erronem se esse, domo & patria carere, mendicū agere, tenui vestitu vti, & in diem viuere. Nihilominus tamen in his nuo sibi minus placebat, quam Alexander in terrarum orbis imperio, cum subactis Indis Babylonem reuerteretur. *Aelianus lib. 3. de varia historia.*

Damis, cum Alexander Magnus per literas petiisset, vt Lacedæmoniorum decreto decernerentur ipsi diuini honores, & in deorū numerum referretur: Age, inquit, concedamus Alexandro, si velit appellari Deus. Despectam risit stultam principis ambitionē, qui putaret ab ijs posse creari deos, qui ipsi nihil aliud essent, quam homines: aut si hoc non putauit, insigni stultitia falsi nominis vmbra gloriaretur. *Plut. in apoth.*

Theopompus, cum Pylij decretum edidissent, quo Theopompo tribuebantur summi honores, rescripsit: Mediocres honores ipsum tempus augeri, immodicos abolet. Hoc animo quid excellētius? quod alij sibi aut vendicāt arroganter, aut ambiunt inepte, hoc vltro delatum reiecit, simul & suā declarans modestiā, & amicos admonens, in omni re modum esse optimum. Quin & illud acute perspexit, quæ subito crescunt in altum, non esse diuturna: quod genus sunt betæ & cucurbitæ: ceterum quæ paulatim augescūt, ea facere ætatem, veluti quercum & buxum. *Plut. in Lacon.*

Iulius Cæsar, quum Alpes iam transiisset & præter oppidulum quoddam barbaricum paucis & miseris habitatum hominibus iter faceret, amicis per iocum ex ipso quærentibus, an & hic de magistratibus essent contentiones, ac de principatu certamina, & potentium æmulationes, serio respondisse, Malle se hic primum, quam Romæ secundum esse. Rursus cum in Hispania per ocium res Alexandri gestas legeret, diu cogitabundum ad extremum illacrymasse, & amicis causam quærentibus dixisse, An non dolēdum vobis videtur, ne cum id ætatis sim, qua Alexander tot nationibus imperauit, nihil dum memoratu dignum gessisse? *Plut. in Cæs.*

Agrippa familiaribus suis dicere solebat, hunc esse morem principum vt nolint habere quemquam se potiorem. Nam ea quidem, quæ facilem & exploratam victoriam esse vidētur habitura, ipsi gerere statuūt: pessima vero quæq. & difficillima aliis committūt. Quod si eueniat, vt opportuna negotia aliis mandare cogantur, grauiter ferunt, propter laudem & gloriam eorum qui ea gesserunt, sed sibiipsi rerum bene gestarum gloriam libēter ascribūt. *Xiphilinus in August.*

Themistocles, cum aliquando theatrum peteret, interroganti cuidam cuius vocem esset libentissime auditurus? Eius inquit a quo artes meæ quam optime canerentur. Ingenue fassus est, & se magno gloriæ studio teneri. Solebant enim olim Musici, in publico virorum illustrium laudes canere. *Plut. in eius vita.*

Idem, Themistoclem ferunt virtutum stimulis agitatum, & ob id noctes inquietas exigentem, quærentibus, quid ita eo tempore in publico versaretur, respondisse. Quia me trophæa Miltiadis de somno excitant, Marathon nimirum animum eius, & Arthemisium, & Salamis, naualis gloriæ fertilia nomina illustranda iacentis facibus incitabant. *Plut. in Themist. Valer. Max lib. 8. cap. 13.*

Timon, qui cognomine Misanthropos dictus est, elementa malorū vocabat Auaritiam & Ambitionem: eo quod ex horum vitiorum fonte, cetera vitia omnia prouenire ac manare viderentur. timonis dicterium recitat *Stob. serm. de Iniustitia.*

Phauorinus, Homines partim esse ridiculos, partim odiosos, partim miserabiles dixit. Ridiculos, quidem, qui ambitiose ad maiora aspirant. Odiosos, qui ea consequuntur: Miserabiles autem, qui spe falluntur. *Stob. serm. 5.*

SIMILITVDINES.

Chrysostomi: quemadmodum mercenarius malus, qui intra tempus locationis suæ comedit omnes mercedes, quum autem tempore completo recesserit, nudus egreditur: Sic & homo, qui propter homines facit bonum, vacuus vadit ad Deum: *Cap. 6. Matth.*

Quemadmodum quos diuitiæ iuuant, si quando in paupertatem inciderint, mœrore afficiuntur, & qui delicijs assueuere, tenuem ac simplicem victum tolerare nunquam possunt: Ita qui laudum amore capti sunt, non solum cum iniuste vituperant, sed etiam cū ab alijs assidue non laudantur, quasi fame aliqua animum conficiunt. *Lib. 5. de Sacerdotio.*

Plutarchi, qui dolent, quod non excellant in omnibus etiam diuersissimis: Perinde faciunt, ac si quis moleste ferat, quod vinea nō ferat ficus, quandoque olea non ferat botros. *In moralibus.*

Qui studeat Plato esse doctrina, dormire cum beata vetula, vt Euphorion: cum Alexandro potare, vt Medius: diues esse, vt Ismenias: virtute præcellens, vt Epaminondas: doleatque quod vnus non sit hæc omnia: perinde facit, ac si moleste ferat, quod non sit leo montanus, & idem Melitæa catella in sinu viduæ diuitis. *In Moralibus.*

Seneca. Vt æque mortuus est qui conditus est in odoribus, & qui trahitur vnco: ita æque sunt infelices, & qui voluptatibus indulgēt, & qui ambitiosis negotijs vacant.

Plin., Vti Chamæleon maximum habet pulmonem, & nihil aliud intus: Ita quidam præter ostentationem, & ventosam iactantiā nihil habent. *Lib. 11. c. 32.*

Accius Poeta, cum esset ipse admodum breuis, tamen in æde Camœnarum maxima forma statuam sibi posuit: Ita quidam re viles & humiles, ambitione fucoq; dilatant sese. *Lib. 34 c. 5.*

Taurus auis cum sit pusilla, tamen boum vocem imitatur: Ita nonnulli cum re sint exigui, tamen loquuntur reges ac satrapas. *Lib. 6. c. 42. & c. 31. eod. lib.*

Columbo in volatu pernicitas, sed dum plaudit in aere, sibi placēs, implicatis strepitu pennis, capitur ab insidiante accipitre: ita multi dum ostentant suas vires magis quam vtuntur, obliti, prædæ fiunt inimicis. *Lib. 10. c. 20.*

Pauo non explicat pennas, nisi laudatus: Ita quidam putant se non habere quod habent, nisi sint qui mirentur. *ibid.*

Gallus victor ilico cantu superiorem sese testatur: ita quidam sua facinora iactant ipsi, & suarum laudum ridiculi sunt tibicines. *Lib. 8. cap 33.*

Folengi. Quemadmodum ex vlcere putrido sanies ac putredo ebullit: Sic ex ambitioso ac superbo animo omnia peccata ebulliūt. *In Psalm. 74.*

Thrasoni, Vulgo dicitur, maioris artis esse parta tueri quam quærere: Et qui de rebus pulcherrime gestis insolenter gloriantur. nihilo melius faciunt, quam qui rem bene comparatam impotenter prodigunt. *Apoph. 114.*

Ligna tenuia ac sicca, multam quidem flammam edunt, sed parū durant: Ita homines quidem gloriosi possunt apud indoctos gloriam aliquam sibi conquirere, sed nequeunt illam diu retinere. *Apoph. 118.*

Nec corporibus idem cibus est idoneus omnibus, sed vnicuique suus fere peculiariter est gratus, & salubris: Tanto est animus corpore insolentior, qui alienas diuitias & honores sibi appetit. Non enim est minor animorum quam corporum differentia. *Apophe. 138.*

EXEMPLA SACRA.

Ambitiosis exempla: Adam & Eua, *Genes. 3. vers. 5. 6.* Extructores turris Babylonicæ, 11. 4. Maria & Aaron, *Num.* 12. 1. Core, Dathan, & Abiron, 16. 3. Abimelech, Gedeonis filius, *Iudic. 9. v. 1. 2. 7. 8.* Absalom, 2. *Sam. 15. versic. 2. 3. &* 18. 18. Seba Bichri filius, 20. 1. Adonias, 1. *Reg* 1. 5 & 2. 17. Zambri. 16. 9. Athalia, 4. *Reg.* 11. 1. Sallum, 15. 10. Nabuchodonosor, *Iudith.* 2. 2. Assuerus, *Esth.* 1. 4. Aman, 3. *vers.* 5. 6. & 5. 13 & 6. *versic.* 6. 7. Sobna, *Esa.* 22. 16. Ezechias, 39. 2. Seron. 1. *Machab.* 3. *vers* 13 14. Alcimus, 7. Ptolemæus Rex Aegypti, 11. 13. Ptolomæus filius Abubi, 16. 13. Iason, 2. *Mach.* 4. 7. Discipuli CHRISTI, *Matth.* 18. 1. *Marc.* 9. *v.* 34. *Luc.* 9. 46. Filij Zebedæi, *Matth.* 20. 21. *Marc.* 10. 35. Scribæ & Pharisæi. *Matth.* 23. 6 *Marc.* 12. 38. *Luc.* 20. 46. Iudæi, *Ioan* 5. 44 & 12 43 Fratres CHRISTI, *Ioan.* 7. *v.* 3. 4. Simon Magus, *Act.* 8. *vers.* 18. Pseudo Apostoli, 2 *Cor.* 10. 12. Falsi Doctores, 1. *Tim.* 1. *v.* 7. Diotrephes *Ioan.* 3. *vers.* 6. 9.

EXEMPLA PROFANA.

Rex Persarum omnes existimabat seruos extra coniugem suam, in quam tamē potissimum ei esse ius debebat. *Plutarch. ad principem indoctum.*

C. Iulius Cæsar non honores modo nimios recepit: vt continuum cōsulatum, perpetuam dictaturam, præfecturamque morum: insuper prænomen Imperatoris, cognomen patris patriæ, statuam inter reges, suggestum in Orchestra: sed ampliora etiam humano fastigio decerni sibi passus est. *Suetonius.*

C. Caligula Romanorum Imper. in eam prolapsus est insolentiam: vt Deorum vestimenta indueret: in quibus nunc bellicosam virginem, nunc mulierem repræsentabat. In sacrificiis Deorum ornatu induebatur, in plateis serico & triumphali vestitu incedebat. *Xiphilinus.*

Isaacius Angelus Imp. alternis diebus lauacris se reficiebat: pastillis & vnguentis omnis generis delibutus, instar pauonis superbi se ostentabat. *Idem.*

Franciscus I. Gallorum Rex, pacem cum Carolo V. Imperatore factā, non diuturnā asseruit. Nam nec ille parem, inquit, nec ego superiorem ferre possum. *Aegidius Corrozetus de dictis & factis.*

M. Tullius Cicero, Auebat supra modum celebrari, tenebatque eum perpetuo cupiditas immodicæ gloriæ: quæ multa eius præclara consilia frequenter interpellauit. *Plut. in Cicerone.*

Athe-

Athenienses doctores Constantini & Iuliani Imp. ætate hoc habebát, vt cum ipsi inter se simultates exercerent: adolescentes aduecta tes naui per emissarios suos allicerent, & ad se singulis pertrahe rent. *Then. Zuing.*

Menecrates Medicus, cum morbos quosdam desperatos sanasset, Iouem Deorum summum seipsum appellauit. *Aelianus lib.2.*

Empedocles Philosophus Agrigentinus cum Paothiam Agrigentinum in graui morbo curasset, atque ob id se pene pro numine coli animaduerteret: immortalitatis atque famæ studio incensus, vt in numerum Deorum translatus videretur: Aetnam insiliit, atque medios ipsius in ignes se coniecit. *Fulg. lib.8.c.15. & Alexan. lib.6. cap.4.*

Semiramis virilem sexum mentita amplissimos duxit exercitus multos & magnos adijt labores, periculaq; immensa, præsertim Indico bello, gloriæ causa. *Sabellic. lib.5.c.5.*

Artemisia Cariæ regina Xerxis commilitium nõ respuit, gloriæ desiderio, neglecta sexus imbecillitate. *Theat. Zuing. fol.2573.*

Christina Henrici V. Imperat. F. Vladislao, Boleslai III. Polonorum regis filio nupta, mulier superbissima, Polonos potiorum loco habebat. *Cromerus lib.6.*

Anaxarchus philosophus ex authoritate Democriti præceptoris innumerabiles mundos esse referens: Heu, me miserum, inquit Alexander, quod ne vno quidem adhuc potitus sum: Angusta homini possessio gloriæ fuit, quæ Deorum omniũ domicilio sufficit. *Iuuenalis satyr.10. Plutarch. de tranquil. anim. Valer. Maxim. libro. 8. cap.13.*

Hipponicus statuam ponere, sacrosanctum patriæ donationem, in animo habebat. Cum autem quidam ei consuleret, vt a Polycleto fingendam imaginem curaret: respondit. Non se eiusmodi donarium positorum, cuius gloria non ad consecrationem, sed ad factorem esset reditura. Etenim liquere, spectatores in ea statua magis artem & industriam Polycleti, quam suam liberalitatem & munificentiam admiraturos esse. *Aelianus libro. 14. de Var. histor.*

Plato dicitur ter nauigasse in Siciliam, nec fine periculo, nec fine cauillis obtrectantium. Molon itaque, qui gerebat hostilem in Platonem animum, negabat esse mirum, si Dionysius esset Corinthi, sed si Plato in Sicilia. Nam tyrannum expulerat necessitas. Platonem inuitabat ambitio, vt vulgus quidem interpretabatur Et tamen Dionysium esse Corinthi adeo mirabatur omnes, vt Iam abierit in prouerbium de re inexpectata & incredibili. *Laert. lib.3.*

Epaminondas. Lacedæmonijs bello victis, ac multo sanguine fuso iam fugatis, cum audiret, illos eius belli calamitatem extenuare vt palam fieret omnibus quanta strages edita esset, non quibosli bet permisit cadauera interfectorum tollere, sed vt quæque ciui tas sua auferret, & ita factum est, vt appareret, plusquam 1000. Lacedæmoniot interijsse. *Plut. in apophthegm.*

Agrippina, Nero, cum primum natus esset, quidam astrologus prædixit eum regnaturum esse & matrem necaturum. Quod cũ Agrippina mater intellexisset, subito exclamare cœpit: occidat, dum regnet. Præsagio votoque respondit euentus. *Sueton.*

Hieroglyphica.

Pauonis species hominem gloriæ plenom exprimebat. Hæc enim auis eam caudæ pretiosam supellectilem tum plurimum ostentat, cum plurimos ad se spectandum aduenisse conspexerit. Quod si nullum admirari, ad esse ue cognouerit, eam recondit, veluti indignata. *Valer. Pier. Hieroglyph. lib.26.*

Bulla quoque pro gloria fastuque ponitur: vbi quis non aliter gloria turgescere videatur, quam Bullæ ipsæ inturgescentis cuiusdã figuræ speciem præ se ferunt. Vnde dixit Persius:

Non equidem hoc studio, bullatis vt mihi nugis.
Pagina turgescat.

Val. Pier. Hieroglyph. lib.41.

Scriptores.

De ambitione, *Precamus lib.1. cap.3. Hanapus 103. Bernardi Flores 3. 24. & 63. & 69. & 4. t.* Item *Raineriis et Flos Theolog. Rampigollus. cap. 60.* De multisormi Keondoxia. *Ioan. Scholasticus. c.21.* Ambitio, So perbia, & victoria de inimicis, nimiaque prosperitas exitio sunt, & perdunt quos possident, *Brunfelsius Pandect. lib.9.*

Libido regnandi, imperandi, dominandi, *Bernardi flores, 3.50. Pharetra. Brunfelsius lib.1.c.15. Corusnus in apophtheg. Lumen animæ. par. 2. c.20. Ioan. Carnotensis lib.7.* Contra Ambitionem, *Des. P. M. in Milite Christ.* Ambitio maxime vitanda philosopho. *Marsil. lib.7.c.14.* Ambitio Antigoni, *Aelianus in varijs Græc fol.53.54.* Ambitio Hipponici, *Ibidem 68.* Aristotelis ambitio, *Ibidem 66.* Ambitio Luscinæ, *Cœlius Rhodigin. lib.23. cap.24.*

Polyanthea Nouiss.

AMENTIA.

DEFINITIO. ET ETYMOL.

Amentia, Græce ἄνοια, ex n. ἄνευ, ν. ὁ, amens dicitur, & est stultitia. Dicitur autem amens quasi fine mente. Differunt autem amens & demens, quod demens minus est quam amens. Nam demens est, qui non cogitat, quid agat, aut loquatur: Amens vero, qui prorsus insanit.

Amentia, Hebr. *Schiggahon*, Deut. 28.28. 2. Reg. 9. 20. Zach. 12.4. à verbo *Schiggcha*, vesanum reddidit, insanum fecit. Cognatinnem habet cum *Cahasch*. conquassatus est: nam amens & vesanus dicitur is, qui conquassatus, & corruptus est mente cum *Schagag*, errauit. Hinc Græc. σκαιὸς sinister (lat. Scæua) & σκαιότης fatuitas, insania. Cicero lib.3. q. Tusc. Nec minus illud acute, quod animi affectionem lumine mentis carentem nominarunt amentiam, eademque dementiam. Ex quo intelligendum est, eos, qui hæc rebus nomina posuerunt, sensisse hoc idem quod a Socrate acceptum Stoici diligenter retinuerunt, omnes insipientes, non sanos. Qui enim animus est in aliquo morbo, (morbos autem hos perturbatos motus philosophi appellant) non magis est sanus, quam id corpus, quod in morbo est. Ita fit, vt sapientia sanitas sit animi, insipientia autem, quasi insanitas quædam, quæ est insania, eademque dementia.

Sententiae Biblicae.

Stultorum infinitus est numerus. *Eccles. cap.1.*

Homines stulti non apprehendent sapientiam, & non videbunt illam. *Ecclesiast. cap.15.*

Stultus acriter improperabit. *cap.18.*

A facie verbi parturit fatuus, tanquam gemitus partus infantis. *cap.19.*

Sagitta infixa in facie & in ore canis, sic verbum in ore fatui. *ibidem.*

Datus insipientis non erit vtilis tibi. Oculi enim illius semper fim plices sunt. Exigua dabit, & multa imperabit, & apertio oris illius infamatio est. *cap. 20.*

Fatuo non erit amicus, & non erit gloria boni illius. *ibidem.*

Qui edunt panem fatui, falsæ linguæ sunt. *ibidem.*

Ex ore fatui reprobatur parabola: non enim illa decent in tempore suo. *ibidem.*

Cor fatui quasi vas confractum, & omnem sapientiam non tenebit narratio. *cap.21.*

Narratio fatui quasi sarcina in via. Compedes in pedibus stulto doctrina, &c. *ibidem.*

Confusio patris est in disciplinatus filius. *cap.22.*

Qui docet fatuum, est quasi qui conglutinat testam *ibidem.*

Cum stulto ne multum loquaris, & cum insensato ne abieris. *ibidem.*

Præcordia fatui quasi rota curri, & quasi axis versatur, sic cogitatio stulti. *cap.33.*

Melior est homo, qui abscondit stultitiam suam, quam qui abscondit sapientiam suam. *cap.41.*

Labia insipientium narrabunt stultitiam: verba autem prudentium statera ponderabuntur. *cap.21.*

Non communices homini indocto, ne male de progenie tua loquatur. *ibid. 8.*

Qui stultus est, seruiet sapienti. *Prouerb.11.*

Qui fatuus est, aperit stultitiam suam. cap.13.

Cor stultorum dissimile erit.

Stultus pascitur imperitia.

Stultitia gaudium stulto. *cap.15.*

Non decent stultum verba composita, nec principem labia mentientis. *cap.17.*

Expedit magis vrsæ occurrere raptis fœtibus, quam fatuo confidenti fibi in stultitia sua. *ibidem.*

Quid prodest habere diuitias stulto, cum sapientiam emere non possit. *ibidem.*

Stultus, si tacuerit, reputabitur sapiens: & si compresserit labia sua, intelligens. *ibidem.*

Os stulti contritio eius, & labia illius ruina animæ eius. *c.18.*

Stultitia hominis supplantat gressus eius, & contra Deum feruet animo suo. *cap.19.*

Ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam, ne efficiaris ei similis. *cap.26.*

Veluti pulchras frustra habet claudus tibias: sic indecens est in ore stultorum parabola. *ibidem.*

Responde stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur. *ibidem.*

Sicut qui mittit lapidem in aceruum Mercurij, ita qui tribuit insipienti honorem. *ibidem.*

Si contuderis stultum in pila, quasi ptisanas feriente desuper pilo,

pilo,non auferetur ab eo stultitia eius,*cap.27.*

Qui prius respondet, quam audiat, stultum se esse demonstrat. *cap.28.*

Qui confidit in cor suum,stultus est.*Ibid.*

Omnis,qui audit verba mea, & non facit ea,similis est viro stulto. *Matth.7.*

Quæ stulta sunt mundi,elegit Deus,vt confundat sapientes.*Paulus 1.ad Corinth.1.*

Sustinetis enim insipientes,cum sitis ipsi sapientes.*2.Cor.11.*

Stultus enim fatua loquatur.*Esa.32.*

SENTENTIAE PATRUM.

Stultiloquium & scurrilitas non decet Christianum, sed sermonē eius sale conditum esse oportet vt gratiam apud audientes habeat: quicquid enim amens loquitur,vociferatio & clamor est appellandum.*D.Hieronymus.*

Quicunque stultus est in culpa,erit sapiens in pęna.*Gregorius in Moralibus.*

Sicut oculus auris escas,nec guttur verba agnoscit:ita nec stultus quis que sententiam sapientis intelligit.*Idem.*

Fatuum cum sapientibus in prædicatione non suscipe,nec per eū, qui implere non voluit,illi,qui prævalet,obsistas.*Idem.*

Nihil stultitia peius,nihil insipientia deterius,nihil ignorantia turpius.*Isidorus.*

Ignorantia vitiorum nutrix est. Ignorantia enim,quid sit culpæ indignum non sentit.*Idem.*

Insipiens quotidie peccat: indoctus facile decipitur. Stultus in vitia cito dilabitur.*Idem.*

Videamus, vtrumne iustitia fœdus aliquod cum stultitia habere possit: vt Carneades disputauit,cuius,vt concludam disputationem,non posse eundem iustum esse ac stultum;eundem sapientem & iniustum, docet ipsa ratio. Qui enim stultus est, quid sit iustum ac bonum, nescit, & ideo semper peccat. Ducitur enim quasi captiuus à vitijs, nec resistere vllo modo potest,quia caret virtute, quam nescit. Iustus autem ab omni peccato se abstinet quod aliter facere non potest,quasi habeat recti prauique notitiam. Rectum autem discernere à prauo quis potest,nisi sapiens? Ita fit,vt nunquam possit iustus esse,qui stultus est: neque sapiens qui fuerit iniustus. Ergo stultus non est, qui ne sibi quidem parcit,dum attendit ne noceat alteri, quod est malum. Quod quidē nobis & ratio & veritas ipsa præscribit.*Lactantius li.5. diuinarum instit.cap.18.*

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Omnium malorum stultitia est mater atque materies, ea parit præ ceteris immensas cupiditates:immensæ porro cupiditates infinitæ & immoderatæ sunt:hæ pariunt auaritiam malitiamque:auaritia porro hominem ad quoduis maleficium impellit.*Cicer.in noua Rhetor.*

Quo indignius rem honestissimam & rectissimam violat stultorū & improborum temeritas pro audacia,summo cum Reipubl.detrimento,eo studiosius illis resistendum est, & Reipublicæ consulendum.*Cicer.in Veter.Rhetor.*

Si summopere sapientia petenda est, summopere stultitia fugienda,& vitanda est.*Ibid.*

Qui sæpenumero nos per fidem fefellerunt, eorum orationi fidem non habere debemus. Si quid perfidia illorum detrimenti acceperimus, nemo erit propter nosmetipsos, quem iure accusare possimus.primum decipi quidem incommodum est,iterum stultitiæ, tertio turpe. Summa igitur amentia est, in eorum fide spem habere,quorum perfidia toties deceptus sis. *Ibid.*

Stulti scriptoris est,non posse omnibus de rebus cauere,quibus velit.*Lib.2.*

Miserius stultitia quid dicere possumus:*Cicero de natura Deorum.*

Multa sunt incommoda in vita, vt eam sapientes commodorum compensatione leniant.Stulti nec vitare ventura possunt, nec ferre præsentia.*Cicero de natura Deorum.*

Stulti malorum memoria torquentur.

Igitur nec stultorum quisquam beatus,neque non sapientium non beatus.*De finibus bonorum & malorum.*

Amentia ab a particula priuatiua,& mente dicta,quasi sine mente, hoc est,consilio animoque,quo sapimus.Lucretius poeta,Consilium quod nos animum mentemq; vocamus. Eadem dementia dicitur,quia (de) est particula minuendi, vt desipio,decresco. *Beroaldus in comment.in Cicero quæst.Tusc.*

Nomen insaniæ significat mentis ægrotationem,& morbum,idest, insanitatem, & ægritudinem animi,quam appellarūt insaniam, Omnes autē perturbationes animi,morbos Philosophi vocant, negantque stultum quenquam his morbis vacare, qui autem in morbo sunt:sani non sunt:& omnium insipiētium animi in morbo sunt: Omnes igitur insipientes insaniunt:sanitatem enim animorum positam in tranquillitate quadam constantiaque censebant.His rebus mentem vacuam appellarunt insaniam,propterea quod in perturbato animo,sicut in corpore, sanitas esse non possit.*Eodem præfato loco Cicero.*

Amentes dicuntur,qui à natura expertes rationis,solum sensuum munus exequuntur immanes quidem,belluarumque similes habendi sunt, vt quædam genera barbarorum procul habitantium. *Arist.7.Ethic.*

Fortunam quidem laudare stultitia,vituperare vero superbia est. *ibidem.*

Etenim vt stultitia, etsi adepta est quod concupiuit, nunquam tamen se satis consecutam putat:sic sapientia semper eo contenta est,quod adest,neque eam vnquam sui pœnitet.*Cicero libro 9. Quæstionum Tuscul.*

Et quoniam mens nostra est actus, quiescere omnino ab actione sua nequit,nisi potestate valide retinente,hoc est, opposito obice in instrumentis: velut cum à mole obruitur in locis maternis, à crapula in ebrietate,ab inimicis vaporibus in attonitione:quę omnia & similia violenta sunt,oriunturque illius repugnantia. Vnde cum emergit, cessante potestatis violentia, statim reducit se in actum suum: neque eam ad rem externæ vllius opis indiget, sed solum impedimento submouendo,quod si sit sublatum, non potest mens vllo pacto otiari:necesse est aliquid meditetur, & secum voluat, eamque illius motionem si quis conetur sistere (vt sunt qui nihil prorsus volunt cogitare) perinde fecerit,ac si cohibere velit ignem,ne ardeat,conceptum in apta materia:alteru trum profecto sequetur,aut vt ignem extinguat, aut vt vis ignis validior aut violentior erumpat in obicem,sic vel corrumpetur vita tam violenta contentione,vel pro vna cogitatione, quam velis opprimere,magna cogitationum & visorum perturbatio orietur, hoc est plane amentia. *Ludouicus Viues lib. 2. de animo.*

POETICAE SENTENTIAE.
Plautus in Sticho.

Stultitia est venatum ducere inuitos canes,
Ex Trinummo.
Nihil est profecto stultius,neque stolidius,
Neque mendaciloquius,neque argutum magis,
Neque confidentiloquius,neque periurius,
Quam vrbani assidui ciues,quos scurras vocant:
Quia omnia se simul ait scire,nec quicquam sciunt.
Ex Bacchidibus.
Stulte fecisse fateor,sed quæso pater,
Ne me in stultitia,si deliquit,deseras,
Ego animo cupido,atque oculis indomitis fui:
Persuasum est facere,cuius me nunc facti pudet,
Prius te cauisse quam pudere æquum fuit.

Vide Stultus,Stultitia.

AMICITIA.

DEFINITIO. ET ETYMOL.

Amicitia,Græce,φιλία,ας ἡ, & φίλος ὁ, ὁ, amicus dicitur: Et est amor mutuæ beneuolentiæ,fundatus super aliqua communicatione. Quæ quadruplex est, secundum quadruplicem communicationem mutuam,scilicet,Naturalem, Domesticam,Ciuilem, & Diuinam,*hoc ex B.Thom secunda secundæ. q.23.art.1.*

Amicitia,Hebr.*ahaba*,à verbo Aba, amanit,dilexit, hinc Gr. ἀγαπάω,& ἀγάπη. Dicitur etiam *Iedhidhuth*, & cognationem habet cum *Dodh*,cognatus,amicus de cognatione. Hinc ἡδὺς, suauis,iucundus; ἡδύτης suauitas. Nihil enim amicitia suauius & iucundius Vide Lexicon trilingue Lugdun.p.57.& 82.

Amicitia est omnium humanarum,diuinarumque rerum cum beneuolentia & charitate summa consensio. qua quidem haud scio, an excepta sapientia quicquam melius homini sit à Dijs immortalibus datum,*secund. August epist.45.& Cic.lib.de Amicitia.*

Amicitia est voluntas erga aliquem bonarum rerum illius ipsius causa,quem diligit,cum eius pari voluntate.*secundum Ciceron.1. de inuentione Rhetor.*

Amicitia est beneuolentia pacis non latens,*secundum Aristot. lib.8. Ethicorum.*

Vel sic:

Amicitia est studiorum omnium, voluntatumque consensus,cuius contrarium inimicitiæ, in plurali, licet etiam in singulari inueniatur. Ennius:Amicitiam,atque inimicitiam in fronte promptam gero.

Amicus est, qui amat, & reamatur *secundum Aristotelem lib.2. Rhetorie.*

Sunt enim amici οἱ ἀλλήλοις θέλοντες τ' ἀγαθὰ, μὴ λανθάνοντες, ἢ δι' ἀγαθὸν ἢ δι' ἡδὺ, ἢ διὰ χρήσιμον.

Amicus & amator, vt placet Donato super Terent, differunt: quod amicus animi est, amator vero corporis.

AMI-

- *AMICITIA duplex ex B. Thoma, secunda Secundæ, q. 114.*
  - *Affecta de qua Arist. 8. Ethi. & Ciceronis opus est, qui Lelius dicitur*
    - *Requiritur in omni*
      - *Fortuna* — *Bona consistente in* (*Principibus, Potestatibus, Diuitibus*) — *Necessaria ad* (*Vsum, Conuersationem.*)
      - *Aetate.*
        - *Aduersa, vt in paupertate & inopia.*
        - *Iuuenili, vt habeant, à quibus corripiantur.*
        - *Senili, propter* (*naturales defectus. debilitatem.*)
        - *Perfecta in* (*Opere. vel actione exteriori. acta speculatione.*)
    - *Distinguitur secundum*
      - *Finem, qui est triplex & sic amicitia triplex est, scilicet*
        - *Vtilis.*
        - *Delectabilis, qua amicus diligitur propter delectationem tantum.*
        - *Honesta, qua amicus diligitur propter seipsum.*
      - *Diuersam communicationem, quæ est quadruplex secundum B. Thomam 3. Sent. distinct. 29. art. 6.*
        - *Naturalis, quæ est inter patrem & filium, cæterosque consanguineos, inter quos debet esse communicatio pertinentium ad naturam.*
        - *Domestica vel œconomica quæ est inter domesticos, in his quæ ad domus dispensationem pertinent.*
        - *Ciuilis vel politica, quia fit communicatio inter conciues, vt est conuersari & commorari in operibus ciuilibus.*
        - *Diuina, qua omnes homines communicant in vno corpore Ecclesiæ, actu vel potentia: & hæc dicitur charitas extensa vsque ad inimicos.*
    - *Conseruatur quadrupliciter: scilicet*
      - *Permanentia in habitu scilicet virtutis.*
      - *Conuenientia in affectu.*
      - *Residentia in conuictu. Cui opponitur distantia* — (*Bonitatis. Dignitatis. Loci.*)
      - *Correspondentia in affectu. Quia idem velle, & idem nolle,*
      - *Ea demum firma amicitia est. Hoc ex B. Thoma & Alberto Magno.*
    - *Probatur tribus, scilicet*
      - *Beneuolentia in interiori affectu.*
      - *Concordia in multiplici actu.*
      - *Beneficentia in interiori affectu.*
    - *Dissoluitur quadrupliciter: propter*
      - *Finis defectionem, quod maxime contigit in amicitia vtili & delectabili.*
      - *Amoris simulationem, cum deprehenditur simulatus amor.*
      - *Criminis commissionem, cum crimen committitur incorrigibiliter.*
      - *Virtutis perfectionem, cum alter amicorum in virtute excedit, alio permanente in defectu: & tunc dissoluitur amicitia propter dissimilitudinem. Hæc ex dictis B. Thomæ, & Alberti Magni super lib. Ethicorum.*
  - *Conuersationis, quæ à Macrobio super somnium Scipionis, dicitur Affabilitas, quia non habet perfectam rationem amicitiæ, sed similitudinem eius. Et est media inter adulationem & litigium: & à beato Thoma ibidem definitur. Est virtus, qua homo se habet ad conuersationem in dictis & factis delectabiliter, ad omnes non æqualiter. Cuius est principaliter conuiuantes delectare. Sed quando oportet, non veretur eos contristare, propter bonum promouendum, vel propter malum vitandum.* — *Cui opponitur per*
    - *Excessum. Adulatio.*
    - *Defectum. Litigium.*

Sententiae Biblcae.

Amicitia Dei.

Infinitus thesaurus est hominibus, quo qui vsi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei propter disciplinæ dona commendati. *Sapient. 7.*

Vos amici mei estis, si feceritis, quę ego præcipio vobis. *Ioan. 15.*

In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus: sed in omni gente, qui timet Deum, & operatur iustitiam, acceptus est illi. *Actor. 10.*

Credidit Abraham Deo, & amicus Dei appellatus est. *Iacob. 4.*

Amicitia huius mundi inimica est Dei: *Iacob. 4.*

Quicunque ergo voluerit esse amicus seculi huius, inimicus Dei cōstituetur. *Iacob. 4.*

Amicitiæ fructus.

Mihi autem nimis honorati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum. *Psal. 138.*

Amice ascende superius, *Luc. 14.*

Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcūque audiui a Patre meo, nota feci vobis. *Ioan. 15.*

Amicitia humana vera, debet esse firma.

Qui negligit damnum propter amicum, iustus est. *Prou. 12.*

Omni tempore diligit, qui amicus est, & frater in angustijs comprobatur. *Ibid. 17.*

Si possides amicum, in tentatione posside eum, & ne facile credas ei. *Eccles. 6.*

Non agnoscitur in bonis amicus, & non absconditur in malis inimicus. In bonis viri, inimici illius, in tristitia & malitia illius amicus agnitus est proximo. *Eccles. 12.*

Fidem posside cum amico in paupertate illius, vt in bonis illius lęteris. In tempore tribulationis illius permane illi fidelis, vt in hæreditate illius cohæres sis. *ibid. 22.*

Amicitia debet esse grata.

Vis amicabilis ad societatem magis amicus erit, quam frater. *Prouerb. 18.*

Fatuo non erit amicus, & non erit gratia in bonis illius. Qui enim panem edunt illius, falsæ linguæ sunt. Quoties & quanti irridebunt eum? *Eccles. 20.*

Amicitia debet esse honesta.

Noli fieri pro amico inimicus proximo tuo. *Eccles. 6.*

Qui timet Deum, æque habebit amicitiam bonam, quoniam secundum illum erit amicus. *ibid.*

Amicitia debet esse integra in corde.

Causam tuam tracta cum amico tuo, & secretum extraneo ne reueles, ne forte insultet tibi cum audierit, & exprobare non cesset. *Prouerb. 25.*

Dilige proximum, & coniungere fide cum illo. *Eccles. 27.*

Non obliuiscaris amici tui in animo tuo, & non immemor sis illius in operibus tuis. ibid. 37.

Amicitia debet esse in ore. ibid. 37.

Quæ viderunt oculi tui, ne proferas in iurgio cito, ne postea emendare non possis, cum dehonestaueris amicum tuum. *Prouerb. 25.*

Ferrum ferro exacuitur: & homo exacuit faciem amici. *ibid. 27.*

Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos, & lingua eucharis in bono homine abundat. *Eccles. 5.*

Mittens lapidem in volatilia, deijciet illa, sic & qui conuiciatur amico, dissoluit amicitiam. *ibid. 22.*

Qui denudat arcana amici, fidem perdit, & non inueniet amicum ad animum suum. *ibid. 27.*

Denudare amici mysteria, desperatio est animæ infelicis. *ibidem.*

Caue ab amicis de sermone improperij: & cum dederis, ne improperes. *ibid. 41.*

Non duplices sermones auditus de reuelatione sermonis absconditi, & eris vere sine confusione, & inuenies gratiam in conspectu omnium hominum. *ibid. 42.*

Qui tollit ab amico misericordiam, timorem Domini relinquit. *Iob 6.*

Ne dicas amico tuo, vade & reuertere, cras dabo tibi, cum statim possis dare. *Prou. 3.*

Perde pecuniam propter fratrem & amicum, & ne abscondas illā sub lapide in perditionem. *Eccl. 29.*

Amicitia vera conseruatio.

Ne moliaris amico tuo malum, cum ille in te habeat fiduciam. *Prou. 3.*

Qui despicit amicum suum, indigens corde est. *ibid. 11.*

Amicus, si permanserit fixus, erit tibi quasi coæqualis, & in domesticis tuis fiducialiter aget. *Eccles. 6.*

Noli amare mendacium aduersus fratrem tuum, neque in amicum similiter facias. *ibid. 7.*

Noli præuaricari in amicum pecuniam differentem, neque fratrē charissimum in auro spreueris. *Ibidem.*

Ne derelinquas amicum antiquum, nouus enim non erit similis illi. Vinum nouum, amicus nouus: veterascat, & cum suauitate bibes illud. *Eccles. 19.*

Audisti verbum aduersus proximum tuum, commoriatur in te fidens, quoniam non te disrumpet. *Eccles.19.*

Corripe amicum, ne forte non intelligat te, & dicat: Non feci, aut si fecerit, ne iterum addat facere. *ibid.*

Est qui præ confusione promittit amico, & lucratus est eum inimicum gratis. *ibid.* 20.

Ad amicum & si produxeris gladium, nõ desperes: est enim regressus ad amicum. Si aperueris os triste, ne timeas: est enim concordatio, excepto conuitio, & improperio, & superbia, & mysterij reuelatione, & plaga dolosa. In his omnibus effugiet amicus. *ibid.* 22.

Amicum salutare non confundaris, a facie illius non te abscondas, & si mala tibi obuenerint per illum, sustine. *ibid.* 22.

Amicitiæ fructificatio.

Frater, qui adiuuatur a fratre, ciuitas firma, & iudicia quasi vectes vrbium. *Prou.18.*

Gratia & amicitia liberant, quas tibi serua, ne exprobabilis fias. *ibid.* 25.

Vnguento & variis odoribus delectatur cor, & bonis amici consiliis anima dulcoratur. *ibid.* 27.

Melior est vicinus iuxta, quam frater procul. *ibid.*

Melius est ergo duos esse simul, quam vnum, habent enim emolumentum societatis suæ: Si vnus ceciderit, ab altero fulcietur. Væ soli, quia cum ceciderit, non habet subleuantem. *Ecclesiast.4.*

Amicus fidelis protectio fortis, qui autem inuenit illum, inuenit thesaurum. *Eccl.6.*

Amico fideli nulla est comparatio, & non est digna ponderatio auri & argenti contra bonitatem fidei illius. *ibid.*

Amicus fidelis medicamentum vitæ & immortalitatis, & qui metuunt Dominum, inuenient illum. *ibid.*

Amicum salutare non confundaris. A facie illius non me abscondam & si mala mihi euenerint per illum, sustinebo. Omnis, qui audiet, cauebit ab eo. *ibid.* 22.

Beatus qui inuenit amicum verum. *ibid.* 25.

Amicitia stabilitatem propriam attendit.

Amici diuitum multi. *Prou.14.*

Diuitiæ addunt amicos plurimos: pauper vero etiam ab amicis deseritur. *Prouerb.19.*

Multi colunt personam potentis, & amici sunt dona tribuentis. *ibi.*

Fratres hominis pauperis oderunt eum, insuper & amici procul recesserunt ab eo. *ibid.*

Multi homines misericordes vocantur: virum fidelem quis inueniet? *ibid.* 20.

Est amicus secundum tempus suum, & non permanebit in die tribulationis. *Eccl.* 6.

Est amicus socius mensæ, & non permanebit in die necessitatis. *ibi.*

Sodalis amico condolet causa ventris, & contra hostem accipiet scutum. *ibid.* 37.

Amicitia sibi bene dici a proximo intendit.

Quomodo dicis, quod amas me, cum animus tuus non sit mecum? *Iudic.16.*

Simulator ore decipit amicum suum. Qui ambulat fraudulenter, reuelat arcana: qui autem fidelis est, amici celat commissum. *Prouerb.11.*

Sicut noxius est, qui mittit sagittas & lanceas in mortem: ita vir, qui fraudulenter nocet amico suo, & cum fuerit deprehensus, dicit, ludens feci. *ibid.* 26.

Homo, qui blandis fictisque sermonibus loquitur amico suo, rete expandit gressibus suis. *ibid.* 29.

Annuens oculo fabricat iniqua, & nemo eum abijciet, in conspectu oculorum tuorum conculcabit os suum, & super sermones tuos admirabitur. Nouissime autem peruertet os suum, & in verbis tuis dabit scandalum. Multa audiui, & non coæquaui ei: & Dominus odiet illum. *Eccl.* 28.

Occasiones quærit, qui vult recedere ab amico, omni tempore erit exprobrabilis. *Prouerb.18.*

Et est amicus, qui conuertitur ad inimicitiam, & est amicus, qui odium & risam, & conuitia denudabit. *Eccles.6.*

Equus emissarius, sic & amicus subsannator, sub omni subsidente hinnit. *ibidem.* 33.

PATRUM SENTENTIAE.

Nescio, vtrum Christianæ amicitiæ putandæ sint, in quibus magis valet vulgare Prouerbium: Obsequium amicos, veritas odium parit, quam Ecclesiasticum: Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula odientis. *Aug. in epist. ad Hier.*

Si voluntatem Dei quisque nosse desiderat, fiat amicus Deo, quia si voluntatem hominis nosse quisquam vellet, cuius amicus non esset, omnes eius impudentiam deriderent, non autem quisquam efficitur amicus Dei, nisi purgatissimis moribus. *Aug contra Manich lib.1.*

Hæc est perfecta amicitia, qua potius potiora & minus minora diligimus. Sapientem amicum & perfectam tamen diligat, qualem videt. Illum stultum, non talem, sed quæ esse perfecta & sapiens potest: quia nec seipsum debet quis stultum diligere: nam qui se diligit stultum, non proficiet ad sapientiam, nec fiet quisquam, qualis cupit esse, nisi se oderit, qualis est. *Aug. de vera religione.*

Nullius repudianda est amicitia sese ingerentis ad amicitiam copulandam, non vt statim recipiatur, sed vt recipiendus optetur, atque ita tractetur, vt recipi possit. Illum enim in amicitiam recipere debemus, cui omnia nostra consilia refundere audeamus. *Aug.12.quæst.*

Nihil sic probat amicum, quemadmodum oneris amici supportatio. Nemo nisi per amicitiam cognoscitur, & ideo amicorum mala firmiter sustinemus, quia bona eorum nos delectant & tenent. *August. ibid.*

Sicut amici adulantes peruertunt, sic inimici litigantes plerunque corrigunt. *Aug.9.confessionum.*

Nõ omnis, qui parcit, amicus est: nec omnis qui verberat, inimicus. Melius est cum seueritate diligere, quam cum lenitate decipere. *August. ibid.*

Amicitia in malo esse non potest. *August. ad Consent.*

Est quidem amici amicitia mala, quæ nec amicitia dicenda est, quia mala conscientia facit. Sũt enim homines, qui pariter mala committunt, & ideo videntur sibi iuncti, quia conscientia mala ligati sunt. Excepta illa nefaria amicitia, est quædam amicitia carnalis per similitudinem habitandi, colloquendi, simul conuersandi, vt tristetur vnus, quum deseritur ab amico, cum quo solet colloqui, & habere coniunctionem, conueniunt duo, ambulant simul triduo, & iam nolunt a se recedere: & ista quidem amicitia est honesta, sed est consuetudinis, non rationis: habent enim illam & pecora: Duo equi manducant simul, desiderant se aliam diem, præcedit vnus, festinat alter, desiderans quasi amicum suum, vix regitur a possessore, & tamdiu se impetu suo prouocat, quousque ad alium perueniat. Et est alia amicitia superior non consuetudinis, sed rationis, qua diligimus hominem propter fidem, & mutuam beneuolentiam in illa vita mortali, ac superius quicquid inuenimus diuinum esse, incipiat homo amare, & non amabit in homine, nisi Deum. *Augustin. in quodam serm.*

Non enim propterea debes amare amicum, vt aliquid tibi præstet, vt pecuniam vel aliquid commodi temporalis, non illum amas, sed id quod tibi præstat: amicus gratis amandus est, propter se, non propter aliud. Si autem coarctat te amicitiæ regula, vt gratis diligas, quam gratis amãdus est Deus, qui iubet vt hominem diligas? Nihil delectabilius Deo. *Augustin. ibidem.*

Solatium huius vitæ est, vt habeas cui pectus tuum aperias, cui arcana communices, cui secreta tui pectoris committas, vt colloces tibi fidelem virum, qui in prosperis gratuletur tibi, in tristibus compatiatur, in persecutionibus adhortetur. facilis vox & communis, tuus sum totus, sed paucioris est effectus. *Ambros. de offic. lib.3.*

Virtus est amicitia, non quæstus, quia non pecunia paratur, sed gratia, nec concertatione beneuolentiæ. Meliores amicitiæ sunt inopum plerumque, quam diuitum, & frequẽter diuites sine amicis sunt, quibus abundant pauperes. *idem.*

Non est vera amicitia, vbi est fallax adulatio. *idem.*

Obiurget amicus amicum, non iactantiæ studio, sed affectu charitatis, neque admonitio aspera sit, nec obiurgatio contumeliosa. *Ambros. de offic. non. lib.1.*

Si quid vitij in amico cognoueris, corripe occulte: si non audierit, corripe palam: errantem amicum corrige, incorrigentem animo deseras. *idem.*

Defer amico, vt æquali: nec te pudeat, si præuenias amicum in officio. Amicitia enim superbiam nescit. Nam sicut amoris est deferre, ita qui odit, quæstiones mouet: & qui amat, defert reuerentiam. *Amb. ibidem de offic.*

Amicitia, quæ desinere potuit, nunquam fuit vera. *idem.*

Amicitia rerum omnium est vinculum. *idem de fide rer inuis.*

Solem e mundo tollunt, qui tollunt amicitiam. *idem de amicitia, cap.7.*

Vera illa amicitia est, & Christi glutino copulata, quam non vtilitas rei familiaris, non præsentia corporum tantum, non subdola & palpans adulatio, sed Dei timor & diuinarum scripturarum conciliant studia. *Hieron. in epist. ad Paulinum.*

Amicitia parem aut facit aut accipit. Vbi inæqualitas & alterius eminentia, alterius subiectio, ibi non tam amicitia quam adulatio est. Vnde & alibi legimus: Sit amicus eadem anima. Et Lyricus pro amico precans: Serues, inquit, animæ dimidium meæ. *Hier. super Mich Proph.*

Delicata est amicitia, quæ amicorum felicitatem sequitur. *Hieron. ibidem.*

Obsecro te, ne amicum, qui diu quæritur, vix inuenitur, difficile seruatur, pariter cum oculis, mentem amittas. *Hier. in epist. ad Rufinum.*

In amicis non res quæritur, sed voluntas, quia & alterum ab amicis sæpe præbetur, alterum solum charitas tribuit: eadem velle & eadem nolle firma amicitia est. *Hier. ad Demetriadem.*

De amicitia omnis tollenda est suspicio, & sic cum amico quasi

cum

cum adoltero est loquendum. *Hier. in epi. 8.*

Cum incaute malorum amicitijs iungimur, eorum culpis ligamur, ab illo qui summæ rectus est, eo ipso iam discrepat, quo malorũ amicitijs, vita nostra concordat. *Greg. in pastoral.*

Vbi amicitia permanet, nil facile creditur, nil facile recipitur, quod dissidium possit operari. Si vero semel inimicitiæ occupauerint animos, omnia quæ sunt, quæ dicuntur, quæ audiuntur, ita recipiuntur, vt ad maiores proficiant inimicitias. *Chrys. in Polyer. lib. 3. super Matth.*

Non sunt fideles in amicitia, quos munus, non gratia copulat: nam cito deserunt, nisi semper acceperint. Dilectio enim, quæ munere glutinatur, eodem suspenso dissoluitur. *Isidorus li. 3. de sum. bon.*

Nonnunquam accidit, vt inter amicos aliqua redargutionis nutrita discordia maiorem postea charitatem parturiat, vtpote quũ corriguntur ea, quæ displicere in animo videntur. *Isidorus ibid.*

Amicitia & prosperas res dulciores facit, & aduersas communione temperat, & leuiores reddit, quia dum in tribulatione amici cõsolatio adiungitur, nec animus frangitur, & minus eadem patitur. *ibid.*

In prosperitate incerta est amicitia: nescitur enim, verum persona an felicitas diligatur. Sæpe enim per simulationem colitur amicitia, vt qui non potuit aperte decipere, fraudulenter inuadat. *ibid.*

Sæpe propter honorem quorundam mutãtur & mores: & quos ante conglutinatos charitate habuerunt, postquam ad culmen honoris veniunt, amicos habere despiciunt. *Isidor. de summo bon.*

Necessitas amicum probat, & intimæ charitatis ardorem splendor exhibitæ subuentionis elucidat. *Cassiod. ius in quadam epist.*

Nouæ dignitates veteres solẽt amicitias immutare. Creat enim cor nouum & nouos affectus nouæ dignitatis conscientia. Diuites facti paupertatis amicos cum paupertate fastidiunt, ne quid penes eos de veteri videatur inopia resedisse. Semper enim apud indignos mores crescit cum potestate supercilium. *ibid.*

Qui vere amicus est, omni tempore diligit, nam eum tormentum non separat, labor non laxat, thesaurus non superat, alienus amor non occupat. *Cass. in epist.*

Amicitia tanto certior est, quanto vetustior: quia facile mutari non potest: quod per longa secula custoditur. *ibid.*

Iustum est enim, vt qui amicus erat in prosperis, amicitias profiteatur in aduersis. *ibid.*

Sine amicis omnis cogitatio esset tædium, omnis operatio labor, omnis terra peregrinatio, omnis vita tormentum, siue quorum solatio viuere esset mori. *ibid.*

Amicus est, qui nobis vsu vitæ similis pio ac fideli iungitur.

Vera amicitia tantum inter bonos oritur, inter bonos profuit, inter optimos consummatur. *Cass. super Psal.*

POETICAE SENTENTIAE.

Manil. 8.

Idcirco nihil ex semet natura creauit
Pectore amicitiæ maius, nec rarius vnquam.
Vnus erat Pylades, vnus qui mallet Orestes
Ipse mori. lis vna fuit per secula mortis:
Alter quod raperet fatum, non cederet alter.
Et duo, qui potuere sequi vix noxia pœnis,
Optauitque reum sponsor non posse reuerti,
Sponsoremque reus timuit ne solueret ipsum.

Ouid. 3. Trist. 4.

Viue sine inuidia mollesque inglorius annos
Exige, amicitias & tibi iunge pares.

Lucanus ad Pisonem.

——*Dignare tuos aperire penates.*
Hoc solum nostri mas: nec enim me diuitis auri
Imperiosa fames, & habendi saua libido
Impulerit, sed laudis amor iuuat, optime tecum
Degere.

Ouid 3. Pont. 1.

Fabula narrata est, postquam vulgaris ab illo
Laudarunt omnes facta piamque fidem.
Scilicet hic etiam tota nulla ferocior ora est,
Nomen amicitiæ barbara corda mouet.

Lucanus 8.

Aduersis non deesse docet fœdata secutos.
Nulla fides vnquam miseros elegit amicos.

1. Trist 4.

Vsibus edocto si quidquam credis amico,
Viue tibi, & longe nomina magna fuge.

Ibidem.

Non foret Eumenidos orbus, si filius eius
Scuticas Achilleos non adamasset equos.
Nec natum in flamma vidisset, in arbore natas,
Cepisset genitor si Phaetonta Merops.

Horat. 1. epist. 18.

Dulcis inexpertis cultura potentis amici:
Expertus metuet. tu dum tua nauis in alto est,
Hoc age ne mutata retrorsum te ferat aura.

Lucanus ad Pisonem.

Sed lateri nullus comitem circundare quærit,
Quem dat purus amor, sed quem tulit impia merces,
Nec quisquam vero pretium largitur amico,
Quem regat ex æquo, vicibusque regatur ab illo.

Ouid. 2. de Pont.

Turpe erit in miseris veteri tibi rebus amico
Auxilium nulla parte tulisse tuum.
Turpe referre pedem, nec passu stare tenaci:
Turpe laborantem deseruisse ratem.
Turpe sequi casum & fortunæ cedere, amicum
Et, nisi sit felix, esse negare suum.
Non ita vixerunt Strophio atque Agamemnone nati:
Non hæc Aegidæ, Pirithoique fides,
Quos prior est mirata, sequens mirabitur ætas:
In quorum plausus tota theatra sonant.

Plautus Trin.

Ne amicum castigare ob meritam mallem noxiam,
Immane est facinus: verum in ætate vtile & conducibile.
Nam ego amicum hodie meum concastigabo pro commerita noxia
Inuitus, ni me id inuitet, vt faciam, fides.

Solon Auson.

Clam coarguas propinquum: at palam laudaueris.

Horat. 1. Serm. 4.

——*Absentem qui rodit amicum,*
Qui non defendit alio culpante, &c.
Hic niger est: hunc tu Romane caueto.

Plaut. Most.

Bene igitur ratio accepti, atque expensi inter nos conuenit.
Tu me amas, ego te amo: merito id fieri vterque existimat.
Hæc qui gaudent gaudeant perpetuo suo semper bono.

Plaut. Bacchid.

Multi more isto atque exemplo viuunt, quos cum censeas
Esse amicos, reperiuntur falsi falsimonijs,
Lingua factiosi, inertes opera, sublesta fide.

Idem Pseud.

Pauci ex multis sunt amici homini qui certi sient.

Silius 12.

——*Quæ tanta oblitio recti*
Magnam, atque in magnis rebus, populisque virisque,
Aduersam ostentare fidem? nunc tempus inire
Prælia pro Rutilis, nunc signa aciemque mouere.
Dum trepidæ res, & medicinam vulnera poscunt,
Is locus officio, cum cessant prospera cumque,
Dum ad opem fortuna vocat, nam læta fouere
Haud quaquam magni est animi decus.

Terent. Adelph.

——*Nam vetus verbum hoc quidem est:*
Communia esse amicorum inter se omnia.

Plaut. Epid.

Is amicus est, qui in re dubia re iuuat,
Vbi re est opus.
Nihil homini amico est opportuno amicius.

Horat. 1. Serm. 3.

At pater vt gnati sic nos debemus amici,
Si quod sit vitium non fastidire.

Petronius Arbiter.

Cum fortuna manet, vultum seruatis amici:
Cum cecidit, turpi vertitis ora fuga.

Plaut. Trin.

Bene si amico feceris, ne pigeat fecisse,
Vt potius pudeat, si non feceris.

Ennius Anns.

Hoc se locutus vocat, qui cum bene sæpe libenter
Mensam, sermonesque suos, rerumque suarum
Comiter impertit, magna cum lapsa dies
Parte fuisset de paruis summisque gerundis
Consilio indu foro, lato, sanctoque Senatu.
Cui res audacter magnas, paruasque, iocumque
Eloqueret, quæ tincta malis, & quæ bona dictu
Euomeret, si quid vellet, tutoque locaret:
Quo cum multa volup' ac gaudia clamque palamque.
Ingenium, cui nulla malum sententia suadet,
Vt faceret facinus: leuis, at non haud malus idem
Doctus, fidelis, suauis homo, facundus, suoque
Contentus, scitus, atque beatus, secunda loquens in
Tempore, commodus, & verborum vir paucorum,
Multa tenens antiqua, sepulta & sæpe vetustas
Quæ facit, & mores, veteresque nouosque tenentem.

Multo

Multorum veterum leges, diuumq; hominumq;
Prudentem, qui multa loqui iure, tacere vetusset:
Hunc inter pugnas compellat Seruilius ipse.

Hesiod. lib. 1.

Τὸν φιλέοντ' ἐπὶ δαῖτα καλεῖν, τὸν δ' ἐχθρὸν ἐᾶσαι.
Τὸν δὲ μάλιστα καλεῖν, ὅστις σέθεν ἐγγύθι ναίει.
Εἰ γάρ τοι καὶ χρῆμα ἐγχώριον ἄλλο γένηται,
Γείτονες ἄζωστοι ἔκιον, ζώσαντο δὲ πηοί.
Amicus ad conuiuium vocato, inimicum vero sinito.
Eum vero potissimum vocato, quicunque te prope habitat,
Si enim tibi & negotium aliquod domesticum accidat,
Vicini discincti accurrunt, cinguntur autem cognati.

Idem lib. 2.

Δειλός τοι ἀνὴρ φίλον ἄλλοτε ἄλλον ποιεῖται.
Miser namq; vir alium facit amicum.

Theognid.

Πιστὸς ἀνὴρ χρυσοῦ τε καὶ ἀργύρου ἀντερύσασθαι
  Ἄξιος, ἐν χαλεπῇ Κύρνε διχοστασίῃ.
Παύρους εὑρήσεις Πολυπαΐδη ἄνδρας ἑταίρους
  Πιστοὺς ἐν χαλεποῖς πράγμασι γιγνομένους
Οἵτινες ἂν τολμῷεν, ὁμόφρονα θυμὸν ἔχοντες,
  Ἴσον τῶν ἀγαθῶν τῶν τε κακῶν μετέχειν.
Fidelis vir auro que & argento rependi
  Dignus (est) in molesta Cyrne seditione.
Paucos inuenies ô Polypaida veros amicos
  Fideles, ac difficilibus rebus persistentes.
Qui ausint concordem animum habentes,
  Atque bonorum malorumq; participes esse.

Hesiodus.

Μηδὲ πολύξεινον, μηδ' ἄξεινον καλέεσθαι.
Nec multis, nec paucis dicaris amicus.

Ex Comicis & Tragicis Græcis.

Οὐκ ἔστιν οὐδὲν κτῆμα κάλλιον φίλου.
Nulla est amico pulchrior possessio.
Φίλους ἔχων νόμιζε θησαυροὺς ἔχειν.
Cui sunt amici esse sibi thesauros putet.
Μακάριος, ὅστις ἔτυχε γενναίου φίλου.
Generosum amicum possidens, beatus est.
Νόμιζ' ἀδελφοὺς τοὺς ἀληθινοὺς φίλους.
Veros amicos ducito fratrum loco.
Ἴσον θεοῖς τοὺς φίλους τιμᾶν θέλε.
Honora amicos tanquam honorares Deos.
Ἐν τοῖς δὲ δεινοῖς χρημάτων κρείττων φίλος.
Nummis potior amicus in periculis.
Ἐν τοῖς κακοῖς δὲ τοὺς φίλους εὐεργέτει.
Sis beneficus amico in periculis.
Μὴ φεῦγ' ἑταῖρον ἐν κακοῖσι κείμενον.
Ne fuge sodalem, quum calamitas ingruit.
Φίλον δι' ὀργὴν ἐν κακοῖς μὴ παρίδῃς.
Amicum ob iram deserere caue in malis.
Ἰδίας νόμιζε τὰς φίλων τὰς συμφοράς.
Casus amicorum esse censeas tuos.
Φίλος φίλῳ γὰρ συμπονῶν αὑτῷ πονεῖ.
Sibi laborat ipsi amico qui fuit.
Καλὸν θέαμα δ' ἐστὶν εὖ πράττων φίλος.
Est dulce amici res videre prosperas.
Κρίνει φίλους ὁ καιρὸς ὡς χρυσὸν τὸ πῦρ.
Vt ignis aurum, tempus ita amicum probat.
Φίλον βέβαιον ἐν κακοῖσι μὴ φοβοῦ.
Ne fidum amicum seue in aduersa time.
Ἀνδρὸς κακῶς πράσσοντος ἐκποδὼν φίλοι.
Aduersa cui sors, huic amici sunt procul.
Τὰ χρήματ' ἀνθρώποισιν εὑρίσκει φίλους.
Inuenit amicos hominibus pecunia.
Ἐὰν ἔχωμεν χρήματ', ἕξομεν φίλους.
Habebo amicos, si habuero pecuniam.
Πολλοὶ τραπέζης, οὐκ ἀληθείας φίλοι.
Plerosq; amicos mensa habet non veritas.
Δεῖ τοὺς φίλους τὰς πίστιν, οὐ λόγους ἔχειν.
Habere amicum haud verba, sed fidem decet.
Πειρῶ φίλοισι μὴ κακὸς εἶναι φίλος.
Conare amicis esse amicus non malus.
Κακὸν φέρουσι καρπὸν οἱ κακοὶ φίλοι.
Fructus amici proferunt mali malos.
Καλὸν τὸ μηδὲν εἰς φίλους ἁμαρτάνειν.
Delinquere in amicos nihil, laudabile.
Ὀργῆς χάριν τὰ κρυπτὰ μὴ 'κφαίνης φίλου.
Arcana amici ne per iram prodito.
Φίλος με βλάπτων οὐδὲν ἐχθροῦ διαφέρει.
Ledens me amicus ab inimico haud discrepat.
Φίλου ἔπαινον μᾶλλον ἢ σαυτοῦ λέγε.
Dic laudem amici potius ipse quam tuam.
Οὐκ ἔστιν οὐδεὶς ὅστις οὐχ αὑτὸν φιλεῖ.
homo nullus est, qui non amicus sit sibi.
Φιλεῖ δ' ἑαυτοῦ πλεῖον οὐδεὶς οὐδένα.
Haud vllus aliquam sibi est amicior.
Λίαν φιλῶν σεαυτὸν οὐχ ἕξεις φίλον.
Tibi te amanti nimis, amicus non erit.
Μηδέποτε μεταξὺ δύο φίλων εἶναι κριτής.
Ne sis amicos inter arbiter duos.
Ἐπὰν ἐν ἀγαθοῖς ὄντα φίλον ἰδῃς τινά,
Ζητῇ τι κρεῖττον ὧν ἔχει, ζητεῖ κακά.
Bona possidere quisquis & amico potest:
Is melius aliquid si petit, malum petit.
Φίλου τρόπους γίνωσκε, μισήσῃς δὲ μή.
Mores amici noueris, non oderis.
Ἄδικον τὸ λυπεῖν τοὺς φίλους ἑκουσίως.
Res est iniqua sponte amicos lædere.
Τῶν μὲν τὸ σῶμα διατεθειμένων κακῶς
Χρεία 'στὶν ἰατροῦ, τῶν δὲ τὴν ψυχὴν φίλου.
Λύπην γὰρ εὔνους οἶδε θεραπεύειν λόγος.
Quemadmodum ægro medicus est in corpore
Sic est amicus mentis ægritudini.
Nam verba amica sunt medela commoda.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Quis esset tantus fructus in prosperis rebus sublata benignitate? quæ & in amicos extat maxime, & amplissimis laudibus afficitur. *Aristot. lib. 8. Eth. c. 1.*

Tum vocadi sunt amici maxime, cum leui suscepta molestia ei profuturi sunt plurimum. *ibid.*

Cum casus posterorum ac amicorum omnium nihil omnino nos attingere, valde ab amici officio, alienum sit, sententijsque omniũ repugnare videatur *lib. 1. Eth. c. 11.*

Gratificari & opitulari amicis, vel peregrinis, vel sodali, iucundissimum est. *lib. 2. Mag. Moral. c. 5.*

Ciuitatib. nihil maius aut melius amicitia dari pōt. *li. 2. de Repub. c. 2*

Duæ causæ sunt, quæ hominibus inter ipsos necessitudinem amoremque conciliant: id quod priuatum est, & id in quo est, causa diligendi. *ibid.*

Morum dissimilitudo dissociat amicos, *lib 1. Oeconom. c. 4.*

Affinitates extiterunt in ciuitatibus & sodalitates, & sacrificia, & rationes vitæ victusque communis, quod amicitiæ officium est: quandoquidem in coniunctionis vitæ voluntate amicitia cernitur. *lib. 3. de Repub. c. 6.*

Quæ amicorum opera fiunt, per nos fiunt quodammodo: quia principium in nobis situm est. *lib. 3. Ethic c. 3.*

Sũt amicitiæ species, sodalitium, familiaritas, propinquitas, & quæcunque eiusmodi. Amicitiam vero efficiunt gratia, & si quid feceris non rogatus, & non significans cum feceris: sic enim ipsius causa videris & non aliud fecisse. *lib. 2. Rhetor ad Theodect. c. 4.*

Amicorum studiosum esse pulchrius est, quam pecuniarum. Quare, studia quoque in amicos pecuniarũ studio. *lib. 1. Rhet. ad Theodect. c. 7.*

Eos amicos comprobabimus, qui sint nobis moribus non dissimiles, & quibus eadem quæ etiam nobis conducant: & quibus magnis in rebus communis nobiscum fortuna sit. Talis enim amicitia perdurat maxime. Socios autem eos facere debemus, qui & iustissimi sint, & non mediocri valeant potentia: & in proximo habitent. Hostes autem faciemus, qui horum sunt contrarij. *in lib. Rhet. ad Alex c. 39.*

Plenæ sunt obiurgationum, plenæ quærelarum & criminationum ex omnes amicitiæ, quæ fructibus emolumentisque dirigun tur. *lib. 8. Ethic. c. 13.*

Ita definiendus est fortasse numerus amicorum, vt non plures sint, quam cum quibus vitam liceat traducere. *lib. 9. Ethic. c. 10.*

Amor est veluti quædam excellens ac præstans amicitia, quō vnus tantum cum vno iungitur. *ibid.*

Amicitia ex ijs maxime causis gignitur. Si gratis beneficium dederis, si non rogatus, si postea quum dederis, tu illud non inuulgaueris. *lib. 2. Rhetor. c. 4.*

Suauis est amicorum præsentia, & in prosperis rebus & aduersis. Mœrores enim & luctus facit amicitia communicans partiensque leuiores. *lib. 9. Ethic. c. 11.*

Amici aspectus suauis est, ei præsertim, qui in miserijs luctuque versetur: in eoque ad depellendum dolorem præsidium quoddam est paratum & constitutum. *ibid.*

Amicus si verus sit & ingenuus, aspectu & sermone consolari potest. *ibid.*

Vltro ad societatem & communionem prosperitatum amici vocādi sunt: (nam pulchrum est benignitate vti haud grauate) ad societatem vero calamitatum, timide ac raro. *ibid.*

Magnum est ad amicitiam momentum, vna educatos & æquales esse: quoniam & æqualis æqualem delectat: & vitæ consuetudine fiunt sodales. *lib. 8. Ethic. c. 12.*

Amicitia, quam morum similitudo bonorum conglutinauit, quoniam propter se est, permanet. Hanc autem talem amicitiam

virtus

virtus conglutinauit, in qua ex animo & voluntate ponderanda est remuneratio. *lib. 9. Ethic. c. 1.*

Amicitia inibi esse dicimus, vbi est amor reciprocus. *lib. 2. Mag. Mor. c. 11.*

Ab ijs, qui amicitias vtilitatibus & suauitate dirigunt, cum hæc quidem non assequuntur, non est alienum discedere. *lib. 9. Ethic. cap. 3.*

Vt amicis potius gratificari putamus oportere, quam externis: sic veteri amicitiæ aliquid tribuendum est, nisi propter quandam insignem improbitatem facta sit distractio. *Ibid.*

Per se optabilis amabilisque amicus est: & præterea nobis multorum bonorum author esse potest. *Libro primo Rhetoricorum capite 6.*

Amor quidam est erga inanimata, vt erga vinum. *lib. 2. Mag. Mor. cap. 15.*

Amicitia nulla est, nec ius vllum cum rebus inanimis: nec cum equo quidem & boue: nec cum seruo, quia seruus est, *libro octauo cap. 11.*

Amicitiarum fucatarum illa magis nomen videtur obtinere amicitiæ, quæ delectatione & iucunditate vitæ dirigitur. *Ibid.*

Cum in eo magis cernatur amicitia, vt diligamus, ijque, quibus chari sunt amici, laudentur, fit vt amicorum virtus sit in amando. Itaque omnes, qui hoc faciunt pro dignitate, amici stabiles constantesque sunt habendi: eorumque firma & stabilis amicitia est. *lib. 8. Ethic. c. 8.*

Prouerbium illud recte, *Amicorum bona communia*: quandoquidem amicitia in societate consistit *lib. 8. Ethic. c. 9.*

In malorum amicitia nihil firmum, nihil stabile est: quippe qui sui similes non permaneant. Ad tempus amicitias colunt: cum interim sua inter se alter alterum improbitate flagitiisque oblectāt *lib. 8. Ethic. c. 8.*

Amicitia aut virtus est, aut cum virtute coniuncta. *lib. 8. Ethic. cap. 8.*

Amicitia ad vsum vitæ est necessaria maxime. *Ibid.*

Vt quisque maxime opibus, principatu & potestate excellit, ita amicis indiget maxime. *Ibid.*

In paupertate ceterisque asperis rebus omnibus amicorum bonitatem perfugium solum putant commune esse omnium. *Ibid.*

Videtur amicitia Rempubl. continere, & maiore, quam iustitia, in studio legumlatoribus. *Ibid.*

Amici & beneuolentia inter se aperte colligati debent esse, & se velle vltro citroque bonis affici. *lib. 8. Ethic. c. 2.*

Omnis amicitia vel ad fructum dirigitur, vel ad voluptatem: idq; fit aut simpliciter ac per se, aut eius quo cum intercedit amicitia & omnis quadam inter amicos paritate & similitudine constat, quæ huic per se insunt omnia. *lib. 8. Ethic. c. 3.*

Amicitiæ propter voluptatem ac propter vtilitatem, fucatæ sunt & fortuitæ amicitiæ: quoniam non idcirco qui diligitur, colitur, quia is ipse sit: sed quia vel vtilitatis minister sit, vel præbitor voluptatis. Quo circa celeriter hæ tales amicitiæ dirimuntur. *Ibidem.*

Perfecta illa amicitia est, qua viri boni pari virtute præditi, inter se coniuncti sunt & copulati. Et qui amicos affici bonis cupiunt: illorum causa ij maxime amici habendi sunt. *lib. 8. Ethic. c. 3. & lib. 2. Mag. Mor. c. 11.*

Locorum interualla funditus non tollunt amicitiam, sed officia & actionem. Quod si sit diuturna absentia: amicitiam quoque delet ac obruit obliuione. Vnde prouerbium: *Sæpe periisse amor est per longa silentia visus. lib. 8. Eth. c. 5.*

Perfecta cum multis amicitia institui non potest: sicuti fieri non potest, vt insano amore vna multi colantur. *libro octauo. Ethicorum cap. 6.*

Est amicitiæ principium & fons beneuolentia: quemadmodū amatoriarum leuitarum est ea voluptas, quæ ex sensu oculorum capitur. *lib. 9 Eth. c. 5.*

Beneuolentiam translato nomine otiosam amicitiam licet dicere: quam tempore confirmatam cum auxit consuetudo, amicitia nascitur, non quæ vtilitatis aut suauitatis causa fingitur: quandoquidem eorum causa nemo cum alio beneuolentia coniungitur. *Ibidem.*

Beneuolentia quanquam videtur, tamen non est idem, quod amicitia: nam beneuolentia cum ijs etiam coniuncti sumus, quos ignoramus, eademque occulta esse potest: amicitia secus. *Ibidem.*

Qui alijs benigne agunt, eorum causa, nulla vtilitate quæsita, eos beneuolos appellant: si idem ab illis vicissim non fiat, *libr. 8. Eth c. 2.*

Quadam seneri & tristes homines beneuolentia inter se coniungūtur, cum suos bonis velint affici, & adiumenta præsidiaque suis rebus duris petant: tamen amicitia inter eos locum non habet: quod cum alijs versari nequeant. *l. 8. Ethic. c. 6.*

Pulchrum est benefacere, non vt gratiam exigas, beneficijs autem affici vtile & fructuosum. Referenda quidem est gratia, si modo possis, idque vltro. *lib. 8 Ethicor. cap. 13.*

Incidunt huiusmodi tempora cum beneficium quo prouocati sumus reddendum non est. *lib. 9. Ethic. cap. 2.*

Benefici vehementius eos diligere videntur, in quos beneficia contulerunt, quam ij, qui acceperunt, eos qui dederunt. *libr. 9. Ethic. c. 7.*

Ij qui bene meriti sunt, eos diligunt, & charos habent, apud quos beneficia collocarunt, etiamsi in præsens nihil ex ijs emolumenti percipiant nec sint percepturi in posterum *Ibid.*

Qui beneficium accepit, opus beneficiorum est, quod eis charius est, quam operis procreator & author. *Ibid.*

Amicos probabis ex calamitate in vita, & communicatione periculorum. Aurum enim igne probamus, amicos aduersa fortuna cognoscimus. Item: Vera amicitia tria requirit maxime, virtutē tanquam honestam, & familiaritatem vt iucundam, & vsum tanquam necessarium: nam vbi iudicaris, recipere debes, & congressu lætari, & vti si egeas. *Max. serm. de amicitia. Plura vide apud Isocratem ipsum admonit. ad Nicoclem.*

Amicitia est diuinarum humanarumque rerum summa cum beneuolentia consensio. *Cic. de amic.*

Ita ciues potiores quam peregrini, propinqui quam alieni, cum his enim amicitiam natura ipsa peperit, sed ea non satis habet firmitatis, nam in hoc præstat amicitia propinquitati, quod ex propinquitate beneuolentia tolli potest, ex amicitia non potest. Sublata enim beneuolentia, amicitię nomen tollitur, sed propinquitas manet. *Ibid.*

Excepta sapientia nihil melius datum est homini a dijs immortalibus amicitia. Quid enim dulcius, quam habere cum quo omnia audeas sic loqui vt tecum? Quis esset tantus fructus in prosperis rebus, nisi haberes amicum, qui illis æque ac tu ipse gauderet? Aduersa etiam ferre difficile esset, sine eo, qui illa grauius etiam quam tu feret.

Amicitia res plurimas continet, quocunque te verteris, præsto est, nullo loco excluditur, nunquam intempestiua, nunquam molesta est. Itaque non aqua, non igne locis pluribus indigemus, quā amicitia. Nam secundas res splendidiores facit: & aduersas partiens communicansque leuiores.

Non sum amicus, nisi quicquid agitur ad rem pertinens, meum sit, consortium omnium rerum inter nos facit amicitia, nec secundis quicquam singulis, nec aduersis commune viuitur: conuersari cum amicis habentibus licet, & quidem quoties velis, quamdiu velis, amicus animo possidendus est. *Sen epist. 48.*

Non potest quisquam bene degere, qui se tantum intuetur. Alteri viuas oportet, si vis tibi viuere. Hæc societas diligenter & sancte obseruata, quæ nos homines hominibus miscet, & indicat aliquod esse commune ius generis humani. *Ibid.*

Nihil æque ægrum reficit, sicut amicorum affectus: non iudico me mori, quum illos superstites reliquero: puto, inquam, me victurum, non cum illis, sed per illos. *Idem. 79. epist.*

Dissimilitudo morum, distantia vitæ, & ingenia contraria soluunt amicitiam. Amicitias probatas enixe pete, constanter retine, perenniter serua, inimicitias indictas exerce honeste, tarde crede, celeriter depone. *Idem in extrema parte epist.*

Omnes amicos habere operosum est: satis est inimicos non habere. *Ibid.*

Nunquid amici noui anteponendi sunt veteribus: vt equis veteribus teneros anteponere solemus? Hæc indigna homine dubitatio est, vetustissima quæque debent esse suauissima in amicitia *Ibidem.*

Nullum habet maius malum occupatus homo, & bonis suis obsessus, quam quod amicus sibi putat, quibus non est, & quod beneficia sua efficacia iudicat ad faciēdum amicos, cum quidam quo plus debent, eo magis oderunt. *Ibid.*

Qui se spectat & propter hoc ad amicitiam venit, male cogitat, quemadmodum cœpit, sic desinet: necesse est vt initia inter se & exitus congruant. Qui enim vtilitatis causa assumptus est, tandiu placebit, quamdiu vtilis fuerit, hunc florentēs amicorum turba circumsedit, circa euersos solitudo est, & veri amici fugiūt, vbi probantur. *Idem 9. epist.*

Negotiatio est non amicitia, quæ ad commodum accedit, detrahit enim amicitiæ, qui illam parat ad bonos casus. *Idem in epist.*

Si aliquem amicum existimes, cui non tantum credis quantum tibi, vehementer erras, & non satis nosti vim veræ amicitiæ? *Idem epist. 3.*

Falsi amici pro consilio adulationem adferunt, & vna est eorum contentio, qui blandissime fallant. *Idem in extrema par. epist.*

Cum amicis breues rationes, lōgas amicitias oportet habere. Principium amicitiæ, bene loqui, grande exordium inimicitiarum maledicere, amicum prosperitas inuenit, sed aduersitas probat. *Ibidem.*

Amicos in secreto mone, palam autem lauda. vires tuas amici magis sentiant beneficiis quam iniurijs. *Idem de mor.*

Amici vitia si feras, facis tua. Ita amicum habeas, vt inimicum putes, ita crede amico, ne sit inimico locus. *Senec. in Prouer. Philosoph.*

Nulla pusilla domus, quæ multos recipit amicos. Talem diligentiam

tiam cahibe in amicis comparandis, ne incipias amare, quæ dein ceps possis odisse. *Ibid.*

Quanti tales amicos habere voluerunt, & ipsi tales esse non possunt. Tu primum eahibe te bonum, & quære alterum similem tibi. *Ibid.*

Amico mutuam roganti me pecuniam si dedero, & amicum & pecuniam perdo. *Ibid.*

Coagulum amicitiæ est cum bonis conuiuium. *Ibid.*

Quis est amicior quam frater fratri? Aut quem alienum fidum inuenies, si tui hostis fueris? *Salust. in Iugur.*

Non eaercitus, neque thesauri, præsidia regni sunt: verum amici, quos neque armis cogere, neque auro parare queas: officio & fide parantur. *Idem.*

Cupere eadem, eadem odisse, eadem metuere, homines in vnum cogunt: sed hæc inter bonos amicitia, inter malos factio est. *Idem.*

Idem velle atque idem nolle, ea demum firma est amicitia. *Idem.*

Mihi defunctorum amicorum cogitatio dulcis est: habui enim illos tanquam amissurus: amisi tanquam habeam. *Seneca epist. 3.*

Sunt qui effusius mœrent, quia verentur ne dubium sit an amauerint. Sera iudicia sui affectus quærunt. Si habemus alios amicos, male de his & meremur & existimamus, quia parum valent in vnius elati solatium. Si non habemus, maiorem iniuriam ipsi nobis facimus, quam à fortuna accepimus, illum vnum abstulit, nos quemque non facimus: deinde nec vnum quidem nimis amauit, qui plusquam vnum amare non potuit. *Idem ep. 63.*

Πάντων μὲν ἀποστερεῖσθαι λυπηρόν ἐστι καὶ χαλεπὸν, ἄλλως τε κἂν ὑπ' ἐχθροῦ τῳ τοῦτο συμβαίνῃ, μάλιστα δὲ τῆς παρ' ὑμῶν εὐνοίας καὶ φιλανθρωπίας, ὅσῳπερ καὶ τὸ τυχεῖν τούτων μέγιστον ἐστὶν ἐκ τοῦ περὶ τοῦδε.

Cum rebus quidem omnibus priuari acerbum & graue sit, præsertim si ab inimico illud eueniat: tum vero maxime beneuolentia vestra & humanitate quanto à vobis ea consequi maaimum est. *Demosth. in orat. de coron.*

Οὐ μεῖζον οὐδὲν ἂν ὑμῖν γένοιτο ἀγαθὸν, ἢ παρὰ πάντων ἐχόντων ἀνυπόπτου τυχεῖν εὐνοίας ἐκ τοῦ περὶ τῆς τῶν Ῥοδ. ἐλευθ.

Nullum maius bonum vobis contingere potest, quam omniom beneuolentiam, nulla adiuncta suspicione summa illorum voluntate consequi. *Demosth. in oratione de lib. Rhodiorum.*

De amicitijs infidelibus. Dial. XXVIS.

Franciscus Petrarcha.

Dol.

De amicitia queror. R. Quid hic hostibus faciat, qui de amicis querimoniam instituit? D. Amicos caperior infideles. R. Impossibilem rem narras. Ne forte autem amicos credideris, qui non erant, oempe id non modo possibile, sed commune est. D. Infideles sunt amici. R. His querelis plenus est orbis terræ. Verum amicitia, infidelitasque non coeunt. Qui infidelis esse incipit, desinit esse amicus, seu (quod potius crediderim) nunquam fuit. Cùque omnis virtus immortalis sit, omnis fictio æui breuis. Non fides est sublata, sed fictio. D. Infidos experior amicos. R. Amici falso habiti, si nunc primum infidelis animi latebras pandunt, erroris tui finem lætus aspice, & caueto interim ne morbi contagia in te serpant, sed quicunque illi fuerint, tu amicitiæ fidem serua, & si non propter meritos, at propter te meritum aliena peste non infici, quod libentius facies, si quantum tibi displiceant illorum præsidia, ipse tecum acriter excusseris. Sæpe vitij odium calcar ad virtutem fuit. D. Immeritus amicorū odia contraxi. R. Odiosi ciues, odiosi socij, odiosi cognati, odiosi coniuges, odiosi fratres odiosus demum patri filius, & filio pater. Et ad summam nulla necessitudo est, quæ non odijs esse possit infecta. Sola quidem amicitia sincera mali huius ignara est. Interque hanc, & reliquas, hoc interesse diffiniunt, quod illæ omnes adiuncto odio durant, nomenque suum retinent. Huic vni non modo, si odium accesserit, sed si amor abscesserit, amicitia iam non est, neque vero magis odiosus amicus esse potest quam amor etiam odiosus. D. Perfidos patior amicos. R. Si quid spei reliquum, perfer, dum in fidē redeant, & ardenter ama. Multi enim tepido amore amicitias extinxerunt, aut parum fidendo perfidiam docuere. Si nec ita proficis, spesque omnis loteriit, vtere consilio Catonis, qui amicitias quæ non placent, sensum dissuendas censuit, non subito discindendas ne geminum graue damnum simulque & amici perditi videantur, & quæsiti hostes, nisi forte acrior casus ac moræ impatiens maturo consilio vti vetet, qui si incidat inter ærumnas amicitiarum vltimas numerandus erit, ferendus tamen alto animo, vt reliqua, cedendumque necessitati, & parendum tempori, sed hic casus veræ vix amicitiæ tunc notus est.

De amicitijs Regum. Dial. XLIX.

Gavo.

Quæsini mihi Regum amicitias. R. Hominum vera amicitia rara est. Tu tibi Regum fingis amicitias, quos fortunæ splendor tumorque animi omnium imparium contemptores facit. G. Regibus carùs sum. R. Vilis ergo tibi est anima, virtus, fama, quies, ocium, securitas: notus est mos Regum. Vix diligunt, nisi qui his omnibus neglectis & abiectis illorum se sæuitiæ, ac libidini, & auaritiæ seruum fecit. Si ergo es charus Regibus, nō est quod amplius de te quæram, vilis es tibi. G. Ego autem bonitate ac virtute sum charus Regibus. R. Quid respondes Crispo? Nam regibus, inquit, boni quam mali suspectiores sunt, semperque his aliena virtus formidolosa est. G. Regi meo bonis artibus sum carus. R. Quibus, quæso, aucupio an venatu? Horum enim studiosum in præcedenti te colloquio quodam notaui. An vero militia, de qua proxime disputatum est, quæ nisi largo sanguine magnisque periculis honestetur, non militiæ, sed militaris ignauiæ nomen tenet, non Regum modo iudicio, sed vulgi. G. Bonis artibus regi carus sum. R. Vanitate, an periculo, an criminibus? fortassis homicidio, veneficio, lenocinio, proditione, blanditiis, atque mendacijs, mala peste, sed publica, quanquam vsus eacuset, & commeodet vrbanitas. Hæ sunt quidem artes promerendis regibus aptiores, quibus inimicius nihil est quam virtus & literæ. In his igitur nulla spes ad amicitias regū, odij potius causa sunt. Sic inter sapientiam, ac fortunam rara est paa. G. Magnus apud regem sum. R. Maior ne quam apud Alexandrum Lysimachus, apud Tiberium Seianus? vtriusque magnitudinem & ruinam nosti. Etsi de primo varient scriptores, linquo alios, longa est historia. G. Carus sum regi meo. R. Melius esses incognitus, melius forsitan odiosus, fugeres quod nunc sequeris discrimen. Peior est auibus inuitantis aucupis blanda modulatio, quam villici sonitus deterrentis. G. Meo sum carus regi. R. Sunt quorum dubites periculosior ne sit caritas, an odium, peiores serpentibus, quibus insunt veneni miara remedia. In his vero nil nisi pestilēs ac nociuum inest, seu oderint, seu diligant, prope par malum, nisi quod odium fugat, amor detinet. Et ad summam regum amicitiis præter regna ipsa nil vsquam inquietius, nilque periculosius, & si hoc periculum non ignorē frustra sæpe multis optatum, sæpe magnis emptum, quæsitumque periculis. Sic est vsus hominum, sic periculis emitur periculum multis vnum, magnis maximum. Mira res: bonum ingens spernitur gratuitum, magnis malis maius malum quæritur. G. Spero me Regi meo carum. R. Id de quo speras, quale sit cogita: fundamentum fragile, tremulum, caducum, crebræ notæque regum indicant ruinæ, Vertex nubilosus, turbidus, inquietus, quod sic esse vita Regum probat tristis, occupata, difficilis. Vide ergo vbi struxeris, vt fortuna sic voluntas regum varia, & inconstans, ac semper incerta, quanquam nec stātibus illis boni aliquid ista res habeat, mali multum. G. Amicitiam regis mei multis periculis ac sudore promerui. R. Heu quanto tutius quantoque facilius Regis omnium amicitiam meruisses.

De amicorum abbundantia. Dial. L.

Gavo.

Amicitijs abundo. R. Mirum tibi vni rei huius abondantiam esse, cuius quidem cunctis hominibus penuria tanta sit, vt ea omnibus sæculis via paucissima memorentur amicorum paria. G. Mihi amicitiæ multæ sunt. R. Fucatæ igitur. Veræ enim amicitiæ rarum bonum, vsque adeo, vt qui vnam longa licet in ætate quæsieris negociator rerum talium sat industrius habeatur. G. Amicitijs felia sum. R. Hoc scire non potes, nisi rebus alijs sis infelia. Verum enim est illud: *Felix se nescit amari.* G. Amicitiæ certæ sunt. R. Ergo & aduersitas certa est. Verum est enim illud quoque: *Amicus certus in re incerta cernitur.* G. Amicitiæ multæ sunt. R. Huius rei iudicium eaperientiæ committe, non famæ multa mentiri solitæ. Pauciores erunt fortassis quam reris. G. Amicitiarum nimis magna copia est. R. Mitte superuacua in rebus omnibus, qui quod satis est habet, amplius non requirat. G. Amicorum satis magna copia est. R. At id ipsum neque populo Romano tum cum maaime floreret, neque vlli mortalium contigisse apud illustrem legis historicum. G. Amicitiæ multæ sunt. R. Dixi iam, fictæ igitur, aut equidem imperfectæ, (vt philosophis placet) quoniam fieri potest, vt vno tempore cum altero amicorum sit gaudendum, flendumque cum altero, aut inter illos orto odio vel hinc fidem vel illinc vel vtrinque deserere sit necesse. G. Copia est vtilium ac delectabilium amicorum. R. Sētio, ad vulgares amicitias descendas, quæ tamē ipsæ simul plures esse via possunt, quod multis retribuere familiariterque conuenire operosissimū sit, animo præsertim in eaecutione cuiuspiam difficilis atque ingenui operis occupato. G. Amicos qui prosint, & delectēt habeo. R. Caducæ amicitiæ, quarum delectatio vel vtilitatis fundamentum est. Nā & stantibus illis tremunt, & recedentibus ruunt. Id nō possibile tantū, sed perfacile, immo vero prope necessariū, quod hæc plerunque vel fortunā sequūtur, vel ætatē formæque gratiam, quibus nihil incertius. At quæ in virtute fundantur immortales sunt, eo quod virtus ipsa quiddam stabile firmumq; sit & (vt verbo vtar Aristotelis) mansurumque, quoniā mori nequit. Ideo quos propter honestum dileaimus diligimus vel extinctos. G. Amicos ni fallor fidos habeo. R. Vide autem

tem ne fallaris, neve experiri cupias. Nam sæpe cuius rei fuerat dulcis opinio amarum fuit experimentum. G. Amicos puto bonos habeo. R. Vnde id putes etiam atque etiam examina, atque illud in primis quantum ipse ames. Sunt enim qui non ament & amari putant, quo nihil est stultius. Isque communis error est diuitum, amorem pretio emi credunt, qui mutuo quæritur amore. Generosissima res est bonus animus, non herbis neque carminibus magicis mouetur. Non auro aut gemmis, non ad extremum ferro flectitur, amando vincitur colendoque. Estque hoc Hecatonis Græci philosophi amatorium notissimum, quod Senecæ placuit & mihi. Si vis amari ama, quanquam & hoc ipsum sæpe frustra est, tam multæ tamq; imperscrutabiles ac profundæ sunt pectorum cauernæ, tam venenosi atque inhumani, & implacabiles quorundam animi, vt & culti spernant & amati oderint, nec contenti nullam pio affectui vicem reddere (quod nec beluis quidem nisi atrocissimis accidit) exasperantur obsequio, & (si credi potest) amore ad odium irritantur, quod periculosissimum & inter vitæ mala grauissimũ humana simplicitas experitur. G. Credo me amicos optimos habere. R. Est hoc quidem amicitiæ perpetuum epitheton, quod & si linguæ absit, adest intellectui. Itaque breuius loqui potes. Dic amicos, vna optimos dixeris. G. Habere amicos credo. R. Caue ne falsum credas, ne quando aliter credere ipsa res cogat. Abyssum animi metiri non est hominis. Nunc amicos vobis vina conciliant, lachrymæ autem probant, & quod debuit primũ esse nouissimum est. G. Amici in hoc statu rerum multi sunt. R. Rerum credo felicium. Ita enim fermo accidit, vt & si fortuna omnis amicitijs egeat, illi tamen amicorum copia maior sit, cui rerum ceterarum indigentia minor est, sic inopiam semper inopia, copiamque comitetur copia. Crescat siue adueniat egestas, decrescent seu abibunt, seu verius detegũtur amicitiæ, qui amici tui fuerunt, qui fortunæ, illa videbitur abeunte. Te tui sequentur, illam sui, hæc melior, illa densior caterua. Nec est quod mirari debeas vase exhausto illos abscedere, qui solam vini dulcedinem sequebantur. Aduersitas simulatos ẽ abigit, fæx potatorem. G. Innumerabiles habere videor amicos. R. Bene ais, videor. Vnde tibi autem hęc opinio cum omnium veræ amicitiæ raræ sint, innumerabiles tuas esse? Persuasum autem debet esse in primis nisi inter bonos amicitias nõ constare, hinc iam certius æstimabis quot non dicam tibi, sed humano generi amicitiæ puræ sint, connumerare cœperis quot sint boni. G. Amicos habeo complures. R. Notos dic, idque quam veraciter sis dicturus, in dubio est. Nullum enim animal, nulla merces difficilior cognitu, quam homo. G. Amici multi sunt mihi. R. Cõtubernales forsan, aut conuiuæ. Hi enim nisi epulæ defuerint non deerunt. Amici autem semper pauci, sæpe nulli, sæpe (quod iniquissimum est) amici nomen domesticus hostis tenet. & sub velo fictæ beneuolentiæ, familiares insidiæ delitescunt. G. Supra necessitatem sunt amici. R. Apprime necessarius fere omnibus, maximeque potentibus. deest semper qui scilicet inter tot assentatorum mendacia verum loqui audeat & velit, qua in re multis amico vtilior hostis fuit. G. Multos habeo amicos. A. Crede mihi pluribus indiger, sanctiorque esset orbis terrarum & quietior, si tot essent amicitiæ quot feruntur. G. Amicum habeo. R. Multi est. Nil amico carius, nil rarius.

De amicis incognitis nisi per famam. Dial. 21.

GAVD.

Fama præsens absentea mihi peperit amicos. R. Est id quidem aliquando visum, vt non solum incognitos, sed hostes quoque fama faciat amicos. fecit Masinissam Scipioni, vt qui in omni Carthaginensium equitatu primus esse consueuerat, in omni Romanorum equitatu aduersus Carthaginem primus esset, neque hostea tantum proprios, sed prędones, qui publici omnium mortalium hostes sunt, eidem illi famæ splendor attraxit. qui Linterni ad eum in exilio habitantem. facto agmine venientes, sic vt primo aspectu terribiles viderentur, vbi se suspectos intellexerunt, positis minis atque armis, & dimissis satellitibus insuetam mansuetudinem induti, soli prædonum principes accesserunt, eumque ceu numen aliquod, domumque eius vt templum deuotissimum venerati, dextra illa victoriosa multis osculis fatigata, affixisque muneribus domus in limine, qualia deorum aris affigi mos tunc erat, quasi ingenti lucro aucti, quod virum illum conspexissent, & tanquam cęlesti visione alacres abierũt. Hoc illi vni contigit. Quære alium, vbi eum quæso reperies? Vt tamen aliis accidat, & nominis claritas absentem conciliet amicum (multum enim in rebus non inficior potest fama) nunquid tamen non verendum erit, ne (quod ait quidam) minuat præsentia famam? quod multi quos absentes stupuerant, coram positos contempserunt? Tenera res est iudicium humanum, facile flectitur. G. Fama mihi amicos trans Alpes & trans maria quæsiuit. R. Vestra fere omnia friuola atque & inania sunt. Nam quis vsus aut quis fructus fuerit illius a quo nec visus nec videndus, quemve nec videris nec visurus vnquam sis? Vita vestra præsentes quoque amicitias inutiles faciunt & infidas, quamuis non sint illæ quidem, sed dicantur amicitiæ. Quid nunc igitur de his tuis amicitiis speres? Vide. Obsequium amicos parere ait Comicus. Immo hercle veri amici vix multis obsequiis pariũtur. Tu credis amicum paucis, forte, & ne tuis quidem verbis quæsiuisse? bonæ species. G. Fama ab extremo terræ mihi attulit amicũ. R. Fama contra illum tibi auferet, eoque facilius, quo patentiores malis quam bonis relatibus aures sunt. G. Fama mihi bonum peperit amicum. R. Vnde scis quã bonus sit quem nunquam videris, rogo, cum illi ipsi quos quotidie vides atque alloqueris, quales sint tanto in tempore nondũ scias? Sepe vos credulitas vestra circumuenit, libenter creditis, quod optatis. Multum fidei famæ tribuitis mendaci. Speras eius animum videre cuius nunquam frontem videris, cum sint inter notissimos quoque tot pectorum diuersoria, tot latebræ? Difficile est enim amicũ nisi in magna aduersitate cognoscere, operosius est illũ noscere quam quærere. Vna sæpe hora paucis verbis quæritur, qui vix multis annis atque experimentis agnoscitur. Voco aũt amicum vt vulgus. Verus enim non ante quęritur, quã probetur. Nec amicum probant aliorum verba, certe nec propria, sed experta caritas fidesque. G. Amicum mihi de lõginquo fecit fama. R. De te aliquid, mentiendo, quispiam tibi amicum dedit. De te vera loquendo vel forsitan mentiendo itidem, tibi hũc ipsum alter eripiet. Quibus vijs fiunt crescuntque omnia, eisdẽ facile resoluuntur. Et natura vult, vt cito aucta, cito desinant.

De amico vnico fideli. Dial. 21.

GAVD.

Amicum vnum fidum, G. expertum habeo. R. Sæpe in experiendo vestrum errat acumen, & dum vos ipsos peritissimos iudicatis, in hoc ipso ac perinde ceterarum rerum in æstimatione fallimini. G. Scio ego (non existimo) amicum mihi esse fidelissimum. R. Et quos putas idem credentes, immo vt sibi videbantur & scientes, cum ad arctissimum ventum esset examen, sese lusos inuenerũt? Vnde vero tot quotidie de amicis prodeũt querelæ? nisi quia quos fidissimos habebaris, inuenisti, infidos. Nullius rei tam difficilis vnquam, quã humani animi coniectura existimatioque est. G. Nihil conijcio, nihil æstimo, vt dixi, sed scio amicũ verissimũ me habere. R. Habes rem aut optimam, aut pessimum errorem. G. Nullum rei huius errorẽ habeo, sed amicũ multis ac magnis expertũ casibus. R. Habes ergo rẽ dulcissimam, sanctissimamque qua vna post virtutem solam nihil homini melius in hac vita seu natura, seu casus aliquis, seu labor, ac studiũ dedit. Dulces fateor parentes, dulces filij, dulces fratres: possunt tamen amarescerẽ, nec parentes ideo, nec fratres, quidem desierunt esse, nec filij cũ dulces esse desierint, at amicus solus (dum sit verus) dulcis & carus esse non desinit. Cari inquam sunt parentes, nonne aũt Iupiter Saturnum regno patrem expulit? Nicomedes Prusiã Bithyniæ regẽ, suum patrem consilia licet necandi filij agitantem, vita priuauit, & Ptolomæus, hinc Philopater dictus, patre ac matre insuper & fratre occisis, ad vltimum & vxore Eurydice interfecta, regnũ Aegypti scortorũ sic rexit arbitrio, vt nihil in regno proprium haberet præter nudum & inane regis nomen, Nonne & Orestes Clytemnestram matrem? Agrippinam Nero? Antipater Thessalonicem interfecit? Chari filij: nonne Theseus Hippolytum castissimũ? Philippus rex Macedoniæ Demetrium filium adolescentem optimum iussit occidi? Nonne & Ptolemæus alter aduersum pietati nomen & ipse quoque fidissimus rex, Aegypti duna? Et Herodes rex Iudææ vnum? Et Constantinus Romanorum Imperatorum quoque Crispum filium interemit? Nonne Malcus dux Carthaginensium Carthalonem filium crucifixit? Quin & matres, quarum amor hinc intensior, hinc mitior, sexus in filios sæuierunt. Nota omnibus Medea. Quid Laodice Cappadociæ regina quæ regnandi cupiditate filios quinque mactauit? Chari inquam parentes (repeto enim) chari filij, chari fratres. At (vno exemplo omnis claudatur impietas) Phraates rex Parthorum omnium regum scelestissimus omniumque mortalium regnandi non cupiditate sed rabie, furijsque actus, Orodẽ senem & afflictum patrem, ad hæc & triginta fratres suos dicti regis filios, suumque insuper filium occidit, ne quis superesset in Parthia qui regnaret. Sed vetusta hæc. Nunquid non recentiore memoria inter patrem & filium de regno in Britannia certatum audiuimus? & nudiustertius inter fratres in Hispania decertare vidimus? quanquam talium odiorum, & maxime fraternorũ crebra adeo & noua & vetera sint exempla, vt pene laboriosius sit exquirere qui amici fuerint, quam qui hostes, vtrunque postponimus. Remedia enim nunc, non exempla colligimus. Quid præterea, An non chari coniuges, charæ vxores? Sed interrogabis Agamemnonem & Deiphobum, & de vestris Claudium Cæsarem ac minorem percunctaberis Africanũ. Hi tibi quam chari fuerint vxoribus suis dicent, contra vero Octauiam sciscitare & Arsinoẽ, quid illa de Nerone suo, hæc de suo sentiat Ptolomæo. Illa de adoptiuo, hæc de naturali fratre, vtraque de marito, illa quidem in se ipsa, hæc in filijs experta testabitur. Eminentia, vt

vides

vides & clara decerpimus, vulgus & vrbes, & commuoem vitam hominũ, his plenam querimonijs prætcrimus. Quibus ita se habeotibus, cui io omni genere illorum qui charissimi videantur odijs sæpe latentibus, sæpe etiam manifestis multa insit amaritudo, sola amicitia odijs vacat. Nemo vnquam ooo dicam occidit aut perdidit amicum, sed ne læsit quidem volens. Quamobrem si amicum verum qualem prædicas inuenisti, magnas te diuitias inoeoisse credito, illud videoe (vt magna pars homioum rebus dedita vilibus, nobiliumq; contemptrix, & agris aut mercibus quam amicitijs, ac virtutibus colendis intentior) quod optimum nactus es negligas. Si tantam curam impenditis custodiæ auri & argenti atque orientalium lapillorum quæ sunt terræ feces, & pelagi purgamenta, quanta diligẽtia amici cultui impediẽda est rei preciosissimæ ac diuinæ? Ne qua vnquam re offeosus, oe quo vnquam verbo alienatus effugiat, serumq; audias illud ecclesiasticum, sicut qui dimittit auem de mano sua, sic reliquisti proximum tuum, & non eum capies, oon illum sequeris, quoniam longe abest. Effugit enim sicut caprea de laqueo; quoniam vulnerata est anima eius, vltra eum ooo poteris colligare. Proinde ingẽs bonom habes ac suaue, operosum tameo ac difficile, qoæsitu inquam operosum & custodia. Magnus thesaurus est amicus, sed magna seruandus cura, magno si pereat lugendus fletu.

De absentia amicorum, Dial. LIII.

DOL.

Amicorum torqueot absentia. R. Solet id quidem euenire. Sed qui amici mortem ferre didicerit, aliquanto facilius feret absentiã, nec franget abitus, quem noo fregerit obitus. D. Abest mihi optatissimus amicus, dextra manus, dexterq; oculus meus abest. R. Etsi irredituri abesseot, nihil tamen non ferẽdum viro, dicerem: nunc redibunt, & tua tibi restituetur integritas. D. Abest amicus dimidia mei pars. R. Dimidium animæ suæ, Vergilium vocat Horatius, quod à multis postea vsurpatum iam pridem io prouerbium venit, sed si amicus non naturaliter tantum, sed ciuiliter possidetur, quid amicitiæ nocet absentia, quominus tecum, vbicũque sit amicus, sedeat, ambulet, colloquatur, vel iocosa, vel seria. Et quod præsens forte oõ faceret, absens faciat. Nam si oil aliud videretis, nisi quæ sunt ante oculos, & sola vos præsentia delectaret, breuis admodom visio, & angusta delectatio vestra foret. D. Amici absentis dulci desiderio laboro. R. Atqui amaris soliti estis laborare, non dulcibus. Accipe vero nunc, quod vulgi aures vix capiant. Dici nequit, quam teoera quamque fastidieos præseotia sit interdum etiam amicorum, sæpe paruis offenditur, vt quos valde dilexeris, quorumue præsentiam vehementer optaueris, non amicos modo, sed fratres, aut filios, quod forte sollicitudinis studio, vel occupationibus tuis obsint abesse nonnunquam malis. In absentia oil amarum, nil quod pugnat præter desiderium, quod dulce tamen ne tu ipse quidem negas. D. Dilecti absentia me affligit. R. Est id fateor commune mulierum, atqoe omnium muliebriter amãtium, quorum delectatio omnis in sensibus est. Nihilominos de his ipsis Poeta loquebatur, vbi ait: *Absentem absens auditque videtque.* Id si ita est, cur noo amicus absentem quoque amicũ audiet, & videbit, nisi forte purgatiores ab huiusmodi visione lasciuiæ sunt oculi, quam virtuti, aut plus aliquid dignitatis insano quam casto tribuitur amori, cui præter honestos ac volucres cogitatus, quos pro libito vagari, & esse vbi velint nulla distantia, nulla vis prohibet, epistolari quoque remedio cõsultum est, quo nescio an præsentia vlla sit gratior. Romæ quidẽ erat Marcus Cic. dum ad Quintum Ciceronem fratrem suũ proconsulatum Asiæ administrantem scribens: Cum tua, inquit, lego, te audire, cum ad te scribo, tecum loqui videor, & mox eum ad gloriæ excellentiam exhortans, efficacissimum id dicit in dictis factisque suis omnibus fraternam sibi animo finxisse præsentiam. Nescio, an Athenis, an vbi esset Epicurus, dum aoimo scribens: Sic fac, inquit, omnia taoquam spectet Epicurus. Certe in Campania erat Annæus, dum Lucilium suum io Sicilia degentem literis alloquens, vt secum studeat, secum cœnet, secum ambulet, hortatur, quæ facere ille non posset, nisi animo fierẽt, & non oculorum, neque aurium, non manuum, neque pedum ministerio indigerent. D. Oculi mei absentem amicum anxie eequirunt. R. Noo possum negare, quin oculis aliquid per abseotiam detrabatur, animo autem nihil, immo nec oculis quodam modo (vt prædixi) si tamen amicitiã vera est, vnde & illud apud eundem poetam, & legimus & laudamus, Pallas, Euander: In ipsis omnia sunt oculis. Et Cicero ipse in epistola quadam Balbum amicum suum in Gallijs sub Cæsare militantem, nõ solum in animo habere, sed in oculis ferre se dicit: D. Amicus abest meus. R. Interdum oon cognoscitur amicus, nisi abesse cœperit. Sicut, cunctis in rebus, sic in amicitia, copia ingens gustum hebetat, peouria acuit. Quod si magister amorum intermissionem amantibus vtilem dicit, quibus omnibus in præsentia est voluptas, cur noo eadem vulis sit amicis? quorum in virtute iucunditas tota est, quæ absentiæ nullum sentit incommodum, cum vbilibet præsens sit. Noli ergo desiderio succumbere, sed amicum mente complectere, quem tibi nec discessus eripiat, nec mors ipsa. D. Amici dulcis absentiam amare fero. R. Perfer modo, & meliores partes animi præsenti virtute consolida. Amariuscula enim hæc quam defles absentia forsan in tempore cariorem tibi amicum, & amici præsentiam effecerit dulciorem.

APOPHTHEGMATA.

Thales Milesius philosophus dicebat, amicorum absentiom æque ac præsentium oportere meminisse. Amicitia enim est animorum cooiunctio, quos non dirimit locus. Multi noo amant, nisi tantisper dum videot. *Diogen. Laert. l. 1. c. 1.*

Democritus probus amicum (dicebat) gaudijs quidem vocatum adesse decet: aduersis autem casibus sua spoote. Item. Veri amici tũ suaues amicitias fruitiooe communi, tum calamitates participatiooe sua reddunt leuiores. Item. Nõ posse opitulari amicis, iopiæ est: nolle autem, malitiæ est signum. *Max. serm. de amicitia.*

Chilo Spartanus quendam prædicantes se nullos habere inimicos, interrogauit, num vllum haberet amicum? Sentieos, amicitias, & ioimicitias inuicem se consequi: nec fieri posse, quin qui multos haberet amicos, complures habeat & inimicos. *Plut. in apophth.*

Socrates dicere solitus est, nullam esse possessionem pretiosiorem vero bonoque amico: nec aliunde plus fructus aut voluptatis capi. Itaque præpostere facere multos, qui pecuniæ dispendiũ grauius ferunt quam amici iacturam: quique se beneficium perdidisse clamant gratis collocatum quum eo sibi conciliarint amicũ quouis lucro potiorem. *P. M. lib. 3. apoph.*

Idem Crœso interrogato, quid esset maximum & pretiosissimum ex regno consecutus? Cum ille respondisset, vt hostes vlcisceretur, & amicos beneficio afficeret, Multo, ioquit, melius fecisses, si illos tibi amicos asciuisses *Max. serm. 6.*

Idem dicebat qui fratribus præteritis alios sibi amicos acquirunt, ijs esse similes, qui agros suo relicto colunt alienum. *Ibidem.*

Solon Tyranoorum amicos dicebat calculis supputatoriis esse simillimos: qui vt arbitrio supputantis ponuntur, interdum valeot multa millia, ioterdum minimum, interdum nihil. *Laert. l. 1. c. 3.*

Simonides interrogatus quam ob rem, quum esset extremæ senectutis, tameo attentus esset ad rem: Quoniam, inquit, malim moriẽs inimicis relinquere, quam carere amicis, taxans instabiles hominum amicitias, qui consequuti quod volunt, negligunt amicũ à eidem, dum sperant, obseruiunt. *P. M. lib. 6. apophthegm.*

Diogenes, rogatus, quemadmodum amicis vteretur Dionysius? Vt vasculis, ait: dum plena sunt, euacuat, & vacua abijcit. *Brus. l. 1. c. 3.*

Cato maior, audiens grauissimam de colenda amicitia disputatiooẽ ait, Amicitiæ quæ non placeot, dissuendæ magis quam discindendæ sunt. *Cicero in Catone.*

Xenocrates, Lycurgus Rhetor cum forte & Xeoocrati obuiam factus esset, qui à Telone obtorto collo pertrahebatur in Metœcium, quo in loco carcer erat Athenis: fustem impegit in caput Telonis, ac Xeoocratem liberauit. Telonem vero tanquam indigna patrantem in carcerem coniecit. Id Lycurgi factum com ab omoibus probaretur, post aliquot dies Xenocrates obuiam Lycurgi filiis: Cito, ait retuli gratiã patri tuo, qui vulgo laudatur, quod mihi amico, io re tam periculosa & difficili tulerit auxiliũ. *P. M. l. 8. apoph.*

Antigonus, Diis sacrificaos precabatur, vt se a simulatis seruarent amicis, cumqoe percunctaretur quispiam, quamobrem tale quid à Diis optaret: Quia, inquit, hostẽ eum cognosco, caueo. *Max. ser. de amicis.*

Nameres, legatione fungens, quum à quodam eius gentis, ad quam erat missus, beatus prædicaretur, eo quod multos haberet amicos: interrogauit, quomodo qui multos haberet amicos, periculum faceret, an amicum haberet sincerum ac probum? Id quum alter fassus se nescire cuperet discere: Per aduersam, inquit, fortunam. *Plut. in Lacon.*

Cato intelligens quendam animum ab amico reprehensore alienasse, Noli, inquit, indignari amico: apem enim propter aculeum oon odisti, sed foues & tueris propter fructum. Cur igitur amici obiurgationem fers adeo inique, quam propter beneuolentiã plurimum amare debes? *Max. ser. 6.*

Antalcidas interrogatus, quo pacto quis amicos sibi facere posset? respondit. Si loquatur illis iucũdissima, præstet autem vtilissima. Quo dicto innuit, in parandis amicis adhibendam esse primo sermonis comitatem, in officiis autem præstandis vtilitatem. *Plut. in Lacon. apoph.*

Anonymus: quidam ambientes amicitiæ fœdus inire cum Lacone, volebant se quocunque vellet vinculo astringere, quo certius esset amicitiam fore sinceram. Quibus ille: Vna est, inquit, de amicitia certitudo, si etiam volentes lædere non possint: nam reliquæ omnes prorsus infirmæ sunt. Conuenit cum illo Chilonis, Sic habendum amicum, vt cogites illum posse fieri inimicum. *P. M. l. 8. apoph. ex Plut.*

Cyrus, quum quidam ad eum misisset ornamenta multa, ea distribuit amicis: interrogatus autem cur sibi nihil reliquisset? Quia, inquit, corpus meum his omnibus ornari non potest: amicos autem his ipsis ornatos intuens, maximum mihi ipsi ornatum apiatum esse putabo. *Max. ser. de amic.*

Darius rex quum aperuisset prægrande malum punicum, & quidã ab eo sciscitaretur, cuius rei tantum numerum habere optaret, quantus illic inesset granorum? respõdit, Zopirorum: is erat vir bonus ac Dario fidus amicus. Significans, regi nihil prius aut charius esse debere probis ac fidis amicis. *Plutar. in apophthegm.*

Alexander. Darij matrem vxorem, & sorores captiuas inuisens, vna cum Hephæstione, hunc, quod esset eodem ornatu quo rex, corpore etiam maior, Sysigambis Darij mater pro rege adorauit. Eadem ex nutibus adstantium intelligens errorem, perturbata denuo salutauit Alexandrum. Tum Alexãder: Nihil est o mater, quod turberis, nam & hic Alexãder est: Sentiens, amicum esse alterum ipsum. *Plut. in Alex.*

Idem, interrogatus a quopiam vbi thesauros haberet, amicos ostendens, In his, inquit. *Max. ser. de amic.*

Idem, inter amicos quos habebat præcipuos ac potentissimos, omnium maxime videbatur honorare Craterum, sed omnium maxime diligere Hephæstionem. Craterus enim, inquit, amat regẽ. Hephæstion amat Alexandrum. Id Græce iucundius dicitur, *φιλοβασιλεὺς & φιλαλέξανδρος.* Sentiens, Craterum in his quæ ad regiam dignitatem attinebant, præstare fidum amicum: Hephæstionem, priuato quodam affectu diligere Alexandrum: Pariter itaque, licet dissimiliter amantibus, diuersa ratione persoluit pręmium. Craterum ornauit dignitate: Hephestionem ad intimam admisit familiaritatem. *Plutarch. in apoph. regum.*

Legati Scytharum. Extat sapientissima Scytharum legatorum oratio ad Alexandrum, lib. 2. histor. Quint. Curtij dehortatoria a bello. Inter alia autem egregia dicta & illud occurrit. Quibus bellum non intuleris, bonis amicis poteris vti. Nam & firmissima est inter pares amicitia: & videntur pares, qui non fecerunt inter se periculum virium. Quos viceris, amicos tibi esse caue credas. Inter Dominum & seruum nulla amicitia, &c.

Phocion, Antipatro petenti, vt in gratiam suam faceret quiddam pugnans cum iustitia: non potes, inquit, o Antipater, Phocione simul & amico & adulatore vti. Amicus obsecundat quousque patitur æquum & honestum. Nec enim amicus ab amico quod iniustum est petere debet. Adulator autem ad quiduis obsequitur. *Plut. in apoph.*

Zeno Citiensis interrogatus, quid reuera esset amicus? respondit, alter ego. *Laert. lib. 7. c. 1.*

Diogenes, admonitus a quodam, ab amicis illi tendi insidias, vt caueret. Quid facias, inquit, sic & cum amicis & cum inimicis habebimus consuetudinem? ab inimicis nobis cauemus, amicis fidimus. Quod si pariter ab vtrisque nobis cauebimus, non est suaue viuere. *Laert. lib. 6.*

Pericles, amico roganti, vt pro se falsum diceret testimonium: Se quidem amicum esse dixit, sed ad aras vsque. Sensit vir prudentissimus, eatenus benefaciendum esse amicis, quatenus iustitia, æquitas, & in Deum pietas permittit. *Plut. in apoph. Gellius lib. 1. c. 3 Brus. lib 1. c. 3.*

Xenocrates, quum Platoni Dionysius diceret, Aliquis auferet tibi caput: Xenocrates, qui tum præceptori aderat, Non prius, inquit, quam hoc suum ostendens caput. *Laert lib. 4. c. 3.*

Aristoteles, rogatus quo pacto amici tractandi essent? Non aliter, inquit, quam nos ab illis tractari cuperemus. *Laert. lib. 5 c. 1. Brus. lib. 1. cap. 3.*

Dion Syracusanus, admonitus vt caueret sibi ab Heraclide & Calippo, quorum fidei plurimum credebat: respondit, se malle vita excedere, quam in metu violentæ mortis amicos inimicosque iuxta ponere. *Brus lib. 1. c. 3. ex Plut.*

Phocion. Nicocli petenti, vt sibi ante Phocionem venenum haurire liceret. Tametsi durum hoc, inquit Phocion, tamen concedendum est ei cui nihil vnquam in vita negaui. Phocionem Nicocles inter amicos fidelissimum vnice adamarat, eique molestum erat videre illum morientem. Eam molestiam vt vitaret petit vt ipse prior biberet. Et hac in re Phocion commodauit amico. *Plut. in Grae. apoph & in Phocione.*

Pompeius, Cato cum prædiceret. Pompeij potentiã crescẽtem nulli bono fore populari ciuitatis gubernationi, sed multo magis ad tyrannidem tendere: Pompeius ita respondit. Tua (inquit) Cato magis accedunt ad diuinationem, mea autem accommodata sũt amicitiæ. Quo dicto indicat, Catonem de rebus loqui plane incertis, se vero ea præcipue secutum esse, quæ tum temporis amicitia, quæ sibi cum Cæsare intercedebat, postulabat. De amico autem multo humanius est bene sperare, quam quasi per somnium diuinare peiora. *Plut. in apoph.*

P. Rutilius amico iniusta petenti quum pernegasset suum officium, isque indignabundus diceret, Quid ergo opus est mihi tua amicitia, si quæ abs te peto, non accipio? Imo, ait Rutilius, Quid tua mihi opus est amicitia, si quid inhonestæ rei propter te facturus sum? *Val. Max. lib. 6. c. 4. & P. M.*

Antisthenes illud cum primis damnabat in hominum moribus, quod in auctionibus vasa diligenter inspicerent, priusquam emerent, vitam eorum non inspicerent, quos sibi in amicitiam adiungerent. At maior vtilitas est a fidis amicis, quam a vasis, & plus damni est, nisi deligas. *Laertius lib. 2 c. 8.*

Solon Salaminius summopere suos admonere solebat ne cito quoslibet amicos sibi pararent, quos autem semel parauissent, ne facile reijcerent. *Refertur ex Apollodoro apud Laert. & P. M. in Prouerb. Ne cuiuis dextram inieceris.*

Aristoteles, Illud frequenter habebat in ore, *ὦ φίλοι οὐδεὶς φίλος.* Sentiens, multos esse amicos nomine, paucissimos aut nullos re. *Laert. lib. 5. c. 1.*

Darius. Zopyrus sibi nares & aures præcidit, itaque dissimulãs quis esset, ad Babylonios transfugit, fingens se a Dario crudelissimè tractatum. Babylonij persuasi, commiserunt illi pręfecturam. Ille nactus occasionem Dario ciuitatem tradidit. Postea Darius sæpenumero dicere solebat, se malle vnum Zopyrum integrũ, quam centum Babylonas capere. Erat opulentissima ciuitas Babylon: tamen vnum amicum centum Babylonibus anteposuit. Ab hoc animo quantum absunt principes quidam qui Sannionẽ, aut equum, aut canem pluris faciunt, quam probum, fidelem ac doctum amicum? *Plutarch. in apoph.*

Scipio minor. Polybij sequens præcepta, dabat operam ne quando è foro rediret domum, priusquam sibi quocunque modo quemplam eorum in quos incidisset, familiarem, & amicum reddidisset, sentiens, nullam esse homini possessionem meliorem. *Plutarc. in apoph.*

Alphonsus rex, quum dubitaret, vtrum Franciscum Sforciam, an Nicolaum Picininum in amicitiam & societatem admissurus esset, (erat autem alterum duntaxat, propter illorum inter se simultates, admissurus) Matriciensibus legatis regem adeuntibus, & interrogantibus, vtrum Sfortiæ an Picinino gratulari deberent: Vtrosque tanquam amicos habendos esse, item ab vtrisque tanquam inimicis cauendum esse respondit. *Antonius Panormit. de rebus gestis Alphonsi. & Aeneas Syluius de eius dictis.*

SIMILITVDINES.

Philenis. quemadmodum equi virtutem in bello exploramus. Sic amicum in calamitate & infortunio. *Apud Maximum Sermon. 6.*

Maximi monachi, vt asini vsum arguit asperitas viæ: Sic amicum beneuolum calamitates ostendunt. *Serm. 6.*

Plutarchi. vt nummum exploras, num sit adulterinus, priusquam eo sit opus: Sic amicus probandus, antequam eo sit opus. *In Moralibus.*

Vt diligenter compingitur nauis, quæ sit in tempestatibus præsidio futura, & ager varijs casibus oppositus. Ita diligenter probãdus amicus, quo sis vsurus ad omnia. *In Moralibus.*

Vt vas experiamur, aquam, non vinum infundimus: Ita friuolum quiddam aliquando committendum amicis, quo silentij fidẽ experiamur, vt si effutiant, nihil sit periculi. *In Moralibus.*

Vt rubo, spinisque complectentibus nos discussis, ad vitem aut oleam tendimus: Ita non quemuis obuium oportet in amicitiam admittere, sed ad idoneos, reiectis alijs, eundum est. *In Moralibus.*

P. M. diligentes agricolæ terram prius notulis quibusdam deprehendunt, & explorant, priusquam illi credant sementem: Ita explorandus amicus antequam committas arcanum. *In Moralibus.*

Multo tutior meliorque solitudo est, quam societas cum hominibus, nisi absque timore contingat, & participum attentione. Et quemadmodum nauigantibus vtilius est pelagus, quam terra, si quis in tranquillitate nauiget, & clare norit loca: in pelago enim haud sæpe frangitur nauis, sed apud littora, circaque promontoria videntur naufragia. Quapropter cum tempestas apprehenderit, vnusquisque inexpertorum quidem desiderat terram, gubernator autem quam longissime fugit. Quanquam portus quis inueniat tranquillos, quibus facile naues credere possit, quantuscunque etiam consurgat ventus. Homines autem modestissimi, æstiuis sunt similes stationibus, quæ præsentia spectant: ita & illorum quisque ad vnam quampiam in vita rem mansuetus est, haud æque etiam alia. *Oratione 74. de lege.*

Plinij, vt hirundines sub hominum tectis indulantur, & tamen non assuescunt, nec fidũt homini: Ita quidam amicos semper habent suspectos præsertim insulares. *lib. 10 c 24.*

Thriuers. qui mcuuntur amicitiam ex poculis, similes sunt pueris, qui animum collocant in stomacho. *Apophthegmatum. 121.*

Calidum & frigidum vt sese ipsa quidem inuicem conficiunt, sed interim quod temperatum est, violant: Ita & mali in eo solum cõueniunt, quod cuncti simul bonos impetant. *Apoph. 181.*

Plutarchi, non potest quæuis arbor mitescere, neque quælibet fera cicurari, proinde hæc quoque quę possunt in suum vertunt

vsum:

vium: Sic qoi ad amicitiam adduci non possuot, horum odio ad nostrum commodum abutemur.

Plinij. Ciconia tametsi demigrat, tamē reuersa semper eosdem repetit nidos: Ita non oportes amicorum ob intermissam vitæ consuetudinem obliuisci, sed memoriam illorum semper nobiscum circumferre. *lib. 10. c. 23.*

Philonis Iudæi. Vt vasa noua præstantiora sunt veteribus: sic amicitia quo vetustior, eo melior. *Apud Maximum serm. 6.*

Ciceronis. amici noui non sunt veteribus anteponendi, vt equis vetulis eos anteponere solemus. Non enim amicitiarum esse debent, sicut aliarum rerum, satietates. Veterrima quæque esse suauissima debent, sunt aliarum rerum satietates: nouitates tamen non repudiandæ: vetustas autem suo loco conseruetur. *In Lælio.*

Plin. vt adamas si frangi contingat malleis, in minutissimas dissilit crustas, adeo vt via oculis cerni queant: Ita arctissima necessitudo, si quādo contingat dirimi, in summam vertitur simultatem & ex arctissimis fœderibus, si semel rumpantur, maxima nascuntur dissidia. Aut supra modum incandescit semel victa lenitas. *lib. 37. cap. 4.*

Isocrates. vt vulgus amicus præsentes duntaxat amat, temereque mutat animum: Sic boni viri, nec interuallis locorum, nec temporis diuturnitate, suorum amorem imminui patiuntur. *In proœmio Parenæseos.*

Ciceronis. vt aurum igne: Sic beneuolentia fidelis periculo aliquo perspici solet. *lib. 9. Fam epist.*

Seneca. Poma quædam suauiter acerba sunt, & in vino nimium veteri delectat & ipsa amaritudo: Sic amicorum defunctorum memoria mordet animum, sed non sine voluptate.

P. M. vt in diapason tantus est concentus, vt vna eadem esse videatur: Ita veri amici vnus sunt animus. Aut sic adulator per omnia subseruit ad orationem diuitis, vt vnum loquentem dicas, non duos. *In Prin Dis diapas. a.*

Vt suauis est antiphonum, quam si vox omnino sit eadem: Sic iucundior amicus, ita concors, vt tamen non nihil dissideat, quam adulator per omnia obseruiens. *In simil.*

Animal in intimis vires habet maxime proprias: Sic amicus nihil ostendit, sed dum celat, tum maxime iuuat. *In Similitud.*

Chrysostomi. si nostra plærunque membra rescindimus, cum incurabili morbo & ipsa tabescunt, & reliquis officiunt: Multo magis in amicis atque simulatis id faciendum. *Hom. 60. in Matt.*

Philonis Iudæi. qui ab amico perfido consilium accipit, similis est ei qui ex poculo aureo venenum bibit. *Apud Maximum sermone.*

Plutarchi quemadmodum muscæ in popina non manent, si desit nidor: Ita vulgares diuitum amici non perseuerant, si non adsit vtilitas. *in Moral.*

Vt rupturæ & spasmata tum demum mouentur, cum corpus aliquo malo corripitur: Sic amici non ingenui felicibus adulantur, lapsus obiurgant, & illorum infortunio fruuntur. *in Moralibus.*

Vt nandi imperiti, dum volunt succurrere ijs qui præfocantur ac merguntur, vna cum illis merguntur, & nocent magis quam prosunt. Sic amici qui rebus aduersis tantum collachrymāt amico. *in Moral.*

Vt Creon filiam nihil adiuuit, sed eam complexus vna cum illa perijt incendio: Sic quidam felicibus amicis non fruuntur, cum cū in felicibus pereunt. *in Moralib.*

Vt cibum nec retinere possis citra noxam, nec reijcere sine molestia: Ita malum amicum, si teneas, lædit, nec tamen absque inimicitia ac tumultu veluti bilem potes abijcere. *in Moral.*

Ciceronis. Vt hirundines æstiuo tempore præsto sunt, frigore pulsæ recedunt: Ita falsi amici: sereno vitæ tempore præsto sunt, simulatque fortunæ hyemem viderint, deuolant omnes. *lib. 4. ad Herennium.*

Plutarchi, quemadmodum lac coagulo concrescit: Sic homines cōpinguntur, & vnum fiunt amicitia: *in Moral.*

Vt ignis omnium condimentorum est suauissimum, velut inquit Euenus. Ita amicitia omnem vitam conduicat, si admisceatur. *ibidem.*

Maximi monachi. quemadmodum ægrotis medicos: Sic miseris amicos adesse conuenit. *Sermone 18.*

Philemonis quemadmodum ægrotantes in magno dolore, vbi viderint medicum, non amplius dolent: ita cum quis tristitia laborat, minus habet ægritudinis, præsentē intuitus amicum. *Apud Stobæum serm. 111.*

Socratis. quemadmodum frumentum non iden bonum est, quod ea pulcherrimo agro natum sit, sed quod commode nutrit. Sic bonus amicus est, non qui genere clarus, sed qui moribus egregius fuerit. *Apud Stobæum serm. 84.*

Catonis, vt apem propter aculeum non odisti, sed propter fructum foues & tueris: Sic amicum propter acerbam obiurgationem ne auerseris, sed propter beneuolentiam ames. *Apud Maximum serm. 6.*

Plutarchi, vt medicus & non sentientem sanat: Sic amicus etiamsi ignoretur amicum iuuat. *In Moral.*

Lynceus per quercum videt: inimicus etiam per famulum per amicum perspicit, quid agas. *In Moral.*

Vt mel exulcerata mordet ac purgat, alioqui vtile & dulce: Sic amici libertas non mordet, nisi si quid est vitiosum & corrigendum. *In Moral.*

Polypus superficiem & colorem duntaxat mutat: At amicus vere similis esse debet amicis, & moribus, & affectibus, & studijs. *In Moralibus Meminit etiam Plin. lib. 9. c. 26.*

P. Man. arrodunt hominis cibum mures, viuunt sub eodem tecto, nec tamen assuescunt homini: Ita quidam amici parum sinceri, nec relinquunt cibi commodique causa, nec amant tamen aut fidunt *in Similibus.*

Themist. amici qui duntaxat vocantur ad apparatum multum, similes sunt festiuis vestibus, quibus plerunque homines magis vrgentur ac stringuntur, quam fruuntur: nam ij nobis magis molesti, quam iucundi. *Apoph. 109.*

Plutarchi, vt arithmeticorum digiti aliquando valent multis millibus, aliquando nihil: Sic regum amici aliquoties quiduis possunt, rursum mutata in fastidium gratia nihil possunt. *In Moralib.*

Pij Pontificis, vt oculus parua festuca turbatur: Sic principum gratia, offensiuncula vel minima cadit. Interdum etiam nullo crimine perditur: tantum apud Principes subdola lingua potest. *lib. Epistolarum, epist. 166.*

Plinij, quemadmodum Luna quo proprior est Soli, hoc minus habet luminis: Ita plus fructus ac dignitatis est ijs qui procul absunt à magnis principibus *lib. 2. c. 9.*

Vt periculosum est, dæmones euocare, propterea quod si quid erratum fuerit, magno euantis discrimine fiat: nam aiunt Tullum Hostilium ictum fulmine, quod ex Numæ libris Iouem deuocare conatus, quædam parum rite fecisset: Ita periculosum est, cū principibus habere commercium, aut cum morosis potentibus, quod offensi re qualibet leui, funditus subuertant hominem. *lib. 2. c. 53. & lib. 28. c. 2.*

Plutarchi. Pictores seponunt ad tempus opera sua, tum ex interuallo rectius iudicaturi: nam assiduitas in causa est, quo minus bene iudicent: Sic nos rectius iudicamus amicos, quos ex interuallo reuisimus. Ac de nobis ipsis quoniam adsumus assidue, minus recte iudicamus. *In Moralibus.*

Vt quæ glutino commissa sunt, si soluantur, facile reglutinantur: at si corpus rumpatur, haud facile coit: Sic inter alios amicitia dirupta facile coit: in fratribus semel dirupta, aut non coit, aut cicatricosa coit. *in Moralibus.*

Seneca. si quis oculum casu excusserit, reliquiæ illi suæ satisfacient, & erit in minuto corpore & amputato tam lætus, quam in integro fuit. Sed quæ sibi desunt, num desiderat? Non deesse mauult. Ita sapiens se contentus est, non vt velit esse sine amico, sed vt possit: & hoc quod dico possit tale est: amissum æquo animo ferre sine amico quidem nunquam erit: in sua potestate habet, quā cito reparet. Quomodo si perdiderit Phidias statuam, protinus alteram faciet. Sic hic faciendarum amicitiarum artifex substituet & alium in locum amissi. *lib. 1. epist. 9.*

Dionis Chrysostomi, Vtilia medicamenta, ægrotantibus quidem sunt vtilia, sanis autem superuacua: amicitia autem non modo sanis opus est, sed & ægrotantibus: & custodit quidem diuitias, suppeditat autem necessaria paupertati, clariorem reddit gloriam atque obscurat ignominiam: vnum autem hoc difficilia quidem omnia minuit, bona omnia auget. Quæ enim calamitas extra amicitiam non intolerabilis? Et quæ felicitas absque amicis non ingrata? *De regno orat. 3.*

Demosthenis, quemadmodum vinum moribus bibentium attemperatur: Sic amicitia vtentium affectibus. *Apud Maximum sermon. 6.*

Plutarchi, vt puella in pratis alium post alium flosculum decerpens, semper nouis arridentibus capitur, priores negligit: Sic qui multas instituit amicitias, ac mox saturatus alias quærit. *In Moralibus.*

Vt mulier impudica, cum multis se commiscens, nullum certum habet amatorem: Ita qui multorum appetit amicitiam. *In Moralib.*

Vt prima materia quibuslibet formis variatur, cum propriam non habeat. Ita animus multorum amicitiæ subiectus *In Moral*

Seneca, quod ægris euenit, quos longa imbecillitas vsque adeo affecit, vt nunquam sine offensa proferatur: Hoc accidit nobis, quorum animi ex longo morbo inficiuntur. Inimica est multorum conuersatio. *lib. 1. epist. 7.*

Themist. quemadmodum intemperata calida vel frigida possunt quidem copulari, ac sola temperata possunt inter se eleganter vniri: Sic & inter malos potest fieri quædam conspiratio, sed tantum inter solos bonos iusta pacis tranquillitas, & firma necessitudo. *Apoph. 180.*

Cypriani, sicut oculus vnus verti non potest, quo & alius non vertatur. Ita & quicquid vnus voluerit, eo & aliorum voluntas vertetur. *De singularitate cleric.*

Maximi monachi, quemadmodum res splendidæ lucem quandam

dam in circumfusa, & vicina loca diffundunt. Sic amici vbicunq. versati fuerint, gratiam, & suauitatem spirant, & emittunt, vt latius sit in tenebris versari quam carere amicis. *Ser. 6.*

Menandri. quemadmodum aurum igni probatur. Sic amici beneuolentia in rebus aduersis. *Apud Stobaeum.*

A D A G I A.

Amicitia stabilium, felicitas temperantium, ἐῤῥῶσθαι λέγεται, ὅτι ἡ φιλία τῶν βεβαίων, ὥσπερ ἡ εὐδαιμονία τῶν αὐτάρκων.

Amicitia virtute, non pecunijs aut forma concilianda est. Etenim si rebus caducis conciliantur, caduca sit, & ipsa necesse est. Arist.

Ama tanquam osurus, oderis tanquam amaturus. δεῖ φιλεῖν ὥσπερ μισήσοντα, μισεῖν δὲ ὥσπερ φιλήσοντα.

Id est. Sic amandum tanquam si osurus. Sic oportet odisse, tanquam si amaturus. Bias.

Amantium iræ, τῶν φιλούντων ὀργαί.

Vbi qui non ex animo indignantur inuicem, aut de iracundia nequiquam duratura. Mimus.

Discordia fit charior concordia.

Huc referas licet Græcum quoque Senarium.

Ὀργὴ φιλούντων μικρὸν ἰσχύει χρόνον. Idest.

Amantium iræ paruo durant tempore. die Cieh muss gearnet haben, die sich deis tags haggen, liegen dess nachts vnder den plaggen.

Mores amici noueris, non oderis. φίλου τρόπους γίνωσκε, μισήσῃς δὲ μή.

Admonet ad amicorum moribus, quædam vitia dissimulanda, sic vt intelligantur quidem sed tamen tolerentur. der freundt gebrechen soli man tennem, aber nit nennen. Gutten freundren lass ihr vveiss, hass sie drumb nicht, so bistu vveiss.

Nouos parans amicos, ne obliuiscere veterum. νέους φίλους ποιῶν, τῶν παλαιῶν μὴ ἐπιλανθάνου.

Torqueri potest & ad mutata studia, ad quæ conuenit nonnunquam respicere, etiam posteaquam diuerso et addixeris disciplinæ. den alten freundt du nicht verachte, du vveist nicht, vvie der neuu gerath.

Non potes Tethidem simul, & Galateam amare. οὐ δύνασαι Τέθιδός τι καὶ Γαλατείας ἐρᾶν. *Theocrit.*

Non idem diuersa sequi, velut literas, & pecuniam, voluptatem, & gloriam, mundum, & Christum. du kanst nicht Gott vnd dem Teuffel zugleich dienen. Du kanst nit fuchs vn hase zumalsein.

Vnus Deus, & plures amici. εἷς Θεὸς, καὶ πολλοὶ φίλοι.

Prouerbium monet quam plurimos parandos esse amicos, quod hi secundum Deum plurimum opitulari possint. Man gelebet eines Gottes, aber nicht eines Menschen.

Mus non vni fidit antro.

Locus erit adagio, si quem admonebimus, vt sibi plures amicos paret: aut vna cum opibus studeat philosophiæ, vt si fortuna, quod suum est eripiat, in literis sit præsidium.

Neque nulli sis amicus, neque multis. μηδὲ πολύξεινον, μηδ᾽ ἄξεινον καλέεσθαι.

Citra vllius amici consuetudinem viuere, ferinum atque iniucundum esse videtur. Rursum nec vehementer amare possumus simul multos, nec pluribus morem gerere.

Ne cuius dexteram inieceris. μὴ παντὶ ἐμβάλλειν δεξιάν.

Hoc est: Ne temere quemlibet in familiaritatem admittas, sed deligas quos diligas.

Amicorum omnia communia. τὰ τῶν φίλων κοινά.

Aulus Gell. testatur Pythagoram non solum huius sententiæ parentem fuisse, verum etiam huiusmodi vitæ ac facultatum communionem induxisse.

De manu in manum. ἐκ χειρὸς εἰς χεῖρα. *Cicero.*

Totum denique hominem tibi trado de manu, vt aiunt, in manum tuam istam, & victoria & fide præstantem. Traduntur, & qui commendantur.

Ex sinu illius. ἐκ κόλπου ἄνθρωπος.

Quos ex intima familiaritate volumus intelligi, hos è sinu huius aut illius esse dicimus. Cicero.

Χρῆσθαι καὶ κτῆσθαι.

Quis eorum, alicuius haberi volebat, dicebatur. χρῆσθαι καὶ κτῆσθαι tuum sum, hoc est, & vsufructu & proprietate. Idem Cicero.

Ipsis, & Chijs. αὐτοῖς καὶ Χίοις.

Non obscurum est has voces ex solenni more vulgo iactatas, quoties aliquis sibi bona precabatur, & amicis.

Vultu sæpe læditur pietas.

Marcus Tullius in oratione pro Roscio. Prouerbium admonet pietatem erga parentes adeo religiose colendam, vt non solum non offendamus eos verbis, aut factis impijs, sed ne vultu quidem tetriore aut contumaciore.

Sal, & mensa.

Apud priscos, hospitij ius fuisse sanctissimum alias nobis est dictum. Id conciliabatur salis, & mensæ consortio.

Philotesius crater. κρατὴρ φιλοτήσιος. *Plutarch.*

Dicitur, quod in conuiuijs conciliantur amicitiæ, qui mos etiamnum durat apud nonnullos Germanos, quibus turpissimum est post acceptum Philotesium poculum, veterum offensarum, quantumuis capitalium, meminisse.

Amicitia æqualitas, amicus alter ipse, ἡ φιλία ἰσότης.

Pythagoras dicebat, amicitiam æqualitatem esse, & eandem animam, vt Polyanthea Nouissi.

amicum, alterum ipsum.

Amicus amico. φίλος τῷ φίλῳ.

Quadrabit in eos, qui nullum officium refugiunt, modo, vt gratum faciant amicis.

Amicus magis necessarius, quam ignis, & aqua. ἀναγκαιότερος πυρὸς καὶ ὕδατος ὁ φίλος. *Plutarch.*

Hyperbole prouerbialis, admonens, neminem esse tam diuitem, aut potentem, qui non opus habeat amicorum officijs. Ein getrevver freundt ist besser dann. Silber vnd Gold.

Næra, & Charmione. Νέαιρα καὶ Χαρμιόνη.

De fide amicis dici solitum scripsit Zenodorus, quique non dubitarent, vel mori esse comites esse amicis.

Qui circa salem, & fabam. περὶ ἅλα καὶ κύαμον. *Plutarch.*

In eos dicebatur, qui se simularent scire, quod nescirent. Siquidem diuini aliquid responsuri, fabam & salem apponebant.

Salem, & mensam ne prætereas. ἅλα καὶ τράπεζαν μὴ παραβαίνειν. *Origen.*

Id est, ne negligas amiculorum consuetudines, aut ne violes amicitiæ iura. Nam his rebus olim conciliabantur amici.

Intempestiua beneuolentia nihil à simultate differt. ἄκαιρος εὔνοια οὐδὲν ἔχθρας διαφέρει. *Suidas.*

Quadrabit in eos, qui dum officiosi student esse, non habita temporis ratione nocent, aut molesti sunt.

Non sunt amici, qui degunt procul. τηλοῦ φίλοι ναίοντες οὐκ εἰσὶ φίλοι. *Athen.*

Qui semotus est ab oculis, eundem ab animo quoque semotum esse. Es feindt nit freundt, die ferr feindt. Vvas vveit hinden an, last man gahn. Item, ferr hat nicht Ehr.

Multas amicitias silentium diremit. πολλὰς φιλίας ἀπροσηγορία διέλυσεν. *Aristot.*

Admonet adagium, assiduo conuictu ac frequentibus alloquijs necessitudines ali, intermissione, & absentia dissolui. Gchvveigen verderbt viel freundschafft. Gantigkeit in reden, ven Embsigkeit in Gendbrieffen, erhelt gute freundschafft.

Vbi amici, ibi opes.

Plaut. in Truculento. Sensus est, potiores esse amicos, quam pecuniam, & ad vitæ præsidium plus habere momenti amicos citra pecuniam, quam absque amicis opes. Vver ein guten freund hat, der hat ein Edelgestandt. Ein guter freundt ist ein Edelsteinor.

Vsque ad aras amicus. μέχρι τοῦ βωμοῦ φίλος εἰμί. *Aulus Gellius.*

Admonet prouerbium, nonnunquam quo consulamus amicorum commodis, eorumque voluntati morem geramus, fas videri paululum à recto deflectere. Verum eatenus ne propter hominem amicum, numinis reuerentiam violemus.

Amicorum est admonere mutuum.

Sententia prouerbialis videtur, quam legimus Iliad. λ.

---Ἀγαθὴ δὲ παραίφασίς ἐστιν ἑταίρου.

Id est.

---*Bonus est affatus amici admonitoris.*

Hanc licet vsurpare, si quando dicemus amici munus esse, vt amicum, si quid erret, liberius admoneat.

Amico ægrotanti medicus est oratio. ψυχῆς νοσούσης εἰσὶν ἰατροὶ λόγοι. *Plutarch.*

Huc allusit Horatius, epist. lib. 1. ep. 1.

Sunt verba, & voces, quibus hunc lenire dolorem

Possis, & magnam morbi depellere partem.

Fidus amicus.

Fidus amicus non est post habendus Germano. Homerus Odyssea. θ

Εἴ τίς που καὶ ἑταῖρος ἀνὴρ κεχαρισμένα εἰδώς

Ἐσθλὸς, ἐπεὶ οὐ μέν τοι κασιγνήτοιο χερείων

Si quis forsan amicus sit gratusque bonusque

Quandoquidem is non inferior vel fratre putandus.

In ære meo est.

Quem nobis officijs obstrictum significamus, ita vt iam totus noster sit, eum in ære nostro dicimus esse. Cicero.

Ἀμφοτεραλλὴς ἔρως.

Id est: Vtrinque florens amor. Olim dicebatur, quoties vterque pariter esset incolumis, ac mutuo responderet amore. Aristoph.

Syncretismus, Συγκρητισμός.

Cretico prouerbio dicebatur, quoties fieret, vt qui modo videbantur hostes acerrimi, repente in summam concordiam redigerentur. Plutarchus.

Conciliant homines mala. συνάγει τοὺς ἀνθρώπους κακά. *Aristoteles.*

Sententia prouerbialis, quæ declarat, quod vulgo fit, ex hostibus nonnunquam amicos fieri, propter malum aliquod incidens, vtrisque commune.

Cum amico non certandum æmulatione.

Id innuit Homerus Odyss. θ.

--- Τίς ἂν φιλέοντι μάχοιτο.

---*Quis namque benignus cum hospite pugnet?*

Queruli in amicitia.

Οἱ μεμψίμοιροι εἰς φιλίαν οὐκ εὔθετοι. *Id est. Qui queruli sunt in amicos non sunt ad amicitiam idonei. Conniuere ad amicorum vitia, hac re, & iungit iunctos & seruat amicos. Herod.*

Lingua amicus. ἀπὸ γλώττης φίλος.

Id est, Lingua amicus, qui verbis ostendit, non re praestat beneficium.

Congruit cum illo: Salutat tenus amicus. Μέχρι προσηγορίας φίλοι.

Felicitas [illegible] multos habet amicos, εὐτυχία πολύφιλος. *Theognis.*

Nota est sententia quam ut requir. et interpretem, Vide paulo post. Felicium multi cognati.

Oculus [illegible] in capite. *Cicer.*

Prouerbialia sunt & illa: Oculis ferre In sinu ferre, si quis quem insigniter amat, [illegible] ea dissimile est. quod apud Platonem libro de Repu. 10. ἐπὶ ταῖς κεφαλαῖς περιφέρειν *Id est: Super capita ferre.*

Felicium multi cognati.

Id hodie vulgo dicunt, locupletum plurimos esse cognatos. Reich tumb bringet Schvvagerschafft. Nimmer gelt, nimmer gesell. Nimmer pfrund, nimmer Kuchin. Vvann der Vvagen auffrech gehet, so sitzet iederman drauff, vvan er aber vmbfelt, so fleucht iederman daunn.

Tempus arguit amicum. χρόνος δεικνύει τὸν φίλον.

Id est: Tempus indicat quis vere amet (quod prouerbium citat. Aristo. libro Mor. Eudem. 7. Tempestas enim arguit amicitiam. Non abhorret à sententia sequentis Adagij.

Amicus certus in re certa cernitur. *Tullius.*

Quo significatum est, amici fidem in rebus aduersis explicari. Noth vnd vngluck, entdecket falscher freundte duck.

Olla amicitia. χύτρας φιλία. *Plutarch.*

In amicos istos vulgares quadrabit, quos patina, non beneuolentia conciliat. Haec referuntur, & illud: Feruet olla, viuit amicitia. ζεῖ χύτρα, ζῇ φιλία.

Viri infortunati procul amici. ἀνδρὸς κακῶς πράσσοντος ἐκποδὼν φίλοι. *Aristides.*

Id est, Viri siti in malis, amici sunt procul. Notat mores amicorum vulgarium, qui hirundinum ritu pro ratione temporum aduolant ac deuolant, aduolant ubi res secunda, deuolant, ingruente tempestate. Nimmer gelt, nimmer gesell. Freundt in der Noth, gehen 34. auff ein Loth.

Plures adorant Solem orientem, quam occidentem. πλείους προσκυνοῦσι τὸν ἥλιον ἀνατέλλοντα ἢ δύοντα. *Plutarch.*

Iuueni magis adhaeretur, quam seni. Iungem furften ist man vnn Natur holder, als den Alten.

Ad felicem inflectere parietem. πρὸς τὸν εὖ πράττοντα τοῖχον κλίνειν. *Aristoph.*

Aristophanes interpres translatum existimat ab his qui naui vehuntur, qui si nando à nauis alterum latus fluctu deprimatur, protinus in alterum latus transcurrunt quod altius extat ab vndis.

Nulla amicitia [illegible] χρεῖος γυναικός. *Horat.*

Admonet, vt nihil inter amicos fictum aut fucatum sit. (*Sapientes tyranni, sapientum congressu.* σοφοὶ τύραννοι τῶν σοφῶν συνουσίᾳ.

Id est, Commercio sapientum princeps sapit. Innuit prouerbium, amicitiam ac familiaritatem doctorum, & bonorum virorum magnatibus cum necessariam tum vtilem esse. Plato.

Amicitias immortales esse oportet.

Verum eo redierunt mores mortalium, vt simultates sint immortales, amicitia plus quam vitrea.

Plagae amici meliores quam inimici oscula. *Prou. 27. 6.*

Melior est vicinus iuxta, quam frater procul. *Prou. 27. 10.*

Non sunt amici, qui procul sunt amici. *Athen. lib. 5.*

Nouos amicos parans, memento veterum.

Amici veteres, vina vetera, vetus aurum.

Vide pharmacum, fidus amicus *Eccles. 6. 16.*

EXEMPLA SACRA.

Amicitiae exempla: Iacobi erga Rachelem, *Genes. 29. v. 18.* Ruben erga Ioseph. 37. *v.* 21. 22. Ruth erga Noemi, *Ruth. 1. ver. 16.* Ionathae erga Dauidem, 1. *Sam.* 18. *v.* 1. 3. 4. & 20. 42. & 23. 16. Dauidis erga Ionathan, 2. *Sam.* 1. *v.* 26. & 9. 7. Abneri & Dauidis, 2. *Sam.* 3. *v* 12. 13. Chusi, & Dauidis, 17. *v.* 6. 14. Hiram, & Salomonis, 1. *Re.* 5. *v.* 12. Iehu, & Ionadab, 2. *Reg.* 10. *v.* 15. Haman, & amicorū eius. *Esth.* 5. 10. Iob, & Eliphas, *Iob.* 2. *v.* 11. Iudaeorum erga Demetriū, 1. *Macchabaeor.* 10. *v.* 25. 56. Demetrij erga Ionathan, 11. *v.* 27. 24. *v.* 25. 26. Ionathae erga Romanos, & Spartanos, 12. *v.* 1. 2. 3. Demetrij, & Simonis, 14. *vers.* 38. Athenobij, & Antiochi, 15. *v.* 38. Christi & Lazari, *Ioan.* 11. *v.* Christi & Apostolorum, *Ioan.* 15. *v.* 14. 15. Pilati, & Herodis, *Lu.* 23. *v.* 12. Asiae Principum erga Paulum. *Act.* 19. *v.* 30.

PROFANA EXEMPLA.

Inter vetustissima paria amicorum numeratur Hercules, & Theseus nam hic illius virtutem, & facta semper imitatus est, & ille hunc apud inferos captiuum redimere conatus est. *Plut. in Theseo.*

Fuit mutuus amor inter Herculem, & Nestorem. Nam Herculem Messenem dicit Nestor, & Nestor primum instituit iuramentum per Herculem. *Theat. Zuuing.*

Philoctetes summus Herculis amicus, cui moriens suas sagittas, & arcum commiserat, Erat enim insignis iaculator. *Eustat. Iliad. B.*

Theseus cum Pirithoo amicitiam iureiurando confirmauit, auctore Plutarcho: quae nunquā diuelli potuit. Propterea fingitur à poetis vna cum illo ad inferos descendisse, ad rapiendā Proserpinā.

Socrates & Chaerephon amici intimi fuerunt. Chaerephon oraculum consuluit, an quis esset amicus suo Socrate prudentior? respondit Apollo, ἀνδρῶν ἁπάντων Σωκράτης σοφώτατος, Socrates omnium hominum sapientissimus, *Plinius, Suidas, Laertius, & Plato.*

Achates perpetuus Aeneę comes, & socius fingitur à Virgilio, sicut alter altero semper comitatus erat.

Damon, & Pythias Pythagorei tantam inter se amicitiam coluerūt vt cum alterum ex his Dionysius interficere vellet: atque is tempus ab eo, quo domum profectus: res suas prius constitueret, impetrasset, alter se vadem pro reditu eius Tyranno dare non dubitauit. *Valer. Max lib. 4. c. 7.*

L. Lucullus, & M. Tul. Ci. amici fuere summi, & consiliorū in Republica socij: Academiae studiosus vterque, alter quidem nouae, Lucullus vero veteris. Ea propter Cicero librum doctum valde, pro secta sua scripsit, quem Lucullum inscripsit. *Plut. in Lucullo.*

T. Pomponius Atticus tanta beneuolentia iunctus fuit Ciceroni, vt Ciceronis Atticus diceretur. *Theat. Zuuing.*

Horatius Mecaenati amicissimus. Idem cum ex pluribus alijs locis, tum ex eod. 17. *lib.* 2. patet.

Lucill. Bruti familiaris, quū Barbaros in Brutum obnixe ruentes cerneret, Brutū se esse assimulauit: captusque, & ductus nimis auide ad Antoniū, quum in Antonij esset aspectu, ait: M. Brutum, ò Antoni, nemo cepit, absitque vt ipsum quisquam capiat hostis. Exterritis his, qui adduxerant, Credo, ait Antonius vos commilitones hunc errorem grauiter ferre. Sed scitote vos meliorem praedam adeptos, dum enim hostem quaeritis, amicum mihi adducitis. Viro quidē Bruto ignoro per deos qua in re vterer: his amicis vtinam magis, quā hostibus potiar. *Plut. in Bruto & [illegible] li. 1. c. 3.*

Augustus Caesar, cum Alexandriam vi cepisset ciuibus omnibus, & ciuitati se parcere dixit, propter Arrium ciuem Alexandrinum, & olim sibi summa familiaritate coniunctum. Rarę profecto clementię fuit Caesar, qui propter vnicum amicū eam ciuitatē diripere noluit, quae tam diu pertinacissime rebellarat. *Plut. in apoph.*

Neapolitani cum in honorem, & aeternam Alphonsi regis clarissimi memoriam arcum triumphalem aedificare vellent, & quo satis spatij haberent. Nicolai Mariae Buzuti magnanimi, & strenui equitis domum diruere conarentur: rex stultum ciuium facinus incusauit, dicens, non tanti se facere aedificia ventis & tempestatibus exposita, vt ob id veteris amici (cuius operam strenuā non semel in bello expertus esset) domum destruere cuperet. Pluris autē fecit, rex prudentissimus amicum, quam nominis sui perpetuum monumentum. *Panormitanus lib. 1. de gestis Alphonsi.*

Philippus Arato venenum dandum curarat, quod non repente necideret, sed lenta tabe consumeret. Id vbi sensit Aratus, nec inueniretur remedium, dissimulauit: & ingressus cubiculum, vni tantum ex familiarib. dixit: O Cephale, haec sunt praemia regię amicitię. Non semper tutū regib. dare optima cōsilia. *P. M. li. 6. apoph.*

Antipater, quum didicisset Parmenionem ab Alexandro interfectū dixit. Si Parmenio struxit insidias Alexandro, cui fidendum est? Si non struxit, quid agendum? Erat Parmenio velut alter Alexander in rebus militaribus. Si tantus amicus fefellit, non est tutum cuiquam amico fidere: Si Alexander nihil commeritum sustulit, praestat à regum negotijs abstinere. *Plut. in apoph.*

Lacon quidam pridie ab hospite declinatus postridie lectis stratisque conductis liberaliter exceptus, strata ipsa conscendit ac cōculcare coepit, dicens: Propter haec heri ne in palea quidem dormiui. *Plut. in Lacon.*

Anaxagoras Philosophus Periclis praeceptor fuisse legitur, cui in administranda republica magno fuit vsui. Verum cum Pericles negotijs intentus desisset agere curam Anaxagorae, iam ad decrepitam prouecti senectutem, constituit inedia finire vitam. Id simul, vt renunciatum est Pericli, anxius accurrit, & argumentis, precibus, & lacrymis conatus est hominem à spontaneae mortis proposito reuocare; idque magis sua ipsius causa quam philosophi. Cui Anaxagoras, retecta facie iam moribundus, nihil aliud respondit quā haec, O Pericles, & quibus lucerna est opus, infundunt oleum exprobrans illi neglectum amici, vnde tantā capere poterat vtilitatem. Lucerna curatur ob vsum vulgarem, & talis consiliarius neglectus perijt. *Laertius lib. 1. capite. 3.*

Pisistratus Atheniensium tyrannus, quum aliquot amici, qui ab ipso defecerant, Phylen occupassent, venit ad istos stragulas in sarcinam colligatas ipse portās. Caeterum illis, quid sibi vellet percontantibus: Vt, inquit, si persuasero, reducam vos: si non persuasero, maneam vobiscum: ob hoc enim veni cum sarcinis. Egregius animus, qui nollet sine amicis nec regnare, nec viuere. *Plutarch. in apoph.*

Volumnius: M. Lucullum, quod Bruti, & Cassij partes sequutus esset, M. Antonius occidit. Huius mortem quum Volumnius, qui viuū familiariter coluerat, sine fine deploraret, ad Antonium pertractus ait, Iube me protinus ad Luculli corpus ductum occidi. Neque enim illi extincto superesse debeo, quum ei infelicis militiae autor extiterim. *P. M. 6. apoph.*

Philip. quū multi bello capti venderentur, Philip. Maced. rex in auctione sedens, parū decenter vestitus erat. Quidam igitur eorū, qui vendebantur exclamauit: Parce mihi Philippe, à patre enim sum tibi amicus. Philippus interrogauit. Vndenam hacamicitia cnu-

conflata esset? Tū ille: Volo, inquit, propius accedens dicere, qui quum admissus esset, sede, inquit, ad modum quasi arcani nam ad istum modum indecenter sedes. Mox Philippus, Hunc quippiam dicturus: Dimitte, inquit, chlamydem aliquātulum: inquit, dimitte liberum: nesciebam enim prius illum mihi verum amicum esse, donec melioribus institutus sum ab ipso. Sensit vir prudentissimus, eos præcipuos amicos esse, qui probe nos instituūt. *Plut. in apoph.*

Psammenitus Ægyptiorum rex. à Cambyse regno pulsus est. Eius filiā ancillari veste indutam, cum aliquot nobilium virginibus, Cambyses mitti iusserat ad hauriendam aquam, vt hoc spectaculo parentum captiuorum animos discruciaret. Cæteris indigne ferētibus, solus Psammenitus demisit oculos. Mox iussit duci filium illius, cum alijs plurimis eiusdē ætatis, vinctis ceruicibus, & ore frenato. Atque hoc etiam spectaculo solus Psammenitus ad lachrymas commotus non est. Idem quum vidisset familiarem quendam exutum opibus, mendicantem obambulare, hoc spectaculo adeo commotus est, vt ingenti fletu hominem amicum compellans, caput suum barbarico more cederet. Ea re cognita, quum Cambyses per nuntium causam scitaretur cur in liberorum calamitate tacitus, vnius seniculi calamitatem tam impotenter ferret? respondit: Fili, domestica mala grauiora sunt, quā vt lachrymas recipiant, at amicus deplorandus erat, qui è multis opibus ad summam inopiam redactus est, idque in extremo senectutis limine. *P. M. libro 6. apophthegmat.*

Epicurus improbabat institutum Pythagoræ, qui quum doceret amicorum communia esse omnia, iubebat vt discipuli, quod quisq; habebat deponerent in commune: dicens, id esse diffidentium verius quam amicorum. Etenim si quis mihi vere sit amicus, nihilominus habeo pro meis, quæ ille possidet, quam si deposuisset. Porro qui diffidit, aut non est ipse verus amicus, aut de alterius animo dubitat. *P. M. lib. 8. apoph.*

Anytus amicorum Alcibiadis vnus, eum ad cœnam rogarat. Ille recusauit, sed domi bene potus cum famulis commessabundus irrupit, & stans ad ostium cœnaculi, iussit famulos vasa diripere & ad suas ædes deferre, qui fere dimidium asportarunt. Alijs autem conuiuis Alcibiadis violentiam accusantibus Anytus respōdit, illum bene egisse, cui cum totum auferre licuerit, dimidiam tamen adhuc partem ipsi reliquisset. Sensit vir prudentissimus, amicorum merito omnia communia esse debere. *P. M, li. 6. apophtheg.*

Dionysius Senior, admiratus egregiam fidem Damonis, & Pythiæ, Rogo, inquit, vt me quoque in vestram amicitiam recipiatis. Alteri tyrannus destinarat diem necis, quumque is pauculos petijsset rerum domesticarum ordinandarum gratia, hac lege impetrauit, vt alter vas amici fieret, ea conditione, vt si ille non redijsset ad diem præscriptum, hic plecteretur. Redijt autem ad diem, mori malens, quam amicum fallere. Ita seruatus est vterque, ac regis amicitia decoratus. Tantum valet egregia virtus apud tyrannos etiam. *P. M. libro quinto apophthegmat.*

Tarquinius superbus, iam exul factus, dixisse fertur. Se tum denique cognouisse quos habuisset amicos fidos, quos infidos, cum neutris gratiam referre posset. Qui commodi gratia sunt amici, sublata commodi spe deseruot amicitiam, sed amicos secundæ res parant, aduersæ probant. *P. M 6. apoph.*

Alphonsus rex, ex Sicilia nauigans, videns aues marinas circumuolantes triremem, & expectantes cibum a nauigantibus, escam in mare proiecit. Verum cum videret à volatilibus certatim rapi, quæ deinde cum præda auolabant, ad suos conuersus ait: Persimiles sunt his garrijs purpurati, & curiales aliquot mei. Simulac enim aliquod officium aut beneficium hiantes. & dimicantes inuicem à me acceperunt, aufugiunt, nec reuertuntur, donec necessitate premuntur, plura petentes. *Antonius Panormitanus de rebus gestis Alphonsi, & Æneas Sylnius de eius dictis.*

HIEROGLYPHICA.

Habita fidei ratione, hieroglyphicum pro amicitia plerunque *Canis* ponitur, in qua quidem primum fides experitur ex Ciceronis & omnium sententia, mox animus, si vsu veniat, ad promerendū promptissimus. *Pierius lib. 5.*

Sal amicitiæ symbolum fuit, durationis gratia. Corpora enim solidiora facit, & diutissime conseruat, vnde hospitibus ante alios cibos apponi solitum, quo amicitiæ firmitas ac perseuerantia significetur. *Pier. Vale. lib. 31.*

Si quis fructiferam amicitiam Aegyptiorum in morem scribere voluerit, apte *Coronam myrteam malis punicis ornatam* faciet. Coronæ enim ipsius forma amicitiam, qua quis mutuo deuinctus est, poma illa fructum, & vtilitatem inde susceptam indicabunt. Plurimis alioqui modis piogi sculpique potest amicitia hieroglyphice, vt ostendit *Pier. Valer. in Palma, in Fœmina, in hedera cum vite, lib. 55.*

Apud aliquos *Hirundinem* pro amico poni tum inutili, tum ingrato & per difficili, comperias: quippe qui moribus nostris, & familiaris vitæ rationi difficulter assuescat. *Pie. Vale. lib. 22.*

Polyanthea Noua.

Poecula vicissim porrecta, inuitationesque ad compotandum, amicitiæ confirmationem esse, tam nostri temporis mos est, quam antiquorum omnium institutum. *Pierius Vale. lib. 56.*

EMBLEMA.

Amicitia etiam post mortem durans.

Emblema c L I X. Alciati.

Arentem senio, nudam quoque frondibus vlmum,
Complexa est viridi vitis opaca coma:
Agnoscitque vices naturæ, & grata parenti
Officij reddit mutua iura suo.
Exemploque monet, tales nos quærere amicos,
Quos neque disiungat fœdere summa dies.

FABVLAE.

Turdus & Hirundo.

Dicebat ad matrem Hirundo: ò mea mater, quam elegantem, & commodum amatorem mihi reperi. Quemnam, mea filiola, inquit illa. Turdum, inquit hirundo. Tum mater mea filia, inquit, non bene illi tecum conueniet, cum tu frigus ferre nequeas, ille calorem, & tu ver sequaris, ille brumam petat.

Monet fabula, vt in amicitia iungenda voluntatem, & studiorum atque vitæ similitudinem spectemus.

Ioachim. Camer. lib. Fabul. pag. 237.

Pater & Filius.

Gloriabatur quodam tempore coram patre sene adolescens filius, quod opera, & gratificatione sua magnam copiam amicorum sibi comparasset. Senex leuitatis iuuenilis errorem intelligens, & cupiens instruere filium constantia, & grauitate, quærit an etiam periculum fecerit voluntatis, & fidei amicorum erga se. Maxime, inquit ille, & perspexi quidem omnium esse propensionem animorum erga me mirificam. Sed aliquo certo, inquit, senex, casu experiunda illa est, quare sic ages. Occisum vitulum indes in saccum, eumque cruentum deferes ad amicum, quem pro singulari, & eximio habes, rogabisque, vt tibi auxilio esse velit, in celādo facto tuo, nam te in rixa hominem occidisse. Paret adolescens monitis paternis, venitque ad eum quem principem amicorum suorum esse credebat, cum sacco sanguine resperso, & oratione à patre subiecta. Hic vero illum auersari, & verbis etiam asperis repellere, negareque se socium sceleris illum futurum esse. Redit adolescens igitur ad patrem, & quid acciderit ei refert. Viden' inquit ille, amici istius specie quātopere deceptus fueris. Sed tenta, & aliorum animos. Exequitur paterna iussa filius, & ab omnibus amicis destituitur, atque refugitur. Fatetur igitur apud patrem errorem, & stultam credulitatem suam. Tū senex. Ego inquit in tota vita mea, quæ quanta sit nosti, via dimidium amici reperire, & acquirere potui. Sed, & huius animum exploremus. Accedito igitur ad eum (demonstrauitque hominem simul, & ædes) ac cuius filius sis indicato, & petito vt in facinore tegendo te adiuuet. Fecit adolescens, vt pater præceperat, cumque ad illum paternum semiamicum venisset, & rem, vt composita erat, exposuisset: Celeriter, inquit ille, de via intra, nam foris hæc agi neutiquam conuenit, atque ita se in secreta domus parte, ad solum effodiendum vbi interfectus sepeliretur accingit. Tum adolescens cognita amicitiæ fide rem omnem illi aperit, & gratias agit, seque, vt, & ipsum tanquam alter parens amore complecti velit, orat, reuersusque ad patrem prædicat vnici atque integri, vt diceret, illius amici fidelitatem, & suā copiam damnat. Audit vero à patre, & alia exempla veræ amicitiæ & fit instructior, atque cautior ad iungendas familiaritates, & credendum blandis verbis simulatæ beneuolentiæ.

Docet fabula, amicitiam esse rem neutiquam vulgarem, & subijcit id quod de Menandro contra perfidiam falsorum amicorū adducitur: εὔχου μὴ πεῖραν λαβεῖν φίλων. Nam secundum notissimos, sed & elegantissimos versus Ouidij.

Donec eris felix, multos numerabis amicos,
Tempora si fuerint nubila solus eris.

Plutarchus autem in disputationibus suis περὶ πολυφιλίας, & φιλαδελφίας, refert etiam sententiam Menandri talem, *Præclare agi cum eo qui amici vmbram consecutus sit.*

Carbonarius. & Fullo.

Conduxerat perquam spaciosas ædes carbonarius, itaque inuitat fullonem habitantem angustius, ad se vt commigret. Negauit fullo sibi hoc faciendū, neq; fieri omnino oportere. Quid enim nobis commercij, inquit, inter nos esse possit, cum, quæ ego forte eluēdo nitida reddidissem, ea tu fuligine, & maculis repleres.

Docet fabula, dissimilia non recte coniungi. Itaque dicitur, & prouerbio veteri. Pares cum paribus facile congregantur.

ADDITAMENTVM.

Ad cap. de Amicitia.

Aristoteles. φίλησιν à φιλία vere, & ingeniose distinguit. Amicitiam humanæ vitæ glutinum, inter Beatitudinis publicæ accidẽtia idem Philosophus commemorat. Amor inter animi affectus & vt plurimum turbatos numeratur.

De primis hominibus narratur, cum sparsim habitarent, inuento ignis vsu, & commoditate, in vnum coire, & amice viuere cœperunt. Vnde πύργοι primum cœperunt, ἀπὸ τοῦ πυρὸς, ab igne. Inde Galli dicunt, oppidum frequens constare quingentis, septingentis, vel mille ducentis ignibus. φρατρίαι etiã, quasi φρεατρίαι, ἀπὸ τοῦ φρέατος, à puteis. Et hæc pagorum, qui παρὰ ταῖς πηγαῖς a fontibus dicti sunt, item τῶν πύργων, burgorum, vicorum, oppidorum origo.

Hebræi amicitiam, amorem sincerum, amicos, varijs vocibus, obseruatu dignissimis exprimunt. Plerisque, si non omnes, describemus. Verbum *ahab.* amauit, dilexit, cognationem habet cũ *habab* voluit, item cum *Iabab* & *Tahab* appetiuit. Græci ἀγαπάω, amo ἀγάπη, amor, charitas. *Oheb.* amicus, is cuius desiderio afficimur, & *Ahub, Iadidh.* charus, amicus, dilectus, suauis, iucundus. Cognationem habet cum *Dodh.* cognatus, patruus, amicus ex cognatione. Amicos enim veluti cognatos, & consanguineos diligimus. Hinc *Iedhidhuth.* Amicitia, dilectio, suauitas. Et Salomon, Dauidis (amabilis, vel amici seu dilecti filius) à Nathane Propheta, *Iedhid ja.* id est, dilectus Dei, seu dilectus a Deo. *Iadidh* enim, idem est ac dilectus. Leui. 25. v. 49. Moses de patruo loquens vocat eum *Dodho.* Apud Gallos matres, & nutrices, ad somnum capiendum infantulos, vel alumnulos suos in cunis vagientes, hac voce *Dodho* compellant. ac si dicas, Dilecte mi, quiesce. Et Germanis notum est *Ein dod*, Dido, vox Phœnicea ab Hebr. deriuata, idem est ac dilecta. Alia voce, amicus designatur Hebræis, nempe *Reha*, amicus, socius, sodalis, familiaris, contubernalis, commensalis, & *Reheh.* quæ voces occurrunt, 2. Sam. 13. 3. & 15. v. vlt. & 16. v. 16. Ps. 28. 3. & 88. v. vl. Prouer. 27. 10. Hæc autem nomina deriuantur tum a verbo *Riha.* fuit amicus seu sodalis, dilexit socios suos, consociauit in amicitiã. Hinc Græcũ ἐράω, amo, ἔραμαι diligo. ἔρος & ἔρως amor. tũ à *Rahah.* simul pauit, coouixit: quod proprie de pastorib. gregẽ simul, & vna pascentibus dictũ, Es. 40. 11. Ps. 80. 2. & alibi, figurate ad amicos, cõmẽsales, &c. refertur.

φιλία, Græcis, Amicitia, Amor, Charitas. Isocrates φιλίας παλαιᾶς καὶ πατρικῆς meminit, & apud Xenophontem εὔνοιαν & φιλίαν copulatas habemus. Amicitia ab ijsdem exprimitur voce φιλότης, s. equenter apud Homerum. φιλότητα παρέχειν, Beneuolentiam præstare, Amice excipere, &c. φίλος, amicus, qui amat, vel qui amatur, charus, familiaris, placens, gratus. Hoc nomen alicubi, vt adiectum, alibi vt subiectum apud probatos scriptores extat. Composita autem, & opposita, innumera legũtur, quæ in Lexicographis, vt & æquipollentia, & ad varia genera amicitiæ, dilectionis, familiaritatis, sodalitatis, conuictus, pertinentia studiosis occurrunt.

SENTENTIAE BIBLICAE, seu Regulæ De Amicitia.

Deus amicitia, beneuolentia sua, quos filio dilecto dedit seruãdos, prosequitur. Hinc Abrahã amicus Dei dicitur 2. *Chro.* 10. 7 *Esai.* 41. 8. *Iac.* 5. 23. & pij omnes amici Christi Sponsi Ecclesiæ nominantur, *Cant.* 5. 1. *Ioan.* 3. 29.

Christus est amicus Ecclesiæ, *Cant.* 1. 16. & 8. 13.

Christus amat peccatores resipiscentes, Lazarum, discipulos suos, & quos amat arguit, varijsque modis exercet *Matth.* 11. 19. *Luc.* 7. 34. *Ioan.* 11. 3. 11. 36 & 15. 1. 4. 15. & 20. 5. & 21. 15. 17 *Apoc.* 3. 19.

Dei, & Christi dilecti dicuntur, quos beneficijs varijs cumulat, & voce sua ad resipiscentiam, fidem, bona opera compellat. *Deut.* 33. 15. *Ps.* 60. 7. & 127. 2. *Rom.* 1. 7. *Col.* 3. 15. Vide Dilectio, nam ibi plura.

Dilecti à Deo Patre in Christo patrem, & dilectum à Patre filium Christum amant. *Ioan.* 3. 19. & 16. 27. & 21. 16. 17. 1. *Cor.* 16. 22.

Amicitia inter homines sincera esse debet. 5. *Reg* 10. 13. *Prou.* 15. 17.
Plerunque ex diuitijs nascitur. *Prou.* 19. 4.
Amicitiæ vtilitas. *Prou.* 18. 24. & 27. 6.
Amicitia mundi inimicitia Dei. *Iac.* 4. 4.

THEOLOGORVM VETERVM BREVES quædam de Amicitia Sententiæ.

Augustini. Amicitia pauperum, certior quam diuitum.
Amicus animæ dimidium.
Amicus vitæ medicamentum.
Amicitiæ venenum, suspicio.
Solus est, qui sine amico est.
Amico laudanti non credendum.

Tertulliani. Dilectio, summum fidei Sacramentum.
Christiani nominis thesaurus.
Magnanimis, benefica, non æmula, non proterua.
Omnia sustinet, & tolerat: nunquam excidet.
Patientiæ comes.

Basilij M. Amicitiæ honestas non cadit in prauum affectum.
Ad amicitiæ concinnitatem nihil turpe redigi potest.
Improborum, & stultorum nemo est amicus.
Amicorum dicta grauia toleranda.
Stabilem in Christum charitatem habens, dignus est eius amicitia.
Soli sancti & Dei sunt, & inter se amici.
Amici sunt inter se, & cognati quotquot secũdum Deum viuũt.

Gregorij Nazianz. Amicitia nihil venerabilius.
Amicitia, vna est anima, duo corpora ferens.
Amicitia quæ disiuncta, & propinqua sunt, propinqua efficit.
Amicus fidelis, validum munimentum.
Amicus fidelis, thesaurus.
Amicitia patiendo, & audiendo nihil non tolerabit.
Inimicitiæ terminos cognoscito: amicitiæ nullos.

Chrysostomi. Quod natura non potest, id amicitia potest.
Optabilius nobis solem extingui, quam amicis orbari.
Nihil amicitia suauius.
Amicus verus immensis thesauris anteponendus.
Satius est in tenebris versari, quam carere amicis.
Amicitia est, duos non amplius esse diuisos, sed vnum.
Amicitia de dando, & accipiendo nascitur.
Amicitia voluptates omnes superat.
Amicitiæ detrimentosæ fugiendæ.
Amicitiæ cœlestis dignitas mandatorum tenetur obseruantia.
Amicitiæ diuinæ Christiano promittuntur.
Amicitiæ Christi promissio certo cõditionis pendet obsequio.

Ambrosij. Ea amicitia probabilis est, quæ honestate tenetur.
Amicitia nescit superbiam.
Amicus fidelis vitæ medicamentum, & immortalitatis gratia.
Amicitia vitæ adiumentum.
In amici gratiam toleremus aspera.
Propter amici innocentiam inimicitiæ subeundæ sunt.
Amici vulnera tolerabiliora quam adulantium oscula.
Amicum errantem corripe, innocentem non desere.
Amicitia non est vectigalis, sed decoris plena.
Amicitia virtus est, non quæstus.
Amicus esse homini non potest, qui Deo fuerit inimicus.
Amicitia pietatis custos, & æqualitatis magistra.

Hieronymi Amicus quid? alter ego.
In amicis non res quæritur, sed voluntas.
Idem velle & nolle firmas gignit amicitias.
Amicitia vera, quod sentit dissimulare non debet.
Amici veteris arcana pandentem, vt perfidum caue.
Amicitia, quæ desinere potest, nunquam vera fuit.

Gregorij M. Amicus animæ custos.
Amicus veritatis est rectæ amator actionis.
Cum amicis omnia tractanda, sed prius de ipsis.
Summa, & infima æqualiter amari non possunt.
Plus debemus amare quod sumus, quam ea quibus vtimur.
Nemo potest amare, quod non crediderit.
Quanta est dignitas hominum, esse amicos Dei.
Nullus tibi fidelior consiliarius quam qui non tua,
Sed te diligit.

Isidori Pelusiotæ. Dei amicitia, imperiorum robur & firmitas.
Lingua simplex, animo simplicior, vita simplices
Simus, rectissima Amicitiæ norma.
Amicitiæ primordium, improbitatis odium.
Amicitia nimia, quoniam suspicione non caret, diuino metu tẽperetur.
Amicitiam in æs incidere oportet, vt firma, & immota perpetuo conseruetur.

Euagrij. Amicitia inflammatas iræ partes sanat.

Gregorij Nysseni. Aromata suo odore circunfusum aerem complẽt, amici bonique viri præsentia proximos iuuant, & oblectant.

Philonis. Eum amicum existimare debemus, qui & auxiliari, & vicissim prodesse vult, etiam si non possit.
Qui ab amico perfido consilium accipit, idem facit, quod qui ex aureo poculo venenum bibit.
Vasa noua præstantiora sunt veteribus: sed amicitia quo vetustior, eo melior.

Terræ fruges singulis annis, & amicitiæ fructus omni tempore nascuntur.
Eorum amicitia fugienda, quorum animus ambiguus, & inconstans est.

PHILOSOPHORVM, ORATORVM, Historicorum, Philologorum Sententiæ.

Vtilius est multos amicos possidere, quam amplam domum cõparare, quod contingit ei qui prompto animo beneficia confert. *Musonius apud Stob. serm.* 1.

Boni viri vota. Contendere intempestiue cum amicis, & in disputationibus, prudens. Caueam.
Amicos dissidentes reconciliem.

Ami-

Amicis si queam, & indigentibus, necessaria suppeditem.

Amicos in periculo existentes, si prodesse possum, nunquã deserã.

Amicorum calamitates, quibuscunque modis id fieri queat, restituere comptus paratusque sim. *Ex eodem authore, & Serm.*

Epictetus. Pro bonum armentis studium tibi sit amicorum greges in domo tua congregare. *Stob. Serm. 5.*

Vt Lupus est animal cani simile: ita & adulator, & adulter, & parasitus amico similis est. *Ibid.*

Amicitiæ morbus inuidia, quemadmodum rubigo propria est frumenti ægritudo. *Periander apud Stob. Serm. 27.*

Amicorum, & sodalium in vitæ consuetudine, summam beneuolẽtiam consequetur, qui illorum in se obsequia maiora præstantioraque præstabit quam illi, sua vero in illos beneficia minora, quam ipsi existimabit. *Plato. lib. 5. de legib. Stob. Serm. 41.*

Amicos tibi compara, non omnes, qui id cupiunt, sed eos qui ingenio tuo digni sunt, neque quibuscum iucundissime viuas, sed cũ quibus optime ciuitatem administres. *Isocrates apud eundem Stob. Serm. 44.*

Amici multi Sceptrum sunt regibus fidelissimum, maximeque securum. *Xenoph. lib. 8. institutionis Cyri.*

Equi bonitatem in bello, amici vero fidem in calamitate iudicamus. *Plutarch. Anton. & Max. Serm. 135.*

Aurum igne probamus: amicos in aduersa fortuna cognoscimus. *Isocrat. ibid.*

Vera amicitia tria requirit maxime: virtutem tanquam honestam, & familiaritatem, vt iucundam, & vsum tanquam necessarium. *Idem, ibid.*

Quot amicos paraueris, tot oculos habes, quibus quæ velis videas, tot aures quibus, quę decet audias, tot consilia, quibus de ijs, quę conducunt consultare, & prospicere possis. Non enim aliter se habet plurium amicitia, quam si cui Deus vnum corpus habenti multas daret animas, quæ omnes illi prouiderent, & consulerent. *Dion. Chrysosto. ibid.*

Facilius calamitates acerbissimas cũ amicis feras, quam solus prosperitates maximas. *Dion. Pisonianus. ibid.*

Idoneus amicitiæ est, qui plurimas ferre potest iniurias. *Aristo. ibid.*

Acquirendæ sunt facultates propter amicos potius quam acquirẽdi amici propter bona. *Idem, ibid.*

Amicitiam, qui violant, etiam si hominum supplicium effugerint, Dei vltionem non euadent. *Socrat. ibid.*

Qui fratribus præteritis alios tibi amicos acquirunt, ijs assimilandi videntur, qui relicto suo agro colunt alienum. *Idem, ibid.*

Non posse opitulari amicis, inopiæ est: nolle autem, malitiam indicat. *Democr. ibid.*

Diuitiæ nunquam amicitiam efficient, quemadmodum nec terra Deum, amicitia autẽ diuitias facile adipiscitur, & parat, quemadmodum, & Deus terram. *Cato ibid.*

Vt apem propter aculeum non odisti, sed propter fructum foues, & tueris, sic amicum propter acerbam obiurgationem ne auerseris, sed propter beneuolentiam ames. *Idem, ibid.*

Qui amicum mœrentem fugerit, dignus non est, qui eo gaudente fruatur. *Idem, ibid.*

Satius est multis amissis pecunijs amicum vnum acquirere, quam vno amisso amico multas pecunias comparare. *Idem ibid.*

Malorum amicitia, & bonorum inimicitia fugienda. *Ibid.*

Calamitates, & necessitates amicos probant atque inimicos arguunt. *Ibid.*

Præsentibus amicis benefaciendum, de absentibus bene loquendum. *Ibid.*

A nemine amari se cogitet, qui neminem amat. *Ibid.*

Et medicus, & amicus, non iucundior, sed vtilior eligendus est. *Ibi.*

Amicum non diligas vtilitatis gratia. Nam talis amicitia breuis, & instabilis est. *Sextus, ibid.*

Amicum ne parato, cui non credis omnia. *Idem, ibid.*

Amicus secundum Deum mel, & lac veracibus verbis profundit. *Solon ibid.*

Raro ad amicum ingredior, ne tui satur te oderit. *Idem, ibid.*

Idem fuerit ex aureo poculo remedium bibere, & ab amico beneuolo capere consilium. *Ibid.*

Erga amicos esto constans: erga inimicos munitus, & cautus. *Pittacus, eod. Serm. 135.*

Primum iudicare, dein amare conuenit, non vice versa. *Nicocl. ibi.*

Amicis felicibus, & infelicibus, idem esto. *Cypsel ibid.*

Sicut vinum attemperatur ingenijs bibentium, ita & amicitia pro moribus vtentium variat. *Demosth. ibid.*

Inter sapientes amicitia est. Cæteri non magis amici quam socij. *Senec. de ben. l. 7. c. 12.*

Non mihi sic cum amico omnia communia sunt quomodo cum socio, vt pars mea sit pars illius: sed quomodo patri matrique cõmunes liberi sunt, quibus cum duo sint, non singuli singulos habent, sed singuli binos. *Idem, ibid.*

Quicquid habet amicus, commune est nobis: sed illius proprium est, qui tenet. *Ibid.*

Multos tibi dabo, qui non amico, sed amicitia caruerunt. Hoc non *Polyanthea Noua.*

potest accidere, cum animos in societatem honesta cupiẽdi par voluntas trahit. *Senec. epist. 6.*

Sapiens, etiã si contentus est, se tamen habere amicũ vult: si ob nihil aliud saltẽ, vt exerceat amicitiã, ne tã magna virtus iaceat. *Ep. 9.*

Si propter seipsam amicitia expetenda est, potest ad illam accedere, qui seipso cõtentus est. Accedit autem quomodo ad rem pulcherrimam, non lucro captus, nec varietate fortunæ perterritus. Detrahit amicitiæ suã maiestatẽ, qui illã parat ad casus. *Ibid.*

Consortium omnium rerum inter nos facit amicitia, nec secundi quicquam singulis est, nec aduersi. In commune viuitur, nec potest quisquã beate degere, qui se tãtum intuetur, qui omnia ad vtilitates suas cõuertit. Alteri viuas oportet, si vis tibi viuere. *E. 48*

Omnia cũ amico cõmunia habebit, qui multa cũ homine. *Ead. epi.*

In pectore amicus, non in atrio quæritur. Senec. *Lib. 6. de ben c. 34.*

Errat. & ille qui amicum in atrio quærit, in conuiuio probat. Nullum habet maius malum occupatus homo bonisque suis obsessus, quam quod amicos sibi putat, quibus ipse non est.

Tu omnia cum amico delibera, sed de ipso prius. Post amicitiam credendum est, ante amicitiam iudicandum. *Ibid.*

Qui sibi amicus est, scito hunc amicum omnibus esse. *Epi. 6.*

Hecaton ait, ego tibi monstrabo amatorium sine medicamento sine herba, sine vllius veneficæ carmine: Si vis amari, ama. *Epist. 9.*

Conuersari cum amicis absentibus licet, & quidem quoties velis, & quamdiu velis, magis hac voluptate, quæ maxima est, fruimur, dum absumus. *Epist. 55.*

Nec sicci sint oculi amisso amico, nec fluant. Lacrymandum est, non plorandum. *Epist. 63.*

Non affligitur sapiens amicorum amissione, eodem enim animo fert illorum mortem, quo suam expectat. *Epist. 74.*

In amicorum legendis ingenijs dabimus operam, vt quam minime inquinatos assumamus. *De tranquill. animi, cap. 7.*

Si dicas, amicum perdidi, resp. Iam te habuisse certum est aliũ quęre, & ibi eum quæras vbi inuenire possis. Quære inter liberales artes, inter honesta & recta officia, quære in laboribus. Ad mensam ista res non quæritur, quære aliquem frugi, fortem animũ habe, si vnum: erubesce, si vnicum, quid tu in tanta tempestate ad vnam anchoram stabas? *In excerptis ex Seneca.*

Plerunque in calamitate ex amicis inimici existunt. *Cæsar, lib. 3. de bel. ciuil.*

Amicorum neque nobis, neque cuiquam hominum satis fuit. *Salust. de bello Iugurt.*

Tibi amico non opus est, de cuius beneuolentia dubites. *Curtius, lib. 7.*

Non hoc præcipuum amicorum munus est, prosequi defunctum ignauo questu, sed quæ voluerit meminisse, quæ mandauerit exequi. *Tacit. Annal. lib. 1.*

Amicis inest adulatio. *Idem, Annal lib. 2.*

Nullum maius boni Imperij instrumentum quam amici, *Hist. l. 4.*

Amicorum tyranni quanto quis clarior, eo minus fidus. *Hist. l. 3.*

Amicorum propensio, si commode fiat, magnum adfert emolumẽtum. si vero coacta sit, & tarda tandem ac deficiens, vanum habet subsidium. *Polyb lib. 9.*

Administratio, & cura Reipublicæ ad patricios pertinet, amicitia, & pax ad bonos ciues. *Diony. Halicarnass. lib 6.*

Potens & præualidum est amicitiæ vinculum, neque vlla ex parte sanguinis viribus inferius, &c. *Valer. Max. lib. 4. c. 7.* vbi vide multa præclara.

Non magnitudine munerum, sed constantia morum continetur amicitia. *Tacit. Hist. lib. 3.*

Firmissima est inter pares amicitia. *Curt. lib. 7.*

Plus in amicitia valet similitudo morum quam affinitas. *Corn. Nepos in vita Pomp. Attici.*

In prospera fortuna fidem seruare nihil arduum esse videtur, at quum quispiam in amici calamitate constans permanet, id vero in sempiternum memoria tenetur *Xenoph. de reb. gest. Græcor. l. 4.*

Aegre consistit inter Principes amicitia, propter diuersitatem eorum, quæ singulis prope momentis ad ipsos deferuntur. Caueãt igitur, ne præsentes adsint ad adloquiũ, sed per legatos viros prudentes, qui, quod vtrinque peccatum est, sanare possint, sua negocia conficiant. *Cominæus lib. 2.*

Cum amicitiæ præsidium sit firmissimum, secundum Ciceronem, li. 1. de Finib. & rerum omnium nec aptius sit quidquam ad opes tuendas, & tenendas quam amari ac diligi, nec alienius quam timeri, teste eo. li. 2. de Offi. nec sine amicorum beneuolentia, neque in aduersa, neque in secunda fortuna quisquam viuere possit, vt idem habet 4. lib. epist. ad famil. immo cum nullius opes vnquam tantę fuerint, aut esse possint, quæ sine multorum amicorum officijs stare queant, vt idem orator testatur in orat. pro Planco: certe cum Tacito concludimus, nullum maius boni Imperij instrumentum inueniri quam bonos amicos. Idem testatur Cãbyses moriens, vt refert Xenophon in Cyripædia. Et prudentissime omnes, qui sapientia insignes maxime fuerunt, in amicorum copia magna, sibi & posteris comparanda diligentiã eximiam adhibuerunt. *Annibal Scotus Comm. in Tacitum.*

Veterum sententijs veræ amicitiæ leges adiungere libuit, innumeris sententijs, & exemplis tum sacris, & ecclesiasticis, tum secularibus luculenter confirmatas. Amici item, præsertim eius, qui Christum sincero cordis affectu complectitur, & ardenter diligit, ex Io. Pico Mirandulano descripti characteres.

Amicitiæ veræ, Leges.

1. Amicitia non ineatur, nisi a virtute præditis, & ob virtutem.
2. Amicus alter ipse esto.
3. Amicorum omnia sunto communia.
4. Idem velint, & nolint amici.
5. Sincera, fida, ab omni fraude aliena amicitia esto.
6. Amicitia constans maneat æque in aduersis ac prosperis.
7. Cum opus est, amicus amicum corripere non negligat.
8. Amicus arcana sua amico patefaciat.
9. Nihil turpe alter ab altero postulet.
10. Vterque colat silentium, nec sibi commissa reuelet.
11. Externa comitatis, & humanitatis officia sibi mutuo declarent.
12. Amicus esto paratus pro amico profundere vitam.
13. Amicitia indissolubilis, & æterna sit.

Amici seu sinceri amantis Characteres.

1. Amare vnum tantum, & contemnere præ eo omnia.
2. Infelicem se putare, quando non est cum amato.
3. Omnia pati, vt cum illo sit, etiam mortem.
4. Ornare se, vt illi placeat.
5. Esse cum illo quomodo potest, si non re ipsa, saltē cogitatione.
6. Amare omnia quæ ad eum, siue ad eius gloriam, pertinent, amicos omnes, ædes, expressas, & viuas imagines, &c.
7. Cupere laudes eius celebrari, nec posse ferre vel leuiculam amati nominis ignominiam.
8. De eo credere omnia summa, & idem cupere vt omnes credāt.
9. Optare pro eo pati aliquod incommodum, illudque reputare dulce.
10. Flere cum eo sæpe: vel si absens sit, ex dolore: vel si præsens, ex lætitia.
11. Semper languere, semper ardere eius desiderio.
12. Seruire illi nihil cogitando de præmio, vel de mercede.

SENTENTIAE POETICAE.

Ex Latinis.

Monosticha.

Plures amicos re secunda compares.
Paucos amicos rebus aduersis probes. Auson.
Amicum optima res parant, tristes probant. Publ.
Amicus certus in re incerta cernitur. Ennius
Nullus ad amissas ibit amicus opes. Ouidius.
Cum inimico nemo in gratiam cito redit. Publius.
Amici animum quærens, parasiti diuitias Lucil.
Magna inter molles concordia. Iuuenal. Sat. 2.
Dulcis inexpertis cultura potentis amici. Horat.
Par ætas animos conciliare solet. Corn. Gallus.
Vnus amicitiæ summos tenor ambit, & imos. Ouid.
Comes facundus in via pro vehiculo est. Publius.
Auxilia humilia firma consensus facit.
Ita amicum habeas posse vt fieri inimicum putes.
Discordia fit carior concordia.
Tristia cuncta exupera aut animo aut amico.
Ita credo amico ne sit inimico locus.
Amici vitia si feras, facis tua.
Bonus amicus grauius multo trasfertur.
Cum hominibus pacem, bella cum vitijs habe. Anonym.

Ex Plauto. & Terentio Comicis.

Sententiæ Plauti.

---------. Hoc tu tacite, cogites,
Vt cuiq; homini res parata est, firmi amici sunt, si labent
Res sue, itidem amici collabascunt. Amicos res tauenit.
In Sticho. Act. 4. Sc. 4.
Verum est verbum quod memoratur, vbi amici,
Ibi sunt opes. In Truculento Act. 4. Sc. 4.
Si quid amicum erga benefeci, aut consului fideliter,
Non videor meruisse laudem, culpa caruisse arbitror.
Nam beneficium homini proprium, quod datur, proprium erit:
Quod datum vtendum est, id repetundi copia est quando velis.
In Trinummo. Act. 5. Sc. 2.
Bene si amico feceris, ne pigeat fecisse.
Vt potius pudeat, si non feceris. In Trinummo.
Nihil agit, qui diffidentem verbis solatur suis.
Is amicus est qui in re dubia iuuat, vbi re est opus.
In Epidico. Act. 1. Sc. 2.
Multis modis meditatus egomet mecum sum & ita esse arbitror,
Homini amico qui est amicus ita vti nomen possidet,
Nisi deos nihil præstare eo. In Bacchide, Act. 3. Sc. 2.
Nimium difficile est, reperire amicum, ita vt nomen
Cluet, cui tuam cum rem credideris, sine omni cura dormias.
In Trinummo. Act. 3. Sc. 1.
In hominum ætate multa eueniunt huiusmodi,
Capiunt voluptates, mox rursum miserias,
Iræ interueniunt, redeunt rursum in gratiam.
Verum iræ si qua forte eueniunt huiusmodi,
Inter eos, rursum si reuentum in gratiam est.
Bis tanto amici sunt inter se, quam prius. In milite.
Quanquam negocium est, Siquid vis, Demipho,
Non sum occupatus vnquam amico operam dare.
In Mercatore.
Nihil homini amico est opportuno amicius. In Epidice.

Ne recentiores poetas omittamus. *Ex Cæsaris Scaligeri Epidorpidum libris*, quindecim Epigrammata de amicis subiecimus.

1. *Quem officia vides perpetuasse cum parente.*
Tu fautus erit patrius, innocens amicus:
2. *Non est tibi quisquis sibi nescit esse amicus.*
Verum neq; fer. qui sibi vult nimis se amicum.
3. *Ne damna tibi fabrices. Cætas monebit.*
Ita viue, vt amicos facias ex inimicis,
4. *Inquit sapiens, vna dies plagat amicum.*
Heu heu mihi, quot horula iam pandidit vna,
Vt sit tibi verissima sententia vulgi,
Quot vis, tot amicos numera, experire paucos.
Est prorsus idem, perdere, & experiri amicos?
Ita friget amor mutuus: vmbra luce cassa est.
Sic dira fames aurea pectora obstinauit.
5. *Serua fidei pignora patris amicis:*
Vt certa vides integra fortasse parentem.
6. *Veteri secto ne noua compares amici.*
Ignotum notis dabis, incertaq; certis?
7. *Ne gratia cum vita abeat suauis amici:*
Verum officijs affice liberos eorum,
8. *Amissa recuperare stude, ante omnia amicum:*
Nec tum deditis odium irrigare pergas.
Sed de hoste triste facere animi vero benigni.
9. *Si perdis amicum cito, per leuemque causam*
Nil perdis, amicum neque tum fuisse dicam.
10. *Teipsum in socium transfer, & hac arte propaga.*
Regno vtiliter dicitur extruere amicas.
11. *Nemo tibi te maior amicus & vicissim*
Infestior hostis fit, vt in necessitate
Ponas operam sedulus, exegasq; pensum:
12. *Erroris amicum moneat volens volentem.*
Si nolit: et illi sibi, quod debuit esse.
13. *Fuvare benefica dexteritate sodales,*
Fortuna opibusque omnibus hos refer amicos.
14. *Fortuna si amici faciem ac pectora mutat:*
Fortuna animique tui sic tempera mota.
15. *Multi ad cyathum faciles, prodigique amici,*
Quos immemores efficit vna vmbra periculi:
Neque fuit, neque erit, neque esse quenquam hominum in terra dum
Arbitror, cui fides fidelitasq; e amicum ergo æquiparet suam.
In Trinummo. Act. 5. Sc. 2.
Pauci ex multis sunt amici homini, qui certi sient.
In Pseudolo. Act. 1. Sc. 3.
Multi more isto atque exemplo viuunt, quos quum censeas
Tibi amicos: reperiuntur falsi testimonijs.
Lingua factiosi, inertes opera, sublesta fide.
Nullus est quo non inuideat rem secundam obtingere.
Sibi ne inuideatur ignaui cauent recte. In Bacch. Act. 3. Sc. 6.

SENTENTIAE TARENTII.

--------- Verum verbum hoc quidem est
Communia esse amicorum inter se omnia.
In Adelph. Act. 5. Sc. 3.
Solus est homo amico amicus. In Phormione. Act. 3. Sc. 3.
Obsequium amicos, veritas odium parit.
In Andria.

SCRIPTORES

De amicitia. *Magnus in Sophologio. 2. 2. 7 & 8 Raineriu, Flor. Theolog. Rampegellus cap. 7. Hanapus cap. 46.* De vtilitate amicitiæ, *Pharetra.* De amicitia vera, & fide in ea seruanda, *Brusse's, Pandect. li. 9.* Amicis non exprobrandum vel maledicendum, nec reuelanda arcana ipsorum, *Ibidem.* Quibus amicitia iungi liceat. *Ibidem.* Amicitia vera est, quam religio vera conciliauit, *Mars. Fic. 3 26.* De amicitia præcipue Diuina, *Vide Alanum Varenum.* De amicitia porro scripsit *Plato in Lyside. Aristot. in Moral. magnis. & ad Eudemum lib. 8. cap. 9. Themistius in oratione. Florilegium Græc. Epigr. li. 1, sect. 85. Lucianus, in* Τυχαν. *Antonius Monachus Melissa lib. 1. cap. 1. 24. Cælius Rhodig. lib. 23, capite 4. Cicero in Lælio.* De amicitia cum multis, *Plutarch.* De discrimine adulatoris, & amici, *Idem.* In amicos, *Martialis Castratus Conradi Gesneri Tit. 45.* De amicitia immortali, *Mar. li. 1. 2. p. 20.* De amicitijs animalium, & rerum aliarū, *Constant. Cæsar.* Amicitia illa stabilis, quæ à Deo constant, *Mars. lib. 1. cap. 15.* Amicitia inter homines nisi afflante Deo constare non potest, *Idem lib. 4. cap. 46.*

AMIS.

AMISSIO RERVM.

AMittere significat perdere, & iacturam facere. Hebr. *Abad.* perijt, amissus est. Inde *Abdah* perditio, amissio. Et nomen aduersarij Ecclesiæ Christianæ Abbadon, i. perdens, qui omnia perdit, vastat, & ad nihilum redigere studet, Græcis ἀπολλύων, ἀπολλύω, perdo. De Abaddone, & Appollyone vide Apocal. 9. ver. 11. De Amissione rerum autem hic occurrunt.

SENTENTIAE PATRVM.

Potes aurum perdere, & nolês, potes domum, potes honores, potes ipsam carnis salutem: bonum vero quo vere bonus es, nec inuitus accipis, nec inuitus amittis. *Aug. de ver. dom.*

Sine dolore non pereunt, quæ cum amore possessa sunt. *Aug. Ench.*

Magna consolatio in rerum amissione est, illa tempora in mentem reducere, quibus nos contigit res, quas perdidimus, non habuisse, vt dum vnusquisque intuetur, quod aliquando illa non habuit dolorem temperet, quod amisit. *Greg. lib. 3. mor.*

Sine dolore amittitur, quicquid sine amore possidetur. Quæ vero ardenter diligimus habita, grauiter suspiramus ablata. *Gre. 3. mo.*

Quanto minor in possessione commoditas, tanto minor in amissione dolor. *Idem in ho.*

Cum graui dolore amittuntur, quæ cum magno amore habentur: minus autem carendo dolemus, quæ minus possidendo diligimus. *Isidor. 3. de summo bono.*

POETICAE SENTENTIAE.
Iacob. Billius Antholog. sacra.

Qui bona, qui patriam, qui pignora, quique sodales
Pro Christo metuis linquere, pone metum.
Quicquid enim in mundo pro Christo liqueris, illud
In summo inuenies auctius ipse Deo.
Sic quondam meretrix Ierichuntia, seque suosq;
Dum fouuit, famulos seruat, vt ipsa Dei:
Quicquid perdideras, recipit cum fænore rursum.
Semper enim reddit, quæ capit, aucta Deus.

Idem.

Hunc vt possideas, qui possides omnia, cura
Sic tibi possideat pectus, vt ante tuum.
Hunc si possessus tantum possederis, ô quam
Diues eris, quam sors læta futura tua est:
Et quid enim sancte optaui, petiisque quod illo
Non habeas, Christum pectore quisquis habet?
At pars, vt tibi sit Christus, census que beatus,
Præter eum nullas expete vanas opes.

Idem.

Omne bonum mundo conuentum, & tempore partum
Quacunque amoris conditione potest.
Et quamuis damnis vigilanter cura resistit,
Sæpe tamen proprijs despoliatur homo.
At bona, quæ vere bona sunt, nec fine tenentur,
Semper habet Christum, quisquis habere cupit.
Nec vim ferre pote? Christo subnixa voluntas,
In quo persistens omnia vincit amor.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Nihil perdit, qui se habet. Circumspice ista, quæ nos agunt in insaniam, quæ cum plurimis lachrymis amittimus: sciens enim non damnum in his molestum esse, sed opinionem damni pecunia minorem habebis, nempe, & molestiam, gratiam minorem, nempe & inuidiam, scilicet minorem habebis. *Seneca. 83. ep. Stoicas.*

Solatium est, æquo animo perdere, quod periturum est. *epist. 98.* Sequens e. 99. cósolationes continet in morte filiorũ, & amicorũ.

Pecuniam perdidisti, & illam, quæ multos habet, perdidisti, fortassis te illa perderet. O te felicem, si cum illa auaritiam perdidisti. Pecuniam perdidisti: antequam tu haberes, alius perdiderat. Oculos perdidisti: quam multis cupiditatibus vita incisa est! Liberos amisisti: stultus est, qui mortem mortalium deflet. Perierunt perituri, habebant illi, cuius magis esset, quam tui: apud te precario morabantur, educandos tibi illos fortuna mandauerat recepit illos, non abstulit. *Seneca de remed. Fortuitorum.*

Oculos perdidisti, habet & nox suas voluptates, non intelligis partem esse innocentiæ cæcitatem, huic oculi adulteriũ monstrãt, huic incæstum, huic domum, quam concupisceret, huic vrbem. Irritamenta vitiorum sunt, duces scelerum, *Ibidem*

Nudus exiisti, omnia perdidisti, sed cum omnibus perire potuisti Cogitas, quod perdideris, sed non quod euaseris. *Ibidem.*

Pecuniam perdidisti, eris nunc in via expeditior. Exonerauit te fortuna, si intelligis, & tutiore posuit loco. Damnum putas, remedium est. Deflens miserum te clamitas, quod opib. excussus es, tuo vitio ista tibi iactura tam tristis est. Non tam moleste ferres, si tanquam perditurus habuisses. *Ibidem.*

Vxorem bonam amisisti, verum inueneras bonam, an feceras. Si inueneras, habere posse aliã ex hoc intelligas. Si feceras, bene tibi spera, res perijt, saluus est artifex. *Ibidem.*

Polyanthea Nouiss.

Amicum perdidisti. Si vnicum, erubesce. Quid in tanta tempestate ad vnam anchoram stabas? Alium quære, & cum eum quæras, vbi inuenias, quære inter liberales artes, inter certa, & honesta officia, quære in laboribus, ad mensam res ista non quæritur. *Ibidem.*

Multa tibi possum ostendere, quæ acquisita acceptaque libertatem nobis extorserunt. Nos essemus nostri, si ista nostra non essent. *Seneca in epist.*

Id agamus, vt iucunda nobis amissorum fiat recordatio. Nemo libenter ad id redit, quod sine tormento cogitaturus non est. *Ibid.*

Nullius rei amissio facilior est, quam quæ desiderari amissa non potest. *Ibid.*

Stilpon capta patria, amissis liberis, amissa vxore, cum ex incẽdio publico solus, & tamen beatus exiret, Interroganti Demetrio, nunquid omnia perdidisset? respondit, nihil, inquit, perdidi: omnia mea mecum sunt, iustitia, virtus, prudentia. Nihil bonum putare potuit, quod eripi posset. *Ibid.*

Aspicere posses, quod possis perdere: dimissum, quod nescitur, nõ amittitur. Homo toties moritur, quoties amittit suos. *Seneca in prouerb.*

EXEMPLVM PROPANVM.

Bias omnibus amissis: Omnia, inquit, mea bona mecum porto. Pectore enim illa gestabat, non humeris, nec oculis videnda, sed animo æstimanda, quæ domicilio mentis inclusa, nec mortaliũ, nec Deorum manibus labefactari queunt. *Valer. Max. lib. 7.*

AMOR DEI.

DEFINITIO ET ETYMOLOGIA.

AMor Dei, Græce θεοφιλία, dicitur, qui charitas, & pietas erga Deum esse videtur. De qua vide infra Charitas.

Amor Dei est rectissima animi affectio, qua diligitur Deus propter se, & proximus propter Deum. *Secundum D. Augustin. de doctrina Christ.*

Amor est genus, charitas species: amor ad omnia pertinet, charitas tantum ad homines.

Amorem, Hebræi *Oheb* dicunt, à verbo *Ahab.* amauit, dilexit, quod cognationem habet cum *Abah,* voluit. & *Iahab.* appetiuit, quod enim amamus, volumus, & appetimus.

SENTENTIAE BIBLICAE.

Audi Israel: Dominus Deus noster, Deus vnus est. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua. *Deut. 6.*

Quærite Dominum, & virtutem eius, quærite faciem eius semper. *1. Paralip. 16.*

Diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum. *Ad Romanos 8.*

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc est maximum, & primum mãdatum. Secundum autem simile est huic. Diliges proximum tuũ sicut teipsum. In his duobus mandatis vniuersa lex pendet, & Prophetæ *Matth. 22.*

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua, & proximum tuum sicut teipsum. *Luc. 10.*

Ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit se metipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo, in odorem suauitatis. *Ad Ephesios. 5. cap.*

Nos ergo diligamus Deum, quoniã ipse prior dilexit nos. *1. Ioan. 4.*

Qui diligit Deum, exorabit pro peccatis, & abstinebit se ab illis, & in die orationis exaudietur. *Syrach. 3. cap.*

Dilige Deum, qui fecit te, & ministros eius non derelinquas. *Idem. 7.*

Oculi Domini in diligentes se. *Idem. 34.*

Misericors sum in ijs, qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea. *Exod. 20.*

Quid Dominus Deus tuus petit a te, quam vt timeas eum, & ambules in vijs eius, & diligas eum? *Deut. c. 10.*

Diligite Dominum omnes sancti eius: quoniam non est inopia timentibus eum *Dauid Psal. 30.*

Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum. *Luc. 7.*

Si quis diligit Deum, hic cognitus est ab eo. *1. Cor. 8.*

Si quis non amat Dominum Iesum Christum, Anathema sit: Maranatha. *Ibid. 10.*

Qui diligitis Dominum, odite malum: custodit Dominus animas sanctorum suorum, de manu peccatorum liberabit eos. *Idem Amos 5.*

In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per charitatem operatur, *Paul. ad Gal. 5.*

In libertatem vocati estis fratres, tantum ne libertatem in occasionem detis carni, sed per charitatem spiritus seruite inuicem. Omnis enim, lex in vno sermone impletur: Diliges proximum

tuum, sicut teipsum. Fructus spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas. *Ibid.*

Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, & nouerim mysteria omnia, & si omnẽ scientiam habuero, omnemque fidem, ita vt montes transferam charitatem autem non habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Charitas patiens est, benigna est. Charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit, quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati: omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet: Charitas nunquam excidit, siue prophetiæ euacuabuntur, siue linguæ cessabunt, siue scientia destruetur. Manet nunc fides, spes, charitas, tria hæc: maior autem horum est charitas. *1. ad Corinth. 13.*

Sectamini charitatem, æmulamini spiritualia. *ibid c. 14.*

Induite ergo vos, sicut electi Dei, sancti, & dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam: supportantes inuicem, & donantes vobismetipsis, si quis aduersus aliquem habet querelam: sicut & Dominus donauit vobis, ita & vos. Super omnia autem hæc, charitatem habete, quod est vinculum perfectionis. *Idem ad Coloss. 3. cap.*

SENTENTIÆ PATRVM.

Nihil pretiosius Deo, virtute dilectionis. Nihil desiderabilius Diabolo, extinctione charitatis. *D. August.*

Qui diligit Deum, & eius mandata custodit, in illius cor Dominus venit, & mansionem facit. *D. Gregorius.*

Ex tota mẽte tua dilige Deum, vt in omnibus actibus tuis placeas illi. Deus enim non tantum vult verbis diligi, sed corde puro, & operibus iustis. Magis ergo omnibus diligamus Deum, qui, & nos & parentes nostros proprijs manibus finxit, & cuncta nobis bona, quæ erga nos geruntur quotidie, eius beneficijs adscribamus. *Basilius Magnus.*

Christus diligendus est supra parentes. Quia non bonis tribuunt parentes ea, quæ Christus. *Idem.*

Quum nobis Deus magna beneficia præstat, nihil exigit à nobis, nisi vt diligamus eum, & templa nostra ei seruemus, vt ille semper in nobis habitet, & nos in illo permaneamus. *Idem.*

Dilectio Dei morti comparatur dicente Salomone, Valida est, vt mors, dilectio Dei: Sicut mors violenter separat animas à corporea, ita dilectio Dei violenter segregat hominem à mundano, & carnali amore. *Isidorus.*

Qui Dei præcepta contemnit, Deum non diligit. Neque enim regem diligimus, si odio eius leges habemus. *Ibidem.*

Minus quam inter duos dilectio Dei esse non potest. Et dum rem amore concupiscimus temporalem, amittimus veram Dei dilectionem. *Idem.*

Deus dilectio est, & qui manet in dilectione, in Deo manet, & Deus in eo. Cum Deo autem non possunt manere, qui esse in ecclesia Dei vnanimes noluerunt. *Cyprianus.*

Stultum est, aliquid amare plus quam Deum. Mentem enim quam repleuerit memoria Dei, maligno in ea non dabitur locus. *Clemens.*

Si quis dilexerit Deum, illius mens non erit in terra, sed semper superiora petet. Desiderabit enim, quæ amauit: inde ducitur, inde illuminatur, inde reficitur, tanquam de dulcissimo fonte. *Effrem.*

Duas ciuitates, duo faciunt amores: Hierusalem facit amor Dei: Babyloniam facit amor sæculi. Interroget igitur se vnusquisque quid amet, & inueniet vbi sit ciuis. *August. super Psal 64.*

Ama amorem illius, qui amore tui descendit in vterum virginis, & ibi amorem suum amori tuo copulauit, humiliando se, sublimando te, coniungendo lumen suæ æternitatis limo tuæ mortalitatis. *Augustinus de catechizandis rudibus.*

Constans & perfectus debet esse amor noster, vt si necesse fuerit, amore illius moriamur, qui amore nostri placide ac benigne mori dignatus est. *Ibidem.*

Minus Domine te amat, qui aliquid tecum amat, quod propter te non amat. *August. libro confessionum.*

Ad Deum qui vbique præsens est, vbique totus est, non pedibus licet ire, sed moribus. Mores autem nostri ex eo, quod quisque nouit, sed ex eo, quod diligit, diiudicari solent: nec faciunt bonos, vel malos mores, nisi boni vel mali sint amores. *Augustinus epistol. ad Macedonianum.*

Si voluntatem Dei quisque nosse desiderat, fiat amicus Deo. Quia si voluntatem hominis nosse quisque vellet, cui amicus non esset, omnes eius impudentiam deriderent, non autem quisque efficitur amicus Dei, nisi purgatissimis moribus. *August. contra Manichæos lib. 1.*

Modus diligendi Deum est, vt diligatur quantum potest diligi, & quanto plus diligitur, tanto est dilectio melior. *Augustin. libro de moribus Eccles.*

Non dubitat etiam Plato hoc esse philosophari, scilicet, Deum amare. *August. lib. 8. de ciuitate Dei.*

Qui diligit Deum, non potest contemnere præcipientem, vt diligat proximum, & qui sancte ac spiritualiter dilexit proximum, quid in eo diligit, nisi Deum? *Aug. super illud, Hoc mandatum do vobis.*

Felix conscientia illa, & beata virginitas, in cuius corde, præter amorem Christi, qui est sapientia, castitas, patientia atque iustitia, cæteræque virtutes, nullus alius versatur amor: nec ad recordationem hominis aliquando suspirat: nec videre desiderat, quod cum viderit, nolit dimittere. *Hieron. in epist. ad Demetriadem.*

Qui amicitias petit Iesu, multorum sibi sciat esse inimicitias tolerandas. Nam cum anima verbo Dei se sociauerit, dubitare non debet, statim se inimicos habiturã, & eos, quos ante habuit amicos, in aduersarios esse vertendos. *Hieron. super Iesum homil. 1.*

Cui portio Deus est, nihil debet curare nisi Deum, ne alterius impediatur necessitatis munere. Quod enim ad alia officia confertur, hoc religionis cultui, atque huic nostro officio decerpitur. Hæc enim vera est sacerdotis fuga, abdicatio domesticorum, & quædam alienatio charissimorum, vt suis se abneget, qui seruire Deo elegerit. *Ambrosius de fuga sæculi.*

Solent nonnulli in prosperis Deum diligere, in aduersis autem flagellantem minus amare. *Grego. lib. 2. Moralium.*

Tunc plenius in Dei dilectione proficimus, cum in eiusdem dilectionis gremio prius proximi charitate iactamur. *Gre. l. 5. mor.*

Amãti Deum dilatio imponitur, vt ex dilato amoris desiderio, meritum retributionis augeatur. *Grego. lib. 6. Moral.*

Certe iam monumentum vacuum viderat, iam sublatum Dominũ nuntiauerat. Quid est, quod se iterum inclinat? iterum videre desiderat. Sed amanti semel adspexisse non sufficit, quia vis amoris intentionem multiplicat inquisitionis. *Gregor. in homil. Maria stabat ad monumentum.*

Mulier quid ploras? quem quæris? Interrogatur causa doloris, vt augeatur desiderium quærentis, quatenus cum nominaret quem quæreret, in amore eius ardentius æstuaret. *Gregorius in homil. Maria stabat ad monumentum.*

In quantum quisque amat, in tantum ad ingressum regni appropinquat. In quantum vero amare negligit, in tantum ingredi recusat. *Grego super Ezechielem.*

Dilexit nos Deus dulciter, sapienter, fortiter. Dulciter nempe dixerim, quod carnem induit Sapienter, quia culpam cauit: Fortiter, quia mortẽ sustinuit. Disce ergo Christiane à Christo, quemadmodum diligas Christum. Disce amare dulciter, ne illecti, prudẽter, ne decepti: fortiter, ne compressi deficiamus. *Bernard. super Cantica serm. 20.*

Toto corde, tota anima, tota virtute diligere, est omne, quod blanditur de carne propria, vel aliena, sacrosãctæ carnis Christi amori postponere. *Idem.*

Magna res amor, si ad suum recurrat principium, si suæ origini reddatur, si refusus suo fonti semper ex eo sumat, vnde iugiter fluat. *Idem.*

Sapientia est Deus, & vult amari non solum dulciter, sed & sapiẽter, alioquin facillime zelo tuo spiritus illudet erroris, si scientiã negligas. Non enim habet callidus hostis machinamentum efficacius ad tollendam de corde dilectionem, quam si efficere possit, vt in ea incaute, & non cum ratione ambuletur. *Bernar. super Cantica serm. 30.*

O iugum sancti amoris, quam dulciter capis, gloriose laqueas, suauiter premis, delectanter oneras, fortiter stringis, prudẽter erudis. O felix amor, ex quo oritur strenuitas morum, puritas affectionum, subtilitas intellectuũ, desideriorum sanctitas, operum claritas, virtutum fœcunditas, meritorum dignitas, præmiorum sublimitas. *Bernard in tract. de diligendo Deum.*

Prior Deus dilexit nos, tantus, tantum, & gratis: tantillos, & tales. *Idem.*

Vultis à me audire, quare, & quo modo diligẽdus est Deus. Et ego dico, quod causa diligendi Deum Deus est, modus: sine modo diligere. Ob duplicem causam dico Deum propter se diligendum, vel quia nihil iustius, vel quia nil fructuosius diligi potest. *Idem.*

Ama ergo, ô homo, Deum. Ama totus, vt possis omnia sine labore vincere, & delere peccata. Teneræ militiæ, delicati cõflictus est, amore solo de cunctis criminibus reportare victoriam. *Petrus Rauennas super illud Diliges Dominum Deum tuum, &c.*

Multum quidem vexat hominem, cum relinquitur amor mundi, multo amplius tamen cruciat, cum calcatur amor sui. Veruntamen super omnia transfigit, & penetrat cor hominis, & excoquit desiderium æstibus amor Dei, vnde est illa vox: Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. *Beda sup. Can.*

Qui vult veram dilectionem prægustare. Christum discat suauiter amare, quia Christus amor est. *Basilius in Hexaemeron.*

Thesaurus indeficiens est amor diuinus, quem qui habet, diues est, quo quicunque caret, pauper est. *Idem.*

Vnguentum suaue, & optimum est amor summi boni, quo pestes mentis sanantur, & cordis oculi illuminantur. *Idem.*

Qui

Qui Deum ex toto corde, & ex tota anima. & ex tota virtute diligit, locum vitijs non relinquit. Non enim intrat diabolus, cũ Deo totus occupatus est animus. Diabolus enim vacantem desiderat, nudatum perquirit. Sed vbi Deum reperit, sub magna confusione recedit. Visibilia cum aliquo liquore plena sunt, superuenientium augmenta non capiunt. Ita nos diuina charitas si totos repleat, non erit quo crimen introeat. *Cassiod. sup. ps. 41.*

Inter mundi, & Dei amorem hæc est differentia: quia amor mundi a principio dulcis esse videtur, sed finem amarum habet: Amor verò Dei ab amaritudine incipit, sed vltima eius, dulcedine repleta sunt. *Hugo de Ara, lib 1.*

Mundi amor, & Dei pariter in vno corde habitare non possunt: quemadmodum oculi pariter, & cœlum & terram nequaquam conspiciunt. *Cyprian. de. 12. abusionib.*

SENTENTIAE POETICAE.

Homerus.

ὅς κε θεοῖς ἐπιπείθηται μάλα τ' ἔκλυον αὐτοῦ.

Qui Dijs paret, ab ijs valde exauditur.

Pytagoras in aureis carminibus, & Stephanus Niger in expositione.

Ἀθανάτους μὲν πρῶτα θεοὺς νόμῳ ὡς διάκειται τίμα. idest, *Primum omniũ immortales Deos, vti sese habent, legitimè cole. Rectè hac a diuinarum rerum cultu, idest, religione, sumpsit exordia: Nouerat enim vir maximo ingenio, summaq; doctrina praditus, beata, sanctaq; vita fundamentum esse Deorum venerationem. Nam si & omnia & nos ipsi a Deo immortali ortum ducimus, nulli profectò est dubium, quin & nostra omnia, & nosmetipsos Deo Debeamus. Caterum cum nihil sit, quod a nobis Deo immortali gratius, iucundiusq; praestari possit, quam vt nos gratos esse ostendamus, nostramq; in eo gratitudinem vno demum religionis cultu illi significare valeamus: rectè Pythagoras nos omnium primum Deos esse colendos docuit, idq; vt se habet legitimè faciendum admonuit. Vide pranomenata loco Nigrum.*

EXEMPLA SACRA.

Iosue obiturus diem supremum, hoc postremum præceptum reliquit: Tantum confortamini, & estote solliciti, vt cuncta custodiatis, quæ scripta sunt in volumine legis, & hoc diligentissime præcauete, vt diligatis Dominum Deum vestrum. *Ios. 23.*

Dicitur de Dauide, quod de omni corde laudauerit Deum, & dilexerit eum: quod fecerit eum. *Eccl. c. 47.*

Petrus respondit: Domine, tu scis, quia amo te. *Io. 21.*

Quis nos separabit a charitate Christi? *Rom. 8.*

Omnia existimauit stercus, propter Christum. *Phil. 3.*

Appellat Aegyptus feram, quæ exorientem adoret Caniculã. Quod si bruta quoque animalia pietatem colere, Deos venerari pro comperto habemus: nonne hominem rationis, ac consilij participem pudeat nos nulla sequi pietatis ac religionis vestigia, non amare Deũ & colere, sed Scythas ac Galatas imitari? apud quos, vt ait Plutarchus nulla sit Deorum mentio: nulla de diuinis historia memoratur. *Orig.*

AMOR PROXIMI.

DEFINITIO.

Amor proximi, Græce *ἔρως γείτονος*, idem videtur esse cũ charitate, qua proximum diligere iubemur.

SENTENTIAE BIBLICAE.

Aduenas non contristabis, neque affligas eum. Viduæ & pupillo nõ nocebitis. Si læseritis eos, vociferabuntur ad me, & ego audiam clamorem eorum, & indignabitur furor meus, percutiamque vos gladio. Et erunt vxores vestræ viduæ, & filij vestri pupilli. *Exod. c. 22.*

Si occurreris boui inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum. Si videris asinum odientis te iacere sub onere, non pertransibis, sed subleuabis eum eo. Peregrino molestus non eris. *Exod. 23.*

Non decipiet vnusquisque proximum suum. Non facies calumniã proximo tuo, nec vi opprimes eum. Non morabitur opus mercenarij tui apud te vsque mane. Non maledices surdo, nec corã cæco pones offendiculum: sed timebis Dominum Deum tuum. Non eris criminator, nec susurro in populis. Non stabis contra sanguinem proximi tui. Nolite facere iniquum aliquid in iudicio, in regula, in pondere, in mensura. Statera iusta, & æqua sint pondera, iustus modius, æquusq; sextarius. *Leuit c. 19.*

Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. Non concupisces vxorem proximi tui, non domum, non agrum, non seruum, non ancillam, non bouem, non asinum, & vniuersa, quæ illius sunt. *Deut c. 5.*

Non videbis bouem fratris tui, aut ouem errantem, & præteribis, sed reduces fratri tuo. *Deut. 22.*

Non negabis mercedem indigentis & pauperis fratris tui, siue aduenæ, qui tecum moratur in terra, & intra portas tuas est: sed eadem die reddes ei pretium laboris sui ante solis occasum: quia pauper est, & ex eo sustentat animam suam. Ne clamet contra te ad Dominum, & reputetur tibi in peccatum. *Deut. 24.*

Maledictus, qui clam percusserit proximum suum. & dicet omnis populus, Amen. *Deut. 27.*

Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facies. *Tob. 4.*

Non facias violentiam pauperi, quia pauper est, neq; conteras egenum in porta, quia iudicabit Dominus causam eius, & configet eos, qui confixerunt animam eius. *Prou. 22.*

Non desis plorantibus in consolatione, & cum lugentibus ambula Non pigeat visitare infirmum: ex his enim in dilectione firmaberis. *Eccl. 7.*

Audistis, quia dictum est: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autẽ dico vobis: Diligite inimicos vestros, Benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos, vt sitis filij patris vestri, qui in cœlis est: qui oriri facit solem super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos, *Matth. 5.*

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc est maximum, & primum mandatum. Secundum autem simile est huic: diliges proximum tuum, sicut teipsum. In his duobus mandatis vniuersa lex pendet, & Prophetæ. *Matth. 22.*

In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis, & adijcietur vobis. *Marc. 4.*

Qui habet duas tunicas det non habenti: & qui habet escas, similiter faciat. *Luc. 3.*

Diligite inimicos vestros: Benefacite his, qui vos oderunt. Benefacite, & mutuum date, nihil inde sperantes, & erit merces vestra multa, & eritis filij altissimi. Quia ipse benignus est super ingratos, & malos. Dimittite, & dimittetur vobis. Date, & dabitur vobis. *Luc. 6.*

Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos. *Io. c. 13. in Euan.*

Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi. Hoc mando vobis, vt diligatis inuicem. *Io. 15.*

Nulli malum pro malo reddentes, & infra, Scriptum est enim, Mihi vindictam, & ego retribuam, dicit Dominus. Sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi. *Paul. ad Rom. 12.*

Qui enim diligit proximum legem impleuit. Nam, non adulterabis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces, & si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur. Diliges proximum tuum sicut teipsum. Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo ergo legis, est dilectio. *Idem ad Rom. c. 13.*

Charitas vero ædificat. *Paul. 1. ad Cor. 8.*

Omnis enim lex in vno sermone impletur: diliges proximum tuum sicut teipsum. *Paul. ad Gal. 5.*

Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi. *Pau. ad Gal. 6.*

Super omnia autem hæc, charitatem habete, quod est vinculum perfectionis. *Paul. ad Col. 3.*

Charitas fraternitatis maneat in vobis, & hospitalitatem nolite obliuisci. *Idem ad Heb. 13.*

Ante omnia autem mutuam in vobismetipsis charitatem continuã habentes: quia charitas operiet multitudinem peccatorum. *Petrus Apost. 1. c. 4.*

Qui dicit se in luce esse, & fratrem suum odit, in tenebris est vsque adhuc. Qui diligit fratrem suum, in lumine manet, & scandalum in eo non est. Qui autem odit fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit, quo eat: quia tenebræ obcæcauerunt oculos eius. *Io. Apost. 1. c. 2.*

Qui non diligit manet in morte. Omnis qui odit fratrem suum, homicida est: & scitis, quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem. *Io. 1. c. 3.*

Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere, & veritate. *Ibid.*

Diligamus nos inuicem, quia charitas ex Deo est. Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est, & in eo non est veritas. *Io. Apost. 1. c. 4.*

Hoc mandatum habemus a Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem suum. Qui autem non diligit fratrem suum, quem videt: Deum, quem non videt, quomodo potest diligere? Qui non diligit, manet in morte. Omnis, qui odit fratrem, homicida est: & scitis, quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem. *Ibid.*

In hoc cognoscent omnes, quod mei discipuli estis, si inuicem vos dilexeritis. *Io. 13. in Euang.*

In fraternitatis amore, simplici corde inuicem diligite attentius. *1. Pet. 1.*

Ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis, oblationem, & hostiam Deo, in odorem suauitatis. *ad Ephesios 5.*

Omni tempore diligit, qui amicus est, & frater in angustijs comprobatur. *Prouer. 17.*

Dilo-

Dilectio proximi malum non operatur. *D. Paulus ad Rom. 13.*
Plenitudo ergo legis est dilectio *Ibid.*

PATRUM SENTENTIAE.

Redire dimissa peccata, vbi charitas non est superna, Dominus docet in Euangelio apertissime de illo seruo, qui eum deprecanti omnia dimisit, & qui conseruo suo misereri noluit, iussit eũ Dominus reddere omnia, quæ dimiserat. *Aug. l. de Baptismo.*

Vbi charitas non est, non potest esse iustitia: dilectio enim proximi malum non operatur. *Aug. & hab. 24. q. 5. Vbi.*

Sic affici debemus charitatis affectu, vt omnes velimus saluos fieri. *Aug. & habetur 24. q. 3. Corripiantur.*

Charitas est aqua, de qua Dominus in Euangelio ait: Qui biberit aquam, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum. *Aug. & hab. de pœnit. d. 2. Charitas.*

Sine charitate, quomodo quis veram cordis contritionem habere poterit? quomodo ergo delictorum remissionem? *Aug. & habetur de pœnit. d. 2. c. Charitas.*

Non putes te tunc amare seruum tuum, quando eum non cædis, aut tunc amare filium tuum, quando ei non das disciplinam: aut tunc amare vicinum tuum, quando eum non corrigis. Non est ista charitas, sed languor. Ferueat Charitas ad emendandum, & corrigendum. Si sunt boni mores, delectent: si autem mali emendentur. *Aug super ep. Io. & hab. 23. q. 5. Non putes.*

Radicata est charitas? Securus esto, nihil mali procedere potest. *Ibid. & hab. de pœnit. d. 2. c. Radicata.*

Si quis tantum habuerit charitatis, vt paratus etiam sit pro fratrib. mori, perfecta est in illo charitas. *Aug super epist. Io. & habetur de pœnit. d. 2. Si quis.*

Sicut seta introducit filum, ita timor introducit charitatem. Crescit charitas, minuitur timor, & è conuerso. *Aug super epist. Io. & hab. de pœnit. d. 2. Sicut.*

Si non vultis in ista eremo siti mori, bibite charitatem: Fons est, quem voluit Deus ponere, ne deficiamus, nec abundantius eum bibemus, cum ad patriam venerimus *Aug. super epist. Io. c. 7*

Domine, Ecce quem amas infirmatur. Non dixerunt, Veni: Amanti enim tantum nunciandum fuit: Sufficit, vt nouerit. Non enim amat & deserit. *Aug. super Io ser. 69.*

Charitas, quæ deseri potest, nunquam vera fuit. *Aug. ad Iulianum comitem. & habetur de pœnit. d. 2. Charitas.*

Charitas in quibusdam perfecta, in quibusdã imperfecta, perfectissima autem in hac vita haberi non potest. *Aug. ad Hier. & habetur ibid.*

Dilectio est pacis vnda, ros gratiæ, charitatis imber, semen concordiæ, affectus gentium, amoris fructus, & ad summum, dilectio Deus est. *Aug. ad Marcianum.*

Dilige proximum sicut teipsum. Proximus in hoc loco, non sanguinis propinquitate, sed rationis societate pẽsandus est, in qua socij suos omnes homines. Nam si pecuniæ ratio socios facit, quanto magis ratio naturæ, non negotiandi, sed nascendi lege communis. *Idem ad Marcianum.*

Quia radix omnium malorum est cupiditas, & radix omnium bonorum est charitas, & simul ambæ esse non possunt, nisi vna penitus euulsa fuerit, alia plantari non potest. Sine causa conatur aliquis incidere ramos, si radicem non contendit euellere. *Aug. hom. 8 & habetur de pœnit. d. 2. Quia.*

Finis præcepti est charitas. Omne enim præceptum ad charitatem refertur. Quod enim fit timore pœnæ, vel aliqua intentione carnali, vt non referatur ad charitatem, nondum fit, quemadmodũ fieri oportet, quamuis fieri videatur. *Aug. in Enchirid.*

Ecclesiæ charitas, quæ per Spiritum sanctum diffunditur in cordibus eorum, qui participes sui sunt, peccata dimittit: eorum, qui sui non sunt, tenet *Aug. lib. de meritis & remiss. pec. & habetur de consec. dist. 4. Eccl.*

Sola charitas est, quæ vincit omnia, & sine qua valent omnia, quæ, vbicunque fuerit, trahit ad se omnia. Scientia, si sola sit, inflat. Quia vero charitas ædificat, scientia non permittit inflari. *Aug. lib. de doctrina Christ.*

Charitas alios parturit, cum aliquis infirmatur, alios curat ædificare, alios contremescit offendere, ad alios se inclinat, cum alijs blanda, alijs seuera, nulli inimica, omnibus mater. *Aug. de catechizandis rudibus.*

Misericordia est animi condolensis affectus, cum additamento beneficij, vt cõpatiamur proximo, & largiamur de proprio. *Idem lib. diffinitionib.*

Longe melius & humanius, & piorum sensibus accommodatius in Cæsaris laude locutus est, vbi ait: Nulla de virtutibus tuis, nec admirabilior, nec gratior misericordia est. *Aug. lib. 9. de Ciuitate Dei.*

Multo misericordius operatur quis circa animas infirmorum: qui bonæ famæ seruorum Dei consulit, quam erga corpora ægrotantium, qui panem esurientibus tribuit. *Aug. de opere Monachorum.*

Valde longe dirigit is, qui bene audit, & male operatur. Si potes dare, da: si non potes affabilem se fac. Coronat Deus intus bonitatem, vbi non inuenit facultatem. Nemo dicat, non habeo. Charitas non de sacculo erogatur. *Aug super ps. 103.*

Diues & pauper duo sunt sibi contraria, & sunt sibi necessaria. Nullus indigeret, si se inuicem supportarent: & nemo laboraret, si se ambo iuuarent. Diues propter pauperem factus est, & pauper propter diuitem. Pauperis orare, & diuitis erogare, & Dei est pro paruis magna præstare. *Aug. de verbis Domini ser. 11.*

Vide quantum bonum est charitas: si ita martyrium fecerimus, vt nostras velimus ab omnibus reliquias honorari, & si opinionem vulgi sectantes intrepidi sanguinem fuderimus, & substantiam nostram vsque ad mendicitatem propriam dederimus, huic operi non tam præmium, quam pœna debetur, & perfidiæ magis tormenta sunt, quam corona victoriæ. *Hier super epist. ad Galat.*

Non memini me legisse mala morte mortuum, qui libenter opera charitatis exercuit. Habet enim multos intercessores, & impossibile est multorum preces non exaudiri. *Hieron. epist. ad Nepotianum.*

Qui clementiam non habet, nec indutus est viscera misericordiæ, & lachrymarum, quamuis spiritualis sit, non adimplet legẽ Christi. *Hier & Habetur dist. 86. Qui clementiam.*

Ficta charitas est, quæ deserit in aduersitate. *Amb. super epistol. 2. ad Corinth. & habetur de pœnit. dist. 2. Ficta.*

Ille intelligit super pauperem, qui largitur pauperi. Nam quid prodest misereri inopis, nisi alimoniam eidem largiaris. *Ambro super ps. 118. Beati immaculati.*

Hoc est occidere hominem, vitæ suæ ei subsidia denegare. Caue ne inter loculos tuos includas salutem inopum, & tanquam in tumulis sepelias vitam pauperum. *Amb ibid.*

Duo sunt præcepta charitatis, Dei videlicet, & amor proximi. Per amorem Dei gignitur amor proximi, & per amorem proximi, Dei amor nutritur. Nam qui amare Deum negligit, proximum nescit. Et tunc plenius in Dei dilectione proficimus, si in eiusdẽ dilectionis gremio prius proximi charitatem colligamus. *Greg. Moral. lib. 7.*

Perfectionis vinculum charitas dicitur: quia omne bonum, quod agitur, nimirum per illam ne peragas, ligatur. A tentatione namque citius quodlibet euellitur opus, cum solutum a vinculo charitatis inuenitur. *Greg. lib. 28. Moral.*

Sunt namque nonnulli ita districti, vt etiam omnem mansuetudinem benignitatis amittant: & sunt nonnulli ita mansueti, vt perdant districti iura regiminis. Vnde cunctis rectoribus, vtraque summopere sunt tenenda, vt nec in disciplinæ vigore benignitatem mansuetudinis, nec rursus in mansuetudine districtionem deserant disciplinæ, quatenus nec a compassione pietatis obdurescant, cum contumacem corrigunt, nec disciplinæ vigorem molliant, cum infirmorum animos consolantur. Regat ergo vigor disciplinæ masuetudinem, & mansuetudo ornet sermone vigorem. Et sic alterum commendetur ex altero, vt nec vigor sit rigidus, nec mansuetudo dissoluta. *Greg. Moral. lib. 19. c. 36. & habetur dist. 45. Sunt namque.*

Vera iustitia compassionem habet: falsa vero dedignationem, quãuis & iusti soleant recte peccatoribus indignari. Sed aliud est, quod agitur typo superbiæ, aliud, quod zelo disciplinæ: Indignantur etenim, sed non dedignantes sunt. At contra hi, qui de falsa iustitia superbire solent, cæteros quosque despiciunt, nulla infirmantibus misericordia condescendunt: & quo se peccatores esse nõ credunt, eo deterius peccatores fiunt. *Idem hom. 34.*

Duo quippe sunt præcepta charitatis, amor Dei & proximi. Per actiuam igitur vitam prodesse proximis cupiens Esaias officium prædicationis appetijt. Per contemplatiuam vero Hieremias amori conditoris sedulo inhærere desiderans, ne mitti ad prædicandum debeat, contradicit. *Greg. in Pastor. in Reg. & habet. 8. q. 1. in scripturis §. Duo.*

Tunc ad alta charitas mirabiliter surgit, cum ad ima proximorum se misericorditer attrahit, & quæ benigne descendit ad infima, valenter recurrit ad summa. *Greg. in Pastor.*

Nihil perfectius, ac Deo gratius virtute dilectionis: nihil desiderabilius diabolo extinctione charitatis. Quisquis igitur seminando iurgia, dilectionem proximorũ perimit, diabolo familiarius seruit. *Idem.*

Adoptio filiorum sola charitate acquiritur, Io. 1. Dedit eis potestatem filios Dei fieri. Quid hac potestate altius? quid hac altitudine sublimius dici potest, in qua potestate quisque creatus efficitur filius Creatoris? *Idem super Ezech. hom. 6.*

Omnes in vnum corpus baptizati sumus? Quid significat in vnum corpus? Ne diuidamur, sed mutuam consuetudinem, amicitiamque tanquam vnum corpus seruemus. Nolimus inuicem alter alterum contemnere, ne nos ipsos contemnamus. Nemo vnquam carnem suam odio habuit, sed nutrit & fouet. *Io. Chrys. super illud Pauli 1. Cor. 13. Omnes in vnum corpus baptizati sumus.*

Si indifferenter omnibus dederimus, semper miserebimur: Si autem discutere cœperimus, nunquam misericordiam præstabimus.

mus. *Sanctus Ioannes Chrysostomus super Matthaeum.*

Si hac de causa homines congregati sunt, vt mutuis auxilijs imbecillitatem suam tuerentur, succurrendum est igitur homini, qui egeat auxilio. *Lact. Firm. diuin. inst. lib. 6. c. 10.*

Deus enim, qui cæteris animalibus sapientiam non dedit, naturalibus ea munimentis ab incursibus, & periculis tutiora generauit: hominem vero, quia nudum, fragilemq. formauit, vt eum sapientia potius instrueret, dedit ei præter cætera hunc pietatis affectũ vt homo hominem tueatur, diligat, foueat, contraq. omnia pericula & accipiat, & præstet auxilium. Summum igitur inter se hominũ vinculum est humanitas: quod qui disruperit, nefarius, & parricida existimãdus est. Nam si ab vno homine, quem Deus finxit, omnes oriundi sumus, certe consanguinei sumus, & ideo maximum scelus putandum est odisse hominem, vel nocentem. *idem c. 10.*

Item, si ab vno Deo inspirati omnes, & animati sumus, quid aliud quam fratres sumus? Et quidem coniunctiores animis, quam qui corporibus. Itaque non errat Lucretius, cum dicit: Denique cœlesti sumus omnes semine oriundi. Omnibus ille idem pater est. Ergo pro belluis immanibus sunt habendi, qui homini nocent, qui contra ius humanitatis & fas omnes spoliant, cruciant, occidunt, exterminant. *idem.*

Deus enim, quoniam pius est, animal nos vtile voluit esse, sociale item. Itaque in alijs hominibus nos ipsos cogitare debemus. Nõ meremur in periculo liberari, si non succurrimus. Non meremur auxilium, si negamus. *idem.*

Nam qui se a præstando auxilio abstinet, vel remouet, etiam ab accipiendo se remoueat necesse est: quia nullius ope omnimodo indigere se putat, qui alteri suam denegat. Retinendum est igitur vinculum societatis humanæ, quia homo sine homine nullo modo potest viuere. *idem.*

Conseruanda est igitur humanitas, si homines recte dici velimus. Id autem ipsum conseruare humanitatem, quid aliud est, quam diligere hominem, quia homo sit, & idem, quod nos sumus. *idem.*

Verum illud est Ciceronis, quod ait: Hominem naturæ obedientem homini nocere non posse. Ergo si nocere homini contra naturam est, prodesse igitur homini, secundum naturam sit, necesse est: quod qui non facit, hominis se appellatione dispoliat: quia humanitatis officium est, necessitati hominis, ac periculo subuenire. *idem.*

Huius enim operis & officij merces a Deo est expetenda solo. Nam si ab homine expetes, iam non humanitas erit illa, sed beneficij fœneratio. Nec potest videri bene meruisse, qui, quod facit, non alteri, sed sibi præstat. *idem.*

Panis est famelici, quem tu tenes: nudi tunica, quam in conclaui seruas: discalceati calceus, qui penes te marcescit: indigentis argentum, quod possides. Quo circa tot iniurias agis, quot subuenire valebis. *Basilius hom. 1.*

Sententiae Poeticae.

Ex Prospero.

Quod sibi quisq; nolit fieri, non inferat vlli.

Lorichius Poeta.

Si conferre cupis cuiquam benefacta benignus,
Tam prius exoret quam tua dextera, vide.
Deuincere bonos meritis, res optima multis.
Nam redit ex illis gratia larga tibi.
Sed si destituat iustorum velle facultas:
Reddet stellifera qui sedet arce pater.

Iesus Syrach. Eccl. c. 7.

Pauperibus semper clementem porrige dextram,
Te super vt veniat gratia magna Dei,
Vt tibi salvantis benedictio numinis adsit:
Teq; probet toto quicquid in orbe viget.

Lorichius.

Corde Creatorem de toto dilige summum:
Hunc solum ex omni robore mentis ama.
Cum decet & Domini fidos coluisse ministros:
Esse Deus seruos vult in honore suos.
Qui tibi diuini pandunt mysteria verbi,
Syncere Christum pectore & ore docent:
Primitias illis cum summo defer honore:
His offer quod habes, mandat vt ipse Deus,

Ouid. lib. 2. de Ponto, eleg. 3.

Mitius est lasso digitum supponere menti,
Mergere quam liquidis ora natantis aquis.

Ouid. de Ponto, lib. 2. eleg. 9.

Regia (crede mihi) res est succurrere lapsis.
Conueniet & tanto, quantus es ipse vir.

Philosophicae Sententiae.

Hæc tantum præcepti mea summa est: Sic cum inferiore viuas: quẽ admodum tecum superiorem viuere velis. Quoties in mentem venerit, quantum tibi seruum liceat, veniat in mentem, tantundem in te domino tuo licere. *Senec. ad Luc. epist. 47.*

Habet in aduersis auxilia, qui in prosperis commodat. *Senec. in prouerbijs.*

Qui succurrere perituro potest, cum non succurrit, occidit. *idem.*

Tacite danda sunt beneficia, vt nota sint solis, quibus prosunt. Interdum etiam ipse, qui iuuat, fallendus est, vt habeat, nec a quo acceperit, sciat. *Senec. lib. de benef.*

Multum interest inter materiam beneficij, & beneficium. Itaque nec aurum, nec argentum, nec quidquam eorum, quæ a proximis accipiuntur, beneficium est, sed ipsa tribuentis voluntas. *ibid. lib. 1. c. 5.*

Plerique sunt qui beneficia asperitate verborum & supercilio in odium adducunt, eo sermone vsi, ea superbia, vt impetrasse pœniteat. *ibid.*

Tempore beneficia magna sunt. Beneficium est, vsus in fame panis. Beneficium est, arentibus siti, & vix spiritum, per siccas fauces, ducentibus, monstrare fontem. Eo animo quidquid debetur, quo datur, nec quantum sit, sed a quali voluntate, perpenditur. Maius enim aut minus fit, quamuis idem sit tempore, loco, causa. *ibid. lib. 3. c. 8.*

Ingratum est beneficium, quod diu inter manus dantis hæsit, quod quis ægre dimittere visus est, & sic dare, tanquam si sibi eriperetur. Gratissima autem sunt beneficia, parata, facile occurrentia, vbi nulla mora fuit, nisi in accipientis verecundia. *Ibi. lib. 2. cap. 5.*

Optimum est, occupare antequam rogemur, quia cum homini probo ad rogandum os corruat, suffundatur rubore, quem ob tormentum remittit, multiplicat munus suum. *ibid.*

Non tulit gratis, qui cum rogasset accepit. Nulla res carius constat quam quæ precibus empta est. Molestum enim verbum est onerosum, & demisso vultu dicendum, rogo. *ibid.*

Nihil charius æstimamus, quam beneficium, quamdiu petimus: nihil vilius, quam cum accepimus. Vnum bene positum beneficiũ, multorum amissorum damna restaurat. *ibid.*

Quamuis omni petenti dare debeas: tamen in beneficio spectandi sunt mores eius, cui datur, & animus erga nos, & cohabitatio, vitæq. societas, & ad nostras vtilitates officia ante collata. *ibidem.*

Pulchrum sane prædicandum, beneficium, nulla dilatione suspensum, nullis precibus redemptum, nullis meritis comparatũ. Gratius est enim donum, quod venit ante preces. *ibid.*

Quis nostrum contentus fuit aut leuiter rogari, aut semel? Quis nõ cum aliquid suspicatus est a se peti, frontem obduxit, vultum auertit, occupationes simulauit, longis sermonibus, & de industria non inuenientibus exitum, occasionem petendi abstulit, & varijs artibus necessitates properantes elusit? In angusto vero comprehensus, aut distulit idem, aut timide negauit, aut permisit, sed difficulter, sed subductis superciliis, sed malignis, & vix exeuntibus verbis? *ibid. lib. 1. c. 1.*

Deos sequamur duces, quantum humana imbecillitas patitur, Demus beneficia, non fœneremur. *idem.*

Succurrere paupertati amicorum stude, imo potius occurrere. *Senec. lib. 2. de morib.*

Clementiæ esto cultor, sæuitiæ detestator. *Senec. de formul. vitæ.*

Cunctis esto benignus, nemini blandus, paucis familiaris, omnibus æquus, ad iram tardus, ad misericordiam pronus, in aduersis firmus, in prosperis cautus & humilis. *idem.*

Deum amabis, si illum in hoc imitaberis, vt velis omnibus prodesse, nulli nocere. *idem.*

Beneficium dando accepit, qui digno dedit. *Macrob. lib. 2. Saturnaliorum.*

Fructus ingenij & virtutis, omnisq. præstantiæ tum maxime capitur, cum in proximum quemque confertur. *Cic. lib. de amicitia.*

Cur misereare potius, quam feras opem, si id facere possis. *Cic. lib. 4. Tusc. q.*

Beneficij magnitudo ex vtilitate, atque honestate, aut necessitudine demonstratur. *idem lib. 1. Rhetor. Veter.*

AMOR SVI.

DEFINITIO. ET ETYMOL.

Amor sui, Græce *φιλαυτία* proprie dicitur *φιλαυτία*. Est sui amans, qui sui ipsius causa cuncta peragit, in quibus quædam subest vtilitas. *Arist. lib. 2. Mag. Moral. c. 13.*

Sententiae Patrum.

Philautia omnium cogitationum affectus inducentium causa constituitur. Ex hac enim generantur tres concupiscentiæ cogitationes, etiam fortissimæ, nempe crapulæ, auaritiæ & inanis gloriæ. Cæterum ex crapula nascitur scortatio: ex inani gloria, superbia: reliquæ omnes vnamquamque ex tribus consequuntur, nimirũ cogitatio iracundiæ, tristitiæ, acceptarum iniuriarum recordatio,

tio,socordiæ,inuidentiæ,oblocutionis,& reliquæ. Illi ergo affectus rebus materialibus constringunt animum, eundemque in terram detrahunt instar grauissimi lapidis illi incumbentes, cum natura sua igne sit leuior & celerior. *Maximus de charitate, cent. 3.56.*

Omnium affectuum principium est philautia, finis autem superbia. Porro philautia amor est, quo corpus complectimur, rationi nō consentaneus. Hanc qui amputauerit, eadem opera omnes affectus ex ea orientes abscidit. *Ibi.*

POETICAE SENTENTIAE.

Periander.

σεαυτὸν μὴ ἀμέλει, idest, *Teipsum ne negligas.*

Pittacus, & Chilon.

Γνῶθι σεαυτόν, idest, *Cognosce teipsum.*

Bias.

εἰς κάτοπτρον ἐμβλέψας τεαυτὸν,
καὶ εἰ μὲν καλὸς φαίνῃ, ἄξια τούτου
πράττε τ'· εἰ δὲ αἰσχρὸς τούτους ὄψεως
ἐλλείψεις ἄραξε καλοκἀγαθίαις.
In speculum cum inspicias contemplare,
Et si quidem pulcher appares digna te
Fac Si vero deformis facisti
Defectum illustra probitatibus.

Menander.

ἑαυτὸν δ' οὐδεὶς ὁμολογεῖ κακοῦργον.
Seipsum nullus fatetur esse malum.

SENTENTIAE PHILOSOPHICAE.

Quo in genere (inquit de animaduertendis vitijs verba faciens) non est incommodum, quale quodque eorum sit, ex alijs iudicare: vt si quid dedeceat in illis, vitemus & ipsi: Fit enim, nescio quomodo, vt magis in alijs cernamus, quam in nosmetipsis, si quid delinquitur. Itaque facillime corriguntur in discendo, quorum vitia imitantur emendandi causa magistri. *Cic. lib. 1. de Off.*

Vt enim pictores, & ij, qui signa fabricantur, & veri etiam Poetæ, suum quisque opus a vulgo considerari vult, vt si quid reprehēsum sit a pluribus, id corrigatur: hiq. & secum & cum alijs, quid in eo peccatum sit, exquirunt: Sic aliorum iudicio permulta nobis & facienda & non facienda: & mutanda & corrigenda sunt. *Ibib., paulò post.*

Vide Philautia.

AMOR PATRIAE.

DEFINIT. ET ETYMOLOG.

AMor patriæ, Græce *ἔρως πατρίδος, φιλοπατρία*, est pietas, quæ debetur patriæ.

SENTENTIAE PATRUM.

Nolite existimare maiores nostros armis Rempublicam magnam ex parua fecisse: si ita esset, multo pulcherrimam nos haberemus. Quippe sociorum atque ciuium, præterea armorum, & equorum maior copia nobis, quam illis. Sed alia sunt, quæ illos magnos fecerunt, quæ nobis nulla sunt: Domi, industria: foris, iustum imperium: animus in consulendo liber: neque delicto, neque libidini obnoxius. Pro his nos habemus luxuriam & auaritiam: publice egestatem, priuatim opulentiam: laudamus diuitias, sequimur inertiam: inter bonos & malos nullum discrimē, omnia virtutum præmia ambitio possidet. *Aug li. 5. de ciu. Dei, Catonem loquentem inducit.*

Moribus antiquis res stat Romana virisq;.

Versum hunc vel breuitate, vel veritate, tanquam ex oraculo quodam affatum esse, mihi videtur. Nam neque viri, nisi morata ciuitas fuisset, neque mores, nisi his vires præfuissent, aut fundare, aut tam diu tenere potuissent, tantam & tam longe, lateque imperantem Rempublicam. *Aug. lib. 2. de ciuit. Dei, recitans versum Enni poetæ.*

Non censeo felicem Rempúblicam stantibus mœnibus, ruentibus moribus. *Aug. lib. 2. de ciu. Dei, loquens de Scipione, qui hæc dicebat.*

Auersa & peruersa corda mortalium, felices res humanas putant, cum tectorum splendor aspicitur, & labes non attenditur animarum, cum theatrorum moles extruitur, & effodiuntur fundamenta virtutum. *Aug. lib. 5.*

Odit valde patriam, qui sibi bene putat, cum peregrinatur. *Aug. super psal. 93.*

Nostra ætas, cum Rempublicam sicut picturam accepisset egregiā euanescentem vetustate, non modo eam coloribus ijsdem, quibus fuerat, renouare neglexit, sed nec id quidem curauit. Quid enim manet ex antiquis moribus, quibus ille dixit Rempublicam stare Romanam? quos ita obliuione obsoletos videmus, vt non modo non colantur, sed etiam ignorentur. *Aug. lib. 2. de ciuit. Dei, Recitans verba Cic. lib. 3. de Repub.*

Hic Reipub. vsus est, leges omnibus esse communes, atque obseruari eas deuotione communi, vno omnes teneri vinculo, non alijs ius esse, quod alius sibi intelligat non licere, sed quod vni liceat, licere omnibus. & communem reuerentiam, patrum quoque consilio Resp. gubernetur. Commune omnibus vrbis domicilium, commune conuersationis officium vnum præscriptum omnibus esse, vnum consilium. *Amb hom. 5.*

Nimis dulcis est recordatio patriæ, quæ in hostili terra probatur existere: Nam quanto hæc amara magis sentitur, tanto fit illa suauior: de loco enim peregrinationis, proprij domicilij crescit affectus. *Cassiod. super illud. Super flumina Babylonis.*

Vnicuique patria sua charior est, cum supra omnia saluam fore quæritur, vbi ab ipsis cunabulis commoratur. Feris datum est agros, syluasq. quærere, hominibus autem fores patrias super cuncta diligere. Aues ipsæ per aera vagantes, proprios nidos amāt, errantes feræ ad cubilia dumosa festinant: voluptuosi pisces cauerna suas perquirunt, cunctaq. animalia ibi se norunt refugere, vbi longissima cupiunt ætate constare. *Cassiod. lib. 1. epist. 20.*

Interdum expedit patriam negligere, vt sapientiam quis possit acquirere. *Cass. epist. 39.*

Nobilissimi ciui est patriæ suæ augmenta cogitare, sed eorum maxime, quos Respub. summis honoribus obligauit. *Cass. lib. 3. epistol. 10.*

Vtilitatem publicam, diuturna non conuenit ludificatione differri. *Idem lib. 5. epist. 31.*

Constat, felicem Rempub. quæ multis resplendet ornata conciuibus *Idem lib. 6. epist. 11.*

Ciuis non habetur, qui vrbis suæ gratiam non tuetur. *Idem lib. 8. epist. 36.*

POETICAE SENTENTIAE.

Homerus in o. Iliados.

οὔ τοι ἀεικὲς ἀμυνομένῳ περὶ πάτρης τεθνάμεν.

Id est,

Non illi indecens pugnanti pro patria mori.

Idem in a. Odysseæ.

αὐτὰρ Ὀδυσσεὺς
ἱέμενος καὶ καπνὸν ἀποθρῴσκοντα νοῆσαι
ἧς γαίης, θανέειν ἱμείρεται. idest,
Sed Vlysses
Cupidus saltem fumum cum egredientem viderit
A sua terra, mori cupide paciscitur.

Idem in i. Odysseæ.

ὅτι ἔγωγε
ἧς γαίης δύναμαι γλυκερώτερον ἄλλο ἰδέσθαι.

Id est,

Neq; vsq; ego
Mea terra possum dulcius aliud videre.

Periander.

θνῆσκε ὑπὲρ πατρίδος,

Id est,

Morere pro patria.

Ouid. de Ponto lib. 1. eleg. 4.

Nescio qua natale solum dulcedine cunctos
Ducit & immemores non sinit esse sui.

Horat. Carm. lib. 3. Od. 2.

Dulce & decorum est pro patria mori.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Nam vt præclare scriptum est a Platone: Non nobis solum nati sumus, ortusq. nostri partem patria vendicat, partem amici. *Cic. lib. 1. de Off.*

Magna etiam communitas est, quæ conficitur ex beneficijs vltro, citroq. datis. Et infra: Omnium societatum nulla est grauior, nulla charior, quam ea, quæ cum Reip. est. *Idem.*

Vt enim tutela, sic procuratio Reip. ad eorum vtilitatem qui commissi sunt: non ad eorum, quibus commissa est, gerenda est. *Idem.*

Habere enim quæstui Remp. non modo turpe est, sed & sceleratū, & nefarium. *idem l. 2. de Off.*

Hæc genera officiorum qui prosequentur cum summa vtilitate Reip. magnam ipsi adipiscentur & gratiam & gloriam. *Ibidem.*

Neque enim nobis solum diuites esse cupimus, sed liberis, propinquis, amicis, maximeq. Reip. singulorum enim facultates & copiæ, diuitiæ sunt ciuitatis. *Cic. lib. 3. de Off.*

Sed si quis, qui apud te pecuniam deposuerit, bellum inferat patriæ: Reddesne depositum? non credo. Facies enim contra Rempub. quæ debet esse charissima. Sic multa quæ honesta natura

tura

tura videntur esse, temporibus fiunt non honesta. *Idem.*

Omnibus bonis expedit saluam esse Rempub. sed in his, qui fortunati sunt, magis apparet. *Idem lib.* 12.

Fuit quondam in Repub. virtus, vt viri fortes acrioribus supplicijs ciuem perniciosum, quam acerbissimum hostem, quaererent. *Cic. inuectiua contra Catilinam.*

Claræ vero mortes pro patria oppetitæ, non solum gloriosæ rhetoribus, sed etiam beatæ videri solent. Repetunt in Erichtheo, cuius etiam filiæ cupide mortem expetiuerunt pro vita ciuium: Codrum, qui se in medios immisit hostes, famulari veste, ne posset agnosci, si esset ornatu regio: quod oraculũ erat datum, si rex interfectus esset, victrices Athenas fore. Menæceus non prætermittitur: qui oraculo edito largitus est patriæ suum sanguinem. Iphigenia Aul. deduci se immolandam iubet, vt hostium sanguis eliciatur suo. Veniunt inde ad propiora. Hermodius in ore, & Aristogiton: Lacedæmonius Leonidas, Thebanus Epaminondas vigent. Nostros non norunt, quos enumerare magnum est: ita sunt multi, quibus videmus optabiles fuisse mortes cum gloria. *Cic. Tusc. q lib.* 1. *circa fi.*

Nullum tantum est periculum, quod sapiens pro salute patriæ vitandum arbitretur. *Cic. Rhet. nouor. lib.* 4.

Cum agetur incolumitas perpetua ciuitatis, qui bonis erit rationibus præditus, profecto nullum vitæ discrimen sibi pro fortunis Reipub. fugiendum putabit, & erit in ea sententia semper vt pro patria studiose agat, quamuis in magnã discedat vitæ dimicationem. *Ibi.*

Nam sapiens, qui omnia Reip. causa suscipienda putabit, sæpe ipse secum loquetur: Non mihi soli, sed etiam atque adeo multo potius natus sum patriæ. *Idem.*

Vita quæ fato debetur, saluti patriæ potissimum persoluatur. Aluit hæc me tute, atque honeste perduxit vsque ad hanc ætatem. Muniuit meas rationes bonis legibus, optimis moribus, honestissimis disciplinis. Quid est quod a me ei persolui possit satis, vnde hæc accepta sunt? *Idem.*

Quis est tam tenui cogitatione præditus, cuius animus tantis inuidiæ angustijs continetur? qui non hunc hominem studiosissime laudet, & sapientissimum iudicet, qui pro salute patriæ, pro incolumitate ciuitatis, pro Reip. fortunis, quamuis magnum, atque atrox periculum studiosissime suscipiat, & libenter subeat. *Idem.*

Sapiens itaque nullum periculum pro Rep. vitabit. Ideo (quod sæpe fit) qui pro Republ. perire noluerit, necessario cum Reipubl. pereat. *Idem.*

Aeque enim virtutis est, & bona patriæ auxisse, & mala in se transferri voluisse. *Val. Max. lib.* 1.

Adeo magna charitate patriæ Romani tenebantur, vt arcana consilia patrum conscriptorum multis seculis nemo senator enuntiauerit. *Idem l.* 2. *tit de inst. antiq.*

Apud antiquos, qui curiæ limen instabant, abiecta priuata charitate, publicam induebant. *Idem.*

PROFANA EXAMPLA.

Pedaretus non electus in numero trecentorum, qui quidem in vrbe cæteris dignitate præstabat, hilaris subridensq; abibat: Gaudere se, inquiens: siquidem trecentos vrbs haberet sese meliores. *Plut. in apoph.*

Mamertinos, quod hostium partibus adhæsissent, vniuersos interficere statuerat Cneus Pompeius. At Sthenius eius ciuitatis Princeps, Pompeium adijt his verbis. Non æquum facis Pompei, qui propter vnum noxium multos innoxios occidere pares. Atqui, ego ipse sum ille, qui & amicis persuasi, & inimicos coegi Marianas sequi partes. Hic Pompeius viri fortem animum admiratus, dixit, se ignoscere Mamertinis a tali persuasis viro, qui patriam suæ ipsius vitę antetulerit: simul & ciuitatem & Sthenium liberauit. In Sthenio habes exemplum, quam animum erga Remp. gerere principem oporteat, si periculum incidat: in Pompeio placabilitatis documentum, qui pietati maluerit habere honorem, quam indulgere iræ. *P. M. l.* 4. *apoph.*

Patriæ parentibusq. post Deum magnopere debemus. Hinc Vlysses apud Calypso patriam prætulit immortalitati, quod vsurpat in orationibus Cicero. At si vos quid patria delectat, Quirites, cuius est tantus amor, vt Ithacam vir præstantissimus, nidulumq. illum affixum saxis immortalitati prætulerit. *Idem.*

Vide, Patria, Respublica.

AMOR CVPIDINEVS SEV VENEREVS.

DEFINIT. ET ETYMOLOG.

Amor Cupidineus, Græce ἐρωτικὸς, dicitur. Qui quid sit, vide infra, vbi describitur a Seneca, vbi dicit: Volucrem esse amorem, & reliqua.

Amor est animi deuinctio erga aliquid, siue id animatum sit, siue inanimatum: honesti, vtilis, iucundive causa excitatus, contrarium est odium.

Amor est, inquit, animi concupiscentia, quæ celerem habet ingressum, tardum vero regressum. *Theophrastus.*

Magnum esse Deum Amorem comprobat apud Deos hominesque mirandum, cum propter alia multa, tum propter eius originem. Amor enim, omnibus ad omnia est ingenitus. *Platonicus Phædrus.*

Amorem, siue Diuinum, siue Angelicum, siue spiritalem, seu animalem, aut naturalem dicas, insitiuam quandam intellige, commiscentiuamq. virtutem. quæ superiora quidem ad inferorum prouidentiam prolicit. Aequalia rursus ad socialem sui inuicem cõmunionem conciliat: ac postremo infima quæque prolectat, vt ad sublimiora, potioraq. conuertantur. imo veluti fomite quodam igneo amplius succensa resiliant. *Dion. Areopag. in lib de diuinis nom.*

Primo quidem factum cecinit Chaos, mox terram, & Tartara, deinde prodijsse amorem affirmat, eum quidem sic interpretatur, vt intelligat per hanc insitam vnicuique eorum, quæ sunt, naturalem vim, causamq. qua esse expedit vnumquodq: hoc quidẽ intellectu, illud autem sensu, idest, τὸ μὲν νοερῶς, τὸ δὲ αἰσθητικῶς. Idem fabulatur, amorẽ ex chao & terra natum. *Hesiodus in Theogonia.*

Amor neque nos statim, inquit, nec vehementer ab initio, quemadmodum ira inuadit, neque facile ingressus discedit, quamuis alatus: sed sensim ingreditur ac molliter, manetque diu in sensibus. Qui, quamquam discedit, aut tempore, aut ratione victus, non tamen penitus liberam relinquit animam, remanetque in ea vestigium, veluti syluæ exustæ, aut fumantis, neque penitus ex ossibus eijcitur, ignoraturq. quid sit, vnde eueniat, quomodo ingressus? *Plut.*

Plato in Phædro scribit, quosdam tradidisse, amorem dici a mortalibus ἔρωτα volatilem: ab immortalibus autem πτέρωτα, idest, alatum quendam, propter volandi necessitatem. *Cælius lib.* 23. *cap.* 4.

DIVISIO.

Platonici Philosophi, ea gemina illa vi humanarum animarum, intelligendi vna, generandi altera, duplicem Venerem deprehendere, quas & amores gemini comitentur. Equidem vbi humana species venustius concinnata ingerit sese nobis, mens nostra, quem esse in nobis Venerem vnam statuimus, & quidem superiorem, eam tanquam diuini decoris imaginem amplexatur, & suscipit: perque huius quandoque vistigia ad illud arrepit, statuitque gradum. Generandi vero facultas, quæ altera dicitur Venus pulchritudinis illecta radijs, ac permulsa, formam illi persimilẽ gestit effingere: quamobrẽ vtrobique amorem recognoscimus. Sed contemplatur vnus, alter generare cupit, atque expingere, quod decentissimum animaduertit. Amor vterque honestus, ac probandus. Si modo fidei non confringat tesseram, quando vterque diuinam consectatur imaginem. *Cælius l.* 23. *c.* 3.

Amorem Heroa dici forte, quoniam ἀπὸ τῆς ὁράσεως, hoc est, a visione, substantiã habet, quando & Amor, qui affectio est, ab hoc habet instinctum. Amorem porro Græci, ἔρωτα vocant, quia, vt Plato inquit, εἰσρεῖ, idest, influit, extrinsecus per oculos, quamuis etiam in Phędro ἀπὸ τῆς ῥώμης, idest, a robore, ac vehemẽtia dici ἔρωτα Socrates putat. *Plotinus.*

Plato triplicem ponit amorem, diuinum, ferinum & humanum. Primus occurrente pulchro adspectu ad diuinorum contemplationem animum extollit, ab omni procul labe remotus: secundus belluarum more coinquinat: humanus autem inter vtrunque consistens, sensus quidem quadantenus oblectat, vitium tamen refugit. In symposio, quo quisque ex ordine conuiua de amore sermonem habet, geminam ponit Venerem, cum gemino amore: primam, sine matre cœlestem & pudicam, quam sequitur amor pudicus. Secundam, ex vtroque sexu procreatam, impudicam, ex Dione, quam item amor sequitur impudicus.

Sententias Biblicas, quære in titulis: Adulterium, Fornicatio, Scortatio.

SENTENTIAE PATRVM.

Quid est amor, nisi quædam vita duo aliqua copulans, vel copulare appetens, amantem, & quod scilicet amat, & quod amatur? *August.*

Amari non nisi nota possunt. *Idem.*

Amare alium non potest, qui seipsum non amat. *Idem.*

Quæcunque amore possessa sunt, non sine dolore pereunt. *Aug. de vn. Bap.*

Non amatur, quod propter se non amatur. *Cont. Mani.*

Amatur aliquando res bona non amore. *De vti. cred.*

Sordes animi sunt, amor quarumlibet rerum, præter animum, & Deum,

Deum, a quibus sordibus quanto quisque est purgatior, tanto verum facilius loquetur. *idem.*

Nihil tam durum atque ferreum, quod non amoris igni vincatur. *De Mor. Eccl.*

Omnis creatura cum bona sit, & bene amari potest, & male. Bene, scilicet ordine cõstituto, male, ordine perturbato. *De ciu. Dei l. 15*

Duas ciuitates duos faciunt amores. Ierusalem facit amor Dei, Babylonem facit amor seculi. Interroget igitur se vnusquisq; quid amet, & inueniet vnde sit ciuis. *Super ps. 64.*

Qui amat non laborat, omnis enim labor non amantibus grauis est. Solum amor est, quod nomen difficultatis erubescit. *Aug. 13. confes.*

Nulla maior est ad maiorem inuitatio, quam præuenire amantem, & nimis durus est animus, qui, si dilectionem nolebat impendere, nolit rependere. *De cathec. rud.*

Nullo modo onerosi sunt labores amantium, sed ipsi delectant: sicut venantium, aucupantium, piscantium. In eo enim quod amatur, aut non laboratur, aut labor amatur. *lib. de S. Vid.*

Hoc habet impatiens amor, vt quem desiderat: semper inuenire se credat. Ignorat siquidem iudicium, & ratione multoties caret nescit modum, nec aliud cogitare potest, quam quod diligit. Amor non accipit de impossibilitate solatium, nec ex difficultate remedium, nec consilio temperatur, nec tempore frænatur, nec rationi subijcitur. *Amb. in serm. de assum.*

Crebra munuscula, & sudariola, & fasciolas & vestes ori applicatas & oblatos ac degustatos cibos blandasq; ac dulces literas sanctus amor non habet. *In ep. ad Nepot.*

Amor formæ, rationis obliuio. *In epist.*

Vehementer claudit oculum cordis amor priuatus, ex quo fit, vt hoc, quod agitur, & graue esse non æstimemus plerunque, cum agatur a proximo, & nimis detestabile esse videatur. *super Ezec. hom. 2.*

Vis amoris hoc agere solet in animo, vt quem semper ipse cogitat, nullum alium credat ignorare. *Hom. 5.*

In quantum quisque amat, in tantum ad ingressum regioni appropinquat. In quantum vero amare negligit, in tantum ingredi recusat. *Super. Ezec.*

Nemo amatorum carnalium, etiamsi sit supra modum insaniens, ita exardescere potest in amorem dilectæ suæ, quemadmodum Deus effunditur in amore animarum nostrarum. *Chrys. hom. 24. ad Cor.*

POETICAE SENTENTIAE.

Ouid. 1. Remed.

Vtile propositum est sæuas extinguere flammas,
Nec seruum vitijs pectus habere suum, &c.
Me duce damnosas homines compescite curas:
Rectaq; cum socijs me duce nauis eat.

Ibidem.

Dum licet, & modici tangunt præcordia motus,
Si piget in primo limine siste pedem.
Opprime dum noua sunt subiti mala semina morbi.
Et tuus incipiens ire resistat equus.
Nam mora dat vires, &c.

Ibidem.

Quale sit id, quod amas, celeri circumspice mente.
Et tua læsuro subtrahe colla iugo.

Ibidem.

Verba daturus amans reperitq; alimenta morando:
Optima vindictæ proxima quæq; dies.

Ibidem.

Sed quia delectat Veneris decerpere flores,
Dicimus assidue, cras quoq; fiet idem.
Interea tacitæ serpunt in viscera flammæ,
Et mala radices altius arbor agit.

Idem Epist. 16.

Dum nouus est, cœpto potius pugnemus amori,
Flamma recens parua sparsa residit aqua.

Sen. Hipp.

Compesce amoris impij flammas precor.

Plaut. Trin.

.... Mille modis amor ignorandus est
Procul adhibendus est, atq; abstinendus, nam qui in amorem
Præcipitauit, peius perit, quam si saxo saliat. ....

Terent. And.

Ah quanto satius est, te id dare operam, qui istum amorem ex animo
amoueas tuo.
Quam id loqui, quo magis libido frustra incendatur tua?

Propert. 2. 5.

Dum licet, iniustæ subtrahe colla iugo.

Virg. Eclog. 2.

Me tamen vrit amor, quis enim modus adsit amori?

Idem Aen.

At regina grauis iamdudum saucia cura,
Vulnus alit venis, & cæco carpitur igni.

Ibidem.

.... Est mollis flamma medullas
Interea & tacitum viuit sub pectore vulnus.
Vritur infelix Dido, totaq; vagatur
Vrbe furens: qualis coniecta cerua sagitta,
Quam procul incautam nemora inter Cressia fixit
Pastor agens telis, liquitq; volatile ferrum
Nescius: illa fuga syluas, saltusq; peragrat
Dictæos: hæret lateri lethalis arundo.

Ouid. 1. Meth.

Vtq; leues stipulæ demptis adolentur aristis,
Vt facibus sepes ardent, quas forte viator
Vel nimis admouit, vel iam sub luce reliquit:
Sic Deus in flammas abijt, sic pectore toto
Vritur, & sterilem sperando nutrit amorem.

Idem 3. Met.

Sed tamen hæret amor, crescitq; dolore repulsæ,
Et tenuant vigiles corpus miserabile curæ,
Adducitq; cutem macies.

Idem 10. Met.

Noctis erat medium, curasq; & corpora somnus
Soluerat virgo Cinyreia peruigil igne
Carpitur indomito, furiosaq; vota retractat:
Et modo desperat, modo vult tentare, pudetq;,
Et cupit & quid agat non inuenit: vtq; securi
Saucia trabs ingens, vbi plaga nouissima restat.
Quo cadat in dubio est, omniq; a parte timetur:
Sic animus vario labefactus vulnere nutat
Huc leuis, atq; illuc, momentaq sumit vtroq.

Idem 2. Remed.

Artibus innumeris mens oppugnatur amantum.
Vt lapis æquoreis undique pulsus aquis.

Idem Epist. 11.

Fugerat ore color, macies q; adduxerat artus,
Sumebant minimos ora coacta cibos.
Nec somni faciles, & nox erat annua nobis,
Et gemitum nullo læsa dolore dabam.

Idem Epist. 15.

Siue dies Phœbus, seu terris altior extat.
Tu mihi luce dolor, tu mihi nocte venis.

Idem 2. Art.

Quod iuuat exiguum est: plus est quod lædit amantes.
Proponant animo multa ferenda suo,
Quot lepores in Atho, quot apes pascuntur in Hybla.
Cærulea quot baccas Palladis arbor habet,
Littore quot conchæ, tot sunt in amore dolores.
Quæ patimur, multo spicula felle madent.

Ouid. Epist. 1.

Quid deceat, non videt vllus amans.

Sen. Hipp.

Quæ memoras scio
Vera esse nutrix: sed furor cogit sequi
Peiora: vadit animus in præceps sciens.
Remeatq; frustra sana consilia appetens.
Sic cum grauatam nauita aduersa ratem
Propellit vnda, cedit in vanum labor,
Et victa prono puppis aufertur vado.
Quod ratio poscit, vincit: ac regnat furor,
Potensq; tota mente dominatur Deus.

Idem Med.

Cæcus est ignis stimulatus ira,
Nec regi curat, patiturue frenos.
Haud timet mortem, cupit ire in ipsos
Obuius enses.

Plaut. Trin.

Scio te sponte non tuapte errasse, sed amorem tibi
Pectus obscurasse.

Propert. 2. 14.

Ante pedes cæcis lucebat semita nobis,
Scilicet insano nemo in amore videt.

Ouid. 6. Art.

Quæris Demophoon, cur sim tam mollis in omnes.
Quod quæris, quare non habet vllus amor?

Ouid. 2. Art.

Militiæ species amor est, discedite segnes,
Non sunt hæc timidis signa tuenda viris.
Nox & hyems longæq; viæ, sæuiq; labores.
Mollibus his castris, & dolor omnis inest.
Sæpe feres imbrem cælestibus nubibus solutum
Frigidus in nuda sæpe iacebis humo.

Idem Amor. 3.

Militat omnis amans, & habet sua castra Cupido.
Attice, crede mihi, militat omnis amans, &c.

Quis

Quis nisi vel miles, vel amans, & frigora noctis,
Et denso mistas perferet imbre niues?

Virg. Eclog. 10.

Omnia vincit amor, & nos cedamus amori.

Vir. Cei.

Omnia vincit amor, quid enim non vinceret ille?

Ouid. 1. Meth.

Filius huic Veneris, figat tuus omnia Phœbe,
Te meus arcus ait quantoque animalia cedunt
Cuncta Deo: tanto minor est tua gloria nostra.

Ouid. Epist. 3.

Quidquid amor iussit, non est contemnere tutum:
Regnat & in superos ius habet ille Deos.

Idem epist. 9.

Quem non mille feræ, quem non Stheneleius hostis,
Non potuit Iuno vincere, vincit Amor.

Sen. Hipp.

Iste lasciuus puer ac renidens,
Tela quam certo iaculatur arcu?
Labitur totas furor in medullas,
Igne furtiuo populatur venas.
Non habet latam data plaga frontem,
Sed vorat tectas penitus medullas.
Nulla pax isti puero, per orbem
Spargit effusas agilis sagittas.

Prop. 15.

Nec tibi nobilitas poterit succurrere amanti,
Nescit amor priscis cedere imaginibus.

Idem. 2. 30.

Quo fugis ah demens? nulla est fuga: tu licet vsque
Ad Tanaim fugias, vsque sequetur Amor.
Non, si Pegaseo vecteris in aere dorso,
Nec tibi Persei mouerit ala pedes,
Vel, si te sectæ rapiant talaribus auræ,
Nil tibi Mercurii proderit alta via.
Instat semper Amor supra caput, instat amanti,
Et grauis ipse super libera colla sedet.
Excubat ille acer custos, & tollere nunquam
Te patietur humo lumina capta semel.

Ouid. 10. Met.

Nec modus & requies, nisi mors, reperitur amoris.

Sen. Hipp.

Qui blandiendo dulce nutriuit malum,
Sero recusat ferre, quod subiit iugum.

Ouid. 1. Remed.

Tu mode qui quod amas ægre dediscis amare,
Nec potes, & velles posse, docendus eris.
Sæpe refer tecum sceleratæ facta puellæ:
Et pone ante oculos omnia damna tuos.

Terent. Eunuch.

Id vero est, quod mihi puto palmarium,
Me reperisse quomodo adolescentulus
Meretricum ingenia, & mores posset noscere,
Mature vt cum cognorit, perpetuo oderit.
Quæ dum foris sunt, nihil videtur mundius.
Nec magis compositum quicquam, nec magis elegans
Quæ cum amatore suo, cum cœnant liguriunt.
Harum videre illuuiem, sordes, inopiam,
Quam inhonestæ solæ sint domi, atque auidæ cibi,
Quo pacto ex iure hesterno panem atrum vorent:
Nosse omnia hæc salus est adolescentulis.

Ouid. 2. Remed.

Si potes & ceras remoue, quid imagine muta
Carperis? hoc periit Laodamia modo.

Ibidem.

Scripta cauæ relegas, blandæ seruata puellæ.
Constantes animos scripta relecta mouent.
Omnia pone feres, quamuis inuitus, in ignes.
Et dic, ardoris sit rogus iste mei.

Ouid. 3. Med.

Non bene conueniunt, nec in vna sede morantur
Maiestas, & amor.

Boet. 3. 12.

Quis legem det amantibus?
Maior lex amor est sibi.

Incertus author.

Τίς θεὸν εἶπεν ἔρωτα; θεῶν κακὸν οὐδὲν ὁρῶμεν
ἔργον, ὃδ' ἀνθρώπων αἵματι μειδιάει.

Id est,

Quis Deum dixit amorem? Dei malum nullum videmus
Opus. at hic hominum sanguine ridendo gaudet.

Phocylides.

Σεμνὸς ἔρως ἀρετῆς, ὁ δὲ κύπριδος αἶσχος ὀφέλλει.

Id est,

Venerandus amor virtutis, sed Veneris infamiam auget;

Euripides in Medea.

Φεῦ φεῦ. Βροτοῖς ἔρωτες ὡς κακὸν μέγα.
Mortalibus amores quam magnum malum.

Idem ibidem.

ἔρωτες ὑπὲρ μὲν ἄγαν
ἐλθόντες οὐκ εὐδοξίαν,
οὐδ' ἀρετὴν παρέδωκαν
ἀνδράσιν. εἰ δ' ἅλις ἔλθοι
κύπρις οὐκ ἄλλα θεὸς
εὔχαρις οὕτω.
Amores nimij
Cum accesserint: non bonam famam
Neque virtutem attulerunt
Hominibus: si temperata accesserit
Venus, non alia Dea
Adeo gratiosa.

Ouid. 1. Rem.

Ergo vbi visus eris nostra medicabilis arte,
Fac monitis fugias otia prima meis.
Hæc, vt ames, faciunt: hæc, vt fecere, tuentur.
Hæc sunt iucundi causa, cibusque mali
Otia si tollas periere Cupidinis arcus.
Contemptæque iacent & sine luce faces.

Idem.

Et in vacuo pectore regnat amor.

Amor. 1. Sen. Oct.

Vis magna mentis, blandus atque animi calor,
Amor est: iuuenta gignitur luxu, otio
Nutritur inter læta fortunæ bona.
Quem si fouere, atque alere desistas: cadit,
Breuique viues, perdit extinctas suas.

Proper. 3. 12.

Quicunque ille fuerit, puerum qui pinxit Amorem,
Nonne putas miras hunc habuisse manus?
Hic primum vidit, sine sensu viuere amantes,
Et leuibus curis magna perire bona.
Idem non frustra ventosas addidit alas,
Fecit & humano corde volare Deum.
Scilicet alterna quoniam iactamur in vnda,
Nostraque non vllis permanet aura locis.
Et merito hamatis manus est armata sagittis,
Et pharetra ex humero Cnossia vtroque iacet.
Ante ferit quoniam tuti quam cernimus hostem,
Nec quisquam ex illo vulnere sanus abit.

Plaut. Trin.

Amoris artes eloquar, quemadmodum expediant. Nunquam
Amor quenquam, nisi cupidum hominem postulat in plagas
Conijcere: cupit, eos consectatur, subdole blanditur abre.
Consultor blandiloquentulus, harpago, mendax, cuppes, auarus,
Elegans, despoliator, latebricolarum hominum corruptor,
Blandus inops, celatus indagator, nam qui ab eo, quod amat
Quam extemplo sauis sagittis percussus est, ilico res foras
Labitur, liquitur. da mihi hoc, mel meum, si me amas, sodes.
Ibi ille cuculus: ocelle mi, fiat & istuc: & si amplius vis dari
Dabitur: ibi illa pendentem ferit, iam amplius orat, non sat
Id est mihi: vt amplius etiam quod bibit, quod comest.
Quod facit sumptus nox datur, ducitur familia tota,
Vestispica, vnctor, auri custos, flabellifera, sandaligerulæ,
Cantrices, cistellatrices, nuncij, renuncij, raptores panis & peni
Fit ipse, dum illis comis est, inops amator.

Sen. Hipp.

Deum esse amorem, turpiter vitio fauens
Finxit libido, quoque liberior foret.
Titulum furori Numinis falsi addidit:
Natum per omnes scilicet terras vagum
Erycina mittit, ille per cœlum volans
Proterua tela molli tur manu.
Regnumque tantum minimus in superos habet?
Vana ista demens animus adsciuit sibi.
Veneris numen finxit, atque arcus Dei.

Idem Oct.

Volucrem esse amorem fingit immitem Deum
Mortalis error, armat & telis & manus,
Arcusque sacros instruit sæua face:
Genitumque credit Venere, Vulcano satum.

Plaut. Amph.

Nam in hominum ætate multa eueniunt huiusmodi,
Capiunt voluptates, mox rursum miserias.
Iræ veniunt, redeunt rursum in gratiam.
Verum iræ, si quæ forte eueniunt huiusmodi
Inter eos, rursum si reuentum in gratiam est,

Bis tanto amici sunt inter se quam prius,

Terent. And.

Amantium ira amoris redintegratio est.

Ouid. 2. Art.

Quæ modo pugnarunt, iungunt sua rostra columbæ,
Quarum blanditias, verbaq; murmur habet.

Ouid. 2. Rem.

Vt pene extinctum cinerem si sulphure tangas,
Viuet & ex minimo maximus ignis erit:
Sic nisi vitaris, quicquid renouabit amorem,
Flamma redardescet quæ modo nulla fuit.

Boet. l. 4. Metr. 6.

Hic est cunctis communis amor,
Repetuntq; boni fine teneri,
Quia non aliter durare queant,
Nisi conuerso rursus amore
Refluant causæ, quæ dedit esse.

Propert. 2.

Omnes humanos sanat medicina dolores:
Solus amor morbi non amat artificem.
Tarda Philoctetæ sanauit crura Machaon,
Phœnicis Chiron lumina Phyllirides.
Et Deus extinctum Cressis Epidaurius herbis
Restituit patrijs Androgeona focis.
Mysus & Aemonia iuuenis, qua cuspide vulnus
Senserat, hac ipsa cuspide sensit opem.
Hoc si quis vitium poterit mihi demere, solus
Tantaleæ poterit tradere poma manu.
Dolia virgineis idem ille repleuerit vrnis,
Nec tenera assidua colla grauentur aqua.
Idem caucasea soluet de rupe Promethei
Brachia, & a medio pectore pellet auem.

Prop. 2.

Errat, qui finem vesani quærit amoris,
Verus amor nullum nouit habere modum.

Plaut. Truc.

Sic perit amator, ab re, atq; animo simul.

Plaut. Cistell.

— Amor & melle & felle est fœcundissimus:
Gustu quid dat dulce, amarum ad satietatem vsq; eggerit.

Ex Antholog. sacra Iac. Bill.

Ei nihil eripi potest, qui nihil præpostere amat.

Vis tibi nil fures rapiant, nihil vlla tyrannis
Vis adimat? procul hinc sit tuus omnis amor.
Non pereunte Deo, pereant licet omnia vitæ
Commoda, vita licet deserat ipsa pios,
Nil perit his: nam plena manent ea pectora semper,
Diuinam pietas quæ facit esse domum.
Qui nunquam in fluxis rebus defixit amorem,
Omnibus amissis perdidit ille nihil.

Ex Menandro.

Οὐδ᾽ ἔστιν ἀληθὲς οὐδὲν ἢ υἱῷ πατὴρ
Εἰ αὐτὸν ἀπειλεῖν, ἄλλ᾽ ἐρῶντ᾽ ἐρωμένη.
Vt irrita parentis in prolem suam:
Sic & in amicam sunt amatoris minæ.
Ἔρωτα παύει λιμὸς, ἢ χαλκοῦ σπάνις.
Amorem inopia sedat, aut sedat fames.
Γέρων ἐρῶν ἐσχάτη κακὴ τύχη.
Senex amore captus, vltimum malum.
Ὀργὴ φιλούντων ὀλίγον ἰσχύει χρόνον.
Est ira nulla amantium durabilis.
Ἀλλ᾽ ὅταν ἐρῶντα νοῦν ἔχειν τις ἀξιοῖ,
Παρὰ τίνι τὸ ἀνόητον οὗτος ὄψεται.
Carere amantes mente si quis non putat,
Quos esse potius mentis expertes putet?
Φύσει πῶς εὐαγωγόν ἐστιν ὁ ἄνθρωπος ἐρῶν.
Amans præbere se solet tractabilem.
Πολλοῖς ὑπέκκαυμ᾽ ἔρωτος μουσική.
Plerisque fomes est amoris Musica.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Amorem, quem φάνητα vocat, principium ponit rerum humanarum. *Orpheus in carminib.*

Amorem dicit amicitiæ, & concordiæ, libertatis quoque instrumentum: ideo ad salutem Reip. plurimum conferre. Sapientes alij (vt ait Athenæus) cum procul ab omni turpitudine iudicabunt, & gymnasijs vna cum Mercurio & Hercule statuerunt, cui sacrificabant. Nam amorem, & honestam voluptatem, quæ ex virtute prouenit, deliciæ corporis infirmauerunt, vt Seneca testatur in epistolis. Neque voluptas, inquit, causa virtutis more Epicuri, sed accessio est. Virtus enim, non quia delectat, placet: sed quia placet, delectat. *Zeno Stoicus.*

Amare sic incipe, tãq; nõ liceat desinere. *Sen. l. de mor.* Ames parẽtẽ, si æquus est, sin aliter, feras. Amãs iratus multa mentitur sibi. *Idem.* Amans quid cupiat, scit, quid sapiat, non videt. Amans quod suspicatur, vigilans somniat. Amor extorqueri non potest, sed elabi potest. Ab amante lacrymis redimas iracundiam. Amare iuueni fructus est, crimen seni. Amor est otiosæ causa sollicitudinis. *ibi.*

In Symposio Socrates asserit, se nihil, præter amatoria scire. Phædrus vero maximorum bonorum causam esse amorem pronũtiat: nec se inuenire, quid melius accidere possit adolescenti, quam optimus amator, aut amatori, amatus quam optimus. Et esse quidem duo, quæ a pueritia per omnem vitam abducere illum debeant a rebus turpib. Verecundiam & honesti studium. Hæc autem nobis neq; diuitiæ, neq; honores præstare possunt citius, ac melius, quam amor, neq; absq. ijs duobus, aut ciuitas vnquam, aut priuatus homo præclarum aliquid, & magnificum perficere poterit. Nec vllus adeo ignauus erit, quem amor non inflammet ad virtutem, diuinumq. reddat, vt viro fortissimo par euadat. Nã quod Homerus dicit, vim, furoremq. a Deo quibusdam heroibus inspiratum, hoc amor amantibus efficit: Quin etiam pro altero mori amantes soli eligunt, nec viri tantum, sed & mulieres quoque.

Παλαιὸς γὰρ ὁ λόγος ἀληθὴς ὢν μάλα μὲν ἐρρῶς τε ἐμμελῶς εἴρηται, ὡς ὁμοιότης φιλότητα ἀπεργάζεται, idest: Verum est enim vetus illud verbum, recte, atque apte dictum: Similitudinem amoris authorem esse. *Plato lib. 6. de LL.*

Minime tibi amandos eligas, qui in reddendis beneficijs, alijsq. vitæ officijs fuerint negligentes, nec auaros, qui tantum proprio cõmodo student, nec mendaces ac subdolos, nec voluptarios, ventri, somnoq. & Veneri nimium indulgentes. Tales enim nihil boni in commune officium amoris conferre speres, sed eorum potius commercium fugiendum. Nam bonus ignauum, cuius facta minime probat, nullo pacto eligere poterit. *Xenoph. com. 2.*

De gratis amoribus Dialog. LXIX. Franc. Petr. GAVD.

Gratis fruor amoribus. R. Gratis insidijs opprimeris. G. Gratis vror amoribus. R. Benè ais vror. Est enim Amor latens ignis, gratum vulnus, sapidum venenum, dulcis amaritudo, delectabilis morbus, iucundum suppliciũ, blanda mors. G. Amo, & vicissim amor. R. Primum nosse potes, secundum in ambiguo est, nisi forte nocturnum mulierculæ tuæ murmur in testimonium tuum trahis. G. Amor haud dubie. R. Persuasit (vt video) nec magnum persuadere volentibus, omnis amans cœcus, & credulus. Quod si fidẽ iuramento amatorio vis, melle scriptum ab amante chirographũ tenera in glacie testibus austris in medium profert. Sed, ô insane nihil impudicæ præsertim credas fœminæ, sexus, ardor, leuitas, consuetudo mentiendi, fallendi studium, fructusq. fallaciæ, hæc singula, multoq. maxime hæc omnia, quicquid illius ore prodierit, suspectum faciunt. G. Amo, quod iure animum delectet, & dulciter ardeo. R. Credis ex me audire, quod ille magister amorum ait, vt feliciter ardens gaudeas, & vento tuo nauiges voluptatis: id quidem non consilij est. Ego vero, quo suauius arseris, eo cautius ex incendio fugiendum consulo. Tunc sunt mala periculosissima, cum delectant. Sæpe suauitatem hanc durissimus finis exasperat. G. Amo, amorq. R. Vt sit ita, quid nisi duplex nodus, nexus arctior, graue discrimen, melius de te sperarem, si amares tantum, non etiam amareris: etsi enim facilitatem amoris atq; difficultatem æque nociuam quidam dicant, quod facilitate animus capiatur, cum difficultate contendat, ego tamen ita sentio nihil ad amandum efficacius, quam amari, contraq. nihil esse, quod magis amando deterreat, quam scire se non amari, nec amatum iri credere, quamuis id non facile creditura sit cœca, & cupida mens amantis, qui vnus est ex illo grege, de quo scribitur, quod qui amant, ipsi sibi somnia fingunt. G. Amo ego cum gaudio. R. Qui quam male sibi est, non sentit, obtorpuit, qui malo suo gaudet, insanit. G. Apud me fateor delectabile est amare. R. Odiosum mallem ac molestum, quo & fuga mali promptior foret, & propinquior spes salutis, nunc delectatio morbum alit: sanus enim fieri respuit, quem delectat ægrotare. G. Vt libet, apud me quidem ingenuum est amare. R. Vt quisque sapit, & loquitur apud me vero seruile prorsus, & lãguidum, & quod fortissimos etiam viros emolliat, eneruetq. dicã, quod nemo est, qui nesciat, nemo erit, qui audiens non miretur, sic magnarum rerum recordatio vel scientibus admiranda est. Neuq; omnia sequar quod nec necessarium puto, nec possibile, duarum toto orbe clarissimarũ gentium, duos longe præstantissimos duces ad memoriam reuoca. Iulius Cæsar victor in Gallijs, in Germania, in Britannia, in Hispanijs, in Italia, Thessalia, in Aegypto, idemq. mox in Armenia, in Ponto, in Africa, & rursus in Hispania supremo marte victurus. In medio tantarum victoriarum ab amore regio interim apud Alexandriam victus est. Hannibal apud Thrasymenum, apud Cannas victor, at demum in patria vincendus sua prius apud Salapiam Apuliæ oppidum, quo inexcusabilior sit, meretricio amore subactus est. Quanta tibi videtur mali vis, quæ tam duros animos, tam rigida pectora leui frangat incursu, tam rapidos pedes, tam fortia brachia fragilibus vinclis liget. Linquo fabulosa, & vetera nimis. In beluas transformatum Iouem, ridiculis Martem vinculis implicitum, duris meotem pensa digitis Herculem. Ad hæc & Leandrum fluctibus, Biblida lachrymis, Pro-

cryo telia viri, propria cuspide Pyramũ Hyphio laqo pereuntẽ, quoq. est certius, atq; sonantius, & Græcorũ duces de amore certantes, & notis Troiam flammis ardentem, absq; his omnibus & mille sim. satis duo illi, quos præmissimus ad ꝓbandũ, de quo agitur, vel magitudine nominũ. vel historiæ fide suff. G. Amo, q̃d de odio dices: si amorem damnas? R. Vt tu accipis. verumq; damnabo, neq; ideo bonum aliquid dicam, quod aduersum malo sit. Duo enim extrema sibi inuicem aduersa, pariterq. a medio, hoc ẽ a virtute, distãtia, pariter mala sunt. G. Ergo malũ est amare? hoc ego fateor, malo, nihil melius inuenio. R. Credo, hercle, vt est animus, sed tua opinio rem mutat. G. Oderint, quos delectat, ego amabo. R. Odium, atq. amorem indifferentia dixerim. Nam vt odisse vitium, & amare virtutem, æq; laudabile est, sic seu virtutis odium, seu vitij amor æque damnabile. Et ad summam, vix inuenies, quod per seipsum sic laude vel infamia dignum sit, qui paucis additis, laus ac vituperatio altera locum sumat alterius. Tu, quid ames videris. G. Quid amem, nisi quod cæteri. R. Non omnes idem amant. Fuerunt qui amarent Deum tam enixe, vt pro amore hoc omnia quidem & seipsos, vitamq. suam proiecisse lucrum ducerent. Fuerunt, qui non altius aspirantes pro nuda virtute, aut pro patria idem facerent, numerarem, nisi innumerabiles essent. G. Ego nec in cœlo fui vnquam, nec virtutem vidi, amo, quæ cerni possunt. R. Si nihil amas, nisi quod cerni potest, nihil igitur magnum amas, quid quod directe obuias pręcepto illi vulgatissimo: Nolite amare quæ videntur, sed quæ non videntur, q̃ enim videntur temporalia sunt, quæ autem non videntur, æterna. Vos autem cœci animo, deditiq. oculis æternum nihil non dicam amare, sed nec intelligere, nec cogitare quidem idonei vobiscum peritura sectamini, & pudendos affectus honesto regentes velo, libidinem dicitis amorẽ. illum colitis, illum (nodi liceo tia) Deum facitis, vt probra vestra, quæ vix cęlum regit, excuset. Quid enim Deo authore sit perperam? Ite, iam erigite Deo vestro aras, ac thura porrigite, ille vos ad cœlum euehet. Immo vero cœli Deus illum & vos trudet in tartarum. G. Iuueniles ludos in calumniam trahis, amo, da veniam. R. Si ab officioso poscenda est venia, ipse tibi ignosce, neque enim alium, quam te, lædis, & ah miser, quos inter scopulos fragilem cymbã agis? G. Iuuat ita viuere, nec intelligo quidnam vetet? R. Miserum est peccare, miserius delectari, miserrimum excusare, atque amare peccatum, & tum demum consummata materia est, cum ad studium voluptatis opinio quędam honestatis accesserit. G. Amo, nec possum aliter, nec volo. R. Posses nempe, si velles, & forsan adhuc voluentibus annis voles, si quidem cum in multis tum præcipue in hoc morbo euenit, vt sæpe virtuti tentatum frustra remediũ vltro dies longior afferat. G. Nulla me dies non amantem viderit. R. Age igitur lude, insani, summo lætare, caperrectus flebis. G. Ego vero non flebo, sed canam, meq. ipsum more amantium carminibus consolabor. R. Est hoc quidẽ, de quo multa dici possunt, & quando huc me trahis, insistã: inter multas, fateor, mira hæc amantiũ amentia, non solum apud vulgus, vbi consuetudine in naturam versa furor omnis excusabilis, sed apud vtriusq; linguæ doctissimos. Nam & poetas Graiorum, & vestros quędã de alienis, multa de suis amorib. plausibiliter conscripsisse compertum est, atq. vnde morum infamiam merebantur, eloquẽtiæ gloriam consecutos. Tolerabilior apud illos Sappho, ætas, sexus animi leuitas puellã excusant. Sed quid Anacreonti facias? Quid Alceo? quorum vterq; non poeta modo insignis, sed vir fortis, & reb. gestis i sua Rep. clarus fuit, seu quid ex vestris Ouidio, Catullo, Propertio, Tibullo, quorum nullum ferme nisi amatorium est poema, quanquam quid Poetas, quibus nescio, vnde maior licentia data est, & non potius vitæ duces arguam philosophos, vbi hercle gaudeas, grauitatis multo plus vestris fuisse, quã Græcis, vix enim occurret horum aliquis tam perditus, qui (non dicam) tale aliquid fecerit, sed non libere totum hoc vanitatis genus irriserit, atq; damnauerit, apud illos tamen non communes quosq. sed seuerissimos philosophorum Stoicos, ipsumq. (quod miraberis) Platonem in hoc errore versatos scimus. Amatutum quidem sapientem volunt Stoici, & sane si de amore conueniat, non falluntur. Amabit enim Deum sapiens, vt dixi, amabit, & proximum, amabit virtutem, sapientiam, patriam, parentes, filios, fratres, & amicos, & si verus sapiens fuerit, etiam inimicos amabit, non propter illos (fateor) sed propter eum, qui hoc iubet. In his omnibus (oro te) quis locus est pulchritudini? Sic enim Ciceronis Tusculano diffinitum legimus, amorẽ ipsum conatum esse amicitiæ faciendæ ex pulchritudinis specie. Quis tam cœcus vt non videat, quid sibi velit hæc pulchritudo? recte ergo quærit illic Cicero: Quis est enim, inquit, ille amor amicitię? cur non deformem adolescentem quisquam amat, neq; formosam senem? o mirum ætas & forma cum delinimentis suis sunt huius amicitiæ fundamenta, quæ honestius sic dicitur, quam libido, q̃d si tamen apertis, sanisq. oculis facile cernitur. Itaq. tota res eo redeat, vt si amor quisquam in rerum natura sine solicitudine, turpiq. desiderio, sine suspirio, & ardenti cura sit hic sane permissus sapienti, vacat enim omni libidine, vt Cicero idem ait, omniq. tumultu, atq. angore animi, quæ vitanda sunt sapientib. Cæterum non vt tando rerum facies velari, sic mutari veritas rerum pot. sermo autem nobis nunc non nisi de libidinoso amore susceptus est, qui his, multisq. alijs magnis malis vacare nullo potest modo. Et hæc quidem de Stoicis: ad Platonem venio, qui philosophorũ princeps, imo (vt aiunt) philosophorum Deus. Et si in hoc multi iugent. in omni autem quæstione non plurimum, sed maiorum, meliorumq. iudicio standum est. Plato, inquam, vtiq summus vir de amoribus suis etiam turpibus, quanquam vero philosopho nulla libido non turpis & inconcessa sit (pace tanti viri dixerim) multa licentius scripsit, quam quibus Platonicum nomen scribẽdum esset. Scripsit tamen, & quod nollem, scripta extant, neque tam celebris famæ notam, neque iudicium posteritatis erubuit, curam hanc metumq. omne vincente impetu passionis animum vrgentis, styliq. dulcedine calamum excitantis, quæ vel in turpi, pudendaq. materia tanta illi est, vt Epicureis magis quam Platonicis in reb. quasi solius in ludo Platonici radios cernas ingenij, & hanc ipsam post Platonem multis video causam fuisse, vt scripta relinquerent, quæ vel honestius non scripsissent, vel consultius deleuissent, multis vt idem faciant, futuram esse conijcio, sed famosiorem attigi. Proinde quod ad reprehensionem attinet insanię talis & aliqua diximus, ac multa & varia dici possunt quod ad remedium vero, non pauca. Nam ad illam (quam dicis consolationem mali huius) quam tibi de carminibus prouenturam fingis, breuissimum Flacci carmen, ac percunctatio illa pro responso sit:

Hiscine versiculis speras tibi posse dolores,
Atque æstus, curasq; graues è pectore pelli?

Loquendo, canendoq. amor alitur, accediturq. non extinguitur, nec lenitur, vt quos memoras cantus, & carmina tuorum non fomenta, sed irritamenta sint vulnerum. G. Credere iam tandem admonitus & ca[...]ertus incipio: quamobrem, si liber, omissis alijs ad remedia stylum verte. R. Multo olim ista conquirere nisi sunt, in quibus Naso mirus medicus morbi amantior, quam salutis, cuius quædam leuia, quædam fœda vel inefficacia tamen est aduertere. Scripsere alij, inter quos Cicero breuiter, potenterque ad summam pauca hæc sunt, quæ de multis electa probauerim, loci mutatio, quæ vt corpori sic animo ægrotanti salubris interdum est. Euitatio omnium, fugaq; diligens, quibus amati vultus memoria retraharis, occupatio quoque, traductioq. animi ad alias curas, nouasq. solicitudines, quibus morbi veteris vestigia deleãtur. Cogitatio vehemens & assidua: quam turpe, quam triste, q̃ miserum. Postremo, quam breue, quam labile, quam nihil sit omnino, quod difficultatib. tantis appetitur, quam facile, quantoque melius vel impleri, aliter, alijsq. vijs, vel contemni penitus possit atque abijci, interq. rerum vilissima deputari. Multos præterea curauit pudor, quod maxime generosis animis accidit. dum obseruetur infamia, irrisioq. dumq. fo digito signari, vulgiq. fabulã fieri dolent, dum sub oculos redit rei fœditas, fructu vacua, plena dedecore, plena periculis, plena doloribus, ac pœnitẽtiæ causis, ad extremum proderit excusationibus, ac falsis opinionibus rejectis veras induere, nihil hic naturam, nihil fatum, nihil stellas agere, nihil denique, nisi solam animi leuitatem, atque liberũ iudicium. Est enim in ægrotantis arbitrio, vt sanus fiat mox, vt bona fide velle cœperit, & blandæ consuetudinis nexus dulces abruperit, laboriosum certe, sed volenti possibile. Est quidem, (vt grauissime ait Cicero) illud, quod in omni perturbatione dicitur demonstrandum, nullam esse, nisi opinabilem, nisi iudicio susceptam, nisi voluntariam: etenim si naturalis amor esset, & amarent omnes, & semper amarent, & idem amarent, neque aliũ pudor, alium cogitatio, alium satietas deterreret. Nempe hoc vltimum satietas a quibusdam inter remedia ponitur, ab alijs autẽ amor nouus, quo, vt censent, vetus amor, quasi clauus clauo pellitur, quod quamuis Artaxerxi Persarum Regi, quem Assuerum sacræ vocant literæ, & suggestum ab amicis, & effectum vtile deprehensum, author expressior sit Iosephus, de euentu quidem non litigo, de electione pronuntio. Itaque duo hæc vtilia fortassis interdum, semper certe periculosa crediderim, si neq. horum aliquo, neque omnibus conualescas, ad morbi causas animo recurrendum erit. Hæ vero (ni fallor) primæ omnium, ac maximæ sunt valetudo, & forma elegans, opes, otium, iuuenta, vt corporis ergo, sic animi morbis contraria optime medebuntur, ægritudo, deformitas, inopia, graue negotium, senectus errorum iuuenilium castigatrix eximia, hæc mihi sunt vltima dura quidem, sed pro magnitudine pestis optanda remedia.

APOPHTHAGMATA.

Crates amore laborantibus ostendit remedia. Amori, inquit, medetur fames: sin aliter, tempus, quod si nec his vti possis, laqueus, luxus fere alit amorem, tempus omnia aut tollit, aut certe mitigat. Hæc remedia si nihil prosunt, superest laqueus, vt morbus finiatur suspendio. *Laert. lib. 6.*

Idem sæpenumero dixisse fertur, Amorem inermem quidem incedere, dormire tamen loricatum. Notat autem, amorem sub-

Polyanthea Noua. G dito-

ditorum erga suos principes tanti fieri, vt principes, cui beneuolentia suorum satis perfecta est, non sibi timeat, etsi solus interdum ambulet, Noctu tamen semper adhiberi corporis custodes. *Ibidem.*

Diogenes dixit amorem otiosiorum esse negotium, quod hic affectus potissimum occupet otio deditos. Ita fit, vt dum otio vacant in rem negotiosissimam incidant, nec interim tamen quicquam bonæ rei agant. *Laert. lib. 6.*

Zeno formoso dicenti, sibi non videri futurum, vt sapiens amaret: Nihil, inquit, esse vobis formosis infelicius. Quisquis enim docet, admonet, instruitq. ad virtutem adolescentes, vtique amat. Atque is demum verus est amor. Nam qui vulgo dicuntur amare, suum venantur commodum cum incommodo adamati. *Laert. lib. 7. c. 1.*

Prodicus aiebat, cupiditatem geminatam amorem esse: amorem vero geminatum insaniam fieri. *Stob. ser. 62.*

Apollonius: Eunuchus quidam quum deprehensus esset cum pellice Regis Babyloniæ, præsente item Apollonium rex interrogat, quid de eunucho faciendum iudicaret, at ille: Quid nisi vt viuat? Admiranti autem regi subiecit, Omne supplicium, si viuet, ob amorem patietur. *Fulgos. lib. 1. c. 2.*

Polirys rex Thraciæ. Troiani belli tempore, cum Troiani pariter, & Græci legationem ad ipsum misissent, auditis vtrisq; pronunciauit, vt Alexander redderet Helenam, & a se pro vna duas formosas abduceret vxores. Sapuisset Paris, si hoc fecisset. Nam vna satis fruitus, habuisset duas nouas, & patriæ consuluisset. Quis autem non miretur Græcorum humanitatem, quibus sat erat futurum, si tantum redderetur, quæ cum adultero iamdiu dormierat? *Plut. in apoph.*

Cato Maior amantis animum dicebat in alieno corpore viuere: quod hodie quoq; celebratur, animam illic potius esse, vbi amat quam vbi animat. *Plut. in eius vita.*

Idem affirmabat, insanos prudentibus longe vtiliores esse, quam insanis sapientes. Quippe qui sapientes, cum stultorum errata inspicerent, ob id in melius vitam mutare solere. At amantes quum discendi capaces non sint, ex sapientum benefactis fructu percipere nullum possunt. *Fulg. lib. 7. c. 2.*

Populia Marci filia, miranti cuidam, quid esset, quapropter aliæ bestiæ nunquam marem desiderarent, nisi cum prægnantes vellent fieri, respondit: Quia bestiæ sunt. *Macrob. lib. 2. c. 5.*

Iulia. Cæsaris Augusti filia, quum conscij flagitiorum admirarentur, quomodo similes Agrippæ filios procrearet, quæ tam frequenter vulgo potestatem corporis sui faceret? respondit: Quia nunquam nisi naue plena vectorem tollo. *Macrob. lib. 2. c. 5. Satu.*

Anonyma mulier quædam dixerat se deperire amore Vespasiani, ei perductæ, quum pro concubitu sestertia quadraginta donasset, roganti dispensatori, quo titulo vellet eam summã rationib. referri, dixit, Vespasiano adamato. *Sueton.*

Aristoteles Cyrenensis ab amico quodam percontatus, an amor coitus gratia fieret? Neque eius gratia, neque sine eo, respondit. *Stob. serm. 61.*

Panætius adolescentulo quærenti, an sapiens amaturus esset: De sapiente, inquit, videbimus. Mihi, & tibi, qui a sapiente longe absumus, non est committendum, vt incidamus in rem commotam, impotentem: alteri emancipatam, vilem sibi. *Fulgos. lib. 1. c. 2.*

Theophrastus interrogatus, quid esset amor? respondit, animæ otiosæ affectus. *Stob. serm. 52.*

SIMILITVDINES.

Chrysostomi, sicut herbæ ex humore nascuntur, & crescunt: sic homines per amorem incipiunt, & augentur. *c. 19. Mat hom. 32.*

Seneca. Quemadmodum frondium iactura facilis est, quia renascuntur: Sic istorum, quos amas, quosque oblectamenta vitæ putas esse, damnum, quia reparantur, etiam si non renascuntur. *Lib. 2. epist. 105.*

Philippi Beroaldi, Quemadmodum radius a sole, calor ab igne, rigor a glacie, candor a niue, nequeunt separari: ita ab amore diuelli non possunt beneuolentia, societas, necessitudo, concordia. Hic est enim amabilissimus amicitiæ nodus, princepsque ad beneuolentiam conglutinandam. Vnde ab amore, amicitiam nuncupatam esse, Sapientes tradiderunt. *In oratione habita in principio enarrationis Propertij.*

Quod est in nauigio gubernator, quod in ciuitate magistratus, quod in mundo sol, hoc inter mortales est amor. Nauigium sine gubernatore labascit, ciuitas sine magistratu periclitatur, mundus sine sole tenebricosus efficitur: & mortalium vita sine amore vitalis non est. Tolle ex hominibus amorem, solem e mundo sustulisse videberis. Huc adde, quod hic Deus a nobis omnem rusticitatem amolitur. omnis elegantiæ, omniumq. munditiarum pater est. Vnde venuste Plautinus senex amorem Deum appellat munditiantem, eumq; nitidis nitoribus ait antecellere. Da mihi hominem efferum, atque truculentum, hunc amor e uestigio mollem reddet, & mansuetum. Da rudem, & rusticanum: statim ab amore fiet ingeniosus & vrbanus. Da incultum, ab amore cultissimus efficietur. Denique segnities omnis, somnus lethargicus, marcor, squalor, incuria ex amoris contubernio eliminatur, in quo industria, nauitas, vigilantia, solertia, cultus, nitor, commorantur. Atqui (amoris accusator) Quid tantopere (inquit) hunc Deum laudas & extollis? Qui multos mortalium dementes fecit, qui multos a semita virtutum in via vitiorum decliué præcipitauit, qui multis exitium concinnauit. Huic tam seuero obiurgatori, tamque aspero amoris criminatori, ita breuissime respondeo. Non est ista amoris culpa, sed hominum, qui amare nesciuerunt. Sicut enim est quidam modus in rebus, sunt quidam præscripti fines, quos vltra progredi nefas est: ita in amore est quædam mediocritas adhibenda. *Ibidem.*

Chrysostomi: quemadmodum ignis admotus ceræ facile mollit eam: Sic & amoris calor, rerum fastum & arrogantiam vehementius quam ignis soluit. *c. 5 ad Galat.*

Diogenis, quemadmodum venenum mulso commixtum ob dulcedinem bibentibus primum gratum est, paulò post autem inde mortis agonem sentiunt: Sic quoq; formosis scortis operam dantes, initio voluptatem sentiunt, quam tamen perpetuus dolor consequitur. *Apud Laer. lib. 6.*

Tyrij Platonici, sicut in nummularijs contingit: vt disquiri scilicet, oporteat. vter eorum sagacius a probabili nummo adulterinum dignoscat, numq; qui probabilis speciem tantum gerentem admisit, longe aberramus ab arte, qui autem veram notam cognoscit, hunc & artem callere fateamur: Eodem pariter modo amatoriam artem, pulchri naturæ, veluti nummo cuidam admouere oportet. *serm. 8.*

Xenophontis, vt ignis tangentes quidam propeq; astantes vrit, Pulchri & formosi non item: procul enim astantes inflammant. *Apud Stob. serm. 64.*

Procli, quemadmodum in contemplatione Physica impedimentum est vita sophistica, procliuitasq. ad illam trahens infirmiorem ab ipsa entium contemplatione, ad imaginationem caducæ familiaritatem: sic in amatoria eleuatione turba popularium amatorum impedimentum est, simulans amatorem verum, & animam iuniuris a bonis cœlestibus in terrena, & tenebrosa detorquens. Similiter in sanctissimis quibusq. expiationibus, atque sacris, antequam ipse Deus adsit, palam occurrunt dæmonum, quidã impetus terrenorum, aspectus noui quoq. eos qui expiantur, perficiunturq. deturbantes, & a sinceris bonis ad materiam deflectentes. *De anima & dæmone, f. 383.*

Plutarchi. Vt hedera vndeuis ex se inuenit, quo se alliget. Ita amor etiam ijs capitur, quæ non amantem offendunt. *In moral.*

M. P. Vt radix, quam Medici vulgo Rebarbarum vocant, cum sit biliosa, tamen peculiari quadam vi bilem pellit. ita fit nonnunquã, vt amor pellat amorem, ceu clauus clauum, ira iram, & dolor dolorem. *In fim.*

Vt Echeneis, licet exiguus piscis, nauem velis citatam remoratur: ita animum ad honesta properantem puella quæpiam nonnunquam reuocat, at retardat affixa. *ibi.*

ADAGIA.

Felix Corinthus, at ego sim teneatis. εὐδαίμων ἡ Κόρινθος, ἐγὼ δ' εἴην Τενεάτης.

Tempestiuum fuerit hoc vti, quoties in contentione duorum, non inficiabimur, alterum quidem præstantius, verum alterum magis arridere, placereq; animo nostro.

Quot homines, tot sententiæ ἄλλος ἄλλοισιν ἀνὴρ ἐπιτέρπεται ἔργοις
Item. Suus cuique mos est. *Persius.*

Mille hominum species, & rerum discolor vsus
Velle suum cuique est, nec voto viuitur vno.

Vvie viel Kopff so viel Sinn. *Item.* Ein ieder hat seine Vveise.

Item.

Suum cuique pulchrum.

In eos, quibus sua qualiacunq; sunt. tamen studio magis, quam iudicio placent. Einem jeden Narren gefelt seine Vveise vvolldarumb ist das Landt der Narren voll. *Item.* Einem iedeo Narren gefelt sein Kolbe vuoll.

Item.

Asinus asino, & sus sui pulcher. ὄνος τ' ὄνῳ καλλιστον, ὗς δὲ τῷ ὑΐ.

Conuenit, vbi inter honestos similitudo morum & instituti conciliat beneuolentiam.

Balbinum polypus agnæ delectat.

Explicat hoc adagium Horatius, inquiens:

Turpia decipiunt cæcum vitia aut etiam ipsa hæc delectant, veluti Balbinum polypus agnæ.

Est autem polypus vitium narium grauiolentium. At Balbino stulte amanti, etiam polypus Agnæ amicæ suaue quiddam olere videbatur.

AMOR.

Caunius amor Καύνιος ἔρως.

De fœdo, illicitoque amore dicitur. Biblis Caunum fratrem impotenter adamauit, a quo cum esset repulsa, sibimet necem consciuit Ouid. in Metamorph.

Liberorum amantior quam Gello. Γελλοῦ παιδοφιλωτέρα.

Dicebatur vel in eos, qui præmatura morte perierunt, vel in eos, qui mira

quidem

quidem charitate filios prosequerentur, sed eosdem indulgentia, delicijs que corrumperent.

Iniuria soluit amorem ὕβρις ἔρωτας ἔλυσε.

Nam contemptus amor plerunq; vertitur in iram, ira in odium.

Manium ea ore.

Quos tenere amamus his manusum ex ore dare dicimur, quod a matribus, ac nutricibus mutuo sumptum est. Lucilius.

Medullitus amare, *Item*, Oculitus amare.

Intimum a fictum veteres modis variis exprimebant: Ex corde, ex animo, ex pectore, penitus, ex intimis praecordijs, medullitus, animitus, oculitus.

Vt lupus ouem. ὡς λύκος ἄρνα φιλεῖ.

Lucet, qui sui commodi gratia simulant amorem Plato.

V Phrygius amauit Pieriam.

Plutarch. lib. περὶ γυναικῶν ἀρετῶν, ostendit ad suam vsq; aetatem durasse consuetudinem, vt vxores optarent se amari a viris. ὡς ἐφίλησε ... *vt Pieriam.*

Cestum habent Veneris. τὸν κεστὸν ἔχει τὸν.

Iacet qui non modo quemlibet in sui amorem pelliciunt.

Ex aspectu nascitur amor. ἐκ τοῦ εἰσορᾶν γὰρ γίγνεται ἀνθρώποις ἐρᾶν.

Sensarius est prouerb. lib. Amor ex videndo nascitur mortalibus.

Admonens oculos amore notissimum conciliare. Non enim amatur incognitum & oculi praecipue sunt ad amandum illices.

Patrua semper tuus pullus. πατρὸς ἀεὶ σὺ ...

Commoneri meos, qui tametsi a te sunt grandiores, tamen verborum delicijs affectum vt leni inuenculi: aut eum ob amorem castum castam puppam vocat, ipse vicissim pappis audit.

B Creta raptas. ἐκ Κρήτης ἀνήρπασε.

Apparet de furtiuo amore dictum fuisse, quod aliquoties illinc virgines a negotiatoribus adueherentur.

Capite gestare. ἐπὶ τῆς κεφαλῆς περιφέρειν.

Quos tenere amamus capite gestare dicimur.

Iynge trahor. Ἴυγγι ἕλκομαι ἔρωτι.

Hoc est: Iynge trahor animo De yis dici potest, qui vehementi & impotenti ad rem quampiam desiderio trahuntur.

Musicam docet amor. Μουσικὴν ἔρως διδάσκει κἂν τις ἄμουσος ᾖ τὸ πρίν.

Musicam docet Amor licet quis indoctus fuerit prius. Docet ad agitum, amo rem excitare animum ad industriam.

Qui non zelat non amat.

Aug. indicat vulgo hoc iactatum, quod sane hodie fertur, cum negant illic esse amorem, vbi non est zelotypia. Vvoteio Buffer ist keine Liebe.

Vide locum & tit. de Amicitia.

EXEMPLA BIBLICA.

Amoris exempla: Isaacamabat Esauum, Rachel Iacobum, *Gen. 25. v. 28.* Iacob Rachelem, *29. v. 18. 20. 30.* Sichem Dinam, *45. v. 19.* Israel Iosephum *37. v. 3.* Deus Patres, *Deuter. 10. v. 15.* Sampson Dalilam, *Iud. 16. v. 4.* Dauid Ionathan, & contra, *1. Sam. 18. v. 1. 2. Samuel. 1. v. 26.* Amnon Thamar Abslalonis sororem. *13 v. 1.* Roboā Maachae filiam, *2. Paralip. 11. v. 21.* Iesus Lazarum, *Ioan 11. v. 3. 4. 5. 36. Io. 20. v. 2.* Petrus Christum, *21. v. 15. 16. 17.* Paulus Christū, *1. Cor. 16. v. 22. Phil. 1. v. 23. & 3. v. 8.*

PROFANA EXEMPLA.

Bion in Bucolicis sub pastoris persona Amorem carminum suorū praeceptorem facit. *Stob. serm. 61.*

Epicurus Philosophus, Leontium & Laidem amicas habuit. *Athen. l. 13. c. 20.*

Plato Archeanassam Colophoniam deperisse putatur, edito de ea Epigrammate, quod legitur *l. 3 Anthol. Grae. Epigra. cuius initium,* Ἀρχεάνασσαν ἔχω, *&c.*

Iosephus Iudaeorum princeps apud Ptolomaeum Euergetem Alexandriae coenans saltatriculae in conuiuio amore exarsit. *Ioseph. lib. 12. c. 4. Antiq.*

Filius Antonij Venerij Ducis Veneti, amatae a se ardentius puellae, ianuae cornua bubala finxit; illiq; occurrenti in via publica osculum inuitae ferre voluit. quam ex re & illum perpetuo carceri includendum curauit pater: nec vnquam dimissum esse voluit, quā uis grauiter aegrotaret: ita vt peste grassante in carcere tandem obierit. *Egnat. l. 6. c. 1.*

Thespienses Erotidia celebrabant, sicuti Olympia Lacedaemonij ante pugnam amori sacrificabant, veluti in amore certantium, & certa amicitia victoria consisteret.

Cretenses in praelijs optimos, ac pulcherrimos amore deuinctos secerne bant, ac per eos annua sacra fiebant.

Apud Athenienses sacra cohors appellata, ex amatis ac amatoribus consistebat: vt tradit Alcais, in qua summa erat fiducia. *Ex Athenaeo Volater. lib. 32. Philolog.*

Ex Pausaniae monumentis non negligendum illud vtique: Assyrios omnium primos Vraniam Venerem adortos colere, quos sint insecuti in Cypro Paphij, & ad Ascalonem Phoenices, a quibus didicerint mox Cytherij. Sed & Athenis Vraniae Veneri fuisse

Polyanthea Noua.

erectum templum, idem comprobat Pausanias. *Cal. l. 23. c. 3. & li. 29. cap 18.*

Pyrrhen genere illustrem, tradunt historici celeberrimi vxorem duxisse Iapygiam, e aque eo matrimonio natam illi filiam, Pieriam nomine: erat autem bellum vehemens Myuntijs aduersus Milesios, tantumque rei diuinae faciendae causa commeare licebat. Pythes igitur vxor cum filia, Dianae sacra factura, progressa Miletū sibi tum Phrygius Nelei maximus natu filius. Pieriam conspicatus, eiusque forma incensus, amare vehementer puellam coepit: quinque eit amantium affectus, cupiens illi gratificari, quid nam gratissimum ei a se praestare posset, percunctatus. Tum puella prudens & pia, id sibi omnium longe gratissimum fore, innuit, si Miletum multis saepe comitibus secure proficisci facultas ab illo daretur. Quod Phrygius de pace recte vtilia senserat, intelligens, statim aduocata concione, Milesijs de ineunda cum Myuntijs amicitia, verba fecit: quae res eum omnibus placuisset, composita est pax: tamque iucundis exorsa ioitijs apud vtcunque populum nomen Pieriae tam celebre fuit, adeo vt mulieribus abierit in adagium res, vt in votis illarum id esset antiquissimum: Sic se amari velle, veluti Pieriam Phrygius adamasset. *Cal. l. 23. cap. 1.*

Pisoniacae conspirationis conscius apud Neronem accusatus, perpetuo exilio mulctatus est. Archnna Flacilla vxor, cum Romae in magnis opibus manere posset, patriae atq; opibus eatium eum viro praetulit. *Camill. l. 6. c. 7. de amore pudico.*

Potuit Aemilius Paulus Canoensi acie, tametsi vulneratus, vniua tamen & omnis culpae capera in tutum euadere, sed legionibus caesis, noluit: repudiato equo, qui illū ad fugam a Lentulo deferebatur, quinimo saxo sedens, Macte, inquit, ista virtute, C. Cornelii, abi, nuntia publice Patribus, vt vrbem Romam muniant, sit mentq; pra fidijs ante hostis aduentum: meque, vt decet, finito inter meos milites expirare. Mirus imperatoris amor, qui non potuit patriae, quae superstes erat, non esse memor, paulo post expiraturus, *Sabellic l. 5. c. 2. Liuius lib. 2. Belli Punici secunda.*

Cato amantis animum dicebat in alieno corpore viuere: quod, hodie quoque celebratur: animam illic potius esse, vbi amat, quam vbi animat. *Apoph. P. M. l. 5.*

Socrates eos, qui corpus tantum amarent, similes esse aiebat medicis, qui semper egerent, semper instarent aliquid flagitantes: rursus, qui amici essent potius, quam amatores similes esse ijs, qui proprium fundum possiderēt, quem semper studuissent reddere meliorem, Amator suam quaerit explere voluntatem, amicus haud quaquam ad se spectans, hoc se putat ditiorem, quo meliorē red diderit amicum. *Idem l. 3. de dictis Socratis. P. M.*

HIEROGLYPHICA.

Apud Onocritas iugere est, Lucernam ardentem esse mulieris signum, quae sit amore capta propterea quod leuit, inconstans, & infirmus admodum sit earum amor, qui lucernae instar moimi flatus impulsu extingui potest. *Pier. Val. l. 46. p. 451. E.*

Aegyptij Sacerdotes, qui odium per aquas intelligebant, per ignē amorem captum voluerunt: ideoq; faces passim Cupidini dedicarunt. *Idem l. 46. p. 456. D.*

Quoniam voluntatum studiorumq; consensus, atque similitudo amorem parit, celebratur a Platone Lyra inter amatoria monumenta, lib. de anima. *Pier. Val lib 47 p. 459. B*

Malum quoque amoris est simbolum, quique amorum agmina pingere volunt, lusitare eos malis: & inter arbores eiusmodi lasciui re poma decerpere, abrodere, iactareque confingunt. Item cur malus arbor amori potissimum consecrata, vt & symbo'a amoris mutui, perditi, iniqui, *Vide apud Pier Valer. lib. 45. p. 522. & 523. & 525.*

EMBLEMATA.
Andreae Alciati.

Potentissimus affectus, Amor.
Emblema CV.

Aspice vt inuictus vires auriga leonis,
Expressus gemma pusio vincat Amor?
Vtque manu hac scuticam tenet, hac vt flectit habenas,
Vtq; est in pueri plurimus ore decor.
Dira lues procul esto, feram qui vincere talem
Est potis, a nobis temperet anne manus?

Vis Amoris. Emblema CVII.

Aligerum fulmen fregit Deus aliger, igne
Dum demonstrat vti est fortior ignis Amor.

In studiosum captum amore.
Emblema CVIII.

Immersus studijs, dicundo & iuris peritus.
Et maximus libello.
H learnan amat, quantum nec Thracius vnquam
Princeps sororis pellicem.
Pallada cur alio superat, tu iudice Cyprit

Num sat sub Ida est vincere.

Amor.

Ex Emblemate CXII. Alciati.

Fere simile ex Theocrito.

Emblema CXII.

Alveolis dum mella legit, percussit Amorem
Furacem mala apis, & summis spicula liquit
In digitis: tumido gemit at puer anxius ungue,
Et quatit & terras undus hominum, Veneriq; dolorem
Indicat, & graviter queritur, quod apicula parvum
Ipsa inferre animal tam noxia vulnera possit.
Cui ridens Venus, hanc imitaris tu quoq; dixit,
Nate feram, qui das tot noxia vulnera parvus.

Dulcia quandoque amara fieri.

Emblema CXI.

Matre procul licita, paullum secesserat infans
Lydius: hunc dira sed rapuere apes.
Venerat hic ad vos placidas, ait, esse volucres,
Cum nec ita immitis vipera saeva foret.
Quae datis ah! dulces stimulos pro munere mellis?
Proh dolor! heu sine te gratia nulla datur?

In statuam Amoris.

Emblema CXIII.

Quis sit Amor, plures olim cecinere Poetae,
Eius qui vario nomine gesta ferunt.
Convenit hoc quod veste caret, quod corpore parvus:
Tela alasq; ferens, lumina nulla tenet.
Haec ora, hic habitusq; Dei est. Sed dicere tantos
Scilicet in vatis falsa sub specie.
Ecquis nudus agat? Deus quasi vellera desint.
Qui curas domini possidet orbis opes.
Aut qui quaeso nives per anni praeteriens nudus
Alpinas potuit, strictaq; prata gelu?
Si puer est, puerum nunc vocas qui Nestora vincit?
An nescis Ascreae carmina docta senis?
Instabilis ergo hic obdurans, pectora quae iam
Transfixit, nunquam linquere sponte volet?
At pharetras & tela gerit, quid inutile condunt?
An curvare infans cornua dira valet?
Alas cur ut gerit quas nescit in aethera ferre?
Infirmus in volucrum flectere tela nequit.
Sed ipsi humi, semperq; virum mortalia corda
Laedit, & haud alas sentiens inde movet.
Si caecus vitamq; gerit, quid semina eo
Utilis est, ad quem minus ille videt?
Quisve sagittiferum credat qui lumina captus?
Haec certa, ac caeci spicula vana movet.
Ignem est, aiunt, vesitq; in pectore flammas.
Cur age vivit adhuc omnia flamma vorat?
Quinetiam tumidis cur non extinguitur undis
Naiadum, queis mollia corda subit?
At tu ne tantis capiare erroribus, audi,
Verus quid sit amor, carmina nostra ferent:
Iucundus labor est, lascivia per otia: signum
Illius est nigro punica glans clypeo.

Potentia Amoris.

Emblema CVI.

Nudus Amor viden' ut ridet placidumq; tuetur?
Nec faculas, nec quae cornua flectat, habet:
Altera sed manuum flores gerit, altera piscem,
Scilicet ut terrae iura det atque mari.

Senex puellam amans.

Emblema CXVI.

Dum Sophocles (quamvis affecta aetate) puellam
A quaestu Archippen ad sua vota trahit,
Allicit & pretio, tulit aegre infana iuvenum
Ob zelum, & tali carmine utrumq; notat:
Noctua ut in tumulis super utq; cadavera bubo,
Talis apud Sophoclem nostra puella sedet.

FABULAE SEU APOLOGI.

Senex & uxor adolescentula.

Duxerat annis quidam gravis senecta in aetate, adolescentem mulierem, quae illum aversabatur, neque delectabatur consuetudine ipsius. Quadam nocte fures in domum eius intraverant, & audiebatur pedum sonitus, neque illi procul a conclave, in quo cum uxore vir cubabat, abesse sentiebantur. Ibi mulier formidans ad virum se applicat, & illum etiam, quod nunquam ante fecerat, amplectitur. Hic vero ea re laetus, furibus gratias agere, & iubere impune auferre, quicquid libuisset, quod ipsorum beneficio complexu frueretur uxoris suae.

Fabula docet, amorem saepe metu excitari.

Ioach. Camer. lib. Fabul. p. 387.

SCRIPTORES

De amore, *Aelianus in Var. Hist. Graec. fo. 17. Aeliani Varini Dialogus. Marsilius Ficinus lib. 1. c. 56. 10. Ludovic. Vives li. 3. de anima. Elysii Calentij Ep. ad Hieracum p. 457. Poematium Camilli Palaeoti. Frensonius l. 1 c. 2. Manipul. Florum, Lumen animae, Tit. 47. & 48. Andreas Capellanus Regi lib. 12. Xenophon in Symposio. Raphael Volaterranus lib. 32. Proclus in Alcibiade. Demosthenis oratio amatoria. Plotinus Ennead 3. Platon Dial. de Philosophia. Eiusdem Convivium seu de amore. Et Marsilij Ficini comment. in eundem. Raymundus Sebundius lib. 3. viola Animae. De amore naturali, seu storge, Gellius lib. 12. c. 1. Macrob. lib. 5. c. 11. Plut. de liberis educandis.*

ANGELUS.

DEFINITIO. ET ETYMOLOG.

Angelus Graeca dictio est, ἄγγελος, nuntius dicitur, ἀγγέλλω enim nuncio est. Hebr. *Malach.* i. nuntius. Angelus autem nuncius appellatur, quum à Deo veluti iudiciorum vel misericordiarum executor, vel malus, vel bonus Spiritus mittitur.

Angelus substantia intellectualis, specie mobilis, arbitrio libera, incorporea, Deo ministrans secundum gratiam eius natura sui immortalitatem suscipiens, cuius substantiae speciem & terminum solus, qui creator est, novit, *secundum Io. Dam. l. 2. c. 3.*

SENTENTIAE BIBLICAE.

Qui facis angelos tuos spiritus. *Heb. 1.*

Nonne omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi, propter eos, qui haereditatem capiunt salutis? *Ibid.*

Dirigunt gradientes.

Ecce, ego mittam angelum meum, qui praecedat te, & custodiat in via, & introducat in locum, quem praeparavi tibi. Observa eum, & audi vocem eius, nec contemnendum putes, quia non dimittet te, cum peccaveris, & est nomen meum cum illo. Quod audieris vocem eius, & feceris omnia, quae loquor, inimicus ero inimicis tuis, & affligam affligentes te. *Exod. 23.*

Vivit autem ipse Dominus, quoniam custodivit me angelus eius, & non permisit me Dominus ancillam suam coinquinari, sed sine pollutione peccati revocavit me gaudente in victoria sua. *Iudit. 13.*

Quoniam angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus vijs tuis. In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. *ps. 90.*

Confortant deficientes.

Unde angelus ancillae Sarae in deserto fontem ostendit. *Gen. 21.*

Sic Eliae aquam & panem. *3. Reg. 19.*

Daniel prandium per Abacuc in lacum leonum in Babylone a Iudaea apportavit. *Dan. 14.*

Flagellant praevaricantes.

Unde populum pestilentia percussit, ob peccatum David septuaginta millia virorum. Immisitq. Dominus pestilentiam. *2. Reg. 4.*

Factum est igitur nocte illa, venit Angelus Domini, & percussit de castris Assyriorum 185. millia. *4. Reg. 19.*

Heliodorum templum spoliare volentem graviter ceciderunt. *2. Mach. 3.*

Sic Herodem Deo gloriam non dantem. Confestim autem percussit eum angelus, eo quod non dedisset honorem Deo, & consumptus a vermibus expiravit. *Act. 12.*

Gratificant orantes.

Si fuerit pro eo angelus loquens unus de millibus, ut annunciet hominis aequitatem, miserebitur eius & dicet: Libera eum ut non descendat in corruptionem: Inveni, in quo ei propitier. *Iob. 33.*

Quando orabas cum lacrymis, & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abscondebas per diem in domo tua, & nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino. *Tob. 12.*

Alius angelus venit, & stetit ante altare, & ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum. *Apoc. 8.*

Honorant decedentes.

Factum est autem, ut moreretur mendicus, & portaretur ab angelis in sinum Abrahae. *Luc. 6.*

Iuvant certantes.

Unde angelus cum in nube se inter castra Aegyptiorum, & Israel posuit. *Exod. 4.*

Tollensq. se angelus Domini. Sic Iosue angelum in agro evaginatum tenentem gladium vidit. *Ios. 5.*

Cumque esset Iosua in agro. Sic precibus Elisaei puer suus montem plenum equorum, & curruum igneorum in circuitu vidit Elisaei. *4 Reg. 6.* Cumque orasset Elisaeus.

Deus meus, quem colo, misit angelum suum, & occlusit ora leonum,

& non

& non nocuerunt mihi: quia coram eo iustitia mea inuenta est. *Dan.6.* Sic Macchabæo apparuit præcedens eques in veste candida, armis aureis hastam vibrans. *2. Mach.11.* Liberauit Apostolos a carcere. *Act.5.* Sic Petrum. *Act.12.*

Angeli ob peccatum facti sunt mali.

Ecce, qui seruiunt ei, non sunt stabiles, & in angelis suis reperit prauitatem. *Iob.4.*

Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris. *Esaia 14.*

Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem. *Luc.10.*

Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos, in tartarum tradidit cruciandos, in iudicium reseruari. *2.Pet.2.*

Angelos vero, qui non seruauerunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in iudicium magni Dei vinculis æternis sub caligine reseruauit. *Iuda apost.*

Malum hominibus moliuntur aggrediendo fraudulenter.

Vnde Euam natura & sexu infirmiorē callide solam, & simplici aggressus est quæstione. *Gen.3.*

Vt non circumueniamur a Satana: non enim ignoramus cogitationes eius. *2.Cor.2.*

Ipse Satanas transfigurat se in angelum lucis. *2.Cor 11.*

Generaliter omnes quantumcunque sanctos tentant.

Venit princeps mundi huius, & in me non habet quicquam. *Io.14.*

Tunc Iesus ductus est in desertum a Spiritu, vt tentaretur a diabolo. *Mat.4.*

Et consummata omni tentatione, diabolus recessit ab illo vsq; ad tempus *Luc.4.*

Horribiliter aggrediuntur.

Non est potestas super terram, quæ comparetur ei, qui factus est, vt nullum timeret. Omne sublime videt: & ipse est rex super omnes filios superbiæ. *Iob.41.*

Sunt spiritus, qui ad vindictam creati sunt, & in furore suo confirmauerunt tormenta sua, & in tempore consummationis effundent virtutem & furorem eius qui fecit illos, confundent. *Ecc.39*

Vnde reddit hominem cæcum & mutum. *Mat.12.*

A Deo reprimuntur, ne quantum volunt possint.

Ecce, *vniuersa*, quæ habet, in manu tua sunt: tantum in eum ne extendas manum tuam. *Iob.1.*

Ecce in manu tua est, veruntamen animam illius serua. *idem 2.*

Vnde nec in porcos quidem, nisi permissi intrare potuerunt. *Marth 8.*

Simon, ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum. Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua. *Luc.22.*

Ab homine repelluntur per gratiæ assidentiam.

Deus autem pacis conteret Satanam sub pedibus vestris velociter. *Rom.16.*

Nolite locum dare diabolo. *Ephes.4.*

Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli. *ibid.6.*

Subditi estote Deo, resistite autem diabolo, & fugiet a vobis. *Iac.4.*

Cui resistite fortes in fide. *1.Pet.5.*

Scribo vobis adolescentes, quoniam vicistis malignum. *1.Io.1.*

Per Deum expelluntur.

Vespere autem facto obtulerunt ei multos dæmonia habentes, & eijciebat spiritus verbo. *Mat.8.*

Egressis autem illis, ecce obtulerunt ei hominem mutum dæmonium habentem, & eiecto dæmonio, locutus est mutus, & miratę sunt turbæ. *Mat.9.*

Tunc oblatus est ei dæmonium habens, cæcus & mutus, & curauit eum, ita vt loqueretur, & videret. *Matt.12. Item 17. Marc.1.3.5.6.9. Luc.4.8.9.11.*

Per homines.

Et conuocatis duodecim discipulis dedit illis potestatem spirituum immundorum, vt eijcerent eos. *Matt.10.*

Reuersi sunt septuaginta duo cum gaudio, dicentes: Domine etiam in nomine tuo dæmonia subijciuntur nobis. *Luc.10.*

Si autem ego in Beelzebub eijcio dæmonia, filij vestri in quo eijciunt? *Luc.11.*

SENTENTIAE PATRVM.

Præpositi sunt angeli cœlorum super potestates aereas, vnde procedit verbum, quod fit hic. Intuetur enim legem fixam, legem æternam, iubentem sicut scriptura, sine syllabis, sine strepitu fixam semper, & stantem intuentur angeli eorde mūdo, & ex illa faciunt quicquid fit. *Aug super illud psal.103. Draco iste, quem fecisti, &c.*

Vtique noscunt angeli sancti, docti de Deo, cuius veritatis æterna contemplatione beati sunt, quanti numeri supplementum de genere humano integritas illius ciuitatis expectat. *Idem.*

Magna dignitas fidelium animarum, vt vnaquæque habeat ab ortu natiuitatis in custodia sui angelum deputatum. Imo plures psalmo trigesimo quarto. *Hieronym. super Matt. 18.*

Superna illa ciuitas ex angelis, & hominibus constat, ad quam tantum credimus humanum genus ascendere, quantos illic contigit electos angelos remansisse, sicut scriptum est. Statuit terminos gentium iuxta numerum angelorum Dei, *Greg.hom.34.super Euang.*

Vnusquisque, in quantum sufficit, si a prauitate proximum reuocat, si exhortari ad bene operandum curat, si æternum regnum, vel supplicium erranti denunciat, quum verba sanctæ annunciationis impendit, profecto Angelus existit. *Idem in hom.6.super Euan.*

Qui parua capiunt, sed tamen hæc eadem parua pie annunciare fratribus non desistunt, isti in Angelorum numerum currunt. Qui secretorum cœlestium summa capere præualent, & nunciare etiam isti in Archangelorum numerum deputantur. Qui amando ardent & loquendo alios accendunt, isti Seraphim dicūtur. *Ibid.*

Angeli cum ad nos veniunt, sic exterius implent ministerium, vt nunquam desinant interius per contemplationem. Mittuntur igitur, & assistunt, quia etsi circumscriptus est angelus spiritus: summus tamen spiritus ipse, qui Deus est, circumscriptus non est. Angeli itaque & missi ante ipsum, qui a quolibet missi veniant, intra ipsum currunt. *Ibid.*

In hoc est natura angelica a naturæ nostræ conditione distincta, quod nos & loco circumscribimur, & cæcitatis ignorantia coarctamur: Angelorum vero spiritus loco quidem circumscribuntur, sed tamen eorum scientiæ longe super nos incomparabiliter dilatantur. Interius, & exterius sciendo distincti sunt: quoniā ipsum fontem scientiæ contemplantur. Quid enim de his, quæ scienda sunt, nesciunt, qui scientes omnia sciunt. *Idem 2. lib. moralium.*

Nouem angelorum esse ordines, testante sacro eloquiō, scimus, scilicet, Angelos, Archangelos, Virtutes, Potestates, Principatus, Dominationes, Thronos, Cherubim, atque Seraphim. *Idem in homil.*

Angelorum vocabulum nomen est officij, non naturæ: nam sancti illi cœlestis patriæ spiritus semper sunt spiritus, sed semper vocari angeli nequaquam possunt. Tunc solum sunt angeli, quum per eos aliqua nunciantur: Vnde psalmus: Qui facit angelos suos spiritus. Hi ergo, qui minima nunciant, angeli: qui vero summa nunciant, Archangeli vocantur. Græce enim lingua, angeli nuncij, Archangeli vero summi nuncij vocantur. Qui idcirco priuatis nominibus censentur, vt Michael, Gabriel, Raphael, vt signetur etiam per vocabula, quid in operatione valeant. *Idem in homilia.*

Timet angelus adorari ab humana natura, quam videt in Deo sublimatam. *Ibid.*

Angeli ad ministerium pro nostra salute semper mittuntur. *In Psal.*

Angelo apostatæ similis efficitur homo, qui hominibus esse similis dedignatur. *ibid.*

Simus deuoti, simus grati tantis custodibus, redamemus eos, quantum possumus, quantum debemus affectuose, ideo angelos eius, tanquam futuros aliquando cohæredes: eos vero interim actores, & tutores a patre positos, & præpositos nobis, adhuc enim paruuli sub tutoribus & actoribus sumus. *Ber.ser.12 sup ps.91.*

Quoties ergo grauissima cernitur vrgere tentatio, & tribulatio vehementer imminere, inuoca Deum custodem tuum, directorē tuū adiutorem tuum in opportunitatibus, in tribulatione. Inclama eum, & dic: Domine salua nos, perimus. In tribulatione vero neque dormitat, neque dormit, etsi quando ad tempus dissimulat, &c. *ibid.*

Væ vobis, si quando prouocati sancti Angeli peccatis, & negligentijs, indignos nos iudicauerint præsentia, & visitatione sua, & quorum præsentia protegere nos, & propulsare poterat inimicum. Quod necessariam habemus familiaritatem dignationis angelicæ, cauenda est nobis eorum offensa, & in his maxime exercendum, quibus eos nouimus oblectari. Hæc autem placent eis, quæ in nobis inuenire delectant, vt est sobrietas, castitas, paupertas voluntaria, creber in cœlum gemitus, & super hæc omnia veritatem, & pacem a nobis exigunt. *ibid.*

Benignus es Domine, qui non es contentus nostræ fragilitatis muris, sed ipsis hominum custodibus angelicam custodiam supponis. *ibid.*

Tu ergo, si vis habere ministerium angelorum, fuge cōsolationes sęculi, & tentationibus resiste Diaboli. *Ber.in ser.50.*

Angelis suis mandauit de te, &c. O quantam debet tibi hoc verbū inferre reuerentiam, afferre deuotionem, conferre fiduciā, pro præsentia reuerentiam, pro beneuolentia deuotionem, pro custodia fiduciam. Caute ergo ambula, vbi sunt angeli, vt custodiant te in omnibus vijs tuis. *Ibid.*

Credimus, angelos sanctos adstare orantibus, offerre Deo vota, & preces hominum, si sine deceptione leuari puras manus prospexerint. *Ibid.*

In quouis diuersorio, in quouis angulo reuerentiam exhibe tuo angelo, ne audeas illo pręsente, quod me vidente non auderes. Ad-

sunt igitur tibi non modo præsentes tecum, sed etiam pro te adsunt, vt protegant, adsunt, vt prosint. *Ibid.*

Angelus est substantia intellectualis, semper mobilis, arbitrio libera, incorporea, Deo ministrans, gratia, & non natura, immortalitatem suscipiens, cuius substantiæ speciem & terminum solus, qui creator est, nouit. *Damasc. l. 2. c. 3.*

Boni angeli ad ministerium humanæ salutis deputati sunt, vt cuncta administrent mundi, & regant omnia iussu Dei. *Isi. de sum. b.*

Singulæ gentes præpositos Angelos habere creduntur, omnes homines angelos habere probantur. *Ibid.*

Natura angelorum mutabilis est, quia inest illis mutabilitas in natura, sed fecit eos incorruptos charitas sempiterna. *Ibid.*

Angeli sunt natura mutabiles condiri, sed facti contemplatione immutabiles, animo passibiles, mente rationales, stirpe æterni, & beatitudine perpetui. *Ibid.*

Adest vnicuique nostrum etiam minimo, qui sunt in Ecclesia Dei, angelus bonus, angelus Domini, qui regat, qui moneat, qui gubernet, qui pro actibus nostris corrigendis, & miserationibus exposcendis quotidie videat faciem Patris, qui in cœlis est. *Orig. in Num. hom. 66.*

Agunt Angeli diem festum, lætantes super his, qui refugientes consortia dæmonum, per exercitia virtutum, Angelicis festinant sociari consortijs. *Ibid.*

Fatendum est, nescire quidem mortuos, quid hic agatur, dum hic agitur: postea vero audire ab eis, qui hinc ad eos moriendo pergunt: non quidem omnia, sed quæ sinuntur etiam ipsi meminisse & quæ illos, quibus hæc iudicantur, oportet audire. Possunt. & ab angelis, qui rebus, quæ hic aguntur, præsto sunt, audire aliquid mortui, quod nunc vnumquemque illorum audire debere iudicat, cui cuncta subiecta sunt. *Aug. l. de agenda cura pro mortuis & habetur 13. q. vlt. c. Fatendum.*

SENTENTIAE POETICAE.

Philippi Melanthonis hymnus de Angelis.

Dicimus grates tibi summe rerum
Conditor, Gnato tua quod ministros
Flammeos finxit manus, Angelorum
Agmina pura.
Qui tuæ lucis radijs vibrantes,
Te vident lætis oculis, tuasq;
Hauriunt voces, sapientiaq;
Fonte fruuntur.
Hos nec ignauum finis esse vulgus,
Nec per ingentes volitare frustra
Aetheris tractus, temere nec inter
Ludere ventos.
Sed iubes Christo comites adesse,
Et pios cœtus hominum tueri:
Qui tuas leges venerantur, atq;
Discere curant.
Impijs ardens odijs & ira,
Namque castres Draco semper infert
Bella qui primus scelus atque mortem
Intulit orbi.
Hic domos, vrbes, tua templa, gentes,
Et tuæ legis monumenta tota,
Et bonos mores abolere tentat
Funditus omnes.
Interim sed nos regit Angelorum
Qua ducem Christum sequitur, caterua.
Atque grassantis reprimit cruenta
Arma Draconis.
Angeli Lothon Sodoma tuentur.
Inter infestos Eliseus hostes
Angelis cinctus, nihil extimescit
Bellica signa.
Tutus est inter medios leones
Angelis septus Daniel Propheta
Sic regit semper Deus his ministris
Omnia nostra.
Hoc tuum munus celebramus vna,
Et tibi noster chorus Angelique,
Gratias dicunt simul acceptentes
Conditor alme.
Et tuo templo vigiles vt addas
Angelos semper, populoq; gnato.
Qui tui verbum colit, obsecramus
Pectore toto.

Ioannis Strigelij, hymnus de Angelis.

Angelis hæc est sacra lux, ideoque
Muneris tanti memores, & omnes
Hos Deo propter tribuens honorem
Concio plaudat.
Spiritus rerum Deus ipse creator
Finxit, atque illis sapientis ignem
Mentis adflauit, voluitq; recti
Esse ministros.
Ergo versantur vigiles parentis
Ante conspectum, cupiuntq; læti
Iussa mandantis, Dominoq; tota
Aethere plaudunt.
Heu quod infesti rabies Draconis
Angelis tantus mouet vsque pugnas:
Qui sciens primus proprio furore
Perdidit orbem.
Ille funestis agitatus ira
Inuidens Christo, fere iam minatur,
Iordanis totas sitiens vt alti
Sorbeat vndas.
Circuit mundum, fremit hic & illic,
Fascinat mentes, vortiq; fudat
Vt pios cultus abolere possit.
Omnia turbat.
Dissipat leges, serit inter vrbes,
Inter agnatos fera bella reges,
Omne grassator scelus imparatis
Mentibus inflat.
Concitat ventos, subruitq; nimbos,
Grandines spargit, sata culta vastat,
Inficit nubes, varijsq; sternit
Corpora morbis.
Concitat seuos odijs tyrannos,
Vt fremant, vt bella pijs minentur,
Vt Deum oppugnent, miseriq; Christi
Membra trucident.
At pios Christo duce sub potente
Ipse quorum omnes numerat capillos,
Angeli seruant, reprimuntq; saeuum
Fortiter hostem.
Non minus mundum tegant & ipsi,
Et truci claudunt aditum draconi,
Asserunt veros, retinentq; pugna
Vindice cultus.
Conferunt pacem, cohibentq; lites,
Proteguntleges, sacra iura firmant,
Amouent morbos, referuntq; Christo
Vota piorum.
Liberant pressos, reprimunt tyrannos,
Ad latus nobis habitant, & adsunt
Ad caput semper vigiles, tuisq;
Cuncta ministrant.
Angelis septi pueri ministris
Fulmen ardentes superant camini,
Angelis septus Daniel leonum
Effugit iram.
Angeli regnum Achazidis gubernant,
Angeli Lothon Sodoma tuentur,
Angelis cinctus nihil extimescit
Omnia vincit.
Angelis curæ genus esse nostrum,
Qui Deum vero colimus timore,
Aspice exemplis probat hæc abunde
Pluribus ætas.
Quando crudeles, alias tyrannos
Sæpius dirus furor incitauit,
Vt sacro siccas repleant piorum
Sanguine fauces.
At vetat cœtus sacer Angelorum,
Qui pios circumuolitant frequentes,
Et manu nostros alacres in hostes
Vindice pugnant.
Hinc nihil pactis Epicurus armis,
Qui sedet Romæ, infatuatq; Reges,
Hinc nihil nobis inimicus omnis
Efficit hostis.
Quas tibi rerum sapiens creator
Gratias digno peragamus ore?
Hoc situm non est ad eas eloquentis
Vllus tere.
Nos tuam ad viuam faciem creasti,
Nos ab æterna styge liberasti,
Insuper nostro lateri ministros
Cœlites addis.
Christe tu nostros animos guberna,
Vt tibi grati placeamus vni,
Ne tuos vnquam vitiosa lædat
Vita ministros.

Exem-

EXEMPLA ET LOCI BIBLICI.

Angeli boni apparuerunt hominib. Exempla: Agar ancillæ Sarai, *Gen.* 16.7. Abrahæ, 18.2. & 22.11. Loth. 19.1. Iacobo, 28.12. & 31.11. & 32.1. *Ose.* 12.4. Balaamo, *Num.* 22.22. Israelitis, *Iud.* 2.1. Gedeoni, 6.12. matri Samsonis, 13.3. patri, *vers.* 9.10.11. Dauidi, 2. *Sam.* 27.7. Eliæ, 1. *Reg.* 19.5. 2. *Reg.* 1.3. seruo Elisæi, 2. *Reg.* 6.17. Esdræ, 4. *Esd.* 2. *v.* 42.43.44. & 45. Esaiæ, *Esa.* 6.6. Tobiæ, *Tob.* 3.26. & 12.15. Sadrach, & socijs, *Dan.* 3.92. Danieli, *Dan.* 6.22. & 9.21. & 10.8 Zachariæ Prophetæ, *Zach.* 1. *v.* 8.9. Macchabæo & suis, 2. *Mac.* 11. *v.* 7.8. Ioseph viro Mariæ, *Mat.* 1.20. & 2. *v.* 13.19. Christo, 4.11. Vtrique Mariæ, *Mat.* 28. *v.* 25. *Mar.* 16.5. Zachariæ, *Luc.* 1.11. Mariæ Virgini, *v.* 28. Pastorib. 2.9. Christo. 22.43. Mariæ Magdalenæ, *Io.* 20.12. Apostolis, *Act.* 1.10. & 5.19. Philippo, 8.26. Cornelio Centurioni, 10.3. Petro. 12. *v.* 6.7. Paulo, 27.23. Ioanni, *Apoc.* 1.1. & 19.17. & 20.1. & 22.6. Angelus cum Iacobo pugnat, *Gen.* 32.24. *Ose.* 12. *v.* 3.4.

Ab Angelis interfectorum exempla Angelus Domini percutit castra Assyriorum, 2. *Reg.* 19.35. 2. *Paral.* 32.21. *Esa.* 37.36. populum Dauidis, 2. *Sam.* 24.10. Herodem, *Act.* 12.23.

Angelorum officium. Angeli boni iræ Dei ministri, *Gen.* 18.16. *Exo.* 12.29. 2. *Sam.* 24. *v.* 16.17. *Act.* 12.23. Angeli messoribus similes, *Mat.* 13.19. Angeli viri dicti, *Gen.* 18.2. & 19.5. *Luc.* 24.4. *Act.* 1.10. Filii Dei dicũtur, *Io.* 1.6. ἀνθρωποπαθῶς, vt à filijs hominum discernantur: verum humanitus id de Deo dicitur, & sumpta à regib. terrenis similitudine, vt 1. *Reg.* 22.10. Angeli virtutis Christi, 2. *Thes.* 1.7. Angeli cum Deo collati mundi non sunt, *Iob* 14.18. inuitant ad dandam Deo gloriam, *Ps.* 9.7. & 103.20. gloriam Deo tribuunt, *Es.* 6.3. *Luc.* 2.14. Angeli diem iudicii ignorant, *Mat.* 24.36.

Angelorum nomina, quæ in Sacris literis inueniuntur: Gabriel, *Dan.* 8.16. & 9.7. *Luc.* 1. *v.* 11.26. Michael, *Dan.* 10.13. *Iude v.* 9. *Apoc.* 12.7. Raphael, *Tob.* 5.5. & 6.5. & 12.2. Vriel, 4. *Esd.* 4.1. & 5.20. Angeli pro angelica natura, *Heb.* 2.16. Angelis linguæ tribuuntur à Paulo 1. *Cor.* 13.1. per hyperbolen ex hypothesi, maxime emphaseos gratia, ac si diceret: Si neque illis vterer ad commodũ proximi, id vero nihil aliud esset, quam inanis & obstrepera loquacitas. Idem, *Gal.* 1.8. vbi de malis Angelis loquitur, friget, atque adeo absurdus est sermo. Relinquitur ergo, illud quoque dictum ὑπερβολικῶς, ex hypothesi intelligendum esse: sic panis tribuitur Angelis, *Ps.* 78.25. & 105.40. hoc est, quo etiam Angeli vti potuissent, si pane vescerentur. Angeli infantium vident faciem Patris qui in cælis est, *Matth.* 18.10.

HISTORICA EXEMPLA.

Vltimo anno imperii sui Heraclius, cũ contra Agarenos ex portis Caspijs eduxisset copias (de genere sæuissima, quã Alexander Magnus ob immanitatem super mare Caspiũ inclusisse dicitur) Angelus Domini quinquaginta duo millia de exercitu eius concidit: quæ res tantum mœrorem ei cõciliauit, vt eo extingueretur. *Otho Frysingensis li.* 5. *c.* 9. & *Gothof. Viterbiensis p.* 16. *Chronicorum.*

Plura exempla vide apud Th. Zuing. in Theatro. Vol. 2. *libr.* 7. *pag.* 464 *Vol.* 5. *lib.* 2 *pag.* 1231. *Vol.* 9. *lib.* 3. *pag.* 2252.

HIEROGLYPHICA.

In diuinis literis Lilium, præcipue album, nunc Christi, nunc Angelorum hieroglyphicũ est: à candore quippe iustitiæ. ad quod respexisse volunt Salomonem, cum dixit: *Flos campi & lilium conuallium. Pier. Val. lib.* 55 *pag.* 533.

Neque absurdum est Angelos per stellas intelligi, qui stellarum præsides habeantur. In Moseos etiam traditionibus vt summi viri locum interpretantur, per stellas Angeli significabantur. *Idem. lib.* 44. *pag.* 437.

SCRIPTORES

De Angelis. *Damascenus l.* 2. *Dionysius Areopagita in Hierarchia cælesti. Lumen animæ. Tit.* 8. *Rainerius. Pharetra. Phil. Melan. in locis. Huldrichus Zuinglius epistola* 17. *Bonicontrius lib.* 3 *rerũ cælestium. Marsil. Ficin. li.* 2. *c.* 82. An Angeli omnes sint speciei vnius? *Cælius Rhodigin. lib.* 2. *c.* 3. An ijdem corruptioni subiiciantur. *idem l.* 2. *c.* 8. De Angelis bonis & malis, *Dionysius Rikel lib.* 5. *de fide Catholica.* Angelorum numerus Platonis ad id & Aristotelis sententia, *Cal. Rhod. l.* 2. *c.* 1. An Angeli habeant corpus? *idem Calius l.* 2. *c.* 5. *Rampegallius c.* 51. *Hanapus* 31. De Angelorum creatione, & reparatione, *Lombard.* 2. 1. Theologorum de Angelis bonis placita Parangeharchus, *Cal. l.* 2. *c.* 11. De ordinibus Angelorum, *Beluacensis & Pharetra. Lombard.* 29. Angeli nuntii Dei, *Otho Brunfelsius Pandec. l.* 10. *c.* 8. De Angelorum officiis, *Lombard.* 2. 10. De Angelorum cognitione, *Aegidius de Roma* De præsidio Angelico, *Io. Rinius. vide etiam supra duos hymnos Melanth. & Stigelij, & exempla sacra.*

ANIMA.

DEFINITIONES ET ETYMOL.

ANIMA Græcè ψυχὴ, ῆς ἡ. & ψυχικός, ῆ, ὸ, animalis dicitur. Et est, substantia creata, inuisibilis, incorporea, immortalis Deo simillima, imaginem nullam habens, nisi creatoris sui. *Secundum Aug. lib. diffinitionum.*

Anima est principium quo viuimus, sentimus, intelligimus, nutrimur, & secundum locum mouemur primum. *Secundum Arist. l.* 2. *de Anima.*

Anima est actus primus substantialis corporis Physici, organici, potentia vitam habentis. *Secundum Arist. l.* 2. *de Anima.*

Anima vegetatiua est principium, quo vegetamur primum.

Anima sensitiua est principium, quo sentimus primum.

Anima intellectiua est principium, quo intelligimus primum. *Secundum eundem Arist.*

Anima, vt ait Lactantius lib. de opifico Dei, c. 17. quid sit, nondum inter philosophos conuenit, nec vnquam fortasse conueniet.

DIVISIO.

ANIMA { *Vegetatiua. Sensitiua. Intellectiua.* } *De quibus infra.*

Potentia nutritiua diffinita. — Qualitates instrumentales. — Sedes earum.

ANIMA VEGETATIVA.
- *Nutritiua, cuius obiectum est alimentum, secundum quod potentia animatum, cuius vires sunt.*
  - *Attractiua, quæ attrahitur alimentum animati nutritiuum.* — *Per calidum, & siccum, cuius sedes sunt.*
    - *Stomachus in quo est appetitus nutritiui.*
    - *Hepar, in quod attrahitur subtile separatum à grosso alimento in stomacho.* — *Venarũ, per quas ducitur humor. Arteriarum, per quas ducuntur spiritus vitales.*
    - *Membra nutrienda, quæ incarnantur à nutrimento, quod inducitur vijs.*
  - *Retentiua, quæ attractum retinetur, donec digeratur.* — *Per frigidum, & siccum, cuius sedes sunt*
    - *Stomachus, in quo retinetur attractum, vt digeratur.*
    - *Hepar, in quo reseruatur attractum à stomacho nutrimentum, mittendum ad cor. Et purum ibi reseruatum est materia, ex qua fit nutritio totius animalis, cuius particula mittitur ad vasa seminaria.*
    - *Extremitates venarum.*
  - *Digestiua, qua attractum, & retentum digeritur* — *Per calidum, & humidum, cuius sedes sunt*
    - *Os, in quo fit masticatio nutrimenti, & solum preparat, & disponit ad digestionem.*
    - *Stomachus, in quo fit prima digestio, & ibi separatur grossum alimenti à subtili.*
    - *Hepar, in quo fit resolutio nutrimenti in quatuor humores, & inde mittitur alimentum purum ad cor, & in via illius motus fit tertia digestio, & purum ibi reseruatum est materia, ex qua fit nutritio totius animalis, sed eius particula mittitur ad vasa seminaria.*
  - *Expulsiua, qua superfluum alimenti egeritur* — *Per frigidum, & humidum, cuius sedes sunt*
    - *Extremitates venarum, in quibus fit acceptio nutrimenti.*
    - *Venter cum suis intestinis, in qua venit à stomacho superfluum alimenti digesti.*
    - *Vesica, in qua recipitur humidum vrinale quod stillat ab hepate.*
    - *Vasa seminaria, in quibus sumitur superfluum quartæ, vel propria tertio digestionis, quod dicitur semen, per quod fit generatio, & dicitur superfluum in quantitate, non autem in qualitate, quia per hoc generat animal sibi simile.*
- *Augmentatiua, cuius obiectum est alimentum, secundum quod potentia quantum*
- *Generatiua, cuius finis est, generare sibi simile in specie, cuius obiectum est alimentum secundum quod generatiuum sibi simile in specie, & est à Deo, & natura indita propter speciei conseruationem. Cuius vires sunt,*
  - *Seminatiua, quo in masculis, & fœminis semen generat.*
  - *Immutatiua, qua virtutes, quæ insunt seminibus permistæ contemperando, secundum quod complexioni cuiuslibet membri corporis formandi conuenit.*
  - *Formatiua, quæ sic permistis seminibus membra format, & configurat;*

ANIMA SENSITIVA, apprehensiua deforis, cuius partes sunt

Potentia sensitiua.	Organa.	Obiecta.	Actus.
Visus, cuius medium est perspicuum, perinde seu diaphanum.	Oculus, ad quem peruenit neruus opticus protensus à cerebro vsq; ad pupillam, ibi ramificatus, speciem sensati recipiens, & ad sensum communem referens.	Color, lumen.	Videre album & nigrum, cum intermedijs coloribus.
Auditus: cuius medium est aer, motus à duob. corporib. ad inuicem collisis, continuatus aere posito intra concauitatem auris, qui est connaturalis animali.	Tympanum auris, ad quod dirigitur neruus protensus a cerebro, continens speciem audibilem.	Sonus.	Audire acutum & graue, cum intermedijs sonis.
Olfactus, cuius medium est aer.	Duæ carunculæ descendentes à cerebro, similes duobus capitibus mamillarum, per quas permeant spiritus odorabiles, & sensum facit.	Odor.	Olfacere beneolentia, graueolentia, cum intermedijs odoribus.
Gustus, cuius medium Intrinsecum est caro spongiosa. Extrinsecum est humiditas saliualis.	Neruus super linguam. Expansus, descendens à cerebro.	Sapor.	Gustare dulce, & amarum, cum intermedijs saporibus.
Tactus, cuius medium est caro cooperiens neruos.	Caro vel neruus multipliciter ramificatus ad modum vestis, tegens totum corpus.	Calidum, frigidum, humidum, siccum, durum, molle, asperum, lene, & alia qualitates inde sequentes.	Tangere calidum, frigidum, humidum, siccum, durum, molle, asperum, lene, cum intermedijs qualitatibus.

ANIMA SENSITIVA.

- **Apprehensiua deintus, secundum B. Thom. & Auerroem: cuius partes sunt.**

Potentia sensitiua	Organa.	Obiecta.	Actus.
Sensus communis, vitens, cui reddu[n]tur omnia sensata, & est velut centrum aliorum quinque sensuum, a quo deriuantur sicut rami.	Prima concauitas cerebri maxime humida.	Sensibile sensatum, vt cognoscibile, cuius actus sunt.	Distinguere inter propria sensata, vt inter colorem, & sonum. Percipere communia sensata, seu motum, quietem, magnitudinem, figuram, numerum. Percipere sensationes exteriores, quo enim sentio me sentire & video me videre.
Phantasia siue imaginatiua, quæ secundum Arist. est motus factus a sensu, secundum actum.	Secunda concauitas cerebri vel pars immediate sequens minus humida.	Sensibile sensatum, vt reseruabile.	Retinere speciem, vel similitudinem sensibilis, quam accepit à sensu communi in absentia ipsius sensibilis.
Aestimatiua quæ in hominib. dicitur cogitatiua, virtus apprehendens de sensato, quod non est sensatum, sicut sunt intentio, vt iasra.	In brutis posterior pars capitis, in hominibus media cellula cerebri, vel in summo eius, quæ dicitur syllogistica.	Intentio bonitatis, & maleuolentia conuenientia & disconuenientia, vtilitatis, vel nocumenti, vt eligibilia formæ imaginatæ.	Apprehendere intentione sensibilium, sicut in eo cognoscens inimicitias lupi, vel gallina vulpis naturaliter.
Memoratiua. virtus conseruatiua intentionum, quas apprehendit æstimatiua & in hominibus propriè est reminiscentia.	Postrema concauitas cerebri.	Intentio elicita ab æstimatiua inquantum reseruabilis.	Retinere de intentionibus sensibilium quod apprehendit æstimatiua.

- **Motiua triplex.**
  - Per modum dirigentis, scilicet ostendendo, quid prosequendum, vel fugiendum, & hoc facit
    - Phantasia & sensus communis, ostendendo formas sensibilium prosequendo um, vel fugiendo eam, vt colorem, saporem, odorem, figuram, numerũ, & huiusmodi.
    - Aestimatiua præsentando intentiones sensibilium sequendorum, vel fugiendorum, sicut vtilitatem, nocumentum, conuenientiam, disconuenientiam, delectabilitatem, vel tristitiam earum.
  - Per modum imperantis, & est virtus a Philosophis dicta appetitiua, à Theologis sensualitas, & est duplex, scilicet
    - Concupiscibilis, quæ est vis imperans motum, ad ea quæ æstimantur necessaria & vtilia appetitui delectanda, cuius obiectum est bonum simpliciter, & absolute, cuius actus sunt
      - Persequi respectu boni,
        - Concupiscere. Desiderare, Gaudere, Letari. Amare, Diligere.
          - Hanc partem perficiunt, & moderantur sex virtutes morales, scilicet
            - Temperantia. Liberalitas, Affabilitas. Veritas, Eutrapelia, Philotimia.
      - Fugere respectu mali,
        - Abominari contra desiderare.
        - Dolere contra gaudere.
        - Tristari contra letari.
        - Odisse contra amare.
        - Contemnere contra diligere.
    - Irascibilis, quæ est vis imperans mouere ad repellendum à se, quod æstimatur nocumentum, aut corrumpens appetitum vincendi, cuius obiectum est bonum arduum, & expediens, & est secundum B. Thom. vt armiger & defensatrix concupiscibilis, secundum duplicem dispositionem, scilicet
      - Corroborantem, quæ sequitur cordis, & virtutis impetuosam confortationem, ex cuius imperio sunt actus
        - In bonum, non quodcunq; sed excellens & honorabile, cuius actus sunt
          - Ambitio. Spes. Superbia. Contemptus. Dominatio.
        - In malum, non quodcunq; sed excellens, cuius actus sunt
          - Audacia. Ira. Insurrectio.
      - Debilitantem, quæ est dispositio immoderata consequens dissipationem cordis, secundum quam perfugæ sunt actus.
        - A bono arduo dispositio non excellente.
        - A malo arduo dispositio, vel excellente.
          - Desperatio. Humiliatio. Reuerentia. Pœnitentia. Impatientia. Timor.

Per-

- Per modum exequentis & est virtus consequens ad affectivas, diffusa in lacertis, musculis & nervis, contrahens, & relaxans ligamenta coniuncta membris. & est duplex scilicet
  - Generalis, est virtus motiva consequens, ut supra, cuius sedes est in postrema parte cerebri & capitis, unde oriuntur nervi motivi, sicut ab anteriori nervi sensitivi ramificati per totum corpus.
  - Particularis, est in singulis membris vis motiva, per collatam virtutem à generali, cuius partes sunt
    - Contractiva, ex qua provenit motus totius animalis de loco ad locum sed est qua animal
      - Contrahitur.
      - Extenditur.
      - } Ut { Conchilia, & Ostrea.
    - Progressiva, est vis vel principium transeundi de loco ad locum, cuius species sunt.
      - Gressiva pedibus.
      - Volativa alis.
      - Repentiva costis, & ventre.
      - Natativa pennulis solo organo differentia.
    - Operativa, est principium operandi, cuius organa iuncta sunt in habentibus manus, vel os, vel cornua, vel pedes, ut in apibus, & araneis.
    - Vocativa, est principium emittendi vocem, secundum apprehensionem, indicativa affectionem, cuius organum est pulmo, & vitalis arteria, quae est in solis animalibus habentibus pulmonem.

ANIMA INTELLECTIVA.

- Apprehensiva, & est intellectus separabilis quia non utitur organo corporeo, & incorruptibilis. qui distinguitur secundum differentiam
  - Naturae, in
    - Intellectum agentem, quod est, omnia facere: cuius actiones duae, scilicet
      - Illuminare formas, vel species sensibiles existentes in imaginatione, vel aestimatione, & illuminando abstrahere.
      - Copulare abstractas.
    - Huius obiectum est quidditas rei materialis, vel factibilis, se habens ad manifestandas species intelligibiles, ut lumen, vel lux ad manifestandum colorem.
    - Intellectum possibilem, qui dicitur, & est, ut tabula nuda, pictura nulla omnium susceptibilis, nullam speciem habens actu, sed possibilis ad omnes.
      - Materialis, quando est solum in potentia, nullam habens formam in speciem intelligibilem.
      - Dispositus, vel in habitu quando habet in se principia, & propositiones, quae non aliunde, sed per se sunt nota: ut omne totum est maius sua parte de quolibet est vera affirmatio, vel negatio, & si ab aequalibus aequalia demas, quae remanent aequalia sunt.
      - ¶ Adeptus, vel perfectus, quando habet conclusiones, quae sequuntur ad principia, sed non est conversus ad illa per actualem considerationem.
      - Accommodatus, vel in actu, quando haec actu considerat.
      - Et in hac parte sunt septem habitus intellectuales, quorum,
        - Quinque non contingit assentire falso, ideo recte dicuntur virtutes, & habitus intellectus, & sunt
          - Intellectus.
          - Sapientia.
          - Scientia.
          - Prudentia.
          - Ars.
        - Duo quibus contingit assentire falso, ideo dicuntur habitus, sed non virtutes intellectuales, scilicet
          - Opinio.
          - Suspicio.
  - Ordinis, & sic distinguit S. August. intellectum in rationem
    - Superiorem, &
    - Inferiorem.
  - Exercitii, & est cum intellectus exercetur, vel exercet: cuius species sunt
    - Inventiva, vel investigativa, quae est inquisitio veri per se, vel experientia per modum compositionis, vel resolutionis vel per modum cognitionis causa ad effectum, vel è contra, ad quam requiruntur quinque, scilicet
      - Ingenium, quod est extensio intellectus ad intellectorum cognitionem.
      - Experientia, est rerum certitudo facta per sensum.
      - Apprehensio, est simplex acceptio rei intelligibilis, vel hominis, vel boni.
      - Conceptio est complexio intellectualis concepti.
        - Compositiva, ut homo est animal.
        - Divisiva, ut homo non est asinus: quae pertinent ad iudicativam, ut sunt ab alio: ad inventivam vero, ut sunt à se.
      - Ratiocinatio est discursus intellectus ab uno in aliud, à principio ad conclusiones, ut in syllogismis, & consequentiis.
    - Indicativa, & est actio intellectus, qua verum dicitur ab alio, quae
      - Secundum se considerato, cuius actus sunt quinque superiora scilicet
        - Ingenium,
        - Experientia,
        - Apprehensio.
        - Conceptio,
        - Ratiocinatio.
      - In quantum iungitur sensibilis, cuius actus sunt
        - Discretio,
        - Dubitatio,
        - Opinio,
        - Fides,
        - Scientia.
    - Memorativa, est thesaurus specierum intellectarum, cuius actus sunt
      - Retinere species intellectas, vel conceptas.
      - Repraesentare retentas.
      - Reparare ex alio deperditas, ut ex loco, vel huiusmodi.
    - Interpretativa, quae est dativa cognitionis, ad alios; cuius actus sunt,
      - Excogitatio quae est configuratio, vel cognitionis, ad exprimendum exterius conceptum interius.
      - Significatio, quae est cognitionis formatio, per signum, vel per verbum demonstratio, & fit potissime per locutionem, quae est vocalis prolatio cum intentione significandi, vel profitendi, quare non est irrationalium.
- Appetitiva, & est voluntas, cuius obiectum est bonum, vel apprehensum sub ratione boni: cuius actus sunt
  - Eliciti,
    - Respectu finis,
      - Velle,
      - Intendere,
      - Frui.
    - Respectu eorum, quae sunt ad finem.
      - Eligere,
      - Consentire,
      - Uti.
  - Imperati, & sunt actus
    - Voluntatis,
    - Rationis,
    - Appetitus sensitivi, vel sensualitatis.
    - Membrorum deservientium animali, inquantum est sensitivum, vel animal.
      - Concupiscibilis.
        - Amare,
        - Odisse,
        - Concupiscere.
        - Fugere, vel abominari.
        - Delectari,
        - Tristari, vel dolere,
      - Irascibilis.
        - Sperare,
        - Desperare,
        - Timere,
        - Audere,
        - Irasci.
- At hanc perficit proprie iustitia particularis, quae est in ea tanquam in proprio subiecto.
- Improprie autem iustitia legalis.

LOCI BIBLICI.

Anima per synecdochen, pro persona, seu homine toto, *Genes*. 14. 21. & 46. 27. *Leu*. 4. 27. & 5. 1. & 11. v. 43. 44. & 17. v. 19. 15. *Nu*. 23. 10. & 30. 3. 1. *Sam*. 18. v. 1. 3. & 19. 11. & 20. 17. & 22. 22. *Ps*. 57. 5. & 88. 15. & 105. 18. & 106. 15. & 119. 20. & 120. 2. *Prou*. 11. 17. & 16. 17. & 19. v. 8. 16. & 22. 25. & 29. v. 10. 24. *Es*. 44. 20. & 46. 2. & 47. 14. & 53. 6. *Io*. 4. 8. *Abac*. 2. 10. *Mat*. 16. 25. *ut ex Lu*. 9. 25. *patet*. *Act*. 2. 43. & 7. 14. *Ro*. 13. 1. 1. *Pet*. 1. 9. pro parte hominis præstantiore, *Matt*. 10. 28. *Luc*. 12. 5. *Es*. 10. 18. pro desiderio, *Ps*. 27. 12. (per Metalepsin) 41. 3. *Eccl*. 6. *uer*. 7. 9. *Es*. 43. 4. & 56. 11. *Ier*. 22. 27. & 34. 16 *Ezech*. 7. 19. & 16. 27. pro facultate, in qua resident affectus, *Hebr*. 4. 12. pro sanguine carnem viuificante, *Ge*. 9. 4. *Deut*. 12. 23. pro vita μετωνυμικῶς. *Ge*. 37. 21. *Ex*. 21. *u*. 23. 30. & 30. 12. *Deu*. 22. 26. *Io*. 9 24. *Iud*. 18. 25. 1. *Sam*. 20. 1. & 22. 23. & 23. 17. & 27. 9. 2. *Sam*. 1. 9. & 4. 8. & 16. 11. 1. *Reg*. 19. *u*. 10. 11. & 20. 31. 2. *Reg*. 1. *u*. 13. 14. & 7. 7. 1. *Par*. 11. 19. 2. *Par*. 1. 11. *Esth*. 7. 3. *Iob*. 2. *u*. 4. 6. *Ps*. 7. *u*. 3. 6. & 17. 9. & 22. 21. & 54. *uer*. 5. 6 & 55. 19. & 56. 7. & 59. 4. & 86. 14. & 94. 17. & 109. 31. & 119. 25. & 142. *u*. 5. 8. *Pr*. 20. 2. *Es*. 16. 4. *Ier*. 39. 18. *Thre*. 59. *Matt*. 2. 20. & 6. 25. *Luc*. 9 24. & 12. 23. & 17. 33. pro animali siue animante, *Apo*. 16. 3. Anima viuens, pro animali vel animante, periphrasis, *Gen*. 2. 20. *Ezech*. 27. 7. Animæ vox tribuitur etiam cadaueri, & homini mortuo, *Leu*. 19. 28. & 21. *u*. 1. 11. *Nu*. 5. 2. & 6. 6. & 9. 6. 7. *Ose*. 9. 4. *Agg*. 2. 14. item sepulchro, aut, vt alij, inferno, *Esa*. 51. 23. Anima Christi turbata, *Ioan*. 12. 27.

Animarum immortalitas asseritur. *Gene*. 1. 27. & 15. 15. & 25. 8. & 35. 29. & 37. 35. & 49. *u*. 18. 29. *Ex*. 3. 6. *Nu*. 23. 10. 1. *Sam*. 28. 11. 1. *Reg*. 17. 21. *Iob*. 4. 18. & 13. *u*. 15. 16. & 19. *u*. 25. 26. 27. *Ps*. 16. *u*. 10. 11 & 17 15. & 33. 6. & 59. 29. & 102. 29. *Eccle*. 12. 7. *Es*. 14. 9. & 31. 6. *Ez*. 37. *u*. 4. 5. *Da*. 12. 2. *Matt*. 10. 28. & 12. 32. *Luc* 12. 5. & 16. *u*. 9. 22. 23. & 20. 36. & 23. *u*. 43. 45. *Act*. 7. 59. & 23. 8. *Rom*. 7. 24. 1. *Cor*. 15. 19 2. *Cor*. 5. 1. & 66. *Phi*. 1. 23. *Heb* 12. 9 & 13. 17. 1. *Pe*. 1. 9. & 2. *ue* 11. 25. Animarum castitas, 1. *Cor*. 7. 9. 1. *Pe*. 1. 22. Animas per patientiam possidere, *Luc*. 21. 19. est vita tranquilla & beata perfrui.

SENTENTIAE BIBLICAE.

Anima, quæ peccauerit, ipsa morietur. *Ezech*. 8.

Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem occidere non possunt. *Matth*. 10.

Quid enim proderit homini, si totum mundum lucretur & detrimentum animæ suæ faciat? aut quid commutationis dabit homo pro anima sua? *Marc*. 8.

PATRUM SENTENTIAE.

Animæ oculus, mens. *Aug*.

Animæ patria est Deus ipse. *idem*.

Anima iusti est sedes sapientiæ. *idem*.

Anima hominis aut à Deo, aut a Diabolo regitur. *idem*.

Animæ medicina est credere in Christo. *idem*.

Anima etiam pessima melior optimo corpore. *idem*.

Animas mortuas multi in corpore viuo habent. *idem*.

Animæ mortuæ sepulchrum est corpus. *idem*.

Vis vt animæ tuæ caro tua seruiat, Deo seruiat anima tua: debes regi, vt possis regere. *idem*.

O anima Christiana, euigila: & si qua in te sit virtus charitatis, quæ omnia sustinet Domini tui imitare vestigia. Considera, quot millia martyrum tritam tibi fecerint viam, transierunt virgines transierunt martyres, transierunt pueri & puellæ, & adhuc times? quia ducet te ille, qui est via. Via non errans, veritas non fallens, vita non deficiens. Via in exemplo, veritas in promisso, & vita in præmio. *idem de doct. Christi*.

Væ animæ audaci, quæ sperauit, si a te recessisset, se aliquid melius habiturum, versa & reuersa in tergum, & in latera, & in ventre & dura sunt omnia, & tu solus requies, & ecce adest. *idem lib. 6. conf*.

Quid est, quod velis habere malum? dices mihi omnino, non vxorem, non filium, non filiam, non seruum, non ancillam, non tunicam, postremo non caligam: & tu vis habere malam vitam: rogo te, præpone animam tuam caligæ tuæ. *idem in homil*.

Anima est substantia creata, inuisibilis, incorporea, immortalis, Deo simillima, imaginem habens creatoris sui. *li. de defin. animæ*.

Anima est quædam substantia rationis particeps, regendo corpori accommodata. *de quantitate animæ*.

Sicut Deus omnem creaturam, sic anima omnem creaturam naturæ dignitate præcellit. Omnis autem anima aut Christi sponsa, aut Diaboli adultera est. *super Gen. ad lit*.

Felix anima, quam Dei pietas respicit, humilitas subijcit, potentia reducit, obedientia conducit, perseuerantia perducit, deuotio introducit, charitas vnit. *de spiritu & anima*.

Hæc est animæ nostræ vitalis substantia, quæ alitur & pascitur, & gubernatur, nec quicquam est aliud, quod viuere faciat rationalem animam, quam eloquium Dei. *Amb. in Psal*. 118.

Animus author culpæ, caro vero ministra. *offic*. 1.

Si magnæ mercedis est a morte eripere carnem, quanquam morituram, quanti est meriti a morte animam liberare, in cœlesti patria sine fine victuram? *Greg. in homil*. 26. *mor*.

Quoquo se verterit anima, si vigilanter intendit, in eisdem ipsis Deum inuenit, per quæ reliquit, eiusque potentiam eorum consideratione cognoscit, quorū amore deseruit, per quæ peruersa cecidit, per hæc conuersa reuocatur. *Idem*.

Tres vitales spiritus creauit omnipotens Deus: Vnum, qui carne non tegitur. Alium, qui carne tegitur, sed non cum carne moritur. Tertium, qui carne tegitur, & cum carne moritur. Primus Angelorum, secundus hominum, tertius brutorum animalium. *lib. dialogorum*.

Sic conditi mirabiliter sumus, vt ratio animam, & anima possideat corpus. *Greg*.

Ad imaginem quippe Dei facta anima rationalis cæteris omnibus occupari potest, repleri omnino non potest, capacem enim Dei quicquid Deo minus est, non implebit. *Bernard. in serm. dedicationis*.

Est cœlum sancta anima, habens Solem intellectum, Lunam fidem astra virtutes, vel certe sol iustitiæ zelus, aut feruens charitas, & luna continentia. *super Cantic*.

Animæ desideranti Dominus festinus occurrit, cœlesti rore circumfusus. Vnguentis optimis delibutus, animam recreat fatigatam, esurientem reficit, aridam impinguat, terrenorum oblitam sui ipsius immemorem. *ibid*.

Paupertate, mansuetudine, & fletu renouatur in anima similitudo quædam, & imago æternitatis, omnia tempora complectens: nam paupertate futura meretur, mansuetudine sibi præsentia vendicat, luctu pœnitentiæ præterita quoque recuperat. *ibid*.

Hæc est animæ suauissima & saluberrima requies, conscientia munda. Quies secura sit beatæ animæ culcitra, conscientiæ puritas, capitale tranquillitas, operitorium securitas, vt in hoc interim strato dormiat delectabiliter, & feliciter requiescat. *Sermone* 106

Aduertistis tres esse sanctarum status animarum: primum videl. in corpore corruptibili: secundum sine corpore: tertium in corpore iam glorificato: primum in militia, secundum in requie, tertium in beatitudine consummata. *Serm*. 107.

Quid indecentius, quam curuum recto corpore gerere animum? *super Cant. serm*. 14.

Tria ista anima curiosa Dei non cessat inquirere: scilicet iustitiam, & iudicium, & locum habitationis gloriæ sponsi, tanquam viam, in qua ambulet, vt de forma iustitiæ sit formosa, de iudiciorū notitia cauta, de desiderio præsentiæ seu gloriæ sponsi casta. Talem prorsus decet sponsam pulchram, eruditam & castā. *in Cantica*.

Cadit asinus, & inuenit, qui se subleuet: cadit anima, & non est qui manum apponat. *ibid*.

O anima insignita Dei imagine, decorata similitudine, desponsata in fide, dotata in spiritu, redempta sanguine, deputata cum angelis, capax beatitudinis, hæres bonitatis, rationis particeps, quid tibi cum carne, qua haud aliud vilius sterquilinium inuenisti? *in meditat*.

Si animam negligamus, nec corpus saluare poterimus. Non enim anima pro corpore, sed corpus pro anima factum est. Qui ergo, quod primum est, negligit, & quod inferius est, extollit, vtrumque corrumpit. Qui vero ordinem seruat, & quod primū est, colit, etiamsi negligat, quod secundum est, per primi salutē saluabitur, & secundum. *Chrysost. de recuperatione lapsi*.

Anima, dum viuificat corpus, anima est: dum vult, animus est, dum scit, mens: dum recolit, memoria est: dum rectum iudicat, ratio est, dum spirat, spiritus est: dum aliquid sentit, sensus est. *Isid*. 11. *Etymol*.

O homo, quid miraris syderum altitudines, & profunditatem maris? animi tui abyssum intra, & mirare, si potes. *Isidor. lib*. 1. *de summo bono*.

Quod si Deus est, & incorporalis, & inuisibilis, & æternus, ergo non idcirco interire animam credibile est; quia non videtur, postquam recessit a corpore. *Lact. Firm. l. 7. diuin. instit. c*. 9.

Maius testimonium requiramus: Polytes quidam consuluit Apollinem Mylesium, vtrumne maneat anima post mortem, an resoluatur? Et respondit his versibus.

Ψυχὴ μὲν μέχρις ἐδ ισμοῖς πρὸς σῶμα κρατεῖται,
φθαρτὰ νοοῦσα πάθη. θνηταῖς ἀλγηδόσι εἴκει.
ἡνίκα δ' ἂν λύσιν βροτέην μετὰ σῶμα μαρανθὲν
ὠκίστην εὕρηται ἐς αἰθέρα πᾶσα φορεῖται,
αἰὲν ἀγήραος, οὕτω μένει δ' εἰς πάμπαν ἀπειρής.
πρωτόγονος γὰρ τοῦτο θεοῦ διέταξε πρόνοια. idest:

Anima quidem quoad vinculis corporis tenetur,
Corruptibiles passiones sentiens, mortalib. cedit doloribus,
Cum vero humanam solutionem velocissimam
Post corruptum corpus inuenerit, omnis in æthera fertur,
Nunquam senescens, & manet in æternum sine pœna.
Primogenita etenim hoc diuina disposuit prouidentia.

Falsa est igitur Democriti, & Epicuri sententia, & Dicæarchi de animi dissolutione, qui profecto non auderent de interitu animarum Mago aliquo præsente disserere, qui sciret, certis carminibus cieri ab inferis animas, & adesse, & præbere se humanis oculis vidēdas, & loqui, & futura prædicere, & si auderēt re ipsa

& docu-

& documentis præsentibus vincerentur. Sed quia non præuidebant animæ rationem, quæ tam subtilis est, vt oculos humanæ mentis effugiat, interire dixerunt.

Plato de anima differens, ex hoc, ait, posse cognosci animas esse immortales, atq; diuinas, quod in pueris mobilia sunt ingenia, & ad perficiendum facilia, quod ea, quæ discunt, ita celeriter capiant, vt nō tunc ea primum discere illi videantur, sed recognoscere, atque reminisci. In quo vir sapiens Poetis ineptissime credidit. *ibid. c. 13.*

Vbi afforet iustitia Dei, vbi bonorum merces, malorumque iusta supplicia, si anima mortalis esset? *Orig. super Cant.*

In statu innocentiæ, sicut Deus præsidebat spiritui, sic spiritus præsidebat carni, & ipsa caro iumentum spiritus erat, propterea ad sessorem suum pertinebat, vt iumento suo pabulum prouideret, ne deficeret, & hoc solum fortassis tunc deficere potuisset. Nūc autem præter pabulum etiam freno & calcaribus indiget: Freno, vt furentem & præcipitantem à malo cohibeat: calcaribus autem, vt ad benefaciendum excitet pigram. *Hugo l. 1. c. 15.*

POETARVM SENTENTIAE.

Ouid. 15. Met.

Morte carent animæ, semper priore relicta
Sede, nouis domibus viuunt, habitantque receptæ.
Ipse ego, nam memini, Troiani tempore belli
Panthoides Euphorbus eram.

Ibidem.

Inque ferinas
Possumus ire domos, pecudumque in corpora condi,
Corporaque possunt animas habuisse parentum,
Aut fratrum, aut aliquo iunctorum fœdere nobis,
Aut hominum certe.

Tibull. 4.

Quin etiam mea cum tumulus contexerit ossa,
Seu matura dies fato properat mihi mortem,
Longa manet seu vita, tamen mutata figuram,
Seu me finget equum rigidos percurrere campos
Doctum, seu tardi pecoris sim gloria taurus,
Siue ego per liquidum volucris vehar aëra pennis,
In quemcunque hominem me longa receperit ætas,
Inceptis de te subtexam carmina chartis.

Claud. 1. rapt. Proserp.

Quos vbi per varios annos, per mille figuras
Egit lethæo purgatos flumine, tandem
Rursus ad humanæ reuocat primordia vitæ.
Seminibus, quantum non noxia corpora tardant,
Terrenique hebetant artus, moribundaque membra,
Hinc metuunt, cupiuntq; dolent, gaudentque vicarius
Respiciunt clausæ tenebris, & carcere cæco,
Adiunxit geminas: illa cum corpore lapsæ
Intereunt, hac sola manet, bustoque superstes
Euolat: hanc alta capitis fundauit in arce
Mandatricem operum, prospecturamque labori,
Illas inferius collo, præceptaque summæ
Passuras dominæ, digna statione locauit.

Propert. 4. 7.

Sunt aliquid Manes, lethum non omnia finit.
Luridaque euictos effugit umbra rogos.

Claud. 4. Hon.

Disce orbis, quod quisque sibi cum conderet artus
Nostros ætherijs miscens terrena Prometheus,
Sinceram patri mentem furatus Olympo
Continuit claustris, indignantemq; euinxit,
Et cum non aliter possent mortalia fingi.

Lucret. 3.

Præterea gigni pariter cum corpore, & vna
Crescere sentimus, pariterque senescere mentem.
Nam velut infirmo pueri, teneroq; vagantur
Corpore: sic animi sequitur sententia tenuis.
Inde vbi robustis adoleuit viribus ætas,
Consilium quoq; maius, & auctior est animi vis.
Post vbi iam validis quassatum est viribus æui
Corpus, & obtusis ceciderunt viribus artus,
Claudicat ingenium, delirat linguaq; mensq;
Omnia deficiunt, atq; vno tempore desunt.

Ibidem infra.

Quapropter fateare necesse est, quæ fuit ante
Interijsse, & quæ nunc est, nunc esse creatam.

Boet. 4. 1.

Quod si terrarum placeat tibi
Noctem relictam visere,
Quos miseri toruos populi timent,
Cernes tyrannos exules.

Boet. 3. 10.

Hoc quidquid placet, excitatque mentes,
Infimis tellus aluit cauernis.
Splendor, quo regitur, vigetque cælum,
Vitat obscuras animæ ruinas.

Iuuenalis 15.

Sensum à cælesti demissum traximus arce,
Cuius egent prona, & terram spectantia mundi
Principio indulsit communis conditor illis
Tantum animas, nobis animum quoq; mutuus vt nos
Affectus petere auxilium, & præstare iuberet;
Dispersos trahere in populum, migrare vetusto
De nemore, & proauis habitatas linquere syluas:
Ædificare domos, Laribus coniungere nostris
Tectum aliud, totos vicino limine somnos
Vt collata daret fiducia protegere armis
Lapsum, aut ingenti nutantem vulnere ciuem.
Communi dare signa tuba, defendier ijsdem
Turribus, atque vna portarum claue teneri.

Boet. 3. 6.

Hic clausit membris animo
Celsa sede petitos.
Mortales igitur cunctos
Edit nobile germen.

Boet. 3. 9.

Tu causis animas paribus, vitasque minores
Prouehis, & leuibus sublimes curribus aptans
In cælum, terramque seris, quas lege benigna
Ad te conuersas reduci facis igne reuerti.

Virg. 6. Aen.

Igneus est ollis vigor & cælestis origo.

Paulinus Ausonio epist. 14.

Mens quippe, lapsis quæ superstes artubus
De stirpe durat cælitis,
Sensus necesse simul & affectus suos
Teneat æque vt vitam suam.

Phocylides.

Ψυχὴ δ' ἀθάνατος καὶ ἀγήρως ζῇ διὰ παντός.
Anima autem immortalis & insensibilis viuit per omne tempus

Menander.

Βέλτιον ἐστὶ σῶμα ἢ ψυχὴν νοσεῖν.
Melius est, corpus quam animam ægrotare.
Ψυχῆς ἐπιμελοῦ, καθ' ὅσον δύνῃ.
Animam cura tui ipsius, in quantum potes.

Idem.

Ψυχὴν ἔθιζε πρὸς τὰ χρηστὰ πράγματα.
Animam assuesce ad vtilia opera.

Lucretius.

Cedit enim retro de terra, quod fuit ante
In terra, sed quod missum est ex ætheris oris.
Id rursum cæli fulgentia templa receptant.

Manilius lib. 4.

An dubium est habitare Deum sub pectore nostro,
In cælumque redire animas, cæloq; venire?

Iacob. Bill. Anthol. Sacra.

Ancilla inseruit dominæ quicunque relicta,
Ecquis eum sani pectoris esse putet?
Non sani magis est animi, qui mollia quærens
Carni, animam lenta tabe perire sinit.
Ille miser memori prorsus tollatur ab æuo,
Nec videat quæ sunt præmia certa pijs,
Qui viduæ famos neglexit commoda: verum
Huic omnis sterilem pascere cura fuit.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Tutum iter est, iucundum est, ad quod natura te instruxit. Dedi[t ti]bi illa, quæ si non deserueris, par Deo consurges. Parem autem Deo te pecunia non facit. Deus nil habet. Prætexta non faciet. Deus nudus est. Fama non faciet, nec ostentatio tui, & in populos nominis dimissa notitia. Nemo nouit Deum, licet multi male de illo æstiment & impune. Non turba seruorum lecticam tuam per itinera vrbana ac peregrina portantium. Deus ille maximus potentissimusque ipse vehit omnia. Ne forma quidem & vires beatum te facere possunt, nihil horum non patitur vetustatem. Quid ergo? animus, sed hic rectus, magnus. Quid aliud voces hunc, quam Deum, in corpore humano hospitem? Hic animus tā in equitem Romanum, quam in libertinum, quam in seruum, potest cadere. *Seneca ad Lucilium epist. 13.*

Sursum animum vocant initia sua. Erit autem illic etiam, antequā hac custodia exoluatur, si uitia sua deseruit, purusque ac leuis in cogitationes diuinas emicuit. *Seneca ad Lucil. epist. 80.*

Nihil magnum est in rebus humanis, nisi animus magna despiciens *Senec. in Prouerb.*

Ad hoc anima coniuncta est corpori, vt fruatur scientijs & virtutibus. Si autem cum feruore magno se inuenerit, benigne recipietur a suo creatore. Sin autem secus, relegabitur ad inferna. *Plato in Timæo.*

Ex sanitate in anima fit sanitas in corpore. *Arist. lib. 7. Metaph.*

In

In quiescendo, & sedendo anima fit sciens, & prudens, *idem lib. 7. Physicorum.*

Formæ est continere, materiæ vero contineri. *idem lib. 4. de Cælo, & mundo.*

Anima est tanquam principium animalium. *idem lib. 5. de Ani.*

Passiones animæ variantur secundum variationem seu dispositionem corporis. Quidam duris, & magnis passionibus non mouētur, quidam vero mouentur paruis, & debilibus, *idem.*

Intellectus, vel est phantasia, vel non est sine phantasia. *idem.*

Dicere animam gaudere, vel tristari, simile est, ac si dicat aliquis tā texere, vel ædificare. *idem.*

Non quælibet anima potest intrare quodlibet corpus, sed quælibet anima habet proprium corpus, quod est contra Pythagoram. *idem.*

Egrediente anima ex corpore, corpus expirat, & marcescit. *idem.*

Anima est substantia, id est, forma substantialis corporis. *idem.*

Anima mouet corpus secundum omnem differentiam positionis, scilicet sursum, deorsum, ante, retro, dextrorsum, sinistrorsum. *idem.*

Quatuor sunt potentiæ animæ principales, scilicet, vegetatiua, sensitiua, intellectiua, & motiua, secundum locum. Hæc sic se habēt ad inuicem, quod vegetatiua potest esse sine sensitiua, vt patet in plantis, & non è conuerso, & sensitiua sine motiua secundum locum, vt patet in quibusdam animalibus conchylibus, & non è conuerso. Et tam sensitiua quam motiua secundum locum possunt esse sine intellectiua, vt patet in animalibus brutis, & non e conuerso. *Arist. lib. 1. de Anima.*

Creatio corporis, & membrorum est propter animam. *Aristot. lib. 2. de Animalib.*

Anima nobilior est corpore, & animatum inanimato, & viuum mortuo, & ens non ente. *idem.*

Anima naturaliter dominatur corpori, sicut dominus seruo. *Arist. lib. 1. Politicorum.*

Vtile est corpus regi ab anima. *idem.*

Anima pretiosior est corpore, & omni possessione, & omnib. alijs bonis. *idem lib. 7. Politic.*

Bonum animæ pretiosius est omnibus bonis. *idem.*

Anima naturaliter delectatur in musicis melodijs. *Idem 8. Politicorum.*

Si veritatem de anima cognouerimus, valde magnum nobis erit introductorium ad omnem veritatem, & ad omnes partes Philosophiæ insignes dat occasiones. *Themist. super 5. de Anim.*

Animarum originem manare de cęlo inter rectè philosophantes indubitatæ constat esse sententiæ. Et animæ, dum corpore vtitur, hæc est perfecta sapientia, vt vnde orta sit, de quo fonte venerit, recognoscat. *Macrob. lib. 1. super som. Scipion. c. 9.*

Animas vero ex hac vita cum delictorum sordibus recedentes æquandas his, qui in abruptum ex alto, præcipitesque dilapsi sunt, vnde nunquam sit facultas resurgendi. Ideo vtendum est concessis vitæ spatijs, vt sit perfectæ purgationis maior facultas. *ibi. cap. 13.*

Tria sunt enim, quæ ex animæ prouidentia accipit corpus animalis, vt viuat, vt decore viuat, & vt immortalitas illi successionē quæratur. *Macrob. lib. 7. Saturnal.*

Quod autem ex hominum genere consecratos, sicut Herculem, & cæteros, coli lex iubet: indicat, omnium quidem animos immortales esse: sed fortium, bonorumque diuinos. *Cicero lib. de Legibus.*

Aristoteles longe omnibus (Platonem semper excipio) præstans, & ingenio, & diligentia, cum quatuor nota illa genera principiorum esset complexus, è quibus omnia orirentur, quintam [illegible]ndam naturam censet esse, e qua sit mens. *Cicero lib. 1. Tusculanarum quæstion.*

Maximum vero argumentum est, naturam ipsam de immortalitate animorum tacitam iudicare, quod omnibus curę sunt, & maxime quidem, quæ post mortem futura sunt. Serit arbores, quæ alteri seculo prosunt, vt ait Statius in Synephebis. Quid spectās, nisi etiam postea sæcula ad se pertinere? Ergo arbores seret diligens agricola, quarum adspiciet baccam ipse nunquam, vir magnus leges, instituta Reipublicæ non seret. Quid procreatio liberorum, propagatio nominis, quid adoptiones filiorum, quid testamentorum diligentia, quid ipsa sepulchrorum monumenta, quid elogia signant, nisi nos futura etiam cogitare? *Idem*

Sin autem, est quinta quædam natura ab Aristotele inducta, primum hæc, & Deorum est, & animorum. *Idem.*

Animorum nulla in terris origo inueniri potest: Nihil enim est in animis mistum atque concretum, aut quod ex terra natum, atque fictum esse videatur, nihil ne aut humidum quidem, aut flabile, aut igneum. His enim in naturis nihil inest, quod vim memoriæ, mentis, cogitationis habeat, quod & præterita teneat, & futura prouideat, & complecti possit præsentia, quæ sola diuina sunt. Nec inuenietur vnquam, vnde ad hominem venire possint, nisi à Deo. *Idem.*

Nihil est animis admistum, nihil concretum, nihil coagmentatum, nihil duplex. Quod cum ita sit, certe nec secerni, nec diuidi, nec discerpi, nec distrahi potest: nec interire igitur. Est enim interitus quasi discessus, & secretio, ac direptus earum partium, quæ ante interitum iunctione aliqua tenebantur. *Idem.*

Humanus autem animus decerptus ex mente diuina, cum alio nullo, nisi cum ipso Deo (si hoc fas est dictu) comparari potest. *Idē lib. 5. Tuscul. quæst.*

Apophthegmata.

Phocylides, anima immortalis est, inquit, viuitque perpetuo, nec senescit vnquam. *In præceptis suis.*

Epicharmus, si anima bonus es, mora nocere tibi non potest: viuet spiritus tuus in cœlo beatus, &c. *Apud Clement. Alex.*

Pythagoras, aurigam animam optimam si corpori constitueris, vbi derelicto corpore ad liberum æthera perueneris, eris immortalis, &c. *In aureis versibus.*

Socrates, hominem ipsum animum esse dicebat, corpus autem nihil aliud, quam animi organum, vel domicilium, aut vt verius dicā sepulchrum, ac carcerem: vnde cum emiserit, tum demum sui iuris esse, multoque quam antea felicius viuere. *P. M. in Declamat. de Morte.*

Idem, quum hora mortis ei immineret, rogatus à Critone, quomodo vellet sepeliri: Multam, inquit, ò amici, operam frustra consumpsit. Critoni enim nostro nondum persuasi, me hinc auolaturum, neque quicquam mei relicturum. Veruntamen, ò Crito, si me assequi poteris, aut sicubi nactus eris, vtcūque tibi videtur, sepelito. Sed mihi crede, nemo me vestrum quum hinc excessero, consequetur. Sensit Socrates, animum esse hominem: corpus nihil aliud esse, quam animi, vel organum, vel domicilium. Eoque stulte facere illos, qui solliciti sunt, quomodo sepeliantur. *Brus. lib. 4. c. 10.*

Idem, iam damnatus, iudicibus dicebat. Anytus quidem, & Melitus (accusatores enim eius fuerant) interficere me possunt, sed incommodo aut detrimento minime afficere. Pia hominis ethnici sententia, sentientis tyrannos pro suo quidem arbitrio in corpora hominum sæuire posse, est in animam, quæ immortalis est, nullam omnino potestatem habere. *Brus. lib. 4. c. 10.*

Philosophio, anima sapientis (inquit) Deo coniungitur. Animam non mors, sed mala vita perdit. *Ant. & Max. ser. de Anima.*

Ægyptius Monachus, quum nuntius venisset, qui patris mortem annuntiaret, respondisse fertur, Desine blasphemare, & impie loqui, pater enim meus immortalis est. *Niceph. lib. 11. c. 45. Ecl. histo. ex Euagrio.*

Similitudines.

Vt corpus est instrumentum animæ: Sic anima est instrumentum Dei. *Plutarch.*

Vt auis capta, si diutius alatur in carcere, etiamsi dimittatur, studet eo redire: sic animus diu versatus in hoc corpore, non facile reuellitur. At puerorum animus lubentius euolat. *Plut.*

Quemadmodum igni si extinctam subito faciem admoueas, statim redaccenditur: sic animus, si statim euolet à corpore, facile redit in suam naturam. *Plut.*

Qui e seruitute manumissi sunt, quæ dominis solent facere, cum seruirent, ea faciunt sibi ipsis, suoque arbitrio, & præsidio: sic nunc anima alit corpus multo labore, multis curis, postea facta libera, seipsam alet contemplatione veri, nec ab ea poterit auelli. *Plutarch.*

Vt qui in alieno habitant, multis aguntur incommodis semperque de aliqua domicilij parte queruntur: Ita animus nunc de capite, nunc de pedibus, nunc de stomacho, nunc aliud de alio queritur significans se esse non in suo domicilio, sed vnde breui sit emigrandum. *Seneca.*

Vt ex barba capillos detonsos negligimus, ita ille diuinus animus egressurus hominē, quo receptaculum suum cōferatur, an ignis illud exurat, an feræ distrahant, an terra contegat, non magis putat ad se pertinere, quam secundas ad editum infantem. *Senec. epist. 93.*

Exempla Biblica.

Immortalitatis animæ exempla: in Henoch, *Genes. 5. versi. 24.* Abrahamo, 25 *ver. 7. 8.* Isaco, 35. *versi.* 29. Iacobo, 49. *ver.* 29. 30. Apparitione Dei Moysi facta. *Exod. 3. vers. 15. 16.* Quo ipso probat, & Christvs resurrectionem futuram, & sanctos mortuos Deo viuere, *Matth. 22. versi. 31.* Core cum complicibus suis, *Num. 16. vers. 31. 32. Psalm. 106. versi. 16. 17.* Saul, 1. *Sam. 28. vers. 11.* Nam si Saul credidisset Samuelem, quoad animam extinctum, non petiuisset eum exuscitari, Dauide, 2. *Sam. 12. versi. 22. 23. & 18. versi.* 33. Vnde Augustinus in libro de doctrina Christiana inquit. Nō orbitatem filij doluit Dauid, dum luget Absalonem filium, sed quia nouerat, in quas pœnas tam impie adultera, & parricidalis anima raperetur. In Regibus, qui dormiuisse cum patribus suis dicuntur. Roboamo, 1. *Regum. 14. versic. 31.* Iosaphat, 22. *ver. 51.* Ioram, 2. *Reg. 8. versic. 24.* Iehu, 10. *vers. 35.* Ieroboamo, 14. *versi.* 13. Manassem. 15. *versic.* 22. Ioatham, *ver. i.* 38. Achaz, 10. 20. Eze-

Ezechia, 20, 51. Manasse, 21. 18. Abia, 2. *Reg.* 15. 8. Ozia, 2. *Paralip.* 2. *ver.* 23. Vnde sequitur, eos viuere post mortem corporis. & in vniuersali iudicio eos tandem resurrecturos, vt id in dormientibus apparet. Item in resuscitatis à mortuis, ab Elia, 1. *Reg.* 17. *v.* 22. Elisæo, 2. *Reg.* 4. *v.* 33. *&* 13. 21. CHRISTO, *Matth.* 9. 25. *Lu.* 7. 15. *Ioan.* 11. 43. Petro, *Act.* 9. 40. Paulo, 20. 10. Præterea in Elia, 2. *Reg.* 2. *v.* 9. 11. Tobia, *Tob.* 5. *v.* 18. Iobo, *Iob.* 13. *v.* 15. *&* 19. *v.* 25. In damnatorum verbis, *Sapient.* 5. *v.* 1. 2. 3. 4. *Vide Sap.* 3. *v.* 1. Nabuchodonosor, *Esa.* 14. *vers.* 8. 9. 11. *&c.* Eleazare, 2. *Macch.* 6. 20. Septem fratribus, 2. *Macchab.* 7. *v.* 9. 14. 36. Razia, 2. 14. *v.* 46. Ex dicto CHRISTI, *Matth.* 10. 28. In CHRISTO ipso resurrectionis, & vitæ æternæ auctore, *Psal.* 31. 6. *Matth.* 27. 50. *Luc.* 23. 46. Lazaro. & diuite, *Luc.* 16. *v.* 22. 23. Villico iniquitatis, *Luc.* 16. 9. Latrone ad dexteram CHRISTI pendente, *Luc.* 23. *v.* 42. 43. *Vide,* 1. *Corinth.* 15. *v.* 12. 1. *Thess.* 4. *v.* 13. 14. 1. *Tim.* 4. *v.* 8 *Heb.* 12. 9.

PROFANA EXEMPLA.

Alphonsus rex, maximum argumentum immortalitatis sibi videri dicebat, quod corpora in hac vita decrescere, ac per omnia membra suos quasi fines, & terminos habere videret, animos vero quanto ad annos accederent, tanto magis intelligentia, virtute, & sapientia crescere. *Panormitanus l.* 4. *de Alphonsi rebus gestis.*

Fridericus Imperator: in Austria cum obijsset vnus ex primoribus, annos natus tres, & nonaginta, qui vitam inter voluptates illecebrasque nulla vnquam valetudine offensam duxisset, ignotaque illi omnis calamitas, omnis mœstitia fuisset, idque Friderico Cæsari narraretur. Et hinc, inquit ille, immortales animas esse licet. Namque si Deus est, qui hunc mundum gubernat (vt Philosophi, & Theologi docent) eumque iustum esse nemo negat, profecto alia loca sunt, ad quæ post mortẽ animæ migrant, ibique pro factis aut mercedem aut pœnam accipiunt. Nam hic nec bonis sua præmia, neque malis sua supplicia reddi videmus. *Æneas Syluius.*

Cyrus, moriens filijs suis ait. Nullo modo filij hoc vnquã mihi persuasi, vt animus viuat, donec fuerit in corpore mortali, quum vero ab hoc solutus fuerit, moriatur. *Cicero in Catone Maiore ex Xenophonte.*

Thraseas, Nero quum non tantum in alios, sed in matrem etiam quam occidi fraude curauerat, crudelissime sæuiret, P. Thraseas Petrus, Romanorũ fortissimus dicere solebat: Nero quidem me occidere potest, perdere autem nequaquam, innuens quidẽ, Neronem tyrannum cruentissimum potestatem habere grassandi in corpora suorum, animam autem (quæ immortalis est) nequaquam lædi à quouis homine posse. *Xiphilinus in Nerone.*

Anaxarchus, à Nicocreonte Cypri tyranno captus, & malleis ferreis in saxo excauato contusus: Tunde, inquit, tunde probe Anaxarchi carnes, & ossa, siue (vt alij) follem. Anaxarchum nequaquam lædes. Sensit autem Philosophus clarissimus tyrannũ quidem potestatem habere, vt pro arbitrio crudelitatẽ suam exerceat in corpora hominum, animum tamen immortalem semper fore, extra omnem tyrannorum Imperium. *Philo Iudæus in libro, Quod omnis probus liber. & Brusonius lib.* 2. *cap.* 1. *ex Plutarcho.*

Cercidas Megapolitanus, quum in morbum periculosissimum incidisset, interrogatus, num libenter mori vellet? Quidni, ait. Videbo enim post mortem viros in omni scientiarum genere doctissimos, ex Philosophis Pythagoram, ex historicis Hecatæum, ex poetis Homerum, ex musicis Olympum, qui suis literarum monumentis nomen sibi immortale pepererunt. *Ælianus lib.* 58. *de varia historia.*

Barbara Sigismundi Imp. vxor, cum Epicuro summum bonum in voluptate ponebat: similiterque atq; Sadducæi de immortalitate animæ nihil plane credebat, sed tam superos quam inferos ridebat. *Dubrauius lib.* 28.

Demonax philosophus: percontãti, qualia putaret esse apud inferos? Expecta, inquit: & simulatq; illuc venero, per literas tibi significabo omnia: impie sentiens, nullos esse inferos. Nec enim credebat animarum immortalitatem *P. M. lib.* 8 *apophthegmat.*

Ioannes de Canis, medicus Florentinus multi nominis: cum ex matæosophiæ principijs animam mortalem esse sibi certo constare semper affirmasset: morti tamen proximus dubitare cœpit, iamque animam agens, inquit: sit nec ne, mox sciam. *Ioan. Bapt. Gellus secundo dialogo Cirmarico.*

SCRIPTORES.

De anima, *Libri* 3. *Arist. Plato in Timæ. Ioan. Ludouici Viuis Libri* 3. *Viti Ammerbachij libri* 4. *Philippi Melanchthonis l.* 2. *Gregorius Nyssenus lib.* 2. *operis de philosophia vel homine.* De viribus animæ, *idem lib.* 4. *eiusdem operis.* De animæ essentia, *libri* 2. *Plotini. Eiusdem de anima Enneas quarta. Eiusdem de animo dubijs l.* 3. *Idem de immortalitate animæ liber vnus. Vide præterea Ælianum in varijs Græc. f.* 17. *Anton. Monach. lib.* 1. *serm.* 53. *Crinitum lib.* 9 *cap.* 11. *Auicennam lib.* 6. *Lucretium lib* 4. *Marsilium Fic. lib* 1. *cap.* 106. *& lib.* 2. *cap.* 82. *Speculum animæ Henrici de Hassia. Cælium Rhodig. lib.* 20. *c.* 9. *l.* 21. *cap.* 11. *Cornel. Agrippam lib.* 2. *cap.* 28. *Plutarchum de placitis philosophorum.* 4. 2. *&* 3. De origine animarum *Aug. l.* 4. *Tomo* 7. *operum eius. Item epist.* 27 *&* 157. *Zamolxides doctrinam de anima medela. Cæl. Rhodig. l.* 7. *c.* 7. *Plures auctores quære in pandectis Gesneri Tit.* 9. *Physicor.* De animæ mortalitate, & immortalitate, *Lucret. l.* 3 *Plin. l.* 7. *Arist. in l. de anima. Plato in Phædone. in Phædro, in Epinomide libro* 10. *de Repub. Cicero in dialogo de Senectute.* 1. *Tusc. Macr. com. in Som. Scip.* Animam proprie, & esse eam, & dici, quæ ratione vtitur, cæteris tantum appellationem cum hac esse communem ostendit, *Gregorius Nyssenus cap.* 15. *De opificio hominis.* Animas non tres, sed vnã esse in homine, *Idem Nyssenus eodem lib. p.* 153. De immortalitate animæ vide quoque elegantẽ Dialogum, *Nicolai Leonici Thomæi, qui inscribitur Bembus.*

ANIMAL.

DEFFINITIONES ET ETYMOL.

ANimal humidum est, & calidum, & huius viuere tale est. *Arist. de long. & bre. vit. c.* 3.

Animal est corpus animatum. *Idem* 3. *c.* 1. *tex.* 63.

Animal est substantia animata sensibilis. *Porph.* 5. *voc.* 4.

Animal est corpus nutribile sensitiuum sensu tactus, *Auer. de partib. animal. cap* 1.

Animal, ab anima, Est substantia animata sensibilis. Hebr. *Chaiiah*, id est, animal viuens, bestia, fera. Est generale nomen omnium viuentium, & rarius tribuitur hominibus. A verbo *Chaia*, vixit, reuixit, viguit, naturalem habuit vitæ vigorem, metaphorice conualuit, sanitati restitutus est, quæ enim conualescunt ex graui morbo reuiuiscere videntur. Idem significat, quod *Chasas*, vi ait, vita potitus est naturali, & affinitate alludit ad *Chaura*, illustrauit: nam res illustrata apparet vitæ restituta. Nec multum differt ab *Haia*, fuit: nam quemadmodum habet aspirationem duriorem, ita quoque significationem vegetiorem, non enim significat tantũ aliquid esse, sed, & vegetari seu viuere in suo esse. Hinc pro Iod, Græci vsurpant Gamma alteram eiusdem, instrumenti, vt ὑγιαίνω, ὑγιάζω, conualeo, sanus sum: itẽ ἰάω ἰάομαι, sano, medeor ad conseruandam vitam, vigeo, &c. *Chaia h* etiam vita appellatur ab Hebræis, à verbo *Chaiai*. animal vero à verbo *Chaia* deducitur.

Animalia imperfecta sunt, quæ nata ex putri materia non indigent sexu, cum non generent, *Alb. Mag. veg.* 1. *tr.* 1. *c.* 4.

DIVISIO.

Plato & Aristoteles quatuor genera animalium dicunt. Et ipse mundus animal est, terrestria, aquatilia, volatilia, cœlestia. Etenim, & stellas animalia esse, & ipse mundus animal rationale immortale.

Omne animalium genus in ferum & mansuetum est distinctum. Quæ enim sic natura instituta sunt, vt mansuescere possint, domestica appellata sunt, cetera vero syluestria. *Plat. in Polit.*

Animalia differunt moribus. Nam alia sunt mitia, remissa, & minime peruicacia, bruta omnino, vt onager. Alia ingeniosa ac timida, vt cerui, lepores, cuniculi. Alia illiberalia, perfida, insidiosa, vt serpentes. Alia liberalia, fortia, & nobilia, vt leones. Alia generosa, ferocia, insidiosa, vt lupus. Nobile enim id est, quod ex bono prodit genere, generosum autem, quod non à sua natura degenerat. Et alia astuta, malitiosa, callida, vt vulpes. Alia animosa, & amantia, & assentatoria, vt canes. Alia mitia, & mansuetudini addicta, vt elephantes.

BIBLICI LOCI.

Animalia omnia à Deo creata, *Genes.* 1. 25. Animalia munda quæ, *Leu.* 11. 3 *Deut.* 14. *vers.* 4. 5. 6. Immunda quæ, *Leuit.* 11. 4. *Deut.* 14. 7. Animalia, quæ humanum sanguinem fuderint, punienda, *Gene.* 9. 5. *Exod.* 21. 28. Animantum esca *Genes.* 1. 29. *Psal.* 104. *vers.* 14. *&* 147. 8. Animalia quatuor diuinæ maiestatis gloriam celebrantia, *Apoc.* 4. 8. Animalis homo, *Rom.* 8. *vers.* 6. 1. *Cor.* 2. *vers.* 14.

PATRUM SENTENTIAE.

Sensus melior in brutis quam in hominibus. *August. de quanti. anim.*

Beneficiorum Dei animalia etiam partem habent. *Idem.*

Animantia fecit Deus propter hominem, hominem autem propter seipsum, Si ergo animalibus ministrat propter hominem, quomodo hominibus non ministrabit propter seipsum? *Chrys. in Genes. hom.* 28. *idem in Matth.*

Vniuersis animalibus data est ratio, brutis tantum ad vitam tuendam, homini autem ad propagandum. *Lactantius.*

SENTENTIAE POETICAE.

Ouid. 2. Pont. 7.

Qui semel est læsus fallaci piscis ab hamo,

Omni-

Omnibus vnca cibis ora fabesse putat?
Sæpe canem visam longe fugit agna, lupumque
Cerdit, & ipsa suam nescia vitat opem.

Idem 1. Trist. 1.

Terretur minimo pennæ stridore columba,
Vnguibus accipiter saucia facta tuis.
Non procul à stabulis audet discedere, si qua
Excussa est auidi dentibus agna lupi.

Horat. 1. Epist. 16.

Cautus enim metuit foueam lupus, accipiterque
Suspectos laqueos, & opertum miluius hamum.

Manilius 2.

Ad Lunæ motum variant animalia corpus.

Propert. 2. 5.

Non solum taurus feriet vncis cornibus hostem,
Verum etiam instanti læsa repugnat ouis.

Horat. Epod. 7.

Neque hic lupis mos, nec fuit leonibus
Vnquam, nisi in dispar feris.

Iuuenalis 15.

Sed iam serpentum maior concordia, parcit
Cognatis maculis similis fera, quan leoni
Fortior eripuit vitam leo, quo nemore vnquam
Exspirauit aper maioris dentibus apri?
Indica tigris agit rapida cum tigride pacem
Perpetuam, sæuis inter se conuenit vrsis.

Manilius 2.

Denique sic pecudes, & muta animalia, terris
Cum maneant ignara sui, legisque per æuum,
Natura tamen ad mundum reuocante parentem,
Attollant animos, cælumque ad sidera seruant,
Corporaque ad Lunæ nascentis cornua lustrant,
Venturasque vident hiemes, reditura serena.

Claud. Præf. 3. Honorij.

Partus non aquilis fas est seducere fœtus,
Ante fidem Solis iudiciumque poli.
Nam pater excusso saltem iam germine prolis,
Ouaque maternis rupit hiulca tepor:
Protinus implumes conuertit ad æthera nidos,
Et recto flammas imperat ore pati
Consulit ardentes radios, & luce magistra
Naturum vires, ingeniumque probat.
Degeneres refugit torsit qui lumine visus,
Vnguibus hunc sæuis ira paterna ferit.
Exploratores oculus, qui pertulit ignes,
Sustinuitque acie nobiliore diem,
Nutritur volucrumque potens, & fulminis hæres,
Gestaturus summo tela trisulca Ioui.

Lucret. 5.

At variæ crescunt pecudes, armenta feræque:
Nec crepitacula eis opus est, nec cuiquam adhibenda est
Almæ nutricis blanda, & infracta loquela:
Nec varias quærunt vestes pro tempore cæli.
Denique non armis opus est, non mœnibus altis,
Queis sua tutentur, quando omnibus omnia large
Tellus ipsa parit, naturaque Dædala rerum.

Philosophicae Sententiae.

Animal primo mouet pedem dextrum, postea sinistrum, vt super eo sustenetur, & motus pedis sinistri est accidentalis. *Aristoteles lib. de cælo, & mun lib. de anima de somno. & vig.*

Omne animal habens os, habet aliquem gustum. *Idem.*

Omnia animalia sanguinolenta habent cor. *Idem.*

Animalia multum coeuntia, cito senescunt: quia semen est nutrimenti superfluitas, & amplius desiccat emissum, & propter hoc mulus longioris est vitæ equa, & asino, ex quib. genitus est. *Idē.*

Omnia animalia generantia habent oculos, præter talpam. si quis tamen corium super loca oculorum existens scindat, inueniet locum oculorum. *Idem.*

Animal cornu carent dentibus in superiore mandibula. *Idem l. 2.*

Omne animal cornutum est quadrupes. *Idem lib. 3.*

Animalia parum se mouentia, ventre pinguescunt.

Omne animal carens pulmone, caret voce. *Idem l. 4.*

Omnium animalium fœminæ gracilioris sunt vocis quam masculi, excepta vacca. *Idem.*

Natura statuit. singulis animalibus tempora, & ætates certas ad coitum, præterquam homini, ipsi enim omnibus tēporibus opportunus est coitus. *Idem.*

Omne animal carens pedibus, caret testiculis. *Idem.*

Animalia omnia nascuntur cum dentibus, excepto homine, qui incipit dentire septimo mense, *Idem.*

Nullum animal patitur tam vehementissimos dolores in partu, sicut mulier. *Idem.*

Omne animal prægnans, recusat coitum, exceptis muliere, & equa. *Idem.*

Animalia habentia corpus pilosum, carent cauda, vt patet in vrsis. *Idem.*

Omnia animalia continent cerebrum in parte priori capitis.

Inter animalia homo caput maxime pilosum habet, *Idem.*

Animal magni cordis, naturaliter est pauidum, parui vero est audentius. *Idem.*

Animalib. propter timorem accidit effusio ventris, & vrinæ. *Idem.*

Animalium corpus est ex fœmina, anima vero ex mare. *Idem.*

Animalia magni corporis, vnum generant filium, parui autē multos. *Idem.*

Scriptores.

Animalium historiam nemo copiosius, & doctius *Aristotele* conscripsit. *Æliani* de historia animalium libri doctissimi à Petro Gyllio translati, & luculentis accessionibus aucti. *Oppiani* poetæ Græci Ixeuticorum siue de aucupio libri 3. *Alberti Magni* de animalibus lib. 26. *Historia quadrupedum* Germaniæ nuper edita per Michaelem Herrum medicum cum picturis, Argentorati, picturæ etiam seorsim in tabula excussæ fuer. *C. Plinij secundi* de animalib. libr. qui est historiæ naturalis septimus, 8. 9. 10. 11.

Animalibus vniuersis ad se tuendum aliquid natura est largita. *Gregorius Nyssenus de opif. Hom. p. 81.*

ANIMVS.

DEFINITIONES ET ETYMOLOGIA.

Animus, & anima hoc distant, Animus est, quo sapimus, Anima qua viuimus. *Nonius Marcellus c. 5.*

Animus consilij est, anima vitæ. Vnde dicunt Philosophi etiam sine animo vitam manere, & sine mente animam durare. *Isid. lib. 11. c. 1. Originum.*

Animus est qualitas viuentis, anima causa vitæ, *Cornel. Fronto.*

Sapimus animo, fruimur anima: sine animo anima est debilis. *Accius Epigono.*

Animus est, quo homines sumus, sapimus, & intelligimus. Duabus vocibus eum Hebræi exprimunt. 1. *Ruach*, spiritus flatus à verbo *Ruach*, spirauit. Græcis πνεῦμα. 2. *Leb*, Cor, vitæ fundamentū à verb. *Labeb*, corde donatus est, refectus est, corde per cibos Dulces. Hinc λαῖβω Græcorum Ἄνεμος Græc. ventus, inde forsitan Animus, nempe à spirando. Est enim animus humanus vitæ spiraculum illud, cuius meminit Moses, Genes. 2. 7.

Sententiae Poeticae.

Ouid. Trist. 5.

Nam neque sunt vires, nec qui color esse solebat,
Vix habeo tenuem quæ tegat ossa cutem.
Corpore sed mens est ægro magis ægra, malique
In circumspectu stat sine fine sui.

Idem 2. Pont. 7.

Temperie cæli corpusque animusque iuuatur.

Ibidem.

Omnia deficiunt, animus tamen omnia vincit,
Ille etiam vires corpus habere facit.

1. Pont. 11.

Vnda locusque nocent, & causa valentior istis
Anxietas animi quæ mihi semper adest.

Ouid. 1. Reme.

Impatiens animus, nec adhuc tractabilis arte,
Respuit, atque odio verba monentis habet.

Plaut. Amph.

Amat, sapit, recte facit, animo quando obsequitur suo.
Quod omnes homines facere oportet, dum id modo fiat bono.

Plaut. Mostel.

Nil est miserius, quam animus hominis conscius.

Plaut. Rud.

Animus æquus optimum est ærumnæ condimentum.

Idem Capt.

Iam mala animo si bono vtare, adiuuat.

Idem Pseud.

Bonus animus in re mala, dimidium est mali.

Plaut. Bacch.

Paulisper Lyde est libido
Homini, suo animo obsequenti, iam aderit tempus cum se etiam ipse oderit.

Plau. Trin.

Qui homo cum animo inde ab ineunte ætate depugnat suo,
Vtrum id itane esse mauelit, vt eum animus æquum censeat,
An ita potius, vt parentes eum esse, & cognati velint.
Si animus hominem perpulit, actum est animo seruiunt non sibi.
Si ipse animum perpulit, dum viuit victor victorum cluet,
Tu si animum vicisti, potius quam animus te est, quod gaudeas.

Terent.

Terent. And.

Dum in dubio est animus, paulo momento huc illuc impellitur.

Sen. Oct.

An æger animus falsa pro veris videt?

Iacob. Bill. Antholog. Sacra.

Nulla resfluxa animum satiari posse.

Gaudia qui mundi, qui magnos quærit honores,
Et sequitur falsas non bene sanus opes:
Arripit me umbram pro corpore, pascitur aura
More lupi, esuriem illudens alterq; suam.
Namque adeo est generosa hominis natura cadaci,
Vt mentem rerum sua nil satiare queat.
Quippe, Deum præter nil mentem expleuerit vnquam:
Æthereo cum sit numinis ipsa capax.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Opus est te animo valere, vt corpore possis. *Cicero Tironi, Familiar. 16.*

Ex anima constamus, & corpore, *4. de Finib.*

Constamus ex animo, & corpore, *3. Tusc.*

Animus est rationis compos, & particeps, quo nihil ab optimo, & sapientissimo genitore melius est procreatum. *De vniuersitate.*

Mente nihil homini dedit Deus ipse diuinius. *3. Off.*

Nobis Deus, siue mater rerum omnium natura, dedit animũ, quo nihil est præstantius neque diuinius. *Parad. 1.*

Animus est ingeneratus à Deo. *1. de Legib.*

Est animus cœlestis. *Cato Maior.*

Humanus animus decerptus ex mente diuina. *5. Tusc.*

Animus solus, nec cum adest, nec cum discedit, apparet. *Cato Maio.*

Omnium animi immortales, sed bonorum, fortiumque diuini. *2. de Legib.*

Bonorum virorum mentes mihi diuinæ atque æternæ videntur, & ex hominum vita ad deorum religionem sanctimoniamque demigrare. *Pro Caio Rabir.*

Sic habeto, te non esse mortalem, sed corpus hoc. *Som. Scipionis.*

Corpus hoc est mortale, animi vero motus sempiterni. *Pro Sestio.*

Nihil interest, motu animi sublato, inter pecudem, & hominem, sed nec inter hominem, & saxum, aut truncum, aut quiduis generis eiusdem. *In Lælio.*

Duplex est vis animorum, vna pars in appetitu posita, altera in ratione, quæ docet, & explanat quid faciendum, fugiendumue sit: ita fit, vt ratio præsit, appetitus vero obtemperet. *1. Off.*

Est animorum ingeniorumque nostrorum naturale quasi quoddã pabulum, consideratio, contemplatioque naturæ, doctoque homini, & erudito, cogitare, est viuere, Sapientis enim cogitatio, non ferme ad inuestigandum adhibet oculos aduocatos. *4. Aca.*

Animus perturbatus, & incitatus nec cohibere se potest, nec quo loco vult consistere omnino. *4. Tusc.*

Animi morbi, sunt cupiditates immensæ, inanes diuitiarum, gloriæ dominationis, libidinosarum etiam voluptatum. accedunt ægritudines, molestiæ, mœrores, quæ animos exedunt, cõficiuntque curis. *1. de Finib.*

Aegris corporibus simillima est animi ægritudo, *1. de Finib.*

Aeque animo dolemus, dum corpore dolemus, *3. Off.*

Errat qui vllum aut corporis, aut fortunæ vitium, animi vitijs grauius existimat. *3. Tusc.*

Morbi perniciosiores pluresque sunt animi, quam corporis, *3. Tusc.*

Corpora curari possunt, animorum nulla medicina est. *3. Tusc.*

Animi lineamenta pulchriora sunt, quam corporis. Recte solus liber, nec dominationi cuiusquam parens, neque obediens cupiditati. Recte inuictus, cuius, etiamsi corpus constringatur, animo tamen vincula inijci nulla possunt. *3. de Finib.*

Corpori tantum præstat mentis excellens perfectio, vt vix possit cogitari, quid intersit, *5. de Finib.*

Deus & ortu & virtute antiquiorem genuit animum, eumq; vt dominum atq. imperantem obedienti præfecit corpori. *De Vniuers.*

Vt multo maiora sunt opera animi, quam corporis, sic eæ res, quas persequimur ingenio ac ratione, gratiores sunt, quam hæ quas viribus, *2. Off.*

Quo maior est vis animi, quam corporis, hoc sunt maiora ea quæ concipiuntur animo, quam illa, quæ corpore. *Philip. 11.*

Maior est animi voluptas, quam corporis, *2. de Finib.*

Voluptate animi, nulla potest esse maior. *Cato Maior.*

Corpore nihil nisi præsens, & quod adest, sentire possumus, animo autem, & præterita, & futura. *1. de Finib.*

Corpus tamdiu gaudet, dum præsentem sentit voluptatẽ, animus & præsentem percipit pariter cum corpore, & prospicit venientem, nec præteritam præterfluere finit, *5. Tusc.*

Corpus est quasi vas animi, aut aliquod receptaculum. *1. Tusc.*

Deus animum conclusit in corpore. *De vniuersitate.*

Videtur animi cognitio cum ad omnem veritatem, tum vel maxime ad naturæ cognitionem magnum afferre adiumentum, quippe cum animantium quasi fons quidam sit, & principium. *Arist. libro primo, de Animo, cap. 1. T. 2.*

Fieri non potest, vt animus sit concentus, & in orbem feratur: fieri autem potest, vt, & fortuito aut per aliud moueatur, & ipse moueat, veluti vt moueatur id in quo ipse inest, idque ab animo agitetur, alio autem modo moueri loco ipse nullo modo potest *lib. 1. de Animo, c. 4. T. 61.*

Animo aliquid melius esse, eique præesse, non potest, *l. 1. de Animo, c. 5. T. 82.*

Cognitio animi propria est, & sensa, & opinio, ac præterea appetitus, & deliberationes, omninoque cupiditates eum attingunt: ac omnino hoc habent animantia, vt loco moueantur, ac præterea, vt augescant, & ad suum quodque magnitudinis molisque statum perueniant, ac senescant. *lib. 1. de Animo, cap. 5. T. 89.*

Animus prima est corporis naturalis, quod vitæ est particeps, perfectio *l. 2. de Animo, c. 1. T. 6.*

Est animus eius corporis, quod viuit causa. & principium. *li. 2. de Animo, c. 4. T. 36.*

Animus is, ex quo animantes constant, ex duplici vi ac facultate definitus est, quarum altera est vis iudicandi, quod rationis, & sensus munus est, altera etiam, qua mouentur loco, *l. 3. de Animo c. 9. T. 40.*

Non in extremo oculo animus situs est, nec animi locus, & sedes est. nec dubium quin intra nos sit. *libro de sensu c. 2.*

Animus pars est quædam hominis, in qua primum vita continetur *lib. 8. 4. Metaphysic. c. 18. T. 23.*

Substantia corporis alicuius, anima est. *lib. 2. de Gen. ani. c. 4.*

Officium animæ est alere, & mouere. *lib. 2. de part. Anim. c. 7.*

De pace animi sperata. Dial. CXXI.

Franciscus Petrarcha.

G A V.

Animi pacem spero. R. Quid sperare mauis, quam habere pacem? Hanc mox, vt bona fide velle cœperis inuenies. G. Spero pacem animi. R. Pacem sperare bellantis est. Quis animo tuo bellũ infert nisi vnus tu? quã ipse tibi abstuleris, impudenter ab altero postules, aut speres? G. Spero animi pacem. R. Vnde precor, aut quando speres, quod ipse tibi nunc potes dare? Sic vt illam tibi nemo alius quam tu possit eripere? Pone arma cupidinũ, atque iratum, plenam animo quæsieris pacem. G. Spero pacem, & quietem animi. R. Quid igitur, quod agis aduersum paci est, contraque tuam spem tantopere niteris, vix tantum deberent niti homines, vt salui essent, quantum nituntur, vt pereant. Pluris pene bellum iuge animi, laborque emitur, quam emenda pax esset ac requies. Sic pugnant spes mortalium, ac vota cum studijs, vt non unius hominis vnum pectus, sed multorum eorumque de omnibus dissidentium videatur. G. Quietem spero R.

Mirum vnde vobis hæc libido sperandi semper. O mortale genus, siquidem, quod speratis adepti estis, rursus spem in longinqua transmittitis, & inde rursus alio, ita ne crastinus dies hodierno sit clarior, & meliora semper futura petentibus. Sunt nempe quibus nil sit gratius quam sperare, qui spem ipsam speratarum rerum nullis euentibus permutatam velint, quibus ego, quid optauerim, nisi, vt procrastinantes omnia, bonisque se suis interim spoliantes, inter irritas spes senescant, quo vel sic intelligat inaniter se sperasse, & intergum versi videant frustra se alibi quæsiuisse, quod secum erat. G. Spero pacem requiemq. animi. R. Magna pars rerum humanarum vmbra est, magna pars mortaliũ vento pascitur, & insomnijs gaudet. O quam multi cum hac spe ad æternos labores, & bella descendunt.

Tutum iter, & iucundum est, ad quod natura te instruit, dedit tibi illa, quæ si non deserueris, par Deo consurges. Parem autẽ Deo te pecunia non facit. Deus nihil habet. Prætexta nõ faciet, Deus nudus est, fama non faciet, nec ostentatio tui. Nemo nouit Deũ licet multi male de illo existiment, & impune. Non turba seruorum lecticam tuam portantium. Deus ille maximus potentissimusque ipse vehit omnia. Nec forma quidem, & vires beatum te facere possunt. Nihil horum non patitur vetustatem. Quid ergo? animus, sed hic rectus, bonus, magnus, quid aliud voces hũc, quam Deum in corpore humano hospitantem? hic animus tam in equitem Romanum, quam libertinum, quam in seruum potest cadere. *Senec. 3. epist.*

Sursum animum vocant initia sua, erit autem illic etiam antequã hac custodia exsoluatur. Si vitia sua deserunt, purusque ac leuis in cogitationes diuinas emicuit. *Sen. 80. epist.*

Insuperabili loco stat animus, qui externa deseruit: inexpugnabilis est, quam multis machinis lacessitam fortuna non transit. Nũquam maior est, quam vbi aliena disposuit, & fecit sibi pacem, nil timendo, diuitias nil concupiscendo.

Nil magnum in rebus humanis, nisi animus magna dispiciens. *In Prouerb.*

Animum cogo sibi intentum esse, nec auocari ad externa, omnia licet foris resonent, dum intus nihil tumultus sit, dum inter se non rixentur cupiditas, & timor, dum auaritia luxuriaque non dissideat. nec altera alteram vexet, bene est. Nam quid prodest totius regionis silentium, si affectus fremunt? *Ep. 56.*

Ani-

Animus graui sarcina pressus explicari cupit, & reuerti ad illa quorum fuit. Nam corpus hoc animi pondus ac pœna est: premente illo vrgetur, in vinculis est, nisi accessit Philosophia, quæ illum respirare rerum naturę spectaculo iussit, & à terrenis dimisit ad diuina. Libertas eius est hæc euagatio: subducit interim se custodiæ in qua tenetur, & cęlo reficitur. *Ep. 65.*

Non deformitate corporis fœdatur animus, sed pulchritudine animi corpus ornatur. *Ep. 66.*

Animus semel in totum sanatur. Dicam quomodo intelligas sanũ. Si se ipse contentus est, si confidit sibi, si scit omnia vota mortalium, omnia beneficia, quæ dantur petunturque nullum in beata vita habere momentum. *Ep. 72.*

Tunc animus noster habebit, quod gratuletur sibi, cum emissus his tenebris, in quibus volutatur, non tenui visu clara prospexerit, sed totum diem admiserit, redditus cœlo suo fuerit, & cum receperit locum quem occupauit sorte nascendi. Sursum vocant illum initia sua. Erit autem illic etiam, antequã hac custodia exsoluatur, cum vitia disiecerit, purusque ac leuis in cogitationes diuinas emicuerit. *Ep. 79.*

Magna, & generosa est res humanus animus: nullos sibi poni nisi communes cum Deo terminos patitur. *Ep. 102.*

Animus noster modo rex est, modo tyrannus. rex, cũ honesta intuetur, salutem sibi cõmissi corporis curat, & nihil imperat turpe, nihil sordidum. Vbi vero impotens, cupidus, delicatus est, trãsit in nomen detestabile ac dirum, & fit tyrannus. *Ep. 114.*

Si nobis animum boni viri liceret inspicere, ò quam pulchram faciem, quàm sanctam, quàm ex magnifico placidoque fulgentẽ videremus! Hinc iustitia, illinc fortitudine, hinc temperãtia prudentiaque lucente, &c. *Ep. 115.*

Animus nunquam magis diuinus est, quam vbi mortalitatem suam cogitat, & scit in hoc natum hominem, vt vita defungatur: nec domum esse hoc corpus, sed hospitium, & quidem breue, quod relinquendum est. *Ep. 120.*

Maximum argumentum est animi ab altiori venientis sede, si hæc in quibus versatur humilia iudicat, & angusta; si exire non metuit. Scit enim quo exiturus sit, qui vnde venerit meminit.

Hoc habent pessimum, animi magna fortuna insolentes: quos læserunt, & oderunt. *lib. 2. de ira cap. 33.*

Vt quietus possit esse animus, non est iactandus, nec multarum rerum actu fatigandus, nec magnarum supraque vires appetitarũ. *lib. 3. de ira, cap. 6.*

Natura contumax est humanus animus, & in contrarium atq; arduum nitens, sequiturq. facilius quam ducitur. *l. 1. de Cle. c. 24.*

Natura humanus animus agilis est, & pronus ad motus. Grata omnis illi excitandi se materia est. *lib. De tranq. animi, c. 2.*

Danda est remissio animis: meliores acrioresque requieti surgent. Vt fertilibus agris non est imperandum, cito enim exhauriet illos nunquam intermissa fœcunditas, ita animorum impetum assiduus labor frangit. *ibid. c. 15.*

Necessarijs rebus exilia sufficiunt: superuacuis nec regna. Animus est qui diuites facit. Hic in exilio sequitur, & in solitudinibus asperrimis, cum quãtum satis est sustinendo corpori inuenit, ipse bonis suis abundat, & fruitur. Pecunia ad animum pertinet, non magis quam ad Deos immortales omnia ista, quæ imperita ingenia, & nimis corporibus suis addicta suspiciunt. Lapides, aurum, argentum, & magni leuatique mensarum orbes, terrena sunt pondera, quæ non potest amare sincerus animus, ac naturæ suæ memor leuis, & ipse, & quandocunque emissus fuerit, ad summa emicaturus. interim, quantum per moras mẽbrorum, & hanc circumfusam grauem sarcinam licet, celeri, & volucri cogitatione diuina perlustrat. Ideoque nec exolare vnquam potest, liber, & dijs cognatus, & omni mundo omnique æuo par. Nam cogitatio eius circa omne cœlum, & in omne præteritum futurũque tempus immittitur. Corpusculum hoc, custodia, & vinculũ animi, huc atque illuc iactatur. In hoc supplicia, in hoc morbi exercentur. Animus quidem ipse sacer, & æternus est, & cui non possit iniici manus. *Consol. ad Heluiam. cap. 11.*

Cum animus ingentia cœli spatia tetigit, alitur, crescit, ac velut vinculis liberatus, in originem redit. Et hoc habet argumentum diuinitatis suæ, quod illum diuina delectant, nec vt alienis interest, sed vt suis. Tunc contemnit domicilij prioris angustias. Illic demum discit, quod diu quæsiuit. Illic incipit Deum nosse. *Praef. lib. 1. natural. quæst.*

Multa sunt, quæ esse concedimus, qualia sint ignoramus. Habere nos animum, cuius Imperio, & impellimur, & reuocamur, omnes fatebuntur, quid tamen sit animus ille, rector Dominusque nostri, non magis tibi quisquam expediet, quàm vbi sit. Alius illum dicet esse spiritum, alius concentum quendam, alius vim diuinam, & Dei partem, alius tenuissimum aerem, alius incorporalem potentiam. Non deerit qui sanguinem dicat, qui calorem. Adeo animo non potest liquere de cæteris rebus, vt adhuc ipse se quærat. *Natural. Quæst. lib. 7. cap. 24.*

Cogita in te præter animum nihil esse mirabile, cui magno nihil magnum est. *Ep. 8.*

Animus magnus spernit sceptrum, quod alij per ignes ferrumque peterent. *Curt. l. 4.*

Vires corporis consenescunt, sed animi robur probis in viris senectutem pati non potest. *Xenoph. orat. de Agesilao.*

Animaduertistis nihil esse morti hominis similius somno. At per somnum maxime hominis animus diuinitatem suam declarat, atque etiam futura prospicit: quippe qui tum, vti quidem apparet liber sit. *Idem de Cypri pædia. l. 8.*

At ingenij præclara facinora, vti anima, immortalia sunt. *Salustius in Catilina.*

Alterum nobis cum dijs commune est, scilicet anima, alterum cum beluis, scilicet corpus.

A P O P H T H E G M A T A.

Bion dicere solebat, formam, & venustatem bonum esse alienum. Sentiens nimirum, animi bona reuera esse nostra, cætera vero omnia fluxa, & paruo duratura tempore. *Laert. l. 4. c. 7.*

Stilpo interrogatus. Quid esset statua fortius? respondit, Homo stupidus. & animi cultum negligens. *Stob. serm. 2.*

Iamblichus dicere solebat, cum anima viuamus, eiusdem virtute quoque nos viuere dicendum esse: perinde, vt oculis cum cernamus, ipsorum quoque virtute bene cernimus. *Stob. serm. 1.*

Dionysius sophista in Heliodorum, quem Adrianus Cæsar vnice amabat, corsit hoc dictum: Cæsar potest honorem ac pecunias largiri, rhetorem facere non potest. Cæsar enim Heliodorum, studio verius quam iudicio, fecerat magistrum epistolarum. *Dion. in Hadriano.*

Plato dicere solebat, eos qui corpora exercerent, & animum negligerent, nihil aliud facere, quam imperantem relinquere, & imperatum curare. *Stob. serm. 1.*

Idem, quæ dominantur, inquit, præ illis, quæ seruiunt semper sunt honoranda. Quapropter merito post dominantes deos eosque, qui illos sequuntur animum nostrum colendum, secundoque loco habendum iubeo. Nemo autem rectè animum suum honorat, nisi qui vitijs fugatis pietatem, & iustitiam colit. *Stob. serm. 21.*

Thales dicebat non esse fucandam faciem, sed animum honestis studijs exornãdum. quod hæc forma veros conciliet ac perpetuos amicos. *Diogenes Laert. l. 1. c. 1.*

Antisthenes, admonebat ea esse paranda viatica, quæ simul cum naufrago enatarent. Sentiens, bonas artes vbiq. esse in pretio, nec posse a fortuna eripi. Idem ascribitur Aristippo. *Laer. l. 6. c. 1.*

Idem. Quidam adolescens, curarat sese ex ære sculpendum, & ad eam imaginem sese conformabat. Huic Antisthenes: Si æs posset vocem edere, qua de re potissimum gloriaretur? De pulchritudine, inquit adolescens. Non igitur, inquit, erubescis, qui non de animo gloriaris? significans, magis gloriandum de bonis animi, quam de forma, quam haberet cum statua communem. *Laert. l. 6. cap. 1.*

Ariston, vulgus hominum Laerti comparabat, qui cum reliqua ruri diligẽter omnia curaret, seipsum negligebat. sic & illos studiosissimos quidem esse circa possessiones, animum autem feris obrutum affectibus non excolere aiebat. *Stobæus sermone 4.*

Democritus dicebat, potius animæ quam corporis curam esse habẽdam. Siquidem anima perfectissima corporis vitia leuat, robur autem corporis, absque ratione, nihilo meliorem reddit animã. *Stob. serm. 1.*

Diogenes, conspicatus adolescentem philosophiæ dantem operam: Euge, inquit, corporeæ formæ spectatores ad animi pulchritudinem auocas. Sentiens, illum hoc agentem, vt animum virtutibus, & honestis disciplinis exornaret, hoc consecuturum, vt longe meliores amicos esset habiturus. *Laert. l. 6. c. 2.*

Idem dicebat, homines summa cura, quæ faciunt ad viuendum perquirere, sed quæ ad bene viuendum conducant, nihili pendere, & negligere. *Stobæus.*

Pythagoras, magis animi vires quam corporis optandas esse asserebat. Animi enim bona veræ sunt possessiones, cætera omnia instabilia, & incerta. Diuitiæ enim aliaque eius generis bona, fortunæ temeritati subiacent: virtus autem stabilis perpetuaque habetur. *Stob. serm. 1.*

Socrates, nihil aliud, inquit, agens circumeo, quam suadens iunioribus senioribusque vestrum, neque corporum, neque pecuniarum, neque aliarum omnino rerum curam prius vehementiusque quam animi habendam esse, vt quam optimus sit: docens, non ex pecunijs virtutem, sed ex virtute pecunias, aliaque bona omnia, & priuatim, & publice hominibus prouenire. *Plato in apolog. Socratis Stob. serm. 5.*

Idem neque, inquit, Achillis arma Thersiti, neque animi bona homini stulto conueniunt *Stob. serm. 5.*

Idem, quum taxaret vnguentis delibutos, & Charõdas, siue (vt alijs placet) Phædon, percontaretur, quis esset ille vnguentis delibutus? Ego, inquit Aristippus, infelix, & me infelicior Persarũ Rex At vide, inquit, vt quemadmodum hac parte nullo cæterorum animalium es superior, ita nec hominum vllo præstantior. Sensit, externis bonis hominem nihilo fieri meliorem, cum, & equus balsamo oblitus, idem oleret, quod rex, & mendicus vnguen-

guen-

guento simili delibutus, non minus bene olet quā summus Pontifex. *Laert. l. 2.*

SIMILITUDINES.

Vt in lance momentum in vtranque partem æque propensum est, & in neutram affectitur: Ita dubius animus. *Plut.*

Corpus oneris pondere premitur: at animus ea sese sæpenumero pondus addit rebus. *Plut.*

In corporibus magnæ sunt dissimilitudines: alios enim videmus velocitate ad cursum, alios viribus ad luctandum valere, itemque in formis, alijs dignitatem inesse, alijs venustatem: sic in animis existunt etiam maiores varietates. *Cic. lib. 1. Officiorum.*

Vt necesse est lancem in libra ponderibus impositis deprimi: sic animum perspicuis cedere. *Cicero lib. 4. Academicarum quæstionum.*

Sicut membra nobis ita data sunt, vt ad quandam rationem viuendi data esse appareant: sic appetitio animi, non ad quoduis genus vitæ, sed ad quandam formam viuendi videtur data, itemque & ratio, & perfecta ratio. *Cic. lib. 3. de finib.*

Plutarchi, quemadmodum cum morbus in corporis parteis non foras transfertur, signum est morbi parātis abire: Sic cum offendimur, quibus consueuimus delectari, indicium est futuræ sanitatis. *In Moralibus.*

Seneca. radij solis etsi contingunt terram, tamen ibi sunt vnde mittuntur: Sic sapientis animus tametsi versatur hic, tamen apud suā originem est.

Ex congiario epulo, aut visceratione, tanto minus redit ad singulos, quanto in plures distribuitur: Non idem accidit in bonis animi, quæ tota ad singulos perueniunt, nec commenicatione minuuntur.

Ciceronis. Quemadmodum lumen lucernæ luce solis obscuratur, & offunditur: Sic rerum corporearum æstimatio, splendore virtutis animique bonis obfuscatur. *Lib. 2. Offic.*

Paulus Manutius, vt vulgus ineptum magno labore, magnoque impendio remedia ab extremis Indis aut Æthiopibus petunt, cum in hortis nostris nascatur, quo morbis mederi possimus. Ita præsidia beatæ vitæ magno molimine foris quærimus, in imperijs, in opibus, in voluptatibus, cum in animo sit, quod nos beatos efficiat. *In Simil.*

Vt canes feroces, ad nomen vocem irritantur, ad solam notam ac familiarem mansuescunt: sic animi morbi cum sæuiunt, compesci non possunt, nisi dicta adsint nota familiariaque, quę commotos corripiant. *Plut.*

Vt corpus ægrotum, nec æstū ferre potest, nec frigus: Ita animus ægrotus prosperis atque aduersis rebus iuxta offenditur. *Plutarch.*

Qui nauseant inter nauigandum, existimant se melius habituros, si ex scapha liburnicam, aut in triremem demigrarint. At nihil agunt: cum secum circumferant timiditatem ac bilem: Ita frustra vertunt genus vitæ, qui morbos animi secum adferunt. *Plut.*

Qui laborant aduersa valetudine, his omnia sunt molesta, fastidiunt cibos, incusant medicos, succensent amicis: at restituta sanitas omnia reddit iocunda: sic animo ægro quæuis vita insuauis, animo sano nullum vitæ genus non iocundum. *Plut.*

Qui corporis morbo laborant quieti se tradūt, medicum accersunt, abstinent: Sed qui ægrotant animo, quo grauius ægrotāt hoc magis abhorrent à quiete & à medico. *Plut.*

Quemadmodum flamma non potest opprimi, nam circa id diffugit, quo vrgetur, quemadmodum aer verbere aut ictu non læditur, nec scinditur quidem, sed circa id cui cessit refunditur: sic animus, qui ex tenuissimo constat deprehendi non potest, nec intra corpus affligi, sed beneficio subtilitatis suæ per ipsa quibus premitur erumpit. *Senec. epist. 55.*

Vt ciuitas, in seditione non potest esse beata, nec in discordia domi norum domus: sic animus à se ipse dissidens, secumque discordans, nullam gustare partem liquidę voluptatis, ac libere potest. *Cic. lib. 1. de finib.*

Quemadmodum plus agit tortor, quo plura instrumenta doloris exponit (specie. n. vincuntur, qui patientia restitissent): ita ex his, quæ animos nostros subigunt & domant, plus proficiunt, quę habent quod ostendant. *Senec. epist. 14.*

Sicut nihil differt, vtrum ægrum in ligneo lecto aut in aureo colloces: quocunque illum transtuleris, morbum suum secū transfert: sic nihil refert vtrum animus æger in diuitijs, aut in paupertate ponatur malum suum illum sequitur. *Seneca epist. 17.*

Quemadmodum stomachus morbo vitiatus, & colligens bilem, quoscunque accepit cibos mutat, & omne alimentum in causam doloris trahit: ita animus cæcus, quicquid illi commiseris, ad nos suum perniciemque & occasionem miseriæ facit. *Seneca, lib. 5. de beneficijs, cap. 1.*

Vt in corporibus morbus segnitie & lassitudine præsentitur: sic infirmus animus, prius quam opprimatur malis, præsumptione quatitur. *Seneca.*

Sicut flamma surgit in rectum, iacere ac deprimi non potest, nō magis quam quiescere: ita noster animus in motu est, eo mobilior & actuosior, quo vehementior fuerit. *Seneca epist. 39.*

Vt qui febrium aut ephialtem horrent atque æstuant, grauius

afficiuntur ijs, qui eadē foris patiuntur: sic fortunæ res, quod foris aduenjunt minus discruciant, quam ea quæ sunt animi. *Plut.*

Vt si fons ipse turbidus, sit quicquid inde fluxerit non potest esse purum: sic animus, si sit infectus malis affectibus, omnia vitiat, quę accersunt, contra si putus & tranquillus. *Plut.*

Quemadmodum admonet Xenophon, vt in rebus prosperis maxime meminerimus honorare Deos, quo si quādo inciderit necessitas, audacter eos possimus accersere, ceu iam beneuolos & amicos: sic dicta quæ morbis animi queant mederi, multo ante comparanda sunt, vt dum opus est, facile succurrant, iam familiaria. *Plutarc.*

Cromantii episcopi, non firmare tranquillum, nisi cessauerint venti: non extinguitur ignis, nisi materiam incendij, spinarumque sarmenta detraxeris: Sic nec animus erit mitis & quietus, nisi ea quæ exuscitant & inflammant, fuerint abdicata. *De beatitudinibus, fol. 413.*

PROFANA EXEMPLA.

Demonax vehementer eos coarguebat, qui corpora summo studio curarent, atque se omnino negligerent. Haud dissimiles eos ratus, quorum omnis solicitudo in extruendis ædificiis versaretur: & hominum, qui ædes habitarent, nullam penitus haberent rationem.

Stilpo. Demetrius Antigoni filius cum Megaram occupasset, Stilponem philosophum accersitum rogauit, num quis militū aliquid rerum abstulisset: Nullus, inquit, omnem enim vidi, qui scientiam, & eruditionem raperet, Sentiens, animi bona non esse bellorum violentiæ obnoxia. *Plut. in Demetrio Seneca.*

Agesilaus, quum Græci, qui Asiam incolebant, Persarum regē ex more Magnum appellarent: Qua, inquit, Agesilaus, re ille me maior est, nisi sit iustior, ac temperantior: Contempsit vir egregius æterna bona: quæ vulgus præcipue suscipit, ac hominis felicitatem animi bonis metiebatur. Ea sententia philosophis esse consueuit in ore, sed hanc bellator expressit affectu. *Plut.*

Dionysius senior, quum intra regiam sacrum ex more perageretur, præcoque, sicuti assueuerat, precaretur, vt per multa tempora inconcussum duraret imperium: Non tu desines, inquit, rex, abominanda nobis imprecari? Sentiens, potius optandam bonam mentem: quam ea quæ nihil conferunt ad hominis felicitatem: quandoquidem animi bona fortunæ bonis semper præferenda sunt. *Paul. Man. l. 5, apoph.*

Milo Crotoniates, factus iam senex, quum vidisset athletas alios in curriculo sese exercentes, fertur inspexisse lacertos suos lachrymansque dixisse: At hi iam mortui sunt. Merito fleuit, qui felicitatem corporis viribus metiebatur. Animi vigor serius senescit, si tamen senescit vnquam. *Paul. Man. 6. apoph.*

Bias, quum patriam eius Prienen hostes inuasissent, omnibus quos sæuitia belli incolumes abire passa fuerat, pretiosarum rerum pondere onustis, fugientibus interrogatus. Quid ita nihil ex bonis suis secum ferret. Ego vero, inquit, omnia bona mecum porto. Pectore enim illa gestabat, non humeris: non oculis visenda, sed æstimanda animo: quæ domicilio mentis inclusa, nec mortalium, nec deorum manibus labefactari queunt, & vt manētibus præsto sunt, ita fugientes non deserunt. *Cicero in Paradoxis. Valer. Maxim lib. 7. c. 2. Verum Seneca l. c. 5 de Tranquillitate, & epist. 9. Stilponi hoc adscribit.*

Alexander. Darius rex Persarum, quum numerosissimum exercitū instruxisset aduersus Alexandrum, admonitus Alexander, vt consideraret contra tantum hostium impetum omnia ageret, nil aliud respondit, quam Magna animi molestia me Darius liberauit, qui vires suas omnes in vnum contraxit, vt liceat vno die de summa rerum decernere. *Plut. in apoph.*

Anonymus, Pirata quidam ad Alexandrum Magnum deductus. & rogatus cur auderet infestare maria, compendio respondit: Ego, inquit, quoniam id vnica nauicula facio pirata nominor: cum tu, Alexander idem facias magna classe, rex appellaris. Alexander hominis animum tam intrepidum admiratus, donauit illum vita, *Plut. in Alexandro.*

Agesilaus, quum in Lydia Tissaphernem fugasset ac multis interfectis in agros regios incursionem fecisset: Rex Persarum per legatos magnifica illi munera obtulit, vt a bello desisteret, Agesilaus autem respondit: Pacis quidem tempore Reipublicæ vigere authoritatem: vt ius habeat decernendi, quod ad tuendam ei vtitatis tranquillitatem censuerit conducere: bellū autem tempore non item. Vox excellentis animi, qui non aliud virtutis præmium ambiret quam gloriam, nec pacem hosti venderet fraudato milite. *Plut. in apoph. Lacon.*

Pausanias, quibusdam in spolijs barbarorum demirantib. pretiosas vestes: Præstiterat, inquit, ipsos esse multi pretij, quam possidere pretiosa. Correxit suorum admirationem, eosque ad verorum bonorum admirationem reuocauit. *Plut. in Laconicis.*

Aristoteles. illud amicis ac discipulis inter disserendum frequenter solebat ingerere: Visum accipere lumen à circumfuso aere, animum autem a disciplinis liberalibus. Sentiens, ingenium adolescentum disciplinis acui, & ad reliqua philosophiæ myste-

tia reddi perspicax. *Laertius capite quinto, libro primo.*

Socrates. Xenophontem in angiportu quodam habuit obuium: quũ que videret adolescentem rara indole, porrecto baculo vetuit ne præteriret, vbi constitisset, rogauit, vbi fierent venderenturque variæ merces, quibus vulgo vtuntur homines? ad id quum prompte respondisset Xenophon, percontatus est vbi homines fierent boni? cum adolescens respondisset, se id nescire. Me igitur sequere, inquit, vt hoc discas. Ex eo Xenophon cœpit esse Socratis auditor. Absurdũ est, scire vbi parare queas honestam vestem, aut poculum: & ignorare, vnde tibi comparare possis animi cultum. *P. Man. lib. 3. epop.*

Isocrates. videns ex discipulis agri sui colendi studiosum, cæterum in exornandis moribus desidem: Vide, inquit, ne agrum mitiorem cultioremque faciens, au incultus animo, atque agrestis prorsus euadas. *Stob.*

Hieroglyphica.

Equus animi elati, ac ferocis hieroglyphicum esse potest. Sic enim Prudentius elationem animi describens ait,

Forte per effusas inst ea superbia turbas
Insreni uolitabat equo.

Pier. Valer. lib. 4. pag. 38. F.

Nec ingratum fuerit hieroglyphicum, quo animi desponsio, & desperatio significetur: vbi quis *Equum cessitantem*, aut prioribus prolapsum pedibus appingat. *Idem lib. 4. pag. 42.*

Animum purum, supra terrenas feces elatum, & diuinarum tantum rerum meditationi deditum per *Ciconiam* hieroglyphice significant sacræ etiam nostrorum literæ. Fastigia enim apicesq; rerum semper quæritat *Ciconia. Pierius Valerius lib. 17. pag. 160. F.*

Accipitrem sursum versus tendentem si quis pingat, animum qui ad diuina sustollatur intelligemus: quem si quis ad inferna deiabentem effinxerit, animum significabit, qui se ad ea, quæ terræ beneficia sunt, examinanda explicauerit. *Pier. Valer. lib. 21. p. 195.*

Hominem, qui animum suum à vitijs affectibusque cruciabilibus depurgat, quæque se lædant eximat atque depellat significare si vellent, *Scolopendram* effigiabant, eam nonnulli centipedam vocant. Rationem vide apud eundem. *Pier. lib. 30. pag. 280.*

Vas obturatum plerunque animi significatum habere perhibetur. *Pier. Valer. l. 56. p. 539.*

Vide Magnanimitas.

ANNVS.

DEFINITIO.

ANNVS Græce ἔτος καὶ ἐνιαυτός dicitur. Et teste Festo, Græcum est. Sunt tamen, qui velint Latinum esse, vt Atteius Capito (teste Macrobio lib. 2. Saturn.) qui annum ipsum à circuitu temporis dictum putat, ab an, quod est circum, & annonas, & inde annonam deduci manifestum est. Alij ab annulo, quia instar annuli in se redeat. Virgilius.

Atque in se sua per vestigia voluitur annus.

Annus lunaris mensis est, quia luna paulo minus quam mensem in Zodiaci circuitione consumit.

Annus solis, dies 365. & quadrantem continet, quibus sol Zodiacum lustrat. Ita vt quarto quoque anno dies intercaletur, hic etiam magnus dictus est lunaris comparatione. Virgil.

Interea magnum sol circum voluitur annum.

Annus magnus continet duodecim millia, quingentos, & quinquaginta quatuor annos solares, vt testatur Cicero.

Hebr. Annus *Schanah* propter mutationem, & reuolutionem, seu iterationem dicitur: quod videlicet annus annum perpetua serie sequatur: vt & ἐνιαυτός Græcorum; a verbo Schana, mutauit, iterauit, secunda vice repetijt. Seculorum sane reuolutio, iteratio est, atque secũdaria repetitio annorum, qui in seipsos per solis repetitos labores suaque per vestigia voluuntur. Vide Etymologic. trilingue Lugdun. p. 70. & 71.

Biblici Loci.

Annus Iubileus, *Leuit.* 45. 12. Anno septimo debita remittebantur, *Deut.* 15. 1. *&c.* Annorum Solis, & Lunæ cursu facta distinctio, *Gen.* 1. 14. Anni septuaginta captiuitatis Babylonicæ præfiniti, 2. *Paralip.* 36. 21. *Ierem.* 25. 11. *&* 29. 10. *Daniel.* 9. 2. Anni quadringenti seruitutis Aegyptiacæ, *Gen.* 15. *vers.* 13. eorum initium fieri debet ab initio exorti seminis Abrahæ, id est, a nato Isaaco, ex quo Abraham cõsecutus est promissionis semen, de quo agitur in illa prædictione, & præcise impletur, cum Israelitæ ex Aegypto educuntur. Annorum vero quadringentorum triginta, quorum fit mentio, *Exod.* 12. 40. *Gal.* 3. 17. initium fieri debet ab initio peregrinationis Abrahami. Anni septuaginta vitæ humanæ præfiniti. *Psal.* 90. *vers.* 10.

Philosophicae Sententiae.

Est annus quem κλιμακτηρικὸν appellant, quasi dicas scalarem. Constat hic ex annis septem, sed nouies repetitis, vel nouẽ, sed septies multiplicatis. Horum annorũ summa fit sexaginta tres. Meminit huius anni, A. Gellius, vt dicat in multa hominum memoria obseruatum, expertumque esse in senioribus plerisq; omnibus, sexagesimum tertium vitæ annum cum periculo, & clade aliqua venire, aut corporis morbique grauioris, aut vitæ interitus, aut animi ægritudinis. Allegat hic partem epistolæ Augusti Cæsaris, quam ad Caium nepotem suum scripsit. Spero te, inquit, lætum & beneualentem celebrasse tertium & sexagesimũ natalem meum. Nam vt vides, κλιμακτῆρα communem seniorũ omnium tertium & sexagesimum euasimus.

Vide plura apud Leuinum Lemn. cap. 32. libro 2. de occult. naturæ mirac.

Annum magnum mundi expleri putant plerique, quando cœlestia omnia ad eandem prorsus & in se ipsis & inuicem dispositionẽ, quam habent hodie, reuertentur. Hoc spacium alij, 36000. alij, 39000. annorum solarium, numero, alij aliter metiuntur, aiterue putant. *Fic. in Plo. Enn. 5. l. 7.*

Annorum diuersitas vbi reperitur, fides gestarum ab ea lingua petenda est: ex qua translatum est quod habemus. *Ioan. Pic. Miran. in Astrologiam lib. 6. 8.*

ANTICHRISTVS.

DEFINIT. ET ETYMOLOG.

ANtichristus Græcũ vocabulum est, ἀντίχριστος ἀντὶ enim contra est, & Christus, contra Christum.

Biblici Loci.

Antichristus qui, & eius regnum *Esa.* 11. 4. *Dan.* 7. *v.* 7. 19. 24. *&* 8. *v.* 9. 2. *&* 9. 27. *&* 11. 11. *Zach.* 11. 15. *Matt.* 24. *v.* 24. *Mar.* 13. 0. *Io.* 5. 43. *Act.* 20. 29. 2. *Th.* 2. 3. 1. *Tim.* 4. 1. 2. *Tim.* 3. 2. *Io.* 2. *v.* 18. 22. *&* 4. 3. 2. *Io. v.* 7. *Iuda v.* 10. *Apoc.* 15. 7. *&* 12. 8. *&* 14. 9. *&* 19. 20. *v.* 2. 8. Iam in mundo est, *Ioan.* 4. 3. in Deum blasphemus est, 2. *Thes.* 2. 4. *Apoc.* 13. 6. filius perditionis, & homo peccati vocatur. 2. *Thes.* 2. 3. seductor est, *Matth.* 24. 5. 2. *Thess.* 2. *vers.* 2. 10. 2. *Ioan. v.* 7. superbia eius, 2. *Thess.* 2. 4. iniquitatis mysterium iampridem operabatur. *vers.* 7. suo tempore reuelandus, *v.* 6. à reprobis adoratur, *v.* 8. Antichristi miracula mendacia, quibus eius imperium stabiliri oportuit, *v.* 9. eius imperium caducum, *v.* 9. Antichristi multi, 1. *Ioan.* 2. 18. è fidelium cœtu exituri, *vers.* 19. Antichristi reuelati certissima τεκμήρια 1. *Tim.* 4. 1.

Sententiae Patrum.

Nulli dubium est, Apostolum (2. Thess. 2. 1. 2. &c.) de Antichristo loquutum esse, quem refugam vocat. vtique Domino Deo. Quod si de omnibus impijs merito dici potest, quanto magis de isto? Sed in quo templo Dei vt Deus sit sessurus, incertum est: Verum in illa ruina templi, quod à Salomone rege constructum est, an vero in Ecclesia. Non enim templum alicuius idoli, aut dæmonis, templum Dei Apostolus diceret. Vnde nonnulli, non ipsum principem, sed vniuersum quodãmodo corpus eius, id est, ad eum pertinentem hominum multitudinem, simul cum ipso suo principe hoc loco intelligi Antichristum volunt. *Aug. de ciuit. Dei, lib.* 20. *cap.* 19.

Vnum moneo vos, cauete vobis ab Antichristo, male Ecclesiã Dei in tectis ædificijsque veneramini: male erga parietes instatis: male sub his pacis nomen ingeritis: anne ambiguũ est Antichristum in his esse sessurum? *Hilar. contra Auxent.*

Iam ergo attendamus quis Christum neget, & non attendamus ad linguam, sed ad facta. Non audio quid sonet, sed quid viuat. Opera loquuntur, & verba requirimus: Magis mendax est Antichristus, qui ore profitetur Iesum Christum, & factis negat. *Aug. tom.* 3. *in* 1 *epist.* 10. *Ioan.*

Apostolus ostendit, Antichristum non solum dijs falso sic dictis se superiorem nominaturum esse, sed etiam in diuino templo sessurum vt Deum. Diuinum autem templum ecclesiam appellat, ijs sic in memoriam reuocans quæ sæpe docuerat. *Theodoret. in Epitom.*

Antichristus in domo Domini, in sede Christi sedebit. *Amb. in 2. ad Thess.*

Exercitus Antichristi sunt omnes hæreses, præcipue ista, quæ obtinuit Ecclesiæ locũ, & stetit in loco sancto, ita vt videatur quasi verbum veritatis stetisse, cum non sit verbum veritatis, sed abominatio desolationis, id est, exercitus Antichristi. *Chrys. hom.* 49. *in Matth.*

Si quis abominationem desolutionis intelligat ipsum Antichristum, qui postmodum venire speratur, & obtinere loca Ecclesiarum sancta, sub specie Christi, & multos fidelium desolari, nõ irrationabiliter dicet. *Ibidem.*

Generaliter vnus est Antichristus: species autem illius multæ. *Orig. in* 24. *Matt. hom.* 12.

Scire

Scire debetis ac pro certo credere ac tenere, pressuræ diem super caput esse cœpisse & occasum seculi, atque tempus Antichristi appropinquasse. *Cypr. lib. 4. epist. 8.*

Pacem nobiscum veraciter habebitis, si nominis prophani superbiam declinatis: iuxta quod magister gentium dicit: O Timothee, depositum custodi, euitans profanas vocum nouitates. Nimis quippe iniquũ est, si qui prædicatores humilitatis facti sunt, de vani nominis elatione glorientur: cum verus prædicator dicat, Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi. Ille ergo vere gloriosus est, qui non de temporali potentia, sed pro Christi nomine de sua passione gloriatur. In hoc itaque vos medullitus amplectimur: in hoc sacerdotes vos esse recognoscimus, si repulsa vanitate verborum, sanctitatis locum cum sancta humilitate teneatis. Ecce enim in nephandi appellatione nominis scandalizati sumus. *Greg. l. 5. ep. 7.*

Nunquid non cum se Antichristus veniens Deum dixerit, friuolũ valde erit, sed tamen nimis perniciosum: Ego fidenter dico, quia quisquis se vniuersalem episcopum vocat, vel vocari desiderat, in elatione sua Antichristum præcurrit: quia superbiendo se cæteris præponit: Nec dispari superbia ad errorem ducitur. Quia sicut superbus ille Deus videri vult super omnes homines: ita quisquis iste est qui solus sacerdos appellari appetit, super cæteros sacerdotes se extollit. *idem ep. 30. l. 7.*

Ecclesiasticæ dignitatis officia in turpem quæstum & tenebrarum negotium transfere: nec in his salus animarum, sed luxus quæritur diuitiarum. Propter hoc tondentur, propter hoc frequentãt Ecclesias, missas celebrant, psalmos decantant. Pro episcopatibus, archidiaconatibus, abbatijs, alijsq; dignitatibus impudenter hodie decertatur, vt Ecclesiarum reditus in superfluitatis & vanitatis vsus dissipentur. Superest, vt reueletur homo peccati, filius perditionis, dæmonium non modo diurnum, sed & meridianum: quod non solum transfiguratur in angelum lucis, sed extollitur supra id omne quod dicitur Deus, aut quod colitur. Nimirum insidiatur crudelius calcaneo matris Ecclesiæ, à quo dolet caput suum esse contritum. Hic plane grauissimus erit concursus, sed ab hoc quoque Ecclesiam electorum veritas liberabit, propter eos breuians dies: & dæmonium meridianum destruẽs illustratione aduentus sui. *Bern. ser. 6. in Psal. 61. Qui habitat.*

Nunc, quod grauius est, ipsi Christum persequuntur, qui ab eo vtique Christiani dicuntur. Amici tui, Deus, & proximi aduersum te appropinquauerunt & steterunt. Coniurasse contra te videtur vniuersitas populi Christiani à minimo vsque ad maximum, a planta pedis vsq; ad verticem non est sanitas vlla: egressa est iniquitas à senioribus iudicibus vicarijs tuis, qui videntur regere populum tuum. Heu, Heu, Domine Deus, quia ipsi sunt in persecutione tua primi, qui videntur in Ecclesia tua primatũ diligere, gerere principatum. Arcem Syon occupauerũt, apprehenderunt munitiones, vniuersam deinceps libere & potestatiue tradunt incendio ciuitatem *idem serm. 1. de conuers. S. Pauli.*

Serpit hodie putrida tabes per omne corpus Ecclesiæ: & quo latius, eo desperatius eoque periculosius, quo interius. Nam si insurgeret apertus inimicus hæreticus, mitteretur foras, & arescere: si violentus inimicus, absconderet se forsitan ab eo. Nunc vero quem ejciet, aut à quo abscondet se? Omnes amici, & omnes inimici: omnes necessarij, & omnes aduersarij: omnes domestici, & nulli pacifici: omnes proximi, & omnes, quæ sua sunt quærunt. Ministri Christi sunt & seruiunt Antichristo. Honorati incedunt de bonis Domini, qui Domino honorem non deferunt. Inde is quem quotidie vides meretricius nitor, histrionicus habitus, regius apparatus. Superest vt reueletur Antichristus, &c. *idem ser. 13. & Cantic.*

Alligatio Diaboli non permittit exercere totam tentationem, quã potest vel vi, vel dolo ad seducendos homines in partem suam cogendo violenter, fraudulenterve fallendo. Quod si permitteretur in tam longo tempore, & tanta infirmitate multorum, plures tales, quales Deus id perpeti non vult, & fideles deijceret, & ne crederent, impediret. Quod ne faceret, alligatus est. Tunc autem soluetur, quando & breue tempus erit. Nam tribus annis & sex mensibus legitur Satanas totis suis viribus sæuiturus. *Aug. lib. 20. de ciuit. Dei c. 4.*

Non veniet ad viuos & mortuos iudicandos Christus, nisi prius venerit ad seducẽdos, in anima mortuos aduersarius Antichristus, sed in quo Dei templo sessurus sit, incertum est. *August. lib. 20. de ciuit. Dei c. 19.*

Helias quippe ante aduentum iudicis Saluatoris non immerito speratur esse venturus: qui etiam nunc viuere non immerito creditur. Curru namque igneo raptus est de rebus humanis, quod euidentissime Scriptura sancta testatur. Cum ergo venerit exponendo legem spiritualiter, quã nunc Iudæi carnaliter sapiunt: conuertet cor patris ad filium, id est, corda patrum ad filios, cum intelligentiam patrũ perducet ad filiorũ intelligentiam. *ibid c. 29.*

In iudicio vel circa iudicium has res didicimus esse venturas, Heliam Thesbyten, fidem Iudæorum, Antichristum persecuturum, Christum venturum, iudicaturum mortuorum resurrectionem, bonorum malorumque diremptionem, mundi conflagrationem, eiusque renouationem. Quæ omnia quidem ventura esse credendum est: sed quibus modis, & quo ordine veniant, magis tunc docebit rerum experientia, quam nunc ad perfectum hominum intelligentia valet consequi. Existimo tamen eo, quo a me commemorata sunt, ordine esse ventura. *August. de ciuit. Dei, lib. 20. cap. ult.*

Polyanthea Nouiss.

Qui tenet, modo teneat, donec de medio fiat, & tunc reuelabitur ille iniquus, quem Dominus Iesus interficiet Spiritu oris sui. Docet nos Antichristum manifestum futurum, siquidem ipsum videtur aliquando euidentiore significatione tetigisse interficiendum Spiritu oris Dei Iesu Christi. Sed post quantum temporis illud tempus erit, nec saltem obscure locutus est. *Ad August. Hesych. epist. 79.*

Beatus interfecto Antichristo dies super numerum præfinitũ 45. præstolatur, quibus Dominus & Saluator in sua maiestate venturus est. Quare autem post interfectionem Antichristi 45. dierum silentium fit, diuinæ scientiæ est, nisi forte dicamus, quod dilatio regni sanctorum, patientiæ comprobatio est. *Hieronymus super illud Daniel. Beatus qui expectat & peruenit usq; ad dies 1335.*

Non prius veniet Christus, quam regni Romani defectio fiat, & appareat Antichristus, qui interficiet sanctos, reddita Romanis libertate, sub suo tamen nomine. *Amb sup. illud 2. ad Thess. 2. Nisi venerit discessio primum.*

Vnum moneo vos, cauete vobis ab Antichristo, male Ecclesiam Dei in tectis ædificijsque veneramini: male erga parietes insanitis: male sub his pacis nomen ingeritis: anne ambiguum est Antichristum in his sessurum? *Hilarius contra Auxentium*

Quum se noua præsumptione atq; superbia Patriarcha Constantinopolitanus vniuersalem episcopum appellet, in hac superbia quid aliud nisi propinqua iam Antichristi esse tempora designatur? quia illum videlicet imitatur, qui spretis in sociali gaudio Angelorum legionibus, ad culmen singularitatis conatus est erumpere. *Greg. Mag. lib. 4. epist. 34.*

Serpit hodie putrida tabes per omne corpus Ecclesiæ: & quo latius eo desperatius: eoque periculosius, quo interius. Nam si insurgeret apertus hæreticus inimicus, mitteretur foras & aresceret: si violentus inimicus absconderet se forsitan ab eo. Nunc vero quem eijciet, aut à quo abscondet se? Omnes amici, & omnes inimici: omnes necessarij, & omnes aduersarij: omnes domestici, & nulli pacifici: omnes proximi, & omnes quæ sua sunt quærunt. Ministri Christi sunt, & seruiunt Antichristo. Honorati incedunt de bonis Domini, qui Domino honorem non deferunt. Inde is quem vides quotidie meretricius nitor, histrionicus habitus, regius apparatus. Superest, vt reueletur Antichristus. *Bernard. ser. 33. in Cantica.*

Antequam Antichristus appareat virtutes ab Ecclesia magnæ cessabunt. Quatenus eam quasi abiectiorem persequatur audacius, ob hanc enim vtilitatem cessabunt sub Antichristo ab Ecclesia miracula & virtutes, vt per hoc sanctorum clareat patientia, & reproborum, qui scandalizabuntur, leuitas ostendatur, & persequentium audacia ferocior efficiatur. *Isidor. de summo bono. cap. 25.*

Tam mira facturus est prodigia & signa, dum venerit Antichristus, vt etiam electis quoddam cordis gignatur scrupulũ, quod cito exuperetur in illis ratio, per quam scient in deceptione reproborum & electorum probatione eadem fieri prodigia.

Grauius tunc contra Ecclesiam descendit Synagoga, quam in ipso Saluatoris aduentu Christianos est persecuta, dum in martyres Diabolus iam exercuit magnam crudelitatem etiam alligatus. Crudelior tamen erit sub Antichristi temporibus, quando etiã erit soluendus. Nam si ligatus tanta facere potuit, quanta solutus faciet?

Quanto breue tempus viderit restare Diabolus, vt damnetur, tanto in magna persecutionis ira mouebitur, diuina iustitia permittente, vt glorificentur iusti, sordidentur iniqui, & vt Diabolo crescat durior damnationis sententia. *Ibid. c. 26.*

SCRIPTORES.

De Antichristo. *Aur. August. Tom. 4. liber quem Paul. Manut. negat esse Aust. Hippolytus, Ioan. Damasc. lib. 4. Effrem. ser. D. Bernardus Luzenburgus in catalog. hæres. Ioan. Parisien. Pharetra. Lumen animæ par. 2. c. 23. Vincent. Bell. 2. 2. t. Manipulus florum Ioan. Hildesheim. Herman. Bodius Henric. de Hassia. Anselmus, Rod. Gualtheri homil. 4. Lat. & Germanice, apud Rainerium in prophetia. c. 64.* Antichristi interitus. *Marullus 6. 4.*

Antichristus templum Hierosolymis reparare, & omnes legis ceremonias restaurare tentabit. *Isidor. Etymol. 8.*

Sed his omnibus præferendus Robertus Bellarminus: Tomo disputat. libro tertio de Summo Pontifice. Columna 845. Editionis Ingolstad.

APOSTASIA.

DEFINITIO. ET ETYMOL.

APostasia, Græcum vocabulum, ἀποστασία, defectio & rebellio est. Et est temerarius à statu fidei obedientiæ ecclesiasticæ, vel religionis recessus. *secundum Alexand. secunda Secunda tractatu de Apostasia.*

Apostasia à fide non est species infidelitatis, sed est circumstantia eius, aggrauans eam *secundum S. Thom. secunda Secundæ art.1.*

Apostata, ἀποστάτης qui deficit à religione, vt transfuga ab imperio: vnde Iulianus Imper. hoc cognomentum accepit, seductus ambitione, vt Iudas Christi discipulus auaritia, de hoc *Sedul.4.*

Tunc vir Apostolicus nunc vilis apostata factus.

Apostaticus, ἀποστατικός, qui digna desertore & proditore facit. *Ibidem.*

Formidine versus
Plebis apostatica, Dominum qua caca negasset.
Georg. Fab. in annotat. in poetas sacro. p.10.

DIVISIO.

Apostasia est retrocessio ab his, quibus homo coniungitur Deo, & est triplex, scilicet.

- *A supererogatione, vt à clericatu, & à religionis professione.*
- *Generalis, cum voluntas retrocedit vniuersaliter à mandatis Dei. Ecclesiast. 10. Initium superbia hominis apostatare à Deo: initium omnis peccati est superbia.*
- *A fide, quando retroceditur omnino à fide suscepta 2. Pet.2. Melius erat ei veritatem non cognoscere, quā post cognitam retroire.*

Apostata. Nullam ferme constituimus differentiam inter hæreticum & Apostatam, quam eam, quæ est inter genus & speciē. Hæreticus enim à singularibus fidei articulis deserit: Apostata vero totius religionis desertor est, & ab ea deficit: vnde nomen sortitus est. Per translationem quoque eos Apostatas vocamus, qui abscedunt ab eo quod tuendum suscepere, vt miles qui ab Imperatore ad hostes defecit. *Vide Iust. martyr. in Dialog. Anaclet. Epist.1. Herma. l.3. Cyprian. Epist.17. & 58.*

Persecutio martyres facit, hæresis apostatas tantum. *Tertull. lib. de præscript.*

SENTENTIAE BIBLICAE.

Salua animam tuam, & noli respicere post tergum tuum, nec stes in omni circa regione, sed in monte saluum te fac, ne & tu simul pereas. *Gen.19.*

Homo apostata vir inutilis, graditur ore peruerso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, prauo corde machinatur malum, & in omni tempore iurgia seminat. *Prou.6.*

Sicut auis transmigrans de nido suo, sic vir, qui relinquit locum suum. *Prou.2.*

Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris. *Eccl.10.*

Ne manseris in operibus peccatorum: confide autem in Domino, & mane in loco tuo: facile enim est in oculis Domini subito honestare pauperem. *Ibid.11.*

Filij mei exierunt à me, & non subsistunt. *Ier.11.*

Conflabitur indignatio mea super vos, cum ingressi fueritis Aegyptum. *Ibid.42.*

Nolite intrare in Aegyptum. *Ibid.*

Reuersi sunt, vt essent absque iugo, quasi arcus dolosus facti sunt. *Osee 7.*

Visitabo super omnes, qui induti sunt veste peregrina. *Soph.1.*

In quamcunque domum intraueritis, ibi manete, & inde ne exeaeris. *Luc.9.*

Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei. *Ibid.*

Miror quod sic tam cito transferimini ab eo, qui vos vocauit ad gratiam Christi. *Galat.5.*

Memor esto vnde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac: sin autem, venio tibi. *Apoc.2.*

SIMILITVDO.

Qui ex balneo calent, vehementius frigescunt, & aqua frigidior esse solet, quæ prius caluit: ita vehementius sese oderunt, qui prius fuerunt amici, & sceleratiores sunt, qui a pia via ad impiam se transtulerunt. *P.M.*

EXEMPLA SACRA.

Apostasia a fide exitialis, *Heb.5.v.6. & 10.26.2.Pet.2.v.20.1.Ioan.5.16.* Prædicta est ab Apostolis, *2.Thess.2.v.3.1.Timoth.4.1.2.Pet.2.vers.1.* Exempla: Populus Israeliticus & Aaron, *Exod.32.v.1.2.3.4.* Israelitæ, *Iudic.2.v.11.12.19.2.Reg.17.v.7.8.9.10.11.12.Ezec.2.ver.3.* Michas, *Iudic.17.v.5.6.* Salomon. *1.Reg.11.ver 4.5.6.* Iehu, *2.Reg.10.31.* Roboam & Israelitæ. *2.Paral.12.ver.1.* Principes Iuda, *24.v.17.18.* Ozias, *26.v.16.17.* Achaz, *28.v.23.* Sedechias & Principes Sacerdotum, *36.v.13.14.* Hymenæus & Alexander, *1.Timoth.1.v.19.20.*

PROFANA EXEMPLA.

Ammonius Alexandrinus, præceptor Origenis fuit à puero Christianus. Post vero ad philosophiam se conuertit, deserta fide Orthodoxa. *Rauisius.*

Aurelianus qui Galieno successit, anno C C L X X I I I. tantum abest, vt iniquus is, aut inimicus Christianis fuerit, vt suam etiam, in postrema & frequentissima contra Paulum Samosatenum Synodo Antiochiæ, auctoritatem interposuerit: & Samosatenum de Ecclesia cedere nolentem, exire compulerit: vt *Eusebius narrat li 7. c.30.* Attamen cum natura barbarus & sanguinarius esset, vt *Eutropius* scripsit, adeo vt nec à propriæ sororis filij cæde abstineret, alienus tandem à Christianis factus, persecutionem in eos mouere proposuit. *Eusebius & Platina.*

Ecebolius, Constantinopolitanus sophista, cum Imperatorum se ingenijs accommodaret, vehementer Christianum esse se simulauerat: sub Iuliano vero apostata truculentus gentilis apparuit, ac rursus post Iulianum Christianus esse voluit. Etenim ante portam oratorij se ipse pronum in terram proijciens, clamauit: Calcate me, salem insipidum. Ad hunc modum leuis & mobilis Ecebolius & ante & post Iulianum fuit. *Socrates lib.3. histor. Eccl. c.13. & Suidas.*

Theophilus in Cilicia ciuitate quadam Diaconus, diabolo se, remotus ab officio, dato chirographo manciparat, promiseratq; se insuper Christum abnegaturum esse. *Marullus, lib.2.c.12. & lib.4.c.10.*

Apud Bulgaros Filius Trebellij Rex à patre designatus, abiecta religione Christiana, ad malorum dæmonum cultum redijt, patris sui pietatem aspernatus. *Sab. Enne.8.lib.6.*

Boleslaus Crispus. Polonorum Princeps, Borussos armis ad religionem Christi suscipiendam coegerat. Illi non multo post ad vomitum reuersi, imperata omnia, excepta religione, se facturos promisere. *Cromerus lib.6.*

Apud Orientales Anglos Redualdus rex fauens religioni Christianæ, Cantij est baptizatus. Domum rediens, à coniuge, & quibusdam seductoribus persuasus, eam abiecit, & idololatricos cultus recepit, nec multo post obijt. *Beda lib.2.c.15.*

APOSTOLVS.

DEFINIT. ET ETYMOLOG.

APostolus, Græce ἀπόστολος dicitur, nomen ab actu mittendi generaliter. Theologus tamen hoc nomen Apostolus determinat ad missos nuncios speciales Christi, & adhuc singulariter ad personam Pauli refertur, quādo sine adiectione dicitur.

Apostoli nomen sacrum in noua lege in forensi palæstra pro literis dimissorijs sumitur ab ἀποστέλλω, quod est emitto, vnde T. Liuius Apostolos fregit in Senatu, & Modest. de verb. significat. Dimissoriæ, inquit, literæ dicuntur, quæ vulgo Apostoli, quod acta causæ à primo iudice ad secundum demittuntur, vt de causa instrui possit: Nos vero hic tractamus de primis illis sacri Euangelij legatis cum mandatis Christi per vniuersum orbem missis ad fidem & veritatem propagandam.

SENTENTIAE BIBLICAE.

Apostolus: Apostoli nomen interdum extenditur ad omnes verbi Dei ministros, *Rom 16.7.2.Corint.8.23.Philip.2.25.* interdum ad duodecim restringitur, *Matth.10.2.Luc.6.31.* interdum etiam Christo tribuitur. *Hebr.3.1.* Apostoli vocabantur duodecim, etiam tunc cum expuncto Iuda vndecim tantum essent, *1.Corint.15.5.* generalius pro tota Ecclesia Ierosolymitana. *Act.15.3.* pro sapientibus & scribis, *Luc.11.49. vt patet ex Matth.23.34.*

Apostoli Dei administri, *1.Corinth.3.9.* Dispensatores mysteriorum Dei, *4.1.* mundum iudicare dicuntur, *Matth.19.18.* Messores dicuntur, *Ioann.4.38.* Sal terræ & lux mundi sunt, *Matth.5.versicul.13.4.* Ministri, non Domini sunt. *Matth.20.versic.26.27. Marc.10.versic.43.44. Luc.22.versicul.25.26.27.1.Corinth.3.5. & 4.1.2.Corinth.1.24. & 4.5.Coloss 1.versic.23.25.* Apostoli à Christo dilecti, *Ioann.13.1.* electi, *versic.18.* Apostolorum Christo magis familiares, qui. *Matth.17.1. Marc.9.2. Luc.9.28. Matth 26.37. Marc.14.33. Luc.8.51. Ioann.13.24.* linguis igneis Spiritum Sanctum recipiunt. *Act.2.3.* populo sunt grati, *4.33.* pauperes sunt, *3.6.* testes Christi. *Luc.24.48. Ioann.15.27. & 21.24. Act.1.vers.2.28. & 2.32. & 3.15. & 4.33. & 5.32. & 10.versicul.39 42. & 31.1.*

Corinth.

Corinth. 15.16. *Ioan.* 4. 14. in vniuersum orbem Euangelij prædicandi causa mittuntur, *Mat.* 28.19. *Marc.* 10.15. *Ioan.* 17.18. & 20. 21. *Act.* 1.8.1. *Corint.* 12.28. *Ephes.* 4.11. Spiritu Sancto donati, *Luc.* 24.49. *Ioan.* 20.22. *Act.* 1.8 & 2.v.2.3.4. in carcerem conijciũtur, 4.3. & 5.18. hinc Angeli ministerio educuntur, *vers.* 19. & 12.7. docent in templo, 5.v.21.42. cæduntur ob Euangelium, *v.* 40. ex Spiritu Sancto locuti sunt, *Matt.* 10.20. *Luc.* 12.12. 2. *Pet.* 1.21.

Apostolorum conditio, *Matth.* 10.v.16.23. *Luc.* 11. 40. *Ioan.* 15.8. & 16. 20. dignitas ac præstantia, *Matth.* 11.11. doctrina, *Ioan.* 17. 20. Epistola ad Gentes, *Act.* 15.23. Euangelium 2. *Corint.* 4.3. *Galat.* 1.v.8.9. fides, *Matth.* 15.16. *Marc.* 8.29. *Luc.* 9.20. *Ioan.* 6.v.68. 69. & 16.v.27.30. & 17.v.7.8. munus, *Matt.* 10.7. & 28.19. *Marc.* 6.12. & 16.15. *Luc.* 9.2. *Ioan.* 15.16. nomina, *Mat.* 10.v.2.3.4. *Marc.* 3.v.16.17.18.19. *Luc.* 6.v.14.15.16. *Act.* 1.13. oratio pro regni Christi successu. *Act.* 4.24. potestas à Christo data, *Matt.* 10.1. & 16.19. *Mar.* 3.15. & 6.v.7.13. *Luc.* 9.1. *Ioan.* 20.23. *Act.* 3.12. & 4.v.10.30. & 5.v.5.9. & 9.34. & 13.11. & Deo data. *Act.* 19.10.3. *Corinth.* 10. 4. instituta, *Act.* 15.29. obseruanda præcipiuntur, 16.4.1. *Thess.* 4. 2. prærogatiua. *Matt.* 13.16. Apostoli & Prophetæ habuerunt Spiritum Dei, *Exodi* 4.12.2. *Sam.* 23.2. *Dan.* 9.10. *Zach.* 7.7. *Matth.* 10. 20. *Mar.* 13.11. *Ioan.* 14.17. *Act.* 1.5. & 2.4. & 4.21. & 9.17 & 19.6. 1. *Corin* 2.12. & 12.3.2. *Corin.* 13.3.1. *Thessal.* 4.8.2. *Tim.* 3.16.1. *Pet.* 1.12.2. *Pet.* 1.21. ab ijs arrepta tenenda. *Apoc.* 2.25.

Pseudo apostoli, operarij subdoli, describuntur, 2. *Corin.* 11.13. *Philip.* 3.v.2.18. *Tit.* 1.10. ab illis cauendum, *Philip.* 3. 2. Pseudoapostoli crucis Christi inimici, *Galat.* 6.12. *Philip.* 3.18.

Pseudoapostolorum erroris pręcipuum caput, *Act.* 15.1. interius, 2. *Corinth.* 11.25.

Sententiae Patrum.

Currunt vtique ad metam martyrij, perueniunt ad coronam, non quidem eodem temporis cursu, sed eodem anni reuertentis occursu, cum enim sit in eorum passione anni diuersitas: est tamen in vno die geminata festiuitas. *August. in serm. Apost. Petri & Pauli.*

Quis iam non desperet, aut de humilitate generis, aut de magnitudine criminis, cum videat sic inundasse cœlestis gratiæ fontem, vt & piscatorem regibus præponeret, & persecutorem Apostolis coæquaret? Ille enim dum pauperiem suam curat, alimẽta quotidiani victus quærit in pelago, factus est diues in Christo, cui reges, & nationes famulantur in seculo, Paulus vero dum vrget gladijs sanctos, fidei suscipit iugum, & magister factus est gentium, forma martyrum, formido dæmonum, indultor criminum, fonsque virtutum. *Idem.*

Dedit Dominus potestatem Apostolis super naturam, vt eam curarent: super dæmones, vt eos euerterent: super elementa, vt ipsa immutarent, super mortem, vt eam contemnerent: super angelos, vt corpus Domini consecrarent. Hæc etiam potestas data est eorum successoribus, secundum illud Apocal. 6. hi habent potestatem claudendi cælum, & conuertendi aquam in sanguinem. *Idem in serm. de Apost.*

Ex paucissimis, & imperitissimis, & abiectissimis multiplicantur, nobilitantur, sublimantur copiosissima agmine, clarissima ingenia, acculeissima eloquentia doctorum acutorum, ac facundorũ. *August.* 2. *epist. ad Volusian.*

Christum Iesum, Petrum & Andream, & alios per quos operatus est salutem in medio terræ non de foro Iustiniani, sed de simplicitate piscatoria legimus assumpsisse. Instat enim sapientia huius mundi, & legum ventosa loquacitas. Elegit non reges, non Senatores, non Philosophos, sed plebeios, pauperes, indoctos piscatores, ineruditos liberalibus disciplinis, non peritos Grammaticæ, non armatos Dialectica, non Rhetorica inflatos, piscatores Christus cum retibus fidei paucissimos misit, atque ita ex omni genere tam multos pisces, & tam multo mirabiliores, quanto rariores etiam ipsos Philosophos cepit. *August. in serm. de Apost.*

Petrus sequebatur à longe, &c. Fortasse, & in hoc Petrus nobis maxima sit admiratione reuerendus, quod Dominum non reliquit, etiam cum timeret, metus naturæ est, cura pietatis, suum, quod non fugit, quod sequitur deuotionis, quod negat obreptionis, commune quod labitur, fidei quod pœnitet. *Ambros. sup. Luc. lib.* 9.

Non sine causa factum putemus, quod vna die, vno loco, vnius tyranni Apostoli tolerauerunt sententiam, vna die passi sunt, vt ad Christum pariter peruenirent. Vno loco, ne alteri Roma deesset, sub vno persecutore, vt æqualis crudelitas, vtrumque constringeret: Dies ergo pro merito, locus pro gloria, persecutor decretus est pro virtute. *Ambros. in serm. Apost.*

Paulus non est inferior Petro, quamuis ille Ecclesiæ fundamenta, iste sapiens Architectus sciens vestigia fundare populorum, nec Paulus indignus collegio Apostolorum est. *Ambros. lib. 4. de Spiritu Sancto.*

Potestatem tribuit Dominus Apostolis, vt sciant qui dominantur, à talibus humanã sententiam diuina sententia coroborrari. *Ibid.*

Polyanthea Noua.

Piscatores illiterati mittuntur ad prædicandum, ne fides credentium non virtute humana, sed eloquentia, & doctrina Dei fieri putaretur. *Ibidem.*

Paulus terram simul atque mare, Gręciam simul atque Barbariam, omnemque prorsus quanta est sub sole regionem, quasi volitans circumiuit, non simplici labore velut in vacuum itinera percurrens, sed peccatorum spinas pariter euellens, membraque pietatis vbique seminans, errores fugans, veritatem reducens, ex hominibus Angelos faciens, quinimo ipsos homines quasi ex dęmonibus Angelos prouehens. *Chrysost. de laudib. Pauli, Homil.* 1.

Mirabiles fluuios nobis genuit Paulus, non secundum Paradisi fontem tantum, sed etiam multo plures, ac quotidie fluentes, nõ terram irrigantes, sed animas hominum ad producenda germina virtutum suscitantes. Quis igitur ad explicanda Pauli merita sermo sufficiet? quæ lingua laudibus eius inuenietur æqualis? cum omnia, quæ sunt in omnibus bona, anima vna possideat, & ea cuncta plene, atque cumulate, nec solum hominum, sed & quod potius est Angelorum. *Ibidem.*

Paulus, cœli ciuis, Ecclesiarum columna, Angelus terrestris, cœlestis homo. Sicut enim missum in igne ferrum totum profecto ignis efficitur, sic Paulus charitate succensus totus effectus est charitas. *Ibidem.*

Misit Christus Apostolos quasi sol radios suos, quasi rosa suauitates odoris sui, quasi ignis scintillas suas dispersit, vt sicut Sol in radijs apparet, sicut rosa in odoribus suis sentitur, sicut ignis in scintillis suis aspicitur, sic in illorum virtutibus Christi potentia agnoscitur. Quis enim videns discipulos bene instructos, non scientiam magistri collaudet? Faciebant, & discipuli eius, & inter mirabilium operationes maior fama virtutum crescebat. *Chrysost. super Matth.*

Merito Apostolis sanctis attribuitur, quod in sapientiæ libris legitur: Hi sunt viri misericordiæ. Sunt enim plane viri misericordię, siue quia misericordiam consecuti, siue quia misericordia pleni, siue quia misericorditer à Deo donati sunt nobis. *Bern. in serm. Pet. & Paul. ibidem.*

Scimus, quod viri isti nec sibi vixere, nec sibi sũt mortui, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, magis autem nobis omnibus propter illũ. Pro nobis facit eorum vita, eorum doctrina, & etiam mors ipsa: & in conuersione eminentiam, in prædicatione sapientiam, in passione sua patientiam nobis beati Apostoli contulerunt, qui etiam vsque hodie conferre non cessant, misericordia pleni, & sanctarum orationum fructibus. *Ibidem.*

Sententiae Poeticae.

Apostoli, Ἀπόστολοι. legati. seu duodecim viri, quos Christus Dei Filius ex infimo. & imperitissimo hominum genere elegit familiares, & discipulos: item doctrina, miraculorum, mortis atque resurrectionis testes. quibus vniuersis, atque singulis tradita est clauis regni cælorum: à quo quos ipsi excluderent, exclusi in sempiternum essent: quos admisissent eo in æternum cum summa felicitate perfruerentur. De ijs legi antiquum Epigramma Honorij Romani Episcopi. quod è manu scripto huc adijciam, agit autem de Christi ad cælos ascensu.

Luce vides Christum, quem Petrus nocte negauit,
Et cernis Dominum pergere ad astra suum.
Territus Andreas erat: miserere magister,
In regnum Patris collige discipulum.
Iacobus expauit hominem per nubila ferri:
Supponit scapulas, dat pia vota Deo.
Hæret ab aspectu tremulus per membra Ioannes:
Et turbatus adhuc sic stetit vt placeat.
Quem sequitur te Christe vocat sine voce Philippus:
Num profectus ego liber, & implicitus?
Bartholomæus pede Christi pendere tremiscis:
Et vis si capias, tendere posse manus.
Thomas ex toto nondum satiatus amore,
Se palpare putat vulnera, membra, latus.
Matthæus muto similis, per scripta locutus:
Nam timor immasit, nota tacere senem.
Iacobus Alphæi pallet, sine morte sepultus,
Dans comites oculos reddere quod potuit.
Hic stupet attonitus Simon, migrasse Tonantem,
Et fugit affectans fulgura velle pati.
Matthias, porta cæli defixus inhæret,
Omnia cum Christo secto abisse putans.
Iudas è cunctis corpus sine fronte locatus,
Conspicit occisum viuere in orbe Deum.

Benedictus Arias Montanus in humanæ salutis monument. Tab. 48. De legatione Apostolorum.

Seclorum veterum præscripto ex ordine finem
Certa Deo voluentibus annis
Tempora protulerant: hominum quoque magna per orbem
Strata seges matura iacebat:

Agricolam iam cana suum cum terra vocaret,
Et falcem expectaret acutam,
Redderet vt fixas seruandis farris aristas,
Et culmos quoque rursus inanes:
Tunc Dominus messis natus: summusq; minister
Orbis imago auctorque nouandi,
Selectorum operi tanto, duodena virorum
Ora tacens, sic fatur amice:
O mihi præchari comites, socij laborum,
Arcaniq; te sacrati magni,
Non vos parta manens discrimina vestere missos
Terrarum moremque modumque
Queis maris horrisoni fluctus, ac dura viarum
Sunt adeunda pericula sæpe:
Non vt Erythræa is gemmas ostrumq; superbum,
Numorumve paretis aceruos:
Sed magis vt nudi atque inopes, patriaq; remoti,
Vexati, instabilesq; vagique,
Vulpibus infestisq; rapacibus, agni
Imbelles blandæque columbæ
Sitis, lux tenebris nimiumque furentibus agris
Fomentum medicique fideles.
Ite igitur fortes & me duce & auspice magni
Consilium curate parentis.
Æthereas sperate & opes æternaq; sedis
Sceptra mea, & conuiuia mensæ.

Venant. Honorius Fortunatus in Carm, de spe, & gaud.

Bis duodena senum concursat gloria vatum,
Attonito sensu plaudere, voce, manu.
Hic venit Elias, illis in curribus Enoch,
Et nati dono virgo Maria prior.
Legis consulti Paulo comitante volata,
Princeps Romana currit ab arce Petrus,
Genuenerant ad festa simul sua dona ferentes,
Hi quorum cineres vrbs, caput orbis, habet.
Culmen Apostolicum radians luce coruscum,
Nobilis Andream mittit Achaia suum.
Præcipuum meritis Ephesus veneranda Ioannem,
Dirigit, & Iacobos terra beata sacros.
Læta suis votis Hierapolis alma Philippum,
Producens Thomam munus Edessa pium.
Inde triumphantem fert India Bartholomæum,
Matthæum, eximium Naddaser alta virum.
Hinc Simonem & Iudam, lumen Persa gemellum,
Læta relaxato mittit ad astra sinu.
Et fine rore ferax, Ægyptus torrida, Marcum
Lucæ Euangelica participante tuba.

APPETITVS.

DEFINITIONES ET ETYMOLOGIA.

Appetitus Græcè ὄρεξις, εως, ἡ. dicitur. Estque inclinatio appetentis in aliquod sibi simile & conueniens. *Secundum D. Thom. 1. parte, q. 80. art. 1.* De appetitu cibi & potus intelligitur. Est & appetitus, nempe ὁρμὴ impetus, subitus acrisque affectus, res varias, tum licitas, tum illicitas persequens. Ad hunc affectũ referũtur,

Poeticae Sententiae.

Lucret. l. 2. de rerum nat. vers. 261.

Nam dubio procul his rebus sua cuique voluntas
Principium dat: & hinc motus per membra rigantur.
Nonne vides, etiam patefactis tempore puncto
Carceribus, non posse tamen prorumpere equorum
Vim cupidam, tam de subito quam mens auet ipsa,
Omnis enim totum per corpus materiai
Copia conquiri debet, concita per artus
Omnes, vt studium mentis connexa sequatur,
Vt videas initium motus a corde creari,
Ex animique voluntate id procedere primum:
Inde dari porro per totum corpus & artus.

Et paulo post.

Iamne vides igitur, quanquam vis extima multos
Pellat, & inuitos cogat procedere sæpe,
Præcipitesq; rapi, tamen esse in pectore nostro
Quiddam, quod contra pugnare obstareq; possit,
Cuius ad arbitrium quoq; copia materiai
Cogitur interdum flecti per membra, per artus,
Et proiecta refrenatur retroque residit.
Quare in seminibus quoq; idem fateare necesse est,
Esse aliam præter plagas, & pondera causam,
Motibus vnde hæc collis innata potestas;
De nihilo quoniam fieri nil posse videmus.

Et paulo post.

Id facit exiguum clinamen principiorum,
Nec regione loci certa, nec tempore certo.

Philosophicae Sententiae.

Ionitat vera ratio bene sanos ad iustitiam & æquitatem. Constat autem in eis aliquid aliud esse innatum, quod repugnet, obsistatque rationi. *lib. 1. Ethic. c. 13. Arist.*

Duplex est vis rationis particeps: alia proprie est in seipsa: alia velut probus filius obedit parenti. *Ibid.*

Vis expers rationis est duplex; vis enim ea quæ crescendi causa tributa est, nulla ex parte rationis est particeps: concupiscendi autem & appetendi quodammodo ea vtitur: quatenus eis obedit atque paret. *Ibid.*

Duæ sunt partes rationis participes: vna, qua res contemplamur eas, quarum principia secus euenire non possunt: altera, qua eas quæ possunt. Appelletur autem altera vis sciendi: ratiocinandi colligendique altera *l. 6. Ethic. c. 1. & l. 1. Magn. Moral. c. 34.*

Appetitus in eas species distectus est: nempe in concupiscentiam, & voluntatem. *l. 1. Mag. Moral. c. 12.*

Mentis eius quæ cognitione cernitur, non actione aut effectione, omnis est in falsi verique cognitione posita vitiositas & præstantia. Omnis enim rationis & mentis hoc opus est proprium. *l. 6. Ethic. c. 2.*

Cuius mentis omne opus in agendo & ratiocinando est, propria est appetitioni recte congruens veritas. *ibid.*

Sublata mente & more, honesta factis & contrarijs inter actiones humanas nihil loci relinquitur. *ibid.*

Ea demum recta ratio est, quæ prudentiæ congruat. *l. 6. Ethic. c. 13.*

Finem sibi propositum habet omnis appetitus. Cuius enim est appetitio, ab eo agendi principium ducit mens ea, quæ in actione cernitur *l. 3. de Anima, c. 10. T. 49.*

Recte hæc duo appetitus & mens, quæ in actione versantur, mouere loco videntur. *ibid.*

Appetitus cum mouet, non in eo ducem rationem sequitur: cupiditas enim appetitus est quidam. Ac mens quidem omnis certa est: appetitio autem ac visio, tum recta est, tum non recta. *lib. 3. de Anima c. 10. T. 50. & 51.*

Appetitus, & id in quo inest vis appetendi, cum motu cietur, impellit ad agendum. *lib. de motu Animantium, c. 4.*

Solemus nos laudibus eos perinde atque honestos & fortes prosequi, qui & ratione vtuntur, & omnia ea duce agere pergunt: qui vero absque ratione, tanquam atroces immanesque odimus. *In Epist. Rhetoric. ad Alex. c. 1.*

Quoniam virtus, quæ more perficitur habitus est cum electione coniunctus: electio autem appetitio est, quam ante gressa est deliberatio: necesse est ob eam causam & veram esse rationem & rectum appetitum; siquidem rectum sit propositum, ac eadem quæ ratio iudicarit, appetitionem persequi. *l. 6. Eth. c. 2.*

Appetitus omnes contrahendi, sedandique sunt, excitandaque est animaduersio, & diligentia, vt ne quid temere ac fortuito, inconsiderate negligenterque agamus. *1. Offic. Cic.*

Moderari animo & orationi, cum sis iratus, aut etiam tacere & tenere in sua potestate motum animi & dolorem, etsi non est perfectæ sapientiæ, tamen non est mediocris ingenij. *ad Quint. frat. Epist. 1.*

Animum vincere, iracundiam cohibere, victoriam temperare, aduersarium non modo extollere iacentem, sed etiam amplificare eius pristinam dignitatem, præclarum est. Hæc qui faciat, non ego eum summis viris comparo, sed simillimum Deo iudico. *Pro Marc.*

Si quis hoc robore animi est, atque hac indole virtutis ac continentiæ, vt respuat omnes voluptates, omnemque vitæ suæ cursum in labore corporis, atque in animi contentione conficiat, quem non quies, non remissio, non æqualium studia, non ludi, non cõuiuia delectent, nihil in vita expetendum putet, nisi quod est cum laude & honore, & cum dignitate coniunctum: hunc mea sententia diuinis quibusdam bonis instructum atque ornatum puto. *Pro M. Cœlio.*

Regium est ita viuere, vt non modo homini, sed ne cupiditati quidem seruias; contemnere omnes libidines: non auri, non argẽti, non cæterarum rerum indigere: populi vtilitati magis consulere, quam voluntati, nemini cedere, multis obsistere. *Pro Syll.*

Esse abstinentem, continere omnes cupiditates, præclarum magis est, quam difficile. *Ad Quint. frat Epist. 1.*

Quum præcipitur vt nobismetipsis imperemus, hoc præcipitur, vt ratio coerceat temeritatem. *2. Tusc.*

Cupiditates sunt insatiabiles, quæ non modo singulos homines, sed vniuersas familias euertunt, totam etiam labefactant Rempublic. Ex cupiditatibus odia, dissidia, discordiæ, seditiones, bella nascuntur. Nec hæ sese foris solum iactant, nec tantum in alios cæco impetu incurrunt, sed intus etiam animis inclusæ inter se dissident atque discordant. *1. de Finibus.*

Efficien-

Efficiendum est, vt appetitus rationi obediant, eamque nequ. præcurrant, nec propter pigritiam aut ignauiam deserant, sintque tranquilli, atque omni perturbatione animi careant: ex quo eluce bit omnis constantia, omnisque moderatio, 1. offic.

Vide Concupiscentia.

AQVA.

DEFINITIONES ET ETYMOL.

AQua, Græce ὕδωρ ...: est vnum quatuor elementorum, humidum & frigidum, graue & deorsum tendens, ductile, facile, ineffusibile, *secundum Io Damasc. l. 2. c. 9.*

Aqua, Hebræis *Majm*. Aquæ, nomen dualis numeri, quia duplices sunt aquæ, superiores & inferiores, quas expansio seu firmamentum diuidit. Cognationem hæc vox habet cum *Iam*, i mare: quia collectionem aquarū Deus vocauit mare. Hinc Græcis ... haurio aquas: item latinis meo, meas, meare, vnde meatus aquarum. Aqua torrentis *ApiK*, à verbo *Apak*. i vim intulit, impetum fecit, violenter egit. cognationem habet cum *AbaK*. luctatus est: nam aqua torrentis videtur loctari aduersus quæcunque, fiunt illi obuia. Græc. ... stipo munio, deosculor, inuoluo.

Biblici Loci.

Aqua è petra educitur, *Exod. 17. 6. n. 20. v. 11. 12. Psalm. 105. 41.* Aquæ nihil nocumenti aut obstaculi afferunt electis Dei, *Exod. 14. 22. Psal. 66. 6. Esai. 43. 2. Iona 2. 5.* Aqua nominatur persecutio, *Psa. 144. 7. Prouerb. 17. 14 Matth. 7. 25. Luc. 6. 48. Apoc. 12. 17.* Aquæ assimilantur cognitio Dei & dona Spiritus Sancti, *Esa. 11. 9. & 12. 3. 25. & 35. 6. & 43. 20 & 44. 3. Eze'ch 47. 1. Zach. 14. 8. & Io. 4. 10. & 7. 38.* Aquam emunt filij Israel à filiis Esau, *Deut. 2. 6* Aquæ verbo Dei in vnum locum congregatæ, *Gen. 1. 10. Psal. 33. 7.* Aquæ diluuij, *Gen. 17. 7* obtinuerunt terram diebus centum quinquaginta post decrescere incipiunt, *v. 24.* Aquæ amaræ dulces redduntur, *Exod. 15. 25.* Aquæ contradictionis, *17. 7. n. 20. v. 11 13.* Aquæ Iordanis siccantur, *Iof. 3. 15.* pallio Eliæ diuiduntur, *2 Reg. 2. 8.* Aquæ morriferæ Elisæi ministerio sanantur, *2. Reg. 2. 21.* Aquæ obediunt Deo, *Psal. 104. 10.* Aquæ è Templo manantes, *Ezech. 47. 1.* A quæ vitæ allegorice, pro immensa illa caritate Dei erga nos in filio, effusa in corda nostra per Spiritum Sanctum in vitam æternam, *Ioan. 4. 10.* cuius fit mentio *Rom. 5. 5.* pro donis Spiritus Sancti instar aquæ effundendis. *Es. 44. 3. & 55. 1. Ioel. 2. 28. Ioan. 7. 38. 39. Actor. 2. 17.* Similis est metaphora Hebræis familiaris, *Ierem. 2. 12. Ioel. 3. 18. Zachar. 13. 1.* Aqua. 1. *Ioan. 5. 6.* secundum nonnullos pro ablutione à peccato. Tribuitur etiam Spiritus Sancti gratiæ, vt ià dictum est, *Hebr. 10. 23.* quoq; ab effectu, vel ex antithesi caterarum purificationum legis comparata. Aquæ pro Gentibus. *Apoph. 17. 15.*

Poeticæ Sententiæ.

Pindar. Olymp. od. 1.

Ἄριστον μὲν ὕδωρ, ὁ δὲ
χρυσὸς αἰθόμενον πῦρ.
Optima quidem est aqua, &
Aurum, ve. ignis noctu ardens.

Plaut. in Fab. Cassina.

Post id locorum, quando ad illam veneris,
Dabitur tibi amphora vna & vna semita.
Fons vnus, vnum ahenum, & octo dolia:
Quæ nisi erunt semper plena, ego te implebo flagris:
Ita te aggerunda curuum aqua faciam probe,
Vt postilena possit ex te fieri.

Demet. Ha.

Aquam bibens, probum & vtile paries nihil.

Hor. in epist.

Nulla placere diu, neque viuere carmina possunt,
Quæ scribuntur aquæ potoribus.
Fæcundi calices quem non fecere disertum?

Mar.

Possum nil ego sobrius: bibenti
Succurrent mihi quindecim poetæ.

Philosophicæ Sententiæ.

Aqua frigida & humida est *lib. 2. de Orem. c. 3. tit. 16. Arist.*

Cum aeris calor interit, terræ autem siccitas, aqua oritur, nam & illius humor & illius frigus remanet. *lib. 2. de Orem. c. 4. tit. 17.*

Si aqua in minutas partes diuidatur, celerius in aera se vertit: sin aliter coguntur, tardius, *lib. 1. de Orem. c. 1. tit. 10.*

Aqua vna ea omnibus liquidis minime densatur: idque fit, quod vel paululum insit caloris, vel magna humoris qui coerceatur copia. *lib. 4. Meteorologicor. c. 3. tit. 21.*

Polyanthea Noviss.

Aquæ genera sunt hæc: vrina, serum, & vno nomine ea omnia in quibus nihil aut parum desidet. idque non propter tenacitatem. *lib. 4. Meteor. c. 5. tit. 31.*

Ea altioribus terræ locis, quæ ad Septentriones spectant, maior vis aquæ delabitur. *lib. 2. Meteor. c. 1.*

Aquæ quidem natura saporis omnis expers esse volt. *lib. de Sensu c. 4*

Quæcunque palustres & stagnantes & lacustres aquæ sunt: has æstate quidem calidas & crassas atque olentes esse necesse est, tanquam esse, quæ effluentes non sunt, sed aqua pluuia semper noua infertur & sol vrit, quare decolores, malæ & biliosæ, hyeme vero à niue & glacie duræ, frigidæ ac turbidæ necessario sunt, adeo vt pituitosissimæ & raucosissimæ sint. Bibentibus vero lienes qui dem semper magnos & obstructos ventresque duros, tenues & calidos, humeros verò, clauiculas, & os earenuari, nam carnes in lienem consiquescunt, quamobrem graciles sunt, voraces autem siticulosique tales esse, atque ventres superiores & inferiores siccissimos habere, adeo vt valentioribus medicamentis egeant, & hic quidem morbus ipsis hyeme & æstate peculiaris est, præterea hydropes plurimi & lethalissimi sunt. *Ex Hipp. lib. de aquis, aere & locis.*

Optimæ autem sunt quæ è sublimibus regionibus & terrestribus tumulis fluunt, hæ enim & dulces & albæ sunt, viuique parum ferre valent, hyeme vero calidæ, æstate autē frigidæ sunt, sic enim è profundissimis fontibus existunt: maxime autem ex laudandæ sunt, quæ ad solis ortum præsertim æstiuum fluunt, hæ namque splendidiores, beneolentes & leues esse necesse est. *idem de aquis salubrioribus.*

Aqua prius calidæ, velocius recipiunt frigiditatem. *Arist. 1. Met.*

Τὸ σπάνιον ... hoc est, quod rarum est, o Euthydeme, magni pretij est, aqua autem vilissima, cum sit optimum quiddam. *Plato in Euthy.*

Apophthegmata.

Diogenes quum videret quendam se religionis causa aspergentem aquis fluuialibus, hoc enim ritu prisco solebant purificari, si quid piaculi commissum crederent: Infelix, inquit, multum erras in Grammatica, non absolueris aspersus, multo minus aspersio te liberabit à vitæ criminibus. *Laert. lib 6.*

Valentinianus nondum Imperator, templum Fortunæ ingrediens cum Iuliano, hinc atque hinc stantibus ædituis, qui aquam introe untibus aspergerent, vbi vidit in chlamyde purpurea guttam aquæ, pugno percussit æditum. Hoc, inquit, non est purificare, sed inquinare. Nam illi tales aspersiunculas appellabant purificationes. *P M. lib. 8. apopht.*

Adagia.

Herculana balnea, Ἡράκλεια λουτρά.

De impendio feruentibus balneis dicebatur, quales legimus & thermas Neronianas.

Aquam è pumice postulas.

Aquam postulare è pumice est frustra ab alio petere id, cuius ipse, à quo petas, maxime, s indigus, nihil enim pumice lapide siccius.

Aquam infundere cineri.

Additum in cinerem redactis, non est infundenda aqua. Vnde illud:

Post bellum auxilium.

Scriptores.

De Aquis. *L. Annaeus Seneca* De aqua *Io. Damianus lib. 2* De aquarum loco, *Lombardus, 2. 14* Aquarum nomine mortales intelligi, *Coelius, 16. 23.* De aqua & terra disputatio *Dantis.* De admirandis aquæ naturis, *Agrippa lib. 6.* De Clepsydra, Clepsydrio, Hydrologio *Coelius 18. 39.* Aquarij, Aquiminarij, *Coelius 18. 40.* An aqua sit coloris expers, *Calius 16 9.* De aquarum colore, sapore, odore, *Ge. Agricola lib. 1. de fossilium natura.* Aquas naturaliter esse fine colore & sapore. *Pontanus Meteo. 41.* Cur aqua in summa parte alba, in fundo vero nigra spectetur? *Plut. caus. natura. 39.* Aqua dulcis cur abluendis fordibus magis idonea sit quam salsa. *Macrob. Satura. 7. 13. q 3.* Cur frigidior æstate aqua in puteis. *Lucretius lib. 6.* Quomodo aqua sit terræ innexa, *Plin. 2. 68.* Mirabilia aquarum & Medicinæ, *C. Plin. Seneca lib. 3. 1. cap. 1. 2. 3. Vide Indicem Plinianum* De maris mediterranei progressu & fluxu, *Macrobius Saturn. 7. 12. quæstiunc. 13.*

Vide Mare.

ARATIO.

DEFINIT. ET ETYMOLOG.

ARatio est cultura agri: dicta quia de ære prius exercebant terræ culturam: antequam ferri fuisset vsus repertus. *Isid. 1. 17. cap. 1. Originum.*

Hebræo aratio, seu arandi actus *Charisch*, 1. proscissio agri à verbo *charasch.*

Charasch, arauit, exarauit, & proprie significat exarando protrahere sulcos seu lineas in agro.

DIVISIO.

Aratio duplex est, Vernalis & Autumnalis. *idem ibidem.*

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Arationes & fossationes in genere quatuor conferunt vtilitates. Prima est terræ apertio: Secunda est adæquatio: Tertia, agri commixtio: Quarta continuatio. *Albert. Mag. de veget. & plant. lib. 7. tract. 1. cap. 4.*

Arationi tempus congruum non est tempus siccitatis extremæ: sed cum parum mollita est terra. *ibid. cap. 5.*

Arationes quatuor conueniunt terræ forti & glutinosæ, & adulterinis herbis repletæ: Vna paruæ, subtili & mundæ. *idem ibidem cap. 4.*

Vide Agricultura.

ARBITER. ARBITRIVM.

DEFINIT. ET ETYMOLOG.

Arbiter, Græce *ἐπίτροπος αὐτός*, dici potest, & est ille, qui eligitur, vt iudex, scilicet vt procedat seruato in subsellialibus ordine iudicij. *secundum Innocent. in cap. Quintauallis, de iureiur.*

Arbiter dicitur iudex, quod totius rei habeat arbitrium & facultatem. *Pomp. Fest. de verb. signif.*

Arbitrarium cum adhuc res apud arbitrum geritur. *Idem ib.*

Arbitrium dicitur sententia, quæ ab arbitro statuitur. *idem Pomp. Fest.*

Arbiter, seu iudex Hebr. dicitur *Pelili*, qui in appellatione diiudicat controuersias forenses. Pelilim numero plurali, de quibus vide Exod. 21. 22. Deuteron. 32. 32. Iob 31. 11. à verbo *Pillel*, appellauit, in ius cópellauit, interpellauit, prouocauit ad iudicem. Hinc latinum appello, compello, &c. Arbitrium seu sententia iudicis *Pelilla*, Iesai 16. 3. Appellatio ad iudicem Pelilija. Iesai. 28. 7.

SENTENTIAE PHILOSOPHICAE.

Arbiter æquum magis intuetur, iudex legem. *Arist. Rhet. 2.*

Arbitrium nostrum liberum est in agendo, & in deliberando. *Alex. Aphrod. 2. de ani. c. 26.*

Arbitrio nostro id est cuius quoque oppositum eligere contingebat cum qui hoc eligit. *idem ibidem c. 55.*

Arbitrium hominis liberum non in præteritis, nec de præsentibus est, sed de futuris & contingentibus, de quibus etiam deliberatio est. *idem ibidem c. 56.*

Arbitrium liberum esse, pœnitentia post quasdam res gestas facile ostendit. *ibid.*

Arbitrium liberum est facultas rationis & voluntatis, Alberto Magno de anima, *tract. 4. c. 10.*

Arbitrium liberum non est eligentia, sed est ratio, vt arbitrans arbitrio, quo quidem constituitur ad faciendum, quod vult. *idem Ethic. 3. tract. 1. c. 16*

Vide tit. de Iudice.

ARCANVM.

DEFINITIO. ET ETYMOL.

Arcanum, Secretum, absconsum, occultum, ab arca, in qua quæ recondita sunt, alijs incognita manét. Hebr. *Sodh*, quod & Cócilium seu Senatum significat. Et quia seniorum vel senatorum deliberationes secretæ sunt, vel esse debent, *Sodh*, pro arcano, mysterio, sacramento sumitur. Cognationem habet cum *Iasad*, fundauit: nam consilium & arcanum est fundamentum rerum recte agendarum. Vide Psalm. 55. 15. Prouer. 25. 8. Gen. 49. 6. Iob. 15. 8. Ierem. 23. 18. 22. Ezech. 13. 9. Græc. *ἀπόῤῥητον*. Arcanum etiã potest ab arce dici, quæ tutissima pars vrbis est. frequens huius vocis apud Poetas mentio. Homerus de sapiente dicit, cuius dicta pennis carent.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Sermonum deposita fidelius, quam pecuniarum custodito. Oportet enim viros bonos in existimatione esse, quod mores & vitam, vel iureiurando fideliores constantioresque præstent. *Isoc. ad Demo.*

Arcanum pluribus auribus, quam vni commissum multifariam erumpit, amissusque arcani nomine fama celebris dici debet. *Nicephorus.*

APOPHTHEGMATA.

Thales frequenter dicere solebat: Vide ne in ius te vocet sermo contra coniunctos tibi ac socios dictus. *Laert. lib. 1. c. 1.*

Aristoteles interrogatus, quidnam in vita difficillimum esset: Tacere, inquit, quæ dicenda non sunt. *Ibid.*

Euripides quum male audiret ab hominibus ob oris graueolentiam: Multa, inquit, in illo occulta computruerunt. *P. M. lib. 9. apoph.*

Philippides Comicus Lysimacho cum primis charus fuit, & familiaris: cui cum Lysimachus offerret liberalitatem suam, ac frequenter diceret: quidvis tibi impertiam rerum mearum? quodcũque voles, inquit, modo ne arcani quippiam. *Plutarchus.*

Vide infra plura sub titul. Taciturnitatis & Silentij.

PROFANA EXEMPLA.

Persæ arcana regum mira celant fide: non metus, non spes elicit vocem qua prodantur occulta: vetus disciplina regum, silentium vitæ periculo sanxerat. Lingua grauius castigatur, quam vllum probrum: nec magnam rem sustineri posse credunt ab eo, cui tacere graue sit, quod homini facillimum voluerit esse natura.

Turci noctu quendam comprehensum de Baldi Draculæ, qui in castra impetum fecerat, militibus deduxerunt ad Mahumetem II. Imperatorẽ, qui eum interrogauit: Quisnam, & cuias sit, & vnde veniat? Qui vbi ad singula respondit, tandem iussus est dicere, si sciret vbinam Baldus Draciæ princeps moraretur. Is respondit, se quidem quæ scire expectãt, exacte nosse. verum nunquam id enunciaturum, adeo metuere se virum illum. Mortem intentantibus, ingeminauit, non audere se quicquam eorum profari. Mahumetes admiratus viri constantiam, eum continuo necauit: dicẽs, Si vir ille exercitum haberet memorabilem. non dubito quin breui ad magnam claritatem euaderet. *Chalcondylas l. 9.*

Vide, Silentium, Taciturnitas.

ARCHITECTVRA.

DEFINITIONES ET ETYMOL.

Architectura est scientia ædificandi: vnde architectones & architecti dicuntur, qui ædificandi scientiam habent ab *ἀρχὴ* &c. *ii*, quod est principium & *τέκτων*, faber lignarius.

Architectus dicitur, qui de omnibus præcipit, & statuit. *Aspar. 7. Ethic. c. 10.*

Architectus est ille, cuius præscriptio ad domum extruendam se faber accingit. *Arist. moral c. 32.*

Architectus operationum princeps est, non operatur, & vt iudicauit, singulis operarijs demandet quod commodum est, donec commissum absoluerint. *Plat. de regno.*

Architecturam plurimis mensuris ac instrumentis vtentem, ea quæ multam sibi certitudinem exhibent artificiosiorem ipsam multis artibus efficiunt. *idem in Philebo.*

Architecturæ Aegyptij inuentorem Vulcanum asserunt, qui in regno Mercurio successit, alij Dædalum inuentorem faciunt. *Fr. Patri. de Repub. l. 1. c. 9.*

Hebræis *Banah* significat ædificauit, extruxit, instaurauit ędificium. *Rab Habonim*, magister ædificiorum seu ædificantium, vide Gen. 11. 5. 2. Chron. 22. 11. Psal. 122. & Psal. 118. ædificantes seu Architecti vocantur *Habbonim*. Apud Iesaiam, cap. 3. v. 3. Architectus vocatur *Rab Charaschim*. Magister fabrorum, vel vna voce *Charaschim*, q. d. non vulgaris faber lignarius, sed qui artem illam callet, vt plurium fabrorum instar sit. *Charasch* autem est faber lignarius, artifex, opifex, qui opera sua ordine disponit: à verbo *Charasch*, arauit, protraxit lineas seu sulcos in agro. Quod enim arator in terra, id in ædificiorum structura præstat peritus Architectus.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Veneti, Sebastiani Ziani ducis auspicio ex Constantinopolitana vrbe Architectum insignem accerserant, ad extruendam auream D. Marci ædem. Præter amplissima munera etiam marmoream statuam in augustissimo templi loco sibi poni Græcus homo postulabat. Assenserunt Patres. Iam fere absoluto opere, nimia leuitate coram patribus imprudens fassus est, se quidem multo celebrius templum ipsum fuisse extructurũ, nisi inter ipsum opus occurrissent plura, quę illum prudentiorem fecissent. Ad quem subridens Dux: Ergo nos quoque de statua ponenda prudentiores reddemur. Illi itaque in vestibuli fronte marmoream statuã collocarunt, manu ad os obiecta, quasi illum dicti sui pœniteret. *Egnat. lib. 6. c. 5.*

SCRIPTORES.

De origine Architecturæ *Polydor. 3. 7.* De Architectura, *M. Vitruuij libro 10.* *Iacob. Iecumans Vitruuium collatis exemplaribus repurgauit.*

purgauit. In vitruuij Architecturam, *Gulielmi Philandri annotationes*. In Vitruuium, *Gaudentinus Merula*. Vitruuianæ architecturæ compendium. *Fr. Manolyns promittit*. Ratio architecturæ antiquæ, *per F. Diegum de Sagredo tis graphicè scripta ex Vitruuio & alijs architectis excerpta: Colinæus Parisijs impressit, Gallicè redditam. in 4. chartis 7*. De Architectura *Marlianus Leo Baptista, Albertus Florentinus, & Rubrafus Sebastiani Serlij Bononiensis*, de Architectura *Tomi duo Italicè scripti Romæ impressi*. Alias *Sebastiani Bononiensis de architectura volg. regole*. Vide plura in *Ges. pandect. tit. 2. de artibus illiteratis*.

ARGVMENTATIO.

SENTENTIAE PHILOSOPHORVM.

Argumentatio perspicua est vno modo, qui maxime in oce ver satur: cum ita conclusa est, vt iam nulla fit opus interrogatio ne. Altero, qui etiam crebris vsurpatur sermonibus cum sumpta sunt ea, ea quibus esse necesse est, quod concluditur: sunt autem ea ea alijs conclusionibus collecta: præterea, si quid prætermissum sit, quod valde sit probabile. *l. 8. Top. Arist. c. 4.*

Falsa autem dicitur quatuor modis: & cum videtur concludere, neque concludit: quod vocatur conclusio & ratiocinatio ad concertationes spectans: & cum efficit illa quidem aliquid: sed quod minus ad rem pertineat: quod ijs contingit maxime, quibus incommodo alij vrgentur: aut aliquid concludit, quod ad id, quod agitur, pertinet: sed non propria accommodataque ratione. *l. 8 Top. c. 5.*

Alio modo falsa est argumentatio, cum ex falsis concludit: cuius generis erit alia falsa, alia vera conclusio. *ibid.*

Si falsis & valde absurdis verum concludat argumentatio: multo certe ijs deterior est, quæ falsum concludunt. *l. 8. Top. c. 5.*

Impediri argumentatio potest quatuor modis. Primum id ex quo falsum est refellendo: Secundo, occurrendo ei qui quæstionem ponit. Sæpe enim explicato & dissoluto argumento, tamen is qui rogat, progredi non potest longius. Tertio refellendo rogatum. Fit enim interdum, vt ea ijs quæ quæruntur, non quod volumus eonsequamur: propterea quod vitiose interrogatum est. Quibusdam tamen appositis effici potest conclusio. Acsi vltra progredi is, qui rogat non potest, occursum etit roganti: sic poterit rogatio. *l. 8. Top. c. 4.*

Argumentatio necessaria in pluribus dicitur, quam syllogismus: quippe cum ratiocinatio omnis necessaria est: non quicquid necessario concludit, ratiocinatio est. *l. 1. de prima Resol. c. 33.*

Perspicuum est argumentationem eam syllogismum non esse, in qua res eadem sæpius dicta non sit, nec enim in ea medium aliquod sumptum est. *ibid. c. 34.*

Argumentatio quinque modis reprehendi solet. Primo cum ea ijs quæ rogata sunt & quæsita, nihil concluditur omnino nec quod ad rem pertinet: quod falsa sint, vel non probabilia omnia, aut certe plurima eorum, ea quibus conclusio efficitur: & quod nec detractis quibusdam, nec additis, nec alijs detractis, alijs additis efficitur conclusio. Secundo si tractetur per ratiocinationem, quæ ad rem non pertineat argumentatio. Tertio, si additis quibusdam conficiatur ratiocinatio: sed quæ deteriora sint, quam quæ rogata sunt, minusque probabilia conclusione. Quarto, si de tractis quibusdam idem contingat. Postremo, si ea minus probabilibus & credibilibus efficiatur, quam sit conclusio: aut si ea veris, sed quæ difficilius & maiore negotio quam id quod quæritur, ostendi possunt. *Top. l. 8. c. 4.*

Fit interdum vt argumentatio etiam quæ concludit, ea quæ non concludit sit deterior: cum illa ea iis quæ minus probantur concludit, cum quæstio proposita in eo genere non sit: hæc autem talia modo requirat, quæ probabilia & vera sint, nec ex ijs quæ assum; ta sunt argumentatio est. *ibid.*

Perspicuum est primum videndum esse an concludat argumentatio: deinde, verumne, an falsum: tum ex quibus. Nam si ex falsis, sedque probabilia sunt: probabilis erit & non aspernanda ratio: sin ea veris, sed quæ non probentur, vitiosa: si ea falsis & quæ valde improbentur: profecto vitiosa erit aut omnino, aut in re, de qua agitur. *l. 8. Top. c. 5.*

In id quod prætermissum est, omnis semper dirigi debet argumentatio. *Top. l. 6. c. 4. l. 47.*

In eo magnam vt est, vt de re ipsa, non de nomine tractetur argumentatio. *Top. l. 5. c. 14.*

Argumentationum Dialecticarum est vna, quæ inductio: altera, quæ ratiocinatio nominatur. *l. 1. Top. c. 10.*

Dilucidam & perspicuam argumentationem facient, exemplum similitudinisque collatio. *l. 8. Top. c. 2.*

Cui copia non suppetet argumentorum ad propositum confirmandum vel infirmandum: is a definitionibus præsidium sumere debebit, aut quæ rei propriæ sint, aut quæ esse videantur: quod si ab vna non possit, a pluribus petat. Nam ijs, qui rem definiendo explicarint, facilius erit argumentum ducere: quippe cum facilior sit a definitione ducta argumentatio. *l. 2. Top. c. 2. l. 12.*

Non est vera illa argumentorum distributio, qua vtuntur aliqui dicentes: alia ad nomen, alia ad sententiam pertinere. Nam existimare diuersa esse argumenta, quæ ad nomen, & quæ ad sententiam pertinent, ac non potius eadem esse, quæ vtroque genere continentur: magna amentia est *l. 1. de Repreh. Sophist. c. 1.*

Sunt ad disserendum quatuor omnino argumentorum genera: vnum est eorum, quæ proprie ad docendum sunt accommodata: alterum eorum, quæ Dialectica vocantur, tertio genere continentur ea, quæ ad probandum & examinandum alterum adhibentur, in quarto genere sunt, quæ contentiosa appellantur. *l. 1. de Repreh. Sophist. c. 2.*

Illa argumenta ad docendum alterum sunt accommodata, quæ constant ea propriis cuiusque disciplinæ principiis, nec vim habent ab eo, quod respondenti probatur. *ibid.*

Dialectica argumenta sunt, quibus vtraq: pars contradictionis ex probabilibus concluditur. Illa vero ad tentandum & examinandum apta dicuntur, quæ ei probantur, quo cum disputamus: quæque talia sunt, qualia ignorare non possit, qui sibi alterius scientiam attribuit & arrogat. *ibid.*

Contentiosa argumenta sunt, quæ ex ijs, quæ probabilia videntur, nec sunt, aut concludunt, aut non concludunt, sed modo videntur. *ibid.*

Locus captiosus est & fallax, eo loci impellere alterum, vbi magna argumentorum copia nobis suppetet. *Top. l. 2. c. 2. l. 15.*

Rationes quibus magnam ratiocinationum argumentorumque copiam comparabimus, sunt quatuor: quarum vna est in propositionibus eligendis, altera in distinguendo quot modis quidque dicatur, tertia in differentiis inueniendis, quarta in similitudinis cognitione & scientia *l. 1. Top. c. 15.*

Qui plura de argumentorum copia indagare volet, legat 11. 12. 13. & 14. cap lib. 1. Topic.

ARGVTIA.

DEFINITIONES ET ETYMOLOGIA.

Argutia, ab argutus, dicitur acutè & malitiose dicta vel facta. Est enim argutus, qui est falsus, acutus, & cum lepore quodã, quæ cupit, dicens faciensque, quasi acute arguens.

APOPHTHEGMATA.

De argute dictis.

Thales cum diceret, mortem æque salutarem esse ac vitam, audiuit a quodam, Cur igitur non moreris? Argute respondit, ob hoc ipsum, quia nihil refert. Potius enim habetur, quod accersitur. *Laert. l. 1. c. 1.*

Socrates admonitus ab amico, quod excepturus hospites admodum tenuem fecisset apparatum. Si boni sunt, inquit, satis erit: sin minus, plus satis, *Laert in eius vita.*

Aristippus Platoni obiurganti, quod multos pisces emisset, respõdit, Se illos emisse obolo, quumq; Plato dixisset. Tanti & ipse emptu eus eram. Vides, inquit, igitur ò Plato me non esse obsoniorum auidum, sed te pecuniæ amantem *ibid.*

Idem quum aliquando perdicem, quinquaginta drachmis iussisset emi, cuidam detestanti luxum in philosopho: Et to, inquit, Aristippus, si obolo venalis esset, non emeres? Quum is respõdisset, se empturum: Et mihi, inquit, tanti fuot quinquaginta drachmæ. Quod ille luxum nomine damnabat, hic detorsit in contemptæ pecuniæ laudem. *Laert. l. 2. c. 8.*

Idem quum quidam illi probro daret, quod laute nimisque splendide viueret: Id, inquit, si vitium esset, in Deorum celebritatibus non fieret. In his enim magnifice vestiri, & lautissime epulari solent *ibid.*

Antisthenes quum salsamenta per forum gestaret, quibusdam admirantibus, quod philosophus officio tam sordido fungeretur, idque in publico, ac non potius seruo id delegasset: Quid, inquit, admiramini? hæc mihi porto, non aliis. Sentiens nullum esse sordidum obsequium, quod sibi quis impenderet. Deinde non esse indecorum, eum portare salsamenta, qui salsamentis vesceretur. *Laert. l. 6. c. 1.*

Diogenes, narrant, Alexandrum Magnum astantem Diogeni Cynico, quæsisse ab eo, Num ipsum metueret? Tum ille, Quid es? bonum, an malum? Alexander respondit, Bonum. Quis igitur, inquit Diogenes, timet bonum? Conuicit, regem non esse metuendum, nisi se malum esse profiteretur. *Laert. l. 6. c. 2.*

Aristippus: Polyenus sophista ingressus in ædes Aristippi, cœpit magnifice iam paratum conuiuium reprehendere. Verum Aristippus dissimulata obiurgatione, cum paulo post hominem ad conuiuium inuitaret, nec renueret: Cur quæso, ait, meam incusas mensam, cuius tã inuitatus particeps esse cupis? Videris mihi nõ

lautio-

lautinrem mensam, sed impendium tantum reprehendere, *ibid.*

Secundus sophista. quum tale declamationis argumētum esset propositum: Qui seditionem mouerit, moriatur: qui sedauerit, præmium ferat. Quidam & mouerat & sedauerat, petitque præmium. Hanc quæstionem paucis absoluit. Secundus sophista. Quod est prius mouisse. Itaque prius da pœnas motæ seditionis, ac deinde (si potes) accipe præmium recte factorum. *Philostratus in Sophistis.*

Proculus habebat filium intemperantem, gallis gallinaceis, coturnicibus, catellis & equis alendis indulgentem: quem pater adeo nō increpabat, vt vna cum illo potius luderet. Quo nomine cum ab amicis obiurgaretur: Citius, inquit, desinit, cum senibus colludēs quam cum æqualibus. *Philostratus.*

Sphærus sophista, quum diceret opinionem non cadere in sapientē virum, rex Ptolemæus cupiens hoc paradoxon ipsa re confutare, curauit mala Punica, veris simillima, sed ex cera confecta, apponi in conuiuio. Ad quæ eum Sphærus deceptus porrigeret manus, Rex exclamauit, illum falsi specie fuisse deceptum. Sed ad hæc dexterè Sphærus: Non sic, inquit, assensus sum, vt crederem esse mala Punica: Sed probabile putaueram esse mala Punica. *Laert. lib. 7. c. 2.*

Philoxenus interrogatus quam ob causam in tragœdiis induceret mulieres malas, cum Sophocles eas induceret bonas? argutissime respondit: Quoniam ille tales inducit quales esse deberent: ego vero quales sunt. *P. M. lib. 6. apophe.*

Stilpon filiam parum secundæ famæ habebat. Cuidam igitur dicenti, Dedecorat te filia, Nihilo magis, inquit, quam ego illam decoro. Sentiens neminem alienis factis dehonestari, sed suis quenque moribus æstimandum esse. *Plut. r. lib. de Tranquill. an. Laert. lib. 2. c. 12.*

Theopompus hospiti cuidam iactanti, quod apud Theopompi ciues Philolacō, hoc est, Laconum amans diceretur: Præstaret (inquit) φιλοπολίτης, id est, ciuium amans diceretur potius, quam Laconum. Perstrinxit hominem alienæ ciuitatis, quam suæ amantiorem. Nam quisquis alieno eximio studio Rempublicam complectitur, suam quodammodo videtur vituperare. *Plutar. in Lacon. apophth.* vbi plura de inordinato eiusmodi affectu, & de argute dictis, quę in Apophthegmatum collectaneis P. M. & aliorum frequenter occurrunt.

Alphonsi Aragoniæ & Neapoleos regis multa argute dicta in libris quos de eo scripsit Ant. Panormitanus leguntur. Pauca quædam offerimus: Dicenti cuipiam, sapientem virum se tandem repetisse: Quomodo, inquit, sapientem stultus dignoscere potest? 2. Quærentibus nonnullis cur podagrici loquaciores essent? respondit, podagricos pedum vitio affectos ambulare non posse: ideo lingua, velut ambulatione quadam, eos crebrius vti solere. 3. Eos maxime insanire dicebat: qui vxorem a se digressam fugitiuamque perquirerent. 4. Homines quos vanis sermonibus impleri & pene distendi intueretur, modo vtres, modo vesicas appellabat. 5. Cum audijsset Senenses, durante bello Italico medios & neutrales extitisse, nulli parti adhærentes, sedatis turbis ciuilib. militum passorum prædam fieri, dixit, Senēsibus euenisse, quod his solet, qui mediam domum incolūt, vt ab inferioribus fumo, a superne habitantibus vrina vexentur. 6. Mendacium ex ijs potissimum emanare dicebat, aut qui multum legissent, aut multū peragrassent, aut multum vixissent.

Hypocritarum vitam Friderico III. Cæsari coram accusabat Gaspar Schlich, qui trium Imperatorum fuit Cancellarius, abiturumque se aliquando in loca dicebat, hisce monstris hominum vacua. Cui Fridericus, vltra Sauromatas ergo, inquit, & glacialē oceanum tibi eundum est. Sed cum eò veneris, non omnino carebit hypocrisi locus: Si modo & tu homo, non Deus es. *Aen. Syluius, lib. t.*

Sigismundus Imperator rogatus quem virum regno dignum aptissimumque æstimaret: eum, inquit, quem neque secundæ res extollunt, neque aduersæ deprimunt. *Idem lib. 4.*

Cum beatos quispiam fœneratores coram Sigismundo diceret, qui dormientes rem augerent: tu ergo miser, inquit Sigismundus, qui rem vigilando comminuis. *Idem eod. lib.*

Hebræi, breuem & acutam sententiam, siue argutum dictum, non cuiuslibet, sed illustrium tantum virorum *Maschal.* a verbo *Maschal* imperauit, dominatus est. Nam inter reliquas voces apophthegmata, seu argute & grauiter breuiterque dicta dominatum habent. Prouerbia Salomonis regis quæ *Misciele* dicuntur.

ARITHMETICA.

DEFINITIO. ET ETYMOL.

ARITHMETICA, Scientia est de numeris tractans, ἀριθμητικὴ dicta, ἀπὸ τοῦ ἀριθμεῖν, id est, à numerando. Inter disciplinas mathematicas prima esse dicitur, quoniam ipsa nulla alia indiget disciplina: Musica autem, vt & Geometria atque Astronomia istius auxilio, supputationibus, proportionibus, numeris indigent, ἀριθμὸς numerus, Hebr. *Mispar.* a verbo *Saphar*, id est, numerauit ordine. recēsuit per gyrum & circulum. *Sephar.* numeratio, Siphra, Gallis Chifre vel Siphre, inde illis frequentia verba Chifer, deschifrer, varie vsurpata. *Sephoroth.* numeri, Siphræ, Psalm. 71. 15. *Siphra*, liber, libellus, in quo varia recensentur vel scribuntur. Psalm. 56. 9 Inuentam ab Hebræis arithmeticam Phœnices mercatores excoluerunt, alijsque populis tradiderūt.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

In Arithmetici anima omnium numerorum scientia perfecte inest. *Plato in Theæteto.*

Arithmetica scientia paris omnis & imparis est indagatio. *ibidem.*

Arithmetica circa puros versatur numeros. *in Plat. de republ. dial. 7.*

Arithmetica certior est Geometria. *Arist. pr. Metaph. c. 2.* est disiunctæ per se quantitatis cognitio. *Amm. in Porphyr.* Simplicioribus vtitur, vt vnitate, quæ sine positione est: Geometria puncto qui positionem habet. *Id. ibid. c. 23.*

Arithmetica omnes mathematicas scientias præcedit. 1. *libr. Physico.* im.

Arithmetica proportio est, cum tribus, vel pluribus positis terminis, differentia quæ inter ipsos est, æqualitate vero non eadem, vt 4. 3. 2. inter quas est vnitatis differentia, vt 4. ad 3. Sesquitertiam habet proportionem: 3. ad 2. sesquialteram. *Eustth. 5. Ethic. cap. 10.*

Arithmetica vulgi differt ab Arithmetica Philosophorum: nam vulgaris vnitates inæquales numerorum numerat: vt duo minima, duo maxima: Philosophi vero nunquam eos sequuntur, si nō quis nullam vnitatem, ab vnaquaque partium vnitate diuersam ponat. *Plato in Philebo.*

Arithmetica magis differt a Physica quam Geometria: quia Geometria conuenit cum Physica in subiecto suarum quæstionum, licet differat in prædicato. *Albert. Magnus 2. phys. tractat. 1. capitulo 8.*

Arithmetica est certior & prior musica: prior, quia musica vtitur principijs eius ad aliud: certior, quia certitudo proficiscitur per transmutationem materiæ sensibilis: vnde quanto magis acceditur ad eam, tanto scientia est minus certa. *D. Thom. post.* Arithmetica est ex paucioribus, & geometria cum cernat situm, oportet vt sit ex compositioribus. *Alexand. de Alexand. 1. metaphysic.*

Aritmetica & computatoria differt. quia Arithmetica circa par & impar versatur: computatoria par & impar considerat, quomodo multitudinem, & ad se ipsa & inter se habent. *Plat. in Gorgia.* Arithmetica maiorem laborem & discendi & tractandi exhibet, quam aliæ scientiæ. *Idem de republ. dial. 2.* Arithmeticæ omnis ars, & omnis scientia cogitur esse particeps. *Plat. de republ. dial. 7.* Arithmetices disciplina vtilis multis modis est, & egregia si quis cognoscendi gratia & non cauponandi ipsam amplectatur. *Ibidem.*

Arithmeticam si quis aufert, omnes artes auferuntur, & nullæ manent, & omnes in totum peribunt: verum si quis diuinam & mortalem originem inspexerit, in qua pietas erga Deos & numerus cognoscitur, cognoscet quantum numero opus sit, nam & tota musica numeris opus habet in motibus & sonis, & quod maximum est, numeri omnium bonorum causa sunt, ex quo cognosci possit, quod omne malum & omnis motus rationis expers, & indecorus sine rhythmo est & inconcinnus: & omnia quæ cum malo communionem habent, esse absque numero oportet tandem statuere eum qui felix futurus est, & qui iustum & bonum, & pulchrum & omnia huiuscemodi ignorat: nemo vnquam vero opinione apprehensa ad se ipsum & alium persuadendum omnibus numeris vtatur. *Plat. in l. ap.*

Arithmetica musicam præcedit antiquitate, cum & anima ipsa ab opifice prius diuisa sit: deinde rationibus collecta, vt ait Plato. *Proclus in Eucl. lib. 1. c. 12.* Arithmetica Geometria certior est, quia eius principia simpliciora sunt, & sic Geometria Sphærica certior est: & Arithmetica, item Musica & Geometrica, Mechanica, Perspectiua, & Speculatiua. *Idem in Eucl. l. 2. c. 2.*

Arithmeticæ tres sunt partes, linearum, planorum & solidorum numerorum consideratio. *Procl. in Eucl. 1. c. 13.*

SCRIPTORES.

Qui primi Arithmeticam inuenerint. *Polydor. Virg. l. 1. cap. 18. Cælius Rhodig. l. 18. ca. 34.* Qui primus numeros inuenerit. *Polydor. l. .. cap. 19. Cæl. l. 22. cap. 15.* De Arithmeticæ vsu. *Valluensis l. 2. cap. 5.* Numerorum rationem non esse contemnendam, *Cælius Rhodig. l. 22. c. 15.* De Arithmetica huiusque vtilitate & præstantia, *oratio G. Ioachimi Rhætici. seorsim. & cum Philippi Melant. orationibus impressa.*

Anima

ARMA.

DEFINITIO. ET ETYMOLOG.

ARMA, Græce ὅπλα τά dicuntur, & ὁπλίτης, ὁ armatus. Sunt arma cuiusque rei instrumenta. Omnia bellica instrumenta, quibus hostes arceri possunt, arma dicuntur, ab arcendo hoste, vt Varroni placet. Quare fustes, saxa, aliaque huiusmodi, arma esse Caius Iurisconsultus affirmat, quoties his ad hostes accendos vtimur. Erunt itaque arma bellica ocreæ, caligæ, lanceæ, loricæ, thoraces, scorpiones, balistæ, aliaq; huiusmodi, quibus in bello vtimur. Fraudes insidiantia arma dicuntur. Virg. Et quære conscius arma. Ita studiorum arma sunt stylus, pugillares, libríque. Et arma hæc omnia dici reor, quod armis, id est, humeris nocent suot. dum geruntur, testibus Pompeio, & Seruio.

Arma proprie sunt scuta, inquit, Scaliger, not. in Varr. vt Tarpeia necata armis Sabinorum, id est, scutis, & ancylia arma, sunt scuta Saliorum: arma itaque ab armo, quod in eo gestarentur, Armus est commissura brachiorum ab humeris, ἁρμός, articulus, compago: vt est illa brachiorum commissura. Generali nomine Hebræis arma, seu quæuis instrumenta, speciatim bellica *Chelim* appellantur. *Cheli* proprie est vas, id est, instrumentũ omnis rei. Generale nomen rebus plurimis tributum sæpe, venatorijs, instrumẽtis musicis, pacificis, bellicis, Hinc χέλυς, *Chelys*, testudo: κελλίς, securis: κολλία instrumentum fossorium: & Latinum *Cala*, fustis: *Calones* item, nempe serui, qui militum instrumenta bellica lignea ferebãt, vel ipsis ligna, necessariaq; alia vitæ ministrabãt.

Keli, quodlibet instrumentum, *Num*. 32.22. vas figuli, *Psal*. 2.9. Instrumentum ferreum, *Numer*, 35.16. Venatoria instrumenta, Chele, Gen. 27, 3. Vasa aurea, Esth. 1.7. Vasa ærea, 2. Chron. 4.16. Instrumenta musica, Is. 22.24. Arma seu instrumenta bellica, Deut. 141. & alibi frequenter. *Armi* nomine: in quo arma gestarentur, nõ tantum humeros, sed quæ ab humeris pendent brachia, & manus, nec non quod manibus arma tractantur, sica, pugio, gladius, telum, hasta, intelliguntur. Verbum Hebr. *Charam*, id est, interfecit, excidit, sustulit de vita, vnde χάρμη Græcis, id est, pugna, prælium, arma Latinia fabricasse videtur. Arma, inquit Isidorus, vel ab armis, id est, humeris dicuntur; vel ἀπὸ τοῦ ἄρεος à Marte armorum bellorumque inter Ethnicos præfecto. Generaliter igitur arma omnium rerum instrumenta sunt: vnde & loca vbi reponuntur Armaria, dicta sunt.

Arma Carnalia, quæ ad corporis tutamen pertinent, in genere descripta sunt apud sacros authores, vt *Deuter*. 1.41. *Iudic*. 18.11. 1. *Sam*. 8.12. & 17.58. & 20.40. & 2.8. & 31.19.20. *Item* 2. *Samuel*. 1. 27. & 8.7. 1. *Reg*. 10.2. & 22.30. 2. *Reg*. 10.2. & 11.8.10.11. *Item*, 1. *Chron*. 10.9.10. & 12.33.37. 2. *Chron*. 9.24. & 23.7. & 32.27. *Iob*. 20. 24. *Psalm*. 46.10. *Eccles*. 9.18. *Ierem*. 47.3. *Ezech*. 39.9.10. *Luc*. 11.22, *Ioan*. 18.3.

Aegyptium, Syrorum, Philistæorum, Assyriorum, Babyloniorum, Persarum, Græcorum, Romanorum, aliorum populorum veterum & nostri seculi arma bellica si quis scripto designare conetur, magnum aggredietur volumen, quod Philologis relinquimus, Laaius, Brissonius, Lipsius, alij dudum multa obseruatu digna ediderunt, quæ omnium manibus teruntur. Nunc de armis spiritualibus pauca quædam sunt addenda.

SENTENTIAE BIBLICAE.

Arma Spiritualia congrua.

Iustitia indutus sum, & vestiui me, sicut vestimento, & diademate iudicio meo. *Iob*. 29.

Et accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad vltionem inimicorum. *Sap*. 5.

Induet pro thorace iustitiam, & accipiet pro galea iudicium certum. Sumet scutum inexpugnabile, æquitatem. *Ibid*.

Indutus est iustitia, vt lorica, & galea salutis in capite eius. Indutus vestimentis vltionis, & opertus est quasi pallio cœli. *Esai*. 59.

Sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato, sed exhibete vos Deo tanquam ex mortuis viuentes, & membra vestra arma iustitiæ Deo. *Rom*. 6.

Abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis, sicut in die, honeste ambulemus. *Ibid*.

State ergo succincti lumbos vestros in veritate, & induti loricã iustitiæ, & calceati pedes in præparationem Euangelij pacis, in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere, & galeam salutis assumite, est gladium Spiritus, quod est verbum Dei. *Ephes*. 6.

Nos autem qui diei sumus, sobrij simus; induti loricam fidei & charitatis, & galeam spem salutis: quoniam non posuit nos Deus in iram, sed in acquisitionem salutis per Dominum nostrum Iesum Christum. 1. *Thess*. 5.

Arma spiritualia sunt vtilia.

Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum consilia destruentes: & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi. 2. *Cor*. 10.

De cætero fratres confortamini in Domino, & in potentia virtutis eius. Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli, quoniam non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus principes, & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus. *Ephes*. 6.

Propterea accipite armaturam Dei, vt possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare. *Ibid*.

Nam & qui certat in agone, non coronabitur, nisi qui legitime certauerit. 2. *Tim*. 2.

Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui: In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex. Non solum autem mihi, sed & omnibus, qui diligunt aduentum eius. *Ibid*.

Arma Deo tribuuntur, Psalm. 35.2. & improbis, Psalm. 57.5. Prouerb. 22.5.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Nihil est æquitati tam contrarium, atque infestum, quam conuocati, armatique homines: nihil iuri tam inimicum, quam vis. *Pro Cæcinna Cicer*.

Nihil est tetrius ciuitatibus, nihil tam contrarium iuri, & legibus, nihil minus ciuile, & humanum, quam constituta, & composita Republica quicquam agi per vim. 3. *De Leg*.

Silent leges inter arma, nec se expectari iubent, cum ei, qui expectare velit, ante iniusta pœna luenda sit, quam iusta repetenda. *Pro Milone*.

Vide Bellum.

ARROGANTIA.

DEFINITIONES ET ETYMOL.

ARrogantia, Græce ἀλαζονεία, & ἀλαζών, όνος, ὁ, arrogans dicitur. Est autem arrogantia, quædam filia superbiæ, qua quis multum se existimans, cæteros, quos infra se videt, despicit & quibus non consulendo loqui, sed vix dominando dignatur, *vt habetur in Decretis dist*. 47. *cap*. 1.

vel sic;

Arrogantia, quæ modestiæ contraria est, est per quam temeritas, atque impudentia vanam sibi comparat authoritatem.

Arrogans est, qui sibi attribuit, quod non habet. *secundum B. Thom. secun. Secunda q*. 112. *art*. 1.

Ἀλαζονεία authore Vlpiano, eorum est, qui plura promittunt, quã præstare possunt. Eique contraria est εἰρωνεία, quæ id, quod potest, minuit.

Arrogantia, Hebr. *Gaon*, quando tribuitur hominibus, vt plurimum in malam partem sumitur. De hac nobis sermo, Gaah verbum signific. Gloriatus est, eminuit, excelluit: & Deo proprie tribuitur. Homo peccator autem gloriam sibi assumit in vanum, stultus est, quum se eminere, & excellere putat, quinque pedum vermiculus, nihil habens quod non acceperit, & tamen sibi omnia arrogans, Deum hominesque secure contemnens, sibique semper occinens, Deus sum. A *Gaah* γαίω glorior, & γαιῶ lacesso arroganter, irrideo, quod superbis, fastuosis & insulsis istis nebulonibus solenne est. *Geeh*, arrogans, superbus, tumidus: Isai. 2.12. Ps. 94.2. in plurali Græc. γαίων *Gè* etiam idem ac Geeh: Galli voce consimili (*Gay*) vtuntur.

Quoniam vero arrogans & superbus, nihil animo suo inuium, & inaccessum, sed omnia sibi facilia dictu factuque putat, quidam eius nomen deducunt à verbo *Lakach*, Accepit, comprehendit. Nihil enim isti frequentius quã hæc, intelligenti pauca, scio quid velis, capio, & præstantiora noui.

Arrogantia etiam dicitur *Sio*. fastus, elatio, a verbo *Nasa*, eleuauit, intumuit, vt videre est in fluctibus maris. Vide Psalm. 89.10. Ab eodem verbo *Massa*, id est, Onus pondus ingens, vt onus Babylonis, Isai. 13.1. Quid enim stultitia, & arrogantia grauius. Galli Massam, ingens cuiusuis rei (plumbi, ferri, argenti, auri, *vne masse de plomb, &c.* pondus appellant.

Ἀλαζονεία dici potest inanis bonorum quorundam quæ non adsint prædicatio. Ostentator autem seu arrogans (ἀλαζών) festiue depingitur ab eruditissimo Theophrasto in characteribus ethicis, qui cum politis doctissimi Casauboni commentarijs editi doctorum manibus non sine profectu teruntur.

SENTENTIAE BIBLICAE.

Arrogantiam, & superbiam ego detestor. *Prou*. 8.

Spec-

Superbus, & arrogans vocatur indoctus. *Ibid. 21.*
Abominatio Domini est omnis arrogans. *Ibid. 16.*
Noli te extollere in faciendo opere tuo. *Eccles. 10.*
Quid est homo? & quid est gloria illius? *Ibid.*
Dies Domini super omnem superbum, & excelsum, & arrogantem, & humiliabitur. *Esa. 2.*
Arrogantes fortium humiliabo. *Ibid. 13.*
Omnis caro fœnũ, & omnis gloria eius quasi flos fœni. &c. *Esa. 40.*
Non glorietur sapiens in sapientia sua. *Ier. 9.*
Arrogantia tua decepit te, & superbia cordis tui. *Ier. 49.*
Respondebit arrogantia eius in faciem eius. *Osea 5.*
Visitabo super omnem, qui arroganter ingreditur super limen in die illa. *Soph. 1.*
Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, serui inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus. *Luc. 17.*
Non potest homo accipere quicquam, nisi datum fuerit ei de cęlo. *Ioan 3.*
Quomodo potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam, quæ à solo Deo est, non quæritis? *Idem 5.*
Qui à semetipso loquitur, gloriam propriam quærit. *Idem. 7.*
Quid habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris? *1. Cor. 4.*
Non est bona gloriatio vestra. *1. Cor. 5.*
Qui gloriatur, in Domino glorietur. Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est. *2. Cor. 10.*

SENTENTIAE POETICAE.

Horatius.

Metiri se quemque suo modulo, ac pede verum est.

Pindar.

Oportet iuxta suam quemque conditionem vniuscuiusque rei spectare modum.

Martial.

Qui sua metitur pondera ferre potest.

Horat. in epist.

Me libertino natum patre, & in tenui re,
Maiores pennas nido extendisse loqueris,
Vt quantum generi demas, virtutibus addas.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Ex copia, atque rerum omnium affluentia, primo arrogantia nata est. *De lege Agr. ad pop contra Rullum Cic.*
Deforme est de seipso prædicare, falsa præsertim, & cum irrisione audientium imitari militem gloriosum. *1. Offic.*
Quum omnis arrogãtia odiosa est, tum illa ingenij, atque eloquentiæ multo molestissima. *Diuin. in Verr.*
Est minime inepti hominis, & eiusdem etiam faceti, cum de sapientia disceptetur, hanc sibi ipsam detrahere, eis tribuere illudentẽ, qui eam sibi arrogant, vt apud Platonem, Socrates in cœlum ef fert laudibus Protagoram, Hippiam, Prodicum, Gorgiam, exteros: se autem omnium rerum inscium fingit, & rudem. *De clar. Orat.*
Ex animi habitu, & quia talis est omnis arrogans indicatur: vt mendax qui duplex est: alius mendacio ipso delectatur: alius gloriæ quæstusque causa mentitur. Atque ij quidem qui cupiditate gloriæ aliquid sibi tribuunt, ea sibi sumunt omnia, quæ vel ad laudem, & beatam vitam pertinent. Qui autem spe quæstus, ea sibi vendicãt, quæ etiam vsui sunt proximis, quæque si minus adsint, celare, & occultare licet. *Lib. 4. Eth. c. 7. Arist.*
Simulatio si in maius progrediatur, arrogantia, & qui eam habet, arrogans appellatur. *l. 2. Ethic. c. 7.*
Arrogans appellatur is, qui sibi res magnas, & præclaras sumit, & vendicat, cum non insunt: vel maiora, quam quæ insunt. *lib. 4. Ethic. c. 7.*
Qui mentiuntur, vtrique sunt illi quidem vituperandi: sed maiore quadam ratione arrogans. *ibid. vel 1. Mag. Mor. c. 32.*
Qui maiora sibi quam quæ insunt, vẽdicat, & sumit, rei nullius causa: est ille quidem improbo similis: & tamen stulti potius quam praui speciem gerere videtur. Qui autem alicuius rei causa id facit, si gloriæ, vel honoris, non est ille quidem admodum vituperandus, qualis est arrogans. *l. 4. Ethic. c. 7.*
Arrogans quoniam deterior est, veraci videtur opponi. *ibid.*
De seipso sæpius loqui, prædicare, pollicerique multa: aliena quoque benefacta, asserere, & vendicare sibi, arrogantiæ est. *lib. 2. Rhet. c. 6.*
Nec vero facultate, ac potestate arrogans, sed animo, ac voluntate cernitur. *l. 4. Ethic. c. 7.*
Arrogans audax videtur esse, sibique fortitudinem vendicare. Itaque quo ille animo in rebus asperis est: eodem hic cupit videri. Quocirca quibuscunque rebus potest, eum imitatur. Ita fit vt plerique eorum ita audaces sint, vt etiam ignaui simul sint. θρασύδειλοι vno verbo Græci vocant. Cum enim hi audaciam præ se ferant, tamen nunquam res formidolosas subeunt. *l. 3. Eth. c. 7.*
Arrogantia victoriam sæpe comitari solet. *Dion Halicarn. l. 6.*

Arrogantia solitudinis est socia. *Plut. in Dione.*
Arrogantiæ vacuitas magnum est ad mansuetudinem ciuilem viaticum: contra arrogantia molesta est, plurimumque inuidiæ procreat. *Plut. in Comp. Aristidis, & Catonis maioris.*
Plerumque hominibus nimia pertinacia atque arrogantia accidere solet, vt eo recurrant, & cupidissime petant, quod paulo ante contempserunt. *Cæsar lib. 1. de bello ciuili.*
Auaritia & arrogantia sunt præcipua validiorum vitia. *Tacit. hist. lib. 1.*
Deus non sinit alium præter se altum sapere. *Herod. li. 1.*
Arrogantis nomen mihi recte vsurpari videtur in illos qui se simulant esse ditiores, & fortiores, quam sint; & ea se facturos promittunt, quæ præstare nequeunt, idque manifeste facere videntur accipiẽdi quippiã, & lucrandi gratia. *Xenoph. apud Stob. Ser. 22.*
Mendacium quoddam duplex est, quod committitur, aut leuiora, & minora dicendo, aut maiora, & splendidiora, quã reuera sint. Hoc quod fit circa minus dissimulatio dicitur: illud vero quod circa maius, arrogantia. *Themist. apud Stob. Serm. 22.*

APOPHTEGMATA.

Democrates iam senex ascendens in arcem Athen. perquam anhelosus, idẽ se facere dixit, quod Athenienses solerent, nempe per se magnum quidem spirare, parum autem valere. *Stob. Serm. 22.*
Bion arrogantiam dicebat esse profectus obstaculum. Indocilis enim est, qui mauult doctus videri, quam esse. *Laert. l. 4. c. 7.*
Demonax, ad Agathoclem Peripateticum arroganter iactantem, se se & solum & primum esse dialecticorum: Si solus, inquit, es, qui primus esse potes? si primus, qui solus? *P. M. lib. 8. apopht.*
Idem, Cynico cuidam arroganter iactanti pallium, peram & baculum, ac subinde vociferanti, se Antisthenis, Cratetis, ac Diogenis sectatorem esse. Impudenter, inquit, mentiris, quum sis Hyperidæ discipulus. Allusit ad vocem ὑπερορᾶν, quod est per arrogantiam despicere. Est autem, & rhetoris nomen Hyperides. *P. M. l. 7. apopht.*

SIMILITVDO.

Diogenes, In arrogantia, quemadmodum in armis deauratis, non similia sunt interiora exterioribus. Item arrogantia tanquam pastor quoquo libet vulgus hominum ducit. *Stob. Serm. 22.*

ADAGIA.

Homo Bombylius. Βομβύλιος ἄνθρωπος.
Dicitur verbosus, multiq; strepitus, cæterum inutilis. Idem.
De pulmone reuellere.
Pro eo, quod est, stultam & arrogantem opinionem animo eximere. Pers.
Dum veteres auias tibi de pulmone reuello.
Ipse dixit, αὐτὸς ἔφα.
Quoties tanquam cuiuspiam autoritatem significamus, vt ea vel citra rationem, ad quid vis credendum sufficiat.
Auro loquente, nihil pollet quæuis oratio. Χρυσοῦ λαλοῦντος πᾶς ἀπρακτεῖ λόγος.
Prouerbium indicat munera vbique longe plurimum valere.
Vvan Golde redet, so schvveiget alle Vvelt still.
Ne mihi Suffenus essem.
Ne mihi ipse blandirer, ac stulte meipsum admirarer. Horat.
Ne sutor vltra crepidam.
Id est: Ne quis de his iudicare conetur, quæ sunt ab ipsius professione aliena. Plin.
Gigantum arrogantia. Γιγάντων ἀπόνοια.
Gigantum amentia. Vbi quis viribus suis fretus, temere nulloque consilio res non tentandas molitur. Zenodorus.
Magis sibi placet, quam Peleus in machæra. μέγα φρονεῖ μᾶλλον, ἢ Πηλεὺς ἐπὶ τῇ μαχαίρᾳ.
In eum competit, qui præter modum in re quapiam insolens est, ac tumet.
Hic Rhodus, hic Saltus. αὐτοῦ Ῥόδος, αὐτοῦ πήδημα.
Vulgo iactatum de ijs qui sese de negotio iactarent insolentius, cuius fidem non exhiberent. Conuenit item, vbi quis iubetur re præstare, quod alias se fecisse iactat. Aesop.
Atticus in portum. Ἀττικὸς εἰς λιμένα.
Iactari dicebatur, qui illic virtutem ostentare solent, vbi tutum est, atque vbi nihil opus est.
Calliphanes. Καλλιφάνης.
Ridicula quadam inanis nominis ambitio, prouerbiali ioco fecit locum. Aiunt enim hunc fuisse Poetam morum, & diuersorum carminum, & orationum initia conscriberet ad tres, aut quatuor versus, eaque pronunciaret, ostentaretq; quo commentum ignorantibus multiscius, & eruditus videretur. Archilaus.
Bullatæ nugæ.
Ventosa atque inania, bullæ dicuntur. Persius.
Bullatis vt mihi nugis

Pagina

Pagina turgescat.

Vino vendibili suspensa hædera nihil est opus.

Id est: Vera virtus non eget alienis præconijs. Præclara per se placent, neq; desiderant exoticam commendationem.

Psellissare. Ψελλίζειν.

Prouerbiali ioco dicebantur gloriosi, fastuq; præturgidi. Suidas admonet sumptum à moribus Pselli cuiuspiam, qui, cum re esset perquam tenui, tamen affectabat haberi diues.

Altius Oromedonte. Theocrit. in Thal.

Ὥς μοι καὶ τέκτων μέγ' ἀπέχθεται ὅστις ἐρευνῇ,
Ἶσον ὄρευς κορυφῇ τελέσαι δόμον Ὠρομέδοντος.

Sis mihi magnopere faber est inuisus, in altum
Qui struit, ad nisens superare iugum Oromedontis.

Allegoria prouerbialis est, deterrens ab insolentia, ne quis se præponat ijs, quibus cum nullo pacto est conferendus.

Laureolam in mustaceis quærere.

Hoc est, ex friuolis negotijs captare famam haud præclaram, neq; magnificam.

Sybaritæ per plateas. Συβαρῖται διὰ πλατειῶν.

Contra fastuosius ingredientes per viam, sese velut ostentantes. Sumptum à fastu, luxuq; Sybaritarum. Suid.

Cicadis pleni. τεττίγων ἀνάμεστοι.

In gloriosos ac stultos olim dicebatur, aut obsoletis, ac iam desitis vtentes. Aristophanes.

Ex Academia venis. Ἀκαδημίηθεν ἥκεις.

De ficto & composito ceu docto. Quanquam & per ironiam torqueri poterit in fastuosum, & vultu tetrico philosophum agentem.

Ingredi Iunonium. Βαδίζειν ἡραῖον ἐμπεπλεγμένον.

Dictum apparet in fastuosum ac lentum quorundam incessum.

Idem, du gehest, als soltestu zum Opffer gehen.

Cœlum digito attingere.

Dicuntur, qui supra mortalium conditionem à Dijs proximi esse videntur, cognatum illis, In Cœlo esse.

Iouis sandalium. Τὸ Διὸς σανδάλιον.

Per ironiam dicebatur in eum, qui magni quippiam videri vellet, propter Principis alicuius familiaritatem.

Imperitus subligaculo indutus, omnibus id ostentat.

In eum qui propter insolentiam, etiam ineptissimis rebus effertur.

Fastuosus Maximus. Κόμπος Μάξιμος.

In eum dicebatur, qui sibi plus satis arrogasset in sapientia. Dio.

Tanquam Argiuum clypeum abstulerit, ita gloriatur. ὡς τὴν ἐξ Ἄργους ἀσπίδα καθελὼν σεμνύνεται.

In fastuosos & magnificentius sese gerentes dicebantur.

Sine vt incolumis redeat.

Habet prouerbij speciem, quod est apud Theocritum in Hodæporis.

Εἶα λέγ' ὅττι λέγεις, καὶ τὸν ξένον εἰς πόλιν αὖθις
Ζῶντ' ἄφες.

Dic age, si quid dicis & hospes vt vnde profectus,
Viuus eo redeat, permittito.

Sic & hodie dicimus, ijs qui verbis & conuitijs ferociunt: Eia sine hominem viuere. Ey lieber lass jhn leben.

Arcem ex cloaca facere.

Qui rem, hominemve nihili laudibus magnificis attollunt, dicuntur Arcem ex cloaca facere. Tullianum est.

Gallus in suo sterquilinio multum potest.

In alieno timidiores sumus omnes, in suo quisq; regno ferocior est & animosior. Er ist ein wackerer Man auff seinem Mist.

Tollere cristas. *Iuuenal.*

Translatum ab auibus cristatis, in quibus crista erectiores, alacritatis, atq; animorum indicia sunt.

Attollere supercilium. Ponere supercilium.

Plinius, Supercilia, inquit, homini & pariter & alterne mobilia, & in his pars animi: his negamus, annuimus: hæc maxime indicant fastus. Superbia aliubi conceptaculum, sed hic sedem habet, in corde nascitur, hic subit hic pendet.

Tollere cornua.

Pro se, quod est, animo efferri. Translatum à pecoribus qui cornibus minantur. Ouid.

Tunc pauper cornua sumit.

Arrogantia non ferenda.

In eos, qui intoleranda sunt arrogantia, non inscite torquebitur illud Odiss. o. ab Eumæo dictum in procos.

Τῶν ὕβρις τε βίη τε σιδήρεον οὐρανὸν ἵκει. Id est,

Horum visq; animusq; ferox contingit Olympum.

Tuo te pede metire. *Horat.*

Monet adagium, ne quis se dilatet vltra conditionem suam, neve seipsum ex assentatorum laudibus, aut vulgi opinione, aut fortunæ fauore, verum proprijs ac veris dotibus animiq; virtutibus æstimet.

Vltra peram sapere. Ὑπὲρ τὴν πήραν φρονεῖν. Lucian.

Quadrabit vel in pauperem, vel in philosophum, sed præcipue in Christianum, quem Iesus veras cogitare de crastino.

Videberis, me videns, plane Martem videre, Ἄρεα γὰρ δόξεις ὁρῶν ἐμέ. Arist.

De his qui se strenuos pollicebantur opitulatores, ac Martē quendā aduros.

EXEMPLA SACRA.

Arrogantia vitanda, *Roman.* 12.16. Exempla: Cain, *Gen.* 49. Simeon *Leuit.* 34.30. Pharao, *Exod.* 5.2. & 15.9. Goliat. 1. *Sam.* 17. 8. Roboam. 2. *Paral.* 12.14. Nabuchodonosor, *Daniel.* 3.14. Iudæi, *Ioan.* 18.30. Pilatus, 19.10. summus Sacerdos, *Act.* 5.28. Herodes, 12.23. Antichristus, 2. *Thess.* 2.4.

HISTORICA PROFANA EXEMPLA.

Agesilaus, vt ipse singulari modestia præditus erat, ita non tulit in alijs arrogantiam. Menecrates enim medicus quum desperatæ quædam curationes ipsi feliciter cessissent, populari adulatione dictus est Iupiter. Hoc cognomento vir arrogantis ingenij delectatus, insolentius vsus est eo titulo. Tandem quum & Agesilao scriberet, nec veritus esset hac vti salutatione, Menecrates Iupiter Agesilao regi salutem: rex eo offensus proœmio, præterea nihil dignatus est legere. sed rescripsit in hunc modum, Rex Agesilaus Menecrati ὑγιαίνειν. id est, bene valere, ac si dixisset, sanam mentem tibi precor χαίρειν Græci dicunt, quibus bene precantur, ὑγιαίνειν ambiguum verbum, fere in malum sonat, quo significamus abesse sanitatem mentis.

Archidamus Agesilai f. post conflictum apud Chæroneam cum à Philippo rege Macedonum literas accepisset acerbius scriptas, hunc in modum rescripsit: Si metiaris vmbram tuam, haudquaquam repeties illam factam maiorem quam erat ante victoriā. Grauiter admonens, non esse prudentis ob fortunæ successum intumescere, quum ipse sit nihilo maior. Aequum autem est, vt homo se suis & proprijs bonis metiatur potius quam externis, quæ fortuna cum libet dat, cum visum est eripit. *Plut. in Lacon.*

Lacedæmonis adeo fuit inuisa arrogātia siue iactatio sui, vt Ctesiphontem, virum alioqui facundum ac disertum, qui se prædicaret de re quauis vel totum diem posse dicere, apud se viuere passi non sint. Quod boni oratoris esse dicerent: Habere sermonem rebus parem, vt nec breuior sit in dicendo, quam res postulet, nec prolixior.

Cicero cum ciuitatem Romanam coniuratis sublatis à crimine perduellionis, siue coniurationis liberasset, eique pro ijs beneficijs in Rempublicam decreti essent honores, sibi istis honoribus ita placuit, seseque admiratus est, vt multorum amor, in quo propter beneficia esset, in odium erga Ciceronem conuerteretur. *Author Plut. in Cic.*

APOLOGI.

Talpa & Mus.

Cæcum quidem esse animal talpam, videtur minime incertum esse, sed habet tamen quiddam oculorum simile, vel etiam oculos fortasse, quibus tenuissima membrana prætenditur. Huius generis vnum gloriatum de oculorum pulchritudine contra murem accepimus. Cui mus respondisse fertur: ò bellos oculos qui nihil aspiciant.

Reprehendit fabula arrogantiam & inanes ostentationes *Ioach. Cam. lib. Fab. p.* 221.

Mulus & Lupus.

Deuoraturus mulum lupus, quis vocaris tu? inquit. Ego ne, inquit mulus. Ita aio, inquit lupus, At enim, inquit mulus, nescio, nam oppido pusillus parentes amisi meos; audisse tamen quasi per nebulam memini, de matre, insculptum nomen meum esse in posterioris pedis dextri vngula. Si videtur igitur leges, & ad lupum posteriores pedes conuertit. Cui quasi inspecturo scripturam nominis, ictu vehemente caput affligit, & effracto vngulam illisit in ossa cerebro. Ille humi sternitur, at vulpes, quæ omnia fieri cognouerat, irridet iacentem, ac: Heus tu literate, istic nunc ludum aperies scilicet, inquit, & mulorū nomina recognosces.

Narratur fabula contra arrogantiam indoctorum, *Ioach. Camer. lib. Fab. p.* 200.

Lupus Piscis.

Lupus piscis robore & magnitudine eximia præditus, fluuij cuiusdam imperium tenebat. Hunc superbia & fastidium præsentis fortunæ ad cupiditatem extulit regni marini. De ostio igitur fluminis in pelagus enatat, atque ibi Delphino regnatori occurrens, cum & forma & mole insueta terreretur, adoriente etiam hunc hostiliter Delphino, fuga se in amnem suum recepit, neq; postea vnquam extra ostium excurrere ausus.

Hoc fabula docet, ne quis sibi neminem parem reperiri arroganti opinione persuadeat, ac potius vt cogitet, id quod teutonico prouerbio fertur, etiam trans riuum homines inueniri. *Ioach. Camer. lib. Fabul. p.* 255.

Vide superbia.

A R S.

DEFINITIONES ET ETYMOL.

ARs, Græce τέχνη, ἡ, & τεχνικὸς, ὁ, artificiosus dicitur, & est principium agendi in alio. *secundum Aristot. lib.* 12. *Metaph.*

Ars

Ars est habitus quidam faciendi cum vera ratione. *secundum Arist. lib. 6. Ethic.*

Ars est recta ratio factibilium, & habitus operatiuus. *secundum B. Thom prima Secua. q. 37. art. 3.*

Ars est operis ratio; omni adiuncta materia. Differt autem ars ab experientia. *secundum Arist. lib. 1. Metaphysices:* quod Ars est vniuersalium: Experientia vero singularium.

Ars est rei cuiuscunque scientia, vsu, vel traditione, vel ratione percepta, tendens ad vsum aliquem vitæ necessarium. *secundum Diomed.*

Ars est potestas, viam, id est, ordinem efficiēs, vt Cleanthes voluit. *secundum Fabium lib. 2.*

Ars est habitus quidam faciendi vera cum ratione. *secundum Arist. Ethic lib. 6.*

Ars dicitur, quod arctis præceptis, & regulis cuncta concludat, vel ἀπὸ τῆς ἀρετῆς, id est, à virtute. Quare veteres artem pro virtute appellarunt. *secund. Diomedem.*

Ars Hebr. *Melacah*, a verbo *Lachad* comprehendit, apprehendit, assequutus est: nempe artem quam profitetur. *Il a art son mestier.* Hinc per apocopen, λήχω id est, consequor, capio. & λαγχάνω, consequor, nanciscor, capio.

SENTENTIAE POETICAE.

Ouid. 6. Met.

Non illi loco, neq; origine gentis
Clara, sed arte fuit.

Ibidem.

Lydias tamen illa per vrbes
Quæsierat studio nomen memorabile, quamuis
Orta domo parua, paruis habitabat Hypæis.

Ouid. 3. Pont. 7.

Artibus ingenuis, quarum tibi maxima cura est,
Pectora mollescunt, asperitasq; fugit.
Artibus ingenuis quæsita est gloria multis.

Ouid. 1. Art.

Disce bonas artes, moneo, Romana iuuentus,
Non tantum trepidos vt tueare reos.

Idem 2. Art.

Nec leuis ingenuas pectus coluisse per artes
Cura sit, & linguas edidicisse duas.

Ouid. 1. Art.

Arte citæ veloq; rates, remoq; reguntur,
Arte leues currus, arte regendus amor, &c.
Sed tamen & tauri ceruix oneratur aratro,
Frenaq; magnanimi dente teruntur equi.

Ouid. Philom.

Psittacus humanas depromit voce querelas,
Atq; suo domino χαῖρε sonat æquale.
Pica loquax varias modulatur gutture voces,
Scurriliter strepitu quicquid & audit, alit.

Persius Procem.

Quis expediuit Psittaco suum χαῖρε,
Picasq; docuit nostra verba conari?
Magister artis, ingeniq; largitor
Venter, negatas artifex sequi voces.

Stat. 2. Sil. 4.

Psittace dux volucrum domini facunda voluptas
Humanæ solers imitator psittace linguæ.

Horat.

Nauem agere ignarus nauis timet: abrotonum ægro
Non audet, nisi qui didicit, dare. Quod medicorum est,
Promittunt medici, tractant fabrilia fabri.
Scribimus indocti, doctiq; poemata passim.

Idem.

Quam scit vterq; libens, censebo, exerceat artem.

Verinus.

Altera naturæ est habitus: quam iunior artem
Perdiscet, tollet nulla senecta tibi.

Ouid. 4. Trist. 1.

Sola comes nostræ perstitit illa fugæ.
Sola nec insidias, inter nec milites ensem.
Nec mare, nec ventos, barbariemq; timet:

Ex Comicis Græcis.

Οὐκ ἔστιν ἀτυχίας ἀνθρώποις
Παραμύθιον γλυκύτερον ἀνθρώποις τέχνης.
Ἐπὶ τοῦ μαθήματος γὰρ ἑστηκὼς ὁ νοῦς
Αὐτοῦ λέληθε παραπλέων τὰς συμφοράς.
Solamen arte dulcius mortalibus
Non esse posuit omnis infortunij.
Mens namq; studio haud senest artis dedita,
Mœroris oram se fui prætermebit.
Πολύ γ' ἐστὶ κτῆμα τιμιώτατον
Κέκτηται ἀνθρώποισιν εἰς τὸ ζῆν, τέχνη.
Τὰ μὲν γὰρ ἄλλα καὶ πόλεμος καὶ μεταβολὰ
Τύχης ἀνάλωσεν· ἡ τέχνη δὲ σώζεται.
Haud vlla pretiosior hominibus omnibus
Possessio, Arte: vitæ & vtilis magis.
Sortes etenim dubiq; Mauortis vices,
Vt cætera rapiant, manet salua ars tamen.
Λιμὴν ἀτυχίας ἐστὶν ἀνθρώποις τέχνη.
Ars est hominibus portus infortunij.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Vide reliqua Comicorum Græcorum dicta apud *Stob. Ser. 58.*

Recte vero se habet quod secundum artem fit.

Nonne scis, oportere eos qui aliquid docturi sunt, priusquam doceant intelligere. *Plat. in Alcib.*

Etsi ingenijs magnis præditi quidam, dicendi copiam sine ratione consequuntur, ars tamen est dux certior quam natura. Aliud enim est, poetarum more verba fundere, aliud, ea quę dicas, ratione & arte distinguere. *Cic. 4. de fin.*

Quæ bona sunt, meliora fieri possunt arte: & quę non optima, aliquo modo acui tamen, & corrigi possunt. *Cic. 1. de Orat.*

Artes & studia quæ ad lucrum conducunt, libentissime omnes complectuntur, cætera spernunt. Hæc igitur vna causa, nec ciues id aut aliud quicquam honestum, bonumque officium curent: sed insatiabili auri & argenti cupiditate, & honesta pariter & inhonesta artificia complectantur: & quoduis agant, seu fas, siue nefas id habeatur, vt pecunias cumulent, quibus subministrantibus veluti pecora ventri & Veneri seruiant.

Duas vero artes, aut studia duo, diligenter exercere humana natura non potest. *Plato Dial. de Leg.*

Omnes artes quæ ad humanitatem pertinent, habent commune quoddam vinculum, & quasi cognatione quadam inter se continentur. *Cic. pro Arch. poeta.*

Omnis ingenuarum & humanarum artium doctrina vno quodam societas vinculo continetur. *Idem 3. de Orat.*

Perfecta ars fortunæ lenocinio defecta, fiducia iusta non exuitur: quamque scit se laudem mereri, eam etsi ab alijs non impetrat, domestico tamen acceptam iudicio refert. *Valer. Max. lib. 3. c. 7.*

Non longitudo ætatis, aut annorum numerus, artem bellicam tradit: sed continua exercitationis meditatio. *Veget. lib. 2. c. 23.*

Qui secundos optat euentus dimicet arte non casu. *Idem lib. 3. præfat.*

Quis dubitat artem bellicam alijs omnibus esse potiorem, per quam libertas retinetur, dignitas propugnatur, imperium & prouinciæ conseruantur? *Idem eod. lib. c. 10.*

Ars oratoria facultas est animos hominum ducendi, maximaque eius pars versatur in ratione ac via affectus humanos cum quietiores, tum incitatiores regendi: qui cum sint tanquam nerui ac soni quidam animi, concinne admodum pulsari tractarique volunt. *Plut. in Pericle.*

Arte parendi & imperandi nulla est præstantior. *Idem in Agesilao.*

Artes bonorum fontes esse aiunt. *Xenophon de instit. Cyri, lib. 7.*

Fieri non potest, vt qui multas artes exercet, multa præclare faciat. *Idem lib. 8.*

Necesse est eum qui opere breuissimo occupatur, etiam id quam optime efficere. *Ibid.*

Antiqua est prudensq. sententia, Omnes artes in meditatione consistere. *Veget. lib. 2 c. 24.*

Sapientissimi artis suæ professores sunt, à quibus & propria studia verecunde, & aliena callide æstimantur. *Valer. Max. lib. 8. cap. 12.*

Omnium magnarum artium, sicut arborum, magnitudo nos delectat, radices stirpesque non item. *Amm. Marcell li. 16. hist.*

Mortalium varia excogitantum artificiosæ manus, parum abest quin ipsa cum natura, res viuas producente, in certamen descendant. *Constant. Manasses. Annal p. 126.*

Artium fere omnium species duæ sunt, agricultura, & cuiuslibet corporis mortalis cura, & facultas omnium, quæ circa compositum aliquod fictumve versantur, quæ cōmuniter dicuntur supellectilia, & quæ hæc imitatur: vniuersa inquam facultas huiusmodi vno quodam communi nomine nuncupari debet. *Plato in Sophista.*

Omnes artes aut in acquirendo, aut in efficiendo versantur. *Idem. ibidem.*

Artium alias à principio necessitas constituit, & in hanc vsque diem conseruat. Omnia docuit necessitas: quam enim rem necessariam non inueniret? Artem texendi, ædificandi, medicinam, agriculturam, & quæcunq; circa agriculturam versantur necessitas produxit. Alias vero voluptas quædam, quæ occupat artes vnguentariorum, opsonia parantiū, & vniuersam ornatui studentem artem, quam κομμωτικὴν appellant, atque illam quæ floridis coloribus lanas inficit. Nonnullæ vero sunt, quarū probabilem vel exquisitam rationem aut puritatem amplectuntur homi-

hominęs, easque, discunt ac excolunt: vt arithmeticen, geometriam, canonicam omnem, & astrologiam, quas Plato ait, quãuis neglectas, vel inuitis nobis per propriam sibi gratiam augeri. *Plutar. lib. 1. de diuinat. apud Stob. serm. 58.*

Arithmetica & aliæ artes nonnullæ huius persimiles ab actione liberæ sunt, cognitionem vero tantum exhibent. Quæ vero ad architecturam & manuum ministerium pertinent, scientiam actionibus innatam sortiuntur: corporaque ab illis effecta, quæ ante non erant, perficiunt. Ita cunctas scientias diuide: agentem vnam, alteram cognoscentem, solummodo nomina. Sint ergo scientiæ species duæ, cum vna sit scientia tota. *Plato de regno.*

Artes quæ vocantur mechanicæ, abiectæ omnino sunt, ac iure à plerisque improbantur: quippe quæ corpora exercentium atterant, cum assidere homines, atque vmbratiles esse cogant, nonnullæ vero ex eis totos dies igni incumbere impellant. Eneruatis deinde labore membris, necesse est animos debilitari, ac quodammodo ægrotare. Præterea huiusmodi viri vix satis commode cum amicis, tũ reipublicæ vacare possunt: videnturq; inepti & ad amicorum familiaritatem, & ad opem patriæ ferendam. Quinetiam in nonnullis ciuitatibus, omnibus ciuibus interdictum est mechanicas artes exercere. *Xenoph. in Oeconomico.*

Apophthegmata.

Archidamus Zeuxidami F. videns Perlandrum, qui arte medica excellentissimus fuerat, infelicia carmina scribentem: Quid (ait) tibi accidit, mi Periander, vt pro insigni medico malus poeta vocari concupiscas? Notauit hominis stultitiam, vt qui se in ea re exercere cuperet, in qua nihil omnino valebat, nec natura, nec ingenio. *Plut. in Lacon.*

Alcibiades. Zopyrus Physiognomon cum profiteretur se hominũ mores naturasque ex corpore, oculis, vultuque cognoscere: conspectum Socratem, stupidum tardumque esse dixit: quod cum audisset Alcibiades, irridens hominem, ait, scilicet, rem acu tetigisti. *Brus. lib. 1. cap. 10.*

Pyrrhus. Audiens quendam promittentem, se traditurum ei aciei instruendæ artificium, qui tamen in acie nunquam fuerat: dixit, non opus esse sibi Imperatore, vel belli duce, cuius aures tubæ sonus nunquam circumierit. *Stob. serm. 32.*

Hannibal, quum ad Antiochum exul Ephesum venisset, ab hospitibus inuitatus est ad audiendum Phormionem Peripateticum: qui cũ copiosius aliquot horas de Imperatoris officio loquutus esset, atque de re etiam militari multa disseruisset, delectati vehementer qui audierant, ab Hannibale quæsierunt, Quidnam de Phormione iudicaret: respõdisse fertur, Multos se deliros senes sæpe vidisse: sed qui magis, quam Phormio deliraret, se vidisse neminem. *Brus. lib. 1 cap. 10.*

Gallus iurisperitus, si quis negotium ad ipsum detulisset, in quo de facto quærebatur, dicere solebat: Nihil hoc ad ius, ad Ciceronẽ ito. Sensit Gallus, aliud esse officium iurisconsulti, aliud oratoris. Nec esse necesse, de his quæ ad alienam professionem pertinent, respondere. *Tul. in Topicis ad Trebat.*

Apollodorus insignis architectus, cum Romæ præclara aliquot ædificia erigeret, reprehensus ab Hadriano nondum Imperatore, quasi nescio qua in re peccasset, respondit: Abi potius, & cucurbitas pinge, nam tu quidem ædificandi artem plane ignoras. *Dion. Nicæus, & Xiphilin. in vita Hadriani.*

Anonymus. Lacedæmonius cuidam percontanti, quid ipsi videretur Tyrteus poeta? Bonus, inquit, ad deprauandos iuuenum animos. *Plut. in Laco. apoph.*

Philippus, quum audisset filium suum quodam in loco scite cecinisse, obiurgauit, dicens: Non te tui pudet, qui noris tam bene canere? *Plut. in apoph.*

Pyrrhus, interrogatus, vter melior tibicen videretur, Pythonne an Charisius: Polyperchon, inquit. Is erat egregius dux exercitus. Contempsit omnes artes, quæ cum re militari nil haberent cõe.

Nero à Mathematicis audierat fore, vt aliquando deijceretur imperio, eoque Græcum Iambicum dimetrum identidem vsurpabat.

Τὸ τέχνιον πᾶσα γῆ τρέφει.

Id est,

Terra quæuis artem alit.

Putans, se tantum profecisse bonis literis, vt etiam si ab imperio detruderetur, quauis regione, ob insignem scientiam posset haberi in pretio. *Recitat Sueton in eius vita.*

Lacedæmonij quoniam seueriores erant, ac moribus incorruptioribus: bellique gloriam potissimum spectabant, contemnebant omneis arteis quæ ciuium animos videbantur emaculare, & à vera virtute ad inanem ostentationem traducere. Nam & Romæ cum adhuc spiraret germanam illam austeritatem, Græculos professores vrbe exegit. Hoc genere studij nulla Græciæ pars corruptior erat, quam Attica, vbi Gorgias, Lysias, Isocrates, Prodicus, alijque innumeri sophistæ magno cum applausu populi, nec mediocri mercede garriebant. *Plut. Paul. Manut. lib. 1. apoph.*

Diogenes, cuidam adolescenti, lusum quendam amatorium eleganter in balneis exhibenti, quod Græci vocant κοτταβίζειν: Quo melius, inquit, hoc deterius: damnãs improbitatem artis, qualis est, alea: cuius quo quisque est artifex melior, hoc vir est deterior. *Laert. lib. 6.*

Idem. Euclidis scholam, quod arguta quidem, sed ad recte viuendum inutilia docere videretur, χολὴν, id est, bilem, ac molestiam appellabat, quum schola Græcis sonet otium: & Platonis διατριβὴν, id est exercitationem, κατατριβὴν id est, contritionem voce deprauata vocabat, quod à communi vita semotus, disputationibus insenesceret, quum Diogenes in publico viuẽs, mallet philosophice viuere, quam disputare. *Laert. lib. 6. cap. 1.*

Plato. Anniceris quidam Cyrenæus, aurigandi peritia insignis, & vt egregius artifex, ita gloriosus artis ostentator, venit in Academiam Platonis, atque illic rationes omnes procurrendi, flectẽdi currum, & per easdem interdum orbitas redeũdi ostentabat. Admirantibus igitur aliis, solus Plato negabat sibi videri probabile, eum virum, qui totum animum inutili studio dedisset, ad vllã rẽ grauẽ, ac frugiferam esse idoneum. *Ælianus 3. de Var. hist.*

Anonymus. Hospes quidam apud Lacedæmonios, quum ipsi stanti interim altero pede, crepida in alterum indueretur, dixit cuidam: Non arbitror te, Lacon, tantum temporis vni pedi posse insistere, quantũ ego possum. Lacedæmonius excipiens, Fateor inquit: attamen nullus est anserum qui istud non possit. Iure derisit hominẽ, qui longo vsu didicisset artem, quæ nihil vtilitatis adfert reipublicæ. Huiusmodi sunt artes præstigiatorum, funambulorum, & similium. *Plut. in Laconicis.*

Similitudines.

Visus accipit lumen suum à circumfuso aere: animus etiam lumen recipit ex disciplinis liberalibus, vt ad reliqua philosophiæ mysteria reddatur perspicax. *Laertius lib. 5. c. 1.*

Vt frequentius conuenitur ad spectaculum vbi nonnihil theatricæ stipis confertur: Ita disciplinæ à pluribus coluntur, quæ præter voluptatem, ac dignitatem, emolumentum etiam, & cõmoditatem adferunt. *Plut.*

Arbor suapte natura non nisi vnicum fructum gignit, insitione eadem diuersi generis fructibus oneratur: Ita qui naturam suam sequitur, semper idem est: qui arte ducitur, sui dissimilis est. *Plin. lib. 17. cap. 14.*

Rhombus, & squatina, & rhaia, & pastinaca, cum tardissimi sine piscium, tamen sæpe reperiuntur habentes in ventre mugilem omnium velocissimum, solertiæ, & ingenio capientes: Ita quidam arte superant longe potentiores opibus, aut viribus. *Plin. lib. 9. cap. 42.*

Sicut vina, & poma subacerba, vetustate mitescunt dulcescũtque: sic ætatis insolentia longo rerum vsu mitigatur.

Plutarchus testatur se vidisse in Africa canes qui lapillos in aquam aggesserint: donec aqua eo surgeret, vt contingi posset. Idem narrat de cane coniiciente lapillos in amphoram olearíam: Ita nobis quod viribus diminutum erit, arte supplendum est. *P. M.*

Nihil proderit dare præcepta, nisi prius amoueris obstantia præceptis: non magis quam proderit arma in cõspectu posuisse propiusque admouisse, nisi vsuræ manus expediantur, vt ad præcepta quæ damus possit animus ire. *Sen. epist. 96.*

Quemadmodum folia per se viuere non possunt, tantum desiderant cui inhæreant, ex quo trahant succum: sic ista præcepta, si sola sunt, marcent, infigi volunt sectæ. *Sen epist. 96.*

Vt ingentia pondera, quæ nullis hominum viribus tolli possunt, machinis facile tolluntur: Ita quod vi nequis efficere, ratione & arte facile efficies. *Anonymus.*

Profana Exempla.

Atheniensibus acceptum referunt auctores celeberrimi lanificium, oleum, vini vsum, arandi serendique frumenta, glandē vescentib. præmonstratam rationem. Vnde & Autochthonas esse cognominatos scribit in Theologumenis Apollodorus, quoniam terrã primi colere adorti sunt. *Cælius lib. 18. c. 25. A. L.*

Liuius lib. 33. & 34 sed maxime lib. 39. In Catone, inquit, tanta vis animi ingenijque fuit: vt quoquo loco natus esset, fortunam sibi ipse facturus fuisse videretur: nulla ars neque priuatæ neque publicæ rei gerendæ ei defuit.

Indi & Brachmanes edito infanti curatorem, & vitæ magistrum custodemque adhibebant: vt sub legibus, & magistratibus, bonis disciplinis formatus, salutaribus exemplis erudiretur. *Alex. ab Alex. lib. 2. c. 25.*

Orœdamus luctæ, & pugillationis legislator, Siculum morem pugillandi excogitauit. *Ælian. lib. 11.*

Gothorum iuuenes olim adeo perfecte artem gladiatoriam addiscebant, vt aduersam frontem ineuitabili ictu ferirent. Si quis recepto ictu palpebris conniueret, aula eiectus stipendijs defungebatur. *Ioan Mag. lib. 7. cap. 14.*

Nun-

Nunquam tam occupatus Apelles fuit, vt diem prætermitteret, in quo nihil pingeret, artem exercens. Vnde ſubducens ſe a negotijs dicere ſolebat. Hodie nullam lineam duxi. Quæ vox abijt in prouerbium.

HIEROGLYPHICA.

Per Vallem artem humana induſtria comparatam, quæ naturam longe vincat, indicamus, negotia vero perdifficilia minimo conatu confecta. *Pier. Val. l. 48. pag 476.*

Artemidorus coniector artes ex *manu* ſignificari, ea de cauſa dicit, quod earum opera artes exerceantur. Et Cicero ait, Natura dedit homini *manus* multarum artium miniſtras. *Idem lib. 35. p. 328.*

Vaſa ſterilibus ardoribus, & inutilibus fructibus oppleta, hieroglyphice inanes artes vanaſque diſciplinas oſtendunt. Per ſteriles enim & inutiles fructus in Diuinis literis artes illæ intelliguntur, interprete Philone, quæ contra veritatem iuſtitiamque comparantur, *Pier. Val. l. 56. p. 543.*

EMBLEMATA.

Ars naturam adiuuans.
Emblema XCVIII. And.

Vt ſphæra Fortuna, cubo ſic inſidet Hermes:
Artibus hic varijs, caſibus illa præeſt.
Aduerſus vim fortunæ eſt ars facta: ſed artis
Cum fortuna mala eſt, ſæpe requirit opem.
Diſce bonas artes igitur ſtudioſa iuuentus,
Quæ certa ſecum commoda ſortis habent.

APOLOGVS.
Cornix.

Sitiens cornix reperit in vrna grandiuſcula, aquæ non multum. Quam cum attingere arido roſtro non poſſet, lapillos quam plurimos in vrnam deijcit, quibus fundum occupantibus, ad labrum vrnæ aqua ſubijt, & potandam ſe cornici præbuit. Docet fabula, multas res arte obtineri, quas nullæ vires aſſequi potuiſſent. *Ioach. Camer. lib. fabul. p. 250.*

ARVSPEX.

DEFINITIO. ET ETYMOLOG.

ARuſpex. Aruſpices nuncupati ſunt, quaſi horarum inſpectatores. Dies enim, & horas in agendis negotijs operibuſque cuſtodiunt, & quid per ſingula tempora obſeruare debeat homo, intendunt. Hi etiam exta pecudum inſpiciunt, & ex eis futura prædicunt. *Iſid. l. 8. Orig. c. 9.*

Aruſpex, ſeu Haruſpex, Heb. *Keſem* à verbo *Kaſam*, quod medium eſt, modo enim in bonam, modo & ſæpius in malam partem ſumitur. & ſignificat diuinauit. Aruſpicina damnatur *Deut. 18. 10.* Exempla, *1. Sam. 28. 8. 1. Reg. 17. 17. Ezec. 13. 6. 23. & 21. 26. Mich. 3. 11.* In bonam partem diuinatio, *Keſem*, accipitur, *Prouerb. 16. 10.*

Græci, *ὀρνιθείαν. οἰωνιστικὴν. ἱεροσκοπίαν, ὀρνιθοσκοπικὸν, ὀρνιθομαντείαν.* Græci nominarunt obſeruationes rerum futura portendentium, interpretationesq; & diuinationes ac reſponſiones aruſpicum. Latini Aruſpicinam, & Augurium.

Dionyſius Halicarnaſſ. teſtatur Romanos vocare ſolitos Aruſpices eos qui omnis generis diuinationum eſſent periti, cùm ex rebus cœleſtibus, tum ex ijs quæ in aere fiunt, & terra, futura prædicendi. Et aruſpicum nomen *ἱεροσκόπων* appellationi adeo cognatum eſt, vt ex eadem origine ambo tracta videantur.

Apud Romanos, ſi quid inſueti accidiſſet, nunciatumve eſſet, ad Aruſpices mox, veteri more inſtitutoque referebatur, qui docerent quid Dij præmonſtrarent, quidve poſcerent: & de illorum reſponſis ſacra aut nouata ac redintegrata, aut reparata: comitia turbata, vel ſoluta, vel prorogata: tum tractationes, quæ inchoatæ erant, finitas ac ſuſpenſas, & reſciſſa decreta legimus. Veteri lege Prodigia, & portenta ad Hetruſcos aruſpices, ſi Senatus iuberet, deferebantur, & principes in Republica Hæturiæ diſciplinam diuinatoriam diſcebant. Sed dij gentium cacodæmones, & artes illæ damnatæ atque abominabiles coram Deo pronunciantur. Deut. c. 18.

Donatus in Phormionem Terentij, Haruſpex, inquit, ab Haruga deriuatur, quæ eſt hoſtia, ab hara, in qua concluditur, & ſeruatur. Cicero de diuinatione, lib. 3. Haruſpicinam reipublicæ cauſa communiſque religionis colendam eſſe cenſet. Nonnulli Haruſpicinam, artem diuinandi ex inſpectione extorum *σπλαγχνοσκοπίαν* appellant, Græcis & Romanis in ſacrificijs familiariſſimam.

Aruſpicinam primus Hetruſcis tradidiſſe dicitur, quidam Stages. Hic ex hortis aruſpicinam dictauit, & poſtea non apparuit. Nam dicitur fabuloſe arante quodam ruſtico ſubito ex glebis exiluiſſe, & Aruſpicinam dictaſſe, qua die & mortuus eſt. Quos libros Romani ex Etruſca lingua in propriam mutauerũt. *Idem Ibidem.*

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.
Franciſcus Petrarcha.
De promiſsis aruſpicum. DIAL. CXII.
GAVD.

Aruſpices mihi multa pollicentur. R. Inueniſti ecce aliud genus hominum, cui ſi credas, ſemper pendeas, ſemper ſperes. Nam neque res vnquam aderunt promiſſæ, neque enim vnquam deerũt promiſſores, ſic res hinc profugas captans, hinc promiſſis impulſus Ixionio ſemper more rotaberis. G. Spem bonam mihi tribuunt aruſpices. R. Non maius ſpem eſt credulo quam metum pauido inferre, conſtantes animi neutram in partem facile inclinant. G. Multa vndique mihi promittunt mathematici. R. Nihil promptius quam promiſſis affluere ijs qui careant pudore, quos mentiri autem pudet, ad promittendum tardi ſunt. G. Læta ſpondent mathematici. R. Sponſores quære alios ſeu pignus, promiſſi fragile genus eſt: nudo verbo male creditur. G. Multa promittunt mathematici. R. Quære qui promiſſum impleat, ſatis eſt ſpem dediſſe, non poteſt vnus dare omnia. G. Promiſſis aruſpicum experrectus ſum. R. Conſopieris euentibus, nihil euanice promiſſorum. G. Magna iubeor ſperare. R. Mirum vt animus hominis qui virtuti contumax eſt, vanitati vero nimis obediens, vnum aliquid, idque optimum iubeat illa, contemnitur, quicquid hæc iuſſerit, difficile licet ac peſſimum, paretur. G. Mathematici læta pronunciant. R. Miri homines futura ſola qui nouerint, præteritorum, atq; præſentium ignari, & quæ in cœlo fiunt ita nuntient, quaſi concilio cœleſtium interfuerint, recentiq; nunc inde veniant memoria, cum tamen interim quid in terris, quid in patria, quid in domo, quid in thalamo ſuo fiat neſciãt. Sic penitus verum eſt quod apud Tulliũ legis, quod eſt ante pedes nemo ſpectat, cœli ſcrutantur plagas. G. Magna nunciat mathematicus inſignis, & verax. R. Quo diuinans inſignior, & mentiendi libertas maior, & fides pronior mendario eſt. Sæpe quidem mirari ſoleo, noſterque non immerito miratus eſt Cicero, quid hoc in genere nouum inſuetumque accidit, vt cum in cunctis hominibus multa vera memorabili vno mendacio obſcurentur, & ſuſpecta fides in poſterum loquentis fiat, in his contra grauibus mille mendacijs vna leuis ac fortuita veritas, velum quoddam, & mendaci publico fidem quærit, ſi quãdo vel ſemel (quoniam nemo tam mendax vnquam fuit, quin quandoque verum diceret) nolens etiam, aut ignarus vni horum veri forte aliquid effluxerit actum eſt, ſi caſura hodie de cœlo aſtra denunciet, creditur. Denique ſine vlla ſuſpicione mendacij mentiri poteſt omnia, quiſquis ſemel potuit non mentiri. Vnum enim illud memorat præceps in futurum prominens, & præteriti ſic oblita credulitas, ac deceptoribus ſuis fauens. G. Diuinis læta nunciantibus credo. R. Furentibus credere furor eſt. Certe quamuis hic Cicero videatur ſenſiſſe aliter, conuenientius huic rei nomen à Græcis inditum quam à veſtris iudico. Latini enim à diuis ſeu a diuinitate diuinationem, illi autem quod eſt manticen à furore dixerunt. Vos fortaſſis ornatius, at illi verius. Hanc ſacri doctores vno omnes ore condemnant, Ambroſius, Auguſtinus, cæterique, qui ſi forte (quãdo inter multos hic quoque mos peſtifer inualuit, vt inter hos garrulos in quæſtione veri ob ipſum profeſſionis ſuæ nomen ſuſpecti habeantur veræ fidei profeſſores) auditi non erunt, cum omnibus idem ſentientibus, qui ſunt innumeri, & quamuis diuinationem improbent diuini viri, quid tandẽ cauſæ eſt quidue ſuſpicionis, vt non audiendus vnus, & in multis primus ac maximus illorum Cicero videatur? Certe is totum hoc illuſionum ac fallaciarum genus damnat, ridet ac deſpicit, & ad ſummam omiſſis, quæ locus iſte non capit. omnis non tantum pia religio, ſed vera quoq; philoſophia, & quæ illam calle ſuo ſequitur poeſis, nec ſancti modo, ſed etiam docti oẽs hanc reſpuunt vanitatem, præter illos, qui vel hinc viuunt, vel ab his ſeducti in eorũ tendiculas lapſi ſunt, quorum damnis atque erroribus lucrũ ſibi atque artem faciunt, in qua illud ſummum ac præcipuũ obſcuritate fraudem tegere, & ſic biceps ambiguũque reſponſum dare, vt prædictum videri poſſit quicquid euenit, ꝙ omnibus futuri notitiam profeſſis in commune prouiſum eſt: qua in re non ars ipſa quę nulla eſt, non ingeniũ, quod ſine literis rerumque notitia nudum eſt, ſed illorum calliditas. & audacia, & impudentia ipſa mirabilis, vnde quod feſtiue admodũ ait Cato ille rigidus, mirari ſe quod non rideret aruſpex aruſpicem cum vidiſſet, id ad omnes æque augures, aruſpices, ſortilegos, coniectores, Chaldæoſque, & mathematicos, ac totã quã diſsi manticen trahi poteſt, tam incertum eſt, an illorum fraus turpior an ridiculoſior veſtra dementia. Illorũ tamen argutijs, atque ratiunculis reſpõdere facile, ſed prolixum eſt, notumque adeo tamque à notis ac illuſtribus agitatum, vt non ſuperuacua tantum repetitio, ſed temeraria videatur. Veſtræ autẽ ineptiſſimę vanitati quid aliud dici poteſt niſi dignos vos, qui ab homũculis nõ terreſtribus modo, ſed luteis, & nullius niſi qua ſtulto

ludant

ludant notitiam artis habentibus scientiæ insignis obtentu, & cœlo insuper authore fallamini. G. Persuasum est mihi prosperæ instare, quorum expectatio dulcis, læta, & tranquilla est. R. Immo quidem amara, tristis, turbida, sed vos sensu perdito de obiecto sensuum iudicatis. Persuasum sane nullo negotio crediderint. Promptum est persuadere volentibus, quibusdam persuasor necessarius non est, ipsi sunt vates & occursus animantum, uolatusque auium, & garritus lætum in augurium ducūt. Ac si quoties te ista fefellerint recogitas, si de hac re vicinos interrogas, nisi vel tu vltro te fallis, vel illi participes erroris quærūt, facile deprehendes, quorsum his præstigijs credēdū sit. nisi tres illi summi hominum rerumque moderatores Pompeius, Crassus, & Cæsar iurati forte contrarium dicturi sunt, quibus quod constat magno quidem omniumque familiarissimo teste Marco Tullio, Chaldæi omnes aruspicesque promiserant, quod præclaro fine omnes beati senes in patria morerentur, idque quam verum fuerit non expectas audire, ferro omnes, duo miserabilius quā longissime ab Italico Romanoque orbe, sectis, fœdoque ludibrio reconditis veneratis illis, toto que diu formidatis orbe capitibus reliquæ inhumati, ferarum & piscium morsibus, ac volucrū rostris expositi, cæci, & laceri. miserandum fortunæ spectaculum iacuere. I nunc diuinosque vates nega, qui tā certa prænunciant. G. Gratum augurium notavi. R. O amentiam importunam? miser homo successuum notitiam suorum, quæ sibi nulla est a volucribus sperat. Quid hoc stultius fieri potest? quia si dijs placet, & Deiotarum regem visa aquila impendenti præripuit ruinæ, & Aggripæ Hebræo instare carceris exitum, finemque miseriæ, ac prosperitatis initium nunciauit supra verticem sedens bubo auis, alioqui infamis, cuiusque Vergilij carmine carmen feralе describitur. G. Lætum omen incidit. R. Omen ab homine dictum nomen humanæ dementiæ argumentum est, quo aliquid semper non externarum modo rerum, sed earum quoque quæ in vobis sunt animos in errorem trahat, ne deliramentis anilibus vlla pars rerum vacet. Itaque & sternutamenta seruorum, & natoris fortuito lapsas voces eo trahitis, non quo vis illarum, sed quo vestra cupiditas vocat, scilicet, quia Centurio ille dixit, Hic optime manebimus, ne mūdi caput transferretur causa fuit, aut quia Persiam perijsse flens infantula profecturo in bello nunciauit patri, vinci Macedonum Regem consequens iudicatum est. O humana mens ebria, & mirabunda quam facile impulsu erroris in foueam ruis. G. Læta aderant consopito. R. Mœsta aderunt experrecto. G. Læta dormiens videbam. R. Mœsta vigilans videbis. G. Felia eram per quietem. R. Miser eris per laborem. Sæpe nihil somnia denuntiant, & sæpe contrarium. G. Sæpe vera videntur in somnijs. R. Quanto sæpius falsa? Par est autem huius & reliquarum huiusmodi vanitatum ratio, vnum casu incidens verum innumeris falsis astipulatur, venturoque inhians præteritum mens non videt. G. Multa nunciant diuini. R. Impostores ego hos non miror, qui de more suo pascuntur artificio, sed vos stupeo qui illorum ventri animas & ingenia vestra submittitis, proinde quid tu teneas videris, si me sequi voles expectabis, æquanimis & tranquillus, non quid astra de te, sed quid astrorum creator ac regnator sanxerit, agens aliquid in dies ardentius, quo illius amore fias dignior. De euētu non tibi veniat in animum solicitare istos quibus ignotior est veritas quam tibi, denique sic habebis futura nosse durum homini, nec licere si expediat, nec expedire si liceat.

A R X.

DEFINITIONES ET ETYMOL.

ARx ab arcendo, quod is locus munitissimus Vrbis, a quo facillime possit hostis prohiberi. *Varro lib. 4. de Lingua Latina,* *ἄκρα ἀκρόπολις.* Hebr. *Missegab,* Altum præsidium, asylum, locus propter altitudinem non facile superabilis, à verbo *Sagab,* texit, protexit, muniuit altitudine, altior fuit quam vt quis transcendere possit. Hinc Græcum *σκέπω,* tego, protego, & occulto. Vide *Psal. 9. 10. & 18. 3. & 46. 8. 12. & 59. 1. 57. 18. & 62. 3. 7. & 144. 2. Iesai. 25. & 33. c.*

Cicero metaphoricè arcem, pro validissimo præsidio, refugio, caput rei & causę frequenter vsurpat. Et in orat. pro Cn. Plancio, prouerbialiter arcem ex Cloaca facere dixit, pro hominem aut rem nihili nimium laudare.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Francis. Petrarc.

De perditis arcibus. DIAL. LXXXXI.

DOL.

Validis arcibus spoliatus sum. R. Adhuc ergo tyrannidis supererant semina, quæ iam tandem amissis arcibus abiecisti. Non est satis, venenosum stipitem præcidisse, ni radicem vulseris, qui arcibus fidit tyrannus esse non desiit. D. Montana arce priuatus sum. R. Vbique arces sunt compedes libertatis. At in montibus nimbi etiam quidam sunt quodammodo, vnde vestra superbia in subiectos tonet, ac fulminet his priuari non modo non flebile, sed optandum est. Sunt enim aliqua ex his etiā, quæ bona vulgus appellat, quibus boni quoque modestique animi teneantur atque ad illicitum vrgeantur, quibus moribus si obstare virtutis ope non valeas, quidni optanda sit amissio earum rerum, quæ hos pariunt motus. D. Arcem fortissimum amisi. R. Tu fortissimā dicis, fragilem probat euētus. Amisisti potius rem vsu ineptam, difficilemque custodia, rem inutilem tibi, vicinis omnibus odiosam, iam dormire noctibus incipies, & dormire alios fines. D. Tutissima mihi arx diruta est. R. Quomodo esset tuta quæ perijt, ipse tecum cogita. Ego autem tibi ostendam munitissimam tutissimamque arcem sine muris, sine turribus, sine vllo prorsus operoso rerum apparatu. Si vis tuto viuere, bene viue, nil virtute securius. Bene autem viuere non hoc dico superbe, laute, pompatice. sed iuste, sed sobrie, sed modeste. Nullis opus est arcibus, quæ non tutum te præstiterint, sed sollicitum, formidabilem, ac molestum. Quæ est autem hæc voluptas metui nec amari? An illud Laberij notissimum non audisti? Necesse est multos timeat, quem multi timent: hoc ille dixit in Iulium Cæsarem, quanto id in alios, illo & minores, & formidabiliores rectius dici potest? nescio quidem cur iam multi cupiant timeri. Nemo enim gratis metuitur: vna & metuit, & periculosius vni est multos metuere quam multi vnum. Nonne satius multo est, quod nullus te metuat, & tu nullum: quam quod te multi metuant & tu multos? Segregari enim ista nequeunt, semperque metu metus quæritur. Poscis huius dicti causam? Illa profecto est, quam Ouidius Naso ait. Quia quam metuit quisque perire cupit: dictum prius est ab Ennio. Quem metuunt, inquit, oderunt, quem quisque odit, perijsse expetit. Eras in tua arce metuendus, sed & metuēs & quos inquies metuebam? Immo vero quis non omnes metuet qui metui cœperit? sed illos imprimis a quibus ipse metuitur. Nam Cicero Ennium secutus: qui se inquit metui volent à quibus metuentur, eosdem metuant ipsi necesse est. Sæpe idem repeto, quia ita se res habet, nec aduertitis in hoc cæci, vt in reliquis, dum supra omnes esse nitimini, infra omnes estis, quid est timore depressius? sic conatus omnis vester in aduersum desinit. D. Arcem mihi carissimam amisi. R. Fac tibi cariorem aliam, quam non perdes. Circumualla animum pijs intentionibus, honestis vitam actibus, prudentiam, ac fortitudinem ante fores loca, iustitiam, atque modestiam in propugnaculis, humanitatem, ac mansuetudinem vndique in muris, spem, fidem, caritatem, arcis in medio, prouidentiam, supremæ turris in vertice, bonam famam in circuitu, Dei atque hominum adsit amor, absit metus, dignos cole, cæteros præteri, neque cultos, neque offensos. Ita nec te alius, nec tu alium cōtremisces, & in domo humili tutius viues, quam in arce vixisti, hanc tibi arcem nemo vsquam inuadet, hanc tibi nemo poterit aut volet eripere, hac malos in stuporem, bonos in amorem mutandiq; studium excitabis. O quā facile erit tranquillam serenamque vitam agere, ni vos eam inquietam, ac turbidam fecissetis: Omnia ferme vestram & proximorum in perniciē conquirentes, ad quid enim artes istæ, nisi ad vestram simul alienamque molestiam? vt neque vos vnquam scilicet quiescatis, & instar aranearum moscas captantium prætereuntibus insultens. Atque cunctis animantibus lustra sufficiunt, ac nidi, solus homuncio arces quærit, quo nullum animal superbius, nullumque timidius.

Polyanthea Noviss.

ASCENSIO CHRISTI IN COELOS.

Ea describitur ab Euangelistis, Marc. 16. 19. Luc. 24. 51. & Act. 1. 9. 10. 11.

SENTENTIAE PATRUM.

Christus tribus diebus a mortuis est restitutus, restituente eum suo patre cęlesti, ad quem cum quadraginta dies esset cum Apostolis conuersatus, assumptus est in sedem paternæ dexteræ; vbi tandiu permanet donec aduersarij subijciantur pedibus suis. *Ignatius, epist. 2. ad Trall. & epist. 7.*

Quod autem Christum a mortuis excitatum, Deus pater omnium esset in cœlum abducturus, ibique detenturus, donec dæmones ipsius hostes percusserit, audite verba ista Prophetæ Dauidis: dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis. *Iustin. martyr apol. 2.*

Ascendit in altum efferens & commendans Deo patri eum hominem qui erat inuentus primitias resurrectionis hominis in se ipso faciens, vt quemadmodum caput surrexit a mortuis, sic & reliquum corpus omnis hominis, qui inuenitur in vita resurgat. *Irenæus lib. 3. c. 25.*

Quemadmodum nobis pignus, & arrabonem spiritus reli-

quit, ita à nobis arrhabonem carnis accepit, & vexit in cœlum, pignus totius summæ illuc quandoque redigendę. Securi igitur estote caro & sanguis, vsurpastis & cęlū & regnū Dei in Christo. Aut si negent vos in Christo, negent & in cœlo Christum qui vobis cœlum negauerint. *Tertul. de resur. carnis.*

In cœlum circumfusa nube sublatus est Christus, vt hominem quem dilexit, quem a morte protexit, ad patrem victor imponeret. *Cyprian. in sext. Symb.*

Nullus ambigit cum ad cœlos Christus ascendens, quamuis virtute spiritus adfuerit pręsentia carnis tamen abfuisse. *Item.* Credere oportet fideles, quāuis corpore suo absit Christus, virtute tamen sua omnia & nos gubernare, semperque adesse omnibus qui eum diligunt. *Item.* Etsi corpore absens sit Christus, Patri pro nobis apparens, ad dexteram ipsius sedens: habitās tamē in sanctis per Spiritum, nec patitur eos orphanos esse. In cœlum ascendens per spiritum immisit: non enim carne cum Apostolis conuersari poterat cum ad patrem ascenderit. *Cyril. in Ioannem, & in dialog.*

Præbeat vobis omnibus credere in resurgentem, suscipere ascendentem & rursus venturum; venturum autem non de terra. certus sis, homo, propter multos seductores qui venturi sunt. *Cyril. Hierosol. in Cath.*

Vbi & quomodo in cœlo sit corpus dominicum, curiosissimum & superuacaneum est quærere: tantummodo in cœlo esse credendum est. Non enim fragilitatis nostræ est secreta cœlorum discutere, sed est nostrę fidei de dominici corporis dignitate sublimia & honesta sapere. *Aug. li. 1. de fide & symbol.*

Secundum hominem in terra erat & non in cœlo, vbi nunc est, quando dicebat, Nemo ascendit cœlum, nisi filius hominis, qui est in cœlo: quamuis secundum id quod filius Dei erat, esset in cœlo: secundum id vero quod erat filius hominis, adhuc esset in terra, nondumque in cœlum ascendisset: Noli itaque dubitare, ibi nunc esse hominem Christum vnde venturus est, secundum Christiana confessionem: Resurrexit à mortuis, ascendit ad cęlos, sedet ad dexteram Patris, nec aliūde est venturus, in eadem carnis forma & substantia. *Item.* Ascendit ante vos, sic vēturus, vt eum vidistis abeuntem. Tollitur corpus ab oculis vestris, sed non separatur Deus à cordibus vestris. Videte ascendētem, credite in absentem, sperate venientem, sed tamē per misericordiā occultam etiam sentite præsentem. Ille qui ascendit in cœlum, vt tolleretur ab oculis vestris, promisit vobis, dicens, Ecce ego vobiscū sum vsque ad consummationē seculi. Merito & Apostolus sic nos alloquitur: Dominus in proximo est, sedens super cęlos Christus, & lōge sūt cęli, & ipse qui ibi sedet, prope est. *Itē.* Donec seculum finiatur, sursum est dominus: sed tamen hic etiā nobiscum est verus Dominus; corpus enim in quo resurrexit, in vno loco esse oportet: veritas autem eius vbique diffusa est. *Item.* Prorsus hic est Dominus noster Iesus Christus. Imo hic erat secundum carnem, modo hic est secundum diuinitatem: ascendit in cœlum, ibi sedet ad dexteram Patris: audiant, & teneant. Respondeat aliquis, Quomodo tenebo absentem? quomodo in cœlum manum mittam, vt ibi sedentem teneam? fidē mitte, & tenuisti. Parentes tui tenuerunt carne: tu tene corde: & præsens & absens est Christus, nisi enim præsens esset, à nobis teneri non posset: & abijt, & hic est. Corpus suum intulit cęlo, maiestatem non abstulit mundo. *Item.* Secundum corporis præsentiam, & carnem, quam verbum assumpsit, ascendit in cęlum, non est hic. Ibi sedet ad dexteram Patris, & hic est: Non enim recessit præsentia maiestatis. *Item.* Semper quidem nobiscum est diuinitate sua: sed nisi corporaliter à nobis abiret Christus, semper corpus ipsius videremus, & nunquam spiritualiter crederemus. *Item.* Ideo absentauit se Dominus corpore suo ab omni Ecclesia, & in cœlum ascendit, vt fides ædificetur. *Item.* Gloriam corpori dedit: naturam non abstulit. *Idem epist. ad Dardan. tract. 16. 30. 106. 11. in Ioan. de fide ad Pet. c. 2. serm. 140.*

Quorum sepulchra in passione Domini sunt patefacta, horum corpora Christo resurgente de puluere sunt suscitata. Decebat. n. vt ille prius resurgeret, deinde illi, sicut dixit Apostolus Paulus. Christus resurrexit à mortuis, primitiæ dormientium. Et sicut cum Domino surrexerunt, ita cum eo ascendente etiam ipsi ascendisse creduntur. *Idem In ser. de resurrect.*

Raptus est Dei filius ab humanitate ad diuinitatem, in transfiguratione: à passibilitate ad immortalitatem, in Resurrectione: a minoritate ad patris æqualitatem in Ascensione: quia quantus fuit descensus à sinu patris ad patibulum crucis, tantus fuit ascensus à patibulo crucis vsque ad dexteram patris. *Idem in Apoc.*

Quum audis eleuatum, agnosce militiæ cœlestis obsequium, non auxilium: seruitium, non subsidium: ministerium, non adiutoriū. *Idem in act.*

Dominus noster Iesus Christus, dum naturam humanam syderibus importauit, credentibus cœlum patere posse monstrauit: dum vincentem in cęlestibus eleuauit, victorem mortis, quē sequamur, ostendit. *Ibidem.*

Ascensio Dei, catholicæ fidej confirmatio fuit, vt securi in posterum crederemus, & miraculi illius donum, cuius etiam in præsenti reciperemus effectum. *Idem in serm. de Ascen.*

Nos Christi mors viuificauit: nos resurrectio erexit, nos Christi ascensio consecrauit. *ibid.*

Resurrectio Domini spes nostra est, ascensio glorificatio nostra. Si ergo rectè, si fideliter, si deuote ascensionē Domini celebramus, ascendamus cum illo, & sursum corda habeamus. *ibidem.*

Virtutes ministræ præcedentes Christum in ascensione ad alias virtutes clamant, vt viam Domino venienti aperiant, eiq; occurrant. Reserate (inquiunt) cęlestes aditus, venienti Domino æternalis ingressus pateat, aperiantur æthereæ ianuæ & æternarum ædium valuæ, & introibit rex gloriæ in cœlum. vt ad dexteram patris interpellet pro nobis. Ipsæ enim virtutes angelicæ nouo mysterio carne induti stupefactæ, quærunt cum admiratione, Quis est iste rex gloriæ? quibus respondent aliæ, Dominus virtutum, &c. Licet enim multi scirent ipsum esse hominem: non tamen sciebant humanam naturam supra se exaltandam. *Hier. super illud Attollite portas.*

Vultis eius saltus cognoscere? de cœlo venit in vterum, de vtero venit in præsepium, de præsepio in crucem, de cruce venit in sepulchrū, de sepulchro redijt in cęlum. *Greg. super hom. 29. super Euang.*

Saluator noster, qui cum in ea carne quam assumpsit, ascendit in cœlum. peregre profectus est: quia locus carnis propriè terra est, quæ quasi ad peregrina loca deducitur, quum in cęlo collocatur. *ibid.*

Illo reuertebatur Christus, vbi erat, & inde redibat vbi remanebit: qui cum per humanitatem ascenderet in cœlum, per Deitatem suam, & terram pariter continebat, & cœlum. *ibid.*

Oportet, fratres charissimi, vt illuc sequamur corde, vbi Christum credimus corpore ascendisse, & si adhuc tenemur infirmitate corporis, sequamur tamen eum passibus amoris, quia is qui placidus ascendit, terribilis redibit. *ibid.*

In hac solennitate deletum est chirographum nostræ damnationis, mutata est sententia nostræ corruptionis. Illa enim natura, cui dictum est: terra es, & in terram ibis, hodie in cęlum ibit. *Idem in ho. 26.*

Ascendimus duobus modis, meditatione & oratione. Meditatio quidem quid desit, docet: oratio, ne desit, obtinet. *Bern. in serm. Ascensionis.*

Ascensionis quatuor dicimus esse gradus, prima ad cor: secunda in corde: tertia de corde: quarta super cor. In prima timetur Dominus: in secunda auditur consiliarius: in tertia desideratur sponsus: in quarta videtur Deus. *Sup. Cant.*

Domino meo datum est singulariter sedere à dextris Patris in gloria coæquali, in essentia consubstantiali, pro generatione consimili, maiestate non dispari, æternitate non posteriori. *Super Psal 110.*

Natura, cuius causa paradisus à Cherubim custodiebatur, hodie super Cherubim cum summo honore suscepta est: natura cui dictum est. Terra es & in terram reuerteris, hodie in cœlum iuit, & sine termino super cœlos regnat. *Chrysost. in homil. de Ascensio.*

Fit caro verbum, id est, homo Deus, & qui homo est, in cœlis est, & qui Deus est, de cœlis est, ascendit descendens: sed descendit non descendens, est qui erat, & quod est, non erat. *Hil. de Trinitate.*

Non solum hodie cęli possessores firmati sumus, sed superna cęlorum in Christo penetrauimus, ampliora recepturi per suam ineffabilem gloriam, quam per Diaboli perdideramus inuidiam: quia quos Diabolus de primi habitaculi felicitate eiecit, hos Dei filius sibi incorporatos ad patris dexteram collocauit. *Leo Papa in serm. Ascensio.*

Non otioso inter resurrectionem & ascensionem xl. die transiere discursu, sed magna confirmata sunt sacramenta, magna reuelata mysteria. In eis diræ mortis aufertur metus. vere simul & carnis immortalitas declaratur. In his insufflatio spiritus sancti infunditur, in his beato Petro præter cæteros ouilis dominici cura mandatur. *Idem ibid.*

Nemo ascendit in cęlum, nisi qui descendit de cęlo. Quisquis ergo in cęlum ascendere desiderat, ei qui de cęlo descendit, decet vt in cęlo se vera fidei & dilectionis vnitate coniungat, aperte intelliget, quod nullo alio ordine, nisi per eum, qui de cęlo descendit, in cęlum ascendere possit. *Beda sup. Ioan. 3.*

Refræna iram, carpe malitiam, expugna luxuriam, & de peccatis virtutibus fecisti gradum, qui ducit in cœlum. *Chrysost. in Symbol.*

Vnus idemque homo Localis ex homine, qui est Deus immensus ex Patre, vnus idemque secundum substantiam humanam; absens cœlo quum esset in terra, & derelinquens terram, quum ascendit in cœlum: secundum diuinam veram immensamque substantiam, nec cœlum dimittens, quum de cœlo descendit, nec terram deserens, quum ad cœlum ascendit. *Fulgent. lib. 2. ad Thrasim.*

Aspe-

ASPERITAS.

DEFINITIO. ET ETYMOL.

ASPERITAS, Græce τραχύτης. σκληρότης, ἡ; & σκληρὸς, ὁ asper dicitur. Est autem asperũ id, in quo hæc pars quidem superat, illa vero est inferior. *secundum Aristo lib. Prædicamentor.*

Asperum est, cuius una pars supereminet alteri. *secundum B Thom. super 2. de anima Li. 57. principio.*

Hebr. *Keschi*, Durities, asperitas pertinacia, Deuteron. 9. v. antep. à verbo *Kaschah*, durus, difficilis, pertinax, asper, crispus seu perplexus fuit.

POETICAE SENTENTIAE.

Ouid lib. 2. de Art.

Dextera præcipue capit indulgentia mentes:
Asperitas odium sæuaque bella mouet.
Odimus accipitrem, quia viuit semper in armis:
Et pauidum solitos in pecus ire lupos.
At caret insidijs hominum, quia mitis hirundo est,
Quasq; colat turres Chaonis ales habet.

ADAGIA.

Inexorabilis.

In inexorabilem ac præfractum suoque relinquendum ingenio, vel in eum, cuius operam nihil moramur, apposite torquebitur illud Iliad. 1.

Ἀλλ' ἴτω ἡμεῖς μὲν ἐάσομεν, ὡς κεν ἴῃσι.

Hinc μέγα.

Id est.

Quin magis ipsius hunc animo, ingenioque sinamus,
Siue venire velit, siue hic remanere.

Ferreus Aheneus.

Ferrea atque ahenea dicuntur, quæ solida firmaque significamus Hor.

Versatilis Artemon. ὁ περιφόρητος Ἀρτέμων.

Aiunt dici solitum de his, quorum gratia vehementer decertatur. Plutar.

Cornea fibra.

Persius. Neq; enim cornea fibra. Cornea, & durissima sunt, & sensu carent. Vnde qui carent humanis affectibus robur, adamantem, silicem, ferrum, cornu in pectore gestare dicuntur.

Scytarum oratio. Σκυθῶν ῥῆσις.

Græci quicquid agreste, quicquid barbarum ac sæuum intelligi volunt, ad Scythicum appellabant, Lucianus.

Pandeletias sententias. Πανδελετίας γνώμας.

Id est: Pandeletiam sententiam, appellat in deterioribus Cratinus, vt citant morosam, ac molestam. A Pandeleto quopiam Sycophanta.

Durus & implacabilis.

In hominem impendio rigidum, & implacabilem recte torquebis illud Homeri Odiss. κ.

Σοὶ δέ τις ἐν στήθεσσιν ἀκήλητος νόος ἐστί.

Id est.

At tibi non vnquam placida in pectore mens est.

Κερασβόλος.

Plutarchus docet, homines præfractos, & asperibus moribus & intractabiles κερασβόλους vocari solitos.

Scitha malus. σκύθης κακός.

Tanta erat barbaries, & immanitas Scythicæ gentis, vt ipsa etiam appellatio prouerbium, quemadmodum hodie crudelem hominem appellamus Turcam: & immane facinus Turcicum.

Inexorabilis, & durus.

In durum & inexorabilem competet illud ex Odiss. ψ.

Σοὶ δ' αἰεὶ κραδίη στερεωτέρη ἐστὶ λίθοιο.

Id est.

At tibi perpetuo cor saxo durius omni est.

Ita Telemacus ad matrem.

Thymbra victitantes, Θυμβροφάγοι.

Adagio dicebantur, vel qui tutius ac liberius vitam agerent: vel qui moribus essent parum blandis, vel qui hilariter, citraque solicitudinem paruo contenti viuerent quod Thymbra herbæ genus sit.

Scrabosior leberide. κνησιώτερος λεβηρίδος.

Asperior leberide. De vehementer asperis, & insuauibus.

Totus Echinus asper. ὅλος Ἐχῖνος τραχύς.

In morosos & iniucundis moribus quadrat.

Durus alloquijs. ἄτεγκτος ἄνθρωπος προσηγορήμασιν.

Ductum a cera, quæ tractando mollescit. Competet igitur in hominem inexorabilem.

Echino asperior.

In hominem intractabilem, & insuauibus moribus dictum. Plin.

Corinthus & collibus surgit, & vallibus deprimitur. Κόρινθος ὀφρυᾶ τε καὶ κοιλαίνεται.

Polyanthea Noviss.

Adagium vbinam possis esse vsui, non satis video, nisi quis detorqueat ad hominem intractabilem, & aspero præditum ingenio.

Etiam quercus bacchatur. καὶ δρῦς μαινὰς ἐγένετο.

De ijs qui vix deliniuntur. Ab Orphei fabula, quercus sua cithara demulcentis. Menades sunt mulieres afflatæ Baccho.

Aggamemnonis hostia. Ἀγαμέμνονος θυσία.

Quondam in duros, ac persuasu difficiles dicebatur. Videtur & huc posse referri, quod Agamemnon in Aulide filiam Iphigeniam immolarit, sed admodum inuitus.

Vide, Crudelitas, Inhumanitas, & horum Contraria.

ASSENTATIO.

DEFINITIO. ET ETYMOLOG.

ASsentatio, Hebr. numero plurali *Calak Lakkoth*. efferunt, Ps. 35.6. Ierem. 23. 12. Dan. 11. 2. 5. 34. t. Lubricitates, blanditiæ. In singulari *Chelkath*. & plur. *Calakkoth*. Psal. 12. 3. & Psalm. 73. 18. Esai. 30. 10. Dan. 11. 32. Lubricus enim, est politus, blandus est assentatorum sermo. à verbo P. *Calak*. Distribuit blandas partes, partitus est blandè. Inde Græcis κολακεία. ας ἡ & κολακεύω assentor dicitur. Sunt autem assentatores, qui in vita, atque omni vsu verborum, & actuum placendi studio omnia laudant, nec aliqua in re aduersantur, putantes oportere minime molestos se cuiquam esse. *secund. Arist. l. 4. Ethic.* Diciturque assentator ab assentor quod est adulor, & quasi in omnibus consensum præsto, vt est illud Terentianum: Ait quis, aio: negat quis, nego. Differunt autem hæc etia, assentor, adulor, blandior, quod assentari proprie est voce, vel laudando, vel assentiendo captare. Adulari quoquo modo vel voce, vel gestu fauorem quærere. Blandiri propriè tactu: verum ad alios quoque sensus transfertur. Assentire ab assentio, quod & assentior dicitur in actiua significatione, Græce ὁμολογεῖν dicitur, est actus intellectus. Consentire autem est actus voluntatis. *secund. B. Thom. pri. 2. q. 15. a. 1. & 3. Sent. dist.* Lepidissima porro est vocum Colacis & Coracis apud Græcos, allusio. Quid enim assentator aliud est quam coruus prædæ inhians?

Assentator est, qui plura quam sit par, adsintque, cuipiam arrogat. *Arist. mag. moral. l. c. 29.*

SENTENTIAE PHILOSOPHORUM.

Assentationem autem recte quis turpe colloquium & obsequium quoddam assentatoris, vtilitatis gratia institutum esse arbitretur. Assentator vero, qui dum tecum vna proficiscitur, animaduertis, dicat, vt in te ora hominum atque oculi coniecti sunt? quod præter te nemini ciuibus euenit. Item: heri in porticu maxime collaudatus es, cum enim plus quam triginta homines eo sedentes cõuenissent, ac de te sermo incidisset, quisnam cæteris maxime virtute præstaret, à te ipsius nomen ferebatur, multaq; alia dissimilia dicere consueuit, & a pallio, si quid siue pili, siue pulueris, seu fili fuerit: excutere atque amouere, & si paleaũ quippiam in crinem ventus abiecerit, ad paleas & fœnũ sermonem transferre, atque arridẽdo dicere: Vides vt duobus diebus, quibus a te absui, caniciem barba contraxit, & si mihi præ cæteris, qui hoc ætatis sunt, capillo nigro esse videre, & quũ ille aliquid loquitur, cæteris silentiũ imperet, nolentem ẽt & inuitum efferat laudibus, & orationem finienti annuat, & salibus vtenti vehementer arrideat, vestemque in os adigat, quippe qui risum nequeat continere: ac si quis obuiam venerit, eum iubet cõsistere, quoad ille prætereat pueris eius mala ac pyra pretio cõparata deferens, eo spectante tradit, eosque osculatus: O pręclaram, ait, optimi patris sobolem: calceos ementi adest, atq; pedẽ longe melius formatum calceis esse dicit. Quumque is ex amicis aliquem adeat, cursu assentator præuolet, eiq; qui aditur, ad te proficiscitur, amicus, ait: & antequam aderit, reuersus affirmat se nuntiasse. Illa vero, quæ muliebris cœtus sunt, adhibere potest absque negotio, vt si quando in conuiuio versetur, primus omnium vina probet, quũq; is interest, qui conuiuium statuit. quã molliter ait, & laute cænas: quum aliquid ex mensa tollit, statim affirmat esse peroptimum: rogat deinde, nunquid frigore sit affectus, ac nunquid amplius indui, & vestibus abs se amiciri velit: atque hæc omnia quum dicit, insusurrat in eius aurem. Tum in illum adspiciens, ad alios adstantes atque audientes loquitur. In theatro vero puluinos ministro ereptos ipse substernit: domum artificiosissime ædificatam, agrum optime excultum, & plantis consitum esse confirmat, imaginem petite ex illius figuręimitatione simulatam atque expressam. Et ne omnia complectar, assentatorem intueri licet, ad eius, cui gratificari se arbitretur, nutũ ac voluntatem omnia sua & dicta, & facta referẽtem. *Theofrasti Characteres*, de adulatore seu assentatore. vide etiam Characteres blandientis apud eundem, & Stob serm. 55.

APOPHTHEGMATA.

Diogenes in assentatione, inquirebat, velut sepulchro quopiam, solum amicitiæ nomen inscriptum est. *Stob. ibid.*

orates Lupi cum sint canibus similes, assentatores amicis, diuersa tamen studia sequuntur. *Stob. ibid.*

Theophrastus, assentationem rectè quis turpe colloquium, & obsequium quoddam assentatorum vtilitatis gratia institutum esse arbitretur. *Stob. ibid.*

SENTENTIAE POETICAE.

Auris superbas atque credulas vafer
Titillat assentator, Hunc amor sui
Velis ministrat, suggeritque audaciam
Impunè quodvis mentiendi splendidè.
Si pectus impos, nescitque, vivida
Virtutis, aura sedulum volucres aucupat.
Famamque inanem, laude veraci exuit.

Sapientiæ moralis & ciuilis præcept. lib. 4.

Est genus hominum, qui esse se primos omnium rerum volunt,
Nec sunt: hos consector, hisce ego non paro me ut rideant,
Sed his vltro arrideo & eorum ingenia admiror simul.
Quicquid dicunt, laudo: id rursum si negant, laudo id quoque.
Negat quis, nego, ait, aio. Postremo imperaui egomet mihi
Omnia assentari: is quæstus nunc est multo vberrimus.

Terentius assentatorem & parasitum ita graphicè depingit in Eunucho, Act. 2. sc. 2.

ADAGIVM.

Ad solarium versari.

Dicitur in assentatores & parasitos, qui curiose solent umbram solarij obseruare & tempus cœnæ inde discere, &c.

APOLOGI.

De Coruo & Vulpe.

Sustulerat coruus alicunde caseum, & cum illo in altam arborem subuolarat: Vulpecula quæ caseum concupiisset, ita illum adorta callide fertur, cum primum formam & nitorem pennarum, & laudes augurij collaudasset: Planè, inquit, te summi Iouis volucrem esse dicam, si audiero etiam vocem & cantum dignum reliquis virtutibus tuis. Coruus laudibus vulpis inflatus, clamorē edere quam maximum posset. Ita de aperto rostro delapso caseo potita vulpes, irridens illum: Nihil, inquit, tibi deest corue præter cor.

Fabula docet assentatores & deridendos & comedendos alijs, vt Terentius ait, exponere eos, qui illis delectentur. *Ioach. Camer. lib. Fabul. p. 157.*

Aegrotus & Medicus.

Aegrotus quidam a medico suo interrogatus, quo pacto præteritā noctem peregisset? respondit, se admodum sudasse. Hoc, inquit medicus, bonum est. Postridie reuersus, & similiter percunctatus ægrotantem, audiuit, horrore fuisse ipsum vehementi concussum. Hoc medicus, bonum, inquit, & ipsum est. Tertio sciscitatus, quomodo haberet, cognouit inter cutem effusam affligere hominem. Sed & hoc bonum esse dixit: Digresso medico, accessit ex amicis vnus ægrotum, & quid fit, inquit, & quo in loco sunt res tuæ? Optimo, inquit ægrotus: Nam multitudine bonorum extinguor.

Fabula indicat, non alijs homines magis succensere, quam ijs, quos in suam gratiā mentiri, & a quibus assentationibus se falli animaduerterint. *Ioach. Camer. lib. Fabul. p. 98.*

Vide Adulatio.

ASSIDVITAS.

DEFINITIONES ET ETYMOL.

ASSIDVITAS, Græce προσλιπαρία, & assiduus, προσλιπαρῶν. Et est, qui rei cuipiam indefessè adhæret, & quasi affixus est. Quantum aūt possit assiduitas, ostendit Hebr. *Tamid* Continuus, iugis, frequēs sempiternus, & aduerb. sēper. Hinc θαμίζω frequento: θαμὰ θαμινὰ frequenter, θαμινὸς frequens.

SENTENTIAE POETICAE.

Hesiodus.

Εἰ γάρ κεν καὶ σμικρὸν ἐπὶ σμικρῷ καταθεῖο,
Καὶ θαμὰ τοῦτ' ἔρδοις, τάχα κεν μέγα καὶ τὸ γένοιτο.
Si quidem enim & paruum paruo addideris.
Et frequenter istud feceris, mox quidem magnum & hoc euaserit:

Ouid. lib. 1. de art. Amand.

Tempore difficiles veniunt ad aratra iuuenci,
Tempore lenta pati fræna docentur equi.
Ferreus assiduo consumitur annulus vsu,
Interit assidua vomer aduncus humo.
Quid magis est durum saxo, quid mollius vnda?
Dura tamen molli saxa cauantur aqua.

Sophocles.

Eamus quam celerrime. Non pote, tamen
Iusta diligentia vnquam reprehendi.
Si quis otio fuerit aspexerit alterum
Locupletem, is festinabit vt aret, plantetque
Et rem domesticam rite disponat, æmulatur enim vicinus vicinum
Ditescentem: est autem hæc æmulatio mortalibus vtilis.
Operando viri pecuniosi fiunt & diuites.
Atque laborans multo magis amatur à dijs.
Non est autem dedecori laborare, sed otiari.
Quod si labores, statim & otiosus aliquis æmulabitur te
Ditescentem: diuitias vero, virtus & gloria sequuntur.
Pecunia non rapta, sed diuinitus data, plurimum præstant;
Virtus autem per labores incedit.
Boni viri subire labores.
Audent, & nusquam vlla iure sunt timidi.
Plures studio boni sunt, quam natura.
Bona per labores augentur hominibus.

Virg. in Georg.

Labor improbus omnia vincit.

Euripides.

Haud poteris fœlix absque labore degere.
Et iuuenem laborare nolle, turpis res est.

Sophocles.

Nulla res magna sine labore venite.

Euripides.

Nemo sibi laudem comparauit ex voluptatibus,
Nullus enim socors celebris vir est.
Sed labores generositatem pariunt.

Sophocles.

Nulla enim ratio præteriti laboris habetur,
Labores cum iam abiere dulces sunt.

Euripides.

Quæ pulchra sunt, infinitis laboribus comparantur,
Nulla in re operet.
Recte facientem omnino desperare.

Menander.

Comprehendi possunt industria & labore omnia.
Omnia quæ inquiruntur.
Indigent cura, dicunt sapientes.

Sophocles.

Quod quæritur, comprehendi potest: effugit autem quod negligitur.

Antiphan.

Omnia diligenti subijciuntur.

Democritus.

Plures fiunt exercitatione boni, quam natura.

APOPHTHEGMATA.

Menander, si vel modicum modico coniunxeris, idque frequenter feceris, statim fiet hoc quoque magnum. Omnia enim assiduitate conficiuntur negotia. *Stob. ser. 29.*

Democritus, vt assiduitatem in opere persequendo commendaret, dicebat perpetuam cunctationem reddere actiones imperfectas: & laborem continuum consuetudine fieri seipso leuiorem. *Stob. ibid.*

SIMILITVDINES.

Vt qui paulum addit paulo, idque frequenter facit, ingentem aceruum accumulat: ita assiduitas ad bonam mentem parandam plurimum valet. *Plut.*

Vt stilla cauat assiduitate saxum, vt ferrum contrectatione atteritur: Ita assiduitas etiam durissima vincit. *Plut.*

Gallus Phrygiæ fluuius, si modice bibas, medetur corpori: si immodice, lymphatum animum agit: Ita si philosophiæ literas modice attingas, prosunt, sin totum te illi addixeris studio, sanitatem mentis auferunt & inanis gloriæ furore quodam præcipitem agunt. *Paul. Man.*

ADAGIA.

Minutula pluuia imbrem parit. Ψακάδες ὄμβρον γεννῶσι.

Quoties res exitio pusilla crescit in maius. Quare in minutis vigilandum, ne paulatim incidamus in maxima incommoda.

Assidua stilla saxum excauat. Ῥανὶς ἐνδελεχοῦσα κοιλαίνει πέτραν.

Admonet, nihil esse tam durum, quod non emolliat, nihil tam arduum, quod non efficiat assiduitas.

Dicendo dicere discunt. Ἐκ τοῦ λέγειν τὸ λέγειν περιγίνεται.

Quadrat ad cuiusuis rei peritiam, quam potissimum vsus suppeditat, optimus omnium rerum magister. Proinde prouerbiales omnes erunt id genus. Fabricando fabricam: Canendo Musicam: Scribendo scribere disces.

Noctesque diesque, Νύκτας τε καὶ ἤματα.

Qua figura assidua & infatigabilis diligentia passim significatur. Horatius.

Nocturna versate manu, versate diurna.

Multis ictibus deijcitur quercus. Πολλαῖς πληγαῖς δρῦς δαμάζεται.

Dero facta quidem ardua, quæ tamen assidua industria pertinacatur.

Exercitatio

Exercitatio potest omnia, *μελέτη πάντα δύναται.*
Significat autem nihil esse tam arduum, quod diligentia non efficiatur, Virg. in Georg.
Labor omnia vincit
Improbus, & duris vrgens in rebus egestas.
Vide diligentia, Labor.

ASSVETVDO.

SENTENTIAE POETICAE.

Ouid. 3. Pont. 7.

Hoc quoque Naso feres: etenim maiora tulisti:
Iam tibi sentiri sarcina nulla potest.
Ductus ab armento taurus detrectat aratrum,
Subtrahit & duro colla nouella iugo.
Nos quibus assuevit fatum crudeliter vti,
Ad mala iam pridem non sumus vlla rudes.

3. Trist.

Quique fugax rerum, securaque in otia natus,
Mollis, & impatiens ante laboris eram:
Vltima nunc patior, nec me mare portubus orbum
Perdere, diuersae nec potuere viae.
Sufficitque malis animus, nam corpus ab illo
Accepit vires, vixque ferenda tulit.

3. Trist. 2.

Pone metum, valeo: corpusque quod ante laborum
Impatiens nobis inualidumque fuit.
Sufficit, atque ipso vexatum induruit vsu.
An magis infirmo non vacat esse mihi?

Idem. 2. Art.

Nihil assuetudine maius.

Ibidem.

Quod male fers, assuesce, feres bene, multa vetustas lenit.

Sen. Thyest.

Iam rumpit illi facit aerumnas leues.

Idem Oct.

Parcite lacrymis, vrbis festo
Laetoque die.
Non hoc primum
Pectora vulnus mea senserunt:
Grauiora tuli.

Val. Flaccus 5.

Alcidem Sthenelo ipse satus, tamen asperu Regum
Perpetimur iuga, nec miser parere recuso.

Prop. 2. 3.

Ac veluti primo taurus detrectat aratra,
Post venit assueto mollis ad arua iugo.

Claud. 2. Ruf.

Iam nulli flebile damnum,
Sed cursus sollemnis erat, campusque furori
Expositus sensumque mali detraxerat vsus.

APOPHTHEGMATA.

Antisthenes rogatus, Quae disciplina cum primis esset necessaria, respondit, Dediscere mala: Id enim non modo primum est, vt mala assuetudine nobis infixa abijciamus penitus: verum est longe etiam difficilimum. *Laer. l. 6. c. 1.*

Anonymus: puer quidam apud Platonem educatus, quum ad patrē ex interuallo redijsset, eumque vidisset effusius ridentem, admiratus dixit: Se tale nihil vnquam apud Platonem vidisse. Tanta res est, inde à teneris virtuti assuescere. *P. M. lib. 6 apoph.*

Polemon Sophista, quum laboraret morbo articulari, Pergami in templo obdormit, cui apparuit Aesculapius iubens vt à frigido potu abstineret: ad quem Polemon: Praeclare, inquit, quid autem si bouem curares subindicans, iam diu assuetum duris, frustra vocari ad delicias. *Philostr. in Sophistis.*

Plato Adolescentem, quod lusisset alea, grauiter increpuit, qui cum dixisset, Sic obiurgas ob rem paruam? At parum non est, inquit, assuescere. *Laer lib. 2.*

Herodes Sophista, quum subinde à Proteo Cynico conuicijs asspergeretur, Consueuimus, inquit, tu maledicendo, ego vero male audiendo. Quo dicto ostendere voluit, Immedicabile malum esse, cui ille tam diu assueuerat. *Philostrat. in Soph.*

Socrates Alcibiadi admiranti, quod Xantippen, supra modum elxolam domi ferret: Ego, inquit, etiam pridem sic assueui, vt non magis offendar, quam si rotae quae aquam educit, stridorem audiam. Nam hic stridor molestissimus est insuetis: eundem qui quotidie audit, adeo moleste non fert, vt se audire nesciat. *Laert. in vita Socr.*

SIMILITVDINES.

Vt qui thus tundunt, etiam si purgentur, tamen odorem in multum tempus referunt: Ita animus diu diuersatus in honestis negotijs, diu seruabit iucundam memoriam, qua fretus contemnet eos, qui vitam vt miseram deplorant. *Plut.*

Qui diu in vinculis fuerunt, eum soluuntur, tamen claudicant adhuc, nec ingredi possunt: Ita diu vitijs assueti etiam cum ea deserunt, quaedam retinent vestigia. *Plut.*

Vt mendum quod induruit, ac diutius inhaesit, difficile tollitur: Ita vitia inueterata non facile corriguntur. *Plut.*

Vt liber post lituras iterum infectus non facile emaculatur, quod altius imbiberit atramentum: Ita animus saepe in eadem re lapsus vitia. *Plut.*

Iumenta, quorum in aspero indurata est vngula, quamlibet patiuntur viam, in palustri pascuo saginata cito subteruntur: sic animus duris rebus assuetus, minus offenditur. *Sen.*

Vt caro quae callo obduruit, non aduertit vibices plagarum: Ita animus à consuetudine peccandi non commouetur correptione licet acri. *P. M.*

Gypsum etiam si induruit, tamen tundi rursum, & in farinam resolui potest: simulatque semel induruit ingenium adolescentis, aetate vitijsque, non potest refingi. *P. M.*

Vt Mithridati quotidie sumenti venenum consuetudine factum est innoxium: Ita mala quibus assueueris non offendunt. *P. M.*

In nassam facilis illapsus est, sed exitus difficilis, sic decliue iter in vitia, reditus ad meliorem frugem non perinde facilis. *P. M.*

HISTORICA EXEMPLA

Lacedemonij & Cretenses moribus erudiebantur, non verbis, Athenienses vero, & pene omnes alij Graeci, quę quidem oportet agi, praecipiebant suis legibus, assuescere vero ad haec non valuere. *Ioseph. l. 2 contra Appionem.*

Apud Germanos plus bonos mores, quam apud alios bonas valere leges, *Tacitus praedicat.*

Thelesias Thebanus cum assueuisset optimis veterum Lyricorū *Chromatibus*: senex iam magno licet studio Timothei & Philoxeni musicam assequi non potuit *Plut. de musica.*

Apud Romanos munus capere viro ab vxore, aut vxori à viro vetitum fuit, ne muneribus capiendis assuetae, etiam alienos admitterent. *Plut. in quaest. Rom.*

Cretenses cum acerbissima execratione aduersus eos, quos vehemēter oderunt, vt voluntur mala consuetudine delectentur, optāt: modestoque voti genere efficacissimum vltionis euentum reperiunt. Inutiliter enim aliquid concupiscere & in eo perseueranter morari, exitio ea dulcedo vicina est. *Valer. l. 7. c. 2.*

Claudius Imp. ludis gladiatorijs impense delectabatur: eorumque cōsuetudine sanguini & caedibus assuefactus, crudelitet in quosuis leui de causa saeuit, Messalina instigante. *Zonaras.*

Lycurgus legem tulit, vt Peregrini finibus arcerentur: ne aduenae alicuius noxae ciuibus doctores existerent. *Plut.*

Vide, Mos consuetudo:

ASTROLOGIA.

DEFINITIONES ET ETYMOL.

ASTROLOGIA est scientia de astris, & dicitur *ἄστρον, ου, τό.* quod est sidus, & *λόγος ου, ὁ.* sermo. Dicituque astronomia ab *ἄστρον*, quod est sidus, & *νόμος, ου, ὁ.* lex & norma. Haec primum inuenta dicitur ab Atlanta rege Mauritaniae, *teste Plin. l. 7. Naturalis hist.*

Astrorum seu stellarum mentio fit varijs scripturae locis: Astrorum (vt vulgata editio legit) *Deuter. 4. 19 & 10. 22. & 18. 26. Iob 38. 7. Isai. 14. 13.* Astrologorum (qui coelorum obseruatores seu speculatores *Hebr Schamaijm*, nec non contemplatores stellarū, *Hacezim Cocabim*, eleganter appellantur) meminit Isaias *cap. 47 v. 13.* Contemplantur Astronomi stellas, non vt Astrologi Iudiciarij & Chaldaei à propheta damnati, sed vt ex situ earum dierum, mensium, annorum stata tempora, solis, & lunae deliquia, aliaque scitu dignissima & vitae humanae vtilissima nobis designent. Astrologiae iudiciariae vanitatem, sapientes innumeri olim nostroque seculo improbarunt. Vide quid de ijs pronunciet Deus per Mosem, *Deuteron. 18. 10.*

SENTENTIAE BIBLICAE.

Fiant luminaria in firmamento caeli, & diuidant diem ac noctem, & sint in signa & tempora. & dies & annos, & luceant in firmamento caeli, & illuminent terram. *Gen. 1.*

Cunctis diebus terrae sementis & messis, frigus & aestus, hyems & aestas, nox & dies non requiescent. *Gen. 8.*

Ne forte eleuatis oculis ad coelum videas solem & lunam, & omnia astra caeli, & errore deceptus adores ea, & colas, quae Dominus

minus Deus tuus creauit in ministerium cunctis gentibus, quæ sub cœlo sunt. *Deut. 4.*

Qui fecit luminaria magna, solem in potestatem diei, & lunam in potestatem noctis. *Psal. 135.*

Quare dies diem superat, & iterum lux lucem, & annus annum à sole? A Domini scientia separati sunt facto sole, & præceptum custodiente per Dei sapientiam diuiduntur. *Eccles. 33. & 34.*

Dicebat autem ad turbas: Cum videritis nubem orientem ab occasu, statim dicitis, nimbus venit, & ita fit. & cum austrum flanté, dicitis, quia æstus erit, & fit. *Luc. 12.*

Ego sum Dominus faciens omnia, extendens cælos, solus stabiliens terram, & nullus mecum, irrita faciens signa diuinorum & ariolos in furorem conuertens. Conuertens sapientes retrorsum, & scientiam eorum stultam faciens. *Esa. 44.*

Defecisti in multitudine consiliorum tuorum. Stent & saluent te augures cœli, qui contemplabantur sidera, & supputabant menses, vt ex eis annunciarent ventura tibi. Ecce facti sunt quasi stipula, ignis combussit eos: Non liberabunt animam suam de manu flammæ. *ibidem 47.*

Iuxta vias gentium nolite discere, & à signis cœli nolite metuere, quæ timent gentes, quia leges populorum vanæ sunt. *Ier. 10.*

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Astrologia speculatur substantiam sempiternam sensibilem, quæ est cœlum: aliæ scientiæ mathematicæ de nulla substantia, vt arithmetica, & geometria. *Arist. 12. meta. c. 4.*

Astrologiæ nobilitas est amplior merito suæ naturæ circa quam versatur, demonstrationes imbecilliores sunt aliquanto quam geometria. *Ptol. com. in i de anim. c. 1.*

Astrologia nō differit de stellarum natura, sed ipsarum motus progressusque ac regressus contemplatur. *Alex. Aphro. 5. meta. vel 6.*

Astrologia circa syderum motum ac conuersiones versatur *Amm. in per c. 2.* Astrologia versatur circa quantitatem coniunctam quæ semper mouetur, quæ est cælum. *Idem ibid.*

Astrologia est notitia eorum quæ sunt in cęlo communis, hæc est definitio Astrologiæ naturalis & mathematicæ. *Io. Gram. pri. post. c. 10.*

Astrologia multis obseruationibus constat. *Magn. in prior. a. 50.*

Astrologi non dantur ad iudicandū res futuras, nisi quia existimāt scire de corporibus cęlestibus causas proprias generationi cuiuslibet indiuidui, modorum, specierum. *Auerr. de som. cap. 202.*

Astrologiæ subiecta licet sint mota, scilicet corpora cælestia, tamē non de eis considerat Astrologus vt sunt mota, sed de figuris & sitibus eorum secundum motuum qualitatem & secundum velocitatem & tarditatem & quantitatem eorum: naturalis vero eorum naturas considerat, vt mobilia sunt, & quis motus est possibilis, & quis non. *Idem, pri. metaph.*

Astronomia vtilis est non solum agriculturæ, & arti nauticæ, sed etiam militari, cum circa tempora, menses & annos versatur, circa hæc subtiliore sensu prędictum esse facit. *Plut. de repu. dial. 7.* Astronomia aliter perdiscenda est, quam nunc discant, vt has in cęlo varietates, quandoquidem in loco qui videtur expressæ sunt, optime & exactissime se habere putant, à veris vero multum absunt quibus circumuolutionibus, velocitas, & tarditas quæ est in vero numero & omnibus veris figuris inter se feruntur, & quæ in ipsis sunt ferunt, quæ sane ratione & cogitatione comprehendi possunt, visu vero minime. *Idem ibid.*

Astronomiæ peritissimus omnium fuit Iulius Cæsar, de qua præclare libros edidit, fatumque suum præscire & potuit, non autem cauere. *Franc. Pat. de r. gu. l. 2. c. 16.*

APOPHTHEGMATA.

Bion aiebat maxime ridiculos esse Astronomos, vt quum non videant pisces iuxta se natantes in littore, illos qui in cælo sunt se videre dicant. *Stob. serm. 78.*

Diogenes, Astrologus quidam in foro stellas in tabella quadam depictas cum demonstraret, atq. diceret, En tibi hic stellas errantes. audiens hoc Diogenes, Ne mentiaris, inquit, bone vir: stellæ. n. non errant, sed illi ostensis qui assidebant. *Stob. serm. 78.*

Anonyma: Thaletem, dum cęlum contemplatur, in fossam illapsum, ancilla eius, iure id eum pati dixit, qui cum iuxta pedes posita ignoraret, cœlestia intueretur. *Stob. ibid.*

Aristo dicebat, eorum quæ philosophi scrutantur, alia ad nos pertinere, alia nihil, quædam supra nos esse. Sensit autem, disciplinā morum spectare ad nos, Sophisticam nihil ad nos pertinere: eo quod ad vitæ emendationem non tantum non prosit, sed lites etiam & contentiones progeneret. Astronomiam autem, Astrologiam, &c. supra nos esse omnino. *Stob. serm. 78.*

Pindarus naturæ speculationibus vacantes imperfectum sapientiæ fructum capere dicebat. *Stob. ibid.*

Anaxagoras quum cœlum intueretur, astrorumque mirabilem cursum admiraretur, cuidam sciscitanti, cur ita libenter ferret subdiuana peruigilia: respōdit, vt cęli aspectu fruar, cursus & recursus siderum in orbem redeuntes subindicans. *Phil. Iud. in libro, Quod mundus sit incorruptibilis.*

Phauorinus tali dilemmate astrologos iudiciarios perstringere solitus est. Aut aduersa, inquit, euentura dicunt aut prospera. Si dicunt prospera, & fallunt, miser fies frustra expectando. Si aduersa dicunt, & mentiuntur: miser fies, frustra timendo. Si vera respondent, eaque sunt non prospera: iam inde ex animo miser fies; antequam e fato fias. Si felicia promittunt, eaque euentura sunt, tum plane duo erunt incommoda: & expectatio te spei suspensum fatigabit, & futurum gaudij fructum spes tibi iam defloraueri. Nullo igitur pacto vtēdum est istiusmodi hominibus res futuras præsagientibus. *A. Gellius l. 14. cap. 1.*

Accius poeta nihil, inquit, credo auguribus, qui aures verbis ditant alienas, suas vt auro locupletent domos. *A. Gell. ibid.*

Anonymus: Inter nonnullos quæsitum est, quum in omne hominum genus Alphonsus liberalem ac munificum sese ostendisset, cur solos astrologos præterierit? neque enim huius scientiæ præceptores, sicut aliarum disciplinarum magistri, in eius curia visi sunt. Vnus, qui magis scire videbatur. Sidera, inquit, stultos regunt, impelluntque, sapientes astris imperant. Stultos ergo principes honorare astrologos consequens est, non sapientes: inter quos nomen suum alphonsus obtinet. *Aeneas Syluius l. 4. commentariorum de rebus gestis Alphonsi.*

HIEROGLYPHICA.

Per maculosam hinnuli pellem Aegyptij Astrologiam hieroglyphice significabant. *Pier. Valer. l. 38. pag. 369. A.*

EMBLEMATA.

Andreæ Alciat.

Emblema. c. iii.

Icare, per superos qui raptus & aera, donec
In mare præcipitem cera liquata daret,
Nunc te cera eadem, feruensque resuscitat ignis,
Exemplo vt doceas dogmata certa tuo.
Astrologus caueat quicquam prædicere præceps
Nam cadet impostor dum super astra volat.

Scyphus Nestoris.

Emblema c. i.

Nestoreum geminis crateras hunc accipe fundis,
Quod grauis argentei massa profundit opus.
Clauiculis ex auro, stant circum quatuor ansæ,
Vnamquamque super fulua columba sedet.
Solus eum potuit longæuus tollere Nestor,
Mæonida docens quid sibi Musa velit?
Est cælum, scyphus ipse: colorque argenteus illi,
Aurea sunt cœli sidera clauiculi,
Pleiadas esse putant quas dixerit ille columbas:
Vmbilicus geminus magna minorque fera est.
Hoc Nestor longo sapiens intelligit vsu,
Bella gerunt fortes, callidus astra senex.

SCRIPTORES.

Astrologia iudiciaria seu diuinatoria cum suis partibus explodenda: causas reddunt, *Epiphanius disputans aduersus Pharisæos & Manichæos. Basilius Hexameri homi. 1. & 6. Chrysostomus in Genesin, hom. 5. & 6. In Matthæum hom. 6.* Certe Augustinus qui ipse Astrologiæ operam nauauit, *confession. l. 4. c. 3. l. 5. c. 3. 7. & l. 7. cap. 6. De doctrina Christiana, l. 2. c. 21. 22. 23. & 24. De ciuitate Dei l. 5. initio vsque ad cap. 8. contra Academ. l. 1. c. 7.* modo quidem grauiter queritur se deceptum, qui artis illi aliquid tribuisset: modo vero in eam, eiusque professores acerrime inuehitur. *Pontificum insuper Canonibus non semel est prohibita. Concilij Toletani primi Canon. 21. Barracensis cap. 9. 10. & 26. quæstione 2. 3. 4.* Defenditur hæc ex sacris literis, & obiectiones præcipue refutantur. *T. 2. Arg. et obiect. de præcipuis doctr. Christ. cap. Christoph. Pezelij cap. de viribus & efficacia stellarum pag. 43. impress. Neostad. apud Matthæum Harnisch. Anno 1580.*

De excellentia Astronomiæ *Plin. l. 7. cap. 37.* Astronomiæ inuentio *Cœl. Rhodig. l. 20. c. 7.* Astrologiæ siue Astronomiæ inuentores. *Polydorus Verg. l. 1. cap. 17.* De astronomiæ vsu ad rem militarem *Valturius l. 3. cap. 1.* Astronomiæ inuentio. *Cœlius Rhodig. l. 18. cap. 34.* De virtute & vtilitate Astronomiæ *Ioan. Dueck de Saxonia.* Defensio Astronomiæ *per Gabrielem Pet nanum.* In Astronomos Anthologia Græcorum *Epigram. l. 1. sect. 6.* Quæ quis inuenerit in obseruatione cælesti. *Plin. l. 2. c. 12.* Quantum Astronomi mentiuntur tantum Astrologi mentiuntur. *Marsil. Fic. l. 4. c. 36.*

Vide Mathematica.

ASTVTIA.

DEFINITIO. ET ETYMOLOG.

ASTVTIA, Græce πανουργία, ας, ἡ, & πανοῦργος, ου, ὁ, astutus dicitur, Estque processus ad aliquid communicandum simulas

mutatis aut apparentibus vijs seu mediis. *secundum B. Thom. secunda Secunde q.55. art.3.*

Astutia mentis est, qua rebus industrijs cautũ captatur consiliũ, & acute dispicitur atque iudicatur, quid bonum, quid malũ, quid vtile, quid incommodum sit. Versutiæ nomen assumit, quum in malum sese contulerit.

Astutia, vt nõnulli volũt, a Græca voce ἄστυ, q̃d Latinis oppidũ sonat, deriuatur. Nam oppidani agrestibus & rusticanis hominibus, vt plurimum callidiores esse solent. Astutos (inquit Seruius) proprie malitiosos vocamus, & Cicero, 3. li. de Officijs astutum, fallacem, malitiosum, aperto, simplici, ingenuo opponit. Astutia, Hebr. *Hormah*, in bonam & malam partem sumitur. Prouerb. 1.4. Iob. 5.13. A verbo *haram*, i. Callidè & concinnè cõposuit, seu coaceruauit decenter, aptè coagmentauit, vt solent homines prudentes & cauti, magno cum iudicio & astu quodam componere suas deliberationes. Hinc ἁρμόζω ἁρμόττω. coapto, compono, congruenter: ἁρμονία, &c.

PATRVM SENTENTIAE.

Plaut. Capt.

Qui cauet ne decipiatur, vix cauet cum etiam cauet.
Etiam cum cauisse ratus est, sæpe is cautor captus est.

Terent. And.

Fallacia alia aliam trudit.
Astutum fallere difficile est.

Sen. Troad.

Simulata remoue, non facile est tibi
Decipere Vlyssem.

APOPHTHEGMATA.

Lysander, quũ probo ei daretur, q̃d pleraque astutia, dolo simul ac fraude gereret, non palam virtute conficeret, hac parte Herculei generis authore indignus: ridens dixit: Vbi quod vellet non assequeretur leonis exuuium, ibi vulpinam applicandum esse sentiens, quod honestis rationibus non posset effici, id fraude dolisque perficiendum. *Plut. in Lac. Brus. l. 2. c. 9.*

Cleomenes Anaxandri f. septẽ dierum inducias cũ hoste pactus, capta opportunitate, tertia nocte dormientes inuadit, multos interficit, alios in seruitutem redigit. Obiurgatus vero, quod fœderis fidem non seruasset. Ad iusiurandum, ait, noctes non additas fuisse. Sed is tandem furiosus factus, à talis se vsque ad virilia membra laniauit, ridensque & lætabundus animum exhalauit. *Brus. l. 3. c. 29.*

EXEMPLA BIBLICA.

Astutiæ & fraudolẽtæ calliditatis exẽpla: Satan. *Genes.* 3. 1. 2. *Corinth.* 11. 3. Palæstini. *Genes.* 26. *vers.* 14. 15. Rebecca, *Genes.* 27. 15. Laban. 29. 23. Rachel. 31 *uer.* 14. 35. Filii Iacobi, 34. *uer.* 13. 14. 15. 18. 24. 25. & 37. 31. Iuda, *Genes.* 38. 11. Thamar, *uers.* 14. vxor Putipharis, 39. 14 Pharao, *Exod.* 1. *u.* 9. 10. 11. & 5. 6. Gibeonitæ, *Ios.* 9. 4. Balac, *Num.* 22 *u.* 4. 5. 6. Balaam, 24. 14. Filij Moabitarũ, 25. *uer.* 1. 2. & 31. 6. Saul, 1. *Sam.* 18 *u.* 17. 21. 25. Dauid, 2. *Sam.* 11. *u.* 6. 8. 13. 14. 15. Ionadab, 13. 5. Absalom, *uer.* 26. 28. & 16. *uers.* 2. 3. Siba, 55. *u.* 1. 2. Meretrix. 3. *Reg.* 3. *u.* 19. 20. Ieroboam, 1. *Reg.* 12. *uers.* 26. 27. 28. Mulier Thecuitis, 2. *Sam.* 14. *uer.* 4. 6. Respha, 21. *uer.* 7. 9. 10. Giezi, 2. *Reg.* 5. 20. Iehu, 10. 19. Athalia, 11. 1. Iezabel, 21. *u.* 7. 8. 9. Rabasces, 18. 28. *Esa.* 36. 13. Ieroboam, 2. *Paral.* 13. 13. Hostes Iuda, 1. *Esd.* 4. 2. Sanaballat. & eius contuberniones, *Nehem.* 48. Aman. *Esth.* 3. *uer.* 8. 9. Satrapæ Darij, *Dan* 6. *u.* 5. 6. 7. Herodes, *Matth.* 2. 8. Scribæ & Pharisæi. 15. 5. Discipuli Pharisæorum, & Herodiani, *Mat.* 22. 17. *Mar.* 12. 14. Principes Sacerdotum, *Mat.* 26. 5. & 28. 11. 12. 13. *Marc.* 14. 1. Ananias & Saphira, *Act.* 5. *u.* 1. 2. 3. 4. 5. Simon Magus, 8. *u.* 9. 10. 11. Iudæi 36. 21. Festus. 25 9. Pseudoapostoli, *Rõ.* 16. 18. Falsi Doctores. 2. *Corinth.* 11. 11. 15. *Gal.* 6. 12. *Ephes.* 6. 12. *Philip.* 3. 19. 2. *Pet.* 2. *u.* 3. 18. Astutiæ prudentis & singularis exempla: Iacob. *Gen* 36. *u.* 32. 37. 38. 39. Ioseph. 44. 2. Iosua, *Ios.* 8. 4. Gabaonitæ, 9. *u.* 3. 4. 5. 6. Gedeon. *Iud.* 7. *u.* 16. 17. 18. Philistæi, 1. *Sam.* 13. 19. Ioab, 2. *Sam.* 14. *u.* 1. 2. Mulier Thecuitis, 2. *Sam.* 14. *uer.* 45. Salomon, 1. *Reg* 3. 25. Ieroboam, 2. *Paral.* 13. 13. Villicus. *Luc.* 16 *uers.* 4. 5. 6. Paulus, *Act.* 26. *uers.* 6. 7.

HISTORICA EXEMPLA.

Aegyptios, præsertim vero Alexandrinos astutos esse & fallaces, multis auctoritatibus probat *Calius l. 16. A. L. c. 3.* Αἰγυπτιάζειν, dicebãtur astuti & impostores, *Theocritus ἐν συρακουσίαις*, sicuti pollent acumine & vafritia. Propterea Maternus eos acutos vocat: & Apuleius *lib.* 11. trilingues. Vnde Sicilissitare verbum Plautinum, est astute loqui. *Rauisius.*

Cercopes populi in Epheso notę fraudulẽtiæ, qui conati sunt, ipsi ẽt Ioui imponere. Hinc adagium, Cercopum cœtus: de improborum conuentu.

Sisyphus Corinthiorum rex, ob astutiam in prouerbium abijt, de eo Homerus.

Σίσυφος, ὃς κέρδιστος ἐπιχθονίων γένετ' ἀνδρῶν.

Id est.

Sisyphus in terris quo non astutior alter.

Polyanthea Nouiss.

Ἔνθα δὲ Σίσυφος ἔσκεν, ὃ κέρδιστος γένετ' ἀνδρῶν.

Rursus Iliad. ζ.

Numa Pompilius, vt populũ Romanũ sacris obligaret, dicebat: Sibi cum Dea Aegeria congressus esse nocturnos, eiusque instinctu, & monitu se, quæ accepta dijs immortalibus essent, instituere, *Liuius lib. 1. Dec. 1. Plut. in Numa. Cicer. l. 1. de leg. Ouid. l. 3. Fasto, & 15. Metamorph. Lactant. l. 5. c. 22. Plinius cap. 3. Val. Max. l. 1. c. 3.*

Tiberius, contra Libonẽ per seruorũ quæstiones vt inquireret, fraudem legi fecit, quod illos emancipari, & deinde per tormenta inquiri iussit. *Alex. lib. 3. c. 20.*

HIEROGLYPHICA.

Astutiæ prauæ hieroglyphicũ est *Perdix*, q̃d desumptum est ex fabula Mythologorum, qui fingunt Dædali nepotem, ob inuenta artis suæ arma quædam admodum vtilia, per inuidiam, ab Athenarum arce summa præcipitem datum, qui terra vix tacta mutatus sit in perdicem. cuius figmenti talis fertur interpretatio. Impuri homines cum a sapientiæ arce deciderint, a rectis honestisque studijs alieni facti, tametsi astutia freti aliqua suis in rebus excellere videantur. hisque tractandis super alios attolli, sordidis tamen & improbis negotiationibus impliciti, sublime nihil sapiunt, sed humi volitantes, dolisque & fraudibus omnibus freti, rẽ quocunque modo facere tantum student, libidinum & cupiditatũ suarum laqueis & retibus impliciti obuolutique: eo *Perdices* deteriores, quod illis vaferrima est ars ad elabendum, capturamque declinandum, quod Græci dicunt ἐκπερδίζειν: hi neque capti fugam moliuntur, neque si euadere possint, studium adhibent vllum, vt salui fiant. *Pier. Valer. lib. 24. pag. 228.*

APOLOGVS.

De Apollinis tentatore.

Tentaturus Apollinẽ, Deorũ quidam contemptor & callidus, p̃ sacerdotem fatidicam illius, in templum venit Dei, vbi omnia pro ritu superstitionis illius apparata essent, occultatum manu sua passerculum continens. cumque ante cortinam, quem τρίποδα Græci vocarunt, astitisset, sciscitatus est: Viueret ne an mortuum esset, quicquid in manu teneret, ratus se facile in vtramque partem datum responsum refutaturum esse. Tum vates de numinis instinctu hæc fertur cecinisse.

Quicquid id est tectum, tua quod nunc dextera celat,
Vel viuit vel iam moritur, uestrique uidebunt
Alterutrum in prolato oculi. sed te penes huius
Arbitrium facti est, & ad hoc mens nostra recurrit.

Dicẽdũ hoc est: In rebus diuinis maxime, sed & erga sapientes non fere quicquam valere fraudes & astutias improborum.

ATTENTIO.

POETICAE SENTENTIAE.

Vir. 5. Aen.

Accipite hoc animis, lætasque aduertite mentes.
Nemo ex hoc numero mihi non donatus abibit.

Idem 10. Aen.

Accipite ergo animis, atque hæc mea figite dicta.

Idem 11. Aen.

Nunc adeo quæ sit dubiæ sententia menti.
Expediam, & paucis, animos adhibete, docebo.

Idem Aen.

Tu modo subtiles animo duce percipe curas,
Occultamque fidem manifestis abstrue rebus, &c.)
Mille sub exiguo ponent tibi tempore veras.
Res oculique docent: res ipsa credere cogunt.

Ouid. 1. Fast.

Disce metu posito vates operose dierum,
Quod petis, & voces percipe mente meas.

Plaut. Capt.

Nunc hoc animaduertite. ut ea quæ sentio, pariter sciatis.

Teren. Eun.

Date operam, & cum silentio animaduertite:

Silius 15.

Mente fauete pari, atque aures aduertite vestras.

Manil. 9.

Huc adesò quicunque meis aduertere cœptis
Aurem oculosque potes, veras & percipe voces:
Non ad iuratos Reges, Troiamque cadentem
Impendas animum, nec dulcia carmina quæras.
Ornari res ipsa negat, contenta doceri.

Proper. 3. cap. 4.

Nunc mihi, si qua tenes, ab origine dicere prima
Incipe: suspensis auribus ista bibam.

Apophtegmata.

Cleanthes differens, adolescenti cuidam, quem videbat parum attentum, rogauit, Sentiretne? Illo affirmante, se sentire. Cur igitur ego, inquit, non sentio te sentire? Solent enim qui intelligunt, oculis ac gestu, interdum, & verbis significare, se quæ dicuntur intelligere. *Laert. l. 7. c. 2.*

Zeno Citieus, ijs quæ recte dicerentur, negabat esse relinquendum locum, velut præclaris artificibus, ad spectandum. Contra, auditores dicebat adeo debere esse attentos ad ea, quæ differuntur, vt non vacet dare signũ approbationis. Dum enim applauditur, & acclamatur, petit aliquis audiendi fructus. *Laert. lib. 7. cap. 1.*

Aristoteles, quendam vana loquacitate præter modum garrientem quum aliquandiu audiuisset, demum aliud cogitans, eodem mansit loco. Verum finita oratione, cum is qui perorarat, eum interrogasset, num hæc placuissent quæ dixisset? Hercle, inquit, tibi animum non intendi. *Bruf. lib. 3. cap. 25.*

M. Antony. Alexander sophista legatione fungens pro Seleucia apud M. Antonium, vidensque illum minus attentum, clariore voce dixit: Ausculta me Cæsar. Antonius autem acerbitate cõfidentiaque vocis exasperatus: Ausculto, inquit, intelligoque te. Tu enim es ille qui colis comam, qui dentes candidas, qui polis vngues, qui semper oles vnguentum. *Philost.*

Cicero: quum orante Marco Tullio, quidam creditus Afer genere, diceret, Non audio: hoc sermone negans se probare, quod dicebatur: Atqui, inquit Cicero, aurem habes perforatam. Solebat enim ea gens habere perforatas aures, vt inde suspenderet annulos ac gemmas, quæ nunc collo digitisque gestamus. *Plut. in Rom. apoph.*

Adagia.

A Purgatis auribus.

Pro attentis & vacuis auribus. Sordes enim in auribus collectæ, auditum hebetant: exemptæ autem, sensum eum reddunt acriorem. Er hat dunne Ohren.

Mens peregrina. Νοῦν τὸν ξένον.

Dicitur de ijs, qui cogitabundi assident, nec satis ob id attenti ad ea, quæ coram aguntur. In hos eosdem, & illud quadrat.

Præsens absens. παρὼν ἀποδημεῖ *Arist.* Er ist mit seinen gedancken in dem Gerstenfeldt.

Auribus arrectis. ὀρθοῖς ὠσίν.

In eos, qui sitienter, & auide auscultant ea quæ dicuntur: aut expectant, quid dicendum sit.

Erecti. ὀρθοὶ ἀνεστάμενοι. *Athenæus.*

Vsus, vbi significabimus aliquem toto pectore attentum in rem quampiam.

Ausculta & perpende. ἄλλο δέ τοι ἐρέω σὺ δ' ἐνὶ φρεσὶ βάλλεο σῇσι.

Imo aliud quoddam (tu mente recondito) dicam.

Vtemur, significaturi nos aliud quiddam dicturos, ad rem quod pertineat, quodque ratum certumque futurum sit. Homer.

Consulendum, & consilijs parendum.

Accommodum erit vbi significabimus, necessum rectum consilium, & dandum & accipiendum: aut rem diligenter considerandam: aut alienam sententiam attentis auribus audiendam esse Hom. Iliad. β. inquit,

Ἀλλ' ἄναξ αὐτός τ' εὖ μήδεο, πείθεό τ' ἄλλῳ.

Ceram auribus obdis. κηρὸν τοῖς ὠσὶν ἐναλείφεις.

Vsurpabitur in eos, qui recusant audire vel æqua vel iniqua.

Hoc age.

Iubentes aliquem esse attentum, dicimus Hoc age. Hic esto.

AVARITIA.

DEFINITION. ET ETYMOLOG.

Auaritia φιλαργυρία, ας, ἡ & φιλάργυρος, ὁ, auarus dicitur. Et est quarumlibet rerum insatiabilis & inhonesta cupido, *secundum Augustinum lib. 3. de Lib. arbit. & Theol. in 2. Sent. dist. 22. præsertim B. Thom. secunda Secundæ. quæst. 118. art. 81. & Albertum Magnum in Compendio Theologiæ l. 3. c. 19.*

Auaritia, generaliter est inordinatus amor habendi, *secundum B. Thom. prima parte, quæst. 63. art. 2.*

Auaritia est opinio vehemens de re non expetenda, tanquam valde expetenda sit, inhærens, & penitus insita *secundum Ciceron. li. Tusc. q. 4.*

Auaritia superabundat in amando, acquirendo, & retinendo, sed deficit in dando.

Auaritia, inquit, est animæ auiditas, ob quam omnifariam congerendarum opum crescit appetitus. *Arist.*

Auaritia Græcis φιλαργυρία, est opinio vehemens de pecunia sic inhærens, & penitus insita. Ab ære nomen fortita est. *Ludouicus Viues lib. 3. de Anima.*

Divisio.

AVARITIA dupliciter dicitur secundum B. Th. secunda Secũdæ q. 118

- *Inordinatus amor habendi diuitias, et sic definitum est vnum de septem, & opponitur liberalitati, qua redditur moderatus appetitus habendi diuitias, & opponitur iustitiæ qua redditur vnicuique qđ suum est, & est peccatum.*
  - *Morale, Artic. 4.*
    - *Cum quis accipit, & retinet iniuste res alienas, & sic opponitur iustitiæ, & pertinet ad*
      - *Furtum,*
      - *Rapinam,*
      - *Vsuram,*
      - *Fraudem in emptionibus.*
    - *Cum est adeo inordinatus amor diuitiarum, vt præferatur amori, & dilectioni Dei, & proximi.*
  - *Veniale, Artic. 4.*
    - *Quando licet sit superfluus, & inordinatus amor diuitiarum, non tamen propter eas quidquam ageret contra charitatem Dei, & proximi.*
  - *Capitale, quia est caput aliorum multorum peccatorum. Etenim omnis superfluus amor habendi diuitias, aut excedit: art. 7 in*
    - *Retinendo, vnde oritur.*
      - *Obduratio contra misericordiam, quæ etiam dicitur inhumanitas, ab Augustino, & Isidoro: qua cor hominis non emollitur, vt suis diuitijs subueniat pauperi.*
    - *Accipiendo, & sic ex, ea oriuntur sex, scilicet,*
      - *Inquietudo mentis, qua ingeritur homini solicitudo diuitiarum, & cura superflua.*
      - *Violentia, qua quis in acquirendis alienis iniuste vtitur vi.*
      - *Fallacia qua quis vtitur dolo simplici verbo.*
      - *Periurium, quo quis vtitur dolo, iuramenti confirmatione.*
      - *Fraus, qua quis in rebus opere fraudem committit.*
      - *Proditio, qua quis in personis opere fraudem committit, vt patet de Iuda.*
  - *Generale quia multæ sunt species auarorum secundũ Philosophum 4. Ethi. Quia omnis auarus art. 4. aut*
    - *Deficit in dando: & sunt species tres, scil.*
      - *Parcus qui parum dat.*
      - *Tenax, qui nihil dat.*
      - *κυμινοπρίστης qui dat cum difficultate, & de paruis magnam vim facit quasi cymini venditor.*
    - *Excedit in acquirendo dupliciter scilicet.*
      - *Turpiter lucrando.*
        - *Illiberalium operationum operator est, vt est qui propter lucrum vilia, & seruilia opera exercet.*
        - *De meretricio pastus, qui lucratur de vitiosis actibus, sicut de meretricio Terẽtius. Quid leno dolis confingat auarus, vel aliqua huiusmodi.*
      - *Iniuste lucrando quòd faciunt quatuor genera illiberaliũ, scil.*
        - *Vsurarij, qui lucrantur de gratis concedendis.*
        - *Latrones, qui aliena lucrantur viuis vim inferendo.*
        - *Spoliatores mortuorum, qui lucrantur mortuis vim inferendo.*
        - *Aleatores, qui lucrantur amicis vim inferendo.*

Inordi-

Inordinatus amor habendi, de quo dicit B. Gregor. in homi. Auaritia est non solum pecuniæ, sed etiam scientiæ & altitudinis, cum supra modum ambitur sublimitas. Et B. August. lib. 3 de Libero arbitrio sic dicit: Auaritia, quæ Græce philargyria dicitur, non in solo argento & numis, sed in omnibus rebus, quæ immoderate appetuntur. Et sic est generale peccatum, & non est vnum de septem.

Tres species auaritiæ.

Lucri turpitudo est, qua ad omne lucellum aucupandum addicuntur animi, lucrum cuiq; pudori præponentes.

Parcitas est, qua retinetur animi pecuniarum auiditate, vt qui parcissimos, etiam vbi decor secus postulet, sumptus faciant.

Animi angustia est, qua impendunt quidem animi, sed pauxillatim ac frigide & male administrantes, atque adeo plus absumentes, quia non vbi occasio tulerat, adhibitæ sunt: & nullum putare opprobrium vtcumque facientibus lucrum. Comitatur auaritiam sermonem habere de rebus exiguis, anxietas, pusillanimitas, abiectio, immodestia, vtilitas, humanum odium.

Inimicitia est ira vlciscendi tempus obseruans. Ita enim Cicero: Discordia est ira acerbior, intimo odio & corde concepta.

Indigentia, inquit Cicero, est libido inexplebilis, estque rerum ipsarum, vt bonorum & pecuniæ.

Desiderium est libido eius, qui nec dum adsit, videndi.

Feritas est atrocissimæ cupiditatis rabies: vis in animo adeo accensa & tam animo quam corpori imperitans, vt omnem prorsus rationis motum extinguat, feris & bestijs simillima.

Sæuitia est seueritatem excedens, & feritate minor Cupiditas, id efficere gestiens crudeliter, quod iure fieri posse videatur: vel est cupiditas ad immanitatem prorumpens.

B I B L I C I   L O C I.

Auaritia damnatur, *Exod.* 18.21. & 20.17. & 22.25 & 23.8. *Leu.* 19. 13. & 25.36. *Deut.* 16.19. & 17.77. & 23.20. & 27.25. *Ios.* 7. 20. 1. *Sam.* 8.3. & 25. v. 3.10. 1. *Reg.* 21.2. 2. *Reg.* 5. v. 20.22. *Nehem.* 5.7. *Iob.* 20.15. & 27.8. *Ps.* 15.5. & 36.4 & 62.10. & 119.36. *Prou.* 1.19. & 8 20. & 11.28. & 12. 27. & 14.31. & 15. v. 6.16.27. & 17.5. & 22.16. & 23.4. & 28.16. & 29.4. & 30. v. 8.15. *Ecc.* 2.26. & 4.8. & 5.9. & 6 22. *Es.* 1.23 & 3. v. 13.14. & 5. *vers.* 8.23. & 30.12. & 32.5. & 35. v. 15.16. & 56.11. & 57.17. & 61.8. *Ier.* 6.13. & 8.10. & 22.17. & 48. *Ezech.* 16.49. & 18. v. 7.8.9. & 22. v. 12. 13.27. & 33. 31. & 46. 8. *Amos* 2.7. & 4.1. & 5. v. 11.12. & 8.4. &c. *Mich.* 2.2. & 3. v. 5.11.12. *Nahum.* 3.1. *Abac.* 2. v. 9.12. *Eccl.* 14.3. & 31.5 & 41.4. *Zach.* 7.10. *Malach.* 1. v. 13.14. 2. *Mach.* 4.5. & 10.20. *Matth.* 6. v. 19.24. & 26. v. 14. & 27.3. *Mar.* 7. v. 22.23. & 8.36. *Luc.* 9.3. & 11.42. & 12. 15. & 16.13. *Ioan.* 12.4. *Act.* 5.1. & 8.10. & 20.35. & 24.26. *Rom.* 1.2.9. 1. *Cor.* 6 10. 2. *Cor.* 9.5. *Eph.* 5. v. 3.5. *Philip.* 4.11. *Coloss.* 3.5. 1. *Thess.* 2.5. & 4.6. 1. *Tim.* 3.3. & 6. v. 5.9.10. 2. *Tim.* 3.2. *Tit.* 1. v. 7.1. *Hebr.* 13.5. *Iac.* 2.16. 1. *Pet.* 5.2. 2. *Pet.* 2.3. *Apoc.* 2.4. Auaritia idolorum seruitus *Ephes.* 5.5. *Coloss.* 3.5. malorum omnium radix, 1. *Tim.* 6.10. Auaritia mala, *Prou.* 15.27. *Ier.* 6.13. *Ezech.* 22. v. 12.13.15. *Mich.* 1. v. 2.3. *Matth.* 18. v. 11.15.

Auari verbi Dei contemptores, *Matt.* 6.24. & 13.22. *Marc.* 4. v. 18. 19. *Luc.* 8.14. & 16.14. crudeles. *Prou.* 12.10. *Es.* 1.23. & 10. v. 1.2. *Ier.* 22.13. *Ezech.* 22. v. 12.27.29. *Mich.* 1.2. & 3. v. 2.3.9.10. *Soph.* 3.3. *Iac.* 2. v. 15.16. idololatræ sunt, *Ephes.* 5.5. & auaritia Idololatria dicitur. *Coloss.* 3.5. non tam affectus auarorum respectu, qui Deũ præ thesauro negligunt, & a suis opibus, quasi à solo numine toti pendent (alioqui idem etiam de scortatoribus. & ijs fere omnibus, qui certę alicui rei sunt prorsus addicti, affirmari posset, vt ij quorum Deus venter est, *Rom.* 16.18. *Phil.* 3.19.) quam quod auari in suis opibus vitam suam positam esse putant, quod de scortatoribus & alijs affirmare non licet. Ideoque auaritia aperte dicitur Idololatrię species, *Colos.* 3.5. Miseri sunt, ac vani sunt, *Iob.* 5.5 & 35.34. & 20. v. 19.20. & 27. v. 8.13.16.17.18. *Ps.* 49. v. 17.18. *Prou.* 1.19. & 10.2. & 11. v. 1.4.26.28. & 12. v. 27.28. & 15.27. & 20.21 & 21.6. & 22.26 & 23.5. & 17.20. & 28. v. 6.8. *Ec.* 4.8. & 5. v. 9.10. 12.13. *Esa.* 10. v. 1.3. & 14.4. & 30.13. *Ier.* 5. v. 26.27. & 8.10. & 48.7. *Ezec.* 7.19. & 27. v. 33.34. *Amos* 3. v. 10.11. *Abac.* 2. v. 6.9. *Soph.* 1.18. *Matth.* 6.19. & 13.22. *Marc.* 4. v. 18.19. *Luc.* 8.14. *Mat.* 19. v. 22. 23. *Marc.* 10. v. 22.23. *Luc.* 18. v. 23.24.25. 1. *Cor.* 6.10. *Eph.* 5.5. 1. *Tim.* 6. 9. *Iac.* 4. v. 13.14. & 5. v. 1.2.3. *Iude.* v. 11. *Apoc.* 18.15. vitandi sunt, 1. *Cor.* 5.11. regnum Dei non possidebunt, 6.10.

S E N T E N T I A E   B I B L I C A E.

Non concupisces domum proximi tui, *Exod.* 20.

Maledictus qui transfert terminos proximi sui: & dicet omnis populus, Amen. *Deut.* 27.

Sic semitæ omnis auari, animas possidentium rapiunt. *Prou.* 1.

Alij diuidunt propria, & ditiores fiunt: Alij rapiũt non sua, & semper in egestate sunt.

Qui confidit in diuitijs suis, corruet. *ibid.* 11.

Substantia festinata minuetur: quæ autem paulatim colligitur, manu multiplicabitur. *ibid.* 13.

Conturbat domum suam, qui sectatur auaritiam: qui autem odit munera, viuet, *Ibid.* 15.

Qui congregat thesauros lingua mendacij, vanus & excors est, & impingetur ad laqueos mortis. *Ibid.* 21.

Qui calumniatur pauperem, vt augeat diuitias suas, dabit ipse ditiori, & egebit. *ibid.* 22.

Ne erigas oculos tuos ad opes quas non potes habere: quia facient sibi pennas quasi aquilæ, & volabunt in cœlum. *Ibid.* 23.

Ne attingas paruulorum terminos, & agrum pupillorum ne introeas. Propinquus enim illorũ fortis est, & ipse iudicabit contra te causam illorum. *Ibid.*

Infernus & perditio nunquam replentur: similiter & oculi hominum insatiabiles. *Ibid.* 27.

Qui odit auaritiam, longi fient dies eius. *Ibid.* 28.

Qui festinat ditari, non erit innocens. *Ibid.*

Vir, qui festinat ditari, & alijs inuidet, ignorat quod egestas superueniet ei. *Ibid.*

Non sit porrecta manus tua ad accipiendum, & ad dandum collecta. *Eccles.* 4.

Auarus non implebitur pecunia. & qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis. *Ibid.* 5.

Auaro nihil est scelestius. *Ibid.* 10.

Nihil est iniquius, quam amare pecuniã. Hic enim & animam suã venalem habet, quoniam in vita sua proiecit intima sua. *Ibid.*

Qui aceruat ex animo suo iniuste, alijs congregat, & in bonis illius alius luxuriatur. Qui sibi nequam est, cui alij bonus erit? Et non iucundabitur in bonis suis. *Ibid.* 14.

Qui aurum diligit, non iustificabitur.

Beatus diues, qui inuentus est sine macula: & qui post aurum non abijt, nec sperauit in pecunia & thesauris: Quis est hic, & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua. *Ibid.* 13.

Væ qui prædaris, nonne & ipse prædaberis?

A minore vsq; ad maiorem, omnes auaritiæ student, & a propheta vsque ad sacerdotem cuncti faciunt dolum. *Hier.* 6.

Propterea dabo mulieres eorum exteris, agros eorũ hæredibus. Quia à minimo vsq; ad maximum omnes auaritiã sequuntur, à propheta vsq; ad sacerdotem cuncti faciunt mẽdacium. *Idem.* 8.

Væ ei, qui multiplicat, non sua. Vsquequo & aggrauat contra se densum lutum?

Væ, qui congregat auaritiam malam domui suæ, vt sit in excelso nidus eius, & liberari se putat de manu mali. *Abacuc.* 2.

Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, vbi ærugo & tinea demolitur: & vbi fures effodiunt, & furantur: thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo, vbi nec ærugo, nec tinea demolitur; vbi nec fures effodiunt. nec furantur. *Matth.* 6.

Filioli, quam difficile est, confidentes in pecunijs in regnum Dei introire. Facilius est camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnum cœlorum. *Marc.* 10.

Videte & cauete ab omni auaritia, quia non in abundantia cuiusquam vita eius est, ex ijs quæ possidet. *Luc.* 12.

Nec enim debent filij parentibus thesaurizare, sed parentes filijs; 1 *ad Corinth.* 12.

Nihil enim intulimus in hunc mundum. haud dubium, quia nec auferre quid possumus. Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus. Nam qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli, & Desideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidã appetentes, errauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis. Tu autem, ò homo Dei, hæc fuge. 1. *ad Timoth.* 6.

Sint mores sine auaritia, contenti præsentibus. Ipse enim dixit: Non te deseram, neque derelinquam. Ita vt confidenter dicamus: Dominus mihi adiutor, non timebo: quid faciat mihi homo. *Ad Hebr.* 13.

S E N T E N T I A E   P A T R V M.

Non solum auarus est, qui rapit aliena. sed ille auarus est, qui cupide seruat sua. *Aug. in ser.*

Auarus antequam lucretur, seipsum perdit, & antequam aliquid capiat, capitur. *Ibid.*

Auarus vir inferno est similis. Infernus enim quantoscunque deuorauerit, nũquam dicit: Satis est. Sic & si omnes thesauri confluxerint in auarum. *In Epist.*

Quæ est illa auiditas concupiscentiæ, cum ipsæ belluæ habeant modũ? Tunc enim rapiunt, quando esuriunt, parcunt vero prædæ, quum senserint satietatem. Insatiabilis est sola auaritia diuitum. Semper rapit, & nunquam satiatur, nec Deũ timet, nec hominẽ reueretur, nec patri parcit, nec matrẽ cognoscit, nec fratri obtemperat, nec amico fidem seruat. Viduã opprimit, pupillum inuadit, liberos in seruitium reuocat, testimonium falsum profert. Res mortui occupãtur, quare & qui hoc faciũt nõ moriũtur? Quæ est illa animarũ insania? amittere vitam, appetere mortem, acquirere aurum, & perdere cœlum. *De verbo Domini.*

Auarus est cæcus, credendo enim diues est, non videndo. Amas pecuniam, ò cæce? quam nunquam videbis, cæcus possides, cæcus moriturus es, quod possides, hic relicturus es. *Lib. de Doctrina Christiana.*

Auari.

Auaritia quæ Græce φιλαργυρία dicitur, nō in solo argento, vnde nomen duxisse resonat, sed in omnibus rebus quæ immoderate cupiuntur, intelligenda est. Vbicunq; omnino plus vult quisque quā satis. hæc autē auaritia cupiditas est, cupiditas vero improba voluntas est, ergo propterea voluntas omnium malorū causa est. *l.3. de liber. arbitrio.*

Auarus veluti infernus omnia deuorans, vellet nullum hominem esse, vt omnia solus possideret. *In quodam serm.*

Quū auaritia alicui dominatur, subiectus malis omnibus demonstratur, quia de auaritia omnia mala oriūtur, & peccatorum omnium spinæ producuntur. *de liber. arbitrio.*

Auaritia non vitium auari, sed animæ peruersæ amantis aurum, derelicta iustitia, quæ debuit anteponi auro *lib. 12. de Ciuitate Dei.*

Minus voluptatibus stimulatur, qui non est vbi frequentia voluptatum: & minus auaritiæ molestias patitur, qui diuitias non videt. *de Sing. Cler.*

Cupiditas, & auaritia tantum vnum malum sunt, vt nec auaritia sine cupiditate, nec cupiditas sine auaritia possit inueniri. *Idem ad quendam.*

Non est in carendo difficultas, nisi cum fuerit in possidendo cupiditas. *Idem lib. Conf.*

Non minoris est criminis habenti tollere, quam cum possis & habes, indigentibus denegare. Esurientium panis est, quem tu detines: nudorum indumentum, quod tu includis: miserorum redemptio & absolutio pecunia, quam tu in terra fodis: tantorū scias te inuadere bona, quantis possis præstare, & nolis. Non sunt bona hominis, quæ secum ferre non potest. Sola misericordia comes est defunctorum. *Ambr. in quodam serm.*

Modum non habet auaritia. nec capiendo expletur, sed incitatur, hoc egentior, quo plura quæsiuit. *de interpellatione Iob.*

Venit auaritia, & dicit: Argentum & aurum quod habes, seruitutis tuæ pretium est. Possessio quam tenes, iuris tui emptio est. *sup. Psalm.* 18.

Inflammatur lucro auaritia, & non extinguitur. Quasi gradus quosdam cupiditatis habet, & quo plures ascenderit, eo altiora festinat, vnde sit grauis ruina lapsuro. *de Naboth Iezraelita.*

Pauperiorem se iudicat omnis abundans: quia sibi deesse arbitratur, quidquid ab alijs possidetur: toto mundo eget, cuius non capit mundus cupiditatem: ei autem qui fidelis est, totus mundus diuitiarum est, toto mundo fuit, qui considerans conscientiam suam timet deprehendi *ibid.*

Auaro tam deest quod habet, quam quod non habet. Credenti totus mundus diuitiarum est, infidelis autem obolo indiget. *Hieronym. ad Paulinum.*

Nos ardemus auaritia, & contra pecunias disputantes, auro sinum expandimus, & illud quod de Megarensibus dicitur, nobis miseris aptari potest. Aedificant quasi semper victuri: Viuunt quasi altera die morituri. *ad Rusticum.*

Cum cætera vitia senescente homine senescant sola auaritia iuuenescit. *In quodam serm.*

Auaro tam deest quod habet, quam quod non habet, quia aut non habita concupiscit, vt habeat, aut habita metuit, ne amittat, & dū in aduersis sperat prospera, in prosperis formidat aduersa. *Ibid.*

Nihil aliud est auarus, quam bursa principum, cellarium latronū, rixa parentum, sibilus hominum *Ibid.*

Multis nomen pauperum auaritiæ occasio est. *Idem ibid.*

Auaritia latenter oritur in mente, sed punctiones peccatorū omnium patenter producit in operatione. *Greg. 20. moral.*

Peccatum auaritiæ, mentem quam infecerit, ita grauem reddit, vt ad appetenda sublimia attolli non possit. *lib.* 14.

Auaritia desideratis rebus non extinguitur, sed augetur. nam more ignis cū ligna, quæ consumit, acceperit, excrescit: & vnde videtur ad momentum flamma comprimi, inde paulo post cernitur dilatari. *lib* 15.

Auarus prius anhelat concupita congregare, & quum quasi in quodam ventre auaritiæ multa congesserit, satiatus arctatur, quia dum anxiatur, qualiter acquisita custodiat, ipsa eum sua satietas angustat. Mens auari, quod prius ex abundantia requiem quæsierat, postea ad custodiam grauius laborat. *Idem ibid.*

Omnis auarus ex potu sitim multiplicat: quia quum ea, quæ appetit, adeptus fuerit, ad appetenda alia amplius anhelat. *In Ho.*

Dæmonum habitaculum fit quisque in hoc seculo, qui propter diuitias & honores laborat: quas postquā secutus est, tradit se luxuriæ, vt quæ auaritia congregauit, luxuria consumat. *Idē ibid.*

Auarus hic ardet æstu cōcupiscentiæ, ac multiplici cura custodiæ, & postmodum ardebit igne gehennæ. Si potentiorem videt, timet raptorem: si inferiorem, suspicatur furem. Infelix tanta patitur, quanta pati timet. *ibid.*

Magna est securitas cordis, nil habere concupiscentiæ sæcularis. Nam si ad terrena adipiscenda cor inhiat, securū tranquillumq; esse nullatenus potest, quia aut nō habita cōcupiscit, vt habeat, aut adepta metuit, ne amittat, & dum in aduersis sperat prospera, in prosperis formidat aduersa, huc illucque quasi quibusdā fluctibus voluitur, ac per modos varios rerum alternationis mutabilitate versatur. Si vero semel in appetitione supernæ patriæ forti stabilitate animus figitur, minus temporalium rerū perturbatione vexatur. *lib. 22. mor.*

Cursum suum quisque consideret, & cognoscat sibi sufficere parua quæ habet: sed fortasse metuit ne in huius vitæ itinere sumptus desit. Longa nostra desideria increpat vita breuis. Incassū multa portantur, quū iuxta est, quo pergitur. *In hom. 33. sup Euā.*

Diuitiarum amor insatiabilis longe amplius torquet animam, quā refrigeret vso suo, quarū acquisitio quidem laboris, possessio timoris, amissio plena doloris inuenitur. *Bern. in quodam Serm.*

Quod sine miserabili gemitu dicendū non est, Christi opprobria, sputa, flagella, clauos, lanceam, crucem & mortem, hæc omnia in fornace auaritiæ conflant, & profligant in acquisitione turpis quæstus, & pretium vniuersitatis suis marsupijs includere festinant: hoc sane à Iuda Iscariote differentes, quod ille horum omne emolumentū denariorum numero compensauit, illi voratiori ingluuie lucrorū infinitas exigunt pecunias *super Cant.*

Auarus terrena esurit, vt mendicus: fideles cōtemnit, vt dominus. Ille possidendo mendicat, iste contemnendo seruat. Quære à quouis eorū, qui insatiabili corde lucris temporalibus inhiant, quidnā de his sentiant, qui sua vendentes & pauperibus dantes regnum cœlorum pro terrena mercantur substantia: sapienter agant nec ne? procul dubio respondent, sapienter. Quære iterū, cur quod approbat ipse non facit? Non possum inquit. Quare? profecto quia domina auaritia non permittit: quia liber nō est, quia nō sua sunt, quæ possidere videtur, sed nec ipsi sui iuris est. Si vere tua sunt, ea pende ad lucra, & pro terrenis cœlestia cōmutato. Si non vales, scias te pecuniæ non dominum esse, sed seruum: custodem, non possessorem. *ibid. ser.* 20.

Auaritia rotis vehitur quatuor vitiorum, quæ sunt pusillanimitas, inhumanitas, contemptus Dei, mortis obliuio. Porro iumenta trahentia, tenacitas, & rapacitas, & his vnus auriga ambobus præsidet, habendi ardor. Sola quidem auaritia, quia conducere plures non patitur, vno contenta est seruitore. *ibidem serm.* 39.

Ne mireris si pecuniæ milites superauerunt, quæ apud discipulum tantam ostenderunt virtutem. Nihil enim clausum cōstat, quod auro argentoq; non pateat: nihil occultum, quod non pecunia indagante sit cognitum. *Chrys. sup. Mat.* 28.

Quatuor sunt in rebus possessis obseruanda, scilicet, ne licita iniuste quæramus, aut iniuste acquisitis, illicite perfruamur, ne multa, quamuis licite, possideamus, ne licita illicite defendamus. Male enim acquirere, aut male vti acquisitis, de licito facit illicitum, multa sibi possidere propinquū est cupiditati. Et fit quandoq; quod nimium diligitur, male defenditur. *Hugo lib. de Claus.*

POETICAE SENTENTIAE.

Boetius de Cons. lib. 1. met. 2.

Si quantas rapidis flatibus incitus
Pontus versat harenas,
Aut quot stelliferis edita noctibus,
Cælo sidera fulgent:
Tantas fundat opes nec retrahat manum
Plena copia cornu,
Humanum miseras haud ideo genus
Cesset flere querelas.

Bohetius lib. 2. consol. met. 5.

Sæuior ignibus Aetna
Feruens amor ardet habendi.

Ibidem lib. 3. met. 3.

Quamuis fluente diues auri gurgite
Non expleturus cogat auarus opes,
Oneretque baccis colla rubri litoris,
Ruraque centeno scindat opima boue.
Nec cura mordax deseret superstitem.

Iuuenal. Sat. 4.

Lucri bonus est odor ex re
Quali. et. illa tuo sententia semper in ore
Versetur, dijs atque ipso Ioue digna poeta.

Iuuenal. Sat. 14.

Falsus erit testis, uendet periuria summa
Exigua, Cereris tangens aramq; pedemq;

Ibidem.

Tantis parta malis, cura maiore, metuq;
Seruantur misera est magni custodia census.

Ibidem.

Mensura tamen quæ
Sufficiat census, si quis me consulat, edam,
In quantum sitis, atq; fames, & frigora poscunt.

Iuuenal. Sat. 1.

Quid enim salui infamia nummis? Ibidem.
Et quando uberior uitiorum copia? quando
Maior auaritiæ patuit sinus? Ibidem.
Inter nos sanctissima diuitiarum
Maiestas. & si funesta pecunia templo
Non dum habitas, nullas nummorum ereximus aras.

Idem

Idem Sat. 3

Protinus ad censum, de moribus ultima fiet
Quæstio, quot pascit seruos, quot possidet agri
Iugera, quam multa, magnaq; paropside cœnat.
Quantum quisq; sua nummorum seruat in arca,
Tantum habet & fidei. Idem Sat. 8.
Modumq;
Pone & auaritiæ, miserere inopum sociorum.

Idem Sat. 12.

Non propter uitam faciunt patrimonia quidam,
Sed uitio cæci propter patrimonia uiuunt.

Ibidem.

I nunc & uentis animam committe dolato
Confisus ligno digitis a morte remotus
Quatuor, aut septem si sit latissima tæda.

Idem Sat. 14.

Sed quæ reuerentia legum?
Quis metus, aut pudor est unquam properantis auari?

Ibidem.

Sponte tamen iuuenes imitantur cætera, solam
Inuiti quoque auaritiam exercere iubentur.
Fallit enim uitium specie uirtutis & umbra.
Cum sit triste habitu, uultuque & ueste seuerum,
Nec dubiè tanquam frugi laudatur auarus,
Tanquam parcus homo & rerum tutela suarum.

Ibidem.

Et pater ergo animi felicis credit auaros.
Qui mirantur opes, qui nulla exempla beati
Pauperis esse putant, iuuenes hortatur ut illam
Ire uiam pergant, & eidem incumbere sectæ.

Ibidem.

Sed quo diuitias hæc per tormenta coactas?
Cum furor haud dubius, cum sit manifesta phrenesis,
Vt locuples moriaris, egenti uiuere fato?
Interea pleno cum turget sacculus ore,
Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.
Et minus hanc optat, qui non habet. Ibidem.
Curā et ris eget, qui nauem mercibus implet,
Ad summum latus, & tabula distinguitur unda.

Ouid. Amorum lib. 2, Eleg. 10.

Non habet euentus sordida præda bonos.

Idem Amorum lib. 3, Elegia 10.

Quærat auarus opes, & quæ lassarit eundo
Aequora periuro naufragus ore bibat.

Idem Amorum, lib. 3. Elegia 7.

Iupiter admonitus nihil esse potentius auro,
Corruptæ pretium uirginis ipse fuit.
Dum merces aberat, durus pater: ipsa seuera,
Aerati postes, ferrea turris erat.
Sed postquam sapiens in munera uenit adulter,
Præbuit ipsa sinus, & dare iussa dedit.

Ouid. 1. Fast.

Vix ego Saturno quenquam regnante uidebam,
Cuius non animo dulcia lucra forent.
Tempore creuit amor, qui nunc est summus habendi,
Vix ultra quo iam progrediatur habet.
Creuerunt & opes, & opum furiosa libido,
Et cum possideant plurima, plura petunt.
Quærere ut absumant, absumpta requirere certant:
Atque ipsæ uitijs sunt alimenta uices.
Sic quibus intumuit suffusa uenter ab unda,
Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.
In pretio pretium nunc est, dat census honores,
Census amicitias, pauper ubique iacet.

Seneca tragœdia quarta.

Rupere fœdus impius lucri furor.
Et ira præceps, quæ succensas agit
Lidomenes.

Seneca tragœdia septima.

Audax nimium, qui freta primus
Rate tam fragili perfida rupit.
Terrasq; suas post terga uidens,
Animam leuibus credidit auris.
Dubioq; secans æquora cursu,
Potuit tenui fidere ligno,
Inter uitæ mortisq; uias,
Nimium gracili limite ducto.

Horatius serm. lib. 2. Sat. 3.

Qui nummos aurumq; recondit: nescius uti
Compositis, metuensq; uelut contingere sacrum?

Ibidem.

Nimirum insanus paucis uideatur, eo quod
Maxima pars hominum morbo iactatur eodem.

Horat. epist. lib. 1. epist. 1.

Virtus est uitium fugere, & sapientia prima,
Stultitia caruisse. Vides quæ maxima credis
Esse mala, exiguum censum turpemq; repulsam,
Quanto deuites animi capitisq; labore.
Impiger extremos curris mercator ad Indos:
Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes.

Ibidem.

Pars hominum gestit conducere publica: sunt qui
Frustis & pomis uiduas uenentur auaras,
Excipiantq; senes quos in uiuaria mittant.
Multis occulto crescit res fœnore.

Idem epist. lib. 1. epist. 2.

Semper auarus eget, certum uoto pete finem.

Idem epist. 9.

Ne te semper inops agitet uexetq; cupido,
Ne pauor, & rerum mediocriter utilium spes,
Virtutem doctrina parat.

Horat. carm. lib. 3. Ode 16.

Crescentem sequitur cura pecuniam,
Maiorumq; fames.
Multa petentibus
Desunt multa. Bene est cui Deus obtulit,
Parca, quod satis est, manu.

Horat. serm. lib. 1. Sat. 1.

Paruula (nam exemplo est) magni formica laboris
Ore trahit quodcunque potest, atque addit aceruo,
Quem struit haud ignara, ac non incauta futuri.
Quæ, simul inuersum contristat aquarius annum,
Non usquam prorepit, & illis utitur ante
Quæsitis patiens, cum te neque feruidus æstus,
Dimoueat lucro, nec hyems, ignis, mare, ferrum,
Nil obstet tibi, dum ne sit te ditior alter. Ibidem.
At bona pars hominum decepta Cupidine falso,
Nil satis est, inquit, quia tanti quantum habeas, sis.

Ibidem.

Quidam memoratur Athenis
Sordidus ac diues, populi contemnere uoces
Sic solitus: populus me sibilat, at mihi plaudo
Ipse domi, simul ac nummos contemplor in arca.

Ibidem.

Non uxor saluum te uult, non filius, omnes
Vicini oderunt, noti, pueri, atque puellæ.
Miraris: cum tu argento post omnia ponas,
Si nemo præstet quem non merearis, amorem?

Horat. serm. lib. 2. Sat. 2.

Ego uectigalia magna
Diuitiasque habeo tribus amplas regibus, ergo
Quod superat non est melius quo insumere possis?
Cur eget indignus quisquam te diuite? quare
Templa ruunt antiqua Deum? cur improbe charæ
Non aliquid patriæ tanto emetiris aceruo?
Vni nimirum recte tibi semper erunt res?

Horat. epist. 16. lib. 1.

Quo melior seruo, quo liberior sit auarus,
In triuijs fixum cum se dimittit ob assem,
Non uideo. Nam qui cupiet, metuet quoque porro,
Qui metuens uiuet, liber mihi non erit unquam.
Perdidit arma, locum uirtutis deseruit, qui
Semper in augenda festinat, & obruitur re.

Horat. lib. 1. Sat. 1.

Quid iuuat immensum te argenti pondus, & auri
Furtim defossa timidum deponere terra?
Quod si comminuas, uilem redigatur ad assem.
At ni id fit quid habet pulchri constructus aceruus?
Millia frumenti tua triuerit area centum,
Non tuus hoc capiet uenter plus quam meus.

Manil. 4. Astron.

Quid tam sollicitis uitam consumimus annis,
Torquemurque metu cæcaque cupidine rerum?
Aeternisque senes curis dum quærimus æuum
Perdimus, ut nullo uotorum fine beati.

Manil lib. 4. Astron.

Vt ueniant gemmæ, totus transibitur orbis.
Nec lapidum pretio pelagus cepisse pigebit.

Euripidis quatuor senarij aurei.

εἰ δ' εὐτυχῶν τις βίον κεκτημένος,
μηδὲν δόμοισι τῶν καλῶν θηράσεται,
ἐγὼ μὲν οὔποτ' αὐτὸν ὄλβιον καλῶ,
φύλακα δὲ μᾶλλον χρημάτων εὐδαίμονα. Id est,

Si quis uitam in fortunis uixerit,
Neque pulchrum aliquid domi uenatuerit;
Ego hunc diuitem, aut beatum nullo modo

Sed custodem pecuniæ dixero.

Sophocles.

Φιλάργυρον μὲν τὸ τῶν βαρβάρων γένος. Id est,

Auarum omne genus Barbarorum.

Hesiodus.

Χρήματα δ' οὐχ ἁρπακτά. θεόσδοτα πολλὸν ἀμείνω. id est,

Non rapta sed diuinitus concessa pecunia præstant.

Idem.

Μὴ κακὰ κερδαίνειν. κακὰ κέρδεα ἶσ' ἄχησι. id est,

Turpe lucrum fugias: damni namq; instar habetur.

Ausonius.

Qui laqueum collo nectebat, repperit aurum,
Thesauriq; loco deposuit laqueum.
At qui condiderat postquam non repperit aurum,
Aptauit collo, quem repperit laqueum.

Ausonius.

Quis diues? qui nil cupiat. Quis pauper? auarus.

Petron. Arbit. in Sat.

Nec minor in campo furor est emptiq; Quirites
Ad prædam strepitumq; lucri suffragia vertunt.
Venalis populus, venalis curia patrum.
Est fauor in pretio, senibus quoque libera virtus
Exciderat, sparsisq; opibus conuersa potestas.
Ipsaq; maiestas auro corrupta iacebat.
Vsq; adeo solus ferrum mortemq; timere.

Diphilus.

Ἆρ' ἔστιν αἰσχροκερδέστατον αἰσχροκερδεία.
Πρὸς τοῦ λαβεῖν γὰρ ὢν ὁ νοῦς, τ' ἄλλ' οὐχ ὁρᾷ.

An non turpissima res est turpilucrum?
Nam quærit animus occasiones arripiendi quippiam. hallucinatur ad alia.

Phocylides.

Πλοῦτον μὴ φείδου. μέμνησ' ὅτι θνητὸς ὑπάρχεις.
Οὐκ ἔστ' εἰς ᾅδην ὄλβον ἔχειν. καὶ χρήματ' ἄγεσθαι. Id est,

Diuitijs ne parce, recordare quod mortalis es.
Non licet in inferno diuitias habere, & pecunias afferre.

Ex Menandro.

Πλεονεξία μέγιστον ἀνθρώποις κακόν.
Οἱ γὰρ θέλοντες προσλαβεῖν τὰ τῶν πέλας,
Ἀποτυγχάνουσι πολλάκις νικώμενοι,
Τὰ δ' ἴδια προστιθέασι τοῖς ἀλλοτρίοις.

Cupido habendi aliena, maximum malum,
Aliena namq; qui student adsciscere:
Sæpe excidentes spe sua, contra bonis
Alijs addunt ipsimet tandem sua.

Ἀλλὰ σχεδόν τι τὸ κεφάλαιον τῶν κακῶν
Εἴρηκας. ἐν φιλαργυρίᾳ γὰρ πάντ' ἔνι.

Id nempe dicis omnium quod est caput
Malorum: auaritiam mihi quum nominas.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Auarus in accipiendo nimius est: in dando parcus. *l. 2. Eth. c. 7.*

Illiberalis prodigo contrarius is est, qui in quibus opus est, quantumcunque ac quando decuerit, non expendit. *lib. 1. Magn. Mor. cap. 23.*

Auaritia malum insanabile. Nam senectus omnisque imbecillitas auaros efficit. Eademque magis tributa est à natura hominibus, quam prodigalitas. *l. 4. Eth. c. 1.*

Auaritia in duabus rebus cernitur: vt si minus largiare, quam deceat: & si modum accipiendo transeas. *Idem ibid.*

Qui magna, & à quibus nefas est accipiunt, quales sunt tyranni, qui ciuitates oppugnant, fana diripiunt: ij non auari, sed scelesti potius, impij & iniqui sunt habendi. *Ibid.*

Aleatores, & fures, & latrones, omnes auari putandi sunt, quod in turpi quæstu sunt occupati. *Ibid.*

Iure liberalitati auaritia opposita est: quod maius est malum quã prodigalitas: sæpiusq; ea peccatur, quã illa eadẽ effusione. *Ibid.*

Insatiabilis est hominũ improbitas, quibus primum satis sunt duo oboli: cum autem eos consecuti sunt, tum semper plus expetũt, dum infinitas opes congesserint. Nunquam enim expletur, nunquam satiatur cupiditatis sitis: quum tamen vt expleant pleriq; viuunt. *l. 2. de Repub. c. 5.*

Est munus rei alicuius donatio ac honoris signum, quapropter tam æris auidi, quam ambitiosi donare cupiunt: cum id donatio habeat quod vterque appetũt. Nã & res est, quã auari desiderãt, & honorẽ affert, quẽ ambitiosi expetunt. *l. 5. Rhet. ad Theodect. c. 5.*

Qui his nominibus appellantur, parci tenaces, aridi omnes deficiũt & desunt dando: sed alienum nec appetunt, nec volunt accipere: quorum alij id faciunt bonitate quadam, rerumque turpium fuga. In his cuminisector, & si quis talis: qui omnes ex singulari quadam auaritia nominati sunt. Alij autem metu ab alieno manus abstinent: quod non sit facile qui ab alijs accipiat, eius res ab alijs non vicissim accipi. *l. 4. Eth. c. 1.*

Auaritia parum largitur illa quidem: sed accipiendo nisi in paruis, vltra modum progreditur. *Ibid.*

Duæ res sunt, quæ maxime homines ad maleficium impellunt, luxuries & auaritia. *2. ad Heren. Cic.*

Corrupti sunt, deprauatiq; mores admiratione diuitiarum. *2 offic.*

Nihil est tam sanctum, quod non violari: nihil tam munitum, quod non expugnari pecunia possit. *2. Act. in Verrem.*

Nullum est officium tam sanctum, atque solemne, quod non auaritia comminuere, atque violare soleat. *Pro Quintio.*

Nemo tam firmum habuit præsidium, quod auaritia non fregerit, atque debilitauerit. *In Vatin.*

Auaritia est opinio vehemens de pecunia. *4. Tusc.*

Illi morbo qui permanat in venas, & inhæret in visceribus, nec inueteratus euelli potest, nomen est auaritia. *4. Tusc.*

Magno malo est hominibus auaritia, idcirco quod homines magnis, & multis incommodis conflictantur propter immensam pecuniæ cupiditatem. *2. ad Heren.*

In quibusdam neque pecuniæ modus est, neque cupiditatum, quos nulla præda vnquam improbe parta minuit, sed auget potius atque inflammat. *1. de Fin.*

Nunquam expletur nec satiatur cupiditatis sitis: neque solum ea quæ habent, libidine augendi cruciantur, sed etiam amittendi metu. *Parad. 1.*

Auaritia insatiabilis, immensa & incredibilia potest. Ita enim hominum mentes obstrictas tenet, vt eas nullo tempore respirare permittat. *In Vatin.*

Nullum est vitium tetrius, quam auaritia, præsertim in principibus, & Remp. gubernantibus: habere enim quæstui Remp. non modo turpe est, sed sceleratum etiam & nefarium. *2. Offic.*

Quid fœdius auaritia. *1 de leg.*

Auaritia senilis vituperanda est maxime. Potest enim quicquam esse absurdius, quam quo minus viæ restat, eo plus viatici quærere? *Cato Maior.*

Pecuniæ imperijque libido, sunt quasi materies omnium malorũ. Namque auaritia fidem, probitatem, cæterasque bonas artes subuertit: proque his superbiam, crudelitatem, Deos negligere, omnia venalia habere, edocuit. *Salust. in Catilinaria.*

Auaritia studium pecuniæ habet, quod nemo sapiens concupiuit. Ea quasi venenis malis imbuta corpus animumque effœminat. Semper infinita & insatiabilis est, neque copia, neque inopia minuitur. *idem.*

Natura mortalium auida est imperij, & præceps ad explendam animi cupiditatem. *idem in Iugurtha.*

Animus æger auaritia facile conuertitur. *idem.*

Magnitudo pecuniæ à bono & honesto in prauum abstrahit. *idem.*

Qui multas possidet diuitias, ac cum tristitia degit, is omnium mihi, & præsentium & futurorum infelicissimus est. *Theop.*

Auaritia gloriæ, & insatiabilis cupido famæ, nihil inuium, nihil remotum videri sinit. Auidi milites sunt & pecuniæ & gloriæ simul. *Ex nono lib. Q. Curti.*

Difficile est nos contentos esse eo, quod offert occasio: quippe sordent prima quæque, cum maiora sperantur. *Quintus Curtius de gestis Alexandri.*

Diuitiæ non melius in fundis & in fœnore, quam in ipso hominis æstimantur animo. Qui si est auaritia egenus, & ad omne lucrum inexplebilis, nec montibus auri satiatur, sed semper aliquid, ante parta vt augeat, mendicabit, quæ quidem vera est confessio paupertatis.

Omnis enim cupido acquirendi ex opinione inopiæ venit, nec refert quam magnum sit, quod tibi minus est. *Lucius Apuleius de Magia lib. 1.*

Francisc. Petrarchæ *De auaritia* DIAL. CV.

DOL. Auaritiæ stimulis vrgeor. RATIO. Bene ais stimulis: Nam & quærendarum opum cupiditates stimuli quidã, & quæsitæ opes spinæ sunt, Ita enim illas vocat, qui metum nescit: præclaræ vero diuitiæ, quæ & quærendæ torqueant, & quæsitæ. At si corpusculum, si naturam, si vitæ respicias breuitatem, videbis te frustra superuacuis curis angi, & paucorum egentem multa desiderare. Insuperque dum quærendis inhias, parta non cernere, atq; ita quodammodo quærenda perdere, quo nihil est stultius. DOL. Multa quærendi vrgeor appetitu. RATIO. Nec aduertis, quod inter quærendum tempus & vita, cui illa quærebantur, elabitur. Sic mira perplexitas incidit, dum vita abundare videmini, diuitijs indigetis: dumque indigentia illa præterijt, superueniet altera & diuitijs abundantes, indigetis vita. Non hoc ignorabat ille sapiens, vbi loquitur de eo parente, qui dicit: Inueniam requiem mihi, & manducabo nunc de bonis meis solus: & nescit, quod tempus prætereat, & relinquet omnia alijs, & morietur. Et idem alibi: Qui aceruat iniuste, alijs congregat, & in bonis illius alius luxuriabitur. O terribile dictum, sed commune quotidieq; se oculis ingerens, nec idcirco proficiens in animis auarorum. Idem rursum: Auaro, inquit, nihil est scelestius: & nihil est iniquius, quam amare pecunias. Et vt scias, quoniam vero omnia consonant, vt ait Aristoteles: Ecce vt Ecclesiastico sapienti cõsonat sæcularis. Pecuniæ (inquit Cicero) fugienda cupiditas. Nihil est enim tam angusti animi, tamque parui, quam amare diuitias,

Franciscus Petrarcha. *De Remed. for.* DIAL. XXVI.

GAVD.

Inuidiosa & præfulgida est supellex. R. Pro captu oculorum, seu forsitan animorum. Vere autem onerosa rerũ colluuies, ac turbida, sed auaritia nihil vnquam ieiunius, nihilq; miserius, cuius famem & quærenda excitant, & quæsita non sapiunt, dum quæ sperata fulgebant, possessa sordescunt. Itaq; sæpius diuitias dũ quæsisse putaueris, solicitudinẽ & nauseam quæsiuisti. Hæ nunc tibi charæ: si vel chariores se alia ostenderint, vel stuporem assiduitas dempserit, viles erunt. Esto autem charæ sint, & maneat stupor, nonne etiam error manet, isque difficilis atq; perpetuus: siquidem quærendi studium vnum fuit, seruandi labor est multiplex. Nunquam deerit quod reuisas, quod numeres, quod cõplices, quod excutias, quod abstergas, quod oculos simul & mulceat, & iuara offendat. G. Suppellex immensa est. R. O hominẽ, qui impedimentorum magnitudine delectatur.

De auaritia iam tandem scribamus, quæ fomentum auiditatis est, atque vrgens ad omne scelus calcar. Ab animis enim, in quos semel ingressa est, amicitiam honorisque desiderium pellit. Ac nunquam inde egreditur, quin potius cũ annis crescit: & quamuis senio subeunte corporibus vires decrescant, habendi cupiditas tempore ipso augetur. Et quo minus ad viuendum spatij superest, tanto plus struendis interea opibus timidius necessaria promit. Itaq; quicunque auaritia captus laborat, cum neminem amet, à nullo etiam amatur: & cũ omnia auro postponat quanto plus auri possidet, tanto plus quærendo inhiat. Veluti hydropicus, qui bibendo semper magis sitit, etsi totũ aqua perfusum plenumq; corpus habeat. Quæ res effecit, vt non sine ratione omnium Italorum consensu in idem conuenientiũ nomen, (auaritiæ enim comes semper est miseria) auaros omnes miseros esse dicamus. *Baptista Fulgosius in suis exemplis, lib. 9. c. 4.*

APOPHTHEGMATA.

Bion auaritiam dicebat omnis improbitatis esse metropolim. *Stob. serm. 10.*

Idem diuites sordidos dicebat ita facultatum suarum curam habere, quasi essent propriæ: rursus, ex ijsdem nihil capere vtilitatis, quasi essent alienæ. *Laert. lib. 4. c. 7.*

Idem in diuitem quendam sordidũ ita loquutus est: Hic facultates suas non possidet, sed ipsum possident facultates. *Laert. lib. 4. c. 7.*

Idem eos deridendos putabat, qui eius generis diuitijs præter modum studerent, quas fortuna largitur, illiberalitas seruat, benignitas aufert. *Max. ser. 12.*

Chilon dicere solebat, hominum bonitatem ita auro probari, quẽadmodum aurum Lydio lapide. Ostendens permultos, qui alijs vitijs diu restiterint, opum auiditate persæpe à virtute deduci. Et qui aduersus opes constans fuerit, eum de cæteris vitijs facilius victoriam reportaturum. *Fulg. lib. 7. c. 2*

Aristides, auarus quidam & prædiues quum paupertatem ei exprobraret: Mihi, inquit, paupertas nihil mali videndum præbebit, tibi autem diuitiæ per fas nefasque paratæ turbas non paucas. *Max. ser. 12.*

Anacharsis quum rogasset quendam, quanta esset spissitudo nauiũ? respondit, Quatuor digitorum. Tantillũ, ait Anacharsis, a morte suos, qui auaritia & lucri cupiditate irritati, pernauigant maria, incerti de reditu. *Laert. lib. 1. c. 9.*

Aristippus à Dionysio pecunia donatus, Plato libris: atque ob id à quodam reprehensus, quasi ad rem attentior esset quam Plato: Quid refert, inquit? mihi pecunijs erat opus, Platoni libris: sentiens, neutrum accusandum. *Laer. lib. 2.*

Idem Platoni obiurganti, quod multos pisces emisset, respondit, se illos emisse obolo, quumque Plato, me non esse obsoniorum auidum, sed re pecuniæ amantem. *Laert lib. 2. cap. 8.*

Simonides interrogatus, cur in extrema senectute auarus esset? Quoniam, respondit, malim defunctus opes inimicis relinquere, quam viuus amicis egere. *Stob. ser. 10.*

Demetrius dicebat, diuitum multos esse procuratores, non autem pecuniarũ dominos. Auarus enim non suas possidet diuitias, sed possidetur à diuitijs: quarum non tantum seruus, sed mancipiũ merito dici potest. *Max. ser. 12.*

Idem Vna (dicebat) cupiditas mortalium extimulat animos, vt opes assequantur. Atqui videmus, ijsdem congestis, discruciari nihilominus cogitationes. Tum illis amissis, relinqui tristitiam, luctumque perpetuum. *Stob.*

Idem cupiditas plurium, inquit, amittit præsentia, sicut Aesopicus ille canis: *Stob. serm. 10.*

Diogenes interrogatus quid esset in vita optimum? Libertas, inquit. At vere liber non est qui seruit vitijs: nec liber esse potest qui multis eget: plurimis autem eget auarus ambitiosus, ac delicijs deditus. *Laert. lib. 6.*

Idem interrogatus, quænam essent feræ pessimæ? respondit, in montibus vrsi & leones, in ciuitatibus autem publicani & sycophantæ. *Anto. in Meliss. par. 2. ser. 34. Max. serm. 12.*

Idem poscebat aliquid ab homine auaro, quem vbi videret, cunctantem, ac negaturo simile, ô homo, inquit, ad cibũ te postulo, nõ ad cyppum: vt, qua licet, Græcarum vocũ affinitatem redda. Græcis enim τροφὴ cibus est, & τάφη sepultura. *Laert lib. 6.*

Idem Anaximenis seruos conspicatus multa vasa ferentes, cuius ea essent interrogauit. Quum autem illi Anaximenis esse, respondissent: An non pudet eum, inquit, tam multa habere, seipsum non habens? Voluit autem indicare, hominem auarum esse extra seipsum. *Max. ser. 12.*

Idem intuens quendam opulentas anus amare simulantem: Hæc ratione, inquit, non oculum, sed dentes amisit. *Stob. eod. ser.*

Idem auaros hydropicis comparabat. Illos enim argento plenos, hos autem refertos aqua, amplius desiderare, idque vtrosque in magnam sui perniciem dicebat. Affectus enim ipsorum eo magis intenduntur, quo largius desiderata consequuntur. *Stob. ser. 10. Ead. similit. vtitur Polyb. hist. lib. 13.*

Archelaus rex Timotheus musicus, quum ab Archelao minus quã sperarat accepisset, canens subtaxabat Archelai auaritiam, tu argentum terræ genitum laudas. Succinuit illi Archelaus, Tu vero, inquit, postulas. *Brus. lib. 1. c. 1 ex Plut.*

Socrates interrogatus, quinam essent auari? Respondit, qui turpia lucra venantur, & necessarios aut amicos negligunt. *Stob. ser. 10. Max. ser. 18.*

Plato ad quempiam accumulandæ pecuniæ semper incumbentem, ô improbe, dixit, ne possessioni augendæ studeas, sed minuendæ cupiditati. *Stob. ser. 10.*

Timon Demosthenes cum animaduertisset, auarum quendam ad sepulchrum efferri: Iste, inquit, cum vitam non vitalem vixerit, alijs vitam reliquit. Bios autem Græcis, & vitam, & victum significat. *Max. ser. 12. Stob.*

Idem quibusdam arbitrantibus Demadem iam desijsse malum esse: at enim, inquit Demosthenes, saturum videtis, veluti leones. Erat pecuniarum auidus Demades, leones autem mitiores sunt saturi. *P. M. lib. 4 apopht.*

Timon ille cognomento Misanthropos, id est, hominum exosor, elementa malorum esse dixit Auaritiam & Ambitionem: quemadmodum enim ex primis illis & secundis principijs generantur naturaliter omnia, sic ex auaritia & ambitione omnia vitia progenerantur alia. *Stob. serm. 8 & P. M. lib. 6. apophth.*

Hadriano Sophistæ miserat quidam pisces in disco argenteo: at ille delectatus vasculo, non remisit, tantum ei qui miserat, respondit, Bene facis, quod etiam pisces: quasi discus esset dono missus, pisces tantum nouitatis gratia additi. Quidam autem dicunt ioco factum, vt castigaret discipuli vitium, qui sordidior esse dicebatur: nam eo admonito, discum reddidit. Quum esset apud Coloniam Agrippinam, senatus honoris gratia misit vinum in cantharis testaceis, nec eos repeti mos est. Id admiratus, rogauit causam. Responsum est, olim vinum solere mitti cantharis argenteis: hoc honoris quum esset habitum cuidam ex eorum numero qui magnam nobilitatis partem existimant rapto viuere, postridie mane profectus est cum argenteis cantharis. Re comperta, misit ad illum senatus, qui cantharos reposceret. At ille: Vitro, inquit, dono dedistis, & ego gratias egi. Hoc casu admoniti, mutarunt consuetudinem. *Verba sunt P. M in apoph.*

Cleomenes Alexand. F. dicente quodam illi, delicatus es: At melius est, inquit, quam iniustum esse. Tu vero pecuniam sortitus multam, nondum contentus es: sed subinde cogitas, qua ratione cumulo adijcias. *Brus. l. 5. c. 1.*

Hieron Vituperatus, quod cum multos rhetoricari docuisset, ipse egeret: Atqui, inquit, non docui eos ditescere, neque studere pecuniæ. *Max. ser. 12.*

Antigonus in extorquendis pecunijs acer erat ac rigidus. Cuidam itaque dicenti, At non talis fuit Alexander: Merito, inquit, nam ille metebat Asiam, ego culmos lego. Sentiens, opulentissimam Asiam prius ab illo spoliatam, sibi a spoliatis corradendũ quod posset. *Plut. in apoph.*

C. Fabricius. P. Cornelium, hominem (vt putabatur) auarũ & furacem, sed egregie fortem ac bonum imperatorem, suo suffragio fecerat consulem: Huic quum Cornelius ex more gratias ageret, quod immemor simultatis, ipsum fecisset consulem, bello præsertim magno & graui: Nihil est, inquit, quod mihi gratias agas, si malui compilari quam venire. Compilamur furto, veneunt bello capti. Proinde inimico fauit, cuius dexteritate sperabat fore, ne Romani venirent in manus hostium. *P. M. l. 6. apoph.*

Scæuola Septimelio Anagnino (quem Plutarchus & Plinius Septimuleium vocant) cui pro C. Gracchi capite erat aurum repensum, roganti, vt se in Asiam præfectum duceret: Quid tibi vis, insane? tanta malorum est multitudo ciuium, vt tibi hoc confirmem, si Romæ manseris, te paucis annis ad maximas pecunias esse venturum. *Cic. lib. 2 de Orat.*

Deiotarus. M. Crassus ad Parthicũ bellum proficiscens, quum in itinere Deiotarum Galatarum regem, extremo iam senio confectum, nouam vrbem ædificantẽ offendisset: O rex, inquit, quidnam negotij hoc est? Quid, quum iam duodecima diei hora tibi adsit, nouam vrbem condere incipis? Ad hæc subridens Deiotarus, Crassique auaritiam subcarpens, Tu vero, inquit, imperator

ratot, quum sis haud quaquam (vt videre video) matutinus (erat enim sexagenarius) in Parthos cum exercitu festinas, prædam amplissimam rapturus. *Bruf. lib. 1. c. 1. ex. Plut.*

Cicero quum apud Damasippum cœnaret, & ille mediocri vino apposito diceret, Bibe falernum hoc annorũ quadraginta: subaxans Cicero hominis auaritiam, Bene ætatem fert, mi Damasippe, ait: Veniamque dedit vino, vnde gloriam Damasippus aucupabatur. *Bruf. lib. 1.*

Idem Crasso dicente, Stoicorum esse dogma virum bonum esse diuitem: Vide, inquit Cicero, ne magis hoc sentiant, sapientis esse omnia: recte notans Crassi auaritiam, cui nihil esset satis. *P. M. 4. apoph.*

Vespasianus instituerat vectigal è lotio. Super hoc à filio monitus dissimulauit, donec prima pensio esset soluta. Eam pecuniam admouit ad filij nares, sciscitans, num odore offenderetur, Negante illo: Atqui hæc, inquit, è lotio est. *Suet. & Bruf. lib. 5. c. 1.*

Idem legatis nunciantibus, decretam illi publice non mediocris summæ statuam, iussit vt eam continuo ponerent, & cauã ostendens manum. Ecce (inquit) parata basis. Significans, vt eam pecuniam, quam in statuam decreuissent impendere mortuo, viuo darent in manum. *Sueto. in Vespasia.*

Idem in itinere quodam mulio cesinit, quasi calceaturus mulas: sed re vera, vt adeundi litiganti spatium moramque præberet. At Cæsar dolum suspicatus, interrogauit mulionẽ, quanti calceasset: pactusque est lucri partem. Hoc si fecit vt suos corrigeret, ciuilitas fuit: sin vt ex emolumento fieret ditior, sordidum erat. *Sueto. in Vespas.*

Idem, quidam è charis ipsius ministris apud ipsum pro quodam, quem fratrem suum esse simulabat, intercedebat, vt illi procuratio committeretur. Id sentiens Cæsar candidatum solum ad se vocauit, exegitq; pecuniam quam ille suffragatori suo pepigerat: ex accepta, mox ordinauit. Huius rei ignarus minister, rursus interpellauit pro fratre, cui Vespasianus. Alium, inquit, tibi, fratrem quære: hic quem tuum putas, meus est. *Suet. in Vesp.*

Anonymus rusticus quidam, quoniam gratuitam libertatem suppliciter petens à Cæsare Vespesiano, repulsus esset, non est veritus clare dicere: Vulpes pilos mutat, non mores: exprobrans illi naturæ rapacitatem: quasi mercede data concessurus fuisset, quod gratuito negabat. *Suet. & Eras. lib. 1. c. 1.*

Alexander Seuerus, Vetronium Thurinum, familiarem, quod his, qui petebant aliquid à Cæsare, vendidisset suum patrocinium, mentiens interim multa, conuincendum curauit, & conuictũ damnatumque ad stipitem alligari iussit, supposito igne ex humida materia, præcone clamante: Fumo punitur, qui fumus vendidit. *Aelius Lampridius.*

Iugurtha cum pecunia Romanos exagitasset, iussusque tandem esset à Senatu paucis diebus Italia decederet: Postquam Roma egressus est, fertur sæpe tacitus respexisse, & postremo dixisse, O vrbem venalẽ, & mox perituram, si emptorem inuenerit. Quod paulo post euenit. Romani quippe, antea cũ inuicti essent, sola auaritia victi sunt, & antiquum nominis decus plane amiserunt. *Eras. lib. 1. c. 1. ex Salust.*

Nero nunquam cuiquam munus publicũ delegauit, quin hæc adijceret: scis quibus mihi est opus: &, hoc agamus, ne quis quid habeat. Vna prædone quam principe dignior. *Suet. & Dion.*

SIMILITVDINES.

Salomonis. sicut nudi egressi sunt ex vtero matris: Ita nudi eo reuertentur, vnde prodierunt, neque vlli quicquam eorum hinc secũ asportabunt, quæ tantis molestijs conquisierunt. *Eccl. c. 5.*

Chrysostomi. vesana diuitiarum cupiditas est morbus insanabilis, fornax quæ nusquam extinguitur, tyrannis per orbẽ longe diffusa. Diuitiæ ingratæ sunt, fugitiuæ, homicidæ, crudeles, & implacabiles, bestiæ incurabiles, præcipitiũ vndequaq; præruptũ, scopulus assiduis plenus fluctibus, mare innumeris ventis agitatũ, tyranni acerbe imperantes, nunc quouis barbaro sæuiores, inimicæ, irreconciliabiles, hostes implacabiles, quæq; nunquam erga eos à quibus possidentur, remittunt simultatẽ. *Ho. 5. de Au.*

Sicut bestia fiet sæua, more leonum, more pardorum, more vrsorũ: qui dum includuntur, coercenturq; in tenebris, erigunt animos acuuntque iras: Itidem & diuitiæ dũ includuntur, & refodiuntur, acrius rugiunt quam leones, perturbantq; omnia. Quod si eas è tenebris eduxeris, & in egenorum ventres disseminces, ex feris bestijs fiunt oues, quæ fuerant insidiosæ duces: pro scopulis fient portus, pro naufragio tranquillitas. Quandoquidem & hoc in nauigijs videre licet, si quãdo onus est iusto grauius, demergitq; cymbram: rursum cum est moderatũ, prospero fertur cursu. Idem vsu venit in nostris ædibus. Quum vltra quam vsus postulat, cõgeris pecunias, exigui venti procella & quiuis rerũ inexpectatarum incursus demergit cymbam: at si tantum reponas, quantũ postulat necessitas etiã si vehemens turbo ingruat, facile percurris vndas, ne totum amittas. Noli quæ superant vsũ congregare, ne perdas etiam necessaria. *Hom. 5. de Auaritia.*

Sicut qui metallorum operi traditi sunt, nullum inde emolumentũ, nullas opes consequuntur, sed periculo magno, atq; detrimento suo, alijs laborant, nihil prorsus de sudore, de labore, & morte, quam plerunq; obeunt, ad fructum suum inde cõuertentes: Ita & illi, qui non sibi, sed alijs diuitias quærunt, imo & his multo miseriores sunt quoniam mors doloris finem illis, his quos gehenna expectat, veræ afflictionis initium affert. *Hom. 50.*

Sicut igitur eunuchus virginem amplexus ingemiscit: Sic omnes qui diuitijs inhiant. *Hom. 84.*

Amor pecuniæ vt fera quædam & crudelis domina omnium corda possidet, & tyrannica dominatione deuincit. Sæuit vt barbarus, seruet crudeliter vt tyrãnus, debachatur impudenter vt meretrix, nusquã miseretur, nusquam pudet. Et, cum lupis, vrsis, leonibus ferocius sæuiat, suauis tamen videtur hominibus, & amabilis, melle, imo & fauo ipso dulcior. Cumque his qui eam desiderant, ex opiat, gladios acuat, quotidie foueas paret, scopulisq; eos mille, & mille naufragijs illidat, expetitur tamẽ ab eis. Volutari in cœno eius tanquam sues delectantur, & vt canthari stercus eius euoluere. Tales quodam modo omnes qui auaritiæ huic manus dederunt, infeliciores & turpiores etiã istis immundissimis animalibus. *Hom. 30. Quod nemo læditur nisi à seipso.*

Auarus cæcus est Amor namq; pecuniarũ pupillam mentis tuæ quasi quidam malignus humor influxit, densamque iam nebulam prorsus operatus est: sed & dirumpi atque dispergi hanc nebulam facile est, si scilicet radium doctrinæ Christi volueris exhortantem admittere, dicentem: Nolite thesaurizare vobis, &c. *Hom. 21. in Matth.*

Quomodo luxuria corruptus atque petulans, qui ad omnem corporis formam hiscit, à dæmoniaco differt? non videtur nudus ambulare: sed corporeis quidem vestibus amictus est, veris autem vestibus priuatus, nõ lapidibus seipsum cædit, sed sceleribus, quæ lapidibus duriora asperioraque sunt. Quis hunc iuuare poterit? quo fit, vt nunquã sit in seipso, sed in sepulchris versetur. Sepulchra sunt in meretricum diuersoria, cũ multo fœtore, multa putredine sunt repleta. Nõ minæ, non exhortationes ipsum ligare poterunt, oĩa hæc vincula spernit: Sic auarus. *Hom. 29. in Matt.*

Aeris quidem auidi beneuolos, nisi vtiles sibi sint, inimicos ducunt & liberum hominem si possent, libenter in seruitutem suam redigerent. Dæmoniaci vero nihil huiusmodi faciunt, sed ipsi soli suo malo laborant: & illi quidem multas domos euertunt, nomenque Dei propter ipsos blasphematur. Communis ærumna ciuitatum atque orbis totius. Dæmonibus autem exagitati lachrymas nobis ita mouent, vt eorum facile misereamur. Et isti non sentiunt plerumque quod agunt: illi præmeditati omnia faciunt, medijs vrbibus bacchãtes, ac nouam insanientes insaniã. Quando enim omnes simul dæmoniaci tantum facinoris committent, quantum Iudas solus commisit? Qui ad extremam iniquitatem turpi pecuniarum ardore deuectus est: pariterque oẽs qui illius auaritiam imitantur, quasi feræ bestiæ à catenis solutæ cunctos homines nullo resistente perturbant ac lacerãt. Vt vincula quidem etiam his vndique coniecta sunt, iudicij timor, legum terror, multorum odia, cæteraq; huiusmodi: sed his ruptis omnia perturbant: quod si quis hos nexus omnino ab eis auferret, tunc videres peiora hos dæmone, quã dæmoniacos, ac fortiore vexari. *Hom. 30. in Matth.*

Quemadmodum sine fluctibus mare nunquam conspicitur: Sic animos diuitum auarorum absq; sollicitudine, tremore, turbatione, curis, periculis nunquam reperis, sed antequam priora componat, alia inuaserunt. *Hom. 39 in Matth.*

Nullum inter auri solicitos collectores, & cœni atque laterum operarios discrimen est. Nam vt tunc Pharao, atrocissimus ille tyrannus, flagellis ad colligendas paleas compellebat Hebræos: Sic etiam nunc diabolus ad officium laterum, flagellis cupiditatum multos incendit: Quid autem aliud aurum, quam cœnum & argentum, quam palea? Sicut ergo palea ignem: Sic pecuniæ cupiditas auaritiæ flammam incendit, & quasi cœnum coinquinat possidentes. *Hom. 40. in Matth.*

Quemadmodum si quis febricitans, plenum frigidissima vas aqua rapuerit ab aliquo, & eam pestiferam bibendi cupiditatem expleuerit, ac morti seipsum tradiderit, non eum vnde aqua rapta est, sed eum qui rapuit accusamus, & sibi ipsi iniuriarum censemus: Sic certo de auaris atque rapacibus cogitare debemus. Peiore namq; febri isti laborantes, alienarũ rerũ rapina, habendi cupiditate inflammantur. Si quis etiã furore concitus, gladio à latere cuiuspiam rapto, seipsum occiderit: nonne qui rapuit sibiipsi iniuriam intulit, cum is à quo ensis raptus sit, nulla sit vexatus iniuria? Hoc ipsum quoque in pecuniarum rapina fieri videmus. *Hom. in 52. in Matth.*

Quemadmodum si quis in limpidum fontem stercus inijciat totum immundum reddit: Ita si diuitias auaritia attigerit, omnes fœtore suo corrumpit. *Hom. 72. in Matth.*

Vt in morbis & fistulis, nisi quis prius fluentem humorem, & vulnus sistat, quæcunque imposuerit medicamenta, non amota morbi causa, omnia frustra contendet. Ita & nos nisi manum ab auaritia, & malum hunc amorem cohibuerimus, licet eleemosy-

nam

nam demus, viam incassum laboramus. *Hom. 8a in Ioan.*

Sicut quisq; siue regia violaret vxorem, siue pauperis, siue serui, pari ratione adulter est, cum peccatum non personarum differentia, verũ ex voluntate improba, id scelus admittẽtia iudicetur. Ita & hic, imo illum magis adulteriũ dixerim, qui quamlibet ex vulgo, quam qui ipsam reginam violauerit. Illic.n. plurima irritamenta sunt, puta opes, elegantia, forma, & eiusmodi, quorum hic nihil inuenitur. Eadem profectã ratione illum magis ebriũ dixerim, qui quolibet vino, quam qui optimo inebriatur. Ita & cupidum eum potissimum censeo, qui ne minima quidem rapere omittit. Nam qui maxima, minima fortasse contemnet. Fur igitur magis hic quam ille est. *In 3. ad Tim Hom. 3.*

Quemadmodum aduersi quidam, ac furentes venti si in mare placidum irruant, ipsum funditus vertunt, adeo vt harena profundi superius misceatur vndis: Ita & pecuniæ cupidi omnia penitus miscent: neminem, qui huiusmodi est, amicum nouit. *In 1. ad Tim. Hom. 12.*

Sicut flamma vehemens, vbi in syluam incidit, peruertit omnia, & desolatur: Ita & ista orbem destruxit vniuersum. *In 1. ad Tim. Hom. 12.*

Vrsi & lupi saturati rapinam relinquunt: Auaris autem nulla satietas est. *Apud Ant. Meliss. Ser. 12, par. 1.*

Idololatra: deterior est auaritia. Siquidem idolatræ Dei creaturas adorant & venerantur, coluntque creaturam præter creatorẽ: Auari autem suum ipsius opus adorant. Deus quippe auaritiam non creauit, sed insatiabilis & immodica hominum cupiditas eã excogitauit.

Olympiodori: Famulus securam vitam ducens, quocunque demum victu alatur, dulci somno reficitur. At qui pecunijs seruit, herũ habet importunum, qui dormire eum non sinit, curam. Laugendi lucri, anxietatibus plenam. *In Eccl. 5.*

D. Basilij: Quemadmodum si quis in theatro sedilia occupet, ac deinde superuenientes excludat, sibi proprium vendicans, quod omnium vsui patet: Ad eum modum se diuites gerunt. Cum.n. quod commune est, priores inuaserint, ex præoccupatione id proprium sibi faciunt. *In Lucam.*

Maximi monachi: vita auarorum hominum similis est mortui conuiuio: omnia enim cum habeat, qui delectetur neminem habet. *Ser. 12.*

Quemadmodum qui intercutis morbo laborant, quo magis bibunt, eo magis sitiunt: Sic auarus quo magis habet, eo magis etiam sitiens desiderat. *ibid.*

Quemadmodum à mortuo nullum colloquium: Sic nec ab auaro vllum beneficium quærendum est. *ibid.*

Antonij monachi: potu restinguitur appetitus bibendi, & cibus desiderio cibi medetur: Auaritiam vero nõ, aurum, nec argentum extinguit. *In Melissa p. 1. ser. 34. ex Plut.*

D. Augustini: auarus vir inferno similis est. Infernus enim quantos mortuos deuorauerit: numquam dicit, Satis est: Sic etsi omnes thesauri circumfluxerint in auarum, nunquam satiabitur. *Ad Ioan. comitem epist. 111.*

Socratis: Socrates auaros comparabat auibus, quarum alia deglutit quicquid inuenerit, & quandoque suffocatur: aliæ vero sequuntur, vt quod habet, ei extorqueant: & ipsæ quoq; aliæ post alias suffocantur. *Apud Ant in Meliss par. 1. ser. 35.*

Auarorum diuitiæ, vt sol post occasum, neminem mortalium oblectant. *In Meliss. Ant. par. 1. ser. 34.*

Diogenis: quemadmodum hydropici quo magis bibunt, eo magis sitiunt: Ita auarus quo magis habet, eo magis habere cupit. *Apud Stob. ser 8. De iniustitia.*

Quemadmodum arbores & vites in locis inuijs & præruptis nascentes, non hominibus, sed coruis & alijs animalibus fructus adferunt: Sic diuitiæ si ab homine auaro possidentur, in vsum aliorum hominum nequaquam cedunt, sed adulatoribus & assentatoribus subseruiunt. *Apud Stob serm. 90.*

Democriti: quemadmodum inter vlcera pessimus est affectus phagedænæ: Ita in pecunijs animus non contentus, & sibi inæqualis. *Apud Stob. ser 90*

Aristotelis: quemadmodum Cæcias ventus (quem Plinius media inter aquilonem & exortum regione flare scribit) contra aliorum septentrionalium ventorum naturam nubes nõ pellit, sed magis ad se trahit: Ita auarus opes ac diuitias.

Polybij: quemadmodum hydropicorum desideria nunquam externo humore adhibito saturantur aut tolluntur, nisi interna corporis dispositio curetur: Sic concupiscentia illa plura habendi nunquam exsaturatur, nisi vitium quod in animo est, ratione aliqua corrigatur. *Lib. 13. historiarum à principio.*

Plutarchi: vt Cuius ille vina optima vendebat alijs, ipse vappam potabat: Sic qui omnia sua depranant, nec sua ipsorum bonis fruuntur. Huius seruus interrogatus quid ageret dominus: Cum adsint, inquit, bona quærit mala. *In Moral.*

Quemadmodum adulteri alienas vxores adamant, suas contemnũt. Sic quidam aliorum bonis magis delectantur, sua eleuant, aut etiam negligunt. *In Moral.*

Vt ij quos dolentes sopor occuparit, tristia somniant: Ita qui inuidia, superstitione, auaritia laborant. *In Moral.*

Vt membrum scabiosum semper opus habet frictu; Ita cupiditas animi nunquam satiatur. *In Moral.*

Quemadmodum apes ad mellis: Ita auari ad lucri odorem confluũt. *In Moral, Meminit huius etiam Maximus Ser. 12.*

Aristonymi. Hominis auari vita silicernio, hoc est, funebri conuiuio similis est. Cum.n. habeat omnia cætera, exhilaraturũ nõ habet *Apud Stob. ser. 8. de iniustitia, & Ant. in Melissa ser. 34*

Stobæi, quemadmodum is qui bonum habet equum, imperitus artẽ equitandi eo nequaquã delectatur: Sic homines prædiuites colligunt quidem opes, horum autem vsum cum nesciant, non voluptatem vllam ex his capiunt. *Serm. 90.*

Ciceronis. vt quidam morbo aliquo, & sensus stupore suauitatẽ cibi non sentiunt: Sic auari & facinorosi, veræ laudis gustum nõ sentiunt. *Philippica 2.*

ADAGIA.

A mortuo tributum exigere. ἀπὸ νεκροῦ φορολογεῖν. *Arist.*

Dicebantur, qui per fas nefasq; diuitias vndiquaq; congerunt.

Dici solitum in eos, qui turpiter vndecunq; lucrum aucuparentur è rebus minimis ac sordidis. Er gebe einem Todten nicht so viel Erdrichs vmbsonst, da er mochte hin begraben vverden.

Vndecunque lucrum captant.

Apte dicetur in malos causidicos, propolas, caupones, calumniatores, malos medicos, &c. qui captant vndecunq; si quis incidat in casses, quam possint explicare.

Fabarum arrosor. κυαμοτρώξ. *Suidas.*

Dicebatur, qui in creandis Magistratibus vendebat sua suffragia, eoq; quæstus gratia sedulo versabatur in comitijs. Vnde fabis dicebantur vacitare, quibus hinc quæstus erat.

Feles tartessia. γαλῆ ταρτησία.

Non inepte dicetur de rapacibus. Huic confine est illud Luciani: ἁρπακτικώτεροι τῶν γαλῶν, *id est, rapaciores felibus.*

Lacunam explere. *(desit.*

Pro sarcire damnum. Cicero: Vide ne qua lacuna sit in auro, hoc est, ne quid

Nullam corporis partem habet otiosam, ne eam quidem qua vocẽ promit. οὐδὲν ἄπρακτον ἔχει μέρος τοῦ σώματος, οὐδ᾽ ὅθεν τὴν φωνὴν προΐεται.

Torquetur in hominem non manibus tantum, sed toto corpore rapacem.

Exigit à statuis farinas. αἰτεῖ γε καὶ τοὺς ἀνδριάντας ἄλφιτα.

In eum dicendum qui nullius miseretur, vndecunq; quod potest, auellit, vel ab ipsis mortuorum statuis. Er nemе es auch vvol Gott von den fussen hinvveg.

Lucri bonus est odor ex re qualibet.

Lucri bonus est odor ex re qualibet. Iuuenalis:

Vnde habeas, curat nemo, sed oportet habere. Ennius:

Es gilt ein gestolner Pfenning nicht vveniger als ein anderer. Ein Bastardt bringt eben so ein gross Pfenningbrot, als ein Ehekindt.

Lucrum pudori præstat. κέρδος αἰσχύνης ἄμεινον. *Item* τὸ κέρδος ἡδὺ, κἂν ἀπὸ ψευδῶν ἴῃ.

Dulce est lucrum, profectum & à mendacijs. Sententia bono viro indigna.

Charybdis, Barathrum.

Hominem maiorem in modum edacem, bibacem, aut rapacem, helluonẽ, Charybdin, aut Barathrum vocamus. Horat. de lurcone quodam.

Ingluuies & tempestas, Barathrumq; macelli.

Boni pastoris est tondere pecus, non deglubere. *Sueton.*

Hodie vulgo celebratum durat, vbi quis est exactor durior atq; instantior. Quid? Num & pellem vis? Quasi conueniat lana contentum esse. Germani eadem metaphora huiusmodi exactores appellant. Die Bavvrenschinder. Schaaff soll man scheren, nit schinden.

Lauerniones.

Dicuntur homines furaces, quod fures sub tutela Lauernæ Deæ essent, in cuius loco obscuro atq; abdito, soliti sunt furto sublata, prædamq; defodere.

Nutricum more male. ὥσπερ αἱ τίτθαι ψωμίζοντες κακῶς.

Conueniet in eos, qui de lucro paulum aliquid impertiunt socijs. Er hat Saugammen art, vvas das Kindt nit mag, das mag die Amme.

Pecuniarum cupiditas Spartam capiet, præterea nihil:

Ἁ φιλοχρηματία Σπάρταν ἑλεῖ, ἄλλο δὲ οὐδέν.

Vna fames auri Spartam capiet, subigetq;.

Præterea nihil.

De ijs, qui sola pecunia possunt expugnari, alioqui inuicti.

Inexplebile dolium ἄπληστος πίθος.

Plautus: In pertusum ingerimus dolium, Operam ludimus. In homines præter modum profusos. Congruit etiam in auaros, quorum cupiditatibus nihil est satis. Ein Fass ohn Boden.

Larus hians. λάρος κεχηνώς.

Dicebatur, vbi quis auidius inhiaret prædæ. Est enim Larus auida, voraxq;.

Serpens, nisi edat serpentem, draco non fiet. ὄφις εἰ μὴ φάγῃ ὄφιν, δράκων οὐ γενήσεται.

Potentes aliorum damnis crescunt, & optimatum fortunæ in tantum non augerentur, nisi essent quos exugerent.

Nouit

Nouit hæc pilæ & Tytiygias, Οἶδεν τι πυλαία ταῦτα καὶ Τυτ[illegible]ίας.
Hæc velut ænigmate veteres innuebant, opes malis artibus quæsitas, fatiune item hæc locutiones istæ prouerbiales. κατωφορ μισῶ τον, ἐκ ῥιζῶν ἐκτέμνοντα τὰ λάχανα.

Id est.

Olitorem odi qui radicitus herbas excidat.

Item:

Malum lucro coniunctum, non est malum. Et:
Non sacrificata rapere. Et:
Communis eauquam Sisapo, &c.

Bona Porsenæ.
Bona Porsena dicebantur quæ velut ab hostibus erepta paruo veneunt. Non inepte dicetur in rem, quæ dono cuipiam aut fortuna commoditate citra nostram operam contingit. Es ist Raubgut. Es ist gefunden Gut.

Vulturis vmbra. Γυπὸς σκιά.
Quadrare videtur in heredipetas, aut aliquos rapaces, inhiantesque prædæ.

Edax currus. Ἀδδηφάγον ἅρμα. *Aristo.*
In gulones & voraces dicebatur. Venustius redderetur, si deflexeris ad animi vitia, vel significaueris, cupiditates inexplebiles esse, quam natura usus perpauca postulet.

Laudant vt pueri pauonem.
Iuuenalis scripsit in auaros, qui carmina laudant duntaxat, nihil autem largiuntur poetæ.

> *Didicit laudator auarus*
> *Tantum admirari, tantum laudare disertos,*
> *Vt pueri Iunonis auem.*

Atticus moriens, porrigit manum. Ἀττικὸς ὑπέχει τὴν χεῖρα ἀποθνήσκων. *Diogen.*
Hunc adagio locum fecit Atheniensium in muneribus captandis & aucupandis lucris insatiata cupiditas. Er nemt sich zu Todt. Item, Camb, Camb, ist dess vvolffs Vesperglock.

Pamphili furtum. Παμφίλου ποντικόν.
Conueniet in peculatores, qui è publico suffurantur.

Non curat numerum lupus.

Virgilius.

> *Hic tantum Boreæ curamus frigora, quantum*
> *Aut numerum lupus aut torrentia flumina ripas.*

Recte dicetur in hominem impudenter furacem.

Argiui fures. Ἀργεῖοι φῶρες.
De palam improbis. Nam Argiui furacitatis infamia laborabant.

Exempla Biblica.

Auaritiæ & tenacitatis exempla: Pastores Abraham & Loth. *Gen.* 13.*v.*7. Laban, 31.41. Fratres Ioseph, 37.28. Balaam, *Num.* 22.*v.*7.8.2.*Pet.*2.15.*Iuda, v.*11. Achan filius Charmi, *Ios.*7.*v.*21. Dalila, *Iud.* 16.*a.*5.6. Filij Samuelis, 1.*Sam.*8.3. Saul, 15.19. Nabal, 25.11. Semei, 1.*Reg.*2.40. Achab, 2.12. Giezi, 2.*Reg.*5.20. Sennacherib, 18.24. Benadad, 2.*Paral.* 16. *a.*3.4. Quidam Iudæorum diuites, *Nehem.*5.*v.*2.15. Quidam Milites, 2.*Machab.*12.40. Exercitus Iudæ. 1.*Machab.*4.17.18. Principes Israelis, *Esa.*1.23. Pastores Israelis, 56.11. Iudæi, *Ierem.*6.13. Ioachin, *Ierem.*22.*a.*17. Principes Israel, *Ezech.*22.12. Populus Iudaicus, 33.31. Ammonitæ, *Amos* 1.*v.*13. Scribæ & Pharisæi, *Matth.*15.*v.*5 & 23.*v.*16.23. *Mar.*7.11. *Luc.*11.*v.*42. & 16.*v.*14. Quidam adolescens, *Mar.*10.22. *Luc.*18.23. Sacerdotes, *Matt.*21.*v.*12. *Ioan.*2.*v.*15. Iudas proditor, *Matt.* 26.15 *Ioann.*12.*v.*6. Custodes sepulchri, *Matt.*28.*v.*12.15. Quidã de turba, *Luc.*12.13. Diues quidam, 12.*v.*16.17. Diues nequam, 16.*v.*21.22. Ananias & Sapphira, *Act.*5.2. Simon Magus, 8.*v.*19.20. Domini puellæ Pythonissæ, 16.*v.*19. Demetrius, 19.27. Felix. 24.*v.*26. Quæstionarij, 1.*Tim.*6.*a.*5. Falsi Doctores, 2.*Pet.*2.*v.*3.14. Auarorum crudelium exempla: Pharisæi, *Matth.*15.*vers.*5.6. *Marc.*7.*v.*11.12. Agricolæ, *Matt.*21.*v.*34.35. *Marc.*12.*v.*2.3.5. *Luc.* 20.*v.*10. Pseudopastores, *Act.*20.*v.*29. 2.*Pet.a.*15.

Profana Exempla.

Voces: quas auari homines, ac minuti animi, insusurrare filijs solerent, retulit Horatius in Satyra prima ad Mecœnatem, qua vitium illud accusauit, & quanta maxima diligentia potuit, exagitauit. *At bona pars hominum, decepta cupidine falso, &c. Victorius lib.* 23. *Var. lect. c.* 10.

Nero nunquam cuiquam officium delegauit, nisi hæc adijceret: scis quibus mihi est opus? &c. hoc agamus, ne quis quid habeat. Vox prædone, quam principe dignior. *Sueton. & Dion.*

Hispani olim, vt scribit Philarchus, micrologia propria fuit: qui res vel minimas plurimi faciebant, & auaritiæ studio semel tantum die cibum capiunt. Sunt, inquit, & hydropotæ, & in tam auido ingenio, vestibus tamen amiciũtur vel preciosissimis. *Thea. Zuing. fol.* 2390.

Vespasianus cum rapacissimum quemque promoueret, vt mox ditatos condemnaret: vulgo dictus est: officiarios suos habere pro spongijs: quod veluti spongias & siccos madefaceret, & humentes exprimeret. Candidatis honores reisque tam innoxijs quam nocentibus absolutiones venditasse dicitur. *Suetonius & Dion.*

Pertinax, qui Commodo successit, auaritiæ suspicione priuatus non caruit. nam & sordide se gessit in prouincijs consularibus regendis: & cum paternum patrimonium perexiguum esset, subito factus est diues. *Cusp.*

Phocas Imp. parricida auarissimè tributa exegit. More Persico cum suis aulicis secreta tractabat, qui magistratus & iudicia vendebant. *Cuspin.*

Negotiatorum genus nihil habet sacrum, propter vnum pecuniæ lucrum: cui se totos, ceu Deo consecrarunt. Hoc pietatem, hoc amicitiam, hoc honestum, hoc famam, hoc diuina pariter & humana omnia metiuntur: reliqua nugæ. *P. M. in Adag.*

Simonides eis, qui auaritiam ei obijciebant, respondit, alijs se voluptatibus ob senectutem orbum, ab vna, ætatẽ suam foueri quæstuaria. *Plut.*

Numidij auaritiam describit Horatius. *li.* 1. *Serm. in hæc verba Numidius quidam (non longa est fabula) diues, &c.*

Semiramis Carum regina, quæ Babylonem condidisse dicitur, monumento, quod sibi pararat, inscripsit. Quisquis rex pecunijs eguerit, aperto monumento, quantum voluerit, capiat. Darius potitus ea ciuitate, titulo credens, saxum ingens, quo claudebatur monumentum, vix amolitus, nihil quidem inuenit pecuniarum: sed ex altero saxi latere hoc inscriptum repetit: Ni vir malus esses, & pecunia inexplebilis, haudquaquam mortuorum loculos moueres: Quanquam hoc aptius inter stratagemata, siue inter γελοῖα commemorandum erat.

Notatur Simonides Poeta, vt author Aelianus de varijs historijs. Is enim rogatus a quodam, vt encomium ei scriberet, gratiamque se loco muneris habiturum. Respondit, duas se habere arcas, vnam gratiarum, alteram argenti: hanc cum aperiret communẽ plenamque, illam vero vacuam solamque reperire. Idem in vltima senectute, cur auarus esset, interrogatus, Quoniam, inquit, malo diuitias relinquere moriens, quam amicos viuens frustra rogare: detestans plurimorum infidas amicitias.

Dum Brennus dux Gallorum Senonum obsideret Ephesum, virgo quædam nomine Demonica solicitata spe Barbari cum eo pepigit, se Ephesum proditurам mercede monilium, quæ Galli ferebant. Cuius facti fidem Brennus præstitit, iubens omne aurum in se congeri, ita vt viua vsque supprimeretur.

Sergium Galbam, qui domitio successit Augusto, quanquam alieni non appetentem, iure tamen ætas illa plurimum carpsit, quod suæ quidem pecuniæ parcus cum esset, publicæ etiam auarus foret. Neque enim aut sæcula illa, dignitasque senatoria, aut opulentum Galbæ patrimonium eam parcendi, ac conseruandi diligentiam nec aurea sella tantam è publico auaritiam patiebatur: *Pontanus de liberalitate.*

Didij Iuliani maximi & potentissimi viri sordes quis ferat? qui Porcellum Leporemve dono ad se missum in triduanas partiretur cœnas. Sæpe etiam, cum nulla religio, aut abstinendi causa subesset, leguminibus, oleribusque solis contentus, cœnaret.

Quo vt non minus sordidus, sic fortassis magis accusandus Pertinax Augustus, qui inter priuatum & Imperatorem nihil interesse putauerat, dimidiatas lactucas, carduos etiam dimidiatos apponere conuiuis solitus: ac si quando ad amicos de cœna mitteret, binas tantum offulas paucula poma. Atque vbi opipare magis egisse videri vellet, gallinaceos lumbos mitteret. Quid. n. principe indignius, quam, vt qui tam late imperet, animum tam angustum etiam in vilissimis rebus habeat?

Inter recentiora auaritiæ exempla, primo commemorabitur Constantia, Constantini Maximi Augusti filia, & Galli Cæsaris qui Orientem regebat, coniux. Quanquam autem in eo sexu plerunque aut prodigalitas insignis, aut tetra auaritia conspici soleat: id tamen, quod ipsa patrauit, iam longe ab officij meta discessit, vt fidem vix non inueniat. Quis enim facile adduci posset, vt credat tam sublimis fortunæ fœminam iussisse Clematium Alexandrinum, virum innocentem indicta causa interfici? & nihilominus res ita fuit. Gemmato enim monili corrupta à Clematij socru, generi mortem ei vẽdidit, quem inuisum socrus habebat: quia vir probus stupri ab ea interpellatus, tanta turpitudine abstinuerat. Cuius rei quoties mentionem fieri continget, haud facile diiudicabitur, quid potentius existimari debeat: effrenatane in Clematij socru libido, an Clematij honestas, aut rapacis Constantiæ auaritia.

Constans tertius Phocæ imperatoris, ex Constantio Imperatore maiore natu filio nepos, ex Græcia ad vrbem Romam profectus, omnibus sacris profanisque locis spoliatis, quinque diebus in ea vrbe mansit, tantum statuarum ac reliquorum ornamentorum inde abstulit, quantũ antea ex magno numero omnes Barbari, qui vrbem Romam diripuerant, non abstulerunt. Adeoq; acerbe populos imperio parentes, atque non in postremis Siculos grauibus tributis pressit, vt multi filios vendere cogerentur. Adeo à primis principibus degenerauit, qui non solum ornate studebant vrbem Romam, verum etiam victui necessaria populo, atque insuper pecuniam large præbebant. Id gloriæ ex donationibus quærens, quod in rapiendo Constans sibi proposuerat: Cæterum cum in Sicilia a militibus suis interfectus esset: Saraceni, qui per id tempus in Sicilia Panormum vrbẽ occupa-

cuparant, in Aphricam omnes. Constantis rapinas deuexerunt. Cur id contigit, quod plerunque auaris solet, vt opum, quas rapinis congesserunt, hi possessores fiant, quos minime arbitrabatur: ac penes raptorem auarumque infamia ac crimen manet, cum alij recto Dei iudicio, raptorum commodo ac voluptate perfruantur.

Sauitiam immensa inductam auaritiæ, qua Romani milites (vt ante dictum est) vsi sunt, dum exenteratis Iudæis captiuis, deuoratum ab eis aurum in intestinis perquirunt: exercuerunt etiam Balduini secundi Hierosolymorum regis milites in Turcas, quos deuicta Cæsarea, in ea vrbe ceperunt. In eis enim immensa habendi cupiditas pudorem cum vicit, qui iure in eo bello seruandus erat, quod sub religionis titulo, & non plura habendi cupiditate Balduinus gerebat.

Quo nomine pro rei indignitate appellare poterimus id, quod Petrus Castulonensis rex, aduersus Maomadã Granatæ regem impie gessit? cum ad eum, opis petendæ gratia, adiutus alios Mauros venisset. O rem enim aurũ, quod secum attulerat, rapacissimus rex Petrus ademit: & cum palã iaculari cũ suis iussisset, primus fuit, qui eum manu sua iaculo peteret. Hunc ne auarum, an crudelē, aut ignauum nuncupabimus? aut eo solo contenti erimus, quod infelix Maurus rex nũc eram ei obiecit? dicit enim regem, turpem nimis triumphum ducere de rege, qui opis, salutisque gratia in eius fidem se recepisset: violato naturæ fœdere, atque omni humano more neglecto, spoliatum atque occisum.

Aggressus Lycurgus saluter, res mobiles diuidere, quo inæqualitatem omnem & excellentiam tolleret, quoniam intuebatur eos inique ferre manifestam ablationem, alia vsus via è medio sustulit hanc πλεονεξίαν, id est, plus habendi cupiditatem. Nam vbi primum nummum omnem aureum, & argenteum irritum reddidisset, ferro e solum vtendum imperauit. Fecitque vt ea vasto pondere & magnitudine valeret parum, ita vt minarum x. illatæ, & magno domi penu indigeret, iumentisque ad agendum. Hoc autem sublato, plurima iniuriarum genera è Lacedæmone sunt eiecta. Quis enim aut furari voluisset, aut corrumpere muneribus, aut alium priuare & rapere, quod neque occultare poterat, neque cum volũtate possidere, neque etiã vtiliter iacidere. Aceto enim, vt fertur, ignitj ferri aciem extinguens, abstulit ad alias res & vsum & vim, quoniam infirmum & inutile redderetur.

Agide vero regnante, influxit Spartam omnis primum post nummũ vero insatiabilis cupiditas, diuitiarumque desiderium per Alexandrum iocessit, atqui per Lysandrum potius: qui, cum ipse pecunijs esset insuperabilis, referisit patriam, & diuitiarum studijs & delicijs. Is enim & aurum & argentum ex bello intulit & Lycurgi leges antiquauit.

Lucianus in Timone, multis verbis eleganter auarorum depingit ingenia, sed quia locus est prolixior, satis fuerit hic indicasse.

Caligula post immensas profusiones (delicijs etiam animum explere volui) ad auaritiam atque rapinas conuersus (id quod agere solent, quibus expeodēdi nullus est modus) testamentis, vt ipsum hæredem scriberent, cogebat, quos postea, si superuixissent, veneno tollebat. Ridendos ducens, quod condito testamento superuiuerent. Superauit demum cupiditate atque auaritia feminarum maritumque lupanar in palatio cõdidit, ac misit, qui per vrbem cursitantes obuios, vt fructuosum vectigal principi redderent, inuitarent. Coacta igitur ex eo vectigal ingenti pecunia, cum in ea se nudum prouolueret, auri auiditatem explere contendebat. O ingentem, inexplebilemque auaritiam, quæ in tanto imperio tantum Principem excæcatum in eam vilitatem abiectionemque deduxit, vt neque dedecus suum, neque imperij ignominiam agnosceret, cum se veneficum atque lenonem præstaret, quod nemo, ne obscuro quidem loco ortus, quamuis inopia pressus, vix, quin erubesceret, in occulto agere posset. Tu languinem, tu honorem, tu vitam, tu Deum auro parem, qui bus nulla vis auri par esse potest, duxisti. A quo si occessarium expendeodi vsum ademeris, nulla magis quam è saxo vtilitas sẽ titur, quin ex eo habendi insatiabilis auiditas prouenit, & eius amittendi perpetuus timor, cui odium atque inuidia comes nũquam desinit esse.

Commodus Imperator omnium auarissimus alienæ mortis facultatẽ cupientibus facile pecunia permisit, omniumque aliorum criminum impunitatem auro condonauit, agebat litium capitaliũque criminum iudicia vendidit, haud secus, quam si publicis ouidiois venundandæ merces essent.

Pygmalion rex Tyri, Sichæum, sororis suæ, Didonis nempe, maritum, vt eius potiretur auro, interfecit.

Galba antequam imperaret, Hispaniarum proconsulatum sub Nerone gerens, cum ei Tarraconensis ciuitas dono coronam auream daret, quam ponderis quindecim librarum dixerunt esse, statim adhibita statera pondus inspicit: & cum inuenisset tribus libris minus, quam dictum fuerat, pondus esse: munere tãquam deberetur, in obligationem conuerso, postposito pudore a Tarraconensibus tres libras, quæ coronæ deerant, exegit.

Aurum inexplebiliter ac scelerate nimis sitire se ostendit Romanus exercitus, cum Hierosolymas Titus obsideret. Iudæos enim, qui ab vrbe fame compulsi profugiebant, deuorata aurea moneta, vt ita eam ab hoste incolumem seruarent, medios ferro diuidebant, vt in intestinis aurum, quod deuorauerant, inquirerent. Cum pusillam moram, qua ventrem exonerarent, inter iter eorum aurum effunderent, præ nimia cupiditate ferre non possent: biduo enim duo Iudæorum millia per hunc modum milites interemerunt: pluresque occidissent, nisi Titus graui proposita pœna eam rem interdixisset.

Polyanthea Noua

Argyraspida post Magni Alexandri mortem ab Eumene Cardiano conducti, qui vnus Alexandri successorum fuit, cum eo aduersus Antigonum bellum gerebant, qui vt impedimenta recuperarent, paulo ante ab Antigono adempta, nulla fidei atque honoris habita ratione, Eumenem captum Antigono prodiderunt: Sed vt pro perfidia atque auaritia parem gratiam, vt digni erãt, acciperent, iterum ipsis impedimentis spoliati omnium egeni, nisi perfidiæ infamia remanserunt. Atque in tanto Antigoni, cui eam operam nauauerant, atque eius militum odio, post id factum fuerunt, vt eorum nullus in patriam vnus redierit.

HIEROGLYPHICA.

Sunt qui per *manus & brachia* hieroglyphice auaritiam designent; atque interpretamentum huiusmodi ex carmine Theocritiano mutuentur: αἰεὶ χεῖρας ἔχοντι ποτὶ σφέα... Neque desunt, qui manum tantum sinistram digitis compressis pro tenacitate & auaritia pingant. Nam & cum sinistra lauam lucri, & augendæ rei signum ponunt: quippe quæ ad custodiendum magis idonea sit, vtpote segnior, & tenacitati accommodatior. *Pier. Val. lib. 35. p. 335.*

EMBLEMATA

Andreæ Alciati.

In auaros.

Emblema LXXXV.

Septitius populos inter ditissimus omnes,
Arua senex nullus quo magis ampla tenet:
Defraudans genium que suum, mensasque paratas,
Ne præter betas duraque rapa vorat.
Cui similem dicam hunc, nisi eum quem copia reddit
Asinum, ajinet se esuriat vix eius habet.
Namque asinus dorso pretiosa obsonia gestat,
Seque rubo aut dura carice pauper alit.

Auaritia.

Emblema LXXXIV.

Heu miser in medijs sitiens, stat Tantalus vndis,
Et poma esuriens proxima habere nequit.
Nomine mutato de te id dicetur auare,
Qui quasi non habeas, non frueris quod habes.

In auaros, vel quibus melior conditio ab extraneis offertur.

Emblema LXXXIX.

Delphini insidens vada cærula sulcat Arion,
Hocque aures mulcet frenat & ora sono.
Quam sit auari hominis, non tam mens dira ferarum est:
Quique viris rapimur, piscibus eripimur.

APOLOGI.

Diues.

Cum essent diuiti cuidam filiæ duæ, deque his altera mortem obijsset, conduxit ille mulieres quæ in funeris pompa deflerent mortuam, quas Latini præficas dixere. Quarum miserabiles plã ctus conspicata superstes soror: Quanta est hæc, inquit, infelicitas, id facere posse alienas, vt tam vehementer plorent ac ni quæ sint, cum id nos, quarum luctus est proprius, nequeamus? Cui mater, Desine, inquit, mirari filia mea, tantopere istas mœrere: hoc enim pecunia accepta faciunt.

Fabula ostendit inueniri quosdam iam auaros, qui non vereantur quæstui habere alienas calamitates.

Viator.

Itinere quidam longo fatigatus votum fecit, dimidium eius, quod reperisset, se Mercurio consecraturum, cum autem incidisset in sacculum, refertum palmis & amygdalis, illo sublato fructus quidem comedit, nucleos autem palmarum & amygdalorum testas in aram imposuit, quod se soluere votum diceret, atque inuenta cum Mercurio partiri, de quibus externa & intima illi offerret.

Castigantur hac fabula auari, qui etiam diuini numinis respectum postponunt cupiditatibus suis.

Inuidus.

Volens explorare sensus hominum Iupiter, misit Apollinem in terras, qui volontates humanas cognosceret. Hic primum incidit in auarum vnum, & alterum inuidum. Quibus collocutus, copiam illis facit petendi quod vellent. Id enim quod vterque petijsset, ratum se habiturum, sed ea lege, vt quod sibi alter petijsset, alteri præstaretur duplum. Nullo igitur pacto induci potuit auarus, quicquam sibi vt peteret, at inuidus erui vnum oculum sibi petijt, vt auarus ambo amitteret.

K Descri-

Describitur hac Fabula auaritiæ & inuidiæ pessimum & teterrimum vitium.

Cerui dimicantes & Vulpes.

Orta inter duos ceruos pugna iam eo vsque processerat, vt sancijs sanguis in terram flueret. Viderat hoc vulpecula, & cupida lingendi illius surrepit dimicantibus, & incautius auiditate ligurien di subiens, a ceruis atterita conquassatis costis, semiuiua in sanguine relinquitur.

Fabula docet, auaros quærendi infinito studio vrgere ipsos exitium suum.

Vide paulo post, tit. de Auro.

AVDACIA.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Audacia, Græce τόλμα καὶ τολμηρότης, audax dicitur: & est fiducia seu confidentia dicēs motum irascibilis inæstimatum, non excedere facultatem & est circa mala. Nam circa bona est spes. *ex B. Thom. 2. Sent. dist. 26. q 1. art. 3.*

Audax nonnullis sapere videtur, quod originis Græcanicæ, αὐθάδην enim Græci vocant audacem & temerarium: αὐθάδειαν audaciam. Festus ab audeo, id est, cupide agendi affectu. Heb. Audacia *Betac*, a verbo *Batac*, confisus est, fiduciam habuit. In bonam & malam partem sumitur. Audax autem quum suis viribus nitatur, Deo relicto, impie procedit. *Batuchoth*, confidentiæ, securitates. Iob 12.6.

POETICÆ SENTENTIAE.

Stat. 10. Theb.

Ille monet, ne frena animo permitte calenti:
Da spatium, tenuemque moram: male cuncta ministrat
Impetus: hoc oro munus concede petenti.

Idem 10. Theb.

Aude maiorem sceleri, & metire quod audes.

Ouid. 10. Met.

In audaces non est audacia tuta.

Virg. 6. Aen.

Tu ne cede malis, sed contra audentior ito.

Tibullus 1. 2.

Audendum est, fortes adiuuat ipsa Venus.

Virg. 10. Aen.

Audentes fortuna iuuat.

Claud. ad Probinum.

Fors iuuat audentes prisci sententia vatis.

Ouid. 10. Met.

Audentes Deus ipse iuuat.
Audebimus vltima, dixit.

Ex Comicis Græcis.

Εὔτολμος εἶναι χρή, τολμηρὸς δὲ μή
Audens ita esto sis procul vt audacia.
Τὸ πολλὰ τολμᾶν πολλ' ἁμαρτάνειν ποιεῖ.
Audere multa, multa nos lapsos facit.
Ἔστι τὸ τολμᾶν οὐ σοφόν ἀνδρὸς ἢ σοφοῦ.
Audacia aliena sapiente est a viro.
Προπέτεια πολλοῖς ἐστιν αἰτία κακῶν.
Ex temeritate multa nascuntur mala.

Phocylides.

Τόλμα κακῶν ὀλοὴ μέγ' ὀφέλλει δ' ἐσθλὰ πονεῦντι. Id est,
Audacia malorum perniciosa, multum auget vero bona laborantes.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Qui nullum timet omnino periculum, sed adit omnia: is audax existit. *l. 2 Ethic. 2. Arist.*

Qui confidentia impulsus, modum egreditur: audax appellatur. *l. 2. Ethic. c. 7.*

Audaces temeritate prouecti, ante cupiunt adire pericula, quam instant: cum adiunt, ea defugiunt. *l. 3 Ethic. c. 7.*

Audacia nulli rei vulgari est vtilis, nec nisi bello prodest. *lib. 2. de Republ. c. 7.*

Qui nimis confidit ijs rebus quæ terrorem afferunt: audax nominatur. *Ethic. l. 3. c. 7.*

Duo sunt quæ victoriam pariunt: aduersus hostes quidem, audacia: aduersus amicos vero, turpis infamiæ timor. *Plat. 1. Dial. de Leg.*

Fortes enim nō modo fortuna adiuuat, vt est in veteri prouerbio, sed multo magis ratio. *Cic Tusc. 2.*

Periculosa est audacia, si vires non suppetant spiritibus. *P. M. in apophth.*

Expensio periculi reuocat hominem ab audacia. *Idem.*

Assiduitate nimia facilitas magis quam facultas, nec fiducia, sed temeritas paratur. *Idem.*

Bona est timiditas, quæ deterret a turpibus, & reddit hominem circumspectum. *Idem.*

Audacia principium actionis est: fortuna vero dominatur fini. *Democritus.*

APOPHTHEGMATA.

Chilo dicere solebat, Non esse tentāda quæ fieri non possunt, Quædam honesta sunt ac magnifica: sed magno Reipub. malo tentantur: si nequeas perficere. Atque hæc est præcipua pars boni consultoris, despicere non solum quid per se optimum sit, sed quid pro temporum ratione possit obtineri.

Isocrates inter amicos dicere solitus est, se quidem docere decem minis: cæterum qui ipsum docuisset audaciam, mercedis loco daturum decem millia. Nam animi timiditas reddebat Isocratem ad dicendum inutilem. *P. M. l. 8. apophth.*

Epaminondas, imminente aduersus Lacedæmonios pugna cum sella, in qua sedebat, succubuisset, videretq; milites hoc prodigio exterritos: Imo, inquit, sedere prohibemur, militumque animos restituit. *Plut.*

Leonidas obiurgatus a quodam, quod paucis militibus stipatus, cū multis pugnare tentaret: audacter respondit: si ex multis constat victoria, non tota sufficeret Græcia: si in audacia horum, numerus sufficit. *Plut. in Lacon.*

Archidamus, conspiciens filium suum cum Atheniensibus iuuenili ter ac temere congredientem: Aut viribus, inquit, adde, aut animis adime: docens, periculosam esse audaciam, si vires non suppetant spiritibus. *Plut. in Lacon. Stob. serm. 51. Brus. lib. 2. cap. 43.*

Agis Archidami F. audiens quosdam abhorrere ab hostium multitudine, ait, non percontandum esse quot sint hostes, sed vbi sint, vt audacter aggrediamur. *Plut. in Lacon.*

Idem quum apud Mantineam pugnare cum hostibus numero longe superioribus prohiberetur: Fortiter pugnandum est, inquit, cum multis enim pugnare necesse est, qui multorum dominus esse cupit. *Brus. l. 7. c. 2.*

Idem interrogatus quot haberet milites: Quot sufficiunt, inquit, ad fugandos hostes. *Plut. in Lacon.*

Agesilaus, ad Macedonum regem nuncios misit Agesilaus rex, rogans, vtrum per hostium solum irent, an amicorum? Cum ille respondisset, se consulturum: Fiat, inquit, igitur consultatio: nos tamen interim iter faciemus. Rex admiratus hominis audaciā, sibique metuens, satius esse censuit, illum vt amicum suscipere. *Plut in Lacon apophth.*

Idem admonitus a suis, ne cum Thebanis, qui numero præstabant, manus consereret: respondit: Qui multis vult imperare, non debet multorum timere congressum. *Plut.*

Pædaretus, quum a quopiam audiret, magnum hostium esse exercitum, audacissime respondit: Eo maior erit & gloriosior nostra victoria. *Plut. in Lacon.*

Cleomenes Pirata quidam populabundus discurrebat per agros Lacedæmoniorum. Is vt captus est, rogatus cur id ausus esset? Quoniam, inquit, deerat mihi commeatus, quem militibus præberē, ad eos veni, qui & habebant, nec sponte dabant, vt eriperem. Ad id Cleomenes: Compendiosa, inquit, malitia. Detestatus prædonis nefarium scelus, probauit tamen orationis expeditā breuitatem. *Plut in Lacon apophth.*

Epaminondas. Alexander Pheræus, hostis Thebanorum, Atheniensibus a quibus in amicitiam societatemque ascitus fuerat, polliceri se quum dixisset eis carnes, quæ mina prius vendebantur, semiobolo præbiturum, audiente Epaminonda, At nos, inquit, Thebani liberaliores erimus, quippe qui ligna ad has carnes coquendas gratis exhibebimus. eorum enim agrum excindemus. *Brus. l. 1. c. 6. ex Plut.*

Xenocrates. Lycurgus Rhetor forte fortuna obuiam factus Xenocrati, qui a Telone obtorto collo in carcerē ducebatur, occurrens fustem impegit in caput Telonæ, Xenocratemque liberauit, & Telonem in carcerem coniecit. Quod Lycurgi factum cū ab omnibus probaretur, Xenocrates post aliquot dies obuiam factus Lycurgi filio: Retuli, inquit, gratiam patri tuo, qui ob tā audax facinus merito ab omnibus laudatur. *P. M.*

Aratus laudante quopiam virum desperatum & audacem, ac idcirco in bellis eximium: Differre dixit magni facere virtutem, & vitam nihili facere. *Stob serm. 51.*

Alexander audiens Darium, inuictissimum Persarum Regem, multas parare militum myriades: respondit, Vnus lupus non multas timet oues. *Anton. in Melissa serm. 37. par 1. & Max. serm. 71.*

Iulius Cæs. facinora, quæ & periculo obnoxia sunt, & magna gerēda esse dicebat: de his non consultandum, quod ad hæc perficiēda plurimum habeat momenti celeritas: expensio vero periculi reuocat hominum audaciam. *Plut.*

SIMILITVDINES.

Chrysostomi. inquiras quanta potes diligentia solarium radiorum originem: non sane poteris: neque indigneris, neque tuam iniquo feras animo imbecillitatem. Quid igitur in maioribus tam audax es, & temerarius? *Hom. 6. in Ioan.*

Laurenty Iustiniani Patriarchæ. sicut in rebus sæcularibus audacia fortitudinem: Sic in rebus cœlestibus audacia debilitatem parit, ac timor fortitudinem gignit, vinculaque cupiditatis disrum-

difrumpit. Similiter timor Dei vitium corrigit, *in lib. de ligno vitæ, cap. 2.*

ADAGIA.

Fortes fortuna adiuuat.

Propterea quod id genus hominibus fortuna quasi faueat, infensa ijs, qui nihil audent experiri, sed veluti cochleæ perpetuo latent intra testas.

Es muss gevvaget sehn, man sahe an vvas man vvolle. Dapffer angriffen ist halb gefochten.

Animus præsens.

Animi præsentia vtilis vbique, propterea quod timiditas vel a conscientia, vel ab animi paruitate videatur proficisci. Huic sententiæ suffragatur Homeri, versus illud ex Odyss. η.

Θαρσαλέος γὰρ ἀνὴρ ἐν πᾶσιν ἀμείνων
Ἔργοισιν τελέθει, εἰ καὶ ποθεν ἄλλοθεν ἔλθοι.
Omnibus in rebus potior vir fortis & audax,
Sit licet hospes, & è longinquis venerit oris.

Animus heptaboeus. θυμὸς ἑπταβόειος.

De magno, fortique & inuicto dictum.

Aqua præterfluit. ὕδωρ παραρρεῖ.

Zenodotus & Suidas admonent, dici solitum de eo, qui nihil negaret recusaret, & quidlibet quod mandatum esset, effecturum sese polliceretur, quippe usque adeo promptus ad quiduis suscipiendum, ut nec amnem præterfluentem ingredi grauaretur.

Martis pullus. Ἄρεως νεοττός. *Aristoph.*

Martis pullum vocant, ad bella magnopere propensum.

Alter Hercules. Ἄλλος οὗτος Ἡρακλῆς.

Id est: Hic alter Hercules. De viro perstrenuo ac laborum tolerantissimo. Arist.

Non abijcis animum.

De eo qui in afflictissimis quidem rebus, spem aut consilium abijcit: sed de recipiendo se ut unque cogitat, apposite dicetur, quod de Vlysse dixit Homerus Odyss. ι.

Ἀλλ᾽ οὐδ᾽ ὣς ἐξ ... τειρόμενός περ.
Ac neque sic licet afflictus abiiciebat spes.
Namque.

Ne quid moueare verborum strepitu.

Quis monebis aliquem, ne saeuis verbis ac minis deterreatur, quominus experiatur, accommodabis illud Homeri, Iliad. υ, ab Apolline dictum Æneæ.

Ἀλλ᾽ ἰθὺς φέρε χαλκὸν ἀτειρέα, μηδέ σε πάμπαν
Λευγαλέοις ἐπέεσσιν ἀποτρεπέτω καὶ ἀρειῇ.
Quin rigido ferro magis obuius ito, nec unquam
Te saeuis dictis deterreat ille, minisque.

In discrimine apparet, qui vir.

De re periculosa difficilique, & eiusmodi, quæ virum cordatum ac strenuum requirat, conueniet illud ex Iliad. ν.

Ἔνθ᾽ ὅ τε δειλὸς ἀνὴρ ὅς τ᾽ ἄλκιμος ἐξεφαάνθη.
Illic qui vir iners, qui strenuus, ostenditur res.

Non cedendum malis.

Si quando admonebis, non oportere sedere vel aduersariis, vel aduersæ fortunæ insultibus, aut non esse certandum cum fugientibus, non insite deseruiis illud ex eodem libro.

Οὐκ ἂν ἐν αὐχένι ὄπισθε πέσοι βέλος οὐδ᾽ ἐνὶ νώτῳ.
Ἀλλά κεν ἢ στέρνων ἢ νηδύος ἀντιάσειε.
Ne feras iaculum ceruicem aut terga: sed ipsum
Aduersatum, aut pectus feras aduersa sagitta.

Achilles.

Insignes fortitudine duces, appellabimus non inuenuste Achilles. Gellius.

Achilleum argumentum.

Rationem & argumentum Achilleum vocabimus, quod sit insuperabile & insolubile.

Qui cum contemptu vitæ inuadunt.

In eos, qui gladiatorio, sicut ait Terentius, animo quempiam impetunt, ut aut perdant, aut pereant, conueniet illud ex Iliad. μ.

Ἀγροτέροισι σύεσσιν ἐοικότε.

Id est.

Similes agrestibus apris.

Traducit enim venatores, hos prouocantes recta impetere prouocantem, nec lanceam vitans.

Neque terræmotus timet neque fluctus.

Aristoteles libro Moral. Nicomachior 3. docens eos, qui non habitu virtutis, sed immanitate quadam nihilominus formidant, nequaquam appellandos esse fortes, sed μαινομένους καὶ ἀνάλγητους, hoc est, insanos & stupidos, sensusque expertes.

PROFANA EXEMPLA.

Nearchus scribit ab amicis, qui ægrotantem curabant, Alexandrum Magnum obiurgatum, quod in prima acie dimicaret: militis enim id esse munus, non Imperatoris. Quæ verba moleste non tulit Alexander, quod & vera esse intelligeret, & merito se reprehendi agnosceret. Et tamen ob id impetum animi in prælijs, & gloriæ cupiditatem: &, vt ij qui alia quapiam voluptate vincuntur, pericula vitare noluit. *Suidas.*

Terentius Varro, & C. Flaminius hic ad Thrasymenum, ille ad Cãnas: *Polyanthea Nouiss.*

dum Hannibalis artes despiciunt: dum æquales haberent exercitus: denique dum se ipsos parum noscunt: nimium virib. suis fidunt, rem Romanam pene funditus subuertere. *Pont. l. 1. cap. 10.*

Ser. Capio consul contra Cimbros in Italiam irruentes temere pugnans a x c. millia amisit. *Liu. l. 67.*

Galliæ Rex Carolus IX. tametsi neque manu neque consilio multum valeret: tamen amplissimis maximi atque opulenti regni viribus innixus: viginti trium annorum adolescens, & pacem in Italia euertit, & rem Gallicam armis atque ausu plurimum illustrauit. *Iouius lib. 1.*

Perdiccas Macedo Alexandrum secutus in bellis, in speluncam leænæ ingressus, leænam ipsam non deprehendit: sed catulos eius secum exportauit: & magnam hominum admirationem hoc facto meruit. *Ælian. l. 16.*

EMBLEMA.

Andr. Alciati.

In eos qui supra vires quicquam audent.

Emblema LVIII.

Dum dormit, dulci recreat dum corpora somno
Sub picea & clauam cæteraque arma tenet,
Alcidem Pygmæa manus prosternere letho
Posse putat, vires non bene docta suas.
Excitus ipse velut pulices, sic proterit hostem:
Et saeui implicitum pelle leonis agit.

AVDITOR, AVDITVS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

AVditor, Discipulus, is qui audit, is apud quem agitur, *Schomeah*, a verbo *Schamach* audiuit, auscultauit, obediuit, ἀκροατής, auditor, Auditus *Mischmach*, ἀκοή, Sensus audiendi, vis illa qua soni percipiuntur.

SENTENTIAE SACRAE.

Discite ea & opere complete. *Deut. 5.*

Audientes discant & custodiant. *ibid. 31.*

Ponite corda vestra in omnia verba mea. *Deut. 32.*

Nonne auris verba diiudicat? *Iob 12.*

Audiam quid loquatur in me Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam, & super sanctos suos. *Psal. 84.*

Audi taceos, & pro reuerentia accedet tibi bona gratia. *Eccles. 32.*

Audite verba pacti huius, & discite illa. *Ier. 11.*

Factum est verbum Domini ad Ieremiam: Noli subtrahere verbũ Dei, si forte audiant, & auertatur vnusquisque a via sua: & pœniteat me mali, quod cogito facere eis, propter malitiam studiorum eorum. *Ibid. 26.*

Domus Israel nolunt audire te, quia nolunt audire me. *Ezech. 3.*

Audiunt sermones tuos & non faciunt *ibid. 13.*

Omnis qui audit verba mea, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificauit domum suam supra petram. *Matth. 7.*

Qui habet aures audiendi, audiat. *Matth. 13.*

Vestri beati oculi, quia vident, & aures vestræ, quia audiunt. *Ibid.*

Hi sunt, qui audiunt verbum, & faciunt. *Luc. 8.*

Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud, *ibid. 11.*

Si manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis. *Ioan. 8.*

Cunctis sermonibus, qui dicuntur, non accommodes cor tuum, ne forte audias seruum maledicentem tibi. Scit enim conscientia quia tu crebro maledixisti alijs. *Eccl. 7.*

Sepi aures tuas spinis, & linguam nequam noli audire, & ori tuo facito ostia, & seras auribus tuis. *Eccl. 28.*

Corrumpunt bonos mores colloquia mala. *1. Cor. 15.*

Athenienses autem omnes & aduenæ hospites, ad nihil aliud vacabant, nisi aut dicere, aut audire aliquid noui. *Act. 17.*

BIBLICI LOCI.

Auditores sunt gloria Doctorum suorum. *2. Cor. 1. 14.*

Auris seruo perforanda, & quomodo, *Exod. 21. 6. Deut. 15. 17.* in perpetuæ seruitutis signum, *Ps. 40. 7.* auris insatiabilis, *Eccles. 1. 8.* Auris audiendi, *Deut. 29. 4. Matt. 13. 9. Marc. 4. 23. Luc. 8. 8. Apoc. 2. 11. 7. 11. 17. 29. & 3. 11. 6. 13. 22.* in auribus aliquorum loqui, *Gen. 20. 8. & 40. 4. 18. Exod. 10. 2.* est audientibus aliquibus loqui.

SENTENTIAE PATRVM.

Tutius auditur veritas, quam prædicatur: quoniam quum doctrina recipitur, humilitas custoditur. Quum disputatio vel prædicatio placet, via est vt differentem non pulset, quantulacumque iactantia. *Aug. de doctr. Christ.*

Vidit Apostolus in audiendo facillimum seruari humilitatem quæ difficilis est in docendo: quoniam necesse est, vt Doctor habeat superiorem locum, vbi laboriosum est obtinere, ne surrepat elatio. *super Iac. 1.*

Quum verbi boni auditores esuriunt, pro reficiendis eis malora doctoribus intelligentiæ donatribuuntur. Sæpe enim doctori verbum Dominus pro gratia tribuit auditoris: nonnunquam vero propter auditoris culpam subtrahitur sermo doctori. *Gregor. in pastor.*

Nisi Spiritus sanctus auditorum corda repleat, ad aures corporũ vox doctorum incassum sonat. Formare enim vocem magistri exterius possunt, sed hanc interius imprimere non valent. *li. 27. Moral.*

Via Domini ad cor dirigitur, quum veritatis sermo humiliter auditur. *Iabom.*

Multi legunt, & ab ipsa lectione ieiuni sunt. Multi vocem prædicationis audiunt: sed post vocem vacui recedunt: quorum etsi venter comedit, viscera annuntiat, quia esti mente intellectum sacri verbi percipiunt, obliuiscendo & non seruando quæ audierunt, hæc in cordis visceribus non reponunt. *in Ezech.*

Verba Dei, quæ aure percipitis, mente retinete. Cibus enim mentis est sermo Dei: & quasi acceptus cibus in stomacho languente reijcitur, quando auditus sermo in ventre memoriæ non tenetur. Sed quisquis alimenta non retinet, huius profecto vita desperatur. Aeternæ ergo mortis periculum formidate, si cibum quidem sanctæ exhortationis accipitis, sed verba vitæ, id est, alimenta iustitiæ in memoria non tenetis *super Matth. 13.*

Secundum capacitatem auditorum moderetur lingua doctorum. *lib. 12. Moral.*

Propter bonos auditores malis doctoribus sermo datur: & propter malos auditores bonis doctoribus sermo subtrahitur. *in Ezech.*

Auris bona est quæ libenter audit vtilia, prudenter discernit audita, obedienter operatur intellecta. *Bernardus in quadam Epistola.*

Dele (inquit) literas magis quam scripturas, quas diabolus in tua impressit anima, & fer mihi cor a vitæ huius tumultibus liberũ. *Chrysost. super Matth.*

Frequenter ipsa eadem audire etiam scientibus prodest, quod enim omnimus, si sæpius audiamus, amplius compungimur. *In Epist. ad Hebr.*

Auditores beneuoli, alacres reddunt prædicatores. *idem.*

Prudens auditor omnes libenter audit, omnia legit, non personã, non scripturam, non doctrinam spernit, ab omnibus indifferenter quod sibi deest, & quod deesse videt, quærit, non quantum sciat, sed quantum ignoret, considerat. *Hugo de S. Vict. in suo Didascalic.*

POETARVM DICTA.

Hor. in arte Poet.

Segnius irritant animos demissa per aurem,
Quam quæ sunt oculis subiecta fidelibus, & quæ
Ipse sibi tradit spectator.

Idem 1. epist. 18.

Nec retinent patulæ commissa fideliter aures.

Plaut. in Trucul.

Non laudandus est, qui plus credit quæ audit, quam
Qui videt non placet mi nostri vini. laudant qui audiunt,
quam qui vident. pluris est oculatus testis vnus, quam auriti
Decem. qui audiunt, audita dicunt, qui vident plane sciunt.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

[illegible] animantibus natura dedit, vt aliquid sibi ipsi significent. *l 3. de Anim. c 13 T. 68. Arist.*

Videtur inanis esse aer, qui cum pulsus agitatus est, vnus atque continuatus facit, vt audiamus. *l. 2. de Anim. c. 8. T. 81.*

Eius quod audiendi vim habet functio, auditus vel auditio dicitur. *l. 3 de Anim. c. 2. T. 139.*

Auditus sonorum differentias solum declarat, paucis autem etiam vocis & orationis. *de sens. et.*

Auditus aliena vi ad discendum & percipiendum maximum adfert adiumentum. *ibid.*

Oscitantes, aut spiritum reddentes, accipientesve, minus audiunt. *lib. 5 de gener animal c. 2.*

Quidam veniunt, non vt audiant, non vt discant, sicut in theatrum voluptatis causa ad delectandas aures oratione, vel voce, vel fabulis ducimur, magnam hanc partem auditorum videbis, cui philosophi schola diuersorium otij sit, non id agunt, vt aliqua illo vitia deponant, vt aliquam legem vitæ acciperent, qua mores suos exigant: sed vt oblectamento aurium perfruantur. Aliqui etiam cum pugillaribus veniunt, non vt res accipiant, sed vt verba, quæ tã sine profectu alieno dicunt, quã sine suo audiunt. *Sen. epist. 10.*

De auditu perdito DIAL. XCVII.

D. Perdidi auditum. R. Iter ecce aliud tædio præclusum est. Multa oculis, multa auribus hauriuntur tædia, multa vtroque calle fastidia in animum penetrant, quibus cuitandis ex æquo pene optabiles videantur cæcitas surditasque, habent tamen hæ suas incommoditates, vt reliqua fere cuncta mortalium, amarum quid aliquid, non nego, sed patientia mollius, ac virtuti impar. Vbi quænam sit has inter proportio incommodorum haud facile dixerim, nisi quod illa periculosior, ista ridiculosior. Nam quodã-modo amentes videri solent, qui surdastri sunt, cæci vero magis amicti tudicatur, itaque surdos esse, cæcos miseratione prosequimur. Sapiens vtrũq; contemnit, nec quid alijs videatur æstimat, sed quid sit. D. Auditum perdidi. R. Adulantium iam susurros, atque obtrectantiũ iurgia euasisti, diuersimodum, sed par malum, nisi quod aliquãto viribus est iurgijs quam blãditijs adhibetur aures. Illis namque medicamentum aliquando, his venenum inest semper. Illud ergo sæpe mordendo sanat, hoc multitudo inquinat, atque ita peior est falsus amor vero odio. D. Amisi auditum. R. Iam quod ars Vlyssi præstitisse fertur, tibi vel natura præstitit vel casus aliquis, vt si Sirenũ cantus surda tutus aure pertransias: feliceque si æstimas, quot inde pericula penetrare in animũ potuissent, quoque olim inde mendacia, quot errores, quot dãnum molestiæ subiere? D. Auditum amisi. R. Philomela credo, vel citharam, tibiasque non audis, sed nec rudentes itidem asellos, nec grunnientes sues, nec vlulantes lupos, nec latrãtes canes, nec strentes vrsos, nec rugientes audies leones, nec gementes pueros, nec altercantes aniculas. Nec postremo his omnib. graniores vndique personantes stulto. ũ risus ineptissimos & incõditos fletus, & confusas voces, quo nullus vsquam sonus inamœnior. D. Auditu careo. R. Multiplicibus ereptus es fraudib. Nulla re crebrius falluntur boies, quam verbis. Nihil huic periculi est surdo. D. Obturpuere aures mihi. R. Periculosa pars corporis, præcipueque principibus, qui per illam adulatorum flatibus tumefacti, sæpe cum populo in risu, suaque pernicie crepuere. D. Auditus habet. R. Si cum alijs loqui prohibitum est, tecumloquere, Ciceroniani memor illius; Qui secũ loqui potest, sermonem alterius non requiret, quamuis & colloqui surdo quoque permissum, legendo scilicet: scribendoque, cum antiquis nempe loquitur. qui legit, at cũ posteris qui scribit, ad hæc celestis philosophiæ libros & qui legit, Deum audit, & qui orat alloquitur. In hoc quidem geminu colloquio, nec lingua, nec auribus opus est, sed oculis, digitisque, ac deuoto animo. Et hic igitur, vt in multis nostri consilium Ciceronis amplectemur, vt sicut cæcus aurium, sic se surdus oculorum subsidio consoletur. Tu proinde si audire homines non potes, scriptos ab hominib. libros lege, & legendos ab hominibus libros scribe. Cœlũ præterea ac terras, & maria aspice, horumque omnium authorem in silentio contemplare. Nihil ad huc surdus ista nocuerit, multum fortasse profuerit. D. Auditus me destituit. R. Quibus tonis, aut numeris, aut diapete costet, aut diapason, quibusve proportiones aliæ, quæ tractantur a musicis, nosse re vel surdus potest. Et quamuis humanæ vocis hd usque vel organi modos auribus nõ audiat, si ramẽ causas animo tenet, delectationem intellectus haud dubie preter auriũ voluptati. Finge & hos ipsos musicos numeros sur do iguoros, modo virtutis numerent fint, seq; i illis exerceat, bene est. Nil hic quoque surditas nocet. Melius. n. multo est bonum fieri, quam doctum, & si abunde doctus ac sapiens fit, quisquis abunde bonus est, at qui malus, idẽ & insipiens & indoctus, omnium licet, quæ sub cœlo sunt, eruditissimus literarum. D. Auditus elanguit. R. Bene quod hoc tibi non prius accidit, quam fidem, quæ auditu maxime constat, acciperes, illam habens, quid queteris? seu quid quæris? Si hominum cantus, aut volucrũ non percipis, cantibus cor intende cœlestibus, internamque aurem Deo applica. D. Non audio. R. At cogita, & dic tibi; Sin non audio, quæ seu ad me, seu de me hoioines loquantur. Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. Illi enim sæpe bellum, hic loquitur pacem semper. D. Nil penitus audio. R. Multi silentium appetentes longis peregrinationibus fatigati sunt, vt aliquibus abditis & semotis in locis, quod cupierent, inuenirent. *Petrach.*

APOPHTHEGMATA.

Thales ab amico quodam rogatus, quantum veritas distaret a mẽdacio? Quantum, inquit, oculi distant ab auribus. Sensit vir sapientissimus non ea certa esse illico, quæ auribus percipimus ab alijs, qui mendaciter de rebus nuganrur: sed ea demum, quæ coram oculis cernimus. *M. ex ser 35.*

Xenocrates dicebat, pueris potius aures esse muniendas follibus, quam athletis: quod plus sit periculi, ne puerorum aures occupentur prauis sermonibus, quam ne athletarum aures pateant adictus. Maxima, inquit Satyricus, debetur puero reuerensia. *Lae. l. 4 c. 2. Plut.*

Stratocles, quum audiuisset partam esseab hostibus victoriam, rem protinus populo patefecit, & vt publica supplicatio in laudem deorum institueretur, perfuasit. Verum quum paulo post ex alio nuncio intellexisset, suos non victores, sed fugatos fuisse: va sa spe lusus, Ecquis (inquit) vestrum quicquam damni accepit, quod totum hoc triduum mea opera hilares lætique fuistis? *P. M. lab. 6. apophth. ex Plut.*

Pindarus apud Thebanos in contentione imperitis auditoribus vsus, superatus est a Corinna quoquies. Redarguens vero ruditatem ipsorum Pindarus, vocauit Cationas. *Ælian. lib. 13. de var. hist.*

Straton physico cum quidam obiecisset, quod Menedemus plures haberet auditores: Quid mirum, inquit, si plures reperiuntur, qui

qui lauari cupiunt, quam vngi? nil autem aliud his verbis indicare voluit, quam Menedemi philosophiam esse dilutam: & quam plurimos inueniri, qui audiant quidem de rebus disputantes, sed perpaucos, qui virtutem exercerent. *P. M lib 7. apophth.*

SIMILITVDINES.

Plutarchi, vt venatores non sinunt canes quiduis olfacere aut mordere, sed integros eos seruant feræ. Sic oportet aures & oculos nō sinere quouis vagari, sed rebus necessarijs reseruare. *In Mor.*

Vt diligentius seruāda est ea porta, qua via fit regia: Ita cautius seruandus auditus, quo maxime sit cum rationali animi parte coniunctus, & quod per eam admittitur, maxime potest vel iuuare vel lædere. *In Mor.*

Frustra clauduntur portæ ciuitatis, si vna relinquatur aperta, per quam hostes irrumpant: Ita non satis est in ceteris temperatum esse, si auditus pateat perniciosis sermonibus. *In Mor.*

Iudex in causa nihil tribuens amori, tantum rem perpendit, ac secundum eam pronunciat: At in audiendis philosophis multis lapsibus candide fauendum est. Vnde veteres iuxta Mercurij statuam gratiarum item ponere soliti sunt. *In Mor.*

Cerui, cum arrexere aures, acerrimi sunt auditus: cum remisere, surdi: Ita Principes, si quid est, quod placeat, id procul etiam percipiunt: si quid secus, quantumuis clames, non intelligunt. *P. M. in Simil.*

Themisti. multi sunt, qui obiter cupiunt lauari, pauci vero, qui diligenter sustinent vngi: Et multo plures sunt, qui multa malunt obiter audire, quam pauca funditus inquirere. *In apoph.*

Cyrilli., canes venaticos imitatur sapiens ac probus auditor huc illucque feras quærentes. Ipse enim non intellectam rem sæpe ac multum inuestigans, interrogansque tandem assequitur. *In Ioan. l. 1. c. 2.*

Theodoreti. sicut si quis odoris saporisque vinum suauissimum conuiuis suis apponat in phialis poculisque minus eleganter affabreque insculptis, nihilo secius, qui sitientes accumbunt, vino se imbuunt, neque poculorum materiam, artificiumve inspiciunt, sed vinum laudant, quod cum magna sitis voluptate exhauriūt: Itidem agant & auditores. *Ser. de Græc. rum curation.*

Vt tragœdi in theatris: ita Philosophus in scholis est audiendus, nempe ad finem vsque. *In Mor. Plut.*

Vt ad sacrum epulum, sic ad auditionem oportet placidum ac beneuolum accedere, vt bene dicta probes candide, aut si parum recte dicat, tacitus notes, quamobrem errauerit. & animi conatum certe probes. *In Mor.*

Vt œconomicis & amici prosunt & inimici, quemadmodum dixit Xenophon: Sic vigilans auditor & cordatus non solum bene dictis, verum etiam erratis aliorum fit eruditior. *In Mor.*

Quemadmodum in ijs, quæ ad tibiam canuntur, multa fallunt, ac suffugiūt auditoré errata: Ita i oratione phalerata multa inepte dicta fallunt auditorem ob phaleras, & fucos orationis. *In Mor.*

Vt multa belli inania, iuxta prouerbium: Ita & auditionis, puta supercilium, acclamatio, strepitus, & id genus alia. *In Mor.*

Vt qui ad conuiuium accessit, vtitur appositis. nec aliud requirit: Ita discentem tacite audire oportet, donec qui dicit, perorarit, tum si lubeat, vellem aliquam quæstionem proponere. *In Mor.*

Bonus conuiua non existimat hoc tantum suarum esse partium, vt suauiter accipiatur, cura sumptuque alieno: sed debet cōmodum vicissim ca hibere conuiuam: Sic auditor non tantum audit otiosus, dicente solicito: sed vultu, oculis, applausu, fauore, iuuare oportet dicentem. *In Mor.*

Vt nō impletur vas, quod semper effundit. nihil accipit: Ita non accipit sapientia, qui semper loquitur, nūquam auscultat. *In Mor.*

Non conuenit, vt in tonstrina surgens, ad speculū contempleris te ipsum, num recte sis curatus: ab oratione discedens, non expendas, num melior sis factus aut deterior ea auditione. *In Mor.*

Non sic ad audiendum est accedendum, vt velis inungi & oblini fucis, quo nitidior fias, sed gratiam habeas, si velut alueare acri fumo, sic ipse mordaci sermone purgeris animo, qui cæcutientiæ & lippitudinis est plenus. *In Mor.*

EXEMPLA.

Philoxenus poeta Dithyrambicus, cum Dionysij tyranni poemata non probaret, vtpote indocta: in lapidicinas ab eo detrusus est; deinde reuocatus illinc amicorum precibus: vbi denuo Dionysium sua carmina pronunciantem audisset, surrexit & rogatus a Dionysio, quid esset rei, respondit. satius ac potius esse in lapidicinis vitam degere, quam illius audire poemata. *P. M. in Adag.*

D. Augustinus Roma Mediolanum euocatus ad Rhetoricam docendam; Manichæorum hæresi adhuc implicatus, concionantem tamen Ambrosium episcopum solius eloquentiæ commendatione audire volui. *Theas. vita.*

D. Augustinus ante conuersionem audiens a Simpliciano sene sanctissimo, quanta constantia Victorinus rhetor Romanus eloquentissimus, iam senex publice fidem suam in ecclesia confessus esset, & baptisma suscepisset: miro desiderio eum imitādi flagrare cœpit. *Testis ipsemet lib. 8. confess. c. 4. & 6.*

Antonius eremita ex Euāgelica lectione, cui casu superuenerat, admonitus: tanquam sibi diceretur, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlis, & veni sequere me: confestim relictis omnibus in eremum se contulit. *D. Augustin l. 8. confess. c. vlt.*

Polyanthea Noua

HIEROGLYPHICA

Aegyptij sacerdotes per *auriculam Tauri pictam*, & auditum, & obsequij sedulitatem indicabant. In Tauro enim ad audiendū p:ōpiæ semper aures sunt, atque eo præsertim tempore, quo femina pruritu exagitata mugierit: qua audita Taurus, quantumlibet longe abfuerit, statim accurrit. *Pier. Val l. 1. c. 25. A.*

Arrectas auriculas cerui auditus acris significatum esse ostendit illud, quod *ὠτὶν ἐλάφου* prouerbium fertur: quod *arrectis aurib.* Maro, & *arrigere aures* Terentius interpretatur. Contra vero pro surditate *easdem demissas* pingere moris est: quia tunc cerui acutissime audiunt, cum surrectas aures protendere: cum vero eas demisere, vix primum excipiunt sonum. *Pier. Val. l. 7.*

Hominem auditu præpollentem Aegyptij hieroglyphice significare si vellent, *capram* ponere soliti sunt: quam per aures perinde atque per nares spiritum emittere prodidere vna cum Aegyptijs grauissimi auctores: quamuis reclamante Aristotele, qui humanam diligentiā id adhuc nulla deprehendisse sectione aut sensu aliquo euidentiore firmiter asseuerat. *Pier. Val l. 10.*

Plutarchus etiam ex *Leporino simulachro* auditum hieroglyphice intelligi apud Aegyptios affirmat. *Lepus* enim aures pro portione reliqui corporis maximas omnium animalium habet; auritique ideo ob excellentiam vocantur a Poetis. *Idem l. 13.*

Nec desunt, qui auditum ea quantumuis remoto loco per *Talpam* significari tradant. Liquidius siquidem audiunt Talpæ terra obrutæ, tam denso atque surdo naturæ elemento. *Idem l. 13.*

AVIS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Avis, volucris omnis quæ oua parit, pennisque decorata est, Hebr. *hoph*, volatile, volucris, omne quod volat. nomen collectiuum Genes. 1. 26. & 7. 14. a verbo *huph*, volare, celeri per aera alarum agitationem. Cognationem habet cum *iahaph*, defessus fuit, defatigatus est: aues enim continuo volatu defatigantur. Græce *ὄρνις*, & *πετεινόν*. *ὄρνις*.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Carent aues manibus pedibusque prioribus: peculiare inter cetera animalia alas possident. *l. 2. de histor. c. 12.*

Omnium maxime animalium post hominem literas proferre non nulla auium genera queunt: videlicet ea præcipue, quibus lingua latior est. *ibid.*

Volaces aues notantur, quæ vngues habent aduncos: calcarigeræ, quæ præ sua grauitate sint ad volandum ineptiores. *ibid.*

Nonnullæ aues depedes sunt, quæ ob eam rem apedes a paruitate pedum nuncupantur. Quod genus auiculæ pennis plurimum valet: sicut cetera quoque prope similia, vt pennis præualere, sic pedibus degenerare videntur: vt hirundo & falcula. *l. 1. hist. animal. cap. 1.*

Animal quod volucre tantum sit, vt piscis, natatile solummodo est, nullum nouimus. *ibid.*

Incommodi auibus anni pluuij sunt, quippe cum auium talis sit natura, vt ne bibere quidem largius possint sine detrimento. *lib. 8. de hist. animal. c. 18.*

Cum aues ægrotant, plumæ indicium proferunt: turbantur enim, nec posituram eandem seruant. quam habent, cum recte valent. *ibid.*

Paruæ aues salaces, præfœcundæque. *lib 3. de Gener. c 1.*

Nulla auis parit vnum, excepto cuculo, qui & ipse duo interdum parit. *ibid.*

In genere auium feminæ minus quam mares Venerem appetunt, quoniam vterum continent iuxta septum: mares contra salaciores sunt: quoniam testes habent intus contractos. *li. 4. de Generat. c. 5.*

ADAGIA.

Alba auis, *λευκὸς ὄρνις. pro re noua atque auspicata.*

Bonis, malis auibus, *quum rem feliciter, aut infeliciter cedere significamus ab augurum obseruatione sumptum.*

Aues ex auibus, *vir nobilis, bonus ex bonis prognatus. Ironice effertur ab Aristoph.*

Musarum aues, *non absque prouerbij specie Theocritus ita poetas appellat, quod assidue luscimarum in morem sua poemata canant.*

Meliores nancisci aues *dicuntur, quibus post res aduersas succedunt prosperiora.*

Nisi si qua vidit auis, *πλὴν εἴ τις ἄλλος ὄρνις. Prouerbialis hyperbole, de re valde occulta. Aristoph. in auibus, Nemo meum vidit Thesaurum, nisi forsan si qua auis vsquam.*

AVGVRIVM.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Augurium, Græce οἰωνοσκοπία, et οἰωνοσκοπέω auguror dicitur. Et est diuinatio ab auium garritu sumpta, sicut auspicium a motu auium. *secundum D. Tho. 2. 2. q. 96. art. 3.*

Augurium est, quod fit in consideratione malorum angelorum. *vt habetur in Decret. 26. q. 2. Quod sine.*

Augurium, quasi augerium, vel augurium, aut augariū, dicitur, q. d. auium garritus. pro quo antiquissimi etiam Augurum, trisyllabum, vel augarum dixerunt. Vide Nonium Marcell. Hebr. *Naschach* a verbo *Nischesch*, auguratus est, augurium fecit, diuinauit, ominatus est, certas coniecturas habuit. Vide Num. 23. 23. & 24. 1. & *Kesem*, generali significatione a verbo *Kasam*, diuinauit, quod modo in bonam, modo in malam partem accipitur. Tria autem apud profanos extant augurij genera. Nam auium aliæ volatu, aliæ cantu, futura prædicebant: & illæ quidem præpetes, istæ Oscines dicebantur. Erat & tertium genus ex illarum pastu, quum pullis gallinaceis è cauea depromptis esca porrigebatur. De ista Ethnicorum curiositate prolixe Alexander ab Alexandro, Budæus in Pandect. Peucerus comm. de varijs diuinationū generibus, & alij. Sumitur etiam latius Augurij nomen pro quauis diuinatione siue coniectura. Cicero 4. Philip. O mea semper frustra verissima auguria rerum futurarum.

Augur, generali voce, nec non speciali designatur ab Hebræis quęuis diuinatorem & futurorum præscium, ex auium volatu, garritu, strepitu motuque vario; ex inspectione partium corporis humani, ex creatis rebus & artificialibus varijs conijcientē, sanctis prophetis oppositum, nec ex prudenti rerum naturaliū, vel politicarum consideratione iudicantem, *Iidhoni*, id est, diuinum (Gall. *deuin*) diuinatorem nominant. Græc. προγνώστην *prognosticum*, Gall. hariolum, futurorum coniectorem & præsagum a verbo *Iadhah*, id est, nouit, cognouit, comprehendit vi mentis atq. intellectus quæ postea proferret. Hinc οἶδα, εἴδω &c. scio, conspicio: vnde δαίω, δάω, scio, cognosco: δαίμων quasi δαήμων, sapiens; εἴδω noui, & Lat. Video. Specialis designatio multiplex est, teste Peucero. Verbum *Nichesch* cognationem habet cum *Lachasch*, mussitauit, susurrauit. Augures enim, diuinatores, incantatores, harioli, atque eiusmodi impostores capitalib. digni supplicijs, siue per aues, serpentes aliave instrumenta Spiritibus immundis & Apostatis inseruiant, susurris & obscurorum verborum mussitationibus sibi suisque consultoribus & discipulis turpiter illudunt. Vide *Etymolog. Trilingue, Lugduni editum.*

BIBLICI LOCI.

Auguria damnantur. *Leuit.* 19. 26. *Deut.* 18. 10. reprehenduntur Israelitæ, quod augures audierint. 2 *Reg.* 17. 17. *&* 21. 6. *Esaiæ* 2. 6.

APOPHTHEGMATA.

Misonianus, quum expectantem & stantem equitum turmam inspiceret, in qua ipse cum Romanis militibus erat, & moræ caussam intelligeret esse, quod augur prius inspicere vellet, quid augurij capiendum esset, ab aue, quam forte in via offenderat: Misonianus aliud a se agi fingens, arcum tetendit, primaque sagitta confossam auem in terram deiecit, atque ridens ad comites conuersus dixit, Parum consilij atque opis ab irrationalibus animantis posse quemquam sperare; posteaquam pateat, ea nescire, quę ad se ipsa pertineant. Et re & verbo auguria vana esse, stultique eis credi ostendens. *Fulgos. l. 7. c. 2.*

P. Claudius bello Punico primo, cum prælium nauale committere vellet, auspiciaque more maiorum petijsset, & pullarius nō exire cauea pullos nunciasset, abijci eos in mare iussit, dicens: Quia esse nolunt, bibant. Et L. Iunius P. Claudij collega, neglectis auspicijs, classem tempestate amisit. Horum ille populi iudicio cōcidit; damnationisque hic ignominiam voluntaria morte præuenit. Valer. Maxim. lib. 1. c. 4. vbi alia exempla occurrunt.

Augustus Cæsar, quum sublimis ex Actiaca victoria reuerteretur, occurrit inter gratulantes quidam coruum tenens, doctum hæc verba sonare Aue Cæsar victor. Hac salutatione delectatus Augustus, auem sex millibus numum emit. Socius opificis, ad quē nihil ex ea liberalitate peruenerat, indicauit Cæsari eundem & alium habere coruum, quem vt auferre cogeretur, rogauit. allatus, verba quæ didicerat, expressit. Aue victor Imperator Antoni. Augustus nihil exasperatus, tantum iussit, vt munus cum delatore partiretur. *Brus. l. 2. c. 3. Macr. l. 2. c. 4. Saturn.*

Idem salutatus similiter a psittaco, & hunc emi iussit. Idem miratus in pica, & hanc mercatus est. Hoc exemplum tenuem quendam sutorem solicitauit, vt coruum instrueret ad huiusmodi salutationem. Qui quum impendio exhauriretur, subinde ad auem nō respondentem dicere solebat; Opera & impensa perijt. Tādem peruicit assiduitate, vt coruus sonaret dictatam salutationem. Ea quum Augustum prætereuntem salutasset, Cæsar, Satis, inquit, istiusmodi salutatorum habeo domi. Tum coruus, memor & illorum verborum, quæ toties audierat, subtexuit. Opera & impensa perijt. Ad hoc arridens Augustus, iussit emi, quanti nullam adhuc emerat. *Macrob. l. 2. c. 4. Saturn.*

AVLA.

DEFINIT. ET ETYMOLOG.

Aula, Atrium, Basilica, Regia, Palatium: Regum & Principum ædes excelsæ, ventis perflatiles, vt annotauit Athenæus. C. Rhodiginus lib. 7. c. 5. aulam, locum perflatilem interpretatur. Hoc nomine semper apud Homerum ὕπαιθρα, id est, subdialia intelliguntur. Aulas porro nunc pro Regum palatijs vsurpamus, quod ante loca habēt subdialia & ampla. Hebr. *Vlam*, id est, porticulus, seu vestibulum (pars pro toto) a verbo *Alam*, colligauit; quod lapides palatiorum simul colligati videantur. Idem dicitur *Bethan*, vel *Baiith*, id est, domus, nempe regia. Vide Esther c. 1. v. 5. & 7. c. 7. & 8. vers. Græc. αὐλὴ Aula regis occurrit. Genes. 45. 16. 2 Reg. 7. 9. Esth. 4. 2. Dan. 4. 26. & 5. 5.

PHILOSOPHORVM EX HISTORICORVM SENTENTIAE.

Si quis in nauis gubernatione a census æstimatione gubernatores eligat, pauperem vero, licet gubernandi peritiorem, haudquaquam admittat; quid ex hoc secuturum censes aliud quam vt male nauis ducatur? atqui eodem pacto in quouis alio principatu. *Plat. de Iusto, dial.* 8.

Exigua plane tempora homines quidem omnes valde exaltāt, rursusque humiliant, sed aulicos maxime. Reuera enim hi sunt les sunt abaculorum calculis. Isti enim secundum computantis arbitrium, modo ærei sunt, modo aurei: & aulici ad nutum regis nunc beati sunt, nunc miseri. *Polyb. lib.* 5.

Petentes a dijs aurum, vel argentum, aut imperandi alijs potestatē, aut aliud quid huiusmodi, Socrates nihil aliud petere existimabat quam si ludum aleæ, vel prælium, vel aliud quid orarent, cuius plane incertus esset exitus. *Xenoph. lib. 1. de d. & fact. Socratis.*

Illic (nempe in aulis magnatum) ad reprehendenda aliena dicta & facta ardet omnibus animus: vix satis apertum os aut lingua prompta videtur. *Sallust. ad Cæsar.*

Secretis criminationibus infamant ignarum, & (quo incautior decipiatur) palam laudatum. *Tacit. 1. histor.*

Speciem magis in amicitia Principis, quam vim retinent aulici. *Idem 3. Annal.*

Is omnia Principū honesta atque inhonesta laudare mos est. *Ibid.*

Libentius cum fortuna Principis quam cum Principe loquuntur. *Idem. Hist. lib.* 1.

Puniendi sunt rerum atrocium ministri, vbi precia scelerum adepti scelera ipsa alijs delegant. *Idem, Annal. lib.* 13.

Ita est compositus (aulicus callidus) vt ex euentu rerum aduersa abnuat, vel prospera agnoscat. *Hist. lib.* 3.

Bene Agrippa duorum admonebat virum, qui in aula saluus viuere cuperet: id est, vt difficultatem rerum ipse amoliretur & susciperet, & vt gloria summæ manus aulicis relinqueret. *Dion. lib.* 49.

Notissima vox est eius, qui in cultu regum consenuerat. Cum illū quidam interrogaret, quomodo rarissimam rem in aula consecutus esset senectutē? Iniurias (inquit) accipiendo, & gratias agendo. Sæpe adeo iniuriam vindicare non expedit, vt ne fateri quidem expediat. *Senec. lib. 2. de ira, c.* 34.

AVLAE GRAPHICA DELINEATIO.

Cum quidam ex Dionysij Syracusanorum tyranni assentatoribus Damocles commemoraret in sermone copias eius, opes, maiestatem, dominatus, rerum abundantiam, magnificentiam ędium regiarum, atque beatiorem alium vnquam fuisse negaret: Visne igitur, inquit, ô Damocles, quoniam hæc te vita delectat, ipse eādem degustare, & fortunam experiri meam? Cum ille se cupere dixisset, collocari iussit hominem in aureo lecto, strato pulcherrimo, textili stragulo, magnificis operibus picto, abacosque cōplures ornauit argento auroque cęlato. Tum ad mēsam eximia forma pueros delectos iussit consistere, eosque ad nutum illius intuentes diligenter ministrare. Aderant vnguenta, coronæ: incendebantur odores, mensæ conquisitissimis epulis extruebantur. Fortunatissimus sibi Damocles videbatur. In hoc medio apparatu fulgentem eosem e lacunari seta equina appensum demitti iussit, vt impenderet beati illius ceruicibus: itaque nec pulchros illos administratores adspiciebat, nec plenum artis argētum, nec manum porrigebat in mensam, iam ipsæ defluebāt coronæ: denique exorauit Tyrannum, vt abire liceret, quod iam beatus nollet esse. *Cic. lib. 5. quæst. Tuscul.*

Pingatur Vestibulum sublime atque inauratum, neque id humi situm & in solo, verum procul a terra in edito collis fastigio: præterea inaccessum ferme & abruptum lubricoque aditu:

ita

ita vt plerunque qui se iam ad summum vsque verticẽ penetrasse sperant, lapso pede præcipitati frangant ceruicem. Intus autẽ *Opulentia* sedeat, tota (sicuti videtur) aurea, maiorem in modum formosa atque amabilis. Porro amator vbi vix tandẽ cõscẽdit, iamque ad fores accesserit, obstupescat, oculis in aurum defixis: deinde *Spes*, quæ & ipsa specioso vultu est, ac versicolorib. amicta, manu prehensa introducat, mire iam ipso ingressu attonitum. Atque ab eo quidem tempore spes vsque illum antecedat, ducatque, tum aliæ mulieres illum excipiẽtes, puta *Fallacia Seruitusq;*, tradat Labori: At is miserum peoitus defatigatum tandẽ *Senecto* tradat iam morbidum, coloreque commutato. Postremo *Contumelia* arreptum illum ad *Desperationem* pertrahat. Ex hinc quidem tempore *Spes* auolans euanescat. Tum ille non per aureum illud atrium, per quod ingressus fuerat, sed per posticum quoddam & occultum exitum extrudatur nudus, ventricosus, pallidus, senex, læua quidem pudorem occultans, dextra vero seipsum strangulans. Occurrat autem exeunti *Pœnitudo*, frustra lachrymans, & miserum bis etiam conficiens. Atque hic quidẽ esto picturæ finis. *Lucian. de mercede conductis.*

POETICÆ SENTENTIAE.

Horatius, lib. 2. Carm. Od. 10.

Auream quisquis mediocritatem
Diligit, tutus caret obsoleti
Sordibus tecti, caret inuidenda
Sobrius Aula.

Ouid. Trist. lib. 3. Eleg. 4.

Vsibus edocto, si quidquam credis amico,
Viue tibi & longe nomina magna fuge.
Viue tibi quantumque potes prælustria vita.
Sæuum prælustri fulmen ab Arce venit.

Seneca in Agamemnone.

—— Iura, pudorque
Et coniugij sancta fides.
Fugiunt Aulas.

In Hippolyto.

Fraus sublimi regnat in Aula.

In Hercule Oeteo.

Tu quicunque es, qui sceptra tenes,
Licet omne tua vulgus in Aula
Centum pariter limina pulset,
Cum tot populis stipatus eas,
In tot populis vix vna fides.

In Thyeste.

Stet, quicunque volet, potens
Aulæ culmine lubrico:
Me dulcis saturet quies,
Obscuro positus loco,
Leni perfruar otio.

Lucanus lib. 8.

—— exeat Aula
Qui volet esse pius: virtus & summa potestas
Non coeunt.

Martialis Epigram. lib. 9.

Nemo suos (hæc est Aulæ natura potentis)
Sed Domini mores Cæsareanus habet.

Ausonius in Epigramm.

Fortunam reuerenter habe, quicunque repente
Diues ab exili progrediere loco.

APOPHTHEGMATA.

Diogenes, Calisthenem quum quispiam, audiente Diogene Cynico, beatum dixisset, quod Alexandri aulicus esset: At, inquit Diogenes, infelix est, qui cum prandet ac cœnat, cum Alexandro videtur. *Brus. l. 1. c. 5.*

Dionysius, quum Polyxenus Dialecticus Dionysio diceret; Ego te conuinco: nimirum verbis, inquit: at ego te reipsa conuinco, qui tuis relictis, me meaque colas. Significans, illum a schola ad aulam, a philosophis ad tyrannum transisse: non facturum nisi hanc vitam illa iudicasset beatiorem. *Plut. in apoph.*

Omnibus iudicabat ad regni administrationem potius admittẽdum eum, qui per se malus bonos haberet aulicos amicos: quam bonum principem malos aulicos habentem. Putans facilius vnum malum a multis bonis, quam malos innumeros ab vnico bono, a malitia ac erroribus perniciosis auerti posse. *Ful. 7. c. 2.*

Agrippa rerum gestarum gloria sub Octauiano Augusto imprimis clarus, sæpe cohortabatur eos, si salui & incolumes esse vellet, darent operam, vt principes liberarentur omnium rerum difficultate & molestia: sed tamen eis rerum gloriam reseruarent, nequaquam sibi. *Xiphilinus, Dionis abbreuiator, in Augusto.*

Constantinus Romanorum Imperator, cum principum aulas vbiq; spadonum atque aulicorum improbitate refertas videret, eorũ non tantum vehemens domitor fuit, sed tineas etiam atque sorices palatij appellare solitus est. *Niceph. interpres & scholiastes l. 8. c. 14. eccles. histor.*

Polyanthea Noua.

Alexander Seuerus negabat se passurum, vt ipsius dispositiones ab aulicis venderentur: id quod fieri solet ab aliorum principum libertis & eunuchis. Eoque nunquam illum fefellit, quod proposuerat. *Ælius Lampridius in Al. Seuero.*

Idem, & vrbem, & prouincias, & aulam suam purgauit hominibus non necessarijs, dicens: Malum pupillum esse Imperatorem, qui ex visceribus prouincialium homines non necessarios, nec Reipublicæ vtiles aleret. *Ibid.*

Aulicus quidam iniuriarum Palatinarum patientissimus, cũ a quodam rogaretur, quomodo rarissimam rem in aula consequutus esset? Iniurias, inquit, accipiedo, & gratias agendo. *Brus. l. 1. cap. 5.*

Sigismundus Imp. Reges ac principes in terris beatos esse aitbat, si exclusis superbis, mansuetudinis humanitatisque cultores in curiam asciscereot. *Æneas Syluius l. 2. commentariorum de rebus gestis Alphonsi.*

Syluester Episcop. aulicos, qui ocij gratia curiam sequerentur, semper in negocio futuros aiebat, nisi se tandem vel cum periculo capitis inde amouerent. Innuit autem, quam difficulter ab aula diuelli possint, qui nihil aliud quam ocium & luxum sectantur. *Æneas Syluius lib. eod.*

Alphonsus rex, quom ea Sicilia nauigaret, vidit aues triremem circumuolantes, & bolos a nauigantibus proiectos statim abripiẽtes ac auolantes. Has cum amicis secum nauigantibus digito ostendisset. Persimiles sunt his garrijs, inquit, aulici aliquot mei, qui simulac concertantes beneficium a me accipiunt, statim aufugiunt. Notauit autem aulicorum fere omnium mores, qui fidos se seruos principibus præstant, dum prædam, luxum, munera, &c. hiantes expectant: & vnti compotes facti a principis conspectu ad priuatos fugiunt. *Pan. rm. l. 1. de reb. Alphonso gestis.*

Æneas Syluius eos sibi aulicos plurimum sapere videri dicere solebat, qui accepto aliquo beneficio, vel mediocri, curiæ valedicerent. Ostendunt enim animum suum expletum esse & periculo se subtrahunt, in quod curiales frequenter incidunt: qui veluti sues, vbi saginati sunt, in cœnam domini mactantur. Ceterum, qui opes adepti magnas, apud reges perseuerant, non quidem id agunt, vt gratias referant, sed vt multo ditiores principum liberalitate ac munificentia reddantur. *Æneas Syluius l. 1. comment. de rebus gestis Alphonsi.*

SIMILITVDINES.

Poggij Florentini. Illos qui astant principibus, qui latus circumdant, qui aures occupant, qui vẽdunt, aliqua ex parte dixerim forsan felices, cum hi soli laborum principum fructus percipiant. Ad hos enim solicitudo, curæ, timores, anxietates, pericula descendunt: illi quæstui vacant, & voluptatibus, ad contrahendas opes, & diuitias intenti & tanquam muscæ ad mel aduolant: ita isti ad explendas varias cupiditates, ad aulas regum ac principum concurrunt. Rari hominem, plurima fortuna sequuntur. Felices itaque videtur ac beatos alios reddere, qui ipse præ ceteris est infelix. Nam si qua iucunditas, si qua oblectatio, si qua quies, si qua voluptas, si qua remissio inest principatui, eam alij discerpunt maxime, qui sunt principibus grati. Quicquid vero laborum, molestiarum, dolorum, angoris, principatus affert, id soli principibus hæret: voluptates ratæ, & quæ etiam ab animis curarũ mole depressis minime degustentur. *In disputat. de infelicit. princ. fol. 392.*

Formicis, inquit Cos. de Medicis, vt aiunt, similes esse principes dicis, quæ suo labore aurum ex arena effodientes alijs percipiendum atque vtendum tradunt, ipsæ omni vsufructuque auri destitutæ. Ridiculum quippe videtur, eos, qui imperant, infelices: qui vero seruiunt, felices putare: equidem si mihi detur optio, mallem illo pacto infelix, quam bos (vt putas) felix esse. Nam si qua est in nobis felicitas, ea magis principum quam reliquorum videtur familiaris. *In disputatione de infelicit. Princ.*

Poggij Florentini.

Quemadmodum Luna quo propior est Soli, hoc minus habet luminis: ita plus fructus ac dignitatis est ijs, qui procul absunt a magnis principibus. *Plin.*

Est apud Indos herba quædam præcipui odoris, referta minutis serpentibus, quarum ictu protinus moriendum sit: Ita habet oc principum quorundam aulæ, quod allectet, sed occultant lethale venenum, ni caueas. *Plin.*

Apud eosdem est spina, cuius succus inspersus oculis cæcitatem adfert omnibus; magis autem excæcat homines, si quid aspergas de puluere auri in oculos. *Plin.*

Sunt arbores aliquot, quæ post solstitium inuertunt sua folia, vt vlmus, tilia, olea, populus alba, salix: ita vulgus procerum. simulatque princeps vitæ genus in diuersum commutarit, vertunt & ipsi vultum, cultum, orationem & omnia. *Idem.*

Formicæ triticum arrodunt ea parte, qua germinare incipit, ne sibi reddatur inutile: Sic potẽtes, quo ministris perpetuo vtãtur, premunt, ne si emerserint, tædio seruitutis relinquãt aulã. *Idem.*

Vt halcyones videre rarissimum est, sed quoties apparent, tranquilli-

quillitatem vel faciunt, vel denunciant: Ita Abbates & episcopi raro deberent prodire in principum aulas, sed rerum motus, & bellorum tempestates auctoritate sua componere. *P.M.*

Gracea leguminis genus est adeo gratum columbis, vt ea semel gustata, ne gentillos postea ab eo loco profugere: Ita qui semel aulæ mel & honorem degustarint, nunquam ab aula possunt auelli. *Plin. l. 16. c. 16.*

Mulus ex equo & asina conflatus, nec equus est, nec asinus: Ita quidam dum & aulici esse volũt, & Ecclesiastici, neutrũ sunt. *P.M.*

Indicæ testudines, meridiano tempore blandiente, gaudent toto dorso per tranquilla fluitare, donec oblitis sui solis vapore siccetur cortex, vt mergi nequeant, iamque inuitæ natẽt opportunæ venãtium prædæ: Ita quidam spe magnarum rerum allecti, in principum aulas sese conijciunt, & adeo delmiuntur aulæ delicijs, donec imprudentes eo redigantur, vt non possint, etiamsi velint, in suum ocium sese recipere. *Plin. l. 9. c. 10.*

Vt Heliotropium ac lupinum circumaguntur cum sole, & quocũque se mouerit ille, eodem deflectunt & hæc cacumen: Ita proceres aulici, quocumque regis ingenium vergit, eo propendẽt omnes. *Plin. l. 18. c. 24. & 27. eod l. 1.*

P.M. Crocodilus anceps animal, nunc in terris agit, nunc in aquis; in terra ponit oua, in aqua prædatur & insidiatur: Ita quidã simul & aulici sunt, & ecclesiastici, vtrobique pestilẽtes. *In simil.*

Antonij Monachi: quemadmodum qui valde febricitant, appetitum & robur amittunt: Sic qui principum aulas inhabitant, mẽtem & bonos mores perdere solent, nisi frequenter animo repetãt hoc dictum: Nosce teipsum: *Serm. 59. sententiarum siue locorum communium.*

Profana Exempla.

Aulicos variis casibus ac mutationibus esse obnoxios.

Martius sub Commodo fuit vitæ sordidæ, & prostibulum appellatus, gladiator, venator, tabellioque. Sub Seuero remotus ab officijs, etiam miserrimus: & relegatus in Aphricam, vbi lectioni operam dedit, & declamauit, vt infamiam damnationis tegeret. Sub Antonino vero Aduocatus fisci factus, patrocinante sibi Festo liberto, inde præfectus prætorij, ablegato collega, Antoninum Caracallam Imperatorem suum dolo interime curauit, & sic imperium inuasit. *Cuspia.*

Ablabius humili genere ortus, ad dignitatem prætorio præfecti sub Constantino Magno euectus, tanquam pila quædam & ludus fortunę, plus Imperatore posse visus est: At mortuo Constãtino, Cæsar Constantinus imperium adeptus, ac sortem cuique fratrum suam partitus, obtinuit quicquid ab Illyrico ad Nisibin vsque extenditur: mox Ablabium imperio exuit, aliosque administratores surrogauit. *Eutropius.*

Theodosius Magnus Ruffinum multis honoribus extulit, imprimis vero cum Arcadio Augusto filio in insequentem annum consulem declarauit, licet Promoti magistri militiæ clariss. nece vulgo infamem: quem iussu Theodosii in Thraciam contendentem, per barbaros quosdam in insidijs constitutos dicebatur interfecisse *Sidon l. 9.*

Petrus Vinea Campanus obscuro natus loco, sed doctrina atque eloquentia, quantum ætas illa tulit, insignis, Federici II. Imperat. arcanorum omnium particeps ac moderator. Ceterum per inuidiam, quæ in aula & oritur, & nutrimenta habet, atque virtutis perpetua est insectatrix, in suspicionem adductus, tanquam cum Pontifice Alexandro III. sentiret (quo cum Federicus bellum gerebat) luminibus est priuatus. Cuius rei impatiens, atque ob id in furorem conuersus, ad sanctum Miniatum, quod Etruriæ oppidum est, sibi ipsi mortem consciuit. *Fulgos. libro 6. cap. 11.*

Emblema.

In aulicos.

Emblema LXXXVI. And. Alciati.

Vana Palatinos, quos educat aula clientes,
Dicitur auratis nectere compedibus.

Scriptores.

De re aulica *August. Niphi. Dialog. Hutteni.* De patientia aulica *Cæl. Calcagnini.* Aulicorum officia *Brusonius lib. 5.* De curialium statu *Aeneas Syluius Epist. la 42.* De miserijs curialium *Eiusdem epistol. 166.* Extat etiam libellus, in quo plures auctores cum hac Aeneæ Syluij epistola coniuncti habentur, qui de hac materia scripserunt. *Iac. Pont. Dialog. volum. 1. progymnasmate 86. pag. 369.* Qui aulici varijs sint casibus agitati, *Vide Theatrum vitæ humanæ lib. 1. vol. 22.*

A V R V M.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Aurum vero ab aura dicitur, hoc est, a splendore. Aura enim pro splendore aliquando sumitur.

Aurum, Hebr. *Zahab*, a colore flauo seu fuluo dictum. Verbum *Tsahab* signific. flauus seu fuluus fuit. Vide Etymolog. trilingue Lugdun. pag. 103. 104. 105. &c. Vbi multa obseruatu digna de auro explicantur.

Horatius:

Tua ne retardet
Aura maritos.

Aurea vero est præmium essentiale respondens charitati. *secund. D. Thom. 4. sent. dist. 40. q. 5. art. 1.*

Hippocrates aurum ab authore vel inuentore dictum affirmat, qui *aurus* vocatus sit. *Plin. l. 7. naturalis historiæ*, scribit, aurum dictum ab *ὁρεῖν*, id est, accumulare, vel custodire, quia scilicet præcipue custodiatur. Græce *Χρυσός*.

Pecuniam a Cadmo Phœnice apud Pangæum montem inuẽtam esse, *Polydor. Virg. l. 2. c. 19. asserit.*

Loci Biblici.

Aurum vbi nascatur, *Gen. c. 2. 11.* abundat Ierosolymis tempore Salomonis, *2. Paral. c. 1. 15.* ex Ophir Salomoni affertur, 8. 18. quantitas eius, 9. 13.

Poeticae Sententiae.

Balbus Poeta.

Aurum cuncta monet, superi flectuntur ab auro,
Gaudeat & aurato Iupiter ipse thoro.
Templa nitent auro, radiantque altaribus aurum:
Aurea certa fides, perpetuumque decus.
Aurum pace iuuat, nec bello spernitur aurum,
Aurum pugnaces mittit in arma viros.
Auro Romulei redimunt Capitolia patres:
Parent victa auro sidera, terra fretum.
Numina quid colimus? procul hinc cum Pallade Iuno:
Mars procul, & nitida casta Diana coma.
Sola habites omni diuina pecunia templo,
Et cadat ante tuos victima larga foces.
Aurum quisquis habet, superos mercatur & astra,
Captiuosque tenet sub ditione Deos.

Idem.

Aurum bella gerit, mucronibus imperat aurum,
Aurum venenis vela dat aequoribus.
Euertitque vrbes, & mœnia diruit aurum,
Delet & extructas oppida celsa rogis.
Tolle aurum, nulla vitiantur in orbe puellæ:
Tolle aurum, nullus peccat in orbe puer.
Aurum igitur si quis nostris Sine maxime donet,
Caementis nostris aurea vena foret.

Eccles. cap. 10.

Perdidit innumeras vis atque iniuria gentes,
Atque auri rabies non moderata sitis.
Detestabilius nil terra creauit auaro,
Et nimio lucri peius amore nihil.
Munera diuendit precio dulcissima vitæ,
Exiguo in quæstu sua bona cuncta putat.

Horat. lib. 3. Carm.

Ode 3.

Aurum irrepertum & sic melius situm
Quum terra celat spernere fortior,
Quam cogere humanos in vsus,
Omne sacrum rapiente dextra.

Ode 16. eiusd. lib.

Aurum per medios ire satellites,
Et perrumpere amat saxa, potentius
Ictu fulmineo.

Ode 24.

——— aurum & inutile,
Summi materiem mali.
Mittamus.

Epist. 1. ep. 1.

Vilius argentum est auro, virtutibus aurum.

Virg. lib. 3. Aen.

Fas omne abrumpit: Polydorum obtruncat, & auro
Vi potitur. Quid non mortalia pectora cogis
Auri sacra fames?

Ouidius Metamorph. lib. 1.

fab. 4.

Effodiuntur opes, irritamenta malorum.
Iamque nocens ferrum, ferroque nocentius aurum

Prodit.

Prodieras prodis bellum quod pugnat vtroque.

Idem Fast. 1.

Melius nunc omnem in auro est.

Horat. epist. lib. 1. epist. 1.

Vilius argentum est auro virtutibus aurum.
O ciues ciues: quarenda pecunia primum,
Virtus post nummos. Hæc Ianus summus ab imo
Perdocet.

Ex 2. Serm. sat. 3.

Omnis enim res,
Virtus, fama, decus, diuina humanaq; pulchris
Diuitijs parent: quas qui construxerit, ille
Clarus erit fortis, iustus, sapiens, etiam & rex,
Et quid quid volet.

Ex epistolis.

Non domus & fundus, non æris aceruus & auri
Ægroto domini deduxit corpore febres,
Non animo curas.

Ex Tibullo.

Sæpe solent auro multa subesse mala.

Ex Propertio.

Aurum omnes victa iam pietate colunt
Auro pulsa fides, auro venalia iura,
Aurum lex sequitur, mox sine lege pudor.

Aurum ex Iacobo Philomuso.

Aurum destructor vitæ princepsque malorum:
O quam difficiles nectis vbique dolos.
O vtinam natum nunquam mortalibus esses,
Diuitiasuppeditas quæ nocumenta nisi.
Te propter pugnæ fiunt, & bella mouentur.
Ad prædam & cædes corpora nostra trahis.
Tu facis ingratus patrem quod filius odit:
Inter & agnatos iurgia sæpe moues.
Prosternis gentes, & totum destruis orbem.
Nulla fides homini te duce stare potest
Fœdera tu regum, tu falsos iungis amicos:
Imperio seruit, & genus omne tuo,
Scrutamur montes, atq; ima viscera terræ.
Nec tutum poteris subter habere locum.
Felix ille tamen modico qui viuit in agro,
Vincula nam mortis hunc leuiora manent.
Et linquis post si nullas in funere lites.
Dat mentem superis, ossaque condit humo.

Recte ab Hesiodo τὴν ἀφροδίτην χρυσῆν esse appellatam auream.

Hesiodus pulchre quod sit Venus aurea lusit.
Et pater omnis quod rectius esse potest.
Nunc auro solo quia conciliantur amores.
Neque puto turpe est fœnore dicta Venus,
Senserat hoc magnus siquidem Saturnius olim.
Quam Deus humano captus amore fuit.
Atque per impluuium tectis delapsus auratis
Impleuit Danaes virginis imbre sinus.
Huius ad exemplum, quoq; nunc, dum munera mittes,
Tantisper dominæ gratus amator erit.
At nihil attuleris cum pauper, sæpe reclusas
(Est opus infelix, excubat ante fores.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Imus in viscera terræ, & in sede manium opes quærimus: illa nos premunt, illa nos ad inferos agunt, quæ occultauit atq; demersit illa, quæ non nascuntur. vt repente mens ad inane euolans reputet, quis deinde futurus finis est sæculis exhauriendi, ea quousque penetret auaritia? Quam innocens, quam beata, imo vero & delicata esset vita, si nihil aliud de ea, nisi quid supra terras concupisceret, haberetque non nisi quid secum est? Vtinam autem, vt è vita in totum abdicari aurũ sacra fames, vt celeberrimi authores dixere proscissum cõuitijs ab optimis quibusque & ad vitæ perniciem repertum, quãtum feliciore æuo, cum res ipsæ permutabantur inter se: sicut & Troianis temporibus factitatum Homero credimus, &c. *Plin. l. 33. c. 1.*

APOPHTHEGMATA.

Chilo Lacedæmonius dicebat, quod Lydius lapis est auri, id aurum esse hominum. Lapis enim aurum, aurũ etiam hominis ingenium prodit.

Physicus, quidam interrogauit Diogenem, cur aurum palleret? Quoniam, inquit, plurimos habet sibi insidiãtes: Pallent autem qui metuunt.

Philippus Macedo, quum arcem capere destinasset, idque impossibile esse intellexisset: percontatus est, num vsque adeo difficile esset, vt asinus auro onustus posset accedere, significans, nihil esse tam munitum, quod auro non expugnetur.

Idem, quod plura dando perfecisset, quam bellando: iactatum est lo illum: non Philippum, sed Philippi aurum subegisse Græciam.

Fabricius Epirotarum legato magnam auri vi dono offerenti recusauit accipere, dicens, se malle aurum habentibus imperare, quam aurum habere.

ADAGIA.

Aureos montes polliceri. *Terent. in Phorm.*
Is senem per epistolam pellexit, modo non montes auri pollicens,
Maria montesque polliceri cœpit.

Consule locum de Diuitijs, & Pecunia.

AVTHORITAS.

DEFINIT N. ET ETYMOLOG.

Authoritas sine c & cum th scribi debet, Græce enim dicitur αὐθεντία, αἰτί. Sic & author scribunt, quem Græci αὐθέντην dicunt, & αὐθέντημα, authoramentum, nec non αὐθεντεῖν authorare, & αὐθεντικόν, authoratũ, quod aliqui more Græco authenticum dicunt.

Dicitur & Græc. τὸ κῦρος, ἡ πίστις, τὸ ἀξίωμα, τὸ ἀξιωματικόν. Hebr. *Iecholeth à Iachol*, potuit, potens fuit præualuit robore. Et *Sibelton*, Eccles. 8. v. 4. 8. a verbo *Shalat*, potestatem habuit, potestatem exercuit, dominatus est.

Authoritas autem est grauitas & eminentia quædam, vitæ probitate, scientia, meritis, potẽtia vel honoribus parta, cuius gratia cuiuspiam dictis factisque plurimum deferimus.

SENTENTIAE POETICAE.

Homerus 1. Iliad.

ἀντίον πολλῶν λαῶν ἐστὶν ἀνὴρ ὅν τε Ζεὺς κῆρι φιλήσῃ, id est.
Pro multis populis est vir, quem Iupiter corde amat.

Euripides, verba Hecubæ ad Vlyssem.

Τὸ δ' ἀξίωμα, κἂν κακῶς λέγῃ τὸ σὸν
Πείσει. λόγος γὰρ ἔκ τ' ἀδοξούντων ἰὼν,
Κἂν τῶν δοκούντων αὐτὸς, οὐ ταυτὸν σθένει. id est.
Authoritas tuis, & si male dicat, tua.
Persuadebit. Nam ab inexistimatis proficiscens oratio,
Et ab existimatis eadem, haudquaquam tantumdem valet.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Apex autem est senectutis authoritas. *Cic. l. de Sen.*

Habet senectus honorata præsertim, tantam authoritatem, vt ea pluris sit, quam omnes adolescentiæ voluptates. *Idem.*

Non cani, non rugæ repente authoritatem afferre possunt, sed honeste acta superior ætas fructus capit auctoritatis extremos. *Ibidem.*

Hæc enim ipsa sunt honorabilia, quæ videntur leuia atque communia, salutari, appeti, decedi, assurgi, deduci, consuli, quę etiam apud nos, & in alijs ciuitatibus, vt quæque optime morata sunt, ita diligentissime obseruantur. *Idem.*

APOPHTHEGMATA.

Pericles à populo frequenter vocatus, ἀσύντακτός εἰμι, inquit, sentiens se non esse cogendum in ordinem, nec pro quolibet è media plebe habendum. *Plut. in Græc. apop.*

Idem, quum in concionibus accusaretur ob res male gestas, grauiter respondit, scilicet, mihi quidem vos irascimini, ei viro, qui nemini vestrum cedo vel peritia rerum, vel elocutione intellectorũ, vel amore patriæ, vel pecuniæ despicientia. Non crimen modo arrogantiæ, vanitatis, ambitionis effugit tũc, magnifice de se loquendo: sed & altitudinem animi, & virtutis declarauit magnitudinem, eo ipso inuidiam opprimentis, quod deijci se & frangi non est passa, *Plut. lib. Quaratione quis citra inuidiam se ipsum laudare possit.*

Pelopidam a principibus Reipublicæ accusatum, quod ex acto Bœotarchiæ tempore non statim domum redijsset sed bellum feliciter continuasset, submittentem se & deprecantem Thebani ęgre absoluerunt. At contra *Epaminondam*, qui eius tum fuerat collega, multa de rebus suis gestis magnifice prædicantem ac dicentem: Paratus sum mori, si fateri velitis, ò ciues, me vobis inuitis Laconiam vastasse, Messenem instaurasse, & Arcades in vnum corpus conduxisse: non sustinuerunt ijdem ire in suffragia sed admiratione viri gaudio simul risuque oborto discesserunt. *Plut. eod. lib.*

Scipio Africanus Romani ęgre tulerunt Ciceronem crebro res suas contra Catilinam gestas prædicantem: ijdem tamen Scipionem dicentem: Non debetis vos sententiam de Scipione ferre, qui vobis potestatem decernendi de omnibus hominibus paraui, cuio-

coronati in Capitolium deduxerunt, sacrificioque eius interfuerunt. *Plutarc.*

Lycurgus Atheniens. quum ei publice exprobaretur, quod argento dato calumniatorem placasset. & qualis tandem, inquit, vobis videor ciuis: qui apud vos tanto tempore rem gerens publicam, dare potius quam accipere iniuste deprehensus sim? *Plutarc.*

M. Scaurus, pro rostris accusatus, quod à Regem Mithridate ad prodendam Remp. pecuniam accepisset, ita causam suam egit: Iniquum est, Quirites, quom inter alios me rationem vitæ reddere. Sed tamen audebo vos interrogare. Varius Sucronensis ait, M. Aemilium Scaurū mercede corruptum, populum prodidisse: A. AEmilius Scaurus huic culpę se affinem esse negat: veri credidis? Nominato tantum auctore & reo, populus accusationem repulit. *P. M. l. 6. apoph. ex Plin. c. 72. de viri illustrib.*

Cato Vticensis in forum veniens cum Thermo, ac conspicatus Castoris templum armatis occupatum, omnesque fori aditus à gladiatoribus obsideri, ipsumque Metellum vna cum Cæsare: ò timidum, inquit, hominem, qui aduersus vnum tantam armauit multitudinem. *Plut. in eius vita.*

Augustus indigne ferebat, aliquid de se componi nisi serio & à prę stantissimis: admonebatque prætores, ne paterentur nomen suū commissionibus mimorum aut histrionum obsolesieri: hac quidem in parte Alexandrum Magnum referens. Decet enim vbique principis authoritatem sartam tectam præstare. *P. M. lib. 4. apoph. ex Sueton.*

Idem. cum iuuenes nobiles ac dignitate claros se tumultuātes vellet compescere, nec auscultarent illi, sed tumultuari pergerent. Audite, inquit, iuuenes senem, quem iuuenem senes audierunt. Augustus enim adolescens ad Rempub. admotus est, summaque fuit authoritate: hac sola voce illos coercuit, nec aliud supplicium ob concitatum tumultum exegit. *Plut. Rom. apoph.*

Cicero Metello obijcienti, plures ipso testimonium contra eos dicente damnatos, quam defendente absolutos esse: Quis vero, inquit, non hoc dicit, plus in me fidei esse, quam eloquentię? *Plut.*

Seuerus Imp. quum milites Bassianum Seueri filium (qui post Antoninus Caracalla dictus est) Augustum consalutassent, eo quod pater pedibus æger bellum moraretur: iussit se differri ad tribunal, simulque adesse omnes tribunos, centuriones, duces, & cohortes, quibus authoribus hoc acciderat, sisti deinde & filium, qui Augusti nomen non recusarat. Hic cum in omnes eius facti authores iussisset animaduerti, excepto filio, omnesque ante tribunal prostrati rogarent veniam: Seuerus manu caput contingens: Tandem (inquit) sentitis caput imperare, non pedes. *Aelian Spart.*

SIMILITVDO.

Augustini. sicut in ipsa rerum natura maior est authoritas vnius ad vnum omnia redigentis nec in genere humano multitudinis vlla potentia est, nisi consentientis, idest, vnum sentientis. Ita in religione, qui ad vnum vocant, eorum maior & fidei dignior esse debet authoritas. *De vera religione.*

Vide supra, acceptio personarum.

AVXILIVM.

DEFINIT. ET ETYMOLOG.

AVxilium, Græce *βοήθεια, & ασιλ βοηθέω* auxilior dicitor, Hebr. *hezer*, adiutorium, adiuuamen firmum, auxilium. a verbo *hazar*, iuuit, adiuuit, auxiliatus est, adiumento fuit, opitulatus est. Cognationem habet cum *hazar* firmus fuit, & zeroha dicitur brachium: nam in brachiis est potentia, & fortitudo auxilij.

SENTENTIAE POETICAE.

Menander.
ἀνὴρ γὰρ ἄνδρα καὶ πόλις σώζει πόλιν.
Vir enim virum, & ciuitas saluat ciuitatem.
Χεὶρ χεῖρα νίπτει καὶ δάκτυλος τὸ δάκτυλον.
Manus manum lauat, & digitus digitum.

Ouid. 4. Met.
Ad opem breuis hora ferenda est.

2. Pont. 6.
Nec pigeat mento supposuisse manum.
Brachia da lasso potius prendenda natanti,

Virg. 2. Aen.
Iupiter omnipotens precibus si flecteris vllis,
Adspice nos, hoc tantum: & si pietate meremur,
Da deinde auxilium pater, atque hæc omina firma.

Virg. 1. Aen.
Ad te confugio, supplex tua numina posco.

Virg. 2. Aen.
Quod te per superos, & conscia numina veri,
Per, si qua est quæ restat adhuc mortalibus vsquam
Intemerata fides, oro, miserere laborum
Tantorum, miserere animi non digna ferentis.

Ouid. Epist. 1.
Victa precor, genibusque tuis regalia tende
Brachia.

2. Trist. 4.
Quo magis ô pauci rebus succurrite lasis,
Et date naufragio littora tuta meo.

SIMILITVDINES.

Plutarchi. in tempestate qui confugiunt sub arborem, serenitate facta, ramos illius vellunt fugientes: Sic in rebus afflictis vtimur præsidio quorundam, quos eosdem per inuidiam affligimus in rebus prosperis. *In Moral.*

ADAGIA.

Lunæ radijs non maturescit botrus. *μέλας γὰρ αὐτοῖς ἀντὶ σοῦ ὁ πεπαίνεται βότρυς.*
Neque enim hic niger maturus efficitur botrus. Conuenit in eos, qui conantur, quod ob defectum virium non queunt perficere.

Per fluuium traducere. *διαβιβάζειν τὸν ποταμόν.*
Dicebantur, qui difficultatem explicabant rei, quam ineruditiores & inualidiores explicare non poterant.

Sacer manipulus, *ἱερὸς λόχος.*
Olim dicebatur, quemadmodum dicimus: Sacram ancoram iaciendam, aut rem ad triarios rediisse.

Coriaceum auxilium. *σκυτίνη ἐπικουρία.*
Apud Atticos, infirmum & imbecille dicebatur.

Ficulneum auxilium. *συκίνη ἐπικουρία.*
Pro inualido atque inutili.

Multæ manus onus leuius reddunt.
Significat, difficilia facile confici, si quis non ipse solus negotium aggrediatur sed in plures adiutores & auxiliares manus partiatur. Viel Hande machen leichte Arbeit. Itē: Hulff thut v vollsie isset aber Brott.

Re opitulandum, non verbis.
Quum re opus est, nil prosunt verba. Homer Iliad. μ.
Ἐν γὰρ χερσὶ τέλος πολέμου, ἐπέων δ' ἐνὶ βουλῇ.
Verbum in concilio valet, in certamine robur.

Si Deus voluerit.
De re futura, cuius exitus pendeat a Dei fauore. Atque ita nos loqui Iacobus Apostolus docet, c. 4. vers. 15 Epistolæ sua.

Meis auspicijs.
Meis auspicijs, pro meo arbitrio, meisque præsidijs, dixit Maro, Æn. 4.

Porrigere manus.
Porrigere manus pro auxilio esse, vulgatissimum est, sed elegans.

Sine canibus & retibus. *ἄνευ κυνῶν καὶ λίνων Pindarus.*
Dicitur iacos, qui non alienis præsidijs sed proprio marte rem gerunt.

Summa vi defendere.
Si quis alterum summa vi tu bitur, quadrabit illud Homer. Iliad. ε.
Πρόσθε δέ οἱ σάκος εἶχε πάντοσε ἐΐσην.
Vndique texit eum lancea clypeoque rotundo.

Tanquam heros in clypeo excipere. *ἀλλ' ὥσπερ ἥρως ἐν ἀσπίδι ξενίσαι βέλεμνα.*
Dici solitum, vbi quis suis ipsius viribus ac benefactis fretus, de amicis bene mereri conatur.

Frater viro adsit. *ἀδελφὸς ἀνδρὶ παρείη.*
De fido auxilio dici solitum, propterea, quod in rebus periculosis vix vnquam frater solet fratri deesse.

Sine ope diuina nihil valemus.
Manca est omnium mortalium industria, omnisque conatus, nisi fauor aspiret diuinus. Ad id accommodabitur illud Homeri Odyss. γ.
Πάντες δὲ θεῶν χατέουσ' ἄνθρωποι.
Mortalis diuum auxilium desiderat omnis.

Ne gladium tollas mulier. *μὴ ἀνέχειρε μαχαίραν θῆλυ.*
Id est: Ne suscipias negotij molem cum nequeas auxiliari.

Non absque Theseo. *οὐκ ἄνευ Θησέως.*
Quum significamus rem alieno auxilio confici. Aut cum significamus rerum omnium communitatem ac societatem.

Duobus pariter euntibus. *σύν τε δύ' ἐρχομένω.*
Id est. Si duo coniuncti veniant. Locus est apud Homer. Iliad. κ Vbi Diomedes iturus exploratum, quid agerent Troiani, comitem postulabat. Id enim fore tum iucundius, tum tutius.

Nil profuerit bulbus. *οὐδέν σ' ὀνήσει βολβὸς ἂν μὴ νεῦρα ἔχῃς.*
Neruis carentem iuuerit bulbus nihil. Martialis.

Nil

Nil aliud bulbis quam fatur esse potes.

Bulbus autem ad irritandam Venerem valet. Licebit ad verecundiorem vsum trahere. Nihil prodesse studium, nisi vis adsit ingenij.

Tradunt operas mutuas.

Translatum videtur ab agricolis vicinis, qui mutuam inter sese operam commodare solent. Terentius.

Alieno auxilio potentes.

Qui alienis præsidijs freti, facinus aliquod egregium, aut qui alieni prætextu nominis aliquid faciunt: in eos apposite torquebitur illud Homeri Iliad θ.

Στῆ δ' ἄρ' ὑπ' Αἴαντος σάκεϊ Τελαμωνιάδαο.

Constitit Aiacis clypeo septemplice tectus.

Titanas imploras, Τιτᾶνας καλεῖς.

Vbi quis suis destitutus viribus alienum implorat auxilium.

Ancora domus.

Ancoram Græci pro refugio prouerbialiter vsurpare solebant. Denique quicquid illud est, cui innitimur, cuiusque fulcimur fiducia, ancoram vocant Metaphora à nauibus sumpta. Teront. Nausigemach ist unser alle Sach.

Nostro marte.

Quoties nullius auxilijs adiuti, nostropte ingenio proprijsque viribus rem peragimus.

HIEROGLYPHICA.

Iouenias apud Xenophontem (quisquis ille fuerit) eo libello qui titulo de æquiuocis circumfertur, per *Hirundines in nido ore patente pictas*, populos auxilium implorantes hieroglyfice significari. Nidus enim patriam, os vero adapertum clamorem & imploratione ostendit. Hinc illud in Ezechiæ cantico: *Sicut pullus hirundinis sic clamabo. Pier. l. 22.*

EMBLEMATA ALCIATI.

Mutuum auxilium.

Emblema CLX.

Loripedem sublatum humeris fert lumine captus,
Et socij hac oculis munera retribuit.
Quo caret alteruter, concors sic præstat vterque;
Mutuat hic oculos, mutuat ille pedes.
Ena periclu unis e fugi sedulus armis,
Cum premeretque solo, cum premeretque salo.
Incolumen ex acie clypeus me præstitit idem
Naufragum apprensus littora ad vsq tulit.

Vnum nihil, duos plurimum posse.

Emblema XLI.

Laerte genitum, genitum quoque Tydeos vna,
Hac cera expressit Zeuxis apta manus.
Viribus hic præstat, hic pollet acumine mentis,
Nec tamen alterius non eget alter ope.
Cum duo coniuncti veniunt, victoria certa est,
Solum mens hominem, dextra ue destituit.

APOLOGVS.

Vulpes Sentes.

Insilierat forte in spinosas vepres vulpecula, cúque laberetur, sentes apprehendit, in quibus inniteretur, ab his sauciata, cū cruentis pedibus & magno dolore. Siccine, inquit, sceleratæ sentes, accipitis supplicem vestram? Cui sentes responderunt; Valde eam deceptam fuisse, quæ vellet sese apprehendere, cum ipsę apprehendere & retinere alia omnia consueuissent.

Ostendit fabula, stulte facere eos, qui opem & auxiliū ab illis sperent, quibus insita sit malefaciendi & iniuriarum voluntas.

FINIS LIBRI PRIMI.

POLYAN-

POLYANTHEAE NOVAE LIBER II.

B

BALNEVM.

BALNEI Etymologias varias & descriptiones continet Etymologicum trilingue Lugduni editum, pag. 124. & 125.

SENTENTIAE POETICAE.

Homer. Odyss. θ. de voluptatibus ac delitijs Phæacensium.

Αἰεὶ δ' ἡμῖν δαίς τε φίλη κίθαρίς τε χοροί τε,
Εἵματά τ' ἐξημοιβὰ λοετρά τε θερμὰ καὶ εὐναί. id est.

At semper cordi nobis epulæque choreæque,
Cantusque, & varia vestes, & balnea calda,
Concubitusque.

Ex anthnlog. Græcorum Epigram. lib. 4. Tit.
In Balnea Agathiæ Scholastici.

Νῦν ἔγνων κυθέρεια τέθεν νικῆσας ἀγῶνα,
Τὴν πρὶν Ἀλεξάνδρου ψῆφον ἀπαιτᾶμενη.
Ἐνδάτεσιν γὰρ τέγγουσα θεὴν δέμας ἀρτί ἐλέγξας
Πρὶν ἰναχίοις χεύμασι λουσαμένη.
Νίκησεν τὸ λοετρὸν ἔοικε δ' ἐκ τοῦτο βοείων
Παλλάδος ἐνικήθην ὕδασιν ἡ πᾶσιν. Hoc est.

Iudice sub Phrygio quare Cytherea quondam
Viceris & qua fors fraude parata, scio.
Vos corpus rorauit aqua, reginaque cæli,
Arguitur lymphæ Inachiæ lota tuas.
Ergo lauacra ferunt palmam, Pallasque uidetur
Dicere, non Paphia, sed renulsistis aqua.
Plura uide eodem tit. lib. 4. anthol. Græc. Epigram.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Balneæ calidæ cur sacræ habentur? quia sulfure atque fulmine rebus ingenue sacris prouenıunt. *Arist. problem sect. 24 q. 19.*

Balneum cur alij sitibundi ingressi extincta siti egrediuntur, alij contra? qui sunt habitu sicciori, siti balneo humefacti absoluuntur, maxime si non habeant penitus siccitatem: at qui humidiores sunt, & siti omni vacantes, ijs humor per sudorem absumitur, itaque sitis creatur, quæ siccitate oriri solet. *Alex. Aphro proble. pri. q. 41.*

Balneum cur non præcipimus ijs, qui febre contioua iam laborare desinunt? Quoniam materiæ noxiæ, crudæ crassæque adhuc constant, & corpore absolui nondum patiuntur, & quantū materiæ vtilis sit, id tenue, & liquidum subsistat, ne igitur balnei calor prius vtilem partem trahat & tenuem, abstinendum a balneo, nec per id tempus tantum, quo morbus minuitur, verum etiam quo incipit, & omnino quo materia minus concocta est. *Ibidem problem. 2. q 84.*

APOPHTHEGMATA.

Diogenes ingressus aliquando sordidū balneū, dicebat? Qui hic lauant, vbi lauantur? Significabat, illic homines puros sordidari, & ibi lotis opus esse alio balneo quo mandarentur. *Laer. l. 4.*

Stratonicus, quum videret sacellum, malo sordidoque balneo vicinū, anathematibus pulchre exornatum, postea quam è balneo exijt male lotus; Non miror, inquit, multas pendere tabulas. Quisquis enim hic lauit, illic suspendit tabulam, veluti seruatus. Indicans magnum esse, si quis e tali balneo exisset incolumis. *Athenæus.*

Idem, quum in Arcadia malam terram ac salsam aquam balneator exhiberet, incatus est, se terra mariq; obsideri, Apparet in balneis terræ fuisse vsum, qui nunc est fullonibus. *lib. 6. apoph.*

EXEMPLA HISTORICA.

Memoriæ proditum est ab Ibyco, calida lauacra inuenta ab Hercule, quibus ille diuturno labore defessus plurimum vteretur, quæ sibi a Vulcano fuerint indicata. At alij, inter quos Pisander, ea Mineruæ benignitate Herculi monstrata diuinant. *Natal. Comes Mythol. l. 7. c. 1.*

Mecænas, Romæ primus aquæ calidæ balneum construxisse fertur in vsum populi Roman. *Dion. in Augusto.*

M. Agrippa, vt populo placere, CLXX. balnea seu lacus in prouinciarum formā Romæ gratuita præbuit: in quibus etsi calida prius abluerent, postea vt a balneis corpora multa frigida stringerent, constiturum ferunt. *Alex. l. 4. c. 20.*

M. Antonius Imp. ob popularem gratiam balneum sine mercede exhibuit, cum antea singuli quadrantem expromerent. *Lampridius.*

Alexander Seuerus Imp. ne quid populo incommodaretur, nocturna balnea, oleo pro luminibus præbito, concessit. *Idem.*

Antonius Caracalla thermas suo insignes nomine struxit, quarum cellam solearem, id est, in qua forent balneo destinata solia, negant Architectonicæ consulti, vlla posse exprimi imitatione. Nam ex ære vel cupro cancelli fuere superpositi, quibus concameratio concredebatur tota. *Cælius l. 30. c. 17 Antiq. lect.*

Tacitus Imper. domum suam est demolitus, vt thermas illic publicas priuato sumpto extrueret. *Cuspinianus.*

Diocletianus Romæ, Maximianus Carthagine thermas instituerūt. Romanorum admiranda in hunc vsque diem vestigia immēsam animi Diocletiani vastitatem quandam ostendūt. Maximianus suas ita curauit perficiēda, vt propterea Christianos misere admodum habuerit: cum eos & lapides cædere, & arenas eruere operis eius causa coegerit. Quod in vetere S. Marcelli vita scriptum inuenitur. Maximianus itē alteras Mediolani thermas construxit, quæ Herculeæ Thermæ, siue lauacrum Herculeum dictæ sunt. Quarum meminit Ausonius *l. 1 Occid Imp. 7.*

Theodorus Ostrogothorum rex, in Italia Aponi balnea quæ sunt in agro Paduano, muro clausit, ædesque balneis apposuit, vt commodius frequentarentur. *Cassiodorus.*

Tanta Romanæ verecundiæ obseruatio & motum exempla fuere, vt nec pater cum filio pubere, nec socer cum genero lauaret, nudosque conspicere parentes ducerent nefas. *A. ex. ab Alex. l. 2. c. 25. ex Val. l. 2. c. 1.*

Consuetū illud veterib. Rom. fuit, vt vel nobilissimi ædiles eo fungerētur officio, vt loca balnearū intrarēt, quæ populū receptabāt, exigerētq; munditias, & vtilē ac salubrē rēperaturam: non hāc (inquit Seneca) q̄ nuper inuenta est, similitis incēdio, adeo quidē vt cōuictū in aliquo scelere seruū inuitū lauari oporteat: nihil. n. iā vr̄ interesse, ardeat balneū, an caleat. *Cælius lib. 30 c. 9.*

Carolus Magnus delectabitur vaporib. aquarum naturaliter calentiū frequenti natatu se exercens: cuius adeo peritus fuit vt nullus cū illo certaret. Ob hanc ēt Aquisgrani regiam extruxit, ibique extremos vitæ annos clausit. *Crantzius l. 2. Saxonia c. 8.*

Lacones perpetuo agebant sine tunica, squallidi corpore a balneis & vnctionibus fere abstinentes præterquam paucis diebus, per annum. *Plutarch. in Lacon.*

Dardanenses Illyrides ter solummodo per vniuersam vitam lauantur: post partum: cum nuptias ineunt: & cum mortem obieunt. *Aelian. de uar. histor.*

BAPTISMVS.

DEFINITIONES ET ETYMOL.

BAPTISMVS, Græce βαπτισμὸς ἀπὸ dicitur, à Βάπτω, immergo. Heb. *Tabal*, verbum signif. tinxit, immersit ex parte aliqua. Et est ablutio hominis aliqualiter consentientis, facta ab alto in aqua, simul verba certa cum intentione debita proferente, significans efficaciter ex institutione diuina ablutionem animæ a peccato, *secundum Io. Scotum in 4. sent. dist. 3. q. 1.*

Baptismus est ablutio corporis exterior, facta sub forma præscripta verborum *secundum Magist. Sent. in 4. dist. 3.*

Baptismus est quoddam principium sanctissimorum mandatorum, sacrarum actionum, & aliorum diuinorum eloquiorum ad susceptiuam opportunitatem formans nostros animales habitus,

tus, ad susceptæ quietis anagogen iter nostrum faciens, sacræ & diuisi næ nostræ regenerationis traditio. *secundum Dionys. ca 2. ecc e siastica Hierarchia.*

Baptismus est, per quem primitias spiritus accipimus, & principium alterius vitæ, ut sit nobis regeneratio, & sigillum & custodia & illuminatio *secundu n Ioan Damascenum 4. Sent. & B. Thom. Sent. dist. 4. q 1. art. 1.*

Baptismus dicitur à βαπτίζω, quod est immergo.

LOCI BIBLICI.

Baptismus est tessera, siue exemplar nostræ regenerationis, *Rom. 6.3.* est signum spiritualis resurrectionis, *ver. 4.5.* symbolum sanctificationis. *Ephes. 5.26.* Baptisma, sacramentum est, *Ephes. 4.5.* figuratum per arcam Noa, *1. Pet. 3. v. 20. 21.* a Christo institutu & præceptum, *Matth. 28. 19. Marc. 16. ver 16. Io. 3. 22.* pœnitentiæ symbolum est, *Luc. 3. ver. 3.* & lauacrum regenerationis, a fine, quia eo noa ducit, & hic eius finis est. *Tit. 3. 5.* fidei sigillum. *Matth. 28. 19. Marc. ver. 16. Act. 2. 41. & 8. ver. 37 38. & 10. ver. 47. & 16. uers 14. 15. 30. 31. 32. 33. 34. & 18.* adumbrat mortificationem nostram, *Rom. 6. 3.* peractam Christi mortem & resurrectionem, *ver. 7.* Stipulatio bonæ conscientiæ dicitur. *1. Pet. 3. 21.* idest obligatio mutua Dei & hominis baptizati: Dei quidem, testantis se recipere personam baptizatam in gratiam: Personæ vero baptizatæ, dantis fidem Deo, quod rite eum colere velit.

Baptismatis fructus, seu finis duplex: Remissio peccatorum, *Act. 2. 38. Colos. 2. 12.* Et Renouatio. seu regeneratio, *Act. 2. 38. Coloss. 2. 11.* Eo pertinent hæ phrases: Baptizari in mortem Christi, pro percipere mortis Chr.[?] vim, extinguendo peccatum, *Rom. 6. 3.* Baptizari in Christo, vel Christū, pro, cū Christo coalescere, aut baptizari, vt cū Christo per baptismū coalescentes, vim ipsius percipiamus extinguendo peccatū, & creado nouū hoīe, *Rom. 6. 3. Gal. 3. 27.* baptizari in nōie, vel nomen Iesu Christi, est Christo per baptismum nomen dare, Christo que confecrare, colus mortis, sepulturæ, ac resurrectionis simus participes in baptismo, cum peccatorum remissione, *Act. 2. 38. & 8. 16. & 19. 5.*

Baptisma infantibus minime negandum. *Gen. 17. 14 Exodi 4. vers. 24. 26. Mat 11. 28 & 18. 14. & 19. 13. Marc. 10. 14. Luc. 18. 5 & Ioā. 2. 5. Act. 2. vers 39. 41 & 16 ver. 15. 33. & 18. 8 1. Cor. 1. 56. & 7. 14. & 10. 2. & 15 22. 1. Timot. 2. 1. Heb. 6. 2.* baptizata integra domus. *1. Cor. 1. 16. Act. 16. uer. 15. 33 & 18. 8.*

Pædobaptismum impugnant Anabaptistæ ex *Matth. 28. 19. Marc. 5. 4. & 16. ver. 15. 16.* baptismatis forma *Matth. 28. 19.* baptisma non iterandum, *Ephes. 4. 5. Heb. 6. 4 & 10. 26.* item Circumcisionis quoque sacramentum declarat, cui baptismus successit, *Genes. 17: 1. Corinth. 10. 2.*

SENTENTIAE BIBLICAE.

Et conuertit me ad portam domus, & ecce, aquæ egrediebantur subter limen domus ad orientem. *Ezech. 47.*

Et sanabuntur & viuent omnia, ad quæ venerit torrens. *ibid.*

Baptizabat se in fonte aquæ. *Iudit. 12.*

Laui te aqua, & emundaui sanguinem tuum ex te. *Ezech. 16.*

Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinationibus vestris, & ab idolis vestris mundabo vos. *Ibidem. 36.*

Omnis anima viuens, quæ serpit, quocumque venerit torrens, viuet *ibid m 47.*

Fons egreditur de domo Domini, & irrigabit torrentem spinarum. *Ioel. 3.*

Erit fons patens domui Dauid, & habitantibus Ierusalem in ablutionem peccatoris & menstruatæ. *Zach. 13.*

Baptizabantur ab eo in Iordane confitentes peccata sua. *Matth. 3.*

Ego baptizo vos aqua in pœnitentiam (& infra) ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igne. *ibid.*

Euntes in mundum vniuersum, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. *Matth. ult.*

Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. *Marc. 16.*

Factum est autem cum baptizaretur omnis populus, Iesu baptizato & orante, apertum est cœlum, & descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba in ipsum, & vox de cœlo facta est, tu es filius meus dilectus, in te complacui mihi *Luca 3.*

Quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in mortem ipsius baptizati sumus: consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, &c. *Rom. 6.*

Omnes in Mosen baptizati sunt in nube & mari. *1. Cor. 10.*

In vno spiritu omnes nos in vnum corpus baptizati sumus. *ibid. 2.*

Quicunque in Christo Iesu baptizati estis, Christum induistis. *Galat. 3.*

Vna fides, vnum baptisma. *Ephes. 4.*

Diligit Ecclesiam (& infra) mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ *ibid. 5.*

Consepulti ei in baptismo, in quo & resurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitauit illum a mortuis. *Coloss. 2.*

Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti. *Tit. 3.*

Abluti corpus aqua munda, teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem. *Hebr. 10.*

Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritus sancti. *Actor. 2.*

In arca pauci, i. octo animæ saluæ factæ sunt per aquam. *1. Petr. 3.*

Respondit Iesus: Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnū Dei. Quod natum est ex carne, caro est: quod natum ex spiritu, spiritus est. *Ioan. 3.*

SENTENTIAE PATRUM.

Detrahe verbum ab aqua, quid erit nisi aqua? Accedat verbum ad elemētum, & fit sacramentum. Vnde ista tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo: non quia dicitur, sed quia creditur. Nam & in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud est virtus manens. *Augu l. in hom. 80. & habetur 5. q 1. Detrahe.*

Si quem forte coegerit extrema necessitas, & vbi catholicum, per quem accipiat, non inuenerit, & in animo pacem catholicā custodiens, per aliquem extra vnitatem catholicam positum acceperit, quod in ipsa erat catholica vnitate percepturus, & statim & de hac vita migrauerit, non eum nisi catholicum deputamus. Si autem fuerit a corporali morte liberatus, cum se catholicæ congregatione etiam corporali præsentia reddiderit, vnde nūquam corde discesserat, non solum non improbamus quod fecit, sed & securissime verissimeque laudamus: quoniam præsentem Deum credidit corde suo, vbi vnitatem seruabat: & sine sancti baptismatis sacramento, quod vbicunque inuenit, nō hominum, sed Dei cognouit: noluit ex hac vita migrate *Ide n lib. 1. de unico baptis & habetur 24 q. 1. Si quem.*

Ostenditur illos impie facere, qui rebaptizare conantur. *ib dem li. 2. & hab. de consec. dist. 4. Ostenditur.*

Nunc autem non sicut hæresis hæreticorum est, sic error ipsorum est: sicut etiam sacrilegium dissensionis est eorum, sic etiam baptisma, quod Christi est, non debet dici ipsorum. *ibid. li 3. hab. ibidem. Nunc autem.*

Satis ostendimus ad baptismum, quod verbis euangelicis consecratur, non pertinere cuiusquam dantis, vel accipientis errorē, siue de Patre, siue de Filio, siue de Spiritu sancto aliter sentiat, quam cœlestis doctrina insinuat. *ibidem lib. 4. & hab. ibidem, Satis.*

Baptismi vicem aliquando implere passionem de latrone illo, cui non baptizato dictum est: Hodie mecum eris in paradiso, beatus Cyprianus non leue documentum assumpsit: quod etiam atque etiam considerans inuenio, non tantum passionem pro nomine Christi id, quod baptismo deerat posse supplere, sed & fidem cōuersionemque cordis: si forte ad celebrandum mysterium baptismi in angustiis temporum succurri non potest. Neque cum latro ille pro nomine Christi crucifixus est, sed pro meritis facinorum suorum. Neque, quia credidit, passus est, sed dum patetur, credidit. Quantum itaque valeat, etiam sine visibili sacramento baptismi, quod ait Apostolus: Corde creditur ad iustitiā, ore autem confessio fit ad salutem: in illo latrone declaratū est. *Idem vbi dem, Baptismi vicem.*

Cum tantum valeat baptismus per hominem contemptibilem, quantum per Apostolum datus: ita nec illius: sed Christi esse cognoscitur. *August. de unico baptis & hab de Consec dist. 4. Cum tantum.*

Non est aqua prophana & adultera, supra quam nomen Dei inuocatur, etiam si a prophanis & adulteris inuocetur: quia nec ipsa creatura adultera est, nec ipsum nomē adulterum est. *August. ibid. lib 9. & habetur ibidem, Non est.*

Illa certa verba euangelica, sine quibus non potest baptisma cōsecrari, tantum valent, vt per illa sic euacuentur, quæcunque in prece vitiosa contra regulam fidei dicuntur, quemadmodum dæmonium Christi nomine excluditur. *Augu l ibidem, & hab. ibidem, Si non.*

Solet etiam quæri, vtrum approbandum sit baptisma, quod ab eo qui non accepit, accipitur: si forte hoc aliqua curiositate didicit, quo modo dandum sit: & vtrum nihil intersit, quo animo accipiat ille, cui datur: an cum simulatione, aut sine simulatione. Si cum simulatione, vtrum fallens sicut in Ecclesia, vel in ea, quæ putatur Ecclesia: an iocans, sicut in mimo. Verumtamen si quis me forte in eo concilio constitutum, vbi talium rerum quæstio versaretur, non præcedentibus meritis, quorum sententias sequi mallem, vrgeret, vt dicerem, quid ipse sentirem: si eo modo affectus essem, quo eram dum ea dictarem, nequaquam dubitarē, habere baptismum eos qui vbicunque, & a quocunque illud verbis Euangelicis consecratum sine sui simulatione, & cum aliqua fide accepissent: quamquam ad salutem spiritualem eis nō prodesset: scilicet si charitate caruissent, qua catholicæ inseruntur Ecclesiæ. Si enim habeam fidem vt mōtem transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum. *August. ibidem lib. 8. & habetur de Consec. dist. 4. Solet etiam.*

Nullus

Nullus autem negat habere baptismum etiam apostatas: quibus vtique redeuntibus & per pœnitentiam conuersis nō redditur: qui amitti non posse iudicatur: sicut & illi, qui in sacrilegium schismatis ab Ecclesiæ communione discedunt, habent vtique baptismum, quem priusquam discederent, acceperint. *Idem lib. de bapt. & habetur de cons. dist. 4. Nullus.*

Quomodo exaudit Deus homicidam deprecantem vel super aquā baptismi, vel super oleum, vel super Eucharistiam, vel super capita eorum, quibus manus imponitur: quæ tamen omnia & fiūt, & valent etiam per homicidas, aut per eos, qui fratres oderunt, etiam in ipsa intus Ecclesia, cum nemo dare possit, quod non habet, quomodo homicida dat Spiritum sanctum, & tamen intus etiam ipse baptizat? Deus ergo dat etiam in ipso baptismate Spiritum sanctum. Quapropter sacramentum gratiæ dat Deus etiā per malos: ipsam vero gratiam non nisi per seipsum, vel per sanctos suos. Et ideo remissionem peccatorum vel per seipsum facit: vel per eius columbæ membra, quibus ait: Si cui dimiseritis peccata, dimittentur: & si cui retinueritis, retenta erunt, *Ibidem cap. sequenti. Quomodo.*

Est vnitas Ecclesiæ, quæ late patet, in sacramentorum videlicet societate & communione, quæ complectitur cum granis etiā paleas: quando eas corporaliter mistas ita patitur, vt neque illas iusti vitent, neque ab illis iuste vitentur. Sic sunt in Ecclesia homines mali, vt in corpore humano humores mali, qui interdū exeunt ex corpore. *Idem ibidem. Est vnitas.*

Cum pro paruulis alij respondent, vt impleatur erga eos celebratio sacramenti, valet vtique, ad eorum consecrationem: quia ipsi pro se respondere non possunt: si pro eo qui respondere potest, alius respondeat, non itidem valet. Ex qua regula illud Euāgelij dictum est, quod omnes, cum legitur, naturaliter monet, Aetatem habet, ipse pro se loquatur. *Idem ibidem, Cum pro.*

Non interest cum de sacramenti integritate tractatur & sanctitate quid credat, aut quali fide imbutus sit ille, qui accipit sacramētum. Interest quidem plurimum, sed ad salutis viam: sed nihil interest ad sacramenti quæstionem. *Idem ibidem, & habetur de cons. dist. 4. Sicut in Sacramentis. §. Non interest.*

Si posset fieri, vt singuli diligenter interrogarentur, tot diuersitates opinionum forsitan inuenirētur, quot homines numerarentur. Animalis enim homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei. Nunquid tamen nō ideo sacramentum integrum accipiunt: aut nunquid ideo si profecerint, & opinionum carnalium vanitatē emundauerint, denuo, quod acceperant, repetendum est? Accipit quisque secundum fidem suam, sed quantum capit gubernante misericordia Dei. *Idem ibidem, §. Si posset.*

Per Baptismum Christi id agitur, vt caro peccati euacuetur. Non autem sic euacuatur vt in carne concupiscentia innata non sit, sed ne obsit. Nam si post baptismum ad ætatem naturalem perueniunt, ibi habent cum qua pugnent, eamque, adiuuan[illegible] Domino superent: si non gratiam in vacuum susceperint. *Idem ibidem per baptismum.*

Filius Dei carnem peccati suscepit, & pœnā sine culpa, vt in carne peccati & culpa solueretur & pœna. Per fidē ergo & baptismum eius a peccato homo per iustificationē, & a morte liberatur per resurrectionē. Paruuli et baptizati inter credentes reputantur per sacramenti virtutē, & offerentium responsionē. Qui vero non sunt baptizati, inter non credentes iudicantur ex Euāgelio Ioannis: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sācto, non potest introire in regnum Dei. *Idem ibid. Filius.*

Si baptizata est caro Christi, quæ sine peccato erat, propter exemplum imitationis: quanto magis baptizanda est caro mortis, propter euitandum iudicium damnationis? *Ibidem, & habetur de consec. dist. 4. Si baptizata.*

Regenerante autē carne, tantūmodo contrahitur peccatū originale: regenerante autē Spiritu sancto non solū originaliū, sed etiā voluntariorum, fit remissio peccatorū. Proinde recte potest dici, paruulos sine baptismo decedentes mitissimā omniū futuros sustinere pœnam. Fallit enim, fallitur, qui eos in damnatione prędicat non futuros, dicente Apostolo, Per vnius delictum omnes homines in condemnationem, &c. *Idem ibidem. Regenerante.*

Quisquis ex concupiscentia carnis & lege peccati & mortis carnaliter generatur, regenerari spiritualiter habet opus: vt non solū ad regnum Dei perducatur, sed etiam a damnatione peccati liberetur. Sicut enim per primum hominem in peccato & morte nascuntur: sic etiam per Christum in iustitia & vita æterna in baptismo renascuntur. *Idem ibidem. Quisquis.*

Firmissime tene, & nullatenus dubites, omnē hominē, qui per cōcubitum viri & mulieris concipitur, cum originali peccato nasci impietati subditum mortique subiectū. Et ob hoc naturaliter iræ nasci filiū, de qua dicit Apostolus. Eramus enim natura filij iræ, sicut & ceteri, a qua ira nullus liberabitur, nisi per fidē mediatoris hominis Iesu Christi. Firmissime tene, non solū homines ratione vtentes, verū et paruulos, qui siue in vteris matrum viuere incipiunt, & ibi moriuntur: siue iā de matribus nati sine sacramento baptismi, quod datur in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, de hoc sæculo trāseunt: sempiterno igne puniendos: quia etsi peccatū propriæ actionis nullū habēt, originalis tamē peccati damnationem carnali conceptione ex natiuitate traxerunt. *Aug. ad Petrum Diaconum, & hab. de cons. dist. 4. Firmissime.*

Firmissime tene, & nullatenus dubites, extra Ecclesiam baptizatus, si ad Ecclesiam nō redierint baptismo cumulari perniciem. Tantum etiam valet ecclesiasticæ societatis communio ad salutem, vt baptismo non saluetur, cum ibi non datur, vbi oportet vt detur: *Ibidem, & habetur 1. q. 1. Firmissime.*

In necessitate cum Episcopi, aut presbyteri, aut quilibet ministrorum non inueniuntur, & vrget periculum eius qui petit, ne sine illo sacramento hanc vitam finiat, etiam laicos solere dare sacramentum, quod acceperunt, solemus audire. *August. ad Fortunatum, & habetur de cons. dist. 4. In necessitate.*

Sanctum est baptisma per seipsum, quod datum est in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Ita vt in eodem sacramento sit etiam authoritas traditionis per Dominum nostrum Iesum Christum ad Apostolos: per illos autem ad episcopos & alios sacerdotes, etiam laicos Christianos ab eadem origine & stirpe venientes. *Idem ibid. cap. Sanctum.*

Catechumenum quamuis in bonis operibus defunctum vitam habere non credimus, excepto duntaxat, nisi martyrij compleat sacramentum. *Aug. ibid. cap. Catechumenum.*

Quamuis vnum baptisma sit & hæreticorum, eorum scilicet, qui in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti baptizant, & Ecclesiæ catholicæ: tamen qui foris Ecclesiam baptizantur, non sumunt baptismum ad salutem, sed ad perniciem, habentes nimirum formam sacramenti, virtutem autem eius abnegātes. *Aug. ad Orosium lib. 2. & habetur ibid. ca. Quamuis.*

Non illud te moueat, quod quidam non ea fide ad baptismum percipiendum paruulos offerunt vt gratia spirituali ad vitam regenerentur æternam: sed hoc eos putant remedio temporalem retinere vel recipere sanitatem. Non enim propterea illi non regenerantur, quia non ab istis hac intentione offeruntur. *Aug. in epist. ad Bonifacium, & ibidem, ca. Non illud.*

Nulli est aliquatenus ambigendum, tunc vnumquemque fidelium corporis, sanguinisque Domini participem fieri, quando in baptismate membrum Christi corporis efficitur. *Aug. ibid. & hab. ibid. ca. Nulli.*

Non dubito catechumenum catholicum diuina charitate flagrantem hæretico baptizato anteponere. *Idem lib. de baptisme & hab. de cons. dist. 4. Non dubito.*

Rebaptizare hæreticum hominem, qui hæc sanctæ Trinitatis signa susceperit, quæ Christiana tradidit disciplina, omnino peccatum est. Rebaptizare autem Catholicum, immanissimum scelus est. *Idem in epist. ad Max. & hab. de consec. dist. 4. Rebaptizare.*

Ex quo instituta est circumcisio in populo Dei: quod erat tunc signaculum fidei, iustitiæ Dei ad sanctificationem purgationis valebat paruulis originalis veterisque peccati, sicut & baptismus ex illo valere cœpit ad innouationem hominis, ex quo constitutus est. *August. ad Valerium contra Iulianum, & habetur de cons. dist. 4. Ex quo.*

Si inter bonos ministros, cum sit alius alio melior, non est melior baptismus, qui per meliorem datur, quando idem baptismus datur: nullo modo malus est, qui etiam per malum datur, quando idē baptismus datur. Et ideo per ministros dispares, Dei munus æquale est, quia non illorum: sed eius est. *Aug. contra Crescentium Grammaticum, & hab. de cons. dist. 4. Si inter.*

Sicut nostis fratres charissimi, paruuli exsufflantur & exorcizantur, vt pellatur ab eis Diaboli potestas inimica, quæ decepit hominem, vt possideret homines. Nō ergo creatura in infantibus exorcizatur aut exsufflatur: sed ille sub quo sunt, qui sub peccato nascuntur. *Aug. de symbolo & hab. de cons. d. 4. Sicut nostis.*

A paruulo recenter nato, vsque ad decrepitum senem, sicut nullus prohibendus est a baptismo: ita nullus est qui nō peccato moriatur in baptismo: sed paruuli tantū originali, maiores autē omnibus etiam moriuntur peccatis, quæ male viuendo, addiderunt originali. *Aug. in Enchiridio, & hab. de Conf. dist. 4. A paruulo.*

Non regenerabantur vel renascebantur, qui baptizabantur baptismo Ioannis, sed quodam præcursorio illius ministerio, qui dicebat: Parate viam Domino Christo, in quo solo renasci poterant qui parabantur. Huius enim baptisma est, non in aqua tantum (vt fuit Ioannis) verum etiam in Spiritu sancto, vt de illo regeneraretur. Si quis in Christum crediderit, de isto Christus regeneratur, qui regenerationem nō cognouit, in aqua baptizari voluit, non vt eius iniquitas dilueretur, sed humanitas commendaretur. Itaque baptisma in eo nihil habuit, quod ablueretur, sicut mors nihil inuenit quod puniret. *August. in Enchiridio, & hab. de Conf. dist. 4. Non regenerabantur.*

Verus baptismus constat non tam ablutione corporis, quam fide cordis, sicut Apostolica doctrina tradidit, dicens, Fide mundans corda eorum. Et alibi: Saluos facit baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum. *Idem lib. sententiarum Prosperi, & habetur ibidem: Verus.*

Vos

Vos ante omnia tam mulieres, quam viros, qui filios in baptismate suscepistis, moneo, vt vos cognoscatis fideiussores, apud Deũ extitisse pro illis, quos visi estis de sacro fonte suscipere: ideoque semper eos admonete, vt castitatem custodiant, iustitiam diligant, charitatem teneant. Ante omnia Symbolum, & orationem Dominicam, & vos ipsi tenete: & illis, quos suscepistis de sacro fonte, ostendite. *Aug. in sermone post pascha, qui incipit. Hodiernus dies. & hab. ibidem: Vos ante.*

Venisti ad fontem, ingressus es, considera quid videris, quid locutus sis diligenter, repente occurrit tibi Leuita: occurrit tibi Presbyter, vnctus es quasi athleta Dei, vt ad baptismum catechumenus accedas. *Ambr. lib. de Sacramentis, & habetur ibidem: Venisti.*

Per aquam baptismi, transitus est de terrenis ad cœlestia. Ideo pascha transitus dicitur: hic transitus est peccato ad vitam, de culpa ad gratiam, de inquinamento ad sanctificationem. Qui per hanc aquam transit, non moritur, sed exurgit. *Idem libro de Sacramentis, & habetur, de Consec. dist. 4. Per aquam.*

Venit sacerdos ad fontem, dicit preces, inuocat nomen Patris & Filij & Spiritus sancti, vtitur verbis cœlestibus: cœlestia sunt verba, quæ Christi sunt: præsentia Trinitatis adest, operatur sermo æternus, vbi descendit Spiritus sanctus, primo quasi columba descendit, vt increduli vocarentur ad fidẽ. In principio signum debuit esse: in posterioribus perfectio. Apostolis enim Spiritus S. datus est in igneis linguis, propter incredulos nobis autẽ iam in plenitudine Ecclesiæ non per signa, sed per fidem veritas colligenda. *Idem ibidem: Venit.*

Emersisti, venisti ad Sacerdotem: quid tibi dixit? Deus (inquit tibi) Pater omnipotens, qui te regenerauit ex aqua & Spiritus sancto, concessitque peccatorum tuorum veniam, ipse te inungat in vitam æternam: Vide vbi inunctus es, in vitam æternam, inquit. *Idem ibidem, can. Emersisti.*

Accepisti post baptismum vestimenta candida, vt esset indicium, quod exueris voluptatem peccatorum, & indueris innocentiæ casta velamina. *Idem ibidem. Accepisti post.*

Non sanat baptismus perfidorum, non mundat, sed polluit. Quia in diluuio aquarum ad Dominum non approximabunt, quia vt per Apostolum dicit: Quidquid non ex fide est, peccatum est, & ipsis qui faciunt, & quibus faciunt, non solum non prodest, sed & ad iudicium est. *Ambros. de initiandis mysteriis, & habetur 1. q. 1. Non sanat.*

Sine pœnitentia sunt dona, & vocatio Dei, quia gratia Dei in baptismate non requirit gemitum, non requirit planctum, vel opus aliquod, sed solam fidem: & omnia gratis condonat. *Ambr. super epist. ad Romanos, & hab. de Consec. dist. 4. Sine pœnitentia.*

Baptizari aũt vel enixam mulierẽ, vel hoc quod genuerit, si periculo mortis vrgetur, vel ipsa eadẽ hora qua gignit, vel eadẽ et qua natum est id, quod gignitur, nullo modo prohibetur. Ne dũ adhuc ijs ad præbendum redemptionis mysterium quæritur, interueniente paululum mora, inueniri non valeat qui redimatur. *Greg. in quæstione 10. Aug. l. Cantuar. & hab. de Con. dist. 5. Baptiz. ver.*

De trina immersione baptismatis nil responderi verius potest, quam quod ipsi sensistis: quia in vna fide nil officit sanctæ Ecclesiæ consuetudo diuersa. Nos autem quod tertio mergimus, triduanæ sepulturæ sacramenta significamus: & dum tertio infans ab aquis educitur, resurrectio triduani temporis exprimitur. *Greg. Leonardo epis. & hab. de Consec. dist. 4. De trina.*

SENTENTIAE POETICAE.

Iacob Billius in Antholog. Sacra.

Si mundo moriens diuino fonte renascens,
Fitque mihi ut mea quis se eruitur aqua.
Non sine fraude sit sato baptisma eo Christi,
Fons qui in ipsa sui sanguinis vnda fuit.
Et quidquid sacri fert mystica forma lauacri,
Id totum implenit gloria martyrij.

Aurel. Prudentius Hym. 6. Cathime.

Hic trapotens cruente
Extentor Antichriste.
Qui de furente monstro
Pulchrum refert trophæum.
Quam bestiam vocatem
Populosque deuorantem.
Quam sanguinis charybdim,
Iustinus execratur,
Hac nempe, qua sacratum
Præfert renomen ansa.
Imam petit gehennam,
Christo perempta vero.

Idem, Ibidem.

Cultor Dei memento,
Te fontis & lauacri
Rorem subisse sanctum,
Te Chrismate innouatum.

SIMILITVDINES.

Chrysostomi: sicut pictores in tabulis pingendis, primo albas circũducere lineas, omni libertate solent, repingunt, corrigunt, priusquam colores superinducãt: Ita in eo qui ex paganismo ad Christianismum Iudæus venit antequam adhibeatur vera spiritus tinctura (quæ fit per baptismum) male insitas consuetudines oportet delere. *Hom. 21. ad populum Antioch.*

Impossibile omnino erat, per mare rubrum pertransire, nisi miraculo facta via fuisset: Sic a priore vita ad cœlos conscendere, sine medicatione baptismi non possumus. *Hom. 4. in Matth.*

Quemadmodum ignis si metallorum terram attigerit, eam quamprimum auream reddit: Sic longe magis pro luteis aureos ens baptisma facit, quos abluerit, cum Spiritus sanctus tanquã ignis in ipsa hora animos nostros ingreditur, & terrena absumpta similitudine, cælestem illam nouam & claram, tanquam ea fornace fulgentem referat. *Homil. 9. in Io.*

Arbores quæ institutæ sunt, & cæteram habuerunt diligentiam agricolarum adhibitam manibus atque laboribus, si nullam referant laborum vicissitudinem, radicitus euulsæ, igne tradentur: Tale quiddam in causa contigit baptismatis. Cum Christus nos instituerit, & irrigatione spũali potiti fuerimus, si deinde fructũ nullum afferamus, ignis nos expectabit gehennæ, & flamma inextinguibilis. *Hom. 20. ad Hebr.*

Damasceni: quemadmodum circumcisio non vtile membrum amputat corporis, sed superfluitatem inutilem: Sic per baptisma sanctum a peccato circumcidimur. Manifestum autẽ, quod peccatum superfluitas concupiscentiæ est, & non necessaria cõcupiscentia. *lib. 4. c. 26. Orthod. fid.*

Basilij, quo mare baptismi typũ gerens separat a Pharaone, sic & lauacrũ hoc a diabolica tyrannide. Illud quidẽ occidit hostẽ in sese: moritur, & inimicitia, quæ nobis fuit cũ Deo. Ab illo populus exijt illæsus: ascendamus & nos ab aquis tanquam ex mortuis viui, seruati per gratiã eius qui vocauit nos. At vmbra quã fecit nubes, figura est de vi proficiscente a Spiritu S. quæ flammas cupiditatem mortificando membra refrigerat. *De Spiritu S.*

Theophylacti. quemadmodũ argentũ soli obiectum, ex solis occursu micantes radios in solẽ ipsum reflectit: Sic & nos baptismo accepto purgati per spiritũ, & huius splendore denique illustrati, fulgorem & ipsi spiritalem quẽdam ex aduerso remittimus, eandẽq; imaginẽ a spiritus gloria in gloriã nostrã, & charitatẽ trãsferimus, & talem inquã imaginẽ, qualem decens est vt is sortiatur, qui a spiritu Domini nulli rei obnoxio lucẽ acceperit. Dominus, n. ille cũ sit, & regium hẽt splendorem, fideles aũt oẽs baptismi gratia Spiritu S. opplentur, & illarum est fulgentior aĩa: quandoquidem & Moyses Dei gloriæ fulgore inspecto, in eius gloriæ imaginem est transformatus: hoc est, & ipse diuinæ gloriæ & splendoris participauit. Huius & facies resplendebat, cũ ipse nostri præferret figuram. *In 2. ad Corinth. c. 3.*

Cypriani. quod si aliquis in illo mouetur, quod quidam qui ægre baptizantur, spiritibus adhuc immundis tentantur, sciat diaboli nequitiam pertinacem vsque ad aquam salutarem valere: in baptismo vero omne nequitiæ suæ virus amittere. Quod exemplum cernimus in rege Pharaone, qui diu reluctatus, ac in perfidia sua demoratus, tam diu resistere potuit, & præualere, donec ad aquam venerit, quo cum venisset, & victus est, & extinctus. *Epist. ad Maximum.*

Qui in sicco præualent scorpij & serpentes in aquam præcipitati, præualere non possunt, aut sua venena retinere: Sic & spiritus nequam, qui scorpij ac serpentes appellantur, & tamen per nos data a Domino potestate calcari, permanere vltra non possunt hominum corpore, in quo baptizato & sanctificato incipit Spiritus sanctus habitare. Hoc denique & rebus ipsis experimur, vt necessitate vrgente in ægritudine baptizati, & gratiam consecuti careant in mundo, quo antea mouebantur, & laudabiles in Ecclesia viuant. *Lib. 4. epist. 7.*

D. Hieronymi, cruenta infantium corpora statim vt emittuntur ex vtero, lauari solent; Ita & generatio spiritualis lauacro indiget salutari. Nullus enim mundus a sorde, nec si vnius quidem diei fuerit vita eius. *Lib. 4. Ezechiel. cap. 16.*

Comparat in baptismate renascentes herbis virentibus & salici, quæ iuxta fluentes aquas oritur, & cõtra rerum naturam affert fructus, quæ prius sterilis erat, vel cuius semen in cibo sumptũ steriles facit. *In c. 44. Isaia.*

De arca coruus emittitur, & non redit, & postea pacem terræ nostræ columba Spiritus sancti nunciat. Ita & in baptismate Ecclesiæ, deterrimo alite expulso, id est, diabolo, pacem terræ nostræ columba Spiritus sancti nunciat. *Contra Luciferianos.*

D. Augustini. Ita fit, vt quum paradisi aqua sit extra paradisum, beatitudo tamen non sit nisi intra paradisum. Sic ergo baptismus Ecclesiæ potest esse extra Ecclesiam, munus autem bonæ vitæ & beatæ non nisi intra Ecclesiam reperitur. *Lib. 4. de baptismo contra Donatistas c. 1.*

Præcessit fidei iustitia in Abraham & accessit circumcisio, signaculũ iustitiæ fidei: Ita in Cornelio præcessit sanctificatio spiritalis

lis in domo Spiritus S. & accessit facrm regenerationis In lauacro baptismi. Et sicut in Isaac, qui octauo suæ natiuitatis die circumcisus est, præcessit signaculum fidei iustitiæ & quoniam patris fidem imitatus est, sequuta est increscente ipsa iustitia: Ita & in baptizatis infantibus præcedit regenerationis sacramentum, & si Christianam tenuerint pietatem, sequitur etiam in corde conuersio, cuius mysterium præcessit in corpore. *Lib. 4. de baptismo contra Donatistas. c. 24.*

An solis, vel etiam lucernæ lux, quum per cœnosa diffunditur, nihil inde sordium contrahit: Et baptismus Christi potest cuiusquam sceleribus inquinari. *Lib. 3. contra Donatistas de bapt. c. 10.*

Vt sordes corporeas aqua, ita spiritus animam abluit à peccatis. Et mox ibidem: Ait ergo Dominus ad Nicodemum suadendo illi: Spiritus vbi vult, spirat, & vocem eius audis, sed nescis vnde venit, aut quo vadat: Sic est omnis qui renascitur ex aqua & Spiritu S. vt quomodo vox aduenientis spiritus, idest, venti, auditur quidem, non autem videtur, sicut dictum est: Sic & ratio baptismi. Auditur quod dicatur, tamen quomodo per spiritum fit non videtur: auditur tamen, cũ quid futurum est, ab eo qui verba insinuat, prædicatur: vt fieri credatur, quod auditur, non tamen ratio facti reddatur. *Lib. Quæstionum veteris & noui Testamenti, quæst. 59.*

Theodulus Cœli Syriæ presbyteri. quemadmodum Christi crucifixi corpus tumulatum, adeoque in terram sepultum, salutem mundo protulit: Sic & nostrum corpus per baptisma sepultũ, iustitiam produxit nobis ipsis. *In sextum cap. epist. Pauli ad Rom.*

BIBLICA EXEMPLA.

Baptismatis exempla: Christus. *Io. 4. v. 1. 2.* Petrus. *Act. 10. 48.* Io. Baptista. *Matth. 3. v. 3. 6. 13. 14. Marc. 1. 4. Io. 1. 33. & 3. 23. & 10. 40. Act. 19. 4.* Discipuli, *Io. 3. 22. & 4. v. 1. 2.* Petrus. *Act. 2. v. 38. 41. & 10. 47.* Philippus, *8. v. 12. 37. 38.* Ananias, *9. 17.* Paulus, & Silas, *16. v. 25. 33.* Paulus, *18. 8. & 19. 41. Cor. 1. 16.* Baptizati accipiunt Spiritum sanctum, *Act. 2. 38. & 19. 3.* induunt Christum. *Gal. 3. 27.* baptizatur Simon Magus, *Act. 8. 13.* Eunuchus, *v. 38.* Cornelius, *10. 47.* baptisma Ioannis vnde. *Matth. 21. 25. Marc. 11. 30. Luc. 20. 4.* baptizare se missum esse quo casu neget Paulus, *1. Corinth. 1. 17.*

EXEMPLA HISTORICA.

Victor Pp. qoauis materia baptismum posse ministrari statuit. *Platina.*

Inprimitiua Ecclesia adulti, dum dies baptismo statutos expectabant, de mysterijs religionis erudiebantur, ac ob id catechumenoi dicebantur, quod κατηχεῖν Græce, sit voce erudire.

Pirissa ciuitatis Pomeraniæ incolas, qui de vera se doceri expetebant religione, Otbo Bambergensis episcopus cum sacerdotib. & clericis ad eam rem idoneis, septem diebus catechizauit, & in fide Christi instituit: tandem indicto trium dierum ieiunio, iussit vt corpora sua balneis mandarent, sicque loti, albisque vestib. induti, mundo corpore, & casto corde a sanctum se baptismi sacramentum prępararent. *Hist. Bambergensis.*

Aetiani haretici caput ad pectus vsque semel in aquam intingebant. *Euseb.*

Lituani Iagellonis regis Pollonorum studio ad religionem traducti, dum baptizarentur, per turmas diuisis nomina populariter imposita fuere viris & mulierib. *Crantzius lib. 10. Vandaliæ c. 32.*

Apud Indos Christiani pueri infantes nullo modo ante quadragesimum diem, nisi periculum aliquod impendere eorum vitę perspectum fuerit sacris aquis expiantur. *Orosius lib. 3. rerum Em.*

SCRIPTORES.

De Baptismo vel Baptismate, *Basil. Mag. lib. 2. Aurel. Aug contra Donatistas. Lumen animæ. par. 2 c. 26. Rampigel. c. 21. Pelbartus l. 4. c. 82. Gertensis Tranquillis Conc. Damascen. l. 4. Lomb. 4. 2.* De forma baptismi. *Idem ibidem Item 4. 4.* De baptizatis apud hæreticos. *Cyprianus Carthag. Ep. 1. 12 & 2. 1. Eiusdẽ de baptizandis hæreticis Epistola tres ad Iubaianum, Pompeium, & Quintinum.* De Matrimonio post baptismum. *Hieronym. Trident Tom. 1.* De vnctione baptizatorum, *Eutropius Episc Polydor. Verg. 5. c. 3.* De causa institutionis Baptismi, *Lombar. 4. 3.*

BARBA.

DEFINIT. ET ETYMOLOG.

Barba, πώγων. Græcis Barbitium est: sed & appellatione eadẽ Trœzeniorum portus. Vnde per iocum barba rariore hominibus insusurrabatur, εἰς Τροιζῆνα δεῖ βαδίζειν. *Cæl. Rhod. Antiq. lect. l. 3. c. 25.*

Barba a veteri voce Baro, quæ virum significat, dicta est. *vet. Glossarum.* Hinc *Isidorus l. 11. orig. c. 1.* inquit: Barbam veteres vocarunt, quod virorum sit, non mulierum. Et in singulari quidem numero hominum, plurali vero quadrupedum dicitur. *Seruius Honor. Verg. interpres.*

Barba. Hebr. *Zakan*, a verbo *Zaken*, senuit, senex fuit. Cognationem habet cum *Zinnek*. i. prosiluit: nam senes dicẽdi sunt, qui in dies multos prosilierunt, senium vero barbam producit. Vide Etymologic. trilingue Lugd.

POETICAE SENTENTIAE.

Ouid. lib. 13. Metamorph.

Nec mea quod rigidis horrent densissima setis
Corpora turpe puta: turpis sine frondibus arbor.
Turpis equus nisi colla iubæ pendentia velent.
Pluma tegit volucres, ouibus sua lana decori est.
Barba viros hirtæque decent in corpore setæ.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Barba non pari modo omnibus effunditur, nam alijs tam maxillę, quam mistax, & mentum pilorum frequentia integuntur, alijs mentum leue, & mistax maxillæ pilosæ cernuntur. *Arist. de hist. ani. 3. c. 11.*

Barbam cum primo cœperint iuuenes emittere, principio fit rufa propter humiditatis paruitatem, quæ in ipsis desiccatur. *Idem de color. c. 6.*

Barba quæ est in corpore, est resolutio calidi, quod est in corpore. *Auer. poster. 2. c. 6. s. 54.*

APOPHTHEGMATA.

Aristippus Dionysij quæstor, nomine Simus, natione Phryx, ostenderet Aristippo suas ædes vndiquaque splendidas etiam pauimento pretiosis tessellis constrato. Itaque omnibus circumspectis Aristippus sputum oris reiecit in barbam Simi, & ob id indignanti hoc colore se excusauit: quod in tota domo nihil videret ad excipiendũ oris recrementum opportunius. Innuens in tota domo nihil esse fędius, aut immundius, barbati facie, cum eam hominis partem oportuerit esse mundissimam. Quanquã hoc dictum magis quadrat in Cynicum aliquem, quam in Aristippum, vtcunque illi ascribatur. *Laer. l. 2. c. 8.*

Anonymus. Lacon quidam senex interrogatus, cur barbam gestaret syluosã ac promissam: Vt, inquit, intuẽs canos pilos, nihil cõmittam illis indignum. Vir bonus vndecunque venatur stimulus ad virtutem. *Plut. in Lacon.*

Lycurgus. Spartanis studio est, alere comam, & super ea quoque renarrant Lycurgum reddidisse rationem. Quoniã, inquit, coma formosis addit decorem, deformes vero reddit hostibus terribiliores. Vt. n. decet coma speciosos, ita minoa felici specie pditis horrorem ac ferinum quiddam concilia. Capillitiũ naturalis est ornatus, minimoq. constans. hoc genus non damnauit Lycurgus: vt quod nec operosis artib. constaret, nec pro frugalitate luxũ induceret. Adscititium cultum, magnoque paranda lenocinia, non probauit. Quo magis detestanda est quorundam præpostera cura, qui corporis eas partes vellũt raduntque, quibus natura pilos dedit non tantum ad decorem aut verecundiã verum etiam ad tuendam valetudinem: contra illic eliciunt syluam artificio, vbi natura voluit esse glabriciem. *Plut. in Lacon.*

Nicander Spartanus percontanti, quare Lacedæmonum barbam alerent? Quoniam, ait, hic ornatus, cum sit homini omnium pulcherrimus ac proprius, nullo omnino constat impendio. *Plut. in apoph. Lacon.*

Demonax cuidam percontanti, quam philosophiæ sectam potissimum amplecteretur? Quis, inquit, tibi indicauit me esse philosophum? Moxque vehementer secum ridens, abijt. Interrogatus quid rideret? An non magnopere ridiculum, inquit, si tu me ex barba iudicas philosophum, ipse barbam non habens? *P. M. lib. 8. apoph.*

Dionysius Epidauri Aesculapio auream detraxit barbam: quod negaret decorum, patrem Apollinem imberbem, ipsum vero tam horrida barba vestitum conspici. Aesculapius fingitur Apollinis filius: Apollinem autem semper imberbem finxit Theologia poetica, per Aesculapium barbatum significans multarum rerũ vsum & experientiam in medico considerari. *Meminit Val. Max. l. 1. c. 1.*

Alexander, quodam tempore cum omnibus ad prælium paratis interrogetur: Nunquid aliud præter hæc fieri vellet? Nihil, inquit, nisi vt Macedonum barbæ radantur. Hoc dictum quid sibi vellet, admirante Parmenione: An nescis, inquit, in prælio nullam ansam meliorem esse, quam barbę? significabat, cominus esse pugnãdum: in quo genere certaminis barbæ officiunt: quod his milites facillime possunt apprehendi. *Plut.*

Hieronymus Rhetus, Gymnasij Basiliensis ante paucos annos professor, interrogatus, cur tam promissam aleret barbam? respondit, vt intuens hos capillos, me non mulierem, sed virum esse intelligam. Barba enim ornat virum: & admonet, vt virilia quoq; facinora, fortius aggrediamur. *Lycosth.*

EXEMPLA SACRA.

Barba non tondenda Leuiticis sacerdotibus, *Leuitic. 19. 27. & 21. 5.*

21.5. Barbæ dimidiam partem seruorum Dauid rasit Hanon, 2. *Samuel* 10 4.

HISTORICA EXEMPLA.

Taxatur apud Aristophanem in concionatricibus Epicratis oratoris cuiusdam barba, cui ob id ipsum vulgari ioco cognomen inditum *σακεσφόρου*, teste scenario, quem Aristophanis interpres ex Platone comico, *Ἄναξ ὑπήνης Ἐπικράτης σακεσφόρε*. Rex barbæ, Epicrates scutifer. Barbam ob similitudinem scutum vocat, & alibi, *ἅπαντα χαὶ μίστεσπακον πρὸς τὰν γνάθον ἔχοντα* Aristophanes in eundem, *πώγων' ὃν ἐπικράτης εἶχ' ὀλίγου καλλίονα* Mihi barba multo pulchrior atque Epicratis. *P.M. in Adag.*

Philosophi olim barbas alebant. Hinc prouerbium, Pallio & barba tenus philosophus. Barbatum hoc crede magistrum dicere, sorbitio quem sustulit atra cicutæ, inquit de Socrate Satyricus. Lucianus passim hoc genus hominum insectatur. Extat epigramma Græcum:

Εἰ τὸ τρέφειν πώγωνα δοκεῖ σοφίαν περιποιεῖν,
Καὶ τράγος εὐπώγων αὔτ' ὅλος ἐστὶ Πλάτων.

Iulianus Apostata ab Antiochenis ob hirsutiem & raritatem suggillatus, quasi barba minime philosopharetur, ad petulantiam illorum coercendam scripsit librum *μισοπώγωνα* dictum.

Adrianus Imp. vt vulnera, quæ in facie erant naturalia tegeret, primus Cæsarum, *Dione teste*. barbam nutriuit.

BARBARVS, BARBARIES.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

BArbarum nomen esse dicimus, cum non cognoscimus vnde veniat, sic nomina prima propter vetustatem sæpe sunt ignota, vnde veniant cum permutentur. *Plat. in Crat.*

Barbaras omnes alias nationes appellabant Græci. *Idem in dial. de regno.* Barbari omnes populi nominantur, præter Græcos. *Idem in Menexemo.*

Barbarorum nationes magis aptæ sunt ad seruiendum, quam Græcorum, & qui Asiam incolunt, quam eorum qui Europam. *Arist. polit. 3. c. 10.*

Barbari dicuntur, qui nec lege, nec ciuitate, nec alicuius disciplinæ ordine disponuntur ad virtutem. *Alb. Mag. Eth. 7. tr. 1. c. 1.*

Barbarus est omni homini ille, qui linguam eius non intelligit. *D. Thom. 1. polit. l. 9.* Barbarus hoc signo declaratur, quod homines non vtuntur legibus irrationalibus. *Idem ibid.*

Barbar, Arabica lingua, murmurare, seu vti vocis inculto sono, fortasse a *Dabar* (i. verbum prolatum) Hebræorum *Barbar* Arabicũ originem sumpsit, vltima syllaba *Bar* duplicata. Barbarus quid significet declarat Strabo lib. 14. his verbis. Arbitror ab initio conficto nomine eos barbaros appellatos, qui difficulter, aspere ac duriter loquerentur: vt blæsos balbosque dicimus. Paulus Apostolus Barbaros a Græcis distinguit Rom. 1. 14. Alibi autẽ nomine Barbari eum intelligit qui loquens ab alio non intelligitur: vt Græcus Hebræo est barbarus, 1. Cor. 14 11. Iterũ Coloss. 3. 11. Barbari tanquam nominis generalis, dein Scythæ, ceu specialis, meminit. Vide Etymologic. trilıng. Lugd. pag. 127. Ex quorundam sententia Barbarus, est quasi dicas Bardus, ex Hebræo nomine Bahar, brutus, & verbo Bahar, furenter egit, vt bruta solent furioso impetu ferri ad ea quæ appetunt.

APOPHTHEGMATA.

Anacharsis, cuidam obijcienti, quod esset Barbarus: Certe, inquit, apud Athenienses, sed vicissim, Athenienses barbari sunt, apud Scythas. Græci, sed in primis Attici (quoniam apud ipsos florebant disciplinæ liberales, ac leges politicæ) reliquas nationes contumeliæ causa nominabant barbaras: cum barbarum dicatur, quicquid est peregrinum atque inusitatum. *Laert. l. 1. c. 9.*

Stratonicus interrogatus, vtri essent barbariores, Bœoti, an Thessali? nominauit Eleos: significans, hos vtrisque barbariores, cum illi haberentur barbarissimi. Hoc erat lepidius: si ab Eleo fuisset propositum, vt forte fuit. *P. M. 6. apoph.*

Seneca, cum barbarorum animos species iniuriæ perculit, aguntur statim: & qua dolor traxit, ruinæ modo, regionibus incidunt incompositi, interriti, incauti, pericula appetentes sua: gaudent feriri, & instare ferro, & tela corpore vrgere, & per suum vulnus exire. *Lib. 3. de ira, c. 3.*

SIMILITVDINES.

Camelus non gaudet potu: nisi prius obturbata conculcatione aqua: Ita quibusdam nihil placet in literis nisi barbarie conspurcatum. *Plin. l. 8. c. 17.*

Vt ignaui canes omnibus ignotis allatrant: Ita barbari quicquid intelligunt, carpunt ac damnant. *Plut.*

EXEMPLA BIBLICA.

Barbari, pro rudibus & ineruditis, *Rom. 1. 14. 1. Cor. 14. 11.*

Barbari humaniter Paulum excipiunt. *Act. 28. 2.*

Polyanthea Nouiss.

HISTORICA EXEMPLA.

Hammonis Sacerdos, quum adeuntem Alexandrum Græce cuperet salutare, ac *παιδίον* id est filiole, vellet dicere, per barbariem inquit, *παιδίος*, id est, Iouis fili. Vnde cælestis originis captata creditur gratia, cui initia error dederit. *Cœlius l. 22. c. 20. A. L.*

Chrysippo Stoico, qui plurima scripsit, solœcismus familiaris fuit: *teste Galeno l. 2. de Hipp. & Plat. decretis, c. 5.*

Martialis in primo Epigrammatum Cæcilianum solœcizantem sic insectatur:

Cum dixi Ficus, rides quasi barbara verba:
Et dici Ficos, Cæciliane iubes.
Dicemus ficus quas scimus in arbore nasci,
Dicemus ficos, Cæciliane, tuos.

De Rufo rhetore Pictauiense imperito, sic scripsit Ausonius,

Qui Reminisco putat se dicere posse Latine,
Hic vbi Co scriptum est, legeret Cor, si cor haberet.

Demosthenes Valentis Imp. legatus missus ad Basilium magnum, cũ in eum vehementer debacchare tur, barbarismo quodam forte lapsus est. Ad quod risu Basilius exclamauit: vidimus & nos Demosthenem sine literis. At cum importunius oblatteraret: ita obiurgauit, Tuum est de pulmentarijs cogitare, & nõ diuina dogmata decoquere. *Sozom. l. 6. c. 16.*

Bartolus Iureconsultorum neotericorum princeps, vti cætera bene, ita hoc male cum summo tamen applausu dixit, de verbibus non curat Iureconsultus. *Lud. Viues l. 1. corrup. disciplinarum.*

Lacones literas vsus gratia addiscebant: cæterarum disciplinarum vrbe interdicebant non magis doctoribus quam artibus. Disciplina vero erat ijs vna ad bene parendum, ad tolerandum labores, & ad vincendum in pugna aut occumbendum. *Plut. in institutis Laconicis.*

Cum sub Alexandri successoribus Athenienses pecunia egerent, & quidam peregrinus se mutuam illis daturũ, *δανείω* barbare promisisset: tumultuati, benignitatem eius repudiarunt, sed cum errore correcto *δανείσω* dixisset: tum demum liberalitate eius vsi hominem collaudarunt. *Suid. in voce ὄψεσθε.*

Franciscus primus Gallorum rex morem illum a Canonistis acceptum, Arresta curiæ lingua Latina publicandi, An. sal. 1539 e medio sustulit, & patria lingua deinceps vti suos voluit: offensus, vt aiunt, barbarie cuiusdam edicti, in quo inter cætera eiusdẽ farinæ hæc quoque legebantur: Nos debotauimus & debotamus.

APOLOGVS SEV FABVLA.

Luscinia & Accipiter.

Luscinia accipitrem, a quo comprehensa fuerat, orabat, se vt dimitteret, neque id eum gratuito facturum esse aiebat. Precium quodnam futurum esset roganti accipitri, respondit, suauissimi carminis sonos. At ego, inquit ille, non aures meas, sed ventrem expleri cupio.

Fabula potest ad duos sensus eosque dissimiles accommodari. Primum, vt intelligamus, imperitos homines liberalibus studijs atque artibus non capi. Alterum, necessaria iucundis anteferri oportere.

BEATITVDO.

DEFINITIONES.

BEare est beatum facere.

Beatitudo, Græce, *μακαρισμὸς* τ. ὁ & *μακάριος* u. ὁ. beatus: & *μακαρίζω* beatifico dicitur.

Beatus Hebræ: *Aschre*, plurali numero dicitur: cuius rei rationem hanc adferunt, quod nemo ab vno aut altero bono beatus vocari & esse possit: sed si quis pluribus affluat bonis, tum felicis & beati nomen merito retineat. *Μακάριος*, quorundam iudicio, idẽ significat, ac si dicas, mortis expers. *κὴρ* enim mors est, teste Phauorino, quo nomine miseriæ, mala & incõmoda omnia designãtur. Ita duæ illæ etymologiæ definitionẽ beatitudinis perfectæ conficiunt: nempe vt beatus ille dicatur qui liber est ab omnib. malis, bonisq; omnibus affluit. Vide Etymol. trilingue Lugduni editum anno 1607. pag. 130. 131. Et est status omnium bonorum aggregatione perfectus, *secund. Boet. lib. 3. de philosoph. consolat.*

Beatitudo est summum bonum, & vltimus finis rationalis naturæ tantum, *secundum B. Tho. 4. sent. d. 49. ar. 2.*

Beatitudo est bonum naturæ intellectualis, apprehensum per intellectum. *secundum eundem 1. p. q. 26. art. 1. & 2.*

Beatitudo est vltima perfectio hominis, *secundum eundem prima secunda. q. 3. art. 2.*

Beatus vir, dicitur omnibus virtutibus instructus & ornatus, *secundum Cic. lib. 5. Tusc. Quæst.*

Beatus dicendus est, qui sit in bonis, nullo adiuncto malo. Beata autem vita virtute conficitur. *secundum eundem ibid.*

Beatus proprie dicitur, qui rebus omnibus ad vitæ vsum ornatumque spectantibus abundat. Dictus, vt quidam volunt, qua si bene auctus. Ideo locupletes viros aliquando beatos vocamus. *Iuuenalis. Vetula vesica beata.*

Vide plura infra in Sententijs Philosophorum.

PATRVM SENTENTIAE.

Iofelix, qui omnia nouit, & te nescit, qui autem te & illa nouit, nõ propter illa beatus, sed propter te solum. *Aug. super Ioan. 17.*

Tam potẽtem Deus fecit animam vt de eius plenissima beatitudine, quæ in fine temporum sanctis promittitur, redundet in inferiorem naturam quæ est corpus, non beatitudo quæ intelligentis & fruentis est propria, sed plenitudo sanitatis quæ est incorruptionis vigor. *In Epist. ad Diacon.*

Beati immaculati in via, tanquam diceret, scio quid velis, quæris beatitudinem. Si ergo vis esse beatus, esto immaculatus. *Idem super Psal. 118.*

Quando dicis: beate viuere volo, bonam rem quæris, sed non hic: si habuit hic istud Christus, habe & tu in regione mortis tuæ. Quid ille inuenit, attende. Veniẽs de alia regione, quid inuenit, nisi quod hic abundauit? labores, dolores, mortẽ. Ecce quod hic habes, & quod hic abundat, manducauit tecũ. Quod hic in cella miseriæ tuæ abundauit aceti hic bibit, sed hic bibit, ecce quod in cella tua inuenit, & ad magnam mensam te inuitauit, mẽsam cœli, mensam angelorum, vbi ipse panis est. *Idem super Ioan. 3.*

Beatitudo vera non est, de cuius æternitate dubitatur. *Idem lib. 2. de æternitate Dei.*

Beatus ex seipso nemo esse potest. *Idem lib. 12.*

Beatus non est, qui quæ vult habet, si mala velit. *Idem epi 3. ad Probil.*

Ille beatus est qui omnia quæ vult habet, nec aliquid vult, quod non decet. *Idem de spiritu & lite.*

Quid hoc bono melius? quid hac felicitate felicius, viuere Deo, viuere de Deo? *Amb. de Off.*

Dico beatam vitam consistere in altitudine sapientiæ, suauitate cõscientiæ, virtutis sublimitate, non sine passione esse, sed victorẽ passionis esse beatum est. *ibid.*

Beatus quem sapientia deuorauit, quem virtus hauserit, quem iustitia receperit. *ibid.*

Beatum nihil, nisi quod caret peccato. *ibid.*

Beatus vir, qui non cogitauit, nec fecit, nec docuit mala: non stetit, non perseuerauit in delicto: sed per pœnitentiam ad meliora conuersus est. *Hieron. super Psal. 1.*

Beatus qui post illa non abijt, quæ possessa onerant, amata inquinant, amissa cruciant, an non satis ea cum honore spernis, quæ cum dolore perdis? *Bern. in ep.*

Tripliciter in æterna illa & perfecta beatitudine fruemur Deo, videntes eum in omnibus creaturis, habentes eum in nobis ipsis, & quod his omnibus ineffabiliter iucundius sit atque beatius, ipsam quoque cognoscentes semetipsam Trinitatem. *Bernard. in sermon.*

Vna cunctis erit beatitudo lætitiæ quamuis non vna sit omnibus sublimitas vitæ: & in illa beatitudine erit culpæ memoria, non quæ mentem polluat, sed quæ nos lætitiæ arctius astringat. *Ber. ibid. in sermon.*

Beatus dictus, quasi bene habitus, scilicet ab habendo quod vellet, & nihil patiendo quod nollet. Ille enim vere beatus, qui habet omnia quæ vult, & nihil vult male. *Isidor. Ety.*

Beatus est, de cuius culmine amicis datur lætitia, inuidis pœna, posteris gloria, vegetis & alacribus exemplum, pigris & desidiosis incitamentum. *Cassiod. ep.*

SENTENTIAE POETICAE.

Anthologia sacra. Iacob. Bill.

Cælestem ad patriam tendens cognosce vocantem,
Cursu promeberis, si bene curris, ope.
Nam si te virtute tua ad cælestia credis
Scandere, desueris pressus ad ima cades.

Boet. 3. 10.

Huc omnes pariter venite capti,
Quos fallax ligat improbis catenis
Terrenas habitans libido mentes,
Hic erit vobis requies laborum:
Hic portus placida manens quiete:
Hoc patens vnum miseris asylum.

Horat. 1. Epist. 16.

Tu recte viuis, si curas esse, quod audis.
Iactamus iam pridem omnes te Roma beatum:
Sed vereor ne cui de te plus, quam tibi, credas.
Neue putes alium sapiente bonoque beatum.

Ouid. 3. Met.

——Scilicet vltima semper
Exspectanda dies homini est, dicique beatus
Ante obitum nemo supremaque funera debet.

Solon Auson.

Dico tunc vitam beatam, cum peracta fata sunt.

Terent. Phorm.

Beatus es, ni vnum desit: animus, qui modeste isthæc ferat.

Horat. Ode 9. lib. 4.

Non possidentem multa vocaueris
Recte beatum; rectius occupat
Nomen beati qui deorum
Muneribus sapienter vti,
Duramque callet pauperiem pati,
Peiusque letho flagitium timet:
Non ille pro charis amicis,
Aut patria timidus perire.

Horat. in Od.

Nihil est ab omni
Parte beatum.

Clearchus apud Athenæum.

Felix per omnia nullus est mortalium:
Nihil vsquam est hominem carpere, quod nequeat.

Pind. in Isth.

Sæculum voluendis diebus nunc huc, nunc illuc se flectit. Cæterum dij extra scelerum ictum sunt.

Idem in Pyth.

Aiunt sane sic viro stabilem florere felicitatem, si hæc & hæc ferat, id est, si ferat tum prospera, tum aduersa.

Lucanus l. 9.

Non illuc auro positi, nec thure sepulti
Perueniunt illic postquam se lumine vero
Impleuit: stellasque vagas miratur, & astra
Fixa polis. vidit quanta sub nocte iaceret.
Nostra dies, risitque sui ludibria trunci.

Val. Flaccus 1.

Ast alium subiecit portam tentare nefas: & tendere contra.
Rura, & speluncæ patet, si quando pectore ductor
Vulnera nota gerens galeis præfixa rotisque
Cui domus aut studium mortalia vellere curas,
Cuique fides, longeque metus, atque ignota cupido.
Seu venit in vittis, castaque in veste sacerdos.
Quos omnes lenis plausus, & lampada quassans
Progenies Athlantis agit, lucet via late
Igne Dei, donec syluas, & amœna piorum
Deueniant camposque vbi Sol totumque per annum
Durat aprica dies, thyasique, choriique virorum,
Carminaque & quorum populis iam nulla cupido.

Claud. 2. de raptu Proserp.

Amissum ne crede diem, sunt altera nobis
Sidera, sunt orbes alij, lumenque videbis
Purius: Elysiosque magis mirabere campos,
Cultoresque pios illic preciosior ætas:
Aurea progenies habitat semperque tenemus.
Quod superi meruere semel: nec mollia desunt
Prata tibi. Zephyris illic melioribus halant
Perpetui flores quos nec tua protulit Ætna.
Est etiam lucis arbor prædiues opacis,
Fulgentes viridi ramos curuata metallo.
Hæc tibi sacra datur fortunatumque tenebris
Autumnum, & fului semper ditabere pomis.

Ex Comicis & Tragicis Græcis.

Εὕροις δ' ἂν οὐδὲ τῶν πάντων ὦ Δημέα,
Ἀγαθὸν ἐν αὐτῷ μὴ προσὸν καὶ κακόν.
Bonum inuenire Demea nullum potes,
Admixta cui non aliqua portio mali.
Ἔξωθέν εἰσιν οἱ δοκοῦντες εὐτυχεῖς,
Τὰ δ' ἔνδον εἰσὶ πᾶσιν ἀνθρώποις ἴσοι.
Foris beati quos beatos credimus,
Nihil sed intus differunt a cæteris.
Οὐκ ἔστιν ὅστις πάντ' ἀνὴρ εὐδαιμονεῖ.
Εἶναι δ' ὑπολαβεῖν καὶ σὺ τῶν πολλῶν ἕνα.
Beatus omni ex parte nullus vspiam.
Vnum esse de multis putato te quoque.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Sit felicitatis definitio hæc: prosperitas cum virtute coniuncta vel fortuna rerum cum virtute administratio actioue: vel ratio per se sufficiens ad bene viuendum: vel vita plenissima voluptatis summa securitate & præsidio nixa: vel abundantia copiarũ, & absolutissima incolumitas corporis cum potestate huiusmodi, atque vt, quæ a paranda illa & conseruanda sufficiat. *l. 1. Rhet. c. 5. Arist.*

Nil beata vita desiderat, nihil requirit, nullo eget: sed seipsa contenta est. *l. 10. Ethic. c. 6.*

Non voluptuosæ in vitæ degendæ rationibus beata vita, sed in virtuti consentaneis actionibus officijsque cernitur. *ibid.*

Beatitudinem sitam esse necesse est in parte optima: siue ea quidẽ mens est, siue alia pars aliqua, quæ naturæ lege imperare debet ac regere: notitiamque in se rerum honestarum ac diuinarum continere, sed diuina quædam res est, seu in nobis nihil est diuinius. *l. 10. Eth. c. 7.*

Vndique perfectam beatitudinem hominis esse necesse est: si perfectæ & absolutæ vitæ vsura accesserit. Nihil enim in beata vita non perfectum potest existere. Quæ talis vita profecto melior est, quam vt eam attribuere sibi homo debeat. Eam enim a-

gat,

gat, non qua homo est, sed qua in eo diuinum quiddam incu- sum est. *ibid.*

Omnis est Deorum beata vita, hominum autem, quatenus in ea lu cet quoddam eius actionis exemplar. *lib.10. Ethic.8.*

Nemo beatum dicat eum, in quo particula nulla sit fortitudinis, nulla temperantiæ, nulla iustitiæ, nulla denique prudentiæ: qui- que circumuolantes muscas extimescat: neque ab vlla re se ab- stineat, si summa edendi bibendive cupiditate inflammetur: summos autem amicos ob quadrantem interficiat, sique mente ita insana, & avero aliena præditus vt puer est, & amens. *lib.7. de Repub.c.1.*

Beata vita, siue in voluptate, siue in virtute ponenda sit, siue in v- troque, iis adest potius, qui summis voluntatis animique orna- mentis instructi sunt, & modica adiumenta externa & aduenti- tia habent, quam iis qui magnis copiis illi quidem abundant re- rum externarum: se his veris bonis carent. *ibid.*

Omnia habere, & in nulla egere, id demum est seipso esse conten tum, satisque præsidij in se habere. *lib.7. de Repub.c.5.*

Quoniam in beata vita summum bonum est, eaque in virtutis a- ctione vsuque perfecto consistit: ita fit, vt quidam eius fieri pos sint compotes: alij aut parum, aut nihil. *lib.7. de Repub c.8.*

Qui adeo secunda fortuna vsus fuit in tota vita, ad extremum au- tem misere è vita migrauerit, hunc nemo duxerit in beatis. *lib. 1. Ethic.c.9.*

Non beatus fit quidem, si quis in Priami calamitates incidat. *lib.1. Eth.c.10.*

Ex misero iterum beatus non fiet exiguo tempore, sed si quo mo- do id eueniat, ex fiet, quod lõgo quodam peracto temporis spa tio, interim res magnas ac præclaras rursus sit consecutus. *ibid.*

Absurdum fit, cum bona omnia beatis attribuamus & conceda- mus, amicos non concedere: quibus nihil in bonis externis ma- ius, neque melius inuenire potest *lib.9. Ethic.cap 9 & lib.2. magn. mor. cap.15.*

Illud quidem perspicuum est, bene beateque viuendi cupiditate incensos esse omnes, quæ alijs assequi licet, alijs per quandã for tunam aut naturam non licet. *lib.7. de Repub.c.13.*

Beatam vitam, si cum cæteris bonis non coniungatur, ducimus an- teponendam esse omnibus. Sin coniungatur, perspicuum est, pluris eam esse cum minimo bono coniunctam quam separatã. *Ethic.lib.10.c.7.*

Si bene vis audire, disce bene loqui, & cum bene loqui didice- ris, recte facere conator, hoc enim modo bonam famam acqui res. Examina te ipsum, vtrum discesermalis, an beari.

Quod si diuitias velis. rem bonam esse scias, nec omnino in te si- tam. Si vero beari, id & bonum est, & penes te. Opes enim for tunæ ad tempus commodato dat. Beatitudo autem a nostra vo- luntate procedit. *Epictetus.*

Scito eum non bonum esse, quem vulgus appellat, ad quem pecu- nia magna confluxit, sed illum, cui bonum omne in animo est, erectum & mirabilia calcantem, qui neminem videt, cum quo se commutatum velit, qui hominem ea sola parte æstimat, qua homo est, qui natura magistra vtitur, ad illius leges componi- tur, sic viuit, quomodo illa præscripsit, cui bona sua nulla vis ex cutit, qui mala in bonum vertit, certus iudicij, inconcussus, in- trepidus, quem si aliqua vis mouet, nulla perturbat, in quem for tuna cum, quod habuit telum nocentissimum, vi maxima intor sit, pungit, non volnerat. *Senec. epist.43.*

Beatus esse sine virtute nemo potest. *Cic. de nat. Deor.*

Is est beatus, cui nihil humanarum rerum, aut intolerabile ad de- mittendum animum, aut minus latabile ad efferendum videri potest. *4.Tuscul.*

Beati dicuntur, qui sunt in bonis nullo adiuncto malo. *5.Tusc.*

Beati sunt, quos nulli metus terrent, nullæ ægritudines exedunt, nullæ libidines cruciant, nullæ futiles lætitiæ exultantes langui dis liquefaciunt voluptatibus. *ibid.*

Vir temperans, constans, sine metu, sine ægritudine, sine alacritate vlla, sine libidine, is est beatus *ibid.*

Nemo potest non beatissimus esse, qui est totus aptus ex sese, qui- que in se vno sua ponit omnia. Cui autem spes omnis, & ratio, & cogitatio pendet ex fortuna, huic nihil potest esse certi, ni- hilque quod exploratum habeat, permansurum sibi, ne vnum quidem diem. *in Parad.*

Nisi stabili & fiso & permanente bono, beatus esse nemo potest: nihil enim inueteraescere, nihil extingui, nil cadere debet eorũ, quæ in vita beata consistunt. Nam qui timebit, ne quid ex his deperdat, beatus esse non poterit. *5.Tusc.*

Qui beatus est, nõ intelligo, quid requirat, vt sit beatior: si est enim quiddam, quod desit, ne beatus quidem est. *ibid.*

Beatus esse in maximarum rerum timore nemo potest. Nemo igi- tur esse beatus potest, neque enim in aliqua parte, sed in perpe- tuitate temporis vita beata duci solet. Nec appellatur omnino vita beata, nisi cõfecta atq; absoluta: nec enim potest alias quis- quam beatus esse, alias miser. Qui enim existimabit posse se mi- serum esse, beatus non erit. Nam cum semel est suscepta beata vita, tam permanet, quam ipsa illa effectrix beatæ vitæ sapiẽtia: nec expectat vltimum tempus ætatis, quod Crœso scribit Hero dotus præceptum esse a Solone. *De Finib.2.*

Est vere fortunatus ille, cuius ex salute nõ minor pene ad omnes, quam ad illum, cui ventura sit, lætitia peruenerit. *Pro M. Mar.*

Omne beatum est, cui nihil deest: & quod in suo genere expletum atque cumulatum est, idque virtutis est proprium *5.Tusc.*

Apophthegmata.

Solon a Crœso interrogatus, an quem vidisset ipso beatiorem? Tel- lum nominauit Atheniensem, priuatum hominem: sed qui feli- cibus liberis ac nepotibus, bene institutis, feliciter obijsset diem. Interrogatus dein, cui post illum tribueret felicitatis elogium, Cleobin & Bitum Argiuos fratres nominauit, qui cum summa pietatis laude defuncti fuerant. Indignatus rex: Nullo igitur lo- co me ponis? Ego, inquit Solon, facile confiteor te regem opi- bus & imperio florentem: beatum non app. llarim, priusquam feliciter hanc vitam absolueris. *Herodot. in 1 & Laert. lib.1. c.1. & P. M lib.7. apoph. Val. Max. lib.7. c.2.*

Agesilaus. Cum quidam apud Agesilaum admiraretur regis Persa- rum felicitatem, quod admodum iuuenis esset: Ne Priamus qui- dem, inquit, cum huius esset ætatis, erat infelix, indicans, nemi- nem appellandum beatum, nisi ad supremum vitæ diem perue- nisset, quod nec Priamo, nec Crœso contigit. *Plut.*

Epaminondas percontatus, quisnam inter omnes duces omnium es- set fortissimus? ipsene, an Chabrias, an Iphicrates? Respondit, hoc iudicare satis arduum est, dum viuimus. Iudicare autem vo luit, Solonis sententiam esse verissimam, qui neminem ante mor tem beatum iudicabat. Quamdiu enim viuit homo, varijs for- tunæ casibus ita inuoluitur, vt nunc eleuetur, nunc deprimatur. Sola igitur mors ostendet, qualis fuerit vnusquisque, dum vixe rit *Plut. in Grec.*

Chilon interrogatus, qua te docti præcellerent indoctis? Bona, in- quit, spe. Doctos autem appellabat, honestis legibus ac moribus institutos, & iuxta rectam institutionem vitam agentes. Hi cæte ris rebus pares, hoc vno superant improbos, quod post hanc vi tam sperant recte factorum præmia. Nam Lacones existimabãt egregios viros, post vbitum in vitam beatam translatos, fieri diuos *Diogenes Laert.*

Socrates interrogatus de Archelao Perdiccæ filio, qui tum fortissi- mus habebatur, num eum beatum iudicaret? Nescio, inquit: nun quam enim cum eo collocutus sum. Subijciens, Eadem opera de rege Persarum dubitare poteis, an sit beatus. Quid ni, inquit, cum nesciam, quam sit doctus, aut quam vir bonus. Socrates ho- minis beatitudinem veris animi bonis metiebatur. *Cic lib. Tusc, q.5. ex Gorgia Platonis.*

Diogenes. Athenienses hortabantur Diogenem, vt mysterijs initia- retur: addentes, quod initiati apud inferos principatum tene- rent. Ad quæ Diogenes, Perquam ridiculum est, inquit, si Agesi- laus & Epaminondas in cœno degunt: & Pataicon fur ac vilissi mi quique homines, quod initiati sunt, in Beatorum insulis erit. Grauiter taxauit sacrificulorum errores, qui quæstus gratia blã diebantur hominum imperitorum superstitioni, persuadentes, initiationem conferre felicitatem post hanc vitam. *P. M lib. 3. apoph ex Diog. Laert. lib 6.*

Antisthenes, quum Orphicis mysterijs initiaretur, ac sacerdos dice- ret, illum bonis plurimis fruiturum apud inferos, post hanc vi- tam: Cur, inquit, ergo tu non abrumpis vitam? *P. M lib.7. apopht. ex Laert. lib.6. c.1.*

Plato. eum demum beatum in vita pronunciari dicit, cui in senectu te contigit, vt sapientiam verasq; opiniones assequi possit. *Cic. lib. de Finib.5.*

Anaxagoras interroganti cuidam, quisnam esset beatus? Nemo, in- quit, ex ijs, quos tu felices existimas: sed eum in eo numero re- perices, qui a te ex miserijs constare credatur. Non erit ille diui- tijs & honoribus abundans, sed aut exiguæ æris, aut non ambi- tiosæ doctrinæ fidelis ac pertinax cultor, in secessu quam frõte beatior. *Val. Max. lib.2. c.... Brusen lib.2. c.36.*

Similitudines.

Nazianzeni. Quemadmodum inter homines multæ sunt differen- tiæ viarum, ac electionum instituta, tam maiorum, quam mino rum, splendidorum, ac periculosorum: Ita & in diuinis, non vni ca solum virtutis est via, per quam saluamur, sed plures: & quod plures solum sint apud Deum, hoc vbique diuulgatũ est, ac om- nium celebratum ac cognitum linguis, ob nullam aliã causam, quam quod multæ sint viæ, quæ illuc ferant: quædam periculo- siores, clariores tamen: aliæ vero humiliores, sed tutiores. Cur igitur securiores relinquimus? & ad hanc vnam nos conuerti- mus, quam sit lubrica ac perniciosa, & quo a ferat, ignoremus? siquidem non omnibus idem conuenit cibus, sed alijs alius, iux- ta varietatem ætatis ac habitus. *De modestia in disputation.*

Quemadmodum sunt variæ viuendi rationes: Ita multæ sunt apud Deum sedes, pro sua cuique dignitate distributæ & assignatæ. Proinde vnus quidem hanc virtutem exerceat, alius illam: hic plures, ille omnes, si fieri potest, modo progrediatur, ad idque, quod est ante, contendat, & pro viribus sequatur egregium itineris ducem, qui per viæ porræque angustias ad beatitudinis perniciem perducit. *Inorat. de pauperib. amand.*

P.M. Vt vulgus ineptum magno labore, magnoque impendio remedia ab extremis Indis aut Aethiopibus petunt, cum in hortis nobis nascatur, quo morbis mederi possimus; Ita præsidia beatæ vitæ magno molimine foris quærimus, in imperijs, in opibus, in voluptatibus, cum in animo sit, quod nos beatos faciat. *In similitud.*

Themist. Hoc virtuti vt proprium est, vt quam quisque virtutem amat, communem esse omnibus velit: Ita hoc magnum est eius, qui in cœlo est, concentus exemplum, vbi nullus in alio maiorem gloriam, virtutem indignatur, sed congratulatur. *In apophtheg.*

EXAMPLA BIBLICA.

Beati qui, *Psal.* 1. *v.* 1. *&* 32. *v.* 1. 2. *&* 106. 3. *&* 112. *v.* 1. 2. *&* 119. *v.* 1. 2. *&* 128. 1. *&* 144. 15 *&* 146. 5. *Prouerb.* 3. 13. *&* 8. *v.* 32. 34. *&* 16. 20. *&* 28. 14. *&* 29. 18 *Esa.* 30. 18 *&* 56. *v.* 1. 2. *Ier.* 17. 7. *Matth.* 5. *v.* 3. 4 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11 *&* 12. *Luc.* 20. *v.* 20. 21. 22. *&* 7. 23. *&* 11. 28. *&* 24. *v.* 53. 14 *Ioan.* 10. 29. *Rom.* 4. *v.* 7. 8. *Iac.* 1. *v.* 12. 25. *&* 5. 11. 1. *Petr.* 4. 14. *Apoc.* 1. 3. *&* 14. 13. *&* 16. 15. *&* 19. 9 *&* 20. 6. *&* 22. *v.* 7. 14. Beati oculi, *Luc.* 10. 23. Beatius dare quam accipere. *Act.* 20. 35. Beati, qui Domini causa moriuntur, *Apoc.* 14. 13. Beati, qui ad cœnã nuptiarum agni vocati sunt, 19. 9.

APOLOGVI.

Musca & Formica.

Præferens se formicæ musca, illam abijcere verbis, & se extollere. Vide, inquit, quanta sit humilitas tua: Caua loca terrarum incolis, & perpetuo humi repras, magno cum labore tenuem victũ quærens. At me alæ in sublime ferunt, & accipiunt mensæ regiæ, auro & argẽto ego eadem bibo, delicatissimis cibis vescor, purpuræ incumbo. Quin etiam mollissimas sæpe genas formosarum deosculor. Fastidiosæ & inflatæ opinione felicitatis respondit formica; Etiam hoc adde, improbitatem tuam inuisam & odiosam esse omnibus, contra te flabella & venena parari. Itemque hoc, modica anni parte durare hanc beatam vitam tuam, dum sol feruet, hyeme & frigore statim occidere. At ego ætate mediocri labore exerceor, vt hyeme quietam & securã vitam possim regere.

Fabula hoc ait: Qui quæ vult dicit, ea quæ non vult audit. Et hoc; Non esse in paruis commodis, sed sine magnis incommodis vitam beatam.

Vide infra Locum de Felicitate. Item de Prosperitate.

BELLVM.

DEFINITIONES ET ETYMOL.

Bellum, Græce πόλεμος ὁ. & πολεμικός, ἡ, ὀν. bellicosus dicitur, & est proprie dissensio, per quam arma mouentur; hinc sociale bellum dicimus, bellum Romanorum cum Hetruscis vel Samnitibus.

Bellum & prælium ita differunt, quod bellum est cum ipsa pugna, tum totum tempus, quo in militia sumus, quod illiterati guerram dicunt: Prælium vero est ipsum tantummodo armorum certamen. Nam pugna & certamen etiam citra arma fit, interdum etiam nudis verbis.

Bellum Hebr. *Lachem*, vbi fit concisio & dissectio hominum, Iudic. 5. 8. Et *Milchamah*, cædes, incisio, quæ fit ore seu acie gladij in bello. Deut. 2. 15. 1. Sam. 8. 20. & 18. 17. Psalm. 140. 3. & 144. 1. In plurali *Milchamoth*, prælia, bella. & in Samuelis historia *Milchemeth*, prælium, vbi homines se inuicem cædendo deuorant & absumunt, a verbo *Lacham*, lucidit dentibus, vel ore gladij, proscidit, comedit, exedit mandendo & concidendo. Metaphorice significat bellum gerere, præliari. Nam in bello gladius videtur homines deuorare, 2. Sam. 11. v. antepenult. Hinc Græc. λαιμάω, λαιμάζω, λαιμάσσω. intemperanter comedo, deuoro, ingurgito: λιχμάω, λιχμάζω Lambo, ligurio, deuoro. *Lechem*, panis, omnis cibus quem dentes incidunt. Psal. 136. vers. penult. nu. 14. 9.

Bellum Latinis ita dictum fuisse per antiphrasim vult Priscianus, quod minime bellum sit. Alij a bono deducunt, non tamen *ἀντιφραστικῶς*, sed quod boni gratia bella olim susciperentur, non ad inferendam, sed ad propulsandam iniuriam, pacemque parandam. Bella certe res, & magistratibus ac principibus gladio iusto armatis, pro salute populorum fidei suæ commissorum vim iniustam vi iusta repellere. Alij a duello deriuant, prima syllaba in b, conuersa. Festus a belluis, quod belluarum sit mutuo se laniatu conficere.

Prælium autem est conflictus ipse, & hostium congressio, pugna, & certamen; quamuis hoc etiam nudis verbis peragi possit, vt in verborum rixis pugnantes sententiæ certant. *Linius* discrimẽ belli & prælij attingit, dicens, Populum Romanum nullo bello, multis vero prælijs fuisse superatum. Et Virgil. Aen. 11. *Infantem fugiens media inter prælia belli Extulit exilio comitem.* Aliquando tamen bellum capitur pro prælio. *Salustius.* In eo bello trecenti milites desiderati.

Prælium, Hebr. *Kerab*. Psal. 55. 22. & 144. 1. Et plurali numero *Keraboth*. Psal. 68. 31. a verbo *Karab*, appropinquauit, congressus est propius, pugnauit, congressus est in bello. Qui prælium priores aggrediuntur, hodie Galli equites Sclopetarij *Karabins* appellãtur. Græc. μάχη, ἡ. & μαχία. ab Hebræo verbo *Lacham*. inuersis literis deriuata voce. In prælijs enim corpora pugnantium gladijs (veluti præda dentibus belluarum inciditur & in frusta secatur) concisa & in partes misere dissecta iacent.

Pugnam a pugno seu manu clausa, & in condylos contracta dictã vult Donatus. Nam veteres ante vsum ferri & armorum pugnis, calcibus, morsibus, corporumque luctatione certabant; vel pugnis tela, lapides iacula vibrabant. Et certe prælia pugnis conficiuntur, nec enim hastæ & enses extensa manu, sed clausa tractantur. Hebr. *Naptul*, a verbo *Pathal*, distorsit se, versauit se, vt colluctantes soleor. In pugnis etenim agilitas & summa solertia requiritur.

SENTENTIAE BIBLICAE.

Prudenter ordinatur quoad intentionem, vt sit causa iusta.

Hostea vos sentient Madianitæ: quia & ipsi hostiliter egerunt contra vos. *Num.* 25.

Dixit autem Dauid ad Philistæum: Tu venis ad me cum gladio & hasta & clypeo: ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum, cui exprobrasti hodie, & dabit te Dominus in manu mea. 1. *Reg.* 17.

Pro iustitia agonizare pro anima tua: & vsque ad mortem certa pro iustitia, & Deus expugnabit pro te inimicos tuos. *Ecclesiast.* 4.

Pro eo quod plausisti manu, & percussisti pede, & gauisa es ex toto affectu super Israel: idcirco ego extendam manum meam super te, & tradam te in direptionem gentium *Ezech.* 25.

Pro eo, quod fecit Idumæa vltionem, vt se vindicaret de filijs Iuda, peccauitque delinquens, & vindictam expetiuit de eis, extendam manum meam super Idumæam. *Ibid.*

Quod ad prosecutionem in Deum sit fiducia.

Moses autem, & Aaron, & Hur ascenderunt super verticem collis. Cumque leuaret Moses manus, vincebat Israel. *Exod.* 17.

Si exieritis ad bellum de terra vestra contra hostes, qui dimicant aduersum vos, clangetis vlulantibus tubis, & erit recordatio vestri coram Domino Deo vestro, vt eruamini de manibus inimicorum vestrorum. *Num.* 10.

Si exieris ad bellum contra hostes tuos, & videbis equitatus & currus, & maiorem quam tui exercitus multitudinem, non timebis eos, quia Dominus Deus tecum est. *Deut.* 20.

Filij Ruben, Gad, & dimidiæ tribus Manasse habentes fiduciam in Domino vicerunt inimicos. 1. *Par.* 5.

Et conuocauit vniuersos in platea portæ ciuitatis, & locutus ad cor eorum, dicens: Viriliter agite, & confortamini, nolite timere, nec paueatis Regem Assyriorum, & vniuersam multitudinem, quæ est cum eo. Multo enim plures nobiscum sunt, quam cum illo. Cum illo enim est brachium carneum, nobiscum Dominus Deus noster, qui auxiliator est noster, pugnatq; pro nobis. 2. *Par.* 32.

Facile est (ait Iudas) concludi multos in manu paucorum, & non est differentia in conspectu Dei cœli liberare in multis & in paucis: quoniam non in multitudine belli, sed de cœlo fortitudo est. 1. *Mach.* 3.

Bellum fiat cum consilio & sapientia.

Si quando accesseris ad expugnandam ciuitatem, offeres ei primũ pacem. *Deut.* 20.

Quando obsederis ciuitatem multo tempore, & munitionibus circumdederis, vt expugnes eam, non succides arbores, de quibus vesci potest, nec securibus debes per circuitum vastare regionem, quoniam lignum est, & non homo, nec potes bellantium contra te augere numerum. *Ibid.*

Gubernaculis tractanda sunt bella. *Prouerb.* 21.

Vir sapiẽs & fortis est, & vir doctus, robustus & validus, quia cum dispositione vnitur bellum: & erit salus, vbi multa consilia sunt. *Ibid.* 24.

Hanc sub sole vidi sapientiam, & probaui maximam. Ciuitas parua, & pauci in ea viri. Venit contra eam Rex magnus, & vallauit eam, extruxitque munitiones per gyrũ & perfecta est obsidio. Inuentusque est in ea vir pauper & sapiens, & liberauit vr-

bem

bem per sapientiam suam: & nullus deinceps recordatus est hominis illius pauperis. Et dicebam ego meliorem esse sapiẽtiam fortitudine. *Eccl. 9.*

Melior est sapientia quam arma bellica. *ibid.*

Neminem concutietis, neque calumniam faciatis, & contenti estote stipendijs vestris. *Luc. 3.*

Bellum vtiliter vitatur.

Quando egressus fueris aduersus hostes tuos in pugnam, custodies te ab omni re mala. *Deut. 23.*

Varius euentus est belli, & nunc hunc & nunc illum consumit gladius. *2. Reg. 11.*

Non litiges cum homine potente, ne forte incidas in manus illius. *Eccles. 8.*

Abstine te a lite, & minues peccata. *ibid. 28.*

Esto consentiens aduersario tuo cito, dum es in via cum eo. *Matth. 5.*

Bellum frequenter oritur ex diuina offensione: sic Dominus transgressoribus legis hostilem minatur persecutionem.

Si non audieritis me, nec feceritis omnia mandata mea, &c. ponã faciem meam contra vos, & corruetis coram hostibus vestris, & subijciemini his, qui oderunt vos. *Leuit. 26.*

O mucro Domini vsquequo non requiesces? ingredere in vaginã tuam, refrigerare & sile. Quomodo quiescet, cum Dominus præceperit ei? *Ierem. 47.*

Fugite, saluate animas vestras, & eritis quasi myricæ deserto.

Pro eo quod habuisti fiduciam in munitionibus tuis, & in thesauris tuis, tu quoque capieris. *ibid. 48.*

Cessabit Moab esse populus, quoniam contra Dominum gloriatus est. *ibid.*

Quid gloriaris in vallibus? Ecce ego inducam super te terrorem, ait Dominus. *ibid. 49.*

Arrogantia tua decepit te. *ibid.*

Cum exaltaueris quasi aquilæ nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus. *ibid.*

Patrum Sententiae.

Donabit certanti victoriam, qui certandi dedit audaciam. Non ergo nos hostium turba, non bellantium forma, non quasi fulgẽs vitrea recreat armatura. Goliam magnum, robustum, armis terribilem, ingentique turba munitum, Dauid solus paruus atque inermis, vno lapidis ictu prostrauit, totaque Allophylorum castra turbauit atque fugauit. *August. contra quinque hær. in princip.*

O homo ideo non vicisti, quia de tuo præsumpsisti. Qui præsumit de viribus suis, antequam pugnet, prosternitur. *De verbis Apost.*

Si Christiana disciplina omnia bella culparet, hoc potius consiliũ salutis petentibus in Euangelio daretur, vt abijcerent arma, seque militiæ omnino subtraherent. Dictum autem est eis: Neminem concutiatis: estote contenti stipendijs vestris, quibus proprium stipendium præficere præcepit, militare non prohibuit. *In serm. de puer. Cent.*

Ordo naturalis mortalium paci accommodatus hoc poscit: suscipiendi belli authoritas atque consilium penes Principes sit. *Con. Faus.*

Iusta bella solent definiri, quæ vlciscuntur iniurias, si gens vel ciuitas plectenda est, quæ vel iudicare neglexerit, quod a suis improbe factum est, vel reddere, quod per iniuriam ablatum est. *In lib. quæstionum.*

Apud veros Dei cultores etiam bella pacata sunt, quæ non cupiditate aut crudelitate, sed pacis studio geruntur, mali coercẽtur, & boni subleuantur. *In lib. de verb. Dom.*

Non quæritur pax, vt bellum exerceatur, sed bellum geritur, vt pax acquiratur. Esto ergo bellando pacificus, vt eos quos expugnas, ad pacis vtilitatem vincendo perducas. *ibid.*

Quum iustum bellum suscipitur, vtrum aperte pugnet quis, an ex insidijs, nihil ad iustitiam interest. Dominus enim Iosuæ mandauit, vt habitatoribus Hai insidias poneret. *In libro quæst.*

Noli existimare, neminem Deo placere posse, qui armis bellicis ministrat. in his erat sanctus Dauid, cui Dominus magnum testimonium perhibuit. *Ad Bonif.*

Fortitudo, quæ per bella tuetur a Barbaris patriam, vel defendit infirmos, vel a latronibus socios, plena iustitiæ est. *Ambr. de Offic.*

Incessum contra exteriores inimicorum in campo bellum geritur, si intra vrbis mœnia ius insidiens habetur. *ibid.*

Vtilior est in conflictu lorica ferrea, quam stola linea, licet oneri illa sit. In minimis probare conflictibus, quem viriliter in maiori certamine stare possitis. *ibid.*

Si bona fuerit causa pugnantis, pugnæ exitus malus esse nõ potest: sicut nec bonus iudicabitur finis, nisi causa non bona, & intentio non recta præcesserit. *Bern. de noua militia.*

In prælijs concitatis gloria vincentis semper apparet: nam virtus probatur latere, quæ non fuerit explorata certamine. *Cassiod. super Psal. 26.*

Ars bellandi si non præluditur, quum fuerit necessaria, non habetur. Discat ergo miles ocio, quod perficere possit in bello. Animos subito ad arma non erigunt, nisi qui se ad ipsa idoneos præmissa exercitatione disponũt, gestiunt vituli certamine, quæ implent ætate robusta, catuli in nouellis venationibus ludunt: sic animi hominum, nisi prius leuiter fuerint imbuti ad hoc, quo tendis, idonei nequeunt reperiri. Primordia cuncta pauida sunt, & aliter timiditas non tollitur, nisi quum rebus necessarijs nouitas abrogatur. *Cassiod. lib. 1. epist. 39.*

Terribilis est hominibus conflictus, si non sit assiduus, & nisi vsu præmunietur, concertandi subito fiducia non habetur: nam quod in iuuentute non discitur, in matura ætate nescitur. *lib. 3. epist. 3.*

Viri fortes semper in pace modesti sunt, & iustitiã nimis diligunt, qui frequenter prælia tractauerunt. *lib. 5. epist. 3.*

Sapientis non est velle certare, & periculo se velle committere, quoniam & vincere non est in nostra potestate, & est anceps omne certamen. *Lact. lib. 6.*

Non dat tot pugna socios, quot solet mensa conuiuas. *Sidon. lib. 3. epist. 3.*

Quemadmodum certantibus ventis mare concutitur: sic regibus sibi aduersantibus populus regni vexatur. *Chrys. in Matth.*

Aduersariorum pugna constanter aliquando appetẽda est, & prudenter aliquando declinanda. *Greg. in Mor.*

De cubiculo ad aciem, de vmbra egrediens ad solem corpus assuetum tunicæ loricæ onus non sustinet. Caput opertum linteo galeam recusat. Mollem ocio manum durus exasperat capulus. Fortior autem miles ex confragoso venit. *Hieron. in epist. ad Theodorum monachum.*

Quid culpatur in bello? An quia moriuntur quandoque morituri, vt dominentur in pace victuri? Hoc reprehendere timidorum est, non religiosorum. Nocendi cupiditas, vlciscendi crudelitas, impacatus atque implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & si qua similia, hæc sunt, quæ in bellis iure culpantur. *Augustinus contra Manichæos. & habetur ibid. Quid culpatur.*

Militare non est delictum, sed propter prædam militare peccatum est: nec Remp. gerere criminosum est, sed ideo regere Remp. vt diuitias augeas, videtur esse damnabile. Propterea enim quadã prouidentia militantibus sunt stipendia constituta, ne, dum sumptus quæritur, prædo grassetur. *Idem de verbis Dom. tract. 19. & habetur 23. q. 1. Militare.*

Sententiae Poeticae.

Virg. lib. 1. Georg.

Quippe vbi fas versum atque nefas: tot bella per orbem
Tam multæ scelerum facies: non vllus aratro
Dignus honos, squalent abductis arua colonis:
Et curuæ rigidum falces conflantur in ensem.
Hinc mouet Euphrates, illinc Germania bellum,
Vicinæ ruptis inter se legibus vrbes
Arma ferunt: sæuit toto Mars impius orbe;
Vt cum carceribus sese effudere quadrigæ,
Addunt se in spatia: & frustra retinacula tendens
Fertur equis auriga, neque audit currus habenas.

Lucan. lib. 1. de bello Pharsalico.

Tu causa malorum
Facta tribus dominis communis Roma, nec vnquam
In turbam missi feralia fœdera regni.

Ibidem lib. 3.

Vsque adeo solus ferrum mortemque timere
Auri nescit amor? pereunt discrimine nullo
Amissæ leges, & pars vilissima rerum
Certamen mouistis opes.

Ciuilis belli detestatio, ex Horat. in lib. Epod. Ode 7.

Quo quo scelesti ruitis? aut cur dexteris
Aptantur enses conditi?
Parumne campis atque Neptuno super
Fusum est Latini sanguinis?
Neque hic lupis mos, neque fuit leonibus
Vnquam, nisi in dispar feris.
Furorne cæcus, an rapit vis acrior?
An culpa? Responsum date.
Tacent, & ora pallor albus inficit,
Mentesque perculsæ stupent.

Ex 10. Eleg. lib. 1. Tibull.

Quis fuit horrendos primus qui protulit enses?
Quam ferus, & vere ferreus ille fuit.
Tunc cædes hominum generi, tunc prælia nata:
Tunc breuior diræ mortis aperta via est.
At nihil ille miser meruit, nos ad mala nostra
Vertimus, in sæuas quod dedit ille feras.

Diuitis hoc vitium est auri: nec bella fuerunt,
Faginus astabat cum scyphus ante dapes.
Non arces, non vallus erat, somnumque petebat
Securus varias dux gregis inter oues.
Quis furor est, atram bellis accersere mortem?
Imminet, & tacito clam venit illa pede.

Virg. lib. 10. Aeneid.

Hic magnus sedet Æneas, secumque volutat
Euentus belli varios.

Homer. in α. Iliad.

Ἀφρήτωρ, ἀθέμιστος, ἀνέστιός ἐστιν ἐκεῖνος,
Ὃς πολέμου ἔραται ἐπιδημίου ὀκρυόεντος. id est:
Insociabilis, sceleratus, priuatus homo est ille,
Qui bellum amat in populo mortiferum.

Homer. in π. Iliad.

Ἐν γὰρ χερσὶ τέλος πολέμου, ἐπέων δ᾽ ἐνὶ βουλῇ.
In manibus enim finis belli, verborum autem in consilio.

Ibid. in 6. Iliad.

Ξυνὸς Ἐνυάλιος, καί τε κτανέοντα κατέκτα.
Communis Mars est, & interfectorem interficit.

Virg. 2. Aeneid.

Pulchrumque mori succurrit in armis.

Ibidem.

Dolus an virtus, quis in hoste requirat?

Terentius.

Omnia prius experiri verbis quam armis sapientem decet.

Ouid. Metamorph. lib. 5. fab. 5.

Turpe quidem contendere erat, sed cedere visum
Turpius.

Idem lib. 9. fab. 1.

Quis enim sua prælia victus
Commemorare velit?

Ibidem.

Melior mihi dextera lingua est,
Dummodo pugnando superem, tu vince loquendo.

Idem lib. 12. fab. 6.

Quis enim laudauerit hostem?

Idem lib. 13. fab. 1.

Tutius est igitur fictis contendere verbis,
Quam pugnare manu.

Ouid. epist. Paridis ad Helenam.

Certamen præmia magna mouent.

Lucan. lib. 2. Pharsaliæ.

Summum Brute nefas ciuilia bella fatemur.

Idem lib. 10.

Nulla fides pietasque viris, qui castra sequuntur.

Lucan. lib. 4. Phars.

Heu miseri, qui bella gerunt.

Iuuenal. Satyr. vlt.

Solis præterea testandi militibus ius
Viuo patre datur, nam quæ sunt parta labore
Militiæ, placuit non esse in corpore census,
Omne tenet cuius regimen pater.

Senec. in Herc. fur. tragœd. 1.

Omnis in ferro est salus.

Ibidem.

Arma non seruant modum,
Nec temperari facile, nec reprimi potest
Stricti ensis ira: bella delectat cruor.

Ibidem.

Quæritur belli exitus,
Non causa.

Idem in Thyest. tragœd. 2.

Peior est bello timor ipse belli.

Et Fab. c. lib. 8. Metamorph. de Scylla.

Sexta resurgebant orientis cornua Lunæ,
Et pendebat adhuc belli fortuna: diuque
Inter vtrumque volat dubijs victoria pennis.

Silius lib. 3. de bello Italico.

Et pace & bello cunctis stat terminus æui:
Extremumque diem primus tulit, ire per ora
Nomen in æternum paucis mens ignea donat:
Quos pater ætherius cælestum destinat oris.

Ex 11. Aeneid. lib.

Nulla salus bello: pacem te poscimus omnes.

Faustus Andrelinus in Distichis.

Perfurit, & totum miscet Mars impius orbem.
Heu dico inuenta est ab loue cara luis.

Euripides in Ἱκετίσιν.

Φιλεῖ τοι πόλεμος οὐ πάντ᾽ εὐτυχεῖν,
Νεκροῖς δὲ χαίρει πτώματα νεανιῶν,
Κακοῖς δὲ μισεῖ τῇ πόλει μὲν ἦν νόσος,
Τοῖς δ᾽ αὖ τοῖς δὲ κατ᾽ θανοῦσιν ἄκλεές id est:
Solet fere bellum non per omnia feliciter succedere.

Sed fortium gaudet casu iuuenum:
Odit autem timidos, quod ciuitati quidem calamitosum
Existit, at ipsis defunctis gloriosum.

Aratus in Phænomenis.

Χαλκείη γενεὴ προτέρων ὀλοώτεροι ἄνδρες,
Πρῶτοι χαλκεύσαντο κακοεργὸν εἰνοδίην μάχαιραν. id est:
Æneum olim sæculum viros habuit perniciosos,
Æneum qui primi fabricauere gladium.

Pindarus in Hyporchematis.

Γλυκὺ δὲ πόλεμος ἀπείροισιν, ἐμπείρων δέ τις ταρβεῖ προσιόντα νιν καρδίᾳ περισσῶς id est:

Dulce bellum inexpertis, expertus vero accedens & animo vehementer horret.

Sententiae Philosophicae & historicæ.

Bella gerimus ob eam causam, vt in pace viuamus: & negocia suscipimus, vt in ocio simus. *lib. 10. Ethic. c. 7.*

Nemo bellum, quia bellum est, gerere instituit, neque bellum parare. Crudelis enim videatur omnino, si quis contra amicos bellum instruat, vt pugna edatur, fiantque cædes. *ibid.*

Ars bellica quæstuaria est quodammodo, vi sua & natura. *lib. 1. de Repub. c. 5.*

Ad bellicam virtutem, quæ pars virtutis est, quæque ad vincendum valet, omnis legum descriptio dirigitur. Itaque qui bello salutem adepti sunt, in imperio conciderunt: propterea quod pace & ocio vti nesciant: neque vllam ætatem aliam bellica meliorem exercuerant. *lib. 1. de Repub. c. 7.*

Vt modestia est quiescere, si non afficiaris iniuria: ita iustitia est cum iniuria afficimur, bellum paci anteferre, & repressa iniuria post bellum rursus pacem facere, nec aut successu in bellis elatos plura appetere, nec pati iniurias mollitie & amore ocij. *Thucyd. lib. 1.*

Contra hostes quorum terra longius distat, qui exercitatissimi sunt in mari & alijs rebus omnibus, optime instructi pecunia publica & priuata, nauibus, equis, armis, copijs militum, & qui socios multos habent tributarios, non est facile gerere bellum. *eod. lib.*

Cum sint incerti exitus belli, prius considerate quid agendum sit quam bellum inferatis. Nam postquam illatum est, diuturnitas efficit varias vices, a quibus vicibus vtrique adhuc absumus, & nondum prospicimus exitum. Inferentes vero bellum ante iudicia, vi rem agunt: postea detrimentis acceptis, quærunt tractationes & iudicia. *idem eod. lib.*

Accusationes publicæ & priuatæ extingui possunt. Bellum vero motum ab vniuersis, cuius exitus incertus est, non facile deponi potest. *ibid.*

Stultum est, mouere bellum, si florente statu liceat retinere pacem. Sin autem necesse est aut cedentes imperata facere, aut pericula adire libertatis retinendæ causa, magis reprehendendus est is qui fugit periculum quam qui sustinet. *idem lib. 2.*

Non opus est longa ratione apud sapientes commemorare, quam calamitosa res sit bellum. *idem lib. 4.*

Anceps conditio est bellorum, & ex paruo fiunt multa, & cum indignatione confligitur. Ac sæpe minor manus dum metuit maiorem, præ contemptu parum instructam profligauit. *idem, lib. 2.*

Bella plerumque pecuniarum copia sustentantur. *Dionys. Halic. lib 6.*

Facillimum cuiuis est verbis bella administrare. *idem lib. 9.*

Sapientis est a bello abstinere etiam si graues belli causas habeat. *Xenoph. de bell. Græc lib. 6.*

Omne bellum sumitur facile, cæterum ægerrime desinit; non in eiusdem potestate initium eius & finis est. Incipere cuiuis, etiam ignauo, licet: deponi, cum victores velint. *Salust. de bello Iugurth.*

Sæpe in bello paruis momentis magni casus intercedunt. *Cæsar lib. 1. bell. ciuil.*

In bello paruæ res magnum in vtramque partem momentum habent. *lib. 3.*

In nouo genere belli nouæ ab vtrisque bellandi rationes reperiuntur. *idem ibid.*

Errant quicumque in bello omnes secundos expectant euentus. *idem lib. 7. de bell. Gall.*

Belli necessitates non expectant humana consilia. *Liuius Decad. 1. lib. 4.*

Sunt & belli, sicut pacis, iura. *idem, lib. 5.*

Plurimum in bello pollere videntur militum copia & virtus, ingenia imperatorum, fortuna, per omnia humana, maxime in res bellicas, potens. *idem. lib. 9.*

Iustum est bellum, quibus necessarium, & pia arma, quibus nulla nisi in armis relinquitur spes. *eod. lib.*

Stultitia est, sedendo aut votis debellari credere posse: armari copias oportet, deducendas in æquum, vt vir cum viro congrediaris. *Decad. 3. lib. 2.*

In secundis rebus bellum segniter ociose que geritur. *lib. 3.*

Plus animi est inferenti periculum, quam propulsanti. *lib. 8.*

Turpe

Turpe est in re militari dicere, non putabam: videlicet: quia explorato & excusso consilio quæ ferro aguntur administrari oportet. Inemendabilis enim est error, qui violentia Martis committitur. *Valer. Max. lib. 7. c. 2.*

Belli fortuna ita plerumque anceps est & dubia, vt magnus numerus a paucissimis, & qui potentiores creduntur, ab imbecillioribus superantur. *Herod. in Maxim.*

Virtute faciendum est quicquid in bellicis rebus est gerendum. *Vopisc. in Aureliano.*

Præceptum illud in omnium animis esse debet. Nihil in bello oportere contemni. *Æm. Probus in Thrasyb.*

In pace causæ & merita spectantur: vbi bellum ingruit, insontes ac noxij iuxta cadunt. *Tacitus, Annal. lib. 1.*

Bellorum egregij fines sunt, quoties ignoscendo transiguntur. *Annal. lib. 12.*

Boni malique causis diuersis, studio pari, bellum omnes cupiunt. *Pen. Histor. lib. 2.*

Vt initia belli proueniunt, fama in cetera est. *idem eod. lib.*

Sumitur bellum etiam ab ignauis: strenuissimi cuiusque periculo geritur. *lib. 4.*

Aurum & opes præcipuæ bellorum causæ. *idem, eod. lib.*

Iniquissima hæc bellorum conditio est: prospera omnes sibi vindicant: aduersa vni imputantur. *Tacit. in vit. Agric.*

Arma ciuilia neque parari possunt, neque haberi per bonas artes. *Idem Annal. lib. 1.*

Ciuilibus bellis plus militibus quam ducibus licet. *Hist. lib. 2.*

Publicæ priuatæque opes & immensa pecunia inter ciuiles discordias ferro validior: *idem, eod. lib.*

Initia bellorum ciuilium fortunæ permittenda: victoria consilijs & ratione perficitur. *Hist. lib. 3.*

Præclarum est, etiam cum periculo, profligare bellum alienæ & barbaræ gentis, quæ cum victoriæ finem statuit, vt ignis in morem victus aboleat. *Plut. in Camil.*

In bellis ciuilibus vtrinque, seu vincentes, seu victi, patriam iniuria afficiunt, cui damno est victoris bonum. *idem in Othone.*

Ferro bella geruntur, non auro: viris, non vrbium tectis: omnia sequentur armatos. *Curtius, lib. 5.*

Raro permittitur in bello tempora eligere. *idem lib. 7.*

Belli fortuna artem victos quoque docet. *eod. lib.*

Naturæ iura bellum in contrarium mutat. *idem lib. 9.*

Spem gratiæ ciuibus cito abrumpere, ad bellum ciuile properantium est. *lib. 10.*

Quo sæpius Cæsar vicisset, hoc minus experiundos casus opinabatur, nihilque se tantum acquisiturum victoria, quantum auferre calamitas posset. *Sueton. in Iul. c. 60.*

Familiari re pauperes belli duces, rexere bella grauissima, gloria locupletes. *Amm. Marcellin. lib. 24.*

Quid magis infidum quam vicinus hostis? aut quid barbarico bello periculosius? *Polyb. lib. 4.* idem, *lib. 9. & 17.* belli gerendi quasdam rationes prolixe describit, ducibus summe necessarias.

De bello ciuili. DIAL. LXXIV.
Francisc. Petrarch.

DOL.

Bello quatimur ciuili. R. Nomen hoc a ciuibus tractum, & tu vnus es ciuium. vide ergo, ne & tu vnus sis huic malo fomenta præbentium, & virili parte culpæ non carens. Hic enim est mos, alterũ inflammat, donec singuli furorem publicum exciuerint. Tũ demum furor publicus singulos vrget, ac præcipitat, nec vnquam publicum malum a se incipit, quamuis accessione auctum totã infecerit, siue etiam euerterit ciuitatem, si primam tamen quæris originem singulorum, in erroribus radicatum est, hoc est autem, quod cauendum moneo: ne tu quoque vnus fueris ex his, qui vel materia, vel flatu ciuile incendium aluerint. Multi enim faciunt, vnde mox querantur, & quasi ab altero inflictum vulnus suis manibus factum lugent. Multi iam suo incendio periere. Quod si tibi nihil es conscius, pius est dolor boni ciuis in calamitate publica, sed quem soletur innocentia. Humanis enim malis nullum flebilius culpa est, immo quidem, vt quibusdã maximis viris placet, nullum aliud est malum. D. Ciuili vexamur bello. R. in furore ciuium te sequestrum pacis exhibe, si id frustra est, at tu saltem pro libertate, vel solus pro iustitia partes fac, quod & si patriæ fortassis inutile, at tibi certe laudabile vtriusque rei exemplum vna tibi vrbs dabit. Menenium Agrippam, & Portium Catonem hunc nouissimum. D. Implacabile ciuibus bellum est. R. Si nihil opis in te est, ambi alios, increpa, deprecare, obsta, castiga, obsecra, ingere, quibus potes, publicam ruinam, quæ priuatas in se continet, & quum nullius propria videatur, est omnium. Denique hinc pietate, hinc terroribus animos placa. Si nil apud homines proficis, Deum ora. Opta ciuiũ resipiscentiam, & salutem patriæ, modisque omnibus boni ciuis officium imple. D. Bello ciuili Respub. in extremo est. R. Nequid vel ciuilibus, vel externis bellis inopinum accidat, ne quis imparatum casus opprimat, semper hoc vnum volue animo, non homines modo, sed præter animos humana omnia esse mortalia: & vt hominibus, sic vrbibus, & magnis imperijs suos morbus, nunc extrinsecus obrepentes, nũc ipsum intra corpus exortos, in quibus sunt secessiones, & simultates, & discordiæ, & bella ciuilia, esse omnibus constitutum terminum, qui præteriri nõ poterit, suum finem cunctis, quæ videntur initare, & si paululum differatur, affuturum tamẽ. Vbi sunt vrbes clarissimæ, fuisse syluas asperrimas, & futuras esse. Stulte de se sperare vrbẽ aliquã, quod assequi regina vrbium Roma nequiuerit. Hoc inter fata hominum atque vrbium interesse, propter innumerabilem, infinitãque frequentiam & vitæ breuitatem quotidie in oculis sũt. Hæc propter raritatem atque æuum longius vix semel multis in sæculis, & cum stupore cernuntur. Hæc te cogitatio firmiorẽ contra omnes casus tam publicos, quam priuatos faciet. Hæc tibi demum, & si non amœnam, at vtcumque tolerabilem viã sternet ad inopiam, ad exilium, & ad mortem, docebitque hoc proprium patriæ tuæ malum, quod omnibus est commune.

Polyanthea Nouiss.

De infausto prælio. DIAL. LXXIII.
Francisc. Petrarch.

DOL.

At prælio victus sum. R. Iam timor euanuit, sperare incipies, hæc est horum series affectuum. Nam cum spes & metus de futuro sint, iam vt futurum potest esse, quod speres, sic futurum esse desijs, quod timebas. D. Magno prælio victus sum. R. Tantum ne animo victus sis. Nempe illic succidit, actũ est. Meministi, vt Marcellus prælio victus die proximo in aciem redijt, victoremque suum, maiore quam ab illo pridie victus erat, prælio vicit. Et Iulius Cæsar ad Dyrrachium inferior, ad Pharsaliam mox ingenti prælio victor fuit. Multi prælio victi bello fuere victores. Non cadunt animi virorum fortium vnius lucis euentu, non magnanimi tantum, sed longanimes sunt. Victus hodie, cras pugnabis cautius. Duces artem infausta prælia quasi tristes fidique edocẽt magistri. Atque vbi sit erratum, plagis admonent. Sic agricolam steriles, architectum lapsus ædium, equitem casus crebri, nautam graues acuunt procellæ. Errando discitur. D. Victus sum. R. Non est victus, nisi qui se victum credit, cuius spes obruta & extincta est, cuius animus amara deposuit. Adspice Romanos animos, cum semper tum præsertim bello Punico secundo: non tã defectione sociorum, non conspiratione regum, ac gentiũ, non tot infelicibus prælijs, ac ruinis pene vltimis victi sunt. Nulla vnquam apud illos mentio pacis, nullum diffidentiæ vestigium. Nulla denique nisi alta prorsus & inuicta consilia. Hoc sane quid est aliud, quam virtute animi fortunæ duritiem mollire, atque illam in pudorem sui, & amorem tui cogere? Tandem igitur, vt dignum erat, emersere, & mille strati surrexere altius, vt non hostes tantum suos modo tam formidabiles, sed totum mox ex ordine terrarum orbem virtus illis ac fortuna subijceret. D. Victus sum, fateor. R. Nũc demum incipis nosse fortunam, & hoc saltem boni fugiens inuenisti. Nemo ferme res magnas gratis discit. Multos docet experientia, quos schola non docuit, & præceptoribus surdum caput hausit oculis, quod auribus non valebat. Nulla rerum humanarum certior magistra, quã aduersitas. Nulla discutiẽdis erroribus aptior. D. Magno fortunæ vulnere corrui. R. Surge, ne iaceas. Nusquam clarius, quam inter fortunæ vulnera prominet animi magnitudo. Nunc nosce teipsum, quantarũmque sis virium, valde ictus intellige. D. Speratã victoriam amisi. R. Si insperatam prudentiam quæsiuisti, non spernenda rerum permutatio videri debet. D. Victus sum bello. R. Bello victus libertatem retinet ac vitam. Vitio autem victus vtramque amittit, quisquis igitur illis succumbit, vere vincitur. D. Victus sum. R. Quid scis, an illud magno Pompeio Thessalico dictum dicere, & tibi conueniat, *vincere peius erat.* vt damni plus, sic peccati minus solet habere, qui vincitur. Lucrũ ingens, quod optantes quidam non vinci modo, sed mori etiam elegerunt. Et profecto mercantur egregie, qui morte corporis quærunt animæ salutem, sed plerique malis suis gaudent, bonis anguntur. Tanta hominum mentes habet cæcitas. D. Victus sum. R. Potest id quidem tibi non scientiæ militaris inopia, sed fortuito contigisse. Nusquam enim fortunatior (vt ita dixerim) fortuna, quã in prælio, cum alibi, illic omnia posse illam perhibent. D. Prælio victus excessi. R. At non continuo nudus. Possunt arma victis auferri. Vera autem bona, quæ sunt arma animi, etiam qui videntur victi, retinent. Ea enim vt ex incendio, ac naufragio, sic aduerso ex prælio efferuntur, nec illa tantum, quæ in animis abdita ferro tangi nequeunt, sed illa quoque, quæ maxime periclitari in prælijs, ac ferro exposita videntur. Itaque non quisquis bello vincitur, bellicis simul spoliatur laudibus, licet armis amissis ex acie fugiẽtem, quodque est maius in acie pereuntem secum ducis eximij nomen ferre. Nam & ad Thermopylas Leonidam non tam victum, quam vincendo fatigatum inter ingentes stratorum hostium cumulos occidisse cum suis, Græcæ memorant historiæ, quam Deiphobo famam Maro applicat, & in campis Aemathijs (si Lucano creditur) stetit ordine certo in-

felix acies, & nouissimo prælio, quod in Africa cum Hannibale gestũ est, nec melius instrui aciẽ, nec acrius potuisse pugnari, vt de victore victus, sic & de victo itidẽ victor ipse confessus est. vterque ingẽs rerũ taliũ æstimator. Quid amisit autẽ, qui veram artis suæ gloriam, & bene gestæ rei conscientiam non amisit?

Scientia rei bellicæ dimicandi nutrit audaciam. Nemo facile metuit, quod se bene didicisse confidit. Etenim in certamine bellorum exercitata paucitas ad victoriam promptior est, quam rudis & indocta multitudo, exposita semper ad cædem. *Veges. de re milit. lib. 1. cap. 1.*

Cõstat quidem, in omnibus locis & ignauos & strenuos nasci. Sed tamen gens gentem præcedit in bello, & plaga cœli ad robur non tantum corporum, sed etiam animorum plurimum valet, & omnes nationes, quæ vicinæ sunt soli, nimio calore siccãtur, amplius quidem sapere, sed minus habere sanguinis dicuntur: ac propterea constantiam & fiduciam cominus non habere pugnãdi, quia metuunt vulnera, qui exiguum sanguinem se habere nouerunt. E contra, Septentrionales populi, remoti a solis ardoribus, inconsultiores quidem, sed tamen largo sanguine redundãtes, sunt ad bella promptissimi. Tyrones igitur de temperatioribus eligendi sunt plagis, quibus & copia sanguinis suppetat ad vulnerum mortisque contemptum, & non possit deesse prudentia: quæ & modestiam seruat in castris, & non parum prodest in dimicationibus vt consilijs. *Idem cap. 2.*

Nunquam credo potuisse dubitari, aptiorem armis rusticam plebem, quæ sub dio & in labore nutritur, Solis patiens, vmbræ negligens, balneorum nescia, deliciarum ignara, simplicis animi, paruo contenta, duratis ad omnem laborum tolerantiam membris: cui gestare ferrum, fossas ducere, onus ferre, consuetudo de rure est, & solem puluerẽmque ferre non timeat. Ex agris ergo supplendum robur præcipue videtur exercitus: nescio enim, quo modo minus mortem timet, qui minus deliciarum nouit in vita. *Idem cap. 3.*

Ex vultu, ex oculis, ex omni conformatione membrorum eos eligant, qui implere valeant officium bellatoris. Namque nõ tantum in hominibus, sed etiam in equis & canibus virtus multis declaratur indicijs. Sit ergo adolescens Martis operi deputandus, vigilantibus oculis, erecta ceruice, lato pectore, humeris musculosis, valentibus digitis, longioribus brachijs, ventre modicus, exilior cruribus, suris & pedibus non superflua carne distẽtis, sed neruorum duritia collectis. Cum hæc in tyrone signa deprehenderis, proceritatem non magnopere desideres. Vtilius est enim, fortes milites esse, quam grandes. *ibid. c. 6.*

Nihil magis prodesse constat in pugna, quam vt assiduo exercitio milites in acie dispositos ordines indesinenter seruent. Nam & constipati perdunt spatia pugnandi, & sibi inuicem impedimento sunt: & rariores atque intercludentes aditum prorumpendi hostibus præstant. Instructionis igitur lex est. Nam apud veteres singuli armati in directum trinos pedes inter se occupare consueuerunt, hoc est, in mille passibus mille sexcenti sexaginta sex pedites ordinãtur in locum, vt nec acies interluceat, & spatium sit arma tractandi. Inter ordinem autem & ordinem a tergo in latum sex pedibus distare voluerunt, vt haberent pugnãtes spatium accedendi atque recedendi. Vehementius enim cum saltu cursuque tela mittuntur. *ibid. c. 26.*

In omni prælio non tam multitudo & virtus indocta, quam ars & exercitium solent præstare victoriam. Non enim longitudo ætatis, aut annorum numerus artem bellicã tradit, sed potius exercitatio. Nam in pugna solet vsus amplius prodesse quam vires, Nam si doctrina esset armorum, nil villanus distat a milite, cum antiqua sit prudensque sententia: Omnes artes in meditatione consistere. *Veget. de re milit. lib. 2. c. 23.*

Plerique rei militaris ignari pleniorem victoriam credunt, si aduersarios, aut locorum angustijs, aut armatorũ multitudine circumdederint, vt aditum non inueniant recedendi. Sed contra clausis ex desperatione crescit audacia, & cum spei nihil est, sumit arma formido. Libenter cupit commori, qui sine dubio scit se esse moriturum. Ideoque Scipionis laudata sententia est, qui dixit: Viam hostibus, qua fugerent, inueniendam. *idem.*

Magna dispositio est, hostem fame magis vrgere, quam ferro *ibid.*

Qui desiderat pacem, præparet bellum: qui victoriam cupit, milites imbuat diligenter: qui secundos optat euentus, dimicet arte, non casu Nemo prouocare, nemo audet offendere, quem intelligit superiorem esse, si pugnet *idem in proleg lib. 3.*

Diuitiarum non est secura possessio, nisi armorum defensione seruetur. *ibid. c. 3.*

Boni duces non aperto prælio, in quo est cõmune periculum, sed ex occulto semper attentant, vt integris suis, quantum possint, hostes interimant certe, vel terreant. Nam pauciores numero, & inferiores viribus superuentos, & insidiantes ac insidias facientes sub bonis ducibus reportauerunt sæpe victoriã. *ibid. c. 9.*

Inter hostes discordiarum serere causas sapientis est ducis. Nulla enim, quamuis minima sit natio, cito potest ab aduersarijs deleri, nisi proprijs simultatibus seipsum consumpserit. Nam ciuili odio ad inimicorum perniciem nihil efficacius. *idem l. 3. c. 10.*

Male vicit, quem pœnitet victoriæ Melius est enim ignoscere, quã post victoriam pœnitere. *Senec. epist 15.*

Diu apparandum est bellum, vt vincas celerius: quia longa belli præparatio celerem facit victoriam. *Ibid.*

In Republica maxime conseruanda sunt iura belli. Nam cum sint duo genera decertandi, vnum per disceptationem, alterum per vim. Cumque illud proprium sit hominis, hoc belluarum: confugiendum est ad posterius, si vti non licet superiore. *Cicer. lib. de Offic.*

Suscipienda quidem bella sunt ob hanc causam, vt sine iniuria in pace viuatur. Parta autem victoria conseruandi sunt hi, qui non crudeles in bello, non immanes fuerunt. *Idem.*

Nullum bellum est iustum, nisi aut pro rebus petitis geratur, aut certe denunciatum sit & indictum. *Idem.*

In omnibus negocijs, priusquam aggrediare, adhibenda est præparatio diligens. Parua enim sunt foris arma, nisi sit consilium domi. Bellum autem ita suscipitur, vt nihil aliud nisi pax quæsita videatur. Item, temere in acie versari, & manus cum hoste confligere, immane quiddam & belluarum simile est: sed cum tempus necessitasque postulat, decertandum manu est, & mors seruituti turpitudinique anteponenda, nam occidi pulchrum est, si ignominiose seruis. *Idem.*

In euertendis autem vrbibus diripiendisque valde illud considerãdum est, ne quid temere, ne quid crudeliter fiat. *Idem.*

Nihil est crudelius, quam vrbes diruere. *Cic. Rhetor. veter. lib. 1.*

Armis Italia non potest vinci, nec Græcia disciplinis. *Idem Rhetor. lib. 4.*

Concedo incertos exitus esse belli, Martemque communem. *Cic. in Philipp.*

Ego enim existimo, in summo Imperatore quatuor has res esse oportere, scilicet scientiam rei militaris, virtutem, authoritatem, & felicitatem. *Cic. in orat. de laudib. Magni Pompey.*

Imperatori res aduersæ minuunt authoritatem. *Cæsar lib. 6. de bello Gallico.*

In prælio qui maxime timent, maximum periculum est. *Salustius in Catilin.*

In prælio quanto sibi quisque minus parcit, tanto magis tutus. *Salust. in Iugurtha.*

Omne bellum sumitur facile, ceterum ægerrime desinit. Non cuius potestate initium, eius & finis est. *Idem.*

Vinculo quodam patientiæ obligandi sunt impetus belli. *Macrob l. 1 Saturn.*

Nihil magis magno duci conuenit, quam pro omnibus cogitare. *Macr. l. Saturn. l. 2.*

Bellorum necessitates non expectant humana consilia. *T. Liuius li. 4. ab vrbe condita.*

Virorum prudentium est, si non lacessantur iniuria, quiescere: bonorum autem, si iniuria afficiantur, pacem bello mutare: si bene cesserit, iterum pro bello pacem inire: & neque belli successu efferri, neque pacis tranquillitate captos, iniuriam pati eos decet. Nam tum ille, qui voluptatis causa cunctatur, illico priuari potest oblectatione tranquillitatis, cuius gratia segnis est, si quieuerit: tum qui in bello prosperitate abundat, non cogitat se incerta temeritate efferri. Multa enim male consultata, eo quod hostes inconsultiores fuerint, feliciter euenerunt: & plura, quæ recte instituta videbantur, turpiter in contrarium euentum relapsa sunt. Nullus enim eadem factis præstat, quæ inter deliberandum sibi promittit. Nam consultamus securi, in opere autem cum timore deficimus. *Thucydides lib. 1 in concione Corinthiorum tertia.*

Belligeramur assidue, gens cum gente colliditur, regnum cum regno, ciuitas cum ciuitate, princeps cum principe, populus cum populo, & quod Ethnici quoque fatentur impium, affinis cum affini, cognatus cum cognato, frater cum fratre, filius cum patre: denique, quod ego sane puto his omnibus atrocius, Christianus cum Christiano. Et o cæcitatem mentis humanæ, hæc nemo miratur, nemo detestatur. Sunt qui applaudant, qui vehant laudibus, qui rem plusquam tartaream, sanctam appellant, ac principes vltro furentes instigant, oleum (quod aiunt) camino addẽtes. *P M. 4. Centur. 1. Dulce bell. inexpert.*

Iocus & ludus sunt in militia, domos diripere, fana spoliare, virgines rapere, solidas vrbes atque oppida incendere: Magna propterea dementia, corrumpere, quod retinere non valeas. *Ibid.*

Hæc sunt belli decora: profuisse nemini, nocuisse quamplurimis: nullo respectu aut recordatione præsidentis mundo Dei. Ita gerunt in pollutis corporibus cæcos animos, vt Dei iustitiam non videant, & admoneri indigne ferant. Qui dicunt Deo: Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. At qua insolentia, & ore quam importune diuinas leges negligunt, humanas aspernantur? *Ibid.*

Vt hoc demum videtur esse, vere ac germane militare, nihil arbitrari æqui & boni propter se esse sancitum, nullo se iuri esse subditum, sed in vagina leges omnes cum ferro gestare: quidquid

conse-

conscelerato animo coltibuerit, id solum esse ius atque æquũ, *Ludouicus Viues in epist. ad Henric. octau. Angliæ regem.*

Quam enim hominum plerique pacem vocant, nihil aliud præter nomen existere, reipsa vero omnibus ciuitatibus aduersus omnes bellum irreconciliabile perpetuo natura insitum esse. Et fere, si animaduerteris, ita affectum fuisse Cretensium legislatorem deprehendes, vt bellum respiciens, leges omnes tum publicas, tum priuatas condiderit, & hoc modo institutas tradiderit obseruandas, quasi aliarum rerum nulla plane foret vtilitas, neque opum, neque studiorum, nisi quis bello superior euaderet. Omnia enim bona illorum qui victi sunt, victoribus accedere. *Plato l. 1. de Legib.*

Sunt nonnulli dociti homines, qui proximi & probati principibus, magnaque apud illos authoritate, cum de bello consuluntur, ita de iusto & iniusto bello disserunt, vt facile ex eorum oratione ansam principes aliqui, in suos affectus proni & præcipites, arripiant, existimandi quodlibet bellum, modo placeat, iustum esse. Prætextus & colores nunquam desunt, dum nõ desit facultas & occasio. Qui si aliter censerent ac disputarent, iniectam principum animos religione, cohiberent, ac reuocarent homines ad arma prociliues, & affectionibus impulsos. *Viues ad Adrianum Papam.*

Maiores nostri bella gesserunt, bellis fatigati, pacem petentes, tributa obtulerunt. Tributum, precium pacis est, nos tributa dependimus, ne bella patiamur. *Orosius l. 5. de Ormesta.*

Discordia infeliciter exagitante, nulla vnquam tempora, vel foris prospera, vel domi quieta ducuntur. *ibid. l. 4.*

Bellum non est facile suscipiendum, nec certa pax speratà victoria permutanda. De nulla re magis aut crebrius deliberandum est, quam de bello, in quo non licet bis peccare: & ad quod princeps descendere vix debet, etiã ineuitabili necessitate pressus, omnib. primo remedijs tentatis, & frustra consumptis. Nullum est tam felix bellum, quo non potior sit iniqua pax, siue cuiras, siue sumptus, siue discrimina consideres, & contempleris. Itaq. de iure suo citius decedat princeps, quam de summa periclitetur, & tantam fortunæ plagam leui lateru inflexione declinet. Varij sunt belli casus, & exiguo momento maximas res voluit. Vnde Mauortẽ veteres nominauerunt bellum, in cuius manus est suscipere, nõ deponere. Initia belli penes principes sunt, exitus penes fortunam, lei verius Deum, cuius voluntatem ergo nos, non sine causa ignoramus: videlicet nescij, quam apud eum gratiosi simus. Itaque non secus, quam pecunia nostro arbitrio aleæ exposita: illico alieni fit iuris, incertum cui cessura sit: Ita princeps & tota ditio in sortem euentua conijcitur, mota bello. Quam multos pœnituit belli vel prospere cœpti? Nec vlla Resp. ub. instabilior est, quã quæ sæpe mouet arma. Quoties in extremum discrimen Athenæ venerunt: à Persis exustæ, à Lacedæmonijs oppressæ, & spoliatæ mœnibus: à Philippo fractæ, ab altero Philippo afflictæ: à Mithridate occisæ, à Sylla propemodum deletæ. Bellatrix illa Roma à Tatio capta est, à Porsena obsessa, à Gallis incensa, à Pyrrho territa, ab Annibale cõcussa, suis denique armis dilacerata. Dicet aliquis: Armis & bello crescunt regna. Sed & eisdem quoq. pereunt Minus forsan est in pace splendoris & gloriæ, falsæ illius quidem, sed plus quietis, minus controuersiæ ac periculi, & proinde firmitatis plurimum. Non laboro, inquit Theopompus Rex sapientissimus, quam amplum filijs regnum tradam, sed quam mansurum ac stabile. Nihil ab alijs repetis, sed nec abs te alij: in quo non vtroque est periculum, siue cum fortiore congrediaris: siue cũ debiliore, quippe nihil est tam infimum, cui suæ ad nocendum vires desint: de stitoraque facultate omni iuuandi ac benefaciendi, multum adhuc ad lædendum superest, tanto videlicet promptius est, male facere, seu robore suo, seu imbecillitate nostra. *Viues in epistol. ad Henr. octauum Angliæ regem.*

APOPHTHEGMATA.

Archidamus, in bello Peloponnesiaco socijs rogantibus, quanta pecunia futura esset satis: ac postulantibus, vt tributorum certum modum præscriberet. Bellum, inquit, non quærit definita significans, eos qui bellum susceperunt, oportere per omnia seruire belli necessitatibus, quarum nullus est certus modus, quod variæ sint bellorum præter expectationem occasiones, *Plut. in apoph.*

Pausanias, post victoriam à Medis apud Plateas reportatam, præcepit suis, vt apponerent cœnam Persicam, quam sibi barbari prius apparauerant. Ea cum esset opipara ac sumptuosa: Luero, inquit, erras o Persa, qui quum tantas haberes delicias, ad nostram veneris mazam, id erat panis genus contemptum ac vulgare. Admonuit, stultissimum esse, locupletes pugnare cum his, quibus nõ multum est, quod eripiatur. Etenim si feliciter cadat, Martis alea, exile lucrum est: sin secus, ingens ad damnum. *P. M. l. 4. apoph.*

Q. Flaminius, in Philopœmenem Achæorum ducem, qui multos habebat equites, & pedites armatos, sed pecuniarum indigus, Q. Flaminius ita ludebat: Philopœmen, inquiens, manus habet & crura, ventrem non habet. Ac tali quidem specie corporis erat Philopœmen. Quintius autem equites ac pedites armatos, manus & crura ducis appellabat: sed quoniam non habebat quos aleret militem, negabat illum habere ventrem. *Plutarch. in Rom apoph.*

C. Marius mille Camerinos, qui se in bello aduersus Cimbros, strenuos viros præstitissent, honore Romanis æquauit, idque præter omne ius. Ad eos vero qui factum hoc reprehendebant, respondit, se ob armorum strepitum, legum vocem non potuisse exaudire. Nihil aliud nimirum innuit, quam leges semper silere inter arma. *Plut. in Rom. apoph.*

C. Cæsar, Metello obsistenti, ne pecunias ab ærario tolleret, ac legea id fieri vetantes proferenti: Non idem, inquit, armorum, & legum tempus est. Quod si hæc pati non potes, nunc quidẽ hinc abscede: ac postea quam peracta fœderibus arma deposuerimus, tunc si videbitur, & plebis patronum age. *Plut. in Rom. apoph.*

Antisthenes, quum quidam dixisset, pauperes interire in bello: Imo plures tum fiunt, respondit. *Stob. ser. 48.*

Diogenes, Philippo cum Græcis pugnaturo, in eius castra peruenit: perductus igitur ad Philippum, ac rogatus num speculator esset? Stultitiæ, inquit Diogenes, vanitatisq; tuæ sum verus speculator, qui cogente nullo, de vita & de regno, vel vt ad casum aleæ periclitaturus venis. Vtinam hodie audirent Diogenem ita loquentem terrarum principes: qui sæpenumero nulla vrgente necessitate propriis stimulati affectibus bella cruentissima, & plusquam ciuilia suscipiunt, in magnam suorum perniciẽ. *Erasl. l. 3 c 15.*

Antigonus, Sophistæ cuidam librum de iustitia conscriptum porrigenti, O, stipis, inquit, qui cum me videas alienas vrbes armis vexantem, tamen apud me de iustitia disseris. Sensit, eos qui ditionis ampliandæ, gloriæve causa bellum inferunt alienis ciuitatibus, non posse tueri iustitiæ leges. *P. M. lib. 4. apoph. ex Plut.*

Antigonus olim hostibus ingruentibus cedens, dixit se non fugere, sed vtilitatem retro sitam persequi. *Stob. ser. 52.*

Lamachus præfectum quendam manipuli peccantem reprehendebat: & cum ille diceret, posthac se nunquam similiter peccaturum, Non licet, inquit, in bello bis delinquere *Plutarch. & Stob.*

Antigonus interrogatus, quomodo hostes aggrediendi essent, respondit, aut dolo, aut vi, aut aperte, aut per insidias. *Stob.*

Themistocles, in Eretrienses ita cauillari solebat, vt diceret eos similes piscium, qui gladioli vocantur: quippe qui gladium quidem haberent, cor autem non haberent. Notans illorum ignauiam, quod armatis non esse animus. *Plut.*

Epaminondas, quum ei quidam diceret, Athenienses habere nouum instructum exercitum: Quid, inquit, num igitur gemit Antigenidas, si Tellis nouas habet tibias? Tellis autem erat tibicen pessimus, Antigenidas autem optimus. Significabat, Athenienses frustra esse nouis armis instructos, quum his nescirent vti. *Plut. in apoph.*

Idem, magno & instructo exercitu conspecto, sed sine duce: Quanta belua, dixit, sed absque capite. *Stob.*

Eudamidas, cum quidam commemorando laudem ac trophæa, quæ Lacedæmonij ex rebus cum Persis præclare gestis retulissent, hortaretur ad bellum cum Macedonibus suscipiendum: Ignorare mihi videris, inquit Eudamidas, nunc idem esse, ac si quis decies mille ouibus, pugnaret cum quinquaginta lupis: significans Persas, vt delicijs effœminatos, & ob id imbelles, non fuisse difficile vincere: sed aliud esse cum Macedonibus, bellacissima gente, rem habere. Proinde qui ob victorias à Persis reportatas censeret cũ Macedonibus bellum idem suscipiendum, nihilo probabilius diceret, quam si quis ei, qui vicisset mille oues, diceret: Age cum quinquaginta lupis congredi, qui tot oues deuiceris. *Plut. in Lacon. apoph.*

Idem, cuidam percontanti, cur ciuibus bellum aduersus Macedones suscipere volentib. ipse author esset quiescendi? Quoniã inquit, nolo illos mendacij arguere. Recte significans, Spartanos, gloriose magis, quam serio bellum poscere. Eos prodidisse Eudamidas, si ipse quoque bellum approbasset. Tum enim fore putabat, vt ciues bellum detrectarent. Nunc effecit, vt per ipsum stetisse videretur, quo minus bellum susceptum esset, ac ciuib. fortitudinis gloriam reliquit integram, quasi promptos habetente ad bellandum animos. *Plut. in Lacon.*

Idem, percontanti cuidam, quamobrem omnium Deorum statuæ apud Lacedæmonios ponerentur armatæ? Ne, inquit, probra, quæ ob ignauiam iaciuntur in homines, ad Deos referamus, neue iuuenes, nisi armati, Deos comprecentur. Ergo commento ciuium animis hanc opinionem infigere studebat. Dis gratam esse fortitudinem, inuisam ignauiam: simulque iuuentutem armis ferendis debere assuescere, quo simul & minus indulgerent delitiis, & vtiliores bello euaderent, fine religionis quidẽ causa fas esset arma ponere, cuius obtentu fere solet otium & luxus in ciuitates irrepere. *Plut. in Lacon.*

Archidamus Zeuxidami F. cum in bello vidisset iaculum, catapulta mittendum eo tempore primum ex Sicilia aduectum, exclamasse

masse dicitur, Hercules, perijt viri virtus. Quo dicto innuere voluit, fortem virum vix abignaun in strage posse dignosci, si tormentis bellicis, non manu, res geritur. *Plut. in Lacon. apoph. Stob. serm. 49.*

SIMILITVDINES.

Plinij. Dracones exugentes sanguinem elephantorum, occidunt eos, & ipsi vicissim inebriati opprimuntur ac commoriuntur: Ita sæpenumero in bello pars vtraque & perimit & perit, damnum dat & accipit. *lib. 8 c. 12.*

Demosthenis. Vt in corporibus nostris, etiamsi pars aliqua male sit affecta, tamen non dolet, donec alioqui recte valemus: vbi vero acciderit ægrotatio aliqua, singulæ partes cientur, siue ruptura, siue luxatio, siue earum, quæ vitiatæ sunt, aliqua fuerit: Sic se habent res ciuitatum & tyrannorum, donec foris bellum gerunt, domestica vitia non sunt multitudini conspicua: quū vero finitimum bellum gerendum est, priuata omnia vitia patefiūt. *Olynthiaca 2. & in Oratione ad Philippum epist.*

Aristotelis. Cybindus auis bellum internecinum gerit cum aquila, adeo vt cohærentes sæpenumero prendantur: Ita fit aliquoties, vt dum mutuum in se odium pertinaciter exercent principes, vtrique subuertantur, tertio quopiam inuadente.

Vt in admirandis operibus, sed inutilibus maior est laus artificis, cuius arte res confecta est, quam regis, cuius impendio: Ita, belli gloria maxima ex parte penes militem est conductitium, quorum industria geritur res: minima pars ad reges redit, qui aliena etiam pecunia militem conducunt. *P. M.*

Polyb. Quemadmodum si quis syluam semel accenderit, non amplius ad ipsius arbitrium fertur incendium, sed depascitur, quicquid deprehenderit, ventisque regitur, & subiectæ syluæ cōsumptione, ac sæpenumero ipsum incensorem cumprimis præter expectationem corripit: Ad eum modū & bellum si semel a nonnullis excitatum exarserit, eum quidem illos primum perdit, postea vero fertur iniuste, singula, quæ incidunt, perdens, aguatū temeritate, & ab ignorantia accedentium, veluti a ventis inflatum. *lib. 10. histor.*

Roterodamus. Arator, nisi incuruus sit, præuaricatur, vt dicebant antiqui: Ita miles, nisi impius sit, parum est miles. *In similibus.*

Vt Dianæ Ephesiæ templum viginti annis a tota Asia tot Regum impendio, tot artificum ingenijs confectum, Herostratus obscurus homo recte poterat exurere: Ita facilimum est, vrbes egregias bello demoliri, & ædificare, difficillimum. *In similibus.*

Theriteri. Belli & ludi fere eadem est alea, eadem conditio & fortuna: neutro enim in loco victor beatur, sed victus depauperatur. *in apoph. 108.*

Demetrij. Quemadmodum in ædificijs, vbi vno tecto, & vno vinculo comprehenduntur ædes, id quod consutum est, magis durat. Sic & in exercitu, vbi viritim & secundum manipulos cuncta diligenter procurantur. vniuersus exercitus firmus constituitur. *apud Polyb. lib. 10.*

Ciceronis. Vt grauius ægrotant, ij, qui cum leuati morbo videntur, in eum de integro inciderunt: Sic vehementius nos laboramus, qui profligato bello, ac pene sublato, renouatum bellum gerere conamur. *lib. 12. famil. epist. ad Cornific.*

ADAGIA.

Dulce bellum inexpertis.

Sunt quædam in mortalium rebus, quæ quantum habeant discriminis, & malorum, non intelligas, nisi facto periculo.

Multa in bellis inania.

De inanis suspicione aut pauore sine causa oborto, quem Græci πανικὸν vocant.

Non licet bis in bello peccare.

In rebus periculosis non tutum est labi. Nam si semel erratus, actum est de summa rei, nec est secundo errori locus.

Initium belli.

Vbi quis prior lacessit iniuria, seu conuicio.

Talia gignit bellum.

Nihil profert bellum præterquam mala omnis generis.

Bello parta.

Vbi quis commodis infamie. Solent enim bellatores celerius ac sit ereptum, mere profundere, si quid hostibus sit ereptum.

Aequa concertatio.

Quum significabimus duos ex æquo paratos ad disceptandum, rixamve, licebit accommodare carmen illud.

Τὼ μὲν δὴ σχεδὸν ἦσαν [illegible]
ἀντίον ἀλλήλων [illegible] μεμαῶτε μάχεσθαι.

Id est.

Illi inter se iamiam pugnare parantes.
Obtendunt pariterq; manus præacutaq; tela.

Imperator bonus & idem robustus miles.

Refert Plut. in comment. de fortuna Alexandri (si modo is liber illius est) cum in conuiuio propositum esset, quinam inter versus Homericos maxime probandus videretur aliis præferentibus, Alexander huic carmini palmam tribuit. quod extat Iliad. γ.

Ἀμφότερον, βασιλεύς τ' [illegible] τ' αἰχμητής.
Dux bonus ac miles præpollens viribus idem.

Omni certaminis genere.

Cum innuimus omni certaminis genere congressum (veluti si quis dicat in omni disciplinam disputaturum acriter) conueniet illud.

Πύξ τε παλαισμοσύνῃ τε καὶ ἅλμασιν ἠδὲ πόδεσσιν.
Et pugnis, pedibusq; & saltibus atq; palæstra.

Item, ubi quis ostendit, se nullum detrectare certamen, sed ad quoduis ingenij experimentum paratum esse conueniet illud:

Δεῦρ' ἄγε πειρηθήτω, ἐπεί μ' ἐχολώσατε λίην,
Ἢ πὺξ ἠὲ πάλῃ ἢ καὶ ποσίν, οὔ τι μεγαίρω.

id est.

Huc age, quandoquidem grauiter mihi conscia mens est,
Quiuis adeat, experiatur pugnis siue palæstra.
Siue pedum cursu malit, nihil ipse recuso.

Cedendum multitudini.

Qui suadebit, non esse pugnandum uni cum multis, & ubique multitudini morigerandum, adducet illud:

Ἀλλά κεν αὐτὸς ἀεικέα πότμον ἐπίσπῃ.
Εἰ πλεόνεσσι μάχοιτο.
Accerset mox ipse sibi crudelia fata,
Si multis pugnare uelit.

Ἀργαλέον δὲ
Ἀνδράσι καὶ πλεόσιν [illegible] περὶ δαιτί.
Cum viribus ardua res est
Depugnare uiris inter conuiuia solos.

Apud Homerum Iliad. χ.

Οὐ νῦν μοι ἔστι [illegible]
Ἀλλ' [illegible]

Hoc licebit usurpare, cum quis non detrectat apertum certamen.

Bellum Archidamicum.

De bello sæuo & crudeli, & in quo funditus omnia tolluntur, accipi potest.

Omnibus armis præsidiisque destitutus.

Hominem inermem, & omnibus destitutum præsidijs indicabimus hoc versu, qui est Iliad. φ.

Γυμνὸς ἄτερ κόρυθός τε καὶ ἀσπίδος οὐδ' ἔχεν ἔγχος.
Et clypeo, simul & galea nudatus, & hasta.

EXEMPLA SACRA.

Bellum a Deo mittitur propter peccata populi, ideoque pœna peccati est, *Leuit. 26. ver. 24. 25. Deut. 28. ver. 36. 49. Iud. 2. ver. 13. & 3. ver. 1. 8. & 4. ver. 1. & 6. & ver. 1. 10. ver. 1. & 13 ver. 1. 3. Reg. 8. 33. Esa 25. Ierem. 5. 15.* Bellum quomodo gerendum. *Deut. 20. ver. 10. 11. 12. & 23. ver. 9.* Deo authore & consulto suscipiendum est: Exempla: Israelitæ, *Iud. 1 ver. 2 & 20, ver. 18.* Saul, *1. Sam. 14. 37. & 28. ver. 5. 6.* Dauid, *23. 2 & 30. 8. 2. Samuelis 5. 19. 1. Paral. 14. 10.* Bella improbante Deo suscepta non succedunt. Exempla: ab Israelitis, *Num. 14. ver. 34. 44. 45. Deut. 1. ver. 34. 44.* Achab. *1. Reg. 22. ver. 17. 35.* Bellorum a fidelibus susceptorum, & diuina virtute confectorum exempla: Ab Abrahamo, *Genes. 14 ver. 14. 15. 16.* Hebræis, *Exod. 17. ver. 9. 10. 11. Num. 31. ver. 7 Iosu. 6. ver. 20. & 7. ver. 4. & 8. ver. 4. 24. & 10. ver. 11. 42.* Iuda, *Iud. 1 ver. 4.* Iuda & Simeone fratre eius, *ver. 17.* Barac, *4. ver. 14.* Gedeone, *7. ver. 7. 16.* Abimelech, *9. ver. 42. 43. 45. 52.* Iephte, *11. ver. 32.* Samsone, *14 ver. 19. & 15. ver.* Familia Dan. *18. ver. 11.* Beniamitis, *20. ver. 21. 25.* Israelitis, *ver. 35.* Philistæis, *1. Sam. 4. ver. 10.* Israelitis, *7. ver. 8.* Saule *1. Sam. 11. ver. 11. & 15 ver. 5. 6.* Ionatha, *14. ver. 11. 12. 13. 14.* Dauide, *17. ver. 42. 2. Samuel. 5. 17. 25.* Iuuenibus Beniamitis, *2. 15.* Famulis Dauidis, *ver. 31.* Iacobo, *10. ver. 9. 13. & 18. ver. 14.* Achabo, *Reg. 20 ver. 20. 29.* Ioram, Iosaphath, & Edom, *2. Reg. 3. ver. 6. 7. 9. 24.* Samaria, *6. ver. 24. & 7. ver. 6 &c.* Ioas, *14. ver. 3.* Ieroboam, *ver. 16. 17.* Ezechia, *18. ver. 8.* Abia, *2. Paral. 13 ver. 17.* Asa, *14. ver. 12.* Iosaphat, *20. ver. 23. 24. 25.* Phacee, *28. v. 6.* Iudith, *Iudith. 16. ver. 7. 8. 9. 10.* Iuda Machabæo, *1. Mach. 3. v. 10. 11. & 4. v. 13. 14. 15. & 5. v. 7. 3* Ionatha, *9. v. 49.*

Bellare: Bellandi dexteritas a Deo, *Psal. 19. 35. 144. 2.* Bellum spirituali, *Rom. 13. 12. 2. Cor. 10. 4. Ephes. 6. 11. Gal. 5. 17.*

PROFANA EXEMPLA.

Quantis oculis, quā varia fortuna bello Peloponnesiaco per XXVII. annos Athenienses, & Lacedæmonij inter se ob Græciæ dominatum concertarint, & suis discordijs omnem reliquam Græciam implicauerint, *leges apud Diodor. Sicul. lib. 15. & Thucididem.* Tandem Lysandro duce victi Athenienses vrbem dedere.

Thessali æterni Phocensium hostes, quos vt sacro bello grauissime afflixerunt ab ijsdem multo ante magnis affecti sunt sæpe cladibus. *Pausan in Phocicis.*

Lacedæmonij cum Messenijs vicinis bella gesserunt. *Pausan. in Messenicis.*

Eo bello, quo Hierosolyma orientis olim clarissima excisa fuit, nihil magis

magis funestrum ciuitati fuit, & exitiale, quam Eleazari & cæterorum Ducum discordia. Horum dissidium non minus obsessam multitudinē intus afflixit, quam foris Romanus hostis, qui mœnibus hærebat *Sab. l. 7. c. 2.*

Germani veteres nunquam vel ad consilium, vel ad diem festum nisi armati conueniebant: in consilijs assensum suum armorum crepitu declarabant. *Fulg. l. 2. c. 1.*

C. Iulius Cæsar a nulla belli occasione, ne iniusti quidem ac periculosi, abstinuit tam fœderatis, quam infestis ac feris gentibus vltro lacessitis. *Suet.*

Bellum Naxij & Milesij Neære causa vxoria Hypsicreontis gessere. *Plut.*

Bella, vti per feciales indicta fuerint apud Romanos, consule *Alex. ab Alex l. 4. c. 3.*

Antiquitus bellum suscepturi fœcialem mittebant, qui arietem adductum in hostium fines immitteret: hoc significans pacto ciuitatem & agros illorum hostibus compascuos fore. *Diog. P. M. in adagijs.*

Veteres Poetæ, qui rerum vim ac naturam sagacissime perspexerunt, & aptissimis figmentis adaptarunt adumbraruntque, tradidere bellum ab inferis immitti, idque Furiarum ministerio, neq; quālibet Furiam ad hoc negotij conficiendum esse idoneam. Deligitur omnium pestilentissima, cui nomina mille, mille nocendi artes. Hæc innumeris armata colubris, tartarea buccina præcipit. Pan insano tumultu cōplet vniuersa. Bellona furiosum quatit flagellum. Furor impius, ruptis omnib. vinculorum nodis, euolat horridus ore cruento. Grāmatici bellum κατ' ἀντίφρασιν dictum volunt, quod nihil habeat neque bonum, neq; bellum: nec alia ratione bellum esse bellum, quam Furiæ sunt Eumenides. Alij malunt a bellua deductum, quod belluarum sit, non hominum, in mutuum exitium congredi. *P. M. Roterodam. in prouerbio: Dulce bellum inexpertis. Chiliad. 4. centu. 1.*

Ephori, quum Lacedæmoniorum rea polliceretur, se funditus euersurum quandam ciuitatem, quæ sæpenumero Lacedæmonijs exhibuerat negotium, non permiserunt dicentes, nequaquam abolebis, neque subuertes iuuentutis cotem. Vrbem infestam appellabant cotem iuuentutis, quod per eam iuuentus acueretur ad bellandi peritiam. *Plut. in Lacon. Brus. l. 3. c. 15.*

Alphonsus rex, Aliquot ei ciuitates quum ab Eugenio Pontifice oblatæ essent dono, eo quod Picenum armis suis sedi Romanæ recuperatum esset, Alphonsus, cum has repudiasset, respondit, se nequaquam quæstus aut prædę, sed Ecclesiæ gratia hanc expeditionem suscepisse. Innuit autem, non aliam ob causam, quā pro aris, & focis, hoc est, pro salute patriæ, & religione conseruanda bellandum esse. *Panor. lib. 3. de rebus gestis Alphonsi.*

Hieroglyphica.

Primum omnium *Equi* Hieroglyphicum belli signum est, clarissimo Vergilij testimonio, dicentis: *Bello armantur equi, bellum hæc armenta minantur.* Et duellicam equorum prolem Lucretius appellat. *Pier. Val. l. 4.*

Bellum etiam hieroglyphice significat *Aries*, qui tantum ferocitatis habet, vt simul ac cornua accreuerūt, pugnacissimus fiat: neque alios tantum sui generis lacessit, sed homines etiam impetit atque in bellum prouocat. Olim etiam indicturi bellum cuipiam *Arietem* per Fecialem præmittebant, quem in hostium fines immitteret. *Pier. Val. l. 10.*

Sagum quoque, cum militare omnino sit indumentum, cuius scilicet vsus expeditiorem ad itinera & negotia hominem reddit, pro bello poni solitum est. *Pier. Val. l. 40.*

Apud Carthaginenses genus intractabile bello, *Hasta*, belli erat indicium. Hinc quum bellum velle se cum Romanis professuri essent, Romam ad nos hastam suæ voluntatis signum miserunt. *Pier. Val. lib. 42.*

Lacones Venerem, quam vocant *ἐνόπλιον*, armatam colunt. quin omnes etiam Deos deasque hac figura fingunt, vt lanceam teneāt; hac imagine significantes, omnes esse bellica virtute præditos. Quoniam nihil ducebant turpius ignauia, nihil bellica virtute pulchrius, tali specie proponebant Deos suos, quales cupiebant esse ciues. At cæterorum Græcorum Theologia faciebat Deos otiosos & quietos, eosque fingebant gestu recumbentium. Porro quum archetypus omnis honesti petendus sit a numine, periculosum est Reipublicæ tales facere Deos, quales si quis imitetur inutilis aut perniciosus sit Reipub. futurus. *Plut. in Lacon.*

Scriptores.

De re militari. *Ælianus Græce & Latine, Theodoro Gaza interprete, Arrij Menandri lib. 4. Cato Censor. M. T. Cic. Æmilius Macer. Tarantini Paterni lib. 4. Frontinus. Modestus Fl. Vegetius Latine, qui Germanice à quodam redditus est, & a Tizzoli Posi Caietano Italice Iacobi comit. Purlilis lib. 2. Robertus Valturij lib. 12. Maphæus Vegius. Cornazani cuiusdam lib. 7. metris Italicis conscripti, Io. Carnotensis lib. 6. Isidorus lib. 18. Etymologiarum.* De re militari & instrumentis bellicis, *Leonardus Fortius Græco sermone vulgari, Militare enchiridion Io. Surgoti.* De disciplina Turcicæ militiæ *Paulus Iouius Italice & Latine Fr. Nigro interprete.* De bello *Stobæus ser. 48. Florileg. Græc 169. Vinc. Bell. 3. 5. 12. Octau. Mirand. Ge. Maior ex poetis. Cornin. in apoph. Pet. Lagnerius ex Cice. Sarcerius ex Augustino. Raimerius Lumen animæ p. 2. c 27. Iacob. Mag. in Sophileg. 3. 3. 22.*

De bello & militia, militumque generibus, alijsque huc pertinentibus lege *Alexandrum ab Alexandro libro 6. cap. 22. Seruium Honor. lib. 8. Æn. Budæum leg. 1. §. 1 ff. depositi. Blondum libr. 1. Triumphantis Romæ, Platonem de leg. libr. 1.* De ratione veterum belli indicendi *Liuius lib. primo. Dec. 1. Plutarchus in Numa & Camillo Item Problemate 62. Dionys. Halicarnass. l. 2. A. Gellius libr. 16. cap. quarto, Seruius. Honorat. l. 10. Æneid. Fenestella capit. 9. & 10. de Sacerdotis Romanis Pomp. Lætus cap. 9. eod. tit. Alexand. ab Alexand. lib. 5. c. 4. Blondus lib. quarto Triumph. Romæ. Volaterranus Philolog. cap. 30. de more antiqua militia.*

Belli ciuilis inter Pompeiū & Cæsarē historiā breui compedio exposuerunt *L. Florus l. 4. cap. secundo, Suetonius in Cæsar. c. 8. 8. Xiphilinus Dion abbreuiator in Cæsare & Pompeio, Eutropius lib. 6. Phil. Melanch. in chronic. sub fin. l. 2. Vberius vero & fusius Plutar. in vita Pom. & Cæsar. Appian. Alexand. l. 2. bellorum ciuilium, Lucanus poeta lr. 10. Pharsalia.*

Bellum sociale ex professo scribunt *Appian. libr. 1. Abbreuiator Epit. 71. Florus l. 3. cap. 18. Eutrop. l. 5. cap. 2. Orosius l. 5. cap. 18. Sabellic. li. 2. Ennead. 6 Ferculphus T. 1 lib 6. c. 12.* Meminerunt *Plut. aliquoties, in Sylla, in Sertorio. Plin. de viris illustribus in Metello Pio & in Sylla et Val. Max. l 8. c. 6. De Q. Vario Trib. Plin. natur. hist. l. 33. cap. 1.* Scribit, originem belli socialis cepisse ex inimicitia Cepionis & Drusi ex annulo in auctione venali. Meminit etiam *Aurel. Augustin.* inter grauior. Roma. calam. *l. 3. c. 7.* atque rursus *c. 16. lib eiusd.* vbi exemplis docet concordiæ templum seditiones superiorib. grauiores fere fuisse secutas.

Bellum pyraticum gestum est eo anno, quo Cicero ædilis fuit Anno vrbis conditæ 685. *Scribitur a Plutarcho in vita Pompe j. Floro li. 3. c. 5. Abbreuiator Epit. 99. Velleio Paterculo volumine posteriore Orosio lib. 6. c. 4. Eutropio lib 6. c. 4. Plinio de viris illustrib. et ait Sabellico Enne. 6. lib. 4. Cicero attingit in ora pro leg. Manilia. Plinius lib. 7. c. 25 & 26. & lib. 37. c. 2. Val. Max. lib 8. c. 16.*

De bello, quo exercitus Romanus in Caudinis furcis iugum missus est, præter *Liuium* scribit quoque *Sabellicus aliquot libris Enneadis quartæ. Florus l. 1. cap. 16. Orosius l. 3. cap. 15. Eutrop. l. 2. c. 2. Plinius de viris illustrib. in Ponteis.* Meminerunt autem deditionis, qua deditus fuit Posthumius. *D. August. l. 3. de ciuit. Dei c. 17. Vale. l. 5. c. 5. Gellius lib. 17. cap. vlt. cap. 6 parall.*

Consule etiam locum de Pace.

BENEDICTIO.

Biblica loci.

Benedictio, Græc. εὐλογία, εὐχαρία Hebr. *Beracha.* Genes. 33. 11. Psal. 37. Prou. 10. 6. 22. a verbo *Barac*, precatus est, benedixit, beatum prædicauit, flexit genu. Hinc *βρέχω.* flectio: & Latinum precor., *Berec.* genu, quod flectitur in salutando & valedicendo.

Bene dico, bene loquor, duas habet separatas dictiones, & construitur cum tertio casu. *Cicero pro Sestio*, cui benedixit vnquā bono? benedixit? imo & quem, &c. Nonnunquam vna est dictio, quæ in sacris literis varias significationes obtinet. Benedico sumitur aliquoties, pro scienter, perite & ornate dissero. Bene dicere (inquit *Cicero*) est attice dicere. Bene dicta, bona verba, placida, beneuolentiæ plena, quib. opponuntur, Male dicta. *Terent. in Phorm.* Benedictis si certasset, audisset bene. Benedicta etiam ciuilis dictionibus dicuntur, quæ commode, prudenter & apposite efferūtur. *Cicero, de claris oratoribus.* Philosophia mater est omnium bene dictorum, beneque factorum.

Benedicere, pro gratias agere, *Genes.* 14. 20. & 24. *versicu.* 27. 48. *Exod.* 18. 10. *Deuteron.* 8. 10. *Iudic.* 5. *versicu.* 2. 9. *Ruth.* 4. 14. 1. *Sam.* 9. 13. & 25. *versicu.* 32. 39. 2. *Sam.* 13. 25. & 18. 28. & 22. 47 1. *Regum* 1. 48. & 5. 7. & 8. 15. & 10. 9. 1. *Paralipom.* 16. 36. & 29. *versic.* 10. 20. 2. 1. *Paralipomen.* 2. 12. & 6. 4. & 9. 8. & 20. 26. & 31 8. 1. *Esd.* 7. 27. *Nehem.* 8. 6. & 9. 5. *Iob* 1. 21. *psal.* 16. 7. & 26. 12. & 34 1. & 41. 14. & 63. 5. & 66. *versi.* 8. 26. & 68. 20. & 72. *vers.* 18. 19. & 96. 2. et 103. *versic.* 1. 2. 20. & 103. *vers* 20. 22. & 104. *versic.* 1. 35. & 106. 48. & 113. 2. & 115. 18 & 119. 12. & 124. 6. & 134. 1. & 135. *versicul.* 19. 20. 21. & 144. 1. *Ezechiel.* 3. 12. *Daniel.* 2. *versi.* 19. 20. & 3. 95. & 4. 31. *Zachar.* 11. *Matth.* 14. 19. & 26. 26. *Marc.* 6. 41. & 8. 7. & 14. 22. *Luc.* 1. *versicu.* 64. 68. & 2. 28. & 9. 16. & 24. *versicu.* 30. 53 *Roma.* 1. 25. & 9. 5. 1. *Corinth.* 14. 16. 2. *Corinth.* 11. 13. *Ephes.* 1. 3. *Iacob* 3. 9. 1. *Petr.* 1. 3. *Apocal.* 4. 9. & 5. 12. & 7. 12. pro benefacere indigentibus.

tibus, *Prouerbiorum* 11.15. Benedicere sibi ipsi, pro sibi applaudere & gratificari. *Deuter.* 29.19. *Psal.* 49.19. *Esaiæ* 65 16. Benedicere calici, pro sanctificare & consecrare, 1. *Corinth.* 10 16. Benedicere, pro precari. *Genes.* 47. *versicul.* 7. 10. 1. *Samuel.* 25.14. 2. *Sam.* 13.25. 1. *Regum.* 1.47. 2. *Regum* 10.15. *Matth.* 5.44. *Rom.* 12.14. 1. *Petri* 3.9. Pro execrari seu maledicere, per antiphrasim, 1. *Reg.* 21. *ver.* 10.13. *Iob* 1. *ver.* 5 11. *&* 2 *ver.* 5. 9. pro crescendi facultatem dare, *Gen.* 1. *ver.* 22 28. *&* 9.1. *&* 12.2. *&* 17.20. *&* 24.35. *&* 26.12. *&* 28.3. pro laudare & extollere, *Matth.* 21.9. *Marc.* 11.9. Dicuntur enim homines Deo benedicere, cum eius laudes prædicant: contra vero Deus benedicit hominibus, cum illos beat.

Benedictio, pro munere, oblatione, seu dono & beneficentia, (quâ Benedicendi verbû non solû bene precari, sed etiam beneficiû conferre significat) *Genesis* 33. 11. *Iosua* 15.19. *&* 22. 7. *Iudicum* 1.15. 1. *Samuelis* 25.27. *&* 30.26. 2. *Reg.* 5.15. 2. *Corinth.* 9.5. pro felicitate. *Deut.* 11.6. *Psalm.* 24 5. *Prouerb* 24.25. *Es.* 19.24. pro bonis a Deo receptis, *Deuter.* 12.15. *&* 16. *ver.* 10.17. *&* 30. *vers.* 1. 19. *Ioel* 2.14. *Mal.* 2 2. *&* 3.10. pro adoptionis beneficio, *Galat.* 3.14. Benedictionem iubere, pro benedicere. *Leuit.* 25.21. *Deut.* 28.8. *Psal.* 133.3. Benedictionem esse, pro laudare. *Genes.* 12.2. *Zachar.* 8.13. *Psalm.* 37.26. Benedictionem facere cum aliquo, id est, conditiones quas proponit recipere, *Esaiæ* 36.16. Benedictio Dei, pro eius fauore, *Psal.* 3.9. *Prou.* 10. *ver.* 6. 22. *Esaiæ* 44.3. Benedictio Dei semper necessaria, 1. *Timoth* 6.17. 1. *Petri* 3.9 Benedictio Dei erga timentes se, *Exodi* 23.25. *Leuit.* 25.21. *Deut.* 7.13 *&* 11.27. *&* 15. *ver.* 5. 9. *&* 28 *ver.* 1.2.3. 1. *Paralip.* 17.17. 2. *Paral.* 31.10. 1. *Esdr.* 8. 22. *Psal.* 24.5. *&* 29.11. *&* 34.9 *&* 128. *ver.* 5 6. *&* 132.16. 133.3. *Prouerb.* 3.33. & 10.6. *Esai.* 61.9. *Ierem.* 31.12. *Malach.* 3.10. Benedictio Dei erga piorum amicos, *Genes.* 12.3. *&* 30.27. erga beneficos, *Prouerb.* 1. *ver.* 9. 10. *&* 22.5. 2. *Cor.* 9.10. *Galat* 6. *ver.* 7.8. erga proprio labore victum sibi comparantes, *Prouerb.* 6. 11. Benedictio Dei quam efficax, 1. *Paral.* 17.27. *Prouerb.* 10.22.

SENTENTIAE BIBLICAE.

Per memetipsum iuraui, dicit Dominus, quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito, benedicam tibi. *Gen.* 22.

Et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, eo quod obierit Abraham voci meæ, & custodierit præcepta mea, & ceremonias legesque seruauerit. *ibid.* 26.

Benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum propter seruum meũ Abraham. *ibid.*

Quoniam tu benedices iusto. *Psal.* 5.

Innocens manibus, & mundo corde, qui non accepit in vano animam suam Hic accipiet benedictionem a Domino. 23.

Benedictio Domini super caput iusti, os autem impiorum operit iniquitatis. *Prou.* 10.

Qui vigilauerint ad eum inuenient benedictionem. *Eccl.* 32.

Deus iustos in finali benedicet iudicio.

Tunc dicet Rex his, qui a dextris eius erunt: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. *Matth.* 25.

Igitur qui ex fide sunt benedicentur cum fideli Abraham. *Gal.* 3.

In singulos utiliter.

Habitacula iustorum benedicentur. *Prou.* 3.

Benedictio Dei in mercedem iusti festinat. *Eccl.* 11.

Benedictio illius quasi fluuius inundabit. 39.

Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit vos in omni benedictione spirituali in cælestibus Christo. *Ephes.* 1.

Benedicere debet homo Deum ex animo.

Et nunc in omni corde, & ore collaudate & benedicite nomen Domini. *Eccl.* 39.

Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto eius. *Psal.* 102.

Benedic anima mea Domino, & noli obliuisci omnes retributiones eius. *ibid.*

Humiliter.

Benedicite Deum cœli, & coram omnibus viuentibus, quia fecit nobiscum misericordiam. *Tob.* 11.

Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factũ est, sit nomen Domini benedictum. *Iob* 1.

Benedicta gloria Domini de loco sancto suo. *Ezech* 3.

Perseueranter.

Omni tempore benedic Domino. *Tob* 4.

Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo. *Psal.* 33.

Benedicentes Dominum exaltate illum, quantum potestis, maior est enim omni laude. *Eccl.* 43.

Exaltantes illum replebimini virtute. Qui videbit eum & narrabit, & magnificabit eum, sicut est ab initio. *idem.*

EXEMPLA BIBLICA.

Benedictionis diuinæ efficaciæ *exempla*. Erga mutas creaturas, *Genes.* 1. 22. virum & fœminam, *ver.* 28. diem septimum, 2.3. *Exodi* 20.11. genus humanũ, *Gen.* 5.2. Noe & familiã eius, 9.1. Abrahamum, 12.2 *&* 22.17. *&* 24.1. *Esaia* 51.2. *Hebr.* 6.14. Saram, *Genesis* 17.16. Ismaelem, *vers.* 20. Isaac, *Genes.* 25.11. & 26. *versi.* 3.12.24. Iacobum, 28. *vers.* 13.14. *&* 31.29. *&* 35.9. *&* 42.3. Laban, *Gen.* 30. *ver.* 27.30. Domum Putipharis, 39.5. Iosephum, 49.25. Israelitas. *Exod.* 20.24. *&* 23.25. *Num.* 6.27 *Deut.* 2.7 *&* 13. & 12.7 *&* 15. *ver.* 4.6. *&* 16.10 *&* 23.20 *&* 30 5. *Ios.* 24.10. Samsonem, *Iudicum* 13.24. Obed Edom, 2. *Sam.* 6.11. 1. *Paralip.* 15.14. & 26.5. Isabes, 2. *Samuelis* 2. *ver.* 5.6. 1. *Paralip.* 4.10. Iob, *Iob* 1.10. *&* 42.12. Iudith, *Iudith* 13 *ver.* 23.24. Fideles, *Psal.* 3.9 *&* 5.13. *&* 29.11. *&* 67.8. *&* 107.38. *&* 109.28. *&* 115. *ver.* 11.13.16. *&* 128.5. *Esaiæ*, 19. 25. *&* 61.9. *Ierem.* 31.23. *Matth.* 25.34. *Luc.* 24.50. *Ephes.* 1.3

Benedictionis, qua homo homini benedicit, *exempla*, Melchisedech Abrahamo, *Genesis* 14.19. *Heb.* 7. *ver.* 6.7. Isaac Iacob, *Genesis* 27. *ver.* 4.25. *&* 28.1. Isaac Esauo, *Genesis* 27. *v.* 39.40. Laban filiis, & filiabus, 31.55. Iacob Pharaoni, 47. *ver.* 7.10. Ephraim & Manasse filiis Ioseph, 48. *ver.* 9.15. Filiis suis omnibus peculiaribus benedictionibus. 49 *ver.* 1.2. *&c.* Moses & Aaron Israelitis, *Leuit.* 9.23. *Num.* 6. *ver.* 23.24. Balaam Israeli, *Num.* 23.7. *&* 24.9. Moyses Israelitis. *Deut* 33. *ver.* 1.2. Iosue Israelitis, *Iosue* 8. 33. Calebo, 14 13. Rubenitis, Graditis, & dimidiæ tribui Manasse, 22. *ver.* 6.7. Debora Barac Iaeli, *Iudicum* 5.24. Naemi Boozo, *Ruth.* 2. *ver.* 4.20. Booz Ruth, *Ruth.* 3.10. Eli Elcanæ & Annæ, 1. *Samuel*, 2. 20. Saul Ziphæis, 23.21. Dauid Abigail, 25.32. Galaditis, 2. *Samuelis* 2.5. Absaloni, 13.25. Barzellai, 19.39. populo, 1. *Paralip.* 16. *ver.* 2. 3. Ioab Dauidi, 2. *Samuelis* 14.22. Serui Regis Dauidi, 1. *Regum* 1. 47. Salomon Ecclesiæ Israel, 8. 55. populus Salomoni, *ver.* 66. Iehu Ionadabo, 2. *Regum* 10. 15. Leuitæ populo 2. *Paralip.* 30. 27. Raguel Tobiæ, & Saræ filiæ, *Tobiæ*, 7.15. Gabaelus Tobiæ, 9.9. Ozias Iudith, *Iudit.* 13.23. Achior Iudith, *ver* 31. Ioachim, & Leuitæ, *Iudith.* 15.11. Elisabeth Mariæ *Luca* 1. 42. Simeon Iosepho & Mariæ, 2.34.

Benedictionis, qua homo Deo benedicit, *exempla*: Noe *Genesis* 9. 26. Melchisedech, 14. 20. Seruus Abrahæ, 24. 27. Iethro, *Exodi*, 18.10. Barac & Debora, *Iudicum*, 5.2. Mulieres, *Ruth*, 4.14. Dauid, 1. *Sam.* 25. *ver.* 32.39. *Sam.* 22.47. Achimaas, 2. *Samuel*, 18.28. Dauid, 1. *Reg.* 1.48. 1. *Paral.* 39.10. Hiram, 1. *Reg.* 5.7. 2. *Paralip.* 2. 12. Salomon, 1. *Reg.* 8.15. Asaph, 1. *Paralip.* 16.36. Esdras, 1. *Esdræ.* 7.27. *Nehem* 8.6. Leuitæ, 9.5. Fratres in Babylonia. 3. *Esdra*, 4.62. Sacerdotes, Leuitæ, & omnis populus, 5.60. Esdras, 8.28. *&* 9.4. Sara, *Tobiæ*, 3. *ver.* 12.13. Tobias senior, 4.6. Raguel, & Anna, 8. *versicu.* 17.18.19 Gabaelus 8.9. Tobias, 11. *versicul.* 16.17. *&* 13. 12. Iob, *Iob* 1.21. Dauid, *Psalm.* 16.7. *&* 18 47. & 26. 12. & 28.6. & 31.22. *&* 34.1. *&* 41.14. *&* 63. *ver.* 4.5. & 66.8. & 72. *ver.* 17.18. 19 *&* 71. *&* 103. *ver.* 1.1. *&* 104. *ver.* 1.2. *&* 113. *ver.* 1.2 *&* 119.12. *&* 124.6. & 135. *ver.* 19.20.21. & 144.1. & 145.2. Syrach, *Eccl.* 51. 17. Daniel, *Dan.* 2.20. Sadrach, Misach, Abednago, 3.26. Azarias, *ver.* 52. Nabuchodonosor, *ver.* 95. populus, 13 60. Iudas Machabæus, & populus Iudaicus, 1. *Machab* 4 10. 2. *Machabæor.* 1 17. Turba, *Matth.* 21.15. *Luca* 19 38. Zacharias, *Luc.* 1.68 Simeon 2.28 Apostoli, 24.53 Paulus, *Rom.* 9.5. 2. *Corint.* 1. 3 *Ephes.* 1. 3. Petrus, *Pet.* 1 3.

Benedictionem, qua creaturæ consecrantur & sanctificantur, ve Sacerdotum, vestium altarium, templorum, cereorum, aquæ lustralis, campanæ, salis, &c consecratio stabilitur ex *Exod.* 28 2. & 29. *ver.* 6 27. *Leuit.* 21.10. 22.2 *&* 27. *ver.* 28.25.30. *Num.* 5.17. *&* 31 6. *Ios.* 2 24. *Iud.* 17 3 1. *Sam.* 21.5. 1. *Paral.* 18 11. 3. *Esd.* 1. 4. 41. *Timoth.* 4 5.

BENEFICENTIA ET Beneficium.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

BEneficentia, Græce εὐεργετεῖν dicitur. Et est exterior amicitiæ vel charitatis actus, secundum rationem communem: sicut beneuolentia est actus interior præsuppositus a beneficentia.

Beneficẽtia, a benefacio, Benignitas, liberalitas, beneficiorũ collatio. *Cicero de natu. Deor. l.* 1. Quid est melius aut præstantius bonitate vel beneficentia? Græc. εὐεργεσία. Beneficus, Liberalis, qui beneficium præstat, εὐεργέτης Heb. Beneficentia *Nedabah*, a verbo *Nadab*, munificum & spontaneum fecit, promptum & vltroneum reddidit, libere insumpsit, sumptus liberales fecit. Cognationem habet cum *Nadaph*, impulit, propulit: ille enim dicitur munificus, quem animus suus impellit ad liberalitatem. Hinc per metathesin literarum, *Saxarão* insumo, expendo, liberaliter, & Gall. *Despendre.*

Bene-

Beneficium, Hebr. *Chesedh*, pietas, misericordia, charitatis affectus, vnde beneficium. Ose.6.6. Genes.32.11. *Chasidha* vocatur Ciconia, id est beneficia, a *στοργῇ* naturali & charitate quadam mirifica erga parentes, quos senectute confectos humeris gestare dicitur. Iob 39.13. Psal.104.17. Ierem.8.7. *Chasidh*, sacer, pius, beneficus, misericors. Vtraque vox fluit a verbo *Chesedh*, sacrauit, consecrauit, quod est mediæ significationis, vt sacer apud Latinos. Hinc Græci pro π vsurparunt γ, vt *ἁγιάζω ἅγιος*, consecro, sacro. Beneficium apud Iurisc. pro iure quodam præcipuo alicui concesso, quod & priuilegium dicitur.

Beneficentia est, qua mitis animus ad cuiuis benefaciendum, nulli malefaciendum commouetur. Contrarium eius est Maleuolentia. Vel, est exterior amicitiæ vel charitatis actus, secundum rationem communem.

Beneficium Græce *εὐεργέτημα*, *ἀπὸ τοῦ εὐεργέτης* *ὁ*. beneficus dicitur. Est autem beneficium quædam beneuola actio, gaudium tribuens capienti. *In lib. feud. c.1. ex quib. cau. feu. & Pa. in cap. vnic. de com. & in c. ad audientiam. de prescr.*

Beneficij æstimationem accipientis & non dantis esse, ostendit lib. 9. Ethic. cap. 1. Arist. Aestimationem autem istam faciendam non aliunde, nisi ex vtilitate accipientis, ab eodem disputatum est, *lib. 8. Eth. c.13. & lib. 9. c.1.* de beneficiorum æstimatione verba faciens: *δεῖ δ'* (inquit) *ἴσως τὸν τοσούτου τιμᾶν, ὅσου ἔχοντι φαίνεται ἄξιον, ἀλλ' ὅτε πρὶν ἔχειν ἐτίμα.* Accipientis officium proprium ostendit *Arist. lib. 2. c. 2.* Dantis autem *eod. lib. c. 7.*

Beneficium est beneuola actio tribuens captansque gaudium tribuendo id quod agit. *Aug. de desinit.*

DIVISIO.

Beneficium præstatur aut ob
- *Electionem solam sine spe ἀντιδόσεως.*
- *Spem* { *Vtilitatis*, *Voluptatis*, } *& illis ex dignitate siue κατ' ἀξίαν reddendum beneficium.*

LOCI BIBLICI.

Beneficentia in pauperes commendatur. *Exod.* 23. 11. *Leuit.* 19. 10. *Deut.* 15. 8. *Psal.* 112. *vers.* 5. 6. 7. *Prou.* 3. *vers.* 9. 27. & 11. *ver.* 11. 15. & 14. *ver.* 21. 13. *Esa.* 58. *ver.* 7. 10. *Dan.* 4. 24. *Matth.* 10. 42. & 19. 21. & 25. *v.* 14. 25. *Marc.* 9. 41. & 10. 21. *Luc.* 18. 22. & 11. 41. & 12. 33. & 14. *vers.* 13. 14. & 16. 9. *Galat.* 6. & 9. 10. *Philip.* 4. 14. *Ephes.* 1. 15. & 4. 28. 1. *Tim.* 6. 18. *Tit.* 3. 1. *Hebr.* 13. 16. *Iac.* 1. 27. & 2. 13. 1. *Ioan.* 3. *vers.* 9. 17. 18.

Beneficentia erga inimicos colenda. *Prou.* 25. 21. *Rom.* 12. 10. Beneficentia ergo omnes communis. *Matth.* 5. 44. *Rom.* 12. 20. *Galat.* 6. 10. 1. *Thess.* 5. 15. 2. Thess. 3. 12. Beneficentiæ bona. *Prouer.* 11. 24. & 22. *ver.* 9. 10. & 28. 27. *Matth.* 6. 4. *Luc.* 11. 41. 2. *Cor.* 9. 8.

SENTENTIAE PATRVM.

Ante Dei oculos non est vacua manus a munere, si area cordis plena est bona voluntate. *Aug. hom. in Ioan.*

Dandum est, quod nec tibi, nec alteri noceat. *Greg. in hom.*

Nemo inuitus benefacit, etiamsi bonum est, quod facit. *de sermon. Domini.*

Nescit virtus mensuram gratiæ: nec contenta referre, quod acceperit, sed vult cumulare, quod sumpsit, nec inferior sit beneficio, licet æquetur officio. *Aug. l. 1. Conf. c. 11.*

In beneficio conferendo plus animus, quam sensus operatur: magis præponderat beneuolentia, quam possibilitas reddendi muneris. *de Offic.*

Gratiam principis voluntas nuda non asserit. Nec beneficium dici potest, quod nulla vtilitate sentitur. *Cass. 2. epist. 28.*

Pietate plenum est, peregrinam gentem publicis beneficijs obligare, & non tantum compatriotas ad substantiæ lucra admittere, quantum ipsos quoque aduenas inuitare. *lib. 5. epist. 9.*

Imperiti & omnino inutiles elegantioribus beneficijs & officijs ampliantur, diuitiæ accumulantur diuitibus, nec est qui respiciat pauperem & mendicum. Elisæus vasa vacua implebat, & deficientibus oleum dedit. Hodie vero contemnuntur vasa vacua, & plena superimplentur: ligna in syluas, & aquæ in maria deferuntur, arenti terræ aqua subtrahitur, & flumina, quæ non indigent, irrigantur. *Pet. Rau. in quodam serm.*

Beneficia Dei omnibus horis cõsiderãda sunt. *Chrys. in Gen. hom. 9.*

Beneficiorum Dei memoria sufficiens est ad virtutum laborem. *hom. 67.*

Officiorum assiduitate hostes conciliandi sunt. *hom. 56.*

Benefacere homini est, beneficium magnum apud Deum deponere. *hom. 27.*

Benefacta non sunt reuelanda, nisi cogat necessitas. *ibid. de Ia.*

POETICAE SENTENTIAE.

Martial. 5.

Quæ mihi præstiteris, memini semperq; tenebo
Cur egitur taceo, Posthume, tu loqueris?
Incipio quoties alicui tua dona referre:
Protinus exclamat, dixerat ipse mihi.
Non belle quædam faciunt duo: sufficit vnus
Huic operi, si vis vt loquar, ipse tace.
Crede mihi, quamuis ingentia, Posthume, dones,
Auctoris pereunt garrulitate sui.

Chilon per Auson.

Tu bene si quid facias, non meminisse fas est.

Cleobulus.

Τοὺς ἀγαθοὺς ἀγαθὰ ποίει.
Bonos beneficio affice.

Lucianus.

ὠκεῖαι χάριτες γλυκερώτεραι. εἰ δὲ βραδύνει,
πᾶσα χάρις κενὴ μηδὲ λέγοιτο χάρις.
Celeres gratiæ dulciores: si autem tardauerit,
Omnis gratia vana, neque dicatur gratia.

Ausonius ita vertit:

Gratia quæ tarda est, ingrata est: gratia namque
Cum fieri properat, gratia grata magis.

Idem aliter.

Si bene quid facias, facias cito: nam cito factum
Gratum erit, ingratum gratia tarda facit.

Phocylides.

Μὴ κακὸν εὖ ἔρξῃς· σπείρειν ἴσον ἔστ' ἐνὶ πόντῳ id est,
Noli in malum virum beneficium conferre. est ac si in mari semines.

Terent. in Andr.

Si tibi quid feci, aut facio, quod placeat Simo:
Et id gratum fuisse aduersum te, habeo gratiam.
Sed hoc mihi molestum est. Nam isthæc commemoratio
Quasi exprobratio est immemoris beneficij.

Plaut. in Trinum.

Nullum beneficium
Esse duco id, quod cui facias non placet.
Malo si benefacias, id beneficium interit:
Bono si malefacias, ætatem expetit.

Idem in Rud.

Quod bene fit bonis, haud perit:
Ab alio expectes alteri quod feceris.

Ter. Adelph. 23.

Abs quiuis homine, cum opus est, beneficium accipere gaudeas,
Verum enimuero id demum iuuat, si quem æquum est benefacere, is facit.

Plautus.

Ita sunt omnes isti nostri ciues,
Si quid benefacias, leuior pluma gratia est:
Si quid peccatum est, plumbeas iras gerunt.

Publ. Mim.

Bis est gratum, quod opus est vltro si offeras,
Beneficium accipere, libertatem vendere est.

Idem.

Beneficium dando accepit, qui digno dedit.
Beneficium sæpe dare, docere est reddere.
Beneficium dignis vbi das, omnes obligas.
Beneficium qui dare nescit iniuste petit.
Beneficia plura recepit, qui scit reddere.

Virg. 4. Aeneid.

Et bene apud memores veteris stat gratia facti.

Martialis.

Dedecus est semper sumere nilq; dare.
Beneficium se dedisse qui dicit petit.

Pub. Mim.

Bis dat, qui cito dat.

Euripid. in Rheso.

Beneficium inopibus dat, qui dat celeriter.

Plaut. Capt.

At scire tum memento, quando hic quod voles habebis,
Nam fere maxima pars morem hunc homines habent, quod sibi volunt,
Dum id impetrant, boni sunt: sed id vbi iam penes se habent,
Ex bonis pessimi, & fraudulentissimi fiunt.

Ex Trinum. Plaut.

Bene si amicis feceris.
Ne pigeat fecisse: at potius pudeat, si non feceris.
Amicum deserere, & non iuuare in rebus aduersis, pudor.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Equidem censeo, eum, qui beneficium accepit, oportere omni tempore meminisse: eum autem, qui dedit, continuo obliuisci. siquidem illum oportet boni, hunc vero pusilli & liberalis hominis officium facere: nam beneficia sua commemorare ac referre, exprobrationi fere simile est. *ex Orat. Demosth.*

Omnes profecto mutuam gratiam recipere digni sunt, qui in bene merendo de vobis priores partes occuparunt, præsertim vero, qui in extrema necessitate id faciunt. *ex Orat. ad Leptinem.*

Quæ est lex tantæ iniustitiæ, & inhumanitatis plena, vt eum qui

qui de suo nonnihil donauit, & rem per humanam liberalemq; fecit, gratia priuet, & in calumniatorum manus coniiciat? eosq. iudicijs rationum reddendarum eorũ, quæ dedit, præficiat? nulla est profecto. *ex Orat. de Corona.*

Qui indignum aliquem honore afficiunt, simplicitatis ac stultitiæ opinionem aliquam habent: qui vero ne se benemeritis paria non referunt, malitiæ suspicionẽ incurrunt: *ex Orat. ad Leptinem.*

Plures quam par est honorare, est multos ad bene merendum prouocare: *ex Orat. ad Leptinem.*

Apud omnes homines inualuit consuetudo propter multos bene meritos, etiam de alijs quibusdam sceleratis potius benemereri, quam propter perditos & flagitiosos auferre, quæ data fuerũt ijs, qui sine cõtrouersia digni sunt beneficio: *ex Orat. ad Leptinem.*

Non est minus regium, atque adeo humanum, paruula accipere, quam largiri magna. Et in loco hoc confirmat exemplo Artaxerxis Persarum regis, qui aquam a rustico oblatam æquissimo animo acceperit: *Plut. in apoph.*

Odiosum genus hominum officia exprobrantium: *Cic.*

Beneficium nec in iuuenem, nec in senem conferendum est: in hũc quia perit, antequam gratiæ referendæ detur opportunitas: in illum, quia non meminit: *idem*

Ingratus, qui beneficiũ accepisse se negat, quod accepit: ingratus, suquam, qui dissimulat; rursum ingratus, qui non reddit: at omnium ingratissimus, qui oblitus est *idem.*

Qui largiuntur indignis ea, quæ dignis conferri debebant, tria cõmittunt absurda: nam & ipsi iacturam faciunt, & in bonos contumeliosi sunt, & malos roborant, materia vitiorum suppeditata. *Ant. ex Max. ser. de benef.*

Beneficiorum recordatio iucundissima est, & vtilitatum, non fere, aut minus certe. *Arist. l. 9. Eth.*

Quemadmodum liberi chariores sunt matribus, quod partus sit difficilior, & quod suos esse sciant certius: sic beneficijs propriũ illud videtur. Accipere enim beneficium nullius est negotij. dare autem arduum est ac difficile. *ibid.*

Si ea, quæ vtenda accepimus, maiori mensura reddimus, quid beneficio prouocati facere debemus? an non imitari agros fertiles, qui multo plus afferunt, quam acceperunt: *Cic. 1 Off.*

Beneficia eo vsque læta sunt, dum videntur exolui posse, vbi multum ante venere, pro gratia odium redditur. *Cornelius Tacitus l. 4.*

Nullum est aliud impiorum beneficium, nisi vt commemorare possint, ijs se vitam dedisse, quibus non ademerint. *Cicero Philip pic.*

Liberale officium est, serere beneficium vt metere possis fructũ: *Cic. anteq iret. in exil.*

Fidei conducit in loco debitum retribuere. Illic enim animi voluntas propensa comprobatur, hic memoria collaudatur. *idem.*

Si quæ beneficia singulis ciuibus priuatimque dantur, ea solent ijs esse fructuosa, a quibus sunt profecta. *idem.*

Etenim iniuriæ vlciscendæ facilior ratio est, quam beneficij remunerandi, propterea quod superiorem esse contra improbos minus est negotij, quam bonis exæquari. Tum etiam nec tam necessarium quidem est, male meritis, quam optime meritis, referre, quid debeas: Odium vel precibus mitigari potest, vel temporibus Reip. communique vtilitate deponi, vel vetustate sedari: *Cic. in orat. ad Quirit. post redit.*

Benemeritos quin colas, nec exorari fas est, neque est excusatio difficultatis, neque æquum est tempore & die memoriam beneficij definire: *idem*

Sunt enim quidam minus grati, qui aliquid incommodi præstare solent his, quibus obligati sunt, vt probent affectum beneficij memorem. Horum animus similis est prauo amore flagrantib. Ills enim amicæ suæ optant exilium, vt fugientem comitentur, optant inopiam, vt magis desideranti donent: optant morbum, vt assideant: & quicquid optaret inimicus, amantes vouent. Fere idem exitus est odij, & amoris insani. Sed nequitia est, vt extrahas, emergere: euertere, vt suscites: includere, vt emittas. Nõ enim beneficium iniuriæ finis, nec vnquam id detraxisse meritũ est, quod ipse, qui detraxit, intulerat. *Seneca de benef.*

Multum interest, vtrum quis beneficium nobis det sua causa, an sua & nostra: ille qui totus ad se spectat, & nobis prodest, qui aliter sibi prodesse non potest, eo mihi loco habendus videtur, quo quis pecori suo pabulum prospicit, si me in consortium admisit. Si duos cogitauit, ingratus sum, & iniustus: nisi gaudeo hoc illi profuisse, quod proderat mihi. Summæ malignitatis est non vocare beneficium, nisi quod dantem aliquo beneficio afficit. *Libro de benefic.*

Francisc. Petrarch.

De beneficijs in multos collatis. DIAL. XCIII.

GAVD.

Beneficia in multos contulisse gaudeo. R. Multos ingratos experiens dolebis. GAVD. Beneficia in multos effudi: R. Recte ais: Nã si accipientium animos intueare, beneficiorum magnã pars perditur: GAVD. Multi meis beneficijs sunt obstricti: R. Quidam se obliuione relaxabunt, alij forsan iniurijs beneficia pensabũt vt cesset iniuriæ, non cessabunt querimoniæ, quam multi de benefactoribus queruntur suis? Iniquũ fateor, sed cõe adeo, vt non tam crebræ de hostibus sint querelæ. Audisti apud Lucanũ de Pompeio querentem Photinum, apud Senecam vero Sabinum de Augusto? Quod vero te ad literas aut antiquitatem voco? Vrbes medias contemplare: vici oẽs lamentis talibus pleni sunt. Ois autem ingratitudinis triplex (ni fallor) causa est, Inuidia, s. quæ, dum impensa alijs beneficia suas ducit iniurias, in se collata non adspicit. Superbia, quæ vel se maioribus dignã censet, vel præferri sibi aliquem indignatur. Cupiditas, quæ muneribus non lenitur, sed accenditur, & dum quærendis inhiat, quæsita non meminit. Possem breuius totius mali caulam stultitiã dicere. Ea vero non huius tantum, sed malorum oium causa est, ignorantia veri boni, opinionumq peruersitas, hinc nimirum pestes autint prodeunt, superbia imprimis, & cupiditas, quibus nullum obsequium non contumax, nulla largitas non angusta est. GAVD. Beneficus fui in multos: R. Aristotelica quædam magnanimitas fertur meminisse collati, accepti aũt beneficij obliuisci, quæ snia etsi colore non careat, apud me tñ verus magnanimus contemptor mediocrium atque humilium est rerum, atque ideo quæcunq; egerit, magna quamuis, iudicio plurimorũ parua sunt aio maiora quædam & rariora volenti, contra si qd acceperit, quo alteri fiat obnoxius, quamuis exiguum graue est liberalitatem amanti, atque ad excellentiam aspiranti, quo vel quamprimum solui leuariq; velit. De hac igitur re Annæi Senecæ dictũ probo: Beneficium, inquit, qui dedit, taceat: narret, qui accepit. Eleganter nempe, duo beneficentiæ seu venena seu vulnera sunt, hinc exprobratio largientis, hinc recipientis obliuio vtraque mater ingratitudinis, ac beneficij nouerca. Illa ingratitudine parit in altero, hæc in se: illa quoque beneficium in se extinguit, hæc in altero. his tot malis aptissime illo Senecæ consilio medeare: GAVD Multis benefeci. RAT. At pluribus non fecisti, qui se spretos, & contemptos dolent. Est aũt nescio, quid vnde firmior offensarum, quam beneficiorum, tenaciorque memoria. Sæpe singulis beneficijs aut nullos, aut singulos amicos obliuiosos & tepidos, hostes aũt tibi multos feceris memores ac feruentes: GAVD. Multis multa ac magna contuli. RAT. Sunt multi, quibus profuisse periculum sit, quidam paruo amicũ magno hostem beneficio quæsiere, quod & exigui debitum, leue, retributio prona est, magna aũt, & debere pudet & piget reddere, & nihil est tertium, nisi vt desinat esse, cui debeat, qui inuitus debet. Ita dum debentem pudor beneficij, expertos dolor agitat, inter Scyllam & Charybdim fertur cymba beneficij, effectumque, vt multos qui parce atque illiberaliter tuti vixissent, liberalitas insignis indiscrimen traxerit. Siquidẽ inter malos impune bonum esse non licet, durum dictu, sed dicẽdum. Aĩal ingratius hoĩe nullum est. GAVD. Late me beneficum præbui. RAT. Quidam sunt benefici, nec tñ beneuoli, quos magnitudo status atque hominum necessitas multa largiri cogit, his ẽt, quos non modo non diligunt, sed ne noscunt quidem, quibus si se ob beneficia charos sperant, valde eos fallit opinio. Nemo facile non amantem amat. Mutuus nexus aĩorum, ac reciprocus est amor. Munera sæpe necessitati, amor vero iudicio tribuitur: vt ergo beneficia bene collata & læta fronte, pioque aĩo dignis exhibita nunquam gloriosa negauerim, sic multa, immo vero partem maximam, seu hæc dantium seu accipientium culpa est, perdi ac proijci, nemo vsque est, qui dubitet. Et est facilior, breuiorq; ac rectior, quam supra tibi ostendimus, amando, s. ad amorẽ via qua pergeris, verũ quoq; si benefici nomen accesserit, clarum te supraque fidem multis amabilem efficit. GAVD. Multa & magna contuli. R. In rebus non quid, sed qualiter, quoue animo fiat, refert, apud Deum atque homines. & magna sæpe inuisa, & modica grata sunt nudum præ omnibus cor attendi, & sacrificio pauperis probatur & munere.

Si indigentiam ei optares, cuius nullum beneficium haberes, inhumanum erat votum, quam inhumanius ei optas, cui beneficium debes? *Seneca lib. de benef.*

Sapiens est bene debere, beneficia bene soluere. Interdum autem solutio est ipsa confessio. *83. epist.*

Post malam segetem serendum est sæpe: quicquid perierat infelicis soli sterilitate vnius anni restituit vbertas: Nemo habet tam certam in beneficijs manum, vt non sæpe fallatur. *ibidem.*

Sæpe enim hoc non potuere diuitiæ in dominum infusæ, quod opportune dati mille denarij. Multum. n. interest, an donaueris, an succurreris, an seruauerit illum tua liberalitas, an instruxerit. Sæpe quod datur, exiguum est, quod sequitur ex eo, magnum est. *ibidem.*

Errat, si quis beneficium accipit libentius, quam reddit. Hilarior esse debet, qui soluit, quam qui mutuat, & lætior esse debet, qui ære alieno accepti beneficij exoneratur, quam qui obligatur. *ibidem.*

Si reddere beneficium non aliter quam per speciem iniuriæ pote ro, æquissimo animo ad honestum consilium per mediam infamiam tendam. *ibidem.*

Non potest dari beneficium sapienti, cui, quicquid datur, de suo datur. Quædam amicis dantur, quædã ignotis, & plus est, quam ais idem datur. Si enim datur, quod a beneficio tuo nosse incipis, ille tribuit auxilia, ille ornamenta *lib. 3. de benef.*

Beneficium est, quod alienus dat: alicuius enim est, qui potuit sine reprehensione cessare, ideo beneficium est, quod quis dedit, cũ illi liceret etiam non dare *ibidem.*

Pœna est, quod non audet ab vllo beneficium accipere, quod non audet vlli dare. *ibidem.*

In beneficio tempus, locum, personam quisque obseruet, quia momentis quædam grata & ingrata sunt. Quanto enim acceptius est, si id damus, quod quis non habet, quam cuius copia abundant? & quod diu quærit, quam quod vbique visurus est? Illa quoque non erunt sine honore, quæ aut illi nemo alter dedit, aut nulli alij. *ibidem.*

Apophthegmata.

Chilon. dicere solebat: Dati beneficij debere obliuisci, accepti autẽ meminisse. Quo vituperauit eorum hominum insaniam, qui beneficia in amicos collata non solum exprobrant priuatim, sed publice etiam coram omnibus. *Laert. lib. 1. c. 5.*

T. Vespasianus dicebat, non licere quenquam a vultu Imperatoris tristem discedere. *Bruf. lib. 3. c. 13.*

Idem, inter cœnandum aliquo die recordatus, quod quicquam præstitisset: memorandam illam vocem edidit: Amici diem perdidi. Laudanda sane principis beneficentia tam peculiaris, qui omne tempus se perdidisse putabat, quo amicis benemeritis suum nõ præstitisset officium. *Suet.*

Alexander Seuerus descriptum habebat, quid cui præstitisset, qui nihil aut minimum petijssent, eos appellabat, dicens: Quid est, cur nihil petis? an me tibi vis fieri debitorem? pete, ne priuatus de me quæraris. Agnoscebat, principem debere recte suo fungentibus officio: nec æquum iudicabat, vt probe suo defunctus officio priuatus egeret. *Ælius Lampridius.*

Idem rogatus, quis esset rex optimus? Qui, inquit, amicos, muneribus retinet, & inimicos beneficijs ambit, & sibi conciliat. *Max. serm. 9. de mage str.*

Pythagoras interrogatus, qua ratione homines dijs similes haberi possent? Respondit: Si veritatem amplecterentur, & cunctis benefacerent. *Ælian lib. 12. de uar. inst.*

Alexander vrbem dono dedit cuidam, qui seipsum mẽsus, tanti muneris inuidiam refugiens, dicebat illud non conuenire fortunæ suæ. Non quæro, inquit, quid te accipere deceat, sed quid me dare. *Senec. lib. 5. de benef. c. 16.*

Socrates Archilao regi roganti, vt ad se veniret, respondit, nolle se ad eum venire, a quo acciperet beneficia, cum reddere illi paria non posset. Timuit fortasse, ne cogeretur accipere, quæ nollet. Negotium enim illi erat cum rege omnia sua magno æstimari volente. *Senec. lib. 5. de benef. c. 6.*

Theophrastus inter rogatus, quidnam vitam conseruaret humanam? respondit, Beneficentia. *Stob. serm. 41.*

Democritus, Homo (inquiebat) ad largiendum, quam promittendũ, promptior esse debet. Donum enim licet exiguum, prodest egenti. verba autem ac magnifica promissa, nulli sunt vtilia. *Stobaus.*

Idem, Si bene, inquit, mereri de aliquo voles, citissime aliquid in illum beneficij conferas. Mora enim ingratum redditur, & parum amabile, quicquid dederis. *Stob.*

Crispus Cassianus dicere solebat, se quorundam hoium iudicium malle, quam beneficium: quorundam libentius admittere beneficium, quam iudicium: quo dicto Seneca asserit, nihil se subtilius atq; insignius in distinguendis maxime & curandis vitijs, cognouisse. Quis enim bonorum iudicio & consilio stare mauult, quam malorum cadere beneficijs? E regione, quis malorum hominum bono iudicio fidere malit, quã bonorum beneficijs, ex quibus periculum tibi imminere possit. *Seneca de benef. l. 1. c. 1.*

Democritus, quum animaduertisset, quendam quibuslibet prompte largientem, & temere suppeditantem: Male, inquit, pereat, qui Gratias virgines meretrices effecit. *Max. ser. n. 8.*

Alexander regium esse affirmabat, a quibus male audias, in eos, & sæpe & multum conferre. Quo innuere voluit, liberalitatem aliquando etiam erga indignos exercendam esse. *Pontan. c. 30. de Liberalitate. ex Plut.*

Fridericus Cæsar sæpenumero dicere solebat, se ex ijs, quos extulisset, quam paucissimos gratos vidisse: idque ex muneribus suis datum esse, vt ex fidelibus infideles fierent. *Æn. Syluius lib. 2. commene. de rebus gestis Alphonsi.*

Alphonsus rex, oblatrantibus canibus & rebellantibus, offulam obijciendam, dictitabat: Intelligens, maleuolos homines beneficijs vincendos esse. *Pontan. c. 30. de liberalitate.*

Anaxilaus interrogatus, quid esset in regno beatissimum? respondit, nunquam vinci beneficijs. *Phauorinus.*

Diogenes a quodam rogatus, quam ob caussam homines mendicis darent, philosophis vero nihil largirentur: Quia, inquit, se claudos & cæcos fore sperare possunt, philosophos autem minime. *Ant. & Max. serm. de Beneficentia.*

Idem, quũ discũ offib. referitũ Alexander ei dono misisset: Est quidem, inquit, cibus Cynicus, sed donum minime regium. *ibid.*

Socrates quondam tempore foro reuersus inter amicos dixit: Emissem pallium, si nummos habuissem. Nihil postulauit, tantum verecunde admonuit egestatis. Mox inter amicos ambitus erat a quo Socrates acciperet. Et tamen post eam vocem quisquis properauit, vt ait Seneca (*lib. 7. de benef. c. 24.*) sero dedit.

Idem, ei cum multa multi offerrent. Aeschines pauper auditor, Nihil, inquit, te dignum, quod dare tibi possim, inuenio, & hoc modo pauperem me esse sentio. Itaque dono tibi, quod vnum habeo, Me ipsum. Hoc munus rogo, quacunque est, boni consulas, cogitesque, cum multum tibi darent, plus sibi reliquisse. Cui Socrates: Quid ni tu, inquit, mihi magnum munus dederis, nisi forte paruo te æstimas. Habebo itaque curæ, vt te meliorem tibi reddam, quam accepi *Senec. lib. 1. de benef.*

Diogenes, quibusdam prædicantib. eius benignitatem, qui Diogeni quiddam donarat: Quin & me, inquit Diogenes, laudatis, qui accipere merui? Plus enim est meruisse beneficium, quam dedisse, iuxta illud Publij Mimi: Beneficium dando accepit, qui digno dedit. *Laert. lib. 6.*

Archelaus. Ab Archelao in conuiuio familiaris quidam, sed parum humanus, petijt sibi dari poculum. Archelaus autem illico mandauit puero, vt hoc poculum daret Euripidi. Id factum admiranti postulatori: Tu quidem, inquit, dignus eras, qui peteres, ne acciperes, vel non petens. Significans, alteri hoc tribuisse regiam familiaritatem, vt auderet quiduis petere: at Euripidis boni viri pudorem hoc mereri, vt vltro ei daretur aliquid. *Plut. in apoph.*

Antigonus, Thrasillo Cynico drachmam petenti: non est, inquit, munus regium. Cynico subijciente: Talentum igitur da: At nõ est, inquit, idẽ Antigonus, Cynicum, si tale munus accipias. Quo dicto vtroq; cornu postulatoris improbitatem repulit: & docuit interim, dignis tantũ beneficium esse præstandũ. *Plut. in apoph.*

Similitudines.

Chrysostomi, quemadmodum diuitum filij ornatus gratia aureũ monile gestant in collo, nec id vnquam deponunt, veluti nobilitatis signum circumferentes, & ostentãtes: sidem & nos oportet semper beneficentia indutos esse, declarantes, quod filij sumus eius, qui misericors est, eius qui solem suum exoriri facit super bonos ac malos. *Homil. 1. ad Philippenses.*

Gregor. Nyssa. Episcopi, Quemadmodum illi, qui in stultitiæ certaminib. præmia proponuntur, tuba liberalitatem suam significãtes, omnibus in palæstra decertantibus pecuniæ largitionem publicentur atque denunciant. Sic ipsa beneficentia omnis in miserijs & calamitatibus positos ad se vocat, non vulnerum, & plagarum præmia, sed ærumnarum & incommodorum remedia & curationem accedentibus impertiens. Hæc est omnium laudatarum præstantissima. Hæc est felicitatis comes. Hæc assidet Deo, & magna est cum ipso necessitudine coniuncta. *In orat. de pauperibus amandis, & benignitate comp.*

Epictet., Quemadmodum faces in portu sublatæ, magna flamma in paucis ex emijs excitata, nauibus per mare errabundis multum auxilij ferunt: Sic & vir egregius in vrbe periclitanti e paucis rebus contentus, magnis beneficijs ciues afficit. *Apud Stob. ser mo. 43.*

Quemadmodum sol non expectat preces & præstigias, vt exoriatur, sed illico fulget, ac salutatur ab omnibus: Ita neque tu expectaueris plausus, strepitus & laudes, vt benefacias, sed sponte confer beneficia, & æque ac sol amaberis. *Apud Stob. serm. 44. de Magistratu.*

Seneca, Quemadmodum acerbissima crudelitas est, quæ trahit pœnam, & misericordiæ genus est, cito occidere, quia tormentum vltimum finem sui secum affert: quod antecedit tempus, maxima venturi supplicij pars est. Ita maior est muneris gratia, quo minus diu pepẽdit. Est enim bonarum etiam rerum sollicita expectatio. *li. 2. de benef. c. 5.*

Sicut in telis eadẽ telis vis est, sed in infinitũ interest, verũ excusso lacerto excutiantur, an remissa manu effluant. Gladius idẽ & stringit, & transforat, quam presso articulo venerit, refert: Idem est quod datur, sed interest, quomodo detur. *lib. 2. de benef. c. 6.*

Quemadmodum pulcherrimum opus est, etiam inuitos nolentesq; seruare. Ita rogantibus pestifera largiri, blandum & affabile odium est. *ibid. c. 14.*

Quomodo mundi officium est, circumagere rerum ordinem: quomodo solis loca mutare, ex quibus oriatur, in quæ cadat, & hæc salutari a nobis facere sine præmio: Ita viri officiũ est inter alia, & beneficium dare. *lib. 4. c. 13. de benef.*

Quemad-

Quemadmodum aliud in munus, aliud ipsa donatio: aliud qui nauigat, aliud ipsa nauigatio: & quamuis æger non sit sine morbo, non tamen idem est æger & morbus: Ita aliud est beneficium ipsum, aliud quod ad vnumquemque nostrum beneficium peruenit. *lib.6.c.2.de benef.*

Quomodo multos fortuita sanant, & in flumen alicui cecidisse frigore magno causa sanitatis fuit: quomodo quorundam flagellis quartana discussa est, & metus repentinus animum in aliam curam auertendo suspectas horas fefellit: nec ideo quicquam horum, etiam si saluti fuit, salutare est: Sic quædam nobis prosunt, dum volunt, imo, quia nolunt, non tamen ideo illis beneficium debemus. *lib.6.de benef.c.8.*

Quemadmodum in ægris, opportunitas cibi salutaris est, & aqua tempestiue data remedij locum obtinuit: Ita quamuis leue & vulgare beneficium sit, si præsto fuerit, si proximam quamq; horam non perdidit, multum sibi adijcit, gratiamque pretiosi, licet lenti & diu cogitati muneris vincit. *lib.2.de benef.c.2.*

Quemadmodum ei qui voluit mihi pecuniam credere & non credidit, nihil debeo: Ita ei qui voluit mihi beneficiũ dare, sed nõ potuit, amicus quidem ero, sed non obligatus. *lib.6.de benef.c.11.*

More optimorum parentum, qui maledictis suorum infantium arrident, non cessant dij beneficia congerere, de beneficiorum authore dubitantibus, sed æquali tenore bona sua per gentes populosque distribuunt, vnam potentiam sortiti prodesse. Spargũt opportunis imbribus terras, maria flatu mouent, siderum cursu notant tempora, hyemesque æstatesque interuentu lenioris spiritus molliunt, errorem labentium animarum placidi ac propitij ferunt. Imitemur illos. Demus, etiamsi multa in irritum data sint. Demus nihilominus alijs, demus ipsis, apud quos iactura facta est *lib.7.de benef.c.33.*

Plinij. Ficus non floret, cum fructus habeat dulcissimos: Ita quidam benefaciunt, nihil pollicitantes. *lib.1.c.26.*

Tarinerri. Vt calcem accensam oleo extingues, ignem vero accendes: Ita hominem iratum beneficijs placabis, inuidum vero magis excitabis. *In apophth.*

Multam ac flatulentam aeris tempestatem sæpe olmia pluuia mitigat: Sæpe etiam minimum beneficium inimicitias dissipat. *In apophth.116.*

Vt adamas lapis durissimus incude rumpitur: sed sanguine hircino adhibito mollitur: Ita homo quoque iracundus disceptationibus accenditur ac dissoluitur, beneficijs vero affectus placatur. *In apophtheg.*

A D A G I A.

Perdidisti vinum infusa aqua. *ἀπώλεσας τὸν οἶνον ἐπιχέας ὕδωρ Hom.* *Verba sunt Polyphemi. Sic enim increpat Vlyssem vinum aqua temperantem. In eos quadrabit, qui beneficium in aliquem conferentes incommodum aliquod adiungunt, quo dati beneficij fructus voluptasque imminuitur.*

Capta Scytia *αἱ Σκυθία.*

Conuenit in eos, qui beneficium maleficio corrumpunt, aut qui virtutes adiunctis vitijs contaminant atque obscurant, qui recte instituta non recte finiunt.

Panis lapidosus. *Seneca lib. 2. de benef. c.7.*

Fabius Verrucosus appellabat beneficium ab homine duro aspere datum, panem lapidosum, quem esurienti necessarium sit accipere, durum & acerbum esse.

Ne quod beneficium collocaris in senem. *P.M.*

In Chiliadibus γέροντι μηδέποτε μηδὲν χρηστὸν ποιεῖν. Refertur nominatim prouerbij vice ab Aristot. lib. 2. Rhetor. χρῆσθαι συμβουλεύει μὴ ποιεῖσθαι φίλον γέροντα τοῦτο μαρτυρεῖ ἡ παροιμία μή ποτ' εὖ ἔρδειν γέροντα id est. Qui consulit, ne quis cum sene ineat amicitiam, huic testimonij loco est prouerbium. Ne quando bene mereare de sene. Dicitur hodieque vulgo. Neque in senem, neque in puerum collocandum esse beneficium, propterea quod alter non refert, alter non meminit. Extat & huiusmodi quiddam apud Diogenianum adagium: μή ποτ' εὖ ἔρδειν γέροντας, μηδὲ γυναῖκα, μηδὲ παῖδα, μηδὲ κύνα τινός, μηδὲ λάλον κωπηλάτην id est: Ne quod beneficij collocès, neque in senes, neque in mulierem, neque in puerum, neque in canem cuiuspiam, neque in garrulum remigem: propterea quod perire videatur quidquid in einsmodi genus hominum insumitur.

E X E M P L A S A C R A.

Beneficentiæ in pauperes exempla, Booz in Ruth, *Ruth 2.v.8.14.15.16.17.* Tobias in pauperes, *Tob.1.19.* Iob in pauperes, *Iob 29.15.* Samaritanus in viatorem cæsum, *Luc.10.34.35.* Zachæus in pauperes, *19.8.* Cornelius in pauperes, *Act.10.2.* Antiocheni in fideles Iudeæ, *11.29.* Macedonica Ecclesia in eosdem, *Rom.15.26. 2.Cor.8.2.* Hebræi in pauperes, *Heb.6.10.* Gaius in fideles hospites, *3.Ioan.v.5.* Beneficia facile obliuioni traduntur. *Exempla:* Labã, *Genes.*, 15. Pincerna Pharaonis, 40.23. Pharao, *Exod.1.8.* Ioas rex Iuda, *2.Paral.24.vers.21.22.*

P R O F A N A E X E M P L A.

Ludouicus XI Francorum rex, cum precibus piorum vitæ diuturnitatem sibi conciliari posse persuaderet, sacros homines quosuis maximis affecit beneficijs, præsertim eos, qui vel vitæ sanctimonia vel etiam miraculorum dono præstarent. *Claud. Seysselius.*

Apud Persas rex, in principio dominatus, quodcumque optaret a populo donum ferebat. *Alex.l.4.c.23.*

Porsena rex Hetruscorum discedens ab Ianiculo, ex fœderis lege castra opulenta, conuecto ex propinquis ac fertilibus Hetruriæ aruis commeatu, Romanis dono dedit, inopi tum vrbe ab longinqua obsidione. *Liuius.*

Telegoras apud Naxios prædiues quispiam ac præpotens erat, cui quod quotidie multa a Naxijs missitarentur: vulgato sermone receptum est, vt venditores paruo licitantibus dicerent: *μᾶλλον προέλοιμι τῷ Τελεγόρᾳ δοῦναι* id est, malim Telegoræ dare. *Athenæus l. Deipnosophistarum 8. ex Aristot.*

Adrianus Imp. in balneo veteranum quempiam strigili penuria, sese marmoribus affricantem cõspicatus, eum & strigilis aliquot, & sumptibus donauit. Quod reliqui veterani feliciter cessisse videntes, cœperunt & ipsi complures sub oculis imperatoris sese marmoribus affricare: vt hoc modo principis elicerent benignitatem. At ille euocatis senibus, iussit vt alius alium vicissim defricarent, atque ita pueris nihil opus fore. Is iocus postea in vulgi fabulam cessit. *Spartianus.*

Anacreon, quum auri talentum a Polycrate tyranno accepisset, alijs id distribuit, inquiens, Odi munus quod vigilare cogit. *Anton. Max sermone. de beneficent.*

Lacedæmonij, quum Smyrnæis egentibus commeatum misissent, atque illi beneficium verbis attollerent, Lacedæmonij sermonem interrumpentes, Nil magni est, inquiunt: Hæc enim collegimus, vnius diei prandio, nobis & iumentis detracto. Gratius est beneficium, quod extenuatur ab eo qui confert. Nam qui quod largiuntur exaggerant (qui plerisque mos est) bonam gratiæ partem amittunt. *Plut. in Lacon.*

Epaminondas cuidam egeno mandauit, vt a quodam ex amicis ipsius talentum peteret, petijt, & accepit. Amico percontanti cur id iussisset? Quoniam, inquit, ille cum vir sit probus, inopia premitur: tu vero diues es, multa de publico depeculatus Epaminõdas ipse pauper hac ratione subuenit egenti. Bonorum enim probrum est, virum probum egere necessarijs. *P M. l.5. apo.*

Agesilaus ijs qui clanculum aduersarentur, palam quidem non exhibebat negocium, sed afficiebat vt ipsum in militiã sequerẽtur, atque ex his nonnullos duces exercitus ac magistratus factos euehebat: qui cum se in magistratu improbe & auare gessissent, eoq; in ius vocati periclitarentur: rursus Agesilaus illis patrocinabatur, & ab ipsis stabat, atque hac arte reddebat eos ex clãcularijs hostibus amicos, & ad se reuocabat. Quibus rebus factum est, vt tãdẽ neminẽ haberet aduersarium. Quid hac prudentia ciuilius, qua mederi maleuolis maluit quam vlcisci? *Plut in Lacon.*

Artaxerxes, quum sibi malum punicũ insignis magnitudinis a paupere datum esset: Per solem, inquit, ciuitatem ex parua magnam quam celerrime facere posset, si eius fidei credatur. Laudauit autem hominis beneficentiam, qui pro fortunæ conditione obtulit regi quod habebat, & gratum putabat. *Brus. l.3.c.13.*

Philippus, quum Thebis obses esset, Philonis Thebani hospitio vsus est, multisque insuper ab eo beneficijs affectus. Is quum vicissim a Philippo nihil muneris vellet accipere, Ne me, inquit, Philippus, beneficentia superatum hac laude spolies, quod hactenus a nemine beneficijs victus fuerim. O animum imperio dignum. Pulchrius existimauit, benefaciendo, quam potentia vincere. *Plut. in apoph.*

Alexander Taxiles, vnus è numero regum Indiæ, occurrens Alexãdro, sic illum affatus est, Prouoco te, inquit, non ad pugnam, neque ad bellum, sed ad aliud certaminis genus. Si inferior es, a nobis accipe beneficium: sin superior, nobis benefacito. Cui Alexander: atqui, inquit, ob hoc ipsum inter nos certandum est, vter benefaciendo superet alterum. Et humanissime complexus illum non solum non spoliauit ditione, sed auxit etiam. *Plut. in apoph.*

Alphonsus rex audiens ab amicis, frustra in Aluarum, hominem parum gratum, tam infinita beneficia collata esse: dixisse fertur, Ingenti beneficio non nisi ingenti ingratitudine satisfieri, & propterea plures quidem esse qui darent: sed qui dare scirent, esse perpaucos. At non ob id pigrius dandum, aut benefaciendum esse. *Pan. lib. 2. de rebus gestis Alphonsi.*

Idem, quum intellexisset quosdam esse qui acceptis beneficijs plane ingrati essent, inquit: ingratos nequaquam effecturos, quo minus ipse & humanus & beneficus persistet. Innuit autem nequaquam prudentis esse, ita moueri malorum ingratitudine, vt in bonos nil beneficiorum porro conferat. *Pan. l.1. de Alph. reb. gest.*

Idem, supplicitet a Ioanne Neapolitanorum reginæ, omni ope destitutæ, oratoribus vt contra Martinum V. Pontificem (qui eam indignam, quæ regnum ecclesiæ Romanæ feudatarium teneret, iudicarat, & Ludouicum Andegauensem Siciliæ regem declarauerat) auxilium ferret, rogatus, dissuadentib. consiliarijs, vt qui diuturnum & perquam anceps fore bellum dictitarent: respondit, Herculem etiam non rogatum laborantibus subuenire consueuisse,

bisse, dignum igitur esse, vt ipse quoque fœminæ afflictæ, & tantopere roganti opem ferret. *Pan. lib. 1. de reb. gest. Alphonsi.*

Fl. Vespasianus, admonitus ab amicis, vt caueret a Meio Pomposiano, quod de hoc rumor increbuerat, fore vt aliquando regnaret: non solum sibi non metuit ab illo, sed & consulem fecit. Id admirantibus amicis: Erit, inquit, olim memor tanti beneficij. *P. M. lib. 8. apoph.*

Fabricius, quum bellaret contra Pyrrhum regem, medicus Pyrrhi scripsit ad Fabricium, se regem veneno necaturum, id autem ne fieret admonuit Pyrrhum vt sibi caueret. Pyrrhus, ne frustra hoc beneficium accepisse videretur, Fabricij captiuos gratis remisit, Fabricius gratis recipere noluit, sed parem captiuorum numerum etiam dedit, ne mercedem proditi veneni accipere diceretur. *Plut. in Rom. apoph.*

Hieroglyphica.

Sunt qui beneuolum hominem per *Ascolopaca*, quam *Gallinaginem* Latini appellant, pictam intelligant: quod auium nullam maiore erga hominem studio affici compertum sit. Magnitudo volucri, quanta Gallinæ est, rostrum longum, Attagenæ color. *Pier. lib. 24. pag. 125. A.*

Apologi.

Ceruа & Vitis.

Cum fugeret cerua insequentes venatores, occuluit se sub vite, venatoribus autem paululum prætergressis, quod putaret se ceruam iam esse in tuto, secura animi carpere pampinos & mandere cœpit. Quorum motus atque strepitus venatores conuertit. Atq; illi, quod res erat, arbitrati sub vite bestiã aliquã latere, accurrunt, & visam ceruam iaculis configunt. Quæ moriens: Merito inquit hoc mihi euenit, quæ violare non dubitarim seruatricem meam.

Docet fabula vltionem numinis non effugere eos, qui pro beneficijs malefacta rependant.

Canis senex.

Bona & laudabili opera canis perstrenui vsus aliquantisper venator fuerat. Deficientibus autem iam viribus, & debilitatis membris, nihilo secius ille tamen ab hoc alacritatem & cursus pristinos requirebat, & verbis atque verberibus cessantem vrgebat. Cui canis: Quam cito oblitus meritorum meorum, ita in me sæuus es: Neque mihi prodest quicquam, quod benefecerim cum facere posse desierim.

Fabula reprehendit hominum prauitatem, in beneficijs obliuiscẽdis. Dicitque idem, quod versus Homericus:

Οὐκ ἔτι χάρις μετόπισθεν ἀέργων, id est,
Benefactis gratia nulla est.

Luporum & Ouium pax.

Cum lupis bellum gerebant oues, atq; illis adiutæ auxilio canum semper pares, sæpe etiam superiores erant. Lupi, victoria desperata, ad oues legatos mittunt, qui pacẽ petant. Conditiones ferebantur, canes lupis vt obsides darentur ab ouibus, ipsæ catulos luporum acciperent. Cum de omnibus conuenisset, pax iurisiurandi religione firmatur. Paulo post securis ouibus, cum forte vlularent catuli luporum, illi in miseras & destitutas omni ope, quasi violatores pacis, qui iniuria obsides acceptos affecissent, irruunt, & ita vt prius impune illas rapiunt atque vorant.

Monet fabula, vt, eos, a quibus defendi nos sciamus, diligenter colere velimus.

Canis & Cocus.

In domo quadam ingens conuiuium apparabatur. Inuitat igitur canis domesticus externum, secum vt epuletur. Deductus externus in culinam videt omnium rerum ad victum necessariarum summam adesse copiam, magnas etiam vbique lautitias animaduertit. Itaque gaudio plenus: Papé! quam opipare, inquit, hic nunc conuiuabor: tanto scilicet me cibo ingurgitare potero, vt saturitas postridie etiam duratura esse videatur. Hæc ille secum lætus murmurans, caudam quasi adulans coco quassat, ille vt ab externo metucos, arreptum de fenestra eum proijcit in viam. Qui cum clamore maximo aufugiens, habuit obuium sibi notũ alterum canem. Hic igitur qui fuisse eum inuitatum foras sciret, quomodo acceptus esset, interrogat. Cui alter: Ita inquit, multũ potaui, vt ebrius vnde exierim ignorem.

Fabula docet, fidem non habendam ijs, qui de aliorum facultatibus beneficos se futuros esse polliceantur.

Vide Amor proximi, Liberalitas.

BENEVOLENTIA.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Beneuolentia. Græce *εὔνοια*, *εὔνους*, beneuolus dicitur. Et est bonorum erga proximum voluntas. Cuius opposita sunt odium & inuidia. *Plut. libello de inuidia & odio.* *Polyanthea Nouiss.*

Beneuolentia dicitur *εὔνοια*, id est, bona voluntas. Ita & maleuolentia dicitur *κακόνοια*, quasi mala voluntas: & *κακόνους*, maleuolus.

Hebr. *Chephets* a verbo *Chaphets*, voluptatem habuit, voluit, amore complexus est. Hinc Græc. *ἀσπάζομαι*, amo, amplector, bene cupio: *ἐθέλω*, cupio, desidero.

Quid inter *φιλίαν* & *εὔνοιαν* intersit, disputat *Arist. lib. 7 Eth. c. 2. Cic. lib. 2. offic.* vbi de vtilitate cum eius speciebus disputat, late beneuolentiæ causas prosequitur: ostendens illas aut esse beneuolentiam, aut honorem, aut metum, aut expectationem beneficij, aut precium & mercedem.

Biblici Loci.

Beneuolentia, Græcis *εὐδοκία*, pro Dei beneplacito. *Luc. 2. 14.* pro gratuito & infinito Dei in electos amore, *Ephes. 1. v. 5. 9.* pro mutua hominum inter se amicitia, qua fit vt alij aliorum commodis studeant, *Rom. 10. 1.* pro charitate, qua homines Deum diligunt, *Philip. 1. 15.*

Poeticae Sententiae.

Hippolyt.
Par odio importuna beneuolentia.

Phæd.
Cum nocet amicus, nihil ab hoste discrepat.

Horat. in Epist.
Nil moror officium, quod me grauat.

Sententiae Philosophicae.

De beneuolentia autem, quam quisque habeat erga nos, primum illud est in officio, vt ei plurimum tribuamus, a quo plurimum diligimur. Sed beneuolentiam non adolescentulorum more, ardore quodam amoris, sed stabilitate potius, & constantia iudicemus. *Cic. 1. de offic.*

Sæpe nihil interest inter amicorum munera, & hostium vota. Quicquid illi accidere optant, in id horum intempestiua indulgentia impellit atque instruit. Quid autem turpius, quam quod euenit frequentissime, vt nihil intersit inter odium & beneuolentiam. *Senec. lib. 2. de benefic.*

Amantes suorum beneuolentia decipiuntur. *Polybius lib. 1.*

Memento igitur, necessarium esse ad res agendas hominum beneuolentiam: austeritas vero solitudinem amicorum parit. *Plut. Dionys. Epist. 4.*

Beneuolentia in principes veluti parentes, nos affectos esse decet, obedientes, ac venerantes ipsos. Qui aliter senserit, mali consilij pœnam dabit dæmonibus, qui indigetes & patroni ciuitatis sunt. Nam etiam principes, patroni & domini sunt ciuitatis. *Charondas.*

Mansuetudine potius & beneficentia, quam timore elicienda est beneuolentia. *Plut.*

Apophthegmata.

Antigonus, amicis suadentibus, vt si Athenas caperet, validis illam præsidijs communiret, ne quando deficeret: respondit se semper in ea fuisse opinione, vt crederet nullum esse regni præsidium firmius, quam ciuium beneuolentiam. *P. M. 4. apoph.*

Alexander, quum beneuolentiam ciuium sibi conciliare cuperet, largitionibus eos corrupit. Verum cum hoc audiret pater Philippus: Quæ te, inquit, ratio in istam spem induxit, fili, vt eos putes tibi fore fideles, quos tibi coemis pecunia. *Plut. in apoph.*

Plutarchus, mansuetudine potius & beneficentia, quam timore elicienda est beneuolentia. *de amicit. apud Stob. ser. 46.*

Socrates vestes (inquit) corporis incuuenustatem, beneuolentia vero peccatum obtegit. *Stob.*

Alphonsus rex, quum argueretur, quod pro more nullis stipatus armis, solus vbi ambularet, regiæ maiestatis immemor: respondit, non opus esse vt is sibi timeat, qui ciuium suorum beneuolentiam satis perspectam habeat. *Pan. lib. 2. de Alex. reb. gest.*

Similitudines.

Laurentij Iustiniani patriarcha, quemadmodum materialis ignis incendium pedetentim, nisi vnde nutriri valet, frequenter superdeijciatur minuitur: Ita & mutuus mortalium amor, si non crebris beneuolentiæ ea creeatur officijs. *In serm. de Christi corpore, seu de Eucharistia.*

Plutarch. vt fluuius in multos diductus riuos, fluit tenuis ac languidus: Sic beneuolentia in multos distracta languescit; & euanescit. *In Moralib.*

Vt animantia quæ vnicum pariunt fœtum, vehementius amant: Sic erga vnum ardentior est beneuolentia. *In Moralib.*

Quemadmodum adamas aduersus omnia inuictus hircino sanguine, eoque calido, ac recenti maceratur, malleo frangitur. Ita quædam ingenia nulla vi peruincas, blanditia emollienda sunt. *Pan. lib. 37. c. 4.*

Quadam gemmæ aceto maceratæ nitescunt, pleræque melle decoctæ: ita quosdam meliores reddit acris obiurgatio, quosdam admonitio blandior.

Quemadmodum quod in tesseris ceciderit, id arte & ratione quam

poteſt optime, diſponendum: Ita quod in vita accidit, in optimam vertendum partem. *Plin. 37. c. 12. & lib. 10. c. 12.*

HISTORICA EXEMPLA.

Philippus Alexandrum filium ſuum obiurgabat, quod largitionibus beneuolentiam Macedonum ſibi conciliaret: Quæ te, malũ (inquit) ratio in iſtam ſpem induxit, vt eos tibi putes fore fideles, quos pecunia corruperis; an id agis vt Macedones te non regem ſuum, ſed creditorem putent.

Vide Amicitia, Benignitas.

BENIGNITAS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

BEnignitas, Græce ἀγαθότης χρηστότης dicitur. Et eſt habitus voluntarie benefactiuus, & ad loquendum dulciter, *ſecundum B. Th. 2. 2 q. 80.* Hebr. *Cheſedh & Nedhabah*, de quibus ſupra in voce Beneficentia & Beneficium.

Benignus Græce χρηστός. eſt ſponte ad benefaciendum paratus & dulcis ad eloquium. *ſecundum Iſidorum lib. Etymolog.*

A bonus vero fit benignus, id eſt, liberalis, beneficus, clemens.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Non ita claudenda res familiaris, vt eam benignitas aperire non poſſit: nec ita reſeranda, vt pateat omnibus. *Cic. lib. 2. de Offic.*

Benigni oculi ſummam animi pulchritudinem comitantur: & contingit, vt qui non excandeſcit, iraſcitur, aut bile mouetur, faciē ſplendidam ſerenamque habeat. *Nicoſtratus de nuptijs.*

APOPHTHEGMATA.

Aiebat Diogenes, manus non eſſe porrigendas amicis, digitis complicatis: innuens non ſatis eſſe, ſi comes nos præbeamus amicis, ſed comitati adiungendam benignitatem. *Plut.*

Si quando pecunijs egebat Diogenes. eas ab amicis accipiebat: at ſuggillantibus eum, quod præter philoſophi dignitatem peteret, quod eſſet mendicorum? Imo, inquit, non peto, ſed repeto. Repetimus enim mutuum aut depoſitum. *idem.*

Amicus autem egenti amico dans, non donat, ſed reddit quod debebat. Qui enim egenti amico pecuniam non ſuggerit, rem alienam detinet. *idem.*

EXEMPLA BIBLICA.

Benignitatis diuinæ erga homines *exempla:* Erga Abrahamum, ad quem benigniſſime reſpondet, *Gen. 18. verſ. 23. 26. &c.* Loth, vxorem, & filias eius, 19. 16. Iacobum, quem ab Eſau, Laban & alijs benigne defendit, 48. 16. Iſraelitas, quos benigne protexit, *Exo. 13. v. 21. 22. & 14. v. 21. 22. & 16. v. 13. 14 & 17. 6. Deut. 29 5. Ioſ. 2. v. 15. 16. Num. 24 9.* Moſen, *Exo. 33. 11. Num. 12 8. Deut. 34. 7.* Ioſuam, *Ioſ. 10. 12* Gedeonem, *Iud. 6. 37.* Eliam, *3. Reg. 17. 6.* Tobiam, & filium eius, *Tob. 5. v. 5. & 6. 7. 8. 11. capitib.* Ieremiam, *Ier. 7. v. 15. 16.* Sidrach, Miſach, & Abednegu, *Dan. 3. n. 91.* Suſannam, *Dan. 13. 44.* Danielem, *Dan 14. v. 33. 34.* Languidos & morbidos, *Matt. 4. 23.* Petrum, *Mat. 14. 31.* Mariam Magdalenam quam Chriſtus ſe defendit contra Phariſæum male de ea cogitantem, *Luc. 7. 39.* cōtra ſororem de illa conquerentem, 10. 38. contra Diſcipulos, *Marc. 14. 3.* erga filium prodigum, *Luc. 15. 20.* cœcum natum è ſynagoga eiectum, & a Chriſto receptum, *Ioan. 9. verſ. 35. 36.* Zachæum, *Luc. 19 5. &c.* Latronem, *Luc. 23. 43.* Petrum ter Chriſtũ negantem, *Luc 22. 16.* Thomam antea incredulum, *Io. 20. 28.* Paulum in ipſo perſecutionis actu conuerſum, *Act. 9. 4.* Ioannem Apoſtolum multiplici reuelatione ornatum, *Apoc. 17. &c.*

HISTORICA EXEMPLA.

Antiochus, cum Hieroſolymam obſideret, Iudæis ad maximum illud feſtum celebrandum ſeptem dies petentibus, non ſolum cōceſſit, verum etiam tauros auratis cornibus adornatos, magnāque aromatum vim, ad portas vſque vrbis, cum ſolemni pompa deduci iuſſit, traditaque ſacerdotibus hoſtia, ipſe in caſtra rediit. Regis benignitatem Iudæi admirati, feſto peracto, ſe in illius fidem dederunt. *Ioſeph in Antiq.*

Veſpaſiani filius, ſuper cœnam aliquando recordatus, quod eo die nemini quicquam præſtitiſſet, memorandam illam meritoque laudatam que vocem dedit: Amici, diem perdidi.

Ptolomæus Philadelphus Ægyptius rex, non tantorum populorum Rex, ſed tamen non minus benignus fuit Ptolemæus Philadelphus Aegyptius rex. Nam quod Iudæorum legem in Græciam ex Hebraica lingua transferri per Eleazarum Principem ſacerdotum curauerat, vt huius operæ gratiam interpreti ferret, vltra ingētem vim auri dono Hieroſolymorum templo datam, Iudæorum quoque gentis captiuos omnes per totam Aegyptum conquiſitos ſub prioribus Regibus bello captos (quanquam centum millium numerum æquarent) pecunia ſua a dominis omnes redemit, ac libertate donauit, vt ſine populorum iactura (quod ab omnibus Regibus fit) ipſius benignitas exerceretur. Magnum profecto benignitatis argumentum, & Ptolemæo Rege dignũ: etſi tanta res in longe quoque potentiore pluſquam ingens videri debuit. *Bapt. Fulg. lib. 4.*

Vide Beneficentia, Liberalitas.

BIBACITAS.

APOPHTHEGMATA.

QVidam Lacon quum audiſſet quoſdam a cœna cogi ad bibendum, Num, inquit, coguntur etiam ad edendum? Notauit eos, qui cum non eſuriant, ad eſcas compelluntur.

Ariſtippus, iactanti cuidam, quod multum biberet, nec inebriaretur, Quid, inquit, magni narras, quum idem faciat mulus.

Poſt Mutinenſem fugam, percontantibus quid ageret Antonius, quidam ex familiaribus eius reſpondiſſe fertur, id quod canis in Nilo: bibit, & fugit. Bibacitas, propenſio ad largius bibendum: φιλοποσία Hebr. *Schethi*, a verbo *Schathah*, bibit ſitiens, apponendo poculum ori. Hinc Latinum Sitio.

ADAGIA.

Vinaria angina. οἰνάγχη

Feſtus Pompeius indicat, voce iactatum in eos, qui vino præfocantur: laborare vinaria angina.

Madula *Plautus.*

De temulentis & ebrioſis.

Καρηβαρεῖν.

Dicuntur qui crapula grauatum caput habent. Iactabitur in temulentos & ſomnolentos.

Ranarum more. βατράχων τρόπον

Dicitur in eos, qui ſemper ſunt in poculis: parum interim comedentes. Verſus eſt apud Athenæum.

Οἱ πινόμενοι βατράχων τρόπον οὐδὲν ἔδοντες.

Qui abſque cibo vinum, ranarum more bibentes.

Nec Elephantus ebiberet, οὐδ' ἂν ἐλέφας ἐκπίοι. *Athenæus.*

Dicitur de poculo pergrandi & ſupra modum capaci.

Καθωνίζειν & καθωνίζεσθαι.

Athenæus lib. 11. oſtendit Cothonem eſſe poculi genus, unde dicatur καθωνίζεσθαι pro inebriari, iactatur in largius bibentes.

Calicum remiges. κυλίκων ἐρέται

Dicuntur Calicum remiges, qui aſſidue perpotarent, vinum pro remo ducentes.

Κυαθίζειν.

Quaſi dicas Cyathiſſare.

In eos qui parce quidem, ſed ſæpe bibentes, non grandibus poculis, ſed Cyathis ſubinde repetitis, tamen inebriantur.

Argenteus puteus. φρέαρ ἀργυροῦν.

Dicitur de poculis argenteis pergrandibus; Et Athenæus l. 11. teſtatur olim ingens poculum dici ſolitum, puteum argenteum.

Aut quinque bibe, aut tres, aut ne quatuor. ἢ πέντε πίνειν, ἢ τρία, ἢ μὴ τέτταρα.

Præſcribit modum diluendi vini.

SCRIPTORES.

Bibaces qui, *Ælian. in varijs Gra. fol. 14.* Bibendi ratio, *Bruſ. l. 5. c. 19.* Græcorum in bibendo leges. de Iouis Olympij cratere, item heroum, & Soteris Iouis ac Mercurij: quid modiperator, bonus Deus qui intelligendus, *Cælius 28. 6.* Bibēdi leges, *Cæl. 7. 26.* Amyſtiſſare, *ibidem.* De varijs bibendi conſuetudinibus apud Græcos, vbi & de diuerſorum generum calicibus agitur, *Leonicen. 3. 93.* Quod Plato in libris, quos de legibus compoſuit, largiores, lætioreſque in cōuiuijs inuitatiunculis vini non inutiles eſſe exiſtimauerit, *Gel. 15. 2.* De helluonibus & bibacibus, *Stephanus Niger in libro de nimio vitæ luxu, quem ex Athenæo tranſtulit.* Qui bene poti ad ſcribendum acceſſerint, *Cælius 28. 6.* De viris claris qui vino dediti fuere, *Raphael. Volater. l. 32.* Vinoſitas multorum, *Ælian in var. hiſt.*

Plura quære ſub titulo. Ebrietas, Intemperantia.

BLASHPEMIA.

DEFINITIO.

BLaſphemia Græca dictio eſt, & βλασφημία, ας, ἡ. βλάσφημος, ὁ, ὁ blaſphemus dicitur. Et eſt quando aliquis attribuit Deo, quod ei non conuenit, vel de eo negatur, vel detrahitur, quod ei conuenit *ſecundum Auguſtinum, & B. Thom. 2, 2. quæſt. 13. art. 4.*

Blaſphe-

Blasphemia est contumelia vel conuicium in iniuriam creatoris.
Blasphemare pro impie loqui, *Matth.9.3. Marc.2.7. Luc.5.21.*
Blasphemia, pro obtrectatione, calumnia, & sermone, quo aliena fama læditur, *Matt.15.19.* Blasphemia in Spiritum Sanctum nō remittitur, *Matt.12.32. Marc.3.29. Luc.12.10. Hebr.4. & 10. 26.1. Ioan.5.16 2 Pet.2.10.* Blasphemia damnatur, *Exod.20.7. Deut.5. 11.1. Tim.3.21 Pet.4.* Blasphemiæ nomioa, *Apoc.13.1.*
Blasphemia est verbum in contumeliam Dei prolatum.
Blasphemia est, per quam de Deo falsa dicuntur.
Blasphemia est, eum quadam probrosi irreligiositate conuiciorū iaculata in alterum maledictio. *Hugo de sanct. Vict.*
Blasphemia, execratio, maledictio, vituperatio, conuitium, nocens dictum, nefaria obtrectatio, infamario sacrilega, famam bonam lædens. *Βλάπτω* Lædo, noceo, *φήμη* fama *Βλασφημέω* famam lædo, obtrecto. H. br. *Nèatsah.* a verbo *Naats.* Irritauit aliquē contemptis, execratus est, respnit, spreuit detestando, incessit maledicta, blasphemauit, subsannauit. Et in secunda coniugatione, *Nitses* ea aspernauit, irritauit. Dicitur item *Gedduphà*, a verbo *Giddeph.* vituperauit, conuitiatus est, blasphemauit, inuectus est in aliquem verbis atrocibus. Vide Esa.37.6.23. Ezech. 20.27. Psal. 44.16.

Sententiae Biblicae.

Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum (quanto minus ad blasphemandum?) *Exod.20.*
Educ blasphemum extra castra, & ponant omnes qui audierunt, manus super caput eius: & lapidet eum omnis populus. *Leu.24.*
Qui blasphemauerit nomen Domini morte moriatur. *ibid.*
Si peccauerit vir in virum, placari ei potest Deus: si autem in Deū peccauerit quis orabit pro eo? *1.Reg.2.*
Veruntamen quoniam blasphemare fecisti inimicos nomen Domini, propter verbum hoc, filius, qui natus est tibi, morte morietur, *2.Reg.12.*
Quia dixerunt Syri, Deus montium est Dominus eorum, & non est Deus vallium, dabo omnem multitudinem grandem hanc in manu tua. *3.Reg.20.*
Cui exprobrasti & quem blasphemasti? Contra quem exaltasti vocem tuam, & eleuasti in excelsum oculos tuos? Contra sanctum Israel. *4.Reg.14.*
Docuit iniquitas tua os tuum, & imitaris linguam blasphemantiū, condemnabit te os tuum, & non ego. *Iob 15.*
Ne desinas ab homine iniquitatis, qui addit super peccata sua blasphemiam, *ibid.34.*
Vir multum iurans replebitur multa iniquitate, & non discedet a domo illius plaga. *Eccles.23.*
Omnia quæ loquitur populus iste, cōiuratio est (vt videtur) *Esa.8.*
Ideo, dico vobis, omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus, spiritus autem blasphemia non remittetur: Et quicunque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro. *Matt.12.*
Amen dico vobis, quoniam omnia remittentur filijs hominum peccata & blasphemiæ, quibus blasphemauerint. Ar qui blasphemauerit in Spiritum sanctum, non habet remissionem in æternum. *Mar.3.*
Et omnis qui dicit verbum in filium hominis, remittetur ei: ei vero qui in Spiritum sanctum blasphemauerit, non remittetur. *Luc.12.*
Nomen enim Dei per vos blasphematur inter gentes. *Rom.2.*
Ideo notum vobis facio, quod nemo in spiritu Dei loquens, dicit anathema Iesu. *1.Cor.12.*
Nunc autem deponite & vos omnia: iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de ore vestro. *Coloss.3.*
Sit sermo vester, est, est, non, non: (non per Dominum aut alia membra sua.) *Iacob.5.*
Cum Michael Archangelus cum diabolo disputans altercaretur de Mosi corpore, non est ausus iudicium inferre blasphemiæ, sed dixit: imperet tibi Deus. *Iud.5.*
Aperuit os suum in blasphemias ad Deum, blasphemare nomen eius, & tabernaculum eius, & eos, qui in cœlo habitant. *Apoc.13.*
Blasphemauerunt Deum cœli præ vulneribus & doloribus suis, & non egerunt pœnitentiam. *ibid.*

Sententiae Patrum.

Non minus peccant, qui blasphemant Christum regnantem in cœlis, quam qui crucifixerunt ambulantem in terris. *August. super illud Matthæi: blasphemauit.*
Quando vult Deus concitare potestatem aduersus hæreticos, aduersus schismaticos, aduersus dissipatores Ecclesiæ, aduersus insufflatores Christi, aduersus blasphematores Christi: blasphemi non mirentur: quia Deus concitat, vt a Sara verberetur Agar. Cognoscat se Agar: supponat ceruicem, quæ cum humiliata discederet a domina sua, occurrit ei Angelus, & dixit: Quid tibi est Agar ancilla Saræ? Cum conquesta esset de domina, quid audiuit ab Angelo? Reuertere ad dominam tuam. Ad hoc ergo affligitur, vt reuertatur, atque vtinā reuertatur, quia proles eius, sicut proles Iacob, cum fratribus hæreditatem tenebit. *Idem super Ioan. & habetur 23.q.4. Quando vult.*
Cum caput mulieris sit vir, caput autem viri Christus, quæcunque vxor non subijcitur viro, hoc est, capiti suo, eiusdem criminis rea est, cuius & vir, si non subijciatur capiti suo, Christo. Verbum autem Domini blasphematur, vel cum contemnitur Dei prima sententia, & pro nihilo ducitur: vel cum Christi infamatur Euangelium, dum contra legem fidemque naturæ, ea, quæ Christiana est, & ex lege Dei subiecta est viro, imperare desiderat: cum etiam gentiles fœminæ viris suis seruiant communi lege naturæ. *Hieronym. ad Titum & habetur 33. q. 5. can. Cum caput.*
Sententias vestras prodidisse, superasse est, patet prima fronte blasphemia. Non necesse habet conuinci, quod sua statim professione blasphemum est. *Hier. ad Ctesiphontem de Libero arbitrio contra Pelagianos hæreticos.*
Blasphemia veniam non meretur. *Idem Epist.32.*
Mos erat Iudæis, cum aliquid blasphemiæ audie bant, scindere vestes: sicut Paulus & Barnabas, cum cultu diuino honorarentur, sciderunt vestes suas. *Rabanus super Matth.*

Similitudines.

Chrysostomi. Si quis lupum cooperiat pelle ouina, quomodo cognoscet illum, nisi aut per vocem, aut per actum? Ouis inclinata deorsum balat, lupus in aëra conuertit caput suum contra cœlum, & sic vlulat. Qui ergo secundum Deum vocem humilitatis & confessionis emittit, ouis est: qui vero aduersus veritatem turpiter blasphemijs vlulat contra Deum, lupus est. *In 7. Matt. Homil.19.*
Themisti. Quemadmodum filius, qui a patris præceptis insolenter atque neglectim deuiat, minus peccat, quam qui præsenti parenti proterue repugnat: Ita contra Deum quoque grauius peccat, qui blasphemiam vel sacrilegium committit, quam qui humaniter delinquit. *In apoph.117.*

Exempla Biblica.

Blasphemiæ in Deum exempla: in Satana, *Genes.3. vers.4.5. Matth. 4.9. Luc.4.7.* Pharaone. *Exodi 5.2.* filio Salumith Israelitidis, *Leuit.24.11.* familiaribus Regis Syriæ, *1.Reg.20.23.* Sedecia, *22.24. 2.Paral.18.23.* Rabsace, *4.Reg.18. vers 30.35. & 19 vers.10. 22.23. 28.* Sennacherib, *2.Paral.32.11. Esa.36. v.15.18. 20. & 37. vers.6. 10.17.* Rege Tyri, *Ezech.28.2.* Nabuchodonosor, *Dan.3. v.14.15.* Holopherne, *Iudith 6.2.* Iudæis, *1.Machab.1.vers.12.45. Esa.1.4. & 5.24. Matth 9.34. Ioan.7.20. & 9 vers.16.24. & 10.20.* quibusdam Gentibus, *2.Macn.12.14.* Nicanore, *15.vers.1.2.3.4.* Scribis & Pharisæis, *Matth.9.34. & 12.24. Marc.3.22. Luc.15.15. Ioan.7.20 & 9 vers.16.24. & 10.20.* summis Sacerdotibus, Principibus populi, Scribis & Pharisæis, *Matth.27.39. Mar.15.31. Luc.22 v. 64.65. & 23.37.* latrone, *v.39.* Pauli hostibus, *Actor.13.4. & 18.6. 19.8. Rom.3.8.* Antichristo, *2.Thess.2.4. Apoc.13.vers.5.6. & 16.11.* Paulo ante conuersionem, *1.Cor.15.v.9. 1.Timoth 1.13.*

Exempla Profana.

Iulianus Apostata, in ipso Persici belli medio ardore, septem libros contra Christum euomuisse proditur: cum & antea cōtra Christianos libris editis pugnare consueuisset. *Eutrop.*
Idem suscepto aduersus Persas bello, cum impio prælio ab incognito, inter costas lethale vulnus accepisset: sanguinem suum manu in cœlum iaculatus, in hæc verba prorupit: vicisti Galilæe: ita enim Christum appellare consueuerat, *Sozomenus, Ruffinus, Eutropius.*
Elpidius Iuliani imp. domus præfectus, blasphemus in Christum affectatæ tyrannidis suspicione bonis exutus & carceri inclusus perijt. *Nicephorus lib.10.c.29.*
Olympius Episcopus Arianus, Carthagine in Elyanensium balneo lauans, cum Trinitatem publice blasphemaret: tribus ictus ignitis, tanquam fulminibus, consumptus est: Anno Christi 510. *Paulus Diaconus lib.15. in Anast. sio. Sabellicus Ænead 8. lib.2. Marullus lib.2.c.11 Matthæus Palmerius in chronico Sigebertus.*
Simon Thornaius Anglus, Parisiensis scholæ præfectus, dialecticus acutissimus, & artibus liberalibus peritus: cum leuea in Mosem & Christum plurimas euomeret blasphemias, repente obmutuit. & cum horrendo mugitu pœnas blasphemiarum morte luit. *Polydorus lib.5. anno 1201. Baleus Cent.3.c.41.*
Cum in conuiuio quodam Bononiæ mira arte gallus assatus dissectus fuisset, vnus conuiuarum dixit: D. Petro hunc gallum

in integrum restituere impossibile esse: alius vero: nec ipse Christus id præstare posset. Ad has voces statim gallus ipse prosilijt, & alis collisis iusculum in discumbentium ora affudit. Blasphemi lepra statim hæreditaria puniti sunt. *Vincentius lib. 25. c. 64.*

Vide Iuramentum, Iusiurandum, Impietas.

BONVM, BONITAS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Bonum, Græce ἀγαθὸν, τὸ & χρηστὸν, τὸ dicitur. Et est id, quod opponitur malo: estque nomen generale, & honesta simul, atque vtilia complectens, vt bonum animi, bonum corporis, bonum fortunæ. Hinc si bonum virum dicimus, probum significamus: si bonum militem, fortem: si bonum imperatorem, prudentem: si bonum grammaticum, literatum: si bonum oratorem, facundum: si bonum iudicem, iustum: si bonum mercatorem, diuitem: si bonam faciem, pulchram. Sic è conuerso malum generale nomen est, & turpia simul, & detrimentosa cõplectens. Vnde malum virum dicimus, flagitiosum: malum militem, imbecillum: malum imperatorem, imprudentem: malum grammaticum, rudem: malum oratorem, infacundum: malum iudicem, iniquum: malum mercatorem, inopem: malam faciem, deformem.

Bonum summum, est animi operatio secundum virtutem optimã & perfectissimam in vita perfecta, *secundum Aristotelem lib. 1. Rhetoricorum.*

Bonum est, quod suiipsius gratia est expetendum, *secundum lib. 1. Rhetoricorum.*

Bonitas Græcè ἀγαθοσύνη, ης, ἡ, & ἀγαθότης, τητος, ἡ, & ἀγαθὸς ὁ, ὁ bonus, vnde benignus dicitur, id est, liberalis, beneficus, clemens. Quare benignam terram appellamus, fructus abunde ferentem Plinius de Aegypto: Nulla est benignior tellus, nullus ager feracior. Inde benignitas, liberalitas, atque clementia.

Bonitas bonum est, quo mentes nulla quatiuntur perturbatione, ita a natura instructæ, vt mali nihil cogitent, aut etiam nolint, confingere nesciunt: Cuius contrarium malitia, vel vt Græco vtar verbo, δόλος.

Bonorum appellatio aut ciuilis, aut naturalis est. Bona ex naturali significatione, omnia comprehendunt, quæ prosunt. Ex ciuili ad facultates tantum referuntur. Hinc distinctio bonorum corporis, & animi, apud Philosophos. *Alciatus tit. de Verb. sign. L. Bonorum appellatione.*

Bonum, Hebr. *Tob*: Bonitas, *Tub*, & *Tobah*, a verbo *Tob*, Bonus, pulcher, iucundus, vtilis, amabilis, suauis, deliciosus fuit. Nomine *Tob* autem Hebræi intelligunt, quicquid bonum, pulchrum, lætum, vtile & beatum est, & quidem perfectè bonum, si de Deo vero intelligitur. Græce ἀγαθὸν a Tob fluxisse videtur. *Bon. Bongo*, Galli dicitur, a *Tob*, literis inuersis. *Bot. Bon.* Vide Etymologicon trilingue Lugduni editum anno 1607. apud Antonium de Harsy, pag. 138. & 139. vbi multa obseruatu digna de Bono & Bonitate.

BIBLICI LOCI.

Summum bonum, *Psal.* 16. 11. Bonum sectandum, *Psal.* 34. 14. & 37. 27. *Esa.* 1. 18. *Amos* 5. *vers.* 14. 15. *Rom.* 12. 9. *Gal.* 4. 18. 1. *Thess.* 5. v. 15. 21. *Luc.* 4. 17. 1. *Pet.* 3. 11. 3. *Ioan. vers.* 11. Bonum non semper opponitur vitio. vt patet ex 1. *Corinth.* 7. 1. vbi significat idem quod commodum & expediens, vt declarat *vers.* 35. Bonum nõ habitat in carne nostra, *Rom.* 7. 18. 2. *Cor.* 3. 5. Boni interdum ob malos plectuntur, *Ios.* 7. 12. Boni pro malis non puniendi. *Deut.* 24. 10. *Ezech.* 18. 26. Bonus Deus solus, *Matt.* 19. 17. *Marc.* 10. 18. *Luc.* 18. 19.

Bonorum ordo triplex: sunt enim bona { *1. Animi. 2. Corporis. 3. Fortunæ.* }

SENTENTIAE BIBLICAE.

Amen dico vobis, nisi conuertamini, & fiatis tanquam pueri, non ingrediemini in regnum cœlorum. *Mat. c.* 18. *Luc.* 9.

Videte, ne cuiquã quis malum pro malo reddat, sed semper quod bonum est, persequamini. *Paul.* 1. *ad Thess.* 5.

Simplex credit omni dicto: quamdiu simplices iustitiæ adhærebũt, non afficientur pudore. *Prou.* 14.

Condona iniuriam proximo tuo, & tum peccata tua, te precante, dissoluentur. *Eccles.* 28.

SENTENTIAE PATRVM.

Virtutes quibus viuitur rectè, magna bona sunt. Species autem quorumlibet corporum, sine quibus rectè viui potest, media bona sunt. *Aug. de lib. Arb.*

Neque accepta duo sunt bona, quæ ante oculos eius malorum admistione maculantur. *Gregor. in Moral.*

Illa est vera innocentia, quæ nec inimico nocet. Quia est innocẽs? qui cum alijs non nocet, nec sibi nocet. Qui enim & sibi nocet, non est innocens. *August. super Psalmos.*

Innocens inter ipsa tormenta fruitur conscientiæ bono, & inter malignantes, cum de pœna metuit, de innocentia gloriatur. *Ambros. ad Demetriadem.*

Gaude de innocentia & exulta, gaude, inquam, quia vbique illæsa est, vbique secura. Si tentaris, proficis: si humiliaris, erigeris: si pugnas, vincis: si occideris, coronaris. Tu in seruitute libera es, in periculo tuta, in custodia læta: tibi omnis reatus abijcitur, tibi vniuersa militia subiugatur: te potentes honorant, suspiciunt principes, magnates exquirunt, & illi nonnunquam te desiderant, qui impugnant: tibi boni parent, mali inuident, zelant æmuli, inimici succumbunt, nec vnquam poteris victrix non esse, etiam si inter homines iustus defuerit. *Chrysost. in Homilijs.*

Simplicitas minime omnium suspicax est malorum. *Basil.*

Malus quam citissime condemnat bonum: Bonus autem ne malũ quidem facile: nam qui ad mala non est promptus, ne ad suspicionem quidem facilis est. *Ex vitis Patrum.*

Ingenium expers malitiæ, tardius quoque suspicatur. Si videris inimicum in manus tuas incidisse, noli putare tempus esse vindicationis, sed salutis: itaque tum maxime parcendum est inimicis, cum in nostra fuerint potestate. Si tibi quis molestus fuerit, tu vicissim ne sis molestus, alioqui illi similis fueris. Nemo malum malo sanat, sed bono malum. *Chrysostomus.*

Puritas innocentiæ conseruata, fons est & origo omnis scientiæ & virtutis. *Hugo.*

POETICAE SENTENTIAE.

Οὐδεὶς πονηρὸν πρᾶγμα χρηστὸς ὢν ποιεῖ.
Nullus bonus existens malum facinus committit.

Idem.

Ὡς ἡδὺ συνέσει χρηστότης κεκραμένη.
Quam iucunda res est, bonitas prudentia coniuncta.

Theognis.

Κύρν' ἀγαθὸς μὲν ἀνὴρ γνώμην ἔχει ἔμπεδον αἰεί,
Τολμᾷ δ' ἔν τε κακοῖς κείμενος ἔν τ' ἀγαθοῖς.
O Cyrne, vir quidem bonus animum semper habet constantem,
Et animosus est cum in malis, cum in bonis constitutus.

Sophocles in Electra.

Οὐδεὶς τῶν ἀγαθῶν ζῶν κακῶς εὔκλειαν αἰσχῦναι θέλει.
Nullus bonorum malo viuendo bonam de se famam dehonestare vult.

Menander.

Ὁ χρηστὸς ἐστι πολλαχοῦ σωτήριος.
Vir bonus multis in locis salutaris.

Idem in Pallade.

Κἂν ταῖς ἀπορίαις ἐσθ' ὁ χρηστὸς χρήσιμος.
Et in rebus perplexis, vir bonus vtilis est.

Idem in Homopatrijs.

Τῶν χρηστῶν ἔχει τιν' ἐπιμέλειαν καὶ θεός,
Εἰς πάντα καιρὸν καὶ τύχης ῥοπὴν πᾶσαν.
In omni tempore, & quauis inclinatione fortunæ.
Bonorum curam, suscipit etiam Deus.

Νὴ τὴν Ἀθηνᾶν μακάριον ἡ χρηστότης
πρὸς πάντα καὶ θαυμαστὸν ἐστιν ἐφόδιον βίῳ.
Beata res est bonitas per Mineruam
Vbique & mirum vitæ viaticum.

Pindarus.

Alienis aperire noli.
Quidnam labores nos exerceant.
Hoc te admonitum volo. Bonarum quidem rerum
Sortem & iucundarum, coram oportet
Toti populo declarare:
At si qua diuinitus grauior contigerit
Hominum infortuna,
Eam abscondere conuenit.

Sophocles.

Ne mulier euulges præsentem fortunam
Nam si taceatur, lugeri potest amplius.

Euripides.

Palam enim sortem suam testari
Apud omnes, imperiti hominis est: celare vero sapientis.
Dolorificum est quidem, in turpe damnum aliquod incidere,
At si fiat, comprimendum est forte
Abscondendo, nec omnibus enunciandum.
Huiusmodi enim gaudium hostibus, & risum mouent.
Sapientes sua celant mala.
Bonus est, qui leges & patrum statuta seruat.

Horat. lib. 1. Epist.

Vir bonus est quis?
Qui consulta patrum, qui leges iuraque seruat.

Terent. Hec.

Namque eo pacto maxime apud te meo erit ingenio fides.
Cum illa quæ nunc in me iniqua est, æqua de me dixerit.

Martia-

Martialis 10.

Amplius actatis spatium sibi vir bonus, hoc est
Viuere bis, vita posse priore frui.

Horat. Epist. 16

Tu recte viuis si curas esse, quod audis.
Iactamus iam pridem omnes te Roma beatum.

Idem ibidem.

Vir bonus & sapiens audebit dicere Pentheu
Rector Thebarum quid me perferre, patique
Indignum coges? adimam bona, nempe pecus, rem,
Lectos, argentum, tollas licet: in manicis, &
Compedibus saeuo te sub custode tenebo.
Ipse Deus simul atque volam, me soluet opinor.
Hoc sentit, moriar, mors vltima linea rerum est.

Martialis 11.

Tanta tibi est recti reuerentia, Caesar, & aequi,
Quanta Numae fuerat: sed Numa pauper erat.
Ardua res haec est opibus non tradere mores:
Et cum tot Croesos viceris, esse Numam.

Hor. 1. Epist. 16.

Oderunt peccare boni virtutis amore.

Hor. 1. Serm. 4.

Sulcius acer
Ambulat, & Caprius, rauci male, cumque libellis,
Magnus vterque timor latronibus, at bene si quis
Et viuat puris manibus, contemnat vtrumque.

Plaut. Capt.

Bene merenti, bene profuerit: male merenti, par erit.

Plaut. Trinum.

Boni sibi haec expetunt: rem, fidem, honorem,
Gloriam & gratiam: hoc probis pretium est.

Auson. Idyll. 12.

Vir bonus & sapiens, qualem vix repperit vllum,
Millibus e multis hominum, consultus Apollo.

Iuuenal. 13.

Rari quippe boni, numero vix sunt totidem, quot
Thebarum portae vel diuitis ostia Nili.

Sen. Herc.

Sontibus parent boni.
Ius est in armis: opprimit leges timor.

Ouid. 1. Fast.

Laudamus veteres: sed nostris vtimur annis.

Auson. Idyll. 12.

Iudex ipse sui, totum se explorat ad vnguem.
Quid proceres, vanique ferat quid opinio vulgi
Securus: mundi instar habens, teres atque rotundus.
Externae ne quid labis per leuia sidat.
Ille dies quam longus erit sub sidere Cancri,
Quantaque nox tropico se porrigit in Capricorno,
Cogitat, & iusto trutina se examine pensat.
Ne quid hiet, ne quid protuberet, angulus aequis
Partibus vt coeat, nil deliret vt amussis:
Sit solidum quodcumque subest: nec inania subtus
Indicet admotus digitis pellentibus ictus.
Non prius in dulcem declinat lumina somnum,
Omnia quam longi reputauerit acta diei,
Quae praetergressus? quid gestum in tempore? quid non?
Cur isti facto decus abfuit, aut ratio illi?
Quid mihi praeteritum? cur haec sententia sedit?
Quam melius mutare fuit? miseratus egentem
Cur aliquem fracta persensi mente dolorem?
Quid volui, quod nolle bonum foret: vtile honesto
Cur malus antetuli? num dicto, aut denique vultu
Perstrictus quisquam? cur me natura magis, quam
Disciplina trahit? sic dicta & facta per omnia
Ingrediens, ortoque a vespere cuncta reuoluens,
Offensus prauis, dat palmam & praemia rectis.

Boet. 3. 12.

Vos haec fabula respicit,
Quicumque in superum diem
Mentem ducere quaeritis.
Nam qui Tartareum in specus
Victus lumina flexerit,
Quidquid praecipuum trahit,
Perdit, dum videt inferos.

Paul. Auson. Epist. 11.

Quid enim timere vel bonum, aut verum queant,
Qui non tenent summum caput
Veri, boni que fomitem, & fontem Deum?

Bias per Auson.

Quaenam summa boni? mens, quae sibi conscia recti.

Plaut. Capt.

Tum denique homines nostra intelligimus bona,
Polyanthea Noua.
Cum, quae in potestate habuimus, ea amisimus.

Ouid. 2. Amor. 6.

Optima prima fere manibus rapiuntur auaris;
Implentur numeris deteriora suis.

Ouid. 7 Met.

Di meliora velint: quanquam non ista precanda:
Sed facienda mihi.

Tibul. 1. 4.

At si tardus eris, errabis, transiet aetas,
Quam cito, non segnis stat, remeatque dies:
Quam cito purpureos deperdit terra colores:
Quam cito formosas populus alta comas. &c.
Vidi iam iuuenem premeret cum serior aetas,
Maerentem stultos praeteriisse dies.

Martial. 2.

Non bene distulerit, videas quod posse negari,
Et solum hoc ducas, quod fuit, esse tuum.
Exspectant curaeque, catenatique labores,
Gaudia non remanent, sed fugitiua volant.
Haec vtraque manu, complexuque assere toto:
Saepe fluunt imo sic quoque lapsa sinu.
Non est, crede mihi, sapientis dicere viuam,
Sera nimis vita est crastina: viue hodie.

Iuuenal. 10.

Omnibus in terris, quae sunt a Gadibus vsque
Auroram & Gangem, pauci dignoscere possunt
Vera bona atque illis multum diuersa, remota
Erroris nebula: quid enim ratione timemus,
Aut cupimus? quid tam dextro pede concipis, vt te
Conatus non poeniteat, votique peracti?

Horat. 1. Epist. 11.

Tu quamcumque Deus tibi fortunauerit horam,
Grata sume manu: nec dulcia differ in annum:
Vt, quocumque loco fueris, vixisse libenter
Te dicas.

Iacob. Bill. in Anth. sacr.

Cum Deus extrema peccantes verberat ira,
Vt norint homines, quid mereantur, agit.
Nam dum mortalis peraguntur tempora carnis,
Auxilium miseris ipsa flagella ferunt.
Et vindicta breuis sic noxia crimina finit,
Ne sine fine habeant debita poena reos.

Menander.

ἀνὴρ δὲ χρηστὸς χρηστὸν οὐ μισεῖ ποτε, id est,
Vir autem bonus bonum non odit unquam.
γνώμης γὰρ ἐσθλῆς ἔργα χρηστὰ γίγνεται.
Mentis enim bene vir opera bona facit.
ζήλου τὸν ἐσθλὸν ἄνδρα καὶ τὸν σώφρονα.
Imitare bonum virum & sapientem.

Leonides.

αἰεὶ δ' ἀγαθὸς ἔστ' ἀγαθός.
Semper autem bonus, est bonus.

Ex 3. Epigram.

Τῶν ἀγαθῶν οὐδὲ χρήμεθα κόρον.
Bonorum non capimus satietatem.

Hor. Ode 22. l. 1.

Integer vitae scelerisque purus,
Non eget Mauri iaculis, nec arcu,
Nec venenatis grauida sagittis,
Fusce, pharetra.
Siue per Syrtes iter aestuosas,
Siue facturus per inhospitalem
Caucasum, vel quae loca fabulosus
Lambit Hydaspes.

Ouid. lib. 5. Trist. eleg. 5.

Nec fore perpetuam sperat sibi numinis iram
Conscius in culpa non scelus esse sua.

Ouid. 4 Fast.

Conscia mens recti famae mendacia ridet.
Sed nos in vitium credula turba sumus.

Terent. in Heaut.

Haec perinde sunt vt illius animus qui ea possidet:
Qui vti scit ei bona: illi qui non recte vtitur, mala.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Bonum dicimus quod non alterius, sed sui ipsius gratia est expetibile: & quod appetunt oēs: & quod quaecumq; mentem & prudentiā habent, expeterent: & efficiens, & conseruans, vel id ad quod haec consequuntur. *Arist. l. 1. Rhet. ad Theodect. c. 7.*

Bonum & malum qualitatem in ijs quae animata sunt, maxime indicant: atque eorum in ijs maxime quae sui iudicij gerit quodammodo, *ibid.*

Malum recens, & exiguum contemnitur: cum autem conualuit, viresque sumpsit, videtur ab omnibus, *lib. 6. de Repub. c. 4.*

Sit bonum quod sui ipsius gratia est expetendum: & id cuius gratia aliud quiddam appetimus: & quod omnia appetunt: vel quæ sensum habent omnia vel quæ intellectum habent, aut si haberent. Et quicquid intellectus vnicuique tribuerit: & quicquid qui de singulis est, intellectus tribuit; id vnicuique bonum est; & id quod cum adsit, bene afficitur cui adest: satisque habet, & sufficiens per se ipsum: præterea quod hæc efficit aut conseruat: & id quod hæc consequuntur contraria: & quæ corrũpunt. *l. 1. Rhetor. ad Theod. c. 6.*

Multorum & cognitionis & motus principium bonum est & malum. *l. 5. 4. Metaph. c. T. 1.*

Ei quidem per se bona quiuis ponat, quæ sola & seiuncta a cæteris sequatur: vt sapere, vt videre, vt sunt nonnullæ voluptates, vt honores. Etsi enim hæc ipsa propter aliquid aliud sequimur: tamen in ijs quæ per se bona sunt licet ponere: aut nihil præter Ideam sit in bonis. *l. 1. Ethic. c. 6.*

Bonum & in substantia dicitur, & in qualitate, & in ijs quæ cum aliquo conferuntur: quæque per se ipsa sunt: & substantia ijs sunt quæ cum aliquo comparantur naturæ ordine priora. *Ethic. l. 1 c. 6.*

Quoniam id quod mouet, duplex est, quorum vnum immobile est, alterum quod mouet & mouetur: bonum quidem quod agẽdum est, immobile permanet. *lib. 3. de Animo. c. 10. T. 54.*

Mala quorum fortuna est causa, hæc sunt: si neminem habeas amicum, aut quam paucissimos; quare diuelli quoque a socijs atque amicis miserabile est, *libro 2. Rhetoric. ad Theodect. cap. 8.*

Id mouet semper quod appetendum est, idque ipsum vel bonum est, vel quod bonum videtur; nec omne bonum, sed quod agendum est. Agendum porro bonum est, id est, quod secus etiam cadere potest. *l. 3. de Animo. c. 10. T. 51.*

Bonum omnis originis & ortus finis est, *Metaph. lib. α. 1. maiore, cap. 3.*

Bonum dicitur quod opportune fit & in tempore *Topic. libro 1. capit. 13.*

Si quod vnum est bonum, quod communiter dicatur: aut si quod est seiunctum ipsum per se: perspicuum est id, nec agi ab homine posse, nec haberi. *lib. 1. Ethic. c. 6.*

Duo sunt bonorum genera; aliud propter se; aliud propter illa. *li. 1. Ethic. c. 6.*

Quod propter se expetitur, id confirmamus eo quod propter aliud expetitur perfectius: & quod nunquam alio refertur: ijs omnibus quæ propter se, & propter hoc expetuntur, *Ethic. lib. 1. cap. 7.*

Quod bonum vndique perfectum est, omne satis esse, & sufficere videtur. *ibid.*

Bonorum præstantia, accessione eius quod additur ad aliquid, existit: & maximum quodque bonum semper expetendum est maxime. *ibidem.*

Duplex bonum est: alterum quod absolute & per se bonum fit: alterum quod alicui bono fit & vsui. *Ethic. l. 7. c. 12.*

Bonorum aliud est actio; aliud habitus est. *ibid.*

In omnibus bonum principium est maxime. *Metaph. l. Λ. 11. cap. 10. T. 54.*

Probe veteres summum bonum definierunt id, ad quod omnia referuntur. *Ethic l. 1. c. 1.*

Vbi est melius & deterius: semper id quod præstat, primas tenet. *Metaph. lib. β. 2. c. 3. T. 11.*

Potest illud ipsum quod bonum est, falsa ratione collectum obtineri: & ad id quod faciendum est, non qua ratione æquum est, sed falsa via media peruenire. *Ethic. l. 6. c. 9.*

Dicitur vnum genus bonorum quæ per se expetuntur & amantur. Conficientia vero eorum aut aliquo modo tuentia, aut etiam contrariorum prohibentia, propter illa, aliqua ratione bona nominantur. *Ethic. lib 11. c. 6.*

Leuius malum speciem quandam fert boni, si cum maiore conferatur. Est enim minus malum potius quam maius eligendum. Quod autem eligendum est: id bonum est: quod potius eligendum est, id etiam maius bonum. *Ethic lib. 5 c. 3.*

Peccare licet multis modis: quoniam vt Pythagorei conijciebant, malum infinitum incertumque est: bonum certum atque finitũ. At vero recte facere vno modo licet. Itaque illud facile; hoc difficile. Nam & a signo discedere facile est; & ipsum attingere magni negocij. *Ethic. l. 2. c. 6.*

Malum etiam non habere iucundum est. *lib. 1. Rhetoric. ad Theodect. cap. 11.*

Malum pro malo reddere iustum est: & iustum omne laudabile. *l. 1. Rhetor. ad Theodect. c. 9.*

Et Deus potest: & vir bonus quæ mala sunt efficere: cum interim non sint eiusmodi. *Top. lib. 4. c. 5. l. 55.*

Cuius contrarium malum est, & cuius contrarium inimicis conducit: id bonum est. *lib. 1. Rhetor. ad Theodecten, c. 6.*

Diuturniora quidem anteponenda sunt breuioribus: & quæ prudentes anteponant ij, qui in aliqua re excellunt: hoc ipso quod tales sunt, aut quæ ij qui vno quoque genere scientes sunt, aut quæ plures, aut etiam omnes. *lib. 3. Topicor. c. 1. l. 10.*

Ea quæ per se sunt causæ malorum postponuntur ijs quæ casu & fortuitu: vt vitium fugiendum est potius, quam fortuna. Illud enim per se malorum est, hæc casu. *ibid. loc. 7.*

Et quæ omnino bona sunt, ijs anteponuntur quæ alicui bona sunt: vt valere quam secari magis optandum est: quoniam illud omnino bonum est, hoc alicui qui sectione egeat. Et innata ac insita bona assumptis & aduentitijs, vt iustitia viro iusto: quoniam illa insita est & innata: illud aduentitium. Et quæ in re meliore insunt: & quæ iustiorem habent venerationem, ijs quæ in deteriore: vt bona Dei, hominis bonis: & animi, corporis bonis sunt anteponenda: & quæ propria sunt melioris rei, ijs quæ deterioris: vt Dei quam hominis, *ibidem libro 9. & seqq.*

Cum per se malum omne labefactat: tum si integrum sit intolerabile existit. *lib. 4. Ethic. c. 5.*

Malum multiplex est: bonum contra simplex. *lib. 1. Mag. Mor. cap. 24.*

Adeptionem bonorum euitatio comitatur malorum: & euitationem malorum consequitur vicissim adeptio boni. *lib. 1. Rhetoric. cap. 6.*

Aliqua bona appetunt homines, ac persequuntur, nec debent, sed optare debent potius, quæ vere bona sunt: ea sibi salutaria esse: ea autem sequi quæ sibi bona sint. *Ethic. lib. 5. c. 1.*

Quod ei contrarium est quod fugiendum sit, quia fugiendum est atque malum: omne id bonum. *lib 7. Ethic. c. 13.*

In eo vis maxima est ad virtutem, quæ more perficitur, si quis bonis rebus lætetur, doleatque contrarijs. *lib. 10. Ethic. c. 2.*

Quicquid bonum est, omne coniunctum cum alio: optabilius est, & magis expetendum, quam ipsum separatum. *libro 10. Ethicor. cap. 2.*

Omnes ad id quod bonum videtur, omnes suas actiones referunt. *l. 1. de Republ. c. 1.*

Bonum semper in actione cernitur: pulchrum autem etiam in ijs quæ ab omni motu libera sunt. *lib. μ. Metaphysic. c. 3.*

Quod rectum & honestum, & cum virtute est, id solum opinor bonum. *Parad. 1. Cic.*

Tria sunt genera bonorum: maxima animi: secunda corporis: externa tertia. *3. Tusc.*

Alia sunt in homine optanda, alia laudanda. Genus, forma, vires, opes, diuitiæ, cæteraque quæ fortuna dat, aut extrinsecus aut corpori, non habent in se veram laudem: quæ deberi vni soli virtuti putatur, sed tantum quod ipsa virtus in earum rerũ vsu ac moderatione maxime cernitur. *2. de Orat.*

Nihil bonum, nisi quod honestum: nihil malum, nisi quod turpe. *Cic. Ac. lib. 10.*

Quicquid est quod bonum sit, id expetendum est: quod autem expetendum, id certe approbandum: quod vero approbaris, id gratum, acceptumque habendum. *5. Tusc.*

Non sunt dicenda bona illa, quibus abundantem licet esse miserrimum. *Parad. 1.*

Bona non sunt, quæ quis habeat, & miserrimus esse possit. *5. Tusc.*

Nec bonum est aliud, quod aut cupias ardenter, aut adeptus te efferas insolenter. *4. Tusc.*

Diuitias, quia quiuis, quamuis indignus, habere potest, in bonis nõ numero. *2. Tusc.*

Neque pecuniæ, neque tecta magnifica, neque opes, neque imperia, neque eæ, quibus maxime astricti sint, voluptates in bonis rebus expetendis numerandæ sunt: quippe homines ijs rebus affluentes, ea desiderant maxime quibus abundant. *Par. 1.*

Non nascitur ex bono malum, non magis quam ex ficu olea, ad semen, nata respondent, bona denegare non potest. *Senec. in epist.*

Bonarum rerum etsi successus non fuerit, conatus ipse honestus est, bona nemini est bona, si non alicui sit mala. *Se. in pro.*

Non est bonitas, pessimis esse meliorem. *Sen. 21.*

Boni paucis legibus indigent: non enim res ponuntur ad leges, sed contra, leges secundum res ipsas feruntur. *Theophrast.*

Probum esse res est multis pecunijs vtilior, *Demosth.*

Bonum aut esse oportet aut simulare. *Democritus.*

Qui mala pro bonis rependit, ex eius domo non eijcientur mala. *Nilus.*

At vero, si quis velit complicatam animi sui notionem euoluere, iam se ipse docebit, eum bonum virum esse, qui prosit quibus possit, noceat nemini nisi lacessitus iniuria. *Cic. l. 3. de Off.*

Οἱ ἀγαθοὶ [illegible]

Boni possessio est, quæ haud facile inueniri potest, vt quæ iamdudum è vita concesserit. Adeo obscura atque pusilla, vt illam vel Lynceus vix dum inueniat. Sunt enim boni perpauci. *Lucianus in Timone.*

Vir bonus cito nec fieri nec intelligi potest, nam ille alter

fortasse

fortasse tanquam Phœnix anno quingentesimo nascitur. Nec est mirum, ex interuallo magna generat: mediocria, & in turbá nascentia sæpe fortuna producit; sed qui sciret, quid esset vir bonus, nondum se esse credere: fortasse etiam fieri posse desperaret. *Sen. 42. epist.*

Bonarum rerum etsi successus nō fuerit, conatus ipse honestus est, bona nemini est hora, si non alicui sit mala. *Idem in Prouerb.*

A bonis bona perdisces. Quod si malis adhæseris, quam habes mētem, procul dubio perdes.

Mulieres quoque, o Meno, bonos viros diuinos nuncupant. Et Laconici quoties bonum quemdam virum commendare volunt, Diuinus hic vir, aiunt. *Plato in Men.*

Bonum virum decet sacrificare dijs, interesse diuinis: nempe illos prosequi orationibus, muneribus, alioque cultu diuino, pulcherrimum, optimum, commodissimum ad vitam beatam: idque præ cæteris est decorum. Malo contra contingunt omnia. Impurus enim mali est animus, boni autem purus: ab impuro autem capere munera, neque bonum virum, neque Deum decet. *Dialog. 4. de leg.*

Apophtegmata.

Pittacus, perdifficile (inquit) est bonum esse. Dicente autem Phocatio, quærendum esse studiosum ac frugi virum. Etiam, inquit, si valde quæsieris, non inuenies. *Brus. l. 1. c. 18.*

Solon, probitatem morum habere debes, quæ plus fidei mereatur quam iusiurandum. *Stob. serm. 35.*

Socrates dicebat, ad gloriam compendiaria via peruenire posse eos, qui tales essent, quales videri vellent. *Brus. l. 1. c. 18.*

Antisthenes, dicebat satius esse cum paucis bonis pugnare aduersus omnes malos, quam cum multis malis aduersus paucos bonos. Præstat enim de numero bonorum esse, quorum vbique raritas est, quam de grege malorum, quorum vbique plena sunt omnia. *Laert. l. 6. c. 1.*

Idem dicere solebat. Bonum virum molestam esse sarcinam. Nam sicut insipientia bene fertur, & leuiter: sic prudentia grauiter incumbens, premit vehementer suopte pondere, nec facile potest excuti. *Philo Iudæus libro, Quod omnis probus liber.*

Diogenes, bonos viros dicebat esse deorum simulachra. Deorū, qui sint optimi, naturæ proprium est benefacere omnibus, nocere nemini. Hæc imago melius relucet in sapientibus ac bonis viris, quam in statuis, cum dij sint incorporei. *Laert. lib. 6.*

Idem cuidam percontanti in qua parte Græciæ vidisset bonos viros. Viros, ait, nusquam, sed Lacedæmone vidi pueros. Notans totius Græciæ corruptissimos mores, adeo vt apud Lacedæmonios geotem incorruptissimam tantum in pueris resideret prisca integritas. Simul illud innuit, in reliqua Græcia ne pueros quidem esse bonos, tum illud, viros esse pueris deteriores, quū ab his oporteat pueros ad probitatem instrui. *Diogenes Laert. 16. Brus. l. 1. c. 18.*

Idem peregrinum quendam conspiciens, sese studiose ad festum diem componentem: Quid facis, inquit? an non quilibet dies viro bono festus est? Sensit vir prudentissimus, hunc mundum esse phanum Deo dignum, in quo vir bonus constitutus, semper bene, honeste & pie, quasi in conspectu numinis, viuit. *Laert. lib. 6. Plut.*

Aristippus interrogatus, quid esset admirandum in vita? Vir probus (respondit) & moderatus: quoniam etsi inter multos improbos agat, non tamen peruertitur. *Stob. serm. 35.*

Themistocles prædium vendens, præconem diuulgare iussit, quod vicinum quoque bonum haberet, non parum enim refert quam bonum virum tibi vicinum habeas. *Stob. serm. 35.*

Phocion centum talenta Alexander quum ei dono misisset, adferentes interrogauit: Quamobrem ea tanto Atheniensium numero sibi soli ea mitteret? Illi responderunt. Quoniam solum ipsum rex existimaret bonum esse virum. Quin igitur, dixit, me post hac quoque bonum esse permittat, & pecuniam remisit. Sensit autem non boni viri esse subire famæ periculum ob acceptata munera. *Stob. serm. 35.*

Lycurgus dicebat, dignitatem quidem istam, qua mouemur ad facilius mutuo dandum aliquid, in opibus hominum sitam esse. Illā vero, quæ nos ad facilius fidem habendam inducit, in moribus. Vir enim bonus vbique nouit quid deceat, quidque expediat, quid vtile, quid sit honestum. *Stob. serm. 35.*

Aristoteles, rogatus a quodam improbo, aliquid pecuniæ ei dedit, propter quod reprehensus a quodam, vt qui homini nequam dedisset: non homini, dixit, sed humanitati. *Stob. ibid.*

Anonymus, scurra quidam cum vidisset principum indigna & nefanda facinora, dixit: In vno annulo bonos principes omnes sculpi posse. Sentiens esse quidem magnum imperatorum numerum, sed in his perpaucos esse bonos. *Refertur Vopisc. in Aurelio.*

Similitudines.

Sicut nec in victimis quidem, licet optimæ sint, auroque præfulgeant, deorum est honos, sed in pia ac recta voluntate venerātium: ita boni etiam farre ac fictili religiosi sunt: mali rursus non effugiunt impietatem, quamuis aras multo sanguine cruentauerint. *Sen. lib. 1. de benef. c. 6.*

Vt scarabæi ac vultures offenduntur vnguentis, & Scytha iurauit se malle equum hinnientem audire quam Citharœdum canentem: Ita non omnibus placent optima. *Plut.*

Vt Phœnix non nisi quingentesimo anno nascitur: Ita insignium virorum rarus est prouentus. *Sen.*

Qui sibi comparatione deteriorum bonus videtur, perinde est ac si quis claudos respiciens, suam miretur velocitatem. *Senec.*

Vt Zeusis picturus Iunonem, Agrigentinis omnibus virginibus inspectis, quinque præcipuas elegit, ex quibus, quod esset in vnaquaque præcipuum, imitaretur: ita e plurimis optimi boni ad exemplum vitæ aut dicendi proponendi sunt, nec in his tamen reddenda sint omnia, sed optima. *P. M.*

Non continuo melior gubernator, cui pulchrius aut maius sit nauigium: ita non est melior vir, cui fortuna splendidior. *Senec.*

Vt histrio nō est fœlicior, quod in scenis adornatus, rex aut Deus videatur: sic nec homo fortunæ bonis: quandoquidem suis bonis æstimatus, nihil est *idem*.

Exempla Biblica.

Bonorum inter malos latentium exempla: Noe cum domo sua inter filios Dei a filiabus hominum corruptos, & diluuio absorptos *Gen. 6. 9. & 7. 7.* Loth inter Sodomitas pessimos *13. v. 11. 13.* Abraham inter Chananæos *v. 12.* Ioseph inter Aegyptios *3. 9. v. 7. 8.* Samuel inter peruersos & impios Heli filios *1 Sam. 2. v. 55. 26.* Elias cum septem millibus virorum inter Israelitas idololatras *1. Reg. 19. v. 9. 10. 8. Rom. 11. v. 45.* Tobias inter captiuos sub regno Salmanasar. *Tob. 1. v. 2. 3.* Mardochæus inter seruos Assueri. *Esth. 3. 2.* Iob inter gentiles *Iob 1. 1.* Ieremias inter concaptiuos. *Ier 43. v. 1. 2. 3. 4.* Ezechiel inter Scorpiones, *Ezech. 26.* Daniel, Sidrach, Misach, Abdenago inter idololatras. *Dan. 3. v. 16. 17. & 6. 10.* Mathathias & filij eius inter Apostatas & idololatras *1. Machab 2. v. 19. 20.* Centurio inter Israelitas, *Mat. 8. 10.* Ioseph Arimathæus inter Iudæos, *Mar. 15. 34.* Nicodemus inter Pharisæos, *Io. 3. v. 15. & 19. 39.* Cornelius centurio inter gentes, *Act. 10. v. 1. 5.*

Bona opera pietasque in Deum vera commendatur, *Exod. 19. 5. & 20. 21. &c. & 23. v 19. 25. Deut. 5. ver 6. 1 t. 16. & 10. 12. Ios. 22. 5. 1. Sam. 15. 22 Psal. 2. 10. & 40. 7. & 50. 14. Prou. 3. 1. & 14. 31. Esaia 1. 16. & 58. 6. Ier. 21. 3. Ezech. 18. 6. Os. 6. 11. Mat. 6. 8. Zach 7. 9. & 8. 56. Eccles. 35. 11. Mat. 5. v. 24. 29. 39. Luc. 2. 75. & 3. 11. Ioann 12. 26. Rom. 12. 1. &c. & 14. 17. Phil. 3. 3. Iac. 1. 27.* Bona opera glorificāt Patrem cœlestem, *Matt 16.* Bonis operibus testanda est virginitas *1. Ioan. 3. 7.* Bonus & malus thesaurus, *Luc. 6. 45.* Bonitas Dei commemoratur, *2. Pet. 1. 3.*

Exempla Profana.

Scythæ moderatissimi, & abstinentes & suapte natura probi, quod Romani ac Græci vix præceptis ac disciplinis philosophorum, id natura ipsi consequi potuerunt: plus enim his profuit ignoratio vitiorum, quam illis cognitio virtutis. *Bonfin. l. 2. Deca. 1.*

Apud Germanos plus boni mores valent: quam alibi bonæ leges. *Corn. Tacit. de morib. German.*

Quotquot nouere Socratem, qualis fuerit (*inquit Xenophon. l. 4. Memorabilium*) ex ijs qui virtutis cupidi sunt, etiam nunc eum perpetuo desiderio exoptant: vt qui ad virtutis studium vtilissimus fuerit. *Theat. Zuing.*

Xenocrates, carissimus Platoni magistro discipulus, ei fuit comes in Siciliam transmittenti, hebeti ingenio, sed seuero, sanctisque moribus. Plato hunc calcaribus, Aristotelem condiscipulum freno dicebat indigere. *L. Viues in lib 8. Aug. de Ciuit. Dei, c. 12.*

Theseus, Atheniensium ciuitatem, quæ prius sparsim & vicatim habitabat, in vnum locum congregatam Græcarum vrbium amplissimam fecit. *Isocr. in Helen.*

Cyrus Persarum rex, non iustitiæ solum, sed omnium etiam regiarū virtutum exemplum fuit, si modo Xenophontis Pædiæ vera est narratio. *Theat. Zuing.*

Agesilaus Spartanorum rex, omni bellica vrbanaque virtute Græcorum longe princeps sua tempestate. *Sabell. l. 2 Æneadis 4.*

Philippum Alexandri genitorem, memoriæ prodidit Theophrastus non maiestate modo cæteros reges: sed fortuna quoque & ingenij modestia antecelluisse. *Plut. in apoph.*

Hieroglyphica.

Aegyptij Sacerdotes hominem ea modestia præditum, vt facile eam queat a perperam factis auertere, si indicare vellent, *Taurum genu dextro alligatum pingebant.* Hunc enim si dextro alligauerit genu, mansuetum & vincula consequētem inuenies. *Pier. Valer lib. 3.*

Rosa simulachrum *Bonum* significat, quod vndique circumseptum sit malis: ac perinde voluptates nostras amaritudinis & asperitatis plenas. *Pier. Val. l. 55 p. 530. D.*

Fuerunt etiam qui ætatis florem, vel vnumquodque bonum, quod celerrime deficere videretur, atque adeo humanę ipsius vitæ imbecillitatem per *decerptum Persicum* & in lacte positum,

non ineptum dicerent hieroglyphicum. Pomum enim nullum aliud fugacius, longissi naque decerpto bidui mora sit, cogatq; se quam primum venundari. *Pier. Val. lib. 54.*

APOLOGI SEU FABULAE.

Grus & pauo.

Pauo contra gruem assistens, explicatis pennis suis: Quanta est, inquit, formositas mea, & deformitas tua. At grus subuolans: Quanta est, inquit, leuitas mea & tua tarditas.

Monet fabula, non esse ob aliquod bonum naturale superbiendū, neque contemnendum alterum cui fortasse multo maiora collata sunt.

Origo Murorum.

Ea tempestate qua dij & homines vna promiscueque in terris vixere, vt tradit Hesiodus, humanum genus defensum & tutū ope præsidioque deorum, neque intra mœnia sese includebat, neq; aliam protectionem quærebat. Pulsis dijs hominum scelere, muris & fossis hi circumdati, nunquam tamen muniti satis esse potuere. Ita quantum boni a præsentibus dijs accepissent recordati, mœnia sancta de memoria deorum & nominarunt & haberi voluerunt, ac ritus insuper ceremoniasque varias cultus diuini instituerunt: non tamen ita placatos reddere potuerunt, vt tam benignis vterentur quam antea vsi fuissent.

Fabula docet, quod sine impensa interdum bonum obtineatur, id amissum nullarum rerum impendio recuperari posse.

SCRIPTORES.

Aduersus illos qui affirmant eorum Bonorum, quæ in altera vita expectamus fruitionem, non nisi in cibo, ac potu fore: idque propterea, quod sacris in literis proditum, initio mundi hominem rebus ijsdem in paradiso vitam sustentasse, *l. Greg. Nyss. de opisic. hominis, c. 19. pag. 197.*

Vide tit. Malitia, Virtus, Probitas, Vir bonus.

BREVILOQVIVM, Breuitas.

DEFINIT. ET ETYMOLOG.

Breuiloquium, Græce βραχυλογία, ας, ἡ. & βραχυλόγος, ὁ, ἡ. breuiloquens. Et oppositum est multiloquio.

Breuitas, quæ Græce βραχύτης, ητος, ἡ. & βραχύς, έος, ὁ, breuis. Est autem breue proprie, quod longo opponitur. Hebr. *Kotser.* breuitas a verbo *Katsar.* decurtauit, abbreuiauit, demessuit cultro seu falce, abscidit. Hinc ξυρέω, abscindo, ξυρίς gladiolus quo aliquid abscinditur, ξυρός nouacula.

SENTENTIAE POETICAE.

Hor. de arte Poetica.

Quicquid præcipies, esto breuis, vt cito dicta
Percipiant animi dociles, teneantq; fideles.

Terent. in And.

Quin tu vno verbo dic, quid est quod me velis?

Ausonius in Paulino.

Et si ete imcomis breuitas: sic fama renatum
Pythagoram docuisse refert. cum multa loquaces
Ambiguis sererent verbis: contra omnia solum
Est, respondebat, vel non: o certa loquendi
Regula Nam breuius nihil est nec plenius istis.
Quæ firmata probant aut infirmata recusant.
Nemo silens placuit, multi breuitate loquendi.

Hor. de art. poet.

Decipimur specie recti breuis esse laboro,
Obscurus fio. sectantem lenia neruus
Deficiunt, animiq; professus grandia turget.

Mich. Verinus.

Nostra leges quisquis fueris breuitatis amator,
Inuenies lepidos, sed sine felle iocos.

Euripides.

O maxi istud sapientis est viri, paucis
Plurima posse verba bene complecti.

Menander.

Imondentes sermones hoc solo iuuantur,
Si fiant breues & opportune proferantur.
Orationi breui multum inest sapientia.

Martial. 2.

Non sunt longa quibus nihil est, quod demere possis.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

In omni negocio nihil adeo prospicere debes quam vt tutum securumque sit, quod agis. Est autem tutius tacere, quam loqui. Cæterum ijs dicendis quæ mente & ratione carent, supersedebis. Absit quoque nimietas in dicendo: & propriorum facinorum aut periculorum commemoratio. Non enim similiter, vt ibi mentionem de tuis periculis facere, sic & alijs, quæ tibi contigerunt, audire iucundum est. *Epictetus.*

Ne multis verbis pauca cōprehendas: sed paucis multa. *Stob. ser. 33.*

APOPHTHEGMATA.

Pædaretus Lacon, vir bonus, cum in numerum trecentorum non esset electus, abijt, fronte serena, Dijs agens gratias hunc in modum: Gratias habeo vobis dij, quod tot homines meliores me huic ciuitati dedistis. *Brus. l. 1. c. 18 ex Plut.*

Iamblichus, eum demum hominem bonum existimandum putabat, qui perfectissimam actionem iuxta mentem separabilem conseruat, & participationem intelligibilis pulchritudinis suscipit, ac essentiæ potentiæque Dei particeps est. *Stob. serm. 35.*

Apollonius Tyanæus, quum in iudicium ad Domitianum adduceretur, apud quem accusatus fuerat, nec esset facilis a viro crudeli alapsus: tantum vir bonus virtuti confidebat, vt cum ductori dixisset, Quo duceret? Ac dicente illo, Ad iudicium: Contra quē (subiecit) dicturus sum? *Brus. l. 1. c. 18.*

Zeno Citieus, ad quendam dicentem, breues esse philosophorū sententias: Vera prædicas, inquit, oportet enim & syllabas illorum si fieri possit esse breues. Veritas multis verbis non eget: & firmius tenemus paucis verbis comprehensa. *Laert. l. 1.*

Epictetus. Philosophiæ summam Epictetus duobus verbis comprehendere solitus est: ἀνέχου καὶ ἀπέχου: id est, sustine & abstine, quorum prius admonet, vt mala quæ incurrunt æquo animo toleremus: posterius, vt a voluptatibus temperemus. Ita enim fiet, vt nec aduersis deijciamur, nec prosperis corrumpamur. *Refert Gell. 17. c. 19.*

Plato Antisthenem, qui differendo fuerat prolixior, sic admonuit, ignoras quod orationis modus sit, non penes dicentem, sed penes audientem *Laert. l. 3.*

Isæus Pythonis proditoris accusationem. Isæus sophista tribus dictis absoluit: Coarguam Pythonem, inquit, proditionis oraculo a Deo reddito, populo qui vicit, Philippo qui dimisit. Neq; enim Deus pronunciasset oraculo nisi talis esset: nec populus vinxisset, nisi talis fuisset: neque rex abijsset, nisi eum cuius gratia venerat non reperisset, aut rea e castris illum non dimisisset. *Philostrat. in sophistis.*

Phocion in concione sedens seorsim, accessit quidam qui diceret, Videris cogitabundus, ò Phocion: Recte quidem coniectas, respōdit: Cogito enim, si quid queam detrahere his quæ dicturus sum apud Atheniens. Alij solliciti sunt, vt quam plurima dicant, quo videantur eloquentes esse, atque diserti. Illi diuersa erat cura, nimirum vt quæ ad rem faciebant, verbis quam paucissimis cōplecteretur. *Plut. in apoph.*

Demosthenes, de Phocione, quoties in concione dicturus assurgeret ad amicos proximos dicere solebat, rationum ipsius securim surgere. Nam Phocion erat in dicendo breuis, sed acutus. Solebat autem fere a Demosthene dissentire. *Plut. in Demosthen.*

Apollodorus dicebat optimos homines in dicendo breuissimos esse: linguaces autem, si tantum molestiæ caperent, quanta reliquos officiunt, haud sane longos sermones habituros esse. *Stob. serm. 34.*

Epaminondas, in Spartanos, qui multa magnaque crimina Thebanis obijciebant: Hi nimirum fecerunt, inquit, vt breuiloquentia vti desineretis. Solebant Lacedæmonij de breuiloquentia gloriari, sed a Thebanis multis affecti calamitatibus, multa dicere coacti sunt, de illis conquerentes. *Plut. in apoph.*

Archidamus cum irrupisset in Arcadiam audito quod hostibus Elei ferrent auxilium scripsit illis in hunc modum Archidamus Eleis, Quies bona. Non potuit breuius & suadere, quod erat illis commodum: & minari malum, si quid perperam aggrederētur. Decet hæc breuiloquentia & ducem, & Laconem. *Plut.*

Cleomenes, pirata quidam cum prædam per Lacedæmoniorum regionem fecisset, captus, & interrogatus cur id fecisset? Quoniā ait, deerat mihi vnde viuerem, & alijs quoque darem, ad eos venire coactus sum, qui haberent: quæ nec sponte dabant, vt erepturus. Cui Cleomenes ait: Compendiosa tibi inest malitia. Eoque dicto detestabatur hominis improbitatem, & laudabat expeditam orationis breuitatem. *Plut. in Lacon.*

Leo Eurycratidis F. cuidam de rebus haudquaquam inutilibus intēpestiue loquenti. O hospes, inquit, re opportuna non opportune vteris. Nihil oratione melius, si parce promas linguæ thesaurum. *Plut. in Lacon.*

Lycurgus, interroganti, quamobrem Lacedæmonij breuiloquium vsurparent? Quoniam silētio est finitimum, inquit. *Stob. serm. 33. Anton. in Melissa p. 1 serm. 71. Max serm. 20.*

Lacedæmonij factis magis quam eloquentia polluerunt. Ideo breuiloquentia Λακωνισμός, id est, Lacedæmoniorum seu Spartanorum sermo, dicta est: quod Lacones seu Lacedæmonij in apophthegmatis præcipue valerent. Horum autem lepos in eo præcipue consistit, vt paucissimis verbis plurimum sententiæ complectantur. Cuiusmodi sunt illa αἴκα, id est. Sic, responsum prolixæ orationi legati: & εἰκ. id est, non, totam occupans epistolam & ἢ ταν ἢ ἐπὶ τᾶς, id est, aut super hunc. *P. M. in adag. Plutar. in apophth. vbi innumera extant breuiloquentiæ Laconicæ exempla, ad suos locos inc apoph. reperies relata.*

I. Cæsar.

I. Cæsar. quum in bello ciuili Pharnaecem primo congressu vicisset, Laconica breuitate ad suos scripsit: Veni, vidi, vici. *Plut. in apoph.*

August. Cæs. in Sicilia pro Thodoro Arium præfectum instituit, sed cum Cæsari quidam libellum porrexisset, in quo scriptum erat, Caluus Thodorus Tarsensis fur est, quid tibi videtur? lecto eo, nihil aliud subscripsit quam, videtur. *Plut. in apoph.*

S I M I L I T V D I N E S.

Chrysostomi. Imo potius iam silendū est, quod necesse sit in immensum historiarum pelagus orationem soluere. Qui vero per tale mare sunt iter facturi, necesse est non fatigatis, sed integris remigibus viam capessant. Nam hanc ob causam passim per mare portus insulæque positæ sunt, vt & gubernator, & vector tefocillentur, hic quidem temo deposito, ille vero exurgēs a clauo. His de causis diuersoria & cauponæ vbique per vias excogitatæ sunt, vt iumenta simul cum viatoribus à labore recreentur. Eoque & doctrinæ sermoni, silentij tempus præstitum est, vt neque nos ipsos deteramus verborum multitudine, neque nos defatigemus. *Hom. 3. in Esaiam.*

Plutarchi. Sicut matres faciunt, quando in gremium pueri poma, vel secundarum mensarum tale aliquid mittunt, sinus eius vndique zona constringunt, & securos faciunt: Ita & nos faciamus sermonem prolixiorem in arctum contrahentes, & in memoriæ promptuario deponentes. *In Ser. 1. in Oz. am.*

Clitoberti ita ferrum temperant ac durāt, vt infosso in terram quod est terreum, auferatur, ac repurgetur: Sic Laconicus sermo sublatione superuacui fit penetrantior. *In Moral.*

Themist. Congestas cumulatim merces nunquam simul dispicias, sed semper reliquum est quod admireris: Ita in ijs qui multam literarum supellectilem in vnum breuitet contrahunt, semper restat quod intelligas. *in Apoph.*

A D A G I A.

Grata breuitas, χάρις βραχύτητι ἔπεστι.

Quædam mole placent ac magnitudine. Sunt, quæ ob id grata sunt, quod minuta: Veluti gemmæ quædam ac sculpturæ. Idem vsu venit in epistolis ac libris, quæ non raro ipsa breuitate redduntur commendatiores, præsertim apud salis diosos & occupatos.

Ἐν ἐπιτομῇ.

M. Tullius epist. ad Atticum l. 5. ἐν ἐπιτομῇ dixit, pro eo, quod erat διὰ βραχέων, summatim & compendio recensisse, quæ minus ad rem pertinent.

Laconismus Λακωνισμός.

Laconismum veluti prouerbio breuiloquentiam vocant, pro eo quod est paucis & compendio dicere.

Tribus bolis.

Plautus in Curcu Tribus locis dixit pro compendio, quasi tribus verbis, Mit dreuen Morten.

Pauciloquus, sed eruditus.

In eum qui pauca quidem sed tamen audita digna loquitur, conueniet illud ex lib. 3. Iliad. Menelao breuiloquo.

Παῦρα μὲν, ἀλλὰ μάλα λιγέως,
Ἐπεὶ οὐ πολύμυθος, idest.
Non is multa quidem, verum argutissima: quippe Pauciloquus.

Minore fine pomœrio.

Prouerbij rationem sapiunt huiusmodi ferme Metaphoræ: Fraire pomerio. Propius statuere metam. Circumscribere cancellis. & si quæ sunt similes.

Numero dicis.

Plautus in Casina dixit pro eo, quod est, strictè & compendie: Festus exponit pro cito ac celeriter. Idem in Amphitryone: Numero mihi venit in mentem.

Vno fasce complecti.

Apud Plinium, pro eo quo est: eadem opera & coniunctim agere, non separatim.

Tribus verbis.

Tribus verbis, pro paucissimis dicere, prouerbiale est, mit dreuen Morten.

Contemnentis dicterium.

Si quando significabimus, nos scommate, seu contumelia leuiter commouere alsius in animum demittere, congruet illud ex Iliad.

Οὐκ ἂν χαρίζοιο ξὺν τεύχεσιν, ἀλλὰ πάρος θεῖ
Εἴπερ κε ζωοῖσι τε ταναλέος, ἀλλ' ὑπεράγαν
Ζωὸν τὸ ταχὺ στόματιν χαλάσει κλεῖον αὐτὸς. idest.

*At missum non transit ad vitalia telum:
Sed summa in cute baltheus ac niti, impositaq.
Lamina sua, quas huic faber addidit ere.*

In clamosos.

Ingentem inter litigandum aut disputandum vociferationem indicabimus eo versiculo, quem de Nettuno scripsit Homerus,

Ὅσσον τ' ἐννεάχιλοι ἐπίαχον ἢ δεκάχιλοι
Ἀνέρες ἐν πολέμῳ ἔριδα ξυνάγοντες Ἄρηος.
Id est,
*Tantum vociferans, quantum nouies dec'ies
Mille viri clamare silent qui prælia miscent.*

Idem carmen habetur Iliad. ε. de Marte.

Iubentis aperte loqui.

Si quem admonebimus vt proferat dolor's aut edij causas, neque celet in animo, illud ex prime Iliadis lib.

Ἐξαύδα, μὴ κεῦθε νόῳ, ἵνα εἴδομεν ἄμφω.
Id est.
Eloquitur, nec celato q. enorimus ambo.

Absit clamor in colloquio aut lusu.

Qui iubebit, in conuiuio colloquio se temperari a vociferatione, accommodabit illud Homericum:

Νῦν μὲν δαινύμενοι τερπώμεθα μηδὲ βοητύς
Ἔστω. idest.
Nunc hilares epulemur, & omnis clamor abesto.

Qui obticescit.

In eum qui metu attonitus aut stupefactus admiratione tacet, aut cui non est quod respondeat, quadrabit illud ex Iliad. ρ.

Δὴν δέ μιν ἀμφασίη ἐπέων λάβε. idest.
Illum corripuit stupor atque infantia linguæ.

Lupus in fabula.

Quoties præter expectationem interuenit is, de quo fuerat mentio. Man mandet Molff gedenkt, so ist er mit meit von dänen. Mo man des Consfels gedenkt, da mill er bald sein.

Qui parle du loup, en voit la queue. *Huc refertur ex Iliad. κ.*

Οὔπω πᾶν εἴρητο ἔπος ὅτ' ἄρ' ἤλυθον αὐτοί.
Iamque aderant ipsi, nondum sermone peracto.

Aperte simpliciterque loqui.

Simpliciter, & aperte dicturos nos citraq; ambiges, significabimus hoc carmine.

Οὐκ ἂν ἔγωγε
Ἄλλα παρὲξ εἴποιμι παρακλιδὸν οὐδ' ἀπατήσω.
Id est.
Non fucis ve dissimulans decepero fictis.

Festiuus sermo.

Vbi quis in conuiuio sermonem induxit admodum hilarem ac festiuum, qui discutiat omnem tristitiam, conueniet illud ex eodem libro, quod Homerus finxit de Helena, pharmacum immittente in conuiuarum cyathos, quod omnium antea actorum induceret obliuionem.

Αὐτίκ' ἄρ' εἰς οἶνον βάλε φάρμακον ἔνθεν ἔπινον
Νηπενθές τ' ἄχολόν τε, κακῶν ἐπίληθον ἁπάντων.
Id est.
*In vinum immisit mox pharmacon. Vnde bibebant
Luctusque, bilis & malis, obliuia cuncti.*

H I S T O R I C A E X E M P L A.

Λακωνισμόν. veluti pro verbo breuiloquentiam vocant, siue quod Lacedæmonij factis magis, quam eloquentia præcelluerunt, siue quod in Apophthegmatis præcipue valuerunt. Horum autem præcipua gratia, vt paucissimis verbis plurimæ sententiæ complectantur. *P. M. in Adag.*

Homerus Menelao ceu Lacedæmonio argutam breuiloquentiam affingit: παῦρα μὲν, ἀλλὰ μάλα λιγέως id est: Pauca quidē, verum plane argutissima.

Laertius, ex auctoritate Aristagoræ Milesij refert: Chiloni vni è septem peculiarem fuisse breuiloquentiam: vnde genus hoc dicendi Chilonium appellat.

Interpres Pindari breuiloquentiam tribuit quoque Argiuis, citans illud ex Vlysse furente Sopoclis. αὐδῶ γὰρ ἀργολιστὶ συντέμνων λακωνικῶς. idest, Argiua paucis multa fert oratio.

De Pythagora breuiloquentia hæc refert *Ausonius epi. 1. 2. ad Paulinum.*

*Est etenim comis breuitas: sic fama renatum
Pythagoram docuisse refert, &c.
Nemo silens placuit, multi breuitate loquendi.*

FINIS LIBRI SECVNDI.

C

CAECITAS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

CAECITAS, Græce τυφλότης ητος, ἡ. & τυφλός, ὁ, cæcus dicitur. Et est tam corporis, quam animi orbitas. Estque cæcum, quod non habet visum, cum natum sit habere, secundum Aristotelem libro sexto Topicorum. Dicitur autem cæcum, quasi oculis captum, vel quod sit oculis concisum, vel quod oculis careat. Est autem cæcus, qui caret lumine, vt diximus. Item insidiosus, occulte malus, latens, tacitus qui videri non potest. *iuuer* cæcus a verbo Hebr. eiusdem soni, quod significat excæcauit, exoculauit, item obduxit oculis pellem, quæ *her* Dicitur. Hinc *nas* in *w* mutato fit *τυφόω* excæco, *τύφλωσις* cæcitas. *Verg. libro sexto, Æneid.*

Cæca regens filo vestigia.

Hinc est verbum Cæcutio, quod proprie significat parum video.

LOCI BIBLICI.

Cæcitas tum corporis, tum animi. *Genes.* 19. 11. *Deuteronom.* 28. 28. 2. *Regum* 6. 18. & 25. 7. *Psalm.* 69. 24. & 14. 5. 8 *Esa.* 6. 10. & 29. 18. & 35. 5. & 42. *vers.* 7. 16. 18. & 43. 8. & 56. 10. & 59. 10. *Sap.* 2. 21. *Tob.* 2. 11. 2. *Mach.* 10. 30. *Matth.* 15. 14. *Marc* 8. 18. *Luc.* 4. 19. *Ioan.* 9. *ver.* 3. 4 & 12. 40 *Act.* 9. *ver.* 8. 18. & 13. 11. *Rom.* 1. 21 & 11. 10. 2. *Cor.* 4. 4. *Ephes.* 4. 18. 2. *Pet.* 1. 9. 1. *Ioan.* 2. 11. *Apoc.* 3. 17. Cæcitas corporalis a Deo, *Exod* 4. 11.

Cæco non nocendum, *Leuit.* 19. 14. *Deuteronom.* 27. 18. Cæci cæcum ducentis conditio, *Matth.* 15. 14. *Luc.* 6. 39. Cæci illuminantur. Vide Miracula.

SENTENTIAE BIBLICAE.

Cæcitas naturalis in pœnam datur:

Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cæli non video? *Tob.* 5.

Ipsius illuminatio miraculosa per angelum.

Et fel valet ad vngendo, oculos, in quibus fuerit albugo, & sanabuntur. *Tob.* 6.

Tunc sumens Tobias de felle piscis liniuit oculos patris sui. Et sustinuit quasi dimidiam fere horam. & cœpit albugo ex oculis eius quasi in membrana oui egredi. Quam apprehendens Tobias traxit ab eius ocolis, statimque visum recepit, 11.

Per Christum.

Et transeunte inde Iesu, secuti sunt eum duo cæci clamantes & dicentes: Miserere nostri fili Dauid. Tunc tetigit oculos eorum, dicens: Secundum fidem vestram fiat vobis. *Matth* 9.

Et egredientibus illis ab Hiericho. Et ecce duo cæci clamauerunt, dicentes: Miserere nostri fili Dauid. 20.

Et veniunt Bethsaidam, & adducunt ei cæcum. *Marc.* 8.

Et præteriens Iesus vidit hominem cæcum a natiuitate. *Io.* 9.

SENTENTIAE POETICAE.

Lucret. lib. 2. de Nat. rerum.

O miseras hominum mentes o pectora cæca!
Qualibus in tenebris vitæ: quantisque periclis
Degitur hoc æui quodcunque est.

Ouid. 6. Met.

Proh superi! quantum mortalia pectora cæcæ
Noctis habent:

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Francisci Petrarchæ.

De cæcitate. DIAL. XCVI.

DOL.

Oculos perdidi. R. O quot simul vitæ fastidia perdidisti, quot fœda spectaculorum ludibria nō videbis. D. Amisi oculos. R. Frontis fortasse, non pectoris. Hi si superant, bene habet, salua res est. D. Cœcus sum. R. Non videbis solem amplius, sed vidisti, & qualis sit animo tenes, aut si non vidisti vt in parte sors durior, sic desiderium leuius ignotæ rei. D. Oculis careo. R. Cœlum terramque non aspicies, sed cœli terræque dominum spectandi facultas non eripitur. Multum illa clarior est visio. D. Cæcitate perpetua damnatus sum. R. Non videbis amodo frondosas valles, aereos montes, floreos cespites, vmbrosos specus, lucidos fontes, vaga flumina, prata virentia, quodque pulcherrimum visu dicunt humani oris effigiem. Sed nec cœni cumulos, nec vndantes cloacas, nec laniata cadauera, & quicquid aspecto fœdo stomachum lædit. D. Oculorum luce priuatus sum. R. Vt malo huic nil aliud boni insit quam quod hos ludos enormium penitusque deformium habituum non spectabis, optanda cæcitas, quam & si optabilem fuisse sæpe olim fatear, æque vnquam nego, quandoquidem spes fugæ nulla est, quocunque terrarum verteris par insaniæ regnum, par virtutis exilium: hoc in statu perdidisse oculos fugæ & solatij genus est. D. Visum perdidi. R. Et fæminei vultus aspectum. Gaude igitur: clausæ vnde mors intrabat sunt fenestræ, multisq. vitijs obstructum iter, auaritia, gula, luxuria. pectesq. alii suos ministros, ac satellites amisere, quantum aīæ tuæ hostib. demptū est, tantum accreuisse tibi credito. D. Perdidi oculos. R. Perdidisti duces malos, qui in præcipitium te ducebant. Mirū dictu, sæpe quidem lucidissima pars corporis totam aīam in tenebras trahit, iam vocantē ad meliora spiritū sequi incipe, & veritati præbe aures clamanti: Nolite quærere quæ videntur. Quę. n. videntur tēporalia sunt, quæ aūt non videntur æterna. D. Luminib. careo. R. Culpis tu careres plurimis: si his perpetuo caruisses. nunc venturis malis occurrant virtus ac cæcitas, præterita deleant dolor ac pœnitētia, neu lugeas cæcitatem, mentis oculos aperturam, lugendū forsitan quod dilata est. D. Lumen oculorum perdidi. R. Lumen aīæ verum serua. Solent qui alterum oculum amiserunt (vt aiunt) acutius videre, Id si ita est, quid rear, nisi vt duob. perditis duob. alijs acutissime videas, & tuum facias illud Tyresiæ cæci vatis, sed famosi: *Obruit ora Deus, totamque in pectore lucem detulit.* Infelicē te vereq; cæcum & prorsus exoculatū, si hanc ēr perdidisti, q vt suspicor, tuæ si pergis, facient querelæ: perditur nēpe flebilius, quod vnicum est babenti. D. Oculos mei capitis perdidi. R. Purga igitur, & absterge quos non perdas, & externis pereuntib. ad interna reflectere. Illic, mihi crede, non in oculis habitat feliciras illa quā quęritis. D. Lumen oculis nō video. R. Disce vel in tenebris gaudere. An tibi Antipatri Philosophi responsum excidit lasciuium fortasse, sed propriū cuius cæcitatē cum amicæ muliercula deplorarent, iocans, Nullane inquit vobis videtur voluptas esse nocturna? Facete ille quidē, breuiterq. Multa. n. sunt in obscuro gaudia, sicut & in luce dolor multus. Ego aūt tibi honesti solius bortator sum. D. Amissos oculos queror. R. Si visurus male, gaudendum potius, præcepta tibi nequitiæ instra. Sin bene, nec sic, quidē est quod doleat, rem decoram visu, sed pietati, ac sancto proposito minime necessariam amisisti, nō membra, sed animū quærit Deus: Purum illi totumq. ei esse, quē vbi acceperit, quicquid est reliqui acceptū feret, nil sibi retinuit, qui animū dedit. D. Corporeos amisi oculos. R Si ad cęlū uitis consolare te cum Didymo, quem cæcum ab infantia, inque hac cæcitate vsque ad exitū summo virtutum exercitio insignem sacer Antonius senē visens, nihil moueri debere ait, eo quod oculos amisisset, cōes sibi cum muscis, & murib. & lacertis. sed gaudere, quod oculi cōes illi cū angelis salui essent. Antonianū vere, cęlestisq; magistri discipulo dignum verbū. Sin ad liberalium studiorū decus aspiras, Homerum ac Democritum contēplare, quorū alter

(vt

(vt fama est) dum mira illa ac diuina dictaret, oculis non videbat, animo lynceus. Alter sibi oculos eruit, ne videret multa, quæ vt ipse arbitrabatur veri visus aciem impedirent, cuius factum quam vel laude, vel vituperio dignum fuerit non disputo, sed inuenit imitatores. Quod si picturam forte sculpturamve Apellis, aut Phidiæ artẽ tibi mente delegeras, amisisse te aliquid non negem, nisi hoc ipsum lucrum est, ab inepto humili retractum cogi altius. D. Cæcitate inops & inutilis sum. R. Quid te ipsum ecce deseris? Nam Tiresias, de quo supra diximus, cæcus visu, vaticinijs clarus fuit. Num Diodorus Stoicus, sed familiaritate, Ciceri, quam secta notior sua, visum perditum audiuus solatio leniebat cum ei, vt Cic. ibidem ait, libri per noctes & dies legerẽtur? quibus in studijs oculis non egebat. Hic & philosophiæ simul & fidibus, quodque sine oculis fieri posse vix crederes, geometricis quoque descriptionibus operam dabat, & alienis manibus lineas protrahi iubens suo de illis ingenio differebat. Caius Drusus absque oculis, sed iuris ciuilis notitia tanta fuit, vt domus eius consultorum frequentia cotidie repleretur. Et videbant illi qua iretur ad forum rectius, qua iretur ad causæ victoriã non videbant, atque ideo cœci ducis patrocinium implorabant. Sed clarissimus omnium quos famosos cæcitas habuit Appius Claudius, & re cœcus, & nomine, qui cæcitate pressus ac senio, non priuatis modo cõsilijs a populo nascebatur, quisquis in iure vel in facto scrupulus incidisset, sed authoritate, ac sententia senatũ regebat, vniuersamque Remp. gubernabat. Tu confestim vno destitutus sensu reliquos omnes, atque insuper mentem ipsam abijcis, haud aliter quam qui vnius damni leuis impatientia, & vitam, & vitæ instrumenta proijciunt desperatione præcipiti. D. Cæcus sum, nec quo pergam video. R. At dux tuus videt, siue is est animus, siue vnus aliquis ex more cæci gressum dirigẽs, cuius ductu non modo rectum iter inuenias, sed ad contemptum vitæ nobilem, & præclaræ virtutis actus vltimos ad fastigia summa peruenias, neque nisi vis animi defuerit generosum facinus lux amissa præpediet. Meministi quid sacris Samson in literis, quid ciuili bello apud Lucanum Massiliæ Tyrrhenus agat in æquore, de quo quidem, si poeticæ tubæ minus est fidei, illud certius atque recentius recordare, quod ætate tua videre oculis potuisti, Vt Ioannes Rex Bohemus, duorum sine medio Romanorũ principum alterius filius, alterius pater oculis semper infirmus, multos ad extremum annos cæcus, bello hoc quod inter Gallũ, cui ille fauit, ac Britãnum regem, sex iam lustris agitur, dum pugna illa omnium asperrima, cui ambo reges intererãt inclinare fortunam suæ partis intelligeret, duces suos clara voce compellãs: Dirigite me inquit ocyus in eam partem, vbi rex hostium est, atque omne robur exercitus sui, quod cum mœsti, ac trepidi fecissent, ille equo stimulis adacto, eo se præcipitem dedit, quo spectare alij, cæcumque oculis prosequi vix audebant, vbi confertissima hostium in acie, non fortiter modo, sed horrifice pugnans ruit, ipsis mirantibus, & laudantibus qui vincebant. Rem narro notam omnibus, sed nisi mandata sit literis obliuione perituram, & quid oro gloriæ viri fortis obfuit visu caruisse? nisi vt quem virtus & natura mirabilem fecerant, stupendum cæcitas faceret. D. Cæcus sum. R. Iocari incipiam ni desistas queri. Nam quid aliud, si vires attulisse tibi cæcitas quiuit, quam quod de seipso cæcus effectus Aclepiades ait, vno scilicet vt puero comitatior gradiare.

A D A G I A.

Cæcus cæco dux. *τυφλὸς τυφλῷ ὁδηγὸς* *Vn aueugle meine l'autre.*

Ex angelicis literis celebratum adagium. Vtimur, quoties in doctus indoctũ docere, inconsultus imprudens consilium dare conabitur.

Neque cæcum ducem, neque amentem consultorem. *μήτε τυφλὸν ὁδηγὸν μήτε ἄνοιαν σύμβουλον.*

Subaudi, adhibeas. Vtimur, quoties monebimus, Discendum, sed a doctis consilium petendum, sed a consultis ac prudentibus.

Lolio victitant.

In inscios & cæcutientes. Plaut. vulgo. Er hat zvvibein gessen. Item, Er sihet auff eine seiten. vvie ein Ganss, die ein Apffel suchet.

Talpa cæcior, *τυφλότερος ἀσπάλακος*

De ijs qui supra modum cæcutiunt, aut minime iudicare de rebus possunt. Plus aueugle qu'vne taulpe.

Cæcior Liberide. *τυφλότερος λεβηρίδος.*

In eosdem hebetes. Est autem leberis pellicula, quam serpentes exuunt cum iuuentam reparant: in qua non oculi, sed oculorum tamen effigies & tenuissima quadam membrana apparet.

Palpari in tenebris. *ψηλαφεῖν ἐν τῷ σκότει.*

De ijs, qui rem obscuris vestigant coniecturis. Aristoph.

E duobus tria vides, *ἐκ δυοῖν τρία βλέπεις.*

Iucos, qui ætate, vel ebrietate, vel alio quodam oculorum vitio cæcutiunt.

Puluerem oculis suffundere. *Ietter de la pouldre aux yeux.*

Iterum, qui de industria rem obscurat, & aduersario iudicium eripit Hieron.

Saturniæ lemæ *κρονικαὶ λῆμαι.*

In stupidos & cæcutientes, maxime vero eos, qui ætatis vitio desipiscunt.

Quid cæco cum speculo?

Non opus est libris illiterario. Iuuenis stultus ineptus est ad functiones publicas & domesticas exercendas. Diuitiæ sunt auaro & prodigo inutiles.

Cucurbitas lippire. *Κολοκυνθαις λημᾷς.*

Ad præcedentis proximi adagij formam pertinet etiam hoc: stupidos & cæcos notamus, & cucurbitas lippire dicimus, id est, plane nihil videre & tantas in oculis lemas habere quanta sunt cucurbitæ.

Ollas lippire. *χύτραις λημᾷν*

Similis prouerbi Hyperbole. Lucianus aduersus ineruditum, & multos coemptentem libros vsurpauit. Nos eleganter dicemus de hominibus crassi iudicij, ac vehementer hebetibus, vel turpiter etiam errantibus.

Hypsea cæcior. *Horat.*

In cæcos & stupidos. tale etiam illud, Tiresia cæcior. a fabulatissima Tiresia.

In canis podicem inspicere. *ἐς κυνὸς πυγὴν ὁρᾶν.*

Interpres eius admonet, vulgo dici solere in cæcutientes.

Cimmeriæ tenebræ *νὺξ κιμμερίη Lactantius,*

Multam animi caliginem & obscuritatem hoc adagio significamus.

Cæca speculatio. *ἀλαοσκοπίη.*

Suidas prouerbialem esse dictionem admonet, quoties aut conniuent, quibus datum est negocium, aut ipsi nihil vident, quibus obseruandi partes sunt delegatæ.

Cæci præscriptio. *τυφλοῦ παρακέλευσις.*

Plane quadrat in hominem insigniter caligantem: aut in eos qui alijs præscribunt, quod ipsi non intelligunt.

E X E M P L A B I B L I C A.

Cæcitatis & excæcationis externæ exempla: Sedechias, 2. *Reg.* 25. *v.* 7. *Ier.* 39. *v.* 7. Tobias, *Tob.* 2. *v.* 10. 11. Duo cæci. *Matt.* 9. *u.* 27. & 20. 30. Cæcus, *Matt.* 12. 22. Bartimæus, *Mar.* 10. 46. Cæcus natus, *Ioan.* 9. *u.* 1. Elymas, *Act.* 13. *u.* 11. Cæcitas cordis, pœna peccati, *Deut.* 28. *u.* 28. 29. Damnatur *Marc.* 3. *u* 5. *Ioan.* 3. *u.* 19. & 9 *u* 39. & 12. 40. *Rom.* 11. 25. *Eph.* 4. *u.* 18. 2 *Timoth.* 3. *u.* 8. 2. *Pet.* 1. *u.* 9. Cæcitatis internæ exempla: Pharisæi, *Matth.* 12. 13. 14. *Mar.* 3. *u.* 5. 6. Iudæi, *Luc.* 23. *u.* 18. *Ioan.* 11. *u.* 37. 2. *Cor.* 4. *u.* 3. 4.

E X E M P L A P R O F A N A.

Sesoris, vel (vt alij appellant) Sesostris, Aegyptiorum rex potentissimus & bellicosissimus, post multas res egregie gestas, visum amisit. *Diod. Sic.*

Anysis rex Ægyptiorum cæcus fuit, ex vrbe Anysi. *Herod. lib.* 2.

Lycurgus a Thracibus (quibus imperabat) excæcatus est: quod fœminas quasdam sequentes Bacchum, simulata cum Deo amicitia interfecisset. *Diodor.*

Ioannes Bœmorum rex cæcus, pro Gallis aduersus Anglos pugnans, fortiter occubuit. *Theat. Zuing.*

Belisarius præfectus Iustiniani Imper. deletis Vandalis, acto de Persis triumpho, Italia a Barbaris non semel liberata, propter prosperos successus. Imp. formidolosus & suspectus factus est: ac propterea ab eodem oculis priuatus. *Procopius & Crinitus lib.* 9 *c.* 6. *Volater. lib.* 23. *Anthrop. Fulg. & Egnat. lib* 5 *c.* 3.

Appius Claudius, Cæcus cognomine, mente a oculis pacem cum Pyrrho patriæ inhonestam fore præuidens, eam magno animo & felici euentu dissuasit. *Cic. de Senect.*

Cn. Aufidius Prætorius. in cæcitate sententiam in senatu dicebat, nec amicis deliberantibus deerat: Græcam scribebat historiam & videbat in literis. *Pontan. lib.* 2. *c.* 8.

C. Drusus cæcus fuit: tamen domus eius implebatur consultoribus, qui in suis causis cæcum adhibebant ducem. *Valerius de studio.*

Nicolaum quendam cæcum describit *Pontan lib.* 2 *c.* 7. *de Fort. domestica.* qui festis diebus, Etruscis numeris, aut sacras historias aut annales rerum antiquarum è suggestu decantare solitus erat, ad quem doctorum hominum, qui Florentiæ tum multi erant, concursus fiebat.

Lippus Florentinus, oculis orbatus, animo acutissime vidit cum assidue Rhetorum, & philosophorum auditoria non paruo cum fructu frequentaret. *Pontan lib.* 2. *cap.* 8. *de Fortitud. domestica.*

In Lepidorum familia Romæ tres intermisso ordine obducta membrana oculo geniti sunt. *Plin. lib.* 7. *c.* 12.

Xenarchus è Seleucia Niciæ Peripateticus, qui Alexandriæ docuit, Arrij primum philosophi, deinde Cæsaris Augusti vsus amicitia, paulo ante mortem visu orbatus est. *Strabo lib.* 14.

Diodorus Stoicus post visum amissum, vt Cicero refert, multo etiam magis assidue, quam antea in philosophia versatus est, cum & fidibus Pythagoreorum more vteretur, & quod vix fieri posse videbatur Geometræ munus tueretur. *Vol. l.* 7. *c.* 6. *de Fort. domestica*

CAE-

CAELEBS.

DEFINIT. ET ETYMOLOG.

CAelebs, Græce *ἄγαμος, ὁ, ἡ, & ἀγαμία, ας, ἡ* cælibatus dicitur. Et is proprie dicitur cælebs, qui caret, semperque caruit vxore. Abusiue tamen pro eo ponitur, qui vxorem non habet, etiam si alias habuerit. Hinc cælibatus est vita, quæ agitur, sine vxore. *Suet.*

Verum amissa vxore Lepida, duobusque ex ea liberis, mansit in cælibatu Horatius: *Martijs cælebs quid agam Kalendis.*

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Plutarchus in Lycurgo, author est, apud Lacedæmonios tantum habitum fuisse honorem coniugio, vt si qui essent, qui cælibem agerent vitam, eos iuberent magistratus, per hyemem in vrbe nudos forum circumire, vbi etiam carmen in se compositum canere cogebantur, in quo erat: Iure optimo eos publica ista ignominia affici, quoniam legibus Spartanorum non parerent. Deinde etiam honorum & obseruationum, quas iuuenes seniores prosequebantur, ipsi expertes erant.

Inter reliqua capita, quæ lex Poppœa, vt veteres, siue Papia, vt recentiores vocant, hos quoque vnum erat ad augendas cælibum pœnas, vt qui coniuges filios non haberent, quod alter alteri legasset, decima parte Fisco applicaretur. Cui Tiberius Cæsar & illud postea adiecit: Sexagenarius vxorem ne ducito. Eo, quod generandis filijs ætas illa penitus inutilis sit visa. Quod legis caput primum Claudius Cæsar, authore Tranquillo, deinde *Iustinianus noster l. Sancimus, C. de nuptijs abrogarunt.* Cum etiã illa grandæua ætate nonnullos procreasse historiæ tradant.

SIMILITVDINES.

D. Augustini, sicut non est impar meritum patientiæ in Petro qui passus, & Ioanne qui passus non est: Sic non est impar meritum continentiæ in Ioanne qui nullas expertus est nuptias, & in Abraham qui filios genuit. Nam illius cœlibatus, & illius connubium, pro temporum distributione Christo militauerunt *De coniugat. c. 25.*

HISTORICA EXEMPLA.

Heliam neque Helisæum vxores habuisse, aut liberos genuisse, vsquam legimus: & a nemine ante Euangelij tempora præterquã ab ijs mortuos ad vitam excitatos; vt miraculi raritas ac magnitudo seruatæ castimoniæ, testetur meritum. *Sab. l. 5. c. 7.*

Malchus monachus captus a Saracenis, cum a domino suo cogeretur feminam Christianam matrimonio sibi iungere: mortem sibi ipsi consciuisset, nisi ab illa voto communi castitatis suscepto seruatus fuisset. *Hier. in vita Malchi.*

Marsias Phryx ingenio prudentiaque mirabili fuisse dicitur: coniecturam ingenij sumunt, quod vocis sonum multiplicis fistulæ imitatus, ad tibias eam harmoniam traduxit: prudentiæ, quod vsque ad extremum vitæ finem cælebs vixit, *Diod. l. 3. c. 5.*

Epaminondas Dux Thebanus cælebs. *Probus in Epaminonda.*

Apud Spartanos qui cælibes vixissent, gymnicis spectaculis arcebantur, nudique hyeme forum circuibant, ne, vt cæteri senes, in honore apud iuuenes essent.

Iaso Maynus, I.C. cum Ticini doceret, a Ludouico XII. Gallorum rege (qui Genua subacta de Liguribus triũpharat, & fama Mayni motus, cum profitentem nobilissimorum principum choro stipatus audierat) rogatus cur nunquam duxisset vxorem? vt te commendante, respondit, Iulius Pontifex ad purpureum galerum gestandum me habilem faciat. *Iouius in Elog.*

SCRIPTORES.

De cælibatu Ecclesiasticorum, *Vide Roberti Bellarmini disputat. T. 2. Contr. ... lib. 1. de clericis a c. 18. ad 24. Col. 346. Io. Gerson Tom. 2. Clericorum, Ioan. Ecci, Scripta aduersaria B. Latom. & M. Buceri*, Contra Cælib. ... *Ho ... .*

Vide tit. de Coniugio, Virginitate, Castitate, &c.

CALAMITAS.

DEFINITIO ET ETYMOL.

CAlamitas proprie significat calamorum fractionem a grandine aut alia aeris inclementia. Dicta etiam est grando (Donato interprete) calamitas, quod calamos comminuat. Hæc vox fluit ab Hebræo verbo *Kamal*, calamitosus fuit, succisus est in calamo seu culmo. Cognationem habet cum *Calam*, calumnijs profcissus est. Et quidem segetes grandinis impetu & fragore conteruntur. Hinc *καλάμος, καλάμη* Calamus, culmus, calamitas: vide Isai. 19. 6. & 33. 9. Alijs vocibus calamitatẽ designant Hebræi. quarum prima est *Edh*, pernicies, exitium, nocumẽtum: Iob 18. 12. Prou. 1. 2. 6. Ierem. 48. 16. Altera *Rahim*, id est, impetus, fragor, commotio, vt fit in istiusmodi calamitatibus a verbo *Rahã*. Turbatus est impetuose, concitatus est magno impetu. Vide Isa. 29. 6. Tertia *Schoah*, desolatio, a verbo *Scho*, desolatus est, ad nihilum est reductus. Quarta, *Schemamah, Schimomah, Schimmamon*, desolatio tam stupenda, vt quisquis eam videt non possit non gemere & halitum efflare præ dolore cordis: Isa. 62. 4. Ezech. 4. ver. penul. & 35. 7. a verbo *Schamam* desolatus est, cum stupore. Nam ad horrendas illas calamitates omnes propter subitam desolationem atque vastitatem animis consternantur & obstupescunt. Metaphorice autem calamitas. (Græc. *χάλαζα* grando) pro omni miseria & pernicie ponitur. Cic. ad Atticum, Nemo maiorem calamitatem morte Pansæ accepit De homine calamitoso, morbis grauissimis & turpibus afflicto, & miserijs, dicunt, *Il est gresle*, grandine percussus confractus est.

SENTENTIAE POETICAE.

Iac. Bill. Antholog. Sacr.

Magno piorũm bono calamitates ipsis a Deo immitti.

Est bonus ille obolus qui nummum seruat, vt aiunc:
Quæq; caput seruans vulnera palma capit.
Est bonus hic medicus, qui vexat doctus ab imis
Partibus ad summam pertrahet arte cutim.
Ergo caue meliorne spes te deserat unquam,
Sæpe licet casus experiare graues:
Nam ne forte tumens agitet tua pectora fastus,
Vexari patitur corpora sæpe Deus.

Calamitates nobis a Deo vtilitatis nostræ causa immitti.

Cum nimium patibus cernit colludere natum:
Quinam vet genitor callidus arte solet?
Protinus horribilem fertur assumere laruam,
Verbaq; terroris fundere plena iubet.
Sic sua praferri Christus cum gaudia mundi
Perspicit, horrendis vtitur ipse minis,
Non vt ab ire sui cupiat quod sola furoris:
Verum ad eum vt redeat mens tiam facta metu.

SENTENTIAE PHILOSOPHICAE

Calamitas virtutis sæpe occasio est. *Seneca.*

Calamitas plerunque illustris ad gloriam, voluptas nunquam. *Polydorus.*

Foris si qua accepta fuerit calamitas, emendari potest: quæ domi accipiuntur clades exitiales habentur. *Æneas Sylvius.*

Sic comparatum est, vt cum calamitosi hominis erratum reprehenditur, Miseria illi potius videatur exprobrari quam culpa. *Plutarchus*

Vide Locum de Miseria, Aduersitate, Afflictione, Tribulatione.

CALLIDITAS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

CAlliditas, Græce *πανουργία, ας, ἡ, & πανοῦργος*, callidus dicitur Hebr. *Hermah*. Vide Astutia. Et est callidus is, cui quemadmodum manus opere, sic animus vsu concalluit, diciturque a callus calli. Est autem callus cutis labore viæ pedibus, aut alio opere in manibus, vel parte alia corporis densior facta: a quo fit calleo verbum, quod est callum facio, quod ad animum nonnunquam transfertur: & callere est callide scire. *Iuuen.* Ostrea callebat primo deprehendere morsu. Horatius: *Legitimumque sonum digitis callemus & aure*, id est, scimus & nouimus. Nam sicut pes longo labore callum facit, ita mens longa experientia facit quendam habitum in his rebus, in quibus versatur, vnde callidus, astutus, & calliditas, astutus per ll. geminatum. Verum per simplex l. venit a calor caloris, estque calidum, frigido oppositum, habetq; primam breuem. *Virg.* Ferrũ calido in pulmone tepescit. Differt callidus a versuto, quod callidus is sit cuius animus vsu, vt manus opera externa callum obduxit: versutus, cuius mens celeriter versetur, Cic. 1. Off. Scientia, quæ remota est a iustitia, calliditas potius quam Sapientia est appellanda.

APOPHTHEGMATA.

Simonides interrogatus, quamobrem, cum esset iam homo senex, & morti proximus: tamen adeo esset attentus ad rem? Quoniã inquit, malim moriens inimicis relinquere, quam viuus carere amicis. Callide autem taxauit hominum mores, qui dum sperãt bona se olim consequuturos, ob eam interim nun secuti, negligunt. *P. M. lib. 6.*

Phryne Praxitelem, a quo deamabatur, rogauit, vt ex operibus quod haberet pulcherrimum, sibi, donaret. Promisit quidem

amans

amans: sed illa intellexit artificem dissimulare, quod esset domi suæ optimum. Clam igitur subornauit seruum, qui Praxiteli in foro sua vendenti diceret, domum suam maximo flagrare incēdio & pleraque iam incendio consumpta esse. Praxiteles igitur statim interrogat, an Satyrus & Cupido superessent? Quod cum meretrix audiuisset, ait, salua esse omnia, & Cupidinem sibi dari iussit.

Demosthenes. ancilla quædam depositi nomine pecuniam acceperat a duobus hospitibus, ea tamen conditione, vt eam vtrisq; simul redderet. Horum alter post tempus aliquod lugubri veste & squalidus, socij mortem simulans, decepta muliere pecuniam abstulit. Post menses aliquot venit demum alter, depositum efflagitans. Verum cum fere iam desperaret delusa mulier: Demosthenes ei patronus adfuit, qui cum in aduocationem venisset, sic negocium absoluit. Parata est mulier, vt fidem depositi soluat: non tamen fieri id poterit, nisi socius quoque adductus fuerit: quoniam ab ipso modo audiuimus, hanc legem dictam esse: Ne deposita pecunia alteri sine altero numeraretur. Et hac calliditate seruauit mulierculam, & elusit nebulonum depositum improbe efflagitantium conspirationem. *Plut. in Demosth.*

SIMILITVDO.

Seneca. Quemadmodum quædam in oblectamentum ac iocum sic alligantur, vt eorum solutio imperito difficilis sit: quæ ille, qui implicuit, nec vllo negocio separat, quia commissuras eorum & moras nouit: nihilominus illa habent aliquam voluptatem, tentant enim acumen animorum, & intentionem excitant: Ita hæc quæ videntur callida, & insidiosa; securitatem, torporem ac segnitiem ingenijs auferunt; quibus modo campus in quo vagentur, sternendus est, modo recti aliquid & confragosi obijciendum, per quod erepant, & sollicite vestigium faciant. *lib. 5. de Beneficijs.*

Vide Argutia, Astutia, Prudentia.

CALOR.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

CAlor, Calliditas, Hebr. *Chom*, a verbo *Chamah*, Incaluit, exarsit, æstuauit. Græc. *θέρμη ἀλέα*. Calere dicitur res per translationem, metaphora sumpta a fabris ferrarijs, qui ferrum candens simul ac igni exemerunt, statim cudunt, ne mora interposita durum fiat & intractabile. Transfertur & ad animum.

SENTENTIAE PHILOSOPHICAE.

Cum cibus omnis eiusmodi esse debeat, vt concoqui possit, & calor concoctionem efficiat: calor in naturis animatis omnibus insit necesse est. *lib. 2. de animo, c. 4. T. 50.*

Calor quidem auget conficitque cibum, atque id quod leuitate præstat, ad se trahit & allicit: id autem quod salsum est & amarum, propter grauitatem respuit. *lib. de Sensu. cap. 4. & libri de Adolesc. c. 2.*

Omnes partes omneque corpus animantium calorem, quemdam cognitum & naturalem habent: itaque dum viuunt, calida sunt: cum moriuntur, & priuata sunt vita, contra frigida. *lib. de Adolesc. cap. 2.*

Principium vitæ cum denique ea quibus datum est deficit, cum calor vitalis non refrigeratur. *lib. de respir. c. 7.*

Vide Ignis, Mors, Vita.

CALVMNIA.

DEFINITIONES ET ETYMOL.

CAlumnia, Græc. *διαβολὴ* & *διαβάλλω* calumnior, dicitur. Calumniam Hebræi varijs vocibus exprimunt. 1. *Dibbah*, fumus, fama late dispersa instar fumi, infamia, calumnia, a verbo *Dabab*, exhalauit, fumum tenuem ex ore emisit. Nihil est enim calumnia, quam fumus in alicuius nomen sparsus. Et vox Græca *διαβολὴ* Hebrææ alludere videtur. 2. *Kelimma*, contumelia, a verbo *Calam*, contumeliosis verbis exagitatus est, propius Latinū nomē designare videtur. 3. *Hoschek* a verbo *haschak*, decepit, sycophantā egit ad euertendum aliquem. *Dophi*. Offensio, offendiculum: Psal. 50. 20. Quæ omnia calumniæ ingenium aperiunt.

Calumnia Latinis dicta est a Caluendo, quod prisco verbo frustra habere & decipere significabat. Omnis enim calumnia mentitur & fallit, & mendacium aut fucum auctorem habet. Græci *διαβολὴν* dixerunt apposite, quod quasi traijciat ac penetret, & noxio linguæ suæ telo defigat. finis scilicet illi primus fallere, quod Latini considerarunt: lædere quod Græci: sed irrito conatu. Et est criminis impositio falsa & malitiosa, *secundum B. Thomam 2. q. 68. ar. 3.*

Vel sic:

Calumnia est alicuius in litibus per fraudem & frustrationem vexatio. diciturque a caluo, quod est decipio & frustror, tractum a militibus caluis, qui omnibus solent esse derisui.

Calumnia est secundum Lucianum, delatio mentita odio, clanculum re calumniatori credita, delato ad respondendum ac refellendum non admisso. Constat autem a tribus personis, perinde atque comicum argumentum: scilicet, delatore, delato, & auditore calumniæ. Vide Lipsu & Luciani orationes de calumnia.

DIVISIO.

Duplex est calumniæ genus, quorum alterum vituperando, alterum laudando, famæ ac commodis hominum insidiatur: quorū postremum tanquam proprias sedes principum aulas sibi delegit, author *Polybius lib. 4.*

SENTENTIAE BIBLICAE.

Introducti sumus, vt deuoluat in nos calumniam, violenter subijciat seruituti. *Gen. 43.*

Non facias calumniam proximo tuo. *Leuit. 19.*

Omni tempore calumniam sustineas, ne habeas qui liberet te. *Deut. 28.*

Si quempiam calumniatus sum, si oppressi aliquem, si de manu munus accepi, & contemnam illud hodie, restituamque vobis. *1. Reg. 12.*

Feci iudicium & iustitiā, non tradas me calumniātibus me. *Ps. 118.*

Dux indigens prudentia, multos opprimet per calumniā. *Prou. 28.*

Vidi calumnias, quæ sub sole geruntur, & lachrymas innocentiū, & neminem consolatorem. *Eccles. 4.*

Si videris calumnias egenorum, & violenta iudicia, & subuerti iustitiam in prouincia, non mireris. *ibid. 5.*

A tribus timuit cor meum, & a quarto facies mea metuit, delaturam ciuitatis, & collectionem populi, & calumniam mēdacem. *Eccles. 26.*

Qui proijcit calumniam & auaritiam ex calumnia, in excelsis habitabit. *Esa. 33.*

Recede procul a calumnia *ibid. 54.*

Hæc est ciuitas visitationis, omnis calumnia in medio eius, *Ierem. 6.*

Aduenæ & pupillo & viduæ non feceritis calumniam, & habitabo vobiscum. *ibid. 7.*

Eruite vi oppressum de manu calumniantis, *ibid. 21.*

Quia calumniatus est, & vim fecit fratri suo, ecce mortuus est in iniquitate sua, *Ezech. 18.*

Populi terræ calumniabantur calumniam, & rapiebant violenter, egenum & pauperem affligebant, & opprimebāt calumnia absque iudicio. *ibid. 22.*

Congregamini super montes Samariæ, & videte insanias multas in medio eius, & calumniam patientes in penetralibus eius, *Amos 3.*

Audite verbum hoc, vaccæ pingues, quæ estis in monte Samariæ, qui calumniam facitis egenis. *eodem 4.*

Viduam & pupillam & aduenam & pauperem nolite calumniari. *Zach. 7.*

Accedam ad vos in iudicio, & ero testis velox maledicis, adulteris & periuris, & calumniantibus mercedem mercenarij. *Mal. 3.*

Eos, qui transibant simpliciter, conuertistis in bellum. *Mich. 2.*

Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti estote stipendijs vestris. *Luc. 3.*

Quare non magis iniuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini. Sed vos iniuriam facitis, & fraudatis, & hoc fratribus. *1. Cor. 6.*

PATRVM SENTENTIAE.

Ad calumnias tacendum non est, non vt contradicendo nos vlciscamur: sed ne mendacio inoffensum progressum permittamus: aut eos qui seducti sunt, damno inhærere sinamus. *Basil. epist. 65.*

Qui lapide ictus est, quærit medicum: ictus autem calumniæ grauius quam lapides feriunt. Est enim calumnia claua & gladius & iaculum incurabile, vt ait Salomō. Sed his veritas mederi potest, quę vbi negligitur, vulnera acerbiora fiunt. *Athan. Apolog. 2.*

POETICAE SENTENTIAE.

Menander.

Νικᾷ γὰρ ἀεὶ διαβολὴ τὰ κρείττονα.

Vincit enim semper calumnia præstantiora.

Cleanthes.

Κακουργότερον οὐδὲν διαβολῆς ἐστὶ πω.

Λάθρα γὰρ ἀπατήσασα τὸν πεπεισμένον

Μισεῖν ἀναπείθει τοὺς οὐδὲν αἰτίους.

Nihil

Nihil fere tam est malignum, quam calumnia.
Hæc enim vbi clam aliquem a se persuasum decepit,
Odium excitat aduersus eum, qui nihil est commeritus.

Euripid. in Alexandra.

Ἄναξ, διαβολαὶ δεινὸν ἀνθρώποις κακόν.
Εὐγλωσσία δὲ πολλάκις ληφθεὶς ἀνὴρ,
Δίκαια λέξας ἧσσον εὐγλώσσου φέρει.

Domine, vehemens est malum inter homines calumnia;
Sæpe autem alius eloquentia superatus,
Licet iusta dixerit, post habetur non eloquenti.

Menander.

Οὐδὲν διαβολῆς ἐστιν ἐπιπονώτερον,
Τὴν ἑτέρου γὰρ κεκτημένη ἁμαρτίαν
Ἀνειρευθεῖ ἰδίαν αὐτοὺς ἐπάναγκες λαβεῖν.
Τὸ δ' ἔχειν διαβολὴν ἔχει μεῖζω τῆς νόσου.

Nihil est grauius quam calumnia.
Nam quod alterius est peccatum,
Illum oportet, qui calumniam patitur, vt pote proprium crimen
Suscipere necessarium est.
Susspitiones maiorem pariunt calumniam, quam ipsa facta.

Ex eodem.

Οὐ δεῖ διαβολῆς καταφρονεῖν οὐδ' ἂν ψευδὴς ᾖ.
Φιλοῦσι δ' αὐτὴν αὐξάνειν αὐτὴν τινες.
Διαβολαὶ πλείστην ἡμῖν ἀγαθὴν ἔχει.

Spernenda non est vel inania calumnia.
Nam plurimi iram illam augendo tenent.
Quis perstrinxit illum qui ca[illegible] recte facit.

Ὁ δὲ διαβολαῖς πειθόμενος ταχύ,
Ἤτοι πονηρὸς αὐτός ἐστι τοὺς τρόπους,
Ἢ παντάπασι παιδάριον γνώμην ἔχει.

Qui præbet aurem credulam calumnijs,
Vel ingenio ipse est præditus, vir improbo,
Vel mente haud plus quam puer quinis habet.

Ἡδὺ οὐδὲν ἐστὶ μουσικώτερον
Ἢ τὸ δύνασθαι λοιδορούμενον φέρειν.
Ὁ λοιδορῶν γὰρ, ἂν ὁ λοιδορούμενος
Μὴ προσποιῆται, λοιδορεῖται λοιδορῶν.

Iucundior res nulla, nec concinnior,
Conuitia omnium posse quam nobis pati.
Conuitia etenim, si eius quis fecerit
Id dissimulet & ille ipse eum qui fecerit
Tibi facta sentiet sibi conuitia.

PHILOSOPHICAS SENTENTIAS.

Mala res Athenienses, mala res est perpetuo calumniator, & vndique res inuidiosa & contentiosa. *Ex Orat. de Cor. Demosth.*

Ea est calumniatoris natura, in crimen vocare omnia, probare vero nihil. *Ex appellat. contra Eubulidem.*

Periurium aliquem & perfidum appellare, neque rem ita se habere ostendere, inane conuitium esse quis iure dixerit. *Olynth. 2.*

Neminem vnquam vestrum fortasse vipera momordit, neque phalangium, & absit vt mordeat vnquam, sed tamen omnia eiusmodi animalia vbi conspexeritis, mox interficitis: itidem & cum delatorem & crudelem hominem videritis viperinam habere naturam, ne expectate donec aliquem vestrum mordeat, sed cum primum occurrerit, puniatur. *Ex orat. 1. contra Aristog.*

Nullus eorum profecto, qui in belli periculis fugiunt seipsum accusat, sed vel ducem, vel propinquos, vel omnes potius quam sese: victi sunt tamen, culpa nimirum eorum omnium qui fugerunt; manere enim decebat eum, qui alios accusat: quod si istud fecissent singuli, vicissent. *Olynth. 3.*

Διαβολὰς οὐ σῶφρον οὔτε λέγειν πρὸς ἀλλήλους οὔτε ἀκούοντας ἀποδέχεσθαι.

Non decet calumnias neque alijs narrare, neque audiendo suscipere. *Thucydides.*

Διαβολὴ κατὰ μὲν ἰσχυρὰν ἐργάζεται τοῖς ἀκούουσι τὴν ὑπόληψιν, χρόνῳ δὲ πάντων ἀσθενεστάτη γίνεται.

Calumnia aliquantisper quidem audientium opinionem confirmat, progressu vero temporis nihil ipsa imbecillius est. *Demost.*

Πολλοὶ γὰρ ἤδη μείζω κακὰ πεπόνθασιν ὑπὸ τῶν διαβολῶν ἢ τῶν πολεμίων, καὶ πολλοῖς ἤδη μείζων ἀδικία συνέβη διὰ τὴν τῶν ὤτων ἀσθένειαν, ἢ ὑπὸ τῆς τῶν ἐχθρῶν ἐπιβουλῆς.

Multi hactenus plus mali per calumnias, quam per hostes acceperunt. Et multis iam iniuria maior facta est, propter aurium infirmitatem, quam inimicorum insidias. *Rhegin. de amici.*

Ἀρξόμεθα δὲ ἀπὸ τοῦ μάλιστα συνέχοντος οἰκίαν, εἴη δ' ἂν τοῦτο ἀνεπιμιξία διαβολῆς. διαβολὴ γὰρ κακὸν καὶ ἐπιβουλότατον.

Faciemus autem initium ab eo, quod in primis vtile est familiæ: id autem est inseparatio calumniæ. Est enim calumnia malum, idque insidiosissimum. *Dion. in Oeconomic.*

Πελοπίδας ἀνδρείου τινὸς στρατιώτου διαβληθέντος αὐτῷ, ὡς βλασφημήσαντος αὐτὸν, ἔφη, τὰ μὲν ἔργα (ἔφη) αὐτοῦ βλέπω, τῶν δὲ λόγων οὐκ ἤκουσα.

Pelopidas, cum fortis quidam miles per calumniam apud ipsum deferretur, vt qui ei conuitiatus esset: Equidem, dixit, facta eius respicio, verba autem non audiui. *Idem.*

Διαβολὴ γάρ ἐστι δεινότατον. ἐν τῇ δύο μὲν εἰσὶν οἱ ἀδικέοντες, εἷς δὲ ὁ ἀδικεόμενος. ὁ μὲν γὰρ διαβάλλων ἀδικέει οὐ παρεόντι κατηγορέων· ὁ δὲ ἀδικέει ἀναπειθόμενος, πρὶν ἢ ἀτρεκέως ἐκμάθῃ. ὁ δὲ δὴ ἀπεὼν τοῦ λόγου τάδε ἐν αὐτοῖσι ἀδικέεται, διαβληθείς τε ὑπὸ τοῦ ἑτέρου καὶ νομισθεὶς πρὸς τοῦ ἑτέρου κακὸς εἶναι.

Calumnia res est grauissima, in qua duo sunt, qui iniuriam faciunt, vnus qui afficitur. Calumniator enim iniuriam facit, non præsentem accusans: & similiter, qui accusanti fidem habet, antequam vere rem cognoscat. Qui autem abest, iniuriam patitur cum ab illo calumniatore, tum ab eo, qui ipsum, aures calumnianti præbens, pro malo reputat. *Herod. lib. 7.*

Εὐλαβοῦ τὰς διαβολὰς, κἂν ψευδεῖς ὦσιν. οἱ γὰρ πολλοὶ τὴν μὲν ἀλήθειαν ἀγνοοῦσι, πρὸς δὲ τὴν δόξαν ἀποβλέπουσιν.

Caue tibi a calumnijs, & si falsæ sunt, plerique enim veritatē ignorant, respiciunt autem opinionem. *Isocrates ad Demonicum.*

Ἀλλ' ἡ τῶν πολλῶν διαβολή τε καὶ φθόνος ἣ δὴ πολλοὺς καὶ ἄλλους καὶ ἀγαθοὺς ἄνδρας ᾕρηκεν, οἶμαι δὲ καὶ ἐμὲ αἱρήσειν.

Atqui vulgi calumnia & inuidia multos & alios viros bonos è medio sustulit, & me quoque (opinor) tollet. *Socrates in Apol. apud Platonem.*

Quosdam comperi studio calumniæ adeo suauiter titillari auriculas, vt si pennis confrices: proinde talibus adiuti socijs calūniatores cum irruerint, cuncta pro viribus euertunt: nec magno emitur victoria, vbi nemo repugnat, nemo vim tormētorum sustinet, aut iaculis iacula mutat: sed qui auscultat, ipse sese sponte sua in manus hostium dedit, interim insidiarum ignarus, & qui accusatur. Nam haud aliter qui deferuntur, atque qui captis vrbibus pereunt, dormientes trucidantur: & quod est in primis miserabile, nescius se reum haberi, neque cuiusquam sibi sceleris conscius, amico candide congreditur, familiariter compellat, facitque pro more, iam ante vndique circumuentus insidijs, miser, tum ille si homo ingenuus est & liber confidensque, frāgit iram, effundit animum, defensionem recipit, agnoscitque se frustra aduersus amicum exacerbatum fuisse. *Lucianus.*

APOPHTHEGMATA.

Hippias, grauissimam rem calumniam esse dicebat; eo quod nulla pœna lege sancita sit calumniatoribus, vt furibus, quamuis amicitiam (quæ optima est possessio) furentur. Quamobrem contumelia, licet malefica sit, iustior tamen est quam calumnia: quæ, quia latet, nocentior est. *Stob. serm. 40. ex Plut.*

Democritus, gladius quidem secat, calumnia autem separat amicos. *Anton. & Max. serm. de vituperatione.*

Idem dicebat calumnias esse vitandas: multi enim (inquit) veritatem ignorantes, æstimationis & opinionis rationem tantum habent. *Anton. serm. de obloquutoribus.*

Cleanthes, nihil fere tam malignum esse dicebat, quam calumniā. Hæc enim vbi clam aliquem a se persuasum decipit, odium excitat aduersus eum qui nihil est commeritus. *Stob. ser. 40.*

Socrates, calumniatorem nequaquam admittendum esse suadebat; non enim ex beneuolentia tecum, sed maleuolentia loquitur. Et quemadmodum aliorum arcana tibi detexit, similiter etiam quæ tu dixeris exponet alijs. *Antonius in Melissa, par. 1. serm. 53. Max. serm. eo.*

Diogenes, audiens aliquando hominem moribus peruersis, calumnijs incessere Platonem, O he! desine, inquit: neque enim tu male de illo dicendo fidem merebere neque in te laudando. *Stobæus.*

Aristoteles, quum iudiciorum metu Athenis profugisset, interrogāti cuidam, qualis est ciuitas Atheniensium? respondit, Pulcherrima: sed in ea pyrus super pyrum, & ficus super ficum consenescit. Quo dicterio notauit Atheniensium sycophantas & calumniatores, perniciosissimos bonis viris. *Æl. lib. 3. de var. hist.*

Theocridas, cum gladium cote acueret, rogatus a quopiam, num esset acutus: Acutior, inquit, calumnia, grauiter innuens, rem omnium rerum nocentissimam esse calumniam. *P. M. lib. 2. apoph.*

SIMILITVDINES.

D. Chrysostomi. Sicut Ioseph dimisit pallium in manu meretricis, & fugit cum meliore pallio castitatis: Ita & tu projice pallium in manus calumniatoris, & fuge cum meliore velamento iustitiæ: ne forte dum vis vendicare vestem corporis, preciosissimum animæ vestimentum perdas. *In c. 5. Matth. Homil. 1.*

Siquis perniciosis humoribus plenus, ægrotationis laborem non effugiet: multo magis qui hanc omni cholera amariorem malignitatem in seipso recondit atque conseruat, vltimi atque perpetui doloribus morbi laborabit: quod planum a verbis fuis est, qui cum alijs dolorem inferant, quanto magis animam prorumpentis interiment? Nam insidiator & calumniator, non aliter seipsum prius interficit, quam qui accendit ignem, prius concalescit, vt qui duros silices manu cædit ipse, non lapides, vapulat, qui ad stimulos calcitrat, seipsum ferit: contra vero qui

to qui magno animo iniuriam perfert, ceu silex ignis & stimulus aduersarium vleiscitur: præsertim cum nullas vires iniuriantes habeant: sed ceu lutum facile dissoluuntur. Non ergo iniuriam pati, sed iniuriam facere, & nescire pati, malum est. *Homil. 43. in Matth.*

Si quis te pauperem vel diuitem appellaret, laudaretque, nihil ad te illæ laudes, sed potius in risum verterentur. Ita si quis falso calumniaretur, nihil id ad te. Quod si te conscientia reprehendit, nulla verba perturbent, sed vitam emenda: hoc in veris reprehensionibus duco. *Hom. 82. in Ioan.*

Antonij monachi. quemadmodum Aesopica illa gallina cum ægrotaret, ad felem interrogantem eam, tanquam ea beneuolentia, quomodo valeret. Recte, dixit, si tu discedas: Sic ad eiusmodi hominem, qui super dissensione sermonem mouet & interrogat, & secreta aliqua suffodit, dicendum est. Atqui nihil ego in fratre desidero, si nec ipse calumniantes audiam, nec ille. *In Melissa par. 1. serm. 53.*

Plutarchi. primum homines inuaserit animalia noxia, post & oues & boues, postremo, a nullo genere temperatum est: & Athenis primum calumniator aliquis supplicio affectus est, & recte: post hunc vous, & alter: postremo nec a bonis est temperatum: Ita cum aperitur ius in malos, cauendum, ne postea in bonos eccidat. *In Moralibus.*

Vt morbus, in corpore non admittens quod proprium est, multarum noxiarum & absurdarum rerum gignit appetentiam: Ita calumnia suspicioque aduersus cognatos & domesticos, malas & noxias aliorum necessitudines inducit. *In Moralibus.*

A D A G I A.

Sycophanta. Συκοφάντης.

Conuicium prouerbiale in calumniatores & qui ex pusilla de causa litē mouentes. Butzbacher, Schv vertzandel, Lugentrammer.

Theocrines Tragicus. Τραγικὸς Θεοκρίνης.

Theocrines primum Tragœdiarum actor fuit, deinde calumniator & sycophanta. Vnde Demosthenes in oratione pro Ctesiphonte Æschinem, Tragicum Theocrinem vocat.

Falsum probrum.

Sententia prouerbialis est apud Æschinem in oratione περὶ παραπρεσβείας. Τὸ γὰρ ψευδὲς ὄνειδος οὐ περαιτέρω τῆς ἀκοῆς ἀφικνεῖται. Id est: Falsum probrum non peruenit ultra aures. Qui audit conuitium, cuius sibi conscius est grauiter animo vulneratur. At qui falso probro aspergitur, non perinde commouetur.

Hoc municeps, aut vicinus nunciauit.

M. Tullius in oratione pro Roscio: soletis cum aliquid huiusmodi audiistis, Iudices, continuo dicere necesse est aliquem municipem, aut vicinum dixisse. Solent enim a vicinis ac municipibus, vicinorum ac municipum scelera potissimum prodi.

Albo rete aliena captant bona.

Rete Plautus accepit pro calumnia quadruplatorum & parasitorum. Album dixit, alludens ad codicillos & dicas, syngraphasque, quibus lites intenduntur, peraguntur que.

Non est remedium aduersus sycophantæ morsum, ἀλλ' οὐκ ἔστι συκοφάντου δήγματος.

Dictum est in calumniatorem, cuius morsus non solum perniciosissimus, verum etiam incurabilis, quod clam vulnerat plerunque.

Argiua calumnia, Ἀργεία φωρά.

De calumniosis & delatoribus dici solitum.

Boliti pœnam, Βολίτου δίκην

Boliti pœnam dicunt, vbi quis de re friuola nihil quo plectitur.

Cydi pœnam debet. Κύδου δίκην ὀφείλει

Κύδος primo correpta, conuitium significat. Κυδάζειν pro eo, quod est conuiciari. Proinde eum qui ob rem friuolam, velut verbum aliquod temere dictum, deferretur, vexareturque, cum prouerbio dicebant Cydi pœnam debere.

Chius Χῖος κατ' ἀπαγωγῆς.

Aristophanis interpretes indicant, prouerbium iactatum in eos, qui contaminarent, conspurcarentque ciuitatem.

Pattacione calumniosior. Πατταλίωνος συκοφαντικώτερος.

Ab euentu natum. Nam Pattacion quispiam infamis calumniator, cui quum mos esset, bonis viris calumniam struere, atque hoc tam fœde quæstu parare rem, tandem deprehensus, conuictusque, pœnas dedit capite.

Crater litium. κρατὴρ κακῶν.

De re pro molesta, de homine litium autore.

Frustra Herculi. εἰκῆ τῷ Ἡρακλεῖ.

Subaudi calumniam struxerit: De his dici consueuit, qui sic omnia sua negocia gerunt, ut nemo quicquam aut audeat calumniari. Conuenies aut in vehementer laudatum probatumque, aut in praepotentem, quem insimulare tutum non sit.

Samij mores. Σαμιακὸς τρόπος.

Quadrabit in eos, qui suos quosdam habent mores, a cæterorum moribus dissidentes.

Abydus, Abydenus.

Abydenorum mores in prouerbium abierunt. Nam Abydeni dicti sunt sycophantæ, seu molles & effœminati.

E X E M P L A B I B L I C A.

Calumnia vitanda est, vt quæ a Deo damnetur, *Exod. 2. 36. Leu. 19. n. 16. Deut. 5. n. 20. Psal. 15. n. 3. Luc. 14.*

Calumniatores damnantur, *2. Tim. 3. n. 3.* occasio illis amputanda, *2. Cor. 11. vers. 12. 1. Pet. 2. n. 12.* sancta conuersatione vincendi *3. vers. 16.*

P R O F A N A E X E M P L A.

Proselini dicuntur Arcades apud Lycophronis interpretem, hoc est contumeliosi, & in probra procliues: nam προσελεῖν conuiciari est. Sunt tamen qui fatuos interpretentur, tanquam antiquos dicas, & luna quoque vetustiores. *Cælius l. 16. c. 7. Al.*

Moschi natura sua ad contumelias & calumnias mutuas etiam charissimorum propensi: sæpe etiam in domos alienas res quasuis clam inferunt, quas tanquam furto ereptas repetunt. Qui semel apud principem delatus est, morte vel falsam luit calumniam, *Alex. Guagninus in Moscouia.*

Drusus tribunus plebis traditur caprinum bibisse, cum pallore & inuidia veneni sibi dati insimulare Q. Cepionem inimicum vellet. *Plin. lib. 28. c. 9.*

Lege Papia delatoribus præmia certa constituta sunt. Nam cum facinorosi & perditi homines clandestina facinora admitterent, quæ ad aliorum perniciem & commune tendebant exitium, visumque videretur, plures delatores esse, qui offensas speculaterentur, in principem ne quid impune perditissimi homines moliri possent, delatoribus certa præmia constituit, eaque cum dimidium illatæ mulctæ fuissent, Nero princeps delatorum licentiam volens comprimere, eadem præmia ad quartam reuocauit: quare quadruplatores dicti, quod quartam partem de proscriptorum bonis, quos detulerunt, consequerentur. Tyberius vero Cæsar causa præcipui quæstus, tantum delatoribus tribuit, vt nemini fidem abrogaret, siue quid veri, siue vani referrent: Nam ebriorum sermo excipiebatur, simplicitas iocantium. & quodcunque dictum capite & fortunis luebatur, adeo vt capitale esset, circa Augusti simulacrum seruum cecidisse, vestem mutasse, effigiemque impressam nummo vel annulo latrinæ aut lupanari intulisse, dictum factumque eius aliqua æstimatione læsisse: ita vt primores senatus, & magna hominum vis, infimas delationes exercerent, cumque senatus de præmijs accusatorum abrogandis aliquando agendum putaret, Tyberius dictitans, iura subuerti, si custodes legum amouerentur, tantum licentiæ delatoribus dedit, vt plerique criminis postulati ante iudicium, supplicium præuenerint.

Vitellius Imperator. Mathematicos delatos inauditos capite puniuit. Domitianus dum rapinis intēdit animum, ita aures delatoribus patefecit, vt nihil cuiquam tutum esset, delatorque delatorem timeret, & causidici, causarum actionibus posthabitis, ad delatores se conferrent. Quod de Constantino traditur, vt delatores omni tempore admitteret, eosque ingenti studio foueret: nō sic Vespasianus & Titus, qui adeo illos insectati fuerunt, & odio prosecuti, veluti publico exitio destinatos, vt flagellis cæsos per Amphitheatri arenam spectandos traducerent, vt pœnis coerciti a noxijs deferendis abstinerent.

Pius vero Antoninus delatores, si non probarent, capitali pœna affecit: si probarent, oblato præmio dimisit infames.

Idem factum memoratur de Opilio Macrino Imperatore, vt delatores minime admitteret, sed vndique conquisitos pœna & damno mulctaret: fuitque vere isanctione constitutū, vt neque mulieri, neque dānato criminis, neque militi, aut veteranis, neque viris clarissimis ob dignitatem criminosam deferenti licitum esset.

Dionysius Tyrannus, cum in ciues nullo placatiore animo esset, prosagogidas dispositos habuisse, qui singulorum dicta factaque referrent. *Alexander Neapolitanus li. 4. c. 22 Genialium dierum. Blondus lib. 4. Triumphantis Romæ.* Ex Plutarcho.

Qualiter accusatores internoscantur, docet Martianus Iureconsultus ad S. C. Turpilianum, inquiens, Accusatorum temeritas tribus modis detegitur, & tribus pœnis subijcitur: aut enim calumniantur, aut præuaricantur, aut tergiuersantur.

Calumniari est falsa crimina intendere.

Præuaricari est vera crimina abscondere.

Tergiuersari in vniuersum ab accusatione desistere. *Blondus lib. 4. Triumphantis Romæ de accusationibus.*

Domitianus, fiscales calumnias magna calumniantium pœna repressit, ferebaturque vox eius: Princeps, qui delatores, non castigat, irritat.

Quondam apud Ptolemæum, cui Dionysio cognomen fuit, quispiam Demetrium Platonicum accusauerat, quod in Bacchanalibus aquam biberet, solusque omnium muliebribus non vestiretur, de quo nisi accersitus ad regem mane palam vino libasset, & veste muliebri amictus ad numeros Dithyrambicos, cymbalorumque modos saliisset, plane actum erat, quod & regium exēplar non esset imitatus, & aspernaretur Dionysiorum mollitiē.

H I E R O G L Y P H I C A.

Basilisci vis, quæ sine morsu perniciosa sit, argumentum hieroglyphici

phici dedit Aegyptijs sacerdotibus: vt si hominem a calumniatoribus male acceptum & mortiferis delationibus afflictum significare vellent, *Basiliscum* apponerent. Non enim alia ratione calumniatores homines conficiunt, quam faciat *Basiliscus*. Clam siquidem illi principum auribus insusurrant: nullo palam morsu innoxio, quo diluendi aula præcipiatur: atque ita plerique falso delati, extrema quæque pertulere. *Pier. Val. lib.* 14.

Theologi per *amputatam aurem* accipiunt cum quinque qui detractionibus & calumnijs in alios aggestis delectatur, & turpium impudicorumque sermonum lasciuia capitur: proba vero consilia, & admonitiones de honesta & homine digna ratione viuendi, canc peius & angue protinus auersatur. *Pier. Val. lib.* 33.

Ad dextram consider quispiam auribus prælongis insignis, quales fere illæ Midæ feruntur, manum porrigit procul accedenti calumniæ, circumstant eum mulierculæ duæ, Ignorantia, ni fallor, ac Suspicio: adit aliunde propera Calumnia eximie compta, vultu ipso & gestu corporis efferam rabiem, & iram æstuanti conceptam pectore præ se ferens, sinistra facem tenens flammiuomam, dextra secum adolescentem capillis prehensum, manus ad superos tendentem, obtestantemque immortalium Deorum fidem, rapit: anteit vir pallidus in speciẽ impurus, acie oculorum minime hebeti: cæterum plane ijs similis, qui fontico aliquo morbo contabuerunt: hunc facile conijcias, Liuorem esse, quin & mulierculæ aliquot Calumniam sequuntur comites, quarum est munus dominam hortari, instruere, comere: interpres aiebat, Insidias ac Fallaciam esse: a tergo lugubri habitu pallere, laceraque Pœnitentia subsequi, quæ capite in tergum deflexo cum lacrymis ac pudore procul venientem Veritatem excipit. Hac Apelles fabula suos lusit casus. *Pictura calumniæ, authore Apelle, ex Luciano Sophista.*

S c r i p t o r e s.

De calumnia vide *Platonem in Apologia, & lib. 6. de Rep. Brus.* 2.8. In calumniatorem Platonis, *Bessarionis lib.* 4. Contra mendaces & impios detractores *Marsil.* 1. 12. De non temere credendo delationibus seu calumnijs *Luciani lib.* 1. Nemini detrahendum *Marsil.* 1.6. De calumnia, *P. chaeus, l.* 28. Flos Theologiæ, *Rampigellus, c.* 40. Aduersus mendacium & obtrectationem admonitio.

Vide Locum de Mendacio.

C A N I S.

Vide Venatio.

C A N T I C V M.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Canticum, Græce ᾆσμα, ατος τὸ ᾠδή Hebr. *Schir.* Psalm. 96 1. & 137. 4. a verbo *Schar*, cecinit, cantauit. Hinc συρίζω fistula canes, σύριγξ fistula, & est exultatio mentis de æternis habita, prorumpens in vocem: & differt ab hymno, quia hymnus est laus Dei cum cantico *Hoc ex E Tho. Psal. prolog col.* 1 *fin.*

Græci canticum, hymnum vocant: item psalmũ: Sed proprie hymnus dicitur, qui voce naturali fit: Psalmus, cum aliquo musico instrumento. Vnde psalmodia deducitur, canticum mistum, vt cum aliquis ad citharam, siue aliud musicum instrumentum canit. Hinc etiam Psalterium, instrumentum musicum. Psalmus autem ἀπὸ τοῦ ψάλλω deriuatur, quod significat canto.

Cantus, est inflexio vocis: nam sonus directus est. Præcedit autem sonus cantum. *Isidorus lib.* 2 *Orig c.* 19.

Canticum est vox cantantis in lætitiam. Psalmus autem dicitur, qui cantatur ad psalterium, quo vsum esse Prophetam Dauid in magno mysterio prodit historia. Hæc autem duo in quibusdam Psalmorum titulis iuxta Musicam artem alternatim sibi apponuntur. Nam canticum psalmi est, id quod cum organum modulatur, vox postea cantantis eloquitur. Psalmus vero canticum quod humana vox præloquitur: ars organi modulatis imitatur. *Idem Isidor. l. 6. Orig. c.* 19.

S e n t e n t i a e P o e t i c a e.

Ouid. 4. Trist. 1.

Hæc est cur cantet vinctus quoque compede fossor,
Indocili numero cum graue mollit opus.
Cantat & innitens limosa pronus arena
Aduerso tardam qui trahit amne ratem:
Quique refert pariter lentos ad pectora remos,
In numerum pulsa brachia versat aqua.
Fessus vt incubuit baculo, saxoue resedit
Pastor, arundineo carmine mulcet oues.
Cantantis pariter data pensa trahentis
Fallitur ancilla, decipiturque labor.
Fertur & abducta Lyrnesside tristis Achilles
Æmonia curas attenuisse lyra.
Cum traheret siluas Orpheus & dura canendo
Saxa, bis amissa coniuge mœstus erat.

1. de Arte amandi.

Si vox est, canta: si mollia brachia, salta:
Et quacunque potes dote placere, place.

Horat. lib. 1. Satyr. 3.

Omnibus hoc vitium est cantoribus inter amicos,
Vt nunquam inducant animum cantare rogati,
Iniussi nunquam desistant.

S i m i l i t v d o.

Chrysostomi. Sicut sordes & limus aures corporis obstruere solent: Sic meretricij cantus, fabulæ huius sæculi, aures mentis solent obstruere, atque immundas facere: quasi enim stercus auribus vestris immittunt huiusmodi colloquia, & quod barbarus ille minabatur, dicens, Comedetis stercus vestrum: Id nunc multi non verbo, sed re in vobis faciunt, imo vero multo peius atque fœdius, *Hom. 38 in Matth.*

E x e m p l a B i b l i c a.

Cantandum spiritu & intelligentia, 1. *Corint.* 14. 15. laudes Dei cantandæ, *Psal.* 30. 5. & 33. *vers.* 1. 2. 3. & 34. 4. & 47. 7. & 66. 1. & 68. *ver.* 5. 33. 34. & 69. 35. & 95. *ver.* 1. 2. & 96. *ver.* 1 2. & 97. 12. & 98. *ver.* 1. 4 & 99. *ver.* 5. 9. 110. *ver.* 1. 4. & 105. *ver.* 1. 2. & 106. 1. & 107. 1 & 113. 1. & 117. 1 & 118. *vers.* 1. 29. & 134. 1 & 135. *vers.* 13. 19. & 136. *vers.* 1. 2 & 145. *versic.* 10. 22 & 147. *versic.* 1. 7. & 148. 1. & 149. 1. & 160. 1. *Esa.* 12. 4. & 42. 10. *Ierem.* 20. 13. 33. 11. *Apocal.* 19. *vers.* 4. 5.

Canticum nouum, *Apoc.* 5. 9. & 14. 3. Canticum Mosis, *Exod.* 15. *ver.* 1. 2. 3. alterum eiusdem, *Deut.* 32. *ver.* 1. 2. 3. Deboræ ac Barac, *Iud.* 5. *ver* 1. 2. Dauidis pro liberatione ab hostibus, 2. 22. *ver.* 1. 2. 3. 4. Esaiæ, *Esa.* 5. 2. Mariæ virginis, *Luc.* 1. *ver.* 46. 47. 48. Zachariæ, *Luc.* 1. *ver.* 68. 69. Angelorum, 2. 13. *Esa.* 6. 3. *Apoc* 4. 8. Simeonis, *Luc.* 2. *ver.* 28. 29. 30. 31. 32. Cantica spiritualia a pijs canenda, *Psal.* 119. *ver* 54. 171. *Ephes.* 5. 19. *Col.* 3. 16.

Dauid dulcis cantor, 2. *Sam.* 23. 1. Cantores a Dauide in certos ordines distributi, 1. *Paral.* 6. 31. & 15. 16. & 25. 1. 2. *Paral.* 29. 25. & 35. 15. *Nehem.* 12. 46.

Psallendum Deo, & quomodo, *Ephes.* 5. 19. *Col.* 3. 16. spiritu, & mente, id est, gratiæ agendæ. *Iud.* 5. 3. 1. *Cor.* 14. 15. Psallendum tempore. *Iac.* 5. 13.

Psaltes egregius Dauid, 2. *Sam.* 23. *ver.* 1.

S c r i p t o r e s.

De canticorum origine vide *Ioan. Gerson. Tom.* 3. *operum eius.* Cantandi studium apud vetustiores Romanos inter turpia nominatum non fuisse. *Macrob Satur. l.* 3. 23. Cani remigibus solitum. *Cælius lib.* 9. *c.* 10. Item quid sit intus canere. *ibid.* De vocis moderatione. *Seneca lib.* 2. *epist.* 15. De concentibus. 1. *Problemat. Aristoteles. sect.* 51.

Templorum cantum Patres non magnifecerunt: plerique ignorarunt. Nam Athanasij temporibus Flauianus & Theodorus apud Antiochiam canendi ritum primi orientẽ (*vt ex Cassiodori Historia Tripart. lib. 5. c. 32. accepimus*) induxerunt. Augustinus meminit sua ætate sub Ambrosio in Ecclesia Mediolanensi modulationem receptam.

CAPTIVITAS, CARCER.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Captiuitas, Græce αἰχμαλωσία, ας, ἡ & αἰχμάλωτος ὁ, ὁ, captiuus est. Hebr. *Schebi*, Iudic. 5. 12. Ester. 3. 8. Ierem. 15. 2. Thren. 1. 5. a verbo *Schaba* captiuauit, in captiuitatem abduxit. Carcer autem locus in quo captiui & noxij seruantur, quasi Coarcer, a coercendo, quod in eo detenti prohibeantur exire. Hebr. *Chele*, claustrum, a verbo *Chal* clausit, conclusit, cohibuit. Hinc κλείω claudo, cõcludo: κλεὶς clauis. Carcer autem Græc. δεσμωτήριον, vinctorum locus, & φυλακὴ custodia dicitur. Dicitur autem a capio, quod est occupo, & meum facio. Varro. *Quod vie venator cepit* Cicero. *Nauem quandam piratarum præda onustam capere.* Inde captiuo verbum, quo quidam iuniores vsi sunt.

S a n t e n t i a e P o e t i c a e.

A. Prudentius.

Carcer Christicolis gradus æternæ est

Carcer

Carcer prouehit ad Superna exlii.
Carcer conciliat Deum beatis.

Sententiae Philosophicae.

De carcere. Dial. lxiv.
Francisci Petrarchae.

Dol.

Carcere claudor indignus. R. Melior est indignus carcer quam indigna libertas: multoque satius immeritum pro iustitia mala pati quam per scelus bonis affluere, quamuis nec mala illa dici debeant, neque hęc bona, sed loquor vt vulgus, quod dolorem, malum ingens, voluptatem summum bonum iudicat. D. Carcere clausus sum. R. Quis non carcere clauditur, aut quis inde digreditur, nisi dum moritur? vetus hæc tua omniumque sors est. Vnde propriæ, vnde nouæ igitur querelæ? Ita enim scito ex quo die natus es, & antequam nascereris, in carcerem atque in vincula missum te illius imperio, cui omnis cœli ambitus, exigua domus est, & si quid summo creditur poetæ, tenebrosum vtiq; carcerem, & cœcum illius carceris exitum si felicem cupis, huius angustias non horrebis, sicut nec supplicia, nec mortē, nec humani aliquid, ad quorum patientiam & contemptum nisi prę paratus, armatusque vsque erit animus in quacumque fortuna, calle graditur ancipiti. D. Turpi carcere claudor, atque angusto. R. Nullus carcer turpior, & angustior nullus quam iste corporeus, quo vsque adeo delectaris, atque vnde tantopere solui times. D. Carcere detineor importuno. R. Multos periculo instanti atque hostium manibus carcer eripuit. Multis limen carceris, pro clypeo fuit, & quo intrasse profuerat, exisse nocuit, vt ex itu admoniti, quod horruerant vtile, quod optauerant miserum faterentur. D. Carceri mancipatus sum. R. Quid scis, an forsitan non carcer, sed vt dicitur, custodia sit? quoties vinclis explicitos hostilis mucro, siue hoste sæuior paupertas innasit: quoties euasisse pœnituit, & carcerem, quem diuturnum queri cœperant, non fuisse perpetuum questi sunt. Vidimus in carcere quosdam laute viuentes, mox inde digressos, tenuem ac difficilem vitam mæsto fine clausisse. D. Miserā in carcere vitam dego. R. Quidam libros in carcere texuerunt, tu querelas texis inutiles. Quidam literas in carcere didicere, tu patientiam dedidiscis. D. Carcerali custodia vinctus teneor. R. Plerique cauernis ac speluncis, alij se murorum angustijs inclusere, carcerem spontaneum, vel Dei amore, vel mundi odio, vulgique fastidio eligentes. Tu si hoc animo non es, tuique carceris finem cupis, expecta. Aut te hinc homo eruet, aut mors, quæ clauem carceris alteram habet, vnus quidem introitus, exitus multi sunt. Alium misericordia, alium vis eruit, alius innocentia sua, alius custodum negligentia euasit, alius precio, alius ingenio, & vel subterraneis cuniculis, vel per tenebras amicæ noctis elapsus est, quibusdam patrum memoria terræmotus & ruina, carceris viam fecit. Ad postremum quos nihil emiserit, mors absoluit. Nec minus varij ex adeuntium euentus, Marium consulatui carcer dedit. Iulium Cæsarem piratarum custodia summum misit ad imperium, hac ætate quidam de limine carceris ad dominium transiere, & catenam sibi excussam iniecere alijs. Denique Regulum, & Socratem multosque alios non tam carcer extinxit, vt visus est quam carceri clarus finis eripuit. Et ad summam quosdam carcer ad insignem gloriam, ad eximiam fortunam, ad regnum alios, multos ad cœlum misit, ad sepulchrum omnes, nullum cepit, quem non redderet.

De carceris exitu. Dial. lxxix.

Gavd.

Iuuat carcerem euasisse. R. Est & hæc (fateor) intermissa gratior libertas ac reddita quam seruata, sed non omnia quæ delectant, prosunt, & sæpe nociua sunt dulcia, & amara salubria, sæpe non carcer modo, sed mors vtilis fuit, sæpe vita & libertas inutilis. G. Carcerem euasisse gaudeo. R. Atqui modo gaudebas portum apprehendisse, nunc gaudes portum euasisse. Carcer multis portus, multis refugium & arx fuit, & in libertate perituros seruauit, in vinculis ligata & clausa diligentius asseruantur. Nesciunt mortales cœci quid expediat, & iccirco mala sua cōcupiscunt, & assecuti gaudent, vnde mox doleant. Neve longius exemplū quæras. Vidisti nuper virum illum animosi & magni potius quā constantis incepti, qui aduerso tempore se patronum Romanæ Reipubl. profiteri ausus ipse sibi tribuni nomen assumpserat, dehinc variante fortuna, Vrbe depulsus, Romanique primum principis post pontificis lapsus in carcerem vtrobique bene habitus atque honeste, tandem læua aliter emissus, gladijsque hostium non occisus tantummodo, sed discerptus, puto moriēs carcerem suspirauit. G. E carcere lætus erupi. R. Ibis per nostra turbida litibus, per plateas vrbium tumultusque negociorum & tempestatum libertatem putans gratulaberis, dum quem clauis vna concluserat, mille stringeat laqueis. Cumque læti omnes e procellis portum petant, vnus tu natura mirabilis e portu lætus in procellas tendis. G. E carcere digressus gaudeo. R. Bonum in hoc vt in reliquis consilium erat, neque nimium gaudere, neque nimium dolere, sed æquanimitatem omni in statu ceu vitæ gubernaculum tenere, in tanta præsertim caligine futurorum. Neque miserum est (vt fertur) intrasse, neque tam faustum carcerē exiuisse, quoties carcer libertati hostis, propitius est saluti, quoties optata votis omnibus libertas in perniciem & in mortē versa est? G. Exiui ex carcere. R. Latiori de carcere multi hominem casus eripiunt, ex angustiori autem sola mora eruit. G. Molesto de carcere discessi. R. Potes in hunc carcerem reuerti, in illum alterum cum semel exieris non redibis hoc in tempore.

Polyanthea Nouiss.

Exempla Biblica.

Captiuorum hominum exempla: Loth, *Genes.* 14. *vers.* 12. 13. 14. Madianitarum vxores & paruuli, *Num.* 31. *v.* 9. Israelitæ, *Iudic.* 2. *v.* 14. *&* 2. *Reg.* 5. *v.* 2. Equites mille septingenti, & duo millia militum, 2. *Sam.* 8. *v.* 4. Amasias, 2. *Reg.* 14. *v.* 13. Sacerdotes, 17. *versic.* 72. Vxoris Dauidis, filij & filiæ, 1. *Sam.* 30. *v.* 3. 4. 5. Beera, 1. *Paralip.* 5. *v.* 6. Iesana, Ephron, 2. *Paralip.* 13. *v.* 19. Decem millia virorum, 2. *Paral.* 25. *v.* 11. 12. Achas, 28. *v.* 5. Iudæi, eorumque mulieres & paruuli, *vers.* 8. Manasses, 33. 11. Tobias, *Tob.* 1. *vers.* 2. Sedechias, *Ierem.* 39. *vers.* 5. Reliquiæ populi & filiæ Regis in Masph. *Ierem.* 41. *ver.* 10. Iechonia & Principes eius, *Baruch* 1. *vers.* 9. Captiuarum ciuitatum & regionum exempla: Villæ seu viculi Iacer, *Num.* 21. *vers.* 32. Iericho, *Ios.* 6. *versic.* 20. 2. *Machab.* 12. *versic.* 15. Ai. *Ios.* 8. *vers.* 19. Maceda, *Ios.* 10. *vers.* 28. Gazer, *vers.* 33. 1. *Reg.* 9. *versic.* 16. Lachis, *Ios.* 10. *versicul.* 33. Dabir, *versic.* 32. 39. Gosen, *versic.* 41. Canat Sephor, *Ios.* 15. *v.* 17. Lesem, 19. *v.* 47. Ierusalem, *Iudic.* 1. *v.* 8. Baruch, 1. *versic.* 24. Ieremias, 38. *versic.* 28. Gaza, *Iudic.* 1. *versic.* 18. Roma, 9. *vers.* 45. Sion, 2. *Samuel.* 5. *versic.* 7. Syria, 8. *vers.* 13. Rabbah, 12. *versicul.* 29. Geth, 2. *Reg.* 12. *versiculo* 17. Aion, &c. 15. *vers.* 29. Samaria, 18. *versic.* 10. 11. Ciuitates Iuda, 18. *vers.* 13. Gessur & Aram, 2. *Paral.* 2. *versic.* 23. Bethel, 13. *versic.* 19. Ciuitates Ephraim, 17. *ver.* 2. Bethsames, Aialon, &c. 28. 1. 18. Azotum, *Esa.* 20. *v.* 1. Carioth, *Ierem.* 48. *vers.* 41. Mespa, 1. *Machab.* 5. *versic.* 35.

In carcerem coniectorum exempla: Ioseph, *Genes.* 39. *v.* 20. *Psalm.* 105. *v.* 18. Pincerna & Pistor Pharaonis, *Gen.* 40. *vers.* 1. Filius Salumith Israelitidis blasphemus, *Leuit.* 24. *ver.* 12. Colligens ligna in Sabbatho, *Num.* 15. *v.* 34. Samson. *Iudic.* 16. *v.* 21. Michæas. 1. *Reg.* 22. *ver.* 27. 2. *Paralip.* 18. *versic.* 26. Oseas, 2. *Reg.* 17. *vers.* 4. Ioachin, 25. *v.* 27. 28. 29. Ieremias, *Ierem.* 32. *vers.* 2. *&* 37. *ver.* 15. Sedechias, 39. *v.* 7. & 52. *v.* 11. Ioahas, *Ezech.* 19. *v.* 9. Ioannes Baptista, *Matt.* 14. *v.* 3. *Marc.* 6. *v.* 17. *Luc.* 3. *ver.* 20. Conseruus, *Matth.* 18. *versic.* 30. Barrabas, *Luc.* 23. *v.* 18. Apostoli, *Actor.* 5. *v.* 18. Petrus, 12. *versic.* 4. Paulus & Silas, 16. *v.* 24. Multi Sanctorum, 26. *v.* 10. Paulus, 2. *Corinth.* 11. *ver.* 23.

Captiui in Babylonia iubentur orare pro pace ciuitatis, *Ierem.* 29. *ver.* 7. pro vita Nabuchodonosor Regis, & eius filij Balthasaris, *Baruch.* 1. *vers.* 11. Captiua mulier quomodo ducenda in vxorem, *Deuteron.* 21. *versic.* 11. 12. 13. Captiuos inuisere bonum & pium est, *Gen.* 14. *vers.* 14. 1. *Sam.* 30. *vers.* 9. *Tob.* 1. *v.* 15. *Ierem.* 38. *versic.* 9. *Matth.* 25. *vers.* 37. *Act.* 12. *versic.* 5. 2. *Timoth.* 1. *versicul.* 16. *Hebr.* 13. *vers.* 3. Captiuos non deserit Deus, *Gen.* 39. *vers.* 21. *Psalm.* 105. *ver.* 17. 18. 19. *Sap.* 10. *v.* 13. *Esa.* 42. *ver.* 7. *Act.* 5. *v.* 18. *&* 12. *ver.* 17. *&* 16. *versic.* 25.

Historica Exempla.

Leo III. Romanus Pontifex. Carolo Magno regnante, dum supplicationes agit a Gregorio institutas, apud ædem Syluestri captus, & Paschalis Primicerij ac Campuli presbyteri fraudibus fere ad mortem cæsus, in cœnobium S. Erasmi relegatus est. *Volat. lib. 22. Anthrop.*

Anastasius III. Benedicto III. deposito, cum pontificatum inuasisset: ab Imperatoris legatis deiectus, & in carcerem coniectus est. *Sigebertus in Chronicis.*

Rogerij F. Gulielmus, Apuliæ & Calabriæ dux. Innocentium II. Pontificem bello cepit. *Thoas.*

Agathocles, Lysimachi Thraciæ regis F. a patre contra Dromichæten Getarum regem missus, captus est. Lysimachus filiam Dromichæti despondit: & ea parte Thraciæ cessit, quæ trans Istrum est. *Pausanias.*

Crœsus Lydorum rex, qui templa oraculorum omnium quæ tum fuere multis & magnis muneribus ornauit, quique aurum & argētum in lateres fudit, a Cyro Persarum rege captus: quod reliquum ætatis superfuit, in seruitute vixit. *Herodotus.*

Pescennius Niger a ducibus Seueri Imp. per Aemilianum superatus, apud Cyzicum sauciatus, captus, & ad Seuerum deductus est, caput eius suffixum, Romam missum. *Spartianus.*

Æmilianus Mauritianus Imp. ab exercitu nominatus, a duce Galieni Theodoro captus, ad Galienum missus est. *Trebellius Pollio.*

Vide, Aduersitas, Afflictio, Fortuna, Miseria, Item Fortitudo, & Constantia.

in integrum restituere impossibile esse: alius vero: nec ipse Christus id præstare posset. Ad has voces statim gallus ipse prosilijt, & alis collisis iusculum in discumbentium ora affudit. Blasphemi lepra statim hæreditaria puniti sunt. *Vincentius lib.25.c.64.*

Vide Iuramentum, Iusiurandum, Impietas.

BONVM. BONITAS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Bonum, Græce ἀγαθὸν τὸ & χρηστὸν τὸ dicitur. Et est id, quod opponitur malo: estque nomen generale, & honesta simul, atque vtilia complectens, vt bonum animi, bonum corporis, bonum fortunæ. Hinc si bonum virum dicimus, probum significamus: si bonum militem, fortem: si bonum imperatorem, prudentem: si bonum grammaticum, literatum: si bonum oratorem, facundum: si bonum iudicem, iustum: si bonum mercatorem, diuitem: si bonam faciem, pulchram. Sic è conuerso malum generale nomen est, & turpia simul, & detrimentosa complectens. Vnde malum virum dicimus, flagitiosum: malum militem, imbecillum: malum imperatorem, imprudentem: malum grammaticum, rudem: malum oratorem, infacundum: malum iudicem, iniquum: malum mercatorem, inopem: malam faciem, deformem.

Bonum summum, est animi operatio secundum virtutem optimā & perfectissimam in vita perfecta, *secundum Aristotelem lib.1. Rhetoricorum.*

Bonum est, quod suiipsius gratia est expetendum, *secundum lib.1. Rhetoricorum.*

Bonitas Græcè ἀγαθοσύνη, & ἀγαθότης, & ἀγαθὸς bonus, vnde benignus dicitur, id est, liberalis, beneficus, clemens. Quare benignam terram appellamus, fructus abunde ferentem. Plinius de Aegypto: Nulla est benignior tellus, nullus ager feracior. Inde benignitas, liberalitas, atque clementia.

Bonitas bonum est, quo mentes nulla quatiuntur perturbatione, ita a natura instructæ, vt mali nihil cogitent, aut etiam nolint, confingere nesciunt: Cuius contrarium malitia, vel vt Græco vtar verbo, δόλος.

Bonorum appellatio aut ciuilis, aut naturalis est. Bona ex naturali significatione, omnia comprehendunt, quæ prosunt. Ex ciuili ad facultates tantum referuntur. Hinc distinctio bonorum corporis, & animi, apud Philosophos. *Alciatus tit. de Verb. sign. L. bonorum appellatione.*

Bonum, Hebr. *Tob:* Bonitas, *Tub,* & *Tobah,* a verbo *Tob,* Bonus, pulcher, iucundus, vtilis, amabilis, suauis, deliciosus fuit. Nomine *Tob* autem Hebræi intelligunt, quicquid bonum, pulchrum, lætum, vtile & beatum est, & quidem perfectè bonum, si de Deo vero intelligitur. Græce ἀγαθὸν a Tob fluxisse videtur. *Bon. Bonne.* Galli dicitur, a *Tob,* literis inuersis. *Bot. Bon.* Vide Etymologicon trilingue Lugduni editum anno 1607. apud Antonium de Harsy, pag. 138. & 139. vbi multa obseruatu digna de Bono & Bonitate.

BIBLICI LOCI.

Summum bonum, *Psal.*16.11. Bonum sectandum, *Psal.*34.14. & 37.27. *Esa.*1.18. *Amos* 5. *vers.*14.15. *Rom.*12.9. *Gal.*4.18.1. *Thess.*5.v.15.21. *Iac.*4.17.1. *Pet.*3.11.3. *Ioan. vers.*11. Bonum non semper opponitur vitio, vt patet ex 1. *Corinth.*7.1. vbi significat idem quod commodum & expediens, vt declarat *vers.*35. Bonum nō habitat in carne nostra, *Rom.*7.18. 2. *Cor.*3.5. Boni interdum ob malos plectantur, *Ios.*7.12. Boni pro malis non puniendi. *Deut.*24.10. *Ezech.*18.26. Bonus Deus solus, *Matt.*19.17. *Marc.*10.18. *Luc.*18.19.

Bonorum ordo triplex: sunt enim bona { 1. *Animi.* 2. *Corporis.* 3. *Fortuna.* }

SENTENTIAE BIBLICAE.

Amen dico vobis, nisi conuertamini, & fiatis tanquam pueri, non ingrediemini in regnum cœlorum. *Matth.*18. *Luc.*9.

Videte, necuiquā quis malum pro malo reddat, sed semper quod bonum est, persequamini. *Paul.*1. *ad Thess.*5.

Simplex credit omni dicto: quamdiu simplices iustitiæ adhærebūt, non afficientur pudore *Prou.*14.

Condona iniuriam proximo tuo, & tum peccata tua, te precante, dissoluentur. *Eccles.*28.

SENTENTIAE PATRVM.

Virtutes quibus viuitur rectè, magna bona sunt. Species autem quorumlibet corporum, sine quibus rectè viui potest, media bona sunt. *Aug. de lib. Arb.*

Neque accepta dona sunt bona, quæ ante oculos eius malorum admissione maculantur. *Gregor. in Moral.*

Illa est vera innocentia, quæ nec inimico nocet. Quis est innocēs? qui cum alijs non nocet, nec sibi nocet. Qui enim & sibi nocet, non est innocens. *August. super Psalmos.*

Innocens inter ipsa tormenta fruitur conscientiæ bono, & inter malignantes, cum de pœna metuit, de innocentia gloriatur. *Ambros. ad Demetriadem.*

Gaude de innocentia & exulta, gaude, inquam, quia vbique illæsa est, vbique secura. Si tentaris, proficis: si humiliaris, erigeris: si pugnas, vincis: si occideris, coronaris. Tu in seruitute libera es, in periculo tuta, in custodia læta: tibi omnis reatus abijcitur, tibi vniuersa militia subiugatur: te potentes honorant, suspiciunt principes, magnates exquirunt, & illi nonnunquam te desiderant, qui impugnant: tibi boni parent, mali inuident, zelant æmuli, inimici succumbunt, nec vnquam poteris victrix non esse, etiam si inter homines iustus defuerit. *Chrysost. in Homilijs.*

Simplicitas minime omnium suspicax est malorum. *Basil.*

Malus quam citissime condemnat bonum: Bonus autem ne malū quidem facile: nam qui ad mala non est promptus, ne ad suspicionem quidem facilis est. *Ex vitis Patrum.*

Ingenium expers malitiæ, tardius quoque suspicatur. Si videris inimicum in manus tuas incidisse, noli putare tempus esse vindicationis, sed salutis: itaque tum maxime parcendum est inimicis, cum in nostra fuerint potestate. Si tibi quis molestus fuerit, tu vicissim ne sis molestus, alioqui illi similis fueris. Nemo malum malo sanat, sed bono malum. *Chrysostomus.*

Puritas innocentiæ conseruata, fons est & origo omnis scientiæ & virtutis. *Hugo.*

POETICAE SENTENTIAE.

Οὐδεὶς πονηρὸν πρᾶγμα χρηστὸς ὢν ποιεῖ.
Nullus bonus existens malum facinus committit.

Idem.

Ὡς ἡδὺ συνέσει χρηστότης κεκραμένη.
Quam iucunda res est, bonitas prudentia coniuncta.

Theognis.

Κύρν' ἀγαθὸς μὲν ἀνὴρ γνώμην ἔχει ἔμπεδον αἰεί,
Τολμᾷ δ' ἔν τ' ἀγαθοῖς κείμενος ἔν τε κακοῖς.
O Cyrne, vir quidem bonus animam semper habet constantem.
Et animosus est tum in malis, tum in bonis constitutus.

Sophocles in Electra.

Οὐδεὶς τῶν ἀγαθῶν ζῶν κακῶς εὔκλειαν αἰσχῦναι θέλει.
Nullus bonorum male viuendo bonam de se famam dehonestare vult.

Menander.

Ὁ χρηστὸς ἐστὶ πολλαχοῦ σωτήριος.
Vir bonus multis in locis salutaris.

Idem in Pallade.

Κἂν ταῖς ἀπορίαις ἐσθ' ὁ χρηστὸς χρήσιμος.
Et in rebus perplexis, vir bonus vtilis est.

Idem in Homopatrijs.

Τῶν χρηστῶν ἔχει τὴν ἐπιμέλειαν καὶ θεός,
Εἰς πάντα καιρὸν καὶ τύχης ῥοπὴν πᾶσαν.
In omni tempore, & quauis inclinatione fortunæ.
Bonorum curam, suscipit etiam Deus.
Νὴ τὴν Ἀθηνᾶν μακάριον ἡ χρηστότης
πρὸς πάντα καὶ θαυμαστὸν ἐφόδιον βίῳ.
Beata res est bonitas per Mineruam
Vbique & mirum vitæ viaticum.

Pindarus.

Alienis aperire noli,
Quidnam laboris nos exerceat.
Hoc te admonitum volo. Bonarum quidem rerum
Sortem & iucundarum, etiam oportet
Toti populo declarare:
At si qua diuinitus grauior contigerit
Hominibus infortuna,
Eam abscondere conuenit.

Sophocles.

Ne multis euulges præsentem fortunam:
Nam si taceatur, lugeri potest amplius.

Euripides.

Palam enim sortem suam testari
Apud omnes imperiti hominis est: celare vero sapientis.
Dolorificum est quidem, a turpe damnum aliquod incidere,
At si fiat, comprimendum est foris
Abscondendo, nec omnibus enunciandum.
Huiusmodi enim gaudium hostibus, risum mouent.
Sapientes sua celant mala.
Bonus est, qui leges & patrum statuta seruat.

Horat. lib.1. Epist.

Vir bonus est quis?
Qui consulta patrum, qui leges iuraque seruat.

Terent. Hec.

Namque eo pacto maxime apud te meo erit ingenio fides.
Cum illa quæ nunc in me iniqua est, æqua de me dixerit.

Martia-

Martialis 10.

Ampliat aetatis spatium sibi vir bonus, hoc est
Viuere bis, vita posse priore frui.

Horat. Epist. 16

Tu recte viuis, si curas esse, quod audis.
Iactamus iam pridem omnis te Roma beatum.

Idem. ibidem.

Vir bonus & sapiens audebit dicere Pentheu
Rector Thebarum quid me perferre, patique
Indignum coges? adimam bona, nempe pecus, rem,
Lectos, argentum, tollas licet: in manicis, &
Compedibus saeuo te sub custode tenebo.
Ipse Deus simulatque volam, me soluet opinor.
Hoc sentit, moriar, mors vltima linea rerum est.

Martialis 11.

Tanta tibi est recti reuerentia, Caesar, & aequi,
Quanta Numae fuerat: sed Numa pauper erat.
Ardua res haec est, opibus non tradere mores:
Et cum tot Croesos viceris, esse Numam.

Hor. 1. Epist. 16.

Oderunt peccare boni virtutis amore.

Hor. 1. Serm. 4.

Sulcius acer
Ambulat, & Caprius, rauci male, cumque libellis,
Magnus vterque timor latronibus, at bene si quis
Et viuat puris manibus, contemnat vtrumque.

Plaut. Capt.

Bene merenti, bene profuerit: male merenti, par erit.

Plaut. Trinum.

Boni sibi haec expetunt: rem, fidem, honorem,
Gloriam & gratiam: hoc probis pretium est.

Auson. Idyll. 12.

Vir bonus & sapiens, qualem vix repperit vllum
Millibus e multis hominum consultus Apollo.

Iuuenal. 13.

Rari quippe boni, numero vix sunt totidem, quot
Thebarum portae vel diuitis ostia Nili.

Sen. Herc.

Sontibus parent boni.
Ius est in armis: opprimit leges timor.

Ouid. 1. Fast.

Laudamus veteres: sed nostris vtimur annis.

Auson. Idyll. 12.

Iudex ipse sui, totum se explorat ad vnguem.
Quid proceres, vanique ferat quid opinio vulgi
Securus: mundi instar habens, teres atque rotundus.
Externae ne quid labis per leuia sidat.
Ille dies quam longus erit sub sidere Cancri.
Quantaque nox tropico se porrigit in Capricorno,
Cogitat, & iusto trutinae se examine pensat.
Ne quid hiet, ne quid protuberet, angulus aequis
Partibus vt coeat, nil deliret vel amussis:
Sit solidum quodcumque subest, nec inania subtus
Indicet admotus digitis pellentibus ictus,
Non prius in dulcem declinat lumina somnum,
Omnia quam longi reputauerit acta diei,
Quae praetergressus? quid gestum in tempore? quid non?
Cur isti facto decus abfuit, aut ratio illi:
Quid mihi praeteritum? cur haec sententia sedit?
Quam melius mutare fuit? miseratus egentem
Cur aliquem fracta persensi mente dolorem?
Quid volui, quod nolle bonum foret? vtile honesto
Cur malus antetuli? num dicto, aut denique vultu
Perstrictus quisquam? cur me natura magis, quam
Disciplina trahit? sic dicta & facta per omnia
Ingrediens, ortoque a vespere cuncta reuoluens,
Offensus prauis, dat palmam & praemia rectis.

Boet. 3. 12.

Vos haec fabula respicit,
Quicumque in superum diem
Mentem ducere quaeritis.
Nam qui Tartareum in specus
Victus lumina flexerit,
Quidquid praecipuum trahit,
Perdit, dum videt inferos.

Paul. Auson. Epist. 11.

Quid enim timere vel bonum, aut verum queant,
Qui non tenent summum caput
Veri, boni que fomitem, & fontem Deum?

Bias per Auson.

Quaenam summa boni? mens, quae sibi conscia recti.

Plaut. Capt.

Tum denique homines nostra intelligimus bona,
Polyanthea Nouiss.
Cum, quae in potestate habuimus, ea amisimus.

Ouid. 2. Amor. 6.

Optima prima fere manibus rapiuntur auaris,
Implentur numeris deteriora suis.

Ouid. 7 Met.

Di meliora velint: quamquam non ista precanda:
Sed facienda mihi.

Tibul. 1. 4.

At si tardus eris, errabis, transiet aetas,
Quam cito, non segnis stat, remeatque dies:
Quam cito purpureos deperdit terra colores:
Quam cito, formosas populus alta comas: &c.
Vidi iam iuuenem premeret cum serior aetas,
Maerentem stultos praeteriisse dies.

Martial. 2.

Non bene distuleris, videas quod posse negari,
Et solum hoc ducas, quod fuit esse tuum.
Exspectant curaeque, catenatique labores,
Gaudia non remanent, sed fugitiua volant.
Haec vtraque manu, complexuque assere toto:
Saepe fluunt imo sic quoque lapsa sinu.
Non est, crede mihi, sapientis dicere viuam,
Sera nimis vita est crastina: viue hodie.

Iuuenal. 10.

Omnibus in terris, quae sunt a Gadibus vsque
Auroram & Gangem, pauci dignoscere possunt
Vera bona atque illis multum diuersa, remota
Erroris nebula quid enim ratione timemus,
Aut cupimus? quid tam dextro pede concipis, vt te
Conatus non poeniteat, votique peracti?

Horat. 1. Epist. 11.

Tu quamcumque Deus tibi fortunauerit horam,
Grata sume manu: nec dulcia differ in annum:
Vt, quocumque loco fueris, vixisse libenter
Te dicas.

Iacob. Bill. in Anth. sacr.

Cum Deus exerta peccantes verberat ira,
Vt norint homines, quid mereantur, agit.
Nam dum mortalis peraguntur tempora carnis,
Auxilium miseris ipsa flagella ferunt.
Et vindicta breuis sic noxia crimina finit,
Ne sine fine habeat debita poena reos.

Menander.

ἀνὴρ δὲ χρηστὸς χρηστὸν οὐ μισεῖ ποτε, id est,
Vir autem bonus bonum non odit vnquam.
γνώμης γὰρ ἐσθλῆς ἔργα χρηστὰ γίγνεται.
Mentis enim bonae opera bona fiunt.
Ζήλου τὸν ἐσθλὸν ἄνδρα καὶ τὸν σώφρονα.
Imitare bonum virum & sapientem.

Leonides.

αἰεὶ δ' ἀγαθὸς ἔστ' ἀγαθός.
Semper autem bonus, est bonus.

Ex 3. Epigram.

Τῶν ἀγαθῶν οὐ δεχόμεθα κόρον.
Bonorum non capimus satietatem.

Hor. Ode 22. l. 1.

Integer vitae scelerisque purus,
Non eget Mauri iaculis, nec arcu,
Nec venenatis grauida sagittis,
Fusce, pharetra.
Siue per Syrtes iter aestuosas,
Siue facturus per inhospitalem
Caucasum, vel quae loca fabulosus
Lambit Hydaspes.

Ouid. lib. 5. Trist. eleg. 5.

Nec fore perpetuam sperat sibi numinis iram
Conscius in culpa non scelus esse sua.

Ouid. 4 Fast.

Conscia mens recti famae mendacia ridet.
Sed nos in vitium credula turba sumus.

Terent. in Heaut.

Haec perinde sunt vt illius animus qui ea possidet:
Qui vti scit, ei bona: illi qui non recte vtitur, mala.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Bonum dicimus quod non alterius, sed sui ipsius gratia est expetibile: & quod appetunt oẽs: & quod quaecumq; mentem & prudentiã habent, expeterent: & efficiens, & conseruans, vel id ad quod haec consequuntur. *Arist. l. 1. Rhet. ad Theodect. c. 7.*

Bonum & malum qualitatem in iis quae animata sunt, maxime indicant: atque eorum in iis maxime quae sui iudicij gerit quodammodo. *ibid.*

Malum recens, & exiguum contemnitur: cum autem conualuit, viresque sumpsit, videtur ab omnibus, *lib. 6. de Repub. c. 4.*

Sit bonum quod sui ipsius gratia est expetendum: & id cuius gratia aliud quiddam appetimus: & quod omnia appetunt: vel quæ sensum habent omnia vel quæ intellectum habent, aut si haberent. Et quicquid intellectus vnicuique tribuerit: & quicquid qui de singulis est, intellectus tribuit: id vnicuique bonum est: & id quod cum adsit, bene afficitur cui adest: satisque habet, & sufficiens per se ipsum: præterea quod hæc efficit aut conseruat: & id quod hæc consequuntur contraria: & quæ corrũpunt. *l.1.Rhetor.ad Theod.c.6.*

Multorum & cognitionis & motus principium bonum est & malum. *l.Δ.4.Metaph.c.T.1.*

Ea quidem per se bona quiuis ponat, quæ sola & seiuncta a cæteris sequatur: vt sapere, vt videre, vt sunt nonnullæ voluptates, vt honores. Etsi enim hæc ipsa propter aliquid aliud sequimur: tamen in ijs quæ per se bona sunt licet ponere: aut nihil præter Ideam sit in bonis. *l.1.Ethic.c.6.*

Bonum & in substantia dicitur, & in qualitate, & in ijs quæ cum aliquo conferuntur: quæque per se ipsa sunt: & substantia ijs sunt quæ cum aliquo comparantur naturæ ordine priora. *Ethic. l.1.c.6.*

Quoniam id quod mouet, duplex est, quorum vnum immobile est, alterum quod mouet & mouetur: bonum quidem quod agẽdum est, immobile permanet. *lib.3.de Anima,c.10.T.54.*

Mala quorum fortuna est causa, hæc sunt: si neminem habeas amicum, aut quam paucissimos: quare diuelli quoque a socijs atque amicis miserabile est, *libro 2.Rhetoric.ad Theodect.cap.8.*

Id mouet semper quod appetendum est, idque ipsum vel bonum est, vel quod bonum videtur: nec omne bonum, sed quod agendum est. Agendum porro bonum est, id est, quod secus etiam cadere potest. *l.3.de Anima.c.10.T.51.*

Bonum omnis originis & ortus finis est, *Metaph.lib.α.1.minore, cap.3.*

Bonum dicitur quod opportune fit & in tempore *Topic.libro 1.capit.13.*

Si quod vnum est bonum, quod communiter dicatur: aut si quod est seiunctum ipsum per se: perspicuum est id, nec agi ab homine posse, nec haberi. *lib.1.Ethic.c.6.*

Duo sunt bonorum genera: aliud propter se; aliud propter illa. *li.1.Ethic.c.6.*

Quod propter se expetitur, id confirmamus eo quod propter aliud expetitur perfectius: & quod nunquam alio refertur: ijs omnibus quæ propter se, & propter hoc expetuntur, *Ethic.lib.1.cap.7.*

Quod bonum vndique perfectum est, omne satis esse, & sufficere videtur. *ibid.*

Bonorum præstantia, accessione eius quod additur ad aliquid, existit: & maximum quodque bonum semper expetendum est maxime. *ibidem.*

Duplex bonum est: alterum quod absolute & per se bonum sit: alterum quod alicui bono sit & vsui. *Ethic.l.7.c.12.*

Bonorum aliud est actio; aliud habitus est. *ibid.*

In omnibus bonum principium est maxime. *Metaph.l.Λ.11.capto. T.54.*

Probe veteres summum bonum definierunt id, ad quod omnia referuntur. *Ethic l.1.c.1.*

Vbi est melius & deterius: semper id quod præstat, primas tenet. *Metaph.lib.β.2.c.3.T.11.*

Potest illud ipsum quod bonum est, falsa ratione collectum obtineri: & ad id quod faciendum est, non qua ratione æquum est, sed falsa via media perueniri. *Ethic.l.6.c.9.*

Dicitur vnum genus bonorum quæ per se expetuntur & amãtur. Conficientia vero eorum aut aliquo modo tuentia, aut etiam contrariorum prohibentia, propter illa, aliqua ratione bona nominantur. *Ethic.lib 11.c.6.*

Leuius malum speciem quandam fert boni, si cum maiore conferatur. Est enim minus malum potius quam maius eligendum. Quod autem eligendum est: id bonum est: quod potius eligendum est, id etiam maius bonum. *Ethic lib.5.c 3.*

Peccare licet multis modis: quoniam vt Pythagorei conijciebant, malum infinitum incertumque est: bonum certum atque finitũ. At vero recte facere vno modo licet. Itaque illud facile: hoc difficile. Nam & a signo discedere facile est; & ipsum attingere magni negotij. *Ethic.l.2.c.6.*

Malum etiam non habere iucundum est. *lib.1.Rhetoric.ad Theodect. cap.11.*

Malum pro malo reddere iustum est: & iustum omne laudabile. *l.1.Rethor.ad Theodect.c.9.*

Et Deus potest: & vir bonus quæ mala sunt efficere: cum interim non sint eiusmodi. *Top.lib 4.c.5.l.55.*

Cuius contrarium malum est, & cuius contrarium inimicis conducit: id bonum est. *lib.1 Rhetor.ad Theodecten.c.6.*

Diuturniora quidem anteponenda sunt breuioribus: & quæ prudentes anteponant ij, qui in aliqua re excellunt: hoc ipso quod tales sunt, aut quæ ij qui vno quoque genere scientes sunt, aut quæ plures, aut etiam omnes. *lib.3.Topicor.c.1.l.10.*

Ea quæ per se sunt causæ malorum postponuntur ijs quæ casu & fortuito: vt vitium fugiendum est potius, quam fortuna. Illud enim per se malorum est, hæc casu. *ibid.loc.7.*

Et quæ omnino bona sunt, ijs anteponuntur quæ alicui bona sunt: vt valere quam secari magis optandum est: quoniam illud omnino bonum est, hoc alicui qui sectione egeat. Et innata ac insita bona assumptis & aduentitijs, vt iustitia viro iusto: quoniam illa insita est & innata: illud aduentitium. Et quæ in re meliore insunt: & quæ iustiorem habent venerationem, ijs quæ in deteriore: vt bona Dei, hominis bonis: & animi, corporis bonis sunt anteponenda: & quæ propria sunt melioris rei, ijs quæ deterioris: vt Dei quam hominis, *ibidem libro 9.& seqq.*

Cum per se malum omne labefactat: tum si integrum sit intolerabile existit. *lib.4.Ethic.c.5.*

Malum multiplex est: bonum contra simplex. *lib.1.Mag. Mor. cap.24.*

Adeptionem bonorum euitatio comitatur malorum: & euitationem malorum consequitur vicissim adeptio boni. *lib.1.Rhetoric. cap.6.*

Aliqui bona appetunt homines, ac persequuntur, nec debent, sed optare debent potius, quæ vere bona sunt: ea sibi salutaria esse: ea autem sequi quæ sibi bona sint. *Ethic.lib.5.c.1.*

Quod ei contrarium est quod fugiendum sit, quia fugiendum est atque malum: omne id bonum. *lib 7.Ethic.c.13.*

In eo vis maxima est ad virtutem, quæ more perficitur, si quis bonis rebus lætetur, doleatque contrarijs. *lib.10.Ethic.c.2.*

Quicquid bonum est, omne coniunctum cum alio: optabilius est, & magis expetendum, quam ipsum separatum. *libro 10.Ethicor. cap.2.*

Omnes ad id quod bonum videtur, omnes suas actiones referunt. *l.1.de Republ c.1.*

Bonum semper in actione cernitur: pulchrum autem etiam in ijs quæ ab omni motu libera sunt. *lib.μ.Metaphysic.c.3.*

Quod rectum & honestum, & cum virtute est, id solum opinor bonum. *Parad.1.Cic.*

Tria sunt genera bonorum: maxima animi: secunda corporis: extera tertia. *3.Tusc.*

Alia sunt in homine optanda, alia laudanda. Genus, forma, vires, opes, diuitiæ, cæteraque quæ fortuna dat, aut extrinsecus aut corpori, non habent in se veram laudem: quæ deberi vni soli virtuti putatur, sed tantum quod ipsa virtus in earum rerũ vsu ac moderatione maxime cernitur. *2.de Orat.*

Nihil bonum, nisi quod honestum: nihil malum, nisi quod turpe. *Cic.Ac.lib.10.*

Quicquid est quod bonum sit, id expetendum est: quod autem expetendum, id certe approbandum: quod vero approbaris, id gratum, acceptumque habendum. *5.Tusc.*

Non sunt dicenda bona illa, quibus abundantem licet esse miserrimum. *Parad.1.*

Bona non sunt, quæ quis habeat, & miserrimus esse possit. *5.Tusc.*

Nec bonum est aliud, quod aut cupias ardenter, aut adeptus te efferas insolenter. *4.Tusc.*

Diuitias, quia quiuis, quamuis indignus, habere potest, in bonis nõ numero. *2.Tusc.*

Neque pecuniæ, neque tecta magnifica, neque opes, neque imperia, neque eæ, quibus maxime astricti sunt, voluptates in bonis rebus expetendis numerandæ sunt; quippe homines ijs rebus affluentes, ea desiderant maxime quibus abundant. *Par.1.*

Non nascitur ex bono malum, non magis quam ex ficu olea, ad semen nata respondent, bona denegare non potest. *Senec. in epist.*

Bonarum rerum etsi successus non fuerit, conatus ipse honestus est, bona nemini est hora, si non alicui sit mala. *Se.su pra.*

Non est bonitas, pessimis esse meliorem. *Sen.21.*

Boni paucis legibus indigent: non enim res ponuntur ad leges, sed contra, leges secundum res ipsas feruntur. *Theophrast.*

Probum esse res est multis pecunijs vtilior. *Demosth.*

Bonum aut esse oportet aut simulare. *Democritus.*

Qui mala pro bonis rependit, ex eius domo non eijcientur mala. *Nilus.*

At vero, si quis velit complicatam animi sui notionem euoluere, iam te ipse docebit, eum bonum virum esse, qui prosit quibus possit, noceat nemini nisi lacessitus iniuria. *Cic.l.3.de Off.*

Οἱ ἀγαθοὶ δυσεύρετον χρῆμα καὶ [illegible] ὀλίγοι [illegible] ἀγαθοὶ ὀλίγοι εἰσίν.

Boni possessio est, quæ haud facile inueniri potest, vt quæ iamdudum è vita concesserit, adeo obscura atque pusilla, vt illam vel Lynceus vix dum inueniat. Sunt enim boni perpauci. *Lucianus in Timone.*

Vir bonus cito nec fieri nec intelligi potest, nam ille alter

fortasse

fortasse tanquam Phœnix anno quingentesimo nascitur. Nec est mirum, ex interuallo magna generat: mediocria, & in turbã nascentia sæpe fortuna producit; sed qui sciret, quid esset vir bonus, nondum se esse credere: fortasse etiam fieri posse desperaret. *Sen. 42. epist.*

Bonarum rerum etsi successus nõ fuerit, conatus ipse honestus est, bona nemini est hora, si non alicui sit mala. *Idem in Prouerb.*

A bonis bona perdisces. Quod si malis adhæseris, quam habes mẽtem, procul dubio perdes.

Mulieres quoque, o Meno, bonos viros diuinos nuncupant. Et Laconici quoties bonum quendam virum commendare volunt, Diuinus hic vir, aiunt. *Plato in Men.*

Bonum virum decet sacrificare dijs, interesse diuinis: nempe illos prosequi orationibus, muneribus, alioque cultu diuino, pulcherrimum, optimum, commodissimum ad vitam beatam: idque præ cæteris est decorum. Malo contra contingunt omnia. Impurus enim mali est animus, boni autem purus: ab impuro autem capere munera, neque bonum virum, neque Deum decet. *Dialog. 4. de leg.*

APOPHTHEGMATA.

Pittacus, perdifficile (inquit) est bonum esse. Dicente autem Phocatio, quærendum esse studiosum ac frugi virum. Etiam, inquit, si valde quæsieris, non inuenies. *Brus. l. 1. c. 18.*

Solon, probitatem morum habere debes, quæ plus fidei mereatur quam iusiurandum. *Stob. serm. 35.*

Socrates dicebat, ad gloriam compendiaria via peruenire posse eos, qui tales essent, quales videri vellent. *Brus. l. 1. c. 18.*

Antisthenes, dicebat satius esse cum paucis bonis pugnare aduersus omnes malos, quam cum multis malis aduersus paucos bonos. Præstat enim de numero bonorum esse, quorum vbique raritas est, quam de grege malorum, quorum vbique plena sunt omnia. *Laert. l. 6. c. 1.*

Idem dicere solebat. Bonum virum molestam esse sarcinam. Nam sicut insipientia bene fertur, & leuiter: sic prudentia grauiter incumbens, premit vehementer suopte pondere, nec facile potest excuti. *Philo Iudæus libro, Quod omnis probus liber.*

Diogenes, bonos viros dicebat esse deorum simulachra. Deorũ, quũ sint optimi, naturæ proprium est benefacere omnibus, nocere nemini. Hæc imago melius relucet in sapientibus ac bonis viris, quam in statuis, cum dij sint incorporei. *Laert. lib. 6.*

Idem cuidam percontanti in qua parte Græciæ vidisset bonos viros. Viros, ait, nusquam, sed Lacedæmone vidi pueros. Notans totius Græciæ corruptissimos mores, adeo vt apud Lacedæmonios gentem incorruptissimam tantum in pueris resideret prisca integritas. Simul illud innuit, in reliqua Græcia ne pueros quidem esse bonos, tum illud, viros esse pueris deteriores, quũ ab his oporteat pueros ad probitatem instrui. *Diogenes Laert. 16. Brus. l. 1. c. 18.*

Idem peregrinum quendam conspiciens, sese studiose ad festum diem componentem: Quid facis, inquit? an non quilibet dies viro bono festus est? Sensit vir prudentissimus, hunc mundum esse phanum Deo dignum, in quo vir bonus constitutus, semper bene, honeste & pie, quasi in conspectu numinis, viuit. *Laert. lib. 6. Plut.*

Aristippus interrogatus, quid esset admirandum in vita? Vir probus (respondit) & moderatus: quoniam etsi inter multos improbos agat, non tamen peruertitur. *Stob. serm. 35.*

Themistocles prædium vendens, præconem diuulgare iussit, quod vicinum quoque bonum haberet, non parum enim refert quam bonum virum tibi vicinum habeas. *Stob serm. 35.*

Phocion centum talenta Alexander quum ei dono misisset, adferentes interrogauit: Quamobrem ex tanto Atheniensium numero sibi soli ea mitteret? Illi responderunt. Quoniam solum ipsum rex existimaret bonum esse virum. Quin igitur, dixit, me post hac quoque bonum esse permittat, & pecuniam remisit. Sensit autem non boni viri esse subire famæ periculum ob acceptata munera. *Stob serm. 35.*

Lycurgus dicebat, dignitatem quidem istam, qua mouemur ad facilius mutuo dandum aliquid, in opibus hominum sitam esse. Illã vero, quæ nos ad facilius fidem habendam inducit, in moribus. Vir enim bonus vbique nouit quid deceat, quidque expediat, quid vtile, quid sit honestum. *Stob. serm. 35.*

Aristoteles, rogatus a quodam improbo, aliquid pecuniæ ei dedit, propter quod reprehensus a quodam, vt qui homini nequam dedisset: non homini, dixit, sed humanitati. *Stob. ibid.*

Anonymus, scurra quidam cum vidisset principum indigna & nefanda facinora, dixit: In vno annulo bonos principes omnes sculpi posse. Sentiens esse quidem magnum imperatorum numerum, sed in his perpaucos esse bonos. *Recitat Vopisc. in Aurelio.*

SIMILITVDINES.

Sicut nec in victimis quidem, licet optimæ sint, auroque præfulgeant, deorum est honos, sed in pia ac recta voluntate venerãtium: ita boni etiam farre ac fictili religiosi sunt: mali rursus non *Polyanthea Noviss.*

effugiunt impietatem, quamuis aras multo sanguine cruentauerint. *Sen. lib. 1. de benef. c. 6.*

Vt scarabæi ac vultures offenduntur vnguentis, & Scytha iurauit se malle equum hinnientem audire quam Citharœdum canentem: Ita non omnibus placent optima. *Plut.*

Vt Phœnix non nisi quingentesimo anno nascitur: Ita insignium virorum rarus est prouentus. *Sen.*

Qui sibi comparatione deteriorum bonus videtur, perinde est ac si quis claudos respiciens, suam miretur velocitatem. *Senec.*

Vt Zeusis picturus Iunonem, Agrigentinis omnibus virginibus inspectis, quinque præcipuas elegit, ex quibus, quod esset in vnaquaque præcipuum, imitaretur: ita e plurimis optimi boni ad exemplum vitæ aut dicendi proponendi sunt, nec in his tamen reddenda sint omnia, sed optima. *P. M.*

Non continuo melior gubernator, cui pulchrius aut maius sit nauigium: ita non est melior vir, cui fortuna splendidior. *Senec.*

Vt histrio nõ est fœlicior, quod in scenis adornatus, rex aut Deus videatur: sic nec homo fortunæ bonis: quandoquidem suis bonis æstimatur, nihil est *idem.*

EXEMPLA BIBLICA.

Bonorum inter malos latentium exempla: Noe cum domo sua inter filios Dei a filiabus hominum corruptos, & diluuio absorptos *Gen. 6. 9. & 7. 7.* Loth inter Sodomitas pessimos *13. v. 11. 13.* Abraham inter Chananæos *v. 12.* Ioseph inter Aegyptios *3. 9. v. 7. 8.* Samuel inter peruersos & impios Heli filios *1 Sam. 2. v. 25. 26.* Elias cum septem millibus virorum inter Israelitas idololatras *1. Reg. 19. v. 9. 10. 8. Rom. 11. v. 45.* Tobias inter captiuos sub regno Samariæ. *Tob. 1. v. 2. 3.* Mardochæus inter seruos Assueri. *Esth. 3. 2.* Iob inter gentiles *Iob 1. 1.* Ieremias inter concaptiuos. *Ier 43. v. 1. 2. 3. 4.* Ezechiel inter Scorpiones, *Ezech. 56.* Daniel, Sidrach, Misach, Abdenago inter idololatras. *Dan. 3. v. 16. 17. & 6. 10.* Mathathias & filij eius inter Apostatas & idololatras *1. Machab 2. v. 19. 20.* Centurio inter Israelitas, *Mat. 8. 10.* Ioseph Arimathæus inter Iudæos, *Mar. 15. 34.* Nicodemos inter Pharisæos, *Io. 3. v. 12. & 19. 39.* Cornelius centurio inter gentes, *Act. 10. v. 1. 2.*

Bona opera pietasque in Deum vera commendatur, *Exod. 19. 5. & 20. 21. &c. & 23. v 19. 25. Deut. 5. ver 6. 15. 16. & 10. 12. Ios. 22. 5. 1. Sam. 15. 22 Psal. 2. 10. & 40. 7. & 50. 14. Prou. 3. 1. & 14. 31. Esaia 1. 16. & 58. 6. Ier. 21. 3. Ezech. 18. 6. Os. 6. 55. Mic. 6. 8. Zach 7. 9. & 8. 16. Eccles. 35. 11. Mat. 5. v. 24. 29. 39. Luc. 2. 75. & 3. 11. Ioann 12. 26. Rom. 12. 1. &c. & 14. 17. Phil. 3. 3. Iac. 1. 27.* Bona opera glorificãt Patrem cœlestem, *Matt 16.* Bonis operibus testanda est vitæ nouitas *1. Ioan. 3. 7.* Bonus & malus thesaurus, *Luc. 6. 45.* Bonitas Dei commemoratur, *2. Pet. 1. 3.*

EXEMPLA PROFANA.

Scythæ moderatissimi, & abstinentes & suapte natura probi, quod Romani ac Græci vix præceptis ac disciplinis philosophorum, id natura ipsi consequi potuerunt: plus enim his profuit ignoratio vitiorum, quam illis cognitio virtutis. *Bonfin. l. 2. Deca. 1.*

Apud Germanos plus boni mores valent: quam alibi bonæ leges. *Corn. Tacit. de morib. German.*

Quotquot nouere Socratem, qualis fuerit (*inquit Xenophon. l. 4. Memorabilium*) ex ijs qui virtutis cupidi sunt, etiam nunc eum perpetuo desiderio exoptant: vt qui ad virtutis studium vtilissimus fuerit. *Theat. Zuing.*

Xenocrates, carissimus Platoni magistro discipulus, ei fuit comes in Siciliam transmittenti, hebeti ingenio, sed seuero, sanctisque moribus. Plato hunc calcaribus, Aristotelem condiscipulum freno dicebat indigere. *L. Viues in lib. 8. Aug. de Ciuit. Dei, c. 15.*

Theseus, Atheniensium ciuitatem, quæ prius sparsim & vicatim habitabat, in vnum locum congregatam Græcarum vrbium amplissimam fecit. *Isocr. in Helen.*

Cyrus Persarum rex, non iustitiæ solum, sed omnium etiam regiarũ virtutum exemplum fuit, si modo Xenophontis Pædiæ vera est narratio. *Theat. Zuing.*

Agesilaus Spartanorum rex, omni bellica vrbanaque virtute Græcorum longe princeps sua tempestate. *Sabell. l. 2. Æneadis 4.*

Philippum Alexandri genitorem, memoriæ prodidit Theophrastus non maiestate modo cæteros reges: sed fortuna quoque & ingenij modestia antecelluisse. *Plut. in apoph.*

HIEROGLYPHICA.

Aegyptij Sacerdotes hominem ea modestia præditum, vt facile eam quęsa a perperam factis auertere, si indicare vellent, *Taurum genu dextero alligatum pingebant.* Hunc enim si dextro alligaueris genu, mansuetum & vincula consequẽtem inuenies. *Pier. Valer. lib. 3.*

Rosa simulachrum *Bonum* significat, quod vndique circumseptum sit malis: ac perinde voluptates nostras amaritudinis & asperitatis plenas. *Pier. Val. l. 55 p. 530. D.*

Fuerunt etiam qui ætatis floram, vel vnumquodque bonum, quod celerrime deficere videretur, atque adeo humanę ipsius vitæ imbecillitatem per *decerptum Persicum* & in lace positum,

non ineptum dicerent hieroglyphicum. Pomum enim nullum aliud fugacius, longissimaque decerpto bidui mora fit, cogatq; se quam primum venundari. *Pier.Val.lib.54.*

APOLOGI SEV FABVLAE.

Grus & pauo.

Pauo contra gruem assistens, explicatis pennis suis: Quanta est, inquit, formositas mea, & deformitas tua. At grus subuolans: Quāta est, inquit, leuitas mea & tua tarditas.

Monet fabula, non esse ob aliquod bonum naturale superbiendū, neque contemnendum alterum cui fortasse multo maiora collata sunt.

Origo Murorum.

Ea tempestate qua dij & homines vna promiscueque in terris vixere, vt tradit Hesiodus, humanum genus defensum & tutū ope præsidioque deorum, neque intra mœnia sese includebat, neq; aliam protectionem quærebat. Pulsis dijs hominum scelere, muris & fossis hi circumdati, nunquam tamen muniti satis esse potuere. Ita quantum boni a præsentibus dijs accepissent recordati, mœnia sancta de memoria deorum & nominarunt & haberi voluerunt, ac ritus insuper ceremoniasque varias cultus diuini instituerunt: non tamen ita placatos reddere potuerunt, vt tam benignis vterentur quam antea vsi fuissent.

Fabula docet, quod sine impensa interdum bonum obtineatur, id amissum nullarum rerum impendio recuperari posse.

SCRIPTORES.

Aduersus illos qui affirmant eorum Bonorum, quæ in altera vita expectamus fruitionem, non nisi in cibo, ac potu fore, idque propterea, quod sacris in literis proditum, initio mundi hominem rebus ijsdem in paradiso vitam sustentasse, *l.Greg.Nyss. de opific. hominis, c.19.pag.197.*

Vide tit. Malitia, Virtus, Probitas, Vir bonus.

BREVILOQVIVM, Breuitas.

DEFINIT. ET ETYMOLOG.

Breuiloquium, Græce βραχυλογία, ας, ἡ, & βραχυλόγος, ὁ, ἡ, breuiloquens. Et oppositum est multiloquio.

Breuitas, quæ Græce βραχύτης, ητος, ἡ, & βραχὺς, εῖα, ύ, breuis. Est autem breue proprie, quod longo opponitur. Hebr. *Kotser*, breuitas a verbo *Katsar*, decurtauit, abbreuiauit, demessuit cultro seu falce, abscidit. Hinc ξυράω, abscindo, ξυρὶς gladiolus quo aliquid abscinditur, ξυρὸν nouacula.

SENTENTIAE POETICAE.

Hor. de arte Poetica.

Quicquid præcipies, esto breuis, vt cito dicta
Percipiant animi dociles, teneantq; fideles.

Terent. in And.

Quin tu vno verbo dic, quid est quod me velis?

Ausonius in Paulino.

Et si ote rimeomis breuitas: sic fama renatum
Pythagoram docuisse refert. cum multa loquaces
Ambiguis sererent verbis: contra omnia solum
Est, respondebat, vel non: o certa loquendi
Regula. Nam breuius nihil est nec plenius istis,
Quæ firmata probant aut infirmata reclinant.
Nemo silens placuit, multi breuitate loquendi.

Hor. de art. poet.

Decipimur specie recti. breuis esse laboro,
Obscurus fio. sectantem leuia nerui
Deficiunt, animiq; professus grandia turget.

Mich. Verinus.

Nostra leges quisquis fueris breuitatis amator,
Inuenies lepidos, sed sine felle iocos.

Euripides.

O pueri, istud sapientis est viri, paucis
Plurima posse verbis bene complecti.

Menander.

Impudentes sermones hoc solo minuuntur,
Si fiant breues & opportune proferantur.
Oratione breui multum inest sapientia.

Martial. 2.

Non sunt longa quibus nihil est, quod demere possis.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

In omni negocio nihil adeo prospicere debes quam vt tutum securumque sit, quod agis. Est autem tutius tacere, quam loqui. Cæterum ijs dicendis quæ mente & ratione carent, supersedebis. Absit quoque nimietas in dicendo: & propriorum facinorum aut periculorum commemoratio. Non enim similiter, vt ibi mentionem de tuis periculis facere, sic & alijs, quæ tibi contigerint, audire iucundum est, *Epictetus.*

Ne multis verbis pauca cōprehendas: sed paucis multā. *Stob. ser. 33.*

APOPHTHEGMATA.

Padaretus Lacon, vir bonus, cum in numerum trecentorum non esset electus, abijt, fronte serena. Dijs agens gratias hunc in modum: Gratias habeo vobis dij, quod tot homines meliores me huic ciuitati dedistis. *Brus. l.1.c.18 ex Plut.*

Iamblichus, eum demum hominem bonum existimandum putabat, qui perfectissimam actionem iuxta mentem separabilem conseruat, & participationem intelligibilis pulchritudinis suscipit, ac essentiæ potentiæque Dei particeps est. *Stob. serm. 35.*

Apollonius Tyanæus, quum in iudicium ad Domitianum adduceretur, apud quem accusatus fuerat, nec esset facilis a viro crudeli elapsus: tantum vir bonus virtuti confidebat, vt cum ductori dixisset, Quo duceret? Ac dicente illo, Ad iudicium: Contra quē (inquit) dicturus sum? *Brus. l.1.c.18.*

Zeno Citieus, ad quendam dicentem, breues esse philosophorū sententias: Vera prædicas, inquit, oportet enim & syllabas illorum si fieri possit esse breues. Veritas multis verbis non eget: & firmius tenemus paucis verbis comprehensa. *Laert. l.1.*

Epictetus. Philosophiæ summam Epictetus duobus verbis comprehendere solitus est: ἀνέχου καὶ ἀπέχου: id est, sustine & abstine, quorum prius admonet, vt mala quæ incurrunt æquo animo toleremus: posterius, vt a voluptatibus temperemus. Ita enim fiet, vt nec aduersis deijciamur, nec prosperis corrumpamur. *Refert Gell. 17.c.19.*

Plato Antisthenem, qui differendo fuerat prolixior, sic admonuit, ignoras quod orationis modus sit, non penes dicentem, sed penes audientem *Laert. l.3.*

Isæus Pythonis proditoris accusationem. Isæus sophista tribus dictis absoluit: Coarguam Pythonem, inquit, proditionis oraculo a Deo reddito, populo qui vinxit, Philippo qui dimisit. Neq; enim Deus pronunciasset oraculo nisi talis esset: nec populus vinxisset, nisi talis fuisset: neque rea abijsset, nisi eum cuius gratia venerat non reperisset, aut rex è castris illum non dimisisset. *Philostrat. in sophistis.*

Phocion in concione sedens seorsim, accessit quidam qui diceret, Videris cogitabundus, ò Phocion: Recte quidem coniectas, respōdit: Cogito enim, si quid queam detrahere his quæ dicturus sum apud Atheniens. Alij solliciti sunt, vt quam plurima dicant, quo videantur eloquentes esse, atque diserti. Illi diuersa erat cura, nimirum vt quæ ad rem faciebant, verbis quam paucissimis cōplecteretur. *Plut. in apoph.*

Demosthenes, de Phocione, quoties in concione dicturus assurgeret ad amicos proximos dicere solebat, rationum ipsius securim surgere. Nam Phocion erat in dicendo breuis, sed acutus. Solebat autem fere a Demosthene dissentire. *Plut. in Demosthen.*

Apollodorus dicebat optimos homines in dicendo breuissimos esse: linguaces autem, si tantum molestiæ caperent, quanta reliquos officiunt, haud sane longos sermones habituros esse. *Stob. serm. 34.*

Epaminondas, in Spartanos, qui multa magnaque crimina Thebanis obijciebant: Hi nimirum fecerunt, inquit, vt breuiloquentia vti desiueritis. Solebant Lacedæmonij de breuiloquentia gloriari, sed a Thebanis multis affecti calamitatibus, multa dicere coacti sunt, de illis conquerentes. *Plut. in apoph.*

Archidamus cum irrupisset in Arcadiam audito quod hostibus Elei ferrent auxilium scripsit illis in hunc modum Archidamos Eleis, Quies bona. Non potuit breuius & suadere, quod erat illis commodum: & minari malum, si quid perperam aggrederētur. Decet hæc breuiloquentia & ducem, & Laconem. *Plut.*

Cleomenes. pirata quidam cum prædam per Lacedæmoniorum regionem fecisset, captus, & interrogatus cur id fecisset? Quoniā ait, deerat mihi vnde viuerem, & alijs quoque darem, ad eos venire coactus sum, qui haberent: quæ nec sponte dabant, vt erepturus. Cui Cleomenes ait: Compendiosa tibi inest malitia. Eoque dicto detestabatur hominis improbitatem, & laudabat expeditam orationis breuitatem. *Plut. in Laert.*

Leo Eurycratidis F. cuidam de rebus haudquaquam inutilibus intēpestiue loquenti, O hospes, inquit, re opportuna non opportune vteris. Nihil oratione melius, si parce promas linguæ thesaurum. *Plut. in Lacon.*

Lycurgus, interroganti, quamobrem Lacedæmonij breuiloquium vsurparent? Quoniam silētio est finitimum, inquit. *Stob. serm. 33. Anton. in Meliss. p.1 serm. 71. Max serm. 20.*

Lacedæmonij factis magis quam eloquentia polluerunt. Ideo breuiloquentia λακωνισμός, id est, Lacedæmoniorum seu Spartanorum sermo, dicta est: quod Lacones seu Lacedæmonij in apophthegmatis præcipue valerent. Horum autem lepos in eo præcipue consistit, vt paucissimis verbis plurimum sententiæ complectantur. Cuiusmodi sunt illa *αἴκα*, id est. Sic, responsum prolixæ orationi legati: & *οὐ*, id est, non, totam occupans epistolam & ἢ τὰν ἢ ἐπὶ τᾶς, id est, aut super hunc. *P.M. in adag. Plutar. in apophth. vbi innumera extant breuiloquentiæ Laconicæ exempla, ad suos locos in apoph. opere relata.*

I. Cæsar.

I. Cæsar. quum in bello ciuili Pharnacem primo congressu vicisset, Laconica breuitate ad suos scripsit: Veni, vidi, vici. *Plut. in apoph.*

August. Cæs. in Sicilia pro Thodoro Arium præfectum instituit, sed cum Cæsari quidam libellum porrexisset, in quo scriptum erat, Caluus Thodorus Tarsensis fur est, quid tibi videtur? lecto eo, nihil aliud subscripsit quam, videtur. *Plut. in apoph.*

S I M I L I T V D I N E S.

Chrysostomi. Imo potius iam silendū est, quod necesse sit in immensum historiarum pelagus orationem soluere. Qui vero per tale mare sunt iter facturi, necesse est non fatigatis, sed integris remigibus viam capessant. Nam hanc ob causam passim per mare portus insulæque positæ sunt, vt & gubernator, & vector refocillentur, hic quidem remo deposito, ille vero exurgēs a clauo. His de causis diuersoria & cauponæ vbique per vias excogitatæ sunt, vt iumenta simul cum viatoribus à labore recreentur. Eoque & doctrinæ sermoni, silentij tempus præfinitum est, vt neque nos ipsos deteramus verborum multitudine, neque nos delassemus. *Hom. 3. in Esaiam.*

Plutarchi. Sicut matres faciunt, quando in gremium pueri poma, vel secundarum mensarum tale aliquid mittunt, sinus eius vndique zona constringunt, & securos faciunt: Ita & nos faciamus sermonem prolixiorem in arctum contrahentes, & in memoriæ promptuario deponentes. *In ser. 1. in Oziam.*

Celtiberi ita ferrum temperant ac durāt, vt infosso in terram quod est terreum, auferatur, ac repurgetur: Sic Laconicus sermo sublatione superuacui fit penetrantior. *In Moral.*

Thriueri. Congestas cumulatim merces nunquam simul dispicias, sed semper reliquum est quod admireris: Ita in ijs qui multam literarum supellectilem in vnum breuiter contrahunt, semper restat quod intelligas. *in Apoph.*

A D A G I A.

Grata breuitas, χάρις βραχύτητι ὀπηδεῖ.

Quædam mole placent ac magnitudine. Sunt, quæ ob id grata sunt, quod minuta: Veluti gemmæ quadam ac sculpturæ. Idem vsu venit in epistolis ac libris, qui non raro ipsa breuitate redduntur commendatiores, præsertim apud fastidiosos & occupatos.

Ἐν ἐπιτομῇ.

M. Tullius epist. ad Atticum l. 5. ἐν ἐπιτομῇ dixit, pro eo, quod erat διὰ βραχέων, summatim & compendiariè. Persæpe ijs, quæ minus ad rem pertinent.

Laconismus Λακωνισμός.

Laconismum velati prouerbio breuiloquentiam vocant, pro eo quod est paucis & compendio dicere.

Tribus bolis.

Plautus in Curcu. Tribus bolis dixit, pro compendio, quasi tribus verbis. Mit dreuen Worten.

Pauciloquus, sed eruditus.

In eum qui pauca quidem, sed tamen audita digna loquitur, conueniet illud ex lib. 3. Iliad. Menelao breuiloquo.

Παῦρα μὲν, ἀλλὰ μάλα λιγέως,
Ἐπεὶ οὐ πολύμυθος. idest.
Non is multa quidem, verum argutissima: quippe
Pauciloquus.

Minore finire pomœrio.

Prouerbij rationem sapiunt huiusmodi ferme Metaphoræ: Finire pomœrio. Præstituere metam. Circumscribere cancellis, & si quæ sunt similes.

Numero dicis.

Plautus in Casina dixit pro eo, quod est, facile & compendio: Festus exponit pro cito ac celeriter. Idem in Amphitryone: Numero mihi venit in mentem.

Vno fasce complecti.

Apud Plinium, pro eo quod est: eadem opera & coniunctim agere, non separatim.

Tribus verbis.

Tribus verbis, pro paucissimis dicere, prouerbiale est, mit dreuen Worten.

Contemnentis dicterium.

Si quando significabimus, nos scommate, seu contumelia leuiter commoueri alsias in animum demittere, congruet illud ex Iliad.

Οὐκ ἂν κακώσαιο ὀξὺ πεσυκόλως, ἀλλά, τέρσην
Εἰπέμεναι ζωστῆρι τε παρακολον. ἀδ᾽ ὑπέγερθεν
Ζῶμα τε μίτρης, τὴν χαλκῆες κάμον ἄνδρες. idest.

At missum non transiit ad vitalia telum:
Sed summa in cute balteus ac vestis, impositaq;
Lamina squamea, quas huic faber addidit arte.

In clamosos.

Ingentem inter litigandum aut disputandum vociferationem indicabimus eo versiculo, quem de Neptuno scripsit Homerus.

Ὅσσον τ᾽ ἐννεάχιλοι ἐπίαχον ἢ δεκάχιλοι
Ἀνέρες ἐν πολέμῳ ἔριδα ξυνάγοντες Ἄρηος.
Id est.
Tantum vociferans, quantum nouies decies ue
Mille viri clamare solent, qui prælia miscent.

Idem carmen habetur Iliad. 5. de Marte.

Iubentis aperte loqui.

Si quem admonebimus vt proferat doloris aut odij causas, neque celet in animo non illepide dixerimus illud ex primo Iliados lib.

Ἐξαύδα, μὴ κεῦθε νόῳ, ἵνα εἴδομεν ἄμφω.
Id est.
Eloquitur, nec celato, quo norimus ambo.

Absit clamor in colloquio aut lusu.

Qui iubebit, in conuiuio colloquio, se temperari a vociferatione, accommodabit illud Homericum:

Νῦν μὲν δαινύμενοι τερπώμεθα μηδέ βοὴ ἔστω. idest.
Nunc hilares edamus, & omnis clamor abesto.

Qui obticescit.

In eum qui metu attonitus aut stupefactus admiratione tacet, aut cui non est quod respondeat, quadrabit illud ex Iliad. ρ.

Δὴν δέ μιν ἀμφασίη ἐπέων λάβε. idest.
Illum corripuit stupor atque infantia linguæ.

Lupus in fabula.

Quoties præter expectationem interuenit is, de quo fuerat mentio. Man an mandes Wolffs gedenckt, so ist er nit weit von dannen. Wo man des Teuffels gedenckt, da will er bald sein.

Qui parle du loup, en void la queuë. *Hæc referatur ex Iliad. κ.*

Οὔπω πᾶν εἴρητ᾽ ἔπος, ὅτ᾽ ἄρ᾽ ἤλυθον αὐτοί.
Iamque aderant ipsi, nondum sermone peracto.

Aperte simpliciterque loqui.

Simpliciter, & aperte dicturos nos citraq; ambages, significabimus hoc carmine.

Οὐκ ἂν ἔγωγε.
Ἀλλὰ παρὲξ εἴποιμι παρακλιδὸν οὐδ᾽ ἀπατήσω.
Id est.
Nec fucis te dissimulans decepero fictis.

Festiuus sermo.

Vbi quis in conuiuio sermonem inducit admodum hilarem ac festiuum qui discutiat omnem tristitiam, conueniet illud ex eodem libro, quod Homerus finxit de Helena, pharmacum immittente in conuiuarum cyathos, quod omnium anteactorum induceret obliuionem.

Αὐτίκ᾽ ἄρ᾽ εἰς οἶνον βάλε φάρμακον ἔνθεν ἔπινον
Νηπενθές τ᾽ ἄχολόν τε, κακῶν ἐπίληθον ἁπάντων.
Id est.
In vinum immisit mox pharmacon, Vnde biberunt
Luctusq; bilisq; ac malisq; obliuia cuncti.

H I S T O R I C A E X E M P L A.

Λακωνισμός, veluti pro verbo breuiloquentiam vocant, siue quod Lacedæmonij factis magis, quam eloquentia præcelluerunt, siue quod in Apophthegmatis præcipue valuerunt. Horum autem præcipua gratia, vt paucissimis verbis plurimæ sententię complectantur. *P. M. in Adag.*

Homerus Menelao ceu Lacedæmonio argutam breuiloquentiam affingit: παῦρα μὲν, ἀλλὰ μάλα λιγέως, id est: Pauca quidē, verum plane argutissima.

Laertius, ex auctoritate Aristagoræ Milesij refert: Chiloni vni è septem peculiarem fuisse breuiloquentiam: vnde genus hoc dicendi Chilonium appellat.

Interpres Pindari breuiloquentiam tribuit quoque Argiuis, citans illud ex Vlysse furente Sopoclis, μῦθος γὰρ Ἀργολιστὶ συντέμνειν λακωνισμόν. idest, Argiua paucis multa fert oratio.

De Pythagora breuiloquentia hæc refert *Ausonius epist. 12. ad Paulinum.*

Est etenim comis breuitas: sic fama renatum
Pythagoram docuisse refert, &c.
Nemo silens placuit, multi breuitate loquendi.

FINIS LIBRI SECVNDI.

C

CAECITAS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

CAECITAS, Græce τυφλότης ητος, ἡ. & τυφλός, ὁ, cæcus dicitur. Et est tam corporis, quam animi orbitas. Estque cæcum, quod non habet visum, cum natum sit habere, secundum Aristotelem libro sexto. Topicorum. Dicitur autem cæcum, quasi oculis captum, vel quod sit oculis concisum, vel quod oculis careat. Est autem cætus, qui caret lumine, vt diximus. Item insidiosus, occulte malus, latens, tacitus qui videri non potest. *muuer* cæcus a verbo Hebr. eiusdem soni, quod significat excæcauit, exoculauit, item obduxit oculis pellem, quæ *hor* Dicitur. Hinc *uau* in *ω* mutato fit *πυρόω* excæco, *πήρωσις* cæcitas. *Verg. libro sexto. Æneid.*

Cæca regens filo vestigia.

Hinc est verbum Cæcutio, quod proprie significat parum video.

Loca Biblici.

Cæcitas tum corporis, tum animi. *Genes.* 19.11. *Deuteronom.* 28.28.2. *Regum* 6.18. *&* 25.7. *Psalm.* 69.54. *&* 14.5.8 *Esa.* 6.10. *&* 29.18. *&* 35.5. *&* 42. *vers.* 7.16.18. *&* 43.8. *&* 56.10. *&* 59.10. *Sap.* 2.21. *Tob.* 2.11.2. *Mach.* 10.30. *Matth.* 15.14. *Marc* 8.18. *Luc.* 4.19. *Ioan.* 9. *ver.* 2.4 *&* 15.40 *Act.* 9. *ver.* 8.18. *&* 13.11. *Rom.* 1.21. *&* 11.10.2. *Cor.* 4.4. *Ephes.* 4.18.2. *Pet.* 1.9.1. *Ioan.* 2.11. *Apoc.* 3.17. Cæcitas corporalis a Deo, *Exod* 4.11.

Cæco non nocendum, *Leuit.* 19.14. *Deuteronom.* 57.58. Cæci cæcum ducentis conditio, *Matth.* 15.14. *Luc.* 6.39. Cæci illuminantur. Vide Miracula.

Santantaaa Biblicae.

Cæcitas naturalis in pœnam datur:

Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cœli non video? *Tob.* 5.

Ipsius illuminatio miraculosa per angelum.

Et fel valet ad vngendo, oculos, in quibus fuerit albugo, & sanabuntur. *Tob.* 6.

Tunc sumens Tobias de felle piscis liniuit oculos patris sui. Et sustinuit quasi dimidiam fere horam. & cœpit albugo ex oculis eius quasi in membrana oui egredi. Quam apprehendens Tobias traxit ab eius oculis. Itatimque visum recepit, 11.

Per Christum.

Et transeunte inde Iesu, secuti sunt eum duo cæci clamantes & dicentes: Miserere nostri fili Dauid. Tunc tetigit oculos eorum, dicens: Secundum fidem vestram fiat vobis. *Matth* 9.

Et egredientibus illis ab Hiericho. Et ecce duo cæci clamauerunt, dicentes: Miserere nostri fili Dauid. 20.

Et veniunt Bethsaidam, & adducunt ei cæcum. *Marc.* 8.

Et præteriens Iesus vidit hominem cæcum a natiuitate. *Io.* 9.

Sententiae Poeticae.

Lucret. lib. 5. de Nat. rerum.

O miseras hominum mentes o pectora cæca!
Qualibus in tenebris vitæ: quantisque periclis
Degitur hoc æui quodcunque est.

Ouid. 6. Met.

Proh superi! quantum mortalia pectora cæcæ,
Noctis habent:

Philosophicae Sententiae.

Francisci Petrarchę.

De cæcitate. DIAL. XCVI.

DOL.

Oculos perdidi. R. O quot simul vitæ fastidia perdidisti, quot fœda spectaculorum ludibria nō videbis. D. Amisi oculos. R. Frontis fortasse, non pectoris. Hi si superant, bene habet, salua res est. D. Cœcus sum. R. Non videbis solem amplius, sed vidisti, & qualis sit animo tenes, aut si non vidisti vt in parte sors durior, sic desiderium leuius ignoratæ rei. D. Oculis careo. R. Cœlum terramque non aspicies, sed cœli terræque dominum spectandi facultas non eripitur. Multum illa clarior est visio. D. Cæcitate perpetua damnatus sum. R. Non videbis amodo frondosas valles, aereos montes, floreos cespites, vmbrosos specus, lucidos fontes, vaga flumina, prata virentia, quodque pulcherrimum visu dicunt humani oris effigiem. Sed nec cœni cumulos, nec vndantes cloacas, nec laniata cadauera, & quicquid aspecto fœdo stomachum lædit. D. Oculorum luce priuatus sum. R. Vt malo huic nil aliud boni insit quam quod hos ludos enormium penitusque deformium habituum non spectabis, optanda cæcitas, quam & si optabilem fuisse sæpe olim fatear, æque vnquam nego, quandoquidem spes fugæ nulla est, quocunque terrarum verteris par insaniæ regnum, par virtutis exilium: hoc in statu perdidisse oculos fugæ & solatij genus est. D. Visum perdidi. R. Et fœminei vultus aspectum. Gaude igitur: clausæ vnde mors intrabat sunt fenestræ, multisq. vitijs obstructum iter, auaritia, gula, luxuria. pectesq: alii suos ministros, ac satellites amisere, quantum aīæ tuæ hostib. demptū est, tantum accreuisse tibi credito. D. Perdidi oculos. R. Perdidisti duces malos, qui in præcipitium te ducebant. Mirū dictu, sæpe quidem lucidissima pars corporis totam aīam in tenebras trahit, iam vocantē ad meliora spiritū sequi incipe, & veritati præbe aures clamanti: Nolite quærere quæ videntur. Quę.n. videntur tēporalia sunt, quæ aūt non videntur æterna. D. Luminib. careo. R. Culpis tu careres pluribus: si his perpetuo caruisses. nunc venturis malis occurrant virtus ac cæcitas, præterita deleant dolor ac pœnitētia, neu lugeas cæcitatem, mentis oculos aperturam, lugendū forsitan quod dilata est. D. Lumen oculorum perdidi. R. Lumen aīæ verum serua. Solent qui alterum oculum amiserunt (vt aiunt) acutius videre, Id si ita est, quid reat, nisi vt duob. perditis duob. alijs acutissime videas, & tuum facias illud Tyresiæ cæci vatis, sed famosi: *Obruit ora Deus, totamque in pectore lucem detulit.* Infelicē re vereq; cæcum & prorsus exoculatū, si hanc ēt perdidisti, q vt suspicer, tuæ si pergis, facient querelæ: perditur nēpe flebilius, quod vnicum est habenti. D. Oculos mei capitis perdidi. R. Purga igitur, & absterge quos non perdas, & externis pereuntib. ad interna reflectere. Illic, mihi crede, non in oculis habitat felicitas illa quā quęritis. D. Lumen oculis nō video. R. Disce vel in tenebris gaudere. An tibi Antipatri Philosophi responsum excidit lasciuium fortasse, sed propriū? cuius cæcitatē cum amicæ mulierculæ deplorarent, iocans, Nullane inquit vobis videtur voluptas esse nocturna? Facete ille quidē, breuiterq. Multa.n. sunt in obscuro gaudia, sicut & in luce dolor multus. Ego aūt tibi honesti solius hortator sum. D. Amissos oculos queror. R. Si vsurus male, gaudendum potius, prærepta tibi nequitiæ instra. Sin bene, nec sic, quidē est quod doleat, rem decoram visu, sed pietati, ac sancto proposito minime necessariam amisisti, nō membra, sed animū quærit Deus: Purum illi totumq. ei esset, quē vbi acceperit, quicquid est reliqui acceptū feret, nil sibi retinuit, qui animū dedit. D. Corporeos amisi oculos. R. Si ad cęlū niteris consolare te cum Didymo, quem cæcum ab infantia, inque hac cæcitate vsque ad exitū summo virtutum exercitio insignem sacer Antonius senē visens, nihil moueri debere ait, eo quod oculos amisisset, cōes sibi cum muscis, & murib. & lacertis, sed gaudere, quod oculi eōes illi cū angelis salui essent. Antonianū vere, cęlestisq; magistri discipulo dignum verbū. Sin ad liberalium studiorū decus aspiras, Homerum ac Democritum contēplare, quorū alter

(vt fama est) dum mira illa ac diuina dictaret, oculis non videbat, animo lynceus. Alter sibi oculos eruit, ne videret multa, quæ vt ipse arbitrabatur veri visus aciem impedirent, cuius factum quam vel laude, vel vituperio dignum fuerit non disputo, sed inuenit imitatores. Quod si picturam forte sculpturamve Apellis, aut Phidiæ arte tibi mente delegeras, amisisse te aliquid non negem, nisi hoc ipsum lucrum est, ab inepto humili retractum cogitatius. D. Cæcitate inops & inutilis sum. R. Quid te ipsum ecce deseris? Nam Tiresias, de quo supra diximus, cæcus visu, vaticinijs clarus fuit. Num Diodorus Stoicus, sed familiaritate Ciceroni, quam sectanoti? sua, visum perditum auditus solatio leniebat cum ei, vt Cic. ibidem ait, libri per noctes & dies legerentur? quibus in studijs oculis non egebat. Hic & philosophiæ simul & fidibus, quodque sine oculis fieri posse vis crederes, geometricis quoque descriptionibus operam dabat, & alienis manibus lineas protrahi iubens suo de illis ingenio disserebat. Caius Drusus absque oculis, sed iuris ciuilis notitia tanta fuit, vt domus eius consultorum frequentia cotidie repleretur. Et videbant illi qua iretur ad forum rectius, qua iretur ad causæ victoriã non videbant, atque ideo cœci ducis patrocinium implorabant. Sed clarissimus omnium quos famosos cæcitas habuit Appius Claudius, & re cœcus, & nomine, qui cæcitate pressus ac senio, non priuatis modo cõsilijs a populo noscebatur, quisquis in iure vel in facto scrupulus incidisset, sed authoritate, ac sententia senatũ regebat, vniuersamque Remp. gubernabat. Tu confestim vno destitutus sensu reliquos omnes, atque insuper mentem ipsam abijcis, haud aliter quam qui vnius damni leuis impatientia, & vitam, & vitæ instrumenta proijciunt desperatione præcipiti. D. Cæcus sum, nec quo pergam video. R. At dux tuus videt, siue is est animus, siue vous aliquis ex more cæci gressum diriges, cuius ductu non modo rectum iter inuenias, sed ad contemptum vitæ nobilem, & præclaræ virtutis actus vltimos ad fastigia summa peruenias, neque nisi vis animi defuerit generosum facinus lux amissa præpediet. Meministi quid sacris Samson in literis, qd ciuili bello apud Lucanum Massiliæ Tyrrhenus agat in æquore, de quo quidem, si poeticæ tubæ minus est fidei, illud certius atque recentius recordare, quod ætate tua videre oculis potuisti. Vt Ioannes Rex Bohemus, duorum sine medio Romanorũ principum alterius filius, alterius pater oculis semper infirmus, multos ad extremum annos cæcus, bello hoc quod inter Gallũ, cui ille fauit, ac Britãnum regem, sex iam lustris agitur, dum pugna illa omnium asperrima, cui ambo reges interetãt inclinare fortunam suæ partis intelligeret, duces suos clara voce compellãs: Dirigite me inquit ocyus in eam partem, vbi rex hostium est, atque omne robur exercitus sui, quod cum mœsti, ac trepidi fecissent, ille equo stimulis adacto, eo se præcipitem dedit, quo spectare alij, cæcumque oculis prosequi vix audebant, vbi confertissima hostium in acie, non fortiter modo, sed horrifice pugnans ruit, ipsis mirantibus, & laudantibus qui vincebant. Rem narro notam omnibus, sed nisi mandata sit literis obliuione perituram, & quid oro gloriæ viri fortis obfuit visu caruisse? nisi vt quem virtus & natura mirabilem fecerant, stupendum cæcitas faceret. D. Cæcus sum. R. Iocari incipiam ni desistas queri. Nam quid aliud, si vitea attulisse tibi cæcitas quitur, quam quod de seipso cæcus effectus Aclepiades ait, vno scilicet vt puero comitatior gradiare.

A D A G I A.

Cæcus cæco dux. τυφλὸς τυφλῷ ὁδηγὸς Vn aueugle meine l'autre.

Euangelicis literis celebratum adagium Vtemur, quoties in lectus indoctũ docere, inconsultus imprudenti consilium dare conabitur.

Neque cæcum ducem, neque amentem consultorem. μήτε τυφλὸν ὁδηγὸν μήτε ἄνουν σύμβουλον.

Subaudis, adhibeas. Vtemur, quoties monebimus. Discendum, sed a doctis: consilium petendum, sed a consultis ac prudentibus.

Lolio victitant.

In lusciosos & cæcutientes. Plaut. vulgo, Er hat zvvibein gessen. Item, Er sihet auff eine seiten, vvie ein Ganss, die ein Apffel suchet.

Talpa cæcior, τυφλότερος ἀσπάλακος

De ijs qui supra modum cæcutiunt, aut minime iudicare de rebus possunt. Plus aueugle qu'vne taulpe.

Cæcior Liberide. τυφλότερος λεβηρίδος.

In eosdem habetur. Est autem leberis pellicula, quam serpentes exuunt cum iuuentam reparant: in qua non oculi, sed oculorum tantum effigies & tenuissima quadam membrana apparet.

Palpari in tenebris. ψηλαφᾶν ἐν τῷ σκότει

De ijs, qui rem obscuris vestigant coniecturis. Aristoph.

E duobus tria vides. ἐκ δυοῖν τρία βλέπεις.

In eos, qui ætate, vel ebrietate, vel alio quodam oculorum vitio cæcutiunt.

Puluerem oculis suffundere. *Ietter de la pouldre aux yeux.*

In eum, qui de industria rem obscurat, & aduersario iudicium eripit. Hieron.

Saturniæ lemæ κρονικαὶ λῆμαι.

In stupidos & cæcutientes, maxime vero eos, qui ætatis vitio desipiscunt.

Quid cæco cum speculo?

Non opus est libris illiteratis. Iuuenis stultus ineptus est ad functiones publicas & domesticas exercendas. Diuitiæ sunt auaro & prodigo inutiles.

Cucurbitas lippire. κολοκύνθαις λημᾷν.

Ad præcedentis proximo adagij formam pertinet etiam hoc; stupidos & cæcos notamus, & cucurbitas lippire dicimus, id est, plane nihil videre & tantas in oculis lemas habere quantæ asunt cucurbitæ.

Ollas lippire. χύτραις λημᾷν

Similis pœtri Hyperbolo. Lucianus aduersus ineruditum, & multos eorum temulibros vsurpantes Nos eleganter dicemus de hominibus crassi iudicij, ac vehementer hebetibus, vel turpiter etiam errantibus.

Hypsea cæcior. *Horat.*

In cæcos & stupidos, tale etiam illud, Tiresia cæcior, n fabulantissima Tiresia.

In canis podicem inspicere. ἐς κυνὸς πυγὴν ὁρᾶν.

Interpres eius admonet, vulgo dici solere in cæcutientes.

Cimmeriæ tenebræ νὺξ κιμμερία *Lactantius.*

Multam animi caliginem & obscuritatem hoc adagio significamus.

Cæca speculatio. ἀλαοσκοπίη.

Suidas prouerbialem esse dictionem admonet, quoties aut conniuent, quibus datum est negocium, aut ipsi nihil vident, quibus obseruandi partes sunt delegatæ.

Cæci præscriptio. τυφλοῦ παραινέσεις.

Plane quadrat in hominem insigniter caligantem: aut in eos qui alijs præscribunt, quod ipsi non intelligunt.

E X E M P L A   B I B L I C A.

Cæcitatis & excæcationis externæ exempla: Sedechias, 2.*Reg.* 25. *v.*7.*Ier.*39.*v.*7. Tobias, *Tob.* 2.*v.*10.11. Duo cæci. *Matt.*9.*u.*27. & 20.30. Cæcus, *Matt.*12.22. Bartimæus, *Mar.*10.46. Cæcus natus, *Ioan.*9.*u.*1. Elymas, *Act.*13.*u.*11. Cæcitas cordis, pœna peccati, *Deut.*28.*u.*28.29. Damnatur *Marc.*3.*u* 5. *Ioan.*3.*u.*19. & 9 *u* 39. & 12.40. *Rom.*11.25. *Eph.*4.*u.*18. 2 *Timoth* 3.*u.*8. 2. *Pet.*1.*u.*9. Cæcitatis internæ exempla: Pharisæi, *Matth.*12.13.14. *Mar.*3.*u.*5.6. Iudæi, *Luc.* 23.*u.*18. *Ioan.*11.*u.*37. 2. *Cor.*4.*u.*3.4.

E X E M P L A   P R O F A N A.

Sesoris, vel (vt alij appellant) Sesostris, Aegyptiorum rex potentissimus & bellicosissimus, post multas res, egregie gestas, visum amisit. *Diod. Sic.*

Anysis rex Ægyptiorum cæcus fuit, ex vrbe Anysi. *Herod. lib.* 2.

Lycurgus a Thracibus (quibus imperabat) excæcatus est: quod fœminas quasdam sequentes Bacchum, simulata cum Deo amicitia interfecisset. *Diodor.*

Ioannes Boemorum rex cæcus, pro Gallis aduersus Anglos pugnans, fortiter occubuit. *Theat. Zuing.*

Belisarius præfectus Iustiniani Imper. deletis Vandalis, acto de Persis triumpho, Italia a Barbaris non semel liberata, propter prosperos successus. Imp. formidolosus & suspectus factus est: ac propterea ab eodem oculis priuatus. *Procopius & Crinitus lib.* 9 *c.*6. *Volater. lib.* 23. *Anthrop. Fulg. & Egnat. lib* 5 *c.*3.

Appius Claudius, Cæcus cognomine, mentis oculis pacem cum Pyrrho patriæ inhonestam fore prævidens, eam magno animo & felici euentu dissuasit. *Cic. de Senect.*

Cn. Aufidius Prætorius, in cæcitate sententiam in senatu dicebat, nec amicis deliberantibus deerat: Græcam scribebat historiam & videbat in literia. *Pontan. lib.* 2. *c.*8.

C. Drusus cæcus fuit: tamen domus eius implebatur consultoribus, qui in suis causis cæcum adhibebant ducem, *Valerius de Studio.*

Nicolaum quendam cæcum describit *Pontan lib.* 2 *c.*7. *de Fort. domestica*, qui festis diebus, Etruscis numeris, aut sacras historias aut annales rerum antiquarum è suggestu decantare solitus erat, ad quem doctorum hominum, qui Florentiæ tum multi erant, concursus fiebat.

Lippus Florentinus, oculis orbatus, animo acutissime vidit cum assidue Rhetorum, & philosophorum auditoria non paruo cum fructu frequentaret. *Pontan lib.* 2. *cap.*8. *de Fortitud. domestica.*

In Lepidorum familia Romæ tres intermisso ordine obducta membrana oculo geniti sunt. *Plin. lib.* 7. *c.* 12.

Xenarchus è Seleucia Niciæ Peripateticus, qui Alexandriæ docuit, Arrij primum philosophi, deinde Cæsaris Augusti vsus amicitia, paulo ante mortem visu orbatus est. *Strabo lib.* 14.

Diodorus Stoicus post visum amissum, vt Cicero refert, multo etiam magis assidue, quam antea in philosophia versatus est, cum & fidibus Pythagoreorum more vteretur, & quod vix fieri posse videbatur Geometriæ munus tueretur. *Pont. l.* 7. *c.*6. *de Fort. domestica*

CAELEBS.

DEFINIT. ET ETYMOLOG.

CAelebs, Græce ἄγαμος, καὶ ἀζυγής, ἀγαμία, cælibatus dicitur. Et is proprie dicitur cælebs, qui caret, semperque caruit vxore. Abusiue tamen pro eo ponitur, qui vxorem non habet, etiam si alias habuerit. Hinc cælibatus est vita, quæ agitur, sine vxore. *Suet.*

Verum amissa vxore Lepida, duobusque ex ea liberis, mansit in cælibatu Horatius: *Martijs cælebs quid agam Kalendis.*

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Plutarchus in Lycurgo, author est, apud Lacedæmonios tantum habitum fuisse honorem coniugio, vt si qui essent, qui cælibem agerent vitam, eos iuberent magistratus, per hyemem in vrbe nudos forum circumire, vbi etiam carmen in se compositum canere cogebantur, in quo erat: Iure optimo eos publica ista ignominia affici, quoniam legibus Spartanorum non parerent. Deinde etiam honorum & obseruationum, quæ iuuenes seniores prosequebantur, ipsi expertes erant.

Inter reliqua capita, quæ lex Poppœa, vt veteres, siue Papia, vt recentiores vocant, hos quoque vnum erat ad augendas cælibum pœnas, vt qui coniuges filios non haberent, quod alter alteri legasset, decima parte Fisco applicaretur. Cui Tiberius Cæsar & illud postea adiecit: Sexagenarius vxorem ne ducito. Eo, quod generandis filijs ætas illa penitus inutilis sit visa. Quod legis caput primum Claudius Cæsar, authore Tranquillo, deinde *Iustinianus noster l. Sancimus. C. de nuptijs abrogarunt.* Cum etiā illa grandæua ætate nonnullos procreasse historiæ tradant.

SIMILITVDINES.

D. Augustini, sicut non est impar meritum patientiæ in Petro qui passus, & Ioanne qui passus non est: Sic non est impar meritum continentiæ in Ioanne qui nullas expertus est nuptias, & in Abraham qui filios genuit, Nam illius cœlibatus, & illius connubium, pro temporum distributione Christo militauerunt *De coniugat. c. 21.*

HISTORICA EXEMPLA.

Heliam neque Helisæum vxores habuisse, aut liberos genuisse, vsquam legimus: & a nemine ante Euangelij tempora præterquā ab ijs mortuos ad vitam excitatos: vt miraculi raritas ac magnitudo seruatæ castimoniæ, testetur meritum. *Sab. l. 5. c. 7.*

Malchus monachus captus a Saracenis, cum a domino suo cogeretur seruam Christianam matrimonio sibi iungere: mortem sibi ipsi consciuisset, nisi ab illa voto communi castitatis suscepto seruatus fuisset. *Hier. in vita Malchi.*

Marsias Phryx, ingenio prudentiaque mirabili fuisse dicitur: coniecturam ingenij sumunt, quod vocis sonum multiplicis fistulæ imitatus, ad tibias eam harmoniam traduxit: prudentiæ, quod vsque ad extremum vitæ finem cælebs vixit, *Diod. l. 3. c. 5.*

Epaminondas Dux Thebanus cælebs. *Probus in Epaminonda.*

Apud Spartanos qui cælibes vixissent, gymnicis spectaculis arcebantur, nudique hyeme forum circuibant, ne, vt cæteri senes, in honore apud iuuenes essent.

Iaso Maynus I.C. cum Ticini doceret, a Ludouico XII. Gallorum rege (qui Genua subacta de Liguribus triūpharat, & fama Mayni motus, cum profitentem nobilissimorum principum choro stipatus audierat) rogatus cur nunquam duxisset vxorem? vt te commendante, respondit, Iulius Pontifex ad purpureum galerum gestandum me habilem faciat. *Iouius in Elog.*

SCRIPTORES.

De cælibatu Ecclesiasticorum, *Vide Roberti Bellarmini disputat. T. 2. Contr. u... lib. 1. de clericis a c. 18. ad 24. Col. 346. Io. Gerson Tom. 2. Clericorum, Ioa. 1. Ecci. Scripta aduersaria E. Latom. & M. Buceri,* Contra Cælib... *Ho... Erasmi.*

Vide tit. de Coniugio, Virginitate, Castitate, &c.

CALAMITAS.

DEFINITIO ET ETYMOL.

CAlamitas proprie significat calamorum fractionem a grandine aut alia aeris iniuria. Dicta etiam est grando (Donato interprete) calamitas, quod calamos comminuat. Hæc vox fluit ab Hebræo verbo *Kamal*, calamitosus fuit, succisus est in calamo seu culmo. Cognationem habet cum *Calam*, calumnijs proscissus est. Et quidem, segetes grandinis impetu & fragore conteruntur. Hinc κάλαμος, καλάμη Calamus, culmus, calamitas: vide Isai. 19. 6. & 33. 9. Alijs vocibus calamitatē designant Hebræi. quarum prima est *Ed*, pernicies, exitium, nocumētum: Iob 18. 12. Prou. 1. 5. 6. Ierem. 48. 16. Altera *Rahaim*. id est, impetus, fragor, commotio, vt fit in istiusmodi calamitatibus a verbo *Rahā*. Turbatus est impetuose, concitatus est magno impetu. Vide Isa. 29. 6. Tertia *Schoah*. desolatio, a verbo *Scho*, desolatus est, ad nihilum est reductus. Quarta, *Schemamah, Schimamah, Schimmamon*, desolatio tam stupenda, vt quisquis eam videt non possit non gemere & halitum efflare præ dolore cordis: Isa. 62. 4. Ezech. 4. ver. penul. & 35. 7. a verbo *Schamam* desolatus est, cum stupore. Nam ad horrendas illas calamitates omnes propter subitam desolationem atque vastitatem animis consternantur & obstupescunt. Metaphorice autem calamitas. (Græc. χάλαζα, grando) pro omni miseria & pernicie ponitur. Cice. ad Atticum, Nemo maiorem calamitatem morte Pansæ accepit De homine calamitoso, morbis grauissimis & turpibus afflicto, & miserijs, dicunt, *Il est gresle*, grandine percussus confractus est.

SENTENTIAE POETICAE.

Iac. Bill. Antholog. Sacr.

Magno piorum bono calamitates ipsis a Deo immitti.

Est bonus ille obolus qui summum seruat, ut aiunt:
Queq; eatus seruans uulnera palma cupit.
Est bonus hic medicus, qui noxia doctus ab imis
Partibus ad summam pertrahit arte cutim.
Ergo caue melior ne spes te deferat unquam,
Sæpe licet casus experiare graues:
Nam ne forte tumens agitet pia pectora fastus,
Vexari patitur corpora sæpe Deus.

Calamitates nobis a Deo vtilitatis nostræ causa immitti.

Cum nimium paribus certis colludere natum:
Quinam uti genitor callidus arte solet?
Protinus horribilem fertur assumere larvam,
Verbaq; terroris fundere plena iubet.
Sic sibi trasterit Christus cum gaudia mundi
Perficit, horrendis utitur ipse minis,
Non ut b... re sui cupias quod tela furoris:
Verum ad eum ut redeat mens tremefacta mea.

SENTENTIAE PHILOSOPHICAE

Calamitas virtutis sæpe occasio est. *Senec.*

Calamitas plerumque illustris ad gloriam, voluptas nunquam. *Polydorus.*

Foris si qua accepta fuerit calamitas, emendari potest: quæ domi accipiuntur clades exitiales habentur. *Æneas Sylvius.*

Sic comparatum est, vt cum calamitosi homines erratum reprehenditur, Miseria illi potius videatur exprobrari quam culpa. *Plutarchus*

Vide Locum de Miseria, Aduersitate, Afflictione, Tribulatione.

CALLIDITAS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

CAlliditas, Græce πανουργία, καὶ πανοῦργος, callidus dicitur Hebr. *Hermah.* Vide Astutia. Et est callidus is, cui quemadmodum manus opere, sic animus vsu concalluit, diciturque a callus calli. Est autem callus cutis labore vitæ pedibus, aut alio opere in manibus, vel parte alia corporis densior facta: a quo fit calleo verbum, quod est callum facio, quod ad animum nonnunquam transfertur: & callere est callide scire. *Iuuen.* Ostrea callebat primo deprehendere morsu. Horatius: *Legitimumque sonum digitis callemus & aure*, id est, scimus & nouimus. Nam sicut pes longo labore callum facit, ita mens longa experientia facit quoddam habitum in his rebus, in quibus versatur, vnde callidus, astutus, & calliditas, astutus per ll. geminatum. Verum per simplex l. venit a calor caloris, estque calidum, frigido oppositum. habetq; primam breuem. *Virg.* Ferrū calido in pulmone tepescit. Differt callidus a versuto; quod callidus is sit cuius animus vsu, vt manus opera externa callum obduxit: versutus, cuius mens celeriter versetur, Cic. 1. Off. Scientia, quæ remota est a iustitia, calliditas potius quam Sapientia est appellanda.

APOPHTHEGMATA.

Simonides interrogatus, quamobrem, cum esset iam homo senex, & morti proximus: tamen adeo esset attentus ad rem? Quoniā inquit, malim moriens inimicis relinquere, quam viuus carere amicis. Callide autem taxauit hominum mores, qui dum sperāt bona se olim consequuturos, ob... non securi, negligunt. P. M. *lib.* 6.

Phryne Praxitelem, a quo deamabatur, rogauit, vt ex operibus quod haberet pulcherrimum, sibi donaret. Promisit quidem

amans

amans: sed illa intellexit artificem dissimulare, quod esset domi suæ optimum. Clam igitur subornauit seruum, qui Praxiteli in foro sua vendenti diceret, domum suam maximo flagrare incēdio & pleraque iam incendio consumpta esse. Praxiteles igitur statim interrogat, an Satyrus & Cupido superessent? Quod cum meretrix audiuisset, ait, salua esse omnia, & Cupidinem sibi dari iussit.

Demosthenes. ancilla quædam depositi nomine pecuniam acceperat a duobus hospitibus, ea tamen conditione, vt eam vtrisq; simul redderet. Horum alter post tempus aliquod lugubri veste & squalidus, socij mortem simulans, decepta muliere pecuniam abstulit. Post menses aliquot venit demum alter, depositum efflagitans. Verum cum fere iam desperaret delusa mulier: Demosthenes ei patronus adfuit, qui cum in aduocationem venisset, sic negocium absoluit. Parata est mulier, vt fidem depositi soluat: non tamen fieri id poterit, nisi socius quoque adductus fuerit: quoniam ab ipso modo audiuimus, hanc legem dictam esse: Ne deposita pecunia alteri sine altero numeretur. Et hac calliditate seruauit mulierculam, & elusit nebulonum depositum improbe efflagitantium conspirationem. *Plut. in Demosth.*

SIMILITVDO.

Seneca. Quemadmodum quædam in oblectamentum ac iocum sic alligantur, vt eorum solutio imperito difficilis sit: quæ ille, qui implicuit, nec vllo negocio separat, quia commissuras eorum & moras nouit: nihilominus illa habent aliquam voluptatem, tentant enim acumen animorum, & intentionem excitant: Ita hæc quæ videntur callida, & insidiosa; securitatem, torporem ac segnitiem ingenijs auferunt; quibus modo campus in quo vagentur, sternendus est, modo recti aliquid & confragosi obijciendum, per quod erepant, & sollicite vestigium faciant. *lib. 5. de Beneficijs.*

Vide Argutia, Astutia, Prudentia.

CALOR.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Calor, Calliditas, Hebr. *Chom*, a verbo *Chamah*, Incaluit, exarsit, æstuauit. Græc. θέρμη δεινότης. Calere dicitur res per translationem, metaphora sumpta a fabris ferrarijs, qui ferrum candens simul ac igni exemerunt, statim cudunt, ne mora interposita durum fiat & intractabile. Transfertur & ad animum.

SENTENTIAE PHILOSOPHICAE.

Cum cibus omnis eiusmodi esse debeat, vt concoqui possit, & calor concoctionem efficiat; calor in naturis animatis omnibus insit necesse est. *lib. 2. de anima. c. 4. T. 50.*

Calor quidem auget conficitque cibum, atque id quod leuitate præstat, ad se trahit & allicit: id autem quod salsum est & amarum, propter grauitatem respuit. *lib. de Sensu. cap. 4. & libro de Adolesc. c. 2.*

Omnes partes omneque corpus animantium calorem, quemdam cognitum & naturalem habent: itaque dum viuunt, calida sunt: cum moriuntur, & priuata sunt vita, contra frigida. *lib. de Adolesc. cap. 2.*

Principium vitæ eum denique ea quibus datum est deficit, cum calor vitalis non refrigeratur. *lib. de respir. c. 7.*

Vide Ignis, Mors, Vita.

CALVMNIA.

DEFINITIONES ET ETYMOL.

Calumnia, Græc. διαβολὴ & ὁ διαβάλλω calumnior, dicitur. Calumniam Hebræi varijs vocibus exprimunt. 1. *Dibbah*, fumus, fama late dispersa instar fumi, infamia, calumnia, a verbo *Dabab*, exhalauit, fumum tenuem ex ore emisit. Nihil est enim calumnia, quam fumus in alicuius nomen sparsus. Et vox Græca διαβολὴ Hebrææ alludere videtur. 2. *Kelimma*, contumelia, a verbo *Calam*, contumeliosis verbis exagitatus est, propius Latinū nomē designare videtur. 3. *Hoschek* a verbo *haschak*, decepit, sycophantā egit ad euertendum aliquem. *Dophi*. Offensio, offendiculum: Psal. 50. 20. Quæ omnia calumniæ ingenium aperiunt.

Calumnia Latinis dicta est a Caluendo, quod prisco verbo frustra habere & decipere significabat. Omnis enim calumnia mentitur & fallit, & mendacium aut fucum auctorem habet. Græci διαβολὴν dixerunt apposite, quod quasi traijciat ac penetret, & noxio linguæ suæ telo defigat. finis scilicet illi primus fallere, quod Latini considerarunt: lædere quod Græci: sed ireito conato. Et est criminis impositio falsa & malitiosa, *secundum S. Thomam 2. q. 68. ar. 3.*

Vel sic:

Calumnia est alicuius in litibus per fraudem & frustrationem vexatio, diciturque a caluo, quod est decipio & frustror, tractum a militibus caluis, qui omnibus solent esse derisui.

Calumnia est secundum Lucianum, delatio mentita odio, clanculum re calumniatori credita, delato ad respondendum ac refellendum non admisso. Constat autem a tribus personis, perinde atque comicum argumentum: scilicet, delatore, delato, & auditore calumniæ. Vide Lipsi & Luciani orationes de calumnia.

DIVISIO.

Duplex est calumniæ genus, quorum alterum vituperando, alterum laudando, famæ ac commodis hominum insidiatur: quorū postremum tanquam propriās sedes principum aulas sibi delegit, author *Polybius lib. 4.*

SENTENTIAE BIBLICAE.

Introducti sumus, vt deuoluat in nos calumniam, violenter subijciat seruituti. *Gen. 43.*

Non facias calumniam proximo tuo. *Leuit. 19.*

Omni tempore calumniam sustineas, nec habeas qui liberet te. *Deut. 28.*

Si quempiam calumniatus sum, si oppressi aliquem, si de manu cuius accepi, & contemnam illud hodie, restituamque vobis. *1. Reg. 12.*

Feci iudicium & iustitiā, non tradas me calumniātibus me. *Ps. 118.*

Dux indigens prudentia, multos opprimet per calumniā. *Prou. 28.*

Vidi calumnias, quæ sub sole geruntur, & lachrymas innocentiū, & neminem consolatorem. *Eccles. 45.*

Si videris calumnias egenorum, & violenta iudicia, & subuerti iustitiam in prouincia, non mireris. *ibid. 5.*

A tribus timuit cor meum, & a quarto facies mea metuit, delaturam ciuitatis, & collectionem populi, & calumniam mēdacem. *Eccles. 26.*

Qui proijcit calumniam & auaritiam ex calumnia, in excelsis habitabit. *Esa. 33.*

Recede procul a calumnia *ibid. 54.*

Hæc est ciuitas visitationis, omnis calumnia in medio eius, *Ierem. 6.*

Aduenæ & pupillo & viduæ non feceritis calumniam, & habitabo vobiscum. *ibid. 7.*

Eruite vi oppressum de manu calumniantis. *ibid. 21.*

Quia calumniatus est, & vim fecit fratri suo, ecce mortuus est in iniquitate sua. *Ezech. 18.*

Populi terræ calumniabantur calumniam, & rapiebant violenter, egenum & pauperem affligerunt, & opprimebāt calumnia absque iudicio. *ibid. 22.*

Congregamini super montes Samariæ, & videte insanias multas in medio eius, & calumniam patientes in penetralibus eius. *Amos 3.*

Audite verbum hoc, vaccæ pingues, quæ estis in monte Samariæ, qui calumniam facitis egenis. *eadem 4.*

Viduam & pupillum & aduenam & pauperem nolite calumniari. *Zach. 7.*

Accedam ad vos in iudicio, & ero testis velox maledicis, adulteris & periuris, & calumniantibus mercedem mercenarij. *Mal. 3.*

Eos, qui transibant simpliciter, conuertistis in bellum. *Mich. 2.*

Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti estote stipendijs vestris. *Luc. 3.*

Quare non magis iniuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini. Sed vos iniuriam facitis, & fraudatis, & hoc fratribus. *1. Cor. 6.*

PATRVM SENTENTIAE.

Ad calumnias tacendum non est, non vt contradicendo nos vlciscamur: sed ne mendacio inoffensum progressum permittamus: aut eos qui seducti sunt, damno inhærere sinamus. *Basil. epist. 65.*

Qui lapide ictus est, quærit medicum: ictus autem calumniæ grauius quam lapides feriunt. Est enim calumnia claua & gladius & iaculum incurabile, vt ait Salomō. Sed his veritas mederi potest, quę vbi negligitur, vulnera acerbiora fiunt. *Athan. Apolog. 5.*

POETICAE SENTENTIAE.

Menander.

Νικᾷ γὰρ ἀεὶ διαβολὴ τὰ κρείττονα.

Vincit enim semper calumnia præstantiora.

Cleanthes.

Κακούργότερον οὐδὲν διαβολῆς ἐστι πώ,
Λάθρα γὰρ ἀπατήσασα τὸν πεποιθότα
Μῖσος ἀναπλάττει πρὸς τὸν οὐδὲν αἴτιον.

Nihil

to qui magno animo iniuriam perfert, ceu silex ignis & stimulus aduersarium vlciscitur: præsertim cum nullas vires iniuriantes habeant: sed ceu lutum facile dissoluuntur. Non ergo iniuriam pati, sed iniuriam facere, & nescire pati, malum est. *Homil. 43. in Matth.*

Si quis te pauperem vt diuitem appellaret, laudaretque, nihil ad te illæ laudes, sed potius in risum verterentur. Ita si quis falso calumniaretur, nihil id ad te. Quod si te conscientia reprehendit, nulla verba perturbent, sed vitam emenda: hoc in veris reprehensionibus duco. *Hom. 82. in Ioan.*

Anton. monach. quemadmodum Aesopica illa gallina cum ægrotaret, ad felem interrogantem eam, tanquam ex beneuolentia, quomodo valeret: Recte, dixit, si tu discedas: Sic ad eiusmodi hominem, qui super dissensione sermonem vouet & interrogat, & secreta aliqua suffodit, dicendum est. Atqui nihil ego in fratre desidero, si nec ipse calumniantes audiam, nec ille. *In Melissa par. 2. serm. 53.*

Plutarchi. primum homines iouaserût animalia noxia, post & oues & boues, postremo, a nullo genere temperatum est: & Athenis primum calumniator aliquis supplicio affectus est, & recte: post hunc vous, & alter: postremo nec a bonis est temperatum: Ita cum aperitur ius in malos, cauendum, ne postea in bonos recidat. *In Moralibus.*

Vt morbus, in corpore non admittente quod proprium est, multarum noxiarum & absurdarum rerum gignit appetentiam: Ita calumnia suspicioque aduersus cognatos & domesticos, malas & noxias aliorum necessitudines induëit. *In Moralibus.*

A d a g i a.

Sycophanta. Συκοφάντης.

Conuicium prouerbiale in calumniatores & quamuis pusilla de causa litem mouentes. Butzbacher, Schvvertzandel, Lugentrammer.

Tgeocrines Tragicus. Τραγικὸς Θεοκρίνης.

Theocrines primum Tragœdiarum actor fuit, deinde calumniator & sycophanta. Vnde Demosthenes in oratione pro Ctesiphonte Æschinem, Tragicum Theocrinem nocat.

Falsum probrum.

Sententia prouerbialis est apud Æschinem in oratione τῆς παραπρεσβείας. Τὸ γὰρ ψευδὲς ὄνειδος οὐ περαιτέρω τῆς ἀκοῆς ἀφικνεῖται. Id est: Falsum probrum non peruenit vltra aures. Qui audit conuicium, cuius sibi conscius est grauiter animo vulneratur. At qui falso probro aspergitur, non perinde commouetur.

Hoc manceps, aut vicinus nunciauit.

M. Tullius in oratione pro Roscio: soletis cum aliquid huiusmodi audistis, Iudices, continuo dicere necesse est aliquem nunciasse, aut non nunquam dixisse. Scelus enim a vicinis ac mancipibus, vicinorum ac municipum scelera potissimum prodit.

Albo rem alienam caprant bona.

Rete Plautus accepit pro calumnia quadruplatorum & parasitorum. Album dixit alludens ad codicillos & dicas, syngraphasque, quibus lis intenditur, peragiturque.

Non est remedium aduersus sycophantæ morsum, ἀλλ' οὐκ ἔστι συκοφάντου δήγματος.

Dictum est in calumniatorem, cuius morsus non solum perniciosissimus, verum etiam ineuitabilis, quod clanculum plerumque.

Argiua calumnia, ἀργεία τορί.

De calumniosis & delatoribus dici solitum.

Boliti pœnam, Βλίτου δίκην

Boliti pœnam dicunt, vbi quis de re friuola nihil que plectitur.

Cydi pœnam debet. Κύδου δίκην ὀφείλει

Kydos prima correpta, conuitium significat. Κυδάζειν pro eo, quod est conuitiari. Proinde cum quis ob rem friuolam, velut verbum aliquod temere dictum, deferretur, vexareturque, cum prouerbio dicebant Cydi pœnam debere.

Chius Χῖος ἀποπατῶν.

Aristophanis interpres indicat, prouerbium iactatum in eos, qui contaminarent, conspurcarentque ciuitatem.

Pattacione calumniosior. Πατταικίωνος συκοφαντικώτερος.

Ab euentu natum. Nam Pattacion quispiam infamis calumniator, cui quum mos esset, bonis viris calumniam struere, atque hoc tam fœde quæstu pararet rem, tandem deprehensus, conuictusque, pœnas dedit capite.

Crater litium. κρατὴρ κακῶν.

De re permolesta, de homine litium autore.

Frustra Herculi, ἀκὴν τοῦ Ἡρακλεῖ.

Subaudi calumniam strueris. De his dici consueuit, qui sic omnia sua negocia gerunt, vt nemo queat aut audeat calumniari, Cenaemus aut in vehementer laudatum probatumque, aut in præpotentem, quem insimulare tutum non sit.

Samij mores. Σαμιακὸς τρόπος.

Quadrabit in eos, qui suos quosdam habent mores, a cæterorum moribus dissidentes.

Abydus, Abydenus.

Abydenorum mores in prouerbium abierunt. Nam Abydeni dicti sunt sycophantæ, seu molles & effœminati.

E x e m p l a B i b l i c a.

Calumnia vitanda est, vt quæ a Deo damnetur, *Exod. 2. 16. Leu. 19. v. 16. Deut. 5. v. 20. Psal. 15. v. 3. Luc. 14.*

Calumniatores damnantur, *2. Tim. 3. v. 3.* occasio illis amputanda, *2. Cor. 11. vers. 12. 1. Pet. 2. v. 12.* sancta conuersatione vincendi *3. vers. 16.*

P r o f a n a E x e m p l a.

Proseleni dicuntur Arcades apud Lycophronis interpretem, hoc est contumeliosi, & in probra procliues: nam προσελεῖν conuiciari est. Sunt tamen qui fatuos interpretentur, tanquam antiquos dicas, & luna quoque vetustiores. *Calius l. 16. c. 7. Al.*

Moschi natura sua ad contumelias & calumnias mutuas etiam charissimorum propensi: sæpe etiam in domos alienas res quasuis clam inferunt, quas tanquam furto ereptas repetunt. Qui semel apud principem delatus est, morte vel falsam luit calumniam, *Alex. Gragenus in Moscouia.*

Drusus tribunus plebis traditur caprinum bibisse, cum pallore & inuidia veneni sibi dati simulare Q. Cepionem inimicum vellet. *Plin. lib. 28. c. 9.*

Lege Papia delatoribus præmia certa constituta sunt. Nam cum facinorosi & perditi homines clandestina facinora admitterent, quæ ad alienam perniciem & commune tendebant ærarium, visumque videretur, plures delatores esse, qui offensas specularentur, in principem ne quid impune perditissimi homines moliri possent, delatoribus certa præmia constituit, eaque cum dimidium illarum mulctæ fuissent, Nero princeps delatorum licentiam volens comprimere, eadem præmiis ad quartas reuocauit: quare quadruplatores dicti, quod quartam partem de proscriptorum bonis, quos detulerunt, consequerentur. Tyberius vero Cæsar causa præcipui quæstus, tantum delatoribus tribuit, vt nemini fidem abrogaret, siue quid veri, siue vani referrent: Nam ebriorum sermo excipiebatur, simplicitas iocantium, & quodcunque dictum capite & fortunis luebatur, adeo vt capitale esset, circa Augusti simulacrum seruum cecidisse, vestem mutasse, effigiemque impressam nummo vel annulo latrinæ aut lupanari intulisse, dictum factumque eius aliqua æstimatione læsisse: ita vt primores senatus, & magna hominum vis, infimas delationes exercerent, cumque senatus de præmijs accusatorum abrogandis aliquando agendum putaret, Tyberius dictitans, iura subuerti, si custodes legum amouerentur, tantum licentiæ delatoribus dedit, vt plerique criminis postulati ante iudicium, supplicium præuenerint.

Vitellius Imperator. Mathematicos delatos inauditos capite puniuit. Domitianus dum rapinis intêdit animum, ita aures delatoribus patefecit, vt nihil cuiquam tutum esset, delatorque delatorem timeret, & causidici, causarum actionibus posthabitis, ad delatores se conferrent. Quod de Constantino traditur, vt delatores omni tempore admitteret, eosque ingenti studio foueret: nô sic Vespasianus & Titus, qui adeo illos insectati fuerunt, & odio prosecuti, veluti publico exitio destinatos, vt flagellis cæsos per Amphitheatri arenam spectandos traducerent, vt pœnis coerciti a noxijs deferendis abstinerent.

Pius vero Antoninus delatores, si non probarent, capitali pœna affecit: si probarent, oblato præmio dimisit infames.

Idem factum memoratur de Opilio Macrino Imperatore, vt delatores minime admitteret, sed vndique conquisitos pœnis & damno mulctaret: fuitque veteri sanctione constitutû, vt neq. mulieri, neque dânato criminis, neque militi, aut veteranis, neque viris clarissimis ob dignitatem criminosam deferenti licitum esset.

Dionysius Tyrannus, cum in ciues nullo placatiore animo esset, prosagogidas dispositos habuisse, qui singulorum dicta factaque referrent. *Alexander Neapolitanus li. 4. c. 22. Genialium dierum. Blondus lib. 4. Triumphantis Romæ.* Ex Plutarcho.

Quatuor accusatores internoscantur, docet Marcianus Iureconsultus ad S. C. Turpilianum, inquiens, Accusatorum temeritas tribus modis detegitur, & tribus pœnis subijcitur: aut enim calumniantur, aut præuaricantur, aut tergiuersantur.

Calumniari est falsa crimina intendere.

Præuaricari est vera crimina abscondere.

Tergiuersari in vniuersum ab accusatione desistere. *Blondus lib. 4. Triumphantis Romæ de accusationibus.*

Domitianus, fiscales calumnias magna calumniantium pœna repressit, ferebaturque vox eius: Princeps, qui delatores non castigat, irritat.

Quondam apud Ptolemæum, cui Dionysio cognomen fuit, quispiam Demetrium Platonicum accusauerat, quod in Bacchanalibus aquam biberet, solusque omnium muliebribus non vestiretur, de quo nisi accersitus ad regem mane palam vino libasset; & vestitu muliebri amictus ad numeros Dithyrambicos, cymbalorumque modos saliisset, plane actum erat, quod & regium exêplar non esset imitatus, & aspernaretur Dionysiorum mollitiê.

H i e r o g l y p h i c a.

Basiliscinus, quæ sine morsu perniciosa sit, argumentum hieroglyphica

phici dedit Aegyptijs sacerdotibus: vt si hominem a calumniatoribus male acceptum & mortiferis delationibus afflictatum significare vellent, *Basiliscum* apponerent. Nam enim alia ratione calumniatores homines conficiunt, quam faciat *Basiliscus*. Clam siquidem illi principum auribus insusurrant: nullo palam morsu noxio, quo diluendi ansa praecipiatur: atque ita plerique falso delati, extrema quaeque pertulere. *Pier. Val. lib.* 14.

Theologi per *amputatam aurem* accipiunt eum quemque qui detractionibus & calumnijs in alios aggestis delectatur, & turpium impudicorumque sermonum lasciuia capitur: proba vero consilia, & admonitiones de honesta & homine digna ratione viuendi, cane peius & angue protinus auersatur. *Pier. Val. lib.* 33.

Ad dexteram considet quispiam auribus praelongis insignis, quales fere illae Midae feruntur, manum porrigit procul accedenti calumniae, circumstant eum mulierculae duae, Ignorantia, ni fallor, ac Suspicio: adit aliunde propera Calumnia eximie compta, vultu ipso & gestu corporis efferam rabiem, & iram aestuanti conceptam pectore prae se ferens, sinistra facem tenens flammiuomam, dextra secum adolescentem capillis prehensum, manus ad superos tendentem, obtestantemque immortalium Deorum fidem, rapit: antecit vir pallidus in speciē impurus, acie oculorum minime hebeti: caeterum plane ijs similis, qui fontico aliquo morbo contabuerunt: hunc facile coniectas, Liuorem esse, quin & mulierculae aliquot Calumniam sequuntur comites, quarum est munus dominam hortari, instruere, comere: interpres aiebat, Insidias ac Fallaciam esse: a tergo lugubri habitu pullere, laceraque Poenitentia subsequi, quae capite in tergum deflexo cum lacrymis ac pudore procul venientem Veritatem excipit. Hac Apelles fabula suos lusit casus. *Pictura calumniae, authore Apelle, ex Luciano Sophista.*

S c r i p t o r e s.

De calumnia vide *Platonem in Apologia. & lib. 6. de Rep. Bris.* 2. 8. In calumniatorem Platonis, *Bessarion lib.* 4. Contra mendaces & impios detractores *Marsil.* 1. 12. De non temere credendo delationibus seu calumnijs *Lucian lib.* 1. Nemini detrahendum *Marsil.* 1. 6. De calumnia, *Pedianus, l.* 28. Flos Theologiae, *Rampigollus, c.* 40. Aduersus mendacium & obtrectationem admonitio.

Vide Locum de Mendacio.

C A N I S.

Vide Venatio.

C A N T I C V M.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Canticum, Graece ἀσμα, ατος τὸ, ᾠδή Hebr. *Schir.* Psalm. 96. 1. & 137. 4. a verbo *Schir*, cecinit, cantauit. Hinc συρίζω fistula canens, σύριγξ fistula, & est exultatio mentis de aeternis habita, prorumpens in vocem: & differt ab hymno, quia hymnus est laus Dei cum cantico *Hoc ex S Tho. Psal. prolog col.* 1 *fin.*

Graeci canticum, hymnum vocant: item psalmū: Sed proprie hymnus dicitur, qui voce naturali fit: Psalmus, cum aliquo musico instrumento. Vnde psalmodia deducitur, canticum mistum, vt cum aliquis ad citharam, siue aliud musicum instrumentum canit. Hinc etiam Psalterium, instrumentum musicum. Psalmus autem ἀπὸ τοῦ ψάλλω deriuatur, quod significat canto.

Cantus, est inflexio vocis: nam sonus directus est. Praecedit autem sonus cantum. *Isidorus lib.* 2 *Orig c.* 19.

Canticum est vox cantantis in laetitiam. Psalmus autem dicitur, qui cantatur ad psalterium, quo vsum esse Prophetam Dauid in magno mysterio prodit historia. Haec autem duo in quibusdam Psalmorum titulis iuxta Musicam artem alternatim sibi apponuntur. Nam canticum psalmi est, id quod cum organum modulatur, vox postea cantantis eloquitur. Psalmus vero canticum quod humana vox praeloquitur: ars organi modulātis imitatur. *Idem Isidor. l.* 6. *Orig c.* 19.

S e n t e n t i a e P o e t i c a e.

Ouid. 4. Trist. 1.

Hic est cur cantet vinctusque pede compede fossor,
Indocili numero cum graue mollit opus.
Cantat & innitens limosae pronus arenae
Aduerso tardam qui trahit amne ratem:
Quique refert pariter lentos ad pectora remos,
In numerum pulsa brachia versat aqua.
Fessus vt incubuit baculo, saxoque resedit
Pastor, arundineo carmine mulcet oues.
Cantantis pariter data pensa trahentis
Fallitur ancilla, decipiturque labor.
Fertur & abducta Lyrnesside tristis Achilles
Aemonia curas attenuasse lyra.
Cum traheret siluas Orpheus, & dura canendo
Saxa, bis amissa coniuge moestus erat.

1. de Arte amandi.

Si vox est, canta: si mollia brachia, salta:
Et quacunque potes dote placere, place.

Horat. lib. 1. Satyr. 3.

Omnibus hoc vitium est cantoribus inter amicos,
Vt nunquam inducant animum cantare rogati,
Iniussi nunquam desistant.

S i m i l i t v d o.

Chrysostomi. Sicut sordes & limus aures corporis obstruere solent: Sic meretricij cantus, fabulae huius saeculi, aures mentis solent obstruere, atque immundas facere: quasi enim stercus auribus vestris immittunt huiusmodi colloquia, & quod barbarus ille minabatur, dicens, Comedetis stercus vestrum: Id nunc multi non verbo, sed re in vobis faciunt, imo vero multo peius atque foedius, *Hom.* 38. *in Matth.*

E x e m p l a B i b l i c a.

Cantandum spiritu & intelligentia, 1. *Corinc.* 14. 15. laudes Dei cantandae, *Psal.* 30. 5. & 33. *vers.* 1. 2. 3. & 34. 4. & 47. 7. & 66. 1. & 68. *ver.* 5. 33. 34. & 69. 35. & 95. *ver.* 1. 2. & 96. *ver.* 12. & 97. 12. & 98. *ver.* 1. 4. & 99. *ver.* 5. 9. 110. *ver.* 1. 4. & 105. *ver.* 1. 2. & 106. 1. & 107. 1 & 113. 1. & 117. 1 & 118. *vers.* 1. 29. & 134. 1 & 135. *vers.* 13. 19. & 136. *vers.* 1. 2 & 145. *versic.* 10. 22. & 147. *versic.* 1. 7. & 148. 1. & 149. 1. & 160. 1. *Esa.* 12. 4. & 42. 10. *Ierem.* 20. 13. 33. 11. *Apocal.* 19. *vers.* 4. 5.

Canticum nouum, *Apoc.* 5. 9. & 14. 3. Canticum Mosis, *Exod.* 15. *ver.* 1. 2. 3. alterum eiusdem, *Deut.* 32. *ver.* 1. 2. 3. Deborae ac Barac, *Iud.* 5. *ver* 1. 2. Dauidis pro liberatione ab hostibus, 2. 22. *ver.* 1. 2. 3. 4. Esaiae, *Esa.* 5. 2. Mariae virginis, *Luc.* 1. *ver.* 46. 47. 48. Zachariae, *Luc.* 1. *ver.* 68. 69. Angelorum, 2. 13. *Esa*, 6. 3. *Apoc* 4. 8. Simeonis, *Luc.* 2. *ver.* 28. 29. 30. 31. 32. Cantica spiritualia a pijs canenda, *Psal.* 119. *ver* 54. 171. *Ephes.* 5. 19. *Col.* 3. 16.

Dauid dulcis cantor, 2. *Sam.* 23. 1. Cantores a Dauide in certos ordines distributi, 1. *Paral.* 6. 31. & 15. 16. & 25. 1. 2. *Paral.* 29. 25. & 35. 15. *Nehem.* 12. 46.

Psallendum Deo, & quomodo, *Ephes.* 5. 19. *Col.* 3. 16. spiritu, & mente, id est, gratiae agendae. *Iud.* 5. 3. 1. *Cor.* 14. 15. Psallendum tempore. *Iac.* 5. 13.

Psaltes egregius Dauid, 2. *Sam.* 23. *ver.* 1.

S c r i p t o r e s.

De canticorum origine vide *Ioan. Gerson. Tom.* 3. *operum eius.* Cantandi studium apud vetustiores Romanos inter turpia nominatum non fuisse. *Macrob Satur. l.* 3. 13. Cani remigibus solitum. *Caelius lib.* 9. *c.* 10. Item quid sit intus canere. *ibid.* De vocis moderatione. *Seneca lib.* 2. *epist.* 15. De concentibus. 1. *Problemat. Aristoteles, sect.* 51.

Templorum cantum Patres non magnifecerunt: plerique ignorarunt. Nam Athanasij temporibus Flauianus & Theodorus apud Antiochiam canendi ritum primi more inuēte (*vti ex Cassiodori Historia Tripart. lib.* 5. *c.* 32. *accepimus* induxerunt. Augustinus meminit sua aetate sub Ambrosio in Ecclesia Mediolanensi modulationem receptam.

CAPTIVITAS, CARCER.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Captiuitas, Graece αἰχμαλωσία, ας, ἡ, & αἰχμάλωτος ὁ, ὁ captiuus est. Hebr. *Schebi*, Iudic. 5. 12. Ester. 3. 8. Ierem. 15. 2. Thren. 1. 5. a verbo *Schaba* captiuauit, in captiuitatem abduxit. Carcer autem locus in quo captiui & noxij seruantur, quasi Coarcer, a coercendo, quod in eo detenti prohibeantur exire. Hebr. *Chele*, claustrum, a verbo *Chala*, clausit, conclusit, cohibuit. Hinc κλείω claudo, cōcludo: κλεὶς clauis. Carcer autem Graec. δεσμωτήριον, vinctorum locus, & φυλακὴ custodia dicitur. Dicitur autem a capio, quod est occupo, & meum facio. Varro. *Quid hic venator capit?* Cic. 10. *Nauem quandam piratarum praeda onustam cepere.* Inde captiuo verbum, quo quidam iuniores vsi sunt.

S e n t e n t i a e P o e t i c a e.

A. Prudentius.

Carcer Christicolis gradus coronae est

Carcer

Carcer prouehis ad Superna cœli;
Carcer conciliat Deum beatis.

SENTENTIAE PHILOSOPHICAE.

De carcere. DIAL. LXIV.
Francisci Petrarchæ.

DOL.

Carcere claudor indignus. R. Melior est indignus carcer quam indigna libertas: multoque satius immeritum pro iustitia mala pati quam per scelus bonis affluere, quamuis nec mala illa dici debeant, neque hæc bona, sed loquor vt vulgus, quod dolorem, malum ingens, voluptatem summum bonum iudicat. D. Carcere clausus sum. R. Quis non carcere clauditur, aut quis inde digreditur, nisi dum moritur? vetus hæc tua omniumque sors est. Vnde propriæ, vnde nouæ igitur querelæ? Ita enim scito ex quo die natus es, & antequam nascereris, in carcerem atque in vincula missum te illius imperio, cui omnis cœli ambitus, exigua domus est, & si quid summo creditur poetæ, tenebrosum vtique carcerem, & cæcum illius carceris exitum si felicem cupis, huius angustias non horrebis, sicut nec supplicia, nec mortẽ, nec humani aliquid, ad quorum patientiam & contemptum nisi præparatus, armatusque vsque erit animus in quacumque fortuna. calle graditur ancipiti. D. Turpi carcere claudor, atque angusto. R. Nullus carcer turpior, & angustior nullus quam iste corporeus, quo vsque adeo delectaris, atque vnde tantopere solui times. D. Carcere detineor importuno. R. Multos periculo instanti atque hostium manibus carcer eripuit. Multis limen carceris, pro clypeo fuit, & quo intrasse profuerat, exisse nocuit, vt ex itu admoniti, quod horruerant vtile, quod optauerant miserum faterentur. D. Carceri mancipatus sum. R. Quid scis, an fortasse non carcer, sed vt dicitur, custodia sit? quoties vinclis explicitos hostilis mucro, siue hoste sæuior paupertas inuasit: quoties euasisse pœnituit, & carcerem, quem diuturnum queri cœperant, non fuisse perpetuum questi sunt. Vidimus in carcere quosdam laute viuentes, mox inde digressos, tenuem ac difficilem vitam mæsto fine clausisse. D. Miserã in carcere vitam dego. R. Quidam libros in carcere texuerunt, tu querelas texis inutiles. Quidam literas in carcere didicere, tu patientiam dedidiscis. D. Carcerali custodia vinctus teneor. R. Plerique cauernis ac speluncis, alij se murorum angustijs inclusere, carcerem spontaneum, vel Dei amore, vel mundi odio, vulgique fastidio eligentes. Tu si hoc animo non es, tuique carceris finem cupis, expecta. Aut te hinc homo eruet, aut mors, quæ clauem carceris alteram habet, vnus quidem introitus, exitus multi sunt. Alium misericordia, alium vis eruit, alius innocentia sua, alius custodum negligentia euasit, alius precio, alius ingenio, & vel subterraneis cuniculis, vel per tenebras amicæ noctis elapsus est, quibusdam patrum memoria terræmotus & ruina, carceris viam fecit. Ad postremum quos nihil emiserit, mors absoluit. Nec minus varij euadentium euentus, Marium consulatui carcer dedit. Iulium Cæsarem piratarum custodia summum misit ad imperium, hac errare quidam de limine carceris ad dominium transiuere, & catenam sibi excussam iniecere alijs. Denique Regulum, & Socratem multosque alios non tam carcer extinxit, vt visus est quam carceri clarus finis eripuit. Et ad summam quosdam carcer ad insignem gloriam, ad eximiam fortunam, ad regnum alios, multos ad cœlum misit, ad sepulchrum omnes, nullum cepit, quem non redderet.

De carceris exitu. DIAL. LXXIX.

GAVD.

Iuuat carcerem euasisse. R. Est & hæc (fateor) intermissa gratior libertas ac reddita quam seruata, sed non omnia quæ delectant, prosunt, & sæpe nociua sunt dulcia, & amara salubria, sæpe non carcer modo, sed mors vtilis fuit, sæpe vita & libertas inutilis. G. Carcerem euasisse gaudeo. R. Atqui modo gaudebas portum apprehendisse, nunc gaudes portum euasisse. Carcer multis portus, multis refugium & arx fuit, & in libertate perituros seruauit, in vinculis ligata & clausa diligentius asseruantur. Nesciunt mortales cæci quid expediat, & idcirco mala sua cõcupiscunt, & assecuti gaudent, vnde mox doleant. Ne ve longius exemplũ quæras. Vidisti nuper virum illum animosi & magni potius quã constantis incepti, qui aduerso tempore se patronum Romanæ Reipubl. profiteri ausus ipse sibi tribuni nomen assumpserat, dehinc variante fortuna, Vrbe depulsus, Romanique primum principis post pontificis lapsus in carcerem vtrobique bene habitus atque honeste, tandem læua aliter emissus, gladijsque hostium non occisus tantummodo, sed discerptus, puto moriẽs carcerem suspirauit. G. E carcere lætus erupi. R. Ibis per nostra turbida litibus, per plateas vrbium tumultusque negociorum & tempestatum libertatem putans gratulaberis, dum quem clauis vna concluserat, mille stringeat laqueis. Cumque læti omnes e procellis portum petant, vous tu natura mirabilis e portu lætus in procellas tendis. G. E carcere digressus gaudeo. R. Bonum in hoc vt in reliquis consilium erat, neque nimium gaudere, neque nimium dolere, sed æquanimitatem omni in statu ceu vitæ gubernaculum tenere, in tanta præsertim caligine futurorum. Neque miserum est (vt fertur) intrasse, neque tam faustum carcerẽ exiuisse, quoties carcer libertati hostis, propitius est saluti, quoties optata votis omnibus libertas in perniciem & in mortẽ versa est? G. Exiui ex carcere. R. Latiori de carcere multi hominem casus eripiunt, ex angustiori autem sola mors eruit. G. Molesto de carcere discessi. R. Potes in hunc carcerem reuerti, in illum alterum cum semel exieris non redibis hoc in tempore.

Palyanthea Nouiss.

EXEMPLA BIBLICA.

Captiuorum hominum exempla: Loth, *Genes.* 14. *vers.* 12.13.14. Madianitarum vxores & paruuli, *Num.* 31. *v.* 9. Israelitæ, *Iudic.* 2. *v.* 14. *&* 2. *Reg.* 5. *v.* 2. Equites mille septingenti, & duo millia militum, 2. *Sam.* 8. *v.* 4. Amasias, 2. *Reg.* 14. *v.* 13. Sacerdotes, 17. *versic.* 72. Vxoris Dauidis, filij & filiæ, 1. *Sam.* 30. *v.* 3.4.5. Beera, 1. *Paralip.* 5. *v.* 6 Iesana, Ephron, 2. *Paralip.* 13. *v.* 19. Decem millia virorum, 2. *Paral.* 25. *v.* 11.12. Achas, 28. *v.* 5. Iudæi, eorumque mulieres & paruuli, *vers.* 8. Manasses, 33. 11. Tobias, *Tob.* 1. *vers* 2. Sedechias, *Ierem.* 39. *vers.* 5. Reliquiæ populi & filiæ Regis in Masph. *Ierem.* 41, *ver.* 10. Iechonia & Principes eius, *Baruch* 1. *vers.* 9. Captiuarum ciuitatum & regionum exempla: Villæ seu viculi Iacer, *Num.* 21. *vers* 32. Iericho, *Ios.* 6. *versic.* 20. 2. *Machab.* 12 *versic.* 15. Ai. *Ios.* 8. *vers.* 19. Maceda, *Ios.* 10. *vers.* 28. Gazer, *vers.* 33. 1. *Reg.* 9. *versic.* 16. Lachis, *Ios.* 10 *versicul.* 33. Dabir, *versic.* 38.39. Gosen, *versic.* 41. Canat Sephor, *Ios.* 15. *v.* 17. Lesem, 19. *v.* 47. Ierusalem, *Iudic.* 1. *v.* 8. Baruch, 1. *versic.* 24. Ieremias, 38. *versic.* 28. Gaza, *Iudic.* 1. *versic.* 18. Roma, 9. *vers.* 45. Sion, 2. *Samuel.* 5. *versic.* 7. Syria, 8. *vers.* 13. Rabbah, 12. *versicul.* 29. Geth, 2. *Reg.* 12. *versiculo* 17. Aion, &c. 15. *vers.* 29. Samaria, 18. *versic.* 10.11. Ciuitates Iuda, 18. *vers.* 13. Gessur & Aram, 2. *Paral.* 2 *versic.* 23. Bethel, 13. *versic.* 59. Ciuitates Ephraim, 17. *ver.* 2. Bethsames, Aialon, &c. 28. 1. 18. Azotum, *Esa.* 20. *u.* 1. Carioth, *Ierem.* 48. *vers.* 41. Mespa, 1. *Machab* 5. *versic.* 35.

In carcerem coniectorum exempla: Ioseph, *Genes.* 39. *u.* 20. *Psalm.* 105. *u.* 18. Pincerna & Pistor Pharaonis, *Gen.* 40. *vers.* 1. Filius Salumith Israelitidis blasphemus, *Leuit.* 24. *uer.* 12. Colligens ligna in Sabbatho, *Num.* 15. *u.* 34. Samson, *Iudic.* 16. *u.* 21. Michæas. 3. *Reg.* 22. *uer.* 27. 2. *Paralip.* 18. *uersic.* 26. Oseas, 2. *Reg.* 17. *vers* 4. Ioachin, 25. *u.* 27. 28. 29. Ieremias, *Ierem.* 32. *uers.* 2. *&* 37. *uer.* 15. Sedechias, 39. *u.* 7. & 52. *u.* 11. Ioahas, *Ezech.* 19. *u* 9. Ioannes Baptista, *Matt.* 14. *u.* 3. *Marc.* 6 *u* 17. *Luc.* 3. *uer.* 20. Conseruus, *Matth.* 18. *uersic.* 30. Barrabas, *Luc.* 23. *u.* 18. Apostoli, *Actor.* 5. *u.* 18. Petrus, 12. *uersic.* 4. Paulus & Silas, 16. *u.* 24. Multi Sanctorum, 26. *u.* 10. Paulus, 2. *Corinth.* 11. *uer.* 23.

Captiui in Babylonia iubentur orare pro pace ciuitatis, *Ierem.* 29. *uer.* 7. pro vita Nabuchodonosor Regis, & eius filij Balthasaris, *Baruch.* 1. *uers* 11. Captiua mulier quomodo ducenda in vxorem, *Deuteron.* 21. *uersic.* 11. 12. 13. Captiuos inuisere bonum & pium est, *Gen.* 14. *uers.* 14. 1. *Sam.* 30. *uers* 9. *Tob.* 1. *u.* 15. *Ierem.* 38. *uersic.* 9. *Matth.* 25. *uers.* 37. *Act.* 12. *uersic.* 5. 2. *Timoth.* 1. *uersicul.* 16 *Hebr.* 13. *uers.* 3. Captiuos non deserit Deus, *Gen.* 39 *uers.* 21. *Psalm.* 105. *uer.* 17. 18. 19. *Sap.* 10. *u.* 13. *Esa* 42. *uer.* 7. *Act.* 5. *u.* 18. *&* 12. *uer.* 17. *&* 16. *uersic.* 25.

HISTORICA EXEMPLA.

Leo III. Romanus Pontifex. Carulo Magno regnante, dum supplicationes agit a Gregorio institutas, apud ædem Syluestri captus, & Paschalis Primicerij ac Campuli presbyteri fraudibus fere ad mortem cæsus, in cœnobium S. Erasmi relegatus est. *Volat. lib.* 22. *Anthrop.*

Anastasius III. Benedicto III. deposito, cum pontificatum inuasisset: ab Imperatoris legatis deiectus, & in carcerem coniectus est. *Sigebertus in Chronicis.*

Rogerij F. Gulielmus, Apuliæ & Calabriæ dux. Innocentium II. Pontificem bello cepit. *Theat.*

Agathocles, Lysimachi Thraciæ regis F. a patre contra Dromichæten Getarum regem missus, captus est. Lysimachus filiam Dromichæti despondit: & ea parte Thraciæ cessit, quæ trans Istrum est. *Pausanias.*

Crœsus Lydorum rex, qui templa oraculorum omnium quæ tum fuere multis & magnis muneribus ornauit, quique aurum & argẽtum in lateres fudit, a Cyro Persarum rege captus: quod reliquum ætatis superfuit, in seruitute vixit. *Herodotus.*

Pescennius Niger a ducibus Seueri Imp. per Aemilianum superatus, apud Cyzicum sauciatus, captus, & ad Seuerum deductus est, caput eius suffixum, Romam missum. *Spartianus.*

Æmilianus Mauritianus Imp. ab exercitu nominatus, a duce Galieni Theodoro captus, ad Galienum missus est. *Trebellius Pollio.*

Vide, Aduersitas, Afflictio, Fortuna, Miseria, Item Fortitudo, & Constantia.

CARO.

DEFINITIO ET ETYMOL.

Caro, Σάρξ, κρέας. Est materialis pars influens per nutrimentũ, effluens per conuenientem calorem, ideo quouis modo abscindatur, citò crescit. *Albert. Magn. de ani. l. 3. tract. 2. c. 5.*

Alias significationes huius uocis quære in sequentib. authorum locis.

BIBLICI LOCI.

Caro, Hebræorum more. I. pro toto homine, *Genes. 6. 3.* per synecdochen. II. pro omni & toto hominum genere, 12. *Psalm. 78. 39. Esa. 40. 6. Ioel 2. 28 Matth. 24. 22. Luc. 3. 6. Ioan. 1. 14. & 17. 2. Act. 2. 17. Rom. 3. 20. 1. Cor. 1. 29. Gal. 2. 16.* qua appellatione imbecillitas humana significatur, quam ob causam carnis nomen equis quoque tribuitur, *Esa. 31. 3.* III. pro humana natura, 1. *Timoth. 3. 16.* IV. pro humanitate seu humana Christi natura, *Io. 6. 51. Act. 2. 30. Rom. 1. 3. 1. Pet. 3. 18 & 4. 1.* sicut Spiritus pro diuina, *Rom. 1. 3.* V. pro crassa & impura hominis natura: hoc est non pro carnea illa corporis mole, sed pro animi & corporis humani natura peccato & morti addicta, *Ioan. 1. 13. & 3. 6. Rom. 7. 5. Ephes. 2. 3.* quæ passim Spiritui opponitur in Scriptura, præsertim autem, *Ioan 3. 6.* Sic autem vsurpari carnis vocabulum, vt non corporis solum, sed & animi humani naturam peccato & morti addictã comprehendat, liquet vel ex eo, quod carni huic Paulus tribuit φρόνημα. *Rom. 8. 7.* & νοῦν, *Coloss. 2. 18.* Caro igitur pro carnali ponitur, Hebraica phrasi non secus ac Latinis scelus dicitur, pro scelerato: & designat miseram totius hominis conditionem, *Psalm. 56. 5. & 79. 39.* vt supra dictum est. VI. Pro parte hominis non regenerata, *Rom. 7. 18. & 8. 3. Galat. 5. vers. 13. 19. 24. Col. 2. 15. 2. Corint. 12. 7. 1. Ioan. 2. 16.* VII. Pro vitiositate, quæ in hominibus regnat, 1 *Pet 4. 6.* VIII. Pro ingenio vel naturæ inclinatione. *Ephes. 2. 3.* IX. Pro corruptis hominibus, *Rom. 7. 14.* X. Pro imbecillitate naturæ humanæ, 2. *Corint. 10. 2. 1. Pet. 24.* XI. Pro huius vitæ præsentis statu, *Philip. 1. 24.* XII. Pro corpore mortali, 2. *Corint. 7. 1. Galat. 2. 20.* XIII. Pro vita præsenti, & omnibus ijs, quæ ad vitam præsentem spectant, 1. *Corinth. 7. 28.* XIV. Pro externo aspectu, *Galat. 4. 13.* XV. Pro vita naturæ ordinaria, *versic. 29.* XVI. Pro vita corporali, *Galat. 2. 20. Hebr 5. 7 1. Pet. 4. 2.* XVII. Pro externis ceremonijs, 6. 12. & externis operibus ceremonialibus, quibus opponitur Spiritus, 3 3. XVIII. Pro omni eo quod est extra Christum, *Philip. 3. 3.* Caro in bonam partem sumpta, 2. *Corinth. 3. 3.*

Caro & sanguis, in nouo Testamento aliquoties totam humanam naturam συνεκδοχικῶς significant eamque interdum ita vt est corrupta & infirma, *Matth. 16. vers. 17. 1. Cor. 15. u. 50.* vel simpliciter qualis est in sese, vt a spirituali videlicet & excellentiore natura distinguatur, *Galat. 1. vers. 16. Ephes 6 versic. 12.* Præterea nomine carnis, *Rom. 7. vers. 5. Ephes. 2. versic. 2.* membrorum, *Coloss. 3. vers. 5.* exterioris hominis, *Rom. 7. vers. 22.* & alibi sæpe intelligit Paulus, quicquid est in homine, vel intus, vel foris a capite ad calcem, quatenus quidem homo non est gratia Dei regeneratus, id quod vel ex eo liquet, quod diserte Apostolus inter corruptissimas partes mentem numerat, *Rom. 1. u. 28. 1. Timoth. 6. vers. 5. 2. Timoth. 3. 8. Tit. 1. versic. 15. Item Ephes. 4. vers. 24.* vult renouationem ad spiritum vsque mentis pertingere. Vnde illud quoque liquet, quid vocabulum spiritus carni oppositum, seu interior ac nouus homo declarent. Cum carne & sanguine, *Galat. 1. vers. 16.* pro, cum quoquam mortalium, *vt Ephes. 6. u. 12.* Huc pertinent illæ phrases: Secundum carnem esse, *Roman. 8 versic. 8.* de ijs dicitur, qui cum non sint Spiritu donati, sese cupiditatibus carnis immergunt: Viuere autem in carne, *Philip. 1. versic. 22.* vel ambulare in carne, 2. *Corinth. 10. ver. 3.* nihil aliud declarat, quam in hoc caduco corpore vitam degere tantisper, dum cœlesti & æterna vita potiamur, vt *Gal. 2. u. 20. 1. Pet. 4. u. 1.* Carni serere, *Galat. 6 u. 8.* pro fluxis illis & caducis bonis accumulandis opes impendere. In carne esse, *Roman. 7. 5. & 8. 8.* significat prioris coniugij conditionem, quæ *u. 6.* vetustas literæ. Carnem igitur appellat hominem ψυχικὸν id est, qualis ex Adamo procreatur natura peccato omni ex parte penitus obnoxia, cui opponitur esse in spiritu. 8. 9 Secundum carnem nasci, *Galat 4. u. 23. 29.* est consueto hominum more nasci damnatus carne, 2. *Pet. 4. u. 6.* dicitur is, in cuius carne damnatum est, hoc est, abditum & extinctum est peccatum, quæ prior pars est sanctificationis, vt diserte loquitur Paulus, *Rom. 8. u. 3.* adeo vt locus ille Petri non possit planius explicari, quam ex 1. *Cor. 5. u 5.* vbi dicit Paulus: Ad interitum carnis. Carnem suam crucifigere quomodo quisque debeat, *Eccles. 19. 1. Rom. 6. 12. & 8. u. 12. 13. 14. Galat. 5. 16. Ephes. 4. 22. & 5. 3 Tit. 2. 12. 1. Pet 2. 1. & 4. u. 2. 6. Hebr. 2. 1.* Caro & sanguis, pro naturali homine, *Matt. 16. 17. Galat. 1. 16. Ephes 6. 12.* pro corpore hoc animali ita vt nunc est, 1. *Cor. 15. 50.*

Caro vna, vir & vxor, *Genes. 2. 24. Matth. 19. 5. Marc. 10. 8. 1. Corint. 6 16. Ephes. 5. 31.* Hebraismus, hoc est, vnum corpus. Caro cum sanguine non edenda, *Gen. 9. 4. Leuit. 19. 26.* Caro a bestijs laniata non comedenda Iudæis, *Exod. 12. 31.* Carnis cura quatenus habenda, *Roman 13. 14.* Carnis gloriatio vana, 1. *Corint. 1. versic. 29.* Carnis infirmitas magna, *Matth. 26. versic. 41. Roman. 8. versicul. 7.* Carnis & spiritus lucta, *Roman. 7. versic. 21.* Carnis opera, *Galat. 5. u. 19. &c.* Prudentia carnis damnatur, *Rom. 8. 6 & 12. 16.*

Carnalis homo, *Rom. 7. vers. 14. 1. Corinth. 3. u. 1.* Carnalis tunica, *Iudæ, vers. 23.* Carnales pro ijs, qui in carne sunt, ac proinde Deo placere non possunt, *Roman. 8. versic. 5. 8.* pro ijs qui sunt quidem in Spiritu, sed tamẽ adhuc νήπιοι & quasi teneri infantes sunt, 2. *Cor. 3.* quod explicat ibidem Apostolus per infantium vocabulum, *versic 3.* exponit quid sit, carnalem esse, nempe, humani iudicij imbecillitati esse obnoxium, quod quidem aliquatenus in eos etiam cadit, qui alioqui sunt spirituales, cum omnes ex parte cognoscamus, 1. *Cor. 13. vers. 12.* Carnalia bona pro temporalibus, 1. *Cor. 9. 11.*

SENTENTIAE BIBLICAE.

Fratres, debitores sumus, non carni vt secundum carnem viuamus. *Rom. 8.*

Carnis curam ne feceritis in desiderijs. 13.

Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt. 1. *Cor. 15.*

Charissimi mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficientes sanctificationem in timore spiritus. 2. *Corinth. 7.*

In carne ambulantes, secundum carnem militamus, 2. *Cor. 10.*

Qui in carne sunt, Deo placere non possunt, vos autem in carne non estis, sed in spiritu, si tamen spiritus Dei habitat in vobis. *Rom. 8.*

Cum sit inter vos zelus, & contentio, nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis? 1. *Cor. 3.*

Caro concupiscit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem. Hæc enim sibi inuicem aduersantur, vt non quæcumque vultis illa faciatis. *Gal. 5.*

Charissimi obsecro vos tanquam aduenas, abstinete vos a carnalibus desiderijs, quæ militant aduersus animam, 1. *Pet. 2.*

Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est. *Gen. 6.*

Nihil damnationis est ijs, qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant. Qui enim secundum carnem sunt, quæ carnis sunt sapiunt. *Rom. 8.*

Si secundum carnem vixeritis, moriemini: sin autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis, *ibid.*

Dico in Christo: spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis. *Gal. 5.*

Manifesta sunt opera carnis: quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum seruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia, quæ prædico vobis sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei nõ consequentur. *ibid.*

Nolite errare, Deus non irridetur. Quæ enim seminauerit homo, hæc & metet: quoniam qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem. 6.

PATRUM SENTENTIAE.

Carnis afflictio est, per quam lasciuæ mentis seminaria castigatione discreta comprimuntur. *Aug. de defin.*

Spiritus deficit, vbi caro requiescit. Vt enim caro mollibus, sic anima duris nutritur. Illam blanda refouent, hanc aspera exercent. *sup. Ioan.*

Vis vt seruiat caro tua animæ tuæ: Deo seruiat anima tua: debes regi vt possis regere. *In Ioan.*

Caro mala non est, si malo careat. *de Cont. c. 8.*

Corporis debilitas nimia, etiam vires animæ frangit: mentis quoque ingenium marcescere facit: quicquid cum modo, & temperate fit, salutare est, optimus in omni re modus, laudabilis vbique mensura. *Hieron. in epist.*

Dum carnalis vita corrigitur, & vsque ad abstinentiæ atq; orationis studium a perficientibus peruenitur, quasi iam in altari caro incenditur, vt inde omnipotentis Dei sacrificium redoleat: vnde prius culpa displicebat. *Greg. in moral.*

Non gestamus laqueum nostrum nobiscum, circumferimus inimicum, carnem nostram loquor, de peccato natam, in peccato nutritam, corruptam nimis ipsa origine: sed multo amplius praua consuetudine vitiatam. Hinc est quod tam acriter aduersus spiritum concupiscit, quod assidue murmurat: & impatiens est disciplinæ, quod illicite suggerit, quod nec rationi obtemperat, nec vllo timore cohibetur. *ibid.*

Quia iniquus carnem suam Deo præposuit, iudicante Deo alitur, vt ex ea amplius in igne crucietur. Hic itaque eam relinquere non vult, & quum ab ea abstrahitur, illic eam relinquere appetit, & tamen in ea propter supplicia reseruatur. *ibid.*

Sic

Sic cooditi mirabiliter sumus, vt ratio animam, & anima possideat corpus. Ius vero animæ corporis possessione repellitur, si non prius anima a ratione possideatur. *ibid.*

Hi frequenter maiores tribulationes ex carne suscipiunt qui carnis voluptatibus delectantur. *ibid.*

Magna cura pensare debemus, vtrum noster spiritus impetu carnis ducatur, transitoria æternis præponere: ista mundana ad voluptatem, non ad necessitatem quærere. *ibid.*

In hoc mundo cum oostris tentationibus nascitur, & caro oobis aliquando adiutrix est in bono opere, aliquando autem seductrix in malo. Si igitur ei plus, quam debemus tribuimus, hostē nutrimus: & si oecessitati eius quæ debemus, noo reddimus ciuem necamus. Satianda est itaque caro, sed ad hoc vsque, vt ei boo oobis sufficiat. Nam quisquis ei tantum tribuit, vt superbiat, satiari penitus ignorat. Ars itaque magna est satiari, ne vnusquisque per satietatem carnis, ad ioiquitatē prorumpat turpitudinis. *Hom. 3. secunda parte Ezech.*

Iram, metum, cupiditatem, & gaudium, velut quoodam animi currum auriga regit, & in captiuitatem redigit omoem carnalem affectum, & carois sensum nutu rationis, in obsequium virtutis. *Bern. sup. Cant.*

Cur caroem tuam pretiosis rebus impinguat & adornas, quā post paucos dies vermes deuoraturi sunt in sepulchro: & aoimam tuam bonis operibus nō adornas, quæ Deo & Angelis eius pręsentanda est in iudicio? Cur ergo animam tuam vilipendis, & ei caroem præponis? dominam ancillari, ancillam dominari, magna abusio est. *in ser. S. Hug. de claustr. anima.*

Primum impedimentum nostrum, & occupatio graois ipsa est necessitas miseri huius corporis, quod dummodo somnum, modo cibum, modo vestem, cæteraque similia quærit, haud dubium, quio frequenter impediat nos ab exercitio spirituali. *Bernar. in serm. 23.*

Nihil aliud est caro cum qua tanta est societas, nisi spoma caro facta, fragili decore vestita: sed erit quaodoque cadauer miserum & putridum, & cibus vermium. Si diligeoter consideres quid per os & nares & cæteros corporis meatus egreditur, vilius sterquilinium nunquam vidisti. Si singulas eius miserias enumerare velis, quam sit onerata peccatis, irretita vitijs, pruriens cōcupiscentijs, occupata passionibus, polluta illusionibus, prona semper in malum, & in omne vitium procliuis, plenam confusione & ignominia inuenies. *Hug. de claustro anima. l. 1. c. 31.*

Attende homo, quid fuisti ante ortum, & quid es ab ortu vsque ad occasum, atque, quid, eris post haoc vitam. Profecto fuit, quando oon eras: postea de vili materia factus, & in vilissimo panno iouolutus menstruali sanguine in vtero materno fuisti outritus. Tunica tua fuit pellis secundina. Sic indutus & ornatus venisti, nec memor es quam vilis sit origo tua. Forma, fauor iuuenilis, opesque surripuere tibi, nosce, quid sit homo. Nihil enim aliud est homo, quam sperma foetidom, saccus stercorum, cibus verminm: Post hominem vermis, post vermes foetor & horror: Sic in non hominem vertitur omnis homo. Cum fex, cum limus, cum res vilissima simus: Vnde superbimus? ad terram terra redimus. *ibid.*

Quodammodo exire caroe est io corpore commoraotem, & vltra naturam est in fragili carne aculeos noo sentire. *Cassian. de institut. monach. lib. 6.*

SENTENTIAE PHILOSOPHICAE.

Fateor nos gerere corporis oostri tutelam. Non indulgendum illi, seruiendum nego. Multis seruiet, qui corpori seruit: qui pro illo oimium timet, qui ad illud omnia refert, honestum ei vile est, cui corpus suum nimis charum est, huius nimius amor nos timoribus ioquietat, solicitudinibus onerat, & contumelijs obijcit. Agatur eius diligentissima cura: ita tamen vt quum exigit ratio, quum dignitas, quum fides, mittendum in ignem sit. Sic oos gerere debemus, vt noo tanquam propter corpus viuere debeamus, sed tanquam non possumus sine corpore, corpori tantum indulgeamus, quantum bonæ valetudini satis est. *Senec. 15. epist.*

Maiore corporis sarcina aoimus eliditor, & minus agilis est. Circumscribe corpus tuum, & animo locum laxa, multa sequuntur incommoda deditos huic curæ, bibere & sudare, vita cardiaci est. *ibid.*

Maior suam & ad maiora genitus, quam vt maocipium sim corporis mei. Contemptus corporis sui, certa libertas est. *Epist. 66.*

Sapiens itaque multum cum meliore ac diuioa sui parte versatur, cum hac querula ac fragili, quantum necesse est. *idem 75.*

Multa oos incommoda exagitant quam male conueniat nobis hoc corpos, nunc de capite, nunc ventre, nunc de pectore aut de faucibus cooquerimur. Aliquando nerui oos, aliqoando pedes vexaot, nunc detractio, nuoc distillatio, aliquando superest sanguis, aliquando deest, hinc atque illioc teotamur, hoc euenire solet in alieno habitantibus, hoc enim corpus non domus, sed hospitium, & quidem breue hospitium, quod relinquendum, vbi te grauem esse hospiti videas. *In Epist.*

Polyanthea Noviss.

Corpus hoc animi poena ac pondus est premendo illo vrgetur, in vinculis est. *Epist. 66.*

Vis aduersus hoc corpus liber esse, præpone tibi quandoque hoc contubernio carendum, & fortior erit ad oecessitatem excundi. *Epist. 71.*

Iam qui bona corporis præ se ferunt, quam exigua, quam fragili possessione vtuntur. Formæ vero nitor, vt rapidus est, & velox, & vernalium florum mutabilitate fugacior, quod (vt ait Aristoteles) Si lynceis oculis homines vterentur, vt eorum visus obstātia penetraret, nonne iotrospectis visceribus illud Alcibiadis superficie pulcherrimum, corpus turpissimum videretur? ideo te pulchrum videri non tua natura, sed oculorum spectātium reddit iosirmitas. *Boet. 3. de consolatio.*

SIMILITUDINES.

Chrysostomi. quomodo ioter coelum & terram aer medius constitutus separat creaturam vtramque? vt ostendat quia inter cęlestia & terrena nulla potest esse commixtio: Ita nec inter spiritualia & carnalia, oulla esse coniunctio potest. *In c. 4. Hom. 7.*

Sicut qui graues oculos habet, si ponas eum io aliquo obscuro tenebrosoque loco, melius videt: si autem ponas eum in sole, nihil videt, quia oculus eius oon suffert solis candorem: Sic homo mundialis, qui oculum, id est, mentem terrenis desiderijs sordidam habet, & turbulentū, si ponas eum io rebus mundialibus sapit, & astutus est: si autem trahas eum ad res spirituales, tenebrescit, ac oihil sapit, quia meos illius desiderijs corrupta terrenis, iustitiæ bonum oon sentit. *In c. 6. Matth.*

Quemadmodum diues peregre profectus, si in hospitio applicuerit pauperis alicuius, quamuis non potest in domo iubere quod vult, quia hospes est, tamen magnam sibi fiduciam agendi aliquid vendicat, quia potens: Sic & anima peregrina in hoc regnum carnis ingressa, quamuis non omnia spiritualiter agere potest secundum se, quia extraoea est in hoc mundo, tamen aliquid spirituale veodicat & in carne, quia oimium potens est. *In Matt. 22. Hom. 42.*

Sicut peregrinus pauper, nihil in hospitio diuitis potest, primo quia peregrinus & hospes est, deinde quia mendicus & pauper est: Sic & caro quum io illud sæculum resuscitata migrauerit, nihil omnino poterit sibi caroale defendere: primum, quia extranea io illo sæculo spirituali: secuodo, quia infima est carois natura. *In Matth. 22. Hom. 41.*

Cypriani. Carnis iocommoda sunt nobis communia cum humaoo genere. Sic cum flatu sterili terra ieiuna est, nemioem fames separat: si cum incursione hostili ciuitas aliqua possessa est, omnes simul captiuitas vastat. Et quando imbres nubila serena longa suspendunt, omnibus siccitas vna est. Et cum nauem scopulosa saxa confringuot oauigaotibus sine exceptione commune periculum est. Et oculorum dolor, & impetus febrium, & omnium valetudo membrorom cum cæteris bonis communis est. *Serm. 4. de immortal.*

Corpore sic vtitur anima, sicut faber malleo, vel incude, in qua format omnium turpitudioum idola, & fabricantur quælibet quarumcumque voluptatum simulachra. Nō est caro dictatrix peccati, nec inuentrix malitiæ, nec cogitans format nec disponit agenda: sed officina est spiritus, qui in ea, & per eam quęcumque affectauerit peragit & consummat. *De operib. Christi.*

Basilij. Perinde atque in acie hinc atque hinc iostructa ad conflictum, qui alteri parti fert suppetias, facit vt alter vincatur: Ita qui carni sese adiungit, expugnat spiritum: & qui stat a spiritu, carnem in seruitutem redigit. *De ieiunio.*

Theophylacti. Quæret aliquis: Quomodo id inquit Apostolus, Non io me habitat, hoc est, io mea carne bonum? dicam equidem: Cum constet, hominem ex duobus esse compositum, anima scilicet & corpore, horum sane alterum cæteris dominatur & præsidet, alterum vero, id est, caro, vt serua obsequitur.

Non igitur inhabitat in carne quod booum est, hoc est, non residet in corporis potestate, sed animæ: quodcumque itaque destinauerit anima faciendum, & corpus faciat necesse est, neque id secus se habet, quam si dixerit quispiam, noo in cithara esse, sed in citharœdo, vt pulcher aliquis & concionus edatur sonos: neque id, inquiens, citharam ille insimulabit, sed organo illum & citharæ præstare moostrabit, qui hanc arte oppulset. *In cap. 7. ad Roman.*

Absolonis quidam vir nobilis, & eius seruus tibi in custodiam dati suot, ea lege, vt seruum aqua & pane more serui, nobilem secundum dignitatem natalium suorum procurares splendide. Tu vero cootrarium, oobilem fame & siti, & multis iniurijs coofecisti: seruum vero delicate nutristi, omni genere deliciarum insolentem fecisti, rebellem doo ino suo: cui insurgens vulnerat inultus: occidit tandem. Quid respondebis ei, qui vtrumque tibi commisit? Tu homo, crudelis homo fuisti qui nobilem virum: spiritum, & animam, nullis delicijs, virtutum, nulla pinguedine

deuotionis refecisti, seruum cōtumacem nutriuisti delicate, qui carnem gula, ebrietatibus, voluptatibusque huius vitæ inescasti. Caro insurgit in spiritum: eum vitijs seruire coegit, vulnerat, occidit. *Serm. de annunciatione D. Mariæ.*

D. Chrysostomi, sicut in modio si volueris reponere, necesse est vt cadat deorsum ad inferiora eius, & tenebrosa. Sic homini carnali, & mundiali, & vacuo, si dixeris quod est Dei, non illud tenet in superiore parte mentis suæ, aut cordis, nec portat illud in ore, sed confestim cadet de mente eius, & condet deorsum in terrena & tenebrosa, vt nec illi prosit, nec alijs. *In c. 5. Matth.*

Sicut quanto acutius viderimus, tanto magis discimus, quam longe a cœli regione distamus: Sic etiam quanto superius ad virtutis ascendimus excelsum, tanto amplius docemur, quam sit inter nos & Deum grande discrimen. *Hom. 16. in Matth.*

Manifesta autem sunt opera carnis, quæ sunt, scortatio, adulteriū, immundities, lasciuia, veneficium, simulachrorum cultus, inimicitiæ, contentio, æmulationes, iræ, concertationes, seditiones, hæreses, inuidiæ, cædes, ebrietates, commessationes, & his similia, quæ prædico vobis, quod qui talia faciunt, non erunt hæredes regni Dei. Hic iam mihi dicito tu, qui carnis accusatores, & arbitraris hæc ob simultatem & discordiam esse dicta: Sit adulterium & scortatio carnis, iuxta vestram opinionem: inimicitiæ, contentio, æmulationes, concertationes, hæreses, veneficia, cuius erunt? Nam hæc tantummodo sunt corruptæ voluntatis, nimirum, vt cætera: quomodo igitur erunt carnis? vides igitur, quod hæc non loquitur de carne, sed de terrestri cogitatione, quæ humi serpit, eoque terrorem ingerit, dicens: Qui talia faciunt, regni Dei non erunt hæredes. Quod si hæc essent naturæ malæ, non voluntatis prauæ, superflue dixisset, Faciunt: faciunt, non patiuntur. Huius autem rei gratia etiam exultant a regno cœlorum. Neque enim ad ea quæ sunt naturæ, sed ad ea quæ sūt voluntatis: pertinent vel coronæ, vel supplicia. Quapropter etiam hæc minatur Paulus. *In c. 5. ad Galat.*

Veluti vermes quidam è terra in terram, & iterum ex ipsa in ipsam conuertuntur. sic & nos penitus. nec modicum recipere volumus, nec auferre nos a causis hominum: sed veluti quadam satietate & ebrietate demersi ac percussi obstupuimus imaginantes. *Hom. 24.*

Basilij, quemadmodum incola qui alienæ inquilinus est domus, ad domini arbitrium eā colit atq; exercet: Ita & nobis carnis diligentia traditur, vt congrue eam exercentes, fructum ex ea bonum præbenti reddamus. Si enim Deo digna fuerit, fiet eius tabernaculum. *In Psal. 14.*

Cypriani, habes nunc carnem tuam, quam superes semper. Quid tibi vis alteram velle conducere? Nemo super vnam febrem cupit adhibere peiorem: ne incipiat hemitritæo insanabili laborare, cui nullus valeat medicus subuenire: Neque aliquis super onus proprium tollit alienum, ne oneribus duobus vsque ad inferos demergatur. *De singula. clericorum.*

D. Bernardi. Vt Adæ indignantur merito omnes, quod vxori suæ potius obedierit quā Deo: Ita & nobis ipsis displiceamus, quod carni nostræ aut quibuslibet alijs creaturis magis quam Deo placere studemus. *Serm. 1. de omnibus Sanct.*

Quis nostrum exteriorem hanc vestem qua tegitur, si repente obscœnis vndique sputis illitam, & fœdissimis quibusque sordib. inquinatam consideret, non vehementer exhorreat, non velociter exuat, non indignanter abijciat? Itaque qui non vestē, sed semetipsum intus sub veste talem reperit eo amplius doleat, & animo consternetur oportet, quo propius tolerat, quod exhorret. Quid est caro ista, nisi corruptibilis quædam tunica qua vestimur. *Lib. de dilig. Deum.*

Venantij Honorij Clementiniani. Sicut Spiritus qui de cœlis cœlestia cogitat: Ita caro quæ de terra est, terrena curat. *In expositione orationis Dominicæ.*

Vide Homo, Mundus.

CASTITAS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

CAstitas, Græce *ἁγνεία, ας, ἡ* & *ἁγνὸς ὁ,* castus dicitur. Est autem castitas virtus specialis circa Venerea, si stricte sumatur, sicut abstinentia circa cibos: large sumpta, est essentialiter omnis virtus. *secundum B. Tho. 2. 2. q. 151. art. 1.*

Castitas, Castimonia, virginitas. Hebr. *Tahorah,* purificatio, mundatio, a verbo *Tahor,* mundus fuit, purus, emundatus. expurgatus a sordibus. Hinc Græc. *καθαρσις,* purgatio, mundatio.

Castitas virtus dicta est a castigatione concupiscentiæ tanquam pueri, *secund. B. Thom.*

Castum proprie dicimus pudicum, & immaculatum, quasi castratum. Nam castrare proprie est pudenda amputare. Qui vero pudendis caret, necessario castus est. Metaphoricōs, castum pro honesto ponimus, vt cantum castum in quo nihil est lasciuiæ: & castam manum, a furtis & rapinis se continentem. *Virg. in Georg. Casta pudicitiam seruat domus.* Item castus pro pio & religioso ponitur. *Virg. Quique sacerdotes casti, dum vita manebat.*

Castus & continens sic differunt, quod castus dicitur ante experientiam rei Venereæ: continens vero post eam, *secund. B. Tho. 2. 2. q. 160. art. 1.*

Castitas differt a pudicitia, quia pudicitia est præcipue circa signa Venereorum, vt sunt tactus, oscula, & huiusmodi: castitas vero circa Veneream commistionem, *sec. B. Tho. 2. 2. q. 143.*

Sententiæ Biblicæ.

Qui nequaquam acquiescens nefario operi, dixit ad eam (scilicet Ioseph dominæ suæ) quomodo possum hoc malum facere & peccare in dominum meum? *Gen. 39.*

Confortatum est cor tuum, eo quod castitatem amaueris, & post virum tuum alterum nescieris, ideo eris benedicta in æternum. *Iud. 15.*

Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine. *Iob 31.*

Ne respicias in mulieris speciem, & ne concupiscas mulierem a specie *Eccles. 26.*

Quoniam felix est sterilis, & coinquinata, quæ nesciuit thorum in delicto, habebit fructum in respectione animarum sanctarum. *Sap. 3.*

O quam pulchra est casta generatio cum charitate: immortalis est enim gloria illius, quoniam & apud Deum nota est, & apud homines. 4.

Sciui quoniam non possum esse continens, nisi Deus det, & hoc ipsum erat sapientia summa. *Sap. 2.*

Omnis autem ponderatio non est digna continentis animæ. *Ecclesi. 26.*

Non soluetur cingulum renum eius. *Esa. 5.*

Ecce vir vnus vestitus lineis, & renes eius accincti auro obrizo; *Dan. 10.*

Melius est mihi incidere absque opere in manus hominum quam peccare in conspectu Domini. 13.

Non fornicaberis, & non eris cum viro, & ego expectabo te. *Osea 3.*

Contemplare viam, conforta lumbos, robora virtutem valde. *Na hum. 2.*

Sunt eunuchi qui castrauerunt seipsos propter regnum cœlorum. *Matth. 19.*

Sint lumbi vestri præcincti. *Luc. 12.*

Et mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini sunt. *1. Cor. 7.*

Volo autem omnes homines esse, sicut meipsum. *ibid.*

Dico autem non nuptis & viduis, bonum est illis, si sic permanserint, sicut & ego. *ibid.*

Qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit: & qui non iungit, melius facit. *ibid.*

Fructus spiritus est charitas, continentia castitas. *Gal. 5.*

Fornicatio autem & omnis immunditia, aut auaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos: aut turpitudo, aut stultiloquiū, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet. *Ephes. 5.*

State succincti lumbos vestros in veritate. *Ephes. 6.*

Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra, vt abstineatis vos a fornicatione, vt sciat vnusquisque vas suum possidere sanctificatione & honore. *1. Thess. 4.*

Viduas honora: quæ vere viduæ sunt. *1. Tim. 5.*

Te ipsum castum custodi. *ibid.*

Succincti lumbos mentis vestræ, sobrij & perfecti sperate in eam, quę vobis offertur, gratiā, & in reuelatione Iesu Christi. *1. Pet. 1.*

Vidi præcinctum ad mamillas zona aurea. *Apoc. 2.*

Exierunt septem Angeli præcincti circa pectora zonis aureis, *ibidem 15.*

Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati: virgines enim sunt, hi sequuntur agnum quocumque ierit. 14.

Sententiæ Patrum.

Castitas est virtus sub iugo rationis impetum libidinis refrenans. *Aug. de defin.*

Castitas est per edomitas vitiorum furias munda & honesta totius corporis habitudo. *idem.*

Proposito animi permanente, per quod & corpus sanctificari meruit, nec ipsi corpori aufert sanctitatem violentia libidinis alienæ, quam seruat perseuerantia continentiæ sanctæ. *lib. de bono coniugali.*

In coniugali vinculo si pudicitia conseruatur, damnatio non timetur. Sed in virginali ac viduali continentia, excellentia muneris amplioris expetitur: qua expetita & electa, & voti debito obligata, iam non solum nuptias capessere: sed etiam si non nubat, nubere velle damnabile est. *de continen. vidual.*

Sicut bonum erat quod Martha faciebat occupata circa ministerium

sterium sanctorum, sed melius quod Maria, audiens verbũ Dei: etiam bonum Susannæ in castitate coniugali laudamus: sed bonum viduæ Annæ, & magis Mariæ virginis anteponimus: *de bono coniugali*.

Pudicitia res est animæ, virginitas corporis, denique illa integra in anima permanente, potest ista de corpore sibi violenter auferri, & quum ista integra manet corpori, potest illa in animo lasciua voluntate corrumpi. *cont. Iul. lib. 4.*

Non dicatis vos habere animos pudicos, si habeatis oculos impudicos: quia impudicus oculus impudici cordis est nuncius. *de communi vita cleric.*

Audeo dicere superbis continentibus, expedit cadere, vt in eo ipso, in quo se extollunt, humilientur. Quid enim prodest, cui est continentia, si dominetur superbia? *Ser. 57 super Matth.*

Inter omnia certamina Christianorum duriora sunt prælia castitatis, vbi continua pugna, & rarior victoria. Rara enim concordia formæ atque pudicitiæ. Rara auis in terris nigroque simillima cygno. *In serm.*

Vbi necessitas imponitur castitatis, autoritas datur libidini, itaque nec casta est, quæ metu cogitur, nec honesta quæ mercede conducitur. *idem.*

Pudicitia, virtus animæ est, & comitem habet fortitudinem. *lib. de Ciuitat. Dei.*

Pudicitia vi nec in corpore, nec in animo violari potest. *Epistola 22.*

Quacumque virtute polleas, quibuscumque operibus niteas, si cingulo castitatis careas, omnia per terram trahes. *Hieron. in epistol.*

Quum de ipsa continentia mens elatione tangitur, plerunque omnipotens Deus, superbiam deserens, hanc in immunditiam operis cadere permittit. Nulla enim est castitas carnis, quam non commendat humilitas mentis. *Greg. in mor.*

Qui de castimonia carnis superbiunt, in immunditiam carnis cadere permittuntur. *ibid.*

Quidam in iuuentute luxuriose viuentes, in senectute continentes fieri delectantur, & tunc eligunt seruire castitati, quando libido eos seruos habere contempsit. Nequaquam in senectute continentes vocandi sunt: qui in iuuentute luxuriose vixerunt, tales non habent præmium, quia laboris certamen non habuerunt. Eos enim expectat gloria, in quibus fuerunt gloriosa certamina. *Isid. l. 2. de summ. bon. c. 31.*

Pudicitia est ornamentum nobilium, exaltatio humilium, nobilitas ignobilium, pulchritudo vilium, solamen mœrentium, augmentum omnis pulchritudinis, decus religionis, minoratio criminum, multiplicatio meritorum, creatoris omnium Dei amica. *Cypr. de 12. abusion. 2.*

Expertis vitiorum illecebris, difficilius quam incognitis caremus: & minoris laboris est incognitam carnis cauere voluptatem, quam reijcere iam cognitam. *Beda sup. Esd. l. 4.*

Maius miraculum est de carne propria fomitem eradicare luxuriæ, quam expellere immundos spiritus de corporibus alienis. *in collation. patr.*

Maior est virtus ac sublimior gratia internam libidinem carnis extinguere, quã nequitias dæmonum extrinsecus irruentes iugo Domini, ac virtutis altissimæ potentiæ subiugare. *ibid.*

Considerandum pueris est, vt casti & pudici permaneant, & frequentius ad Ecclesias sciant conuenire debere, quia frequentius sunt armandi, quibus adhuc propter ætatem minus stabilem, pugna diaboli futura sit grauior. Obseruanda illis omnia cum timore, & ante omnes cadendum a fornicatione, quæ initium ad idololatriam habet. & necesse est vt vtrumque nouerit, qui secutus est alterum. *Hieron. ad Damas. Papam.*

Sed quoniam castus timor est Dei, & est castitas species continentiæ, de continentia & eius virtutibus nunc videtur tractandum. Est autem continentia appetitus omnium rerum malarum refrænatio: malarum adduot, dicentes: definitionem istam communem esse in rebus bonis & malis. Nam qui se a bonis retinet, nõ bene continens, sed a malis recte. *idem.*

Dicam & ego nuptiatoribus meis, qui post castitatem & diuturnã continentiam sudant ad coitum, & pecudum more lasciuiunt, sic insipientes estis, vt cum cœperitis spiritu, nunc carne cõsummemini? Tanta passi estis sine causa? Apostolus quod continentiæ, quibusdam modos relaxat, & dimittit frena currẽtibus, propter infirmitatem carnis hoc facit. Contra quam scribens deinuo loquitur dicens: Spiritu ambulate & desideria carnis non perficietis. Caro enim concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersum carnem. *Idem ad Dam. Pap. ep. 5. c. 23.*

Hoc docuit dormitantibus libidini frena permittens & naturalem carnis ardorem, qui in adolescentia plerumque feruescit, suis hortatibus duplicans, immo extinguens coitũ fœminarum, vt nihil sit, quo distemus a porcis, quo differamus a brutis animantibus, quo ab equis, de quibus scriptum est: Equi insanientes in fœminas facti sunt mihi, vnusquisque in vxorem proximi sui hinniebat. Hoc est quod per Dauid loquitur Spiritus sanctus. Nolite fieri sicut equus & mulus, in quibus non est intellectus. *Hier. contra Vigil.*

Alia peccata extrinseca sunt, scilicet auaritia, & alia: sola libido insita est a Deo, ob liberorum procreationẽ: si fines suos egressa fuerit, redundat in vitium, & quadam lege naturæ in coitum gestit erumpere. Grandis igitur virtutis est & sollicitæ diligentiæ superare quod nata sis, in carne non carnaliter viuere, tecũ pugnare quotidie. & inclusum hostem Argi (vt fabulæ ferunt) centum oculis obseruare.

Quidquid seminarium voluptatis facit, venenum puta, parcus cibus & venter semper esuriens triduanis ieiunijs præfertur. *idem ad Furiam epist. 24.*

Non est casta, quæ metu cogitur: nec honesta, quæ mercede conducitur. *Amb. lib. de Virgin.*

Vt munda mens in operatione seruetur, a lasciuia voluptatis deprimendi sunt oculi, quasi quidam raptores ad culpam. *Greg. Moralium 21. super illud Iob 31. Pepigi fœdus cum oculis meis.*

Nullus debet ad altaris ministerium accedere, nisi cuius castitas ante susceptum ministerium fuerit approbata. *Gregorius Petro subdiacono Sicil. & hab. dist. 31. Ante triennium, §. Nullus.*

Oculi nostri etsi iactantur in aliquam fœminam, in nullam figantur. Nec enim quando proceditis, fœminas videre prohibemini. Sed appetere, & ab ipsis appeti velle, criminosum est. *Greg. in Regist.*

Sicut enim peccatum opus sine volontate non facit. ita & iustitia ex opere non consummatur, nisi & volũtas affuerit. Multi enim corpore quidem castitati student, adulterium tamen voluntate committunt, cum Dominus dicat: Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, in corde suo iam mœchatus est eam: ergo voluntas sine opere peccat frequenter. Illa est gloriosa continentia, non quam transgredi non potest necessitas debilitati corporis, sed quam complectitur volũtas sancti propositi. *Ioan. Chrys. sup. Matth. & habetur 32. q. 5. Sicut enim.*

Castitas sine comitibus suis, ieiunio videlicet & Temperantia, cito labascit, quod si his quasi adminiculis roborata fuerit, perfacile coronabitur. *Ioan. Chrys. sup. Psalm. hom. 50.*

Poeticae Sententiae.

Ouid. lib. 3. Amor. vel de fine titulo.

Si qua metu demto casta est, ea denique casta est,
Nec custodiri, ni velit, ulla potest.

Tibullus l. 2. Epist. 1.

Vos quoque abesse procul iubeo, discedat ab aris,
Cui tulit hesterna gaudia nocte Venus.
Casta placent superis, pura cum veste venite,
Et manibus puris sumite fontis aquam.

Sen. Herc. Fur.

Meg. *Grauent catenæ corpus & longa fame*
Mors protrahatur lenta non vincet fidem
Vis vlla nostram: maior Alcide sua.

Plaut. Pers.

Persa. *Tua istæc potestas est, pater, verumtamen*
Quanquam res nostræ sunt, pater, pauperculæ,
Modice & modeste, melius est tamen ita viuere.
Nam vbi ad paupertatem accessit infamia,
Grauior paupertas fit, fides sublestior.

Sen. tragœdia 4.

Fera ipsa quoque Veneris euitant nefas,
Generis leges inscius seruat pudor.

Virg. 3. Aeneid.

Hac casti maneant in religione nepotes.

Hor. 3. Carm. 14.

Dos est magna, parentum
Virtus, & metuens alterius viri
Certo fœdere castitas.

Iuuenal. Sat. 4.

Incestus, cum quo nuper vittata iacebat,
Sanguine adhuc viuo terram subitura sacerdos.

Ouid. l. 6. Fast.

Nullaque dicetur vittas temerasse sacerdos,
Hoc duce, nec viua defodietur humo.
Sic incesta perit: quia quam violauit, in illa
Conditur, & Tellus, Vestaque numen idem est.

Philosophicae Sententiae.

Castitas amittitur, & rebus quatuor (dicebat quidã vir pius olim) scortatio excitatur, cibi & potionis expletione, sermonis satietate, otio & lusu, insolique garrulitate, & vestitus exornatione. *Anton. & Max. ser. de Castitate & Temperant.*

Atque si considerare volumus, quæ sit in natura hominis excellentia & dignitas, intelligimus, quam sit turpe, diffluere luxuria, & delicate ac molliter viuere, quamque honestum, parce, continenter, seuere ac sobrie. *Cic. lib. de Offic.*

Ad Diuos adeunto caste, pietatem adhibento, opes amouento: qui secus faxit, Deus ipse vindex erit. *Idem lib. 2. de Legib.*

Caste iubet lex adire ad Deos, animos videlicet, in quod sunt omnia, nec tollit castimoniam corporis, sed hoc oportet intelligi, cum multum animus corpori præstet, obseruetúrque vt casta corpora adhibeantur, multo esse in animis id seruandū magis. Nam incestum vel aspersione aquæ, vel dierum numero tollitur: animi labes, nec diuturnitate vanescere, nec manibus vllis elui potest. *Ibid.*

APOPHTHEGMATA.

Isocrates conspiciens Sophoclem tragœdiarum scriptorem sequi puerum quendam, forma illius captum: oportet, inquit, ô Sophocles, hominem non manus tantum apud se continere, verū & oculos. *P. M. 8. apoph. ex Cic.*

Antigonus quum filius eius adolescens instituisset, vt hospitium nancisceretur apud viduam treis habentem forma decente filias. Hospitijs designādis præfecto: Non expelles, inquit, filium meū ex loci angustiæ? Non prodidit adolescens affectum, quem sciebat captare quod amaret: sed excusauit ædium angustiam: in quibus vidua cum tribus filiabus ageret. *Plut. in apopht.*

Scipio pollex quam Carthaginem nouam, quæ erat Hispanorum, armis ceperat, milites quidam virginem eleganti forma captam adduxerunt eique tradiderunt. Hic ille, libenter acciperem, inquit, si priuatus essem, non imperator. Iuuenem insignis puellæ forma non corrupit, quo minus meminisset quid deceat Imperatorem. At multi sunt hodie, qui ob hoc ipsum sibi credunt tum licere, tum decora esse omnia quod sunt Imperatores. *Plut. in Rom. ap. pht.*

Liuia Cæsaris Augusti vxor, cum nudos homines, qui sibi facti erant obuiam, qui eam ob turpitudinem damnabantur, vidisset, dixit, eos matronis quidem honestis & continentibus nihil a statuis differre. Cor enim hominis pudicum rerum impudicarum aspectu nequaquam malis cogitationibus tangitur. *Dion. in Tiberio.*

Cum quidam stolidus audiente Pythagora diceret, malle se cū mulieribus esse, quam cum Philosophis conuersari, Et sues, inquit Pythagoras, libentius in cœno, quam in aqua versantur. *Laert. Diog. de vita & morib. Philos.*

SIMILITUDO.

Diogenis, quomodo quasdam illecebras escarum ancupes proponunt, vt facilius aues capiant per oblectamentum gulæ: Sic est quædam castitas diaboli (id est) decipula humanæ animæ, vt per istiusmodi castitatem & mansuetudinem, & iustitiam possit facilius capere, & falsis sermonibus irretire. *Hom. 7. in Ezech.*

EXEMPLA BIBLICA.

Castitatis exempla: Abimelech, *Gen. 26.* 10 filij Iacob, *Genes. 34. v. 7. 25. 27.* 27. Ioseph, 39. v. 8. 9. 12. Iuda, qui etsi castus non esset, detestatus tamen est fornicationem Thamar, *Genes. 38.* 24. Moses, *Num. 31. v. 17. 18.* Booz *Ruth 3. vers. 7. 8.* Abimelech Sacerdos, *1. Sam. 21. 4.* ... *Iob 31. 1.* Sara Raguelis filia, *Tob. 3. v. 16. 17. 18.* Iudith, *Iudith 8. v. 4. 5.* Susanna, *Dan. 13. 23.* Ioseph Mariæ Deiparæ vir. *Matth. 1. 19.* Deipara virgo Maria, *Luc. 1. 34.*

HISTORICA EXEMPLA.

Aiunt *Melanionem* quendam odio mulierum in solitudinem demigrasse: perque alta montium, casse, quo vno conuictore vtebatur, feras insectari solitum: nec vnquam domum reuocari potuisse. Hinc prou. Melanione castior. *P. M.*

Demosthenes excitatus ad Laidis Corinthiæ famam, cuius formam tunc Græcia mirabatur, accessit, vt & ipse famoso amore potiretur: qui vbi dimidium talentum vnius precium noctis audiuit, discessit hoc dicto, οὐκ ἀγοράζω τοσούτου μεταμέλειαν. *pœnitere tanti non emo. Macrob. l. 2. c. 2.*

Iccus Tarentinus athleta nobilis, quum certo sciret corporis vires eneruari libidine, toto vitæ tempore durauit expers Veneris, vt Palæstricis ludis esset accommodatior. *Volater.*

Astylus Crotoniates athleta, perpetua castitate præditus fuit, ob cursus studium. *Plato de Repub.*

Cleomachus athleta, surgebat & abscedebat, si quis sermones iniecisset amatorios. *Plut. l. 7. Quæst. con. 7.*

D. Bernardo nocte quadam puella nuda iniecta est in lectum dormienti ad latus. Et quamuis impudica ipsum attraret suis illecebris, tamen se continuit. Eodem modo cum iter faceret, & apud matronam quandam diuerteret, illa ter ad lectum eius venit. Sed ille ter clamitans: Latrones: ab se eam repulit, cumque postero die socij arguerunt, quod toties ea nocte latrones somniasset, eorumque somnum interturbasset, respondit: vere latro aderat. Nam hospitæ castitatem, irreparabilem thesaurum, mihi ablaturater venit. *Autor vitæ l. 1. c. 3.*

Eusebius Episcopus & martyr, quam virginitatem ab ineunte ætate sollicite custodierat, Deo protegente nullius insidijs amittere potuit. Mulier quædam forma illius capta, cum ad ipsum impudenter irrumpere vellet, cubiculum aditu aperto intrare non potuit: & culpæ conscia, ac terrore simul perculsa: ante ianuam excito episcopo, crimen confitendo, veniam impetrauit. *Marullus l. 4. c. 7.*

Columbam virginem apud Senones passam, cum inter meretriculas vitiandam pertraxissent, visus ab iniuria tutatus est. *Marullus lib. 4. c. 8.*

Alexander cum puella, excubia iam nocte, venisset cum eo dormitura, rogauit rex cur tam sero venisset? Illa respondente, se expectasse, donec maritus cubitum isset: Alexander ministros acriter obiurgauit, quod aditum dedissent. Reducite, inquiens, hanc ne adulterij ansam mihi præbeatis. Egregium sane castitatis exēplum, tum in iuuene, tum in rege. *Plut. in apopht.*

Cyrus abstinebat a conspectu Panthææ: & Araspo dicenti mulierem esse insigni forma dignam regis oculis. Ob isthuc ipsum, inquit, magis est illa abstinendum. Etenim si nunc tuo obtemperans cōsilio illam adero, quum vacat, fortassis illa mihi persuasura est, vt ad ipsam frequenter eam, etiam cum non vacabit, eique assideam, neglectis serijs negocijs. Sic retotsit argumentum regiæ functionis memor. *P. M. l. 5. apopht.*

Quum Philoxenus classis præfectus Alexandro scripsisset, Tarentinum quendam Theodorum esse apud se, pueros habentem insigni forma venales, si vellet emere: indigne tulit apud æquales subinde clamitans. Quid in me Philoxenus tam obscænum animaduertit, vt mihi tantum probri conciliaret. *Plut. in Alex.*

Antiochus tertius quum Dianæ sacerdotem vidisset supra modum eleganti forma, continuo soluit Epheso: veritus, ne vis amoris aliquid ipsum facere compelleret, quod fas non esset. *Plut. in apopht.* Immane quantum absunt ab huius Ethnici principis religione Christiani milites, qui Deo dicatas virgines constuprare pro ludo ducunt.

HIEROGLYPHICA.

Palumbes castitatis hieroglyphicum est. *Palumbes* enim parcissimi coitus sunt: adeoque quod parcant lumbis, Albertus existimat appellatos. *Pier. Val. l. 22.*

Incorruptam virginitatem & castum animi propositum, per *apem* significari id argumento est: quod ipsæ homines a coitu olidos acriter oderunt: vt Plutarchus in præceptis coniugalibus ait. *idem l. 26.*

Quod nonnulli aiunt *Salicem* castitatis indicium esse, tametsi de ea nihil Aegyptij: non incongrue tamen confictum est: siue sit propter vinculi significatum: quod eius materia sit plurimum apta vinculis, atque ideo coercitionis indicium sit: & castitas ipsa modo *Zona*, modo *campestri*, modo alio atque alio vinculo coercenda præcipitur. Siue sumptum *ab Amerina salice* quæ lectis accubitisque imposita, castitatem induci. Siue ab eo, quod plerique auctores tradunt, folia huius arboris contrita & pota intemperantiam libidinis efficaciter frænare; sæpius vero sumpta, vsum in totum auferre. *Idem Pier. Val. l. 52.*

SCRIPTORES.

De castitate *Vincentius Beluacensis l. 3. 95. Sabellicus 9. 5. Lumen animæ Tit. 34. Bernardinus Scardoneus, Manipul. Florum: Iacobus Magnus in Sophologio 2. 4. 24.* De castitate Lucretiæ *declamatio Collutij Natis Florent.* Apollonij castitas, *Cælius l. 14. c. 6.* De Galete formoso iuuene, sed casto, *Idem Cælius l. 14. c. 15.* De pudicitia Gradij, *Gell. li. 15. c. 12.* Chiorum castitas eximia, *Cælius l. 13. c. 7.* Cur moris est, vt qui castimoniam colunt leguminibus abstineant? *Plutarchus problemat. Rom 95.* In laudem pudicitiæ & castitatis, *Ioan. Lamola oratio. Vide etiam Plinium lib. 7. c. 35. Arist. lib. 7. Ethicorum.*

CASVS.

DEFINITIONES ET ETYMOL.

Casus, quando significat calamitatem, seu infortunium, Græce πτῶσις, ἀτυχία & συμφορὰ dicitur. Est autem casus causa per accidens eorum, quæ fiunt propter finem, & in minori parte. Et sic capitur generaliter. Casus si capitur specialiter, est causa per accidens eorum, quæ non fiunt secundum propositum, secundum finem in minori parte. *secundum Aristot. lib. 2 Phys. te.*

Casus & fortuna sic differunt, quia fortuna est causa per accidens secundum propositum extra semper & frequenter eorum, quæ propter hæc sunt. Quare infans, inanimatum, & bestia nihil faciunt a fortuna, Casus autem in plus se habet, quam fortuna.

Casus ab Hebræis varie designatur. 1. *Mappelet*, a verbo *Naphal*. cecidit, lapsus est, corruit. 2. *Kere*, accidens, contingens, Gall. *Accident, cas d'auanture.* a verbo Karah, euenit, accidit. 3 *Edh*, infortunium, *auanture.*

SENTENTIAE POETICAE.

Terent. in Hecyra.

Sæpe fert temere

Eue-

Eueniant quæ non ausis sperare.

Ouid. de arte.

Casus vbique valet, semper tibi pendeat hamus:
Quo minime credis gurgite piscis erit.

Senec. in Troad.

Æquior casum tulit & procellas,
Mille qui ponto pariter carinas
Obrui videt.

Ouid. de Art. lib. 2.

Non minor est virtus quam quærere parta tueri,
Casus inest illic, hic erit artis opus.

Casus & natura in bonis dominantur. *Seru. Sulp. lib. 4. epist. fam.*

Casu fiunt, id est per putrefactionẽ, quorum materia a se ipsa moueri potest, at quorum non potest moueri a se ipsa, impossibile est fieri aliter quam ex ipsis. *Ari. l. 7. Metaph. c. 10. tex. 40.*

Casu dicitur illud, quod fit ex rebus, quæ sunt propter aliquid, quã do ex his fit aliud per accidens. *idem 1. phys. sup. 3. c. 2. tex. 50.*

Casus & fortuna causæ sunt secundum accidens in ijs quæ possunt fieri, non similiter nec frequenter, & horum quæcumque fiunt in his, quæ propter aliquid sunt: differunt vero quia casu quæ fiunt simplicius fiunt, quam quæ fiunt a fortuna, quia quod fortuna est casu, & quod casu est, non a fortuna. *idem 2. phys. sup. 3. c. 2. tex. 57.* Casus in animalibus accidit, ac inanimatis multis. *idem 2. phys. 3. c. 2. tex. 60.*

Casu fiunt quæ simpliciter propter aliquid fiunt, cum eius quod euenit gratia fiunt, cuius extra est causa a fortuna quæcumque caussa fiunt eligibilium in habentibus electionem. *idem 2. phys. sup. 3. c. 2 tex. 61.* Casu omnia esse absurdum est: & figmento simile, & non est in ijs quæ sunt natura id quod fit, vt accidit: neque id quod vbique, & in omnibus est fit a fortuna. *idem 1. de cælo sup. 3. c. 2. tex 45.* Casus singulos generali sermone comprehendere facile non est *idem polit. 3. c. 7.*

Casus aliquando solet & in ijs, quæ a formis fiunt prædicari, sed potius in naturalibus. *Alex. Aphrod. in 2. de anim. 57.* Casus est, quod vltro, & frustra fit: *Alex. & Eust. in 2. post.* Casus non per similitudinem, ac translationem, sed peculiariter ad inanimata pertinet, & ad animantia ea, quæ ratione carent. *Thom. 2. phys. tex. 68.* Casus ab eo quod fit temere differt, sicut finis a causa efficiẽte. *idem ibid. text. 65.* Casu fiunt, quæ sine aliqua præelectione fiunt, vt concussa terra nasci aquæ fons. *Amm. in l. enter. q. 79.*

Casu & fortuna quod fit, non oportet intrinsecam, & apertã causam existentem sequi, sed externã & manifestam. *Simp. in 1. phys. c. 1. tex. 65.* Casus consideratur in ijs, quæ fiunt a natura præter intentionem. *Io. Gram. in 2. post. c. 11.* Casus esse non potest in rebus quæ sunt ab intelligentia, id est non artificialibus, & eligibilibus, sed in solis naturalibus. *idem ibidem.* Casus est eorum quæ fiunt alicuius gratia in his quæ natura, & raro eueniunt causa per accidens, *idem in 2. phys.*

Casu quæ fiunt non habent ordinem, nec sunt intenta a natura. *Auer. in 12. metaph. tex c. 13.*

Casus consideratio non est propria philosophiæ naturalis, *idem in phys 2. tex. 46.*

Casus non est in contingenti. *idem ibidem tex. 48.* Casu quod notum est existere, non est notum existere per intentionem, *idem ibid. tex. 79.* Casu quod fit semper est oppositum ei quod natura, *idem phys. 2 tex. 46.* Casus non inuenitur nisi in possibilibus. *idem 2. de cælo. tex. 44.* Casus non est in cœlo, cum non sit illic materia. *idẽ ibid. tex. 45.*

Casus est aliquid de mundo, sed est permixtum ordini, & necessitati. *Alb. Mag. in 1. de cælo tract. 1. c. 2.*

Casu quæ sunt habent causam intrinsecã, vt eorum quæ sunt a natura: eorum autem quæ sunt a fortuna, causa est extrinseca, vt eorum quæ sunt a proposito. *D. Thom. in 2. phys. l. 10. tex. 66.*

Casus est natura agens præter intentionem, & nõ assimilantur suis agentibus quæ a casu sunt. *idem 1. Metaph. l. 3. tex. 13.*

A P O P H T H E G M A T A.

Scipio, quũ in amicorum agris haberet exercitum, nihilominus tamen & vallum iaceret, & fossam foderet accurate, cuidam dicẽti, Quid metuimus? Respondit pessimam esse ducis vocem, haud quaquam putaram. Significans in tranquillissimis rebus interdũ existere periculum, quod nullus expectasset. Itaque aduersus inopinatos casus suis copijs prospexit, ne si quid accidisset, dicere cogeretur, non putaram. *Plut.*

Audace quodam milite vulnus suum ostendẽte, & me, inquit, Timotheus, puduit, quod quum in Samo dux vester essem, catapultæ telum prope me ceciderat. Significans, hoc vulnus non illi fuisse factum in prælio cominus pugnanti, sed procul. At bono duci adeo cauendum, vt ne prope quidem iaculum possit accedere. *idem.*

S I M I L I T V D I N E S.

Plutarchi: Vt pictor ille spumam equi, quam arte nequibat exprimere, impacta in os equi spongia varijs imbuta coloribus, casu expressit: Sic quædam casus confecit, quæ prouidentia, curaque nostra non possunt effici. *In Moral.*

Polyanthea Nouiss.

Chrysostomi, sicut nihil potest sine radice nasci: Sic nihil potest fieri sine causa, *In c. 7. Matth. hom. 19.*

P. M. Vt æra Corinthia casus fecit, & pictoribus illis equi & canis spumam, quas ars assequi non potuit, casus expressit: Ita multa forte obtingunt, quæ nullo consilio poteris efficere. *In Sim.*

C A V S A.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Causa, Græce *αἰτία, ας, ἡ* dicitur. Varie a Theologis, Medicis, Iurisconsultis, Philologis hæc vox consideratur. Et est aliquid, a quo aliquid dependet, vel dependebat, in esse, fieri vel conseruati simpliciter, vel in esse tali, vel tanto commissiue, siue priuatiue, mediate, vel immediate, positiue, vel aliquid amatum, vel desideratum, propter quod amatum vel desiderium agens aliquid producit, *secundum Arist. lib. 2. Phys.*

Causa est id, ex quo, vel per quod, vel a quo, vel propter quod aliquid fit. Vnde quatuor genera causarum scribit Arist. Materialem, ex qua aliquid fit: Formalem, per quam aliquid tale fit: Efficientem, a qua aliquid fit: & finalem, cuius gratia aliquid fit.

Causa dicitur a *καῦσις, εως, ἡ*, quod ardorem siue incendium significat, quoniam causa accedimur ad aliquid agẽdum: vel a Chao, quia confusa illa materia prima omnium rerum causa fuerit: vel a casu, quoniam origines rerum casu veniant.

Causa causarum, est ipse rerum omnium opifex.

D I V I S I O.

Causa a ratione ita differt, quod causa est ipse impulsus ad aliquid agendum. Ratio vero est ordo gerendorum ex causa venientium.

Causa est quadruplex, scilicet materialis, formalis, efficiens, & finalis.

S E N T E N T I A E P O E T I C A E.

Ouid. lib. 1. Met.

Quippe vbi temperiem sumsere humorq; calorque,
Concipiunt, & ab his oriuntur cuncta duobus.
Cumq; sit ignis aquæ pugnax, vapor humidus omnes
Res creat: & discors concordia fœtibus apta est.

Virg. in Aetna.

Sed frustra certis disponere singula causis
Tentamus.

Boetius Metro. 2. l. 5.

Puro clarum lumine Phœbum,
Melliflui canit oris Homerus:
Qui tamen intima viscera terræ
Non valet, aut pelagi, radiorum
Infirma perrumpere luce.

Virg. 2. Georgicor.

Felix qui potuit rerum cognoscere causas.

Virg. in Aetna.

Nam quæ mortali spes est, quæ amentia maior
In Iouis errantem regno perquirere velle?

Ouid. l. 3. Fasto.

Emissi laqueis quid agant, quæ carmina dicant,
Quaque trahant superis sedibus arte Iouem,
Scire nefas homini est, nobis concessa canentur.

Virg. in Aetna.

Sed prior hæc hominum cura est cognoscere terram,
Et quæ nunc miranda tulit natura notare:
Hæc nobis magna affinis cælestibus astris.

Ibidem.

Tantum opus ante pedes transire & perdere, segnes
Torquemur miseri in paruis.

Ibidem.

Leues cruciant animos & corpora causæ.

Propert. 4. 6.

Frangit, & attollit vires in milite causa:
Quæ nisi iusta subest, excutit arma pudor.

Ouid. 1. Remed.

Discite sanari, per quem didicistis amare:
Vna manus vobis vulnus, opemque feret.
Terra salutiferas herbas eademque nocentes
Nutrit: & vrtica proxima sæpe rosa est.
Vulnus Achilleo, quæ quondam fecerat hostĩ
Vulneris auxilium Pelias hasta tulit.

Idem 4. Pont. 4.

Nulla dies adeo est Australibus humida nimbis,
Non intermissis vt fluat imber aquis:
Nec sterilis locus vllus ita est, vt non sit in illo
Mista fere duris vtilis herba rubis.

Philosophicae Sententiae.

Causæ omnes principia sunt. *Arist. lib. 5. Metaph. c. 10. t. text. 5.*

Causæ aliæ sunt in essendo & cognoscendo simul: aliæ in cognoscendo tantum. *Thom. de vi. in post.*

Causa tria significat: primo rem illam cuius est causa: secundo modum, quo rem illam caussat; tertio relationem ad caussatú. *idem ibidem.*

Causa diuinior est ea quæ magis comprehensibilis est, & magis se extendit. *Simpl. 2. in Metaph.*

Causæ infinitæ non possunt reduci ad principium æternum. *Aueir. de gen. anim. 2. c. 3.*

Causa est medium per quod scimus, quod vere scimus. *Albert. Mag. in 2. Metaph.*

Causa quanto superior est: tanto vniuersalior est. *Alex. de Ales. in 1. Metaph.*

Causa illa putanda est prima, vnde motus principium. *Arist. Meteor. 1. ca. 3. T. 2.*

CELERITAS.

Apophthegmata.

Socrates qui fructus præcoces magno emerent, eos aiebat desperare, quod ad tempus maturitatis essent peruenturæ. Alioqui stultum est, & pluris & deterius emere, quum paulo post liceat & minoris, & melioris. Ita nusquam non reuocabat hominum cupiditates rationis expertes, ad sobrium iudiciú. *P. M. lib. 3. apoph.*

Apelles pictori imperito de celeritate glorianti, & ostensa tabula dicenti, Hanc modo pinxi: Etiam si tacuisses, inquit Apelles, res ipsa loquitur, quod eam ea tempore subito pinxeris. *P. M. lib. 6. apoph.*

Agatharchus sese iactabat de pingendi celeritate, quum Zeuxis diutius immoraretur operi. At Zeuxis respondit, ea quæ cito fiunt, cito perire: contra, quæ paulatim exacta cura absoluerentur, ætatem ferre. Iuxta Valerium ita respondit: Diu pingo, quia pingo æternitati. Cito nata, cito pereunt: diu elaborata, ferunt ætatem. Beta cito nascitur, buxus paulatim. *P. M. lib. 6. apoph.*

Augustus Cæsar dicere solebat, nihil minus in perfectum ducem cóuenire, quam festinationem ac temeritatem, crebroque illud iactabat, σπεῦδε βραδέως, ἀσφαλὴς γάρ ἐστ' ἀμείνων ἢ θρασὺς στρατηγός. Suetonius. *Vide præterea prouerbium apud P. M. Festina lente.*

Iulius Cæsar, ea facinora quæ periculo obnoxia sunt: & magna, gerenda esse dicebat: at de his non consultandum, eo quod ad hæc perficienda plurimum habeat momenti celeritas. *Plut. in apoph.*

Idem, quum Pharnacem primo congressu vicisset, amicis scripsit, Veni, vidi, vici: summam rei bene gestæ celeritatem indicans. *Plut. in apoph.*

Reliqua vide in tit. Velocitas.

CEREBRVM.

Philosophicae Sententiae.

Cerebrum partium omnium corporis frigidissimum est, *lib. 2. de partib. cap. 8.* Hebr. *Muach.* Medulla in Ossibus, a verbo *Moach.* Medulla plenus fuit, scatuit Medulla: quod proprium est cerebri. Græce ἐγκέφαλος. Medulla, Capitis. Hic habet sensus arcem, hic culmen altissimum, hic mentis est regimen. *Cicero 1. Tuscul.*

Omnium maxime humorum corporis, sanguine caret cerebrum: quippe quod nihil sanguinis habeat, squaloreque obsitum sit, atque horridum. *ibid.*

Aduersus cordis sedem & calorem cerebrum natura molita est. *ibidem.*

Nec sensus vllius causam cerebrum obtinet, quod quidem expers omnino sensus non aliter, quam quoduis excrementum est. *lib. 2. de par. c. 10. & lib. 10. de hist. c. 10.*

Frigidum est cerebrum natura sua. isque sanguinis qui in ipso continetur, in minutis venis inest: tenuis ille quidem & purus, sed frigoris incommodis opportunus. *lib. de Sensu c. 5.*

Cerebrum humidissimum & maximum omnium animalium homines habent: cuius rei causa est, quod calorem etiam cordis purissimum obtinent, *l. 2. de Gener. animal. c. 4. & l. 2. de part. c. 14.*

Cerebrum omnibus priuatum sanguine est, nec venam intra se vllam continet. *lib. 1. de hist. c. 16.*

Cerebrum capitis priorem obtinet situm, non modo in homine, verum in cæteris animalibus, quibus ea pars data est. *ibid.*

Cerebrum inter humani corporis partes principem locum obtinere nemini dubium esse debet, vt situs ostendit, quod illud in altissima corporis parte Deus opifex collocauit, quasi in munitissima arce, vt minus esset iniurijs obnoxium. *Reald. Columb. de re anatom. lib. 8. c. 1.*

Cerebri vsus mirificus est, quod scilicet tú sensus, tum motus principium existit: absque vsu enim cerebri homo esset instar statuæ cuiusdam motus sensusque expers. Præterea sedes est animæ ratione præditæ. A cerebro visus, auditus, gustus, odoratus & locutio proficiscuntur. His enim actionibus quantam cerebrum vtilitatem afferat, vel idiotæ ipsi norunt. *idem ibidem.*

CEREMONIA.

DEFINIT. ET ETYMOLOG.

Ceremoniæ sunt opera exteriora ad cultum Dei pertinentia. *B. Thom. 1. 2. q. 99. art. 3.*

Ceremoniæ dicuntur apud Latinos generaliter omnes ritus sacrificiorum: a Cerite oppido dictæ, vt placet *Valerio Maximo*, vel a charitate.

Loci Biblici.

Ceremoniæ citra Dei timorem obseruatæ reijciuntur *Psal. 5. vers. 8. 9. & 51. 18. Esaia 1. 11. & 66. 3. Amos 5. v. 21. 28. Mich. 6. v. 6. 7.* Ceremoniæ seu ritus certi in orando obseruati, *1. Reg. 8. v. 22. 54. & 17. 21. & 18. 42. 2. Paralip. 5. versic. 12. 13. Matth. 2. 11. & 26. 39. Marc. 14. 35. Luc. 22. 41. 1. Corinth. 11. 4. 5. 6. 1. Tim. 2. 8.* Ceremoniæ vmbris similes, *Coloss. 2. 17. Hebr. 1. 1. & 8. 5. & 10. 1.* Vmbras autem intellige dici legales ceremonias, non vt res vacuas & inanes, qualis est corporum vmbra (erant enim vera & pro ratione ac modo Sacramentorum efficacia σημεῖα id est, signa, ac etiá σφραγῖδες, hoc est, sigilla in recto ipsorum vsu spirituali per fidem in Christum venturum,) sed cum ipso Christo exhibito comparatas, qui dicitur earum vmbrarum corpus, *Coloss. 2. v. 12.* quod illum, velut vmbra corpus, a quo efformatur, sacramentaliter adumbrarent. Ceremoniæ legales vocantur Mortis chirographum, *Colos. 2. vers. 14.* eo quod illis tanquam chirographo quodam ipsi nostra manu reatum nostrum aduersum nos obsignabamus. Ritus enim ceremoniales, quatenus erant non Euangelij Sacramenta, sed legis nos arguentis, appendices, quid aliud erant, quam publica miseræ hominum conditionis professio: & solemnis quædam obligatio? Circumcisio quidem ita vsurpata natiuam pollutionem: Ablutiones peccatorum sordes: Victimæ denique, capitalem reatum publice testabantur. Les ceremonialis vocatur ab Apostolo pædagogus, *Gal. 3. 24.* non quatenus opponitur ea Christo, vt Chirographum mortis, sed quatenus Christum expectarum adumbrabat. Ceremoniæ per Christum abolitæ, *Gal. 5. v. 1. 2. Ephes. 2. 15. Coloss. 2. 14. 15.*

Similitudines.

Nazianzeni. Quamobrem pædagogorum medicorumque more, ex patria religione, dum aliud abrogar, aliud vero concedit, nó nihil pristini ritus, quod voluptati sit, ipsis permittit: non aliter atque medici ægrotantibus facere solent, huc spectantes, vt medicina alioqui acerba, dulcore aliquo ad artis præscriptum temperata, æquioribus animis recipiatur. *lib. 5. de Theolog.*

Themisti. vt condimentum non est necessarium, sed in gratiam cibi comparatum, nec citra hunc confert quicquam, sed obest magis: Ita neque ceremoniæ pleræque quicquam per se conducunt, sed ab ipsis legitimis vim suam & alacritatem accipiunt. *In apoph. fol. 44.*

Vt in gratiam fastidientium comparata condimenti: Sic ad prouocandos segnes quædam ceremoniæ. *In apoph.*

Non sunt abolenda tantum quæ in se continent mala semina, sed & quæ speciem mali exhibent: Ita & alibi ritus quidam seruandi: qui licet negligenter obeuntur, tamen homines sua vmbra ad pietatem ac meliora inuitant. *In apoph. 66.*

Vulgus inania tormenta vocat, quæ sonum quidem edunt, sed nullam vim exigunt: tales mihi videntur qui multis ceremonijs se ostentant, sed diuitias & honores captant, aut qui strepitu & copia verborum tonant, sed copia rerum laborant. *In Apophtheg. 90.*

CHARITAS.

DEFINITIONES ET ETYMOL.

Charitas Græce ἀγάπη ab ἀγαπητὸς, ἡ, ὸν. charus seu dilectus dicitur. Et est rectissima animi affectio, qua diligitur Deus propter se, & proximus propter Deum, *secund. August. & in 3. Sent. dist. 12.*

Cha-

Charitas est actio rectitudinis uculna semper habens in Deum. *Secund. Aug. de doctr. Christi.*

Charitas est mutuus amor hominis ad Deum vel amicitia quædā hominis ad Deum; & econtra : fundata super communicatione beatitudinis. Cuius obiectum est Deus propter se dilectus, & proximus propter Deum. *Secundum B. Thom secunda secunda, q. 23. art. 1.*

Charitas dicitur a χάρις, τος, ἡ, quod est gratia. Differt autem ita ab amore, quod amor genus est, charitas species. Amor ad omnia pertinet, charitas tantum ad homines, & quidem pro dignitate, & qualitate personarum. Maior enim charitas debetur parentibus, proxima liberis, & deinceps reliquis.

Carum præterea est, quod vili contrarium est: Vnde caritas pro penuria accipitur. Quidam tamen sic caritatem a penuria separant, vt caritas sit annonæ: penuria autem exterarum rerum, vt vini, mellis, olei, pomorū & huiusmodi. Et eo modo, quo caritas venit a careo, i. non habeo, sine aspiratione scribitur: secōtra charitas, quæ a χάρις deducitur, cum aspiratione scribēda videtur.

Charitatis præcepta duo sunt, scilicet amor Dei, & amor proximi. 8. q. 1. *In scripturis ante finem.*

Charitas perfectissima in hac vita haberi non potest. *De pæn. d. 1. c. 2. Charitas, gl. in Cle. ad nostrum, de hær.*

Charitas bene ordinata incipit a seipsa, *cano. qui vu. t ordinate. de pœnit. dist 3.*

Charitas finis est præcepti. *Aug. lib. 7. Confess*

Charitas optimum amoris genus, *Chrysost. serm. de char.*

Charitas via Dei ad homines est, & via hominis ad Deum. *August. de Spirit. & lit.*

Charitas est radix, fructus sunt opera. *idem sup. Psal. 41.*

Charitas latum mandatum est. *idem sup. Psal. 118.*

D i v i s i o.

- **Charitas**
  - *Materia*
    - *Circa quam, id est, Obiectum*
      - *Formale. Bonitas diuina.*
      - *Materiale, Omne diligibile propter Deum particeps beatitudinis, actu vel potentia.*
    - *In qua, id est, subiectum est Voluntas quæ habitu charitatis perficitur.*
  - *Causa efficiens*
    - *Dispositiua.*
      - *Actus humani procedentes ex corde puro, conscientia bona, & fide non ficta, vt ait Apost. 1. ad Timotheum 1.*
      - *Spes & timor malorum.*
      - *Memoria beneficiorum & præmiorum.*
    - *Perfectiua.*
      - *Ipse Deus.*
  - *Actus*
    - *Interior*
      - *Principalis est dilectio, quæ continetur beneuolentia.*
        - *Dei propter se.* / *Proximi propter Deum.* — *Oppositum*: *Odium Dei.* / *Odium proximi.*
      - *Secundarius & consequens dilectionem est*
        - *Gaudium.*
          - *De bono diuino.* / *De bono proximo.* — *Oppositum*: *Acedia.* / *Inuidia.*
        - *Pax & concordia.*
          - *In corde.* / *In ore.* / *In opere.* — *Oppositum*: *Discordia.* / *Contentio.* / *Schisma.* / *Bellum.* / *Rixa.* / *Seditio.*
        - *Misericordia. Oppos. Inhumanitas, vel obduratio contra misericordiam.*
    - *Exterior*
      - *Beneficentia.* / *Eleemosyna.* / *Correctio fraterna.* — *Oppositum*: *Generaliter omnis iniusta proximi læsio.* / *Specialiter scandalum.* / *Horum omissio.*
  - *Correspondentia*
    - *In donis est sapientia. Oppositum Stultitia.*
    - *In beatitudinibus beatitudo septima: Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.*

Ex S. Thoma secunda secundæ.

S e n t e n t i æ B i b l i c æ.

Vniuersa delicta operit charitas. *Prou.* 10.

Qui despicit proximum, peccat. 14. *ibid.*

Ordinauit in me charitatem. *Cant.* 2.

Fortis est, vt mors, dilectio: dura sicut infernus æmulatio. 8.

Aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem: nec flumina obruent illam *ibid.*

In tempore tribulationis permane fidelis, vt in hæreditate illius cohæres sis. *Eccles.* 22.

Ne auertas faciem tuam a proximo tuo. *Eccles.* 41.

In his duobus mandatis vniuersa lex pendet & prophetæ. *Matth.* 22.

Quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum. *Matth.* 25.

Bene magister cum veritate dixisti, quia vnus est Deus, & non est alius præter eum, vt diligatur Deus ex toto corde. *Marc.* 12.

Diligere proximum tanquam se, maius est omnibus holocaustomatibus & sacrificijs. *ibid.*

Maiorem charitatem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis. *Ioh* 15.

Qui manet in me (per charitatem) & ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere. *ibid.*

Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. *Rom.* 5.

Charitate fraternitatis inuicem diligentes. *Rom.* 12.

Necessitatibus sanctorum communicantes, per charitatem seruite inuicem. *ibid.*

Charitas patiens est, benigna est, non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate: congaudet autem veritati: omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet, 1. *Cor.* 13.

Si linguis hominum loquar & Angelorum: charitatem autem nō habeam, factus sum velut æs sonans. Et si habuero omnem fidem ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum: & si tradidero corpus meum ita vt ardeam, nihil mihi prodest. *ibidem.*

Etsi distribuero in cibo pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. *ibid.*

Charitas nunquam excidit. *ibid.*

Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc: maior autem horum est charitas. *ibid.*

Sectamini charitatem, æmulamini spiritualia. 14.

Omnia opera vestra in charitate fiant. 16.

Fructus spiritus est charitas. *Galat.* 5.

Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi. 6.

Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, instruite huiusmodi in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne & tu tenteris. *ibid.*

Suscipite infirmos, patientes estote ad omnes. 1. *Thess.* 5.

In charitate radicati & fundati, vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, & sublimitas, & profundum, &c. *Ephes.* 3.

In charitate crescamus, in illo per omnia. 4.

Ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos. 5.

Oro, vt charitas vestra magis ac magis abundet. *Phil.* 1.

Super omnia autem charitatem habere, quod est vinculum perfectionis. *Coloss.* 3.

Finis autem præcepti est charitas, de corde puro & conscientia bona, & fide non ficta. 1. *Tim.* 1.

Cōsideremus inuicem in prouocationem charitatis, & bonorum operum. *Heb.* 10.

Charitas fraternitatis, maneat in vobis. 13.

Ante omnia mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habentes, quia charitas operit multitudinem peccatorum. 1. *Pet.* 4.

Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. 1. *Ioan.* 4.

In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam ille pro nobis animam suam posuit: & nos debemus pro fratribus animam ponere. *ibidem.*

Diligamus nos inuicem, quia charitas ex Deo est. *ibid.*

Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem, quoniam timor pœnam habet. *ibid.*

Hæc

Hæc est enim charitas Dei, vt mandata eius custodiamus. 5.

Et hæc est charitas, vt ambulemus secundum mandata eius. 1. *Iohan.* 5.

Suadeo tibi emere a me aurum ignitum & probatum, vt locuples fias. *Apoc.* 3.

Loci Biblici.

Charitas erga proximum præcipitur, *Exod.* 23.4. *Leuit.* 19.18. *Deut.* 22.1. *Prou.* 15.17. & 24.11. & 31.8. *Esa.* 1.17. & 58.6. *Matth.* 5.42. & 19.19. & 22.39. *Marc.* 12.31. *Luc.* 11.24. *Ioan.* 13.34. & 15. *vers.* 12.17. *Rom.* 12. *v.* 9.10. & 13.8. 1. *Cor.* 13.1. & 14.1. & 16.14. & 2. *Corint.* 2.8. & 6.6. *Gal.* 5. *v.* 6.13.14.22. & 6.2. *Ephes.* 3.17. & 4. *v.* 2.15. 32. & 5.2. *Phil.* 1.9. & 2.2. *Col.* 2.2. & 3. *v.* 13.14. 1. *Thes.* 3. *v.* 12. & 4.9. & 5.8. 1. *Tim.* 1.5. & 2.15. & 4.12. & 6.11. 2. *Tim.* 1.13. & 2.22. & 3.10. *Tit.* 2.2. *Hebr.* 10.24. & 13.1. *Iac.* 1. *v.* 27. 1. *Pet.* 1.22. & 2.17. & 3.8 & 4.8. & 5.14. 2. *Pet.* 1.7. 1. *Ioan.* 2.10. & 3. *v.* 11.14.16.18. 23. & 4 *ver.* 7.11.2.2. *Ioan. ver.* 5. *Iuda* 21. Etiam inimici diligēdi, *Exod.* 23.4. 1. *Sam.* 24. *v.* 5.7. & 26.6. & 30.11. 2. *Sam.* 19.19. 2. *Reg.* 6.21. *Iob* 31.29. *Prouerb.* 25.21. *Matt.* 5.44. *Luc* 6. *v.* 27.35. & 23.34. *Act.* 7.60. *Rom.* 12.20. Charitas vera quæ, *Rom.* 12.9. 1. *Tim.* 1.5. 1. *Pet.* 1.22. 1. *Ioan.* 3.18. & 5. *v.* 1.2. Charitas in mundo rara, *Matth.* 24.12 Charitas ædificat, 1. *Cor.* 8.1. donum Dei est, *Eph.* 1. *ver.* 15. 19. & 6.23. *Phil.* 1.9. *Col.* 1. *v.* 3.4. 1. *Thess.* 1. *v.* 2.3. & 3.12. 2. *Thess.* 1. *Tim.* 1.7. 1. *Ioan.* 4.7. Charitas fide & spe maior, 1. *Cor.* 13.14. Charitas suspicax non est, 1. *Cor.* 13.7. peccata tegit, *Prou.* 10.12. 1. *Pet.* 4.8. Charitas perfecta timorem pellit, 1. *Ioan.* 4.18. Testimonium est electionis. *Rom.* 8.14. 2. *Pet.* 1.10. *Hebr.* 6.11. Vinculū perfectionis, *Colos.* 3.14. hoc est vinculum, quo omnia hominum inter se officia continentur, & cohærēt. Charitas fidelium qualis, 1. *Cor.* 13.4. Charitas in senibus, *Tit.* 2.2. Charitas dicitur Deus, 1. *Io.* 4.8. hoc est, summopere, atque adeo infinite nos in Christo amare, sed illud multo ἐμφατικώτερον est. Charitas Christi, *Ephes.* 3.19. id est, quam exhibuit nobis Deus in Christo, *Ioan.* 3.16. *Rom.* 5.6. vel qua Christus ipse Filius Dei nos complexus est, *Ioan.* 15.13. nos Charitas Christi, 2. *Cor.* 5.14. hoc est, amor ille, quo Christus prosecutus est: vel quo nos vicissim redamamus illum. Charitas Dei passiue, *Rom.* 5.5. qua diligimur, est fundamentū nostræ electionis. *Ephes.* 3.18. ad quod vbique nos reuocat Apostolus, *vt Ephes.* 1.4. & alibi passim. Charitas Dei actiue, 1. *Ioan.* 2. *ver.* 5.15. qua Deum diligimus. Charitas Spiritus, *Rom.* 15.30. dicitur mutua illa coniunctio, qua Spiritus sanctus animos deuinxit: quæ *Philip.* 2.1. dicitur communio Spiritus: vnde Christiana illa συμπάθεια, charitatis Christianæ effectrix, cum vno Spiritu omnia membra regantur.

Charitatis fructus, 1. *Pet.* 4.8. 1. *Ioan.* 2.10. & 3.14. & 4.12. gradus, *Rom.* 12. *ver.* 9.10. *Galat.* 6.10. *Ephes.* 1.15. & 6.18. *Col.* 1.4. *Philem. versic.* 5. *Hebr.* 6.10. 1. *Petr.* 1.22. & 2.17. 1. *Ioan.* 5.1. lorica, 1. *Thessal.* 5.8.

Sententiae Patrum.

In charitate pauper est diues, sine charitate omnis diues est pauper. Hęc in aduersitatibus tolerat, in prosperitatibus temperat, in duris passionibus fortis est, in bonis operibus hilaris est, in temporalibus ditissima: in hospitalitate latissima, inter bonos fratres lætissima, inter falsos sapientissima: in Abel per sacrificium læta: in Noe per diluuium secura in Abrahæ peregrinatione fidelissima: in Moyse inter iniurias leuissima: in Dauid tribulationibus mitissima. In tribus pueris blandos ignes fortiter tolerat, casta in Susanna super virum, in Anna post virum, in Maria præter virum. Libera in Paulo ad arguendum: humilis in Petro ad obediendum: humana in Christianis ad confitendum: diuina in Christo ad ignoscendum. Quid dicam de charitate? Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeā, nihil sum. Ipsa enim est anima literarum, prophetiæ virtus, sacramentorum salus, sapientiæ stabilimentum, fidei fructus, diuitiæ pauperum, vita morientium. *Aug. de laude charitatis.*

Radix omnium bonorum est charitas, & radix omnium malorum est cupiditas: & simul ambæ esse non possunt, quia nisi vna radicitus euulsa fuerit, alia plantari non potest. Sine causa aliquis conatur ramos incidere, si radicem non contendit euellere. *Hom.* 7. *sup. Ioan.*

Habere omnia sacramenta, & malus esse, potest: habere autem charitatem, & malus esse, non potest. *De laude char.*

Non numerositas operum, non diuturnitas temporum, sed maior charitas meliorque voluntas auget meritum. Nam quod patet & quod latet in diuinis codicibus, tenet, qui charitatem seruat in moribus. *ibidem.*

Sola charitas est, quæ vincit omnia, & sine qua nihil valent omnia, & quæ vbicumque fuerit, trahit ad se omnia. Scientia si sola sit, & inflat, quia vero charitas ædificat: scientiam non permittit inflari. *De Doctrina Christiana.*

Charitas est actio rectitudinis, oculos semper habens ad Deum, glutinum animarum, societas fidelium, otio non fracta, non fugax, non audax, non præceps. *idem.*

Sioon vultis in ista eremo siti mori, bibite charitatem, fons est, quem voluit Deus ponere, ne deficiamus, & abundantius eum bibamus, quum ad patriam venerimus. *Super Epist. Ioan. c.* 7.

Pascit esurientes charitas, pascit & superbia. Charitas, vt Deus laudetur: superbia, vt ipsa laudetur. Vestit nudos charitas, vestit & superbia. Ieiunat charitas, ieiunat & superbia. *ibid.*

Charitas alios parturit, quum aliquis infirmatur, alios curat ædificare: alios contimescit offendere: ad alios se inclinat, cum alios erigit: alijs blanda, alijs serua, nulli inimica, omnibus mater. *De catech. rudibus.*

Semper habet vnde det, cui plenum est pectus charitatis. *In Psalm.* 36.

Vide quantum bonum est charitas: si ita martyrium fecerimus, vt nostras velimus ab omnibus reliquias venerari, & si opinionem vulgi sectantes intrepidi sanguinem fuderimus, & substantiam nostram vsque ad mendicitatem propriam dederimus: huic operi non tam præmium, quam pœna debetur, & perfidiæ magis tormenta sunt, quam corona victoriæ. *Hier. super Epist. ad Galat.*

Non memini me legisse mala morte mortuum, qui libenter opera charitatis exercuit, habet enim multos intercessores. Et impossibile est multorum preces non exaudiri. *idem.*

Tunc ad alta charitas mirabiliter surgit, quum ad ima proximorū se misericorditer attrahit, & quæ benigne descendit ad infima, valenter incurrit ad summa. *Gregor. in pastorali.*

Charitatis & pietatis miracula amare: quæ tanto securiora sunt, quanto & occultiora, de quibus apud Deum eo maior fit retributio, quo apud homines minor est gloria. *ibid.*

Charitas, quæ diuisa venire consueuit, cor iusti diuidi per multa compellit, quod tamen tanto arctius in Deo colligit, quanto latius per sancta desideria spargit. *ibid.*

Charitas ad cuncta virtutum facta dilatatur, quæ a duobus præceptis incipit, sed se ad innumera extendit. Huius charitatis initiū est dilectio Dei & proximi: quia per amorem Dei, amor proximi gignitur, & per amorem proximi, amor Dei nutritur, nam qui Deum amare negligit, profecto proximum diligere nescit. *Greg. lib.* 10. *moralium.*

Fortis est vt mors dilectio: quia sicut mors corpus interimit, sic ab amore rerum temporalium æternæ vitæ charitas occidit: nam quem perfecte absorbuerit, ad terrena foris desideria velut insensibilem reddit, neque sanctus quisquam mori pro Domino potuisset in corpore, si prius a terrenis desiderijs mortuus non fuisset in mente. *Homil.* 11.

Vt multi arboris rami ex vna radice prodeunt: sic multæ virtutes ex vna charitate generātur: nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis, si non manet in radice charitatis. *In Homil.*

Charitatis cum sit proprium nutrire concordiam, seruare composita: coniungere dissociata, dirigere praua, & virtutes cæteras perfectionis suæ munimine solidare, quisquis in eius radice se inserit, nec a veritate deficit, nec a fructu inanescit. *In Homil.*

Cibus indigestus corpus corrumpit: inflatum & hydropicum reddit: si digestus fuerit, nutrit: sic scientia stomacho animæ indigesta, si non fuerit igni charitatis decocta, malos humores generat. Nunquid non mali mores mali humores sunt? *super illud scientia inflat.*

Mens, quam semel affecerit charitas, sui iuris esse non sinit, metuit, quod nescit, dolet quod non oportet. Sollicitatur plusquam voluerit: compatitur nolens, miseretur inuita. *in Epistol.*

Obstinatio non permittit, nos alterius cor ingredi: nec suspicio patitur credere nos ab alijs amari: huic duplici morbo duplex charitas medetur, illa scilicet quę non sua quærit: & iterum illa quę omnia credit. *in quodam serm.*

Charitas est mors criminum, virtus pugnantium, palma vitiorum, concordia mentium, societas electorum, quam fides concipit, ad quam spes currit, cui profectus omnium bonorum seruit. *Cassiod. super Psal.*

Charitas robur est fidei: fides fortitudo est charitatis, & tunc verum nomen est, ac verus est fructus ambarum, quam insolubilis manet vtriusque connexio. Vbi enim non simul fuerint, simul desunt: quia inuicem sibi & iuuamen, & lumen sunt, donec desiderium credulitatis impleat remuneratio visionis, & incommutabiliter videatur, & ametur, quod nunc & sine fide non diligitur, & sine dilectione non creditur. *Leo de ieiunio.*

Santintiae Poeticae,

Iacob. Bill. Antholog. Sacra.

Charitatem certissimam notam esse, qua veri Christiani a fictis internoscuntur.

Strica

Serica cum spectas indutum pallia regem.
Quo regem agnoscas, non tamen inde liquet.
An caput eximio cinctum diademate cernens,
Regis habes certum iam, diadema, decus.
Non mihi Christicolas ieiunia longa, labraque,
Non mihi cum lachrymis vota precesque notant.
Christicolam est aliud signum quod prodat aperte:
Christicolas veros exprimit vnus amor.

De charitate.

Legis amor sancta caput est, pia pectora certa
Indicio a prauis separat vnus amor.
Clauica a vitem stringunt, ne surgat in altum.
Vt mens alta petat, nos quoque stringit amor.
Legibus est sanctis quiuis subnexus amoris:
Nullus ab his liber legibus esse potest.
Caetera soluiste cum debita, liber abire
Iam potes: exigitur semper at vnus amor.

Oratio ad Deum pro obtinenda charitate.

Sancta Agape, gelida non cedens robore morti.
Sanctam in me quaeso confice sancta necem.
Liuorem, ingluuiemque & amorem interfice mundi.
Mollia cum studio fac ingulenter opus.
O Deus, o qui perpetuus amor ignibus ardes,
Proc aleans flammis pectora nostra tuis.
Fac mea mens ferro quae nunc est durior omni,
Fiat liquida tuis ab igne tuo.

Charitatis perfectionem in hoc sitam esse, vt iudicij diem desideremus.

Dum vir abest, vxor quaenam sit adultera, quaenam
Sit proba perspicuis noscitur indicijs.
Casta etenim plena est lachrymis absente marito.
Illius ac longas optat iniqua moras.
Sic pia mens superi reditum sitit vsque, mariti:
Ac desideria nocte dieque gemit.
At quae iam thalami sanctissima iura resoluit.
Eius mens reditum perfidiosa timet.

Apud prophanos Authores de charitate, & humilitate nil reperiri.

Qui caelum varios caeli{que} volubilis orbes,
Et vaga cum fixis sidera nosse cupis?
Vnde etiam existant venti, nimbi{que}, niues{que},
Fluminaque, & terra prodeat vnde tremor.
Quid virtus quoque sit, quae perfectissima, & quae
Ars nobis laqueos decipulasque parat:
Haec & Aristoteles docet & Plato: non tamen vt sis
Aut humilis, aut ardens pectus amore Dei.

SIMILITVDINES.

Chrysostomi. Sicut in regali purpura textores, & colores preciosi sunt, qui hanc conficiunt chlamydem: Itidem & hic illae sunt preciosae virtutes, quae charitatem contineant. *Hom. 51. de diuersis.*

Maximi monachi. Quemadmodum ignis recordatio corpus non calefacit: Sic fides sine charitate non operatur in anima cognitionis illuminationem. *lib. 1. de charitate.*

Quemadmodum solis lumen sanum oculum ad seipsum trahit: Sic Dei cognitio sanam mentem per charitatem naturaliter ad seipsam pertrahit. *lib. 1. de charitate.*

D. Augustini. Hac locutione dictum est, Scientia inflat, quid est. Scientia inflat? scientia damnata est, sed quoniam adiunxit, charitas vero aedificat: quomodo ibi adiunxit. Spiritus viuificat, dedit intelligi, litera sine spiritu occidit. Spiritus viuificat, & impleri literam facit, sic scientia sine charitate inflat, charitas cum scientia aedificat. *In serm. de Pascha.*

D. Ambrosij. Charitas est fortis vt mors: quia sicut mors est finis peccatorum, ita & charitas: quoniã qui diligit Deum, peccare desinit. *lib. de Isaac, & anima.*

Laurentij Iustiniani patriarchae. Sicut qui videre vult, necessarium ei est, vt illustretur lumine: Itaqui saluari desiderat, eum oportet habere charitatem. Nã charitas est bonorum principium, quia est à Deo, & quia mouet hominem eo. *lib. de ligno vitae, c. 2. de charitate.*

Quemadmodum oleum supernatat aliis liquoribus: Sic charitas caeteris virtutibus. *lib. de ligno vitae c. 3.*

Merito igni comparatur charitas. Qua sit vt ignis imperiose ferrum quasi ignem efficit. Ita charitas ignitam reddit animam quam possidet. *lib. de ligno vitae c. 3.*

Quemadmodum in [illegible]bus temporalib. ille creditur locupletior, qui plura possidet. Sic in spiritualibus, qui plus charitatis habet ille ditior comprobatur. *De charitate c. 4. in Ligno vitae.*

Charitas impenetrabilis est lorica, respuit gladium, iacula excutit, periculum insultat, mortem irridet: postremo vincit omnia *ibidem.*

Sicut pater erga filios semper est sollicitus, vt proficiant, ac bonis abundent, ac mala deuitent: Sic & beata charitas semper ad bona prouocat, quos replet, & ad Deum trahit. *ibid. c. 6.*

Volentes domos aut palatia construere, primo student in modo supra petram, vel super stabile solum fundamenta locare, & postmodum reliquas aedificiorum partes suis locis & temporib. ordinare, quatenus firmato fundamento caetera aedificanda seruentur. Quale etenim fuerit cuiusq. rei fundamẽtum, talis erit eiusdem perseuerantia, & status. Hoc in materialib. hoc in secularib. humanisque negocijs contingit, minus in spiritualib. iudicandum est. Proinde quicunque in congregationib. militantium Christo cupiunt absque sui detrimento, & proximorum scandalo fratrum & domesticorum habere consortia: primis verae charitatis conentur in seipsum fundamenta iactare, atq. demũ poterunt seruatis congruis modis & temporibus vtiliter conseruari. *De disciplina & perfectione Monasticae c. 22.*

Idiotae viri sanctissimi, quemadmodũ naturalis fulgor ardet, splendetque in facie intuentium: Sic amor verus ardet in mente per desiderium, ac splendet in facie per exemplum. *De contemplatione amore diuini. §. 1.*

Fons veri amoris velut lachrymae, quae ab oculis cadunt in pectus: quia ab intellectu amor oritur, ac cadit in cor per fidem, *ibidem §. 2.*

Amorem animae thesaurus nullus superat: nescit enim homo precium eius, quia omne aurum in comparatione amoris, arena est exigua. Sine amore diues pauper est: ac cum illo, pauper diues est *ibidem §. 13.*

Themisti. Vt calcem aqua accendis, extinguis oleo: Sic hominis iracundi animam nulla vi franges, sed charitate placabis. *In apoph. 512.*

Oleum nunquam penitus excidit, semper enim aliquid manet, & possunt aliae virtutes, castitas & humilitas penitus tolli, sed charitas quauis alia virtute magis constans est, certe nunquam tota expirat. *ibidem 114.*

Chrysostomi. Mater amans quoties lactentem habet puerum, non potest illi largiter praebere lactis fontem: attamen quanquam lacte caret, mammam tamen dat. Ille vero acceptam trahit, sugitque, ore vexatam papillam calfaciens, plusquam erat elicit alimenti, mater vero dolet quidem dum ipsius distenduntur vbera nec tamen repellit puerum, mater enim est, & omnia praeoptat perpeti potius quam vt partum suum contristet. Itaque si matres erga foetus tanta charitate afficiuntur: multo magis oportet nos erga vestram charitatem similiter affectos esse. Nã spiritus nexus calidiores vehementioresque sunt, quam natu[illegible]. *Serm. 2. in Esaiam.*

EXEMPLA BIBLICA.

Charitatis & dilectionis mutuae exempla: Abraham. *Genes.* 14. 24. 18. *ver.* 24 & 22. 2. Isaac, Rebeca, 25. 28. Iacob. 26. 15. Israel. 37. 3. & 44. Ioseph & fratres eius 45. 15. Moses *Exod.* 32. 32. *Num.* 14. 19. *Iud.* 11. *ver* 23. Debora & Barac 5. 9. Elc. 1. *Sam.* 15. Saul 16. 21. Ionathas, 18. 1. & 19. 1. & 20. 17. Israel & Iuda. 18. 16. Micho *ver* 20. Dauid. 2. *Sam.* 1. *ver.* 24. & 25. & 18 33. Roboam, 2. *Paral.* 11. *ver.* 21. Ioseph vir Mariae, *Matt.* 1. 19. qui pro socru Petri orani. *Luc.* 4. 38. Samaritanus, *Luca* 10. *ver* 34 35. Stephanus, *Act.* 7. 60. Fideles Ephesij. *Act.* 29. 37 *Ephes.* 1. 15. Paulus, *Rom.* 9. *ver.* 3. 1 *Cor* 4. *ver.* 14. 21 & 3. *vers.* 1. 2. 2. *ver.* 11. 29 & 12 15. *Galat.* 4. 16. 1. *Thess* 2 8 *Philip* 1 14. & 1. 1. *Timot.* 1. 2 *Tit.* 1. 3 *Philem ver.* 2. 19 Galatae *Gal.* 4. *ver.* 14. 15. Ministri Euangelij. *Philip.* 1. 5. Colossenses, *Colos.* 1. *ver.* 3. *ver.* 4. Thessalonicenses. 1. *Thess* 1. 3. & 4. 14 2. *Thess* 1. 3. Philemon, *Phil. ver.* 5. 19. Hebraei, *Hebr.* 6 10. Ioannes Euangelista, 1. *Io.* 3. *ver.* 18. & 4. *ver.* 7. 11. Pastores Thyatirenses. *Apoc.* 2. *ver.* 19.

HIEROGLIPHICVM.

Quod mutuis sese osculis *columbae* suauientur, ansam dedit vt charitatem, amoris quippe pij virtutem, hieroglyphice per *columbam* nonnulli interpretentur. Et Apostolum citat Origenes, qui de charitate locutus, *columbam* protulerit. *Pier. l. 22.*

Vide, Amor Dei, Amor proximi, Dilectio.

CHARITAS DEI erga suos.

De charitate erga Deum & proximum superiori sectione actum est. Hac autem de Dei Patris, Filij, Spiritus Sancti erga suos immensa charitate aliquid subijciendum necessario videtur.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Charitas, Amor, Dilectio, qua Deus suos amplectitur, charosq; habet in suo dilecto, nempe filio aeterno, frequenter in Sacris Scripturis occurrit *Ahal*, *Ahabah*, *Obeb*, Amor, dilectio, a verbo, *Ahab*, Amauit, dilexit. Cognationem habet cum

Ahab

Ahab. voluit, & cum *Iabab*, & *Caab.* appetiuit. Hinc Græci pro ח substituunt γ, & dicunt ἀγαπάω amo: ἀγάπη, charitas, dilectio: quæ vox passim in nouo Testamẽto legitur, vbi etiam de φιλανθρωπίᾳ Dei mentio fit, *Tit.* 3.4. Et viscerũ misericordiæ seu charitatis Diuinæ meminit Isa. c. 63. ver. 15. & Zach. Luc. 1.78.

Charitas in Deo nullam denotat passionem vel affectionem, sicut in hominibus, qui in affectibus multum impuritatis admixtum sentiunt & demonstrant: sed tres res omnino perfectas in Deo significat. 1. Aeternam beneuolentiam erga aliquem. 2. Beneficentiam actualem, i. ipsa charitatis effecta, siue temporaria sint, siue æterna & ad meliorem illam beatissimamque vitam pertinentia. 3. εὐδοκίαν seu complacentiam & oblationem in aliqua re: quoniam qui amat aliquid, eo etiam oblectatur, illudq; gratum & charum habet.

Priores duas charitatis significationes verbi φιλεῖν confirmat definitio, quam Aristoteles, Cicero, & alij tradunt. Est (inquiũt) alicui velle, quod putes illi esse bonum: & pro virili bonũ illud, illi præstare, idque non tua, sed illius duntaxat causa. Hæc omnia Deo perfectissime conueniunt.

SENTENTIAE BIBLICAE.

Charitas Dei effusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. *Rom.* 5.

Commendat suam charitatem ergo nos Deus, quod quum adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus est. *Rom.* 5.8.

Charitas Dei sit cum omnibus vobis: 2. *Corint.* 13.13.

Deus propter multam charitatem suam qua dilexit nos, vna viuificabit nos per Christum. *Ephes.* 2.4.6.

Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur & simus 1. *Io.* 3.1.

Deus est charitas. In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quod filium suum vnigenitum misit Deus in mundum, vt viuamus per eum. 1. *Io.* 4.8.9.

In hoc est charitas, non quod nos dilexerimus Deum, sed quoniã ipse dilexit nos, & misit filium suum, vt esset propitiatio pro peccatis nostris. 1. *Io* 4.12.

Charitas Dei expleta est in nobis. 1. *Io.* 4.12.

Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. 1. *Io.* 4.16.

Charitas Filij Dei erga suos.

Introduxit me rex in cellam vinariam: ordinauit in me charitatem. *Cantic.* 2.4.

Mediam lectuli partem ex charitate constrauit propter filias Ierusalem. *Cant.* 3.10.

Aquæ multæ non poterunt extinguere eius charitatem, nec flumina obruent illam. *Cant.* 8.7.

Recordatus sum tui & charitatis sponsaliorum tuorum. *Ier.* 2.2.

In charitate perpetua dilexi te. *Ierem.* 31.3.

Traham eos vinculis charitatis. *Ose* 11.4.

Quis nos separabit à charitate Christi? *Rom.* 8.35.

Charitas Christi constringit nos. 2. *Cor.* 5.14.

Cognoscere charitatẽ Christi nostri cognitione superiorẽ. *Eph.* 3.19.

Charitas Spiritus sancti.

Precor vos per charitatem Spiritus, vt adiuuetis me *Rom.* 15.30.

EXEMPLA SACRA.

Adamus, & Eua, *Genes.* 3. erecti post lapsum.

Ex filijs eorundem quotquot vitæ æternæ per & propter filium Dei θεανθρώπου fiunt participes. Conclusit Deus omnes sub peccato, vt omnium misereretur. *Rem.* 11.32.

Dauid 2. *Sam.* 12.13 *Psal.* 51.19.

Manasses rex 2. *Chron.* 33.13.19.

Mulier peccatrix, *Luc* 7.48.

Latro in cruce. *Luc.* 23.43.

Saulus Ecclesiæ persecutor, postea factus ouis, pastor, doctor, & Apostolus Gentium. *Act.* 9. *Rom.* 1. *Galat.* 1.2. *&c.*

Adde typos, parabolas, seu hieroglyphica dulcissima filij prodigi, ouiculæ & drachmæ perditæ charitatem suam in his depingit Christus, Similitudines item non omittendæ videntur, quæ idẽ tradunt, puta pastoris, nutricis aquilæ pullitiem suam portantis, gallinæ, Leonis, &c.

PATRVM SENTENTIAE.

Nos si quis roget quodnã sit quod colamus atq; adoremus, promptum est respondere, quod sit charitas. Etenim, vt a Spiritu sancto pronunciatum est, Deus noster charitas est, eoque nomine, magis, quam quouis alio, delectatur. *Nazienz. orat.* 14.

Quotquot crediderunt in eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. Quid n. hac potestate altius, quid hac altitudine sublimius dici potest, in qua creatus quisq; efficitur filius Creatoris (*Greg. Mag. in Ezech. hom* 6.

Nullus supernæ adoptionis gratiam, nisi per vnigeniti cognitionem accepit. *idem in Iob c.* 31.

Nihil apud Deum tanto in pretio est, quam charitas: ob quã & homo factus est, & ad mortẽ vsq. obediens. *Isid. Pelosiot l.* 1. *ep.* 10.

Charitas est diuina in Christo ad ignoscendum. *Aug. de laude charitatis.*

Magnitudo charitatis diuinæ nusquam nõ sese extendit *Chrysost. in 3. c. epist. ad Ephes. hom.* 7. Hoc curemus dilecti, vt charitatem Dei cognoscamus: nempe quæ sit illius latitudo, lõgitudo, profunditas & sublimitas. Magnum hoc est. Nihil quippe nobis ita proderit: nihil ita compunget, &c. *ibid.*

Christi Charitas magna est profecto, atque inenarrabilis, li(?)auit se ipsum pro inimicis, pro his qui eum oderant, pro auersis a se. Id quod neq. pro amicis, neque pro filijs, neque pro fratrib. faceret quispiam, hoc fecit pro seruis Dominus, pro hominibus Deus, pro mortalib. immortalis, pro temporalib. sempiternus, pro inimicis denique Dei filius. Nam si illi antea cõuersationis merito ac virtute placuissent, minus mirabilis charitas illa videri potuisset. Et certe ad illam nulla humana dilectio accedere potest. *idem in epist.* 1. *ad Tim. c.* 2. *hom.* 7.

O bona mater charitas, quæ siue foueat infirmos, siue exerceat prouectos, siue arguat inquietos, diuersis diuersa exhibẽs, sicut filios diligit vniuersos, quando te arguit, mitis est: quum blanditur, simplex est: pie solet seruire, siue doleret mulcere, patiẽter nouit irasci, humiliter indignari. Charitas, hominum mater & Angelorum, non solum quæ in terris, sed etiã quæ in cælo sunt, pacificauit. Ipsa est quæ Deum homini placauit, & hominem Deo reconciliauit. *Bern in epist.*

Charitas Dei quædam vitalis est pluuia virtutum, sub qua & beata voluptas germinat, & operatio sancta fructificat. *Cassiod. in Psal.* 13.

Nescio si quid maius in laudem tuam dicere possum, o charitas: quam vt Deum de cœlo traheres, & hominem de terra ad cælum eleuares. Magna virtus tua, vt per te vsq; ad inferna humiliaretur Deus, & vsque ad summos cælos eleuaretur homo.

Vide Dilectio.

CHOREAE.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

CHorus, χορὸς proprie est multitudo canẽtium aut saltantium. Nam multorum vocib. aut concentu constat, vt Seneca & Macrobius tradunt. Secundum Platonem lib. 2. de legib. χαρᾶ, id est, Lætitia, deducitur. Festus a corona deriuat. A Choro & tibijs seu fistulis dicti sunt, qui modulantur ad choros, vel qui in choro fistulas aut tibias inflãt, Choraulæ. χορὸς namque chorũ & tripudium significat, αὐλὸς vero fistulam seu tibiam. Chorea, χορεία, à χορεύω Salto. Hebr. *Mecholah*, à verbo *Chalal*, fistulauit, tibia cecinit, quod in Choreis fistulæ seu tibiæ adhiberentur. *Chalelim* fistulatores seu tibicines, *Psal.* 87. *vlt. ver.* Chorus, Chorea: *Exod.* 15.20. *&* 32.19. Pro tibia (instrumento musico) sumitur, *Psa.* 149.3. *&* 150.4 Pro turma. *Nehem.* 12.31.37. *Cant.* 6.12.

Chorearum seu saltationum genera duo in sacris scripturis occurrunt. I. Aliæ n. honestæ fuerunt. *Exempla* extant. *Exod.* 15.20. 1. *Samuel* 18.7. *&* 2. *Samuel.* 6.14.16. *Psal.* 68.26. *Iudic.* 11.34 *II.* Alia vero turpes: *Exempla* leguntur, *Gen* 14.1.2. *&c. Exod* 32 6. *Iudic. vlt. c. Esa.* 3. *Matth.* 14.6. *Marc.* 6.22.

Choreæ seu saltationes Iudaicæ temporibus Mosis & Dauidis diuisæ fuerunt, pro ratione sexus. Aliæ n. fuerunt virorum, aliæ mulierum Choreæ. Nam Dauid solus saltat coram arca Domini, non cum matronis aut puellis. Mosis soror Maria inter mulieres & cum mulieribus saltat ad tympana. Deique laudes celebrat, atque canticis sacris Israelitarum virorum Mosis cãticum personantium, respondet, cum singulari pietatis affectu. Mulieres Dauidi pæana canunt, vt reportatam de immani hoste populi sancti victoriam honestis gestibus & sacris vocib. ac instrumentis celebrent Quid istæ Choreæ cum profanarum gẽtium insanis commune habent?

SENTENTIAE PATRVM.

Feminæ lasciuiæ. Dei timoris obliuiæ, ignis æterni minas nihil pẽdentes, abiecto seruitutis Christi iugo, capita honestis operta velaminib. impudicè retegentes, Deum & eius Angelos despicientes ad marium aspectum impudentes diffusę comas, tunicarum lusum ostentantes, pedibus gestientes, oculo petulco, risu lasciuo, ad saltationem insanientes, iuuentutis intemperantiam in se prouocãtes, aerem meretricijs cantib. terram vero pedib. lasciue saltando contaminauerunt, instar theatri cuiusdã adolescentium cateruas sibi circumsistentes. Vnum profecto harum stragem animarum nobis fecit. *Basil. Magnus. Serm. de ebrietate & luxu.* Vbi multa alia lectu digna, de saltationum & saltantium furoribus occurrunt.

Basilio Magno. Si quis adiungat Chrysostomi homilias in Genesim de nuptijs Isaac, & Iacobi, hom. 49. in Matth. hom. postr. in Epist. ad Coloss. Ambrosium item lib. 3. de virginib. Augustinũ contra lit. Petilian, c. 6. in Ps. 32. Præterea concilij Laodiceni decretum adu. Choreas saltationes in celebratione nuptiarũ Christianarum, anno Christi 364. editum, ab alijs concilijs postea cõfirmatum, luculenta aduersus nostri seculi deplorandas corruptela habebit testimonia & indicia.

Sententiae Biblicae.

Egressa est Dina filia Liæ, vt videret mulieres regionis illius: quã cum vidisset Sichem filius Emor, adamauit eam, & rapuit, dormiuitque cum illa, vt opprimens virginem. *Gen.* 33.

Qui polluerit sabbatum meum (quod faciunt tales tunc maxime ducentes choreas) morte morietur. *Exod.* 23.

Vt vidit Moses choreas, iratus est valde, proiecit tabulas & confregit eas. 32.

Rapuerunt ex his, quæ ducebant choreas vxores singulas. *Iud. vlt.*

Ab omni via mala prohibui pedes meos. *Psal.* 119.

Obseruasti omnes semitas meas, & vestigia pedum meorum considerasti. *Iob* 13.

Auerte pedem tuum à malo: vias. n. quæ à dextris sunt, nouit Dominus, peruersæ vero sunt quæ a sinistris sunt. *Prou* 4.

Pedes eius descendunt in mortem, sæpe & ad inferos gressus illius penetrant, per semitam vitæ non ambulant, vagi sunt gressus illius & inuestigabiles. *ibid.* 5.

Feci mihi cantores & cantatrices, & delicias filiorum hominum, & vidi in omnibus vanitatem. *Eccl.* 2.

Cum saltatrice ne assiduus sis, nec audias illam, ne forte pereas in efficacia illius. *Eccl.* 9.

Pro eo quod eleuatæ sunt filiæ Sion, & ambulauerunt collo extẽto, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, & pedib. suis composito gradu incedebant, decaluabit Dominus verticem filiarũ Sion, & Dominus crinem earum nudabit. *ibid.* 3.

Sãctuaria mea spreuistis, Ecclesias & cœmiterias, (ibi ducẽdo choreas) & sabbata mea polluistis. *Ezech.* 22.

Pro eo quod plausisti manu, & percussisti pede & gauisa es ex toto affectu, idcirco extendam manum meam super te, & interficiam te. 25.

Cane carmen lugubre super multitudinem Aegypti. 32.

Propter saltatricem occisus est Ioannes. *Matth.* 14.

Philosophicae Sententiae.

Francisci Petrarch.

De Choreis DIALOG. XXIV.

G A V.

Choreis gaudeo. R. Mirabar fidium cantus & tibiæ choreas suscitarẽt, & præscripto de more vanitatem vanitas sequeretur, verum maior, multoq deformior. Ex cantu. n dulcedo aliqua, & sæpe vtilis, ac sancta percipitur, ex choreis nihil vnquam nisi libidinosum, ac mane spectaculum, honestis inuisum oculis, viro indignum. G. Choreis cupide intersum. R. Corpus animũ tegit, ac detegit, manuum iactatio, pes mobilis, oculus vagus, ac petulans tale aliquid arguunt in animo esse, qui non cernitur. Itaque cauendum valde est modestiæ cultorib. ne quid effœminatum agant, aut loquantur. Occulti. n. affectus, & pectorum latebræ sæpe paruis iudicijs patescunt, motus, sessio, accubitus, gestus, risus, incessus, sermo, signa sunt animi. G. Dulcedinẽ quandam ex choreis capto. R. O dulcedo ridicula, finge. n. te choreã ducere, vel cernere, neque ita stultas mulierculas, & viros mulierculis molliores in silentio circumferri, tedire, ineptire, quid quæso vnquam absurdius, aut delirantius vidisti? Nunc motus inconditos, lyræ sonus, aut tibiæ, hoc est, amentia vna aliam tegit. G. Choreis delector. R. Non tam ibi delectatio præsens est, quam speratæ delectationis auspicium, Veneris præludiũ illud quidem sono stupidas ac misellas circũducere, atq. vrgere, & stringere, ac specie vrbanitatis atterere, liberæ ibi manus, liberi oculi, liberæ volant voces, pedũ strepitus, & multorum cantus dissoni, & tubarum clangor, concursatio & puluis, & quæ sæpe ludis additur hostis pudicitiæ, & amica scelerum nox ipsa. Hæc sunt q̃ timorẽ ac pudorẽ pellunt, hi sunt libidinum stimuli, hæc laxamenta licentiæ. Et hæc est, ne me falli facilem putes illa delectatio quam simpliciter, & velut innocue chorearum appellatione profitemini, & ludi tegmine crimen obnubitis. Et si. n. solos inter viros, seu solas inter fœminas hæc nonnunquam fiant, illic tamen separatim exercentur. Quidve cõgressi iterum scituri sint simul discunt, ceu discipuli, qui magistro absente quid eo reuerso loqui debeant meditantur. Tolle radicitus hanc speciem ingeniosam atq. improbam, tolle libidinem, sustuleris & choream. Crede mihi cum Dauid rege nemo ante Dominum saltabit, ne quem forte suo vxos irrideat, cũ tamen nullus irrideatur ante dominam saltans, siue ẽt pandurizans. G. Delectabiles sunt choreæ. R. Suiam meam tenes. Si delectent propter aliud delectant, per se. n. tota quidem insulsa res est, & plus tædij allatura quam gaudij. Nam quid omnino est aliud in gyrum volui, quam excitare vertiginẽ, sineq. termino viam ire? Inter locales septem motus, quos Plato dinumerat. Hos. s. ante, retro, dextrorsum, sinistrorsum, sursum, deorsum, ac circuitum solus septimus infinitus est. Atq. hunc ideo, quæ perpetua sunt, hoc est, cœlum seruat & sydera, hunc in terris perpetus hoium agit furor in cunctis fere actib. atq. consilijs. Nec nullus Orpheus Ixionam totam sistit, sed visibilib. in choreis vbi animorum volubilitas corpora secum voluit. Et idcirco cũ de oĩbus dici possit, de his per proprie dicitur quod scriptũ est. In circuitu impij ambulant. Hic ludus multorum dedecorum causa fuit. Sæpe ibi matrona diu seruatum decus perdidit. Sæpe infelix virguncula ipso nuptiali die didicit, quod melius ignorasset. G. Honesto tripudio libenter exerceor. R. Vellem aliud genus exercitij delegisses. Sed quo pergas, & quid velis video, interdictũ tolli, veniã dari, normamq. præscribi. Quando igitur sic affectus es, seu is morbus, seu consuetudo est, qua mala nihil peius, bona nihil est melius, ea tibi in his oĩbus lex erit vt quibus carere penitus non potes, molestissime vtaris ac rarissime. Nequid vlla in re molle vel fœmineum agas, sed vbiq. non suis ẽt in finib. virilis rigor emineas, sitque tripudium, vel quisquis eritis ludus fatigati animi relaxatio, & exercitium corporis, nõ voluptas eneruatrix mentium. Exemplo libentius abstinuisse, summorum virorum imitatio non oĩbus tuta est. Non omne pennatum sial aquilam sequi põt. Imitatorum alij contrarium faciunt, alij vero aliud, nonnulli idẽ aliter. Pauci ad plenũ quod imitantur, effingũt. Cato hic vltimus Reipublicæ curis pressum aĩum vino leuare solitus fertur. Fecit idẽ apud Græcos Solon. Hos aliquis sequi volens vnũ semper officium aget, bibere, qđque illis modicũ, ac ratum, huic immensum, & continuũ: quod illis remedium, huic erit ebrietas. Facile idem in rebus alijs posset ostendi, sed hoc vnũ intelligis quid est, ꝙ nunc tecũ verear. Ex quo tamen damnatæ rei patrocinium vt susciperem coegisti, summi viri exemplum ꝙ vel non sequaris vel non mutes, accipe his ipsis quib. apud Senecã est verbis in eo lib. in quo tranquillitatem animi stilo loquitur. Scipio, inquit, triumphale illud & militare corpus mouet ad numeros, non molliter se infringens: vt nunc mos est ẽt in incessu ipso vltra muliebrem mollitiem fluentib. sed vt antiqui illi viri solebant inter lusum, ac festa ipa virilem in modum tripudiare, non facturi detrimentum ẽt si ab hostib. suis spectarentur. Quib. in verbis quid de sua iam tuo ætate sentiret, perspicis. Felix quia non vidit tuam. Quãuis aũt ille, & tripudij & vini remissionem probet, veniendumque nonnunquam vsq. ad ebrietatem dicat, quod à tam rigido ingenio dictum miror, si fideli consilio vti vis, vino parce vtere, tripudio abstine. Alia sunt honestiora remissionum genera quib. fastidienti. fessoq. aio medeare. in oĩbus tamen optimum fuerit, quod hic vltimum dixit attendere, & quæcunque ages ita agere, tanquam te hostes tui videant atq. obseruent. Multo quidem est satius sic viuere, vt abstinentiam & grauitatem suã inimici stupeant, quam vt lasciuiam amici excusent. Clarior fama est, cui nec verũ crimen obijcere quispiam põt, nec falsum audet, quã cum obijcitur, sed purgatur. Accusatorem perfecta virtus exterret, mediocris irritat. Quod ad sobrietatem attinet, malim te Cæsari similem, quem vini parcissimũ ne inimici quidem negauerint (vt Tranquillus ait) quam Catoni, non Censorium illum senem loquor, de cuius ebrietate iam diximus, sed hunc vltimum, cui obiectam ebrietatem Seneca sic refellit, vt dicat facilius eff. cturum quisquis obiecit crimẽ, honestũ, quam turpem Catonem. Quo ad id vero de quo agitur, nullo modo tripudies malim, quã vt Scipio. Quod si se illuc vrget animus quo nolim, his te saltem ducib. vti velim, vt si penitus tibi inside dit illud lyricum. *Nunc est bibendum, pede libero pulsanda tellus.* Sic vinum bibas vt Cato, sic terram pede pulses vt Scipio.

Vide, Saltatio.

CHRISTVS.

DEFINITIONES ET ETYMOL.

CHristus Græca dictio est: nam χριστὸς i. vnctus dicitur adiectiue, & χρίω vngo, χρῖσις i. vnctio. Quod nomen filio Mariæ Iesu optime conuenit, tum quia in humanitate est vnctus oleo gratiæ præ alijs, tum quia hoc nomen exprimit vnitatem personæ in duabus naturis, exprimis enim dignitatem regiam & sacerdotalem. Ipse enim est Rex & Sacerdos summus in æternum, secundum ordinem Melchisedech. Psal. 110. 4.

Heb. *Masschiach*, idest vnxit oleo. Hinc *Masschiach*, nobis Messias, χριστὸς, Christus. Sub lege olim vngebantur Sacerdotes & reges. Christi nostri seruatoris prophetia etiam in Sacerdotio eius comprehenditur.

Loci Biblici.

Christi diuinitas & humanitas in vna Christi persona constituenda vniuntur & coalescunt, *Esaie* 7. 14. & 9. 6. *Matth.* c. 23. *Io.* 1. 14. *Roman.* 9. 5. *Philip.* 2. *versic.* 6. 7. 1. *Timoth.* 3. 16. non confunduntur

duntur. *Ioan.1.18.& 1.19.Rom.1.uer.3.4.5.Col.1.19.& 2.9.1.Timot.3.uer.16.Hebr.9.14.* ad vnionem earum demonstrãdam vni persona, alterius proprietas, per idiomatum communicatiõe tribuitur, *Ioan 3 13.Act.20.28.1.Cor.2.8.Io.1.1.& 13.16.* Christi persona vna est à Patre distincta. *Io. 8.uer. 16.18.Cor.8.6.1.Timot.2.uer.6.* Christus & Messias idem. *Ioan.1.42.*

Christi personæ attributa, officia significant, *Ioan.4.uer.25.* Hoc titulo, tria Filij Dei officia significantur: *Primo* Regnũ cui inauguratur à Deo, *Psal.2.uer.6.& 45.uer.7.8.Hebr.1.9.* & ob id appellatur Rex, *Ierem.23.uer.5.Ezech.21.uer.26 27.Zach.9.9.Matth.21.5.& 25.34.Luc.1.32 Ioan.18.36.1.Cor.15.25.* Rex æternus, *1.Paral.17.uer.11.14.Psal.45.8 & 89.uer.5.35.36.37.38.Esa.9.7 Dan.2.44.Luc.1.33.Heb.1.uer.8.* Rex Israel & Iudæorum, *Matth.2.2.& 27.37.Mar.15.2.26.Luc.23.3.Ioan.1.50.& 19.14.* Rex iustitiæ, *Heb.7.2.* Magnus, *Apoc.12.uer.5.* Pacificus, *Esa.9.7.& 11.6.& 65.25.Ezech.34.25.& 37.26.Hebraeor.7.2.* Rex Regum, *Apoc. 1.5.& 17.14.& 19.16.* *Secundo.* Filius Dei Christus dicitur, quia propheta & Doctor vngitur, *Esaia 61.1. Luca 4.uer.18 Actor.10.38.* eius prophetia describitur, *Deut.18.15.Matth.21.uer.11.46 Luc.7.16.& 24.19.Ioan.4.19.& 6.14.& 7.40.& 9.17.Actor.3.22.& 7.uer.37.* eo pertinet, quod Ecclesiæ suæ Doctorem agit *Psal. 2.uer.6.7.& 22.23.& 4[?].11.Esaia 55.4.Matth.11.uer.29.& 17.5 & 22.16.& 23.uer.8.10. Marc.13.14.Luca 6.40.& 9.35.& 10.uer.22.& 17.13.& 21.15.& 12.11 & 24.32.Ioan.1.uersic.18.38.& 3.& 4.15.& 11.28.& 13.& 17.6.& 20.uer. 6.* & pastor dicitur, *Esaia 40 11. Ezech 24.23 Mich.5.2. Zach.13.7.Matth.26.31. Ioan.10.uer.11.14.Heb.13.20.1.Pet.2.uer.25.* & Euangelij præco, *Esaia 60.1.& 61.1.Matth.11.5.Luc.4.uer.18.Ephes.2.17.Hebr. 2. 3.* pacis annunciator, *Zach.9.10.Ephes.2.17.* & Dei fidelissimus testis, *Ioan.3.32 Apoc.1.5.& 3.14.* *Tertio*, Filius Dei Christus dicitur: quia sacerdos ordinatur *Psal.110.4.Zach 6 13 Hebraeor 2.17.& 3.1.& 4.14 & 5 uer.1.5 6.& 6.20.& 7.u.17.21.26.& 8.1.& 9 uer.24.uer 26.& 10 uer.11.14.21.* Christus vnicum pro nobis sacrificium seipsum offert, *Psal.40.uer.7.8.Matth.20.28.Rom.4.25.Galat.2.20 Ephes 5 uer.2.1.Timot.2.uer.6.Tit.2 uer.14 Heb 1.3.& 7.27.& 9.uer.14.26.28.& 10.uer.3.5.6.7. 10.12.14.* ob id Agnus dicitur.

Christus Deus. *Quinque* sunt præcipui fontes demonstrationum, quibus vera & æterna Christi Deitas aduersus blasphemos & impuros hæreticos asserenda est.

Primo a manifestis Scripturę testimonijs, in quib. Christus Deus & Iehoua dicitur: non titularis autem Deus (vt hæretici blaspheme nugantur) sed vere & natura Deus, Deus ergo est Christus: Primo, quia aperte Deus dicitur, *Genes.32.28. Psal.45.7.Hebraeor.1.8.Esaia 7.uer.14.& 9.uer.6.& 25.9.& 43.uer.11.12.& 35.uer.4.5.Matth.1.23.& 11.uersic.4 5.& 15.30.Esaia 40. 3. Matth.3.3.Marc.1 3.Luca 3.4.Ioan.1.uer.23.Esa.45.uer.15.21.22. 23.24 Rom.14.11.Matth.1.uer.21.23. Act 4.12.Iere. 33.uer.15. 16.Osee 1.7.Zach.2.uer.8.9 Mal.3.uer.1.5. Luca 1 uer.16.17.Actor.20.28.Rom.9.5 1.Corint.2.uer.8.Galat.1.12.Philip.2.6.Col.1.uer.15.19.& 2.uer.9.1.Timot.3.16.Tit.1 uer 3.4.& 2.uer.13.2.Pet.1.3. Ioan.5.20.Apoc.21.uer.7.22.* quia Iehoua est. & dicitur. *Esaia 45.uer.24.25.Osea 1.7.Zach.2.uer.8. 9. Malach. 1. 1.* & alibi sæpe, vt ex diligenti horum veteris & noui Testamenti locorum, qui mutuo sese explicant, inter se collatione, & σοζοϊα liquido patet. *Exodi 3.2.& 13.4.& 14.24.& 20 & 20.2.Actor.7.uer 30.32.1.Corint.10.uer.4.9.&c.Deuter.30.20.Actor.17.28.Ioan.14.6.1.Ioan.5.20.Iosue 1.1 & 24.19.Deut.6.16.1.Corinth.1.uer.9.Psal.24.10.1.Corint.2.8.Psal.89.21.Actor 4 25.Matth.22.43.Mar.12.uer.35.36.37.Luc.20.44. Actor.2.34 Psal.101.uer 1.26.27.28.Hebraeor 1.uer.10.uer.11.Psal.130.uer.7.8 Tit.2.14.Esaia 6.uer.1.9.10. Ioan.12.uer.39.40.41.Esaia 8.uersic.13.24.Matth.21.42.Luca 2.uer. 34.Rom.9.33.1.Pet.2.uer.7.Esaia 29.uer.10.Ioan.8.39.Esaia 40. uer.3.10.Matth.3.uersic. 3. Marci 1. 3. Luca 3. 4. Ioan.1.2.3 Esaia 41.uer.4.& 44.uer.6.& 48.Apoc.1.uer.5.7.8.11.17.& 21.6.& 22.13.Esaia 43.11.Ioan. 4. 42..Esaia 44.6. Apoc.1.8.uer.7.& 22.uer.13.Esaia 45.21. Matth 1.21.Ioan.4.uer.42.Actor.4.12.Tit.1.uer.3.1.Ioan.4.14.2.Pet.1.1.Esaia 45.uer.23.Rom.13.uersic.11. Philip 2.10 Esaia 45.uer.12.18.Ioan.1.2 Coloss.1.16.Hebr.1.uer.2.10. Esaia 54.5.Matth.10.15.Marc.9.19.Luca 5.34.Ioan.3. 29. 2.Cor.11.2.Ephes 5.24.Apocal.19.7.& 21.2.Ierem.9.uer.43.24.Galat.6.uersic.14.Ierem.23.6.1.Corint.1.3 Ezech.16.uersic.60.62.Hebraeor. 9. uer.15.16.* Apud Oseam, *Osea 1.7.* dicitur Iehouam seruaturum domum Iehudam in Iehoua Deo suo: Atqui nemo nisi in Christo & per Christum seruatur, *Matth 1.21. Ioan. 4. 42. Actor.4.12.Tit.1.uer.3.1.Ioan.4.uersic.14.2.Pet.1. 1.Osea 2.19.Ioan. 3. 29.2.Corinth.11.2.Ephes.5 32.Apoc.19 7.& 21.uersic.2. 9.* Vide & *Psal.45.uer.11.12.Ezech 16.8.Matth.9. 15.Osea 6.uer.1. 2. Ephes.2.6.Coloss 3.1.Osea 13 uer.4 14 Ioan.5.21.Cor 15.uer.55. 56. 57.1.Timoth.2.uer.6.2.Timot 2.1.1[?].Hebr.2.14.Osea 14.uer.2.3.Ioan.1.29.Ioel.2.uer.27.28.Ioan 15.26.Act.2.33 Abdiæ uer. 21. Psal.2.6. Apoc 2.uer 27.Luc 21 uersicu 32.33.Michea 2.uer.12. Ioan.10.16.& 11.uer.51.52.Mich.2.uer 13.Ioan.2.uer.11.& 3 uer.36.& 6.uer.29.uer.35.uer.40.uer..47.& 9.uer.35.& 14.uer.1.6.& 17.uer.3.Act.16.uer.31.& 23.uer.19.& 24.uer.24.Galat.2.uer.16.Ephes.1.uer.15. Col.1.uer.4.& 2.uer.5.1.Timoth.3.uer.13.2.Timoth.3.uer.15.* Quia omnipotens, *Ioan.3.uer.31.& 10.uer.18.& 14.uer.14.Philip.3.uer.21.Hebraeor.1.uer.3.Apoc.1.uer.58.& 3.uer.7.& 4.uer.8.& 17.14.& 19.& 15.16.* Qui peccata remittendi authoritatem habet, *Matth.9.uer.6. Marc.2.uer.5.uer.7.uer.9. Luca 5.uer.20.& 7. uer. 48.* Atqui peccata remittere est solius Dei, *Esaia 43.uer.25.Marc.2.uer.7.Luca 5.uer.21.* Remittunt & ministri peccata, sed tanquam testes, & Dei instrumenta. & hanc authoritatem a Christo acceptam habent, *Matt.16.uer.19.Io.20.uer.23.* Quia plures locos eodem tempore occupat, *Matth. 18. uer.20.& 28.uer.20.Ioan.1.uer.18.& 3.uer.13.& 14.uer.23.* Atqui id solius Dei est *1.Reg 8. uer. 27. 2. Paralip. 2 uer.5.& 6.uer.18.Iob 11.uer.8.Psal. 139. uer. 7.8 9. 10.Esaia 6.3.& 66.1. Ierem.23.uer.24.Amos 9.uer.2.Sap.1.uer.7.Matth.5.uer.35.Actor.7.uer. 48.& 17.uer.24.* Quia potestate eadem qua Pater pollet, *Ioan.5.uer.17.19.& 16.15.*

Quia potestatem miracula edendi confert. *Matth. 10. uer.8.Mar.6.u.7.& 16.uer.17 Luca 10.uer.19.Ioan.14.uer.12. Actor.3.uer. 6.12.16.& 14.uer.3* Quia resurrectionis autor est, *Ioan.5.uer 21.25.& 6.uer.39.40.44.54.& 11 uer.25.1.Corinth 15.uer.21.* Quia Rex Regum, & Dominus dominantium, *Apoc.19 uer. 16.* Quod Paulus Patri tribuit, *1.Timot.6.uer.15.* Eiusdem ergo potentiæ Christus cum patre. Quia Seruator est. & dicitur. *Matth.1.uer.21.Actor.4.uer.12 1.Ioan.4.uer.14.Tit.1.uer.3.4.& 2.uer.13.* Atqui hoc non nisi vero Iehouæ competit. *Esaia 44.uer.11.& 45.v.22.* Quod autem hæc appellatio Ministris etiam verbi tribuitur. *Abd.v.21.1. Timoth.4.v.16. Iacob.5.v.20.* eo fit, quia illi sunt administri salutis per Euangelicam doctrinam, *1.Cor.3.9.& 4.v.51.* Quia Euangelium, quod testimonium Dei, dicitur, *1.Cor.2.v.1* dicitur Christi testimonium, *1.Corint.1.v.6.* Quia sperare dicuntur gentes in eo, *Esa.11.v.10.* Paulo interprete, *Rom.15.v.12.* & beati dicuntur, qui sperant in eum, *Psal.2.v.12.* Atqui maledictus, qui spem suam locari in homine. *Ierem.17.v.5.7.* beatus contra, qui fidit Deo, *Psal.84.v.13.* Quia suscitauit seipsum, *Rom.1.versi.4.Ioan.10.18.* Quia Spiritum Sanctum mittit. *Zach.12.10.Ioan.16.v.7.& 20.5.23.Mich.4.v.7.Luc.1.v.33.Mich.5.v.3.Matth.2.6.Rom.9.v.5.Mich.7.uer.18.Ioan 1.v.29.Esaia.53.v.6.1.Petr.2.v.24.Agg.2.v.7.Heb.13.v.25.26 Zach.2.v.15.* duo introducuntur sub nomine Iehoua, mittens & missus. quorum vterque Iehoua dicitur. Non sunt autem duo Iehoua sed vnus *Deuteronom.6.uersiculo quarto*, Plures ergo sunt in Deo personæ.

Secundo a relatis: quia μονογενὴς idest, vnigenitus Dei Filius est, *Ioan.1.18 & 3.v.14.16.18.1.Ioan 4. 9.* Idem fatentur & in Symbolo Apostolico. Vide, & *Rom.1.ver.3.4.* quia imago Patris, *Ioan.14.v 7.8 9.2.Corin.4.v.4.Coloss.1.15. Heb.1.* Atqui imago aut similitudo, non est diuersarum inter se rerum, sed similium, & parium.

Tertio ab Epithetis soli diuinæ naturæ congruentibus: Quia æqualis Deo Patri, *Philip.2.v.6.* Quia æternus, *Prouerb.8.v.22.Mich.5 v 2.Ioan.1 v.1.& 8.5.8.Coloss.1.ver 17.18.Ioan.1.uer.1.& 2.13.Apocal.1.v.8.17.& 21.6.& 22.v.13.* Quia author electionis est, *Ioan.13.v.18.* Quia omnia, ipsaque cordis arcana nouit. *Matth. 9.v. 4.5.& 12 v. 15. 25.& 16.9. & 17.v.17 & 22.18.Mar.2.v.8.& 14.v.13.Luc.5.22.6.8.& 9. 47.& 11.v.17. 39.& 22 10.Io.1.48.& 2.v.24.& 5.42 & 6.v.15.61.64.& 11.v.34.& 13.v.11.19.& 14.v.29.& 16.v.4.19.30 & 28.v.4 Apocal. 2.v.9.13.19.23.& 3.v.1.15.* quod solius Dei est, *1.Reg.8.v.39.2. Paralip 6.v.20.* Quia credendum est in eum, vt in Deum, *Ioan. 14.v.1.* Quia donat æterna præmia, *Ioan.5.v.24.& 6.40.* Quia eductor populi Israelici ex Aegypto, quem tentauerunt in deserto, *1.Corint.10.v.4.9.* (Vide *Exodi 23.vers.20.21.22.*) Atqui eductio populi, vero & æterno Deo tribuitur. *v.Exodi 20.v.1. 2.* & alibi passim. Quia exaudit inuocantes se, *Ioannis 14.v.14.* Quia in forma Dei est, *Philip.2.6.* Atqui sicut in forma hominis esse. *Philip.2 v.5.v. 6.7.* est esse verum hominem. Ita in forma Dei esse, est Deum verum est. Quia gloria illa, eius æterna, *Ioan.17.v.5.* Quia gloria illa, quam Esaias vidit, *Esaio 6.1.* fuit Christi gloria *Ioan.12.v.14.* Quia gratiæ, & pacis largitor, id quod patet ex precibus Pauli, in quibus Filium cum patre coniungit, *Rom 3.7.1.Corin.1.v.3.& 16.24.2.Corinth.1.2.& 13.Gal.1.3.Ephes.1.2.Philip 1.2.Coloss.1 2 1.Thess 1.2.1.Timoth.1.v.2.2.Timoth.1.2.Tit.1.4.* Quia illuminat, *Ioan.1.9.* quod est solius Dei proprium. *Exodi 4.11.* Quia iudicat viuos & mortuos, *Ioan.5.v.22.27.* Quod & in Symbolo Apostolico fateri tenemur. Quia est obiectum fidei. *Esa.8.14.Luc.2.v.34. Rom.9.v.33.1.Pet 2.8.Esaia.28.16 Psalm.2.12.Matth.28.19.Marc.19.v.16.2a.* Quia virtus eius diuinos effectus habet, *Rom.15.versiculo 18.19.1.Corinth.12.9.Hebr 1.uersiculo 3.* Quia vita fuisse in Christo dicitur, *Ioann 1.4.* Atqui in solo Deo viuunt, mouentur, & subsistunt omnia, *Actor.17.uersiculo 18.Roman 11.36.1.Corinth.8.6.* Quia vnus essentia cum patre, *Ioan.1.18.& 5.18.& 8. 38.& 14.10.20.Philip.2.6.*

Quar-

Quarto ab effectu vniuersali.videlicet ἀπὸ πάσης κτίσεως καὶ δημιουργίας.creatione & conseruatione rerum omnium:quia creator:*Ioan.1.versic.3.& 5.versic.17.Coloss 1.vers.16.Heb.1.versic.2.3.10.Apoc.3.14.*

Quinto.à cultu, quem omnes fideles inde vsque ab orbe condito Filio Dei Christo, vt vero & natura Deo exhibuerunt:Quia adorandus,*Psal.97.7.Hebr.1.6.Luc. 24.versicu.52.Ioan.23.Philipp.2.10.Apocal 4.versic. 8.9.11.*Atqui Deus solus adorandus,*Deut.6 13.& 10.20.Matth.4.10.Luc.4.8. Actorum 14.ver.15.Apoc.14.7.* Quia baptizandum in nomine Christi,*Matt.28.19* Quia idem cultus & honor debetur Filio,qui & Patri. *Ioan. 5. 23. 1.versic.Ioan.2.22.23.*Atqui clamat Deus, *Esa.42.8.*se gloriam suam alteri non daturum . Ergo Filius cũ Patre idem in essentia Deus. Quia curuabitur ipsi omne genu.*Roman.14.11.Philip.2.ver.10* Atqui id est solius veri Iehouæ,*Esaia 45. 23.*Quia inuocandus.*Esaia 11.10.Roman. 15.12.Matth.18.20.Luc.24.Actor.7.59.& 9.versicul.13.14.& 22.16.Roma 1.ver.7.1.Corinth.1.versicul.2.2.Corinth.1.2.Gal 1.versic.3.Ephes.1.2.Philip.1.2.Coloss.1.2.1.Thess.1.1.& 3.11.2.Thess.2.16 1.Timoth.1.vers.2.2.Timoth.1.2.Tit.1.4.Philem.versi.3.25.1.Pet 5.14.Apoc.22.vers. 20.21.*Quia iuratur in eius nomine,*Esa.45.versi.23.Roma.14.vers.11.*

PATRVM ORTHODOXORVM SENTENTIAE.

Esuriuit Christus,qui omoes pascit,sitiuit,per quem creatur omnis potus? & qui spiritualiter panis est esurientium fonsque sitientium:ab itinere terrestri fatigatus est , qui se ipsum nobis viam fecit in cœlum. obmutuit & obsurduit coram conuitiantibus, per quem mutus locutus est,& surdus audiuit : Vinctus est,qui de infirmitatum vinculis nos soluit:flagellatus est, qui omnia flagella dolorum de omnium corporibus expulit.Crucifixus est,qui cruciatus nostros finiuit. Mortuus est,qui mortuos suscitauit, sed & resurrexit nunquam moriturus,ne ab ipso quisquam sic disce deret , mortem contemneret,quasi nunquam futurus.*Augu 7.de catechizand.rud.*

Iacebat Christus.quantum ad carnem mortuus in sepulchro,mortuos suscitans in inferno.vitam tribuens vniuersis in cœlo, nõ mundum dimittens ad cœlum ascendit,nec cœlum deserẽs venit ad nos. sed vno atque eodem tempore totum totus impleuit.*Sup.Matth c.5. & contr.Fœlic.*

Ego sum via , veritas , & vita , tanquam diceret , qua vis ire?ego sum via:quo vis ire?ego sũ veritas:vbi vis permanere? ego sum vita.*ibid.*

Ideo permittitur inimicus iuxta viam ponere laqueos:ne securitate exultationis via deseratur , & in insidias incidatur. Via Christus humilis, Christus veritas & vita.Christus excelsus & Deus,si ambules in humili,peruenies ad excelsum.*ibid.*

Ambulare vis?ego sum via:falli non vis?ego sum veritas:mori nõ vis?ego sum vita.*Sup.Ioan.*

Tota vita Christi in terris per hominem quem gessit, disciplina morum fuit.Omnia enim bona mũdi Christus contempsit,quæ contemnenda docuit: & omnia mala sustinuit, quæ sustinenda præcepit,vt nec illis quæreretur fœlicitas, nec in illis infælicitas timeretur.*de ver.relig.*

Attulit Christus veritatem, vt rector:mansuetudinem vt liberator:iustitiam,vt cognitor.*Sup.Ioan.*

Erat Christus vno atque eodem tempore totus in inferno, totus in cœlo,illic patiens iniuriam carnis, hic non relinquens gloriam Deitatis,erat apud inferos resurrectio mortuorum , erat apud cœlos vita viuentium.*Contr.Fælic.*

Aut cum Christo, aut cum diabolo nos esse oportet:nec est locus medius.*De Gra.Chr.*

Christus omnibus omnia factus est. pauper pauperibus,diues diuitib.flens,flentibus,esurientib. esuriens, sitiens sitientib.profluus abũdantibus:in carcere cum paupere est,cum Maria flet cum Apostolis epulatur,cum Samaritana sitit in deserto esurit, vt cibus primi hominis quem præuaricatione gustauerat,ieiunio Domini solueretur. *Ambr.sup.Luc.lib.4.*

Nemo tibi Christum potest auferri,nisi te illi auferas. *ibidem libro quinto.*

Omnia habemus in Christo. & omnia in nobis Christus.Si à vulnere curari desideras, medicus est:si febribus æstuas,fons est:si grauaris iniquitate, iustitia est:si indiges auxilio , virtus est : si mortem times,vita est:si tenebras fugis , lux est:si cœlum desideras,via est:si cibum quæris alimentum est . *Ambr. in quodam serm.*

Hoc intelligendum est,quod tantæ paupertatis fuerit Christus,& ita nulli adulatus sit,vt in vrbe maxima nullum hospitem,nullam inueniret mansionem.*Hiero.sup.Matth.l.1.*

Christus sanctificatio est,sine qua nemo videbit filium Dei,seu faciem Dei.Christus redemptio, id est , redemptor & precium. Christus omnia,vt qui omnia propter Christum dimiserit,vnũ inueniat pro omnibus & possit libere clamare, Pars mea Dominus.*Idem ad Pau.*

Redemptor noster homo nascendo.vitulus moriendo,leo resurgendo, & ad cœlos ascendendo aquila factus est.*Gregor.Homelia 4.*

Iustus quisque per rationem homo, per Sacrificium mortificationis suæ vitulus , per fortitudinem securitatis suæ leo,per contemplationem vere efficitur aquila.*ibid.*

Mors Christi a morte : vita ab errore,a peccato gratia liberauit. Et quidem non per iustitiam suam peregit victoriam,quia iustum exsoluendo quæ non rapuit , vita per sapientiam documentum disciplinæ adimpleuit , gratis ex illa potestate peccata remisit,qui omnia quæcunque voluit,fecit *Bern.de noua militia.*

Non consolatur Christi infantia garrulos: non consolantur Christi lachrymæ cachinnantes:non consolantur panni eius ambulantes in stolis:non consolantur stabulum & præsepe amantes primas cathedras in synagogis.*In Epist.*

Aliud sequi Iesum, aliud tenere,aliud manducare. Sequi salubre consilium,tenere & amplecti , gaudium solemne,manducare, vita beata.*In serm.*

Gemina dulcedo suauitatis exuberat in pectore Domini Iesu: longanimitas in expectando, & facilitas in donando.Nomen Iesu, quam charum, quam vtile,& salubre,si vtile non esset,mihi nõ offunderetur, si salubre non esset,me non lucraretur.Iesus mel in ore,melos in aure,iubilus in corde.*Sup.Cant.*

Putasne filium Dei reputet Iesum quisquis ille est homo,qui ipsius nec terretur comminationibus , neque attrahitur promissionibus, nec præceptis obtemperat . nec consilijs acquiescit? *Bern.in serm.*

Nomen Iesu lucet prædicatum , pascit recogitatum , lenit & vngit inuocatum,qui ita exercitatos reparat sensus,virtutes roborat,vegetat bonos mores atque honestos,castas fouet affectiones.*Sup.Cant.*

Nihil ita sicut hoc nomen Iesu iræ impetum cohibet,superbiæ tumorem sedat,liuoris vulnus sanat,luxuriæ fluxum restringit, libidinis flammam extinguit,sitim auaritiæ temperat, ac totius dedecoris pruriginem fugat.*ibid.*

Dignus plane est morte, qui tibi Christe recusat viuere,& qui tibi non sapit desipit,& qui curat esse,nisi propter te,pro nihilo est,& nihil est . Propter teipsum Deus fecisti omnia,& qui esse vult sibi,& non tibi,nil esse incipit inter omnia.*ibid.*

Ne mundi gloria seu carnis voluptatibus abducaris,dulcescat tibi pro his sapientia Christus:ne seducaris spiritu mendacij , & erroris.lucescat tibi veritas Christus:ne aduersitatib. fatigeris, confortet te virtus Dei Christus.*ibid.*

Quis non post illum libenter atque alacriter currat,qui & ab errore liberat,& errata dissimulat,qui deinde merita viuẽdo tradit,& præmia moriendo conquirit?*ibid.*

Habemus Christum Iesum ex patre nascentem,in patre cubantẽ, cum patre sedentem , sub patre pendentem, a patre ambulantem,pro patre stantem,sine patre morientem.*ibid.*

Sub Christi scapulis quatuor nobis beneficia conferuntur,sub his enim abscondimur : sub his ab incursu accipitrum & miluorũ protegimur:sub his vmbraculum salubre nos refrigerat,& omnium solis feruorem repellit .sub his quoque alimur & fouemur.*In quodam sermone.*

Prudentia vera in Christi doctrina , iustitia in Christi misericordia, temperantia in Christi vita,fortitudo in eiusdem passione reperiuntur,*Sup.Cant.serm.2.*

Christus factus est nobis sapientia in prædicatione:iustitia,in peccatorũ absolutione : sanctificatio in conuersatione:redemptio in passione.*Serm.22.*

Incassum laborat in acquisitione virtutum, qui eas alibi quam in Christo quærit.*ibid.*

Christum humanitatem ab Ecclesia subtraxit, vt daret locum fidei.*Serm.57.*

Nomen Christi exprimit vnitatem personæ in duabus naturis , exprimit etiam dignitatem regiam, & sacerdotalem, & gratiæ plenitudinem propter vnctionis prærogatiuam . *Damas.in Matth.16.*

Passio tua,Domine Iesu, vltimum est refugium , singulare remedium.Deficiente sapientia, iustitia nõ sufficiente,sanctitatis succumbentibus meritis illa succurrit.Cum enim defecerit virtus mea,non conturbor,non diffido, scio quid faciam.Calicem salutaris accipiam.Scio quod merita mea nihil sunt.Ego vero fideliter,quando ex me nihil deest, vsurpo ex viscerib.Domini, quoniã misericordia affluit, nec desunt foramina,per quæ foderunt manus meas & pedes,latusque lancea forauerunt . Per has rimas licet mihi sugere mel de petra,oleum de saxo, & gustare quam suauis est Dominus.*Ber.in Cant.*

Nun quia forma eius decore lactei coloris eluxit,aut flaui crine lampauit,aut insigni statura præminuit,sed veraciter humano genere pulchrior fuit,quia peccatum non habuit,quamuis pater Augustinus speciem decoris eius dicat fuisse laudabilem. *Cassiod.sup.Psal.45.*

Sicut

Sicut ligat diabolus, qui peccata connectit, ita soluit Christus, qui delicta dimittit. *Sup. Psal. 146.*

Refugium formidat fortitudo. Quid sibi vult Euangelista? Deuoti militis est, regis sui tacere fugam, narrare constantiam, aperire fortia, tacere infirma, & sequi alta. Quod fugit autem Christus non fugit timoris sed mysterij causa. Bellicosus enim si in bello fugit, artis est, non timoris, insequentem non timet, sed producit, vt palam vincat. *Pet. Rauen.*

Quid iugo Christi suauius? Quid onere leuius, probabilem fieri, scelere abstinere, bonum velle, amare omnes, odisse malum, æterna consequi, præsentibus nō capi, nolle inferre alteri, quod sibi perpeti sit molestum. *Hil. in Matth.*

POETICAE SENTENTIAE.

Claud. de laude Christi.

Proles vera Dei, cunctisq; antiquior annis.
Nunc genitus, qui semper eras, lucisq; repertor.
Ante tua matrisq; parens: quem misit ab astris
Æquæui genitor, verbiq; in semina fusum
Virgineos habitare sinus. & corporis arcti
Iussit inire vias, paruoq; in sede morari:
Quem sedes non vlla capit, qui lumine primo
Vidisti quidquid mundo nascente crearas
Ipso opifex, opus ipse tui dignatus iniquas
Ætatis sentire vices, & corporis huius
Dissimiles perferre modos, hominemq; subire,
Vt posses monstrare Deum, ne lubricus error
Et decepta diu varij solertia mundi
Pelleret tam multis sineret mortalia saclis
Auctorem nescire suum.

Claud. de Christo Seruatore.

Christe potens rerum redeuntis conditor æui,
Vox summi sensusq; Dei, quem fudit ab alta
Mente pater, tantique dedit consortia regni:
Impia tu nostræ domuisti crimina vitæ,
Passus corporea mundum vestire figura,
Affarique palam populos, hominemq; fateri.

Ibidem.

Qui & supplicij nomen, nexusq; subisti,
Vt nos subriperes letho, mortemq; fugares
Morte tua.

Claud. de miraculis Christi.

Angelus alloquitur Mariam, quo præscia verba
Concipiat, salua virginitate, Deum.
Dant tibi Chaldæi prænuncia munera reges,
Myrrham homo, rex aurum, suscipe thura Deus.
Permutat lymphas in vina liquentia Christus:
Quo primum facto se probat esse Deum.
Quinque exiles panes, pisces duo millia quinque,
Et Deus ex paruis, plus superesse iubet.
Editus ex vtero cæcus non a lumina sensit,
Et subitus ignotum se meruisse diem.
Lazarus è tumulo, Christo inclamante, resurgit,
Et duræ mortis lex resoluta perit.
Nutantem quatit vnda Petrum, cui Christus in alto
Et dextra gressus firmat, & ore fidem.
Exsanguis Christi contingit fœmina vestem:
Stat cruor in venis: sit medicina fides.
Iussus post multos graditur paralyticus annos,
Mirandum, lecti portitor ipse sui.

Antholog. Sacra.

Orans cum sudore sanguineo Dominus noster Iesus Christus significabat, de toto corpore suo, quod est Ecclesia, emanaturas martyrum passiones, *Aug.*

Ferre parans Christus pœnam mortemq; propinquam,
Inuictamq; suis ingenerare fidem,
Cum prece sanguineas fundebat corpore guttas,
Et pretium mundi sudor erat Domini,
Nec crucis asperitas poterat terrere volentem,
Quæ regna æterna gloria carnis erat.
Sed cruor ille pater sanctis spondebat honores
Orturis toto corpore martyribus.
Nam cum sacra seges terrarum impleuerit orbem,
Omnis ab hoc vno semine messis erit.

Ibidem.

Quisquis consilio attono contraria sentis,
Et verbum in nostra carne manere negas.
Diuinæ pietatis opus dissoluere quæris,
Speque sua mundum despoliare cupis.
Nam quis ventura quenquam saluabit ab ira?
Quis sub homines primi crimine liber erit?
Si Deitas verbi non nostra est insita carni,
Aut Christus falsi corporis vmbra fuit?
Quis genitus puer est intacta virginis alue?
Quæ natura annis creuit, & aucta cibis?
In qua prole, patrem mundi se credit Abraham
Quaue eius stirps est omnia sanctificans?
Quod regale genus, simul est & pontificale
Quisue idem Dauid filius & Dominus?
Peccati seruos, & mortis compede vinctos,
Vnam est dignatus ferre redemptor opem.
Quid nostri generis carnem cum morte receptam,
Nostra, hosti, vt nobis vinceret, opposuit.
Et carne extra dominantem perculit hostem,
Vt caperet palmam præda vetusta nouam.

SIMILITVDINES.

Gregorij Episcopi Nissens. Descendit non nudum verbum, sed caro factū: non Dei forma, sed forma serui. Is est ergo qui dixit, se non posse ex se aliquid facere. Non posse enim est imbecillitatis. Sicut enim luci tenebræ, & mors vitæ: ita potentiæ vt contraria imbecillitas opponitur. Atqui Christus est Dei potentia. Nō est ergo omnino imbecilla & impotens potentia. Si enim imbecilla est potentia, quid est potens? Quando ergo verbum pronunciat quod non potest facere, clarum est quod non vnigeniti diuinitati potentiam tribuit, sed nostræ imbecillitatis impotentiam suo testimonio cōprobat. Est enim caro infirma, sicut scriptum est: Spiritus quidem promptus, caro autem infirma. *serm. Abrah. Meminit Theod. Dialog.*

Iustinus Martyris. E diuersis materijs domum ædificamus: nemo tamen dixerit, domum idem esse quod materias, ex quib. constructa est: nec. n. domus est simpliciter lapides & ligna, & reliqua. Nam si hoc esset, ante ædificationem ipsas separatas materias domum vocare licuisset: nunc postquam sibi inuicem coaptatæ sunt domum absoluunt: atq. etiam hac diruta, nihilo secius materiæ permanent sui similes. Cæterum domum perijsse dicimus, quam absoluebat huiusmodi compositio materiarum: Id quod & in homine accidit. Nam etsi constet ex anima & corpore, nō tamen idem est cum eis, sed diuersum: vt homo constet ex copula corporis cum anima, & existat tertium quiddam aliud. Atq; hoc liquet ex eorum seiunctione, postquam corpus sui simile permanet: quandoquidem vel mortuum tres dimensiones retinet. Anima quoque æque rationalis post seiunctionem manet, vt antea. Cæterum homo perijt, qui constabat ex coniunctione vtriusque. At Christus ex Deitate humanitateque Christus factus est: cum non sit diuersus ab his duob. sed vtrumque & Homo, & Deus. Deum intelligimus ex miraculis, Hominem ex natura nostræ simili: alioquin anima plerumque ante corpus occupatur passione, & prior patitur, cum ipso vero nunquam nō afficitur: & sæpe ante sectionem eius anxia, priusquam illud alteratur, atque post sectionem nihilominus dolorem admittit: quod quidem de Deitate Christi orthodoxus nemo, modo sanæ mentis sit, ausit dicere & cogitare. Itaque hominis exemplum partim recipiendum, partim fugiendum est. *De recta confessione, siue de sancta & coessentiali Trinitate.*

Sicut post vnitionē primigeni luminis cum solari corpore nemo hæc potest ab inuicem diuellere: neque alterum solem seorsim vocabit, alterum vero lumen, sed vnus sol hoc lumen dicitur: Sic de illa vera luce & sanctissimo corpore post vnitionē nullus dixerit: alterum seorsim verbum Dei, alterum vero filium, hominem: sed vtraque vnum & eundem intelliget, sicut vnum lumen, & vnum solem, tum comprehensum lumen, tum corpus quod id continet. Rursus sicut vnum lumen, & vnus sol, naturæ vero duæ, altera luminis, altera corporis solaris. Sic, & hic, vnus filius & Dominus & Christus, & vnigenitus: naturæ vero duæ, altera nostra, altera nobis superior. Rursum sicut huic lumini lumen inest actu, quod nemo separare possit a corpore, conceptaculo suo, ratione tamen quiuis discernat naturam, cuius est hæc vis propria, sicut in vno filio Dei, vniuersam vim nemo separauerit ab vnica filietate, naturæ tamen eius proprietatem ratione quiuis discreuerit. Hoc exemplo diuinæ vnitionis, adducto nos ad magis piam cogitationem cōfugimus, si nō omnino ipsam veritatem assequuti, certe quandam eius similitudinem, quæ pie scrutantib. sufficiat. *De recta confessione, siue de sancta & coessentiali Trinitate.*

Chrysostom. Et erit requies eius honor, licet diuerso modo in reb. humanis contingere solet. Nam cum hi qui hic in magna gloria rebusque florentibus agunt, moriuntur, pereunt cum eis simul alia omnia: id quod non solum in diuite, sed & in principe atque adeo id & in regibus ipsis quis videt. Nam leges eorū irritantur, statuæ obscurantur, memoria extinguitur, nomen eorum in obliuionem venit, a cognatis despiciuntur licet pridem mouerint arma, concitarint seditiones populorum & viuū, reuocarint proscriptos, occiderint dominos, simul tamen conciderūt hæc omnia, quāuis gloriosa prius fuerint. At secus in cruce euenit. Ante crucem in luctu res erāt. Iudas prodidit, Petrus negauit, reliqui profugerunt, Iesus solus inter inimicos cōprehensus est, multi qui crediderant, retrorsum abierūt. Cæterum vbi occisus est mortuus, vt discas, quod nō sit purus homo, non

solum

solum res eius non interciderunt, sed multo clariores illustrioresque, & sublimiores sunt redditæ. *Contra Gentiles, quod Christus sit Deus.*

Sicut nullus est locus, vbi non appareat sol, aut non sentiatur calor eius: Sic nullus erit locus vbi non cognoscatur Christus, aut non intelligatur diuinitas eius. *In 10. Matth. homil. 15.*

Athanasii. Sicut anima rationalis & caro vnus est homo: Ita Deus & homo vnus est Christus. *Apud Maximum.*

Non res quæpiam extrinsecus adiuncta est, filij substantia: neque ex nihilo inducta est, sed ex patris substantia nata est, quemadmodum, a luce splendor, quemadmodum ab aqua vapor. Neque enim splendor, neque vapor est ipsa aqua, aut ipse sol, neq; res aliena, sed defluxus ex patris substantia, ita vt patris substantia non perpessa sit partitionem. Nam quemadmodum solidè manens non minuitur radijs ab ipso effusis: ita nec substantia patris mutationem perpessa est, quum habeat suam ipsius imaginem filium. *In Epist. contra Eusebium.*

Damascens. Quemadmodum sole arborem superillucente, si securis incidat arborem, incisus & impassibilis perseuerat sol: Multo magis impassibilis verbi diuinitas, secundum hypostasin carni copulata carne patiente impassibilis perseuerabit. *Lib. 3. 26. Orthod. fidei.*

Origenis. Saluator noster splendor est gloriæ: splendor autem non semel nascitur, & deinceps desinit nasci. Quotiescumque ortum fuerit lumen, ex quo splendor oritur, toties oritur splendor gloriæ. Saluator noster sapientia est Dei. Sapientia vero splēdor est lucis æternæ. Sic igitur Saluator semper nascitur. Et ideo dicit: Ante omnes colles generat me: non (vt quidam male legunt) generauit. Si semper ex patre nascitur Dominus, etiam tu in similitudinem eius tantum adoptionis spiritum habeas, semper generaris a Deo per singulos intellectus, per singula opera, & efficeris filios Dei, in Christo Iesu. *Hom. 6. in Hieremiam.*

Basilij episcopi. Ego in forma Dei esse, perinde existimo, ac esse in Dei substantia. Sicut enim formam serui accepisse, in humanitatis substantia Dominum fuisse significat: ita cum dicit, in forma Dei esse, diuinæ substantiæ proprietatem constituit. *Aduersus Eunomium.*

Iustini martyris, quemadmodum Deus totus est vbique, & totus in vnoquoque, & totus in seipso. & huius fidem habemus: Sic & eius simplicitas tota est filius, & tota est habens filium, & tota consilium est, & tota est habens consilium. *In Responsionibus Ad Orthodoxos, responsione ad Quæstionem 144. fol. 337.*

S. Hippolyti, episcopi & martyris. Arca ex lignis quæ putrescere non poterant, erat ipse Seruator. Eius enim tabernaculum nulli putredini obnoxium, & ab interitu alienum ideo prædicabatur, quod nullam peccati putredinem produxisset. Qui enim peccauit, confitetur, & dicit: Putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ a facie insipientiæ meæ. Dominus autem erat a peccato alienus, vt qui ex lignis putrefactioni minime obnoxijs, quod ad humanitatem attinet, nempe ex virginis & spiritus Dei verbi, veluti auro purissimo, intra & extra esset contectus. *In oratione quā fecit in illud: Dominus pascit me. Meminit Theodoretus dialog. 1.*

Apollinaris. Si ignis cum ferro commixto, quæ ferrum ita ostendit, vt etiam ea faciat quæ sunt ignis, eius naturam non mutat: nec Dei cum corpore vnio, est mutatio corporis: Atqui corpore diuinas præbente operationes ijs qui possunt attingere, eis rursus coniungit. Si homo habet animam & corpus, eaque manent in vnione: Multo magis Christus habens diuinitatem cum corpore, habet vtraque permanentia, & non confusa. *Lib. Compendiario. Meminit Theodoretus dialogo 2 fol. 166.*

Olympiodori. Sicut qui solem hunc sensibilem vident, per ipsius lumen visibilia intuentur, atque ita sensus ipsos varijs officijs intēdunt, qui vero solem non vident, in tenebris desident ociosi, eo quod non vident quæ solis lumine illustrantur: Ita pari ratione & qui intelligibilem contuentur solem, lumen in mente sua recipiunt, per quod plane vident atque cognoscunt, quæ ad eiusdē solis voluntatem sibi agenda sunt, quæve etiam omittenda. *In Ecclesiast. c. 11.*

Chrysostomi. Quemadmodum si in vno tempore lux cum lucifero oriatur, gratiam luciferi celat: ita si viuo Ioanne prædicare cœpisset Christus, sine dubio vilem fecisset Ioannem, & inuenta fuisset prædicatio eius superflua, quantum ad istius doctrinam. *In c. 4. Matth. Hom. 6.*

Quemadmodum si magister militum videat dominantem tyrannum: & det consilium regi, dicens: Exi obuiam illi, quia tota peris prouincia: nam fortior est eius fama, quam mea virtus, & exercitus a magistro militum ducitur, & tamen non est minor eo qui ducit. Ita Iesus ductus est a spiritu in desertum, &c. *In cap. 4. Matth. Hom. 5.*

Quemadmodum qui artem natandi docent: principio multa diligentia discipulos gestant, post vnum autem & alterum, & tertiū diem subtracta illis dextera præcipiunt, vt seipsos iuuent, & nō nunquam illos parumper mergi sinunt, ita vt & multum salsuginis sorbeant: Ita & cum discipulis suis Christus faciebat, Nam

Polyanthea Noua.

initio nihil eos pati sinebat, vel paruum vel magnum, sed vbique aderat muniens & circumuallans eos, faciensque vt omnia vbertim eis affluerent: cum vero tempus esset, vt vtilitatem suā ipsi declararent, subtraxit aliquantu beneficium, præcipiens eis, vt etiam per seipsos multa perficerent. *Hom. 1. in Priscillam & Aquilam.*

Sicut cautus venator, bestiam comprehendere volens, quum viderit præcipitem locum, ex vna parte illius, ex altera parte erigit retia, vt ex quacumque parte exilierit, aut in retia incidat, aut in præcipitium cadat: Sic & Dominus Iudæis simplici interrogatione laqueum posuit: videlicet vnde esset baptisma Ioannis, ex Deo, an ex hominibus, vt si quidem de cœlo dicerent, in laqueum reprehensionis inciderent: Quare ergo non credidistis ei? Si autem de terra dicerent, quasi in præcipitium, sic in periculum mortis incurrerent apud populum, vt lapidarentur. *In Matth. 21. Hom. 39.*

Quonam pacto, qui regem aliquando preciosissimo cultu ornatū, preciosisque vndique fulgentibus lapidibus conspicati, alijs speciem illam, ac maiestatem enarrare volunt, purpuream florem, gemmarum magnitudinem, albas mulas, auratos currus, solum adstantium oculos nimio fulgore perstringere pro viribus enarrant. Cum verbo & his, & alijs collectis cultum illum omnem maiestatemque verbis comprehendisse sibi non videantur, continuo addunt. Quid multis opus est? vno verbo dicam, Quasi rex. Cum ex hoc verbo (Quasi) non regi similem, sed ipsum regem velint significare: Ita hoc in loco Euāgelista, Quasi inquit: ad gloriæ maiestatem, & incomparabilem excellentiam significandam. *Homil. 11 in Ioannem.*

Bernardi. Lex Christi onus est alleuians aut iugum liberans similis pennis auium, quæ corpulentiorem reddunt substantiam agiliorem: processit inde natura, vnde sarcina alleuiatur: & quantum crescit in massa, tantum decrescit de pondere. Item & quadrigæ comparatur, quæ admota iumento sarcina, quæ ab ipso moueri non poterat, auget quidem, sed portabiliorem facit: onus oneri additur, & minus onerat. *Epist. 17.*

CHRISTI ADVENTVS.

ETYMOLOG. ET DIVISIO.

CHristi Aduentus, Græce παρουσία, & προσέρχομαι aduento dicitur.

Christi aduentus triplex: in carne, per incarnationem, de qua infra *in Christi incarnatione.* in mente, per gratiam, & ad iudicium, de quo infra, *in Iudicium finale. Ex B. Tho. super Isaia prolo.*

Sententiae Biblicae.

Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus est. Et ipse erit expectatio gentium: ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem filium asinæ suæ. Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vuarum pallium suum. Pulchriores sunt oculi eius vino, & dentes eius lacte candidiores. *Genes. 49.*

Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare; & dare animā suam in redemptionem pro multis. *Matthæus in Euangelio ca. 20.*

Sicut fulgor exit ab oriente, & apparet vsque in occidentem, Ita erit aduentus filij hominis. *Matth. 24.*

Sed sicut erant dies Noe: Ita erit aduentus filij hominis. *Matt. 24.*

Loci Biblici.

Christi aduentus duplex: Prior in carnem, *Esa. 11. 10. Ioan. 1. 14. Roman. 1. 3 & 9. 5. & 15. 12. Gal. 3. 16. Ephes. 4. 10. Hebr. 1. 5. & 10. 5. 1. Petr. 1. 20. 2. Pet. 2. 16. 1. Ioan. 1. 1. & 4. 2. 2. Ioan. vers. 7.* Prior ipsius aduentus, abiectus, & crucis ignominia humilis, *Esa. 53. 2. 3. 7. & 61. 11. Zach. 9. 9. Matt. 2. 13. & 8. 20. & 20. 28. Marc. 3. 2 Luc. 9. 58. & 22. 27. Ioan 6. 51. & 7. 10 & 10. 11. & 13. 3. Actor. 8 32. Rom. 5. 6. Phil. 2. u. 7. 8. Hebr. 2. 9.* Posterior aduentus Christi ad iudicium, magnificus & gloriosus, *Mat. 16. 27. & 24. 30 & 25. 31. & 26. 64. Mar. 13. 26. & 14. 62. Luc 9 26 & 12. u. 36. 40. & 17 24. & 21. 27. & 22. 69 Act. 1. 11. & 3. 21. & 10. 42. & 17. 31. Rom. 2. 16. & 14. 10. 1. Cor 1. u. 7. 8. & 11. 26. 2. Cor. 5. 10. Gal. 4. 4. Phil. 2. 20. & 3. 10. Col. 3. 4. 1. Thess. 1. 10. & 2. 19. & 4. 16. & 5. 23 2. Thes. 1. u. 7. 8 10. & 2. 1. 1. Tim 6. 14. 2. Tim. 4 u 1. 8. Tit. 2. 13. Heb. 9. 29 & 10. u. 25. 37. Iac. 5. u. 7. 8. 9. 1. Pet. 1. 7. & 4 uer. 5. 7 & 5. 4. 2. Pet. 3. u. 4 10. 12. 1. Ioan. 2. 28. & 3. 2. Iudæ vers. 24. Apoc. 1. 7. & 2. 25. & 16. 15. & 22. versicul. 7. 12. 20.*

Sententiae Patrum.

Nulla causa veniendi Christo Domino, nisi peccatores saluos facere. Tolle morbos, tolle vulnera, & nulla causa est medicinæ.

Venit ergo de cœlo magnus medicus, quia per totum vbique iacebat ægrotus. Genus ergo humanum totum perierat, ea quo peccauit vnus, in quo totum erat. Ideo venit vnus sine peccato, qui saluos faceret omnes sine peccato. Non enim eum de cœlo ad terram merita nostra, sed peccata traxerunt. *Aug. super Ioan. & in gl. 1. Tim. c. 1.*

Pater & Filius & spiritus veniunt ad nos, dum venimus ad eos. Veniunt subueniendo, veniunt illuminando, veniunt obediendo, veniunt metuendo, veniunt implendo, veniunt capiendo. *Aug. sup. Ioan.*

Signum aduentus dominici est, in toto orbe Euangelium prædicari, vt nullus sit excusabilis: quod aut iam completum est, aut breuiter credo complendum. Non enim puto aliquam remansisse gentem, quæ Christi nomen ignoret. *Hieron. super Matth.*

Hoc tempus non sine causa Domini aduentus vocatur. Ideo enim sancti patres celebrare ceperunt aduentus, vt se vnusquisq; præparet fidelis & emendet, vt digne Dei sui natiuitatem valeat celebrare. Ille iustus venit ad nos peccatores vt ex peccatoribus faceret iustos. Pius venit ad impios, vt pios: humilis venit ad superbos, vt ex superbis faceret humiles. *Ambros. super Lucam.*

Dignum est, fratres, vt tota deuotione, Domini te eoremus aduentum: delectati tanta consolatione, stupefacti tanta dignatione, inflammati tanta dilectione. Nec solum cogitemus aduentum, quo venit quærere & saluum facere quod perierat: sed & illum nihilominus quo veniet, assumet nos ad seipsum. Veetrca hos duos aduentus iugi meditatione versemur, ruminantes in cordibus nostris, quantum in prime præstiterit, quantum promiserit in secundo. *Bern. in serm. 4. de Adu.*

Venio vt errantes corrigam, & infirmantes adiuuem, & dubitantes in fide confirmem, & bene agentium fructibus perfectis, quasi suauissimis dapibus pascar, & certantes ab hostium defendam insidijs, & victores hostium, perpetuæ visionis meæ corona remunerem. *Beda sup. Cant. lib. 4. super illud: Veni in hortum meum.*

SIMILITVDINES.

Chrysostomi. Sol appropinquãs ad processum, antequam appareat, mittit radios suos, & facit albescere orientem, vt procedens auroram diei aduentum demonstret. Sic Dominus natus in mundo, antequam appareat, spiritus sui fulgore transmisso illuminauit Ioannem, vt præcedens ille, aduentum Saluatoris annunciet: ne forte subito veniens & dicens se esse filium Dei, propter ipsam magnam atque terribilem indicationem rei ipsius, magis se incredibilem ostenderet. *Ino. 3. Matth.*

Epiphanij. Sicut rex profecturus in regionem, præmittit ante se in equis præparatores, prænuncios. Et quanto magis aduentus regis appropinquat, tanto plures præcones aduentum anticipantes, & in vrbibus aduentum denunciantes. Vbi vero venerit iam rex in vrbem, quæ amplius est vtilitas præconum? Quid opus est equitibus, aut alijs denunciantibus regis aduentum, quando ipse rex intus est? Sic etiam lex & Prophetæ vsque ad Ioannem: vbi vero Ioannes prædicauit vocem in deserto, & ostendit, Hic est agnus Dei, qui tollit peccatum mundi: non amplius prophetis opus est, quo veniant & prædicent nobis Christi ex virgine aduentum. Opus autem fuit his, qui nunciauerunt aduentum, ad aduentus ipsius cõfirmationem, quorum prænunciatus fuit, *lib. 2. Tom. 2.*

Quemadmodum si quis pædagogum haberet, velut etiam Apostolus dicit, quod pædagogus noster est lex ad Domini aduentum, vbi peruenerit ad ætatem, & acceperit præceptorem, non omnino reijcit pædagogum, velut inimicum: Sic & nos deducti sumus in lege & prophetis, vsque ad aduentũ præceptoris. Reperto autem præceptore, non reprobamus pædagogum, sed etiam ipsi gratiam confitemur, quod puerilem nostram deduxit, & ad perfectiores disciplinas nos dimisit. *Lib. 2. Tom. 2.*

Vide supra, Aduentus Domini.

CHRISTI INCARNATIO.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Christi Incarnatio, Græce *Χριστοῦ σάρκωσις*. Christi incarnatio est principium omnium meritorum humanorum. *Ex S. Tho. 3. Sent. dist. 4. q. 3. art. 1.*

SENTENTIAE BIBLICAE.

Exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in ipso, non pereat, sed habeat vitam æternam. Non enim misit Dominus filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum. *Ioan. 3.*

Ego sum Lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris. *Ioan. 8.*

Finis enim legis Christus ad iustitiam omni credenti. *Ad Rom. c. 10.*

Verbum caro factũ est, & habitauit in nobis, *Ioan. c. 1.* Vide Luc. c. 1. v. 32. 33. 68. Matt. 1. 1. 16. 20. & 2. a. Ro. 1. 3. Luc. a. 1. &c. & 3. 23.

SENTENTIAE PATRVM.

Tota vita Christi in terris per hominem, quem gessit, disciplina morum fuit. *Aug. lib. de vera relig.*

Omnia bona terrena contempsit homo Christus, vt ea contemnenda monstraret, & omnia terrena mala sustinuit, quæ sustinenda præcipiebat: vt nec in illis quæreretur felicitas, nec in istis timeretur infelicitas. In ciuitate vili est natus, cuius patria erat cælestis. Pauper est Christus factus, cuius sunt omnia, ne de terrenis diuitijs quisque extolleretur. Noluit rex ab hominibus fieri, quia humilitatis viam ostendebat miseris. Esuriuit, qui omnes pascit; sitiuit, qui est fons sitientium fatigatus est ex itinere, qui viam facit nobis in cœlum; obmutuit & obsurduit, per quẽ mutus locutus est, & surdus audiuit, vinctus est, qui infirmitatũ vincula soluit, mortuus est, qui mortuos suscitauit. Amore itaque eius similia patiamur, vt clamat Paulus ad Philippenses. *Aug. lib. de catechiz. rudibus.*

Iacebat Christus quantum ad carnem, mortuus in sepolchro mortuus suscitans in inferno, vitam tribuens vniuersis in cœlo: nõ mundum dimittens ad cœlum ascendit, nec cœlum deserens venit ad nos: sed vno atque eodem tempore totum totus impleuit. *Aug. super Matth. c. 55. & contra Felicianum.*

Ego sum via, veritas, & vita: tanquam diceret, qua vis ire: Ego sum via quo vis ire: Ego sum veritas, vbi vis permanere? Ego sum vita, &c. Iden permittitur inimicus iuxta viam ponere laqueos, ne securæ exultationis via deseratur, & in insidias incidatur. Via Christus humilis: Christus veritas & vita: Christus excelsus & Deus. Si ambulas in humili, peruenies ad excelsum. *August. super Matth. c. 55.*

Non liberaretur humanum genus, nisi sermo Dei dignaretur esse humanus: Nam & ille homo dicitur esse humanus, qui se ex hibet hominem, & maxime hospitio suscipit hominem. Si ergo hic humanus dicitur, qui in domo sua suscipit hominem? quam humanus est, qui in seipso suscipit hominem? Si ergo homo non perijsset, filius hominis non venisset. *August. de verbis Apost. li.*

O Iudææ, citharam respice, vt musicum melos sonis dulcibus reddat. Tria pariter adesse videntur, ars, manus, chorda, & tamen vnus sonus auditur: ars dictat. manus tangit, chorda resonat. Tria pariter operantur, sed sola chorda resonat, nec ars, nec manus sonum reddunt, sed cum chorda pariter operantur. Sic nec Pater, nec Spiritus sanctus susceperunt carnem, & tamen cum filio pariter operantur: sonum sola chorda excudit? carnem solus Christus accepit, operatio in tribus constat. Sed quo modo pertinet ad solam chordam soni redditio: sic pertinet ad solũ Christum carnis humanæ susceptio. Dicat mihi Iudæus incredulus; quemadmodum arida virga fronduit & floruit, & nuces protulit; & ego dicam illi, Quo modo virgo concepit & peperit. Sed profecto Iudæus nec virgæ poterit explicare conceptum, nec ego virginis partum. *Aug. de incarnatione Domini, contra Iudæos.*

Formam viri assumendo, & de fœmina nascendo vtrumq; sexum hoc modo honorandum indicauit, *Aug. cont. Faust.*

Si ratio quæritur, non erit mirabile: si exemplum poscitur, non erit singulare. Demus, Deum aliquid posse, quod nos fateamur inuestigare non posse, in talibus rebus tota ratio, facti est potentia. *Aug. ep. a ad Volusianum.*

Deus pater vnicum filium suum in vtero virginis, humanæ naturæ coniungens, Deum ante sæcula sibi coæternum fieri voluit hominem in fine sæculorum: & quem sine tempore genuit, saluandis hominibus cum tempore ostendit. *Greg. lib. 2. & 6. Moralium.*

Mediator Dei & hominum, vt culpas nostræ transgressionis extingueret, venit mortalitatis nostræ flagella tolerare. Et qui patri æqualis est per Diuinitatem, propter nos venit ad flagella per carnem. Quæ nimirum flagella non susciperet, nisi formam hominis damnati redimendo sumpsisset. Et nisi primus homo delinqueret, secundus ad passionum probra minime veniret. Christus in carne natus de Virgine, contagio culpæ inquinatus non est; & tamen vltione culpæ depressus est: admissa propria nona habuit, & tamen pœnam carnalium sine culpa suscepit. *Greg. lib. 3. Moralium.*

Scio, quod caro verbum factum est, & quomodo factum sit nescio: miraris, quia ego nescio, omnis creatura ignorat. *Ioan. Chrysostom. hom. 5.*

Tria opera tres mixturas fecit omnipotens illa maiestas in assumptione nostræ carnis: ita mirabiliter singularia, & singulariter mirabilia, vt talia nec facta sint, nec facienda sint amplius super terram. Coniuncta quippe sunt adinuicem Deus & homo, mater & virgo. fides & cor humanum Verbum enim, anima, & caro in vnam conuenere personam? & hæc tria vnum, & hoc vnũ tria sunt: nec in confusione substantiæ, sed in vnitate personæ. Hæc est prima & superexcellens mixtura. Secunda, est virgo & mater, vtique & admirabilis, & singularis a sæculo non est auditum

audivum, quod virgo esset quæ peperit, & mater esset quæ virgo permansit. Tertia, est fides & cor humanum, & hæc quidem inferior, sed non minus forsitan fortis. Mirum enim quomodo cor humanum his duobus fidem accommodauit: quomodo credi potuit, quod Deus homo esset, quod virgo manserit, quæ peperisset. Sicut ferrum & testa iungi non possunt, sic hæc duo nequeunt commisceri, si non misceat glutinū, spiritus scilicet Dei. Et hæc quidem mistura excellens, secunda excellentior, sed tertia excellentissima. *Bern. serm. 3. in vigilia Natiuit.*

Quanti te fecit Deus ex his, quæ pro te facta est, agnosce, vt appareat tibi benignitas eius ex humanitate. Quanto enim minorem se fecit in humilitate, tanto maiorem exhibuit in bonitate: & quanto pro me vilior, tanto mihi charior. Aduerte homo, quia limus es: & non sis superbus: & quia Deo iunctus es, non sis ingratus. *Bern. serm. 1. de Epiphania.*

Nulla causa veniendi fuit, nisi peccatores saluos facere. Tolle morbos, tolle vulnera, & nulla causa est medicinæ. *Hugo lib. de Sacramentis.*

SIMILITVDINES.

Chrysostomi. Sicut in nocte rerum facies non apparet, sed & gemma quasi lapis videtur, & lapis quasi gemma existimatur: Sic & ante aduentum Christi, humanorum cordium non apparebat differentia, sed & mali quasi boni sustentabantur, & boni quasi mali condemnabantur. *In Matth. 25. hom. 54.*

Quia diues a paupere diuitias quærit? Magis autem pauper a diuite diuitias quærit. Omne bonum de cœlo descendit in terram, non de terra ascendit in cœlum. *In c. 4. Matth.*

Christus suo descensu naturam suam nihilo inferiorem reddit, nos autem, cum ignominia ante in tenebris essemus, erexit ad supernam gloriam: non aliter quam cum rex inopem medicumq; studio & beneuolentia quadam alloquitur, nihil se indignum facit, illum vero omnibus admirandum reddit. *Hom. 16. in Ioan.*

Quemadmodum optimus architectus domum situ & vetustate labantem: ita communi hominum naturæ accepta, eius perditas restituit partes disiuncta & abscissa copulauit, & quæ prorsus ceciderant, erexit. *Hom. 11. in Ioan.*

Foris eramus sicut qui sunt extra regales aulas, in vinculis colligati, & qui habent apud regem pro culpis aliquibus offensam, huiusmodi quippe a regali aula foris exclusi sunt: qui vero voluerit istis veniam impetrare, non primum ipsos in aulam regis introducit, sed ipse foras egreditur, ibique commiscet cum eis sermocinandi negotium vsque dum eos correctos & dignos efficiat, qui regis vultui repræsentari mereantur. Sic & Christus effecit. Egressus quippe ad nos, id est, carnem sumens, & collocutus nobiscum præcepta nobis regis innotuit, & sic nos a peccatis emundans, & ad Deum conuertens, in aulam regalem, velut mediator optimus introduxit. Ideo incarnationis suæ aduētum vocat exitum, Paulus introitum. *Hom. 3. ad Hebr.*

Damasceni. In ignito gladio sicut naturæ saluantur ignis & ferri, sic & hic actiones & perfectiones eorum: ferrum habet virtutē incidendi, ignis vrendi. Incisio perfectio operis ferri, ignis combustio: Sic in Christo diuinitas & diuina opera, humanitas & eius opera *lib. Orth. fid. c. 15.*

Vrit igitur ferrum, non naturali ratione vstiuam possidens actionem, sed ex vnione ignis ad ferrum, illud obtinet: Ita humanitas diuinitati sociata. *Lib. 3. Orth. fid. c. 17.*

Quemadmodum si quis ignito ferro superinfundat aquam, quod quidem natum est pati ab aqua (ignis dico) extinguitur, incolume vero manet ferrum, non natum enim est ab aqua corrumpi: Multo magis carne passa, sola impassibilis diuinitas passionem non adimit, inseparabilis ad ipsa permanens. *Lib. 3. c. 26. Orth. fid.*

D. Basilij. Quomodo ergo inquit corporali infirmitate Deus vei bū repleta non est? Hoc modo, inquam, quo neque ignis ferri proprietatem in se traijcit. Nigredinem habet ferrum & frigus, ignescens tamen speciem ignis induit, & candescens ignem non infuscat: & vt ipsum flammescit, ita flammam ignis suo frigore nō restringit. Pari ratione humana Domini caro diuinitatis particeps facta, diuinitati suas infirmitates non impertit. *in ser. Christi de natiuitate.*

Vt remedia salutaria vbi corpori accommodata fuerint euincunt noxia, & vt tenebræ in domum allatis luminibus resoluuntur: Ita mors, quæ in humana natura tyrannidem exercuerat, Dei saluatoris aduentu profligata est, & vt in aqua facies quamdiu nox & tenebræ sunt liquores, sub sua potestate tenet, ad solis vero incalescentis radios eliquescit. Ita vsq; ad aduentum Christi mors regnauit: vbi vero apparuisset gratia Dei salutificæ illa, & exortus esset ille sol iustitiæ, absorpta est mors in victoriam, veræ vitæ accessum non ferens. *in serm. de Christi natiuitate.*

Saluiani sicut illas naturæ admirabilis gemmas ferunt, quæ ferro propius admotæ, durissimum licet chalybem, affectu quasi spirante suspendunt. Ita etiam ille, id est summa & clarissima negociorum cœlestium gemma hoc scilicet voluit: vt dum se licet durissimis nobis, descēdēs de cœlo propius adiungeret, affectu suo nos quasi amoris sui manibus admoueret, vt agnoscentes vtiq; dona sua ac beneficia, intelligeremus, quid nos pro domino tam bono facere conueniret, cum ille pro malis seruis tanta fecisse comperiretur. *De vero iudicio & prouidentia Dei lib. 4. fol. 22.*

Polyanthea Nouiss.

Theodoreti. Decebat Deum hominem liberare, propter quem lunā, solem, stellas & terram creauit: potuit loqui de cœlo, vt omnes audirent: sed maluit flere in præsepio: non Angelum misit. Atqui medicos illos maxime laudare soletis, non quidem qui suis ministris suis curandos ægros committunt: sed qui pallium deponunt, linteolumque succincti, suis ipsi manibus ferrum accipiunt, vlcusque, si sit opus, incidunt: neque fœtorem vlceris auersantur, imo autem profluentem saniem excipiunt, atque vnguenta compingunt. Neque vero illos etiam reges admirari, & laudibus ornare soliti estis, qui regalibus in thalamis enutriti molliter, omni deliciarum genere perfrui solent, sed quibus graue non est pro subditis hominibus caput periculis obiectare, quique armis obiecti, in prima acie cum hoste fortiter pugnant. *De Græc. cura. serm. 6.*

Quemadmodum non quòd ipse maledictum factus sit, sed quod pro nobis maledictum suscepit, maledictum factus est: Ita non quod conuersus sit in carnem, sed quod carnem susceperit, dicitur factus caro. *Dialog. 1. fol. 47.*

D. August. Solem radijs per cloacam fœtores, & quæque horribilia vsquequaque diffundi videmus, & in his operari secundum naturam suam, nec tamen inde aliqua contaminatione sordescere, cum visibilia lux, visibilibus sordibus sit natura coniunctior: quanto minus poterat populi verbum Dei, non corporeum, neque visibile, de fœminæ corpore, vbi humanam carnem suscepit cum anima & spiritu: quibus interuenientibus habitat maiestas verbi, ad humani corporis fragilitatem secretius? *Lib. de fide & symbolo, c. 4.*

Veluti si quis nostrum aut purpuram, aut regale diadema iacens inueniat, nunquid ea conabitur adorare? quum vero ea rex fuerit indutus, periculum mortis incurrit: si ea simul cum rege adorare contempserit: Ita etiam in Christo Domino humanitatem non solum aut nudam, sed diuinitati suæ vnitam vnum Dei filium Deum verum, & hominem verum qui adorare contempserit, æternæ mortis pœnam patietur. *De verbis Domini secundum Ioan. serm. 58.*

Hilarij. Vnigenitus Deus hominem verum secundum similitudinē nostri hominis non deficiens, a se Deo sumpsit. In quo quamuis aut ictus incideret, aut vulnus descenderet, aut nodi concurrerent, aut suspensio eleuaret, afferrent quidem hæc impetum passionis, non tamen passionis dolorem inferrent, vt telum aliquod aquam perforans, vel ignem compungens, vel aera vulnerans. *De Trin. lib. 11.*

Bernardi. Campus sine omni humano flores adminiculo, non seminatus ab aliquo, non defossus sarculo: non impinguatur fimo: Sic omnino virginis aluus floruit, sic inuiolata integra & casta Mariæ viscera, tanquam pascua æterni nitoris floruerunt: cuius pulchritudo non vidit corruptionem, flos in perpetuum, non marcescat. *De Christi aduent. 11.*

Cassiani. Sicut vir & mulier vnum corpus sunt: Ita maiestas diuinitatis & caro hominis vniuntur, & facti sunt ijdem Deus & anima in carne vna. Qua sicut caro illa habitatorem in se habuit Deum, ita anima quoque incohabitantem Deū. *Lib. 5. de incarnatione.*

Venantij Honorij Clementiniani. In Christo saluatore humani generis sicut in sanctificatione Spiritus, nulla fragilitas extitit: Sic nec in partu eiusdem, causa corruptionis apparuit. Qui in cœlis vnus, in terris vnicus, per portam virginis ingredi mundum dignatus est. *In enarratione fidei.*

Ruperti. An extrahere poteris Leuiatham hamo? & fune ligabis linguam eius? generatio Christi ab Abraham vsque ad Ioseph, virum Mariæ, de qua natus est Iesus, quasi lōga piscantis linea est: cui lineæ ferreus hamus subligatus carne adoperitur, ob hoc vt piscis edulio prouocatus quod foris patet, ferro seipsum strangulat, quod intus latet diuinitas Christi quasi ferrum diabolo excitit: hoc ferro captus & extractus foras mittetur, sicut factū credimus. Iste est circulus, quem Deus in naribus diaboli posuit, ista est armilla, qua maxillam eius perforauit. Iunxit se initium fini, id est, Deus homini: & ita hæc, s. initium & finis, occurrerūt sibi in vtero virginis, vt nares suas trāsfixas teneret firmiter circulus inflexibilis, & armillam suam voracem perforaret, talis armilla, armilla gloriæ & honoris: vnde nunc vsque fatuus trahetur: & quod auide momorderat, tenere non poteris, per maxillæ foramen emittis. *Lib. 1. in Matth.*

Iacobi de Valentijs. Vnicornis siue monoceros eius virtutis est, vt suo cornu attracta aqua etiā aliquo veneno corrupta reddatur salutaris: vnde traditur a naturalibus: prius attingere aquā cornu quam bibat. Ita Christus sua humanitate aquas pestiferas reddidit salubres, ad peccatorum remissionem. *In Psal. 24.*

Basilij. Vt lumen per crystallinas bracteas: Ita per humanum corpus diuinitas hic relucet, illustrans eos qui puros habent mentis oculos. *In serm. de Christi natiuitate.*

Quomodo per vnum, inquit, in omnes deuenit lumen, aut quo pacto in carne diuinitas esse possit: eodem inquam modo, quo ignis in ferro, non transitione, sed communicatione. Non enim ad ferrum ignis excurrit, sed in suo loco permanens, vim suam ei impertit: nec impertiendo id minuitur, quamquam id quod ipsum recipit, totum compleat. Hoc modo verbum Dei non dimotum a sese, habitauit in nobis sine vlla immutatione. *In serm de Christi natiuitate.*

Nazianzeni. Quatenus serui forma est, seruis ac conseruis sese accommodat, & alienæ formæ conformat, totum me vna cum meis in seipso gerens: vt quemadmodum vel ignis ceram, vel terræ vaporem sol, si quod in me vilius est, in se ipse consumat, ea quo commercio bonorum illius & ipse fiam particeps. *lib. 4. de Theolog.*

Verbum caro factum est, & habitauit in nobis: ac propterea ab homine adimunt quod est pulcherrimum: perinde ac ij qui pinguinra auferunt cum pellibus, quo Deum prohibeat a carne: tempus est vt illi dicatur Deum solum carnis esse Deum, & non etiã animarum, secundum quod scriptum est: Quemadmodum dedisti ipsi potestatem vniuersæ carnis, & ad te omnis caro veniet. Et benedicat omnis caro nomen eius sanctum, hoc est omnis homo. *In Orat post reditum ex agro.*

Theophylacti. Quemadmodum peritissimi medici, febre adhuc in præcordijs permanente & ægroti corpus acrius ducaante & ægritudinis fomentis adaucta magis, inceolaq, nullam afferunt languenti medelam, quæ languoris causas tollat, sed, ne morbus increscat, operiuntur: Sic & vobiscum agit animarum medicus ille: expectat enim vt prorsus omnis retegatur nequitia, vt nihil maneat ea his quæ recondita sunt, incuratum: sic demum retectis ille & patentibus malis medebitur. *In epi, 1. ad Hebr. c. 9.*

Sicut medici sinunt in sæui morbi vlceribus humorem colligi, & deinde remedia apponunt: Ita & peccatum oportebat omnes suas species indicare, & deinde magnũ medicũ imponere pharmaca. Et propterea expectauit Christus, donec Diabolus malitiæ mensuram impleret: & tunc demum incarnatus est, & omne genus malitiæ per sanctam vitam suam sanauit. *In Luc. c. 14.*

Non aliam Christus præter humanam hanc carnem assumpsit, quam & sanctificauit assumptam, & coronauit cõdemnato peccato, quod carni inesset, quam suscepisset: hanc ipsam ostendit nequaquam esse natura peccatis addictam: nec secus Christus effecit, quam faceret quispiam, qui muliere aliqua in foro vapulante conspecta, vt eam a verberantium manibus eruat, fœminæ illius se vel priuatæ & infimæ sortis filium fateatur, cum regius sit. *In c. 8 ad Rom.*

Athanasij. Sicuti mens, cum in toto diffusa sit homine, ex parte tamen corporis, id est, lingua signatur, neque tamen ideo quisquã mentis substantiam dicit immiouti: Ita & verbum cum per omnia sit indignum, aut indecens, minime videri debet, si humano vti voluerit, ad se ac patrem iudicandum, instrumento. Nam si indecens est, corporis vti instrumento: indecens erit ipsum & in toto esse. *Lib. 2. de verbi incarnat.*

Quemadmodum non liberati essemus a peccato & maledicto, nisi natura humana caro esset, quam verbum induit, nihil enim nobis fuisset commune cum alieno: Ita nec homo Deus factus esset, nisi natura ex patre, & verum & proprium esset eius verbũ quæ caro factus est. Propterea enim talis facta est coniunctio, vt diuinitati, quæ est secundum naturam, hominem coniungeret, firmaque ac stabilis esset eius salus & Deificatio. Qui ergo ex patre natura esse negant, & proprium eiusdem substantiæ filium: negent etiam eum carnem veram & humanam assumpsisse ex Maria Virgine. *Lib. 2.*

CHRISTI NATIVITAS.

DEFINITIO ET ETYMOL.

CHristi Natiuitas, Græce Χριστοῦ γέννησις vel γέννησις dicitur. Natiuitas est exitus a generante coniuncto, a quo habet principia sufficientia. Et dicitur oriri, ratione primi, nasci ratione secundi, & gigni ratione tertij. *Ex S. Thom. 1. par. quæst. 27, art. 2, & 3. Senten. dist. 8. q. 1.*

Sententiae Biblicae.

Dixit pastoribus Angelus: Nolite timere, ecce enim euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus in ciuitate Dauid. *Luc. c. 2.*

Sententiae Patrum.

Aurum igitur soluitur, quasi regi magno; Thus adoletur vt Deo; Myrrha præbetur tanquam pro salute omnium morituro. Habuit enim prædicatores Angelos, narrantes cœlos, adorantes magos. *Aug. in ser. 2. de Epiph.*

Nobilitas fuit Christi nascentis, in virginitate parientis, nobilitas parientis, in diuinitate nascentis. *Aug sup. Ioan.*

Mihi enim impossibile est generationis scire secretum: mens deficit, vox silet, non mea tantum, sed & Angelorum: supra Potestates, supra Cherubin, & supra Seraphin, & supra omnem sensum est: quia scriptum est: Pax Christi supra omnem sensum est. Quomodo non est supra omnem sensum tanta generatio? Tu ergo os manum pone, scrutari non licet superna mysteria. Licet scire, quod natus sit; non licet scire, quomodo natus sit. Hoc enim quærere metus est: ineffabilis enim est illa generatio. Vnde Isaias ait: Generationem eius qui enarrabit? Hæc humanũ sensum, & intelligentiam mundi excedit: hoc non capit humanæ intelligentiæ ratio, sed prudentiæ fidelis professio. *Ambros. cont. hæret.*

Nato regi aurum offerimus, si in conspectu illius, claritate supernæ sapientiæ resplendemus. Thus offerimus, si cogitationes carnis per sancta orationum studia in ara cordis incendimus vt suaui odore per cœleste desiderium redolere valeamus; Myrrham offerimus, si carnis desideria per abstinentiam mortificamus. *Gregorius homil. 10. super illud Matth. 2. Cum natus esset Iesus in Bethlehem.*

Cœli Regenato, Angelorum chori in eius annunciatione prodeunt: hymnum dicunt, & deuicta prauæ vitæ discordia, nos, quos dudum despexerant, ciues agnoscunt, consono ore prædicantes: Gloria in excelsis Deo, &c. ac si dicant, Quos a nobis malitia disiunxerat, iam nunc in terra bonitas coniungat. *Gregor. Moral. l. 27.*

Nunquid inuenerunt palatium marmoribus splendidum? Nunquid aulam regiam diuersis populis personantem? Nunquid hastatas siue clypeatas militum cateruas? Nunquid equos regalibus phaleris insignes? Nunquid currus auro ostroque fulgẽtes? Nunquid matrem eius diademate coronatam, aut in lecto eburneo recumbentem? Nunquid puerum bysso & purpura inuolutum? Vtique non: sed potius angustum & humile tugurium, vile squalidumque præsepium, & magis animalibus quam hominibus aptum, puerum vilibus pannis inuolutum, matrem via tunicam habentem vnam, non ad ornatum corporis, sed ad tegumẽtum nuditatis. *Ioan. Chrysost. sup. Matth. 2. Intrantes domum inuenerunt puerum &c.*

Non illius est fabri filius, quem putatis, sed fabricatoris omnium, qui fabricatus est Auroram & Solem. Nonne Dauid filius fuit agricolæ, & tamen radix fuit stirpis regiæ? Cur ergo Christum propter parentum ignobilitatem contemnunt? *Ioan. Chrysost super Matth. 13: Nonne hic est fabri filius.*

Fratres, generationem istam quis enarrabit? Angelus nunciat, virtus obumbrat, subuenit spiritus, virgo credit, virgo parturit, virgo permanet. Quis non miretur? Nascitur verbum infans, & agnoscitur longitudo breuis, latitudo angusta, altitudo subdita, profunditas plana. Ibi agnoscitur lux non lucens, verbum infans, aqua sitiens. *Bern sup. Cantic.*

Coæternitatem suæ maiestatis ostendit. Hodie enim apud Deum nullo initio incœpit, nullo fine concluditur: non enim ibi fuit, vel erit, sed semper manet, semper est, & quidquid dixeris illi hodie est. *Cassiodor. sup illud Psal. 2. Ego hodie genui te.*

Licet Deus cunctos dies creauerit, singulariter tamen hunc fecisse dicitur, qui Christi Domini natiuitate sacratus est: in quo merito exultare conuenit & lætari; quoniam in eo & Diabolus ius perdidit, & salutem mundus accepit. *Cassiod sup illud Psal. 117. Hæc est dies, quam fecit Dominus.*

Adorant magi in carne verbum, in infantia sapientiam, in infirmitate virtutem, & in hominis veritate Dominum maiestatis: vt sacramenta fidei suæ intelligentiæque manifestent: quod cordibus credunt, muneribus protestantur: thus Deo, myrrham homini, aurum offerunt regi. *Leo Papa in serm. de Apparitione.*

Non mediocre hoc tibi fidei videatur exemplum: non vilis persona pastorum: certe quo vilior ad prudentiam, eo pretiosior ad fidem. Non sapientes, sed simplices, qui fugate audita nescirent, Dominus sui præcones elegit, non rhetores, sed piscatores ad euangelizandum destinauit. *Beda sup. Luc l. 1.*

Generationem eius qui enarrabit? Fratres, generatio Christi sic enarrari non potest, si lingua deficit, fides proficit. Magnus enim profectus est fidei, cum tantum de Deo suo potest concipere, quantum sermo non potest parturire. *Max. Epist. in serm. de Natiui.*

Vide Tit. præcedentem de Incarnatione Christi.

CHRISTI CRVX, & Passio.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

CHristi Crux, Græce Χριστοῦ σταυρός, σταυρόω, crucifigo dicitur. Quid autem sit crux, & vnde dicatur, vide infra in Crux.

Chriſti paſsio. Græce Χριστοῦ πάθημα, & πάσχω patior dicitur. In Chriſti paſsione quatuor cogitanda ſunt: ſcilicet dilectio eius, reamãdo: amaritudo eius, compatiendo: fortitudo eius, aduerſa patienter ſuſtinendo: & vtilitas eius, gratias agendo. *Ex B. Tho. in Opuſculo de venerabili Sacramento altaris.*

SENTENTIAE BIBLICAE.

Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania? Adſtiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum, aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius. *Pſalm. 2. de vario conſenſu populorum.*

Foderunt manus meas, & pedes meos. Dinumerauerunt omnia oſſa mea. Ipſi vero conſiderauerunt & inſpexerunt me. Diuiſerũt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem. *Pſal. 22. de perforatione manuum.*

Surgentes teſtes iniqui, quæ ignorabam, interrogabant me. *Pſal. 35. de falſa accuſatione.*

Etenim homo pacis meæ, in quo ſperaui, qui edebat panes meos, magnificauit ſuper me ſupplantationem. *Pſal. 41. de diſcipuli proditione.*

Et dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potauerunt me aceto. *Pſal. 68. de amara potatione.*

Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus, faciem meam non auerti ab increpantibus & conſpuentibus in me. *Iſa. 50. de corporis flagellatione.*

Non eſt ſpecies ei neque decor. Et vidimus eum, & non erat adſpectus, & deſiderauimus eum deſpectum, & nouiſſimum virorũ, virum dolorum, & ſcientem infirmitatem. Et quaſi abſconditus vultus eius & deſpectus: vnde nec reputauimus eum. Vere languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit, & nos reputauimus eum quaſi leproſum, & percuſſum a Deo, & humiliatum. Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra. Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & liuore eius ſanati ſumus. Omnes nos quaſi oues errauimus, vnuſquiſque in viam ſuam declinauit, & poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrum. Oblatus eſt, quia ipſe voluit: & non aperuit os ſuum. Sicut ouis ad occiſionem ducetur: & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum. *Iſaia 53. de morte voluntaria.*

Propter ſcelus populi mei percuſſi eum. Et cum ſceleratis reputatus eſt: & ipſe peccata multorum tulit, & pro tranſgreſſorib. rogauit. *ibid. Quod propter peccata noſtra.*

Ego quaſi agnus manſuetus, qui portatur ad victimam, & non cognoui, quia cogitauerunt ſuper me conſilia: dicentes; mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium, & nomen eius non memoretur amplius. *Ierem. 11.*

Et poſt hebdomadas ſexaginta duas occidetur Chriſtus, & non erit eius populus, qui eum negaturus eſt. *Dan. 9.*

Appenderunt mercedem meam triginta argenteos. *Zach. 11.*

Percute paſtorem, & diſpergentur oues. *Zach. 13.*

Scitis enim gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti, quoniam propter nos egenus factus eſt, cum eſſet diues, vt illius inopia vos diuites eſſetis. *2. ad Cor. 8.*

Si enim ſanguis hircorum & taurorum, & cinis vitulæ aſperſus, inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis, quanto magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum ſanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis, ad ſeruiendum Deo viuenti. *Ad Hebr. 9.*

Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. *Pau. ad Galat. 6.*

Quatuor S. Euangeliſtæ hiſtoriam mortis & paſſionum Chriſti luculenter deſcribunt.

SENTENTIAE PATRVM.

Crux non ad impotentiæ documentum, ſed ad exemplum patientiæ ſuſcepta eſt. Ibi tua vulnera curauit, vbi ſua pertulit. Ibi a morte ſempiterna te ſanauit, vbi temporaliter mori dignatus eſt. *Aug. ſup. Ioan. ſerm. 3.*

Crux Chriſti nobis totius cauſa beatitudinis eſt: hæc nos a cæcitate liberauit erroris: hæc a tenebris reddidit luci: hæc debellatos reddidit quieti: hæc alienos Deo coniunxit: longe conſtitutos proximos præſentauit: hæc peregrinantes ciues oſtendit, hęc diſcordiæ amputatio eſt: hæc pacis firmamentum: hæc donorum omnium abunda largitio. Hodie crux fixa eſt, & ſæculum ſanctificatum eſt. Hodie crux fixa eſt, & Dæmones diſperſi ſunt. Hodie crux fixa eſt, & mors ſubuerſa eſt. Hodie crux vicit, & mors victa eſt. Hodie Diabolus vinctus eſt, homo ſolutus eſt, & Deus glorificatus eſt. *Aug. in ſerm. de Paraſceue.*

Crucem, vt in ea gloriemur, Dominus ſuo geſtans humero pro virga regni nobis commendauit: quod eſt grande ludibriũ impijs, grande myſterium pijs: & vnde mundi Philoſophus erubuit, ibi Apoſtolus theſaurum reperit: quod illi viſum eſt ſtultitia, Apoſtolo factum eſt ſapientia & gloria. *Aug. ſup. illud. ad Galat. 6. Mihi abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti.*

Signum crucis a nobis expellit exterminatorem, ſi tamen cor noſtrum Chriſtum habeat inhabitatorem. *Aug. ſup. Ioan.*

Author pietatis in cruce pendens teſtamentum condidit, ſingulis pietatis opera diſtribuens: Apoſtolis perſecutionem, Iudæis corpus, Patri ſpiritum, virgini paranymphum, latroni paradiſum, peccatori infernum, Chriſtianis vere pœnitentibus crucē commendauit. *Ambr. in ſerm. de paſſione Domini.*

Duobus modis crux tollitur, cum aut per abſtinentiam affligitur corpus, aut per compaſſionem proximi affligitur animus. *Greg. in hom. 32. Si quis vult venire poſt me.*

Crucem reliquit Chriſtus in terra, ſed ſecum eam leuabit ad cœlum. Tanta autem erit gloria crucis, vt Solis lumen reddatur obſcurum, & ſicut Imperatorem regalis pompa præcedit, & militaris ordo præeundo vexilla humeris portare conſueuit, & his eius declaratur aduentus: ſic Domino de cœlo veniente, Angelorum cœtus ſignum illud humeris portatum, è cœlis regalem nobis aduentum annunciat. *Ioan. Chryſoſt. in hom. de Cruce.*

Chriſtus in paſſione patientiam exhibet, humilitatem commēdat, obedientiam implet, charitatem perficit. His virtutum gemmis quatuor cornua crucis ornantur, & eſt ſupereminentior charitas, a dexteris obedientia, a ſiniſtris patientia, in profundo radix virtutum humilitas. *Bernard. ſerm. 1. in die Paſchæ.*

Circumire poſſum Domine cœlum & terram, mare & aridam, & nuſquam te inueniam, niſi in cruce. ibi dormis, ibi paſcis, ibi cubas in meridie. Crux enim tua fides eſt, cuius latitudo charitas, longitudo longanimitas, altitudo ſpes, profundum timor. In hac cruce te inuenit, quicumque inuenit: in hac cruce ſuſpenditur anima, & dulcia poma de ligno decerpit. *Bernard. de floribus.*

Crux eſt humilium tuitio inuicta, ſuperborum deiectio, victoria Chriſti, perditio Diaboli, infernorum deſtructio, cęleſtium confirmatio, mors infidelium, vita iuſtorum. De qua Ioan. Chryſoſtomus, Crux eſt Chriſtianorum ſpes, crux Romanorum victoria, mortuorum reſurrectio: cæcorum dux, conuerſorũ via, claudorum baculus, pauperum conſolatio, arbor reſurrectionis, lignum vitæ æternæ. *Caſſiodor. ſuper illud Pſal. 4. Signatum eſt ſuper nos lumen vultus.*

Crux Chriſti clauis eſt Paradiſi: hæc infirmorum baculus, paſtorũ virga, conuertentium manuductio, proficientium perfectio. Animæ ſalus & corporis, omnium malorum auerſio: bonorum omnium datrix. *Damaſc. lib. 4.*

Tu ſancta crux peccatorum es remiſſio, pietatis exhibitio, meritorum argumentum, infirmorum remedium, laſſorum refugium, ſanorum incolumitas, deſperatorum ſecuritas, infortunatorum felicitas. *Rabanus de laude Crucis.*

Tanta vis eſt crucis & mortis Chriſti, quod ad ſanitatem & remedium non ſolum præſentis & futuri, ſed etiam præteritorum ſæculorũm, & ſolum non huic modo ordini, ſed etiam cœleſtibus virtutibus ſufficit. *Oroſius ſuper epiſt. ad Rom. lib. 5.*

Tanta eſt vis crucis, vt ſi ante oculos ponatur, & in mente fidelium habeatur; ita ipſam mortem Chriſti intentis oculis mentis aſpiciat, nulla concupiſcentia, nulla libido, nullus furor, nulla ſuperare poſſit inuidia: ſed continuo ad eius præſentiam totus ille peccati & carnis fugatur exercitus. *Oroſius ſuper epiſt. ad Rom. lib. 6.*

Quid eſt, quod Chriſtus in morte turbatus eſt, niſi quia infirmos ſuæ infirmitatis voluntaria ſimilitudine conſolatus eſt, ut ſi quis ſuorum adhuc imminente morte turbantur, ne hoc ipſi ſe putantes reprobos peiore deſperationis morte abſorbeantur? *Auguſt. lib. Prognoſt.*

Vbi Ieſus non reſpondebat, ibi & ouis ſilebat: hoc eſt: ſicut agnus innocens non aperuit os ſuum: vbi vero reſpondebat, ibi ſicut paſtor docebat. Fratres, vt in peccato ſanemur, Chriſtum crucifixum intueamur. Quomodo qui intuebantur ſerpentem ęneũ in deſerto, non peribant morſibus ſerpentum: ſic qui intuentur fide Chriſti mortem, ſanantur a morſibus peccatorum. *Auguſt. ſuper Ioan.*

Inſpice vulnera pendentis, ſanguinem morientis, precium redimētis, cicatrices reſurgentis. Caput habet inclinatum ad oſculandum, cor apertum ad diligendum, brachia extenſa ad amplexandum, totum corpus expoſitum ad redimendum. Hæc quanta ſint cogitate, hæc in ſtatera veſtri cordis appendite, vt totus vobis figatur in corde, qui totus pro nobis fixus fuit in cruce. *Auguſt. lib. de Virginitate.*

Homo factus eſt hominis factor, vt ſugeret vbera regens ſydera: vt eſuriret panis, vt ſitiret fons, dormiret lux, ab itinere via fatigaretur, falſis teſtibus veritas occultaretur: Iudex viuorũ & mortuorum, a iudice mortali iudicaretur, ab iniuſtia iuſtitia dānaretur, flagellis diſciplina cæderetur, ſpinis botrus coronaretur, in ligno fundamentum ſuſpenderetur, virtus infirmaretur, ſaluus vulneraretur, vita moreretur. *Auguſtin. in ſerm. de Natali Domini.*

Congruit noſtræ deuotioni, vt qui Domini crucifixi paſſionem celebraturi ſumus, reprimendarum carnalium voluptatum crucem nobis ipſis etiam faciamus. *Auguſt. in ſerm. de Quadrageſima.*

Christo crucifixo velum templi scissum est, quia per ipsius passionem omnium mysteriorum secreta patuerunt. *Augustin. super Psalm. 70.*

Fusus est sanguis medici, & factum est medicamentum phrenetici. *Aug. lib. 5. contra hæreses.*

Quem vis contemnere, precium eius attende, & cum morte Christi, totum mundum appende. *Aug. de verbis Domini.*

Nulla res officiorum laborem ad portanda onera aliorum, facit libenter impendi: nisi cum cogitamus, quanta pro nobis pertulit Dominus. *Aug. de verbis Apostoli.*

Filius Dei ad crucem ducitur, expalmatur, qui est vera palma victoriæ: spinis coronatur, qui peccatorum spinas venit constringere: ligatur, qui soluit compeditos: ligno suspenditur, qui erigit elisos: aceto potatur fons vitæ, disciplina cæditur, salus vulneratur, vita moritur, occidit ad tempus vitam mors, vt in perpetuum a vita occideretur mors. *Aug. 7. lib. de octo virtutibus charitatis.*

Fraudulenta Sacerdotum promissio, maius fecit surgens de sepulchro, & non credidistis: nec si de cruce descēderet, crederetis. *Hieron. super illud Matth. 27. Descendat de cruce, & credemus ei.*

Omnis creatura compatitur Christo morienti: Sol obscuratur, terra mouetur: petræ scinduntur, velum templi diuiditur, sepulchra aperiuntur: solus miser homo non compatitur, pro quo solo Christus patitur. *Hieron. super Matth.*

Traditus est Iesus militibus verberandus, & illud sacratissimū corpus, pectusque Dei capaa flagella consumpserunt. *ibid. in fine.*

Noli tantum amittere beneficium, o homo. Propterea Christus damnationi mortis se subdidit, vt te a iugo damnationis erueret: ille suscepit mortis seruitutem, vt tibi tribueret vitæ æternę libertatem. *Ambros. super Psal. 118. Beati immaculati.*

Stultum est cum gladijs quærere eum, qui vltro se offert: & in nocte proditorem inuestigare, quasi latentem, qui quotidie in templo docet. Sed factum congruet tempori, & personis: quia cum essent tenebræ, in tenebroso tempore tenebrosum opus exercebant. *Ambr. super illud Matth. 26. Cum gladijs & fustibus.*

O stulte & cæce gens Sacerdotum, nunquam impossibile erat ei de paruo stipite ligni descendere, qui descendit a cœlorum altitudine? Nunquid tua vincula possent illum tenere, quem cęli nō possunt capere? Non venit, vt se liberaret, qui sub seruitute non erat: sed vt nos de seruitute redimeret. *Ambr. super illud Matt. 27. Si rex Israel est, descendat, &c.*

Clamauit Iesus voce magna: Deus, Deus meus, &c. Clamauit homo diuinitatis separatione moriturus. Nam cum diuinitas mortis libera sit, vtique mors esse non poterat, nisi vita discederet, qui diuinitas est. *Ambr. super Luc. lib. 5.*

Doles, Domine, non tua vulnera, sed mea: non tuam mortem, sed nostram infirmitatem. *Ambr. super Lucam.*

Cum enim posset nobis etiam non moriendo succurrere, voluit tamen hominibus moriendo subuenire: quia nos videlicet minus amasset, nec vim suæ dilectionis nobis ostenderet, nisi hoc, quod a nobis tolleret, ad tempus ipse sustineret. *Gregor. libro 20. Moral.*

Vere deserta erat Iudæa, vacua iustitia, plena peccatis, quam Deus plantauerat, omnes Prophetæ coluerant. Illa autem nullum fructum produxerat, nisi spinas acerrimas, quibus Dominum suum coronauit. *Ioan. Chrysost. super Matth c. 3.*

Quæ nobis erit contumelia, postquam Christus hæc passus est? neque enim vna particula, sed totum corpus iniurias patiebatur. Caput per Coronam, manus per arūdinem, os per acetum, facies inspuebatur, genæ velabantur, & tandem totum corpus in cruce extenditur, & perforatur. *ibid c. 27.*

Quam dulciter, Domine Iesu, cum hominibus versatus es? quam abundanter multa & magna bona hominibus largitus es? quam fortiter tam indigna, tam aspera & dura pro hominibus passus es? dura verba, duriora verbera, durissima supplicia. O duri & indurati, & obdurati filij Adam, quos non emollit tanta flāma, tanta benignitas, tam ingens ardor amoris, tam vehemens amator, qui pro vilibus sarcinulis, tam preciosas merces expendit. *Bern super Cant. serm. 15.*

Dilexit nos Deus dulciter, sapienter, fortiter. Dulciter nempe dixerim, quod carnem induit: sapienter, quod culpam vitauit: fortiter, quod mortem sustinuit. Sed super omnia reddit te mihi amabilem, bone Iesu, calix, quem bibisti, opus nostræ redemptionis: hoc enim omnino amorem nostrum sibi vendicat. Hoc (inquam) nostram deuotionem blādius allicit, iustius exigit, arctius stringit, & vehementius afficit. *Bern super Cant. serm. 20.*

Passio tua, Domine Iesu, vltimum est refugium, singulare remedium. Deficiente sapientia, iustitia non sufficiente sanctitatis succumbentibus meritis illa succurrit. Cum enim defecerit virtus mea, non conturbor, non diffido: scio quid faciam, Calicem salutaris accipiam, scio quod merita mea non sufficiunt. Ego vero fideliter, quando ex me nihil deest, vsurpo ex visceribus Domini, quoniam misericordia affluo, nec desunt foramina, per quę foderunt manus meas & pedes, latusque lancea forauerunt. Et per has rimas licet mihi sugere mel de petra, oleum de saxo, & gustare, & videre, quam suauis est Dominus. *Bernard. super Cant. serm. 22.*

Pater, ignosce eis, quia nesciunt quid faciunt. Christus flagellis cæsus, spinis coronatus, clauis confossus, patibulo affixus, opprobrijs saturatus: omnium tamen dolorum immemor ait: Ignosce illis. Hinc multæ miseriæ corporis, hinc dolores, hinc miserationes, hinc oleum exultationis, hinc guttæ sanguinis decurrentis in terram. *ibid.*

Quid tam efficax ad curanda conscientiæ vulnera, nec non ad purgandam mentis aciem, quam Christi vulnerum sedula meditatio? *Bern. super Cant serm. 62.*

In passione Domini tria specialiter conuenit intueri: opus, modum, causam. nam in opere quidem patientia, in modo humilitas, in causa charitas commendatur. patientia singularis, humilitas admirabilis, sed charitas inæstimabilis. *Bern. in serm. de passione Domini.*

Ea nobis assumpsit, quæ pro nobis sustinuit nasci, lactari, mori, sepeliri: mea est mortalitas, nati: mea infirmitas, paruuli: mea expiratio, crucifixi: mea dormitio, sepulti. *Bern. serm. 76.*

Effusio pro iniustis sanguinis iusti, tam potens fuit ad priuilegium, tam diues ad precium, vt si vniuersitas captiuorum in redemptorem suum crederet, nullum tyrannica vincula retinerent. *Leo Papa in serm. 7. mensis.*

Vbi princeps tanta afflictione plangebat, quis illo flente non fleret? quis illo dolente non gemeret? Quando pro gemmato diademate rex cinerem gestabat in capite, canus puluere, non ætate. *Cassiodorus super Psal. 50.*

Si sole superlucente in ligno, securis incideret lignum, sol impassibilis permaneret: multo magis diuinitas secundum hypostasin carni vnita, carne patiente manet impassibilis. Et quemadmodum, si quis ignito ferro superfundit aquam, quod quidē aptum natum est pati ab aqua, ignis extinguitur, innocuum autem permanet ferrum: sic carne passa, impassibilis diuinitas mansit. *Damascen. lib. 3. c. 26.*

Passio Christi cœlum sustentat, mundum regit, tartarum perfodit: in ea confirmantur Angeli, redimuntur populi, conteruntur inimici: stabiliuntur subsistentia, animantur viuentia, consentiunt sentientia, illustrantur intelligentia. *Rabanus de laude Crucis.*

SIMILITVDINES.

Christi Saluatoris. Sicut Moses exaltauit serpentem in deserto: Ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. *Ioan. 3.*

Chrysostom. vt semper preciosior thesaurus in vasis melioribus includitur: Sic Christus Apostolis tantummodo mortis suæ annunciauit mysterium. *In cap. 20. Matth. homil. 35.*

Si rex terrenus videret, quod ciuitatem illius occupatam teneat hostis, quid facere potest? nisi vt ponat arietes, circumducat exercitum, destruat mœnia, quæ forte ipse ædificauit, vt tantummodo hostem expellat. Sed videamus sapientiam nostri regis. Postquam vidit castra sua occupari a spiritu alieno: sic hostem expulit, vt castra sua non læderet. *In cap. 20. Matth. Homil. 35.*

Patrefamilias moriente, tota domus eius turbatur, omnis familia plangit, & conscissis tunicis suis, nigris se operiunt vestimentis: Sic & humano genere, propter quod fuerant omnia creata, circa exitum constituto, totus contristatur mundus, vniuersa cœli ministeria lugent. & candore deposito, pro vestibus luctuosis tenebris vestiuntur. *In Matth. 24. homil 49.*

Quemadmodum si quis liquefacto auro manum vel linguam inijciat, quamprimum deauratur? Ita hæc nobis proposita animam auream reddunt. Resurgit enim vehementius igne fluuius, neque incendit, sed abluit tamen quicquid comprehenderit. Hic sanguis præfiguratus est semper in altaribus, in iustorum cædibus: hic orbis terrarum decus est, hic est quo Christus emit, quo vniuersam ornauit Ecclesiam. Vt enim homo seruos auro emit: Ita nos sanguine suo Christus. *Homilia 45. in Ioan.*

Christus pro omnibus gustauit mortem. Non dixit vt moriatur. Reuera sicuti qui gustat, sic breue interuallum in illa faciens, cōfestim surrexit. Sicut medicus non habens necessitatem cibis, quæ ægroto præparantur degustare, sed illi consulens primus ea illius cibo degustat, vt persuadeat ægroto promptius illos cibos accipere: Sic & Dominus, quoniam omnes homines mortem timebant, persuadens eis, vt fiducialiter ad mortem accederent, & ipse gustauit mortem, nullam habens necessitatem. Venit enim princeps mundi, & in eo non habet quicquam. Illi qui per omnem vitam sub timore mortis agebant, & serui erant, ijdem ab eadem liberati, & deridenteam quam illi horrebant. Tale est nunc, quale si vinctum aliquem producendum ad mortem, & semper hoc expectantem, quisquam pinguem reddat ex multis delicijs: tale aliquid erat mors antiquo tempore. Nunc autem veluti si quisquam illum timorem excu-

decus,

dens, cum delicijs agês pronuncietur pugnaturus, & proponat agonem, vt iam non ad mortem, sed ad regnum adducatur: ex quibus esse nolebas? Ex his qui in custodia pinguescerent, quoti dianis diebus sententiam sui interitus expectantes: an ex illis, pu gnaturis quidem multis, & laboraturis victorea voluntate, vt dia dema tantum regni susciperet. *Hom. 4 in ep. ad Hebraeos.*

Seruum empturus, prius interrogat num seruire sibi velit, ac num futurus sit vtilis dispicimus, inutilem recusaturi: At Christus maximum & excellentissimum precium, sanguinem suum erogauit pro omnibus nobis, etiam priusquam nos vellemus seruire illi, & quantumuis improbos recipit, sine obsidibus, sine chirographo, sola voce contentus, Abrenuncio Satanae. *lib. 3. contra vitupe ratores vitae mona sticae.*

Athanasij. Quocirca non sibi ipsi diligit mortem, sed aliorum insidijs intectam tulit: vt quam ipsi intulerant necem, ipse aboleret. Atque mortem Gnosij luctatoris, prudentiaque & fortitudine praestantis, qui non sibi ipsi comparem eligit, ne formidare quępiam existimetur, sed id spectatorum permittit arbitrio, maximeque si illi inimici sint, vt eo in humum eliso, quem illi aduersum se ad certamen elegerint, cunctis praestare credatur. *lib. 2. de incarnato Dei uerbo.*

Si & sol ab ipso conditus, nobisque conspicuus, cursus sui lineam in cęlo tenens, cum terrestria tangit, nulla sorde inquinatur, nul lisque obtegitur tenebris, sed ipse potius omnia illustrat, & mūdat: Multo sane dignius sanctissimum illud Dei verbum (cuius est sol & opus, & famulus) in corpore praesens nulla tangi poterat labe, sed cum esset incorruptibile, mortale viuificabat corpus, atque mundabat. Qui peccatum (inquit) non fecit, nec inuē tus est dolus in ore eius. *lib. 2. de incarnato Dei verbo.*

Vita non moritur, sed mortuos viuificat. Sicut enim lux in loco tenebricoso non laeditur: Ita nec vita pati potest, quae mortalem naturam inuisit: est enim immutabilis: & non verti, nec diuelli & altera esse potest verbi diuinitas. Sicut enim in propheria dicit de seipso Dominus: Videte me, quod ego sum, & nō sum immutatus. *lib. maiore de fide, fol. 113.*

Neque quis ex hoc medicus esse cognoscitur, si recte valeat ipse, nisi & alijs morbo laborantibus ostendat artem, neque sol si radios in se se contrahat, cognoscitur esse lumen, nisi eos in orbem hunc proferat, eiusque tenebras sua luce discutiat: Ita Seruator non seruat semetipsum. Siquidem ipse cum esset Seruator, non opus habebat salute: sed ex eo, quod caeteris benefaceret, velut ab omnib. agnosci voluit seruator omnium. *De passione Domini.*

Periode ac si quis aduersarium suum videns trepidantem, metuq; fugientem insimularet imbecillitatem, quo illum prouocet: mox ille qui fugiebat, respiciens ad illius imbecillitatem, sumpta fiducia aggreditur: deinde praeclarus ille luctator, qui imbecillitate prouocarat, propria virtute vinceret: Sic Dominus humana infirmitate prouocans aduersarium sua virtute corroborauit hominem aduersus hostem. *De passione Domini.*

Quemadmodum infestum animalculum, cui nomen vespa, quum impetit petram, non eam laedit incursu, sed potius perdit aculeum: Sic & mors vehementer falsa est, incurrens vitam, quae est Christus Iesus. Non enim potuit eum tenere mors, sed ipsa potius aculeum perdidit, adeo vt quos prius terrebat aculeus, nūc solutent ac dicant: Vbi tuus mors aculeus, vbi tua contentio tartare? Ac rursus deuorauit mors inualescens. Et iterum: Abstulit Deus omnem lachrymam ab oculis omnium. *De Christi passione.*

Damasceni. Sicut ex sole radius & splendor (ipse enim fons est & radij & splendoris) & per radium nobis splendor tribuitur, & ipse est qui illuminat nos. *lib. 1. c. 11. Orthod. fid.*

Eodem modo, quo rex & nudus adoratur & indutus, & purpura vt nuda purpura & conculcatur & proijcitur, facta autē regis amictus honoratur & glorificatur, & si quis illam proterere praesumpserit, persaepe morte mulctatur. Et quemadmodum lignū nudum non est tactui inaccessibile, atqui igni coniunctum, & carbo factum, non propter seipsum, sed propter coniunctum ignem non accessibile fit, & non vt ligni natura tactu inaccessibile est, sed vt carbo, id est, quantum ignitum est lignum: Sic & caro Christi secundum suam naturam non est adorabilis adoratur autem incarnato Dei verbo: non propter seipsam, sed propter coniunctum sibi secundum hypostasim, Deum verbum: & non dicimus quod carnem nudam, sed carnem Dei, id est, incarnatum Deum. *lib. 4. c. 3. Orthod. fid.*

Eustathij episcopi. Si sol, cum sit corpus, quod cadit sub visum, qui sensu potest comprehendi, tot & tantas vbique terrarum iniurias & probra ferens, non mutat ordinem, nec parum vel magnum ictum sentit: incorpoream sapientiam pollui existimas, & mutare naturam si eius templum cruci affigitur, vel solutionem suscipit, vel vulnera perpetitur, vel corruptionem aut interitum admittit? Sed templum quidem patitur, substantia autem immaculata, & omni ex parte impollura remanet. In Oratione habita super illud: Dominus creauit me initium viarum suarum. *Meminit Theodoretus in Dialog. 2. fol. 228.*

Polyanthea Noviss.

Didymi Alexandrini. Vt vnguentum quod vase continetur, habet quidem odoris substantiam, sed prohibetur lōgius spargi, quia vase intrinsecus clauditur: quum autem vas foris fuerit effusū, emittit procul beneolentiam suam: Ita Christi nomen beneolens ante aduentum eius in solo Israelis populo versabatur, quasi Iudaeae vasi inclusum. Notus enim, ait, in Iudaea Deus, in Israel magnum nomen eius. Quando autem coruscans in carne Saluator, in vniuersam terram, quin potius in omnem creaturam extendit vocabulum suum, impleto eo quod scriptum est: Quam admirabile est nomen tuum in vniuersa terra! Quibus consequenter Apostolus loquitur: Non enim aliud nomen datum est sub coelo, in quo oporteat saluari nos: vt Psalmista ad Dominū loquitur: Magnificasti super omnia nomen sanctum tuum. Tunc completum est: Vnguentum effusum nomen tuum. *lib. 2. de Spiritu sancto.*

Procopij. Quemadmodum olim populus occubuit, accessitque Aaron, & se medium inter mortuos ac viuos statuit, & a reliquia mortem depulit: Ita verus Pontifex inter mortuos & viuos, inter eos qui ad aduentum eius vsque Iudaismum conseruarunt, eosque qui eum non receperunt, seque ipsos quam Iesum necare maluerunt, eo quod sanguinem Iesu in se traosferre ausi fuint: in quo idcirco omnis iustorum sanguis recidit. Cum inter cessisset itaque, mortem a nobis abstulit: cum mortui Iudaei sub lege separati nullum amplius veritatis opus edant. Apud nos enim verum est templum, quod viuis lapidibus constat: verus item Io sue. *In Iud. fol. 496.*

Quemadmodum Iosephus, quantum ad fratres, penitus periérat: Sic Christus quantum ad Iudaeos, ad quos venerat, plane mortuus, vt vltimo supplicio affectus, credebatur. Sic enim opinabantur. Sed ascendit ad patrem, virtute Deitatis resurgens: quare suum conspicuum factum est genus. *In Genes. cap. 49. fol. 197.*

Quemadmodum leo non solum vigilans, sed & dormiens terribilis est: Sic Christus non ante crucem, sed etiam in cruce terribilis erat, magnaque designabat miracula. *In Genes. 49. fol. 205.*

Theodoreti. Sicut per vnius delictum in omnes homines in cōdem nationem: Sic & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitae. Sicut enim per inobedientiam vnius hominis, peccatores constituti sunt multi: Ita etiam per obedientiam vnius, iusti constituentur multi. *Dialog. 3.*

Sicut vnita erat, & esurienti & sitienti, & defatigatae humanitati diuinitas, quinetiam dormienti, & in passione subeunda tristitia ac moerore confectae, nihil horum quidem suscipiens, sed ei permittens, vt naturae affectiones & passiones susciperet: Ita etiam ei coniuncta erat dum crucifigeretur, & concessit vt perageretur passio, vt passione mortem solueret, dolorem quidem ex passione non suscipiens, passionem autem sibi adaptans & accommodans, vtpote templi sui & carnis coniunctae: per quam etiam membra Christi appellantur, qui crediderunt: & eorum qui crediderunt, ipse caput appellatus est. *Dialog. 3. titul. Quod diuinitas Seruatoris est impatibilis.*

Epiphanij. Non apparentia erat aduentus ipsius in carne, sed instar magni regis bellum gerentis aduersus inferiorem, & nosc entis, quem inimicus eius, si viderit in potentia venientem, ac multo robore, recedit, & vertetur ad fugam, & multas subditorum regiones dissipabit: & propria sapientia praetextus fingentis, & terga dantis ac fugientis, donec inimicus audacia sumpta expectat regem, velut timidum & impotentem, & persequatur ipsum. Rex vero conuersus derepente cum sua potentia, totum subditum capiet infirmum & aduersarium. Sic etiam Dominus noster non timuit mortem: quin antequam veniret ad hoc, vt pateretur, significauit in itinere, quod filius hominis futurum esset vt traderetur & crucifigeretur, & tertia die resurgeret. *lib. Ancoratus. fol. 549.*

D. Augustini. Fratres, vt a peccato sanemur, Christum crucifixum intueamur. Quomodo qui intuebantur serpentem aeneum in deserto, non peribant morsibus serpentum: Sic qui intuentur fide Christi mortem, sanantur morsibus peccatorum. *In Ioan.*

D. Hieronymi. Ecce hic positus est in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel, & in signum cui contradicitur: solisque radios tam munda loca excipiant quam immunda, & sic in floribus quomodo in stercore luceant, nec tamen solis radij polluūtur: Sic & Christi bonus odor, qui nunquam mutari potest, nec suam naturam amittere, credentibus vita est, incredulis mors. *Quaest. 11. ad Hedibiam.*

Cypriani. Cum maleficus qui ipsam condemnatur quod filium regis aut principis iugulauerit: & tu interim velut innocens secure cantares ac luderes, donec terrifice comprehensus conuincetis, quod homicidium subornasses. Vbi reuera tibi latissimus terrarum orbis in angustum contrahi deberet, praesertim si conscientiae quoque testimonium te destitueret. Ita longe pauidior fieri debes, cum Christi passionem animo recenses. *De singularitate.*

Sicut tibi (si modo sanæ mentis homo es) dolet te spiritualiter a morte peccati & spiritu maligno cruciari: Ita dolet, & vehemẽter dolet id Christo propter te in sua passione. *De singular. clericorum.*

Quod si aliquis dicit: captiuum teneo aduersarium meum, cui semper insultem: videat ne forte aduersus eum captiuus incipiat præualere. Nunquam securus sum thesauro latro tenetur inclusus; nec intra vnam caueam habitans cum lupo, tutus est agnus. Ipse se voluit superari, qui hostem proprium in suas portas induxit: & intestinum gladium sibi ipse supposuit, qui locum habitationis suæ aduersarij ingressibus reserauit: & qui fretus est conuersari cum scandalo, sine causa dicit: Pacatus volo esse cum diabolo, contra Apostolum dicentem: Nolite locum dare diabolo. Omni ergo modo muniendus est locus, vbi fuerit thesaurus absconditus: ne per vnam cauernam totum parietem latro suffodiat. *De singularit. cleric.*

Velut si quis rex pergat ad gentem, in qua proprios habeat captiuitatis vinculo alligatos, deuictaque, carcerem intret, in quo vincti detinebantur, soluat catenis vincula, & claustra comminuat, & vinctos in remissionem educat, & eos qui sedent in tenebris & in vmbra mortis, luci ac vitæ restituat. Ergo dicitur rex fuisse quidem in carcere, non tamen ea conditione, qua cæteri qui tenebantur inclusi, sed illi quidem vt pœnas soluerent, hic vero vt absolueret pœnas; Ita diuina natura in mortem per carnem descendit, non vt lege mortalium detineretur a morte, sed vt per se resurrecturus, ianuas mortis aperiret. *In Symbolum Apostolorum.*

Sicuti hamum esca consertum si piscis rapiat, non solum escam cum hamo non remouet, sed & ipse de profundo esca alijs futurus educitur: Ita & is qui habebat mortis imperium, rapuit quidem in mortem corpus Iesu, non sentiens in eo hamum diuinitatis inclusum: sed vbi deuorauit, hæsit ipse continuo, & diruptis inferni claustris, velut de profundo tractus traditur, vt esca cæteris fiat. *In Symb. Apost.*

Bernardi: vt in paradiso terrestri quatuor fuere fontes, qui vniuersam irrigarent terram: Ita in Christo, qui noster est paradisus, quatuor est reperire fontes. Primus fons misericordiæ, ad diluendas culpas aquis remissionis. Secundus fons sapientiæ ad potandum sitim nostram aquis discretionis. Tertius fons gratiæ, ad irrigandas plantas bonorum operum aquis deuotionis. Quartus fons ad condiendum & decoquendum nostras affectiones aquis æmulationis Et de istis intelligi potest illud Isaia: Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris. *Serm. 1. de natiuitate Christi.*

Remigij: Moysi virga comparatur Christo mortuo. Serpẽtis enim opus fuit mors in Adam & in Eua: quod Moyses inde perterritus fuit signat timorem discipulorum in morte eius: & quod iussus fuit caudam serpentis accipere, vt verteretur in virgam: rursus denotat, quod sequentia in Christo post mortem, puta resurrectio & ascensio ipsius ab Apostolis amplexa, corde credenda fuerunt, & quem mortuum lugebãt & desperabant, iam viuum adorarent. *In Psal. 73.*

CHRISTI ASCENSIO.

DEFINIT. ET ETYMOLOG.

Christi ascensio, ἀπὸ τοῦ ἀνάβασις, & ἀναβαίνω, adscendo dicitur. Christi adscensio fuit secundum vtramque naturam. *Ex S. Th. 3. p. q. 57. art. 1 & 3. Sentent. d. 22. q. 3. art. 1.*

SENTENTIAE BIBLICAE.

Et Dominus quidem Iesus postquam locutus est discipulis, assumptus est in cœlum, & sedet a dextris Dei. *Marc. Euang. in c. vltimo. Vide Luc. c. 24. & Act. 1. c.*

SENTENTIAE PATRVM.

Ascensio Dei, catholicæ fidei confirmatio fuit, vt securi in posterum crederemus & miraculi illius donum, cuius etiam in præsenti percipercious effectum. Nos Christi mors viuificauit, nos resurrectio erexit, nos Christi ascensio consecrauit. Resurrectio Domini spes nostra est: ascensio, glorificatio nostra. Si ergo recte, si fideliter, si deuote ascensionem Domini celebramus, ascendamus cum illo, & sursum corda habeamus. *Aug. in serm. de Ascensione.*

Vbi, & quo modo sit in cœlo corpus Dominicum, curiosissimum & superuacuum est quærere. Tantummodo in cœlo esse credendum est. *Aug. de fide & symbolo.*

Corpus non adscendit, sed leuatum est in cœlum, illo leuante qui adscendit. Si enim quisque descendat (verbi gratia) nudus de mõte: cum autem ascendat, vestiat se, & iterum ascendat vestitus. Ratione vtique dicimus: Nemo ascendit, nisi qui descendit. *Idem de agone Christiano.*

Quorum sepulchra in passione Domini sunt patefacta, horum corpora Christo resurgente de puluere sunt suscitata. Dicebat n. vt ille prius resurgeret, deinde illi: Sicut dicit Apostolus Paulus: Christus resurrexit a mortuis, primitiæ dormientium. Et sicut cum Domino surrexerunt: ita cum eo adscendente, etiam ipsi adscendisse creduntur. *Aug. in serm de Resurrectione.*

Raptus est Dei filius ab humanitate ad diuinitatem, in transfiguratione: a passibilitate ad immortalitatem, in Resurrectione: a minoritate ad patris æqualitatem, in Ascensione: quia quantus fuit descensus a sinu patris ad patibulum crucis, tantus fuit adscensus a patibulo crucis vsque ad dexteram patris. *August. & est in glossa Apocalyp. 12. sup. illud: Raptus est filius eius ad thronum eius.*

Cum audis eleuatum, agnosce militiæ cœlestis obsequium, nõ auxilium, non subsidium: ministerium, non adiutorium. *August. tractans illud Actor. 1. Eleuatus est in cœlum.*

Virtutes ministræ præcedentes Christum in adscensione ad alias virtutes clamant, vt viam Domino venienti aperiant, eique occurrant. Reserate (inquiunt) cœlestes aditus: venienti Domino æternalis ingressus pateat: aperiantur æthereæ ianuæ, & æternarum ædium valuæ, & introibit rex gloriæ in cœlum, vt ad dexteram patris interpellet pro nobis. Ipsæ enim virtutes angelicæ nouo mysterio carne induti stupefactæ, quærunt cum admiratione. Quis est iste rex gloriæ? Quibus respondent aliæ: Dominus virtutum, &c. Licet enim multi scirent ipsum esse hominem, non tamen sciebant humanam naturam supra se exaltandam. *Hieron. sup. illud Psalm. 23. Attollite portas principes vestras.*

Vultis eius saltus cognoscere? de cœlo venit in vterum, de vtero venit in præsepium, de præsepio in crucem, de cruce venit in sepulchrum, de sepulchro rediit in cælum. *Greg. hom 29. super Euangel. item tract. in Cant. 2. Ecce iste venit saliens in montibus.*

Saluator noster, qui cum in ea carne, quam assumpsit, ascenderit in cælum, peregre profectus est. Quia locus carnis proprius terra est, quæ quasi ad peregrina loca deducitur, cum per redemptorem nostrum in cœlo collocatur. *Idem in hom 9.*

Illo reuertebatur Christus, vbi erat: & inde redibat, vbi remanebat: quia cum per humanitatem asceoderet in cœlum, per Deitatem suam terram pariter continebat & cœlum. Oportet, fratres charissimi, vt illuc sequamur corde, vbi Christum credimus corpore ascendisse. Etsi adhuc hic tenemur infirmitate corporis, sequamur tamen eum passibus amoris. Quia is, qui placidus ascendit, terribilis redibit. In hac solemnitate deletum est chirographum nostræ damnationis: mutata est sentẽtia nostræ corruptionis. Illa enim natura, cui dictum est: Terra es, & in terram ibis, hodie in cœlum iuit. *Idem hom. 29.*

Natura, cuius causa paradisus a Cherubin custodiebatur, hodie super Cherubin cum summo honore suscepta est. Ea natura, cui dictum es. Terra es, & in terram reuerteris: hodie in cælum iuit, & sine termino super cœlos regnat. *Ioan. Chrysost. in homilia hodierna.*

Domino meo datum est singulariter sedere a dextris patris in gloria coæquali, in essentia consubstantiali, pro generatione consimili, maiestate non dispari, æternitate non posteriori. *Bern. tractans illud Psal. 109. Dixit Dominus, &c.*

Non solum hodie cœli possessores firmati sumus, sed superna cœlorum in Christo penetrauimus, ampliora recepturi per suam ineffabilem gloriam, quam per Diaboli perdideramus inuidiã. Quia quos Diabolus de primi habitaculi felicitate eiecit, hos Dei filius sibi comparatos ad patris dextram collocauit. Non otiose inter resurrectionem & ascensionem quadraginta dies transiere discursu: sed magna confirmata sunt sacramẽta, magna reuelata mysteria. In eis diræ mortis aufertur metus, verbi simul & carnis immortalitas declaratur. In his insufflatio Spiritus sancti infunditur. In his B. Petro super cæteros ouilis Dominici cura mandatur. *Leo Papa in serm. hodierno.*

Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cælo. Quisquis ergo in cœlum ascendere desiderat, ei qui de cœlo descendit, & est in cœlo, se vera fidei & dilectionis vnitate coniungat: aperte intelligens, quod nullo alio ordine, nisi per eum, qui de cælo descendit, in cœlum ascendere possit. *Beda tractans illud Ioan. 3. Erat homo ex Pharisæis.*

Fit caro verbum, id est, homo Deus: & qui homo est, in cœlis est: qui Deus est de cœlis est. Ascendit descẽndens, sed descendit non descendens. Est qui erat, & quod est, non erat. *Hilarius 10 de Trinitate.*

SIMILITVDINES.

Chromacy. Sicut tunc populo ad terram promissionis eunti per Iordanem via fuit, Domino præcedente: Ita nunc per easdẽ aquas fluuij Iordanis, primum iter viæ cælestis apertum est, per quod ad beatam illam terram promissionis, idest, promissionem regni cælestis deducimur. Illis Iesus filius Naue in Iordane dux fuit: nobis verus Iesus Christus Dominus per baptismum dux extitit salutis æternæ, vnigenitus Dei filius. *In c. 3. Matth. fol. 437.*

Fomauarij Honorij Clementiniani. Quéadmodum Iesus Naue populum Dei è deserto in terram promissionis induxit: Ita Christus vera lux mundi, de tenebris ac terra igni oratæ sequentes se ad cœlos duxit. *In explicatione fidei.*

CHRISTIANVS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Christianus a Christo dicitur Χριστιανός. de quo supra. Et is dici tur,qui Christi est,qui fidem Christi habet,qui spiritu Christi virtuose operatur,& ad imitationem Christi peccatis moritur. *ex B.Thom.2.2.q.124.art.5.*

Biblici Loci.

Christiani,appellantur fideles Antiocheni. *Actor.11.26.& 26.28.2. Corint.10.7.* Sancti dicuntur,quia sanctitati student & profitentur, professionemque suam vitæ sanctimonia ornare conten dunt & sanctificati a Deo sunt, *Act.9.41 Rom.1,7.& 12.13. & 15. 26.& 16.2.15.1 Cor.1.2.& 6.1.& 14.33.2.Corint.1.1.et 9. vers 1. 12.et 13.12.Ephes.1.n.1-15.et 5.n 8,18 et 4.12.et 6,18. Philip.1.1. et 4.21.Colos.1,n.2.4 1.Thess.5.27.1.Tim.5.16.Heb 6.10 et 13.14.* Christianis viuendum sicut Christus viuit, *Gal.2.19.1.Ioan.1.8. & 2.6.& 3.3.* erunt cum Christo, *Ioan.12.26.& 14.3.& 17.40.* Christiani per contemptum Nazarani dicti, *Act.24.5.*pro Christiano affligi bonum, *1.Pet.4.16.*

Sententiae Biblicae.

Domine oonne bonum semen (fidei) semioasti in agro tuo, *Matth.13.*

Qui negauerit me coram hominibus, denegabo & ego eum corā patre meo. 10.

Confitentur se nosse Deum: factis autem negant. *Tit.1.*

Tu credis quia vnus est Deus. Bene facis,& dæmones credunt,& contremiscunt *Iac.2.*

Ministrate in fide vestra virtutem, in virtute vero scientiam, in scientia vero temperantiam,in temperantia vero patientiā, rur sum in patientia pietatem. in pietate autem fraternam charitatem in fraterna vero charitate, dilectionem. *2.Pet.1.*

In hoc scimus, quoniam cognouimus eum (per fidem) si mandata eius obseruamus, qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit,mendax est. *Ioan.2.*

Sententiae Patrum.

Ille vere Christianus est,qui omnibus misericordiam facit,qui nul la omnino mouetur iniuria,qui alienum dolorem tanquam pro prium sentit, cuius mensam nullus pauper ignorat: qui coram hominibus inglorius habetur: vt coram Deo & Angelis glorietur,qui terrena contēnit, vt possit habere cœlestia: qui opprimi pauperem se præsente non patitur,qui miseris subuenit: qui ad fletum fletibus prouocatur alienis: quod bene faciebat Paulus, Quis infirmatur,& ego non infirmor? *August.de vita Christ.*

Christiani nomen ille frustra sortitur,qui Christum minime imitatur. Quid enim tibi prodest vocari quod non es:& nomen vsurpare alienum? Sed si Christianum te esse delectat,quæ Christianitatis,sunt gere,& merito tibi nomen Christiani assume. *ibid.*

Ipse est Christianus, qui & in domo sua peregrinum se esse cognoscit. Patria nostra sursum est, ibi hospites non erimus. *super Psalm.32.*

Nec captiuitas Christianis nocet: quoniam illic Deum suum inueniunt. *lib.de ciu.Dei.*

Non quæritur in Christian is initium,sed finis. *Greg.l.28.mor.*

O Christiane,delicatus es miles,si putas sine pugna te posse vince re,sine certamine triumphare,fortiter dimica,atrociter in prælio concerta,considera pactum,conditionem attende,militiam nosce,pactum quod spopondisti,conditionem, quam accepisti, militiam cui nomen dedisti, hoc enim pacto quos miraris, omnes pugnauerunt, hac conditione vniuersi vicerunt, hac militia triumpharunt. *Chrys.in hom.*

Christianus nemo dicitur rectè, nisi, qui Christo moribus, pront valet,coæquatur, *Max.in ser.de nata Do.*

Tota vita Christiani hominis, si secundum Euangelium viuat, est crux,atque martyrium, *Idem.*

CIBVS.

Sententiae Biblicae.

Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & vniuersa ligna quæ habent in semetipsis sementem generis sui:vt sint vobis in escam. *Genes.1.*

Omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt:& omne, quod mouetur & viuit,erit vobis in cibum. *9.*

Mihi primum fac de ipsa farinula subcinericium panem. *1.Reg.17.*

Mittite partes eis,qui non præparauerunt sibi, *Neh.8.*

Diuidebat vnicuique prout poterat. *Tob 1.*

Vade & adduc aliquos de tribu nostra timentes Deum, vt epulentur nobiscum. *2.*

Panem tuum cum esurientibus comede. *4.*

Non remansit de cibo eius. *Iob 20.*

Aquam lasso non dedisti,& esurienti subtraxisti panem. *22.*

Si comedi buccellam meam solus, & non comedit pupillus ex ea, *ibid.33.*

Et panis cor hominis confirmet. *Psal.103.*

Si esurierit inimicus tuus,ciba illum *Prou.25.*

Animam esurientem ne despexeris. *Eccles.4.*

Viri iusti sint tibi conuiuæ. *ibid.9.*

Splendidum in panibus benedicent labia multorum, & testimonium veritatis illius fidele. *ibid.31.*

Occurrentes sitienti ferte aquam *Esa.21.*

Hæc est requies mea,reficite lassum. *ibid.28.*

Frange esurienti panem tuum *ibid.58.*

Paruuli petierunt panem,& non erat qui frangeret. *Thren.4.*

Si panem esurienti dederit,vita viuet. *Ezech. 18.*

Qui autem potum dederit vni ex minimis meis aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli: Amen dico vobis, non perdet mercedem suam. *Matth.10.*

Esuriui,& non dedistis mihi manducare. *Idem 25.*

Qui habet escas,det non habenti. *Luc.3.*

Cum facis conuiuium, voca pauperes & debiles. *ibid.14.*

Pauperes ac debiles,cæcos & claudos introduc. *ibid.*

Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus, & ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus, regnum, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo. *ibid.22.*

Operamini non cibum qui perit:sed qui permanet in vitam æternam,quem filius hominis dedit vobis. *Ioan.6.*

Accepit ergo Iesus panes,& cum gratias egisset, distribuit discum bentibus. *ibid.*

Vbi manducauerant panem gratias agentes Deo. *ibid.*

Ecclesiam Dei contemnitis,& confunditis eos,qui non habent. *1. Cor.11.*

Cibi delectus ob præceptum & scandalum habendus.

Scio & confido in Domino Iesu, quia nihil commune per ipsum, nisi ei, qui existimat quid commune esse, illi commune est. Si enim propter cibum frater tuus contristatur,iam non secundum charitatem ambulas Noli cibo tuo illum perdere,pro quo Christus mortuus est:non ergo blasphemetur bonum nostrum. Non enim regnum Dei esca & potus, sed iustitia & pax, & gaudium in Spiritu sancto. *Rom.14.*

Omnia quidem sunt munda,sed malum est homini qui per offendi culum manducat. *ibid.*

Omnia mihi licent,sed non omnia expediunt, Omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestate. *1.Cor.6.*

Omnia munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil est mundum, sed inquinatæ sunt eorum & mens & conscientia. *Tit.1.*

Visum est Spiritui sancto,& nobis, nihil vltra imponere vobis oneris, quam hæc necessaria, vt abstineatis vos ab immolatis simulachrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione, a quibus custodientes vos,bene agetis. *Act.15.*

Biblici Loci.

Cibum Deus dat omnibus animantibus tempore opportuno. *Psal. 145.15.* Cibus immundus, *Leuit.11.31.* Cibus quomodo sanctificatur, *1.Tim.4 4.* Cibus Iudæis vetitus, *Exod 21.28.& 22.31.Leu. 3.17.& 7.23.& 11.4.& 17.uer.10.13.& 19.26 Deut.12. uers 16. 23.& 14 uer.7,10.1. Sam.14.32.* Ciborum & potus in conuiuijs luxus. *Esa.5.12.Ezech.16.49.Luc.16.19.& 21.34.Rom.13. uers 13.* Cibus animi quærendus. *Ioan.6.27.* Cibus Christi quis. *Ioan.4.32.* De ciborum abstinentia. *Colos 2.16.*

Poeticae Sententiae.

Hor.2.Serm.2.

Nam variæ res

Vt noceant homini,credas memor illius escæ,
Quæ simplex olim tibi sederit,at simul assis
Miscueris elixa, simul conchylia turdis:
Dulcia se in bilem vertent,stomachoq; tumultum
Lenta feret pituita, vides,ut pallidus omnis
Cœna desurgat dubia quin corpus onustum
Hesternis vitijs animum quoq; prægrauat una,
Atque affigit humo diuinæ particulam auræ.

Ibidem.

Alter ubi dicto citius curata sopori
Membra dedit, uegetus præscripta ad munia surgit.

Val.Flacc.2.

Hæc ubi dicta dedit,Cereris cum munere fessos

Resti-

Reſtituunt uires, & parto corpora Baccho.

APOPHTHEGMATA.

Diogenis. ſicut vnctio non commendatur dulcedine & acerbitate, ſed ſi ſana ſit, ita non admodum curandum eſt. multom alimenti, aut edulia ſuauia accipiamos, dummodo conueniant valetudini. *Apud Stobaeum.*

Thrinoti. Qui in diſtinctione ciborum ingratius obſonium multis condimentis diſſimulant, nihilo plus legibus obtemperaot, quam praeceptoribus pueri, qoi podicem, ſed tectum, verberibus obiiciant. *In apoph.* 104.

Vide ſupra, Alimentum.

CIRCVMSTANTIA.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Circumſtantia, Graec. περίστασις dicitur, & eſt accidens actus humani, attingens eum intrinſece. *ſecundum S. Thom.* 1. 2. *q.* 7. *art.* 1.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Saepe tempore fit, vt quod plerumque turpe haberi ſoleat, inueniatur eſſe turpe. *Cic.* 3. *Off.*

Tempore commutatur officium, vt non ſemper ſit idem. 1. *Off.*

Temporibus quibuſdam, aut officijs debitis, aut rerum neceſſitatibus ſaepe euenit, vt & voluptates repudiandae ſint, & moleſtiae non recuſandae. Itaque earum ſic tenetor à ſapiẽte delectus aut vt reijciendis voluptatibus maiores alias conſequatur, aut perferendis dolotibus aſperiora repellat. 1. *de Finib.*

Debemus conſiderare io omni re quid aptum ſit, & cõſentaneum tempori & perſonae, tum quid in dictis factiſq dedeceat. Quod ſi poeta fugit vt maximum vitium, qui peccat etiam, cum probam orationem affingit improbo, ſtultove ſapienti: ſi denique pictor ille vidit cum immolanda Iphigenia, triſtis Calchas eſſet, moeſtior Vlyſſes, moereret Menelaus, obuoluendũ caput Agamemnonis eſſe, quoniam ſummum illum luctum penicillo non poſſet imitari: ſi denique hiſtrio quid deceat, quaerit, quid faciẽdum oratori putemus. *Orat. ad Brut.*

In omnibus quid tempora petant, aut quid perſonis dignum ſit, ſemper conſiderandum eſt. 2. *de Inuent.*

Habenda eſt ratio hominum, rei & temporis. 2. *de Orat.*

Turpe eſt valdeque vitioſum, in re ſeuera, conuinio dignom, aot delicatum aliquem inferre ſermonem. 1. *Off.*

Tanta vis eſt loci & temporis, vt ſi quis eum cauſam ſit acturus, in itinere, aut in ambulatione ſecum ipſe meditetur: aut ſi quid aliud attentius cogitet, non reprehendatur inſcitia temporis. 1. *Off.*

Alia fori vis eſt, alia triclinij, alia ſubſellinrum ratio, alia lectorũ: non idem iodicum, comeſſatorumque conſpectus: lux denique longe alia eſt ſolis, & lychnorum. *Pro M. Caelio.*

Nec iidem de rebus, nec in omni tempore, nec ſimiliter omnes delectantur. 1. *Off.*

Non omnis fortuna, non omnis honos, non omnis authoritas, nõ omnis aetas, nec vero locus, aut tempus, aut auditor omnis, eodem aut verborum genere tractandus eſt, aut ſententiarũ: ſemperque in omni parte orationis, vt vitae, quid deceat eſt conſiderandum, quod & in re, de qua agitur, poſitum eſt, & in perſonis eorum qui dicunt, & eorum qui audiunt. *Orat. ad Brut.*

Inconſtantis nõ puto, ſententiam aliquam tanquam aliquod nauigium ex Reipublicae tempeſtate moderari. *Pro Cor. Balbo.*

Nunquam praeſtantibus in Republica gubernanda viris laudata eſt in vna ſententia perpetua permanſio. *M. Cic. Lent. Fam.* 1.

Tempori cedere, (ideſt neceſſitati parere) ſemper ſapientis habitum eſt. *Cic. Mar. Famil.* 1.

Temporibus parere omnes politici praecipiunt. *Cic. Att.* 12.

Eſt non modo liberale, paululum nonnunquam de ſuo iure decedere, ſed interdum etiam fructuoſum. 2. *Off.*

Epiſtolae offendans non loco redditae. *Cic. Brut. Fam.* 11.

Multa quae recte committi ſeruis fidelibus poſſunt, tamen ſermonis & vituperationis vitandae cauſa committenda non ſunt. *Cic. ad Quint. frat.*

Plurimi ad alieni ſenſus coniecturam, oon ad ſuum iudicium ſcribunt. *Caecin. Cic. Fam.* 6.

Qui aut tempus quid poſtulet non videt, aut plura loquitur, aut ſe oſtentat, aut eorum, quibuſcum eſt, vel dignitatis, vel cõmodi rationem non habet, aut denique in aliquo genere, aut incoocinnus, aut multus eſt, is ineptus dicitur. 2. *de Orat.*

CIVITAS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Ciuitas, Graec. πόλις, εως ἡ & πολίτης, ου ὁ ciuis dicitur. Eſt autem ciuitas ſocietas, quae conficitur ex pluribus pagis, quae eſt ex his, quae natura ſunt: *ſecundum Ariſt. lib.* 1. *Polit.*

Ciuitas eſt multitudo ciuium, quae per ſe ſufficiens eſt ad viuendum *ſecundum eundem lib.* 1. *Polit.*

Ciuitas eſt generum pagorumque ſocietas vitae perfectae, ac per ſe ſufficientis, & hoc eſt bene ac beatè viuere, *ſecundum eundem lib.* 4. *Polit.*

Ciuitas eſt populus vel Reſpubl. in qua ſorte magiſtratus declarantur. *ſecundum eundem lib.* 1. *Rhet.*

Ciuitas eſt multitudo domorum agro & pecunijs ſufficienter abundans ad bene viuendum, ſecundum eundem libro Oeconomicorũ. Differt autem ab vrbe, quia ciuitas proprie ſunt ciues, vrbs vero moenia, & aedificia.

Ciuitas eſt ſocietas, multis vicinijs conſtans atq; perfecta, cui praepoſita eſt, tanquam extrema ac finis rerum omnium, ſatis magna abundantia: cuius, & origo ad viuendum, & inſtitutio ad bene viuendum refertur. *Ariſt.* 1. *Polit.*

Ciuitas eſt veluti quaedam natura animata, & ſicuti animal bene diſpoſitum ſecundum naturam, componitur ex quibuſdã proportionatis partibus inuicem ordinatis, ſuaque opera ſibi mutuo communicantibus & ad totum: ſic ciuitas ex quibuſdam talibus conſtituitur, cum bene diſpoſita & inſtituta fuerit ſecundum rationem. *Ariſt.* 1. & 5. *Polit. c.* 2. & 3. *Marſil. Patauinus in defenſore pacis pro Ludouico Bauaro Imp.*

Congregati ſunt homines propter acquirenda neceſſaria quaedam, viciſſitudinaria communicatione inter ſe: Nam bene viuere volentibus plura exiguntur, quae tamen per homines vnius ordinis procurari omnia non poſſunt. Atque hi ordines diuerſi ſeu officiorum communicationes multiplices, pro conſeruatione vitae factae, nihil aliud ſunt, quã pluralitas, & diſtinctio partium ciuitatis.

Viuere bene, hominibus eſt admodum conueniens. *Ariſt.* 1. *Polit. c.* 2. *Cic.* 1. *Off.* Ob hoc omnes homines feruntur ad ciuitatẽ quaſi impetu quodam naturae.

Ciuitas vocatur quaedam congregatio perfecta, & terminum habens per ſe ſufficientiae. *Marſilius Patauinus c.* 4 *de defenſore pacis.* Eſt autem haec communis inſtituta propter viuere hominum in ea.

Ciuitatis partes ſeu officia.

1. Agricultura, qua ea, quae ad vitam neceſſaria ſunt, parentur, 2. Artificium, 3. Ars militaris, 4. Mercatura. 5. Sacerdotium. 6. Ars iudicandi.

BIBLICA LOCI.

Ciuitatis primus author Cain, *Gen.* 4. 17. Ciuitas à Deo abducta, delenda, *Deut.* 13. *uer.* 15. 16. Ciuitas Dauidis dicta arx Sionis. 2. *Sam.* 5. *uer.* 7. 9. 1. *Paralip.* 11. 7. Bethlehem, *Luc.* 2. 4. Ciuitas coeleſtis à Deo fundata, *Heb.* 11. *uer.* 10. 16. & 12. 22. & 13. 14. *Apoc.* 2. & 21. 2. Ciuitas refugij, *Num.* 35. 6. *Deut.* 4. 42. & 19. *uer.* 1. 2. 3. *Ioſue.* 20. 9. Ciuitas à Deo ſeruatur. *Pſal.* 46. *uer.* 5. 6. 7. & 127. 1. *Eſaia* 37. 35 Ciuitatem hic ſitam non habemus, *Heb.* 13. 14. Vide 2. *Cor.* 5. 6. *Heb.* 11. *uer.* 13. 14.

POETICAE SENTENTIAE.

Plaut. in Mercatores.

Ego mihi alios penates deos perſequar, alium larem,
Aliam urbem, aliam ciuitatem, ab Atticis abiuero.
Nam ubi mores deteriores increbeſcunt indies,
Vbi q; amici qui infideles ſint, nequeas pernoſcere,
Vbi q; eripiatur animo tuo, quod placeat maxime.
Ibi quidem ſi regnum detur, non eſt cupida ciuitas.

Euripides.

Εἰ γὰρ λαβὼν ἕκαστος ὅ τι δύναιτό τις,
Χρηστὸν διέλθοι, τοῦτο κ᾽ εἰς κοινὸν φέροι
Πατρίδι κακῶν αἱ πόλεις ἐλασσόνων
Πειρώμεναι τὸ λοιπὸν ἂν τοίχοιεν ἄν.
Si unuſquiſq; accepto quantum poſſet
Bono accederet idq; in commune conferret
Patriae: pauciora mala ciuitates
Experientes, in poſterum fortunata forent.

Idem in Phaethonte.

Ἓν τοῖσι μώροις τοῦτ᾽ ἐγὼ κρίνω βροτῶν,
Ὅστις τὰ πατέρων παισὶ μὴ σώζων ἀρ.
Ἢ καὶ πολίταις παραδίδωσ᾽ ἐξουσίας.
Ναῦς τοι μ᾽ ἄγκυρ᾽ ἐδαφῶν σώζειν φιλεῖ.
Ὡς τρεῖς ἀφέντι προστάτης θ᾽ ἁπλοῦς πόλει
Σφαλερός, ὑπὲρ δὲ καὶ ἄλλος οὐ κακὸν πόλει.
Stultum equidem illum eſſe iudico.

Cum

Cum vel pater filijs vel non sapientibus aliquis
Ciuibus tradit potestatem
Anchora vnica nequaquam ita seruat nauem,
Vt tres demissæ, & aus princeps vrbi
Periculosus est, adiungi vero, & alium, non malum est ciuitati.

Idem in Phrixo.

Αἱ γὰρ πόλεις εἴσ' ἄνδρες, οὐκ ἐρημίαι.
Ciuitates enim veræ sunt non solitudines.

Sophocles in Phœdra.

Οὐ γάρ ποτ' ἂν γένοιτ' ἂν ἀσφαλὴς πόλις,
Ἐν ᾗ τὰ μὲν δίκαια καὶ τὰ σώφρονα
Λάγδην πατεῖται, κωτίλος δ' ἀνὴρ λαβὼν
Πανοῦργα χερσὶν κέντρα κηδαίνει πόλιν.
Nunquam sane tuta & secura potest esse ciuitas,
In qua ius & modestia omnis
Pedibus calcantur & loquax aliquis accipiens
Malignos manibus stimulos, vrget ciuitatem, vel vrbem.

Idem in Aleadis.

Κ' οὐκ οἶδ' ὅτι χρὴ πρὸς ταῦτα λέγειν.
Ὅταν οἵ τ' ἀγαθοὶ πρὸς τῶν ἀγεννῶν κατακρατῶνται,
Ποία πόλις ἂν τόδ' ἐνέγκαι.
Haud scio, quid ad hæc dicendum sit.
Nam cum boni ab ignobilibus superantur,
Quæ iam ciuitas id ferre posset?

Eupolis Comicus Atheniensis.

Καὶ μὴν ἐγὼ πολλῶν παρόντων οὐκ ἔχω τί λέξω.
Οὕτω σφόδρ' ἀλγῶ, τὴν πολιτείαν ὁρῶν παρ' ἡμῖν.
Ἡμεῖς γὰρ οὐχ' οὕτω τέως ᾠκοῦμεν οἱ γέροντες.
Ἀλλ' ἦσαν ἡμῖν τῇ πόλει πρῶτον μὲν οἱ στρατηγοὶ
Ἐκ τῶν μεγίστων οἰκιῶν πλούτῳ γένει τε πρῶτοι,
Οἷς ὥσπερ θεοῖσιν ηὐχόμεσθα, καὶ γὰρ ἦσαν.
Ὥστ' ἀσφαλῶς ἐπράττομεν. νυνὶ δ' ὅπῃ τύχοιμεν,
Στρατευόμεσθ' αἱρούμενοι καθάρματα στρατηγούς.

Ego equidem de plurimis non habeo, quod potissimum dicam.
Tanto cum dolore Rempublicam nostram adspicio.
Hactenus enim, o senes nequaquam sic habitamus:
Sed erant in vrbe nostra primum quidem Imperatores
Ex præcipuis familijs, opibus & genere præstantes,
Quibus tanquam Dijs vota faciebamus, erant enim digni:
Itaque secure degebamus, nunc vero quoslibet
Duces improbos eligentes militamus.

Euripides in Supplicibus.

Τρεῖς γὰρ πολιτῶν μερίδες· οἱ μὲν ὄλβιοι
Ἀνωφελεῖς τε πλειόνων τ' ἐρῶσ' ἀεί·
Οἱ δ' οὐκ ἔχοντες καὶ σπανίζοντες βίου,
Δεινοὶ, νέμοντες τῷ φθόνῳ πλεῖον μέρος,
Εἰς τοὺς ἔχοντας κέντρ' ἀφιᾶσι κακὰ,
Γλώσσαις πονηρῶν προστατῶν φηλούμενοι.
Τριῶν δὲ μοιρῶν ἡ 'ν μέσῳ σῴζει πόλιν,
Κόσμον φυλάσσουσ' ὅντιν' ἂν τάξῃ πόλις.
Ὅταν γὰρ οἱ φυλάσσοντες ὦσι τῶν τέκνων,
Οὐκ ἔστιν αὐτῇ σωφρόνων ἀνδρῶν πόλις.
Tria sunt genera ciuium, quidam diuites sunt,
Inutilesque, & plura semper appetunt:
Alij vero nihil possidentes inopesque victus,
Miseri, nimium tribuentes inuidiæ,
Malos aculeos in diuites emittunt,
Lingua, improbis chari ducibus.
Cæterum è tribus, quod medium genus est, vrbem seruat:
Modum illum custodiens, quem ciuitas approbauerit:
Nam vbi custodes a puerto [illegible]
Non est sapientium virorum ciuitas.

Euripides in Hecuba.

Ἐν τῷδε γὰρ κάμνουσιν αἱ πολλαὶ πόλεις,
Ὅταν τις ἐσθλὸς καὶ πρόθυμος ὢν ἀνὴρ
Μηδὲν φέρηται τῶν κακιόνων πλέον.
In hoc multæ ciuitates laborant,
Cum qui bonus & strenuus vir est,
Nihilo plus quam deteriores accipit.

Sophocles in Aiace.

Ὅπου δ' ὑβρίζειν δρᾶν θ' ἃ βούλεται πάρα,
Ταύτην νόμιζε τὴν πόλιν χρόνῳ ποτὲ
Ἐξ οὐρίων δραμοῦσαν ἐς βυθὸν πεσεῖν.
Ἀλλ' ἑστάτω μοι καὶ δέος τι καίριον,
Καὶ μὴ δοκῶμεν δρῶντες ἂν ἡδώμεθα,
Οὐκ ἀντιτίσειν αὖθις ἂν λυπώμεθα.
Ἕρπει παραλλὰξ ταῦτα.
Vbi iniuriari & quæuis pro libidine facere licet,
Illam ciuitatem existimandum est tandem
Ex bono statu recedentem in profundum ruituram.
At mihi compareat aliquis metus conditus
Et ne putemus si quid libenter fecerimus,
Non luituros nos pœnam olim dolentes,
Est in his rebus vicissitudo.
Πρὸς γὰρ τὸν ἔχοντ' ὁ φθόνος ἕρπει.
Καὶ τοὶ σμικροὶ μεγάλων χωρὶς
Σφαλερὸν πύργου ῥῦμα πέλονται·
Μετὰ γὰρ μεγάλων βαιὸς ἄριστ' ἂν
Ὀρθοῖθ', ὁ μέγας θ' ὑπὸ μικροτέρων.
Ἀλλ' οὐ δυνατὸν τοὺς ἀνοήτους
Τούτων γνώμας προδιδάσκειν.
Ad habentem enim repit inuidia.
Atqui parui sine magis
Imbecilla turris munimentum sunt:
Paruus enim cum magnis optime
Agit, & magnus a minoribus prouehi poterit.
Sed non fieri potest, vt stolidi
Istorum animi hæc edoceantur.

Euripides in Aeolo.

Δοκεῖτ' ἂν οἰκεῖν γαῖαν, εἰ πένης ἅπας
Λαὸς πολιτεύοιτο πλουσίων ἄτερ;
Οὐκ ἂν γένοιτο χωρὶς ἐσθλὰ καὶ κακά.
Ἀλλ' ἔστι τις σύγκρασις ὥστ' ἔχειν καλῶς.
Ἃ μὴ γάρ ἐστι τῷ πένητι, πλούσιος
Δίδωσιν· ἃ δ' οἱ πλουτοῦντες οὐ κεκτήμεθα.
†
Putatis ne vos terram habitare posse, si totus
Pauper populus Rem p. absque diuitibus instituerit?
Haudquaquam seorsum bona & mala subsistere possunt.
Sed est aliquod temperamentum, quo recte coniunguntur.
Nam ea, quibus pauper caret, diues
Largitur, quæ vero nos diuites non possidemus,
Illorum gratia paupertatis vtentes colimur.

Sophocles in Aiace.

Οὐ γάρ ποτ' οὔτ' ἂν ἐν πόλει νόμοι καλῶς
Φέροιντ' ἂν ἔνθα μὴ καθεστήκοι δέος,
Οὔτ' ἂν στρατός γε σωφρόνως ἄρχοιτ' ἔτι
Μηδὲν φόβου πρόβλημα μηδ' αἰδοῦς ἔχων.
Nunquam enim aut leges in ciuitate bene
Se habebunt vbi metus abest,
Aut exercitus cum moderatione persistet,
Qui nullum timoris aut reuerentiæ obstaculum habet.

Euripides in Antigon.

Οἰκεῖος ἀνθρώποισι γίγνεσθαι φιλεῖ
Πόλεμος ἐν ἀστοῖς, ἢν διχοστατῇ πόλις.
Intestinum oboriri solet hominibus
Bellum inter ciues si ciuitas dissenserit.

Idem in Alcmene.

Ἀπλήκτα δ' ἄριστον ἀνδρὶ σῷζειν ἐν πόλει δικαίῳ πέλειν
Optimum est veritatem iusti viri ciuitate.

Idem.

Πάσας τὸ μέγα γὰρ συνέχον ἀνθρώπων πόλεις,
Τοῦτ' ἔσθ' ὅταν τις τοὺς νόμους σῴζῃ καλῶς.
Desinit: tum enim salua sunt ciuitates,
Quum leges, vt decet obseruantur.

Menander.

Εἴπερ τὸν ἀδικοῦντ' ἀμυνόμεσθ' ἕκαστος ἡμῶν καὶ συνηγωνίσατο,
Ἴσον νομίζων ἰδίαν εἶναι τὴν ὕβριν,
Ἀδικήματ' αὖ συνεργάττειν ἀλλήλοις πικρῶς,
Οὐκ ἂν ἐπὶ πλεῖον τὸ κακὸν ἡμῖν ηὔξετο,
Καὶ τυγχάνοντες ὧν ἔδει τιμωρίας,
Ἦτοι σπάνιοι σφόδρ' ἂν ἦσαν, ἢ πάνυ μόνοι.
Si iniuriarum authorem vlcisceretur
Vnusquisque nostrum & vna propugnaret,
Æque ac si propria sibi esset facta
iniuria: & ciues vehementer studio mutuam ingerent operam.
Non amplius nobis calamitas inciperet
Improborum hominum, sed obseruati,
Et meritam pœnam luentes,
Vel admodum essent rari, vel prorsus desinerent.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Illa nō est ciuitas, cum leges in ea nihil valent, cum iudicia iacent cum mos occidit patrius. 4. *Paradox. Cic.*

Habemus ne vllum perniciosius ciuitati malum, quam quod eam diuidit, & ex vna plures facit? Ponamus item legem hanc custodibus, vt neque dissipent agros: neque igne leges absumant. *Plat. 5 dial. de rep.*

Ciuitas profecto, in qua ciues ad expetendos magistratus minime ambitiosi sunt, optime & procul à seditionibus permanet: contra vero, quæ aliter affectos habet ciues. *Idem in 7. dial. de iust.*

Neque poterit in ciuitate excellentes cuiquam conferre honores quia diuitijs præstet, aut quia velox, aut formosus: aut robustus sit, si virtute careat: sed neque etiam si virtutem aliam habeat quandam, temperantiam vero non habeat. At vero iustitia sine temperantia, originem habere nullam potest. *Idem 3. de legib.*

Nihil bono viro & quieto, bono ciui magis conuenit, quam abesse à ciuilibus controuersijs. *Ad Att. l. 9. epist.*

Prima

Prima ciuitas est Respub. legesque optimæ, vbi quam maxime per vniuersam ciuitatem priscum illud prouerbium locum habet, quo fertur, vere amicorum omnia esse communia. *ibid.*

Enimuero ea demum ciuitas felix nominanda est, nõ quæ ex promiscua hominum colluuie multos ciues temere colligit, sed quæ antiquissimas & primas familias maxime conseruare studet. Hi et viri in præclaris habendi sunt, non qui potiti imperijs sæuitiam in ciues exercent, aut maiores opes ac potẽtiam, quã par & æquum est, habent: sed qui maximis honorib. digni sunt, & illis tamen contenti viuunt, qui populi voluntate ipsis conferi gerunt. Nam tali authoritate nemo siue priuatus, siue magistratus, neque honestiorem, neque tutiorem, neque pretij maioris, aut magis expetendam suscipere queat. *Isocrates de pace.*

Communis est etiam societas quædam eorum, quorũ par est causa optimæ vitæ degendæ, quoad eius fieri poterit, gratia constituta. *Arist. l. 7. Polit. c. 8.*

Ciuis officium est considerare ciuitatem, tanquam animal vltimũ ex ciuibus, tanquam partibus, ac partem toti, non totum parti seruire debere: qñ. n. partis tantum commodum quæritur, vtriusque, tam partis, quam totius commodum prorsus amittitur: qñ vero totius quæritur bonum, bonum vtriusq. seruatur. Igitur meminisse debet ciuis, nihil siue boni siue mali, alicui ciuitatis membro posse contingere, quin propter connexionem quandam ad cætera membra pertineat: atq; totum nihil rursus ciuitatis corpori euenire posse, quin mox ad singula aĩalia huius membra pertineat. Nemo igitur in hac vrbana familia dicat Meum hoc, & illud tuum: oĩa. n. in hoc ingenti aĩali quodammodo communia sunt, sed dicat: Meum hoc & illud, non possessione quidem propria, sed affectu potius atque cura. Patriam quisque tanquam parentum parentem amet, & colat. Priuatus antiquis probatisque legibus obediat, tanquam Deo. Non. n. absque Deo huiusmodi leges constituuntur. Magistratus meminerit nõ aliter se legibus, quam priuatum magistratibus esse subiectum, intelligat se cum iudicat, iudicari, Platonis præceptum semper ante oculos habeat, vt non seipsum, sed ciuitatem: non partem ciuitatis aliquam, sed vniuersum respiciat. Sciat denique optimum in cœlesti patria huic seruari locum, qui terrenam patriã ad cœlestis exemplar pro viribus disposuerit: communi enim mundi regi nihil gratius, quam commune bonum. *Marsilius Ficinus lib. 1. epist. ad Petrum.*

Sic habetur omnibus qui patriam conseruauerint, adiuuerint, auxerint, certum esse in cœlo ad definitum locum, vbi beati æuo sempiterno fruantur. Nihil est enim principi illi Deo, qui omnem hunc mundum regit, quod quidem in terris fiat, acceptius quam consilia, cœtusque hominum iure sociati, quæ ciuitates appellantur. *Cicero de somnio Scipionis.*

Bonos ciues primum natura efficit, adiuuat deinde fortuna: omnibus enim bonis expedit saluam esse Rempublicam. *Cicero Philipp. 13.*

Bonorum ciuium est, intercludere omnes seditionum vias, munire præsidia Reipublicæ, summum in consulibus imperium, summum in senatu consilium putare: ea qui secutus sit, laude potius, quam pœna & supplicio dignum iudicari. *Pro C. Fabricio.*

Ego vero cum omnes orationes probo, quarum quantulacunque tandem vtilitas esse potest: tum vero pulcherrimas & legib. dignissimas & mihi maxime conuenientes iudico, quæ de honestis actionib. & gerendæ Reipub. ratione præcipiunt: atque inter illas ipsas excellere censeo, quæ & principes docent, quomodo sit tractanda multitudo: & homines priuatos quomodo erga Principes affecti esse debeant. Hæc enim quædam velut instrumenta esse video, vt vrbes & felicissimæ & amplissimæ fiãt. *Isocrates in Nicole orat. 3.*

Verba mea pro legib. habere, operamque date vt illis obtemperetis, scientes quod his, qui maxime voluntati meæ satisfacere studuerint, viuere licebit vt ipsi volũt. Caput vero est omnium quæ diximus. Quales existimatis vestros erga vos esse oportere, tales vos erga meum imperium esse debetis: Quæ si feceritis quorsum attinet multa dicere, quid inde sit euenturum? Nam si & ego me deinceps ita gessero, vt superiori tempore, & mihi vos eodem modo inseruieritis: quamprimum videbitis & vestras opes priuatim creuisse, & meum imperium auctum: & ciuitatem felicem esse factam. Operæpretium igitur est, tantis bonis propositis omnia facere, ac labores, & pericula quæuis perferre. Est autem in potestate vestra situm, vt sine vllo negotio, & malo, si fidi & saltem iusti fueritis, hæc omnia perficiatis. *Officium ciuium erga Reges ibid.*

At dicet aliquis, Ciues illi erant: Ego vero id nego, Quirites. At hic erant nati: quasi vero referat, vbi sit quisque natus, magis, quam quo animo se ac mente gerat. Ego potius ciues credam, Quirites, eos, qui in extrema Scythia nati, bene de hac cõmuni patria nostra cogitant, quam qui ad carinas aut ad pila Horatia, aut in hoc isto foro, vel ipso Capitolio genitus & educatus, locum, libertatem, gloriam, in qua natus est, per summum scelus perdere & velit, & conetur: ciues tu mihi putas eos, qui hanc suam esse ciuitatem ipsi non putant? *Ciues veri qui. Vines in 3 Declamatione Syllana.*

Ecquis omnium ignorat, felicitatem neque magnificis murorum structuris, neque ciuium numerosa multitudine vel quæri, vel contineri, sed sapientibus ac moderatis Reipublicæ gubernatoribus? Est enim anima ciuitatis, nihil aliud quam administratio illius, quæ non minores, quam in corpore anima: videlicet hæc est, quæ de omnibus consulit, simul conseruans profectum, simul nociuum deuitans. Hinc oportet & leges & oratores, & priuatos homines esse similes, & sic vnumquemque agere, prout illam sint actus: hac deprauata, nos nihil habemus pensi, nec solliciti sumus, quemadmodum redintegretur. *Isocrates in Areopagitica oratione, seu de veteri Atheniensium Republica.*

Qui periculum non timet, proposita inuidia, morte, qui nihilo segnius Rempublic. defendit, is vir vere, & ciuis putandus est. *Cicero pro Milone.*

Ciuis est is, qui patriam suam diligit, ac bonos omnes saluos, incolumesque desiderat. *In Verr.*

Ab omnibus huiusmodi ciuis laudandus ac diligendus est, qui nõ solum Reipublicæ ciuem improbum remouet, verumetiam se ipsum eiusmodi fore profitetur ac præstat, vt sibi non modo communi volũtate virtutis atque officij, sed etiam, vt quadam magis necessaria ratione, recte sit honesteq. viuendum. *5. Act. in Verr.*

Ciuem oportet æquo & pari cum ciuibus iure viuere, neque summissum & abiectum, neque sese efferentem: tum in Rep. ea velle, quæ tranquilla & honesta sint. *1. Off.*

Nihil viro bono & quieto & bono ciui magis conuenit, quam abesse à ciuilibus controuersijs. *Ad Attic. 9. lib. Epist.*

Ciuis non est habendus, si ciuile bellum concupiscit. *Philipp. 13.*

Ingratus est, iniustusque ciuis, qui armorum periculo liberatus animum tamen retinet armatum. *Pro Marc.*

Ciuem ab hoste non natura ac loco, sed animo factisque distinguimus. *Parad. 4.*

Hi & audaces & mali & perniciosi ciues putantur, qui incitant populi animos ad seditionem, aut qui largitione cæcant mentes imperitorum, aut qui fortes & claros viros, & bene de Rep. meritos in aliquam vocant inuidiam. Qui vero sceleratorum impetus & conatus represserunt, qui authoritate, qui fide, qui magnitudine animi consilijs audacium restiterunt, ij boni ciues semper habiti sunt. *Pro Sest.*

APOPHTHEGMATA.

Solon illam ciuitatem optime habitari dixit, in qua viros bonos honoribus affici: contra autem, improbos pœnis, mos fuerit.

Pythagoras dixit, primum luxuriam ciuitates ingredi, deinde saturitatem, postea contumeliam, postremo exitium.

Alphonsus Arragonum rex interrogatus quos è ciuibus haberet charissimos: Qui magis, inquit, pro me metuũt, quam me. Sentiens illos esse ex animo amicos, qui principem magis amant quam timent.

Antisthenes interrogatus, quomodo ad Remp. esset accedendum, respondit: Vt ad ignem, neque nimis prope, ne vraris: neq. longius, ne frigeas.

Solon rogatus, quomodo ciuitas in optimo statu degeret? dixit: Si ciues quidem magistratui obediant, magistratus autem legibus.

Demosthenes leges ciuitatis animam esse dixit. Vt enim exanime corpus procumbit, similiter ciuitas, si leges absint, non consistit.

Eusebius. In ciuitate studiosa felicitatis nunquam opes anteponi debent virtuti, ne hanc ob causam omnibus diuitiarum desiderio captis, contemptus & neglectio virtutis innascatur animis in Rep.

Ciuitatis decus custoditur & conseruatur, cum magistratus reuerentia & honores debiti integrique manent.

Lycurgus cuidam percontanti, cur Sparta mœnibus non cingeretur? ostendit ciues armatos: Hi, inquit, sunt Spartanæ ciuitatis muri. Significans Respubl. nullo munimento tutiores esse, quã virtute ciuium.

Cum alius illi cuiusdam ciuitatis muros tutos admodum ostendisset, rogauit, num pulchri viderentur? respondit Lycurgus, Pulchri per Iouem, sed mulierum causa, non virorum extructi sunt. Sentiens non alijs mœnibus muniendam esse ciuitatem, quam ciuibus strenuis.

Dicente quodam apud Theopompum ideo seruari Rempub. Spartanam, quod Reges scirent imperare: Imo, inquit, potius quod ciues, sciant parere. Multum enim habet momenti principis integritas: sed multo plus ciuium recta institutio, & obsequium.

Panthoidas legatus in Asiam missus, ostendentibus murum probe munitum, Per Deos, inquit, bellum conclaue mulierum.

SPI-

Similitudines.

Epictetus. quemadmodum faces in portu sublatæ, magna flamma in paucis cremijs excitata, nauibus per mare errabundis multum auxilij ferũt: sic & vir egregius in ciuitate periclitante paucis rebus contẽtus, magnis beneficijs ciues afficit. Zaleucus Locrensium legislator, leges aiebat aranearum telis similes esse. Nam si musca aut culex inciderit, retinetur: si vero vespa aut apes, disrupta tela aduolant: ita se res habet in legibus.

Nobilis, animosus, placitus, & ciuilis iuuenis, considerat domum vitamque perfectam consistere non aliter posse, quam cum vxore & liberis: secus enim mutila foret, quemadmodum ciuitas non illa modo quæ mulieribus solis, sed etiam quę viris solis cõstat: imperfecta est. Certe vt greges & armenta vtcumque pinguia & læta sine fœtoris pulchra non sunt: sic neque ciuitas & familia, idque minus.

Diogenesius. quemadmodum Deus ad mundum, ita se rex ad ciuitatem habet, & vt ciuitas ad mundum, ita rex ad Deum, Ciuitas enim ex diuersis multisque concinnata, mundi structuram, & harmoniam imitatur: Rex autem imperium gerens nulli obnoxium, & lex viua existens, Dei figuram repræsentat inter homines.

Quemadmodum nauis in medio pelago die noctéque custodibus indiget: ita quoque ciuitas in medio aliarum ciuitatum fluctu posita, varijs subiecta seditionibus, ac semper captiuitatis periculo proxima, perpetua eget custodia. *Plat. 3. de leg.*

Scriptores.

De ciuilibus præceptus *Plutarchi* liber extat, quem transtulit *Nicolaus Saguntinus.* De Regimine ciuitatis *Franciscus Lucius.* De ciuitatis recta institutione, Reip. tranquillitate & gloria seruanda, cum Lugdunensis ciuitatis laudibus. *Ioan. Ravnerius.* De vrbibus conditis *T. Lucretius lib. 5.* ciuitates, *in Anthol. Græcorum Epigrammatum l. 1. Tit. 70.* Epithaphia ciuitatum, *ibid. lib. 3. Tit. 27.* ciuitatum imagines, *ibidem l. 4. tit. 27.* Qui primi condiderint oppidum, muros, turres. *Polyd. Vergil. lib. 3. c. 9.* Ciuis institutio non vulgaris, *apud Marsil. Ficin. 6. 59.* Vide, *eundem l. 1. c. 77. & l. 3. c. 11* ciues qui secundum legem Periclis, *Ælian. in var. Histor. Græc.*

Vide, Respublica.

CIVILITAS MORVM.

Sententiæ Poetici.

Ouid. l. 1. de Arte Am.

Munditiæ placeant, fuscentur corpora campo:
Sit bene conueniens, & sine labe toga.
Linguaq; nec rigeat, careant rubigine dentes.
Nec vagus in laxa pes tibi pelle natet.
Quid si præcipiam, ne fuscet inertia dentes,
Oraq; suscepta mane lauentur aqua:
Nec male deformet rigidos tonsura capillos.
Sit coma, sit docta barba resecta manu.
Et nihil emineant & sint sine sordibus vngues.
Inq; caua nullus stet tibi nare pilus.
Nec male odorati sit tristis anhelitus oris.
Nec lædat nares virq; paterq; gregis.
Sint modici risus, paruæq; vtrinq; lacunæ,
Et summos dentes ima labella tegant.
Nec sua perpetuo contendant ilia risu,
Sed leue nescio quid fœmineumq; sonet.
Est & in incessu pars non temnenda decoris:
Allicit ignotos illa fugatq; viros.
Carpe cibos digitis, est certus gestus edendi.
Ora nec immunda tota perunge manu.
Neue domi præsume dapes, sed desine citra,
Quam cupias, paulo quam potes esse minus.
Ne coram mistas ceruæ sumpsisse medullas,
Nec coram dentes perfricuisse probem.
Ista dabunt faciem, sed erunt deformia visu.
Multaq; dum fiunt turpia facta placent;
Certa tibi à nobis dabitur mensura bibendi:
Officium præstent mensq; pedesq; suum.
Iurgia præcipue vino stimulata caueto,
Et nimium faciles ad fera bella manus.
Occidit Eurytion stulte data vina bibendo,
Aptior est dulci mensa merumq; ioco.
Parua monere pudet, talorum dicere iactus.
Vt scias, & vires tessera missa tuas.
Tunc sumus incauti, studioq; aperimur ipso,
Nudaq; per lusus pectora nostra patent.
Ira subit deforme malum, lucriq; cupido,
Iurgiaq; & rixa sollicitusq; dolor.
Crimina dicuntur, resonat clamoribus æther:
Inuocat iratos & sibi quisq; deos.
Pertinet ad faciem rabidos compescere mores.
Candida pax homines trux decet ira feras:
Ora tument ira, nigrescunt sanguine venæ,
Lumina Gorgoneo sæuius angue micant.
Odimus immodicos (experto credite) fastus.
Sæpe tacens odij fœmina multa habet.
Spectantem specta, ridenti mollia ride:
Innuat, acceptas tu quoq; redde notas.
Rara tamen menda facies caret: occule mendas.
Quodq; potes, vitium corporis adde tui.

Plaut. in Pœn.

Liberos homines per vrbem modico magis par est gradu
Ire: seruile esse duco festinantem currere.
Risu inepto res ineptior nulla est.

De hac materia porro habes, vbi Societas, infra.

Apophthegmata.

Pericles. Ariphroni volenti publico præconio quæri Alcibiadem, qui adolescens clam domo egressus ad amicum Democratem se contulerat, obstitit, dicens: Si forte nobis inscijs perijt, præconio nil aliud agetur, quam vt vno tantum die citius manifestum fiat, illum interijsse: Sin saluus, nec per oẽm quidem vitam saluus esse poterit. Ciuiliter elusit Pericles adolescentis infamiam, quam nunquam potuisset eluere. *Plut. in Græc. apoph.*

Æschines cum Rhodi recitasset orationem suam cõtra Demosthenẽ, Rhodij demirati fuerũt, qđ tali orõne defendi nõ potuisset. At desineretis admirari, inquit Aeschines, si audissetis, quæ ad hæc respondit Demosthenes. Mira ciuilitate se exemit à crimine, & iudices excusauit, dãnationis iniustæ causam reijciens in orationem Demosthenicam. *P. M. lib. 8. apoph.*

Aristoteles cum iam natus annos 62 adeo laboraret, vt nulla plane spes vitæ superesset, conuenerunt ad eum discipuli, rogantes vt ex ipsis successorem eligeret. Erant autem duo inter auditores præcipui, Theophrastus Lesbius, & Menedemus Rhodius. Iussit igitur Arist. vinum exoticum sibi Rhodium s. & Lesbium adferri, vt extremum biberet Vale, & gustato vino primũ Rhodio, dixit, Firmum hercle vinum, & iucundum. Mox gustato Lesbio, Vtrumque, inquit, egregie bonum, sed Lesbium suauius est. Id vbi dixit, nulli dubium fuit, quin ciuiliter Theophrastũ Lesbium successorem sibi fecerit. *Laert. lib. 5. c. 1.*

Alexander in hyeme quum duceret exercitum assidens igni, recognoscere prætereuntes copias cœpit. Cumque videret militẽ quendam horrentem frigore, & ad ignem stantem, considere loco suo iussit, dicens: Si in Perside natus esses, in regia sella sedere tibi capitale foret, in Macedonia nato cõceditur. *Quint. Curtius.*

Archelaus. Euripides quũ in conuiuio Agathonem deoscularetur, Archelaus amicis dixit, Ne miremini: nam pulchrorum etiam autumnus pulcher est. Ciuiliter excusauit amicum apud amicos. *lib. 5. apoph.*

Eudamidas die quodam cum Xenocrates argumentum quod tractabat, differendo absoluisse, iamque finem dicendi fecisset, superuenit Eudamidas, cui cum comitum quispiam dixisset, Posteaquam nos adsumus, tum ille desijt dicere, Recte, inquit, si quidem ea dixit quæ voluit, rursus altero dicente: Bonũ erat audire, putans fore vt sua causa iubere Xenocratem eadem de integro differere: Quid, inquit Eudamidas, si venissemus ad te iã cęnatũ, num postularemus vt cęnares iterum? ciuilitas erat, quod philosophum ad iterandam disputationem perpellere noluit, quod ea res nõ caruisset tædio dicentis Laconicæ virtutis erat, quod magis admirabatur præclara facinora designantes, quam de virtute differentes. *Plut. in Lacon.*

Alexander Maced. cum e Macedonum numero ad mare remitteret valetudinarios, mutilos & debiles, productus est quidam qui se ægrotare finxerat. Is cum ad Regem duceretur, vt ostenderet, cuius rei gratia morbum simulasset: fassus est, hoc factum esse ob amorem Telesippæ, quæ ad mare fuerat profecta. Verum cum sciret eam virginem esse liberam, ait: persuadeamus Telesippæ, vt ad nos veniat sua sponte, nam manus liberę virgini admouere nequaquam decet. Et sic ciuiliter indulsit amori strenui militis, quem in exercitu retinere cupiebat: & ingenuam tamen virginem non vi adegit vt adesset sponso futuro. *Plut. in apopht.*

Cato. multis Publij Scipionis ingratitudinem incusantibus, quod Catoni de se optime merito opposuisset competitorem: Cato sic excusauit: dicens minime mirandum, si quod quis maximum bonum duceret, id alteri nollet concedere. *Plut. in Cato.*

Augustus Cæs. cum nulli fere, ad conuiuium inuitanti suum denegaret officium, exceptus a quodam cœna perparca, ac pene

quoti-

quotidiana, cum à conuiuatore dimitteretur, hoc illi tantum insusurrauit: Non putabam me tibi tam familiarem esse. Alius tam ieiunum apparatum contumeliam fuisset interpretatus, ille ciuiliter etiam pudori consuluit inuitatoris familiaritati tribuens, idque in aurem, ne cæteri putarent exprobatam parsimoniam. *Plutar. in apoph.*

CLAMOR.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Clamor, Græce, βοή, dicitur, & βοάω, clamo. Est autem clamor filia iræ, qua quis clamat contra aliquem confuse & inordinate, aut fuhinse loquens. *secundum B. Thom. 2. 2. quæstio. 158. artic. 7.*

Estque clamor proprie clamorum sonus, quasi calamor. Arundines enim vento agitatæ, magnum emittunt sonum. Inde clamantem dicimus eum, qui vociferando obstrepit.

LOCI BIBLICI.

Clamor damnatur, *Ephes. 4. 31.* clamor peccatorum: Sodomitarũ, *Gen. 18. 20 & 19. 13.* Philisthinorum, *1 Sam. 5. 12.* Mercenariorũ *Deut. 24. 15. Iac. 5. 4.* Sanguinis Abel. *Gen. 4. 10. Heb. 12. 24.*

ADAGIA.

Clamosior lauro ardente. *Μείζονα βοῶ δάφνης χλωρᾶς καιομένης. Diogene.*

Vsurpabitur in clamatores & garrulos.

Vsque ad raucum. *ἄχρι κόρου.*

Id est: Vsque ad satietatem. In eos, qui molesto clamore subinde remonendum inculcant.

Apertis tibijs.

De ijs qui clariore voce aliquid proferunt: Metaphora ducta est a tibicinibus, qui apertis tibiarum foraminibus acriore sono canunt.

Septem conuiuium, nouem conuitium.

Eleganti hac ob παρονομασίαν sententia significatum est, in conuiuium paucos adhibendos, alioqui fore tumultuosum & insanum.

Claudiana tonitrua.

Dicitur in homines immodice clamosos & odiose obstreperos.

Cyclobori vox. Κυκλοβόρου φωνή.

De clamosis & vehementer obstreperis, aut quibus vox est rauca & vitiosa.

Sarpedonium littus. Σαρπηδονία ἀκτή.

De re turbulenta: aut vehementer clamosis, recte dicimus.

Stentore clamosior. *Iuuen.*

Vt Stentorem vincere possis: De Stentore vide Hom. Iliad. ε Vbi ferream illi vocem attribuit Poeta. Iactabitur etiam in vehementer clamosos & vociferantes.

Abydenaillatio. Ἀβυδηνὸν ἐπιφόρημα. *Zenodoti.*

Solitum dici, ubi quis obstrepit aut contra intérim, aut aliud quippiam agentibus: & eu nullam molestiam affert. Huc referri quoque commode posse videntur duo loci prouerbiales Homeri. Alter Iliad. ξ in interloquendum aut disputandum ingentem vociferationem inducabimus.

> Ὅσσον τ' ἐννεάχιλοι ἐπίαχον ἢ δεκάχιλοι
> Ἀνέρες ἐν πολέμῳ ἔριδα ξυνάγοντες Ἄρηος. idest.
> *Tantum vociferans, quantum nouies decies ve*
> *Mille viri clamare solent, qui prælia miscent.*

Alter ex Odyss. A. Quo iubebimus conuiuio colloquiorum temperatum vociferatione.

> Νῦν μὲν δαινύμενοι τερπώμεθα, μηδὲ βοητὺς
> Ἔστω. id est.
> *Nunc hilares cœnemus, & omnis clamor absit.*

Columna rumpere.

In clamosos & improbe loquaces.

Calamoboas καλαμοβόας.

In eos qui non lingua quidem & ore clamitant: sed stylo & scriptis maledictis tumultuantur, et quasi vociferantur: ut Antipater ille Stoicus, qui Carneadi contradicebat editis aliquot libris maledicis & ineptis, unde, καλαμοβόας quasi calamo vociferans, appellatus est.

Λαρυγγίζειν.

Dicuntur Græci, qui non loquuntur naturali modo, sed gutture dilatato, effundunt immanem vocem.

Vide, Auditus, Vox, Silentium.

CLAVDICATIO.

APOPHTEGMATA.

Demonax in Ruffinum quendam claudum, multo tempore familiarem Peripateticis, dixit, nihil esse turpius Peripateti-
eo claudo. Allusit huc, quod Peripatetici dicuntur ab inambulatione, quæ non conuenit claudo. *P. M. in apoph.*

Androclidas claudicans, cum se in ordinem bellantium coniecisset male audiuit à quibusdam, quod pede læsus in aciẽ proruisset, pugnaturus contra sanos ac agiles, respondit: Non fugientem sed manentem cum hostibus pugnare oportet. Quod vitio dabatur, ad animi fortitudinem retorsit. *Plut. in Lacon.*

Anonymus alius, Lacon claudus ad bellum proficiscens, cum ab alijs militibus derideretur: Non opus est, inquit, fugientibus, sed qui subsistant, & ictus hostium fortiter propellant. *Plutarc. in Lacon.*

Lacena quædam filium claudum in aciem proficiscentem: Fili, inquit, fac vt singulo quoq; gradu virtutis memineris. Alijs claudicationis vitium solet formidinem incutere. Ad hæc monuit, vt ex ipso vitio sumeret animos ad rem fortiter gerendam, ita cogitans, nihil esse in fuga præsidij claudo, aut vincendum, aut moriendum est. *Plut. in apoph. Laconarum.*

Antianira Amazonum regina demirantibus, quod nupsisset viro claudo, satis cynice respondit, *ἄριστα χωλὸς οἰφεῖ*: idest, claudus optime virum agit. Sensit maritum adhibendum non oboculorum oblectamenta, sed ad vsum coniugij. Feruntur autẽ claudi salaciores esse cæteris, & ob id ad gignendam prolem magis accommodi. *P. M. lib. 8. apoph.*

Alexander. Philippus à Triballis in prælio vulneratus est, femore lancea traiecto, iamque opera chirurgi liberatus periculo mortis, dolebat claudicationis deformitatem contractam manere. Cui Alexander: Ne verearis, inquit, in publicum prodire: sed gradum mouens, virtutis tuæ potius memineris. *Plutarch. in vita Alex.*

Anonymus de Caluino Glaucia claudicante dixit: Non claudicat, sed clodicat. Veteres clodium dixere pro claudio. Hinc iocus in eum qui clodio fauebat. *P. M. lib. 6. apoph.*

Caruilij mater. Spurio Caruilio grauiter claudicanti, ex vulnere ob Remp. accepto, & ob claudicationis vitium in publicũ prodire verecundanti, mater dixit: Quin prodis, mi Spuri, & quotiescunque gradum facis, toties tibi tuarum virtutum veniat in mentem. *P. M. in apoph.*

Seuerus Imper. cum ob claudicationem prodagra laborans, ad imperium inutilis iudicaretur, contemptores suos in ius vocauit, atque capite damnauit, qui cũ veniam delicti à Cæsare petijssent, Non feci vobis iniuriam, inquit, lata sententia. Nunc enim sentietis, non pedes, sed caput imperare in homines sceleratos. *Dion. Nicæus. & Xiphilinus in vita Seueri.*

CLEMENTIA.

DEFINIT. ET ETYMOLOG.

Clementia, Græce ἀνεξικακία, ας, ἡ, & ἀνεξίκακος, ὁ, ὁ, clemẽs. Et est, per quam animus temere in odium alicuius concitatus, comitate retinetur. & est pars temperantiæ. *secundum Cic. in Rhetor.*

Clementia & lenitas superioris aduersus inferiorem in constituendis pœnis. *secund. Senecam lib. de clementia.*

Clementia est animi temperantia in constituendis pœnis.

Clementia est virtus moderatiua pęnarum secundum legem. *secundum B. Thom. 2. 2. q. 158. art. 1.*

Clementia est lenitas superioris ad inferiorẽ: sed mansuetudo est cuiuslibet ad quemlibet. *secundum B. Thom. secunda Secunda. q. 175.*

Clementia est virtus humana, ideo ei directe opponitur crudelitas: non autem feritas, aut seueritas sub bestialitate, sed virtuti heroicæ, vel dono pietatis, *secundum eund. 2. 2. q. 159. art. 2*

Clemens dicitur a claritate mentis.

Clementia & mansuetudo conueniunt cum temperantia in modo, non autem in materia. *B. Tho. 2. 2. q. 157. art. 3.*

Clementia differt ab ἐπιεικείᾳ, quod clementia moderatur affectũ in pœnis infligendis secundum legem communem ex dulcedine affectus. Sed ἐπιείκεια, secundum intentionem legis *B. Tho. secunda secundæ, q. 157. art. 2.*

PATRVM SENTENTIAE.

Nulla de virtutibus sic solet sapientiam parere, vt clementia. *Basil. apud Anto.*

Clemẽtia egeo, qua euertitur princeps huius seculi diabolus: *Ignatius ibid.*

Exemplum omnium summæ clementiæ ipsum habemus omnium seruatorem Christum, quem pone sequi debemus, & alij aliorum iniurias necessario ferre, nam de illo scriptum est, cum cõtumelia vexaretur, non vicissim contumelia & conuitio affecisset, dum pateretur, non minitatum, sed ei qui iuste iudicat, causam commisisse. *Cyrill. ibid.*

Paratus esse debet homo iustus & pius, patienter eorum malitiam

fulti·

ſuſtinere, quos fieri bonos optat: vt potius numerus creſcat bonorum, non vt pari malitia ſe quiſque numero addat malorum. *Aug. in ſerm. de puero Centur.*

Primum iuſtitiæ officium eſt coniungi cum Deo. Secundum cum homine. Sed illud primum religio dicitur, hoc ſecundum miſericordia vel humanitas nominatur, quæ virtus propria eſt iuſtorum & cultorum Dei: quod ea ſola vitæ communis in ſe continet rationem. *Lactant. lib. 6.*

Clemẽs dicitur animus, quãdo eſt tener ad compatiendũm, facilis ad remittendum, promptus ad ſubueniendum. *Hugo de S. Vict.*

Summum igitur inter ſe hominum vinculum eſt humanitas: quod qui diſrumperit, nefarius & parricida exiſtimandus eſt. Nam ſi ab vno homine, quem Deus finxit, omnes ſumus oriundi, certe conſanguinei ſumus: & ideo maxime ſcelus putandum eſt, odiſſe hominem vel nocentem. Propterea Deus præcipit inimicitias per nos nunquam faciendas, ſed ſemper eſſe tollẽdas: vt ſcilicet eos, qui ſint nobis inimici, neceſſitudinis admonitos mitigemus. Itẽ, ſi ab vno Deo inſpirati omnes & animati ſumus, quid aliud quã fratres ſumus? & quidem coniunctiores ſumus animis, quam corporibus. Itaque non errat Lucretius poeta vetuſtiſſimus, cum dicit,

Denique cœleſti ſumus omnes ſemine oriundi:
Omnibus ille idem pater eſt.

Ergo pro belluis immanibus ſunt habendi, qui homini nocent, qui contra ius humanitatis, & fas omne, ſpoliant, cruciant, occidũt, exterminant. Ob hanc neceſſitudinem germanitatis docet nos Deus, mala nunquam facere, bonum autem ſemper. Id autem ipſum benefacere, quid ſit, idem ipſe præſcribit: Præſtare auxilium depreſſis, & laborantibus, impartiri victum non habentibus. Deus enim quoniam pius eſt, animal nos voluit eſſe ſociale. Itaque in alijs hominibus nos ipſos cogitare debemus. Non meremur in periculo liberari, ſi non ſuccurrimus: non meremur auxilium, ſi negamus. Nam qui ſe a præſtando auxilio remouet, ẽt ab accipiendo ſe remoueat neceſſe eſt. Quia nullus ope indigere ſe putat, qui alteri ſuam denegat. Retinendum igitur eſt omnino vinculum ſocietatis humanæ: quia homo ſine homine nullo modo poterit viuere. Retentio autem ſocietatis eſt communitas, id eſt, auxilium præſtare, vt poſſimus accipere. Si vero, vt aliqui diſputant, humanitatis ipſius cauſa eſt hominum congregatio, homo certe hominem debet agnoſcere. Quod ſi fecerunt illi rudes in primæua ætate nondum conſtituta loquendi ratione, quid putemus, hominibus expolitis ſermone, omniumque rerum commercio inter ſe copulatis eſſe faciendum, qui aſſueti hominibus ſolitudinem ferre non poſſunt? Conſeruanda eſt igitur humanitas, ſi homines recte dici velimus. Id autem ipſum conſeruare, quid aliud eſt, quam diligere hominem, quia homo ſit, & idem quod nos ſumus? Diſcordia igitur & diſſenſio non ſecundum hominis rationem eſt. Verumque eſt illud Ciceronis, quod ait, Hominem naturæ obedientem, homini nocere non poſſe: ergo ſi nocere homini, contra naturam eſt, prodeſſe igitur homini, ſecundum naturam ſit, neceſſe eſt. Quod qui non facit, hominis ſe appellatione diſpoliat: qua humanitatis officium eſt, neceſſitati hominis ac periculo ſubuenire. Atque huius operis & officij merces a Deo expetenda ſolo. Nam ſi ab homine expetes, iam non humanitas erit illa, ſed beneficij fœneratio: nec poteſt videri bene meruiſſe, qui, quod fecit, non alteri, ſed ſibi præſtet. Nam & ipſe Deus præcepit hoc, vt ſi quando cœnã parauerimus, in conuictum eos adhibeamus, qui nos reuocare non poſſunt, & vicem reddere: vt omnis actus vitæ noſtræ non careat miſericordiæ munere. Recte, inquit Cicero, a Theophraſto eſt laudata hoſpitalitas. Eſt enim, vt mihi quidem videtur, valde decorum, patere domos hominum illuſtrium hoſpitibus illuſtribus. *Lactant. lib. 6. Diuin. inſtit.*

SENTENTIAE POETICAE.

Seneca in Hercule furente.

Quiſquis eſt placide potens,
Dominuſque vitæ, ſeruat innocuas manus,
Et incruentum mitis imperium regit,
Animoque parcit, longa permenſus diu
Felicis æui ſpatia, vel cœlum petit,
Vel læta felix nemoris Elyſij loca.

Sophocles in Tyro.

Οὐ τῶν κακούργων οἶκτος, ἀλλὰ τῆς δίκης.
Miſeri oportet iuſtorum, non improborum.

Euripides in Auge.

Οὐ τῶν κακούργων οἶκτος, ἀλλὰ τῆς δίκης.
Ἔστι τὸ καλὸν τὴν κάκην κολάζειν.
Miſericordia digni ſunt non malefici, ſed probi homines,
Malos homines caſtigare bonum eſt.

Idem in Scirone.

Ἡν τῦν ὁ τοῖς χρηστοῖς καλουμένη.
Μεθῆκε τὸν ὅλον εἰς ἀνοίας βίον.
Οὐδεὶς γὰρ ἀδικῶν τυγχάνει τιμωρίας.
Quæ nunc a quibuſdam benignitas nominatur,
Vitam omnem remiſit ad improbitatem?
Nullus enim iniuriam faciens, pœnam luit.

Iuuenalis Sat. 15.

Separat hæc nos
A grege mutorum, atque ideo venerabile ſoli
Sortiti ingenium, diuinorumque capaces,
Atque exercendis capiendiſque artibus apti
Senſum a cœleſti demiſſum traximus arce,
Cuius egent prona & terram ſpectantia mundi.
Principio indulſit communis conditor illis
Tantum animas, nobis animum quoque, mutuus vt nos
Affectus petere auxilium, & præſtare iuberet.

Claudianus.

Sis pius imprimis. Nam cum vincamur ab omni
Munere, ſola deos æquat clementia nobis.
Nec tibi quid liceat, ſed quid feciſſe decebit,
Occurrat, mentemque domet reſpectus honeſti.

Claud. in Conſul. Manlij Theod.

Si iactent alij ſtudeant fortaſſe timeri,
Abductaque hominum cumulent æraria cenſu.
Lene fluit Nilus, ſed cunctis amnibus extat
Vtilior nullas confeſſus murmure vires.
Acrior at rapidus tacitas prætermeat ingens
Danubius ripas, eadem Clementia ſani
Gurgitis, immenſum deducit in oſtia Gangem.

Idem lib. 2.

Hæc & amicitias longo poſt tempore firmas,
Manſuraque adamante ligas nec mobile mutas
Ingenium paruo ſtrepitu, nec vincula noxa
Diſſolui patitur nec faſtidire priorem.
Allicitur veniente nouo, benefacta tenere,
Reſpuere offenſas facilis, pariterque mineruæ
Officijs magnique memor ſuperare laborat,
Vtque hoſtes armis, meritis ſic vincit amicos.
Hac foues abſentes, hac longe ſola remotos
Conſulis, hac nulli ſed auidam rumoribus aurem
Pandis vt ignauum vnquam leſura clientem
Inſidioſa tuos alienent murmura ſenſus.

Ouid. l. 2. de Art.

Flectitur obſequio curuatus ab arbore ramus,
Frangos, ſi vires experiere tuas.
Obſequium tigreſque domat timidoſque leones:
Ruſtica paulatim taurus aratra ſubit.

Claud. lib. 2.

Huic diuæ germana fides, eademque ſororis
Corde tuo delubra tenent ſeſe omnibus actis
Inſerit.
Hæc docuit nullo lituſ ſcire fucos.
Nunquam falſa loqui, nunquam promiſſa morari.

Terent. Comœdia 4.

Re ipſa reperi
Facilitate nihil eſſe homini melius atque clementia.

Ouid. Triſt. l. 3. Eleg. 5.

Quo quiſque eſt maior, magis eſt placabilis iræ,
Et faciles motus mens generoſa capit.
Corpora magnanimo ſatis eſt proſtraſſe leoni,
Pugna ſuum finem, cum iacet hoſtis, habet.
At lupus, & turpes inſtant morientibus vrſi,
Et quæcunque minor nobilitate fera eſt.

Ouid. de Ponto lib. 2. Eleg. 9.

Regia (crede mihi) res eſt, ſuccurrere lapſis.
Conuenit & tanto, quantus es ipſe, viro.

Ouid. ibidem, & paulo poſt.

Hoc tecum commune deis quod vtrique rogati
Supplicibus veſtris ferre ſoletis opem.

Ibidem.

Nam quid erit, quare ſolito dignemur honore
Numina ſi demas velle iuuare deos?
Iupiter oranti ſurdas ſi præbeat aures,
Victima pro templo cur cadet icta Iouis?
Si pacem nullam Pontus mihi præſtet eunti,
Irrita Neptuno cur ego thura feram?
Vana laborantis ſi fiant vota coloni,
Accipiat grauidæ cur ſuis exta Ceres?
Nec dabit intonſo iugulum caper hoſtia Baccho,
Muſta ſub inducto ſi pede nulla fluant.
Vtilitas igitur magnos homineſque deoſque
Efficit auxilijs quoque fauente ſuis.

Ouid. epiſt. Medeæ ad Iaſonem.

Pendere poſſe ſat eſt, ſi quem iuuat ipſa poteſtas.

Iuuenal. Satyr. penult.

Molliſſima corda
Humano generi dare ſe natura fatetur.

Quae lachrymas dedit, haec nostri pars optima sensus,
Plorare ergo iubet causam lugentis amici,
Squaloremque rei pupillum ad iura vocantem
Circumscriptorem, cuius manantia fletu
Ora puellares faciunt incerta capilli.
Naturae imperio gemimus, cum funus adultae
Virginis occurrit, vel terra clauditur infans.

Claud. in laudes Stiliconis panegy. 3.

Principio magni custos Clementia mundi,
Quae Iovis incoluit zonam, quae temperat aethram
Frigoris & flammae mediam, quae maxima natu
Caelicolum, nam prima chaos Clementia soluit,
Congeriem miserata rudem, vultuque sereno
Discussis tenebris in lucem saecula fudit,
Hanc Dea pro templis & thure calentibus aris
Te fruitur, posuitque suas hoc pectore sedes.
Haec docet ut poenis hominum vel sanguine pasci
Turpe ferum, purgetque ferrum Marte cruentum
Sic cum pace premas, ut non tua fascia laedas
Materiam praestet odiis, ut fontibus ira
Ignoscitque actis, deponat et ipsa iram,
Quam moneas, precibus nunquam implacabilis obstes,
Ora prostratas proiectaque more leonum
Defunctas alteros ardens cum sternere tauros,
Transiliunt praedas humiles, haec iste magistra
Dat veniam victis, haec exhortante calores
Horrificos, & quo nunquam nocitura tenentur
Ingrato tonitus solo terrore coruscos,
Aetheris Patris exemplo quae cuncta sonoro
Concutiens tonitru Cyclopum spicula defert
Insontes, & monstra maris, nollet quae nocentes
Parcat, in Oethaeos exercet fulmina fontes.

Ouid. 2. de Ponto ad Cotim.

Clementia hominum est, hominem servare voluptas;
Et melior nulla quaeritur arte favor.

Idem lib. 3. de Ponto, ad Amic. innominatum.

Crede mihi, miseris caelestia numina parcunt,
Nec semper laesos, & sine fine premunt.
Principe nec nostro Deus est moderatior ullus.
Iustitia vires temperat ille suas.

Seneca in Octauia.

Magnum timoris remedium est Clementia.

Ibidem Senec. loquitur.

Pulcherrimum est eminere inter illustres viros,
Consulere patriae, parcere afflictis, fera
Caede abstinere, tempus atque irae dare,
Orbi quietem, saeculo pacem suae.
Haec summa virtus, petitur hac caelum via.
Sic ille patriae primus Augustus parens
Complexus astra est, colitur & templis Deus.

Ouid. l. 2. de Art. Amandi.

Dextera praecipue capit indulgentia mentes,
Asperitas odium saevaque bella movet.
Odimus accipitrem quia vivit semper in armis,
Et pavidum solitos in pecus ire lupos.
At caret insidiis hominum quia mitis hirundo est,
Quasque colat turres Chaonis ales habet.
Este procul lites, & amarae praelia linguae,
Dulcibus est verbis mollis alendus amor.

B. Mantuanus de fortuna Gonzagae Marchionis Mantuae.

O divinum hominem: quis te laudaverit unquam,
Ut tua laudari debet Clementia? certe
Illud opus caeli, se fuit te gloria facti
Non moritura tui: facinus non abiit illud.
Dum riga perpetuo lucebunt sidera caelo:
Per genus omne hominum tu vera exempla dedisti
Regibus, ut memores vivant pietatis, & aequi.
Sic quoque Pompeius quondam Tigrane subacto
Mente agitans, quod sit subito descendere regem,
Qui solitus dominari aliis mox aliibus, ima
Usque ad victoris cultu vestigia prono
Condoluit, mentem pietas cito mitigat altam,
Vel animo illa est pietas crudescere tanto.
Amplius ... victos infulgat atrox.
At Deus ad ... pronus placabilis ita est.
Regna igitur sua reddidit, regalia verba
Adiciens regali operi: nam talia fatus:
Res praeclara quidem reges depellere regno,
Nos praeclara magis regnum dare, dignus ista
Voce nihil, fallo ni magnificentius iste.

SENTENTIAE PHILOSOPHICAE.

Eum qui modum in ira tenet, clementem: & mediocritatem, clementiam mansuetudinemque nominamus. *l. 2. Ethic. c. 7.*

Mansuetudo est interstes mediaque iracundiae & irae vacuitatis. *l. 1. Magnor. Moral. c. 22.*

Vult clemens omni animi vacare perturbatione, non à perturbatione rapi & distrahi. *l. 4. Ethic. c. 5.*

Is quidem qui quibus de rebus, quibusque hominibus decet, irascitur, quique id facit, quemadmodum, quando & quamdiu decet, laudibus afficitur: quem eundem clementem & mansuetum appellare licet. Siquidem in laude clementia est. *ibid.*

Irasci & mansuetum esse contraria sunt, & ira mansuetudini contrarium. *l. 2. Rhetor. ad Theod. c. 3.*

Sit mansuetudo depressio irae atque sedatio. Si ergo contemnentib. irascuntur, contemptusq. voluntarius est: manifestum est ijs qui nihil horum faciunt, aut inuiti faciunt, aut huiusmodi videntur mansuetos esse ac mites, & ijs qui contra vellent, quam fecerint: & omnib. qui in seipsos etiam huiusmodi sunt: cum nemo seipsum contemnere videatur: & ijs quos poenitet, & fatentur. *ibidem.*

In ira exuperantia est, defectio & mediocritas: cumque eorum non fere extent nomina, eum, qui modum tenet, clementem, & mediocritatem, clementiam, mansuetudinemque nominamus. Extremorum is, qui vltra modum progreditur, iracundus, & vitium, lenitudo dicitur. *Arist. l. 2. Ethic. lib.*

Mansuetudo seu clemētia, mediocritas quaedam irae, sed quoniam medium vacat nomine, ac fere etiam extrema: ad medium clementiam retulimus, quae ad id, quod parum est, deflectit, quod nomine vacet.

Exuperantia aūt iracundia appellatur, ira. n. ipsa perturbatio est, quae ex multis rebus, variisq. gignitur. Atque is quidem qui quibus de rebus, quibusque hominib. decet, irascitur: quippe id facit, quemadmodum, quando, & quamdiu decet, is laudib. afficitur: quem eundem & clementem, & mansuetum appellare licet. Siquidem in laude clementia est, vult. n. clemens omni animi vacare perturbatione, non à perturbatione rapi, & distrahi, quin etiam vt ratio praescripserit, sic & his de causis, & tam diu vult succensere. Peccare aūt in eam partem videtur, qui modū deserit: neque. n. vlcisci cupit clemēs, sed ignoscere: at vero defectio siue lentitudo, siue alio quouis nomine appellare licet, est in vitio. Qui. n. nunus succensent ob eas causas, ob quas decet succensere, ij stulti videntur, & qui non quo modo, quando quibus irascendum est: sunt. n. omni sensu doloris expertes, qui irasci nequeunt, nec propulsant iniuriam. Atqui contumeliam & conuitia aequo animo ferre, ac in suis negligere, seruorum simile est. Conueniunt clementia & mansuetudo cum temperantia in modo, non autem in materia. Graecis dicta clementia, ἀνεξικακία, Mansuetudo πραότης, *Idem lib 4 Ethic.*

Clementia est, quae alieno sanguini tanquam suo parcit, & scit hominē non esse prodige vtendum. *Seneca de Clementia ad Neronem. lib.*

Nullum magis decet clementia quam principem. *ibid.* vide ibi praeclara multa de Clementia Principum.

Nihil est laudabilius, nihil magno & praeclaro viro dignius placabilitate atque clementia. *Cic. lib. de offic. 1.*

Videndum est. n. primum, ne obsit benignitas & his ipsis, quibus videbitur benigne fieri, & caeteris deinde, ne maior sit benignitas, quam facultates. Quia ex re satis praecepit, vt quidquid sine detrimento commodari possit, id tribuatur vel ignoto. Ex quo sunt illa communia, non prohibere aquam profluentem, pati ab igne ignem capere. *ibid. in eod. lib. 1.*

Qui opera, id est, virtute, & industria benefici, & liberales erunt, primum, quo pluribus profuerint, eo plures ad benefaciendū adiutores habebunt: deinde consuetudine beneficentiae, paratiores erunt & tanquam exercitatiores ad bene de multis promerendum. *Cic. l. 1. Offic. sub finem.*

Omnino meminisse debemus id, quod à nostris hominibus vsurpatum saepissime, iamque in prouerbij consuetudinem venit: Largitionem fundum non habere. Etenim quis modus potest esse, cum idem & qui consueuerunt, & idem illud alij desiderent? Liberales autem sunt, qui facultatibus suis, aut captos à praedonibus redimunt, aut aes alienum suscipiunt amicorū causa, aut in filiarum collocatione adiuuant, aut opitulantur, vel in re quaerenda, vel augenda. *eod.*

Nam est innocentia affectio talis animi, quae noceat nemini. *Cic. l. 3. Tusc. Quaest.*

Liberalitati, quas aptiores comites, quam humanitatem, & clementiam dederim? Quoniam idem genus laudis expetunt: quarum prima inopia: proxima, occupatione: tertia, ancipiti fortuna praestatur. Humanitatis enim dulcedo etiam efferata barbarorum ingenia penetrat, orbesque & truces hostium mollit oculos, ac victoriae insolentissimos spiritus flectit. Nec illi arduū atq. difficile est, inter arma contraria, inter districtos cominus mucrones, placidum iter reperire: vincit iram, prosternit

odium

odium, hostilemque sanguinem hostilibus lachrymis miscet, *Valerius Max. l. 5. c. 1.*

Benignitate atque clementia hostem vincere, quam armis præstat. *Polybius l. 3.*

Clementiæ sunt multa indicia in leonibus. Prostratis parcunt, in viros potius, quam in fœminas sæuiunt, Infantes nonnisi in magna fame periment, nec a misericordia separantur. *Solinus l. 4. c. 8.*

Illud annotandum, quoniam affectus sunt animorum motus, vel actu, vel potestate ac vi, non haberi pro affectibus æquanimitatem & tranquillitatem cordis, vt mansuetudinem, securitatem: quippe quæ sint motus, nec opera affectus nuncupari, nec nasci ex iudicio contra quam Stoicis placuit: sed esse naturalia, prout quisque est animo habitus: vt fletum in mœrore, examinationẽ in metu, exultationem & gesticulationem in lætitia immodica. *Lud. Viues l. 3. de anima, in C. de enumeratione affectuum.*

Fuerunt in Græcia sapientes habiti, qui dicerent: Nimias amicitias fugiendas, rationem afferentes: quod innumeris & ineuitabilibus nos laboribus ac curis oneratos, stultum sit alienis inuolui, & vnius humeros multorum fasce prægrauari, satis sub proprio fatigatos: fundamentum beatæ vitæ ac securitatem hoc velut ariete conuelli, si externa pro amicis solicitudo animum impellat: &, vt ait Cicero, tanquam parturiat vnus pro pluribus, sed hoc a Cicerone in Lælio reprobatur, nec immerito: tollit enim omnem bene institutæ mentis affectum, quo sublato (vt idẽ ait) quid interest, non dico inter hominem & pecudem, sed inter hominem & truncum, aut saxum, aut quiduis generis eiusdem? Aufert igitur humanitatem, cuius est proprium, & gaudere bonis rebus, & dolere contrarijs. *Franc. Petrarch l. 3. c. 9.*

Reime ciuibus formidinem, neque horribilis esse velis nihil delinquentibus. Nam qualis tu in alios fueris, tales illi vicissim erga te erunt: multosque timeat necesse est, quem multi metuunt. *Isocr. de regno.*

Difficiles mores molestos esse video, tum ijs, qui eos habent, tum ijs, qui eorum consuetudine vtuntur: mansuetudinem vero non in animantibus solum, & hominibus & cæteris rebus omnibus, sed in dijs quoque celebrari. Nam qui nobis benefaciunt, olympij cœlitesque dicuntur: Qui vero calamitatibus & pœnis præsunt, atrociora etiam nomina habent, quorum alteri & priuatim & publice templis arisque honorantur, alteros neque precibus, neque sacrificijs coli, sed abominabiles esse constat. *Idem in oratione ad Phil.*

Iudicandum est secundum scientiam, non multitudinem, quidquid recte iudicari debet. *Plato in Lachete.*

Equidem puto, & me ac te, cæterosque omnes existimare, iniuriã facere, quam pati, deterius esse: & pœnam non dare, quam dare. Nullus enim punit eos, qui deliquerunt hoc respiciens, huiusque rei gratia, quia deliquerunt, nisi instar bestiæ citra rationẽ pœnam exigat. Qui vero cum ratione castigare vult, ille non præteriti causa criminis pœnam sumit: nec enim quod factum est, infectũ reddiderit: sed futuri gratia, ne denuo delinquat, vel hic ipse, vel alius, qui castigari ipsum viderit. *Idem in Protagora.*

Non infelix, sed malus semper castigandus est, vt fiat melior. *Idem Leg. 2. lib.*

APOPHTHEGMATA.

Tyrrenium Pittaci filium, Cumis in tonstrina sedentem, faber quidã ærarius impacta securi, occidit. Cumani homicidã vinctum miserunt ad Pittacum, vt de eo supplicium sumeret. At ille cognita causa, dimisit hominẽ dicens, Ignoscentiam esse potiorem pœnitentia. Sentiens, vtilius esse cõdonare quam meminisse iniuriæ, & vlcisci. Sunt qui referant homicidam ab Alcæo fuisse demissum cum hoc elogio, Melius est ignoscere, quã punire. *Laert. l. 1.*

Socrates, cuidam percontanti cur Xantippem morosissimam vxorẽ domi aleret, dicebat, sic cum eius notæ vxoribus habendam cõsuetudinem, quemadmodum qui se ad stadium equestre exercent, parant equos ingenij ferocioris: quos si subegerint, cæteris vtuntur commodius. *Laert. in eius vita.*

Diogenes, cum Plato laudasset quendam qui erga omnes lenissimus & mansuetissimus esset, respondit, nil quicquam huic homini tribuendum esse, qui homines dolore, si res postularet, non afficeret. Sensit vir prudentissimus, lenitatem & mansuetudinem nimiam plurimum in Repub. obesse. *Laert. l. 6.*

Quirinus Sophista ab Asianis castigatus, quod in accusando mitior ac lenior esset, quam ipsi docerent: Multo, ait, melius est, vt vos meam sentiatis lenitatem, quam ego vestram crudelitatem. *Philost. in Soph.*

Dion. Syracusanus exstimulatos assiduis a militibus vociferationibus, vt Heraclidem factionum authorem, & in Syracusanos conspirantem, è medio tolleret: respondit. Si ob inuidiam Heraclides perfidus nefariusque est, haud propterea opus est vt Dion, neglecta virtute, iræ obtemperet, vitamque corrumpat. *Erasm. l. 3. c. 4. ex Plut.*

Demaratus Persa quidam a rege defecerat, is suasu Demarati mutatus quum reuertisset ad suos, tentaretque eum rex interficere: Turpe, inquit, fuerit, ô rex, si cum hostis fuerit, non potius ab eo defectionis pœnas sumere, nunc amicum factum velis occidere. Hoc prudentissimo dicto & regis indignationem temperauit, & eius, cui reditum persuaserat, incolumitati consuluit. Vtrique consultor vtilis, alteri, ne quid indignum regia mansuetudine committeret, alteri ne pœniteret ab errore reuocanti paruisse. *Plut. in Lac. apoph.*

Agesipolis Cleombroti F. Quidam quum apud ipsum ceu rem magnificam prædicaret, quod Philippus Macedonum Rex intra pauculos dies subuertisset Olynthum: Atqui per Deos, inquit, talem ciuitatem longe maiore temporis spatio non extructurus est. Significans, multo melius esse singulari clementia seruare ciuitates, quam conditas excindere. *Plut. in Lac.*

Cleomenes, quum ex quodã audisset, bonum magistratum omnino erga omnes mitem & placidum esse oportere: respondit, Bene quidẽ, ita tamen ne sit contemptui. Significans, clementiam nimiam perniciosam esse ciuitati. *Plut. in Lac. apoph. Erasm. l. 1. c. 13.*

Demonax dicebat, nequaquam hominibus irascendum esse, si delinquerent, sed corrigenda vitia: nimirum exemplo medicorum, qui non indignantur ægrotis, sed morbo medentur. Nam hominis est peccare: Dei vero, aut hominis Deo proximi, emendare peccata. *lib. 8. apoph.*

Pisistratus, comessatores quidam in Pisistrati vxorem inciderant, multaque lasciue in illam tum fecerant, tum dixerant. Postero vero die, iam decocta temulentia, Pisistratum adierunt cum lachrymis, orantes veniam. Tum Pisistratus: Vos quidem in posterum date operam vt sitis sobrij: vxor vero mea heri nequaquam vsque prodijt ex ædibus. Humanitatis erat, quod ignouit adolescentibus: pietatis, quod vxoris honori consuluit, negans tale quicquam in illam factum esse. *Plut. in Græc. apoph.*

Darius Xerxis pater, quum tributum indixisset subditis, accersitos prouinciarum præfectos percontatus est, cum alijs de rebus, tum etiam an grauia essent populo tributa. Quum illi respondissent, esse mediocria, vt singuli dimidiam tantum partem exigerent, qua beneuolentia & clementia admodum cõciliauit sibi subditorũ animos, vt merito ab omnib. diligeretur. *Plu. in apoph.*

Agesilaus. Feliciter pugnatum erat ab Agesilao rege apud Corinthum: in eo prælio quanquam accepisset, Spartanorum admodum paucos desideratos, cæterum è Corinthijs & Atheniensibus alijsque socijs ingentem numerum interijsse, adeo non gauisus est, nec elatus ea victoria, vt grauiter ingemiscens deploraret Græciæ vicem: Heu, inquiens, Græciam, quæ tot viros intestino bello perdidit, quot vniuersis barbaris debellandis satis esse poterant. Viro magnanimo victoria erat optabilis, sed charior erat sociorum incolumitas. Quo animo tulisset ille, si plurimorum ciuium interitu fuisset empta victoria? Non parum laudis promeretur hic affectus in duce Lacedæmonio, tum natura bellaci, tum ethnico: At Christiano principi nulla non debet esse lugubris victoria, quæ plurimorum etiam hostium cæde contigit. *Plut. in Lacon. apoph.*

Antigonus rex Macedonum amicis suadentibus, vt si Athenas caperet, validis illam præsidijs communiret, ne quando deficerent: respondit, semper in ea fuisse sententia, vt crederet, clementiam plus posse, quam violentiam. *Plut. in apoph.*

Idem, quum ab initio regni durior esset, senex iam factus, clementer & placide regnum administrauit. Hanc morum mutationẽ quum mirarentur subditi: respondit: Prius opus erat regno, nunc gloria & beneuolentia, qua regnum recuperatum seruatur. *Plut. in apoph.*

Anonymus. Ptolemæus Lagi filius, quum Grammaticum notasset inscitiæ, quærens ab eo quis esset Pelei pater? vicissimque audisset, Dic tu prius quis sit Lagi pater? amicis instantibus ad tantæ improbitatis vindictam: Si regium est, inquit, non pati vt aliquoquam dicto attingatur: nec illud regium est, quemquam dicto lacessere. Inique petit vindictam, qui prior lacessiuit, cuiuscumque dignitatis fuerit. Nec suæ dignitatis meminisse debet qui refertur, quum eius prærogatiuam lacessendo deposuerit. *Lib. 5. apoph. ex Plutarcho.*

Philippus. Athenienses legationem ad Philippum miserant. Ea benigne audita, vt humaniter dimitteret, iussit illos dicere, qua ratione gratum facere posset Atheniensibus, hic Demochares excipiens, Si teipsum, inquit, suspendas. Is Demochares vnus fuit è legatorum numero ob linguæ procaciam dictus Parrhesiastes. Ob tam inhumanum responsum indignantibus regis amicis, Philippus compescuit eos, iussitque vt Thersitem illum incolumem dimitterent. Tum ad cæteros legatos conuersus, Renunciate, inquit, Atheniensibus, multo superbiores esse qui ista dicunt, quam qui impune dicta audiunt. Tales demum animi regno digni sunt. *Plut. in apoph.*

Idem. Indignantibus Philippi amicis, quod Peloponnesij in Olympiacis ipsum sibilis deriderent, præsertim beneficijs a rege affecti, hoc sermone Philippum extimulantibus ad vindictam: quid igitur, inquit, futurum est si quid illis faciamus mali? Vrbanissime amicorum argumentum vertit in diuersum: Si tam prauo ingenio sunt, vt eos irrideant, qui de ipsis bene meriti sunt,

grauius oderunt, si quis illos malefactis prouocet. Hoc non solum moderationis & clementiæ, verum etiam eximiæ cuiusdam magnanimitatis documentum fuit ingratorum sibilos regem negligere. *Plut. in apoph.*

Idem, quibusdam Philippo Maced. consulentibus vt cum Atheniēsibus asperius ageret: respondit illos absurde facere, qui homini cuncta ad gloriam tum agenti, tum patienti suaderent, vt gloriæ suæ theatrum abijceret: significans, sese hoc agere, non vt Athenas euerteret, sed vt ciuitati celeberrimæ doctissimorum virorum copia florenti suas virtutes probaret. *Plut. in apoph.*

Alexander, cum Poro Indorum regi victo obtulisset, se daturum quicquid peteret, & Porus vt regaliter tractaretur petijsset, subridens? Faciam hoc, ait, non tua, sed mea causa. Non ignorauit autem vir bellicosissimus, nil adeo decere ac ornare principē, quam si clementia vtatur erga eos etiam quos nouit hostes fuisse atrocissimos. *Bruss. lib. 3 cap. 13.*

Darius, idem Alexander tantæ fuit clementiæ, vt Darius precaretur a dijs, vt aut superare posset clementia Alexandrum, aut si is regno spoliaretur, solus Alexander in Persarum regno imperaret. *Bruss. lib 3. c. 13. ex Plut. Q. Curtio. & alijs.*

Porsena demiratus egregium animum Mutij Scæuolæ, qui iratus dexteræ suæ, quod in stringendo ferro errasset, foculo impositam eam exuri passus est, dixit illi. Reuertere ad tuos Muti, eisque refer, te cum vitam meam petieris, a me vita donatum. *Liu.*

M. Liuius fuso Hasdrubale, nonnullis suadentibus vt hostes ad internecionem insequeretur: Aliqui, inquit, & supersint, qui de victoria nostra nuntium hostibus perferant. *P. M. 6. apoph.*

Scipio maior dicere solebat, hosti non solum dandam viam fugiendi, verum etiam muniendam. Docens, nequaquam sæuiendum esse in eos, qui ferre arma destitissent. *Ex Plut.*

M. Bibulus, cum in Syria duos egregiæ indolis filios amisisset, a Gabinianis militibus occisos, & horum interfectores Cleopatra ad illum vinctos misisset: vt in filiorum interfectores pro arbitratu suo animaduerteret, ille protinus intactos remisit ad Cleopatram. *P. M. l. 6 apoph.*

M. Brutus, quum inter coniuratos deliberaretur, an vna cum Cæsare occidendus esset Antonius, dissuasit, dicens: Hoc negocium, quod pro legibus ac iure susciperetur, oportere omni carere iniuria: Noluit vir optimus cædē in plures proferri. *Plut. in Bruto.*

Cato Maior admonebat eos, qui potentes essent, vt parce vterētur sua potestate, quo semper vti possent, sentiens, potentiam clementia & comitate fieri diuturnam, ferocia breuē. *Plut. in apoph.*

Cicero, [Cū Cæsar rerū potitus Pompeij statuas deiectas honorifice reposuisset, Cęsar, inquit Cicero, dū Pōpeij statuas reponit, suas stabilit, sentiens, illum hoc non in Pompeij gratiam facere, sed vt sibi clementiæ simulatione fauorem apud ciues conciliaret, atque hoc pacto suum regnum constabiliret. *Plut in apoph.*

Iul. Cæs. tanta clementia erga hostes & rebelles vsus est, vt Marius non semel dixerit? Cæsar, qui apud te audent dicere, magnitudinem tuam ignorant: qui non audent, humanitatem & clementiam. *Bruss. l. 3. c. 13.*

Augustus Cæsar. Timagenes historiarum scriptor multa petulanter in Cæsarem, multa in vxorem, multa in totam illius domum dixerat. Cæsar illum admonuit, vt moderatius lingua vteretur. Cum perseueraret male loqui, nihil aliud quam domo sua illi interdixit. Timagenes autem libros, quos scripserat acta Cæsaris continentes, recitauit, & combussit in odium Cæsaris, quasi rerum ab illo gestarum memoriam abolere cupiens. Hunc tamē palam & pertinaciter inimicitias exercentem cum Cæsare, nemo ciuium Romanorum ab ædibus suis exclusit: nam in domo Pollionis Asinij consenuit: Nunquam tamen Augustus cum hospite inimici expostulauit, nisi quod quodam tempore ille dixit [illegible] est, alis bestiam siue viperam. Mox Pollionem parantem excusare se interpellauit, dicens; Fruere mi Pollio, fruere: At, cum Pollio nondum securus diceret, Si iubes Cæsar, protinus illi interdicam domo mea. An istud, inquit, Augustus, me facturum putas, qui vos reddegerim in gratiam? Fuerat antea Timageni iratus Pollio, nec aliam habebat desinendi causam: nisi quod illi Cæsar irasci cœperat. Vtriusque maleuolentiam boni consuluit Principis clementia. *Ex Suet.*

Idem Lex erat, vt qui patrem occidisset, culeo insueretur: nec hæc pœna sumebatur, nisi de confesso. Ab huius pœnæ atrocitate Cæsar vt liberaret manifesti patricidij reum, sic interrogauit; Certe patrem tuum non occidisti: aliam porrigens inficiandi. Tanta erat principis in iudicando lenitas. *P. M. 4. apoph.*

Iul. Cæsar. Quidam è turba statuæ Cæsaris coronam lauream imposuerat, candida fascia præligatam: at quum Tribuni detracta fascia hominem in vincula duci iussissent, Cæsar grauiter increpatos eos potestate priuauit: idque, ne regnum affectare videretur, causatus est, per illos sibi recusandi gloriam fuisse ademptam. *lib 4. apoph.*

Augustus, Alexandriam vrbem munitissimam quum vi cepisset, suggestum adscendit, & adiuncto sibi Ario Alexandrino, ad ciues desperantes dixit, se ciuitati parcere, primū propter ipsius magnitudinem, deinde propter Alexandrum Magnum cōditorem eius vrbis, deinde propter Arium amicum optimum, cuius hæc patria esset. Raræ profecto clementiæ fuit, non diripere ciuitatem, quæ tam pertinaciter rebellarat. *P. M. in apoph.*

Idem, in villa quadam inquietas noctes agebat, interrumpēte somnos ipsius noctua cantu. Miles aucupij peritus curauit apprehēdendam noctuam, speque ingentis præmij ad Augustum pertulit, laudato Imperator mille nummum dari iussit; ille autem ausus est dicere; Malo viuat, auemque dimisit. Quis non miretur hanc contumaciam impune cessisse militi? *Ex Suetonio.*

Idem Augustus, quum iam quadragesimum excessisset annum, age retque in Gallia, delatum est ad illum, L. Cinnam adolescentem nobilem, ac Pompeij nepotem, insidias illi struere: dictum est, vbi, quando & quomodo aggredi vellet. Decreuerat enim sacrificantem interficere. Dictabatur proscriptionis sententia, sed Augusto interim varias edente voces, ingressa Liuia vxor: Fac, inquit, quod medici solent, qui, vbi vsitata remedia non procedunt, tentant contraria. Seueritate nihil adhuc profecisti, ignosce. Cinna deprehensus vitæ tuæ nocere non potest, famæ tuæ prodesse potest. Protinus iussit accersiri solum ad colloquium: venienti alteram cathedram poni iussit. Hoc, inquit, Cinna primum abs te peto, ne me loquentem interpelles: dabitur tibi loquendi tempus. Hic commemoratis pluribus in Cinnam beneficijs, quod seruasset repertum in castris hostium, quod patrimonium omne concessisset, quod insuper ornasset sacerdotio; rogauit, quare putasset aptum, occidendum? perturbato Cinna, sic finit obiurgationem: Vitam tibi Cinna iterum do, prius hosti, nunc insidiatori ac parricidæ. Ex hodierno die inter nos incipiat amicitia: contendamus, vtrum ego meliori fide vitam tibi dederim, an tu mihi debeas. Et consulatum obtulit. Vis exitum? Cinnam habuit perpetuo amicissimum, solus ille fuit hæres, nullis amplius insidijs ab illo petitus est. *Suet. in eius vita.*

Idem Aemilius Aelianus cum accusatus esset, quod male loqueretur de Cæsare, Augustus respondit nil aliud quam Si male loquitur, sciat me quoque linguam habere; plura enim loquar de eo vicissim. Mira Cæsaris clementia, qui maledicum pro suo iure immaniter tractare potuisset. *P. M. l. 4. apoph.*

Idem. Tiberius, cum ad eum scripsisset, quam male a quibusdā hominibus lingua infectaretur, respondit: Satis est, si hoc habemus modo ne malefaciant nobis. *Ibid ex Suet.*

Nero. Quum ex more cuiusdam capite damnati causæ subscripturus esset Nero: Vtinam, inquit, literas nescirem. Vox parsimoniā humani sanguinis promittens, si ex animo prodijsset. *Senec. l. 2. de clement.*

Traianus, quum sua clementia & humanitate antecessores suos omnes superaret, amicis aliquando culpantibus, quod nimis clemēs erga suos esset, respondit; Talem se Imperatorem esse priuatis, quales esse sibi Imperator priuatos optaret. *Bruss. l. 3. c. 4.*

T. Vespasianus fratrem Domitianum insidias molientem non est vltus, sed his verbis admonuit: Quid opus te parricidio petere, quod me volente obuenturum est, imo quod iam habes, imperij particeps? In Christiano via reperias tantum mansuetudinis. *P. M. l. 8. apoph.*

Antoninus Pius, Cassium senatorium virum occidi passus est, nō iussit occidi, post etiam extinctum doluit, dicens; Voluisse se sine senatorio sanguine imperium transigere. Mira clementia in affectatorem imperij. *Iulius Capit.*

Hadrianus adeo contempsit inimicos, vt vni, quem habuerat capitalem, forte obuio dixerit, Euasisti. Principibus in priuatis offensis debet esse satis, potuisse vlcisci. *Dion.*

Theodosius iunior rogatus, cur neminem eorum, a quibus lædebatur, supplicio capitis afficeret? respondit, Vtinam mihi liceret & mortuos ad vitam reuocare. *Spieg. in lib. 2. c. 47. Panor. de reb. gest. Alphonsi.*

Idem, quum in Amphitheatro Constantinopoleos sederet spectator, & populus damnatos efflagitans clamaret; Crudeli bestiæ artifex obiectus pugnet: compescuit immitem turbæ vocem, dicens; Nescitis, inquit, quod nos consueuimus clementer spectare, innuens, vbicumque adest princeps, illic oportere omnia mitius geri. *P. M. lib. 2. apoph.*

Aurelianus Cæsar, quum Tianam venisset, eamque occlusam reperisset, iratus dixit Canem in hoc oppido non relinquam. Hac voce milites erecti sunt in spem prædæ. Vrbe autem capta, militibusque ex Cæsaris promisso direptionem oppidi flagitantibus respondit: Agite, canem me negaui relicturum, canes omnes occidite. Et sic promissis satisfecit, & clementer hostes suos tractauit. *Flauius Vopiscus.*

Galienus. Quidam vxori Galieni iuioris gemmas vitreas pro veris vendiderat: re comperta mulier flagitauit vindictam. Cæsar iussit hominem corripi, quasi leoni obiecturus. Dein in caueam, dum impostor & populus, expectant terribilem leonem, prosilijt capo. Cunctis rem tam ridiculam mirantibus per præconē dici iussit: Imposturam fecit, & passus est. Eadem opera fefellit impostorem, & irrisit vxorem. *Trebell. Pollio.*

Alexander

Alexander Seuerus. Amici eius improbante humanitatem & clemẽtiam, Mammea, mater, vtroque Memmia, sæpe dicerent, Molliorem tibi potestatem & contemptibiliorem impetu fecisti: respõdit, sed securiorem & diuturniorem. *Bruſ. l. 3. c. 13.*

Idem, Ouinius Camillus aut quæ familiæ senator, cum rebellionẽ moliretur, & tyrannidem affectaret, hominis fraude intellecta, ad se vocari iussit, & egit gratias, quod Reipubl. curam sua sponte suscipere tentaret. Mox ad senatum processit, ac tanti sceleris conscientia trepidum, consortem imperij appellauit, in palatium recepit, ornamentis imperialibus & melioribus, quam vtebatur ipse, decorauit, profectionisque comitem adhibuit. Quumque Imperator ipse pedibus iter faceret, inuitauit Ouinium, & equo sedere iussit, seque mori paratum dimisit. *Ælius Lampridius.*

Rudolphus Imp. cum post morum mutationem clementior suis fuisset, quam ab initio imperij, obiurgabatur ob id. Seuerum, inquit, & immitem fuisse me aliquando pœnituit, lenem & placabilem nunquam. *Æn. Syl. lib. 2. comment. de reb. gest. Alphonsi.*

Sigismundus Cæs. eos reges demum in terris beatos esse dicere solebat, qui ciectis ex aula sua hominibus superbis, viros mansuetudinis & misericordiæ cultores in curia assessores haberent. *Æneas Sylvius de dictis Sigismundi Imp.*

Alphonsus rex, cum argueretur aliquando, quod nimis mitis ac lenis esset erga suos, vt qui nonnunquam etiam ijs, qui vel grauiter in ipsum deliquissent, ignosceret: Malo, inquit, multos mea clementia & mansuetudine seruare, quam paucos mea seueritate perdere. *Panor. l. 5. de Alphons. reb. gest.*

Idem, cuidam dicenti, caue ne tua hæc clementia ac lenitudo in perniciem cedat: Imo vero respondit, multa mihi perferenda sunt, ne in inuidiam cadam. *Pan. l. 2. de reb. gest. Alphonſ. regis.*

Idem dicere solebat: Qui nimis lenem & mansuetum principem quærerentur, expectandum ijs esse, vt vrsi ac leones quandoque regnarent. Hominis sane clementiam esse, beluarum autem feritatem. *Panor. l. 2. de reb. gest. Alphonſi.*

Idem ab amico admonitus, ne malis & facinorosis hominibus adeo mitis esset: Malos beneuolentia & clementia interdum citius quam seueritate in viam virtutis reuocari posse respondit. Cogitandum tamen, ad priuatas iniurias principem facilè ad ignoscendum, in ijs autem, quæ lædunt Rempubl. seuerum esse oportere; ita tamen, vt non hominem, sed crimen ipsum insectari ac punire videatur. *Pan. de reb. gest Alphonſi.*

Idem interrogatus cur erga omnes etiam male meritos tam humanus ac mansuetus esset? respondit: se quidem iustitia bonis gratum esse, malis autem clementia. *Panor. lib. 2. de reb. gestis Alphonſi.*

Idem frequenter etiam dicebat, nihil magis aduersariorum animos flectere, quam placabilitatis & mansuetudinis nomen. *Pan. lib. 3. de reb. gest. Alphonſi.*

Idem quum in obsidione Caietæ, susceptis impuberibus, senibus, omnique sexu bellis haudquaquam vtili, quos Caietani ob annonæ penuriam ciuitate expulerant; quidam Alphonso regi dixisset: si tu hos non admisisses, Caietani paucis post diebus sese dedissent. At ego, respondit rex, pluris facio eorum vitas, quam Caietas centum. Facinus profecto regium & memorabile, ac Deo imprimis gratum acceptumque. Quum enim vrbem per id tempus quadraginta ferme milliũ conatu capere nequisset, postea soluta ac diu desita iam obsidione, sine vi, sine armis, ea gratitudine in ditionem redegit. *Panor. lib. 1. de reb. gest. Alphonſi.*

Idem, quum aduersus Venetos ac Florentinos, potentissimos Italiæ populos, haud equidem iniuria bellum suscepisset, & iam Neapolitani aduersus eos magna animi fiducia contendissent: Florentini primum, mox Veneti oratores in agro Pelignensium obuiam facti sunt, pacem ab eo misere perhumiliter postulantes, cuius conditiones cum audire cuperent, Alphonsus dixisse fertur: se nullum aliud pacis datæ precium existimasse, quam hostibus humiliter petentibus pacem dedisse. O clementiam omnibus principibus imitandam, & nostro hoc sæculo inter potentes rarissimam. *Panor. l. 1. de reb. gest. Alphonſi.*

SIMILITVDINES.

Seneca. Sicut medicinæ apud ægros vsus, etiam apud sanos honor est: Ita clementiam quamuis pœna digni inuocent, etiam innocentes colunt. *lib. 1. de Clementia. c. 2.*

Quemadmodum non est magni animi, qui de alieno liberalis est, sed ille, qui, quod alteri donat, sibi detrahit: Ita clementem vocabo, non in alieno dolore facilem, sed eum, qui cum suis stimulis exagitetur, non prosilijt: qui intelligit magni animi esse, iniurias in summa potentia pati, nec quicquam esse gloriosius principe impune læso. *lib. 1. de Clementia, c. 20.*

Quemadmodum religio Deos colit, superstitio violat: Ita clementiam mansuetudinemque omnes boni præstabunt, misericordiã autem vitabunt. Est enim vitium pusilli animi, ad speciem alienorum malorum succedentis. *De Clementia lib. 2. c. 5.*

Sapiens multa remittet, multos parum sani, sed sanabilis ingenij seruabit. Agricolas bonos imitabitur, qui non tantum rectas bonasque arbores colunt, sed illas quoque, quas aliqua deprauauit causa, adminicula, quibus regantur, administrant. Alias circumcidunt, ne proceritatem rami premant: quasdam infirmas vitio loci nutriunt: quibusdam aliena vmbra laborantibus, cœlum aperiunt. Secundum hæc videbit perfectus sapiens, quod ingenium, qua ratione tractandum sit, donec in rectum praua flectantur. *De Clementia. l. 2. c. 7.*

Polyanthea Nouiſ.

Anonymi Medici quemadmodum vbi vsitata remedia non procedunt, tentant contraria: Sic debent principes, qui seueritate populum gubernare non possunt, tentare contrarium, vt clementia & beneuolentia populi morbis occurrant.

CLERICVS.

PATRVM SENTENTIAE.

CVm laicos hoc deceat, ne aut extraneas blasphemandi occasiones, aut opportunitatem fornicationis ostendant, maxime tamen hæc necessitas clericos vehementer constringit, quibus religio blasphemata, aut fraternitas perdita duplices pœnas irrogabit. *Aug. de singularitate clericorum.*

Clericus mercimonia exercens, intercessiones vendens, viduarum munera amplectens, negociator magis quam clericus est. *In serm 20.*

Contemnitur clericus, qui sæpe inuitatur ad prandium, & non recusat: nunquam petentes, raro accipiamus rogati. Beatius est dare, quam accipere. *Hier ad Nepotian.*

Negociatorem clericum, ex inope diuitẽ, ex ignobili gloriosum, quasi quandam pestem fuge. *ibid.*

Clericos illos conuenit Ecclesiæ stipendijs sustentari, quibus parẽtum & propinquorum nulli suffragantur, qui autem bonis parentum & opibus sustentari possunt, si, quod pauperum est, accipiunt, sacrilegium incurrunt. *In epist. ad Damaſum.*

Clericus, qui de bonis suis sustentari potest, si accipit, quod pauperum est, sacrilegium profecto committit, atque per abusionem talium iudicium sibi manducat & bibit. Si eges, & accipis, das potius, quam accipis: si autem non eges & accipis, rapis. *In alia cap.*

Vehementer Ecclesiam Dei destruit, meliores laicos esse quam clericos. *Sup. epiſt. ad Ti.*

Miror, cuius ordinis sint nostri clerici, nam in congregatione temporalium se habent, vt laici: in apparatu nobili, vt milites, in acquisitione redituum, vt clerici: sed non laborant vt laici, neque pugnant vt milites, neque euangelizãt vt clerici, & cum vtriusque ordinis esse cupiunt, vtrumque deserunt, vtrumque confundunt. Vnusquisque in ordine suo resurget. Isti ergo cum Deus sit summe sapiens, veraciter creditur a summo vsque deorsum nihil inordinatum relinquere: vereor, ne alibi ordinandos, quã vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. *Bern. lib. 3. de conſi. ad Eugenium.*

Cum cuncti status hominum aliquid habeant laboris, & aliquid voluptatis, clerici inter hæc nouo quodam artificio discernẽtes totum, quod delectat, in quo labes elegerunt: & totum, quod molestat, respuerunt: a militibus acceperunt superbiæ fastum, amplam familiam, equorum phaleras, & nobiles apparatus: a mulieribus dependentes collo pelles rubricatas, vinum, mollitiẽ, balneum, & gloriam: & rusticos fructus agrorum, horrea plena. Sed bene cauent militaris loricæ pondus, muliebrem declinant verecundiam. Omnes rustici & agricolæ victum sibi labore acquirunt: hi delicijs affluunt, & tamen adueniente fructuum tempore, promptuaria eorum plena tritico, & vinum bibũt vua meracissimum, & inde incrassantur, impinguantur & dilatantur. Quum ergo resurgere cœperint homines, quilibet in ordine suo, isti cum quibus resurgẽt? Si diuertere voluerint ad milites, ipsos exsufflabunt. Sic eos cuncti homines a suis finibus arcebũt: & isti, qui in nullo fuerint ordine, vbi putas collocabuntur? Restat ergo, vt illum locum sortiantur, vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat: & sint in laboribus Dæmonum, qui in laboribus hominum non fuerunt. *Bern. ſup. Pſalm. 73.*

Ministri Christi sunt, & seruiunt Antichristo: honorati Domini, cui honorem non deferunt. Inde, quem quotidie vides, meretricius nitor, histrionicus habitus, regis apparatus. Inde aurum in frænis, in sellis, in calcaribus, plus calcaria quam altaria fulgent. Inde mensæ splendidæ scyphis & cibis. Inde comessationes & ebrietates. Inde cithara & lyra, inde torcularia redundantia, promptuaria plena, eructantia ex hoc in illud, pro huiusmodi volunt esse, & fiunt Ecclesiarum Præpositi, Decani, Archidiaconi, Episcopi, Archiepiscopi. *Super Canticum ſerm. 73.*

Olim prædictum est, & nunc tempus impletionis aduenit: Ecce in pace amaritudo mea amarissima: amara prius, in nece martyrum, amarior post in conflictu hæreticorum, amarissima

nunc in moribus domesticorum. Non fugare, non fugere eos potes, ita inualuerunt, & multiplicati sunt super numerum, intestina & insanabilis est plaga Ecclesiæ, & ideo in pace amaritudo eius amarissima. Sed in qua pace? & pax pax est, & non pax. Pax a paganis, pax ab hæreticis, sed non profecto a filijs. Vox plangentis Ecclesiæ in Templo illo: Filios enutriui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me, spreuerũt & maculauerunt me, a turpi vita, a turpi quæstu, a turpi commercio, a negocio denique perambulante in tenebris. Superest vt iam de medio fiat dæmonium meridianum. *idem ibidem.*

Vnde clericis exuberare existimas rerum affluentiam, vestiũ splendorem, mensarum luxuriam, congeriem vasorum argenteorum & aureorum, nisi de bonis Ecclesiæ? Inde est, quod illa pauper & inops, & nuda relinquitur, facie miseranda, inculta, hispida, propter quod non est hodie Ecclesiam ornare, sed spoliare, non est custodire, sed perdere, non est defendere, sed exponere, non est instruere, sed prostituere; non est pascere gregem, sed mactare & deuorare, dicente Domino de illis: Deuorant plebem meã sicut escam panis. *serm. 78.*

Curritur in Clero passim ab omni ætate & ordine, a doctis pariter & indoctis ad Ecclesiasticas curas, tanquam sine curis iam quisque victurus sit, quum ad curas peruenerit. *In quodam sermone.*

Si insurgeret apertus hæreticus, mitteretur foras, & arescerer, si violentus inimicus, absconderet se fortisan ab eo: nunc vero quid eijciet, a quo absconderet se; omnes amici, & omnes inimici: omnes necessarij, & omnes aduersarij: omnes domestici, & nulli pacifici: omnes proximi, & omnes, quæ sua sunt, quærunt. *Super Cant. serm. 35.*

Cleris conceditur, vt bene viuentes, & altari seruientes, viuant quidem, non luxurientur. *In epist.*

Peccata populi mei comedunt, sed sicut nihil habentes propriũ, non peccata, sed alimenta, quibus indigere videntur, accipiunt: ita possessores non alimenta, quibus abundant, sed aliena peccata suscipiunt. *Prosp. l. 1. de uita contemplatiua.*

SCRIPTORES.

De Clericis vide *Lumen animæ, par. 2. cap. 32.* De vita Clericorum, *Hieron. Strid. tom. 4. Ioan. Gerson. tom. 2.* De vita Clericorum Curialium, *Petr. Blesens.* De instructione Cleri, *Durant.* Absolute autem de Clericis videtur disputare *Robert. Bellarminus tom. 2. controu. 2. l. 1 col. 285. & seq.*

Vide infra Sacerdos.

COELVM.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

COelum, Græce *οὐρανὸς, ὁ, & οὐράνιος, ὁ, ἡ*, cœlestis dicitur, & est continentia visibilium & inuisibilium creaturarum, *secundũ Ioan. Damascen. l. 2. ca. 6.* diciturque secundum Varronem & Plinium, quod varijs syderibus sit cælatum, id est, sculptum & insignitũ.

BIBLICI LOCI.

Cœlum a Deo creatur, *Genes. 1. u. 1. Psalm. 33. u. 6. & 102. 26. & 136. u. 5. Actor. 4. u. 24.* sedes Dei est, *Esaiæ 66. u. 1. Matth. 5. u. 34. & 23. u. 22. Actor. 7. u. 49.* instar pellis extensum, *Psalm. 104. uer. 2.* Cœlum pro quauis maxima altitudine, hyperbole, *Genes. 14. u. 4. Deut. 1. u. 27.* pro Deo ex Syrorum idiotismo, *Matth. 2. u. 25.* quod & antithesis ipsa declarat. Pro cœlitibus, *Iob 15. uers. 15.* Metonymia, pro aere, *Matth 6. uersic. 27.* Cœlum æreum & ferreum peccatoribus, *Leuit. 26. uer. 19. Deuteron. 28. u. 23.* Cœli militiam adorantes lapidandi, *Deut. 17. uers. 5.* Cœli coram Deo immundi, *Iob 15. u. 15.* Cœli aperti Christo baptizato, *Matth. 3. u. 16. Marc. 1. u. 10. Luc. 3. u. 21. Ioan. 1. u. 52.* Stephano moriturο, *Act. 7. u. 56.* Cœli gloriam Dei prædicant. *Psal. 18. uers. 4. & 19. uers. 1. & 89. u. 6.* mutationi obnoxij sunt, *Psalm 102 uers. 27. Matth 24. uers 35. Marc. 13. u. 31. Luc. 25. uers 33. Rom. 3. uers. 20. Hebr. 1. u. 11. 1. Pet. 1. u. 25. 2. Pet. 3. uer. 7. 12. 13. Apocal. 6. uers. 14. & 21. uers. 1.* Cœlum & terra donec transeant, *Matth. 5. uers. 18.* periphrasis est perpetuitatis, non dissimilis illi, quæ habetur *Genes. 49. u. 26. Psalm. 72. uers 5. 7. 17. & 87. u. 37. 38.* Cœlum terramque Deus testatur, *Deut. 30. uer. 19. & 31. uers. 8.*

Cęli tertij nomine, *2. Cor 12. u. 2.* intelligendum est sublimissimum cœlum, quasi dicat, in cœlum sublimissimum. Fit autem in sacris literis mentio trium cœlorum, aeris, cęlestium orbium, & beatarum sedium, in quas Christus abscendit, inde etiam venturus, vt cum ipso ibi simus in æternum.

Cęlorum potestates, *Matth. 24. uersic. 29.* pro, potentes cęli, Hebraismus.

Cęlestia quærenda, *Col. 3 uers. 1.*

POETICAE SENTENTIAE.

Ouid. 5. Trist. 4.

Ipse quoque æthereas meritis inuectus es arces
Quo non exiguo facta labore via est.

Sen. Herc. fur.

Non est ad astra mollis è terris via.

Valer. Flacc. 1.

Tendite in astra viri, mea primum regia mundo
Iapeti post bella trucis Phlegraque labore,
Imposuit durum vobis iter, & graue cæli
Institui, sic ecce meus sic orbe peracto
Liber & expertus terras remeauit Apollo.
Nec rogo feros vlla suis animalibus orba,
Astra tenent cæleste solum formæque Deorum.

Ouid. 1. Met.

Est via sublimis cælo manifesta sereno,
Lactea nomen habet, candore notabilis ipso.
Hac iter est superis ad magni tecta tonantis,
Regalemque domum: dextra lęuaque Deorum
Atria nobilium valuis celebrantur apertis.
Plebs habitat diuersa locis, a fronte potentes
Cælicolæ, et clari suos posuere Penates.
Hic locus est, quem, si verbis audacia detur,
Haud timeam magni dixisse palatia cæli.

Ibidem.

Hæc super imposuit liquidum, & grauitate carentem
Æthera, nec quicquam terrenæ fæcis habentem.

Virg. opusc.

Primus adest Aries Taurus insignibus auro
Cornibus & Fratres, & Cancer aquatile signum,
Tum Leo terribilis Nemeos, atque innuba Virgo.
Libra subit, caudaque Animal quod dirigit ictum,
Armatusque arcu Chiron, & corniger Hircus,
Fusor aqua simul, & fulgentes lumine Pisces.

Manil. 1.

Aurato princeps Aries in vellere fulgens
Respicit admirans aduersum surgere Taurum,
Summisso vultu Geminos & fronte vocantem:
Quos sequitur Cancer, Cancrum Leo, Virgo Leonem,
Æquato tum Libra die cum tempore noctis,
Attrahit ardenti fulgentem Scorpion astro,
In cuius caudam contentum dirigit arcum
Mixtus equo, volucrem missurus iamque sagittam.
Tum venit angusto Capricornus sydere flexus.
Post hunc inflexam defundit Aquarius vrnam,
Piscibus assuetas auide subeuntibus vndas,
Quos Aries tangit claudentibus vltima signa.

Manil. 2.

Illa fuit, quæ diuitias, quæ despicit aurum,
Imperia, & fasces, mollemque per otia luxum,
Et blandis aduersa sonis, dulcemque per aures
Affectum, & modico nescenda ad fata labore.

Vermus.

Itur ad æthereas per magna pericula sedes:
At nulli asperas prona labore via est.

Horat. 3. Carm. 2.

Virtus recludens immeritis mori
Cœlum, negata tentat iter via,
Cœtusque vulgares, & vdam
Spernit humum fugiente penna.

Sen. Oct.

Pulchrum eminere est inter illustres viros,
Consulere patriæ, parcere afflictis, fera
Cæde abstinere tempus atque iræ dare.
Orbi quietem, sæculo pacem suo:
Hæc summa virtus petitur hac cælum via.
Sic ille patriæ primus Augustus parens
Complexus astra est, colitur & templis Deus.

Idem Herc. Oet.

Sed locum virtus habet inter astra.
Nulla cælum separabile gaza.

Val. Flac. 6.

Audendo bella expediat, pugna exulis astris
Haud vnquam sese virtus.

SIMILITVDINES.

Dionis Chrysostomi: Neque negociator a longinquo merces importans, vehementem ventorum incursum, vndarumque exorientium procellas sustinens, frustra & incassum susciperet einsmodi labores, verum ideo maria plena suor, & audax est aduersus pericula, locaque locis commutat, maria peragrat, totasque noctes ducit insomnes, vt negociatione ditescat. Quod si non contingat, sed cum lucro etiam sortis iacturam faciat, ne soluere quidem ancoras poterit, nec illa varia perferre discrimina. Hoc itaque scientes, cum decenti circumspectione huc accedamus; ne pro peccatorum remissione etiam accessionem peccatis adiunctam domum referamus. *1. serm. 1. in Esaiam.*

Agricola quum non sine labore quidem semine disposuit, sed videt terram feracem, segetemque prouentu exuberantem, superiorum laborum obliuiscitur, atque ad reliquum operæ conseruationemque lucri expectatione excitatur. Verum hæc agricolatio quanto feracior, quantoque lucrosior est? Nam illa quidẽ frugum sensibilium copiam adferens corporibus reponit alimoniam. Hæc vero, dum sermonem deponit, doctrinam, spiritualiumque donorum abundantiam adfert, animi diuitias recõdit: alimoniam, quæ nec consumi, nec vitiari potest reditus, qui neque pereunt, neque corrumpuntur, sed arcana quadam prouidẽtia conseruantur, quorum vlus fructus meote percipitur. *Hom. 1. in Esaiam.*

Vt vniones tametsi in mari nascuntur, tamen plus habent cognationis cum cœlo, cuius faciem reddunt: ita pius ac generosus animus magis a cœlo pendet, vnde ducit originem, quam a terra, in qua viuit.

Chrysostomi: An non videtis frequenter, quod qui in vrbibus versantur, pueros nuper a lacte depulsos faciunt thallophoros, aut agonothetas, aut certaminum præfectos, aut chorearum magistros faciunt: Idem & nos faciamus, a primis statim annis inducamus eos ad disciplinam Reipub. cœlestis. Siquidem hæc terrena, quum impendium adferat, fructum tamen nullum habet. Nam quæso te, quis fructus esse possit è populari applausu? Simul vt vespera nos occuparit, illico plausus illic totusque tumultus emarcescit, ac festo peracto, perinde quasi in somnis fuerint delicati, ita omni voluptate destituti consistunt, dum nec a corona, nec a magnifica veste, nec a reliquo fastu vniuerso conceptã voluptatem, si quærant, inuenire valeant, quod omnia illa quouis vento celerius prætercurrant? cæterum in cœlesti politia omnia secus habent, citra impendium lucrum adferunt, & copiosum & stabile. *Hom. 8. de Anna & Samuele.*

Vbi semen est, ibi etiam multiplicatio fructuum consequitur. Tu vero terram quidem pinguem ac fertilem coleres, & quæ plurimum esset opportuna seminibus, non tantum illam propriam horream seminando vacuares, sed etiã mutuaueris aliunde, qđ sereres: maximum namque detrimentum putares, si in re tali diligeres parcitatem. In cœlo vero operans, atque ibi fructum requireos, vbi nulla aeris inæqualitas, corruptio nulla ventorum, sed plurimo vbique cum fœnore semina iacta proueniunt, cunctaris atque dissimulas? nec intelligis, quia possimus & parcẽdo perdere, & spargendo colligere. Sparge ergo, ne perdas: noli retinere, vt magis congreges. *Hom 5. in Matth.*

Qui thesaurum suum terræ defodiunt, ne illum defodiendo transferant in cœlum, tale quiddam faciunt, quale, si agricola accipiens frumentum terra fertili seminando, vberem quidem agrum relinquat, in lacum vero frumentum omne demergit, vt eo nec ipse potiatur, & frumentum sui corruptione depereat. *Hom. 9. in Matth.*

Nazianzeni. Quemadmodum inter Aegyptios & Hebræos olim nubes: Sic & nunc inter Deum & nos corporalis hæc caligo intercessit; hac gratia, vt dum purgatiores maioreque cum sudore desiderij nostri scopum contendimus, industriæ nostræ lucidæque viræ præmium quoque magnificentius contingat. *Lib. 2. de Theologia.*

Quemadmodum fieri non potest, vt vel tuam ipsius vmbram quantumuis etiam festines, præcurras (semper enim quantum tu vrgendo processeris, tantum ipsa sequendo occupat) vel in colores oculorum radios, nullo aut lumine, aut aere deuehente defigas, vel denique extra aquas natatilis illa piscium natura sua se lubricitate promoueat: Ita nulla est via, cuius ductu hi, qui in corpore sunt, ad intellectilem naturam omnino sine corporalium rerum interuentu pertingere queant. *Ibid.*

Quemadmodum cibo immodico obruti, stomachum auferunt languidiorem, aut lumine solari supra facultatem senusl onerati, amplius obscuriorem oculorum aciem experiuntur: Ita & illi de viribus suis periclitantur, sed vt paulatim alio post aliud addito facto, ac, sicut Dauid inquit, gradibus, & a gloria in gloriam processibus profectibusque Trinitatis lux illustrioribus affulgrat. *Lib. 5 de Theologia.*

Olympiodori. Sicut aliquis acuto præditus visu, eadem oculorum vi, modo ad honesta & necessaria vtitur, modo & lasciue abutitur, nulla quidem oculorum culpa & causa, sed affectu & intentione peccante: Ita & is, cui Deus mentem sapientia exornauit, siquidem, vt decet, dono Dei vtatur, res diuinas commode contẽplatur: sin vero ad terrena deprimatur, elanguescit ac degenerat: in Dei dono optime tamen ac perspicacissime terrena quoque percipit, ac intellectu consequitur: neque vero mẽtis acies, sed animi intentio, prout vel bene vel male Dei dono vtatur, digna laude vel vituperatione censetur. *In Ecclesiasticu.*

Caput eminentia quædam est, & suprema totius corporis pars, pedes vero infixi sunt, terramque contingentes. Quando itaque præsidente intellectus purgatus fuerit, superna speculatur non quæ sunt super terram: at tunc in capite oculos vere habet. Quã do vero mens ad terrena conuertitur, tunc in pedibus habere oculos videtur, circa limum terræ occupata. Aliter: caput Ecclesiæ Christus est, ad quem si sapiens, dum ambulat, oculos intendit, sicut & Christus præambulauit, oculos habet in capite. Stultus autem ambulat in tenebris, semper declinans in terram, tenebricosoque intellectu. *in Eccles. c. 2.*

Clementis Alexandrini. Sicut testa ouorum, quamuis pulchre facta, & diligenter formata videatur, necesse est tamen eam frangi & resolui, vt inde pullus procedat, & illud, pro quo totius oui forma expressa videtur, appareat: Ita ergo & huius mundi necesse est transire statum, vt status ille sublimior regni cœlestis effulgeat. *Lib. 3. recognit.*

Chromatij, Dominus ac Saluator noster frequenter admonet nos terrestria de cœlestibus, cum dicit: Simile est regnum cœlorum reti misso in mare. Vel certe: Simile est regnum cœlorum homini negocianti, quærenti bonam margaritam. Si ergo mercatus hanc ipse continet rationem, vt vnusquisque pro vtilitate sua aut vendat, quæ sibi superflua sunt, aut emat quæ desunt, non incondite & ego proponam mercem, quam mihi commisit Dominus, prædicationem vtique cœlestem: siquidem me minimũ quoque, etsi indignum, tamen de seruis quibus Dominus talenta distribuit ad negociandum, lucrumque faciendum elegit. *De octo beatitudinibus, fo. 12.*

Bernardi. Quod si cupiæ aquarum secretis subterraneisque recursibus incessanter æquora repetunt, vt inde rursus ad vsus, viuisque nostros iugi & infatigabili erumpant obsequio: cur non etiam spirituales riui, vt arua mentium rigare non desinant, proprio fonti sine fraude & intermissione redduntur? Ad locum, vnde exeunt, flumina reuertantur gratiarum, vt iterum fluant. Remittatur ad suum principium cœleste profluuium, quo vberius terræ refundatur. *in cantic. serm. 13.*

Polybij, Quemadmodum visu vtentes, faciem perpetuo ad id conuertere solemus, quod demonstrationis gratia ostenditur. Sic & animus in ea loca propendere debet, quæ inter narrandum proponuntur. *Lib. 3. hist fol. 85.*

COITVS.

Biblici Loci.

Coitus illiciti, *Leuit. 18 vers 6. 7. 8. & seqq* Coitus illiciti supplicium, *Leuit. 20. v. 11 & seqq.*

Apophthegmata.

Pythagoras rogatus a quodam, quando esset congrediendum cum fœmina. Cum voles, inquit, te ipso fieri debilior. Multa Venus eneruat hominem. *Laert. l. 8. c. 1.*

Idem dicere solebat, Ne fur, sit homo ab homine; Hoc ænigmate frequentem venereorum vsum interdicens. *Stob. serm. 15.*

Aristoteles Cyrenensis interrogatus, an amor coitus gratia fieret? Neque eius gratia, dixit, neque sine eo. *Stob. serm. 61.*

Lycurgus, quodam admirante, quamobrem veruisset sponsum cum sponsa simul dormire, ac statuisset, vt vterque cum suis æqualibus maximam diei partem versaretur, cumque his totas noctes quiesceret, cum sponsa vero furtim ac verecunde congrederetur. Primum, inquit, quod vt corporibus essent validi, si non vterentur congressu ad satietatem, dein vt illis amor mutuus semper maneret recens ac vigens: deinque vt fœtus ederent robustiores. *Plut. in Lacon.*

Alexander, duabus potissimum rebus, cum Deus a multis prædicaretur, se quod mortalis esset, deprehendere dicebat, somno & coitu: quod hæc præcipue proderent humani corporis imbecillitatem. Sõnus enim mortis imago est, & coitus species est morbi comitialis. *Plut. in Alex.*

Similitudo.

Chrysostomi. Quemadmodum quum manducas & bibis, non anima manducat, sed corpus: res enim incorporalis corporali cibo nõ pascitur: Sic quum vir mulieri, aut mulier viro coniungitur, nõ anima copulatur, sed corpus. *In Matth. 24 Hom. 52.*

Vide Amor Venereus, Scortatio, Fornicatio, Venus.

COGITATIO.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Cogitatio, Græce λογισμὸς ἀπὸ & λογίζομαι cogito dicitur. Est autem cogitatio, secundum Richardum, inquisitio veritatis per discursum ex multis, licet secundum Augustinum quandoque sumatur pro quacumque operatione intellectus. *Hæc ex B. Thom. 2. 2. q 180. art. 3.*

Differuntque Cogitatio, Meditatio, Contemplatio, & Consideratio hoc modo: quod Cogitatio est respectus animi ad euaga-

tionem pronus. Meditatio est intuitus occupatus in inquisitione veritatis. Contemplatio est liber animi contuitus in res. Consideratio est omnis operatio intellectus, vel processus rationis ex principijs pertingentibus ad contemplationem veritatis, sicut meditatio, *secund. S. Thom. 2. 2. q. 180. art. 3.*

Cogitatiua potentia est ratio particularis, collatiua intentionum indiuidualium, *secund. S. Tho. 1. p. q. 78. art. 4.*

SENTENTIAE BIBLICAE.

Cogitatio bona.

Egressus fuerat (Isaac) ad meditandum in agro, inclinata iam die. *Genes. 24.*

Cogitationes iustorum, iudicia: consilia impiorum fraudulenta. *Prou. 12.*

Mens iusti meditabitur sapientiam: Os impiorum redundat malis. *ibid. 15.*

Reuela Domino opera tua, & dirigentur cogitationes tuae. *Prou. 16.*

Cogitatum tuum habe in praeceptis Dei, & in mandatis illius maxime assiduus esto, ipse dabit tibi cor, & concupiscentia sapientiae dabitur tibi. *Eccles. 6.*

Cogitatus sensati in omni tempore vel metu nõ deprauabitur. 22.

Fiduciam autem talem habemus per Christum ad Deum, nõ quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est. *2. Cor. 3.*

Deus est enim, qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate. *Phil. 2.*

De caetero fratres, quaecumque sunt vera, quaecumque amabilia, quaecumque bonae famae: si qua virtus est, si qua laus disciplinae, haec cogitate. *Phil. 4.*

Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. *Matth. 5.*

Cogitatio mala.

Videns autem Deus, quod multa malitia esset in terra: & cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, poenituit eum, quod hominem fecisset in terra, & praecauens in futurum, & tactus dolore cordis intrinsecus, delebo, inquit, hominem, quem creaui, a facie terrae. *Gen. 6.*

Dolus in corde cogitantium mala. *Prouerb. 12.*

Abominatio Domini cogitationes malae. *Prouerb. 15.*

Qui attonitis oculis cogitat praua, mordens labium suum perficit malum. 16.

Qui cogitat mala facere, stultus vocabitur. Cogitatio stulti peccatum est; & abominatio hominum detractor. 24.

Peruersae cogitationes separant a Deo. *Sap. 1.*

In cogitationibus impij interrogatio erit. *ibid.*

Impij secundum quae cogitauerunt, correptionem habebunt. 3.

Corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit terrena habitatio sensum multa cogitantem. Non est cogitatus impiorum prudentia. 9.

Non te extollas in cogitatione animae tuae, velut taurus: ne fortè elidatur virtus tua per stultitiam. *Eccles. 6.*

Qui minoratur corde, cogitat inania: & vir imprudens, & errans cogitat stulta. 16.

Sicut in percussura cribri remanebit puluis: sic aporia hominis in cogitatu illius. 27.

Cogitationes eorum cogitationes inutiles. *Esa. 59.*

De corde enim exeunt cogitationes malae, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia & blasphemiae: haec sunt, quae coinquinant hominem. *Matth. 15.*

Auferte praeputia cordium vestrorum, viri Iuda, ne fortè egrediatur vt ignis indignatio mea, & succendatur, & non sit, qui extinguat propter malitiam cogitationum vestrarum. *Ier. 4.*

Laua a malitia cor tuum Ierusalem, vt salua fias: vsquequo morabuntur in te cogitationes noxiae? *ibid.*

Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris? *Matth. 9.*

BIBLICI LOCI.

Cogitatio pro ratione, *Ephes. 2. 3.* Cogitationes bonae a Deo, *2. Corinth. 3. 5.* malae hominem inficiunt, *Matth. 15. vers. 19. 20.* damnantur, *Zach. 8. vers. 10. 17. Prou. 6. 14. Matth. 15. 19. Marc. 7. 22.* cogitationes cordis nouit Deus, *1. Reg. 8. 39. 2. Paral. 6. 30. Ioann. 2. 25.* & nulla eum latet, *Iob 42. 2. Eccles. 42. 19. Esaia 19. versic. 15. Matth. 9. 4. Hebr. 4. 12.* cogitationes impiorum peruersae, *Iob 15. 35. Psalm 10. vers. 7. 13. 15. & 14. 1. & 36. 4. & 35. 4. & 74. 8. & 83. 4. & 140. 2. Prouerb. 15. 5. & 24. 9. Esaia 59. 7. Ierem. 6. 18. & 18. 18. Mich. 2. 1. & Zach. 1. 4.*

PATRVM SENTENTIAE.

Cogitationes nostrae non sunt in potestate nostra. *August. libro 4. cont. Pet.*

Quicquid pudet dicere, pudet & cogitare, est tutissimum atq; perfectum, vt assuescat animos sollicita semper & peruigili custodia discernere cogitationes suas, ad primum animi motum, vel probare vel reprobare, quod cogitat: vel bonas cogitationes alat, vel statim malas extinguat. Hinc namque fons est boni, & origo peccandi. Ibi maxime oportet obseruare peccatum, vbi nasci solet, statimque ad primam tentationis faciem, & malum, antequam crescat, restinguere, dum adhuc est in cogitatione. *Hieron. in epist. ad Demetriad.*

In illa tantum cogitatione peccatum, quae suggestioni consensum mentis dedit: quae malum suum blande fouet, quae in factum gestit irrumpere. Huius cogitatio est, si ex aliquo impedita casu non impleat voluntatem: nihilominus actione criminis condemnatur a Domino, vt illud in Euangelio legimus: Qui viderit mulierem ad concupiscendum. *idem ibid.*

Ad peccandum, quod opere perpetratur, nequaquam peruenies, si incentiua vitiorum statim in mente iugulabis, & paruulos Babylonis allides ad petram, in qua serpentis vestigia non reperiuntur, & caute Domino promittes, Si mei non fuerint dominati, &c. *idem ibid.*

Tunc ad perfectionis summam pertingimus, quum sic exteriora vitia vincimus, cogitationes superfluas a mente resecemus. Nã tanto longius mens a necessarijs cessat, quanto inania latius cogitat. *Greg. l. 2. moral.*

Peccata operis tanto citius cognoscuntur, quanto exterius videntur, peccata vero cogitationis eo ad intelligendum sunt difficilia, quo inuisibiliter perpetrantur, & tanto latius cogitationes defluunt, quanto se esse securius aestimant: qui foris a reprehensoribus non videntur. *lib. 11.*

Magno studio superfluae cogitationes amputandae sunt. Sed tamen amputari funditus nequaquam possunt. Semper enim caro superflua generat: quae semper spiritus ferro solicitudinis rescindat. *lib. 3.*

Electorum mentes, si quas in se carnales cogitationes inueniunt, poenitentiae ardore consumunt, nec cogitationes suas dilatari carnali voluptate permittunt; quia eo semetipsos iudicantes subtilius feriunt, quo districtum iudicem praestolantur vicinum. *lib. 12.*

Quum reproborum mentibus occasio perpetrandi peccati deest, desideriorum cogitationes eorum cordibus nullatenus desunt, & quum non semper Diabolum sequuntur in opere, valde tamen se illi obligant in cogitatione. *lib. 14.*

Ante Dei oculos vacuae non transuolant cogitationes nostrae, & nulla momenta temporis per annum transeunt sine statu retributionis. *lib. 20.*

Saepe misericors Deus eo citius peccata cordis abluit, quo haec exire ad opera non permittit, & cognita nequitia tanto citius soluitur, quanto effectu operis non ligatur. *In Pastor. c. 53.*

Si a domo mentis ad monumentum ratio discedat, quasi absente domina, cogitationum clamore velut garrula ancillarum turba multiplicat. Vt autem ratio ad mentem redierit, mox se confusio tumultuosa compescit, & quasi ancillae se ad iunctum opus tacite reprimunt, dum cogitationes protinus se causis proprijs ad vtilitatem subdunt. *in Mor.*

Cogitatio est improuidus animi respectus ad euagationem pronus. *Cass. sup. Psalm. 38.*

Quocumque tempore non cogitaueris Deum, puta tempus illud amisisse. *Caesarius monitione 2. c. 3.*

Incipiamus bonas cogitationes diligere, & statim ab illis, quae malae sunt, dignabitur Dominus liberare. *In Coll. patr. coll.*

Mentem non interpellari cogitationibus impossibile est. suscipere vero eas siue respuere, omni studenti per gratiam Dei possibile est. Quemadmodum igitur ortus earum non omnimode pendet a nobis, ita reprobatio vel electio consistit in nobis. *Moys.*

SENTENTIAE POETICAE.

Auson. de ludo Sapient.

Μελέτη τὸ πᾶν qui dixit & dictum probo,
Meditationem id esse, rectè quod geras.

Ibidem.

Is quippe solus rei gerendae est efficax,
Meditatur omne qui prius negotium.

Terent. in Adelph.

O Demea, istud est sapere, non quod ante pedes modo est
Videre, sed etiam illa, quae futura sunt
Prospicere.

Auson. de ludo 7. Sapient.

Aduersa rerum, vel secunda praedicas
Meditanda cunctis comicus Terentius:
Locare sedes, bellum gerere, aut ponere
Magnas, modicasque res etiam, paruas quoque
Agere volentem semper meditari decet.
Nam segniores omnes incautos nouis,
Meditatio si res gerenda defuit.

Ibidem.

Nihil est, quod amplius curam postulet,
Quam cogitare quid gerendum sit: deinde
Incogitantes fors, non consilium regit.

Stat.

SIMILITUDINES.

Chrysostomi. Sicut irrationabilis terra, quæ secus viam posita est, semper conculcatur, & dura est, & semina doctrinæ in sulcos sensus sui non recipit, sed volatiles spiritus rapiunt ea: sic & omnis arbor rationabilis iuxta viam posita non potest esse fructifera; id est, homo secundum mundum viuens nunquam potest euadere a peccato, vt sit iustus. *In ar. Matth. hom. 36.*

Sicut flores non possunt procedere, nisi fuerit gemma. Sic bona voluntas nasci non potest, nisi præcesserit in homine cogitatio bona. *ibidem.*

Sicut de gemmis flores: ita de bonis cogitationibus nascuntur bonæ voluntates. Sicut autem flores non possunt procedere, nisi fuerit gemma: Sic bona voluntas nasci non potest, nisi præcesserit in homine cogitatio bona. Poma sunt opera iustitiæ. Sicut ante pomum flos: Ita ante opus bonum voluntas bona. Arbor non profert fructum, quæ iuxta viam est: Ita qui in mundo viuunt. *Hom. 38. in Matth.*

Talis est cogitationum natura, labyrintho cuipiam ac gryphis similis est, nullum vsquam finem habens, neque concedens cogitationem stare supra petram, originem ab arrogantia, ac nimia sui opinione assumens: cum enim quosdam pudeat ad fidei susceptionem accedere, vt ne videantur cœlestia ignorare, ipsi sese in cogitationum veluti quisquilias ac minutias coniiciunt. *Hom. 2. in ep. 1. ad Rom.*

Origenis. Sicut qui adulterium committit in solo corde, nondum omnino progressus ad opus: Ita si quis fecerit in corde cætera, quæ prohibita sunt, verbi causa; si quis corde tantum sit furatus, aut corde tantum falsum testimonium dixerit, non vt ille, qui facto furatus est, aut falsum testimonium re perpetrarit: sed tantum vt qui corde solo talia fecerit, punietur: idque si per ipsum steterit, quo minus peruenerit ad prauum facinus. Quod si præterquam quod voluit, aggressus quidem est, sed non successit, punietur: vt qui non solum corde, verum etiam opere peccauerit. Super hæc quærat aliquis, an adulterium committat aliquis solo corde, etiam si factum adulterij non peregerit, sed in solo corde fuerit impudicus. Simili modo faciles de cæteris laudabilibus. Habet autem hic locus, quo probabiliter falli possimus: quod hac opinor ratione tollendum est. Adulterium quidem in corde peractum minus est peccatum, quam si quis adiungat etiam factum. Non potest autem fieri, vt pudicitia sit in corde, quæ obstet impudico facto: nisi quis hic quoque in exemplo sumat virginem, iuxta quod lex dicit, in solitudine violatam. Fingamus enim cor alicuius esse purissimum, cæterum violentam peregisse corruptionem corporis pudicæ, in eo quod lasciuum est. Hæc sane mihi videtur prorsus esse casta in occulto quidem, corpore vero non esse pura, quemadmodum erat ante vim illatam: at non quia non pura, statim impudica. *In cap. 10. Matth.*

Maximi Monachi. Quemadmodum parentes corporum compatiuntur natis ex se liberis: Sic etiam animus naturaliter indulget rationibus & cogitationibus. Et quamquam omnium & per omnia liberi fuerint ridiculosi & turpissimi, omnium tamen videntur suauissimi & formosissimi. Sic etiam amenti animo suæ cogitationes & rationes, tametsi ex omnibus fuerint pessimæ, sapientissimæ tamen esse videntur. *lib. 3. de Charitate.*

Quemadmodum corpus habet mundum res ipsas: Sic etiam animus habet mundum ipsas cogitationes. *ibid.*

Sicut corpus scortatur cum corpore mulieris: sic etiam animus scortatur cogitatione mulieris per proprij corporis imaginationem. *ibid.*

Vt figuli vasa probat fornax. Sic distrahitur homo in cogitatione sua. *ibid.*

Quemadmodum rerum humanarum cogitatio nõ cogit animum res diuinas contemnere: Sic neque nuda cogitatio rerum diuinarum eundem adigit, vt res humanas prorsus respuat. *lib. 3. de Charitate.*

Marci Eremitæ. Quemadmodum in aquis ignis durare non potest: Ita neque turpis cogitatio in corde Dei amante. *De lege spirituali.*

Quemadmodum vnicuique rerum, quæ videntur, Deus promptitudinem tribuit: sic humanis quoque cogitationibus, siue velimus, siue nolimus. *De lege spirituali.*

Augustini. Ne quasi permittamus in nobis cogitationes prauas, ne tanquam minima negligamus, quia, qui minima spernit, paulatim defluit. Non spernamus morsum serpentis, ne venenũ eius aspergatur in corda nostra: quia quamuis venenum vita sit serpentis, tamen mors est hominis. Abscindamus virgulta spinarũ de agro cordis nostri, ne defigant in nobis altas radices. Cor nostrum ager est Domini Iesu Christi: excolamus eum cœlestibus disciplinis, & non sinamus in agro tanti Imperatoris seminari zizania: sed cunctis floribus virtutum decoremus, quia his delectatur. *lib. de salutaribus documentis, c. 34.*

Hilary. Humanæ mentis natura est, vt si cogitatione aliquid cõtemplemur, talem se nobis rerum quæque species exhibeat, qualem eã & cogitando formemus. Quoquo enim mentis nostræ oculus intenderimus, id ipsum, in quo defixi sunt, referunt ad sensum. Et vt planius intelligi id quod dictum est, possit, afferemus exẽplum: Si quis hyemali die ver cogitauerit, & ornatum eius lumine mentis inspexerit, oblitterata hyeme, in qua sit, atque algeat, totum ei in sensu suo ver cum habitu sui ornatuque consistet: adeo mentis oculis corporis præstant, vt ineunte in eos obliuione præsentium totos nos obtineat quidam quasi animo præsumptus vsus absentium. *in Psalm. 120.*

Tertulliani. Perit ille simul in tua forma, si concupierit, & admisit iam in animo quod concupiuit, & facta es tu gladius illi: vt etsi a culpa vaces, ab inuidia non liberaberis. Vt cum in alicuius agro latrocinium gestum est, crimen quidem dominum non constringit, dum res tamen eius ignominia notatur, ipse quoque infamia aspergitur. *De cultu fœminarum.*

Seneca. Quemadmodum quæ in vsu sunt, & manum quotidie tactumque patiuntur, nunquam periculum situs adeunt: illa, quæ ad oculos non reuocantur, sed extra conuersationem vt superuacua iacuerunt, sordes ipsa colligunt vetustate. Ita quicquid frequens cogitatio exercet ac renouat, memoriæ nunquam subducitur, quæ nihil perdit, nisi ad quod sæpe non respexit. *lib. 3. de benef. c. 2.*

Anonymi. Porphyrius serpens venenum habet, sed quoniam edentulus est, sibi habet: Ita quidam male cogitant, sed quod desit facultas, nemini nocent. *In sim.*

Anonymi. In concussione cribri permanent stercora: sic spolia hominis in cogitatione illius. Vasa figuli probat furnax, & tentatio hominis in cogitatione illius. Culturam ligni ostendit fructus illius. Sic loquutio cogitationis in corde hominis. Leo venationi insidiatur: sic peccatum operantibus iniquitatem.

EXEMPLA SACRA.

Cogitationum peruersarum exempla: Fratres Ioseph. *Genes. 50. 20.* Scribæ & Pharisæi, *Matth. 9. 3. & 12. 24. Marc. 2. 6. Luc. 5. 21. & 7. 30.* Pharisæus quidam, *Luca 11. 38.* Colooi, 20. 14. Principes Sacerdotum, *Ioan. 11. 10.* Sacerdotes Iudaici, *Act. 5. 33.* Simon Magus, 8. 22.

HISTORICA EXEMPLA.

D. Augustinus Hipponensis Episcopus, dum sanctæ Trinitatis mysteriũ solus in cubiculo sedens contemplatur, ita a seipso abscesserat, vt a muliere, quæ illum consulere cupiebat, sæpius interpellatus nihil responderet, imo ne respiceret quidem: mulier denique, quia se contemptam putauit, abiret tristis. Postero autem die, cum eum in Ecclesia audiret, in spiritu raptæ, vidit de Trinitate disputantem, atque audiuit: idcirco se illum die hesterno frustra quidem adijsse: quod eiusmodi meditatione occupatus, ipsam neque videre, neque omnino sentire potuisset, ac proinde nec redire dubitaret. Redijt, &, quod petierat, consilium sine cunctatione accepit. *Marull. l. 2. c. 4. & Sab. l. 2. c. 5.*

D. Thomas Aquinas Parisijs cum Philippo, aut (vt Campanus scribit) Ludouico Gallorum rege cœnans, animo alienatus, cum ne oculis quidem conniueret, tandem percussa manu mensa exclamauit aduersus Manichæos conclusum est. Quod factum cũ rex admiraretur, Thomas cum rubore respondit argumentum sibi in mentem venisse, quo Manichæorum dogma penitus euerteret. *Fulgos. lib. 8. c. 7.*

Atlantem Libycum tanta cœlestis cursus cognoscendi voluptas incessit: vt spreto hominum commercio, in altissimum Africæ occidentalis montem secesserit solus. Itaque & monti nomen indidit, & ob singularem cœlestium rerum cognitionem cœlũ suis humeris fulcire dictus est. *Theatrum Zuingeri.*

Indorum Gymnosophistæ ab exortu solis ad occasum vsque eodem in loco perstant: alternis sæpe pedibus toto die feruentissimis arenis insistunt, solemque immobilibus oculis contuentur: vt hac ratione & animum contemplatione, & corpus laborum tolerantia exerceant. *Plin. lib. 7. c. 2.*

Archimedes, qui machinationibus suis multum ac diu victoriam Marci Marcelli Syracusas obsidentis inhibuerat, quum capta vrbe, animo & oculis in terram defixis, formas describit, militi, qui prædandi gratia domum irruperat, strictoque super caput gladio, quisnam esset, interrogabat? propter nimiam cupiditatem inuestigandi, quod requirebat, nomen suum indicare non potuit sed proiecto manibus puluere, noli (inquit) obsecro, istũ circulum disturbare, ac perinde quasi negligens imperij victoris obtruncatus, sanguine suo artis suæ lineamenta confudit. *Valer. l. 8. c. 7.*

P. Scipio Africanus, antelucanis horis in Capitolium ascendens, in templo Iouis Opt. Max. prius contemplabundus sedebat, quam in senatum descenderet; vt ea, quæ Reipubl. salutaria essent, Deorum prius pace implorata, inuenire & patribus proponere posset. *Gell. l. 7. cap. 1. ex Iulio Hygino & C. Oppio refert: atque Iouis filium creditum.*

Carolus Magnus ad ceruicale pennam & encaustum cum pergameno noctu reponebat, vt si quid in lecto cogitanti vtile occurreret.

curreret, signare posset, ne è memoria laberetur. Vicinus etiam lecto erat paries cera illitus cui, si quid in tenebris occurrisset, inscriberet. *Æginardus in vita Caroli, & Henricus Erphordensis.*

Carolus V. Imp. antequam quicquam aggrederetur, diu multumque prius deliberabat, in publicum non prodibat, neminem ad se intromittebat, sæpe quin etiam morbum simulabat. Quo ipso effecit, vt non prius eius consilia deprehenderentur, quam in opus deducta essent. *Theat. vitæ.*

S c r i p t o r e s.

De apprehensione scripsit *Albertus Magnus.* De animo & cogitatione agit, *Lucretius lib 4.* De cogitandi ratione, *Erasonius lib 2. c. 15.* cur in cogitatione profundiore somnus obrepat, ostendit *Cælius Rhodiginus lib. 6. ca. 3.* Sæpe altero cogitante idem cogitat alter. *Marsil. Ficin. 4. 38.* De primis motibus & de consensu, *Gerson. 2.* Cur, quomodocunque voluerimus, statim cogitamus, *Lucret. lib. 4.* De cogitatione etiam, *Lumen animæ p 2. c. 33. Vincent. Belua. 3. 1. 2. Idem de consideratione T. 1. 3. 37. De cogitationibus, Efrem: Iacob Carthus. Erfurd.*

Vide Animus, Contemplatio, Consideratio, Mens, Ratio.

C O G N I T I O.

DEFINITIO ET ETYMOL.

Cognitio, γνῶσις, σεως ἡ & γνώστηρ ἦρος, ὁ cognitor dicitur. Proprie autem cognitor dicitur, qui litem alterius suscipit coram, ab eo, cui datus est, sicut procurator, qui absentis nomine author fit. Cognitor a cognosco venit: vnde etiam recognosco, quod est opus compositum emendandi, aut limandi, aut reprehendendi causa reuideo. Actus vero ipse recognitio dicitur.

S e n t e n t i æ B i b l i c æ.

Cognitio Dei super omnes.

Homo enim videt ea, quæ parent: Deus autem intuetur cor. *1. Regum 16.*

Nonne ipse considerat vias meas, & cunctos gressus meos dinumerat. *Iob 31.*

In omni loco oculi Domini contemplantur bonos & malos. *Prouerb. 15.*

Infernus & perditio coram Domino: quanto magis corda filiorum hominum? *ibid.*

Omnes viæ hominum patent oculis eius, spirituum ponderator est Dominus. 16.

Non præterit Dominum omnis cogitatus: & non abscondit se ab eo vllus sermo *Ecclesi. 42.*

Bonos singulariter.

Et respexit Dominus filios Israel, & cognouit eos. *Exod. 2.*

Quoniam nouit Dominus viam iustorum. *Psal. 1.*

Priusquam te formarem in vtero, noui te. *Ier. 1.*

Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc: Cognouit Dominus qui sunt sui. *2. Tim. 2.*

Omnia nuda & aperta sunt oculis eius. *Hebr 4.*

Malos non agnoscit.

Multi dicent mihi in illa die, Domine, Domine: Et tunc confitebor illis, quia nunquam noui vos: discedite a me omnes, qui operamini iniquitatem. *Matth. 7.*

Amen dico vobis, nescio vos. 25.

Si quis autem ignorat, ignorabitur. *1. Cor. 14.*

Firmiter exigitur.

Cognoscetur Dominus iudicia faciens. Conuertantur peccatores in infernum, omnes gentes, quæ obliuiscuntur Deum. *Psalm. 9.*

Vacate & videte, quoniam ego sum Deus. 45.

Deus de cœlo prospexit super filios hominum, vt videat, si est intelligens, aut requirens Deum. 52.

Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei. *Sap. 13.*

Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini, Israel autem me non cognouit, & populus meus non intelligit. *Esai. 1.*

Quia stultus populus meus me non cognouit: filij insipientes sunt, & vecordes. *Ier. 4.*

Confortati sunt in terra, quia de malo ad malum egressi sunt, & me non cognouerunt, dicit Dominus. 9.

Non glorietur sapiens in sapientia sua, & non glorietur fortis in fortitudine sua, & non glorietur diues in diuitijs suis: sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire & nosse me: quia ego sum Dominus, qui facio misericordiam, & iudicium & iustitiam in terra. *ibidem.*

Misericordiam volui, & non sacrificium: scientiam Dei plus quam holocausta. *Osea 6.*

Reuelatur ira Dei de cœlo super omnem impietatem, & iniustitiã hominum eorum, qui veritatem Dei in iniustitia detinent: quia quod notum est Dei, manifestum est in illis: Deus enim illis manifestauit. *Rom. 1.*

Multipliciter acquiritur, scilicet diuina illustratione.

Qui dixerunt Deo, recede a nobis, scientiam viarum tuarum noluimus. *Iob 21.*

Multi dicunt, quis ostendit nobis bona? Signatum est super nos lumen vultus tui Domine. *Psal. 4.*

Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa: quia ego ipse, qui loquebar, ecce adsum. *Isa. 52.*

Confitebor tibi Pater Domine cœli & terræ, quia abscondisti hęc a sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Et nemo nouit filium, nisi pater, neque patrem quis nouit nisi filius, & cui voluerit filius reuelare. *Matt. 11.*

Nemo venit ad me, nisi pater meus, qui misit me, traxerit eum. Non quia patrem vidit quisquam, nisi is, qui a Deo est, hic vidit patrem. *Ioan. 6.*

Et scimus, quoniam filius Dei venit, & dedit nobis sensum, vt cognoscamus, & simus in vero filio eius. Hic verus Deus, & vita æterna. *1 Ioan. 5.*

Creaturarum consideratione.

Nimirum interroga iumenta, & docebunt te: & volatilia cœli, & indicabunt tibi: loquere terræ, & respondebit tibi: & narrabunt pisces maris. Quis ignorat, quod omnia hæc manus Domini fecerit? *Iob 12.*

Cœli enarrant gloriam Dei. *Psal 18.*

Vani sunt omnes homines, in quibus non est scientia Dei, & de his, quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui est, nec operibus attendentes agnouerunt, quis esset artifex. Quorum etsi specie delectati Deos putauerunt, sciant quanto his dominator speciosior est. Speciei enim generator hæc constituit, aut si virtutem & opera eorum mirati sunt, intelligant ab illis, quoniam, qui fecit hæc, fortior est illis. *Sap. 13.*

A magnitudine etiam speciei & creaturæ cognoscibiliter poterit creator horum videri. Creauit illis scientiam spiritus, & sensu impleuit cor illorum. *ibid.*

Multa abscondita sunt maiora his, pauca vidimus operum eius. *Ecclesi. 43.*

Inuisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. *Rom. 1.*

Ex parte enim cognoscimus. *1. Cor 13.*

Scripturarum declaratione.

Scrutamini Scripturas: quia vos putatis in illis vitam æternam habere. Et illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me. *Ioan. 5.*

Si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi: de me enim ille scripsit. *ibid.*

Salubriter perquiritur.

Nosse enim te consummata iustitia est, & scire iustitiam & virtutem tuam radix est immortalitatis. *Sap. 15.*

Non nocebunt, & non occident in vniuerso monte sancto meo: quia repleta est terra scientia Domini, sicut aquæ maris operientis. *Esa. 11.*

Viuificabit nos post duos dies, & in die tertia suscitabit nos, & viuemus in conspectu eius, sciemus, sequemurque, vt cognoscamus Dominum. *Osea 6.*

Hæc est autem vita æterna: vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti, Iesum Christum. *Ioan. 17.*

Et omnis, qui diligit, ex Deo natus est, & cognoscit Deum. Qui nõ diligit, non nouit Deum, quia Deus charitas est. *1. Io. 4.*

Cognoscit homo differenter.

Homo videt ea, quæ patent. *1. Reg. 16.*

Sicut aqua profunda, sic consilium in corde viri, sed homo sapiens exhauriet illud. *Prouerb 20.*

Vestigium cordis boni, & faciem bonam difficile inuenies, & cum labore. *Ecclesi 13.*

Quis scit hominum, quæ sunt hominis, nisi spiritus, qui in ipso est? *1. Cor. 2.*

Cognoscitur homo frequenter.

In facie prudentis lucet sapientia. *Prouerb 17.*

Sapientia hominis lucet in vultu eius, & potentissimus faciem illius commutabit. *Ecclesi 8.*

Cor hominis immutat faciem illius, siue in bono, siue in malo. *Ecclesi. 13.*

Ex visu cognoscitur vir, & ab occursu faciei cognoscitur sensatus. 19.

A statu.

Quomodo in aquis resplendent vultus prospicientium: sic corda hominum manifesta sunt prudentibus. *Prou. 27.*

Sicut rusticatio de ligno ostendit fructum illius: sic verbum cogitatus cordis hominis. *Ecclesi. 27.*

Gestu.

Ex studijs suis intelligitur puer, si munda & recta sint opera eius. *Prouerb. 20.*

Amictus corporis, & risus dentium, & ingressus hominis enunciant de illo. *Eccles. 19.*

Biblici Loci.

Cognoscere, Hebræis honeste significat congressum viri cum muliere. *Gen. 4. v. 1. 17. 25. & 38. 26. 1. Reg. 1. 4. Luc. 1. v. 34.* dicitur & de masculorum concubitoribus, *Gen. 19. 5*

Cognitio dilectionis Christi quam necessaria, *Ephes. 3. 19.* cognitio Christi quam necessaria, *Io. 17. 3.* non est secundum carnem. 2. 5. 16. donum cæleste est. *Matth. 16. 17. Ephes. 1. 17 Coloss. 1. v. 26. 27,* in quo sita, *Ioan. 7. 17. & 14. 7. Ephes. 4. 21. 1. Ioan. 2. 3. & 3. 6.* quibus concessa, *Matth. 11. 27.* suos progressus habet, *Actor. 8. 35. Ephes. 4. v. 11. 12. 13.* Cognitio Dei, & dona Spiritus sancti aquis assimilantur. cognitio Dei mentibus hominum insculpta est, *Roman. 1. 21.* quam necessaria, *Ieremia 9. v. 23. 24. Cor. 1. 31. 2. Corint. 10. 17. Ose. 6. 6. Io. 17. 3. Ephes. 18.* in quo sita. *1. Io. 2. 3.* ea sub regno Christi amplissima, *Esai. 11. 9. Ier. 31. 34.* cognitio Dei per Christum sola vera est, & valida, *Matth. 11. 27. Io. 14. v. 7. 9. 2. Cor. 4. 6. Heb. 1. 3.* quib. concessa, *Matth. 13. 27. & 13. 11. 1. Io. 5. 20.* humilitatem parit, *1. Cor. 8. 1. & 14. 25.* fructus eius, *2. Pet. 1. 3.*

Cognosci Deus humana sapientia non potest, nisi ipse reuelet paruulis & humilibus. *Matth. 11. 25. & 16. 17. Luc. 10. 21. Io. 7. 28. & 8. v. 19. 27. & 10. 14. & 44. & 15. 1. & 17. 6. Actor. 17. 23. 1. Cor. 1. v. 17. 18. & 2. v. 6. 10. & 3. 19. Col. 2. 16*

Cognoscere licet subinde homines ex verbis & factis, *Eccles. 19. 27. & 27. 9. Matth. 7. 15. & 12. 33. Luc. 6. 44.*

Sententiæ Patrum.

Basilius memor, inquit, naturæ, nunquam superbies. Memor autem eris ipsius, si teipsum obserues. *Ant. & Max. serm. de cognit. sui.*

Idem. accurata cognitio tui ipsius sufficienter te veluti manu deducet ad notionem Dei. *ibid.*

Didymus nosse, inquit, ignarum se esse, sapientiæ est: & scire se iniustitiam fecisse, iustitiæ, *ibid.*

Chrysostomus. is maxime se nouit, qui se nihil putat. *ibid.*

Poeticæ Sententiæ.

Persius.

Vt nemo in sese tentat descendere nemo:
Sed præcedenti spectatur mantica tergo.

Hor. 1. serm. 3.

Mænius absentem Nouium cum carperet: heus tu,
Quidam ait, ignoras te, an vt ignotum dare nobis
Verba putas? egomet mi ignosco, Mænius inquit.
Stultus, & improbus hic amor est, dignusque notari.

Ter. Heaut.

Dj vostram fidem ita comparatam esse hominum naturam omnium:
Aliena melius vt uideant, & iudicent, quam sua?
An eo fit, quia in re nostra, aut gaudio sumus præpediti nimio, aut ægritudine?

Hor. 1 serm. 3.

Denique te ipsum
Concute num tibi quid vitiorum inseuerit olim
Natura, aut etiam consuetudo mala, namque
Neglectis urenda filix innascitur agris.
Nec te quæsiueris extra.

Persius. od 3.

Discite que o miseri & caussas cognoscite rerum,
Quid sumus, aut quidnam victuri gignimur, ordo
Quis datus, aut metæ quam mollis flexus, & vnde:
Quis modus argento, quid fas optare, quid asper
Vtile nummus habet: patriæ, carisque propinquis
Quantum elargiri deceat, quem te Deus esse
Iussit, & humana qua parte locatus es in re,
Disce.

Idem. 4.

Respue quod non es, tollat sua munera cerdo:
Tecum habita, & noris, quam sit tibi curta supellex.

Iuuenalis. 11.

Illum ego iure
Despiciam, qui scit quanto sublimior Atlas
Omnibus in Libyæ sit montibus: hic tamen idem
Ignoret, quantum ferrata distet ab arca
Sacculus, e cælo descendit γνῶθι σεαυτόν,
Figendum & memori tractandum pectore siue
Coniugium quæras, vel sacri in parte senatus
Esse velis, nec enim loricam poscit Achillis
Thersites, in qua se traducebat Vlysses
Ancipitem, seu tu magno discrimine caussam
Protegere affectas, te consule, dic tibi quis sis
Orator vehemens, an Curtius, an Matho, bucca
Noscenda est mensura sua spectandaque rebus
In summis minimisque, etiam cum piscis emetur.

Apophthegmata.

Chilon dicere solitus est, caue tibi ipsi, siue à te ipso, siue obseruare ipsum. Nam Græce est φυλάσσειν ἑαυτόν ut admoneat, sibi quemque debere suspectum esse. Omnes sibi cauent ab alijs: at frequenter, nemo magis hostis est homini, quam homo sibi, dum libidinem, dum iram, dum ambitionem aliasque cupiditates adhibet in consilium. *Laert. l. 1. c. 4. Stob serm. 19. Max. serm. 56.*

Idem volebat, Nosse seipsum quemque debere, atque idcirco Apollini aureis literis sacratum eius dictum fuit. Nam qui se recte nosset, animam atque corpus vt æquum est diligeret: neque quod vni est impertiendum, alteri præberet. Quod cum plerique perperam faciant, id nullius alterius culpæ est adscribendum, nisi quod nos ipsos, id est, humanam compactionem agnoscere nolumus. *Fulg. l. 4. c. 2.*

Socrates dicebat, sese nihil scire præter hoc vnicum, quod nihil sciret: reliquos vero ne hoc quidem scire. *Ant. in Meliss. par. 1. sermo. 59.*

Thales, difficile est se nosse, inquit: sed beatum. Et hæc est secundum naturam vita. *Ant. & Max. serm. de cognit. sui.*

Plato, qui nihil, inquit, propemodum scimus, arbitramur nos omnia scire, non permittentes autem alios, quæ ipsi nescimus, agere, peccare cogimur ipsi cum agimus. *Ant. & Max. serm. de cognit. sui ipsius.*

Philemon dicere solebat, homo cum sis, id fac semper intelligas, & semper eris homo. *Ant. & Max. de cognit. sui.*

Thales, cuidam percontanti quid esset difficile: Seipsum, inquit, nosse. Atqui hoc vulgus putat esse facillimum. Aliena rectius perspicimus quam nostra, & sibi quisque adulator est. *Laert. l. 1.*

Socrates, roganti cur nihil scriptum ederet, respondit: Quia video chartam multo pretiosiorem, quam ea quæ scribenda forent. *Stob.*

Demonax interrogatus, quando cœpisset philosophari, tum dixit, cum cognoscere meipsum incepi. *Stob. serm. 21.*

Heraclitus, iuuenis adhuc omnium sapientissimus esse inde iudicabatur, quod rogatus quid sciret, respondisset, Sat scio, quod nihil scio. *Ex Aristonymi scriptis recitat Stob. serm. 21. Ant. in Melissa par. 1. serm. 59. Max. serm. 56.*

Diogenes interrogatus, quonam modo quis suimet præceptor fieri posset? respondit, si seipsum eis, quibus alios increpat, increpuerit. *Stob. serm. 1.*

Theocritus, cuidam quærenti quare libros non scriberet? respondit: Quoniam, vt libet, non possum: vt vero possum, non libet. *Stob. serm. 25. ex Aristonymo.*

Similitudines.

Quemadmodum oculus alia videns, se ipsum tamen non cernit: Sic etiam mens nostra corrupta, aliena vitia magis spectat quam sua. *Apud Maximum ser. 56.*

Quemadmodum solis lumen sanum oculum ad se ipsum trahit: sic Dei cognitio sanam mentem per charitatem naturaliter ad se ipsam pertrahit.

Quemadmodum rerum visibilium pulchritudo sensibilem oculum, sic mentem quoque puram rerum inuisibilium cognitio ad se pertrahit: inuisibilia dico ea, quæ sunt incorporea.

Historica Exempla.

Philippus Maced., cum ad Chæroneam Athenienses vicisset, animum elatum ratione compescuit: & ne quid posthac per contumeliam & fastum committeret, hoc instituit, vt quotidie mane excitaretur è somno, his verbis: Surge rex, & hominem te esse cogita. *Stob. serm. 21. ex Ælian.*

Alexander, postea quam ex diuturno morbo conualuit, nihilo se deterius affectum dixit. Admonuit enim nos (inquit) ægritudo, ne altum saperemus, vtpote mortales. *Stob. serm. 21.*

Placilla Theodosii Imperatoris vxor pientissima, subinde maritum admonere solebat, iam in Cæsarem euectum, vt se olim priuatum hominem fuisse cogitaret. Quem putabat præ cæteris ad Romanæ Reipublicæ gubernacula assumptum, non vt ferocius superbiret, atque iam Deum se factum existimaret, vt alij, sed vt hominem se esse cogitans, varijs cum subditis fragilitatibus obnoxium, ita gubernaret imperium, tanquam Dei seruus. *Nicephorus Callistus lib. 12. c. 41.*

Simonides conuiuio quodam exceptus, in quo Pausanias etiam erat, iussus aliquid è sapientiæ præceptis depromere, statim dixisse ad Pausaniam fertur: Memento te hominem esse. Id autem Pausanias tunc temporis non magnopere curauit, captus iam superbia, eo quod ad Medorum partes sese applicuisset, & elatus ob hospitij ius, quod ei cum rege intercedebat: forsitan et vino depulsus à sede rectæ rationis. cum vero iam esset captiuus, & cum fame luctaretur, iamque calamitosissimam omnium mortem ante oculos cerneret, tunc in mentem ei venit Simonides, & magna voce exclamauit: O Cee hospes, magnum quiddam in tuo sermone inerat. Ego vero inani persuasione sum adductus, vt eum nullius momenti putarem. *Ælian. lib. 9. de var. histor.*

Bias

Bias, vt homines ad sui cognitionem duceret, iubebat vt in speculo vnusquisque suas actiones contemplaretur, vt honestas magis ornaret, turpes vero emendaret. *Stob. serm 21.*

S C R I P T O R E S.

De cognitione Dei & nostra, *Pontetra.* De cognoscendo Deo, & laudando, *Raymundus Sebundius in viola animæ.* Nosse teipsum, vt Deum noscas, *Mar. fil. 6.8.* De sapiente, & cognoscente seipsum & huius contrariū scripsit *Carolus Bouillus.* De cognitione sui, *Octauianus Mirandula.* Vide Prouerb. *Nosce teipsum.* De sui agnitione. *Sermo Augustini Dathi.* De cognoscendo teipsum, *Stobæus, Anton. Monachus Melissa lib 2. tit. 59. Raphael Volaterranus libro 28.* Et prædictus, *August. Dathus Epistol. 20. lumen animæ parte 2. cap. 45. Cæl. Rhodiginus lib. 3. cap. 7.*

C O L O R.

ETYMOLOG. ET DIVISIO.

COlor, Græce, [illegible] vel [illegible] & [illegible] coloro dicitur. Est autem color, extremitas perspicui in corpore terminato, *secundum Arist. lib de Sensu & sensato.*

Color est motiuus diaphani secundum actum *secund. Arist. l. 2. de anima.*

Color est passio corporis opaci alteratiua visus de potentia ad actum.

Color est qualitas secunda, ex commistione quatuor qualitatum primarum derelicta, alteratiua visus de potentia ad actum.

Color est lux incorporea, in extremitate diaphani terminati. *secund. S. Tho. 1. sent dist. 17 q 1. art. 1.*

A color venit coloro verbum, & discolor diuersi coloris, & concolor eiusdem coloris. Colores præterea apud Rhetores dicuntur orationis ornamenta, hoc est, figuræ, quæ à Græcis [illegible] dicuntur.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Color est rei perlucidæ in corpore certo & terminato extremitas. *lib. de Sensu, c. 3.*

Omnis color vim habet id mouendi, quod re ipsa perlucidum est, eaque illius natura est. *l. 2. de Anima, c. 7. T. 67.*

Color in naturam coloris expertem cadere potest *ibi l. T 71.*

Color lumini, lumen aspectui continuatum est. *lib 7. de Nat cap. 2. T 13.*

Ex coloribus hi simplices sunt, quicunque elementorum naturam consequuntur, ignis puta, aeris, aquæ, terræ. *lib. de Color. capit. 1.*

Niger color consequitur elementa, quoties inuicem commutantur. *ibid.*

Est proprium colorum munus, non simpliciter, sed ad aliquam mistorum rationem habere. *lib de color. c. 2.*

Nos nullum colorem purum spectamus, qualis plane est: sed omnes permistos, atque alijs confusos. *Lib. de Color. c. 3.*

E M B L E M A.

Andreæ Alciati.
Emblema CXVII.

INDEX *mæstitiæ est pullus color: vtimur omnes*
Hoc habitu, tumulis cum damus inferias.
At sinceri animi, & mentis stola candida puræ:
Hinc Sindon sacris linea grata viris:
Nos sperare docet viridis. Spes dicitur esse
In viridi, quoties irrita vota cadunt.
Est cupidis flauus color & amantibus aptus,
Et senibus, & queis spes sua cassa fuit.
At ruber armatos equites exornat amictus,
Indecet & pueros erubuisse pudor
Ceruleus nautis, & quis cœlestia nota s
Attonitis nimia relegione petunt.
Vilia sunt gilui, nativaque vellera burrhi:
Quale aligipedes fragula haber solent.
Quem curæ ingentes cruciant vel zelus amoris,
Creditur hic fulua non male veste tegi.
Quisquis forte sua contentus, xanthina gestet:
Fortuna æqua animis mediaque quæsitas.
Vt varia est natura coloribus in gignendis,
hoc alijs aliud: sed sua cuique placent.

S C R I P T O R E S

De coloribus natiuis & factitijs, *Plinius 35. c. 6.* Et qui colores vdo non inducantur, *ibidem 7.* de coloribus libellus *Ant. Thylesij & Aristotelis, & apud plerosque, qui de Vrinis scribunt.* Vide etiam *Problemata Arist. sect. 10. eius librum de coloribus ex translatione Cæl. Calagnin. Plut. de Placit. lib. 35. Cæl. Rhodig. lib. 3. c. 3. l. 16. c. 16.*

C O L L E G A.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

COllega, æ, a colligatione societatis, & complexu amicitiæ dictus. *Isidor. l. 10. Etymolog. lit. C.*

Collegæ apud Iurisperitos recentiores dicuntur, qui simul habitant: quasi vna se colligant. At veteres ab eligendo collegas dici volunt: quasi in idem munus collectos diceremus. Hinc & collegæ vocantur, in quibus qui dent nomen eliguntur: dum tribus pauciores non sint. *Alc. de verborum significat. Iacob. Spieg. lexico Iuris. lit. C.*

Collegarum appellatione hi continentur, qui sunt eiusdem potestatis. *Author Vlpian. ibidem.*

SENTENTIAE PHILOSOPHICAE
Francisc. Petrarch.

De stulto & temerario collega. DIAL. LXXI.
D O L.

Stultum habeo ac temerarium collegam RAT. Est aliquid causæ fateor, vt timeas, si ex diuerso aliquid est, vt speres, hoc. n. vt quibusdam calamitatis, sic alijs gloriæ præbuit materiam. Temeritas Terentij Varronis Aemilio Paulo mortem peperit At L. Furij & Minutij temeritas M. Furio Camillo, & Q. Fabio Maximo singularem gloriam quæsiuit, notæ sunt historiæ. DOL. Est mihi collega præceps & inconstans. RAT. Esto tu constans & modestus. Nusquam virtus clarior eminet, quam suo admota contrario. Cur non tu potius illum regas, quam te ille præcipitet? DOL. Est insolentissimus collega. RAT. An tibi cecidit, vt ipsi, de quo nunc dicimus, Camillo tribuni militum consulari potestate, quinque simul collegæ imperio pares vltro se submitterent? Habet hoc virtus excellens, possessoribus suis authoritatem, miratoribus reuerentiam ac pudorem conferr, nullo melius modo collegæ insolentiam represseris, quam industria ac virtute. Sic effecies, vt illū tibi parem dici pudeat, sicut poduit Minutium, & aut se sponte subijciat honestiore suffragio, quā si eum tibi populus subiecisset, aut omnes intelligant illum tibi parem nomine, rebus imparem, & quicquid bene gesseris, tuū esse, quicquid secus, illius. DOL. Collega mihi stultus obtigit, at peruersus. RAT. Quædam per contrarium discuntur. Solent magistri carduiusculis discipulis in certum aliquid proponere, quod cum respuerit discentis ingenium, ad vera facilius retrahatur. Redit ad memoriam obscuri hominis clarum verbum. Ante non magnum tempus, cum Florentiæ ciuitas statum mutasset, quod crebro nimis ac libenter facit, atque ad imam plebem fræna Reipublicæ peruenissent. Vnus ex insolenti grege, qui diu tenuerat illam, & mœstus amiserat, vicini inopis Mechanici humilitatem spernens. Et tu, inquit, qui neque literas noueris, neque vnquam patrios fines excesseris, vili semper artificio vitam trahens, cum paribus tuis, qualiter hanc tantam & tam nobilem vrbem reges? Ille autem nihil motus: Ecquid negotij, inquit, est? Quod vos egeritis nullus ignorat. Si per omnia contrarium agimus, aberrare non possumus. O verbum dignum docti hominis ex ingenio produisse. Tu nunc igitur in collega tuo contrarium tibi statuas exemplar, cui dissimillimus fieri velis.

APOPHTHEGMATA.

Scipio Æmilianus creatus Censor, addito collega Mummio, viro magnæ quidem nobilitatis, sed vitæ dissolutioris, pro rostris dixit, se ex maiestate Reip. omnia gesturum, siue ciues sibi dedissent collegam, siue non dedissent, innuens, satius fuisse non habere collegam censuræ, quam talem collegam. *Valer. Max. lib. 6. c. 4. Plin. de viris illustribus, 58. & Bruson lib. 4. c. 5.*

COMEDERE, COMESSAT.

DEFINIT. ET ETYMOLOG.

COmedere, Græce, [illegible]. Nam [illegible] & [illegible] & [illegible] poetice, comedio dicitur. Et est cibum sumere per potentiam naturalem sumentis conuertibilem in naturam eius. *Ex S. Thom. 1. par. q. 51. art. 3.*

Comessatio, Græce [illegible] comestur dicitur. Est autē comessatio proprie cibus post cœnam sumptus, sicut Merenda cibus, qui sumitur ante cœnam: & ientaculum cibus qui sumitur ante prandiū, quod a ientando verbo, de quo vide infra in Ientaculum. Dicitorque commessatio a vicis, quos Græci *κώμας* vocant, & esum supino, de edo: quoniam ante oppidorum constructionem veteres in vicis habitantes alij alios, conuictus gratia inuitabant.

Et

BIBLICI LOCI.

Commessationes damnantur, *Prou.* 21.17. & 23.v.20.21 & 28.7. *Luca* 21.34. *Rom.* 13. *Gal.* 5.21. Vide ebrietas damnatur. Commessationis & ebrietatis exēpla: Adam, & Eua, *Gen.* 3.6. Noe, 9.21. Loth. 19.33. Abraham, 21.8. Esau. 21.33. Iacob & Labā, 31.54. Ioseph & fratres eius, 43.34. Israelitæ, *Exod.* 16.3. & 17.3. & 32.6. *Numer.* 11.4. *Iudic.* 7.6. Samson, 16.25. Filij Heli, 1. *Sam.* 2.15. Ionathas. 14.27. Amnon, 2. *Sam.* 13.v.23.28. Vrias 11.13. Ela, 1. *Reg.* 16.v.8.9. Israelitę, *Nehem.* 9.25. Holofernes. *Iudith* 12.v.17.18. & 13.2. Aman, *Esth.* 5.9. Assuerus, & Aman, *Esth.* 7. *ver.* 1.2. Filij Iob, *Iob* 1.5. Iudæi, *Esa.* 22.13. Sacerdotes & Prophetæ, 28.7. Ptolomæus 1. *Mach.* 16.16. Herodes, *Matth.* 14.6. *Marci* 6.21. Diues, *Luc.* 16.19. *Vide Conuiuiorum cum à bonis, tum a malis celebratorum exempla.*

SCRIPTORES.

De Commessationum apud Græcos origine, *Arist. lib.* 7. *Polit. c.* 10.
De varijs conuiuiorum vocabulis, *Cælius lib.* 4. *c.* 57.

Vide Conuiuium, Luxus, Intemperantia, Ebrietas.

COMITAS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Comitas, Gręce *εὐτραπελία, ας, ἡ* & *εὐτράπελος, ου, ὁ*, comis, dicitur. Est autem comitas cum moderatione iocatio, *secund. Arist. l.* 4. *Ethic.*

Comitas est virtus media inter seueritatem, & remissionem. In altera nec punctum quidem a virtute discedimus: in altera omnia quadam animi abiectione remittimus.

APOPHTHEGMATA.

Diogenes, solitus est dicere manus non esse porrigendas amicis, cōplicatis digitis. Innuens, non satis esse: si comes nos prębeamus amicis, sed comitati comitum adiungendam beneuolentiam, & benignitatem. *Laert. l.* 6. & *P. M. l. apoph.*

Socrates: Aeschines cum cuperet esse ex numero discipulorum Socratis, suamque apud præceptorem excusaret paupertatē moleste ferens, quum alij Socratis amici multa suapte largirētur, se solum nihil posse: Annon intelligis, inquit Socrates, quā magnū munus mihi dederis, nisi forte teipsum parui æstimas? Comiter suscepit discipulum egenum, & nihil mercedis postulauit ab eo, quem pauperem esse nouerat. *Laert.*

Anaxalcidas rogatus a quodam, quo pacto quis maxime placare possit homines? Si, inquit, loquatur illis iucundissima. *Plut. in Lacon apoph.*

Telecrus fratri suo querenti, quod ciues erga se non perinde affice rentur, atque erga illum: sed inhumanę tractarent, quod nondum ab illis esset creatus Ephorus: Tu (inquit) extra omnem comitatem positus iniuriam ferre nescis, ego autem scio. Sensit comitem plurimum posse ad conciliandum ciuiū fauorem. *Plut. in Lacon.*

Anonymus, quidam causam detulit ad oratorem: is negauit, ac detulit ad alterum qui recepit. At is qui detulerat, dicere solebat, sibi gratiorem fuisse oratorem eius qui negarat, quam eius qui recepit: Quod si ille comiter recusasset, hic grauiter & inamœno vultu recepisset. *P. M. l.* 8. *apoph.*

C. Cotta dicebat se operam suam, in eo quod non contra officium peteretur, solere polliceri omnibus: sed impertire illis tantum, apud quos optime poni arbitraretur. *Cic. ad Quint. fratrem, de petitione consulatus.*

Traianus Imp. amicis incusantibus, quod parum memor imperatoriæ maiestatis, nimium esset omnibus expositus, respondit: Talem præstabo imperatorem priuatis, qualem optarem ipse priuatus. *P. M. l.* 8. *apoph. Brus.* 3. *c.* 4.

Vide Clementia, Humanitas.

COMMENDATIO.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Commendatio, Græce *σύστασις εως, ἡ* & *συνίστημι*, commendo dicitur. Estque commendatio modo laudatio, modo commissio. Quia commendo iunctum datiuo, significat committo: vt, commendo te regi. Quando vero iungitur accusatiuo cum Apud, vel ablatiuo cum In, significat laudo, vt commendabo te apud principem vel regem, vel in senatu. Inde literæ commendatitiæ dicuntur, quibus aliquis commendatur.

APOPHTHEGMATA.

Quidam rogatus ab Agesilao, vt se scriptis ad hospites & amicos suos Asiaticos literis commendaret, quo apud illos ius suum consequeretur, respondit: Nihil esse opus literis commēdatitijs. Nam mei, inquit, hospites sua sponte quæ iusta sunt faciunt, etiamsi illis non scripsero. Apud bonos & in bona causa superuacua est commendatio, quum ipsa res impetret quod precibus exoratetur. *Plut. in Lacon. apoph.*

Augustus Cæsar filios suos nunquam populo commendauit, nisi cū hac exceptione: Si merebuntur. Honorem non authoritati, sed meritis tribui volens. *P. M. lib.* 4. *apoph. ex Sueo.*

Antoninus Pius rogatus cui filium commendaret? vobis, inquit, si promeretur, & dijs immortalibus. Fauorem noluit suæ authoritati tribui, sed filij meritis. *Iulius Capitolinus.*

Vide Affabilitas, Beneuolentia, Humanitas.

COMMISERATIO.

DEFINITIO ET ETYMOL.

Commiseratio, Græce *οἰκτιρμός, οῦ, ὁ*. & *οἰκτίρμων, ονος, ὁ* misericors dicitur. Et est, commiseratio, dolor quidam ex apparenti malo corruptiuo, ac dolorem inferente in non dignum pati, quod vel ipse putabit posse pati, vel suorum aliquem: idque sic, vt propinquum videatur, *secundum Arist. lib.* 2. *Rhetor.*

Commiseratio est, cum vel aspectu alicuius, vel oratione, vel etiā cogitatione adducimur, vt eum misereamur.

EXEMPLA BIBLICA.

Commiserationis exempla: Abraham, *Genes.* 14. *vers.* 14. Melchisedech, *ver.* 18. Ruben, 37.21. Ioseph, 43.v.30. & 45.v.1. Obstetrices, *Exod.* 1.v.17. Filia Pharaonis, *Exod.* 2. *ver.* 6. Moyses, v.12.17. & 32.v.32. *Num.* 12.v.13. Gedeon, *Iudic.* 8.v.5. Israelitæ, 21. *vers.* 15. Booz, *Ruth* 2.v.8.9. Samuel, 1. *Sam.* 16.1. Dauid, 30 *vers.* 32.24. Sobi & Machir, 2. *Sam.* 17.v.27.28.29. Pueri mater, 1. *Reg.* 3.v.26. Abdias, 18.4. Elias. 17.v.19. Elisæus, 2. *Reg.* 4. *ver* 2. & 6.v.23. & 8.12. Iosabath, 2. *Paralip.* 22 v.11. Azarias Barachias, &c. 2. *Paralip.* 28 v.15 Nehemias, *Nehem.* 1.v.4. & 23. Amici Iob, *Iob* 2. *vers.* 11. Iob, *Iob* 29.v.11.12.13.14.15.16. & 30.v.25. Esther, *Esth.* 7. *vers.* 3. Tobias, *Tob.* 1.19. Esaias, *Esa.* 21.v.3. & 22.v.4. Ieremias, *Ierem.* 4. *vers.* 19.31. & 19 *ver.* 1. Thren. 2.11. Abimelech, *Ierem.* 38.7.9. Baruch. 45.v.3. Dominus, 48.v.32. Amos, 7 *ver.* 3. Ezechiel, *Ezech.* 3. v.14. & 9.4. Darius, *Daniel* 6.18. Onias, 2. *Mach.* 3. *vers.* 16.17. Antiochus, 4.v.17. Discipuli, *Matth.* 15. *vers.* 23. IESVS CHRISTVS, *Matth.* 8.3. & 9 v.2.36. & 14.v.14. & 15. *versic.* 32. & 20.34. 23.37. *Mar.* 1.v.41. & 6.v.17. & 8.v. *Luc.* 7.v.13. & 19.v.41. *Ioh.* 5. *versic.* 6.9. & 11.v.33.35. & 19.26. Paterfamilias, *Matt.* 18.v.27. Samaritanus, *Luc.* 10.33. Viduæ, *Act.* 9.v.39. Paulus, 17. *ver.* 6. *Rom.* 9. 2.3. 2. *Corinth.* 2.v.7.8. & 12.21. *Galat.* 4. *ver.* 19. *Philip.* 3.18. *Philemon.* v. 7. 10. Custos carceris, *Act.* 16. *vers.* 33. Fideles Thessalonicenses, 20.37. Fideles Cæsarænses, 21.12. Barbari, 28. *vers.* 2. Hebræi, *Hebr.* 10 *vers.* 33.

HISTORICA EXEMPLA.

Heraclitus Ephesius Philosophus, ad omnem hominum occursum fleuisse dicitur. Dolebat ille, quod nihil sani esset in vita, nihil in homine non caducum, fluxum, & deceptibile. Fleuit ille itaque hominum mala, meliore haud dubie affectu, quam Democritus, qui hæc eadem ridebat. Nam hic contemptum arguit & stultitiam, ille iustitiam & charitatem. *Sabellicus lib.* 2. *c.* 2.

Dionysius Siciliæ tyrannus, cum mercenarij ad eum interficiendum impetum fecissent, miserabili veste amictus prodit, comamque puluere, respersit, & potestati militum suam vitam permisit. Mercenarij eius miserti, saluum & incolumem dimiserunt. Dionysius eos non ita multo post in vrbe Leontinorum circumuentos ad vnum trucidauit. *Polyæn. lib.* 5.

Seleucus Antiochi F. Syriæ rex, Asiaticas ciuitates ingenti classe aggrediebatur, ob auxilia Berenicæ, nouercæ suæ & fratri ex ea nato exhibita. Sed subita tempestate naues omnes amisit. Quæ res Seleuco hoc boni peperit, vt Asiatici omnes, ira in misericordiam versa, sponte sua in fidem infensissimi hostis redierint. *Sabell. lib.* 9. *Enn.* 4.

Atheniensibus naues conscendentibus commiserationis campus amplissimus. *Theat. Zuing.*

Antiochus Syriæ rex, qui nobilis appellabatur, audiens Oniam summum sacerdotem inique occisum, fletus ad misericordiam, lachrymas fudit. 2. *Mach.* 4.

Plura exempla vide *in Theatro vitæ humanæ*, *Tom.* 1. *pag.* 197. 862. *Tom.* 3. *p.* 2884. *T.* 4. *p.* 5298. & 3308.

Vide Misericordia, & paulo post Compassio.

COMMODATIO.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Commodatio a verbo commodo venit, quod χρῆζω, dicitur. Et est alicuius rei ad alienum specialem vsum gratuito facta concessio, secundum gloss. in ca. vnico, de Commu. Itaque commodare, est alicuius rei vsum ad tempus concedere. *Cicero: Dando & accipiendo, mutuandisque facultatibus accommodandis, nulla re egeremus.* Differt autem hoc verbum a mutuo: quod mutuamus, vt Paulus Iurisconsultus inquit, non eandem speciem recepturi. Mutui datio in his rebus est, quæ pondere, numero, mensurave dari solent, quoniam earum rerum datione possumus in creditum ire, quia magis in genere suo functione recipiunt per solutionem, quam per speciem. Nam in cæteris rebus ideo ire in creditum non possumus: quia aliud pro alio, inuito creditore solui non potest.

ADAGIA.

Alij sementem faciunt, alij metent. *ἄλλοι μὲν σπείρουσιν, ἄλλοι δὲ ἀμήσονται.*

Alij laborant, alij percipiunt emolumentum. Einer macht Beutel, der ander schneidt sie ab.

Mazam pinsuit a me pistam. *μάζαν γε μεμαχὼς τὴν ὑπ' ἐμοῦ μεμαγμένην.*

De ijs dici solitum, qui sibi aliena industria laudem vendicant, & magnam gloriam alieno labore partam, verbis suis transferunt.

Tunica pallio propior est. *Plaut.* La chemise est plus pres que la robe.

Quo significatum est, ex amicis alios atque alios magis esse deuinctos, neque parem omnium habendam esse rationem. Das Hemt liegt mir naher an als der Rock. Es ist jeder jhm selbst die beste Trevv schuldig.

Intus canere. Aspendios citharœdus.

Qui priuati commodi impendio studiosi essent, ac fere quicquid agerent id omne ad domesticam referrent vtilitatem, ij prouerbio, Intus canere, ijdem apud Græcos ἀσπένδιοι κιθαρισταὶ dicti, Aspendij citharistæ, dicebantur. Es gedenckt ein jeder in seinen Sack.

Nequicquam sapit, qui sibi non sapit. *μισῶ σοφιστὴν, ὅστις οὐχ αὑτῷ σοφός.*

Sapientem eum odi, qui sibi ipsi non sapit. Sensus patet.

Ad suum quemque quæstum æquum est esse callidum.

Quisque adnigilat ad id quod expetit.

Decora teipsum. *κόσμει σαυτόν.*

Iocus prouerbialis in eum, qui se magnificentius gereret.

Anguillas captare. *ἐγχέλεις θηρᾶσθαι.* Pescher en eau trouble.

Dicuntur, qui priuati commodi causa faciunt tumultus. Quadrabit in eos, quibus tranquillo Reipub. statu nihil est emolumenti: proinde seditiones gaudent exoriri, quo iusti aut publicum malum in suum priuatum vertant commodum. Im truben Wasser fischen.

Vna lauabor. *παραλοῦμαι.*

Dici consueuit, vbi quis insinuat se in societatem alterius, aut vbi quis admittit aliquem in societatem, aut qui vsurpator est, suum ipsum ei iungat.

Manum admouere. *τὴν χεῖρα ἐπιβάλλειν.*

Dicebantur, qui sese insinuarent in rem cuius iam egregie communionem.

Vndecumque lucrum capiunt. *Prendre a toutes mains.*

In aduocatos, impostores, calumniatores, & in malos medicos, qui captant vndecumque si quis incidit in casses, quem possint expilare, congruet illud Homeri ex Odyss. δ.

> Αἰεὶ γὰρ περὶ νῆσον ἀλώμενοι ἰχθυάασκον
> Γναμπτοῖς ἀγκίστροισιν· ἔτειρε δὲ γαστέρα λιμός.
> *Semper enim, quaqua patet insula piscibus hamo*
> *Insidiabantur tractam fame nocte atra.*

Genu sura propius. *γόνυ κνήμης ἔγγιον.*

Hoc adagium ex euentu quodam est natum. Cum in prælio quidam conspiceret duos amicos pariter de vita periclitantes fratrem & consobrinum, neque posset vtrique simul, ope suppetias, omisso consobrino fratrem defendit, atque hanc interim sententiam pronunciauit.

Omnes sibi melius esse malunt, quam alteri.

Terent. in Andria. Idem in eadem fabula: Heus proximus sum egomet mihi. Nemo seipso diligit quemquam magis. Affine: Sibi quisque amicus est.

Simonidis cantilena. *Σιμωνίδου μέλος.*

De vafris ac subdolis dictum est. Hunc Simonidem ferunt primum astutiam & quæstum in artem induxisse.

Mihi ipsi balneum ministrabo. *ἐμαυτῷ βαλανεύσω.*

Vbi quis suis inseruit commodis, aut vbi quis non expectat alieno officio, ipse suum agit negocium.

Sibi canere. *ἑαυτῷ ψάλλειν.*

Dicitur, qui non ad alienum arbitrium facit quippiam, sed animo obsequens suo.

Altutior Coccyce. *πυκνότερος κόκκυγος.*

Dicebantur qui astu sibi consulerent.

Opto vicino vt habeat, magis autem ollæ.

Potissimum est habere domi, quibus est opus, quam proximum vicinum habere diuitem a quo possis petere. Sorg ein jeder fur sich selbst, Gott vor vns alle.

Veniat hospes, quisquis profuturus est. *ξένος ἐλθέτω, ὅστις ὀνήσει.*

Id est: Veniat qui profuerit hospes. Admonet adagium eorum demum aduentum esse gratum, qui commodi quippiam adferunt. Ouidius:

> *Ipse licet venias, musis comitatus Homere,*
> *Si nihil attuleris, ibis Homere foras.*

Wer viel mit bringt, der ist der vverdest Gast.

Suam quisque homo rem meminit.

Qui in alieno negocio dormitat, in suo uigilat.

Mercatorem se esse simulat. *ἔμπορος εἶναι σκήπτεται.*

Dicendum in eum, qui ob timiditatem causas commentitias prætexit, ne cogatur subire discrimen.

Ciuitates ludimus. *πόλεις παίζομεν. Zenod.*

Quadrare uerum videtur, quoties suum quisque commodum quacumque sectatur via, & æmulo competitorique modis omnibus tendit insidias. Zenod.

COMMVNITAS.

PATRVM SENTENTIAE.

Qvidquid sceleris & iniquitatis inebriat multitudinem amittit in examine veritatem. *Aug. contra Parmenianum lib. 3.*

In sollicitudine cito subrepit superbia, dormit, quando volueris, tu autem, qui in communitate viuis, non facies, quod vis, comedes, quod iuberis: subijcieris, cui non vis: seruies fratribus. *Hier. ad Rusticum.*

Plenissima peccatorum obtinetur ablutio, quando totius Ecclesiæ vna est oratio, & vna confessio. Si enim duorum vel trium sanctorum pro consensu omnia, quæ poposcerint, dominus præstanda promittit, quid negabitur multorum millium plebi, vnam obseruantiam pariter exequenti, & per vnum spiritum concorditer supplicanti? *Leo Pap. ser.*

Publica præferenda sunt proprijs: & ibi intelligenda est præcipua ratio vtilitatis, vbi vigilat cura communis. *ibid.*

Proinde decreuit antiquitas communitatem edictis generalibus admoneri, per quæ & debitum omne corrigitur, & excedentis verecundia non grauatur. Cuncti enim sibi æstimant dici, vbi nullum constat exponi: & similis fit innocenti, quem contigerit, sub communione purgari. *Cass. lib. 3. epist. 18.*

Nam si disparibus calamis conuenit vnum melos edicere: multo magis viris prudentibus aptum est iustum concordi voce suaderi. *ibid. epist. 9.*

POETICAE SENTENTIAE.

Horat. 2. Serm. 2.

> *Nam propriæ telluris herum natura neque illum,*
> *Nec me, nec quemquam statuit, nos expulit ille:*
> *Illum nequities, aut vafri inscitia iuris.*
> *Postremum expellet certe viuacior hæres.*

Senec. Hip.

> *Hoc equidem reor*
> *Vixisse ritu, prima quos mixtos dijs*
> *Profudit ætas: nullus his auri fuit*
> *Cæca cupido: nullus in campo sacer*
> *Diuisit agros arbiter populis Lapis.*
> *Nondum secabant credulæ pontum rates.*

Virg. 1. Georg.

> *Ante Iouem nulli subigebant arua coloni.*
> *Nec signare quidem aut partiri limite campum*
> *Fas erat: in medium quærebant, &c.*

SENTENTIAE PHILOSOPHICAE.

Stulta auaritia mortalium possessionem proprietatemque discernit, nec quicquam suum esse credit, quod est publicum: at sapiens nihil iudicat suum magis, quam illius, cui cum humano genere consortium est. Nulla essent communia, nisi pars illorum pertineret ad singulos. *Senec. 29. epist.*

SIMILITVDO.

Xysti Pythagorei. Quorum communis est Deus, idemque pater: horum nisi & possessio communis sit impij sunt. *in Enchirid.*

Huc refer ea, quæ de Amicitia vera, ac Charitate in proximum, annotata sunt.

COMPASSIO.

DEFINITIO.

Compassio, Græc. *συμπάθεια*, *est ea* quæ & a nostris cordolium dicitur, a dolore cordis. *De qua vide infra in Misericordia.*

Sententiae Biblicae.

Auris audiens beatificabit me, oculus videns teſtimonium reddebat mihi, eo quod liberaſſem pauperem vociferantem, & pupillum, cui non erat adiutor, benedictio perituri ſuper me veniebat, & cor viduæ conſolatus ſum. *Iob 29.*

Omnia quæcunque vultis bona, vt faciant vobis homines, ita & vos facite illis. Hæc eſt enim lex, & Prophetæ. *Matth. 7.*

Gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus. *Rom. 12.*

Non ſolum iuſtis in afflictionibus compatiendum eſt, ſed etiam peccatoribus & iniuſtis.

Propter deſtructionem Babylonis repleti ſunt lumbi mei dolore, ſicut anguſtia parturientis. *Eſa. 21. 3.*

Recedite à me (dicebat Eſaias, videns ſpiritualem calamitatem ſuperuenientem populo ſuo) amare flebo, nolite incumbere, vt conſolemini me ſuper vaſtitate filiæ populi mei. 22. 4.

Triſtitia eſt mihi magna (dicebat Paulus, compatiens fratribus, & cognatis ſuis pereuntibus) & continuus dolor cordi meo. *Roma. 9. 2.*

Sententiae Patrum.

Optabam enim ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis, qui ſunt cognati, ſecundum carnē, qui ſunt Iſraelitæ, quorum adoptio eſt, & gloria. *ibid.*

Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non vror? 2. *Cor. 11.*

Filioli mei, quos iterum parturio. 2. *Gal. 4.*

Pia eſt iſta triſtitia (ſi dici poteſt) bona miſeria, vitijs alienis tribulari, non implicari: mœrere, non hærere: dolore contrahi, non attrahi. *Aug. in epiſt. ad Sela.*

Quum alienæ infirmitati compatimur, valentius à noſtra roboramur, vt amore futurorum mens ad præſentia aduerſa ſe præparet: & cruciatus corporis, quos timebat, expectet. *Greg. l. 7. Mor.*

Tunc plene cordis noſtri compaſſio eſt, quū mala inopiæ pro proximo ſuſcipere non meruimus, vt illū paſſione liberemus. Plus eſt aliquando compati ex corde, quam dare, quia quiſquis indigenti perfecte compatitur, minus æſtimat omne, quod dat, & rem quamlibet plerumque dat, qui non compatitur. *Lib. 20.*

Tanto quiſque perfectior eſt, quanto perfectius ſentit dolores alienos. *Lib. 19.*

Sic mens per compaſſionem doleat, vt etiam larga manus affectū doloris oſtendat. *In hom.*

Sicut pura veritas non niſi puro corde videtur: ſic miſeria fratris miſero corde verius ſentitur. *ibid.*

Compaſſio eſt, quum malum inopiæ pro proximo non meruimus vt eum a paſſione liberemus. *Ibid.*

Magnæ actum pietatis diſpenſatione cognoſcimus, vt is, qui futurus erat paſtor Eccleſiæ, in ſua culpa diſceret, qualiter alijs miſereri debuiſſet, vt in ſua infirmitate cognoſceret, quam miſericorditer alienam infirmitatem toleraret. *In hom. Paſcha.*

Si doles, condoleo, ſi non doleo tantum, & maxime ſciens à ſalute longius abſiſtere membrum, quod obſtupuit, & ægrum ſeſe nō ſentientem periculoſius laborare. *Ber. de Conſ. ad Eug.*

Nonnulli dura ceruice & attrita ſunt fronte: vt quo magis eis compatimur, tanto magis noſtra compaſſione & patientia abutantur. *In ſerm.*

Deuotus miles non ſentit ſua, cum benigni ducis contuetur vulnera. *Idem ibid.*

Impoſſibile eſt ſcire afflictiones afflictorum ei, qui experimētum afflictionis non habuit. *Chryſ. in epiſt. ad Heb. ſerm. 30.*

Religioſa triſtitia alienum peccatum luget, aut proprium, nec de hoc dolet, quod diuina iuſtitia agitur: ſed de eo mœret, quod humana iniquitate committitur, vbi magis plangendus eſt faciens maligna, quam patiens. *Leo Papa.*

Triplex eſt modus compaſſionis, eſt quippe compaſſio alia ex vitio, alia ex natura, alia ex virtute. Compaſſio ex vitio eſt, quando affectus illic reprehenſibili dolore tangitur, vbi illicito prius amore tenebatur. Cōpaſſio ex natura eſt, quando ex inſito ſibi pietatis affectu animus alienis condolet, quoties contra pietatis, vel inhumanitatis menſuram, naturam premi ſiue affligi doloribus compatimur, quum. ſ. iuſtitiam premi, vel innocentiam affligi videbimus. Compaſſio ex vitio, culpabilis eſt. Compaſſio ex natura irreprehenſibilis eſt. Compaſſio ex virtute laudabilis eſt. Prima reprehenditur, tertia laudatur: ſecunda nec culpā habet, quia ex natura eſt, nec præmium, quia ex virtute non eſt. *Hugo de tribus habitationibus in Chriſto.*

Tria ſunt, per quæ probatur vera compaſſio, ſcilicet occulta beneficia, paupertas, & mors: Beneficium enim ſi impendatur occulte humanæ laudis extinguit fauorem: quando autem pauperis miſeretur aliquis, temporalis renuit ſpem retributionis: qui pro proximo pati mortem non renuit, amorem mundi nō præponit. Hæc ſunt enim tria illa, quæ ſolent enarrare cōpaſſionis membra, humanus ſcilicet fauor, tēporalis retributio, & amor mundi. *De claus. [illegible] c. 5.*

Longitudine temporis tentatio augetur, per triduum enim creſcentibus curis paterna viſcera cruciantur, & prolixo ſpatio per filium intuetur, cibum cum eo ſumit, tot noctibus pendet puer in amplexu patris, cubat in gremio, & per ſingula momēta in paterno affectu dolor occidendi filij cumulatur. *Alcuinus de immol. Abrahæ.*

Cuius pectus tam ferreum, cuius cor tam lapideum, vt gemitus nō exprimat, lachrymas non effundat, quum proximi vel amici morbum vel interitum intuetur? vt patienti non compatiatur, & dolentibus non condoleat? Ipſe Ieſus, cum vidiſſet Mariam, & & Iudæos plorantes, infremuit ſpiritu, turbauit ſemetipſum & lachrymatus eſt. *Iun. de vilit. cond. hum.*

Similitudines.

Chryſoſtomi. Sicut pes libēter ſeruit oculo, quaſi ſibi ſeruiens, ſciēs, quia niſi oculus ſuo miniſterio fuerit vſus, nec ipſe ſuo poterit vti: & oculus libenter ſeruit pedi, quaſi ſibi ſeruienti, ſciens, quia niſi pes ſuo officio fuerit vſus, nec ipſe ſuo poterit vti: Sic & ſancti inuicem ſibi debent eſſe ſubiecti, vt minor maiori non inuideat quaſi maiori, ſed libenter obſequatur ei, quaſi ſibi ſeruienti, in eo ipſo quod maior: & maior non contemnat minorem, quia maior eſt, ſed libenter ei obſequatur, quaſi ſibi ſeruienti. *In c. 20. Matth. hom. 35.*

D. Baſilij. Quemadmodum ij, qui ſunt in littore conſtituti, erga eos qui in mari naufragium patiuntur, miſericordia mouentur, non tamen ob hanc curam & miſericordiam propriam amittunt ſecuritatem: Sic & illi, qui proximorum peccata lugent, & quæruntur, propriam vitæ ac conſcientiæ puritatis lætitiam non amittunt: quin potius ob has pro fratribus lachrymas effuſas lætitiam augent, gratiamque Dei ac Domini noſtri Ieſu Chriſti magis promerentur. *De Deo.*

Auguſtini. Conſiderate, & videte, quō quid fiat in nobis carnaliter quando ſanum eſt caput, quomodo congaudent omnia membra, & placent ſibi de ſingulis illis mēbra cætera. E contrario autem, quando patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra. Ecce ſpinam calcat pes: quid tam longe ab oculis, quā pes? longe eſt è loco, proximus charitatis affectu; modicū pungit ſpina, perpetuum locum tenet in pede, vide quomodo illuc conuertuntur omnia membra. Primo ipſa ſpina dorſi incuruat ſe, & deponunt ſe omnia membra. Nunquid oculi ceſſant quærere? Nunquid aures ceſſant audire? forte alij, qui vident vbi ſit, dicunt: Ecce, ibi eſt, ſtatim hoc audiunt aures, & ſequuntur conſilium: & ibi oculi quærunt. & manus operantur, &, vt dixi, totum corpus illuc incuruatur, & nihil vacat in homine ad ſubueniendum: Et ſolum in pede factum eſt vulnus, & totum quod eſt in homine, operatur. Sana ſunt omnia membra, pes dolet, & omnia ſimul. *Hom. 55. de 50. popular.*

De ceruis nonnullis talium cognitionum ſtudioſi ſcripſerunt, cum, fretum ad inſulam tranſeunt, paſcuarum gratia, ſic ſe ordinant vt onera capitum ſuorum, quæ geſtant in cornibus, ſuper inuicem portent: ita vt poſterior ſuper anteriorem ceruice caput collocet. Et quia neceſſe eſt, vnum eſſe, qui præcedens cæteros, ante ſe non habeat, cui caput inclinet, vicibus id agere dicūtur, vt laſſatus ſui capitis onere, & ei ſuccedat, cui ferebat caput, cū ipſe præiret. Ita inuicem onera ſua portantes, fretum tranſeūt, donec veniant ad terræ ſtabilitatem. Illam fortaſſe ceruorū naturam intenderat Salomon, cum ait: Ceruus amicitiæ, & pullus gratiarum tuarum colloquatur tecum. Nihil ſic probat amicū, quemadmodum oneris amici portatio. *Lib. 83. Quæſt. quæſt. 71.*

Vide paulo ante Commiſeratio: & infra, Miſericordia.

CONATVS.

DEFINIT. ET ETYMOLOG.

Conatus, incumbens in aliquod ſtudium vel animi vel corporis impetus. *Lelius in ſi. ff. Quod quiſque iur. Iac. Lexico iur. lit. C.*

Conari, hoc eſt, niti, & dare operam, vt aliquid fiat, leuius eſt, quā facere, Donato authore. Eſt tamen, vbi conatus inſtar facti habetur, atque punitur. Qua de re Felinus diſſerit ſingulari tractatu a nemine non magnopere probato. *Idem ibid.*

Philosophicae Sententiae.

Quærendi defatigatio turpis eſt: cum id, quod quæritur, ſit pulcherrimum. *Cic. 2. de Finib.*

Non eſt conſentaneum, vllam honeſtam rem, actionemve, ne ſollicitus ſis, aut non ſuſcipere, aut ſuſceptam deponere. Quod ſi curam fugimus, virtus fugienda eſt: quæ neceſſe eſt, vt cum aliqua cura res ſibi contrarias aſpernetur atque oderit: vt bonitas malitiam, temperantia libidinem, ignauiam fortitudo. *Lelius.*

Sine ſtudio & ardore quodam amoris in vita nihil quidquam fit egregium. *1. de Orat.*

Diligentia in omnibus rebus plurimum valet: hæc præcipue colenda eſt nobis, hæc ſemper adhibenda: hæc nihil eſt quod non aſſe-

assequatur, qua vna virtute omnes reliquæ virtutes continentur. *2. Orat.*

Parum valet doctrina: nisi industria, studio, labore, diligentia comprobetur. *3. ad Heren.*

Nihil est in natura rerum omnium, quod se in vniuersum profundat, & quod totum repente voler: sic omnia quæ fiunt, quæque aguntur acerrime leuioribus principijs natura ipsa præteait. *2. de Orat.*

Omnium rerum principia parua sunt: sed suis progressionibus vsu augentur. *5. de Finib.*

Nihil in simplici genere omni ex parte perfectum atque beatum natura expoliuit: tanquam cæteris non sit habitura quod largiatur si vni omnia concesserit. *1. de Inuent.*

In omni disciplina, infirma est artis præceptio, sine summa assiduitate exercitationis. *3. ad Heren.*

S I M I L I T V D I N E S.

Plutarchi. Qui boue venatur leporem, & aratro iaculatur, & sagene capiat ceruos, si non assequitur, non potest accusare fortunam, sed suam ipsius stultitiam: Sic qui conantur, quod non queant efficere, non debent incusare fortunam, sed suam dementiam. *In Moral.*

Lactantij. Sicut in itinere celerando nihil prodest viam nosse, nisi conatus ac vires suppeditent ambulandi: Ita scientia nihil prodest, si virtus propria deficiat. *Lib. 6. de vero cultu. c. 5.*

A D A G I A.

Miscebis sacra prophanis.

Qui nihil habent pensi, quippe nihil non audent: miscent sacra prophanis. Horatius.

Aut terra, aut mari.

Plautus in Pseudolo, dixit, pro quacunque ratione.

Commouere sacra.

Plautus ibidem dixit, pro eo, quod est extrema experiri præsidia.

Mare cœlo miscere.

Prouerbialis hyperbole est, pro eo, quod est omnia perturbare nihilque non facere T. Liuius.

Terra marique.

Quoties extremum conatum studiumq; significamus.

Frustratus conatus.

Qui spe frustratus sua, non assequitur id quod ambiebat, in hunc non incongrue torquebitur illud Homer. Iliad. 8.

Βάλλεν δὲ ἵετο θυμός,
Καὶ τοῦ μὲν ῥ' ἀφάμαρθ'.

Animus cupit hunc configere telo,
Verum illum fallente manu non attigit.

Inanis conatus.

Vbi sentiemus, frustra sumi operam, neq; quicquam promoueri diutinis laboribus, non inepte quadrauerit illud ex eodem libro.

Ἄπρηκτον πόλεμον πολεμίζειν ἠδὲ μάχεσθαι. Idest.

Pugnam infrugiferamq; & inutile ducere bellum.

Pro mea virili.

Quum pollicemur, nos operam nostram præstituros: Pro mea virili, dicimus.

Remis velisque.

Inde translatum, quod cũ nauis simul & remigio & velo impellitur, summus est nautarum conatus.

Ancoras tollere.

Pro eo, quod est, molliri discessum. Quod genus, & illud: Telaria nectere. Oras soluere.

Omni pede standum. ὅλῳ ποδί.

Pro eo quod est summa vi, summoq; nisu. Quintilianus ab agricolis profectum esse testatur.

Omni conatu inuadere.

Si quem significabimus totis viribus in quempiam tendere oppugnandum conueniet illud Homeri.

Αἰνεία δ' ἄπρηκτον σὺν δορὶ δ' ἀσπίδι μάρψαι. Idest.
O nunc Aenea clypeoq; insurge & hasta.

Toto pectore.

Quum syncerum & absolutum amorem significamus, Toto pectore dicimus, & toto animo: prius etiam ad studium diligentiamque referri potest.

Premenda occasio.

Qui significabit modis omnibus instandum esse, nec mittendam è manibus semel oblatam occasionem, accommodabit illud ex Od. δ.

Ὑμεῖς δ' ἀστεμφέως ἐχέμεν, μᾶλλόν τε πιέζειν. Idest.

Vos premite & vinclis magis arcte stringite captum.

Quod quidem detorquere licebit ad id, quam dicemus, impetus animi hoc magis ac magis esse coercendos rationis moderamine, quo magis effetuescunt, & ad malum sollicitant.

Cum hasta, cum scuto. σὺν δορὶ σὺν ἀσπίδι.

Vbi quis omni conatu rem aggreditur.

Cominus atque eminus. ἐγγύθεν καὶ πόῤῥωθεν.

Idest: Cominus atq; eminus. Translatum à bello, in quo nunc conserti pugnant gladijs, nunc maximis procul tela in hostem torquent.

Omissis nugis rem experiamur.

Qui commissis omissis iubebit ipsum periculum fieri vter vincat, aut vincatur: non intempestiuiter accommodauerit illud.

Βέλτερον αὖτ' ἔρδειν ξυμβαλλομένους ἵνα τάχιστα
Εἴδομεν ὁπποτέροισι καὶ ἐλλείπεσι τέλος ὀρέξῃ.
Sed præstat pugnam committere cominus vt mox
Vtri Iupiter esse velit laudemq; decusq;
Perspicuum fiat.

Omni certaminis genere.

Cum intelligimus omni certaminis genere congressum esse veluti si quis dicat: In omni disciplina disputatum acriter conuenit illud ex Odyss. θ

Πὺξ τε παλαισμοσύνῃ τε καὶ ἅλμασιν ἠδὲ πόδεσσιν.
Et pugnis pedibusq; & saltibus atq; palæstra.

Item: Vbi quis ostendet se nullum detrectare certamen, sed ad quoduis ingenij experimentum paratum esse.

Sursum ac deorsum.

Prouerbium accommodabitur vel ad omnia tentantem, vel ad omnia tentundentem: vel ad diligentem omni ex parte negotium circumspicientis. Terentius in Eunuch.

Rem nouam aggredior.

Si quando significabitis te rem arduam, ac nouam moliturum & alijs adhuc intentatam, accommodabis illud ex Odyss. ξ

Νῦν αὖτε σκοπὸν ἄλλον, ὃν οὔπω τις βάλεν ἀνήρ,
Εἴσομαι, αἴ κε τύχωμι.

Nunc alium tentabo scopum si attingere possim
Quem nondum quisquam attigit.

Summis vti velis. ἄκρῳ χρῆσθαι τῷ ἱστίῳ.

In eos, qui maximo conatu admittuntur atq; incumbunt, aut qui omnem captant occasionem.

In magnis & voluisse sat est.

Eam Angelus Politianus venuste vertit Græc. Ἀρκεῖ δ' ἐν μεγάλοις καὶ τὸ θέλημα μόνον *Conuenit, ubi quis maioris viribus conatur tametsi rei susceptæ magnitudini non satisfacit tamen hoc ipso nomine laudem te meretur, quod rem pulcherrimam conatus est. Den Mitlen fur die M... ce nemmen. Item tantle ... auff den Berg ... im Tual.*

Sine ope diuina nihil valemus.

Manca est omnis mortalium industria omnisq; conatus, nisi fauor aspiret diuinus, ad id accommodare licet Homericum illud.

Πάντες δὲ θεῶν χατέουσ' ἄνθρωποι.

Mortalis diuum auxilium desiderat omnis.

Omnibus neruis.

Idest, summa vi summoq; studio.

Omnibus neruis.

Quum innuemus in negotio quopiam omnes exprimendas vires omnes neruos intendendas conueniet illud Homeri.

Καὶ τότ' ἔπειθ' ὑμῖν μελέτω κρατερός τε ...
Deus vobis curæ sunto verosq; agerq;

Adsimili specie Pindarus dixit Olymp. 10.

Τίς δὴ ποταίνιον ἔλαχε στέφανον
Χείρεσσι ποσίν τε καὶ ἅρματι ἀγώνιον.

Quis tandem assecutus desiderabilem coronam manibus pedibusq; & curribus.

Omnem vocem emittere. πᾶσαν φωνὴν ἱέναι.

Omnem vocem emittere dicebantur, qui nihil omittebant, quo persuadebant. Ciceroni adscribitur.

Omni telorum genere oppugnare.

Pro eo, quod est modis omnibus infectari. Cui finitimum est: Casim ac punctim.

Manibus pedibusque.

Extremum conatum significantes dicimus: Manibus pedibusque. Mit Handt vnd fussen.

Pro virili.

Quum pollicebimur, nos operam nostram præstituros pro nostra virili conueniet illud Veneris ad Iunonem.

Εἰ δύναμαι τελέσαι γε, καὶ εἰ τετελεσμένον ἐστί.
Si præstare queam, & fieri res ipsa potest.

Eum versus habetur Odyss. ε & Iliad. ξ

Vsurpat veluti prouerbium hunc Plutarchus in libello de dignoscendo adulatore ab amico. Εἰ γὰρ ἀρχεῖται τοῖς τῶν φίλων ... ἐπὶ ... Εἰ δύναμαι τελέσαι γε, καὶ εἰ τετελεσμένον ἐστί. Κόλακος δὲ ταῦτα ... ἀποδέχεσθαι, idest. Nam recte dictum est illud à maioribus nostris, amicum fide ... mittere.

Si præstare queam & fieri res ipsa potest.

Adulatorem vero ad hunc modum.

Dic ito quicquid habes in pectore.

Vide, Actio, Exercitatio, Studium, Labor.

C O N C E P T I O.

D E F I N I T I O.

CONCEPTIO, Græce σύλληψις & συλλαμβάνω, conceptio dicitur. Est autem concipi, procedere à generante distinctum esse ab eo, & esse clausum intra terminos eius. *Secund. B. Thom.*

B. Thom. 3. sentent dist. 8. 1. Hebr. H. ren. ab harah concepit.

Conceptio viri, secundum Aristotelem completur in 40. diebus: *sec. Aug. in 30 mulieris vero in 60.* Versus:

Sex in lacte dies ter sunt in sanguine trini,
Bis seni carnem, ter senis membra figurant.

Conceptio transfertur ad animum: vt, tantum scelus animo concipere non potui. Conceptus orentis εννοια. verba concepta, conceptis verbis iuuere.

SIMILITVDO.

Dionis Chrysostomi. omne animal conceptionis suæ seruat honorem & tempus: homo autem solus contemnit. *In c. 20. Matth. hom. 33.*
Vide Homo, Natura, &c.

CONCIO.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Concio, Græce ἀγορὰ ἀπὸ τοῦ ἀγορεύω concionor dicitur. Est autem concio, populi multitudo congregata ad audiendum aliquē oratorem pro communi vtilitate. Et cum ipsa oratio, tum locus ipse concio appellatur. Diciturque a concio, quod modo significat conuoco, modo pertubo & commoueo. Idemque qui orat, concionari dicitur. Concionis triplex est acceptio,

1. Suggestum, vnde verba fiunt, Hebr. *Migdalehets, ξύμα, ἐξεστρα. Liuius lib. 1.* Vocato ad Concilium populo, summisis fascibus in concionem ascendit.
2. Multitudo populi assistentis connocata, Cicero in Le. Concio, quæ ex imperitissimis constat, tamen iudicare solet. Hebr. *Kahal,* Græc. *ἐκκλησία.*
3. Oratio, quæ ad populum habetur. Hebr. *Debarim,* verba. Græc. *δημηγορία. Harangue. Sermon. Predication.* Concionator, *Koheleth. δημηγόρος, ἐκκλησιαστής.*

BIBLICI LOCI.

Concionatores mittuntur a Iosaphat Rege per vniuersam Iudæā, *2. Paral. 17. v. 7.* Concionatorum, Pastorum, & Prophetarum officium, *1. Sam. 12. v. 13. Esa. 58. v. 5. & 61. v. 1. Ier. 1. v. 5. Ezech. 3. v. 1. 9. 12. & 33. v. 2. 27. Act. 3. 18.*

SIMILITVDINES.

Chrysostomi. Quemadmodum agricola vbertim seminat, sic vbi viderit agrum repurgatum, & ab herbarum nocumentis liberum: Ita & concionator spirituale aruum videns, sublatis ijs quæ impediunt, semen verbi Dei faciat. *Hom. 1. in Genes.*

Sicut qui corporali morbo laborant, quamuis sexcenties medicus remedia adferat, & vàletudinarius medicinæ curam respuit, & medicus imponens pharmacum, infirmus impatiens doloris illud reijciat, nulla inde vtilitate suscepta: Ita nihil efficerit Ecclesiastes, nisi obtempere. erit auditores. *Hom. 1. in Genes.*

Medici primum imponunt cataplasmata magis efficacia, & dein rupto vulnere, eaque leniunt: Sic & patres filios suos videntes incompositis moribus prius verberibus corripiunt, deinde admonent & solantur: Ita & concionator post increpationem consolatur auditores. *Hom. 6. in Genes.*

Sic messores falces acuunt, aream parant, boues nutriunt, &c. Sic fere omnes artifices prius apparatum faciunt eorum, quæ rei gerendæ tempus exquirit, vt facile concilient par agenda. Sic & concionator. *ibid.*

Nemo prudens argueret medicum, qui suum egit officium: Ita concionator medicamentum ex spirituali doctrina confectam imponit: auditorum posthac erit curam adhibere vt emendentur. *Hom. 13. in Genes.*

Vt si quis puerum suum quotidie, in ludum ire videns, & nihil lucri facientem, multo tempore impatienter feret: Ita & concionator, auditores spirituales habens filios in Schola Dei, qui convenient, si non profecerint: Si autem magister pueri egisset, qd sui esset officij, ignauia autem pueri esset causa omnium, is one oio oem culpam in puerum transferret. *ibid.*

Si ij qui preciosos lapides & gemmas quærunt, in mari molestiam & laborem ferentes, quo desiderata potiantur: Multo magis nostrum fuerit, animum intendere, vt qui in profundo latent lapides preciosos comprehendamus. *ibid.*

Quemadmodum si agricola crassum & pinguem agrum inueniat: nihil sui officij intermittit, sulcos secat, aratrum ducit, sentes excindit, largiter seminat, spe palemur, quo indie agri fertilitatem considerans sementis geminæ segetē & messem expectat: Ita & similiter cōcionatores, vt cum viderint alacritatem auditorum increscere, desiderium vigere, ipsi quoque maiori studio, & promptitudine, quaotum vires suppetunt, in ædificationem auditorum, & gloriam Dei aliquid adferre debent. *Hom. 30. in Genes.*

Aegrorum ferunt medici calcibus ferientem, incessentem contumelijs & conuicijs, nec offenduntur: quia nihil aliud quam salutem hois ægroti quærentes, licet facinoris indecora (quoniam sæpe lacerant medicorum vestes) nec ideo a cura desistunt: Sic concionator licet mala perpetiatur ab auditoribus. &c. *ibid.*

Sicut medicus, infirmum videns suis mandatis non obtemperantem, sed vacantem ijs, quę morbum faciunt incrudescere, sæpenumero infirmum relinquit in sua ægritudine: Ita & nos. *Hom. 31. in Gen.*

Quemadmodum pictores modo hos, modo illos colores, abrasis prioribus imponunt, facturi formosam imaginem. Sic & cōcionator, nunc de cœlo, gehenna, &c. *ibid.*

Sicut medici, qui non vno curationis modo vtuntur, sed cum viderint primis remedijs non esse depressum morbum, alia atque alia rursus excogitant: Ita multis medendi generibus vtatur animarum medicus. *Hom. 31. in Gen.*

Sicut moris est medicorum, quamuis videant morbos esse grauiores, quam vt arte tolli possint, non omittunt tamē officium suū, sed omnem suam artem proferunt, an forte possint ægrum vel longo tempore reparare, vt si tamen nil profecerint, maiorem habeant excusationem: Itidem concionator nil prætermittit, quod sui officij est, &c. *Hom. 40 in Genes.*

Sicut quū magna sumptuosaq; fercula apponuntur, conuiuarum facietas facit, vt aliquid splendori decedat appositorum, & magna nonnūquam nullius videantur momenti, eo quod conuiuæ absque edendi auiditate aduenerunt. *Hom. 44. in Genesin.*

Sicut homo vbicunque fuerit, cæteris animantibus præstat: Ita doctorem decet siue loquatur, siue sileat, siue vbicunque locorum fuerit, omnibus alijs hominibus excellere, adeo vt aspectu, incessu, habitu, & alijs, cæteris præstantior videatur. *Hom. 37. in Genesin.*

Sicut pater familias mittens messores, metit festucas de agro, & cōportat eas in aream, vt illis trituret & ventilet, & discernat tritici cum a paleis: Sic & Dominus mittens Apostolos, cæterosq; doctores, quasi messores præcidit omnes gentes de mundo, & in aream Ecclesiæ congregat. *In c. 3 Matth.*

Sicut qui retia iactat in aquam nescit quos pisces comprehensurus est, sed quod Deus illi transmiserit, illi intrant in retia. Sic & doctor quando diuini sermonis retia super populum iactat, nescit qui sunt accessuri ad Deum, sed quoscunque Deus excitauerit, illi adhærent doctrinæ. *In c. 4 Matth. Hom. 7.*

Omnis artifex secundum professionem suam opportunitatem operis videns gaudet. Carpentarius si viderit arborem bonam, concupiscit præscindere eam ad opus artificij sui. Agricola si viderit terram pinguem, desiderat eam arare. Et quid dico de rationalibus hominibus: ipse irrationalis equus de stabulo exiliens, si viderit campos patentes, rūpit frenum, & excitatur ad cursum: Sic & Dominus videns magnam congregationem populi, excitatus est ad docendum: Sic & omnis sacerdos, si viderit Ecclesiā plenam, gaudet animus eius, & delectatur vt doceat. *In Matth. Hom. 9.*

Si medico opprobrium est, qui nec alterius habet sanitatem in manu, nec suam: si velit alios curare, & ipse debilis sit quasi testimonium imperitiæ suæ portat in corpore suo proprio, admonet: Quomodo doctori sit opprobrium, alios velle eruere a peccato, & ipsum in manibus esse peccatis, dum potius amplius seipsum eruere a peccatis, quam alios. *In c. 7. Matth.*

Quemadmodum paterfamilias studiosus scit in domo sua, quid vnusquisque necessarium habet: Ita & sacerdos singulorum mores & actus & conuersationem debet discere, vt qualē quibusque medicamentum necessarium fuerit subministret: cui conso latio consolationem: cui increpatio, increpationem. *In c. 9. Matth. Hom 8.*

Testimonium studiosi agricolæ est messis fœcunda: studij autem doctoris documentum, ecclesia plena. *In 20. c. Matth Hom. 36.*

Sicut ædificatores, nodosos lapides & habentes torturas, ferro dolant, postea vero ponunt eos in ædificio, alioqui non dolati lapides lapidibus non cohærent: Sic & Ecclesiæ doctores vitia hominum, quasi nodos acutis increpationibus primum, circumcidere debent, & sic in Ecclesiæ ædificatione collocare, alioquin vitijs manentibus Christiani Christianis concordare non possun. *In Matth. Hom. 40.*

Sicut gaudet medicus, quando cum ægrotantium multitudo prosequitur, sicut lætatur rex, quando cum magni exercitus manus armata circumdat, Sic exultat sacerdos, quando cū audientium populus magnus auscultat. *Hom. 31. In Matth.*

Sicut pulli gallinarum pastum suum quærentes, per diuersa vagantur, maternis vocibus congregantur ad ipsum, & iterum simpliciter præsentes disperguntur, & iterum maternis vocibus congregantur: Sic & populus Dei carnalem voluptatem, & mūdialem concupiscentiam sequentes, per diuersos vagantur errores quos Ecclesia mater per sacerdotes modo increpationibus modo blandimentis, quasi quibusdam vocibus congregare & allectare festinat. *In Matth. 23. Hom. 46.*

Quem-

Quemadmodum gallina habens pullos, vocando illos non cessat, vt assidua voce vagositatem corrigat pullorum suorum: Sic & sacerdotes in doctrina cessare non debent, vt studio suo, & assiduitate doctrinarum suarum negligentiam populi errantis emendent. *In 23. Matth. Hom. 46.*

Sicut nauis tunc præcipue gubernatorem necessariũ habet, quando tempestatem patitur, quando autem prosperata est, ipsa se dirigit: & miles tunc præcipue necessariam habet annonam de rege, quando bellum, & periculum instat: quando autem pax, vndecunq; possunt se milites sustentare: Sic Ecclesiæ præcipue in tempore persequutionis, doctrinam sacerdotis necessariam habent, quasi spirituales milites spiritualem annonam, quando autem securitas est, vnicuique naturalis sufficit intellectus. *In Matth. 24. Hom. 50.*

In charta vbi nihil scriptum est: facilime scribitur: literis vero plena, non similiter certe: necesse enim est priora delere: & medicus qui nihil offert, & qui ędificat illico ruitura, peior eo est, qui nunquam ædificauit. Et terra facilius aratro proscinditur, quæ nihil habet, quam quæ vepribus refertissima. Nequaquam igitur cuncta scire velimus, sed patimur etiam nonnulla ignorare, vt si iurgium inueniremus, duplicem ei laborem non præbeamus, imo vero ne vt multi semper ægrotemus, qui falsis opinionib. occupati, emendari ac corrigi nunquam potuerunt. Nõ autem æqualis labor est seminare, posteaquam radicitus priora euulseris, & in agro nudo serere. Illi, n. euertere multa prius necesse est, & tunc illa inculcare: sic vero præparatum rus præbet aditus. *Hom. 75. in Matth.*

Theodoreti episcopi. Si corporib. mederi scires, multi aũt circum sistentes rogarent vt mederens, & diuersas affectiones ostenderent, vt v.g. oculorum suffusiones: & aurium vlcera, & dolorem dentium: & hi quidem neruorum extensionem, illi resolutionẽ ac paralysim: & hic quidem bilis inundationem & repletionem illi vero pituitę: dic mihi quid faceres, vnum ne oibus medicamentum componeres, an vnicuique morbo id quod conuenit? ER. Id scilicet quod vnicuique morbo conuenit, & ad morbum propulsandum est appositum. OR. Ergo calidas quidẽ affectiones refrigerans, frigidas aũt calefaciens, & intensa quidẽ remittens, resoluta aũt corroborantib. medicamentis confirmas & humida quidẽ exiccans, sicca vero humectãs, morbos quidẽ expelleres, ab ijs vero amissam sanitatem reduceres. ER. Ita curare præcipit lex artis medicæ, Cõtraria. n. inquiunt, contrarijs curantur. OR. Sin aũt plantandi arbores artem teneres: ijsdẽ ne arborib. eandem exculturam adhiberes: an malo quidem vnicam, quæ ei conuenit: & ficui, quæ est ei accommodata: & piro & malo similiter, & viti, quæ est ei apposita & congrua, & tãvt semel dicã, arbori quę conuenit? ER. Clarum est, quod vnaquæque arbor, propria cultura opus hẽt. OR. Sin aũt fabricandarum nauium artem exerceres, videres aũt mali receptaculum tui artificij opera indigere: eamne quę clauo conuenit, curationem adhiberes, an eam quæ mali receptaculo? ER. Hæc quidem sunt extra oẽm controuersiam. Vnumquodq. n. propriam curam & studium requirit, & arbor & pars corporis, & instrumenta & partes nauis. OR. Quomodo ergo non est miserum, corporib. quidem & rebus inanimatis conuenientes curationes adhibere: in animis autem hanc medendi regulam non seruare? *Dial. 2 fol. 81.*

Olympiodori. sicut stimuli boues pungunt, vrgentque aratro sulcum proscindere: ita & Theologorum verba excitant nos, qui spe bona aramus, proscindere sulcum spiritualem, vt cum purgatus fuerit ager cordis nostri, pulchros in eo virtutis surculos conseramus. Similia quoque sunt clauis ignitis atque candẽtibus, qui altius ac facilius lignis infiguntur: Ita & sapientium verbo Theologorum, in penitissimos sinus intellectus nostri altius figuntur. *In commentarijs in Eccles. c. 12.*

Gregorij Nissæni Pontificis. quemadmodum hi pueros è parentum manibus susceptos adhuc infantes & balbutiens, non protinus abditis disciplinarum præceptionibus onerant, sed primo literarum formas insculpunt in ceris, earumque nomina declarant, & ipsorum manus per impressos illos literarum ductus agunt, & exercent, mox eos ad syllabarum cognitionem prouehunt: atque ita deinceps ad verborum expressionem perducunt: Sic etiam Ecclesiæ duces initio documenta quædam, quæ sint instar elementorum, auditoribus proponunt: deinceps gradatim ea quæ perfectiora, magisque recondita sunt, patefaciunt. *In Orat. de pauperibus amandis, & benignitate complectendis, fol. 31.*

Olympiodori. similia sunt clauis ignitis atque candentibus qui altius ac facilius lignis infiguntur: Ita & sapientium verba Theologorum in penitissimos sinus intellectus nostri altius figuntur. *In Ecclesiast. c. 12. fol. 184.*

Clementis. videntur mihi ij, qui loquuntur verbum veritatis, & qui illuminant animas hominum, similes esse radijs solis: qui vt processerint, & apparuerint mundo, celari vltra aut occultari nullatenus possunt, dum non tam videntur ab hominibus, quam videre omnibus præstant. *Lib. 8. Recogn.*

Iusti episcopi. Dentes prædicatores dicit, qui ea quæ susceperunt, salubriter communicando, in corpus Christi traijciunt. Hi detonsarum gregibus comparantur: quia deposito vetere homine, in nouitate spiritus processerunt. Ascenderunt quoque de lauacro cum accepta per baptismata remissione peccatorum profecerunt in Christo. *In Cantica Canticorum.*

Nazianzeni. Magnum quid est docere, verum discere periculo caret; cur te ipsum facis pastorem, quum sis ouis? cur caput esse contendis, quum pes existas? cur exercitum ducere quæris, quũ inter milites adhuc censearis? cur magnum, sed nequaquam tutũ lucrum maris sectaris, quum sine periculo terram colere possis? Sane si vires secundum Christum, sensusque habeas exercitatos, tibique lumen splendeat cognitionis: loquere sapientiam quæ profertur inter perfectos, necnon absconditam in mysterio, & illam quum tempus ceperis, & tibi concredita fuerit. Quid enim apud teipsum habes, quod tibi datum non sit? aut quod nequaquam acceperis? Si vero adhuc paruulus es, & humi reptans intellectu, nec sufficiens, vt cum sublimioribus progrediaris, fias Corinthius: lac te alat, cur cibum quæris solidiorem, quem membra non concoquunt, ac nutrimentum faciunt per imbecillitatem? loquitur quidem; si quid melius habes quam quod taceatur: si quidem ordinem labijs ornare opus esse laudabile nosti: vbi vero silentium melius est sermone, ibi quietem dilige; decet enim quædam dicere, alia audire: nonnulla laudare, alia vero amarulenter reijcere. *In oratione de modestia in disputationibus.*

Quemadmodum in submersione aquarum, quædam penitus in profundo celantur: quædam vero impulsa ebulliunt, audituiq; eiectionem promittunt, differunt tamen: quædam vero resorbentur: Ita ij, qui de Deo philosophantur, ne dicam qui penitus sunt ingrati. Hi enim omnino occultam & latentem in se habẽt pietatem. Alij enim parturiunt, qui quidem quod impium est fugiunt, quod autem pium est, nequaquam libere profitentur: siue quod domestica quadam dispensatione vtantur in sermonibus, siue quia ob timiditatem illac fugiant: & mente quidem recte valent, vt aiunt. populum autem nequaquam sanant, tanquam suam & non aliorum administrent præsidentiam, quinam autem publicant Thesaurum, dum nequaquam dolorem in pietatis tolerant partu, neque vt soli seruentur salutem putant, si non & alijs quod bonum est, impertiantur. *In Oratio. post reditum suum ex agro.*

Theophylacti. Quemadmodum qui ductare exercitum velit, vt optimum militem antea egerit, necesse est: Sic & præceptorẽ oportet his esse virtutibus præditum, quas postmodum sit a discipulis exacturus, inde namque ediscimus, etsi docendi officio fungimur, quemadmodum instruere alios debeamus. *In 1. Tim. 1.*

Origenis. Sicut pontifices cum offerebant, necessario eis erat prouidendum, ne macula inesset hostiæ, ne vituperationis vitium, vt posset accepta Deo esse & grata: Ita & qui Euangelium sanctificat, & verbum Dei annunciat, curare omnino debet, ne qua in prædicando macula, ne quod in docendo vitium, ne qua in magisterio culpa nascatur: sed (vt ita dixerim) si fieri potest, semetipsum primo immolet, se primum vitijs iugulet, & sua prius peccato membra mortificet: vt non solum doctrina, sed & vitæ exẽplo: discipulorum salutem, oblationem suam acceptam faciat Deo. *Lib. 10. epist. ad Rom.*

D. Hieronymi. Sicut acetum dentibus, & fumus contrarius est oculis: Ita sacerdos in Ecclesia prauus per acredinem peccati, fidelium sensus obtundere facit: atque erroris ignorãtia, oculos cordis eorum ab intuitu fidei seu intellectu rectitudinis, dum caligant, velut fumus excæcat. Sicut hæreticorum perfidia bonis doctoribus molestiam generat, & lachrymas: Sic male viuens catholicus, eis qui se fidem suam ex operibus ostendere iusserunt, per inertiam grauis est. Oculi quippe & dentes, prædicatores sunt sanctæ Ecclesiæ, qui ei & recta itinere præuidere, & alimenta spiritualia suggerere solent. Porro acetum quod a vino degenerat & fumus qui ab igne ascendens euanescit, eos qui ab Ecclesiastica suauitate & charitate per superbiam vel socordiã recedentes hanc etiam verbis impugnant, figurate denunciant, de quibus dicit Ioannes: Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis. *lib. 2. Commentarior. in prouerb. c. 15.*

Augustini. Sicut malignus suasor peccat, etiamsi non persuaserit, merito pœnam deceptoris incurrit: Ita fidelis iustitiæ prædicator, etiam si ab hominibus respuatur, absit vt apud Deum sui officij mercede fraudetur. Res enim certa fit ad incertum. Incertũ dico non præmium facientis, sed animum audientis. Incertum est nobis, vtrum assensurus sit cui prædicatur veritas: sed certũ est talibus etiam veritatem prædicari oportere: at certum est, fideliter eam prædicantibus retributionem manere siue suscipiatur, siue spernatur, siue etiam propterea quælibet temporaliter aduersa patiantur. Dominus non suos certos fecit Apostolos, in quibus essent eorum pacem suscepturi, quibus eam prædicarent: certos

tamen

tamen fecit, vt eam fine cunctatione prædicarent. *Contra Cresconium lib.1.c.5.*

Seminant triticum, & spinas metunt, qui bona præcipiunt, & mala faciunt. Non ergo qui eos audiebant & faciebant quæ ab eis dicebantur, de spinis legebant vuas: sed per spinas de vite legebãt vuas: tanquam si manum aliquis per sepem mittat, vt certe de vite quæ sepi fuerit inuoluta, vuam legat, non spinarum est fructus iste, sed vitis. *lib.2. de serm. Domini in monte.*

Paulini. O vere sal terræ, quo præcordia nostra ne possint sæculi vanescere errore, condiuntur. O lucerna digne supra candelabrũ Ecclesiæ posita, quæ late Catholicis orbibus de sepriformi ligno pastum oleo lætitiæ lucem effundens, densam licet hæreticorum caliginem discutis, & lumen veritatis a confusione tenebrarum splendore clarifici sermonis enubilas. Os tuum, fistulam aquæ viuæ, & venam fontis æterni merito dixerim: quia fons viuæ aquæ salientis in vitam æternam, Christus effectus est, cuius desiderio sitiuit in te anima mea, & vbertate tui fluminis inebriari terra mea concupiuit. *Ad August. epist. 31.*

Gregorij. Gallo similis est prædicator, qui inter tenebras vitæ præsentis studet venturam lucem prædicando quasi cantando nunciare. Dicit enim: Nox præcessit, &c. Intelligentiam gallus accepit, vt prius nocturni temporis horas discutiat, & tunc demum voces excitationis emittat: quia sanctus prædicator in auditoribus suis prius qualitatem vitæ considerat, & tunc demum ad audiendum congruam vocem prædicationis format. Quasi enim noctis horas discernere est, actionum tenebras, aperta increpationis voce corrigere. Gallo intelligentia datur, quia doctori veritatis, virtus discretionis, vt nouerit, quibus, quid, quando, quomodo inferat, diuinitus ministratur: non enim vna eademq; omnibus exhortatio conuenit. Sæpe enim quæ alijs officiunt, alijs prosunt. Pleromque herbæ, quæ hæc animalia reficiunt, alia occidunt: & leuis sibilus equos mitigat, catulos instigat. Et medicina quæ huic morbum imminuit, alteri vires iungit. Et panis, qui vitam fortium roborat, paruulorum necat. Pro qualitate igitur audientium, formari debet sermo doctorum. *Moralium lib.38.c.5.*

Quid sunt intentæ mentes auditorum, nisi quasi quædam in cithara tensiones stratæ chordarum? quas tangendi artifex, vt non sibimetipsis dissimile canticum faciant, pulsat, & idcirco chordæ consonam modulationem reddunt, quia vno quidem plectro, sed non vno impulsu feriuntur. Vnde & doctor quisque vt in vna cunctos virtute charitatis ædificet, ex vna doctrina, non vna eademque exhortatione tangere corda audientium debet. *Moralium lib.39.c.5.*

Gallus cum edere cantus parat, prius alas solerter excutit: & semet ipsum feriens vigilantiorem reddit: Ita prædicatores cum verbum prædicationis mouent, prius se in sanctis actionibus exercent, ne in semetipsis torpentes opere, alios excitent voce: sed ante se per sublimia facta excutiunt, & tunc ad bene agendum alios solicitos reddunt. Prius sua punire fletibus curant, & tunc quæ aliorum sunt punienda, denunciant. Prius alis insonant, quam cantus emittant: quando ante quam verba exhortationis proferant, omne quod locuturi sunt, operibus clamant. *Moral. lib.30.c.5.*

Vsurpaui mihi cotis officium, quæ ferrum reddit acutum, quum sit inutilis ad secandum. Pulchrum depinxi hominem, pictor fœdus: aliosque ad perfectionis littus dirigo, qui adhuc in delictorum fluctibus versor. *In Pastoral.*

CONCORDIA.

DEFINITIO.

Concordia, Græce ὁμόνοια, ὁμοφροσύνη concordo dicitur. Et est ad alterum, inquantum scilicet diuersorum cordium voluntates simul in vnum consensum conueniunt, vnde concordia est vnio appetituum diuersorum appetentium: Pax vero est vnio appetituum vnius appetentis, *ex S.Thom. 2.2.q.29.ar.1.* Hinc concordo verbum, quod est conuenio; & concors, eiusdem cordis, id est, mentis, & animi. Et discors, qui corde & animo dissidet. Concordia, Hebr. *Schalom*, id est, pax: & *Ratson*, beneuolentia. Gal. Accord. quasi d. idem cor.

BIBLICI LOCI.

Concordia fratrum commendatur. *Psal.133.1. Prouerb.18.19. Eccles.35.2. Matth.5.9. Rom.12.16. & 15.6. 1.Cor.1.v.10. 2.Corin.13.11. Ephes.4.3. Philip.1.27. & 2.2. & 4.2. 2.Thess.3.16. Tit.3.2. Hebr.10.24. & 12.14. 1.Pet.3.8.*

PATRVM SENTENTIAE.

Nazianzeni. Ordo in Ecclesia ita statuit, vt alij sint oues, alij vero pastores: ita vt hi imperent, illi vero obediant, sitque homo tanquam caput, illud pedes, illud manus, hoc oculi, illud vero aliud corporis membrum, quo omnia recte inter se conueniant, commodumque tam ad præfectos quam ad subditos redundet, quẽadmodum in corporibus membra nequaquam a se dissident, sed cuncta corpus vnum ex diuersis sunt composita, nec idem omnium est officium ac vsus, ad mutuam necessitatis beneuolentiam: neque oculus graditur, sed ducit: quemadmodum nec pes cernit, sed vadit: nec lingua excipit voces, id enim ad auditum pertinet: sicut nec auditus loquitur, nam linguæ id est officium: nasus vero odoris est instrumentum: at guttur cibum gustat, inquit Iob: manus autem dandi & accipiendi est instrumentum: mens vero cunctis omnibus dux est, penes quam & sentire, ac in quam est sensus: Ita & apud nos, qui communc corpus Christi sumus: omnes enim corpus vnum in Christo, ac per vnũ Christum inter nos membra sumus, hoc enim imperat ac præsidet, istud vero obedit & dirigitur; nec amborum idem est officium, quemadmodum nequaquam eorundem est imperare & subesse, sed ambo vnum fiunt in vnum Christum, ab eodem cõposita & conglutinata spiritu, licet imperantes a subditis, rursus tanquam medium, & doctrina, & exercitatione, & ætate distent. *In Orat. de modest. in disput.*

Polyanthea Noua.

D. Augustini. Cum Scipio in secundi libri fine dixisset, vt in fidibus ac tibijs, atque cantu ipso, ac voce concentus est quidam tenendus ex distinctis sonis, quem immutatum ac discrepantem, aures eruditæ ferre non possunt, isque concentus ex dissimillimarum vocum moderatione, concors tamen efficitur & congruẽs: Sic ex summis & medijs, & infimis interiectis ordinibus, vt sonis moderatam ratione ciuitatem consensu dissimillimorum concinere, & quæ harmonia a musicis dicitur in cantu, eam esse in ciuitate concordiam, arctissimum atque optimum in Republica vinculum incolumitatis, eamque sine iustitia nullo pacto esse posse. *lib.2. de ciuit. Dei, c.21.*

SENTENTIAE POETICAE.

Silius 9.

Velle ac nolle ambobus idem, sociataque læto
Mens auo, ac paruis diues concordia rebus.

Calpur. Ecl.2.

Este pares, & ob hoc concordes viuite, nam vos
Et decor, & cantus, & amor sociauit, & ætas.

Claud. Epit. Palladij ac Seren.

Viuite concordes, & nostrum discite munus.

Ouid. 8. Metam.

Sed pia Baucis anus, parilique ætate Philemon
Illa sunt annis iuncti iuuenilibus, illa
Consenuere casa, paupertatemque ferendo
Effecere leuem: nec iniqua mente ferendam.
Nec refert dominos illic, famulosve requiras.
Tota domus duo sunt, idemque parentq; iubentq;.

APOPHTHEGMATA.

Antisthenes, Fratrum inter se concordiam dixit quouis muro firmius munimentum. Id dictum & ad ciuium concordiam accommodari potest. *Laert. lib.6.c.1.*

Musonius dicebat, nullas nuptias sine concordia esse honestas: nec vllam societatem vtilem. Improbos vero inter se concordiam alere non posse. Sicut lignum rectum cum curuo, aut duo ligna curua inter se conuenire nequeunt. *Stob. serm.72.*

Leo Byzantius. Leo Byzantinus Sophista venit Athenas, populo dissidijs tumultuanti concordiam suasurus: vbi prodisset in suggestum, corpore admodum pusillo, omnium risus obortus est. Ille fortuitam occasionem vertens in procemium: Quid, inquit, ô viri Athenienses, si conspiceretis vxorem meam? quæ tam pusilla est vt vix pertingat ad genua mea. Ad hanc vocem quum maior etiam populi risus sublatus esset, subiecit, At nos tam pusillos si quando dissidemus, vix ciuitas Byzantinum capere potest. Ita ferme Plutarchus in præceptis politicis. Sed eandem fabulam multo aliter narrat Philostratus in Sophistis. Nempe quum prodisset ad populum, dicturus de concordia, ipsa statim specie risum mouit populo, quod obesus esset ac ventre prægrandi. At ille nihil turbatus risu multitudinis. Quid, inquit, ridetis, viri Athenienses? Vxor mihi est me multo obesior, & tamen concordes vnus capit lectulus, discordes ne tota quidem domus. *Quod refert Philostratus, & probabilius est & festiuius.*

Isæus Sophista. Lacedæmonij cum periclitarentur, ac de ciuitate mœnibus cingenda consultarent, Homericum carmen recitauit Isæus sophista.

Scutum hasti scuto, galea galea atque viro vir.

Q Et

Et adiecit, Sic mihi state Lacedæmonij, & muris cincti simus. *Philo strat. in Sophistis.*

Archidamus, a duobus inter se dissidentibus delectus arbiter, ambos duxit in lucum Mineruæ, cognomento Chalciœcæ sacrum, ibi exegit ab illis iusiurandum, vt starent arbitri iudicio, id vbi iurassent: Pronuncio, inquit, ne prius hunc locum excedatis, quam quod inter vos est dissidij ponatur, & inuicem reconciliemini. Reperit vir ingeniosus, quo facto fieret, vt nec ambos offenderet recusato arbitrio, nec alterum è duobus alienaret, si pro altero contra alterum tulisset sententiam. Apud Lacedæmonios autem nefas erat fallere, quicquid Mineruæ templo promissum esset. *Plut. in Lacon.*

Agesilaus, a quodam percontatus quam ob causam Sparta mœnibus non cingeretur, ostendit ciues armatos & vnanimes: Hi, inquiens, sunt Spartæ ciuitatis mœnia: significans Respubl. nullo munimento tutiores esse quam virtute ciuium consentientium. *Plut. in apoph. Lacon. P. M. lib. 1. apoph.*

Idem, similiter cum alius quidam interrogasset hocipsum: Ciuitatem non saxis lignisve, sed pro vallis & mœnibus, incolentium virtute muniri oportere, atque quos si iungit concordia, nullus potest esse murus inexpugnabilior. *Plut. in Lacon. apoph.*

Callicratidas, Quum ad Cyrum regem mitteretur, vt pecunias belli exigeret, & tertia regem ianua non admitteretur, discessit, iurauitque, apud comites, vt primum Spartam rediisset, nihil non facturum, vt Græcos inter se conciliaret, quo barbaris fierent magis formidabiles, desinerentque illius regis viribus inter se pugnantes egere. Singularis profecto fuit prudentiæ vir, quod perspexit, Græcos non alia magis ratione posse reddi barbaris formidabiles, quam si depositis intestinis simultatibus, mutuam inter se concordiam sancirent. *Plut. in Lacon. apoph.*

Agesipolis Pausania F. quum Athenienses querimoniarum, quas cum ipso mutuas habebant, arbitram delegissent Megarensium ciuitatem, quæ controuersiam inter eos componeret: Turpe, inquit, si Megarenses melius norunt quid iustum sit, quam hi qui se Græcorum duces ac rectores præstitissent. Megarenses apud Græcos male audiebant, de quibus iactatum est: quod neque primi essent, neque secundi, neque tertij, neque quarti, neque vllo in numero: cum Athenienses pleraque Græciæ imperarent. Ab ipsis igitur quibus cum litem habebat, rex nolebat fieri dissidium: simul declarans, & quam suæ fideret causæ, & quam aduersarijs non diffideret: malens clarissimæ ciuitatis iudicio vinci, quam Megarensium arbitrio vincere. *Plut. in Lacon. apoph.*

Lycurgus, quum agros inter ciues diuisisset, & post longum tempus ex peregrinatione veniens, in agris Lacedæmoniorum forte manipulorum aceruos in messe conspexisset ordine positos: ridens ad eos qui aderant, dixisse fertur: vt tota Lacedæmon videtur multorum esse fratrum, qui nuper inter se diuiserunt hæreditatem. Bono principi nil iucundius erat quam suorum ciuium concordia. *Plut. in Lacon. apoph.*

Idem, ad ciues suos qui scripserant, quo pacto hostium impetum repellere possent: Si pauperes, ait, manseritis & contentiones mutuas deposueritis. Complexus est autem vnico quasi verbo, vir sapientissimus, quid ciuitatibus exitium potissimum pariat: immodicæ videlicet diuitiæ, ac omnis concordiæ neglectus. *Bruf. lib. 2. c. 4.*

Demetrius, cum aliquando a venatione rediret ad patrem legationem iam audientem, succinctus vt erat telis, accessit, eumque osculatus consedit: Hæc, inquiens, concordia regni nostri tutissimum erit præsidium. Discedentibus itaque legatis, Renunciate, inquit Antigonus, o viri, talem amorem, animique pietatem, qualem vidistis. *Bruf. lib. 2. c. ex Plut.*

Scilurus octoginta liberos masculos habens, cum esset moriturus, fasciculum iaculorum singulis porrexit, iussitque rumpere. Id cum singuli recusassent, eo quod videretur impossibile, ipse singula iacula exemit, atque facile confregit omnia, filios admonens his verbis: Si concordes eritis, validi inuictique manebitis: contra si dissidijs & seditione distrahemini, imbecilles eritis: & expugnatu faciles. Non potuit Scytha magis scythicerem ob oculos ponere. *Plut. in apoph. Stob. serm. 82.*

Themistocles cum Xerxes expugnatis Thermopylis crudeliter tractasset Atticam, & hac fama perterriti classiarij cogitarent de repetenda domo, idque plerique suaderent: solus Themistocles obstitit, dicens eos vniuersos hostibus fore pares, dispersos vero perituros. *Æmil. siue Pr. bus.*

Anonymus, Chij aliquando cum grauissimo seditionis morbo laborantes, tumultum inter se excitarent: quidam inter illos homo natura ciuilis & pacis amans, ad eos qui omnes amicorum suorum aduersarios ex vrbe volebant ejicere: Nequaquam, inquit, sed cum victoriam obtinuerimus, relinquamus aliquos, ne procedente tempore non habentes aduersarios, nobis ipsis bellum inferamus. Atque hoc dicto persuasit, vnitatem & concordiam in Republica retinendam esse. *Ælian lib. 14. de varia hist. Plut.*

Tyresius. Scipio Africanus quum Numantinos sæpe victores iam fregisset, obsessosque tandem expugnasset: Tyresium principem Celticum rogauit, qua de causa Numantia aut prius inuicta, aut post euersa fuisset: respondit Tyresius, Concordia victoriam, discordia exitium præbuit. *Bruf. lib. 2. c. 4.*

Mycipsa rex iam iam moriturus, filios suos paterno monet affectu, vt concordes sint, aureis semper literis scribendam sententiam addens: Concordia paruæ res crescunt, discordia autem maximæ dilabuntur. *Salust. de bello Iugurthino.*

Seuerus Imper. in grauissimum morbum incidens posteaquam vitæ suæ finem instare animaduertit, ad se vocauit Marcum Antoninum & Getam filios, a quibus quid vellet percunctatus: Facite, inquit, vt conueniat inter vos, locupletate milites, cæteros omnes contemnite. Sciebat enim, filios regni cupidissimos post mortem de successione disceptaturos: & nisi militum animos pecunia flecterent, penitus interiturus esse. *Dion. Nicæus, & Xiphil. in vita Seueri.*

Iouinianus Imp. cum sollicitaretur vt responsum daret Macedonianis supplicantibus; Odi, respondit, omne contentionis genus: concordiam autem vnice amplector & amo. *Niceph. Callist. l. 10. c. 40 Eccl. hist.*

Melanthus, quum Gorgias sophista recitaret in Olympiacis ludis apud Græcos orationem de concordia, Melanthus: Hic, inquit, de concordia totius Græciæ disserit, qui sibi, vxori, & ancillæ, tribus duntaxat, vt concorditer viuant nondum persuasit. *P. M. 6. apophe.*

SIMILITVDINES.

Dionis. Quemadmodum & res habet in corporibus: sano enim vtilis est magnitudo, carniumque copia, ægroto autem & male affecto, periculosissimus est talis habitus, & acutissimum periculum adducit. Similiter autem & nauis: quæ si cum concordia gubernatoris & nautarum nauiget, & ipsa saluatur, saluatque pariter vectores: sin minus, quanto plura fuerint vela, tanto vehementiorem tempestatem, perturbationemque maiorem accedere necesse est. Idipsum etiam fit circa currum: si quidem auriga recte imperare sciat, & equi consentiant dictoque sint audientes: spes est, in certamine talem currum victorem euadere: in bello autem saluari. Præsente autem seditione, turbationeque, tanto malus periculum est, quanto equi sunt fortiores atque velociores. Simili fere modo & concordi ciuitati omnia talia sunt, abundantia pecuniarum, atque hominum multitudo, & honores, & gloria, & potentia: sin non concordet, inutilia & grauia. Vt si eodem loci versentur multæ feræ: aut pecora, vno inclusa septo, atque se mutuo cornibus inuadant: & conculcent, insultentque. *Orat. 39. De con. cum Apamen. fol. 229.*

Plutarch. Vt in corpore ex humidi, frigidi, calidi, sicci temperatura, optima fit constitutio: Sic ex fratrum concordia maxime floret genus. *In Moral.*

Vt singula hastilia facile frangas, coniuncta non possis: Ita dissidentes facile superantur, concordes haud facile. *In Moral.*

Duabus vocibus simul consonantibus, gratior fit concentus. Ita quicquid fit in familia, fit quidem vtriusque consensu, sed tamen arbitrio mariti. *In Moral.*

Senec. Vt omnia inter se membra consentiunt, quia singula seruari totius interest: Ita homines singulis parcent, quia ad cœtum geniti sumus. *Lib. 2. De ira. c. 51.*

Plinij. Tyrrhenus lapis quamuis grandis innatat, comminutus sidit: Ita concordia sustinemur, discordia pessum imus. *Lib. 2. c. 106. & Arist. de natur. c. 12.*

Vt lapis e Scyro fluctuat integer, sidit comminutus: Sic res discordia pessum eunt, concordia sustinentur. *Lib. 36. c. 17.*

P. M. Salamandra non nisi magnis imbribus prouenit, serenitate deficit: Ita quidam non apparent, nisi statu ciuitatis bello aut seditione turbato: ijdem rebus pace compositis emoriuntur. *In simil. lib.*

ADAGIA.

Concordia fulciuntur opes, etiam exiguæ.

Senarius est prouerbialis in lib. Iliad. 13. huiusmodi:

Συμφερτὴ δ' ἀρετὴ πέλει ἀνδρῶν καὶ μάλα λυγρῶν.

Coniuncti pollent etiam vehementer inertes.

Hoc conuenies vti, si quando significabimus non esse contemnendam amicitiam, aut summatem multorum etiam si fuerint aliequin imbecilles, & quorum singulos quiuis facile contemnat. Eendrachticheit macht gedeien, Alein Neerothumb leindt grois, vvaut mans zusammen helt.

Concordia.

In absolutam concordiam, omniumque rerum consensum conueniet illud ex Homero Odyss. γ.

Οὔτε ποτ' εἰν ἀγορῇ δίχ' ἐβάζομεν, οὔτ' ἐνὶ βουλῇ.
Ἀλλ' ἕνα θυμὸν ἔχοντε νόῳ καὶ ἐπίφρονι βουλῇ.
Φραζόμεθ' Ἀργείοισιν ὅπως ὄχ' ἄριστα γένηται.
Haud vnquam neque concione, neque curia dictis
Audiuit pugnare, animo sed semper eodem.
Et sensisse eadem atque eadem decernere vidit.

Concinere. τὴν ξυνωρίδα ἐλαύνειν.

Id est:

Id est: iisdem de rebus similiter queri. Apud Aristoph. in Equis.

Dorice concinere. Δωριστὶ ἁρμόζεσθαι.

Qui dissentiunt, dicuntur non continere harmoniam Doricam.

Pariter remum ducere.

Qui simul remigant, certis numeris impellunt remos, vt inter se consentiant, alioqui nihil acturi. Hinc Aristoph. in autoris dixit, ὁμοῦ ἐλαύνειν pro consentire & eodem uti uoto.

Volue in cratere. ἀνατρέπε κρατῆρα διαλλαγῶν.

Quo significabimus res antea turbulentas componi, sedarique, & prius inter se inimicos in gratiam redige.

In idem conspirare. εἰς ταὐτὸν ξυμφῦναι.

Id est: In vnum conspirare, seu coalescere. Plato de Legib. l. 4.

Tradunt operas mutuas.

De adolescentibus, qui se vicissim in peccatis defendunt. Giereichen oder bieten einander die Handt.

Vt in velabro olearij.

Prouerbialis similitudo de ijs, qui conspirarunt, remque gerunt ex composito.

E X E M P L A B I B L I C A.

Concordiæ exempla: Abraham & Loth, *Genes. 13. ver. 8.* Apostoli, *Actor. 1. vers. 14.* Fideles, *Act. c. 2. v. 44. 40. & 4. vers. 32.*

H I E R O G L Y P H I C A.

Romani veteres per *Lyra* hieroglyphicum concordiam figurarunt. *Pier. Val. 47.*

Rei familiaris concordiam in consortibus, per *duas perdices* incubantes exprimere plerique voluerunt: propterea quod *Perdices* interdum remisso ardore illo, quo supra modum in libidinem efferascunt, vnanimi concordia mas & fœmina rem familiarem curent: quippe bina quorum faciant receptacula, in quorum altero mas, in altero fœmina incubet, oua inter se partiti, excludatque sua, atque educet. *Pier. Val. lib. 24.*

Mercurij caduceus angues illo circumuolutos habens: quos ipse, vt poetæ narrant, pugnantes cum inuenisset, diremit: Ita vt ambo caduceo eius adhærerant, concordiæ symbolū est, vt in antiquis numismatis apparet. *Eruditus quidam lib. 4. Hierog.*

E M B L E M A T A,

Andreæ Alciati.

Emblema XXXIX.

In bellum ciuile duces cum Roma pararet,
Viribus & caderet Martia terra suis:
Mos fuit in partes turmis coeuntibus easdem,
Coniunctas dextras mutua dona dare.
Fœderis hac species: id habet concordia signum,
Vt quos iungit amor, iungat & ipsa manus.

Concordiæ symbolum.

Emblema XXXVIII.

Cornicum mira inter se concordia vita est,
Mutua stat illis intemerata fides.
Hinc volucres hae sceptra gerunt: quod scilicet omnes
Consensu populi stantque caduntque duces:
Quem si de medio tollas, discordia præceps
Aduolat, & secum regia fata trahit.

Concordia insuperabilis.

Emblema XL.

Tergeminos inter fuerat concordia fratres,
Tanta simul pietas mutua: & vnus amor:
Inuicti humanis vt viribus ampla tenerent
Regna, vno dicti nomine Geryones.

A P O L O G V S S E V F A B V L A.

Boues & Leo.

Pascebantur vna tres boues opimi in maxima concordia, itaque facile ab omni incursione ferarum tuti erant, ac ne leones quidē aggredi illos audebant. Tandem dissidio inter illos nato & soluta amicitia, singuli validioribus bestijs direptioni & prædæ fuere.

Fabula docet, tantum inesse mali in dissensione, quantum boni in concordia reperiatur.

Vide Amicitia, Fœdus.

CONCVPISCENTIA.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Concupiscentia, Græce ἐπιθυμία, ας, ἡ, ἐπιθυμέω, concupisco. Hebr. *Taauah*, à *Taah*, desiderauit, expetijt. Cognationem habet cum Daab, exacabuit præ nimio desiderio. Hinc per metathesin πόθημα, desiderium, & Latinum Opto. Et est appetitus delectabilis sensitiuæ: & est subiectiuæ in appetitu sensitiuo. *S. Tho. 1. 2. q. 3. Art. 5.*

Polyanthea Nouiss.

Concupiscibilitas est appetitus sensitiuæ, qui communiter dicitur sensualitas. Cuius obiectum est bonum apprehensum. *Sec. sens. S. Thom. 3. Sent. 26. q. 1.*

Concupiscentia est tam malarum, quam bonarum rerum appetitus; a concupisco veniens, quod est opto & desidero.

Concupiscibilis vis, quid sit, vide supra in arbore animæ sensitiuæ.

Concupiscentia dicit, intentionem desiderij, Zelus amoris, Abominatio odij, Acedia tristitiæ, Præsumptio spei, Audacia confidentiæ, Furor iræ. *hæc ex S. Thom. 3. Sentent. distinct. 26. quæst. 1. artic. 3.*

L O C I B I B L I C I.

Concupiscentia pro fonte omnium malorum appetituum, *Iac. 1. 15.* damnatur, *Exod. 20. 17. Deut. 5. 21. Prouerb. 23. 5. Matth. 5. 28. Roman. 7. 7. 1. Corinth. 10. 6. Col. 3. 5.* partes, *1. Ioann. 2. 16.* mala eius, *Marc. 4. ver. 19. Iac. 15.* Concupiscentiæ peccatum per legem cognoscitur. *Rom. 7. v. 7. 8.* pœna, *1. Cor. 10. v. 5. 6.* Concupiscētiam crucifigere, frænare & mortificare iubemur. *Eccles. 18. 30. Rom. 6. 12. & 8. v. 8. 12. & 13. v. 14. Gal. 5. v. 16. Ephes. 4. 22. & 5. 3. Col. 3. 5. Tit. 2. 12. 1. Pet. 2. 1. & 4. v. 5. 6. Hebr. 12. 1.* eam in sanctis etiam & baptizatis, atque adeo in vere renatis hominibus, quatenus adhuc sunt caro, peccati rationem habere suo exemplo docet Apostolus, *Rom. 7. 17.*

S E N T E N T I A E B I B L I C A E.

Ne sequantur cogitationes suas, & oculos suos per res varias fornicantes. *Num. 15.*

Oculus malus ad mala nō satiabitur pane indigens, & tristitia erit super mensam suam *Eccles. 14.*

In ore impudentis conculcabitur inopia, & in ventre eius ignis ardebit. *Eccl. 40.*

Dilatauit infernus animam suam, & aperuit os suum absque vllo termino. *Esaia 5.*

Animam suam non saturabunt, & ventres eorum non saturabuntur. *Ezech. 7.*

Dilatauit quasi infernus animam suam, & ipse quasi mors non adimpletur. *Abac. 2.*

Concupiscentia mala peccatum operatur.

Sensus & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua. *Gen. 8.*

Scio enim, quia non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum. Nam velle adiacet mihi, perficere autem bonum, non inuenio. Non enim quod volo bonum, hoc facio: sed quod nolo malum, hoc ago. Si autem, quod nolo, illud facio, iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Inuenio legem volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adiacet. Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quę est in mēbris meis. *Rom. 7.*

Nemo cum tentatur, dicat, quoniam a Deo tentatur: Deus enim intentator malorum est. Ipse autem neminem tentat. Vnusquisq; vero tentatur a concupiscentia sua abstractus & illectus. Deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum: Peccatum vero cum consummatum fuerit, generat mortem. *Iacob. 1.*

Cum fructu frenatur.

Nonne si bene egeris, recipies, sin autem male, statim in foribus peccatum tuum aderit? Sed sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illi. *Gen. 4.*

Aufer iram a corde tuo, & amoue malitiam a carne tua: Adolescentia enim & voluptas vana sunt. *Eccl. 11.*

Ne sequaris in fortitudine tua concupiscentiam cordis tui. *Eccl. 5.*

Virginem ne conspicias, ne forte scandalizeris in decore illius. *ibid. 9.*

Auerte faciem a muliere compta, & ne circumspicias speciem alienam. *ibid.*

Propter speciem mulieris, multi perierunt, & ex hoc concupiscentia, quasi ignis exardescit. *ibid.*

Ne respicias in mulieris speciem, & ne concupiscas mulierem a specie. *ibid. 5.*

Post concupiscentias tuas non eas, & a voluntate tua auertere. Si præstes animæ tuæ concupiscentias eius, faciet te in gaudium inimicis tuis. *Eccl. 18.*

Aufer a me vanas concupiscentias, & concubitus concupiscentiæ ne apprehendant me. *23.*

Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus lucidum erit. *Matthæi 6.*

Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei. *1. Cor. 2.*

Efficiamini diuinæ naturæ consortes, fugientes eius, quæ in mundo est, concupiscentiæ corruptionem. *2. Pet. 1.*

Concupiſcentia rei alienæ prohibetur.

Non concupiſces domum proximi tui, nec deſiderabis vxorē eius, non ſeruum, non ancillam, non bouem, non aſinum, nec omnia, quæ illius. *Exod. 20. & Deut. 5.*

Non zeles gloriam & opes peccatoris: non enim ſcis, quæ futura ſit illi ſubuerſio. *Eccl. 9.*

Patrvm Sententiae.

Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, id eſt, hoc fine & hoc animo attenderit, vt eam concupiſcat, quod iam nō eſt delectatione carnis, ſed plane conſentire libidini, ita vt non refrænetur illicitus appetitus, ſed ſi facultas fuerit, ſatietur: hic mœchatus eſt. *Aug. de ſerm. Domini, lib. 1.*

Neſcio quomodo hoc ipſum, quod concupiſcitur, fit iucundius dū vetatur. *De ſpir. & Litera.*

Concupiſcentia minui poteſt: conſumi non poteſt in hac vita. *Lib. cont. Iul.*

Qui viderit mulierem, &c. Inter paſſionem & propaſſionem hoc intereſt, quod paſſio reputatur in vitium: propaſſio licet initij culpam habeat, tamen non tenetur in crimine: ergo qui viderit mulierem, & anima eius fuerit titillata, hic propaſſione percuſſus eſt. Si vero conſenſerit, & de cogitatione affectum fecerit, ſicut ſcriptum eſt in Dauid: tranſierunt in affectum cordis, de propaſſione tranſiuit ad paſſionem, huic voluntas peccati non deeſt, ſed occaſio. Quicumque ergo viderit, id eſt, ſi ſic aſpexerit, vt concupiſcat, vt facere diſponat, iſte recte mœchatus dicitur eam in corde ſuo. *Hieron ſuper Matth lib. 1. c 14.*

Caro quum concupiſcitur, penſetur quid ſit exanimis, & intelligatur quid ametur. Nil quippe ſic ad edomandum deſideriorum carnalium appetitum valet, quam vt quiſque hoc, quod viuum diligit, quale ſit, mortuum penſet. *Greg. lib. 18. Moral.*

Viſus quidam praui deſiderij, delectationis terrenæ animam volare non patitur, & citius retrahit mentem: ſi forte aliquando ſubleuatur. *Bern. in ſerm ſup. Cant.*

Concupiſcentia carnis, eſt motus animæ in affectu ſordidæ cogitationis. *Iſid. lib. 2. de ſummo bon.*

Similitvdines.

Chryſoſtomi. Sicut ignis mox vt calamum apprehenderit, nō expectans aliquanto tempore, attractam materiam ſua flamma accēdit: ita & concupiſcentiæ ignis vt primum formoſitatem & venuſtatem viſu attigerit, animam ſtatim accendit. *Serm in Oza.*

Quemadmodum ceruа telum corpore fixum ferens, licet venatorum manus effugiat, perit tamen tandem: Sic & anima telo concupiſcentiæ, ob intemperatum & curioſum viſum, ſaucia, etiamſi diſcedat perit tamen & corrumpitur. Nam reiecto telo, vbique videt impugnantem, & gerit ſe comitantem. *ibid.*

Vt corporis oculi fumum denſiſſimum inſpicientes, dolorem concipiunt: Sic mentis quoque oculi ſæcularium curarum & cupiditatis nebulis deprauantur. *Hom. 2 in Matth.*

Sicut ignis iſte communis, vbi humidam corripit conſperſamque materiam, plurimum ſine dubio fumum ſuſcitat: Sic etiam, concupiſcentia vehemens illa prorſus ac flammea, quum humentē alicuius ac paluſtrem ſuccendit animam, multum in ea fumum gignit ac nutrit. *Hom. 2. in Matth.*

Quemadmodum ignis aqua pluuiali per ventorum flatum extinguitur. Sic quoque imber Spiritus ſancti, & potentis illius auræ flatu ignem concupiſcentiæ in cordibus hominum extinguit, omnemque fumum diſpergit. *Hom. 2. in Matth.*

Arnobij, Pacifica res eſt concupiſcentiæ fructus. Sed ſuper eam dolosa cogitant. Sicut in hamo eſca dulcis in aſpectu, lethalis in guſtu. *In Pſalm 34.*

D. Auguſtinus, Hoc me docuiſti, vt quemadmodum medicamenta, ſic alimenta ſumpturus accedam. Sed dum ad quietem ſatietatis ex indigentiæ moleſtia tranſeo, in ipſo tranſitu inſidiatur mihi laqueus concupiſcentiæ. Ipſe enim tranſitus voluptas eſt, non eſt alius qua tranſear, quam quo tranſire cogit neceſſitas. Et cū ſalus ſit cauſa edendi & bibendi, adiungit ſe tāquam pediſſequa periculoſa iucunditas, & plerumque præire conatur: vt eius cauſa fiat, quod ſalutis cauſa me facere vel dico, vel volo nec idem modus vtriuſque eſt. Nam quod ſaluti ſatis eſt, delectationi parum eſt. *Lib. 10. confeſſ. c. 31.*

Hieroglyphica.

Exciſus umbilicus apud diuinarum literarum interpretes *ad Timoniam* ſignificat: eo enim modo, quo præciſum præputium circumciſionis illius eſt ſignum, qua libidinem atque nequitiam a corde reſecare debemus: ita in fœminis vmbilici amputatio caſtimoniam indicat: virtus enim eius in vmbilico eſt, *Iob 40. verſic. 16.* Et fortitudo eius in nodis vētris eius. Hinc de profanatis proſtitutiſque Hieroſolymis Ezechiel, *cap. 16. verſ. 4.* ita lamentatur: In qua die nata es, non exciſus vmbilicus tuus, vuluæ igitur matris adhæreſcit: Hoc eſt, nil quicquam anima ab originatione ſeparatur, ſed patriæ coalita eſt, & applicata mollitudini, vt minime mox mirum ſit eam, quæ omnia ſubſequuntur, turpia perpetrare. Nam quod ex Iobo dicebamus, virtus eius eſt in vmbilico, verius legere videtur Eucherius, vt per hoc fœminæ ſignificet genitalia, ſicut in viro lumbos dicimus. Nam vmbilicus dubio procul eſt concupiſcentiæ ſignum. *Pier lib. 34.*

Manſuetus & domeſticus vitulus, vel bos, concupiſcendi appetendique vim, quæ in nobis eſt, denotat, quia conſtat, nullum animal æque appetitui obedire, & venereum eſſe, atque vitulum ſiue taurum. *Erudit. quidam lib. 2. Hier.*

Scriptores.

Concupiſcentia carnis an peccatum ſit, vide *Roberti Bellarmini Diſputat. Tom. 2. Col. 236. cap. d. 1. & 539. a & ſeq & 753. d. 1. 3.* Concupiſcentia & membrorum inobedientia ex peccato nata eſt. *Idem Tom. 2 col. 444. diſt. 2.* Edomatur ieiunio, *600. d. & 601. a. 2.* Concupiſcentiæ motibus non conſentiendum. *Tom. 2 col 444. c. 2.* Item illius motus inuoluntarij pœnæ ſunt. *Tom. 2. 472. a. 2.* Cōcupiſcentia ex actu coniugali accenditur potius, quam extinguitur. *Idem Bellarm. Tom. 3. col. 1696. diſt. 1697. a.* De concupiſcētia præterea plurima apud eundem. *Vide Tom. 4. per totum fere.* De hac etiam *Pharetra. Reinerius. Manipulus florum, Bernard. ſer. 16. 5. Hanap 9 4. Peraldus 4. 31.*

Vide quoque infra tit. de Cupiditate.

CONFESSIO.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Confeſſio, Græce ὁμολογία, καὶ ἐξομολόγησις. Hebr. *Todhah,* a verbo *hodhah,* profeſſus ſum, confeſſus ſum, & ὁμολογητὴς cōfeſſor dicitur. Eſt autem confeſſio triplex, ſcilicet actus exterior fidei vel iuſtitiæ, actus latriæ, ſcilicet gratiarum actio, & laudatio Dei, & actus pœnitentiæ, ſcilicet confeſſio peccatorum. *S. Thom. 2. 2. q. 3 art. 1. & 4. Sent. diſt. 17. art. 2.*

Confeſſio ſacramentalis, eſt legitima coram ſacerdote peccatorū ſuorum declaratio. *Secund. Hoſt. & dicitur quaſi ſimul. vel ex toto. vel vndique fatſio.*

Confeſſio ſacramentalis eſt, per quam morbus latens ſpe veniæ aperitur, *vt habetur 4. Sent. diſt. 1 2 q. 3. art. 2. ſec. Auguſt.*

Confeſſio ſacramentalis eſt delinquentis accuſatio ex erubeſcentia, & per claues Eccleſiæ ſatiſfactoria, obligans ad pœnitentiam peragendam iniunctam.

Confeſſio ſacramentalis debet habere ſexdecim conditiones, infraſcriptis verſibus contentas. *Sec. S. Thom. 4. Sentent. diſtinct. 17. q 3. art. 4.*

Sit ſimplex, humilis confeſſio, pura fidelis,
Atque frequens, nuda, diſcreta, libens, verecunda,
Integra, ſecreta, lachrymabilis, accelerata,
Fortis, & accuſans, & ſe punire parata.

Idem.

Quis, quid, vbi, per quos, quoties, cur, quomodo quando.

Biblici Loci.

Confiteri Chriſtum, neceſſarium, vtile, honorificum, *Matth. 10. 32. Marc 8. 38. Luc 9. 28.* non omnibus credentibus datum, *Ioan. 12. 24.* Confeſſionis Chriſti exempla: Zacharias, *Luc. 1. 68.* Simeon, *2. verſ. 27. 28.* Magi, *Matth. 2. 11.* Ioannes Baptiſta, *Ioan. 1. 29.* Andreas, *ver. 41.* Philippus, *v. 46.* Nathanael, *v. 50.* Petrus, *Matth. 16. 16.* Samaritana, *Ioan. 4. verſ. 19.* Samaritani, *verſic. 24.* Nicodemus, *Ioan. 3. 1.* Petrus & cæteri Apoſtoli, *Actor. 2. v. 22. 23. & 10. 42.* Petrus & Ioannes, *3. v. 13. 14. 15. & 4. v. 8. 9. 10. 12. & 5. v 29. 30.* Stephanus, *Actor. 6. 10. & 7. v 51. 52.* Paulus, *Actor. 13. verſic. 22. 23. & 17. v. 2. 3. & 24. 24. & 25. v. 22 23.* Author Epiſtolæ ad Hebræos, *Hebr. 4. verſic. 14. 15.* Apollo, *Actor. 18 28.* Ioannes Apoſtolus, *1. Ioan. 1. v. 2.*

Confiteri peccata ſua Hebræi dicuntur, qui ſe modis omnibus peccatores eſſe profitentur, & veniam a Dei miſericordia petunt. *Matth. 3. verſic. 6.* vt apparet ex *Pſal. 32. verſicu. 5. 6. Dan. 9. verſ. 3. &c.*

Confeſſio peccati, totius Eccleſiæ nomine concepta, commendatur, *Leuit. 16. 21. 1. Reg. 8. 46. 47. 2. Paralip. 6. verſ. 36. 37.* Fit mentio huius confeſſionis etiam, *Hebr. 10. 13.* quæ erat anniuerſaria & publica profeſſio, deinde quantumuis antiqua & vetuſta repetebantur peccata, id eſt, cum ſeſe, ac maiores ſuos omnes populus agnoſcebat: Aaron, *Num. 12. 11.* Iſraelitæ, *21. 7. Iudic. 2. 4. & 10. 15. 1. Sam. 7. 6. & 12. v. 18. 19. 2. Par. 12. 6. Eſdr. 9. v. 6. 7. Nehem. 1. 6. & 9. v. 2. 33 Pſal. 106. 6. Dan. 9. 5.* Confeſſio peccati a ſingulari aliquo commiſſi præcipitur, *Num. 5. 7.* Confeſſio priuata commendatur, *Iob 33. 15 Pſal. 32. 5. 6 Prou. 28. 13. 1. Ioan. 1. 8 9.*

Confeſſio pro fidei doctrina, *Hebræ 3. 1. & 4. 14.* Confeſſio fidei, & externa Spei noſtræ profeſſio, neceſſaria, *Pſalm. 116. verſ. 10. Rom. 10.*

Rom. 10.9.10.2.*Cor.* 4.13.1.*Tim.* 6.12.2.*Tim.* 2.12.13.*Hebr.* 10.23. 2.*Pet.* 3.15.1.*Ioan.* 4.15.

Confessio mutua, *Iac.* 5.16. Confessio peccati fratri offenso. *Genes.* 41.9.2.*Sam.* 19.19.

Confiteri, pro gratias agere, laudare & sanctificare, *Gen.* 29.35.1.*Paral.* 16.*vers.* 8.34.35.& 29.13.2.*Paralip.* 5.13. *Psal.* 6.5.& 7.18.& 9.2.& 33.2.& 35.18.& 42.6.& 43.5.& 49.19.& 52.11.& 67.6.& 71.22.& 85.12.& 89.6.& 92.1.& 100.*v.*4.& 106.*v.*46.48. *Esa.* 12.*v.*1.4.& 25.1.*Dan.* 3.8.9.*Luc.* 2.38.& 10.21.

SENTENTIAE BIBLICAE.

Consuerunt sibi folia ficus, & fecerunt sibi perizomata (excusationes in peccatis.) *Genes.* 3.

Sanctifica eos hodie & cras, & lauent vestimenta sua, & sint parati in diem tertium. *Exod.* 19.

Leprosus adducetur ad sacerdotem, vel ad vnum quemlibet filiorum eius. *Leuit.* 13.

Radet homo omnes pilos corporis sui, & lauabitur aqua, purificatusque ingredietur castra (vnitatem Ecclesiæ) 14.

Ore autem confessio fit ad salutem. *Rom.* 10.

Expurgate vetus fermentum, vt sitis noua conspersio. 1.*Cor.* 6.

Si nosmetipsos iudicaremus, non vtique iudicaremur a Domino. 11.

Confitemini alterutrum peccata vestra. *Iac.* 5.

Si dixerimus: Quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. 1.*Ioan.* 1.

Si confiteamur peccata nostra, Deus fidelis est & iustus, vt remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate. Si dixerimus, quoniam non peccauimus, mendacem facimus eum, verbum eius non est in nobis. *ibid.*

Quod etsi de his aliqui remanserint, tabescent in iniquitatibus suis, in terra inimicorum suorum; & propter peccata patrum suorum & sua affligentur, donec confiteantur iniquitates suas, & malorum suorum recordentur, quibus præuaricati sunt in me. 26.

Vir siue mulier, cum fecerint ex omnibus peccatis, quæ solent hominibus accidere, & per negligentiam transgressi fuerint mandata Domini, atque deliquerint, peccatum suum confitebuntur. *Num.* 5.

Quando peccauerit homo, quod morte plectendum est, & adiudicatus morti, appensus fuerit in patibulo; non permanebit cadauer eius in ligno, sed in eadem die sepelietur. *Deut.* 21.

Fili mi, da gloriam Domino Deo Israel, & confitere atque indica mihi, quid feceris, ne abscondas: & dixit; Vere ego peccaui. *Iosue* 7.

Confessio (peccatorum) & magnificentia (bonorum operum) coram illo. 1.*Par.* 6.

Ex voluntate mea (non timore compulsus) confitebor illi. *Psalm.* 28.

Beati quorum tecta sunt peccata (ne appareant in iudicio,) 32.

Delictum meum tibi cognitum feci. *ibid.*

Dixi: confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. *ibid.*

Iniquitatem meam annunciabo, & cogitabo diu pro peccato meo. 38.

Effundite coram illo corda vestra. 62.

Ne tradas bestijs animas confitentes tibi. 74.

Præoccupemus faciem in confessione. 95.

Confessio & pulchritudo (sequens) in conspectu eius. 96.

Confitebor tibi in toto corde meo. 112.

Os meum aperui (ad confessionem) & attraxi spiritum meum. 119.

Non declinet cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis. 141.

Reuela Domino opera tua, & diriget cogitationes tuas. *Prouerbi.* *v.* 16.

Iustus prior est accusator sui. 18.

Qui abscondit scelera sua, non dirigetur, qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur. 28.

Pro anima tua non confundaris dicere verum. Est enim confusio adducens peccatum, & est confusio adducens gloriam & gratiam. *Eccles.* 4.

Non confundaris confiteri peccata tua: & ne subijcias te omni homini pro peccato. *ibid.*

De negligentia tua purga te cum paucis. 7.

In fine hominis denudatio operum eius. 11.

Non demoreris in errore impiorum, ante mortem confitere. A mortuo quasi nihil perit confessio, confiteberis viuens, viuus & sanus confiteberis, & laudabis Deum, & gloriaberis in miserationibus illius. 17.

Auerte a delicto, & dirige manus, & ab omni delicto munda cor tuum. 38.

Reduc me in memoriam, vt iudicemur, simul narra, si quid habes, vt iustificeris. *Esaiæ* 43.

Creaui fructum labiorum pacem, pacem ei qui longe est, & qui prope, dixit Dominus, & sanaui eum. 57.

Dissolue cogitationes impietatis, solue fasciculos deprimentes. 58.

Inuocabis, & Dominus exaudiet, si abstuleris de medio tui catenam, & desieris extendere digitum tuum, & loqui, quod non prodest. *ibid.*

Vade & ostende te sacerdoti, & offer munus tuum. *Matth.* 8.

Confitentes peccata sua. 3.

Quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cœlis. 16.

Quæcumque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlis; & quæcumque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlis. 18.

Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt. *Ioan.* 20.

SENTENTIAE PATRVM.

Nemo dicat occulte; Ego pœnitentiam apud Deum ago: nouit Deus qui me agnoscit, quia in corde meo ago. Ergo sine causa dictum est; Quæ solueritis in terra, erunt soluta in cœlo. Ergo sine causa datæ sunt claues Ecclesiæ. *August. in tractat. de cura mulieris.*

Verum de remissione peccatorum sufficere debet sola credulitas. Quis enim causas aut rationem requirat, vbi indulgentia principalis est causa? Cum terreni regis liberalitas discussioni non sit obnoxia, ab humana temeritate discutitur diuina largitio. Solent enim cum irrisione aduersus nos dicere pagani, quod ipsi nos decipiamus, qui putemus crimina, quæ opere commissa sunt, verbis posse purgari, & aiunt: Nunquid potest, qui homicidium fecit, homicida non esse, & adulter non videri, qui adulterium perpetrauit? Quomodo ergo huiuscemodi criminum reus sanctus vobis effici subito videtur? Sed ad hæc, vt dixi, melius fide, quam ratione respondeo. Rex enim est omnium, qui promisit, terræ cœlique Dominus est, qui hæc pollicetur. Non vis, vt ei, qui me ex terra hominem fecit, credam, quod ex criminoso me faciat innocentem? Et qui me, cum essem cæcus, fecit videre? vel cum essem surdus, audire? qui mihi claudo gressum reddidit, innocentiam mihi perditam non poterit recuperare? Et vt veniamus ad ipsius naturæ testimonium. Occidere hominem non semper criminosum est, sed malitia, non legibus occidere, criminosum est: Non ergo factum me in talibus, quia interdum & recte fit, sed animus male consulens damnat. Si ergo animus in me, qui criminosus est effectus, & in quo fuit origo vitij, corrigatur, cur tibi videar non posse innocens effici, qui prius fueram criminosus? Si enim, vt supra ostendi, constat, quod non in facto, sed in voluntate sit crimen, sicut mala voluntas, authore malo Dæmone, peccatorem me & morti me fecit obnoxium: ita in bonum voluntas mutata, authore bono Deo, innocentiæ reddidit & vitæ. Similis causa & in cæteris est criminibus: hoc modo: fides nostra inuenitur naturalibus rationibus aduersari, dum remissio peccatorum non gestis, quæ mutari non possunt, sed animo, quem de malo in bonum conuerti certum est, deputetur. *Aug. in Symbolo Ruffini, & tomo 4. habetur.*

Quem pœnitet, omnino pœniteat, & dolorem lachrymis ostendat. Repræsentet vitam suam Deo per sacerdotes, præueniat iudicium Dei per confessionem. Præcepit enim Dominus mundandis, vt ostenderent ora sacerdotibus, docens corporali præsentia confitenda esse peccata, non per nuncium, non per scripta manifestanda, dixit enim: Ora monstrate: & omnes, non vnus pro omnibus, non alium statuatis nuncium, qui pro vobis offerat munus a Moyse statutum: sed qui per vos peccatis, per vos erubescatis. Erubescentia enim ipsa partem habet remissionis. Ex misericordia enim hæc præcepit Dominus, vt neminem pœniteret in occulto. In hoc enim, quod per se ipsum dicis sacerdoti, & erubescentiam vincis timore offensi; venia fit criminis. Fit enim venia per confessionem, quod criminale erat operatione. Et si non statim purgatur, fit tamen veniale, quod commiserat mortale. Multum enim satisfactionis obtulit, qui erubescentiæ dominans, nihil eorum, quæ commiserit, nuncio Dei denegauit. *August. lib. de pœn. & habetur de pœnit. dist. 5. Quem pœnitet.*

Non operui, sed aperui; vt operires. Non cœlaui, vt tegeres. Nam quando homo detegit, Deus tegit. Cum homo cœlat, Deus nudat. Cum homo agnoscit, Deus ignoscit. *Aug. super Psal. Delictum meum cognitum tibi feci.*

Cautus sit pœnitens, ne verecundia ductus diuidat apud se confessionem, vt diuersa velit sacerdotibus manifestare, quædam enim vni cælat, quæ alijs manifestanda reseruat: quod est se laudare, & ad hypocrisin tendere, & semper venia carere, ad quam per frusta totam putat peruenire. *Aug. lib. de pœn. & habetur de pœnit. dist. 5. Consideret. §. Cautus.*

Qui vult confiteri peccata sua, vt inueniat gratiam, quærat sacerdotem scientem ligare, & soluere, ne, cum negligens circa se extiterit, negligatur ab illo: qui eum misericorditer monet, & po-

tet, ne ambo in foueam cadant, quam stultus euitare noluit. *Aug. lib. de pœn. & hab. de pœn. dist. 6. Qui vult.*

Discretio confessori valde necessaria est. Consideret qualitatem criminis, in loco, in tempore, in perseuerantia, in veritate personæ, cuius fuerit ætatis, cuius sapientiæ & ordinis, & quali hoc fecerit tentatione, & in ipsius multiplici executione. *August. lib. de pœnit.*

Spiritus sanctus in sancta Ecclesia (etiam in isto tempore, quo velut granum atteritur cum palea) sic operatur, vt nullius veram confessionem aspernetur: nullius simulatione fallatur, atque ita reprobos fugiat, vt etiam per illorum ministerium improbos colligat. *Aug. lib. blasph. Spir. sanct. & hab. 1. q. 1. Spir. sanct.*

O homo, quid times confiteri? Illud quod per confessionem scio, minus scio, quam illud, quod nescio. Cur confiteri erubescis peccata tua? peccator sum, sicut & tu; homo sum, humani a me nihil alienum. Confitere homo homini, homo peccator, homini peccatori. Elige quod vis: si non confessus taces, inconfessus damnaberis. Ad hoc Deus exigit confessionem, vt liberet hominem humilem. Adhuc damnat non confitentem, vt puniat superbū. *Aug. sup. Psal.*

Sacerdos ante omnia caueat, ne de his, qui ei confitentur peccata sua, alicui recitet, quod ea confessus est: non propinquis, non extraneis: neque (quod absit) pro aliquo scandalo, nam si hoc fecerit, deponatur. & omnibus diebus vitæ suæ ignominiosus peregrinando pergat. *Greg. & hab. de pœn. dist. 6. Sac.*

Qui promereri vult, quod expetit, debet malum confiteri, quod fecit. Valde enim facile est, vt peccatorem se quisque fateatur, cū nihil pro peccato suo patitur. *Greg. 8. Moral.*

Mirentur in domo Iob, qui volunt castitatis continentiam, mirentur integritatem iustitiæ, mirentur viscera pietatis: ego in eo nō minus admiror confessionem humillimam peccatorum, quam tot sublimia gesta virtutum. *Greg. lib. 22. Moral. super illud Iob 13. Si celaui ut homo peccatum meum, et abscondi in sinu meo iniquitatem meam.*

Hæc sunt veræ humilitatis insignia, & iniquitatem suam quemque cognoscere, & cognitam voce confessionis aperire. Peccatores nos in tranquillitate loquimur, sed cum de peccatis ipsis flagello interueniente corripimur, murmuramus; pœna ergo nos interrogat, si culpam veraciter cognoscimus. Plerunque grauioris certaminis est commissa peccata prodere, quam non admissa vitare. Plurimi homines confitentur culpam, sed humiles nō sūt. Nam multos nouimus, qui arguente nullo, peccatores se esse cōfitentur: cum vero de culpa sua fuerint fortassis correpti, defensionis patrocinium quærunt, ne peccatores esse videantur. Qui si tunc, cum id sponte dicunt, peccatores se esse veraci humilitate cognoscerent, cum ab alijs arguuntur, esse se quod confessi fuerant, non negarent. Quia in re veræ confessionis indicia sūt, si, cum quisque peccatorem se dicit, illud de se dicenti etiam alteri non contradicit. *Greg. lib. 22. Moral.*

Nunc autem si recorderis peccatorum tuorum, & frequenter in conspectu Dei pronuncies, & pro eis clementiam eius deprecetis, citius illa delebis. Si autem nunc obliuiscaris peccatorum tuorum, tunc eorum recordaberis nolens, cum in toto mundo publicabuntur, & in conspectu proferentur omnium, tam amicorum, quam inimicorum tuorum, & sanctorum Angelorum, & cœlestium virtutum. Non enim ad Dauid solum dicebat: Tu in secreto fecisti, ego cuncta manifestabo: sed etiam ad omnes nos hoc dicitur. *Ioan. Chrysost. & habetur de pœn. dist. can. Quis aliquando, §. Nunc autem.*

Peccata tua dicito, vt deleas. Illa si confunderis dicere alicui, quia peccasti, dicito illa quotidie in anima tua: non dico, vt confitearis ea conseruo, vt exprobret: dico Deo, qui curat ea: nec enim, si non dixeris, ignorat Deus. Dicito ea in hac vita, vt requiem in alia habeas. *Idem sup. Leuit. hom. 6.*

Confessio sanat, confessio iustificat, confessio peccatis veniam donat. Omnis spes in confessione consistit. In confessione locus misericordiæ est. Nulla tam grauis est culpa, quę per confessionem non habeat veniam. *Isidor. lib. 1. c. 12.*

Frequenter peccans & lugens vix veniam meretur. *Ibid. c. 16.*

Quantum displicet Deo imprudentia peccatoris, tantum placet verecundia confitentis. *Bern. super Cant. ser. 3.*

Absque confessione iustus iudicatur ingratus, & peccator mortuus reputatur: confessio igitur peccatoris est via, iusti gloria: & necessaria est peccatori, & iusto nihilominus decet. *Bernard. epist. cap. 14.*

Indicia veræ confessionis sunt, si vt vnusquisque se peccatorem dicit, id de se dicenti alteri non contradicat. Nam non peccator, sed iustus videri appetit, cum peccatorem se quisque nullo arguente confitetur. Superbiæ quippe vitium est, vt quod de se fateri quis sua sponte dignatur, hoc sibi dici ab alijs dedignetur. *Bern. de duodec. grad. hum.*

Sufficit pœnitenti confessio, quæ primum Domino offertur: deinde sacerdoti, qui pro delictis pœnitentium precator accedit. *Leo Papa, & habetur de pœn. dist. 1. Sufficit.*

Si veniret Dæmon ad capitulum confessionis, impetrare posset indulgentiam remissionis. Satan expulsus est a capitulo cœli: Adā a capitulo paradisi; Iudas a capitulo Christi. In primo capitulo fuit culpa superbiæ. In secundo, culpa inobedientiæ; In tertio, culpa auaritiæ. *Hugo de claust. animæ.*

Mira compensatio, stupenda vicissitudo, Domino suo propria mala dicere, & ab eodem præmia salutis accipere. Quis non mereretur illi ad præmium confiteri, cui non possis negare, quod feceris? *Cassiod. super illud Psal. 118. Vias meas enunciaui.*

O ingeniosa simplicitas, & mille tergiuersationibus cautior puritas, manifestare delictum: illis non iudex, sed aduocatus est Christus, qui se propria cōfessione damnarunt. *Cassiod. sup. illud Psal. 31. Beati quorum remissæ sunt iniq.*

O beata confessio, quæ æternum tollit opprobrium! Nam quicquid reatuum inuenerit pœnitentia, perpetuis sæculis reddit absolutum. *Cass. sup. Psal. 77.*

Si operam medicantis expectas, oportet vt vulnus tuum detegas. *Boetius lib. 1. de Phil. cons.*

Medicus ægroto confitenti suam infirmitatem, medicinam negare non debet, vt persuadeat animæ, in quæ mala se præcipitauit. Et ideo etiam, vt ex difficultate sanationis magis sibi caueat. Quod enim facile sanatur, non multum cauetur. *Anselmus sup. Psa. m. 6.*

Non potest quisquam a peccato iustificari, nisi peccatum ante fuerit confessus. *Amb. lib. de paradiso & habet. de pœn. dist. 1. Non potest quisquam.*

Ecce nunc tempus acceptabile adest, in quo confessio animam a morte liberat: confessio aperit paradisum: confessio spem saluādi tribuit. Vnde Scriptura dicit: Dic tu iniquitates tuas, vt iustificeris. His verbis ostenditur, quia non meretur iustificari, qui in vita peccata noluit confiteri. Illa ergo confessio nos liberat a morte, quæ fit cum pœnitētia. *Ambr. in ser. quod & habetur de pœn. dist. 1. Ecce.*

Plurimum suffragatur Deo verecunda confessio, & pœnam, quam defensione vitare non possumus, pudore reuelamus. *Ambros. de Ioseph, lib. 36.*

Qui se accusat, etsi peccator sit, iustus esse incipit, quia nec sibi parcit, & Dei iustitias confitetur. Cessat enim vindicta diuina, si cōfessio præcurrat humana. Si accusauerit se iustus, vocem parat accusationis: excludit, qui solet accusare peccata, & vniuscuiusque est aggregare flagitia: excusat reum pudor suus, accusat eū insultorem, qui cum sua delicta non tacuit, videtur in se doluisse, quod fecit, in Diabolo perdidisse, quod suasit. *Ambros. sup. Beati immaculati.*

Sententiæ Poeticæ.

Iacob. Bill. in Anthol. Sacra.

Peccati remedium dolorem esse, ac peccati confessionem.

Cum quadam immodicum fundit pars ægra cruorem,
Vt medeare malo, vena secanda tibi est:
Sic tibi cum celerem minitantur crimina mortem,
Numinis inque tuum iam cadit ira caput:
Tu ferias, tuaque in te versum desæuiat ira,
Sic eritum magni concidet ira Dei.
Nam sese excusat, quicunque accusat, et vltum
Et punit hunc, qui se non sinit, esse Deus.

Hor. Sat. 3. lib. 1.

Qui ne tuberibus proprijs offendat amicum,
Postulat, ignoscet verrucis illius. æquum est
Peccatis veniam poscentem reddere rursus.

Claud. in Epigr. satisfactionis.

En adsum, & veniam confessus crimina posco.
Manibus Hectoreis atrox ignouit Achilles:
Victrices furias matris placauit Orestes.
Reddidit Æacides Priamo quas ceperat arces
Pellæum iuuenem regum flexere ruinæ.
Darium famulis manibus doluisse peremptum
Fertur & ingenti solatus fata sepulchro,
Transtra captiuo spatiosior India Poro.

Ouid. Metamorph. lib. 10. fab. 9.

Numen confessis aliquod patet.

Philosophicæ Sententiæ.

Vbi est confessio, ibi remissio. *Senec. lib. de morib.*

Initium est salutis, notitia peccati. Nam qui peccare se nescit, corrigi non vult. Ideo quantum potes, te ipsum coargue: inquire in te, accusatoris primum partibus fungi, deinde, iudicis; nouissime, deprecatoris. *Senec. ad Luc. epist. 28.*

Quare vitia sua nemo confitetur? quia etiam nunc in illis est. Somnium narrare, vigilantis est; & vitia sua confiteri sanitatis indicium est. Expergiscamur ergo, vt errores nostros coarguere possimus. *Idem ad Luc. epist. 54.*

Omnia vitia in aperto leniora sunt, morbi quoque ad sanitatem tunc inclinant, cum ex addito erumpunt, ac vim suam proferunt.

fernnt. Et auaritiam itaque, & ambitionem, & cætera mala mentis humanæ tunc perniciosa scias esse, cum simulata sanitate subsidunt. *Idem Epist.* 57.

Apophthegmata.

Pythagoras dicebat, peccata non esse verbis tegenda, sed tentandũ, vt reprehensionibus curarentur. *Ant. & Max. serm. de manif. peccat. & confess.*

Aristoteles non multum ab impeccabili discedere dicebat, qui peccatum vt decet fateretur. *ibid.*

Lysander. in Samothracia oraculum petens, iussus est a sacerdote dicere, quid deterrimum in vita egisset. Ipse quoque sacerdotem rogauit: vtrum iussu suo, an Deorum, id facere oporteret? At illo dicente, Deorum: Tu igitur, inquit, mihi concede, vt illis, si percontentur, dicam. *Erasm. libro secundo, c. 13. Plut. in Laconicis.*

Antalcidas interrogatus a sacrorum ministerio, quibus rebus per omnem ætatem operam dedisset? Non opus est, inquit, vt tibi hoc dicam: sed si quid male egi, Dijs nequaquam incognitum est. *Plut. in Lacon.*

Anonymus. Sacerdos quidam Laconem initiaturus, rogabat, in quibus ab ineunte ætate potissimum peccasset: At ille: Hoc, inquit, Deos nequaquam latet. Verum cum magis vrgeret responsum, Lacon rogauit etiam: Num hoc sacerdoti vel Dijs ipsis dicẽdum esset: Quum respondisset, Dijs. Tu igitur secede parum, inquit, ne audias, Dijs dicturus eram. *Plut. in Lacon.*

Similitudines.

Chrysostomi Quemadmodum naucleri, athletæ, & cursores, vbi ad finem veniunt, magis enituntur & vigilant: Eodem modo & nos facere oportet, quia in magnam hanc hebdomadam peruenimus, Dei gratia, nunc maxime & ieiunij cursus intendendus, ac magis continuandæ sunt preces: faciendaque est diligentius pura peccatorum confessio. *Homil. 29. in Gen.*

Sicut infirmus, qui ipse venit ad medicum, ea parte iam sanus est: Sic & ipse peccator, qui venit ad sacerdotem, & doctrinæ aut pœnitentiæ medicinam quærit, ex parte iam iustus est. *In cap. 4. Matth. Homil. 8.*

Origenis. Sicut ij, qui habent intus inclusam escam indigestam, aut humoris vel phlegmatis stomacho grauiter & moleste immorãtia: si vomuerint, releuantur: ita etiam hi, qui peccauerunt, si quidem occultant & retinent intra se peccatum, intrinsecus vrgentur, & propemodum suffocantur a phlegmate, vel humore peccãti: si autem ipse sui accusator fiat, dum accusat semetipsum, & confitetur, simul euomit & delictum, atque omnem morbi digerit causam. *In Psalm. 37. Hom. 2.*

Theophylacti. Vt quamdiu opertum est vulnus, medicationem nullam admittit: Sic & delictum cum fuerit detectum: in lucem conuertitur; non enim peccatum dixerim, sed peccata patrantem; nam castigatus cum fuerit delinquens, & acrioribus verbis increpitus & pœnitudine veniam consequitur: omnes huius omnes purgatæ sunt & abolitæ, quas antea peccatorum mole obduxerat, tenebræ? *In c. 5. ad Ephe.*

D. Basilij. Quemadmodum apes fumo fugantur, & columbas fœtor expellit: Sic vitæ nostræ custodem Angelum lugubre (Græce πολυδάκρυς, sequitur enim, ἁμαρτία) ac putens abigit peccatum; Sed & delicti cuiuspiam reticentia, latens est animi morbus, [illegible]. *In Gordianum martyr.*

Primasij. Sicut fumus præcedit incendium: sic flammam fidei & charitatis præcedit confessio peccatorum. *In Apocal.*

Bedæ presbyteri. In eadem similitudine natum Beati Ioannis Baptistæ possumus intelligere: quia sicut per eius Prophetiam legis veteris consummatio monstrabatur, & initium noui: Sic veteris consuetudinis malitiam debemus pleniter consummare in nobis per confessionem & pœnitentiam veram, vt incipiamus iterum noui esse, & boni in sanctificatione. *De verbis Hieremiæ:* Prius eradicanda vitia, & ita virtutibus locus præparatur in homine.

Laurentij Iustiniani Patriarchæ. Confessionis sacramentum velut sinus pacatissimus est, in quo hominum conscientiæ religantur, amissa reparantur, & quicquid immonditiæ inondantibus tentationum tempestatibus, aut operante malitia in nauim conscientiæ perfusum est, reijcitur & purgatur. *De disciplina & perfectione Monast. c. 19.*

Gulielmi parat. Machab. 4. Iudas Machabæus dixit: Ecce contriti sunt inimici nostri, ascendamus nunc mundare sancta, & renouare. Ita spiritus contritus est de peccatis, cordis compunctione, antequam mundetur per confessionem nostræ conscientiæ, & per satisfactionem renouetur. *In Summa virtutum & vitiorum.*

Exempla Biblica.

Confessionis priuatæ exempla: Adam & Eua, *Genes. 3. v. 12. 13.* Iudas, 38. 26. Filij Iacob, 42. 21. Pharao, *Exod. 9. ver. 27. &* 10. 17. Balaam, *Num.* 22. 34 Achan, *Ios.* 7. 20. Saul, 1. *Samuel* 15. *ver. (sed.* 24. 30. *&* 26 21. Dauid. 2. *Samuel* 12 13. 1. *Paralip.* 21. *versic.* 8. 17. *Psal.* 32. 5. *&* 41. 5. *&* 51. 6. Esaias, *Esaiæ* 6. 5. Ieremias, *Ieremiæ* 14. 20. Nehemias, *Nehem.* 1. *vers.* 6. Esdras. 3. *Esdr.* 5. *versic.* 76. 91. Iechonias, *versicu.* 93. Achab, 1. *Reg* 21. 27. Bethulian, *Iud.* 7 *v* 18. 19. Esther regina, *Esth.* 14. *versic.* 6. 7. Iob. *Iob* 7 20 Baruch & Israelitæ, *Baruch* 1. *ver.* 13. 17. 18. *&* 2. *ver* 5. 12. *&* 3. 12. Azarias, *Daniel* 3 *v* 29. 30. Daniel. *Dan.* 9. 5. Ionas. *Ionæ* 1. 12 Ierosolymitani, *Matth.* 3. 6. *Marc.* 1. 5. Iudas, *Matthæi* 27. 4 Prodigus filius, *Lucæ* 15. *versic.* 17. 22. Publicanus, 18. 13. Zachæus, 19. 8. Latro, 23. 41. Credentes, *Act.* 19. 37. Paulus, 22. 4. *&* 26. 10. 1. *Cor* 15. 9. *Gal.* 1. 13. 1. *Tim.* 1. *ver.* 23. 15. Confessionis fidei exempla Ietbro, *Exodi* 18. 11. Danielis Socij, *Danielis* 3. 17. Petrus, *Matthæi* 16. 16. Apostoli, *Ioann* 6. 69: Martha, *Ioan.* 11. *versic.* 27. Eunuchus Candaces reginæ Aethiopum, *Act.* 8 37.

Prophana Exempla.

Apud Lacedæmonios, si quis in peccato deprehensus fuisset, is cogebatur aram quandam, quæ erat in vrbe, circumire, ac vituperationem interim in se ab arte compositam canere: quod nihil aliud erat, quam seipsum sua voce obiurgare. Ingenui pudore, & laudis amore melius ducuntur ad honesta, virgis aut flagris cædi seruile est. *Plut. in Lacon.*

Claudius Cæsar, iræ atque iracundiæ conscius sibi, vtrumque excusauit edicto distinxitque; pollicitus alteram quidem breuem & innoxiam, alteram non iniustam fore. *Suet.*

Attila Hunnorum rex, a pugna Catalaunica veniens, euersurus reliquas Galliæ ciuitates, interrogatus a D. Lupo Troiæ antistite, quisnam esset, qui tot regibus deuictis, cuncta vi sibi subijceret? Ego, inquit, sum rex Hunnorum, flagellum Dei. *N. Olaus ca. 9. in Attila.*

Agathocles Siciliæ tyrannus ignobilitatem generis aperte fatebatur, abacumque suum fictilibus tantum instruebat. *Teste Ausonio.*

Creusa apud Euripidem in Ione, vt flagellantis conscientiæ stimulos confessione mitiget, detegit occultum suum stuprum, quod filium habuerit ex compressu Apollinis, & illum exposuerit;

[illegible]
[illegible]

Vide Conscientia, Correctio, Correptio, Damnum, Pœnitentia.

CONFIDENTIA.

Definitio et Etymolog.

Confidentia, Græce [illegible] confido dicitur. Et est, per quam magnis & honestis rebus animus multum in se fidentiæ collocat. *Secundum Ciceronem libro 2. Rhetoricorum.*

Confidentia & fiducia sic differunt, vt placet Donato super Terentio, quod confidentia interdum in bona significatione, interdũ in mala: Fiducia vero semper in mala: Sed vtrunque modo in malam, modo in bonam partem accipitur.

Sententiæ Biblicæ.

Confidendum in Deo.

In Domino confido. *Psalm.* 11.

In te confidit anima mea. 57.

Bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine. 118.

Qui confidunt in Domino sicut mons Sion, non commouebitur in æternum, qui habitat in Hierusalem. 125.

Qui confidunt in Domino, intelligent veritatem: & fideles in dilectione acquiescent illi. *Sap.* 3.

Qui confidit in Domino, non minorabitur. *Eccl.* 32.

Habe fiduciam in Domino Deo tuo. *Prou.* 3.

Ne pauéas repentino timore, & irruentes tibi potentias impiorum. *ibid.*

Dominus erit in latere tuo, & custodiet pedem tuum, ne capiaris. *ibid.*

Confide quia ego sum. *Marc.* 6.

Confidite, ego vici mundum. *Ioan.* 16.

Si Deus pro nobis, quis contra nos? *Rom.* 8.

Confidentia vana & stulta.

Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & a Domino recedit cor eius. *Ierem.* 17.

Qui confidit in cogitationibus suis, impie agit. *Prou.* 12.

Sapiens timet, & declinat a malo: stultus transilit & confidit. 14.

Qui confidit in corde suo, stultus est. 28.

Væ qui opulenti estis in Sion, & confiditis in monte Samariæ, optimates, capita populorum, ingredientes pompatice domum Israel. *Amos 6.*

Qui confidunt in sculptili, confundantur in confusione. *Esaiæ 42.*

Non est, qui inuocet iustitiam, neque est, qui iudicet vere, sed confidunt in nihili, & loquuntur vanitates: conceperunt laborem, & pepererunt iniquitatem. 59.

Ecce vos confiditis vobis in sermonibus mendacij, qui non proderunt vobis. *Ierem. 7.*

SENTENTIAE PATRVM.

Aduersaria est confidentia, quæ periculis vitam suam pro certo commendat. & lubrica spes est, quæ inter somenta peccati saluari se sperat, incerta victoria est inter hostilia arma pugnare, & impossibilis liberatio est flammis circundari, & non ardere. *August. de singul. cleric.*

Expedit multo bene timere, quam male fidere: & vtilius est, vt infirmum se homo cognoscat, vt fortis existat, quam fortis videri velit, infimus vt emergat.

Nemo de suo corde præsumat, quando profert sermonem, nemo de suis viribus confidat, quando suffert tentationem, quia vt & bona prudenter loquamur a Deo est, non nostra sapientia vt & mala fortiter perferamus, ab illo est, non nostra patientia. *In serm 8. Vincent.*

Tria considero, in quibus tota spes mea consistit, Charitatem adoptionis, Veritatem promissionis, Potestatem redditionis. Murmuret iam, quantum voluerit, insipiens mea cogitatio, dicens, Quis es tu, & quanta est illa gloria, quibusve meritis hanc obtinere speras? Et ego fiducialiter scio cui credidi, & certus sum, quia in charitate nimia adoptauit me, quia verax est in promissione, potens in exhibitione. Hic est funiculus triplex, qui difficulter rumpitur, quem nobis è patria nostra, in hunc carcerem vsque demissum fortiter quæso teneamus, vt ipse nos subleuet, ipse nos trahat vsque ad conspectum gloriæ magni Dei. *Bern. de frag. sup. hom. 3.*

Non confidat prædicator vel auditor verbi diuini de acumine ingenij, de vtilitate scrutinij, de sedulitate studij sed magis confidat de bonitate Dei, & de pietate oraculi, de humilitate cordis intimi. *Hug. de S. Victorino.*

Confidentia est, ex virtutum conscientia immotam mentem inter aduersa sibi constare. *ibid.*

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Confidentia est certa spes animi perducendi ad finem rem inchoatam. *Cicero.*

Confidentia est, per quam non magnis & honestis rebus multum ipse animus in se fiduciæ collocauit. *idem.*

Vide infra titul. Fiducia, Fides, Præsumptio, Securitas.

CONIECTVRA.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

CONiectura, Græce τεκμήριον, τὸ & τεκμαίρομαι, coniecto dicitur. Est autem coniectura, per aliqua signa alicuius rei cognitio, imperfecta tamen *sec. B. Thom. 1. 2. q. 112. art. 5.*

Coniectura, στοχασμός. Hebr. *Kesem*, a verbo *Casam*, Conieci, diuina via.

Coniectus est directio quædam rationis ad veritatem, a quo dicta est coniectura: quo apud Rhetores dictus est status coniecturalis.

SENTENTIAE PHILOSOPHICAE.

Perinde vt est opinio de cuiusque moribus, ita quid ab eo factum sit & non factum, existimari potest. *Cic. pro Cluent.*

De futuris rebus etsi difficile est dicere, tamen interdum possis coniectura propius accedere, cum res est eiusmodi, cuius exitus prouideri potest. *Cic. Torq. Fam. 6.*

ADAGIA.

Leonem ex vnguibus æstimare. ἐκ τῶν ὀνύχων τὸν λέοντα γινώσκειν.

Ex vera quapiam coniectura negocium vniuersum perpendere: ex paucis multa, ex minimis maxima conijcere.

E fimbria de textro iudico. ἐκ τοῦ κρασπέδου τὸ ὕφασμα γινώσκω. Hoc est: *Ex vno aliquo pusillo reliquorum facio coniecturam.* Ich sihe an dem Nest wol, was fur ein Vogel darin wohnet.

E næuo cognoscere.

E næuo cognoscere, est ex re quapiam minima totum hominis ingenium æstimare.

De gustu cognosco. ἐκ γεύματος γινώσκω *Theophrastus.*

Ex degustatione iudico, hoc est, ex minima experientia.

Aethiopem ex vultu iudico. τὸν Αἰθίοπα ἐκ τῆς ὄψεως γινώσκω.

Præ se fert quisque aliquo signo, cuiusmodi sit moribus. Præ se fert enim Æthiops nigrore vultus, intortis capillis, labris tumentibus, dentium candore, patriam suam.

De fructu arborem cognosco. ἐκ τοῦ καρποῦ τὸ δένδρον γινώσκεται. *Tullius.*

E factis hominem iudico. Quæ paræmia etiam in Euangelicis literis extat.

De facie nosse.

Est leuiter cognitum habere. Id si transferatur ad res animi fiet venustius.

Cauda de vulpe testatur. ἡ κέρκος τῇ ἀλώπεκι μαρτυρεῖ.

In eos, qui pusilla auro, cuiusmodi sint, declarant.

Ex fronte perspicere. ἐκ μετώπου τοὺς προσώπους ... *Tullius.*

Ex fronte perspicere dicimur, quod statim & velut ipso protinus occursu percipimus. Das Aug ist dess Hertzens zeug. Das Angesicht weiset es auss.

Ex habitu bonum virum præ se fert.

Qui dicit ex ipsa oris figura videri probum hominem, citabit illud Homeri ex Odyssea.

Οὐ μὲν γάρ τι κακῷ εἰκότα ἐῴκει.

Ex specie minus improbus ipsa

Esse videbatur. Er hat güte gebarden, sonst mag er sein wie er will. Item, Er scheinet ein gut gesell sein.

Ex stipula cognoscere. ἐκ τῆς καλάμης γινώσκειν.

Quoties è vestigijs quibusdam in senecta reliquis coniecturam facimus, cuiusmodi quis fuerit in adolescentia.

E culmo spicam conijcere.

Eustathius Odyss. 1.

ἐκ καλάμης δηλὸς ἦν ὁ τεθερισμένος στάχυς.

Ex culmo perspicitur spica demessa.

Etiam in sene apparet, cuiusmodi fuerit iuuenis.

E cantu dignoscitur auis. οἷος ὁ τρόπος, τοιοῦτος ὁ λόγος.

Qualis vir, talis oratio. Iactatur vulgo simillimum huic è pennis autem dignosci, id est: è cultu spectari vitam & ingenium hominis. Am gesang kennet man den Vogel.

Effœminatorum etiam oratio effœminata: ἀνδρῶν ἐν δουλείαις ἀνάνδρος λόγος *Zenodot.*

Iactatur viris inest oratio, vt quisque est, ita & loquitur. Man hort auss den worten, was tauffmans schatz er treibet.

Vanæ coniecturæ.

In eos, qui de euentu negocij solent augurari, competit illud Hom.

Ὄρνιθες δέ τε πολλοὶ ὑπ' αὐγὰς ἠελίοιο

Φοιτῶσ', οὐδέ τε πάντες ἐναίσιμοι.

Id est:

Ast permulta auium versatur in æthere turba,

Quarum non quæuis portendere idonea fatum.

Ex vno omnia specta. ἐξ ἑνὸς τὰ πάνθ' ὅρα.

Admonet adagium, ex vnius euentus experimento reliquorum similium coniecturam oportere facere.

Domi coniecturam facere. οἴκοθεν εἰκάζειν.

Quod non aliunde petitur, sed domi fieri prouerbio dicitur.

Prima facie, prima fronte. *Quintil.*

Sapiunt hæc quoque prouerbium, maxime quum ad res incorporeas referuntur. Prima facie, prima fronte, pro eo quod est, primo obtutu, & priusquam pressius ac diligentius consideres.

Cribro diuinare. κοσκίνῳ μαντεύεσθαι *Lucianus.*

Est coniectura sagaci rem deprehendere, aut stulte de rebus occultis diuinare.

Signum bonum aut malum. σύμβολον ἀγαθὸν ἢ καὶ φαῦλον.

Vbi quis de re incognita diuinat incertus.

Stellis obsignare, obelo notare. ἀστρῳ σημειοῦσθαι ἢ ἄστροις τεκμαίρεσθαι *Eustath.*

Dictum de ijs, qui longam aut desertam viam peragunt, adeo vt necessum habeant regionum situm stellarum obseruatione signare.

Vna hirundo non facit ver. μία χελιδὼν ἔαρ οὐ ποιεῖ.

Vnus dies non facit ad parandam virtutem, aut eruditionem. Eodem pertinent & ista, πολλοῖ ... Vnus homo non facit ciuitatem. Item. Vnus nummus nō facit diuitem. Es felt kein Eich von einem streich. Ein bunde Arah macht kein winter.

Omnibus vestigijs inquirere. πάσιν ἴχνεσι ζητεῖν.

Omnibus vestigijs inquirere dicitur, qui summa cura summaque diligentia rem peruestigat.

Qui bene conijciet, hunc vatem. *Tullius.*

Admonet adagium, futurorum præscientiam non è sortibus aut augurijs petendam esse sed a prudentia.

Certum prospicio.

Qui se negabit temere, male sentire de exitu rei cuiuspiam sentire, sed certis adductum argumentis & pluribus experimentis obseruasse, accommodabit illud Homeri.

Οὐ γὰρ ἀπειρητός γε μάντις ... ἀλλὰ ... εἰδώς.

Nam neque inexpertus iam diuinauero, verum

Egregie callens.

Rem acu tetigisti. *Plautus.*

Pro eo quod est, Rem ipsam diuinasti nihil aberrans.

Scopum attingere, τυγχάνειν τοῦ σκοποῦ.

Est rem competenter fieri, in coniectura rem ipsam assequi. Aberrare a scopo,

atque

atque id generi alia figura omnes prouerbium sapiunt.

Credito pro'a vt. πλαξαγὶ [illegible]

De iis, qui ridicule explorant alterius in se animum.

Qualis vir, talis oratio. οἷος ὁ τρόπος, τοιοῦτος ἐστιν ὁ λόγος

Seneca in epist. Apud Graecos, in quit, in prouerbium cessit. Talis hominibus fuit oratio, qualis uita Den Esel zennet man vch den ohren-vnd vch den ivorren einen thoren.

Quanquam non dixeris, tamen apparet è pelle. εἰ μὴ λέγεις, ἀπὸ τοῦ δέρματος φαίνει

Res ipsa redarguit mendacem, & oris habitus. Vnde illud Ciceronis, Nisi fingeres, non sic diceres.

Protinus amarescunt plantæ frugiste x futuræ αὐτίκα καὶ φυτὸν ὃ ὑλαιὸν μέλλει καρπὸν ἐπιδᾶν.

Et in pueris elucet indoles futuræ probitatis. Es trimmet sich jelitich, rvas ein guter vverden soll Maszur Nessel vverden vvill, fanger zeitlich an zu brennen.

Leonem videre, hostium præda portendit. λέοντας ἰδεῖν δυσμενῶν δηλοῖ μάχας.

Translatum uel a somniorum coniecturis uel ab obseruantibus auguria.

Mortuos videns, νεκροὺς ὁρῶν κέρδος ἕξεις πραγμάτων.

Refertur a Suida, tanquam vulgo iactatum de diuinatione, quæ sumitur ab insomnijs superstitione omnium uanissima. Id tamen ita dictũ quod mors finis sit omnium huius uitæ malorum.

Mortuus per somnum, uacabis curis. θανὼν καθ' ὕπνους φροντίδων ἔσει δίχα.

Versiculus vulgo iactatus apud Græcos. Existimabant enim eum, qui se mori somniasset, a curis molestijs liberatum iri, quod mors finem doloribus imponere uideatur.

F a b v l a.

Pater & Materfamilias.

Erat nupta cum quodam mulier iracunda & morositate intolerabilis toti familiæ. Hic cognoscendi cupidus, vtrum suane tantummodo, an etiam paterna domus ferre illam nequiret, bona cum gratia, quasi magna res agatur, ad patrem eã remittit. Post dies non multos reuocatam interrogat, quam recte sibi cum familia paterna conuenisset? Bubulci, inquit illa, & pastores mihi visi sunt offendi mea præsentia. Ibi vir, mulier exclamans, inquit, si grauis, & inuisa ijs fuisti, qui prima luce domo egrediũtur, & eadem postrema reuertuntur: quid de alijs suspicandum, cum quibus totos dies versata es?

Intelligendum, sæpenumero magna de paruis resciscí, & incerta de certis explorari solere.

Vide, Opinio.

CONIVGIVM.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Coniugium siue Matrimonium est viri & mulieris coniunctio, indiuiduã vitæ consuetudinem continens, cum diuini, & humani iuris communicatione. *In Sum. 27. q. 2. §. sane. c. illud extr. de præsumpt.*

Coniux & coniugium à communi iugo dicuntur: metaphora ducta a bobus eodem assuetis: qui, posteaquam concordes reddidit assuetudo, commode ferunt iugum. *Iacob. Spiegel. in Lexico iuris liter. C.*

Coniugium, *συζυγία*, duorum in vnam carnem coniunctio. Sub vno iugo coniuncti dicuntur maritus & vxor. Hebr. *Chatunnah*, à *Chathan*, affinitatem contraxit, propinquitatem iniuit per desponsationem. Comprehendit omnis gradus affinitatis:

Loci. Biblici

Coniugium instituitur, *Gen. 2. v. 24.* confirmatur & sancitur, *9. v. 1.* omnibus honorabile est, *Heb. 13. 4.* continere se non valentibus necessarium, *1. Cor. 7. v. 2. 9.* itaque non spernendum, *Matt. 9. 12. Vide Matrimonium,* Coniugij arctissimum & indissolubile vinculum, *Gen. 2. 24. Matth. 5. 32. & 19. 5. Marc. 10. 11. Luc. 16. 18. 1. Cor. 7. 10.* quod nemo præter Deum soluere potest, *Matt. 19. 6* Relinquere dicitur homo propter coniugem suum patrem & matrẽ, *Gen. 2. v. 24. Matt. 16. 5.* simpliciter, sed κατά τι comparatiue intelligendo, vt illud potius faciat, quam vt vxorem deserat. Coniugatorum mutua obligatio, *1. Cor. 7. v. 3. 4.* solitudo, *v. 33.* Coniuges primo anno à belli exercitio immunes, *Deut. 24. v. 5.* Coniugij prohibitio diabolica, *1. Timoth. 4. 3.* Coniugum officia, *Ephes. 5. 22. & 1. Pet 3. v. 6. 7. 8.* Coniugium spirituale inter Deum & Ecclesiam suam, *Cantic. 2. 3. & c. c. Esa. 50. 1. Ier. 31. 22. Ezech. 16. v. 7. 8. Ose. 2. v. 2. 22. Matth. 9. 15. & 22. 2. & 25. 5. Marc. 2. 19. 2. Cor. 11. 2 Apoc. 19. 7. & 22 v. 2. 9.* iuramento sancitum, *Eze. 16. 8. Vide Ephes. 5. v. 26. alt*

Sententiae Patrum.

Quia ægritudini semper consulendum est, propterea si contigerit primo priuari coniugio, si voluerit secundas vel tertias inire nuptias, nullum de illis peccatum habebit, si eas caste seruauit, & si fuerit aliquis coniugalis excessus, qui tamen legitimũ non violet thorum, habet non nullum, sed veniale peccatum. *Aug. de fide ad Petrum*

Matrimonium non est, vbi datur opera ne fœmina pariat. *Aug. l. 2. de mor. Manic.*

Bene vtitur malo concupiscentiam restringens connubio. *Aug de puerorum bapt.*

Coniugium dissensio totius domus est perturbatio. *In Ps 35.*

Coniugium humile melius est virginitate superba. *In Ps 99.*

Propemodum non inferioris virtutis est eo abstinere coniugio, quod aliquando delectauerit, quam coniugij oblectamenta nescire. Copula nuptialis non est quasi copula vitanda, sed quasi necessitatis sarcina declinanda. *Ambr. de viduis.*

Tolle. quod peius, & per se non erit bonum nubere. Vide qualia sunt matrimonia, quæ lupanaribus præferuntur. *Hieron in epist. quadam.*

Sicut boni filij adulterorum nulla defensio: sic mali filij coniugatorum nullum crimen est matrimonij: quia non in seminibus, sed in voluntate nascentis causa vitiorum est atque virtutum. *In epist. ad Ruffinum.*

Bonum est coniugium, sed mala sunt, quæ circa illud ex huius mũdi cura succrescunt. Dum ergo tenetur. quod non nocet ex rebus iuxta positis, committitur plerunque quod nocet.

Sicut sæpe rectum mundumq. iter pergimus, & tamen orti iuxta viam veprib. per vestimenta retinemur. In via quidẽ munda nõ offendimur, sed a latere nascitur, quo pungamur. *Greg. 12. Mor.*

Qui tentationum procellas cum difficultate tolerant. coniugij portum petant: Melius est nubere, quam vri. Sine culpa enim ad coniugium veniunt, si tamen nec dum meliora deuouerunt. *ibid.*

Quod Deus coniunxit, homo non separet, subaudi violenter, sine lege, absque ratione. Non enim homo separat, quos pœna damnat, quos reatus accusat, quos maleficium coarctat. *Isidor. super Matth. 19.*

Quemadmodum si vides hominem assidue amicitias medicorum colentem, ex hoc statim intelligis, quod infirmus est: sic & cum videas siue virum, siue mulierem de dimittendis vxoribus. aut viris legem interrogantes, cognosce, quia vir ille lasciuus est, & mulier illa meretrix est. *Chrys super Matt. 19.*

Omnis causa, per quas nascitur, per ipsas absoluitur causas: matrimonium enim non facit coitus, sed voluntas & ideo non illud soluit separatio corporis, sed separatio voluntatis. *ibid.*

Sicut crudelis est & iniquus, qui castam dimittit: sic fatuus est, & iniustus, qui retinet meretricem. *ibid.*

Coniugibus Christianis Dominus præcepit, ne quisquam dimittat vxorem, excepta causa fornicationis. Vbi autem quælibet ex eis persona infidelis est, consilium Apostoli attendatur, vt si infidelis consentit habitare cum viro fideli, vir non dimittat vxorem. Similiter & vxor fidelis virum, si cum illa habitare consenserit. Quod infidelis, inquit, discedit, discedentis non est seruituti subiectus frater aut soror in huiusmodi: Id est, si infidelis noluerit esse cum coniuge fideli, hic agnoscat fidelis suam libertatem, ne ita se subiectum deputet seruituti, vt ipsam dimittat fidem, ne coniugem amittat infidelem. *Aug. ep. 89.*

Vtriusque sexus infirmitas propendens in ruinam turpitudinis recte excipitur honestate nuptiarum, vt quod sanis possit esse officium, sit ægrotis remedium. Neque enim, quia incontinentia malum est, ideo connubium, vel quo incontinentes copulãtur, non est bonum: imò vero non propter illud malum culpabile est hoc bonum: sed propter hoc bonum veniale est illud malum: quoniam id, quod bonum habent nuptiæ, & quod bonæ sunt nuptiæ, peccatum nunquam esse potest. *Idem de Genesi ad lit. c. 7.*

Cum initio viri sorores suas coniuges acceperunt, profecto in quanto est antiquius, compellente necessitate, tanto postea factum est damnabilius, religione prohibente. Habita est enim ratio rectissima charitatis, vt homines, quibus esset vtilis, & honesta concordia, diuersarum necessitudinum vinculis necterentur: nec vnus in vna multas haberet, sed singulæ spargerentur in singulos: ac sic ad socialem vitam diligentius colligandam, plurimæ plurimos obtinerent. Pater quippe & socer duarum sunt necessitudinum nomina. Vt ergo alium quisque habeat patrem, alium socerum, numerosius se charitas porrigit. *Lib. 15. de Ciuit. Dei c. 16.*

Etiam si continentia coniugio præferatur, melior est tamen fidelis coniugatus, quam continens infidelis. Sed continens infidelis homo non solum minus laudandus est, quia se continet, dum nõ credat: verum etiam multo magis vituperandus, quia non credit, cum se contineat. Constituamus ergo ambos bonos: etiam sic profecto melior est coniugatus fidelissimus & obedientissimus Deo, quam continens minoris fidei, minorisque obedientiæ. Si vero paria sint cætera, continentem coniugato præferre quis ambigat? *Lib. 16. de Ciuit. Dei.*

Bonum coniugij Dominus in Euangelico confirmauit, non solum,

lum, quia prohibuit dimittere vxorem, nisi causa fornicationis, sed etiam quia venit inuitatus ad nuptias. *Lib. de bono coniug.*

Coniugium mihi bonum videtur, non propter solam filiorum procreationem, sed propter ipsam etiam naturalem in diuerso sexu societatem. Habet etiam id bonum, quod carnalis vel iuuenilis incontinentia, etiamsi vitiosa est, ad propagandæ prolis redigitur honestatem, vt ex malo libidinis aliquid boni faciat copulatio coniugalis. *ibid.*

SENTENTIAE POETICAE.

Horat. 1. carm. 13.

Felices ter, & amplius
Quos irrupta tenet copula: nec malis
Diuulsis quærimonijs
Suprema citius soluet amor die.

Prop. 2. 15.

Exemplo iunctæ tibi sint in amore columbæ
Masculus, & totum fæmina coniugium.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Habent locum maledicti crebræ nuptiæ, quæ multis nubit, multis non placet. *Sen. in prouerb.*

Vitium vxoris aut tollendum aut ferendum est: qui tollit vitium vxoris, commodiorem præstat: qui fert, sese meliorem facit. *Gell. lib. 1.*

Nulla tam bona est vxor, in qua non inuenias, quod conqueraris. Sicut nihil suauius benigna coniuge: ita nihil infesta muliere crudelius: quanto enim sapiens vitam suam pro viri salute opponit, tanto maligna ad mariti mortem etiam vitam suam reputat. Nihil ergo muliere molestius, quæ quantum in re coniunctior, tantum disiunctior morum dulcedine, aut felle malitiæ. Mulier speciosa templum est ædificatum super cloacam. *Di. ge. Phil.*

Duo genera lachrymarum habentur in oculis fœminarum, veri doloris vnum, insidiarum alterum. *Pyth. phil.*

Coniugij claritate. DIAL. LXV.

Francisci Petrarchæ.

GAVD.

Vxorem duxi nobilem. R. Mallem tibi non tantum picas ac psittacos, sed bubones, strigesq. domi esse, illi canerent, ista iurgabitur, illi aliquid nuntiarent, hæc perageret, illos excludere liceret, hanc nō liceret. G. Claro coniugio ornatus sum. R. Speciosa vinctus es catena, vnde te sola mors liberet. G. Claro cōiugio felix sum. R. Casto felicior, felicissimus cœlibatu. G. Pulchro coniugio illustratus sum. R. Anceps vxoris electio, deformis facile fastiditur. Formosa difficile custoditur, ea lege, qua inter formam corporis atque animi castitatem, lis prope perpetua est. Sed vt, quod rarissimum est, contingat & formæ pudicitia iuncta sit, vberius tecum agam: accedant & fœmineæ dotes aliæ, nobilitas, census, opulentia, fœcunditas, atq; facundia, famæ integritas, morum candor, scito tuū limen his immixtam subintrasse superbiam, vt iure Satyricus videatur malle Venusiam, quam Corneliam, Grachorum matrem Africani filiam, paternis triumphis ac gloria insolentē. G. Nobile coniugium & honestum obtigit. R. Quid de fastu fastidioq. ais? Parum ne fœminei mores noti? Disce seruire, disce pati, disce caros pellere, cui coniugio vacandum est. Amicitiarum scopulus vxor imperiosa, & viri affectuū moderatrix. G. Generosa mihi vxor obuenit. R. Grauis sarcina, duræ compedes: liberos humeros, atque olim liberos pedes premunt. Durum dictu, durius cogitatu, durissimū perpessu, non vnius lucis, sed totius vitæ hospes forsitanq. hostis, vacuam præsidijs inuasit domum, vnde illam (vt dixi) veteris repudij spe sublata, sola. s. mors excludat. G. Coniugem gratam duxi. R. Erras, illa te duxit, diu animum fueras tuus, accessit sponso domina, carnifex priuignis, æmula socrui, familiæ iugū, coquinæ labor, onus penui, sumptus arculæ, ornamentum aulæ, diurnum spectaculum fenestræ, lis nocturna cubiculo. G. Vxor mihi venit amantissima. R. Cum amore si nescis zelus & suspiciones & querelæ subeunt, immortale duellum domi habes, ipsis ex voluptatibus & iocis inimicitiæ erumpent, nec ad mensam, nec in thalamo tutus eris: nullū tempus litigio vacabit, media nocte pugnabitur. G. Exoptatas nuptias contraxi. R. Cum coniuge nuptias, cū pace diuortium. G. Vxor contigit, cui vnice placeo. R. Melius forsitan displiceres, non te amando premeret ac atteneret, & cogitare, & res tuas agere, & somnum carpere fineret, nunc vxori placens nil quod tibi placeat præter illam speres, totum sibi te vindicat, nec sufficis totus. Si quo forte ire velis sugere te, fugęque causas fingere, si quid agas oblitum sui, si quid cogites iratū sibi, si cibo abstineas sordere res suas tibi, si somno cesseris, externa te venere fessum dicet. Deniq. vt vxori placitus, tibi atq; alijs inutilis sis oportet. G. Vxorem habeo, quæ me ardente amat. R. Melius amaret caste, pie, & sobrie, ac verecunde, ardens .n. amor qui nisi incendiū est aīæ qua ardente quidnam tibi modestiæ, quis reuerentiæ coniugali, quis tranquillitati locus, aut quieti? Ardenter te amat vxor, nisi vicissim se amari senserit te perset, amoremq. odio mutabit, sin æquandus tibi est amor, R in ardeas necesse est, vnique deditus, sis amanti Zelotypæ coniugi vic in somnis nunc blanditijs, nunc querelis, fictisq. criminibus excitandus exercendusq. per noctem seu licentius oculū deflexeris, seu ridenti lenius arriseris, seu vicinam salutaueris seu foeminam altercius laudaueris, seu domum serius redieris, postremo aliquid feceris, aut dixeris quo suspectus, læsiq reus sis amoris, quæ si vita dici debet, quænam mors dicenda sit nescio. Et hæc equidem de ardenti tuo amore sententia nostra est. Est mibi perpetua thori consors. R. Et somni perpetuū exilium. Martialis lecti ratus ac tenuis sopor est, hinc voluptas, hinc iurgia, quies nusquam. G. Habeo vxorem fidelissimam. R. Fuisse fideles aliquas non nego vsque et ad mortem. Et profecto homini qui hoc vitæ genus elegerit magnæ diuitiæ coniux bona & fidelis maior tamen est acies aduersa. Nempe etiam illustrium multi dolo coniugum periere. Sileo Danai truces, & cruentas nuptias, & infamem noctem, miseramq. tot simul iuuenum stragem. Non hoc illi quorum supra meminimus grauis Agamennon, nō Phryx Deiphobus neget: non ex vestris Africanus minor, non postremo recentior Alboinus rex, cuius ab impudica & sæua fusus cōiuge nitidi Athesis ripam sanguis infecit. G. Vxorem nobilem, castam, mansuetam, humilem, & obsequiosam, piam, fidam, ceperi. R. Mirus auceps, cornicem candidam inuenisti. Vix est tamen qui inuenisse se fuscam putet.

De rapta coniuge. DIAL. XX.

Francisci Petrarchæ.

DOL.

Vxor mihi præripitur. R. Violentum omne molestum patienti fateor. At res ipsa si per te illam æstimes, quā quæso tantæ molestiæ causam habet? Cum profecto si importuna est vxor eius amissio magni oneris sit leuamen. D. Rapta est coniux. R. Si incommodum corporis curanti præmiū debetur, quid nō leuanti animi languores, ac molestias debeatur? Si quis tibi medicus tertianam febrem attulisset, & gratiam illi haberes, & pretium dares, quid nunc facias continua auferenti? D. Rapta est vxor. R. Nescis quid raptori debeas, cura ingens indecisumq. litigiū vna cum coniuge forsitan & graue periculum tuæ domus limen excesserit. Multi perierunt, qui vixissent si vel captu vel aliter coniugib. caruissent, inter vitæ mala nihil peius quā intestina discrimina. D. Rapta vxor abijt. R. Si coacta iuit ignoscito. At si volens, vno actu duplex tibi quæritur vindicta. Nam & adultera suum ad raptorem abijt, & ille tuum virus suam transtulit in domum. Qualem .n. mœcho speret quæ talis fuerit marito? D. Vxor cum captore libens abijt. R. Sine paululum. Alteri quidē alterius fastidium non longa dies attulerit. Si ante flagitium cogitarent hoīes, nō eo vsque præcipites ad peccandum essent. Nūc feruidos appetitus sera damnat pœnitentia. Nihil post factum cernitis, a tergo oculos habetis, cœca frons est. D. Rapta est vxor mihi. R. Hoc genus iniuriæ nec reges euadere potuere, & Siphaci Massinissa, & Philippo Herodes suam abstulit. D. Rapta est mihi coniux. R. Quod semel tibi, bis accidit Menelao.

APOPHTEGMATA.

Thesta Dionysij soror, nupta Polyxeno, postquam maritus metu tyranni profugisset, & rex sororē accusaret, quod conscia fugę mariti non indicasset: Adeone, inquit, Dionysi, me vilem abiectique animi fœminam iudicas, vt si sensissem illum moliri fugam non me illi nauigationis & omnium fortunarum comitem addituta fuerim? *P. M. 5. apoph. ex Plut.*

Portia Bruti vxor, Catonis filia, posteaquam sensisset conspiratum de Cæsare interficiēdo, ea nocte quæ præcessit diem in quo Cæsar occisus est, egresso cubiculum Bruto cultellum tonsorium velut vnguium resecandorum gratia poposcit, eoque quasi forte de manibus elapso, seipsam grauiter vulnerauit. Mox Brutus clamore ancillarum in cubiculum reuocatum, obiurgare eā cœpit, quod tonsoris præripuisset officium. Hic illa clam marito: Non hoc, inquit, temere feci: nam experiri volui, si quod constitutum est, parum cesserit ex sententia, quam æquo animo me ferro sim peremptura. *Plut. in Bruto.*

Iulius Cæsar, Pompeiam vxorem, quod sinistra fama laboraret, quasi cum Clodio rem habuisset, repudiauit quidem. Cæterum cum Clodius hoc nomine reus perageretur. Cæsar citatus testis nihil mali de vxore dixit. At cum accusator diceret. Cur igitur cum illa fecisti diuortium? Quoniam oportet, inquit, Cæsaris vxorem etiam à calumnia puram esse. Præter argutiam responsi, laudari potest & ciuilitas: quod repudiatæ coniugis famę pepercit. *Plut. in Rom. apoph.*

P. Syrus, eum improbe Neptunum accusare dicebat, qui semel ex naufragio liberatus, iterum mari se credit. Transfertur autem ad eum, qui secundam duxit vxorem. *Erasm. 4. c. 25.*

Dionysius, matri suæ præter ætatem nubere cupienti, Ciuilia, inquit, o mater, iura violari possunt, naturæ ius nequaquam. Significans, contra naturam esse, si vetula quæ iam parere non po-

teſt,

tess, nubat. At hodie nubunt septuagenariæ. *Plut. in Reg. apoph. & Bras. l. 4. c. 1.*

Annia, ab amicis admonita, vt post defunctum priorem maritum, alteri nuberet, cum ætas esset & integra, & forma præstantissima adhuc: quorum alterum præberet spem prolis, alterum promitteret amorem mutuum: nullo inquit, pacto hoc factura sum, si enim bono viro nupsero, nolo posthac timere ne amittam: sin vero malo, quæ me caperet dementia, vt post optimum talem admitterem? *P. M. lib. 8. apoph.*

Valeria, a quodam rogata quam ob rem defuncto Seruio marito, nulli posthac nubere vellet? Ideo, inquit, hoc facio, quia Seruius meus, licet alijs defunctus sit, apud me viuit, viuetque semper. *P. M. l. 8. apoph.*

Martia Catonis F. interrogata, quam ob causam post mariti mortẽ, alij se copulare viro renueret; Respondit, quia non virum facile inuenero, qui me magis velit, quam mea. Noluit probare castissima matrona hoc coniugium, quod mutuo careret amore. Quæ dotis enim causa nubit viro, concubinum verius quam maritum habebit. *P. M. 8. apoph.*

Portia, cum laudaretur apud eã mulier quædã vt bene morata, quę tamen iterarat matrimonium: Felix, inquit, ac pudica matrona non nubit nisi semel. Non passa est illam inter bene moratas numerari, quæ citra necessitatẽ ascisceret alterum virum. Nã multas huc cogit egestas. Porro coitus gratia nubere, est non vere pudicarũ. Eoq; dixit, Felix excusans necessitatẽ. *P. M. l. 8. apoph.*

Eadem, quum diutius lugeret maritum, rogata quem esset habitura diem luctus vltimum: respondit, Quem & vitæ. Sic illa Ethnica, magno sane cum dedecore plurimarum Christianarum, quæ viro nondum elato iam nupserunt. *idem.*

Barbara Imperatrix Sigismundi Cæsaris vxor, eo Fatis functo vidua superstitit: ea autem cum diceret aliquis, imitandum turturis exemplum, quæ mortuo marito, perpetuam castitatem seruaret: Si me, inquit, ratione carentes imitari volucres iubes; cur non columbas potius passeresque proponis? *Æneas Sylu. de dictis Sigismundi & Friderici Imper.*

Pittacus, expertus dicebat, Aequalem ducito: quum ipse domi haberet opulentiorem, ac perinde morosam & imperiosam *id lapsus exponit in Chiliadibus P. M.*

Antisthenes, adolescenti consulenti, cuiusmodi vxorem ducere expediret? si formosam duxeris, inquit, habebis communem: si deformem, habebis pœnam. Suasit ducendam esse vxorem, quæ nec fastidium viro moueret, ob deformitatem: nec ob insignem formam peteretur ab adulteris. Tribuit autem Gellius hoc dictum Bianti, sed *Laert. lib. 6. c. 1.* Antistheni.

Demonax, Epicteto Cynico, suadenti, vt vxore ducta daret operam liberis: neque enim id indignum esse philosopho: Da mihi, inquit, igitur vnam e filiabus tuis. Notans illum inepte suadere alteri, quod ipse non faceret. *P. M. lib. 8. apoph.*

Cato narratur illud Catonis dictum, Si sine vxoribus mundus esse posset, vita nostra non esset absque dijs. Sensit felicissimam hominum vitam fore, si datum esset a coniugio liberos viuere. Sed, vt idem ait apud A. Gellium, cum illis incommode viuitur, sed sine illis omnino non viuitur, vt merito dici possit vxor necessarium malum. *P. M. l. 8. apoph.* At cœlestis veritas, vxorem bonum necessarium esse asserit.

Alphonsus dicere solebat, ita demum matrimonium tranquille, citraque querimonias exigi posse, si maritus surdus fiat, vxor cæca: innuens, opinor, fœmineum genus obnoxium esse zelotypiæ, atque hinc oriri rixas & querimonias: rursum maritis permolestam esse vxorum garrulitatem: qua molestia cariturus sit, si fiat surdus: nec illa vexabitur adulterij suspicione, si careat oculis. *P. M. l. 8. apoph.*

Pittacus interrogabat quendam, quamobrem vxorem ducere nollet: qui cum respondisset Quoniam si formosam duxero, habiturus sum communem, sin deformem, pœnam: haudquaquam, dixit Pittacus: Sed si pulchram duxeris, non erit tibi pœna: sin deformem, non habebis communem. *Stob. serm. 65.*

Antisthenes. Quidam censebat sapienti non esse ducendam vxorẽ, sed Antisthenes contra, censebat ducendam esse, at non voluptatis, sed liberorum gratia. Debetur hoc naturæ, & patriæ. Sed cum optima indole præditis congredietur, vt ex bonæ nascantur boni. Quin & amabit maritus vxorem, non vulgari more, sed iudicio, is enim vere & constanter amat, qui iudicio amat. At sapiens optime diiudicabit, quæ sint amore dignæ: aduersus eos qui vxores se iactant habere pro matulis. *Recitat P. M. l. 7. apoph. ex Laert. lib. 6. c. 1.*

Charillus, percontanti quamobrem Lacedæmonij virgines nudas producerent in publicum, vxores vero tectas: Quoniam inquit, virginibus mariti sunt inueniendi, vxores vero seruandæ ijs, qui eas nacti sunt. Huc spectabat ea consuetudo, vt nec puellis deessent mariti, nec contaminarentur matrimonia præter aliarum gentium consuetudinem, vbi virgines videri nefas est, vxores oculis hominum exponuntur. *Plut.*

Anonymus. Ciues, qui a nuptijs abhorrerent, cœlibesque viuere mallent, à spectaculis quib. nudi pueri incedebant, arcebat Lycurgus, aliasque addebat ignominias, hac arte prouidẽs diligenter, vt ciues creandis liberis operam darent. Quum n. mos esset apud Lacedæmonios, vt iuniores senioribus multum honorẽ cultumq. præstarent, hoc honoris ademit ijs, qui coniugibus ductis nollent augere ciuium numerum. Vnde nec illud in Dercillidã dictum reprehendit quisquam, quum tamen belli dux esset probatissimus. Cum n. aduenienti iuuenis quidã non assurgeret, atque ille diceret, Non mihi assurgens cessisti? Nec tu, inquit, mihi cessurum genuisti. Tam procax iuuenis dictum in seniorem, eumq. bellica laude celebrem, nunquam tulisset populus Spartanus, nisi pro pessimis ciuibus habuisset eos, qui sponte steriles esse statuissent, nec agnoscerent quid patriæ deberent. Nam rem propius intuentibus, non ita magnum discrimen est inter eum qui ciuem occidit, & qui ciuem Reipublicæ dare quũ possit recusat. *Plut. in Lacon.*

Lycurgus, quum certum tempus præscripsisset, quo puella nubere, iuuenes ducere deberent: interrogatus cur id statuendum putasset? Vt, inquit, soboles ex adultis perfectæque ætatis parentibus nata, valida sit & vegeta. Et coitu præpropero non solum læduntur corpora gignentium, verum etiam proles nascitur imbecilla. Tum qui ante tempus dant operam liberis, carent apud illos auctoritate quam ætas conciliat: rursus, qui vergente iam ætate, nec fruuntur liberis suis, nec eos possunt ad perfectã institutionem perducere: morte senioque præueniente. *Plut. in Lacon.*

Leonidas, Anaxandridę filius, & Cleomenis frater, cũ ad bellũ contra Persas proficisceretur, Gorgoni vxori suæ interrogãti, quidnam mandare vellet: Nihil aliud quam vt nubas, inquit, & bonos liberos parias. Quo dicto primum ostendit, in eo prælio se periturum: deinde suadet vxori ne vidua maneat, sed nubat, filios educet. *Plut. in Lacon. apoph.*

Demosthenes dicebat, homines sui sæculi meretrices habere ad voluptatem explendam, concubinas ad quotidianam corporis curam: vxores vero (subijciebat) ducendæ sunt: vt liberos legitimos gignamus, & familiæ fidam custodam præficiamus. *Stob. ser. 65.*

Antianira, Amazonum regina, demirantibus quod nupsisset claudo: satis Cynice respondit. *Ἄριστα χωλὸς οἰφεῖ*, id est, claudus optime virum agit. Sensit maritum, adhibendum non ad oculorum oblectamenta, sed ad vsum coniugij. Feruntur autem claudi salaciores esse cæteris, & ob id ad gignendam prolem magis accommodi. *P. M. l. 9. apoph.*

Socrates, ab adolescentulo quodã consultus, vtrum vxorem duceret, an se omni matrimonio abstineret, respondit vtrum eorum fecisset, acturum pœnitentiam, Hinc te (inquit) solitudo, hinc orbitas, hinc grauis interitus, hinc hæres alienus excipiet, illinc perpetua sollicitudo, contextus querelarum, dotis exprobratio affinium supercilium graue, garrula socrus lingua, subsessor alieni matrimonij, incertus liberorum euentus. *Val. Max. l. 7.*

Socrates, cum quidam ex eius doctrina bene meriti discipuli ad eũ descenderent, rogantes eum, vt aliquod præceptum ordinarent, quo suscipere vitę, in suum eos diuersorium secum venire fecit: vxoremq. suam Xantippen in superioribus constitutam vocauit: iussitq. vasa oleo & melle plena vt ejiceret: admirantibusque discipulis ait: si hanc in domibus vestris rerum potestatem habueritis, beatam vitam ponetis. *In Prouerb. Philosoph.*

SIMILITVDINES.

D. Hieronymi. Vt si quis se incontinentem non erubuerit confiteri, an languorem incontinentiæ reclamanti non denegetur remedium nuptiarum. Quomodo si peritus medicus inquieto ægro, & neganti se posse à pomis omnibus abstinere, concedat aliquantum, ne illa perniciosa præsumat. *In cap. 7. prioris ad Corinthios.*

D. Augustini. Iustus quamuis cupiat dissolui & esse cum Christo, tamen sumit alimentum, non cupiditate viuendi, sed officio consulendi, vt maneat quod necessarium est propter alios. Sic misceri fœminis iure noptiarum, officiosum fuit sanctis viris, non libidinosum. Quod enim est cibus ad salutem hominis, hoc est concubitus ad salutem humani generis. *Lib. de bono coniug. c. 15. & Lib. de virg.*

Plutarchi, quæ malunt dominari dementibus maritis, quam sanis ac prudentibus parere: perinde faciunt, ac si quis in itinere malit ducere cęcum quam sequi videntem, & viæ gnarum. *In Moral.*

Vt Pasiphae maluit tauri congressum, cum vxor esset Minotis: Sic quædam nuptæ moderatis ac seueris viris ad intemperantium amorem deuergunt. *In Mor.*

Vt vincula ex commissura vires accipiunt: Sic ex consensu viri, & mulieris, familiæ status. *In Moral.*

Vt humida miscentur omnibus partibus: Sic inter coniugatos omnia debent esse communia. *In Mor.*

Vt vinum appellatur, etiam si maior aquæ pars sit admixta: sic domus

mus mariti dicetur, etiamſi mulier plus contulerit. *In Mor.*

Vt corpus nihil poteſt abſque animo, nec animus recte valet, niſi corpore incolumi: Sic inter vxorem & maritum omnia ſunt cõmunia. *In Mor.*

Et qui in equum inſilire non poſſunt ob imbecillitatem, docent ipſum inflectere genua: Sic quidam generoſas ac potentes nacti vxores, non dant operam vt ipſi meliores fiant, ſed illas deprimunt. *In Mor.*

Qui venenis piſcatur, facile interimit, & tollit piſcem: ſed corruptum & malum: Sic quæ philtris captant maritos, ſtupidos habent & inutiles. *In Mor.*

Pro equi magnitudine temperamus frena: Ita pro vxoris dignitate moderanda gubernatio. *In Mor.*

Vt Circe non fruebatur ijs, quos verterat in ſues, aut leones, ſed Vlyſſem ſanum vltra omnes dilexit: Ita quæ veneficijs nactæ ſunt maritos, inſuauem cum illis vitam agunt ob dementiam. *In Mor.*

Cœlij Rhodigini. Quemadmodum ignis palea vel leporinis facile ſuccenditur pilis, atque ocyus item reſtinguitur, contabeſcitque, niſi robuſtior firmiorque materia fuerit admota quæ confoueri aliqua poſſit, ita momento euaneſcere nouorum coniugum amorem, forma ſolũ corporis conciliatum, niſi bonis præfultus moribus, ac prudentia coalitus radices miſerit altius. *Lib. 28. c. 21.*

Sicut Geometræ ferunt, lineas & ſuperficies non per ſe, verum vna cum corpore moueri: Sic vxorem affectum nullum habere proprium conuenit: ſed ſtudia, curas, riſum, communia habere cum viro. *Lib. 28. c. 21.*

Luna quidem, cum abeſt a ſole, lucidam eſſe videmus, claramque: at eidem admotam obſcurari, hebeſcereq. occultatam: Sic è diuerſo modo illam oportet eſſe vxorem, ad ſeceque aſſiſtente viro, ſeſe viſendam præcipue exhibere. *Lib. 28. c. 21.*

Vt vini, ſic & matronæ auſteritas, vtilitatis plurimum, amarulenti nihil interfuſum congruenter habere debet. *ibid.*

Vt medici aſtruunt in ſiniſtra parte exiſtentes plagas ad dextram ſenſum referre: Sic vxorem viri, & virum vxoris ſentire doloris conuenit irritamenta. *Lib. 28. c. 21.*

EMBLEMATA.

Nupta contagioſo.

Andreæ Alciati.

Emblema CXCVII.

Dij meliora pij, Mezenti. cur ege ſic me
Compellit atemptus quod tibi dote gener.
Gallica quem ſcabies dira, & mentagra perurit,
Hoc eſt quidnam aliud. dic mihi ſane pater,
Corpora corporibus, quam iungere mortua viuis,
Efferaque Etruſci facta nouare ducis?

Vide plura infra tit. Matrimonium, *& ſupra,* Caſtitas, *Item Mulier, Virgo, & Virginitas.*

CONIVRATIO.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Coniuratio, Græce *συνωμοσία, ας, ἡ, & συνωμότης, ου, ὁ,* coniuratus dicitur: & *συνομνύω* coniuro. Et eſt quando aliqui rebelles adhortati in vnum ſe colligendo, iuramenta inter ſe dederunt, *vt habetur* 11. q. 1. Coniurationem. Vnde coniurare, eſt ſimul & in vnum iurare. Hebr. *Keſcher.* à verbo *Kaſchar,* ligauit, colligauit, conſpirauit. GALL. *Ligue.*

Coniuratio, & conſpiratio pro vno & eodem crimine accipiuntur, 11. q. 1. Coniurationum. Conſpirare, eſt ſimul, vel in idem ſpirare *ſecundum gl. in c. Conſtitutionum, de ſent. exc. l. 6.*

Coniuro proprie eſt ob alicuius perniciem iuro. Vnde coniuratio. Capiuntur nonnunquam coniuratio & conſpiratio in bonam partem. Licet perraro. *Orat. coniurat amice.*

Coniurati ſunt hi qui coniurauerunt, & conſpirationem fecerunt.

EXEMPLA BIBLICA.

Coniurationis exempla: Abſalom, 2. *Samuel.* 15. *v.* 12. Adonias, 3. *Reg.* 1. *v.* 5. Zambri, 16. 9. Iehu, 2. *Reg.* 9. *v.* 14. Oſee filius Ela, 15. 30. Ieroſolymitani, 14. 19. Sallum, 15. *v.* 10. Phacee, *v.* 25. Amonis ſerui, 21. 23. Iudæi, *Ierem.* 11. 19. & 18. 18. *Act.* 23. 12.

EXEMPLA HISTORICA.

Marc. Brutus, & C. Caſſius in C. Cæſaris cædem coniurarunt, alioſque huius coniurationis ſocios ſibi adiunxerunt. *Vide Plut. in Bruto.*

Marcia concubina Commodi Imperat. cum Q. Aelio Læto prætorij præfecto, & electo cubiculi cuſtode, coniuratione facta, redeunti ex balneo Imperatori venenũ in vino ſuauiſſimo obtulit. *Vide Sabellicum lib. 5. Enn. 7. & Herodian in Commodo.*

Carolus iunior Ludouici Germanorum regis filius, a Dæmonio grauiter in præſentia patris & optimatum eius vexatus eſt: & in ipſa tõ vexatione confeſſus, hoc ſibi ideo contigiſſe, quod contra patrem ſuum conſpiratioñe facere moliebatur. *Sigebertus in Chron.*

Tarquinij legati Aquiliorum & Vitelliorum familias muneribus corruperant, duos item Bruti Coſ. filios: viſum eſt autem proditoribus omnibus, hominis iugulati ſanguine libato & viſceribus tactis, magnum & dirum iuſiurandum concipere. *Plutarc. in Valerio.*

Darius rex deſignatus a patre Artaxerxe Mnemone, cum Aſpaſiam pellicem a patre impetrare non poſſe, inſtinctu Teribazi contra patrem coniurauit. *Plut. in Artaxerxe.*

Cum *Alexander Magnus* in Aſia eſſet, Dymnus quidam ex Caleſtra Macedoniæ oppido, cum pleriſque alijs regi inſidiatus eſt. *Diod. l. 17.*

L. Catilina, nobili Sergiorum familia, valido corpore, malo prauoque ingenio, Syllanæ proſcriptionis nefarijque dominatus imitator, peſſimo exemplo captus: animum adiecit ad Rempublicã per fraudem & ſcelus occupandam. *Sabellic. l. 5. Enn. 6.*

Vide Seditio.

CONSCIENTIA.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Conſcientia, Græce *συνείδησις, εως, ἡ, & συνειδώς, ότος, ὁ,* conſcius dicitur. Et non eſt potentia, nec habitus: ſed eſt actus, ſcilicet applicatio ſcientiæ: quandoque ponitur pro Synderesi, quia eſt actus eius. *S. Thom. 1. p. q. 79. art. 13.*

Conſcientia eſt regula in ratione, Synderesis vero eſt in voluntate, inſtigando eam ad bonum & honeſtum. *Ex Alexan. 3. parte Summæ.*

Conſcientia modo de pluribus eſt, modo de vno. De pluribus Salluſtius, Tum ſcelerum ſuorum imprimiſque conſpirationis conſcientia ſolliciti, quo ſe verterent, non videbant. *De vno.*

Conſcientia, proprie ab Hebræis *Leb,* id eſt: cor, dicitur. In bonam & malam partem vox ea ſumitur.

LOCI BIBLICI.

Conſcientia quanti æſtimanda, 2. *Cor.* 1. *v.* 12. & 12. 19. 1. *Tim.* 1. 19. *Heb.* 10. 22. & 13. 18. 1. *Pet.* 3. *v.* 13. 16. 17. 21. 1. *Ioan.* 1. 7. & 3. *v.* 19. 20. Conſcientiæ, ſolius Dei imperio ſubiectæ, *Rom.* 6. 17. & 14. *v.* 4. 8. 9. 10. ſua illis conſeruanda libertas, 1. *Cor.* 7. 35. & 14. 40. 2. *Corin.* 1. 24. *Gal.* 5. 13. *Col.* 2. *v.* 16. 20. 2. *Theſſ.* 3. 4. 1. *Tim.* 4. *v.* 1. *Tit.* 1. 15. *Iac.* 4. 12. quomodo ſtabilienda, *Heb.* 13. 9. Conſcientia cauteriata, 1. *Tim.* 4. 2. Conſcientia dubia nihil aggrediendũ, *Rom.* 14. 23. Conſcientia idoli, ſuo quodam dicendi genere dicitur a Paulo. 1. *Cor.* 8. 7. tacitum eorum iudicium, qui immunda eſſe putabant, quæ idolis fuerant oblata, ideoque, bona conſcientia illis veſci non poterant. Conſcientiæ malę perturbatio, *Sap.* 17. *verſ.* 10. 11. Conſcientia mala, hæreſeõn mater, 1. *Tim.* 1. 19. ſemper pauida eſt, *Prou.* 28. 1. tanquam carnifex impios excruciat, *Gen.* 4. *v.* 6. 7. *Eſa.* 66. 24. *Rom.* 2. 15. & 6. 21. *Eph.* 4. 19. 1. *Tim.* 4. 2. & 6. 10. *Tit.* 3. 11. *Heb.* 10. 27. *Iac.* 2. 4. *Pet.* 1. 14. 1. *Ioan.* 1. 6. & 4. 18. Cõſciẽtia infidelium impura, *Tit.* 1. 15. Conſcientiæ malæ merces, 2. *Tim.* 1. 19.

SENTENTIAE BIBLICAE.

Veritatem dico in Chriſto Ieſu, non mentior teſtimonium mihi perhibente conſcientia mea in Spiritu ſancto. *D. Paulus ad Romanos c. 9.*

Nihil enim mihi conſcius ſum: ſed non in hoc iuſtificatus ſum. *Idem 1. ad Cor. 4.*

Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium cõſcientiæ noſtræ quod in ſimplicitate cordis & ſinceritate Dei, & non in ſapiẽtia carnali, ſed in gratia Dei conuerſati ſumus in hoc mundo. *Idem 2. ad Cor. 1.*

Abdicamus occulta dedecoris, non ambulantes in aſtutia, neque adulterantes verbum Dei, ſed in manifeſtatione veritatis commendantes nosmetipſos ad omnem conſcientiam hominum coram Deo, nemini dantes vllam offenſionem, vt non vituperetur miniſterium noſtrum. *Idem 4. c. 2. Epiſt.*

Hoc præceptum tibi commendo, fili Timothee: ſecundum præcedentes in te prophetias, vt milites in illis bonam militiam, habens fidem & bonam conſcientiam, quam quidam repellentes circa fidem naufragauerunt. 1. *ad Tim.* 1.

Gratiam habeo Deo, cui ſeruio a maioribus cum pura conſcientia. 2. *ad Tim.* 1.

Ego omni conſcientia bona conuerſatus ſum coram Deo, vſque in hodiernum diem. *Act. c. 23.*

In hoc & ipse studeo, sine offendiculo conscientiam habere ad Deum, & ad homines semper: *Eodem c.24.*

Loquamini de ea, quæ in vobis est, spe, cum mansuetudine & reuerentia, conscientiam habentes bonam, vt in hoc, quod vobis detrahunt tanquam scelerosis, pudefiant hi, qui incessunt vestram bonam conuersationem in Christo. *1. Pet. c.3.*

Filioli mei non diligamus verbo, neque lingua, sed opera & veritate. In hoc cognoscimus, quoniam ex veritate sumus, & in conspectu eius suadebimus corda nostra. Quoniam si reprehenderit nos cor nostrum, maior est Deus corde nostro, & nouit omnia. *1. Io. 3.*

Secura mens quasi iuge conuiuium. *Prou.15.*

Charissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum: & quicquid petierimus, accipiemus ab eodem. *1. Io. 3.*

Frequenter enim præoccupant pessima, redarguente conscientia. Cum enim sit timenda nequitia, dat testimonium condemnationis condemnata: semper enim præsumit sæua perturbata conscientia. *Sap. c.3.*

PATRUM SENTENTIAE.

Præstat teipsum cognoscere, quam si te neglecto siderum cursus, vim herbarum, hominumque ac omnium terrestrium pariter, & cœlestium naturas tenueris: redde igitur te tibi, corrige gressus, statue te ante, tanquam alium. *D. Bernardus in Meditationib.*

Quid dulcius aut quietius bona conscientia, quæ nec damna nec verborum contumelias, nec quicquam aliud formidat? *Idem in lib. de Conscientia.*

Bona Conscientia quotidie virescit, laboribus non affligitur: denique afficit gaudio viuentem, consolatur morientem, æternúque durat. *Idem in eodem libro.*

In ipso autem homine nunc lætitia, quidam bonæ conscientiæ Paradisus est. *D. Aug. super Genesim.*

Tu qui veram requiem, quæ post hanc vitam Christianis promittitur, quæris, eam inter amarissimas huius vitæ molestias degustabis, iucundiusq. ex bona conscientia inter ærumnas lætaberis, quam ex mala inter delicias. *Idem in Catechum.*

Quid obest illi, si de illa tabula eum humana velut delere ignorantia, si eundem de libro viuentium nunquam propria deleat conscientia? nam & si bonum, quod de nobis dicitur, in mente non inuenitur, magnam debet in nobis tristitiam generare: & econtra si malũ quod de nobis dicitur, in nobis non inuenitur, in magnam debemus lætitiam prosilire. *Aug. in ser.*

Conscientia mala bene sperare non potest. *In Psal. 31.*

Conscientiam malam laudantis præconium non sanat, nec bonã vulnerat conuitium. *Con. lit. Petil.*

Bene sibi conscius falsis non debet moueri conuitijs, nec æstimare plus ponderis in alieno esse conuitio, quam in suo testimonio. *Ambr. de off.*

Vnusquisq; non intermittat opus probabile, siue à plurib. videatur, siue sine arbitrio sit. Abundat.n. sibi locuples testis conscię: fugat etiam mala & opprobria, & si se credat non posse conuinci: nam etsi clausis parietib. sit coopertus tenebris, sine teste, sine conscio, habet tamen facti arbitrum, quem nihil fallit: ad quem facta clamant oĩa: deniq; clamauit & vox sanguinis. Seipsum vnusquisq. & animum suum seuerum iudicem, sui vltorem sceleris, & vindicem criminis habet. *In epist. ad Constantin.*

Duo sunt tibi necessaria, conscientia & fama: conscientia propter Deum: fama propter proximum. *Idem.*

In omni quod dicitur, semper tacite recurrere debemus ad mentem & interiorem testem & iudicem requirere. Quid enim prodest, si omnes laudent, & conscientia accuset? Aut poterit obesse, si omnes derogent, & sola conscientia defendat. *Greg. super Ezech. Hom. 6.*

Bonum parat habitaculum Deo, cuius nec ratio decepta, nec voluntas peruersa, nec memoria fuerit inquinata. *Bernardus in sermon.*

Bona consolatio, quum & blasphemamur à malis benefacientes, si recti diligant nos: omnino sufficit aduersum nos loquentium iniquas, opinio bonorum cum testimonio conscientiæ. *super Cant.*

Fortitudo tua, fiducia fidelis conscientiæ: decor tuus, splendor bonæ opinionis. *3. de consider.*

Sensum ex integro recuperasse te scias, si tuam conscientiam quadruplici compunctione sentis morderi pudore gemino, & gemino metu. Nam vitam ad perficiendum septenarium triplex confusionis species attestatur: Deum cogita factorem tuum, cogita & benefactorem, cogita patrem, cogita Deum. Ad omnis reus es, plange per singula, ad primum & vltimum respondeat timor tuus, ad duo media pudor. Ideo omne quod remordet conscientiam, confitere humiliter, pure, fideliter, & has septem vices adimplesti. *super Cant.*

Conscientia peccati formidinis mater. *Chrys. in Ps.*

Conscientia est codex, in quo quotidiana peccata conscribuntur. *ibid. 50.*

Conscientia impiorum, magna pœna est: piorum vero, gaudium magnum. *Ansel. ad Cor.*

Semper conscientia serui Dei humilis esse debet, & tristis: vt per humilitatem non superbiat: & per vtilem mœrorem cor ad lasciuiam non feratur. *Isid. l.3. de summo bono.*

Nulla pęna grauior pœna conscientię. Vis autem nunquam esse tristis: bene viue. Secura mens tristitiam leuiter sustinet. Bona vita gaudiũ semper habet: conscientia autem rei semper in pœna est: nunquam securus est reus animus: mens.n. mala conscientiæ proprijs giratur stimulis. *Isid. l.2. soliloquiorum.*

Conscientia mũda est, quæ nec de præterito iniuste accusatur, nec de præsenti iniuste delectatur. *ibid.*

Numisma autem Cæsaris est: numisma Dei, homo: in solidis Cęsar videtur, in hominibus autem Deus agnoscitur. Ideo diuitias vestras Cæsari date, Deo autem conscientię vestræ solam memoriam reseruare. *Chrys. super Matth. 22.*

Sub ouina pelle vulpinam conscientiam abscondebam. Vulpina plane conscientia, tepida conuersatio, animalis cogitatio, ficta confessio, breuis, rara compunctio, obedientia sine deuotione, oratio sine intentione, lectio sine ędificatione, sermo sine circũscriptione. O quàm dura sunt mihi ista quæ loquor, quoniam meipsum loquendo ferio. Verum tamen quia non me peccatorem nego, sed peccatum meum cognosco, erit fortasse apud Deum iudicem impetratio veniæ, ipsa cognitio culpæ. *Hug. l.1. de anima. c.15.*

Tranquilla conscientia est, quæ omnibus est dulcis, nulli grauis: vtens amico ad gratiam, inimico ad patientiam: cunctis ad beneuolentiam: quib. potest ad beneficientiã cui Deus nec sua peccata imputat, quia non fecit, nec aliena, quia non approbauit, nec negligentiam, quia non tacuit: nec superbiã, quia in veritate permansit. *Hug. lib. 2. de anim. c.9.*

Conscię̃tia bona, titulus est religionis, templum Salomonis, ager benedictionis, hortus deliciarum, aureum reclinatorium, gaudium Angelorum, arca fœderis thesaurus regis, aula Dei, habitaculum Spiritus sancti liber signatus & clausus: & inde die iudicij aperiendus. *ibid.*

Conscientia est cordis scientia, cor enim & se nouit sua scię̃tia, & multa alia: quando nouit se, appellatur conscientia, quando præter se alia, nominatur scientia. *Idem c.12.*

Quid acquiri putatur, vbi bona conscientia prædicatur? aut in qua parte possit homo proficere, si innocentiam probatus fuerit amisisse? *Cass. l.4. epist. 8.*

Arborem quam florere vides, quam summa conspicis viriditate lætari, subterraneo succo fœcunditatis animatur, reddens in superficie, quod continetur in radice. Hominum quoque vultus magna hilaritate decoratur, si visceribus sanis grauamen nullius sentiat læsionis. *Cass. l.2. epist.*

SENTENTIAE POETICAE.

Ouid. 4. Fast.

Conscia mens recti famæ mendacia risit:
Sed nos in vitium credula turba sumus.

Plau. in Amp.

Qui non deliquit, decet
Audacem esse, & confidenter pro se & proterue loqui.

Ouid. 1. Fast.

Conscia mens, ut cuiq; sua est, ita concipit intra
Pectora, pro facto spemq; metumq; suo.

Horatius.

Vir bonus & sapiens audebit dicere Pentheu
Rector Thebarum, quid me perferre patiq;
Indignum coges? adimam bona, nempe pecus, rem.

Ex Pictorij Epigramm.

Istud habet damni vitium inter cætera quod mens
Palpitat assidue flagitiosa metu.
Semper enim, vel si non deprendatur in ipso
Sese deprendi posse putat scelere:
Deque suo, alterius quoties de crimine sermo est,
Cogitat, & credit se magis esse reum.
Inque dies timor hinc crescit, de moribus ergo
Cura sit, intrepidos nos bona vita facit.

Ouid. 1. Pont. 1.

Estur ut occulta vitiata teredine nauis,
Æquorei scopulos ut cauat unda salis:
Roditur ut scabra positum rubigine ferrum,
Conditus ut tineæ carpitur ore liber:
Sic mea perpetuos curarum pectora morsus,
Fine quibus nullo conficiantur, habent.
Nec prius hi mentem stimuli, quam vita relinquent,
Quique dolet, citius quam dolor ipse, cadet.

Lucanus 7.

Nocte dieque suum gestare in pectore testem.
Omnes in Cæsare Manes.

Hunc omnes gladij, quos aut Pharſalia vidit,
Aut vltrix viſura dies ſtridgente ſonaret.
Illa nocte premunt: hunc infera monſtra flagellant.
Heu quantum miſeros pœna mens conſcia donat.

Sent. Hipp.

Quid pœna præſens conſcia mentis pauor,
Animusq; culpa plenus, & ſemet timens?

Plaut. in Milite.

At hoc me facinus miſerum macerat,
Meumq; cor corpusq; cruciat.

Statius l. 3. Thebaidos.

Inuigilant animo ſceleriſq; parati
Supplicium exercent curæ, tunc plurima verſat
Peſſimus in dubijs augur timor.

Ouid. l. 1. de ponto Eleg. 1.

Vaticinor, moneoq; locum date ſacra ferenti,
Non mihi, ſed magno poſcitur ille Deo.
Talia cœleſtes fieri præconia gaudent,
Vt ſua quid valeant numina, teſte probent.
Sæpe leuant pœnas ereptaq; lumina reddunt.
Quum bene peccati pœnituiſſe vident.

Horat. in Epiſt. in prima ad Mœcenatem.

Si quadringentis ſex ſeptem millia deſunt.
Eſt animus tibi ſunt mores, & lingua fideſq;,
Plebs eris: at pueri ludentes rex eris, aiunt,
Si recte facies, hic murus aheneus eſto,
Nil conſcire ſibi, nulla palleſcere culpa.
Roſcia, dic ſodes, melior lex, an puerorum
Nænia quæ recte regnum facientibus offert,
Et Manibus Curis, & decantata Camillis?

Ouid. l. 1. de Pont. ad Brutum.

Pœnitet ô ſi quid miſerorum creditur vlli,
Pœnitet, & facto torqueor ipſe meo.
Cumq; ſit exilium magis eſt mihi culpa dolori,
Eſtque pati pœnam quam meruiſſe minus.
Vt mihi dij faueant quibus eſt manifeſtior ipſe,
Pœna poteſt demi, culpa perennis erit.
Mors faciet certe, ne ſim cum venerit exul:
Ne non peccarim, mors quoq; non faciet.
Non igitur mirum eſt ſi mens mea tabida facta,
De niue manantis, more liqueſcit aquæ.

Horat. l. 1. Epiſt. 11. ad Bullatium.

Nam ſi ratio & prudentia curas,
Non locus effuſi late maris arbiter, aufert.
Cœlum non animum mutant, qui trans mare currunt.
Strenua nos exercet inertia, nauibus atque
Quadrigis petimus bene viuere quod petis, hic eſt:
Eſt Vlubris, animus ſi te non deficit æquus.

Iuuenalis in Sat. 13.

Exemplo quodcunq; malo committitur, ipſi
Diſplicet authori, prima eſt hæc vltio quod ſe
Iudice, nemo nocens abſoluitur, improba quamuis
Gratia fallacis Prætoris vicerit vrnam.
Quid ſentire putas omnes Calitine recenti
De ſcelere: & fidei violatæ crimine?

Idem Sat. eadem.

Cur tamen hos tu
Euaſiſſe putes, quos diri conſcia facti
Mens habet attonitos? & ſurdo verbere cædit.
Pœna autem vehemens, ac multo ſæuior illis,
Occultum quatiente animo tortore flagellum?
Quas & Cæditius grauis inuenit & Rhadamanthus.
Nocte dieque ſuum geſtare in pectore teſtem.

Idem Satyricus, eadem Satyra.

Nam ſcelus intra ſe tacitum qui cogitat vllum,
Facti crimen habet.
Nocte breuem ſi forte indulſit cura ſoporem,
Et toto verſata thoro iam membra quieſcunt,
Continuo templum, & violati numinis aras:
Et quod præcipuis mentem ſudoribus vrget,
Te videt in ſomnis, tua ſacra, & maior imago,
Humana turbat pauidum, cogitq; fateri
Hi ſunt qui trepidant, & ad omnia fulgura pallent.
Cum tonat exanimes primo quoq; murmure cæli,
Non quaſi fortuitus, nec ventorum rabie, ſed
Iratus cadat in terras & vindicet ignis.
Illa nihil nocuit, cura grauiore timetur.
Proxima tempeſtas, velut hoc dilata ſereno.

Perſius in Sat. 5.

Stat contra ratio, & ſecretam gannit in aurem.
Ne liceat facere id, quod quis vitiabit agendo.
Publica lex hominum, naturaq; continet hoc fas.
Vt teneat vetitos inſcitia debilis actus,
Diluis Helleborum, certo compeſcere puncto
Neſcius, examen, vetat hoc natura medendi.

Plaut. in Captiuis.

Quid maleſici crucior modo, ſi infectum fieri poſſiet.
Nihil eſt miſerius, quam hominis animus conſcius.

Diphilus Comicus.

Ὅστις γὰρ αὐτὸς αὐτὸν οὐκ αἰσχύνεται,
Συνειδόθ' αὑτῷ φαῦλα διαπεπραγμένῳ,
Πῶς τόν γε μηδὲν εἰδότ' αἰσχυνθήσεται.
Quiſquis enim ipſe non ſeipſum veretur,
Conſcium ſibi, quod mala commiſerit,
Quo modo apud neſcientem pudefiet?

Pythagoras.

Πάντων δὲ μάλιστα αἰσχύνεο σαυτόν.
In primis autem reuerere teipſum.

Menander.

Ὁ συνιστορῶν αὑτῷ τι, κἂν ᾖ θρασύτατος,
Ἡ σύνεσις αὐτὸν δειλότατον εἶναι ποιεῖ.
Qui aliquid ſibi conſcius eſt, etiamſi fuerit audaciſſimus.
Conſcientia tamen facit ipſum timidiſſimum.

Sophocles Tragicus.

Κλέπτον δ' ὅταν τις ἐμφανῶς ἐφευρεθῇ,
Σιγᾶν ἀνάγκη, κἂν καλὸν φέρῃ στόμα.
Si quis in furto palam deprehendatur,
Illum tacere neceſſum eſt, licet eloquentiſſimum.

Euripides in Oreſte.

Ὀρέστα τλῆμον τίς σ' ἀπόλλυσιν νόσος;
Ἡ σύνεσις, ὅτι σύνοιδα δείν' εἰργασμένος.
O miſer Oreſta quid morbus perdit?
Or. Conſcientia, ſum enim mihi conſcius de malis perpetratis.

Sophocles.

Ἡ δεινὸν ἆρ' ἦν ἄν τις ἐσθλὸς ὢν
Αὑτῷ συνειδῇ
Magna profecto res eſt, ſi quis de innocentia ſua
Sibi conſcius ſit.

Antiphon Comicus.

Τὸ μὴ συνειδέναι γὰρ αὑτῷ ταδίκον
Ἀδίκημα μηδὲν ἡδονὴν πολλὴν ἔχει.
Conſcium eſſe ſibi in vita ſua
Nullius criminis, multum voluptatis parit.

Menander.

Βροτοῖς ἅπασιν ἡ συνείδησις θεός.
Mortalibus omnibus conſcientia Deus.

Philosophorvm Dicta.

Conſcientia graue pondus. *Cic. 3. de nat. Deo.*

Conſciæ rectæ voluntatis maxima conſolatio eſt rerum incōmodatum. Vacare culpa maximum ſolatium eſt. *Idem T. vq. fam. 6.*

Ego ſemper hac opinione tractus ſui, vt eum qui nihil commiſeris, ſibi nullam pœnam timere exiſtimare. *In Vatinium.*

Conſcia mille teſtes, Magna vis eſt conſciæ in vtramq; partem: illa eſt virtutum noſtrarum, & innocentiæ nutrinatrix: illa eſt vitiorum inſectatrix, & carnifex, qua iudice nemo nocens abſoluitur, & qui probus eſt teſte conſcia, vitam degit ſecuram & beatā: ſonti vero & ſcelerati mens habet neſcio quos carnifices internos. *Philippus Beroaldus in Commentar. in eundem Cic.*

Κακὰ μείζω πάσχει διὰ τὸ συνειδότος ὁ ἄδικος βασανιζόμενος, ἢ ὁ τῷ σώματι καὶ ταῖς πληγαῖς μαστιγούμενος.

Vir iniquus & afflictus conſcientia, plus mali patitur, quam ille, qui in corpore caſtigatur, & flagris cæditur. *Pythag. Samius.*

Μηδέποτε μηδὲν αἰσχρὸν ποιήσας ἔλπιζε λήσειν, καὶ γὰρ ἂν τοὺς ἄλλους λάθῃς σαυτῷ συνειδήσεις. Id. eō.

Nunquam ſperare debes, ſi quid turpe feceris, te latiturum: quāuis enim lateas alios, tute tamen tibi conſciueris. *Iſocr. ad Demonicum.*

Μηδὲν ἀποκρύπτεσθε, μηδ' ἂν κρύπτητε, μεθ' ὧν ποιεῖτε μηδ' ἂν μέλλετε πράττειν. εἰδότες ὅτι περὶ τὰ κεκρυμμένα τῶν πραγμάτων ἀναγκαῖόν ἐστι πολλοὺς φόβους γίνεσθαι.

Nihil cælandum eſt prorſus illorum, quæ quis poſſidet, aut facit aut facturus eſt. Siquidem circa res latentes, neceſſario multum timoris & metus contingit. *Idem in Nicocle ſeu Cyprys.*

Conſcientia bene actæ vitæ, multorumque benefactorum recordatio iucundiſſima eſt. *Cicer. in Catone maiore.*

Neque ad ſui notitiam, neque ad animi veram voluptatem quis niſi per conſcientiæ puritatem peruenire poterit, quam Græci συνείδησιν. & item aliam, quam συντήρησιν, id eſt iudicij conſeruationem, & integritatem in rebus benefactis vocant, quæ eſt naturalis intellectus: alter vero voluntatis. *Volaterranus l. 28. Philologia.*

Magnam vim habet conſcientia in vtramq. partem, vt ſemper pœnā ante oculos verſari putent, qui peccauerint: & nihil timeāt, qui nihil admiſerint. *M. Cicer. in oratione pro Milone.*

Quin ēt mihi quidem laudabiliora videntur omnia quæ ſine venditatione, & ſine populo teſte fiunt: non quo fugiendus ſit, omnia. n. benefacta in luce ſe collocari volunt, ſed tamen nullum theatrū virtuti conſcia maius eſt. *Idem in Quæſt. Tuſculanis l. 2.*

Con-

Conſcientia benefactorum magnum & in vita munimentum eſt; & in morte ſolatium: nec illa, quæ bene actæ vitæ teſtis eſt, hominem miſerum eſſe vnquam ſinit, ſicut nec ſcelerum arbitra felicem. *Viues in tertia declamatione.*

Conſcientiæ ſignum eſt, refugere cœtus, & libera iudicia: nec exiſtimare ſe tutum fore, ſi de meliore rerum ſtatu conſulatur. Idcirco multi ſignum malæ conſcientiæ interpretantur, etiam vbi culpa nulla ſubeſt, ſi in diſquiſitionem prodire non audeant. *Viues epiſt. ad Adrianum 6. Pontificem Max. de indicendo concilio libro.*

Rem dicam, ex qua mores æſtimas noſtros. Vix quempiam inuenies, qui poſſit aperto oſtio viuere, ianitores conſcientia noſtra, non ſuperbia oppoſuit, ſic viuimus, vt deprehendi ſit ſubito aſpici. Quid autem prodeſt recondere ſe, & oculos hominum auresque vitare? Bona conſcientia turbam aduocat, mala autem in ſolitudine anxia atq; ſollicita eſt. Si honeſta ſunt quæ facies, omnes ſcient: ſi turpia, quid refert neminem ſcire, cum tu ſcias? O te miſerum, ſi contemnis hunc teſtem! *Sen. epiſt. 96.*

Nemo plus videtur æſtimare virtutem, nemo magis illi eſſe deuotus, quam qui boni viri famam perdidit, ne conſcientiam perderet. *Sen. epiſt. 75.*

Sic viuendum eſt tanquam in conſpectu viuamus: ſic cogitandum, tanquam aliquis pectus intimum proſpicere poſſit. *Lib. de moribus.*

Conſcientiam magis, quam famam attende. Falli namque ſæpe poterit fama, conſcientia nunquam. *ibid.*

Mala conſcientia ſæpe tuta eſt, ſecura nunquam. Itaque nihil ei cõmiſeris, niſi quod amico committere poſſis: pleriqúe famam, cõſcientiam autem pauci verentur. *ibid.*

Nullum conſcium peccatorum tuorum magis timueris, quam temetipſum, alium enim potes effugere, te autem nunquam: nequitia enim ipſa eſt ſui pœna. *ibid.*

Superet conſcientia, quicquid mali finxerit lingua. *ibid.*

Ex ignorantia multi errores naſcuntur, cum ex illis vniuerſalibus ad ſpecies, & rerum ſingula iudicium deducimus: ſed reſtant nihilominus in nobis reliquiæ illius tanti boni, quia ſatis teſtatur, quantum id fuerit, quod amiſimus. Synterelis nominatur, quaſi conſeruatio: D. Hieronymo eſt conſcientia: Baſilio naturale iudicatorium: Damaſcenus lucem mentis noſtræ vocat: Philoſophi quiddam tale ſunt proculi intuiti, qui anticipationes tradunt, & naturales informationes, quas non didicimus a magiſtris, vel vſu, ſed hauſimus, & accepimus a natura: tametſi alij alijs pro magnitudine ingenij plures certioreſque ſunt has regulas ſortiti: tum excoluntur, elimanturque vſu, experimentis, diſciplina, meditatione. Hæc mentis noſtræ ſiue lua, ſiue cenſura, quæ recte, quæ oblique ſemper tum ad bonum & verum deuergit, & fertur prona, vnde exiſtit approbatio virtutum, & improbatio vitiorum: atque hinc leges & præcepta morum, & intus in vno quoque conſcientia, quæ delicta ipſa ſua arguat, reprehendat, damnet, niſi penitus ſenſu humano careat, & degeneret in brutum. *Ludou. Viues 3. de Anima.*

APOPHTHEGMATA.

Chilon ſæpenumero in ore habebat, damnum turpi lucro ſemper præferendum eſſe. Illud enim ſemel dolere, hoc ſemper. Res amiſſa exiguo tempore dolet, ſceleris autem conſcientia ſemper cruciat animum. *Laert. l. 1. c. 4.*

Bion frequenter dicere ſolebat, impietatem malam eſſe contubernalem fiduciæ, & adiecit verſiculum Euripidis.

Seruum facit, quamuis feroculum virum.

Scoſit vir ſapientiſſimus, ibi libertatem non habere locum, vbi mala & inquieta ſit conſcientia: nec eum hominem frui animi tranquillitate, qui ſcit ſibi iratum & infenſum eſſe numen diuinum. *Laert. l. 4. c. 7.*

Diogenes, neminem a timiditate liberum & reuera animoſum eſſe dicebat, quam illum, qui nullius mali ſibi conſcius eſſe. *Stob. ſermon 24.*

Pythagoras, neminem tam audacem eſſe dicebat, quem mala conſcientia non facit timidiſſimum. Non quieſcit enim animus male conſcius, ſed ab omni etiam vento abhorret. *Stob ſerm. 24.*

Idem dicere ſolebat, virum iniquum plus mali pati, afflictum conſcientia, quam eum qui corpore caſtigatur, & cæditur: multo quippe grauiores ſunt animi male ſani, quam corporis morbi. *Stob. ſermon. 24.*

Plutarchus, facinoroſa conſcientia, inſtar vlceris in corpore, pœnitentiam relinquit in anima lancinantem iugiter ac peruellentem. *lib. de animi tranquillitate.*

Anonymus. Pythagoricus quidam philoſophus coemens ſibi a ſutore calceos, non promptam habens pecuniam, orat vt in craſtinum expectet diem: quo cum veniſſet, ſatisfacturus, audit ſutorem iam iam defunctũ eſſe. Non faciens igitur mentionem pecuniæ, nummos non inuitam ſuu domum, gratolabondus de facto iam lucro, retulit. Verum cum ſceleris conſcientia ſubinde torqueretur, arrepta pecunia ad ſutoris tabernam regreditur, & pecuniam in ſutoris domum proijciens, ait: Tibi viuit, alijs qui defunctus: ac ſic animum à conſcientia facti liberauit. *Rectius P. M. l. 9. apoph. ex Seneca.*

Seneca, facinorum mala flagellantur a conſcientia, cui plurimum tormentorum eſt, eo quod perpetua illam ſollicitudo vrget ac verberat, quod ſponſoribus ſecuritatis ſuæ non poteſt credere. *Epiſt. 97. ad Lucil.*

Idem: conſcientia aliud agere non patitur, ac ſubinde reſpicere ad ſe cogit. Dat pœnas quiſquis expectat: quiſquis autem meruit, expectat. Tutum aliqua res in mala conſcientia præſtat, nulla ſecurum. *Epiſt. 105.*

Chilon, iam grandæuus dicebat, ſe ſibi nullius facti conſcium eſſe, cuius pœniteret, vno excepto, quod cum eſſet aſcitus arbiter, vt inter duos amicos finiret controuerſiam, nec quicquam vellet aduerſus leges facere, perſuaſit alteri amico, vt ad alios deferret arbitrium. Hoc pacto & legem ſeruauit, & amicum. Hic ſcrupulus nonnihil mouebat ſenis animum, quod perfectæ virtutis fuiſſet, nullo metu à regula legum deflecteret: nec illius amicitiam magnificare, qui ob ſententiam ſecundum leges, non ſecundum ipſum datam deſineret amicus eſſe. Quid illa ſanctius anima, quæ per omnem vitam, quæ illi longa contigit, hoc tantum criminis admiſit? *Laer.*

Bias, interrogatus, quænã res in vita metu careret? Bona conſcientia reſpondit. *Stobæus ſerm. 24. Antonius in Meliſſa, par. 1. ſermo. 66. Max. 24.*

Periander, percontatus, quid in minimo eſſet maximum? Reſpõdit. Bona mens in corpore humano. *Stob ſer. 3. de Prudentia.*

Idem. interrogatus, quid eſſet libertas? Recta conſcientia, dixit. *Stob. ſer. 24.*

Socrates, rogatus, quinam tranquille viuerent? illi inquit qui nullius abſurditatis ſibi conſcij ſunt. *Stob. ſerm. 24. Anton. in Meliſſ. par. 2. ſerm. 77.*

Pericles, moriturus hoc nomine ſibi gratulabatur, quod ipſius cauſa nullus Athenienſium pullam veſtem induiſſet: ſignificans ſe nulli cauſam mortis fuiſſe, nec vlli diem ab ipſo capitis dictum. Pullati ſunt, qui mortuum lugent: & olim capitis rei amici pullati pullatum comitabantur. *Plut. in Græc. apoph.*

Iſocrates, dicebat omnino non ſperandum eſſe, ſi quid turpe feceris, te latiturum. Quamuis enim lateas alios, tute tamen tibi male conſcius eris. *Stob. ſerm. 24.*

Idem, dicebat nihil celandum eſſe proſus illorum, quæ quis poſſidet, aut facit, aut facturus eſt. Siquidem circa res latentes neceſſario multum timoris & metus contingit. *2. Stob. ſer. 25.*

Idem, Æmulemini (inquiebat) non opulentiſſimos, ſed de nullo crimine ſibi conſcios. Cum hac enim fortuna ſuauiſſime quis vitam agere poſſit. *ibid.*

Agis, ab Ephoro interrogatus, num etiam pœniteret eorum quæ geſſiſſet? tam paude reſpondit: Nequaquam pœnitet: cum ſciam me prudentiam cum boneſtate ſemper coniunxiſſe, nullam non aliam ob cauſam, nunc ad ſupplicium mortis ducor. Quo dicto oſtendere voluit ſuam innocentiam: & benefacti conſcientiam etiam in ipſa morte. *Plut. in Lacon. apoph.*

Idem, cum captus, & damnatus ab Ephoris, duceretur ad mortis ſupplicium, vidit quendam miſericordia motum eius fortunam flere, cui ait: Noli flere propter me, quia præter ius & æquum ad hoc ſupplicium ducor, meliorque ſum ijs qui ad mortem me damnarunt. Quo dicto oſtendit, eos bene mori, & honeſte, qui contra fas & omne ius ſupplicijs afficiuntur. *Plut. in Lacon. apoph.*

Epictetus parentes (inquiebat) pueros nos pædagogo tradiderant, qui vbique obſeruaret, ne læderemur. Deus autem tam viros ſuſitæ conſcientiæ cuſtodiendos tradit, quæ quidem cuſtodia & conſtructio nequaquam contemnenda eſt, quoniam, & Deo diſpliceret, & conſcientiæ ipſi noſtræ hoſtes eſſemus. *Stob. ſer. de conſcientia.*

Seneca, bona conſcientia prodire vult, & conſpici. *Ep. 97. ad Lucil.*

Iulius Druſus, eius ædes pluribus ex partibus patebant vicinorum proſpectui. Hoc incommodum faber ſe quinque talentis correcturum pollicebatur, effecturumque ne pars aliqua eſſet obnoxia proſpectui. Tum Druſus, Decem, inquit, dabo ſi talem reddas domum meam, vt vndiquaque pateat omnium oculis, quo non vicini tantum, ſed omnes ciues perſpicere poſſint, quomodo domi meæ viuatur. *l. 6. apoph.*

Pertinax Imperator, ab amicis admonitus, vt prætorianorum militum inſidias effugeret qui tum conabantur imperatorem de vita tollere. Reſpondit, ſe nequaquam male ſibi conſcium eſſe, ideoque non opus eſſe, vt contra imperatoriam maieſtatem, atque ante actam vitam, latebris aut fuga conſuleret vitę ſuæ. *Herod. l. 2.*

Virginius, Cluuius hiſtoriographus ſic affatus eſt Virginium, cuius res geſtas attigerat: Scis Virgini, quæ fides hiſtoriæ debeatur. Proinde ſi quid in hiſtorijs meis aliter legis, ac vides, rogo ignoſcas. Ad hæc Virginius: At, ô Cluui, tunc ignoras ideo me feciſſe, quod feci, vt eſſet liberum vobis ſcribere quæ libuiſſet? Vox

excel-

excelſi animi teſtis, & recte factorum conſcientia contenti. *8. apoph.*

Anonymus, nihil eſt, quod ſic nos delectare ſoleat, vt conſcientia pura & ſpes bona. Item Conſcientia læta & exultans, ſibi etiam vultum hilarem reddit, ac genas rigat animi bona valetudo. Nec ſine cauſa dictum eſt à ſapiente, læti cordis os floreſcit. *Anton. ſerm. de puro corde.*

SIMILITVDINES.

Chryſoſtomi. Sicut ſi breuem ſcintillam in magnum deieceris profundum, ſtatim extinxeris: Itidem & omnis triſtitiæ ſuperabundantia in bonam miſſa conſcientiam, extinguitur facile. *Hom. 25. de via recta.*

Marci eremitæ. Non effunditur ſine nubibus pluuia: Neque ſine bona conſcientia Deo placere poſſibile eſt. *De lege Spirituali.*

Plutarchi. Vt verus amor erga mulierem non deſiderat teſtem, ſed ſat habet ſi clã eo potiatur: Ita vir ſapiens, recti conſcientia cõtentus. At qui ficte amant, illeætant & iactant. *In Moral.*

Vt nepenthes herba, ab Homero prædicata, addita poculis, omnem conuiuij triſtitiam diſcutit: Ita bona mens inſita nobis, omnem vitæ ſolicitudinem abolet. *In Moral.*

Senecæ. Vt loca grauia, etiam firmiſſimam valetudinem tentant. Ita bonæ quoque menti, necdum adhuc perfectæ, & conualeſcenti, ſunt aliqua parum ſalubria. *Lib. 2. epiſt. 28 e. 9.*

Ioannis Ludouici Viui, Conſcientia verum & ſolidum & duraturum reddit teſtimonium, plurimum in illo Dei iudicio valiturum: vitæ huius magna eſt magiſtra: & quemadmodum ſcite ille dixit, murus aheneus, quo & tuti agimus inter innumera vitæ pericula, & ſecuri: nec vllus eſt tantus terror, qui illum commoueat, eſt enim mente defixus Deo, illique fidit vni, ac ei ſe nouit peculiari eſſe curæ, cui ſcit parere vniuerſa. *Introductione ad Sap. cap. 1.*

Chryſoſtomi, ſicut flagriones, & ingrati quidam famuli, cum non poſſunt a domino ſuo occultari, huc & illuc in angulos domus currere ſolent, metu illorum conſcientias concutiente: Ita & hi nullum inuenientes effugium in ipſa domo, paradiſo inquam verſantur. *Hom. 6. in Gen.*

Vt homines ægri cum multis febribus aguntur, ſi in aquas ſemetipſos frigidas immerſerunt, ad præſens quidem aliquid videntur ſibi quęſiſſe ſolatij, multiplicatas vero corpori ſuo flammas febrium reparant: Ita & nos agimus, cum conſcientia ſtimulamur peccatorum, & in euripum nos, vel lacus contritos prauę intelligentiæ præcipitamus. *Lib. 1. de compunctione cordis. & Hom. 15. ad Hebræos.*

Sicut qui carcerem habitant, capitis damnationem expectãtes, & mortem, vel ſi delicijs abunde fruantur, vitam longe agunt moleſtiorem, & anxiam: Sic qui improba conſcientia moleſtantur. *Hom. 22. de nequitia repulſa.*

Pater vbi ſemel, iterum ac tertio, deceſſue filium increpauerit, ſi viderit incorrigibilem permanere, deſperans abdicat, expellit familia, à cognatione reſecat. At non eodem modo conſcientia ſed licet ſemel, licet iterum, licet ter, licet millies admonuerit, tuq; non obtemperes, monebit iterum, nec deſiſtet vſque ad ſupremum halitum, ſiue domi, ſiue in biuijs, ſiue in menſa, ſiue in foro, ſiue in itinere, frequenter & in ſomnijs peccatorum nobis ſimulachra ſpectraque repræſentat. *Serm. 4. de Lazaro.*

Quemadmodum qui nocte illumi ambulant, tremunt, etiamſi nemo ſit qui terreat, Sic & qui peccant, non poſſunt confidente animo eſſe, etiamſi nemo ſit qui redarguat. *Apud Max. ſerm. 26.*

Pamphyli martyris Ego arbitror, quod ſicut in corpore eſcæ abundantia, & qualitas vel quantitas tibi contraria, febres generat, & febres diuerſi vel modi, vel temporis, ſecundum eam menſuram, quia intemperies collecta materiam ſuggerit, ac fomitem febrium, quæ materiæ qualitas ex diuerſa temperie cõgregata, cauſa vel acerbioris morbi, vel prolixioris exiſtit: Ita anima cũ multitudinem malorum operum, & abundantiam in ſe congregauerit peccatorum, competenti tempore omnis illa malorum congregatio concitatur ad ſupplicium, ad flammatur ad pęnas cum mens ipſa vel conſcientia per diuinam virtutem omnia in memoriam recipiens, quorum in ſe ſigna quædam ad formae cum peccaret, & ſingulorum geſtorum ſuorum, quæ vel fœde ac turpiter geſſerat, vel etiam impie commiſerat, hiſtoriã quandam ſcelerum ſuorum ante oculos ſuos videbit expoſitam. Tunc & ipſa conſcientia proprijs ſtimulis agitatur atque compungitur, & ſui ipſa efficitur accuſatrix & teſtis. Quod ita ſenſiſſe etiã Apoſtolum Paulum puto, cum dicit: Inter ſe inuicem cogitationibus accuſantibus aut etiam defendentibus, in die cum iudicabit Deus occulta hominum ſecundum Euangelium meum per Ieſum Chriſtum. *In epiſt. de Origene.*

Baſily. Quemadmodum vmbræ corpora: Sic peccata ſequuntur animas, & manifeſtas facinorum repræſentant imagines. *Apud Ant. Meliſſ. par. 1. ſer. 16.*

D. Hieronymus. Vermis qui non morietur, & ignis qui non extinguetur, a plerisque cõſcientia accipitur peccatorum, quæ torqueat in ſupplicijs conſtitutos: quare vitio ſuo atque peccato caruerint electorum bono iuxta illud quod dicitur, Verſatus ſum in miſeria, dum infigitur mihi ſpina: & in prouerbijs: Tinea oſſiũ cor intelligens. Et, ſicut tinea veſtimentum, & vermis lignum: ſic mœror excruciat cor viri. *In c. 66. Eſaiæ.*

D. Bernardi. Riuus qua fluit, terram cauat: ſic decurſus temporaliũ, conſcientiam rodit. Sic poteſt torrens in agros excurrere ſine læſione ſatorum: & tu te poſſe iſta ſine mentis vulnere tractare confidis? Quotidianas expenſas quotidiano reciprocamus ſcrutinio, & innumera Dominici gregis detrimẽta neſcimus: de precio eſcarum, & numero panum, cũ miniſtris quotidiana diſcuſſio eſt: rara admodum celebratur collatio cum presbyteris, de peccatis populorum. [Cadit aſina & eſt qui ſubleuet eam: perit anima, & nemo qui reputet. Sic optimi æſtimatores rerum, qui magnam de minimis, paruam vel nullam de maximis curam gerant. *Lib. 4. de conſideratione, ad Eugenium.*

Plutarchi, quemadmodum vlcus vel vulnus cicatricem relinquit in corpore doloris indicium: Sic conſcientia malefacti, notas facti in animo relinquit. *De animi tranquillitate, Stob ſer. 22.*

Themiſt. vt qui vlceribus horrent, moroſiſſime omnem tactum reformidant ac refugiunt: Sic qui ſibi male conſcij ſunt, vbiq. prõpta laborant ſuſpicione. *In apoph. 231.*

Error non attenditur in morbis ſalubribus: Neque admodum conſcientia redarguitur in rebus felicibus. *In apoph. 74.*

ADAGIA.

Furca clamorem.

Subaudiendum timent aut ſenſerunt.

Oi φῶρες τὴν βοὴν.

Quadrabit in eos, qui ſibi conſcij, metuunt ne deprehendantur.

Es traumet jhm vom Teuffel. Item, Die Katſx laufft ihm den Ruden auff.

Lupus aquilam fugit. Λύκος ἀετὸν φεύγει.

Vbi periculum imminens euitari non poteſt.

Lupus ante clamorem feſtinat. Λύκος πρὸ τῆς βοῆς σπεύδει.

Vbi quis admiſſi conſcius, vltro timet, prinſquam accuſetur.

Conſcientia mille teſtes.

Senſus non eget interprete. ſic Poeta.

Heu quam difficile eſt crimen non prodere vultu. Das Retix oder das gevviſſen leugt nith.

EXEMPLA BIBLICA.

Conſcientiæ malæ: eiuſque perturbationum exempla: Adam, *Gen. 3. ver. 10.* fratres Ioſeph, 50. 51. filij Senacherib. *1. Reg. 19. 37.* Herodes, *Matth. 2. v. 3.* Scribæ & Phariſæi, *Ioan. 8. v. 9.* Felix, *Act. 24. v. 26.* Hymenæus & Alexander. *1. Tim. 1. 20.*

Conſcientiæ bonæ *exempla:* Virgo Maria, *Luc. 1. 46.* Zachæus. *19. 8.* Paulus, *Act. 18. 6. & 23. 1. & 24. 16. 1. Cor. 4. 4. 2. Cor. 1. 12. & 2. 17. & 4. 2. & 7. 2. 1. Theſſ. 2. v. 3. 4. Hebr. 13. 18.* Fructus, *Prouerb. 15. 14. & 28. 1.*

HISTORICA EXEMPLA.

Commendatus fuit *Iulius Druſus tribunus plebis:* quod cum ædes eius multis locis paterent vicinorum oculis, & opifex quidam eas ſe mercede quinque talentorum oſtenderet auerſurũ & mutaturum: decem, inquit, dabo ſi totam domum meam conſpicuam effeceris: quo ciues omnes, quemadmodum vitam inſtituam contemplentur. Quippe vir fuit temperans, & moderatus. *Plut.*

Titus Imp. Sabinos petens, cum ſacrificanti hoſtia aufugiſſet, & tempeſtate ſerena tonuiſſet, ſubtriſtior, ad primam ſtatim manſionem febrim nactus, cum inde lectica transferretur, ſuſpexiſſe dicitur dimotis plagulis cœlum, multumq. conqueſtus eripi ſibi vitam immerenti: neque. n. extare vllum ſuum factum pœnitendum, excepto duntaxat vno. *Suet.*

Nero occiſa matre Agrippina per Anicetem, nec ſceleris conſcientiam, quanquam & militum & ſenatus populique gratulationibus confirmaretur, aut ſtatim, aut nunquam poſtea ferre potuit ſæpe confeſſus, exagitari ſe materna ſpecie, verberibus furiarum, ac tedis ardentibus. *Dion. in Nerone.*

Ab Arianis Sicarius quidam conductus fuit ad Gregorium Nazianzenum tollendum: ad quem ægrotantem cum irruiſſet, conſciẽtia ſceleris ductus flens ſeſe ad pedes eius abiecit, ac facinoris veniam ab eo conſecutus eſt. *Greg. Nyſſenus.*

HIEROGLYPHICA.

Clibanus apud Latinos eſt præfurnium: per eius figuram interpretes eos homines intelligunt. Nam quædam Deus apud maiores noſtros, veteres inquam Prophetas, apponi ſibi vult *clibano* cocta, hoc eſt tacita mentis agitatione examinata, cum ſcilicet, nos erroris pœnitet, & conſcientia noſtra ardore quodam occulto intra ſe ſuccenditur, vitiumque ipſa ſuum paulatim excutere contendit. *Pier. Val. 34. l.*

Vide Confeſſio, Fama, Conuerſatio, Virtus.

CON-

CONSIDERATIO.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Consideratio, Græce ἐπίσκεψις, & ἐνθύμησις confidero dicitur. Et est omnis operatio intellectus, vel processus rationis ex principijs pertingentibus ad contemplationem veritatis. *B. Thom. 2. 2. q. 180. art. 3.*

Consideratio, circumspectio, animaduersio, iudicium, inspectio, attenta cogitatio. Hebr. *Kesciueb*, a *Kescheb*. attendit, intendit cogitationem, auscultauit, quæ omnia considerantis personam depingunt.

Considero a siderum contemplatione dicitur: a quo consideratus, qui agenda considerat. Et consideratio, contemplatio. Quid differant consideratio, cogitatio, contemplatio, & meditatio. *vide supra in Cogitatio.*

PATRVM SENTENTIAE.

Remotis obstaculis insanæ opinionis scelerata nuda iudicentur, nuda pensentur, nuda inspiciantur, fallaciæ tegmina, & vanæ laudes gloriæ auferantur, & apparebũt miseriæ peccatorum. *Aug. l. 3 de ciuit. Dei.*

Eunt homines mirari alta montium, ingentes fluctus maris & altitudines montium, & altissimos lapsus fluminum: & oceani ambitum, & gyros syderum, relinquunt seipsos, nec mirantur. *l. 10. confess.*

Magis cogitare debetis quid nobis desit, quam quid nobis adsit. Quod habes, caue ne perdas. Quod nondum habes, supplica vt habeas. In quantis sis minor, est considerandum, non in quantis sis maior. Si enim cogitas quantum præcessisti alterum, time tumorem: si vero cogitas quantum tibi deest, ingemiscis, curuaris, si humilis eris, tutior ambulabis, non præcipitaberis, non laberis *sup. Matth. serm. 59.*

Supra te Deus, infra te pecora. Agnosce eum qui supra te est, vt agnoscant te qui infra te sunt: Ideoque dum Daniel agnouisset supra se Deum, agnouerunt eum supra se leones, *sup. epist. Ioan. c. 1.*

Laudabilior est animus, cui nota est infirmitas propria, quam cui ea non perspecta, mœnia mundi, vias syderum, fundamenta terrarum, & fastigia cœlorum scrutatur *in pra. 9. de tran.*

O homo, si consideres, quid per os, quid per nares cæterosq; meatus egrediatur, nunquam vilius sterquilinium inuenisti. *in serm.*

Vix aliquis ab hoc vitio inuenitur alienus, qua vnusquisque suis fauens, aliena facile reprehendit, sumens authoritatem arguendi sine exemplo suæ emendationis. *Hier. in gl. sup. Matth. 7. Quid vides festucam, &c.*

Quum bona fratres agitis, semper ad memoriam mala acta reuocate, vt dum ante culpa conspicitur, nunquam de bono opere incaute animus lætetur. *Greg. in hom.*

Quanto quis minus se videt, tanto minus sibi displicet: & quanto maioris gratiæ lumen percipit, tanto amplius reprehensibilem esse cognoscit. *25. Mor.*

Considerata infirmitas, propria mala mollit, excusat aliena. *5. Moral.*

Qui plenissime appetit intelligere qualis est, talis nimirum debet conspicere, qualis non est, vt ex bonorum forma metiatur ipse, quanto deserto bono deformis est. Lucem namque debet conspicere, qui vult de tenebris iudicare. Lumen intelligentiæ humilitatis aperit, superbia abscondit. *ibid.*

Quatuor sunt qualitates, quibus iusti viri anima in compunctione vehementer afficitur, quum aut malorum suorum reminiscitur: considerans vbi fuit, aut iudiciorum Dei sententiam metuens, & secum quærens considerat vbi erit, aut quum mala vitæ præsentis attendens solerter mœrens, considerat vbi est: quum bona supernæ patriæ contemplatur: quia quæ nec dum aspicitur, languens conspicit vbi non est. *ibid. l. 23.*

Posito prosperæ fortitudinis fundamento quum fabrica in altum ducitur, necesse est, vt vnusquisque proficiens vires caute metiatur: vt quum diuina constructione magnus iam esse cœperit, semetipsum respiciat sine cessatione, quid fuit: quatenus attẽdens humiliter, quod præter meritum inuentus est: nequaquam arroget, quod per gratiam factus est. *28. Moral.*

Cordis sui oculum per elationis tenebras extinguit, qui cum recta agit, considerare aliorum merita negligit, At contra magno humilitatis radio sua opera illustrat: qui illorum bona subtiliter pẽsat, quia dum ea quæ ipse feliciter facta foris ab alijs conspicit, eum qui de singularitate intus erumpere nititur, superbiæ tumorem premit. *31. Mor.*

Scio neminem absque sui cognitione saluari, de qua nimirum mater salutis humilitas oritur, & timor Domini, & qui & ipse sicut initium sapientiæ, ita & salutis est. *Bern. super Cant. serm. 37.*

Primum ipsum fontem suum, id est mentem de qua vtitur, consideratio purificat: deinde regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores, vitam honestat. & ordinat: postremo diuinarum pariter & humanarum rerum scientiam confert. *de consideratio.*

Consideratio est, quæ confusa discriminat, sparsa colligit, secreta rimatur, verum inuestigat, verisimile examinat, ficta & fucata explorat. Hæc est, quæ agenda præordinat, acta recogitat, in aduersis prosperat, præsentia in aduersis quasi non sentit. *ibid.*

Spiritualis homo omne opus suum terna quadam consideratione præueniet: prius quidem an liceat, deinde an deceat, postremo an expediat. *ibid.*

Consideratio tui in tria quædam diuidatur. Si cõsideres quid, quis, qualis sis: quid in natura, quis in persona, qualis in vita. *ibid.*

Alter alterius culpam cito intelligit, suam autem difficile: quia homo in causa alterius tranquillum habet cor, in sua autem turbatur, perturbatio autem cordis non permittit hominem considerare quod bonum est. *Chrys. in Matt.*

Est primum hominis sapientiam affectantis contemplari, quid ipse sit, quid intra se, quid infra, quid supra, quid contra, quid ante, quid postea sit. Hæc consideratio quadripartitum parit fructũ, vtilitatem sui, charitatem proximi, contemptum mundi, amorem Dei. *in tractatu de symbolo, l. 3.*

Qualiter in alienis vides tam parua, & in tuis tam magna transcurris? Si te magis amas, quam proximum: quare ipsum procuras, & non teipsum contemnis? manifestum est, quod iam non procuratio est, sed detractio potius. Cum enim diligentia inuestigare oporteet, quæ tua sunt, & ita ea quæ proximi sunt decernes. *in Matth. 7.*

O nimis grauis angustia! si me inspicio, non tolero meipsum; si non inspicio, nescio meipsum. Si me considero, terret me facies mea: si me non considero, fallit me damnatio mea. Si me video, horror est intolerabilis: si non video, mors ineuitabilis. *Anselm. in suis medi.*

Tamdiu quis peccata sua, quæ nosse & flere debet, ignorat, quamdiu curiose aliena considerat. Quod si mores suos ad seipsum cõnersus aspiciat, non requirit, quod in alijs reprehendat, sed in seipso quod lugeat. *Prosper. de vita contempla. l. 2.*

Reuera omnium causarum difficilimum est seipsum cognoscere. Non enim solus oculus ea quæ extrinsecus habentur, inspiciens seipsum non valet intueri, sed etiam mens ipsa satis acute aliena delicta contemplans, tardior est erga suorum cognitionem vitiorum. *Basil. in Hexam. l. 9.*

Frustra cordis oculum erigit ad videndum Deum, qui nõdum idoneus est ad videndum seipsum. Prius enim est vt cognoscas inuisibilia spiritus tui, quam possis esse idoneus ad cognoscendum inuisibilia Dei: & si non potes te cognoscere, non præsumas apprehendere ea, quæ sunt supra te. Præcipuum & principale est speculum ad videndum Deum animus rationalis intuens seipsum. *Hug. lib. 3. de anima.*

Redi ergo ad cor tuum, & subtiliter discute teipsum, considera vnde venis, quo tendis, quomodo viuis, quid agis, quid amittis, quantum quotidie proficis vel quantum deficis, quibus cogitationibus magis incusaris, quibus affectibus tangeris, vel quibus tentationum machinis a maligno spiritu acrius impugnaris, & quum totum interioris & exterioris hominis statum, & habitũ, & quantum possibile est, plene cognoueris, non solum qualis sis, verumetiam qualis esse debeas, de cognitione tui poteris subleuari ad contemplationem Dei. *ibid.*

Melior es, si teipsum cognoscas, quam si te neglecto cursus syderum, vires herbarum, complexiones hominum, naturas animalium, cœlestium omnium & terrestrium scientiam haberes. Multi enim multa sciunt, & seipsos nesciunt, cum tamen summa philosophia sit cognitio sui. *ibid.*

Disce ex tuo spiritu cognoscere, quid debeas de alijs spiritibus æstimare, hæc porta, hæc schola, hic introitus, iste ascensus, hac intratur ad intima, hac eleuatur ad summa: ex hac siquidẽ proficisceris ad cognitionem omnem cœlestium, terrestrium & infernorum. *ibid.*

Magnus accessus ad Deum est cognitio infirmitatis suæ. Locis corpora continentur, animi autem locus est affectio sua. Magna est vtilitas serui Dei propriam infirmitatem recognoscere, atque in suis viribus aut meritis nullam fiduciam habere. Tunc etiam incipit adesse virtus diuina, quando deficere incipit præsumptio humana. *Cass. sup. Psal. 6.*

Humanæ naturæ ista conditio est, vt tantum cæteris rebus, cum se cognoscat excellat: eadem tamen infra bestias redigatur, si se nosse desierit. Nam cæteris animantibus sese ignorare natura est, hominibus vitio venit. *Boetius lib. 2. de consol.*

SENTENTIAE PHILOSOPHICAE.

In omnibus quibus homines afficiuntur, quo quis se peius habet, minus sentit, grauis sopor etiam somnia extinguit, animam altius mergit, quod vti nullo intellectu possit. *Sen. epist. 54.*

Animus quotidie ad rationem reddendam est vocandus, Faciebat Sextius, vt consummato die, cum se ad nocturnam quietem recepisset, interrogaret animum suum, quod hodie malum tuum sanasti? cui vitio obstitisti? qua parte melior es? desinet ira vel moderatior erit qui sciet sibi quotidie ad iudicem veniendum. Quid ergo pulchrius hac consuetudine excutiendi totum diem? qualis ille somnus post recognitionem sui sequitur? quam tranquillus, quam altus ac liber. *l.3. de ira.*

Maximum argumentum est animi ab altiori sede venientis, si hæc in quibus versatur, humilia iudicat, & angusta: si exire non metuit: scit enim, quod exiturus sit: qui vnde venit, meminit. *in epistol.*

Etiam obliuisci quid sis, interdum expedit. Nisi æstimaris viribus aggrediaris sarcinam, subiacebis. *in pro.*

Ad rem gerendam qui accedit, caueat ne id modo consideret quã illa res honesta sit, sed etiam vt habeat efficiendi facultatem, in quo considerandum est illi, ne aut temere desperet propter ignauiam, aut nimis confidat propter cupiditatem, in omnibus autem negocijs priusquam aggrediare adhibenda est præparatio diligens. *Cic. 1. Off.*

In omnibus, quid tempora petant, aut personis dignum sit, semper considerandum. *Cic. 2. de inuent.*

Vide supra, Cogitatio, Cognitio sui, Contemplatio: item Animus, & infra, Mens, Ratio.

CONSILIVM.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Consilium, Græce βουλὴ, μάματος, τὸ & βουλεύω, do consilium dicitur. Est autem consilium, appetitus inquisitiuus de rebus vtilibus *secundum Damascenum lib. 3. c. 33.* Hebr. *Hesfah*, a verbo *Iahats*, consuluit, consilium dedit.

Consilium est appetitus faciendi excogitata ratione, *secund. Cic. l. 1. Rhetor.*

Consilium est inquisitio eorum tantum, quæ sunt ad finem operabilium a nobis non minimorum, nec determinatorum. *B. Th. 2. 2. q. 52. art. 3.*

Fit autem consilium a con & salio, quod in vnam sententiam plures rationes consaliant, id est, simul saliant & conueniant. Hinc fit consulo, quod accusatiuo iunctum significat consilium pete. Iuuenalis. *Consulit ante phalas delphinorumque columnas.* Si vero datiuo, significat consilium do. Aliquando consulo ponitur pro delibero, & tunc casum nullum requirit, vt consulunt Senatores.

Loci Biblici.

Impiorum consilia fraudulenta, *Prou. 12. 5.* Impiorum consilia euertuntur, *Iob 5. 12 & 18. 7. Psal. 2. 1. & 21. 12. Esa. 8. 10 & 16. 3. & 29. 7 & 33. 11. Ier. 19. 7. 2. Cor. 10. 4.* Exitio pla Saulis, *1. Sam. 19. v. 5. 2. 11. 12.* Achitophel, *2. Sam. 17. v. 14. 23.* Adoniæ, *1. Reg. 1. 49.* Osorum populi reducis, *Neh 4. 15.* Aman, *Esth. 5. 14. & 7. 10.* Iuda, & Ierusalem, *Ier. 19. 7.* Ioachim, *36. 26. & 27. 32.* Gentium malignantium, *Ios 5. 12. Psal. 21. 12. & 33. 10.* hostium Ecclesiæ, *Esa. 8. 10. & 33. 15.* Antiochi, *2. Mach. 9. v. 4. 5.* Herodis, *Matth. 2. 16.* Iudæorum, *Act. 9. v. 23. 24. 25. & 23. 14.*

Sententiae Biblicae.

Consilium Dei imperscrutabile.

Quis enim hominum poterit consilium Dei aut quis poterit cogitare, quid velit Deus? *Sap. 9.*

Sicut qui mel multum comedit, non est ei bonum, sic qui scrutator est maiestatis, opprimetur a gloria. *Prou. 25.*

Quis adiuuit spiritum Domini, aut quis consiliarius eius fuit, & ostendit illi? Cum quo iniit consilium & instruxit eum? *Esa. 40.*

Quis enim affuit in consilio Domini? *Ier. 23.*

Fortissime, magne & potens, Dominus exercituum nomen tibi. Magnus consilio & incomprehensibilis cogitatu. *ibid. 32.*

Quis cognouit sensum Domini? aut quis prior dedit illi? & retribuetur illi? *Rom. 11.*

Ita & quæ Dei sunt, nemo cognouit, nisi spiritus Dei. *1. Cor. 2.*

Quis cognouit sensum Domini, aut quis instruxit eum? *ibid.*

Insuperabile.

Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum. *Prou. 21.*

Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet. *Esa. 46.*

Et nunc itaque dico vobis, abstinete ab hominibus istis, & sinite illos: quoniam si est ex hominibus consilium aut opus hoc dissoluetur. Sin ex Deo est, non poteritis dissoluere, ne quando & Deo repugnare reperiamini. *A. 5.*

Irreprehensibile.

Consilium autem Domini in æternum manet. *Psal. 32.*

Terribilis in consilijs super filios hominum. *56.*

Cum venerit repentina calamitas, & interitus veluti tempestas ingruerit cum venerit super vos tribulatio & angustia, tunc inuocabunt me, & non exaudiam: mane consurgent, & non inuenient me eo, quod exosam habuerint disciplinam: & timorem Domini non susceperint, nec acquieuerint consilio meo, & detraxerint vniuersæ correptioni meæ. *Prou. 1.*

Consilium bonum.

Audi verba mea atque consilia, & erit Dominus tecum. *Exod. 18.*

State, vt consulam quid præcipiat Dominus de vobis (de immundis super anima hominis.) *Num. 9.*

Gens absque consilio & sine prudentia: vtinam saperent, & intelligerent, ac nouissima prouiderent. *Deut. 2.*

Orate vt firmum faciat consilium meum Deus. *Iud. 8.*

In corde meo Domine consilium corrobora, vt domus tua in sanctificatione permaneat. *9.*

Det tibi Deus gratiam & omne consilium cordis tui virtute sua corroboret. *Iud. 10.*

Conseruasti animam tuam, en quod tale reperisti consilium, vt descenderes ad Dominum Deum nostrum (hic in bono.) *ibid.*

Quamdiu ponam consilia in anima mea, & dolorem in corde meo per diem? *Psal. 12.*

Tribuat tibi Deus secundum cor tuum, & omne consilium tuum confirmet. *19.*

Obliti sunt operum eius, & non sustinuerunt consilium eius. *105.*

Exacerbauerunt eloquia Dei, ac consilium Altissimi irritauerunt. *107.*

Despexisti omne consilium meum, & increpationes meas neglexisti. *Prou. 1.*

Consilium custodiet te. *2.*

Custodi legem meam atque consilium meum, & erit vita animæ tuæ. *3.*

Et sapientia habito in consilio, & eruditis intersum cogitationibus. *8.*

Meum est consilium & æquitas. *ibid.*

Qui agunt omnia cum consilio, reguntur sapientia. *13.*

Astutus omnia agit cum consilio *ibid.*

In nouissimis diebus intelligetis consilium eius (quod modo contemnitis.) *Ier. 23.*

Si consilium dedero tibi, non me audies (sæpe fit.) *38.*

Simon frater vester scio quod vir consilij est, ipsum audite semper: & ipse erit vobis pater. *1. Marc. 2.*

Præuidimus animabus nostris errore vestro compulsi, & hoc consilium iniuimus. *Rom. 9.*

Consilium bonum bonus attendis a quo habeas.

Qui sapiens est, audit consilia. *Prou. 12.*

Sicut aqua profunda, sic consilium in corde viri. *20.*

Multi pacifici sint tibi, & consiliarius sit tibi vnus de mille. *Eccles. 6.*

Cum fatuis consilium non habeas, non enim poterunt diligere, nisi quæ eis placent. Coram extraneo non facias consilium, nescis enim quid pariet: Non omni homini cor tuum manifestes, ne forte inferat tibi gratiam falsam, & conuicietur tibi. *8.*

Cum sapientibus & prudentibus tracta. *9.*

Non omnem hominem inducas in domum tuam, multæ enim sunt insidiæ dolosi. Sicut enim eructant præcordia fœtentium, & sicut perdix inducitur in caueam, & vt caprea in laqueum: sic & cor superborum, & sicut prospectator videns casum proximi sui: bona enim in mala conuertens insidiatur, & in electis imponet maculam. *11.*

Scientia sapientis quasi inundatio abundabit, & consilium eius sicut fons vitæ permanet. *Eccl. 21.*

Cum viro irreligioso ne tracta de sanctitate, & cum iniusto de iustitia. Sed cum viro sancto esto, quemcumque cognoueris obseruantem timorem Dei, cuius anima est secundum animam tuam. *Eccl. 37.*

Cor boni consilij statue tecum. *Ibid.*

Anima viri sancti enunciat aliquando vera, quam septem circumspectores sedentes in excelso. Et sic in his omnibus deprecare Altissimum, vt dirigat in veritate viam tuam. *Ibid.*

Omni tempore consilia tua in ipso permaneant. *Tob. 4.*

Et consilium tuum iustificationes tuæ. *Iob 21.*

Fili sine consilio nihil facias, & post factum non pœnitebis. *Eccles. 32.*

Ante omnia opera verbum verax præcedat te, & ante omnem actum consilium stabile. *32.*

Sententiae Patrum.

Consilium omne a Deo est, a quocumque proficiscuntur. *Aug. l. 1. de doctr. Christ.*

Consi-

Consilium Dei nemo nisi spiritualis intelligit. *ibid.*

Aduertendum, quod in acquirendis consilijs plurimum valet vitæ probitas, virtutum prærogatiua beneuolentiæ vsus, facilitatis gratia. Quis enim in cœno fontem requirat? quis de turbida aqua potum petat? Itaque vbi luxuria est, vbi intemperantia, vbi vitiorum confusio, quis inde sibi aliquid hauriendum existimet? quis vtilem iudicet causæ alienæ, quem videt inutilem vitæ suæ? Quomodo enim potero eum iudicare consilio superiorẽ, quẽ video moribus inferiorem? Supra me debet esse, cui me committere paro. Anne eum idoneum putabo, qui mihi det consilium, quod non dedit sibi? & mihi eum vacare credam, qui sibi nõ vacat? cuius animum voluptates occupant, libido deuincit, auaritia subiugat, cupiditas perturbat. *Amb. de Off. l. 2.*

Necesse est, vt præstantior sit, a quo consilium petitur, quam ille sit, qui petit. Qui enim consulas hominem, quem non arbitreris posse melius aliquid reperire, quam ipse intelligis? *ibid.*

Talis esse debet qui consilium dat: vt seipsum formam alijs ad exẽplum bonorum operum exhibeat in doctrina, in integritate, in grauitate, vt sit eius sermo salubris atque irreprehensibilis, consilium vtile, vita honesta, sententia decora. *ibid.*

Quanto vtilius regem Pharaonem Ioseph consilio prouidentiæ iuuit, quam si pecuniam contulisset. Pecunia enim vnius ciuitatis vbertatem non redimeret, at prospicientia Ioseph, totius Aegypti per septennium famem repulit. Facile autem pecunia cõsumitur, consilia exhauriri nesciunt, hæc vsu augentur, pecunia minuitur & cito deficit, vt quo pluribus largiri volueris, eo pauciores adiuues, & sæpe tibi desit, quod alij conferendum putaueris. Consilij opisque collatio, quo in plures diffunditur, eo redundantior manat, & in suum fontem recurrit. *ibid.*

Quid tibi prodest habere sapientiam, si consilium neges? Si consulenti copiam includas, clausisti fontem: vt nec alijs influat, nec tibi prosit. *ibid.*

Consilium bonis datur, correctio errantibus. *Amb.*

Valde fortitudo destruitur, nisi per consilium fulciatur: quia quo plus se posse conspicit, eo virtus sine moderatione deterius in præceps ruit, mens quæ intus sedem consilij perdidit, foras per se desideria innumerabiliter spargit. *Greg. in Moral.*

Dare stulto consilium, charitatis est: dare sapienti, ostentationis: dare vero tempore peruersitatis, sapientiæ. *Idem.*

Iuuenes dici solent, qui nulla consilij grauitate deprimunt. Senes vero non eos sacra Scriptura vocare consueuit, qui sola temporum quantitate, sed qui morum grauitate maturi sunt. Vnde in libro Sapientiæ, Senectus honorabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata. Cani enim sunt sensus hominis, & ætas senectæ, vita immaculata. *Greg lib. 30. Moral.*

Nullus fidelior tibi ad consilium potest esse, quam qui non tua, sed te diligit. *Greg. l. Registri.*

Omnis prouidens consilium quærit. *Cassiod. 6. epist. 29.*

POETICAE SENTENTIAE.

Hom. in 1. Iliad. Verba sunt Vlyssis ad Achillem.

Οὐδέ τι μῆχος
Ῥεχθέντος κακοῦ ἔστ' ἄκος εὑρεῖν· ἀλλὰ πολὺ πρὶν φράζευ.
Neque vllus modus
Facti est re medium inuenire. Igitur multo prius consilium cape.

Periander.

Συμβούλευε ἀνατεῖ (?) *Id est: Consule sine damno.*

Menander.

Βουλῆς γὰρ ὀρθῆς οὐδὲν ἀσφαλέστερον.
Consilio enim recto nihil tutius.
Βουλὴ παντὸς πράγματος προλαμβανέ.
Consilium ante omnem rem cape.
Ἱερὸν ἀληθῶς ἐστιν ἡ συμβουλία.
Sacrum quid vere est consilium.

Virg. Aen. l. 12.

——*Quin sententiam ipse feras*
Virtute ex ... cano me immensus: aequum est
Consuetos atque omnes metuentem expendere casus.

Ouid. de Pont. l. 4. Eleg. 12.

Crede mihi miseros prudentia prima reliquit,
Et sensus cum re consiliumque fugit.

Hor. Carm. l. 3. Ode 4.

Vis consilij expers, mole ruit sua.

Plato ad Periam.

Res est profecto sacra consultatio,
Consilium improbi in extremum incidit malum.
Inanium inania consilia.
Fatuum fatua loquitur.

Sophoc.

Cursus haud est finis idem & consilij.
Consilium ne adeas priusquam vocerit.

Verinus.

Consilio vtilius, quam viribus arma geruntur,
Militia est robur consiliumque ducis.

Terent. in Heaut.

Te ne isthuc loqui?
Nonne flagitium est te alijs consilium dare,
Foris sapere, tibi non posse te auxiliarier?

Plaut. in Epid.

Quid faciam? me rogas? tu quidem
Antehac alijs solebas dare consilia mutua.

Ter. in Andr.

Facile omnes, cum valemus, recta consilia ægrotis damus:
Tu si hic sis, aliter sentias.

Ouid. 1. Amor.

Consilium nobis resque locusque dabunt.

Ouid. l. 2. de Pont.

Cum poteram recto transire Ceraunia velo,
Vt fera vitarem saxa, monendus eram.
Nunc mihi naufragio quid prodest discere facto,
Qua mea debuerit currere cymba via?

Ter. in Eunuch.

Omnia prius consilio experiri quam armis sapientem decet.

Clau. l. 1. in Eutrop.

Quam bene dispositum terris ut dignus iniqui
Fructus consilij, primus auctor luis instet.
Sic multos fluuio vates arente per annos,
Hospite qui cæso monuit placare tonantem,
Inuentas primum Busirides imbuit aras:
Et cecidit sæui quo dixerat, hostia sacri.
Sic opifex tauri, tormentorumque repertor,
Qui funesta nouo fabricauerat ara dolore,
Primus inexpertum Siculo cogente tyranno
Sensit opus, docuitque suum mugire inuentum.

Ex Comicis Græc.

Σοφοῦ παρ' ἀνδρὸς προσδέχου συμβουλίαν.
Σοφὴ σοφοῦ γὰρ γίγνεται συμβουλία.
Consultor ille sit tibi uir qui sapit:
Sapientis etenim consilia sapientia.

SENTENTIAE PHILOSOPHICAE.

Electio appetitio sit necesse est eorum quæ in nostra sunt potestate, cum antegressa est deliberatio. *l. 3. Eth. c. 3. Arist.*

Electio est illa quidem voluntaria: sed non idem quod voluntarium. *l. 3. Eth. c. 2.*

Electio in ijs consistit, quæ sub actionem cadunt: ijsque ipsis, quæ est in nobis positũ agere & non agere: itemq; sic, ac aliter: denique in quibus sumere est, propter quid. *lib. 1. Mag. Mor. cap. 17.*

Belluæ & pueri consilij non sunt participes, nec electionis. *lib. 3. Ethic. c. 2.*

Consilio contraria cupiditas est: cupiditas cupiditati non est. *ibid.*

Omnino ijs in rebus versatur consilium quæ sunt in nostra potestate. *ibid.*

Institutum ac consilium non est eorum quæ fieri nequeunt: quod si quis hæc se eligere dicat, insanus esse videatur. *ibid.*

Ex bonorum & malorum electione tales, hoc est, boni vel mali dicimur. *ibid.*

Institutum laudatur quod sit eius rei quæ magis honesta est, vel quod rectum sit. Atqui ea deligimus, quæ scimus optima. *ibid.*

Ex genere voluntariorum est electio; nec tamen quicquid voluntarium est, id etiam omne deligendum: sed cum antegressa est deliberatio. *ibid.*

Est actionis omnis principium electio, vt ex quo motio nascitur: non vt finis & extremum: Eligendi autem principium ab appetitione petendum est, eaque ratione quæ ad finem pertinet. *li. 6. Eth. c. 2. & l. 1. Magno. Mor. c. 1.*

Bonum consilium quiddam est rectum, non scientiæ quidem: nec opinionis: quoniam in scientia non spectatur quid rectum, cum ne peccatum quidem: & opinionis quod rectum est: appellatur veritas. *l. 6. Ethic. c. 9.*

Delectum quidem & electionem virtus rectam efficit: quod autẽ illius causa effici solet, hoc iam in virtute non est: sed in alia vi positum. *l. 6. Ethic. c. 12.*

Quæ sponte facimus, non omnia eligimus: quæ autem eligimus, omnia cognoscimus. Nemo enim ignorat quę eligit. *lib. 1. Rhetor. ad Theod. c. 10.*

Non mihi quidem recte dicere videntur ij, qui consilium siue electionem vel cupiditatem animi esse, aut iram, vel voluntatem, vel quandam opinionem. *l. 3. Ethic. c. 2.*

Illud quidem apparet institutum & consilium ex genere voluntariorum esse, nec tamen quicquid voluntarium est, id etiam omne deligendum est: sed cum antegressa est deliberatio. Nam cum ratione & mente coniunctum, omne consilium est: est enim *προαιρετόν* quasi *πρὸ ἑτέρων αἱρετόν*. *ibid.*

Quod eligendum est, id bonum est: quod potius eligendum est, id est, maius bonum. *l. 5. Eth. c. 3.*

Non omne quod ratione tractatur sub electionem cadit: sed id demũ quod rerũ agẽdarum extremum est. *de motu animalium. c. 4.*

Sine ratione consilium bonum stare non potest. *l.6. Ethic. c. 9.*

Electio appetitio est quam antegressa est deliberatio. *l.6. Eth. c. 2.*

Parua sunt arma foris, nisi sit consilium domi. *Cic. 1. de Off.*

Melius accurantur, quæ consilio geruntur, quam quæ sine consilio administrantur. *Cic. l. 1. Rhet. veterum.*

Suo quemque officio consulere oportet. *Idem l. 2.*

Dij non suos auxilio his, qui se inconsulto in periculum mittunt. *Idem l. 5. Rhet. nouorum.*

Consilio, non impetu opus est. *Q. Curtius de gestis Alexand. lib. 9.*

Neque cæcum ducem, neque amentem consultorem adhibeas. *Plut.*

Priusquam incipias, consulto: & vbi consulueris, mature facto opus est. *Salust. in Catilin.*

Malum est consilium, quod mutari non potest. *Aulus Gellius lib. 18. Noctium Atticarum.*

Consilium est, examinandarum gubernandarumque causarū subtilis animi prospectus. *Tul. 2. Rhet.*

Non viribus, non velocitatibus, aut celeritate corporum res magnæ geruntur, sed consilio antiquorum & scientia: quibus non orbari, sed etiam augeri solet senectus. *Idem lib. de Senect.*

Diu delibera, cito facito: nihil curare, hoc est inanum esse: nil posse, hoc est mortuum viuere. *Sen. in prou.*

Sepultus sit sermo apud te, quem tu solus audieris. Consilio melius vinces, quam iracundia. *Idem ibid. 1.*

Non minorem vtilitatem adferunt, qui Reipubl. præsunt, quam qui bellum gerunt; itaque eorum consilio sæpe, aut suscepta, aut confecta bella sunt. Quare expetenda magis est decernendi ratio, quam decertandi fortitudo; temere enim in acie versari, & manu cum hoste confligere, immane quiddam est, & belluarum simile. *Cic. 1. Off.*

Considerati hominis est, iure decertare, armis non contendere. *Idem pro Cæcin.*

Maximæ Respub. per adolescentulos labefactatæ, a senibus sustentatæ & restitutæ sunt. Cum enim ad gubernacula Reip. temerarij atque audaces homines accedunt, maxima ac miserrima naufragia fiunt. *Cato Maior.*

Nulla consilia meliora sunt, quam illa quæ ignorauerit aduersarius antequam facias. Quum igitur consilium tuum cognoueris aduersarijs proditum, dispositionē mutare te cōuenit. Quid fieri debeat, tractato cum multis: quid vero facturus sis, cū paucissimis ac fidelissimis, vel potius ipse tecum. *Veget. de re milit.*

A P O P H T H E G M A T A.

Phocion. Athenienses eum inuito Phocione bellum cum Antipatro suscepissent, eumque Athenas irruentem audissent, Phocioni detulerunt vt pacem cum Antipatro expostularet. At Phocion: Tunc ait, quum ociosis vobis consulebam, si mihi creditum esset, haud nunc profecto tumultuantes consuleretis, cui potissimum vos vestraque cedere deberetis. *Bruson. lib. 2. c. 33. ex Plut.*

Scipio Africanus, turpe esse aiebat, in re militari dicere, Non putabam. Videlicet quia explorato & excusso consilio, quæ ferro aguntur, administrari oportere arbitrabatur summa ratione. *Valer. Max. l. 7. c. 2.*

Demosthenes summus orator, Atheniensibus flagitantibus vt consuleret, obstitit, dicens, [Greek] t. Non sum coactus in ordinem: significans, se non saruire populi affectibus, sed suo arbitratu facere quod faciendum iudicasset. *P. M. 4. apoph.*

Idem, populus Atheniensium a Demosthene flagitabat, vt quendā accusaret: id cum recusaret: cœpit populus in illum, vt solet vociferari. Tum surgens: Vos me, viri Athenienses, consultorem habebitis vel inuiti: calumniatorem autem non habebitis, etiam si velint. *Plut.*

Themistocles in concione dixit, se reperisse consilium, quod summopere pertineret ad dignitatem Atheniensium: sed id eius esse generis, vt proferri non expediret, populus censuit, vt vni Aristidi indicaret. si is probaret, probaturos omnes. Cum igitur Themistocles indicasset Aristidi, se de incendenda Græcorum nauali statione cogitare (sic enim fore, vt Athenienses toti Græciæ dominarentur) Aristides ad populum progrediens, dixit: Themistoclis consilio nihil esse vtilius, sed eodem nihil inhonestius. Hac audita voce, populus vetuit, ne super ea re in posterum verba faceret Themistocles. Hic certe populus quiddam philosophicum præstitit, repudians vtilitatem cum turpitudine coniunctam: simulque declarauit, quanta sit spectatæ virtutis authoritas, qui non dubitarit Reip. fortunam vnius iudicio committere. *Plut. in Aristide.*

Liuius Salinator, in consilio primus rogatus sententiam, neminem fidelius dare posse consilium dixit, quam eum qui id alteri suaderet, quod ipse, si in eodem loco esset, facturus fuerit. *Liu. 4 lib. 7. Decad. 7.*

Lycurgus rogatus aliquando, quamobrem vetuisset frequenter aduersus eosdem expeditiones agere: Ne, inquit, dum crebro sese defendunt, bellandi peritiam illi colligant. Vnde & Agesilaus grauiter accusatus est, quod crebris in Bœotiam expeditionibus ac bellis Thebanos Lacedæmoniorum hostes ad repugnandum induxisset. Nam cum Antalcidas vidisset illum faucium, exprobrauit quod Thebanos præliandi artem docuisset, cum ante nec scirent bellare, nec vellent. Præclaram, inquit, doctrinæ tuæ mercedem habes, qui Thebanos nec animatos ad bellandum, nec exercitatos, vel inuitos consuefeceris, docuerisque bellum gerere. Hoc stratagema latius etiam patet, videlicet ne sæpius cum ijsdem litigemus aut contendamus, ne tandem assueti vel contemnant nos vel superent. *Plutarch. in Lacon.*

Diogenes probabat eos qui vxores ducturi, non ducerent, qui nauigaturi non nauigarent: qui pueros alituri, non alerent: qui ad Rempub. accessuri, non accederent: qui se ad conuiuendum cum potentibus componerent, nec tamen accederent, significans, ab ijs omnibus abstinendum: eoque prudentes videri, qui ad ea sollicitati tempestiue vertissent sententiam; quod semel aggressis non sit integrum mutare consilium, etiamsi pœniteat instituti. Qui duxit vxorem, iam sui iuris non est: qui se mari commisit, ventorum arbitrio feratur oportet, qui semel accessit ad Remp. scenæ seruiat oportet: & vt cupiat, tamen non est ad priuatam redire vitam. *Laert. lib. 6.*

Alphonsus, cum senex quidam, & natura & ætate audacior, ex patrum numero, eum argueret, quod contra patrum fere omnes sententias bellum capesseret: Respondit, Regum consiliarios aut reges esse, aut regum animos habere oportere. Plurima enim interdum consiliarijs & priuatis conuenire, quæ regem non decerent. Sic pecuniam cudere Parmenoni licuit, Alexandro vero non licuit. *Ant. Panor. lib. 1. de reb. Alphons. & Æn. Sylu. de eius dictis.*

Idem interrogatus, quibus consiliarijs maxime delectaretur? Libris respondit: a quibus sine metu, sine gratia, quæ nosse cuperet, fideliter audiret. *Panor. lib. 3. de reb. gest. Alphonsi.*

Idem, perabsurdum sibi videri dicebat, reges ab alijs regi, & duces ab alijs duci. Notauit autem principes & magnates, qui quū imperij & principatus titulos sibi vendicent, alieno tamen consilio regantur, etiam nolentes, quo fit, vt sæpenumero cum magno Reipublicæ incommodo alienis oculis videant, alienis auribus audiant, alienis linguis loquantur. Et sic nihil minus sunt quam imperatores, qui a consiliariorum arbitrio ita pendent, vt plane horum sint mancipia. *Panormit. lib. 2. de rebus gest. Alphonsi.*

Idem, Cathalanis optimum factu fore censentibus, si Alphonso adhuc adolescentulo septem viri ad gubernandas Respublicas adiungerentur, qui Deum timerent, iustitiam colerent, cupiditates tenerent suo freno, neque donis, neque muneribus tangerentur: Alphonsum laudasse consilium, atque ita respondisse ferunt: Si horum non dico septem, sed vnum tantum dederitis, continuo illi & regimen & regnum ipsum facile concessero. Pulchre autem innuit, paucos bonos regum esse consiliarios. *ibid.*

Homerus optare solebat potius malum principem, qui bonos haberet consiliarios ac amicos: quam bonum, qui malus haberet, quibus rerum administrationem committeret. Putabat enim facilius fore, vt a multis bonis vnus malus ad saniora duceretur, quam ab vno bono multi a malitia auerterentur. *Fulgos. lib. 7. c. 2.*

Idem, cum a Traiano Romanorum Imperatore audiuisset, Domitianum pessimum fuisse Imperatorem, amicos tamen optimos habuisse: atque illum magis odio fuisse, qui Rempublicam peioris vitæ hominibus commendasset: dixisse fertur, Melius erat vnum malum pati, quam multos. Multi enim mali non possunt ab vno, quamuis bono, vlla ratione superari. *Ælius Lamprid. in Alexandro.*

Marius Maximus meliorem esse Rempublicam & prope tutiorem referebat, in qua princeps malus esset, quam in qua amici principis praui existerent. Quandoquidem vnus malus possit a pluribus bonis corrigi, multi autem ab vno nequaquam. *Cuspinianus in Consul. vit.*

Agesilaus. Cum vita defunctus esset Lysander, Agesilaus numerosam sodalitatem aggregatam comperit, quam ille ex Asia domum reuersus, illam aduersus Agesilaum instituerat. Id indigne ferens Agesilaus, destinabat omnibus palam facere, cuiusmodi ciuis fuisset Lysander dum viueret, ac prælecta quadam oratione, quam Lysander in libro descriptam reliquerat, compositam quidem a Creonte Halicarnasseo, sed in hoc vt hanc Lysander ediscerent, atque apud popularem multitudinem recitaret, (tractabat autem oratio de nouandis rebus, deque mutando Reip. statu) hanc quoniam arguebat Lysandrum fuisse ciuē perniciosum, ac seditionis auidum, Agesilaus voluit euulgare. Cæterum vbi senex quidam Ephorus orationem perlegisset, metuens dictionis grauitatem ac vehementiam, ne lecta alios quoque multos ad rerum nouarum studium excitaret: consuluit Agesilao, ne Lysandrum sepultum refoderet, sed orationem premeret. Senis consilio paruit, & a cœptis conquieuit Agesilaus: doctus non solum obtemperare publicis legibus ac magistra-

stra.u

stratui, verumetiam priuato senioris consilio. Vir excelsi animi, plus apud se valere voluit publicam vtilitatem, quam priuatū odium, simulque perspexit, indecorum esse, simultatem exercere cum sepulto. Hac moderatione vsus est aduersus manifestum inimicum. *Plut.*

Paulus Æmilius sæpenumero dicebat, Imperatorem si minus ætate certe moribus senem esse oportere: sentiens, non esse præcipitanda consilia, quod solent iuuenes, sed moribus vtendum senilibus. *P. M.*

Sertorius, cum Pompeij milites dispersos superasset, multis occisis, audissetque aduentare Metellum cum alijs copijs, diremit prælium, reuocatisq; suis dixit: Ego puerum hunc, nisi superuenisset anus illa, verberibus castigatum, domum remisissem: Pompeiū pueri nomine signans, Metellum vetulæ anus. *Plut. in Sert.*

Bias interrogatus, quis esset optimus consiliarius? Tempus, inquit. *Stob.*

Solon. Consule (inquiebat) non quæ iucundissima, sed quæ sunt optima. *Idem.*

Antigonus. Zenone defuncto, quem vnum ex philosophis maxime suspiciebat, dicere solebat, gestorum suorum theatrum esse sublatum, quod ad illius viri iudicium potissimum componeret suas actiones, quem vnum pro multis hominum millibus habebat. *Plut. in apoph.*

Euripidis dictum memorabile celebratur: Vnicum consilium rectū magnam militum manum vincere. Quo prudenter admonuit, non perinde referre, quam numerosum educas exercitum, sed quantum belli rectores polleant consilio. In bello siquidē plus habere momenti prudens consilium, & solertia, quam vires cōsilij expertes. *P. M. lib. 6. apoph.*

Antigonus filio Philippo multis præsentibus percontanti, ac dicenti: Quando castra mouebimus? Quid, inquit, num metuis, ne solus tubam non audias? Notans adolescentis imperitiam, qui hoc patrem multis præsentibus interrogaret, quum in bello celanda sint principum consilia: sed quoties castra mouenda sunt, omnibus tuba dat signum. *Plut. in apoph. Cal. Rhod. l. 13. c. 5.*

Simile fere dictum legimus *Metelli Macedonici*, qui cum omnia proprio & subito consilio ageret: amico cuidam roganti, quidnam acturus esset? Tunicam, inquit, meam exuerem, si eam cōsilium meum scire existimarem. *Pion. c. 61. de viris illustr. Plutarch.*

S i m i l i t u d i n e s.

Antonij Monachi. Qualis ciuitas est, cuius diruta sunt mœnia: Talis est vir, qui non omnia cum consilio agit. *in Melissa par. 1. serm. 31. ex Salom.*

Plutarchus. Velut si quis laborat hepatis vitio, medico ostendat vngues exulceratos, inepte faciat: Ita qui grauibus laborans malis, de nugis consulat amicum. *In Moral.*

Aristoteles. Oua quædam Hyponemia, hoc est, subuentanea vocāt: dicuntur & Zephyria, quæ vento concipiuntur. Sic euanidum est, quicquid imaginationis non certo iudicio instituitur. *lib. 6. c. 2. de nat. animal. & Plin. lib. 10. c. 38.*

P. M. Vt Apion Homerum ab inferis euocatum, nihil aliud interrogauit, quam quibus parentibus genitus esset: Sic quidam grauissimorum virorum consilio conuocato, de meris nugis consuluut. *In Simil.*

Vt lamiæ, domi cæcutientes, foris nihil non vident: Ita quidam in alienis negocijs plus satis oculati, in suis parum perspiciūt. *ibid.*

Ex omni genere curiositas hominum signa collegit instantis tempestatis. At multo magis conueniebat hac vti diligentia in consultationibus, vt obseruatis experimentis conijciant, quid malorum ex vnoquoque perperam instituto consequatur. *In Simil.*

Si fœmina inter aues saliat fœminam: nascuntur quidem oua, sed ex quibus nihil nascitur: Ita consilium quod animo conceperis, non accedente ratione, friuolum est & inutile. *In Simil.*

Sunt qui propius admota non cernunt, quæ longius absunt, vidēt: Ita nonnulli plus sapiunt in rebus alienis, quam in his quæ ad se pertinent. *In Simil.*

Sicut Aquilo, initio vehemens, desinit lenior: contra, Auster initio lenior, desinit vehementior: Ita qui præcipites magno impetu rem aggrediuntur, frigescunt in processu: contra, qui consilio suscipit, magis ac magis accenditur operis progressu. *In Simileb.*

Plinij. Vt sæpenumero polypus dum conchæ carnem captat, ipse capitur ac tenetur: Ita sæpius dum alijs nocere studemus, nos ipsos in periculum adducimus. *lib. 9. c. 29.*

Vt Perillus, qui Phalaridi taurum donauit æneum, suo perijt inuēto: Sic aliquoties malum consilium in caput authoris redundat. *lib. 34. c. 8.*

Plutarchus. Ibin aiunt, vbi consenuit, iamque quod erat turbidum expirauit, magis aromatice olere: Sic gloria senum trāquillior, & consilia sedatiora. *In Simileb.*

A p o p h t h e g m a t a.

Res sacra consultor. Σύμβουλος ἱερὸν χρῆμα.

Sensus est adagionis plurimum vtilitatis afferre bene consulentem, aut religiose ac pure dandum consilium ijs, quibus est opus.

Suadeo quod ipse facturus essem.

Polyanthea Nouiss.

Quum alteri damus consilium, quo non grauemur ipsi vti in simili causa, conuenit illud Calypsus, Odyss. 5.

> Ἀλλὰ τὰ μὲν νοέω καὶ φράσσομαι, ἅσσ' ἂν ἐμοί περ
> Αὐτῇ μηδοίμην, ὅτε με χρειὼ τόσον ἵκοι.
> *Sensu. Suadebo tibi quibus haud grauer vti*
> *Ipsa mihi similis si quando occurreret vsus.*

Consilium in melius commutandum.

Si quando iubebimus mutare consilium, vtpote fœdum ac iniustum aut reprehendemus quippiam vecuconsultè factum, sūquā vsui nō fuerit illud.

> Τίς νύ τοι ἀθανάτων μεσόδμῃ βουλήν
> Ἐν στήθεσσιν ἔθηκε, καὶ ἐξέλετο φρένας ἐσθλάς.
> *Quis tibi consilium submisit inutile tandem*
> *Diuorum, sanamque exemit pectore mentem?*

E x e m p l a B i b l i c a.

Consilij boni *exempla*: Abraham, *Gen.* 13. v. 9. Loth, 19. v. 14. Rebecca, 27. v. 43. Ruben, 37. v. 21. Ioseph, 41. v. 35. & 46. v. 33. 34. Serui Pharaonis, *Exod.* 10. v. 7. Iethro, 18. v. 19. Moises, *Num.* 14. *vers.* 41. 42. Rahab, *Ios.* 2. v. 16. Israelitæ, *Iudic.* 20. v. 13. Ruth, *Ruth* 2. v. 2. & 3. v. 1. Heli, 1. *Sam.* 3. v. 9. Samuel, 12. v. 14. 20. Saul, 15. *vers.* 6. Ioab, 2. *Sam.* 19. v. 7. Mulier prudens, 2. *Sam.* 20. v. 22. Ioab, 24. *vers.* 35. *Paral.* 21. v. 3. Nathan, 3. *Reg.* 1. v. 12. 13. Seniores, 12. v. 7. Puella captiua, 2. *Reg.* 5. v. 3. Naaman serui, v. 12. Elisæus, 6. *ver.* 9. Seruus, 7. v. 13. Godolias, 25. v. 24. *Ierem.* 40. *ver.* 9. Iosaphat, 2. *Paralip.* 20. v. 20. Ioiada, 23. v. 4. Homo Dei, 25. *ver.* 7. Obed, 28. v. 9. Ezechias, 30. v. 6. Nechau rex Aegypti, 35. v. 21. Esdras, 1. *Esd.* 10. v. 11. Nehemias, *Nehem.* 2. v. 17. & 5. v. 10. 11. Mardochæus, *Est.* 4. v. 14. Elnathan, Dalaias, & Gamarias, *Ierem.* 36. v. 25. Ieremias, 38. *ver.* 17. 20. & 42. v. 10. Principes exercitus, v. 14. Daniel, *Daniel.* 4. *ver.* 24. Michæas, *Mich.* 6. v. 8. Pilati vxor, *Matth.* 26. v. 19. Christus, *Luc.* 3. v. 11. & 12. v. 58. Christi mater, *Ioan.* 2. v. 5. Petrus, *Actor.* 2. v. 38. & 9. v. 34. Apostoli, 6. v. 3. Discipuli, v. 38. & 21. v. 22. & 27. *ver.* 10. 22. 31. Paulus & Silas, 16. v. 31. & 20. v. 3. & 27. v. 10. 22. 31. Paulus, *Roman.* 13. v. 3. 1. *Cor.* 7. v. 5. 2. *Cor.* 8. *vers.* 10.

Causa mali *exempla*: Eua, *Genes.* 3. v. 6. Sarai, 16. v. 2. Filia maior Loth, 19. v. 31. Fratres Ioseph, 37. v. 20. Vxor Potiphar, 39. v. 7. Pharao, *Exod.* 1. v. 10. Israelitæ, 32. v. 1. *Actor.* 7. v. 40. Balaam, *Num.* 24. *vers.* 14. & 31. v. 16. Serui Dauidis, 1. *Sam.* 24. *vers.* 5. Principes filiorum Ammon, 2. *Sam.* 10. v. 3. 1. *Paralip.* 19. v. 3. Ionadab, 2. *Sam.* 13. v. 5. Achitophel, 16. v. 21. Iuuenes consiliarij Roboam, 1. *Reg.* 12. *ver.* 10. Ieroboam, 1. *Reg.* 18. v. 27. 28. & 14. v. 2. Regis Syriæ serui, 20. v. 24. Iezabel, 21. v. 7. 10. Nuncius Achab, 22. v. 13. 2. *Paralip.* 18. v. 12. Rabsaces, 2. *Reg.* 18. v. 31. 32. Dauid, 1. *Paralep.* 21. v. 2. Athalia, 2. *Paral.* 21. v. 3. 4. Semaia, *Nehem.* 6. v. 10. Zares vxor Aman, *Esth.* 5. v. 14. Vxor Iob, *Iob* 2. v. 9. Principes regis Sedechiæ, *Ier.* 38. v. 4. Principes Darij, *Dan.* 6. v. 7. Filia Herodiadis, *Matt.* 14. v. 8. *Marc.* 6. v. 25. Petrus, *Matth.* 16. v. 22. Principes Sacerdotum, & Seniores populi, 26. v. 4. & 27. v. 1. *Ioan.* 11. v. 47. & 12. v. 10. 40. 40. Pontifices, *Mar.* 15. v. 11. Diabolus, *Luc.* 4. v. 3. Coloni, 20. *ver.* 14. Caiphas, *Ioan.* 11. v. 49. 50. 51. Iudæi, *Act.* 13. v. 50. & 23. v. 15. Milites, 27. v. 42. Consilij astuti *exempla*: Rebecca, *Gen.* 27. v. 9. 10. Gabaonitæ, *Ios.* 9. v. 3. 4. Maiores natu inter Israelitas, *Iud.* 21. v. 20. Manuchan, *Esth.* 1. v. 19. Pharisæi, *Luc.* 13. v. 31. Discipuli, *Act.* 21. *ver.* 4. Fideles, v. 12. Consilij carnalis *exempla*: Petrus, *Matth.* 15. v. 22. & 17. v. 4. *Marc.* 9. v. 5. *Luc.* 9. *ver.* 33. Mater filiorum Zebedæi, *Matth.* 20. v. 21. Iacobus & Ioannes, *Luc.* 9. v. 57. Fratres Christi, *Ioan.* 7. v. 3. Discipuli, 11. v. 8. Caiphas, v. 50. & 18. v. 14. Gamaliel, *Act.* 5. v. 35. Consilij mutati *exempla*: Iudas, *Gen.* 37. v. 26. Nathan, 2. *Paral.* 17. v. 2. 4. 3. Inferiorum consilia non sunt contemnenda. *Exēpla*: Vxoris Naaman pedissequa, 2. *Reg.* 5. v. 3. Serui Naaman, v. 13. Abigail, 1. *Sam.* 25. v. 25. Ioab, 1. *Paral.* 21. v. 3.

H i s t o r i c a E x e m p l a.

Nero Romanorum Imp. Natura crudelis, consiliariorum suorum insuper instinctu, multa contra dignitatē fecit, cum crebro ab illis audiret: tu hæc pateris? tu hos sines? ignoras te Cæsarē esse? teque illorū potestatem habere, non illos tui? *Xiphilin. ex Nerone.*

Diodorus Mercurium scribit fuisse Isidi & Osiridi in consilio: cumq; in expeditionem Osiris iret, Mercurium seu consiliarium Isidis coniugis domi reliquisse: hominemque fuisse insigni prudentia: multasque tradidisse mortalibus artes ac scientias. *Lud. Viues lib. 8. Aug. de ciuit. Dei. c. 26.*

Sigebertus Occidentalium Saxonum in Anglia rex, cum suos non libenter audiret consiliarios, vnum ex ijs Cumbranum interfecit. Qua re indignati reliqui, facta coniuratione, cum primo imperij anno regno deturbarunt. Tum Sigebertus sese in loca syluestria abdidit, & ibi a vilissimo Cumbrani seruo, qui porcos pascebat, trucidatus est. *Polyd. lib. 4.*

Baiazethes VI. Turcorum rex, adeo præfractus & temerarius erat, vt neminem monentem sequeretur, sed sibi soli consideret, quando eundum erat in hostes. *Chalcondylas lib. 3.*

Iustinianus II. Imperat. sexdecim natus annos, imperium adeptus,

propriis consilijs vsus: maxima incommoda Romano nomini attulit. *Cuspinianus.*

Lacones, si quando stratagemate, hoc est, callido consilio superassēt hostem, Marti bouem immolabant: sin aperto prælio gallū: hoc pacto consuefacientes belli duces, vt non solum fortes essent ad prælium, verum etiam callidis consilijs aduersus hostem instructi. Præclarius enim existimabant, hostem ingenio citra sanguinem deijcere, quam pugnæ plerumque vtrinque cruenta. *Plut. in Lacon.*

Antoninus Pius, nihil solitus est agere in bellicis negocijs, aut in ciuilibus, de quo non prius conferret cum grauibus viris, dicens: Aequius est vt ego tot taliumque amicorum consilium sequar, quam vt tot talesque amici meam vnius sequantur voluntatem. *Iul. Capitol.*

Qui Scipionis gloriæ inuidebant, dicere solebant, illum esse egregiorum facinorum histrionem, Lælium vero collegam illius gestorem. Alludentes huc, quod alius est actor fabulæ, alius author. Sentiebant, Scipionem præclaras res gerere, sed Lælij consilijs. *P. M. lib. 6. apoph.*

Fertur hoc Chilonis nomine, In via non properandum. Ex incessu colligitur animus: præceps arguit præcipitem, nimium lentus ignauum. Decet autem in publico compositis esse moribus. Fortasse deterruit a præcipiti consilio. *Laert.*

Athenienses, cum aduersus Alexandrum feliciter pugnassent, ac dijs iam gratias agerent, rogatus Phocion, an hæc ita gesta nollet? Hæc quidem, inquit, gesta vellem, sed illa decreta. Sentiens, etiā inconsulta consilia nonnunquam feliciter cedere, id quoties accidit, gratulandū quidē esse Reip. non tamen ideo non semper vtendū optimis consilijs. Fortassis & illud sensit Phocion, nō esse protinus fidendum primis successibus, sed totius negocij euentum declaraturum, quale fuisset ipsius consilium. *Plut. in apoph.*

Rumor incerto authore obortus erat de morte Alexandri, moxque rhetores prosiliebant, hortantes, ne cunctarentur, sed illico bellum susciperent. Phocion expectare iussit, donec certius aliquid cognosceretur. Nam si, inquit, hodie mortuus est, & cras & perendie mortuus erit. Grauiter oratorum præcipitem temeritatem coercuit. *ibid.*

Artabanus. Xerxi expeditionem in Græciam paranti, ait, Iterum atque iterum, dum tibi videbitur, re apud teipsum probe considerata, edicito quod optimum arbitraberis. Bene enim & præmeditate, consultare comperio maximum esse lucrum. Nam etsi quid e contrario euenturum est, nihil tamen minus bene cōsultum est, superatque fortuna consilium. *Brus. lib. 2. c. 15.*

Democritus Ætolus nullam rem esse tam inimicam consilijs dicebat, quam celeritatem. Præcipitata enim consilia si in transuersum agantur, nulla reuocari pœnitentia possunt in melius. *Brus. lib. 1. c. 15 ex Liuio.*

Iulius Cæsar ea facinora plurimum probare solitus erat, quæ sine longo consilio & consultatione prolixa gererentur. *Plut.*

August. Cæs. dicebat, se Romanis eum imperij successorem relicturum, qui nunquam eadem de re bis consultasset. de Tiberio loquens, quem consilijs plurimum valuisse prætentibus feruut. *Plut. in apoph.*

Fridericus Cæsar. consiliarijs suis in curiam vocatis, Vtinam, inquit, consiliarij mei in palatij vestibulo duas res deponerent. Sic enim & ipsi recte consulerent, & mihi etiam inter consilia dijudicare facillimum esset. Interrogatus autem, quaenam res illæ essent, Simulatio & dissimulatio, respondit. Docuit autem, principes commodis publicis non recte consulere posse, propter consiliariorum priuatos affectus. *Æn. Sylu. lib. 3. comment. de reb. gest. Alphonsi regis.*

Idem. Ladislaum Hungariæ ac Bohemiæ regem adhuc puerum, cū educaret, sanguine sibi coniunctum, non defuerunt ex consiliarijs, qui puerum clam perdendum Cæsari persuaderent, cuius mors opes maximas, plurimaque regna allatura esset. At Imperator: Quid si (inquit) quodme diuitem potius quam pium erga meos esse cupitis? Ego sane diuitias non ita amo, vt impijs consilijs persuasus, propter eas indignum facinus perpetrare velim. Quo dictu docere voluit, consilium pessimum, cumque crudelitate coniunctum, a principibus reijciendum esse, nihilque consiliariorum persuasione faciendum, quod principis maiestatem lædere, eiusque nomen bonamque famam obscurare apud subditos possit. *Æn. Syl. lib. 3. comment. de reb. gest. Alphonsi.*

HIEROGLYPHICA.

Bulla quadam cordis figuram habens pueritis ingenuitatis insigne fuit apud veteres. Ea enim figura admonitos volebant pueros, vt frugalia semper consilia secuti, *corde* præstare conarentur. *Cordatum* enim veteres pro solerti & acuto dicebant. Et animæ partem rationis participem, *Cor* appellari solere dicit Adamantius. *Cor* igitur *Consilij* hieroglyphicum esse, ex hisce satis manifestum est *Pier. Val. l. 34 pag. 316. E.* De bulla illa vide eundem *Pierium in hieroglyphicorum lib. 41. pag. 395. B.*

Veteres cum *Consilia & cogitationes occultas* esse debere significare volebant, *Plutonem* pingebant *galeatum, & Proserpinam rapientem:* tum quod subterranea, quorum Deus dicitur *Pluto*, lateant absconditaque sint: tum quia raptus clam fiunt, tum denique, quod cum in capite consilij sedes esse putetur, galea illud tegens apte consiliorum occultationem significet. Eruditus quidam *lib. 1. Hieroglyph.*

EMBLEMATA.

Consiliarij Principum.

Andreæ Alciati.

Emblema CXLV.

Heroum genitor, & magnus fertur Achillem
In stabulis Chiron erudiisse suis.
Semiferum doctorem, & semiuirum Centaurum
Assidue quisquis Regibus esse decet.
Est fera, dum violat socios, dum proterit hostes:
Estque homo, dum simulat se populo esse pium.

Consilio & virtute Chimæram superari, hoc est, fortiores & deceptores.

Emblema XIV.

Bellerophon vt fortis eques superare Chimæram
Et Lycij potuit sternere monstra soli:
Sic tu Pegaseis vectus petis æthera pennis,
Consilioque animi monstra superba domas.

Non vulganda consilia.

Emblema XII.

Limine quod cæco obscura & caligine monstrum,
Gnosiacis clausit Dædalus in latebris.
Depictum Romana phalanx in prælia gestat,
Semiuirique tenent signa superba bouis:
Nosque monent, ducis ducum secreta latere
Consilia, auctoris cognita tesbna noces.

Parem delinquentis & suasoris culpam esse.

Emblema CLXXIII.

Præconem lituo perflantem classica, victrix
Captiuum in tetro carcere turba tenet.
Qui sese excusat, quod nec sit strenuus armis,
Vllius aut ferro læserit ensis latus.
Huic illi: Quin ipse magis timidissime peccas,
Qui clangore alios ais in arma cies.

FABVLAE SEV APOLOGI.

Hirundo & Auiculæ.

Cum linum sereretur, monuit reliquas auiculas hirundo, secum vt eruerent semina, de quibus relictis exoritura esset herba nocentissima auium generi. Sed hoc illis cum non probaret, rursum enatam primum & teneram herbam vt euellerent hortatur. Cū vero neque hoc facere vellent, ipsa de siluis & solitudinibus, ad hominum consuetudinem & in oppida se contulit. Paulo post maturum linum carpitur, & retia nectuntur, & capiuntur auiculæ, sero deplorantes neglectionem salutaris consilij.

Fabula ostendit, verum esse quod dici solet, qui consilium bonum respuat, eum accersere sibi perniciem.

Vulpes & Formica.

Quærens materiam vulpes ad domum extruendam, vbi habitaret in luce & aperto aere, redarguitur a formica, quæ quidem persuasit esse iucundum aspectum lucis, fateretur, sed vulpi tamen cogitandum quid ageret, quæ esset in tanto odio rusticorum propter rapinas, & cuius pelles magnopere ad vestitus hiemales expeterentur.

Fabula docet, nullam rem inconsulte aggrediendam esse.

Vulpecula.

Elapsa vulpes de laqueo, sed mutila, nam caudam amiserat, non viuendum in tanta deformitate sibi esse existimans, cæpit in commune suadere omnibus, vt & ipsæ præcidi caudas sibi paterentur: cupiebat enim in turba & societate turpitudinis suum vitiū quasi occultare. Quid enim, inquit, has & indecoras & superuacaneum onus gestamus, vel potius attrahentes defatigamur. Aut cuinam obsecro, rei vtiles sunt, nisi forte verrendum solum conducimus? Parantem dicere plura, vna de multitudine iuuencula fertur interpellasse his verbis: Heus tu, mea matercula, num hoc fueras suasura etiam, si non tibi emolumento futurum esse sperares.

Significat hæc fabula, neque aliorum commoda deliberationibus malorum proposita esse, neque libenter homines ea consilia admittere, quæ non eorum quibus dantur, commoda spectare atq; procurare videantur.

SCRIPTORES.

De non temere iudicando. *Aurel. August. Epist. 137. Tom. 2. operum eius.* Consilium *Octauian. Mirandula. S. pater Maximus Confessor in apoph. Hieron. Pad. 5. 24. Iudex in mouerum P. M. secundum locos communes. p. r. 2 c. 42. Manip Flosum, Vincen. Bell. 3. 44.* Consilia, *Brus. lib. 2. 15.* De consultatione, *lib. 1. 10. Ludou. Viues.* De consilio & inconsulto, *Ant. Mouds Moliss. 1. 10.* De consultore & eius admittentibus & contra, *ibid. 2. 59.* De consulendo *Demodocus Platonis dialogus nothus.*

In

In singulis expertum consule, *Marsilius* 4.14. Consilij rationem esse præstantissimam: Eubulia, id est, bona consultatio, quid sit: Eustochi collimatio, collineatio, *Cælius* 11.9. De consilio & qđ non præcurrere debeat, *Petrus Laquerius ex Cis.* Consultare in conniuio, non minus Græcanicum quam Persicum. *Plut. Sympos.* 7.9. *Aristot.* id *sua* 7.10.

CONSOLATIO.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Consolatio, Græce παράκλησις, εως, ἡ, & παράκλητος, ὁ consolator dicitur. Compositum ex con & solor, quod est quasi solidum redintegro: a quo solatium & solamen, quo poetæ frequenter vtuntur. Virgilius: *Solamenque mali de collo fistula pendet.* Solamen a consolatione quidam sic distinguunt: quod Solamen rei sit, consolatio verbi. Vnde carmen consolatorium dicimus.

Consolatio, παραμυθία, Leuamen, doloris leuatio, Hebr. *Nechum*, à *Nicham*, consolatus est. Conuenit cum verbo *Chamam*, incaluit: nam in consolationibus inflammationes quædam viscerum sentiuntur.

Loci Biblici.

Consolatio, pars prophetiæ, 1. *Cor.* 14.3. Consolatio vera, in Ecclesia quærenda. *Esa.* 66.11. Consolatio æterna a Deo fidelibus data, 2. *Thess.* 2.16. Consolatio mutua pijs necessaria, 1. *Thess.* 4.18. & 5.11. *Hebr.* 10.25. Consolatio in rebus aduersis, *Matth.* v.3.10. 24 2. *Cor.* 4. *ver.* 8.9 Ex Dei verbo petenda, *Esa.* 50.11. *Rom.* 15.4. 1 *Thess* 4.18 *Hebr.* 6.18. Consolatio vita per Christum, 2. *Cor.* 1.5. *Phil.* 2.1. Consolatio erga pusillanimes, 1 *Thess* 5.14. Consolatio omnibus sperantibus in Deum, *Psal.* 31.25. Consolatio fidelibus proposita, 1. *Ioan.* 3. v. 1.13.

Sententiae Biblicae.

Consolatio Diuina.

Consolamini, consolamini popule meus. *Esa.* 40.

Ego ego ipse consolabor vos. 51.

Et conuertam luctum eorum in gaudium, & consolabor eos, lætificabo a dolore suo. *Ier.* 31.

Bonus Dominus & confortans in die tribulationis. *Nahum.* 1.

Fidelis autem Deus est, qui nō patietur vos tentari, supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione prouentum, vt possitis sufficere. 1 *Cor.* 10.

Benedictus Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui cōsolatur nos omni tribulatione nostra. 1. *Cor.* 1.

Quoniam sicut abundāt passiones Christi in nobis, ita & per Christum abundat consolatio nostra: sicut socij passionum estis, sic eritis & consolationis. *ibid.*

In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur. 4.

Foris pugnæ, intus timores: sed qui cōsolatur humiles, consolatus est & nos. 7.

Noli timere, sed loquere, & (inquit Dominus per visionem nocte Paulo cum prædicaret Corinthi) ne taceas, propterea quod ego sum tecum, & nemo opponetur tibi, vt noceat. *Act.* 18.

Consolatio humana.

Consolatores onerosi omnes estis. *Iob* 26.

Consolarer & ego vos sermonibus, & mouerem caput meum super vos. *ibid.*

Vt possimus & ipsi consolari vos, qui in omni pressura estis. 2. *Corinth* 1.

Consolamini pusillanimes. 1. *Thess.* 5.

Dixi ego in corde meo: Vadam & affluam delicijs, & fruar bonis. Et vidi quod hoc quoque esset vanitas. *Eccl.* 1.

Patrum Sententiae.

Hoc est quod nos & lætificat in omnibus laboribus & periculis vitæ huius: amor noster in Deum, & pium studium, & certa spes, & feruor spiritus. *Aug. sup. Ioannem.*

Si paupertas angit, si luctus mœstificat, si dolor corporis inquietat, si vlla calamitas vexat, adsunt boni homines, qui non solum gaudere cum gaudentibus, sed flere cum flentibus norunt, leniuntur aspera, releuantur grauia, & superantur aduersa. *Idem ibid.*

Consolatio mitis debet esse, non aspera, quæ magis dolorem leniat, fauorem mitiget, quam commotionem excitet. *Ambr. in lib. de Iosepho.*

Paupertatem times sed bonos pauperes Christus appellat. Labore terreris, nemo athleta sine sudoribus coronatur. De cibo cogitas, sed fides famem non timet. Deus ipse omnium rector ac Dominus cum omni Angelorum militia certamen tuum expectat: tibi contra Diabolum dimicanti parat æternitatis coronā. *Hier. in epist.*

Non plangam cum Iacob & Dauid filios in lege morituros, sed cum Christo in Euangelio suscipiam resurgentes, Iudæorum luctus, Christianorum gaudium. Vnde Moyses moriens plangitur: Iesus absque funere & lachrymis in monte non sepelitur. Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. *Idem ad Heliodorum.*

Quum volumus afflictum quempiam a mœrore suspendere, ordo consolationis est, vt studeamus prius mærendo eius luctui concordare. Dolentem non potest consolari, qui non concordat dolori: quia eo ipso quod a mœrentis afflictione discrepat, minus ab illo recipitur, cui mentis qualitate separatur. Sed emolliri prius debet animus, vt afflicto congruat: congruēs inhæreat: inhærens trahat: nec ferrum ferro coniungitur, si non vtrinque exustione ignis liquetur. Durum molli non adhæret, nisi prius eius durities mollescat. Sic nec iacentem erigimus, nisi a rigore nostri status inclinemur, quia dum rectitudo dantis a iacente discrepat, eum, cui condescendere negligit, nequaquam leuari. *Gregor. in moral.*

Magna consolatio tribulationum est, Autoris nostri dona ad memoriam reuocare. *ibid.*

Magna est consolatio in eo quod displicet, quod ordinante illo erga nos agitur, cui non nisi iustum placet. *ibid.*

Festina consolatio bonorum consideratus finis malorum, dū enim ex eorum interitu malum conspiciunt quod euadunt, leue æstimant quicquid aduersum in hac vita patiuntur. *ibid.*

Facilior erit consolatio, si inter flagella quæ patimur, quæ fecimus ad memoriam delicta reuocamus, atque hæc iam non flagella, sed dona esse conspicimus, si quæ carnis delectatione peccamus, carnis dolore purgamus. *Idem in Registro.*

Poeticae Sententiae.

Simonides.

Τοῦ μὲν θανόντος οὐκ ἂν ἐνθυμοίμεθα,
Εἴ τι φρονοῖμεν πλεῖον ἡμέρας μιᾶς.
De homine defuncto non cogitabimus.
Si quid sapiemus, amplius vno die.

Menander.

Ἐπὶ τοῦτ' ἐγένοντο πάντες ἔνθα λήξομεν,
Ἀνθρωπίνας χρὴ τὰς τύχας φέρειν ξένε.
Τὰ κοινὰ κοινῶς δεῖ φέρειν συμπτώματα.
Omnes illuc peruenerunt, vbi nos desinemus,
Ferenda est fortuna humaniter, o hospes,
Communes euentus ferre communiter oportet.

Euripides in Inone.

Γίγνωσκε τἀνθρώπεια μηδ' ὑπὲρ μέτρον
Ἄλγει κακοῖς γὰρ οὐ σὺ πρόσκεισαι μόνη.
Agnosce res humanas, neque supra modum
Dole, non sola enim malis affligeris.

Idem Protesilao.

Πέπονθεν οἷα χρή σε καὶ πάντας μένει.
Hoc ei accidit, quod etiam tibi, & omnibus euenturum est.

Theognides Poeta.

Τόλμα θυμὲ κακοῖσιν ὅμως ἄτλητα πεπονθώς,
Δειλῶν τοι κραδίη γίνεται ὀξυτέρη.
Μηδὲ σύ γ' ἀπρήκτοισιν ἐπ' ἔργμασιν ἄλγος ἀέξων,
Ἄχθεο μηδ' αἴσχυνε φίλους, εὐφραίνε δὲ δυσμενεῖς.
Μηδ' ἐχθροὺς [illegible] δῶρα.
Οὐκ ἂν ῥηιδίως θνητὸς ἀνὴρ προφύγοι.
Sustineto animam in malis quamuis intolerabilia passus,
Timidorum sane cor magis est praeceps, ac impatiens.
Neque vanis neque aduersis tibi augens,
Odio, aut molestia, afficiaris, neque amicos tristitia,
Neque inimicos gaudio perfundas. Deorum enim fatalia dona sunt,
Quæ mortalis homo non facile effugerit.

Philetas in Pægnijs, id est, iocis.

Ἐκ θυμοῦ κλαίουσα μέγα [illegible] πρόσθεν
Εἰπεῖν [illegible] ἐόντες ὅμως.
Ex animo lugeas omnino mediocriter. & aliquid iucundi
Dicas, multo factus immemor defuncti.

Euripid. in Alexand.

Παλαιὰ καινοῖς δακρύοις οὐκ ἄξιον στένειν.
Casus veteres non deplorandi sunt nouis lachrymis.

Philetas in Epigrammatibus.

Οὐ κλαίω ξείνων σε φίλτατε πολλὰ γὰρ ἔγνως
Καλὰ, κακῶν δ' αὖ σοι μοῖραν ἔνειμε θεός.
Non lugeo te charissime hospes, multa enim percepisti
Bona, mala vero maiorem tibi sortem Deus dedit.

Sophocles in Scythis.

Ἀλλ' εἰ μὲν ἦν κλαίουσιν ἰᾶσθαι κακὰ,
Καὶ τὸν θανόντα δακρύοις ἀνιστάναι,
Ὁ χρυσὸς ἧσσον κτῆμα τοῦ κλαίειν ἂν ἦν.
Νῦν δ' ὦ γεραιὲ ταῦτ' ἀνήνυτον ἔχει,
Τὸν μὲν τάφῳ κρυφθέντα πρὸς τὸ φῶς ἄγειν.
Καὶ μοὶ γὰρ ἂν πατὴρ τὰ δακρύων χάριν
Ἀνῆκτ' ἂν εἰς φῶς.
Quod si posses lugendo mederi malis,

Et mortuum lachrymis reuocare,
Aurum sane vilius foret fletu.
Nunc autem, ô senex, fieri nequaquam potest,
Vt qui sepulchro conditus, in lucem reducatur.
Nam & mihi pater, si quid lachryma proficerent,
In lucem rediisset.

Philemon in Sardio.

Εἰ τὰ δάκρυ' ἡμῖν τῶν κακῶν ἦν φάρμακον
Αἰεί θ' ὁ κλαύσας τοῦ στένειν ἐπαύετο,
Ἠλλαττόμεσθ' ἂν δάκρυα δόντες χρυσίον.
Si lachrymæ nobis remedium essent malorum,
Et qui lugeret, dolore semper leuaretur,
Aurum sane pro lachrymis permutaremus.

Homerus in ω. Iliad.

Οὐ γάρ τις πρῆξις πέλεται κρυεροῖο γόοιο.
Ὡς γὰρ ἐπεκλώσαντο θεοὶ δειλοῖσι βροτοῖσι
Ζώειν ἀχνυμένους· αὐτοὶ δέ τ' ἀκηδέες εἰσί.
Non enim aliquis effectus est frigidi luctus.
Sic sane decreuerunt dij miseros mortales
Viuere tristitia affectos, ipsi vero sunt sine tristitia.

Idem ibidem.

Καὶ γάρ τ' ἠΰκομος Νιόβη ἐμνήσατο σίτου,
Τῇ περ δώδεκα παῖδες ἐνὶ μεγάροισιν ὄλοντο.
Etenim pulchricoma Niobe non recordata est cibi,
Quamuis ipsi duodecim filij in domibus perierint.

Homerus in τ. Odysseæ.

Ἀλλ' οὔ γάρ τις πρῆξις ἐγίγνετο μυρομένοισιν.
Sed nullus effectus fit lugentibus.

Phocylides.

Μηδὲ παροιχομένοισι κακοῖς ἀγαθοῖς τὸ σὸν ἦτορ.
Οὐκ ἔτι γὰρ δύναται τὸ τετυγμένον εἶναι ἄτυκτον.
Neque præteritis malis affligas tuum cor.
Non amplius enim potest factum esse non factum.

Pallades.

Προσδοκίη θανάτου πολυώδυνός ἐστιν ἀνίη,
Τοῦτο δὲ κερδαίνει θνητὸς ἀπολλύμενος.
Μὴ τοίνυν κλαύσῃς τὸν ἀπερχόμενον βιότοιο,
Οὐδὲν γὰρ θανάτου δεύτερον ἐστι πάθος.
Expectatio mortis, multi doloris est tristitia,
Hoc autem lucratur mortalis moriens.
Ne igitur fleas defunctum vita,
Nulla enim mortis secunda est passio.
Ῥῖψον γόους μὴ κάμνε πόσον χρόνον ἐνθάδε μίμνεις,
Ὡς πρὸς ἐκεῖνον ὅλον τὸν μετὰ ταῦτα βίον.
Πρὶν τοίνυν σκώληκα βαλεῖν τύμβοις τε φέρεσθαι,
Μὴ δαμάσῃς ψυχὴν ζῶν κρινομένην.
Abijce luctum ne labora quantum tempus hic maneas,
Si resoluas ad illam totam post hæc vitam
Antequam igitur ad vermes proijciaris sepulchrisque imponaris,
Ne domes animam viuere etiam addictam.

Euripides in Medea.

Κούφως φέρειν χρὴ θνητὸν ὄντα συμφοράς.
Leuiter ferre oportet mortalem existentem calamitates.

Euphorio Poeta.

Καὶ τόκα μέτρια μέν τις ἐπὶ φθιμένῳ ἀκάχοιτο,
Μέτρια καὶ κλαύσειεν, ἐπεὶ καὶ παμπαν ἀδάκρυν
Μοῖραι ὀτίμαι αὐτό.
Et tum quispiam moderate defuncti nomine tristetur,
Et moderate lugeat. Nam omnino a lacrymis alienum
Parcæ laserunt.

Euripides in Andromach.

Παῦσαι δὲ λύπης τῶν τεθνηκότων ὕπερ.
Πᾶσιν γὰρ ἀνθρώποισιν ἥδε πρὸς θεῶν
Ψῆφος κέκρανται, κατθανεῖν τ' ὀφείλεται.
Desine contristari pro defunctis.
Nam cunctis hoc hominibus a dijs
Suffragij datum est, vt mortis imposita necessitas.

Iacob. Bill. Antholog. Sacr.

Tædia quem mundi teneant, reperire quietem
Si velis, in solo numine quærat eam.
Vera quies cælo fixa est, ac fallitur ille
Sedibus in nostris qui putat esse locum.
Qui mundi curas mundi medicamine curat,
Hunc album Æthiopem reddere velle reor.
Namque nouas sordes trahit hic, qui tædia mentis
Vt pellat, mundi gaudia vana cupit.

Idem.

Si qui spiritualium consolationum cupiditate tenetur, abijciendas prius ille corporeas consolationes.

Æthereo tibi vis surgas de pneumate proles,
Exhilarans pectus tempore in omne tuum?
Conficienda prius tibi sunt tua membra labore:
Corpore mens etsum nam moriente parit.
Nec potest Abrahamus vetere signabat in auo.

Cui vegeto soboles corpore nulla fuit:
Viribus at senio fractis, tum denique risum
(Isaacus risus nam sonat) ipse tulit.

Ouid. 4. Pont. 11.

Temporis officium solatia ducere certi est,
Dum dolor in cursu est, dum petit æger opem.
At cum longa dies sedauit vulnera mentis,
Intempestiue qui mouet illa, nouat.

Ouid. 3. Pont. 5.

Nec scelus admittas, si consoleris amicum,
Mollibus & verbis aspera fata leues.

SENTENTIAE PHILOSOPHICAE.

Non sis miser ante tempus, quum illa quæ velut imminentia expauisti, fortasse nunquam ventura sint, certe non venerunt. Quædam ergo nos magis torquent, quam deberent: quædam ante torquent, quum debent. quædam autem torquent, cum omnino non debeant, aut augemus dolorem, aut fingimus, aut præoccupamus. Si enim futurum est, quid iuuat dolori suo occurrere? Satis cito dolebis, quum venerit. Interim tibi meliora promitte. Aliquando gladius ab ipsa ceruice reuocatus est, & aliquis carnifici suo superstes fuit. Sæpe enim nullis apparentibus signis, quæ mali aliquid prænuncient, animus sibi falsas imagines fingit: aut verbum aliquod dubiæ significationis detorquet in peius: aut maiorem sibi offensam proponit alicuius, quam est: & cogitat non quantum iratus ille sit, sed quantum liceat irato. *Sen. Epist. 13.*

Quicquid fieri potest quasi futurum cogitemus: circumspicienda duo sunt, & futuri timor, & veteris incommodi memoria: hoc ad me amplius non perueniet, illud nondum. Grata superueniet, quæ non sperabitur hora. *Idem epist. 79.*

Noli mala tua facere tibi grauiora, & te querelis onerare. Leuis dolor est, si nihil opinio adiecerit: econtra, si te exhortari cœperis, ac dicere, nihil est, aut certe exiguum est, duremus, iam desinet: leuem illum dum putas, facies. omnia ex opinione suspensa sunt, tam miser est quisque, quam credit. *Idem epist. 83.*

Esset aliquod imbecillitatis nostræ solatium, si tanto tempore reparentur cuncta, quanto finiuntur. *Sen. epist. 92.*

Hæc sunt officia consolantium, tollere ægritudinē funditus aut sedare: nec pati manere longius, aut ad aliā traducere. *Cic. 3. Tusc.*

Sunt qui consolationem respuant: sed refert quomodo adhibeatur: vt enim tulerit quisque eorum, qui sapienter tulerunt, non quo quisque incommodo prædicandum est. *Ibid.*

Consolationum multæ sunt viæ: sed illa rectissima, impetret ratio quod dies impetratura est. *Cic. ad Attic.*

Οὐ θρηνητέον οἵων φίλων ἐστερήθημεν, ἀλλὰ μνημονευτέον, ὅτι μετὰ τῶν φίλων τὸν κάλλιστον βίον ἐβιώσαμεν.

Non oportet ea deflere, quibus priuati sumus: sed meminisse, quod optimam vitam cum amicis egerimus. *Apoll. ad Numen.*

Ἐπὶ τοῖς ἀποθνήσκουσι μὴ λυποῦ, ἀναγκαῖον γάρ· ἀλλ' ἐπὶ τοῖς αἰσχρῶς τελευτῶσιν.

Propter morientes ne tristeris: est enim necessarium: sed propter turpiter e vita discedentes. *Polyanus Sardanus.*

Τὸ λυπούμενον ἀλλοτρίοις κακοῖς παραμυθοῦ.

Quæ molesta sunt, alienis malis consolari oportet. *Apollon. ad Phoeteum.*

Ἀνθρώπῳ προσπεσόντος ἔπειτα χαλεπαίνειν τοῖς θεοῖς μεῖζον κακὸν ἐπιζητεῖν.

Qui cum molestum aliquid incidit, dijs irascitur, is maius sibi malum quærit. *Eusebius.*

Λυπηροῦ τινος συμπεσόντος, σκόπει τοῦ παρεστῶτος ἐστι δ' ἕτερον μεῖζον ἐπιλυπεῖν καὶ ἐὰν φανῇ, χαῖρε, ὡς ἐλαττον κακὸν ἔχων ἀταλαίπωρον.

Quum molestum aliquid ingruit, quære, num quid aliud præsenti molestia grauius vsquam appareat: quod si apparuerit, gaudeto, præsenti tanquam minori malo. *Idem Eusebius.*

Τοῖς δὲ ὑφισταμένοις καὶ καταπίπτουσι κουφότερα γίνεται τὰ κακά.

Illis qui resistunt, & non collabuntur, leuiora sunt mala. *Dionys. Halicarnassæus.*

Res est fortan difficilis, illos consolari, qui huiusmodi affectibus laborant. Luctus enim neque ratione, neque lege sopiuntur, verū natura cuiusque & amicitia erga defunctum, lugendi terminū continet. Animo tamē erigi oportet ac tristitiam, quoad fieri potest, minuere: atque meminisse non solum funeris defunctorum, sed etiā virtutis, quā reliquerint. Non enim lachrymis digna passi sunt, sed magis laudibus celebranda facta ediderunt. Quod si mortalē senectā non attigerunt, immortalem tamen gloriā cōsecuti sunt, & per omnia felices euaserunt. Nam quotquot ipsorū sine liberis decesserunt, Græciæ laudes veluti liberos immortales habebunt. Illis vero, qui prolē reliquerunt, patriæ beneuolentia instar tutoris erit erga liberos. Ad hæc si mori, & natum nō esse, similia sunt; immunes posthac erūt a morbis, dolore, alijsque humanæ vitæ casibus. Sin etiā a morte sensus aliquis est, & numinis prouidentia, vt arbitramur: nimirum illi, qui deorum honores ope sua promouerunt, maximam diuinitus beatitudinē assequentur. *Hyperides Orator Atheniensis æmulus Demosthenis.*

Non

Non decet tanto luctu prosequi mortem, cum scias, quod humanæ vitæ principium generatio, finis autem mors existimanda sit. Mortuos enim est, quod cuivis etiam inuito contigit. Bene autē mori hominis voluntarij, & vt conuenit, instituti opus est. Beatus igitur Gryllus est, & quicumque non longissimam, sed virtuti coniunctam vitam diligit, etsi breue tempus ætatis Deus ei concesserit. *Xenophon ex epist. ad Sotiram.*

Scio irrisos a Tyberio Principe Iliensium Legatos, quibus, cum ad eum consolandum in morte filij aliquanto serius venissent, mādatis expositis, respondit: Et se illorum vicem dolere: quod egregium ciuem Hectorem amisissent. Ingratus est, qui ablati memor obliuiscitur accepti. Proinde vbi animum pupugit acerba illa cogitatio: Heu qualem fratrem amisi: leniat illa iucundior: O quantum fratrem habeo, & in æternum habebo. Licet ille donec sibi simul & mihi, & patriæ & mundo necessarium, fuit, breuem hic moram traxerit. Dum vero sibi vni expedientius esse cœpit ab ijs malis separari, eripuerit illum Deus, ei scilicet consulens, & non nobis, imo forsan & nobis. Quis enim sufficit abditas, & imperscrutabiles diuinæ prouidentiæ causas, & exitus contemplari? dicente Apostolo: Sensum Domini quis nouit, aut quis consiliarius eius fuit? Quisnam hominum iudicare audeat: an cuique mortem deploranti, nō satis proprie dici possit, quod in tabellis reddito responso patri olim in morte filij dictum est tribus his versiculis.

Ignaris homines in vita mentibus errant,
Eurynome potitur fatorum numine læto:
Sic fuit vtilius extingui ipsique tibique.

Calcitrat aduersus stimulum humana temeritas, & implenti Fato superbiæ sine cornibus obluctatur nequicquam, nisi vt grauius victa succumbat. Quid enim ego nunc de votis inanibus, de gaudio, aut querelis hominum loquar? Latet alte veritas abscondita, caliginosa nube circumcludimur: casu regimur, cœci cœcis ducibus innitimur, nec quid optandum, metuendumque nobis sit, per vmbram carnis agnoscimus. Bonis nostris ingemiscimus, miserijs exultamus, sine delectu flemus ac ridemus: suam quisque sententiam sequimur. Mihi errorum maximus videtur, quod nō libere nos, & nostra Deo committimus: quod aliquam in consilijs spem habemus toties decepti: Quod tanto huius caduci corporis amore detinemur, vt vix aut æquanimiter ex re hinc valeamus, aut nostros exuētes adipiscere: quasi ad nihil aliud nati simus, quam vt inter mundi fluctus, & ludibria, fortunæ perpetuo turbine iactati, hæc carnis nostræ tenacissimo limo ac sordibus hæreamus, &c. *Petrarch. l. 4. epist. 60. de reb. fam.*

Apophtegmata.

Amasis ad quendam filio priuatum dixit: Si non tristatus es, cum nondum esset in mundo, ne nunc quidem dolere debes, cum non amplius est, scilicet in hac vita. *Stob.*

Socrates ijs qui res aduersas & amicorum mortem ægre ferebant dicere solebat, Aleæ ludo similem esse vitam, & quicquid euenit veluti quandam tesseram disponere oportere. Nec enim (inquiebat) denuo iacere licet, neque tesseram aliter ponere. *Idem.*

Diogenes. Antisthenem morbo decumbentem inuisens dixit, Nunquid amico est opus? Significans, in rebus afflictis potissimum fidis amicis vtendum, qui vel re opitulentur, vel consolando molestiam mitigent, *Laert. l. 6. apoph.*

Idem dicere solitus est, sæpius in vita parandum λόγον ἢ βρόχον, id est, sermonem quam laqueum. Qui desponderunt animum, ad laqueum confugiunt: cum ad consolatorium sermonem potius sit confugiendum, nam animo ægrotanti medicus est oratio. *Laert. l. 6.*

Demetrius Phalereus, quum apud Thebanos exul, inglorius & humilis viueret, & intellexisset, Cratem philosophum se visendi gratia aduentasse, ad se vocauit, quem vt de fortiter & moderate ferendo exilio disputantem audiuisset. Male sit, inquit, omnibus negocijs & occupationibus, per quas hactenus talem virum nō licuit cognoscere. Ostendit hoc dicto, multum ægritudinis ex philosophi disputatione ablatum esse. *Laert. l. 5. c. 4.*

Similitudines.

Chrysostomi: quemadmodum morbi ipsam patientia diffugiunt medelam. Sic supremæ calamitatis passiones omne solatium fomentumque repellunt. *Ser. 4. in Iobum.*

Sicut semper pluuia bona est, maxime tamen grata est tempore siccitatis: & visitatio amicorum semper quidem suauis est, multo tamen suauior in tempore luctus: Sic & consolatio sacerdotis & doctrina, semper opportuna est, maxime autem in tempore persequutionis. *In Matt. 24. Hom. 50.*

D. Hieronymi. Sanato vulneri, & in cicatricem superductæ cuti, si medicina colorem reddere voluerit, dum pulchritudinem corporis quærit, plagam doloris instaurat: Ita & ego seruus consolator, qui importune per biennium tacui, vereor ne nunc importunius loquar: & attrectans vulnus pectoris tui, quod tempore & ratione curatū est, commemoratione exulcerem. *Ad Pammachium.*

Plutarchi. Vt medici in vehementi fluxu pituitæ non statim succurrunt pharmacis, sed foris admouent, quod tempore concoquat: tempore mitior admittat consolationem. *In Mor.*

Vt vnguentum non solum delectat olfactum: verumetiam remedio est aduersus male olentia: Sic in malis bonorum memoria consolatur. *In Mor.*

Seneca. Vt medici vetant admoueri remedia, nō cū morbus in accessu est, ac sæuit, sed cum se remittit: Ita ad primos illos iræ, aut doloris motus, non est adhibenda consolatio, vel admonitio, sed vbi tempore cœperint esse leuiores.

Exempla Biblica.

Consolationis exempla: Dei erga primos parentes, *Genes.* 3.15. Abrahamum, 12. *v.* 2. & 15. *v.* 1. 16. & 18. 17. Iacobum, 28. 13. erga populum Israeliticum, *Exod.* 3. *v.* 3. 8. & 16. 12. & 17. 5. 6. erga Iosuah, *Ios.* 1. 5. 6. erga Eliam, 1. *Reg.* 17. 14. erga Sidrach, Misach, & Abdenago. *Dan.* 3. 11. erga Danielem, 6. 22. Iosephi erga fratres suos, *Genes.* 45. 4. 5. & 50. 21. Ionathæ erga Dauidem, 1. *Sam.* 23. 16. 17. Dauidis erga Hanonem, 2. *Sam.* 10. 21. *Paralip.* 19. 2. erga Bethsabee, 2. *Sam.* 12. 24. Ioab erga Dauidem, 9. 7. Elisæi erga ministrum suum, 2. *Reg.* 6. 16. Esaiæ erga Ezechiam, 19. 6. 32. *Esai.* 37. 6. Baladan erga Ezechiam, 2. *Reg.* 20. 12. Nehemiæ erga Israelitas, *Nehem.* 8. 10. Cognatorum Iob erga Iobum, *Iob,* 42. 11. Angeli erga Eliam, 1. *Reg.* 19. 5. erga mulieres, *Matth.* 28. 5. *Marc.* 16. 6. erga Zachariam. *Luc.* 1. 13. erga Mariam, *v.* 30. erga Pastores, 2. 10. erga Iesum, 22. 23. erga Petrum. *Act.* 12. 7. Christi Domini erga Apostolos, *Matt.* 14. 27. *Marc.* 6. 50. *Luc.* 24. 36. *Io.* 2. 20. & 14. *v.* 1. 18. & 15. *v.* 18. 21. & 16. *v.* 3. 4. erga Petrum, *Luc.* 5. 10. erga Petrum, Iacobum, & Ioannem, *Matth.* 17. 7. erga viduam, *Luc.* 7. 13. erga Synagogæ Principem, *ver.* 50. 52. erga Ecclesiam, 12. *v.* 4. 7. 32. & 21. 28. erga Latronem fidelem, 23. 43. erga Paulum, *Actor.* 18. 9. & 23. 11. 2. *Cor.* 1. 5. & 7. 6. erga Ioannem, *Apoc.* 1. 17. Iudæorum erga Martham & Mariam, *Ioan.* 11. 19. Petri erga pœnitens, *Act.* 2. 38. & 8. 17. Ananiæ ad Paulum, 9. 17. Spiritus sancti erga Ecclesiam, *v.* 31. Pauli & Barnabæ erga Ecclesiam, 16. 42. Fidelium Romanorum erga Paulum, 28. 15. Pauli erga Ecclesiam, 20. *v.* 10. 12. erga eos quibus cum nauigabat, 27. *v.* 9. 22. 23. 24. erga Thessalonicenses, 1. *Thess.* 11. erga seipsum, 17. *Philemon, v.* 7. Apostoli erga Hebræos, 12. 3.

Historica Exempla.

Paula Romana matrona sanctissima in mœrore cantabat: quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei, & Deus meus. *Hier. in Epitaph.*

M. Tull. Cic. Tulliolę suæ quæ defuncto Pisone priore marito Dolabellæ nupserat, & ex partu decesserat, mortem indignissime tulit: Itaque ad eum consolandum vndique concurrerunt Philosophi. *Plut. in Cic.*

Æneas apud Virg. 1. Aeneid. Naufragos suos socios præclare consolati introducitur.

O socij (neque enim ignari sumus ante malorum)
O passi grauiora, dabit Deus his quoque finem.

L. Paulus Æmilius amissis duobus filijs, optimæ indolis tēpore triūphi Macedonici, in concionem progressus: grauissima oratione populum, infortunium suum dolentem, consolatus est. *Plut. in eius vita.*

Alphonsus Arragonius Neapolitanorum Rex, amisso Petro fratre, quod ab alijs expectare debuerat, ipse alijs præstitit & Petri amicos literis consolatus est, exercitum vero oratione. *Panor. l. 3. de rebus gestis Alphonsi.*

Horatius lib. 2. Ode. 9. consolatur Valgium amicum suum, virum consularem, impatienter ferentem mortem Mystę pueri charissimi.

Scriptores.

De consolat. Philoso. *Boetius de consolatione libri tres. Hieronymi Cardani. Fr. Philelphus, Senecæ liber ad Martiam,* de quo aliqui dubitant an Senecæ sit. De eadem. *Seneca ad Albinam, Manip. florum. Lumen animæ par. 2. c. 43.* Consolatoria. *Stob. serm.* 121. Consolatio in aduersis, *Aurel. Aug. Tom.* 2. *epist.* 83. & 87. Deploratio & consolatio. *Huldrici Hutteni.* Consolationes *D. Hier.* 4. Consolatorius ad amicum liber *Philelphi.* Consolatio in rebus aduersis *Hier. Sauonarolæ.* Epistola consolatoria in aduersis. *Dess. P. M. Dial.* consolatorius pro oppressis. *Felicis Malleoli* Dialogus consolatorius suarum tribulationum & calamitatum horum temporum. *Rugeri de Venrai.* Consolatio ad Imp. Græcorum, *Bessarionis.* Consolatio malorum sæculi, *Iacobi Carith Erdford.* In penuria rerū omnium quomodo se ipsum consolatus sit Diogenes. *Ælian. in Var. hist.*

Grat.fol.18.64.58. Consolatoria ad infirmom, & cui tempestas prædia infestauerat, *Antonius Guenara Epist.36.* Consolatoria ad Nicostratam Zelotypam.*Epist.Theanus Græca.*

Vide.Aduersitas.

CONSTANTIA.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Constantia.Græce *καρτερία* & *καρτερός*, constans dicitur. Est autem constantia virtus faciens firmiter persistere in bono contra difficultatem, quæ prouenit quibuscunque impedimentis exterioribus, alijs ab impedimento diuturnitatis, quia contra hoc est perseuerantia: *Ex S.Thom. 2.2.q.173 art.3.* Constantia Hebr.*ChizKah*,Græc.*ἀνδρεία*,à similitudine & immoto animi proposito deriuatur, leuitati opposita.

Constantia est stabilitas animi firmi, & in proposito perseuerans. A consto, id est, firmus sto, in statu permaneo.

Constantia & firmitas sic differunt: Quod firmitas est virtus faciens permanentiam in opere, sed constantia in proposito. *Ex S.Tho.3.Sent.dist 33 q.3.ar.13.*

Constare aliquando significat compositum esse, aliquando conuenire, aliquando manifestum esse, nonnunquam suppeditare. Itē consistere & firmum esse. Inde constans, hoc est, firmus & tenax propositi, & constantia animi firmitudo dicitur.

Constantia est per quam animi stabiles in proposito nulla in parte titubant. Huius contrarium vacillatio, vt quidam vero vanitas. Vel, est stabilitas animi firma, & in proposito perseuerans. Græce dicitur *καρτερία*.

BIBLICI LOCI.

Constantia in verbis & factis commendatur, *Matt.5.v.37.2.Cor.1.17.Ephes.4.14.Iacob.1.4 & 5.12.1.Pet.3.15.2.Pet.1.12.1.Io.2.24.Iuda 3.v.3.* Donum Dei est, *Act.4.29 1.Cor.8.6.Ephes.6.11.Philip.1.v.29.30.* itaque a Deo petenda, *Act.4.23.Ephes.6.18.*

POETICAE SENTENTIAE.

Claud.2.Stil.

Constantia futile ne quid,
Infirmumq; geras

Virg.4.Aen.

Mens immota manet, lacrymæ voluuntur inanes.

Ouid.8.Met.

Flamma Meleagrus ab illa
Vritur, & cæcis torreri viscera sentit
Ignibus, ac magnos superat virtute dolores.

Idem 9.Met.

Nec ea dia cæpti,
Vlla mei capiam, dum spiritus iste manebit.

Idem 13.Met.

Fortis, & infelix, & plus quam fœmina, virgo
Ducitur ad tumulum, diroq; fit hostia busto.
Vtere iam dudum generoso sanguine dixit,
Mors tantum vellem matrem mea fallere posset.

Idem Epist.15.

Nec piget aut vnquam stulte elegisse videbor:
Permanet in voto mens mea firma suo.

Idem 5.Trist.5.

Fers tamen, vt debes, casus patienter amaros,
More nec indomiti frena recusat equi.
Nec forte perpetuam sperat sibi Numinis iram.
Conscius in culpa non scelus esse sua.

Hor.4.Carm.9.

Est animus tibi
Rerumq; prudens, & secundis
Temporibus, dubiisq; rectus.

Lucanus 5.

Intrepidus quæcunq; datis mihi Numina mortem
Accipiam.

Idem 9.

Ille Deo plenus tacita quem mente gerebat
Effudit dignas adytis è pectore voces.
Quid quæri Labiene iubes? an liber in armis
Occubuisse velim potius, quam regna videre?
An sit vita nihil, sed longa, an differat ætas?
An noceat vis ulla bono, Fortunaq; perdat
Opposita virtute minas: laudandaq; velle
Sit satis, & nunquam successu crescat honestum?
Scimus, & hoc nobis non altius inseret Hammon.

Silius 1.

At Pœnis sæ, causa ira, turbataq; luctu,
Et sæuis gens læta, truces tormentaq; portant.
Non ignes, candensq; chalybs, non verbera passim
Ictibus innumeris lacerum scindentia corpus,
Carnificis vel manus, penitusq; infusa medullis
Pestis & in medio lucentes vulnere flammæ
Cessauere. ferrum nisu ductuq; per artem
Sæuitia, extenti, quantum tormenta iubebant.
Creuerunt artus, atq; omni sanguine rupto
Ossa liquefactis fumarunt feruida membris.
Mens intacta manet, superat, ridetq; dolores.
Spectantes similis fessosq; labore ministros
Increpitat, dominiq; crucem clamore reposcit.

Stat.2.Sil.1.

Ast hic, quem gemimus, felix hominesq; Deosq;
Et dubios casus, & cæca lubrica vitæ
Effugit, immunis fati non ille rogauit.
Non timuit, meruitue mori.

Idem 5.Sil.1.

Nec tamen hic mutat quies, probitasue secundis
Intumuit: tenor idem, animo, moresq; modeste
Fortuna crescente manent

Sil.3.Hannibal.oratio

An Romana iuga, & famulas Carthaginis arces
Perpetiar? stimulant Manes noctesq; per vmbras
Increpitans genitor. stant aræ atque horrida sacra
Ante oculos, breuitasq; vetat mutabilis horæ
Prolatare diem, sed cum ne, si noueris vna
Me tantum Carthago, & qui sim nescias omnis
Gens hominum, letiq; metu decora alta relinquam?
Quantum etenim distant a morte silentia vitæ?

Hor.3.Carm.5.Reguli constantia.

Fertur pudicæ coniugis osculum,
Paruosq; natos, vt capitis minor,
A se remouisse, & virilem
Toruus humi posuisse vultum.
Donec labantes consilio patres
Firmaret auctor nunquam alias dato,
Interq; mœrentes amicos
Egregius properaret exsul.
Atqui sciebat, quæ sibi Barbarus
Tortor pararet, non aliter tamen
Dimouit obstantes amicos.
Et populum reditus morantem,
Quam si clientum longa negotia
Diiudicata lite relinqueret,
Tendens Venafranos in agros,
Aut Lacedæmonium Tarentum.

Sil.6.Reguli oratio.

Tum palmas simul attollens, ac lumina cæle:
Iustitiæ rectiq; dator, qui cuncta gubernas,
Nec leuior mihi diua fides, Saturniaq; Iuno,
Quos reditus tellure sitam a mente vocantis,
Sit mihi fas me digna loqui, Latiæq; tueri
Voce fecerisne ad Tyrios non segnior, inquit,
Statuo fide reditus, & sa no fœdere pœna.
Sic nobis rerum exitio desistite honorem.
Tendere tot bellis, ter q; annis fregimus enim,
Nunc etiam vi telis, & longo carcere torpens
Captiuus in seno viret, fuit ille, nec vnquam
Dum fuit a duro cessauit munere Martis
Regulus, exsangui spectatis corpore nomen.
At non Carthago fraudum domus, inscia quantum
E nobis restet, iuuenes parat aspera ferro.
Pectora captiuos nostra pensare senecta.
Ite dolos: contra gentisq; astu fallere læta
Discat me capto, quantum sibi Roma supersit.
Nec vero placeat nisi quæ de more parentum,
Paxerit, exposcunt Libyci, nobisq; dedere
Hæc referenda patri libeat si pendere bellum
Fœdere, & ex æquo geminas conscribere leges.
Sed mihi sit Stygios ante intrauisse penates,
Talia quam videam ferentes pacta Latinos.
Hæc fatus Tyria sese iam reddidit iræ.

Martialis 1.

Dum peteret regem decepta satellite dextra
Iniecit sacris se peritura focis.
Sed tam sæua pius miracula non tulit hostis,
Et raptum flammis iussit abire virum.
Vrere quam potuit contempto Mucius igne,
Hanc spectare manum Porsena non potuit.
Maior decepta fama est & gloria dextræ:
Si non errasset, fecerat illa minus.

Silius 13.Scipionis constantia.

Tum iuuenis, quæcunq; datur sors durior, æquo

Obti-

Obsistentur, ait, culpa modo pectora cessent.

Sil. 7. Camilli constantia.

Quantus, qualisque fuisti
Cum pulsus Lare & exsortis Capitolia curru
Intrares exsul, ubi corpora caesa Camille
Damnata quot sunt dextera spatata fuissent
Ni consul ea vire, mensque impenetrabilis ira,
Murassentque solum sceptris Aeneia regna,
Nulla quae nunc stares terrarum vertice Roma.

Silius 13. Coelitis constantia, & fortitudo.

Talis ille ruentem
Tybridis in ripas regem, solusque revulso
Ponte ferox pontes exclusit redimita regna.

Hor. 2. Carm. 10.

Sperat infestis metuit secundis
Alteram sortem bene praeparatum
Pectus.

Virg. 3. Georg.

Non umbrae altorum nemorum, non mollia possunt
Prata movere animum.

Hor. l. 3. Carm.

Iustum & tenacem propositi virum,
Non civium ardor prava iubentium,
Non vultus instantis tyranni,
Mente quatit solida neque Auster
Dux inquieti turbidus Adriae,
Nec fulminantis magna manus Iovis.
Si fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinae.

PHILOSOPHORUM SENTENTIAE.

In doloribus, qui ad tactum gustatumque pertinent, qui ita animo affectus sit, ut ab ijs vincatur quae etiam plerique superant, mollis & delicatus nominatur: qui vero ea vincit a quibus plerique vincuntur, is constans & patiens. *l. 7. Ethic. c. 7.*

Qui à ratione deficit ijs in rebus, quibus plerique & obsistere possunt, & obsistunt, is mollis & delicatus habendus est. *lib. 7. Eth. c. 7. & l. 2. Magn. Mor. c. 6.*

Delitiae quaedam animi est mollicies, ut si quis vestem trahat, nequam in veste tollenda suscipiat molestiam & dolorem. Et qui imitatur ac fingit aegrum, non se miserum esse putat: cum sit misero par ac similis. *ibid.*

Contrarius est continens impotenti: & molli ac delicato constans & patiens. Constantia etiam & patientia in resistendo est: in vincendo continentia. *ibid.*

Si quis ijs voluptatibus succumbat, quibus plerique possunt obsistere, id denique fit mirum: praesertim si neque natura totius generis, neque morbo impeditus non possit obsistere. *ibid.*

Intemperans videtur si quis est ad ludum propensior, qui tamen mollis dicitur: ludus enim levamentum est, si quidem requies. *ibid.*

Si labores non feras quos aut seniores, aut qui in delicijs vivunt, aut qui maiores sunt in potestate ac universaliter imbecilliores: omnia haec mollitiei sunt signa. *Lib. 2. Rhet. ad Theod. c. 6.*

APOPHTHEGMATA.

Aristides quum se unam è filiabus Dionysio tyranno matrimonio copulasse condoleret, dixisse, quod se potius mortẽ filiae imprecari, quam a tyranno eam detineri: re intellecta Dionysius, illum morti destinat. Sed interrogatus ab illo, num de filia collocatione, quemadmodum prius, ita nunc sentiret? Respondit rerum a se gestarum moestitia affici quidem, dictorum autem nulla poenitentia detineri. *Eras. l. 2. c. 5.*

Pelopidas ab Alexandro Phaereo captus, tyranno nunciavit, absurdum esse, miseros cives (Phaereos autem intelligebat) insontes occidi quotidie, sibi autem soli parcere, quem si servet, cognoscas ulturum. Admirans igitur Alexander constantiam capti, Quid, inquit, mortem accelerat Pelopidas? Tu autem dijs invisus, inquit ille, perquam celeriter optas. *Eras. l. 2. c. 1. ex Plutarch.*

Agis quum in carcere rogaretur ab Ephoro, num poeniteret eorum quae gessisset impavide respondit: Se nulla eorum poenitentia consilij cum prudentia honestoque coniuncti; tametsi non ignoraret, se mortem praemij loco relaturum: sciens ipsam virtutem abunde magnum esse sui praemium, quicumque sequatur eventus. *Plut. & Eras. 2. c. 5.*

Socrates mortem adiudicatus propter philosophiae sinceram professionem, ad iudices conversus ait, Equidem vos omnes singulari quadam benevolentia complector: parendum tamen, & potius duco Deo immortali quam vobis. Itaque quamdiu, & spirabo, & potero, nunquam philosophiae curam abijciam, nec vestri admonendi, moreque ac modo meo adhortandi ad virtutem, quemcumque fuero ea vobis nactus. *Plato in Apolog.*

Diogenes, cuidam monenti ut iam senex quiesceret a laboribus: Quid, inquit, si in stadio currerem, utrum oporteret iam metae vicinum cursum remittere, an magis intendere? Recte sensit virtutis studium hoc magis & constãter intendendum, quo minus superest vitae, quod turpe sit, tum ab honesto instituto refrigescere. *Laert. l. 6.*

Eteocles. Antipater quum a Lacedaemonijs obsides quinquaginta peteret; Eteocles Ephorus, vir omnium constantissimus, respõdit, se pueros quidem non daturum, ne paterna privati educatione malis moribus imbuerentur, qua carentes, ne cives quidẽ essent: senes mulieresq, duplo, si velit, plures daturum. Ille vero eũ multo gravius, nisi obsides acciperet, minitaretur, respondit Eteocles: Non curamus minas, nam si graviora morte nobis imperas, facilius moriemur. *Eras. lib. 2. c. 1. ex Plut.*

Manlius quum oblatum a Quiritibus consulatum adversae oculorum valetudinis excusatione denegaret, instantibus cunctis immobili animo ac vultu: Alium (inquit) Quirites quaerite, ad quẽ hunc transferatis honorem: nam ego vestros mores nec ferre possum, nec vos meum imperium perpeti. *Livius l. 5. Dec. 3. Val. Max. l. 6. c. 4. Plinius iunior de viris illustribus, c. 58.*

Cyanenses. Decius Brutus, Marci Bruti patruelis, quum contra Antonium in Hispaniam exercitum duxisset, totamque Lusitaniã subegisset, excepta Cyania, urbe, quae magna constantia arma retinebat, redemptionem tentavit. Sed cives urbis omnes uno ore Bruti legatis constantissime responderunt, se à parentibus ferrum bellicaque instrumenta accepisse, quibus urbem tuerentur: non aurum, vel quicquam aliud, quo libertatem ab alijs emerent. *Eras. l. 2. c. 1.*

Cato Uticensis. Quum deploratis rebus amici hortarentur Catonẽ, ut ad Caesaris clementiam confugeret: respondit Victorum esse, & eorum qui deliquissent, supplicare: Catonem nec victum nec captum esse, qui se per omnem vitam invictum praestitisset, ac Caesarem honestate iustitiaque longe superasset: Caesarem potius victũ captumque esse, qui bellum, quod diu negasset se moliri adversus patriam, nunc id egisse convictus esset. Proinde pro se Caesarem orarent, qui vellent, pro Catone neminẽ orare debere. *Plut. in Cat.*

Idem quum in domo Drusi avunculi, tribuni tunc plebis, educaretur, ad eumque Drusum Latini de civitate impetranda convenissent, à Q. Popedio Latinorum principe rogatus, ut socios apud avunculum adiuvaret: constanti vultu, Non facturum se, respondit. Iterũ deinde saepiusque interpellatus in proposito vultu eodem, perstitit. Tunc Popedius, in excelsam aedium partem elevatum, abiecturum se eum inde, ni precibus obtemperaret, minatus est. Ne hac re Cato puer ab incepto moveri potuit. Expressa est igitur illa vox hominum: Gratulemur Latio nobis hunc esse tam parvum, quo senatore, ne sperare quidem civitatem licuisset. *Pulus. in Catone, ubi Pompaium Sylonem non Popedium vocat. Eras. l. 2. c. 1. ex Plut.*

C. Manius. Augusti centurio, captus, & ad Antonium perductus, quum interrogaretur, Quid de se statui iuberet? Iugulari me, inquit, iube: quia nõ salutis beneficio, nec mortis supplicijs adduci possum, ut aut Caesaris miles esse desinam, aut tuus esse incipiam. *Eras. l. 2. c. 1. ex inst. Rom.*

T. Vespasianus, cum deprehendisset eos qui in ipsum conspiraverãt deduxit illos in spectaculum, atque inter illos medius consedit: ac petitis de industria mirmillonum gladijs, veluti exploraturus aciem, unum uni, & alterum alteri commisit, tanquam provocans ad id, quod moliebantur. Verum his perculsis, Videtisne (inquit) principatum fato dari, frustraque tentari facinus potiundi spe? *P. M. lib. 8. apoph.*

Ludovicus Bavarus Ludovicum seniorem Bavariae ducem Stephani ducis filium, cum captivum haberet Albertus Marchio Brandenburgensis, non pauca ab eo petijt, quae cum ille negasset, tradere eum in manus duri, & inimicissimi sibi principis minabatur, Tum Ludovicus. Quae poteris ex me, inquit, libero impetrare, eadem modo ex capto petito. Si quid amplius voles, corpus meum in tua potestate, animum mihi non tibi obnoxium invenies. *Aeneas Syl. l. 3. comment. in res gest. Alphons.*

SIMILITUDINES.

B. Anselmi. Quadratus lapis sex aequalia habet latera: in quod horum ceciderit, firmiter iacebit. Sic providendum est viro iusto, ut in suo persistat proposito. Huius autem latera sex haec sunt, prosperitas, adversitas, sui libertas, subiectio, in secreto esse: & in publico: in quibus singulis si à Diabolo impulsetur, ilet, nec a proposito moveatur. *In simil. c. 173.*

Socratis, ut statua basi, ita vir bonus instituto innixus honesto, nullatenus dimoveri debet. *Apud Stob. ser. 1. de prudentia.*

Chrysostomi, veluti milites, priusquam veniat pugnandi tempus, & thoracem abstergunt, & scutum si quid desit, circumspiciunt, & frenos apparant, & equos omni diligentia nutriunt, caeteraq. omnia recte diligenterque curant: Sic Christiana constantia & vera fide sunt probe muniendi, qui in negotio fidei habent hostes nunquam non insidiantes.

Cy-

Cypriani. Graues viros semel super petram robustam, solida stabilitate fundatos, non dico aura leui, sed nec vento, nec turbine commoueri, ne animus dubius & incertus varijs opinionibus, velut quibusdam ventorum incursantium flatibus, frequenter agitetur à proposito suo, quadam leuitatis reprehensione mutetur. *Lib. 4. Epist. 2.*

D. Ambrosij. Fertur coluber cum vrgetur periculo, caput semper abscondere, & in orbem se colligens, obiecta reliqua parte corporis, hoc solū tueri: quod illæsa ferātur membra cætera, saluo capitis vigore, reputetur: Hoc & tu moraliter serua caput, hoc seruato mystice, hoc capite, quod Christus est, seruati humani serpentis vitam necesse est, etiamsi omnia membra cædantur, quo non seruato totum vratur corpus incendijs: mergatur profundo, euisceretur à bestijs; hoc tamen capite custodito, vita salus integra. *Serm. 2.*

Chrysostomi Athleta ad coronas ex certaminibus meritas, certandi laborem nō fugit, vt in otio viuat, & mercator qui transmarinarum mercium lucra gustauit, desidiose viuere non patitur. Et nos si spirituales fructus degustabimus, præsentia omnia vilipendemus futurorum cupiditate quasi optima quadam ebrietate capti. *Hom. 75. in Matth.*

Finge gubernatorem quendam per mille maria incolumem nauigasse, deinde posteaquam magnas tempestates & procellas horribiles, & fluctus insanos, arte sagaci euaserit, cum in ipso portus ostio mergeretur, vix inde nudum effugisse. Quem animum ad mare, & nauigationes, huiusmodique labores ille habebit? putasne quod vnquam voluerit, nisi animi sit ficti, vel ad littus ipsum, aut naue in aliquid aut portum aspicere. Non equidē arbitror: imo seipsum occultans, spe omni ad nauigandum destitutus, mallet mendicus vitam agere, quam ad primos labores periculaque redire: Sed non fuit similis ille Dauid: verum magno naufragio post multos labores, maiores iterum accumulauit pecunias: non desperauit, sed nauis sursum in pelagus deducta, dare vela ventis, post naufragium ausus & clauo, &c. Quod semper stare, & nunquam cecidisse diuinum est, atque mirabile. *Homil. 77. in Matth.*

Nazianzeni. Si quis id, quod bonum est, alicuius rei gratia exercet, non tamen plane virtutis gratia, ad bonum tamen illud aliquādo peruenit, idque assequitur: quemadmodum is, qui lucri causa nauigat, eo peruenit quo tendit, etiamsi non lucretur. qui vero bonum propter seipsum honorat ac fouet, quoniam rem amat stabilem, firmam etiam circa illud habet animi propensionem: ita vt diuini, quid patiatur, & Dei illum dicere possit: Ego ille idem sum, nec immutor, nequaquam igitur transmutabitur, nec transponetur, neque vna cum temporibus ac rebus concidet, alius ex alio factus, ac multos assumens colores, quemadmodum polypi à petris, quibus adhærent: manet tamen ille idem solidus indissolubilis, & inuertibilis, in vertibilibus: Petra, in arbitrio, contra ventorum impetum, & vndarum, quia non concutitur, neque absumitur ab ijs, quæ illam oppugnant. *In oratione de seipso.*

D. Hieronymi. Credas mihi frater, non sic tempestate iactatus, portum nauta prospectat: non sic sitientia imbres arua desiderant, non curuo assidens littori anxia filium mater expectat. Postquam me a tuo latere subitus turbo conuulsit, postquam glutino charitatis hærentem impia distraxit vulsio:

Tunc mihi cæruleus supra caput astitit imber.
Tunc maria vndiq; & vndiq; cœlum.
In epistola ad Ruffinum.

A p o p h t.

Incus maxima non metuit strepitum. ἄκμων μέγιστος οὐ φοβεῖται τοὺς ψόφους.

Excelsus animus non commouetur minis, aut fortunæ sæuientis procellis.

Aquila non capiat muscas. ἀετὸς οὐ θηρεύει τὰς μυίας.

Summi viri negligunt minutula quæpiam. Animus excelsus res humiles despicit.

Elephantus non capit murem. Ἐλέφας μῦν οὐχ ἁλίσκει.

Generosus & excelsus animus negligit prædas viles, ac lucella minuta.

E x e m p l a B i b l i c a.

Constantiæ & perseuerantiæ exempla Noe *Gen. 6. 9.* Abraham, 19. 27. Ioseph 39. 8. Moses, *Exod. 8. 26. & 19. v. 9. 24. 25.* Dauid, 1. *Sam.* 17. v. 33. 14. Ionathas, 19. 4. Ioab, 2. *Sam.* 19. 5. Michæas, 2. *Paralip.* 18. 27. Daniel, *Dan.* 1. v. 11. 12. & 6. 10. Sidrach, Abdenego, 3. v. 16. 17. Susanna, 13. v. 42. 43. Mardochæus, *Esth.* 5. 9. Matthathias, & filij eius, 1. *Machab.* 2. 19. Eleazar ob non gustatam carnem suillam interfectus, 2. *Machab. 6. v. 18. 19.* Mater cum septem filijs, 7. v. 1. 2. &c. Discipuli Ioannis, *Matth. 14. 12. Mar. 6. 29.* Ioannes Baptista, *Matth. 14. 12. Marc. 6. 18.* Ioseph Arimathæensis, *Marci 15. 43. Luca 23. 52. Io. 19. 38.* Pilatus, 19. 22. Petrus & Ioannes, *Act. 4. v. 13. 13. 19. 23.* Apostoli, 5. v. 21. 41. & 8. 1. Antiochenses, 11. 20. Paulus & Barnabas, 13. 46. & 14. 21. Paulus, 18. 18. & 20. 24. & 21. 13. 1. & 24. v. 10. 24. & 28. 31. 2. *Cor.* 1. 17. & 4. v. 1. 16. & 10. 11. *Gal.* 2. 5. 1. *Thess.* 2. 1. Apollos, *Act.* 18. v. 26. 27. Epaphroditus, *Philip.* 2. 30. Petrus, 2. *Pet.* 1. 12. Ephesinus Pastor, *Apoc.* 2. v. 7. Pergamensis Pastor, *vers.* 13. Philadelphensis Pastor, 3. 8. Martyres 12. 11.

H i s t o r i c a E x e m p l a.

Gorgias Leontinus Isocratis Magister, centum & septem vixit annos: nec tamen tam longæuus ab opere & studio cessauit vnquam. *Sab. l. 1. c. 7.*

Plato octogenario maior, & dormiens, & moriens Sophronis Mimographi numero sub capite habuisse traditur, vitæque simul & scribendi finem fecit. *Laert. l. 3.*

Cato Vticensis ita doctrinæ cupiditate flagrauit, vt ne in curia quidem, dum senatus cogeretur, temperaret sibi, quo minus Græcos libros lectitaret. *Valerius l. 8. c. 7. Et Cicero lib. 3. de Finib.*

Portius Latro, Hispanus, condiscipulus Senecæ, quicquid cœpit, non desijt quin perfecisset Rursus cum se remissioni traderet, in omnes luxus & iocos resoluebatur. *Theat. Zuing.*

D. Aur. Augustinus. Hipponensis Episcopus, quamuis nonagenarius semper tamen aliquid vel legebat, vel scribebat. *Sab. l. 1. c. 8. Fulg. l. 8. c. 7. Et Egnat. eod.*

M. Horatio Puluillo Cos. Capitolini Iouis templum dedicanti, ab æmulis falsus affertur nuncius, filium in prælio perijsse. Tum ille, ego luctum non accipio, inquiens, vos cadauer vbi vultis efferte: institutum constanter peregit. *Sab. lib. 9. c. 1.*

Capta ab Alarico vrbe Roma. Gothus quidam cum mulierem forma excellentem vidisset, amore percitus ad sui obsequium inuitauit. Vbi vero studio pudicitiæ libidini reluctari suæ conspexit, strictum gladium iugulo intentauit, ac demum etiam ferit. Cum virgo tota perfusa cruore, ne ita quidem de sententia cederet: tum constantiam admiratus, ad basilicam S. Petri adduxit, ac, datis sex alimoniæ causa nummis aureis, eam templi custodib. commendauit. *Sigonius lib. 10. Imp. Occident.*

Agesilaus quum audisset maleficum quendam hominem, ac scelerosum, summa constantia se in omnibus tormentis opposuisse, ac forti animo dolorem omnem pertulisse: Quam miser, inquit, homo est, qui constantiam in res tam flagitiosas ac turpes collocat? Dolebat egregio duci, tantum animi robur ac naturæ vim in re turpi consumptam esse: quam si ad res honestas tulisset, magno vsui poterat esse Reipublicæ. *Plut. in Lacon. P. M. lib. 1.*

Zeno dicere solebat: facilius esse vtrem inflatum mergere, quam quemuis probum virum inuitum ad aliquid agendum & cogere. Nam inuictus animus rationis rectæ placitis confirmatus, cedit nemini. *Philo Iudæus liber. Quod omnis probus liber.*

Anaxarchus, cum à Nicocreonte Cypri tyranno in saxo concauo tunderetur, philosophus animo infractus: Tunde, tunde Anaxarchi vasculum, ait, Anaxarchi constantiam non teris, *Brus. l. 2. c. 2. ex Plut.*

Xantippe de Socrate marito prædicare solebat, quod semper vidisset illum eodem vultu reuertentem domum, quo exierat. Argumentum vere constantis animi: cum alij domo egressi si quid accidit triste, redeant turbidi: si quid læti, gestientes. *P. M. lib. 8. Apoph.*

Philoxenus quum Dionysij tyranni poemata, vtpote indocta, vna litura excluderet, in latumias detrusus est: sed inde amicorum precibus reuocatus, vbi denuo Dionysium sua carmina recitantem audiuit, surrexit, & rogatus à Dionysio, quid ita fecisset, cōstantissime respondit: Satius suauiusque esse in latumijs vitam agere, quam eius audire poemata. *Brus. l. 2. c. 1. ex Plut.*

Theodorus Lysimacho, Macedoni mortem crudelissimam minitanti, respondisse fertur: Minitare hæc purpuratis tuis: Theodori quidem nihil interest, humine an sublime in cruce putrescat. *Cic. l. 1. Tusc. q. Brus. lib. 2. c. 1.*

H i e r o g l y p h i c a.

Erat legio (militum Romanorum) quæ *medium equum* in cæruleæ parma gestabat, in medio viridis orbis constitutus, cui quadrupes toto iuniti pectore videbatur, ea constantia nuncupatur, quæ sub Magistro peditum merebat, Constantino quippe principe instituta. *Pier. Val. lib. 4.*

Nazianzenus pro Constantia *Salamandram* ponit, dum animal id in igni medio, qui omnia domat, solum lætari dicit ac viuere, sed eam omnino extinguere. Ita se cum Basilio, Athenis in igne perfidiæ Deum verum colendo incolumes versatos gloriatur, quin etiam eum professione sua atque constantia suppressisse. *Pier. Val. lib. 16.*

Vide, Fortitudo, Perseuerantia.

CON-

CONSVETVDO.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Consuetudo, Græce ἔθος, ab ἐθίζω consuesco dicitur. Venit autem a consuo, id est, simul suo. Consuesco enim quasi applicor atque describor ad aliquid agendum, ita vt consuetudinem faciam. Inde consuetudo, & consuefactio. *Plautus quoque consuetionem pro consuetudine vsurpat.*

Consuetudo est ius quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur, cum deficit lex. *c. Consuetudo. dist. 5.*

Consuetudo, lex non scripta, optimi legislatoris inscriptum nomen habens, videlicet omnium comprobationem: fortassis autem & naturali iustitiæ proxima fuerit patria consuetudo. *Michaeles.*

Consuetudo, mos, institutum, vsus, συνήθεια. Hebr. *Limmud*, disciplina, assuefactio, ab *Lamad*, didicit, assuefactus est.

SENTENTIAE BIBLICAE.

Lapides excauant aquæ, *Iob 14.*

Prouerbium est, adolescens iuxta viam suam etiam cum senuerit, non recedet ab ea. *Prouerb. 22.*

Ego sum Dominus Deus vester, iuxta consuetudinem Aegypti, in qua habitastis, non facietis. *Leu. 18.*

Quoniam puer centum annorum morietur. *Esa. 65.*

Bonum est viro cum portauerit iugum ab adolescentia sua. *Thr. 3.*

Si mutare potest Aethiops pellem suã, aut pardus varietates suas: & vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum? *Ier. 13.*

Qui nocet, noceat adhuc. *Apoc. 22.*

Modicum fermentum totam massam corrumpit. *1. Cor. 5. Gal. 5.*

PATRVM SENTENTIAE.

Consuetudo quasi secunda & quasi affabricata natura dicitur. *Augu. l. 6. de Mus.*

Sole recta opinio prauam corrigere consuetudinem, & praua opinio rectam deprauare naturam. *De doct. Christ.*

In dolore paries filios. Verum est sacramentum huius sententiæ, quod nulla abstinentia fit a voluntate carnali, quæ non habeat in exordio dolorem, donec in meliorem partem cõsuetudo flectatur: quo quum peruenerit, quasi natus est filius, id est, ad bonum opus paratus affectus per consuetudinem bonã: quæ consuetudo vt nasceretur, cum dolore reluctandum est consuetudini malæ. *Ae Gen. contra Manich.*

Frustra quidam qui ratione vincuntur consuetudinem nobis opponunt, quasi consuetudo maior sit veritate, aut non foeris in spiritualibus sequendum, si melius foerit a S. Spiritu reuelatum. *Cypr. ad Iubaian.*

Veritati nemo præscribere potest, non spacium temporum, non patrocinia personarum, non priuilegiũ regionum. Ea his enim fere consuetudo, initium ab aliqua ignorantia vel simplicitate sortita, in vsum per successionem corroboratur: & ita aduersus veritatem vindicatur. Sed Dominus noster Christus veritatem se, non consuetudinem cognominauit. Quodcunque aduersus veritatem sapit, hoc erit hæresis, etiam vetus consuetudo. *Tertull. de virgin. veland.*

Lex peccati, violentia consuetudinis: qua trahitur etiam inuitus animus eo merito, quo in eam volens illabitur. *Aug lib. 8. confess.*

Ipsa mutatio consuetudinis, etiam quæ adiuuat, tamen nouitate perturbat, quapropter quæ vtilis non est, perturbatione infructuosa consequenter noxia est. *Epist. ad Ianua.*

Peccata, quamuis magna & horrenda, quum in consuetudinem venerint, aut parua esse, aut nulla creduntur: vsque adeo vt non solum non occultanda, verum etiam prædicanda diffamandaque videantur. *in Enchir. c. 82.*

Vincere consuetudinem dura est pugna, *sup. Psalm. 30.*

Moles imposita sepulchro, ipsa est vis dura consuetudinis, qua premitur anima: nec resurgere, nec respirare permittitur, dictũ est, Quatriduanus est. Reuera ad istam consuetudinem de qua loquor, quodam progressu peruenit anima. Prima est quasi titillatio delectationis in corde; secunda cõsensio: tertia factum: quarta consuetudo *super Matth. hom. 45.*

Nolite, fratres mei, contemnere peccata, in quibus forte consuetudinem iam fecistis. Omne enim peccatum consuetudinis vilescit: & fit homini quasi nullum sit, obduruit iam, dolorem perdidit, & valde putre est: nec dolet, quod non dolet, non pro sano habendum est, sed pro mortuo computandum est. Quando aliquid pungitur & dolet, aut sanum est aut est in illo spes aliqua sanitatis. Quando autem tangitur, pungitur, calcatur, nec dolet, pro mortuo habendum, ac de corpore præcidendum. *in serm. 4. Dominica de aduentu.*

In his rebus, de quibus nihil certi diuina statuit Scriptura, mos populi Dei & olim instituta maiorum pro lege tenenda sunt. & sicut præuaricatores legum diuinarum, ita contemptores consuetudinum ecclesiasticarum coercendi sunt. *August. in epist. ad Cassulanum.*

Mos est similiter habitantium consensus, qui inueteratus consuetudinem facit. *Idem de fid.*

Asperam nobis & insuauem virtutum viam nimia facit vitiorum consuetudo: quæ si in alteram partem transferatur, inuenitur semita iustitiæ leuis. *Hier in epist. ad Celantiam*

Quum culpa in vsum venerit, etiam animus, etiamsi appetat, debilius resistit: qua quot vicibus prauæ frequentationis astringitur, quasi tot vinculis ad mentem ligatur. *Greg. lib. 4. mor.*

Visitata culpa obligat mentem, vt nequaquam surgere possit ad rectitudinem: conatur, & labitur: quia vbi diu sponte persistit & ibi quum noluerit, coacta cedit. *super Euang. Hom. 3.*

Sæpe nonnulli exire a prauis actibus cupiunt: sed quia eorundem actuum pondere premuntur in malæ consuetudinis carcere inclusi, à semetipsis exire non possunt. *lib. 11. morali.*

Tenent prauæ consuetudines quem semel ceperunt atque quotidie duriores existunt: & non nisi cum peccatoris vita finiuntur. *lib. 15. mor.*

Antiquus hostis, prius quasi consulens blanda ad animum loquitur: sed quum semel dentem delectationis infixerit, violẽtia post consuetudinem pene insolubiliter innodatur. *ibid.*

Abscindatur ferro acutæ compunctionis hulcus inueteratæ consuetudinis: si est acerbus dolor, leniatur vnguento deuotionis. *Bern sup. Cant.*

Vsus facit virtutes, non natura, tuum est autem abutendo facere vitia: aut vtendo virtutes, *de Consi l. 1.*

Consuetudo est ius quoddam moribus constitutum, quod pro lege suscipitur & tenetur, quum ea deficit. *Isid. lib. 2. Etymol.*

Consuetudo auctoritati cedat: prauum vsum lex & ratio vincat: quum vero nec sacris canonibus, nec humanis legibus consuetudo obuiare monstratur, inconcussa seruanda est. *Isid. in Synony mis lib. 2.*

Difficile est peccati consuetudinem vincere: prauus vsus vix aboletur: assidua consuetudo vitium in naturam conuertit. Animus sceleribus astrictus, vix ab eis diuelli potest. *Isid. lib. 1. solilo quiorum.*

Græca narrat historia Alexandrum potentissimum regem orbisq; dominatorem in moribus & incessu Leonidæ pædagogi sui non potuisse carere vitijs, quibus paruulus adhuc fuerat imbutus. *Beda de templo Salo. l. 2.*

Non paruus est labor, vt se aliquis a priori non bona consuetudine reflectat, ac reuocet: quoniam quidem mos longo tempore confirmatus, vim quodammodo obtinet naturæ. *Basi. in regul.*

Quidam de sapientibus dixit, Bene consuetos pudebit diffuescere, & iterum, Bona loquamur, transibit sermo in affectum, iuxta illud: Qui non assuescit virtuti, dum iuuenescit, à vitijs nescit discere, quando senescit. Et econtra: Quod in iuuentute addiscitur, in matura ætate seruatur. *Max. in serm. de Io. Bapt.*

Consuetudo, quæ apud quosdam irrepserat, impedire non debet, quo minus veritas præualeat, & vincat. Nam consuetudo sine veritate vetustas erroris est. propter quod relicto errore sequamur veritatem: scientes quod veritas vincit, veritas valet, & inualescit in æternum: & viuit, & obtinet in sæcula sæculorum. *Cyprian. ad Pomp.*

POETICAE SENTENTIAE.

Virg. Georg. l. 2.
Adeo à teneris assuescere multum est.

Virg. Aeneid. l. 8.
Tua cernere facta
Assuescat, primis & te miretur ab annis.

Ouid Metam. l. 2. fab. 2.
Nam morem fecerat vsus.

Idem l. 10. fab. 5.
Longaq; alit assuetudine flammas.

Ouid. epist. Didonis ad Aen.
Dum freta mitescunt, & amor dum temperat vsum,
Fortiter edisco tristia posse pati.

Ouid. Artis l. 2.
Fac tibi consuescat. Nil consuetudine maius,
Quam tu dum capias, tædia nulla fuge.

Ouid. Trist. l. 1. Elegia 5.
Fœmina seu princeps annos tot culta per annos.
Te docet exemplum coniugis esse bonæ.
Assimilemq; sui longa assuetudine fecit,
Grandia si paruis assimilare licet.

Idem Trist. l. 5. eleg. 13.
Adde quod ingenium longa rubigine læsum,
Torpet, & est multo quam fuit ante minus.

Idem

Idem de Pont. l. 4. eleg. 10.

Gutta cauat lapidem, consumitur annulus vsu,
Et teritur pressa vomer aduncus humo.

Catullus Eleg. 74.

Difficile est, longum subito deponere amorem,
Difficile est, verum hoc, qua lubet, efficies.

Horat. epist. l. 1. epist. 2.

Quo semel est imbuta recens seruabit odorem
Testa diu.

Iuuenalis sat. 2.

Nemo repente fuit turpissimus.

Idem sat. 7.

Laqueo tenet ambitiosi
Consuetudo mali.

Iuuenal. sat. 2.

Dedit hanc contagio labem.
Et dabit in plures: sicut grex totus in agris
Vnius scabie cadit & porrigine porci.
Vuaq; conspecta liuorem ducit ab vua.

SANTENTIAE PHILOSOPHICAE.

Maxima est vis vetustatis & consuetudinis: non modo in hoc, quod est animal, sed in ijs etiam, quæ sunt inanimata, consuetudo valet, cum locis etiam ipsis montosis delectemur & syluestribus, in quibus diutius commorati sumus. *In Lelio Ciceronis.*

Magna est illecebra peccandi impunitatis spes. *Pro Mil.*

Consuetudo peccandi, maleficij suscipiendi remouet dubitationẽ. *4. ad Heren.*

Quotusquisque reperitur, qui impunitate & ignoratione omnium proposita, abstinere possit iniuria? 3. *Off.*

Omnes religione mouentur, & Deos patrios, quos à maiorib. acceperunt, colendos sibi diligenter, & retinendos arbitrantur. *6. act. in Verr.*

Qui multa sunt sæpe perpessi, facilius ferunt quicquid accidit, obduruisseq. sese contra fortunas arbitrantur. Vt ille apud Euripidem.

Si mihi nunc tristis primum illuxisset dies,
Nec tam ærumnoso nauigassem salo,
Esset dolendi causa, ut iniecto equulei
Freno, repente tactu exagitantur nouo.
Sed iam subactus miserijs obtorpui. 3. *Tusc.*

Corruptela malæ consuetudinis, igniculi extinguuntur à natura dati, exoriunturq. & confirmantur vitia contraria. 1. *de Leg.*

Non ingenerantur hominibus mores tam à stirpe generis & seminis, quam ex ijs rebus, quæ ab ipsa natura loci, & à vitæ consuetudine suppeditantur. *De Leg. Agrar. ad popul. contra Rul.*

Sic fit vbi homines maiorem vitæ partem in tenebris agunt, vt nouissime solem quasi superuacuum fastidiant. *Seneca Epist.*

Tunc autem consummata est infelicitas, vbi turpia non solum delectant, sed etiam placent: & desinit esse remedio locus: vbi quæ fuerant vitia, mores sunt. *Epist. 28.*

Diu in istis vitijs iacuimus: euelli difficile est. Non enim inquinati, sumus, sed infecti. Non est morbus inter vitia contemnendus: potest adolescentia iniurias ferre, & se aduersus morbos contumaciter gerere: vbi vero senectus incubuit, facilius est morborum vitia prohibere, quam impetum regere. *Epist. 58.*

Inter causas malorũ nostrorum, quod viuimus ad exempla, nec ratione componimur, sed consuetudine abducimur. Quod si pauci facerent, nolumus imitari: quum plures facere cœperunt, quasi honestius sit: quia frequentius sequimur, & recti apud nos locũ tenet error, vbi publicus factus est. *In extrema par. epist.*

Educatio & disciplina mores facit: & id sapit vnusquisq. quod didicit. Itaq. bona consuetudo excutere debet, quod mala instruxit, bene docet loqui, bene docet facere. *In lib. de moribus.*

Grauissimum est imperium consuetudinis. *In Pro.*

Quicquid in excelso fastigio positum est, humili & certa consuetudine quo sit venerabilius, vacuum esse conuenit. *Val. Max. l. 2.*

Cõsuetudinis magna vis est: pernoctant venatores in niue, in montibus vri se patiuntur. *Cic. 2. Tusc.*

Consuetudo laborum perpessionem efficit faciliorem. Nam ferre calorem, contemnere vulnus, consuetudo docet. *Cicero 2. Tuscul.*

Bene facere ex consuetudine, in naturam vertitur, *Salustius in Iugurtha.*

Perpetua in vita sua tranquillitatum, & deliciarum sereno assuefacti, ad omne vel modicum obductæ solicitudinis nubilum commouentur. *Paulus Orosius de Orne. Ia. l. 1.*

Consuetum semper notius est. Quantam vim habeat, quod consuetum est, leges ostendunt, in quibus fabularia & puerilia, magis valent veritate propter consuetudinem. *Arist. l. 2. Metaph.*

Suaue est homini, quod consueuit tota vita sua. *Commentator super 1. Poetic.*

Quidam homines tantum assueti erant comedere venenum, quod venenum erat eis cibus. *Commentator sup. 3. Phys.*

Quidam per consuetudinem audienda falsa negant principia vera per se nota, vt, Ex nihilo nihil fit. *idem.*

Consuetudinem secundum naturam pronunciauit vsus. *Macrob. l. 7. Saturnal.*

APOPHTHEGMATA.

Antisthenes, dicere solebat. Omnia mala habenda pro peregrinis. Vulgus hominum ea tantum probat, quibus assueuit: ab exoticis abhorret, non quia per se mala sint, sed quia peregrina. At sapienti nihil peregrinum esse debet, nisi quod cum vitio coniunctum: neque enim ideo temulentia detestanda, quod alicubi nõ sit in vsu, sed quod per se turpis. Nunc ex vsu regionum de reb. iudicat populus, *Laert. l. 6. c. 1.*

Polyænus, consuetudinem dicebat initium exiguum capere, neglectam autem vires maximas sumere. *Ant. & Max. serm. de consuet.*

Chrysostomus, dicebat, Nihil tam firmum est in rebus humanis, quã veteris consuetudinis tyrannis: Ethnici, consuetudinem alteram naturam esse dixerunt. Item, Mire efficax est consuetudo ad se retinendam, quæ non patitur vt ad pristinum virtutis habitum aliquis reuertatur. *ibid.*

Philo, non rus (inquiebat) improbos, non vrbs bonos efficit: sed familium congressus & consuetudo. *Ant. serm. 22.*

M. Pomponius Marcellus, cum ex oratione Tiberij Cæsaris quiddam reprehendisset, contra affirmante Atteio Capitone id esse Latinum, & si non esset, futurum certe. Iam inde, inquit, mentitur Capito. Tu enim Cæsar ciuitatem dare potes hominibus, verbis non potes. Hominibus datur ciuitas, qui recipiuntur in ius ciuium, verbis datur ciuitas, quæ recipiuntur in consuetudinem sermonis Romani. Quemadmodum multæ voces non Græcæ tantum, sed & Britannicæ, & Gallicæ, & Persicæ ciuitate Romana donatæ sunt. Id publicus vsus potest, Cæsar non potest. *P. M. 8. apoph.*

SIMILITVDINES.

Socratis, Quemadmodum ventus ignem: Sic consuetudo amorem accendit. *Apud Max. ser. 3.*

Dionis, & nunquam malarum quicquam consuetudinum inuenietis stabile atque firmum, donec vndiquaque prohibeatur. Etenim quod indies appositionem suscipit: fermeque caret redargutione, nemoque facile cernit, quanto hoc illo sit deterius, ad omnia procedit: quemadmodum (opinor) & hulcera quædam & morbi, qui indies naturaliter incrementum capiunt. *Oratione 31. Rhodiaca.*

Plinij, vt in loco pestilenti quoque qui assueuere durant. Ita incõmoda parum lædunt assuetos. *lib. 18. c. 5.*

Vt callus tempore factus adimit sensum: Ita diutina mala consuetudo facit vt leuius feramus. *Lib. 25. c. 2.*

P. M. Vt Mithridati quotidie sumenti venenum, consuetudine factum est innoxium: ita mala quibus assueueris, non offendunt. *In Sim.*

Vina non modo soli sui referunt saporem, verumetiam arborum aut fruticum vicinarum: Ita non solum exprimimus eos vnde progeniti sumus, sed & eos quorum consuetudine sumus vsi. *In Sim.*

Vt quorundam hominum etiam aspectus fascinum habet: Ita sunt quorum omnis vitæ consuetudo mores inficit. *ibid.*

HIEROGLYPHICA.

Consuetudinis perniciosæ hominem indicaturus quispiam, *caprimulgum* autem pingat: ea. n. inter capras familiariter versatur, appetitq. earum vbera sugere: quod cum fecerit, vber extinguitur: capra, vt aiunt, excæcatur. *Pier. Val. l. 25. pag. 238. E.*

APOLOGI SEV FABVLAE.

Vulpes & Leo.

Quæ nunquam Leonem vulpes viderat, cum huic forte occurrisset, ita fertur exterrita, vt pene moreretur formidine. Eundem conspicata iterum, extimuit quidem, sed nequaquam vt dudum. Tertio illi obuiam facta, tam firmo animo fuit, vt accedere propius, & compellare illum auderet.

Ostendit fabula, etiam grauissima & difficillima negotia vsu & cõsuetudine tractabilia reddi. Itemque hoc inopinata omnia vehementius animos perturbare consueuisse.

Mulier & Maritus ebriosus.

Vixerat aliquot annis mulier cum viro ebrioso, & illius molestias atque tractationem malam pertulerat: Tandem vero statuit experiri, an villa ratione tanto malo vir ipsius liberari posset. Ergo cum temulentum, & obrutum vino accurate consopitae mox oppressum profundissimo somno, neq; magis sentientem

quam mori ni solent, humeris suis sublatum deportat in sepulcrum vetus, & in illo deponit atque abit. Paulo post de præteriti temporis ratione, cum conijceret, crapula & ebrietate edormisse hominem, reuertitur & monumento pulsato, si quis intus sit progredi eum iubet. Vir qui adhuc sane esset somniculosus, quid velit, interrogat. At illa: cibum ait, se mortuis circumferre. Tum ebriosus vir: Ne tu mihi, quisquis es, cibum, sed potum afferto. Est enim hoc mihi contrarium, te cibi ac non etiam potus mentionem facere. Hic mulier tristitia affecta, manibus pectus plagans suum, Nulla inquit, arte meliorem te fieri posse vir intelligo, ita consuetudine confirmatum, & in naturam abijsse morbum video. Fabula monet, non esse assuescendum vitiosis actionibus, quod ea, quæ sæpe multumque fiant, etiam nolentes prosequantur.

CONTEMPLATIO.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Contemplatio, Græce θεωρητικὸς, à θεωρέω contemplor dicitur. Et est liber animi contuitus in res. *S. Tho. 2. 2. q. 180. art. 3.*

Contemplatio, *à templo dicta est*, à templis seu locis sacris, vt nonnulli volunt, seu à templo summo, i. Cœlo, quod homines meditabundi frequenter intuentur, vox desumpta. Meditatio est rerum superarum & arcanarum.

Contemplatiui dicuntur non qui contemplantur, sed qui contemplationi totam vitam suam deputent. *S. Th. 2. 2. q. 81. ar. 1.*

Quomodo contemplatio, cogitatio, meditatio, & consideratio differant. *Vide sup. in Cogitatio.*

Sententiae Biblicae.

In meditatione mea exardescet ignis. *Psal. 39.*

Memor fui Dei, & delectatus sum, meditatus sum nocte cum corde meo & exercitabar. *77.*

Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. *84.*

Mens mea contemplata est multa sapienter. *Eccl. 1.*

Ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam meam, donec ipsa velit. *Cant. 2.*

Ego dormio, & cor meum vigilat. *ibid.*

Cogitare de illa (sapientia increata) sensus est consummatus, & qui vigilauerit propter illam, cito securus erit. *Sap. 6.*

Præcurre prior in domum tuam, & illic aduocare, & illic lude, & age conceptiones tuas, & non in delictis & verbo superbo. *Eccles. 32.*

Sicut parturientis, cor tuum phantasias patitur, nisi ab Altissimo amissa fuerit visitatio, ne dederis illis cor tuum. *34.*

Pone mensam, contemplare in speculo comedentes & bibentes. *Esa. 21.*

Contemplatus est diligenter multo intuitu, & clamauit vt leo. *ibid.*

Vade populus meus, intra in cubiculum tuum, & claude ostia tua super te. *26.*

Statue tibi speculam, pone tibi amaritudines, dirige cor tuum in viam rectam in qua ambulasti. *Ier. 31.*

Domine mi, in visione tua dissolutæ sunt compages meæ, & nihil in me remansit virium. *Dan 10.*

Ad ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius. *Ose. 2.*

Beati vestri oculi, quia vident, & aures vestræ, quia audiunt. Amē quippe dico vobis, quia multi prophetæ & iusti cupierunt videre, quæ videtis, & non viderunt, & audire, quæ auditis, & non audierunt. *Matth. 13.*

Inuisibilia Dei à creatura mundi per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius & virtus & diuinitas. *Rom. 1.*

Nos vero omnes reuelata facie gloriam Domini speculantes in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini spiritu. *2. Cor. 3.*

Nostra autem conuersatio in cœlis est. *Phil. 3.*

Pacem sequimini cum omnibus, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum. *Hebr. 12.*

Sententiae Patrum.

Contemplatio est illa species, quæ rapit omnem animam desiderio sui tanto ardentiorem, quanto mundiorem: & tanto mundiorem, quanto ad spiritualia surgentem, quanto carnalibus desiderijs & terrenis affectibus morientem. *Aug. de Trin.*

Qui didicerunt à Domino Iesu Christo mites esse & humiles corde, plus cogitando & orando proficiunt, quam legendo & audiendo. *Epist. ad Paulinum.*

Tuta vita est, in qua nihil sit, quod timeas quæ compensatur mentis placiditate, leuatur vsu, sustentatur ocio, non occupatur alienis molestijs, non vrgetur vrbanis discursibus. *Ambr. in epist.*

Hæc in Iudæa vsque hodie perseuerat consuetudo, non solum apud nos, sed etiam apud Hebræos, vt qui in lege Domini meditantur die ac nocte, & partem non habent in terra, nisi solum Deū, totius orbis foueantur ministerijs. *Hier. contra Vigil. in epist.*

Mens nostra ad contemplanda interna non perducitur nisi ab his, qui exterius implicant, studiose subtrahatur. Mens nostra nullo modo ad viam intimæ contemplationis rapitur, nisi studiose prius à terrenorum desideriorum tumultu sopiatur. *Greg. lib. 5. mor.*

Nunquam commotioni contemplatio iungitur, nec præualet mēs perturbata conspicere, ad quod vix tranquilla valet inhiare: quia nec solis radius cernitur, quum commotæ nubes cœli faciē obducunt: nec turbatus fons respicientis imaginem reddit, quā tranquillus proprie ostendit: quia quo eius vnda palpitat, eo in se speciem similitudinis obscurat. *ibid.*

Contemplari Dei sapientiam non possunt, qui sibi videntur esse sapientes: quia tāto ab eius luce longe sunt, quanto apud semetipsos humiles non sunt: quia in eorum mentibus, dum tumor elationis crescit, aciem contemplationis claudit, & vnde se lucere præ cæteris æstimant, inde se lumine virtutis priuant. *lib. 8. moral.*

Perfectus prædicator non est, qui propter contemplationis studiū operanda negligit, vel propter operationis instantiam contemplanda postponit. *super Ezech.*

Contemplatiua vita est, charitatem Dei & proximi retinere & ab exteriori actione quiescere: soli desiderio conditoris inhærere, vt nihil iam habere libeat, sed calcatis curis omnibus ad videndam faciem sui creatoris animus inardescat. *ibid.*

Contemplatiua vita merito maior est quam actiua: quia hæc in vsu præsentis operis laborat, illa vero sapore intimo, venturam requiem degustat. *ibid.*

Sunt nonnulli, qui magnis muneribus ditati, dum solius contemplationis studijs inardescunt, parere vtilitati proximorum prædicatione refugiunt, secretum quietis diligunt, secessum speculationis appetunt, de quo si districte iudicentur, ex tantis proculdubio rei sunt, quantis venientes ad publicum prodesse potuerunt. *In quadam Epist.*

Sæpe enim qui contemplari Deum quieti poterant, occupationibus pressi ceciderunt: & sæpe qui occupati humanis vsibus viuerent, gladio suæ quietis extincti sunt. *lib. 6. mor.*

Sæpe indiscretos Deus, quos suos tenere diligit, eo solicite ab externis actionib. abscondit. Nam & plerunq. paterfamilias ad eū laborem filios dirigit, à quo seruos suspendit: & inde filij vexatione decori sunt, vnde serui in puluere fœdantur. *lib. 25. moral.*

Omnis qui vno pede claudicat: soli illi pedi innititur, quem sanū habet: quia & cui desiderium terrenum iam arefactum fuerit, in solo pede amoris Dei tota virtute se sustinet: & in ipso stat, quia pedem amoris sæculi, quem ponere in terra consueuerat, iam à terra suspensum portat. *super Ezech.*

Quum contemplationis arcem aliqui tenere desiderant, prius se in campo per exercitium operis probent, vt solicite sciant, si nulla iam mala proximis irrogant, si irrogata à proximis æquanimiter portant, si obiectis bonis temporalibus nequaquam mens lætitia soluitur, si subtractis non nimio mœrore sauciatur, aut deinde perpendant, si quum ad semetipsos introrsus redeunt, in eo quod spiritualia rimantur, nequaquam secum rerum corporalium vmbras trahunt, vel forte tractas manu discretionis abigunt. *lib. 6. moral.*

Sine contemplatiua vita intrare possunt ad cœlestem patriam, qui bona quæ possunt operari non negligunt: sine actiua aūt intrare non possunt, si negligunt bona operari quæ possunt. *Super Ezec.*

Contemplatio diuinæ suauitatis & gloriæ solis mente & corpore puris conceditur. *Ber. in Cant. serm. 67.*

Contemplationis accessus duo sunt, vnus in intellectu, alter in affectu: vnus in lumine, alter in feruore, vnus in acquisitione, alter in deuotione. *Idem serm. 46.*

Contemplationis quies pro lucro animarum libenter intermittenda est. *Ibid. serm. 55.*

Noli nimis insistere osculis contemplationis, quia meliora sunt vbera prædicationis, nam & si Rachel formosior, Lia tamen fœcundior est. *Ibid. serm. 9.*

Felix domus & beata semper congregatio, vbi de Maria, Martha semper conqueritur: nam Mariam Marthæ æmulari indignum prorsus est. *In quadam epist.*

Tria sunt, quæ oculum intelligentiæ confundunt, atque contemplatione veri luminis excludunt, scilicet tenebræ peccatorum, recordatio eorundem peccatorum, & cura terrenorum actuū: Contra triplicem morbum triplex remedium est. Nam primus ejicitur per confessionem: secundus per orationem: tertius per quietem. *De consid. ad Eugen.*

Vtilius est per simplicem actionem ire ad vitam æternam, quam per contemplationis errorem mitti in gehennam. Multos enim Deus ex carnalibus sua gratia visitat, & ad contemplationis fastigium eleuat: multosque à contemplatione iusto iudicio deserit, & lapsos in terrenis operibus derelinquit. Loth enim perso-

oa

na in ciuitate iustus fuit, & in monte peccauit. *Isid. de bono lib. 3.*

Qui prius in actiua vita proficit, bene ad contemplationem conscēdit: merito enim in ista extollitur, quia in illa vtilis inuenitur. *ibidem.*

Actiua vita est, panem esurienti tribuere, verba sapientiæ nescientem docere, errantem corrigere, ad humilitatis viam superbientem proximum reuocare, infirmantis curam gerere, quæ singulis quibusque expediant dispeolare, & commissis nobis, qualiter subsistere valeant, prouidere. *Beda in Luc.*

Nemo potest eorum qui delectantur præsentibus, & caducis cœlestia ac spiritualia contemplari: qui vero ista contempserit, & velut vmbram hæc ac puluerem duxerit, velocius ad illam perueniet. Nam & apud homines hic mos est, vt tunc thesauros suos reconditasque diuitias patefaciant filijs suis, quum eos adultos iam viderint, & pueriles lasciuiæ vitia respuisse. *Chrys. in lib. de cōpunctione cordis.*

Habet actiua profectum, contemplatiua fastigium, hæc facit sanctum, illa perfectum: huius vitæ est nulli prorsus iniurias irrogare: illius irrogatas æquanimiter sustinere. *Prosp. lib. 1. de vita contemplatiu.*

Iste actiuus, qui suscipiendo peregrinum, vestiendo nudum, gubernando subiectum, redimendo captiuū, tuendo violenter oppressum, iugiter se ab omnibus iniquitatibus suis emaculat, & vitam suam bonorum operum fructibus dicat. *ibidem.*

Ille contemplatiuus, qui facultatibus suis in vsus pauperum distributis, simul se exspoliauit mundo, & totis viribus adhæret cœlo, res mundi mundo proiecit, & se ipsum Christo deuota tamen te restituit. *ibid.*

Actiua vita habet solicitum cursum: contemplatiua gaudium sempiternum. In hac acquiritur regnum, in illa percipitur. Hæc facit pulsare bonorum operum velut quibusdam manib. ianuam: illa vocat consummandos in patriam. In hac contemnitur mundus, in illa videbitur Deus. *ibid.*

Quis enim nescit, quod sicut otium studiosum à carnalibus, ineffabilem suauitatem sapientiæ cœlestis inducit otiosis: ita spiritualis occupatio laborum sanctorum multiplices afferet fructus humanæ societatis occupatio. Itineribus quidem diuersis incedunt sed ad vnam patriam tendunt, & ad vnum regnum disparibus militantes officijs. Christo rege omnium vocante perueniunt. *idem lib. 3.*

Tria sunt genera meditationum. Vnum in creaturis: vnum in scripturis: vnum in moribus. primum surgit ex admiratione, secundum ex lectione, tertium ex circumspectione. Admiratio generat quæstionem, quæstio, inuestigationem, inuestigatio inuentionem. Lectio ad cognoscendam veritatem materiam ministrat: meditatio coaptat. oratio subleuat, operatio componit, & contemplatio in ipsa exultat. *Hug. in meditationib. suis.*

Circumspectio in moribus duplici consideratione discurrit intus, & foris: foris ad famam, intus ad conscientiam: vt quid expediat & quid deceat ad exemplum, expediat ad meritum, nobis ad vitium, proximis ad exemplum. *Hug. ibid.*

Cogitatio vaga incessu semper huc & illuc diuertit: sed meditatio destinata promotione semper in vlteriora, tendit, contemplatio autem est libera mentis perspicacia, in sapientiæ speculo cū admonitione suspensa. Meditationis est perscrutari occulta: contemplationis est admirari perspicua. *Hug. in lib. de arca mystica.*

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Naturæ quidem ratio & scientia in corporibus ac magnitudinib. eorumque & affectionibus & motibus, & præterea in principijs quæ huius talis naturæ essentiæque sunt, fere tota cernitur. *lib. 1. de cœlo, c. 1. T. 1. Arist.*

Scientia quæ est de naturæ obscuritate, quædā pars est earum, quæ in contemplatione versantur: sed in contemplatione eius quod est eiusmodi, quod moueri potest, & essentiæ quæ ratione plerūque solum seiungi separarique non potest. *lib. 6. 5. Metaph. c. 1. T. 1. & lib. x. 10. Metaph. c. 6.*

Physicus in ijs omnibus versatur, quæ sunt huius, vel illius corporis, & huius vel illius materiæ officia, & consequentia. *lib. 1. de animo, c. 1. T. 17.*

Physici est valetudinis ac morbi primas causas animaduertere. *l. de sensu c. 1. & l. de Respira. c. 8.*

Omnis Physicorum ratio in ijs cernitur, quæ in se motus & status principium continent. *lib. x. 10. Metaph. c. 1. & c. 6.*

Accidentia principiaque eorum quæ sunt, quatenus mouentur nō quatenus sunt, Physica cognoscit. *lib. x. 10. Metaph. c. 3.*

Hominis sanæ naturæ studiosi est de anima & disserere & scire, & si non de omni anima, tamen de ea ipsa, quæ tale animal est, & quidnam anima aut certa pars ista animæ sit: atque etiam de ijs. quæ tali substantiæ accidant. *lib. 1. de Part. animal. c. 1. de animo, c. 1. T. 15.*

Rem à materia abstractam nullam potest scientia naturalis contemplari. *ibid.*

APOPHTHEGMATA.

Hannibal, cum adesset dies, quo primam pensionem exigebāt à Pœnis Romani, totus populus ad tributi mentionem ingemuit: at Hannibal interim effuse risit. Ea de re increpatus ab Hasdrubale Hedo, negauit eum risum fuisse gaudentis, sed aliorum feras, & inanes lachrymas deridentis, quæ nunc in leuiore malo manarēt cum antea potius manare debuerint, quo tēpore Romani classes, arma & amplissimarum victoriarum spolia Pœnis detraherent, ac leges victis imponerent. *Plu.*

Nero, cum desperatis rebus iam mortem sibi ipsi inferret, destitutus omni auxilio: ingressus ad eum Centurio, semianimem reperit, itaq. penula ad vulnus apposita, simulans se venisse in auxilium, nihil aliud respondit quam, Sero: &, Hæc est fides. Sermo ambiguus est: potest. n. intelligi, Sero venisse, qui iam ad morientem venerat: & sero venit, qui in hoc venit vt viuum attraheret. Itē hæc est fides, potest esse expostulantis de fide amicorum. At Nero sensit. se nihil illius verbis credere, eiusque rei argumentum esse vulnus in iugulo lethale. *Sueton. & P. M.*

SIMILITVDINES

Philoni Iudæi. lumen animæ, solari simillimum est scientia. Nam sicut oculi splendore, sic mens illustratur sapientia, & vsque acutius cernere assuescit iniuncta. nouis semper contemplationib. *Lib. de cognit.*

Plutarchi, Heraclitus dixit, vigilantibus vnum communem esse mūdum. sopitus in suum quemque discedere. At superstitiosus, ne vigilans quidem communi cum alijs mundo fruitur, semper somniante cogitatione. *In moral.*

Seneca, Quemadmodum artifices ex alicuius rei subtilioris intentione quæ oculos defatigat, si malignum & non præclarum lumen habent, in publicum prodeunt, & in aliqua regione ad populi ocium dedicata, oculos libera luce delectant: Sic animus in hoc tristi & obscuro domicilio conclusus. quoties potest apertum petit, & in rerum naturæ contemplatione requiescit. *Lib. 2. epist. 66.*

Vt qui ex claro sole redierunt in vmbrā, his caligant oculi: Ita qui a diuinorum contemplatione, ad humana recidunt.

EMBLEMA.

Qui alta contemplantur. cadere.
Andreæ Alciati.
Emblema CVII.

Dum turdos visco, pedica dum fallit alaudas,
Et iacta altiuolam figit arundo gruem,
Dipsada non prudens auceps pede perculit: vltrix
Illa mali emissum virus ab ore iacit.
Sic obit, extento qui sidera respicit arcu.
Securus fati quod iacet ante pedes.

Vide, Cogitatio, Consideratio.

CONTEMPTVS.

DEFINITIO.

Contemptus, Græce καταφρόνησις, &c. καταφρονέω. contemno. & καταφρονητὴς, contemptor dicitur. Estque transgressio legis, ex hoc, quod voluntas renuit subijci legi, vel regulæ. *S. Thom. 2. 2. q. 186. & art. 9.*

Contemno compositum, à con & temno, idemque est, quod sperno. τέμνω Græcum est, incido & reseco, quia quæ spernimus, amputare & resecare consueuimus. Sunt qui ita distinguant ne contēno à despicio, vt despicere grauius sit, quam contemnere. Item spretus sit, qui refutatus est. Contemptus vero qui inutilis reputatus est. Terentius. *Quot modis contemptus, spretus? facta transacta omnia.*

Hebr. *Bazah*, Contempsit, spreuit, abiecit: Inde *Bizzaion*. contemptus, & nomen *Bas*, Gall. quem contemnimus eum abijcimus, & longe infra nos substernimus.

LOCI BIBLICI.

Contemptus aliorum damnatur, *Prou. 11. 12. Matth. 5. 22. & 18. 10. & 20. 26. Luc. 18. v. 11. 13. 14. Rom. 11. 18. & 14. v. 3. 10. 1. Cor. 4. 7. & 12. 21. Galat. 6. 1.*

SENTENTIAE PATRVM.

Sedulo monendi sunt scholastici, vt humilitate induti Christiana discant non contemnere, quos cognouerint morum vitia, quam verborum amplius deuitare, quia licet per ignoran-

etiam

tiam grammaticæ artis aliquid vitiosum proferant presbyteri vel episcopi, non tamen ideo a scholasticis sunt despiciendi, sed corde casto prælatorum linguam exercitatam scholastici præferre non audeant: quam etiam proferre consueuerant. Morum enim vitia magis, quam verborum sunt præcauenda. *Aug. de catechizand. rud.*

Omnia contemnit, qui non solum quantum potuit, sed etiam quantum voluit habere contemnit. *ibid.*

Sicut solet generari ex assiduitate contemptus: sic attenditur ex ipsa raritate deuotio. *Amb. in quodam serm.*

Non sunt contemnenda quasi parua, sine quibus magna constare non possunt. *Hier. in epist. ad Laetam.*

Facile est viro opes contemnere, pecuniam dissipare, & proijcere, quæ in momento & perdi & inueniri potest. Nam facile obijcitur: quod extrinsecus hæret. Hoc fecit Socrates, hoc Antisthenes, hoc fecerunt plurimi philosophi, quos vitiosissimos legimus. *In epist. ad Pa.*

Quod enim sumus, hodie nouimus: quid autem post paululum esse possumus, nescimus: hi vero, quos fortasse despicimus, & tarde possunt incipere, & tamen vitam nostram feruentioribus studijs anteire. Timendum itaque est, ne etiam nobis cadentibus surgat, qui nobis stantibus irridetur: quamuis stare iam non nouit, qui non stantem nouit irridere. *Greg. lib. 15. Moral.*

Super altitudines terræ sustollitur, etiam ipsa, quæ gloriosa præsentis sæculi per mentis despectum, calcat. *In registro.*

Pulchra a conditis amorem subtrahunt, qui in ipsum autorem pulchritudinis cordis, passibus tendunt. *In Moral.*

Si reum regiæ maiestatis quamuis humanæ humanis legibus capite plecti sancitum est, quis finis contemnentium diuinam omnipotentiam erit? *Bern. super Cant.*

Qui terrena contempsimus, necesse est, vt flagrante desiderio cœlestia requiramus. *Bern. in Paru. serm.*

Contemne diuitias, & eris locuples: contemne gloriam, & eris gloriosus: contemne supplicia inimicorum, & tunc eos superabis: contemne remissionem & quietem, & tunc eam recipies. *Chrysost. in epist. ad Hebr.*

SENTENTIAE PHILOSOPHICAE.

Intolerabilis res poscere nummos, & contemnere. Indixisti pecuniæ odium, hoc professus es, hanc personam induisti: agenda est. Iniquissimum est, te pecuniam sub gloria egestatis acquirere. *Sen. lib. 2. de benef.*

Paupertati domum aperire, voluptates tenere sub fræno, meditari vel lætari de dolorum patientia, hæc qui apud se versat, in magno gaudio est, parum blando. *Epist. 22.*

Facile contemnit omnia, qui ad contemptum sui venit, vis ergo habere omnia? contemne omnia. *Epist. 85.*

Insuperabili loco stat animus qui externa deseruit. Inexpugnabilis est, quem multis machinis lacessitum fortuna non transfixit, nunquam maior est, quam vbi aliena disposuit, & fecit sibi pacem, nil timendo diuitias, nil concupiscendo. *Epist. 33.*

Fabricius Pyrrhi regis aurum repulit, maiusque regno iudicauit, regias opes posse contemnere. *lib. 3. de benef.*

Nondum felix es, si non te turba deriserit. Si beatus vis esse, cogita hoc, primum contemnere, & ab alijs contemni. *lib. de Moral.*

Grauius est contemni, quam stultitia percuti. *In Prou.*

Sunt plurimi, qui multa verbis non re contemnunt, sed ipsa quæ sperantur, clam furantur. *ibid.*

De contemptu. DIAL. XXXVI.

Francisci Petrarchæ.

DOL.

Sed contemnor. R. Si iniuste quidem, est (non inficior) quod doleas: feras tamen, alioqui est quod rideas. Nihil est enim ridiculosius, sed nil crebrius, quam contemni Sapientem ab insanis. D. Spernor. R. Circa hoc verbum vnum, quatuor bona esse dixere aliqui: Spernere mundum, Spernere nullum, Spernere sese, Spernere se sperni: Hoc tibi vltimo opus. D. Spernor a multis. R. Si a maioribus fer, si paribus patere. Illi suo iure vtuntur. Fere namque contemptui sunt minora maioribus. Hi se contemptui ostendunt & maiores fieri quando aliter non possunt, hac tentant via: sine minoribus, sine illos insanire, neque magni facias contemptum, qui illis infamiæ sit, tibi gloriæ. Spreuit Achillem Thersites, de quibus modo diximus. Homerum Zoilus, Augustum Antonius, Vergilium Euangelus, Ciceronem Caluus, Et (quod ex Euangelio dicimus, quodque est maximum) Herodes pessimus miserrimusque hominum Christum spreuit. Quid vel contemptis hic nocuit, vel contemptoribus profuit? D. Spernor & irrideor. R. Irrisionum nescio quid & histrionicum etiam esse animis solet, eoque magis, quo minoribus, quid minor est opus. Alter alterum ridet. D. Spernor ab alijs. R. Recordare an tu alios aut spernas aut spreueris. Hic est mos humanus, spernere & sperni: mutuo vos vicissim odio, mutuoque premitis contemptu & vultis alijs esse venerabiles neminem venerantes, placere vultis Deo, cuius operum nullum vobis placet, eo quo placere debet modo, in quo præclare quidem noster Cicero, si præclarum aliquid sub Deorum nomine dici posset. Minime inquit conuenit, cum ipsi inter nos viles neglectique simus, postulare vt Dijs immortalibus chari simus, & ab his diligamur. Illud ergo præclarius Malachiæ prophetæ. Nunquid non pater vnus Deus creauit nos? Quare ergo despicit vnusquisque vestrum fratrem suum? D. Sperni grauiter fero. R. Et si nemo sperni velit, multi cupiant timeri, multo tamen est sperni securius, quam metui. Itaque quod ait Annæus in epistola quadam: Non minus contemni quam suspici nocet: non admitto. Illud ab eodem alibi dici rectius æstimo, Periculosius timeri esse quam despici. Proinde cum veteri Sapientum edicto tria hæc vitanda didiceris, de quibus totidem continuis tractatibus egimus, & sint mala omnia, haud dubie tamen malum minus hoc vltimum quamuis ignobilius. nec deest suum cuique remedium. Odium obsequio lenitur, liuor modestia, contemptus amicitijs illustrium, & honestis artibus, ac virtute. Nemo primum Bruto contemptior Romæ fuit. Nemo minus postea. Age & tu bonum, magnumque aliquid, quo contemni nequeas.

Polyanthea Noniss.

SIMILITVDO.

Plinij. Bucephalus Alexandri Magni equus, quoties nudus esset, equisonem in tergum admittebat, ornatus regijs phaleris neminem ferebat nisi regem ipsum, in reliquos omnes fereciebat: Ita quidam tenues quemuis ferunt, diuites facti despiciunt vulgares. *lib. 8. c. 24.*

ADAGIA.

Contemptus & Vilitatis.

Tineas pascere.

Translatum a vestibus aut libris, diu reconditis & intactis.

Homo tressis.

Persius tressem Agasonem appellat contemptissimum homuncionem. Idem, Et Græcas curte contusse licetur.

Semissis homo.

Marcus Tullius Cicero lib. 5. ad Atticum, Vatinium semissem hominem vocat, vilissimum & contemptissimum.

Ne crepitu quidem digiti dignum. οὐκ ἄξια ὄντα ψόφου δακτύλων.

Et gestibus, & prouerbium in hodiernum vsque diem manat apud nostrates. Ich vvolte das nit drumb geben. Ich vvolte nicht ein Schnelling darumb geben.

Concha dignus. κόγχης ἄξιος.

Rem nullius precij concham dicunt Græci, quemadmodum Latini nauci, & floccum.

Ne ligula quidem dignus. κορδύλης οὐκ ἄξιος.

Dicebatur homo nequam & nullius precij.

Semper me tales hostes insequantur. ἀεὶ τοιοῦτοί με πολέμιοι διώκοιεν.

Vbi quosdam libenter odimus ac simultatem eorum contemnimus. Potest accommodari & in eos, qui defeciscunt ab amicitia: sed vt inimici nihil queant nocere.

Aquila thripas aspiciens. αἰετὸς θρῖπας ὁρῶν.

De magnis, qui pusilla negligunt.

Aquilam cornix prouocat. αἰετὸν κορώνη δ᾽ἐρεθίζει.

Locus adagio fuerit, si quando leuiusculus quispiam homuncio, qui neque prodesse queat, neque lædere, maximo viro, oblatrat.

Asinus compluitur. ὄνος ὕεται. Suid. 5.

Dictum apparet in eos, qui maledictis nihil omnino commouerentur. Er ist so nass, als er vverden mag.

Susque deque.

Apud Plautum atque alios autores inuenitur: Susque deque fero, & Susque deque habeo, pro eo quod est: Nihil mea refert, nihil laboro.

Manum non verterim. *Apuleius.*

Pro eo, quod est nihil omnino laboro. Mea nihil refert, nihil enim facilius, quam manum vertere. Ich vvolte nicht ein Handt drumb vmbkehren.

Quod non est opus, asse charior est.

Potest ad complures accommodari sententias, vt si quis dicat artem quampiam minimo negocio posse disci, quæ tamen nihil frugis sit allatura.

Vapula papyrea.

Dici solitum, si quando volebant significare, se negligere minas aliquorum.

Asinus esuriens fustem negligit. ὄνος πεινῶν οὐ φροντίζει ῥοπάλου.

In eos congruit, qui ventris compendij gratia quamuis contumeliam perferunt. Aristot.

Pili non facio, &. Ne pilo quidem melior.

Quum minimum quiddam momenti significatur.

Quam curat testudo muscas? ὅσον μέλει τῇ χελώνῃ μυιῶν.

Testudini nihil nocere possunt muscæ propter testam, qua munita est.

Nauci non facio. Nauci facio.

Pro eo quod est, nihili facere.

Flocci non facio. Flocci facio.

Pro eo quod est, ne tantilli quidem facere.

Ne teruncium quidem insumpsit.
Accipitur pro re vilissima.
Fruito panis. *Gellius.*
Pro re quantumlibet pusilla ac vili. Er geb es vmb ein stuck Brodts.
Nec vno dignus. ἄξιος οὐδὲ μιᾶς.
De vilissimo. Translata metaphora a iactu talorum. Er ist nit eines hellers vverth.
Cœnum Barbaricum, βόρβορος βαρβαρικός.
Pro vehementi stupore mentis apud Platonem lib. de Republica secundo ponitur.
Diobolares.
Quum minimi precij rem, vel hominem vilissimum volumus intelligi: Diobolarem recte dicemus. Fest. Pomp.
Mythragyrtes, non daduchus. Μηθραγύρτης, οὐ δᾳδοῦχος.
Is qui in functione quapiam sordidas contemptasque partes agit, Mithragyrtes dicetur, daduchus esse negabitur. Mithragyrtæ dicebantur, qui simulatis mysterijs obambulabant, ac simplicioribus imponebant.
Nummo addicere.
Apud Iurisconsultos proverbiale est, nummo addicere, pro eo, quod est minimo vendere. Cicero in orat. pro C. Rab. Posth. dixit, Nummo sestertio addicere.
Non magis quam canem.
Odium & contemptum vulgo declarant canis vocabulo. Horatius: Odisse canis peius & angue.
Obolo dignus. ἄξιος ὀβολοῦ.
Id est dignus obolo, pro eo per iocum dicebatur, qui in aliquo numero vellet haberi.
Ve luci baiuli, ὥσπερ πυλοφοροῦντες.
Apte torquetur in eos, qui functionibus honestis ad abiectum quæstum abutuntur.
Titiuillitium.
Titiuillitium vox erat olim, nullam quidem rem certam declarans, sed nolut interiectio. contemptum extremum indicabat, qualis est apud Græcos ππππαλαί. Plautus. Non ego istud verbum emptitem titiuillitio.
Ne nummus quidem plumbeus.
Nummum plumbeum hyperbole proverbiali pro minima pecunia ponunt.
Ne vmbra quidem eius nouit.
Adagium videtur ductum ab antiqua pictura, quæ rem duntaxat umbris ruditer repræsentabat.
Nihil sacri es. οὐδὲν ἱερὸν ὑπάρχεις.
Accommodatur ad quamuis rem despectui habitam. du bist ja nicht hellehumb.
Summam morum corruptionem & nullum honesti respectum, his verbis Græci significant. οὐδὲν ὑγιές.
Homo triobo li.
Pro homine nequissimo planeque nullius precij.
E circulo, & triuio.
Hominem è triuio, plebeium & contemptum appellamus.
Exiguum oboli precium. μικρὸν τοῦ ὀβολοῦ τίμιον.
Conuenit in homines nequam, nihiloque. Quanquam nihil obstat, quo minus ad rem contemptam transferatur.
Alopizein. Catonius.
Quod reijcitur ac nihili fit, translatum a summis hordei spicis, quas cum cuspides habent.
Multa Syrorum holera. πολλὰ Σύρων λάχανα.
Dicuntur aut in magica arte periti, & herbis maleficis tam exercentes: aut vbi qui rebus vilibus abundant.
Huius non facio.
Donatus admonet esse demonstrantis, aut floccum, aut stipulam, aut summum digitum, aut huiusmodi quippiam. Germani eundem gestum retinent dicendo. Ich vvolte nit das drumb geben.
Quatuor obolis non æstimo. τεττάρων ὀβολῶν εἶναι οἴει.
Simile illis: Assis te non facio, & dipondij non facio, & teruntij non facio, &c.
Tricæ, Apinæ.
Tricas & Apinas, vulgo res futiles & nugatorias dicebant. Rotbfisch, blavve Enten, Pfifferling, Affenspiel, tillematelle.
Nebula in pariete.
Pro re nihili, somnique simillima.
Trium literarum homo.
Per ironiam dici potest in eum, qui generosus ac ingenuus videri cupias.
Vitiosa nuce non emam.
Apud Plautum est. Vitam tuam vitiosa nuce non emam, pro eo, quod est, ne minimo quidem. Ich vvolte nicht ein vvurmstichige Nuss drumb geben, ich gebe nicht ein Nussschalen drumb.
Cassa glande.
Similimo tropo Paulus in Rud. dixit cassam glandem, pro vitiosa glande, & inani putamine.
Dici solitum in homines nullius precij, qui tamen in numero aliquo studeant haberi. Der Meussdreck vvill allzeit vnder dem Pfeffer sein. Hie schvvimmen vvir äpffel, sagt der Pferdstreck da er auff dem Basser vnder den äpffeln schvvam.
Mandare laqueum.
Mandare laqueum dicimur ijs, quos vsque adeo negligi, a nobis significamus, vt si vel suspendant sese, nihil ad nos attineat. Ich vvill jhm ein strick schencken.
Medium ostendere digitum.
Medio item digito ostenso, supremum contemptum significabant. Martialis. Atque illi digitum porrigere medium. Die Feigen zeigen.
Minimo prouocare.
Est contemptum ad certamen prouocare, sumptum a gestu prouocantium ad pugnam, minimo digito porrecto.
In Barbarum quempiam ac vilem homuncionem dicebatur. Zenodot.
De lapide emptus. *Tullius.*
In vilissimum & vehementer obscurum hominem dicebatur.
Siculus miles. Σικελὸς στρατιώτης.
Conuenict in hominem lucri gratia nullum ministerij genus recusantem. Zenodot.
Imi subsellij. *Gellius.*
Imi subsellij viri appellantur parasiti: qui ita in conuiuium admittuntur, vt imo sedeant loco. Quadrabit etiam in tenues conuiuas, quos recipiunt diuites, sed infimo loco.
Seruorum ciuitas. δούλων πόλις.
De cœtu conuictuque hominum improborum, furacium aut ignobilium dici potest. Suidas.
De fece haurire.
Pro eo, quod est sordida quæpiam ac plebeia, nimisque humilia prosequi. Cicero.
Pomarius Hercules. μήλιος Ἡρακλῆς.
Per contemptum dicebatur in eum, qui nomen quidem magnificum gereret, cæterum opibus nullis, nullaque potentia pollens.
Malum Herculis. Μῆλον Ἡρακλῆς.
Dici conuenit, vbi quis munuscula quantumuis pusilla boni consulit.
Munus leuidense.
Cicero vocat munus vile, minimeque precij.
Cicernus Bacchus. Ἐρεβίνθειος Διόνυσος.
De re vehementer contempta. Sumptum a potu ex leguminibus confecto, qui vinum imitatur.
Ollaris Deus. χύτρεος Θεός.
Dicebatur in hominem lutulentum, & contemptæ sortis. Zenodotus.
Soterichi lecti.
De re vili prisca que, & minime ambitiosa, rudis artificij.
Cenidis & Buphoniorum. τὰ Κηκείδου καὶ Βουφονίων.
De re magnopere prisca, & ob vetustatem iam pridem obsoleta desuetaque adeo contempta.
Ficulneus.
Virum ficulneum appellant, mollem atque inutilem.
Ficulneus gladius. συκίνη μάχαιρα.
De friuola causa dici potest, quæque minimo negotio queat refelli. Theocritus.
In foribus vrceum. ἐπὶ θύραις τὴν ὑδρίαν.
Significat rem contemptam ac vilem. Negliguntur enim quæ passim sunt obuia, quæque facile quolibet contingunt.
Merx vltronea putet.
Id est: Ingrata sunt, quæ vltro non petentibus efferuntur. Hieron. Angebottener dienst ist nit danckens vverth. Item verbutten Obs ist süss, Gestolen Basser ist Maluasier.
Numerus. ἀριθμός.
Homines nullius bonæ rei, numerus prouerbio dicuntur, etiam idiotis. Horatius:
Nos numerus sumus, & fruges consumere nati.
Telluris onus. γῆς βάρος
De homine vehementer inutili, qui nihil aliud quam terram suo pondere grauat. Er ist nicht vverth, dass jhn die Erd trage. Er ist ein Erbenlast.
Abominandus scarabæus. μιαρὸς κάνθαρος.
De vilissimo homine dicebatur. In sacris quoque literis vermis abiecti in prouerbium contemptus. Ego sum vermis & non homo.
Aetnæus scarabæus,
De magnis & fœdis.

Exempla Biblica.

Contemptus beneficiorum Dei & eius punitionis exempla: Esau, *Gen.* 25. *v.* 32. 34. *Hebr.* 12. *v.* 16. 17. Contemptus verbi Dei eius punitio, 2. *Paral.* 30. *v.* 10 *Prou.* 1. 25. 26. Exempla: Pharao, *Exod.* 5. *v.* 2. & 15. *v.* 3. 4. 5. Saul, 1. *Sam.* 15. *v.* 10. 15. 26. & 31. *v.* 4. Salomon, 1. *Reg.* 11. *v* 4. 5. 6. Achaz, 2. *Paral.* 28. *v.* 21. 22. Israelitæ, *Psalm.* 106. *v.* 21. 22. *Esa* 1. *v.* 2. & 65. *v.* 2. *Ierem.* 15. *v.* 6. *Osea* 6. *ver* 7. & 15. *v.* 5. 6. Ephraim, *Osea* 11. 3. Impij, *Iob* 21. 14. 15.

Historica Exempla.

Capto Hellesponto & Lacedæmonijs profligatis in tantum animos sustulere Alcibiadis milites tantosque sumpserunt spiritus: vt dedignarentur alijs militibus subinde victis, se inuictos vbique commiscere, *Plut. in Alcibiade.*

Maecenatem Horatius lib. 1. Satyr. 6. laudat, quod quamuis regio natus esset sanguine: neminem tamen iuxta se contemneret, inter caetera sic inquiens:

——Persuades hoc tibi vere:
Ante potestatem Tulli, atque ignobile regnum,
Multos saepe viros, nullis maioribus ortos,
Et vixisse probos, amplis & honoribus auctos.
Contra Laeuinum, Valeri genus: unde superbus
Tarquinius regno pulsus fuit: unius assis.
Non unquam pretio pluris licuisse.

Diogenes. Quidam gloriosum titulum inscripserat aedibus suis, Iouis filius Callinicus Hercules hic habitat, ne quid introeat mali. Dio genes ex inscriptione stultitiam hominis deprehendens, adiecit μετὰ πόλεμον ἡ συμμαχία id est, Post bellum auxilium, indicans, ieram malorum omnium deprecationem, postquam talis immigrasset. Colebatur enim Hercules ἀλεξίκακος, malorum depulsor. Eum oportuit in aedes immigrare, priusquam immigrasset dominus aedium, qui ipse erat magnum malum. *Laert. lib. 6.*

APOLOGI SEU FABULAE.

Aquila & Cuniculus.

Aquila raptos pullos cuniculi detulerat in nidum suum, quem in altissima arbore fixerat. At moesta mater, vt suis parcat per omnes illam deos miserorum curatores obtestatur, sed aquila cuniculi precibus contemptis, & despecta humilitate dilacerat pullos cuniculi, & suis praebet discerpta membra. Hic vero dolore & ira commotus, suo cum genere conqueritur aquilae vim, & vt quisque sibi idem, quod ipse pertulerit, accidere posse cogitet, neque illud facinus impune ferre aquilam finant, hortatur. Ita concordi illi studio, ad eruendam arborem, in qua nidulaetur aquila, conueniunt, & egesta a radicibus illius terra, omniq; circum eam solo specubus excauato, ita impulsa arbor leui flatu paulo post in terram prosternitur. At pulli aquilini partim ruina, partim raptu terrestrium ferarum, interiere, orbitati cuniculi gratissimum spectaculum praebuere.

Docet fabula, ne quis potentia, aut viribus fretus alium quemlibet despiciat: nam & infirmitatem saepe acceptas iniurias vlcisci.

Luscinia & Accipiter.

Cantantem vt consueuerat, ab arbore procera lusciniam rapuit esuriens accipiter. Quae eum intelligeret sibi mortem impendere, ad preces conuersa orat accipitrem, ne se perdat sine causa. Non enim suam exilitatem, auidissimum ventrem illius posse explere, itaque persuadere, vt grandiores alias volucres venetur. Cui accipiter: Insanirem, inquit, si partam praedam amittere, & sequi vellem ea, quae nusquam apparent.

Intelligendum similiter & homines incogitantes quosdam reperiri, quisque maiorum praesentem copiam despiciant atque negligant.

Vide titulos de Contumelia, Cupiditate, Gloria, Nobilitate, Honore, &c.

CONTENTIO.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Contentio, Graece ἐριστικὸς, ἡ, & ἔρις contendo dicitur. Est autem contentio proprie, impugnatio veritatis cum confidentia clamoris, *secundum Ambrosium.* Large autem est etiam finem in pugnatione veritatis, de qua dicitur *46. dist. in princip.* Nihil est im pudentius arrogantia rusticorum, qui garrulitatem authoritatem putaor.

Contentio in verbis, Rixa est in factis, de qua differentia vide infra Rixa.

A contentione, quae certatio est, venit contentiosus, plenus rixae. Contentio & intentio vehementiam quandam significant, ab arcu tracta similitudine, vel cithara. Nam quanto illius nerui vehementius intenduntur, tanto vehementiorem sonum efficiūt. Vt variae sunt contentionis facies, ita varijs vocibus ab Hebraeis illeanimi vehemens affectus designatur, quae habitum & illius effecta plurima tum interna, tum externa produnt.

BIBLICI LOCI.

Contentiosi merito spernendi, *1. Cor. 14. 18.* Contentiosi non sunt fideles & Ecclesiae Dei, *1. Cor. 11. 16.*

Contendendum non esse cum Deo, *2. Sam. 19. 10. Esaia 45. 9. Rom. 9. 20.*

Contentiones et pugnis verborum, & quaestionibus, *1. Tim. 6. 4.* vitandae sunt, *Prouerb. 3. 30. & 27. 5. & 20. 3. & 22. 10. & 24. 19. & 29. verf. 9. Rom. 5. 19. & 13. 13. & 14. 1. Cor. 1. 10. & 6. 1. & 15. 16. & 14. 33. 2. Cor. 12. 20. Gal. 5. v. 15. 20. Philip. 2. v. 1. 3. 14. 1. Tim. 2. 8. & 6. 4. 2. Timot. 2. v. 14. 16. 23. 14. Tit. 3. 9. Iac. 1. 19. & 3. v. 14. 17. & 4. 1. 2. Pet. 3. 16.* Contentionis mala, *Iac. 1. 20. & 3. 16.*

SENTENTIAE PHILOSOPHICAE.

Contentio maligna operatur.

Vir sapiens, si cum stulto contenderit, siue irascatur, siue rideat, nō inueniet requiem. *Prouerb. 29.*

Non litiges cum homine linguato, & non strues in ignem illius ligna. *Eccl. 8.*

Obiurgatio & iniuriae annullabunt substantiam. *21.*

Pungens oculum educit lachrymas, & qui pungit cor, profert sensum. *22.*

Cum sit inter vos zelus, & contentio, nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis? *1. Cor. 3.*

Noli contendere verbis, ad nihil enim vtile est, nisi ad subuersionem audientium. *2. Tim. 2.*

Contentio denitatur.

Ne, quaeso, sit iurgium inter me & te, & inter pastores meos & pastores tuos (ait Abraham Loth) fratres enim sumus. *Gen. 13.*

Respondete obsecro absque contentione. *Iob 6.*

Non contendas aduersus hominem frustra, cum ipse nihil tibi malefecerit. *Prou. 13.*

Inter superbos semper iurgia sunt, semper iurgia quaerit malus. *13. & 17.*

Honor est homini, qui separat se a contentionibus. *20.*

Ne contendas cum pessimis. *24.*

Ne contendas cum viro locuplete, ne forte contra te constituat litem: Multos enim perdidit aurum, & vsque ad cor regum extendit & conuertit. *Eccl. 8.*

Abstine te a lite, & minues peccata. *28.*

Qui tecum vult contendere in iudicio, & tunicam tollere, dimitte ei & pallium. *Matth. 5.*

Nil per contentionem, neque per inanem gloriam. *Phil. 2.*

Seruum autem Domini non oportet litigare. *2. Tim. 2.*

SENTENTIAE POETICAE.

Ex Graecis Comicis.

Τρόπῳ δὲ παντὶ πάντων ἔρις κρατεῖν.
Fronis reprimere nititur venere in omnibus.
Ἡ τοῖς ἄλλαις πολλὰ χρεῖ χώλιγα.
Vt multa veneer accepit, sic paucula.

SENTENTIAE PHILOSOPHICAE.

Gratae sunt contentiones hominibus, & contradicendo quacumque te proposita vincendi desiderium praeter omnem rationem inexplebile. Itaque multi intempestiue, praeter decorum, in rebus grauissimis, in quibus deteriorem sententiam superare non conuenit, victoriam Cadmeam, vt dici meretur, auferunt. *Stob. ibidem.*

Iustus mauult amicum quam veritatem offendere: & solus ille bonus dicendus qui mauult ex bonis excidere, quam pro illis cum amico contendere. *In apoph. 65.*

APOPHTHEGMATA.

Democritus omnem contentionem imprudentem esse dicebat: dum enim hostem quo pacto laedat respicit, propriam negligit vtilitatem. *Stob. serm. 20.*

Epictetus. contendere, inquiebat, cum vbique indecorum est, tum inter pocula maxime. Nam aeque ebrius aliquos docere sobrium potest, neque sobrius ab ebrio persuaderi: Vbicumque igitur nō adfuerit sobrietas, tandem nequicquam te contendisse apparebit. *In enchiridio.*

Anonymus. Contendere intempestiue cum amicis, & in disputationibus, prudens caueb: ne contra quam sentio, studio vincendi contentionem foueam amplexerq; quando, cum iactura veritatis, etiam secus quam ipse credo, falsa argumentatione contra disputantes decipiam, aut saltem ad contendendum extimuler. *Stob. ser. 1.*

Eusebius philosophus dicebat homines multa potius scire videri cupere quam vera dicere studio teneri: Proinde multos dum contrarias veteribus opiniones probant, veri cognitionem de rebus maxime necessarijs dubiam efficere. *Stob. ser. 4.*

Idem, multi homines, inquit, disputando de rebus, haud secus quam animantia bruta pugnando, solam sibi victoriam proponunt: ac veniatis amore & studio relicto, nihil praeter suam vtilitatem curant. *eod. serm.*

CONTINENTIA.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Continentia. Graece ἐγκράτεια, ας, ἡ & ἐγκρατεύω, contineo ἐγκρατής, ὁ, ἡ, continens dicitur. Et est continentia, appetitus omnium rerum malarum refrenatio. *sec. Hier. in epist. ad Dam. Papam.*

Continentia est, per quam cupiditas consilij gubernatione regitur ac gubernatur. *sec. Cic. in Rhet. & est pars temper.*

Continentia est habitus inuictus a declaratione. *sec. Andron.*

Continentia est cohibitio gulae, luxuriae, cupiditatis, auaritiae, ambitionisque & superbiae. In genere, Temperantia.

Continentia proprie est tantum circa concupiscentias tactus, *sec. B. Thom. 2. 2. q. 143.*

Continentia dicitur a contineo, quod est quasi inuitum & repugnantem teneo. Cuius contrarium est incontinentia, sicut temperantiæ intemperantia.

Continens ita differt a temperante, quod continens prauas quidem cupiditates habere potest, a quibus tamen vinci non sinit: Temperans vero huiusmodi cupiditates habere nō potest, quia in eo habitus quidam est refrenans & abigens illas, qui in continente non est.

Continens ab obstinato sic differt, quod obstinatus est ille, qui persistit in ratione peruersa, abstinens a bonis. Continens vero proprie est, qui persistit in ratione recta, a prauis concupiscentijs abstinens. *S. Thom. 2.2.q.155. art.1.*

Biblici Loci.

Continentia speciale donum, *Matth.19.11.1.Cor.7.vers.5.7.* commendatur, *Gal.5.22.23.Tit.1.8.*

Poeticæ Sententiæ.

Ouid. Epist. 16.

Est virtus placitis abstinuisse bonis.

Sophoc.

Inhonesta facti, ne dictu quidem honesta sunt.
Quicumque philosophiæ se dedunt laudibus,
Addiscunt per vitam composcere ventrem.
Videlicet frugalitas est magistra
Sapientium optimorumque consiliorum.

Chryson.

ἐγκράτειαν ἄσκει, id est, continentiam exerce.

Sophocles.

Turpe est honesto loco natis turpiter viuere.
Quippe non decet animo generosis virum
Gaudijs non licitis delectarier.

Sententiae Philosophicae.

Constantia & patientia in resistendo est, in vincendo continentia. Aliud est autem resistere, aliud vincere: vt aliud non vinci, aliud vincere. Quare expetenda quidem est magis continendi ratio, quam resistendi fortitudo. *lib.7. Ethic. c.7. Aristot.*

Continentes iudicio & ratione ducuntur ad agendum, non cupiditate ac libidine. *lib.3. Ethic. c.2.*

Si in eo continens sit positus, quod cupiditatibus constrictus sit, & vehementibus, & malis: profecto temperatus nemo futurus est continens: neque continens vllus moderatus: neque enim cupiditates malæ & vehementes solent existere in temperante: quod quidem necesse esset. *lib.7. Ethic. c.2.*

Quoniam est aliquis eiusmodi, qui minorem, quam sat sit, voluptatem corpore percipiat, quique cum sit huiusmodi non permanet in sententia: fit vt inter hunc & impotentem, medium locū obtineat continens. *lib. eod. c.9.*

Continentia non virtus est: sed mediæ ac mixtæ naturæ. *lib.4. Eth. c.9. & lib.2. Magn. Moral. c.4.*

Continens quoniam malas esse cupiditates intelligit, eas ratione ductus non sequitur. *lib.7 Ethic cap.1. & lib.2. Magn. Moral cap.6.*

Illud quidem perspicuum est continentiam & constantiam in bonis esse & laudabilibus: impotentiam & mollitiem in malo & vitio: eundemque continentem & eum qui permaneat in suscepto consilio: eundem impotentem & eum qui desistat a sententia. *lib 7. Eth. c.1.*

Qui in perturbatione aut cupiditate non abducitur a sententia, is continens dicitur: quandoquidem si ita res ferat, desistet facile a sententia continens. *Eth. c.9.*

Quoniam multa dicuntur per similitudinem: continentia quoque temperantem similitudine quadam consecuta est. Vt enim continens, sic temperans eiusmodi est, qui nihil quod rationi sit contrarium faciat, propter eas, quæ ad corpus pertinent voluptates. Sed hoc interest, quod in illo insunt, in hoc nullæ sunt prauę cupiditates, & quod hic eiusmodi est, qui nulla contra præscriptum rationis capiatur voluptate: capitur ille quidem, sed non rapitur. *ibid.*

Apophthegmata.

Pythagoras dicebat, nihil egregium comparari, quod non continentiæ labor præcederet. *Stob. serm. de continentia.*

Idem admonebat, Ne sæpe homo ab homine: hoc ænigmate, frequenter venereorum vsu interdicens. *eod. serm.*

Idem iubet vt vnusquisque, continentiam sibi tanquam robur ingens opesque pararet. *eod. serm.*

Apollonius. Commendabat frugalitatem & continentiam: non quod (inquit) tantum res viles ac minime sumptuosas faciamus, sed vt hoc pacto animi magnitudinem augeamus. *ibid.*

Socrates. In festo quodam Athenis ostentandi causa, Alcibiades multa dona Socrati transmisit. Admirata Xanthippe donorum magnificentiam, maritum vt acciperet, rogauit. Ad quam ille: Imo detrectando munera, eum ambitiosa, inquit, viri ambitione certabimus. Tanta fuit huius viri continentia. *eod. serm.*

Idem rogatus, quonam a cæteris hominibus differret, respondit, Alij quidem viuunt, vt edant: ego edo, vt viuam. *eod. serm.*

Idem interrogatus, quo quis pacto opulentus euaderet? Si eorum inquit, & cupiditatum fuerit inops. *eod. serm.*

Democritus dicebat bene compositum esse animum, qui de rebus absentibus non tristatur, præsentibus autem lætatur. *ibid.*

Pericles. collegam fortitus Sophoclem poetam, cum simul nauigarent, ac Sophocles conspecto formoso puero dixisset: En quam speciosus puer: Decet, inquit ille, ò Sophocles, prætorem non modo manus, sed & linguam habere continentem. *Plutarch. in apoph.*

Zeno simul & Cleanthes assidebant Chæremondæ, cumque sentiret affectum amoris, surrexit. Hoc admirante Cleanthe: Etiam a bonis, inquit, medicis audio, aduersus inflationes optimum esse remedium quietem. Subduxit se vir integerrimus imminenti periculo. *Laert. lib 6. c.1.*

Anacharsis statuis atque imaginibus suis inscribi iussit, linguæ, ventri, & pudendis temperandum. Quod maximorum malorum causa sit lingua effrenis, luxu nil turpius, libido pecudem ex homine reddat. *Laert. lib. 1. c.9.*

Isaus sophista, a quodam, qui formosissimam ostendebat mulierem, interrogatus Num formosa videretur? ὀφθαλμιᾶν, inquit, ἔπαυσα, id est, desij laborare ab oculis. *Phil. in soph.*

Archidamus, ei cum quis promisisset suauissimum vini genus, Quorsum, inquit, opus est? quandoquidem quo melius est, eo plus absumeretur: & quæ fortes decent viros, ea reddent inutiliora. O vere masculum animum, & omnium deliciarum contemptorem! *Plut. in Lacon.*

Idem quodam die cum castra tumultuosius essent mouenda, adolescentem, cuius amore tenebatur, relinquebat ægrotum, cumque is & blandis precibus & lachrymis illum remorari conaretur, versus ad suos, Quam difficile est (inquit) simul & misereri & sapere: malens sequi quod id temporis expediebat, quam quod dictabat in amicum affectus. His animi dotibus cæteris præcellebat Agesilaus. *Plut. in Lacon.*

Alcamenes. Cum quidam Alcameni Telecri filio obiecisset, cur tam sordide viueret, cum tamen amplas possideret opes? Decet, inquit, eum qui multa possidet, pro ratione, non pro libidine viuere. Significans, perniciosas esse opes, nisi adsit animus ipsis superior. *Plut. in Lacon.*

Alexander inuitatus, vt Darij filias inuiseret (prædicabantur enim puellæ admirabili esse forma) noluit ire, dicens: Sibi non committendum, vt eum viros vicisset, a mulieribus vinceretur. *P. M. lib 8. apoph. Max serm.3.*

Idem apud Antipatrum cœnam formosa psaltria inducta Alexander aspectu motus in illam exarsit. Mox rogauit Antipatrum, numquid ipse mulieris amore teneretur? Illo confitente, O scelestе, inquit, non tu protinus abduces è conuiuio mulierem? Quantum sibi illeani mus aberat a constupranda aliena vxore, qui tantopere sibi metuit ab amica hospitis. *Plut in apoph.*

Idem cum Cassander Pythiam cuiusdam tibicinis amasiam per vim osculari vellet, idque eum ægre ferentem sensisset Alexander, iratus exiliit in Cassandrum, clamans: Ita ne per vos ne amare quidem quicquam licebit? Non satis erat regi, si seipsum præstaret continentem, nisi & præfectos haberet sui similes. Quando autem passus fuisset a suis per vim constuprari filiam aut vxorem honesti ciuis, qui etiam suos amores etiam ab osculo voluit esse inuiolatos? Denique quod duces peccarent arbitratus est ad se pertinere. *Plut. in apophs.*

Idem cum in Illyricos peruenisset, ac in Iouis ara animaduertisset mulierem forma præstantem, pulchritudinem admiratus diu spectauit, cumque Hephæstion diceret, Aequum esse vt ipse amatā caperet: An non, inquit, hoc indignissimum esset, vt qui in aliorū incontinentiam animaduertere velimus, ipsi incontinentiæ seruire ab externis deprehendamur? *Max. serm 3.*

Menedemus, adolescente quodam dicente, magnum esse si quis quæ concupiscat, assequeretur: Multo, inquit, maius est, nihil eorum quæ non decet concupiscere. *Max serm.3.*

Basilius Vere continens est (inquit) qui omni perturbatione superior est, & nullum voluptatis irritamentum admittit: sed animo sobrio & nusquam cedente ad omnem fruitionem noxiam afficitur. *Anton serm. de ieiunio & continentia.*

Philo. Continentiæ (inquit) propria est sanitas & robur: incontinentiæ autem imbecillitas & ægritudo morti vicina. *Eod. serm.*

Similitudines

Chrysostomi. Sicut quidam in pugna cadentes non exanimant cæteros, sed docent illis sic dandum fuisse: rem non applicant pugnæ, sed homini. Quanto magis nos a proposito continentiæ cadenti negligentiæ imputare debemus, non difficultati virginitatis. *In 19. c.4. Matth.*

Thalasj. Sicut concupiscentiæ & iræ peccata multiplicant: Ita continentia & humilitas easdem exinaniunt. *Ad Paul. Presb.*

Cice-

Ciceronis. Vt cupiditatibus principum & vitijs infici solet ciuitas: Sic emendari & corrigi continentia. *Lib. 3. de Leg.*

Tyrium. Quemadmodum pulcherrima est ea victoria, vbi periculosissima ad durissima fuit pugna: Ita elegantissima quoque virtus est continentia, si prauas animi affectiones, atrocissimos hostes eiicerit. *In apoph. c. 46.*

Historica Exempla.

Plato sæpius siti laborans, è puteo hauriebat aquam, iterumque effundebat, vt ita cupiditatem castigaret.

Agesilaus, cum admoneretur, vt aliquid de vitæ rigore remitteret, causam addente quodam, eam vitæ volubilitatem euenturam, vt tempus aliam viuendi rationem exigeret: At ego, inquit, me consuefacio, vt quæcumque inciderit fortunæ mutatio, ne quæram ipse mutationem. Mira animi continentia, qui nec in austeriore vita delicias requireret, nec inter delicias agens, ab illis corrompi posset. *Plut. in Lacon. apoph.*

Xenocrates si quando vini cadum repleuisset, in vappam conuertebatur, antequam consumeretur: sæpe & obsonia pridiana iam corrupta eiecit, hinc natum est prouerbium, Xenocratis cadulus, de rebus diu durantibus, quæ non facile absumuntur.

Vide Abstinentia, Castitas, Sobrietas, Temperantia, Virtus.

CONTRITIO.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Contritio, Græce συντριμμα, ατος, τὸ, & συντρίβω, contero dicitur. Est autem dolor voluntarie assumptus pro peccatis: cum proposito confitendi, & satisfaciendi. *secundum S. Bonau. in 4. Sent. dist. 16. q. 1. art. 1. prima partis.*

Contritio rei materialis est alicuius duri & integri comminutio. *Ex B. Thom. 4 Sent. dist. 17 q. 2. art. 5.*

Contritio spiritualis, est dolor pro peccatis assumptus, cum proposito confitendi, & satisfaciendi. *Scholast.*

Contritio est dolor cordis, & animæ amaritudo pro peccatis, quæ quis commisit.

Sententiæ Biblicæ.

Cum esset Anna amaro animo, orauit Dominum flens largiter. *1. Reg. 1.*

Circumdederunt me contritiones mortis. *2. Reg. 22.*

In spiritu contrito & humiliato seruiamus illi. *Iud. 8.*

Nemo loquebatur ei verbum, videbant enim dolorem eius esse vehementem. *Iob 2.*

In memetipso marcescit anima mea, & possidet me dies afflictionis. *30.*

In cubilibus vestris compungimini. *Psalm. 4.*

Laboraui in gemitu meo. *6.*

Factum est cor meum tanquam cera liquescens. *22.*

Defecit in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus. *30.*

Iuxta est Dominus his qui tribulato sunt corde. *34.*

Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicies. *51.*

Commouisti terram & conturbasti eam: (& infra) potasti nos vino compunctionis. *60.*

Qui seminant in lachrymis, in exultatione metent. *126.*

Qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum. *147.*

Cor quod nouit amaritudinem animæ suæ, in gaudio eius non miscebitur extraneus. *Prou. 14.*

Date vinum his qui amaro sunt animo. *31.*

Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris. *Cant. 4.*

Omne cor hominis tabescet & conteretur, torsiones & dolores tenebunt, quasi parturiens dolebunt. *Esa. 13.*

A timore tuo (vel facie pendentis in cruce) concepimus, & quasi parturiuimus, & peperimus spiritum salutis. *26.*

Ecce in pace (reformanda) amaritudo mea (pro consensu amara, pro opere amarior, pro consuetudine amarissima.)

Spiritus Domini ad annunciandum mansuetis misit me, vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam, & clausis apertionem. *61.*

Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, contritum spiritu, & timentem sermones meos? *66.*

Anima, quæ tristis est super magnitudinem mali, & incedit curua & infirma, & oculi deficientes, lachrymis & vigilijs) & anima esuriens dabit tibi gloriam, & iustitiam Domino. *Bar. 2.*

Spiritus quoque leuauit me (a terrenis) & assumpsit me & abij amarus in indignatione spiritus mei (contra me.) *Ezech. 3.*

Signa Thau super frontes virorum gementium, & dolentium super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio eius. *9.*

Omnem autem super quem videritis Thau, ne accedatis. *ibid.*

In animo contrito & spiritu humilitatis suscipiamur. *Dan. 3.*

Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra, & conuertimini ad Dominum Deum vestrum. *Ioel. 2.*

Dole (contritio) & satage (satisfactio) filia Sion, quasi parturiens. *Mich. 4.*

Deponet omnes iniquitates nostras, & proijciet in profundum maris omnia peccata nostra. *7.*

Patrum Sententiæ.

Recte pœnitentem, quidquid post purificationem contraxit sordis, oportet vt abluat saltem lachrymis mentis. Sciat se culpabiliter durum, qui deflet mortem amici, vel damna rei temporalis, & dolorem peccati non ostendit in lachrymis. Non est ergo, vt quis se excuset, se non habere fontem lachrymarum, qui lachrymis ostendit dolorem temporalium. *Aug. lib. de Pœnit.*

Ad pœnitentiam agendam non sufficit mores immutare in melius, & a factis malis recedere, nisi etiam de his, quæ facta sunt, satisfaciat per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis. *Idem.*

Sicut pœnitentiæ comes dolor est, ita lachrymæ testes sunt doloris. *Idem.*

O humilis lachryma, tuum est regnum, tua est potentia. Adspectũ iudicis non vereris. Inimicis accusantibus silentium imponis. Sola intras ad regem, sed sola non recedis, vincis inuincibilem, & ligas omnipotentem. *Idem.*

Quanto est quilibet sanctior, & desiderij sancti plenior, tanto est in orando fletus vberior. *Aug. de ciuit. Dei lib. 20.*

Sine charitate quomodo quis veram cordis contritionem habere poterit? quomodo ergo delictorum remissionem. *Aug. lib. de Pœnit. & hab. de pœn. dist. 2. Char. §. Quia apud Deum.*

Petrus doluit & fleuit: qui errauit vt homo. Non inuenio quid dixerit. Scio quod fleuit, lachrymas eius lego, satisfactionem non lego. Haud plura in distinct. de pœnit. citantur. Sed quod defendi non potest, lachrymæ veniam non postulant, sed merentur. *Amb. sup. Luc. & hab. ibid. can. Pet.*

Alia est compunctio siue contritio quæ per amorem nascitur, alia, quæ per timorem: Quia aliud est supplicia fugere, aliud præmia desiderare. Sæpe quod torpentes latuit, flentibus innotescit, & afflicta mens certius inuenit malum quod fecerat, & reatum suum, cuius secura non meminit hunc in se commota deprehendit. *Greg. l. 8. Moral.*

Quo vberius culpa fletur, eo altior cognitio veritatis attingitur. Quia ad videndum internum lumen, polluta dudum conscientia lachrymis baptizata renouatur. *Greg. l. 21. Moral.*

Qui nescit lugere quod grauat, non valet proferre, quod subleuat. Vis compunctionis poros cordis aperit, & pennas virtutum fundit. Cumque se studiose mens de pigra vetustate redarguit, alacri nouitate iuuenescit. *Greg. l. 21. Moral.*

Compunctionis duo sunt genera, quia anima Deum sitiens prius timore compungitur, postea amore. Prius enim in lamentis sese afficit, quia dum malorum suorum recolit, pro his perpeti supplicia æterna pertimescit. At vero cum longa mortis amaritudine fuerit formido consumpta, quædam iam de præsumptione veniæ securitas nascitur, & in amore cœlestium gaudiorum animus inflammatur. Et qui prius flebat, ne duceretur ad supplicium, postea amarissime flere incipit quia differtur a regno. *Greg. lib. 3. Dialog.*

Quatuor sunt qualitates, quibus iusti viri anima in compunctione vehementer afficitur. Cum aut malorum suorum reminiscitur, considerans vbi fuit, aut iudiciorum Dei sententiam metuens, & secum quærens, considerat, vbi erit, aut cum mala vitæ præsentis attendens solerter, mœrens considerat vbi est: aut cum bona supernæ patriæ contemplatur: quæ quia nec dum adipiscitur: lugens conspicit vbi non est. *Greg. l. 23. Moral.*

Quisquis ergo verbum confessionis in ore habet, & in corde non habet, aut dolosus est, aut vanus. Qui vero in corde, & non in ore, aut superbus est, aut timidus. *Bern. de nou. mil.*

Vnguentum est contritionis, est vnguentum deuotionis, est vnguentum pietatis. Primum pungitiuum, dolorem faciens: secundum temperatiuum, dolorem leniens; tertium sanatiuum, morbum expellens. *Bern. sup. serm. 10.*

Sola compunctio est, quæ facit animam horrescere purpuram, desiderare cilicium, amare lachrymas, fugere risum. Sicut impossibile est, vt ignis inflammetur in aqua: ita impossibile est, compunctionem cordis vigere in delicijs. Contraria enim hæc sibi sunt inuicem & peremptoria. Illa enim mater fletus, hæc mater est risus. Illa cor constringit, ista dissoluit. *Ioann. Chrysost. lib. de Comp. cordis.*

Non dolere, quia peccaueris, magis indignari atque irasci facit Deum, quam id ipsum, quod ante peccaueras. *Ioan. Chrysost. sup. Matth. hom.*

Gemitus dictus geminatus luctus, quem merito fideles appetunt, quoniam diligentes consolatur, pœnitentes emundat, diabolū effugat, Christo conciliat: amaritudo dulcis, lachrymæ fœlices, salutaris afflictio. *Cass. sup. Psal. 6. Laboraui in gemitu meo.*

PHILOSOPHORVM SENTENTIÆ.

Argumentum est in melius translati animi, quod vitia sua, quæ adhuc ignorabat, videt. Quibusdam ægris gratulatio est quum ipsi ægros se esse senserе. *Sen. epist. 8.*

Vide Pœnitentia, Peccatum, Conuersio.

CONTVMELIA.

SENTENTIAE BIBLICAE.

Eijce derisorem, & exibit cum eo iurgium, cessabuntque causæ & contumeliæ. *Prouerb. 22.*

Est correptio mendax in ira contumeliosi. *Eccl. 20.*

Ante ignem camini vapor, & fumus ignis exaltatur: sic & ante sanguinem maledicta, contumeliæ & minæ. 22.

Homo assuetus in verbis improperij, in omnibus diebus suis non erudietur. 23.

Qui profert contumeliam, insipiens est. *Prou. 10.*

Quæ viderunt oculi tui ne proferas in iurgio cito, ne postea emendare non possis, cum dehonestaueris amicum. 25.

Nec contra faciem stes contumeliosi, ne sedeat quasi insidiator ori tuo. *Eccl. 8.*

APOPHTHEGMATA.

Diogenes, caluo cuidam contumelijs eum afficienti respondit. Tibi contumeliam non dico, sed capillos tuos laudo quod malam effugerint caluam. *Ant. & Max. serm. de vituper.*

Aristippus, contumelia a quodam affectus recedebat: maledico autem persequente ac dicente, fugis? Etiam, inquit, nam tu maledicendi potestatem habes, ego vero non audiendi. *eod. ser.*

Spartani. Chij quondam Spartæ peregrinantes, a cœna vomuerant in Ephororum curia: deinde etiam in sedes, in quibus sedere solebant Ephori, ventris onus deiecerant. Ac primum quidem acris inquisitio facta est, quinam hoc designassent, ne forte ciues essent. Vt vero compertum est fuisse Chios, edixerunt, se Chijs permittere, vt agerent intemperantius. Excellentium virorum est negligere contumeliam, quæ a palam improbis proficiscitur a quibus etiam laudari turpe est. *Plut. in Lacon.*

Scipio Æmilianus, apud Numantiam iratus C. Metello dixit: si quintum pareret mater eius, asinum fuisse parituram. Tarditatem mentis illi fratribusque eius exprobrans. *P. M. l. apoph.*

SIMILITVDINES.

Thraces, Gloriosi milites nihil aliud quam cicatricem ostendunt, ac vulnera iactāt: Multo est nobilius, contumeliæ vel calumniæ, studio Christi acceptæ signa præ se ferre. *In apoph. fol. 61.*

Sicuti nec Aegyptus ob calorem, nec Scythia ob rigorem sentit fulmina. Ita vel ingens potentia vel extrema fortunæ humilitas, tutum reddit a contumelijs. *Plin.*

Adyanton herbam etiam si perfundas aqua, aut immergas, tamen siccæ similis est: Ita in virum bonum non hæret contumelia, aut infamia, etiam si quis infamare conetur. *Pli. lib. 22 c. 21.*

EXEMPLA BIBLICA.

Contumeliæ exempla: Principis Hanonis, 2 *Sam.* 10. *vers.* 3. Israelitæ, 4. *Esd.* 20. *vers.* 22. Turba, *Ioan.* 7. 10. Iudæi, 8. *vers.* 48. 52. Pharisæi, 9. *vers.* 24.

Vide Iniuria, Vis, Conuitium, & Maledicentia.

CONVERSATIO.

LOCI BIBLICI.

Conuersatio, Sanctorum imitanda, *Hebr.* 13. 7. qualis ea sit, *Matth.* 5. *vers.* 3. 4. 5. 6. 7. *Philip.* 2. *vers.* 14. 15. 15. *&* 3. 20. *&* 4. 5. 1. *Pet.* 2. 12. 2. *Pet.* 3. 11. Vide societas.

SENTENTIAE BIBLICAE.

Cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris. Et cum electo electus eris, & cum peruerso peruerteris. *Psal.* 17.

Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit. Amicus stultorum similis efficietur. *Prouerb.* 13.

Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea: qui communicauerit superbo, induet superbiam. *Eccl.* 13.

Non est propheta sine honore, nisi in patria sua, & in domo sua. *Matth* 13.

Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit. 1. *ad Cor.* 5.

PATRVM SENTENTIAE.

In diuersis obseruationibus nulla disciplina melior graui & prudenti Christiano, nisi vt eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam, ad quam forte deuenerit ad discēdum. quod opus est. *Aug. lib. de doctr. Christ.*

Semper in comitatu tuo graues fœminas habeas, mores enim & studia dominarum, plerunque ex ancillarum & comitantium moribus iudicantur. Qualis enim quæque sit, talium consortio delectatur. *Hier. ad Demet.*

Non valde laudabile est bonum esse cum bonis: sed bonum esse cū malis. Sicut enim grauioris culpæ est inter bonos bonum non esse: ita immensi est præconij, bonum etiam inter malos extitisse. *Greg. l. 1. Mor. sup. illud Iob 1. Vir erat in terra.*

Philosophus sic inter hostes viuendum censuit, tanquam inter amicos: & inter amicos, ac si in medijs hostibus viueretur. *Ioan. Cyrsost. lib. 3. de vestigijs Phil.*

Sancta conuersatio confundit inimicum, ædificat proximum, glorificat Deum. *Isid. Solilog. lib. 3.*

Disciplina est conuersatio bona & honesta, cui parum est, non malum facere: sed studet etiam in his, quæ bene agit, irreprehensibilis apparere. *Hugo de discip. Monach.*

Disciplina honestæ conuersationis ex quatuor perpendi potest, ex gestu, motu, affatu, & conuictu. Gestus autem reprehensibilis est, si est aut mollis, aut dissolutus, aut tardus, aut citatus. Mollis significat lasciuiam, dissolutus negligentiam, tardus pigritiam, citatus siue impetuosus inconstantiam. *Idem.*

Gestus hominis in omni actu debet esse gratiosus, sine mollitie quietus, sine dissolutione grauis, sine tarditate alacer, sine inquietudine maturus, sine proteruia, & sine turbulentia seuerus. *Idem.*

Temperanda est etiam facies & modificanda in gestu suo. Ita vt nec proterue exasperetur, nec molliter dissoluatur: sed semper habeat rigidam dulcedinem, & dulcem rigorem, secūdum illud Ecclesiastici 16. Ex visu cognoscitur vir, & ab occursu faciei cognoscitur sensatus. Amictus corporis, & risus dentium, & incessus hominis enunciant de illo, scilicet qualis sit: quia per illud, quod foris siue bene, siue male agitur, interior animi qualitas ineuntium oculis patenter iudicatur. *Idem.*

In motu corporis cauendum est, ne in tardationibus adeo molli gressu vtamur, vt pomparum ferculis similes esse videamur, aut in festinationibus non suscipiamus nimias celeritates: quæ cum fuerint anhelitus mouentur, ora torquentur, quæ signa sunt inconstantis animi. *Ibid. & pon. in lib. Prob.*

Quod potest redimi, non timetur. Esse iam inter nocentes innoxium crimen est. Malos quisquis non imitatur offendit. Concessere iura peccatis, & cœpit licitum esse, quod publicum est. *Cyprian. epist. 2.*

POETICAE SENTENTIAE.

Menander.

Σοφοῖς ὁμιλῶν καὐτὸς ἐκβήσῃ σοφός. idem.

Cum sapientibus consuetudinem habens, & ipse euades sapiens.

Ὁμιλίας δὲ τὰς γεραιτέρας στέργε. idem.

Consuetudines autem seniores ama.

Κακοῖς ὁμιλῶν καὐτὸς ἐκβήσῃ κακός. idem.

Cum malis consuetudinem habens, & ipse euades malus.

Φθείρουσιν ἤθη χρηστὰ ὁμιλίαι κακαί. idem.

Corrumpunt mores bonos consuetudines malæ.

Ouid. epist. Canaces ad Macareum.

Semper est aliquid cum fratris viuere ventis.

Iuuenalis Satyra 2.

Dedit hac contagio labem.

Et dabit in plures sicut grex totus in agris

Vnius scabie cadit, & porrigine porci,

Vuaque conspecta liuorem ducit ab vua.

Ibidem.

Aspice quid faciant commercia.

DICTA PHILOSOPHORVM.

Id agamus, vt meliorem vitam sequamur, quam vulgus, non vt cōtrariam. Alioqui, quos emendare volumus, fugamus a nobis, & auertimus. *Seneca ad Luc. epist. 5.*

Nulla res magis animos inquit honestos, & in prauum inclinabiles reuocat ad rectum quam bonorum conuersatio. Paulatim enim descendit in pectora, & vim præceptorum obtinet frequenter aspici, frequenter audiri. *Idem ad Luc. epist. 6.*

Auarior redeo, ambitiosior, luxuriosior, immo crudelior & inhumanior, quia inter homines fui.

Nil damnosius bonis moribus, quam in spectaculo desidere, quia tunc facilius vitia surrepunt. *Idem epist. 7.*

Siquid in aliquibus ex sordida conuersatione seruile est, honestorum conuictus excutiet. *Idem ad Luc. epist. 35.*

Salutare est, non conuersari dissimilibus, & diuersa cupientibus. Turba etsi non mutat, tamen impedit tamen. Multum autem nocet etiam, qui mutatur. In vitia alter alterum trudimus. Quomodo autem reuocari possint ad salutem, quos nemo retinet, populus impellit. *Idem epist. 82.*

Sic cum inferiore viuas, quemadmodum superiorem tecum viuere velis. *Idem epist.* 97.

Omnes tibi pares facies, sed inferiores superbiendo non contemnes: superiures recte viuendo non timeas. In reddenda officiositate, neque exactor, neque negligens appareas. Cunctis esto benignus, nemini blandus, paucis familiaris, omnibus æquus. Seuerior esto iudicio, quam sermone: & vita, quam vultu: clementiæ cultor, clemens vlior, sæuitiæ detestator. Famæ bonæ, neque eiuræ seminator, neque alienæ inuidus. Rumoribus, criminibus, suspicionibus minime credulus, vel malignus, sed potius his, qui per speciem simplicitatis ad nocendum aliquibus surrepunt, esto positissimus. Ad iram tardus, ad misericordiam pronus in aduersis firmus, in prosperis cautus & humilis, occultator virtutum, sicut alij vitiorum. Vanæ gloriæ contemptor, & bonorum, quibus præditus es, non acerbus exactor. Nullius imprudentiam despicias. Rari sermonis ipse, sed loquentium patiens. Seuerus non sæuus, sed hilarem non aspernans. *Sen. quat. virt. tit. de Cont.*

Si ergo iocos exigis, hos quoque cum dignitate sapientiæ gere, ve nec te grauent tanquam asperum, nec contemnant tanquam vilem. Non erit tibi scurrilitas, sed grata vrbanitas. Sales tui sine deore sint, ioci sine vilitate, risus sine cachinno, vox sine clamore, incessus sine tumultu, quies tibi non desidia erit, & cum ab alijs luditur, tu sancti honestique aliquid tractabis. *Senec. lib. de quat. virt. sed. tit. de Cont.*

Feras bestias captas & inclusas, quia ipsarum natura non potest, longior dies mitigat. *Q. Curt. de Alex. gest. lib. 6.*

Conuersatio perpetua contemptum parit. Raritas autem admirationem conciliat. *Lucius Apul. de deo Socr.*

Argumentum est in melius translati animi quod vitia sua, quæ adhuc ignorabat, vider. Quibuldam ægris gratulatio est, cum ipsi ægros se esse senserε. *Senec. ad Luc. epist.* 8.

Magna pars bonitatis est, velle fieri bonum. *Sen. epist.* 53.

Omnia omnium rerum si bene obseruentur indicia sunt & argumentum morum, ex minimis poteris cognoscere impudicum, & incessus ostendit & manus mota, & interdum responsum, & relatus ad caput digitus & flexus oculorum. *Sen. epist.* 53.

Improbum & insanum risus, vultus, habitusque monstrat. *idem.*

Non magis vtilitati est ager cum redditibus amplis, quam vicinus æqualis cum moribus bonis. Sicubi erga singulos tali libra fermonis, vt re blandum pueri, comitem iuuenes, graues senem nec tiantur. *ibid.*

Ita viue, vt nihil committas, nisi quod committere etiam inimico tuo possis *idem epist.* 3.

Sic certe viuendum est, tanquam in conspectu viuamus, sic cogitandum tanquam aliquis in pectus intuitum trahere possit. Quid enim prodest ab homine aliquid esse secretum, cum nihil Deo clausum est. *idem* 83. *epist.*

Sic cum inferiore viuas, quemadmodum superiorem tecum viuere velis. *idem* 97. *epist.*

Plena victoria est, a clamatione tacere, & non respondere prouocanti. Habes enim mercedem & de tua patientia, & de fratris medela, si obliuioni detur iniuria. Quemadmodum nihil deformius est, quam respondere furiosis: ita nihil vtilius quam tacere prouocatis. Nullus est finis inimicitijs, nisi ad tempus obtemperemus iratis. *Val. Max. lib.* 7. *de mon. dict.*

Apophthegmata.

Diogenes, adolescenti formoso ad conuiuium eunti deterior inquit redibis. Reuersus vero a conuiuio adolescens, cum Diogeni dixisset, sui nec redij deterior: inquit, Deterior igitur: indicans, fieri non posse, vt adolescens ex conuictu improborum non fiat deterior. *Laert. lib.* 6.

Epictetus hominem, cum quo conuersamur, tribus modis, considerandum esse suadebat: nempe aut præstantiorem nobis, aut inferiorem, aut æqualem. Præstantiori quidem auscultare & obtemperare conuenit, minorem modeste persuadere, æquali autem consentire. Ei hoc sane modo in conuersatione hominum nunquam in contentionem incides. *Stobæus sermon.* 3. *de Tempe-rantia.*

Agesilaus Argiuo cuidam dicenti, Lacedæmonios peregrinationibus reddi deteriores, quod interim degenerent a maiorum legibus & institutis: At vos, inquit, cum Spartam venitis, non deteriores, sed meliores euaditis. Dictum retorsit in Argiuum. Nam hoc dicens, magis suam gentem vituperauit, quam Lacedæmoniorum: simul indicauit, quanto pere referat inter quos viuas. *Plut. in Lac. apoph.*

Hippocratides ei quum aliquando fuisset obuius adolescens, quem amator sequebatur, erubescenti adolescentulo: Cum his inquit oporter ambulare, cum quibus conspectus non mutes colorem. Docuit, ex improbis conuictoribus nihil capi fructus nisi probrum & ignominiam. *Plut. in Lac. apoph.*

Iulia Augusti. In spectaculo gladiatorum conuerterant in se populi oculos Liuia & Iulia, comitatus dissimilitudine, Liuiam cingebant viri graues. Iuliam iuuenes luxuriosi comitabantur, Pater itaque Augustus Iuliam admonuit scripto. vt videret quantum inter duas principes fœminas interesset. Illa rescripsit: Et hi mecum senes fient. Hoc commode interpretando lepide: incommode procacitet dictum videri potest. *ex Suet.* *Polyanthea Noua*.

S. Ioannes Apostolus, Ioannes Apostolus & discipulus Iesu Christi, adaudi gratia balneum ingressus cum vidisset ibi Cerinthum, continuo exiliens, non lotus discessit, dicens: Fugiamus hinc, ne & ipsæ balneæ corruant, in quibus Cerinthus lauatur. Quo dicto, & ipso etiam facto ostendit malorum consortium vrique esse fugiendum, erat enim Cerinthus, vt non solum simpliciter malus, sed aperius veritatis atque omnium piorum hostis. *Euseb. l.* 4. *Eccl. hist. c.* 4.

Similitudines.

Vt qui in solem venit, licet non in hoc venerit, coloratur: & qui in vnguentaria taberna resederunt, & paulo diutius commorati sunt, odorem loci secum ferunt: Ita qui cum sapiente consuetudinem habent, etiam si non hoc agant: tamen redduntur meliores. *Sen.*

Vt minuta quædam animalia, cum morsent, non sentiuntur: tumor indicat morsum, & in ipso tumore nullum vulnus apparet: Ita bonorum consuetudinem prodesse non deprehendis, sed profuisse. *Senec.*

Vt morbi ad vicinum serpit contagio, sanitas ad ægrotantem non item: Ita ex consuetudine malorum facile boni corrumpuntur, at non contra.

Torpedo piscis haud nocet, nisi contacta, sed virus suum etiam ab ære perlinum, & arundinis internodia ad piscatoris manum in ire transmittit: sic improbi ac pestilentes haud nocent, si nihil cum illis habeas commercij, rerum quacunque consuetudine contacti morum venena afflant. *Plin. lib.* 32. *c.* 5.

Vt in re rustica non satis est ipsum bonum esse colonum, sed magni refert cuiusmodi habeas & vicinum: sic in vita non satis est, teipsum integrum viruto præstes, sed refert cum quibus habeas consuetudinem.

Aconitum etiam contactu necat: Ita quorundam conuictus prorsus inficit, aut si vel tantillum cum illis inceptes commercij. *Plin. lib.* 29. *c.* 2.

Vt pyrites gemma non aperit vim igneam, nisi atteras: tum enim digitos adurit: Ita quorundam malitiam non sentias nisi cum illis consuetudinem aut commercium habueris. aut non sentias philosophiæ vim, nisi exercueris: Ita succina attritu vim attrahendi & odorem produnt.

Vt non ipse solum magnes attrahit, verum etiam aliud ferrum ad se trahit ferrum magneti affictum: Ita contagio vis virtutis, aut improbitatis pernicies ab alio in alium transit.

Vt qui ante venenum sumunt antidotum, non læduntur veneno: sic qui salubribus opinionibus ac decretis confirmarit animum, non inficientur oratione malorum, si forte in eos inciderint.

Vina non modo soli sui referunt saporem, verum etiam arborum aut fruticum vicinorum: Ita non solum exprimimus eos vnde progeniti sumus, sed & eos, quorum consuetudine fruimur.

Vt qui a cane rabido morsi sunt, non solum rabiunt ipsi, verumetiã alios contagio inficiunt: Ita qui pestilentem alicunde imbiberint opinionem, & alios suis inficiunt colloquijs.

CONVERSIO.

Biblici Loci.

Conuersio, vera quæ. 1. *Cor.* 6. 15. in maiori Dei est, 21. 29. *Thren.* 5. 21. *Esa.* 22. 18. 2. *Tim.* 2. 25. resurrectionis quædam species est, *Luce* 15. 32. *Luc.* 5. 25.

Exempla Biblica.

Conuersio. is *exempla*: Paulus, *Act.* 9. 6. Thessalonicenses, 1. *Tim.* 1. 9. Vide pœnitentiæ *exempla*. Et totum locum de pœnitentia & de Confessione.

Sententiae Biblicae.

In toto corde & in tota anima vestra Dominum Deum vestrum sequimini, & ipsum timete. *Deut.* 13.

Si in toto corde vestro reuertimini ad Dominum, auferte deos alienos de medio vestri. 1. *Reg.* 7.

Si reuersus fueris ad Omnipotentem, ædificaberis, & longe facies iniquitatem a tabernaculo tuo. *Iob* 22.

Nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrauit, arcum suum tetendit & parauit illum. *Psal.* 7.

Deus conuerte nos, & ostende faciem tuam & salui erimus. 80.

Reuertentur Aegyptij ad Dominum, & placabitur eis, & sanabit eos. *Esaia* 19.

Impietas impij non nocebit ei, in quacumque die conuersus fuerit ab impietate sua. *Ezech.* 33.

Venite & reuertamur ad dominum, quo iam ipse cepit & saluabit nos, percutiet & curabit nos. *Osee* 6.

Conuertam eos & miſerabor eorum, & erunt ſicut fuerunt, quando non proieceram eos. *Zach.* 10.

Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ eius, vt miſericordiam conſequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno. *Hebr.* 4.

Accedamus cum vero corde, in plenitudine fidei aſperſi corda a conſcientia mala, & abluti corpus aqua munda. 10.

Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſaluabit animam eius a morte, & operiet multitudinem peccatorum. *Iacob. cap.* 5.

Eratis ſicut oues errantes, ſed conuerſi eſtis nunc ad paſtorem & epiſcopum animarum veſtrarum. 1. *Pet.* 2.

Dominus patienter agit, propter nos, nolens aliquem perire, ſed omnes ad pœnitentiam reuerti. 2. *Pet.* 3.

Beatus & ſanctus qui habet partem in reſurrectione prima (a peccato:) in his ſecunda mors non habet poteſtatem. *Apoc.* 20.

Conuerſionis ortus per inſpirationem.

Deus virtutum conuerte nos. *Pſal.* 79.

Reuertere ad me, quoniam exaudiui te. *Eſa.* 44.

Conuerte me, & conuertar, quia tu Dominus Deus meus es: Poſtquam enim conuertiſti me, egi pœnitentiam. *Ier.* 31.

Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur. *Thren.* 5.

Conuertimini ad me, ait Dominus exercituum, & conuertar ad vos. *Zach.* 1.

Conuertimini de vijs veſtris malis. *ibid.*

Reuertimini ad me & reuertar ad vos. *Malac.* 3.

Omne quod dat mihi pater, ad me veniet, & eum, qui venit ad me, non eijciam foras. *Ioan.* 6.

Nemo poteſt venire ad me, niſi pater, qui miſit me, traxerit eum. *ibidem.*

Omnis qui audiuit a patre, & didicit, venit ad me. *ibid.*

Ego ſum Via, Veritas, & Vita: nemo venit ad patrem niſi per me. 14.

Quoniam per ipſum habemus acceſſum ambo vno ſpiritu ad patrem. *Ephe.* 2.

Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis. *Iac.* 4.

Per tribulationem.

Imple facies eorum ignominia, & quærent te Domine. *Pſal.* 82.

Domine in anguſtia requiſierunt te, in tribulatione murmuris doctrina tua eis. *Eſa.* 26.

Vulgo dicitur, Si dimiſerit vir vxorem ſuam, & recedens ab eo, duxerit virum alterum, nunquid reuertetur ad eam vltra? Nūquid non polluta erit & contaminata mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis: tamen reuertere ad me, dicit Dominus (& ego ſuſcipiam te.) Leua oculos tuos in directum, & vide vbi nunc proſtrata ſis. *Ierem.* 3.

Conuertere Iſrael ad Dominum Deum tuum, quoniam corruiſti in iniquitate tua. Tollite vobiſcum verba, & conuertimini ad Dominum, & dicite ei: Omnem aufer iniquitatem & accipite bonum: & reddemus vitulos labiorum noſtrorum. *Oſea* 14.

In ſe autem reuerſus dixit: Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, & ego hic fame pereo: Surgam & ibo ad patrem meum. *Luc.* 15.

Modus requiritur, vt conuerſio hæc ſit ex corde & cum effectu.

Si in corde veſtro reuertimini ad Dominum, auferte Deos alienos de medio veſtri, & præparate corda veſtra, & ſeruite ei ſoli. 1. *Reg.* 7.

In veritate reliquiæ conuertentur. *Eſa.* 10.

Conuertimini ſicut in profundum receſſeratis filij Iſrael. 31.

Reuertentur ad me in toto corde. *Ierem.* 24.

Quid murmurauit homo viuens pro peccatis ſuis? ſcrutemur vias noſtras, & quæramus, & reuertamur ad Dominum. Leuemus corda noſtra cum manibus ad Dominum in cœlos. *Thren.* 3.

Nunc ergo, dicit Dominus, conuertimini ad me in toto corde veſtro, in ieiunio, in fletu & planctu. *Ioel* 2.

Derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas, & reuertatur ad Dominum, & miſerebitur eius; & ad Deum noſtrum, quoniam multus eſt ad ignoſcendum. *Eſa* 55.

Si conuerteris conuertam te, & ante faciem meam ſtabis, & ſi ſeparaueris precioſum a vili, quaſi os meum eris. *Ier.* 15.

Noli ſubtrahere verbum ſi forte audiant, & conuertantur vnuſquiſque a via ſua mala, & pœniteat me mali, quod cogitaui facere eis propter malitiam ſtudiorum eorum. 26.

Conuertimini & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris, & non erit vobis in ruinam iniquitas. Proijcite a vobis omnes iniquitates veſtras, in quibus præuaricati eſtis, & facite vobis cor nouum, & ſpiritum nouum. Et quare moriemini domus Iſrael? quia nolo mortem morientis: dicit Dominus Deus reuertimini & viuite. *Ezech.* 18.

Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem impij, ſed vt conuertatur a via ſua, & viuat. Conuertimini a vijs veſtris peſſimis. Et quare moriemini domus Iſrael? iuſtitia iuſti non liberabit eum, in quacumque die peccauerit, & impietas impij non nocebit ei, in quacumque die conuerſus fuerit ab impietate ſua. *ibid.* 33.

Conſecutione boni.

Si reuerſus fueris ad Omnipotentem, ædificaberis, & longe facies iniquitatem a tabernaculo tuo. Dabit pro terra ſilicem, & pro ſilice torrentes aureos, eritque Omnipotens cōtra hoſtes tuos. Tunc ſuper Omnipotentem delicijs affiues, & eleuabis ad Deum faciem tuam. Rogabis eum & exaudiet te, & vota tua reddes. Decernes rem & veniet tibi, & in vijs tuis ſplendebit lumen. *Iob* 22.

Conuertere ad Dominum, & relinque peccata tua. Precare ante faciem Domini, & minime offendicula. Reuertere ad Dominū, & auertere ab iniuſtitia tua. *Eccl.* 17.

Si reuertimini & quieſcatis, ſalui eritis: in ſilentio & ſpe erit fortitudo veſtra. *Eſa.* 30.

Conuertimini ad me, & ſalui eritis omnes fines terræ. 45.

PATRVM SENTENTIAE.

Vt ſit homo aliquid, conuertat ſe ad illum a quo creatus eſt, recedendo enim frigeſcit, accendendo ferueſcit, recedendo tenebreſcit, accedendo clareſcit: a quo enim habet vt ſit, apud illum habet, vt bene ſit. Ergo qui vult ſimul eſſe cum Deo, non ab illo recedat, ſed ad illum accedat. *Aug. ſup. Pſal.* 70.

Conuerſio noſtra ſemper inueniet Deum paratum. *In Pſal.* 6.

Conuerſio ad bonum non homini, ſed Deo adſcribenda. *In epiſt.* 130.

Cum inhæſero tibi ex omni me, nuſquam erit dolor & labor, & viua erit vita mea tota plena te, nunc autem quem tu imples, ſubleuas eum, & quia tui plenus non ſum, ideo mihi oneri ſum. *lib. confeſ.* 10.

Scio quia male mihi eſt præter te, non ſolum extra me, ſed in meipſo, & omnis copia, quæ Deus meus non eſt, egeſtas mihi eſt. *lib. confeſ.* 14.

Conferamus nos ad te, & bene nobis erit de te. Malum eſt nobis de nobis: & quia dimiſimus te, dimiſiſti nos nobis. *De verbis Domini, ſerm* 4.

Ouis perdita nunquam reuerteretur, niſi pij paſtoris miſericordiā conſequeretur. *In ſerm.*

Quæramus lapidem quo percutiatur incredulus & percuſſus quaſſetur, quaſſatus comminuatur, comminutus in puluerem cōuertatur, conuerſus in puluerem compluatur, compluatus feratur, ſatus faciat fructum, non quod igne conſumatur, ſed quod horreo condatur. *Cont. quinque Hæreſ.*

Nunquam eſt ſera conuerſio, latro de cruce tranſit ad paradiſum. *Hier. in epiſt. ad Lætam.*

Tres modi ſunt conuerſorum, inchoatio, medietas atq; perfectio. In inchoatione autem inueniuntur blandimenta dulcedinis, in medio tempore certamina tentationis, ad extremum vero perfectio plenitudinis. Prius ergo illos dulcia ſuſcipiunt quæ conſolentur: poſtmodum amara quæ exerceant, & tunc demum ſuauia atque ſublimia quæ confirment. *Greg.* 24. *Moral.*

Vitam vniuſcuiuſque conuerſi & inchoatio blanda permulcet, & aſpera medietas probat, & plena poſt perfectio roborat. *ibidem.*

Cum Pharao dimiſiſſet populum, non eos duxit dominus per viā terræ Philiſtim, quæ vicina eſt: reputans ne forte pœniteret eū, ſi vidiſſet aduerſum ſe bella conſurgere, & reuerterentur in Aegyptum. Ex Aegypto itaque exeuntibus è vicino bello ſubtrahuntur, quia derelinquentibus ſæculum, quædam prius tranquillitas oſtenditur, ne in ipſa ſua teneritudine atque inchoatione turbati atque territi redeant ad id, quod euaſerunt. Prius ergo ſuauitatem ſentiunt, ſecuri prius pacis quiete nutriuntur, poſt cognitam vero dulcedinem tanto iam tolerabilius, tentationum certamina ſuſtinent, quanto altius in Deo cognouere quod amant. *ibid.*

Plerunque conuerſus quiſque talibus tentationem ſtimulis agitatur, quibus ante conuerſionis gratiam, nunquam pulſatum ſe eſſe reminiſcitur: non quia tunc hæc eadem tentationis radix deerat, ſed quia non apparebat. *ibid.*

Ferrum de terra tollitur, quum fortis pugnator Eccleſiæ a terrena ſua conuerſatione ſeparatur. Non ergo in eo debet deſpici quicquid fuit, qui iam cœperit eſſe quod non fuit. *lib.* 6. *Moral.*

Lapis ſolutus calore in æs vertitur: quando dura mens ſuperni amoris igne liquefacta, ad veram fortitudinem commutatur, vt peccator qui prius inſenſibilis exiſterat, poſtmodum per autoritatem fortis, & per prædicationem ſonorus fiat. *ibid.*

A regione noſtra ſuperbiendo, inobediendo, viſibilia ſequendo, cibum vetitum guſtando diſceſſimus: ſed ad eam neceſſe eſt flēdo, obediendo, viſibilia contemnendo, atque appetitum carnis refrenando redeamus. Per aliam ergo viam ad regionē noſtram

stram regredimur, quoniam qui à paradisi gaudijs per delectationem recessimus, ad hæc par lamenta reuocamur. *Hom. 10. super Matth.*

Maius de peccatore conuerso quam de iusto stante gaudium fit in cœlo: quia & dux in prælio plus eum militem diligit, qui post fugam reuersus hostem fortiter peremit, quam illum qui nunquam terga præbuit, & nunquam aliquid fortiter fecit. Sic agricola illam amplius terram amat quæ post spinas vberes fruges profert, quam eam quæ nunquam spinas habuit, & nunquã fertilem messem produxit. *Hom. 34. sup. Euang.*

Prima vigilia est pueritia, secunda adolescentia, tertia senectus. Qui ergo in prima vigilia vigilare noluit, secundam custodiat: vt qui conuerti a prauitatibus suis in pueritia neglexit, ad vias vitæ saltem tempore iuuentutis euigilet: & qui ad vias vitæ iuuentutis tempore non euigilat, saltem in senectute resipiscat: nam quos diu, vt conuertantur tolerat, non conuersos durius damnat. *In Matth.*

Conuertimini ad me in toto corde vestro. Corporis conuersio si sola fuerit, erit nulla: forma siquidem conuersionis est, non veritas, vacuam virtutem gerens, & speciem pietatis. *Bern. sup. Cantic.*

Dico, omnes ignorare Deum, qui nolunt conuerti ad eum. Neque enim ob aliud procul dubio renuunt, nisi quia grauem & seuerum imaginantur: quod plus est, durum & implacabilem, qui misericors est: ferum & terribilem, qui amabilis est, & mentitur iniquitas sibi, formans sibi idolum pro eo quod non est. *ibid.*

Solet inter primordia conuersionis acrius insurgere tentatio prauæ consuetudinis vt vix possint extingui iacula ignita Diaboli. *ibid.*

Primordia conuersorum blandis refouenda sunt modis, ne si ab asperitate incipiant exterriti ad priores lapsus recurrant. Qui enim conuersum sine lenitate erudit, exasperare potius quam corrigere nouit. *Isid. 1. de sum. bon. c. 8.*

Vitia ante conuersionem quasi pacem in homine habent, quando autem expelluntur, artiores virtutes consurgunt. *ibid. c. 9.*

Vtile est Dei seruo post conuersionem tentari, quatenus a corpore negligentiæ sollicitantibus vitijs ad virtutes animum per exercitium præparet vitiorum. *ibid.*

Multos remissa conuersio in pristinos errores reducit, ac viuendi tempore resoluit. *Cap. 10.*

Valet interdum conuersis pro animæ salute mutatio loci, plerumque enim dum mutatur locus, mutatur mentis affectus. Congruum est enim inde etiam corporaliter euelli, vbi quisque illecebris deseruiuit. Nam locus vbi quisque praue vixit, hic aspectus mentis opponit, quod semper ibi vel cogitauit vel gessit. *ibid.*

In illa ætate quando flauescunt crines, caro nitescit eburnea, oculorum gemmis facies rosea decoratur, valetudo corporis vires subministrat, iuuenilis ætas longioris vitæ spatium repromittit: quando viget ratio vigent etiam corporis sensus, visus acutior, auditus promptior, incessus rectior, vultus iucundior, qui in hac ætate se domant & Deo se sociant, præmium Ioãnis expectant. *Hugo de claust. animæ lib. 3. c. 10.*

Tales offerunt hostiam viuentem, Deo placentem, immaculatam, non aure, non oculo, non pede, non cauda carentem. Audiat hoc senum sera conuersio, quibus ex defectu senectutis aures obturantur, oculi turbantur, &, vt cuncta breuiter perstringã, ipsi in se per se deficiunt. Hi non offerunt agnum immaculatũ: sed vt ita dicam, porcum curatum. Sicut enim porcus in immũdicijs: sic senes iacent in vitijs: & sicut porcus siliquis pascitur, sic senex fabulis & rumoribus delectatur. *ibid.*

Non locorum mutatio, sed conuersio, sensuum aduersa depellit, mœrores fugat, desperationes abijcit, excludit angustias, & intra domicilium synceri pectoris lætitiæ diuinæ æternam præparat mansionem. *Pet. Rau. ser. 46.*

Interim cum Hierosolymitanis habitat Iebusæus: interim in horto patrisfamilias simul sunt saliunca & abies, vrtica & myrtus. In grege Iacob animalia alba & nigra, agni & hœdi. In reti Petri pisces boni & mali. In arca Noe animalia munda & immunda. In agro domini lilia inter spinas, zizania inter spicas. In area domini granum cum palea. In cella Christi vinum cum agresta, oleum cum amurca. Nostrum non est quemquam iudicare. Nouit enim Dominus, qui sunt eius quique futuri sunt. Primi nouissimi, & nouissimi primi. Nos enim præcedere potest ad vitam, quem nouissimum reputamus. *Idem in quadam epist.*

CONVITIVM.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Conuitium, Græce λοιδορία ας ἡ & λοιδορέω, conuicior, aris, dicitur. Est autem conuitium maledictum cum contumelia. Cicero: Maledictum autem nihil habet propositi, præter contumeliam, quæ si petulantius iactatur conuitium: sin facetius, vrbanitas nominatur. Nec Labeoni Iurisconsulto assentiendũ puto, qui conuitium putat à vocum concitatione, vel conuentu deriuatum: Sed esse, quod cum clamore publice fiat. *Vt docet tex. ind. Item apud Labeonem, §. Conuitium ff. de iniur.* Quid autem à cõtumelia differat conuitium, *vide infra in Susurratio.*

SENTENTIAE PATRVM.

Si vtilitate proximi moueor in laudibus meis: cur minus moueor, si quisquam ab alijs iniuste vituperetur, quam si ego? cur ea contumelia magis mordeor, quæ in me, quam in alium eadem iniquitate coram me iacitur? *Aug. lib. 10. confes.*

Si non autem solum percutit iracundia criminantis, verum etiã conscientiã mordet veritas criminis: quid mihi prodest, si me continuis laudibus mundus attollat? Ita nec malam conscientiam sanat laudantis præconium, nec conuulnerat conuitiantis opprobrium. *Contr. Petil. lib. 3.*

Leuis quidem sermo, quia leuiter volat, sed grauiter vulnerat: leuiter transit: sed grauiter vrit: leuiter animum penetrat, sed non leuiter exit: leuiter profertur, sed non leuiter reuocatur. Facile volat: ideo facile charitatem violat. Tenerum membrum lingua attamen vix teneri potest, substantia quidem infirmum atq. exiguum, sed vsu magnum & validum inuenitur: tenuis est & lata, ideo aptissimum euacuandis sordibus instrumentum. *Bern. in quadam serm.*

Conuitia quis facile tolerat, cum in secreto mentis ad mala perpetranda recurrit. *Greg. lib. moral.*

Nihil sæuius, nihil violentius amaris asperisque sermonibus, quorũ vulnera tanto difficilius curantur, quanto facilius proferuntur. *Val. episc. in quodam serm.*

Inuenimus multos aliquoties vno atque eodem sermone dulcibus verbis venena miscere, & fictis pacis blandijs, litium pugnas introire. Quid illis infelicius? quid periculosius esse potest, qui fallacis linguæ studio vitæ insidiantur alienæ? *ibid.*

Videmus frequenter verborum factis in crimen venire, & nimia facultate verborum amicitijs odia succedere: quando autem potest fieri, vt homo, aut magniloquus, aut maliloquus, non habeatur ingratus? *ibid.*

Quamuis quis vitam fide muniat, scientia regat, castitate & sobrietate componat: nihil est quod in homine placeat, si in toto corpore lingua displiceat. *ibid.*

Plana victoria est à clamatione tacere, & non respondere prouocanti. Habet enim mercedem, & de tua patientia, & de fratris medela, si obliuioni detur iniuria. Sicut nihil est deformius quã respondere furiosis: ita nihil vtilius quam tacere prouocatis. Nullus est finis inimicitijs, nisi ad tempus obtemperemus iratis. *ibid.*

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Malis displicere, laudari est: nullam authoritatem habet, vbi, qui damnatus est, damnat. Male de me loquuntur homines, quia bene loqui nesciunt: faciunt, non quod mereor: sed quod solent. *Senec. 77. epist.*

Aequo animo audienda sunt imperitorum conuitia, & ad honesta vadenti contemnendus est ipse contemptus. *ibidem.*

Multi cum alijs maledicunt, sibi ipsi conuitium faciunt. *idem de moribus.*

Turpia ne dixeris, paulatim enim pudor rerum per verba dediscitur. *ibid.*

Non potest generosus animus contumeliam pati. *De sententijs orat.*

Si merito obiurgauerit te aliquis: scito quia profuit: si immerito: scito quia prodesse voluit. *Senec. in epist.*

APOPHTHEGMATA.

Demosthenes, à quodam conuitijs lacessitus, Committor, inquit, in certamen, in quo qui superior euaserit, inferior est: & qui vicerit, victus est. *P. M. lib. 4. apoph.*

Chrysippus a quodam improbo multis affectus conuitiis: Optime, inquit, fecisti, quod nihil eorum, quæ in te sunt prætereris. *Ant. & Max. ser. de vitup.*

Idem, audiens quosdam ipsi conuitiari & obloqui: atqui ego, inquit, Sic vitam degam, vt illis nemo sit crediturus. *Eod. ser.*

Cleobulus dicebat conuitiorum reprehensionem illos non attingere, qui secundum virtutem viuunt. *ibid.*

Plato, quum reprehenderis conuitiose, inquit, vide num quid à te conuitio dignum designatum sit: si nihil tale actum est, fumum esse illud conuitium existimato. *Ant. de ser. obloquut.*

Anonymus. Sapienti cuidam quum aliquis diceret me præsente tibi a certo quodam conuitium factum est: tum ille, Nisi tu, inquit, libenter audiuisses, nunquam ille mihi esset conuitiatus. *Eodem serm.*

Scopelianus eos qui conuitijs agerent, existimantes sese hoc pacto declarare animi magnitudinem, aniculas appellare solebat, nõ tantum ebrias, sed & rabidas. *Philost.*

Demo-

Demades tibijs similes esse dicebat Athenienses, quod adempta lingua nihil residuæ rationis haberent. *Stob. ser. de Imp.*

Anonymus. Philippus Macedonum rex, cum iudicaret vino madidus, & perperam sententiam contra mulierem tulisset: illa intelligẽs errorem esse vini, non regis: Prouoco, inquit, ad Philippum, sed sobrium. *P.M. lib. 8. apoph.*

Philippus Athenienses comparabat statuis quibusdam, quæ nihil aliud quam os haberent: & magna pudenda. *Stob. serm. de Imprud.*

Idem. Eum conuitijs afficiebat quidam effreni lingua præditus: cumque amici hortarentur vt conuitiatorem persequeretur: Absit, inquit ille, ne amplius affectus & implicatus, plura in nos iaciat maledicta. *Ant. serm. de contumelia.*

Idem, Dicebat se suis conuitiatoribus gratiam habere, quod ab ijs melior redderetur. Ego enim, inquit, studens illos mendacij conuincere, si quid improbe fecerint, muto consilium, & pœnitentia factum emendo. *ibid.*

Diogenes, cuidam conuitiatori, At nec mihi (inquit) credit quisquã te laudanti, nec tibi me vituperanti. *ibid.*

Cicero. Cum Pompeius, Gallum quendam, qui ad se à Cæsare transfugerat, ciuitate Romana donasset: O hominem Bellum, qui Gallis ciuitatem promittit alienam, cum nostram nobis non possit reddere. *Plut.*

Adolescens quidam accusatus, quod patrem placenta venenata sustulisset, cum stomachabundus minaretur se probris laceraturũ Ciceronem: Hoc, inquit ille, malim quam placentã, ancipiti dicto parricidium illi objiciens. *P.M. lib. 4. apoph. ex Plut.*

C. Memmius, cum accusaret Bestiam reum, cui patronus erat Scaurus, ac forte funus quoddã duceretur. Vide (inquit) Scaure mortuus rapitur, si potes esse possessor, notans Scaurum, qui male audiebat, quod Phrygionis Pompeij bona sine testamento possideret. *P.M. 6. apoph.*

Cassius, Iulio Cæsare iam per insidias interfecto, sedatoque tumultu populi, cum Brutus ad L. pidum propinquum suum, Crassus vero ad Antonium proficisceretur, inter cœnandum cum sermonem (vt fit) de multis rebus haberent, tum vero Cassium Antonius interrogat: An nunc etiam (inquit) pugionem sub axilla geris reconditum? Certe, inquit, longe maximum: siquidem tu quoque regnum affectabis. *Xiphil. Dion. abbreuiator in Iulio.*

Anonymus. Cæsar Augustus cum vidisset adolescentem oris similitudine sibi similem, interrogauit, num aliquando mater eius Romæ fuisset: Negauit ille, sed sentiens conuicium, statim retorsit in authorem, adjiciens. Sed pater meus sæpe Romæ fuit. Augustus ludens, suspicionem intendebat in matrem adolescentis, velut ab ipso stupratam, & adolescens protinus eam suspicionem retorsit in matrem Cæsaris, aut in sororem. Nam oris similitudo non magis arguebat illum esse Cæsaris filium, quam fratrem aut nepotem: *P.M. lib. 4. apoph. ex Suet.*

Anacharsis, exprobranti cuidam Attico, quod natus esset in Scythia: Mihi, inquit, probro est patria, tu patriæ *Laert. l. 1. c. 6.*

Diogenes. Aristippus philosophus, & Socratis discipulus, cum vidisset Diogenem olera lauantem, accessit. Si Diogenes, inquiens, sciret vti regibus, non vesceretur crudis oleribus. Contra Diogenes: Si Aristippus didicisset esse contentus oleribus, nõ esset canis regius: hoc est, non adularetur Dionysio regi, vt cibum ex aula eius caperet. *Laert. lib. 2. c. 8.*

Idem, Diogenem quidam amentem vocabat, cui ille: Amens quidem non sum, non tamen eandem quam vos mentem habeo. *Stob. serm. de Prudentia.*

Idem Cuidam probri gratia objicienti egestatem, quum ipse esset homo scelerosissimus; Ob rerum egestatem, inquit, neminem vidi torqueri, ob malitiam autem quam plurimos. *P.M. apoph. in fine.*

Idem. Platone de quibusdam disserente, Diogenes præsens, nõ attente animaduertebat. Quamobrem indignatione commotus Plato: Quin inquit, diligenter sermones meos auscultãs, canis? Qui nihil perturbatus: At ego, inquit, nunquam eo sum reuersus, vnde venit, quod canes solent. Obscure taxans ipsius in Siciliam profectionem. *Ælian. lib. 14 de var. hist.*

Quidam ei objiciebat, quod olim falsam monetam signasset: Fateor: inquit Diogenes, fuisse tempus quo eram talis qualis tu nunc es: qualis autem ego nunc sum, tu profecto futurus es nunquam. 5. *Laert. lib. 6.*

Philosophi vulgo nomine male audiebant, quod deos aut non crederent esse, aut contemnerent. Hoc innuens Lysias, interrogabat Diogenem crederetne esse deos? Cui Diogenes. Qui conuenit, inquit, vt non credam, quum persuasum habeam, te dijs inuisum esse? Hoc dictum quidam attribuunt Theodoro. Non respondit ad quæstionem, sed in contumeliose interrogantem retorsit sermonem. *Laert. lib. 6.*

Socrates acrius obiurganti familiarem quempiam in conuiuio. Plato dixit: Nonne satius erat hec illi dixisse seorsum? Cui Socrates. Et an non tu quoque rectius fecisses, si hæc mihi seorsum dixisses? *P.M. lib. 3. apoph. ex Plut.*

Stilpo: quum olim omnium hominum oculi in solum Stilponem coniecti essent, quidam ad Stilponem: Isti (inquit) omnes te admirantur vt beluam: Neqnaquam, ait, sed vt verum hominem admirantur me bestiæ. *Laert. lib. 5. c. 2.*

Gnathæna reprehensa à Stilpone philosopho, quod adolescentes corrumperet: Tu, inquit, egoque Stilpon in eodem hæremus crimine, qui adolescentes tecum versantes inutilia quædam & amatoria sophismata doces, vt nihil referat, cum philosopho versentur, an cum meretrice *P.M. lib. 6. apoph.*

SIMILITVDINES

D. Chrysost. quemadmodum si inflles in scintillam ignis, excitas incendium, contra vero si inspuas, extinguis: & vtrumque tibi in manu est, quoniam vtrumque ex ore tuo proficiscitur. Idem fit si cõuicijs asperseris proximum, si inflatos ac vecordes ingeras sermones, excitas ignem illius, & accendis carbones: sin mites ac moderatos admoueas sermones, priusquam excandescat, irã omnem extinxeris *Hom. 3. Pericul. esse audire spectat.*

Ant. Monachi. Vt Cæcias ventus nubes: sic improborum vita in se conuicia attrahit. *Part. 2. Melissa, ser. 53.*

Polyb. Sicut qui mente præditi sunt, quando hostes vlcisci statuũt, non quid primum spectant, quid merito patiatur proximus, sed magis quid ipsos facere deceat: Ita & de conuitiatoribus sentiendum est. *Lib. de hist.*

Plutarchi. Vt ille Thessalum Prometheum volens occidere, gladio dissecuit tuber, ac sanauit: Ita sæpenumero conuicium per iracundiam dictum ab inimico vitium animi vel ignotum nobis, vel neglectum sanat. *In mor.*

Iaculum si in solidum aliquid inciderit, nonnunquam in mittentem retorquetur. Ita conuicium in fortem & constantem virum totum recidit in conuicium facientem. *In mor.*

Absurdum existimant opprobrare cuipiam corporis vitium, à quo non sis ipse immunis: At multo magis ridiculum, animi vitium in alterum conijcere, quod in te recidat. *In Mor.*

Vt qui luctantur, non abstergunt suum puluerem, sed se mutuo cõtaminant, vt mutuo, cadant: Sic quidam accepto conuicio, non id purgant, sed obseruant quid vicissim in illos possitor queri. *In Mor.*

Vt Thelephus non respexit hostem, cuius erat hasta, sed salutẽ quã adferebat: Ita non oporter offendi inimici conuicio, sed si verũ admonet, vertendum est ad vitæ correctionem. *In Mor.*

Vt si vel inimicus ostendat lutum adhærens vesti, non reijcis in illũ, sed abstergis. Ita si quis ostendat maculam vitæ, non retegendũ est conuicium, sed abstergenda labes. *In Mor.*

Plinij. Vt Olympię porticus vocem acceptam arte septies reddit, vnde heptaphonon oppidani vocant: Ita quosdam si vno tangas conuicio, sexcenta regerunt: aut si paucis ad loquendum prouoces, garriendi finem non faciunt. *Lib. 4. c. 15.*

Leo cunctis formidatum animal, cantum ac cristam galli formidat: Ita summi principes infirmorum conuicia nonnunquam timere coguntur. *Lib. 8. c. 16.*

Vt lasciuia simiarum febrim excutit leoni; Ita inimici conuicium aut contumelia, nonnunquam excussa desidia, veternoq. ad honesti studium nos acuit. *Lib. 8. c. 10.*

P.M. Sicut echo non sonat, nisi cum reddit acceptã vocem: Ita nonnulli quicquid in ipsos dicitur, in alterum regerunt: at non habent quod dicant, nisi dicta referant aliena. *In Sim.*

Muræna fuste non potest interimi, ferula protinus: Ita quosdam leue incommodum exanimat, vt conuicium, qui grauissimas fortunæ procellas infracto tulerunt animo. *In Simil.*

HISTORICA EXEMPLA.

Antisthenes cuidam dicenti sibi, maledixit tibi ille, respondit, nõ mihi (inquit) sed illi, qui in se, quod ille culpat agnoscit, sed et si mihi maledicere curet, non curo: quia auditus lingua debet esse robustior: cum singulis hominibus linguę sint singulę, sed aures binæ, aliquatenus tamen curo: quia eo ipso me fateor esse superiorem: quia superioris personæ visus est hoc pati, inferioris facere gauderem itaque nisi vrgente humanitate homini compaterer infelici. *Val. Max. lib. 1.*

Plato, cum quidem ei retulit esse nonnullos, qui ipsum conuicijs, & maledictis insectarentur. At ego, inquit, ita mores componam, vt illi fides nulla habeatur. *Ant. serm. de contumelia.*

Pytheas Demosthenis obiecit, quod ipsius enthymemata lucernam olerent, significans illum non nisi de scripto, & ad lucernam elucubrata dicere. Quod dictum ita retorsit Demosthenes, vt diceret: Non eodem precio sibi & illi constare lucernam: notãs, quod ille nocturnis conuiuijs indulgeret, plus impendens luxui, quam ipse studio: *Plut. in Demosth.*

Aduersus Demadem clamantem, Demosthenes me corrigere vult, sus Mineruam: Arista (inquit Demosthenes) Minerua anno superiore in adulterio deprehensa fuit. Adulterium obiecit Demadi, quum Mineruam poetæ faciant virginem. *Ex Plutarchi.*

Ander.

Aduersus quendam Phæreum nomine, de stupro suspectum, quum Phæreus Demostheni vigilias lucubrationesque obijceret, scio, inquit, tibi molestum esse, quod lucernam per noctem haberim. *Bruf. lib. 1. c. 4.*

Helnius Mancia. L. Libonem apud Pompeium accusabat: in quo cer tamine Pompeius, Liboni fauens, Heluio & generis humilitatem & senium exprobrasset, dixit, illum ab inferis remissum, vt claros viros accusaret. Hoc conuitium is constanter retorsit hoc modo: Non mentiris, inquit, Pompei: plane ab inferis reuersus sum. Sed dum illic moror, vidi Cn. Domitium Aenobarbum deploratem, quod summo genere natus, vitæ inculpatissimæ, patriæ amantissimus, in ipso iuuentutis flore, tuo iussu esset occisus. Vidi pari claritate conspicuum Brutum, ferro laceratum, quærentem id sibi prius perfidia, deinde etiam crudelitate tua accidisse. Vidi Cn. Carbonem acerrimum pueritiæ tuæ, bonorumque patris tui defensorem, cum tertius consul esset, catenis, quas tu illi inijci iussisses, vinctum, obtestantem te, aduersus omne fas & nefas: cum in summo esset imperio, a te equite Romano trucidatum. Vidi eodem habitu & quiritatu prætorium virum Perpennam, sæuitiam tuam execrantem: atque hos omnes eadem voce indignantes, quod indemnati sub te adolescentulo carnifice cecidissent. Has Manciæ voces, fortassis aliquis remeritatem appellet citius quam libertatem. Scitum est, quod subnectit Valerius: Eo tempore & fortissimum erat Pompeio maledicere, & tutissimum. Fortissimum, ob summam potentiam: tutissimum ob reuocatam veterum factorum inuidiam. *Valer. Max. lib. 6. c. 2.*

Qu. Opimius consularis in adolescentia male audiuit. Is Aegilio homini festiuo, qui videbatur mollior, nec erat, sic exprobrauit mollitiem: Q. tu Aegilia mea, quando ad me venies cum tua lana & co? Lepide retorsit Aegilius: Non pol, inquit, audeo: nam me ad famosas vetuit mater accedere. Alter simulabat orationem velut ad fœminam, alter sceptra persona simulationem vertit: in irrisionem. *P. M. lib. 6. apoph.*

Catulus Philippo oratori dicenti, Quid latras? respondit, Furem video, conuitium latrandi in ipsum retorquens, notauit hominis rapacitatem. *Bruf. lib. 2. c. 40.*

Catulus, cum audiret quosdam ex iudicibus quos pecunia Clodius corruperat præsidium petentes, ac si in periculo forent conuitiu et periturigens illorum prædonum auaritiam. Quid vos (inquit) a nobis præsidium postulabatis? an, ne nummi vobis eriperentur rimebatis? *Cic. ad Att. lib. 1. Plut.*

Cn. Domitius L. Crasso collegæ exprobrauit, quod censor tanti habitaret, eo quod in porticu domus haberet columnas Hymettias, pro domo cius millia nummum identidem promittent. Crassus erat præsenti ac festiuo ingenio, regauit que collegam, Quanti ipse domum suam æstimaret. Is respondit, Sexagies sestertium. Rursum Crassus: Quanto igitur, inquit, eam minoris æstimas, si decem arbusculas inciderit? Eæ fuerant loti, patula ramorum opacitate lasciuæ. Cum Dominius respondisset, tricies sestertiũ. Vter, inquit Crassus, nostrum luxuriosior? egone, qui decem columnas centum millibus nummum emi? an tu, qui decem arbusculatum vmbram tricies sestertium æstimas? Ita est ingenium hominum ad aliena vitia perspicax, ad sua cæcum. *P. M. lib. 6. apoph.*

M. Crassus in Parthos proficiscens, cum Deiotarum extremæ iam senectutis, nouam vrbem condere videret: Quid est, inquit, ô rex, hoc rei, quod cum hora diei iam adsit duodecima, nouam vrbem extruere instituis? Ad hæc arridens Deiotarus: Imo quid tibi in mentem venit, Imperator, vt cum haud quaquam sis (vt videtur) matutinus, tamen in Parthos cum exercitu properas? Nam id temporis Crassus sexagesimum agebat annum. Hora quæ nobis duodecima est in meridie, olim erat extrema diei. *Plutarc. in M. Crasso.*

L. Crassus Cens. Cn. Domitio collegæ exprobranti, quod ob murenam in viuario mortuam lachrymasset: At tu, inquit, cum vxores tres extuleris, nullam emisisti lachrymam. Scite retorsit conuitium. Notauit illum, quasi non curasset vxorum mortem. Et alioqui turpius est in vxoris funere non flere, quam ob murenã emittere lachrymas. *P. M. l. 9. apoph. ex Plut.*

Longus Sulpitius insigniter ipse fœdus, eum contra quem in iudicio aderat, dixit ne faciem quidẽ habere liberi hominis. Cui respondens Domitius Afer: Næ tu ex animi mei sententia. Longe: Qui malam faciem habet, liber non est. Si ideo liber non erat cuius agebatur caussa, quod deformis esset: nec ipse Sulpitius habendus erat pro libero, cum esset fœdissimus. *P. M. l. 9. apoph.*

Cum quidam Catoni dixisset, Eamus deambulatum: & adolescens quidam interpellasset dicens, Quid opus erat de? Imo, inquit Cato, quid opus erat te? vna literula mutata, significauit ipsum potius esse superuacaneum in vita, quam de in verbo. *P. M. lib. 5. apoph.*

C. Lælius, ei quidam obscuro genere natus dicebat, Indignus es tuis maioribus, respondit: At tu hercule tuis satis dignus es. *Cic. lib. 2. de Orat. & in Lalio.*

Cicero cum a.I Pompeium venisset ac venisse peniteret, rogatus vbi Pisonem generum reliquisset? Apud tuum, inquit, socerum, Cæsarem designans. Perinde quasi notatus esset Cicero, quod a genero suo distinctus esset, perstrinxit illum quod ipse cum socero bellum gereret. *Plut. in apoph.*

Idem, Metello per contumeliam exprobranti, quisnam ipsius esset pater, nimirum ignobilitatem ei exprobrans: Ad istam, inquit, percontationem vt respondere tibi difficilius, mater effecit tua, nam Metelli mater audiebat parum pudica. Quin & ipse Metellus matrem referens leuior erat, & inconstans, & affectibus feruens. Cicero conuicium a patre ad matrem transtulit. Tum enim incertus est pater, cum mater non cum vno consuetudinem habet. *Plut. in Rom. apoph.*

Verres, qui filium habebat parum pudice flore ætatis vtentem, Ciceronem vt parum virum, ac cinædum incessebat conuitijs. At Cicero: Ignoras, inquit, quod liberis intra fores ita conuiciandum sit. Significans hoc conuicium in ipsum competere, sed in conuiciatoris filium. Parentum est autem obiurgare liberos, sed intra domesticos parietes. nec turpia conuicia fin eliminanda. Eliminat autem, qui alijs impingit, quod ipsius domi committitur liberi. *Plut. in Rom. apoph.*

Plancus cum in causa quadam adesset amico, vellerque testem molestum perturbare, interrogauit, quo se artificio tueretur. Sciebat, n. illum esse sutorem. At ille lepide retorquens in Plancum: Gallã, inquit, subigo. Id quidem sutorum habetur instrumentum: sed tecte exprobrabat illi adulterium cum Mæuia Galla, quo nomine Plancus male audiebat. *P. M. 6 apoph.*

Hieroglyphica.

Nonnulli significaturi hieroglyphice conuiciorum contemptorem, *Aquilam* figurarum statu immobili confidentem, nasi pennarum aspenitate terribilem, neque rostri minacem, iuxta hanc *Cornicem* summitterent eo gestu, vt lacessere, & conuicia facere videatur. *Pier. Val. lib. 19. pag. 178. G.*

Vide, Contumelia, Maledicentia.

CONVIVIVM.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Conuiuium, Græce *συμπόσιον, καὶ συνδειπνον*, continiæ dicitur. Et est accubatio epularum *secundum Ciceronem, qui in libro, Qui Cato maior dicitur, vel de senectute, dicit*: Bene n. maiores nostri accubationem epularum, quia vitæ coniunctionem haberet, conuiuium nominauerunt, melius quam Græci, qui hoc ipsum modo cõpotationem, hoc est *συμπόσιον*, modo concœnationem, quam *συνδειπνον* vocant. Ab hoc conuiuos, quod co. uiuium facio, & cõuiua qui ad conuiuium vocatur: conuiuator a vero, hoc est compotatores, non a conuiuendo, vel conueniendo, sed a conbibendo dicti sunt, quasi conbibones. Conuiuium, Hebr. *Misichteh*, potatio à verbo *Schatah* bibit sitiens. Conuiua, Epularum socius: compoto, Hebr. *Karu. συμπότης.*

Conuiuium laudatur, dummodo in detractionibus, & fabulis, & plausibus turpibus non nascatur. 44. *dist. Conu & c. seq.*

Conuiuium clericorum debet præcedere mensæ benedictio, infra mensam lectio, post mensam gratiarum actio. 44. *dist. Quando autem.*

In conuiuio non cibus, sed cibi auiditas reprobatur. *de Con. dist. 5. Sinetibi.*

Conuiuia hæreticorum & schismaticorum præcipue clerici debent vitare. 24. *q. 3. Cler.*

Conuiuia prohibentur, cum sacerdotalis sensus tenuis esse debeat, ne pinguis venter grossam mentem generet. 44. *dist. can. vlt & seq. 35. dist. Presbyteri.*

Conuiuia nec episcopus, nec clericus absque necessitate in ecclesia facere debet. 41. *dist. Non oportet cler & c. seq.*

Conuiuium triplex est, scilicet animæ, ecclesiæ & beatorum: & quod libet eorum habet tres epulas. *S. Thom sup. Esa. 25 in fi.*

Loci Biblici.

Conuiuia impiorum qualia, *Esa. 5. 12. Osee. 4. 18. 2. Pet. 2. 13.* damnantur, *Prou. 23. 20. Ier. 16. 8.*

Sententiæ Biblicæ.

Melius est vocari ad olera cum gaudio, quam ad vitulum saginatum cum odio. *Prou. 16.*

Non esse in conuiuijs potatorum, nec in commessationibus eorum, qui carnes ad vescendum conferunt, quia vacantes potibus, & dantes symbolo consumentur, & vestietur pannis dormitatio. 23.

Noli auidus esse in omni epulatione, & non te effundas super omnem escam. *Eccl. ibid.*

In mul-

In multis enim escis erit infirmitas, & auditas appropinquabit vsque ad choleram. *Ibid.*

Super mensam non extendas manum tuam prior, ne inuidia contaminatus, erubescas. *Eccl.*

Si in medio multorum sedisti, tu prior illis, ne extendas manum tuam, nec prior poscas bibere. *Ibid.*

Si coactus fueris in edendo multum, surge è medio & vome, & refrigerabit te, & non adduces corpori tuo infirmitatem. *Ibid.*

In conuiuio vini non arguas proximum, & non despicias eum in iucunditate illius. *Ibid.*

Vir respiciens in mensam alienam, non est vita eius in cogitatione victus, alit enim animam suam cibis alienis. 40.

PATRVM SENTENTIAE.

Rogandi sunt parentes & vicini, sed rarius rogandi sunt. Et nō nimis sumptuosa & deliciosa, sed tam parca & sobria, vel honesta illis debent conuiuia præparari, vt remaneat vnde possint pauperes refici. *Aug. ser. 2. de temp. dom. 2. Aduent.*

Vtilius est ad exequias funeris, quam ad domum ire conuiuij: quia ibi recordatione conditionis nostræ & fragilitatis humanæ, ex præsenti cadauere commonemur. In conuiuij autem lætitia, etiam si quid timoris habere videbamur, amittimus. *Hier. in Eccl. sup. illa verba: Melius est ire ad dom. luct. &c.*

Conuiuium quod à precatione cœptum, in precationem desinit, nunquam deficiet, sed quouis fonte vberius nobis omnia adferet bona. *Io. Baptista. Io. Chrys. hom. de fide Anna.*

Conuiuium honestate honoretur, lætitia mensæ pertingat ad pauperes Christi, familia innocētiæ tripudiet disciplina. Absit ebrietas, luxus absistat, fugetur effusio saltatricum pestis, lenocinia cantorum, voluptatum fomenta, ventris onera, naufragiū mentis cum Herodiadis conuiuio abscindantur, vt præsens gaudium vestrum ad lætitiam perueniat sempiternam. *Idem hom. 16. decoll. Io. Bapt.*

Non est hoc paruum signum virtutis, non parua via correctionis, eiusmodi fugere conuiuia, & tales cœtus, & neque reuereri amicitiam, neque ventri seruientes, robur, & constantiam animi dissoluere. Dum multi reuerentur amicitiam, inebrietatis fluctus, deuoluti sunt à fornicatione, & igneni voluptatis accenderunt, dum secuti sunt conuiuia, habentia multum iniquitatis. *Idem in Psal. 40.*

Nulla sunt conuiuia, vbi non mortalia committuntur peccata. *Greg. in 5. c. Iob.*

Festa mundanorum sunt in epulis & delicijs corporum, sed festa spiritualium sunt in delectatione spiritus. *D. Thom. super Io. 7. lectio. 2. in fin.*

SENTENTIAE POETICAE.

Hesiodus.

Τὸν φιλέοντ' ἐπὶ δαῖτα καλεῖν, τὸν δ' ἐχθρὸν ἐᾶσαι,
Τὸν δὲ μάλιστα καλεῖν ὅς τις σέθεν ἐγγύθι ναίει.

Id est.

Amicum ad conuiuium voca, inimicum dimitte:
Sed hunc maxime voca qui te prope habitat.

Μηδὲ πολυξείνου δαιτὸς δυσπέμφελος εἶναι.
Ἐκ κοινοῦ πλείστη δὲ χάρις δαπάνη τ' ὀλιγίστη.

Id est.

Neque multorum sociorum conuiuij perturbator sis.
Ex communi plurima gratia, sumptus autem paucissimus.

Menander.

Εὔτακτον εἶναι τἀλλότρια δειπνοῦντα δεῖ.

Id est.

Bene compositum esse, aliena conuiuantem, oportet.

Homerus Odyss. 1.

Οὐ γὰρ ἐγώ γέ τι φημὶ τέλος χαριέστερον εἶναι,
Ἢ ὅταν εὐφροσύνη μὲν ἔχῃ κατὰ δῆμον ἅπαντα,
Δαιτυμόνες δ' ἀνὰ δώματ' ἀκουάζονται ἀοιδοῦ,
Ἥμενοι ἑξείης· παρὰ δὲ πλήθωσι τράπεζαι
Σίτου καὶ κρειῶν, μέθυ δ' ἐκ κρητῆρος ἀφύσσων
Οἰνοχόος φορέῃσι καὶ ἐγχείῃ δεπάεσσιν·
Τοῦτό τί μοι κάλλιστον ἐνὶ φρεσὶν εἴδεται εἶναι.

Id est.

Illa quidem longe est finis gratissima rerum,
Perpetuo vacuam curis traducere vitam,
Vt si cum populi conuiuia lata frequentent,
Auscultent cithara lusus, iuuenesque canentes,
Stentque cibis, iuxta mensæ dapibusque repletæ:
Insuper afferret pleno & cratere minister,
Infundat pateris dulcissima munera Bacchi:
Hoc mihi nil quicquam iucundius esse videtur.

Incertus author.

Αὐτὸ δ' ἀλὶς ἄδειος ἀεὶ πότης ἐστ' ἀνάγκη.
Ὑβριστὴν εἶναι τ' εἰσὶ καὶ αἰνομετῆ.
Τὸν μὲν γὰρ γαῖα προχέει κρυφα· τὸν δ' ὑπὸ γαίης
Πολλάκις πρὸς Λήθης ἤγαγε πικρὸν ὕδωρ.
Πολυμέθεις χαίροιτε· τὸ δ' ὅπποσον ἡδὺ ποθῆναι
Μέτρον ἐμοὶ πάσης ἄρκιον ἐστι πόσεως.

unus ?? exhausto lætissima pocula potu,
Baccho & potori vina concita nocens,
Hunc quia clam tellus venis effundit, at illum
Fert ad lethæas immoderatus aquas.
Vinosi dira pereant morte bibones:
Lætus ego saltem vina modesta bibam.
Illa quidem longe est finis gratissima rerum.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Francisci Petrarchæ.

De conuiuijs. Dialogus XXI.

G A V.

Conuiuijs glorior. R. Lautus victus voluptatis, conuiuia sunt furoris. Quid. n. nisi pomparicus furor est multos diuites a negotijs honestioribus fortassis abstractos honorifico tædio vnum in locum cogere, & multos ventres aut vacuos melius mansuros, aut suo gratius implendos arbitrio, exquisitis & nociuis cibis infarcire? vbi vt vnt morem gesseris palato, multis tædio fueris atq; fastidio. Raro. n. inter conuiuas conuenit, verumque deprehenditur quod ait ille. *Tres mihi conuiuæ prope dissentire videntur, Poscentes vario multum diuersa palato.* Quid dem, quid non dem. Quid des Flacce seu quid facias, nisi vt penitus nihil des, & hanc curam illis linquas, quibus nulla cura altior est. Agant quid libet, qui agere nil aliud sciunt. Nam si tres discordant, quid centum facient, aut mille? Via sine tacitis saltem abeunt lamentis. Hoc male sapuit. Illud male oluit. Hoc præferendum fuit. Illud gelidum. Illud intempestiuum. Hoc mœsto oblatum. Hoc irato vultu. Crudum illud, hoc lacerum, ille famulus segnis, Hic præceps. Hic surdaster. Hic contumax, Hic clamore offendit. Hic silentio. Ille illotis vasis aquam tepidam. Hic vinum molle porrexit. His querelis non tam aulæ, quam viæ resonant, & plateæ, nec immerito. Nam quid attinet iucundius domui suæ pransuros precibus fatigare, aut quorsum, & sumptus inutilis, & superuacuus labor, atque vnum in atrium turba conueniens, nisi vt te viciniæ ostentes, & quasi de conuiuijs tuis pedester agas voluptarium triumphum. Sic tubis cymbala concrepant, vtque appareat pompæ omnia tribui, charitati nihil. Finge postridie vnum aliquem conuiuarum tantulo agere, quanti sua constitit paropsis, nunquam id à conuiuij domino impetrabit. Nempe non id illi præstitum, sed sibi. Quæ quamuis ita esse non sit dubium, solent tamen vbi ad mensam ebrij dixerant affirmantque aliquid percussis epulis, his ferme verbis vti, per hanc inquiunt, quam simul facimus caritatem, quibus rite respondeatur. Immo vero per hanc ebrietatem, & hanc crapulam. Vera enim caritas demum esset, si ieiuni & sicci: quæ in vestram perniciem effunditis in vsum pauperum verteretis, tunc caritatem non improprie iuraretis, nunc ad vestra conuiuia fastidiosi diuites coguntur, famelici pauperes excluduntur. Vobis scilicet æstimantibus gloriosum claris hospitibus abūdare. Nec deest præter vulgus (fontem omnis erroris) author insignis. Est enim vt mihi videtur ait Cicero, valde decorum patere domus hominum illustrium hospitibus illustribus. Plane vir egregie, qui referre vicem valeant, sed egentibus clausas esse. Quam in re haud indigne forsitan notatum à Lactantio Ciceronem nouimus, qui profecto illud melius alibi, sed eodem libro. Hoc maxime inquit officium est, vt quisque maxime opis indigeat, ita ei potissimum opitulari. Quod contra fit a plerisque, a quo enim plurimum sperant, etiam si ille his non eget, tum ei potissimum inseruiunt. Bene nunc eis Cicero, & vere, nam & ita fieri debet, & à plurimis contra fit. Sed (vt ad rem redeam) si querelis, ac fastidio conuiuarum vis carere, conuiuijs. Habent vtcunque fortassis, qui conuiuio interfuere quod arguunt, quod grauentur, qui hoc ipsum arguit quod conuiuio non interfuit, non iam ille conuiua est, sed impudentissimus parasitus, cuius lingua non pluris existimanda quam gula est, quæ non modo non metuenda est, sed optanda, nonnunquam dicente Satyrico. *Nam quæ comœdia, Mimus quis melior plorante gula?* Tales aliqui apud comicos describuntur, festique risum excitant, quid nisi coram auditi queant facere. Hæc denique summa est, conuiualem censuram non conuiuendo euaseris, parasiticos morsus ac rabiem ridendo, & contemnendo fugaueris, non est alia ad quietem vita. G. Conuiuijs vaco. R. Pulchrum tibi studium elegisti, quid huic gustui conueniat, quid illi, quibus aut compescenda fames ferculis, aut irritanda salsamentis. Eo præclaram vtilemque philosophiæ partem quis primus, quis secundus, & quis tertius ingratum stomachum cibus premat, quis vini fumus cerebro gratiores nebulas effundat. G. Conuiuijs delector. R. Si sic accipiatur vt verbum sonat, & vt senserunt maiores nostri nominis huius authores, non modo non arguā, sed laudabo. Dulce est n. & optabile, & honestū amicis conuiuere, sed commessationē conuiuium appellatis, turpissimaq. rei pulcherrimū nomen comedendo & bibendo, non melius cogitando, & loquēdo, cū & docto homini & erudito (vt ait Cicero ipse) viuere sit cogitare, & nil profecto sit dulcius noto ac fido colloquio amicorū. Nolite ergo rē fœdā pulchro velo tegere. Trāslucet. n. & quod conuiuiū dr̄ commessatio esse cognoscitur. Audite potius Apostolū Paulum clara voce à malis nos integ-

cætera

cætera commessationibus, & ebrietatibus, dehortantem, & vide te ne ad turpia nomina splendore rapiamini. G. Conuiuia me delectant. R. Dic quod est, Comessationes, potationes, epulationes, viscerationes. Hæc si delectat accipere, vilis tu vilis rei debitor, ac si dare stultus tu stultæ sollicitudinis seruus es. G. Conuiuijs gloriam quæro. R. Mos est vester quærere, ibi vbi quod quæritis non est. G. Spero gloriam conuiuijs. R. Falsa est gloria, verus error. Alexandrum Macedonem conuiuijs indulsisse vsque ad funestam ebrietatem legimus. Lucium Verum vsque ad profluuium amentis impensæ, flebilemque Imperij iacturam. Quæro alios duos, quem mihi sanum principem, quem sobrium regem his inuentum dabis? Nam philosophos ac poetas egregios memorare necessarium non est, multoque minus sanctos viros, & omnino omnes grande aliquid pium ve animo agitantes, quibus omnibus haud dubie tota ea res infamis, & inuisa est. G. Gloria mihi apud vulgus, & multorum gratia ex conuiuijs parta est. R. Vilissimæ mercis ingens precium, coquum fieri vt gulæ complaceas alienæ. Credo autem sunt quos gula vrget, frænat inopia, his nihil est gratius quam aliena cura, & impēsa freno illo absolui, quodque per se nequeunt per alios adipisci. Qui hoc eis præstant clari apud illos dum id faciant & famosi sunt. Finge desinere, simul desinent clari esse. Tandem, vt ego quoque iam desinam hæc summa est. Conuiuatum conditio delicata est, & querula longeque difficilis. De parasitis breuem accipe regulam, dum illos affatim pa[u]eris rodent, arridebunt, plaudent manibus, laudabunt virum optimum liberalemque patriæ patrem dicent, Nihil ad vltimum Græç adulationis omiserint, de qua Satyricus loquens adulandi gentem prudentissimam, & commœdam nationem asseruit, & reliqua poetis quoque notissima: sin aliquando cessaueris & quidem sponte, auarum, sordidum, miserum, diffamabunt. Sin inopia, homunculum non malum certe, sed stolidum, & ineptum, teque, tuamque domum fugient vt scopulum. Tunc intelliges illud Flacci, *Diffugiunt cadis cum fece siccatis amici.* De his quidem loquitur amicis. Veri enim maxime in aduersis hærent, & illas domos auidius frequentant quas fortuna deseruit. His ineptijs, hisque difficultatibus, vt occurras in tempore & conuiuas tumidos & scurras aridos, horumque omnium voces, & sententias disce contemnere, & sic habeto, nihil loci recto esse iudicio vbi totum voluptati tribuitur, nil virtuti. Caducum denique malis artibus partum nomen, eamque vulgo quæ gloria dicitur, apud doctos infamiam esse non gloriam.

Bene maiores nostri accubationem epularum, quod amicorum & vitæ coniunctionem haberet, conuiuium nominarunt, melius quam Græci, qui hoc idem tum compotationem, tum concœnationem vocant, vt quod in eo genere minimum est, id maxime probare videantur. *Cicero de Senectute.*

A P O P H T H E G M A T A.

Diogenes, adolescenti formoso ad conuiuium eunti: Deterior, inquit, redibis, Reuersus a conuiuio adolescens, quum Diogeni dixisset, iui, nec redij deterior: inquit, *Χείρων μὲν οὔ?* deterior igitur, indicans, fieri non posse, quin adolescens è luxurioso temulentoque conuiuio redeat deterior, *Laert. lib. 6.*

Idem rogatus, quanam hora prandere oporteret? si diues, inquit, tum quando vult: si pauper, quum potest. *Laertius in eius vita. Brus. lib. 2. c. 14.*

Idem, inuitatus apud Platonem, oleas ex omni apparatu tantum gustantem: Quid, inquit, sapiens vir in Siciliam huiusmodi mensarum gratia profectus, appositis modo non frueris? *ibid.*

Athenodorus dicebat, ne ad cœnam quidem se iturum ad eum, qui sibi per hoc debiturus sit. *Brus. lib. 1. c. 14.*

Zeno, rogatus cur in conuiuio tam hilaris esset, qui alioqui seuerior videbatur: vrbanissime respondit, Lupini (inquit) quam sunt amari, perfusi tamen aqua dulcescunt. *Brus. lib. 1. ex Plut.*

Aristarchus, vocatus ad cœnam, non prius se venturum pollicitus est, quam nomenclaturam eorum, qui simul vocati erant didicisset. Dicebat enim, Cui nauigandum est, aut in expeditione militandum, contuberium vtcumque fortuna commorantium necesse est: cæterum citra delectum sese potatorum turbæ immiscere, hominis est imprudentis, & parum cordati. *Stob.*

Aristides, semper suo vnius præsidio fretus Rempubl. administrabat, a sodalitatibus abhorrebat, velut ab amicorum potentia, quæ ad iniuriam alijs inferendam adderet animum. Quantum ille vir abhorruit ab omni factione, qui non ob aliud vitabat amicitias, quam ne per illas adigeretur ad aliquid faciendum, quod iustum non esset, aut cogeretur abstinere ab eo, quod iudicasset Reipubl. conducere. Nunc mundus vndique plenus est sodalitatibus, sed titulis plausibilibus, ac religionis lenocinio commendatis: Nec his fortasse dedisse nomen expedit viris insigni virtute præditis, eo quod maior pars, quæ fere deterior est, sæpe cogit facere quod nollent, aut absistere ab eo quod erat factu optimum. *P. M.*

S I M I L I T V D I N E S.

Plutarchi, Paulus Aemilius dicebat eiusdem artis esse, & aciem bene instruere, & conuiuium exhibere: illam, vt hostibus sit quam maxime formidabilis: hoc, vt amicis sit iucundissimum. *In Rom. apoph.*

Qui in eadem vehuntur naui, & in ijsdem militant tentorijs, fata mutuo ferant oportet: Sic qui versantur in Repub. At in conuiuijs non idem est necessarium: illic periculum est commune, hic non item. *In Moralib.*

A D A G I A.

Septem conuiuium, Nouem conuitium.

Innuit prouerbium, paucos in conuiuium adhibendos esse, alioqui fore tumultuosum & insuaue. Elegans est propter παρονομασίαν.

Marcus Varro dicit conuiuarum numerum incipere oportere a gratiarum numero & progredi ad Musarum: id est, proficisci a tribus, & consistere in nouem, vt cum paucissimi conuiuæ sunt, non pauciores sint, quam tres: cum plurimi, non plures quam nouem. Nam multos turbam esse non conuenit, quod turba plerunque est turbulenta.

Ophelis Stoici huiusmodi de Affabilitate est præceptum.

Discite non inter lances mensasque nitentes
Cum stupet insanis acies fulgoribus, & cum
Acclinis falsis animus meliora recusat:
Verum hic impransi mecum disquirite, &c.

Conuiuium tribus constare debere, ex Menalippa Varronis adducitur lectis viris, loco, tempore.

Martialis.

Μισῶ μνάμονα συμπόταν.
Odi memorem compotorem.

Tiberius ad eum modum, & in hanc sententiam pro Cota Messalino, qui ob verba quædam inconsideratius per prandium effusa postulatus ad Imperatorem prouocauerat, rescripsit, postulans, ne ei verba praue detorta neue conuiualium fabularum simplicitas in crimen duceretur, vt est autor Tacitus lib. 5.

E X E M P L A B I B L I C A.

Conuiuia tum boni tum mali celebrant: Exempla: Abraham, *Genes.* 18. v. 3. & 19. v. 2. 3. & 21. 8. Isaac, 26. 30. Laban. 29. 22. Pharao, 40. an. Ioseph 43. 16. Pater Samsonis, *Iud.* 14. 10. Princeps Philisthæorum, 16. v. 22. 23. 24. Senex apud Gabaanitas, 19. 21. Saul, 1. *Sam.* 20. 5. Nabal. 25. 36. Dauid, 2. *Sam.* 3. 20. Absalom, 13. v. 23. 28. Adonias, 1. *Reg.* 1. 9. Salomō, 3. 15. Tobias, *Tob.* 5. v. 1. 2. Raguel. 7. 8. & 9. 12. Ozias, *Iudic.* 4. 19. Holofernes, 12. 1. Assuerus, *Esth.* 1. 3. & 2. 18. Vasthi, v. 9. Esth. 5. 4. & 7. 1. Iudæi, 8. 17. *Esa.* 11. Filij, Iob, *Iob.* 1. 4. Balthasar, *Daniel.* 5. 1. Matthæus Leui, *Matth.* 9. 10. *Marc.* 2. 15. *Luc.* 5. 59 Homo quidā. 14. 16. *Zachæus*, 19. 5. Conuiuium nuptiarum, *Ioan.* 2. 1. Lazarus, 12. 2.

E X E M P L A P R O F A N A.

Macedones in more habent, vt nullus discumbat inter conuiuas, nisi extra retia aprum interfecerit: tunc enim sedere inter conuiuantes licebat. *Athenæus lib. 1. c. 11.*

Epula, Legionibus victricibus ante fores exhiberi solebant. *Alexander ab Alexandro. lib. 6. c. 6.*

Apud *Gothos* honorificum, regiæ mensæ adhiberi. *Paulus Diaconus lib. 1. c. 23.*

Brachmanes conuiuia vasis epulisque apparatissima struere, Apollonius Tyaneus affirmauit: cum tamen, qui apparando conuiuio, ferendis mutandisque ferculis ministrarent, nulli conspicerentur, *Philostratus.*

Fertur Numa aliquando frequentes ciues inuitasse ad epulum, sordidaque vasa, & cœnam plane frugalem plebeiamque apposuisse. Cœpta cœna intulisse sermonem, Deam sibi familiarem adesse, ac repente domum ostendisse poculis instructissimam pretiosissimis, mensasque epulis varijs, atque apparatu magnifico affluētes *Plut. in Numa.*

Reges Persarum quotannis regiam cœnam instruunt, quam sua lingua Tyctam, hoc est, τέλειον siue perfectam vocant: in qua Rex solum caput ornatur, Persas strenis donat, & quicquid oratus fuerit, concedere cogitur. Celebratur autem quotannis eo die quo Rex creatus est. *Herodot. lib. 9.*

L. Sylla, deposita Dictatura, vniuersi patrimonij sui consecrans Herculi decimam, præbuit splendidum epulum populo per multos dies tantoque exuberantior vsus apparatus fuit: vt quotidie magna copia cibariorum in amnem proijceretur: vinum diffunderet quadraginta annis vetustius. *Plut. in Sylla.*

Magnificum epulum *C. Iul. Cæsar* in Libyco triumpho populo Romano dedit, in quo duobus & viginti millibus tricliniorum est accubitum. Ciuibus viritim denos frumenti modios, totidemque olei libras trecentosque nummos diuisit. *Suet.*

Persæ laute cœnant, integra & multa & varia apponentes: lecti & poculorum ornatus splendidissimus, auro & argento refulget. *Strab. lib. 15.*

Athenæus lib. 4. tradidit ex Herodo. Apud Persas diebus natalitijs fuisse morem, vt diuites bouem, ceruum, agnum, asinum, equum, & camelum apponerent, totos in clibano aut camino coctos. *Theat. Zuing.*

Hecatæus Abderites memorat, eos qui vxores ducunt, ad solemne cōuiuium complures inuitare: quo ingenuos se esse, & ingenuorum

paren

parentum filiam ducere vxorem, multi sciant, & teites sint. *Plut. lib. 4. Quæst. conuiualium. 3.*

Otho Imp. singulis septimanis in cibum aulicum mille porcis, viginti octo tauris, mille modijs frumenti, octo plaustris vini, decem plaustris ceruisiæ vtebatur: exceptis oleribus, piscibus, ouis, gallinis, carnibus ferinis, butyro, adipe, lardo & caseo. *Ernestus Brotuffus lib. 2. Chron. Mersb. c. 1.*

Paulus Æmilius, cum deuicto Perseo epulum exhiberet victoriale, admirantibus Græcis, quod in magno splendidoque apparatu curiosus esset, dicere solebat, Eiusdem esse animi, & aciem & conuiuium bene struere: Illam quidem, vt formidolosus hostib. hoc, vt amicis gratus esset. *Plut. in Rom. apoph. & Bruf. lib. 2. c. 2.*

Sertorius admonere solebat suos, ne quid in conuiuio præter decorum vel fieret, vel diceretur: præterim, a iurgijs & obscœnitate temperaretur. Nec ipse quicquam tale sustinebat vel audire, vel videre. *Plut.*

C O R.

DEFINIT. ET ETYMOLOG.

COr Græce καρδία, ας, ἡ. dicitur. Quod pro mente sæpe ponitur: vnde recordor, quasi in corde, hoc est in mente, reuoco: vnde recordatio fit. Et socors, quasi sine corde, & socordia, ignauia. Et concors, qui vnius mentis & animi est. Et concordia, de qua supra in concordia.

Cor primo generatur. *secund. B. Tho. 2. 2. q. 122. art. 2.*

Cor est primum principium motus in animali. *1. 2. q. 17. ar. 9*

Cor est primum principium membrorum & virium vitalium quantum ad esse. Sed caput est principium sensuum & motus. *secundum B. Thom. 3. par. q. 90. ar. 3.*

LOCI BIBLICI.

Cor, pro serio & syncero affectu, *Rom. 10. uer. 10.* pro anima, seu mente, *1. Pet. 3. uer 4.* pro conscientia, *1. Thess. 3. 13.* pro intellectu, *Rom. 2. uer. 15* pro media & intima parte alicuius. *Exodi 15. uer. 8. Psal. 46. u. 3. Prouer. 23. u. 34. Ezech 27. u. 4. & 58. u. 28 Ione 1. u. 4.* Sic accipitur secundum quosdam, & *2. Samuel. 18. u. 14. bis in eodem uer.* Cor intelligens à Deo, *Deut. 26. u 4. 1. Reg. 3. u 9. & 8. u. 58.* Cor nouum à Deo, *Ezech. 11. 19. & 36. 26.* Cor pauidum non custodientibus Dei præcepta, *Deut. 29. u. 66. 1. Paral. 29. u 19. 2. Paral. 30. u. 12.* Cor hominis prauum, *Genes. 6. uer. 5. 12. & 8, 21. Ier. 17. u. 9.* Cor terræ pro sepulchro, *Matt. 12. u. 40.* Cor hominis, thesaurus ipsius, *12. v. 35.* Cordis cæcitas, *Io. 3. 39.* Cordis simplicitas Deo grata, *1. Paral. 28. v. 17. Psal. 101. v. 2. Ephes. 6. v. 5. Coloss. 3. v. 22.* Cor vnum, & anima vna, pro summa tum in doctrina, tum in voluntate consensione, *Act. 5. v. 32.* Cordi inscriptū habere opus Legis, *Rom. 2. v. 15.* est habere turpis & honesti, iusti & iniusti discrimen, quod est æquitatis omnis, rectarum legum norma, hominis menti insculpta. In corde psallere Domino, *Ephes. 5. v. 19.* pro, ex animo, vel serio cordis affectu. Cordis lapidei nomine, *Ezech. 11. v. 19. & 36. v. 26.* summa ingenij & cordis humani durities denotatur, quam adumbrant Tabulæ lapideæ, ad quas alludit Paulus, *2. Cor. 3. v. 3.* Cordi autem lapideo opponitur cor carneum, non quod in carne versatur (vt accipi solet hoc epitheton, quando caro spiritui opponitur) sed è contrario, quod vi spiritus Dei factum est mollius: vt in eo tanquam nouis Tabulis possit Euangelij gratia insculpi, sicut prædictum est, *Ier. 31. v. 31.*

Cor & cor habere, dicitur Habræis, sicut Græcis δίψυχος. *Iac. 1. v. 8.* vir duplici animo, vel simulator, vt qui aliud ore loquatur, aliud intus sentiat: Vel is potius, (præsertim autem apud Iacobū) qui animi incertus, modo in hanc, modo in illam partem inclinat, neque dat operam vt in vera religione stabiliatur. Corde creditur ad iustitiam. *Rom. 10. v. 10.*

PATRVM SENTENTIAE.

Væ duplici corde. De suo partem faciunt Deo, & partem faciunt Diabolo. Iratus Deus, quia sit ibi pars Diabolo, discedit, & totum Diabolus possidet. *Aug super Io.*

Beati mundi corde, non exterioribus oculis, sed corde videbitur Deus. *De verbis Domini.*

Cor habet in ventre gulosus, lasciuus in libidine, cupidus in lucris. *ibid.*

Omnipotens Deus humanum cor destruit, quum relinquit: ædificat, quum replet: neque enim humanam mentem debellando destruit, sed recedendo, quia ad perditionem suam sufficit sibi demissa. *Hier. super Matth. 5.*

Quid est cor durum? ipsum est quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec mouetur precibus, minis non cedit, flagellis duratur, ingratum est ad beneficia, infidum ad consilia, sæuum ad iudicia, inuerecundum ad turpia, impauidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad diuina præteritorum obliuiscens, præsentium negligens, futura non prouidens, ipsum est, cui præteritorum præter solas iniurias, nihil omnino non præterit: futurorum nulla, nisi forte ad vlciscendum, prospectio est. *Bernard. quinto de consideratione.*

Elatum cor, durum & expers pietatis, ingratum compunctionis, siccum ab omni rore gratiæ spiritualis. *Bernard. in serm.*

Non discordet cor tuum à facie tua: non habeat faciem sursum, & cor deorsum. *super Cant.*

Apud homines cor ex verbis, apud Deum vero verba pensantur ex corde. *ibid.*

Semper in robusto & vegeto corpore animus mollior iacet, atque tepidum cor, & rursum in corpore debili & infirmo fortior viget, promptiorque spiritus. *Idem Apologetico.*

Puritas cordis in duobus consistit: in quærenda gloria Dei, & vtilitate proximi. *ibid.*

An non confunderis sursum caput habere, qui sursum cor non habes: corpore rectus stare, qui corde repis terram? *In serm.*

Cor in quatuor effectibus est, quid diligas, quid metuas, vnde gaudeas, seu contristeris. *De ieiun. ser. 2.*

In omni namque creatura, quæ sub sole vanitatibus mundanis occupatur, nihil hu[illegible] corde sublimius, nihil nobilius, nihilque Deo similius re[illegible]: quapropter nihil aliud quærit à te, nisi cor tuum. *Hugo. lib. 1. de anima.*

Plura machinatur cor meum vno momento, quam omnes homines perficere possent vno anno. *ibid.*

Solus is regnat, qui deposito cordis imperio legibus rationis ordinat totam familiam motuum interiorum & exteriorum. Si cōsurgat leonina rabies, puniatur per patientiam: si petulantia hirci, per abstinentiam: si ferocitas apri, per mansuetudinem: si superbia vnicornis, per humilitatem. Non inuenitur autem inter cæteras artes liberales ars illa præ alijs liberalis, qua tenetur cor, quod omni mobili mobilius est, quod omni lubrico lubricosius est. *Lib. 3. de anima.*

Cor paruum est, & magna cupit: vix ad vnius milui refectionē sufficere posset, & totus mundus ei non sufficit. *ibid.*

Vis scire de fratre tuo quale cor habeat, attende, vnde libentius & frequentius loquatur. Ex abundantia enim cordis os loquitur. *Cassiod. in Psal.*

Vide, Animus, Mens, Ratio.

C O R P V S.

DEFINITIO ET ETYMOL.

COrpus, Græce σῶμα, ατος, τό, & σωματικός, ἡ, ὁν. corporalis dicitur. Est autem corpus, quod omni quaque diuisibile est. *secundum Arist. l. 1. de Cælo & Mundo.*

Corpus est magnitudo, quæ ad tria diuiditur. *ut ibid*

Corpus est omne id, quod habet trinam dimensionem, scilicet longum, latum & profundum. *secundum Albertum Magnum in principio sue philosophia. super lib. 5. Physicor.*

Corpus est, in quo est aptitudo intelligendi duas lineas intersecantes se ad angulos rectos, & tertiam lineam intersecantem ambas illas ad angulos rectos. *secund. Algazelem & Auicennam.*

Corpus a Græcis sic describitur, τὸ τριχῆ διαστατόν id est, triplici dimensione distans.

Corpus à Lucretio hoc versu describitur.

Tangere enim aut tangi nisi corpus, nulla potest res.

Corpus simplex est, quodcunque habet principium motus secundum naturam, puta ignis, & huic cognata. *secund. Arist. l. 1. de Cœlo, & Mundo.*

Corporum tria genera esse affirmat Pompon. vnum, quod vna specie continetur, vt homo, lignum, lapis. Alterum, quo ex contingentibus, hoc est, pluribus inter se cohærentibus constat, vt ædificium, nauis, Tertium, quod ex distantibus compactum est, vt puta ex pluribus corporibus vni nomini subiectis, vt populus, legio, grex.

Corpus generaliter dicitur, quicquid tactu percipitur. *Hebr. Goph, Gaph, Geuiah,* à verbo *Goph*. Clausit: corpus enim quod compactum, & velut clausum videtur. Nonnunquam pro totius animalis massa tum ex similaribus, tum ex organicis compacta, quæ vna cum anima totum constituit animal, sumitur. Aliquando pro sola carne. Vtramque significationem distinctè, complexus est Martialis.

Viuebam. lacteri membris stillantibus albus
Inq. omni nusquam corpore corpus erat.

Corpora inanimata, metalla: animata, arbor, Leo. Vegetatiua, sensibilia, rationalia. Corpus, pro opere aliquo scripto seu volumine: pro parte seu multitudine quapiam corpus ciuitatis, collegiorū

DIVI-

Divisio.

Corpus
- Ingenerabile, & incorruptibile.
  - Empyreum caelum,
  - Primum mobile,
  - Firmamentum,
  - Saturnus,
  - Iupiter,
  - Mars,
  - Sol,
  - Venus,
  - Mercurius,
  - Luna.
- Generabile, & incorruptibile.
  - Elementatum
    - Prima compositionis, & est vapor resolutus vi solis, vel exhalatio resoluta a terra & ab aqua, vel terreo & aqueo, quæ duo tantum sunt euaporabilia seu exhalabilia, non autem aer & ignis: quandoque manens terra inclusus, vnde terraemotus causantur. Quandoque eleuatus ad aera, secundum tria interstitia, vnde causantur impressiones aereæ, aqueæ, vel igneæ vel mixtæ:
    - Secunda cõpositionis, & sunt diuersæ impressiones, vel passiones meteorologicæ ex ipsa vna pore materialiter causatæ.
      - In aere.
        - In suprema regione aeris, æthere vicina, calida propter ætheris vicinitatem fiunt.
          - Cometæ,
          - Columna pyramidalis,
          - Lancea,
          - Candela accensa,
          - Assub accendens,
          - Velut scintilla de fornace,
          - Velut ... accensa,
          - Velut stella cadens longa,
          - Candela accendens candelam,
          - Lumen precedens in nocte, fatuu quedam,
          - Stella cadens solum,
          - Draco volans,
          - Assub quandoque apparens, quandoque non, & alia huiusmodi.
        - In media regione aeris in parte inferiori parte eius frigidissima quia distat ab vtraque calefactiue, vis fiunt.
          - Tonitrua,
          - Fulgura,
          - Coruscationes,
          - Fulminis tela,
          - Grando,
          - Granula, & huiusmodi.
        - In inferiore aeris regione quæ è terra vsque ad nubes attingit, calida temperate, propter radiorum solarium maximam reflexionem, ubi fiunt.
          - Nubes,
          - Pluuia,
          - Nix,
          - Pruina,
          - Ros,
          - Nebula,
          - Nymbus, & huiusmodi.
      - Sub terra.
        - Fontium calefactio in hyeme.
        - Terraemotus.
        - Sulphur, a q o therma calefiunt.
        - Lapides eam pretiosi, quam non qui tamen causantur etiam super terram in eius superficie.
        - Argentum viuum, quod est principium omnium metallorum.
        - Metalla,
          - Aurum,
          - Argentum,
          - Electrum,
          - Cuprum,
          - Aurichalcum,
            - Naturale,
            - Artificiosum.
          - Æs,
          - Stannum,
          - Plumbum.
    - Tertia cõpositionis sunt vegetabilia, à terra nascentia, vt plantæ & herbæ, & huiusmodi.
    - Quarta cõpositionis sunt animalia quæ sensum habentia.
    - Quinta cõpositionis sunt homines.
  - Elementum
    - Ignis,
    - Aer,
    - Aqua,
    - Terra.

Loci Biblici.

Corpus pro hominis parte non regenerata, *Roman.* 8.10. 1. *Corinth.* 9.27. hoc est, pro veteri homini spiritui repugnante. Pro toto homine synecdochicos *Roman.* 12.1. vbi alludit Apostolus ad veterem ritum, vt ex epithetis sequentibus apparet, & ex 1. *Thess.* 5.23. Corpus animale, 1. *Corinth.* 15.43. dicitur, cui anima vitales facultates præbet: imbecillas tamen illas & temporarias, vnde fit, vt sit corruptioni obnoxium & sordidum, præsertim quum ab anima destitutũ fuerit, id est, cõditur humo, quod ψυχικὸν erat: Sicut contra, Corpus spirituale dicitur, quod diuinæ illius virtutis particeps, tanto excellentiorem vitam viuit, quanto Deus animæ præstat: vnde fit, vt eiusmodi corpus sit æternum, gloria & splendore insigne, ab omni deniq. imbecillitate liberũ. Corpus carnis, pro humana natura, *Coloss.* 1.22. pro massa ex omnibus vitijs conflata, 2.11. Corpus Christi mysticum, nempe Ecclesia *Roman.* 12.5. 1. *Corinth.* 6.15. & 10.17. & 12.13.27 *Ephes.* 1.23. & 4.14. 12.16. & 5.23.30. *Coloss* 1.18.24. & 2.19. & 3.15. Corpus, pro veritate vmbris legalib. figurata: *Coloss.* 2. 17. Corporis Domini reus teneri dicitur, 1. *Corinth.* 11.27. qui illud est aspernatus, vt Apostolus ipse explicat, *v.* 29. Corpus Domini discernere dicitur, j. *Corinth. cap.* xj. *v.* 29. qui dignitatis illius habet rationem, vt is cæteris reb. distinguat: ideo proinde cum summa reuerentia ad sacram Eucharistiam, non tanquam ad profanos cibos, sed tanquam ad mysteria rei omnium pretiosissimæ tremens accedat. Corpus mortis, j. *Roman.* 7.24. Hebraismus, pro morti obnoxium. Corpus peccati, 6. *ver.* 6. pro caro, in qua peccatũ ipsum hæret, vt elegãter explicatur, j. *Pet.* 4. *v.* j. 2. Corpus lucidum *Matth.* 6. *v.* 22.23. in Scripturis dicitur luce oculorum, i. recto cernentis iudicio illustratum, Corpus tenebricosum contra dicitur, quod in tenebris positum est, vitiosis scilicet affectib. luminib. mentis officientib. Corpus non minus quam anima Deo subiectum. j. *Cor.* 6.20.

Corporis quatenus habenda cura sit, *Col.* 2.23. Corpora nostra mẽbra Christi, j. *Cor.* 6.15. Corporalis exercitatio commendatur, j. *Tim.* 4.8. Sic vocat Paulus, non illam immodicam, ac multo etiam minus superstitiosam aliquam, aut impiam potius: sed rigidam, & domandæ carni vtilem victus rationem.

Philosophicae Sententiae.

Iusta mensura humani corporis quatuor cubitis definitur, vel sex pedibus: cubitus enim vno pede & dimidio constat. Pes autem quatuor palmis, palmus quatuor digitis secundum latitudinem inter se iunctis. Quantum autem spatium hominis a vestigio ad verticem, tantum esse passis manibus inter longissimos digitos, obseruatum est, vt tradit *Plinius lib.* 7. *cap.* 17. Totius autem longitudinis humani corporis: facies ab imo mento, vsque ad summam frontem, vel imam radicem capillorum, est pars decima, eandemque rationem habet habitus totius frontis. Diuiditur autem facies in tres partes æquales, vnam ab imo mento ad imas nares, alteram inde vsque ad supercilia: tertiam inde vsque ad summam frontem. Longitudo oculi, ab vno angulo ad alterum oppositum, pars est quadragesima quinta. & tantundem se habet interuallum, & distantia inter vtrumque oculum. Nasi longitudo est trigesima pars, eiusque foramen est centesima octogesima. Ambitus oris, & s ris, est decimaquinta. Totum caput ab imo mento vsque ad verticem, est octaua pars. Colli magnitudo est decimaquinta. Longitudo pectoris propriè dicti, itemque latitudo fere sexta pars est. Vmbilicus dimidium corporis locum tenens, ipsum in duas partes æquales diuidit: tota longitudo femorum & crurum vsque ad pedum vestigia, paulo minor est dimidia parte. Longitudo pedis sexta pars est, sicut propemodum brachij vsque ad cubitum, & cubiti vsque ad manum. Manus vero decima pars est. *Lege Vitruuium initio l.* 13. *& interpretes eius Philandrum & Danielem Barbarum. Cardanum item extremo l.* 11. *de subtilitate.*

Omnis enim coagmentatio corporis, vel caloris, vel frigoris, vel aliqua impulsione vehementi labefactatur, & frangitur. & ad morbos senectutemque compellit. *Cic. lib. de creatione orbis & mundi.*

Si primum impetum, quem feruido ingenio, & cæca ira effundunt, sustinueris fluunt sudore, & lassitudine membra, labant arma: mollia corpora, molles, (vbi ita concedit) animos, sol, puluis, sitis, vt ferrum non admoueas, prosternunt. *Liuius, Decad.* 4. *lib.* 8.

Aegrum corpus quassari etiam solet leuibus offensis. *Amm. Marcell. l.* 14.

Apophthegmata.

Plotinus philosophus Platonicus Aemilio pictori roganti, vt corporis formam pateretur effingi, non passus est, inquiens: Quid non satis est nos hanc imaginem circumferre, nisi & imaginem relin-

relinquamus posteris ostentandam? Iudicauit cum Pythagora corpus esse thecam mentis, vtcumque eam exprimentem. Minimum autem hominis videre eum, qui nihil aliud videt, quam corpus.

Diogenes eos irridebat, qui cellas promptuarias obserant vectibus, seris, & signaculis; corpus enim suum multis fenestris & ianuis, nempe per os, pudenda, aures, & oculos, aperiunt, *Stob. sermo.6.*

S I M I L I T V D I N E S.

Vt ferrum crebris immersionibus consumitur: ita corpus crebris permutationibus vitiatur: hoc est si nunc immodicis laborib. intendatur, nunc voluptatibus liquefiat, ac molliatur. *P.M.*

Vt scelestæ mulieres abortum prouocant, vt rursus impleantur ac voluptuentur: ita quidam hoc ipsum corpus euacuant pharmacis & clysteribus, vt denuo liceat ingurgitare. *idem.*

Vt qui se meminerunt inquilinos esse, & in conducto habitare, & modestius se gerunt, & minus grauatim exeunt: ita qui intelligunt domicilium corporis ad breue tempus a natura commodatum esse, & viuunt temperantius, & libentius moriuntur. *Senec.*

C O R R E C T I O.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Correctio, Græce ἐπανόρθωσις, ἐπανορθῶ, corrigo dicitur. Hebr. *Musar, Mosar*. Disciplina, castigatio, à verbo *Iasar*. Castigauit, corripuit, correxit, plerumq. de reali correctione intelligitur. Cognationem habet cum verbo *Asar*, ligauit, vinxit, & cum *Mosar*, tradiditque item cum *Sor*, recessit, nā vinculis & carceribus castigantur rebelles ad suscipiendum doctrinas & traditiones bonas, vt recedant a malo. *Moserim*. Vincula, quibus 22. & 52.2. *Moseroth*, Lora; Ierem. 27.2. Psal. 2.3. & 107. Iob 39.8. Est autē correctio fraterna, admonitio charitatiua fratris, de emendatione peccatorum, ex fraterna charitate procedens *secund. F. Thom. 4. Sent. dist. 19. q. 2. Art. 2. Diciturque corrigo quod est emendo.*

Correctio est errorem innatum, vel consuetudine factum, fræno rationis inhibere.

S E N T E N T I Æ B I B L I C Æ.

Melius est a sapiente corripi, quam stultorum adulatione decipi, *Eccles. 7.*

Si peccauerit in te frater tuus: corripe eum inter te & ipsum solū. *Matth. 18.*

Non oderis fratrum tuum in corde tuo, sed publice argue eum, ne habeas super illo peccatum. *Leuit. 19.*

Corripe amicum, ne forte non intellexerit, & dicat non feci, aut si fecerit, ne iterum addat facere. *Eccl. 19.*

Corrigere proximum, ne forte non dixerit: & si dixerit, ne forte iteret. Corripe amicum: sæpe enim fit commissio. *ibid.*

Non vt confundam vos hæc scribo, sed vt filios meos charissimos moneo. 1. *Cor. 4.*

Peccantes coram omnibus argue, vt & cæteri timorem habeant, 1. *Tim. 5.*

Abigail virum suum Nabal in conuiuio non arguit, sed post. 1. *Reg. 25.*

Melior est ira risu, quia per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis. *Eccl. 7.*

Probata virtus corripit insipientes. *Sap. 1.*

Non incendas carbones peccatorum arguens eos, & ne incendaris flamma ignis peccatorum illorum. *Eccl. 8.*

Priusquam interroges, ne vituperes quenquam, & cum interrogaueris, corripe iuste. 11.

Quam bonum est arguere, quam irasci, & confitentem in oratione non prohibere. 20.

In conuiuio vini non arguas proximum. 31.

Fratres, & si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis: considerans te ipsum, ne & tu tenteris. *Gal. 6.*

Rogamus autem vos fratres, corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote erga omnes. 1. *Thess. 5.*

Seniorem ne increpaueris, sed obsecra, vt patrem: iuuenes, vt fratres: anus: vt matres: adolescentulas, vt sorores in omni castitate. 1. *Tim. 5.*

Seruum autem Domini non oportet litigare: sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem, cum modestia corripientē eos, qui resistunt veritati. 2. *Tim. 2.*

Argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina. *ibid. 4.*

Corripiet me iustus in misericordia, & increpabit me. *Psalm. 144.*

Conuertimini ad correptionem meam. *Prou. 1.*

Plus profuit correctio apud prudentem, quam cētum plagę apud stultum. 17.

Vir impius procaciter obfirmat vultum suum: qui autem rectus est, corrigit viam suam. 21.

In auris aurea, & margarita fulgens, qui arguit sapientem, & aurem obedientem. 25.

Et vir prudens & disciplinatus non murmurabit correptus, & inscius non honorabitur. *Eccl. 10.*

Quam bonum est correptum manifestare pœnitentiam: sic enim effugies voluntarium peccatum. 20.

Si peccauerit anima, & audierit vocem iurantis, testisq; fuerit, aut quod ipse vidit, aut conscius est: nisi indicauerit, portabit iniquitatem suam. *Leu. 5.*

Argue sapientem, & diliget te. *Prou. 9.*

Qui dicunt impio, iustus es: maledicent eis populi, & detestabuntur eos tribus. Qui arguunt eum, laudabuntur, & super eos veniet benedictio. 24.

Qui corripit hominem, gratiam postea inueniet apud eum, magis quam ille, qui per linguæ blandimenta decipit. 28.

Qui custodit increpationes, astutior fiet. *Prou. 15.*

Auris, quę audit increpationes vitæ, in medio sapientum commorabitur. *ibid.*

Qui abijcit disciplinam, despicit animam suam: qui autem acquiescit increpationibus, possessor est. *ibid.*

Melior est manifesta correptio quam amor absconditus, Meliora sunt vulnera diligentis, quā fraudulenta oscula odientis. *ibid. 27.*

Virga atque correctio tribuit sapientiam. 29.

Sicut sonitus spinarum ardentium sub olla: sic risus stulti. *Eccl. 7.*

Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. *Matth. 18.*

Fratres mei, si quis errauerit ex vobis a veritate, & cōuerterit quis eum, scire debet, quoniam, qui conuerti fecerit peccatorem de errore viæ, saluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum. *Iacob. 5.*

Ad increpandum tantum eloquia concinnatis: & in ventum verba profertis. Super pupillum irruitis, & subuertere nitimini amicū vestrum. *Iob. 6.*

In ore stulti virga superbiæ: labia autem sapientum custodiunt eos. *Prou. 14.*

Est correptio mendax in ira calumniosi. *Eccl. 20.*

Quid vides festucam in oculo fratris tui, & trabē in oculo tuo non vides. Aut quomodo dicis fratri tuo, Frater sine eijciam festucā de oculo tuo? Hypocrita eijce primum trabem de oculo tuo: & perspicies festucam eijcere de oculo fratris tui. *Matth. 7.*

P A T R V M S E N T E N T I Æ.

Correctio est errorem innatum, vel consuetudine factum fræno rationis inhibere. *Aug. de fin.*

Nunquam alieni peccati obiurgandi suscipiendum est negotium: nisi quum internis interrogationibus conscientiam nostram liquidò nobis coram Deo responderimus dilectionis non facere. *ibid.*

Quicquid lacerato animo dixeris punientis est impetus, non charitas corrigentis: dilige, & dic quicquid voles. *ibid.*

Raro & magna necessitate obiurgationes adhibendæ sunt, ita tamen vt in his etiam ipsis, non nobis, sed Deo seruiatur, intestinus. *Lib. 1. de serm. Dom. 1.*

Molestus est medicus furenti phrenetico, & pater indisciplinato filio: ille in ligando, iste cædendo, sed ambo diligendo. Si autem istos negligent, & perire permittant: ista potius falsa mansuetudo crudelis est. *Ad Bonif.*

Non vos iudicetis maleuolos esse, quando alterius crimen iudicatis: magis quippe nocentes estis, si fratres vestros, quos iudicando corrigere potestis, tacendo perire permittitis. Si enim frater tuus vulnus habet in corpore, quod velit occultari, dum timet secari, nonne à te crudeliter sileretur, & misericorditer indicaretur: quanto ergo potius debes manifestare, ne deterius putrescat in corde? *De commun. vita vel regula clericorum.*

Quæ peccantur coram omnibus, coram omnibus corripiēda sunt, vt omnes timeant. Qui secreto peccauit in te, secreto corripe: nam si solus nosti, & eum vis coram alijs arguere, non es corrector, sed proditor. *Aug. de verbis Domini.*

Foris terribilis personet increpatio: intus lenitatis teneatur dilectio, neque consentientes sitis malis, vt approbetis: neque negligentes, vt non arguatis, neque superbientes, vt insultanter arguatis: hoc est exire inde: hoc est, immundum non tangere, & voluntate non consentire, & omnino non parcere. *ibid.*

Magis amat obiurgator sanans, quam adulator dissimulās. *In epist. ad Marc.*

Fidelis dispensator Paulus veritatis, non falsitatis. Petrum arguendo. Petrus vero benigna pietate suscepit: atque tam rarius atq; sanctius exemplum posteris præbuit, quo non dedignentur, sicubi forte recti tramitem reliquissent, & a posteribus corrigi: Laudabilius (inquit) est accipere corripientem, quam audacter corrigere ita deuiantem. *Epist. ad Hier.*

Noo

Non putes te amare seruum, quando eum non cædis, aut tunc amare filium, quando ei non das disciplinam, aut tunc amare filium tuum quando eum non corripis: non est ista charitas, sed languor. *De charitate ser. 7.*

Nam si propterea obiurgandis & corripiendis male agentib. quis parcit, quia opportunum ficri tempus inquirit vel eisdem ipsis metuit, ne deteriores ex hoc efficiantur, vel ad bonam vitam & piam erudiendos impediant, aliosq; infirmos præmant, atque auertantur a fide, non videtur esse cupiditatis occasio, sed consi lium charitatis. *l. 1. de Ciu. Dei.*

Plerunque ab eis admonendis, obiurgandis & corripiendis male dissimulamus, vel eorum inimicitias devitemus: ne impediant & noceant in istis temporalibus rebus, quas adipisci adhuc appetit nostra cupiditas, siue quas amittere formidat infirmitas. *Ibid.*

Accusare vitia, officium est bonum, quod cum mali faciunt, alienas partes agunt. Cogitemus ergo quum aliquem reprehendere nos necessitas coegerit, verum tale sit vitium, quod nunquam habuimus: & tunc cogitemus nos homines esse, & habere potuisse: vel quod tale habuimus: & iam non habemus: & nunc tangat memoriam communis fragilitatis, vt illam correctionem, non odium, sed misericordia præcedat. Si autem inuenerimus nos in eodem vitio esse, non obiurgemus, sed ingemiscamus, & ad æqualiter deponendum inuitemus. *In ser. Dom. in mon.*

Iuste alios reprehendit, qui non habet, quod in se alius reprehendat. *in Psa.*

Qui cordis sui domum excolere non valet: quomodo plurimorum adhibebit diligentiam? & qui peccati trabem ex suo non potest eruere oculo, quomodo ex alterius oculo poterit amputare festucam? *Ambr. in l. de dignitate sacerdotali.*

Peccatum vnius, quod cognitum non arguitur, multos contaminat, imo omnes qui norunt, & non dicunt, aut cum possunt arguere, dissimulant: non enim sibi videtur peccare, quando a nullo corripitur vel notatur. *in epist. ad Cor.*

Non osculatur pater filium, sed quando castigat: ergo quando castigatur, qui diligitur, tunc circa eum pietas exercetur. Habet enim & amor plagas suas, quæ dulciores sunt, quum amarius inferuntur. Dulcior enim est religiosa castigatio, quam blanda remissio. *In ser. ad vincul. Petr.*

Plus proficit amica correctio, quàm accusatio turbulenta illa pudorem incutit, hæc indignationem mouet. *in Luc.*

Inter cætera mandata peccantes posse arguere maximæ libertatis est: ideo ille potest facere, qui non meretur audire: hypocrita eice primum trabem de oculo tuo. *in epist. ad Ephes.*

Quid necesse est his pungere non recalcitrantium per se satis erubescentem confundere amplius, cui sua ratio magister est: cui prop ... virga & ingeminata verecundia lex disciplinæ est? *Hier. in epist. ad Ocea.*

Phinees aut ... zelum, Petri seueritatem, Ananiam & Sapphira ... Pauliq; constantiam, qui Elimam magum viis Domini resistentem, æterna cæcitate damnauit, non est crudelitas, sed pro Deo pietas. Vnde & in lege dicitur: si frater tuus & amicus & vxor, quæ est in sinu tuo, deprauare te voluerit: si manus tua super eos, & effunde sanguinem eorum, & auferes malum de medio Israel. *Hier. in epist. de austera correct.*

Quo modo potest præsis Ecclesiæ auferre malum de medio eius, qui in delictum simile corruerit: aut qua libertate corripere peccantem potest, cum tacitus ipse sibi respondeat, eadem se admisisse quæ corripit. *in epist. ad Titum.*

Quæ est ista iustitiæ inimica bonitas? Palpare criminosos, & vulnera cor... in vsque ad diem iudicij incurata seruare: quod si eos durissimam pœnitentiam per plures annos vi... agere: tunc nos saluti eorum possemus consulere, & statuta canonum deberemus temperare. Cum vero aliquibus non compunctio humilitatis, nec instantia operandi appareat, nec beatum Dauid imitetur, qui dicit, lauabo per singulas noctes lectum meum: lachrymis meis, &c. Et illud, cinerem tanquam panem manducabam, & poculum, &c. nec eos ieiunijs & lectionibus vacare videmus: possumus agnoscere, si ad primos gradus vel honores redirent, cum quanta negligentia, & cum quanto torpore. & ... mie ... suæ securitate permanerent. *10 epist.*

Regat disciplinæ vigor mansuetudinem, & mansuetudo ornet vigorem: & sic alterum commendetur ex altero: vt nec vigor sit rigidus, nec mansuetudo dissoluta. *Greg. l. 5. mor.*

In correctione quippe vitiorum subesse debet iracundia, non præesse: vt ex condonem iustitiæ non dominando præueniat, sed famulando subsequatur, & ocium iudicium possessa impleat & præcurrat. *l. 6. mor.*

Si quia est Domini, iungatur mihi si ille Dei dicitur, qui ad feriendum vitia zelo diuini amoris excitatur: profecto se esse Dei denegat, qui in quantum sufficit vitam carnalium corrigere recusat. Fit plerunque Deo gratior amore ardens post culpam vita: quã securitate torpens innocentia. *in pag. 69.*

Paulus arguit Petrum: Petrus vero laudauit Paulum. Amicus ergo *Polyanthea Nonis.*

veritatis laudauit, quod reprehensus est, &c. *Super Ez. p. 5. hom. 6.*

Qui non corrigit resecanda, committit: & facientis culpam habet, qui quod potest corrigere, negligit emendare. *in reg. stro.*

Manifesta peccata non sunt occulta correctione purganda: sed palam sunt arguendi, qui palam nocent, vt dum aperta obiurgatione sanantur, hi, qui eos imitando deliquerunt, corrigantur. Dum enim vnus corripitur, plurimi emendantur: & melius est, vt pro multorum salute vnus condemnetur, quam vt per vnius licentiam multi periclitentur. *Ibid.*

Verba sapientum quasi stimuli, &c. Clauis atque stimulis verba sapientum comparantur: quia culpas delinq. eorum nesciunt calcare, sed pungere. *Super Euang. hom. 6.*

Tunc proteruos melius corrigimus, quum ea quæ bene egisse credunt, male acta monstramus, vt vnde adepta gloria creditur, inde vtilis confessio subsequatur. *in pa.*

Maior culpa, quo citius, quia culpa est, agnoscitur: eo etiam celerius emendatur. Minor vero dum quasi nulla creditur, eo peius, quo & securius, in vsu tenetur. *Ibid.*

Iuuenes plerunque seueritas admonitionis ad profectum dirigit: senes vero ad meliora opera deprecatio blanda componit. *Ibidem.*

Si is, qui corrigere nititur, ita superatur, opprimit antequam corrigat: nam dum plus quam debet accendit, sub iustæ vltionis obtentu ad immanitatem crudelitatis effrænatur. *l. 26. mor.*

Mundus esse a vitiis debet, qui aliena corrigere curat: quatenus tanto perspicacius alijs fugienda videt, quanto hoc ipse per scientiam & vitam celerius declinat, quia nequaquam pure in membro maculam considerat oculus, quem puluis obtenebrat, & super erectas sordes tergere non valent manus, quæ lutum tenent. *l. 6. mor.*

Si ab increpatione idcirco retinemus, quia contra nos insurgere derisionis odia formidamus, non iam lucra Dei, sed nostra quærimus. *l. 25. mor.*

Nonnunquam qui inter flagellorum duritiem remanent incorrecti, dulci sunt admonitione mulcendi, nam plerunque, quos cruciamenta non coarguunt, ab antiquis actibus lenia blandimenta compescunt: quia & ægros, quos fortis pigmentorum potio curare non valuit, ad salutem pristinam tepens aqua reuocauit. *In pag. c 38.*

Sæpe hoc magnis doctoribus, mirandisq; contingit vt quo alta charitate feruent, modum correctionis exaggerent, vt lingua aliquid quod non debent, dicant, quia mentem dilectio, quantum debet inflammat. *In pag. & in mor.*

Sicut laudabile decretumque est reuerentiam & honorem debitum exhibere maioribus, ita rectitudinis & Dei timoris est, si quid in eis correctione indigeret, nulla dissimulatione postponere: ne totum corpus (quod absit) incipiat morbus inuadere: si languor non fuerit curatus in capite. *in reg.*

Qui potest emendare, & negligit participem procul dubio se constituit: qui alterius bonum iuuat, suum facit. *l. 33. mor.*

Difficilius malum corrigitur, quod per fectionem etiam prosperitate fulcitur. *Ber. l. 3. de consid.*

Impunitas, incuriæ soboles, insolentiæ mater: radix impudicitiæ, transgressionum nutrix est. *Ibid.*

Magna crimina & tarde credenda sunt, quum audiuntur, & etiam punienda, quum veraciter agnoscuntur. *super cant.*

Quum carpuntur vitia, & inde scandalum oritur, ipse sibi scandali causa est, qui fecit, quod argui debeat, non ille qui arguit. Non ergo timeas contra charitatem esse, si vnius scandalum multorum recompensaueris pace. Melius est enim vt pereat vnus, quã vnitas. *Ibid.*

Prælati nostri culicem linquunt, & camelum deglutiunt; dum maiora permittentes minora discutiunt. Optimi rerum æstimatores qui magnam in minimis, & paruam aut nullam in maximis adhibent diligentiam. *In Matt. 23.*

Circa vitam tuam esto austerus: circa aliorum benignus. Audiant te homines parua mandantem, & grauia facientem. *Chr. in Matth. hom. 18.*

Correctio igne & ferro vehementius operatur, *In epist. ad Hebr. ho. 31.*

Qui delinquentem superbo vel odioso animo corrigit, non emendat; sed percutit. Quicquid enim proteruus vel indignans animus protulerit, obiurgantis furor est, non dilectio corrigentis. *Isid. l. 3. de summo. c. 92.*

Qui blando verbo castigatus non corrigitur, acrius necesse est arguatur, cum dolore sunt abscindenda quæ leniter sanari non possunt. *Ibid. c. 46.*

Qui admonitus secretè de peccato corrigi negligit, publice arguendus est, vt vulnus quod occulte sanari nescit, manifeste debeat emendari. *l. 3. c. 96.*

Facilius reprehendimus vitia aliena, quam nostra: nam sæpe quæ peruersa in alijs iudicamus, in nobis nocibilia esse minus sentimus. *Ibid.*

Non debet vitia aliena corripere, qui adhuc vitiorum contagionibus fuerit inuolutus. Improbum enim est, arguere quicquam in alio, quod adhuc reprehendit in seipso. Qui enim veraciter fraternam vult corripere ac sanare infirmitatem, talem se præstare fraternæ vtilitati studeat, vt eum, quem corripere cupit, humili corde admoneat. Sicut enim viri spirituales alieni peccati emendationem expectant: ita protinus delinquentibus deridendo insultant, & quantum in ipsis est, insanabiles putant, *l.3. c.32.*

POETICÆ SENTENTIÆ.

Iac. Bill. Ao[illegible]. Sacr.

Horrendi sceleris pœnas tribus vna rependit,
Dum vtrique sumunt arma, iubente Deo.
Aneo tamen moreeas quam possent sumere pœnas
Victores. pugna bis cecinere graui.
Quid sibi vult. quod dum sanctissima iussa tonantis
Exequitur populus, hos tamen ipsa cadit?
Nempe quod ille alios qui semper plectere, debet
Ipse prius vindex criminis esse sui.

Plaut. in Curculione.

Qui monet, quasi adiuuat.

Plaut. in Trinum.

Sed tu ex amicis certis mihi certissimus,
Si quid me scis fecisse inscite, aut improbe,
Si id non accusas, tu ipse obiurgandus es.

Terent. in Andria.

Pro peccato magno paululum supplicii satis est patri.

Teren. in comœd.3.

Deteriores nos omnes sumus licentia.

Ouid. Metam. l.1. fab.8.

Cuncta prius tentanda: sed immedicabile vulnus
Ense recidendum est, ne pars sincera trahatur.

Ouid. Metam. l.2. fab.1.

Dum resque sinis, tua corrige vota.

Idem l.3. de Pont. Eleg. vlt.

Corrigere at res est tanto magis ardua, quanto
Magnus Aristarcho maior Homerus erat.

Hor. Ser. l.1. Sat.3.

Stultus & improbus hic amor est, dignusq. notari,
Cum tua peruideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum,
Quam aut aquila, aut serpens Epidaurius.

Ibidem.

Adsit
Regula peccatis, quæ pœnas irroget æquas,
Nec scutica dignum horribili sectere flagello.

Horat. Epistolar. l.1. epist.1.

Feruet auaritia, miseroq. cupidine pectus?
Sunt verba & voces, quibus hunc lenire dolorem
Possis & magnam morbi deponere partem.
Laudis amore tumes? sunt certa piacula quæ te
Ter pure lecto poterunt recreare libello.
Inuidus, iracundus, iners, vinosus, amator,
Nemo adeo ferus est, vt non mitescere possit,
Si modo culturæ patientem commodet aurem.

Menander.

Ἅπαντες ἐσμὲν εἰς τὸ νουθετεῖν σοφοί,
Αὐτοὶ δ' ἁμαρτάνοντες οὐ γιγνώσκομεν.
Omnes sumus in admonendo sapientes,
Nos vero ipsos aberrantes non cognoscimus.
Πᾶσι παραινεῖν ῥᾷον ἢ παθόντα καρτερεῖν.
Facilius admonere quam monentem tolerare.

SENTENTIÆ PHILOSOPHICÆ.

Vlcisci male meritos oportet. *Cic. Rhet. nouor. l.3.*

Qui adolescentum peccatis ignosci putant oportere, falluntur, propterea quod illa ætas non est in petimento bonis studijs. At hi sapienter faciunt, qui adolescentes maxime castigant, vt eis his virtutibus omnem vitam tueri possint, eas in ætate maturissima velint comparare. *Cic. Rhet. nouor. l.4.*

Hortor ne ignoscendo malis, bonos perditum eatis. *Salust. in Iugurtha.*

Bonus tantummodo fit segnior, vbi negligas, malus vero improbior. *Idem.*

Imperator prohibendo a delictis, magis quam vindicando, melius exercitum confirmat. *Idem.*

Aspero & abscisso castigationis genere militaris disciplina indiget. *Val. Max. l.2. tit. de disciplina militari.*

Audebo peccanti mala sua ostendere: vitia eius si non excidero, inhibebo. Non desinent, sed intermittent: fortasse autem desinent, si intermittendi consuetudinem fecerint. *Senec. epist. 40.*

Puniendis peccatis tres esse causas existimatum est. 1. Cum adhibetur pœna, castigandi atque emendandi gratia, vt is qui deliquit attentior fiat correctiorq. 2. Quum dignitas eius auctoritasq. in quem peccatur, tuenda est, ne prætermissa animaduersione contemptum ei pariat. 3. Propter exemplum, vt cæteri metu pœnæ terreantur. *Gell. l.6.*

Iniusti iudicis est bene agentem non remunerare, & negligentem non corripere. *Senec. lib. de benef.*

Amici vitia si feras, facis tua. *Seneca in prouerb.*

Cum his conuersare, qui te corrigant. *Idem.*

Secreto admone amicos, palam lauda. *Idem.*

Vitia transmittit ad posteros, qui præsentibus culpis ignoscit. *Senec. l. de Morib.*

Bonis nocet qui malis parcet. *Idem.*

Nemo prudens punit, quia peccatum est, sed ne peccetur. Res enim optima est, non sceleratos extirpare, sed scelera. *Idem.*

Nobilis equus vmbra virgæ regitur, ignauus nec calcaribus concitari potest. *Idem.*

Vulgi imperitiam ad res iustas sola constringit necessitas. *Idem.*

In iudicando, siue corrigendo hæc terna lex secuta est, qua princeps quoque sequi debet: vt aut eum, quem punit, emendet, aut pœna eius cæteros meliores reddat, aut sublatis malis securiores cæteri viuant. *Senec. lib. de clemen. ad Neronem.*

Qui non vetat peccare, cum possit, iubet. *Senec. in tragœd. 6.*

Bonum est, quod parentes corrigant filios otiosos, vt res otiosas a se eijciant. Et ideo rectores apum otiosos a se eiiciunt. *Arist. l.6. de Animalib.*

Oportet bonos prouocare ad virtutes per præmia, malos autem per pœnam, insanabiles autem exterminare. *Arist. l.10. Eth.*

Non solum oportet pueritiam a principio instruere, sed etiam ipsam oportet corrigere. *Arist. l.4. Polit.*

APOPHTHEGMATA.

Zeno cuidam dicenti, Cur me vnum omnium non corrigis? Non enim, inquit, tibi credo. Subindicans sibi non esse spem illum, si corriperetur, fore meliorem. *Laert. l.7. c.1.*

Galbus, Quum Gallus, qui testimonium ferebat contra Pisonem, dixisset innumerabilem pecuniam Magio præfecto datam, idque Scaurus tenuitate Magii redargueret: Erras, inquit, Scaure. Ego enim Magium non conseruasse dico, sed tanquam nudas nuces legeret, in ventrem abscondisse. Correxit sermonem suum Gallus, sed ita, vt crimini corruptelæ crimen adderet luxus. *l.6. apoph.*

SIMILITVDINES.

Philonis Iudæi. Conandum est vt etiam certo perdendos a suis vitiis, seruemus, quantum possumus, imitando bonos medicos, qui quamuis videant haud posse ægrum a se seruari, tamen libenter omnem curationem admouent, ne per ipsorum negligentiam videatur res non successisse ea sententia. *in l. de sacrif. Abelis & Caini.*

Chrys. Medelam si apposuerit medicus, neque priori te depurgauerit, nunquid rursus die altera non apponet? Est quispiam querci, vel roboris cæsor, is quercum si velit cædere, securim accipiat, incidat radicem; si plaga vna percusserit, neque ceciderit infructuosa arbor, non secundam dederit? non quartam? non quintam? non decimam? Sic & fac tu. Quercus est fornicatio, glandes ferens irrationalium animalium escam multo tempore tua in mente radicata, in arborum circuitu tuam deiecit conscientiam: mens fera o securis est: audisti vno die, quomodo vno die cadat, quæ tanto tempore radices immisit? Si enim bis, si ter, si centies, si decies millies, non tam mirum modo inciderem malam & fortem consuetudinem. *De pœnit. ser. 3.*

Plut. Vt nodum, quod induruit, ac diutius inhæsit, difficile tollitur: ita vitia inueterata non facile corriguntur. *In Mor.*

Remedia statim mordent, vel offendunt, postea conferunt salutem & voluptatem: ita salubria monita initio sunt nonnihil amara; postea correcto iucundissima. *In Mor.*

Vt est initium sanitatis, sensus morbi, ita correctionis initium, agnoscere culpam. In Mor.

Thriueri. Flamma semper incalefacit proxima: parum ergo spiritus Dei habent, qui magis sua, quam aliena corrigunt vitia. *In Apoph. 124.*

Pythagora. Quemadmodum morbi interdum amarulentis potionibus ac pharmacis potius sanantur, quam si dulciora adhibeas: Sic hominum vita facilius emendatur acerbioribus castigationibus, quam lenioribus ac grauioribus nobis. *Apud Stob.*

Vt corporis morbus si absconditur, laudetur ve, non sanatur: ita animi vitium, cui vel patrocinaris, vel abscondis, non emendatur. *Apud Stob. ser. 11.*

Plut. Qui in leuibus nugis obiurgat amicum, in grauibus rebus reticet, idem facit quod aliptes, sinens athletam inebriari & libidinari, circa lecythum duntaxat difficilis morosus. *In Mor.*

Nutrices, sæpius extergentes sordes puerorum, aliquando carnem euellunt: ita dum quædam vitia nimis anxie conamur emendare lædimus. *In Mor.*

Vt qui demoliuntur ædes templis vicinas, quæ contigua sunt, eas sinunt, ne quid sacri quoque demoliantur: Sic quædam vitia caute sunt corrigenda, quæ cum virtutibus proxime cohærent. *In Mor.*

Thriueri. Vt ægram corporis partem durioribus, ac acrioribus

bus

bus medicaminibus castigamus, ne omnino pereat totum corpus: ita & castiganda sunt proximi vitia, ne totus pereat dānandus. *In Apoph. 92.*

Pars cauterio inusta licet stupida, non facile a quibusuis rebus lenissimis offenditur: ita homines quidam licet crassæ religionis, licet maximis vitijs obnoxij, non anguntur, subinde rebus paruis & indifferentibus. *In Apoph. 113.*

Plutarchi. Nutrices vagientibus pueris rursum apponunt papillam: Sic discipulus offensus correptione, rursum est laude subleuandus, ne deficiat. *In Mor.*

Qui correptus statim fugit, exosus admonitionem: perinde facit ac si sectus a medico, continuo offensus aufugiat, non expectans vt obligetur, & oblinatur vulnus, ac mitigetur. Nam is quod dolet, iam passus, quod confert, non vult experiri. *In Mor.*

Vt caro quæ callo obduruit, non accipit vibices plagarum: ita animus assuetudine peccandi non commouetur correptione, licet acri. *In Mor.*

D. Basilij. quemadmodum in corpora mollia, cedentiaq. non possis egregiam plagam impingere, eo quod obsistere, contraq. niti nō queant: ita eos qui palam insaniunt, non possit forti, iuuenilique redargutione percellere. *De Spiritu sancto.*

Medicus si labores & dolores addit, cum morbo, non cum ægroto dimicat: sic bonus Deus salutem omnibus per castigationem ac pœnam distribuens. Tu nequaquam medico irasci debes, si ex membris hæc incidit illa vrit, illa vero corpore omnino separat. Sed valde lucrifacis, & seruatorem eum vocas, quod in parui corporis parte, morbum curet, priusquam ad totum corpus morbus perueniant. Quando ciuitatem videris terræ motu concussam, colonis priuari, aut nauigium mercibus plenum in mari dissolui: contra verum iudicem & seruatorem armare linguā non dubitas: quum te intelligere oporteat, quemadmodum moderati labores, medicina sunt hominum. Nam ex diligentia vtilitas prouenit. Quando vero dolor ob curam minime lenitur, necessaria est inutilis membri alienatio: ne morbi eius continuatio, cætera corporis vitalia percurrat. Ex quo non incisio, aut cauteriū, non medicus causa, sed morbus. *Quod Deus non sit author mali.*

Marci Eremitæ. Quemadmodum ij qui in mari nauigant, solis æstum libenter perferunt: sic illi quibus odio sunt vitia, reprehensionē diligunt. Ille enim ventis aduersatur, hæc vero affectibus. *De lege spirituali.*

D. Chrys. Non videtis medicos quando vrunt, vel secant aliquos, cū quanta lenitate opus curationis exercent? Multo amplius corripientem oportet agere. Etenim correptio & igne & ferro vehementius operatur, & resilire facit eos quibus offertur. Hæc circa ægrum medici etiam student primum, quatenus possint ægrum facere, sectionem æquanimiter tolerare: & quantum possunt leniter agunt, & aliquantulum requiescentes, ægrum faciunt recreari. Sic ergo oportet correptiones efficere, vt & qui corripiunt, non resiliant, ac si eos iniuriari proueniat, ac si percuti non debent abhorrere. Nam qui secantur aduersus eos, a quibus secantur, multa reclamant, sed illi nihil impediuntur, sed tantum ægrotantium consulunt vtilitati & sospitati. Sic etiam hic cuncta gerenda sunt. *Hom. 30. ad Heb.*

Nazianz. sed quo pacto reformaretur, & rursus aliquid fieret? id, quod vehementer medelam reijceret tanquam inobediens, & quod minime propter longi temporis superbiam corrigi posset. Nempe vt mansueto & humano curationis modo ad correctionem induceretur, cum neque ramus incuruus, subitam inflexionem, & producentis manus violenter ferret, citiusque frangeretur, quam dirigeretur, neque equus ferox & adultus, absque assentatione & demulsione, fræni susciperet tyrannidem. *In orat. de Pascha.*

D. Aug. in corripiendo filio, quamlibet aspere, nunquam profecto paternus amor amittitur: fit tamen quod nolit, & doleat, qui etiā inuitus videtur dolore sanandus: cuius vtilitati consulendum, magis quam voluntati. *Epist. ad Marcell.*

Molestus est medicus furenti phrenetico, & pater indisciplinato filio: ille ligando, iste cædendo, sed ambo diligendo. Si autem istos negligant, & perire permittant, ista potius mansuetudo falsa crudelitas est. Si enim equus & mulus quibus non est intellectus morsibus calcibus, resistunt hominibus a quibus eorum curanda vulnera contrectantur, & cum inter dentes eorum & calces sæpe homines periclitentur, & aliquando vexentur, non tamē eos deserunt, donec per dolores & molestias medicinales reuocent ad salutem: Quanto magis homo ab homine, frater a fratre, ne in æternum pereat, non est deserendus, qui correctus intelligere potest, quantum sibi præstabatur beneficium, quando persecutionem perpeti quærebatur. *Epist. ad Bonifacium comitem.*

Noli perdere paternam diligentiā in ipsa inquisitione seruasti, quando tantorum scelerum confessionem, non extento aculeo, non sulcantibus vngulis, non vrentibus flammis: sed virgarum verberibus eruisti. Qui modus coercitionis, & a magistris artium liberalium, & ab ipsis parentibus, & sæpe etiam in iudicibus solet ab Episcopis haberi. *Epist. 159. ad Marcel.*

Polyanthea Nouiss.

D. Hieron. quomodo nux siue amygdalum amarissimum habet corticem, & testa durissima cingitur, ac detractis austerioribus & duris, fructus dulcissimus reperiatur. Sic omnis correptio & labor continentiæ amara quidem videtur ad præsens, sed fructus parit dulcissimos. Vnde & vetus illa sententia est: Literarum radices amaræ, fructus dulces. *In c. 1. Ierem.*

Quod si tibi tacita cogitatio scrupulum mouerit: cur monitor ipse non talis sim, qualem te esse desidero, & nonnullos videris in medio itinere corruisse: illud breuiter respondebo: Non mea esse quæ dico, sed Domini Saluatoris. Non monere quod ipse possim, sed quid debeat velle, qui seruus futurus est Christi? Et athletæ suis incitatoribus fortiores sunt, & tamen monet debilior, vt pugnet ille qui fortior est. *Ad Iulianum.*

Exempla Biblica.

Correptionis exempla. Loth. *Gen.* 19. 7. Ruben, 37. *v.* 12. Mose, *Exod.* 2. *v.* 12. *Act.* 7. 26. Iethro. 18. *v.* 13. 14. Phinees, *Ios.* 22. 16. Israelitæ, *Iud.* 20. 12. Ionathas. 1. *Sam.* 19. *v.* 4. 5. 6. *&* 20. 32. Dauid 24. *v.* 15. 16. Abigail, 25. 37. Abner, 2. *Sam.* 2. *v.* 21. 22. Nathan, 12. *v.* 1. 7. Propheta quidam. 1. *Reg.* 20. *v.* 42. Elias 1. *Reg.* 18. 21. Elisæus, 2. *Reg.* 3. *v.* 13. 14. Hanani Propheta, 2. *Paral.* 16. 9. Azarias & reliqui sacerdotes, 26. 18 Esdras, 1. *Esd.* 10. 10. Nehemias, *Nehem.* 3. 7. Tobias, *Tob* 2. *v.* 15. 16. Iudith, *Iudith.* 8. *v.* 9. 10. 11. 12. Daniel, *Dan.* 5. 22. Ioannes Baptista, *Mat.* 3. 7. *&* 14. 4. *Mar.* 6. 18. Christus, *Mat.* 16. 22. *&* 17. 18. *Luc.* 9. 55. alter latronem, 23. 40. Cæcus natus, *Io.* 9. 30. Petrus, *Act.* 3. 12. *&* 5. *v.* 3. 4. 9. Stephanus *c.* 7. *v.* 51. Paulus. *Act.* 20. 10. 1. *Cor.* 3. 4. *&* 11. *v.* 8. 19. 20. *&* 15. *v.* 12. *&* *Gal.* 3. 1. 2. *Thes.* 3. 15

Exempla Prophana.

Lacones Cephisophontem, qui posse ostenderat se de re quali bet totum diem dicere, exegerunt: bonum declamatorem, dicentes, respondentem rebus habere orationem debere. *Plut. in institutis Laconicis.*

Si quis perplexum aliquid in cāticis adhiberet, *συνηλαάζοντες ᾠδὰς*, cuiusmodi sunt Phrynidis intricatæ ambages, multis verberibus efficiebatur, vt qui Musas aboleret. *Suidas.*

Aristo poeta, quod Atheniensium laudes inepto carmine prosecutus esset, fame ab ijsdem fuit necatus.

Chœrilus poeta propter ignorantiam. ab Alexandro Magno inedia necatus dicitur.

L. Sylla poetæ indocto interdixit, ne quid amplius scriberet. *Cic. pro Archia.*

Apud Indos si quem præsagia ter frustentur, silentij perpetua multa irrogetur. *Cælius l. 18. c. 31. A. L.*

Romani duces qui temeritate vel inscitia exercitus amisissent, aut fugæ aut pauoris insimulati essent, pecunia & exilio sæpe mulctati sunt. *Alex. ab Alex. l. 4. c. 6.*

Vide Pœna, Punitio, Pœnitentia.

CREATIO.

DEFINITIO ET ETYM.

Creatio, Græce *κτίσις*, [illegible], creator dicitur: & est creatio, emanatio vniuersalis entis ex nihilo. *S. Th. 2. Sent. d. 1. q. 1. ar. 1.*

Creatio Heb. *Beriah. δημιουργία.* Creandi actus: a verbo *Bara*, creauit. ex nihilo aliquid parauit cui formam indidit & hoc vere ac proprie de vno vero Deo dicitur. Gen. 1. 1. item, ex materia existente aliquid consulto condit, quod purum, bonum, pulchrum est atque apparet: id etiam de Deo dicitur a Mose, quando opus Dei sex diebus absolutum ostendit. *Gen. 1. c.*

Creatio differt a generatione: quia Creatio nihil præsupponit. Generatio autem præsupponit materiam, & ab omni alia mutatione, quia præsupponit subiectum. *S. Thom. ibid.*

Creatio a verbo creo dicitur, quod venit ab hoc nomine caro, quæ Græce *κρέας*, [illegible] dicitur. Est autem creare producere, quasi carnem facere. Dicitur autem caro, non tantum de cæteris animalibus, sed etiam de piscibus, pomis, & alijs similibus. Cuius diminutiuum est caruncula, & caruncula, quæ Græce *κρεάδιον*, dicitur.

Loci Biblici.

Creatio cæli & terræ. *Gen.* 1. 1. Creatio noua, *Esaiæ* 43. 19. 2. *Cor.* 5. 17. *Gal.* 6. *v.* 15. *Eph.* 2. 10. *Iac.* 1. 18. 1. *Pet.* 1. 23. *Apoc.* 21. 5.

Creatura, *κτίσις*: interdum significat creationem & conditionem mundi, *Marc.* 10. 6. interdum res creatas, 13. 19. *Rom.* 8. 21. interdum omnes conditos homines, seu, quod idem est, totum genus humanum, *Marc.* 16. 15. aut omnes gentes, vt habetur *Matth.* 28. 19. *Luc.* 24. 47. Creaturæ omnes a Deo conditæ, *Gen.* 1. 1. Deo subditæ. 14. 21. *Iob* 38. 3. *Prou.* 20. 12. Creaturæ mutuæ, testes a Deo citantur, *Gen.* 31. *vers.* 48. 51. *Deuteron.* 4. 26. *&* 30. 19. *Ios.*

24.27. *Esaia.* 1.2. *Mich.* 6.1. ad audiendum Dei verbum excitantur *Ier.* 22.29. ad exultationem & gratam beneficiorum Dei agnitionem inuitantur, *Ps* 96.11. *&* 98.8. *Esa.* 44.23. *&* 49.13. Apo.12.v.12.

SENTENTIAE BIBLICAE.

Creatura a Deo potenter creatur.

In principio creauit Deus cælum & terram. *Gen* 1.

Verbo Domini coeli firmati sunt, quoniam ipse dixit & facta sunt. *Ps.* 33.

Tuus est dies, & tua est nox, tu fecisti omnes terminos terræ. 73.

Initio tu Domine terram fundasti. 101.

Quam magnificata sunt opera tua Domine: omnia in sapientia fecisti. 104.

Per quem fecit & secula. *Heb.* 1.

Fide intelligimus optata esse secula verbo Dei. 11.

Sapienter gubernantur.

Ordinatione tua perseuerat dies. *Ps.* 119.

Diligis omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti: nec enim odiens aliquid constituisti, aut fecisti. Quomodo autem posset aliquid permanere, nisi tu voluisses, aut quod a te vocatum non esset conseruaretur? Parcis autem omnibus, quoniam tua sunt Domine, qui amas animas. *Sap.* 11.

Cum sis iustus, iuste omnia disponis. 12.

Vtiliter ordinantur.

Viditq. Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. *Gen* 1.

Cunctis diebus terræ sementis & messis, frigus & æstus, æstas & hyems, nox & dies non requiescent. 8.

Opera Domini vniuersa bona valde. *Eccl.* 39.

Bona bonis creata sunt ab initio, sic nequissimis bona & mala. *ibid.*

Initium necessariæ rei vitæ hominum, aqua, ignis, & ferrum, sal, lac, & panis similagineus, & mel & botrus vuæ, & oleum, & vestimentum. Hæc omnia sanctis in bona: sic & impijs & peccatoribus in mala conuertentur. Omnia opera Domini bona. *ibid.*

Non est dicere, hoc est illo nequius: Omnia enim in tempore suo comprobantur. *ibid.*

Omnis creatura Dei bona est. *Tim.* 4.

PATRVM SENTENTIAE.

Tria quædam maxime scienda de creatura, nobis oportet intimari: quis eam fecerit, per quod fecerit, cur fecerit. Si ergo quærimus quis fecerit, Deus est. Si per quod dixit, fiat, & facta sunt. Si quare fecerit, quia bonus est. Nec enim author est excellentior Deo nec ars efficacior Dei verbo, nec causa melior, quam vt bonum crearetur a Deo bono. Hanc etiam causam condendi mundum Plato iustissimam dicit, vt a Deo bono opera bona fierent. *Aug. l.* 11. *de Ciu Dei. c.* 21.

Intelligat qui potest, iudicet qui potest; maius sine sit iustos creare, quam impios iustificare. Certe enim & si æqualis est, vtraque potentia, hæc maioris est misericordiæ. *in Io.*

Ex perpetuitate creaturarum intelligitur creator æternus, ex magnitudine omnipotens, ex ordine & dispositione sapiens, ex gubernatione bonus. *ibid.*

Non est fas Angelos siue bonos, siue malos, putare creatores. *l.* 3. *de Tri c.* 7.

In creaturis si quid erratum cogitamus, inde est, quod non cōgruis sedibus ea quærimus. *l* 3 *de lib. arb. c.* 2.

Considera septem in beneficio creationis quod creauit te commodo tuo, cui ait, bonorum meorum non eges, Dauid, sine merito tuo: quia nihil ante promeruit, qui penitus nihil fuit. Cogita qualem fecit, secundum corpus egregiam creaturam, secundum animam, magis egregiam, vtpote imagine Creatoris, insignem, rationis participem, beatitudinis sempiternæ capacem. Considera & dominationis potestatem. Terror enim hominis super cuncta animantia imminere decernitur. Considera etiam largitatis demonstrationem, quanta tibi largitus est ad sustentationem, quanta ad eruditionem, quanta ad consolationem, quanta ad correctionem, quanta ad delectationem, quid ni gratias agas? *Ber. in quodam ser.*

Si totum me debeo pro me facto, quid addam iam pro me refecto hoc modo? nec enim tam facile refectus quam factus. In primo opere, me mihi dedit, in secundo se, & mihi se dedit, me que mihi Sed, reddit, datus ergo & redditus me pro me debeo, & bis debeo: quid domino pro se retribuam? nam & si me millies dependere possim, quid sum ad dominum meum? *Ber. de diligendo Deo.*

Iustum est, vt creatura laudet Deum creatorem. Ipse enim ad laudandum se creauit, qui nostris non indiget laudibus. Est autem virtus incomprehensibilis, nullius indigens, ipsa sibi sufficiens: magnus enim Dominus noster, & laudabilis valde. Hunc itaque mens diligat, lingua canat, scribat manus, atque in his sanctis studiis fidelis animus se exerceat. *Aug l Supputationum p* 3.*c.*1.

Plus videtur in Deo creatura, quam in se ipsa videatur. Plus in arte, qua facta est, quam in seipsa, quæ facta sunt. *Aug. ad Orosium q.* 26.

Deus creaturas non nouit, quia sunt: sed ideo creaturæ sunt, quia nouit eas. *Aug. de Trin l.* 15.*c.* 3.

Admoneo te, vt sine intermissionibus recordetis, quam dulcis, & quam bonus sit erga te creator tuus: quanta bonitas eius, fuit, quod te cum non esses, creauit: & quod te non pecus aut creaturam insensibilem, sed eam creaturam fecit, quæ eum possea intelligere, & amare & cum eo suam æternitatem æternaq. & felicia possidere. *Anselmus de misericordia Dei.*

SIMILITVDINES.

Esdra qualis ager, talia & semina: quales flores, tales & tincturæ: & qualis operator, talis & creatio: qualis agricola, talis agricultura quoniam tempus erat seculi 4. *Esd* 9.

Sicut omne quod factum est in seculo, initium habet pariter & consummationem & consummatio est manifesta: Sic & altissimi tempora, initia habent manifesta in prodigijs & virtutibus, & consummationes in actu & in signis. 4. *Esd.* 9.

Iustini martyris, quemadmodum firmamenti creationem diuinæ literæ per similitudinem conferunt aliquando cum pellis extensione, dicentes: Qui extendit cælum sicut pellem, aliquando cum firmato fumo: Cœlum, inquit, ceu fumus firmatum est, aliquando cum rotunditate cameræ: Qui extendit, inquit, cœlum ceu cameram: Sicut & eius dissolutionem per comparationem conferunt aliquando cum volumine inuoluendo, aliquando cum elemento, quod igni dissoluitur, quemadmodum ait Apost. Petrus in 2. sua catholica, aliquando cum vestimento veterascent. *In responsion. ad Orthodoxos, responsione ad q.* 94.*f.* 93.

Vide Deus, Homo, Mundus.

CREDVLITAS

DEFINITIO ET ETYMOL.

Credulitas a credo, quod Græce πιστεύω. & ταχυπειθής, &c. ... dicitur: vnde credulitas, quæ est facilitas in credendo. Et est duplex, s. temeraria & leuis. *de hac Ouid.*

Sed quia credulitas damno solet esse puellis.

Quædam vero probabilis & discreta.

Credere est cum assensu iudicare. *S. Th.* 2.2.*q.* 2.*ar.* 1.

Credere est actus intellectus assentiens diuinæ veritati, ex imperio voluntatis motæ a Deo per gratiam. *S. Th.* 2.2.*q.* 2.*ar.* 9.

Credere est dictis vel factis fidem habere: vnde credulus & credulitas: aliquando est fidei committere, nonnunquam seruandum committere, aliquando confidere: interdum mutuare: hinc creditores proprie dicuntur, quibus mutua debetur pecunia.

LOCI BIBLICI.

Credere in Christum, vide Fides. Credere toto corde, Act. 8.37. non est perfecte omni ex parte Christo credere, sed ex animo duntaxat. & syncera mente Christum amplecti. Hic enim est scripturæ mos, vt toto corde fieri dicat, quod syncere & ex animo fieri significet. vt *Ps.* 12.3. *&* 111. *&* 119.10 *&* 138. 1.

Credere Deo, Deum, in Deum: credere Christo, in Christum in filium Dei: Credere Euangelio Dei, & Christi seruis: Locutiones sunt in S. scripturis frequentes & obseruatu dignissimæ. Credere homini phrasis est variæ significationis. Credo, i. certus sum de re aliquapiam. *Deut* 26.66. *Iob* 24.22. Credo. i. committo rem quampiā fidei alicuius amici, vel serui. *Genes.* 39 4. 33. *Io.* 2, 24. Credo. i. existimo. *Deut.* 2.21 *Iob* 15.22. *Act.* 9. 26. Credulitas nimia damnatur *Prou.* 14. 15. *Eccl.* 7. 22. 2. *Tim.* 3. 14.

SENTENTIAE BIBLICAE.

Innocens credit omni verbo: astutus considerat gressus suos. *Prouer.* 14.

Qui credit cito leuis corde est. (Ideo non omni verbo credas.) *Eccles.* 19.

SENTENTIAE POETICAE.

Lucret l. 3. de Nat. rerum.

Sed neque tam facilis res vlla est, quin ea primum
Difficilis magis ad credendum constet itemque
Nil adeo magnum, neque tam mirabile quicquam,
Quod non paulatim minuant mirarier omnes.

Ouid. 2. Eleg.

At vos qui id quisque loquatur,
Credite. credo. si nulla procella nocet.

Idem

Idem l.3. de Trist.

Vix equidem credar, sed cum sine præmia falsi,
Nulla tamen testis debet habere fidem.

Hor.l.1.epist.11 Quin.

Tu recte viues si curas esse quod audis.
Iactamur iampridem omnis te Roma beatum,
Sed vereor ne cui de te plus, quam tibi credas,
Neve putes alium sapiente bonoque beatum.

Phocilides.

Μήπιστευε τάχιστα πρὶν ἀτρεκέως πέρας ἴδῃς.
Noli credere celerrime, antequam veri finem videas.

Hesiodus.

Πίστεις δ᾽ ἄρα ὁμῶς καὶ ἀπιστίαι ὤλεσαν ἄνδρας.
Credulitates sane simul & incredulitates perdiderunt viros.

Menander.

Μὴ πάντα πειρῶ πᾶσι πιστεύειν ἀεί.
Ne omnia conare omnibus credere semper.

Ouid.l.3. de arte.

Nec cito credideris, quantum cito credere lædat,
Exemplum vobis non leue Procris erit.

Verinus.

Qui cito crediderit falletur sæpe leuis[q]ue
Est cordis; raro fallitur ipse senex.

EXEMPLA SACRA.

Crudelitatis exempla: Laban, *Gen* 13.*v.*1.2. Putiphar.39.19. Iosuah *Ios.*9.*v.*14.15. 1 *Sam.*25 12. Hanon, 2. *Sam* 10.4. Dauid 16.4. Rex Israelitarum, 2. *Reg.* 7.14. Rex Persarum, 1. *Esdr.*4.11. Assuerus *Esth.*3.10. Princeps Sedechiæ, *Ier* 37.15. Darius, *Dan.*6.9. Magistratus. *Act.*16.38. *Ephes* 19.28.

HISTORICA EXEMPLA.

Tiberius Cæsar, causa præcipue quæstus, tantum delatoribus tribuit vt nemini fidem abrogaret, siue quid veri, siue vani referret. *Alex ab Alex.l.*4.*c.*22.

D. Aug. posteaquam excussa Manichæorum hæresi Academico more assensionem cohibere didicit: D. Ambrosii Episcopi concionibus interfuit, vt audiret quidem, sed omni tamen conatu credere reluctaretur, *Aug.l.* 6. *de confes.* c.5.

CRVDELITAS

DEFINITIO ET ETYMOL.

CRudelitas, Græce, *ὠμότης*, *ωτος*, ἡ & *ὠμὸς*, *ῆ*, *ὸν*, crudelis dicitur. Est & atrocitas animi in pœnis exigendis, *secundum Senecam lib. de clementia*.

Crudelitas est vitium, humanum excedens modum puniendi culpas, *B.Th.* 2.2.*q.*159 *ar.*1.

LOCI BIBLICI.

Crudelitas damnatur. *Deut.*25.*v.*2.3. *Prou.*11:17.& 12.10. *Esa.*47.6. & 52.4 *Zac.*1.15.2 *Tim.*3.3. *Iac.*2.6.& 5.6. auaritiæ comes est, 5.4. pœna eius, *Iudic.*9.*v.*56.57.2. *Paral.*23.15. *Mat.*25 *v.*41.42.2. *Thes.*1.6. *Iac.*2.*v.*13.14.& 5.5.

Crudelitas Heb. *Achzar* & *Achzeriuth* a verbo *cazar*, crudelis fuit, ausus est atrociter. Cognationem habet cum verbo *Gazar*, disseruit, *κεραΐζω* trunco. Crudelitatem a cruore nonnulli dictam volunt, quem crudeles effundunt. Alij a cruditate: quemadmodum enim poma, quæ mitia non sunt, cruda dicuntur: ita & homines immites.

PATRVM SENTENTIAE.

Nunquid stultis & insensatis, ac brutis animalibus leuia verba, & non magis aspera, vt tales decet, dum delinquunt, obijcienda sunt? Sæpius enim contingit, vt leniter ac cum dulcedine correctio prolata spernatur, & e contra humilitatis verba despectionis iacula emittunt & proteruia sunt. *Aug. in lib. de conflictu vitiorum & virtutum.*

Persequi facit homines, diuitiarum ambitus: superbiæ odiosa lactantia pauperem & mendicum: sola sæuitia est vel crudelitas, cuius nec honor quæritur, nec abundantia facultatis ambitur. *Cass. in Ps.*10.

Quid prodest crudelibus persequi, quos vidēt persecutionibus semper augeri? *Ibid.*

SENTENTIAE POETICAE.

Virg.l.8. Aeneid. de Mezentio.

Mortua quinetiam iungebat corpora viuis,
Componens manibusq. manus atque oribus ora,
Tormenti genus, & sanie tabo.q. fluentes
Complexu in misero, longa sic morte necabat.

Ouid. de Trist l.3. Eleg.5.

Corpora magnanimo satis est prostrasse leoni,
Pugna suum finem, cum iacet hostis habet.
At lupus, & turpes instant morientibus vrsi,

Polyanthea Noua.

Et quæcunque minor nobilitate fera est.
Maius apud Troiam forti quid habetur Achille?
Dardanij lachrymas non tulit ille senis.

Ouid. Epist.7.

Te lapis & montes, innataq. rupibus altis
Robora, te sæuæ progenuere feræ.

Idem 3. Trist.11.

Sæuior es tristi Busiride sæuior illo,
Qui falsum lento torruit igne bouem:
Quique bouem Siculo fertur donasse tyranno,
Et dictis artes conciliasse suas.

Lucan.2.

Quid sanguine Manes
Placatos Catuli referam? cum victima tristis
Inferias Marius forsan nolentibus vmbris,
Pendit inexpleto non fanda piacula busto.
Cum laceros artus æquataq. vulnera membris
Vidimus & toto quamuis in corpore cæso,
Nil animæ lethale datum, moremq. nefandæ
Dirum sæuitiæ pereuntis parcere morti.
Auulsæ cecidere manus, exsectaq lingua
Palpitat, & muto vacuum ferit aera motu.
Hic aures, alius spiramina naris aduncæ
Amputat: ille cauis euoluit sedibus orbes,
Vltimaq. effodit spectatis lumina membris.
Vix erat vlla fides, tam sæui criminis vnum
Tot pœnas cepisse caput, sic mola ruina
Fracta sub ingenti miscentur pondere membra,
Nec magis informes veniunt ad littora
Qui medio periere freto.

Claud.1.Ruff.

—*Quis prodere tanta relatu*
Funera, quis cædes possit deflere nefandas?
Quid sola immanes vnquam gessisse feruntur,
Vel Scinis Isthmiaca pinu, vel rupe profunda
Scyron, vel Phalaris tauro, vel carcere Sylla?
O mites Diomedis equi, Busiridis aræ
Clementes iam Cinna pius, iam Spartace lenis
Ruffino collatus eris.

Ouid.6. Fast.

Filio carpento patrios initura penates,
Ibat per medias alta feroxq. vias.
Corpus vt adspexit, lachrymis auriga profusis
Restitit, hunc talis corripit illa sono,
Vadis, an expectas pretium pietatis amarum?
Duc inquam, inuitas ipsa per ora rotas.
Certa fides facti est, dictos celeratus ab illa
Vicus & æterna res expressa notæ est.

Sen. Oct.

—*Dedit infandi*
Sceleris pœnas cum Tarquinio
Tullia coniux, quæ per cæsi
Membra parentis egit sæuos
Impia currus, laceroq. seni
Violenta rogos nata negauit.

Silius.

Cum subito adspectu suo barus Scipio, poscit
Quæ pœna causa, & quis sine in crimine Manes
Tum virgo, patrios freges quæ curribus artus,
Et stetit adductis super ora trementia frænis
Tullia non vllos fatis exhaustura labores,
Ardenti Phlegethonte natat fornacibus acris,
Fons rapidus fueris, atque vstas sub gurgite cautes
Egerit, & scopulis pulsas flagrantibus ora.

Periand. per Auson.

Multis terribilis, caueto multos.

SENTENTIAE PHILOSOPHICAE.

Euitabis crudelitatem, & ministram crudelitatis iram. Et alibi: Respue crudelitatem, & matrem crudelitatis iram. *Senec.l. de morib.*

Non tam omnibus ignoscere est crudelitas, quam nullum modum tenere. *Senec l. de Clemens. ad Neronem.*

Crudelitas nihil aliud est, quam atrocitas animi in pœnis exigendis. Crudeles vocabo qui puniendi causam habent, modum non habent. *Idem.*

Plerunque homines in suis domibus sæuissimi tyranni, in alienis humillimi serui sunt. *Idem.*

Crudelitas minimè humanum malum est, indignumq. regio animo Farina ista rabies est, sanguine gaudere & vulneribus, atque abiecto homine in syluestre animal transire. *Idem ibid.*

Crudelitas in barathrum tartari abijcit, vnde nunquam egrediuntur. *Plato de legib.*

Parce effundere humanum sanguinem: quia hoc illius est, qui nouit secreta cordium. *Arist. ad Alex.*

Importunitas autem & inhumanitas omni ætati molesta est. *Cic. in Caton. Maior. a. sas de Senectute.*

Nec est vnquam vtile quod est crudele. *Idem in of. l. 3 9. c. 5.*

Crudelitatis horridus est habitus, truculēta facies, violenti spiritus, vox terribilis, ora minis, & cruentis imperijs referta, cui silentiū docere, incrementum est adijcere. Etenim quem modum sibi ipsa statuet, sine suggillationis quidem frenis fuerit reuocata? ad summam cum penes illam sit timeri, penes nos sit odisse. *Val. Max. l. 9. c. 2.*

Ne luxuriæ quidquam crudelitas, nec crudelitati luxuria obstat. *Curtius l. 9.*

Miserum est instrumentum senectuti recordatio crudelitatis. *Amm. Marcellin. l. 29.*

APOPHTHEGMATA.

Timon. cum Alcibiadem adhuc puerum obuiam habuisset, & deoscu latus ei plurimum blandiretur, rogantibus quibusdam, quæ tantarum blanditiarum caussa esset? Respondit, amare se cū puerum, quod præuiderit ipsum quandoque Atheniensibus magnorum malorum caussam fore, qua spe sola fruebatur. Etenim propter immanem naturam id ei placebat, quod alij iure omnes abominabantur. *Fulg. l. 9. c. 11.*

Alexander Phereus tyrannus maxime truculentus sæuusq. esse videbatur, Theodoro vero tragico poeta, cum acri animorum affectu & commiseratione Aeropē agente, lachrymas profudit, surgēsq. de theatro recessit. Verum purgans & excusans se apud Theodorum, affirmauit se non idcirco abijsse, quod illum aut aspernari, aut contumelia afficere voluisset, sed quod puduisset ipsū histrionis incommodis & affectionibus misericordem videri, suis veró ciuibus & subditis non item. *Aelian. l. 14. de Var. hist.*

Vxor Annibalis scelerata atq; atrox nimis vxor, inspecta humani sanguinis fossa, pulchrum in ea esse spectaculum dixit. *Fulg. lib. 9. cap. 11.*

C. Fimbria procurarat, vt Scæuola in funere C. Marij iugularetur, quem vt cognouit ex vulnere recreatum, apud populum deferre instituit. Rogantibus, quid optimo innocentissimoq. viro esset obiecturus: Obijciam, inquit, quod parcius corpore telum recepit: quasi hoc ipsum crimen esset, non perijsse. *Bruson. l. 2. c. 9.*

Q. Catulus. Quum Syllana crudelitas magna licentia sæuiret in capita ciuium (nam occisi feruntur supra nouem millia) percussoribus libere per vrbem vagantibus, ac cæteris metu attonitis. Q. Catulus palam ausus est dicere Syllæ: Cum quibus tandem victuri sumus, si in bello armatos, in pace inermes occidimus. *Eutrop.*

Sylla Septem millia Romanorum occidi iussit: ac quum in vicino ad ædem Bellonæ sedens exaudisset exclamationem tot millium sub gladio gementium, exterrito senatu: Hoc agamus inquit. P. C. seditiosi pauculi meo iussu occiduntur. *Brus. l. 2. c. 9. ex Plut.*

P. Telesinus cum in eo bello, quod Sylla cōtra patriam gessit magno Reip. Romanæ detrimento ad portam Collinam parum prospere pugnasset, ac vociferaretur, eruendam, delendamq. vrbem, adiecit: Etiam nunquam defuturos Italiæ libertatis, lupos nisi sylua, in quam refugere solerent, penitus esset excisa. *Velleius Paterculus, & Cuspinian in Consulib.*

L. Catilina obijcienti Ciceroni, incendium a se excitatum: Sentio quidem (ait) verum si aqua illud non potero, ruina extinguam. *Brus. l. 2. c. 9.*

Augustus Cæsar, audiens inter pueros, quos in Syria Herodes crudelissimus Iudæorum Rex, interfici mandauerat, filium quoque eius interfectum, dixisse fertur: Se malle suem quam filium Herodis esse. Inter Iudæos enim cum versaretur, a suilla carne prohibita abstinebat, iuxta legem. *Macrob. l. 2. c. 4. Sat.*

Idem cœnabat apud Atedium, siue Vedium Pollionem, ibi fregerat quidam è seruulis vas crystallinum, qui ideo iussus est ab Atedio rapi, & murenis obijci. Puer ad Cæsaris pedes confugit, nihil aliud petiturus, quam vt aliter periret. Cæsar motus nouitate crudelitatis, & puerum dimitti, & crystallina omnia ante se frangi iussit, & compleri piscinam. Amicum autem grauiter increpauit: Et conuiuio, inquiens, rapi homines imperas, & noui generis pœna lacerari? Si calix tuus fractus est, viscera hominis distrahentur? Tantumne tibi placetis, vt aliquem duci iubeas, vbi Cæsar est? *ex Sueto. & Sen.*

Theodorus Gadareus, Is Tiberii Cæsaris in Rhetoricis præceptor, animaduertens in puero sanguinarium ingenium sub specie lenitatis & clementiæ latitans subinde inter obiurgandum appellabat illum, lutum sanguine maceratum. Ab initio quippe sui imperii miram lenitatem præ se tulit, sed in progressu ad immanem crudelitatem prolapsus est, *vt Suet. testis est in eius vita.*

Tiberius, quum custodias recognosceret, eum quidam rogaret, vt supplicium maturaret, respondit: Nondum redij tecum in gratiam. Humanitatis officium esse putauit, si damnatum cito occidisset. *Suet.*

Idem C. Caligulæ ideo imperium reliquisse dicitur, quo memoriā scelerum suorum maioribus Caii sceleribus obrueret: vtque maximus atque nobilissima pars senatorum post mortem suam necaretur. Sæpe enim dictum illud vetus fertur vsurpasse: Me mortuo terra cum igne misceatur. *Dion. Nicæus in eius vita.*

Nero post multa nefanda facinora, quum vrbem atque imperium viuus perdere funditus optaret: Priamum mirum in modum beatum fuisse dicebat, quod patriam simul cum regno pereuntem vidisset. *Xiphilin. in Nerone.*

Idem, quum amitam ex duritie alui cubantem visitaret, & illa tractans lanuginem eius (vt assolet iam grandioribus natu) per blanditias forte dixisset: Simul hanc excepero, mori volo: conuersus ad proximos confestim se positurum (velut irridens) ait, præcepitq. medicis, vt largius purgarent ægram, qua citius efflaret animam. *Brus. l. 2. c. 9.*

Idem, quodam in colloquio proferente Græcum versiculum,

> *Ἐμοῦ θανόντος γαῖα μιχθήτω πυρί*, idest
> *Me mortuo terra misceatur incendio.*

subiecit. Imo *ἐμοῦ ζῶντος*, idest, me etiam viuo. Quibus portentis aliquando committitur Resp. *6. apoph.*

Idem. columnis statuarum eiusdem illud adscriptum erat: Galli cantando me excitarunt, indignissime tulerat Galliarum defectionem, proinde decreuerat, Gallos omnes Romæ agentes contrucidare, prouinciamque exercitui diripiendam tradere. *Sueton.*

Agrippina, quum iussu Neronis occiderentur, ac Centurio ferrum in eam stringeret, ventrem ostendens, clamabat: Hunc percute, hic est ferro fodiendus, qui portentum illud genuit. *Suet.*

Nero. Vestinus consul, quum eodem die omnia munia consularia obijsset, è conuiuio repente ad supplicium raptus est. Consulares nihil aliud quam exitium expectabant. Horum pauorem irridens Nero, dixit illos satis supplicij luisse pro epulis consularibus. Dicas hoc a clemente dictum, si cætera Neronis facinora spectes. *Suet. in Nerone.*

Caligula, vt alia omni in re, ita verbis quoque sceleratus fuit, persæpe repetens. Oderint dum metuant. Optabat etiam pop. Rom. vnam haberet omnes ceruicem, vt vno ictu omnes interficere simul posset. *Fulg. l. 3. c. 11. ex Suet.*

Idem. Vir quidam prætorius valetudinis causa secesserat in Anticyram, petito a Caligula Cæsare commeatu. Is cum sæpius peteret prorogari commeatum, mandauit interfici, & adiecit, necessariam esse sanguinis missionem, cui tamdiu non profuisset helleborum. Solent enim medici in morbis validioribus venarum incisione vti. Et in Anticyram nauigabant, quibus opus erat purgatione. *l. 6. apoph.*

Idem, quum destinasset interficere fratrem suum, cumque suspicaretur sese medicamentis præmunire, ita locutus est: Antidotum aduersus Cæsarem? Timebat illa venenum, quasi Cæsar non posset alio quouis modo trucidare, quem vellet extinctum. *P. M. l. 6. apoph.*

Vitellius, postquam occisum Othonem in campo Bebriaci cognouit eoque venisset, abhorrentibus quibusdam cadauerum tabem detestabili voce confirmare ausus est: Optime olere occisum hostem, & melius ciuem. Sed hic tandem religatis post tergum manibus, iniecto ceruicibus laqueo, veste discissa, seminudus in forum tractus est inter ludibria, per totum viæ sacræ spatium, reducta coma, ceu noxii solent, quibusdam etiam cœno stercoreque incessentibus. Tandem apud Gemonias minutissimis ictibus excarnificatus, confectusque est, indeq. vnco in Tyberim tractus. *Brus. l. 2. c. 9. & Fulgos. l. 9. c. 11. ex Tacito.*

Antoninus Caracalla, cum direptis ciuium bonis, atque omnibus exhaustis ærariis, sua crudelitate ingentem corrasisset pecuniam, eamque indifferenter nefariis hominibus distribueret: obiurgatus a Iulia matre, vt pecuniis aliqua ex parte parceret, atque prædæ optimam partem in alium vsum sibi reseruaret, strictum gladium ostentans matri, respondit: Læto sis animo: quamdiu hunc habebimus, nulla nobis deerit pecunia. Ostendens, nullam pecuniam apud subditos adeo recognitam esse, quam sua crudelitate extorquere non posset. *Dion Nicæus, & Xiphilinus in vita Antonini.*

SIMILITVDINES.

Philonis Iudæi. Sicut bene compacta corpora exercitatione confirmantur, & acquirunt robustam inuictamq. habitudinem: Sic ferox & immitis natura, occupata sui similibus, studiis, duplo fit durior, inaccessa misericordiæ, qua vnus affectus bonus & humanus est. *Lib. de Ioseph fol. 346.*

Origenis. Sicut canis insanus saxo percussus dum percutientem sequi nō præualet ad ipsum, furore conuertitur lapidē quē pedib. dentibusq. dissipare perquirit: Non aliter Herodes sua præcipua iracundia, solitoque insaniæ suæ mentis furore, infantium cæde versatus & contritatus est. *Super illud Matth. Angelus Domini, &c.*

Hieronymi. Igitur consularis, pastis cruore luminibus, vt fera, quæ gustatum semel sanguinē semper sitit, duplicari tormenta iubet: & læ..um

& satium dentibus frendens, similem carnifici miniratus est pœnam, nisi confiteretur sexus infirmior, quod non poterat robur virile reticere. *Ad Innocentium.*

ADAGIA.

Mauli tria imperia.
Recte congruit in hos, qui sæuiunt in eos, in quos ius nacti sunt, & qui nimis rigida vtes obseruatione, humanitatis & æquitatis obliuiscuntur.

Opera Sylosontis ampla regio. ἕκατι Συλοσῶντος εὐρυχωρίη.
Conuenit in acerbo gerentem magistratum, cuius visio deseratur ab incolis regio.

Phalaridis imperium. Φαλάριδος ἀρχή.
Recte dicetur in eos, qui crudeliter exercent imperium, aut potestatem sibi delegatam Lucianus.

Omnium quos sol videt.
Sunt & ista figura prouerbiales. Omnium quos terra sustinet, aut quos sol videt, pessimus, optimus ve. Plaut. in Sticho; Meliorem neque tu reperies, neque videt sol.

Omnis herus seruo monosyllabus. πᾶς δεσπότης δούλῳ μονοσύλλαβος.
Heris & potentibus breuissimo tantum verbulo est opus, vt vel annuant, vel renuant.

Sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas.

Budore more. Βυδόρῳ νόμῳ.
Aut vt alibi reperitur, βουδορῶν νόμῳ id est, Budororum more seu lege. Suidas interpretatur de iis qui digni sunt, vt vel bouis rem excoriarent.

Lemnia manu. Λημνίᾳ χειρί.
Dictum pro eo, quod est, nefaria, impia, crudeli.

Crudelis Bacchus. ὠμηστὴς ὁ Διόνυσος.
Baccho quondam viuos homines sacrificari mos erat. Vnde in crudeles conuenit. siue quod temulentia feroces reddat & immites.

Non magis parcemus quam lupis. οὐ φεισόμεθα μᾶλλον ἢ λύκων.
Id est, Haud magis parcemus ac lupis. Inde natum, quod antiquitus lex ad interficiendos lupos etiam præmio inuitabat apud Atticos.

Lutum sanguine maceratum.
Theodor. Gadareus Tyberij Cæsaris in arte Rhetorica præceptor, perspiciens in eo adhuc adolescente sæuitiam quandam cum ingenij stupore commendam inter obiurgandum illum subinde vocare solebat, πηλὸν αἵματι συμπεφυραμένον Lutum sanguine maceratum, hoc est lutum, sanguine crudelitatem. Suet.

Non est oleum in lecytho. Οὐκ ἔστιν ἔλαιον ἐν τῇ λεκύθῳ.
Quum significamus non esse precibus locum apud inexorabilem. Nam ἔλαιον oleum significat, ἔλεος misericordiam.

Boni viri lachrymabiles. ἀγαθοὶ δ᾽ ἀριδάκρυες ἄνδρες.
Dicuntur qui facile commouentur ad misericordiam, ac precibus flectuntur. Nam lacrymæ dicuntur, qui miserentur.

EXEMPLA BIBLICA.

Crudeles crudeliter tractantur. Exemplum: Adonibezech, *Iudic. 1. ver. 7.* Crudelitatis exempla: Cain, *Gen. 4. ver. 8.* Lamech, *vers. 23. 24.* Fratres Ioseph 37. 20. 18. Rex Aegypti, *Exod. 1. ver. 16. 22.* Naas *1. Sam. 11. ver. 2.* Saul, 19. *ver. 9. 10. &* 22. 18. 19. Athalia, *2. Paralip. 22. ver. 10.* Manahen, *2. Reg. 16. ver. 14. 15. 16.* Ioram, *2. Paral. 21. ver. 4.* Israelitæ, 28. *ver. 9. Psal. 106. ver. 38. 39.* Aman, *Esth. 3. ver. 6.* Hostes Babylonii, *Esa. 13. ver. 15. 18. ver. 6. ver. 23* Damasceni, *Amos 1. ver. 3* Filii Ammon, *1. ver. 13. 14.* Gentes, *Zach. 1. ver. 15.* Herodes, *Matt. 2. ver. 16.* Inuitati ad nuptias. 22. *ver. 6.* Maledicti 25. *vers. 41. 42.* Herodes, *Marc. 6. ver. 27.* Scribæ & Pharisæi, *7. ver. 12.* Agricolæ, 12. *ver. 8. Luc. 20. vers. 11. 12. 5.* Pharisæi, *ver. 47.* Pharao, *Act. 7. ver. 19.* Paulus ante conuersionem, *9. vers. 1. & 22. vers. 4.* Diotrephes, *3. Io. 10.* Adonibezech, *Iud. 1. ver. 6. 7.*

HISTORICA EXEMPLA.

Samij captiuorum Atheniensium frontem inscripserunt noctuas: vt ipsorum frontem ante Athenienses Samæna. *Plut. in Pericle.*

VVenceslaus Imp. Bohemiæ rex, adeo natura fetus & sanguinarius, vt assiduum penes se carnificem haberet, quem compatrem familiariter appellabat, quia filium eius de fonte sacro leuarat, & tam familiariter eo vtebatur, vt aliquoties vno eodemq. equo secum vehi illum passus fuerit. *Dubrauius lib. 23.*

Hannibal Pœnus, inspecta humani sanguinis plena fossa, pulcrum esse spectaculum, dixit. *Fulg. l. 10. c. 11.*

Vitellius Cæsar, ob cadaueris fœtorem via declinantibus cæteris ipse recta per aceruum mortuorum profectus est, optime olere hostem, inquiens, & præsertim ciuem. *Suet.*

Non desunt qui testantur, Hispanos multa crudelitate vsos in India. Nam bello captos trucidasse, vel eos in aurifodinas detrusisse, insuetisq. laboribus oppressisse: adeo vt ex quindecies, vel, vt alii scribunt, vigesies centenis hominum millibus, qui Hispaniolam incolebant: vix hodie ad summum quinquaginta, vt quidam adserunt, supersint. *Io. Metellus* in Epistola quæ Osorio præfixa est, *& Petrus Cieza varijs in locis.*

Polyanthea Noua.

Nihil tam atrocis supplicij & cruciatus ab immanissimis quibus Tyrannis excogitari potuit, quo non digni Christiani iudicati sunt, sub M. Antonino philosopho. *Gallorũ epist. apud Euseb. l. 5. c.* Aliquot crudeles formas numerat, insidias domi forisq. in omnibus publicis locis, inclamationes, plagas, tractiones, direptiones, lapidationes, conclusiones, applicationes laminarum candentium, carceres tenebrosos, inclusiones in equuleo ad quintũ punctum, in ipsis custodijs strangulationes, bestiarũ dentes, ferreas sartagines, patibula, ventilationes ea cornibus taurorum, & similes. *Theat. Zuingeri f. 2739.*

Cyrillus, Diaconus Heliopoli ad Libanum, Cum sub magno Constantino, multa simulacra contregisset, sub Iuliano ventre dissecto iecur eius gentiles quosdam deuorasse tradunt. *Suidas.* Ascalone sub Iuliano gentiles sacerdotibus Christianis & mulieribus virginitatem professis aluos dissecuere & completas hordeo porcis obiecerunt. *Theod. lib. 3. c. 6.*

Hannibal sæuitia potius quam arte militari constans, in flumine Gelo corporibus Romanis ponte facto exercitum traduxit. Idem captiuos Romanos oneribus & itinere fessos, iam prima pedum parte succisa relinquebat. Quos vero in castra perduxerat, paria Romanorum iungens ferro decernere cogebat, neque ante sanguine explebatur, quam ad vnum victorem omnes redegisset. *Theat. vita.*

Ptolomæus inter præcipua crudelitatis indicia referendus, filium suum nomine Memphitem, ex Cleopatra sorore & vxore susceptum, liberalis formæ, optimæq. spei puerum in conspectu suo occidi iussit. Pedes eius, & caput, & manus in cystam clamide opertos pro munere natalitio matri misit. Tandem cum animaduerteret quanto sui odio patria teneretur, timore remediũ sceleris petens, quoque tutius regnaret, gymnasium iuuentute frequens armis & igni circumdedit, omnesq. qui in eo erant partim ferro, partim flamma necauit. *ibid.*

Mithridates epistola vna octoginta millia Romanorum in Asia, per vrbes negotiandi gratia dispersa interemit: tantæq. prouinciæ hospitales Deos, iniusto, sed non inulto cruore respersit. Nam cũ maximo cruciatu, veneno repugnantem spiritum suum tandem succumbere coegit. *ibi.*

Mezentius viuorum corporum cadaueribus aduersa aduersus alligata atque constricta, ita vt singulæ membrorũ partes singulis essent accommodatæ, tabescere simul patiebantur, amari vitæ ac mortis tortores, *ibid.*

Barbari mactatarum pecudum intestinis, & visceribus homines inserebant, ita vt capitibus tantummodo eminerent, & quo diutius pœnam sufferrent, cibo & potione infelicem spiritum prorogabant, donec intus putrefacti laniarentur ab animalibus, quæ tabidis in corporibus nasci solent. *ibid.*

HIEROGLYPHICA.

Præcipuum *gladij* fuit hieroglyphicum, vt pro crudelitate poneretur, cuiusmodi nuncupatione Aegyptij *Ochum* appellare soliti sunt: qui quidem Persarum Rex omnium crudelissimus ac maxime formidabilis cæde omnia fœdauit, quacunque per Aegyptũ progrederetur. *Pier. Val. l. 41. p. 414. F.*

APOLOGVS SEV FABVLA.

Auceps & Cassita.

Auceps laqueos disponebat, & struebat insidias auibus, cuius opera contéplans cassita quid rei gereretur admirans, accessit propius & sciscitatur de homine, quid struat? Respondit ille, se vrbem condere. Atque omnibus perfectis, occultat se intra ramos arborum. Cassita ad nouam vrbem aspiciendam celeriter aduolat, & laqueo implicita capitur. Cumque accurrisset auceps, tristis hæc illi: Si tales vrbes condis, inquit, non facile multos incolas reperies.

Fabula monet, male coli atque habitari cum oppida tum domus in crudelitate & rapinis principum.

CRVX.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

CRux, Græce σταυρὸς, & σταύρωσις, inde crucifixio dicitur. Est autem crux patibulum, in quo figuntur damnati: dictum a Græco κρούειν, quod est ferire, pulsare: hinc crucio, & cruciatus descendunt. Hebr. *ets*, Arbor: lignum, habens suos ramos extensos. Dicitur etiam de ligno succiso, quod ad res varias accommodatur, nempe ad idola, patibula, & alia fabricanda.

LOCI BIBLICI.

Crux pro doctrina Euangelii, *Gal. 5. 11.* pro prædicatione Euangelii, aut Christi crucifixi, *6. 12.* pro Euangelicæ prædicationis argumento, *1. Cor. 1. 17.* per synecdochẽ: pro ludibrio. *Heb 6 6.* pro afflictione Christi nomine sublata, μεταφορικῶς, *Mat. 10. 38. & 16 24. Marc.*

24. *Marc.* 8.34 *Luc.* 9.23. *Phil.* 3.18. libenter ferenda est. Vide afflictio, pro ipso cruci, Dominicæ ligno, *Matt.* 27.32. *Mar.* 15.21. *Luc.* 32.26. *Phil.* 2.8. *Hebr.* 12.2. pro morte, a Christo perpessæ, efficacia & dignitate. 1. *Cor.* 1.17.18. *Gal.* 2.19 & 5.16. & 6.2.14. *Phil.* 3.16.

Crucifigere Christum, *Hebr.* 6.6. metaphorice est Christum quasi rursus crucifixum, omnium ludibrio exponere. Crucifigi vetus homo dicitur, *Rom.* 6.6. qua loquendi formula idem declaratur, atque si peccatum diceret mortuum: aut nos peccato mortuos esse cum Christo, nisi quod illud ἐμφατικώτερον est, mortis genus explicat, cuius comparatione mortificamur peccato. Crucifixus mundo dicitur, *Gal.* 6.14 quem mundus despicit: mundus eidem crucifixus *ibid.* qui mundum vicissim nihili facit.

Sententiae Biblicae.

Gloriatio in cruce.

Benedictum est enim lignum, per quod fit iustitia. *Sap.* 14.

Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam, ipsis autem vocatis, Iudæis, atque Græcis, Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam. 1. *Cor.* 1.

Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi. *Gal.* 6.

Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium eius portantes. *Heb.* 13.

Quibus crux abominatio est.

Quando peccauerit homo, quod morte plectendum est, & adiudicatus morti, appensus fuerit in patibulo, non permanebit cadauer eius in ligno, sed in eodem die sepelietur, quia maledictus a Deo est, qui pendet in ligno. *Deut.* 21.

Verbum enim crucis pereuntibus quidem stultitia est: iis autem qui salui fiunt, id est nobis, Dei virtus est. 1. *Cor.* 1.

Imitatores mei estote, fratres, & obseruate eos, qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram. Multi enim ambulant, quos sæpe dicebam vobis (nunc autem flens dico) inimicos crucis Christi: quorum finis interitus: quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt. *Phil.* 3.

Rursum crucifigentes sibimetipsis filium Dei, & ostentui habentes. *Heb.* 6.

Crucis baiulatio quo ad necessitatem.

Et qui non accipit crucem suam & sequitur me: non est me dignus. *Mat.* 10.

Et qui non baiulat crucem suam & venit post me, non potest meus esse discipulus. *Luc.* 14.

Non estis vestri: empti enim estis pretio magno: glorificate, & portate Deum in corpore vestro. 1. *Cor.* 6.

Semper mortificationem Iesu Christi in corpore nostro circumferentes, vt & vita Iesu manifestetur in corporibus nostris. 2. *Cor.* 4.

Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis. *Gal.* 5.

Hoc scientes, quia vetus homo noster crucifixus est, vt destruatur corpus peccati, vt vltra non seruiamus peccato. *Rom.* 6.

Obsecro itaque vos fratres per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum. 12.

Christo confixus sum cruci. Viuo autem iam non ego, viuit vero in me Christus. Quod autem nunc viuo in carne, in fide viuo filii Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. *Gal.* 2.

Patrum Sententiae.

Crux Christi nobis totius causa beatitudinis est. hæc nos a cæcitate liberauit erroris: hæc a tenebris reddidit luci: hæc debellatos reddidit quieti: hæc alienos Deo coniunxit: longe constitutos, proximos præsentauit: hæc peregrinantes ciues ostendit: hæc discordiæ amputatio est: hæc pacis firmamentum, hæc donorum omnium abundans largitio. *Aug. in ser. de parasceue.*

Hodie crux fixa est, & seculum sanctificatum est, hodie crux fixa, & dæmones dispersi sunt: hodie crux fixa est, & mors subuersa est: hodie crux vicit, & mors victa est, hodie diabolus victus est, & homo solutus est, & Deus glorificatus est. *ibid.*

Crucem, vt in ea gloriemur, dominus suo gestans humero pro virga regni nobis cõmendauit, quod est grande ludibrium impiis, grande mysterium piis: & vnde mundi philosophus erubuit, ibi Apostolus thesaurum repetit: quod illi visum est stultitia, Apostolo factum est sapientia & gloria. *in epist. ad Gal.*

Signum crucis a nobis expellit exterminatorem, si tamen cor nostrum Christum habeat inhabitatorem. *in Io.*

Author pietatis in cruce pendens testamentum condidit, singulis pietatis opera distribuens: Apostolis persecutionem, Iudæis corpus, Patri spiritum, Virgini paranymphum: latroni paradisum, peccatori infernum, Christianis vere pœnitentibus crucem cõmendauit. *Amb. in ser. de pass.*

Dei filii sustinuit ignominiam crucis: & tu beatos putas, qui felicitate istius seculi & deliciis perfruuntur. *Hier. in ep.*

Diabolus in virga crucis transglutiens carnem humanitatis transfixus est hamo diuinitatis. *in Euang.*

Christus in passione patientiam exhibet, humilitatem commendat, obedientiam implet, charitatem perficit, his virtutum gemmis quatuor cornua crucis ornantur, & est super omnia charitas, a dextris obedientia, a sinistris patientia, in profundo radix virtutum humilitas. *ibid.*

Scapulis tuis obumbrabit tibi, &c. Sub his scapulis quatuor nobis beneficia conferuntur: sub his enim absconditur, sub his ab incursu accipitrum & miluorum protegimur, quæ sunt aëreæ potestates. Sub his vmbraculum salubre nos refrigerat, & nimium solis ardorem repellit. Sub his quoque alimur & fouemur, his virtutum gemmis quatuor cornua crucis ornantur. *Bernard. in Cant. ser.* 65.

Inueniemus nos in cruce gloriam. Nobis qui saluamur Dei virtus est: & omnium plenitudo virtutum. *Ber. ser.* 2. *de resur.*

Vide, quid de Deo tu sentias, vide quanti eum de eo prætaxas. Vide quis oraculis vicariæ charitatis amandus & amplectendus sit, qui tanti te æstimauit, imo qui tanti te fecit. De latere enim suo te formauit, quando pro te in cruce obdormiuit, & ob hoc somnum mortis excepit. Propter te a Deo patre exiuit, & matrem synagogam reliquit, vt adhæreus ei, vnus cum eo spiritus efficiaris. *sup. Cant. ser.* 28.

Crux est humilium initio inuicta, superborum deiectio, victoria Christi, perditio diaboli, infernorum destructio, cœlestium confirmatio, mors infidelium, vita iustorum, &c qua Io. Chrys. Crux est Christianorum spes, crux Romanorum victoria, mortuorum resurrectio, cæcorum dux, conuersorum via, claudorum baculus, pauperum consolatio, arbor resurrectionis, lignum vitæ æternæ. *Cass. in Psal.* 4.

Crux Christi clauis est paradisi, hæc infirmor. baculus, pastorũ virga conuertentium manuductio, proficientium perfectio, animæ salus, & corporis, omnium malorum auersio, omnium bonorum datrix. *Damas. l.* 4.

Crux non solum dicitur, quæ tempore passionis ligni affictione cõfertur, sed quæ totius vitæ curriculo cunctarum disciplinarum virtutibus coaptatur, vt non solum intelligatur crux ligni patibulum, sed piæ vitæ virtutisq. propositum. Vnde omnis Christiani vita, qui secundum Euangelium vixerit, crux est atque martyrium. *Max. in ser. de martyr.*

Similitudines.

Chrysostomi: sicut his qui super excelsam petram stat, fluctus ridet, quos videt ad littus, magno impetu rumpere, & protinus in spumam solutos: ita & sanctus hic N. virtuti vacans, in securo commentus loco, nihil insuaue fert a rebus turbulentis, sed tranquillus animo, & quietus sedet. *Hom.* 22. *in Gen.*

Sicut granum tritici inclusum in palea, foras nõ egreditur, nisi fuerit trituratum. Sic & homo de impedimentis mundialibus, & de rebus carnalibus quasi in palea inuolutus, difficile egreditur, nisi fuerit aliqua tribulatione vexatus. *In c.* 3. *Mat.*

Sicut plenum granum mox vt leuiter percussum fuerit, de palea sua exilit foras: si autem subtile fuerit, tardius egreditur: si vacuum, egreditur nunquam: sed illic conteritur in palea sua, & ita cum paleis foras iactatur: Sic omnes homines in rebus carnalibus delectantur, sicut grana in palea. Sed qui fidelis est, & boni cordis habet medelam, mox vt leuiter tribulatus fuerit, negligens quæ sunt carnalia, currit ad Deum. Si autem modice infidelior fuerit, cum grandi tribulatione vix recedit, & vadit ad Deum. Qui autem infidelis est, & vacuus, quantumuis contritus fuerit, sicut granum vacuum de palea non egreditur: Sic nec ille de carnalibus rebus, & impedimentis mundialibus vnquam egreditur, nec transit ad Deum: sed illic in manibus constitutus conteritur, vt cum infidelibus quasi cum paleis foras proiiciatur. *In c.* 3. *Mat.*

Sicut triticum primum quidem trituratur, & quum trituratum fuerit, in vno loco iacet cum paleis confusum, postea autem ventilatur, vt quæ fuerant iam disiuncta corporibus, separentur & locis: Sic & populus in Ecclesia aut moribus conteritur carnalium, animam semper vrgentium, aut castigationibus corporalibus quasi virgis quibusdam, aut conculcationibus iniquorum & superborum, quasi calcibus irrationabilium iumentorum, vt disiungatur a fidelibus per diuersas contritionum species. *In c.* 3. *Matt.*

Nunquid tu potes, quum sit messis tua in agro, triticum a paleis separare? Et si tentaueris, nec paleas a tritico separas, & triticum similiter cum paleis perdis: Sic non poterat fieri, vt Deus de Iudæis aut Gentibus iam electos sine tentatione discerneret, & vocaret. *In c.* 3. *Matt.*

Sicut botrus multa in se grana ligno mediante suspendit: Sic & Christus multos sibi fideles per lignum crucis adiunctos. *In Matt. c.* 7. *hom.* 6.

Ponamus, aliquem seruum multarum pecuniarum, proprio domino

domino esse debitorem, vim quoque perpeti ab iniquis hominibus: hunc seruum & aliquanta eorum quæ habebat amittere. Si igitur dominus valens coercere raptorem, non quidem seruo ea statuat erepta, sed cuncta tamen quæ perdidit, sibi ille computet reddidisse: nonne etiam lucra damni occasione colliget? Quod certe ab omnibus probatur absque ambiguo. Hoc & in nobis, cū iniuste aliq. sd patimur, cogitemus: qui scilicet pro illatis nimis nobis remissionem accipiamus omnium peccatorum, aut si nobis tanta delicta non fuerint clarioribus hinc ætemur coronis. *Homil. 9. in Matth.*

Pondus terrestrium dominorum atterit paulatim vires ministrantium. Pondus autem Christi magis adiuuat baiulantem, quia non nos portam. s gratiam, sed gratia nos. *In Matth. cap. 11. hom. 38.*

Sicut facilius est homini pauperi & in angustijs co. stit. to discipli nam: diuiti autem & abundanti, difficile: Sic illis inter gaudia mundi difficile sit tenere tristitiam, nobis autem inter tribulationes mundi facile. *In c. 10. Matth. hom. 34.*

Cum nemo in arena seipsum exerceat, quomodo aliquis in certamine insignis erit, atque conspicuus? quis vnquam athleta non ab ineunte adolescentia in palæstra corroboratus, potuit in Olympiis, excelso & magno animo aduersarium aggredi? Ac nō oportet quotidie luctari, atque currere? Nonne vides eos, quos certamin. m athletas appellant, cum nullum fere reluctatorem reperent, ad saccum arena plenum vires suas excitare, iuniores e. m iunioribus, quasi cum aduersario pugnam inire? hos imitari stude, ac ipse tecum altioris philosophiæ instituta meditare, ac confirma. Insurge contra passiones, vince animi labes. *Hom. 34. in Matth.*

Sicut ægrotus in doloribus positus, omni homini ostendenti sibi aliquid ad remedium, facile credit, non diiudicans personas medicantium, neque discutiens artificia eorum: Sic & tunc (nimirum quum exurgent pseudochristi) sancti in necessitate persequutionum positi, & quasi ægroti desiderantes refrigerium Christi, omnibus referentibus aliquid de Christo, facile credent. *In 24. Matth. homil. 49.*

Si quis pro amicis aliquid passus gloriatur, si quis propter Deū quid tolerat. quam fœtire molestiam putandum est? Oportet in rebus grauib. s & molestis, non labores, sed præmia considerare. Quemadmodum mercatores, non maris pericula, sed lucrum expectant: ita & nos cœlum & Dei præsentii. *Hom. in Ioannem.*

Sicut filii parentes, & discipuli magistros in certami ibus attendunt, formantes mentem ex parte doctorum per visum, regulas quasdam sumentes: Sic etiam hic si volumus currere discere, & bene currere, ad Christum attendamus, authorem (inquit) fidei vestigij, & consummatorem Iesum, qui pro gaudio sibi proposito sustinuit crucem. *Hom. 28. epist. ad Hebr.*

Similiter sicut qui mare nauigarunt, & innumeras procellas tulerunt, multasque hyemes perpessi sunt, antequam merces referrent, non paruum suæ peregrinationis lucrum reportāt, eo quod aliquando fidentiores sunt, ac pelagi sæuitiam minus horrent: namque intrepide, & voluptate quadam transmarinas peregrinationes aggrediuntur: Ita & qui in præsenti vita, propter Christum multas fert afflictiones, mæstaque grauia patitur, etiam antequam regni cœlorum magnam illam retributionem assequatur, magna hic potitur fiducia, animamque suam ita acuit sam facit, vt pro hac gratia omnia quasi è sublimi dent deat. *Homil. de resurrectione.*

Sicut athletæ in theatro, & in sudore puluere, & æstu multo, & laboribus, & ærumnis pugnandum est: ita & iustum hic multa sustinere oportet, & ferre omnia vtiliter, siquidem præclaras illic acepturus est coronas. *Homil. de resurrectione.*

Nunquam agricola, cum sementem fecit, cum agrum coluit, cum iam segetem increscere vidit, spe tandē, & retributione laborum excidit: qua vel grando, vel erucæ, vel locustæ, vel alia quędam talia acciderunt: & post multos labores vacuis manibus domum regreditur. Mercator quoque post longam nauigationem afferens oneratam nauim, sæpe in ipso portus ostio irruentibus ventis impingit in scopulum, & vix nudo corpore saluato egreditur. Et in summa, in secularibus negotiis omnib. s sæpe sub finem eiusmodi calamitates eueniunt. Cæterum non: em in nobis contingit certaminibus: sed necesse omnino est, vt qui certauerit, & pietatem seminauerit, multosque labores tulerit, fidem ipsam assequatur. Neque aeris intemperie, neque ventorum tempestate laborum mercedes subuerti sunt Deus, sed repositæ sunt illæ in cœlestibus & indeprædabilibus thesauris. *Homil. de resurrectione.*

Laboriosa lex, & multum oneris habet: sic igitur & magnam habet coronam. Eiusmodi namque laboriosa magnas habet retributiones. Tu vero nequaquam laborem attende, sed retributionem considera. Sic & in vitæ rebus fit. Si enim laborem perspexeris, graue, atque onerosum: si vero retributionem cogitaueris, leue ac facile, quod subest. Sic & gubernator, si fluctus viderit solum, nusquam portu scapha digredietur, sed ipsam pro fluctibus vilitatem commodumque metietur, atque ita demū in nobili se credit pelago. Sic & miles, si vulnera cædesque viderit, non iam induet thoracem: si vero triumphos præ vulneribus, victoriasque, in pratum quasi concurret ad prælium. *De pœnitentia, ser. 8.*

Sicut in igni probatur aurum: sic homo fit acceptus in camino tribulationis. *Contra Iudæos orat. 5.*

Cyprian. Viator, qui ambulando laborat, ideo laborem patienter tolerat, quia tandem peruenire sperat: tolle spem perueniendi: eo tinuo frangentur vires ambulandi. Medicus exprimit ferrum ani secandi vulnera, & dicit ei, quem secturus est: Patiens esto, sustine, tolera. in doloribus exigit patientiam, sed post dolorem promittit sanitatem: ægrotus autem, nisi sanitatis spem sibi proponeret, in dolore, quem patitur, deficeret: Ita & iugum Domini portantibus spes gloriæ miram parit consolationem. *De singularit Clericorum.*

Idiota vir sanctissim. Sicut cibus adhæret vasi, in quo coquitur, si amoueatur, ac perdit saporem debitum, debitumque colorē, Sic cor hominis adhæret isti mundo, nisi amoueatur per tribulationes. *De patientia vera contemplatione, §. 3.*

Sicut mare Aegyptios operuit, ac Israelitis non nocuit: Sic amaritudo tribulationum opera vitiorum impediet, ac virtutū opera iuuabit, sicut scriptum est: Curatio (id est, tribulatio) cessare faciet peccata maxima. *De patientia vera contemplatione, §. 3.*

Laurentius Iustiniani Patriarcha. Quemadmodum commissos successus temporalis iudicium est damnationis: Ita flagelli eruditio cū patientia, indubium prædestinationis agnoscitur esse præsagium. Quem diligit enim Deus, castigat ac flagellat filium, quem recipit. *De contemp. mundi, c. 20.*

Anonymus. Vt hyeme media halcyones summa fruuntur tranquillitate, & hanc etiam aliis communicant: Ita cum maxime fauit fortuna, tum maxime animi tranquillitate fruuntur pii, & hanc in alios, quos possunt, transfundunt. *In similibus.*

Thesaurus. Quemadmodum ferrum, quod in optimam & artificiosissimam figuram paratur, sæpius ad incudem repetitur: Ita quo quisque postea maioribus destinatur, eo hic pluribus malis affligitur. *In apoph. 515.*

Filii, dum adhuc desipiunt, castigationem parentum conqueruntur, sed postea boni consulunt: Et si Deus aperiret oculos nostros, gauderemus malis nobis à Deo inflictis. *In apophthegmat. 14.*

Nihil prodest medicamentum, nisi quis eius prius concoxerit amaritudinem: Nihil etiam confert crux Christi iis, qui detrectant eius vicissitudinem. *In apoph. 65.*

Sicuti medicamentum à principio amarum fastidio existit, sed postea quam coucoctum est, dulescit, sanitatemque in lucit: Ita tribulatio, anxietas, tandem manifestam consolationem parit. *In apoph. 69.*

Nemo coronam accipit, nisi legitime certarit: Et cum Deus hominibus maxime imminet, quando illos fortuna vrget. *In apoph. 597.*

Ebrius non ante mentem recipit, quam crapulam excoxit: Nec homines blandiore fortuna insolentes antea ad Deum redeunt, quam amissis diuitiis in paupertatem incidant. *In apoph. 120.*

Bonum est medicamentum, quod ad primum habitum nos reducit. Et sancta est aduersitas, quæ nos à mundo ad Deum conuertit, aut magis adducit. *In apoph. 123.*

Quemadmodum longo splēdore Solis quodammodo homines obcęcantur; Ita blandiore fortuna plerique obstupescunt, vt nec vanitatem huius mundi vllo modo agnoscant, nec Deum suspiciant. Tam bene vulgo dictum est, quod afflictio dat mentem & intellectum. *In apoph. 128.*

Tribulatio quoddam animi exercitium est. Quemadmodum igitur corpus non potest constare citra eius exercitium; Ita nec anima aut mens diu potest valere citra vexationem. *In apophthegmat. 127.*

Vide Afflictio, Correctio, Pœna, Punitio.

CVLPA.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Culpa, Græce ἐγκλημα, &c., culpo dicitur. Et est voluntaria inordinatio, vel priuatio boni. *ex Beat. Tho. secund. Secund. quæst. 34. art. 2.* Hebr. *Ascham*, atrox delictum, culpa, reatus, in ritibus sacrificiorum Leuiticorum significat hostiam pro delicto. à verbo *Ascham*, Deliquit ignominiose, scelerate egit, vt eum pudeat tædeatque facti, culpabilis fuit, turpiter se dedit, ita vt propter culpam seu pœnam nondum expiatam exibeletur ab omnibus.

SENTENTIÆ POETICÆ.

Plaut. Capr.

Dicere innocentem seruum atque innocentium
Confidentem esse, suum apud herum potissimum.

Horat.

Horat. 3. Carm. 24.

Quid tristes querimoniæ,
Si non supplicio culpa reciditur.

Ouid. 2. Met.

Heu quam difficile est crimen non prodere vultu.

Horat. 7. Epod.

Furorne cæcus, an rapit vis acrior?
An culpa? responsum date.
Tacent, & ora pallor albus inficit,
Mentesque perculsæ stupent.

Iuuenalis.

Ense velut stricto, quoties Lucilius ardens
Infremuit, rubet auditor, cui frigida mens est
Criminibus, tacita sudant præcordia culpa:
Inde iræ, & lacrymæ.

Sen. Oedipo.

Effare dubitas? cur genas mutat color?
Quid verba quæris? veritas odit moras.

Sen. Oedipo.

Quisquis in culpa fuit,
Dimissus omne odit quod dubium putat.

Ter. Hec.

Mulier fecit, mirandumne id est? censen' te posse
Vllam reperire mulierem, quæ careat culpa?
An quia non delinquunt viri?

Plaut. Amph.

Multi vir, audacter curas. ALC. Quæ non deliquit, decet
Audacem esse: confidenter pro se & proterue loqui.

Vide Correctio, Scelus, Pœna, Peccatum.

CVNCTATIO.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Cunctatio, tardatio, mora, μέλλησις, ἐπίσχεσις, ἀναστολή. Hebr. *Orech*. à verbo *Arach*, prolongatus est, longus fuit, protensus est. Cognationem habet cum *arach*, iter longum fecit. Deus, qui tardus ad iram, patiens, & multum misericors est, *Erech* cognominatur, i. tardus, longanimus: & Erech apaim, longus narium, quòd cunctetur, tardè irascatur, vt iustus iudex, qui tandem, nimium prouocatus, grauitate pœnæ cōpensat supplicij tarditatē.

APOPHTHEGMATA.

Diogenes poscebat aliquid ab homine auaro: quem cum videret cunctantem, ac negaturo similem, o homo, inquit, ad cibum te postulo, non ad cyppum? vt qua licet, Græcarum vocum affinitatē reddam. Græcis enim τροφὴ cibus est, ταφὴ sepultura. *Eras. l. 3. apoph. ex vita Diogenis apud Laert.*

Socrates hoc dicterium plurimum in ore habuisse dicitur: Dimidium operis peractum ei, qui iam esset aggressus. Sunt enim qui cunctando ac deliberando vitam omnem absumant. Est autem hemistichium Hesiodi, ἀρχὴ ἥμισυ παντός. *Laert. in vita Socr.*

Fabius Max. quoniam cum Hannibale pugnare detrectabat, mora copias illius & pecuniarum & commeatus egentes attenuabat. Ob quod cum male audiret, nihil tamen commotus, pergebat in suo instituto, & Hannibalem cunctatione fregit, quē alii magno militum exercitu vincere nunquam potuerunt. *Plutarch. in eius vita.*

Iulius Cæsar, quum Pompeius instructam aciem apud Pharsalum ibi consistere, & hostem operiri iussisset. Cæsar dixit illum errasse, qui vim, impetum, ac diuinum afflatum animorum ad incursionem paratorum, mora relaxasset. Adeo Cæsari non modo certamen erat cum Pompeio de fortuna belli, verumetiam de bellandi peritia. *Plut. in Rom. apoph.*

Augustus Cæsar, illud semper cito factum posse dici aiebat, quod cum factum esset, bene haberet. Tarditatem enim, quæ tuta esset, celeritati anteponebat cui periculum esset coniunctum. *Fulgosus lib. 7. cap. 2.*

Iulianus, quum in frequenti turba quidam ipsum his verbis appellaret aduersus aduersarium suū; Thalassius inimicus pietatis tuæ nostra per vim eripuit. Agnosco, inquit, ab illo me fuisse læsum, proinde dic illi, vt mihi potiori inimico prius satisfaciat: mandatque præfecto, ne prius cognoscceretur illorum negotium, quam ipse cum Thalassio rediret in gratiam. Quod alter adduxerat ad maturandam vindictam, Cæsar torsit in cunctationem. *Eras. lib. 8. apoph.*

SIMILITVDO.

Leonis catuli informes nascuntur, vix ingrediuntur semestres non mouentur nisi bimestres: Ita quæ egregia futura sunt, sero proueniunt, & lentis ductibus absoluuntur. *Eras.*

EXEMPLA PROFANA.

Publ. vel Cn. Dolabella. Asiæ proconf. Smyrnæam matronam, quæ filium & maritum propter interemptum filium ex priore marito conceptum veneno sustulerat, ad Areopagitas reiecit. Illi accusatorem & ream post centum annos redire iusserunt. *Val. Max. lib. 8, c. 1.*

Ex duobus *Herculis* altaribus, quæ in maiore immolata sunt, ex his nihil accipiunt mulieres neque gustant: quod ad sacra venerit Carmenta tardius: sero etiam venit gens Pinariorum: & propterea summoti sunt à conuiuio epulantibus aliis. Vnde Pinarij ab esuriendo sunt dicti. *Plut. in q. Rom.*

Fridericus III. Imperat. tolerauit omnia, cunctator salutaris. Quoties apud illum fieret rerum comploratio, quod hæc & illa fierent: hæc & illa tolerentur, fertur respondisse: nec dum esse tempus illa emendandi. Nec tamen illo viuente hoc tempus impletum est: nescitur quando implendum. *Crantzius lib. 11. Saxoniæ cap. 33.*

Germanis hoc ex libertate vitium inesse scribit Tacitus, quod ad publicos conuentus non simul nec iussi conueniunt: sed & alter & tertius dies cunctatione coeuntium absumitur. Ergo patrium hoc est & hæreditarium malum: sed quod nostra ætate tantum creuit, vt velut in prouerbium abierit. *Theat. Zuing.*

Rhesum Thracum ducem, apud Euripidem obiurgat Hector: quod serius ad belli societatem venisset, nimirum decimo demum anno. *Theat. Zuing.*

Mortuo Alexandro secundo, Scotorum rege, cum Alexander filius successurus esset, magna inter Nobiles disceptatio orta est; aliis sydera, quæ plurimi nonnullis obseruare mos est, aduersa regi creando dicentibus: aliis nondum equitem auratum factum esse, ac propterea à regni gubernaculis prohiberi. At nisi contemptis huiusmodi superstitionibus Comes Fifensis Sconæ fatali lapidi admotum puerum, more maiorum inunctum coronasset, profecto dilatandis comitiis haud dubiè res in summum euasissent discrimen. *H. Boëthius lib. 13.*

Vide Tit. de Mora & Tarditate.

CVPIDITAS.

DEFINITIO ET ETYMOL.

Cupiditas, Græce ἐπιθυμία, ab ἐπιθυμέω, concupisco dicitur. Et est improba voluntas, *secundum Augustinum lib. 3. de libero arbitrio.*

Cupiditas est inordinatus amor pecuniæ, vel effrenatus habendi appetitus: quæ & cupido fœminino genere dici potest: nam cupido in Masculino genere, Deum amoris significat. Sunt, qui cupiditatem à cupidine ita distinguant, vt cupiditas lenior sit ac temperatior: cupido autem grauior.

Lucilius: Cupiditas ex homine, cupido nunquam tollitur. Hæc omnia ex cupio dicuntur, quod est opto, desidero.

Cupiditas vel libido est appetitus, ac citra rationem auiditas.

Alij sic: Cupiditas est opinio venturi boni quæ scitur ex vsu iam, præsens esse.

Vel, Cupiditas est effrænatus immoderatusque appetitus. Cupiditas, Auiditas, libido, desiderium, studium, amor. Hebr. *auuah*, à verbo *Auah*, auide concupiuit, desiderauit, vnde [illegible]. Cognationem habet cum *babah* voluit. Ab *Auah*, deducitur Latinum *Aueo* & *auidus*. Dicitur etiam *Kemed*, a verbo *kamadu*, concupiuit ardenter, cui affine est *Kamach*, incaluit. Cupiditas enim est motus atque vehemens feruor animi calor & ardor erga rem optatam.

Cupiditates immodicæ damnantur *1. Thess. 4. 4. 5. 1. Tim. 3. 3. & 2. Tim. 3. 2. Tit. 1. 7. & 1. Tim. 6. 10.*

DIVISIO.

Partes Cupiditatis 14.

Auaritia,	*Iracundia,*
Superbia,	*Immanitas,*
Odium,	*Discordia,*
Simultas,	*Indigentia,*
Pertinacia,	*Desiderium,*
Ira,	*Feritas,*
Cupido,	*Sæuitia,*

Superbia est cupiditas fastus & excellentiæ, atque incessu præ se insolentiam ferens, sociis & æqualis imparieas mam de se existimatione, ab aliorum se consuetudine seiungens.

Odium est ira inueterata. *Cic. lib. 4. q. Tusc.* vel, Odium est vetus ira ex crebris doloribus collecta, diuturno tempore perseuerans. *Aug. in libris diffinitionum.*

Simultas est occulta ac simulata vlciscendi cupiditas verbis aliud ostentans, & in animo aliud recondens. Vel est mendacium insignis factorum exteriorum. Græcis appellatur hoc vitium ὑπόκρισις.

Ira est repentinus ac subitarius impetus & ardens vlciscendi, alii sic: Ira est libido puniendi, eius qui læsisse videatur iniuria: Aristoteles autem, Ira, inquit, est vlciscendi appetitus, & rursus;

Ira est.

Ira est repentinus ac subitaneus impetus & auditus vlciscendi. alij sic: Ira est libido puniendi, eius qui læsisse videatur iniuria: Aristoteles autem, Ira, inquit, est vlciscendi appetitus, & rursus: Ira est feruor sanguinis: Aut sanguis circa cor incensus. Altera definitio materiam, altera speciem vel rationem spectat.

Cupido est libido circa res studiosas. Est namque actis affectatio ex irrationali cæcitate affectu vel appetitu, vt Veneris aut honesti imagi e decepta.

Iracundia est ira, quæ, quum nata est, desinere videtur, & placari: ac tanquam sub cinere ignis cæditas, quoad perfecerit: quamobrem cum incensa est non cessat. Aristoteles autem inquit,

Iracundia est vitium partis irascibilis, ob quam commotiones fiunt ob iram animi.

Tres species iracundiæ { *Bilis succensio.* *Acerbitas.* *Secordia.* }

Est plane iracundi, neque posse omnino ferre exigua conuitia neque summissiones: esse vero iracem & vltorem, in iram mobilem, vbi sermo & opera inciderunt. Auaritia est vehemens opinatio de pecunia, quasi valde expetenda, inhærens & penitus insita.

PATRVM SENTENTIAE.

Quod agit indomita cupiditas ad corrumpendum animum & corpus suum, flagellum vocatur: quod autem agit, vt alteri noceat, facinus dicitur: & hæc duo sunt genera omnium peccatorum. *Aug. de doct. Christ.*

Superbia & cupiditas in tantum vnum malum sunt, vt nec superbia cupiditate, nec sine superbia cupiditas possit inueniri. *Ad quandam Comitem.*

Non est in carendo difficultas, nisi quum fuerit in habendo cupiditas. *Lib. confess.*

Tanto magis inhæret Deo quilibet quanto minus diligit proprium. *In quadam epist.*

Cupiditas dicit, valde sine culpa es, qui quidem habenda concupiscis, quia non multiplicari appetis, sed egere pertimescis, & quod malus alius retineret, ipse melius impendis. *Lib. de conflictu vitiorum.*

Sicut, qui per insaniam mente translati sunt, non iam res ipsas, sed passionis suæ phantasias vident, ita etiam mens auari semel vinculis cupiditatis adstricta, semper aurum, semper argentum credit videre, semper reditus computat. Aurum gratius quam solem intuetur, ipsa eius oratio & supplicatio ad dominum, aurum quærit. *Amb in Ioan.*

Cupiditas ait: Quid iniustum est, si cum aliena non inuadam, propria diligentia seruo? O impudens dictum propria dicit, quæ ex rebus reconditis in hunc mundum detulisti quando in hanc ingressus es lucem? Quando de ventre matris exiisti, quibus quæso facultatibus, quibusque subsidiis stipatus intrasti? *Ibidem.*

Qui moderari nescit cupiditatibus, is quasi equis raptus indomitis voluitur, laniatur, affligitur. *Lib. de virginitate.*

Quum augere opes, aggregare pecuniam, occupare terras possessionibus cupimus, præstare diuitiis, iustitiæ formam exuimus, beneficentiam communem amittimus. *lib. de Offic.*

Bonorum authori aliter inhærere non valemus, nisi cupiditatem à nobis, quæ omnium malorum radix est, abscindamus. *Greg. in hom.*

Cui cupiditas dominari dicitur, subiectis malis omnibus demonstratur. *lib. 15. moral.*

In pœna modum impatientiæ, in paupertate cupiditatis scrupulum, in obedientia nodum caueas propriæ voluntatis. *Bernh. in quadam serm.*

Nihil in hac vita laboriosius, quam desideriis terrenis æstuare, & nihil hic quietius, quam huius seculi nihil appetere. *Bernh. in ser.*

Qui semel Christi seruus effectus est, non erit mammonæ famulus, cuius certe è regione sit dominus. Illa enim vt fugientem sequitur, ita fugere consueuit sequentem: nullum hic honorat vt contemptorem suum, nec ita irridet aliquem, vt eos qui eam nimium concupiscunt. *Chrys hom. 9. in Matth.*

Appositio diuitiarum maiorem accendit flammam, si vehementior sit cupido. *Iidem.*

Virum Catholicum, & præcipue Domini sacerdotem, sicut nullo implicari errore, ita nulla oportet cupiditate violari. Mens enim pecuniæ auida, nec abstinere non à vetitis, nec gaudere concessis, i.e. pieratis adhibere consensum. *Leo Papa in serm.*

An non tibi videtur à terra deuorari ille, qui semper de terra cogitat, qui semper terrenos habet actus, qui de terra loquitur, qui de terra litigat, terram desiderat, & omnem spem suam ponit in terra, qui ad cœlum non respicit, qui futura non cogitat, qui iudicium Dei nō metuit, nec beata eius promissa desiderat, sed semper de præsentibus cogitat, & ad æterna nō suspirat? Talē quum videris, dicito, quia deuorauit eum terra. *Orig. in hom. 19. in Leuit.*

Quid faciam? destruam horrea mea, &c. Quis non talem miseratur? quis non infœlicitatem eius doleat? Angustatur ex abundantia, constringitur & tristatur ex opulentia, infelix in præsentibus bonis, infelicior in futuris. Et ideo ager eius reditus largiores, quam gemitus attulit grauiores. *Basil. in hom.*

Omnium malorum radix est cupiditas, transgressionis mater, magistra nocendi, principalaria iniquitatis, auriga malitiæ, sicaria virtutum, seditionis origo, fouea scandalorum. *Pet Rau. in serm.*

POETICÆ SENTENTIÆ.

Iacob. Bill. Anthol. Sacr.

Nulla anima est, quæ non mortali carne grauetur,
Nec de corporea conditione gemat?
Sed confirmare inualidam, & frenare rebellem,
Legitimum & proprium est muneris opus Domini.
Quæ vis natura vt moderamine temperet æquo,
Et subdat sceptris noxia quæque suis.
A Domino auxilium & vires petat vt valeat se
Vincere, nec sensus vincere ipsa suos.
Nam nullus famula poterit compescere motus,
Ni fuerit Christi semper amore potens.

Idem.

Fœneribus quidam tot sese obstrinxerat olim,
Nulla quies vt ei nocte dieque foret.
Creditor instabat namque annis & alter in horas,
Nec, quo se plane verteret ipse, erat.
Credita persoluit tamen hic cum fœnore tandem,
Omnia, sic misero parta labore quies.
Parta quidem, haud obtenta tamen, nam creditor vnus
Vsque licet capiens, atque molestus erat.

Idem.

Serpens est Satanas, serpit repetatque per orbem,
Resque per abiectas pallera carnea fovet.
Iam vium si mente ferat, nihil ille valebit,
Nam etenim pinnas, non habet ille pedes;
At sub delitiis tegitur, tegitque sub auro;
Et sub mendaci rursus honore latet.
Cum luxu spernamus opes, spernamus honores
Nec, quanos stygius mordeat anguis, erit.

Claud. 4. Hon.

At sibi cuncta potens, nil collatura cupido,
In iecur, & tractus imos compulsa recessit.
Quæ velut immanes referat dum bellua rictus
Expleri, pacisque nequit, nunc verbere curas
Torquet auaritia, stimulis nunc flagrat amorum:
Nunc gaudet, nunc mœsta dolet, satiataque rursus
Exoritur, cæsaque redit pollentius hydra.

Virg. 3. Aeneid.

Quid non mortalia pectora cogis.
Auri sacra fames?

Ouid. 13. Met.

Consilium sapiens, sceleris nisi præmia, magnas
Adiecisses opes, animi irritamen auari.

Horat. 3. Carm. 16.

Concidit auguris
Argiui domus, ob lucrum
Demersa excidit, diffidit vrbium
Portas vir Macedo, & subruit æmulos,
Reges muneribus. munera nauium
Sæuos illaqueant duces.

Iuuenal. 14.

Inde fere scelerum causæ, nec plura venena,
Miscuit, aut ferro grassatur sæpius vllum
Humanæ mentis vitium, quam sæua cupido
Indomiti census: nam diues qui fieri vult,
Et cito vult fieri, sed quæ reuerentia legum,
Quis metus aut pudor est vnquam properantis auari?

Sen. Hip.

Rupere fœdus impius lucri furor,
Et ira præceps.

Plaut. Capt.

Odi ego aurum, multa multis sæpe suasit perperam.

Lucret. 3.

Denique auarities, & honorum cæca cupido.
Quæ miseros homines cogunt transcendere fines
Iuris & interdum socios, scelerumque ministros
Noctes atque dies niti præstante labore
Ad summas emergere opes.

Idem. 5.

Nunc aurum & purpura curis.
Exercent hominum vitam, belloque fatigant;

Silius 13.

Prodigere in bellum faciles præmissa feroces.
Augebant animos argenti pondere, & auri.

Virg.

Virg. Aetna.

Seruit amor rimas. euertimus omne profundum.
Quaeritur argenti semen, nunc aurea vena.

Boet. 2. 5.

Sed saeuior ignis Aetnae
Feruens amor ardet habendi.

Ouid. 1. Fast.

Vix ego Saturno quenquam regnante videbam,
Cuius non animo dulcia lucra forent.
Tempore creuit amor, qui nunc est summus, habendi:
Vix vltra quo iam progrediatur, habet.
Pluris opes nunc sunt, quam prisci temporis annis,
Dum populus pauper, dum noua Roma fuit.
At postquam fortuna loci caput extulit huius,
Et tetigit summos vertice Roma Deos.
Creuerunt & opes, & opum furiosa libido,
Et cum possideant plurima, plura petunt.
Quaerere vt absumant, absumpta requirere certant,
Atque ipsa vitijs sunt alimenta vices.
Sic quibus intumuit suffusa venter ab vnda,
Quo plus sunt potae, plus sitiuntur aquae.

Idem 2. Amor. 9.

Venator sequitur fugientia, capta relinquit,
Semper & inuentis vlteriora petit.

Iuuenalis 14.

Interea pleno cum turget sacculus ore,
Crescit amor nummi quantum ipsa pecunia crescit,
Et minus hanc optat, qui non habet: ergo paratur
Altera villa tibi, cum rus non sufficit vnum,
Et proferre libet fines, maiorque videtur,
Et melior vicina seges, mercaris & hanc &
Arbusta, & densa montem qui canet oliua.

Martial. 12.

Habet Africanus millies, & tamen captat.
Fortuna multis nimis dat, satis nulli.

Ouid. 11. Met. Midę votum.

Huic Deus optandi gratum, sed inutile fecit
Muneris arbitrium, gaudens altore recepto.
Ille male vsurus donis, ait, effice, quicquid
Corpore contigero, fuluum vertatur in aurum.
Annuit optatis, nocituraque munera soluit
Liber, & indoluit, quod non meliora petisset;
Laetus abit, gaudetque malo Berecyntius heros.
Pollicitique fidem tangendo singula tentat.
Tum vero sibi ille sua Cerealia dextra
Munera contigerat, Cerealia dona rigebant.
Siue dapes auido conuellere dente parabat;
Lamina fulua dapes admoto dente tegebant.
Miscuerat puris auctorem muneris vndis,
Fusila per rictus aurum fluitare videres.
Attonitus nouitate mali, diuesque, miserque
Effugere optat opes, & quae modo vouerat, odit.
Copia nulla famem releuat: sitis arida guttur
Vrit, & inuiso meritus torquetur ab auro.

Lucret. 4.

Nam faciunt homines plerumque cupidine caeci,
Et tribuunt ea quae non sunt his commoda vere.

Mapheus Virg. Supp.

— Quantos humana negotia motus,
Alternasque vices miscent? quo turbine ferunt.
Vita hominum? o fragiles damnosa superbia sceptri.
O furor, o nimium dominandi innata cupido,
Mortales quo caeca vehis? quo gloria tantis
Inflatos transfert animos quaesita periclis?
Quot secum insidias, quot mortes, quanta malorum
Magnorum tormenta gerit? quot tela, quot enses
Ante oculos, si cernis, habet? heu dulce venenum,
Et mundi lethalis honos! heu tristia regni
Munera! quae haud parno constant: & grandia rerum
Pondera, quae nunquam placidam promittere pacem
Nec requiem consuere queant, heu sordis acerba
Et misera regale decus: magnoque timori
Suppositos regum casus pariquemergatos.

Iuuenal. 10.

Vnus Pellaeo iuueni non sufficit orbis,
Aestuat infelix angusto limite mundi,
Vt Gyarae clausus scopulis, paruaque Seripho,
Cum tamen a figulis munitam intrauerit vrbem,
Sarcophago contentus erit.

Boeth. 1. 4.

At quisquis trepidus pauet, vel optat,
Quod non sit stabilis suique iuris,
Abiecit clypeum, locoque motus
Nectit, qua valeat trahi, catenam.

Iuuenalis 3.

Tanti tibi non sit opaci
Omnis arena Tagi, quodque in mare voluitur aurum,
Vt somno careas, ponendaque praemia sumas
Tristis, & a magno semper timearis amico.

Comici Graeci.

Ἰσότητα δ᾽ αἰεῦ, πλεονεξίαν φυγεῖν.

Aequalis esse aliis pete, nec habere plus.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Est cupiditas concupiscentiave, appetitio iucundarum rerum, & afferentium voluptatem. *Aristoteles lib. 1. Rhet. cap. 11.*

Cupiditatum aliae communes sunt: aliae propriae & ascititiae. *lib. 3. Ethic. cap. 11.*

Cupiditas potest omnes animi partes commouere. *lib. 7. Ethicor. capit. 3.*

Rectae rationi opimo contraria non est, sed cupiditas. *ibid.*

Cupiditates ac voluptates aliae sunt in honestis & bonis: ex ijs enim quae mouent & delectant, quaedam vi sua & natura expetenda sunt, alia his contraria nonnulla media. *lib. 7. Ethic. c. 4.*

In sordidis cupiditatibus, non quia earum studio, cupiditate & amore teneantur homines, vituperantur: sed quia modum in eis finemque transeant. *ibid.*

Cupiditas, si ratio vel sensus modo moneat, hoc vel illud esse suaue, inflammata rapitur ad perfruendas voluptates. *lib. 7. Ethic. c. 6.*

Aliae cupiditates sunt humanae & naturales, & genere, & magnitudine: aliae belluarum propriae: quaedam ex olaeso principio, morbisque gignuntur: quarum in primis duntaxat sunt temperantia, & intemperantia. *ibid.*

Naturalis cupiditas est, quae ad rem Veneream pertinet. *lib. 1. Rhet. c. 11.*

Actus in cupiditatibus, est deficientia non sine molestia habitus, atque naturae. *lib. 7. Ethic. c. 12.*

Est cum dolore omnis coniuncta cupiditas. *Ethic. lib. 3. cap. 11.*

Cupiditas rei absentis est, & cuius egent, id summopere cupiunt. *lib. 2. Rhetor. ad Theod. c. 13.*

Consilio contraria cupiditas est: cupiditas cupiditati non est. *Ethic. lib. 3. c. 2.*

Cuius cupiditas inest, omne iucundum. Nam cupiditas iucundi appetitio est. Cupiditatum autem aliae sine ratione sunt, aliae cum ratione. *lib. 1. Rhet. ad Theod. c. 11.*

Quae cupiditate fiunt, ex prauitate sunt. *lib. 1. Ethic. ad Theod. c. 13.*

Cuius rei quisque cupidus est, ea delectatur. *lib. 1. Ethicor. capit. 6.*

Cupiditas insidiatrix est, vt aiunt. Venerem enim Cyprigenam insidias nectere ait Homerus, Baltheumque tribuit ei, in quo doli essent. *lib. 7. Ethic. c. 6.*

Vt puer ex paedagogi praescriptione: sic vis concupiscendi conuenienter rationi debet viuere. *Ethic. lib. 3. c. 12.*

Homines plus incertae cupiditati, quam certae prouidentiae tribuere solent, & ad id quod placet, & quod appetunt, inconsiderata spe animi incitare, quod verò displicet praetextu aliquo specioso quaesito repudiare. *Thucyd. lib. 4.*

Quanto minus rerum, tanto minus est cupiditatis. *Liuius, dec. 1 lib. 1.*

Cupiditas & amor maximae, ad muliebre ingenium, efficaces preces sunt. *idem, ibid.*

Cupiditas sine ratione, res est leuis, & quae confestim in alteram partem inclinat. *Dion. Halic. lib. 2.*

Potiri malis cupiditatibus non eximit eas ex animo, sed auget & reddit peiores. *idem, lib. 10.*

Exstimulant saepe viros, multò verò saepius foeminas cupiditatum acriores aculei. *Pausan. lib. 8.*

Ex maleuolentia aliquem dedita opera omnibus in rebus insectari, suamque potestatem & vires tanquam legibus ipsis superiores iactitare, indignum hercle ac non iustum. *Ex orat. contra Midiam Demosth.*

Ob priuatam vtilitatem vnumquemque reperietis ad multa perpetranda impulsum, quorum nihil volebat facere. *Ex Orat. de Pace.*

Ijs, qui de industria contumeliosi sunt, leges acerbas esse cernere licet. *Ex Orat. contra Midiam.*

Iniuriam infert aliquis sua voluntate? Ira & supplicium contra ipsum: peccauit quispiam inconsulto? venia pro pena huic datur. *Ex Orat. de Corona.*

Quaecunque quis vi adhibita facit, communes esse iniurias, etiam ijs ad quos negotium nihil attineret, existimauit legislator. *Ex Orat. contra Midiam.*

Leges sunt de caedibus latae: quae eos qui consulto interfecissent, morte, perpetuo exilio, omnium denique bonorum publicatione mulctant: eos autem qui inconsulto, venia, & magna humanitate dignos iudicant. *contra Midiam.*

Nullos eorum qui beati sunt & felices, terminum aut finem habet cupiditatis habendi. *Ex orat. contra Aristot.*

Non est apud istos, quorum studia, cogitationes denique omnes ad

rum odi-

immodicam habendi cupiditatem referuntur, quicquam vel firmi vel sancti. *Ex orat. contr. Aristocr.*

Nihil est profecto molestius quam vicinum auarum, atque iniustum habere. *Ex orat. contra Callic. de fundo.*

Quum ex immodica habendi cupiditate & improbitate quis potẽs euaserit, prima quæque occasio, leuissimaque offensio omnia dissipauit atque dissoluit, *Olynth. 2.*

Fieri nequit iniuriis, periurijs & mendaciis, vt firmum imperium comparetur: sed talis semel breuiq. tempore durant, & vehementer quidem spe, si vsu venit, nituntur, temporis autem progressu deprehenduntur, & in ipsis concidit. *Olynth. 2.*

Qui propter immodicas cupiditates habendi acquirendique aggrediuntur ea, quæ minime decet, ij non quæ difficilia sunt cogitare solent, sed rerum secundarum felicem successum. *Ex orat. contra Aristoc.*

Si quis priuatim vlla in re aliquem offenderit, illud recordari & memoria tenere, neque quietem agere iniustum est atque perfidiosum. *Ex orat. de Corona.*

Si quis vos interroget, quodnam genus omnium hominum qui in ciuitate sunt improbissimum sit? neque sunt agricolæ, neque mercatores, neque argentarii, neque eiusmodi quicquam, sed qui quæstus gratia dicunt, rogationemque proferre consueuerunt, *Ex orat. contra Aristocr.*

Non cum rerum vestrarum quicquam interire permisistis, tum grauiter ferre oportet, sed dum res quidem vestræ in tuto sunt, eos autem qui præsunt, propter auaritiam non eam suscipere curam perspicitis quam decebat. *Ex orat. de corona perfect.*

Ex eo, quorum cuique satis est metiuntur homines diuitiarum modum, filiam quis habet, pecunia est opus: duas, maiore: plurimas maiore: etiam si (vt aiunt) Donato quinquaginta sint filiæ, tot dotes magnam quærunt pecuniam. Quantum enim cuique opus est, ad id accommodatur, vt ante dixi, diuitiarum modus, Quid de eo, qui filias non plures, sed innumerabiles cupiditates habet, quæ breui tempore magnas copias exhaurire possint? *Sen. in epist.*

Qualem dicimus seriem causarum esse, ex quibus nectitur fatum, talem dicimus cupiditatem: altera ex fine alterius nascitur, in eam demissus es vitam, quæ nunquam tibi terminum miseriarũ, ac seruitutis ipsa factura sit, plurima & vndique ingesta non satiante. Vtrum istorum mauis, in inopia saturitatem, an in copia famem? *Sen. 19. epist.*

Quam diu tibi satis nil fuerit, ipse aliis non eris. Quomodo, inquis, exibo? vtrumque cogita, quam multa temere pro pecunia, quam multa laboriose pro honore tentaueris! quantum ad successum accesseris, tanto accedet & metus. *Idem in Epist.*

Vidisti aliquando canem missa frustra panis aperto ore captantem: quicquid accepit, protinus integrum deuorat. & semper ad spẽ futuri hiat. Idem euenit nobis, quicquid expectantibus fortuna proiecit, id sine vlla voluptate demittimus statim ad rapinam alterius erecti & attoniti in Epicureum illud chaos incidimus, inane sine termino est, *Idem 13. epist.*

Nullum habet maius malum cupiditas quam quod ingrata est nemo quos vincit, sed à quibus vincatur, aspicit: & illi non tam iocundum est multos videre post se, quam graue aliquem ante se, habet hoc vitium omnis ambitio, nec inspicit, nec ambitio tantum instabilis est, verum cupiditas omnis incipit à fine. *Epist. 27.*

Cupiditas felicitatem suam non intelligit, quia non vnde venerit respicit, sed quo tendat. *ibid.*

Nunquam parum est, quod satis est, & nunquam multum, quod satis non est. Neminem pecunia diuitem fecit, imo contra nulli non maiorem sui cupidinem ingessit. *In epist.*

Fortissima pestis est cupiditas, quæ solet egenos facere, quos capit dum finem quærendi non inuenit; nam altera cupiditas ex alterius fine nascitur: & ideo fortior est, qui cupiditatem vincit, quam qui hostem subiicit. *ibid.*

Alienum nobis, nostrum plus aliis placet: effugere cupiditatem, gloria multa, regnum est vincere. *in Prouerb.*

Cupiditati tarda est etiam celeritas. Valerius auidissimum quemque egentissimum esse dicebat. *ibidem.*

Cupiditates honoris, imperii, potentiæ, gloriæ in maximis animis splendidissimisque ingeniis existunt. *Cic. 1. Offic.*

Cupiditates non foris solum se iactant, nec tantum in alios cæco impetu incurrunt, sed intus etiam in animis inclusæ inter se dissident, atque discordant. *De fin. lib. 1.*

Cupiditates sunt insatiabiles, quæ non modo singulos homines, sed vniuersas familias euertunt, totam etiam labefactant sæpe Rempublicam. *ibid.*

Ex cupiditatibus, odia, dissidia, discordiæ, seditiones, bella nascuntur. *ibid.*

Apophthegmata.

Simonides interrogatus, cur in extrema senectute auarus esset, Quoniam, respondit, malim defunctus opes inimicis relinquere, quã viuus amicis egere. His ille verbis plurimorum amicitiæ inconstantiam damnauit.

Diogenes, magna & multa simul accipientes, insigniter mendicos appellabat.

Isocrates. Timonem illum agnomine misanthropos, idest, hominum osor, elementa malorum esse dixit, insatiabilitatem & ambitionem.

Similitudines.

Chrysostomi: in medio laqueorum ambulas, qua de causa tot laquei: ne deorsum volemus, sed superiora quæramus. Etenim volatilia, donec ad superiora respexeris, nec laqueo, nec vllis alus facile capies insidiis. Venator est Diabolus: fias igitur illius calamita sublimior. In altum ascendens, non amplius vllam rerum humanarum admirabitur: sed sicut postquam in montium verticẽ adscenderimus, parua nobis & vrbes & mœnia esse videntur, & formicarum more nobis viri super terram ire videntur. Sic postquã supra celsam prophetæ cogitationem adscenderis, nihil te terrenorum percellere poterit, sed parua videbuntur omnia, & diuitiæ, gloria, potentia, honor, & si quid aliud huiusmodi. Illud continuo ratiocinemur. Sicut auiculæ laqueo captæ vtilitas nulla, sed frustra & incassum alas concutit: Ita tibi nulla rationum vtilitas, si ab improba penitus cupiditate captus sis, sed quantũcunque resiliens, captus es. Ideo alæ sunt auiculis, vt fugiãt laqueos: propterea ratiocinationes hominibus, vt peccata fugiant. Quam igitur veniam habebimus? quam vero defensionẽ, cum brutis simus dementiores? Auicula namq; semel capta, laqueo mox elapsa, & ceruus in rete decidẽs, & effugiens, inde iterum difficile capientur. nam cuique sit experientia cautelæ magistra. Nos sæpius eisdem capti in eadem cadimus *Homil. 15. de posterioribus.*

Quemadmodum ager diu non proscissus syluescit, ac passim innumeras vepres producit. Ignis ergo Spiritus Sancti immittendus est, quo impiis cupiditatibus concrematis noualia excolamus, quæ spiritualia semina possunt suscipere. Si in adolescentia diligens fulgeat moderatio, mirum est dignum: qui modestus in senectute, non multum admirandum: sed in iuuentute mirandum, vt in fluctibus & procellis tranquillitate fruaris, & in media fornace non ardeas. *Homil. 50. in Matth.*

Sicut enim, qui recto itinere gradiens, si in aliud aliquid intendat animam, pergit quidem, sed sæpe, dum nescit, vrbem illam pertransit, ad quam properabat, pedesque frustra sui ministerium præbent: ita ferme & in cupiditate contingit. *In 1. ad Timoth. hom. 12.*

Sicut Sol est quidem clarus, & in medio cunctis præpositus, & non opus habemus eum quærere; si vero nosmet ipsos in inferioribus obumbramus, si nos vbique circumuersemus: multo labore opus habemus, vt Solem videre possimus: sic & in hac causa multa sunt intellectum nostrum impedientia. Si in profundo cupiditatum malarum, si in tenebris passionum, & secularibus rebus obruamus nosmetipsos, vix poterimus oculos aperire, vix respicere, vix intuemur, quod in inferioribus obtutus fuerit. Quanto ad superiora quisque intenderit, tanto appropinquat ad Solem. Excutiamus igitur puluerem, dirumpamus superiacentem, & imprimentem nos nebulam: densa quidem est, & arcta, & non nos permittit inspicere. *Homil. 22. ad Hebræos.*

Nazianzeni: Cernitis, quod fontes, plumbeis inclusi fistulis, quum valde ob angustiam vrgentur, & in vnum feruntur, adeo, plerumque aquæ vim exsuperant naturalem, vt etiam ad superna prorumpant, quum assiduo à sequentibus propelluntur; Ita etiã si cupiditatem extinxeris, & tota adeo adglutinata eris, in altum eleuaberis, vnde non decides, vnde non separaberis, tota Christi permanseris donec sponsum tuum vides Christum; inaccessibilẽ te seruato, tã sermone quam opere: vita, cogitatione, & motu: vndique te malignus tentare satagit, omnia speculatur, vbi iaculetur, vbi vulneret, ne quid nudum & plagæ inueniat obnoxiũ; quanto puriorem videt, tanto magis inquinare contendit. Siquidem splendidæ vestis sordes sunt manifestiores. Ne oculos oculum trahat, ne risus risum, ne consuetudo noctem, ne nox perditionem, quo enim particulatim subtrahitur, & furto surripitur, insensibile ad præsens damnum habet. sed ad summam malitiæ oram. *In oratione in dictum Euangel.*

Antonij Monachi Vt feræ facile superantur, si demulceas, frenumque inicias: Sic cupiditatea, si rectam rationem adhibeas, *In Meliss. par. 2 serm. 76.*

D. *Ambrosij*: Peccatum est febris, eo quod ignitæ sint cupiditates, quod ignem in ossibus animæ & corporis implicant, mentem animumque pertentant. Vehementior est animi, quam corporis febris: & ideo pro animi voluntate corporis salus pleromque contemnitur, nec à periculis abstinetur, Vnde non alienum videtur repetere, quemadmodum Theotimus, quum graui oculorum incommodo laboraret, & amaret vxorem, interdicta sibi à medico facultate coeundi, cupiditatis impatiens, atque impetu libidinis raptus, se moderari nequiuerit. Sciens enim prudensq; quod esset oculos amissurus, prinsquam conueniret vxori, in ipso æstu

feruen-

feruentis cupiditatis, & consuetudinis apparatu: Vale, inquit, amicum lumen. Sic fere libido flagrantior est, grauiusque præcipitat & inflammat. Sed vbi quis resipuerit á furore, tunc conscientiæ interioris vilus aperitur, factique succedit pœnitentia, & pudenda sui vnusquisque facinoris erubescit. Etenim quasi clauis quibusdam suffigitur anima corporeis voluptatibus: & quum semel adhæserit cupiditatibus mersa terrenis, difficile in altum potest, vnde descendit, sine Dei fauore, reuolare. Actum enim suorum vincta laqueis, & deliciarum secularium illecebris obnoxia iam tenetur. *Lib.4.c.47.in Lucam.*

Historica Exempla.

Cleombrotus Ambraciota, lecto platonis Phædone de immortalitate animæ, vt ex hac vita, quæ est velut mors quædam, ad immortalitatem migraret, é muro se in mare dedit præcipitem. *Cic. in 1. Tusc.* In eum extat Epigramma Callimachi Græcum.

Nicaula Aethiopum regina ex intimis regni finibus ad spectandam audiendamque Salomonis sapientiam Hierosolymam venit, *Theat. Zuing. fol 74.*

Ferunt, *C. Iulium Cæsarem* Britanniā petisse spe margaritarum, quarum amplitudinem conferentem, interdum sua manu exegisse pondus. Gemmas, toreumata, signa, tabulas operis antiqui semper animosissime comparasse: seruitia recentiora politioraque immenso pretio, & cuius ipsum etiam puderet, sic vt rationibus vetarat inferri. *Sueton.*

Colossis impendio delectabantur olim Imp. Romani, quibus vt videtur, magis erat cordi maximos esse, quā optimos. *Eras. in Adagijs.*

Solon in Elegijs suam ab amicis mortem defleri cupit his verbis.

> Μηδέ μοι ἄκλαυτος θάνατος μόλοι, ἀλλὰ φίλοισι
> Ποιήσαιμι θανὼν ἄλγεα καὶ στοναχάς.
> *Ne mihi lugubris veniat mors, sed mihi charis*
> *Mœrorum potius adferat & gemitus.*

Leo philosophus imperator pacis ita fuit studiosus, vt optaret ea dari tēpora, quibus stipendia militū cōferret philosophis. *Suidas.*

Semiramis constructo sibi monumento, insculpsit: Quicunque rex pecunia indiguerit, aperto sepulchro, quantum opus est, capiat. Darius autem cum aperuisset, pecunias quidem non inuenit, sed in huiusmodi scripta incidit: Nisi vir malus esses, & pecuniarum inexplebili desiderio flagrares, haud sane mortuorum loculos commouisses.

Brennus Gallorum rex vastans Asiam in Ephesum peruenit: ad quem plebeia quædam virgo nomine Demonice, proditurā se ipsi Ephesum promisit, si torques & monilia pro mercede darentur. Ad hanc Brennus subditos duxit, & quicquid haberent auri, in gremiū auaræ cōijcerent, imperauit. Qui cū imperiū exequerentur, Demonice præ auri in se coniecti multitudine viuēs est obruta.

Apolog. Sev Fabvlæ.

Adolescens & equus.

Conscenderat adolescens equum furibundum: illoque, qua via, quaque nulla via esset, adferente miserum, non enim vires adolescentis ad cohibendum impetum equi satis, neque in hoc desistē di potestas erat. Plorare igitur ille & lamentari. Tu forte obuiā huic notus & familiaris factus. Quonam abis inquit? Cui respondit infelix eques: Quo quidem isti, equum demonstrans, libuerit. Similiter vehuntur ij, in cupiditates qui suas sese imposuere.

Columba.

Sui Senecta columba cum vidisset in tabula pictum cratera, ratæ aquam inesse, concitatoque impetu ad illum lata, inflictam alam in asserea fregit, itaque delapsa in terram à pueris capta fuit.

Fabula monet, vt caueamus, ne imprudenter aggrediamur vllas res obsequentes cupiditatibus nostris, quod hæ multos in maxima damna impulerint.

De Ioue & Plebeio.

Plebeius in humilitate quidē, & tenuitate sua admirans atque concupiscens splendorē ac copiam diuitum atque locupletum, assiduis precibus Iouem flagitabat, sibi honores atque opes largiretur. Iupiter volens se molesto interpellatore tandem liberare, Mercurium cum honoribus & opibus ad eum mittit, implicatis quidem vtrisque atque contectis, illis purpura, his auro. Iusserat tamen & aperiendi inspiciendique diligenter potestatē fieri plebeio, & admoneri quoque eum, ne tam solicite exoptata munera quæ iam offerrentur, temere, neue inconsiderata apprehēsione aliquid mali arriperet. At plebeius ille captus specie ac claritate donorum cupide ambo amplectitur atque aufert. Vbi vero contemplari otiose cœpit, inque illis reperit curas, anxietates, formidines, podagras, omnia denique animi & corporis mala: quū neque, quo pacto his frueretur, reperiret, neque carere vt vellet, a sua stultitia impetrare posset, ita in illis quasi in pice musculos solere aiunt, tum adhæsit.

Fabula cohortatur homines ad considerationem, & deterret ab imprudentia, cupiditates coercet, neque temere quæ niteant, & speciem habeant præclaram, arripienda esse monet.

Mulier & Gallina.

Mulier vidua gallinam habebat, quæ singulis diebus ouum vnum pariebat, quæ si curaret diligentius & saginaret gallinam, sperandū esse existimabat, vt bina aut terna illa quotidie oua pareret. Cum autem cibo superfluo opima gallina & pinguis facta esset, plane tum parere oua desijt.

Ostendit fabula, cupiditatem & auaritiam sæpe detrimentosam esse. Et scripsit Demosthenes hæc quoque præclare: Rebus secundis non esse modum, neque finem cupiditatum. itaque multos sæpe auidos fortunæ melioris præsentia bona amittere. Et secundum Aristot. ἄπληστος ἡ πονηρία τῶν ἀνθρώπων, idest, insatiabiles sunt cupiditates improborum.

CVRA.

Definitio et Etymol.

CVra, Græce φροντίς, ίδος, ἡ, & φροντίζω, curo dicitur. Est autem cura mentis. curatio autem medicinæ, curatura vero diligentiæ. Terentius: *Reddunt curatura iunceas*; hæc tamē sæpissime confunduntur. Differunt item cura & solicitudo: quod cura proprie est in spe bonorum, solicitudo autem in metu malorum. A cura veniunt curiositas & curiosus, de quibus infra. Cura, solicitudo, anxietas: sic dicta, vt quidam volunt, quòd cor edat & excruciet, Heb. *Kardhah*, fortasse à verbo *Karadh*, trepidauit. Cura enim non est sine metu & trepidatione.

Sententiae Poeticae.

Persius 1.

O curas hominum, o quantum est in rebus inane!

Ouid. 1. Pont. 4.

Cura quoque interdum nulla medicabilis arte:
Aut si sit longa est attenuanda mora.

Stat. 3. Theb.

Inuigilant animo, scelerisque parati
Supplicium exercent curæ.

Sen. Med.

Nulla vis flammæ, tumidique venti
Tanta, nec teli metuenda torti,
Quanta cum coniux viduata tedis
Ardet, & odit.

Horat. 2. Carm. 15.

Non enim gazæ, neque consularis
Submouet lictor miseros tumultus
Mentis, & curas laqueata circum
Tecta volantes.

Idem 31.

Timor & minæ
Scandunt eodem quo dominus: neque
Decedit ærata triremi, &
Post equitem sedet atra cura.

Idem 3. Carm. 6.

Crescentem sequitur cura pecuniam.
Maiorumque fames.

Tibull. 3. 3.

Nam graue quid prodest pondus mihi diuitis auri,
Aruaque si findant pinguia mille boues?
Quidue domus prodest Phrygijs innixa columnis,
Tænare siue tuis, siue Caryste tuis?
Et nemora in domibus sacros imitantia lucos,
Auratæque trabes marmoreumque solum?
Quidue in Erythræo legitur quæ littore concha,
Tinctaque Sidonio murice lana iuuat?
Et quæ præterea populus miratur in illis,
Inuida quæ falso plurima vulgus amat.
Non opibus mentes hominis curæque leuantur.
Nam fortuna sua tempora lege regit.

Claud. 2. Ruf.

At procul exsanguis Rufinum perculit horror:
Infecta pallore gena: stetit ore gelato,
Incertus peteretne fugam, veniamne subactus
Posceret, an tantos sese transferret in hostes.
Quid nunc diuitiæ? quid fului vasta metalli
Congeries? quid purpureis effulta columnis
Atria prelatiue iuuant ad sidera moles?
Addit iter, numeratque dies spatioque viarum
Metitur vitam, torquetur peste futura:
Nec recipit somnos, & sæpe cubilibus amens
Excutitur, pœnamque luit formidine pœna.

Ouid. lib. 3. M. r.

Attenuant vigiles corpus miserabile curæ.

Idem 1. de rem. Amor.

Me duce damnosas homines compescite curas.

Iac. Bill. Anthol. Sacr.

Sæpe quidem Dominus sic cuncta à inersa repellit.

Vt

Vt nullo attingi vulnere posset homo:
Sed mirabilior tunc est manus Omnipotentis,
Inter afflictum cum mala non superant.
Labitur custos virginem dans tolerantis,
Forma corrumpat ne furor eximitur.
Nam cum certandi nulla est spirandi corona,
Palmam qua capitur gloria finis habet.

SENTENTIÆ *philosophicæ & historicæ.*

Cui pecuniæ curæ sunt, nec sua, sed quæ procul à suis sunt, curat. *Stobæus, Serm. 20.*

Magnæ curæ magna merces est. *Salust. in fragm.*

Cura, scribentis animum, & si non flectere a vero, solicitum tamen afficere potest. *Liuius, Decad. 1. lib. 3.*

Anxium de instantibus curis agitant etiam per somnum species imminentium rerum; siue diuinatio præsagientis animi accersit. *Curtius, lib. 5.*

SIMILITVDINES.

D. Basilij; Quemadmodum apes corpulentæ, licet pennas habeant, quibus alte volare possint, deorsum tamen corporis onere trahuntur: sic homo, qui vitæ huius curis occupatus est, licet sua pro industria multum possit, in plerisque tamen rerum mole deprimitur. *Apud Max.*

Vt in speculo non repurgato videri non possunt imaginum species: sic animus curis victus affixus Sp. sancti illustrationem recipere potest. *Apud Ant. in Meliss. par. 2. serm. 77.*

In vite quicquid per amputationem adimitur materiæ, id fructibus additur: Ita qui reciderit curas superuacaneas rerum sordidarũ, plus valebit in rebus seriis & grauibus: aut quo minus est verborum, hoc grauioria sententiæ. P. M.

ADAGIA.

Bellum Cononi curæ fuerit. ὁ πόλεμος Κόνωνι μελήσει.

Id est: Curabit prælia Conon. Proinde conuenit adhuc modum respondere curanti negotium, quod ad se nihil attinet. VVir vvollen es verstaendigan Leuten befehlen.

In alieno choro pedem ponere. ἐν ἀλλοτρίῳ χορῷ πόδα τιθέναι.

Est sese ingerere negotiis alienis, & aliorum sibi vendicare partes. Plutarchus.

Ne depugnes in alieno negotio.

Vbi significabimus, nos nolle nos immiscere lite aliena, quæ nihil ad nos pertineat, sed permissuros. Versiculo fuerit locus ex Iliados 3. lib.

Οἶοι δ' ἀμφ' Ἑλένῃ καὶ κτήμασι πᾶσι μάχεσθαι.
Solos pro Helena & opibus pugnare.

Quæ supra nos, nihil ad nos. τὰ ὑπὲρ ἡμᾶς, οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς.

Dictum Socraticum to quari potest in illos, qui de negotiis principum, aut Theologiæ mysteriis temere loquuntur. Vertere licebit & in contrarium: Quæ infra nos nihil ad nos.

Vtere curru, de asinis nihil laborans. ἁμάξῃ χρῶ τῶν ὄνων ἀμελήσας. τῶν δ' ὄνων οὐδὲν μέλει.

Quibus plaustrum est domi, nihil necesse habent deportandis oneribus, asinos aliunde conducere.

Stultior Moricho. Μωρότερος τοῦ Μορύχου.

Videtur particulatiter obnoxij adagio, qui domesticorum negotiorum negligentes, foris agunt aliena curantes. Suidas.

Alijs prospiciens: non sibi.

Sic licebit in quempiam iocari, qui aliis sua mala prædixerit, suum ipsius malum non prauideat, non inconcinniter accommodabimus illud ex Homeri Erotia.

Ἀλλ' οὐκ οἰωνοῖσιν ἐρύσσατο κῆρα μέλαιναν.
At non auguriis fatum sibi depulit atrum.

Facile cum valemus, recta consilia ægrotis damus.

Idest admonendo sapimus omnes: verum vbi peccamus ipsi, non videmus propria. Terent.

Quarta luna nati. ἐν τετράδι γεγονέναι.

Quarta luna nati dicuntur, qui parum feliciter nati sunt, propterea quod Hercules hac luna natus feratur, cuius omnis vita voluptatum omnium expers, ac laborum plena fuit. Dici potest & in eos, qui laboribus sibi neutiquam frugiferis fatigantur, Herculis videlicet exemplo, qui immundus aliis sudauit, sibi inutilis.

HISTORICA EXEMPLA.

Fridericus III. Imp. cum ad Coloniensia comitia repente ingens vis mortalium conuenisset, hospitum & ciuium censu instituto, panũ quoque, qui eo die in vrbe reliqui ad egnam seruabantur, numerum iniit; sic vt in quatuor vel quinque capita singuli panes obolares vix responderant. Postero die ecquinam è tanto numero in tanta panis paucitate esurinissent, quæstione habita, diuinæ benedictionis memorabili exemplo omnes affatim satiatos fuisse deprehendit. *Ioan. Agric. Islebius in Adagio* Germanico, Gott bescheret vber nacht.

Constantinus Imp. in conseruando milita nimium cautus, examinator meritorum scrupulosus fuit: Palatinas dignitates, velut ex quodam tribuens perpendiculo. *Marc. lib. 21.*

Gallus Cæsar ad tuendum Orientem relictus à Constantino contra Magnentium profecto, noctu cum satellitibus incognitus per lupanaria & tabernas cursitabat sciscitabundus sub voce Græca & alterata: Quid de Cæsare sentirent? male de ipso loquutos trucidabat, reperto aliquo figmento. *Cuspinianus.*

Aripertus. I, Longobardorum Rex, ignoto habitu per oppida vagabatur, sciscitando & explorando, ecquid de se suisque iudicibus populi quererentur? *Paulus Diaconus li. 6. c. 10. & 12. Bonfinius lib. 8. Dec. 3. Polydorus lib. 4. histor. Anglorum. Sigonius lib. 2. regni Ital.*

Fridericus senior dux Austriæ, Imperatoris Friderici III. patruus sæpe mutata veste solus inter agrestas versatus est: cũ quibus diurna mercede, & arans, & alia quæuis munia faciens ruris, & de seipso & purpuratis suis confabulari consueuerat. Interrogatus, cur id ageret? neque enim de me, inquit, alio modo verum audire possum. *Æneas Syluius l. 3. Com. in Panor.*

Fescennius Martialis Olim quendam notat, qui malorum alienorum erat obseruator curiosissimus, & taxator acerrimus: quum ipse vxorem haberet adulteram, filiam viro maturam, debereque etiamnum pro togula. *Theat. Zuing.*

HIEROGLYPHICVM.

Per nucem Persicam carne spoliatam nonnulli hieroglyphice significant hominem, qui variis curis sollicitudinibusque sit vndecunque exulceratus: vt nullum sit ærumnarum anxietatisque genus, quo se non afflictatum sentiat, vicemque suam miserrime deploret. *Pier. Val. l. 54. pag. 526. F.*

APOLOGVS.

Ceruus & Boues.

Exagitatus à canibus ad boues confugit ceruus, orans vt se tegere velint, & apud se delitescere patiantur. Non repudiant preces illius boues, sed monent, vt de tutioribus latebris sibi prospicere velit: auntque vereri se, ne in stabulo deprehendatur. Omne se periculum subiturum affirmantem, recipiunt, & fœno atque stramine obruunt. Aduenit paulo post villicus & negligenter ad boues respicit, atque abit. Lætus ceruus se omne discrimen euasisse sperat, sed cognoscit à bobus, mox affuturũ ipsum villæ & agrorum dominum cuius diligentiam & inspectionem si euaserit, tum sibi certo salutem posse polliceri. Venit igitur paterfamilias, & ob mala curatos boues indignatur, & quo quidque conditum ac repositum loco sit, cognoscit & aspicit, ad pleraque etiam manus ipse admouet. Inter hanc curam & animaduersionem, apparent cornua cerui, & ipse latens intra stramenta, & gaudente patrefamilias cæditur.

Fabula docet, qui ad alienos confugiunt, si seruantur singulari hoc fortunæ beneficio fieri: itaque malum haud fere euadere. Docet etiam, diligentem curam & considerationem rerum suarum vnicuique esse fructuosam, & nisi aspectu heri domus illustretur, omnia esse in caligine & tenebris, secundum hanc Aeschyli sententiam. Est domus oculus, assidua heri in domo præsentia. Et præclare Plinius hoc scripsit: Ita est profecto, opera non impensa cultura constat. Et ideo maiores, fertilissimum in agro oculum domini esse dixerunt, eandemque sententia ca Aristot. citatur.

CVRIOSITAS.

DEFINITIO ET ETYMOL.

Curiositas, Græce πολυπραγμοσύνη, ης, ἡ. πολυπράγμων, ονος, ὁ, curiosus dicitur. Est autem curiositas studium perscrutãdi ea scire, quarũ nulla est vtilitas. *secund. Ansel. lib. de similitudinibus.* Hebræum etymon idem est ac nominis Curæ, de quo sectione præcedenti.

Curiositas est superflua indagatio ad se non pertinentium. *secund. Hugonem.*

Curiositas est vitium circa cognitionem intellectus & sensuum ad peccandum, & circa inspectionem ludorum & mulierum ad concupiscendum, & spectaculorum. *ex S. Thom. 2. 2. q. 167.*

Curiosus & studiosus ita differunt: quia curiosus est cupidus cognoscendi ea, quæ nihil ad se attinent: Studiosus vero, quæ ad animum nutriendum liberaliter & ordinaliter pertinent, intentissime requirit.

LOCI BIBLICI.

Curiositas vitanda, *Exodi 19. ver. 12. 21. Ioan. 21. ver. 21. 22. Act. 1. 7. & 19. 18. Rom. 12. 3. Deuteron. 29. 29. Prouerb. 25. 27. Eccl. 3. 22. 1. Corinth. 2. 2. 2. Corint. 12. 2. Ephes. 6. 14. Coloss. 2. 18. 1. Thessal. 5. 1. 2. Thess. 2. 1. & 3. 11. 1. Timoth. 1. 4. & 5. ver. 13. & 6. ver. 13. 16. 2. Tit. 2. 12. Heb. 9. 5. & 10. 27. & 11. 5.*

SENTENTIÆ BIBLICÆ.

Si fueris plurimum scrutatus, frequenter mutaberis. *Esdr. 4.*

Qui

Qui inuestigator malorum est opprimetur ab eis. *Prou.* 11.

In superuacuis rebus noli scrutari sensum tuum multipliciter: non est tibi necessarium, ea quæ sunt abscondita videre oculis tuis, de ea re, quæ te non molestat, ne certaueris, & in pluribus operibus eius non eris curiosus, *Eccl* 3.

Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ pater posuit in sua potestate. *Act.* 1.

Patrum Sententiae.

Curiosum genus hominum ad cognoscendum vitam alienam, desidiosum ad corrigendam suam, *Aug l.* 10. *confess.*

Humilitati saluberrimæ, qua Dominus noster IesusChristus, vt docet, humiliatus est, maxime aduersatur quædam, vt ita dicam, imperitissima scientia, dum nos scire gaudemus quid Anaximenes, quid Anaxagoras, quid Pythagoras, quid Democritus senserint, & cæteri huiusmodi, vt docti eruditiq; videamur: cum à doctrina & vera eruditione id longe absit, *Ep ad Dioscorum.*

Compescat se humana temeritas & id quod non est, non quærat: ne illud, quod est, non inueniat, *de gen. contr. Manic. l.* 2.

Fons elationis, & delectatio libidinis, & venenum curiositatis, motus sunt animæ mortuæ: quæ non ita mortua, vt omni motu careat, discedendo à fonte vitæ moritur, atque suscipitur à prætereunte seculo, & conformatur eidem. *lib confess.*

Multo facilius inuenit syderum conditorem humilis pietas, quam syderum ordinem superba curiositas. *Ser. de eclypsi Solis.*

Sunt, qui desertis virtutibus, & nescientes quid sit Deus, & quanta sit maiestas semper eodem modo manentis naturæ: magnum aliquid se agere putant, si vniuersam illam corporis molem, quam mundum nuncupamus, curiosissime perquirunt. Vnde etiam tanta superbia gignitur, vt in ipso cælo de quo sæpe disputant, sibimet habitare videantur. *lib de Mor. eccle.*

In consideratione creaturarũ non est vana & perita curiositas exercenda, sed gradus ad immortalia, & semper manentia faciendus. *Lib. de vera relig.*

Dæmonum cibus est, carmina Poetarum, secularis scientia, Rhetoricorum pompa verborum. Nulla ibi saturitas veritatis, nulla iustitiæ refectio reperitur, studiosi earum in fame veri & in virtutum penuria perseuerant. *Hieron in epist. de duobus filiis.*

Nugas tenemus, & fonte veritatis amisso, opinionum riuulos consectamur. *ibid.*

Sacerdotes, dimissis euangeliis & prophetiis, videmus comœdias legere, & amatoria bucolicorum versuum verba cantare, *ibid.*

Graue curiositas est vitium, quæ dum cuiuslibet mentem ad inuestigandam vitam proximi exterius ducit, semper ei intima sua abscondit, vt aliena sciens, se nesciens sit, & curiosus animus quanto peritus fuerit alieni meriti; tanto fiat ignarus sui, *Greg. hom.* 36. *in Euang.*

Curiosus foras egreditur, & exterius omnia cõsiderat, qui sic interna despicit, præterita non respicit, præsentia non inspicit, futura non prospicit, *Bern. in quodam ser.*

Pius pulsator plerunque inuenit quod temerarius scrutator inuenire non potest. *Idem sup. Can. serm.* 24.

Multi student plura alta, quam apta proferre: & erubescunt plana & humilia, vt hæc solum scire videantur, *In Serm.*

Doctrina spiritus non curiositatem acuit, sed charitatem accendit. *Sup. Cant.*

Adolescentibus in ludo literarum positis non tam placent solida quam picta: quæque potius pulchra, quam vtilia sectantur, nec tam agentia diligunt, quam sonantia. Magis gaudent foliorum amœnitate conspergi quam fructuum vbertate nutriri. *Chrys. prolog. sup. Matth.*

Pharisæi de Deo quærere contendentes, nihil aliud se inuenisse confessi sunt, nisi quod incognoscibilis est Deus, sed sicut qui innauigabilem Oceanum vsurpat nauigare, dum non potest transire, necesse est, vt per eandem viam reuertatur, sic & illi ab ignorantia cœperunt, & in ignorantia finierunt. *Chrysost. in Matth.*

Quod multa nobis obscura sint, atque humano ingenio via peruestigari queant, perspicuum est, Quod autem ea demum, & quidem vtiliter captum nostrum effugiant, quæ nobis ad salutem haud quaquam conducunt, id quoque liquet. Consideremus itaque quid nobis ad beatitudinem adiumento sit, quod secus: atque ita, quæ dicuntur exploremus. Cœlum aut sphæræ, aut dimidiæ sphæræ speciem imitari affirmare, atque item celerrimũ Solis cursum, ac Lunæ incrementa & decrementa, siderumque sitũ curiose indagare, ac præterea de terra quærere, cylindri an coni speciem teneat, mundique centrum sit: ac denique & Solis & Lunæ interualla cognita & explorata habere, quid ad bene beateq; viuendum vtilitatis afferat, equidem non video: Quod si quis id dicere possit, dicet quidem fortasse: verum minimè persuadebit. At vero iustitiam & fortitudinem, ac prudentiam & temperantiam, & si quid his affine est, scire atque exequi, hoc vero eos; qui id cadẽt, ad beatitudinis arcem euehit. Quocirca faciendum est, vt ab his ex quibus nihil commodi nobis oritur abstineamus, ea autem ex quibus emolumentum percipitur, amplectamur, *Isidorus Pelusiota Epist.* 273.

Quæ Deus occulta esse voluit, non sunt scrutanda: quæ autem manifesta fecit, non sunt negligenda, ne & in illis illicite curiosi, & in his damnabiliter inueniamur ingrati. *Prosp. de vocatione gentium.*

De altitudine discretionis Dei non conturbabitur cor humilitatis nostræ: si firma & stabili fide omne iudicium Dei iustum esse sciamus: & vbi inuestigari non potest, quare ita iudicet, sufficiat scire, quis iudicet. *ibid.*

Lauda & venerare, quod agitur: quia tuum est nescire, quod agitur. *ibid.*

O quanti veritatem quærunt, non in veritate, sed in vanitate: quæsitam inueniunt, non ad veritatem, sed ad vanitatem; &, quod miserrimum est, in verbis vitæ lucra mortis negotiantur. *Richar. de S. Vict. in quodam serm.*

Odibilius nihil est subtilitate, vbi est sola subtilitas, Quid enim prodest in illis expendere dies suos, quæ nec domi, nec militiæ, nec in foro, nec in claustro, nec in curia, nec in ecclesia, nec alicubi prosunt, nisi duntaxat in scholis? Scribens Seneca ad Lucillium, Quid est, inquit, acutius arista, & in quo est, vtilis? tale est, inquit, ingenium, quod sola subtilitate lasciuiens nulla in se residet grauitate. *Pet. Rau. in serm.*

Maximum vitium subtilitatis est, nimis se ostendere: vtilissima autem est dissimulatio subtilitatis, quæ effectu apparet, habitu latet. *ibid.*

Quidam antequam disciplinis elementaribus imbuantur, docentur inquirere de puncto, de linea, de superficie, & quantitate animæ, de fato, de libero arbitrio, de materia & motu, de principiis corporum, de progressu multitudinis, de magnitudinis sectione, quid sit tempus, quid inane, quid locus, de reflexione Oceani, de ortu Nili, de variis latentis naturæ secretis, de variis figuris causarum, de primis rerum initiis, & aliis quam plurimis, quæ plurimis scientiæ fundamentum, & eminentiores exigunt intellectus. *ibid.*

Quæ vtilitas est scedulas euoluere, firmare verbotenus summas, & sophismatum versutias vniuersare, damnare scripta veterum, & reprobare omnia, quæ non inueniuntur in suorum scedulis magistrorum. *ibid.*

Sobrius intellectus in omnibus optimus est, qui reficit animam, nec grauat mentem: mel inuenisti: comede quod sufficit tibi, ne forte satiatus euomas illud, & peiures nomen Dei tui. *Glos. sup. Ecclesi.* 3.

Poeticae Sententiae.

Menander.

Πολυπραγμονεῖν τ' ἀλλότρια μὴ βούλου κακά.
Multum curare aliena ne velis mala.

Πολλοὶ σχολὴν ἄγοντες εἰς τὰ χείρονα.
Multi otium conuertunt in peiora.

Τὰ πολλὰ πράττειν δεῖ πανταχοῦ σαπρόν.
Multa facere esse vbique putridum.

Τὰ πολλὰ πράττειν, καὶ λύπας πολλὰς ἔχει.
Multa facere, & tristitias multas habet.

Plaut. in Sticho.

Curiosus nemo est qui non sit maleuolus.

Terent. in Heauton.

Ita comparatam esse naturam omnium hominum, vt aliena magis iudicent quam sua.

Ibidem.

Tantum ne ab te tuæ res otii tibi, aliena vt cures, & ea quæ nihil ad te attinent.

Idem in Hecyra.

Tua quod nihil refert, percontari desinas.

Philosophorum Sententiæ.

Acrior est cupiditas ignota cognoscendi, quam nota repetendi: hoc in histrionibus, hoc in oratoribus, deniq. e rebus videmus accidere: ad noua homines concurrunt, ad noua cõueniunt, adeo vt quicquid insolitum est in turba, etiam notabile est. *Seneca.*

Multum temporis illi verborum cauillatio eripuit, nectimus nodos, & ambiguam significationem verbis illigamus, ac deinde dissoluimus. Quid mihi vocum similitudines distinguis, quibus nemo vnquam, nisi dum disputat, captus est? Res fallunt, illas discerne. Sophismata nec ignoranti nocent, nec scientem iuuant. *Idem* 45. *Epist.*

Nam illi non inuenta, sed quærenda nobis reliquerunt: & inuenissent forsitan necessaria, nisi superuacua quæsissent. *Ibidem.*

Verba copiosa componis, & interrogans vincula nectis, & dicis, acuta sunt ista, nihil acutius arista, & in quo est vtilis? quædam inutilia & inefficacia ipsa subtilitas reddit. *Epist.* 83.

Nulla est sine difficultate subtilitas. *Epist.* 45.

Relinque istum ludum literarum Philosophis: rem magnificam, ad syllabas vocant, qui animũ minuta dicendo diminuunt & conterunt, & id agunt, vt philosophia potius difficilius, quã magna vi-

gna videatur. Socrates, qui totam philosophiam reuocauit ad mores, hanc summam dixit esse sapientiam, bona malaque distinguere. *Epist. a.*

Istæ ineptiæ Poetis relloquantur, quibus aures oblectare propositum est, & dulcem fabulam nectere. Sed qui ingenia sanare, & fidem in rebus humanis retinere, ac memoriam officiorum animis ingerere volunt, serio loquantur, & magnis viribus agantur. *lib. de beneficijs.*

Demens omnibus merito viderer, si cum saxa in munimentum morum senes & fœminæ congererent, cum iuuentus intra portas armata signum eruptionis expectaret, cum hostilia in portis tela vibrarent, & ipsum solum suffossionibus & stimulis tremeret, sederem ociosus, & huiusmodi quæstiunculas proponens: Quod non perdidisti, habes: cornua autem non perdidisti, cornua ergo habes. Num quid tibi demens videar, si istis impendero operam, & nunc obsideor? quid agam? mors me sequitur, vita fugit. Aduersus hæc me doce aliquid: effice vt ego mortem nõ timeam, & vita me non effugiat. *Epist. 16.*

Mos syllaba est, mus autem caseum rodit, syllaba ergo caseum rodit. Quod mihi ex ista sententia periculum imminet? quod incommodum? An forte acutior est illa collectio: Mus syllaba est, syllaba autem caseum non rodit, mus ergo caseum non rodit. O pueriles ineptias: sin hoc supercilia subducimus, in hoc barbam demittimus, hoc est quod tristes docemus pallidi. Si multum esset ætatis, parce dispensandum erat, vt sufficeret necessarijs, nũc quæ dementia est, superuacua discere in tanta temporis egestate? *Epist. 49.*

Quid te torques & laceras in quæstione? quam subtilius est contempsisse, quam soluere? *In Epist.*

Quid horum ad virtutem viam sternit syllabarum enarratio, verborum diligentia, & fabularum memoria & versuum lex & modificatio? quid ex his metum demit, cupiditatem frænat? Musica monstret mihi qui sunt modi flebiles? monstret potius quomodo inter aduersa non emittam flebilem vocem. Metiri me Geometer docet latifundia, potius doceat quomodo metiar quantum homini satis sit, doceat quomodo nihil perdam ex finibus meis: at ego discere volo, quomodo totus hilaris amittam. Scis rotunda metiri, si artifex es: metire hominis animum, dic quam magnus, dic quam pusillus sit. Scis quæ recta sit linea: quid tibi prodest, si quid in vita rectum sit ignoras? *ibid.*

Hoc scire quid proderit, vt solicitus sim, quum Saturnus & Mars è contrario stabunt? aut quum Mercurius vespertinum faciet occasum vidente Saturno? potius quam hoc discam, vbicumque ista sint prospici esse, nec posse mutari. *ibid.*

Illa liberalium artium consectatio molestos, intempestiuos, verbosos, sibi placentes facit, & ideo non discentes necessaria: quia superuacua didicerunt, quare ergo liberalibus studijs filios erudimus, non quia virtutem dare possunt, sed quia animum ad accipiendam virtutem præparant. *ibid.*

Innumerabiles quæstiones sunt, de animo tantum. Vnde sit, qualis sit, quando esse incipiat, quamdiu sit, an aliunde alio transeat, & domicilia mutet, & ad alias animalium formas, an non amplius, quam semel seruiat, & emissus vagetur in toto, quid sit facturus animus quum per nos aliquid facere desierit, quomodo libertate sua vsurus, quum ex hac effugerit cauea, an obliuiscatur priorum. Hæc tam multa, tam magna, vt habere possim liberum hospitium, superuacua ex animo tollenda sunt. Non dabit se in has angustias virtus. Expellantur omnia: totum pectus illi vacet. *ibid.*

Non multum nocebit tibi ista transire, quæ nec licet scire, nec prodest. Quicquid enim nos meliores beatosque facturum est, aut in aperto, aut in proximo posuit. *ibid.*

Quatuor millia librorum Didymus Grammaticus scripsit, misererer hominis, si præsens esset: si tam multa legisset superuacua: In his libris, de patria Homeri quæritur: de Aeneæ matre vera, his, an libidinosior aut ebriosior vixerit, in his an Sappho publica fuerit: & alia quæ erant dediscenda si scires. Sed si ad nostros quosque perueneris, ostendam multa securibus resecanda. Metire ergo ætatem tuam, tam multa non capit. Audi quantum mali faciat nimia subtilitas, & quam infesta sit veritati. *ibid.*

APOPHTHEGMATA.

Anonyma. Thaletem in cœlum suspicientem, & lapsum in barathrum, ancilla cõspicata, merito id illi accidisse dicebat: qui cum quæ ante pedes essent ignoraret, cœlum contemplaretur, vt cognosceret. *Anton. in Melissa, par. 2. serm. 77. & Maxim. serm. 21. Brus. l. 2. c. 27.*

Aristippus, quum quidam obijceret Aristippo, ac diceret, Propter te ager perit. An, inquit, melius est, me propter agrum perire? *Ant. ser. 47 par. 2. Melissa.*

Xenocrates nihil referre dicebat, vtrum pedes an oculos inferas in ædes alienas, videlicet deterrens ab omni curiositate rerum ad nos nihil attingentium. *Laert. l. 4. c. 2.*

Zeno Citiens adolescentem curiosius quiddam quam pro ætate sciscitantem, adduxit ad speculum, vtque se contemplaretur admonuit. Mox rogauit, an videretur tali vultui conuenire quæstiones eiusmodi proponere? *Laert. 7. c. 1.*

Socrates interrogatus a quodam, quid ageretur apud inferos, deridens hominis curiositatem respondit: Nec ego, inquit, vnquam iui, nec cum quoquam illinc reuerso sum collocutus. *Max. ser. 36.*

Idem illud Homeri semper in ore habere solitus erat.

Ὅττι τοι ἐν μεγάροισι κακόν τ' ἀγαθόν τε τέτυκται.

Id est,

Ædibus in nostris quæ praua aut recta geruntur.

Eo non solum reuocans auditores a curiositate rerum alienarum, verum etiam a disciplinis non necessarijs: velut ab exacta cognitione Astrologiæ, aut Geometriæ, aut causarum naturalium, aut rerum vltra mundanarum, ad cognitionem Ethices, cuius scientia præstat, vt nobis ipsi noti simus, atque rem domesticam aut publicam vtiliter administremus. *Stob. Laert.*

Idem eodem spectat & illud quod illi adscribitur, & in primis celebratur: Quæ supra nos, nihil ad nos. Sic enim respondere solebat admirantibus, quod de moribus semper, de astris, deque meteorologicis nunquam disputaret. *Gellius & Laert.*

Aristoteles eos qui res euidentes demonstrare conarentur, similiter facere dicebat, vt si quis solem per lucernam ostendere conetur. *Max. serm. 21.*

Demosthenes quum quidam diceret eum agrum negligere, ipsum autem se curare: Ea (inquit) curo, propter quæ agrum comparaui. *Anton. in Melissa. par. 1. ser. 77. & Max. serm. 21.*

Euclides Philosophus rogatus a quodam, quales essent dij, quaque re potissimum gauderent? Cætera quidem ignoro, inquit, at curiosis illis odio esse certo scio. *Max. serm 21.*

Demonax, cum quidam exquireret, an mundus esset animatus? & rursus, an globosus? Vos, inquit Demonax, de mundo solliciti estis, & vestram ipsorum immundiciem non curatis. *Anton. in Melissa par. 2. ser. 77. & Max. ser. 21.*

Anonymus, Aegyptius baiulus gestans quiddam velo opertum, cuidam sciscitanti quid portaret? Ideo obuelatum est, ne scires: tu vero cur curiose vestigas, quod occultum est? Solent vectigaliũ redemptores explorare sarcinas. Aegyptij autem dicti sunt ἀχθοφόροι *P. M. l. 6. apoph. ex Plut.*

Seneca, non vis esse iracundus? inquit: ne sis curiosus. Qui inquirit quid in se dictum sit, qui malignos sermones etiam si secreto habiti sint, eruit, se ipse inquietat. *l. de Ira, c. 11.*

Vespasianus a consulari viro Menstruo Floro monitus, plaustra potius quam plostra dicendum, postridie illum pro Floro Flaurum salutauit: ciuiliter alludens ad illius curiosam admonitionem. Veteres in quibusdam pro diphthongo sonabant o, vt Clodius pro Claudius. *Sueton.*

Anonymus, cuidam vxor sua per literas exprobrarat, quod lauacris ac voluptatibus detentus, ad se redire nollet. Id per frumentarios resciuerat Imperator. Itaque commeatum petenti, exprobrauit & lauacra & voluptates. Tum ille: Num & tibi, ô Cæsar, scripsit vxor mea, quod mihi? Notans curiositatem principe indignam. *Dion. in vita Hadriani.*

SIMILITVDINES.

Esdra, quemadmodum terra syluæ data est, & mare fluctibus suis: Sic qui super terram inhabitant, quæ super terram, intelligere solummodo possunt, & qui super cœlos, quæ super altitudinem cœlorum. *4. Esd. 4.*

D. Augustini: intuere pisces maris, hoc est, curiosos, qui perambulãt semitas maris, id est, inquirunt in profundo huius sæculi temporalia: quæ tanquam semitæ in mari tam cito euanescunt & intereunt, quum rursus aqua confunditur, postquam transeuntibus locum dederit, vel nauibus, vel quibuscumque ambulantibus vel natantibus. *In Psal. 8.*

Plutarchi: vt coriarij optant pecorum prouentum, piscatores piscium: Sic curiosus malorum nouarum rerum commotionem, vt habeat quod venetur. *In Mor.*

Vt admonuit Socrates cauendum ab ijs edulijs, quæ illicerent ad edendum etiam non esurientes, & a potu qui ad bibendum inuitaret etiam non sitientes: Sic fugienda sunt spectacula, sermonesque qui pelliciunt sui desiderio eos, ad quos nihil attinent. *In Mor.*

Vt quidam insana libidine, neglectis formosissimis mulieribus quæ prostant, ad inclusam & sumptuosam penetrant, etiam deformem. Sic curiosus contemptis præclaris spectaculis ac fabulis iã multis, alienas scrutatur epistolas, alienas domos, non absque periculo nonnunquam. *In Mor.*

Vt turpe est ingredi domum alienam, vt introspicere: Ita turpius est scrutari, quid alij suæ domi faciant. *In Mor.*

Vt Simonides Gratiarum scrinium semper inane reperit, mercedis semper plenum. Ita si curiosus post aliquantum tempus suam aperit penum, inutilibus & insuauibus rebus plenam inueniet. *In Mor.*

Quidam è poetis eligunt deterrima, vt ex Homericis versibus acephalos, & μειούρους, tragicos syllogismos, & ab Archilocho

obscœne dicta in mulieres: Sic curiosus pessima & infamissima è cuiusque vita decerpit. *In Mor.*

Gallina sæpenumero pabulo apposito, in angulo scalpens ac verrens scobem e sterc ore & hordei granum vnum depromere mauult. Sic curiosi praetermissis aut interruptis sermonibus innoxijs, si quid malum in cuiusquam familia occultum est, id proferunt in medium. *In Mor.*

Vt Philippus ex deterrimis hominibus conditam ciuitatem *πονηρόπολιν* appellauit: Sic curiosus malis vndique congestis, thesaurum quendam inamabilem & inamœnum sibi in memoria construit. *In Mor.*

Vt Sicya, quod est in corpore pessimum attrahunt: Sic quidam suis bonis non fruuntur, sed malis expetendis discruciantur: & curiosorum aures, quod est in hominum vita vitiosissimum, id libentissime audiunt. *In Mor. & Plin. l. 31. c. 1.*

Ciuitates portas, habent quasdam nefarias, per quas educuntur nocentes ad supplicium capitis, eijciuntur purgamenta: nihil autem infertur sacrum aut purum. Sic per aures curiosorum non transeunt nisi homicidia, adulteria. *In Mor.*

Vt vlcus cruentat seipsum, dum scalpitur: Ita curiositas & sua mala studet cognoscere, & dolorem accersit cognoscendi libido siue pruritus. *In Mor.*

Quemadmodum aquilæ & leones cum ambulant, introrsum vertunt vngues, ne conterantur, ac seruant in prædam illorum aciem: Sic animi vigorem non conuenit alienis rebus noscendis absumere, sed seruare ad vsum necessariorum. *In Mor.*

Vt quidam neglectis pulchris picturis prodigiosas ac monstrosas mirantur imagines, vt trioculos, carentes suris, cynocephalos. Sic curiosi malis alienis magis delectantur, quam honestis. *In Mor.*

Vt tanatur in comœdijs Cleon, quod alibi manus haberet, alibi mentem: Ita multis in locis curiosi hominis animus, nec vna habitat in domo. *In Mor.*

Portitoribus indignamur, quod aliena scrutentur vasa, cum id lex eis permittat, & ni faciant, damnum facturi sint: Multo magis succensendum ijs, qui suis negocijs aliena perscrutantur. *In Mor.*

Vt nemo ferret, si quis medicus, vel Aesculapius vltro accedens ad aliorum morbum, percontaretur, num haberet fistulam in ano, aut num mulier haberet cancrum in pudendis: cum hæc curiositas sit salutifera, quod inuocatus accedet: Multo magis eijciendus curiosus, qui aliena mala non curat, sed retegit tantum, idque non accersitus. *In Mor.*

Seneca: vt in aperto posita & exposita negliguntur ac prætereuntur, abstrusa petuntur insidijs: Ita qui valde latet, & a vulgo feriotus est, in hunc inquirunt homines.

Ioannes Ludouicus Viues: solem si sereno cœlo intuearis, nocet oculis, interdum excæcat: Sic si diuinitatis fulgorem rectes contemplari, oculos mentis amittes. Qui scrutatur maiestatem, inquit Sapiens, opprimetur a gloria. Non angustiæ mentis humanæ rem capiunt tam sublimem atque amplam. Non videbit me homo, & viuet: ait Deus. Adoranda sunt hæc, non scrutanda. *In Satellitio* §. 187.

P. M. vt stultissimum est, cum huius mundi, in quo nati sumus, naturam cognoscere non possimus, alios innumerabiles mundos foris quærere: Ita absurdum est, neglectis rebus domesticis, de alienis esse solicitum & curiosum. *In Sim.*

ADAGIA.

Scit quomodo Iupiter duxerit Iunonem. *Theocritus.*

In curiosos & quid quisque domi faciat peruestigantes. Conueniet illud ex Syracusianis:

> Πάντα γυναῖκες ἴσαντι καὶ ὡς Ζεὺς ἠγάγεθ' Ἥραν.
>
> Id est,
>
> *Nouit fœmineum genus omnia, nouit & illud,*
>
> *Iunonem duxit quo pacto Iupiter olim.*

Canes venatici.

Dicuntur qui omnia venantur, & produnt, peruestigantque, nota metaphora. Cicero.

Nihil dulcius, quam omnia scire.

M. Tullius ad Atticum lib. 4. refert hunc senarium ceu vulgo celebrem.

> Οὐδὲν γλυκύτερον ἢ πάντ' εἰδέναι. Idest,
>
> *Nil dulcius, quam scire prorsus omnia.*

Mylus omnia audiens. Μύλος πάντ' ἀκούων.

Dici solitum, vbi quis se dissimularet audire quum omnia tamen auribus curiosis captaret, auscultaretque.

Nihil mallus, quam multa scire. Πολυμαθημοσύνης τοι κακοδαιμονέστερον ἄλλο.

Conueniet in eos, qui malunt multa discere, quam vtilia. wer viel kan, der muss viel thun.

Zenonium est & lentem coquere. Ζήνων οἶδε καὶ φακῆν ἕψειν.

Licebit vti, cum dicemus esse viri boni, etiam in rebus minutissimis, sui similem esse, aut egregium artificem in quacumque materia declarare, quantus sit artifex.

Corycæus auscultauit. Κωρυκαῖος ἠκροάζετο.

Vbi quis id quod agit, conatur dissimulare, tamen a curiosis deprehenditur. Strabo

Multi regum aures atque oculi. Ὦτα καὶ ὀφθαλμοὶ βασιλέως πολλοί.

Allegoria inde ducta est, quod regibus complures vbique sunt exploratores, quibus vel ea sciens veniunt. Lucianus.

Nodum in Scirpo quæris.

In anxium dicebatur, nimisque diligentem, aut meticulosum, qui illic scrupulum moueret, vbi nihil esset ad dubitandum. Germani retinent eandem metaphoram. suchest ein Knoden an der Binzen.

EXEMPLA BIBLICA.

Curiositatis exempla: Eua, *Genes.* 3. v. 5. 6. Dina, 34. v. 1. 2. Bethsamites, 1. *Sam* 6. 19. Ozias, 2. *Paral.* 26. 16. Scribæ & Pharisæi, *Matt.* 12. v. 38. 39. Pharisæi & Saducæi, 16. 1. Herodes, *Luc.* 9. 9. & 23. 8. Pharisæi, 11. 15. Petrus, *Ioan* 21. 20. Apostoli, *Act.* 4. 7. Epicurei & Stoici Philosophi, 17. 20. Ephesij, 19. Agrippa, 25. v. 22. 23. Thessalonicenses, *Thess.* 3. v. 11. Iuniores viduæ, 1. *Tim.* 5. v. 11. 12. 13.

FABVLA.

Diuinator in foro respondebat consulentibus, cum subito nuncius illi aduenit, patere fores domus ipsius, neque intus quicquam reliquum, sed omnem supellectilem esse direptam. Quo perculsus animo ille exilijt, & curriculo ad ædes suas contendit. Hunc conspicatus festinantem quidam: Heus tu, inquit, cum alienarum rerum prædictiones profitereris: cur tuas negligebas?

Notantur hac fabula ij, qui cum ipsi perperam viuant, aliena omnia curare & corrigere oratione sua non dubitant, simul & hoc Xenophonteum innuitur, τοὺς μάντεις ἄλλοις μὲν προαγορεύειν τὰ μέλλοντα, αὐτοῖς δὲ μὴ προορᾶν τὸ ἐπιόν.

FINIS LIBRI TERTII.

POLYAN-

POLYANTHEAE NOVAE LIBER IV.

D

DÆMON, DÆMONIVM.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

DAEMONIVM, Græca dictio. Ab illis enim *δαιμόνιον, κ. τὸ δαιμονοφόρητος, ὁ ὁ.* Dæmoniacus dicitur. Est autem Dæmonium genere animal, mente rationale, animo passiuum, corpore aereum, tempore æternum, *secundum L. Apuleium de Deo Socratis Ex B Thom.par.1 q.51.art.1.*

Dæmon, *δαίμων. Luc.8.29.* malus Angelus, spiritus immundus. *Dæmones, δαίμονες, Matth.8.31. Marc.5.12. Apoc.16.14. & 18.2.* Diaboli, Angeli mali, apostatæ, reprobi Angeli. *Dæmonium & dæmonia, δαιμόνιον,* diabolus, *δαιμόνια,* diaboli, de quibus frequens mentio apud Euangelistas. *Act. 17.18. ξένων δαιμονίων* nomine, dij peregrini, idola nempe, quæ colebantur ab Atheniensibus, intelliguntur. Atqui sub & in idolis diaboli suis mancipijs iam olim miris modis impoluerunt. Hebr. dæmon, *Schedh,* dæmones, *Schedim,* id est, vastator, vastatores, dicuntur, a verbo *Schadhah,* vastauit, deuastauit, depopulatus est. Inde *σκεδάω* dispergo, deuasto. Et certe perpetuum Satanæ epitheton, vastator est, qui & *Apollyon,* id est, perdens, atque *Abaddon,* id est vastator, destructor, nominatur, ab *Abadh* perdidit, &c. Vide Apoc.9.11.

Scribit præterea idem Apuleius, Dæmones irritari iniurijs, obsequijsque ac donis placari, gaudere honoribus, varijs sacrorum ritibus oblectari: ad eos pertinere diuinationes augurum, aruspicum, vatum ac somniorum, nec non magorum miracula. Homerus propterea Deos omnes Dæmonas vocat, & aliquando ipsum Iouem. Verum nostræ religionis homines Dæmones appellant spiritus in cœlo ab omnium rerum opifice creatos, qui de cœlo ipsi deiecti, partim in hoc aere tanquam sibi congruo carcere damnati sunt: nocendi semper cupidi, a iustitia alieni: superbia tumidi, inuidentia liuidi, fallacia callidi, humana quandoque corpora ingredientes, vel viuentia adhuc, vel iam mortua: & sub humana specie mulieres aliquando ineuntes, qui tunc incubi dicuntur: modo viris se subijcientes, & tunc succubi appellantur.

Dæmonis nomen apud Ethnicos bonis & malis spiritibus attribuebatur. Christiani malos duntaxat sic nominant. Dæmonium aliquando pro summo Deo, vt etiam *Θεῖον,* aliquando pro quouis dæmone vsurpant, vt cum Socratis dæmonium dicunt. Plato *Θεῖος* dictus, quod magis de rebus diuinis docuerit: Aristoteles, *δαιμόνιος,* quod de humanis & naturalibus. *Con. Gesn. in pand. lib. 25. tit. 4.*

LOCI BIBLICI.

Dæmoniorum nomine ea Scripturæ consuetudine Diaboli intelliguntur, *1. Cor 10. vers 20. 1. Timoth. 4.1.* Dæmoniorum doctrinæ exemplum luculentum, *1. Timoth. 4.4. Hebr. 13.4. Vide Diabolus,* Dæmonia, Dij peregrini, *Act. 17.18.*

SENTENTIAE PHILOSOPHICAE.

Dæmones seu maligni spiritus effuso sanguine gaudent, turpibusque & obscœnis verbis. Item pharmaca philtraque administrāt: ad libidinem, vitium, flagitium hortantur, Deosque, & Deum ipsum summum his gaudere suadent. Denique defunctorum animas simulant, & Deos ipsus mentiuntur. *Porphyr. lib. 2. de Abstin. & l. 1. de Sacrificio.*

Simulant se Deos esse, quantum possunt, id est, Angelos lucis: & sensus phantasiamque vanis prodigijs stupefaciunt & perstringunt: quin & quidam apud eos summus summique Dei loco haberi cupit. Interim prædicunt tantum ex coniecturis, & lubēter fallunt omnes, & mentiuntur, & leuibus de rebus irritantur, lenioribus rursum placantur. Sed, inquit, futiles & vanos nescio quos philosophos & poetas deceperunt primum, demumq; eorum ministerio apud ignarum vulgus perfecerunt, vt dij crederentur. *Idem Porphyr ad Anebonem Ægypt.*

Placantur donis, & prouocantur iniurijs, ceremonijs delectantur, & omissis excandescunt, præsident augurijs, auspicijs, oraculis, magorum miraculis: in summa, sunt genere animalia, animo passiua, mente rationalia, corpore aerea, tempore immortalia. *Apud August. de ciuit. Dei.*

Id autem est Dæmonum propriom, vt quum attracti aut illecti in peluim sunt, ea eo quidem lapsa perexiguus sonus & significationis expers audiatur: deinde in ipsa vnda oberrans, & quasi lusitans, exilem sibilum insusurrat, quo futura prænosci possunt. Is enim spiritus vocem prætenuem emittit, quo ipsi dæmones minus intelligantur. Et reuera perexilis vocula dæmonum & exigua est: quod olim noster quoque Venetus Hermolaus dicebat, vocem se Dæmonis prætenuem, & pene subsibilantem audisse, qua ille de Aristotelis forte entelecha interrogatus, sibiipsi, & Georgio Placentino responsitauit. *Petr. Crinitus de honesta disciplina. lib. 6. cap. 11.*

Quod autem sex eorum (Dæmonum) genera habeantur, id ego apud Michaelem Psellum inuenio, qui ex Marci traditionibus hoc totum egregie recensuit, Basiliumque & Paulum viros doctrina & morū sanctitate clarissimos aduocauit in historia Dæmonum. Ad hunc igitur modum diuersam eorum naturam atq; potestatem retulit. Primum, inquit, Dæmonum genus igneum censetur, quod in sublimiori aere peruagari solitum est, vt Marcus dicebat, qui illud voce barbara Lelureon appellabat. Secundū genus, quo in proximo aere, ac nobis propinquo obuolitat, quod etiamnum a plerisque aereum nuncupatur. Tertium porro terreum, quod in terræ ipsius regionibus versatur: ex quo multiplici ratione atque insidijs terrenis animantibus insidiatur. Quartum aquatile & maritimum dicitur, quod humoribus se immergit, vndiuagum scilicet, ac in palustribus habitans, vt multos in aquis male afficiat, æstusque ac tēpestates in mari excitet, ac nauigia ipsa cum hominibus prorsus demergat, atque obruat. His adijcitur quintum genus, quod appellat subterraneum, quando & ipsis terræ visceribus inclusos Dæmones, atq; abditos tradit: vnde motus terræ: fundamentorum ruinæ, ac vētorum collisiones oriantur. Præcipue autem infestari hoc Dæmonum genere scribit eos homines, qui aut in puteis effodiendis versantur, aut in metallis perscrutandis. Sextum & vltimum quo omnem quidem lucem refugit, tenebrosumque idcirco vocitat, quoniam in tenebris assidue teneatur. Mitto nunc, quibus potissimum insidijs, cum quo astu scripserit eos decipere atque allicere humanum genus. Constat enim (vt est author etiam Augustinus) omnes fere Dæmones hoc ingenio & natura esse, vt Deos pariter oderint, & hominibus maxime aduersentur. *Idem Crinitus lib. 21. c. 5. de honesta disciplina.*

Bonorum figuram induunt, vt possunt, sed iactabundi accedunt, & maiora sibi arrogant, quam præstent: minantur & terrentur verbis: Deos agunt, & leuissimis affectibus percelluntur. *Iamblic de myster. multis locis.*

SCRIPTORES.

Qui de ingenio Dæmonum scripserit: ac de Gnosticis & Euchetis, quibusque sacris Dæmonem se concipere putarunt. *Petrus Crinitus de honest. disciplin. lib. 7. cap. 4.* De magia Aegyptiorum, & qui in ea præstiterunt: ac de 36. Dæmonibus, & qua potestate polleant. *Idem l. 9. c. 5.*

De Dæmonibus communiter *Proclus in Alcib. cap. 9.* Dæmones esse fœcundos semine, & coire: Angelos bonos minime. *Cælius libro 2. capite 6.* De Augusti & M. Antonij Dæmonio. *Idem Cælius pag. 47.* & plurima de Dæmonibus, *vide in eius indice.* An Dæmones sint naturaliter mali. *Idem libr. 2. capit. 7.* De Dæmonibus præterea *Augustini Niphi libri 5. Michaelis Pselli libri 2. Græci, Iuliani Chaldæi lib. 4.* De Dæmonibus malis, *Eusebius libro 4. Euang. præpar.* De Angelis malis, *P. M. Saracenus ex Augustino, Item Rampegallus cap. 12. Hanap. 38 cap.* De Dæmonibus exempla, *Cæsarij Cisterciensis dist. 5.*

DAMNATIO.

DEFINIT. ET ETYMOLOG.

DAmnatio, Græce κατάκρισις, & κατάκριμα damno dicitur. Damnatio & damnum, Paulus Iurisconsultus ab ademptione, & quasi diminutione patrimonij dicta esse affirmat: similiter damno verbum, quod nunc significat damno afficio, vnde & condemno dicitur: & qui nullo damno afficitur, indemnis appellatur.

LOCI BIBLICI.

Damnari quis dicitur, ex Scripturæ sacræ consuetudine, ab eo, cuius honesto exemplo possit improbitatis, aut vitij alicuius coargui, *Matth.* 12. v. 41. 42. *Rom.* 2. v. 17. Damnatio meretricis, *Apoc.* 17. 10.

ADAGIA.

Notare vngui. Carbone notare. & similia. *Plaut.*

Quod soleat vngui signum apponi, vbi quid parum placet. Horat. dixit. Transuerso calamo signum apponere, pro eo, quod est damnare. In eundem sensum, Censoria virgula legitur identidem apud D. Hieronymum, pro castigandi notandique authoritate. Eodem pertinent, Spongia corrigere: Verò signare, ὀβελίζειν.

Trilitis litera.

M. Tullius pro Milone. Tristem literam appellat C. salutarem A. quod hac absolueretur reus, illa damnaretur. Lucius dixit tristiorem notam.

Contra retiarium ferula. *Martialis.*

Dici solitum in eos Domitius Gaidertius admonet, qui infirmo præsidio contra maximus instructum pugnarent.

Ni pater esses, εἰ μὴ πατὴρ ἦσθα. *Diogen.*

Vtemur, quoties sonis, aut potentis, aut alioqui venerandi sententiam haud quaquam nobis probari significabimus, cui tamen honoris causa nolumus refragari. Sic & Germani: Bann du nicht mein Datter vverest.

Calculo mordere. ψήφῳ δάκνειν.

Dicuntur, qui suffragio lædunt, aut vlciscuntur hominem. Aristophanes.

Aequales calculi. ἴσαι ψῆφοι.

Si quando parum abest, vt condemnetur aliquis, & tamen absoluitur. Suidas.

HIEROGLIPHICVM.

Sunt qui telum in sagittæ cuspidem figuratum damnationis signũ esse autument: aut explodendum summouendumque aliquid inepte dictum in scriptis, id quod Aristarchi summi Grammatici iudicio inter hieroglyphica receptum est, quod eo ille signo vsus sit in adulterinis apud Homerum carminibus suo mouendis. *Pier. Val. lib.* 42. *pag.* 408 F.

DAMNATIO ÆTERNA.

LOCI BIBLICI.

DAmnatio æterna, præparata est Diabolo, & omnibus impijs, *Sap.* 5. 1. *&c. Iob* 10. 22. *&* 36. 17. *Esa.* 24. 21. *&* 30. 33 *&* 66. 24. *Dan.* 7. 11 *Matth.* 3. 12. *&* 5 29. *&* 8. 12. 29 *&* 13. 50. *&* 18. 8. *&* 22. 13. *&* 23. 33 *&* 25. 30. 42. *Marci* 9. 47. *Luc.* 3. 17. *&* 16 23. 25. *Hebr.* 10. 28. 2. *Tim.* 1. 8. 2. *Pet.* 2. 4 *Iude* 6. *Apoc.* 19. 20. *&* 20. 10. *&* 21. 8.

SENTENTIÆ POETICÆ.

Horat 17. Epod.

Optat quietem Pelopis infidi pater
Egens benigna Tantalus semper dapis.
Optat Prometheus obligatus aliti:
Optat supremo collocare Sisyphus
In monte saxum: sed vetant leges Iouis.

Ouid.

Noxia mille modis lacerabitur vmbra, tuasque
Aeacus in pœnas ingeniosus erit.
Nec mortis pœnas mors altera finiet huius,
Horaque erit tantis vltima nulla malis.
Nec mala voce mea poterunt tua cuncta referri.
Ora licet tribuas multiplicata mihi.

SIMILITVDINES.

Folengy, quemadmodum cadauerũ omnium caro, cibus est vermiũ: Ita animarum damnatarum vita est mortis esca *In Psal.* 49.

Eo fano modo quo in pratis herba depascitur, quæ non a radice, vbi illius est vita, conuellitur, sed carptim tonsa a pecoribus monditur: Sic anima in pœnis illis infinitis posita, sine abique substantiæ consumptione ac iactura, a perpetuo tanquam vultu ris dilaniatur morsu, sed non absumitur. *Psal.* 49.

DAMNVM.

DEFINITIO.

DAmnum, Græce ἀποβολή, ἐπιβλαβής, vel ζημία. Differunt autem damnum & malum, quod damnum est rei, malum vero hominis ipsius. Quare Terentius in Andria: *Quid feceris illi, qui dederit damnum aut malum. Ex Donato super Terent.*

Hebr. *Nezek*, noxa detrimentum, & conuenit cum nomine *Noscheb*, morsus, Qui enim damno proximum afficit, belluarum in morem eum mordere videtur. Hac autem loquendi formula metaphorica vsus est Apostolus, *Galat.* 5. 15.

SENTENTIÆ BIBLICÆ.

Non facies calumniam proximo tuo, nec vi opprimes eum. *Leu.* 19.

Non est bonum, damnum inferre iusto. *Prou.* 17.

Ne dicas, quomodo fecit mihi, sic faciam & reddam vnicuique secundum opus suum. 24.

Non placeat tibi iniuria iniustorum, sciens, quoniam vsque ad inferos non placebit impius. *Eccl.* 9.

Iam quidem omnino delictum est in vobis, quod iudicia habetis inter vos. Quare non magis iniuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini? sed vos iniuriam facitis, & fraudatis, & hoc fratribus. An nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt? 1. *Cor.* 6.

Ne inferatur impediendum.

Si occurreris boui inimici tui, aut asino erranti, reduc eum. Si videris asinum odientis te iacere sub onere, non pertransibis, sed sublevabis cum eo. *Exodi* 23.

Non videbis bouem fratris tui, aut ouem errantem, & præteribis: sed reduces fratri tuo, etiam si non est propinquus frater tuus, nec nosti eum, duces in domum tuam, & erunt apud te quamdiu quærat ea frater tuus, & recipiat: Similiter facies de asino, & de vestimento, & de omni re fratris tui, quæ perierit. Si inueneris eam, ne negligas quasi alienam. Si videris asinum fratris tui, aut bouem cecidisse in via, non despicies, sed subleuabis cum eo. *Deut.* 22.

Illatum resarciendum.

Si quis aperuerit cisternam, & foderit & non operuerit eam, cecideritque bos, aut asinus in eam, reddet Dominus cisternæ precium iumentorum: quod autem mortuum est, ipsius erit. *Exo.* 21.

Si læserit quispiam agrum vel vineam, & dimiserit iumentum suum, vt depascatur aliena, quicquid optimum habuerit in agro suo, vel vinea, pro damni æstimatione restituet. Si egressus ignis inuenerit spicas & comprehenderit aceruos frugum, siue stantes segetes in agris: reddat damnum, qui ignem succenderit. *Exod* 21.

Qui percusserit animal, reddet vicarium, id est, animam pro anima. *Leu.* 24.

Qui irrogauerit maculam cuilibet ciuium suorum: sicut fecit, sic fiet ei, fracturam pro fractura, oculum pro oculo, dentem pro dente restituet. *ibid.*

Vir siue mulier cum fecerint ex omnibus peccatis, quæ solent hominibus accidere, & per negligentiam transgressi fuerint mandatum Domini, atque deliquerint, confitebuntur peccatũ suum, & reddent ipsum caput quintamque partem desuper ei, in quem peccauerunt. Sin autem non fuerit, qui recipiat, dabunt Domino, & erit sacerdotis, excepto ariete, qui offertur pro expiatione, vt placabilis hostia. *Num.* 5.

Maledictus, qui transfert terminos proximi sui. *Deut.* 27.

Qui despicit pauperem, exprobrat factori eius: & qui in ruina lætatur alterius, non erit impunitus. *Prou* 15.

PATRVM SENTENTIÆ.

Non sic sapit lucrum, quo modo debet damnum. Fortior, est in confessione Christi, qui damna non timuit, quam qui lucra contempsit, *Aug in serm. de S. Stephano.*

Vis vt ille non damnet? tu damna. Vis ille ignoscat? tu ignosce. Nemo nisi per indebitam misericordiam liberatur: & nemo nisi per debitum iudicium damnatur. *Idem de Charitate.*

Est pulchritudo vniuersæ creaturæ per hæc tria inculpabilis: damnatione peccatorum, exercitatione iustorum, perfectione bonorum. *Aug. lib. de vera Religione.*

Quod errauerat, inquit Dominus, non reuocastis: & quod perierat, non requisistis, hoc vobis ipse Deus per nos facit, ipse obsecrando, ipse minando, siue corripiendo, siue damnis, siue laboribus, siue per suas occultas admonitiones vel visitationes, siue per potestatum temporalium leges. *Aug Donatistis & habetur* 23. *q.* 6. *Quod errauerat.*

Denique si non potest subueniri alteri, nisi alter lædatur, commodius est neutrum iuuari, quam grauari alterum. Ideoque in causis pecuniarijs interuenire, non est sacerdotale: in quibus non potest fieri, quin frequenter lædatur alter, qui vincitur, quoniam intercessoris beneficio se victum arbitratur. Sacerdo-

tia

tis est igitur nulli nocere, prodesse velle omnibus: posse autem solius est Dei. *Amb. lib. de off. & habetur 14. q. 5. Denique.*

Deteriores sunt, qui vitam moresque bonorum corrumpunt, his, qui substantias aliorum prædiaque diripiunt. *Greg. habetur 6. q. 1. Ex merito. §. Deteriores.*

Apertus damnationis testis est ipse timor iniquitatis: quia & timetur, quod agitur, & tamen malum non vincitur, quod timetur. *Idem in Moral.*

Melius est præsentia damna contemnere, quam exiguo quæstu perpetua commoda non habere. *Cassiod. epi. 1. l. 4.*

POETICÆ SENTENTIÆ.

Plautus Amph.

Atque hunc telo suo sibi, malitia sua a foribus, pellere,

Ouidi. Epist.

Remigiumque dedi quo me fugiens abires

Heu patior telis vulnera facta meis.

Antholog. Iacobi Billij.

Eum, qui alteri nocere cupit, sibi ipsi prius nocere.

Lædere qui tentas alios qua mittis in altum.

In caput hæc recident aspera saxa tuum.

Vrere quo tentas alios, hoc vreris igne,

Quoque paras alijs, hoc peris ipse malo:

Et velut is, qui mixtum alijs lethale venenum

Insciens ipse bibit fraude perit que sua.

Aut certe instar apis, quæ cæco rapta furore,

Protinus vt stimulum fixerit, ipsa perit.

PHILOSOPHORVM SENTENTIÆ.

Damnum nisi ex abundantia raro venit. *Sen. in Prou.*

Omnia perdidi, cum omnibus perire potuisti. Noli conqueri quod incideris, gaude quod euaseris. Qui se habet, nihil perdidit. *De remedijs fortuitorum.*

Francisci Petrarchæ,

De damno passo. DIAL. IX.

DOL.

Opes cunctas trux fortuna præripuit. R. Non tibi fecit iniuriam, suum tulit, sed vetus, & nota hæc ingratitudo est, dati immemores, meministis ablati. Itaque raræ ac repentes gratiæ, crebræ ac feruidæ sunt querelæ. D. Fortuna ferox vitæ quoque necessaria subtrahit. R. Necessaria subtrahere potest nemo, quandoquidem vere necessarium est nihil, sine quo bene viuitur. Dico autem bene, non voluptuose, non insolenter, aut splendide, sed prudenter, sed sobrie, sed honeste, in quibus nullum sibi ius esse (quamuis insolens) fortuna fatebitur. Et certe cum nec toto quod est vsquam, auro, neque omni gemmarum pompa, atque omnigenum rerum copia cupiditas expleatur, paucis admodum, & si desint, seu linguæ vel manus artificio comparandis tollitur aut lenitur necessitas naturalis. Sic virtuti modicum, vitio nil sufficit. D. Victum vestitumque necessarium auara sors negat. R. Aliunde petendum. Virtus liberalior quam fortuna est, nihil negat, nisi quod & permissum noceat, & negatum prosit, nihil eripit nisi quod habuisse damnosum, amisisse vtile sit. Non differt, non imperat, nō retrahit manum, non rugat frontem, non attollit supercilium, nullum despicit, nullum destituit, nullum fallit, non sæuit, non irascitur, non mutatur, vna semper, & vbique est, nisi, quod magis, magisque degustata dulcior in dies & propius conspecta fit pulchrior. Vt sis igitur verus diues, ab hoc poste non te fallit, diet, nec repellet, quamuis exerceat, difficiles habet aditus primos, cætera prona, iucunda, facilia. Semel vero vbi ad illam perueneris, non senties paupertatem. D. Spoliauit me bonis meis omnibus fortuna. R. Fallit te opinio, malum commune mortalium. Nam profecto non bonis & (vt bona permiserim) non tuis, sed quæ tua forsitan vulgi more credideras. Miror que si nondum intelligis aliena. D. Fortuna nudum liquit atque inopem. R. Virtus te vestiet ac ditabit, nisi forte pluris aurum & purpuram quam decorum generosæ mentis habitum facis. Quod si faceres, tunc vere inopem nudumque te dicerem. D. Contra fortunæ impetum, & inopiæ molestias, nullo satis artificio tutus sū. R. Quid miraris? Artificium tuum omne, & arma quibus te tueri cogitas in manibus hostis sunt. Illa capulum tenet. In te cuspis obuersa est. Si consilium quæris his omissis age aliud, artibusque illis ingenium applica in quibus fortuna ius non habet. Non diuitijs virtus, sed virtute diuitiæ quæruntur. Virtus vna contra fortunam omnem contraque pauperiem ars optima. Legisti vt ad littus Rhodium naufragio eiectus Aristippus, & ipse nudus inopsque rerum omnium quas dare potest fortuna vel auferre, dum locorum nouitate captus (vt fit) oculosque circumferens forte illos in quasdam descriptiones geometricas defixisset, exclamans consolatus est comites, & bono animo iussit esse, neque enim desertis locis applicuisse, cernere se hominum vestigia: inde oppidum ingressus ad Gymnasium literarum recto calle contendit. Atque ibi philosophicis disputationibus admirationem primo, dehinc amicitias, optima tādem & munera meruit, quibus non tantum sibi, sed etiam socijs victum, ac vestitum, & profectioni necessaria ministraret. Cumque digressuri quærerent, quid ille nunciari domi vellet, hoc vnum iussit nunciarēt, eas opes filijs parandas quæ naufragio non perirent, quas nec maritima, nec vrbana, nec bellica tempestas eriperet: præclare. D. Rerum atque animi inops sum. R. Primum te expeditum, secundum plane inopem facit, & miserum. Sed vt Aristippi consilium, sic & Theophrasti dictum te legisse arbitror. Quid vero lectio sola profuerit? & meminisse oportet, & in vsus tuos lecta conuertere. D. Domo, familia necessaria, atque ornamentis omnibus spoliatus? Quid agam? quo me vertam? R. Ad eas opes, quibus spoliari nequeas, quæ te vndique comitatum diuitem, & ornatum præstent. Et quoniam (vt video) excitanda memoria est: Theophrasti quod memorabam dictum, ad hunc se habet modum. Doctum ex omnibus solum, neque in alienis peregrinis, neque amissis familiaribus, & necessarijs inopem amicorum, sed in omni ciuitate esse ciuem, difficilesque fortunæ sine timore posse despicere casus. At qui non doctrinarum, sed felicitatis præsidijs putaret se esse vallatum labidis itineribus vadentem non stabili, sed infirma conflictari vita. D. Patrimonium paternum habui, perdidi. Quid consilij capiam? R. Patrimonium paternum duplex. Alterum ex rebus parentibus, quod fortuna moderatur: virtutibus, & doctrinis alterum, quod extra fortunæ regnum procul in tuto positum, lædi nequit, hoc est illud, quod in primis amantissime patres filijs tradunt quod nisi repudietur, eos in finem, & post finem, vitæque exitum, exornat: possessoribus suis non æquæuum modo, sed viuacius, multoque perennius. Idque attendens illa nobilis morum, & eloquentiæ & legum parens Athenarum ciuitas, cum Græcarum omnium leges vrbium indistincte filios ad præstanda parentibus alimenta compellerent, eos solos statuit oportere, qui liberos erudissent, quod hi soli patrimonium certum suis stabile relicturi essent. D. Multa mihi ad vitam desunt. R. Cui pauca sufficiunt, quomodo desint multa non video. Sed deesse vitæ dicitis, quod auaritiæ deest. Ita fit vt non multa tantum, sed omnia vobis desint, & quæ habetis, & quæ cupitis, quod & illa tangere non audetis, & hæc assequi non valetis, vtrobique par, vel miseria, vel egestas. D. Nimium pauper dego. R. Solare animum comitibus magnis, & illustribus. Valerius Publicola vnus e Romanæ libertatis authoribus, Menenius Agrippa Romanæ sequester pacis, vnde sepelirentur, quia de proprio non erat, de publico habuere. Paulus Aemilius, Macedonum regum victor finitorque regni famosissimi & antiqui, tam diues gloriæ, tam pecuniæ inops fuit, vt nisi agello tanti viri vendito restitui coniugi dos non posset. Attilius Regulus, Cneus Scipio, Quintus Cincinnatus Romani imperij defensores, tanta rei familiaris inopia fuere, vt primus in Africa maximas res gerens, secundus in Hispania, ille propter villici mortem, hic propter filiæ dotem missionem a senatu petere cogerentur, & obtinuissent, nisi senatus Reipublic. consulens optimorum ciuium succurrisset inopiæ: Quinto autem quaterna agri iugera aranti, senatus & populi consensu rebus in extremis summum imperium deferretur. Huc accedant Curius hortulo diues, & Fabricius paruo potens, qui oblatas contempsere diuitias & nihil præter ferrum, deaurataque, animum habentes, ditissimum, Græciæ Regem, ac potentissimum Italiæ populum domuere: Aut ipsi æque, ac ferro inexpugnabiles & inuicti. Et quid loquimur ciues? Cum & ipse populus Romanus omnis eximiæ fons atque exemplar historiæ tam diu bonus fuerit (vt dicere cœperam) quam diu pauper fuit: At libidinibus probrisque Nero obrutus opes suas metiri ac dinumerare non poterat. At Heliogabalus effœminatissimus, turpissimusque hominum, ac vestri pudor imperij ventris onus (dictu fœdum & auditu) sed pro fœda cupiditate mortalium forsitan non silendum, non nisi auro excipi dignabatur, cum non superiorum modo talium virorum cœnas, sed deorum sacra fictilibus agi solere meminisset. Vrbs misera ad tam turpes manus fatis lapsa volentibus. Sed o aurum auaritiæ votum ingens. O spes vltima, & laborum terminus humanorum, in quos vsus oculorum stupor ac mentium vertebaris, laudarem factum, aut certe non arguerem, quod errori hominum tam obscœno nulla aptior esset irrisio, si ab homine sanæ mentis id fieret. Nunc præclaras optandasque diuitias, quis negare audeat, quæ si ferro ac scelere peti velint dum sic spretis optimis, sic pessimis affluunt? D. Pauperem in laboribus vitam duco. R. Cleanthes hauriendæ aquæ, & rigandis oleribus: Plautus sarcinas molæ manuariæ locare operas vrgente inopia coactus est. Quantus ille philosophus, hic poeta? Simulque quam pauper ille, hortulanus, hic pistor? reliquias temporum necessariæ debitas quieti (tanta animi vis erat) philosophicis ille vigilijs dedicans. Hic scribendis quas venderet comœdijs. Lactantius Firmianus vir doctrinæ multiplicis, rarique inter suos eloquij, filij quoque summi principis magister. Idem in summa rerum omnium etiam communium egestate vitam egit. Pauper natus est Flaccus: Inops viait Pacuulus, Inops Statius. Vterque victus causa fabulas venditauit. Inops demum aliquando Vergilius: Donec præter suum morem,

opes ingenio accessere. Multa sunt talia, quolibet hominum in statu, & omitto illos, quoniam nimis multi sunt, qui cœlestium opum desiderio non inopiam modo, sed famem, sitim, nuditatē, & extrema omnia in terris, non æquis tantum, sed lætis atque exultantibus animis elegerunt. Si his quasi exemplis humilibus atque terrestribus non moueris. Ipse cœli dominus hic pauper fuit, vt exemplo doceret hanc inopiæ viam esse, qua tamen ad veras diuitias pergeretur. Ipse, inquam, per quem Reges regnant, pauper natus, pauper vixit, nudus obijt, cui cuncta interim obsequebantur elementa. Tu homuncio domini tui sortem fers moleste, nec ineptæ pudet insolentiæ? Certe quisquis illum cogitans se virtute vallauerit, in ipsa paupertate ditissimus, nihil huiusque egenaret, opes regias non requiret. D. Nulla mihi opum copia est. R. Vt animo inopi, ac deiecto nullæ sufficiunt opes, sic diuiti, atque erecto nulla non sufficit paupertas. Nempe ille alieno nititur, hic proprio fidit, ædificare in alieno iactura est, quæstus in proprio. D. Pauperrimus sum. R. Si necessitatibus obsequeris, pauper nunquam esse potes: si cupiditatibus nunquam diues. D. Hactenus pauper, imo mendicus sum. R. Fortuna humanum non stat. & vt summis ex opibus ad inopiam extremam, sic a paupertate vltima, ad diuitias magnas creber est transitus. Legisti reor apud Quintum Curtium historicum, vt Abdolominus quidam Alexandri iussu seu permissu, ex hortulano inopi Sidonis Rex, & contemptu Regi maior est habitus quam regno. Certe quod non legisse non potes, & Romulus è pastorali Tugurio tantæ vrbis conditor Romanum primus diadema suscepit, & Regum sextus ex humillima (vtque aliqui crediderē) e serui fortuna, ad ipsum regni culmen ascendit, nec Alexandri Priamidæ, nec Cyri filius inter Persarum Reges famosissimi inter opulentiora primordia, aut alia fere sunt rudimenta quam Romuli. Gaius Marius, qui fuisset & futurus sæpe esset Romæ consul, & antequam honorum gradus vllos attingeret mercenarius arator, primos in aruis vitæ annos egerat, & deinde post tot victorias ac triumphos, interque illos suos septem consulatus, præter latebras, palustres, ac carcerem, exiguum quoque mendicauit panem. Iulius Cæsar futurus mundi dominus, & testamento dominus mundi relicturus adolescens pauper fuit. Tu hæc talium comitiua non potes, aut sperare opes, aut contemnere. D. Solito pauperior sum. R. Bene habes, & forte eris humilior, expeditior, liberior. Vacui amant incedere, qui arduum iter agunt, crebris solutis opibus, simulque solutis muribus, ac furibus, & proteruis seruis, hisque quibus solent abundare diuitiæ fictis amicitijs, sequacibus atque tenacibus parasitis, totoque illo grege domestico arridentium tibi, teque ridentium atque rodentium. Denique si amissas opes, cum amissis tædijs conferas, lucrum voces. Certe vt securitatem sileam, humilitatem, sobrietatem, requiem, modestiam paupertatis comites, si nihil boni aliud illa secum afferret, quam quod & fallacium gregibus adulantium & feruorum tyrannide superborum liberat, abunde erant causæ, vt non ferenda modo esset, sed optanda, imo etiam accersenda pauperies. Sed iam satis hic. Maior enim quam pro re querela est, quam in te mirarer, nisi olim ferme in omnibus notassem, nullum grauius, nullum crebrius lamentum, adeo nihil inter homines paupertate melius, nihil odiosius. D. Pauperior sum in vita. R. Eris lætior in morte. Nemo tam pauper vixit, vt moriens nollet vixisse pauperior.

A P O P H T H E G M A T A.

Chilon, damnum dicebat lucro iniucundo semper præferendum esse: illud enim semel dolere, hoc autem semper. *Laert. lib. 1. cap. 4. Stob. serm. 1.*

Anaxagoras, post diutinam peregrinationem domum reuersus, cū reperiret patriam possessionesque suas desertas: Nisi, inquit, ista perijssent, ego saluus non essem, quod calamitas illum adegisset ad philosophiam; rebus autem integris mansisset intra penates suos. Ita sæpenumero prospera sunt homini, quæ videntur aduersa: & quod damnum putatur ingens, lucrum est maximum. *Laert. lib. 2. c. 3.*

S I M I L I T V D I N E S.

Chrysostomi: Fabricam, quæ super arenam fundata est, etiamsi flumina venti non vrgeant, ipsa tamen paulatim affluens, instabilis arena ædificij crepidinem subruit & euertit: nam arenæ sponte rumpuntur. Adamas vero nec malleis casus infringitur: Ita ergo, qui a seipso non læditur, etiamsi fundatur ab alijs, non potest lædi: qui vero cum sua ignauia proditur, etiam malo perurgente, deficit sponte. *Hom. 30. Quod nemo læditur nisi a seipso*

Quæ sit virtus, similitudinem ex corporis substantijs capiamus. Verbi gratia, videamus, quæ sit equi virtus? Nunquid in argenteis frenis, pulchrisque ephippiis, ac sericis flammulis, phalerisque gemmatis, iubaque aureis intexta funiculis equi virtus indicatur: an velocitate cursus, fortitudine pedum, gressusque cautela, ac pectoris firmitate, cunctisque, quæ itineri conficiendo apta videntur, aut prælijs peragendis, vt vel intrepidus hostem petat, vel in aduersis proprium possit ab exitio liberare sessorem? Nonne in his potius equi virtutem, quam in illis, de quibus supra dictum est, declarari? Quod autem & reliquorum animalium, nonne in eo omnis probitas habebitur, si vel ferre onera fortiter, vel robusta possunt mouere carpenta? Nunquid volens aliquis probare animal, ad ea respicit, quæ ei superposita viderit, an (vt diximus) si non potius membris, vngulis validum sit, inspicietur? Item, si vineam probare volumus, nunquid ad hoc inspicimus, si latos habeat pampinos, aut flagella diffusa, an illud magis aspicimus, si densior ei fructus sit, & vua fœcundior? Similiter de oliua, & huiusmodi arboribus contemplamur. Igitur eodem modo quoque de hominibus agamus, discutienteique, & vbi vera sit hominibus virtus, & tunc eum lædi putemus, cum in ipso fuerit læsus. *Hom. 30.*

Socratis: Quemadmodum equus damno fit ei, qui nesciens tentaret vti eo: Sic etiam frater damno fit, cum quisquam vti eo tentet nesciens. *Apud Xenophontem lib. 1. de dict. & fact. Socratis. Stob. sermon. 28.*

Vrtica sine aculeis adurit, ac vulnerat sola lanugine, soloque contactu: Ita quidam non aperta vi, sed clanculum nocent. *In similibus.*

Vti pyralis, vltro aduolans lucernis, adustis alis, collabitur, ac perit: Sic quidam ipsi sibi accersunt perniciem. *In simil.*

Semen scorpio nunquam post a vespis, crabronibus, aut apibus feriuntur: Ita nullum est incommodum, quod non commoditatis aliquid habeat adiunctum. *In similib.*

Simia cum imitetur hominem, tamen animal est omnium deformissimum: Ita si quis affectet, quod optimum est, nisi feliciter affectet, incidit in id, quod est pessimum. *In similib.*

E M B L E M A.

In eum, qui sibiipsi damnum apparat.

Emblema LXIX.

Capræ lupum non sponte meo nunc vbere lacto,
Quod male pastoris prouida cura iubet.
Creuerit ille simul, me a me post vbera pascet a
Improbitas nullo flectitur obsequio.

F A B V L Æ.

Simia.

Magnum esse amorem erga natos simiarum accepimus: sed duobus partu editis, alterum ut unice diligere matrem, & gestare manibus, & frequenti complexu sæpenumero necare. Quæ igitur fugiebat canes cum gemino fœtu, chariorem manibus comprehēsum, alterum de ceruice pendentem gestabat. Cursu autem fatigata, lassatis e manibus elapsus simiolus cum vrgente vi canum tolli non posset, perijt: alter, qui collum matris arctissime amplexerat, acceptus est, conseruatur. Hunc postea illa solum ita vehementer, vt prius alterum, amauit.

Fabula ostendit, vnius sæpe damna alteri prodesse.

Canis & Lupus.

Iacebat forte ad stabulum dormiens canis, quem oppressum dilaniaturus lupus, mitigatur commoditate orationis, & blanditijs promissorum. Vides enim, inquit canis, quam hoc tempore extabuerit macie corpus meum. Nam non diu est, cum grauissimo morbo liberari cœpi. Et prope est tempus dictum nuptijs heriilis filij, tum ego sagina nitorem pristinum facile recuperauero, vt postea laute de me epulaturus esse videare. His verbis lupo persuasit, vt in præsentia se amitteret. Post dies aliquot reuersus ad idem stabulum lupus, videt canem sub tecto domus iacentem placide acquiescere, quem ad se descendere iubet, & facere promissa. At canis illum deridens: ego tibi, inquit, lupe, consilium dare volo: Ne, si post hac vnquam me ante stabulum sopitum deprehenderis, vllas magis expectes nuptias.

Indicat fabula, homines sapientes, si qua forte in re offenderint, aut periculum adierint, non committere, vt se eidem iterum discrimini committant.

Pastor & Mare.

Pastorem, qui gregem suum forte appulisset ad mare, quum cerneret illud stare placidum & quietum, cupiditas cœpit nauigandi, & mercaturas faciendi. Venditis igitur ouibus suis, mercatur palmas, & in nauem imponit, atque ita in altum prouehitur. Orta autem tempestate, quum periculum esset, ne nauis fluctibus deprimeretur, mercibus eiectis in vndas, ægre vacua nauis fuit seruata. Post dies pauculos, quum ad mare pastor tristis sederet, prætereunte quodam, & secum tranquillitatem maris, nam tempestas abierat, admirante: Ego, inquit, pastor scio, quid sibi velit hæc maris tranquillitas, nam alias palmas profecto quærit, quas deuoret.

Docet fabula, malis acceptis homines cautiores in posterum reddi solere.

D E B I T V M.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Debitum, Hebraice *Keb*. Ezech. 18. 7. debitum & debitor. Item *Maschschah*, a verbo *Maschschach*, manum contrectauit,

stauit, vt solent facere debitores: de qua cæremonia multis locis meminit Salomon, libro Prou. Græce ὀφειλω, ἀτος, τὸ. & ὀφείλω debeo dicitur, quod est, obligatus sum: quo verbo communis actio comprehenditur, vt sentit Vlpianus, siue ciuilis sit, siue honoraria, siue fideicommissi persecutio. Inde fit debitor, qui, vt Modestinus, inquit, is proprie dicitur, a quo inuito exigi pecunia potest. Et debitum id, quod debetur, & debitio ipse actus. *Cicero: Postquam dissimilis est pecuniæ debitio & gratia: nam qui pecuniam dissoluit, statim non habet id, quod reddidit: qui autem debet, æs retinet alienum: Gratiam autem & qui refert, habet: & qui habet, in eo ipso quod habet, refert.* Debita, ea Syri sermonis idiotismo, pro peccatis, Matth. 6. 12.

Patrum Sententiæ.

Sic sub authoritate superbia & humanus timor sub humilitate se palliant, vt sæpe nec ille valeat considerare, quid Deo, nec iste quid debeat proximo. *Greg. in Mor.*

Deputemus intelligentiam datam quasi pecuniam mutuatam: quo plus nobis creditur ex benignitate, eo debitores amplius tenemur in opere. *Ibid.*

Stultus est debitor, qui gaudens pecunias accipit: & tempus, quo reddere debeat, non attendit. *Ibid.*

Debitores sumus præcipue quinque, scilicet, corpori, cordi, fratri, sanctis, & mortuis. *Bern. de verb. Domini.*

Poeticæ Sententiæ.

Ex Comicis Græcis.

Ἀπόδος ὅσον τοι ἄνθρωπος ἄν ποτε λαβεῖν. [illegible]
Reddas quod est datum, vt iterum detur tibi.
Τὰ δ' ἄνευ τόκων τοὺς ἐλευθέρους ποιεῖ. [illegible]
Fœnus frequenter liberos seruos facit.

Apophthegmata.

Anonymus, Philosophus quidam Pythagoricus cum a calceatore sibi emisset phecassia (est autem calceamenti id genus) non habuit pecuniam, qua solueret in promptu. Verum quum paulo post rediret ad tabernam, vt solueret sutorem, audit eundem iam iam defunctum esse. Gratulabundus igitur Philosophus de lucro, pecuniam domum retulit. Postea quam se colligeret, videt se male fecisse, arrepta igitur pecunia, ait: Tibi viuit calceator, alijs mortuus: & accedens eius tabernam, nummos in eam proiecit, ne videretur homini etiam defuncto denegare id, quod æquo debebat iure. *P. M. lib. 6. apoph. ex Senec. lib. 7. de benef.*

Phocion, quum Athenienses olim sacrificia instituissent, peterentque a ciuibus, vt vnusquisque aliquid de suo ad complenda sacrificia adderet: Phocion Atheniensis afflagitatori respondisse dicitur: Puderet, si vobis adderem: at huic (debitorem digito ostēdens) cui debeo iure, nihil redderem. Sunt qui putent, se Deo facere rem gratam, si ad cultum idolorum multos conferant nummos. At Phocion, vir sapientissimus, sensit Deo multo gratius esse, si satisfacias ijs, quibus debes. *Eius autem dictorum leges apud Plutarchum in [illegible] apoph.*

Lycurgus, assiduum esse, dignumque, cui debitum credas, in opibus: at inde dignum in moribus situm esse dicebat. *Maximus serm. 1. de Virtute.*

Persæ dicebant, duo esse peccata inter homines turpia: quorum primum est, debitorem esse, alterum, mentiri. Coniunxerunt autē hęc duo, ideo nimirum, quod vnum raro sit siue altero, qui enim ære alieno obstricti sunt, pollicentur in dies se satisfacturos, nec tamen præstant quod promissum est semel atq; iterum. *Herodot.*

Augustus Cæsar, equite Romano quodam defuncto compertum est illum tantum habuisse æris alieni, vt summam ducenties nummum excederet: idque, dum viueret, celauerat. Cum igitur res illius auctioni subijcerentur, vt ex pecunia creditoribus satisfieret. Augustus iussit sibi emi culcitram illius cubicularem: ac mirantibus hoc præceptum. Habenda est (inquit) ad somnum mihi conciliandum illa culcitra, in qua ille tanto ære alieno obstrictus, somnum capere potuit. Nam Augustus ob ingentes curas, sæpe maximam noctis partem ducebat insomnem. *Macrob. lib. 2. c. 4 Sat.*

Plutarchus, pedem & manum, si computruerit, dicebat nos resecare, & quidem data mercede: ita domum & famulitium subijciebat abijciendum esse, vt ab ære alieno liberemur, hoc est, vt liberi fiamus. *In Moralib.*

Similitudines.

Syracida, qui domum suam ædificat pecunijs alienis, similis est congerenti lapides in tumulum sepulturæ suæ *cap.* 21.

Theodoretus: turpe esset si ludorum præfecti athletis dona non darēt quæ promiserunt: etiam operarios conductos mercedem ferentes dimittimus. Et quisquā a Christo patrefamilias in vineam vocatus, illi non donatus abibit? *Serm.* 10.

Polyanthea Noua.

Plutarchi. Cholerici qui purgari nolunt sub tempus, collecta indies maiore bile, postea grauiter discruciantur. Sic qui sinunt fœnus accrescere, cum adest dies, grauiter a capite laborant. *In Moralibus.*

Vt equus semel accepto freno, sessorem alium post alium fert: sic qui semel inciderit in æs alienum, nunquam explicatur. *In Moralibus.*

Qui dicunt, Carebo domo, carebo famulitio, ne debeam: perinde faciunt, ac si hydropicus dicat medico, Ego gracilis fiam ac inanis, nam nihil refert, quam gracilis sit, modo sanus. *In Moralibus.*

Vt pedem & manum, si computruerit, data mercede resecamus: ita domus aut famulitium abijciendum, vt liberemur ære alieno: hoc est, vt liberi fiamus. *In Moral.*

Plinius: sicuti polypus quicquid brachijs attigerit, suctu tenet & attrahit: ita difficilimum est euellere de manibus quorundam, si quid nacti fuerint. *lib. 9. c. 39.*

DECEPTIO.

Definit. et Etymolog.

Deceptio, Græce ἀπάτησις, ἡ. & ἀπατεών, ῶνος, ὁ, deceptor dicitur, & ἐξαπατάω, decipio. Est autem deceptio, corruptio scientiæ. *secundum B. Thom. 1. 2. q. 13. art. 1.*

Hebræi varijs modis verbum Latinum decipere, a quo verbale deceptio fluit exprimere videntur. *Pathah*, suasit, decepit suadendo, illexit & induxit proximum ad credendum aliquid. Inde *Pethajuth*, deceptio, persuadentis respectu, credentis autem fatuitas: & *Pethi*, fatuus, simplex. Gall. *Simple*: vide *Prou.* 1, 22. & 9. 13. & 14. 15. & 22. 3. *Rimmah*, præcipitauit aliquem dolis, decepit. Inde *Remijah*, deceptio, fraus, impostura. *Psalm.* 32. 2. & *Mirmah*, dolus, *Psalm.* 5. 9. *harmith*, item & *Tharmah*, fallacia, impostura, *Psalm.* 119. *versic.* 118. *Iudic.* 9. 31. *Sophon.* 3. 13. *haschah*, fraudulentis verbis decepit aliquem, Inde *Hoschek*, [illegible], calumnia, alienarum facultatum occupatio, *haschaq* item, & plurali numero *Hoschaqoth*, defraudationes, opes fraudibus collectæ. *Prou.* 28. 16. *Iesai.* 33. 15. fraudulentorum hominum ingenium illis vocibus prolixè depingitur.

Decipere est deludere, defraudare. Inde decipula, quod est genus laquei ad decipiendas & capiendas feras, παγίς. *Laces, trebuschet.*

Poeticæ Sententiæ.

Plaut. Capt.

Nunc certum est nulli post hac quidquam credere,
Satis sum deceptus semel.

Ouid. 2. Pont 7.

Proxima subsequitur, quid agas, audire voluntas:
Et modo si quid agas, sit tibi cura mei.
Nec dubito quin sit, sed me timor ipse malorum
Sæpe superuacuos cogit habere metus.
Da veniam quæso nimioque ignosce timori:
Tranquillas etiam naufragus horret aquas.

Ibidem.

Membra reformidant mollem quoque saucia tactum,
Vanaque sollicitis incutit vmbra metum.
Sic ego Fortunæ telis confixus iniquis,
Pectore concipio nil nisi triste meo.

Sen. Theb.

Quoties necesse est fallere aut falli a suis,
Patiare potius ipse quam facias scelus.

DECIMA.

Definitio et Etymol.

Decima, Græce δεκάτη, ης, ἡ. & δέκα, decem dicitur. Est autem decima portio vna ex decem. Veteres ex vnaquaque re decimam offerre dijs solebant. *Plautus: Vt decimam solueret Herculi.* Ab hoc autem verbo, decimo deducitur, quod est decimam partem detraho, *hasarah*. Hebr. decem significat. Inde Decima, siue Decimæ, arum, *Maasser*, decima pars quarumcumque rerum, quæ persoluitur Deo & Principibus. Lex decimarū sub lege politica fuit, quatenus iure Mosaico speciali vel particulari hæ partes stipendij Sacerdotum erant. Ante legem datam, Sacrificiorum impensis & rebus alijs ad externum Dei cultum conseruandum pertinentibus Decimæ applicabantur. Ceremonia deinde tali decimarum ablatarum Iudæi testabantur, quod omnia sua, seq; adeo ipsos Deo authori & omnium bonorum largitori debebent. Accedit & his morale aliquod genus, quod sua ministris Ecclesiarum stipendia debeantur, de quibus Imperatorum & Conciliorum variorum constitutiones extant.

Decimæ enim est omnium bonorum iuste quæsitorum pars Deo debita, *Extra, A tuam hic.* Quidam sic distinguunt primitias a decima, quod primitiæ sunt frugum, aliorum vero dicitur decima.

Sententiæ Biblicæ.

Et dedit ei decimas de omnibus. *Gen. 14.*

Vouit etiam votum, dicens: Si fuerit Dominus mecum, & custodierit me in via, per quam ambulo, erit mihi Dominus in Deū, cunctorumque, quæ dederis mihi, decimas offeram tibi. *ibid. 28.*

Omnes decimæ terræ, siue de pomis arborum, siue de frugibus, Domini sunt, & illi sanctificantur. Si quis autem voluerit reddere decimas suas, addet quintam partem earum. Omnium decimarum bouis & ouis & capræ, quæ sub virga pastoris transeunt, quidquid decimum venerit, sanctificabitur Domino. Non eligetur nec bonum, nec malum, nec de altero commutabitur. *Leuit. 27.*

Filijs autem Leui dedi omnes decimas Israelis in possessionem pro ministerio, quo seruiunt mihi in tabernaculo fœderis, vt nó accedant vltra filij Israel ad tabernaculum (fœderis) nec committant peccatum mortiferum foris, filijs Leui mihi in tabernaculo seruientibus, & portantibus peccata populi. *Num. 18.*

Nihil aliud possidebunt, decimarum oblatione contenti, quas in vsus eorum, & necessaria separaui. *ibid.*

Quo ad donum.

Decimas & primitias tuas non tardabis offerre Domino. Primogenitum filiorum tuorum dabis mihi: de bobus quoque & ouibus similiter facies. *Exod. 22.*

Primitias frugum terræ tuæ deferes in domum Domini tui. *ibidem 23.*

Decimam partem separabis de cunctis fructibus tuis qui nascuntur in terra per singulos annos. *Deut. 14.*

Anno tertio separabis aliam decimam. *ibid.*

Omnia quæ offeretis ex decimis & in donaria Domini separabitis, optima & electa erunt cuncta. *Num. 18.*

Et non peccabitis super hoc, Egregia vobis & pinguia reseruātes, ne polluatis oblationem filiorum Israel, & moriamini. *ibid.*

In omni dato fac hilarem vultum tuum, & in exultatione sanctifica decimas tuas. *Eccles. 35.*

Da altissimo secundum datum eius, & in bono oculo adinuentionem facito manuum tuarum, quoniam Dominus retribuens est, & septies tantum reddet tibi. *ibid.*

Inferte omnem decimam in horreum meum, & sit cibus in domo mea, & probate me super hoc, dicit Dominus: si non aperuero vobis cataractas cœli, & effudero vobis benedictionem vsque ad abundantiam, & increpabo pro vobis deuorantem, & nó corrumpet fructum terræ vestræ nec erit sterilis vinea in agro, dicit Dominus exercituum. *Malac. 3.*

De filijs Leui sacerdotium accipientes, mandatum habent decimam sumere a populo, secundum legem, id est, a fratribus suis. *Hebr. 7.*

Patrum Sententiæ.

Hæc est domini iustissima consuetudo, vt si tu illi decimam non dederis, tu ad decimam reuocaberis: id est, dæmonibus, quæ est decima pars Angelorum, associaberis. Dabis, inquit, impio militi, quod non vis dare sacerdoti. *Aug. de doctr. Christ.*

Si decimam dederis, non solum abundantiam fructuum recipies, sed etiam sanitatem animæ & corporis consequeris, quia decimas dando, & terrena & cœlestia possis præmia promereri. Vnde qui decimas dare nolunt, res alienas inuadunt: & dominus qui dignatus est totum donare, decimas a nobis dignatus est recipere. *ibid.*

Attende quod creatura decima inter intellectuales creaturas est homo, quia Angeli in nouem ordinibus, decimus autem ordo est hominum. Et ideo est hominis decimam soluere ve ruinam Angelorum valeat supplere. *In serm. de Decim.*

Iustitiam, misericordiam, & fidem propter suam gloriam mandauit Deus, sed propter sacerdotes. *Chrys. in Matth. 23.*

Quia non reddidistis decimas & primitias, ideireo in penuria & fame maledicti estis: quia dum parua subtrahitis, vbertatem possessionum vestrarum & totam abundantiam frugum perdidistis. Sciatis vos ideo perdidisse abundantiam: quia fraudatis me partem mea. Moneo igitur vt reddans mihi mea, & ego restituam vobis vestra. *Hier. in gl. super Malac. 3.*

Sacerdotes qui propter decimas corripiunt populum, & maiora peccata tacent, docent colare culicem & deglutire camelum: id est, a modico abstinere, & maiora committere. *Chrysost. ibid.*

Decimæ tributa sunt egentium animarum, quod si decimam dederis, non solum abundantiam fructuum recipies, sed etiam sanitatem corporis & animæ consequeris. Non igitur Dominus Deus præmium postulat, sed honorem.

Decimæ etenim ex debito requiruntur. Et qui eas dare noluerint, res alienas inuadunt. Et quanti pauperes in locis suis vbi ipse habitat, illo decimas non dante, fame mortui fuerint, tantorum homicidiorum reus ante æterni iudicis tribunal apparebit: quia rē a Deo pauperibus delegatam, suis vsibus reseruauit. Qui ergo sibi aut præmium comparat, aut peccatorum desiderat indulgentiam promereri, reddat decimam, etiam de nouem partibus studeat eleemosynam dare pauperibus. *August. de doctr. Christ. & habetur 16. q. 1. Decima.*

Si quando fames & penuria rerum omnium egestas opprimit mundum, sciamus hoc extra Dei descendere, qui se in pauperibus, si non accipit eleemosynam, fraudari loquitur, vt suas possessiones possimus decimas & primitias interpretari. *Hieron. super Malach.*

Quoniam quidquid habent clerici, pauperum est: & domus illorū omnibus debent esse communes: susceptioni peregrinorum & hospitum inuigilare debent. Maxime curandum est illis, vt de decimis & oblationibus, cœnobijs & xenodochijs qualem voluerint & potuerint sustentationem impendant. *Hier. Damaso Papæ, & habetur 16. q. 1. Quoniam quidquid.*

Quicunque recognouerit in se, quod fideliter non dederit decimas suas, modo emendet, quod minus fecit. Quid est fideliter dare decimas, nisi vt nec peius, nec minus aliquando offerat de grano, aut de vino, aut de fructibus arborum atque pecoribus, aut de hurto, aut de negocio, aut de ipsa venatione sua. *Ambros. in serm. 40.*

Presbyter si per pecuniam Ecclesiam obtinuerit, non solum Ecclesia priuetur, sed etiam sacerdotij honore spolietur. Quia altare & decimas, et Spiritum sanctum emere vel vendere, simoniam hæresim esse, nullus fidelium ignorat. *Gregorius in Registro.*

Exempla Biblica.

Decimæ præcipiuntur, *Exod. 22. vers. 29.* Decimæ pro Leuitis, peregrinis, pupillis & viduis tertio anno separandæ, *Deut. 14. vers. 29. 28. 2. Paralip. 31. v. 4. 5.* offeruntur. *Exempla:* Abraham, *Genes. 14. vers. 20. Hebr. 7. vers. 4. Iacob, Genes. 28. vers. 20.* Israelitæ, *2. Paral. 31. vers. 4. 5.* Iudæi, *Nehem. 13. vers. 12.* Tobias, *Tob. 1. vers. 6.* Pharisæus, *Luc. 18. vers. 12.* Decimæ Leuitarum hæreditas, *Num. 18. vers. 21. 24. Deuteron. 10. vers. 9. & 14. vers. 29.* Decimæ a populo vt a Leuitis edendæ, *Deut. 12. vers. 17. 18. & 14. v. 22.*

Decimarum persolutio & exactio, *Matth. 23. 23. Luc. 18. 12. Hebr. 7. 5.*

Quo tempore autem, & a quibus consuetudo inualuerit, vt decimæ ad Christianas Ecclesias peruenerint, non satis certe liquet. *Hermannus Gigas* author est, Constantinum Magnum primo præcepisse, vt de rebus omnibus decimæ Ecclesijs soluerentur.

In *Synodo Matisconensi* 1. 1. anno 587. habita, *can. 5.* tale de decimis decretum legitur: Leges diuinæ consulentes sacerdotibus ac ministris Ecclesiarum, pro hæreditaria portione omni populo præceperunt, decimas fructuum suorum locis sacris præstare: vt nullo labore impediti per res illegitimas, spirituali bus possint vacare ministerijs. Quas leges Christianorum congeries longis temporibus custodiuit intemeratas. Vnde statuimus, vt decimas Ecclesiasticas omnis populus inferat, quibus sacerdotes aut in pauperum vsum, aut in captiuorum redemptionem prorogātes, suis orationibus pacem populo ac salutem impetrent. Si quis autem contumax nostris statutis fuerit, a membris Ecclesiæ omni tempore separetur.

Alb. Krantzius scribit, Carolum Magnum, tributa Christianis remisisse, & eorum loco decimas Ecclesijs & Episcopis assignasse. *Metropol. lib. 1. c. 8.*

Duriensis Synodus, anno 779. sub Carolo Magno habita, *Can. 10.* sancit, vt decimæ soluantur, & dare nolentes, non Ecclesiasticis tantum excommunicationibus, sed a Reipub. quoque ministris coerceantur.

Eiusdem Caroli iussu habita etiam est *Synodus Moguntina*, anno 843. in qua, *can. 38.* Admonemus (inquit) vel præcipimus, vt decima de omnibus dari non negligatur, quia Deus ipse sibi dari constituit. Quia timendum est, vt quisquis Deo debitum suum substrahit, ne forte Deus propter peccatum suum auferat ei necessaria sua. Plurimæ aliæ extant de decimis Conciliorum sanctiones.

Quomodo autem factum sit vt decimæ per Imperatorum Christianorum donationibus & Decretis Synodorum Ecclesijs (in vsus canonicos, pios, legitimos, nempe ministerij Sacri conseruatione, ministrorum Ecclesiasticorum honesto stipendio, pauperum varij generis alimonia & redemptione, locorum sacrorum reparatione vel fabrica, destinatæ, ad Laicorum vt vocant manus peruenerint, *Alb. Krantzius* refert, *Metropol. lib. 1. c. 1.*

Carolus Magnus cum Saxones victos a dæmonum cultu ad Christianismum traduxisset, Ecclesiam primam Episcopalem in illa regione ædificauit, cui præfecit VVilhonem, Frisium origine, eique de prouentibus, vnde cum clero suo viueret, assignauit. Ferunt autem (inquit ibidem, *Krantzius*) indictas a populo decimas de more Christianorum, oua

proae-

prouenisse Pontifici illi primum, sed regijs præfectis, vt stipendia in de militibus & sumptus fierent, crebrarum in eam gentē expeditionum. Addit porro, Annale, testari hinc ortum, vt in Saxonia & alibi multarum decimarum exactiones sint in manibus laicorum.

Idem *Krantzius* aliam huic rei causam accessisse conijcit. Cū enim non satis fiderent Pontifices sua iura a laicis principibus tueri, dedisse arbitratur partem decimarum principibus in manum, per speciem feudi & beneficij, malentes amittere dimidium quàm totum. Inde factum vt a principibus transierint in ministeriales, qui nunc militares appellantur. Ac vera esse quæ *Krantzius* hic refert, ex oratione illa apparet, quam *Fridericus I.* Imperator in celeberrimo Imperij cœtu, Geilenhusæ congregato, habuit, in qua inter cæteris dicit: Quod ad vos pertinet, Pontifices, arbitratur Papa indignum, decimas, quæ altaribus & personis Eccl. dedicatæ oosuerunt, e laicis obtineri: nec vult intelligere, olim Ecclesias, varijs afflictionibus laborantes, a laicis personis defensas, tum in beneficium remunerationis, quas abundè tenerant decimas, io parte dimissas. Et quomodo indignum in dicabitur, si quis Ecclesiæ militans Ecclesiæ stipendio souetur. *Krantzius lib.6.c.51.Sax.*

Notissimus est Canon, Res Ecclesiæ non quasi propriæ, sed Domino oblatæ, cum summo timore non in alios, quam in præfectos vsus sint fideliter dispensanda. *Causa 12.q.1. Can.26.* Id fiebat, episcopi cure, per presbyteros & diaconos, reditus & oblationes fidelium episcopus diuidat in quatuor partes, inquit constitutio vetus: quarum vnam sibi retineat: alteram clericis, pro officiorum suorum sedulitate distribuat; fabricis tertiam: quartā pauperibus & peregrinis habeat fideliter erogandam: quarum rationem diuino est redditurus examini.

Iustinianus Imp. episcopis mandat, ne ea quæ ecclesijs relicta sunt, sibi adscribant, sed in necessarios ecclesiæ vsus impendant, *l.43. C.de Episcop.& Clericis.*

Carolus Caluus scribit, Episcopos & rectores monasteriorum, ac rerum, seu facultatum Ecclesiasticarum dispensatores eas non vt proprias, sed vt vota fidelium, precia peccatorum, stipendia seruorum Dei ac peuperum, debere fideli deuotione tractare *Epist. ad Clerum Rauenn.*

DECLAMATIO

PHILOSOPHICÆ SENTENTIÆ.

Quod declamationibus nostris cares, damni nihil facis, quod Hirtio inuides, nisi eum amares, non erat causa inuidendi, nisi forte ipsius eloquentiæ magis, quam quod me audiret inuideres. Callistus tuus & Dolabella noster, vel potius vterque noster, studijs ijsdem tenentur, & meis æquissimis vtuntur auribus. Mihi iudicatum est, si modo hæc Cæsar aut patietur, aut vo let deponere illam personam, in qua me sæpe illi ipsi probaui, ac me totum in literas abdere, tecumque & cum cæteris earum studiosis honestissimo ocio perfrui. Tu vellem ad nos venires! omnia enim hilariora forent. *Cicero lib.8. Epistolarum ad Volumnium. quem Q. Volusium nominant Variones lib. 5. fuit Ciceronis discipulus.*

At vero ego hoc tempore omnino noctes & dies in omnium doctrinarum meditatione versabar: eram cum Stoico Diodoro, qui cum habitauisset apud me, cumq; vixisset, nuper est domi meæ mortuus: A quo eum in alijs rebus, tum studiosissime in Dialecti ca exercebatur quæ quasi contracta & adstricta eloquentia putanda est, sine qua etiam, tu Brute, iudicaili te illam iustam eloquentiam, quam Dialecticam dilatatam esse putant, consequi posse. Huic ego doctori, & eius artibus varijs atque multis ita eram tum deditus, vt ab exercitationibus oratoris nullus dies vacuus esset. Commentabar declamitans (sic enim nunc loquuntur) sæpe cum M. Pisone, & cum Q. Pompeio, aut cum aliquo quotidie, idque faciebam multum etiam Latine, sed Græce sæpius, vel quod Græca oratio, plura ornamenta suppeditans, consuetudinem similiter Latine dicendi afferebat: vel quod a Græcis summis Doctoribus, nisi Græce dicerem, neque corrigi possem neque doceri. *De claris Oratoribus ad Brutum. Cicero de seipso hæc pra dicat.*

Ipse interea decem & septem dies, vt digestio potius quam declamatio videretur, de me Tyburtino Scipionis declamitauit: Hæc enim ei causa esse solet declamandi. *In M. Antonium Philip.5.*

Declamabat autem Cicero non quales nunc controuersias dicimus, nec tales quidem, quales ante Ciceronem dicebantur, quas Theses vocabant. Hoc autem genus materiæ, quo nos exercemur, adeo nouo est, vt nomen quoque eius nouum sit, controuersias nos dicimus, Cicero causas vocabat. Hoc vero alterum nomen Græcum quidem est, sed in Latinum ita translatum, vt pro Latino sit Scholastica controuersia multo recentior est, sicut ipsa declamatio, quia apud nullum authorem, antiquum, ante ipsum Ciceronem, & Caluum inueniri potest, qui declamationem distinguit: Ait enim, declamare est iam non mediocriter bene dicere: Alterum putat domesticæ exercitationis: alterum esse veræ actionis. *Seneca in Prologo declamationum.*

Quia autem libri isti declamationum inscribuntur, optimum fuerit in initio dicere paulo apertius, quid sit declamatio. Igitur temporibus eis, quo primum res Atheniensium, deinde populi Romani magnæ & potentes fuere, fuit & in Græcia, & Romæ in summo precio & veneratione: itaque pueri prorsus in scholis instituebantur ab bene dicendum, vt, cum adoleuissent, possent in iudicijs & consilijs publicis, & priuatis profecre facundiam suam. Ergo cum apud Grammaticos ea percepissent, quæ præexercitamenta vocantur, quæ apud Græcos Hermogenes, apud nos Priscianus scripta reliquit, tum ad Rhetorit scholam adducebantur, proponebanturq; eis themata, qualia his libris descripta sunt: quorum alia ficta erant, alia ex historijs aut Poetis sumebantur: qualia hodie apud Græcos Sophistas pleraque extant. Ad quæ themata in scholis pueri exercebant se stylo, scribendo in vtramque partem, pro modo ingenij & eruditionis suæ, quisque quam optime poterat. Deinde qui profecti processerant, & commodius iam poterant scribere, in ea ipsa, quæ scripserant ediscebant, & tum dicebant: qui summus profectus erat, illum propositio themate sine scriptura dicebat. Hoc ergo erat declamare, in scholis exercitationis ausa dicere. Itaque declamatio nihil aliud est quam oratio scholastica, ad similitudinem forensis orationis dicta. *Rodolph. Agricola in Prologum Senecæ.*

Olim puerorum bene natorum ætas dabatur Grammaticæ, Adolescentium Rhetoricæ, Dialecticæ, Musicæ, & Palæstræ, iuuenū disciplinæ militari. Reliqua vitæ pars, prout cuique vel natura, vel conditio obtigerat, in republicæ consumebatur.

Veteres magistri adolescentes fidei suæ commissos, ante in scolotibus quibusdam rhetoricæ operis partibus, velut Tyrocinio, prælūdere volebant, quam ad iustum declamationum munus perducerent. Nam ex ijs qui eloquentiæ destinati erant, alius meditabatur narrationem nunc fictam, nunc veram: alius sententiam laudat alicuius viri, ad certam rationem recensebat. Alius tractabat locum communem: alius claros homines laudabat, & improbos vituperabat: alius suadebat, aut dissuadebat legem aliquam. Breuiter, alius alio exercitationis genere: pro grætis ingenijque sui captu præparabatur. Nos omnem exercitationem styli, (qui solus optimus dicendi magister est) sic negligimus, vt vix longis interuallis epistolam aliquam meditari sustineamus. Atque vtinam redeat aliquando antiqua illa dicendi ratio, rediret & vna literis, literatisque precium.

Inter omnes Senecæ lucubrationes nullum opus extare integrū, & inuiolatum videtur, quod magis referebat publicæ studiorū vtilitatis, quam hos declamationum libros. Huius igitur operis si quod exemplar integrum & emendatum inueniatur nescio, quid amplius desiderari posset sapientia loquentiæ candidatis. Hic enim velut in speculo licet intueri, quomodo doctissimi viri defensionis colorem inuenerint: quomodo causæ summam in propositiones diuiserint: deinde singulas in alias subiectas partiri solcant: quibus argumentis vnamquamque confirment, tum quas sententias adhibuerint, quæ schemata, quos affectus mouerint, quam varie idem thema diuersis ingenijs tractari potuerit. Et in ijs, quæ perperam inuenta, aut ineptis schematibus siue verbis explicata, quæ stulta & causæ sufficientia, quæ ἀσύστατα, secundumque pugnantia, quæ ἀπροσδιόνυσα. & extra causam dicta. Hæc censuræ hominum in omni doctrinæ genere præcellentium, incredibile dictu, quantā vtilitate attulissent, non solum ad benedicendum, verum etiam ad iudicandum, siue forensibus causis, in concionibus popularibus militaribusue, siue in consessis, siue in omni vitæ functione, quæ maxime ex parte linguæ prudentis officio temperatur. Ea inueniendi iudicandique facultas, si statim pueris traderetur, mihi videtur multo plus fructus allatura, quam quæ nunc in scholis traditur Dialectica: quam tamen nec improbo, nec summou eodam censeo, modo resectis nugalibus argutijs, ad vsum potius quam ad puerilem ostentationem tradatur. *Petrus Mosellanus in progymnasmata Aphtonij Sophistæ.*

Magnum prouentum Poetarum annus hic attulit, toto mense Aprili nullus fere dies, quo non recitaret aliquis, præterit. iuuat me, quod vigent studia, proferunt se ingenia hominum & ostentantur: tamen ad audiendum pigre cogitur. At hercule memoria parentum, Claudium Cæsarem ferunt, cum in palatio spaciaretur, audisseque clamorem, & causam requisisset, cumque dictum esset, recitare Nouianum: subitum recitanti, inopinatumque venisse. *Lege Suetonium in Augusto, Plin.l.1. epistolar. ad Septitium Clarum.*

Declamatio est forensium actionum meditatio.

Decla-

Declamationes, quibus ad pugnam forensem; velut præpilaris, exercere solebamus, olim tam ab illa vera imagine orandi recesserunt, atque ad solam compositæ voluptatem neruis carent, non alio medius fidius vitio dicentium, quam quo mancipiorum negotiatores formę puerorum virilitate excisa lenocinantur.

Quale discrimen declamandi & veri agendi, comperies apud Fabium lib. 1. c. 12. Ibidem de Responso Actij elegantissime. *Fabius Quintil. lib. 4. c. 2.*

Declamandi ratio, vt nouissime inuenta, ita multo est vtilissima, Nam & cuncta illa, de quibus diximus, in se fere continet, & veritati proximam imaginam reddit. Ideoque ita est celebrata, vt plerisque videretur ad formandam eloquentiam vel sola sufficere. *Mox subdit.*

Totum autem declamandi opus, qui diuersum omnino à forensib. causis existimant, ij profectò nec rationem quidem, qua ista exercitatio inuenta sit, peruident. Nam si foro non præparat, aut scenicę ostentationi, aut furiosæ vociferationi simillimum est. Quid enim attinet iudicem præparari, qui nullus est.

Narrare, quod omnes sciant falsum: probationes adhibere causæ, de qua nemo sit pronunciaturus? Et hæc quidem otiosa tantum. Affici vero, & ira & luctu permouere, cuius est ludibrij, nisi quibusdam pugnæ simulachris ad verum discrimen, aciemque iustam consuescimus? Nihil ergo inter forense genus dicendi, atque hoc declamatorium intererit, si profectus gratia dicimus nihil. *Fab. lib. 2. c. 11.*

Vetus ille declamandi recitandique mos quam fuerit olim solemnis, cum ex alijs authoribus, tum ex Plinianis epistolis abunde liquet: cuius vtilitas maxima fuit. Nempe quod hunc eum Lydium lapidem (vt est in prouerbio) scripta sua probarent. Quoties enim apud multitudinem dicimus, facile experimur, num felix sit inuentio, num dispositio concinna, modo apposita elocutio: & quanquam taceant auditores, ex illorum tamen vultibus intelligere licet, album an atrum (quod aiunt) calculum recitantibus, aut dicentibus nobis adijciant. *B. Rhenanus in Maximum philosophum Platon.*

Declamatio, est domestica, & vmbratilis exercitatio, quæ fit intra priuatos parietes, quo in genere pueri etiam num apud studiosorum suorum moderatores exercentur. Solebant olim causas actori domi prius præmeditari & sublata sonoraque voce recitare quæ in foro dicturi essent: Exemplum extat de Demosthene in Plutarcho: de Gracchis item. Cicero in oratore, non declamatorem (inquit) de Ludo, non rabulam de foro, sed perfectissimum & doctissimum oratorem quærimus. Quid declamatores, causidici, rhetores, oratores differant, ex supra dictis facile est colligere.

DECORVM.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Decorum. τὸ πρέπον. Est ipsum quod fieri oportet, idque tam summum quam medium nominari potest. Summum quidē, quod nihil sibi vel addi vel auferri postulet. Medium autem quod inter excessum atque defectum sit locatum. *Theag. apud Stob. ser. 1. qui est de prudentia.*

Decorum τὸ πρέπον, τὸ καλὸν, τὸ κόσμιον, id quod elegans conueniēs, pulchrum, compositum & ornatum, in rebus, locis, temporibus; hominumque dictis, & factis apparet atque requiritur. Vel, vt *Cicero vult, Offic. 1.* Philosophi decorum id volunt esse, quod ita naturæ consentaneum sit, vt in eo moderatio, & temperantia appareat cum specie quadam liberali. Hebr. *Keschron*, à verbo *Gascher*, idest congruit, conuenit, commodus fuit, vtilis fuit. Et *Naaueh*, à *Nauah*, decorus fuit, habitauit in loco laudabili, pulchro amœno, suaui. Cognationem habet cum *auah*, appetijt: nam decora appetuntur auidè. Hinc *vaiu neduo* habito in loco decoro: *nitru* laudo, decoro. ἀγαθὸς, bonus, decorus, pulcher, εὖ, bene, ἀγαθόν, bonum.

LOCA BIBLICA.

Decorum in Ecclesia seruetur oportet, 1. *Cor. 14. ver. 40.*

SENTENTIAE PHILOSOPHICAE.

Decorum aliud est quam pulchrum. *Plat. in dial. de pulchro.*

Cæterum decorum, & indecorum ita se inuicem habent, vt æquale & inæquale, ordinatum & inordinatum. Partes n. alicuius inæqualis ad medium suum, non ad se inuicem referuntur. Itaque angulum obtusum nominamus qui maior est rectò: acutum vero, qui rectò minor est. Item rectam lineam maiorem, quæ excedit illam quæ à centro ducitur. Sic dies longior dicitur, nimirū quam æquinoctialis. Ita corpus morbis afficitur, aut calidiore, qui supra mediocritatem, aut frigidiore, qui infra consistit. Eadem est ratio ac proportio in aia, & eis, quæ circa ipsam consistuntur. Igitur audacia excessus est. Decori in genuorib. rebus fusti geudis. Eiusdem defectus est timiditas. Itē ira supra quam decet

animi sequitur impetū, indolētia, minus. Itidem se habet in alijs affectionibus circa sua obiecta. Decet autem ipsum Decori habitum, qui virtus dici meretur, & affectum mediocritas, atque nullis, neque nimis duci affectibus. *Theag. apud Stob. serm. 1.*

APOPHTHEGMATA.

Socrates, cum Socrati Lysias orationem quam in eius defensionem composuerat, recitasset, Præclara, inquit, & elegans oratio est, sed non conuenit Socrati. Erat, n. forensi instituto aptior, quam philosopho, ac tali philosopho. Rursus Lysiæ percontanti, cur, si bonam iudicaret orationem, putaret sibi non conuenire? Nōne, inquit, fieri potest, vt amictus aut calceus elegans sit, aut pulcher qui tamen alteri non conueniat: Hoc ipsum Valerius Maximus narrat, minus Socraticæ sic enim Lysiæ respondisse memorat: Aufer quæso istam, nam ego si adduci possem vt eam in vltima Scythiæ solitudine perorarem, tum meipsum morte mulctandum concederem. *P. M. lib. 3. apoph.*

Plato, si quando forte incidisset Plato in eos qui præter decorum quippiam agerent, digressus consueuit dicere, Nunc ubi ego talis? Nemo suam turpitudinē perspicit, sed sibi quisque assentator est. Ex alijs igitur discendum quam indecora sint quæ præter honestatem geruntur. *Laert. lib. 3.*

Isocrates, in conuiuio Nicocreontis Samiorum tyranni, cum à conuiuis inhiberetur dicere, His, inquit, quibus ego valeo, nunc nō est. tempus: in his vero quæ hoc tēm pus requirit, ego non valeo. Recusauit inter pocula dicere, quæ apud sontios de rebus seriis disserere consueuerat. *P. M. lib. 6. apoph.*

Pylades cum saltans Herculem furentem, nonnullis incessum histrioni conuenientem, minus seruare videretur, deposita persona ridentes increpuit, dicens, μωροί, μαινόμενον ὀρχοῦμαι. Stulti, furentem salto. Significans, hoc ipsum quod videbatur indecorum, maxime decorum esse. *P. M. 6. apoph.*

Stratonicus Ptolomæo Regi de musica cum ipso contentiosius disserente: Aliud est, inquit, ô Rex sceptrum, aliud plectrum. Significans, non esse regium, de Musica cum musico disputare. *P. M. 6. apoph.*

Callicratidas, cum à Lysandri amicis solicitaretur, vt permitteret ipsis accepta pecunia quendam ex hostibus occidere: haud concessit. Cui cum Cleander dixisset, Accepissem profectò pecuniam, si ego Callicratidas fuissem. Et ego, inquit, si fuissem Cleander. Quo dicto monuit in omni actione spectandum esse personę decorum. *Plut. in Lacon.*

Leotychidas, cuidam obijcienti quod facile mutaretur: Mutor, inquit, sed pro temporum ratione, non vt vos, proprio morbo. Prudentis est, pro rei natura nouare consilia: at sine causa subinde alium fieri, inconstantiæ vitium. *Plut. in Lacon.*

Archidamus, cuidam qui vitio vertebat Hecatheo rhetori omnium clarissimo, quod adhibitus ipsorum conuiuio nihil dixisset: Videris, inquit, mihi nescire, quod hic qui dicendi nouit artem, etiam dicendi norit opportunitatem. In senatu, in foro, in concionibus, in legationibus, alijsque reipublicæ negotijs locus est oratori: in conuiuijs temulentis maiore cum laude tacet eruditus, quam loquitur. Sic periti bellatoris est, non minus scire retrocedendi artem quam pugnandi. *Plut. in Lacon.*

Idem ad Græcos, qui pacta rescindere nolebant, dicere solitus erat Ouis semper eandem edit vocem, cæterum homo multas, ac varias emittit. Quo admonuit pro tempore, proque re nata variandum esse sermonis habitum. Est enim vbi loquendum sit fuerins, est vbi blandius: vbi magnificentius, vbi submissius. Id sit citra perfidiam, magna est prudentia. Porro ouiles mores dicuntur habere, qui sese nesciunt rebus ac personis accommodare. *Plut. in Lacon.*

Pædaretus, eo specto quodam qui natura mollis tamen ob humanitatem laudabatur à ciuibus, dixit, nec viros, qui mulierum similes sint oportere laudare, nec mulieres, quę virorum sint similes, nisi quam mulierem vrgeat necessitas. Sensit aliud dicere bonū virum, aliud bonam mulierem, ac pro muliere in virum transfigurata accepit necessitatis excusationem: in viro degenerare in mulierem, nullā recipit excusationem. Ita non eadem laus decora principi est, quæ plebeio, non eadem magistratui, quæ priuato. *Plut in Lacon.*

C. Publicius solitus est dicere, P. Mummium, cuiuis tempori hominē esse sentiens, illum dexteritate facilitateque ad omnem vitæ statum esse accommodatum. Eodem sensu Pollionem Asinium omnium horarum fuisse hominem legimus. Et Tiberius Cæsar duos familiarius ab ipso dilectos, omnium horarum amicos vocare solebat. *P. M. lib. 6. apoph.* De Aristippo dicitur, Omnis Aristippum decuit color, & status, & res. *Horat.*

Bibulus, cum in senatu, variantibus sententijs, Cato censeret perpetuam dictaturam, vel tyrannicam potentiam, è Republic. tollendam. Bibulus, Pompeio inimicus, primus in Senatu rogatus sententiam dixit, vt vnicus consul Pompeius, decerneretur. Aut enim, inquit, Respubl. ab imminente procella periculum liberabitur, aut optimo parendum erit. Egregius animus, qui priuatam simultatem posthabuit Republ. commodis. Eam sententiam Cato dicie

rit se ab alio dictum comprobare licet ab ipso non debuerit proficisci. *P.M.6.apoph.ex Plut.*

Metellus. Caius Iulius Cæsar, Metello obsistenti, ne pecunias ab ærario tolleret, ne peccaret in leges: Non idem, loquit, armorum ac legum tempus est. Abscede igitur, ac postea quam facta pace, arma deposuerimus, tunc, si videbitur, plebis patronum age. *P. M.4.apoph.ex Plut.*

Diogenes, cum vidisset fœminam dijs procumbentem ita curuato corpore vt a tergo quædam apparerent, quæ nudari non decet oculis hominum, adijt illam, dicens: Non vereris mulier: ne stans te post tergum tuum Deo (nam illius plena sunt omnia) parum decenter te geras? Idem Aesculapio percussorem consecrasse dicitur, qui accurrens procidentes in faciem contereret, hoc figmento deterrens homines & superstitione, qui credunt deos non audituros, nisi ipsis indecoro corporis gestu supplicent. *Laert. lib. 6.*

SIMILITVDINES

Thaletis, vt bonum histrionem quamcumque ei poeta dederit personam, eius decorum seruare decet: Ita bonum virum, quamcumque fortuna dederit. Nam ipsa, vt Bion inquit, veluti poetria nunc primi, nunc vltimi actoris locum nobis tribuit, alias Regis, alias Medici personam. *Apud Stobæum serm. 1. de Prudentia.*

Ciceronis, vt pulchritudo corporis apta compositione membrorum mouet oculos, & delectat, hoc ipso quod inter se omnes partes cum quodam lepore consentiunt: Sic hoc decorum, quod elucet in vita, mouet approbationem eorum, quibus cum viuitur ordine, & constantia, moderatione omnium dictorum atque factorum. *lib. 1. Offic.*

Senecæ, vt alia vestis magis sapientem decet quam alia, cum nullam oderit: Sic magis congruit hoc aut illo loco viuere.

Chamæleon herba mutat foliorum colores cum terra in qua nascitur, hic nigra, illic viridis, alibi cyanea, & alibi crocea & alijs alijsque coloribus: Ita conuenit hominem pro loco, in quo agit, vitam habitum commutare. *In simil.*

Vide Dignitas, Honestas, Honor, Magnificentia, Maiestas, Ornamentum.

DEDECVS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Dedecus, Ignominia, & veluti infamia quædam, ex re turpiter gesta, probrum, turpitudo, *αἰσχυσμὸς, ἀκοσμία*. Hebr. *Korppah.* à verbo *Karaph*, opprobrauit, exprobrauit, conuitiatus est, vituperauit. Et in voce passiua, e. coniug. probris affectus est. Item, *Kalon*, contemptus, ignominia. *Psal 83 & Prou. c.1.a.* a verbo *kalah*, i. preuit, ignominia affecit. *Deut 27.12.*

Ita dedecet pro eo accipitur, quod est inconueniens, ineptum & turpe. Vnde dedecoro, quod fœdo, & contumelia atque ignominia afficio. *Cic. Magistratum ipsum dedecorabat.* Huius oppositum est decoro, media producta, quod est orno. Et decorum, quando substantiuum est, quod significat decentiam quandam rebus, personis, temporibus, & locis, siue in agendo, siue in loquendo accommodam.

SENTENTIAE PHILOSOPHICAE.

De aduentitio dedecore. DIAL. XXIV.
Francisci Petrarchæ.

DOL.

Alieno crimine infamor. R. Dicebam modo & sic est. Alieni te criminis dolor attingere potest, non infamia. Verum loquos, Falsa enim vt sit dura, durabilis non erit, & infamiam & gloriam, vt longæua sit, tuo tu quidem ex agello animi propria vitam falce messueris. D. Alieno crimine mœstus sum. R. Credo hercle. Esto autem tua læta, innocentia, nisi magis alieno tangeris quã tuo, non vt patrimonij hæreditas, sic & famæ est, & si esset repudiari posset. Onerosam & infamem hæreditatem adire nemo cogitur. Nunc (vt dixi) nominum successio nulla, nulli agnationum, aut cognationum gradus, hac in re seu tu clarum tibi, seu tu fuscum nomen optaueris, a re illud non ab alio petẽdum erit, tuis opus est meritis. Quandoquidem alienis nec fœdari potes nec ornari. Quid tabellionẽ aspicis? Quid testantem? Qui amantissimo clarum loque sem tuo filis? seu quid horres obscurum, nec verũ decus inde, nec dedecus. Non legatur fama, sed quæritur. D. Meorum grauior infamia. R. Immo quidem tua te premit opinio, humanæ miseriæ radix ingens. Pone illam, falso fasce leuaberis. D. Meorum criminibus infamor. R. Nego id quidem fieri posse, sed vt fatear. Præstat tamen alienis te flagitijs infamem esse, quam alios tuis. Multo est enim grauius peccati pondus, quam infamiæ, vbi peccatum illis miseria vera est. Contra autẽ, falsa infamia veræ miseriæ nihil habet, falsa vero gloria plurimum, plebeios licet animos illa pungat, hæc mulceat. D. Meorum infamia non tangi nequeo. R. Tangi pium. Sterpi miserum.

Proinde dum reliquiæ spei sunt, sum in studio tuorũ famæ atque inde susceptæ perturbationi tuæ consule. Si spes omnis abierit illis omissis sollicitudinem, atque angores depone idos censeo. Nam & incassum niti, & tristitiæ materiam aucupari par dementia est. D. Sceleribus propriis notor. R. Metam patientiæ pœnam luis, cum diluere notam possis scelerum, pulsis authoribus. D. At meorum, qui tam facile pelli nequeant, vror probris. R. Quorũ quæso. Iam parentum ea ligatio filijs nullo iure permissa est. Iudicio tuo igitur nihil infamiæ, quin potius recto iudicio quasi quidam fulgor ex tenebris nasci potest. Nam cum virtutis propriũ difficultas sit, multo difficilius est obscuris, quam claris ducibus rectum iter tenuisse. Sin vxoris, quid hic vero te agere oporteat, quorum pro remedio meminisse paulo supra monui. Si natorum, respice, qui viri quos filios habuere. Fabius Maximus, ac Scipio Africanus, & Pompeius Magnus. (Non enim imperij, atque opum, sed ætatis, & gloriæ sequor ordinem) quem aut Vespasianus vltimum, aut Aurelius Antoninus vnicum, aut Seuerus primum, quos in genere alio, Hortensius ac Cicero. Quã postremo filiam Augustus Cæsar. Aut quẽ filium Germanicus. Magna de luce magnas tenebras videbis, & intelliges, hoc prolis infortunium nescio quidem vnde, sed in maximam quamque familiam suo iure familiarius scandere, & cuique suas vomicas domi esse vel ignotas viciniæ, vel neglectas, nec fratrum, nepotũque deerant exempla. Illa posui, quorum propior, & grauior videri pudor solet. Omnium vna est regula. Alterius quisquis ille sit, maculas inuito alteri, nec affigi posse, nec hærere.

DEFECTIO.

Defectio, Recessio seu rebellio. vel militum ab Imperatore, vel ciuitatis a Domino, dicuntur que deficere, qui ab eorum gubernatione & subiectione discedant, Græce *ἀποστασία* Heb. *Meredh.* à verbo *Maradh.* defecit ab aliquo, rebellauit, & perfide egit. Inde *ἁμαρτάνω* pecco, *ἁμαρτία* peccatum, *ἁμαρτωλὸς* peccator: & fortasse *μιαρὸς*, scelestus, Gall. Maraud. quis n. impurior homine apostata, esse potest, præsertim eo qui à Christi sincera cognitione defecit? Dicitur etiam defectio Heb. *Paschangha* à verbo *Paschangha.* transgressus est legem malitiosè, perfide egit, malignè præuaricatus est, rebellis fuit, defecit.

LOCI BIBLICI.

Defectio, à verbo Dei, *Marc. 4. v. 17.* Defectio Israelitarum à domo Dauid, Dei voluntate quatenus contigit, *2. Par. 10. 15. & 11. 14.* Defectionis à Deo pœna, *Ose. 7. v. 13. 14.*

SENTENTIAE BIBLICAE.

Nunc venit super te plaga, & defecisti. *Iob. 4.*
Læderur quasi vinea in primo flore botrus eius. *ibid. 15.*
Qui spernit modica, paulatim decidit. *Eccl. 9.*
Expectaui vt faceret vuas, & fecit labruscas. *Esa. 5.*
Concipietis ardorem, & parietis stipulam, spiritus vester, vt ignis, vorabit vos. *ibid. 33.*
Facti sunt sicut herba tectorum, quæ exaruit. *ibid. 37.*
Respexistis ad amplius, & ecce factum est minus, & intulistis in domum. & exufflaui illud: quam ob causam dicit Dominus, quia domus mea deserta est, & vos festinatis vnusquisque in domum suam. *Agg. 1.*
Quis vidit domum istam in gloria sua prima? *ibid.*
Non abijcio gratiam Dei. *Gal. 2.*
Fratres, stabiles estote & immobiles, abundantes in opere Domini. *1. Cor. 15.*
Sic stulti estis, vt cum spiritu cœperitis, nunc carne consummemini. *Gal. 3.*
Currebatis bene, quis vos impediuit? *ibid. 5.*
Bonum facientes non deficiamus, tempore suo metemus, 6.
Spiritum nolite extinguere. *1. Thes. 5.*
Fratres nolite deficere benefacientes in Christo Iesu. *2. Thess. 3.*
Non segnes efficiamini. *Hebr. 6.*
Memor esto vnde excideris. *Apoc. 2.*

SIMILITVDO.

Sicut domus quæ habet validum fundamentum, si pars aliqua parietis vel tecti ceciderit, ruina eius magna non erit, quia potest fieri vt iterum reparetur: si autem fundamentum eius casum fuerit passum, tunc est ruina eius magna, quia tota venit deorsum: Sic & Christianus si aut fornicatus fuerit, aut adulteratus, aut homicidium fecerit, cecidit quidem, tamen ruina eius magna non est, quia pœnitentia iterum potest surgere, sicut Dauid: si autem de fundamento fidei aliquid fuerit passus, idest, si præuaricatus fuerit, & ad gentiles aut hæreticos transierit, tunc est ruina eius magna, quia totus funditus ruit. *In 7. Matth. hom. 20.*

EXEMPLA BIBLICA.

Defectionis exempla: Sodomitæ & alij, *Gen. 14. ver. 4.* Filij Dei, *6. ver. 2.* Absalom, *2. Sam. 15. ver. 10.* Edom. *2. Paralip. 21. ver. 8* Ose.

Rex

Rex, 2. *Reg.* 17. *ver.* 4. Ezechias, 18. *ver.* 7. Ioachim, 24. *ver.* 1. Sedechias. *ver.* 20. Israelitæ, 2. *Paralip.* 10. *ver.* 16. Edom, & Lobna, 2. *Paralip.* 21. *ver.* 10. Sedechias. 36. *ver.* 13. *Ierem.* 37. *ver.* 2. & 52. *ver.* 3. Populus, 15. *ver.* 6. multi Discipuli, *Ioan.* 6. *ver.* 66. Hymenæus & Alexander. 1. *Tim.* 1. *vers.* 20. Nicolaitæ, *Apoc.* 2. *v.* 5. 6. Defectio à verbo Dei, *Marc.* 4. 17. Defectionis à Deo pœna: Ose. 7. 13.

Vide Apostasia.

DEFENSIO.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Defensio, Græce *ἀντίληψις, εως, ἡ*, & *παραλαμβάνω*, defendo dicitur, propugnatio, patrociniũ, tutela: *προστασία συνηγορία*. Hebr. *Maghen*, à verbo *Ganan*, protexit in modum horti circumsepsit macena sua, muniuit, seu cooperuit aliquem scuto, circundedit, defendit cingens vndique quendam, ceu muro, ne ad eum irrũpere possit inimicus. Hebræis *Gan*, dicitur hortus circummunitus septo vel macena: *Maghen*, clypeus, scutum. Metaphoricè Deus vocatur Clypeus piorum: & penes eum sunt Scuta terræ, Psal. 47. Nam eius est officium terram protegere. Principes etiã scuta populorum appellantur.

Defendo, & offendo contraria sunt. Est enim offendere, incurrere in aliquid, atque incidere. *Terentius: Offendi aduenions hinc quemdam mei loci atque ordinis, homine n. hoc est, incidi.*

Defendere verò est arcere. *Virg. Solstitium pecori defendite. id est, depellite.* Et quoniam qui incidunt in aliquid, solent sæpe lędere id, in quod incidunt: è conuerso, qui depellunt, tuentur: factum est, vt offendere pro lędere vsurpetur, & defendere pro tueri, & quasi vim depellere.

Non reprehendimus iniuria affectos, si defensionis suæ causa non solum vicinos, sed etiam exteros sibi adiungunt. *Thucyd. lib.* 1.

Defensio est ex lege naturæ, cunctis mortalibus communis, summi Dei voluntate, Gentiumque consensu comprobata, vna cum mundo orta & desitura: cui neque ciuiles neque Pontificię leges, hominum placito nixæ & chartis exaratæ derogare possunt. Non est enim hæc ab hominibus facta lex, sed ab ipsa natura in omnium hominum pectoribus atque animis insculpta, inscripta, infixa. *Fr. Guicciardin. Ist. lib.* 10.

APOPHTHEGMATA.

Antisthenes, aiebat, homines virtute præditos, eos sibi parare propugnatores, qui & fortes sint, & iusti. Nolunt enim defendi, si quid iniusti admittant. Improbi contra fortes defensores, quærunt, iustos nolunt. *Laert. lib.* 6. *c.* 1.

Cicero, M. Cęlium melius obijcientem crimina quam defendentem bonam dextram, malam sinistram habere dixit: hoc alludens, quod in pugna dextra gladium tenemus, sinistra clypeum gladio ferimus, clypeo defendimus. *Lib.* 4. *apoph.*

SIMILITVDO.

Amphisbena serpens vtrinque caput habet, & vtralibet corporis parte pro cauda vtitur: Ita quidam ancipites, nunc hac, nunc illac diuersa ratione se tuentur, & cum est commodum, ad ecclesiasticam libertatem confugiunt, cum visum est, principium prætextu rẽ gerunt, canonum obliti. *in Simil.*

EXEMPLA BIBLICA.

Defensionis humanæ exempla: Moses, *Exod.* 2. *vers.* 17. 18. 19. Othoniel. *Iudic.* 3. *vers.* 9. Ehud, *vers.* 5. Samgar, *vers.* 31. Principes, seu fortes Dauidis, 1. *Paralip.* 11. *ver.* 14.

FABVLA.

Anguis.

Anguis cum a plurimis premeretur, ad Iouem supplex confugit, querẽs iniurias & vim hominum. Cui Iupiter, si is, qui te primus pressit, fuisset a te percussus: reliqui à te abstinuissent pedes suos. Fabula significat eos qui primis oppugnatoribus resistant, alijs terroris esse solere.

Vide Bellum. Item, Iudex, Iudicium, Iustitia, Fortitudo.

DEFINITIO.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Definitio, Græce *ὅρος* & *ὁρίζω*, Hebr. *Gueboulah*, terminus, determinatio, terminatio. Limes, a verbo *Gabal*, limitauit aliquid suis lateribus & terminis, limites constituit, determinauit. Item *guedner*, sepes & à verbo Gadhar, sæpiuit, circumsepsit. Et *guezer*, à verbo *Gazar*, dissecuit, diuisit, separauit, quemadmodum ligna secundo diffinduntur quæ omnia bene conueniunt, ad veram nominum & rerum definitionem relata. Est autem definitio oratio, quæ quid est, quod diffinitur, explicat quid sit. *secund. Cic. in Topic.*

Diffinitio est patefactio quasi rerum opertarum, cum quid quæque sit, aperitur *secund. Cicero in principio, secundi libri de Finibus bonorum & malorum.*

Diffinitio est ratio ex differentijs vnitatem habens. *secund. Arist. lib.* 7. *Metaph.*

Diffinitio est ratio, quæ ex differentijs scilicet tantum, & ex finali harum secundum rectum diuisarum. id est, per se & non à latere & per accidens.

Diffinitio est terminus, qui rem totaliter includit, & nihil rei est extra, cui conueniat, nec aliquid est intra cui non conueniat. *B. Thom super lib perihermenias, lect.* 4. *prin.*

Diffinitio duplex, quid rei, & quid nominis. Diffinitio quid rei est, quando res concipitur per aliquam formam in ipsa respondentẽ ei per omnia. *B. Thomas contra Gent. lib.* 3. *c.* 49.

Diffinitio quid nominis, importat quasi expositionem significationis nominis, non tamen semper indicat essentiam, quia diffinita non semper habent eam. *B. Thom secund. sent. distin.* 23. *q.* 2. *art.* 1.

Diffinitio est rei propositæ propria, & dilucida & breuiter cõprehensa verbis enunciatio, quæ cõstat maxime genere, specie, differentijs, proprijs, vt homo est animal rationis capax, mortu obnoxium. Differt autẽ a descriptione, quod descriptio est rei propositæ per quasdam proprietates declaratio, vt homo est corpus bipes, caput erectum habens, spectansque in cęlum.

Diffinitiones naturales, & dialecticæ differunt, quia physicus siue naturalis diffinit per causam finalem. Sed dialecticus diffinit per genus & differentiam: & talis diffinitio ab antiquis vocatur diffinitio formalis.

Diffinitio a definitione differt, quia definire est quasi finem dare: diffinire vero est hoc ab illo, finiendo ac partiendo distinguere.

Nihil perfecte diffinitur, nisi substantia. *ex B. Tho.* 2. *sent. dist.* 35. *q.* 2. *art.* 1.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Definitio est oratio, quæ id quod definitur, explicat quid sit, *Top. lib.* 1. *c.* 4. *Arist.*

Illud perspicuum est definitionem orationem esse quæ quid rei sit, explicat: atq; id quo quicque aliquid est, vel essentiam tantum esse, vel primum & maxime, & omnino. *Metaph. lib.* 36. *c.* 5. *T.* 19.

Definitio est, non si nomen idem quod oratio declarat: (isto enim pacto omnes orationes essent definitiones, fieri enim potest vt nomen idem efficiat: quod quæuis oratio: ita oratio etiã Ilias erit,) sed si primi cuiusdam sit. Quo in genere ea sunt omnia quæ non ex eo dicuntur, quod aliud de alio dicitur. *Metaph. lib.* 36. *c.* 4. *T.* 13.

Definitio quædam est cognitio. *Topic. lib.* 6. *c.* 2. *l.* 11.

Definitio cognoscendæ rei gratia traditur: & rem cognoscimus non ex rebus, & verbis quibuslibet: sed ex prioribus & magis perspicuis, quemadmodum in demonstrationibus contingit, ea enim vis est omnis doctrinæ, & disciplinæ, *Topic. lib.* 6. *cap.* 3. *loc.* 13.

Quanquam præstat omnino euiti, vt posteriores res ex prioribus intelligamus & cognoscamus: (habet enim id maiorem vim ad scientiam) tamen apud eos, qui rem ex talibus non possunt cognoscere, necesse est profecto rem definiendo aperire ijs rebus quæ illis notæ sunt & perspicuæ: sed tamen illud intelligendum est, eos qui ita definiunt, vim & naturam rei explicare non posse: *ibid.*

Omnes, qui recte rem definient, genere differentijsque definire debent: quæ in ijs sunt rebus quę omnino, & per se notiores sunt, & magis perspicuæ, quam forma. *ibid.*

Definitio ex ijs quæ cuique planiora sunt & notiora, constitui debet. *ibid.*

Perspicuum est non ijs talibus, sed ijs quę omnino clariora sunt, rem esse definiendam: quippe cum ita demum vna & eadẽ semper sit futura definitio. *ibid.*

Intelligendum est non esse huius disputationis subtiliter explicare, quid sit definitio, & quemadmodum sit definiendum. Eatenus hoc solum dicendum est, & definitionem, & vim naturamque rei per ratiocinationem posse concludi. Nam cum definitio oratio sit, quæ quid res sit explicat, eaque sola quæ in definitione dicuntur in natura rei dici debeant: quæ hęc ipsa complectetur oratio, definitio sit necesse est Non enim aliud definitio esse potest: quando quidem nihil aliud in rei natura dicitur. *Top. lib.* 7. *c.* 2.

Defini-

Definitio quid res quæque sit declarat: omnia autem quæ quid res sit ostendunt, & vniuerse enunciantur, & non nisi ut affirmante proloquio dicuntur *lib. 2. de demonst. c. 3 T. 1.*

Cum necesse sit eum qui quippiam definit, aut quid sit res ipsa, aut quid nomen significet demonstrare: si non demonstres quid sit: illud restat, vt definitione nihil ostendatur, quam quæ sit vocabuli cuiusque significatio: quod valde esse absurdum multis rationibus ostendi potest, *libro secundo, de demonstratione, capite septimo T 7.*

Ex his quæ hactenus dicta sunt, hæc omnia videntur esse verisimilia: definitionem atque demonstrationem, neque idem esse, neque in eadem re versari: itemque definitionem non habere vim demonstrandæ, imo ne declarandæ quidem cuiusdam rei: postremo quid rei sit, nec definitione nec demonstratione posse cognosci. *ibid.*

Necesse est omnem definitionem ad vnam quandam naturam specie indiuiduam conferri. *lib. 2. de demonst. c. 5. T. 4.*

Neque solum rem esse declarare debet definitio, quemadmodum plurimæ definitiones explicant: sed causam etiam exponat necesse est. *lib. 1. de animo c. T. 12.*

Quoniam definitio vocatur oratio quid quæque res sit declarans: hinc profecto planum est genus quoddã esse definitionis, quod explicatur quæ sit vocabuli cuiuscunque significatio, aut si brevius appellare licet nominis explicatio, *lib. 2. de demonst. capite 10. T. 9.*

Difficile est ex hoc definitionum genere, naturam rei assequi, quã, sit nec ne, ignores. *ibid.*

Est definitionis hic modus, vt sumas ea quæ sunt ei rei, quã definire velis cum alijs communia: idq; eo persequaris, dum propriũ efficiatur, quod nullam in aliam rem transferri possit. Nam illa oratione vim atque naturam rei vniuersam contineri necesse est. *l. 2. de demonst. c. 14 T 17.*

Quorum definitiones diuersæ sunt, ea inter se differunt, *Proph. capit. 15.*

E genere ac differentijs omnis definitio. *Top. lib. 1. c. 7.*

Qui quoquo modo nomen nomine reddunt: ij profecto rei definitionem non explicant: quandoquidem omnis definitio oratio est: attamen hoc referendum est ad definitionem: vt honestum est, quod decet. *lib. 1. Top. c. 4.*

Medium ad probandam definitionem accommodatum definitio est. *l. 2. de demonst. c. 8. T. 8.*

Omnia propemodum cognitionis initium est definitio, idque quod simplex est *l. 2. de demonst. c. 14 T. 18.*

Numquam earum rerum quæ aut per se insunt, aut, alteri accidunt, perfectam scientiam quisquam assecutus est per solam definitionem. Iam vero definitio est substantiæ ac naturæ declaratio. *l. 2. de demonst. c. 3 T. 5.*

Illud est vitiosum definiendi genus, cum res accessionem recipit, id autem quod oratione explicatur, non recipit: aut contra, cum id quod oratione explicatur recipit: res autem non recipit accessionem. Aut enim vtrumque, aut neutrum capere debet: siquidem idem est quod oratione explicatur, & res ipsa. *Top. l. 6. c. 3. l. 38.*

Vitiosum est definiendi genus, si duobus propositis vnum vtrique æque conueniat, alterum non æque sed alteri magis. *ibidem. lib. 41.*

Item cum duo sunt, ad quæ res ea quæ definitur pertinet, si vtrumque ad definiendum acceperit, quasi ponens duas definitiones. *ibid. l. 42.*

In quibusdam, si quanta qualiaque sint, & vbi fiant, itemque cæteræ dissimilitudines minime explicentur, vitiosa erit definitio. Vt si non aperiatur qualis & quantæ gloriæ cupidus sit ambitiosus. *Top. l. 6. c. 4. l. 47.*

Id semper quod priuatione dicitur: altero contrario definitur necessario *Top. l. 6. c. 4. l. 53.*

Vitiosa definitio est, cum ita aliquid eorum quæ priuantia sunt, aperitur: vt cuius sit priuatio: vel ut habitusne an contrarij an cuiuspiam minime explicetur. *Top. lib. 6. c. 4. loco. 55.*

Qui vim, & naturam priuationis accommodate apteq. explicare vult definiendo is debet, & cuius rei sit priuatio, & quæ res priuetur, exponere. *ibid.*

Vitiosum definiendi genus est, si omnium eorum quæ ambigue dicuntur, communis vna definitio statuatur. *Top. l. 6. cap. 5 loco 59.*

Nihil prohibet eum qui homonymiam & ambiguũ perspiciat, vtriusq. alterius definitionem tradere: ita tamen facere, vt omnino propriam, sed communem vtriq. statuat definitionem. Sed tamen vtrouis modo id fecerit: certe aberrabit. *Ibid.*

Vitiosum definiendi genus est, cum id quod definitur copulatum est, eique attribuitur definitio eiusmodi, quæ æqualibus & paribus quasi membris respondeat. Definitio autem paribus membris refertur, cum quot sunt coniunctæ tot idem etiam sunt nomina & verba in definitione. *Topic lib. 6. c. 5. loco 6.*

Si quis alterum verbum commutet: neque differentiam, sed genus commutet: vitiosa erit definitio. *Ibid. l. 64.*

Si quis non nomen pro nomine, sed orationem pro nomine mutet: profecto magis differentiæ, quam generis explicanda definitio est: quandoquidem rei illustrandæ, & cognoscendæ gratia definitio traditur: & magis nota differentia, quam genus est. *Top l. 6. c. 6. l. 65.*

IJ omnes qui non distinguunt in ijs, quæ cum aliquo conferuntur, id cum quo conferuntur, pluraque complectuntur dicendo, aut omnino, aut quadam ex parte vitiose definiunt. *Ibid. loco 68.*

Vitiosa erit definitio, si id quod per se expetendum est, vt ad agendum faciendumve impellens, aut quid vis propter aliud expetendum explicetur, Vt si iustitia legum custos, vel sapientia beatæ vitæ effectria definiatur. *Top. l. 7. c. 5. loco 70.*

Si quis definiendo aliquatum rerum concretionem totum esse dixerit, vt corporis & animi concretionem esse animal: illud videndũ est, an qualis sit concretio explicarit, vt si quis definiendo carnem vel os dixerit esse ignis, terræ, aerisque concretionem. Neque enim satis est concretionem dicere: sed qualis ea sit exponendum est. *Top. l. 5. c. 6. l. 36.*

Si pari ratione alicui conuenire natura sua solent contraria, & altero rem definiendo aperuerit aliquis: certe non vera erit definitio: sin secus, profecto plures eiusdem rei definitiones erunt. *Top. l. 6. c. 6. l. 87.*

DEFORMITAS.

Deformitas turpitudo prauitas: de corpore, & animo dicitur. Animi & corporis prauitas, teste Cicerone. Græce ἀμορφία, αἰσχρότης Hebr. *Mum*, macula, Labes, vitium in reprehensionem incurrens. Inde μωμάομαι, vitupero, reprehendo, μωμητὸς item, & latinorum Momus. μῶμος, dedecus μωμητός, vituperabilia.

Poeticæ Sententiæ.

Euripes.

Νοῦν χρὴ θεᾶσθαι, νοῦν· τί δ' εὐμορφίας
Ὄφελος, ὅταν τις μὴ φρένας καλὰς ἔχῃ.
Animus spectandus est. Nihil pulchritudo
Iuuat, eum qui mentem non bonam habet.

Idem Eurip.

Δύσμορφος εἶναι μᾶλλον ἢ καλὸς κακός.
Deformis sim potius quam pulcher & malus

Sententiæ Philosophicæ.

Deformes natura nemo reprehendit: sed eos qui ob otium vel negligentiam tales euadunt. *Arist. l. 3. Ethic. cap. 5.*

Deformis specie nobis inauspicatus, & infaustus occurrens, minime bonus esse creditur: eum plerique exteriorem formam corporis occulti animi signum esse iudicent. *Eustach. pri. Ethic. 6.*

Deformitas omnis est per aliquam formam vel priuationem. *D. Thom. in pri. Metaph. l. 16 tex. 38.*

Deforme & imperfectum, nihil seipsum ornare potest. *Mars. Ficin. in Plat. conuiu. ora. 6. c. 18.*

Francisc. Petrarch.
De deformitate corporis Dialogus I.
Dolor & Ratio.

D o l.

Egisse mecum nimis liberaliter naturam queror, quæ deformem genuit. R. O quot faces excinat, quod occurrit incendijs. D. Deformem genuit natura. R. Non deest quod delectet. Si quod profit dedit, satis est. Mitte querelas. D. Non dedit formæ gratiã natura. R. Dare noluit, quod ægritudo corrumperet, quod senectus eriperet, dedit forte quod nec mors ipsa cõtingere audeat. D. Formam corporis natura negauit. R. Si formam animi largita est, maximi debitor, exigui repulsam alta mente despicito, & offensam speculi conscientia solare. D. Inuidit natura formã corporis. R. Non inuidit, sed probauit dare, quod cotidie minuitur, & pereat. Vera liberalitas mansuro munere nescitur, putria, & caduca aurei etiam donantur, forma fugax, & fragile naturæ donũ paucis ad vtilitatem veramque gloriam data est. D. Forma mihi corporis negata est. R. Raro admodum forma infignis, honestasque vno sub lare habitant, bene tibi accidit, si peiore exclusa, hospes melior tecum est. D. Nullum formæ decus obtigit. R. Quid hinc doles, aut quid penitus sanctum piumque animo voluis, in quod tibi necessariam aut omnino vsui, & non potius impedimẽto esse corporis formam putes? Multos forma fecit adulteros, castum nullum. Multos per lubrica voluptatum duxit ad infamem mortem, qui deformes sine dedecore periculoque vixissent. Et quid multos dixi, innumerabiles in discrimẽ, fere omnes in crimen

men trahit. D. Cur me deformem genuit natura? R. Vt ipse te ornares ac formosum faceres, ea forma, quæ tecũ esset in senio, in grabaculo, in feretro, in sepulchro, essetq. tua non naturæ laus, aut parentum. *Pulchrius est pulchrum fieri, quam nasci.* Illud. n. casus, hoc studij est. D. Corporis multa deformitas me premit. R. Deformitas quidem hæc apud quosdam infelicitatis quædã portio est. Tu crede dicentibus non deformitate corporis foedari animum, sed pulchritudine animi corpus ornari. Non te hoc igitur inho estat, aut premit, sed ho .estandi animi materiam, assurgendique aditum per virtutes aperit. D. Deformem natura parens genuit. R. Si deformem Helenam genuisset, vel (vt verius loquar) si deformem Paridem, fortasse Ilion adhuc staret. D. Deformis in lucem editus queror. R. Pauci boni formam corporis amarunt, nullus optauit, quidam etiam proiecerunt, quod fecisse laudatur ille Thuscus adolescens: qui præclari vultus eximiã speciem, quam suspectam multis, aduersamque famæ suæ senserat, & pudicitiæ alienæ illaus sibi sponte vulneribus deformauit, quam tibi dissimilis qui id optes quod ille sibi abstulit. & quo rari nunquam innocue vsi sunt. D. Forma careo. R. Tutius est caruisse quo in experimentum iu anceps ac laboriosum sæpe venturus sis. Multis forma nocuit, cunctos exeseuit, quosdam post insultus varios molliuit, & vinci faciles dedit, atque ab honestate transuersos in culpam trusit. D. Deformis, & breuis nimium statura est. R. Non est, vt teris prosequendum querelis incommodum: longe conspectior est statura breuis expeditior agiliorq. D. Statura perbreuis est. R. Quid vetat, vt in parua domo magnum virum, sic in paruo corpore magnum animum habitare. D. Corpus exiguum est. R. Id. s. lamentaris quo te ipso non es ornatus: sed leuis, & facilis, & ad cuncta versatilis. D. Perexiguũ est corpus. R. Quis vnquam de exigua conquestus est sarcina? Iusta hercle dolendi causa quod nõ pressus mole corporea, sed indutus, neque ipse tibi tædio, sed visui sis. D. Contemptibili sum statura. R. Vt gloriosum nihil nisi virtus, sic contemptibile nihil nisi vitium. Nullam virtus respuit staturam. D. Exigua corporis statura est. R. Non staturã corporis virtus exigit sed animi. Hęc si longa, si recta, si ampla, si magnifica, si decora est, sit illa altera qualiscunq. nihil ad rem. Non solum domi, sed ne militiæ quidẽ nisi magis obesse videretur. Nosti vt Marius summus dux non longos, sed thorosos, & validos milites eligebat? Id quam feliciter, quam consulto faceret, crebræ & ingentes indicant victoriæ, habet corporum proceritas maiestatis plusculum, nõ vigoris. D. Breuis est statura. R. Hęc non impedit, quin vir bonus, & magnus esse possis. Insuper & Rex, si fors tulerit, & Imperator. Etsi. n. Africanus Scipio celsus corpore, Iulius Cæsar statura fuerit excelsa, breuis tamen Alexãder Macedo & Augustus Cesar, nec eorum magnitudini breuitas obfuit, nec detraxit famę. D. Vellem esse altior, & maior. R. Assurge animo, crescere virtutib. maior eris, atque altior, hoc velius, hoc facilius incrementum. D. Cuperem esse formosus. R. Disce amare, atque optare meliora. Stultum est amare periculum suum. stultum, optare q nullo studio quæri potest. Nempe si cõtra naturam formosus fieri studeas, nil vltra proficies, quam vt deformior videare. D. Formosus esse nequicquam nitor. R. Nitere autem bonus esse: Id non frustra. n. facies. Hoc inter multa præcipuum virtus habet, quæri potest, eripi non potest. Cum reliqua in arbitrio sint fortunæ nec obstante illa quæri valeant, nec seruari: Sola virtus fortunæ legibus libera est, atque illa obluctante clarius oitet.

SIMILITVDO.

Quemadmodum in gemmis sæpenumero sub ignobili forma latet pulcherrima natura: sic in corpore deformi latet sæpe insignis animus. *Textor. in apoph.*

HISTORICA EXEMPLA.

In Galbam oratorem eloquentia clarum, sed gibbo deformem: ita lusit M. Lælius, vt diceret ingenium Galbæ male habitare. Corpus enim animi domicilium est.

M. Tullius quum Voconium forte obuium haberet cum filiabus insigniter deformibus, tacite ad amicos dixit. Phœbo haud sinente hic seminauit liberos. Sentiens, illum inuito Apolline liberos procreasse, quum Apollo pulcher a poetis fingatur, siue quod oriente sole fœtus existiment concipi feliciores.

DEGENER.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Degener, Græce, *ἀγενὴς, έος, ὁ*, dicitur. Estque idem quod ignobilis. Venit a degenero: as, quod est à generis nobilitate descisco. *Virg. Degeneres animos timor arguit.*

Degener, qui maiorum suorum virtutibus non respondet. Hebr. *Zur*, alienus, extraneus, a verbo *Zur*, alienus fuit. Et *Sorer*, auersus à verbo *Sur*, recessit, declinauit, vel à Sarer, peruersus fuit. Innumera sunt eorum exempla qui à pietate, iustitia, temperantia maiorum suorum degenerarunt, quorum nomina silentio obruimus.

SENTENTIÆ POETICÆ.

Stob. serm. 85. Phocylidis.

Καὶ τόδε Φωκυλίδου· τί πλέον γένος εὐγενὲς εἶναι,
Οἷς οὔτ' ἐν μύθοις ἕπεται χάρις, οὔτ' ἐνὶ βουλῇ.
Hoc quoque Phocylides dixit, plurimos esse genere nobiles,
Quos neque dicendo, neque consulendo vlla gratia sequitur.

Sophocles.

Πολλοῖς δ' ἐν πολυπληθείᾳ τέλεται
Οὔτ' ἂν ἀγενὴς ἐσθλὸς οὔτ' ἀχρεῖος
Τὸ λίαν κακὸς, βροτῶν δ' ἐπιστὸν οὐδέν.
In copiosa hominum multitudine aliquando reperitur
Bonus ignobili genere natus. & rursus claro
Aliquis valde malus, Ita nihil constans aut fidum est homini.

Epicharmi.

Οὐκ ἔστιν οὐδεὶς ἀποδεδειγμένος τόπος,
Οὗ πονηροὺς πάντας ἢ χρηστοὺς ποιεῖ.
Nullus locus est vsquam definitus,
In quo omnes aut improbi gignantur, aut probi.

Euripides.

Ἑκάστῳ δ' ἐστι τοῦ γένους ἡ πατρίς.
Ἀλλ' εὐγενεῖς μὲν, ἐν δὲ κιβδήλῳ τόδε.
Πολλοὶ γὰρ ὄντες εὐγενεῖς εἰσὶ κακοί.
Ἤδη γὰρ εἶδον ἄνδρα γενναίου πατρὸς
Τὸ μηδὲν ὄντα, χρηστὰ δ' ἐκ κακῶν τέκνα.
Vnicuique natura generis est patria.
Nobiles quidem sunt sed degeneres.
Multi enim nobiles, mali sunt.
Iam enim vidi hominem generoso parente natum
Nullius esse precij: & rursus ex malis bonos filios generari.

Homer. Odyss. β.

Οἱ πλέονες κακίους, παῦροι δέ τε πατρὸς ἀρείους.
Plures sunt deteriores: pauci vero patre meliores.

Vel vt quidam reddit.

Æquat rara patrem soboles: sed plurimi ab illis,
Degenerant, pauci superant probitate parentem.

Horat. lib. 3. ode 6.

Ætas parentum, peior auis, tulit
Nos nequiores, mox daturos progeniem vitiosiorem.

APOPHTHEGMATA.

Aristippus cum degeneres filios adeo negligeret, quasi ex ipso nati non essent, accusatus a quodam, qui seueritatem eius improbabat: An non, inquit, & pituitam & pediculos è nobis natos, velut inutiles, procul a nobis abijcimus? Sensit philosophus, eos nequaquam habendos pro filijs, qui à parentum & maiorum suorum laude dignis virtutibus turpiter degenerarent. *Laert. l. 2.*

Diogenes videns adolescentem cultu gustuque parum virili: Non te pudet, inquit, qui peius tibi velis quam ipsa natura voluit: Siquidem illa te virum fecit, tu teipsum refingis in fœminam. *Laert. lib. 6.*

Stilpon habebat filiam sinistræ famæ: cuidam itaque dicenti, Dedecorat te filia, Nihilo magis, inquit, quam ego illam decoro: Sentiens, neminem alienis factis dehonestari, sed suis quemque moribus æstimandum esse. Neque enim illa fuisset honestior ob patris celebritatem, nisi paternas virtutes fuisset imitata. Plutarc. in lib. de Tranquillitate, pluribus verbis hoc idem enarrat. Nam Metrocli obijcienti, quod filiam haberet impudicam: Vtrum, inquit, hoc meum peccatum est, an filiæ? Quum Metrocles respondisset, illius peccatum, sed tuum infortunium: hunc in modum excipit Stilpo. Quid ais? an non quæ peccata sunt, eadem sunt lapsus? Annuit Metroclas. An lapsus, inquit Stilpo, quorum sunt eorundem sunt & frustrationes. Et hoc confesso Metrocle: Porro quorum sunt frustrationes horum sunt & infortunia. Ita placido prudentique sermone demonstrauit, filiæ duntaxat esse infortunium, cuius esset peccatum: Ac Cynici conuitium nihil aliud esse quam canis latratum. *Laert. lib. 2. c. 12.*

Menedemus dicebat, plurimos nauigare Athenas studiorum gratia qui primum essent sapientes: deinde fierent philosophi, hoc est, sapientiæ amantes, dein rhetores: denique progressu temporis euaderent idiotæ. Multum profecit, qui didicit se nihil scire. Et infeliciter proficit, qui semper vergit in deterius. *P. M. ex Plut.*

Archidamus Periandro, qui cum esset medendi celebris, & in primis laudatus, carmina scriberet infelicia: Quid, inquit, tibi accidit Periander, vt pro eleganti medico malus poeta vocari appetas? Notauit hominum mores, qui res honestas aggressi, degenerant ad sordidiora? cum consultum sit, vnumquemque in ea se arte exercere, in qua valet plurimum. *Plut.*

Damatris cum intelligeret filium in bello plane timidum esse, domum redeuntem propria manu interfecit, iubo. ethnimum enim esse putabat, ex tam præclaris parentibus natum filium, adeo degenerem aspicere. *Plut. in ap. p Lac. earum.*

Te.aeta audiens filium à paternis moribus degenerantem, & nescio quibus rebus paruin honestis operam dantem, cum admonuisset, vt aut melius viueret, aut apud exteros maneret, imo mortem ipsam minata est filio, ni mores in melius corrigeret. *Plut. in Lacon.*

Nicostratus quum ab Archidamo solicitaretur, tum ingenti promissa pecunia, tum cuiuscunque vellet Lacænæ coniugio, vt Cromium traderet, respondit: Archidamum non ducere genus ab Hercule, quod Hercules obiens orbem, soleret improbos afficere supplicio, ipse contra ex probis facere improbos. Lacedæmonij vero hoc nomine potissimum gloriabantur, quod originem ducerent ab Hercule. *Plut. in apoph.*

M. Cato inimicum quendam probrosæ vitæ: Huius, inquit: mater quum deos orat, vt sibi filius sit superstes: non precatur, sed imprecatur, sentiens, illam & sibi & republicæ precari magnũ malum. *P. M. lib. 5. apoph. ex Plut.*

Idem hortabatur iuuenes, vt qui virtute & æquitate ad dignitatem peruenissent, ne turpiter ad deteriora degenerarent, sed ad meliorem frugem se referrent: ita futurum, vt & gloriam augerent, & benefactis maculam abolerent. *P. M. lib. 5. apoph.*

C. Lælius cuidam malo genere nato, obijcienti sibi, quod indignus esset suis maioribus: At hercle, inquit, tu tuis dignus es. Id si dicas bono viro ex bonis prognato, laus est: sin malo, ex malis prognato, graue conuicium est. *P. M. lib. 6. apoph.*

Iulia Augusti cum ob vestitus nimiam licentiam ab amico quodam admoneretur, vt se ad paternæ frugalitatis exemplar componeret, respondit: Pater meus obliuiscitur se Cæsarem Romanũ esse, at ego memini me Cæsaris esse filiam. *Macrob. lib. 2. c. 5. Satur.*

Traianus solitus est dicere, Principes omnes multum abesse a Neronis quinquennio. Nam Domitius Nero primis annis quinque, summa cum laude gessit imperiũ priusquam ad Caligulæ auunculi sui crudelitatem appelleret animum. *P. M. 8. apoph.*

SIMILITVDINES.

Non vt ex sapientissimis parentibus stultissimi plerunque nascuntur filij: Ita a doctis præceptoribus indocti discipuli, a probis educatoribus alumni improbi. Nam illic corporum est propagatio, hic animorum. *Author simil.*

Vt arbores quædam belle florent, verum nullum adferunt fructum: ita quorumdam puerorum indoles magnam vitæ frugem pollicetur, qui simulatque adoleuerint, ad ineptissimas conuersi voluptates, fallunt expectationem omnium. *Idem.*

Vt si Venerem suam Apelles, aut si Protogenes Hialysum illum suũ cœno oblitum videret, magnum acciperet dolorem: Ita si quis conspiciat eum corruptum, quem ad bonos mores instituisset: aut ignominijs affectum, quem ornasset honoribus, iniquo animo ferret. *Plin. lib. 35. c. 10.*

Est India gens dicta Pandora, quæ in pueritia cano sit capillitio, in senecta nigrescunt capilli: ita nonnulli primis annis sobrij ac modesti, grandiores iam ad nugas, & ineptissimas voluptates abijciunt sese, & quasi repuerascunt. *Plin. lib. 7. c. 2.*

Olimpiodori, qui è virtute in vitium ac malitiam decidunt torrentem ac fluuiorum more ex alio quodam loco in præceps, concauumque ac terrestre delabuntur. *in Eccl.*

Synesij Cyrenæi. Cum in fici arbore fructum esse videamus dulcissimum, folia autem & corticem, & stipitem & radicem amarissima esse omnia. Quod.n. arboris eius natura deterrimum in se habet, hoc vniuerso in ijs quæ est i apta non suis absumpto, optimũ quod est, id in fructibus sincerum illa relinquere, videri possit. Ita igitur & agricolæ (ne enim repudiemus etiam viles similitudines, si plus profecturi his videamur, vt veritas percipiatur) illi igitur fortassis sua spõte & natura magistri edocti, & male olentia ad bene olentia, & dulcia ad acerba in conferendo, adiungũt: vt quicquid serra habet deterius, id in vnum collectum solum maneat, attrahentibus singulis ea quæ cognatæ naturæ sint, optimusque succus & halitus in melioribus radicibus sincerus relinquatur. Et hoc est, quo hortorum consitiones purgantur. Quemadmodum igitur acquisitum geometricum vna cum altero se profert: ita ex hac disputatione hoc consequitur, in procreatione nati grandiores liberos omnium aliquando pessimos fieri. Et hoc est, quo seminum fit in generia cognatione purgatio, quando incontaminatæ virtutis sobolem Deus adornauerit. Itaque deinceps ea sequitur degeneratio, vt quod omnium maxime esse cognatũ opinio sit, id reperiatur alienissimum, quod tamen in ijs quæ secundum naturam procedunt, non sæpe solet accidere, in quibus dimidia parte malum inest, & dimidia bonum. *De prouidentia, lib. 2. fol. 112.*

ADAGIA.

O domus antiqua, quam dispari domino dominaris. *Ennius. Quadrabit in disciplinam commutatam in peius, eorum vitio, qui successerunt.*

A b equis ad asinos. ἀφ' ἵππων ἐπ' ὄνους. *Procop.*

Locum habet, vbi quis ab honestioribus studijs ad parum honesta deflectit, a conditione splendida delabitur ad tenuiorem.

Mandrabuli more res succedit. Μανδραβούλου χωρεῖ τὸ πρᾶγμα.

Notatur res quæ in dies in peius labitur. Lucian.

Heroum filij noxæ. ἀνδρῶν ἡρώων τέκνα πήματα.

Idest. Ex sapientissimis parentibus stultissimi propagantur liberi. vt vulgatus iocus habet: Ein weiser Vatter zeuget auch wol Narrische Sohne:

Haud canit paternas cantiones. οὐ πατρῷα αὐλεῖ μέλη. *Terent.*

De filio qui a paternis moribus degenerauit, iactatur. Er vvill seines Vatters liedlien nit singen.

Quis parentem laudabit, nisi infelices filij? τίς πατέρ' αἰνήσει εἰ μὴ κακοδαίμονα τέκνα.

Quis patrem laudet nisi proles laudis inanis?

Versus vulgo iactatus de ijs, qui maiorum suorum præclara facinora iactant nimirum ipsi nihil habentes quod de seipsis vere prædicent. Vel de filijs qui parentum improbitatem superant, ita vt ipsorum comparatione parentes probi fuisse videantur. vulgo dicimus. Er will seinen Vatter zum frummen Mann machen: Er vvil seinen Vatter gut machen.

Acesias medicatus est. Ἀκεσίας ἰάσατο.

Dictum de eo, qui a semper vergeret in deterius, quo magis accuraretur.

Vt nunc sunt homines. οἷοι νῦν βροτοί εἰσιν. *Home. Iliad μ.*

Conueniens erit quoties notare voles nostrorum temporum mores, semper à maiorum virtute in peius degenerantes.

Eamus Athenas. ἴωμεν εἰς Ἀθήνας.

Licebit vti, si quando nos melioris fortunæ relicta poenitebit.

DELATIO.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Delatio à verbo defero, vox media est quæ tum in bonã, tum in malam partem sumitur, nam potest quis etiam bona conscientia sontium crimina iudici deferre, vt Reipublicæ conseruationi prouideat, & Ioseph Iacobi Patriarchæ filius ad patrem fratrum suorum scelera iustè detulit. Quando in malam partem sumitur, accusationem occultam, malo animo factam, calumniam denique, significat: ἐνδείκτης delator, Gall. Rapporteur, qui gaudet occultis accusationibus, vt se in gratiam aliorum facilius insinuet. ἐνδείκτης. Hebr. *Meloschen*, à verbo, *Laschen, lischen, laschin*, linguax fuit, Obsecrauit, detulit aliquem sua lingua: quæ *Laschon*, iisdem dicitur. Cognationem habet verbum *laschon*, cũ *Schanan*, acuit: nam delatores acuunt linguas suas, vt gladium, vt accusatos transfigant: teste Dauide, Psalm. 64. Gallic. *Languards.* Vide Etymologicon trilingue Lugdon. pag. 240.

Psalm. 101. 5. Delatorem, seu occultum accusatorem, exterminabo.

Prouerb. 30. 10. Ne deferas seruum apud herum suum, ne forte maledicat sibi.

Dicitur etiam Hebr. delator iste *holech ra chil*, quasi diceret discursans verborum negotiator, qui (vt mercator comportat) verba de alijs defert, & audientibus, interpolando quæ scit nescitque, fraudulenter imponit, nugarum, & calumniarum institor. *Rachil*, à verbo *Rachal*, negotiatus est. Vide Ezech. 27. 4. & 27. 3. 13. 17. 24. 25. 26.

Ne incedas delator in populo suo. *Leu. 19. 16.*

Delator ambulans reuelat arcanum. *Prou. 11. 13.*

Ne admiscetote delatori qui reuelat arcanum, & ambulat cum detractione. *Prou. 20. 19.*

Omnes ambulant cum detractione, *Ier. 6. 28.*

Omnis amicus cum detractione ambulat. *Ier. 9. 4.*

Homines detractores (delatores, *Rachil. Rapporteurs.*) sunt in medio tui. *Ezech. 22. 9.*

PATRVM SENTENTIAE.

Basilij Magni. Non verba ipsa dolorem afferunt, Sed nostra in delatorem animi elatio, contemptus noster, & vniuscuiusque nostrũ meditatio. *Apud Ant. & Max. Serm. 53.*

Qui fratri detrahit, aut audit, & sustinet detrahentem, ambo digni sunt qui exterminentur. *Ser. 54.*

Solent quodammodo magnis principibus huiusmodi obsequiorẽ artifices (nempe delatores & verborum in tit orea) adhærere: vt quoniam proprio bono carent quo innotescant, ex alienis malis seipsi commendent. *Serm. 53.*

Tribus simul damnosus est delator. Nam & illi quem traducit iniurius est, & audientibus eom. & ipse sibi. *ibid.*

Chrysostomi. Qui leues & inanes excipiunt narrationes, si veniam non impetrabunt: qui criminantur & conuiciantur, quam habituri sunt defensionem? *Eod. serm.*

Plerique vitiorum suorum reperiuntur patroni, alienorum accusatores, *ibid.*

Maxi-

Maximi. Delatori aures ne præbeas, ne duplex peccatum cum illo committas: tum teipsum pernicioso affectui assuefaciens, tum illum aduersus proximum nugari non impediens. *ibid.*

Photij. Qui facile alienas delationes admittit, ne ipse quidem similibus factis abstinet. Nam ipsa obtrectantium admissio, innocentem quoque in societatem pertrahere solet. *ibid.*

Philosophorum et aliorum sententiæ.

Delatio, seu calumnia, res est grauissima, in qua duo sunt qui iniuriam faciunt, vnus qui iniuria afficitur. Delator enim iniuriam facit, absentem accusans: similiter qui delatori fidem habet antequam verè rem cognoscat. Qui autẽ abest, iniuria afficitur, tum à delatore, tum ab illo, qui aures delatori præbẽs, insontem pro sonte reputat. *Herodot. lib. 7.*

Omnem beneuolentiam & naturam frangit calumnia. *Iosippus in hist. captiuitatis.*

Caue tibi à delationibus, & si falsæ sunt. Plerique enim veritatem ignorant, opinionem vero respiciunt. *Isocrat. ad Damonic.*

Audientium opinionem calumnia quidem aliquantisper cõfirmat: progressu vero temporis nihil ipsa imbecillius est. *Demosthenes apud Stob. ser. 40*

Delatio seu calumnia malum est, idque insidiosissimum. *Dion. Chrysost. in Oeconomico.*

Lingua maledica, malę mentis index est. *Plut.*

Tot millia hominum ad forum prima luce properantia, quam turpes lites, quanto turpiores aduocatos habent? Alius iudicia patris accusat, quæ mereri satius fuit. Alius cum matre consistit. Alius delator venit eius criminis, cuius manifestior reus est. *Seneca. lib. 2. de ira. c. 7.*

Delatores genus hominum publico exitio repertum, & pęnis quidem nunquam satis coercitum. *Tacitus. Annal. lib. 4.*

Illud maximè exitiabile ferunt tyrannorum tempore, quod primores infimas etiam delationes exercent, alij propalam, multi per occultum: neque discernuntur alieni à coniunctis, amici ab ignotis, quid repens aut vetustate obscurum: perinde in foro, in conuiuio, quaque de re locuti incusantur, vt quis præuenire, & reum destinare potest: pars ob subsidium sui, plures infecti quasi valetudine, & contactu. *lib. 6.*

Inimicis amicos deferentibus non habenda est fides. *Zonaras in Michaele Balbo, tom. 3.*

Aduersus delatores & assentatores id imitetur princeps quod poeta sapientissimus, aduersus Sirenum cantus, quæ suauitate, aut nouitate quadam & varietate cantandi reuocabant eos qui prætervehebantur, ab Vlysse ait factitatum: vt obturet aures, neque patefaciat eorum blanditijs: adhibeat verò ianitores atque custodes fidissimos, rationem nempe ac iudicium circumspectũ vera demum libenter excipiens, foresque occludat his quæ veri solam speciem referunt: vanos rumores vanasque suspiciones, & vtilitatis imaginem, & cautionis minime necessariæ titulos, obdito etiam pessulo, excludat. *Arnold. Ferron. hist. lib. 3.*

Vbi quid igitur defertur vel à familiarissimis ad principem, submota amicitia familiaritateque, adhibeat in consilium prudentiam excutiat rem ipsam: eo grauiore animi contentioni rem voluat, quo instructiores viderit familiares ad delationem. Nunquam delatori tam libere aures aperiat, vt reo non libentius aures referet: nihil ante statuat, quam cum accusatione comparata sit, defensio tandem vero adhibitis prudentissimis hominibus, exclusis verò eis qui rem detulerint, quive ab eis commoda expectant, & quorum commodo vel incommodo aut iactura honoris res est cessura, quid ęquum sanctumque videbitur, decernat. *Idem eod. lib.*

Primo vero congressu delatori aures patere, at obstruere, & inuias defensuro dare, hominis esse, aiebat Bessario Nicenus, indigni magno principatu: qui nisi cohibeat tandem tales imposturas, ipsa si cupiat salus seruare prorsus non possit talem principatum. Horum malorum vnicam esse causam ignorantiam, easque tenebras, quibus suæ cuiusque hominis institutionis moresque obuoluuntur. Esse vero indignissimum quod factitarunt Cęsares plurimi, vt exclusis ijs iudicibus, apud quos more institutisque maiorum peragenda esset accusatio, iudices ipsi dent ex sua, aut eorum qui detulerint, quorumve commodo res vertatur, cohorte. Ita factũ, vt summa nequitia plurima deferantur, parua religione multi iudicent, delecti nimirum ad vrgendum propellendumque reum, eoque nomine gratiam inituros sese sperantes. *idem, eod. lib. 3.*

Apophthegmata.

Pelopidas, cum fortis quidam miles apud ipsum deferretur, vt qui ei conuiciatus esset, equidem, dixit, facta eius respicio, verba autem non audiui. *Stob. ser. 40.*

Socrates cuidam dicenti, de te aliquis male loquitur, respondit, etiã verberet me non præsentem. *Max. & Ant ser. 53.*

Idem rogatus cur loquax & delator non esset ad colloquium admittendus, respondit, id ex beneuolentia non oriri. Sed vt aliorum detexit arcana tibi, similiter etiam quæ tu dixeris, alijs exponet. *eod. serm.*

Cleanthes cuidam dicenti, amicus clanculum te mordet, & tibi conuiciatur: Hominem, inquit, ne arguito: quoniam idem palam facturus est, aut facere potest. *ibid.*

Alij narranti quosdam eius famæ obloqui: at ego (respondit) sic vitam instituam, vt illis nemo sit crediturus. *ibid.*

Alexander Macedo cum epistolam in medicum suum scriptam accepisset, vtpote vitæ regis insidiantem, & iam sumpturus esset ab eo potionem medicam, adeo non credidit delatori, vt simul & epistolam legerit, & pharmacum hauserit. *Plut. in Alexandro.*

Idem fertur, cum familiaris quidam multa in absentem effutiret, alteram autem obstruxisse manu: nempe vt illam integram & puram absenti reliqueret. *Anton. & Max. serm. 54.*

Anonymus. Quum sapienti cuidam aliquis diceret, se præsente ipsi a certo quodam conuitium factum: tum ille, nisi tu, innuit libenter audiuisses, nunquam ille mihi conuitiatus esset. *eod. serm.*

Adagia Sacra.

1. Vir linguosus non stabilietur in terra. *Psalm. 140. 1.*

Delatoris felicitas non erit diuturna.

2. Alter Siba. *2. Sam. 16. 3. & 19. 26.*

In delatorem aulicum, qui absentes eosque insontes accusat, vt Principis odium in ipsos concitet, sibique ea ipsorum incommodo aliqua comparet commoda.

3. Eijce primum trabem de oculo tuo. Matth. 7. 5. Luc. 6. 42.

Defer teipsum apud te, coram Deo, pro alijs ora, & labora.

4. Medice, cura teipsum. *Luc. 4. 23.*

In delatores & superciliosos, qui foris oculatiores & Argo arguatiores videntur, domi talpis cæciores degunt. Qui omnes & omnia præter seipsos emendare gestiunt.

5. Antequam loquaris, disce. *Eccl. 18. 23.*

Imprudentia delatoris ea est, vt de incompertis vt plurimum garriat.

Similia.

Vt nouaculæ acies, cum barbæ radendæ gratia adhibenda sit, omnino nunquam petit iugulum, & ad viuum secat; Sic lingua, in alium condita, clandestinis delationibus bonorum virorum salutem petit. *Dauid. Psal. 52. 4.*

Lenia sunt præ butyro verba quæ delator ex ore depromit: sed prælium cor eius: molliores sunt sermones eius oleo, Sed in ijs insunt vulnera. *Psal. 55. 22.*

Delatorum & sycophantarum dentes lancea & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus. *Psalm. 57. 5.*

Lingua dolosi viri, delatoris & mendacia proferentis, sagittis robusta manumissis, & carbonibus iuniperorum, quorum ignis coopertus menses multos perdurat, comparatur. *Psal. 120. 4.*

Acuunt linguas suas sicut serpens: Venenum aspidis sub labijs eorum. *Psal. 140. 4.* Venenum aspidum est sine dolore, vitam aufert ægro dormienti, leui sudore per faciem diffuso, sensibus paulatim deficientibus. Delatio enim & Sycophantia, Herodoto teste absentem iniuria afficit, & non sentiens plagam infert. Vulgoque dici solet contra morsum Sycophantæ non esse remedium. De veneno aspidis, Plutarch. in Antonio, vbi de Cleopatræ interitu agit.

Vt insaniens, qui iaculatur scintillantia tela, sagittas, & iacula lethifera: ita est quisquis decipit proximum suum, & dicit, nonne ridebam? Salomon in *Prouerb. c. 26. 18. 19.* Vir fallax, linguosus, delator & sycophanta, & circumueniens amicos specie ludicra, non maioris faciendus est quàm vir planè furiosus.

Commoda & incommoda quæ a lingua proueniunt, quibusque repagulis, nempe fidei & Sanctæ charitatis sit coercenda, docet Apostolus Iacobus, *Epist. c. 3.* Similitudinibus varijs adhibitis, à *vers. 3. ad 13.*

Serpens qui non edito sibilo mordet, per omnia delatori similis est. *Eccl. c. 9.*

Vt gladius dissecat, ita delatio separat amicos. *Anonymi.*

Mythologicon et Hieroglyphicon.

Aesopica Gallina cum ægrotaret ad felem interrogantem eam, tãquam ex beneuolentia, quomodo valeret. Recte, dixit, si tu discedas: Sic ad delatorem, qui super dissensione sermonem mouet, interrogat, & arcana scrutatur, quæ postea spargat, dicendum est, Nihil in proximis desidero: si nec ipse delatores audiam, nec illi. *Anton. & Max. serm. 53.*

Vipera vespis aduolantibus venenum suppeditare fingitur, quod illæ postea in homines & iumenta cum pernicie eff[illegible]

c.-n..

Vespæ igitur viperis afflatæ symbolum sine delatorum & maledicorum, qui quæ ab alijs per mendacium acceperunt, nihilominus pro veris dispergunt. Homines rei grauissimæ culpæ. Illis votum Plautini senis in Pseudolo applicemus, nisi mentem induant meliorem.

Homines qui gestant, quique auscultant crimina,
Si meo arbitratu liceat, omnes pendeant.
Gestores linguis, auditores auribus.

Nam vt Thucydides ait, Non decet calumnias neque alijs narrare, neque audiendo suscipere. *Ex lib. 2. hieroglyphicorum, quæ nuper Pierianis subiuncta sunt.*

Vide Accusatio, Calumnia, Detractio, Maledicentia, Oblectatio.

DELECTATIO.

DEFINIT. ET ETYMOLOG.

Delectatio, Græce τέρψις, ab τέρπω, delecto dicitur. Est autem delectatio, operatio habitus secundum naturam sine impedimento. *secund. Arist lib. 7. Ethic.*

Delectatio est superfluitio quædam naturæ, *secundum Commentatorem super 10. Ethic.*

Delectatio est voluptas suauitate auditus, vel aliorum sensuum animum deliniens, *secundum Cic. lib. 4. Tusc. quæst.*

Delectatio est motus in appetitu animali, consequens apprehensionem boni naturalis præsentis per sensum. *secundum B. Thom. 1. 2. q. 11. art. 1.*

Delectatio est quietatio cognita in re conuenienti. *vt B. Thom. ibid.* Differt autem delectatio a gaudio, quod delectatio contingit secundum sensum exteriorem & interiorem. Gaudium vero secundum interiorem tantum. *Ex B. Th. 4. sent. d. 49. q. 3. art. 1.* Dicitur autem delecto a delicio verbo, quod proprie est attraho & duco. Et quoniam quæ grata & iucunda sunt, nos attrahere atque allicere solent, factum est, vt delectare sit gratum esse, & iucunditate afficere. Vnde delectatio, delectamentum & delectamen.

Delectatio, voluptas, Hebr. *Hedon*, a verbo *Hadan*, vixit in delicijs, delectatus est admodum, voluptatibus abundauit. In de ἡδονή, voluptas: ἡδανός, iucundus: & famosus ille poetarum Adonis.

SENTENTIÆ PHILOSOPHICÆ.

De delectatione Simia, DIAL. LXI.

GAV.

Simia delectabilis est mihi. R. Fœdum animal aspectu, triste animal effectu: de quo quid aliud quam tædium speres? Quicquid domi reperit, aut corrumpet, aut sparget. Si his atque huiusmodi delectaris: vtique delectabilis Simia tua est. Monstruosam beluam vocat Cicero, nec minus aliquid mirum dicit, quam vrnam sortium euertisse, idque pro ostento Græcorum in historijs scriptũ esse, iure optimo doctissimus vir irridet, cum vere mirum potius videri debeat, si non omnia vertat ac dissipet. G. Ludicris animantibus abundo. R. Turpe simul & ludicrum esse aliquid non potest. Quis enim in turpitudine ludus est? Quin imo ab omni, quod oculos, auresque, & nares, & animum afficiat, fugiendum est, corrupti gustus est amara diligere. Sed hic vester est mos turpibus delectari, neque vero turpia & inepta tantum animalia, sed quo nihil est fœdius, obscœnos etiam homines linguaque odiosos in delicijs habetis, & ad summam, quanto quidque deformius, tanto vobis acceptius cariusque, hæc in rebus omnibus vniformis est regula, hic amor, hæc indoles, hoc studium, hæc vestri iudicij laus est.

SIMILITVDO.

D. Ambrosij Non immerito sanctus Moyses delectationem serpentis figurauit similitudine. Prona est enim in ventrem, sicut serpens non pedibus incedens, aut vllis eleuata cruribus, sed sinuoso flexu totius velut corporis sui lubrica. Et terra cibus est, sicut serpenti, quæ escam nescit cœlestem. Corporalibus enim pascitur, atque in varias mutatur species cupiditatum, & tortuosis angulatur anfractibus. Venenum in dentibus habet, quibus se vnusquisque euiscerat luxuriosus, helluo interuecat, abliguritor perimit. *lib. 8 epist 48.*

Vide Voluptas, Gaudium, Lætitia, Luxus, Deliciæ.

DELIBERATIO.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Deliberatio, Græce βουλεύσις, ab βουλεύομαι delibero, dicitur. βούλευμα item & συμβουλή. Est autem liberare particulare verbum, quod significat, libertate donare: Interdum vniuersale, quod est absoluo. Liberare etiam pro eo vsurpamus, quod est addicere. Vnde in licitationibus rem, quæ venalis proposita est, plus offerenti addicere vel liberare dicitur. Et non modo qui vendit, sed etiam qui emit rem ipsam sic venditam, liberare dicitur. Hinc liberationis vocabulum Paulus Iurisconsultus affirmat, eandem vim habere, quam solutionis. Liberata a veteribus pro effata, hoc est, locuta, vsurpari solebat. A libero fit delibero, hoc est, decerno, statuo: nam capto consilio, mens a cogitatione liberatur. A delibero fit deliberatio.

Polyanthea Nouiss.

Deliberare autem dictum videtur a libra vel libella, qua quid ponderatur. Vt ergo nummi dubij non numerantur, sed ponderantur: ita in examine rerum, qui sententias tantum numerant, non ponderant, sæpissimè falluntur & fallunt. Deliberatio. Hebr. *Mohetsah*, a verbo *Iahats*, consultauit, consuluit, consilium dedit: inij e consilium apud se, deliberauit.

PHILOSOPHICÆ SENTENTIÆ.

Cadunt in deliberationem non ea, de quibus stultus aliquis vel insanus deliberet, sed de quibus ij, qui sana mente sint. *lib. 3. Ethic. 3. Arist.*

De rebus æternis nemo consultat, nec ea in deliberationem cadunt, quæ casibus fortunæ subiecta sunt: ac res quidem omnes, quæ naturam attingunt humanam, cadunt in deliberationem. *ibid.*

De ijs consilium capimus, quæ sunt in nostra potestate, vt eueniant: quoniam illa sola reliqua sunt. Singuli autem homines de ijs deliberant, quæ per se ipsi efficere possunt. Nec vero de artibus ac scientijs, quæ certæ sunt, & se ipsa contentæ, vllum consilium capitur. *ibid.*

Sæpius in deliberationem cadunt ea, quæ ab artibus, quam quæ a scientijs proficiscuntur: propterea quod magis ea nobis veniũe in dubium. *ibid.*

Consilij capiendi deliberatio partim in ijs rebus cernitur, quæ plerumque eueniunt: cum incertum sit, quam in partem inclinare ac euenire debeant: partim in ijs, quæ infinitæ, incertæque sunt. *ibid.*

Non omnis quæstio est deliberatio: deliberatio vero omnis est quæstio. *ibid.*

Nunquam cadet in deliberationem finis: sed ea duntaxat quæ ad fines pertinent, atque conducunt, nec res singulæ quidem. *ibid.*

Quod in deliberationem cadit, & in delectum, eadem sunt, nisi quod iam statutum ac definitum est, id quod sub delectum cadit. *ibidem.*

Discrepat a deliberando quærere: deliberare enim quærere est. *lib. 6. Ethic. c. 9.*

Quoniam rectum aliquid multifariam dicitur, perspicuum est prudentem deliberationem in quaque recta re non consistere. *ibid.*

Qui capit consilium, siue bene siue male id faciat, is quærat aliquid ac ratiocinetur necesse est: sed prudens deliberatio, siue bonum consilium quiddam in consilio rectum significat. *ibid.*

Bonum consilium esse nullo modo potest, quo ad id quidem peruenitur, quod sit bonum non autem qua ratione decuit. Præterea accidere potest, vt alius deliberandi longo tempore adhibito, id quod velit, consequatur: alius celeriter eodem perueniat. Quare nondum illud quidem bonum est consilium, sed recta via & ratio, quæ quid vtile sit, spectans eo perducit, quo perueniri, & quomodo, & quando ratio æquitasque iubet. *ibidem.*

Si prudentis est bona consilia inire: verum consilium sit necesse est recta via & ratio, quæ singulis in rebus, quid vtile sit, spectans ad eum finem perducit, cuius sit vera existimatio in prudentia. *ibid.*

Vir ita demum fuerit optimus, si in deliberando quidem omnem rem, quæcumque potest accidere, reputans extimescit in re autem agenda est audax. *Herodot. lib. 7.*

Deliberandum est quidem lente, quod autem decretum fuerit, mature ac celeriter faciendum. *Ex 1c. Proœm. Demosthenis.*

Non qui celeriter & extemplo consilium dant, quæ in rem sunt, maxime consulunt. *Ex orat. 1. in Philip.*

Ego censeo, eum oportere, qui de rebus ad ciuitatem pertinentibus dare consilium instituit, potius vt consideret, quæ decreta fuerunt, vtilia fore, quam vt extemporales orationes gratiã habeant. *Ex 10. Proœm.*

Oportet eos, qui magnis de rebus consultant, nullam vlla de causa cogitationem prætermittere. *Ex orat. de ordin ciuit*

Cum res male se habent, de quibus oportet deliberare, difficiles esse necesse est de eis consultationes. *Ex 47. Proœm.*

Non arbitror eius, qui vobis consilium dat, ullum vsum esse præterquam dicere, quæ maxime sunt ex vsu. *Ex orat. de rebus Cherrhonesiacis.*

Facere ipso dicere & decernere posterius ordine sit, potestate prius & præstantius est. *Olynth 3.*

X Neque

Neque coquo cultri vllus est vsus profecto, qui non secat, neque volenti per eum negocia & mala omnibus facessere, venditurus hæc calumniator,nulla in re commodus est. *Ex orat.1.contra Aristogit.*

Recte deliberandi principium hoc est, vt ne deliberetur, priusquã ea,de quibus decernere oportet,audita fuerint: nam neque tempus, neque ratio eadem confirmandi ea, quæ videntur, & quid ante omnia conducere videatur. *Ex 19.Proœm.*

Qui pro ciuitate aliquid facit,illum oportet ciuitatis mores imitari. *Ex orat.contra Androt.*

Par est eos æquis animis audire velle, qui consilium dare volunt. *Olynth.1.*

Optima suadere,quam difficile est. *Ex 9.Proœm.*

Precari facile est omnia, quæ quis vult in vnum & eundem locum breui tempore collecta: eligere autem, quum de rebus quid consultandum propositum fuerit,non peræque facile, sed oportet optima pro iucundis,si vtraque non liceat accipere. *Olynth.3.*

Democratiæ cum multa alia habeot & honesta & iusta, quæ hominem prudentem sibi vendicare decet, tum loquendi libertatem veritate fultam,quæ retineri non potest,quin vera crimina obiectet. *Ex orat funebr.*

Oportet,Athenienses, eum,qui boni aliquid facere nostræ ciuitati cupit, primum vestras aures sanare: corruptæ enim sunt, adeo falsa & muta, & quæuis potius quam optima audire consueuistis. *Ex orat.de ordin.ciuit.*

Tumultuando sane,celeriterque stomachando,multis vtilibus consilijs priuari potestis,sed si modeste taciteque audire volueritis, vt omnia præclare se habeant,efficietis,& si quis delirare videatur,contemnetis. *Ex 5.proœm.*

Cum deliberare natura ipsa difficile sit ac graue, vos ipsum adhuc multo grauius reddidistis,Athenienses: nam reliqui omnes homines ante rem rerumque euentum deliberatione vti consueuerunt,at vos post res tum demum deliberatis. *Ex orat.de Pace.*

Non minus impie fecerunt,qui consilium dederunt, quam qui manibus suis facinus admiserunt. *Ex orat.de fals legat.*

Recte deliberata, & summo studio laboreque probata, sæpe, quia præfecti aliter vtantur,corrumpuntur. *Ex 1.epist.*

Ea quæ semel errata corrigi non possunt,maturè sunt deliberanda. *Franc.Guicciardin.hist.lib.3.*

Rerum publicarum deliberationes abiecta priuataque consilia minime poscunt: neque omnia ad vtilitatem referri, verum ad excelsos magnanimosque fines, per quos illarum splendor augeatur,& dignitas conseruetur,spectant. *idem.lib.4.*

F a b v l æ.

Ranæ.

Incolebant ranunculi duo paludem, qua sideris calore, vt æstate fieri solet, exiccata, relictis sedibus illis pergebant quæsitum alias.Cumque venissent ad profundum puteum:Hic,inquit vnus, commode manebimus, neque facile alium locum meliorem inuenire poterimus.Cui respondit alter: Placere & sibi locum,sed arbitrari se,prius quam illo desilirent,considerandum,si quo casu & illæ aquæ recessissent,qua ratione de puteo redituri essent.

Docemur hac fabella, nihil esse omnium rerum imprudenter aggrediendum,sed, vt dici solet, in principij capite,quasi pedes finis contemplari vnumquemque debere.

Vulpeculæ.

Elapsa vulpes de laqueo,sed mutila,nam caudam amiserat, non viuendum in tanta deformitate sibi esse existimans,cœpit in commune suadere omnibus, vt & ipsæ præcidi caudas sibi paterentur: cupiebat enim in turba & societate turpitudinis suæ vitium quasi occultare. Quid enim,inquit, has & indecoras,& superuacaneum onus gestamus, vel potius attrahentes defatigamur? Aut cuinam, obsecro, rei vtiles sunt, nisi forte verrendum solum conduximus? Parantem dicere plura,vna de multitudine iuuencula fertur interpellasse his verbis: Heus tu mea matercula, num fueras hoc suasura etiam,si non tibi emolumento futurum esse speres?

Significat fabula, neque aliorum commoda deliberationibus malorum proposita esse, neque libenter homines ea consilia admittere, quæ non eorum, quibus dantur, commoda spectare atque procurare videantur.

Vulpes & Hircus.

Siti correpti hircus & vulpes, in profundum puteum desilierunt, cumque illam sedauissent, hircus cœpit circumspicere, & quærere,qua de aquis euadere in terram posset.Cui vulpes: Bonum, inquit animum habe,nam mihi consilium subijt, quo vsi seruari possimus ambo. Si enim te in posteriores pedes erigens, priores parieti isti applicueris,& caput alte,cornua vt oblique reclinentur extuleris, tum ego de tergo tuo in hæc ascendere, atque deinde exilire de puteo, & te mox etiam attrahere facile potero. Ad hæc cum se hircus paratum esse diceret, & obsequentẽ præbuisset,exasit de puteo vulpes atque ibi læta circum fauces exultare,& deinde hircum cœpit. Ille vero hanc grauiter accusare, & perfidiæ insimulare. Cui vulpes illudens: At tu,inquit,hirce,si tam cordatus esses,quam barbatum esse scimus, nunquam in istũc locum,non explorato reditu,immisisses.

Significatur hac fabula, viros prudentes, priusquam quicquam aggrediantur atque incipiant, præuidere & considerare, quonam illud euasurum,& quem finem habiturum esse videatur.

Simiæ.

Referebatur quondam in conuentu simiarum de condenda vrbe, quam simiarum genus teneret atque incoleret, placebat plerisque etiam hac in parte hominum imitari industriam. Sed hoc ætate alijs prouectior simia magnopere dissuadebat, contraque innumera commoda, quæ audierat a multitudine commemorari,vnum aiebat malum inesse in re,quod opponi posset, quia intra mœnia,quasi cauea inclusæ, omnibus validioribus bestijs præda futuræ essent.

Monet fabula, non solum videndum, quid in aliqua re boni, sed etiam quid mali insit. Item hoc,perperam consulta & deliberata,finem habere infelicitatem.

D E L I C I Æ.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Deliciæ,Græce τρυφήματα & τρυφηλότης,deliciosus dicitur,Hebr. *Hadhanim.* Vide supra Delectatio.Sunt autem deliciosi,qui non possunt sustinere aliquos labores, nec aliquid minuens delectationem, *Secundum B.Thomam 2.2.quæst.138.art.1.* Differunt autem deliciæ & mollities: quia mollities proprie respicit defectum delectationum: sed deliciæ respiciunt causam impeditiuam earum, scilicet laborem, vel aliquid tale: ideo deliciæ sunt quædam mollities. *Ex B.Thom.2.2.quæst eadem.*

Deliciæ dicuntur a delicio, de quo verbo vide supra in Delectatio. Hinc delicatus plenus delicijs, vel in delicijs viuere assuetus. Sunt autem proprie deliciæ, quæ maxime nobis voluptati sunt, a deliciendo nos,hoc est,ab illiciendo nos ad voluptatem.

P a t r v m S e n t e n t i æ.

Qui dat pro modica delectatione illud, pro quo Christus se tradidit,stultum Christum reputat mercatorem. *August. in quodam sermon.*

Delectatio cecidit, & præterijt: vulnerauit & transijt: miserum fecit & abijt: infelicem reddidit, & reliquit. *Ambros. in quodam sermon.*

Quicumque a pueritia se dederit delicijs, manebit in seruitute, vt viuens mortuus sit *In quadam epist.*

Corporales deliciæ, quum non habentur, graue in se desiderium accendunt: quum vero habitæ eduntur, comedentem protinus in fastidium vertunt: at contra spirituales deliciæ quum non habentur,in fastidio sunt: quum habentur,in desiderio. In illis appetitus saturitatem,saturitas fastidium generat. In istis autem saturitatem appetitus,saturitas appetitum parit. Augent enim spirituales deliciæ desiderium in mentem,dum satiant. *Gregor.in homil.*

Hi frequenter maiores tribulationes ex carne suscipiunt,qui carnis voluptatibus delectantur *Greg.lib.12.Moral.*

Sicut impossibile est, vt ignis inflammetur in aqua: ita impossibile est, compunctionem cordis vigere in delicijs. Contraria enim hæc sibi sunt inuicem,& peremptoria: Illa enim mater fletus, hæc mater est risus: illa cor constringit,ista dissoluit. *Chrys. in lib. de compunct.cordis.*

Centum si placeat annos demus delicijs, adde & alios centum: si libet,adde & decies centum: quæ erit ex his ad æternitatem cõpensatio? Nonne omne tempus vitæ huius, quo delicijs frui videmur, & indulgere libidini, quasi noctis vnius somnium ad æternitatis comparationem videtur? *Chrysost.de reparat.lapsi.*

Mens assueta delicijs, nec exculta disciplinæ sarculo, multas contraxit sordes. *Bern in quadam epist.*

Facile onus afflictionis sentiunt, qui vti suauibus delicijs consueuerunt. *Cass.lib.4.epist.*

P o e t i c æ S e n t e n t i æ.

Horat.epist.lib.1.epist.6.

Vis recte viuere? quis non?
Si virtus hoc vna potest dare, fortis omissis

Hoc

Hos age delicijs.

Sen. Herc. fur.

Non est ad astra mollis è terris via.

Ouid. 5. Trist. 3.

Ipse quoque aethereas meruit inuectus in arces,
Quo non exiguo facta labore via est.

Iuuenal. 3.

Te nunc delectas: extra communia censes,
Ponendum: quia tu gallinae filius albae,
Nos viles pulli nati infelicibus ouis.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Plato etiam praecipit, duas corporis summitates non velandas, nec assuefieri debere mollitiei, capitis scilicet & pedum. Cum enim haec habuerint firmitatem, caetera robustiora sunt. *Cicero in Para.*

Effoeminat animos amoenitas nimia. Quamlibet viam iumenta patiuntur, quorum durata in aspero vngula est. In molli palustrique pascuo saginata cito subteruntur, & fortior miles ex confragoso venit. Nullum laborem recusant manus, quae ab aratro ad arma transferuntur. In primo puluere deficit vnctus & nitidus. *Sen. epist. 53.*

Mirum est fortiter aliquid dici ab homine mollitiem professo. *ibid.*

Innatum est ab illo mundi conditore, qui nobis viuendi iura descripsit: vt salui essemus, non vt delicati, delicijs misere ac sollicite omnia comparantur. Vtamur ergo hoc naturae beneficio inter magna numerando, & cogitemus nullo nomine illam melius meruisse de nobis, quam quia quicquid ex necessitate desideratur, si de fastidio sumitur. *Senec. in quadam epist.*

APOPHTHEGMATA.

Aegrotanti Pompeio medicus praescripserat, vt turdis vesceretur. Cumque hi, quibus datum erat negocium, negarent inueniri (non. n. erat tempus, quo genus auium hoc capi solet) admonuit aliquis, apud Lucullum inueniri posse, qui turdos toto anno soleat alere. Quid, inquit Pompeius, nisi delicijs deditus esset Lucullus, nequaquam viueret Pompeius? Contemptoque medico, cibis parabilibus vsus est. O vere masculum animum, qui ne vitam quidem delicijs acceptam ferre sustinuit.

SIMILITUDINES.

Viuens in delicijs mortuus est: Ventri enim solummodo viuit, caeteris sensibus mortuus. Neque aspicit, quae aspicienda, neque audit, quae necessario audire conuenit, neque loquitur, quae decet loqui. Quemadmodum mortuus quispiam in lecto iacens, compressis palpebris, clausisque luminibus, nullum omnino sensum habet: ita & hic, imo longe hic deterius, quam ille affectus est. Ille enim bona aeque atque mala eadem ratione non sentit, hic autem malorum tantum amittit sensum, nihilque boni penitus sentit. Nihil illum ex his, quae in futura vita seruantur, mouet, sed ad omnia perstat immobilis, atque ita mortuus est, quemadmodum in cuniculum quendam obscurum & tenebrosum antrum praecipitatus, atque immunditia omni plenus, lutosis & opacis vitiorum finibus conditus, semper in tenebris, instar mortuorum, degit. Iam vero quis possit tempestatem illam ingentem eloqui, quae ea huiusmodi pernicioso deliciarum vsu in animam & corpus irrumpit? Quemadmodum enim vasta ac perpetua nubium densitas radios solis nunquam finit vim sui fulgoris ostendere: Ita vini ac deliciarum euaporationes, cerebrum, non secus quam scopulum nocte, illumque crassa nube tegentes, non permittunt libere vsquam se intendere, verum in tenebris perpetuis detinet eum, qui sic miserabiliter tacet affectus: Neque explicari potest omnino, quāta intus tempestate iactatur. Quemadmodum enim saepe, quum inundatio vehementior facta fuerit, aquarum vis officinarum aditum occupauerit, turbari eos, qui intus sint, cernimus, & discos, & amphoras, & spongias, & alia plurima ad exhauriendum aquam cogitat deferre, vt ne violatis fundamentis, atque commotis, omnis posthac supellex inutilis fiat, ita & anima, quoties nimis delicijs oppressa fuerit, perturbatur omnis ratio, caeterum cum iam coactum est, cum exhaurire difficilimum, quod rursum aliud è vestigio ingrediatur, incredibile est, quanta perturbatio, quantisque fluctus immineat. Quanto corpus pinguedine, crassitudineque distenditur, tanto illa ex enuatur magis, atque imbecillior fit, tanto item obruitur & sepelitur. Ac sicuti in oculorum pupilla, siquidem earetius impositas tunisculas crassiores effeceris, cernendi vim emittere ex se nequit, & clarius intueri, cum radius ille oculorum ex ea pinguedine obtundatur, ac tenebris plena sunt omnia: Ita & corpus si fuerit obesum, animam quoque obtusiorem euadere necesse est. At mortui (inquies) in putredinem tabemque vertuntur, ingensque ab eis sanies defluit: Ita & in ea, quę delicijs soluitur, videas. quippe rheuma, pituita, purgamenta narium, ructus ac vomitus extra profluunt. Cum iaceat anima mortua, quid ex eo cibo potuque percipitur emolumenti? Neque si cadauer iaceat examine pulchra veste contectum, ex eo flore vestis proficiet quippiam: Ita neque anima mortua, venustiore corpore amicta, aliquid ex eo decore lucrabitur. *Chrys.*

Plutarchi. Quemadmodum plantae & semina in regionibus montuosis ac asperis non ita lasciuiunt, vt in campestri & molliori terra: Sic homines, hominum quoque mores ad regionis habitum immutantur, & mollis & fertilis regio molles & ignauos reddit homines. *Est autem dicterium Cyri Persarum Regis, in Regum & Imperatorum apoph.*

ADAGIA.

Porcellus Acarnanius. χοιρίσκος Ἀκαρνάνιος.
In mollem & amabilem atque in delicijs habitum dicebatur.

Mus albus. μῦς λευκός.
Apud Suidam μῦς κακός, *id est, mus malus, apud* Diogenianum: *in hominem lasciuum & libidinis immodicae dicebatur.*

Melitaea catella. Μελιταῖον κυνίδιον.
Quadrat in eum, qui habetur in delicijs, ac lautius in ocio alitur ad voluptatem, non ad vsum. Effertur etiam sic: Melitaeus catulus, Lucianus.

Medulla terrae. μυελὸς τῆς γῆς. Gen. 45. 17.
Hebraei *medullam terrae, pro optima & fertilissima regionis parte, Genes. 47. 6. 11. vel delicatissimis fructibus, aut totius terrae bonis atque delicijs, Gen. 45. 18 prouerbialiter vsurpant. Medulla tritici fit mentio. Deuter. 32. 14. Psal. 81. 16. Olei & musti, Num. 18. 12.*

Deliciae tritici, σεμίδαλις πυροῦ Plinius meminit *huius adagij lib. 18. c. 8. Columella lib. 2. cap. 6. & Suidas eas appellat* κάλλιστον σῖτον. *Apud eundem* μέλιτος μυελός. *medulla mellis de rebus omnium suauissimis intelligitur.*

DEMOCRATIA.

DEFINITIO.

Democratia Graeca dictio est, δημοκρατία, *id est,* principatus populi, vel popularis status, & est, cum ad commodum egenorum Respublica a popularibus gubernatur, *secundum Arist. lib. 4. Polit.*

SENTENTIAE PHILOSOPHICAE.

Populi potentia praua non est. *Arist. l. 8. Ethic. c. 10.*

Populi potentiae transgressio peior est tyrannide & paucorum potentia. Nam peius est, si multi, quam si vnus vel pauci dominantur. *Ethic. l. 8. c. 5.*

In Democratia multa sunt alieno arbitrio facienda, & multitudo sequenda est. *Thucyd. lib. 6.*

Dominatus popularis est pessimus omnium earum Reipub. formarum, quibus homines vtuntur. *Dion. Halicarn. lib. 6.*

Democratiae censura extat apud Xenoph. lib. de Repub. Atheniensium. *Thucyd. lib. 1. Liu. Decad. 1. lib. 3. & apud Guicciard. hist. lib. 2. in orat. Guid. Antonij Vespucij.*

Populus ciuitatis manet idem specie, quamuis quidam moriantur. *D. Thom. de pri. de generat. & corrupt. l. 15. text. 36.*

Popularis status differt a pleb. 10. Nam popularis ab omnibus probatur; at plebeius ab omnibus reijcitur. Differt enim plebs a populo, quo species a genere. Nam populus ciues vniuersos, patricios & senatores etiam significat: plebs vero solum plebem, patricijs & senatoribus remotis. *Franc. Patric. de Republ. lib. 3. c. 11.*

APOPHTHEGMATA.

Solon dicere solebat, eum principem sibi maxime gloriosum videri, qui Democratiam ex Monarchia ciuibus faceret. *Plutarchus & Stob. serm. 46.*

Lycurgus cuidam postulanti, vt in ciuitate pro Aristocratia, hoc est, optimatum gubernatione, constitueret Democratiam, hoc est, popularem gubernationem: Tu fac, inquit, prius domi tuae Democratiam instituas. Compendio ducuit, eam Reipublicae speciem non esse vtilem ciuitati, quam nemo vellet esse in sua familia. Ciuitas autem nihil aliud est, quam magna domus. *Plut. in Lacon. & Stob. serm. 83.*

SIMILITUDO.

Aristotelis. Popularis status non solum debilitatur recedendo coeūdoque in paucorum potentatum: sed etiam progrediendo, nimium atque laxando: non secus atque aquilinus nasus & simus, qui non modo, si remittatur, in mediocritatem redibit, sed & si fiat vehementer aquilinus, vel simus, ita afficietur, vt neque nasus quidem omnino esse videatur. *1. Rhetor.*

AUTHORES.

Stobaeus sermone 41. ostendit, Democratiam esse necessariam. De populi & paucorum dominatu, *Plutarchus.* Qui regiam vel popularem ciuitatem primo instituerunt, *Polyd. Verg. c. 52.* De populi improbitate. *Crinitus lib. 10. c. 3.* De vulgi inconstantia & superstitione, *Brusoni. Pandect. lib. 12.* Alia huc pertinentia vide apud *Calium lib. 25. c. 18. Alexan. ab Alexan. lib. 1. c. 57. rursus lib. 2. c. 19.*

Vide infra T. 1. Respublica.

DEMONSTRATIO.

DEFINITIO.

DEmonstratio, Græce ἀπόδειξις, & ἀποδεικτικὸς demõstratiuus dicitur, & ἀποδείκνυμι demonstro. Est autem demonstratio, certis ac necessarijs rationibus alicuius rei probatio.

SENTENTIÆ PHILOSOPHORVM.

Demonstrationem voco ratiocinationem, quæ scientiam ob id gignere dicitur, quod illa animo comprehensa statim rem scimus. *lib. 1. de Demonst. c. 2. T. 5.*

Demonstratiua est ratiocinatio, quæ adhibetur ad docendam caussam, cur res sit: in vniuerso autem genere causa maxime continetur. *lib. 1. de Demonst. c. 20. T. 39.*

Demonstratio quidem propriæ ac per se erit, qua vniuersum illud genus probabitur: in alijs autem omnibus, non propriæ ac per se: sed alio quodam non accurato genere demonstrandi illud idem concludetur. *lib. 5. de Demonst. c. 4. T. 51.*

Aut certe ita statuendum est, aut vero nobis hoc loco quasi principium quoddam accipiendum, demonstrationem esse rem certissimam & necessariam: & si quid est, quod demonstratione conclusum est: illud non posse aliter se habere. Ex quo illud necessario emcietur: eam ratiocinationem, qua huiusmodi res concluditur, esse ex necessarijs sumptionibus constituendam. *lib. 1. de Demonst. c. 6. T. 16.*

Demonstratio erit ratiocinatio, quæ ex necessarijs constat. *lib. 1. de Demonst. c. 4. T. 7.*

Demonstratio est, cum ex veris & perspicuis conclusio est: aut certe eiusmodi, quæ ex quibusdam perspicuis & veris causam cognitionis sumunt. *lib. 1. Top. c. 1.*

Primæ demonstrationes, & quæ in pluribus demonstrationibus insunt: elementa dicuntur demonstrationum. *Metaph. l. 5. 4 cap. 3. T. 4.*

Demonstratio in necessarijs rebus dicitur: propterea quod secus esse & euenire non possit, si plane sit demonstratum. *lib. 5. 4. Metaph. c. 5. T. 6.*

Pro demonstrationibus accuratis hæ non sunt habendæ ratiocinationes, quæ ex notioribus nobis constituuntur. *lib. 1. de Demonstr. c. 3. T. 6.*

Scire quamobrem res est: nihil est, quam rei causam nosse. Quapropter necesse est in demonstratione, vt medium minori extremo propter se conueniat: & maius item extremum medio. Ex quo illud efficitur vitiosum esse in demonstrando ex vno genere in aliud migrare. *lib. 1. de Demonst. c. 7. T. 20.*

Tria sunt, in quibus omnis continetur demonstratio: prima est ea, quæ ea demonstratione conficitur conclusio: sunt deinde & pronunciata, ex quibus ipsa colligitur: tertium est ipsum genus subiectum, cuius affectiones, & quæ per se conueniunt, accidentia demonstrantur. *lib. 1. de Demonst. c. 7. T. 10.*

Eorum, quæ fluxa & caduca sunt, nullam neque demonstrationẽ, neque scientiam (nisi forte incertam quandam & quasi fortuitam) esse posse dico. *libro 1. de Demonstrationibus, cap. 7. T. 21.*

Illud profecto non est satis ad rem sciendam, quæ propter se alteri conuenit, adhibuisse ad probandum veras, indemonstrabiles, immediatasque propositiones. *ibid. T. 53.*

Nos sæpe id ad rem sciendam satis esse existimamus, si modo ex veris ac primis quibusdam sumptionibus constet ratiocinatio: cum tamen multo secus res habeat. *libro 1. de Demonstrat. cap. 8. T. 24.*

Neque demonstratio, vt nec ipsa ratiocinatio, ad id pertinet, quod verbo aut negatur, aut affirmatur: sed ab interiore sensu vim habet, remque semper respicit. *ibid. T. 25.*

Demonstratio efficitur ex verisimilioribus & prioribus. *lib. 2. de prima resolut. c. 18.*

Demonstrationes a principio ducuntur: & habent finem sibi quodammodo propositum, vel ratiocinationem, vel conclusionem. *lib. 1. de Anim. c. 3. T. 48.*

Non potest vnius generis demonstratio in aliud genus transferri, nisi perinde sint affectæ: atque Geometricæ demonstrationes ad Opticæ aut Fabricæ demonstrationes: & Arithmeticæ ad Musicas. *lib. 1. de Demonst. c. 7. T. 23.*

Ex prioribus ac notioribus constat omnis demonstratio. *lib. 1. de Demonst. c. 3. T. 6.*

Omnis qua quippiam demonstratur probatio, constat propositionibus aut omnino necessarijs, aut quæ plerumque ita fiunt. *lib. 5. de Demonst. c. 24. T. 43.*

Necesse est, demonstratiuam scientiam ex ijs sumptionibus constare, quæ & veræ sint, & primæ, &, vt sic dicam, immediatæ & notiores, & priores, denique & causæ conclusionis. Nam si hæc sint omnia, fiet vt accommudata sint, ad id, quod demonstratur, principia. Quamquam enim possit esse ratiocinatio, vt simul, hæc non sint omnia in demonstratione: tamen sunt necessaria a loquij, vt rem sciamus, nunquam efficiet. *lib. 1. de Demonstrat. ca. 2. T. 5.*

Ea, quæ demonstratione concludi possunt, tum demum certe, ac non fortuito sciuntur: cum est animo comprehensa eorum demonstratio. *lib. 1. de Demonst. c. 2. T. 5.*

Aliquid doceri non potest, nec demonstrari, nisi a proprijs initijs & principijs capto exordio, vsque ad vltima perueniatur. *lib. 1. cap. 2. T. 8.*

Quod subiectum scientiæ est, demonstratione concluditur: *lib. 6. Ethic. c. 6.*

Demonstratio ad ea nulla adhibetur, quorum principia secus euenire possunt. *lib. 9. Ethic. c. 5.*

Omnium demonstratio esse non potest, res enim in infinitum progredererur. *l. γ. 3. Metaph. c. 4. T. 7.*

Est præstantior ea demonstratio, quæ cum cæteris rebus cum altera conueniat, paucioribus absoluitur, quam illa. *lib. 1. de Demonst. cap. 21. T. 45.*

Nihil est præter substantiam, quod per demonstrationem esse non ostendatur. *l. 2. de Demonst. c. 7. T. 7.*

Demonstratio non definitio erit, quæ, quod res sit, indicabit. *ibidem.*

Ea tantum demonstratione concluduntur: de quibus alia priora dici possunt. *lib. 1. de Demonst. c. 18. T. 35.*

Si est ea accuratior demonstratio, quæ ex principijs constat, quam quæ non constat: aut vero, quæ ex ijs componitur, quæ magis principia sunt: ea est potior, qua continentur illa, quæ a principiorum appellatione magis sunt remota. Est autem prioris illius generis demonstratio de toto genere: profecto necesse est, vt sit multo excellentior vniuersi generis probatio. *lib. 1. de Demonst. c. 20. T. 39.*

Vniuersi generis probatio ratione & intelligentia continetur: quæ autem de parte concluditur, ad sensum pertinet, eoque terminatur. Quod igitur longe præstat demonstratio vniuersa demonstrationi, quæ in parte versatur: ista sufficiant. *ibid.*

Potatur illa in demonstrationem alteri præstare, quæ cum reliqua paria habeat, paucioribus absoluitur postulatis, aut hypothesibus, aut propositionibus: vt enim sint æque manifeste vtriusque propositiones: illa certe, quæ paucioribus constat, celerius rei cognitionem afferet: quod profecto optabilius est. *lib. 1. de Demonst. c. 21. T. 40.*

Vt quæque probatio certiorem parit rei cognitionem: ita potior accuratiorque est, siquidem in eo posita sit omnis demonstrationis virtus, vt scientiam gignat. *lib. 1. de Demonstrat. cap. 20. T. 39.*

Est ea semper accuratior probatio, quæ quod res ipsa est, qua quod nulla iam est, ostendat: & quæ errorem nullum inducit: quam quæ in falsas inducit opiniones. Atqui est huius posterioris generis demonstratio vniuersa. *ibid.*

Qui totum genus nouit, rem vt est, magis nouit, quam qui partem tantum intellexit: ob eamque causam vniuersi generis demonstratio, quam alicuius partis. *ibid.*

Erit potior accuratiorque de toto genere demonstratio, quandoquidem illa magis causam, cur res sit, explicat. *ibid.*

Est accuratior vniuersi generis demonstratio, quam partis. *ibidem.*

Par est, vt earum rerum, quæ ad demonstrationem magis accommodatæ sunt, sit etiam magis demonstratio. *ibid.*

Illa semper est optabilior demonstratio, per quam simul multa cognoscimus: quam quæ vnius tantum rei cognitionem affert. *ibidem.*

Perspicuum est, nec omne, quod definitur, posse demonstrari, nec omne, quod demonstratur, posse definiri. *lib. 1. de Demonstr. c. 3. T. 2.*

Ad demonstrandum valere dico etiam communes sententias & opiniones, quibus omnes docent atque demonstrant. *Metaph. lib. β. 2. c. 2. T. 4.*

Quoniam in vnoquoque genere ea necessario insunt, quæ per se alicui rei, & qua res huiusmodi est, conueniunt: perspicuum est non modo de ijs fieri, quæ per se sunt, sed etiam ex ijs constare debere omnes demonstrationes, quæ parere scientiam possunt. *lib. 1. de Demonst. c. 7. T. 19.*

Si aliqua sint initia, & nec probari demonstratione res omnes possunt: nec progredi in infinitum licet. *lib. 1. de Demonstrat. capit. 18.*

Omnium demonstratio esse nullo modo potest: quippe cum & ex aliquo progredi, & in aliqua re versari, & aliquorum esse necesse sit demonstrationem. *lib. Metaphys. c. 2. T. 4.*

Essentia non videtur esse demonstratio. *lib. 2. Metaph. c. 1. T. 6.*

Qui demonstrare volunt, ijs non est petendum ab interrogatione, quandoquidem ex rebus contrarijs nunquam potest vna eademque res demonstrari. *lib. 1. de Demonst. c. 8. T. 27.*

Hoc constat, demonstrationem omnem ex tribus modo finibus, non pluribus strui, nisi forte per diuersa argumenta complexio eadem colligatur. *lib. 1. de prima resolut. c. 25.*

DEPOSITUM.

DEFINIT. ET ETYMOLOG.

Depositum, Græce παρακαταθήκη dicitur, & est, quod custodiendum alicui datum est, vt habetur ff. depositi, l. in princip. Differt autem a mutuo, quia depositum datur ad vtilitatem dantis: sed mutuum ad vtilitatem accipientis. *B. Thom. 2. 2. q. 62. art. 6.*

Deponere, est apud sequestrum collocare. Hinc depositum dicitur.

LOCI BIBLICI.

Depositi lex, *Exod. 22. 7.* Depositum Pauli, *1. Timot. 6. 20.* sunt dona quæcumque ad Ecclesiæ ædificationem: veluti depositum Deus commiserat Timotheo.

Hebræi depositum *Pikkadhon* vocant, a verbo *Pakad*, visitauit. Depositum enim fidei nostræ commissum visitandum est, & accurato vsu diligenter conseruandum.

APOPHTHEGMATA.

Pittacus, dictum eius celebratur: Depositum quod acceperis, iustè reddito. *Stob. serm. 9. de iustitia.*

Demosthenes, Ancilla quædam depositi nomine pecuniam acceperat a duobus hospitibus, hac conditione, vt eam vtrisque simul redderet. Horum alter post tempus aliquod lugubri veste & squalidus socij mortem simulans, decepta muliere nummos abstulit. Eo facto superuenit alter, & depositum repetere cœpit. Cum mulier anxia de laqueo cogitaret, Demosthenes ei patronus adfuit, qui vt in aduocationem venit, sic aggressus est petitorem. Mulier, inquit, parata est depositi fidem soluere, sed nisi socium adduxeris, id facere non potest: quoniam, vt ipse prædicas, hæc dicta lex est, ne pecunia alteri sine altero numeretur. Hoc ingenio seruauit miseram: elusitque nebulonum conspirationem, qui hoc egerant, vt eandem pecuniam bis acciperent. *Val. Max. lib. 7. c. 3.*

SIMILITUDINES.

Philonis Iudæi, Piscatores quidem cum paruis escis demissis magnos pisces hamo capiunt, non criminantur, quia se, aiunt, hoc modo macelli annonæ prospicere, atque quotidie mensas instruere talibus copijs. At vilis depositi redditione fas non est inescare quemquam, vt ab eo maius auferas, manibus pauca porrigens, multeis vero magnisque rebus defraudans cum animo. *Lib. de plant. Noe, fol. 149.*

Themist. Pulchrum est, quod eleemosyna propria suum authorem nescit. Ecquid ergo de ijs, dices, qui alieno apud se deposito suum nomen inscribunt, aut certe popellum ambiunt? *In apoph. 527.*

HISTORICA EXEMPLA.

Apud Indos, si quis mutuo depositione fraudetur, non venit in iudicium, sed seipsum accusat is, qui credidit. *Stob. serm. 42.*

Apud Pisidas grauissima semper depositi causa agebatur: apud quos si inuentus esset, qui defraudasset, mortis crudelissimo supplicio afficiebant. *Idem ibidem.*

DERISIO.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Derisio, Græce καταγέλασις vel ἡ καταγέλως. ὁ ridiculus: καταγελάω καταχλευάζω deridere dicitur. Est autem cum aliquis malum alicuius personæ, vel defectum, in ludum vel risum ponit, vt erubescat & verecundetur. Derisionis finis est, vt erubescat. Conuiciatoris vero, vt collat honorem. *S. Thom. 2. 2. q. 75.*

Derisio de re notabili est peccatum mortale. Et est grauius, quam contumelia: sed grauissimum derisio Dei: secundo parentum, tertio iustorum, *2. 2. q. 75 art. 2.*

Derideo, illudo, contemno, & de aliquo rideo, sue risum moueo: a quo derisor, & derisus quartæ declinationis.

Hebræi derisorem, nugatorem appellant, a verbo *Hasel*, dolosus fuit, fallacter egit, nugatus est, illusit: Inde ὕθλος, nugor, ὑθλεῖν, nugæ: ὑθλοσόφος nugigerulus. *Lahag* significat derisit, illusit sub sannauit. Cognationem habet cum *Hilleg*, balbus, nam derisores vt fecutius alijs illudant, balbutiem nescio quam fingunt, & diu alios deridentes ipsi apparent ridiculi.

SENTENTIAE BIBLICAE.

Qui deridetur ab amico suo, sicut ego, inuocabit Deum, & exaudiet eum. *Iob 12.*

Abominatio Domini est omnis illusor. *Prou. 3.*

Polyanthea Noviss.

Ipse deludit illusores: & mansuetis dat gratiam. *Ibid.*

Tunc stabunt iusti in magna constantia aduersus eos, qui se angustiauerunt, & qui abstulerunt labores eorum.

Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, dicentes intra se, pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes: Hi sunt, quos aliquando habuimus in derisum, & in similitudinem improperij. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore: Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter Sanctos sors illorum est! *Sap. 5.*

Non irrideas hominem in amaritudine animæ: est enim, qui humiliat & exaltat, circumspector Deus. *Eccles. 7.*

Deridetur iusti simplicitas. *Iob 12.*

Ambulans recto itinere, & timens Deum, despicitur ab eo, qui infami graditur via. *Prou. 14.*

Parata sunt derisoribus iudicia: & mallei percutientes stultorum corporibus. *Prou. 19.*

Eijce derisorem & exibit ab eo iurgium, cessabuntque causæ, & contumeliæ. *22.*

Illusio & improperium superborum, & vindicta, sicut leo, insidiabitur illi. *Eccles. 27.*

Et qui spernis, nonne & ipse sperneris? Cum consummaueris deprædationem, deprædaberis: cum fatigatus desieris contemnere, contemneris. *Esa. 33.*

ADAGIA.

Omnia præclara dicis. *καλὰ δὴ πάντα λέγεις.*

Vsus erit huius adagij, cum absurda dicentem vel colligentem vrbanius volumus reprehendere.

E sublimi me deridens. ἀφ᾽ ὑψηλοῦ μου καταγελᾷς.

Di eo, qui cum fastu ridet quempiam ac despicatur.

Ἐκτιμαλίζεσθαί τινα.

Gracis σκιμαλίζειν est medium digitum ostendere, contractis cæteris, ignominiæ causa: quo gestu contumeliam despectumque supremum significabant, Suidas. die feigen zeihgen.

Naso suspendere. *Horat. in serm.*

Naso suspendis adunco. Est vafre ac subdole irridere.

Postica sanna.

Clancularium irrisionem Persius prouerbialiter appellat Posticam sannam, a gestu ridentium aliquem a tergo. Ein Munch stechen.

In eo ipso stas lapide, in quo præco prædicat.

Quadrabit, vbi quis præsens videns, audiensque tamen deluditur.

Lotiped, m rectus derides.

Conuenit, quoties aliquis alijs id exprobrat vitij, cui sit ipse obnoxius. Ein Esel heist den andern Sacktrager. Item, Ein Esel heist den andern Langohr.

EXEMPLA BIBLICA.

Derisionis exempla: Magistri operum derident & contemnunt Israelitas, *Exod. 1. 5.* Viri Sucoth Gedeonem, *Iudic 8. 6.* Goliath Dauidem, *1. Sam. 17. 42.* Nabal Dauidem, *25. 10.* Michol Dauidē, *2. Sam. 6. 16.* Elias Baalitas, *1. Reg. 18. 27.* Pueri Bethel Elisæum, *2. Reg. 2. v. 22. 24.* Israelitæ cursores & nuncios regis, *2. Paral. 30. v. 6. 10.* Nuncios & Prophetas Dei, *36. v. 15. 16.* *Esdr. v. 1. 50.* Sanaballath & Tobias Ammonites Israelitas, *Nehem 4. v. 1. 2. 3.* Parentes & cognati Tobiam, *Tobia 2. v 15. 16.* Iuniores Iobum, *Iob 30. 1.* Iudæi Ieremiam, *Ierem. 20. v. 7. 8. Thren. 3. v. 14. 15.* Mater septē liberorum, vna cum filio minore natu Regem Tyrannum, *2. Mach. 7. v. 27. 39.* Nicanor Israelitas, *1. Machab. 7. v. 34. 35.* Tibicines & turba Christum, *Matth 9. 24.* Principes Sacerdotum, Scribæ, Seniores & milites, *27. vers. 41. 42. Marci 15. 20. Luc. 22. verf 63. 64.* Herodes, *23. 11.* quidam Iudæi Apostolos, *Act. 2. v. 12. 13.* Athenienses Paulum, *17. 32.*

Vide Contemptus, Illusio, Irrisio, & Risus. Item, Contumelia, Conuitium.

DESIDERIUM.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Desiderium, Græce ἵμερος, πόθος, ἐπιθυμία, πόθος, cupiditas, studium, ardor, amor vehemens, affectus: & ἱμείρομαι, desidero dicitur.

Hebr. *Auuah*, a verbo *Auah*, concupiuit, valde appetiuit: cognationem habet cum *Abah*, voluit, & *Naah*, formosus fuit. Nam formosa desiderantur. Et *Chemeddah*, seu *Chemedh*, a verbo *Chamadh*, desiderauit ea animo, concupiuit feruenter. Affinitatem habet cum verbis *Chaman* & *Chameh*, incaluit. Quid enim desiderium aliud quam feruor & animi calor ardentissimus erga rē desideratam. Est autem desiderium libido eius, quod nondum adsit, *Iac. Cic. Tuscul. quæst. 2.*

Desiderium est motus appetitus in amabile, & inchoatio amoris. *Ex S. Thom. 2. sent. dist. 39 art. 3.*

Desiderium differt ab amore, quia desiderium est de bono non habi-

habitu: sed amor est de bono absolute, *secund. secund. prima parte, q.20. artic. 1.*

Quo diutius abest, quod desideratur: tanto expectantis desideriam maiori quadam vi amoris ignescunt. Caro deficit, sed cupiditas alitur & augetur.

Desiderium præcedens comprehensionem rei, magis dicitur dolor, quam voluptas. *Arist. Metaph. t. 1.*

SENTENTIÆ BIBLICÆ.

Vniuersa terra desiderabat videre vultum Salominis. *1. Reg. 10.*

Quis det, vt veniat petitio mea, & quod expecto, tribuat mihi Deus? *Iob 6.*

Domine ante te omne desiderium meum. *Psal. 38.*

Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum. 42.

Hæc recordatus sum, & effudi in me animam meam. *ibid.*

Sitiuit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea. 63.

Concupiscit & deficit anima mea in atria Domini. 84.

Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est. 119.

Sicut ablactatus super matre sua: ita retributio in anima mea. 130.

Super flumina Babylonis illic sedimus, & fleuimus, dum recordaremur tui Sion. 137.

Anima mea sicut terra sine aqua tibi. 143.

Desiderium suum iustis dabitur. *Prou. 10.*

Desiderium iustorum omne bonum. 11.

Lignum vitæ desiderium veniens. 13.

Curremus in odorem vnguentorum tuorum. *Cant. 1.*

Nomen tuum, & memoriale tuum in desiderio animæ. *Esa. 26.*

Anima mea desiderauit te in nocte. *ibid.*

Ego veni, vt indicarem tibi, quia vir desideriorum tu es. *Dan. 9.*

Noli timere vir desideriorum, pax tibi. 10.

Qui scrutatur corda, scit, quid desideret spiritus. *Rom. 8.*

Coarctor è duobus, desiderium habens dissolui, & esse cum Christo. *Phil. 1.*

Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. *Coloss. 3.*

Ego sitienti dabo de fonte aquæ viuæ gratis. *Apoc. 21.*

SENTENTIAE PATRVM.

Qui desiderat, & si lingua taceat, corde cantat: qui autem non desiderat, quolibet amore, quolibet clamore aures hominum feriat: intus mutus est Deo. *Aug. sup. Psal. 86.*

Etiam quod tempore acceleratur, desiderio tardum videtur. *Aug. epist. 58.*

Quod oculus non vidit, &c. desiderari potest, concupisci potest. Desiderium sinus cordis est. Capiem. s, si desiderium, quantum possumus, extendamus. *Aug. super Ioan.*

Quo diutius abest, quod desideratur, tanto expectantis desideria maiori quadam vi amoris ignescunt. Caro deficit, sed cupiditas alitur & augetur. *Amb. super Beati immaculati.*

Cuncta desideria dilatione crescunt: si autem dilatione deficiunt, desideria non fuerunt. *Greg. Hom. 23 super Euang.*

Sancti viri vnde desideriorum suorum detrimenta tolerant, inde maiora lucra conuersis alijs reportant. *ibid.*

Valentiores voces apud secretissimas aures Dei non verba faciunt, sed desideria. *In Moral.*

Quid clamas ad me? Voces apud aures Dei non faciunt verba nostra, sed desideria. Aeternam enim vitam si ore non petimus, sed corde desideramus: ore tacemus, sed tacentes clamamus. *ibid.*

In qualitate desiderij potest mens honesta cognosci. *Cassiod. lib. 4. epist. 25.*

Mala voluntate miser quisque efficitur: sed miserior, cum desiderium malæ voluntatis impletur. *Aug. 13. de Trinit.*

Desiderijs religiosis facile est concedendum. *Greg. epist. 52.*

SIMILITVDO.

Ciceronis, tanquam bona valetudo iucundior est ijs, qui è graui morbo liberati sunt, quam qui nunquam ægro corpore fuerunt: Sic omnia desiderata magis, quam assidue percepta delectant. *In orat. post reditum ad Quirites.*

DESIDIA.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Desidia, Græce *ῥᾳθυμία*, et *ῥᾴθυμος* vel desidiosus dicitur. Est autem desidia ignauia, & desidiosus, & piger, & ignauus: ita deses, desidis, a desido, quod est, ociosus sedeo, vel subtersedeo. *Vt Virgil. Subsidit dubius.*

Desidia, Hebr. *Haeslaeth* & *Haeslueth*, Prouerb. 19. 15 & 31. 24. a verbo *Haesal*, Desidiosus & piger fuit. Contrariam habet significationem verbo halats, exultauit, exiliuit. Nam desidiosi & pigri velut compedibus vincti ægre pedem mouent. Ab *Haesal*, deducitur negligo, & Latinum asellus, animal tardigradum.

SENTENTIAE POETICAE.

Ouid. 1. Remed.

Quæritur Ægysthus, quare sit factus adulter?
In promptu causa est, desidiosus erat.
Pugnabat alijs tardis apud Ilion armis,
Quo tulerat vires Græcia tota suas.
Siue operam bellis vellet dare, nulla gerebat,
Siue foro, vacuum litibus Argos erat.
Quod potuit fecit: ne nil ageretur, amauit:
Sic venit ille puer, sic puer ille manet.

Ouid. 1. Amor. 9.

Qui nolet fieri desidiosus, amet.

SIMILITVDO.

Sicut schœnobatæ, qui in funibus sursum deorsumque extentis ascendere & descendere solent, si parum respexerint, præcipites in orchestram decidunt, & pereunt: ita & in hac via ambulantes, si paulisper fuerint desides, in præceps feruntur. Via enim hæc & angustior & directior, nec non & periculosior, quam funis ille, imo & multo sublimior est.

EMBLEMATA.

Desidiam abijciendam.
Andr. Alciati.
Emblema LXXXI.

Quisquis iners, abeat: nam in chœnice figere sedem
Nos prohibent Samij dogmata sancta senis.
Surge igitur, duroque manus assuesce labori,
Det tibi dimensos crastina vt hora cibos.

Desidia.
Emblema LXXX.

Dedidit in medio Bessus speculatur & astra,
Subtus & accensam contegit igne facem.
Segnities specie recti velata cucullo,
Non se, non alios vtilitate iuuat.

FABVLAE.

Bubulcus.

Bubulcus onustum lignis plaustrum domum agebat: quod cum in lutosa via & salebris hæreret & retineretur, cœpit ille ociose astans deos deasque in auxilium vocare, præque cæteris, quê maxime propter celebratum vulgo robur colebat, Herculem. Tum illi se Herculem conspiciendum obtulisse ferunt, & his verbis corripuisse stolidam ignauiam ipsius. Rotis manus, o bubulce, applica, & stimulum bobus admoue, & deorum deinde opem poscito, ne, si tu cesses, dij frustra inuocentur. Vnde & prouerbium natum: Manum admouentes inuocate numina. Et hoc aliquid & ipse agens facit, inuoces deos.

Fabula narratur, contra desidiam, pigritiam, cessationem, in quibus plerunque ignauum vulgus vota facit, & precibus fatigat deos. Itaque & Terentianus Micio quærit de adolescente: An crediderit sperarat nuptias dormienti sibi confecturos deos? Et apud Apollonium Hercules: οὐδὲ τι νῶϊ, inquit, αὐτόματον δώσουσι θεοὶ ἐξαυτῆς.

De apicula desertrice generis sui.

Animaduertens apicula, fucos ociosos in copia non minore vitam degere, quam laboriosissimum genus apicularum, eos imitari, & non magis opus facere velle decreuit. Et cum quasi pensum quotidianum ab illa exigeretur, desertis suis ad fucos transijt, interque illorum furta suppetente etiam vbique pabulo, æstatem satis, vt rebatur, commode transegit. Sub hyemis autem frigora fuci in suas latebras dispergunitur, & se quasi sepeliunt intra cauernas. Apicula igitur reuolare ad genus suum, & aluearia repetere, verum omnibus foraminibus & ostiolis alueorum obturatis, celeriter gelu hyemis & imbribus oppressa interijt.

Fabula contra fugam laborum & desidiam, deque proditoribus narrari potest.

Pediculi & Pulices.

Græci molestum & fœdum animal φθεῖρα vocant. Latini pedes dixere & pediculos. Hi sanguine aluntur, quem de alijs animantibus exugunt. Sed & pulices simili pabulo vtuntur, & morsu suo infesti sunt cuique animantium. Ab his inuitati quodam tempore pediculi, ad pinguis & adipati corporis dormientis hominis opiparas epulas, cum audius appeterent: illum suceum perdulcem excitatur sopitus, & lumina poscit, quibus illatis, celeriter pediculi reptantes capti necantur, pulices saltu frustrantes captores, salutem sibi pepererunt.

Fabula docet, inertia & desidia, facultates, existimationem, ipsamque vitam maxime lædi.

DESPE-

DESPERATIO.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Desperatio, Græcè ἀπόγνωσις, ἀπογινώσκω despero dicitur. Est autem desperatio ægritudo sine vlla rerum expectatione meliorum, &c. *Cic. lib. 4. Tusc. quæst.*

Desperatio est, quando ex falsa existimatione propter peccata, quæ fecit vel bona, quæ omisit, desperat de Dei misericordia, credès Deum nolle, vel non posse sibi parcere, vel in gratiam recipere.

Desperatio non importat solam priuationem spei, sed recessum a re desiderata propter impossibilitatem existimata *n. B. Thom. 2. 2. q. 40. art. 4.* Hebr. *Anusch.* a verbo *Anasch*, morbo desperato laborauit. Inde *Enosch*, homo miser, mortalis, desperatis malis afflictus, & tandem morti addictus.

Sententiæ Poeticæ.

An ignoras, quod periculosa sit desperatio. *2. Reg. 2.*

Desperaui, nequaquam iam vltra viuam. *Iob 7.*

Non credit, quod reuerti possit de tenebris ad lucem circumspectans vndique gladium. *15.*

In profundissimum infernum descendent omnia mea, putasne saltem ibi erit requies mihi? *17.*

Quasi euulsæ arbori abstulit spem meam. *19.*

Quare factus est dolor meus perpetuus & plaga mea desperabilis renuit curari? *Ierem. 15.*

Insanabilis est fractura tua, pessima plaga tua. *30.*

Super hoc plangam & vlulabo, quia desperata est plaga eius. *Mich. 1.*

Desperatio pœnam multiplicat.

Dixitque Cain ad Dominum: Maior est iniquitas mea, quam vt veniam merear. *Gen. 4.*

Impius, cum in profundum venerit peccatorum contemnit: sed sequitur eum ignominia & opprobrium *Prou. 18.*

Et dixisti, desperaui, nequaquam faciam: adamaui quippe alienos, & post eos ambulabo. *Ierem. 2.*

Desperauimus, post cogitationes nostras ibimus, & vnusquisque prauitatem cordis sui mali faciemus. *Idem c. 18.*

Desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ in operationem immunditiæ omnis, in auaritiam. *Ephes. 4.*

Pœnam aggrauat.

Tu ergo fili hominis dic ad domum Israel: Sic locuti estis, dicêtes: iniquitates nostræ, & peccata nostra super nos sunt, & in ipsis nos tabescimus: quomodo ergo viuere poterimus? *Exec. 33.*

Patrum Santentiae.

Latro agnouit, Petrus negauit. In Petro demonstratur quemque iustum non de se præsumere, in latronem nullum impium debere diffidere conuersum. Timeat ergo bonus, ne pereat per superbiam, & malus non desperet per multam malitiam. *Aug. in lib. de symb.*

Nemo desperet: Iudam traditorem non scelus, quod commisit, quam indulgentiæ desperatio fecit penitus interire. *lib. de vtil. pœn.*

Ne desperando augeamus peccata, propositus est pœnitentiæ portus: rursus ne sperando augeamus, datus est dies mortis incertus. *ibidem.*

Desperatio certa mors est. *Amb. super Luc lib. 2.*

Desperatio homicida est animæ. *Aug. in Psal. 50.*

Nemo diffidat, nemo veterum conscius peccatorum præmia diuina desperet, nouit Dominus mutare sententiam, si tu noueris emendare delictum. *serm. 6.*

Incumbit virtuti sæculi, qui desperat de adiutorio Dei. *Ambr. super Marcum.*

Illius æternæ ciuitatis ianuas nobis desperatio claudit, spes aperit, fiducia latum præbet ingressum. *Isid. l. 2. de sum bono.*

Nullus desperet veniam, etiam si circa finem vitæ ad pœnitentiam conuertatur, vnumquemque enim Deus de suo fine, non de vita præterita iudicat. *ibid.*

In vita hominis finis quærendus est: quoniam Deus non respicit, quales antea viximus: sed quales circa finem vitæ fuerimus. *ibidem.*

Perpetrare, flagitium aliquod mors est animæ, sed desperare est in infernum descendere. *ibid.*

Sceleratior omnibus, ò Iuda, & infelicior extitisti, quem non pœnitentia duxit ad Dominum, sed desperatio traxit ad laqueum. *Leo Papa in serm.*

Prima salus declinare culpam, secunda, non desperare veniam: quia ipse se in æternum punit, qui apud verum iudicem ad pœnitentiam non recurrit. *Hug lib. de vera sap.*

Quamuis autem sint aspera & difficilia, quæcumque sunt in excelsis posita, non dubie sit, vt in apertum campum veniant, si itineribus nihil desperationis occurrat. *Valer. Episc. in quodam sermone.*

Desperatio est ad vitæ statum vel virtutum reditum fracta spei gubernatio. *Victor.*

Poeticæ Sententiæ.

Ouid. Pont. 2.

Confugit interdum templi violator ad aram,
Nec petere offensi numinis horret opem.

Sen. Med. Nihel.

Qui nihil potest sperare, desperet nihil.

Ouid. 5. Pont. 2.

Qui rapitur fatis, quid præter fata requirit?
Porrigit ad spinas, duraque saxa manus.
Accipitrem metuens pennis trepidantibus ales,
Audet in humanos fessa venire sinus.
Nec se vicino dubitat committere tecto,
Quæ fugit infestos territa cerua canes.

Ouid. 3. Pont. 7.

Proximus huic gradus est bene desperare salutem,
Seque semel vera scisse perisse fide.

Sententiae Philosophicae.

Desperatio cum ei ipsi maximo & exitiali sit malo, qui ea affectus est, tum acerba & grauis omnibus & reipub. minime toleranda. *ex orat. 1. contra Aristog.*

Desperatus omnis seipsum proijcit, etiam quam consilio & ratione tenere liceat salutem, & præter omnium expectationem fit, si forte incolumis seruetur. Quis igitur sana mente præditus seipsum, aut patriæ commoda isti commiserit? quis non pro viribus fugerit, aut eum procul summouerit? ne quis in talem vel inuitus incidat. *Ex orat. 1. cont. Aristog.*

Neque vos consternatis animis esse oportet, præsertim cum sciatis, desperationem neque præsentibus rebus conducere, & vobis indignam esse. *Ex 49. Proœm.*

Apophthegmata.

Leonidas, Ephoris dicentibus ad Leonidam, quod ad Thermopylas proficiscens, paucos secum educeret: Nimirum ad hoc, inquit, negocium, ad quod proficiscimur. Indicans, satis multos educi ad moriendum in bello: satius enim perire paucos, quam multos. *Plut.*

Anonymus: cuidam, qui laborans ab oculis exierat in bellum, cum nonnulli dicerent: Quo vadis ad istum affectus modum, aut quid facturus? Vt nihil, inquit, aliud, certe hostis gladium hebetabo. *Plut.*

Pompeius, rebus infeliciter gestis aduersus Cæsarem, & ad summam desperationem redactus, in tentorium venit attonito similis, nec aliam vocem emisit, quam hanc, οὐκοῦν εἰς παρεμβολήν. Ergo in castra, sumptaque veste præsenti fortunæ accommodata, clam profugit. *Plut.*

Similitudines.

Chrysostomi, sicut infirmus, donec mediocriter habet aliquam passionem & sperat se posse curari, seruat se a nociuis escis: si autê intellexerit, insanabilem se iam esse, iam non parcit: Sic & homo, dum nec mediocriter peccat, sperat salutem, quantumcumque potest, obseruat se a malo: si autem grauiter peccando cœperit desperare iam nihil dubitat facere, quasi qui iam peccatis suis vincit iudicium Dei. *In c. 22. Matth. hom. 40.*

Sicut subducto oleo, minuitur lumen lucernæ: Sic sibi male conscius, consideratione operum suorum malorum se confundit, & infidelitati suæ addit adhuc diffidentiam. *In Matth. 24. Hom. 53.*

Non est perniciosum in prælio vulnerari, sed post vulnus acceptum desperatione curandi medelam vlceri denegare. Nullus se demergit, naue fluctibus semel mersa, ac totum onus perditum desiji nauigare: sed rursus ad maria, nudusque festinat, rursus immensa peruolat freta, & iterato felicius cursu casus prioris damna compensat: sæpe & iam athletas videmus post frequentes lapsus, & detractationes plurimas coronari. Militem quoque scimus post fugas multas virum fortem fuisse; & vicisse victores. *Hom. 21. ad Europ.*

Vt qui se subducit malis, non criminationem meretur, sed coronam promeretur: Ita qui violenta morte, seu laqueo, seu alijs modis vitam abrumpit, hunc haudquaquam æquum fuerit in crimen vocari: iuxta vestram sententiam. *In ep. 1. ad Galat.*

Non vides medicos, si de salute ægrotantis diffidant, non iam curare: dicunt enim, quod malueris infirmitati dari, quod non vlteriorem suscipit morbus curam: artis enim industriam morbi malitia vincit. Hæc dicunt, qui de ægroti salute desperant. Si vero sanitas expectatur, omnia faciût ægroto, salubres efferunt medicinas. Pari modo, si quis peccatis desperando cesserit, quasi non supersit pœnitenti salus, sese malus in malum stimulat. *De pœnitente serm. 6.*

Sicut si imperitus agricola, vbi plantauit vitem, primo illo anno diligenter curat & fodit, secundo vero ac tertio fructum se percepturum speret: idque nisi obuenerit, desperans, quarto iam anno, quo laborum suorum præmia percipere poterat, curam vitis omittat: Ita interdum is, cui persistendo persuade-

se poteramus desperatione nostra prorsus elidiur, *Hom.6,de diuersis.*

Tyrannori, qui in summo rerum periculo, omnem liberationis spem abijcit, Deum cum malo duce comparat, qui militis oblectatur interitu, aut exercitum in præcipitio collocat. *In ap ph.50.*

Adagia.

Actum est. πέπρακται.

Prouerbialiter etiam his verbis hodie desperationem significamus. Es ist auss, Es ist geschehen.

Nullus sum. οὐδέν εἰμι μηδαμοῖ εἰμι.

Huc referenda etiam illa comicorum Hyperbola: Occidi. Perij: quibus desperationem aut angorem animi significamus.

Perierunt bona: ἀπώλετο τὰ καλά. *Ex Epistola Hippocratis ad Lacedæmonios de occasu ducis Mindari.*

Vsus erat, cum eo in malo se esse desperabundi significamus.

Pinus in morem. πίτυος τρόπον

Vbi quis funditus exciditur, sique perit, ita ut nullo pacto restitui possit. pinus ritu perditus dicitur.

Ad restim res redit.

Significabitur hoc adagio summa rerum desperatio, Terent. in Phorm. Opera tua ad restim mihi quidem res rediit planissime.

Suspendio deligenda arbor. *Plinius.*

Iare vehementer indigna, neque ullo pacto toleranda, veteres arborem suspendio deligendam esse dicebant. Es solte sich einer selbst erhenken.

Ad procellum da mihi mutuo tres drachmas: εἰς χοιρίδιον μοι νῦν δάνεισον τρεῖς δραχμάς.

Dicebatur ab eo qui mori decreuisses. Suidas.

A quoque scopulis desilite in fluctus. ἀπὸ πέτρας ἅλλεσθαι κατὰ κῦμα.

Vsurpari potest ab ijs qui iam impatientes malorum, minantur sese in quodvis potius malum præcipitaturos, quam ut perpetiantur. Es solte einer ehe in den rhein springen.

Omnibus armis præsidijsque destitutus.

Quoties desperandum, atque animi auxilio, præsidioque destitutum hominem significamus, apposite vtemur versu Homerico, qui est Iliad.3.

> Γυμνὸς ἄτερ κόρυθός τε καὶ ἀσπίδος, οὐδ᾽ ἔχεν ἔγχος.
> *Et clypeo simul & galea nudatus & hasta.*

Thocensium desperatio. Φωκέων ἀπόνοια.

Dici solitum, vbi desperatis rebus ad extrema consilia veniretur.

Tenuis spes. ψυχρὰ μετ᾽ ἐλπίς.

Spem incertam infirmamque poeta frigidam tenuemque vocant.

Exempla Biblica.

Desperationis exempla: Cain, *Genes.4.ver.13.14.* Israelitæ, *Exod.14.11.* Achitophel, *2.Sam.17.23.* Elias, *1.Reg.19.4.* quatuor Leprosi, *2.Reg.7.4.* Saul, *1.Paral.10.4.* Saulis Armiger, *v.5.* Iudas, *Mat.27.5.* Custos carceris, *Act.16.27.* Desperatio cauenda, *2.Cor.2.7.*

Historica Exempla.

Numantini a Pub. Scipione Africano longa obsidione defatigati, cum intolerabiles pacis conditiones præscriberet, desperatis rebus, ultimo sese prælio accingunt: satius ducentes pro patria fortiter occumbere, quam per ignauiam deditos, ut oues, iugulari. *Sab. lib. lib.9. Enn.5.*

Saguntum Hispaniarum oppidum, iuxta flumen Hiberum, societate fœdereque coniunctum cum Romanis, longa Pœnorum obsidione fameque eo redactum est: vt ciues extructo in foro igni, quicquid erat preciosarum rerum, in eum conijcerent; ac postremo se suosque liberos eodem præcipitarent, ne venirent in hostium manus. Inde prouerbium, Saguntina fames, *P.M. in Adagijs ex Liuio, Val. Max. & Cic. Phil.*

P. Licinius Crassus, profectus contra Aristobicum Eumenis filium, in eo prælio profligato exercitu, ipse ne in hostium manus veniret, baculo barbari satellitis, equum ducentis, oculum petens, cum in sui necem prouocauit. *Plut.*

Caius Marius Iunior a Sylla, e Mithridatica victoria redeunte, cum toto exercitu *fusus*, in oppidum Præneste se recepit. Vbi obsessus, cum nulla effugij pateret rima, veniam desperans, se Pontio Telesino præbuit iugulandum.

Adrianus Imper. incredibili membrorum omnium cruciatu impulsus, Mastorem quendam barbarum, partim minis, partim pollicitationibus impulit & coegit, vt caedem sibi inferret: circumscripsitque locum sub mamilla, quem Hermogenes medicus demonstrauerat, quo leuiter percusso, sine dolore expirauit.

Diocletianus & Maximianus Herculeus, anno Domini 307. ille Nicomediæ, hic vero Mediolani, imperio sese abdicarunt, palam quidem negociorum molem & senectutem causantes amicis, sed id ex desperatione facere, quod non possent extinguere Christianorum religionem, confitentes, *Niceph. l.7.c.20. Zonar. tomo 2. Chronic Vespergensis.*

DETRACTIO.

Definitio et Etymolog.

Detractio, Græce καταλαλιά, κακολογία, ab ἀκαλγορεῖν. maledicus dicitur. Et est detractio, denigratio alienæ famæ per occulta verba. *sec. S. Thom. 2.2. q.73 art.4.*

Detractio est seminatio mali occulte in proximi iniuriam. Differt autem detractio a contumelia; Quia contumeliosus per aperta dicta intendit honori derogare: Detractor vero in absentia proximi, eius famam lædit. *secundum S. Thom. 2.2. q.73.*

Detractio, quæ est occulta maledictio ad denigrationem famæ per impositionem falsi, per adductionem mali, per reuelationem mali occulti, & per deprauationem intentionis: de se est peccatum mortale, ex leuitate vero est veniale, nisi sit de graui: sed propter bonum cum debitis circumstantijs nullum est peccatum. *Ex S. Thom. 2.2. q.73. art..*

Hebræi detractorem vocant *Halach Rachil.* id est Deambulantem. mercatores negociorum suorum & mercium colligendarum vel distrahendarum gratia hinc inde cursitant, atque adeo semper agitantur, ita detractores vndique rumores corradunt aduersus quoscumque, quos postea in aliorum aures conficiunt, hacque negociatione omnium pessima supra modum delectantur. vide supra, *Delatio.* Alio verbo vtuntur, nempe *Raghal*, detulit, pedibus ambulando narrauit rem alteri, obtrectauit. Detractores enim solent discursare, & aliquid explicari, quod deinde alijs inter deambulandum varijs verborum circulis & ambagibus exponant. Cognationem habet cum Rachal, detulit merces, negociatus est. In secunda coniugatione, *Rigghel* explorauit ad deferendum alijs. Exploratores vocantur *Ragghelim*, Genes. 42.9. vide Deuter. 1.24. Iosue 2.1. & 7.2. & 14.7. Psal. 15.3. Detractorem præterea Hebræi *Meloschen* nominant, quasi dicas linguosum, Gall. Languard: nam præsertim lingua sua abutitur in proximi perniciem, *Lascheon* enim Hebr. lingua dicitur. Ex nominis seu vocis etymo definitionem rei sacra lingua tradit lectori studioso.

Quomodo autem hæc differant, scilicet detractio, contumelia, derisio, & susurratio, vide infra in Susurratio. Detrabo aliquando significat tollo, extraho. Terentius: Accurrunt serui, soccos detrahunt. Aliquando significat derogo, vnde detractio & detractores, qui famæ alienæ derogare nituntur.

Sententiae Biblicae.

Dijs non detrahes & principi populi tui non maledices. *Exo.22.*

Non maledices surdo, nec coram cæco pones offendiculum: sed timebis Dominum Deum tuum, quia ego sum Dominus. *Leu.19.*

Quare non timuistis detrahere seruo meo Moysi? *Num.12.*

Noli ire cum eis, neque maledicas populo, quia benedictus est. 22.

Cum ab eis recessissem, detrahebant mihi. *Iob 19.*

Non loquentur labia mea iniquitatem. 27.

Sepulchrum patens guttur eorum, linguis suis dolose agebant, venenum aspidum sub labijs eorum. *Psal.5. & 64.*

Muta fiant labia dolosa, quæ loquuntur aduersus iustum. 31.

Quis est homo, qui vult vitam, diligit dies videre bonos? 33.

Prohibe linguam tuam a malo. *ibid.*

Dum commouentur pedes mei, super me magna locuti sunt. 37.

Filij hominum, dentes eorum arma & sagittæ: & lingua eorum gladius acutus. 57.

Domine libera animam meam a labijs iniquis, & a lingua dolosa. 120.

Acuerunt linguas suas sicut serpentes, venenum aspidum sub labijs eorum. 141.

Susurro & bilinguis maledictus, multos enim turbauit pacem habentes. *Eccl.28.*

Lingua tertia multos commouit, dispersit illos de gente in gentem. *ibid.*

Flagelli plaga liuorem faciat, plaga autem linguæ commiouet ossa. *ibid.*

Liberasti me a lingua coinquinata (detractorum) & a verbo mendacij, a rege iniquo, & a lingua iniusta. *Eccl.51.*

Prouisorem ciuitatis ac defensorem gentis suæ æmulatorem legis Dei, audebat insidiatorem regni dicere. *2.Mac.4.*

Beati estis cum maledixerint vobis homines, & dixerint omne malum aduersum vos, mentientes propter me. *Matth.5.*

Serpentes, genimina viperarum, quomodo fugietis a iudicio gehennæ? 23.

Malus homo de malo thesauro cordis sui profert malum. *Luc.6.*

De ore tuo te iudico, serue nequam. 19.

Qui dam dicebant, bonus est: alij dicebant, non, sed seducit turbas. *Ioan.7.*

Si in

Si inuicem mordetis, & comeditis, videte ne ab inuicem consumamini. *Gal 5.*

Omnia facite sine murmurationibus, & hæsitationibus, vt sitis querela sitis, & simplices filij Dei, sine reprehensione, in medio nationis prauæ & peruersæ. *Phil. 2.*

Multum proficiunt ad impietatem. & sermo eorum vt cancer serpit. *2. Tim. 2.*

Ecce quantus ignis, quam magnam syluam incēdit, & lingua ignis est: vniuersitas iniquitatis. *Iac 3.*

Lingua inquietum malum est, plena veneno mortifero. *ibid.*

Foris canes, & venefici, & impudici & homicidæ, & idolis seruientes, & omnis, qui amat & facit mendacium. *Apoc. vlt.*

Bonum peruertit.

Quare detraxistis sermonibus veritatis, cum è vobis nullus sit, qui possit arguere me? *Iob 6.*

Qui retribuunt mihi mala pro bonis, detrahebant mihi, quoniam sequebar bonitatem *Psal. 38.*

Qui exacuerunt vt gladium linguas suas, intenderunt arcū rem amaram, vt sagittent in occultis immaculatum. *64.*

Subito sagittabunt eum, & non timebunt. firmauerunt sibi sermonem nequam. *ibid.*

Scrutati sunt iniquitates (aliorum) *ibid.*

Detrahentem secreto proximo suo, hunc persequar. *Psal. 101.*

Pro eo vt me diligerent, detrahebant mihi. *109.*

Iudicium subuertit.

Si mordeat serpens in silentio, nihil minus habet, qui occulte detrahit. *Eccl. 10.*

Viri detractores fuerunt in te ad effundendum sanguinem. *Ezech. 22.*

Salubriter vitatur.

Custodite vos à murmuratione, quæ nihil prodest, & à detractione parcite linguæ, *Sap. 1.*

Tumultus murmurationum non abscondetur. *ibid.*

Non appelleris susurro in vita tua. & lingua tua ne capiaris & confundaris, *Eccl. 5.*

Susurratori autem odium. & inimicitia, & contumelia *ibid.*

In cogitatione tua regi ne detrahas, & in secreto cubiculi tui ne maledixeris diuiti, quia & aues cęli portabunt vocem tuam, qui habent pennas, annunciabunt sententiam. *Eccl. 10.*

Bona in mala conuertens insidiatur. In electis ponit maculam. *Ecclesiast. 11.*

Beatus, qui tectus est à lingua nequam, & qui in iracundia illius non transiuit, & qui non attraxit iugum eius, & in vinculis illius non est ligatus: iugum enim illius ferreum est, & vinculum illius vt vinculum æreum est. *28.*

Neque murmurauentis, sicut quidā patrum vestrorum murmurauerunt, & perierunt ab exterminatore. *1. Cor. 10.*

Detractores Deo (sunt) odibiles. *Rom. 1.*

Nec rapaces, nec maledici, regnum Dei possidebunt. *1. Corinth. 6.*

Nolite detrahere alterutrum fratres mei. Qui detrahit fratri, aut qui iudicat fratrem suum, detrahit legi, & iudicat legem. *Iac. 4.*

Deponentes igitur omnem malitiam, & omnem dolum, & simulationes, & inuidias. & omnes detractiones, sicut modo geniti infantes rationabiles sine dolo lac concupiscite, vt in eo crescatis in salutem, si tamen gustatis, quoniam dulcis est Dominus. *1. Petr. 2.*

Vt non audiatur.

Remoue à te os prauum, & detrahentia labia sint procul à te. *Prouerb. c. 4.*

Qui detrahit alicui rei, ipse se in futurum obligat. *13.*

Verba susurronis quasi simplicia, & ipsa perueniunt ad intima cordis. *26.*

Ventus Aquilo dissipat pluuias, & facies tristis linguam detrahentem. *25.*

Abominatio hominum detractor. *24.*

Cum detractoribus ne commiscearis, quoniam repente consurget perditio eorum, & ruinam vtriusque quis nouit? *ibid.*

Cum defecerint ligna, extinguetur ignis: & susurrone subtracto iurgia conquiescunt. *26.*

Susurro coinquinabit animam suam, & in omnibus odietur. *Eccles. 21.*

Sepi aures tuas spinis, & linguam nequam noli audire, & ori tuo facito ostia, & seras auribus tuis. *28.*

SENTENTIAE PATRVM.

Quum ipsam Scripturę veritatem criminari obscurare non possunt: hos, per quos prædicatur, inducunt in odium: de quib. essingere, quicquid in mentem venerit, possunt. Vnde iam Apostolicę Prouerbiæ tempus videtur instare. Erit tempus in quo sanam doctrinam non sustinebunt. *Augustinus in Epist. ad Hippol.*

Detractione patientia nostra probatur. *Lib. 5.*

Peior est detractio in magni nominis viris, quam in plebeis. *Contr. Petr.*

Obloquium est absenti detrahere, & dolose mordere. *In Psal. 49.*

Plus nocent in membris detrahentes Christo, quia animos credentorum interficiunt, quam qui eius carnem mox resurrecturam peremerunt. *De desin.*

Si hilari vultu detractorem audieris, tu illi das fomitem detrahendi: si vero tristi, vt ait quidam, discit non libenter dicere, quod dicit non libenter audiri. *In gl. sup. Psalm. 50.*

Ventus aquilo dissipat pluuias, & facies tristis linguam detrahentem. *Greg. in Prou. 2.*

Bilinguis serpens habetur, atque mortalis, eo quod Diaboli minister aliud lingua loquatur, aliud corde meditetur. *Aug. in lib. de Paradis.*

Caue, ne aut linguam, aut aures prurientes habeas, id est, aut ne ipse detrahas alijs, aut alios audias detrahentes. *Hieron. ad Nepotianum.*

Nulli vnquam omnino detrahas. & si aliorum vituperatione te laudabilem videri velis, magis tuam vitam ornare disce, quā alienam carpere: ac semper memor esto scripturæ dicentis, Noli diligere detrahere, ne eradiceris. Pauci etenim sunt, qui huic vitio renuncient. *Ad Celant.*

Rarumque inuenitis, qui irreprehensibilem vitam suam exhibere velit. vt is, non libenter reprehendat alicuam: tantaque huius mali libido mentes hominum inuasit, vt etiam qui procul alijs vitijs recesserunt, in illud tamen quasi in extremum laqueum incidunt. *ibid.*

Nil tam facile, quam otiosum, & dormientem, de aliorum labore, & vigilijs disputare. *In Oseam.*

Caue, ne ipse detrahas alijs, aut alios audias detrahentes: non minus auribus quam lingua fugias detractionem: nam detractor dum te videt non libenter audire, non facile potest detrahere. *Epist. ad Nepot.*

Vilium satis hominum est, & suam laudem quærentium, alios viles facere: quia alterius vituperatione se laudari putant? & suo merito placere non possunt, placere volunt in comparatione malorum. *Hier.*

Sicut sagitta, si mittatur contra duram materiam, nonnunquam in mittentem reuertitur, & vulnerantem vulnerat, ita detractor, quum tristem faciem viderit audientis, imo non audientis, sed obturantis aures suas, ne audiat sanguinem, illico conticescit, pallet vultus: hærent labia, saliua siccatur. *Epist. ad Rust.*

Incongruum est linguam per totum mundum vagari, & corpore latere. *ibid.*

Per Salomonem dicitur, Noli esse in conuiuijs potatorum, neq; comedas cum eis, qui carnes ad vescendum conferunt. Carnes ad vescendum conferre, est in collocutione derogationis vicissim in proximorum vitia dicere. *Greg l. 14 mor.*

Ij, quorum vita in exemplo imitationis est posita, debent, si possunt, detrahentium sibi verba compescere, ne eorum prædicationem non audiant, qui audire poterant, & in prauis moribus remanentes bene viuere contemnunt. *In Ezech. hom.*

Quid aliud detrahentes faciunt, nisi quod in puluerē sufflant, & in oculos suos terram excitant, vt vnde pulus detractionis perflauerit, minus inde veritatis videant. *ibid.*

Linguas detrahentium sicut nostro studio non debemus excitare, ne ipsi pereant: ita per suā malitiā excitatas debemus æquanimiter tolerare, vt nobis meritum crescat. Aliquando autem compescere: ne dum de nobis mala disseminant, eorū, qui audire nos ad bona poterant, corda innocentium corrumpant. *ibidem.*

Non maledicas surdo, &c. Surdo maledicere, est absenti ac non audienti detogare: coram cæco offendiculum ponere est discretā quidem rem agere sed tamen ei, qui lumen discretionis non habet, scandali occasionem præbere *In past.*

Omnem, qui palam veretur dicere, quod in aurem loquitur, suspectum habeas: quod si coram te indicare ille timuerit, delatorem iudices, non accusatorem. *Bernardus in libro de consideratione.*

Detractor, & libens auditor, vterque Diabolum portat in lingua. Si pauper es, vilem & abiectū reputat: si diues, ambitiosum, auarum & cupidum: si affabilis, dissolutum: si prædicator vel doctor honoris & humani fauoris quæsitorem: si tacens, inutilem: si ieiunus, hypocritam: si comedens, voratorem. *Bernar. in serm.*

Non solum ille reus est, qui falsum de alio profert: sed & is, qui cito aurem criminibus præbet. *Isid. de sum bon l. 3.*

Non est ambiguum, omnem humani eloqui sermonem contradictioni obnoxium semper fuisse: quia dissentientibus voluntatem motibus, dissentiens quoque sit motus animorum, & contra veritatem aut non intellectam, aut offendentem sibi ire voluntatis error obnititur. *Hilarius in principio libri de Trinitate.*

Dentes dicti sunt a demendo, ideo pulchræ linguæ detrahentium dentes vocantur, quia sicut illi ciborum partes demunt, ita & isti opiniones hominum corrodunt. *Cass. in Psal.*

Quis

Quis hominum sic cautus est, vt si inter æmulos loquatur, nullum verbum eius incurrat aliquam quæstionem: nam menti furore ebriæ, omne quod rectum dicitur, peruersum videtur. *In Psal. 39.*

Detractores autem quodam simulatæ verecundiæ fuco conceptam malitiam, quam retinere possunt, conantur. Videas a detractore alta præmitti suspiria; sicque cum quadam grauitate & tarditate, vultu mœsto, demissis superciliis, & voce plangenti egredi maledictionem, & quidem tanto persuasibiliorem, quanto creditur ab his, qui audiunt, corde non inuido, sed magis condolenti affectu, quam malitiose proferri. Doleo, inquit, vehementer pro eo, quod diligo eum satis, & nunquam potui de hac re corrigere eum, & alias mihi quidem bene compertum fuerat de eo istud, sed per me nunquam innotuisset, at quoniam per alterum patefacta res est, veritatem negare non possum reuera ita est. *Bernar. super Cantica serm. 24.*

Nunquid non vipera est lingua detractoris ferocissima? plane nimirum, quæ tam lethaliter inficiat flatu vno nunquid non lancea est lingua ista? profecto acutissima, quæ tres penetrat ictu vno. *Bernar. in serm.*

Detractio est locutio ex inuidia procedens, bona aliorum denigrans. *Hugo.*

Detractor est, qui bona proximi, in quantum potest, minuit. *ibid.*

Congregat paulatim minima: vt post longum silentium cuncta simul obiecta plus noceant, quæ minus opinionem læderent, si per se singula prolata fuissent. *Idem in 55. Psal.*

SENTENTIAE POETARVM.

Ter. And. Prolog.

Id isti vituperant factum, atque in eo disputant,
Contaminari non decere fabulas.
Faciunt ne intelligendo, vt nihil intelligant,
Dehinc vt quiescant, porro moneo: desinant &
Maledicere, malefacta ne noscant sua.

Ter. Phorm.

Nihil est, Antipho,
Quin male narrando possit depravarier.
Tu id quod boni est excerpis, dicis quod mali est.

Horat. 1. Serm. 4.

Absentem qui rodit amicum:
Qui non defendit alio culpante: solutos
Qui captat risus hominum famamque dicacis:
Fingere qui non visa potest: commissa tacere
Qui nequit, hic niger est, hunc tu Romane caueto.

Horat. 1. Epist. 18.

Vt penitus notum, si tentent crimina, serues,
Tuterisque tuo fidentem præsidio: qui
Dente Theonino cum circumroditur, ecquid
Ad te post paulo ventura pericula sentis?
Nam tua res agitur, paries cum proximus ardet,
Et neglecta solent incendia sumere vires.

Plaut. Capt.

Quasi muros semper edimus alienum cibum,
Vbi res prolatæ sunt nostris dentibus.

Horat. 6. Epod.

Caue, caue namque in malos asperrimus
Parata tollo cornua.
Qualis Lycambæ spretus infido gener,
Aut acer hostis Bubalo
An si quis atro dente me petiuerit,
Inultus vt flebo, puer?

Martialis 6.

Audes præterea, quod nullus noverit, in me
Scribere versiculos miseras & perdere chartas.
At si quid nostræ tibi bilis inusserit ardor,
Viuet, & hærebit totoque legetur in orbe.
Stigmata nec vafra delebit Cinnamus arte.
Sed miserere tui rabido nec perditus ore.
Fumantem nasum viui tentaueris vrsi.
Sit placidus licet, & lambat digitosque manusque,
Si dolor & bilis, si iusta coegerit ira,
Vrsus erit, vacua dentes in pelle fatiges.
Et tacitus quæras quam possis rodere carnem.

Ter. Eunuch.

Nullum est iam dictum, quod non dictum sit prius.
Quare æquum est vos cognoscere atque ignoscere.

SENTENTIAE PHILOSOPHICAE.

Nulla tam modesta felicitas est, vt malignitatis dentes vitare possit. Qui alienis malis sicut suis bonis lætantur, diuites sunt alienis iacturis, locupletes calamitatibus, immortales funeribus. *Senec. in epist.*

Difficilem oportet habere aurem ad crimina. *In Prou.*

Fit nescio quomodo, vt magis in aliis cernamus; si quid delinquitur, quam in nobis. Vnde Poeta.

Cum tua peruideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum? Valer. Max.

Detrahere igitur aliquid alteri, & hominis incommodo suum commodum augere, magis est contra naturam, quam mors, quam dolor, quam cætera, quæ possunt aut corpori accidere, aut rebus externis. Nam principio tollunt conuictum hominum, & societatem. *Cic. de Offic.*

Arbitrari debemus magis esse contra naturam, hominem homini detrahere sui commodi causa, quam omnia incommoda subire, vel externa, vel corporis. *Idem.*

SIMILITVDINES.

D. *Hieronymi*, sicut sagitta si mittatur contra duram materiam, nonnunquam in mittentem reuertitur, & vulnerat vulnerantem, illudque complectur: Facti sunt mihi in arcum prauum, & alibi: Qui mittit altum lapidem, recidet in caput eius. Ita detractor, cum tristem faciem viderit audientis, imo ne audientis quidem, sed obturantis aures suas, ne audiat iudicium sanguinis, illico conticescit, pallet vultus, hærent labia, saliua siccatur. *Ad Rusticum, de viuendi forma.*

Themisti, quemadmodum apes possunt cum dolore infigere aculeum, sed tandem relicto vel ipsæ pereunt: Ita & detractores maligni contabescunt paulo post quam proximo malum inflixerunt. *In apoph. 130.*

EMBLEMA.

In detractores, Andreæ Alciati
Emblema CLXIII.

Audent flagriferi maculis stupidique magistri
Bilem in me impuri pectoris euomere.
Quid faciam? reddamne vices? sed nonne cicadam
Ala vna obstreperam corripuisse ferar?
Quid prodest muscas operosis pellere flabris?
Negligere est satius, perdere quod nequeas.

Vide Calumnia, Maledicentia, Mendacium.

DEVOTIO.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Deuotio, Græce [illegible]. vnde deuotus seu religiosus dicitur. Est autem deuotio, voluntas prompta faciendi, quod ad Dei seruitium pertinet, *secundum B. Thom. 2. 2. quæst. 82. artic. 1.*

Cultus autem seu huius seruitii regula, est Dei ipsius voluntas, institutio & ordinatio. Quoties enim humana mens aliquid de suo intulit, id superstitio, impietas & idolorum cultus vocatur.

Hebræis deuotio *Cherem* dicitur, id est, Anathema, desolatio. Si de hominibus agitur, internecionem significat, ad excidium destinatos homines indicans. Si de inanimatis rebus, significat separationem spoliorum, quæ ex pacto internecionis hostium, aut ex conditione euersionis alicuius vrbis Deo omnipotenti atque summo iustoque iudici eius mandato consecrabantur & deuouebantur. Vnde *Iof. 6. 18. & 7. 1. Mich. 7. 2.* Contraria vox est Racham, misertus est. Græcis Cherem est *κατάθεμα* [illegible]. Vide Act. 23. 14. Rom. 9. 3. 1. Cor. 12. 3. & 16. 22. Galat. 1. 8. 9. & 3. 13.

Deuotio, si ad pios homines referatur, significat affectum illum vehementem quo ex præscripto mandati diuini, se totos sanctæ suæ tum generali tum speciali vocationi consecrant, vt sinceros Dei filios & seruos decet. Vide *Exod. 35. 21. 29. Num. 6. 2. 1. 2. Chron. 29. 35.*

Deuotio nonnunquam significat impium factum, vt mulieris impudicæ, Prouerb. 7. 14. Iudæorum in Apostoli vitam crudeliter conspirantium, Act. 23. 12. 14. 21. & Petri, seipsum ex infirmitate nimia deuouentis, affirmantisque nihil sibi esse negocii cum Christo, quem comitatus paulo ante fuerat. Tunc enim cœpit *καταναθεματίζειν*, seipsum deuouere, & iurare, dicens, non noui hominem. *Matth. 26. 74.* Ὁ δὲ (inquit *Marcus, cap. 14. vers. 71.*) ἤρξατο ἀναθεματίζειν καὶ ὀμνύειν. ipse autem cœpit execrari (id est, infausta quæque sibi imprecari) & iurare, dicens, non noui hominem istum quem dicitis.

Quid deuouere, deuotio & deuoti fuerint Ethnicis, ex testimoniis & exemplis sequentibus colligere licet.

Agamemnon quum deuouisset Dianæ quod in suo regno pulcherrimum natum esset illo anno, immolauit Iphigeniam. *Cicero 3. Offic.*

In hac trepidatione P. Decius consul. M. Valerium magna voce

ncla-

faclamat: Deorum, inquit, ope Valeri opus est. Agedum, pontifex publicus populi Romani, praefaverba quibus me pro legionib. deuoueam. Pontifex eum togam praetextam sumere iussit, & velato capite manu subter togam ad mentum exerta, super telum subiectum pedibus stantem sic dicere: Ianus, Iupiter, Mars, pater, Quirine, Bellona, Lares, diui Nouensiles, dij indigetes, diui quorum est potestas nostrorum hostiumq; dijq; Manes, vos precor, veneror veniam peto feroq; vti populo Ro. Quiritium vim victoriamque prosperetis, hostesque populi Rom. Quiritium terrore, formidine, morteque afficiatis. Sicut verbis nuncupaui, ita pro repub. Quiritium exercitu legionib. auxilijs populi Ro. Quiritium, legiones auxiliaq. hostium mecum dijs Manib. Tellurique deuoueo. Haec ita precatus, lictores ire ad T. Manlium iubet, matureq; collegae se deuotum pro exercitu nunciare. Ipse incinctus cinctu Gabino, armatus in equum insiluit, ac se in medios immisit. Conspectus ab vtraq; acie aliquanto augustior humano visu, sicut caelo missus piaculum ois deorum irae, qui pestem ab suis auersam in hostes ferret. Ita ois terror pauorq; cum illo latus, signa primò Latinorum turbauit: deinde in totam penitus aciem peruasit. Euidentissimum id fuit, quod quacunque equo inuectus est, ibi haud secus quam pestifero sidere icti pauebant, vbi verò corruit obrutus telis, inde iam haud dubiè consternatae cohortes Latinorum fugam ac vastitatem latè fecerunt. Simul & Romani exolutis religione animis, velut tum primò signo dato eohorti, pugnam integram ediderunt. *Liuius decad. 1. l. 8. anno vrb. 415.*

Anno vrbis conditae 393. seu motu terrae, seu qua vi alia forū medium ferme specu vasto collapsum in immensam altitudinem dicitur: neque eam voraginem coniectu terrae cum pro se quisque gereret, expleri potuisse prius, quam Deum monitu quaeri coeptum quae plurimum populus Rom. posset: id enim illi loco dicandum vates canebant, si rempub. Romanam perpetuam esse vellent. tum M. Curtium iuuenem bello egregium castigasse ferunt dubitantes an vllum magis Romanum bonum quam arma virtusq; esset. Silentio facto templa deorum immortalium quae foro imminent, Capitoliumque intuentem, & manus nūc in coelum, nunc in patentes terrae hiatus ad Deos Manes porrigentem se deuouisse: equo deinde quam poterat maxime exornato insidentem armatum se in specum immisisse; donaque ac fruges super eum à multitudine virorum ac mulierum congestas: lacumque Curtium non ab antiquo illo T. Tatij milite Curtio Metio, sed ab hoc appellatum. *Liuius lib. 7. decad. 1. Valer. Max. lib. 5. c. 6. Oros. lib. 3. c. 5.*

Decius vt nulla vi Romanos cedentes, fusos, fugientes, perculsos sustinere poterat, patrem P. Decium nomine compellans, Quid vltra moror, inquit, familiare fatum? Datum hoc nostro generi est, vt luendis periculis publicis piacula simus. Iam ego mecum legiones hostium mactandas Telluri ac dijs Manib. dabo. Haec locutus, M. Liuium pontificem, quem descendens in aciem digredi vetuerat ab se, praeire iussit verba, quibus se legionesq. hostium pro exercitu populi R. Quiritium deuoueret: deuotus inde eadē precatione eodemq. habitu quo pater P. Decius ad Veserim bello Latino se iusserat deuoueri: cum secundum solēnes precationes adiecisset, prae se agere sese formidinem ac fugam, caedemq. ac cruorem: coelestium, inferorum iras: contacturum funebribus diris signa, tela, arma hostium. locumq. eundem suae pestis, & Gallorum ac Samnitium fore: haec execratus in se, hostesque, qua confertissimam cernebat Gallorum aciem, concitat equum: infensusq. se ipse infestis telis interfecit. Exin vix humanae inde opis videri pugna potuit. Romano duce amisso, quae res terrori aliàs esse solet, sistere fugam, ac nouam de integro velle instaurare pugnam. Galli, & maximè globus circunstans consulis corpus, velut alienata mente, vana incassum iactare tela: torpere quidam, & nec pugnae meminisse, nec fugae. At ex parte altera Pontifex Liuius, cui lictores Decius tradiderat, iusseratq. pro praetorem esse, vociferari, vicisse Romanos, defunctos consulis fato: Gallos Samnitesq. Telluris matris ac deorum Maniū esse: rapere ad se ac vocare Deciū deuotam secum aciem, furiarumq; ac formidinis plena omnia ad hostes esse, &c. Caesa eo die hostium xxv. mil. li, octo capta, nec incruenta victoria fuit. nā ex P. Decij exercitu caesa septem millia: ex Fabij mille ac ducēti. *Paulo infra.* Celebrata (in vrbe) conditis carminibus militaribus non magis victoria Q. Fabij, quam mors praeclara P. Decij est: excitataq; memoria parentis, aequata euentu publico priuatoq; filij laudibus. *Liuius lib. 10. decad. 1. anno vrbis 458. Cicero in Catone. Val. Max. lib. 5. c. 6. sect. 5. & 6.*

Adeantuannus, qui summam imperij tenebat, cum sexcentis deuotis, quos illi Soldurios appellant, (quorum haec conditio, vt omnibus in vita commodis vna cum his fruantur, quorum se amicitiae dedideriut: si quid eis per vim accidat, aut eundem casum vna ferant, aut sibi mortem consciscant, neque adhuc hominū memoria repertus est quisquam, qui, eo interfecto, cuius se amicitiae deuouisset, mori recusaret.) eruptionē facere conatus. &c. *Caesar. de bello Gall. lib. 3.*

Quis Coclitem contra omnes hostium copias in ponte tenuis solum? quae patrem Decium, quae filium deuorauit, ac immisit in armatas hostium copias? *Cicero in Parado.*

At si homines docuit patria postponere vitam
Vana vperstitio, quanto nos in iura omnes,
Vere Deus, tibi nos & nostra sacrauimus vni?

Haec vera est deuotio, quae ad Christum Ecclesiae caput: ad martyres Christianos, aliaque Christi membra, iuxta fidei analogiā caelestisque veritatis praescriptum refertur, innumera deuotioōis & vere deuotorum praeclara atque innumera fere exempla proferre possit.

Deuotio est specialis actus voluntatis prompte tradendi se ad famulatum Dei, *secund. B. Thom. ibid. vbi supra.* Dicitur autem deuotio à voueo, quod est, aliquid Deo sanctè promitto. Vnde & huiusmodi promissio votum dicitur. Deuoueo, destino, imprecor, hinc deuotor, qui aliud imprecatur: & deuotum, destinatū, quod modo ad prosperum, modo ad aduersum refertur.

SENTENTIAE PATRVM.

Non putrescit cor, si leuetur ad Deum: frumentum tuum si haberes in inferioribus, ne putresceret, leuares illud ad superiora, frumento tuo quaeris mutare locum, & cor permittis in terra putrescere, frumentum leuares ad superiora, cor leua in caelum. Et vnde, inquis, possum? qui funes, quae machinae, quae scalae opus sunt? gradus affectus est, iter tuum voluntas tua est, amando ascendis, negligendo descendis stans in terra, in caelo es, si Deum diligis. *Aug. in Psal. 85.*

Si habet animus, vnde oblectetur extrinsecus, sine delicijs manet interius. *In Ioan.*

Anima Deo deuota sic actus corporis & terrenos exuit, mores vestrat, quomodo si velit rursus induere. Consuetudo enim boni vsum veteris prauitatis amisit. *De virg.*

Haec est vera fortitudo, quae naturae vsum, sexus infirmitatem, mentis deuotione transgreditur. *Ibid. de ver.*

Nescio quid incorporaliter, & spiritualiter in nobis facit Deus, quod nec sonus sit, qui aurem percutiat, nec color, qui oculis discernatur, nec odor, qui naribus capiatur, nec sapor, qui faucibus iudicetur, nec durum & molle, quod tangendo sentiatur, & tamen aliquid est, quod sentire facile est, explicare non possibile. *In Ioan.*

Si nos virtus deuotionis in intimis afficit, omnis strepitus prauae suggestionis obmutescet. *Greg. in hom.*

Viros ad offerenda Deo munera venientes in medio ciuitatis inter fectus quia diuinis deditae operibus mentes, nisi magna se circum spectione custodiant, surripiente hoste, dum deuotionis portant hostiam, in ipso itinere perdunt vitam. *Ib. & in mo.*

Non omnibus eodem modo data est gratia, ista scilicet deuotio. Porro Thomas in latere, Ioannes in pectore, Petrus in sinu Patris, Paulus in tertio caelo, secreti huius gratiam sunt assecuti. Prior mulier strauit in imo loco humilitatis, posterior in solio spei, Thomas in fundamento fidei, Ioannes in lecto charitatis, Paulus in intimo sapientiae, Petrus in luce veritatis. Sic apud spōsum mansiones multae sunt. *Bern. super Cantic.*

Temporis praeteriti fructus est compunctio, futuri flos est deuotio. *Ibid.*

Est vnguentum contritionis, est vnguentum pietatis, primum pungitiuum, dolorem faciens: secundum temperatiuum, dolorem leniens, tertium sanatiuum, morbum expellens. *Ibid.*

Vbi crapulam ructantis inter pocula senserit Christus, vina sua dulciora super mel & fauum mentis propinare non dignatur: Vbi curiosa ciborum diuersitas, vbi diuitis supellectilis discolorum varietas oculos pariter pascit & ventrem, caelesti, ieiunam deseret mentem. *Ibid.*

Melius est deuotum in minoribus, quam indeuotum in maioribus profectionibus inueniri. *Bern. in Epist.*

Deuotio est feruor bonae voluntatis, quem mens cohibere non valens, certis manifestat indicijs. *Ioan. Cass. in coll.*

Vide Votum.

DEVS.

DEFINITIO.

Devs varijs nominib. à Mose, Prophetis, Apostolis designatur. Quae aût in veteri testamento sunt nomina, aliaDei essentiam, alia eiusdem essentiae propria denotant. Priores notationes sunt *Iehoua Iah, Eheje*. Nomen *Iehoua* deductum est à radice *Hauah*, vel *Haiah*, fuit Graec. redditur ὁ ὤν. De quo multa Hebraei, frequentissime occurrit apud Mosen & Prophetas, 2. *Iah*, ab *Hajah*, fuit. Huius mentio exstat Exod. 15. 2. Psal. 68. 5. & 94. 7. 12. & 118. 14. 17. 18. 19. Cant. 8. 6. Esai. 38. 11. frequenter voce Hallelu-Iah, i. Laudate Deum, &c. & ad multorum nominum finem sitne-jah Zecarjah, &c. Desumptum videtur a nomine Iehoua 3. Eheie (qui sum) ab eodem verbo Hajah. fuit. Exod. 3. 13. 14.

Nomi-

Nomina quæ essentiā diuinā propria denotant sunt, El, Elohim, El-Schaddai, Adonai, Heljon. 1. *El*, à fortitudine appellatur, & quod sit fortissimus ac potentissimus, & quod fortitudinem alijs tribuat. Esai. 9. 6. Christus vocatur *El Gibbor*, i. Deus fortis robustissimus. 2. *Elohim*. *Eloha*, Iob. 12. 4 Abac. 3. 3. Iob. 35. 10. Genes. 35. 7. Ios. 24. 19. Ierem. 10. 10. Doctissimi quidam interpretes hoc nomen proprie iudicem sonare dicunt, & proprie vero Deo tribuitur. Angelis verò & hominibus admiratione dignis, præsertim qui alijs præsunt tribuitur per metaphoram propter communicatam a Deo potentiam atque officium alijs opem ferendi, eosque defendendi, sustentandi, fouendi, mundum, regna, vrbesque regendi: fictisque dijs per κατάχρησιν quod illis sui cultores vim diuinam tribuant. 3. El Schaddai Omnipotens, αὐτάρκης, sibi & alijs sufficiens, Gen. 17. 1. παντοκράτωρ. De solo Deo vsurpatur. 4. Adonai, κύριος. Dominus & 134. in locis veteris Test. reperitur, Christo tribuitur. Dan. 9. 17. & plurali numero occurrit, Malach. 1. 6. ad mysterium S. Triados denotandum. 5. Helion. Excelsus seu altissimus, Psal. 9. 3. & 91. 9. & 92. 9. Dan. 4. 17. 24. 25. 34. Græc. ὕψιστος. Luc. 1. 32.

In nouo Testamento frequentissima sunt Θεὸς & Κύριος. Deus, & Dominus. Etymologias horum nominum excutit diligenter, etymologicon trilingue Lugduni editum. anno 1607. pagina 243. & 261. Quædam alia Deo adscripta & attributa nomina, seu epithera, maximo numero Bibliorum concordantię magnæ in voc. Deus, Dominus, occurrunt, vt & in S. Scripturę Thesauro, studioso lectori abunde satisfacturis. Specimen addimus, Ordine alphabetico, liter. A. B. C. Reliqua pius Amanuensis sibi describat, qui volet.

Loci Biblici.

Deo soli attributa subinde in scripturis, alijs etiam per communicationem & figurate tribuuntur, vt vocabulum Deus, soli Deo tribuitur, qui in essentia vnus ac solus esse asseritur, *Deut.* 4. *v.* 4. 35. 39. *&* 6. 4. *&* 32. 39. 1. *Sam.* 2. 2. 2. *Sa.* 7. 22. *&* 22. 35. 1. *Reg.* 8. 60. *&* 18. 39. 2. *Reg.* 5. 15. *&* 19. *v.* 15. 19. 1. *Paral.* 17. 20. 2. *Paralip.* 6. 14. *Psal.* 86. 10. *Esa.* 37. 20. *&* 43. 10. *&* 44. *v.* 8. 24. *&* 45. 21. *&* 46. 9. *&* 64. 4. *Dan.* 3. 96. *Ose.* 13. 4. *Ioel.* 2. 27. *Marci* 12. 29. *Io.* 17. 3. *Cor.* 8. *v.* 4. 6. *Eph.* 4. *v.* 5. 6. 1. *Tim.* 2. 5. Dei nomen alijs etiā tribuitur, *Exod.* 7. 1. *&* 22. 8. 1. *Sam.* 28. 13. *Psal.* 47. 10. *&* 82. 6.

Deus acceptor personarum non est, *Deut.* 10. 17. 2. *Paral.* 19. 7. *Iob.* 34. 19. *Sam.* 6. 8. *Eccl.* 35. 15. *Esa.* 11. 3. *Matth.* 22. 16. *Mar.* 1 . 14. *Luc.* 20. 21. *Act.* 10. 34. *Ro.* 2. 11. *Gal.* 2. 6. *Eph.* 6. 9. *Col.* 3. 24. 1. *Pet.* 1. 17. hæc. non metitur Deus homines ex genere vel patria, vt eos amplectatur, vel repudiet, πρόσωπον eius non declarat ipsos, homines seu externas qualitates in ipsis herentes: vt genus, dignitatem, opes patriā denique, siue gentem. Adiutor suorum est, *Gen.* 15. *v.* 1. 14. *&* 31. 24. *&* 28. 15. *&* 31. 29. *&* 35. 5. *&* 39. 21. *&* 45. 5. *Exod.* 3. 25. *&* 14. 14. *Deut.* 32. *v.* 36. 43. *Iud.* 15. 59. *Psal.* 19. 15. *&* 25. 15. *&* 28. 8. *&* 30. 51. *&* 33. 20. *&* 37. 39. *&* 40. 58. *&* 40. 1. *Esa.* 41. 13. *&* 50. 7. *Zachar.* 2. 5. *&* 9. 15. æternus est. nec principium habet, nec finem, sed est ipse principium & finis, *Genes.* 21. 33. *Exod.* 15. 18. *Iob.* 19. 25. *&* 36. 26. *Psal.* 90. 2. *&* 92. 9. *&* 93. 2. *&* 102. 13. *Esaia.* 41. 4. *&* 43. 10. *&* 44. 6. *&* 48. 12. *&* 57. 15. *&* 61. 16. *Thren.* 5. 19. *Daniel.* 6. 26. *&* 7. 9. *Rom.* 16. 26. *Hebræor.* 1. *v.* 8. 12. *Apoc.* 1. 8. 17. *&* 4. 8. *&* 11. 17. *&* 16. 5. solius Altissimus. *Psal.* 83. 19. Author & Fons bonorū omnium, *Io.* 3. 27. 1. *Pet.* 5. 10. *Iac.* 1. 17. miraculorū author, *Psal.* 72. 18. & 139. 4. *Eccles.* 11. 4. *Act.* 19. 10. faciunt & alij miracula. *Deut.* 34. 12. *Eccl.* 31. 9. & 48. *v.* 4. 15. patiētiæ author, *Ro.* 15. 5. pacis, 56. 20. 1. *Cor.* 14. 33. 2. *Cor.* 13. 11. *Philip.* 4. 9. 1. *Thess.* 5. 23. 2. *Thess.* 3. 16. solus Beatus, *Tim.* 1. 11. *&* 6. 55. alij beati, *Gen.* 30. 13. *Psal.* 1. 1. *&* 32. 1. 2. *&* 41. 1. *&* 119. 1. *&* 127. 1. *Matth.* 5. 1. 2. 3. *&c.* 16. 17. *&* 24. 46. *Luc.* 1. 45. *&* 14. 14. *Iac.* 1. 1. Benedictus: *Mac.* 14. 61. *Ro.* 1. 25. 2. *Cor.* 11. 31. Beneficus. *Matth.* 5. 44. 45. *Act.* 14. 17. solus Bonus, & quib. *Psal.* 18. 27. *&* 73. 1. *&* 119. 68. *Thren.* 3. 25. *Nahum.* 1. 7. *Matth.* 19. 17. *Luc.* 18. 19. alijs tribuitur bonitas, *Gen.* 1. 31. *&* 3. 6. *&* 49. 15. *Nu.* 24. 7. 1. *Sam.* 28. 9. 2. *Samuel.* 18. 27. 1. *Paralip.* 28. 8. *Psal.* 111. 10. *&* 147. 1. *Prouerb.* 18. 22. *&* 22. 1. *Eccles.* 7. 2. *Sapient.* 8. 19. *Eccles.* 14. 5. *Ierem.* 7. 3. *Matth.* 7. 17. *Marc.* 9. 50. *Luc.* 6. 45. Charitas est, 1. *Ioan.* 4. 8. 16. quod multo ἐμφατικώτερον est quā si Deum diceret Apostolus, summopere atque adeo infinite nos amare: cum dicit, Deum erga nos ipsam charitatem esse, cuius certissimum τεκμήριον profert Dei charitas. 1. *Ioan.* 2. 5. qua Deus diligitur. Clemens & longanimis, *Genes.* 15. 16. *&* 18. 18. 21. *Exod.* 34. 6. 7. 7. 2. *Paralip.* 39. *&* 36. 15. *Nehem.* 9. 31. *Psal.* 7. 12. *&* 86. 5. 13. *&* 103. 8. *&* 111. 4. *&* 142. 2. *&* 116. 5. *&* 145. 8. *Esa.* 30. 18. *&* 55. 7. *&* 65. 2. *Ierem.* 31. 20. *Ioel.* 2. 13. *Iona* 4. 2. *Malach.* 3. 17. *Luc.* 9. 36. *&* 12. 45. *&* 13. 8. *&* 15. 28. *Actor.* 13. 18. *&* 14. 16. *Rom.* 2. 4. *Iacob.* 5. 11. *Pet.* 3. 9.

Deo omnis gloria tribuenda, *Rom.* 11. 36. *Ephes.* 3. 21. 1. *Tim.* 1. 17. 1. *Pet.* 4. 11. *Apoc.* 1. 6. *&* 4. 11. *&* 5. 13. *&* 19. 1. Deo omnia tribuenda, *Act.* 17. 28. *Rom.* 11. 36. *Corinth.* 8. 3. Deus est cum illo: ex Hebræorum idiotismo, Deus eum illis dicitur esse, in quibus diuina quędam præstantia elucet, *Ioan.* 3. 2. Atqui (vt hęc ad locum citatum addantur) si Nicodemus bene Christū nosset, nō modo dixisset Deum esse cum Christo, quasi ipsius συνεργόν, sed Deum esse in ipso, vt loquitur Apostolus, 2. *Cor.* 5. 19.

Deus huius seculi Satan, 2. *Cor.* 4. 4. Deus impiorum & Pseudoprophetarum venter est, *Rom.* 16. 18. *Phil.* 3. 19.

Dij multi, 1. *Cor.* 8. 5. Vide Angeli, & Magistratus. Dij falsi. Vide Idola, & Idolorum catalogus.

1. Deus, qui primo & per se subiectum Theologiæ est, triplici modo cognoscendus nobis in S. Literis proponitur. 1. Secundum id quod est in se, quo infinitus & ἀκατάληπτος est. 2. Secundum id quod a nobis cognosci & mente comprehendi quadantenus potest, quod admirabile est, sed multis numeris inferior eo quod Deus est. 3. Secundum id quod dici, & sermone enunciari, aut scripto exprimi potest.
2. Quum autem Deus sit, comprehendatur, dicaturque aut οὐσιωδῶς & essentialiter, qua Deus est supra naturam omnem, vnus essentia: aut ὑποστατικῶς & personaliter, qua Deus personis Trinus, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus: de priori & essentiali modo hac sectione disseremus tantum, non prout est in se. (Sic n. Deus lux infinita est, in quo nullæ sunt tenebræ, & lucem inaccessam habitat) sed prout a tenui acie mentis nostræ capi, & modulo sermonis nostri enunciari potest.
3. Huius perceptionis *tres* tantum in scriptura gradus Scholastici statuunt. *Primus* negationis est, siue remotionis (vt vocant) cū negantur de Deo quæ creaturis insunt, & de creaturis percipiuntur enunciantur: vt si cum antiquis philosophis dicas Deus non est quod Sol, quod Luna: itē Deus non est, mutabilis, finitus, &c. *Secundus* Perfectionis est, i. Affirmationis de Deo efficitæ, quo præstantissima quæque, quæ insunt Creaturis, secundū similitudinē aut vestigium analogicè Deo aptantur: vt cum dicimus Deum esse magnum, excelsum, fortem, iustum, benignum, &c. *Tertius* excellentiæ siue supereminentiæ est, quo pacto enunciamus de Deo quæcunque in scripturis de eo sunt & enunciari possunt, supra modum creaturarum omnium, & ad Deum omnia reducuntur, sicut in causam communem & omnia excedentem.
4. Secundum hos perceptionis gradus, Deus ita a nobis vtcumq; describitur. Deus est essentia prima, spiritualis, simplicissima, perfectissima, infinita, vnica, immutabilis, omniscia, voluntate vitaque prædita, immensæ denique potentiæ. *Essentia* est: nam essentiare & dignitate prior est accidente, & Actus potentia prior. Deus autem primus est, & solum primum, a quo, in quo, per quē, & propter quem sunt omnia, Rom. 11. 36. Vnde & *Prima* dicitur, quod non sit de genere essentiarum inferiorū, quæ suum principium aliunde habent: non Physica, nec Metaphysica, licet hæc in natura superiore omnium sit dignissima. Quare ens transcendens omnia, & οὐσία ὑπερούσιος, discretionis ergo, a patribus Orthodoxis fuit appellata, & ab Hebræis Iehoua (Exod. 5. 13. 15. & 6. 2.) quod essentiæ nomen est, proprium Deitatis, & cum altero ente vllo incommunicabile.
5. Rationem essentiæ huius attributa exactius circumscribunt: primum generatim cum *Spiritualis* dicitur. Nam Spiritus in rebus creatis est essentia dignissima. Deus verò secundum essentiā obtinet dignitatem super rerum creatarum omnium, vel dignissimarum modum: deinde speciatim, quorum quædam Ἀκοινώνητα vocantur, quæ essentiam Dei nobis denotant velut a priori: tum affirmatiuè, vt simplicitas, perfectio: tum negatiuè, vt infinitas, immutabilitas: quædam verò Κοινωνητὰ quæ vel ex a posteriori Dei essentiam nobis denotant, qualia sunt Scientia, voluntas, Vita, Potentia.
6. Attributa ἀκοινώνητα sunt, quæ Deum è Categorijs absolutum quid significantibus, substantia, qualitate & quantitate eximunt, siue modum corporeum, quod in Physicis fit, siue rationem virtutis in metaphysicis (licet propius ad Deum accedat) consideremus. A prædicamento substantiæ eximit Deum. *Simplicitas*, qua essentia eius omnis prorsus compositionis in se, aut cum alio expers asseritur: cum neque ex partibus quantitatis, aut essentialibus materia & forma, neque ex genere & differentia, neque ex essentia & esse, neque ex substantia & accidente, neque ex natura & supposito, neque ex alia vlla re, aut modo vllo Deus sit compositus: sed idem in eo sit natura & suppositum, essentia & esse: eoque nec in compositionem cum re vlla, tanquam principium internum, aut materia aut forma possit venire.
7. Ex hac autem simplicitate summa Dei *Perfectio* cōcluditur, adeò vt nihil ei accedere vel decedere possit, nec egeat vllius extra se, nec aliunde quicquā accipiat, sed sibi solus ad omnia sufficiat a seipso, & in seipso ad omnia & in omnibus αὐταρκείας & ἀνενδεής, tum alijs causa & exēplar omnis perfectionis: vnde *El-Schadai* Hebræis dictus est. Cum autē perfectus sit Deus modo perfectissimo diuinoque, hoc est vt loquuntur vniuoce, modus autē ille in bono sit omnino positus, hinc summa eius Bonitas efficitur, vt essentiæ ipsius nec insit quidquam mali actu vel potentiæ, nec desit quidquam boni, idque non secundum bonum rei creatæ vllius, aut cunctarum simul, sed quod bonum vnicū est essentia, & bonum summum, principium omnis boni naturę & gratię, quod in res creatas communicatione voluntaria defusum est.

8. Qua

8. Quantitatis autem omnis continuæ quidem *Infinitas*, discretæ vero *Vnitas* Deum expertem significant. Infinitatis seu Incircumscriptionis duæ sunt species: vna secundum locum mensuramq; *Immensitas*, qua Deus nullius dimensionis, hoc est, loci, incrementi & decrementi capax esse significatur: sed essentia, præsentia, potentiaque sua supra omnem locum, & in omni loco seu vbiq; esse, omnia continens, nusquam contentus, sine definitione, dimensione, aut circumscriptione, quam Repletiuam præsentiam Scholastici dixerunt: Altera, secundum tempus *Æternitas*, quæ (vt Boethius definit) est interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio, h. e. ἀδιαλείπτως, continuitate Spirituali, sine principio & fine temporis, sine successione prioris ac posterioris, præteriti & futuri.

9. *Vnitas* Dei essentiæ non per accidens (Deo enim nullum inest accidens) sed primo & per se tribuitur. Est siquidem vnus Deus, non analogia: nihil enim Deo proprie analogum: nihil genere: nam Deus supra omne genus est: non specie: nam species Deorum variæ non possunt dari: sed numero atque indiuiduo. Quod & præcedentia attributa omnia, & vniuersitatis rerumque creatarum omnium comparatio ratioque ipsa euidentissime demonstrant. Nam quicquid est, eo ipso quod est, vnum est, & prout est magis, ita magis vnum. Quocirca Ens & vnum conuertuntur.

10. Hinc etiam consequitur Dei *immutabilitas*, qua ab essentia Dei prædicamentum qualitatis, siue propriè, siue analogicè dictum, excluditur. Quicquid enim purus actus est, sine permistione vllius potentiæ, simplicissimus & perfectissimus, nulli mutationi est obnoxium, quæ ex actu & potentia semper constata est. Quicquid infinitum est, qua infinitum, non potest moueri ab vno termino ad alterum, secundum qualitates exteriores vel interiores, vllo motus aut mutationis genere. Quicquid vnum & principiū vniuersale omnium est, nulli mutationi subiectum esse potest: alias enim principium esse, desineret.

11. *Κοινώνητα* attributa essentiæ diuinæ vocamus, quorum aliquid analogum, & simile rebus creatis inest, deque Deo quidem primo & per se dicuntur: sed rebus creatis secundum analogiam communicantur, deque illis in concreto prædicantur. Sic secundum rationem essentialium animæ partium Deo tribuitur intellectus seu scientia & voluntas. *Scientia* Dei est ἐνέργεια, seu actus simplicissimus, perfectissimus, infinitus tempore & loco, vnus & immutabilis, quo Deus scit, capit & comprehendit se, & alia omnia, diuino modo, & supra res alias omnes præstantissimo, h. e. vnico intelligentiæ immutabilique ictu & intuitu, non, sicut nos successiuè.

12. *Voluntas* Dei est actus simplicissimus, perfect. infinit. &c. quo Deus vult sese & alia omnia in se, & in alijs omnibus quidquid & quo modo secundum hanc summam suam sapientiam naturæ eius conuenit. Ac proinde intellectus omnia intelligit, & bona & mala sine vllo vitio suo, sed voluntas determinat opus intellectus, nihil volens nisi bonum: adeo vt nihil mali, quod a creatura est, velit, nisi quatenus rationem habet boni. Licet autem hæc voluntas vna sit vna essentia, ratione tamen obiectorum diuersorumque effectuum variè distinguitur. Quædam enim Deus simpliciter & determinate vult ipse facere, quæ voluntatis simplicis decreta seu placita dicuntur: quædam per alia, quæ si sine intellectu & voluntate prædita Deus aut informat præceptis siue consilijs atque interdictis, quam voluntatem signi seu Reuelatam vocant: aut eadem permittit ex arcano suo decreto, arbitrio voluntatis suæ, quam etiam voluntatem placiti seu bene placiti appellarunt.

13. Intellectus ac voluntatis diuinæ fundamentum *Vita*, est actus simplicissimus, perfectus, infinitus æternus, vnicus, immutabilis, quo Deus viuit a se & in se diuino modo atque incomprehēsibili, alijsque omnibus auctor vitæ est intellectu sapientissimo ex sanctissima voluntate sua ad gloriam suam. Essentiæ autem vtræque diuinæ commune quasi instrumentum *Potentia* est, quæ est actus simplicissimus, perfectus, &c. quo Deus potest a se, in alia omnia quidquid natura sapientia, siue ratione & voluntate sua determinat ad gloriam suam. Aut enim consideratur Potentia absolutè, sine vllo respectu, qua ratione Deus omnia potest absolutè simpliciterque, etiam mille mundos facere: aut relatè, vt hic, siue respectiuè ad naturam, sapientiam & voluntatem ipsius, secundum quam Deum dicimus non posse, aut velle, aut agere contraria, quæ in natura maxime simplici consistere nequeunt: aut contradictoria, quæ in essentia Dei, falsitatis omnis experte, ac in veritate maxime absoluta locum non habent: quæ idcirco posse magis Impotentia, quàm potentia est censenda.

Sententiae Patrum.

Omnes, quos potui legere, qui ante me scripserunt de Trinitate, quæ Deus est: diuinorum librorum veterum & nouorum catholici authores tractantes hoc intenderunt secundum scripturas docere, quod Pater & Filius & Spiritus sanctus, vnius eiusdemque substantiæ, inseparabili æqualitate diuinam insinuant vnitatem: ideoque non sunt tres Dij, sed vnus Deus, quamuis Pater Filium genuerit, & ideo Filius non sit, qui pater est: Filiusque a Patre sit genitus: & ideo Pater non sit, qui Filius: Spiritusque sanctus nec Pater sit, nec Filius: sed tantummodo Patris & Filij Spiritus, & Patri & Filio etiam ipse coæqualis, & ad Trinitatis pertinens vnitatem, non tamen eandem Trinitatem natam de Virgine Maria, & sub Pontio Pilato crucifixam & sepultam, tertia die resurrexisse, & in cœlum ascendisse, sed tantummodo Filium. Pater & Filius, & Spiritus sanctus, sicut inseparabiles sunt, ita inseparabiliter operantur. *Aug. lib. de Trinitate, & habetur de consec. dist. 3. Omnes quos.*

Nec periculosius alicubi erratur, nec laboriosius aliquid quæritur, nec fructuosius aliquid inuenitur, quam Trinitas. *Aug. de Trin. lib. 1.*

O æterna veritas, & vera charitas, & chara æternitas, tu es Deus meus, ad te suspiro die ac nocte. *Aug. lib. 7. Confessionum.*

Sic intelligimus Deum, si possumus, quantum possumus, sine qualitate bonum, sine quantitate magnum, sine indigentia creatorem, sine situ præsentem, sine habitu omnia continentem, sine loco vbique totum, sine tempore sempiternum, sine vlla sui mutatione mutabilia omnia facientem, nihilque patientem. Quisquis Deum ita cogitat, & si nondum potest inuenire quid sit, piè tamen cauet, quantum potest, aliquid de eo sentire quod non sit. *Aug. de Trin. lib. 5. c. 1.*

Deus res quædam est captu ac venatu difficilis, semper recedens, atque a persequente procul se remouens. *Clemens Alexand. Strom. lib. 2.*

Vnus reuera est vniuersans huius Deus, qui in Patre, & Filio, & Spiritu sancto cognoscitur. *Iustin. Mart. in expositione fidei.*

Quis non miretur nos, qui Deum patrem prædicamus, & Deum Filium & Spiritum sanctum, ita vt & vnionis eorum vim & ordinis distinctionem exponamus, impios & sine Deo homines vocari. *Athenagoras in apol. ad Antonin.*

Deus est in seipso, sicut α & ω: in mundo, sicut rector & author: in angelis, sicut sapor & decor: in Ecclesia, sicut pater familias in domo: in animo, sicut sponsus in thalamo: in iustis, sicut adiutor & protector: in reprobis, sicut pauor & horror. *Aug. super illud Matth. 6. Pater noster, &c.*

Custodiatur Oeconomiæ sacramentum, quæ vnitatem in Trinitatem disponit, tres dirigens, Patrem, Filium & Spiritum S. Tres autem non statu, sed gradu: nec substantia, sed forma: nec potestate, sed specie: vnius autem substantiæ, & vnius status, & vnius potestatis: quia vnus Deus ex quo & gradus isti, & formæ, & species in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. deputantur. *Tertull. contra Prax. c. 2.*

Laudemus vnum Patrem, & Filium, vna cum Spiritu Sancto, qui vnus est omnia, in quo omnia, per quem omnia, qui est vndequaque bonus, vndequaque pulcher, vndequaque sapiens, vndequaque iustus: cui gloria nunc est in secula. *Clemens Alexand. lib. 3. Pædag.*

Platonici dicunt, beatum esse hominem fruentem Deo, non sicut corpore, vel seipso fruitur animus: aut sicut amicus amico, sed sicut luce oculus. *Aug. lib. de Ciuitate Dei.*

Quicunque philosophi de Deo senserunt, quod rerum creatarum sit effectiuum, & lumen cognoscendarum, & bonum agendarū: quod ab illo nobis sit principium naturæ, & veritas doctrinæ, & felicitas vitæ, illos cæteris anteponimus, eosque nobis propinquiores fatemur. *Idem.*

Omnia priusquam fierent, in notitia facientis erant, & vbique ibi meliora, vbi veriora. *Aug. super Gen. lib 5.*

Deus solus Dominus est, quia illi animo, non ad suam, sed ad nostram vtilitatem seruimus: nam si nobis indigeret, eo ipso nō verus Dominus esset, cum per nos eius adiuuaretur necessitas, sub qua etiam ipse seruiret. *Ibid. lib 8.*

Deus tibi totum est: si esuris, panis: si sitis, aqua tibi est: si in tenebris es, lumen tibi est: si nudus es, immortalitate tibi vestis est. *Aug. super Io. serm. 19.*

Quicquid præter Deum est, dulce non est. Quicquid mihi vult dare Dominus meus, auferat totum, & se mihi det. *August. super Psal. 26.*

Siue tribulemur & angustemur, siue lætemur, & exultemus, ille laudandus est, qui & in tribulationibus erudit, & in lætitia consolatur: Laus enim Dei a corde & ore Christiani recedere non debet, non vt laudet in prosperis, & maledicat in aduersis: sed quēadmodum Psalmus ille scribit: Semper laus eius in ore meo. Gaudes, agnosce patrem blandientem: tribularis, agnosce patrem emendantem: siue blandiatur, siue emendet, eum erudit, cui parat hæreditatem. *Aug. super Psal. 54.*

Non est, quo fugias à Deo irato, nisi ad Deum placatum. *August. super Psal. 74.*

Deus totus oculus est, quia omnia videt: totus manus est, quia omnia operatur: totus pes est, quia vbique est. *Augustin. super Psal. 120.*

Totus in cœlo est, totus in terra, non alternis temporibus, sed verum-

vtrumque simul: quod nulla corporalis natura potest. *idem, lib. 2. de ciuit. Dei, c. 29.*

Solus Dei est in duobus locis & per totum mundum in eodē momento inueniri. *Athan. q. 26. ad Antioch.*

In animo tuo considera iustitiæ Solem, vniuersis quidem ex æquo substantia, vt qui Deus sit præsto esse, *Iustin. Mart. in expositio fidei.*

Vna persona Deus, & homo est, & vtrumque est vnus Christus Iesus, vbique per id quod Deus est, in cęlo autem per id quod homo. *Aug. epist. 57. ad Dardanum.*

Fit omnium quod Deus statuit. *Amb. de vocat. Gent. l. 1. c. 3.*

Non est in Deo accidens motus, aut noua voluntas, aut temporale consilium, nec cogitatio eius cum rerum mutabilium inæqualitate variatur. *idem lib. 2. c. 10.*

Vnde consilium Domini manet in æternum, nisi de nobis, quos ante præsciuit & prædestinauit? *Aug. in Psal. 32.*

Quo ibo à spiritu tuo (nemo fugit ab illo, nisi ad illum: ab eius seueritate, ad eius bonitatem. Quis enim locus te excipiet fugientem? nisi eius præsentiam ibi inuenias: si ascenderis in cœlum, ibi est: si descenderis in infernum, adest. *Augustin. lib. de pœnitent.*

Deum impossibile est honorem suum perdere: aut enim peccator soluit sponte, quod debet, aut Deus ab inuito accidit. Sicut autem homo peccando rapit, quod Dei est: ita Deus puniendo aufert, quod hominis est. *Anselmus lib. cur Deus homo, c. 15.*

Quid misericordius intelligi valet, quam quod peccatori æternis tormentis damnato, & non habenti, vnde se redimat, Deus Pater dicit: Accipe vnigenitum meum, & da pro te. Et ipse Filius: Tolle me, & redime te. Quasi enim hoc dicunt, cum ad Christianam fidem nos trahunt. *idem lib. 2. c. 9.*

Ineffabile est diuinum nomen & incomprehensibile. Nam essentia Dei quid & qualis in se sit comprehendi a creato intellectu & humano sermone efferri non potest. Ideo Spiritus S. demisit se ad nostrum captum, & attributis quibusdam essentiam suam descripsit. *Damasc. lib. 1. de fide Orth. c. 1.*

Nemo est tam rudis, tam feris moribus, quin oculos suos in cęlum tollens, tametsi nesciat, cuius Dei prouidentia regatur hoc omne, quod cernitur; aliquam tamen esse intelligat ex ipsa rerum magnitudine, motu, dispositione, constantia, vtilitate, pulchritudine, temperatione: nec posse fieri, quin id, quod mirabili ratione constat, cōsilio maiore aliquo sit instructum. *Lactan. Firmian. diuin. instit. lib. 1. c. 2.*

Nemo est quidem, qui sapiat, rationemque secum putet, qui non vnum Deum esse intelligat, qui & condiderit omnia, & eadem, qua cōdidit, virtute moderetur. Quid. n. multis opus est ad mundi regimen sustinendum? nisi forte arbitremur, si plures sint, minus habere singulos neruorum atque virium. *ibid. c. 3.*

Deus autem, qui est æterna mens, ex omni vtique parte perfectæ consummatæque virtutis est. Quod si verum est, vnus sit necesse est. *idem.*

Quis dubitet potentissimum esse regem, qui totius orbis habet imperium: neque immerito, cum illius sint, quæ vbique sunt omnia, cum ad eum solum omnes vndique copiæ congregentur. *idem.*

Qui autem putat, hanc tantam magnitudinem non posse ab vno regi, fallitur. Nec enim quanta vis potestasque sit diuinæ maiestatis, intelligit, si existimat singularem Deum, qui facere mundum potuit, eundem regere non posse, quem fecit.

At si concipiat animo, quanta sit diuini huius operis immensitas, cum antea nihil esset: tamen virtute atque consilio Dei ex nihilo esse conflatam, quod ad extremam mendicandi necessitatē deductus, victum precibus exposcit, Deum solum obtestatur, & per eius diuinum atq; vnicum nomen hominum sibi misericordiam quærit. Nunquam igitur Dei meminerūt, nisi dum in malis sunt. Postquam metus deseruit, & pericula recesserunt, tum vero alacres ad deorum templa concurrunt, his libant, his sacrificant, hos coronant. Deo autem, quem in ipsa necessitate implorauerant, ne verbo quidem gratias agunt. *idem.*

Non placebat Persio, quod aurea vasa templis inferantur, supernacuum putanti esse inter religiones, quod non sanctitatis, sed auaritiæ sit instrumentum. Illud enim sanius est Deo, quem recte colas, inferre pro munere.

Compositum ius fasque animi sanctosque recessus
Mentis, & incoctum generoso pectus honesto

Lactant. Firmian. diuinar. instit. lib. 2. c. 4.

Quanto igitur rectius est, omissis insensibilibus, & vanis, oculos eo tendere, vbi sedes, vbi habitatio est Dei veri, qui terram stabili firmitate suspendit, qui cęlum distinxit astris fulgentibus, qui Solem rebus humanis clarissimum ac singulare lumen in argumentum suæ ac vnicæ maiestatis accendit, terris autem maria circumfudit, flumina sempiterno lapsu fluere præcepit.

Iussit & extendi campos subsidere valles,
Fronde tegi syluas, lapidosos surgere montes?

Satis est homini ad plenam perfectamque prudentiam, si Deum esse intelligat, cuius intelligētiæ vis & summa hæc est, vt suscipiat, & honorificet communem parentem generis humani, & rerum mirabilium fabricatorem.

Inest ergo syderibus ratio, ad peragendum meatus suos apta: sed Dei est illa ratio, qui & fecit & regit omnia. *idem lib. 2. c. 5.*

Nemo quærat, ex quibus ista materijs tam magna, tam mirifica opera Deus fecerit: omnia enim fecit ex nihilo. Nec audiendi sunt Poetæ, qui dicunt chaos in principio fuisse, id est, confusionem rerum atque elementorum, postea vero diremisse omnem illam congeriem, singulisque rebus ex confuso aceruo separatis, in ordinemque descriptis, instruxisse mundum pariter, & ornasse.

Credibilius est, materiam potius à Deo factam, quia Deus omnia potest, quam mundum à Deo non esse factum, quia sine mente, ratione, consilio, nihil fieri potest.

Denique, cum aperiret homini veritatem Deus, ea sola scire nos voluit, quæ interfuit hominem scire, ad vitam consequendam. Quæ vero ad curiosam & prophanam cupiditatem pertinebāt, reticuit, vt arcana essent. Quid ergo quæris, quæ nec potes scire, nec si scias, beatior fias? Perfecta est in homine sapientia, si, & Deum esse vnum, & ab ipso facta esse vniuersa cognoscat. *Lactant. Firm. lib. 2. c. 9.*

Gentes, licet lapides & ligna venerentur, tamen intelligunt aliquid maius esse quam ipsi sunt, & in errore suo iudicant se habere sapientiam, h. e. nulla gens est, quæ naturaliter non intelligat esse Deum. Denique gentiles idola colunt; sed si forte rixam fecerint, & si forte iuramentum aliquod inter illos venerit, non dicunt lapides illi vident, ligna vident: sed, Deus videt, & Deus audit. *Hieron. in Psal. 95.*

Pœnitentiam Dei in scripturis sic debemos accipere, quomodo somnium & iram: non quod Deum pęniteat, aut mutet Deus sententiam, qui loquitur per prophetam, Ego Deus, & non mutor. Et cui nos dicimus, tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient: sed quod nobis ad meliora conuersis, & ipsum pęniteat sententiæ suæ: vt nec iusto reddat pręmia quę promisit, si declinauerit ad iniquitatem, nec peccatori pęnas, quas comminatus est, si conuersus fuerit ad salutem. *Hieron. in 7. c. Amos.*

Per humanam similitudinem, Dei potentiam Apostolus demonstrauit: non quod solium ponatur, & Deus pater in eo sideat, secumque filium habeat residentem: sed quo nos aliter iudicantem atque regnantem, nisi per nostra verba, intelligere nequeamus. *idem, in 1. c. ep. ad Ephes.*

Per humanæ sermocinationis exempla, affectus Dei discimus: non quod ille quempiam derideat, sed quod nos derisu digna faciamus. *idem in Psal. 2.*

Omnipotentia Dei in vtraque parte præualet; quod & pœnitentibus tribuit misericordiam, & permanentibus in peccato reddit supplicia quæ merentur. *idem in 51. c. Esai.*

Ista est Sola hominis gloriatio, vt sciat & intelligat quod Deus est Dominus, qui facit misericordiam, & iustitiam super terram: quod omnia Dei prouidentia & iustitia gubernentur, & quæ nobis videntur non habere rationem, iustitiæ plena sint atque rationis. *idem in 9. c. Ierem.*

Quomodo tuam possunt comprehendere notitiam, cum in te sint omnia, nihilque sit Spiritus tuus? Ex quo intelligimus Deum esse qui totus vbique sit. *id. in Psal. 138.*

Ante mundi tempora, æternitatem quandam seculorum fuisse credendum est, quibus semper cum Filio & Spiritu S. fuerit Pater: &, vt ita dicam, vnum tempus Dei est omnis ęternitas, immo innumerabilia tempora sunt, cum infinitus sit ipse qui ante tempora omne tempus excedit. *Hiero. in 1. c. ep. ad Titum.*

Neque. n. possumus scire iudicia, & ex nostro arbitrio illius sententię præiudicare. *Hiero. contra Iouinianum, epist. 9. c. 16.*

Deus corporis creator, & animæ est. Noli despicere bonitatem figuli, id est, qui te plasmauit & fecit, vt voluit. ipse est Dei virtus & Dei sapientia, qui in vtero virginis Mariæ ædificauit sibi domum. *Hieron. in epist. contra Ruffinum. & hab. dist. 56. Nasci de adult. § Deus corporis eras.*

Deus semper largitur, semper donator est: non mihi sufficit, quod semel dedit: nisi semper det. Peto vt accipiam, & cum accepero rursus peto, auarus sum ad accipienda Dei beneficia. Nec ille deficit in dando ipsa, nec ego satior in accipiendo: quanto plus bibo, tanto plus sitio. *Hieron. contra Pelagium.*

Prauam animam multis modis Deus visitare consueuit, nam assidue hanc visitat pręcepto, aliquando autem flagello, aliquando miraculo, vt & vera, quæ nesciebat, audiat, & adhuc superbiens aut contemnens, aut dolore compuncta sedeat, aut beneficijs deuicta, malum quod fecit, erubescat. *Hier. in hom. Matth. 21. c. Cum appropinquasset Iesus.*

Adest Deo, qui exit de seculo: adest Deo, qui illum cogitat, qui eū intuetur, qui in ipso sperat: adest ille, iuxta Deum est, qui extra se non fuerit. *Ambr. in Isaac.*

Deus interuallo locorum non relinquitur, sed prauitate morum

gesto

gestorum vnusquisque suis studijs aut se Deo iungit, aut separat. *Ambr. super Psal. 118. Beati immaculati.*

Non in loco Deus videtur, sed mundo corde: nec corporalibus oculis Deus quæritur, nec circumscribitur visu, nec tactu tenetur, nec auditur affatu, nec sentitur incessu: & cum absens est, videtur, &, cum præsens est, non videtur. *idem super Lucam, lib. 1.*

Per naturalem legem, Deus reum fecit genus humanum. Potuerunt enim id per legem naturæ apprehendere, fabrica mundi testificante, auctorem Deum solum diligendum, quod Moyses literis tradidit: sed impij facti sunt, non colendo creatorem: & iniustitia in eis apparet, dum videntes dissimulant a veritate, non facentes vnum Deum. *Ambros. in c. 1. ep. ad Rom.*

Si stabant Seraphim (*Esa. 6.*) quomodo volabant? Si volabant, quo modo stabant? Si hoc non possumus comprehendere, quomodo Deum comprehendere valemus, quem non videmus? *idem, lib. 3. de Sp. S. c. 22.*

Pro captu, pro viribus, pro fide nostra intueamur Deus quid sit, & videamus an ei aliquid possit comparari. Certè hic est de quo & cum dicitur, non potest dici. Cum æstimatur, non potest æstimari. Cum definitur, ipsa sua definitione crescit. Qui cœlum manu sua oderit, pugno omnem ambitum mundi claudit. Quem totum omnia nesciunt, & metuendo sciunt. *idem, de fide contra Arrian. c. 6.*

Assertio nostræ fidei hæc est, vt vnum Deum esse dicamus, neque vt gentes filium separemus, neque vt Iudæi natum ex Patre ante tempora, & ex virgine postea editum denegemus, neque vt Sabellius Patrem confundamus & verbum, vt eundem Patrem asseramus & filium, neque vt Photinus initium filij ex virgine disputemus, neque vt Arrius plures credendo & dissimiles potestates, & plures Deos gentili errore faciamus: quia scriptum est, Audi Israel, Dominus, Deus tuus, Deus vnus est. *idem, lib. 1. de fide, c. 1.*

Hæc fidei nostræ prædicatio: Deus malus non est: Deo impossibile nihil est: Deus temporalis non est: Deus minor non est. *idem, lib. 1. de fide, c. 2.*

Deus non mentitur: quia impossibile est mentiri Deum: impossibile quoque, istud non quid nam infirmitatis est? Non vtique: nam quomodo omnia potest, si aliquid efficere non potest? Quid ergo ei impossibile? Non quod virtuti arduum, sed quod naturæ eius contrarium. Impossibile, inquit, ei est, mentiri. Impossibile istud non infirmitatis est, sed virtutis & maiestatis. *idem, lib. 6. epistol. 37.*

Dei potestas non minuitur, cum dicitur mori fallique non posse. Sic enim hoc non potest, vt potius si posset, minoris esset vtique potestatis. Rectè quippe omnipotens dicitur, qui tamen mori & falli non potest. Dicitur enim omnipotens, faciendo quod vult, non patiendo quod non vult. Quod si ei accideret, nequaquam esset omnipotens. Vnde propterea quædam non potest, quia omnipotens est. *Aug. lib. 5. de ciuit. Dei, c. 10.*

Deus simplex est ac diuisionis expers essentia, simplicitatem corporisque vacuitatem a natura habens. *Nazianzenus, orat. 45.*

Creator omnium Deus Pater omnipotens vbique est, & vbique totus est: in parte non est, quoniam vbique totus est, in parte quæritur. *Greg. lib. 16. Moral.*

Deus manet intra omnia, ipse extra omnia; ipse supra omnia, ipse infra omnia. Superior est per potentiam, inferior per sustentationem: exterior per magnitudinem, interior per subtilitatem. Sursum regens, deorsum continens, extra circumdans, interius penetrans. *Gregor. super Ezech. homil. 17. & lib. 2. Moral.*

Deus idcirco laudes suas nobis indicat, vt valeamus eum audientes cognoscere, cognoscentes amare, amantes sequi, sequentes adipisci, adipiscentes vero eius visione perfrui. Vnde Psalmista: Virtutem operum suorum annunciabit populo suo, vt det illis hæreditatem gentium: ac si aperte dicat. Idcirco fortitudinem suæ operationis insinuat, vt eum, qui audierit, donis ditescat. *idem lib. 18. Moral.*

Deus vitam malorum tolerat, vt cum aduersarius noster Diabolus tentare nos nititur, eorum moribus quasi contrarijs armis vtatur, per ipsos quippe viuos sæuiens cruciat, vel nescius purgat. *idem lib. 19. Moral.*

Deus bona facit & ordinat, mala non facit, sed ab iniquis facta, ne inordinatè veniant, ipse disponit. *Greg. lib. 18. Moral.*

Deus nonnulla percutit, & nonnulla inulta derelinquit. Quia si nulla resecaret, quis Deum res humanas curare crederet? Et rursus, si hæc cuncta percuteret, extremum iudicium vnde restaret. *Greg. lib. 5. Moral.*

Deus primo collegit indoctos, postmodum philosophos: & nõ per oratores docuit piscatores, sed per piscatores subegit oratores. *idem lib. 33. Moral. super illud Iob 4. Nunquid implebis sagenas.*

Deus in hac vita electis suis non promisit gaudia delectationis, sed amaritudines tribulationis, vt medicinæ more per amarum poculum ad dulcedinem æternæ salutis redeant. *Greg. in Registr.*

Ille vitæ causas examinat, qui eas per alienum testimonium non explorat. *Greg. lib. 9. Moral. super illud Iob. 9. Si æquitas iudicij quæritur.*

Deus gaudet non de suo lucro, sed de nostra salute: tristatur nõ de sua iniuria, sed de nostra perditione. *Io. Chrysost. super Matthæum.*

Deus cum pœnas infert & patitur, non cum ira passibili, sed omni clementia ineffabili facit, medentis, non perimentis affectu. *Idem de Reparat. lapsi.*

Quid tam necessarium perditis? Quid tam optabile miseris? Quid tam vtile desperatis? Christus salus singulis, forma exemplaria, vita salutaris, salus infirmantium, forma suspirantium, vita sperantium. *Bern. serm. 6. in vigilia Natiuit.*

Venit medicus ad ægros, venit redemptor ad venditos, venit via ad errantes, venit vita ad mortuos, venit cum salute, cum vnguentis, cum gloria, nec sine salute Iesus, nec sine vnctione Christus, nec sine gloria venit Dei filius. *Bern. in serm. de Natiuitate.*

Non parum apprehẽdisti, si hoc tibi de Deo compertum sit, quod nusquam sit, qui non clauditur loco, & nusquam non sit, qui non excluditur loco. *Bern.*

Deus non partibus constat, vt corpus: non affectibus distat, vt anima: non formis subsistat, vt omne quod factum est. Nunquid verendum ne cogitatione transuolet illum? Quantumcunque in altum proficiat, vltra est. In terra quod homo cogitare possit, altissimum quærere, ridiculum est: statuere impium. Vltra, non citra quærendum est. *Idem de consideræt. lib. 5.*

Quam diues es in misericordia, quam magnificus in iustitia, quam munificus in gratia, Domine Deus noster: non est qui similis sit tibi. Munerator copiosissime, remunerator æquissime, liberator pijssime, gratia respicis humiles, iuste iudicas innocentes, misericorditer etiam saluas peccatores. *Bern. in serm. 57.*

Sicut nullum est momentum, quo homo non vtatur, vel fruatur Dei bonitate & misericordia: sic nullum debet esse momentum, quo eum præsentem non habeat in memoria: Omne tempus, in quo de Deo non cogitas, hoc te computa perdidisse. *Hugo de Claustro animæ lib. 1.*

Iesus Christus pauper est de nostro, de suo diues: qui ideo indignã humanitatis assumpsit naturam, vt abundantiæ suæ nos participes faceret. *Cassiod. super Psal. 39.*

Virtus inexplicabilis, pietas incomprehensibilis, sapientia ineffabilis, cuius definitio est, finem in sanctorum laudibus non habere. *Cassiod. super Psal. 47. Magnus Dominus.*

SENTENTIAE POETICAE.

Deus Ethnicum redarguens in poemate Aur. Prudentij Contra Symmachum.

Tu me præterito meditaris numina mille,
Quasi malles parere meis virtutibus, vt me
Per varias partes minuas, cui nulla recidi
Pars aut forma potest, quia sum substantia simplex:
Nec pars esse queo. Solis diuisa rebus
Composita, factisq; subest. me nemo creauit,
Vt findi valeam, cunctorum conditor vnus.
Crede, quod ex nihilo formaui pars mea non est.
Quare age, mortalis soli mihi construe templum,
Meq; vnum venerare Deum.

Paulò post.

Templum mentis amo, non marmoris: aurea in illo
Fundamenta manent fidei structura niuali.
Consurgit pietate nitens, tegit ardua culmen
Iustitia, interiora spargit sola picta rubenti
Flore pudicitia, pudor atrium & atria seruat.
Hæc domus apta mihi est, hæc me pulcherrima sedes
Accipit, æterno cælestiq; hospite digna.

Gr. Nazianzenus, de principijs, seu principio, Carm. 1. ex Græco in Latinum conuersa I. Billio.

Vnicus omnino Deus est, ab origine nulla,
Causaq; ignarus, quem circumscribere quicquam
Quod queat haud vnquam fuit aut quandoq; futurum est:
Æuum ipse amplectens, immenso robore, nati
Vnigenæ magnus genitor, &c.

Idem. Carm. 3.

Nec Monas est expers numeri (namq; in tribus illa
Consistit: varioque cursus honore colenda est
Sancta Trias, diuina etenim natura separari
Respuit. Inde etiam Monas dumtaxat in illis,
Ex quibus est, rursum & tria conspiciantur oportet.
Quisq; trium Deus est vnus, cum non nisi de vno
Verba facturus sit, Deus vnus originis expers,
Vnde fluunt deitatis opes, scriptura sacrata
Cum tria commemorat.

Idem. Carm. 4. mundum alloquens.

Quod si posterius te condidit ille, quid ante
Quam fieres, variasq; tibi Deus vndique formas
Indueret, imperitas tam multa in sæcla patrabat?
Imperfectum & inane non est mihi numen inersq;.
Scilicet ille suæ splendorem cernere formæ

Con-

Gaudebat, numeroq; suam triplicis; pariq;
Luce mitem, Solis ut motum est ipsique p sq
Hoc quoque vaecrea quo ,o exerce-et, nabebat
Sancta Trias Mundi: formas namq; ipsa futuri,
Iam sibi persentis ..usserat mente beata.
Cuncta etenim quae iam praeterere, vel adsunt,
Quaeque etiam ex ea alone T sa ds sunt prompta patentq;.

Iacob B lius A th .log. Sac.

Qui laud : t Dominum de rerum conditione,
Et rerum in specie praedicat artificem:
Laudes & aeternam mortem f amma, quae minantes.
Et in, c Regis iudicium metuat.
Spes da promissis nihil ambigat, omne dabit Rex,
Quod parat, meritis gratum maiorerit.
Sed propere ne fontes peccati abrumpere aedes
Ante diem mortis, dum locus o. t vema .

Idem.

In Deitate gradus, mensura, & tempora non sunt.
Et quod ide .. est, maius non habet atque minus.
Corporea longe moles formaque recedant,
Verius summa covet sin bis & spes 1.
Quod pater hoc simile e verbum Patre, hoc utrinsque
Spiritus, hic Deus est unus, & una fides.
Per quam verorum spes non incerta bonorum
Sub amen igneto scandit amore viam.
Et prega lata fuerit dulcedine vorit
Doctrinae tacite gaudet Apostolicis.

Ibidem.

Nulla quidem mens est mortalis in corpore vivens,
Quae plena videat cognitione Deum:
Sed miris operum , gui o tenditur autor,
Rectoremque iam condita quaeve camone.
Vnde licet f ende vires aut atque vigorem
Vmem & excedat gloria l eiusq; Dei:
Nos tamen opere cordis gaudemus & aris,
Et tanto oblectat succubuisse bono.
Hinc fidei virtus, hinc flamma creatur amoris:
Quod latet excitet quod superat reparat.

Idem.

Insolitum, si quid labentia tempora promunt.
Hoc mirum mundus dicit inabeque nouum.
Sed certum authore nullus non cognitus ordo est,
Cernentis quicquid saecula cuncta ferunt.
Quae non incerte volumine magna agunt a motu,
Sed sub iudicio stantq; fiuntque Dei.
Vt nihil exstat natura in partibus ullis,
Quod nonille suo temperet arbitrio:

Idem.

De gratia, nisi pulsis vitijs, ex ipi non posse.

Gratia pacta Dei non est sed prodiga sese,
Si vacua inveniat pectora, fundit eis,
Cervit ,s purga sit acceti vestis inanis
Protinus sincerus trudit ira liquor.
Ipse calor esse vacuos vicumque repente
Insinet & subitas conciliabit opes.
Nam vacuis vasis ut caperis ipse carere,
Non tibi qui stillet, an liquor ullus erit.

Ibidem.

Contemptum Dei in causa esse, cur carni animus minime imperet.

Quid mirum est, menti quod sit caro forma rebellis.
Nec iussis domina pareat illa sua?
Mens meritas pendit paenas in omine rebellis
Obsequium domino cum neget ipsa suo.
Vt mentis cara iussa tua non pigra facessat,
Fac tuo mens, iuvet sedula iussa Dei.
Ordinis hoc etenim ratio exigit, ut caro mentis
Imperio iussis, mens sequatur Deum.

Ibidem.

Cum constans anima adversis non frangitur ullis,
Et fidei virtus inconcussa manet.
Norit inesse sibi Dominum praesentia fortis,
Inque eum damnum quod sceleris reficat.
Nam quod non cecidit, propriis si viribus aptat,
Hic ipso, qui se stare putat, cadit.

Ibidem.

Qua Deus omnipotens promittit, perficit ipse,
Nec proprium externis viribus implet opus.
Hinc secura fides iuvat quod crescit amorque
Auctorem, qui quod spondet & efficiet.
Nam si qua Dominus promittit non operatur.
Sed solum humanum praebet arbitrium?
Non haec dona eius sed iam praedicta vocanda,
Cum quisquam ex proprio sit bonus absque Deo.

Quod quia non recipit pietas, veroque repugnat;
Gratia nos reparet gratia iustificet.
Quae sic in cunctis templet .a i dona vocatis,
Vt quorum dux est fiat & ipsa comes.

Ibidem.

Deum supra res omnes amandum esse.

Femina si pulchram capiat a coniuge gemmam,
Pro gemma nimis spernat amore virum:
Ecquis erit qui non hanc execretur, & omni
Dignam odio, dignam supplicioque putet?
Heu nos iste notat mutato nomine sermo,
Plenaque ver fida pectora nostra ferit.
Innumeris qui cum donis cumulemur in horas,
Praeferimus danti munera sumpta Deo.

Filiali timore Deo seruiendum esse.

Clamores Lupus horrescens hominumque canumque
Cogitur in celerem se dare saepe fugam.
At licet innocue non dantem infligat ovili:
Vt venit ipse tamen, sic abit inde lupus.
Huic similis plane est metuens qui tartara solum,
Crimina, non recti ductus amore, fugit.
Iunctum etenim querulo cum murmure, cumque timore,
Obsequium magno displicet usque Deo.

Fieri non posse, vt quis vnâ simul & Deo, & diabolo seruiat.

Qui simul & Belial cupit inservire, Deoque.
Et sequitur qua mens quo caro mollis amat,
Ille operam ludit, nec enim Deus illa moratur
Obsequia, ad geminos quae referuntur heros.
Qui duplices dominos amplecti nititur una:
Ille videre duo nititur ora simul.
Illo una e manibus blande mulcetque fovetque,
Atque una rursus verberat una manu.

Ibidem.

Scire Deum cupiens gaudere, & vivere quaerit.
Si verum & summum noris amare Deum.
Cui verba t quisquid recto sapit, optat, agitque.
Et sine quo carnis gloria pulvis erit.
Non ergo in quoquam sua munera deserit auctor.
Perque suum Dominus se manifestat opus:
Inque illius habitat diues penetralibus hospes.
Quae gaudens hoc se compto, quod ille dedit.

Ibidem.

Deum nobis id esse, quod rebus omnib. charius habemus.

Lux cui venter Deus est, ac nummus avara,
Et cui sunt Veneris gaudia prima, Venus.
Huic honor & vero Deus est pro numine Fama,
Quem fama extimulat non satiando fames.
Cui nimio Christus studij vilescit amore.
An non is studium numinis instar habet?
Denique quo Christo quisquam plus quaerit amatque
Nonne sibi summum numen id esse putat?

Ibidem.

Esse Deo aeterum, & propriam est cui quisquis adhaeret,
Aeternis regni in numine semper erit.
Nam qui hi letiam spernunt, non esse laborant.
Inque nihil tendunt, & nihil esse queunt.
Non ergo illorum poterit pars multa videri,
Quorum in sanctorum nullus erit numero.
Sed vere magni, & multi sine fine manebunt,
In Christo quorum gloria perpes erit.

Ibid.

Irato Deo nulla ex parte auxilium expectandum esse.

Aspera cum sortem cruciarent ulcera Iobum,
E consanguineis an tulit ullus opem?
Aut ubi divino redierunt laeta favore,
Tum cuncti munera laeta tulit,
Haud mirum quacumque oculis Deus aspicit aequis,
Huic favor ex omni parte repente venit.
At contra irato cui quem conspicis illi.
Non homo, non huic res iam favet ulla viro.

Homer. in α. Iliad.

Χρὴ μὲν σφωίτερόν γε θεὰ ἔπος εἰρύσσασθαι
Καὶ μάλα περ θυμῷ κεχολωμένον· ὧς γὰρ ἄμεινον.
Ὅς κε θεοῖς ἐπιπείθηται, μάλα τ' ἔκλυον αὐτοῦ.

Oportet quidem vestrum o dea verbum observare,
Et quamvis valde animo iratum sic enim melius,
Qui dijs paruerit, dij certo exaudiunt ipsum.

Idem in γ. Iliad.

Παρὰ γὰρ θεοὶ εἰσὶ καὶ ἡμῖν.

Dei autem adsunt, & nobis.

Idem in δ. Iliad.

Χαλεπὴ δὲ θεοῦ ἐπιμῆνις.

Molesta autem Dei est ira.

Οὐ γὰρ σῖτον ἔδουσ', οὐ πίνουσ' αἴθοπα οἶνον·
Τοὔνεκ' ἀναίμονές εἰσι καὶ ἀθάνατοι
Non enim cibum edunt, non bibunt vinum.
Ideirco sine sanguine sunt, & vocantur.

Homer, in μ. Iliad.

Θεῶν δ' ἀέκητι τέτυκτο
Ἀθανάτων. τὸ ὅτι πολὺν χρόνον ἔμπεδος ἦεν.
Dijs autem inuitis factum est.
Immortalibus. ideirco non ad multum tempus firmum durauit.

Homer, in δ. Iliad.

Ἀλλ' οὔπως ἅμα πάντα θεοὶ δόσαν ἀνθρώποισιν.
Sed nondum simul omnia Dij dederunt hominibus.

Hom. in π. Iliad.

Ἀλλ' αἰεί τε Διὸς κρείσσων νόος ἠέ περ ἀνδρῶν.
Ὅς τε καὶ ἄλκιμον ἄνδρα φοβεῖ καὶ ἀφείλετο νίκην.
Sed semper Iouis potentior mens quam virorum,
Qui & virum fortem terrefacit & priuat victoria.

Homer. in β Odysseæ.

Θεῶν ὑποδείσατε μῆνιν,
Deorum autem vereamini iram,

Idem in γ. Odysseæ.

Ῥεῖα θεός γ' ἐθέλων καὶ τηλόθεν ἄνδρα σαώσαι.
Facile Deus volens, & procul existentem virum saluare,

Idem δ. Odysseæ.

Οἱ δ' αἰεὶ βούλοντο θεοὶ μεμνῆσθαι ἐφετμέων.
Semper voluerunt dij, esse in memoria sua praecepta.

Homer. in δ. Odyss.

Θεοὶ δέ τε πάντα ἴσασιν.
Dii autem omnia sciunt.

Homer. in ζ. Odyss.

Ζεὺς δ' αὐτὸς νέμει ὄλβον Ὀλύμπιος ἀνθρώποισιν,
Ἐσθλοῖς ἠδὲ κακοῖσιν, ὅπως ἐθέλῃσιν, ἑκάστῳ.
Iupiter ipse distribuit diuitias olympius hominibus
Bonis atque malis, quomodo voluerit vnicuique.

Homer. in κ. Odyss.

Θεοὶ δέ τε πάντα δύνανται.
Sed dii omnia possunt.

Homer. in ξ. Odyss.

Οὐ μὲν σχέτλια ἔργα θεοὶ μάκαρες φιλέουσιν,
Ἀλλὰ δίκην τίουσι καὶ αἴσιμα ἔργ' ἀνθρώπων.
Non enim mala opera Dii beati amant.
Sed iustitiam honorant & decentia opera hominum.

Homer. in ρ. Odyss.

Ὡς αἰεὶ τὸν ὁμοῖον ἄγει θεὸς ὡς τὸν ὁμοῖον.
Sane semper similem ducit Deus ad suum similem.

Phocylides.

Πρῶτα θεὸν τίμα, μετέπειτα δὲ σεῖο γονῆας
Inprimis venerare Deum post vero tuos parentes;

Pittacus.

Πρὸ πάντων σέβου τὸ θεῖον.
Ante omnia, cole numen.

Hesiodus.

Οὕτως οὔ τι πη ἔστι Διὸς νόον ἐξαλέασθαι
Nequaquam sane possibile est Iouis mentem decipere.

Idem.

Μηδέποτ' ἐξ ἠοῦς Διὶ λείβειν αἴθοπα οἶνον
Χερσὶν ἀνίπτοισιν μηδ' ἄλλοις ἀθανάτοισιν.
Οὐ γὰρ τοί γε κλύουσιν, ἀποπτύουσι δέ τ' ἀράς.
Nunquam matutinis horis Ioui libato vel calidum vinum
Manibus illotis, neque aliis immortalibus
Non enim ipsi exaudiunt, sed respuunt preces

Euripides in Medea.

Πολλὰ δ' ἀέλπτως κραίνουσι θεοί.
Multa autem praeter spem faciunt Dii.

Boet. 1. 5.

O stelliferi conditor orbis,
Qui perpetuo nixus solio,
Rapido caelum turbine versas,
Legemque pati sidera cogis, &c.
Tu frondifluae frigore brumae
Stringis lucem breuiore mora.
Tu cum feruida venerit aestas,
Agiles noctis diuidis horas,
Tua vis varium temperat annum,
Vt quas Boreae spiritus aufert,
Reuehat mitis Zephyrus frondes:
Quaeque Arcturus semina vidit,
Sirius altas vrat segetes:

Pol. antea Nemisse.

Nihil antiqua lege solutum,
Linquit propriae stationis opus.
Omnia certo fine gubernans,

Ouid. 1. Met.

Ante mare & terras, & quod tegit omnia caelum,
Vnus erat toto naturae vultus in orbe,
Quem dixere Chaos: rudis indigestaque moles.
Nec quicquam, nisi pondus iners, congestaque eodem
Non bene iunctarum discordia semina rerum, &c.
Hanc Deus & melior litem natura diremit.
Nam caelo terras, & terris abscidit vndas,
Et liquidum spisso secreuit ab aere caelum.
Quae postquam euoluit caecoque exemit aceruo,
Dissociata locis concordi pace ligauit,

Hor. 1. Carm.

Qui res hominum, ac Deorum,
Qui mare, & terras variisque mundum Temperat horis.

Virg. Eccl. 8.

Nec curare Deum credis mortalia quemquam?

Hor. 3. Carm. 4.

Qui terram inertem, qui mare temperat
Ventosum, & vrbes, regnaque tristia,
Diuosque mortalesque turbas
Imperio regit vnus aequo.

Sen. Hip.

O magna parens natura Deum,
Tuque igniferi rector Olympi,
Qui sparsa cito sidera mundo,
Cursusque vagos rapis astrorum,
Celerique polos cardine versas.
Cur tibi tanta est cura perennes
Agitare vias aetheris alti?
Vt nunc canae frigora brumae,
Nudent siluas
Nunc arbustis redeant vmbrae:
Nunc aestiui colla Leonis
Cererem magno feruore coquant.
Viresque suas temperet annus.

Boet. 4. 6.

Sedet interea conditor altus,
Rerumque regens flectit habenas.
Rex & dominus, fons & origo,
Lex & sapiens arbiter aequi,
Et quae motu concitat ire,
Sistit retrahens, ac vaga firmat.
Nam nisi rectos reuocans itus
Flexos iterum cogat in orbes,
Quae nunc stabilis continet ordo:
Dissepta suo fonte fatiscant.

Silius 6.

Iustitiae, rectique dator, qui cuncta gubernas.

Stat. 5. Theb.

Cuncta haec, Superum dimissa suprema
Mente fluunt.

Manlius. 1.

At mihi tam praesens ratio non vlla videtur,
Qua pateat mundum diuino numine verti,
Atque ipsum esse Deum: nec forte coisse magistra.
Vt voluit credi qui primus moenia mundi
Seminibus struxit minimis, in quae illa resoluit
Atque & maria, & terras, & sidera caeli:
Aetheraque immensis fabricantem finibus orbes,
Soluentemque alios, constare & cuncta reuerti
In sua principia, & rerum mutare figuras.
Quis credat tantas operum sine numine moles
Ex minimis, caecoque creatum foedere mundum?
Si fors ista dedit nobis, fors ipsa gubernet.
At cur dispositis vicibus consurgere signa,
Et velut imperio praescriptos reddere cursus
Cernimus, ac nullis properantibus vlla relinqui?
Cur eadem aestiuas exornant sidera noctes
Semper & hibernas eadem, certamque figuram,
Quisque dies reddit mundo, certamque relinquit?

Senec. Thyest.

Res Deus nostras celeri citatas
Turbine versat.

Boet. 3. 9.

O qui perpetua mundum ratione gubernas
Terrarum caelique sator, qui tempus ab aeuo
Ire iubes, stabilisque manens das cuncta moueri.
Quem non externae pepulerunt fingere caussae
Materiae fluitantis opus: verum insita summi
Forma boni, liuore carens.

Manlius 1.

Deus est, qui non mutatur in aeuo.
Nunquam transuersas Solem decurrere ad Arctos,
Nec mutare vias, & in ortum vertere cursus.
Auroramque nouis nascentem ostendere terris
Nec lunam certos excedere luminis orbes;
Sed seruare modum, quo crescat, quoue recedat;
Nec cadere in terram pendentia sidera coelo.

Horat. 1. Carm. 34.

Valet ima summis
Mutare & insignem attenuat Deus,
Obscura promens.

Sen. Her. fur.

Dominare tumidus, spiritus altos gere.
Sequitur superbos vltor a tergo Deus.

Lucanus 3.

Quis enim laesos impune putaret
Esse Deos? fecisse multos Fortuna nocentes,
Et tantum miseris irasci Numina possunt.

Ouid. 1. Art.

Nec secura quies illos, similisque sopori
Detinet innocuo viuite, Numen adest.
Reddite depositum, pietas sua foedera seruet,
Fraus absit, vacuas caedis habete manus.

Persius 3.

Magne Pater Diuum saeuos punire tyrannos
Haud alia ratione velis cum dira libido
Mouerit ingenium feruenti tincta veneno,
Virtutem videant intabescantque relicta.
Anne magis Siculi gemuerunt aera iuuenci?
Et magis auratis pendens laquearibus ensis
Purpureas subter ceruices terruit:

Virg. 1. Aen.

Si genus humanum, & mortalia temnitis arma;
At sperate Deos memores fandi, atque nefandi.

Ex Graecis Comicis.

Πάντ' ἐστὶ πάντα τε βλέπει Θεός.
Est Deus vbique, spectat idemque omnia.
Ὀξὺς Θεοῦ δ' ὀφθαλμὸς εἰς τὸ πάνθ' ὁρᾶν.
Acutus ad cernenda cuncta oculus Dei.
Ἄγει δὲ Θεὸν τοὺς κακοὺς πρὸς τὴν δίκην.
Adducit ad supplicia numen improbos.
Θεοῦ δὲ πληγὴν οὐχ ὑπερπηδᾷ βροτός.
Haud vllus unquam scandit plagam Dei.
Θεοῦ συνεργοῦντος πάντα ποιεῖ ῥαδίως.
Est facile quiduis, fert opem quando Deus.
Σὺν τοῦ Θεοῦ πλέοις κἂν ἐπὶ ῥιπὸς πλέοις. vel
Θεοῦ θέλοντος κἂν ἐπὶ ῥιπὸς πλέοις.
Deo fauente, vimen est ratis loco.
Τῷ γὰρ πονοῦντι καὶ Θεὸς συλλαμβάνει.
Deus labores adiuuat mortalium.
Πωλοῦσιν ἡμῖν πάντα τἀγάθ' οἱ Θεοί.
Labore dant quaelibet vendunt bona.
Εὐχῆς δικαίας οὐκ ἀνήκοος Θεός.
Voto aequa nunquam respuunt aures Dei.
Δίκαιον εὖ πράττοντα μεμνῆσθαι Θεοῦ.
In prospera aequum forte meminisse est Dei.

SENTENTIAE PHILOSOPHORVM.

Omnes homines notionem deorum habent, omnesque summum locum diuino cuidam numini assignant tum Graeci, tum barbari, qui quidem esse putent, vt scilicet apte immortali attribueretur immortale: *lib. 1. de caelo c. 3. T. 22.*

Deus & natura nihil frustra, nec sine causa faciunt. *lib. 1. de caelo, cap. 4. T. 32.*

Si Deus hoc modo bene affectus est semper, quo nos interdum sumus; profecto admirationem excitat, eoque maiorem, si magis eo animo est constitutus. Atque ita est. Vita quoque ei suppetit. *lib. λ. 11. Metaph. & 7. T. 39.*

Deus actio est, illius porro actio, quae per se est, & optima, & aeterna: atque Deum animal esse, & aeternum, & praestantissimum dicimus; vita igitur & aeuum continuum atque perpetuum Deo suppetit. Est enim hoc Deus. *Ibidem.*

Dei actio est immortalitas: quae in vita posita est sempiterna. *lib. 2. de caelo c. 3. T. 17.*

Diuinum prauitatis & mali cuiusquam particeps non est. *lib. 1. de Caelo. c. 9. T. 100.*

Deus perpetuam rerum originem fabricatus, vniuersum omnibus suis numeris expleuit. *lib. 2. de Gen. c. 10. T. 59.*

Rerum natura male administrari non vult: & multorum dominatus ac principatus non est vtilis, vnus ergo sit princeps. *lib. λ. 11. Metaph. c. 10. T. 56.*

Deus cum beatus sit ac felix, non propter aliquod aduentitiũ adiumentũ, sed per se ipse, & quod natura sit bonus. *lib. 7. de Rep. c. 1.*

Quod in naui gubernator, quod in curru agitator, quod in choro praecentor, quod denique lex in ciuitate, & dux in exercitu, hoc Deus est in mundo. *lib. de Mundo, c. 6.*

Deus quidẽ si vim spectes, valentissimus: si decorẽ, formosissimus; si vitam, immortalis: denique si virtutem, praestantissimus est. *Ib.*

Prope Deus est, tecum est, intus est. Ita dico, Lucili, sacer intra nos spiritus sedet, bonorum malorumque nostrorum obseruator, & custos: Hic prout a nobis tractatur, ita & nos tractat ipse. bonus vero vir sine Deo nemo est. An potest aliquis supra formam, nisi ab illo adiutus, exurgere? Ille dat consilia magnifica, & erecta in vnoquoque bono viro. *Senec. ad Lucilium.*

Quis dubitare potest, mi Lucili, quin deorum immortalium munus sit, quod viuimus?

Summa illa, & pulcherrima omnium natura quos periculo eximit, nec periculosos quidem fecit. Primus est Deorum cultus, Deos credere; deinde, reddere illis maiestatem suam, reddere bonitatem, sine qua nulla maiestas est, scire illos esse, qui praesident mũdo, qui vniuersa, vt sua, temperant, qui humani generis tutelam gerunt. *Idem epist. 95.*

Dij quoque multa ingratis tribuunt.

Deus quidem munera vniuerso humano generi dedit, a quibus excluditur nemo.

Insita sunt omnium artium nobis semina, magisterque ex occulto Deus producit ingenia.

Quid enim est aliud natura, quam Deus, & diuina ratio toti mundo, partibusque eius inserta? Ergo nihil agis ingratissime mortalium, qui te negas Deo debere, sed naturae, quia nihil natura sine Deo est, nec Deus sine natura, sed idem est vterque, nec distat officio. *Senec. lib. de beneficiis.*

Genitorem vniuersitatis tam difficile est inuenire, quam inuentum impossibile digne profari. *Plato in Timaeo.*

Bonus quidem Deus, & quidem Deus causa bonorum; malorum autem omnium non causa. *Idem lib. de Legib.*

Mundus a Deo factus est. *Plato in Timaeo.*

Deus author maximus est. *Idem.*

Charitas Dei fuit causa factionis mundi & originis omnium rerum. *Idem.*

Deus est summum bonum, supra omnem substantiam, omnemque naturam, quod cuncta expetunt, cum ipse sit plenae perfectionis, nullius societatis indigus. *Idem.*

Imperfectus quidem, & immundus in infernum abiens, perfectus, & purgatus hinc transiens cum Deo habitabit. *Plato in Phaedro.*

Sic Plato, cum de Deo loqui esset animatus, dicere quid sit, non est ausus: hoc solum de Deo sciens, quod sciri, qualis sit, ab homine non possit. Solem vero ei simillimum de visibilibus solum repperit, & per eius similitudinem viam sermoni suo attollendo se ad comprehensibilia patefecit. Nam Deus, qui prima causa est & vocatur, vnus omnium quaeque sunt, & quae videntur esse, princeps & origo est. Hic superabundanti foecunditate maiestatis de se mentem creauit. Haec mens quae νοῦς vocatur, qua patrem inspicit, plenam similitudinem seruat authoris. *Macrob. super somnium Scipio. lib. 1.*

Plato in libris legum, quid sit omnino Deus inquiri oportere non censet. Omnibus fere in rebus, maxime in physicis, quid non sit, citius, quam quid sit, dixerim. Roges me quid aut qualis sit Deus, authore vtar, Simonide de quo cum quaesiuisset hoc idem tyrannus Hiero, deliberandi causa sibi vnum diem postulauit; cum idẽ ex eo postridie quaereret, biduum petiit, cum saepius duplicaret numerum dierum, admiransque Hiero quaereret cur ita faceret? quia (inquit) diutius considero, tanto res mihi videtur obscurior. *Cic. lib. 1. de nat. Deorum.*

Quid enim potest esse tam apertum, tamque perspicuum, cum coelum suspeximus, coelestiaque contemplati sumus, quam esse aliquod numen praestantissimae mentis, quo haec regantur? *Cic. lib. 2. de nat. Deor. in princ.*

Vndique omni ratione concluditur, mente consilioque diuino omnia in hoc mundo ad salutem omnium conseruationemque admirabiliter administrari. *Idem.*

Esse igitur Deos perspicuum est: vt id qui neget, vix eum sanae mentis existimem. *Idem.*

Dico igitur, prouidentia Deorum mundum, & omnes mundi partes & initio constitutas esse, & omni tempore administrari. *Idẽ.*

Nihil est autem praestantius Deo, ab eo igitur necesse est mundum regi. Nulli igitur est naturae obediens, aut subiectus Deus; omnem ergo regit ipse naturam. Etenim si concedimus, intelligentes esse Deos, concedimus etiam prouidentes, & rerum quidem maximarum. Ergo, verum ignorent quae res maximae sint, quoque hae modo tractandae, ac tuendae, an vim non habent, qua tantas res sustineant & gerant? At & ignoratio rerum aliena naturae Deorum est, & sustinendi muneris propter imbecillitatem difficultas minime cadit in maiestatem Deorum: ex quo efficitur id, quod volumus: Deorum prouidentia mundum administrari. Atqui necesse est eum sint dij, si modo sint, vt profecto sunt, animantes esse, nec solum animantes, sed rationis compotes, interseque quasi ciuili conciliatione

& so-

& societate coniunctos, vnum mundum, vt communem Rempublic. atque vrbem aliquam regentes, sequitur vt in his sit eadem, quæ in genere humano, ratio, eademque veritas vtrobique sit, eademque lex, quæ est recti præceptio, praui depulsio. ex hoc intelligitur, prudentiam quoque & mentem a diis ad homines peruenisse, ob eamque causam maiorum institutis mens, fides, virtus, concordia, consecratæ & publice dedicatæ sunt. *Idem.*

Nemo vnquam vir magnus fine aliquo afflatu diuino fuit. *Idem.*

Magna dii curant, parua negligunt: magnis autem viris prospere euenient semper omnes res. *Idem.*

Mala enim & impia consuetudo est contra Deos disputandi, siue ex animo id fit, siue simulate. *Idem.*

At obscurum Deo nihil esse potest.

Diagoras, cum Samothraciam venisset, *Atheus* ille qui dicitur, atque ei quidam amicus, tu, qui deos putas negligere humana, nonne animaduertis ex tot tabellis pictis, quam multi votis vim tempestatis effugerint, in portumque salui peruenerint: Ita fit, inquit, illi enim nusquam picti sunt, qui naufragium fecerunt, in mari perierunt. *Idem lib. 3. de natura Deorum, in fine.*

Nec enim ignorare potest Deus, qualis mente quisque sit. *Cic lib 2. de Diuin.*

Videt igitur Deos nos, auditque priusquam loquamur. Ipse est enim qui tacito Mosi ait: Quid clamas ad me? præuenit verba nostra & affectus anticipat, cogitationes nostras intelligit de longinquo, hoc est, multo ante quam fiant. Preces nostras exaudit, antequam sonent. Necessitates nostras adspicit, antequam veniant. Exitus nostros speculatur antequam oriamus. Sed ista nos aspicit, vt indignos licet inuenit, miseratur, nisi forte (quod procul absit a nobis) contumacia: pertinaciaque misericordiam expellamus. *Franciscus Petrarcha lib. 1. de Vita solitaria.*

Summus Deus infinitus est, non sul modo loci exclusione, sed etiam naturæ dignitate. *Lucius Apulei. de Deo Socra.*

Dii ab hominibus differunt loci sublimitate, vitæ perpetuitate, naturæ perfectione. *Idem.*

Nihil Deo est perfectius & potentius. *Idem.*

Deus ab omnibus animi passionibus liber est, vnde nec dolere, nec lætari potest. *Idem.*

Nihil est Deo similius & gratius, quam vir animo perfecto bonus, qui hominibus cæteris antecellit, quod ipse a diis immortalibus distat. *Idem.*

Quapropter debet Deus nullam perpeti vel operis, vel amoris temporalem perfectionem, & ideirco nec indignatione, nec misericordia contingi, nullo angore contrahi, nulla lætitiate gestire, sed ab omnibus animi passionibus liber, nec dolere vnquam, nec aliquando lætari, nec aliqui repentinum velle, vel nolle. *Idem.*

APOPHTHEGMATA.

Agesilaus moturus bellum aduersus Persarum Regem, quo Græcos Asiam incolentes libertati restitueret, Iouis Dodonæi consulto oraculum: is iussit, vt pro suo arbitratu bellum instrueret, verum cum Ephori ad Delphicum quoque oraculum consolendum mi sissent, hoc pacto proposuit consultationem: Num Apollo, tibi videtur quod patri? Iouis se oraculum omnino probare respondit. Quo dicto ostendere voluit deorum omnium concordiam: qui si inter se dissentiant, non profecto reuera sunt dii. *Plut. in Lacon.*

Thales percontatus, Quid esset Deus? Quod principio & fine caret, respondit. *Laer. in eius vita.*

Zaleucus, procemio legum quas scripsit Locrensibus, hæc verba præfixit: Omnes qui vrbem ac regionem inhabitant, persuasos esse oportet, existimareque, deos esse, quod manifestum sit cæli & totius mundi inspectione, rerum que in ipsis dispositione pulchemma, & ordine. Haud enim fortuita aut humana eiusmodi opera putare conuenit. *Stob. fer. 42.*

Anonymus de Deo interrogatus, respondit Quod est in triremi gubernator, in curru rector, præcantator in choris, dux in vrbe, imperator in exercitu, hoc est in mundo Deus. *Apul. de Mundo. Id authori libri de mundo inter Arist. opera collocati tribuitur.*

Simonides interrogat s olim ab Hierone tyranno, Quidnam esset Deus? Deliberandi vnum sibi diem postulauit, cum idem ex eo postridie quæreretur, biduum petiit, ac cum ita sæpius duplicaret numerum, admiratusque Hiero tyrannus, qui rogauerat, effiagitaret, cur ita faceret? Quia, inquit, quanto diutius considero, tanto mihi res videtur obscurior. *Cic. de Natura Deor. Brusson. lib. 2. c. 26.*

Socrates dicebat, deos omnium optimos ac fœlicissimos: ad horum similitudinem q. o quisque propios accederet, hoc & meliorem esse, & beatiorem. Si corrigas vnius vocis numerum, nihil dici potest Christianius. *lib. 3. apoph.*

Plato dicebat, Deum nullo vspiam modo iniustum esse, sed plane iustissimum. Nec ei, inquit, similius inueniri potest quicquam, qui inter nos iustissimus fuerit. *In Theaeteto.*

Polyanthea Noua.

Eusebius Philosophus dicebat non quærendum an dii sint: sed protinus esse credendum. Nam quæstione, inquit, proposita etiam illequi impugnant opinionem defendit, neque deos non esse, superare conatur. *Stob. fer. 73.*

Callicratidas Pythagoreus, Mundus (inquiebat) Græce κόσμον appellatur, vt qui per communem omnium distinctionem, id est, decoram a immortrati onem, ad vnum optimum dirigatur. Est vere ille d vnum optimum, Deus ipse, qui secundum cogitationem existit; viuens cæleste, incorruptibile, principium & causa dispensationis omnium rerum. *Stob. fer. 83.*

Alexander in Iouis Ammonis templo cum a vate dictus esset Iouis filius, Nihil, inquit, mirum, nam Iupiter omnium quidem natura pater est, sed ex his optimos quosque peculiariter suos facit. Modestissime interpret tus est oraculum: nam vates per adulationē dixit, illum filium Iouis: quasi sic e Ioue prognatus esset, quemadmodum Hercules creditus est esse Iouis filius. Alexander fassus est: Iouem Naturæ autorem, ac parentem esse omnium: sed eos demum peculiariter pro suis filiis agnoscere, qui virtute ac præclare gestis proxime ad diuinam naturam accederent. Ea est, omnibus benefacere. *Plut. in apoph.*

Euagrius quum longa orationis serie audiuisset de Deo, atque Trinitate disputantes, Diuinitatem nequaquam definiendam esse respondit. Omnes enim alias propositiones habere genus quod prædicetur, aut speciem, aut differentiam, aut proprium, aut accidens, a it ex his compositam orationem. Sed nihil in sancta Trinitate horum quæ dicta sunt, posse comprehendi. Ideoque quod ineffabile est, silentii tacitum oratione esse adorandum. *Soc lib. 6. Tripar. hist. c. 11.*

Attalus martyr, a tyranno per contemptum interrogatus, Quod nomen Deus haberet? Qui plures sunt respondit, nominibus discernuntur. Qui autem vous est, non indiget nomine. *Euseb. lib. 6. Eccl. histor. c. 3.*

Thales dicebat, Homines existimare oportere deos omnia cernere, deo umque omnia esse plena, & tunc fore omnes castiores. *Cic. lib. 2. de Legib.*

Idem percunctatus, An facta hominum deos fallerent? Ne cogitata, inquit, vt non solum manus, sed etiam mentes puras habere vellemus. cum secretis cogitationibus nostris esse numen adesse crederimus. *Laer. in eius vit. Val. Max lib. 7. c. 2.*

Zeno, cum ex Zenone Stoico quidam quæreret, An Deum lateret possit iniuri m faciens? Imo, inquit, ne cogitans quidem. *Maximus ferm. 15.*

Diogenes videns mulierem ad aras deorum tam incuriato corpore procumbentem, vt obscena quædam appareret. Non vereris, inquit, mulier, ne stante post tergum Deo (cuncta enim plena deorum sunt) inhoneste habeas. *Laer. lib. 6.*

Athenodorus dicere prudenter solebat: ita non cum hominibus homines viuere debere ac si Deus retributor bonorum, malorumque vltor, omni loco ac tempore: actiones nostras intueretur, conspiceereturque humanis nostris oculis. *Fulgosius lib. 7. cap. 2.*

Idem, tunc scito, inquit, esse te omnibus cupiditatibus solutum, cum eo perueneris, nihil Deum roges, nisi quod rogare possis palam. Nunc enim quanta dementia est hominum? Turpissima vota diis insusurrant. Si quis admouerit aurem, conticescent, & quod scire hominem noluut, Deo narrant. Vide ergo ne hoc præcipi salubriter possit? Sic viue cum hominibus, tanquam Deus videat: sic loquere cum Deo, tanquam homines audiant. *Senec. Epist. 10.*

Iamblicus, Sicut (inquiebat) oriente sole, tenebræ eius præsentiam sustinere non possunt, sed subito subterfugiunt, nihil solem impedientes, sic vndique refulgente potestate diuina, quæ replet omnia bonis, perturbatio omnis nullum habet locum, sed repente disperditur. *lib de mysteriis*

Demonax, quum admoneretur ab amico quodā, vt secum in Aesculapii templum iret, Dominumque pro salute sibi oraret: Adeone, inquit, surdastrum existimas Deum, vt nos, nisi in templo, non sit auditurus? *Recitat lib 8. apoph.*

Antalcidas, quum in Samothracia initiaretur, rogatus a sacerdote, quid egregium patrasset in vita? Si quid, inquit, mihi tale peractum est, sciunt ipsi dii. Existimans, impium commemorationem suorum gestorum se diis commendare: qui siue præstiterit, sine fefellerit, nihilominus nouerant. Nam apud sacerdotem poterat etiam falsa narrare. *Plutarch. in Lacon. Idem de Lysandro refertur.*

Anonymus, quidam sacris initiatos, Laconem rogauit, qui sibi consciret maxime impie factum per omnem vitam? At ille: Hoc inquit, dii sciunt. Quum initiator magis vrgeret, diceretque, Omnino proferas necesse est. Laco vicissim rogauit: Vtri, inquies, oportet me tibi dicere, an Deo? Quum ille respondisset, Deo: Tu ergo, inquit, hinc secede, vt illi dicam. *Plut. in Lacon.*

Crates, cum deformi esset corpore, in certaminibus tamen corpus suum denudare pro more pugnantium, non erubuit. Ve-

rum à spectatoribus ob id derisus: De oculis, inquit, o Crates, & reliquo corpore bono es animo, mox enim videbis eos qui corpus tuum deforme modo turpiter derident, morbo contrahi & omnibus viribus destitui, & tum te beatum esse sentient, deformem quidem, sed sanum, robustum, & laboris patientem. Sensit homo ethnicus, quam variè Deus sua dona hominibus distribuat alium ornat forma & sanitate, alium sapientia: hunc virtutibus, illum corporis robore: ita tamen, vt non vni & soli omnia conueniant. *Laer. lib. 6. c. 5.*

Stratonicus inuitatus aliquando, vt audiret citharœdum canentem, postquam audierat, recitauit illum versiculum Homericum, Τῷ δ' ἕτερον μὲν ἔδωκε πατήρ, ἕτερον δ' ἀνένευσε. id est, Huic dedit hoc pater altitonans, verum abnuit illud. Cuidam rogan ti, Quo pacto? exposuit, male cithara canere dedit, bene canere negauit. *lib. 6. apoph.*

Dercyllidas, Missus orator ad Pyrrhum, qui iam exercitum induxerat in terram Spartanorum, vt cognosceret quid sibi vellet: cum Pyrrhus præscriberet vt regem suum Cleonymum reciperent, alioqui futurum vt intelligerent se nihilo cæteris esse fortiores, hunc in modum respondit: Si Deus est Cleonymus, non metuimus eum, quippe qui nihil sceleris commisimus: sin homo est, nihilo est nobis præstantior. Hoc dilemmate perstrinxit superbas regum minas. Dij, qui quos velint, possunt lædere, nec a quoquam lædi vicissim, non nocent, nisi improbis. homines hominibus ex æquo metiendi sunt. *Plut. in Laco.*

Cato Vticensis. Quum Pompeio res infeliciter cederent & ad Cæsarem inclinaret victoria, Cato dicebat, in rebus diuinis multum esse caliginis: quod Pompeio præter ius agenti fuissent omnia prospera, causam reipub. tuenti nihil succederet. *Plut. in Caton.*

Xenophon dicebat tum maxime colendos esse deos, quum homini res sunt secundæ: vt quum inciderit necessitas, confidenter illos imploremus, vtpote beneuolos iam & amicos. Rectè Xenophon. Sed vulgus hominum contra facit, in felicitate profunda est Dei obliuio: cum viget calamitas, tum demum vtcunque & perfunctoriè ad illum confugimus. *Lib. 7. apoph.*

Philo cum alijs Iudæis apud C. Caligulam accusatus ab Appione, quod Cæsari diuinos honores non tribuerent, eiectus ex aula, socijs Iudæis respondit, Bono animo nos esse oportet, quibus iratus est Caius: quia necesse est adesse diuinum, vbi humanum cessat auxilium. *Eusb. lib. 2. Eccl. hist. c. 5.*

Thales, interrogatus olim, quidnam in tota rerum natura esset vetustissimum? Respondit, Deus. Quid ita? ὅτι ἀγέννητος, hoc est, nunquam esse cœpit. *lib. 7. apoph. ex Laer. 1.*

Similitudines.

Philonis Iudæi, non possunt præceptores, quemadmodum qui in vas infundunt, implere mentem eorum qui introducuntur: sed quando fons sapientiæ, Deus, scientias tradit humano generi, sine mora hoc facit, & extempore. *Lib. de sacrificio Abelis & Caini.*

Quemadmodum solem hunc visibilem nulla alia re, quam sole ipso aduti cernimus, & stellas ipsas sola stellarum ope aspicimus: lucis aspectum luci debemus: Ita etiam Deus per seipsum sui illustrat notitiam, cooperante nemine, quod ea res excedat vires omnium. *Lib. de præmiis atque pœnis.*

Sicut voluptatem & corpus Deus nulla certa de causa odit: Ita etiam naturas bonas absque manifesta causa exudit, nihil potius aut prius habens, quam vt eas laudaret. *Lib. 2. Allegoriarum Legis.*

Sicut sol exortu suo stellas abscondit, tanto suo splendore perfusis nostris oculis: ita, quoties animæ oculi sincero, puro, fulgidissimoque luciferi Dei sensibili splendore irradiantur, nihil aliud possunt inspicere. Affulgens enim eius qui est cognitio, nihil non illustrat, vt etiam quæ sunt per se splendidissima, collatione hac obscurentur. *Lib. de temulentia.*

Chrysostomi, si tu vitiosum compares seruum, & volueris mores suos scire, nonne pones ante illum saccum cum solidis, aut aliquem concupiscibilem cibum, & si quidem seruus ille incontinens fuerit, & sine timore porrigat manum suam, & accipiat inde, numquid male fecisti? Aut numquid tu egisti illum, vt male faceret: Non, sed propalasti malitiam eius. Sic & Deus dans hominibus occasionem peccandi, si peccare voluerint, non illos facit peccare, sed manifestat pertinaciam cordis eorum. *In 23. Matth. homil. 46.*

Sicut athletæ perfruuntur quidem omni curatione, & eo tempore quo sunt in certamine. sed non omni quiete, nec plena remissione perfruuntur sub legibus viuentes, sed postea omni, plenaque fruuntur: Sic & Deus non ita præstat, vt omnem quietem hic percipiamus: sed de longinquo (inquit) salutantes requiem. *Homil. 24.*

Origenes. Quemadmodum venter quum non sit Deus, tamen voluptatibus deditorum, qui pluris faciunt voluptatem, quam amorem Dei, à Paulo dicitur Deus: Sic & qui nō est Deus, princeps huius seculi, de quo dicit Seruator, Princeps mūdi huius iudicatus est: Deus esse dicitur eorum, qui recusant accipere spiritum adoptionis filiorum Dei, vt fierent filij seculi illius, ac resurrectionis ex mortuis. & propter hoc perseuerarent in conditione filiorum seculi huius. *In c. 15. Matth.*

Fulgentii sicut competit Deo bono, vt causa sit totius operis boni: ita incongruum est, vt imputetur causa cuiuslibet operis mali. *lib. 1. fol. 10.*

Mercurii Trismegisti. Ab ipso profectò factore nihil malum, nihilque turpe. Hæ siquidem passiones sunt creata sequentes opera, quemadmodum æs, rubigo, animata corpora limus. Atque neque faber ferrarius induxit rubiginem, neque animati corporis genitor cœnam ac sordes. Eodemque modo nec Deus etiam malum. Generationis autem perseueratio malum su. repere cogit: eaque de causa mutationem rebus Deus instituit, ceu quandam generationis ipsius purgationem. *In Pymandro, fol. 115.*

D. Augustini. non solum pecore, vel qualibet alia re incorruptibili atque terrena: sed ne ipsa quidem iustitia hominum, Deum egere credendum est, totumque quo rectè colitur Deus, homini prodesse, non Deo: neque enim fonti se quisquam dixerit profuisse, si biberit, aut luci, si viderit. *Lib. 10. de Ciuit. Dei cap. 5.*

Cypriani, quomodo fulgur nubes disrumpit, & repentina coruscatio non tam illuminat, quam hebetat oculum: Ita aliquando nescio quo motu tangeris à Deo, & tangi te sentis: cum tu qui te tangit, non intueris. *De operibus Christi.*

Cum videas quod mortale ingenium demersas in profundum terræ metallorū venas rimatur, & artificis oculus aurum videt, in quo imperitus terram esse putet: & quum auri propriam esse venam, & argenti aliam, æris quoque disparem, ferri quoque & plumbi diuersam terra species latere, mortale deprehendat ingenium: Diuina virtus inuenire posse & discernere non putabitur vniuscuiusque carnis proprium sensum, etiamsi videatur dispersum? *In Symb. Apost.*

Plutarchi, vt quibusdam minus mali fuit, non omnino videre, quam perperam videre: velut Herculi, qui filios videns pro hostibus occidit: Ita leuius malum est, Deos omnino non credere, quam credere noxios. *In Moralib.*

Cum nauta videt imminere tempestatem, primum quidem Deos inuocat, vt incolumi liceat in portum appellere: mox contrahit vela, atque omnia nihilo serius parat quibus est opus: Ita nos debemus auxilio diuino fidere, sed sic vt nostram quoque industriam adhibeamus. *In Moralib.*

Quemadmodum, a piscibus Hircanis, nec boni quippiam expectatur, nec mali: Sic Epicurei, nec turbari nos volunt Deorum metu, nec delectari beneuolentia. *In Moralib.*

Quemadmodum agricola non incidit spinam, priusquam asparagum inde ceperit: & Libyes non ante incendunt sarmentum, quam thus collegerint: Ita Deus non excidit genus Regum pestilens, priusquam hinc fructus aliquis bonus contigerit. *In Moralibus.*

Seneca. quemadmodum ex duobus sapientibus qui senio decessit, non est beatior eo, cuius intra paucos annos terminata virtus est: Sic Deus non vincit sapientem felicitate, etiamsi vincit ætate. *Lib. 2. Epist. 74.*

Anonymi, vt peius sentiunt de homine, qui dicunt eum esse iracundum, perniciosum, quam qui negant eum viuere: ita minus male sentiunt de dijs, qui negant vllos esse, quam qui dicunt esse morosos, noxios, irritabiles. vt faciunt superstitiosi. *In Similibus.*

Thrimeri. qui periculorum quasi ineuitabilium in hoc mundo culpat difficultatem, Deum eum malo duce comparat, qui milites delectatur discrimine, aut exercitum in præcipitio collocat. *In apoph. fol. 150.*

Fere a singulis destituitur, qui pluribus confidit: atque eos solos consueuit Deus consolari, qui deficiunt in hominibus sperare. *In apoph. 70.*

Philonis Iudæi. quemadmodum certo scire non possumus cuiusque stellæ qualis sit essentia, quærimus tamen alacriter, oblectamurque rationibus verisimilibus, propter geminum discendi desiderium. Ad eundem modum licet verum illud ens Deum non valemus cernere, debemus tamen indesinenter eum quærere, quando hæc consideratio vel per se ipsam citra inuentionem, res est summè desiderabilis. *Libro primo de Monarchia folio 511.*

Sicut lux à nullo illustratur, sed se ipsa ostendit: Sic Deus, qui nullis hominum operibus illustrari potest, diuina sua essentia seipsum solus illustrat. *Lib. 1. de Monarchia fol. 512.*

Chrysostomi, sicut qui innauigabilem Oceanum nauigare se vsurpat, dum non potest eum transire, necesse est vt per eandem viam reuertatur, vnde ingressus est: Sic antiqui philosophi & oratores, de Dei natura quærere contendentes, victi sunt ingenio, defecerunt sermone, in vltimo nihil se amplius inuenire potuisse confessi, nisi quia Deus incognoscibilis. *In cap. 11. Matth. homil. 28.*

Nazian-

Nazianzeni. hoc Dei tergum est, quicquid eum nobis suo iudicio, e.fert, vt tamen illius naturam non contingat: perinde ac vmbra & in aqua relucens solis imago hebetioribus oculis illum adumbrat, dum illum ipsum prę nimio purissimę lucis fulgore quo sensum facile exuperat, intueri nequeunt. *Lib. 2. de Theolog.*

Vt qui belle fabricatam citharam eiusque concinnitatem compositionemque miratur, aut concentum audit, nihil aliud quam ipsius citharæ vel artificem, vel moderatorem citharœdum animo concipit: eoque tota cogitatione conuertitur, etiamsi oculis fortassis eum non cernat: Ita & nobis seipsum prodit illud, quod & facit omnia, & facta mouet atque conseruat: eum interim quid illud tandem sit, mentis nostræ angustiis nequeat comprehendi. *Lib. 2. de Theol.*

Vt equi, vt bouis, vt hominis, breuiter vt vniuscuiusque eorum, quę ad eandem speciem pertinent, vna quædam est ratio & cuicunqi hæc eadem gratia competit, hoc & proprie inde nomen habet: cui vero non conuenit, hoc inde aut nullum, aut improprium habet. Ita & Dei essentiam, naturam appellationemque vnam quidem esse: quamuis pro diuersa equidem essentię consideratione, nomina quoque diuersa sortiatur: tum quod proprie Deus dicatur, hoc & esse Deum: quod vero fuerit secundum naturam, hoc & vere nominari. *Lib. 3. de Theologia.*

Iustini martyris, communis hic sol nobis quotidie se præbet omnibus nec magis minusne irradiat alium quam alium: sed in omnea ex æquo exercet vim suam: attamen si quis acutiore visu polleat, plus eius splendoris recipit, non quod sol magis in eum agat quă in cæteros, sed propter vim oculorum eximiam. At quisquis infirmos habet oculos, ne obtueri quidem tantam lucem poterit, propter eorum hebetudinem. Idem cogita de sole iustitiæ cum sit Deus ex æquo, illum adesse omnibus iuxta suam essentiam: nos autem quotquot sumus, vt hebetes & oculis scatentes præ peccatorum sordibus, ad percipiendum lumen non esse idoneos, templum vero illud proprium oculo purissimo splendorem totius luminis capere, vtpote formatum Sancti Spiritus opera, & à peccato prorsus alienissimum. Nam sicut sol quamuis sua vi attingat pariter omnia, tamen non ab omnibus similiter capitur. Sic verbum illud iuxta essentiam præsens omnibus non similiter adest cæteris vt templo proprio. *De recta Confess. siue de Sancta & coessentiali Trin. fol. 26.*

Quemadmodum quod vnum est numeri principium, nihil confert ad eius perfectionem: nam & cum non esset principium numeri, perfectum erat: & factum principium numeri non auctum est. Sic & Deus ante creationem erat perfectus, & post creationem non est auctus. Nihil igitur eorum quæ ex creatione sunt, auget Deum. *In Respon. ad Orthodox. respon. ad Quæst. fol. 321.*

Damasceni, sicut quatuor extrema crucis per medium centrum continentur & constringuntur: Sic per Dei virtutem altitudo, profunditas, longitudo, latitudo, idest, omnis inuisibilis & visibilis creatura continetur. *Lib. 4. c. 12. Ortho. fidei.*

D. Basilij, solem hunc sensibilem nemo est, qui non laudet & ipsius magnitudinem, simulque pulchritudinem & radiorum symmetriam, & lucis splendorem admirans: si vero in eo diligentius atque pertinacius intuebitur, & in dies eius aspectum considerabit, non solum quæ sentit in eo deprehendet, sed etiam oculorũ aciem debilitatus abscedet. Tale quid mihi videor pati mente, si requiratur de Deo, quid sit. *In capite primo Ioannis.*

Eustachij Episcopi, non intra moles corporeas suprema sapientia inclusa continetur, quemadmodum humidæ & siccæ materiæ intra vasa quidem includuntur, continentur autem potius quam repositoria contineant. Sed quę quidem diuina & inexplicabilis potentia, & quæ intra & quæ extra templum sunt, comprehendens continet, & illinc vlterius procedens, omnes simul moles ac magnitudines continens, coercet ac moderatur. *In Oratione habita super illo, Dominus creauit initium viarum suarum. Memenit. Theodor. Dial. 3. fol. 228.*

Thalasij, quod lux est videntibus & visis, hoc Deus est intelligentibus & intellectis. *Ad Paulinum Presbyt.*

Vt Deus, secundum essentiam nobis est incognitus: Ita secundum maiestatem est immensus. *Ad Paulinum Presbyt.*

Xysthi Pythagorici, Deus sicut mens est quæ mouetur sponte, secundum hæc & subsistit. *In Enchir.*

Mercurij Trismegisti. Quemadmodum mundi partes sunt coelũ, aqua, terra, & aer: Eodem modo membra Dei, vita, immortalitas, necessitas, prouidentia, natura, anima, mens, horumqi omnium participatio, Ipsum bonum: neque fit aliquid vsquam, neque est factum, vbi Deus ipse non adsit. *In Pymandro, fol. 100.*

Platonis. sicut specula euidentiora sunt, quam oculi pupilla, & puriora: Sic quoque Deus optima animæ nostræ parte purius quippiam ac splendidius est. *In Alcib.*

A D A G I A.

Adsint Dii beati. Σὺν δὲ θεοὶ μάκαρες. Hoc est, Felices adsint Superi.

Prouerbialis precandi formula, cuius vsus esse potest in quolibet negocio aggrediundo Das vvaldte Gott. Gott vvaldte es. Da vvolle Gott bey sein.

Deo præeunte nullus officit obex. Θεοῦ δ' ἐξάρχοντος ἀρχὴν ἥν ἐῶ, [illegible] τὸ κωλῦον. *Plat.*

Quoties significamus à Deo, rerum principio, conatus nostri auspicium sumendum esse. VVer Gott zum freundt hat, dem schadet Kein creatur.

Vnus Deus & plures amici. Εἷς θεὸς καὶ πολλοὶ φίλοι.

Prouerbium admonet, quam plurimos esse parandos amicos, quod hi secundum Deum plurimum opitulari possunt. Man gelebet eines Gottes, aber nicht eines Menschen.

Homo homini Deus. Ἄνθρωπος ἀνθρώπου δαιμόνιον.

De eo, qui subitam atque insperatam attulit salutem, aut qui magno quopiam beneficio iuuit. Antiquitas enim nihil aliud existimauit Deum esse, quam prodesse mortalibus. Ein Mensch ist des andern Gott.

Cum Diis non pugnandum.

Qui monebit non esse pugnandum cum Genio, cum superis, cum magnis Principibus (quos Hebræorum etiam literæ Deos vocant) vsurpabit illud Homeri:

Οἱ δ' ἔτι φέρτεροι ἀνδρῶν.

Id est.

Verum homines Diis inferiores.

Pindarus in Pythijs hymno 2. sententiam hanc sic extulit. Χρὴ δὲ πρὸς θεὸν οὐκ ἐρίζειν. Id est, *Oportet aduersus Deum non contendere.*

Deus, qui principium, medium & finem omnium rerum continet, rectum peragit cursum, Ὁ θεὸς ἀρχήν τε καὶ τελευτὴν καὶ μέσα περιέχων τῶν ὄντων ἁπάντων εὐθεῖαν περαίνει.

Plato refert hoc quasi vulgo decantatum. Deum vniuersitatem rerum omnium complecti, hoc est, Principium, medium & finem. Ab illo enim omnium quæ sunt initium, incrementum & summa.

Oculus Dei fortissimus. Θεοῦ ἄμαχον ὄμμα.

Docet prouerbium, Deum nihil posse latere, & quod in Epist. ad Hebr. c. 4. versu 3. dicitur. Non est creatura coram Deo inconspicua, sed omnia nuda & resupinata oculis eius. Vsus erit, quoties aliquem a peccando absterrere volumus.

Deus vndique iuuat, si modo propitius.

Deus vbique præsens est, si faueat. Neque refert, vbi gentium agas, illo propitio. Ad hanc sententiam accommodes illud Homericum.

Ῥεῖα θεός γ' ἐθέλων καὶ τηλόθεν ἄνδρα σαώσαι.

Id est,

Si libeat, seruare procul quoque numina possunt.

Deus habeat hoc decus. Θεὸς ἂν τοῦτο ἔχοι τὸ γέρας.

Vtamur in deprecandis rebus nostras vires superantibus, foliique Deo factu proclinibus. Sumptum ex Simonide.

Cunctabundus natura Deus. Μέλλει τὸ θεῖον. ἐστὶ δὲ τοιοῦτον φύσει.

Docet adagium. Deum esse lenem & clementem, nec facile ad vlciscendum malos, pœnasque de his sumendum properare. Sumptum ex Euripide. Gott kan vvull ein zech borgen.

Si Deus voluerit.

De re futura, cuius exitus pendeat à Dei fauore. Nam etiam vulgo dicunt omnius causa: Si Deus voluerit. Atque ita nos loqui Iacobus Apost. docet. Id Homerico versu licebit explicare, si quando incalescimus apud eruditos.

Αἴ κε θεοί γ' ἐθέλωσι, τοὶ οὐρανὸν εὐρὺν ἔχουσιν.

Id est,

Diis ita si visum fuerit, quos gestat Olympus.

Nunc Dij beati. Νῦν θεοὶ μάκαρες.

Vox erat velut adgaudentis & adgratulantis, quoties nocentibus supplicium meritis dignum contigisset: perinde quasi Diis & iucundum & honestum sit, vt scelerati dent pœnas. Da lebet Gott, Da lachet Gott.

Dij laneos habent pedes.

Indicat Prouerb. Deos ad scelerum vltionem lente quidem procedere: sed tamen aliquando de malefactis pœnam sumere vel inopinato. Gott Kommet langsam, aber vuol.

Deus ex improuiso, Θεὸς ἀπὸ μηχανῆς.

Dictum de iis, quibus in rebus perplexis præter spem aliquis exoritur qui adferat salutem, negotiique difficultatem expediat. A tragœdiarum consuetudine desumptum, quæ in rebus desperatis Deum ex machina apparentem inducebant in theatrum.

A Deo facti.

Quadam adagii forma dicuntur, qui excellenti quadam ratione ad aliquid natura compositi sunt.

Cum Deo quisque gaudet & flet, σὺν τῷ θεῷ πᾶς καὶ γελᾷ, καὶ ὀδύρεται.

Admonet adagium rerum humanarum celerem esse commutationem, neque in nobis situm, vt res perpetuo secundæ sint: verum vtcunque Deo visum fuerit, ita vel secundis rebus attollimur, vel aduersis affligimur.

Nullius indigens Deus, ἀνενδεὴς ὁ θεός.

Nullus est mortalium tam absolutus, in quo non aliquid desideretur. Vnus Deus est sibi sufficiens, & vndequaque perfectus.

Apparitionum & reuelationum Dei peculiarium exempla:

Adæ & Euæ, *Gen.3,versic.8 9.* Cain *4.vers.6.* Noacho *6. versic.13. 14.& 7.vers.1.& 8.ver.15.& 9.ver.* Abrahæ,*12.ver.7.& 15 ver.1.* Loth,*19.v.1.* Abimelecho.*20.v.3.* Rebeccæ.*25.v 22,23.* Isaaco, *26.v.2.* Iacobo,*28.v.11.12.13.& 32.v.30.& 35.ver.9 & 46.v 3.* Moysi,*Exod.3.v.2.* Balaamo, *Num 22.20.* Iosuæ,*Ios.1. versicul.12.* Israelitis,*Iudic.1.v.1.2.* Gedeoni *6.versic.11.* Samueli, *1.Sam.3.v.10.* Dauid,*2.Sam.2.vers.1.* Nathan.*2.samuel,7 versic.4.5.* Salomoni,*1.Reg.3.vers 5.& 9. vers.1.2 3.* Eliæ,*1 Reg.19,vers 9.10,11.* Esa. *Esa.6 vers 11.* Ieremiæ, *Ierem 1.vers.2.* Ezechiel *Ezech.1. vers.3.* Danieli,*Dan 7.vers.9.10.11.vers.5.* Iudæis, *2.Macchab.11.versic 8.* Christo baptizato,*Matt.3.ver.16.* Petro,Iacobo & Ioanni,*Matth.17.ver.1.2 3.4.5.* Stephano, *Act.7, ver 55.56.* Paulo, *Act.16. ver.8.9 & 18.ver.9.10.& 23.ver.10.11.Galat.1.12.& 2 ver.2.2.Cor.12.4.* Ananiæ, *Act.9.10.* Ioan.Euangelistæ, *Apoc.2.ver.13.*

Exempla laudum Dei celebratarum a Pastoribus, *Luc.2.ver.20.* Angelis,*Esa 6.v.3.Luc 2 v.13.14.* Ciuibus ciuitatis Nam, *7.ver.16,* Dæmoniaco.*8.v 39.* Leproso,*17.v.15.* Ierosolymitanis, *19.v.38.* Discipulis,*24.v.53.Act.2.v.47.& 3.8.* Ecclesia Iudææ,*Galat.1.24* Christo,*Heb.2,12.* turba magna, *Apoc 1.10,* Senioribus, *19. ver.4.* Laudandus Deus in medio Sanctorum , *Psal.109 30.* Exemplum Dauid,*Psal.111.1.* Deus vbique laudandus,*103.v.22,* omnes Dei laudes annuntiari nequeunt,*106.v.2.* Laudum Dei legitimi præcones.*22 ver.24.& 33. v 1.& 50.ver.16.& 65,ver.2.& 101.ver.1, 2.Amos.5.ver.23.* Deus non frustra quæritur,*Esa 45.v.19.* quærendus est & quomodo.*1.Paral.16.ver 11.& 22. ver.19. & 28.ver.8, 2.Paral.11.ver.16.& 14. ver 4.& 15.ver.4.12.& 30,* Timoris Dei exempla: Abraham, *Gen.22 v.12.* Ioseph,*39.v 2 9.12.* Obstetrices,*Exod.1.ver 17.* Aegyptii *9.ver.20.* Hebræi,*14 ver.31.* Israelitæ,*1. Sam.12.v.18.* Dauid,*24.v.7,* Abdias, *1.Reg.18.v.3.* Quidam Propheta, *2,Reg.4 v.1.* Babylonii & Cuthæi, *17.34.41,* Dauid.*1. Paral.13 v.12.* Hananias,*Neem.7.v.2.* Iob, *Iob.1.v.1.8.& 2.v.3. & 31.v.23.* Dauid,*Psal 5.v.8.* Ionas, *Ion.1.v.9.* Simeon, *Luc.2.v. 25.* Fideles, *Act.8.v.2.* Ecclesiæ,*9.v.31.* Cornelius Centurio,*10, v.2.22.* Miles,*v.7.* Ananias. *22.v.12.* Dei contemptus exempla: Dauid, *2.Sam.12.v.9.* Manasses & populus, *2 Paral.33,v.10.* impij, *Psal.12. v.5.9.* pœna,*1.Sam.2.v.29.30.2. Paral.28.19.* donorum Dei abusus,& eius pœnę exempla: Agar, *Gen.16.ver.4.5.6,* Esau,*25.ver 33.34.Hebr.12.ver.6.17.*

Hieroglyphica.

Ciconia Dei est Hieroglyphicum. Quia enim huic aliti linguā non inesse obseruatum est : significat *Deum* omnia tacito perficere silentio, nec debere nos super eo loqui, quem nulla queat humani vis ingenij satis admirari. *Pier.lib.17.* Eadem est ratio , cur *Deus* per *Crocodilum* hieroglyphice sit præfiguratus, *Idem lib.29.*

Principij finisque nusquam apparentis ratione habita, Aegyptij *Deum* ex hieroglyphico *Circuli* intelligebant.*Pier.Valer lib.39.*

Dei vim significabant olim per *Ianam effictum quadrato lapide* ab exili basi in latum exurgente. Deo enim neque pedibus, neque manibus opus est, ad ea quæ iusserit efficienda : vtpote qui nutu solo totum potest mundum tremefacere, *Pier.Valer.lib.35.*

Per *Oculum* quoque *Deum* præfiguratum hieroglyphice legimus.Vt enim in minori mundo,id est,homine,oculi sunt articulorum omnium præstantissimi,pulcherrimique omnium actuum moderatores: ita *Deus Opt Max.* mundi *oculus* ac moderator: qui & ab Apostolo Iacobo, *Pater luminum* appellatur : cuius oculis omnia nuda & aperta sunt:quippe ita bonos atque malos speculetur,& adeo intima cordis prospiciat. *Pier.Valer.lib.33.*

Nec otiosum erat per *Septenarium numerum* exprimere *Dei* hieroglyphicum: quippe quod ea in eius numeri prærogatiua,vt ipse sibi similis,alter ab alijs sit, vel vti *Deus*, dux & princeps & vniuersorum solus semper singularis & immobilis. Nam alij numeri partim generant non geniti: Partim generantur, cum minime generent : alij vtrumque obeunt munus : solus *Septenarius* vtriusque conditionis immunis. *Pier Valer.lib.37.*

DIABOLVS.

DEFINITIO.

Diabolus, Græca dictio est, Διάβολος, i.e. calumniator, & Διαβολὴ ἡς, ἡ, calumnia, Διαβάλλω, criminor dicitur. Quid autem sit Diabolus, vide supra in Dæmonium. Sane cœpit ille malignus spiritus Diabolus dici, postquam homini inuidit.

Diabolus, calumniator quod nos coram Deo & coram conscientiis nostris accuset , teste Iobi historia & *Apocalyp, capit.12.* Ob eandem causam noster ἀντίδικος, aduersarius litigans coram iudicis tribunali,*1.Petr 5.8.* nominatur. Præterea diabolus vere est, quod calumniando , homines contra sese inuicem concitat , & à vero Deo eiusque religione ac veritate abducit. Ex calumnijs autem & mendacijs huius aduersarij innumera mala , quæ homicidii voce aliquoties exprimit Scriptura, nascuntur. Est vero hic campus mendaciorum, calumniarum , sycophantiarum, longe amplissimus:in quo Satan sementem ac messem vberrimam facere solet inter omnium ordinum homines, omnium hominum societates, à lapsu primi hominis ad mundi finem . Relictis autem diaboli calumnijs & accusationibus contra nos apud Deum , res omnes huius vitæ,de quibus hic nobis sermo,sunt admodum imbecilles, fragiles , inconstantes & incertæ : adhæc multum mali admixtum habentes , vt nihil ferme satis certo solideque de eis dici atque asseuerari queat. Deinde,mira est ac ferme inexplicabilis vicinitas ac similitudo boni & mali, veri ac falsi, tum in rebus,tum in verbis,vt facillime alterū pro altero accipi, aut oculatioribus etiam obtrudi possit. Denique tanta est in homine nō tantum cæcitas in diiudicatione veri & falsi , vt non immeritò noctuis comparetur: Sed etiam negligentia in scrutanda veritate,præsertim religionis, vt nihil leuius curet. Quin potius insuper etiam contraria mala sunt in homine, nempe approbatio atque adeo & peruersissimum quoddam studium falsi & mali : nec inscite dictum est mendacia atque famæ proximi obtrectationes esse suauissima conuiuiorum obsonia.

Quum igitur habeat tam paratam, promptam & prouam materiā diabolus,tum in communibus rebus ac sermonibus,tum in religione, denique tam docilem & sedulum auditorem corruptum hominem : non mirum est quod tantum calumniando proficiat, eoque tam sit studiosus huius artis aut negotiationis, vt inde nomen ipsum obtinuerit. Hinc oriuntur tam variæ fraudes in communis vitæ colloquiis ac operationibus,tot in religione strophę denique tanta cogitationum,animi motuum,tentationum varietas & inconstantia. Metaphoricè autem , etiam aliquando mali homines diaboli,vel diabolo patre nati dicuntur.Christus,*Ioan. 6.70,* discipulos suos alloquens.Nōne(inquit) vos duodecim elegi,& vnus ex vobis est diabolus? Iudam vocat diabolum,qui huius sui artificii dat clarum specimen, quando vnctionem domini sub eleemosynæ specie calumniatur , vt suo turpi lucro & peculiaui commodius consuleret . *Ioan.8. 44.* Pharisæi & Scribæ filii diaboli ab eodem Christo nominantur , ratione subiuncta quod patris sui cupiditates explere conarentur, homicidio, calumniaque multiplici sese polluentes. *Act 13.cap.vers.10.* Paulus Apostolus Elymam increpans,quod Euangelii doctrinam calumniaretur,& Sergium Cypri proconsulem seducere studeret,diaboli effigiem graphice depingit his lineis , O plene omni dolo & omni maledicentia,fili diaboli , hostis omnis iustitiæ, non cessabis peruertere vias Domini rectas?

Quicumque alii , siue ex carnis sapientia siue ex infirmitate iudicii nimium sibi tribuentes,veritati vel oblique, vel directe aduersari solent, Satanæ dicuntur. De quibus in voce Satan vel Satanas . Aliæ diaboli appellationes tum apertæ tum figuratæ designantur in locis Biblicis infra adscriptis .

Quum autem non vnus tantum sit diabolus,sed plures Angelos reprobos secum habeat,appellantur, dæmonia & dæmones *Deut. 32.17. Psalm 96.5.& 106 37. Matth.7.16.28.33. & 9. 34. Luc.11, 20.1.Corinth.10.20.1.Tim.4.1. Iac.2.19. Apocal.9.20. & 16.14.& 18.2.* Angeli item diaboli, *Matth.25.41. 2.Corinth 6.3. 2.Corinth. 12.7,2.Petr.2.4 Iud.6.Apocal.12.7.9.* quia diaboli capiti suo inseruiunt in hominibus seducendis ac perdendis . Nominantur etiā Angeli mali & impuri,*Matth.10.1.Marc.1.27.* eo quod homines ad impuras libidines instigent:dæmones, quasi δαήμονες, *Matth. 9.34.* &cæt. à singulari scientia rerum in natura etiam occultarum , Ad hęc appellantur imperia, principatus, potestates, domini mundi, rectores tenebrarum huius seculi, spirituales malitiæ, *Ephes.6.12,Coloss.2.15.* Angeli qui peccarunt,qui non seruata sua origine reliquerunt suum domicilium in tartarum detrusi, catenis caliginis traditi ad damnationem seruati , iudicio magni illius diei vinculis æternis sub caligine reseruati : *2 Pet. 2.4. Iudæ,vers.6.*

Etsi autem Deo & Dei filiis aduersentur , tamen sine Dei mandato nihil quicquam possunt . Deus etenim illos ita potentiæ suæ freno vinctos constrictosque retinet, vt ea modo exequantur, quæ ei diuinitus concessa,vel etiam mandata fuerint.*1.Reg 22.20 Iob. 1.5.& 2. 1.Matth.8.31.* Neque vero permittit Deus diabolo & Angelis eius, vt electos perdant, *Matth.24.24. Luc.22,31. Ioan. 10.28. Rom.8.35.* sed tantum vt eos variis tentationibus exerceant. *Matth.4.1.Ephes.6.12.&c. 2.Thess.2 9.*

Sed potentia dæmonum tanta est, vt si Deus illis permittat multa facere possint quæ Scriptura etiam teste , *Exod.7. & 8.cap.* illis nominibus vocantur,quibus opera Dei,præter naturæ ordinem edita appellantur, Tamen propter multiplex, quod inter illa & ista reperitur discrimen,vere dici non possunt,ea posse signa ac prodigia edere,quæ miraculorum nomine vere digna sint. Itaque miracula quæ videntur a dæmonibus edi, vel præstigia sunt, vel occulta vi naturæ (quæ ipsis multo notior est quam vllis hominibus) vel denique alio quouis modo.Deo certis de causis hæc miracula suo fine semper falsa permittente, fiunt: itaque vt verorum miraculorum tantum speciem habent,

Sententiae Biblicae.

Serpens hostis calcaneo semper insidiatur, *Gen.c.3.*

Timeo autem, ne, sicut serpens seduxit Euam astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri, & excidant à simplicitate, quæ est in Christo. *2.Cor.11.ver.3.*

Ipse enim Satanas transfigurat se in angelum lucis. *ibid.ver.14.*

Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias Diaboli: quoniam non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes, & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cælestibus. Propterea accipite armaturam Dei, vt possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare. *Eph.6.11.&c.*

Sobrij estote, & vigilate, quia aduersarius vester Diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret, cui resistite fortes in fide. *1.Pet.5.*

Resistite Diabolo, & fugiet à vobis. *Iac.4.*

Biblici Loci.

Diabolus, qui & Satan, statim ab orbe condito Apostata, mendacij & homicidij author, *Ioan.8.44.2.Pet.2.4.1.Ioan.3.8.Iud.v.6.* Vide angelorum lapsos, &c. dicitur homicida a principio, *Io.8.44.* nō ipsius Satanæ, sed conditi hominis respectu, siue à primo homine condito, antequam humanum genus propagaretur. Accusator est fidelium, *Apocal.12.v.9.10.* Caput impiorum, & mundi huius Princeps, *Ioan.12.31.& 14.30.& 16.11. Ephes.2.2.& 6.12. 2.Tim.2.26. Heb.2.14. 1.Ioan.4.4.* Deus seculi huius, *2.Cor.4.4.* colitur ab impijs, *Apoc.13.4.* confertur armato homini, *Matth.12.29.Luc.11.21.* Balenæ, *Esa.27.1.* Leoni rugienti. *1.Pet.5.8.* vt fulgur è cœlo cadit, *Luc.10.18.* vocatur Draco magnus, & serpens antiquus, *Apocal.12.3.* generis humani hostis est, *Gen.3.1.Matth.13.39.1.Pet.5.8.* Imperium mortis habere dicitur, *Hebr.2.14* quia ab ipso exortum est peccatum, quod mors est consecuta, & ipse nos quotidie ad peccandum solicitat, vt nos in æternæ mortis exitium secum trahat. Iudam ingreditur, *Luc.22.3. Ioan.13.27.* in malis efficaciter operatur. *Ephes.2.2.2.Thess.2.9.* Tentator est, *Marc.1.13.Luc.4.2. Acto.5.3.1.Corin.7.5.1.Thess.3.5.* Diabolus cum suis in terram deiectus, *Apoc.12.9* Deo subiectus, *1.Sam.16.14.& 18.10.1.Reg.22.ver.20.23. Iob.1.ver.6.7.12.& 2.ver.1.6. Matth.8.v.31.32. Marc.5.ver.12.13.Luc.8.ver.32.33.& 22.31.2.Thess.2.v.9.11.* non plus potest, quam Deus illi permittit, *3.Reg.22.22.2.Paral.18.20.Iob.1.12.& 2.6.Matth.8.31.Marc.5.12.Ephes.2.2.2.Timoth.2.26.Apocal.20.7.* tribuitur illis potestatum ac principum appellatio. *Ephes.6.12.* ab affectu Diabolorum, ex quibus intelligitur, quæ sit illorum vis ac potestas, minimè id quidem, quasi vel sit infinita illorum potentia, vel quod possunt, suapte vi possint, sed quod ita illis laxet habenas Deus, vt eorum audacia ad amplificandam suam gloriam vtatur. Diabolus superatur a Christo, *Matth.12.29. Luc.11.22, Coloss.2.15. Heb.2.14.1. Ioan.3.8.* à Deo. *Roman.16.20.* à fidelibus. *Iacob.4.7.1.Pet.5.9.1.Ioan.v.13.14.* transformatur in Angelum lucis, *2.Cor.11.14.* colaphis cædit Paul. *2.Cor.12.7.*

Diaboli, siue Satanæ Angelus, pro ipso Satana, *2.Cor.12.7.* astutia eius, *Genes.3.ver.4.5.1.Paralip.21.1.Iob.1.1.& 2.4.Matth.4.3.& 13.19.Mar.4.15.Luc.8.12. Acto.16.17. 2.Corinth.2.11.& 11.ver.3.14. Ephes.6.11.1.Petr.5.8, Apocal.12.12.* casus horrendus, *Luc.10.18.* Filii eius, *Matth.13.38.Ioan.8.ver.41.44.Acto.13.10.1.Ioan.3.v.8.10.* quos gignere dicitur, non substantiæ, sed qualitatis corruptæ & imitationis respectu, alioquin & viperæ homines gignerent, *Matth.3.7.* eius iudicium. *25.41.1.Tim.3.6.2.Pet.2.4.Iuda v.6.* nequitia, *Matth.13.19. Marci 4.15.Luc.8.12.& 22.31.Ioan.13.2.1.Thess.2.18.Apoc.12.v.13.15.* potestas ac tyrannica dominatio, *Matth.12.29.Marc.3.v.27.Luc.1.v.21.* resistendum ei est, *Ephes.4.ver.27 Iacob.4.ver.7.1.Pet.5.v.9.* Diabolus non permittitur suā de Christo proferre sententiam, *Mar.1.v.34.* eo quod non Diaboli munus sit prædicare Euangelium. Quamobrem Paulus quoque ægre fert Pythonis testimonium. *Acto.16.versic.18.* Diabolicus spiritus, pro Diabolo, pe. Hebraismum. *Luc.4.ver.33.* Diabolis seu dæmonibus immolare, nefas, *Leuit.17.17 Deut.32.17. 2.Paralip.11.15 Psalm.106.37.Baruch 4.7 1.Corint.11.20.* Diabolo seu Satanæ tradi, *1.Corinth.5.5.1.Timoth.1.20.* Diabolos esse Spiritus essentiales, sensu & intelligentia præditos, non autem affectus, aut perturbationes malas. probatur, *Iob.1.6.& 21. Matth.8.29.& 12.45.& 25.41 Ioan.8.44.2.Pet 2.4.1.Ioan.3.v.8.10.Iude v.6.9.* vnum esse Deum credunt, *Iac 2.19.* eum agnoscunt, *Matth.8.29.Marc.1.24.& 3.11.& 5.8.Luc.4.v.34.41.& 8.28.Act.19.15.*

Diabolos & impios damnatos aliquando seruatum iri colligunt nonnulli ex *Coloss.1.20.* sed perperam. Eo enim loci agitur de vniuersa Ecclesia, quæ per Christum reconciliari dicitur, quam alibi mundum, simili dicendi genere appellat Apostolus, *2.Cor.5.19.* vide & *Ephes.1.10.* vbi etiam τῶν πάντων, id est, omnium nomine intelligendum est totum Ecclesiæ corpus, quod postea in duas veluti partes diuiditur: nēpe in ea, quæ sunt in terris per illa simpliciter intelliguntur fideles ante Christi aduentū mortui: per hęc vero, quos Christus viuos deprendit, vel qui sunt eius aduentum consecuti, quorum rursus duas species facit Apostolus, quæ tamen in vnum corpus coaluerint, Iudæos nimirum & Gentes. Nihil ergo eo loci de Diabolis & damnatis aliquando saluandis.

Patrum Sententiae.

Impossibile est, humanam naturam non tentari. Vnde in oratione Dominica dicimus: Ne nos inducas in tentationem, quam ferre non possumus, non tentationem pariter refutantes, sed vires sustinendi in tentationibus deprecantes. *Hieron. super Matth.*

Diabolo hoc nomen est, postquam homini inuidit. *Ibidem, epistola 5.*

Vnusquisque vero tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus: De hinc concupiscentia cum conceperit, parit peccatum: peccatum vero cum consummatum fuerit, generat mortem: liberi arbitrij nos condidit Deus: nec ad virtutes, nec ad vitia necessitate trahimur, alioqui vbi necessitas est, nec damnatio, nec corona est. Sicut in bonis operibus perfector est Deus, (non est enim volentis neque currentis, sed miserantis & adiuuantis Dei) vt peruenire valeamus ad calcem: sic in malis atque peccatis semina nostra sunt incentiua & perfectio Diaboli. Cum viderit nos super fundamentum Christi ædificare fœnum, ligna, stipulā, tunc supponit incendium: ædificemus ergo aurum, argentum, lapides preciosos, & tentare non audebit, quanquam in hoc non sit certa, & secura possessio. Sedet quippe Leo in insidiis, vt in occultis interficiat innocentem. Et vasa figuli probat fornax, homines autem iustos tentatio tribulationis. Et in alio loco scribitur: Fili, accedens ad seruitutem Dei, præpara te ad tentationem. *Hieron. contra Iouinianum Epist.9.&.9.*

Dicimus quoque & iudicium futurum in quo iudicio vnusquisque recipiet propria corporis prout gessit, siue bona, siue mala. Quod si homines recepturi sunt pro operibus suis, quanto magis & Diabolus, qui omnibus existit causa peccati. De quo sentimus illud, quod scriptum est in Euangelio: Quia & ipse Diabolus, & omnes angeli eius cum his, qui opera eius faciunt, & criminantur fratres, cum ipso pariter æterni ignis hæreditatem patientur. Si quis autem negat, Diabolum ignibus æternis mancipandum non esse, partem hæreditatis Dei cum ipso, sed eam in igne accipiat, & sentiat verum esse, quod negauit. *Idem epist. 34.*

Non est, quod cuiquam nostram adscribamus ærumnam, nisi voluntati. Nemo nostrum tenetur ad culpam, nisi voluntate propria deflexerit. Non habent crimen, quæ inferuntur reluctantibus: voluntariis tantum commissa sequitur delictorum inuidia quam in alios deriuamus. Voluntarium sibi militem eligit Christus, voluntarium seruum sibi Diabolus auctionatur. Neminem iugo seruitutis adstrictum possidet, nisi se ei prius peccatorum ære vendiderit. *Ambros. de vita beata, & habetur 15.q.1. Non est, quod cuiquam.*

Anima nunquam à corpore vinceretur, nisi prius à Diabolo teneretur. Nam nisi quia porci more vixisset, nunquam accepisset in eo Diabolus potestatem: aut si accepisset, non vt perderet, sed vt probaret. Sine permissione Dei Diabolum nocere non posse cognoscas, sic potentiam Diaboli magis timeas, quam diuinitatis offensam. *Idem super Lucam.*

Satanæ semper voluntas iniqua est, sed nunquam potestas iniusta, quia à semetipso voluntatem habet, sed potestatē à Deo. Quod enim inique ipse facere appetit, hoc Deus non nisi iuste facere permittit. Iniuste igitur formidari non debet, qui nil, nisi permissus, valet. *Greg.lib.2.Moral.*

Quædam qualitates morum sunt certis vitiis vicinæ: Nam mores asperi aut crudelitati, aut superbiæ solent esse coniuncti: mores autem blandi, & paulo amplius, quam decet, lætiores nonnunquam coniuncti sunt luxuriæ, & dissolutioni, Intuetur ergo inimicus generis humani vniuscuiusque mores, cui vitio sint propinqui: & illa ponit ante faciem ad quæ cognoscit facilius inclinari mentem, vt blandis & lætis moribus sæpe luxuriam, nonnunquam vanam gloriam; asperis vero mentibus iram, & superbiam, & crudelitatem opponit. *Idem 14.Moral.*

Diabolus contra illos diuersis tētationibus insistit, qui possunt etiā aliis sua vtilitate prodesse: vt dum illi impediuntur, non proficiant qui docendi sunt. *Idem eod. lib.*

Pugnator meus malignus spiritus, qui viuentem quemque accendit ad vitia, morientem trahit ad tormenta. *Idem in lib. 18. Moral.*

Diabolus dicitur iumentum, draco & auis. Humanum genus tribus vitijs valde tentat: luxuria, malitia & superbia. In eis igitur, quos excitat ad luxuriam iumentum est: ad nocendi malitiam, draco est: ad superbiam, auis est. *Greg.lib.3. Moralium.*

Fili, accedens ad seruitutem, sta in timore, Hostis enim noster quanto magis nos sibi rebellare conspicit, tanto amplius expugnare contendit. Eos autem pulsare negligit, quos quieto iure possidere se sentit, Diabolus contra illos diuersis tentationibus

instillit, qui possunt etiam aliis sua vtilitate prodesse, vt dum illi impediuntur, non proficiant, qui docendi sunt. *idem lib. 14. Moralium*.

Prius complexionem vniuscuiusque aduersarius perspicit, & tunc tentationis laqueos apponit. Alius namque læta, alius tristibus, alius timidis, alius elatis moribus existit. Quo ergo aduersarius occultus facile capiat, vicinas complexionibus deceptiones parat: quia lætis voluptas vicina est, lætis moribus luxuriam proponit. Et quia tristitia in iram facile labitur, tristibus poculum discordiæ porrigit: quia timidi supplicia formidant, pauentibus terrores intentat. Et quia elatos extolli laudibus conspicit, eos ad quæcunque voluerit, blandis fauoribus trahit. Singulis igitur hominibus vitiis conuenientibus insidiatur. *Greg. lib. 29. Moral, super illud Iob. Diuiditur æstus super terram.*

Dæmones debemus interimere, non eorum substantiam perimentes, sed quia opus eorum, & studium est, vt nos peccare faciant, sine dubio eorum interitus est: si non peccamus. Si omnes nos hostes destruxerimus, tunc diem festum Domino celebramus. *Greg. hom. 8. super illud Psal. 100. In matutino interficiebam omnes peccatores terræ.*

Hostis noster tanta se arte palliat, vt culpas nostras virtutes fingat, vt inde quisque quasi expectet præmia, vnde dignus est æterna subire tormenta. Plerunque enim in vlciscendis vitiis crudelitas agitur, & iustitia putatur; atque immoderata iusti zeli ira meritum creditur. Similiter effusio, misericordia: tenacitas parsimonia: & pertinacia, constantia reputatur. *Greg. in Moral. super illud Iob. 40. Cartilago illius quasi lamina ferrea.*

Iniustum est seruire diabolo, qui nullo placatur obsequio. *Greg. in homil.*

Dæmonum est mala suggerere: nostrum est non consentire. Quoties eis resistimus, toties eos superamus, angelos glorificamus, Deum honoramus, qui visitat, vt pugnemus: adiuuat, vt vincamus: consolidat, ne deficiamus. *Bern. in serm.*

Dæmones triplici acumine præscientiæ vigent scilicet sublimitate naturæ, experientia temporum, reuelatione superiorum potestatum: Quanto propinquius finem mundi Diabolus videt, tanto crudelius persecutiones exercet, vt qui se continuo damnandum conspicit, socios sibi multiplicet, cum quibus gehennæ ignibus addicatur. *Isidor. de summo bono lib. 1.*

Diabolus quando decipere quenquam quærit, prius naturam vniuscuiusque intendit, & inde se applicat, vnde aptum hominem ad peccandum inspexerit. Diabolus serpens est lubricus, cuius si capiti, id est, primæ suggestioni non resistitur, totus in intima cordis, dum non sentitur illabitur. Tunc contra eum, quem possidet Diabolus acrius sæuit, quando se diuina virtute ab eo expellendum cognoscit. *idem lib. 3.*

Multa solicitudine præcauendum est Christianis, ne diabolicis iterum capiantur insidiis & eisdem rursum, quibus renunciauerunt, erroribus implicentur. Non enim desinit hostis antiquus transfigurans se in Angelum lucis, deceptionum laqueos vbique protendere, &, vt quoquo modo credentium mentes corrumpat, instare. Nouit cui adhibeat æstus cupiditatis, cui illecebras gulæ ingerat, cui apponat incitamenta luxuriæ, cui infundat virus inuidiæ. Nouit quem mœrore conturbet, quem fallat gaudio: quem metu opprimat, quem admiratione seducat, omnium discutit consuetudinem, ventilat curas, scrutatur affectus, & ibi causas quærit nocendi, vbi quemque viderit studiosius occupari. *Leo Papa serm. 8. Natiuitatis.*

Est autem quidem prauus ac subdolus spiritus qui est inimicus hominis, hostisque iustitiæ, hic insidiatur vniuersis, non fortuna, & eos qui Deum nesciunt, errore impedit, stultitia obruit, tenebris circumfundit, ne quis possit ad diuini nominis notitiam peruenire. In quo vno, & sapientia continetur, & vita perpetua. Eos autem, qui Deum sciunt, dolis & astu aggreditur, vt cupiditate aut libidine alliciat, aut peccatis deprauatos impellat ad mortem: vel si dolo nihil profecerit, violentia deiicere conatur: vulgi igitur & imperitorum opinionibus credunt, qui fortunam putant esse, quæ tribuat hominibus bona, & mala. *Lactant. Firmian. diuinar. instit. lib. 3.*

Scit ergo aduersarius ille noster, quanta sit vis huius cupiditatis, quam quidem necessitatem dicere maluerunt, eamque à recto bono, & ad malum & ad prauum transferunt, Illicita enim desideria immittit, vt aliena contaminet, quibus habere propria sine delicto licet, Obijcit quippe oculis irritabiles formas, suppetitque fomenta, & vitiis pabulum subministrat: tum intimis visceribus stimulos omnes conturbat & commouet, & naturalem illum incitat atque inflammat ardorem, donec irretitum hominem, implicatumque decipiat, Ac ne quis esset, qui pœnarum metu abstineret alieno, lupanaria quoque constituit, & pudorem infelicium mulierum publicauit. vt ludibrio haberet tam eos, qui faciunt, quam quas pati necesse est. His obscenitatibus animas ad sanctitatem genitas, velut in cœno gurgite demersit, pudorem extinxit pudicitiam fugauit. Idem etiam mares admiscuit, & nefandos coitus contra naturam; contraque institutum Dei machinatus est, Sic imbuit homines, & armauit ad nefas omne. *Ibid lib. 6.*

Vtile est sanctis tentationum flamma examinari, vt vel tentati, quia fortes fuerunt, appareant, vel cognita per tentationes sua infirmitate fortiores fieri discant. Et sic cum probati fuerint, accipiant coronam vitæ. *Beda super Matth.*

Quid prauius? quid malignius? quidve nostro aduersario nequius? qui posuit in cœlo bellum, in paradiso fraudem, odium inter primos fratres, & in omni nostro opere zizania seminauit. Nam in commestione posuit gulam, in generatione luxuriam, in exercitatione ignauiam, in conuersatione inuidiam, in gubernatione auaritiam, in correctione iram, in præsulatu siue dominatione superbiam. In corde posuit cogitationes malas, in ore posuit locutiones falsas, in membris operationes iniquas: in vigilando mouet ad praua opera, in dormiendo ad somnia turpia. Lætos mouet ad dissolutionem, tristes autem ad desperationem. Sed vt breuius loquar: omnia mala mundi, sua sunt prauitate commissa. *Aug. in serm. commun serm. 4.*

Diabolus est angelus per superbiam separatus à Deo, qui in veritate non stetit, doctor mendacii, quia ab ipso primum inuentum est mendacium. Ipse est aduersarius effectus generis nostri, inuentor mortis, superbiæ institutor, radix malitiæ, scelerum caput, princeps omnium vitiorum, persuasor turpium voluptatum. Hinc ergo cum illum primum hominem à Deo factum Adam parentem omnium nostrum intueretur, videretque hominem ex limo terræ ad imaginem Dei factum, pudicitia ornatum, temperantia compositum, charitate circundatum, immortalitate vestitum, æmulatus atque indignatus tantam beatitudinem hominem terrenum accepisse, quod ipse, dum esset angelus, per superbiam agnoscitur amisisse. Inuidit statim insatiabilis homicida, primum parentem nostrum tantis & talibus bonis expoliauit, & nos interemit. *August. ad Iulianum Comitem.*

Spiritualium rerum corporalium similitudines in animo nostro quemadmodum innotescant spiritibus immundis, vel quid obstaculi patiatur anima nostra ex isto terreno corpore, vt eas in se nos nostro spiritu videre nequeamus, explicare difficile est. Certissimis tamen indiciis constat, enunciatas à dæmonibus cogitationes hominum, qui tamen si virtutum interiorum speciem in hominibus cernere possent, multos non tentarent. Sicut in Iob mirabilem patientiam si posset Diabolus cernere, nollet à tentatione vtique superari. *August. super Genes. lib. 19.*

Christus se tantum dæmonibus innotuit, quantum oportuit. Innotuit igitur dæmonibus non per id quod est vita æterna, & lumen incommutabile, quod illuminat pios: sed per quædam temporalia siue virtutis officia, & per occultissima signa suæ potentiæ, quæ angelicis sensibus, & malorum spirituum potius, quam infirmitati hominum possent esse conspicua. Deinde quando ea paulum subducendo indicauit, & aliquando altius latuit, dubitauit de illo princeps dæmonum eumque tentauit an Christus esset. *August. de ciuit. Dei lib. 9.*

Internas animi cogitationes Diabolum non videre certi sumus: sed motu eas corporis ab illo & affectionum indiciis colligi, experimento didicimus. Secreta autem cordis solus ille nouit, ad quem dicitur: Tu solus nosti corda filiorum hominum. *Idem de diffinit. Ecclesiast. dogmatum.*

Diabolus non inualesceret contra nos, nisi ei vires ex vitiis nostris præberemus: & locum ei introeundi & dominandi nobis peccando faceremus; vnde, Nolite locum dare Diabolo. *August. super hom. 3.*

Sciendum est, hanc esse naturam dæmonum, vt aerei corporis sensu terrenorum corporum sensum facile præcedant, celeritate etiam propter aerei corporis superiorem mobilitatem, non solum cursus quarumlibet rerum, vt hominum vel ferarum, verum etiam volatus auium incomparabiliter vincant. Quibus duabus rebus quantum ad aereum corpus attinet præditi, hoc est, acumine sensus & celeritate motus multo ante cognita nunciant, quæ homines pro sensus terreni tarditate mirentur. *Aug. lib. de Natura dæmonum.*

Nullus homo tanta iustitia est præditus, cui non sit necessaria tentatio tribulationis, ad perficiendam vel probandam virtutem. *August. contra Faustum.*

Quondam loco dixi, dæmones aliquando hominum dispositiones non solum voce prolatas verum etiam cogitatione conceptas, cum signa quædam ex animo exprimuntur in corpore, tota facilitate perdiscere. Rem dixi occultissimam, audaciori assertione, quam debui, Nam peruenire ista ad notitiam dæmonum per nonnulla etiam experimenta compertum est. Sed vtrum quædam signa dentur ex corpore cogitantium illis sensibilia, nos autem latentia; an aliis vt spiritualibus ista cognoscant; aut difficillime potest ab hominibus, aut omnino non potest inueniri. *Aug. lib. 2 Retract. & hab. 26 q. 4. Quodam loco.*

Non omnes malæ cogitationes nostræ semper Diaboli incitantur, sed aliquoties ex nostri arbitrij motu emergunt. Bonæ autem cogitationes semper à Deo sunt. *Augustinus de doctrina Christiana cap. 49.*

Saluber-

Saluberrime confitemur quod rectissime credimus, Deum Dominumq. rerum omnium, qui creauit omnia bona valde, & mala ex bonis exortura esse præsciuit, & sciuit magis ad suam omnipotentissimam bonitatem pertinere, etiam de malis benefacere, quam mala esse non sinere: sic ordinasse Angelorum & hominum vitam, vt in ea prius ostenderet quid posset eorum liberum arbitrium: deinde quid posset suæ gratiæ beneficium, iustitiæq. iudicium. *Aug. de corrept. & grat. c. 10*

POETICÆ SENTENTIÆ.

Ex Anthol. Sac. Iacobi Billij.

De Satanæ aduersus hominem crudelitate.

Sæuitiem horrendam Satanæ cui nosse libebit,
Quoque suos tractet perfidus ille modo,
Is sibi proponat dira feritate Tyrannum,
Atque hominis præter qui nihil ora gerat.
Namq. cadaueribus velut hic, quos Morte subegit,
Alligat, vt miseris sit mora longa necis.
Sic atri quoque rex Erebi, quos arripit, ad res
Fluxas & fragiles forte, ligare solet.

Quæ Diabolo aduersum nos odij causa sit.

Dic mihi, cur tantis odijs nos perfidus hostis
Exagitat, bellis tam grauibusq. petit?
Causam odij, tantiq. cupis cognoscere belli?
Hoc odio summi numinis ipse facit.
Exitium in nostri generis ruit impetu cæco,
Quod nequeat supero bella mouere patri:
Vt si quis regem nequeat cum lædere, regis
Arreptam statuam dente manuq. petat.

Diabolum statim vt virtus aliqua in nobis oritur, eam extinguere conari.

Semina cum quædam Christus tibi mittit ab alto,
Hæc tibi ne rapiat miluus ab ore, caue.
Peruigil excubias agito. nam peruigil hostis
Excubat, vt rapiat munera missa tibi.
Vt genuisse marem te perspicis, illico currit,
Vt necet, hunc, Phario gens truculenta ducis.
Natus vt est in te Christus, rex impius ipsum
Protinus horrenda tollere morte cupit.

Cauendum esse ne aditum ad nos Satanæ præbeamus.

Eua parens, quonam tua mens abscesserat, angui
Aures cum infero cum praebere tua?
Quis furor, vt vetita legeres ex arbore pomum,
Quod generi inuexit tam mala multa tuo?
Vos Euæ soboles, vos Euæ audite nepotes,
Quæ fuit & vobis & mihi causa necis.
Angui aditus omnes præcludite: namq. parenti
Obstat hunc facilem quod dedit ipsa fidem.

Diabolum callide nobis fluxa bona offerre, vt nos in seruitutem conijciat.

Obtulit Isacidis Pharius bona multa tyrannus:
Seruili & tandem colla dedere iugo.
Obtulit his etiam Chaldæs commoda regni
Rabsaces, clausos obsidione tenens.
At sub tam missis id agebat callidus, omnes
Regis vt Assyrij subderet imperio.
Sic quoque seruitio quo nos premat, & bona cœli
Eripiat fragiles obijcit hostis opes.

Diaboli potestatem a Christo fractam esse.

Cum canis est mordax, hunc tu compesce catena:
Irritus illius tum furor omnis erit.
Tum frustra sese huc vertet se vertet & illuc;
Dum tibi semper ab hoc cura sit esse procul.
Sic Satanam Christus tam dura compede vinxit,
Iam nullum vt sanis lædere dente queat,
Id modo dum quisquam caueat, ne stultus ad illum
Tendat & æterna sit sibi causa necis.

Quam misere nos hostis noster decipiat, dum per res fluxas a sempiternis auertit.

Magnis te spoliat Satanas per parua, luctumq.
Porrigit vt gemmas detrahat ipse tibi.
Quid gemmas dico? cælum tibi surripit ipsum,
Dum tua porrecta pectora pascit humo
Vmbram offert, spectrumq. boni proponit inanis
Ante oculos, veras vt tibi demat opes.
Ac veluti in somnis rerum phantasmata monstrat,
Redditus vt luci nudus inopsq. gemas.

SIMILITVDINES.

Quemadmodum sic in nauigiis, qui vacuam habent nauem, non metuunt piratarum insultum: non enim veniunt vt caperent nauem, nihil vehementer: cæterum si qui nauem habent onustam metuunt piratas. Nam pirata illuc properat, vbi aurum, vbi argentum, vbi lapides pretiosi: Sic & diabolus non facile persequitur peccatorem, sed iustum potius, vbi multæ sunt opes. *Hom. 4. in E, ai. Chrys.*

Si nautæ vnam stellam aspicientes, non dicam ad vnamquamq. prouinciam, vel insulam, sed vnamquamque ciuitatem, & singula loca quæ petunt, sine aliquo errore, aut deuagatione dirigunt cursum: quanto magis diabolus, qui princeps aeris constitutus, totam terram non solum sciebat, sed etiam videbat, poterat Christo singula loca digito demonstrare, & vniuscuiusque regni honores & statum verbis exponere? *In c. 4. Mat. ho. 5.*

Sicut pisces fortiores semper deuorant infirmiores: ita diabolus est delectatione compellit homines in mala opera, vt alter alterum se comedant. *In c. 4 Matth. hom. 21.*

Sicut homo sine armis non potest aliquid facere contra hostem: ita diabolus sine homine non valet aliquid contra hostes. *In c. 8. Matt. hom. 21.*

Sicut homo malignus, si viderit aliquem orphanum habere substantiam paternam, ducit eum frequenter ad prandium, donat illi interdum aliquod speciosum vestimentum, loquitur illi dulces sermones, donec tollat facultates eius. Sic & diabolus videns hominem habentem in se thesaurum cælestem, id est, animam immortalem a Deo creatam sapientiam cælestem in arca terrena positam, ostendit illi aurum & argentum, concupiscibilia ornamenta, ostendit illi vestes pretiosas & deliciosos cibos, gloriosos honores, vt per hoc subiugans eum voluptatibus suis auferat salutem animæ eius, & corrumpat gratiam cordis ipsius. *In c. 11. Matt. hom. 27.*

Sicut qui iugum suscipiunt Christi, Christus eos delectat in spiritu, ne fatigentur in bonis operibus: sic & qui iugum suscipiunt diaboli, diabolus eos delectat, & decipit ne discedant a malo impij vsque ad mortem suam. *In c. 11. Matt. hom. 28.*

Sicut assidua est in mari tempestas; sic in isto mundo, persequutio Sathanæ. *In Matth. 21 hom. 39.*

Vt ex vestimento nascitur tinea, quæ comedit vestimentum: & ex oleribus vermis nascitur, qui olera vniuersa corrumpit: sic & in spiritualibus est: ex ipso proposito eorum spirituali accipit occasionem inimicus, vnde eis retia texit. *In 23. Matth. Hom. 43.*

Quemadmodum si quis a rege suo contra hostem transmissus colludit cum eo, & factione habita fugam petit, prodit causam regis sui & confundit virtutem ipsius: ita qui suo arbitrio & negligentia diabolo locum dat, confundit eum, qui propter gloriam suam contra diabolum, eum quasi in expeditione creando transmisit, & victus ostendit diabolum potentem esse, qui nihil possit. *In Matth. c. 25.*

Si violentus quispiam tyrannus, qui omnes qui in manus suas venerint, plurimis malis afficiat: hic si vel regem, vel regium filium captum, iniuste interimat, illius mors etiam alios vlcisci poterit; Sic aliquis qui debitorem postulet, verberet, in carcere coniciat, & hac insania etiam nihil debentem exerceat: hic etiam eorum, quæ in debitores commisit, dabit pœnam, interficietur ab illo. Non aliter in Iesu venit. Eorum enim quæ in nos fecit Diabolus propter ea quæ in Christum ausus est, postulatus est ad supplicium. *Hom. 66. in Io*

Vt miles in militia ædificia non construit, sed vilia tuguriola, neque agrum excolit, sed valla tantum & fossas ad munitionem suscitat: & neque mercaturam exercet, sed scit hæc in patria, non in castris facienda esse: ita & nos facere oportet, qui huc militare venimus aduersus diabolum, supernam patriam, & ibi omnem affluentiam expectantes. *Hom. 66.*

Quemadmodum canis assistens mensæ, si videt hominem vescentem subinde aliquid eorum quæ in mensa sunt ipsi projicientem, manet assidue: Quod si semel atque iterum sic astiterit, vt discesserit nihil adeptus, protinus abstinet, velut qui iam frustra & incassum assistat: Itidem & diabolus iugiter nobis inhiat, si quod blasphemum verbum ipsi ceu cani projiciamus: hoc accepto rursus aggreditur. Quod si perseueraueris gratias agere, singula verbis illum fame celeriterque abegeris, & aufugere coegeris. *Ser. 3. de Lazaro.*

Deus Diabolum habitare voluit, tanquam prædonem quempiam ac tyrannum: qui nisi quem apprehenderit inermem & solitarium in suas speluncas descendentem, accedere sane non sustinet: nisi nos per desertum locum iter facientes viderit, appropinquare non audet. Desertus autem locus Diaboli, nihil aliud est, nisi peccatum. Opus est ergo nobis fidei scuto, salutis galea, spiritus gladio: non vt ne malum aliquod patiamur tantum, sed vt illius caput irruere volentis obtruncemus. Serpentis formam gerit, deorsum trahitur, ab inferiori loco depugnat: id est, a rebus quæ infra nos sunt, a voluptate, diuitiis, a secularibus rebus. Si quem viderit volatu ad cælum ferri, primo saltu eo vsque contingere haudquaquam potest: deinde id aggressus celeriter elabetur: neque enim pedes habet ne formides: non alas, ne terreare: super terram trahitur iis quæ infra sunt, adhærescens. Igitur nihil sit tibi cum terra commune, ac labore nullo egebis. Neque

enim

enim eam pugnam nouit, quæ aduerso vtrinque cornu geritur, sed veluti serpens a spinis occultatur, intra diuitiarum impostu-ram assidue latitans; qui si spinas incideris, facile aufugit, timidus redditus: si & in illum diuinas incantationes canere noueris statim vulnerabitur: sunt enim nobis incantationes spirituales, ipsum nomen Domini nostri Iesu Christi, atque ipsius crucis potentia. Hæc ipsa incantatio non solum draconem a spolijs attingit, atque in ignem conijcit, sed & vulneribus quoque medetur. *Hom. 8. ad Rom.*

Vt pugiles atque luctatores, quibus nequaquam curæ sit incessus & habitus: verum his omissis, vestem oleo madidam induant, atq. ad vnam tantam rem intenti sint quo pacto & aduersarios feriāt & ipsi illorum ictus eludant: Stat ecce diabolus dentibus stridēs ac modis omnibus te prosternere cupiens, tu circa huiusmodi diabolicum prorsus ornatum versaris. *Hom. 8. ad Hebr.*

Sicut hamo escæ præda posita pisces illudescimus & decipimus, qui videntes escam, hamum non considerant, & dum prædam volunt rapere, hamo capiuntur. sic & diabolo contigit, dum tantū hominis corpus in filio Dei considerat, & Deum in corpore nō agnoscit, quasi ad præparatam sibi prędam solita rapina festinat. Sed dum vult draco auidus prædam rapere, ipse draco, vt piscis adductus in hamo, præda Domini captus efficitur. *Hom. 44. epist. ad Hebr.*

Quemadmodum sub adulteris corpus corrumpitur: Sic anima sub Satanæ cogitationibus inquinatur exemplis peruersis a cogitationibus corruptis. *De pœn. ser. 4.*

Enimuero & diabolus tunc infestat vehementius: & sicut piratæ nauigantes in mari, non tunc insidiantur, cum è portu vident egredientes, nam quid prodesset inuadere nauem vacuam? Sed tunc omnes artes mouent, cum onustæ redeunt: ita & malignus ille dæmon, cum nos viderit multa conuexisse, nempe ieiunium, preces, eleemosynas, continentiam, aliasq. virtutes omnes, esseque nauim nostram gemmis pietatis plenam: tunc vndequaque sese obijcit, vt thesaurum rapiat & in ipso portus ingressu vincat & spoliet. *Ser. 9. de Gen.*

Quemadmodum ciuitas quæ muris cincta non est, facile venit in potestatē hostium, propterea quod prorsus absit id quo fuerat hostium incursus arcendus: sic & animam non munitam precibus, diabolus facile in suam redigit ditionem, nec multo negotio omni genere scelerum implet. *l. 2. de orat.*

Quemadmodum qui cum rege colloquuti sunt, ab hoc sermones placidos, honoremq. sunt consequuti non dignantur in contubernium venire mendicorum & abiectorum hominum: ita qui cum Deo fabulatus est, eiq. sua vota protulit, nequaquam dignabitur mali & impij spiritus familiaritatem admittere. Nam vere profecto quisquis voluptatibus seruit, cum dæmonibus habet familiaritatem, atq. eorum insaniam imitatus est: sicut è diuerso, qui temperans est, ac iustitiam exercet, cum angelis habet commercium, & illorum æmulatur dignitatem. *lib. 2. de Orat.*

Peccatum initio sumpto, nisi statim prohibeatur, tanto procurrit impetu, vt contineri nequeat: non secus quam ferocientes equi, qui freno ex ore eiecto, & ascensore excusso molesti primum sunt occurrentibus. dein nullo obstante, ab excelsa petra se præcipitant. Et idcirco animas, salutis nostræ inimicus, ita in hanc potissimum insaniam agit, vt medicos repellāt: quo destitutas a medicis, grauioribus & pluribus malis diuexet. Ita enim corpore ægrotantes, quamdiu ad se permittunt accedere medicos, aliquā adhoc spem sanitatis habent, Vbi autem phrenetici facti, illos extrudunt, & dentibus mordent, nolentes è morbis liberari: tunc tandem incurabiliter laborant, non quod ea sit natura morbi, sed quod ab his destituti sunt, qui a morbo liberari possunt. *Contra gentes & in Babylam martem.*

Procopij, vt Deus inuisibilis sui monumentum reliquit homini visibilem arborem: ita serpentem, qui fuit organum inconspicui diaboli, prosternit maledictione, vt quamuis homo diabolum non videat, neque sciat quid passus sit, tum cum nouerit serpentem antea erectum incessisse, & nunc longum corpus per terram trahere, ex illa visibili pœna, intelligat pœnas dedisse diabolum, qui per serpentem, ceu organum, homini illuserit. Simile quiddam accidit in Euangelio porcis in mare præcipitatis, quos subierunt dæmones, rogantes vt sibi potius in hos irruendi copia daretur, quam vt demergerentur in abyssum, Permisit Christus, vt inuisibiles dæmones in visibilibus corporibus demergeret, vt & nos possemus intelligere pœnas de ipsis visibili modo esse sumptas. *In Gen. c. 3.*

Quemadmodum Christus viuere in Paulo, & in aliis suis membris: ita mori in eis diabolus dicitur. *In Iudic.*

Theophilacti. Satan nemini potest, nisi Dei permissu obesse: sicut, & carnifices ipsi, etsi nequissimi sint, morte tamen damnatos conficiunt, & multis vt recte viuant, causam præbent. *In 1. Thim. 1.*

Iustini mart. Quemadmodum esse dæmonas, ab ipsis dæmonibus didicebant homines: ita eorum nomina ab ipsis docti fuerunt. Primum enim sacrificarunt homines dæmonibus: deinde dixerunt diuinæ literæ: Sacrificarunt dæmoniis, non Deo. Et quemadmodum an sint dæmones, nihil videntur dixisse literæ, & tamēn dicunt: sacrificarunt dæmoniis non Deo: ita de eorum nominibus, cum nihil dixerint, dicunt nomina dæmonum Beelzebul & Belial. Quænam, inquit, concordia Christo cum Belial. Quibus enim vtebantur incantatores nominibus ad opera sibi proposita, ea necessario discebant ab eis. Nam qualis erat curationis modus, tali eos nomine nuncupabant. Dicta est autem ab Origene horum omnium interpretatio, in Hebraicorum nominum interpretatione. *In resp. ad Orthod. resp. ad q. 28.*

Clementis, sicut ignis quanto magis ligna acceperit, tanto amplius accenditur, & inualescit: ita & cupiditatis rabies per ea quæ adipiscitur, auctior & vehementior efficitur. *l. 3. recogn.*

Sicut is qui acceperit sub se milites, etiamsi ipse inferior & illi superiores sint viribus. tamen dicit huic, Vade, & vadit: & alij, Veni & venit. & alij, Fac hoc, & facit. Hoc autē potest non propria virtute, sed Cæsaris metu: ita & fidelis quisque dæmonibus imperat, etiamsi videantur illi multo esse hominibus fortiores: non propter suam virtutem, sed propter Dei, qui eos subiecit potestatē. Nam & quod diximus, vt Cæsar apud omnes milites: & in omnibus castris, atque in omni regno timeatur, cum sit vnus, fortassis exiguus viribus, non nisi potestate Dei agitur, qui timorē dat omnibus, vt vni obtemperent. *l. 2. recognitionum.*

D. *Basilij.* Vidi ego iam, partim audiui, res certa est. Inter animalia hominibus inimicissima, pardalim quandoque in stadiis hominis oculos præ ira inuadentem: qui autem feræ deludere furorem quærunt, hominis imaginē ei ex charta ostendunt, illa statim furibunda eam concerpit atque dilacerat, hoc argumento satis ostendens, quanta sit eius aduersus hominem inimicitia: sic item diabolus in imagine hominem apparentem insectatur, quando Deum ipsum attingere nequit: sic & contra nos bellum ipsius satis ostendit. *In aliquot Scripturæ locos.*

Theodoreti, sicut qui tyrannidem cupiunt, regnum inuadunt, ac regiam sibi quidem speciem apparatumq. circumponunt, purpuram, coronam, sellam, currum, mores tamen qui regibus conueniunt, imitari nolunt, ideo sæpe expelluntur. Ita diabolus in oraculis edendis per statuas passiua est post Christi aduentum. *De Græcor. curat. ser. 10.*

Deus vtitur cacodæmone in nostris tentationibus, sicut medicus in theriacis, serpentibus & viperis: id enim agit, vt prosit infirmo. *Serm. 3.*

Synesij Cyrenai, sicut carbonibus accidit, vt facile ab admotis facibus inflammentur, quod iam ante ad ignem concipiendum sint idonei: ita dæmonis natura cum affectibus scateat vel potius viua quædam sit & motus compos affectio, vbi ad animum accessit propius, eam quæ in hoc est affectionem commouet, & producit facultatem in opus: impressione enim facit: quicquid facit. Quicquid autem actionem aliquam excipit, id ei assimilatur, a quo afficitur. Sic libidinem, sic iracundiam, & quæcunque his gemina mala, dæmones consuetudine sua in animis per eas partes quæ ipsi congruentes sunt, accendunt: quæ partes & naturaliter præsentiam ipsorum sentiunt, & ab ipsis cum agitantur, tum cōfirmatur, vt contra mentem insurgant, donec vel totum animum subegerint, vel ab expugnatione desperent. Hoc certamē omnium maximum est: neque enim vllo tempore, vel modo, vel loco cessant impetere: & vnde minime aliquis putet, ab ea parte adoriuntur. Vndique laquei, vndique insidiæ, nullam intestini a se belli contentionem omittunt, donec vel expugnent, vel neficiant. *De prouiden. l. 1 f. 66.*

D. *Hier.* Quomodo in legionibus & exercitu sunt duces, sunt tribuni, sunt centuriones, sunt ferentarij ac leuis armaturæ, & miles gregarius, & manipuli, commissaq. pugna varant nomina dignitatum, & sola fortitudo quæritur: ita & in hoc campo, & prælio quo contra dæmones dimicamus, non quæruntur nomina, sed opera, & gloriosior ille sub vero imperatore Christo, non qui nobilior, sed qui fortior est. *Contra Iouin.*

D. *Augustini*, sicut Amalech restitit filiis Israel, ne intrarent in terram promissionis: Sic nobis diabolus, sed vincitur, quando manus in crucis modum extendit Moses, idest. Christus in cruce. *De Trin. l. 4 c. 15.*

D. *Cypriani* Diabolus dictus serpens, quia cum latenter obrepit cum per pacis imaginem fallens, occultis accessibus serpit. (vnde nomen serpentis accepit) ea est eius astutia, ea est circumueniendi hominis cæca & latebrosa fallacia. vt afferre videatur noctem pro die, venenum pro salute, desperationem sub obtentu spei, perfidiam sub prætextu fidei, Antichristum sub vocabulo Christi: vt dum verisimilia mentiuntur, veritatem subtilitate frustentur. Nam transfigurat se in Angelum lucis. *Tract. 3. de prælato simpl.*

Sulpitij. Martinus Cordatensem diœcesim visitaturus, pacem clericis illius Ecclesiæ discordantibus cupiens reformare, profectus cum suo comitatu discipulorum frequentissimo, vt semper mergulos in flumine arupiscatur, piscium prædam sequi, & rapacē ingluuiem assidens vrgentem capturis: forma, inquit, hæc dæmonum est. Insidiantur incautis, capiunt nescientes, captos deuorant.

norant, capturari non queunt deubratis. *In vita Martin.*

Saluian. acute exercitus pugnaturi ea loca, per quæ venturas hostiũ turmas sciunt, aut foueis intercludere: aut sudibus præfigere, aut tribulis infestare dicuntur, & vt etiamsi non in omnia ea quispia inciderat, nullus tamen penitus euadat: ita etiam dæmones tam multas in vita ista humano generi illecebrarum insidias prætendunt, vt etsi plurimas earum aliquis effugiat, tamen ab aliqua capiatur. *De vero iudicio & prouidentia Dei lib. 6.*

B. Anselmus. Sciendum est, quod sic placitat diabolus contra hominẽ, quomodo improbus placitator cõtra alium aliquem. Improbus enim placitator licet non habeat rectum, tamen propter improbitatem suam veniens ad placitum, hoc quod est iniustum, iustu & quod est iustum ostendere vult iniustum. Sed cum enim aliquis iurisperitus audit, & quod non rectam causam habet agnoscit, iudicat esse iniustum, quod ille dicebat iustum, & esse iustũ, quod ille asserebat iniustum: sicque ille conuictus a placito discedit, dolens quod aliquid facere non potuerit. Sed aliquanto tempore transacto, postquam hoc iudicium putat obliuioni esse traditum, rursus suam incipit causam, dicens sibi fieri iniuria. Quod si aliquis sibi dixerit, hoc iam definitum, dicit non recte esse iudicatum. Sed ille qui semel iam vicit, non attendat ad ea quæ dicit, sed tantum dicat, quod semel est bene definitum, non est iterum incipiendum. Sic enim sine labore semper ab inimico suo se liberare poterit. Similiter autem diabolus placitat contra hominem. Locus autem placiti huius est cor hominis alicuius. Ad hunc itaque locum diabolus venit ad placitum. Et licet sciat quod rectũ non habeat, tamen ibi asserit verum esse quod falsum est & contra: ibi namque dicit cogitationem veram esse, quam immittit, s. quod homo debeat mundum diligere, diuitias & honores appetere, desideria adimplere, hæc & his similia facere: quod quidem falsum est. Ex alia vero parte dicit verum esse falsum, quod homo debeat mundum relinquere, diuitias & honores contemnere, desideria carnis abscindere, eleemosynis peccata sua redimere, monachatum demũ accipere, hæc & alia plura facere. Quod totum verum probatur esse. Sed cum aliquis qui inter rectos, nõ rectosque cogitatus scit discernere, audit diabolum in corde suo hæc dicere, iudicat iniustum esse cogitatum, quem ille iustum esse dicebat; & esse iustum quem iniustum vocabat: & hoc iudicio facto, abiicit iniustum, & sequitur iustum contemnensque seculum, accipit monachatum: sicq. diabolus conuictus a cordis placito recedit, contristaturq. quod vincere non potuit, sed postquam sperat diabolus, quod homo oblitus fuerit, quod antea sic iudicauerat, putans eum in aliqua parte posse inuenire immunitum, ad eundem locum cordis reuertitur, renouatoq. placito, quasi non recte diffinito conqueritur. Quod si ille pro certo cognouerit, quod rectum iudicauit in eo, quod sæculum relinquendum esse censuit, diabolus statim non esse rectum respondet, vt eum tam cito vel ita omnino desereret, adhuc posse sibi ipsi remanendo in sæculo indulgere, pauperibus vel suis ad eum respicientibus subuenire. Sed ille qui semel mundum, ipsumq. diabolum recte superauit, non curat ea quæ fraudulenter ille dicit, sed firmum tenet, quodquod semel recte est stabilitum, non esse denuo destruendum: & quod recte diffinitur relinquendum, non esse iterum appetendum. Sic enim facile Deo subueniente diabolum poterit superare. *In Simil. c. 80.*

Vide Satan.

DIALECTICA.

DEFINITIO ET ETYMOL.

Dialectica, Græca dictio est, & dicitur ἀπὸ τοῦ διαλέγειν hoc est a differendo. Nam διαλέγομαι disputo & differo dicitur. Est autem dialectica ars discernendi verum a falso. *Sec. Hug. l. 1. Didasc.*

Dialectica est veri & falsi quasi disceptatrix & iudex. Cic. 4. *Academic.* Iudicandi vias diligenter persecuti sunt ea scientia quam Dialecticen appellant. *In Topicis.*

Dialectica est ars seu via, recte, ordine & perspicue docendi; quod fit recte definiendo, diuidendo, argumenta vera connectendo: male cohærentia seu falsa retexendo & refutando.

Dialectica, quæ Latine ars disserendi nominatur, artium fere maxima, docet vnde argui possint argumenta, explicando definit, obscura explanat interpretando, ambiguum primum videt, deinde distinguit, postremo regulam adhibet, quæ vera & falsa iudicentur, & quæ quibus propositis sint, quæq. non sint consequentia, quasi lucem afferens ad ea, quæ confuse aguntur, aut respondentur. Quam primus fertur excogitasse Zeno Talentagorij filius, Pythagoræ, & Democriti tempore octuagesima octaua Olympiade, discipulus Zenophanis, & Parmenidis, qui tradidit, quæ de Philosophia postea scripsit Empedocles, aliquanto antè post, ipsam locupletauit Dialecticam.

Inueniendi altera pars est, quam Topicen, idest, localem dixerunt. Illa certos quosdam locos ostendit, è quibus velut thesauris quibusdam in rem quamuis confirmandam, refellendamue argumẽta ducantur. Porro inuentionem continent loci quidam: vt enim piscator, venator, auceps certos quosdam definitos locos habere solent, in quib. si non semper, tamen plerunque id, quod quærunt, inueniunt: ita & dialecticus certos quosdam habeat locus oportet, è quibus ceu latebris quibusdam, argumenta in rem omnem ducat.

Iudicandi, Analyticen. i. resolutoriam, nominauerunt: quæ formulas & præcepta quædam argumentandi tradit, quibus ceu perpendiculis, atque normis quibusdam exploras, idoneane sint argumenta, quæ inueneris instituto tuo, an non idonea: prosint, an officiant magis: apta sint, an inepta. Neque enim vt quærenti quidquam primum occurrit, ita & commodissimum erit causæ ei, de qua erit dicendum: non magis quam vt lapis quiuis temere oblatus, ad vnam quamuis ædificii partem fulciendam est aptus: aut vniuersis morborum generibus, vna aliqua salubris est medicina. Ergo quemadmodum fabri nihil, nisi examinatum, exploratumque prius, operi suo solent inserere: ita ne nos quidem temere vnumquodque operi nostro, hoc est, orationi, qua fidem facere volumus, infulcire debemus: sed velut delectu quodam inspicienda omnia, optima eligenda. Nam velut nihil parum profutura sint quantumlibet bona arma, qui, quemadmodum vtendum ijs sit armis, ignoret: ita ne loci quidem vtilitatem aliquam afferent nobis, nisi qua via, quoque modo ex iis copia dicendi paranda sit, sciamus.

Principio omnem differendi rationem Græci, vt bonarum disciplinarum aliarum omnium, ita & huius inuentores, sua lingua διαλεκτικὴν appellauere; quod nomen nonnulli Latine tentantes dicere, disserturam vel disputatricem dixerunt; quem errorem F. Quintilianus lib. 2. facile coarguit, etiamsi non me clam est, ab ipso Fabio nonnunquam obiter atque aliud interim agente, disputatricem eam vocatam esse, &c. *Vnde dicta Dialectica.*

Dicta autem est a διαλέγομαι quod disserere nostri verterunt, idest, distincte aliqua de re dicere. Significat autem colloqui & conferre cum aliquo aliqua de re. Ideoque Plato scientiam hæc scripsit esse δοῦναι καὶ δέξασθαι λόγον. Idest, reddere & demonstrare rationes.

PHILOSOPHORVM SENTENTIÆ.

Definire, Diuidere, Ratiocinari, sunt officia Dialectices.

Differt a Rhetorica: quod hæc splendidam magis & ad captum popularem orationem instruit: Dialectica res nudas proponit: Rhetorica vero addit elocutionem, quasi vestitum. Veteres aliter discernebant forenses & suasorias materias: Dialecticæ vero omnes quæstiones alias, de quibus certa quadam methodo & ratione docendi sunt homines: iuxtaq. hoc discrimen, proprius Dialecticæ finis est, docere: Rhetoricæ autem, permouere, atque impellere animos, & ad effectum aliquem traducere: vt cum de natura virtutis disputamus, Dialectica cõsulenda erit, quæ quid sit virtus, & quas habeat causas, partes, effectus ostendat. Cum autem ad virtutem colendam homines adhortamur, loci Rhetorici sequendi erunt, &c. Itaque quæ Orator magnifico orationis splendore molitur, ea Dialecticus breuiter & argute, velut punctis quibusdam colligit: alioqui materia eadem & Dialecticæ & Rhetoricæ, nimirum omnis res, quæ in disputatione adducitur, quam causam Aristoteles affert in Rhetoricis suis ad Theodecten, cur Dialecticam Rhetorices ἀντίστροφον dixerit. Zeno quidem ille, a quo disciplina Stoicorum promanauit, manu demonstrare solebat, quid inter has artes interesset. Nam cum cõpresserat digitos, pugnumq. fecerat, Dialecticam huiusmodi esse aiebat: cum autem diduxerat manum, & dilatauerat, palmæ illius similem eloquentiam esse dicebat.

Struitur omnis ratio, aut sic, vt continens sit: aut, vt sit concisa. Continens est, quales sunt oratorum actiones, laudationes, hortationes. Concisa, vt disputationes & altercantia Scholasticorum certamina. Rhetoricæ ergo ratio in dicendo latior: illa in loquẽdo contractior. Ob id Cicero Dialecticam alicubi eleganter cõtractam vocare eloquentiam.

Vsus hic in primis adhibendus: omnium enim magistrorum præcepta superat studiosus ita quisque conabitur præceptis adiungere. Nam & naturæ & doctrinæ parum admodum fuerit momenti, si exercitium subtraxeris. Plinius iunior lib. 1. ad Tacit. & 6. mire vsum commendat. Cicero pro Cornelio Balbo: Assiduus, inquit vsus, vni rei deditus, & ingenium & artem sæpe vincit. Est enim ratio loquendi, & regula sermonis. Cæsar etiam in cõmentarijs, quod diffusius Columella explicuit, quid nimirum inter vsum & artem interesit: scriptorum est, dicit, magis instruere monumenta, quam facere artificem. Vsum & experientiam dominari in artibus, neque esse vllam disciplinam, in quam non peccando discatur.

Nam vbi quid perperam administratum cessit improspere, vtatur

quod

quod fefellerat, illuminatque rectam viam, docentis magisterium.

Exercitatio est assiduus vsus consuetudoq. rei alicuius tractandæ. *Cic. l.1 de Oratore.*

Exercitatio quædam suscipienda. Est autem magni laboris quem plerique fugimus, caput, quam plurimum scribere: Stylus optimus & præstantissimus dicendi effector ac magister. &c. Neque iniuria: nam si subitam & fortuitam orationem commentatio & cogitatio facile vincit, hanc ipsam profecto assidua ac diligens scriptura superabit.

Dialectica est via atque ratio, qua & de omni quæstione proposita probabili argumentatione possumus disserere: & nihil repugnans, si quid in disputationibus defendamus, afferimus. *l.1.Top.c.1.*

Cum Dialectica ratio quædam sit indagatrix, ad omnia omnium rerum, quæ via & ratione progrediuntur principia viam aperit: Sed hæc tum demum perfecta in nobis erit ratio, cum id accidet nobis, quod iis, qui arte rethorica, medicina, cæterisq. facultatibus sunt prædìti, i. cum ex ijs, quæ commode ac rem propositā adhiberi poss..nt, efficiemus, quæ volumus. *l.1.Top.c.2.*

Dialectica percontatrix est, & totam vim habet ab interrogatione. *l.1.de reprehen.soph.c.18.*

Ego ita sentio ad hanc artem quam hoc loco docere instituimus, satis esse rudem quandam ac simplicem rerum singularum habere cognitionem. *l.1.Top.c.1.*

Perspicuum est, in Dialectica esse notatos & eā hēre oēs locos, vnde reprehensiones ex communib. constantes ducuntur cuiuscunque generis illæ sint, hoc est, siue veræ, siue in speciem tantum reprehesiones sint. Itemque siue Dialecticæ tant..m esse videantur: aut vero ex eo rationum genere, quæ examinandam & excutiendam alterius eruditionem adhibentur. *lib.1.de repre.sophist.c.8*

Dialectica cum omnibus scientijs communicat, & si qua est alia scientia generalis, quæ communia proloquia demonstrare contendat. *l.1 Demonst.c.8.T.27.*

Dialectica non habet certas quasdam res, quas probet: nec in vno quodam genere subiecto versatur, alioqui non interrogaret. *l.1. de Demonst.c.8.T.27.*

Aliarum artium nulla de contrarijs ratiocinatur: sed Dialectica & Rhetorica id solæ faciunt. *l.1.Rhet. ad Theodecten c.1.*

Dialectica in iis periculum facere solet, quæque cognoscit. *l.5. Metaph.c.2.T.5.*

Dialecticus nullum certum genus habet, in quo quasi in subiecto sibi proprio versetur: nec vlla in re demonstrationes adhibet: neque talis est artifex, qui omnium rerum considerationem suscipiat. *l.5. de repr.Sophist.c 11.*

Dialectica ad tria conducit, quorum primum exercitatio est. Alterum congressus & colloquia: Tertium philosophiæ scientia. *l.5. Top.c.2.*

A P O P H T H E G M A T A.

Antisthenes dicere solebat, Contradicentem doceri oportere, non contradicendo compescere. Dialecticæ igitur, si docendi ratio est, artis fines transgrediuntur, qui tantum rixantur. Nam neque insano si vicissim insaniat, aliquis medebitur. *Stob. ser.80.*

Diogenes, quicquid per se turpe non esset, id ne in publico quidem dicebat esse turpe. Hunc igitur in modum ratiocinabatur: Si prandere malum non est, nec in foro prandere malum est: sed prandere nihil mali est, ergo nec in foro prandere malum est. Hactenus tolerari poterat Cynicus syllogismus. Verum qu's ferat similiter colligentem, exonerare ventrem, aut reddere lotiū, aut habere rem cum vxore, aut exuere vestes, malum non est, ergo in publico malum non est? Probis viris vbique placet verecundia. *Laer. l.9.*

Zeno Dialecticorum artes iniustis mensuris comparabat, quæ non triticum, nec aliud quidpiam alicuius pretii, sed paleas & stercora metiuntur. *Stob.ser.80.*

Idem, Rhetoricam palmæ, Dialecticam autem pugno similem esse dicebat, eo quod latius loquerētur, Rhethores, Dialectici autem compressius. *Cic.l.2.de Finib.& in Orat.de Brut. Quint.l.2.c.25.*

Idem, quum iam in artibus non vulgariter profecisset, attamen in Dialecticis plurimum exercere seipsum præcipue voluit. Verū cum pecunia, vt satisfaceret præceptori Dialectices, deesset: clā per posticum in adiutorium Polemonis professoris eius artis irrepsit, vt legentem audiret, quem dum Polemon forte vidisset: Sat video, inquit, te furari ea dogmata, vt aliis postea mercede vendas. Laudandum est Zenonis ardens ad Dialecticem studium, in qua adeo profecit, vt multa etiam arti adiecerit. *Vide Laer.l.7.c.1.*

Idem quum illi Dialecticus quidam in sermone, quem illi θερίζοντα, idest metentem appellant, ostendisset septem species Dialectices: rogauit, quantum peteret mercedis a discipulis, poscenti centum nummos, dedit ducentos. Tanta erat in homine discendi Dialecticen cupiditas. *Laer.l.4.c.1.*

Chrysippus ad Dialecticum quendam, Cleanthi multis ac prolixis sophismatibus obstrepentem: Desine, inquit, senem a magis ad rē pertinentibus auocare: sed nobis iunioribus ista proponito. Docuit vir sapientissimus. Dialecticæ studium magis spectare ad iuuenes exercitatione indigentes, quam senes grauioribus rebus occupatos. *Laer.l.7.c.3.*

Arcesilaus Dialecticos aiebat similes esse ludentibus alea, qui non sine delectatione decipiuntur. *Stob.ser.80.*

Carneades Dialecticam inquiebat Polypo similem esse. Vti enim Polypus cyrrhos suos auctos deuorat, ita Dialecticos iam peritiores factos, suas quoque opiniones refutare. *Stob.ser.82.*

Ariston eos qui Dialecticæ studium profunde rimantur, cancros edentibus similes esse dicebat: qui propter exiguum alimentum circa crustas plurimas occupantur. *Stob.ser.80.*

Cleanthes interrogatus, cur inter veteres cum non multi philosophati essent, plures tamen quam vnus clari euasissent? Quoniā, respondit, tunc quidem res ipsa exercebatur: nunc autem de verbis est disceptatio. *Idem.*

Theocritus ad Dialecticum quendam acriter & contentiose ei respōdentem illud Homeri repetiit. Lis vtinam pereat inter hominesque, deosq. *Ibid.*

Demonax ad Agathoclem Peripateticum iactantem sese, & solum, & primum esse Dialecticorum: Si solus, inquit, es, qui primus esse potes? si primus, qui solus? *P.M.l.3 apoph.*

S I M I L I T V D I N E S.

Aug. tanquam si quispiam dare volens præcepta ambulandi, moneat, non esse leuandum pedem posteriorem, nisi cum posuerit priorem: deinde minutatim: quemadmodum articulorum & poplitum cardines oporteat mouere, describat: vera enim dicit, nec aliter ambulari potest, sed facilius homines hoc faciendo ambulant: quam animaduertant, cum faciunt, aut intelligunt, cum audiunt: Qui autem ambulare non possunt, multo minus ea curant quæ nec experiendo possunt attendere. Itaque plerunque citius ingeniosus videt, non esse ratam conclusionem, quam præcepta eius capit: tardus autem non eam videt: sed multo minus, quod de illa præcipitur. *l.3.c.37 de doctrina Christiana.*

Ambrosii. omnem hæretici vim venenorum suorum in Dialectica arte constituunt, quæ philosophorum sententia diffinitur, non astruendi vim habere, sed studium destruendi: sed non in Dialectica complacuit Deo saluum facere populum suum: regnum enim Dei in simplicitate fidei est, non in contentione sermonis. *l.5.de fide ad Gratianum.c.1.*

Aristonis. Vt viarum lutum inutile cum sit alios etiam transeuntes prosternit: Sic Dialectica, cum parum prosit, suis etiam argumentis incautos adoritur. *Apud Stob ser.80.*

Vt aranearum telæ subtiles licet sint, plane tamen sunt hominib. inutiles: sic Dialectici licet subtiliter de rebus disputent, nihil tamē nisi fucum ostendunt. *Apud Stob ser.80.*

Carneadis, quemadmodum polypus cyrrhos suos auctos deuorat: ita Dialecticus doctior factus, suas quoque opiniones refutat. *Apud Stobaeum serm. 80.*

Clitomachi. Quemadmodum Luna crescendo ac minuendo pro ratione temporis se mutat: sic Dialecticus nunc refutando, nunc concedendo se flectit. *ibid.*

Thrinuri. Grammaticus, qui Dialecticam ignorat similis inani fistulæ, quæ articulis aut notis caret. *In apoph. 521.*

Dialecticus qui res nescit inanior Musico, qui notarum in fistulis discrimina numerat, & carminum materiam desiderat. *In apoph. 551.*

Vt camentarij fabri ad perpendiculum, ita nos singula expenderemus adamussim Dialecticam. *In apoph. 59.*

Vide Disputatio.

D I E S.

DEFINITIO ET ETYMOL.

Dies, ἡ ἡμέρα, est præsentia Solis, siue Sol super terras: sicut nox, sol sub terris. *Isid.Orig l.5.c.30.* Hebraicè *Iom*, dies, lux diei: spacium viginti quatuor horarum: incipiendo a vespera vsque ad sequentis diei vesperam. Talis fuit dies Hebræorum. In plurali numero *Iamoth* Dies, *Deut.32.6.& Ps.90.v.antep.* *Jamam*, dies continuus *Ps 1.2.& 42.4.*

Longa dies, idest longum tempus. *Dies ciuilis* a media nocte in sequentem diuiditur in multas partes. 1. mediæ noctis inclinatio. 2. Gallicinium. 3. Conticinium. 4. Diluculum. 5. Mane. 6. Meridies 7. Occiduum tempus. 8. Diei nouissimum tempus, seu solis occasus 9. Vespera. 10. Crepusculum vespertinum. 11. prima fax noctu. 12. nox concubia. 13. nox intempesta.

Dies naturalis, ab ortu solis ad occasum. dies festi, profesti, intercisi a Numa instituti, fasti, ne fasti, atri dies, critici seu iudicarii, in quibus medici de ægris ferunt iudicium, Vide Etimologicon

gicon trilingue anno 1607. Lugduni editum *pag.* 250.

Dies & solis reditus ab ortu ad ortum rursus. *Ammon. in prædicament.*

Dies dicti a Dijs, quorum nomina Romani quibusdam sideribus sacrauerunt. *Primum* enim diem a sole appellauerunt: qui princeps est omnium siderum: sicut & idem dies caput est cunctorum. *Secundum* a Luna, quæ Soli & splendore & magnitudine proxima est, & ex eo mutat lumen. *Tertium* a stella Martis, quæ vesper vocatur. *Quartum* a stella Mercurij, quam quidam candidum circulum dicunt. *Quintum* a stella Iouis, Phaetontem aiunt. *Sextum* a Veneris stella, quam Luciferum asserunt: quia inter omnia sidera plus lucis habet. *Septimum* a stella Saturni, quæ sexto cœlo locata, triginta annis fertur explere cursum suum, &c. *Isid. Orig. l. 5. c. 30.*

Biblici Loci.

Dies pro cœlestis vitæ claritate, *Rom.* 13. 12. pro veritatis luce, 1. *Cor.* 3. 13. in genere pro tempore, *Matth.* 3. 1. *Luc.* 1. 5. *Actor.* 5. 36. 2. *Pet.* 3. 18. Dies carnis pro præsenti vita. *Hebr.* 5. 7. Dies Christi & Domini: quum dies alicuius ex Hebræorum idiotismo nihil aliud declaret, quam spacium, quo vixerit, aliquis, aut insigne quippiam ipsi vel facere contigerit. Dies Christi & Domini nihil aliud significat, quam aduentum ipsius in carnem. *Luc.* 17. 22. *Io.* 8. 56. Significat & secundum ipsius aduentum ad iudicium cum gloria & maiestate, *Luc.* 17. *vers.* 24. 26. *Rom.* 2. 16. 1. *Cor.* 5. 5. 2. *Cor.* 1. 14. *Phi.* 1. *vers.* 6. 14. 2. *Thess.* 2. 2. 2. *Petr.* 1. 10. Dies Domini incertus, 1. *Thess.* 5. 2. 2. *Pet.* 3. 10. *Mat.* 24. 44. *Apo.* 3. 3. & 16. 15. Dies Domini qualis impiis futurus. *Sophon.* 1. *vers.* 14. 15.

Dies Dominicus, 1. *Cor.* 16. 2. *Apoc.* 1. 10. pro eo die, qui a Paulo dicitur vna Sabbathorum, 1. *Cor.* 16. 2. vt *Actor.* 20. 7. Assumptus est autem hic dies pro prioris seculi Sabbatho: *Primo*, quia cum Dominica resurrectio sit alterius spiritualis mundi, veluti altera creatio (vt loquuntur Prophetæ, *Esa.* 65. 17 & 66. 22. *Apoc.* 21. 1. &c.) Spiritu sancto procul dubio dictante, placuit Apostolis, pro prioris seculi Sabbatho, siue die septimo assumere, noui huius mundi primum diem, in quo non illa corporalis & corruptibilis primo veteris mundi die creata, sed cœlestis illa & æterna. Lux nobis illuxit. Hic autem veteris Sabbathi dies a creatione mundi ad Domini resurrectionem vsque steterit, qui postea in diem Dominicum mutatus ab Apostolis est. Ae, quod, euanescerent paulatim Iudaici Sabbathi ceremonia, eo die soliti sint Christiani solennes conuentus agere, non inepte colligitur ex *Act.* 20. 7. 1. *Cor.* 16. 2. *Secundo*, vt dies ille, quem Dominicum a resurrectione Dominica vocamus, reuocaret in memoriam Dominicæ resurrectionis mysterium & beneficium. *Tertio*, vt credentes sentirent, se ex legis iugo liberatos & exemptos esse. *Quarto*, vt esset discrimen inter nos fideles & Iudæos legi etiamnum, sed abre, addictos Dies iræ, *Soph.* 1. 15. *Rom.* 2. 5. Dies iudicii soli Patri cognitus, *Matth.* 24. 36. *Mar.* 13. 32. *Luc.* 17. *ver.* 24. 30. *Act.* 1. 7. 1. *Thess.* 5. 1. 2. *Pet.* 3. 10. *Apoc.* 3. 3. & 16. 15. Dies iudicii indies expectandus, *Mat.* 24. 44. & 25. 13. *Mar.* 13. 33. *Rom.* 2. 16. 1. *Thess.* 5. 2. *Iac.* 5. 8. 2. *Pet.* 2. 9. Dies iudicii a Deo præscriptus, *Act.* 17. 31. Dies mali, *Gen.* 47. 9. *Ephes.* 5. 16. Ex Hebræorum idiotismo dicuntur tempora difficultatum & asperitatis plena, vita denique aspera & calamitosa: sicut contra dies boni, *Ps.* 34. 13. 1. *Pet.* 3. 10. dicuntur beata ac felix vita. Dies natalis olim solennis habitus, *Mat.* 14. 6. *Mar.* 6. 21. Dies nouissimus pro die iudicii, *Io.* 6. *v.* 39. 40. 44. 45. & 12. 43. Dies Pentecostes, *Act.* 2. 1. & 20. 16. 1. *Cor.* 16. 8. Dies salutis, pro tempore Euangelii, 2. *Cor.* 6. 2. Dies septimus a Deo sanctificatus, *Gen.* 2. 3. *Exod.* 20. 11. Dies visitationis. 1. *Pet.* 2. *vers.* 12. Dies vltionis, *Luc.* 21. 22. Dies vrbis Ierusalem, Hebræorum more dicitur tempus illud, quo Dominus singulari beneficio illam dignatus erat. nisi ipsum non enimus vocantem, sed iam præsentem contempsisset, *Luc.* 19. 42. Dies pro annis, *Num.* 14. 34. *Ezech.* 4. 6. Dies ex Ciliciam idiotismo pro iudicio, 1. *Cor.* 4. 3.

Dies distincti, *Gen.* 1. 14. Dies nouissimi, pro extrema mundi senecta, 2. *Petr.* 3. 3.

Dierum discrimen per Christum sublatum *Rom.* 14. 6. *Gal.* 4. 10. *Col.* 2. *ver.* 16. 17. Dierum longitudo quibus permissa. *Exod.* 10. 52. *Deut.* 5. *vers.* 16. 33. & 6. *vers.* 2. 3. & 11. *vers.* 9. 21.

Poetarum Dicta.

Sen. Troad.

Nulla dies
Mœrore caret: sed non ę fletus.
Causa ministrat.

Tibullus 3. 6.

Venit post multos vna serena dies.

Ouid. 2. Trist.

Sed solet interdum fieri placabile Numen:
Nube solet pulsa candidus ire dies.

Ouid. 15. Trist. 9.

Si numeres anno Soles & nubila toto,
Inuenies nitidum sæpius esse diem.

Sen. Oed.

Aditum nocendi perfido præstat dies.

Virg. 11. Aeneid.

Aurora interea miseris mortalibus almam
Extulerat lucem, referens opera atque labores.

Scriptores.

De diebus, horumq. varijs attributis vide *Isid. l. 5. c. 30. Orig. Plin. l. 2. c. 19. & 77. Polyd. Verg. l. 2. c. 6. Gell. l. 3. c. 2. Rursus Plin. c. 79. l. 2. Alex. ab Alex. l. 4. c. 20. Macrob. Saturn. l. 1. c. 3. Plut. probl. Rom. 84. Cæl. Rhodig. l. 15. c. 23. Luc. l. 5. Pontan. l. 4. de stellis.*

Vide Cœlum.

DIFFERENTIA.

Definitio et Etymol.

Differentia Græce *διαφορὰ*, *ἀπὸ τοῦ διαφέρειν* differo dicitur. Est autem differentia, qua species abundat a genere, *sec. Arist. l. prædicam.*

Differentia est, quod prædicatur de pluribus differentibus specie in eo, quod quale, *sec. Arist.*

Differentia est, qua differunt a se singula, *vt ibid.*

Differentia est, quod genus ad esse, i. specificum conducit, & quod est pars eius, quod est esse rei, idest, essentiæ. *Ibid.*

Differunt autem indiuidua ab indiuiduis septem modis, versus

Forma, figura, locus tempus, cum homine sanguis,
Patria sunt septem, quæ non tenet vnus & alter.

Differentia est, quæ cum genere constituit certam speciem, & de specie prædicatur in quæstione, Quale sit, vt rationale cum animali constituit speciem, videlicet hominem, & ostendit qualis sit species. Duplices autem sunt differentiæ. Quędam sunt generales, vt sentiens, quę multis speciebus conueniunt. Quædam sunt specificæ & vltimæ, quæ vni tantum speciei conueniunt, vt rationale.

Sententiæ Philosophicæ.

Differentia communiter, proprie, & maxime proprie dicitur, *Porphyr. c. 4.*

Aliud ab alio differre communiter dicitur, quod sumpto vndecunque discrimine, vel a se differt, vel ab altero. *ibid.*

Proprie inter aliqua interest, cum alia affectio vel accidens: id quod elui funditus non potest, dissimilitudinem facit. *ibid.*

Plurimum differt perfecta differentia. *Metaph. l. 9. c. 4. T. 14.*

Differentia dicuntur, quæ diuersa sunt, etiamsi idem aliquid sunt, dummodo non numero, sed aut specie, aut genere, aut analogia: præterea, quorum aliud genus est atque diuersum: & contraria, quæque in essentia diuersitatem habent. *Metaph. l. 4. c. 9. T. 15.*

Distinctiones maxime propriæ corporum sunt eæ, quæ ex proprietatibus, operibus, & vi sumuntur. *l. 3. de cœlo. c. 8. T. 77.*

Communis differentiæ cum forma, peræquaque communio est. Hoc enim eis commune est, quod semper adsunt eis, quibus ipsorum conuenit communicatio. *Porp. c. 12.*

Neque omnis differentia aliam rem efficit: quandoquidem multæ sunt inter ea, quæ specie non distinguuntur differentiæ, quæ nec in rei natura cernuntur, nec propter se insunt. *l. 2. de demonst. c. 1. 14. T. 20.*

Genere differre dico, vt inter hominem & equum interest. *l. 1. de longitudine & breuitate vitæ c. 1.*

Illud intelligi par est, eos qui accuratius & subtilius differentias perspiciunt ac prosequuntur rationem, non quauis earum, quæ separant, omnia, quæ eidem generi tributa sunt in differentiarum numero habere: sed quod ad rem, eiusq. vim aperiendã pertineat, quodq. sit pars rei. *Porph. c. 4*

Differentiæ proprium est, plerunque in multis formis contineri. *Porph. c. 12.*

Differentia quidem ex ijs consequens est. quorum differentiæ est id vicissim retro non commeat. *Porph. c. 13.*

Qualitatem omnis differentia declarat. *l. 6. Topi. c. 3. loc. 23*

Vt nullum genus, sic differentia nulla in ijs numeratur, quæ temere & casu rei conueniunt, præsertim cum alieni conuenire, & nõ conuenire possit differentia. *ibid. l. 24*

Considerandum est, an species, vel aliquid eorum, quæ subiecta sũt sub speciem, de differentia dicatur: quod fieri non potest, quandoqui-

doquidem ad plura differant, quam forma transfertur. *ibid. l. 25.*

Genera non tollunt differentiæ: vt enim omnes tollantur: tamen substantia animata sensus compos, quod animal est, mente intelligitur. *Porph. ibid.*

Differentia, quia generale quippiam est, in eodem, in quo genus, numero reponenda est. *Top. l. 1. c. 3.*

Cui differentia conuenit, id etiam genus sequitur. Cui autem genus conuenit, ei non omnis differentia. *Metaph. lib. 5. 4. c. 3. T. 4.*

A D A G I A.

Pilus in medio. *θρὶξ ἀνὰ μέσον. Theocrit.*

Minimum discrimen significantes dicimus pilum interesse.

Ἀν διὰ πασῶν · hoc est. Bis per omnia. *Lucian.*

Hoc adagio discrimen ingens, ac longissimum interuallum significabant.

Longe lateque.

Cum ingens discrimen significamus, longe lateque distare dicimus. Translatum videtur ab agrorum mensoribus.

Mysorum ac Phrygum termini discreti sunt.

Adagio licebit vti, de rebus toto genere inter se dissidentibus.

Quid distant æra lupinis.

De discrimine rerum vilium & preciosarum.

Ingens interuallum.

Πολλὸν διὰ μεταιχμίου

Πόσες χιλιάδες χιλιάδες, ... ἄλλα. Cicero libro 2. Epistolarum ad Atticum.

Vtemur his prouerbialibus versiculis etiam quoties significabimus rem adhuc procul abesse a periculo.

Ingens discrimen.

Ingens interuallum, veluti si quis sentiat plurimum interesse inter pecuniæ studium & sapientiam. Homericis versibus licebit significare.

Τόσσον ἄνευθ' ὅσσον τε ... ἀπ' οὐρανοῦ.

Ἠμισυ, ἢ ... ἐπιπνεύσειεν ἐπιδών.

Idest.

Tantum aberat, quantum cursu ratis alta diurno.

Conficiat spatii, quam pronotus aura secunda.

Ne punctum quidem.

Minimum discrimen hoc etiam adagio significatur. Legimus apud D. Hieron. in Epistolis. Et apostolica inquit. voluntatis sequentes vestigia. Ne punctum quidem vt dicitur, aut vnguem transuersum ab illius sententia recedamus.

Pastillos Rufillus olet, Gorgonius hircum.

Vsurpandum vel in duos aliquos diuersis laborantes vitiis, vel in eundem sui dissimilem nempe modo loquaciorem, quam sat sit, modo impendio taciturnum. Horat.

D I F F I C V L T A S

DEFINITIO ET ETYM.

Difficultas. Græce *δυσχέρεια ας, & δυσχερὴς, έος, ὁ ἡ*, difficilis dicitur. Est autem difficile, quod cum labore aut multo tempore fit. *sec. Arist. l. 1. Rhet.*

Difficile est id, quod transcendit potentiam secundum naturam, vel propter impedimentum. *S. Thom. 1. p. q. 62. art. 2.* Eius oppositum est facile.

S I M I L I T V D I N E S.

Vt Asparagus spinosus dulcissimum fert fructum: ita ex duris initiis magna voluptas nascitur. *Plut.*

Id quod maiori negotio chalybi aut marmori insculpseris, durat diutius: ita quod maiori studio discimus, nunquam obliuiscimur. *In simil.*

Vt rosa flos vnus omnium longe gratissimus de spinis nascitur: sic è tristibus & asperis laboribus fructus capitur dulcissimus. *Idem.*

Vt palma, quia cortice sit cultellato: difficilis quidem est ascensu, sed fructum habet dulcissimum: itidem eruditio & virtus aditum habent difficilem, sed fructum dulcissimum. *Plin. l. 3. c. 4.*

Leonis catuli informes nascuntur, vix ingrediuntur semestres, non mouentur, nisi bimestres: ita quæ egregia futura sunt, sero proueniunt, & lentis auctibus absoluuntur. *Plin. l. 8. c. 16.*

Vt Phœnix non nisi quingentesimo anno nascitur: ita insignium virorum rarus est prouentus. *Plin. l. 10. c. 2.*

Asinæ per omnem gignunt vitam, cum homo tam mature desinat parere: ita facilior & perpetuus prouentus rerum vilium, egregia raro contingunt. *Plin. l. 8. c. 43. Senec.*

Vt herba Moly difficile quidem effoditur, sed ad remedia præter cæteras efficax est: ita quæ præclara sunt, non contingunt, nisi magno negotio. *Plin. l. 25. c. 9.*

Vt quæ præclara sunt, vix multo cultu proueniunt, contra cæpe, allium, & quædam huiusmodi vilia, etiam reposita aut suspensa, proferunt se: ita quæ sunt egregia, non nisi magno contingunt labore, quæ mala, passim, obuia sunt. *In simil.*

A D A G I A.

Non est cuiuslibet Corinthum appellere. *οὐ παντὸς ἀνδρὸς ἐς Κόρινθον ἐσθ' ὁ πλοῦς.*

Vetustum iuxta & venustum adagium, de rebus arduis & aditu periculosis quasque non sit cuiuslibet hominis adfectare. Parasitus quidam comicus eleganter detorsit prouerbium, hoc modo: Adire mensam haud hominis est cuiuslibet. Vvir tonnen nit alle Renser vuuerden.

Difficilia quæ pulchra. *δύσκολα τὰ καλά.*

Ferunt Solonem, Pittaci mollitiem atque ignauiam taxantem dixisse: Difficilia quæ honesta. Germani sic quoque afferunt: Gutt ding vvill vveil haben.

Cum principe non pugnandum.

Qui significabit, arduum, principem a priuato superari, aut difficillimum, vincere naturam, vsurpabit illud Homeri ex Odyss. λ.

Ἀργαλέον γάρ τ' ἐστὶ θεὸς βροτῷ ἀνδρὶ δαμῆναι.

Ardua res homini mortali vincere Numen.

Ire per extremum funem.

Pro eo, quod est, rem factu perquam difficilem præstare, neque vel tantillum aberrare. Horat.

Clauam extorquere Herculi.

Qui sibi vendicare conatur, quod alius iam potentior occupauit, vel Ioui fulmen eripere, vel clauam extorquere de manu Herculis, dicitur.

Nemo malus hoc fecit. *οὐδεὶς κακὸς εἴργασε τοῦτο.*

Quoties rem egregiam cognitu dignam significamus. Huic cognatum est illud, οὐ παντὸς τοῦτο εἶναι. Non fuit cuiuis hoc facere. Man sage es nicht einem ieden Narren.

Non omnibus contingit.

Non cuiuis sit potestas cum regibus colloquendi, aut non omnibus contingit diuinarum literarum penetrare mysteria.

Ad hunc sensum non inuenuste deflectetur illud Homeri ex Odys. π.

Οὐ γάρ πω πάντεσσι θεοὶ φαίνονται ἐναργεῖς.

Idest.

Haud cuiuis manifesta videntur numina diuum.

Aegre, sed tamen contingit.

In eos, qui ægre quidem, sed tamen assequuntur quod optant, quadrabit illud Homeri. Odys. λ.

Ἀλλ' ἔτι μέν γε καὶ ὥς κακά περ πάσχοντες ἵκοισθε.

Peruenietis adhuc, quanquam mala plurima passi.

Aegre quidem, sed facimus tamen.

Quum ægre quidem, & non sine plurimis incommodis agimus quippiam, sed tamen facimus coacti necessitate, conueniet illud ex Iliad. ζ.

καὶ μάλα τειρομένη· κρατερὴ δ' ἐπικείσετ' ἀνάγκη.

Idest.

Quamuis afflicta nimium, sed fatum ita cogit.

Præter Sibyllam nemo leget.

Diuus Hier. ridens Iouiniani stylum, vt perturbatum & obscurum, scribit: Plautinorum literarum ... quadrare. Has præter Sibyllam legit nemo.

Centum plaustri trabes. *Hesiodus.*

Ἑκατὸν δέ τε δούραθ' ἀμάξης.

Centum autem lignis plaustrum compingitur vnum.

Eo tempestiuiter vtemur, vbi significabimus id, quod a nobis petitur magno constare.

Azanæa mala. *Ἀζάνια κακά.*

Dici solitum, vbi quis in re difficili plurimum sumeret laboris.

Capere prouinciam.

Tradere prouinciam.

Capiunt suscipiuntve prouinciam, qui rei curandæ onus in se recipiunt.

Capere ciuitatem.

Plato in quodam dialogo significat prouerbio dici solere, αἱρεῖν τὴν πόλιν. Capere ciuitatem; qui rem difficilem esset assecutus, Neque enim ciuitas primo statim impetu capitur.

Omnes laqueos effugere. *πάσας ἄρκυς ... διαφυγεῖν. Plato.*

Quod ipsum a venatu translatum est, in quo sic vndique sepiuntur exitus, vt necesse sit feram in aliquas insidias incidere.

Trabs in omnibus. *δοκὸς δ' ἐπὶ πᾶσι τέτυκται.*

Videtur Hemistichium Poetæ cuiusdam sumptum, quo significatum est, nihil esse tam certum, quin obiiciat scrupulum, cogens nos ad exactiorem considerationem.

DIFFI-

DIFFIDENTIA.

DEFINITIO ET ETYMOL.

Diffidentia Græce ἀπιστία, ἡ, & ἀπιστέω, diffido dicitur. Est autem diffidentia motus ir. [illegible] in æstimatam superare facultatem, sed in bonum est desperatio, in malum autem est timor *B.Thom.3 sent.d 26.q.1.ar.2.*

Est autem diffidere, credulitatem deponere, siue desperare.

POETICÆ SENTENTIÆ.

Iacob. Billius. Anthalog. Sacra.

Spes facit: vt cultis mandentur semina terris
Spes facit, vt vites excolat agricola.
Aequoreis animam credat mercator vt vndis,
Spes facit, vt syluas ad loca sola petat.
Atque adeo inter se immanes fusiq. latrones
Vt pacem teneant, spesq. fidesq. facit.
O cæcos animos Christo diffidimus omnes,
Cum tamen in mentitas prædo vel ipse fidem.

Menander.

Suadet loquentis vita, non oratio.

Sophocles in Aiace.

Quin verum id est mortalium prouerbium,
Non esse dona quæ ven[illegible] t tibi
Ab hoste, verum inauspicata ac noxia.

Aiaci datus ensis ab Hectore, Bathæus ab Aiace Hectori, vtrique suum donum erat exitio.

Atque ita ab hoste hosti veniunt lethalia dona,
Quæ studij specie fata necemque ferunt.

Erip. in Med.

Lædit, iuuat nil improbi munus viri.

Senat. Prouer.

Ab hoste dicta ne vnquam amica duxeris.

Fiducia plerique falluntur.

Fiso res perijt, diffiso salua remansit.

Epicharmus.

Sobrius esto, & memineris diffidere.
Paucis e multis fidus adest animus.

Theog.

Non persuadebis, ne si persuaseris quidem.

Aristophanes.

Haud etenim persuaseris vnquam,
Nec si etiam persuaseris istud
Nec Mercurio quidem crederem,

Ouidius.

Fit quoque longus amor, quem diffidentia nutrit.

APOPHTHEGMATA.

Quidam Alcibiadi dicenti non fidis patriæ de te iudicaturæ: Ego sane, inquit, ne matri quidem: vererer enim, ne insciens pro albo calculo nigrum immitteret.

Phocion, cum Byzantijs irascerentur Athenienses, quod Charetem qui cum exercitu in subsidium suæ ciuitatis missus esset aduersus Philippum, noluissent recipere: ac Phocion dixisset, non esse irascendum socijs diffidentibus, sed ducibus, quibus fides non haberetur: ipse dux electus est, atque ipsi fidentibus Byzantijs effecit vt Philippus re infecta discederet. Diffidentiam Byzantiorum in Charetem ducem reiecit, qui talis erat, vt non videretur tutum sese illius fidei committere. Prudentiæ est, infido diffidere: at Phocioni probatæ opinionis viro non dubitarunt sese credere. *Plut. in Græc. apoph.*

Romani: populus Romanus, Carbone pollicente quippiam, & addente iusiurandum cum execratione, populus vicissim iurauit, se illi non credere. Probis viris & iniuriatis habenda est fides: leuibus autem, ne iuratis quidem. *P. M. l. 6. apoph.*

ADAGIA.

Simul & da & accipe. *Ἅμα δίδου καὶ λάμβανε. Aristot.*

Torquebitur ad eum, qui non collocat officium aut munus suum, nisi iam certus de mutuo.

Nemini fidas, nisi cum quo modium salis absumpseris.

Significat autem hominis ingenium non posse perspici nisi diuturno conuictu.

Fiducia pecunias amisi, diffidentia seruaui. *πίστει χρήματ' ὄλεσα, ἀπιστίῃ δ' ἐσάωσα.*

Iactatur & hodie, fiducia plerosque mortalium falli. Durch trevv vnd glauben vvat de mancher betrogẽ, vvol vertravven reit das Pferd hinvveg. itẽ, vver leichtlich glaubt vvird leichtlich betrogen.

Ne Mercurio quidem credere.

Strabo lib. 2. de narratione parum probabili, οὐδ' ἂν τῷ Ἑρμῇ πιστεύσαιμι λέγοντι. Proprie conuenit in eos, qui longinquis peregrinationibus circumacti, narrare solent prodigiosa. At viatorum Deus habebatur Mercurius. Vver liegen vvil der liege auß der ferne sonst fragen die Bavvren nach.

Confringere tesseram.

Apud Plautum in Cistellaria confregisse tesseram, dicitur qui sibi redeundum in domum aliquam præclusit. Er hat es an dielen orth verschütt.

Cæca dies & oculata dies.

Plautus cæcam diem & oculatam, pro die, qua non numeratur præsens pecunia, & qua numeratur. Vocant & Iurisconsulti cæcam diem, & cæca testimonia, quæ scripto perhibentur ab absentibus.

Oculatæ manus.

Oculatas manus dixit Plautus, quæ promissa velint exhiberi, non oratione promitti.

Pluris est oculatus testis vnus, quam auriti decem. *Plautus.*

Longe maior est habenda fides referentibus ea, quæ viderint oculis, quam ijs qui narrant ab alijs audita.

Non persuadebis, ne si persuaseris quidem. *οὐ γὰρ πείσεις, οὐδ' ἂν πείσῃς. Aristop.*

Est Hyperbolæ genus: qua significamus tanquam ἀδύνατόν τι τοῦτο. Perinde quasi dicas, non credam etiamsi videro.

Quot seruos habemus, totidem habemus hostes.

Admonet adagium, ne quid fidamus illis, neue ex animo illos nobis amicos arbitremur, qui nos metu colunt.

Hostium munera non munera. *ἐχθρῶν ἄδωρα δῶρα κοὐκ ὀνήσιμα.*

Priscorum superstitio credidit, obseruanda vel maxime munera, a quibus quo animo mitterentur, propterea quod quæ darentur ab ijs qui nobis male cuperent, exitio plerunque fuisse comitata.

Homo homini lupus. *ἄνθρωπος ἀνθρώπῳ λύκος. Plautus.*

Quo monemur ne quid fidamus homini ignoto, sed perinde atque a lupo caueamus. Ein Mensch ist de Kandero Vvolff, Teuffel oder hagel.

Etiamsi Cato dicat. *τοῦτο μὲν οὐδὲ Κάτωνος λέγοντος πιθανόν ἐστιν.*

De fide & auctoritate Catonis Vticensis narrat Plut. Prouerbium dicitur de rebus incredibilibus.

Vide Dubitatio, Fides, Fiducia.

DIGNITAS.

DEFINITIO ET ETYMOL.

Dignitas, Græce, ἀξίωμα, ατος, τό & ἀξίωμα, ατος, τὸ dicitur, & ἀξιόω dignor, vel dignum puto dicitur. Hebr. *Mahaloth*, id est, ascensio, excellentia, gradus quo rursum ascenditur. Per gradus enim variarum functionum ad maiores dignitates præstantes viri promouentur a verbo *halach*, ascendit, sursum euectus est. Inde Deus cognominatur *helion*, i. Excelsus, Altissimus, & dignus, qui omnibus modis excellat. a. dicitur *Seeth*, Eleuatio, excellentia, a verbo *Nasa*, Leuauit, extulit: nam supra alios euecti videntur homines in dignitatibus constituti. Principes dicuntur *Nesiim*, i. super alios euecti. 3. *Iether*, vbertas, excellentia, a radice *Iather*, exuberauit, abundauit. Digni enim & in dignitate constituti homines, donis necessarijs abundant, ad muneris sui partes implendas. Est autem dignitas alicuius honesta, & cultu, & honore & verecundia digna auctoritas, sec. *Cic. in Rhet.*

Dignitas est administratio rerum ecclesiasticarum cum iurisdictione, *sec. Archid in c. 1. consuet. l. 6.*

Dignitas, vel maxima est propositio, quam necesse est habere quemlibet docentem. *sec. Arist. l. 1. Post.*

Dignitas venit a dignus, & significat honorem nobis propter merita vel impensum, vel debitum. Frequenter etiam ponitur pro decore: vt dignitas oris, dignitas habitus, & huiusmodi. Differunt autem dignitas & venustas: dignitas viris, venustas vero est fœminis attributa. Cicero: *Venustatem muliebrem dicere debemus, dignitatem virilem.*

POETICAE SENTENTIAE.

Iacobus Billius.

Anth. Sac.

Cum in gradu in summo monstri mens instar habenda est,
Monstrum sedis honos imaq. vita mihi est,
Monstrum magna loquens manibus torpescere monstrum,
Multus sermo fluens, vtilitatis inops.
Monstrum cui vires adsunt, sine pondere, monstrum,
Cui grauitas est faciei actus at inferioris
Vrbs in monte iacens in culmine fixa recte,
Rex est in solio, qui sine mente sedet.
Tales a Domino, quales formamur, amamur.
Non quales nostris extitimus meritis.
Sanctificet, doceat plantet riget excolat ornet,
Et sibi perpetuo quod placeat, faciat.
Nam nihil est hominis quod digne possit amari,
Perficiat proprium in bonis auctor opus.

APOPHTHEGMATA.

Alexander Seuerus cursore nunquam vtebatur, nisi seruo suo: dicens, ingenuum currere, nisi in sacro certamine non debere. Cocos item, Piscatores, Fullones, & Balneatores non habuit, nisi seruos suos: nolens quenquam ingenuum sordidis ministeriis dehonestare. *Lib. apoph.*

Agathocles figuli parte natus, cum Sicilia potitus esset, rexque declaratus, solitus est in mensa fictilia pocula iuxta aurea ponere, eaque iuuenibus ostendens dicere: Quum antea talia fecerim commostratis fictilibus, nunc per vigilantiam ac fortitudinem talia facio: commonstrans aurea. Non puduit pristinæ fortunæ, sed gloriosius existimauit regnum virtute partum, quam si hæreditate obuenisset. Nam regem nasci, nihil magni est; at regno dignum se præstitisse, maximum est.

Liuia vxori pro quodam Gallo petenti ciuitatem, Augustus negauit, immunitatem obtulit, dicens se facilius passurum fisco [illegible] detrahi, quam honorem ciuitati vulgari: nimirum Reipub. dignitatem succeferens priuato commodo.

SIMILITVDINES.

P.M. Arigæ qui vocantur, quoniam præpostere nascuntur, hoc est, pedibus primum emergentibus, malis auspicijs in vitam ingrediuntur, magnoque humani generis malo, vt Marcus Agrippa & Nero: Ita qui per nefas, & simoniam irrumpunt in imperium, aut Episcopum (vt vocant) magnam pestem adducunt sibi suisque. *In similibus.*

ADAGIA.

Canis digna sede. ἀξία κύων θρόνου.
Quum nouus honos obtigit cuipiam immerenti Diogenianus.
Digna canis pabulo. ἀξία ἡ κύων τοῦ βρώματος.
Ferme perinde valet, ac si dicas: Dignus operarius mercede sua. Suidas.
Das pferdt ist seines futters werth. Es ist ein gering pferdt, das sein eigen futter nicht verdienen mag.
Dignus obeliscis. ἄξιος ὀβελίσκου.
Dignus quouis honore. Summis enim viris eiusmodi columnæ ac Pyramides erigebantur, magnificus inscripta titulis aut ingentes colossi.
Digna cedro.
Digna cedro dicuntur, quæ promerentur immortalitatem, & eiusmodi iudicantur, vt posteris ea conseruentur. Persius.
Dignus Archiuo cyparisso. ἄξιος ἐν τῇ ἐν Ἀργυροδρυίδι.
De generoso, ac maiorem in modum venerando.
Dignum propter quod vadimonium deseratur.
Vbi rem maximi momenti volumus significare, quaque vel quamouis dispendio debeat expeti, dignam esse dicemus, cuius gratia vadimonium deseratur. Plinius
Dignus, qui cum in tenebris mices.
Qui certissima esset fide, eum dignum dicebant qui cum in tenebris micaretur Cicero.
Quantis te dignum. ἄξιος τοῦ παντός Terentius.
Hominem quantiuis pret.
Regia bucula. Βασιλικὸν βοίδιον.
De prodigiosa fecunditate dicebatur.
Batti Silphium. Βάττου σίλφιον.
Hoc prouerbio Græci nouum & rarum quempiam honorem notant.
Deterius tur equa Thessalica. ἀπεικονεῖται ἵππος θεσσαλική
De summo præmio dicebatur, trostarea quod antiquitus prima laus fuerit equarum Thessalicarum, Lepidius erit per ironiam.
Bos in ciuitate. βοῦς ἐν πόλει.
Dicitur, vbi quis ad nouos honores euehitur.
Sapientum octauus.
In eum qui minimum tribuit in sapientia. Horat.
Columen familiæ.
Donatus columen dici putat perinde quasi columnam dicas, cui reliqua domus innititur. Vnde antiquitus firmas manent Columellas dictos Terentius.

Vtramque paginam facit.
In rebus humanis fortuna vtramque facit paginam, id est, siquid obtingit boni, ea laudatur, quasi dederit, sin mali quid acciderit, eadem incessitur eius mali autor.
Esto promus. ἔστω ταμίας τ' ἄλλα δ' οἰκοδεσπότην.
Alunt dictum in eum, cui felicitas immeriti contigisset, per ironiam dici potest et, qui dignitatem inuadit nihil laborans quam eruditionem quas ve mo os postmat ea dignitas: quasi dicas, Esto dignitate Episcopus, moribus vel canis si libet.
Iupiter aquilam delegit. Ζεὺς ἀετὸν ἐξελέξατο.
Vbi quis asciscit sibi præclaros suisque rebus accommodatos.
Glaucus comesa herba habitat in mari. Γλαῦκος φαγὼν πόαν οἰκεῖ ἐν θαλάττῃ.
Dictum apparet per iocum de ijs, qui, cum perierint, tamen vulgo creduntur viuere.
Pro dignitate cuiusque.
Cum vnicuique partes tribuuntur pro decoro personæ, proque dignitate, quadrabit illud Homeri ex Iliad. ξ.

> ἐσθλὰ μὲν ἐσθλὸς ἔδυνε, χέρεια δὲ χείρονι δόσκεν.
>
> Id est.
>
> *Egregia egregius subibat arma, at deteriora*
> *Deteriora dedit.*

Antiquior Codro. πρεσβύτερος Κόδρου.
De priscis & ob antiquitatem admirandis. Codrus antiquissimus Atticæ Rex.
Myrteam coronam ambis. Μυῤῥίνης ἐρᾷς.
Dicebatur, qui tyrannidem aut magistratum ambiret.

Cæcus & claudus non intrabit in templum.
Fortassis adagio locus erit, quoties excluditur aliquis ab honore, velut indignus.

Roscius.
Eodem tropo, quo vehementer in consilijs callidum, Dædalum vocamus: in laboribus patientem, Herculem: in disputando acutum, Achillem: in iudicando Aristarchum: patronum in causis agendis egregie dextrum, Roscium licebit appellare.

Primas tenere.
Marcus Tullius ad Q. Fratr. Epist. l. 3. carmen adfert, velut Παροιμιῶδες illud vero inquit, quod a puero adamaram.
Αἰὲν ἀριστεύειν καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων eorum occidisse carmen Homeri, quod ita verti potest.
Primas vsque aliosque tenere, excellere laude.

Vide Gloria, Honor, Laus.

DILECTIO.

DEFINTIO, ET ETYM.

Dilectio, Græce ἀγάπησις, εως, ἡ & ἀγαπητός, οῦ, ὁ, dilectus dicitur. Diligere enim est amare: quia eo, quem amamus, diligere videmur, quasi nostra dignum beneuolentia. Hinc etiam diligens, diligentior, diligentissimus & diligentia, de qua infra.

Hebræis *Ahab*, significat amauit, dilexit. Cognationem habet cum *Abah*, voluit: item cum *Iaab* & *Taab*, appetiuit: quod enim diligimus, id bene volumus & multum appetimus. Vnde nomen *Ahabah*, & *Hoheb* dilectio, amor. Græci pro n substituũt γ, & dicunt ἀγαπάω, diligo, ἀγάπη, dilectio.

SENTENTIÆ BIBLICÆ.

Diliges proximum tuum sicut teipsum. *Deut. 6.*
Non videbis ouem fratris tui, aut bouem errantem, & præteribis; sed reduces fratri tuo. 22.
Maiorem hac dilectionem nemo habet, quam vt animam suã ponat quis pro amicis suis. *Io. 15.*
Non quæ sua sunt singuli considerantes, sed quæ aliorum. *Philip. 2.*
Charitas fraterna maneat in vobis. *Heb. 13.*
Simplici ex corde inuicem diligite. *1. Pet. 1.*
Et nos debemus pro fratribus animam ponere. *1. Io. 3.*
Primum diligamus nos inuicem, quia charitas ex Deo est, & qui diligit fratrem suum ex Deo natus est, & cognoscit Deum. 4.
Si diligamus nos inuicem, Deus in nobis manet, & charitas eius in nobis perfecta est, *ibid.*
Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos, vt & vos diligatis inuicem. In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem. *Ioan. 13.*
Hoc est præceptum meum, Vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos. 15.
Vnusquisq. vestrum proximo suo placeat in bonum. *Rom. 15.*
Consideremus inuicem in prouocationem charitatis, & bonorum operum. *Hebr. 10.*
Qui diligit fratrem suum, in lumine manet, & scandalum in eo non est. 1. *Ioan. 2.*
Omne animal diligit sibi simile: sic & omnis homo proximum sibi. *Eccl. 13.*
Omnis caro ad similem sibi coniungitur, & omnis homo simili sibi sociatur. *ibid.*
Et mandauit illis vnicuique de proximo suo. 17.
De charitate fraterna non necesse habemus vobis scribere: ipsi enim vos a Deo didicistis, vt diligatis inuicem. *1. Thess. 4.*

PATRVM SENTENTIAE.

Illi Deum diligunt, qui non aliud, quam vnde nomen eius glorificent, exercent. *Aug. de vita Christi.*
Breue præceptum tibi præcipitur, dilige, & fac, quod vis: siue taceas, dilectione taceas: siue clames, dilectione clames: siue emendes, dilectione emendes: siue parcas, dilectione parcas. Radix sit intus dilectionis, non potest de ista radice, nisi bonum exire. *De laude charitatis.*
Dilectio sola discernit inter filios Dei, & filios Diaboli. Signent se omnes signo crucis, respondeant omnes Amen, cantent omnes Alleluia, baptizentur omnes, intrent Ecclesias, impleant parietes basilicarum, non discernuntur filij Dei a filijs Diaboli, nisi

...si charitate. Qui habent charitatem, nati sunt ex Deo: qui non habent charitatem, non sunt ex Deo. Magnum iudicium magna discretio, quidquid vis habere: hoc solum nisi habeas, nihil tibi prodest: alia si non habeas, hoc habe, & implesti legem. *Iidem.*

Miser ego, quantum deberem diligere Deum meum, qui me fecit, quum non eram: redemit, quum periram. Non enim eram, & de nihilo me fecit: non lapidem, non arborem, non aliquod de animalibus, sed hominem voluit me esse: dedit mihi viuere, sentire, discernere, reduxit me de exilio, redemit de seruitio, vocauit me nomine suo: vt memoriale suum semper esset apud me. Vnxit me oleo lætitiæ, quo ipse erat vnctus, vt ab vncto essem vnctus, & a Christo dicerer Christianus. *De spiritu & anima.*

Non habet callidus hostis machinamentum efficacius ad tollendam de corde dilectionem, quàm si efficere possit, vt in ea incaute, & non cum ratione ambuletur. *Idem in epist.*

Quantum Deum diligas, debes ea dilectione eius ostendere. *De spiritu & littera.*

Omnes homines æquè diligendi sunt: sed cum omnibus prodesse non possis, his potissimum consulendum est, qui pro locorum & temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus, constrictius tibi, quasi quadam sorte iunguntur. *Libro 1. de doctrina Christiana.*

Ille Deum diligit, qui non aliud, quàm vnde nomen eius glorificetur, exercent. *Ibid.*

Dilige, & fac quidquid voles: nihil tam facile bonæ voluntati, quàm ipsa sibi: & hoc sufficit Deo. *De Ver. Dom.*

Verè diligit, qui sine tristitia, sine timore, voluntatio potius studio quàm coacto præcepta conseruat. *Amor. in Ps. 108.*

Dilectionem fidei Christiani nulla vincunt tormenta. Amantis non plus incitat te charitas, si enim, cuius sensit beneficia, prohibeatur amare. *De Trinitate l. 2.*

Pro magno diligi non debet, quidquid fine concluditur, illa appetenda, illa summopere diligenda, quæ nec inuenta transeunt, nec adepta deficiunt. *Greg. in Registro.*

Nihil est preciosius Deo virtute dilectionis, nihil desiderabilius Diabolo extinctione charitatis. *In Pastor.*

Inimici dilectio tunc veraciter custoditur, quum non de profectu deijcimur, nec de ruina eius lætamur: nemo enim amat aliquem, quem non vult esse meliorem, & cum stantem voto persequitur, quem cecidisse gratulatur. *l. 21. Mor.*

Quando ignorabam, me instruxit: quando errabam, me reduxit: quando peccabam, me correxit: quando steti, me tenuit: quando cecidi, me erexit: quando iui, me duxit: quando veni ad ipsum, me suscepit: pro his omnibus, quid rependam, habeo, nisi tantum vt diligam. Non minus melius, nec decentius, quàm per recisionem rependi potest, quod per dilectionem datum est. *Bern. in Ps. 115.*

Non abduci blanditiis, nec seduci fallaciis, nec iniuriis frangi, toto corde, tota anima, tota virtute diligere est. *In Cantica.*

Ordinem dilectionis illi peruertunt, nec modum diligendi custodiunt, qui aut mundum, qui contemnendus est, diligunt aut corpora sua minus diligenda, aut proximos suos non sicut seipsos, aut Deum plusquam seipsos forte non diligunt. *Prosp. l. 3. de vita contemplatiua.*

Dilectio Dei est omnia commoda & incommoda postponere causa perfruendi Deo. Dilectio proximi est priuata commoda postponere causa perfruendi amico. *Hugo de iustitia dile...*

Necesse est, vt quò præcesserit dilectionis thesaurus: illuc etiam cogitatio sequatur affectus: ideo veritas ait: Vbi est thesaurus tuus, ibi & cor tuum erit. Vt ergo in cœlis thesaurizemus, cœlestia diligamus. Vis nosse vbi thesaurizas, attende quid cogitas, ita fiet, vt thesaurum tuum ex vno amore cognoscas, & amorem tuum iudicio tuæ cogitationis intelligas. *Ful. in quadam serm.*

Diligere est, quasi de omnibus eligere. Ignis est charitas Dei virtutum progressionibus crescens, quæ quanto magis concupiscitur, tantò efficacius ampliatur. *Cassiod. super Ps. 18.*

Inaudita est dilectio, quæ amicum diligit, & præsentiam eius non amat. *Ibidem.*

Cum humanæ conditionis status multiplici motu varietur, nihil in temporalibus inuenio præter vnum, quod vitæ cœlestis imaginem repræsentet. Sola dilectio est, quam non alterat causalis euentus, quam separatio corporalis non diuidit, quam temporis longitudo non abolet, quæ defectui non succumbit. Sola dilectio est, per quam amicos absentes videmus, alloquimur, amplexamur, quæ sic quadam angelica agilitate, & imaginario commeatu transuolat & recurrit, vt nihil de damno corporeæ molis, aut distantiæ localis iniuria conqueramur. *Petrus Rau. in epist.*

Fortis dilectio, vt mors, cum enim compagem membrorum, animæque & corporis fœdus amicabile mors abrumperet, dilectio è contrario diuersis voluntates conflat in vnam, & in glutino charitas diuersarum animarum consolidat vnionem. *Ibid.*

Dilectio absentiæ damna non sentit, cumque diuturnitate temporum plerumque soleat infirmari dilectio: & temporis tractu, & locali distantia conualescit. *Ibid.*

Polyanthea Noviss.

SIMILITVDINES.

Chrys. quando quis corporalibus quidem motibus excitatur, voluntas autem illius non inclinatur, vt faciat opus, quod facere instigatur, sed stabili proposito continentiæ, rationæ iustitiæ irrationabiles motus corporis frangit: etsi corpora concupiscit, anima eius non concupiuit: si autem consenserit explere, quod cogitat, tunc verè dicitur animo concupiscere: sic & caro inimicum suis diligere non potest, quemadmodum nec possibile, vt iniuriam non sentiat sibi illatam. Anima autem inimicum diligere potest, quia dilectio vel odium carnis in sensu est, animæ autem in intellectu. *In Mat. c. 5 hom. 12.*

Arnob. Sicut qui litteras docent, timorem discentibus, & terrorem inducunt, non vtique necessarium magistris, sed valde discipulis profuturum: & sicut illos exhortent, qui sine timore & sine spe sunt: scient enim, eos ad eruditionem peruenire non posse: ita eos dilectionem habere commemorant, qui timentes eos, & in eos, qui sperant in eruditionem eorum. Et hoc de hominibus tantum longè est à comparatione Dei, quantum longè est à diuinitate humanitas. Sed comparatio ad apertionem rei dictæ, ad spem & misericordiam diuinam impellat, vt eorum participes faciat, super quos beneplacitum est Domino. *In Ps. 144.*

Aug. Discernis hoc rectum & iustum esse Domine Deus, vt huius sæculi, noctis & tenebrarum, præstantiori desiderio, virtute atque studio, diligant, & quærant peritura diuitias, & fugitiuos honores, quàm nos serui tui diligamus te Deum nostrum, per quem facti, & redempti sumus. Si enim homo hominem tanta diligit dilectione, vt alter alterum vix patiatur abesse: sponsa si sponso tanto conglutinatur mentis ardore, vt præ magnitudine amoris, nullam perfrui valeat requie, charitas sui absentiam, non sine magno mœrore ferens: Qua ergo dilectione, & quo studio quo feruore anima, quam desponsasti tibi fide & miserationibus, debet diligere te verum Deum, & pulcherrimum sponsum, qui nos sic amasti & saluasti, qui pro nobis tot & talia fecisti? Amor tuus suauis & quietus est. Nam pectora, quæ possides, dulcedine, & suauitate, & tranquillitate reples, è contra amor sæculi & carnis, anxius est & perturbatus: animas certè, quas ingreditur, quietas esse non patitur. Semper enim suspicionibus, variisque timoribus sollicitat eas. *l. Medit. c. 35.*

EXEMPLA BIBLICA.

Dilectionis inimicorum exempla Ioseph, *Gen.* 45. 5. Dauid 1. *Sam.* 26. 9. 2. *Sam.* 16. v. 7. 8. 9. 10. Elisæus 2. *Reg.* 6. 22. Christus, *Luc.* 23. 34. *Rom.* 5. 8. Stephanus, *A.* 1. 7. 60. Paulus, 2. *Tim.* 4. 16. Inimicis beneficia conferenda. *Prouerb.* 25. 27. *Rom.* 12. 20. Inimico reconciliato non temere credendum, 1. *Sam.* 24. 17. & 26. 21. 2. *Sam.* 3. 26. 1. *Macch.* 12. 24.

HISTORICA EXEMPLA.

Caius Iulius Cæsar diligebat adeo milites suos, vt audita clade Titurana barbam capillumque summiserit: nec ante demiserit, quàm vendicasset: quibus rebus & deuotissimos sibi & fortissimos reddidit. *Suet.*

Phidias statuarius Agoracritum Parium discipulum suum adeo dilexit, vt nomen eius suis operibus inscriberet plerisque.

Sammonicus Serenus præceptor Gordiani iunioris, adeo eius ingenium probauit, vt bibliothecam illi suam duum & sexaginta millium voluminum moriens testamento relinqueret. *Sabellicus l. 6. Enneadis 7.*

Aristobolus Iudæorum rex primus post Babylonicam captiuitatem, Philellen dictus est, id est, amator Græcorum. *Ioseph. l. 13. c. 19.*

Lescus Niger Polonorum rex peregrinum militem Germanum ob fidem dilexit: vt & habitu eorum vteretur, & Crocouiæ regimen solis Teutonicis permitteret. *Cromerus.*

Sueno rex Danorum cultu Germanico gaudens, suorum odia contraxit. *Saxo.*

Vide Amicitia, Amor, Charitas.

DILIGENTIA.

DEFINITIO ET ETYMOL.

Diligentia, Græcè ἀκρίβεια, ἀκριβὴς, diligens dicitur. Est autem diligentia idem, quod sollicitudo. Ideo requiritur

Z

quiritur in omni virtute, sic etiam solicitudo *sec. D. Thom. 2. 2. q. 54. ar. 1.* huius contrarium est indulgentia, id est, incuria.

Loci Biblici.

Diligentia commendatur, *Prou 22. 29. Exempla*: Serui Isaac, *Gen. 24. 56.* Vide contrarium huic vitium Acediam, Negligentiam.

Poeticae Sententiae.

Menander.
Εἰ μὴ φυλάξεις μικρὰ, ἀπολεῖς τὰ μείζονα.
Id est.
Ni custodies parua, perdes maiora.
Τῇ ἐπιμελείᾳ πάντα δοῦλα γίγνεται.
Id est.
Diligentiae omnia subdita fiunt.

Philosophicae Sententiae.

Praeclarum quidem est etiam per fortunam inter illustrissimos admiratione esse, sed multo praestantius est industria sua, quicquid gloriosum ac illustre sit, adeptum esse, illa enim sceleratis etiam interdum sese obijcit, huius autem societas & cōmunicatio nemini adest, nisi qui generoso animo atque forti excellat. *Ex orat. amatoria Demost.*

Par est, quibus in rebus quisque se exercet ac in quae incumbit, in ijs et plus valeat, *Ex orat. 2 in Philip.*

Recta, prudensq. rerum gerendarum in adolescente inquisitio, & animi boni, & vegetae mentis commune signum est. *Ex orat. amatoria.*

Nihil est cautis hominibus & circumspectis adeò formidabile, quin diligentia praecaueri possit: neque vllum malum est, quin incautis & pigris euenire queat. *Ex 35. Proem.*

Si quis existimat Alexandrum eò fortunatum, quia ad eum, quem optabat exitum perducebat omnia: illud cogitet, quod agendo, & laborando, & audendo, non desidendo, felix fortunatusq. sit, *Ex 1. Epist.*

Apophthegmata.

Demosthenes Mitylenaeus pulsata ianua hominis musicae ac citharae dediti, cum is audito pulsu iussisset illum introire, faciam, inquit, si prius alligaris cytharam, Subnotans, illum nil aliud quàm cytharam canere, *P. Man. l. 8. apoph.*

Antalcidas. Persarum rex coronam ex rosis consertam illeuit vnguento, misitq. Antalcidae, de pace legationem obeunti: At ille: Suscipio quidem, inquit, donum, atque animi promptitudinem laudo: sed rosarum odorem, naturaeq. fragrantiam artis adulteratione perdidisti. *Aelian. l. 14. de var. hist.* Idem dici potest de nimia diligentia, qua multoties res magis obscuratur, quàm ornatur.

Apelles. Protogenes pictor toto septennio in pingendo Ialyso consumpto, tandem summam manum imposuit. Eum cum cerneret Apelles primum substitit mutus, & stupefactus inopinata atque mirabili contemplatione. Deinde respiciens; Labor quidem, inquit, magnus est; & item artifex excellens verum operi gratia non inest, quam si homo consecutus esset, labor ejus coelum attingeret. Laudauit quidem insignem picturam Apelles, sed nimiā diligentiam & industriam vituperauit, quae operi gratiam omnē adimebat. *Aelian. l. 12. de var. hist.*

Pollio dicebat: Commodè agendo factum est, vt saepe ageremus: saepe agendo factum est, vt minus commodè, quia s. assiduitate omnia facilitas magis, quàm facultas, nec fiducia, sed temeritas paratur. Quod accuratè factum velimus, rarò faciendum est. Hac ratione duci videntur Itali quidam eruditi, qui licèt pulchrè calleant Latinè, tamen vix vnquam adduci possunt, vt in familiari congressu Latinè loquantur. At si quando compellit necessitas, dicunt exactè, quasiq. de scripto. *P. M. l. 8 apoph.*

Scipio Africanus Centurionem, qui pugnae non adfuerat, cum increparet, atque ille diceret, se in castris custodiae gratia remansisse; Nemo amat, inquit, nimium diligentes. *Brus. ex Cic. l. 2. de Oratore.*

Zeno dicebat, *τὸ εὖ γίνεσθαι παρὰ μικρὸν, οὐ μὴν μικρὸν εἶναι*, vt aliquid fiat bene, nasci quidem paulatim, sed tamen non esse paulum, Illud dictum quidam ascribunt Socrati. *Laer. l. 7. c. 1.*

Antisthenes. Cum multi philosophorum disputassent de virtutis difficultate, Antisthenes profitiens, virtutem assiduitate & studio disci posse affirmauit. Non ignorauit sanè vir sapientissimus, nil esse tam arduum, quin studij assiduitate inuestigari possit. *Laer. lib. 6 cap. 1.*

Similitudines.

Isocratis. Vt in alijs negotijs, curandisq. feria cura & diligentia plurimum momenti: sic etiam ad virtutem adipiscendam permagnas vires habet. *In prooem orat. ad Nicoclem, de Regno.*

Plinij. Vt nihil minus expedit, quàm agrum optimè colere: ita saepè numero inutilissimum est, minus esse in negotio diligentem. *Lib. 18. c. 6.*

Senec. Vt qui serius exiuit, cursus celeritate perfert ac sarciat: porrectita qui serius ad bonam vitam aut litteras accessit, diligentia reparet necesse est superioris cessationis iacturam.

Adagia.

Ad amussim. *Gellius.*
Frequens est apud authores. Ad amussim, Ex amussim, Examussatim, Amussatim. pro eo, quod est, exquisita diligentia, atque exactissima cura.
Ad vnguem, *Horatius.*
Ad vnguem, eundem habet sensum. A marmorariis sumpta metaphora, qui super inducto vngue commissuras explorant marmorum.
In quadrum redigere.
Pro eo quod est, in ordinem, aptamq. structuram concinnare. Proinde quod conuenit, quadrare dicimus.
In nocte consilium. *ἐν νυκτὶ βουλή.*
Admonet adagium, non esse praecipitandum consilium, neque statim ad primos animi impetus quippiam agendū. Schneller Rath oie vvol that.
Ruminare negotium. *ἀναμασᾶσθαι τὸ πρᾶγμα.*
Ruminare seu remandare negotium dicitur, qui suo cum animo versat, etiam atque etiam expendens. Aristophanes.
Fixis oculis intueri. *ἀτενὲς ὁρᾶν.*
Defixis oculis intueri. Pro eo, quod est, attentius accuratiusq. considerare.
In occipitio oculos gerit.
De versutis & circumspectis, quos fere nunquam proclive sit fallere. Plaut. in Aulularia.
Quae in occipitio quoque habet oculos.
Vnum ad vnum. *ἓν πρὸς ἕν θεῖναι.*
Quum ex aequis singula singulis componuntur. Lucianus.
Incudi reddere.
Pro eo quod est. refingere ac mutare, corrigereq. Horat.
Et malè tornatos incudi reddere versus.
Consimili forma dicunt, recoquere.
Ruri fons. *ἀγροῦ πηγή.*
De nimium laboriosis, & perpetuo operi assidentibus.
Ithorus. *Ἴθωρος.*
In eum, qui veluti instigator, hortatorq. foret aliis. Horat.
Saepe caput scaberet viuos & roderet vngues;
Aristophanis aut Cleanthis lucerna.
Propter insignem studii diligentiam in prouerbium abiit vt is ad Aristophanis, aut Cleanthis lucernam dicatur lucubrare, qui summo studio, exquisitaq. cura singula pensitat.
Lucernam olet. *τοῦ λύχνου ὄζει.*
De re meditata, multoq. studio elaborata.
Non vna manu capere. *οὐ θατέρᾳ ληπτέον.*
Id est, non vna tantum manu capiendum. De re lubrica, variaq. captu difficili.
Metiri digitis.
Qui rem accuratius quàm oportet, expendit: digitis metiri dicitur. Horat.
Legitimumq. sonū digitis callemus & aure. An den fingern ab rechnen.
Homini diligenti semper aliquid superest.
Qui verò diligens est in negotio nunquam sibi satisfacit.
Somnus abiit ab oculis. *ὕπνος δ' ἀπὸ ὀφθαλμῶν ἔφυγε.*
Vbi quis rem aggreditur, quae summam diligentiam, curamq. desiderat.
Somnum non vidit.
His verbis significant summam diligentiam.
Vel acum inuenisses.
De re diligenter vestigata. Plautus.
Graeca lapidem deijcientes. *αἰγιαλὸν καταπατοῦντες.*
Dictū olim de ijs qui summa prouidentia gerunt negotia. Aristophanes.
Frons occipitio prior.
Quo significauit antiquitas, rectius geri negotium, vbi praesens ac testis adest is, cuius agitur negotium. Cato. Germani hoc rhythmo effe runt: Vver vvil haben das ihm gelinge, der sehe vvol selbst zu seinen dinge.
Arripere negotij curam.
Admonentes aliquem, vt diligenter negotium capessat, & grauiter rem aggrediatur, vtimur hoc, quo Aeneas hortatur aurigam suum.
Ἀλλ' ἄγε νῦν μάστιγα καὶ ἡνία σιγαλόεντα
Δέξαι.
Id est.
Quin age, nunc scuticamq. manu depictaq. lora
Corripe.

Historica Exempla.

Tiberius Caesar post Varianam cladem Rhenum traiecturus, summa diligentia in singulis explorandis, administrandisq. vsus est. *Sueton.*

C. Ma-

C. *Marius causarum peritus*, in inueniendis, componendisq. rebus mirè accuratus fuit: vt non facile vllum diligentiorem, maioremq. Cicero cognoverit: ita tamen, vt ciuis veterator, quàm orator dici potuerit: vox, gestus, & omnis actio sine lepore. *Cic. in Bruto.*

Hippocratis id fuisse legimus in discendo studium, vt eum non puduerit, vel stercorimenta gustare: vt inde morbi naturam percenseret. Quod tamen alij Aesculapio malunt ascribere (vnde & ab Aristophane σκατοφάγοι, dicti sunt medici:) alij Asclepiadi. *Cœlius lib. 29. c. 13. & l. 12. c. 16.*

Apud Roman. Venetæ factionis & Prasinæ aurigas, equorum subinde retrimenta olfacere consuesse legimus: vt hinc pernoscerent, quàm facile cibos conficerent, bonam eorumdem habitudinem sic deprehensuri. *Cœlius l. 29. c. 13. A. L.*

Q. Roscius histrio, scenicæ industriæ nouissimum exemplum, nullum vnquam spectanti populo gestum, nisi quem domi meditatus fuerat, proponere ausus est. *Val. Max. l. 8. c. 7.*

M. Crassus eam à mechanicis diligentiam requirebat: vt ipse etiam seruos suos in iis artibus instituere non erubesceret. *Plut. in eius vita.*

Vide Assiduitas, Labor.

DISCERE.

DEFINITIO ET ETYMOL.

Disco, didici, & composita, addisco, perdisco, &c. μανθάνω. Hebr. *Aleph*, Studuit, incipiens à primis elementis, assuefecit se longo vsu, didicit in magna frequentia, inter mille studiosos versatus est. Numerus certus pro certo: ex idiotismo Hebræor. Cognationem habet cum *Aphal*, caliginosus fuit, & *Ophel* caligo, densis tenebris obuelata. Nam res ignaris velatas & ceu caligine obductas discendo assequimur. Conuenit Hebr. verbũ Græc. ἀλφάνω, ἀλφαίνω, ἀλφάω, ἀλφαίνω, ἀλφαίνω, indago, inuenio, studeo, &c. ἀλφάζω, cogito, meditor, *Alluph*, Hebr. doctor, pædagogus, didascalus, antecessor, dux, qui aliis solet præire: sicut *Aleph* prima littera Hebræorum elementorum reliquas litteras omnes præcedit. Qui discit prima litterarum elementa, alphabetarius, abecedarius puer appellatur. 2. *Lamad*, sign. didicit. Et in secunda coniugatione, *Limmad* docuit. In voce passiua, *Lummad*, edoctus, assuefactus, *Limmudim*, erudit, Ies. 50. 4. ab eadem radice procedit *Malmad*, Stimulus: Nam vt stimulus regit boues in via, sic doctrina, disciplina, dux viæ, vitæq. fit hominibus in vita.

PATRUM SENTENTIAE.

Ad discendum, quod opus est, nulla ætas sera videri potest: quod & si senes magis decet docere, quàm discere: magis tamen decet discere, quàm ignorare. *Aug. in ep. *. ad Hier.*

Ego ex eorum numero me esse profiteor, qui scribunt proficiendo, & scribendo proficiunt. *Idem epist. 7.*

Ab omnibus libenter disce, quod nescis, quia humilitas tibi commune facere potest, quod natura facit commune. *In epist.*

Naturæ ordo sic se habet, vt quum aliquid discimus, rationem præcedat authoritas. *De morib. Eccl.*

Nihil prodest facienda didicisse, & non facere. Melius est nescire aliquid, quàm cum periculo discere. *Hier. in epist.*

Vera hominis scientia est imperfectum se nosse. *Idem ad Luc.*

Optabile est, & mihi præclarum vsque ad vltimam discere senectutem: quoniam nulli ætas ad perdiscendum sufficere potest. Docere verò alios affectare eum, qui non sufficienter instructus est: res mihi videtur antiqui prouerbii: In dolio discere artem figuli, hoc est, in periculo. *Greg. Naz. in apologet.*

Sunt, qui scire volunt, eo fine tantùm, vt sciant, & turpis curiositas est: & sunt, qui scire volunt, vt scientiam suam vendant, & turpis quæstus est: sunt, qui scire volunt, vt sciantur ipsi, & turpis vanitas est. Sed sunt quoque qui scire volunt, vt ædificent, & charitas est: & sunt qui scire volunt, vt ædificentur, & prudentia est. *Bern. in Cant. ser. 26.*

Sapiens quidam, cum de modo & forma discendi interrogaretur: Mens, inquit, humilis, studium quærendi, vita quieta, scrutinium tacitum, paupertas, terra remota: Hæc reserare solent multis obscura legendo. Audierat puto, quod dictum est, mores ornant scientiam, & ideo præceptis legendi, præterea quoque viuendi adiungit: vt & modum vitæ suæ & studii sui rationẽ lector agnoscat. Illaudabilis enim est scientia, quam vita maculat impudica, & idcirco summopere cauendum est ei, qui quærit scientiam, vt non negligat disciplinam. *Hugo lib. 3. didascalic.*

Multos hoc decipit, quod ante tempus sapientes videri volunt: vt iam & simulare incipiant, quod non sunt, & quod sunt erubescere: & eò longius à sapientia recedunt, quod non esse sapientes se putari putant. Sed si magnorum & sapientum, vel scripta audierunt, vel verba, Nos, inquiunt, vidimus illos, & nos ab illis legimus, sæpe nobis loqui illi solebant. Illi summi illi famosi cognouerunt nos, sed vt me nemo agnoscat, & ego cuncta nouerim. *Ibidem.*

Ab omnibus libenter disce, quod tu nescis: quia humilitas commune tibi facere potest, quod natura cuique proprium fecit. Sapientior omnibus eris, si ab omnibus discere volueris. Qui ab omnibus accipiunt, omnibus ditiores sunt. Audi Chrysippum in prouerbiis: Quod tu non nosti, fortassis nouit asellus. *Ibidem.*

Qui enim diligenter inspicere velit, quid antiqui propter amorem sapientiæ pertulerint, quàm memoranda posteris virtutis suæ monumenta reliquerint, quamlibet suam diligentiam inferiorem esse videbit: Alii calcabant honores, alii proiecerant diuitias, alii acceptis iniuriis gaudebant, alii pœnas spreuerunt, alii contubernia hominum deserentes, vltimos recessus, & secreta eremi penetrantes, se soli philosophiæ dedicabant: vt quantum mente & intelligentia à cæteris differrent, ipsa locorum distantia demonstraret: nec vna teneret habitatio, quos non eadem sociabat intentio. Cuidam Philosopho referebat quidam dicens: Nunquid non vides, quia te derident homines? & ille: Ipsi me, inquit, derident, & eos asini: Cogita, si potes, quanti æstimauerit laudari ab iis, à quibus nec vituperari timuit. *Ibidem.*

Quid est, quod ex tanta turba discentium, quorum multi & ingenio pollent, & exercitio vigent, tam pauci inueniantur, quibus ad scientiam peruenire contingat? Sciendum est, quòd in quolibet negocio duo sunt necessaria: opus videlicet, & ratio operis, quæ ita sibi annexa sunt, vt alterum sine altero aut inutile sit, aut minus efficax. Verumtamen melior, vt dicitur, prudentia est fortitudine: quia & apponenda aliquando, quæ viribus mouere non possumus, arte leuamus. Sic nimirum est in omni studio, qui sine ordine & discretione operatur, laborat quidem, sed non perficit, & quasi aerem verberans vires in ventum fundit. Aspice duos pariter siluam transeuntes: & hunc quidem per deuia laborantem, illum verò recti itineris compendia eligentem: pari motu cursum tendunt, sed non æquè perueniunt. Quid autem scripturam dixerim, nisi siluam? Cuius sententias quasi fructus quosdam dulcissimos legendo carpimus, tractando ruminamus. Qui ergo in tanta multitudine librorum, discendi, ac legendi ordinem non custodit, quasi in densitate saltus oberrans, tramitem recti itineris perdit: &, vt dicitur, semper discentes, & nunquam ad scientiam peruenientes. Tantum enim valet discretio, vt sine ipsa & omne otium turpe sit, & labor inutilis. *Idem lib. 5.*

Proximus cognitioni est, qui, quid debeat inquirere, prudenter agnoscit. Maxima enim pars intelligentiæ est, scire, quod nescias. *Idem.*

Nunquam ad rationem veritatis intrabit: quisquis à discussione cœperit erudiri. *Idem.*

Interdum expedit patriam negligere, vt sapientiam quis possit acquirere. Vlysses Ithacensis nisi hoc fecisset, laboribus propriis fortè latuisset, cuius sapientiam hinc maximè Homeri nobile carmen asseruit: dum illi prudentiores sunt semper habiti, qui multorum hominum conuersationibus probantur eruditi. *Cass. lib. 3. Epist.*

Desiderabilis est litterarum eruditio, quæ naturam laudabilem eximiè reddit ornatam. Ibi enim prudens inuenit, vnde sapientior fiat: ibi bellator reperit, vnde animi virtute roboretur: inde princeps accipit, quomodo populos sub æqualitate componat: nec aliqua in mundo potest esse fortuna, quàm litterarum non augeat gloriosa notitia. *Idem lib. 3.*

Hic enim decorum est, terminum non habere: hic honesta probatur ambitio, cuius etiam & nimietas placet: omne siquidem scientificum, quantò profundius quæritur, tantò gloriosius inuenitur. *Idem lib. 2.*

Quærat eruditus, vnde possit esse gloriosus, prudens frequentiam non respuat hominum, quos nouit esse laudandos, alioquin fama tollitur virtutum, si earum merita in hominibus nesciuntur. Nam quale desiderium est ciuium frequentiam deserere, cùm aliquas quoque auium conuersationi humanæ videamus se velle miscere? *Idem lib. 1.*

Quod in iuuentute nõ discitur, in matura ætate nescitur. Ars enim bellandi si non præluditur, quum fuerit necessaria, non habetur. *Ibidem.*

Aegre namque dediscitur, quod didicit ætas tenerior: Quia, quò semel est imbuta recens seruabit odorem Testa diu. *Ibidem.*

Nihil tam incredibile, quod non discendo fiat probabile. *Ibidem.*

Philosophorum Sententiae.

Lectio certa prodest, delectat. Qui, quò destinauit, peruenire vult, vnam sequatur viam, non per multas vagetur: non ire istud, sed errare est. *Senec. epist. 43.*

Mutuo ista fiunt: & homines dum docent, discunt: non est, quod gloria publicandi ingenij producat in medium, vt recitare illis velis, aut disputare. Si haberes isti populo idoneam mercedem, nemo est, qui intelligere te possit. Cui ergo, inquis, ista didici? non: est quod timeas, ne operam perdideris, si tibi didicisti. *Senec. epist. 7.*

Quid est illo turpius, quàm quia diu non didiceris, non discere? omnis ætatis homines schola admittit. Tamdiu discendum est, quamdiu nescias. Si prouerbio credis, quamdiu viuas, etiam seni discendum est. *Epist. 76.*

Mores primum, mox sapientiam disce, quæ sine moribus malè discitur. *ibid.*

Debent homines viaticum senectutis litterarum eruditione parare, discendo, ne defecerint insipienti animo: litteras tamquam baculum infirmo corpori repertas esse: eumdē finem esse discendi, qui & viuendi. *In prouerb. philosophor.*

Apophthegmata.

Solon, cum eius nepos ex fratre inter pocula carmen quoddā Sapphus cecinisset, delectatus est illa cantilena: & iussit adolescentem, vt eam se doceret. Cum autem quidam interrogasset, quam ob causam hoc desideraret? respondit; Vt postquam ipsam didicero, moriar. Voluit autem ostendere, quàm auidus disciplinæ fuerit: vt qui morti iam proximus, ab alijs doceri non erubuerit. *Aelian. de var. hist.*

Idem gloriari solebat, se aliquid quotidie addiscentem, senem fieri. Tanta enim homini sapientissimo inerat discendi cupiditas, vt senio iam grauatus, non minus philosophiæ incumberet, quàm cum adolescens, ac iuuenis fuisset: sciebat enim, hæc studia magnum senectutis solatium esse. *Cicero in Catone Maiore.*

Antisthenes. Eius placita non indigna sunt, quæ commemorentur; dicebat; τὴν ἀρετὴν εἶναι διδακτὴν, id est, virtutem disci posse. Aduersus eos, qui putant nasci cum homine, aut naturæ affectus studio vinci non posse. *Laer. l. 6. c. 1.*

Zeno dicitur consuluisse oraculum, quo pacto posset vitam optimè instituere, respondit vates, εἰ συγχρωτίζοιτο τοῖς νεκροῖς, id est, si concolor fieret mortuis. Ille sentiens, se vocari ad lectionem veterem, contulit sese ad philosophiam. Dicitur autem Zeno natura fuisse colore fusco. Studium ac virtus parsimoniam, maciem, pallorem conciliat homini. *Laer. l. 7. c. 1.*

Polemon. Idem Zeno, licèt iam profecerat, tamen modestiæ gratia commeabat ad Polemonem, apud quem in Dialectica exercebatur. Vnde Polemon solitus est dicere: Non me clam est Zeno, te per posticum irrepere, furarique dogmata, quibus Phœnicum more indutus es. Notans, illum furtim discere gratis, quæ alijs esset venditurus. *Laer. l. 7. c. 2.*

Diogenes Athenas profectus, ad Antisthenem se contulit: à quo sæpe repulsus (nullum enim discipulum recipiebat Antisthenes) non destitit tamen hærere; adeo, vt quum aliquando baculum intentaret Antisthenes: vltrò baculo caput subiecerit, dicens: Cæde, si vis; at nullum inuenies baculum iam durum, quo me abs te abigas, dum aliquid dixeris. Insigne exemplum adamatæ sapientiæ. *Laer. l. 6. c. 2. Aelian. l. 10 de varia hist.*

Democritus arrodens cucumerem, sensit humorem esse mellei saporis, rogauitque famulam, vnde emisset? Illa nominauit hortū. Surrexit Democritus: Et, duc me, inquit, eò, ac locum indica. Demirante muliercula, quid sibi vellet? Vt, inquit, dulcedinis causam inueniam: inuenturus, si locum inspexero. Hic muliercula ridēs: Quiesce, inquit, o bone, nam ego imprudens cucumerem imposueram in ollam mellitam. At ille offensus: Molesta es, inquit, ego tamen incumbam, quæramque causam: quasi cucumeri peculiaris sit ac genuina dulcedo. Sit hoc exemplum studij infatigabilis, *Laer. l. 9. c. 7.*

Cleanthes Antigono discipulo roganti, cur sordidam operam præstaret hauriendo aquam è puteo, vnde per iocum pro Cleanthe dictus φρεάντλης, ita respōdit: Num haurio tantum? an non & fodio, & rigo hortum, denique nihil non facio philosophiæ causa? Alius negasset factum; Philosophus ausit, quod obijciebatur, gloriæ sibi ducens, quod illi vertebat probro. *Laer. l. 7. c. 5.*

Metrocles dicebat, res alienas emi pecunia, vt domum, vestem, & alia: disciplinas autem liberales emi tempore: Requirunt enim diuturnum studium, & indefessam diligentiam. *l. 6. c. 6.*

Socrates. Et in senectute cytharam pulsanti, & aberrāti, dixit quidā. Tune adeo senex cythara ludis? respondit ille: Atqui præstat sero, quàm nunquam discere. *Stob. ser. de assiduitate.*

Isocrates. apis, inquit, omnibus floribus insidet, à singulis, quod vtile est, accipiens. Ita doctrinæ cupidus nihil non attingit, & vndique, quæ sunt vtilia, colligit. *Maxim. ser. 19.*

Demosthenes interrogatus, quo pacto sibi oratoriam facultatem cōparasset? Plus olei, inquit, quàm vini mihi consumptum est. *Stob. ser. 27.*

Idem. Tanta diligentia versatus est in oratoria, vt nullam aliam ob causam magis se dolere dixerit, quàm si quando opificum antelucana victus esset industria. *Cic. l. 4. Tusc. qq.*

Marcus Imp. Lucius quum Romam venisset, obuiam factus Imperatori Marco, percontatus est illum, quò iret, & cuius rei gratia? cui Imperator: Honestum est & seni discere; eo ad Sextum Philosophum, vt discam, quæ nondum scio. Hic Lucius sublatis in cœlum manibus: O Iupiter, inquit, iam senex tabellam gestans puerorum more commeat in ludum, quum noster rex Alexander triginta duos annos natus vita defunctus sit. Hic citius probarim Cæsaris & studium & moderationem, quam Lucii libertatem. *Philostratus.*

Saluius Iulianus. Is tum eximia iuris cognitione, tum multorum principum amicitia clarus, solitus est dicere: Et si alterum pedem in sepulchro haberem, adhuc addiscere vellē. *Refertur Pandectarum li. 4. tit. de Fideicommiss. l. apud Iulianum.* Hæc sententia optimo iure placuit laudatissimis viris. Sed hodie passim audimus has voces: Iā adultus sum, serum est discere. Imò hoc turpius est nescire, quæ cognitu digna sunt, quod adultus es.

Alphonsus Rex. cum aliquando de iactura rerum preciosarum sermo haberetur, persanctè affirmasse dicitur: Malle se gemmas, vniones, margaritas suas, quæ quidem essent in orbem omnem terrarum diffamatissimæ, quàm libros qualescunque perditum iri. *Panorm. l. 4. de rebus gestis Alphonsi.*

Similitudines.

Isocratis. Vt videmus apem omnibus floribus insidentem à singulis, quod vtile sit, accipere: sic & doctrinæ cupidos nihil non attingere, & vndique, quæ sunt vtilia, colligere. *Apud Max. ser. 15.*

Plutarchi: Vasa ad accipiendum, quod infunditur, accommodant & inclinant sese: sic qui discit, debet accommodare sese, ne quid effluat eorum, quæ vtiliter dicuntur. *In Mor.*

Vasorum maiorum & putrium aures quibuslibet implentur potius, quàm necessarijs: ita quidam stultissima discunt. *In Moral.*

Vt priusquam assueuimus, multa nos offendunt in homine, quæ postea assuetis sunt etiam iucunda: sic in litteris, in philosophia, prima illa tædia toleranda sunt, donec vsu fiant facilia, iucundaque. *In Mor.*

Cibus innatans stomacho, onus est, non cibus: idem mutatus, in vires & sanguinem transit: sic quæ legeris, si solida durant in memoria aliena manēt; si abeunt in ingenium, tum reddunt eruditionem. *Seneca.*

Terra quæ gignit salem, nihil aliud gignit: sic ingenia fœcunda in litteris, in cæteris fere rebus non perinde valent. *Plin. l. 31. c. 7.*

Vina vasis infusa è taxo factis, mortifera sunt: Ita salutaris alioquin eruditio, si inciderit in hominem pestilentem, moribus illius redditur noxia. *Plin.*

Vt laurus tota viret, & perpetuò: ita doctrinæ fama non senescit, neque marcescit. *Plin. l. 15. c. 30.*

Vt qui hircosi sunt, grauius olent, cum se vnguentis obleuerint: ita fœdior est nequitiæ fama, si eam doctrinæ celebritas reddat magis conspicuam, latiusque traducat in hominum fabulas. *P. M.*

Vt gemma minutula quædam res est, sed ingentibus tamen saxis anteponitur: sic homo pusillus, sed ingenio valens: item philosophia seu virtus ostentatione minimum quiddam est, sed precio maximum. *idem.*

In ludo sphæræ simul discunt & mittere & excipere commodè: ac in doctrina prius est benè accipere, quàm mittere, quemadmodum concipere prius est, quàm parere. *idem.*

Vt salicis semen ante maturitatem abiectum, non solum ipsum nihil gignit, verùm etiam fœminis sterilitatis medicamentū est, hoc est, efficit, ne concipiant: sermones illorum, qui prius docent, quàm verè sapiant non solùm ipsos non reddunt meliores, verùm etiam auditores suos inficiunt, & reddunt indociles. *Plut. l. 6. c. 27.*

DISCIPLINA.

Definitio et Etymol.

Disciplina, Græcè μάθημα, ατος, & μαθητεία, discipulus dicitur: & μαθητεύω, doceo dicitur. Vide *Discere.* Est autem disciplina, morum inordinata correptio, & maiorum præcedentium Patrum regularum obseruatio, *secundum Cyprian.*

Disci-

Disciplina est obseruatio bona & honesta, cui parum est malum facere, sed studet & his, qui bene agunt, per cuncta irreprehensibilis apparere, *sec. Hug. de S. Victore.*

Disciplina est pars potentialis iustitiæ contenta sub humanitate, *sec. B. Thom. 2. 2. q. 80. ar. 3.*

Disciplina a discere dicitur. Discere, n. propriè est rem ignotam assequi, quod vel meditando fit, vel ab alio discendo, vnde qui docet, doctor: qui discit, discipulus dicitur, à quo disciplina ipsa ars appellatur. hic disciplinosus, qui facilè discit.

SENTENTIÆ BIBLICÆ.

Si iustus in terra recipit, quanto magis iniustus & peccator? *Prouer. 12.*

Egestas & ignominia ei, qui deserit disciplinam: qui autem acquiescit arguenti, glorificabitur. 13.

Cum enim tentati sunt, & quidem cum misericordia disciplinam accipientes, scierunt, quemadmodum cum ira iudicati impij tormenta paterentur. Hos quidem tamquam durus rex interrogans condemnasti. *Sap. 11.*

Frustra percussi filios vestros, disciplinā non receperunt. *Ierem. 2.*

Percussisti eos, & non doluerunt: attriuisti eos, & renuerunt accipere disciplinam. 5.

Hæc est gens, quæ non audiuit vocem Domini Dei sui, & non recipit disciplinam ore. 7.

Væ prouocatrix & redempta ciuitas columba. Non audiuit vocem, & non suscepit disciplinam. *Soph. 1.*

Disciplinam Domini, fili mi, ne abijcias, nec deficias, cum ab eo corriperis. Quem enim diligit Dominus corripit, & quasi in filio complacet sibi. *Prouer. 3.*

Tene disciplinam, nec dimittas eam: Custodi illam, quia illa est vita tua. 4.

Sapientiam enim & disciplinam qui abijcit, infelix est: & vacua spes illorum, & labores sine fructu, & inutilia opera eorū. *Sap. 3.*

Congregate vos in domo disciplinæ. *Eccl. vlt.*

Fili mi, noli negligere disciplinam Domini, neque fatigeris, dū ab eo argueris. Quem enim diligit Dominus, castigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit. In disciplina perseuerate. Tāquam filijs offert se Deus. Quis enim filius, quem non corripit pater? Quod si extra disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes, ergo adulteri & non filij estis. *Hebr. 12.*

Disciplina malitiam refrenat.

Et disciplina tua correxit me in finem. *Ps. 18.*

Et relinquam in vobis eos, qui fugerint gladium in gentibus, cum dispertero vos in terris, & recordabuntur mei liberi vestri in gentibus, ad quas captiui ducti sunt, quia contriui cor eorum. *Ezec. 6*

Culpam purgat.

Via vitæ custodienti disciplinam. *Prou. 10.*

Dum iudicamur autem, a Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur. *1. Cor. 11.*

Gratiam conseruat.

Qui diligit disciplinam, diligit scientiam. *Prou. 12.*

Malitia horæ obliuionem facit luxuriæ magnæ. *Eccl. c. 11.*

Ego quos amo, arguo & castigo. *Apoc. 3.*

PATRVM SENTENTIÆ.

Disciplinarum vsus extra Deum infelix, cum Deo non improbatur. *Aug lib. 5. confess. c. 4.*

Ad discendum quod opus est, nulla ætas sera videri potest, quod etsi senes magis decet docere, quàm discere, magis tamen decet discere, quàm ignorare. *Aug. epist ad Hieron.*

Si pro viribus suis alatur infans, fiet vt crescendo plus capiat: si modum suæ capacitatis excedat, deficit antequam crescat. *Aug. de Ciui. Dei, lib. 12.*

Vos pro modo vestra ministrare Christo bene viuendo, eleemosynam faciendo, nomen, doctrinamq. eis, quibus potueritis, prædicando. Et vnusquisque paterfamilias hoc non ignorat, paternum affectum suæ familiæ se debere pro Christo & vita æterna: omnes moneat, doceat, corripiat, impendat beneuolentiam, exerceat disciplinam. Ita in domo sua Ecclesiasticum, quodammodo temporale officium impleat ministrans Christo, vt in æternum sit cum eo. *Aug super Io. hom. 50. super illud 12. Qui mihi ministrat.*

Senex à iuuene, & Episcopus tot annorum à collega, necdum anniculo paratus sum doceri, quomodo possim vel Deo, vel hominibus iustam reddere rationem. *Aug. ad Auximium Episcopum, & habetur 24. q. 3. cau. Si habes de hac. §. Senex à iuuen.*

Disciplina ad duo diuiditur, in correctionem, & instructionem quorum primum timore, secundum amore perficitur. *Aug. lib. de morib. Ecclesiæ.*

Non enim superbia, nisi vbi negligitur disciplina: nam disciplina est magistra religionis, & veræ pietatis, quæ nec ideo increpat, vt lædat, nec ideo castigat, vt noceat: denique mores hominum irata corrigit, inflammata custodit. *Aug l. Sermonum ser. 52.*

Polyanthea Nouiss.

Bonitas malitiam vincit, disciplina voluptatem, & vltima castigat, scientia illuminat cœcitatem. *Idem ser. 58.*

Quæso, mi frater, vt omnibus tibi subiectis à maiore, vsque ad minorem, & dulcedinem regni cœlestis, & amaritudinem, ac timorem gehennæ annuncies, & de eorum salute solicitus, & vigil existas: quia pro omnibus tibi subiectis, qui in domo tua sunt, rationem Deo reddes. Annuncia, & suade eis, vt caueant à superbia, detractione, ebrietate, fornicatione, ira, luxuria, periurio, & cupiditate, quæ est radix omnium malorum. *Aug. ad Comitem.*

Habet nescio quid latentis energiæ viua vox, & in aures discipuli de doctoris ore transfusa fortius sonat. *Hier. epist. 39.*

Nihil aliud discat audire vel loqui, nisi quod pertinet ad timorem Domini, turpia non intelligat, cantica mundana ignoret, adhuc tenera lingua Psalmis dulcibus imbuatur, procul sit lasciuia puerorum, puellæ & pedissequæ à sæcularibus consortijs arceātur. *Hier. in epist. de instit. filia.*

Crescat in te ætas cum annis, cum ætate iustitia, & fides eo perfectior, quo senior. *Idem de Continentia virginali.*

Omne tempus, in quo te meliorem non senseris, hoc te æstima perdidisse. *Idem.*

Cor, quod sine disciplina est, exaltari non valet, quia humana mens sicut malè eleuata in infimis premitur, sic bene pressa in sublimibus leuatur. *Greg l. 13. Mor.*

Peto, vt paruulos dominos, quos nutris, præcipuè in moribus instruere cures: et eunuchos qui eis deputati sunt, admone, vt ea illos loqui doceant, quæ eorum mentes in charitate circa se inuicem, & erga subditos in mansuetudine compungant. *Idem Registro 7.*

Electis cum foris ætas corporis, intus, si dici liceat, crescit ætas virtutum. *Greg. Moral. 21. super illud Iob 31. Ab infantia creuit mecum miseratio.*

Miscenda est leuitas cum seueritate, & faciendum ex vtraque quoddam temperamentum, vt nec multa asperitate exulcerentur subditi, nec nimia benignitate soluantur. *Greg lib. 20. Mor. super illud Iob 29. Cum sederem quasi Rex.*

Adolescentibus in ludo litterarum positis, non tàm placent solida, quàm picta, quæq. potius pulchra, quàm vtilia sectantur. Nec tàm agentia diligunt, quàm sonantia, magis gaudent filiorum amœnitate conspergi, quàm fructuum vbertate nutriri. *Io. Chry. in Prolog. super Matth.*

O quàm compositum reddit omnem corporis statum, nec non & mentis habitum disciplina. Ceruicem submittit, ponit supercilia, componit vultum, ligat oculos, cachinnos cohibet, moderatur linguam, frenat gulam, sedat iram, format incessum. *Bernar. epist. 113.*

Iugo disciplinæ insolentia morum domanda est, quousque duris ac diutinis seniorum attrita legibus humilietur, & sanetur ceruicosa voluntas, bonumq. in se naturæ, quod superbiendo amiserat, obediendo recipiat. *Idem super Cantica.*

Quamuis in nullo loco disciplinam suam homo deserere debeat, diligentius tamen ibi conseruanda est, vbi vel neglecta, pluribus generat scandalum: vel custodita, bonæ imitationis exemplum. *Hugo de instit. nouitior.*

Multos hoc decipit, quod ante tempus sapientes videri volunt, vt iam & simulare incipiant, quod non sunt, & quod sunt, erubescere. Et eò longius à sapientia recedunt, quò non esse sapientes, sed putari putant. Sed si magnorum, & sapientum scripta audierunt, vel verba: Nos, inquiunt, vidimus illos, & nos ab illis legimus, sæpe nobis loqui illi solebant: Illi summi, illi famosi cognouerunt nos, sed vt me nemo agnoscat, & ego cuncta nouerim. *Hugo lib. de didascalic.*

Ab omnibus libenter disce, quod tu nescis, quia humilitas commune tibi facere potest, quod naturæ cuique proprium fecit. Sapientior omnibus eris, si ab omnibus discere volueris. Qui ab omnibus accipiunt, omnibus ditiores sunt. Audi Chrysippum in prouerbiis: Quod tu non nosti, fortassis nouit asellus. *Idem.*

Secunda abusio est, discipulus inobediens. *Hugo de duodecim abusionibus.*

Disciplina custos spei, retinaculum fidei, dux itineris salutaris, fomes ac nutrimentum bonæ indolis, magistra virtutis, facit in Christo manere semper, ac iugiter Deo viuere, ad promissa cœlestia, & diuina præmia peruenire. *Cyprianus de disciplina, & habitu vir.*

PHILOSOPHORVM SENTENTIÆ.

Isocrates dixit: Oportet magistros multas mercedes capere à discipulis: ab ingeniosis quidem, quia multa discunt: à rudibus verò, quia multos labores exhibent.

Discipuli subiectio in tribus consistere debet, in attentione, beneuolentia, & docilitate: vt. s. sit docilis ingenio, attentus exercitio, beneuolus animo. Intentus, inquam, ad audiendum, docilis ad intelligendum, beneuolus ad retinendum. Non sit scholaris discholus. Dicitur autem discholus, quasi a schola diuisus. Schola enim Græcè, vacatio Latinè: vnde discholus, quasi a vacatione diuisus. *Boet. de scholast. disciplina.*

Quid horũ ad virtutem viam sternit: Syllabarum enarratio, & verborum diligentia, & fabularum memoria, versuum lex ac modificatio? Quid ex his metum demit, cupiditatem eximit, libidinem frenat? *Senec. epist. 89.*

Musica monstrat mihi, qui sint modi flebiles: monstret potius, quomodo inter aduersa non emittam flebilem vocem. Metiri me Geometres docet latifundia: potius doceat, quomodo metiar, quantum homini satis sit. Numerare docet me Arithmetica, & auaritiæ commodare digitos: potius doceat, nihil ad rem pertinere computationes. Doces me, quomodo nihil perdam ex finibus meis: ego discere volo, quomodo totos hilaris amittam. O egregiam artem: scis rotunda metiri, si artifex es, metire hominis animum, dic quam pusillus sit: scis, quæ sit recta linea, quid tibi prodest, si quid in vita rectum sit, ignoras? *Idem.*

Hoc scire quid proderit? vt solicitus sim, cum Saturnus & Mars ex contrario stabunt, aut cum Mercurius vespertinum faciet occasum vidente Saturno: potius hoc discam, vbicũque sunt ista, propitia esse, nec posse mutari. *Idem.*

Quid, quod ista liberalium artium consectatio molestos, verbosos, intempestiuos, sibi placentes facit, & ideo non discentes necessaria, quia superuacua didicerunt. *Idem.*

Quare ergo liberalibus studijs filios erudimus? Non quia virtutem dare possunt, sed quia animum ad accipiendam virtutem præparant. *Idem.*

Innumerabiles quæstiones sunt de animo tantum: vnde sit, qualis sit, quando esse incipiat, quamdiu sit: an aliunde transeat, & domicilium mutet ad alias animalium formas, aliasq. coniectus, an non amplius quàm semel seruiat, & emissus vagetur in toto: vtrum corpus sit, an non sit: quid sit facturus, cũ per nos aliquid facere desierit: quo modo libertate sua vsurus, cum hac effugerit cauea, an obliuiscatur priorum, & illic nosse se incipiat, an de corpore abductus in sublime secessit? Hæc tàm multa, tàm magna, vt habere possint liberum hospitium, superuacua ex animo tollenda sunt. Non dabit se in has angustias virtus. Laxum spacium res magna desiderat. Expellantur omnia, totum pectus illi vacet. *Idem.*

Non multũ nocebit tibi ista transisse, quæ nec licet scire, nec prodest. Quidquid enim non meliores, beatosq. facturum est, aut in aperto, aut in proximo natura posuit. *Idem.*

Quattor millia librorum Didymus Grammaticus scripsit. Miser erat, si tàm multa legisset superuacua. *Idem.*

Lectio certa prodest, varia delectat. Qui, quo destinauit, peruenire vult, vnam sequatur viam, non per multas vagetur. Non ire istud, sed errare est. *Senec. epist. 45.*

Quid autem est stultius, quàm quia diu non didiceris, non discere? Omnis ætatis homines hæc schola admittit. Tamdiu discendum est, quamdiu viuas. Etiam seni discendum est. *Senec. epist. 77.*

Mores primum, mox sapientiam disce: quæ sine moribus malè discitur. *Idem.*

Debent homines viaticum senectutis, litterarum eruditione parare discendo, ne defecerint insipienti animo. Litteras tamquam baculum infirmo corpori repertas esse: eumdem finem esse discẽdiq. & viuendi. *Idem in proverbijs Philosophor.*

Educatio & disciplina mores facit: & illud sapit vnusquisque, quod didicit. *Seneca l. de morib.*

Præceptores, Pædagogosq. placidos pueris conuenit dari. *Idem l. de ira Dei.*

Nihil æquè miror, quam cum omnes cupiant optimè viuere, & sciant non alia re viui, quàm animo; Nec fieri posse, quin vt optimè viuas, animus colendus sit. Tam eo homines animum suum non colunt *Lucius Apul. de Deo Socratis.*

SIMILITVDO.

Thriueri. Quemadmodum spina, licet per se nullum fructum gratum hominibus proferat, in pyrum tamen inserta, fructus dulcissimos edit: Sic homo agrestis licet sit, disciplina tamen adeo formari potest, vt fructus dulcissimus suo tempore proueniat. *In apop. 10.*

DISCIPVLVS.

DEFINITIO ET ETYMOL.

Discipulus, Græcè *μαθητής*, dicitur ille, qui disciplinam ab alio percipit imitator. Heb. *Talmido*, à verbo *Lamadh*, id est, Didicit, & in secunda coniugationis voce passiua *Lummadh*, edoctus est. Semel reperitur ea vox, nempe 1. Chron. 25. 8. Græcè autem sæpiss. in nouo Test.

SENTENTIAE BIBLICAE.

Si vos manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos. *Io. 8.*

Amen, amen dico vobis, non est seruus maior domino suo, neque Apostolus maior eo, qui misit illum. Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea. 13.

Non est discipulus super magistrum, nec seruus super dominum suum. Sufficit discipulo, vt sit sicut magister eius, & seruo, sicut dominus eius. Si patremfamilias Beelzebub vocauerunt, quanto magis domesticos eius. *Matt. 10.*

In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem. *Io. 13*

Perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister eius. *Luc. 6.*

Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suã, non potest meus esse discipulus. 14.

Sic ergo omnis ex vobis, qui nõ renunciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus. *ibid.*

Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis: Non est seruus maior domino suo. Si me persecuti sunt, & vos persequentur, si sermonem meum seruauerunt, & vestrum seruabunt. *Io. 15.*

POETICAE SENTENTIAE.

Auson. Eidyll. 5.

Disce libens. tetrici nec præceptoris habenas
Detestere nepos: numquam horrida forma magistri.
Ille licet tristis senio, nec voce serenus
Aspera contracta moneatve iurgia frontis.
Numquam immanis erit placita assuetudine vultus
Qui semel imbuerit rugas nutricis amabis.
Qui refugit matrem, pappos, auiasq. trementes
Anteferunt patribus seri noua cura nepotes;
Sic neque Peliden terrebat Achillea Chiron
Thessalico permixtus equo, nec pinifer Athlas
Amphitryoniadem puerum, sed blandus vterque
Mitibus alloquiis teneros mulcebat alumnos.
Tu quoque ne metuas, quamuis schola verbere multo
Increpet, & truculenta senex gerat ora magister.
Degeneres animos timor arguit: at tibi consta
Intrepidus, nec te clamor, plagaq. sonantes,
Nec matutinis agitet formido sub horis,
Quod sceptrum vibrat ferula, quod multa supellex
Virgea quod mollis scuticam prætexit aluta,
Quod feruent trepido subsellia vestra tumultu.
Pompa loci, & vani fugiatur forma timoris.

Ouid, 1. Art.

Phyllirides iuuenem cithara perfecit Achillem,
Atque animos molli contudit arte feros.
Qui toties socios, toties exterruit hostes,
Creditur annosum pertimuisse senem.
Quas Hector sensurus erat, poscente magistro,
Verberibus iussas præbuit ille manus.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

De insigni discipulo. Dial. LXXXI.

Francisci Petrarchæ.

GAV.

Insignem discipulum pene filio chariorem casus obtulit. R. Importunum negotium puerilis ingenij non æquis gressibus ingenium coaptare, & in vnum semper infantem affixos oculos atque animum habere, ad illius tolerantiam intellectum tuum, vocemq. submittere. Quod si discipuli plures sunt, cumulatior fit congeries laborum, verte continuè huc, illuc, vtq. ait Satyricus:

Tot puerorum Obseruare manus, oculosq. in fine trementes.

G. Vnus, isq. clarissimus est mihi discipulus. R. Pro vno discipulo claro multis obscuris indicijs te obijcis: quid ille deliquerit in tuum caput redundabit. en doctrinam, inquiet, en facundiam, eo mores, in hoc magistrum inspice. Nulla quam ingeniorum certior effigies. G. Discipulum sum nactus illustrem. R. Age ergo magna spes est gloriæ profectus ingenio illius, defectus culpæ tuæ dabitur.

dabitur. Cum (vt Plutarchus Philosophus ad Troianum principem discipulum scribit.) Sermo publicus delicta discipulorum refundere soleat in præceptores; quod multi (vt legimus) passi sunt. Inter quos Quintilianus & Seneca, & ipse Philosophorum pater Socrates. G. Præclari discipuli sunt mihi. R. Melius si modesti, quoniam vera claritas sine virtutis radio nulla est. G. Magni discipuli curā gero. R. Triformi congrederis Chimeræ, hinc vt puero prosis, hinc vt parentibus placeas, illinc autem, vt Reipub. rationem reddas, quam de tuis manibus exiget, rudemq. illum tibi creditum eruditum repetet. G. Pueri nobilis mihi cura commissa est. R. Suspecta est ætas, & suspecta nobilitas, illa sponde timmemorem, hæc superbum. G. Puer mihi creditus me veretur. R. Quid dices, dum te despiciet adolescens, vir fortasse vix nouerit? nota fides pueri, nota constantia est. G. Puer mihi creditus me amat. R. In tenero pariete imaginem impressisti, illo crescente delebitur. Firmus amor solidam poscit ætatem. G. Clarus puer edocendus in sortem venit. R. Inquieta sors euentus ambigui, quædam ingenia nullo studio eriguntur. Est, vbi pater impēsam, præceptor operam, puer tempus amittit. docilem doce, indocilem ne fatiges, ne & illum teque simul frustra atteras. ægre vincit ars naturam. G. Discipulus tenet, nec indocilis obtigit. R. Etsi in lubrico stas, atque in fluxu struis, age tamen fideliter cōmissum. Si plena ætas accesserit, poterit meminisse, alioqui sua erit obliuio, fides tua, magnum satis ipsa sibi virtus est præmiū. Conscientia bonorum operum nihil est dulcius, nonste retrahat ab honesto desperatio præmiorum, quia nullum etiam in hac vita recte factum præmio caret, cuius (vt sapientibus placet) fructus vberrimus est fecisse, atq. in silentio oem inisse. G. Inueni discipulum magnæ spei. R. Ex magnæ solicitudinis, & profecto si bonus fiat, filium tibi cor genuerit, lingua peperit, sin malus, hostem, qui te, dum timuisse recordabitur, oderit. G. Discipuli claritas ingens est, qua illustrari spero. R. Moderata claritas oculos delectat, immoderata perstringit. Præterea nullus te, nisi tu luceas, illustrabit, & si derogat, verum lumen ab intra est. G. Magnus est mihi discipulus. R. Non maior puto, quam Senecæ: præceptorum alios protexit, alios oppressit discipuli magnitudo, his portus fuit, his scopulus.

De discipulo indocili ac superbo. Dial. XLI.

Francisci Petrarchæ.

D o l.

Discipulum habeo indocilem. R. Perdis operam, littus aras, semina proijcis, natura non vincitur. D. Discipulum indocilem sors dedit. R. Terræ aridæ colonus, solue boues quid te torques? Illi parce, & tibi cum tot sine labores necessarij, ineuitabiles, superuacuos quærere stultitia est. D. Discipulum habeo literarum indocilem. R. Si docilis est virtutum, illac insta, melioribus illum artibus ornaueris. Quod si neutrum capit, vacuum sine, neve quid in pertusum vas effunderis, quod neque ibi subsideat, teque iugi tædio exhauriat, sic habeto etiam. Omnes qui sunt, quiq. erunt, aut fuerunt virtutibus, aut doctrinis clari, non posse vnum ingenium accendere, nisi aliquæ intus in animo scintillæ sint, quæ præceptoris spiritu excitatæ, & adiutæ generosum disciplinæ fomitem arripiant. Alioqui algidum in cinerem nequicquam flabis. D. Intractabilem discipulum ac superbum habeo. R. Superbis hostis ingenij est, dumq. subesse dedignatur, & discere negligit discipulus insolens ægre manum ferulæ subijciet, doctrinæ animum, reprehensionibus autem, collū iugo. D. Habeo prosperitate tumidum discipulum. Sicut tumor oculorum visui, ita tumor animi ingenio nocet, vt disciplinis aditus fiat, comprimenda est omnis elatio. Scis, vt Alexander Macedo, cum aliquando Mathematicis animum applicasset, & Geometrica sibi quædam obscuriuscula traderentur, difficultatibus offensus præceptori imperat, vt id ipsum clarius tradat, & quid illi respondeat. Hæc inquit, æque omnibus difficilia sunt, vt s. omnem illi spem regij fastus excuteret, sic est enim hercle. Nullæ sunt fortunæ partes in ingenij rebus quisquis doctus ac sapiens fieri vult, obliuiscatur interim se potentem. D. Discipulum rudem elatumq. habeo. R. Contra ventum aduerso flumine nauigas, contrahe carbasa, terram pete. D. Contumacem habeo discipulum, proteruumq. R. Non arenam tantum fodis, sed serpentem nutris, Aconitum excolis, hostem doces. D. Duræ discipulum ceruicis instruo. R. Surdo canis, sed sic est, hos clamor, hos silentium delectat. Potentissima semper in rebus omnibus consuetudo est. Vide vt piscator tacitus, clamosus venator, ad clamosior aliquando scholæ arbiter quam syluæ. D. Duricordem discipulum nactus sum. R. Sæpe facilius vrsi caput mollias, quam hominis, quid vis autem? Est in fabulis lupum & vulpeculam literas didicisse. Nam elephantis studiosi nō anilis fabula est, sed naturalis historia. Et hic tuus forsitan studio naturam leniet. Apud me autem vna fere pastoris ac præceptoris vita est. Mirum nisi vterque tandem a conuictu mores traxerit. Ille beluas regit, hic pueros.

A p o p h t h e g m a t a.

Antisthenes, Quū adolescens quidam Ponticus genere, se in numerū discipulorum illius recipi cuperet, patri quærenti, quib. rebus esset opus: libro (inquit) nouo, stilo nouo, nouaq. tabella. Significās animum a vitijs vacuum, studium vigil, & memoriam fidelem. Solent autem adolescentes voluptatibus ac delicijs occupatam mentem ad præceptorem adferre, quæ res fere in causa est, vt minus proficiant. At philosophia totum animum sibi postulat. *Laer. l. 6. c. 1.*

Arist. Stagirita interrogatus, quo pacto fieret, vt discipuli quā plurimum proficerent. si, inquit, præcedentes gnauiter insequantur sequentes non moreantur. *Laer. l. 5. c. 1. Bruson. l. 2. c. 23.*

Xenocrates. Dionysius, quum Platoni diceret, aliquis auferet tibi caput: Xenocrates, qui tum præceptori aderat. Non prius, inquit, quam hoc, suum ostendens. *Laer. l. 4. c. 2.*

Alexander, cum interrogaretur, Vtrum magis desideraret patrem Philippum, an Aristotelem præceptorem? Magistrum, inquit. Ille enim, vt essem, hic autem, vt præclare institutus essem, author fuit, *Ant. in Meliss. p. 2. ser. 11. & Max. ser. 23.*

Stratonicus in ludo suo quum haberet pictas Musas nouem, Apollinem vnum, discipulos autem tantū haberet duos, rogatus a quodam, Quot haberet discipulos? Cum dijs, inquit, duodecim. *P. M. l. 6. apoph. ex Athenæo, & Bruson. l. 5. c. 12.*

Bion. Arrogantiam dicebat esse profectus obstaculum. Indocilis enim est qui mauult doctus videri, quam esse. *Laer. l. 4. c. 4.*

Idem. Cuidam obijcienti, quod adolescentem quendam ad se non pellexisset: Tenellus, inquit Bion, caseus non attrahitur hamo. Significans pueros delicatos non esse studijs accommodos. *Laer. l. 4. c. 7.*

Zeno, quum quendam ex discipulis inflatum turgidumq. esse nosset, sed desidem ac ignauum, percutiens dicebat: Non si magnus fueris, bonus & eruditus eris: sed si bonus & eruditus, tum demum revera magnus eris. *Bruson. l. 2. c. 23.*

Diogenes adolescenti cuidam, qui apud illum volebat philosophari, pernam dedit deferendam, ac sequi iussit. At ille disciplinæ impatiens, abiecta, quam ferebat, perna, abscessit. Sed post aliquantulum temporis occurrenti illi Diogenes: Tuam & meam, inquit amicitiam perna dissoluit. Sensit autem obiter philosophus clarissimus, eum nequaquam bonum fore discipulum, qui præceptoris moribus se non accommodaret, ac in licitis & honestis suum denegaret præceptori officium. *Bruson. l. 2. c. 23.*

Theodorus dicere solebat, Pitagoram, præceptorem omnium fidissimum, dextra manu porrigere auditoribus suis scientiam, illos vero sinistra accipere. *Bruson. l. 6. c. 2.*

Isocrates, Ephorum Cumanum, qui scholam ipsius reliquit nullo profectu, atque ob id a patre Demophilo denuo missus est, vt ab integro data mercede discipulum ageret, δίφρον, appellabat. Diphros enim Græcis dicitur currus, quod duos ferat, pugnatorem & aurigam. Isocrates autem ex vocis etymologia captauit iocum in stupidum discipulum, qui bis attulerit mercedem: δίφρος enim dici videtur ἀπὸ τοῦ δὶς φέρειν, id est, a bis ferendo. *P. M. l. 8. apoph.*

Idem, Cum diuersis moribus & ingenijs haberet discipulos, Ephorum s. & Theopompum: se calcaribus in Ephoro, contra autem in Theopompo frenis vti solere dicebat. *Cic. ad Attic. & de claris Orator. Quintil. etiam l. 10. c. 1. Bruson. l. 2. c. 32.*

Anonymus, Philosophus quidam quum duos haberet discipulos: alterum quidem laboriosum, sed hebetis ingenij, alterum ingeniosum, sed ignauum: Ambo, dicebat, pereatis: quoniam tu cum velis non potes: tu vero cum possis, non vis. *Ant. in Meliss. p. 1. ser. 5. & Max. ser. 7.*

Stratonicus, Quum doceret Macedonem quendam, nec ille quicquā proficeret, exasperatus in discipulum: In Macedoniam, inquit, pro eo, quod alij dicunt, εἰς μακαρίαν, si cui precantur exitium. Obiter notauit & Macedonicæ gentis barbariem.

S i m i l i t u d i n e s.

D. Basilii. Neq. ad discendum verecundum esse oportet, nec ad docēdum malignum, quod ab alio tute didiceris, nequaquā clam habendum: cuiusmodi facere mulieres improbæ solent, quæ ex alijs ipsæ quæsitos liberos viris suis tollendos subijciunt, patrē mentientes: authorem vero ipsum procedere grata commemoratione decet, verumq. ipsius sententiæ parentem. *Ad Greg. Theolog.*

Plut. Quemadmodum ignaui, cibiq. auidi canes domi ferarum pelles mordent, ac villos vellunt, feras ipsas in venatu non attingunt. Sic quidam præpostere studiosi de nugis agunt, caput disciplinæ non attingunt. *In Mor.*

Vt auis quicquid pabuli nacta est, in pullos transfert, protinus

ipſi nihilo meliua eſt: ita quidem ideo diſcunt, vt ſtatim doceāt: ipſi nihilo meliores euadunt. *In Mor.*

Veluti ſi quis ignem petat a vicino, deinde illic luculento reperto foco deſiderat, manetque: ita quidam ſemper aſſident præceptori, nec accendunt ingenium ſuum, vt domi ſuo fruantur igni. *In Mor.*

Non vt vaſa, iidem ingenia deſiderant repletionem: ſed ſatis eſt accenſio, velut incitamentum in materia, quo vis inueniendi, & cupiditas veritatis incitetur. *In Mor.*

P. M. Vt nonnullæ mulieres ex viris quibuſdam non concipiunt, alijs fœcundæ adiunctæ fiunt: ita ſunt, qui apud quoſdam præceptores indociles, alijs traditi doctoribus proficiunt: quod ſint vt corporum, ita & ingeniorum cognationes ac diſſidia. *In ſimil.*

Non vt ex ſapientiſſimis parentibus ſtultiſſimi plerunque naſcuntur filij: ita a doctis præceptoribus indocti diſcipuli, a probis educatoribus alumni improbi. Nam illic eſt corporum propagatio, hic animorum. *In ſimilib.*

Theopompi. Bonus dux mauult multos milites, quam multa caſtra: & melius eſt habere paucos diſcipulos, quam multos auditores. *In apoph.* 105.

DISCORDIA.

DEFINTIO, ET ETYM.

Diſcordia, Græce *διχοστασία, ας, ἡ*, & *διχόνοος, ὁ*, diſcors dicitur. Eſt autem diſcordia ira acerbior, intimo odio & corde concepta, *ſec. Cic. l. 4. Tuſc. qq.* Hebr. Madhon, a Don, contendit verbis, diſceptauit, vt fiunt diſcordes.

Diſcordia eſt quædam voluntatum diſgregatio, qua voluntas vnius fertur in vnum; & voluntas alterius fertur in aliud.

Diſcordia eſt aliquorum diuerſio, quos prius amoris vinculum colligauit, *ſec. Iſid.*

Diſcordia importat diſgregationem quandam voluntatum in diuerſa, *S. Thom 2. 2. q. 37. ar. 1.*

BIBLICI LOCI.

Diſcordia vitanda, *Prouer. 6. 19. & 15. 18. & 16. 28. & 17. 11. & 18. 6. & 30. 30. Matt. 12. 24 Luc. 11. 17. 1. Cor. 14. 33. 2. Cor. 12. 20. Galat. 5. v. 15. 20. 2. Tim. 2. 23.*

Diſcordiæ & contentiones Euangelij occaſione excitandæ prædicuntur. *Matth. 10. 35. Marc. 13. 12. ver. 49. 51.*

SENTENTIÆ BIBLICÆ.

Sex ſunt, quæ odit Deus: & ſeptimum deteſtatur anima eius. Primo oculos ſublimes: Secundo, linguam mendacem: Tertio, manus effundentes innoxium ſanguinem: Quarto, cor machinans cogitationes peſſimas: Quinto, pedes veloces ad currendum in malum: Sexto, proferentem mendacia falſum teſtem: Septimo, qui ſeminat inter fratres diſcordias. *Prouer 6.*

Odium ſuſcitat rixas, & vniuerſa delicta operit charitas. *Prouerb. 10.*

Abſcondunt odium labia mendacia: qui profert contumeliam inſipiens eſt. *Ibidem.*

Abominatio eſt Domino labia mendacia: qui autem fideliter agūt, placent Deo. 12.

Vir iracundus prouocat rixas: qui patiens eſt mitigat ſuſcitatas. *Ibidem.*

Homo peruerſus ſuſcitat lites, & verboſus ſeparat principes. 16.

Semper iurgia quærit malus, Angelus autem crudelis mittetur cōtra eum. 17.

Labia ſtulti immiſcent ſe rixis, & os eius iurgia prouocat 18.

Qui prouocat iras, producit diſcordias. 30.

Noli eſſe ſicut leo in domo tua, euertens domeſticos tuos. & opprimens ſubiectos tibi. *Eccleſ. 4.*

Non litiges cum homine potente, ne forte incidas in manus illius. 8.

Væ mihi mater mea: quare genuiſti me virum rixæ, virum diſcordiæ in vniuerſa terra: non fœnerauí, nec fœnerauit mihi quiſquam: omnes maledicunt mihi. *Ier. 15.*

Omne regnum diuiſum contra ſe deſolabitur, & omnis ciuitas vel domus diuiſa contra ſe non ſtabit. *Matt. 12. & Luc. 11.*

Neceſſe eſt, vt veniant ſcandala, veruntamen væ homini illi, per quem ſcandalum venit. Mat. 18.

Non enim eſt diſſenſionis Deus, ſed pacis. 1. *Cor.* 14.

Stultas & ſine diſciplina quæſtiones deuita, ſciens, quia generant lites. 2. *Tim.* 2.

Si inuicem mordetis & comedetis, videte, ne ab inuicem conſumamini. *Galat.* 5.

PATRVM SENTENTIAE.

Diſſenſiones nunquam debent amari: ſed aliquando tamen aut a charitate naſcuntur, aut charitatem probant. Quis enim facile inuenitur, qui velit reprehendi. Et vbi eſt ille ſapiens, de quo ſcriptum eſt. Corripe ſapientem, & amabit te. Nunquid tamen ideo non debemus reprehendere & corripere fratrem, ne ſecurus tendat in mortem. *Aug. ep. c. 57.*

Nihil minus ſemper optaui, quam inter eos: qui cum multum dixerunt, multumq. ſermocinati ſunt, oriri aliquid vnde nouus quaſi conflictus exurgat. *Cont. Acad.*

In diſcordia nemo benedicit Dominum. *Idem dicit in Pſ.*

Concordare cum aduerſario tuo: neſcio quando via finiatur: cum via finita fuerit, iudex reſtat & miniſter & carcer. At ſi ſeruaueris aduerſario tuo bonam voluntatem, & cum eo conſenſeris, pro iudice inuenies patrem, pro miniſtro ſæuo Angelum tollentem in ſinu Abrahæ, pro carcere paradiſum. *Aug. de ver. Dom. c. 1.*

Infelix populus Dei non poteſt in bono tantam habere concordiam, quantam mali habent in malo. *Hier. in Pſ. 83. Quoniam cogitauero vnanimiter.*

Laudent nomen eius in choro. Quiſquis corpus affligit, ſed concordiam deſerit, Deum quidem laudat in tympano, ſed non laudat in choro. Vbi diſſenſio eſt, ibi inuidia eſt ibi chorus nō eſt. *Hier. ſuper epiſt. ad Rom.*

Qui non odeſte alloquitur proximum, gratum accipit reſponſum & quaſi de vberibus, in quibus lac quærebat, butyrum exprimit. Sed qui incepto verbo, rixam & diſcordiam ex fraterno corde prouocat, quaſi neceſſaria vltra modum emungens ſanguinem elicit. *Hier. ſuper illud Prouer. 30. Qui vehementer emungit, elicit ſanguinem.*

Melius eſt emigrare cum gratia, quam cohabitare cum diſcordia. Melius eſt ſine lite abire, quam cum iurgio reſidere. *Ambr. l. de Patriarch.*

Nulla ſpatia poſſunt eſſe ſatis diſcordibus, quietis, & pacificis etiā minuta abundant: Diſſonis moribus etiam ſpacioſa arctantur. *Idem.*

Contentio eſt impugnatio veritatis cum confidentia clamoris. *Idem.*

Diſcordes iam diu nullum boni operis ſacrificium immolant Deo, quamdiu a proximorum charitate diſcordant. Si Cain pacem habuiſſet in pectore, non irruiſſet in fratrem: ſi Abſalon intra ſe pacem tenuiſſet, non irruiſſet in patrem: ſi animum Iudæ ſeruaſſet conſcientiæ tranquillitas, non confugiſſet ad laqueum. *Greg. in Paſt. c. 23 p 3.*

Peruerſæ mentes, ſi ſemel ad ſtudium contrarietatis eruperint, ſiue prauum, ſiue rectum quid a contradicentibus audiant, aduerſus hoc reſponſionibus impugnat: quia cum perſona per contrarietatem diſplicet, nec recta quæ protulerit, placent. At contra bonorum corda, quibus in odium non venit perſona, ſed culpa, ſic peruerſa dijudicant, vt recta, quæ dicuntur: aſſumant: & ſic male prolata reſpuunt, vt tamen approbent, quæ ex veritate cognoſcunt. *Idem Mor. l. 9.*

Sicut noxium eſſe ſolet, ſi vnitas deſit bonis: ita perniciosum eſt, ſi ſit in malis. Peruerſos quippe vnitas corroborat, dum concordant, & tanto magis incorrigibiles, quanto vnanimes fecit. *Greg. Mor. l. 33.*

Si Dei vocantur filij, qui pacem faciunt: proculdubio Sathanæ ſunt filij, qui pacem confundunt. Sicut nihil eſt precioſius Deo virtute dilectionis, ita nihil eſt deſiderabilius Diabolo extinctione charitatis. Quiſquis ergo ſeminando iurgia, dilectionem proximorum perimit, hoſti Dei familiarius ſeruit. *Greg. in Paſtor.*

Diſcordia eſt aliquorum diuerſio, quos prius amoris vinculum colligauit. Concordia eſt conuenientium in rectitudine animorum indirupta quædam & vnita complexio. Seditioſus eſt qui diſſenſionem animarum facit, & diſcordias gignit. *Iſid. l. Etymologiar.*

Concordia malorum contraria eſt bonorum: & ſicut optandum eſt, vt boni pacem habeant ad inuicem, ita optandum eſt, vt mali ſint diſcordes. Impeditur enim iter bonorum, ſi vnitas non diuiditur malorum. *Iſid. de ſummo bono. l. 3.*

Si contriſtaueris in aliquo fratrem tuum, ſatisfac illi: Si peccaueris in eum, age pœnitentiam coram illo. Si offenderis quemquam repropitiare cum pace, perge velociter ad reconciliationem proximi tui: offenſioni tuæ cito veniam poſtula, non requieſcas, niſi reconciliatus fueris fratri. *Idem Soliloquior. l. 2. c. 22.*

Docet regalis apicis curam, generalitatis cuſtodite concordiam, quæ ad laudem regnantis trahitur, ſi ab hominibus pax ametur. Quid enim eſt, quod principem melius prædicet, quam quietus populus, concors Senatus, & tota Reſp. morum honeſtate veſtita. *Caſſiod. epiſ. 22.*

Cogi debet, vt ſit quietus, qui ſuo vitio renuit eſſe pacificus. *Idem l. 1. epiſ. 1.*

Con-

Conspiratio apud spiritualiter viuentes contra ordinis disciplinam & maiorum instituta confœderatio est. *Cassiod. sup. Psal.*

Summopere iurgia fuge. Nam contra parem contendere anceps est, cum superiore furiosum, cum inferiore sordidum, maxime autem contra fatuum contentionem inire; nam absentem lædit, qui cum ebrio litigat.

POETICAE SENTENTIAE.

Petronius.

Intremuere tubæ, ac scisso discordia crine
Extulit ad superos Stygium caput, huius in ore
Concretus sanguis: contusaque lumina flebant,
Stabant æratì scabra rubigine dentes.
Tabo lingua fluens, obsessa draconibus ora,
Atque inter toto laceratam pectore vestem
Sanguineam tremula quatiebat lampade dextra.

Virg. Eccl. 1.

Impius hæc tam culta noualia miles habebit?
Barbarus has segetes? en quo discordia ciues
Perduxit miseros, en queis consevimus agros!

Virg. Aenei. 8.

Et scissa gaudens vadit Discordia palla,
Quam cum Sanguineo sequitur Bellona flagello.

Silius 9.

Discordia demens
Intrauit cælos, Superosque ad bella coegit.

Silius 13.

Et discordia gaudens
Permiscere fretum cælo.

Aeneidos lib. 7 Furiam Alecton alloquitur.

Tu potes vnanimes armare in prælia fratres,
Atque odiis versare domos: tu verbera tectis,
Funereasque inferre faces, tibi nomina mille,
Mille nocendi artes.

Horat. lib. 1. epist. 3.

At vos
Seu calidus sanguis, seu rerum inscitia vexat
Indomita ceruice feros, vbicunque locorum
Viuitis, indigni fraternum rumpere fœdus.

Iuuenalis Satyr. 8.

Curandum inprimis, ne magna iniuria fiat
Fortibus & miseris, tollas licet omne quod vsquam est:
Auri atque argenti scutum, gladiumque relinques.
Et iacula, & galeam, spoliatis arma supersunt.
Quod modo proposui non est sententia, verum
Credite me vobis folium recitare Sibillæ.

Senec. in Hercule furente Traged. 1.

Si æterna semper odia mortales agant,
Nec cœptus vnquam cedat ex animis furor,
Sed arma felix teneat infelix paret:
Nihil relinquent bella, tum vastis ager
Squalebit arvis, subdita tectis face
Altus sepultas obruet gentes cinis.

PHILOSOPHORVM SENTENTIAE.

Si rempublicam eo.

Nostine igitur, quod omne quod est, tam diu manere, atque subsistere, quam diu sit vnum: sed interire, atque dissolui pariter, quando vnum esse desierit. *Boetius de Philos. consolat. lib. 4.*

Quietissimam vitam agerent homines in terra, si hæc duo verba à natura omnium rerum tollerentur, Meum, & tuum. *Senec lib. de Morib.*

Nobilitas generis, & diuitiæ, principia & fontes sunt seditionum. *Arist. lib. 5. Polit.*

Minores vt fiant æquales, seditionem faciunt: æquales vero vt fiant maiores, seditionem faciunt & ipsi. *Idem.*

Omnis diuersitas videtur facere seditionem. *Idem.*

Expetenda magis est decernendi ratio, quam decertandi fortitudo: sed cauendum, ne illud bellandi magis fuga, quam vtilitatis faciamus ratione. Bellum autẽ ita suscipiatur, vt nihil aliud, quam pax ipsa quæsita videatur. *Cic. lib. 1. de Officijs.*

Neque enim ciuitas in seditione potest esse beata, nec in discordia dominorum domus, quo minus animus à seipso dissidẽs secumque discordans, gustare partem vllam liquidæ voluptatis & liberæ potest. Atque pugnantibus, & contrariis studijs, consiliisque semper vtens, nihil quiete videre, nihil tranquille potest. *Cic. lib. 1. de Finib. bonorum & malorum.*

Ego vobis regnum firmum trado, si boni eritis: Sin mali, imbecillum. Nam concordia res paruæ crescunt, discordia maximæ dilabuntur. *Sallust. in Iugurth.*

In omni certamine, qui opulentior est, etiamsi accipit iniuriam, tamen, quia plus potest, facere videtur. *Idem.*

Omne bellum facile sumitur, cæterum ægerrime finitur. Non in eiusdem potestate initium, & finis est. *Idem.*

Conuiuium etiam solenne maiores instituerunt, idque charistiam vocauerunt, cui præter cognatos, & affines nemo interponebatur, vt si quæ inter necessarias personas querela esset orta, apud sacra mensæ, & inter hilaritatem animorum, & fautoribus concordiæ adhibitis tolleretur. *Val. Max. lib. 2.*

Per discordias ciuiles externi tollunt animos. *Liuius, decad. 1. lib. 3.*

Discordia ordinum Reip. venenum. *Idem. ibid.*

Assiduum inter pares discordiæ malum. *Iustin. hist. lib. 16.*

Malum extremum discordia. *Tacit. Annal. lib. 4.*

Nihil in discordijs ciuilibus festinatione tutius, vbi facto magis quàm consulto opus est. *Tacit. hist. lib. 1.*

Nulla quantumuis minima natio, potest ab aduersariis perdeleri, nisi proprijs discordiis seipsa consumpserit. *Vegetius. lib. 3. c. 10.*

Numantia euersa Scipio Tyresium quendam Celticum principem consuluit, qua de causa Numantia prius inuicta durasset, & post euersa fuisset? Tyresius respondit, Concordia victoriam, discordia exitium. *P. Diacon. hist. l. 4.*

Si primarij duces dissimiles discordesque sunt, nihil in exercitu periculosius accidere potest. *Polyb. l. 3.*

Non vi sed colloquio discordiæ componuntur. *Plut. in Numa.*

Discordiarum fraternarum horrendi euentus fratres ipsos, stirpemque suam, domos, regna, funditus euerterunt. *Liuius. Decad. 4 lib. 9.*

In dissensione nulla salus conspicitur. *Cæsar. lib. 5. de bello Gall.*

Seditionis interdum non remedia, quam principia maiora sunt, in tumultu festinatio quoque tarda est. Vnum est temeritatis solatium, perpetua felicitas. *Q. Curt. de gestis Alex lib 9.*

Discordia infeliciter exagitante nulla vnquam tempora vel prospera vel domi quieta ducuntur. *Paulus Orosius de Ora... lib. 4.*

Magna ex dissensionibus incommoda oriri solent. *Iul. Cæsar lib. 7.*

APOPHTHEGMATA.

Demaratus à Philippo Macedonum rege hospitio susceptus, qui ob nouas Cleopatræ nuptias à se Olympiadem Alexandrumq. auocauerat, dicenti Philippo, quo pacto Græci inter se mutuam agerent concordiam, respondit: Tua minimum interest, Philippe, Græciæ curam suscipere, qui tot discordijs ac calamitatibus propriam cumulasti regiam. *Eras. lib. 1. c. 10. ex Plut. apoph.*

M. Agrippa Dicere solebat, multum se huic sententiæ debere: Concordia paruæ res crescunt, discordia maximæ dilabuntur. *Senec. in epist. lib. 14.*

Leontius Episcopus. In grauissima illa apud Antiochenes de fidei negocio dissensione, timens seditionem, sententiam suam aperte proferre non audebat & aliquando caput suum canis florescens manu demulcens, dixisse fertur: Niuem eam solutam lutum multum subsecuturum esse. Aenigmate eo obscurius indicans, dissonantiam eam aliquando in seditionem euasuram, neque eos, qui factionis suæ essent, cum reliqua multitudine consensuros. *Nicep. lib. 9. c. 24. Eccles. hist.*

Alphonsus sæpenumero dicere solitus est. Si Romanis temporibus vixisset, se constructurum fuisse templum Ioui Pistorio, vt de rebus acturi, in eo prius conuenirent, & contentionem omnem deponerent. Innuit autem, nihil æque Reipublicæ esse perniciosum, ac si plebis cum patribus crebræ contentiones oriantur. *Panor l. 3. de gest. Alph.*

SIMILITVDINES.

Chrysostomi. Quemadmodum contrarijs ventis mare concutitur: Sic regionibus aduersantibus sibi populus regni vexatur. *in c. 1 Matt.*

Origenis. Tanquam in Musicis si harmonia chordarum fuerit consonanter aptata, sonum suauem modulati carminis reddit: si vero sit aliqua in fidibus dissonantia, ingratissimus sonus redditur & carminis dulcedo corrumpitur. Ita & ij qui Deo militant, si dissensiones & discordias inter se habeant, ingrata erunt omnia, & nihil acceptum Deo videbitur, etiamsi multa bella conficiant, etiamsi spolia multa deferant, & multa munera offerãt Deo. Ego autem amplius aliquid dicam, Nisi talis fueris, vt in nullo dissentias à mandatis Dei, nec in aliquo discrepes ab Euangelicis præceptis, non poteris superare inimicum. In eo enim ipso, quo dissentis, victus es à Diabolo. *hom. 26 in Num.*

D. Augustini. Si vnus flatus inflat duas tibias, non potest vnus spiritus implere duo corda, agitare duas linguas? Si spiritu vno, id est, vno flatu impletæ duæ tibiæ consonant, impletæ duæ linguæ spiritu Dei, dissonare possunt: Est ergo hic quædam concordia, sed auditorem desiderat. *In epist. Ioan. tractatu nono.*

Aristotelis. Cybindus auis bellum internicinum gerit cum aquila, adeo vt cohærentes sæpenumero prendantur: Ita fit aliquoties, vt dum mutuum inter se odium pertinaciter exercent: principes, vtrique subuertantur, tertio quopiam inuadente. *De nat. animal. lib. 9. c. 12.*

Plutarchi. Vt si buboni accedat febris, nihil est periculi: verum si sublato illo tamen morbus perseueret, videtur altius egisse radi-

radices: sic fratrum dissensio, quæ cessat lite finita, causa erat nō ipsorum; ac si manet etiam dum negotio infecto, iam negotium prætextus erat non causa, sed exulceratus animus in causa fuit. *In Moral.*

Vt commune amantibus diuersas amicas habere, in eandem depereuntibus male conuenit; Sic dissident, qui eadem ex re gloriam affectant. *In Moral.*

Vt macula statim eluenda, ne inhærescat, & difficilius eximatur: Ita dissensio fratrum, illico tollenda, ne gignat odium. *Ibidem.*

Vt aqua in locos hiantes ac diductos influit, ac magis eos diuellit; Ita quidam irritant fratrum dissidia. *In Mor.*

Vt singula hastilia facile frangas, coniuncta non possis: Ita dissidentes facile superantur, concordes haud facile. *Ibidem.*

Vt periculum fit, si omnes in idem inclinent latus nauis, sed aliis alio inflectentibus, nauis optime liberatur: Sic seditio & dissensio inter Rhetores tutiorem reddit statum ciuitatis; Item dissensio poetarum inter se facit, vt minus inficiant opinionem lectoris. *In Moral.*

Inter Agathallos & Acanthylides tantum est odium, vt si sanguis eorum vi misceatur, continuo separent se rursus, ac dissiliant: Sic inter patricios & plebem etiamsi quando pro rerum vsu coniunguntur, durat tamen vsque odium naturale. *In Moralibus.*

Plinii. Vt vultures ad extincta corpora odore feruntur, sana non sentiunt: Sic inimicus, si quid deliquerit, statim olfacit, atque eo statim accurrit, ad recte facta stupidus. *Lib. 10. cap. 6. Et Plut. in Moralib.*

Tytheus lapis quamuis grandis innatet, comminutus sidit: Ita concordia sustinemur, discordia pessum imus. *Lib. 2. cap. 106. & Lib. 36. c. 17.*

Anonym. Scorpius lethale venenum habet, aconitum lethalius: tamen hoc in potu datum aduersus scorpionum ictus remedium habet: Ita dum venenum cum veneno colluctatur, seruatur homo; Itidem duorum pestilentium ciuium discordia nonnunquam Reipub. salus est. *In simil.*

Adagia.

Omne regnum in se diuisum desolabitur.

Discordia maxima res dilabuntur, & potentissima euertuntur imperia. Adagium illud citatur Matth. 12. 25.

Bellum omnium pater. ὁ πόλεμος ἁπάντων πατήρ. *Lucia.*

Prouerbium ideo dictum est, quod bellum omnium rerum nouandarum author est, vt ex eo nata videantur vniuersa.

Tua res tibi habeto.

Caius Iurisconsultus lib. 44. tit. de diuortiis, ostendit fuisse receptum, vt diuortium his verbis perageretur. Tuas res tibi habeto, tuas res tibi agito. Hæc Prouerbii gratiam habebunt, si cui ciuiliter renuntiabimus amicitiam. Sed festiuiora erit, si ad res animi transferuntur.

Gamma Betam persequitur.

Procopius lib. 3. de bello Vandalico refert, Carthagine antiquum prouerbium à pueris iactari solere: Quod Gamma quandoque Betam & rursus Beta Gamma persequitur. Suspicor puerorum lusum huc spectasse, quod inter vicinos frequenter oriatur dissidium.

Domesticum dissidium.

Ad detestandam seditionem, & mutuam contubernalium inter ipsos discordiam insidiasque conuenit illud Homeri Odyss. π.

Οὐχ' ὅσιη, κακὰ ῥάπτειν ἀλλήλοισιν.

Id est.

Impia res moliri inter sese mala.

Exempla Biblica.

Discordiæ, & dissensionis & rixarum exempla: Cain & Abel, *Gen. 4. vers.* 8. Pastores Abraham & Loth, 13. *vers.* 7. Reges Chanaan, 14. *vers.* 4. Sodomitani contra Loth, 19. *vers.* 4. Pastores Gerara & Isaac 26. *vers.* 20. Esau aduersus Iacobum 27. *ver.* 41. Iacobus aduersus Labanem, 31. *ver.* 36. Simeon, & Leui aduersus Hemor & Sichem, *Gen.* 34. *ver.* 25. Duo Hebræi, *Exod.* 2. *vers.* 13. Congregatio aduersus Mosen & Aaronem, 16. *vers.* 2. Mosen, 17. *ver.* 3. *Num.* 21. *versic.* 4. 5. Abimelech, & fratres, *Iudic.* 9. *ver.* 5. Tribus Ephraim aduersus Iephthe, 12. *vers.* 13. Israelitæ & Beniamitæ, 20. *ver.* 13. Saul in Dauid. 1. *Samuel.* 18. *vers.* 8. 9. 2. *Samuel* 3. *vers.* 1. Absalom in Dauidem patrem suum, 2. *Samuel.* 15. *vers.* 10. Israelitæ in Dauidem Regem. 19. *ver.* 41. Duæ Mulieres, 3. *Reg.* 3. *ver.* 22. Roboam & Israelitę, 12. *ver.* 16 Discipuli Christi, *Luc.* 22. *ver.* 24. Iudæi, *Ioan.* 6. *ver.* 52. & 10. *vers.* 19. Turba, *Io.* 7. *ver.* 43. Inter Pharisæos & populum, 9. *vers.* 16. Ierusalem ciuitas. *Act.* 11. *ver.* 2. Multitudo. 14. *ver.* 4. Quidam ex Iudæis, 15. *ver.* 2. inter Paulum & Barnabam. *ver.* 30. Ephesij, 19. *vers.* 28. Asiatici Iudæi & Ierusalem 21. *vers.* 30. Pharisæi & Saducæi. 23. *ver.* 7. Inter Corinthios. 1. *Cor.* 1. *ver.* 11. 12. & 13. *vers.* 3. 4. & 11. *ver.* 18.

Hieroglyphica.

Discordiam & mores maxime dissimiles Aegyptii, poetæque omnes significare cum volunt hieroglyphice; *Lupum & Agnum aut Ouem ponunt. Pier. Valer. lib. 10.*

Hominem ex ciuilibus seditionibus & tumultuosis discordiis crescentem, reque auctum significantes hieroglyphice, eum in *Anguillarum* venatione occupatum effingebant. Aqua siquidē quieta limpidaque, earum captura nulla propemodum: magna vero si perturbetur. *Valer. Pier. lib. 29.*

Sunt qui *thuribulum*, aut aliquod aliud *Vas ignarium* cum *aquario* pictum, vnde scilicet ignem & aquam inesse perspiceretur, quippe si ex vno ignis promicaret, in altero aqua desideret: discordiæ signum esse tradunt: quod ea naturæ sint maxime contrariæ. Vnde, *Ignem aqua permiscere*, dictum de ijs, qui se ea præstituros pollicentur, quæ fieri nequaquam possint. *Valer. Pier.*

Fabula.

Leo & Vrsus.

Cum in hinnulum forte fortuna vnum eodem tempore Leo & Vrsus incidissent, vterque illo potiri volens, acerrime secum confligi cœperunt, atque ita vnus afflixit alterum, vt oborta vertigine, ambo in terra prostrati iacerent. Vulpecula autē, quæ euentum pugnæ expectasset, cum videret illos esse viribus defectos, hinnulum relictum in medio, ipsa illis semiapertis oculis intuentibus abstraxit. Quod cum illi prohibere non possent: Infelices nos igitur, intercidentibus verbis, inquiunt, vulpeculæ causa dimicando perimus.

Sæpe de aliorum laboribus fructum alii percipiunt. Quid autem fecit aliud Philippus Rex Macedonum, quam quod relictam opulentiam terræ Græciæ, confectis mutuo Marte & viribus suis ciuitatibus, ipse interueniens occupauit.

Lupus & Vulpes.

Sumpserant arbitrium de lite quadam Lupus & Vulpes, Simium. Coram quo, cum grauissime alter alterum accusaret, & mutua sibi conuitia atque probra ingererent, neque criminandi facerent finem, tum iudex, silentio imperato: Te, inquit, o Lupe, scio nullam rapaciorem, & te, o Vulpes, non aliam magis fraudulentam esse bestiam. Inter vos igitur de cætero amicitia & pax. Sed reliquorum animantium, tam humani quam belluini generis, maximum erga vos odium esto. Hæc mea sententia est.

Docet fabula, nō moueri nos dissensione & rixis improborū oportere, sed omni tempore illos, & arbitrari arctissimo vinculo prauitatis coniunctos esse & auersari atque odisse.

Accipitrum pax.

Accipitres quodam tempore inter se acerrime belligerabantur: Hos columbæ in gratiam reducere & à dimicatione mutuisque cædibus abducere conatæ, perfecere, vt pacem illi inter se facerent. Qua firmata tam in columbas, quam reliquas minutas auiculas ipsi concordes vim & vngulas suas conuertere.

Fabula docet, vtiles esse saluti bonorum discordias malorum. Verunt Melanthium, siue ioco seu serio dicere solitum; Rempublicam Atheniensium seruari dissidijs oratorum. Quod, cū non incumbant, vniuersi quasi in vnum latus nauigij fiat, vt ab altera parte veluti pondere opposito administratio liberetur.

De Fure & Sicario.

Consociata opera rem communiter gerebant facinorosi duo, vnus fur, alter sicarius, quadam nocte venere in ędes agricolę, vt putabatur, non pauperis, cuius cum non solum ędes compilandas, sed etiam abigenda animantia fur cēseret. Recte inquit sicarius: illo interfecto omnia exequi poterimus, prius tamen inquit fur bouem vnam aut alteram educamus, vt si forte tumultus oriatur & fugiendum sit, aliquid abstulerimus. Non placet hoc mihi, inquit sicarius, ne paterfamilias strepitu excitatus eripiatur manibus meis. At hoc fur melius est, inquit. Imo illud, inquit sicarius. Ita inter rixas iratus fur, patremfamilias inclamat, & vigilare iubet, ne vitam amittat. Qui excitatus etiam res suas seruauit.

Fabula indicat, malorum dissidia bonis esse salutaria.

DISCRETIO.

Definitio et Etymol.

Discretio Gręce Διάκρισις, καὶ Διάκριτος ὁ discretus dicitur. Heb. *Ghezer*, a verbo *Ghazar*. discidit, discreuit, diuisit. Discernere enim est res recte secernere, vt aliam cum alia non confundas vel misceas.

Discretio rerum consequentium continet perspicuam, dilucidamque cum grauitate expositionem. *Isid in Synonym.*

Discretio pertinet ad prudentiam, & est genitrix, custos, moderatrixque virtutum. *B. Tho 3. sent. dist. 33. q. 1. art. 5.*

Discretum, Gręce Διάκριτον, καὶ τὸ Διακεκριμένον discerno dicitur. Est autem discretum, cuius partes non copulantur ad aliquem terminum communem. *Secundum Arist. lib. Prædicamentor.*

Hebr.

Hebr. *Gomer* à verbo Ghazar, discidit, dissecuit, diuisit. Discernere enim est res rectè seiungere, ita vt aliam cum alia non confundas vel misceas.

Discretio est examen & disquisitio diligens inter duo, quorum alterum re ipsa tale est, quale nobis apparet: alterum falsum tantùm illis, quod verum esse creditur, imaginem & speciem externam præ se fert & gerit.

Loci Biblici.

Discretio Christianis omnibus necessaria. Deuter. 30. 15. Iob. 34. 3. Esa. 5. 20. *Heb.* 5. 14. 1. *Ioh.* 2. 20. 1. Cor. 12. 0. 1. The. 5. 21.

Sententiæ Biblicæ.

Perfectorum autem est solidus cibus, eorum, qui pro consuetudine exercitatos habêt sensus ad discretionem boni & mali. *ad Heb.* 5.

Patrum Sententiæ.

Et studio arcus distenditur, vt in suo tempore cum vtilitate tendatur: qui si otium relaxationis non accipit, faciendi virtutem ipso vsu tensionis perdit: ita aliquando ex exercitatione virtus, cum per discretionem prætermittitur, reseruat se, vt tanto post vitia valenter feriat, quanto à percussione interim prudenter cessat. *Greg.* 19 *mor.*

Plerumque virtus quum indiscrete tenetur, amittitur; quum discrete intermittitur, plus tenetur. *ibid.*

Sanctorum prouida discretio, dum sollicitè circumquaque conspicit in altum posita prius quam veniat, culpando deprehendit, eamq; quo vigilanter prænotat, eo fortiter declinat. *Lib.* 21. *moral.*

Sæpe dum nosmetipsos plus iusto discutimus, de ipso discretionis studio indiscretius erramus: & mentis nostræ acies quo plus cernere nititur, eo densius obscuratur: quia qui importunè solis radios aspicit, tenebrescit. *ibid.*

Vbi virtus discretionis perditur, intentio quæ virtutis inimicum habet, criminis finem accipit. *Lib.* 3. *Moral.*

Discretio omni virtuti ordinem ponit, modum tribuit, decorum & perpetuitatem confert. Est ergo discretio non tàm virtus quàm quædam moderatrix virtutum, ordinatrix affectuum, & doctrix morum. Tolle hanc & virtus vitium erit, ipsaq; affectio naturalis in perturbationem magis conuertetur exterminiumq; naturæ. *Bernard. sup. Cant. Ser* 24.

Medij quidem incedere debemus inter nimium timidos, & nimiū temerarios, vt simus quidem verecundiores his, qui ad intus, quam quædam moderatrix virtutum, ordinatrix affectuum, & doctrix morum. Tolle hanc, & virtus vitium erit, ipsaq; affectio naturalis in perturbationem magis conuertetur, exterminiumq; naturæ. *Greg. Nazian. in Apol.*

Quidquid boni cum discretione feceris, virtus est: quidquid sine discretione gesseris, vitium est. Virtus enim indiscreta pro vitio deputatur. *Isid. lib. de synod.*

Discretio est in diiudicandis rerum caussis prouida, & humanarum mentium ratio moderatrix. *In Synony.*

Ratio est gerendorum ordo ex caussa venientium, vt quid quo loco facias, ac dicas, intelligas. *idem.*

Omni conatu debet discretionis bonum virtute humilitatis acquiri: quæ nos illæsos ab vtraque parte sit nimietate seruare. Ad vnū enim finem nimietas ieiunij, ac voracitas peruenit, codemq; dispendio vigiliarum immoderata continuatio monachum, quo somni grauissimi torpor inualuit. Nam per excessum contioẽtiq; debilitatum quemque ad illum statū reuocari necesse est, in quo negligens quisque per incuriam detinetur. *In collat. abbatis Moy.*

In vtraque enim parte sustinebit maximum detrimentum quisquis inæqualitatem tenens, nunc ventrem ieiuniorum ariditate constringit, nunc escarum immoderate distendit. Vt enim mens cibi inanitate laxata perdit orationum vigorem, dum carnis nimia lassitudine prægrauata condormitare compellitur: ita rursum nimietate voracitatis oppressa, emittere ad Deum preces puras leuesq; non poterit.

Cunctam disciplinam regularis ordinis moderetur æqualitas discretionis, ne vel nimia remissio nutritiua sit criminum, vel impia discretio patricida virtutum. *Petrus Ramus. in quodam serm.*

Discretio virtutibus modum imponit, sine qua virtutes sunt vitia. Nam si adsit timor & non discretio, transit in desperationem: si dolor, in amaritudinem: si amor, in adulationẽ: si spes, in præsumptionem: si lætitia, in dissolutionem: si ira, in furorem. *ibidem.*

Ad rem gerendam qui accedit, caueat ne id solummodo cõsideret, quod illa res honesta sit, sed etiam vt habeat efficiendi facultatẽ. In quo ipso considerandū est, ne temere despicias propter ignauiam, aut nimis confidas propter cupiditatem. In omnibus autẽ negotiis priusquam aggrediare, adhibenda est discretio. Considera ergo ne nimis cupias, nam in prouerbio dicitur: Qui nimis capit, parum stringit, & faciendū est opus sub quo in via non perficias, iuxta illud: Qui plus posse putat sua quā natura ministrat, Posse suum superans se minus esse potest. *Anonymus.*

DISPVTATIO.

Definitio et Etymol.

Disputatio, Græcè, *Διαλέξις* & *διαλογισμός*. disputo dicitur: Heb. verbum *Chaschab*, significat, Cogitare, arbitrari, ratiocinari, vt disputantes solent *Cheschon*, disputatio, seu ars & ratio disputandi & disceptandi. 2. *Iabach*, signif. Arguere, disputare, contradicere, pro more disputantium. 3. *Sachat.* Iudicare, sententiam ferre, quod non fit sine disputatione in mente iudicis, iustam caussam ab iniusta diligenter excutientis. Inde fortasse *Sophista* id est, acris & ingeniosus disputator. Est autem disputatio, actus syllogisticus vnius ad alterum ad propositum ostendendum, *secundum S. Thom. Opuscul. de fallaciis.*

Disputo idem est, quod discepto, dissero: a quo disputatio, cuius diminutiuum est disputatiuncula, compositorq; ex dis, & puto. Putare enim veteres dicebant depurare, hoc est, vacantia quæcunque, & non necessaria, aut etiam non obstantia, & aliena auferre, atque excidere, sicq; putari arbores atque vites dicuntur. Et putamina dicuntur sarmenta, & alia quæ auferuntur. Hinc factū est, vt putare pro cogitare atque animo voluere capiamus. Nam cogitando resecamus mente, quæ falsa sunt, aut inutilia, aut superuacanea, & quod verum est ac bonum, ei cogitando hæremus.

Biblici Loci.

Disputationes quæ vitandæ, 1. *Timoth.* 6. 4. 5. 2. *Timoth.* 2. 23. *Tit.* 3. 9.

Philosophorum Sententiæ.

Disputatio contentiosa ingenia exercere potest, quia in hoc genere accidit, vt crebro quis vincat, aut vincatur, quod & in certaminibus fit. *Arist. problem. sect.* 18. *tex.* 2.

Disputationibus cur contentio est, nugatio non, quia apparẽs syllogismus in paucis continetur: quin etiamsi prolixius agatur, interposito tempore, paralogismus, id est, peruersa ratiocinatio interea deprehenderetur, & reuocare quod dederit aduersarius poterit. *Idem. Arist. proble sect.* 18. *tex.* 8.

Disputandum non est contra negantes principia, nec contra eos, qui absurda & dissentanea dicunt, nec contra paralogismos sophisticos. *Simp. in pr. Phys. c.* 15.

Disputanti sæpe multoties videntur extranea remota à natura rei. *Auer. in l.* 12. *Metaph. tex.* 10.

Disputatio exigit, vt contradicatur conclusioni & argumentis. *Idem Phys. l. tex.* 22.

Disputatiuæ rationes cum verum concludant solum secundum aliquid, & non secundum totum, ideo ex vtrisque rationibus in probando principia concludunt virtutem. *D. Thom. in prim. Physic. l.* 12. *tex.* 54.

Disputationis optimus modus est, vt ipsi vicissim concedant & considerent. *Plat. de Repub. Dial.* 1.

Multi homines disputando de rebus, haud secus quam animantes brutæ pugnando, solam sibi victoriam proponunt. *Idem in Timæo.*

Mihi ab istis subtilibus (disputationibus) præcipi malo, quid amico præstare debeam, quid homini, quàm quot modis amicus dicatur, & homo quàm multa significat. &c. *Senec. epist.* 48.

Disputando turpissimum est non curare, quin ad id facilè deducatur, vt sæpe sibi ipsi repugnet. *Ficin. in Plat. Prothagoram.*

Apophthegmata.

Pythagoras, vanam illius Philosophi orationem esse dicebat, quæ nullam in homine passionem curaret. Quemadmodum enim medicinæ nullus est vsus, nisi morbos à corporibus exterminet: ita neque philosophiæ, nisi animæ vitia expellat. *Stob. serm.* 80.

Aristippus, Cuidam qui proposuerat ænigma, vehementer instanti vt solueret etiam respondentem: Quid, inquit, amici, an non horum alter hircum mulgere videtur, alter cribrum supponere? *Lucianus in vita Demonactis.* At refertur a Diogeniano his verbis: Vtrum stultior qui mulget hircum, an qui cribrum supponit? *T. M. l.* 8. *apoph.*

Idem. Aliis curiosa indagine disquirentibus, an mundus rationis capers sit, aut anima præditus, & sphæræ nihilominus figuram referat? Vos, inquit, plus æquo de mundo solliciti, vestram ipsorum immunditiem interea parum prouida consideratione negligitis, particularis. *Stob.*

Zeuxidamus, Cuidam percontati, quam ob caussam Lacedæmonij leges de fortitudine citra scriptum seruarent, ac non potius descriptas traderent iuuenibus legendas? Quoniã, inquit, assuefaciendi sunt, vt præclaris gestis potius, quàm scriptis intendant. Inertiæ genus est, de fortitudine philosophorum more disputare: sed potius factis exercenda virtus, quæ paucis dogmatibus tradi potest. *Plut. in Laco.*

Eudamidas Archidami F. Quum audisset Xenocratem iam senem in Acade-

Academis cum amicis disputantem, percontatus est, quis esset ille senex: vbi respondisset aliquis, illum esse virum sapientem, & ex eorum numero, qui virtutem quærerent; Et quando, inquit, ea vsurus est, si adhuc quærit? Visum est Laconi ineptum, per omnem vitam de virtute disputare, veluti de re controuersa: quum oporteat à prima statim adolescentia habere certissima decreta de honesto impressa animo, & secundum virtutem exerceri, non quære, quemadmodum faciunt philosophi, qui magna contentione inter se de summo bono ac malo digladiantur, nec in hoc quidem satis consentientes, quid sit virtus aut beatitudo. *Plut. in Lacon.*

Pantheidas in Academia philosophos audiens multa de virtute disserentes, interrogatus cuiusmodi videretur eiusmodi sermones? Quid aliud, inquit, quam probi: sed prorsus inutiles vobis, qui illis non vtimini? Salsè tetigit mores Atheniensium, qui virtutem haberent in labris, non in factis. *Plut. in Lacon.*

Af. Pollio dicebat, in causa verecunda numquam tentari debere improbam quæstionem. Notauit Rhetores, qui in declamando mouerent quæstiones nihil ad causam facientes. *P. M. lib. 8. apoph.*

SIMILITVDINES.

Chrysostomi. In alijs certaminibus laureas referunt, qui victores redeunt: At in disputationibus diuinis, solis debetur corona, qui se rei magnitudine victos ingenuè fatentur. *In dictum Apost. Cum subiecta ei fuerint.*

Tyrij Plat. Vt in certaminibus inspicere est, qui imbecillum obtinẽt corpus, & inconsultis viribus, tamen in certamen ob spem victoriæ descendunt, eos paulò post sub labore deficere: partes verò virtute præstare; fortiter sustinere certamen, ac pro assequẽda victoria ad extremum vsque pugnare: Sic etiam certantibus possessionibus vitæ: alias quidem omnes reprobare, ac pellere de stadio oportet. *Ser. 5.*

Plutarchi. Vt apud Homerum Vlysses ridetur à procis, quod panis frustula peteret, non enses, neque lebetes: Ita magis ridendi sunt, qui differenti minutulas ac friuolas quæstiunculas obijciunt. *In Moral.*

Stobæi. quemadmodum veratrum crassiusculè sumptum, purgat: in pollinem verò leuigatum, suffocat: Sic & nimia anxia subtilisq; in philosophia disputatio. *Ser. 80.*

Thriueri. Nemo nisi iejunus vini potentiam facilè discernere poterit: igitur & qui rem aliquam dubiam, super qua sunt plures sententiæ, voluerit distinguere, propriam primam sententiam experiri expedit. Nam si semel ex omnibus delectum feceris, vbi forte errarunt, nec ipse veritatem promptè inuenies. facilè enim palatum priori succo vitiaueris. *In Apoph.*

Maleuoli est opinionem, licet peruersam, traducere in peius: sed viri est opinionem verisimilem, falsam tamen, iustis argumentis conuincere. *In Apoph. 49.*

Infelix venter, qui cibum bonum didicit corrumpere: laudatur, qui paulò maligniorem potest castigare: & malè natus est, qui ambigua mauult interpretari morosè, quam amicè. *In Apoph. 60.*

Quæ obscura sunt, aut in tenebris latent, lux manifestat: Et errores in priuatis studiis explicant exercitationes in publicis. *In Apophthegm. 95.*

EXEMPLA BIBLICA.

Disputationum imitandarum exempla: Quidam de Synagogis. *Act. 6. 9. Paul. 9. 22. & 17. 17. & 18. vers. 4. 19. & 19. vers. 8. 9. & 20. 7. & 24. 25.* Iudæi, *28. 29.*

HISTORICA EXEMPLA.

Menedemus Eretriensis Platonis primum, inde Stilponis discipulus, in disputando tam acris erat, vt oculis ardere videretur. *Laer. lib. 2.*

Baldus Bononiam profitendi iuris causa profectus anno 1344. publicè etiam disputauit ibi cum Bartolo per quinque horas integras, & victor abiit.

Galenus Pergamenus annum agens ætatis 19. Doctorem quemdam ex Athenæ Attalei sectatoribus, primas qualitates elementa esse statuentis, suis interrogationibus ad elenchum coegit. *Galen. de elem. lib. 1. c. 6.*

Vide Dialectica.

DISSIMILIA.

PHILOSOPH. SENTENT.

Dissimilis sunt opposita similibus, & quot modis dicitur simile, tot, dicitur dissimile. *Arist. 3. Metaph. c. 9. tex. 16.* dissimilaria sunt, quę suum opos facere possunt, vera sunt quę nõ æquiuocè, vt oculus cum videt verus est, cum non videt æquiuocè dicitur oculus. *Idem meteor. 4 sum. cap. 3. tex 54.* dissimiles partes omnes compositæ sunt ex similib. *Alb. Max. de animal. 1. tract. 2. c. 1.* dissimilia sunt, quæ non habent qualitatem vnam. *1. Thom. 10. Metaph. l. 4. 4. tex. 10.*

ADAGIA.

Nihil aduersum. οὐδὲν πρὸς ἔπος.

De iis quæ longè discrepant a proposito.

Nihil ad rem.

In eum, qui dixerit absurdè quippiam & alienum a re proposita quadrabit illud Homericum:

Νήπιος εἰς, ὦ ξεῖν', ἢ τηλόθεν εἰλήλουθας.

Id est.

Hospes stultus es, aut longinquis aduena ab oris

Nuper ades.

Nihil ad fides. οὐδὲν πρὸς τὴν χορδήν.

In eos quorum vita vehementer est inæqualis, quorumuè mores ab oratione dissident.

Quid cani in balneo? τί κοινὸν κυνὶ καὶ βαλανείῳ.

Quadrabit in eos, qui ad rem quampiam prorsus sunt inutiles.

Asinus ad lyram. ὄνος λύρας.

Subaudi ἀκροατής. In eos qui propter imperitiam nullo sunt iudicio crassisq; auribus.

Sui dissimilis.

In sui dissimilem quadrabit illud ex Odyss. 1. quod de Pallade dixit Vlysses.

Σὲ γὰρ αὐτὴν
παντὶ ἐΐσκεις.

Id est.

Nunc alio, nunc rursum alio fit obuia vultu.

Idem verò quadrabit in sapientiam, quæ variis inuolucris obtegitur apud priscos, & alia atque alia facies proponitur: præsertim in diuinis litteris, quæ tota ferme constat allegoriis.

Alia res sceptrum, alia plectrum. ἕτερον ἐστὶ σκῆπτρον, ἕτερον δὲ πλῆκτρον.

Locus erit vtendi, cum diues aut potens velut ex æquo disputat cum erudito: cum longè aliud sit diuitem aut fortunatum esse, aliud litteratum.

Caluus Comatus. *Martia.*

Aptè dicetur in eum, qui veris bonis nudus ascititiis sese venditat.

Simia in purpura. πίθηκος ἐν πορφύρᾳ.

In eos dicetur, qui tametsi magnifico cultu sunt ornati, tamen cuiusmodi sint, ex ipso vultu moribusq. cognoscuntur.

In eburna vagina plumbeus gladius. ἐν ἐλεφαντίνῳ κολεῷ τὸ μολύβδινον ξίφος. *Diog. est Apoph.*

Cum enim adolescens quidam insigni forma, fœdum quippiam obscœnumq. dixisset. Ex eburna, inquit, vagina plumbeum educis gladium.

In lente vnguentum. τὸ ἐν φακῇ μύρον

Vsus, vbi quis mentionem inducit vilis cuiusdam hominis, aliis de viris egregiis verba facientibus.

Congregare cum leonibus vulpes. *Mar.*

Hoc est: Res impares dissimilesq. permiscere.

Extra cantionem. παρὰ τὸ μέλος.

De eo quod ad rem pertinet.

Nihil per culo cum fidibus. *Gellius.*

Nihil stolidis & imperitis cum bonis litteris.

Nihil cum amaracino sui.

Id est: Stolidis vel optima putent displicentq. Versus Lucretii libet adscribere.

Denique amaracinum fugitat sus & timet omne

Vnguentum: nam setigeris suibus acre venenum est.

Nihil ad Bacchum. οὐδὲν πρὸς Διόνυσον. Suidas.

Vsimur, vbi quis ea ingeritur, quæ ad rem præsentem nihil attinent.

Aliud noctua sonat, aliud cornix. ἄλλο γλαῦξ, ἄλλο κορώνη φθέγγεται.

Accommodari potest ad eos, qui decertant cum longè præstantioribus. Vel ad illos, inter quos ob morum ingeniiq. pugnantiam nimium conuenit.

Aliter catuli longè olent, aliter sues. *Plaut.*

Docet prouerbium, non veste dignosci hominem ab homine verum inesse natiuum quiddam in vnoquoque, quod in ipso vultu oculisq. eluceat, quo liberum à seruo generosum a rustico, probũ ab improbo facilè discernas.

Syrus cum non sis, ne Syrissa. μὴ ὢν Σύρος, μὴ συρίζε

Hoc est, Ne sumas personam parum decoram, ne velis aliter videri, quam sis: aut cum sis natus ingenuus ne moribus agas seruum aut barbarum.

Alia voce psittacus, alia coturnix loquitur.

Conuenient in Musicos & Poetas longè dispari stylo, longeq. dissimili facultate. Martialis.

Graculus inter musas. κολοιὸς ἐν ταῖς Μούσαις.

Cum significabimus indoctum aliquem versari inter doctissimos, aut inter eloquentissimos infantissimum.

Feli Crocoton. γαλῇ κροκωτόν.

Subaudiendum, das aut addis. Dici solitum, quoties honos additur indignis, quos etiam haudquaquam decet. Aut cum datur quippiam iis, qui dato vti non possunt. Pro hoc Germani dicũt: Die Stuel auf die Benche setzen.

setzen. Item, Diebe vom Galgen nemmen.

Asinus portans mysteria. *Ὄνος ἄγων μυστήρια.*

In eum dicebatur, qui præter dignitatem in munere quopiam versabatur. Aristoph.

Cibum in matellam ne immittas. *σιτίον εἰς ἀμίδα μὴ ἐμβάλλειν.*

Plutarch. interpretatur, ne sermonem vrbanum immittas in animum hominis improbi.

Induitis me leonis exuuium. *ἐνδύετέ μοι τὴν λεοντῆν.*

In eos dici solitum, qui suscipiunt negotium maius facultate, quique se magnificentius gerunt, quam pro sua facultate. Aristophan.

Ex diametro opposita, vt a uetro dist. *ἐκ διαμέτρου.*

Dicebatur de vehementer inter se pugnantibus.

Ne puero gladium. *μὴ παιδὶ τὴν μάχαιραν.*

Significatur, rem administratione rei alicuius non esse committendam.

Seruus cum sis, comam geris. *δοῦλος ὢν κόμην ἔχεις.*

De eo, qui præter decorum quippiam facit.

Canis in præsepi. *ἡ κύων ἐν φάτνῃ.*

In eos qui nec ipsi fruuntur re quapiam, neque reliquos item sinunt vti. Lucianus. Germani ad verbum exprimunt hoc adagium. Der hundt in der Krippen. Dicunt etiam: Der hundt auf dem heu.

Extra oleas fertur. *ἐκτὸς τῶν ἐλαῶν φέρεται.*

Vbi quis terminos præscriptos transgreditur, aut aliena nec ad rem pertinentia facit. Aristoph.

Quæ semel ancilla, nunquam hera.

Μὴ ποτε δοῦλος εἶναι γυνὴ, δέσποινα γένοιτο.

Videtur ideo dictum quod qui ex humili fortuna subuehuntur ad res amplas, soleant esse cæteris insolentiores.

Tu in legione, ego in culina.

In Truculento Plautino militi acriter militanti coquus respondit. Sis tu in legione bellator si vis, at ego in culina Ares.

In agro furculario capras.

Dificili potest ad eos, qui noxiarum rerum aut hominum admixtu corrum punt tenerorum ætatem.

DIVINATIO.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

Diuinatio, Græce *μαντεία*, *ἀπὸ* & *μάντις*, *ὁ*, vates dicitur. Est autem diuinatio, vis cognoscens & videns & explicans signa, quæ à Diis hominibus proteduntur, vt voluit Chrysippus, *secund. Cic. lib. 2. de Diuinat.*

Diuinatio est vsurpatio prænuntiandi futuros euentus. *secund. S. Th. 2. 2. q. 95. art. 1.*

Diuinatio est futurorum prænidentia, dicta à diuino, quod est auguror. Diuino autem dicitur à Diuis, proprium enim est Dei, futura prædicere.

Loci Biblici.

Diuini Aegyptiaci somnia Pharaonis interpretari nequeunt, *Gen.* 41. 8. Nabuchodonosoris itidem somnium Diuini explicare non possunt, *Dan.* 4. 4. Diuini non consulendi, *Leuit.* 19. 31. & 20. 6. *Deut.* 18. 11. *Esa.* 8. 9. Diuini morte digni, *Leuit.* 20. 17. Diuini consuluntur. *Exemplum*: Rex Babel, *Ezech.* 21. 21. Diuinis Israelitæ credunt, 2. *Reg.* 17. 17. Diuinorum iudicia irrita facit Deus, *Esa.* 44. 25. Diuini à bonis Regibus sublati, 1. *Samuel.* 28. 3. 2. *Reg.* 23. 24. Diuinos de reducenda Dei arca consulunt Philistæi, 1. *Samue.* 6. 2.

Sententiae Biblicae.

Non augurabimini, neque obseruabitis somnia. *Leu.* 19.

Non declinatis ad magos, neque ab hariolis aliquid sciscitemini, vt polluamini per eos. *ibid.*

Non est augurium in Iacob, nec diuinatio in Israel. *Num.* 23.

Si surrexerit in medio tui prophetes, aut qui somnium se dicat vidisse, & prædixerit signum & portentum, & euenerit quod locutus est, non audies verba prophetæ illius, aut somniatoris; quia tentat vos Dominus Deus vester. *Deut.* 13.

Gentes istæ, quarum possidebitis terram, augures & diuinos audiunt: tu autem à Domino Deo tuo aliter institutus es. 18.

Seruierunt Baal, & consecrauerunt filios suos & filias suas per ignem, & diuinationi inseruiebant & auguriis. 4. *Reg.* 17.

Diuini vestri viderunt mendacium, & consolatores locuti sunt frustra, vanè consolabantur, &c. *Zach.* 10.

Diuinatio erroris & auguria, mèdacia, & somnia malefacientium, vanitas est. *Eccl.* 34.

Et dixerunt ad vos: quærite a pythonibus & a diuinis, qui strident in incantationibus suis, nunquid non populus a Deo requiret visiones, a viuis pro mortuis? Ad legem magis & ad testimonium. *Esa.* 8.

A signis cœli nolite metuere, quæ timent gentes. *Ier.* 10.

Nolite audire prophetas vestros & diuinos & somniatores & maleficos, qui prophetant vobis mendacium, vt longe vos faciant de terra vestra, vt eiiciant vos, & pereatis. 27.

Non vos seducant prophetæ vestri, qui sunt in medio vestrum, & diuini vestri, & ne attendatis ad somnia vestra, quæ vos somniatis: quia ipsi prophetant falso in nomine meo, & non misi eos, dicit Dominus. 29.

Non erit vltra omnis visio cassa, diuinatio ambigua in medio filiorum Israel. *Ezech.* 12.

Prophetæ eius in pecunia diuinabunt (& adhuc hodie.) *Mich.* 3.

Anima, quæ declinauerit ad magos, & hariolos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, & interficiam eam de medio populi mei. *Leuit.* 20.

Vir, siue mulier, in quibus pythonicus, vel diuinationis fuerit spiritus, morte moriatur, lapidibus obruent eos, sanguis eorum sit super illos. *ibid.*

Quando ingressus fueris terram, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi, caue ne imitari velis abominationes illarum gentiū, nec inueniatur in te, qui lustret filium suum, aut filiam ducens per ignem, aut qui hariolos sciscitetur, aut obseruet somnia atque auguria, nec sit maleficus, nec incantator, neque qui pythones consulat, neque diuinos. *Deut.* 18.

Omnia enim hæc abominatur Dominus Deus tuus, & propter huiusmodi scelera delebit eos Dominus Deus tuus in introitu tuo, *ibidem.*

Dominus auferet ab Israel Prophetam & hariolum. *Esa.* 3.

Interrogabunt simulacra sua, & diuinos suos, & pythones & hariolos. Et tradam eos in manu dæmoniorum crudelium: & vir fortis dominabitur eorum. 19.

Irrita faciens signa diuinorum, & hariolos in furorem vertens. 44

Gladios ad diuinos eius, qui stulti erunt. *Ierem.* 50.

Vident vana, & diuinant mendacium, dicentes, Ait Dominus, cum Dominus non miserit eos: & perseuerarunt confirmare sermonem. Nunquid non visionem cassam vidistis, & diuinationem mendacem locuti estis? & ideo, ecce ego ad vos, ait Dominus: Et erit manus mea super prophetas, qui vident vana, & diuinant mendacium. *Ezech.* 13.

Nox vobis pro visione erit, & tenebræ pro diuinatione. *Michea.* 3.

Auferam maleficia de manu tua, & diuinationes non erunt in te. 5.

Quatuor diuinationum prima genera docti viri instituunt, id est, dicunt esse Spiritualem, nempe a Spiritu Sancto profectam. 2. naturalem aut artificialem. 3. communem aut vulgarem. 4. diabolicam, cuius variæ sunt species, illicitæ, impiæ, damnatæ, infames.

1. Vsitate in Ecclesia, *Spiritualis* illa, proprio suo nomine *Prophetia* vocatur. Spiritualis dicta, quod instinctu afflatuq. Spiritus Sancti funditur. Ad hanc referuntur omnia S. Scripturæ vaticinia, miraculis inimitabilibus & creaturæ impossibilibus confirmata, certisq. suis euentibus sancita. Ab hoc genere planè secluduntur oracula idolorum, de quibus in diuinatione diabolica agemus.
2. Diuinatio *naturalis*, aut artificiosa intuetur & considerat naturas rerum conditarum, & scrutatur quibus quæque viribus sint præditæ, quid nanua vi sua efficiant, quibus studiis fiat addictæ, quibus causis naturæ rerum vel vincentur ac deprauentur, vel dissoluantur prorsus ac destruantur: seriem denique connexionemq. causarum secundarum peruestigat, & qua vi quæque sibi iunctam & copulatam causam moueat atque efficiat, quas qualitates ordine distributis Mundi corporibus imprimat: & ex causis de effectibus secutis ratiocinatur, ac vicissim ex effectibus naturas rerum & facultates æstimat atque ostendit sine superstitione.
3. Diuinatio *communis*, aut vulgaris, popularis, vel plebeia, imperitis & vulgo in vsu est, qui non requisitis solicitè causis euentuum in natura, nec considerato signorum cum rebus significatis consensu, ex iis solum, quæ vt plurimum eodem modo euenire, iisdem antegressis signis, animaduerterunt ac notarunt, artem effecerunt, & Canones seu regulas effecerunt, ex quibus de multiplicibus euentibus, de tempestatum cœliq. conuersionibus ac commutationibus, de frugum & fructuum prouentu, de vbertate vel caritate annonæ, de aeris salubritate vel infectionibus, de externorū hostium incursionibus, sæpe satis feliciter diuinant. Quicquid huius generis diuinationum superstitione vacat & sancitur experientia, id ex consentientibus inter se plurimorum annorum euentibus, quos causæ Physicæ pepererant, natum est.
4. Diabolicam diuinationem vocamus, omnia vaticinia, quæ non sunt vel expresso Dei mandato sancita, uel cœlestibus testimoniis aut exemplis S. Scripturæ approbata: imò quæ sunt uerbis expressis à Dei Spiritu per S. Prophetas & Apostolos seuerè damnata: quæ vel nullas in natura causas habent, siue immediatè a diabolo profecta, & cum manifesta impietate coniuncta, siue ex mera superstitione nata, errore recepta, approbata,

vsuq.

rtuq. temporis confirmata sunt. Tales diuinationes omnes cuiuscunque sint generis, generalibus primæ tabulæ mandatis prohibentur. Singularum fere differentiarum peculiares prohibitiones extant, Deut. 18.cap, & alijs locis, quorum nonnulli supra citati sunt.

Ex alijs scriptoribus autem diuinationum diabolicarum species varias designabimus.

1. *Oracula*, videlicet Iouis Hammonis, Dodonæum, Delphicum, Trophonii, Amphiarai, Branchidarum in Milesia, Sabæum in Phocide, Antiochenum, Palicense, Sebenniticum, Serapidis, Mercurii Pharensis, Bacchi Thracij, Mantis, & alia penè innumera quæ data sunt sciscitantibus, in locis certis, & à diabolo obsessis, vel a dæmonibus ipsis, voce, somnijs, gestu, nutuvè aliquo simulachrorum, sonitu, tinnitu, vel aliis huiusmodi. vel ab hominibus diabolico spiritu afflatis. qui tunc cum de proposita quæstione respondendum erat, cum vehementi impetu & horribili sonitu e specubus elisus, in vates suos irruebat, impletosq. & in furorem actos ita incutiebat, vt præ timore palpitationeq. artuum omnium, nec consistere, nec sese continere possent. Ita Sathan sarcasticè illusit apparitionibus, somnijs & visionibus illustribus ac sanctis, de quibus multa in historiis sacris mentio.

2. Opposita S. Prophetiæ fuit à diabolo falso vocata à Græcis Θεομαντεία. Differentiæ τῶν θεομαντῶν quatuor sunt. Obsessi seu Pythonici: Afflati seu ἐνθουσιασταί. Ecstatici, mente alienati, capti, Lycanthropi. Damnatur *Theomantia, Leu* 20.6.27.

3. *Magia*, cuius species sunt variæ. Necromantia, animarum humanarum euocatio: Lecanomantia, diuinatio ex inspectione peluis: Gastromantia, Catoptromantia, Crystallomantia, Dactylomantia, Onychomantia, Hydromantia, Aeromantia, idest, diuinatio e ventre, vitro, speculo, crystallo, annulo, vngue, aqua, aere. Magis annumerantur Lamiæ, Striges, Sagæ, Veneficæ, Ethnicæ & profanæ omnes idolomaniæ, quarum numerus innumerus in verbo Dei damnatur.

4. *Incantationes*, quarum semper magis fuit varietas, multiplexq. exercitium, nempe imagunculis, characteribus corporibus ritu solenni effectis, plantis, animalibus, horumq. partibus, metallis, herbis certo decerptis aut collectis tempore, vtrisque carmine consecratis. Incantationum quædam species Pharmacia, Coscinomantia, Axinomantia, Cephaleonomantia, Alectryomantia, idest, ars venefica, diuinatio per cribrum, per securim, per caput asini, per gallum gallinaceum.

5. *Hieroscopia*, diuinatio ex sacrificijs, cuius origo ex ritibus sacrificiorum vsurpans à sanctis patribus, quorum vmbram retinuerunt Ethnici, post amissum Dei verbum. Huius species, Sacrificia Ethnica plane diabolica, Extispicina, Theoscopia, Pyroscopia Pyromantia, Capnomantia, Libanomantia, Oenomantia, Hydromantia, Crithomantia, Ocrhyticon, Ichthyomantia, Anthropomantia; diuinatio per exta, per victimas ipsas, per ignem, per flammam, per fumum, per thuris suffitum, per vinum, per aquam, per hordeum & farinam, per ouorum inspectionem, per pisces.

6. *Augurium* & *Aruspicina* ex superstitione nata. Capiebatur autem ex auibus & auium volatu & garritu, tripudio pullorum. Erant & omnia ex quadrupedum occursu tum in vrbe, tum in itinere, tum domi si quæ casu quodam accidissent: si vibrationes, palpitationes, trepidationes, concussiones, & motus fierent, vel tantillum extra ordinem consuetum ad diuinos cōfugiebant Ethnici. Voces ex occulto missæ sua habebant omina. Auguria autem disertis verbis à Deo damnantur, Leuit. 19. & Deuteron, 20.cap. & Hector Homericus augurium optimum esse dicit, patriam pugnando tueri.

7. A sortibus diuinis in S. Scriptura occurrentibus, à Politicis & Ecclesiasticis, separandæ sunt diuinationes profanæ seu sortes Lyciæ. Prænestinæ, Deliæ, Antiatinæ, Virgilianæ, Cleromantia vel Palomantia, Geomantia, Onomantia, Logarithmantia, Tephramantia, Botanomantia, Kecomantia, Stæchiomantia, Sycomantia, petulans anagrammatismus: id est, diuinatio per tessellas talosvè coniectos, per puncta figurasq. sedecim nominibus suis designatos, per nomina, per numeros, per numerorum rationem, per cineres, per herbas, per ceram, per versus, per ficuum folia, per literas nominum inuersas. In quibus omnibus quum superstitio multiplex admixta sit, & nominis Dei profanatio reperiatur, pios decerà malis eiusmodi artibus, quas prorsus excutere religio vera non patitur, abstinere semper.

Apophthegmata.

Chilon dicebat, diuinationem non esse detestandam: quod hanc Deorum munus esse crederet. quæ ratione percipi posset ab homine insigni virtute prædito. Nam ipse prædixisse fertur, futurū, vt ex Insula Cythera summum malum oriretur Lacedæmoniis, cuius situm naturamq. cum didicisset: Vtinam, inquit, hæc aut nunquam fuisset, aut simul vt nata fuit, euersa fuisset. Nam Demaratus Lacedæmone profugus, Xerxi suasit, vt in ea insula classem haberet: ac planè Græciam subegisset Xerxes, si Demarati consilium fuisset sequutus. Post Nicias ea potitus, statuit illic præsidium Atheniensium, & Lacedæmonios multis cladibus afflixit. *Laert. lib.* 1 *cap.* 2.

Diogenes dicere solebat. Si vlla disciplina id præstare posset, vt præsciremus quæ ferenda sunt, atque eadem amoliri à nobis certa ratione valeremus, egregium sanè illud esset, & longe optimum artificium. Sed si ordine inuiolabili ac lege inconcussa quippiam tolerandum est, ad quid attinet tale malum prænoscere? *Stob.*

Idem videns hominum diuersas actiones, ac audiens somniorum esse interpretes & coniectores, dicebat, nullum animal homine esse stultius. *Laert. l.* 6.

Socrates, Quum in somnijs quidam Socrati visus esset dicere.

Ἤματί κεν τριτάτῳ Φθίην ἐρίβωλον ἵκοιο.

Ad Phthiam venias simulac lux tertia surget: Aeschini dixit, Tertio die moriar: versum Homericum pro oraculo interpretans, id euenit. Phthia erat Patria Achillis: & amici conati sunt persuadere Socrati, vt in Thessaliam fugeret, quod illic haberet fidos amicos. *P. M. apoph.*

Demonax conspicatus augurem quendam in publico vaticinia sua vendentem. Si potes, inquit, ea quæ Parcæ statuerunt arte tua depellere, exiguam mercedem postulas: si quæ fatis decreta sunt omnino sunt euentura, quid tua prodest diuinatio? Bis miser esse cupit, qui mala quæ vitari non possunt, amat præscire. *P. M.* 7. *apoph.*

Demetrius. Quum Philippus locum quendam Ithomatam, non minus munitum, si præsidium imponeretur, quam erat Acrocorinthus, occupasset, & sacrificio peracto per vatem ad ipsum exta essent delata, accepta Arato ac Demetrio Phalereo demonstrauit: & ipse animi dubius rogabat eos, quid exta portenderent? vtrum Messenus locum redderet, an retineret? Hic Demetrius arridens: Si animum, inquit, vatis geris, locum dimittes: sin regis, vtroque cornu bouem retinebis. Peloponnesum bouis ænigmate signans, quam facile retineret, si duas arces præsidio tueretur. *P. M. lib. apoph.* 6. *ex Plut.*

Anaxarchus. In conuiuio quum Anaxarchus Alexandro propinaret, ostenso calice prædixit fore vt vulnus acciperet, abutens ad id versu, quem recitat Laci. *Laer. lib.* 9. *c.* 1.

Βεβλήσεταί τις θεῶν βροτησίᾳ χειρί.

Ferietur aliquis mox Deum humana manu. P. M.

Calanus Indus ad mortem proficiscens, quum conscenderet rogum ardentem, O præclarum, inquit, discessum è vita, quum vt Herculi contigit, mortali corpore cremato, animus in lucem excesserit. Hunc quum Alexander admoneret, dicere si quid vellet? Optimè, inquit, propediem te videbo. Idque euenit, nam Alexander paucis post diebus mortuus est. *Cicero libro primo de Diuinatione* 1.

Jarbas Indus. Apollonius Tyanæus quum ad Indorum sapientes, qui Brachmanes dicuntur, habens Larontis Indiæ Regis literas commendatitias accederet: vt venit ad illos, Iarcas illorum princeps salutauit Apollonium statimque petiit Regis literas. Admirante Apollonio, ac dicente, Vnde sciret? Quo magis (inquit Iarcas) mireris, scito D. vnum in Epistola deesse: atque ita esse, palam omnibus ostendit. *Brusón. libro septimo, capit.* 20.

Iudas Essæus nunquam diuinando mentitus est, is quum prædixisset, in Stratonis pyrgo, Antigonum Regem eo die occubiturum: viso Antigono, Nunc mihi pulchrum est mori, inquit, quum mendax fuerim (distabat enim Stratonis pyrgus sexcentis stadijs) sollicitaq. mente secum hoc repetebat. Sed paulò post tamen interfectus est Antigonus, in loco subterraneo, qui Stratonis pyrgus dicebatur. *Bruson. lib.* 7. *c.* 20.

M. Cato aiebat se demirari, quod non rideret aruspex, quoties aspiceret aruspicem. Sentiens, totum hoc diuinationum genus imposturam esse, qua populo fiebat fucus. Id quum non fugeret eius artis peritum, mirabatur quod aruspex aruspicem posset videre absque risu. Solent enim impostores inter se ridere multitudinis stultitiam. *Cic. l.* 2. *de Diuin.*

Pompeius. Catoni acerbius insectanti Pompeium, quod quum ipse sæpius prædixisset potentiam Cæsaris indies crescentem nulli bono fore populari ciuitatis gubernationi, sed potius ad tyrannidem tendere: Pompeius ita respondit, Tua (inquit) Cato, magis accedunt ad diuinationem, at mea magis accommoda sunt amicitiæ. Sentiens, Catonem incerta loqui, quod nemo possit rerum humanarum exitum liquidò præscire: se verò ea sequutum, quæ tum temporis amicitia, quæ sibi cum Cæsare intercedebat, postulabat. Certum erat quid debebatur amico, incertum erat, an amicus illi futurus esset inimicus. De amico vero humanius est bene sperare, quam male diuinare. *Plut. in apoph.*

Spurina aruspex Spurina aruspex admonuit C. Cæsarem, vt caueret discri-

discrimen ingens, quod vltra Calendas Martias non proferretur. Eo die quum iret in senatum, Spurinæ forte obuio: Quid ais, inquit, nonne venere Calendæ Martiæ? Venere, inquit, sed non sum prætcriere. Eodem die cæsus est Cæsar. *Brus. lib. 5. c. 10. ex Plut.*

Anonymus. Seuerus Imperator cum è Britannia rediret non solum victor, sed etiam in æternum pace fundata: scurræ cuidam obuiá factus, futura illi hunc in modum vaticinatus est: Fuisti Cæsar, totum vicisti, iam Deus esto victor, cuius dicti ratio licet iocus esse videbatur, constitit nihilominus tamen Cæsarem paulò post periisse. *P. M. lib. 6. apoph.*

Athanasius Episcopus. Ab Arrianis & Graecis præstigiator dictus, atque ob diuinationis peritiam diu multumq. derisus, cum vrbem Alexandriam ingrederetur, cornix in aera volitans crocitabat. Græcorum igitur turba hæc audiens, scommate eum veluti impostorem persequens, quidnam cornix diceret, interrogauit. Ille autem perquam vrbane & suauiter ridens: Cras, inquit: Portendit namque, crastinum diem vobis non bene cessurum. Mandatum enim ab Imperatore veniens festum diem vestrum inhibebit, & magnificentia vestra iniucunda vobis erit. Porrò id Athanasij dictum exitum suum habuit, ab Imperatore enim literæ venere, quibus magistratus iubebatur, de cætero Græcos prohibere, ne ad templa accederent, & more superstitionis suæ dies festos peragerent. Et celebritas ea, quæ iam aderat, & ab illis plurimi fiebat, veneratioñeq. maxima colebatur, tum penitus abrogata est. *Nieeph. lib. 9. c. 35.*

Historica Exempla.

Iannes præceptor Theophili Imperatoris solebat peluis vaticinio & præstigiis futura prædicere. *Cedrenus.*

Crœso Lydorum regi, quando id concidit regnum, natum filium semestrem articulate loquutum, diro & prodigioso euentu, fatalem calamitatem, quæ postea sequuta est, præsignasse narrant. *Alexander libro tertio, capite 15. ex Plin. libro vndecimo, capite 51.*

Gallorum exercitum ex Europa in Asiam ad vrbium perniciem transmissurum prædixit Phaënis Delphica, ætate vna antequam res gereretur:

Hostilis gallorum acies tunc milite multo
Vastabit populans Asiam, sed deteriora
Inuenient illis, pelagi prope caerula sedes
Qui posuere suas. sed enim his quoque Iupiter ipse
Auxilio clari mittet Tauri generosam
Progeniem, tristis quæ florem funeret Gallos.

Tauri filium dixit Attalum Pergami Regem: quem ipsum Tauricornem etiam idem Apollo nominauit. *Pausanias libro decimo.*

Pius Pp. in apparatu belli Turcici se periturum quadriennio antè sua ipse manu versiculo descripto ominatus est; In Turcas bellum dum parat, occubuit. *Campan. in eius vita.*

Seneca de Indiarum inuentione per Hispanos anno sal. 1493. facta, vaticinium in tragœdia, quam Medeam inscripsit, clarissimum extat:

Venient annis sæcula seris.
Quibus Oceanus vincula rerum
Laxet, nouosq. Typhis detegat orbes;
Atque ingens pateat tellus.
Nec sit terris vltima Thyle.

Cumana sibylla, vt testatur M. Varro, in palmarum foliis oracula scribebat. Quod secutus *Virg. in 3. Aeneid.*

Insanam vatem aspicies, quæ rupe sub ima
Fata canit, foliisq. notas & nomina mandat.

Arabes, Assumpto in cibo draconum corde vel hepate, ab auibus non secus atque ab oraculis auguria captant. *Volat. libro 13. c. 4. Anthrop.*

Sacrificanti pro æde Apollinis Galbæ, aruspex *Vmbricius* tristia exta pronunciauit; inde insidias ac domesticum hostem prædixit. *Suet. & Corn. Tacitus.*

Miles quidam Iuliani Imp. mortem Constantii Imp. morientis in Cilicia, ex extis prædixit. *Cuspin.*

Apronianus, orator Gallus, aruspex, inspecto victimæ iecore, Iuliano mortem Constantii Imp. nunciauit. *Cardanus de Rerum variet. lib. 15. c. 83.*

Vide Astrologia, Incantatio, Sortilegium.

DIVINVM AVXILIVM.

Divisio.

Diuini auxilii imploratio ad tria facit, quia auxilians quilibet fauet, auxiliatur, & dirigit. *ex S. Tho. super Psal. 43 ad. 2. fin.*

Biblici Loci.

Deut. 33. 26. 29. 2. Chron. 20. 17. & 32. 8. Esa. 44. 2. & 50. 7. 9. Psal. 20. 3. 12. 20. 60. 13. 62. 2. 71. 12. 84. 6. 108. 13. 121. 1. 2. Ose 13. 9. Actor. 26. 21. Hebr. 4. 16.

Sententiae Biblicae.

Hi in curribus, & hi in equis: nos autem in nomine Domini Dei nostri inuocabimus. *Psal. 20.*

Quærite Dominum, dum inueniri potest: inuocate eum dum prope est. *Esa. 55.*

Non est distinctio Iudæi, & Græci, nam idem Dominus omnium, diues in omnes, qui inuocant illum. Omnis enim quicunque inuocauerit nomen Domini, saluus erit, quomodo ergo inuocabunt eum, in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, quem non audierunt? *Rom. 10.*

Omne quodcunque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi, gratias agentes Deo & Patri per ipsum. *Coloss. 3.*

Patrum Sententiæ.

Qui sine Saluatore salutem vult habere, & sine vera sapientia existimat se prudentem fieri posse: non sanus, sed æger: non prudens, sed stultus, in ægritudine assidus laborabit, & in cæcitate noxia stultus & demens permanebit. *August. lib. de ciuit. Dei, & habet. 26. quæst. 2. Qui sine.*

Vbique diuina virtus studijs cooperatur humanis, vt nemo possit ædificare sine Deo, nemo custodire sine Deo, nemo quicquam incipere sine Deo. *Ambros. super Luc. c. 2.*

Omnis anima accedat ad Christum, quia omnia Christus est nobis. Si vulnere carere desideras, medicus est; si febribus æstuas, fons est, si grauaris iniquitate, iustitia est: si auxilio indiges, virtus est: si mortem times, vita est: si cœlum desideras, via est: si tenebras fugis, lux est: si cibum quæris, alimentum est. *Ambros. lib. de Virginitate.*

Sciant liberi arbitrii defensores, nihil posse in bonum sua præualere virtute, nisi diuinæ gratiæ iuuamine sustententur. *Isid. de summo bono.*

Nullas omnino habet metas diuina clementia: si qui inuocet, erit qui exaudiet: sit qui pœniteat, erit qui indulgeat. *Ioan. Chrysost. in tract. de passione.*

Nomen Iesu lucet prædicatum, pascit recogitatum, lenit & vngit inuocatum. Qui ita exercitatos reparat sensus, virtutes roborat, vegetat bonos mores atque honestos, castas fouet affectiones. *Bernh. sup. Cant. serm. 15.*

Philosophorum Placita.

Nec conueniebat vilissimorum me præsidia spirituum captare, quæ tu in hanc excellentiam componebas, vt consimilem Deo faceres. *Boet. de philos. consol. lib. 1.*

In minimis quoque rebus diuinum auxilium implorari debet. Inuocandus enim omnium pater rerum, quo prætermisso nullum ritè fundatur exordium. *idem.*

In maximis siue minimis diuinum debet implorari auxilium. *Plato in Timæo.*

Non votis, neque suppliciis muliebribus auxilia Deorum parantur: sed vigilando, agendo, bene consulendo prospere cedunt omnia. Vbi socordiæ te atque ignauiæ tradideris, ne quicquam Deos implores, irati enim infensique sunt. *Salust. in Catilinario.*

A Dijs immortalibus sunt nobis agendi capienda primordia. *Cic. lib. 2. de Legibus.*

DIVITIAE.

Defintio, et Etymolog.

Diuitiæ, Græce πλοῦτος, ὁ. & πλοῦτος. ditor dicitur. Dicitur autem diues a diuus: nam qui diues est, quasi Deus nullo indigere videtur, teste Varrone, à quo fit diuito verbum, quod est diuitem facio, vnde diuitiæ, quæ ab opibus ita differunt, quod diuitiæ sunt, vt vtamur: opes, vt aliis opitulemur. *secundum Ciceronem lib. de Amicitia.* Sunt enim diuitiæ ad necessarium vsum, opes ad magnificentiam. Dicimus præterea dito, ditas: diteo, dites, vnde ditesco, & diuito, diuitas, *teste Marcello. Afranius Astyanacte: Nil credo auguribus, qui aures verbis diuitant alienas, suas locupletent domos.*

Heb. *hoschor*, Opulentia, diuitiæ, *Psal. 112. 3. 2. Chron. 1. 11. Ier 9. vm. ampen.* Diues, *yascher*, à verbo *hascher*, diues fuit, ditatus est, locupletatus est. Cognationẽ habet cum hassar, decimauit: nam,

ditari

ditari est multis partibus præ alijs locupletatum esse. Contrariũ est *Rasch*, pauper inops. a *Rechuson* à verbo. *Rachasch*, comparauit diuitias, comparauit seu collegit opes. Cognationem habet cum *Raghasch*, conuenit cum impetu seu tumultu: nam facultates seu opes congeruntur cum magno dolore & tumultu.

Loci Biblici.

Diuitiæ hominum in manu Dei, *Gen.* 31.9. *Prouer.* 22.2. Diuitiæ spirituales, *Rom.* 8.23. 1 *Cor.* 1.5. 2. *Cor.* 6.10. & 9.11. *Ephes.* 1. *ver.* 7.18. & 2.57. *Col.* 1.27. & 22. 1. *Timoth.* 6.18. *Iacob.* 2.5. Diuitiæ fidelũ. 1. *Tim.* 66. Diuitiæ impiorum inutiles, *Iob.* 20.15. *Prou.* 10.2. & 11.4. & 15.16. & 17.16. *Ezech.* 7.19. *Mich.* 6.10. aliò transferentur. *Iob.* 27.56. malæ sunt, *Amos.* 3.20. & possessoribus noxiæ. *Soph.* 1.18. Diuitiarum spes fallax, *Psal.* 49. *ver.* 7.8. 18. & 52.9. & 62.11.76. 6. *Ezech* 7.19. 1 *Tim.* 6.17. Diuitijs non fidendum, *Iob.* 31.25. Diuitiis & Deo simul seruire nemo potest, *Matth.* 6.24.

Diuitiæ, pro immensa copia, abundantia, aut magnitudine, *Rom* 2.4. & 9.23. & 11. 33. 1. *Cor.* 1.5. pro cognitione Euangelij in vitam æternam, *Rom.* 11.12.

Diues non in Deo, id est, qui non apud Deum, vel Dei respectu est diues. *Luc.* 12.21. vbi iubemur thesaurizare, *v.* 33. (*Matth.* 6.10.) in cœlis, ac proinde ab vnica Dei prouidentia pendere, qua de re 1. *Tim.* 6. *ver.* 17.18. Diues non bonorandus ob rerum caducarum opulentiam, *Iac.* 2. *ver.* 2.3. Diuitis luxuriantis historia. *Luc.* 56.19. Diuitis persona non consideranda, *Leuit.* 19.15. Diuitis & pauperis collatio, *Prou.* 28.6. eorum discrimen, 18.23. Diuites quomodo se gerere debeant, *Iacob.* 1.10. Diuites varijs tentationibus obnoxij, 1. *Tim.* 6.9. difficulter seruabuntur, *Matth.* 19. *ver.* 23.24. *Marc.* 10. *ver.* 24.25. *Luc.* 18. *ver.* 24.25. Diuites à regno Dei non excludẽdi, 1. *Cor.* 1.26. 1. *Tim.* 2. *v.* 1.2.3.4. & 6.17. Diuites huius mundi infelices ac vani, *Iob.* 27. *v.* 56.19. *Psal.* 49. *ver.* 11.8. *Eccl.* 51. *ver.* 9. 10. *Luc.* 6.24. *Iac.* 1.10.5.1. Diuites mali reprehendendi. *Matth.* 9. 22. Diuitibus in hoc sæculo: hoc est, rerum ad hanc vitam pertinentium. 1. *Tim.* 6.17. Diuitum crudelitas, *Iac.* 2.6. Diuitibus cauendum maximè ne Dei obliuiscantur, *Deut* 16.12. *Prou.* 38. Diues & pauper obuiant sibi inuicem. 22.2. Diuitijs non fidendum, *Iob.* 31.25. Diuitijs & Deo nemo seruire potest. *Matth.* 6.24.

Sententiæ biblicæ.

Benedictio Domini diuites facit, nec sociabitur eius afflictio. *Prouerb.* 19.

Melius est parum cum iustitia, quam multi fructus cum iniquitate. 26.

Noli laborare vt diteris, sed prudentiæ tuæ pone modum. 23.

Ne erigas oculos tuos ad opes, quas non potes habere: quia facient sibi pennas, quasi aquilæ, & volabunt in cœlum *ibid.*

Bona est substantia, cui non est peccatum in conscientia. *Eccles.* 23.

Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere. *Psal.* 62.

Iustus comedit, & replet animam suam: venter autem impiorum insatiabilis. *Prou.* 13.

Corona sapientum diuitiæ eorum: facultas stultorum imprudentia. 14.

Hoc itaque visum est mihi bonum, vt comedat quis & bibat, & fruatur lætitia ex labore suo, quo laborauit sub sole. *Eccl.* 3.

Et omni homini dedit Deus diuitias atque substantiam, potestatemq. tribuit, vt comedat ex eis, vt fruatur parte sua, & lætetur de labore suo, hoc est donum Dei. *ibid.*

Memento paupertatis tempore abundantiæ, & necessitatem paupertatis in diuitiarum. A mane vsque ad vesperam immutabitur tempus, & hæc omnia citata in oculis Dei. *Eccl.* 18.

Beatus diues, qui inuentus est sine macula, & qui post aurum non abijt, nec sperauit in pecunia & thesauris. 31.

Glorietur autem frater humilis in exaltatione sua. diues autem in humilitate sua. *Iac.* 1.

Honora Dominum de tua substantia, & de primitiis omnium frugum tuarum da pauperibus, & implebuntur horrea tua saturitate, & vino torcularia tua redundabunt. *Prou.* 3.

Mendicitatem & diuitias ne dederis mihi. tribue tãtum victui meo necessaria, ne forte satiatus illiciar ad negandum, & dicam: quis est Dominus? Aut egestate compulsus furer, & periurem nomen Dei mei 30.

Nonne melius est comedere & bibere, & ostendere animæ suæ bona de laboribus suis? Et hoc de manu Dei est. *Eccl.* 2.

Omnis enim homo, qui comedit & bibit: & videt bonum de labore suo, hoc donum Dei est. 3.

Fili, si habes, bene fac tecũ, & Deo dignas oblationes offer. *Eccl.* 14.

Cum facis conuiuium, voca pauperes, debiles, claudos, & cæcos: & beatus eris, quia non habent retribuere tibi. *Luc.* 14.

Si ergo in iniquo Mammona fideles non fuistis, quod verum est, quis credet vobis? 16.

Nihil proderunt thesauri impietatis. *Prou.* 10.

Pondus & pondus, mensura & mensura, vtrumque abominabile est apud Dominum. 20.

Noli attendere ad possessiones iniquas, & ne dixeris: Est mihi sufficiens tempus. Nihil enim proderit in tempore vindictæ & obductionis. *Eccles.* 5.

Multos perdidit aurum & argentum. 8.

Nihil est iniquius, quam amare pecuniam: hic enim & animam suam venalem habet. 10.

Non inueniet fraudulentus lucrum. *Prou.* 12.

Hæreditas ad quam festinatur in principio, in nouissimo benedictione carebit. 20.

Qui coaceruat diuitias vsuris, & fœnore liberali, in pauperes congregat eas. 28.

Qui decipit iustos in via mala, in interitu suo corruet, & simplices possidebunt bona eius. *ibid.*

Igitur in domo impij thesauri iniquitatis, & mensura minor iræ plena. Nunquid iustificabo stateram impiam, & sacelli pondera dolosa? In quibus diuites eius repleti sunt iniquitate, & habitantes in ea loquebantur mendacium, & lingua eorum fraudulenta in ore eorum. *Mich.* 6.

Diuitiarum iactantia quid contulit nobis? *Sap.* 5.

Omnia transierunt sicut vmbra, & tanquam nuncius præcurrens, & tanquam nauis, quæ pertransit fluctuantem aquam, cuius, cum præterierit, non est vestigium inuenire, neque semitam carinæ illius in fluctibus. *Ibid.*

Insatiabilis oculus cupidi in tempore iniquitatis non satiabitur. *Eccles.* 14.

Vbi sunt, qui thesaurizant argentum, & aurum, in quo confidunt homines? *Bar.* 3.

Ad inferos descenderunt, & alij loco eorum exsurrexerunt. *Ibid.*

Argentum eorum foris projicietur, & aurum eorum in sterquilinium erit. *Ezech.* 7.

Desiderabile argentum vrticam hæreditabit: lappa in tabernaculis eorum. *Osea* 9.

Ecce complosi manus meas super auaritiam tuam, quam fecisti. *Ezech.* 22.

Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra: vbi fures effodiunt, & furantur, vbi ærugo, & tinea demolitur. *Matth.* 6.

Stulte, hac nocte animam tuam repetent à te: quæ autem parasti cuius erunt? *Luc.* 12.

Cauete & videte ab omni auaritia: quia non in abundantia cuiusquam vita eius est, ex his quæ possidet. 12.

Qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ in operationem immunditiæ omnis auaritiam. *Ephes* 4.

Diuitibus huius sæculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo. 1. *Tim.* 6.

Sint mores sine auaritia, contenti præsentibus. *Heb.* 13.

Ipse enim dixit, non te deseram, neque derelinquam. *Ios.* 5.

Diuitiarum spiritualium qualitas.

Inclina cor meum in testimonia tua, & non in auaritiam. *Psal.* 118.

Diuitiæ salutis sapientia, & scientia: timor Domini ipse est thesaurus eius. *Esa.* 33.

Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo, *Matth.* 6.

Diuitibus huius sæculi præcipe diuites fieri in bonis operibus. 1. *Timoth.* 6.

Vtilitas.

Redemptio animæ viri diuitiæ suæ. *Prou.* 13.

Facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cœlis, quò fur non accedit, neque tinea corrumpit. *Luc.* 12.

In omnibus diuites facti estis in illo in omni verbo, & in omni scientia. 1. *Cor.* 1.

Scitis enim gratiam Domini nostri Iesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cum esset diues, vt illius inopia vos diuites essetis. 2. *Cor.* 8.

Patrum Sententiæ.

Diuitiæ sæculares si desunt, non per mala opera quærantur in mundo: si autem adsint, per bona opera seruentur in Cœlo. Animũ virilem & Christianum, nec debent, si accedant, extollere: nec debent frangere, si recedant. *Aug. epist.* 140.

Veræ sunt illæ diuitiæ, quas cum habuerimus, perdere non possimus *in Matth.*

Aurum est materia laborum, periculum possidentium, eneruatio virtutum, malus dominus, proditor seruis. *de verb. Dom.*

Quid prodest arca plena bonis, si inanis sit conscientia? bona vis habere, & tu bonus esse nõ vis. Erubescere debes de bonis tuis, si domus plena bonis te malum habet dominum. Quid prodest diuiti quod habet, si Deum qui omnia dedit non habet? *Aug. Il. de ver. dom. Serm.* 12.

Pauper est, qui volt esse diues. *Serm. l.* 2. *ser.* 11.

Morbus diuitiarum, est superbia, non grandis animus est, qui inter diuitias illo morbo non tentatur, maior animus diuitias suas vincens contemnendo. Magnus est ergo diues, qui non se

ideo

ideo magnũ putat, quia diues est. Superbus, qui & egenus est, in carne crepat, in corde mendicat: inflatus est, non plenus. *Ser. 29.*

Aurum amplius cruciat, apud quem largius fuerit, aurum amanti se nihil de sua possessione permittit: refundens et reatum suum, cui vsum negat. *ibid.*

Ideo rogans diues non exauditur in tormentis, quia rogantem pauperem non exaudiuit in terris. *Ho. de vite.*

Hoc attendite, ne passim diuites reprehendatis, & rursum ne de paupertate, & egestate præsumatis. Si enim non est præsumendum de diuitijs, quanto magis non est præsumendum de paupertate? pauper vlcerosus non habens escam, non ipsam vestem, ablatus est ab Angelo in sinum Abrahæ: Vides qui sublatus est, non vides, quo sublatus est, in sinum Abrahæ: lege scripturam, & inuenies diuitem Abraham. Sublatus est ergo in sinum diuitis pauper, an potius ambo diuites Deo, ambo à cupiditate pauperes? *super Psal. 5.*

Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere. Ille igitur, qui non habet, non ambiat, is qui habet, non superbiat, & non dicit, nolite habere, sed cor apponere. Non enim damnat diuitias, sed cor appositum, quod scilicet non expendit, sed recondit. *Glo. Aug. super Psal. 61.*

Non diuisim, non separatim tempore messis hoc faciet: diuites intellige superbos: pauperes humiles, habeat quis multas pecuniarum facultates, si in eis non extollitur, pauper est, non habeat aliquid, & cupiat, & inflетur, inter diuites reprobos cum deputat dominus, quia diuites, & pauperes in corde interrogat Deus, non in arca, aut in domo. *Super illud Psal. 68.*

Sufficientiam vitæ non indecenter vult, quisquis eam vult; & non amplius, quæ quidem non appetitur propter seipsam, sed propter salutem corporis, & congruentem habitum personæ hominis, vt non inconueniens eis, cum quibus viuendum est. Ista ergo quum habentur, vt teneantur, quum non habentur, vt habeantur, orandum est. *August. ad Probum.*

Diuitiarum morbus superbia est: nam grandis animus est, qui inter diuitias isto morbo non tenetur. *August. serm. 24.*

Difficile est, vt non sit superbus diues: tolle superbiam, & non nocebunt diuitiæ. *ibid.*

Diuitiæ non sunt peccatum: sed peccatum est eas non distribuere pauperibus. *Chrys. in hom.*

Diuitiæ maximæ, non egere diuitijs. *ibid.*

Qui malè diuitijs vtitur, miserabilis est, vt ille qui sponte se vulnerauerit eo gladio, quem ad vindictam hostium sumpserat. *Greg. Nazian.*

Discant diuites non in facultatibus, crimen haberi, sed in ijs qui facultatibus vti nesciant. Nam diuitiæ, vt impedimenta sunt improbis, ita bonis sunt adiumenta virtutum. *Ambr. in Luc.*

Iniustæ dicuntur diuitiæ, non quia aurum, & argentum iniustum sit: sed quia iniustum est eas putare diuitias, quæ auaritiæ non auferunt egestatem. *Ambr. in Psal. 118.*

Cæterum ita incubuerunt mores hominum in adunatione diuitiarum, vt nemo nisi diues honore putetur dignus. *lib. de Offic.*

Qui diuitiarum seruus est, diuitias custodit vt seruus, qui autem seruituris discusserit iugum, distribuit eas, vt dominus. *Hier. in Matt.*

Nihil miserius est, quàm propter nummos Deum contemnere. *idem in epist.*

Vnumquodque non hominum, sed rerum pōdere iudicandum est, nec diuiti obsunt opes, si bene vtatur, nec pauperem egestas cõmendabiliorem facit. *Hier. in epist. ad Salui.*

Solæ diuitiæ veræ sunt, quæ nos virtutibus diuites efficiunt. Si ergo fratres diuites esse cupitis, veras diuitias amate, si culmen veri honoris quæritis, ad cœleste regnum tendite. Si gloriam dignitatum diligitis, in illa superna Angelorum curia adscribi festinate. *Greg. in Euan.*

Facilè est homini tunc diuitias despicere, cum habet: difficile verò, quum non habet, viles æstimare. *lib. 15. moral.*

Terrena substantia æternæ felicitati comparata, pondus est, non subsidium. Temporalis vita æternæ vitæ comparata, mors est potius dicenda, quàm vita. *Greg. in hom.*

Res suas, cum moreretur diues, secum tolleret, si ad petentis vocē cum viueret tulisset: nam terrena omnia, quæ seruando amittimus, largiendo seruamus. *ibid.*

Forsitan aliquam excusationem habuisset, si ad portam eius non iacuisset, si remotus fuisset, & vlcera eius non cognouisset. *Bern. lib. de consideratio.*

Aurum & argentum, & cætera huiusmodi, quantum ad animi bonum spectat, nec bona sunt, nec mala: vsus tamen horum bonus: abusio mala, solicitudo peior, quæstus turpior. *Serm. 4.*

Filij Adam genus auarum, quid vobis cum terrenis diuitijs, quæ nec veræ, nec vestræ sunt? Aurum & argentum verè terra est rubra, & alba, quàm solus error hominum facit, aut magis reputat preciosam, denique si vera sunt, tollite ea vobiscum. *ibid.*

Veræ ergo diuitiæ, non opes sunt, sed virtutes, quas secum consciētia portat, vt in perpetuum diues fiat. *In serm.*

Camelus vnum solum pondus habet, diues duo, vnum terrenarum

possessionum, aliud peccatorum. Primum in morte deponitur, aliud velit nolit moriens retinet, nisi ante mortem deponat. *ibid.*

Sudat pauper foris in opere, sed numquid anxiè diues intus in sua cogitatione laborat? Aperit iste os suum in oscitatione, aperit ille in ructatione, & interdum grauius ille fastidio, quàm iste inedia cruciatur. *ibid.*

Diuitiarum sequela est luxuria, ira intemperans, furor iniustus, arrogantia superba, omnisq; irrationabilis motus. *Chrys. l. 5. quod nemo læditur, &c.*

Si possibile esset in diuites vindicta procedere, videres ex eis repleri carceres vniuersos. Sed cum omnibus malis suis hoc malum habent diuitiæ, quod in malignitate peccantes ab vltionibus eruunt. *In epist. ad Hebr. serm. 2.*

Vanitas vanitatum, & omnia vanitas, &c. Hunc versiculum si saperent, qui in potētia, & diuitijs versantur, in parietibus omnibus, & in vestibus suis scriberent, in foro, in domo, in ianuis, & in ingressibus, & ante omnia in conscientijs suis, vt semper eum oculis cernerent, & corde sentirent. *In Matth. homil. 30.*

Omnia bona mundi triplex interitus tollit, aut ex seipsis veterascunt, aut luxu dominorum suorum consumuntur, aut ab extraneis dolo, vel violentia, vel calumnia diripiuntur. *idem c. 6.*

Omne terrenum, vel ærugine consumitur, vt aurum & argentum; vel putredine, & vermibus, vt vestis: & quod ab his immune est, à furibus tollitur, vt lapides preciosi. In his ergo omne genus auaritiæ reprehenditur. *Matth. 6.*

Magnæ diuinitatis fuit apud sæculũ, sed maioris meriti apud Deũ: quia non erat diues diuitiarum amore, sed tantummodo possessione, ideo diuites non excluduntur à discipulatu Saluatoris. Iste enim diues erat, & discipulus: quia non pecuniæ amator; sed ipsius distributor. *Rab. super Matth. 28.*

Non reprehenditur diues, quod terram coluerit, vel fructus in horrea congregauerit, sed quod fiduciam vitæ in illis posuerit, nec pauperibus erogauerit, vt ab eis reciperetur in æternis tabernaculis. *Beda in gl. super Luc. 12.*

Familiaris res est humanũ cor opibus, ac libertate dissolui, ærumnis verò ac paupertate ad semetipsũ recolligi. *Beda sup. Ester, l. 5.*

Insidiæ sunt in diuitiarum amplitudine, insidię in paupertatis angustijs, illæ eleuant ad superbiam, hæ incitant ad querelam. Tractat sanitas, tentat infirmitas, & illa materia est negligentiæ, & hæc causa tristitiæ, laqueus est in securitate, laqueus in timore, nec interest, verũ animus, qui terreno tenetur affectu, gaudijs occupetur, an curis, cum par morbus sit, vel sub vana delectatione languere, vel sub anxia solicitudine laborare. *Leo Papa in serm.*

Auri custos, seruitor argenti, securitatem non habet, nescit quietem, & cui deest securitas, quies perit. Pœna diues est ille, non censu. *Petr. Rauen. in Serm.*

Aurum erogare, bonum est, reponere, malum: contēmnere, validum: fugere, persecurum: quod sicut vincere virtutis est, ita felicitatis euasisse. *Idem, ibid.*

Poeticæ Sententiæ.

Iac. Bil. Anthol. Sacr.

Verum diuitiarum fructum in misericordia erga pauperes situm esse.

Tum furit horribilis pardus, tigrisq; leoq;,
Cum catena inclusos arcta repentè tenet:
Sic etiam numquam furit aurum immitius. arca
Quàm cum illud Dominus claudere parcus amat.
Quid facies igitur, ne te fera vulneret ista,
Quæ quo plus clausa est plus feritatis habet?
Solue feram pascens quos aspera vexat egestas.
Protinus hæc mitis redditur atra fera.

In nimium diuitiarum amorem.

Nil præter lachrimas, veniens ad limina vitæ
Affers nil offers, cum tumulatur homo.
Quis pectus furor ergo tuum percellit auare,
Vt linquenda tibi sic bona tanta ames?
Hæc fuge, quæ seruans ab eis eruabere numquam;
Serpentemq; sinu parte fouere tuo.
Perfidus hinc tantam procul pellatur amicus,
Qui fugiente fugit prosperitate suos.

In cœlo thesaurizandum, non in terra.

Quis sapere hunc dicat, Cereris qui condit in imo
Munera, nec superis collocat illa locis?
Non mentis insanit suæ qui non condit Olympo.
Sed credit terræ, quis malè seruat, opes.
Visne igitur tua non pereant, non pabula blattis
Suppeditent, furis non metuantq; manus?
Pauperibus fer opem promptusq; alimenta ministra,
Conseruabis opes hac ratione tuas.

Idem.

Terrenis opibus cum diues gaudet iniquus.
Veris se miserum nescit egere bonis.
Nam quid erit, quod non momento temporis vnò

Perdere mundana conditione queat,
Cum licet aduersis cessantibus omnia parcant,
Lege tamen mortis sit facturus inops?
At bona iustorum nullis obnoxia damnis.
Hostes, fures, ignes, & ... non metuunt.
Indemnis seruat proprium sapientia censum,
Nec perdunt meritum pax, fidesq; suum.
Omnis virtutum semper substantia salua est.
In tuto Christo munera nemo rapit.

Hesiodus.

Πλούτῳ δ' ἀρετὴ καὶ κῦδος ὀπηδεῖ.
Diuitias autem virtus & gloria comitantur.
Χρήματα δ' οὐχ ἁρπακτὰ, θεόσδοτα πολλὸν ἀμείνω.
Pecunia non rapta à Deo data multo meliores.
Σοὶ δ' εἰ πλούτου θυμὸς ἐέλδεται ἐν φρεσὶ σῇσιν,
Ὧδ' ἔρδειν, καὶ ἔργον ἐπ' ἔργῳ ἐργάζεσθαι.
Tibi vero si diuitias animus cupit in mentibus tuis,
Sic facias, operam super operam operare:
Χρήματα γὰρ ψυχὴ πέλεται δειλοῖσι βροτοῖσι.
Pecunia enim anima sunt miseris mortalibus.

Petronius.

Quisquis habet nummos secura nauiget aura,
Fortunamq; suo temperet arbitrio.
Vxorem ducat Danaen, ipsumq; licebit
Acrisium iubeat credere quod Danaen.
Carmina componat, declamet, concrepet, omnia
Et peragat causas sitq; Catone prior,
Iurisconsultus, paret non paret, habeto,
Atque esto, quidquid Seruius & Labeo.
Multa loquor: quiduis nummis præsentibus opta,
Et veniet: clausum possidet arca Iouem.

Iuuenal.

Sensit Alexander, testa cum vidit in illa
Magnum habitatorem, quanto felicior hic, qui
Nil cuperet, quàm qui totum sibi posceret orbem,
Passurus gestis æquanda pericula rebus.

Martialis 3.

Sunt tibi, confiteor, diffusi iugera campi,
Vrbanaq; tenent prædia multa lares:
Et seruus dominæ numerosus debitor arcæ,
Sustentatq; tuas aurea mensa dapes:
Fastidire tamen noli, Rufine, minores,
Plus habuit Didymus, plus Philomelus habet.

Ex Herc. furent. Senec.

Turbine magno spes sollicita
Vrbibus errant trepidiq; metus.
Ille superbos aditus regum,
Durasq; fores expers somni
Colit: hic nullo fine beatus
Componit opes gazis inhians,
Et congesto pauper in auro est,
Illum populi fauor attonitum,
Fluctuq; magis mobile vulgus
Aura tumidum tollit inani,
Hic clamosi rabiosa fori
Iurgia vendens improbus iras
Et verba locat, nouit paucos
Secura quies, qui velocis
Memores æui tempora numquam
Reditura tenent, dum fata sinunt.
Viuite læti: properat cursu
Vita citato, volucriq; die
Rota præcipitis vertitur anni,
Duræ peragunt pensa sorores,
Nec sua retro fila reuoluunt,
At genus hominum fertur rapidis
Obuia fatis incerta sui.
Stygias vltro quærimus vndas.

Palladas.

Χρυσὲ πάτερ κολάκων, ὀδύνης καὶ φροντίδος υἱὲ,
Καὶ τὸ ἔχειν σε φόβος, καὶ μὴ ἔχειν σ' ὀδύνη.
Aurum pater adulatorum, doloris & curæ fili,
Et habere te timor, & non te habere dolor est.
Φεύγετε τοὺς πλουτοῦντας ἀναιδέας οἰκοτυράννους,
Μισοῦντας πενίην μητέρα σωφροσύνης.
Fugite diuites impudentes, habitantes domos tyrannorum,
Odio habentes paupertatem, matrem modestiæ.

Euripides.

Χρυσὸς δὲ κρείσσων μυρίων λόγων βροτοῖς.
Aurum autem potentius infinitis sermonibus hominum.

Virg. lib. 3. Aeneid.

Quid non mortalia pectora cogis
Auri sacra fames?

Ouid. lib. 1. Fastorum.

In precio precium nunc est, dat census honores,
Census amicitias: pauper vbique iacet.

Propert. lib. 3. Elegiar.

Haud vllas portabis opes Acherontis ad vndas:
Nudus ad infernas stulte vehere rates.

Tibull. lib. 3. Elegiar.

Nam graue quid prodest pondus mihi diuitis auri,
Arua que si findant pinguia mille boues?
Quidue domus prodest Phrygiis innixa columnis?

Ibidem.

Et quæ præterea populus miratur in illis
Inuida quæ falso plurima vulgus amat.
Non opibus mentes hominum curæq; leuantur,
Nam fortuna sua tempora lege gerit.

Ibidem.

Nec me regna iuuant, nec Lydius aurifer amnis,
Nec quas terrarum sustinet orbis opes.
Hæc alij cupiant, liceat mihi paupere cultu
Securo chara coniuge posse frui.

Horat. Carm. lib. 3. Ode 1.

Sed timor & minæ
Scandunt eodem quo dominus: neque
Decedit ærata triremi &
Post equitem sedet atra cura.

Ibidem.

Cur inuidendis postibus, & nouo
Sublime ritu moliar atrium?
Cur valle permutem Sabina
Diuitias operosiores?

Idem epistolar. lib. 2. epist. 2.

Sit proprium cui iam, puncto quod mobilis horæ,
Nunc prece, nunc precio, nunc vi, nunc sorte suprema
Permutet dominos, & cedat in altera iura.
Sic quia perpetuus nulli datur vsus, & hæres
Hæredem alterius velut vnda superuenit vndam,
Quid vici prosunt aut horrea? quidue Calabris
Saltibus adiecti Lucani, si metit Orcus
Grandia cum paruis non exorabilis auro?

Et parum infra.

Sunt qui non habeant, est qui non curat habere.

Iuuenal. Satyr. 10.

Sed plures nimia congesta pecunia cura
Strangulat, & cuncta exuperans patrimonia census,
Quanto Delphinis balæna Britannica maior.

Ibidem.

Pauca licet portes argenti vascula puri,
Nocte iter ingressus gladium contumq; timebis,
Et mota ad lunam trepidabis arundinis vmbram,
Cantabit vacuus coram latrone viator.

Ibidem.

Prima fere vota, & cunctis notissima templis,
Diuitiæ, vt crescant, & opes, vt maxima toto
Nostra sit arca foro: sed nulla aconita bibuntur
Fictilibus: tunc illa time, cum pocula sumes
Gemmata, & lato Setinum ardebit in auro.

Iuuenal. Satyr. 14.

Nam diues qui fieri vult,
Et cito vult fieri.

Ibidem.

Mensura tamen quæ
Sufficiat census si quis me consulat edam.
In quantum sitis, atque fames, & frigora poscunt,
Insanos sese, sese sine mente viderent:
Solus honor merito, qui datur, ille datur.

Antholog. Græc.

Ὡς τεθνηξόμενος, τῶν σῶν ἀγαθῶν ἀπόλαυε.
Ὡς δὲ βιωσόμενος φείδεο σῶν κτεάνων.
Ἔστι δ' ἀνὴρ σοφὸς οὗτος, ὃς ἄμφω ταῦτα νοήσας
Φειδοῖ καὶ δαπάνῃ μέτρον ἐφηρμόσατο.

Latine Lilius vertit.

Diuitiis vtare tuis tamquam moriturus,
Tamquam victurus parcito diuitiis:
Vir sapiens est ille quidem, qui hæc ambo volutans
Parcit, quippe modum sumptibus applicuit.

Thomas Morus.

Tamquam iam moriturus partis vtere rebus:
Tamquam victurus denuo parce tuis.
Ille sapit, qui perpensis his ritè duobus
Parcus erit certo munificusq; modo.

Diues mortuus, & pauper pares.

Ex Epigrammatibus Ausonij.

Effigiem rex Crœsus eram ditissime regum

Vidit apud manes Diogenes Cynicus.
Constitit atque procul solito maiore cachinno
Concussus dixit, Quid tibi diuitiæ
Nunc prosunt, regum rex ô ditissime, cum sis
Sic vt ego solus, me quoque pauperior?
Nam quæcumque habui mecum fero, cum nihil ipse
Ex tantis tecum Crœse feras opibus.

Ex Satyr. 3. lib. 4. Sermonum Horatij.

Nescio an Anticyram ratio illis destinet omnem
Hæredes Staberi summam incidere sepulchro,
Ni sic fecissent gladiatorum dare centum
Damnati populo paria.
Quid ergo
Sensit, cum summam patrimonij insculpere saxo
Hæredes voluit? Quoad vixit credidit ingens
Pauperiem vitium, & cauit nil acrius, vt si
Forte minus locuples vno quadrante periret,
Ipse videretur sibi nequior. Omnis enim res,
Virtus, fama, decus, diuina, humanaq; pulchris
Diuitijs parent: quas qui construxerit ille
Clarus erit, fortis, iustus, sapiens, etiam & rex.
Et quidquid volet. Hoc veluti virtute paratum
Sperauit magnæ laudi fore. Quid simile isti
Græcus Aristippus? qui seruos proijcere aurum
In media iussit Libya, quia tardius irent
Propter onus segnes. Vter est insanior horum?

Ex epist. 12. Horatij ad Iccium.

Fructibus Agrippæ Siculis, quos colligis, Icci
Si recte frueris, non est, vt copia maior
Ab Ioue donari possit tibi. Tolle querelas:
Pauper enim non est, cui rerum suppetit vsus,
Si ventri bene, si lateri est pedibusq; tuis, nil
Diuitiæ poterunt regales addere maius.

Idem Epist. 19. lib. 1. ad Lollium.

Quid credis amice precari?
Sit mihi, quod nunc est, etiam minus, vt mihi viuam,
Quod superest æui, si quid superesse volunt Dij.
Sed satis est orare Iouem, qui donat, & aufert.
Det vitam, det opes, æquum mi animum ipse parabo.

Ex Græcis Comicis.

Τῶν γὰρ ἀγαθῶν τὸν πλοῦτον ὕστατον τίθει.
Ἀβεβαιότατον γάρ ἐστιν ὧν κεκτήμεθα.
Opes bonorum iudica omnium vltimas.
Nam possidemus nil eis incertius.
Μακάριος ὅστις οὐσίαν καὶ νοῦν ἔχει.
Χρῆται γὰρ οὗτος εἰς ἃ δεῖ ταύτῃ καλῶς.
Cui mens opesq; sunt simul, beatus est.
Hic namq; rite solus illis vtitur.
Ὁ πλοῦτός ἐστι παρακάλυμμα τῶν κακῶν.
Ἡ δ' αὖ πενία περιφανὲς καὶ ταπεινόν.
Mala obteguntur opibus, vt velamine,
Inopia conspicua omnibus res, & humilis.
Πατρῷον ἔχειν δεῖ τὸν καλῶς εὐδαίμονα.
Τὰ δὲ μετὰ γυναικὸς εἰσιόντ' εἰς οἰκίαν.
Οὔτ' ἀσφαλῆ τὴν κτῆσιν οὔθ' ἱλαρὰν ἔχει.
Paterna demum nos beant verè bona
Nam quæ bona intrant cum vxore noua domum,
Nec possidenti tuta, nec iucunda sunt.
Πλούτῳ πεποιθὼς ἄδικα μὴ πειρῶ ποιεῖν.
Nec fretus opibus aliquid iniustum audeas.
Δύναται τὸ πλουτεῖν καὶ φιλανθρώπους ποιεῖν.
Humanitas sequitur opulentiam.
Μέμνησο πλουτῶν τοὺς πένητας ὠφελεῖν.
Dum diues es, inopes iuuare sis memor.
Δύναμις πέφυκε τοῖς βροτοῖς τὰ χρήματα.
Sita in opibus mortalium potentia.
Χρυσὸς δ' ἀνοίγει πάντα κἀΐδου πύλας.
Reserantur auro cuncta, vel porta inferum.
Ἐὰν δ' ἔχωμεν χρήμαθ' ἕξομεν φίλους.
Habebo amicos, si habuero pecuniam.
Μὴ σπεῦδε πλουτεῖν μὴ ταχὺ πένης γένῃ.
Ditescere properans, inops fies cito.
Ῥᾴθυμος ὢν οὐ πλούσιος, πένης ἔσῃ.
Si negligens sis diues, eris ades inops.
Καλῶς ἀκούειν μᾶλλον ἢ πλουτεῖν θέλε.
Famam libenter opibus anteponito.

PHILOSOPHORVM ET HISTORICORVM.

Opes multorum instrumentorum, & commoditatum in re familiari, & ciuili ratione locum obtinent. Ex quo perspicuum est, quæstuariam quamdam artem à natura propositam esse, & ijs, qui Rempublicam, & ijs, qui rem familiarem tuentur. *Aristot. lib 1. de Repub. c. 5.*

Polyanthea Noua.

Quum genus artis parandarum rerum natura tamquam pars, subiectum est prudentiæ domesticæ, quod quidem vel suppetere, & adesse oportet, aut certè hanc parare, vt conditio, & quasi thesaurus pecuniarum suppetat, quæ ad vitam necessariæ sunt, & ad societatem ciuilem domesticamq; perutiles. *libro 1. Rhetoricor. cap. 6.*

Opulentum, & locupletem esse in parte aliqua virtutis ponitur: est enim opulentia possessionis virtus: & ex qua habenti plurima commoda oriuntur. *ibid.*

Diuitiæ nihil fere aliud sunt, quàm felix amentia. *libro 2. Rhetor. cap. 16.*

Illud perspicuum est, artem eam, quæ in quærendis pecunijs posita est, a natura non esse ortam. *lib. 1. de Repub. c. 6.*

Absurdum est eas diuitias esse, quibus abundantem liceat fame enecari. *ibid.*

Partes artis quærendarum opum, ex quibus vtilitas aliqua percipi potest, hæ sunt: vsu peritum esse, quæ rerum copiæ sunt, ex quibus vtilitates maximæ capiantur, & vbi sint, & quomodo capi possint: veluti equorum commoditas, quæ sit, aut boum, aut pecudum, itemq; cæterorum animalium. *libro 1. de Republic. caput. 7.*

Artificio maximo constant quæstus ij, in quibus minimum fortuna potest. Sordidissimi sunt, in quibus corpora inquinantur. Maximè illiberales, qui vsu plurimo corporis egent. Ignobilissimi, qui minimam virtutem desiderant. *ibid.*

Vt in otio viuatur, fieri non potest, nisi facultates suppetant. *lib. 4. de Repub. c. 6.*

In ijs potius, qui plus opibus valent, disciplina, & nobilitas solent existere. *lib. 4. de Repub. c. 8.*

Qui magnas opes nacti sunt, ij, si authoritatem Respublica dederit, & libidini seruire, & maiores opes habere, & superiores esse volunt. *lib. 5. de Repub. c. 7.*

Imperia, & opes gloriæ causa expetendæ sunt. *lib. 4. Ethic. c. 3.*

Diuitiarum partes sunt, nummi, agri, prædia, supellex, animalia bruta, mancipia multitudine, magnitudine, pulchritudineq; excellentia. *lib. 1. Rhet. ad Theodect. c. 5.*

Diuitem esse in vtendo magis, quam in possidendo consistit. *Ibidem.*

Diuites sunt tutiores pecuniæ custodes: prudentes viri autem meliora dant consilia. *Thucyd. l. 6.*

Ornamenta diuitiarum sunt penes potentiam, cùm salua libertate, si eam propugnaremus, facilè cætera recuperaturi simus. Sed si alijs cederemus, etiam prius parta minuerentur. *Idem lib. 2.*

Non eos qui plurimas pecunias possident, & custodiunt, felices duco: (nam hoc pacto, qui muros custodiunt, fortunatissimi forēt: quippe qui omnia, quæ sunt in vrbibus custodiunt:) sed qui parare quamplurimas iustè potest, & plurimis præclarè vti, hunc ego felicissimum arbitror, atque etiam ipsas eius pecunias. *Xenoph. de instit. Cyri l. 8.*

Diuitiæ, & paupertas, antiqui & magni Reipublicæ morbi. *Plutarc. in Lycurgo.*

Nihil obstat quo minus bonus quilibet, atque ciuilis vir neque nimius diuitias expetat, & rerum necessariarum, atque tolerandam vitam sufficientium curam non spernat. *Idem in Solone.*

Maior pars hominum, aut non vtitur diuitijs suis, vt sunt illiberali, & sordido præditi ingenio: aut ob prodigalitatem ijs abutitur: quorum alteri negotijs, alteri voluptatibus numquam non sunt dediti. *Idem in Pelopida.*

Diuitijs pertinax, & grauis innascitur inuidia. *Ibid.*

Plato tutas diuitias affectantem non addere opibus, sed diminuere immensam cupiditatem iubet: quod eam qui non sustulerit, numquam sit penuria, & paupertate sese liberaturus. *Idem in Demetrio.*

Plerique ostentatione diuitiarum prohibita ipsas etiam diuitias tolli, ostentari autem eas non rebus ad vsum necessarijs, sed superuacaneis putant. Idq; ferunt Aristonem Philosophum maximè admiratum, quod ij potius beati putarentur, qui superflua possiderent, quàm quibus rerum necessariarum, & vtilium esset copia. Scopas etiam Thessalus, cuidam amico ab ipso petenti aliquid quo ipse non multum vteretur, ac dicenti: Nihil se rerum ad vsum eius necessariarum poscere: Ego quidem, inquit, maximè ob rerum inutilium, & non necessariarum abundantiam felix & diues sum. Omnino autem à vana, & quā turba hominum consectatur gloria, quasi appendix, in vitam communem adscita est admiratio, & appetitio earum diuitiarum, quæ mali desiderio naturali inseruiunt. *Plut. in Catone Maiore.*

Diuitiæ auaritiam, & abundantes voluptates desiderium per luxum, atque libidinem pereundi perpendiq; omnia inuehunt. *Liu. dec. 1. lib. 1.*

Qui omnia præ diuitijs humana spernunt, neque honori magnum locum neque virtuti putant esse, nisi vbi effusè affidunt opes. *Idem, dec. 1. lib. 3.*

Quo melior lætiorq; indies fortuna Reipublicæ est, quo magis imperium crescit, etiam in Græciam, Asiamq; transcendimus, omnibus libidinum illecebris repletas, & regias etiam attrectamus gazas; eo plus horreo ne illæ magis res nos cœperint, quàm nos illas. *Idem. Decad. 4 lib. 4.*

Ibidem diuitiarum cupido est, vbi est vsus *Iustin. lu 7. li. 2.*

Vbi cupido diuitiarum inuasit, neque disciplina, neque artes bonæ, neque ingenium vllum satis pollet: quin animus magis aut minus maturè, postremò tamen succumbat, sæpè iam audiui, qui reges, quæ ciuitates, & nationes per opulentiam magna regna amiserint, quæ per virtutem inopes cœperant. Id adeo haud mirandum est. Nam vbi bonus deteriorem magis clarum propter diuitias magisq; acceptum videt, primò æstuat, multaq; in pectore voluit: sed vbi vana gloria honorem magis in dies, virtutem opulentia vincit, animus ad voluptatem à vero deficit. Vera gloria industria alitur: vbi eam dempseris, ipsa per se virtus amara, atque aspera est: postremò, vbi diuitiæ claræ habentur, ibi omnia bona vilia sunt, fides, probitas, pudicitia. *Salust. in fragment.*

Comperi omnes victores diuitias contempsisse, & victos cupiuisse, neque aliter quisquam extollere sese, & diuina mortalis attingere potest, nisi omissis pecuniæ, & corporis gaudijs animo indulgeat, non assentando, neque concupita præbendo, peruersam gratiam gratificans sed in labore, patientia, bonisq; præceptis, & factis fortibus exercitando. Nam domum aut villam exstruere, eamq; signis, aulæis, alijsq; operibus exornare, & omnia potius quàm semet visendum efficere, id est, non diuitias decori habere, sed ipsum illis esse flagitio. *Idem, ibid.*

Facile bellorum præmijs referti, aut ditium familiarum hæredes, magnum animum induunt. *Tacit. Annal lib. 11.*

Beatorum diuitumq; res aduersæ non solum à plebe negliguntur, sed eis nonnulli etiam prauo malignoq; ingenio, ob inuidiam scilicet potentiorum, atque felicium delectantur. *Herodian. in Maxim.*

Precinsa supellex, pellicesq. & spadonum agmina, nihil aliud sunt quàm onera, & impedimenta. *Q. Curtius lib. 5.*

Omnia habet, qui nihil concupiscit: eo quidem certios, quàm qui cuncta possidet. Quia dominium rerum collabi solet, bonæ mentis vsurpatio nullum tristioris fortunæ recipit incursum. itaque quorsum attinet, aut diuitias in prima felicitatis parte, aut paupertatem in vltimo miseriarum statu ponere? cum & illarum frons hilaris multis intus amaritudinibus sit referta, & huius horridior aspectus solidis, & certis bonis abundet. *Valer. Max. lib. 4. c. 4.*

Attilius ab aratro ad Imperium populi Rom. suscipiendum vocatus, atque eburneo scipione postea deposito agrestem stiuam aratri repetens, potest pauperes consolari: Sed multò magis docere locupletes, quàm non sit necessaria solidæ laudis cupiditati omnis anxia diuitiarum comparatio. *Idem, ibid.*

Nescio an satius fuerit populo Romano Sicilia, & Africa contentum fuisse, aut his etiam ipsis carere, quàm eo magnitudinis crescere, vt viribus suis conficeretur. Quæ enim res alia furores ciuiles peperit, quam nimia felicitas? Syria prima nos victa corrupit, mox Asiatica Pergameni regis hæreditas. Illæ opes atque diuitiæ afflixerunt sæculi mores, mersamq; vitijs suis quasi sentina Rempublicam pessundederunt. Vnde enim populus Romanus à tribunis agros, & cibaria flagitaret, nisi per famem quã luxus fecerat? Hinc ergo Gracchana prima & secunda, & illa tertia Apuleiana seditio. Vnde, vt regnaret de iudiciarijs legibus, diuisus à Senatu eques, nisi ea auaritia, vt vectigalia Reipublicæ, atque ipsa iudicia in quæstu haberentur? Hinc cursus & promissa ciuitas latio, & per hoc arma sociorum. Quid autem bella seruilia? Vnde nobis, nisi ea abundantia familiarum? Vnde gladiatorij aduersus Dominos suos exercitus, nisi ad conciliandum plebis fauorẽ effusa largitio, cùm spectaculis indulget, supplicia quondam hostium artem faceret? Iam vt speciosiora vitia tangamus, nonne ambitus honorum ab ijsdem diuitijs incitatus est? Atque inde Mariana, inde Syllana tempestas, aut magnificus apparatus conuiuiorum, & sumptuosa largitio, nonne ab opulentia, paritura mox egestatem? Hæc Catilinam hostem patriæ suæ impegit. Denique illa ipsa principatus, & dominandi cupido, vnde nisi ex nimijs opibus venit? Atqui hæc Cæsarem atque Pompeium furialibus in exitium Reipublicæ facibus armauit. *L. Florus lib. 3. c. 12.*

Si vir iniustus & promptus ad cupiendum, diues sit, & pecuniam expendere valeat, procliuis erit ad peccandum: contra si diues non fuerit, non habens vnde sumptus faciat, exequi ea quæ cupit non poterit, itaq; ne peccauerit quidem. Quare magis homini profuerit non esse diuitem, siquidem ita minus efficiet ea quæ vult, nempè mala. *Plato apud Stob. serm. 90.*

Sine pecunijs nulla res necessaria fieri potest. *Demosthen. Olynth. 1.*

Contemne illos qui nimium dant operam diuitijs, præsentibus vti nequeunt. Nam isti non secus afficiuntur, quàm qui bonum equum possideos equitandi artem ignoret. *Isocr. ad Demonic.*

Diuitiæ malis artibus comparatæ infamiæ nota inter homines insigniuntur. *Democritus apud Stob. serm. 90.*

Diuitiæ non tam honestati, quàm improbitati seruiunt, dum socordiæ hominum licentiam parant, & iuuenes instigant ad voluptates. *Isocr. ad Demonic.*

Hominem insigniter bonum diuitem quoque præ cæteris esse fieri non potest. Nam felices quidem ac bonos vna fieri necesse est: prædiuites autem & bonos, impossibile, ita vt vulgus diuites appellat. *Plato, de legib. lib. 5. apud Stob. serm. 91.*

Tunc videbam & adhuc video magnas immensasq; opes & priuatorum & principum, ferè quo maiores fuerint, eo plures maioresq; calumniatores, & voluptatis caussa cum damno conuersantes alere: quo nihil deterius diuitiæ producunt. *Plato epistol. ad Dionys.*

Audacissimæ simul ac timidissimæ sunt diuitiæ: superbientes tanquam de rebus maximis, & omentes tamquam de imbecillibus. Inflatæ sunt arrogantia, curis humiles. Si rebus suis vtuntur, luxuriosæ fiunt: si abstinent, miseræ. Alium multæ in acquirendo ærumnæ infelicem reddunt: alius propter abundantiam in voluptatibus perit, &c. quæ extant *apud Stob. Tales Philosopho attributa, serm. 91.*

Suapte natura via frenari potest cupiditas: quod si diuitiæ ei accesserint, planè fit infrenis. *Plut. apud Stob. eod. serm.*

Diuitiæ ignauiam fouent, voluptates cient, ac insidias bifariam struunt, primùm aduersus diuites, inuidiorum opera; deinde contra pauperes, vi potentiorum. Quæ igitur alijs ad moliendum insidias ipsis possidentibus instigant, & habentes ad iniustitiam roborant, quomodo quicquam ad iustitiam conferrent? *Hierax de iustitia apud Stob. eod. serm.*

Dilige opum tuarum non abundantem possessionem, sed moderatum vsum. *Isocr. ad Demonic.*

Diuitias tuas duplici nomine colito: nempè vt à magna iactura facilè te expedias, & vt bono ac studioso homine infortunium patienti succurras. Quod autem vitam incertam attinet, non nimis, sed mediocriter opes dilige. *Idem.*

Scientibus quomodo diuitijs vtendum sit, diuitiæ commodæ sunt, improbis verò & imperitis malæ. *Plato apud Stob. serm. 92.*

Pecuniarum vsus cum prudentia vtilis est ad exercendam liberalitatem, & populum adiuuandum, cum stultitia verò communis largitio fit. *Democritus eod. serm.*

Nisi multa desideres, pauca tibi multa videbuntur. *Idem ser. 95.*

Paucarum rerum cupiditas paupertatem diuitijs æquat. *Ibid.*

Nemo virtutem laudabilem agit quatenus diues est, sed quatenus iustus. *Stob. eod. serm.*

Naturæ respectu, diuites omnes; nostri verò, pauperes omnes sumus. *Maxim. serm. 140.*

Maximum est in diuitijs agnoscere, quod superuacaneæ sint. *eod. serm.*

Naturalibus diuitijs contentus multò ditior est multa possidente, & plura concupiscente: illi enim nihil deest, huic plura quàm possideat. *Ibid.*

Maxima mala effugerunt pauperes, insidias, inuidiam, odiũ, in quibus diuites quotidie versantur. *Ibid.*

De diuitiarum copia. DIAL. LIII.

Francisc. Petrarch.

GAVD.

Sed abundo opibus. R. iam non miror, si & amicitijs abundare visus eras. Non est nouum neque insolitũ, locupletum limina vulgaribus amicitijs, & simulatis obsequijs frequentari. G. Opum magna vis est mihi. R. Anceps & onerosa felicitas, & quæ plus inuidiæ sit habitura, quàm gaudij. G. Diuitiæ exundantes sunt. R. Non statim ideo exundans quies exundansq; iucunditas, vix diuitem inuenias, qui non sibi melius fuisse in mediocritate, vel honesta etiam paupertate fateatur. G. Multæ mihi accreuere diuitiæ. R. Securitas, gaudium, tranquillitas decreuere, quæ si cum illis crescerent, non amari tantùm diuitias peterem, sed hortarer. G. Opes multas habeo. R. Habes rem quæsitu difficilem, custoditu anxiam, amissu flebilem. G. Magnæ mihi diuitiæ sunt. R. Sparsæ si fuerint, decrescent seruatæ, non te diuitem, sed occupatum, non dominum facient, sed custodem. G. Diuitias habeo ingentes. R. Vide ne potius habeare, hoc est, ne non diuitiæ tuæ sint, sed tu illarum, neque illæ tibi seruiant, sed tu ipsis. Nam si nescis, plures multò sunt, qui habentur, quàm qui habent, multò crebriores, quos propheticus sermo notat, viros diuitiarum, quàm diuitias virorum, sic vos vestra cupiditas vilitasq; animi de dominis seruos facit. Vsus quidem pecuniæ notus est, vt necessaria compararentur. Pauca simul & exigua, longèq; facilia quicquid excesserit, graue est, nec iam diuitiæ, sed vincula, sed compedes, nec iam corporis ornamenta, sed impedimenta animi, & solicitudinum atque formidinum aceruus. G. Diuitijs plenus sum. R. Caue ne te rumpant. Omnis enim plenitudo quæritur exitum. Multis mortem attulere diuitiæ, requiem verò omnibus abstulere. GAVD. Opes habeo immensas. RAT. Bonis moribus

bus rem aduersam. Nimiæ opes non modò singulorum hominũ, sed populi Romani corruperunt mores, miramq; illam & eximiam fregere virtutem, qui tamdiu clarus, & tãdiu iustus atque integer, quamdiu pauper fuit. In egestate victor gentium est, quod est gloriosius victor sui, domitorq; vitiorum, à diuitijs victus est, atque pessundatus, nota loquor. Quid nunc tibi de diuitijs sit sperandum, vides. G. Diuitijs affluo. R. Quantum mallem virtutibus abundares. G. In diuitijs requiesco. R. Consopiti estis in vepribus miseri. Grauis sopor, qui non sentit aculeos. Venit ecce quæ vos excitet, & exponat luce clarius id, quod scriptum est: Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis.

Carthaginenses verò, vt docuit Aristoteles: non optimos solùm & ditissimos censebant Magistratibus admouendos, veluti arbitrarentur impossibile, eum, qui egestate premeretur, rectè sinceriterq; Magistratum gerere, aut quietem optare. Diuitias porrò esse Deorum donum, *Homerus* canit:

> Καὶ θεσπέσιον πλοῦτον κατέχευε Κρονίων.
> Ζεὺς δ' αὐτὸς νέμει ὄλβον ὀλύμπιος ἀνθρώποισι.

Sed & Solon: Diuitias, inquit, habere quidem cupio, per iniuriam verò consequi nolim: subsequitur enim mox supplicium. Inter L. Metelli felicitatis argumenta id recensetur: Pecuniam magnã bono modo inuenisse. Insulas collustrans Themistocles pecuniam hinc inde corrogabat. Adijt & Andrios, vrgensq; infestius: Duos, inquit, ad vos affero Deos, Vim & Suasionem. At illi nec minus festiuè, Duos quoque apud se, & magnos quidem residere Deos intulere: Paupertatem & Impossibilitatem, qui nũmos illi erogari prohiberent. Succurrit & in mentione illa lepida equidem, nec minus vtilis historia, super Cytharœdo Timotheo: Agebat is apud Archelaum, sed quum spe aliquanto parcius ab eo donaretur, non desinebat illum lacessere. Quin succinẽs quandoque cõmstion illud, σὺ δὲ τὸν γηγενέταν ἄργυρον αἰνεῖς. id est: Tu autem terræ filium argentum laudas? Intendebat in Archelaũ: At is festiuiter, σὺ δὲ αἰτεῖς, id est: Tu autem petis? Nec minus scitu id iucundum est, Eulogias dici munera, quæ Prælatis offerant subditi, & quæ sacra petentes Concilia deferunt Presbyteri. Dicuntur verò Eulogiæ velut planè benedictiones sint, Εὐοῖ autẽ obiter vox bacchantium est: vnde Eua, mons Messeniorum dictus est. *Cælius lib. 10. c. 15.*

Omnem diuitiarum fructum non in magnitudine opum, sed in moderato rei vsu familiaris esse positum existima. Contemne illos, qui cumulandis opibus inuigilant, sed partis vti nesciunt. Idem enim viuuent illis, quod his, qui equitandi nescij bonos equos habent. *Isocrates ad Demonicum.*

Diuitiæ vitiorum magis, quam virtutis ministræ sunt, cum quod ad ignauiam fenestram aperiunt, tum quod adulescentes ad voluptates aduocent. *Ibid.*

Quid autem tanto fortunæ strepitu desideratis? Fugare, credo, indigentiam quæritis copia, atqui hoc vobis in contrarium cedit. Pluribus quippe adminiculis opus est ad tuendam preciosæ supellectilis varietatem. Verumq; illud est, permultis indigere, eos qui multa possident, contraq; minimis indigere, qui abundantiã suam naturæ necessitate, non ambitus sui superfluitate metiantur. Inane autem nullum est proprium vobis, atque insitum bonum, vt in externis ac repositis rebus bona vestra quæratis? Sic rerum versa conditio est, vt diuinum merito rationis animal nõ aliter sibi splendere, nisi inanimatæ supellectilis possessione videatur: & alia quidem suis rebus contenta sunt: vos autem Deo mente consimiles, à rebus infirmis, excellentis naturæ ornamenta captatis: nec intelligitis, quantam conditori vestro faciatis iniuriam. Ille genus humanum terrenis omnibus præstare voluit: vos dignitatem vestram infra quæq; infima detruditis. *Boetius de Philosoph. consolat lib. 2. prosap. 5.*

Ego verò nego illud esse bonum, quod noceat habenti: num id mẽtior? minimè, inquies. Atqui diuitiæ possidentibus persæpè nocuerunt, quum pessimus quisq; eris alieni magis auidus, quicquid vsquam auri gemmarumq; est, se solùm, qui habet, dignissimum putat. Tu igitur, qui nunc contum gladiumq; sollicitus pertimescis, si vitæ huius callem vacuus viator intrasses, coram latrone securus cantares. O præclara opum mortalium beatitudo, quam cum adeptus fueris, securus esse desijsti. *Idem.*

Diuitiæ quantis implicitæ sint malis, breuissimè monstrabo. Quid enim? pecuniamne congregare conaberis? sed eripies habenti. Dignitatibus fulgere velis? donanti supplicabis: & qui præire cæteros honore cupis, poscendi humilitate vilesces. Potentiãne desideras? subiectorum insidijs obnoxius, periculis subiacebis. Gloriam petis? sed per aspera quæq; distractus, securus esse desijsti. Voluptuariam vitam degas? sed quis non spernat atque abijciat vilissimæ fragilissimæq; rei corporis seruitium? *Boetius de Philos. consol. lib. 3. prosap. 8.*

Magnus ille est, qui fictilibus sic vtitur, quemadmodum argento: nec ille minor est, qui sic argento vtitur, quemadmodum fictilibus. Infirmi est animi, pati non posse diuitias. *Senec. epist. 5. ad Lucillum.*

Is maximè diuitijs fruitur, qui minimè diuitijs indiget. Nemo autem solicito bono fruitur. Illis aliquid studet adijcere: dum de incremento cogitat, oblitus est vius. *Idem epist. 14.*

Congerauit in te, quidquid multi locupletes possederunt, vltra priuatam pecuniæ modum fortuna prouehat, auro tegat, purpura vestiat, & eo deliciarum opumq; perducat, vt terram marmoribus abscondas, & non tantũ in eis habere liceat, sed calcare diuitias. Accedant statuæ, picturæ, & quicquid ars vlla luxuriæ elaborauit, maiora cupere ab his disces. Quid refert, quantum illi in arca, quantum in horreis iaceat, si alieno inhiet, si non quæsita, sed quærenda computat. Non enim pauper est, qui minus habet, sed qui plus cupit. Nec qui plus habet, sed qui minus cupit, diues. Si ad naturam viues, numquam eris pauper. Si ad opinionem, numquam eris diues. Exiguum natura desiderat, opinio immensum. *Sen. ad Lucil. epist. 16.*

Nemo alius est Deo dignus, quàm qui opes contempsit, quarum possessionem tibi non interdico, sed efficere volo, vt illas intrepide possideas. *Idem epist. 18.*

Quemadmodum nihil differt, vtrum ægrum in ligneo lecto, aut in aureo colloces, quocumque illum transtuleris, morbum suum transferet secum: Sic nihil refert, vtrum animus æger in diuitijs, an in paupertate ponatur, malum suum illum sequitur. *Idem epist. 17.*

Nemo nascitur diues, quisquis exit in lucem, iussus est lacte, & pane esse contentus: ab his initijs nos regna non capiunt. Ingentis animi est, qui diuitias circumfusas sibi multum diuq; miratus, quod ad se venerunt, ridet, suasq; audit magis esse, quàm sentit. *Idem epist. 20.*

In hoc excusabiles sunt dij, quod ista, quæ vrunt, quæ excruciant, optantibus data sunt. *Idem epist. 22.*

Diuitem illum putas, quem aurea supellex in via sequitur. Qui in omnibus prouincijs arat, qui multum suburbani agri possidet: cum omnia dixeris, pauper est. Quare? quia debet: quantum, inquis? omnia, nisi forte tu dicas, vtrum ab homine, an à fortuna mutuum sumpserit. *Sen. epist. 28.*

Diuitiæ inflant animos, superbiam & arrogantiam pariunt, inuidiam trahunt, & eo vsque mentem alienant, vt fama pecuniæ nos etiam nocitura delectet. *Idem de paupere.*

Cum volueris veram hominis æstimationem videre, & scire, qualis sit, nudum inspice. Deponat patrimonium, deponat & honores & alia fortunæ mendacia, corpus ipsum exuat, & animum intuere, qualis quantusque sit, alieno, an suo magnus. *Seneca epist. 29.*

Breuissima ad diuitias per contemptum diuitiarum via est. Contemnere aliquis omnia potest, habere omnia nemo potest. Necessarium est ergo paruo assuescere. Quidquid vult, nemo habere potest. Illud autem potest nolle, quod non habet. *Seneca ad Lucil. epist. 68.*

Omnia ista nobis accedant, non hæreant: vt si auferantur, sine vlla nostri laceratione discedant. Vtamur illis, non gloriemur, & vtamur parcè tanquam depositis apud nos. *Idem epist. 81.*

Turpe est, beatam vitam in auro & argento reponere: æquè turpe est, in aqua & polenta. *Senec. epist. 111.*

Neminem pecunia diuitem fecit. Imò contrà, nulli non maiorem sui cupiditatem incussit. *Idem epist. 121.*

Quæ sunt maximæ diuitiæ? non desiderare diuitias. *Seneca libro de moribus.*

Nihil est tam angusti, tamq; parui animi, quàm amare diuitias: nihil honestius magnificentiusq; quàm pecunias contemnere. *Cic. lib. 1. de Offic.*

Omitto diuitias, quas cum quiuis, quamuis indignus, habere possit, in bonis non numero. Quod enim est bonum, id non quiuis habere potest. *Cic. Tusc. q. lib. vlt.*

Non enim habere aurum præclarum mihi videtur, sed his, qui habent, imperare: dicebat Curius. *Cic. lib. de Senectute. alias in Catone Maiore.*

Diuitiæ & imperia, bella atque certamina inter mortales excitant. *Salust. in Catil.*

Locuples est, non qui multa possidet, sed modica desiderat. *Valer. Max. lib. 3.*

Caduca nimirum, & fragilia, puerilibusq; consentanea crepundijs, sunt istã, quæ vires atque opes humanæ vocantur: affluunt subito, repentè dilabuntur: nullo in loco, nulla in persona stabilibus nixa radicibus consistunt: sed incertissimo flatu fortunæ huc atque illuc acta, quos in sublime extulerunt, improuiso decursu destitutos in profundo cladium miserabiliter immergunt. Itaque neque ea æstimari, neque dici debent bona, quæ inflictorum malorum amaritudine desiderium suum duplicant. *Valerius Maxim lib. 6.*

Etenim densissimis tenebris inuoluta mortalium mens, in quam latè patentem errorem cœcas precationes tuas spargis. Diuitias appetis, quæ multis exitio fuerunt: honores concupiscis, qui complures pessundederunt. *Idem lib. 7.*

APOPHTHEGMATA.

Chilon percontatus, quid essent diuitiæ? respondit, Thesaurus malorum, calamitatis viaticum, improbitatis suppeditatio. *Anton. serm. de Diuit.*

Anacreon Lyricus cum auri talentum a Polycrate accepisset, paulò post ei restituit, dicens: Odi munus, quodcumque vigilare cogit. *Stob. serm. 95.*

Bion dicebat, diuitijs operam dantes ridiculos esse, quum eas porrigat fortuna, illiberalitas seruet, benignitas auferat. *Stobaus sermone 95.*

Idem, quemadmodum, inquit, viles marsupiæ, & si nullius precij fuerint, tanti tamen æstimantur, quantum in se numismatis continent: ita diuites etiam homines vani & nihili bonorum, quæ possident, æstimatione ac precio fruuntur. *Stob. serm. 87.*

Idem dicere solebat, non minus molestum esse caluis, quam comatis, pilos velli. Ostendere autem hoc dicto voluit, pariter pauperum diuitumq; tormenta esse. *Brus. l. 2. c. 26.*

Bias beatum esse dicebat, ex vulgi opinione, qui opes ex animi sententia assequeretur. Verùm multo beatiorem, qui ne desideraret quidem. *Stob.*

Chilon dicebat, quod Lydius lapis est auro, id aurum esse homini. Lapis enim index affrictu prodit quale sit aurum, ipsum aurum arguit, quale hominis ingenium, iuxta illud, Magistratus virum arguit. *Laert. in eius vita.*

Pythagoras, neque equum sine freno, neque diuitias sine prudentia quemquam gubernare posse, dicere solebat. *Stob. serm. 92.*

Hypsaus. Vnguentum, inquit, trementi manui impositum tremit: sic & diuitiæ, ab animo metu curisq; detento accumulatæ, vna concutiuntur, & eodem modo afficiuntur. *Stob. serm. 90.*

Antisthenes, neque symposium sine colloquio & societate, neque diuitias sine virtute, voluptatem habere affirmabat. *Stobaus sermone 5.*

Democritus audiens de diuitijs variè disputantes, omnibus hominibus perpetuam quamdam diuitiarum cupiditatem inesse dixit, quæ si non acquisitæ fuerint, vexant: si erunt acquisitæ, solicitudine & cura torquent. Amissæ verò dolores etiam adferunt haud mediocres. *Max. serm. 12.*

Idem interrogatus, quomodo quis diues fieri posset? Si, inquit, cupiditatum pauper erit. *Max. serm. 12.*

Idem interrogatus, quæ via esset facilè ditescendi? respondit: Si quis inops fuerit desiderio. *Stob.*

Zeno quum sæpe dixisset, diuitias esse indifferentes: Antigonus falso ei nunciari fecit, prædia illius ab hostibus esse direpta: & eum tristiorem effectum esse: Vides, inquit, diuitias non esse indifferentes? *Brus. l. 2. c. 26. ex Laert.*

Idem dicere solebat, non magis prodesse, quàm nocere opes ad sanitatem. *Ex eodem.*

Anaxagoras. magno cum negotio pecunias comparari, sed multo maiori opera conseruari, & custodiri dicebat. Innuit autem, ita comparatum esse, vt omnes pecuniam quærant, ac opes amplissimas, quas cum iam parauerint, multo curiosius ac attentius seruant, ne statim euanescant. Quemadmodum enim echinum: sic etiam nummos facilius est capere, quamdiu retinere. *Ælianus lib. 4. de Var. hist.*

Epicurus, scribens ad Idomeneum, Si vis, inquit, te diuitem facere, non pecuniæ adijciendum, sed cupiditatibus detrahendum est. *Seneca.*

Simonides interrogatus, vtra res esset optabilior, diuitiæ an sapientia? Dubito, inquit, vt qui videam sapientes frequentare diuitū fores: innuens, Philosophos verbis quidem contēnere diuitias, sed re tamen eas captare. *P. M. 6. apoph. ex Stob.*

Cleanthes quærenti, quomodo quis diues euadere posset? respondit, si cupiditatum fuerit inops. *Stob. serm. 5.*

Idem & ad Democritum referri, paulo ante diximus.

Epictetus percontatus, quis esset inter homines diues? Cui, inquit, satis est, quod habet. *Stob.*

Idem, audiens quemdam sibi ipsi ob amplas diuitias placentem, ait: Examina teipsum prius, vtrum ditescere malis an beari. Quod si diuitias velis, rem neque bonam esse scias, nec omnino in te sitam. Si verò beari, id & bonum est, & penes te. Opes enim fortunæ ad tempus commodato dat: Beatitudo autem a nostra voluntate procedit. *Stobaus sermone de Temperantia.*

Socrates interroganti, Quisnam sibi videretur ditissimus? respondit: Qui paucissimis contentus est. *Anton in Meliss. par. 1. serm. 37. Stob. ser. 5.*

Idem, quum videret Alcibiadem ob diuitias elatum, & propter agrorum spatia fostimentes superbire, adduxit ad locum, in quo tabula quædam, ambitum terræ complectens, suspensa erat, & eū rogauit, vt Atticam ibi requireret. Quam quum inuenisset, suos fundos eum iussit ostendere, & quum respondisset: Nusquam ibi pictos esse: Horum (inquit Socrates) possessiuus te effers, qui nulla pars sunt terræ. Illudens hoc dicterio Alcibiadis stultitiæ, qui superbiebat in ijs rebus, quæ fluxa sunt, & cum mundo interire solent. *Ælianus libro tertio de Var. historia.*

Plato interrogatus, quantas opes habere conueniret? dixit: Quantæ possidenti neque insidias pariunt, neque rerum necessariarum inopiam. *Stob. serm. 93.*

Diogenes aiebat, neque in ciuitate, neque in domo opulenta habitandi locum esse virtuti. *Stob. serm. 93.*

Idem Anaximenis seruos conspicatus multa vasa ferentes, cuius ea essent, interrogauit? Quum autem illi, Anaximenis esse, respondissent: An non pudet eum, inquit, tam multa habere, qui seipsum non habet? Sensit autem Philosophus, eum non in sua ipsius potestate esse, qui captus diuitijs sibi iam mortuus est. *Max. serm. 12.*

Idem. Physicus quidam interrogauit eum, quam ob causam aurum palleret? Quoniam, inquit, plurimos habet sibi insidiantes. Pallent autem, qui metuunt. *Laertius libro sexto. & Maxim. sermone 12.*

Possidonius. diuitias causas esse malorum dicebat, non quod ipsæ facerent, sed quod facturos irritarent. *Sen. l. 3. ep. 3.*

Anonymus. cuidam Lampen Æginetum efferenti, ac felicem prædicanti, quod prædiues videretur, multorum nauigiorum dominus: Lacon, nihil (inquit) moror felicitatem de funibus pendentem. quum omnes diuitiæ sint in manu fortunæ, tum eæ præcipue, quas negotiatores committerent nauibus: ruptis enim funibus sequitur naufragium, & hinc mercium omnium interitus. *Plut. in Lacon. apoph.*

Lampis interrogatus, quomodo sibi parasset diuitias? Magnas, inquit, haud difficulter, exiguas verò cum labore, ac tarde. Sentiens, initio paulatim magnaq; vigilantia corrasam pecuniam. Cæterum parata iam ingenti sorte, facilè est amplis lucris ditescere. *Plut. in libello, An seni sit capess. Respubl.*

Phorsulas, is diues, a Saca felix nuncupatus, ob diuitias, quas pauper acquisiuerat. Nam, ait, ita existimas, Saca, me nunc eo iucundius viuere, quo plura possideo? An ignoras, me & esse, & bibere, & dormire nullo modo mihi iucundius, quàm tunc, cum eram pauper? Certum quippe est, eum, qui pecunijs ac diuitijs oblectatur, si sumptum, vel dispendium faciat, vehementer contristari. *Brus. lib. 2. c. 26.*

Nogas Scytha ornamenta missa à Michaeli Palæologo aspernatus, rogauit, numquid calamitates, morbos, aut mortem depellere possent? Neque enim gemmis, sed vtilitate mouebantur. *Pachymer. in 1 lib. 5.*

Sigismundus Cæsar. Sigismundo Cæsari allata erant ex Hungaria aureorum quadraginta millia. Quum autem ad vesperasset, eaq; in thalamo regio recondita fuissent, in cubiculum veniens Cæsar, dum cogitat, in quemnam vsum eam pecuniam conuertat, somnus eum destituit. Tum ille, excitatis cubicularijs: Ite (inquit) ocius, consiliarios ducesq; omnes militum huc accersite. Vocati proceres media nocte trepidi (timebant enim ne quid aduersi accidisset) Imperatorem celariter adeunt, & quæ causa sit tam repentinæ vocationis inquirunt. Imperator confestim aperta arca, inter eos, qui aduenerant, pecunia distribuit: Ite, inquit, vt securè, tranquilleq; nobis dormire liceat. Nam quod mihi somnum ademerat, iam procul abierit a cubiculo. *Æneas Syluius libro quarto Commentariorum in res gestas Alphonsi.*

Maximilianus Cæs. Nullum non pecuniarum aceruum concupiuit: & quamuis non rarò ad eum ingens pecuniarum summa afferretur, tamen penes se eam numquam retinuit, sed ad quæstores referri iussit, dicens, se regendis hominibus propositum, nec auri sibi custodiam demandatam: quo si quis semel capiatur, mox è rege seruum futurum. *Iac. Spieg. in Æneæ Commentar. de reb. gest. Alphonsi.*

Socrates adolescens ipsum interrogabat, quomodo diuitias malum & bonum esse putaret? Cui ille, Non secus quàm tu nunc honestis quidem boniſq; hominibus bonas esse iudicas: item scientibus quo loco pecunijs vtendum sit, ijs commodæ sunt: improbis verò & imperitis, malæ, &c. *Plato in Eryxia, siue de diuitijs.*

Aristippus reprehensus, quod pecunias acciperet ab amicis: respondit, se non ideo accipere, vt vteretur ipse, sed vt illi discerent, ad quas res vtendum sit pecunijs. Vulgus enim diuitum aut in equos, aut in operosas structuras, aut in luxum perdit pecuniam, quum ex bonis viris si egeant, sit eroganda. Quin & aliter intelligas licebit. Aristippus non nisi ad vitæ necessaria pecunijs vtebatur: ideoq; a diuitibus accipiebat, vt eis demonstraret benè vtendi rationem: id non poterat, nisi illi materiam subministrassent. Veluti qui cupit artem scribendi discere, chartam & calamum porrigit docturo. *Laert. lib. 2. c. 8.*

Alcamenes Teleclis F. à quodam obiurgatus, quod tam parcè frugaliterq; viueret, cùm tamen amplissimas possideret diuitias: Decet, inquit eum, qui multa possidet, pro ratione, non pro libidine viuere, significans perniciosas esse diuitias, nisi adsit animus diuitijs superior, qui possit earum vsum non ex copia, sed ex necessitate moderari. *Plut. in Lac.*

Dionysius

Dionysius senior. Quum audisset quendam è ciuibus aurum habere domi defossum, id ad se deferri iussit. Verum posteaquam is suffuratus auri paululum, in aliam vrbem commigrasset, ibiq; mercatus esset agrum, reuocato Dionysius totum aurum reddidit, vt qui iam diuitijs vti cœpisset, desijssetq; rem vtilem reddere. Satis declarauit, se non aurum alienum appetisse, sed hominis morbum sanare voluisse: simul vsum auri legitimum demonstrauit, si in agricolationem impendas parcius quam in vsuram. *Plut. in apoph.*

Socrates. Cuidam quærenti ex eo, vter esse mallet, Crœsus, an Socrates: Respondit, viuens mallem esse Crœsus, è vita autem decedens Socrates. Indicauit autem, beatam esse Philosophorum post hanc vitam conditionem. Diuites autem licet bonis omnibus in præsenti vita abundent, post mortem tamen ob iniquè paratas opes, ac malè collocatas, cruciandos dæmonibus dari. *Stobæus.*

Lycurgus interrogatus, cur hostium interfectorum cadauera spoliare prohibuisset? Ne milites, inquit, ditescant, & dum prædæ incumbunt, pugnam negligant. Metuit vir prudentissimus, ne diuitijs amplis corrumperentur milites quæ plerumque insolentiores & minus fortes reddunt homines. *Plutarch. in Lacon.*

Anonymus quidam Imperatorem incusauit, quod illius insidijs, ocio & somno fuisset priuatus: videlicet quod illius benignitate è paupere factus esset diues. *Plutarchus in Symposiacis.*

Socrates Conspicatus hominem prædiuitem & arrogantem, sed nulla virtute præditum: Hic, inquit, equus est argento circumtectus. Solent enim equi stragulis, phaleris, ac bullis argenteis exornari, quum interim tamen nihil aliud sint quàm equi. *Stobæus.*

Idem Ad prædiuitem quendam, sed indoctum: Ecce, inquit, aureum mancipium: Indoctus, seruus est cupiditatum, & eorum quæ possidet. *P. M. lib. apoph.*

Pythagoras. quibus, inquit, a corpore solutus non egebis, illa omnia contemne; & quibus etiam defuncto erit opus: illis tibi vacanti Deos adiutores aduoca precibus. *Stob. serm. 5.*

Diogenes quum murem forte conspiceret in Megarico discurrentem, qui neque cauum quæreret, neque turbis terreretur, neque cibum appeteret: Bellum, inquit, libertatis exemplum, moxq; contemptis omnibus, cœpit in dolio habitare. *Laertius libro 6.*

Idem. Demirantibus quod nullas haberet ædiculas vbi cibum capere posset, ostendit Iouis porticum, aitq; Athenienses ipsi magnificam extruxisse aulam, vbi vesceretur. Quod publicum erat, sibi quoque paratum interpretabatur. Neque potuit optare cœnationem splendidiorem. *ibid.*

Idem. Alexander Magnus inuisens Diogenem, reperit eum in cranio sedentem pro dolio, ac laceras schedas glutino committentem. Posteaquam res multas cum illo collocutus, pararet abire, diceretq; Cogita, Diogenes, quid a me velis petere, nam quicquid optaris, feres: Mox, inquit, de alijs, interim secede paulisper. cum rex secessisset, putans illum velle deliberare, diutius silentij repetijt: Pete quod vis Diogenes. Hoc, inquit, volebam, nam prius arcebas mihi solem ad id quod ago necessarium. Alij narrant illum dixisse, Ne mihi feceris vmbram: quod vellet apricari. *Laert. l. 6. Cic. 5 Tusc. quæst.*

Idem Diuitias oblatas recusans, subiunxit: Indignum se nouerit canis nomine, qui ab opibus ac delitijs se cohibere non potest. *Stob.*

Aristippus Quodam tempore nauigans, vt intellexit nauim esse piraticam, deprompsit aurum, ac numerare cœpit, moxq; abiecit in mare & grauiter ingemuit, fingens sibi imprudenti & inuito excidisse. Hoc ingenio vitæ suæ consuluit adempta piratis occidendi vincieodive materia. Sunt qui narrent, illum & hæc dixisse: Satius est vt hæc per Aristippum, quam propter hæc pereat Aristippus. *Laert lib 4. c. 8.*

Idem. Cum prædium amœnissimum perdidit, cuidam deploranti tam miserabilem illius casum: Quid, inquit, an nescis tibi vnicum esse prædiolum, mihi verò tres agros superesse? Cum annuisset alter: Quin igitur tuam potius vicem deploramus? sentiens, insipientis esse, dolere amissis potius quam gaudere relictis. *Laert. l. 2. c. 8.*

Idem, Cum vidisset famulum quendam in itinere pecuniam ferentem, onere premi: Abijce, inquit, quod nimium est, & fer quantum potes. *Laert. lib. 2. c. 8. P. M. lib. 3. apoph.*

SIMILITVDINES.

Syracida. Iniustorum diuitiæ quasi amnis exarescent, & quasi magnum tonitru cum sonitu euanescent. *cap. 40.*

Christi Saluatoris. Quemadmodum camelus non potest transire per foramen acus: sic nec auarus in regnum cœlorum. *Matth. 20. Luc. 17.*

D. Chrysostomi. Si terrenus forte rex diceret, non posse diuitum quempiam in ipsius fulgere regno, aut aliquo decorari honore: numquid non certatim omnes abijcerent inhonoratas diuitias? Si ergo apud terrenum regem, honorem nobis auferrent opes, continuo despicabiles fierent: rege verò cœlorum inclamante nobis ac dicente, difficile esse nos cum diuitijs, diuinæ illius habitationis vestibulum intrare: non impendimus omnia? *Homil. 18. in Matth.*

Anima affectibus implicita nequit profectò magnum aliquid aut generosum intueri, sed tamquam lippitudine quadam perturbata in tenebris versatur. Mentis igitur oculos a tam grauissimo morbo liberemus, illuminemus, nolimus inter spinas semen iacere. Quænam hæc spinarum copia, nullis: & si tacemus, sæpenumero audistis Christum præsentis vitæ solicitudines, & diuitiarum fraudes, spinas appellasse, & meritò sanè. Nam quemadmodum spinæ steriles sunt: Ita & diuitiæ. Quemadmodum illæ quæ tangunt, lacerant: Ita harum cupiditas. Quemadmodum facile igne comprehenduntur, & odio habentur agricolis: Ita huius sæculi negotia. Postremo, vt inter spinas feræ, viperæ, scorpij delitescunt: Ita in fraudibus diuitiarum. *Homil. in Ioan.*

Funes sunt diuitiæ, & implicamenta, abscindamus eos. Vsquequo inuicem insidiamur vt bestiæ, sicut pisces maris? magis autem bestiæ non insidiantur inuicem, sed alienigenis, vt puta vrsa vrsam non facile interimit, non serpens serpentem: cognationem generis reuerentur. Tu autem cum indigena etiam decem millia habeas iugera, naturæ cognationem, rationem, cognitionem Dei, & alia, interimis eum; & inuoluis decem millibus malis: licèt gladium non mergis, neque tingis in iugulo, alia sæuiora committis. Illud si operaueris, simul cum curis omnibus liberares: nunc autem fame, deiectione, seruitute, & alijs multis peccatis affligis. Contineamus ergo manus nostras a tali homicidio, imo magis extendamus ad eleemosynam. *Homil. 29. in epistol. ad Hebræos.*

Pater optimus & integer, cum filium viderit amore meretricis alicuius deperire, si admonitiones eius audire neglexerit, illam meretricem de medio auferens, in exilia longinqua detrudit: Talis est etiam abundantia pecuniarum. Curam igitur de nobis gerens verus pater, & optimus dominus, volens nos ab hac læsione liberare, aufert nobis pecunias, quarum amore mens nostra corrumpitur. *Homil. 35. in epistola ad Hebræos.*

Præsentibus inhiamus, nec diaboli versutias cogitamus, qui per parua magnis nos spoliat, & lutum præbet, vt aurum auferat, imo magis vt cœlum auferat. Et vmbram prætendit, vt veritate nos extrudat, vt in somnis phantasias ostendat (hoc enim sunt diuitiæ,) vt cum illuxerit, omnibus pauperiores exhibeat. Seruitus pecuniarum omni tyrannide est peior. Laqueus apud Apostolum, Vos disruptis vinculis è laqueo prosilite: & non reponatur aurum vobis in domo, sed quod innumeris & pretiosius pecunijs, eleemosyna & humanitas pro auro. Nam hoc nobis apud Deum fiduciam præbebit: illud verò multum contra nos effundit dedecus, & vehementer contra nos diabolum spirare facit: Quid inimicum tuum contra te armis? *Homil. 35. in epist. ad Hebræos.*

Tamquam canis, ita diabolus diuitibus insilit, tamquam buccellam vel placentam tenenti puerulo volens auellere. Demus igitur ea patri, & si diabolus factum hoc viderit, omnino recedet. Cum verò recesserit, tunc ea patri omnia dabit in tuto, cum ille non poterit insectari, in futuro sæculo. Nunc enim à paruis infantibus, diuites nihil differunt, qui à canibus vexantur, omnibus circa eos latrantibus, laniantibus, trahentibus non hominibus tantùm, verum & illiberalibus passionibus, ingluuie ventris, ebrietate, assentatione & omni intemperantia. Et si fœnerare quidem suppetat, multum dantes conquirimus, & gratos consideramus: hic autem contrarium facimus. Grate suscipientem Deum, & non centesimam partem, sed centuplum præbentem dimittimus, at ne sortem quidem nobis reddituros quærimus. Quid enim venter nobis reddet, qui plurima consumit? stercus & corruptionem. Quid autem inanis gloria? liuorem & inuidiam. Quid verò auaritia? curam & solicitudinem. Quid intemperantia? gehennam & venenatiferum vermẽ. Hi sunt diuitum debitores: has fort ingentes vsuras pœnitentiæ mala, pœnasq; futuras, fœnus efficitur malus. Nam in mutuantibus hoc facientes videmus fœneratores, post multum temporis redimentibus libentius fœnerantes. Qui namque statim totum reddit, vsuræ cursum interrumpit: qui verò diu retinet maiorem facit & operatiorem. Itaque in hominibus quidem dilationem non ægrè ferimus, verùm & studemus, vt maior efficiatur: apud Deum verò cum pusillanimiter nos gerimus, vt propter hoc torpeamus & retrocedamus. *Hom. 53. epist. ad Hebræos.*

Qui in agone de foris currunt, & ipsa exuunt vestimenta: viam verò in cœlum ferentem, & eandem arctam & arduam, tot

com impedimentis, quomodo poterit ambulare? *Homil. 7. canon. 7.*

Si calceamenta quis supra mensuram pedibus adegeris, itinere certe prolixiori impedimenta sentiet: & vestimentum induens corporis staturam excedens, pari modo implicabitur, atque superfluū vbique in eo quod satis est ad opportunitatem, inutile est. In pecunia multo frequentius id euenit. Et qui supra quod satis est, habet, non modo in ipsa sufficientia, sed & in necessarijs quibusque impediuntur. *De prouident. serm. 7.*

Vt ex edacitate nascitur inflammatio, ea inflammatione febris, quam sæpe mors sequitur: Sic & a rerum & diuitiarum exuperatione amentia gignitur. Vt enim in corporibus inflammatio fit & in animo amentia, deinde ex amentia cupiditas earum rerum quæ non conueniunt, sequi solet. *apud Maximum sermon. 12. & 22.*

Theophylacti Sentibus similes curæ diuitiarum, vt testatus est Dominus, quæ vndequaque vbi ipse attigeris, innatis aculeis manus cruentant, infliguntque vulnera & doloribus angunt. *In 1. epist. Timoth. 6.*

D. Basilij. Putei qui exhauriuntur, melius fluunt: quibus si suas aquas intactas relinquas, fœtorem contrahunt: Ita etiam diuitiarum quies inutilis, motus & transgressus publice vtilis est & fructuosus. *In Lucam.*

Cæterum mihi videtur hic adolescentis prædiuitias affectus aut eorum qui huic similes sunt, istiusmodi esse, ac si quis viator desiderio alicuius ciuitatis, donec ad ipsam perueniat, cursum intendat, ac deinde mansionem in suburbanis eligat, paulum progrediendi tædio omnem priorem exantlatum laborem sibi inutilem reddens, seque ab omni vrbanorum spectaculorum pulchritudine excludens: Istiusmodi illi sunt, qui reliqua facienda suscipiunt, de bonis suis dimittendis renituntur. *Homil contra diuites.*

Hermæ discipuli Pauli Apostoli. Sicuti vites bonæ, quæ negliguntur, ab herbis ac spinis premuntur, & necantur: Sic homines in desiderijs ac curis huius sæculi euacuantur a sensu suo, ac nihil omnino intelligunt, de diuitijs tantum ac colligenda pecunia cogitantes. *In libr. qui Pastor inscribitur, mandato 10.*

Antony. Vt vestes talares corpora, sic opes immodice animas impediunt. *In Meliss. par. 1. serm. 31. & Maxim. 12.*

Maximi monachi. Diuitum & prodigorum bona fico arbori positæ in loco præcipiti & abrupto comparabat Diogenes, de qua homines nihil accipiant, sed corui & milui, quemadmodum ab illis scorta & adulatores. *Serm. 12.*

Antisthenis. Quemadmodum conuiuium nullam habet omnino gratiam, nisi adsint conuiuæ: Sic quoque diuitiæ nullam habent voluptatem, nisi adsit virtus. *Apud Stobæum sermone 1. de Prudentia.*

Diogenes. Vt arborum in præruptis locis nascentium fructus coruis & alijs auibus tantummodo patent: ita multorum opes adulatoribus, meretricibus & nebulonibus huiusmodi fiunt pabulum. *Stob. serm. 90.*

Democrit. Quemadmodum inter vlcera pessimus est affectus Phagedænæ, ita in pecunijs animus non contentus & sibi inæqualis. *Stob. eod. serm.*

Plutarchi. Vt puero non das gladium, ita imperito diuitiæ non conueniunt. *ibid.*

Isocratis. Diuites stolidi suis opibus efficiuntur, sicut is qui bonum equum possidens, equitandi artem ignorat. *ibid.*

Socratis. Aegrotum lectus aureus nihil iuuat, neque stolidum diuitiarum abundantia. *Stob. serm. 29.*

Eiusd. Sudor prouocatus exercitijs decentior est: & diuitiæ proprijs laboribus acquisitæ. *ibid.*

Eiusd. Diuitias, veluti amicum liberalem ac promptum, ad honestas actiones assumere oportet. *ibid.*

Aristonimi. Quemadmodum ex his, qui idem vinum biberint, alij bacchantur, alij furiunt, alij mitiores redduntur: Sic etiam qui pares habent diuitias, non tamen pariter afficiuntur. *Apud Maximum serm. 12.*

Aristippi. Non quemadmodum calceus maior ineptus est ad vsum, ita & possessio copiosior. Calcei enim magnitudo superflua vsū tem impedit. Opibus autem vel vniuersis, vel ea parte aliqua suo tempore vti licet. *Apud Stob. serm. 92.*

Bionis. Quemadmodum vilia marsupia, etsi nullius precij fuerint, tanti tamen æstimantur: quantum in se numismatis continent: Ita diuites etiam homines vani & nihili bonorum quæ possident, æstimatione ac precio fruuntur. *Apud Stobæum sermone 89.*

Chilonis. Quemadmodum aurum Lydio lapide probatur: Sic homo qualis sit, ostendunt diuitiæ, si affluant. *Apud Laertium.*

Cleobuli. Quemadmodum nolles in longa naui, & onusta auro nauigans submergi: Sic etiam non desiderare debes in ampla magnificaque domo sedens, curis & negocijs obrui. *Apud Stobæum sermone 3. de Temperantia.*

Epicteti. Quemadmodum viperam, aut aspidem, aut scorpium in eburneo, aureoue scrinio inspiciens, non propter materiæ preciū ipsa diligis, aut magnifacis, tanquam felicia animalia, sed potius propter naturæ ipsorum exitialem vim abhorres ac detestaris: Sic etiam in diuitijs & fastu fortuna malitiam videns inesse, nō ad materiæ splendorem obstupesce, sed eorum prauitatem contemne. *apud Stob. serm. 1.*

Socratis. Vinum immutatur cum vasis quidem: Diuitiæ vero pro moribus possidentium semper variant. *apud Stobæum sermone 92.*

Quemadmodum equus si freno caret, non vsui est hominibus: Sic quoque diuitiæ, nisi ratione recta gubernentur. *apud Stobæum sermon. 3. de Temperantia.*

Plutarchi. Vt qui febri laborant, è diuersis diuersa capiunt, hoc est, e calidis frigescunt, è frigidis calescunt: Sic & diuitiæ molestiam adferunt stultis, & paupertas gaudium sapienti. *In Moralibus.*

Vt floridum aulæum aliquando multa tegit sordida: Sic splendor & strepitus potentum, multas obtegit calamitates. *Idem.*

Vt longiore via potius vtendum est, si modo sit tutior, quam breuiore & periculosa: Sic ad opes, ad gloriam entendum, vt serius contingant tuto potius, quam statim cum periculo. *Idem.*

Qui viro malo addit opes & gloriam, is febricitanti ministrat vinum, bilioso mel, cœliacis obsonia, quæ morbum animi, hoc est, stultitiam augeant. *Idem.*

Vt vestes videntur adferre calorem homini, cum per se sint frigidæ: non addunt autem, sed eum, qui est in corpore, tuentur: Sic opes videntur dare iucundam vitam, cum ea proficiscatur ab animo non a rebus externis. *Idem.*

Seneca. Oculis diuitijs luditis, nec peruidetis illarum periculum. Sicut barbari plerumque inclusi & ignari machinarum, segnes laborem obsidentium spectant, nec quo illa pertingant, quæ ea longinqua instruuntur: Idem vobis euenit. Marcetis in vestris rebus, nec cogitatis quot casus vndique immineant, iam iamque preciosa spolia laturi. *De Vita beata, capit. 26.*

Auis quæ pluma tantum tenetur, minimo dispendio potest aufugere: Sic opes non debent nos remorari a studio sapientiæ.

Non facit iste equum meliorem aurei freni: Nec hominem meliorem fortunæ ornamenta. *ibid.*

Animalia quædam circa cubilia confundunt vestigia, ne queant inueniri: Sic nobis celandum bonum nostrum, quo tutius sit. *Idem.*

Non continuo melior gubernator, cui pulchrius aut maius sit nauigium: Ita non est melior vir, cui fortuna splendidior. *ibidem.*

Eliæ Cabenij. Diuitias ergo neque cupio maximas: neque si mihi darentur, medius fidius asperuarer. Nam illud auarissimi esse, hoc pusillanimi vitium puto. Neque ego is sum, qui opibus quidam virtutes impediri, aut suggeri vitia, si viro bono, & rerum non cupido gubernentur. Nam hæ quoque cum hominibus inter malum bonumque mediæ sunt: & quasi earum rerum instrumenta homini data, ad alterutram viam capessendam. Quibus si quis recte, ita vt decet, vtatur, conducunt: si male, non eorum culpa, sed male vtentis, nocent. Quis (nisi vesanus aliquis) ignem accusabit, quod vrbes, quod segetes, quod vineta deuorat? quando ad id negocij datus sit, vt epulas coquat, tenebras fuget, vitæ auxilietur? Sic diuitiæ sunt virtutum adiumenta sapienti: stulto vero, non nisi vitæ exitium. *In epist. ad Hierac.*

Plinij Bucephalus Alexand. Magni equus, quoties nudus esset, equisonem in tergum admittebat: ornatus regijs phaleris neminem ferebat, nisi regem ipsum, in reliquos omnes ferociebat: Ita quidam tenues quemuis ferunt, diuites facti despiciunt vulgares. *lib. 8. cap. 42.*

Scombri in aquis sulphureum habent colorem, extra aquas similem cæteris: Ita diuites in suo regno dijs pares, & cæteris longe præstantiores videntur, in morte nihil ab alijs differunt. *lib. 9. cap. 15.*

Polypus stupidum alioquin animal, in captandis conchis ne tedibilis vtitur solertia: Ita quidam ad solum quæstum suum sapiunt, alibi pecudes meræ. *lib. 9. c. 29.*

P. M. Vt adamas si iuxta magnetem ponatur, non patitur abstrahi ferrum, aut si admotus magnes apprehenderit, adamas è diuerso rapit atque aufert: Ita pecuniæ studium dissidet cum Christiana pietate, & modis omnibus auocat, nec sinit adhærescere Christo. *In Similibus.*

Cum asinus ipse sit ἀμουσότατος, ex ossibus tamen huius optimæ fiunt tibiæ, vt ait Aesopus apud Plutarchum: Ita diuites quidā ipsi indocti, tamen pecunia sua suppeditant ingenium studiosis. *ibid.*

Vt in

Vt in rerum natura, quæ spectatissimè florent, celerrimè marcescũt, velut rosæ, lilia, violæ, cum alia durent: Ita in hominum vita: quæ florentissima sunt, citissimè vertuntur in diuersum. *ibid.*

Quod tibia sun. ignaris musices: hoc opes his, qui nesciunt vti. *In Similibus.*

Quemadmodum vrtica, si cunctanter attingas ac timide, adurit: sin premas tota manu, non adurit. Ita pecunia, si cautim circumspectimque tractes, inficit: sin contemptim ac neglectim, innoxia est. *ibidem.*

Vt auibus pennas accidimus, ne longius auolent: Ita quibusdã opes & authoritatem, ne se tollant in altum. *ibid.*

Vt philosophus missa lingua victimæ, rem simul & optimam & pessimam misit: Sic opes optimæ sunt, si rectè vtaris: pessimæ, si secus. *ibid.*

Theruers. Habent quidem diuitiæ simile quiddam cum fungis, sed obtinent peius, ij quippe tantum ventrem inflant, & interdum etiam leuiter mentis vexant particulam: at diuitiæ totum hominem faciunt inflatum, nec intellectus tantum aliquam particulam, sed totum animum corrumpunt. *In Apophe.* 45.

Mirum est, quod omnium rerum vsus experientia discimus: Sed diuitijs semper magis ac magis abutimur. *In Apoph.* 4.

Inter philosophos vt est quisque indoctior, eo contemptior: Non sic inter Christianæ professionis homines, apud quos est honoratissimus, non quidem is qui est optimus, sed qui ditissimus & potentissimus. *In Apoph.* 45.

Filium deploratæ vitæ tandem pater solet abdicare, & suæ libidini permittere. Nec quisquam sibi magis timere debet, quam qui egregie diuitijs suis abutitur, & interim nullo fortunæ detrimento reprehenditur. *In Apoph.* 68.

Qui diuites potius colit, quam pauperes, non est acceptor personarum, sed diuitiarum, ac ijs similis, qui in statuis mirantur potius aurum & argentum, quam ipsius imaginis decorum. *In Apophe.* 83.

Vt male scelestus & ingratus est, qui beneficium negligit: Ita renera idololatra est, qui potentem sola beneficiorum spe colit. *In Apophe.* 84.

Illiberale, imo impossibile est, vna fidelia duos dealbare parietes. Magis est impossibile, vbi diuitijs amplius abuti nescis: Deos tibi conciliare earum reliquijs. *In Apoph.* 18.

Non mirum est, quod Deus improbis fere concedit diuitiarum luxuriam, eamque a bonis longe abstrahit. Nam & bonus paterfamilias pueris ac filijs sibi charis, seris & præcocibus alijs interdicit fructibus, ac solis relinquit contemptis seruis & helotibus. *In Apoph.* 139.

Quemadmodum exemplarium varietas turbat memoriam: Sic diuitiarum luxuria vitam. Neque enim copia ad vitæ longitudinem aut iucunditatem quicquam confert, sed aufert magis. *In Apopht.* 152.

Principium omnis virtus est humilitas & paupertas: propterea qui ceremonijs indulget, honores vero & diuitias captat, magis cupit bonus videri quam fieri. *In Apoph.* 74.

Vadum pertransire licet sine discrimine: neque diuitiæ, quæ ad necessitudinem vitæ requiruntur, quemquam possunt confundere. *In Apophe.*

Nihilo promptius quis submergitur in mari, quam mediocri fluuio: & sæpe tam periculosæ mediocres, quam effusæ diuitiæ. *In Apophe.* 102.

Planta quæ citissime oriuntur, breuissimum durant: sic raro solent multos successores ditare, quæ obiter comparantur diuitiæ. *In Apoph.* 92.

A D A G I A.

Felicibus sunt & trimestres liberi, τοῖς δ' εὐτυχοῦσι καὶ τρίμηνα παιδία.
In diuitum ac Principum felicitatem, quibus per adulationem omnia laudi vertuntur: quippe sibi nihil non licere putant, adeo vt quod in homine plebeio perinde vt summum scelus damnatur, in illis virtutis titulo celebretur. Ascribitur Plinio.

Multitudo imperatorum Cariam perdidit. πολλοὶ στρατηγοὶ Καρίαν ἀπώλεσαν.
Admonet Senarius, nihil esse perniciosius licentia multitudinis, dum nulli paretur, sed pro sua quisque libidine rem gerit. Viel Koch versaltzen den Brey: Ich vilen hirten wird vbel gehutet.

Crœso, Crasso ditior.
Apud Græcos opulentia Crœsi Lydorum regis in prouerbium abijt præsertim nobilitata dicto Solonis.

Midæ diuitiæ. Μίδα πλοῦτος.
Id est, Midæ opes. In prouerbium abijt hoc dictum propter immensas eius regis opes.

Lysistrati diuitias habes. Λυσιστράτου πλοῦτον πλουτεῖς.
Prouerbium est Ironia de magnopere egentibus.

Pactoli opes. τὸν Πακτωλοῦ πλοῦτον.
Est Pactolus Lydiæ fluuius, ex monte Tmolo profluens, aureis scatens arenis.

Cinyræ opes: Κινύρου πλοῦτος.
De immensis opibus dicebatur: nam huius regionem opulentissimam fuisse Naso satis indicat. Metam. lib. 10.

Pelopis talenta. Πέλοπος τάλαντα.
De immensis opibus.

Ad ambas vsque aures, μέχρι τῶν ἀμφοτέρων ὤτων.
Vsque ad aures ambas impleri dicuntur, qui supra modum ingurgitant sese. Commode ad immodicas diuitias referri quoque potest. Er sitzt im gelt biß an die Ohren.

Ne decima quidem Syracusanorum pars. οὐδὲ τὸ δέκατον τῶν Συρακουσίων ἔχει.
De diuitibus & splendidis ita dicere solent.

Vltra res Callicratis. ὑπὲρ τὰ Καλλικράτου.
De immensis opibus dicebatur.

Zopyri talenta. Ζωπύρου τάλαντα.
De preclaris factis, magniq; æstimandis.

Diues aut iniquus est, aut iniqui hæres. *Hier.*
Cui affine videtur & illud Menandreum,

Οὐδεὶς ἐπλούτησε ταχέως δίκαιος ὤν.

Id est.

Nunquam vir æquum, diues euasit cito.

Seueras ferociam parit.
Parit satietas ferociam, imperitia cum potestate coniuncta insaniam, tollit animos opulentia. Quod si ad insolentiam accedat potestas, aut res, ad insaniam vsque procedit. Voll macht Doll. Gutt macht Muth item, wann der Geiß zu wohl ist, so schamet sie.

Octapedes. ὀκτάποδες.
Scythico prouerbio dicebantur, qui duos possiderent boues, & currum vnum. Dici poterit in hominem qui sibi locuples videatur, vel in eum, cui rusticana sunt opes.

Quantum non miluus oberret.
De homine supra modum locuplete, cui tantum sit agrorum, quantum nec miluus peruolet. Persius

Tantali talenta. τάλαντα Ταντάλου.
De immensis opibus.

Noctuæ Laurioticæ. γλαῦκες Λαυριωτικαί.
Hoc vtebantur ænigmate pecuniarum vim significabant. Aristoph.

Bene loculis, bene scrinio.
Tanti habetur quisque quantum habet. Vide paulo post prou. Quantũ habet.

Dextro Hercule, aut amico Hercule. *Horat.*
Diues amico Hercule.

Quod quidem in eos competit, qui in accumulandis opibus sunt bene fortunati.

Prædiues.
Prædiuitem significat nos his versibus, Homer. Iliad. λ.

Πολλὰ δ' ἐν ἀφνειοῦ πατρὸς κειμήλια κεῖται,
Χαλκός τε χρυσός τε πολύκμητός τε σίδηρος.
Diuitis in patris sunt multa recondita tectis:
Æsque aurumque fabrefactis quoque copia ferri

Quantum habet.
Quantum habet quisque, tanti fit. Horatius Satyr. 1.
Nil satis est inquit: quia tanti quantum habeas, sis. Iuuenalis Satyr. 3.
Quantum quisque sua nummorum seruat in arca,
Tantum habet & fidei.

Pecuniæ vir. χρημάτων ἀνήρ.
Hoc est, tanti quisque fit, quantum possidet.

Vnde excoquat sebum.
Plautus in Captiuis Prouerbialis dixit Hyperbole. Vnde excoquat sebum senex. Opes significans copiosissimas.

Adminicula vitæ.
Omnia quæ ad vitæ commoditatem pertinent, & indicantur hoc carmine Odyss. τ.

Οἷσί τε ζώουσιν εὖ καὶ ἀφνειοὶ καλέονται.

Id est.

Et & quibus & viuunt recte, diuesque vocantur.

Herculis quæstus.
Herculis quæstum, pro magnis impendijs dixit Plautus in Mostellaria.

Magnum os animi. μέγα στόμα αὐχένι τῷ.
Dicebatur quoties vbertor rerum prouentus, aut vilior annona animos & loquendi libertatem adderet agricolis, vinitoribus.

Nullius indigens Deus. ἀνενδεὴς ὁ Θεός.

Id est.

Nullius egens Deus. Admonet prouerbium nullam esse mortalium tam absolutum, in quo non aliquid desideretur, vnum esse Deum vndequaque perfectum.

Atra genæ nouilunium. Ατταγᾶς νουμηνία.
Refertur à Suida, nec explicatur, sed coniectura colligi potest, dictum fuisse in turbam abiectorum, & frugalium hominum.

Euparyphus ex comœdia. Εὐπάρυφος ἐκ κωμῳδίας.
Diuites omnes splendidaque cultos, Euparyphos appellant Græci.

Ad pedes, ad caput.
Non sine prouerbij specie dictũ videtur illud Theocriti, de rebus copiosis, & affluentibus.

Ὡς μοι πρὸς κεφαλᾶς δὲ παρ ποσὶ πάντα κεῖνται.

Idest,

Id est.

Ad caput, adq; pedes, quamuis me vellera cingant,
Sermo est pauperis iactantis opes suas.
Αὐτακταύλοι.
Qui malis artibus subito ditescerent, Lacoplusi dicebantur.

E X E M P L A   B I B L I C A.

Diuitias etiam boni possident: bonorum diuitias possidentiū exempla: Abraham, *Gen.* 13. 12. Abraham & Loth. 5. Isaac, 26. 13. Laban. 30. 36. 43. Iacob. 36. 6. 7. Ioseph, 41. 52. Filij Ruben & Gad, *Num.* 32. 1. Booz *Ruth* 2. Vir quispiam, 1. *Samuel.* 25. 2. Berzellai, 2. *Samuel.* 19. 32. Salomon. 1. *Reg.* 10. 14. Sunamitis mulier, 2. *Reg.* 4. 8. Naaman, 5. 1. Iosaphat, 2. *Paral.* 17. 5. Ezechias, 32. 27. Assuerus, *Esth.* 1. 1. Iob. *Iob.* 1. 3. & 42. 12. Ioachim, *Dan.* 13. 4. Rex, *Matth.* 18. 23. Adolescens, 19. 22. Ioseph Arimathæus, 27. 57. Multi diuites, *Marc.* 12. 41. Quidam diues. *Luc.* 12. 16. & 16. 19. Zachæus, 19. 2. Diuitiæ non rarò noxiæ, *Matth.* 13. 22. *Marc.* 4. 19. *Luc.* 8. 14. Exempla: Adolescens quidam, *Matth.* 19. v. 22. *Marc.* 15. v. 22. Princeps quidam. *Luc.* 18. v. 23.

H I S T O R I C A   E X E M P L A.

Anytus Atheniensis Socratis accusator, diuite & sapiente patre Anthemione natus, non casu quodam aut alicuius largitione opulentus euasit (quemadmodum Thebanus Ismenias, Polycratis pecunias nactus) sed prudentia propria, atque vigilantia. *Plato in Menone.*

Caunius fuit quispiam, qui quum vtriculum aquæ sitienti Artaxerxi Persarum porrexisset, ab eo ad summam opulentiam euectus est. *Plut. in Artaxerxe.*

Licinius Cæsaris libertus, tantum agrorum fertur habuisse, quantum peruolarent milui. *Theat. Zvving. fol.* 606.

Tantali diuitiæ prouerbio locum fecerunt, quem prædiuitem fuisse ostendit carmen illud ex tragœdia apud Plutarchum de exilio *Viam dierum duodecim fero ingera. Idem.*

Sichæus Didonis maritus, ditissimus agri inter Phœnicas: quæ opulentia fuit sibi exitio, impulitq; Pygmalionem, Didonis fratrem, regem Tyri, vt eum interficeret, ex cuius thesauris profuga Dido æmulam Romani imperij, Carthaginem ædificauit. *Idem ibid.*

Semiramis Assyriorum prima regina, & princeps, multis mortalibus subactis, metalla primum inuenit, & captiuis eorum tractationem mandauit. *Suidas.*

In Siphno insula ob metalli fodinas ditissimi erant incolæ, & decimas quotannis Delphos mittebant. *Herod. l.* 3.

P. Clodius (quem Milo occidit) habitauit domo empta sestertijs. 147. milibus.

Cicero homo nouus Arpinas (vt Salustius ei improperat) præter dignitatem consularem eo diuitiarum peruenit, vt habitaret domum, quæ fuerit M. Crassi, Romanorum ditissimi.

H I E R O G L Y P H I C A.

Hominem, qui modo diuitijs afflueret, modo rerum inopia premeretur, varioq; euentu, fortunæ volubilitatem iactatis & donis experiretur, significare qui vellent, pro hieroglyphico *Pauonis tantum caudam* facere consueuerunt, caudam is siquidem singulis annis cum primis arborum frondibus amittit, cumq; eorumdem germine recipit. *Pier. Val. lib.* 24.

Virum verò, qui opulentissimas diuitias prodegerit, & vt apud Horatium est, res maternas atque paternas fortiter absumpserit significare qui volunt, *Gallinam* aureos nūmos depascentem pingunt: de qua miraculum id proditur: vt si auro liquescenti Gallinarum membra misceantur, illud in carnes eas consumi deprehendatur, atque ita fit, vt Gallina sit auri venenum. *ibid.*

Hieroglyphice passim loquitur Euangelium, vt ad hanc sententiā, *semen aut inter spinas* concidisse, vnde anxiæ diuitiarum curę significantur. Sed durum fortasse videatur, diuitias per spinarum vocabulū intelligi, nisi Dominus noster Iesus Christus, qui eo vsus est hieroglyphico, dictum ipse suum explicuisset. *idem lib.* 55.

E M B L E M A T A.

In diuites publico malo.
Emblema LXXVIII.

Anguillas quisquis captat si limpida vertat
Flumina, si illimes ausit adire lacus,
Cassus erit, ludetq; operam: at multum excitet ergo
Si cœnum, & virens palmula turbet aquas.
Diues erit sic et respublica turbida lucro est,
Qui pace at clausis legibus esuriunt.

Diues indoctus.
Emblema CLXXXIX.

Transat aquas residens pretioso in vellere Phryxus,
Et summo impauidus per mare scandit ouem.
Ecquid dicis? vir sensu habens, sed diuite gaza,
Coniugis aut serui quem regit arbitrium.

Malè parta malè dilabuntur.
Emblema CXXVIII.

Miluus edax, nimia quem nausea torserat esca:
Heu mihi, mater, ait, viscera abeunt fluunt.
Illa autem, quid fles? tene hæc tua viscera credas,
Qui rapto viuens soles aliena vomis?

F A B V L Æ.

Auarus.

Auarus & pecuniæ magnus amator quidam agris domoq; sua, & suppellectili ac vestimentis venundatis, aurum, quod de precio illorum coegerat, liquefactum in vnam massam refundi sibique redegit, & hanc obruit terra. Quo autem loco aurum, eodem & animum ac cor suum sepelijt. Itaque ille quotidie venire, & contemplari diuitias suas, & magnam capere intuitu voluptatem. Hoc animauerso, quidam qui propè operis nescio quid facere consueuerat, ratus, id quod erat, aurum defodisse illic hominem: cum auarus satiatus aspectu terræ, qua tegeretur aurū, discessisset, accurrit, & eruta terra aurum reperit atque aufert. Mox auarus, vt solebat, reuertitur, cumq; vidisset quod interea factum fuerat, lamentari cœpit miserabilem in modum, & tenuem vellere capillum, & Deos atque homines incusare. Quem prętериēs quidam, cum cerneret in mœrore esse maximo, quid accidenti interrogat, & re audita: Heus tu, inquit, ne plora, neue tantopere affligе animum tuom: Nihil enim, vt videtur, damni fecisti, qui tum etiam, cum haberes aurum, caruisti auro. Quare nunc repone istum in locum saxum quodpiam, tibiq; persuade, ibi conditum esse aurum. Nam nihil prorsus interfuerit, neque alterum altero maiori tibi vsui esse poterit: Neque enim cum adhuc aurum defossum isti hic esset, à te vsurpabatur.

Significat fabula, frustra possideri ea, quibus non vtaris. Neque esse fructum diuitiarum, nisi in harum vsu.

Anseres & Grues.

In vno quodam prato pascebantur anseres & grues. Adueniente aucupe, grues leuitate sua adiuti facilè auolant, at anseres impediti grauitate, dum moliuntur fugam, ab aucupe prehenduntur.

Ostendit fabula, vrbe capta, cum pauperes plerumque vim hostilem effugiant, diuites in potestatem hostium venire, & in seruitutem abduci.

D I V O R T I V M.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Diuortium, Grecè διχόστασις, & διχοτομία, in duas partes diuido dicitur. Et est propriè matrimonij distractio, differtq; à repudio, quia repudium inter nondum coniunctos fit, diuortiū verò coniunctorum est. Quare (vt ait Modestinus) diuortiū inter virum & vxorem fieri dicitur: repudium verò sponte remitti videtur, quod in vxoris personam non cadit.

L O C I   B I B L I C I.

Diuortium inter virum & mulierem non temere faciendum, *Matt.* 5. 32. & 19. 7. *Prol. Cor.* 7. v. 10. 13.

S I M I L I T V D I N E S.

Chrysostomi Quemadmodum si videas hominem assiduè amicitias medicorum colentem, ex ipsa re statim intelligis, quia infirmus est: Sic & quum videas siue virum, siue mulierem, de dimittendis vxoribus aut viris legem interrogantes, cognosce, quia vir ille lasciuus est, & mulier illa meretrix est. *In* 19. *c. Matt. homil.* 32.

Vt si quis habeat seruum, qui furatur & inebriat se, considerans dominus, quia si vtrumque sibi simul mandauerat obseruare, nihil proficit, mandat illi quidem, vt bibat quantum vult, sed publicè bibat: vt hoc quidem quod bibit, si secundū nouum bonum, vt paulatim discat obedire præceptis: Sic permissum est dari repudium, malum quidem, sed permissum à creatore. *In* 19. *Matth. homil.* 32.

Vide Coniugium, Repudium.

D O C T R I N A.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Doctrina, Grecè διδασκαλία, ἡ, & διδάσκαλος, doctor & magister dicitur. Hebr. *LeKach,* institutio, quam discipulus à suo præceptore accipit, Prou. 1. 5. Deut. 32. 2. à verbo *LaKach,* accepit, suscepit, sumpsit. Cognationem habet cum *Lacadh,* cepit, comprehendit. Hinc Grec. ἀχεῖν consequor. Doctrina modò pro actu ipso docendi, modò pro disciplina sumitur; vt *Pinnae vir in omni doctrinarum genere excellens.*

Docilitas a doceo venit, quod Græc. διδακτικός dicitur, διδακτός, doci-

docilis dicitur. Est autem docilitas prudentia erudiendi imperitos, *secundum Isidor. in synonymis.*

Docilitas est aptitudo bene acquirendi rectam opinionem ab alio, sicut solertia a seipso *secundum B. Thom. 2. 2. q. 48.*

Docilitas est pars prudentiæ, qua homo solicite frequenter & reuerenter applicat animum suum documentis maiorum, non negligens ea propter ignorantiam, nec contemnens propter superbiam. *B. Thom. 2. 2. q. 49. art. 3.*

Docere nihil aliud est, quam disciplinæ, vel alterius cuiuscumque rei cognitionem dare. *Virgilius: docuit post exuturus gens.*

Docilis & docibilis ita differunt: quia docilis est, qui facilè docetur: docibilis verò, qui natura aptus est doceri.

Loci Biblici.

Docere: Docendi dexteritas a Deo, *Esa.* 50. 4. Docendum Dei verbum, *Matth.* 28. 19.

Docilitas, & omnis in religionis negocio præiudiciorum reiectio necessaria est. *Ioan.* 1. 47. Docilitas Dei donum est, *Deuteron.* 29. 4. 1. *Reg.* 3. 9. *Esa.* 50. 4. *Ierem.* 27. 7. *Ezech.* 11. 19. & 36. 26. *Luc.* 21. 15. 1. *Thessalon.* 2. 13. Docilitas in pastoribus necessaria, 2. *Tim.* 2. 24.

Doctores in Ecclesia a Deo constituti, *Rom.* 12. *vers.* 6. 7. 1. *Cor.* 12. 28. *Ephes.* 4. 11. 1. *Pet.* 4. 5. Doctores qui admittendi, *Matt.* 5. 19. Doctores in Antiochia insignes, *Act.* 13. 1. Doctores falsi ambitiosi, 2. *Pet.* 2. 10. cauendi, *Luc.* 6. 39. Doctores falsi in Ecclesiam irrupturi, 1. *Tim.* 4. 1. 2. *Pet.* 2. 1.

Doctrina pro actu docendi, *Marc.* 1. 2. & 12. 38. Doctrina sana semper in ecclesia vigere debet, *Gen.* 48. 21. *Exod.* 12. 24. *Deut.* 31. 19. *Ecclesiast.* 12. 11. *Esa.* 59. 21. *Zachar.* 1. 5. & 1. *Timoth.* 4. 13. 2. *Timot.* 4. 2. *Tit.* 2. 1. 2. *Petr.* 1. 15. Doctrina generalis ex particulari, 1. *Cor.* 5. 7. & 6. 7. 1. *Timoth.* 2. 8. & 5. 8. *Hebræ.* 5. 4. & 10. *versic.* 24. 30. 1. *Petr.* 2. 19. & 3. *versic.* 7. 15. 1. *Ioan.* 4. *versic.* 4. Particularis ex generali, *Col.* 1. 21. 1. *Thess.* 4. 3. 2. *Petr.* 2. 10. 1. *Ioan.* 2. 13. Doctrina Apostolorum & Prophetarum Ecclesiæ fundamentum, *Ephes.* 2. 20. Doctrina Dei perspicua. *Esa.* 45. 19. & 48. 16. Doctrina & veritas in rationali iudicio, *Exod.* 28. 30. Doctrinæ Euangelicæ certitudo, *Ioan.* 19. 35. *Galat.* 1. 8. *Ephes.* 4. *vers.* 13. 14. 2. *Tim.* 3. 14. *Hebr.* 13. 9. 1. *Ioan.* 4. 14. Doctrina mala cauenda, *Matth.* 16. 6. *Ioan.* 10. 8. *Galat.* 5. 8. *Philip.* 3. 2. *Hebr.* 13. 9. Doctrinæ sanæ contemptus noxius, *Prouerb.* 1. 7. & 17. 16. & 23. 9. 2. *Timoth.* 4. 3. Doctrinæ rectum iudicium manat e timore Dei, *Ioan.* 7. 17. Doctrinæ puritas in Ecclesia necessaria, *Esa.* 30. v. 20. 21. Doctrinæ Euangelicæ summa, *Act.* 20. 21. Doctrinæ, quæ homines a Christo abducunt, pestiferæ *Ioan.* 10. 8. Doctrinæ impiæ, quam efficaces, 2. *Thess.* 2. 9. 2. *Tim.* 2. 13. *Tit.* 1. 11. *Heb.* 13. 9.

Sententiae Biblicae.

Doctrina quo ad docentem & audientem.

Imperitus docere libere. 3 *Esdr.* 7.

Aqua profunda verba ex ore viri: & torrens redundans fons sapientiæ. *Prou.* 18.

Doctrina viri per patientiam noscitur, & gloria eius est iniqua prætergredi. 19.

In auribus insipientium ne loquaris, quia despicient doctrinam eloquij tui. 23.

Verba sapientium audiuntur in silentio, plus quam clamor principis inter stultos. *Eccl.* 9.

Verba sapientium sicut stimuli, & quasi claui in altum defixi, quæ per magistrorum consilium data sunt a pastore vno. *Eccl.* 2.

Beatus, qui enarrat iustitiam auri audienti. 25.

Anima viri sancti enunciat aliquando vera quam septem circumspectores sedentes in excelso ad speculandum. 37.

Docete me, & ego tacebo, & si quid forte ignoraui, instruite me. *Iob* 6.

Doctrinam magis quam aurum eligite. *Prou.* 8.

Doce iustum, & festinabit accipere. 9.

Cor sapiens quærit doctrinam, & os stultorum pascitur imperitia. 15.

Non cesses audire, fili, doctrinam, nec ignores sermones scientiæ. 19.

Fili mi, inclina aurem tuam, & audi verba sapientium. Appone autem cor ad doctrinam meam, quæ pulchra erit tibi, cum seruaueris eam in ventre tuo, & redundabit in labijs tuis, vt sit in Domino fiducia tua. 22.

Ecce, descripsi eam tibi tripliciter in cogitationibus & scientia, vt ostenderem tibi firmitatem & eloquia veritatis respondere ex his illis, qui miserunt te. *ibid.*

Ingrediatur ad doctrinam cor tuum, & aures tuæ ad verba scientiæ. 23.

Auris bona audiet cum omni concupiscentia sapientiam. *Ecclesiast.* 3.

Esto mansuetus ad audiendum verbum Dei, vt intelligas, & cum sapientia proferas responsum. 5.

Si inclinaueris aurem tuam, excipies doctrinam, & si dilexeris audire, sapiens eris scientiam. *Eccl.* 6.

In multitudine presbyterorum prudentium consiste, & sapientiæ illorum ex corde coniungere, vt omnem narrationem Dei possis audire: & prouerbia laudis non effugiant à te. Et si videris sensatum, euigila ad eum, & limina ostiorum eiusdem atterat pes tuus. *ibid.*

Cogitatum tuum habe in præceptis Dei, & in mandatis illius maximè assiduus esto, & ipse dabit tibi cor, & cōcupiscentia sapientiæ dabitur tibi. *ibid.*

Non te prætereat narratio seniorum. ipsi didicerūt à patribus suis: quoniam ab ipsis disces intellectum, & in tempore necessitatis dabis responsum. 8.

Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt. *Roma.* 15.

Labia iusti erudiunt plurimos, qui autem indocti sunt, in cordis egestate morientur. *Prou.* 10.

Doctrina sua noscitur vir, qui autem vanus & excors est, patebit contemptui. 12.

In lingua sapientia dignoscitur, & sensus, & scientia, & doctrina in verbo sensati, & firmamentum in operibus iustitiæ. *Eccl.* 4.

Vir peritus multos erudiuit, & animæ suæ suauis est. 33.

Audiens sapiens sapientior erit, & intelligens gubernacula possidebit. *Prou.* 1.

In corde prudentis requiescit sapientia, & indoctos quosque erudiet. 14.

Fons vitæ eruditio possidentis: stultorum disciplina stultitia est. Cor sapientis erudiet os eius, & labijs eius addet gratiam. Fauus mellis est amœnus sermo, dulcedo animæ, & ossium medela. 16.

Cor prudentis possidebit scientiam, & auris sapientium quæret doctrinam. 18.

Comede, fili mi, mel, quia bonum est, & fauum dulcissimum gutturi tuo: Sic & doctrina sapientiæ animæ tuæ, quam cum inueneris, habebis in nouissimis spem, & spes tua non peribit. 24.

Stude sapientiæ fili mi, & lætifica cor meum, vt possis exprobranti respondere sermonem. 27.

Fili à iuuentute tua excipe doctrinam, & vsque ad canos inuenies sapientiam. Quasi is, qui arat, & qui seminat, accede ad eam, & bonos fructus eius expecta. *Eccl.* 6.

Contemptus doctrinæ.

Sapientiam atque doctrinam stulti despiciunt. *Prou.* 1.

Qui erudit derisorem, ipse iniuriam sibi facit: & qui arguit impiū, sibi maculam generat. 9.

Quærit derisor sapientiam, & non inueniet: doctrina prudentium facilis. 14.

Qui euitat discere, incidet in mala. 17.

Non recipit stultus verba prudentiæ, nisi ea dixeris, quæ versantur in corde suo. 18.

Acetum in nitro, & qui cantat carmina cordi pessimo. 25.

Quàm aspera est nimium sapientia indoctis hominibus, & non permanebit in illa excors. *Eccl.* 6.

Sapientia enim doctrinæ secundum nomen est eius, & non est multis manifesta. Quibus autem cognita est, permanet vsque ad cōspectum Dei. *ibid.*

Non erudietur, qui non est sapiens in bono. Est autem insipientia, quæ abundat in malo, & non est sensus, vbi est amaritudo. 21.

Cor fatui quasi vas confractum, & omnem sapientiam non tenebit. Verbum sapiens quodcumque audierit, sciens laudabit, & ad se adijciet. Audiuit luxuriosus, & displicebit illi, & proijciet illud post dorsum suum. *ibid.*

Qui docet fatuum, quasi qui conglutinat testam. Qui narrat verbū non audienti, quasi qui excitat dormientem de graui somno. Cum dormiente loquitur, qui enarrat stulto sapientiam. 22.

Homo assuetus in verbis improperij, in omnibus diebus suis non erudietur. 23.

Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas ante porcos. *Matth.* 7.

Doctrinæ prauæ effectus, quo ad docentem.

Prius vos ostendens fabricatores mendacij, & cultores peruersorum dogmatum. *Iob.* 13.

Os fatuorum ebullit stultitiam. *Prou.* 15.

Labia sapientum disseminabunt scientiam, cor stultorum dissimile erit. *ibid.*

Doctrina mala deserentium viam vitæ: qui increpationes odit morietur. *ibid.*

Doctrina stultorum fatuitas. 16.

Superbus & arrogans vocatur indoctus, qui in ira operatur superbiam. 21.

Narra-

Narratio fatui quasi sarcina in via. *Eccl.21.*

Quo ad audientem.

Vir, qui errauerit à via doctrinæ, in cœtu gigantum commorabitur. *Prou.21.*

Numquid potest cæcus cæcum ducere? Nonne ambo in foueam cadunt? *Luc.6.*

Doctrinæ cura si malum.

Qui scrutator est maiestatis, opprimetur a gloria. *Prou.25.*

Et agnoui, quod in his quoque esset labor, & afflictio spiritus, eo quod in multa sapientia multa sit indignatio, & qui addit scientiam, addit & laborem. *Eccl.1.*

Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris, sed quæ præcepit tibi Deus, cogita semper: & in pluribus operibus eius ne fueris curiosus. 3.

PATRVM SENTENTIÆ.

Debet diuinarum scripturarum Doctor fidei, ac debellator erroris, & bona docere, & mala dedocere. & hoc opere & sermone conciliare aduersos, remissos erigere, nescientibus, quid expectare debeant, intimare. *Aug. de doct. Christ.*

Doctor & ductor id agere debet, vt non solùm intelligenter: verùm & libenter, & obedienter audiatur. *ibid.*

Omnis res, quæ dando non deficit, dum habetur, & non datur, nondum habetur quomodo habenda est. *ibid.*

Sicut gratus est, qui cognoscenda enubilat, sic & onerosus, qui cognita inculcat, nam delectandi gratia etiam nota dicuntur, vbi non ipsa, sed modus, quomodo dicuntur, attenditur. *lib.3. de doct. Christ.*

Doctrina per malos palmes in sepe, botrus inter spinas: cautè lege, ne dum quæris fructum, laceres manum, & quem audis bona dicentem, ne imiteris mala facientem. *super Ioan.*

Si me posses docere, quod nescio: non solùm te verbis, sed & pugnis cædentem deberem patientissimè sustinere. *ibid.*

Da, & accipe, & iustifica animam tuam, id est, verbum doctrinæ proximis impende, & bonorum operum exempla relinque, vt recipias præmium vitæ æternæ. Tibiæ & psalterium suauem faciunt melodiam, & super vtraque lingua suauis. *Aug. 3. Eccles. 40. gloss.*

Hæc naturaliter mulcent, & exhilarant animam, sed lingua suauiter docens, plus confortat intellectum. *Amb. in Psal. 118.*

Ante vita, quam doctrina quærenda est. Vita bona sine doctrina gratiam habet: doctrina sine vita integritatem non habet. *Gl. in epist. ad Philip.*

Perfectio discipulorum, gaudium & corona est magistrorum: fructus enim magistri obedientia est discipuli, & eius bona conuersatio coronam dat magistro. *ibid.*

Qui congrua disciplina vnumquemque arguit, eruditum se, & probabilem doctorem in conspectu omnium ostendit, nec ætas iuuenilis in doctore despicienda, quem vita & discretio commendat. *Gl. super illud Eccl.45.*

Multi iuxta vetus eulogium cum non loqui nesciant, tacere non possunt, docentq; scripturas, quas non intelligunt, & quum aliis persuaserint, eruditorum sibi assumunt supercilium, prius imperitorum magistri, quam doctorum discipuli. *Hier. ad Demetriadem virginem.*

Tanto quisque minus ostenditur doctus, quanto minus patiens, neque enim potest veraciter bona docendo impendere si viuendo nescit aduersa æquanimiter tolerare. Perfecti enim doctoris est, sic aliorum improbitatem patienter sufferre, vt se nouerit ab iniquis patienter obseruare. Neque enim propria munditia sine tolerantia sufficit, neque tolerantia sine munditia valet. *Greg. super Prou.5.*

Si subditi aliquid peccant, propter quod doctores à quiete surgere cogantur, non tantùm pœnam illius peccati incurrunt, sed etiam puniuntur pro inquietudine doctorum, quia qui doctores cœlestibus intentos inquietare præsumunt, etiam virtutes, quas habere se credebant, perdunt. *Gl. Greg. super illud Cant.5. Neque suscitetis, &c.*

Mihi prope donatum credo quidquid lectorem meum melius sentire cognosco, omnes enim qui pleni fide Deo aliquid sonare nitimur, organa veritatis sumus. *Greg. in Mor.*

Doctrina cum omni imperio docetur, quando prius agitur, quam dicatur, nam doctrinæ subtrahit fiduciam, quando conscientia præpedit linguam. *ibid.*

Quantacunque doctrina mens polleat, grauis eius imperitia est, velle docere meliorem. *idem lib.3. Mor.*

Triplici modo in Ecclesia docentium periculum pendet, ex sensu, ex verbo, ex auditu, vt per facilè inuenias in vno saltē aliquo, si non in omnibus labi. Aut enim minus illuminatus est sensus, aut ad explanandum deest sermo sufficiens, aut bene prolata crassior non recipit auditus, & ex vno quolibet horum casu, fit in omnibus periculum veritatis. *in Apolog.*

Hoc habet proprium doctrina arrogantium, vt humiliter nesciant inferre quæ docent: & recta quæ sapiunt, etiam rectè ministrare non possunt. In verbis enim eorum perdunt, qui quum docent, quasi in quodam sibi videntur summitatis culmine residere, eosq; quos docent, vt longe infra se positos, velut in imo, despiciunt: quibus non consulendo loqui, sed vix dominando dignantur. *lib.24. Mor.*

Experto crede, aliquid amplius inuenies in syluis, quàm in angulis. ligna & lapides docebunt te, quod à magistris audire nō possis. *Bern. in quadam epist.*

Doctrina spiritus non curiositatem acuit, sed charitatem accendit. *Idem super Cant.*

Non minus pium est, docere animum scientiam, quàm præbere escam corpori. *ibid.*

Intelligentia dictorum ex causis est assumenda, quia non sermoni res, sed rei est sermo subiectus. *Hilar. l.4. de Trin.*

Docere & non facere, non solùm lucri nihil, sed & damni plurimū confert. Grandis enim condemnatio est componenti quidem sermonem suum: vitam verò suam atque operam negligenti. *Chrys. in lib. de compunctione cordis.*

Si artem vsumq; dissocies, vtilior est vsus expers artis, quàm ars, quæ sui vsum non habet. Ars infœcunda est sine vsu, & vsus temerarius sine arte. *Idem.*

Qui malè sederit, iniuriam cathedræ facit in iudicio sedens. Si benè vixeris, & bene docueris, omnium iudex eris. Si malè vixeris, & bene docueris, tui solius, nam bene docendo, populum instruis, quomodo populus debeat viuere: sed malè viuendo doces Deum, & quomodo te debeat condemnare. *Chrysost. in Matth.53.*

Si bene vixerint, eorum est lucrum, si bene docuerint, vestrū. Accipite igitur, quod vestrum est, nolite discutere, quod alienum est. Frequenter enim de malo homine bona doctrina procedit, sicut terra vilis preciosum aurum producit: numquid propter vilem terram preciosum aurum contemnitur? Igitur sicut aurum eligitur, & terra relinquitur, sic & vos doctrinam accipite, & mores relinquite. *ibid.*

Doctrinam accipiamus non mores, apibus herbæ non sunt necessariæ, sed flores: sic & vos flores doctrinæ colligite, & conuersationem relinquite. *ibid.*

Fidem prædicant, & infideliter agunt: pacem aliis dant, & sibi non habent. Veritatem laudant, & mendacia diligunt. *ibid.*

Docilitas est prudentia erudiendi imperitos. *Isid. in Synonymis.*

Discretio est, quæ rerum consequentium continet perspicuam dilucidamq; cum grauitate expositionem. *ibid.*

In lectione non verba, sed veritas est amanda. Sæpe autem reperitur simplicitas veridica, & falsitas composita, quæ hominem suis erroribus illicit, & per linguæ ornamenta laqueos dulces aspergit: Nihil enim aliud agit amor mundanæ scientiæ, nisi extollere in laudibus hominem: nam quanto maiora fuerint studia, tanto animus arrogantiæ fastu inflatus maiori intumescit iactantia. *ibid l.3. de summo bono.*

Sicut instruere solet collatio, ita destruit contentio: hæc enim relicto sensu veritatis lites generat, & pugnando verbis etiā in Deo blasphemiam facit. Inde hæresis & schisma, à quibus fides subuertitur, veritas corrumpitur, charitas scinditur. Contentionis studium non pro veritate, sed pro appetitu laudis certat, tantaque est in his peruersitas, vt veritati cedere nesciant, ipsamq; rectam doctrinam euacuare contendant. In disputatione fidelium cauenda est propositio, & artificiosa subtilitas, quæ callidis obiectionibus retia tendit. Ita enim versutis assertionibus prauorum disputatio innodatur, vt recta esse simulent, quæ peruersa persuadent. *ibid.*

In Physica causa quærendi, in Ethica ordo viuendi, in Logica ratio intelligendi versatur. *lib.2. etym.*

Clausum habet os peccator, quia qui seipsum non docuit, aliū docere non potest. *Orig. homil.38. super Leuit.*

Frustra sibi officiū doctoris vsurpat, qui discretionem catholicæ fidei ignorat: neque sanctuarium domino, sed ruinam sibi ædificant, qui docere alios regulam, quam ipsi non didicerant, conantur. *Beda de templo Salomonis.*

Sunt quidam, qui nulli arti, quod suum est, tribuere norunt: sed in singulis legunt omnes. In Grammatica de syllogismorum ratione disputāt: in Dialectica inflexiones casuales inquirūt: & quod magis irrisione dignum est, in titulo totum ponunt, legunt librum, & inceptum tertia via lectione expediunt: non omnia dicenda sunt, quæ dicere possumus, ne minus vtiliter dicantur ea, quæ dicere debemus. *Hugo in didasc. l.3.*

In omni doctrina breue aliquid & certum debet colligere, quod in arcula memoriæ recondatur: vnde postmodum, quum res exigit, aliqua deriuentur: hoc etiam sæpe replicare, & de ventre memoriæ ad palatum reuocare necesse est, ne longa intermissione aboleat. *idem.*

Lectio duobus modis animo fastidium ingerere solet, & affligere spiritum. Et qualitate, videlicet, si obscurior fuerit: & quantitate si prolixior extiterit. In quo vtroque magno vti moderamine oportet: ne, quod ad refectionem quæsitum est, sumatur ad suffocationem. *ibid. l.5.*

Rudis

Rudis dicitur nouus, eruditus, quasi à rudi sablatus, ab ignorantia diuisus, & in doctrinæ finibus collocatus. *Cassiod. super Psal. 2.*

Narratio est ad causam probabilem facienda rerum gestarum clara, & diligens expositio. *Isid.*

Miser est, qui ante compulsus est docere, quàm discere, & ante præsumens bonum prædicare, quàm facere, tanquam sterilis arbor, cum non habeat opera pro pomis, spargit verba pro folijs, & cum non adsit medulla sensuum, abundat spuma verborum. *Sid. l. 5. epist.*

Quia fragilis est memoria, & rerum turbæ non sufficit, ideo egregiè Doctorem firmare videtur, qui dicit: Quicquid præcipies, esto breuis: vt citò dicta percipiant animi dociles, teneantque fideles. Omne superuacuum pleno de pectore manat. *Petrus Blesensis in epist.*

Numquam super verbis faciam quæstionem, de qua facultate sumantur, dummodo ædificēt ad salutem. Nam nec de herbis quæritur, qua terra, vel cuius hortulani cura, & cultura adoleuerint, dummodo vim habeant sanatiuam. Nam & de fabularum gentilium moralitate quandoque forma eruditionis elicitur: quoniam fas est ab hoste doceri. *idem.*

Scientiarum generosa possessio in plures dispersa non perditur, & distributa per partes minorationis detrimenta non sentit, sed eo diuturnius perpetuata senescit, quo publicata fœcundius se effundit. *idem.*

Docilitas, seu doctrinæ reuerentia, & amor, est virtus, quæ regit nos, ne in doctrina de Deo, & cæteris artibus, in consilijs, & gubernatione vitæ, ducti arrogantia, aut φιλαυτίᾳ, contemnamus aliorum iudicia, nec falsas opiniones pertinaciter tueamur: sed vt alios audiamus, & veris sententijs assentiamur. Huic repugnant sophisticè, Pertinacia, Academica dubitatio, & αὐτοδιδασκαλία.

Hieroglyphica.

Cathedram docentis hieroglyphicon esse, ex Psal. 2. & Matth. 23. tradit *Io. Pierius. lib. 43. 9.*

Doctrina præstantes viri plantis virorem gratum diu conseruantibus, vt videre est in Aloe, Semperuiuo, Crassula, hieroglyphice comparantur. Horum non nemo meminit voti Propertiani.

Attamen exiguo quodcumque è pectore riui
Fluxerit, hoc patria seruitas omne mea.

Et certè, vt ait Ouidius.

Viuitur ingenio: cætera mortis erunt.

Idem etiam Propertius.

At non ingenio quæsitum nomen ab æuo
Excidet: ingenio stat sine morte decus.

Sententiae Poeticae.

Iacob. Bill. Anthol. Sacr.

Doctrina Domini veneranda tempore in isto
Ad plenum nulli peruia facta hominis.
Semper enim sanctis superest, quo crescere possint,
Et ne fectorum gloria principium est.
Virtutem virtus pariat, de lumine lumen
Prodeat, atque omnis palma gradum faciat.
Nam cur non cupide mens quærat, quæ Deus offert,
Cui danda, vt rectè posceret, ipsa dedit?

Prius quemque se docere debere, quam Doctoris munus profiteri.

Ante tibi studeas, vt sit pro coniuge virtus
Ex vxore tibi fiat vt illa soror.
Vxor erit virtus lætis amplexibus illam
Si tamquam thalamo iunxeris ipse tibi.
Cum tibi iuncta diu fuerit, pulchraque bearit
Te sobole, vxoris desinit esse loco.
Facta sororque, aliis iam se dabit ipsa fruendam,
Non conclusa sinu iam, velut ante, tuo.

Aduersus eos, qui præmaturè ad docendum accedunt.

Concha prius se liquidis ingurgitat vndis
Tumque superfusas plena refundit aquas.
At contra exiguos latices simulatque canales
Cepit, quàm cepit, mox quoque reddit aquam.
Cernimus, heu, multos hac tempestate canales;
Pene etenim vacuo pectore quisque docet.
At vix inuenias multis è millibus vnum,
Qui concha similem se prius esse ferat.

Sen. Troad.

Dediscit animus serò, quod didicit diu.

Ouid. 6. Fast.

Cætera iampridem didici puerilibus annis,
Non tamen idcirco prætereunda mihi.

Plaut. Amph.

Haud æquum facit, quod quid didicit, id dediscit.

Horat. Art.

Cur nescire pudens prauè, quàm discere malo?

Idem 1. Epist. 1.

Nec curas ea, quæ stultè miraris, & optas:
Discere, & audire, & meliori credere non vis?

Ouid. 4. Met.

Fas est, & ab hoste doceri.

Horat. 2. Epist. 1.

Nauem agere ignarus nauis timet, abrotanum ægro
Non audet, nisi qui didicit, dare: quod medicorum est
Promittunt medici: tractant fabrilia fabri.

Propert. 2. 1.

Nauita de ventis, de tauris narrat arator,
Enumerat miles vulnera, pastor oues.

Horat. 1. Epist. 18.

Inter cuncta leges, & percunctabere doctos:
Qua ratione queas traducere leniter æuum.

Horat. 2. Serm. 3.

Dixerit insanum, qui me totidem audiet, atque
Respicere ignoto discet pendentia tergo.

Ex Comicis Græcis.

Ἀναφαίρετον κτῆμ᾽ ἐστὶ παιδεία βροτοῖς.
Doctrina domino haud eripi suo potest.
Ἀνανδρίαν παιδεύματα ἀφαιρεῖ τρόπου.
Doctrina mores esse non sinit feros.
Βακτηρία γάρ ἐστι παιδεία βίου.
Doctrina baculus dicier vitæ potest.
Κάλλιστόν ἐστι κτῆμα παιδεία βροτοῖς.
Doctrina quauis pulchrior possessione.
Κἂν τοῖς ἀγροίκοις ἐστὶ παιδείας λόγος.
Doctrina habetur ratio vel ab agrestibus.
Τιμὴ πέφυκε πᾶσι παιδεία βροτοῖς.
Mortalibus doctrina honori est omnibus.
Ὁ γράμματ᾽ εἰδὼς καὶ φρονεῖν νοῦν ἔχει.
Satis superque literatis mentis est.
Διπλοῦν ὁρῶσιν οἱ μαθόντες γράμματα.
Vir literatus duplo acutius videt.
Ὁ γραμμάτων ἄπειρος οὐ βλέπει βλέπων.
Illiterati, quod vident, id non vident.
Καλὸν δὲ καὶ γέροντι μανθάνειν σοφά.
Est discere perhonesta res seni quoque.
Ὧν οὐδὲν ἡ μάθησις, ἂν μὴ νοῦς παρῇ.
Vbi deest mens, disciplina nil iuuat.
Ὁ σοφὸς ἐν αὐτῷ περιφέρει τὴν οὐσίαν.
Sapiens suas vbique circumfert opes.
Οὐκ ἔστι σοφίας κτῆμα τιμιώτερον.
Haud vlla res preciosior sapientia.
Σοφία δὲ πλούτου κτῆμα τιμιώτερον.
Preciosior res opibus est sapientia.
Σοφία γάρ ἐστι καὶ μαθεῖν ἃ μὴ νοεῖς.
Et discere id quod nescias, sapientia est.
Σοφοῦ παρ᾽ ἀνδρὸς χρὴ σοφόν τι μανθάνειν.
Sapiente sapiens aliquid à viro accipe.
Σοφοῖς ὁμιλῶν καὐτὸς ἐκβήσῃ σοφός.
Sapiens eris, sapientibus sæpe assidens.

Philosophicae Sententiae.

Quo quis versutior & callidior, hoc inuisior & suspectior, detracta opinione probitatis. 1. *Offic.*

Si quis omissis honestissimis studijs rationis, & officij consumit omnem operā in exercitatione dicendi, is inutilis sibi, perniciosus ciuis patriæ alitur: qui vero ita se armat eloquentia: vt non oppugnare cōmoda patriæ, verùm pro ijs pugnare possit: is mini vir, & suis, & publicis rationibus vtilissimus atque amicissimus ciuis fore videtur. 1. *de inuent.*

Quo quisque est solertior & ingeniosior, hoc docet iracundius & laboriosius: quod enim ipse celeriter arripuit, tanquam tarde percipi videns discruciatur. *Pro Ros. Com.*

Eruditus oportet semper aliquid ex se promat quod alios delectet: aut seipsum laudibus illustret. *L. Lucceius ad Cic. Fam. l. 5.*

Docti non solùm viui ac præsentes studiosos discendi erudiunt atque docent: sed hoc idem etiam post mortem monumentis literarum assequuntur. 1. *Offic.*

Si ex literis delectatio tm peteretur: tū hanc aīaduersionem humanissimā & liberalissimam iudicaremus. Nā cæteræ res, neque tēporum sunt, neque ætatum omnium, neque locorum. Hæc studia adolescentiā alunt, senectutē oblectant, secundas res ornāt, aduersis perfugiū ac solatiū præbent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscū, peregrinātur, rusticantur: qđ si ipsi hęc neque attingere, neq; sensu nostro gustare possemus: tū ea mirari deberemus, et cum in alijs videremus. *Pro Arch. Poet.*

Studijs ac literis res secundæ ornantur, aduersę adiuuantur. *Ad Lucceium 5. Famil.*

An vllum putas fieri posse ciuem egregiū, qui non sit ijs eloquentiæ artibus & bonis disciplinis eruditus? An vlla alia esse putas rudimenta, & incunabula virtutis, quibus animi ad gloriæ cupiditatem aluntur? *Racim. in Sal.*

Omnes

Omnes artes, quæ ad humanitatem pertinent, habent commune quoddam vinculum, & quasi cognatione inter se continentur. *Pro Arch. Poet.*

Omnis ingenuarum & humanarum artium doctrina vno quodam societatis vinculo continetur. *3. de Orat.*

Cæteræ artes seipsas per se tuentur singulæ. *2. de Orat.*

Cupio omnia, quæ scio, in alium transfundere: aliquidq; gaudeo discere, vt doceam: nec me vlla lex delectabit, licet sit eximia & salutaris, quã mihi soli profuturam videro. Si cum hac exceptione detur sapientia: vt illam inclusam teneam, nec enunciem, reijciam. Nullius boni sine socio iucunda est possessio. *Idem epist. 27.*

Liber cùm vna forma rem affert, & ex partibus diuersis respondet, ideo plus prodest docentem audire, quam in libris studere, quia vehementior fit impressio in mentibus audientium ex visu Doctoris & auditu, quàm ex studio & libro. *Val. lib. 8.*

Doctrinæ & eloquentiæ ornamenta in pronunciatione apta & cõuenienti corporis gestu consistunt; quibus qui se instruxerit, tribus modis homines aggreditur: aures penetrando, oculos demulcendo, & animos inuadendo. *Idem ibid.*

Numquam nimium dicitur, quod numquam satis dicitur, quibusdam remedia monstranda sunt; quibusdam inculcanda sunt. *Sen. 72. epist.*

Eligamus non eos, qui verba magna celeritate præcipitant, & cõmunes locos voluũt, & in priuato circulantur; sed eos, qui vitã docent, qui quum dixerint, qui faciendum sit, numquam in eo, quod dixerint fugiendum, deprehenduntur. *ibid.*

Idem vitij habet nimia, quod nulla diuisio, simile cõfuso est, quidquid in puluerem sectum est. *In epist.*

Quid faciendum sit, à faciente discendum est. *Epist. 9.*

Quæ nosti, sine arrogantia postulanti impertias: quæ nescis, sine occultatione ignorantiæ tibi postula impartiri. *Idem de 4. vir.*

Eum elige Doctorem, quem magis admireris quum videris, quam quum audieris. *Epist. 35.*

Omnia facta, & dicta nostra inter se congruant ac respondeant sibi, non est hic animus in recto, cuius dicta, & acta discordant. *Epist. 20.*

Quod sentimus loquamur, quod loquimur sentiamus: concordet sermo cum vita. Ille promissum suum impleuit, qui cum videas illum, & cum audias, idem est. *Epist. 45.*

Cupio omnia, quæ scio, in alium transfundere: aliquidq; gaudeo discere vt doceam: nec me vlla res delectabit, licèt sit eximia, & salutaris, quã mihi soli profuturam videro. Si cũ hac exceptione detur sapientia, vt illam inclusam teneam, nec enunciem, reijciam. Nullius boni sine socio iucunda est possessio. *ep. 27.*

In rem grauem subeunt, qui cum vrbe facunda, & docta suscipiũt inimicitias. *Plutarch. in Theseo.*

Non tantùm celerius, sed etiam perfectius imbibuntur, quæ discũtur à pueris. *Vegetius lib. 1. c. 4.*

Verborum, quæ ad felicitatem traducunt, nulla esse mortalibus satietas debet: vel si quos fortè inscitia opprimat rationis, quandoquidem eorum, quæ probè dicuntur beneficia nullo modò sunt respuenda. *Procop. de bello Goth lib. 3.*

APOPHTHEGMATA.

Thales dicere solebat, faciem componere non præclarum esse: sed bonarum artium studijs animum excolere, longè esse præclarius. *Laert. 1. c. 1.*

Idem interrogatus, quisnam esset felix? Qui corpore, inquit, sanus est, animo verò eruditus. *ibid.*

Solon, ci cum obijceretur, quod in foro conduxisset oratorem: Atqui dixit, cum habeo conuiuiũ, coquum conduco. *Ant. par. 1. ser. 50. Meliss. Max. ser. 17.*

Socrates, interroganti quodnam esset pulcherrimum animal? dixit: Homo doctrina ornatus. *Ant. in Meliss. par. 1. ser. 50.*

Idem, cum ei sermo barbarus exprobraretur: Ego quidem, dixit, barbarus sum verbis, vos autem moribus. *ibid.*

Idem, scientiam dicebat vnicum esse bonum, contra vnicum malũ ignorantiam: quod quicumque committunt rem iniustam, hoc peccant, quod ignorant quid cuique sit tribuendum: & qui fortes sunt, non alia re fortes sunt: nisi quod ea expetunt, quæ vulgus existimat horrenda: & qui intemperantes sunt, hoc errant, quod ea putant suauia aut decora, quæ minime sunt. Summum igitur bonum esse dicebat, scientiam rerum expetendarum ac refugiendarum. *P. M. l. 3. apoph.*

Idem videns hominem prædiuitem, sed plane rudem & indoctum: Hic, ait, equus est argento ornatus. Solent enim stragulis, frenis ac auro argentoq; infiniter exornari, cum tamen reuera nihil aliud sint quam equi. *P. M. lib. 8 apoph.*

Idem, cum vidisset prædiuitem quendam sed indoctum: Ecce inquit, aureum mancipium. Indoctus seruus est & cupiditatum, & eorum, quæ possidet. *Idem.*

Idem interrogatus, quid in vita suauissimum esset? respodit: disciplina & virtus, & rerum incognitarum historia: *Ant. in Melissa. par. 1 ser. 50. Max. ser. 17.*

Idem, quendam ex discipulis suis animaduertens, agri quidem esse studiosissimum, sed actionis negligentem. Heus tu vide, inquit, ne dum agrum cicurare vis: animum tuum efferari sinas. *Max. ser. 1.*

Bias, quum intellexisset, quendam ex familiaribus suis studiosè curantem, vt imago ipsius similis fieret: Tu, inquit, vt tibi similis lapis fieres, curasti: ac ipse ne lapidi similis fias, non curas. Putabat enim sapientissimus vir eos lapidibus haud absimiles esse, qui literis animum non exornarent. *ibid.*

Idem interrogatus, cuiatem se esse diceret? Cosmopolitam se dixit, totius enim mundi incolam & ciuem posse eum arbitrabatur esse, qui omnimodæ eruditionis secum reportaret thesaurum. *Cic. lib. 5. Tusc. q.*

Democritus dicere solebat, disciplinam & eruditionem fortunatis quidem ornamentum esse, infortunatis autem refugium. *Ant. par ser. 50. Melissa ser. 17.*

Idem, audiens quendam contumeliosius, quam par est, de literis loquentem: ignoras, ait, quid dicas. Literæ enim diuitibus adducũt nonnihil honestamenti, inopia laborantibus sunt asylum, & vnicum existuut vitæ præsidium. *Stob.*

Idem dicere solebat eruditionis radices esse, quidem satis amaras, fructum autem dulcissimum. Hoc dictum alij ad Socratem, referunt, sed Luscinius Democrito adscribit. *Laert. autem Platoni.*

Idem, dicebat eruditionem & doctrinam non aliter, quam aurum vbiuis terrarum in maximo solere esse pretio. *Stob.*

Idem, cum ignotus venisset Athenas, colloquio de philosophia cũ Socrate habito, dixit: Hic philosophus similis est Pentathlo: quod calleret naturalia, moralia, mathematica, adhæc disciplinas, quas ἐγκύκλιος vocant, denique omnium artium peritia. *Laert. 9. c. 7.*

Aristippus dicebat, satius esse fieri mendicum, quam indoctum, quod ille tantum pecunijs egeat, hic humanitate. Nihilominus, homo est, cui deest pecunia: at homo non est, cui deest eruditio. Et tamen cui deest pecunia petit ab obuijs: cui deest sapientia, nullum solicitat, vt accipiat. *Laert. lib. 2. c. 8.*

Idem interrogatus, in quo differrẽt docti ab indoctis? Quo, inquit, equi domiti ab indomitis. Quemadmodum enim equus indomitus ad omnem vsum incommodus est, ita quoque homo, nisi eruditione & artium studio emolliatur. *Laert. lib. 1 c. 8.*

Idem, quodam tempore cum ciuibus aliquot suis nauigans naufragio eiectus est: Quumq; in litore vidisset figuras mathematicas in arena depictas: Salua, inquit, res est, amici, hominum vestigia conspicio: & ingressus ciuitatem proximam, inuestigauit, quinam essent illic disciplinarum studiosi. Cumq; his vbi congressus est, summa cum humanitate tractarunt, non ipsum modo, verùm & comites illius, atque etiam viaticum ad reditũ subministrarunt. Tandem quum hi, qui cum Aristippo venerant, pararent reditum in patriam, rogarentq; illum, ecquid vellet suis ciuibus renunciari? Vt, inquit, studeant, sibi huiusmodi parare opes, quæ naufragio non pereunt, sed simul cum possidente enatant. Refert idem Vitruuius de Architectura libr. 6, addens, Aristippum tunc venisse Rhodum. *Laert. lib. 2. Max. serm. 27.*

Idem, percontãti qua re differret sapiens ab indocto? Mitte, inquit, ambos nudos ad homines ignotos, & videbis. Significauit, sapientem secum in pectore circumferre, quo se commendet quibuslibet. *ibid.*

Idem, cuidam percontanti qua re esset melior euasurus filius, si eũ curaret literis erudiendum? vt nihil aliud, inquit, certè in theatro non sedebit lapis super lapidem. Amphitheatra gradus habebant marmoreos, in quibus sedens populus spectabat. Lapidem autem vulgo dicebant, hominem indoctum & elinguem. *Laert. li. 2. c. 8. Brus. n. lib. 3. c. 9.*

Idem Aristippus cum ab eo, qui sibi filium commendarat, quingentas petijsset drachmas: ac is dixisset, se tanti mancipium coemere posse: Eme, inquit, & habebis duo. Sensit autem hominẽ rudem & literarum ignarum nil esse nisi perpetuum vitiorum & rusticitatis mancipium. *Plutarch.*

Antisthenes interrogatus, quamob rem diuites non irent ad sapientes & eruditos viros, sed hi ad illos? respondit, quoniam eruditi sciunt, quæ ad vitam sint necessaria, illi verò nesciunt: secus enim, sapientiæ potius, quàm pecuniæ studerent. *Antonius in Melissa par. 1. ser. 50.*

Idem rogatus, quidnam vtilitatis ex philosophiæ hausisset studio? Vt mecum, inquit, loqui, siue viuere possim. Sensit vir prudentissimus, doctum & eruditum hominem numquam esse solum, qui etiam in solitudine habet quod animo voluat, quod legat, & quasi secum loquatur. *Laert. lib. 6. c. 1.*

Diogenes rogatus, quod onus terra grauissimum sustineret? Indoctum hominem, respondit. *Max. ser. 17.*

Plato interrogatus, quidnam inter peritum & imperitum interesset? Quod inter medicũ, ait, atque ęgrotũ. *Brus. n. l. 3. c. 9. ex Stob.*

Aristoteles interrogatus, quare differrent docti ab indoctis?

Qua viui, inquit, à mortuis. Sentiens, hominem absque literis sta tuam esse verius, quàm hominem. *Laert. lib. 5. c. 1.*

Idem, illud amicis, & discipulis inter differendum frequenter solitus est ingerere: Visum accipere lumen à circumfuso aere, animam autem à disciplinis liberalibus. *Laert. l. 5. c. 1.*

Theophrastus dicere solebat, virum eruditione præclarum vbique inuenire patriam, & in alienis locis nunquam peregrinum esse. Eruditio enim cum in omni vitæ genere plurimum emolumenti adferat, non potest non vbique maximo esse in precio. *Brus. lib. 3. c. 31.*

Idem moriens accusasse naturam dicitur, quod ceruis, & cornicibus vitam diuturnam, quorum id nihil interesset, hominibus verò, quorum maximè interfuisset, exiguam dedisset: quorum ætas si potuisset esse longinquior, futurum fuisse, vt omnibus perfectis artibus, omni doctrina, hominum vita eruditetus. *Cicer lib 3. Tusc quæst.*

Glycon. doctrinam & eruditionem sacrum asylum, ad quod omnis generis homines concurrerent, esse dixit. *Max fer 17.*

Metrocles dicebat res alienas pecunia comparari, vt domum vestémque: sed disciplinas liberales emi tempore. Requirunt enim diuturnum studium, quum pecunia data statim fias possessor fundi. *Laert. lib. 6. c. 6.*

Cleanthes dicebat, homines imperitos sola forma differre à bestijs. *Anton. in Melissa, par. 1. ser. 50. & Max serm. 27.*

Stilpon Philosophus rogatus, quid statua durius esset? homo doctrinæ expers, & stolidus, dixit. *Stob. ferm. 4.*

Themistocles, expletis centum & septem annis, in ipso mortis agone dixisse fertur, se omnes ætatis dies literarum honestissimo, ac philosophiæ sacratissimo studio consumpsisse, ad hominum vsum: verùm se dolere, quod tunc egrederetur de vita, quando ex literarum studio sapere cœpisset. *Brus. lib. 3. c. 31.*

Demades dicere solebat, doctos ab indoctis tantùm differre, quantum D j ab hominibus. *Anton ferm. 50. par 1. Meliss.*

Antipater Cyrenaicus, cum ex assiduo literarum studio oculorum aciem amisisset, & suam cæcitatem à mulierculis defleri audiuisset, Quid agitis, inquit, an vobis nulla videtur voluptas nocturna? *Brus. lib. 3. c. 31.*

Hieron interrogatus, quid esset à philosophia adiutus? respondit: Vt libenter, & iniussus faciam, quæ cæteri legum metu faciunt. *Max. ferm 57.*

Alexander Aristotelis Philosophi discipulus, tanti fecit bonarum, & laudatissimarum artium studium, vt aperte pronunciare ausus sit, malle doctrina anteire alios, quàm opibus, & dignitate. *Brus. lib. 3. c. 35.*

Cornificia regnante Octauiano Cæsare illustris, dicere solitæ est, solam doctrinam liberam esse, in quam fortuna tela sua figere nõ posset. *Guido Bituricensis, tit. de Memoria.*

C. Cæsar. Iunium Syllanum pronepotem Augusti, quia segnis ingenio, minimè acuto esset, pecudem auream appellabat. *Corn. Tac. l. 13.*

Theodosius, cum Arsenio viro doctissi no filios in disciplinam tradidisset, sempiterna memoria dignum, & vere imperiale illud verbum proloquutus est: Si tales se præbituri essent, vt mores vitàque suam ad disciplinam, & leges Dei componerent, propensum se fore, vt eis Imperium in manus traderet, ad ciuium, & subditorum commodum, & vtilitatem accommodatum: sin minus conducibilius esse, vt sic priuati vitam agerent, quàm doctrina nulla cũ periculo imperarent. *Niceph. Callist. l. 12. c. 23. Eccles. Hi l.*

Carolus Quartus, in scholam Pragensem aliquando ingressus, cum disputantes liberalium artium magistros per horas quatuor audiuisset, idque purpurati molestè ferrent, ac cœnæ tempus adesse dicerent: mihi, inquit, tempus est minimè, nam cœna mea hæc est. Prætulit autem Imperator pote tissimus philosophicas disputationes, conuiuijs etiam delicatissimis. *Æneas Sylu. lib 4. comment. in res gestas Alphons.*

Sigismundus Imp. cum à principibus, qui literas oderant, reprehenderetur, quod homines obscuro ge ere natos ob literarum commendationem foueret? Quid ni, inquit, amem eos, quos natura cæteris antecellere voluit? Alij plurimum tribuunt generis nobilitati, at Cæsar, vir prudens, intellexit, in eruditis esse quiddam stemmatis præstantius, illi habent atrium parietes clypeis, & imaginibus depictos, hi animum optimis disciplinis exornatum. Porrò vt natus animus præstantior est corpore, ita ornaméta ingenij longè pulchriora sunt cæteris bonis. *Iacobus Spieg. in Æneam Sylu.*

Ladislaus, quamuis adhuc puer, cum eo tempore, quo Fridericus Imperialibus infulis à Nicolao V. Pont. Max. cingeretur, Romæ esset, non videri sibi homines esse dicebat, qui bonas literas ignorarent. Sensit autem, hominem tum demum a brutis animalibus differre, si animum honestis artibus liberalibusq; disciplinis excoluerit. *Æneas Sylvius l. 3. comment de Alph. reb. gest.*

Alphonsus rex, optimos consiliarios esse mortuos dicebat, libros videlicet designans, à quibus sine metu, sine gratia, quæ nosse cuperet, fideliter audiret. *Panor. lib. 3 de reb. gest. Alphonsi.*

Idem, cum audisset nonnullos Europæ reges ad Basileense Concilium destinasse oratores potentes, & progenie illustres magna cum equorum, & comitantium pompa, H ud decere aiebat, quum de iure humano & diuino disceptandum esset, nobilitaté potentiam e ractare, sed doctrinam & scientiam. *Panorm. lib 2. de reb. gest. Alph.*

Idem tantopere amauit bonarum artium studia, vt persanctè affirmaret, se malle perdere, quæ posside bat omnia, quam vt tantillum eruditioni decederet sibi. *Panor lib. 1. de reb Alphonsi, & Æneas Sylu. de ei s dictis.*

Idem, aliquando interrogatus, verumne armis an libris maiorem gratiam deberet? respondit, ex libris se arma, & armorum iura didicisse. In fine is, se libris acceptum referre, quæ sciret omnia. *Panor. l. 4. de reb. gest. Alphonsi.*

Idem, cum eruditissimus esset, tanti faciebat bonarum artium studia, vt diuitem fine cultu literarum aureum vellus appellare solitus fit. *Idem Panor. lib. 3.*

Idem, audiens quendam H sp niæ regẽ dixisse, non decere principes viros scire literas: exclamauit, eã vocẽ bouis esse, non hoĩs. Nõ enim ignorauit, quantũ pro sit imperantibus artibus liberalibus, & philosophiæ studijs probè esse instructum. *P. M. l. 6. apoph.*

Iuliano Cardinali, qui Basileẽsi Concilio interfuit, in Bibliotheca le ctitanti, cum Orator quidam dixisset? Quid hic inter mortuos solus latitas? cur nõ potius exis ad nos, qui suauiter viuimus? Imo, Iulian 18 inquit, hi sunt viui, tu vero neque nomine, neque re viui. Sensit autem cum Diogene, vitam sine literis mortem esse. *Æn Syl l. 3. de reb. ge t. Alph.*

Sigismundus Imp. Georgius Fitellus cum esset LL. Doctor, à Sigismundo Cæsare equestris militiæ insigna suscepit. Exin, cũ Basileensem synodũ adisset, consultante de rebus arduis Sigismundo, dubius erat, legumne Doctoribus in vnum locum coniunctis, an equitibus, tem in alium separatis, sese coniũgeret. Cumq; tandem ad equites inclinaret: Stulte agis, inquit, Sigismundus, qui literis militiam præfers. Nam ego milites mille vna die fecerim, Doctorem vnum mille annis non fecerim. Doctrinam militiæ prætulit Imperator, quod vt ij se linguarum ac literarum peritiam amauit, ita viros eruditos præstantes semper ornare & prouehere studuit. *Æneas Syl l. 4. com. in res gestas Alph.*

Aristippus, naufragio eiectus ad Rhodiorum littus, in gymnasium venit, deq; philosophia disputauit, & plurimis muneribus donatus est. Dicentibus verò comitibus, qui de reditu in patriam engitabant, Num quid suis nunciari vellet? iussit dicere, eiusmodi possessiones, & viatica liberis oportere parari, quæ etiam cum naufragio possent vna enatare. *Vitruuius lib. 5. sed Laert. ad Antisthenem refert.*

Antisthenes admonebat, ea esse paranda viatica, quæ simul cum naufragio coatarent. Sentiens, bonas artes vbiuis gentium fore in magno precio, nec posse vlla fortunæ tempestate eripi. *Laert. l. 6 c 1. Max. ser. 57.*

Diogenes eruditionem omnibus hoc sermone commendabat, quod diceret eam iuuenibus adferre sobrietatem, senibus solatium, pauperibus diuitias, diuitibus ornamentum: propterea quod ætatem, suapte sponte lubricam, coerceat ab intemperantia, senectutis incommoda honesto solatio mitiget, pauperibus sit pro viatico (non enim egent eruditi) diuitum fortunas ornet. *Laert. l. 3. c. 31.*

Idem, cum ei capto latrones malignè cibum præberent, ipse nec præsenti fortuna, nec illorum inhumanitate deterritus, dixit, iniquissimum esse, cum porcelli agniq; venales saginentur diligentius, hominem præstantissimum animal inedia enecari, quasi hoc pacto non redderetur vilior. Itaque acepto quantum sat erat, cum iam esset vendendus, inter cæteros sedit, & prandebat bono animo, impertiens etiam proximus. Cumq; vnus ex his valde moestus cunctantes sumeret: Desine, inquis, tristari, & vtere præsentibus.

> *Nec formosa cibum Niobe non sumpsit, & eius*
> *Pignora sub tectis lethobis sen a iacebant,*
> *Sex nata, totidem pubentes corpore nati*

Philo Iudæus lib. Quod omnis probus liber.

Idem, captus à latronibus, & iam vendendus, interrogabatur à licitatoribus, cuius conditionis homo esset? & quid sciret præ cæteris? respondit philosophus sum, & hominibus præesse scio. Qua voce prodebat ingenium generosum, vereq; regium animum. Qui verò iussus esset surgere, vt de corporis statura emptor rectius iudicare posset: Quid, inquit, si piscem emeres? num eum iuberes manere erectum. *Plut. & Philo lib. sup. citato.*

Aristoteles dicebat, eruditionem in prosperis esse ornamentum: in aduersis refugium. *Laert. l. 5. c. 1.*

Stilpo, capta patria, amissis liberis, amissa vxore, cum ex publico incendio solus, & tamen beatus exiret, interroganti Demetrio, cui cognomen ab exitio vrbium Poliorcetes fuit, num quid perdidisset? Omnia, inquit, bona mea mecum sunt. Ecce vir fortis ac strenuus ipsam hostis sui victoriam vicit. &c. *Seneca epist. 9. ad Lucil.*

D em-

Dionysius iunior pulsus à tyrannide, & rogatus, quid illi Plato & philosophiæ studium profuisset? Vt tantam, inquit, fortunæ mutationem æquo animo feram. *Plut.*

Diogenes, videns cantorem quendam vecordem, ac moribus incompositis, aptare psalterium: Non te tui pudet, inquit, qui sonos ligno aptare noris, vitam verò ad rectam rationem componere nescis? *Laert. l.6.*

Idem, cum in Stoicorum gymnasium retrorsum incederet, ridentibus omnibus: Non vos, inquit, pudet viuendi iter facere retrogradum, mihi verò deambulando tantum id facienti vitio dare? *Stob. serm. de impud.*

Cleanthes Peripateticis dicebat idem accidere, quod lyris, quæ cum alijs bene sonent, seipsas non audiunt. Sentiens omnium illos, licet alijs verbis, idem docere, quod Stoicos, & tamen ipsos id nõ animaduertere. Potest & ita interpretari. Peripateticos præclare docere, sed eorum vitam a doctrina dissidere. *Laert. lib.7. c.2.*

Idem, quum quidam Arcesilaum reprehendisset, quod officia vitæ tolleret: Cleanthes Arcesilaus assistens: Desine (inquit) hominem vituperare. Nam ille, licet dictis tollat officia, tamen factis commendat. Notauit hoc dicto philosophos, & turpissimum esse philosopho indicauit, secus docere, quàm viuere. Si vita proba est, cur docet diuersa? si doctrina sana est, cur secus viuendo eam refellit? *Laert. lib.7. c.2.*

Cleomenes, audiens quendam de fortitudine disputantem, interrogatus: Quidnam de disputante iudicaret? Ineptum est, inquit, nequam de fortitudine magnificis vti verbis, qui ipse nihil fortiter gessit vnquam. *Plut. in Lacon.*

Anonymus, quum apud Athenienses agerentur Panathenæa, Attici senem ludibrio habuere, inuitantes, tanquam admissuri: cæterum vbi venisset, non admittentes. Verum iam perambulatis ferè omnibus, tandem ad Lacedæmonios senatores quum venisset, omnes è sedilibus assurgentes, locum illi cesserunt. Eo facto delectatus populus plausu, multisq. aliis significatione comprobauit. Inter hæc è Spartanis quidam dixit: Per Geminos, norunt Athenienses, quæ sint honesta, at ea non faciunt. Apud Athenienses maximè florebat philosophia, quæ docet, quid turpe, quid honestum. Spartani non recipiebant eiusmodi disciplinas, sed ex institutione maiorum, virtutem factis ac moribus præstabant. Ita factum est, vt apud Athenienses essent verba philosophiæ, apud Lacones ipsa res. Admonet Apophthegma, turpissimum esse scire, quid deceat, & tamen diuersa sequi. *Plut. in Lac.*

APOPHTHEGMATA.

Ciceronis. Vt equos propter crebras contentiones præliorum ferocitate exultantes, domitoribus tradere solent, vt ijs facilioribus possint vti: Sic homines secundis rebus effrenatos, sibi præfidentes in gyrum rationis & doctrinæ duci oportet, vt perspiciant rerum humanarum imbecillitatem, varietatemq. fortunę. *Lib. 1. Offic.*

Seneca. Cibus innatans stomacho onus est, non cibus: idem mutatus, in vires & sanguinem transit: Sic quæ legeris, si solida durant in memoria, aliena manent; si abeunt in ingenium, tum reddunt eruditiorem.

Vt è diuersis vocibus constat chorus: Ita variarum disciplinarũ mixtura constat eruditio.

Plinij. Terra, quæ gignit salẽ, nihil aliud gignit: Sic ingenia fęcunda in literis, in cæteris fere rebus non perinde valent. *lib. 31. cap. 7.*

Vt laurus tota viret perpetuo: Ita doctrinæ fama non senescit, neque marcescit. *lib. 13. c. 30.*

P. M. Vina vasis infusa è taxo factis mortifera sunt: Ita salutaris alioquin eruditio, si inciderit in hominem pestilentem, morbus illius redditur noxia. *in simil.*

Vt gemma minutula quædam res est, sed ingentibus tamen saxis anteponitur: Sic homo pusillus, sed ingenio valens: aut sic philosophia seu virtus ostentatione minimum quiddam est, sed pretio maximum. *in simil.*

In ludo sphæræ simul discunt & mittere & excipere commode: At in doctrina prius est bene accipere, quam mittere, quemadmodum concipere, prius est quam parere. *in simil.*

Vt qui hircosi sunt grauius olent, quum se vnguentis obleuerint: Ita fœdior est nequitiæ fama, si eam doctrinæ celebritas reddat magis conspicuam, latiusq. traducat in hominum fabulas. *ibidem.*

Basilij. Quamobrem sint aures vestræ dociles, molliter admittentes admonitiones, cedantq; doceri, vt cera ei, qui sigillum imprimit. *Homilia in fame, & siccitate habita.*

Thimeri. Magni viri potuerunt subinde hostem vincere, & tamen nequibant ciuitatem administrare: Ita eximijs fere innatum est ingenijs, vt illorum virtus in magnis quidem rebus superet, in paruis cesset. *in apoph.*

Multo plures arrident flores, quam promittuntur, aut sequuntur fructus: Et multo plures inuenies eleganter literatos, quam grauiter doctos. *apoph. 102.*

Chrysostomi. Quemadmodum dux, nisi antea miles optimus fuerit, ne dux quidem esse aliquando poterit: Ita & Doctorem prius oportet docere seipsum. *in 1. ad Tim. hom. 3.*

Nazianzeni. Vt corporibus non idem medicamentum adhibent omnes, sed alij aliud, siue valentes, siue ægrotantes: Sic & animas diuersa ratione & institutione curabimus: atque huius curationis testes sunt, qui & perturbationibus animi alios naturalis enim ducit oratio, alij exemplis excitantur, & corriguntur: alij calcari, alij freno egent, alij sunt segnes, & difficulter ad honesta incitantur, alij supra modum calẽt, etiam appetitionibus effrenatis, &c. *Apud Ant. in Meliss. par. 2. serm. 2.*

Plutarchi. Si quis in vetres vasis infundere boni, ventum atque aerẽ amoueas oportet: Sic fastum ac tumorem eximas oportet ab animo eius, quem velis docere. *in Moral.*

Plinij. Vt salicis semen ante maturitatem abiectum non solum ipsum nihil gignit, verum etiam fœminis sterilitatis est medicamentũ, hoc est, efficit ne concipiant: Ita sermones istorum, qui prius docent, quam verè sapiant, non solum ipsos non reddunt meliores, verum etiam auditores suos inficiunt, & reddunt indociles. *lib. 16. c. 27.*

Niceph. Gregora. Ociosa disciplinarum tractatio, quàm libri suppeditant, siue illa tenuior, siue copiosior sit, organico similis est corpori animam desideranti, quæ per sensuum experientiam accedat: aut etiam varijs ciborum generibus in ventrem congestis comparari potest, qui calorem ad concoquendum postulant. Nã exempla eorum in promptu sunt, qui inani tranquillitatis studio in vmbra & otio omnes animi vires eneruarunt, atque ita effœminarunt, vt nec dicere, nec agere quicquam publicè auderent. *Hist. lib. 8.*

Timineri. Pictor primum protrahit ipsas lineas, deinde efformat diligenter singulas particulas: Ita & in disciplinis primum oportet rudiτer argumenta accipere, deinde singulorum rationes inquirere. *in apoph. 103.*

Qui vestem ad solem explicat, omnem implicitam labem facilè notat. Et qui alios docet, promptè intricatos errores deprehendit. Proinde nemo potest multa scire, nisi qui multa consueuit docere. *in apoph. 106.*

Res, quæ procul ostenditur, fere alia apparet, quam reuera est: Sic fere falsa sunt, quæ non nisi ambiguis & procul possint doceri rationibus. *in apoph. 136.*

ADAGIA.

Apertæ Musarum ianuæ. ἀνεῳγμέναι Μουσῶν θύραι.

Hoc adagio conueniet vti, quoties aliquem facili promptoq; ingenio significabimus, & ad percipiendas optimas disciplinas celerem.

Bos alienus subinde foras prospectat. βοῦς ἀλλότριος τὰ πολλὰ ἔξω βλέπει.

De ijs, qui apud alienos non satis ex animi sententia tractantur, eoq; sapiunt suos desiderant.

Adhortantes ad gloriam.

Quum hortabimur ad immortalem gloriam egregijs parandam factis, non inconcinniter adhibemus illud carmen, quod M. Tullius aliquot vsus est locis.

Ἄλκιμος ἔσσ', ἵνα τίς σε καὶ ὀψιγόνων εὖ εἴπῃ.

Id est.

Strenuus esto, quo te posteritas quoque laudet.

Extat apud Homerum tum alias, tum Odyss. α. Sic enim Pallas in specie Mentoris adhortatur Telemachum ad virtutem, aliorum illustrium Heroum exemplo.

Καὶ σὺ φίλος (μάλα γάρ σ' ὁρόω καλόν τε μέγαν τε)
Ἄλκιμος ἔσσ', ἵνα τίς σε καὶ ὀψιγόνων εὖ εἴπῃ.

Tu age (quando te video magnumq. bonumq.)
Strenuus esto, vti te & postera prædicet ætas.

Modis omnibus incitat.

Vbi quis modis omnibus animum alterius sollicitat, nunc precibus, nunc iurgijs, nunc minis: vsurpare licebit illud de Automedonte dictum, & equis Achillis.

Πολλὰ μὲν ἂρ μάστιγι θοῇ ἐπεμαίετο θείνων,
Πολλὰ δὲ μειλιχίοισι προσηύδα, πολλὰ δ' ἀρειῇ.

Id est.

Multum illi subditaq. cita celerare iubebat.
Multum idem blando affatus, multumq; minatus.

EXEMPLA BIBLICA.

Docilitatis exempla: Populus Israeliticus. *Nehem 8. v. 4. 5.* Multitudo. *Luc 8. 4. & 21. 38. Act. 2. ver. 6. 8. 16. 17.* Thessalonicenses, *1. Thess. 2. 13.*

HISTORICA EXEMPLA.

Epicurus Atheniensis tanto studio discipulos exercebat, vt etiam memoriter tenerent ipsius scripta. *Laert. lib. 10.*

Arcesilaus Pitanæus vt doctissimus erat, & in docendo promptus atque diligens: ita etiam in communicandis rebus suis mire facilis. *Laert. l. 4.*

Zenonanus monachus, quamuis cœcus esset, tam sedulo circuiuit orans, docens, confirmans, reprehendens. *Theodoretus l. 4. c. 28.*

Asclepius

Asclepius Afer in Baiensi territorio parui vici Episcopus, in docendo extemporanea facultate prædictus erat, circa annum Domini 440. sub Theodosio iuniore. *Gennadius in Catalogo suo.*

Bartolus quinquennium consumpsit integrum in prælectione legis, de ætate, ff. de minorib. *Richardus in eius vita Consule titulum Apophteg.*

EMBLEMATA.

Andreæ Alciati Emblema XCVI.

Moris vetusti est, aliqua professoribus
Super addere cognomina.
Faciles apertosq; explicans tantum locos,
Canon vocatur Curtius.
Reuoluit qui eadem, & iterat qui nimis
Meander, vt Parisius.
Obscurus & confusus, vt Picus fuit,
Labyrinthus appellabitur.
Nimis breuis, male ampliuans, vt Claudius,
Mucronis agnomen feret.
Qui vel columnas voce erumpit, Porpulus,
Dictus truo est Scholasticis.
Contra est vocatus, tenuis esset Albius
Quod voce, vespertilio.
At vltimas mutilans colobotes syllabas,
Hirundo Crassus dicitur.
Qui surdus alijs solus ipse vult loqui,
Vt sturnus in prouerbio est.
Hic blæsus, ille rauca, est garriens
Hic sibilat ceu vipera.
Tumultuatur ille ructu & naribus,
Hunc lingua terebellam facit.
Singultat alius, atque tussit hæsitans:
At conspuit alius, vt phocas.
Quam multa rebus vitia in humanis agunt,
Tam multa surgunt nomina.

Doctos doctis obloqui nefas esse.

Emblema CLXXIX.

Quid rapis heu Progne vocalem sæua cicadam,
Pignoribusq; tuis fercula dira paras?
Stridula stridentem, vernam verna, hospita lædis
Hospitam, & aligeram præmigeo alas auem?
Ergo abijce hanc prædam: nam musica pectora summum est
Alterum ab alterius dente perire nefas.

DOLOR.

DEFINIT. ET ETYMOLOG.

Dolor, Græcè ἄλγημα, τὸ, & ἄλγος, doleo dicitur. Est autem dolor motus asper in corpore, & sensibus alienus, *secundum. Cic. lib. 2. Tusc. q.*

Dolor est ægritudo crucians. *secund. eundem l. 4. Tusc. q.*

Dolor est offensio animæ ex carne, & quædam ab eius passione dissensio, *secund. Aug. l. 14. de Ciuitate Dei.*

Dolor est passio animæ in appetitu sensitiuo, vel intellectiuo, *secund. D. Thom. 1. 2. q. 35. art. 1.*

Dolor dicitur a dolando. Est enim dolare, siue edolare, minuere. Et est fabrorum, cum materiæ complanatur asperitas: vnde dolatus, id est, læuigatus. *Iuuenalis: Dolato confisus ligno.* Et dolabra instrumentum, quo dolantur, id est, explanantur ligna. *Iuuenalis: Si lentus pigra muniret castra dolabra.* Ideoque dicitur dolor: quia sicut lætitia augentur corpora, ita dolore minuuntur.

Dolor Heb. *Deabah*, Iob 41. 14. à verbo *Daab*, tabuit, elanguit, Psal. 88. 10. Ier. 31. 25. A *Caab*, doluit, quod cognationem habet cum Bacah, fleuit, oritur Chieb (pron. Kieb) & Machob, i. dolor, cruciatus ingens, lachrimas seu vagitus exprimens, dolor asperrimus. Messias appellatur vir *Micaboth*, i. dolorum, *Esa. 53. 3.*

SENTENTIAE PATRVM.

Communio, & societas luctus solatio est dolenti. *Nazianzenus.*

Qui peregrinationem propriam diligit, dolores etiam inter dolores nescit. Iusti autem verba dolore sunt plena: quia quousque præsentia tolerat, ad aliud loquendo suspirat. *Gregor. lib. 7. Moral.*

Mitigat vim doloris considerata æquitas ferientis. *ibid.*

Tanto quisque perfectior est, quanto perfectius sentit dolores alienos. *ibid.*

POETICÆ SENTENTIÆ.

Claud. de Bello Getico.

Semperq; vicissim.
Gaudia præmissi cumulant inopina dolores.

Sen. Theb.

Sed effrene mentem, pectus antiquum aduoca,
Victasq; magno pectore ærumnas doma.
Resiste: tantis in malis, vinci malum est.

Polyanthea Noviss.

Ibidem.

Pauca, ò parens magnanime, miseranda precor.
Vt verba nata mente placata audias:
Non te vt reducam veteris ad specimen domus,
Habitumq; regni flore pollentem inclyti,
Peto, aut vt iras tempore, aut ipsa mora
Fractas remisso pectore ac placido feras.
Et hoc decebat roboris tanti virum,
Non esse sub dolore, nec victum malis
Dare terga, non est vt putas virtus pater
Timere vitam, sed malis ingentibus
Obstare, nec se vertere, ac retro dare.

Val. Flacc 3.

Bis Zephyri iam vela vocant, fiducia mœstis
Nulla viris, ægro assiduè mens carpitur æstu.
Ipse etiam Æsonides, quamquam tristissima rerum
Castiganda docet, vultuq; premenda sereno.
Dulcibus indulget lachrimis aperitq; dolorem.

Tibull. 3. 2.

Non ego firmus in hoc: non hæc patientia nostro
Ingenio: frangit fortia corda dolor.

Ouid. 5. Trist. 1.

Strangulat inclusus dolor, atque cor æstuat intus,
Cogitur & vires multiplicare suas.

Sen. Agam.

Magis exurunt, quos secreta lacerant cura.

Ouid. 4. Trist. 3.

Fleq; meos casus: est quædam flere voluptas,
Expletur lachrimis, egeriturq; dolor.

Sen. Troad.

Arbitrio suo
Implere lachrimis fletus: ærumnas leuat.

Ouid. 1. Amor.

At tu ne dubita, minues vindicta dolorem.

Sen. Troad.

Leuis est dolor, qui consilium capere potest.

Iuuenal. 13.

Quandoquidem accepto claudenda est ianua damno,
Et maiore domus gemitu, maiore tumultu
Planguntur nummi, quam funera, nemo dolorem
Fingit in hoc casu, vestem diducere summam
Contentus, vexare oculos humore coacto,
Ploratur lachrimis amissa pecunia veris.

Ouid. 5. Trist. 5.

Dij facerent vtinam talis status esset in illo,
Vt non tristitiæ caussa dolenda foret.

Virg. 4 Georg.

Septem illum totos perhibent ex ordine menses
Rupe sub aerea deserti ad Strymonis vndam
Fleuisse, & gelidis hæc euoluisse sub antris:
Mulcentem tigres, & agentem carmine quercus:
Qualis populea mœrens philomela sub vmbra,
Amissos queritur fœtus: quos durus arator
Obseruans nido implumes detraxit: at illa
Flet noctem, ramoq; sedens miserabile carmen
Integrat, & mœstis latè loca questibus implet.

Ouid. 8. Met.

Non mihi si centum Deus ora sonantia linguis,
Ingeniumq; capax, totumq; Helicona dedisset.

Martial. 1.

Non luget quisquis laudari, Gellia, quærit,
Ille dolet verè, qui sine teste dolet.

Ouid. Epist. 25.

Et lachrima deerant oculis, & verba palato,
Adstrictum gelido frigore pectus erat.
Postquam se dolor inuenit, mea pectora planxi,
Nec puduit ruptis exululare comis,
Non aliter quàm si nati pia mater adempti
Portet ad extructos corpus inane rogos.

Idem 2. Trist. 5.

Mens tamen ægra manet, nec tempore robora sumit,
Affectusq; animi, qui fuit ante manet.
Quiq; mora spacioq; pio coitura putaui
Vulnera non aliter quàm modò facta dolent.
Scilicet exiguis prodest annosa vetustas:
Grandibus accedunt tempore damna malis.

Idem 2. Pont. 7.

Iam dolor in morem venit meus: vtq; caducis
Percussu crebro saxa cauantur aquis:
Sic ego continuo fortunæ vulneror ictu,
Vixq; habet in nobis iam noua plaga locum.
Nec magis assiduo vomer tenuatur ab vsu,
Nec magis est curuis Appia trita rotis:

Pectora quàm mea sunt serie calcata malorum,

Idem 5. Pont. 4.

Vtq; reformidant insuetum lumine solem:
Sic ad lætitiam mens mea segnis erat.

Plaut. Mil.

Cor miserum meum quidem guttatim contabescit,
Quasi in aquam indideris salem.

Homer. Iliad. ω. id est, 24. lib.

Δοιοὶ γάρ τε πίθοι κατακείαται ἐν Διὸς οὔδει
Δώρων, οἷα δίδωσι κακῶν, ἕτερος δ' ἑάων.
Ὧ μέν κ' ἀμμίξας δώῃ Ζεὺς τερπικέραυνος,
Ἄλλοτε μέν τε κακῷ ὅ γε κύρεται, ἄλλοτε δ' ἐσθλῷ,
Ὧ δέ τε τῶν λυγρῶν δώῃ, λωβητὸν ἔθηκε.
Καί ἑ κακὴ βούβρωστις ἐπὶ χθόνα δῖαν ἐλαύνει.
Φοιτᾷ δ' οὔτε θεοῖσι τετιμένος οὔτε βροτοῖσιν.
Bina Iouis summi dicunt in limine dudum
Vasa, quibus, ortem Deus ipse emittere vtramque;
Illo miser cui sors fati contingit amara.
Heu quantos etiam gemitus, quàm dura videbit
Exitia, atque omnem mixtam mœroribus atris
Vitam aget: hunc homines odere superique sequentur.

Metrodorus.

Πρᾶγμ' ἐστὶν ἐπὶ πόνοιν προσδοκᾶν.
Difficile in laboribus expectare.

Ex Comicis Græcis.

Ἀεὶ τὸ λυπεῖν ἀπόδιωκε τοῦ βίου.
Semper procul mœrorem à vita pellito.
Ἀεί ἐστι συγγενές τι λύπη καὶ βίος.
Tristitia vita cognata est mortalium.
Βιοῦν ἀλύπως θνητὸν ὄντ' οὐ ῥᾴδιον.
Expers doloris nulla vita viuitur.
Λῦπαι γὰρ ἀνθρώποισι τίκτουσιν νόσους.
Ærumna morbos ad fert mortalibus.
Τὸ ζῆν ἀλύπως ἀνδρός ἐστ' εὐτυχοῦς.
Caruisse tristitia fœlicis est viri.

Euripides in Oreste.

Οὐκ ἔστιν οὐδὲν δεινὸν ὧδ' εἰπεῖν ἔπος,
Οὐδὲ πάθος, οὐδὲ συμφορὰ θεήλατος,
Ἧς οὐκ ἂν ἄραιτ' ἄχθος ἀνθρώπου φύσις.

Hoc modo vertit Cicero.

Nulla est tam difficilis fandi ratio,
Non sors, nec ira, nec tam inuictum malum,
Quod non natura hominis patiendo ferat.

Euripides apud Anton. Serm.

Οὐκ ἔστιν εὑρεῖν βίον ἄλυπον ἐν οὐδενί. κ.τ.
In nullo reperies vacuam dolore vitam.

Menander Comicus.

Μηδὲν πράττων κακῶς, λίαν ἀθυμήσῃ ποτέ.
Nihil vnquam infeliciter gerens, etiam quandoque dolebis.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Francisc. Petrarch.

De dolore iliaco. DIAL. CXIII.

DOL.

Iliacum patior dolorem. R. Sperare incipe, quandoquidem quod iā tristius metuas nil est. Sicut autem ad extrema gaudij peruenisse principium est doloris: sic extremitas doloris principiū gaudij sit oportet. Contrariorum hæc est lex. Alterum ex alterius fine oritur. D. Dolore torqueor iliaco. R. Spes est, fateor, acerba solatij, nil acerbius pati posse. D. Iliaco crucior dolore. R. Qui doler, ac metuit, ille miser est, vndique sibi pars altera miseriæ metus eripitur. Nam quid, oro, metuat, qui ipsam, quæ ab omnibus, præq; omnibus metuitur, mortem sperat? D. Iliaco dolore discrucior. R. Disce viuens mori, quodq; nō nisi semel fit, sæpius experire, facies securus tandem semel, quod tam sæpè tentaueris, nihil enim noui facies, simillimus dolor iliacus morti est, nisi q̄d mors facilior breuiorq;, vt qui hunc fortiter tulit, nisi metas alter inueniat, multo illam fortius sit laturus. D. Dolore rumpor iliaco. R. Magnitudo ipsa doloris finem spondet. Nemo enim diu moritur. D. Quid quod dolor extasim parit? R. Longos febrium dolores breui transfigis suspirio. D. Aduentare extasim intelligo. R. Vix id quidem intelligere est. Nam & repente aduenit, & præsens intellectum viribus suis priuat. D. Linqui animo incipio. R. O fœlix, qui rem necessariam (vtque aiunt) durissimam sine sensu sis obiturus. D. Sæpè extasim incurro. R. Sæpè mortuus reuiuiscis. D. Sæpe extasim mortiferam experior. R. Hanc plus quàm semel experiri nequis. Nemo enim plusquam semel moritur, quod autem optimum mortis genus esset, inter doctos ac præclaros viros aliquando quæsitum est: vbi Iulius Cæsar interfuit summus vir, & imperio, & doctrina, qui & ipse tempore extremo, vt de illo scriptum est, repentè linqui animo solebat, quā quæstionem ille sic absoluit, vt repentinum interitum commodissimum definiret: quæ sententia, etsi pietati, veræq; religioni fortassis asperior videatur, sic tamen & cuilibet sapienti, & præsertim pio verèq; religioso, viuendum est, vt sibi nil repentinū, aut subitum accidere possit, & si quid tale incidat animo, celeritas ipsa noceat, & prosit corpori.

De toto corporis dolore. DIAL. CXIV.

DOL.

Toto corpore langueo. R. Si non languet hospes corporis animus, bene est, quidquid tuguriolo suo eueniat, saluus eruperit. D. Toto corpore crucior: ingens malum. R. Stoici vnum in rebus omnibus humanis bonum dicunt virtutem. Et quamuis alij aliter, hæc verior tamen, vtiliorq; sententia visa est: cui consequens est vnumquodque, quod huic bono obijcitur, malum esse vitium, quo fit, vt dolor corporis molestissimus sit, malum tamen vtiquo non sit. D. Hei mihi misero, ego torqueor, tu disputas, philosophicæ fabellæ. R. Iure te miserum dicis, vel hoc ipso, quod humanæ vitæ regulas fabellas vocas. D. Sonora hæc in scholis, famosa per libros, sed nec aculeos, nec ægrotantium ascensura grabatulos: dicuntur, scribunturq; facilius, quam probantur. R. Immo verò, & ad dolorem, & ad ægritudinem, & ad mortem prosunt, sed non omnibus, quippe quę non omnibus insidere pectoribus, & profectò quibus credita non sunt, salubria esse non possunt. D. Heu ego crucior, tu disputas. R. Iste tuus dolor necessario aut lentus erit, aut intensus, atque ita vel facilem, vel breuem patientiam requirit. D. Heu mihi, summo crucior dolore. R. Si summus, nempe breuis est dolor, parce gemitibus, aut fugiet, aut fugiat est necesse. Sit vtriusque libertas in foribus. Interim forti animo ferre mortalia speciosum, ac vtile est. D. Speciosum dictu fateor, factu ne possibile quidem reor. R. Non impossibilitas rerum est, sed mollities hominum, quæ virtutis innumeros desertores fecit, & faciet, dum omne difficile tamquam impossibile respuitur, virtus perijt, cuius materia difficultas quidem, sed honesta est. D. Sumus homines, non dij, & moribunda corpuscula vim doloris ferre non valent. R. Fragilia corpora humana non negem, sed non vsque adeo, quin vsque ad tolerantiam omnis aduersi sat virium habitura sint, nisi maior multò esset infirmitas animorum. Illa est, quæ à viro indignos eiulatus, & muliebres, atque humiles voces elicit. Quid est enim, oro te, cur impossibile homini censeas, quod sæpè olim, & potuisse vides hominem, & fecisse? D. Heu mihi, rursus ad historias vocor, & in medio dolorum æstu, vix præsentium, vix mei ipsius memor in memoriam protrahor antiquorum. R. An non ergo clarorum recordatio virorum, qui similia fortiter passi sunt, magnum affert in omni rerum asperitate solatium, & lenimen? D. Sed ad imitandum rarissimos, hortatis gloriosa, sed alta nimium, & præq; hominem. R. Quid supra hominem dicis, non Deorum tibi, sed hominum rationes, hominumq; exempla proponimus. D. Hominū fateor, sed paucorum, estq; vltima, & exacta raritas nullitati proxima. Non multum inter phœnicem, & Chimæram interesse dixerim. Illos sequor, qui Chimæram nihil esse volunt, apud alios namque Siciliæ mons est. R. Quasi verò imitandus tibi proponatur phœnix, & non acies virorum, quæ quo rarior, eo dignior, cui similis fieri velis, quisquis raros sequi negliget, rarus esse vir non poterit. D. Video, vnum ex paucis fieri iubes, vnus ex multis sum. R. Propè nullum te maluerim, quā ex multis vnum: nescio enim, an non esse, an stultum esse sit melius. Atqui plurimorum idem & stultorum è numero sit oportet. D. Ego verò nil peius esse, quàm nil esse scio. R. Nescis, quod mali sit esse aliquid, nec esse quod debeas. D. Ita hoc dicis, quasi quod vni forte accidit, debitum sit omnibus, idq; ad omnes trahi velis. R. Malè ais forte, virtus enim nō fortuita, sed deliberatiua prorsus & electiua est, non casu equidem quærenda, sed studio. Neque ego, quod vni casus dedit, ad cunctos, sed quod virtus multis tribuit, ad vnum trahō, ad omnes tractura libentius, sed in vno etiam desatigor. D. At non omnia possumus omnes? R. Non poeticum modo, sed pastorum est verbum. Scio; sed te posse aliquid, quod non omnes possint, imò iam potes velle, cupio. D. Quid heu miserum inquietas, nonne satis igitur torquet dolor? R. Quietem potius affero, & hūc tibi terrorem auferre meditor, quod nisi tu, qui potes, manum dederis, sola nō possum. D. Papè, quid hoc est, quod me posse ais, an possum dolorem non sentire, quem sentio, aut malum negare, quod pessimum experior? R. Primum nō requiro, obstat enim natura, alterum ne impetrem, non natura, non veritas, error solus obstiterit. D. Proh superi, quot sunt hæc inania, quæ philosophica dicitis, scio planè dolorem non esse animi vitium, sed corporis. Scio dolorem aliud esse, quàm perfidiam: dolere aliud quàm furari, hæc me vt noua ne doceas, satis magnum, & si nil addideris, per se dolor malum, cuius ego non noscendi consilio, sed ferendi, seu, quod malim, depellendi egeo, noui enim, nosséque vtinam minus, quid est dolor. R. Et ego dolorem rem acerbā scio, immitem, horridam, amaram, tristem, naturæ aduersam, sensibus odiosam, sed quæ virtutis ope, non dico dulcescere, quod Epicurus dixit secum ipse dissentiens, sed leniri frangiq;, forsq; etiā, si vera animū virtus armauerit, aut sentiri parcius, aut quodammodo, nec sentiri quidem possit. D. Armatus ab inermibus ego dolorem valdè sentio, & malum grande profiteor. R. Pro-

fessionem

stionem aliam ex te optabam. D. Heu rursus ad speciosa terramur, delectant aures verba magnifica, sed vera animum. Quid si dolor enim corporis animi patientia maior sit? R. Quid si nullæ corporis, vel illecebræ, vel molestiæ, nulli angores stantis, atque obstantis animi viribus pares sunt? Quid si in omni luctamine modo non volens terga dederit, si toto nisu, ac bona fide restiterit, semper animus superior fuit, semper abijt victor? D. Quid vero si doloris intolerantiam morbi fœditas grauat, & fastidium, & pudor? Quid si lepra putre corpus, ac miserum inuasit, quid hic mihi sermo tuus iste contulerit? R. Multum sanè, ni respuis, ostendet tibi te, qui cuncta respiciens, te non vides, iubebit meminisse terrenum, & mortale corpusculum tibi esse non aureū, neque æternum, nec mirari quidem oportere, nec indignari, si putredo in terram, suam si in sedem fluxerit, esse hominis mētē, & supremæ eius ni rebellent ad felicitatem perpetuitatemq; dispositam, eiusdem partes infirmas, & morti obnoxias, & omnis miseriæ capaces. Seu lepra igitur, seu epilepsia, seu quid his turpius, aut tristius inciderit, cogitandum tibi acriter in miseriarum vasculum descēdisse, quod suum erat, destinatumq; illi figulo ab æterno, contra quem lutea vasa ne murmurent admonentur, qd̄ illud in honorem, hoc in contumeliam, verum cuncta fragilia finxerit, atque mortalia. D. Ergo ego, te consule, sine murmure, & gemitu lepram feram? R. Planè me consule, atque authore, cui si ostenderis murmur, aut gemitum vtilem tibi leuamenq; aliqd̄ mali esse, versis vltro cōsilijs, vtrumq; permiserim, seu iusserim. Quod si indignatio, & querelæ nil aliud quàm accessio mali sūt, quid morbo corporibus addere animi morbum iuuat, teq; miseriorem flendo facere, & illum tibi forsan infestiorem, qui labores hominum ex alto videt, patientiamq; considerat? quā aut remedio compenset, aut præmio? An verò aduersus omnes corporeas pestes, seu quoniam vnam defles, parum solatij contra hanc ipsam est, nosse lepram superficiei vitium, vel coloris esse, non valetudinis, aut integritatis sensum, atque membrorum, vt Augustino visum scimus, nec Physici contra dicunt: sed vt cutem pene tret, artusque dilacerans in præcordia ima descendat, quod fecisse legitur Plotino ingenti Platonico? In animam certè descendere, nisi ipsa consenserit, non potest, qua incolumi non pluris extrinsecus corporis sui habitus apud illam erit, quàm bene valentem apud hospitem, hospitij forte paries extimus ventis, ac imbribus scaber sit. Quid quod lepra possessorem suum vulgo eripit, consortioq; hominum sæpè eorum, quos vt fugeres, recusandum nihil, nulliusq; non auxilium implorandum erat? vt ad calculum res redeat. Multis illa corpus tædijs implicans, multis animum explicuit. D. Heu quid credam rerum pessima laudanti? R. Rerum pessima non corporis, sed animi vitia morbiq; sunt, nec idcirco ego lepram, sed æquanimitatem, & patiētiam laudo, nec indignanter, nimiumq; flebiliter ferre suadeo, humanarum tuā propriam rerum sortem, cum summo tibi præsertim Imperatore, ac Philosopho Constantino, scilicet ac Plotino, de quo modo diximus, communem. Postremò ante oculos habere cœli dominum non lepram odisse, sed vitium. Eumq; ipsum Angelorum iudicem, atque hominum, de quo scriptū est: Neque habitabit iuxta te malignus, neque permanebunt iniusti ante oculos tuos, nō tamen leprosos horruisse, seu fugisse: illorum domos adijsse, atque conuiuijs interfuisse. D. Tu me verbis superas, dolor rebus, ego autem non Philosophorū nugis hac in re, sed sensibus meis credo. Illi mihi quid renuncient scio. R. Primum quidem Philosophorum aliquot, vt verè ais, nugis, quas nec excusare possum, nec negare, philosophiæ totius grauitas non perit, quæ in eo, qd̄ nunc agitur, vt in multis, laborantis animæ, in vna terris tuta, procuidubio arx est. Deinde nihil absurdius inter mihi amicos, quā sensuum fallaci iudicio verum quæri: ingenio ac studio veritas est quærenda, non sensibus. D. Heu quid me crucias, & dolori meo addis tædium? proferas remedium, iam numquam tu, numquam philosophia tecum faciet, vt non sentiam, quod sentio. R. Mos gerendus delicato, ac fastidienti ægro, permittendumq; aliquid interdum, quod per se nociuum, sed vtentis desiderio fit vtile. Itaque facilè patiar, vt si languor, si supplicium, si offensio, afflictioq; corporis mala, quæ incommoda Stoicis dici videtur honestius, ipse quoque dolor hinc oriens dici videriq; malum, & si ita vis, ingens possit, sed virtute superabile, vtque iam litigio verbi cedam, amicus noster Cicero nos reducet in gratiam. Non. n. dolorem, inquit, dolorem esse nego. Cur enim fortitudo desideraretur? Sed eum opprimi dico patientia, si modo est aliquid patientia, si nihil est, quid exornamus philosophia, aut quid eius nomine gloriosi sumus? Hæc Cicero. Multa tibi præterea diuinè cōtra hoc, seu incommodum, seu malum, in Tusculano suo, scilicet secunda luce disseruit, quinque dierum disputationes pari librorum numero complexus, quem signasse tibi locum volui: valet enim miris modis ad id, quo nunc eges, maximè patientiam roburq; animi, quo eneruato, atque amisso, falsæ vulgi subeunt sētentiæ, & indigni viro gemitus erumpunt. D. Nūc langnori meo propius adhibes manum, docens, vbi illa reperiam, quæ in hoc statu Stoicorum opinionibus inhumanis, saxeis potiora, & mihi opportuniora confido, quamuis & confidendo diffidam, quia dū remedij auidus sæpè locum illum repeto ad tolerandam doloris, numquam mihi per me, numquā vel Ciceronis ipsius, vel cuiusquam ope virium satis inueni. R. Ego hanc diffidentiam non reprehendo, sed laudo, nemo sibi multum fidat, inq; omni difficultate non ab homine, sed à Deo speret auxilium, at non ita, vt armatos venturos sibi de cœlo Deos credat, malis forsan interdum, nūquam certè diuinitas inertibus fauit: vt subsidio dignus sis, quod in te est facito, excitandus, attollendus, & armandus est animus, contraq; suos hostes in aciem educendus. D. Reliqua (nisi fallor) intelligo, vnum queror. Quænam sunt hæc arma animi quæ memoras? R. Benè habet. Iam accipio spem salutis tuæ. Inter asperitates enim rerum flere muliebre est: Consultare autē viri, obstare, implorare cōsilium, atque auxilium, id virile est, & ad vincendum efficax. Arma quidem animi, & bellādi artes pro diuersitate hostium multæ, & variæ sunt. Nec vllū philosophiæ munus vtilius, aut sanctius, quam de his agere, quæ (vt reor) aliquanto magis ad vos pertinent, quàm nosse quid agant astra, qd natam Iupiter intuens promittat, quid Saturno iunctus Mars minetur, quos Mercurius interpres vagus à patre, fratreq; mores capiat, quos ab obuijs quibusq;, vnde imber, & æstus, vnde tremor terris, qua vi maria alta tumescant, & nō nosse, vnde æstus, ac tumor, tremorq;, ac debilitas animorum, quibus remedijs temperetur æstus, compescatur tumor, & tremor, & debilitas roborentur, ac firmentur, quo in studio, etsi Socratem ludat Aristoteles, idem tamen mutato fortasse animo huic rei non mediocrem operam dedit. Sed hæc passim in Philosophorum voluminibus sparsa sunt, quæ ignaris ingerere operosum nimis, neque compēdij huius est: Scienti verò superuacuum, cui non doceri expediat, sed moneri. D. Scio ita esse, neque de omnibus quærebā, sed hoc vnum quæ tu mihi contra hunc hostem, cui nunc congredior, dolorem, arma mōstrares. R. Ad id tibi, nec melius possum, nec breuius respondere, quàm Cicero, quærit enim vt tu, & quæ sunt, inquit, ista arma? respondetq; illico, Contentio, Confirmatio, sermoq; intimus. D. Edissere, oro, singula: legi quidem hoc sæpè olim, tamen vereor, ne mihi accidat, quod multis solet, qui apud se legentes intelligere sibi omnia videntur, apud alios loquuti tum demum nihil intellexisse se intelligunt. Dic si libet, quænam ista contentio est? R. Satis id quidem si parum vltra progrediare, in ipsius Ciceronis verbis apparet. Sed ne quid me frustra poposceris, dicam idem aliter. Multa sunt animis corporibusq; similia, & vt nullum tantum corporis robur, sic nullus animi tantus est vigor, qui non improuiso, & graui fasce curuescat. Fac prouideant, erigentur, neutrumq; sua moles opprimat, sed deprehendat intentum, sæpè ad subitum magni hostis occursum vir fortissimus licet, expauit: da spacium colligendi sese, inq; instans discrimen animum intendendi, venientem hostem securus excipiet, visis cæstibus pugnaturi athletæ brachia, viso onere subituri illud ceruix intenditur, & illam pugnam firmius obeunt, & hoc pondus intenta ferit leuius, cui negligens, ac remissa succūberet. Ad hunc igitur modum insigni difficultate conspecta animus contra illam intendendus est, quod si ad plenum fiat terribilium omnium victor euadet. Alioqui (incredibile dictu est) lentus, atque impacatus animus paruis sæpe deijcitur, hæc est illa animi Ciceroniana contentio, seu si dici mauis intentio, (ad hoc enim duobus his vocabulis sensus idem & origo) quæ vt vides apud illum in promiscuo vsu sunt, deq; vnius verbi fonte descēdunt. D. Video, teq; libens audio, sed quid est confirmatio? R. Dicam: est in ipsis quoque fortissimis animis nescio quid admixtum diffidentiæ, & veris imbutos falsa circumsonant, tantumq; coit errorum popularium ad arcem mentis expugnandam, vt iudicium tenere difficile sit. Subit interdum torpor quidam, subit dubitatio an vera sint, quæ à Doctissimis, atque Sanctissimis viris de virtute patientiæ, de honesti specie, de splendore gloriæ dici solent, an id verius, quod ab alijs disputatum vulgus probat, vacuitatem doloris optimam, pessimum dolorem, voluptatem boni finem, & illæ quidem paucorum, hæ fermè omnium voces sunt, quarum sæpè tantus est sonitus, vt paucæ illæ voces adhortantium audiri nequeant, & custodes arcis exterriti omissa defensione fugam cogitent: in hoc statu dubium nutantemq; præsidijs firmare animum oportet, ne de sententia excidat, vt olim Dionysius Heracleotes, qui cum Zenonis præceptoris sui de dolore sententiam dolore victus abijceret, à Cleanthe condiscipulo irrideri meruerit. Non inquam excidat, sed resistat, inq; erepto vestigio sedem figat, intelligens quid in rebus verum, quid vmbratile, neque laruas horreat, neque clamoribus moueatur, certus dolorem nihil nisi ignauiam, virtute autem, & ignauiam, & dolorem, & mortem, & dura omnia vinci posse, inq; hac sententia fixus, & immobilis perseueret, promptus pro virtute pati fortiter, quod multis cogitare terribile est, quodq; numquam ab homine fieri posset, qui non super aurum, ac gemmarum speciem, super muliebrem formam, & super omne concupiscibile virtutis pulchritudinem adamasset: hac confirmatione animi, & falsæ opiniones, & vani metus infirmātur,

& acies doloris obtunditur. Fitq; quod Cicero idem vult, vt sicut in prælio pauidus miles, abiectisq; armis viso hoste diffugiens, sæpè ipse sibi periculum fecit, impauido periculum non fuisset: sic ignauum animum, & sensibus obsequentem sola cogitatio doloris exanimat, qui virtute firmatus, atque armatus incolumis, ac doloris victor, & propè nihil molestiæ sentiens euasisset. Patientia enim non modo animi vim augeri, sed asperitatem ipsam doloris imminui, & pene ad nihilum redigi, atque hinc esse, vt acerrimo in dolore recti quidam, & immoti, alij etiam læti sint, quod fieri non posset, nisi animus a sensu doloris auersus ipsam, de qua loquimur, firmitatem, atque constantiam induxisset. D. Intelligere videor, sed perge, quid est sermo intimus? R. Et hoc dicam. Generosa mens æque voluptatum, dolorumq; contemptrix, & veri que pariter cedere nescia, vbi adesse periculum, seq; circumuentam hostibus suis videt, arma capit, obuiamq; in prælium cohortans multa cum Deo suo loquitur, quamuis hoc vltimum Cicero, vel nescuit, vel non ritè soluit, non defectu ingenij, sed gratiæ. Tali sanè colloquio, ad decoris obseruantiam, atque ad illa, quæ diximus ad incendendas vires, ad consummanda cõsilia nullum efficacius. Alijs tamen verbis contra voluptatũ blanditias, atque alijs contra dolorum minas esse vtendum, & quibus vtrobique pronum est aduertere scientem, quænam vel hæ blanditiæ, vel hæ minæ, quamq; impares sint virtuti, sed quoniam horũ de altero sermo erat, exemplo agam vnico, sed insigni, quo in reliquis omnibus instructior fias. Quis est hic in dolore sermo intimus? Meministi quibus verbis Lucanus magnum Pompeium inter carnificum gladios visum facit, sed quia hoc qualitate persuasa a poeta fictum, & secundum veri similitudinem animo viri illius in eo statu conuenientibus verbis expressum est. Exemplũ verum recensq; alterum adijciam. Hac ipsa ætate superant, qui viderũt adhuc multi Samnitem illum imperterritum, & inuictũ fortem, qui dum iussu illius, cuius nomen suppressisse silentio melius fuerit, curru per ciuitatem duceretur nudus inter duos carnifices candentibus forpicibus hinc illinc membra carpentes, populo ad eam miserum, tamq; indignum spectaculũ lachrimante, siccis ipse oculis, graui, & constanti voce sese alloquens dicebat: Quid facimus anime, noli nos succumbere, nihil aut irascaris, aut metuas, grauia sunt ista, sed breuia, & pro nostra æterna ne dubites salute, grauiusq; supplicium hoc iubenti fuerit, quã ferenti. Erigere, anime, & depelle formidinem, spera in Deo, statim erit finis. Quibus verbis, quantam sibi cogitabis, certè pectoribus audientium incredibile dictu est, quanta eum misericordia firmitatem, constantiam, securitatem, patientiam infuderit, etsi arctius æstimant, non ille intimus, de quo agimus, sed extimus sermo esset. Nempe qui (vt dixi) à multis exterias audiretur. Sed hæc, & his similia, & ab alijs silentio dici possunt, & ab hoc ipso sortitan dicebantur. Vicissim enim nunc tacebat, nunc in voces quas diximus erũpebat. Potest & aliter ille idem sermo intimus videri. Vnde non quo proijciat cogitanti, & huius quidem secũ, ac cum Deo loquentis in doloribus, inq; periculis, nullũ clarius exemplum, quàm Iob primi, Theodosius secundi. Ille manu Dei tactus, atque vlceribus obsitus, qui contra Deum libertate iurgantis similis eum opellet, seq; ardentem, & querula deuotione in Deũ erigat. Hic cum paucis innumerabili, ac barbarico circumuentus exercitu, quo feruore, quibusve suspirijs, ceu præsentem Deũ inuocet audiuisti. D. Audiui planè & memini, & exemplis doceor quid velis, gratiamq; non mediocrem Ciceroni habeo, de cuius tribus exiguis granis, tres, ingentesq; aristas messui, ex quib. cultu adhibito messis vberior nasci queat. R. Ita se res habet, Doctorum hominum verba prægnantia sunt, plus continent sensuum, quàm protendunt; vt nihil aliud me loquente visus es mihi dolorum, & querelarum tantisper oblitus, vnde elicis vehemẽtem quoque cogitat onem rei cuiuspiam honestæ, atque in illam à rebus alijs quibuscumque animi totius abstractionem multum, & doloris & molestijs omnibus posse remedium afferre. D. Potest esse, vt dicis, sed mihi nunc etiam multum deest ad salutem illã, quam intendis animi, magnoq; sum in dubio an his omnibus leuatur, seu tollatur dolor, an verba sint animos aucupantia, auresq; mulcentia, ad dolorem nihil. R. Verba corporibus non medentur (fateor) nisi forsitan incantationes, & anilia carmina fidei aliquid merentur, at medentur morbis animorum, quorum profectò sanitas corpoream dolorem, aut extinguit, aut mitigat. Nũquam si patientia nulla esset, tàm multi de illa viri Doctissimi disseruissent. Numquam tot huiusce rei argumenta animo oculisq; & auribus hausissent, quot memoria imagines rerum tenes, quã multa vidisti, aut legisti, quot historias audisti, quibus non probatum tibi, sed demonstratam esse debeat ita esse, vt dico? & si non doloris omnem sensum patientia erigi, quod ipsum tamen, & factum esse contendimus, at doloris certè victoriam, ferendiq; viriliter vires dari? Quid verò te plus habuit C. Marius vir literarũ inops, sed virtutum diues militarium, an non ipse carneus, atque osseus fuit? Quid plus Mutius, Pompeiusq;? Quid plus habuit Zeno? Quid Theodorus? Quidve Theodatus? Possidonius? Anaxagoras? innumeriq; alij, quorum quidam seruili conditione, sed animorum ingenuitate mirabili omne supplicium pertulerunt, nõ modo fortiter, sed iucundè. Quod si ad vestros animum, memoriamq; reflexeris, inuenies in hoc numero pueros etiam, ac puellas tulisse cum gaudio, quod vos viri, sine fletu, & questibus non ferretis. Sed iam de re (vt aiunt) omnium asperrima, plura quàm pro consuetudine diximus, desinendum est, dolorem enim si non lenit virtus, verba non lenient. D. Heu hinc tu me vrges, hinc dolor, & cui credam nescio. R. Crede nobiliori, in quo illud quoque plurimum adiuuerit meminisse summum illud, & eximium mundi decus, eum scilicet, qui diuinam, atque humanam in se vnijt naturam, tot tantosq; pro te passum cruciatus, vt quæ pateris illorum collatione facilia, imò verò dulcia longèq; suauia iudicari possint. Validissimum hoc remedij genus scrutantes cuncti Philosophi nescierunt.

Tristis res est dolor sine dubio aspera, amara, inimica naturæ, ad patiendum tolerandumq; difficilis. *Cic. in quæst. Tusc.*

Satis mihi dedisti, cum respondisti, maius malum tibi videri, dedecus, quam dolorem. *ibid.*

Consuetudo laborum perpessionem dolorum efficit faciliorem. Et ipse labor quasi callum quoddam obducit dolori. *ibid.*

Appellata est a viro virtus. Viri autem maximè propria est fortitudo: cuius munera duo maxima sunt, mortis dolorisq; contemptus. *ibid.*

Hoc quidem in dolore maximè est prouidendum, nequid abiectè, nequid timidè, ne quid ignauè, ne quid seruiliter muliebriterve faciamus. Ingemiscere nonnumquam viro concessum est, idq; raro: eiulatus ne mulieri quidem. *ibid.*

Si gemitus in dolore ad confirmandum animum valebit, vtemur: sin erit ille gemitus lamentabilis, si imbecillis, si abiectus, si flebilis illi qui se dederit, vix eum virum dixerim. Qui quidem gemitus si leuationis aliquid adferret, tamen videremus quid esset fortis, & animosi viri. Cum vero nihil imminuat doloris, cur frustra turpes esse volumus? *ibid.*

Nullus dolor est quem non longinquitas temporis minuat, atque molliat. *In epist.*

Is est diues, qui mala, quæ contingunt æquo animo ferre potest. Malis quæ eueniunt minimè succensere debemus, tantum rectè agamus: bene rem gerimus. *idem.*

Animus in re mala æquus, remedium mali est. *Anonym.*

Accendit animos, & stimulat dolor. *Liuius Dec. 3. lib. 5.*

Crescit dissimulatione ipsa dolor, hoc altius demissus quo minus profiteri licet. *In. ibid. lib. 8.*

Vehemens dolor in consilium peruersum hominem trahere aptus est. *Procop. de bello Vand. lib. 1.*

Dolor. Somnes, vt insultant ignauis, ita persistentibus cedunt. *Amm. Marcell. lib. 25.*

Magnos cruciatus habet morbus, sed hos intolerabiles interualla faciunt. Summi doloris intensio citò inuenit finem. Nemo potest valdè dolere, & diu. Sic nos amantissima nostri natura disposuit, vt dolorem, aut tolerabilem, aut breuem faceret, hoc itaque solatium vasti doloris est. *Sen. epist. 97.*

Nobis autem ignosci potest prolapsis ad lachrimas, si non nimiæ decurrerint, si illas ipsi repressimus, nec sicci sint oculi amico amisso, nec fluant: lachrimandum est, non plorandum: per lachrimas argumenta desiderij quærimus, & dolorem non sequimur, sed ostendimus. *Epist. 63.*

Finem dolendi, qui consilio non fecerit, tempore inuenit. *ibid.*

Turpissimum est in homine prudente remedium mœroris lassitudo mœrendi, malo relinquas dolorem, quàm ab illo relinquaris: an non fœminis constituere maiores ad lugendum; non vt tamdiu lugerent, sed ne diutius. Viris nullum legitimum tempus est: quia nullum honestum. Quam mihi ex illis mulieribus dabis, vix retractis à rogo, vix a cadauere reuulsis, cui lachrimæ in totum mensem durauerint? Nulla res citius in odium venit, quam dolor: qui recens consolatorem inuenit, & aliquos ad se adducit, inueteratus verò deridetur, nec immeritò. Aut enim simulatus, aut stultus est. *ibid.*

Vinceris à dolore, si cesseris: vinces, si te contra dolorem intenderis. *Epist. 79.*

Dura res est dolor, in motu mollis, pauci dolorem potuerunt ferre, simus ex paucis. Imbecilles natura sumus. Naturam incusare noli, illa nos fortes genuit. *de remed. fortuit.*

Doloris rationem ab inimicis exigit, qui patiendo dolorem non ostendit. *In Prou.*

Grauiter irascitur, qui quod dolet Deo commendat. *ibid.*

Animo dolẽti nihil oportet credere, & innocẽtes cogit mentiri dolor, homo ne sit sine dolore fortunã inuenit. Lætin doloris remediũ est inimici dolor, dolor decidit, vbi quo crescat, nõ hẽt. *ibid.*

APOPHTHEGMATA.

Chrysippus dicebat quidem sapientem dolere, sed non torqueri, seu cruciari, aut demissum reddi animo. *Stob. ser. de fortitud.*

Archytas Pythagoreus insipientum dolores dicebat carere ratione: sapientum verò non vltra progredi, quam ratio de rebus cõponendis sollicita permittit. *lib. de doctrina morali apud Stobæum.*

Themi-

Themistius dolorem proprium esse homini asserebat, quod narratione lepida confirmauit. Lutum enim (aiebat) Prometheus, ex quo hominem effinxit, non macerauit aqua, sed lachrymis. *lib. de affect. moderatione apud Stob.*

Euphrates Syrus, is amissa vxore dicebat, O philosophia, tyrannica sunt præcepta tua: amare iubes, & si quis amiserit, quod amabat, dolere prohibes. *Stob. ser. 97. de tristitia.*

Cleanthes percontatus, quid esset dolor? animæ, inquit, resolutio. *Stob. serm. 106.*

Democritus dolorem immorigerum animæ torpentis ratione expellendum esse dicebat. *ibid.*

Chilon cuidam propter sua mala dolenti dixit, Si aliorum omnia mala perpenderis, minus ægrè feres tua. *Stob. ibid.*

Anonyma. Socion, lib. de ira, dicit suo tempore celebratum fuisse dictum mulieris cuiusdam, dolorem apud illos libenter manere, à quibus alitur, & augetur. *Stob. eod. serm.*

Epictetus interrogatus, quomodo quis hosti dolorem excitare posset? dixit, si quis ita compararet seipsum, vt quam optimè viuat. *Anton. & Max. serm. de dolore.*

Idem quomodo expellendus esset dolor rogatus, respondit, quæ futura sunt sic æstima, ac si iam accidissent. Deinde addebat. Fac dolore vaces, non vt omnino affectibus carens, brutorum more, nec vt rationis expers velut insipientes, sed tamquam virtutis cultor rationem habe pro doloris remedio.

SIMILITVDINES.

Gregorij. Cum percutitur quilibet, vel cæditur vehementer, manum pro toto porrigit corpore, & protegit caput, & dorsum manu, & videtur illi, vt in manu magis percutiatur, quàm in dorso vel capite, & dat corium pro corio, corium manus pro corio capitis. Hæc itaque vniuersa designans nequissimus, callidè dicit de Iob: Corium pro corio. Nam sicut hi qui vapulant, corio manus alterum corporis protegunt corium, ob hoc tantum, vt corpus integrum habeant: Sic (inquit) & Iob exteriora rei familiaris detrimenta contemnit vniuersa, tantùm vt corporis effugiat pœnam. Sic namque & hi qui in mari nauigant, cum periculum passi fuerint, omnia quæ in naui habuerint, contemnunt atque in mare proijciunt, ob hoc, vt ipsi euadat. Sic & quicumque diuitum cum in corporis infirmitatem inciderint, omnem substantiam libenter offerunt: tantùm vt corporis incolumitatem recipiant. (Sic inquit) & Iob omnes diuitias, & omnem rem familiarem facilè contemnit, tantùm vt dolores non contingant carnes eius. *In l. 2. Iob.*

Locutus est tamquam quilibet in dolore positus quærens remedium, tamquam quis in dolore dentium, aut oculorum, aut aurium frequenter parietes vngulis exarat, frequenter etiam semetipsum vngulis exulcerat præ nimietate doloris quem sustinet, corrasis ossibus, & palpebris, atque auribus: Sic & beatus Iob cum perforarentur ossa eius, & liquefierent carnes eius, locutus est maledicens diem qui non erat. *In 3.*

Maximus monachus, quemadmodum, vermiculi teneris lignis innascuntur maximè: Sic dolores quoque in mollioribus hominum ingenijs ingenerantur. *Serm. 28.*

Plutarchus, vt Medica terra diu retinet semina propter asperitatem, vt serò emergant: Ita morborum ac dolorum causæ in hominibus aliquoties diu latent, donec voluptas in febrem erumpat. *In Mor.*

Vt medici in vehementi fluxu pituitæ non statim succurrunt pharmacis, sed foris admouent, quod tempore concoquit humorem, ac tum medentur: Ita in recenti dolore tacendum donec tempore mitior admittat consolationem. *In Mor.*

Vt sapiens gubernator in tranquillitate tempestatem expectat: Ita rebus tranquillis ad dolorem aliquem præparandus est animus. *In Mor.*

HIEROGLYPHICA.

Ierem. cap. 31. 19. Ezechiel item, c. 21. 12. eorum qui vehementer solliciti sunt ob patratum aliquod magnum scelus, aut ad triste nuncium grauiter dolent, gestum exprimunt hieroglyphico hominis femur percutientis. Profani scriptores eiusdem hieroglyphici meminerunt: Plautus in milite gl. Act. 2. Scen. 2. Ouid. Metam. 15. circa initium. Homerus item Odyss. 11. v. 198. *Hieroglyph. collect. l. 2.*

Inter alias hæc Crocodilo proprietas esse fertur, vt quamdiu viuit, crescat. Doloris hieroglyphicon, quod doctus poeta disticho illustrauit.

Noster sic dolor pariter cum tempore crescit,
Non secus ac Nili bellua vasta solet.

EXEMPLA BIBLICA.

Doloris exempla: Eua, *Gen.* 3. 16. Isaac, 24. 67. Sichimitæ, 34. 35. Israelitæ, *Exo.* 3. *v.* 7. 8. Anna Elcanæ vxor, 1. *Sam.* 1. *v.* 15. 16. Vxor Phinees, 4. 19. Dauid, 2. *Sam.* 1. 26. *&* 19. *v.* 1. 2. Mater Iabes, 1. *Paralip.* 4. *vers.* Asa, 2. *Paral.* 16. 12. Filius Sunamitidis, 2. *Reg.* 4. 20. Esdras, 3. *Esdr.* 8. 92. 4. *Esdr.* 5. 34. Iob, *Iob* 2. 13. *&* 7. 5. *&* 10. 20. *&* 16. 6. *&* 30. *v.* 16. 17. Dauid, *Psal.* 13. 23. *&* 18. 5 *&* 35. *v.* 10. 11. *&* 38. *vers.* 4. 56. 94. *&* 19. Esaias, *Esa.* 25. 3. Messias, 53. 3. Baruch, *Ier.* 45. *v.* 1. 2. 3. Damascus, 49. 24. Ieremias, *Thren.* 5. *v.* 15. 16. 17. Mathathias, 1. *Machab.* 2. 24. Ioseph & Maria, *Luc.* 2. 48. Paulus, *Rom.* 9. 2.

Polyanthea Noua.

EXEMPLA PROFANA.

Cneus Pompeius ex acie Pharsalica fugiẽs, ad Ptholomæum Aegypti regem confugit; hunc Cornelia vxor comitata, in nauicula à Septimio, & Agilla Aegyptio miserè trucidari vidit. *Plutarch. in Pomp.*

Alexander Magnus, semel visas Darij regis vxorem, atque filias in conspectum suum admittere amplius recusauit: magnos oculorum dolores esse inquiens, ἀλγηδόνας ὀμμάτων. *Plut.*

Tiberius Cæsar cum repudiata Agrippina dilectissima, Iuliam Augusti filiam coactus esset ducere, eam post diuortium semel omnino ex occursu visam, adeo contentis, & tumentibus oculis prosecutus: vt custoditum sit deinceps, ne vmquam in conspectum eius veniret. *Suetonius.*

D. Augustinus, vt dolorem, quem ex matris Monicæ morte conceperat, abstergeret, ipso funeris die in balneum iuit: sed parum profuit. Dormitum se conferens, posteaquam euigilauit, magna ex parte mitigatum dolorem deprehendit, & recordatus est versuũ D. Ambrosij: Deus creator omnium, Polique rector, vestiẽs, &c. *D. Aug. l. 9. Confess. c. 12.*

Vide Aegritudo, Afflictio, Mœror, Tribulatio, Tristitia.

DOLVS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Dolus Græca dictio est, nam δόλος, & δολερός dolosus dicitur. Est autem dolus omnis calliditas, fallacia, machinatio ad circumueniendum, fallendum, & decipiendum alterum adhibita, *vt habetur l. 1. ff. de dolo.*

Dolus est executio astutiæ, qua excogitatæ fuerunt viæ non bonæ ad exequendum aliquem finem, bonum vel malum. *S. Thom. 2. 2. q. 55. art. 4.*

Dolus propriè accipitur tantùm in malo, sed abusiue etiam in bono. *Ex S. Thom. 2. 2. vbi supra.*

Dolus principaliter fit in verbis, *secundum S. Thom. ibid.* Fraus verò propriè in factis. Quare Ouid. *lib. 1. Metamorphoseon* vtrumque vnico versu comprehendit, dicens: *In quorum subiere locum fraudesque dolique.*

Dolus a dolando, id est, minuendo dicitur, de quo verbo supra in Dolor diximus. Dolus quod nunc in malam tantùm partem accipitur, hoc est, pro fraude, siue machinatione ad fallendum aliquem: veteres etiam in bonam partem accipiebãt pro solertia, ac calliditate, quæ præsertim aduersus hostes, siue latrones adhibetur. Quare nunc dolum malum dicimus, quoniam bonus etiã dolus à veteribus dicebatur. Labeo: Dolum malum dicimus esse omnem calliditatem, fallaciam, machinationem ad circumueniẽdum, fallendum, decipiendumve alterum adhibitum. Vlpianus: Non fuit autem contentus Prætor dolum dicere, sed adiecit: malum, quoniam veteres etiam, dolum bonum dicebant, & pro solertia hoc nomen accipiebant, maximè si aduersus hostem latronemve machinaretur. Hinc dolones virgæ, siue conti, in quibus tamquam in vaginis latent pugiones, dicti à fallendo, quod decipiant ferro, cum ligni speciem præferant. *Virgilius: Saeuosque ferunt in bella dolones.*

Dolus, Hebr. fraus, impostura *Mirmah*, à verbo *Ramah*, præcipitauit, leuando proiecit eum impetu. dolis aliquem petijt. Dolosi homines quos prosternunt, blandis verbis tollunt in altum, vt fortius deijciant.

LOCI BIBLICI.

Dolus, *Ier.* 9. 6. *Psal.* 36. 20. *&* 55. 23. *Prou.* 12. 27 *Soph.* 3. 13. *Marc.* 7. 22 *Act.* 5. 1. damnatur, *Rom.* 1. 29. 1. *Thess.* 4. 6. 1. *Petr.* 2. 1. Remed. 32. 2. Ioan. 1. 48. Luc. 19. 8. Eph. 4. 28.

SENTENTIAE BIBLICAE.

Simulatores, & callidi prouocant iram Dei, neque clamabunt cum vincti fuerint. Morietur in tempestate anima eorum, & vita eorum inter effœminatos. *Iob* 30.

Virum sanguineum, & dolosum abominabitur Dominus. *Ps.* 5. *&* 6.

Disperdet Dominus vniuersa labia dolosa. 12.

Abominatio Domini est omnis illusor. *Prou.* 3.

Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolosè agebant: venenum aspidum sub labijs eorum. *Psal.* 13.

Molliti sunt sermones eius super oleum, & ipsi sunt iacula. *Psalm.* 54.

Acuerunt linguas suas sicut serpentes: venenum aspidum sub labijs eorum. 139.

Non omnem hominem inducas in domum tuam: multæ enim sunt insidiæ dolosi. Sicut enim eructant præcordia fœtentium, & sicut perdix inducitur in caueam, & vt caprea in laqueum: sic & cor superborum, & sicut prospector vidẽs casum proximi sui: Bona enim in mala conuertens insidiatur, & in electis impo-

nec maculam. A scintilla enim vna augetur ignis, & ab vno doloso augetur sanguis: homo verò peccator sanguini insidiatur. *Eccles.* 11.

Attendite tibi à pestifero: fabricat enim mala, ne forte inducat super te subsannationem in perpetuum. *ibid.*

Admitte ad te alienigenam, & subuertet te in turbine, & abalienabit te à vijs proprijs. *ibid.*

Stultus enim fatua loquetur, & cor eius faciet iniquitatem, vt perficiat simulationem, & loquatur ad Dominum fraudulenter, & vacuam faciat animam esurientis, & potum sitienti auferat. Fraudulenti vasa pessima sunt: Ipse enim cogitationes concinnabit ad perdendos mites in sermone mendacij, cum loqueretur pauper iudicium. *Esa.* 32

A Propheta vsque ad sacerdotem cuncti faciunt dolum. *Ier.* 6.

Ecce, parturit iniustitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem. Lacum aperuit, & effodit eum: & incidit in foueam, quàm fecit. Conuertetur dolor eius in caput eius: in verticem ipsius iniquitas eius descendet. *Psal.* 7.

Infixæ sunt gentes in interitu quem fecerunt: in laqueo isto, quem absconderunt, comprehensus est pes eorum. 9.

Viri sanguinum, & dolosi non dimidiabunt dies suos 54.

Ipse deludet illusores, & mansuetis dabit gratiam. *Prou.* 3.

Non inueniet fraudulentus lucrum. 12.

Vir versutus odiosus erit. 14.

Qui decipit iustos in via mala, interitu suo corruet, & simplices possidebunt bona eius. 28.

Qui in altum mittit lapidem, super caput eius cadet: & plaga dolosa dolosi diuidet vulnera, & qui foueam fodit, incidet in eam, & qui statuit lapidem proximo suo, offendet in eũ, & qui laqueũ alij ponit, peribit in illo. *Eccl.* 27.

Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta est in ore suo: pacẽ cum amico suo loquitur, & occultè ponit ei insidias. Numquid super his non visitabo, dixit Dominus, & in gente huiusmodi nõ vlciscetur anima mea? *Ier.* 9.

Maledictus dolosus. *Malach.* 1.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

De dolo malo. DIAL. LXII.
Francisci Petrarchæ.
DOL.

A circumscriptoribus sum deceptus. R. Miraris? Mirarer ego si inter homines conuersando illæsus euaderes, quis homo enim hominem non decipit? Fides exulat, regnat fraus, hocne nunc nouiter perpendis? non tanto studio, neque tot laqueis venatores, atque aucupes feras, ac volucres captant, quot versuti homines alius quosque simpliciores. Quod si vnquam verum fuit, vestra ætate verissimum est. Monstrantur digito fraudum Magistri, & ille prudentior iudicatur, qui peritior est fallendi. Vis ne igitur nõ decipi? aut morere, aut fuge hominum consortia. D. Dolo malo vnde non timui circumuentus sum. R. Si timuisses, deceptus forte tam facilè non fuisses, & tunc cogita an tu quemquam aliquã do fefelleris. Estis enim fere omnes ad fallendum proni, feres autem facilius ab altero quod feceris. Sed vos, & quæ facitis alijs non sentitis, & quæ ab alijs fiunt vobis, pati non potestis, rerum omnium iniquissimi iudices. D. Dolo amici damnum tuli. R. Erras, vt in multis: nullus in amicitia dolus est. Sed in hoc etiam vulgo erratis, amicos creditis, qui non sunt. Amicitiamq rem inæstimabilem, atque sanctissimam facilè probatis experimento, vsque adeo rerum vilium curiosi, leui comessatione, aut breui confabulatione quæritis amicum, nec citius quæritis, quàm perditis, si tamen qđ non habetur perdi potest. Postea ab amicis vos deceptos dicitis, & hanc infamiam amicitiæ inuritis innocenti. D. Dolo damnificatus sum. R. Multis profuit falli, eris cautior in reliquis: quidam paruæ rei damno maximarum rerum pericula declinarunt. D. Circumscriptor iniquissimus me fefellit. R. Imò tuum exercuit, atque excitauit ingenium, docuitq. non fidere nisi expertis, & probatæ fidei, enumerarem exempla, quibus casum tuum solareris, nisi essent innumerabilia. Quis enim viuens non decipitur? Quidquid mali mortalibus accidit minus est, quàm quod homo patitur ab homine. Et quoniam sequi omnia, nec possibile, nec necesse est. Memento Caninij, qualiter Syracusis fuit dolo malo quondam à Phitio circumscriptus. Habet tamen Caninius, quo solari queat, eques Romanus ab extraneo, & viuente deceptus, cum Augustus Cæsar Imperator Romanus à Romano ciue moriente delusus sit, nota res est, vt Marius quidam, qui ipsius Augusti beneficio ab infimo militiæ gradu ad summos honores, atque opes ascenderat, semper publicè prædicare solitus se illum vnum hæredem habiturum, eiq. bona sua omnia relicturum, à quo omnia percepisset, idipsum cum prædie quàm obiret eidem affirmasset Augusto fraudulentum spiritum emisit tandem, nulla Cæsarei nominis, vel tenui mentione in testamento habita. Dignus verè cuius cadauer vnco in Tyberim traheretur, qui dominum ac benefactorem suum fallere, nec morte desisteret.

APOPHTHEGMATA.

Lysander, quum quidam ei probro daret, quod pleraque dolo, & fraude gereret, ridens dixisse fertur. Vbi quis quod vellet non assequeretur leonis exuuio, vulpinum applicandum esse, Sentiẽs, quod honestis rationibus non possit effici, id fraude efficiendum esse. *Plut. in Lacon.*

Annibal. quum Fabius simili arte recepisset Tarentum, quali Annibal ceperat: Et Roma (inquit Annibal) suum habet Annibalem. *Plut. in Annibale.*

EXEMPLA BIBLICA.

Doli exempla: Filij Iacob, *Gen.* 34.14. Abner, 2. *Sam.* 3.27. impij, & hostes Dauidis, *Psal.* 27.3. & 35.20. & 36.3. & 38.13. & 57.5. Doeg. Idumæus, *Ps.* 52. *vers.* 3.4. populus Iudaicus, *Ier.* 9.8. Antiochus, 1. *Mach.* 1. *ver.* 31.32. Alcimus & Bacchides, 7.15. Principes Sacerdotum & Seniores, *Matth.* 26.4. Insidiatores Christi, *Luc.* 20.22. Elymas Magus, *Act.* 13.10.

EXEMPLA PROPHANA.

Vlysses. quem sapientiæ nomine celebrat Homerus. dolo gloriatur, non malo, sed quo iustè contra hostes vti possumus: inquit ergo:

Εἰμ' Ὀδυσσεὺς Λαερτιάδης, ὃς πᾶσι δόλοισιν
Ἀνθρώποισι μέλω, καί μευ κλέος οὐρανὸν ἵκει.

Aristomenes Messenius suæ tempestatis homines eximia quadam astutia, & calliditate longè superasse dicitur: cuius defuncti cor, cum exsectum esset, pilis refertum fuisse ferunt. *Plin. l.* 11. *Valer. Max. lib.* 1. *c.* 8.

Fama est, *Philippum Macedonem*, de prudentia magis, astu Imperatorio, & successu, quem in conciliandis hominibus habuisset: quam de copiarum, & auxiliorum viribus gloriari solitum. *Diodorus libro* 16.

Aratus Sicyonius, vt cõsilijs, & astu mirifice polluit: ita in aperta acie timidus fuit. *Plut. in Arato.*

EMBLEMA.

Dolus in suos.
Andreæ Alciati Emblema 1.

Altilis allectator anas, & cærula pennis,
Assueta ad dominos ire redire suos,
Congeneres cernens volitare per aera turmas,
Garrit, in illarum se recipitq. gregem:
Prætensa incautas donec sub retia ducat:
Obstrepitant capta, conscia at ipsa silet.
Perfida cognato se sanguine polluit ales,
Officiosa aliis, exitiosa suis.

Vide Fallacia, Fraus, Impostura.

DOMINVS.

DEFINIT. ET ETYMOLOG.

Dominus à dumo, domus dicitur, & is propriè dñs dicitur, qui domus imperium habet, & cui omnis familia paret, ex quo factum est, vt dominus & seruus relatiua sint, & domini appellatio ad omnes eos propagata sit, qui alicuius rei proprietatem habent, etiamsi vsusfructus alienus sit. Item dominus dicitur is, cui populi subsunt. Virgilius.

Romanos rerum dominos gentemq. togatam.

Dominium vel dominatio Græce δεσποτεία, ἀπὸ τοῦ δεσπόζειν dominor, & δεσπότης ὁ dominus dicitur. Est autem dominium ius habendi, possidendi, fruendi, & vtendi, ac disponendi de aliqua re pro libitu voluntatis, vel secundum aliquem determinatum modum, à quadam superioritate, vel authoritate definitum.

Dominus Hebr. *Adon*, & *Baal*. Sunt qui Adon ad Dun, id est, iudicare referunt, & ad Eden, id est, Basis. Vide Etymologicon trilingue Lugdunense, vbi multa obseruatu digna de etymo huius vocis, pag. 261. & 262.

Sæpissimè Deus Adonai dicitur in scripturis, propriè enim est Dominus. In nouo Testamento κύριος appellatur.

Dominus Pater Deus dicitur, *Ps.* 2 & 110. *Prou.* 8. *Matt.* 11.25. & 21.40 *Luc.* 1.32. *Act* 3.12. *Hebr.* 7.21. *Apoc.* 11.15.

Filius Dei Patris, vt Deus, ita & Dominus est, atque appellatur, *Gen* 16.13 & 18.1. & *Ios.* 5.14. *Iudic.* 6.24. *Psal.* 2.12. & 102.26. & 110.1. *Esa.* 6.1. & 40.3. *Ierem.* 23.6. *Malac.* 4.5. In nouo Testamento sæpissimè.

Spiritus S. Dominus appellatur, 1. *Cor.* 12.4.5. 2. *Cor.* 3.18. 2. *Thess.* 3.5. Vnde Exod. 17.2. Deut. 32.12. cum quibus confer. Esa. 63.10.14 *Psal.* 95.7. *Hebr.* 3.7. Esa. 6.9. Act. 28.25. Item Esa. 54.13. & Ioã. 14.14 & 15.13. Denique Ierem. 31.31. Heb. 10.15. & Deut. 9.24. Act. 7.52. & Ezech. 3.16. Item Apoc. 20.28.

Domi-

Dominus dicitur, qui iure summo re quapiam potitur, & qua frui liberè potest, *Matth.* 12.6. *Marc.* 1.28. *Luc.* 6.5. Angeli Domini dicuntur, & Angelus Dominus, *Genes.* 19.2.8. *Act.* 10.4. *Apoc.* 7.14. quoniam visibili humanaq; forma apparebant: & politica seu ciuili reuerentia excipiebantur. Dominus, de quouis homine supra alios constituto frequenter dicitur.

Loci Biblici.

Dominus re ipsa vnus est, 1. *Cor.* 8.6. *Ephes.* 4.5. Domini per similitudinem multi sunt, 1. *Cor.* 8.5. Dominis duobus, id est, inter se repugnantibus seruire nemo potest, *Matth.* 6.24. Dominorum & Dominarum erga seruos, & ancillas officium, & potestas, *Exod.* 21. *v.* 2.20.26. *Leuit.* 19.39. *&* 25.38. *Deut.* 5. *v.* 14.21. *&* 15. *vers.* 12. 16. *&* 24.15. *Iob* 31.13. *Prou.* 29.19. *Ier.* 34. *v.* 9.14. *Eccl.* 7. *vers.* 22. *&* 33.31. *&* 42.56. *Eph.* 6.9. *Col.* 4.1.

Philosophorum Sententiæ.

Francisc. Petrarch.

De iniusto domino. Dial. XLIX.

Dol.

Iniustum dominum patitur Respublica. R. Sed fortassis id merita, & id sceleri scelus est debitum, non solum apud inferos, sed vbique fieri iudices, vbiq; iustitia suum opus exercet, & si sæpius cunctetur, interdum properat. Verumq; re ipsa si, quod scribitur: Viuque est Deus, iudicans eos in terra. Dæmones ex hominibus fieri, quidam opinati sunt perpetua criminum licentia, peccandiq; libidine, quod vt forte tolerabiliter dictum sit, malarũ voluntatum similitudo efficit, qua homo malus, atque in malis obstinatus pene dæmonem æquat. Cui sententiæ, si recipitur, illud fortasse non dissonum fuerit, vt permissu diuinæ iustitiæ dæmonem dæmon premat, qua in re illud duntaxat (vt videtur) est miserum, quod nonnunquam sceleratorum supplicijs miscentur innoxij, & nimis verum, crebrumq; comprehenditur illud Flacci: Sæpe dies pariter neglectus incesto addidit integrum, quod ipsum non sine certa, licèt vobis occulta iustitia Dei fieri indubitata fide creditur. D. Crudelem dominum perpetimur. R. Crudelitas mala quidem, & naturæ hominum aduersa, sed vtile vitijs, & lasciuienti populo frenum, pauor vndecumque oriens. Amare inicijs expedit timere, quidquid id quidem sit. Nemo tã trux dominus, vt non truculentior sit voluptas prosperitatis comes ac filia. Malè agentibus nihil peius, quã securitas ac libertas. Qui nihil metuit, proximus est ruinæ. D. Iniquum dominum infausta plebs patitur. R. Nullus, mihi crede, misera in plebe miserior, quã tyrannus, quod si dubitas, Dionysium contemplare. Ille, vir improbus nec indoctus, de seipso suaq; tyrãnide quid sentiret, apertissimè pendentis supra amici verticẽ gladij cuspide declarauit. Nota est historia. Timet plebs tyrannum, & tyrannus plebem. Sic reciproco pauore se cruciant. Hoc refert, quod miseria plebis apparet, ac tyranni latet, non minus tamen affligit purpureo velamine tectum vulnus, neque minus aureæ grauant compedes, quàm ferreæ. Est & sua vt in sordibus, vtq; in fumo, sic lautitijs, ac splendore miseria. Aurea quidem tyranni vestis extrinsecus, obuerte illam, ardentibus intus aculeis plena est. Ita, vt vides, non penitus, aut impunè sæuiunt tyranni, aut inulta plebs premitur. D. Inclementissimus nobis est dominus. R. Non tot passim essent domini, nec tam latè furerent, nisi populi insanirent, & cuiq; ciui im prosperis charior foret res priuata, quàm publica, voluptas quàm gloria, pecunia quã libertas, vita quàm virtus. D. Vnum dominum serua fert patria. R. At non vnum, sed triginta simul illa nobilis legum mater, Græciæq; lumen alterum Athenæ. D. Patria dominum vnum fert. R. Multos autem Roma, quis Caligulas oscitat, ac Nerones, & Domitianos, ac Commodos, & Heliogabalos, & Bassianos, & Galienos, ac, ne singula Imperij probra exequar, Maximinos, & pietatis hostes Iulianos, ac Decios? Sardanapalum Assyria pertulit, Cyrum Persia, Alexandrum Græcia, atque Asia reges dictos, verè autem tyrannos acerrimos, & immites tulit, & Dionysios: Sicilia Phalaridem, Agathoclem; Lacedæmon, Cleomenem, Nabidemq;, quem Argi quoque perpessi, fœmineamq; vxoris auaritiam, quæ viro ipso rapacior in sexu suo tyrannidem miris modis exercuit, sed quo feror? quis autem veteres, aut nouos numeret tyrãnos? qui iam multi hodie, tamq; altè, hinc suis opibus, ac potentia populorum, illinc moribus atque dementia radicati sunt, vt nec numerari iam valeant, nec conuelli, neque minus apud vos quàm apud Aegyptios, aut Medos libertate pessundata, ac sepulta, versa seruitus in naturam sit, sicut pars maior populorum tyrãnum si non habeat, quæsitura precario, seu precio emptura videatur, vsque adeo patres veros esse, quod nati erant, puduit, vos enim pene omnes in seruitio nati, atque educati, vt doloris antiquam, sic nouam querelæ materiam non habetis. D. Potentis domini graui premimur iugo. R. Aristophanis poetæ vtilis fabella, quæ monet, non nutriendum in vrbibus leonem, tamẽ si nutritus fuerit, obsequendum illi esse, nec tyrannidis naturale malum impatientia cumulandum, quamq; ipse feceris potentiam, detrectandum. Raro equidem tyrannus absque culpa ciuium surrexit in populo. Vetus est autem verbum: Ede quod intristi. D. Dominũ importunum patimur. R. Si omnis potestas à Deo est, seu ad bonorum exercitium, seu ad malorum pœnam, par est, vt diuino imperio te subiectum sentias, non humano. Cuius si minister immitior videtur, patientia fortassis efficiet, vt mitescat. Vix est vllum tam ferox ingenium, vt non obedientia, & obsequio leniatur: vel ferendum denique, vel ponendum omne, quod premit. Nempe nihil est tertium, præter impatientiam, quæ (vt dixi) molesta non minuit, sed aceruat. D. Malus nobis est dominus. R. Omnes vos vnum habetis notum hostem. Vnus ille multos habet incognitos, periculosior status. D. Dominus nobis est pessimus. R. Sed non erit diu, si benè Philosophis visum est: Violentum nil esse diuturnum. Et sanè, si vel vnum patria ciuẽ bonum habeat, malum dominum diutius non habebit.

De bono domino. Dial. LXXXV.

Gavd.

Dominum bonum habeo. R. An habeas, an verius habearis cogita, sed loquendi mos est, sic dominum habetis, vt scabiem siue vetussim. Multa sunt, quæ habentur inuitis possessoribus. Molestiæ opes, quibus non liceat caruisse. G. Bonum dominum habeo. R. Libertatem igitur amisisti, hunc & illam vno tempore nemo habet. Iam neque furores, de quibus modò agebas, neque filiæ, neque nurus, neque coniux demum ipsa, neque patrimonium, neque vita in tuto sunt, propter vnum, quem habes, dominum, habere simul omnia desijsti. G. Bonum mihi, & patriæ dominum sors dedit. R. Incompassibilia, penitusq; contraria. Nam si bonus, non dominus, si dominus, non bonus, præsertim si se dominum dici velit. G. Bonus est dominus. R. Boni sunt parentes. Boni fratres, ac filij esse possunt. Amici autem semper boni, alioqui nec amici sunt, dominum bonum dici, blandum mendacium, atque adulatio nota est. G. Optimum dominum habemus. R. Rectorem populi fortassis, & Reipublicæ defensorem, quo nil actuum humanorum acceptius Deo ferunt. Illum verò non dicam optimum, sed bonum, & non potius pessimum quis dixerit? qui quod habent optimum libertatem, summum ac præcipuum vitæ bonum, suis ciuibus eripuit, proq; vnius explenda voragine, quæ expleri nequit, tot millia miserorum siccis oculis intueri potest. Neque eum, etsi non iustitia, aut misericordia, saltem pudor à tam mœsto retrahit spectaculo, sit licèt affabilis, sit blandiloquens, sit postremò munificus in paucos de multorum spolijs. Hæ sunt autem artes tyrannorum, quos vulgus dominos vocat, carnifices experitur, hæc præstigia attonitis ingerũt luminibus, hanc hamis, & laqueis prætendunt escam, sic credulos aucupantur. G. Dominum habeo præpotentem. R. Is in cœlo vnus est, qui se iure suo Dominum dixit, & dici voluit. Nam terræ dominus Augustus Cæsar edicto vetuit se dominum dici. Ille Deorũ Deus, iste hominum Imperator. Ille maiestatem tenuit, iste modestiam. Denique & super hoc populum Romanum grauissimè corripuit. Sic enim de ipso scriptum est, & domini appellationem, vt maledictum, & opprobrium semper exhorruit. Quod successorem quoque longè rebus omnibus imparem, tamen obseruasse compertum est: qui licèt dominandi auidus, titulo tamen dominationis abstinuit, atque ita se, inter ambitionem, & verecundiam medium tenens, esse dominus voluit, dici autem noluit. Vt qui sciret iniustum esse, quod cuperet, saltem exprobrationis iniuriam vitaret. Durum enim, superbumq; & graue nomen est dominus, illic maximè, vbi amor libertatis, ac seruitij pudor est. Sequutus horum vestigia Alexander, hic Romanus princeps, vt priuato sibi non altius scribi voluit. Nam ille alter Macedo non dominus modò, sed Deus dici voluit, quem sequuti animo huius temporis latrunculi, vna vrbe, vel altera vix insidijs oppressa, non tantum dici volunt, sed dici homines erubescunt, atque ad iniuriam trahunt. G. Dominum habeo verè optimum. R. Verè vnus est dominus, quem si habes, honestissima regnisq; felicior seruitus tua est. G. Iustum dominum, regemq; optimum habemus. R. Inter regem & tyrannum non discernunt Graij, secundum quod poeta noster de rege loquens, ait: *Pars mihi pacis erit, dextram tetigisse tyranni.* Apud vos autem vt intersit, non nisi propositum, vitæq; series facit. Qui iustitia regit, ac regitur, ille demum verus est rex. At qui ea altiore fastigio non salutis publicæ speculator, sed priuatæ libidinis procurator, vel rapinam cogitans, vel vindictam, cupiditati, aut iracundiæ suæ paret, & rapidis, atque effrenis animi motibus ceditas malorum dominorum seruus, & si altior cunctis appareat, sceptroq; aureo, ac veste purpurea superbus incedat, vtiq; rex non est, sed propter exercitium, aut supplicium populi promotus prædo, eoq; loci positus, vnde liberiori sæuiens flagello, atque hos probans, illos puniens, cunctos vexans, & exagitans, ignarus quidem, ac passioni obsequens, nutu tamen illius, qui mala bonos vertit in vsus, iustum Dei iudicium iniustis

licèt ac scelestis manibus exequatur, quasi æquam pij iudicis sententiam tortor sæuus. G. Iustum piumq. regem habet patria. R. Rarum bonum, & Reipublicæ felicissimus status, nisi præsens gaudium futuri metus rerum felicium semper suspecta breuitas minueret, amissiq; desiderium mox venturas cumulaturus miserias obseruaretur animis humana noscentium, volubilemq; fortunæ rotam: quæ nil prosperum longum sinit, lenit quidem mali sensum consuetudo, inflata deijciunt, vnde optimum quidam semper prospero caruisse diffiniunt, quod non diceretur, si prosperitas duraret. G. Iustum habemus & clementem Regem. R. Illo superstite mori opta, ne mutatam regni sortem lugeas. Bonus enim bonum rarò sequitur. Malum peior sæpe, peiorem, pessimus.

Non exercitus, neque thesauri præsidia regni sunt, verùm amici, quos neque armis cogere, neque auro parare queas, officio & fide parantur. *Salust.*

Regiæ voluntates plerumque vt vehementes, sic mobiles sunt ac sæpè ipsæ sibi aduersæ. *Salust.*

Natura mortalium auida est imperij. *Salust.*

Ea demum tuta est potentia, quæ viribus suis modum imponit. *Idem.*

A P O P H T H E G M A T A.

Antigonus pugnaturus aduersus Ptolomæi milites, gubernator cũ admonuit, plures esse naues hostium: Pro quot, inquit, nauibus me supputas, qui hic præsto sum? Sentiens, ad victoriam plurimum habere momenti, si strenuus imperator præsens regat exercitum. Ptolomæus autem tum suis non aderat. *Plut. in Reg. & Imper. apoph.*

Cum quidam corpulentus, ac nitidus equum haberet macilentum, ac strigosum, rogatus, quid esset in causa respondit, mirum non debere videri, si equo suo esset habitior: quandoquidem ipse se pasceret, equum autem curaret seruus. *Gell. & P. M. imprim. Fronte & spicilogio.*

Quidam interrogatus, quæ res potissimum saginaret equum? respondit: Oculus Domini. Alter rogatus, quod stercus esset optimum? Domini vestigia, inquit. Vterque autem significauit, domini præsentiam plurimum habere momenti ad rem gerendam. *P. M. loco iam citato.*

A D A G I A.

Aureæ compedes. Χρυσαῖ πέδαι.

Dicitur seruitus splendida, & amabilis, qualis est in aulicorum vita.

Argentum accepi, imperium vendidi. *Plautus.*

Qui accepit beneficium perdit libertatem.

Spartæ seruus, maximè seruus. Ἐν Λακεδαίμονι ὁ δοῦλος, μάλιστα δοῦλος.

In hominem illiberali, & seruili admodum conditione vtentem.

Spartæ enim nefas erat seruis vllam liberalem artem, vel discere, vel exercere.

Subiugus homo. Ἀνδράποδον ὑποζύγιον.

De eo qui non arbitratu suo, sed alieno iussu facit quippiam.

Lenta chordula vinctus. Λίνῳ κρόκῃ δεθείς.

Etiam de splendida aulicorum miseria, & seruitute dici potest. Quum nimirum quis exiguo commodo captus, apud aulicos ostentatur passim, quod principi carum & acceptum. Lucianus.

Samij literati. Σαμίων ὁ δῆμος ὡς πολυγράμματος.

Iocus à repertis apud Samios literis, aliisq; traditis, ad stigmata versus. Nam Samij simul & accipiebant, & tradebant infames notas.

Cum larcuis enatare.

Id est sese recipere in libertatem, contemptis seruitutis præmijs. Seneca.

Iactare iugum.

Est incommodè ferre seruitutis necessitatem.

D O M V S.

D E F I N I T I O.

Domus, Græce οἰκία. ας, ἡ. & οἰκιακός. οῦ, ὁ, domesticus dicitur. Est autem domus quotidiana societas, *secundum Aristot. lib. 1. Polit.*

Domus Græcum videtur, illi enim δῶμα. ατος, τὸ, tectum appellant.

Domus propriè est ædificium ad habitandum factum, quod ex tecto, & pariete constat. Ponitur tamen pro quocunque habitaculo. Vnde etiam nidos auium domos dicimus, Virg.

Antiq. Arg. domos auium cum stirpibus imis.

Domus facit genitiuo domus, vel domus: quando domi, locum significat, vt domi est: quando domus, significat ipsum corpus.

Domus, Hebr. *Bayth*, omne receptaculum aliquid capiens. Synecdochicè sumitur, continens pro contento, vt domus pro tota familia. Significat etiam domus populum: vt, domus Israel. 2. Tribum & partem populi: vt, domus Aaron. 3. Varia loca. 4. Mortale corpus, Iob 14. 19. Eccles. 12. 3. 2. Corin. 5. 1. 5. Sepulchrum, Eccle. 12. 7.

Domus Dei, Ecclesia, de qua variæ appellationes, & sententiæ. 1. Locus quæuis gratiosam, & peculiarem Dei præsentiam indicãs. 2. Tabernaculum a Mose factum. 3. Templum Hierosolymitanũ. 4. Ecclesia ex Iudæis & Gentibus collecta, atque constituta. 5. Cœlum Beatorum: Ioan. 14. 2. 2. Cor. 5. 1. &c. 6. Domus mysticæ Salomon meminit sæpè in Cantico Canticorum.

L O C I B I B L I C I.

Domestici Dei fideles, *Ephes. 2. vers. 19.* Domestici hominis inimici eius, *Matth. 10. v. 36.* Domesticorum habenda ratio, *1. Tim. 5. v. 8.* Exemplum: Dauid, *Psalm. 101. v. 2. 6.* Domestici fidei, *Gal. 6. vers. 10.* vocantur, qui per fidem sunt in eadem, atque nos familia Domini.

Domus discalceati, *Deut. 25. 10.* Domus leprosa mundanda, & quomodo, *Leuit. 14. vers. 36.* Domus regia in Ierusalem incenditur, *Ierem. 52. v. 12.* Domus pro ijs, qui in eadem domo versantur, synecdoche, *Matth. 10. vers. 12.* pro hospitio, *9. 28.* Domus appellatio interdum eos etiam comprehendit, qui vel cognatione attingebant eiusdem familiæ ciues, vel ex illorum fratribus oriundi, vt apparet ex *Luc. 1. 27.* Domus Israel, id est, gens Israelitica, *Matth. 15. versic. 24.* Super domos proclamare iubentur Apostoli Euangelium, *Matth. 10. v. 27.* id est, in ipsis ædium tectis, populo circumstanti, ac prætereunti: ita enim erant fabricata ædium summa, vt in illis ambulare, & versari possent, vt liquet ex *Deut. 22. v. 8. 2. Sam. 11. v. 2. Act. 10. v. 9.* Domus super petram ædificata firma manent, *Psalm. 46. vers. 2. Matth. 7. v. 24. & 16. v. 18. Luc. 6. 48. Roman. 8. 35.* Domus terrestris, & cœlestis, *2. Cor. 5. v. 1. 2. Petr. 1. v. 14.* Domus venditæ, & eius lex, *Leuit. 25. vers. 25.* Domus custos, mulier, *1. Timoth. 5. vers. 13. Tit. 2. vers. 5.* in domo docenda mulier, *1. Cor. 14. 35.*

S E N T E N T I Æ B I B L I C Æ.

Domus cœlestis.

In domo Patris mei mansiones multæ sunt. *Ioan. 14.*

Scimus, quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quod ædificationem ex Deo habemus: domum non manu factam, sed æternam in cœlis. *2. Cor. 5.*

Domus spiritualis virtuosè ædificatur.

Ad quem accedentes lapidem viuum, ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum, & honorificatum, & ipsi tãquam lapides viui superædificamini domus spirituales, sacerdotium sanctum, offerẽtes spirituales hostias acceptabiles Deo per Christum Dominum nostrum. *1. Petr. 2.*

Gratiosè inhabitatur.

Et Moyses quidem fidelis erat in tota domo eius, tanquam famulus, in testimonium eorum, quæ dicenda erant. Christus verò, tanquam filius in domo sua, quæ domus sumus nos, si fiduciam, & gloriam spei vsque ad finem firmam retineamus. *Hebr. 3.*

Domus corporalis benè construitur.

Nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui ædificant eam. *Psal. 126.*

Prepara foris opus tuum: & diligenter exerce agrum tuum, postea ædifica domum tuam. *Prou. 24.*

Qui ædificat domum suam impendijs alienis, quasi qui colligit lapides suos in hieme. *Eccl. 21.*

Væ qui ædificat domum suam in iniustitia, & cœnacula sua non in iudicio: amicum suum opprimet frustra, & mercedem eius non reddet ei. Qui dicit, ædificabo mihi domum latam. *Ier. 22.*

Malè destruitur.

Qui conturbat domum suam, possidebit ventos: & qui stultus est, seruiet sapienti. *Prou. 11.*

Domus impiorum delebitur: tabernacula verò iustorum germinabunt. 14.

Domum superborum demolietur Dominus. 15.

Conturbat domum suam, qui sectatur auaritiam. *ibid.*

Melior est buccella sicca cum gaudio, quàm domus plena victimis cum iurgio. 17.

In pigritijs humiliabitur contignatio, & in infirmitate manuum perstillabit domus. *Eccl. 10.*

Obiurgatio, & iniuriæ annullabunt substantiam, & domus, quæ nimis locuples est, annullabitur superbia: sic substantia superbi eradicabitur. 21.

Debitè gubernatur.

Nouit iustus iumentorum suorum animas. *Prou. 12.*

Domus iusti plurima fortitudo: & in fructibus impij conturbatio. 15.

Noli esse sicut leo in domo tua euertens domesticos tuos, & opprimens subiectos tibi. *Eccl. 4.*

Et

Et à filijs tuis caue, & à domesticis tuis attende. 32.

Filio & mulieri, fratri & amico non des potestatem super te in vita tua: & ne dederis alij possessionem tuam: ne forte te pœniteat, & depreceris pro illis. 33.

Dum adhuc superes, & aspiras, non immutabit te omnis caro. Melius est enim, vt filij tui te rogent, quàm te respicere in manus filiorum tuorum. *ibid.*

Pietè formatur.

Sicut auis transmigrans de nido suo, sic vir, qui derelinquit locum suum. *Prou.* 27.

Initium vitæ hominis, aqua & panis, & vestimentum, & domus protegens turpitudinem. *Eccles.* 29.

Melior est victus pauperis sub tegmine asserum, quàm epulæ splendidæ peregrè sine domicilio. Minimum pro magno placeat tibi, & improperium peregrinationis non audies. Vita nequam hospitandi de domo in domum, & vbi hospitabitur, non fiducialiter aget, nec aperiet os suum. Hospitabitur & pascet, & potabit ingratos, & adhuc amara audiet. Transi hospes, & orna mensam, & quæ in manu habes, & ciba cæteros. Exi à facie honoris inimicorum meorum: necessitudine domus meæ hospitio mihi factus es frater. Grauia hæc domini habenti sensum. Correptio domus, & improperium fœnerantis. *ibid.*

Domus amica, domus optima. *οἶκος φίλος, οἶκος ἄριστος.*

A D A G I A.

Nusquam commodius, liberius, lautius homini viuere contingit: quàm domi. Vnde Germani etiam solent dicere: wer will haben gemach, der bleib vnder seinem tach. item, Hausgemach ist vber alle sach. item, Eigner herdt ist goldes wert.

Οἰκουρός.

Domum quasi custos domus. & homo ignauus, qui tecto, & vmbra gaudet, quique amat desidere domi semper.

Domi manere oportet bellè fortunatum. *οἰκουρεῖν δεῖ τὸν καλῶς εὐδαίμονα. Senarius est.*

Domi manendum est, cuncta cui sint prospera.

Hoc est: Cui suppetit copia facultatum, is si felicem velit vitam agere, viuat domi. Wer will haben ruhe, der bleib bey seiner kuhe.

Domus optima.

Infelicissimum incertis vagari sedibus, quemadmodum faciunt semper errantes, peregreq; viuentes. Huc adlusisse videtur Homerus.

Πλαγκτοσύνης δ' οὐκ ἔστι κακώτερον ἄλλο βροτοῖσιν.

Id est.

Nil miserabilius, quàm incerta sede vagari.

Transferri poterit ad eos, qui semper inter quaslibet opiniones, aut qui subinde mutant amicos, aut institutum vitæ.

Domi manendum.

Inutile diutius abesse domo, relictis possessionibus. In eam sententiam quadrabit illud ex Odyss. γ.

Καὶ σὺ φίλος μὴ δηθὰ δόμων ἄπο τῆλ' ἀλάλησο,
Κτήματά τε προλιπὼν, ἄνδρας τ' ἐν σοῖσι δόμοισι.

Id est.

Tu quoque amice domo diuturnus abesse caueto,
Rebus itemq; viris intra tua tecta relictis.

Focus luculentus in ædibus.

Primum ornamentum domus esse, vt focus luceat. Proinde qui in ædes nouas immigrant, ante omnia iubent ignem incendi. Huc quadrabit illud Homeri ex Odyss. χ. apud quem Vlyss. a:

Πῦρ νῦν μοι πρώτιστον ἐνὶ μεγάροισι γενέσθω.

Id est.

Nunc ante omnia mi lucescat in ædibus ignis.

D O N A T I O.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

DOnatio, Græcè *δωρεά, & δώρημα*, donum dicitur. Est autem donatio rei licitæ, nullo iure cogente, mera liberalitate facta collatio. *secundum Hostiensem.*

Donatio dicitur, quasi dono datio, *vt habetur ff. de don. causa mortis. l. Senatus. § 1.*

Donum aliqui volunt Græcum esse, *δῶρον*. Et est datio irreddibilis, *secundum Arist. lib. 4. Topic.*

Donū quomodo differat à munere, & præmio. *Vide infra in Munus.*

Donaria non sunt loca, in quibus dona reponuntur, vt quidam putant malè sentientes, sed sunt ipsa dona, quæ dijs offeruntur, sacrasq; mensas, & aras ornant. *Macrob.* Ornamenta verò sunt clypei, coronæ, & huiusmodi donaria.

L O C I   B I B L I C I.

Dona Dei, vide Dei dona. Donorum Dei abusus, eiusq; pœnæ exempla: Agar, *Gen.* 16. *v.* 3. 4. 5. 6. Esau, 25. *vers.* 31. 32. *Hebr.* 12. 16. Vide Contemptus.

S E N T E N T I Æ   B I B L I C Æ.

Dona Dei veniunt à Deo.

Et quis ante dedit mihi, vt reddam ei? *Iob* 41.

Bona & mala, vita & mors, paupertas, & honestas à Deo sūt. *Eccl.* 11.

Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia: ipsi honor, & gloria in secula seculorum. Amen. *Rom.* 11.

Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? 1. *Cor.* 4.

Vnicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi. Propter quod dicit: Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. *Ephes.* 4.

Nolite itaque errare fratres mei dilectissimi. Omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est, descendens à patre luminum. *Iac.* 1.

Multipliciter ea dinantur.

Sicut enim homo peregre proficiscens, vocauit seruos suos, & tradidit illis bona sua, & vni dedit quinque talenta, alij autē duo, alij verò vnum: vnicuique secundum propriam virtutē. *Matth.* 25.

Sed vnusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidē sic, alius verò sic. 1. *Cor.* 7.

Vnicuique autem datur manifestatio spiritus ad vtilitatem. 12.

Vnusquisque sicut accepit gratiam in alterutrum illam administrantes: sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei. 1. *Pet.* 4.

Vtiliter operantur.

Intellectus bonus omnibus facientibus eum. *Psal.* 110.

Datio Dei permanet iustis, & profectus illius habebit in æternum. *Eccl.* 11.

Abijt autem qui quinque talenta acceperat, & operatus est in eis, & lucratus est alia quinque. Ait illi Dominus eius: Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te cōstituam, intra in gaudium domini tui. *Matth.* 25.

Omni autem cui multum datum est, multum quæretur ab eo: & cui commendauerunt multum, plus petent ab eo. *Luc.* 12.

Dona humana fructuosè tribuuntur.

Donum hominis dilatat viam eius, & ante principes spatium ei facit. *Prou.* 18.

Munus absconditum extinguit iras, & donum in sinu indignationem maximam. 21.

Victoriam & honorem acquiret, qui dat munera. 22.

Fili in bonis non des querelam, & in omni dato non des tristitiam verbi mali. Nonne ardorem refrigerabit ros? Sic & verbum, melius, quàm datum. Nonne ecce verbum super datum bonum: Sed vtrumque cum homine iustificato. *Eccl.* 18.

Est, qui multa redimat modico pretio, & restituens ea in septuplum. 20.

Cum dederis, ne improperes. 41.

Beatius est magis dare, quàm accipere. *Act.* 20.

Periculosè accipiuntur, quia libertatem adimunt.

Animam autem aufert accipientium. *Prou.* 22.

Stultus odiosè exprobrat, & liuidique donum tabefacit oculos. *Eccl.* 18.

Est datum, quod non est vtile, & est datum, cuius retributio duplex. 20.

Datus insipientis non erit vtilis tibi: oculi enim illius septemplices sunt, exigua dabit, & multa improperabit, & apertio oris illius inflammatio est. *ibid.*

Veritatem peruertunt.

Nec accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes, & subuertunt verba iustorum. *Exod.* 23.

Qui odit munera, viuet. *Prou.* 15.

Xenia & dona excæcant oculos iudicum, & quasi mutus in ore auertit correctiones eorum. *Eccl.* 20.

Pœnam adducunt.

Ignis deuorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt. *Iob* 15.

Non sit porrecta manus tua ad accipiendum & ad dandum collecta. *Eccles.* 4.

A P O P H T H E G M A.

Diogenes. Cuidam pallium à Diogene repetenti lepidissimè respondit Diogenes: Si donasti, habeo: si commodasti, vtor: significans, sibi non esse in animo reddere, siue dono, siue commodato accepisset. Turpe est reposcere, quod dando dederis: & inhumanum est eripere, quo vtendi est opus. *Laert. lib.* 6.

S I M I L I T V D O.

P. M. Vt non quiuis pictor quauis in parte artis valet, sed hic in dijs exprimendis præcipuus, alius in vultibus reddendis, alius in lineis excellit, alius in colorum mixtura, alius in symmetria: Sic qui virtutem profitentur, alijs dotibus eminent alij. Item in eloquentia, seu literis. *In similibus.*

E X E M P L A   B I B L I C A.

Donorum oblatorum exempla: Seruus Abraham. *Gen.* 24. *v.* 52. 53. Populus Israeliticus ad fabricationem Tabernaculi. *Exod.* 36. *v.* 6. Dauid, 1. *Sam.* 30. 26. Iosias, 3. *Esd.* 1. *v.* 6. 7. 8. Assuerus, *Esth.* 2. *v.* 18. Cognati Iob, *Iob* 42. *v.* 11. Ionathas. 1. *Machab.* 10. *v.* 60. Alexander. *v.* 8. 9. Christus, *Luc. v.* 12. Pilatus. *Marc.* 15. *v.* 45.

P R O F A N A   E X E M P L A.

Temistocles exul à Persarum rege Artaxerxe honoratus plurimis

donis:

domus, ac cito factus opulentus, filijs suis: Filij, inquit, periremus, nisi perijssemus. *Plut. in apoth.*

Ciuilis sedicionis, quæ in *Xilis IV Potestatis* te-npora incidit. Pompo nij Attici domo temere direpta, tam multa sunt hinc inde illinc congesta ab amicis, & affectatoribus, vt pene plura accepisse credatur, quam amiserit. *Ibidem in Pompeij vita.*

Porsenna Hetruscorum Rex, cum inita cum Romanis pace, castra ab vrbe Roma moueret, militibus impera-it, ne præter arma aliquid secum ferrent, verum omnia alia in tabernaculis relinquerent, quod ea Romanis dono dabat. *Bapt. Fulg. li. 4.*

Vide, Munera.

D O S.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Dos, Græcè φερνὴ προὶξ. Et est donatio facta a patre mulieris, vel ab extraneo, vel facta a muliere ipsi viro pro oneribus matrimonij sustinendis *secundum Canoni. aut Gof. & Hosti. cap. Raymundus, de testa.*

Dos non solum et dicitur, quæ marito ab vxore datur, vnde bona dotalia: sed etiam quidquid alicui datum est, vel à natura, vel ab hominibus, vnde dotes animi dicimus, prudentiam, iustitiã, cæterasq; virtutes, item dotes corporis, vires, pulchritudinem, bonam valetudinem, & alia huiusmodi. Dicitur autem dos à do, das.

SENTENTIÆ POETARVM,
Horat. 3. Carm. 24.

Dos est magna parentium
Virtus & metuens alterius viri
Certo fœdere castitas,
Et peccare nefas, aut pretium mori.

Plaut. Am. b.

Non ego illam mihi dotem duco esse, quæ dos dicitur,
Sed pudicitiam & pudorem, & sedatum cupidinem,
Deum metum, parentum amorem, & cognatum concordiam,
Tibi morigera, atque vt munifica sim bonis, prosim probis.

Idem Aulul.

Dummodo morata rectè veniat, dotata est satis.

Bias per Auson

Quæ dos matronis pulcherrima? vita pudica.

Plaut. Pers.

Tu e stulte, non tu nunc hominum mores vides
Quoiusmodi hic cum mala fama facile nubitur.
Dum dos sit, nullum vitium vitio vortitur.

Plaut. Asin.

Argentum accepi dote imperium vendidi.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Francisci Petrarchę.

De optima dote. DIAL. LXVIII.

GAVD.

Dote aucta sum optima. R. Et optima tyrannide malum malo additum Superbiæ coniugalis duo stimuli, dos & forma. G. Multum dotata vxor est mihi. R. Multum dotata vxore nihil est importunius, nihil intractabilius, nihil sibi non licitum arbitratur, quæ suas opes mariti comparat egestati, quæ vitum pascit, dominum se putat esse, non sociam. G. Magna dos meum subijt limen. R. Vnde dos ingreditur, inde libertas egreditur, quod bene prouiderat Lycurgus, cuius lege cautum fuit, vt indotatæ nuberent, adiecta ratio, vt vxores eligerentur, non pecuniæ, seueriusq; matrimonia sua viri coercerent, cum nullis frenis dotis tenerentur, vtrumque sapienter. Nam & verè multis in domibus, non viro vxor, sed pecunia, ubi auaritiæ, & est vtique magna dos licentia coniugis, frenum viri. G. Ingens cum vxore dos obuenit. R. Muta ordinem, imo enim cum ingenti dote vxor subijt, quam libentius exclusisses, si sola posset excludi plane. Coniugium obscœnum, vbi non spe prolis ad cubiculum viri virgo sed ad arculam auaritiæ impulsu dos concupita deducitur. G. Magnam mihi dotem vxor attulit. R. Dic verius, magnum precium libertatis tuæ, quæ si tibi chara esset (vt decuit) nullo eam precio vendidisses. G. Dotissima mihi vxor obtigit. R. De moribus nihil narras. Nempe nihil, vt reor, de moribus cogitasti, de quibus optimis fœminæ dotibus, fide, verecundia, castitate, modestia. Sunt vobis illa contempta, & solum in nuptijs vestris attenditur dos, & forma, hoc est auaritia & libido, pronuba matrimonijs his condigna. G. Pecuniosissima est coniux. R. Vide an non Themistocleum illud consilium, quod dicitur: Malle se virum pecunia, quam pecuniam viro indigentem, rectè etiam ad fœminas trahi posse. G. Vxor mihi perdiues est. R. Quanto melius erat cum inopi requiescere, quam laborare cum superba, melius et forte in paupercula humili, quam cum insolenti diuite litigare. G Coniugis dos immensa est. R. Consequens est, vt ei a tuo animi libertatem timor autem viri nullus. Non audebis vitia reprehendere, dum respicies dotem, non præsumes humiliare illam, per quam te meminens superbire, nec fastidia dotatæ ac tædia, sed proba etiam & iniurias tolerabis. Ac fortè te non Aurelij Antonij principis meministi illius, qui philosophi cognomen ob imperium non omisit? qui cum vxoris nosceret adulteria, & amici, vt eam vel occideret, vel saltem dimitteret, hortarentur, respondebat: Si vxorem dimittimus, reddamus, & dotem, dos autem erat imperium. Vides, vt ingentis viri animum dos frenabat, tuum forsitan non frenabit, G. Dos quam maxima, infinita, inæstimabilis est. R. Dos matrimonij oneribus supportandis nó auaritiæ æstib.s irritandis inuenta est. Itaque quo magis illam exaggeras, magis infamas, vt quæ vtrinq; mollè sua noceat, & hinc uantis impudenoa, hinc concupiscentiam accipientis auctura sit. G. Est mihi maxima dos vxoris. R. Non quanta sit dos, sed qualis sit vxor refert, & vt dote ipsa nó quantitas certè, sed qualitas existimanda est, vnde scilicet profecta, quibus parta modis, multæ magnæ dotes malis artib. sunt quæsitæ. Hujusmodi nostri, quorum nupoja non pietate parria, sed stupris ac dedecore dos constabat.

APOPHTHEGMATA.

Chilon dicere solebat, vxorem humilem modico apparatu ducendam esse, ne pro cõiuge dominam in domum accersas: sat enim dotata venit puella, quæ pudicitiam & honestos mores secum adfert. Propterea hæc erat vnum ex Laconica institutis, vt virgines fine dote nuptum irent. *Laert. l. 1. c. 4.*

Lycurgus interrogatus, cur lege cauisset, vt absque vlla dote virgines elocarentur? Vt, inquit, neque propter inopiam vllæ relinquerentur innuptæ, neque ob diuitias expeterentur. *Plut. in Lacon. apoph.*

Ephori. Lysander pulchras habebat filias, quarum nuptias, quum quidam, viuente adhuc Lysandro, peterent, eo defuncto, filiarũ nuptias recusabant, ijs Ephori dixere mulctam, eo quod quem diuitem esse credentes coluerunt, eundem iustum ac probum ea paupertate agnitũ contemnerent. Hoc vt apophthegma non est, ita liberè est exemplum seueritatis, quod admoneat in coniugiis matrimonijs magis spectandam virtutem, quam censum, cosq; perfidos & inconstantes esse amicos, qui amicitiam commodo metiuntur, cuius spe adempta, protinus recedunt ab amicitia. Quin & illud nos admonet, honestius esse famã, quam pecunia niteseere. *Plut. in Lacon.*

Lacæna quædam virgo paupercula rogata, quam sponso dotem esset allatura? Pudicitiam, inquit, à maioribus traditam. Generose professa est, eam esse pulchre dotatam, quæ mores incorruptos afferret ad nuptias. *Plut. in apoph. Lacænarum.*

Hermocrates, Antipater Hieropolites, quum ducturus esset Seueri Cæsaris filiam, forma parum fælici; & familiarium quispiam interrogaret, quando laturus esset τὰ ἀνακαλυπτήρια (sic appellabantur munera, quæ sponsæ amici deferebant spon sore tertio die, quo sponsa debebat exhiberi spectanda) Hermocrates lepidissime respondit: κατακαλυπτήρια μᾶλλον ἢ ἀνακαλυπτήρια, Εια. lypteria potius, quum talem ducat, ἢ ἀνακαλυπτήρια, et rege aut ἀνάγκη ego. Quod deforme est, tegi magis oportet, quam retegi. *Philostrat in Sophistis.*

M. Antoninus: eius vxor Faustina malè audiebat vulgo: Itaque hortantibus amicis, vt eam repudiaret, si nollet occidere: vxorem, inquit, si dimittimus, reddamus & dotem. Dotis nomine signans imperium, quod a socero, volente Adriano, adoptatus acceperat. *Iulius Capitolinus.*

Vide Nuptia, Sponsa, Vxor.

D V B I T A T I O.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Dubitatio, Græcè ἀπορία, ατ & ἀπορῶ. dubito, dicitur. Est autem dubitatio iudicio deficiente acceptio vtriusque partis cum formidine, & ad neutram partem determinatio. Dubium, Græcè ἀμφίβολον ατ & ἀμφιβάλλω, dubito dicitur. Est autem dubium motus indifferens in vtramq; partem contradictionis. *secund. Isid. lib. etymol.*

Dubium est æqualitas rationum contrariarum. *secundum Philosophum.*

Dubius à de & habeo componitur, quasi dehabens, hoc est, nó intelligens, vnde sit dubito, & subdubito, id est, aliquãtulum dubito, & subdubius, id quantulum dubius, & dubitatio & dubietas, quo veteres vtebantur.

Dubitatio tollenda, *Matth. 7. 7. & 21. 22. Ioan. 14. 13. & 15. 7. & 16. 23. Iac. 1. 6. 7. 8.*

SENTENTIÆ PHILOSOPHORVM.

De discordia animi fluctuantis.

Francisci Petrarchæ. DIAL. LXXV.

DOL.

Animi discordia laboro. R. Nullum hoc bellum peius, ne ciuile quidem. Illud enim ciuibus inter se, hoc homini secum est. Illud inter partes populi, in plateis vrbium, hoc intus in anima, interque ipsas partes animæ geritur. Itaque cum sit belli quædam species, quæ plus quàm ciuile bellum dicitur, vbi non solùm ciues, sed cognati etiam inter se pugnant, quale inter Cæsarem, & Pompeium fuit, de quo dictum est. Ille locus fratres habuit, locus ille parentes, quanto hoc bellum iustius nomen id vindicat, vbi non pater contra filium, nec frater aduersus fratrem, sed homo ipse contra se litigat, quo durante litigio nulla quies animo, nulla potest esse securitas. D. Discordat animus, & diuersis secum pugnat affectibus. R. Diuersitatem illam abijce. Vnum velle incipe, tunc composita erit, & immota pax animi, cùm discordes affectus quasi seditiosi ciues in vnam conuenerint voluntatem. Alioqui vt contrarij, & corrupti humores febrem corporum, sic contrarij affectus febrem pariunt animorum, quæ tanto est periculosior, quanto & animus corpore est nobilior, & æterna mora terribilior temporali. Vtrobique tamen adhibitum temperamẽtum, & æqualitas quædam ad salutem est via. D. Pugnat animus, nec quid velit eligit. R. Malum simul, malique causam stringis, quia nempe non eligit, ideo pugnat. Eligat, & confestim pugna cessabit. Eligat dico bonum velle: Nam si malum, magis magisque certabitur. Vitia enim inter sese pugnant. Semper virtutum concordia summa est. D. Animus in partes scissus dissidet. R. Animũ in tres partes distinxere Philosophi, quarum primam in arce, hoc est, in capite locauere, moderatricem vitæ humanæ, cœlestem, serenam, semper Deo proximam, vbi tranquillæ, honestæque voluntates habitant. Duarum reliquarum, alteram in pectore, vbi iræ æstuant, atque impetus. Alterã subter præcordia, vbi concupiscentiæ, atque libidines. Duplex huius pelagi tempestas, quid agendum igitur tibi sit vides. Fac quod Menenius ille, cuius paulò ante memini, persuasit plebi, vt subesse patricijs in animum induceret, quo impetrato vrbem scissam in duas ad vnitatem salubri consilio reduxit. Et tu coge, vel cõsilio, vel vi, partes ignobiles parere nobilibus, tum demum & non aliter animi pacẽ sperã, qua sublata, quid aliud, quàm vaga semper, & propositi inscia, & fluctuosa, & inconstans vita hominum est, & cæca prorsus, & misera? Multi prius ex hac vita abeunt, quàm quid velint sciant. D. Fluctuo in consilijs, nec quid velim, scio. R. Iam dixi, multis hoc accidere, non vno aliquo tantum in tempore, sed in omni vita, & vsque post vitæ finẽ, & profectò ex omnibus, quæ dixisti, dicturusve es, vix hoc malo peius aliquid inuenies. D. Fluctuo, & in diuersum agor. R. Maximum argumentum malè se habentis animi fluctuatio est, vt enim corpus ægrum sæpè toro voluitur, sic æger animus consilijs agitatur, de quo vix vlla mihi spes salutis: Parumper abest, quin melius sperem de homine vitijs pertinaciter inhærente, qui si conuersus fuerit ad virtutes, in his forsitan constans erit, quàm de homine vario, nullis se consilijs applicante, qui & si boni aliquid inceperit, non consistet, neque perseuerabit, indocilis stare. & fieri potest, vt de hoc intelligere liceat Senecæ illud obscurum, quod tota vita elabitur aliud agentibus, modò enim hoc, modò illud agentes, numquam idẽ, semper aliud agere sunt dicendi, quamuis & alios sensus oculus ille recipiat. D. Inter varias curas iactor. R. Quasi inter tumidos fluctus vitæ tuæ puppis consilij inops, & magistro destituta cõcutitur naufragio proxima, ni tu illam, dum nondum manu clauus excidit, tuto aliquo, & salubri sistas in portu, iactisque anchoris conquiescas, prius quàm te animi tempestas oppresserit. D. Fluctuo propositi incertus. R. Hinc præter animæ pericula, quæ innumerabilia, & immensa sunt, ipse quoque oris habitus prodit, varius, & inconstans, similisque animo, à quo vultus fingitur, vt ait Cicero, dumque hoc in statu fueris, nunc lætus, nunc tristis, nunc pauidus, nunc securus, nunc celer, nunc tardus incedes insigni varietate conspicuus, quale aliquid traditur de Lucio Catilina: at vbi te primum composueris, atque ad vnum aliquid direxeris, vnum velle ceperis, quod bonum vtique sit oportet, quoniam natura malorum semper varia est: vbi hoc, inquam, feceris, præter animi quietem, rerum optimarũ vniformitas quoque vultus, ac tranquillitas consequetur, nec spe vlla, nec metu, nec mœrore mutanda, nec gaudio, res quidem venerabilis, & paucorum hominum, quæ apud veteres Græcos in Socrate, apud vestros in Lælio laudata est, post emò verò in principibus vestris Marco Antonio, & Aurelio Alexandro.

ADAGIA.

Necessarium malum. *ἀναγκαῖον κακόν*

Dicitur quos neque rejicere possis, quod quibusdam in rebus eorum sit necessaria opera, neque commodè ferre, quod viri sint improbi. Dicitur & de fœminis. Vide supra Lo. num 21. Adag. Fœmina est vel pestilentia.

Neque cum malis, neque sine malis.

Aristophanes apud Suidam in Lysistra. οὔτε σὺν πανωλέθροισιν, οὔτε ἄνευ πανωλέθρων. De vxoribus dictum, cum quibus incommodè sanè viuitur, sed nec citra has constant familiæ. Simile illi, quod est in Epigrammatibus.

Nec tecum possum viuere, nec sine te.

Polypi caput. Πολύποδος κεφαλή. *Plutarch.*

In hominem varium, & in quo pariter & vitia quædam & virtutes insignias.

Gaudium dolori iunctum.

Quum pariter accidit, quod & gaudeamus & doleamus (quod genus, si cui parentes opulenti vita discesserint, partim excruciatur morte suorum, partim gaudet hæreditatis obuentu, atque accessione libertatis) conueniet illud Odyss. τ.

Τὴν δ' ἅμα χάρμα τε ἄλγος ἕλε φρένα.

Lætitia hanc mœrorque simul præcordia cepit.

Plus aloes, quam mellis habet. *Iuuenal.*

Apuleius in Florid. Verum verbum est profectò, quod aiunt, nihil quicquam tam prosperè diuinitus hominibus datum, quin & tamen admixtum sit aliquid difficultatis.

Quid primum aut vltimum? τί πρῶτον, ἢ τί ὕστατον

Quoties aut rerum copiam tantam significamus, vt hæsitemus, vnde potissimum exordiamur. Aut quum perplexi dubitamus, quid primum agere debeamus. Lucian.

Etiam capillus vnus habet vmbram suam.

Quantumuis pusillum commodum iuuat, quantumlibet exiguum delictum nocet. Publius Mim.

Vtroque nutans sententia. δίστικολος γνώμη. *Zenodot.*

Conueniet vtique in hominum lubrica fidei, & incertarum partium.

Volens volente animo. ἑκὼν ἀέκοντί γε θυμῷ *Homerus.*

Nonnunquam de ambigente animoque incerto dicitur, Tu voluntate coactus es tua. Terent. in Andria.

Nolens volens.

Euripides in Hecuba.

Ὁ δ' οὐ θέλων τε, καὶ θέλων. id est.

Atque ille nolens pariter ac volens.

Inter pueros senex ἐν παισὶ γέρων.

Conueniet in hominem grandiusculum maiorem, quam vt puer videri possit, minorem quam vt vir.

Aut cucurbitæ florem, aut cucurbitam. ἢ ἄνθος ἢ κολοκύντη.

Id perinde valet, quasi dicas aut mortem, aut vitam: aut lucrum aut damnum.

Aut Plato Philonissat, aut Philo Platonissat. ἢ Πλάτων φιλωνίζει, ἢ Φίλων πλατωνίζει. *Hieron de illustrib.*

Per allegoriam torqueri poterit ad quosuis inter sese vehementer similes.

Aut oportet Tragœdias agere omnes, aut insanire. ἢ χρὴ τραγῳδεῖν πάντας ἢ μελαγχολᾶν.

Dici solitum de his, qui semper quasi stupent, frigentque, & nec gaudere possunt ex animo, nec dolere.

Quocumque pedes ferunt.

Quadrabit, vbi nihil certum spectatur, ad quod nostri dirigantur conatus. Horat. in Odis.

Ire pedes quocumque ferent, quocumque per vndas. Ich vvil ein feder, lein aufblasen, dem vvill ich folgen.

In triuio sum. ἐν τριόδῳ [illegible] λογισμῶν

In eos qui dubitant, quique incerti sunt animi, hæsitantes, quid potissimum eligant.

Ancipitis consilij.

Ad significandum hominem perplexum & ancipitis sententiæ suspensumque animo, Conueniet illud Hom. Iliad. θ.

Μεσσηγὺς γαίης τε καὶ οὐρανοῦ ἀστερόεντος. id est.

In medio terræ simul & stellantis Olympi.

Il ne touche ny ciel ne terre.

Ancipitis animi.

Animus anceps & incerti consilij indicatur hoc versiculo, qui est Iliad. ξ.

Δίχθα δέ μοι κραδίη μέμονε φρεσὶν ὁρμαίνοντι.

Huc animus mihi versanti inclinabat & illuc.

Nauis aut galerus. πλοῖον ἢ κυνῆ.

De re ancipiti dicitur. Nec inepte to dicetur in eos, qui eadem moribus, diuersam personam præseferunt. Es ist ein Schiff oder Scheinhuet. Es ist ein Kuhe oder Zeisstein.

Triceps Mercurius. τρικέφαλος Ἑρμῆς.

Dictum videtur in ambiguos, ac ipsosque, aut in vehementer astutos.

DVRITIES.

DEFINITIO.

Duries, Græce σκληρότης ἀντιτυπία, & σκληρὸν ὅ. durus dicitur. Est autem durum, quod non cedit in se ipsum secundum superficiem. *secund. Arist. lib. 4. Meteor.*

Durum propriè est solidum, ac firmum, cuius contrarium est mol-

le.

le. Per metaphoram autem durum aliquando pro aspero, & nocenti ponimus.

Duritiei in malo exempla. Cain, *Gen.* 4. 13. Pharao, *Exod.* 5. 2. *&c.* Israelitæ, *Exod.* 32. 7. *&c.* *Deut.* 9. 27. 1. *Sam.* 8. 19. 2. *Chr.* 30. 8. Filij Heli, *Sam.* 2. 22. *&c.* Saul. 1. *Sam.* 18. 29. Nabal. 1. *Sam.* 25. 23. filij Seruiæ. 2. *Sam.* 3. 39. vici Iudæ. 2. *Chron.* 24. 1. *&c.* Iudæi, *Esai.* 46. 12. & 48. 4. *Act.* 7. 57.

Durities, Hebr. *Keschi*, à verbo *Kaschahis* Durus & difficilis fuit, crispus & perplexus fuit. Cognationem habet cum *Kaschar*, crudelis fuit.

POETICA SENTENTIA.

Ouid. 1. de rem. amor.

Dura aliquis præcepta vocet mea, dura fatemur
Esse, sed vt valeas multa dolenda feres;
Sæpe bibi succos, quamuis inuitus, amaros
Æger, & oranti mensa negata mihi est.
Vt corpus redimas ferrum patieris & ignem?
Arida nec sitiens ora lauabis aqua.
Vt valeas animo, quicquam tolerare negabis?
At pretium pars hæc corpore maius habet.

SENTENTIÆ PHILOSOPHICÆ.

Francisci Petrarchæ.

De duritie paterna. DIAL. XLIII.

DOL.

Durum patior parentem. R. Durities patris sæpe filio salubris, semper damnosa mollities: non linguæ tantum, sed nec virgæ parcendum docti consulunt, his duobus animorum iuuenilium constat imprimis cura, quæ si frustra sint, grauioribus morbis grauiora remedia adhibentur, abdicatio & carcer, quin & more veteri Romano ad extremum supplicia, & mors, quod non consules modò & Duces, quibus imperium in omnes publici consilij præstaret authoritas: sed priuatos illos priscus, ac seueros patres, quibus sola patria ptas ius in filius daret, sæpe acerrime obstruasse legimus, in quibus maximè Cassij Fuluij nobilitata seueritas. I tu nimis blandum patrem dic durum. D. Patrem patior durum. R. Qualem putas ille te passus est puerum? qualem ve deinceps adolescentem? Difficilè id quidè persuadere his sibi valdè placentib. sed crede mihi, nihil durius, quam ætatis illius inconditos mores pati. D. Patior durum patrem. R. Quid si durus es filius? Dura duris efficacius leniuntur, & sæpe medici mollitia deformior est cicatria. D. Patrem durum habeo. R. Si pater verus est, diligit, & si diligit, non quę mulceant, sed quæ pro sint cogitat. D. Durissimus pater est mihi. R. Quę tibi durissima, illi forsitan vtilia videntur, coi & certius iudicium, & incorruptior est affectus. Adolescentia non nisi quæ sub oculis sunt metitur, ætas maturior multa circumspicit. D. Pater est mihi durissimus. R. Vide, ne tu illi durior, vt dū ille dedecori tuo obstat, tu illius vitam perditis moribus inquietes. D. Perdurus pater est mihi. R. Qui salutem filij negligit, ille demum durus est pater, etsi fronte mitissimus. At qui filium ad rectum iter trahit, ope consilioq; adiuuans, & sæpe verborum, sæpe rerū stimulis impellens, sæpe vel tardum increpitans, vel inuitum cogēs, quamuis seuerior sit aspectu, durus est minimè. Fructuosior filio seueritas patris solet esse, quam comitas. D. Durus est pater. R. Supercilium patern ū, zelus, dolor, metus, ætas excusant. D. Durum patrem ęgre fero. R. Quid si quod multis sic affectis iure accidit, ferre duritiem cogaris alterius? Quid si ipse contumacis filij pater esse incipias? tunc intelliges, quam suaue patris iugum, & quā iustum sit imperium. Nunc nō nisi vnum intelligis, quod delectat, inq. hoc vno iudicium tuum habet, nō delectatione animi, sed titillatione se suum circumuentum. D. Durus mihi pater est. R. Vt sit durus, illum tibi, non te sibi iudicem dat natura, quam sequuta lex ciuilis castigatores parentum filios erubescit. Pudeat te audere, quo vlli filio licere lege puduit. Sic de te iudicet, qui te genuit aluitq; Tu de illo iudicium linque alijs, patremq;, si veræ laudis non est capax, decoro saltem silentio venerare. D. Duris pater est morib. R. Non arguendi mores patrum, sed ferendi sunt. Nihil turpius in Alexandro sonat, quam quod non dicam patrē conuitijs attentasse, sed paternis laudibus inuidisse visus est, de patre vel gloriose loquendum, vel tacendum. D. Habeo durum patrem. R. Habes, vbi amorem, vbi pudorem, vbi patientiā, vbi obedientiam tuam probes. Nullum in terris imperium iustius, quam patris, nulla honestior seruitus, quam filij. Nil tam suum cuique est quam filius patri, nil cuique indignius eripitur. Sed vos præcipiti atque intempestiuo desiderio subesse nati, præesse concupiscitis, sic & patribus vos aufertis, & patrum antè vobis imperium vsurpatis. Duplex indignitas, ita fit, vt insolentia iuuenilis vndique rerum turbet officia. Hinc forte prohibiti de patrū asperitate queremini, vestro digni iudicio, quibus omnia liceāt, ob id vnum, quod nati estis, & placere vobis ad speculū didicistis, tum demum cum præesse cœperitis, sensuri, quam id vobis turpiter ante tempus optatum esset. D. Rigidus pater est mihi. R. Quid si pius est rigor, pater filio rigidam pietatem, patri filius obsequiuos reuerens obedientiamq; humilem debet: de Manlio Torquato in historijs, & apud M. Tullium legisti, vt per indulgens in patrem, idem acerbè seuerus in filium fuit: vulgi fortè iudicio reprehensus in altero, ab incorruptis æstimationibus in vtroque laudatissimus, tanta diuersitas rerum est. D. Pater durus est mihi. R. Sero bona vestra cognoscitis, ò mortales; At cū nosse cœpistis, nimis agnoscitis, hinc & præsentia fastidits, & amissa lugetis. Alterum superbe nimis, alterum nimis humiliter. & vbi agendæ grates, & vbi habenda patientia, vtrobique querimoniæ, nusquam æquanimitas, sic in Deum atque homines grati estis. D. Durus est pater mihi. R. Veniet tempus, quando hunc ipsum patrem suspires, nec responsurum voces. Et qui tibi nunc videtur saxis durior, plumis mollior videatur. D. Durum patrem habeo. R. Patrem dum habueris, non agnosces.

Vide, Obstinatio, Pertinacia, Induratio, Peruicacia.

DVX.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

DVx. ducis. communis generis, qui ducit, ductor, qui præest exercitui, imperator, qui alijs præest, *ἀγαγὸς, ἀγωγὸς, ἡγεμὼν, στρατηγός*. Hebr. *Naghidh*, dux, princeps, præcipuus, eximius. qui coram populo est, & ei indicat, quid faciendum sit. 1. Sam. 9. 15. 1. Reg. 1. 35. 2 Reg. 20. 5. Duces, *Neghidhim*. Psal. 76. v. vlt. a verbo. *Naghadin*, indicauit coram, nunciauit præsens. monstrauit, & cū digito repræsentauit. a *PaKidh*, præfectus, capitaneus, qui milites obseruat & recenset: 2. Reg. 25. 19. à verbo *Pakadh*. visitauit, inuisendi curā suscepit, visitauit recensendo. *PaKadhim*, præfecti. 3. *Scalisch*, dux, primarius, tribunus militum, triarius, à verbo *Schillesch*, tertiauit, diuisit in tres partes, tertiò repetijt.

LOCI BIBLICI.

Dux dicitur caput familiæ vel tribus, *Num.* 7. 30. Belli præfectus, *Genes.* 26. 26 Comes, sodalis. *Psal.* 55. 14. Magnificus, *Esa.* 13. 2. & 32. 8. Maritus, *Prou.* 2. 17.

Messias, nempè filius Dei, tandem homo factus, nominatur dux itineris populi. *Psal* 80. 10. & dux populi, *Dan.* 9. 25. Orator, *Act.* 14. 12. Præfectus aulæ, 2. *Chron.* 19. 11.

Dux, i. gubernator, iudex, legislator, *Gen.* 49. 10. 1. *Pet.* 2. 14. Præfectus multis familijs, prouinciæ vel regioni, *Gen.* 17. 20. *&c.* Primarius inter Ecclesiæ seruos, 1. *Chron.* 9. 20 *Ier.* 29. 26.

Dux, qui alios in via salutis ducere & instituere velle videtur, *Matt.* 15. 14. & 23. 16. 23. *Ro* 2. 19. Qui primarius est inter regni regisq; consiliarios, & seruos, *Esther.* 1. 14. & 9. 3. Princeps populi, Rex, 1. *Sam.* 9. 16. 2. *Sam.* 5. 2. 2. *Reg.* 25. *Exech.* 20. 30. Summus dux, 2. *Chron.* 13. 12.

Ducibus, i. gubernatoribus, & præfectis politicis, 1 *Pet.* 2. 14. *Rom.* 13. 1. *&c.*

SENTENTIÆ HISTORICÆ.

De Duce & Ducibus belli.

1. Dux suorum militum nomina teneat. Cyri maioris exemplo. *Xenoph. l. 5. de instit. Cyri.*
2. Quis ad gubernacula sedeat, summa cura prouidendum est. *Liuius dec. 1. lib. 4.*
3. Difficillimum in primis est, & prælio strenuum esse. & bonum consilio *Salust. de bello Iugurth.*
4. Nihil in bello maius aut mirari magis potui. quàm quod Imperatori numquam adeo vlla opportuna visa est victoriæ occasio. quàm damno amissi pensaret militis. *Vellei. Paterc. lib.* 2.
5. Semper duci visum est gloriosum. quod esset tutissimum, & ante conscientiæ, quàm famæ consultum. *Idem ibi.*
6. Numquam consilia ducis iudicio exercitus, sed exercitus prouidentia ducis rectus est. *Ibid.*
7. Imperator optimus eorum, quę agis Iudex, vtilia speciosis præferens, non quæ vbique probantur, sed quæ probanda sunt sequitur. *Ibid.*
8. Dux admonitione frequenti vtitur, & castigatione vindicta rarissima, agitque medium plurima dissimulantis. aliqua inhibentis. *Ibid.*
9. Ratio & consilium sunt propriæ ducis artes. *Tacit. hist. l.* 3.
10. Nihil tam pulchrum, tamq. posteritatis memoriæ iusta ratione mandandum. quàm vt miles strenuè factis, ductor prudenter consultis, consulret. *Amm. Marcell. lib* 17.
11. Imperatori salus propria, cùm semper ad securitatem omnium, tum maxima in bello conseruanda est. *Aurel. Victor. hist. August.*
12. Dux optimus ille profectò putandus, qui ex bello pacē disponere sit aptus. *Procop. de bello Pers. lib.* 1.
13. Iucundissimum est spectaculum dux in oculis militum eodem pane vescens, aut in vili toro quiescens, aut in fossa vel agger

aggere faciendo operam communem præstans. *Plutarchus in Mario.*

13. Boni & omnibus numeris absoluti ducis officium est, suam gloriam post ciuium famam ponere. *Idem ibid.*

14. Ducis summa laus est, vt vel saluus vincat, vel virtute vitam finiens occumbat: sic enim non passus aliquid, sed egisse, moriendo existimatur. *Plut. in Pelopida. & Marcelli comparat.*

15. Illud Ducis præcipuum opus est, vt milites beneuolentia sibi obstrictos, dicto obedientes habeat. *Idem in comparat. Cimonis & Luculli.*

16. Platooi bonum ducem nihil efficere posse perhibenti, nisi eodem modo affectum, & moderatum habeat exercitum, virtutemq; obtemperandi haud minus quàm regiam existimanti, indigere generosa indole, & educatione philosophica, quæ præfert in mansuetudine temperet vehementiam, iracundiamq; animi, cum alij multi casus perhibent, tum ea quæ post Neronis obitum, sub Galba, Othone, & Vitellio, Romanis acciderunt. *Idem, in Galba.*

17. Duce dignam mortem, vt ait Theophrastus, dux oppetere debet, non leuis alicuius armigeri. *In Sertorio.*

18. Dux si temere pericula adeat, non sui ipsius, sed eorum omnium quorum salus ab ipso pendet, curam abiecisse censebitur. *In Pelopida.*

19. Duci cauta potius consilia cum ratione, quam prospera ex casu placent: satis citò incipi victoriam ratus, vbi prouisum est ne vincatur. *Tacitus, hist. lib. 2.*

20. Nullum in pugnæ trepidatione constantis ducis, aut fortissimi militis officium omittit: occursat pauenti bus, retinet cadentes: vbi plurimus labor, vnde aliqua spes, consilio, manu, voce insignis, hosti conspicuus suis. *Idem, lib. 3.*

21. Penuria aquæ, feruida æstas, longinqua itinera, sola ducis patientia mitigantur, eodem plura, quam gregario, milite tolerante. *Idem lib. 14. Annal.*

22. In pugna alios pudore, & probris, multos laude, & hortatu, omnes spe promissisq; accendit. *Idem, lib. 3. hist.*

23. Discordes animos, discretas viribus, hostiū exercitus aggreditur, antequam ducibus auctoritas, militi obsequium, & iuncti legionibus fiducia redeat. *Idem, eod. lib.*

24. Dux ignauus, inutili cunctatione agendi tempora consultando consumit. *Eod. lib.*

25. Egregij ducis est non solum præsentia rectè agere, sed & futura prospicere. *Plut. in compar. Periclis & Fabij Max.*

26. Bello res ab eo prosperè, partim consilio, partim audaci celeritate, tum alacri amicorum ministerio, & confidentia in periculis opportunorumq; consiliorum vsu gerit. *In Paulo Æmilio.*

27. Præcipuum præclari ducis est officium, vt qua parte præualet, ea hostem ad prælium committendum cogat: qua infirmior, ea caueat ne confligere cogatur. *In compar. Agesilai, & Pompeij.*

28. Ipse supra omnes homines voluptatum est contemptor, adeo vt numquam vllis vnquam libidinum illecebris à recto, & honesto abducatur. *Xenoph. lib. 6 histor. Græc.*

29. Si quis dux pro se cautus est, & captata occasione hostem opportunè inuadit, is plerumque fit voti compos. *Thucyd. lib. 3.*

30. Prudentis Imperatoris officium est, nō malè audire apud alios; sed temere se in discrimen mittere, ac quæ tuta sunt dimittere, turpè existimat. *Plut. in Cleomene.*

31. Imperatoris est à tergo magis, quàm à fronte prospicere. *Idem in Sertorio.*

32. Optimi ducis officium existimandum est, posse non solùm vincendi, verùm etiam cedendi tempora perspicere. *Polyb. lib. 1. hist.*

33. Errat quisquis opinatur aliquod magis proprium optimi ducis officium esse, quam consilia, & ingenium hostis intelligere. *Idem, lib. 3.*

34. Inter hostes discordiarum serere causas sapientis est ducis. *Veget. lib. 3. c. 10.*

35. Leo hinnulorum dux ad bellum gerendum aptus esse non potest. *Dion. in M. Ant. Philos.*

36. Quales fuerint præfecti, seu belli duces, tales etiam qui sunt sub ipsis vt plurimum euadunt. *Xenoph. de instit. Cyri. lib. 8.*

37. Res aduersæ ducum auctoritatem minuunt. *Cæsar. lib. 7. de bello Gall.*

38. Felicitas rerum gestarum exercitus beneuolentiam Imperatoribus, & res aduersæ odia conciliant. *Idem, lib. 2. de bello ciuili.*

39. Qui dextris, & propioribus compendijs eunt, obuio hosti, & aciem ante plus cladis faciunt. *Tacit. lib. 12. Annal.*

40. Seueri, & legum iurisq; seruantissimi Imperatores amicis, faciles autem, & muneribus inhiantes hostibus sunt perutiles. Horum castra læta quidem sunt, sed parere nescia: illorum tristia, sed morigera, & ad omnia parata. *Appia. de bello Hisp.*

41. Qui summæ rerum præficiuntur, vti se gesserint, vel ignominiam, vel laudem perpetuò referunt. *Procop. de bello Goth. lib. 1.*

42. Est hæc in magnis cladibus præcipua fortunæ iniuria, vt duces ipsos de medio tollat. *Pausan. lib. 5.*

43. Liberalitas & humanitas erga inferiores præclarum ducib. viaticum est ad victorias & triumphos. *Niceph. Gregoras l. 6. hist.*

44. Fit non rarò vt duces proponant temerarias sententias, vel quò videantur audentiores, vel quod magnitudinem rei, quam aggrediuntur, non intelligant. Inest autem in vtroque temeritas, & incogitantia. *Philip. Cominaeus, 3. lib.*

45. Studium contradicendi morbus est, ducum omnium maximè peculiaris: ij enim pleraq. vera aut vero proxima suadendo, æmulorum authoritatem comminuere, atque obscurare nituntur. *P. Iouius, hist. 1. lib.*

46. Nihil imprudentius Imperatores faciunt, quàm quòd vocibus quibusdam inaniter emissis se ita obstrictos esse arbitrantur, vt facta verbis exæquanda censeant. *Fr. Guicciard. lib. 15. hist.*

47. Sapientum imperatorum est, quam sæpe in bellis ex casuū varietate consilia sint immutāda perpendēdo, apparatus ab initio, quoad fieri pōt, ad oēs casus consiliaq; accōmodare. *Idem li. 14.*

SENTENTIAE POETARVM.

Lucan. 9.

O quibus vna salus placuit mea signa secutis
Indomita ceruice mori, componite mentes
Ad magnum virtutis opus, summosq; labores, &c.

Primus arenas
Ingrediar primusq; gradus in puluere ponam,
Me calor æthereus feriat, mihi plena veneno
Occurrat serpens, fatoq; pericula vestra
Prætentate meo: sitiat quicumque bibentem
Viderit: aut vmbras nemorum quicumque petentem
Æstuet: aut equitem peditum præcedere turmas,
Deficiat: si quo fuerit discrimine notum
Dux an miles eam.

Et infra.

Ipse manu sua pila gerens præcedit anheli
Militis ora pedes, monstrat tolerare labores,
Non iubet: & nulla vehitur ceruice supinus,
Carpentoq; sedens somni parcissimus ipse est.
Vltimus haustor aquæ: cum tandem fonte reperto
Indiga cogatur latices potare iuuentus,
Stat, dum lixa bibat.

Et infra.

Cogit tantos tolerare labores
Summa ducis virtus, qui nuda fusus arena
Excubat, atque omni fortunam prouocat hora.

Silius 1.

Primus inire manum postremus ponere Martem.

Claud. 4. Hon.

Nec desine tales.
Nec sequi si bella tonant, prior agmina ducit
Exerce tuis & fato præsiue Martis.
Non vrbium requies non hibernacula segnes
Eneruent torpore manus.

Et sequitur.

Si longa moretur
Obsidio, tum vota caue secura remittas,
Inclusumq; putes omissis damnosa fuere
Gaudia dispersis perennis somnoq; solutis.
Sæpius incautis nocuit victoria turba.
Nec tibi regifici tentoria longa redundent
Delicijs non imbelles ad signa ministros
Luxurios armata trahat, non flatibus Austris.
Non plurijs cedas non defensura calorem
Aurea summoueant rapidos vmbracula Soles.
Inuentis vtere cibis sola bore partes
Æquabis sudore tuas, si soltis iniquus.
Primus inextinctum si cadere prouocat vsus,
Ne pudeat sumpta quercum strauisse bipenni.
Calcatur si pigra palus, tuus ante profundum
Prætentet sonipes primus ex pectore currus
Hærentes glacies liquidis tu scinde natatu.
Nunc equites in medias equitum te confer turmas.
Nunc pedes assistas pedites, tum promptius ibunt
Te socio, tum conspicuus, gratusq; geretur
Sub teste labor.

Virg. 6. Aen.

Hæ tibi erunt artes pacisq; imponere morem,
Parcere subiectis, & debellare superbos.

Claud. de bello Getico.

Ignoscere pulcrius.
Iam misero, pœnaq; genus vidisse precantem.

Virg. 9. Aen.

Tum verò incumbunt, vrget præsentia Turni.

Plaut. Amph.

Vbi summus Imperator non adest ad exercitum.

Ciuis

Citius quod non factum est vsus fit, quam quod facto est opus.

Sen. Oct.

Extinguere hostem maxima est virtus ducis.

Martialis.

Quatenus hi non sunt, esto tu Cæsar amicus,
Nulla ducis virtus dulcior esse potest.

Silius 3.

Turpe duci totam somno consumere noctem,
O rector Lybiæ, vigili stant bella magistro.

Claud. de bello Getico.

Ductorq. placebat.
Non qui præcipites traheret simul omnia casus:
Sed qui maturo vel læta, vel aspera rerum
Consilio momenta regens, nec tristibus impar,
Nec prosuccessu tumidus, spatiumq. morandi,
Vincendiq. modum mutatis nosset habenis.

Ouid. 3. Fast.

Diffugiunt Tyrij, quà quemq. agit error, vt olim
Amisso dubiæ rege vagantur apes.

Val. Flaccus 4.

Bebricas exemplo spargit fuga, nullus ademptæ
Regis amor, montem celeres, siluamq. capessunt.

SENTENTIÆ PHILOSOPHORUM.

De inconsulto & præcipiti magistro militiæ.

Franciscus Petrarcha. DIAL. LXXII.

DOL.

Est mihi magister militiæ inconsultus ac præceps. R. Hoc aliquanto periculosius non vrgem. Legiones nostras interroga iacentes ad Trebiam, ad Thrasymenum, & ad Cannas, multisq; alijs in locis. Si remedium vis, dubiam linque militiam. Si id fortè non datur, at tu fortiter atque industriè ministerium tuum age, vt inter tui ducis errores tua virtus emineat, nec te ruina opprimat aliena, sed tu potius, si qua sit via, publicæ humeros subijcias ruinæ: rem difficilem, sed neque impossibilem, neque insuetam iubeo. vt enim sæpe multis millibus obfuit vnius ducis ignauia, sic interdum vnius viri virtus, & exercitum seruauit, & ducem. Neu sim longior, quàm oportet: Tu res suis in locis quæres, mihi nominum & temporum commemoratio sola sufficiet. Pub. Decius bello Samnitico. Calphurnius Flamma bello Punico primo. Africanus minor bello Punico tertio, Tribuni omnes militum, ducumq;, & exercituum seruatores, tanta esse tua virtus ac felicitas potest, vt aliena infamia eximiam in gloriam tuam vergat. Anceps sanè negotium, sed extrema in necessitate vnicum. Proinde vtcumq; alios fortuna rotauerit, Tu virtutis gubernaculum, si mihi obsequi volueris, nec in pace, nec in bello, nec in vita destitues, nec in morte.

APOPHTHEGMATA.

Polydorus, cum Argiui post illam trecentorum pugnam rursus essent prælio superati, socij Polydorum adhortabantur, ne eam opportunitatem præteriret, sed aggressus hostium muros, ciuitatem illorum caperet. Id enim factu fore facilimum quum interfectis viris, solæ mulieres essent reliquæ. His in hunc respondit modum Polydorus: Mihi pari Martis alea rebellantes deuincere honestum est. Cæterum quum pro agris pugnarim, vrbem velle capere non arbitror esse iustum. Siquidem huc veni agros recepturus, non vrbem occupaturus. Vir excellentis animi, nec cum hostibus quidem putauit agendum, secus quam postulabat æquitas: quum hominum vulgus sibi in hostem putet licere omnia, in tantum, vt si de frigido oppidulo fuerit concertatio, victor existimet sibi ius esse regnum vniuersum victi occupare. Ille etiam turpe sibi iudicabat, bellare cum his, quibus deerant paria ad bellum præsidia. Talis enim victoria nullam habet virtutis laudem, sed crudelitatis crimen. *Plut. in Lacon.*

Agesilaus percontantibus, quid ducem belli præcipue exornaret? Respondit aduersus hostes audacia, & in oblata opportunitate ratio & consilium. *Stob. serm. 12.*

Lysimachus dicere solebat, Imperatores, vel belli duces, nulla venia dignos esse qui in bello errarent. Vbi, si quid offenditur perperam temeritate vel inscitia, emendari non potest. *Alex ab Alex. l. 2. c. 13. Genial. dierum.*

Iphicrates, oratori cuidam pro concione hunc in modum ipsum interroganti: Quis es, vt tam sublimes geras spiritus? num eques, aut sagittarius, aut scutatus, aut pedes? Nihil horum, inquit, sed qui his omnibus imperare didici. Sentiens, pulchrius esse, bonum præstare ducem, quam quemuis militem. *Plut. in apoph.*

Idem in sociorum agro castra metatus, cum vallum extrueret, & fossam pararet, obijcienti, quid est, quod metuamus? dixit, Nulla Imperatoris vox deterior esse potest, quàm, Non putabam. *Plut. & Stob.*

Chabrias frequenter dicere solebat, eos demum ducis munere quà optime fungi, qui res hostium, quam maximè cognitas & perspectas haberent. *Plut. in apoph.*

Pausanias Plistonactis F. percontanti quo pacto possent debellari Thraces? Si, inquit, qui vir optimus est eum belli ducem delegerimus. Admonens, plurimum ad victoriam momenti esse in Imperatore. Quemadmodum in omni negotio magni refert, quales sint quibus gerendæ rei creditur authoritas. *Plut.*

Albertus Austriacus, in bello, quod contra Bohemos prius quam Romanis imperaret, diutissime gessit, interrogatus, quem copijs præficere statuisset? si alium, inquit, quam me, ductorem exercitus petitis, frustra me Austriæ ducem appellatis. Dux enim reuera est, qui exercitum ducit, & quem acriter pugnantem exercitus sequitur. *Æneas Syl. l. 3. comment. de reb. Alphons.*

Pausanias, percontanti cur Tyrtæum poetam Spartæ ciuem fecisset? Ne quis, inquit Pausanias, externus nobis dux fuisse videatur. Poetæ apud Lacedæmonios non erant in precio, nec hoc nomine Tyrtæus meruit apud illos honorem; sed quoniam strenuũ ducem in bello præstiterat, putarunt eam laudem patriæ vindicandam. *Plut in Lacon.*

Sertorius, cum Pompeij milites varie dispersos superasset, multis occisis, audissetq. aduentare Metellum senem cum alijs copijs, diremit prælium: reuocatisq. suis dixit. Ego puerum hunc nisi superuenisset anus illa, verberibus castigatum, domum remisissem. Vnde liquet: quantum duces senes, experientia rerum edocti, iunioribus & rerũ imperitis, sint anteponendi. *Plut. in Sertorij vita.*

Chabrias illud frequenter dicere solebat, formidabiliorem esse ceruorum exercitum duce leone, quam leonum duce ceruo. Sentiens, totam belli fortunam pendere à virtute & prudẽtia ducis. *Plut. in apoph.*

Iphicrates, quod sutore patre natus existimaretur, erat contemptui, ac tum primum famam sibi parauit, postea quam ipse saucius hostem vna cum armis correptum, viuum in triremem suam deportauit. Is cum in amicorum ac sociorum agris haberet exercitum, ac nihilo minus & vallum iaceret, & fossam foderet accurate, cuidam dicenti, Quid metuimus? ait, Pessimam esse ducis vocem, Haud quaquam putaram. Significans in tranquillissimis rebus interdum existere periculum, quod nullus expectasset. Hoc Latini transferunt ad Scipionem Africanum. *Plut. in Græcor. apoph.*

Timotheus, quum oratores Charetem commendarent à mole & proceritate corporis, censentes talem creari debere Atheniensium ducem: Non ducem, inquit, Timotheus, sed qui duci suas stragulas portet. Dux autem esto, qui tum ea quæ ante ipsum, tum quæ à tergo sunt, prospiciat. Existimabat vir prudentissimus, ducis virtutes non in corporis proceritate, sed potius in animi magnitudine, solertia, & prudẽtia positas esse. *Plut. in apoph. & Stob serm. de Imperat &c.*

Philippus, quum in exercitu multo tempore dormisset, experrectus: Tuto, inquit, dormiui. vigilauit enim Antipater. Subindicans, non esse regium indulgere somno præsertim in bello: sed tamen hoc interdum absque periculo fieri, si rex habeat fidum ac vigilantem præfectum. Ita cum laude amici suam excusauit somnolentiam. *Plut. in apoph.*

Anonymus. Numantini cum a Scipione in fugam essent versi, à senioribus castigati, quia quos toties fugassent, fugerent, quendam è iunioribus dixisse ferunt, pecora quidẽ etiamnum eadem sunt, sed mutatus est pastor. *Plut. in apoph.*

C. Fabricius, quum audisset Romanos à Pyrrho deuictos, ad Labienum versus: Pyrrhus, inquit, non Epirotæ vicerunt Romanos. Sentiens vnius ducis ingenio victoriam acceptam ferri oportere, non virtuti militum. Hoc pacto Romani nominis ignominiã eleuauit, qui quum Epirotis essent virtute superiores, hoc solo erant inferiores, quod non haberent ducem Pyrrho similem. *Plut. in Rom. apoph.*

Iulius Cæsar, iturus in Afranium, se ire dixit in exercitum sine duce; in Pompeium verò, ad ducem sine exercitu. *Brus. lib 3. c. 33.*

Demades, vita defuncto Alexandro dixit, se videre exercitum Macedonum, principe orbatum, Cyclopi similem: sentiens turbam militum, nisi adsit dux cordatus ac vigilans, nulli esse vsui. Quẽadmodum Polyphemus adempto oculo, frustra vastum corpus ac vires habeat immanes. *P. M. l. 6. apoph ex Plut.*

Epaminondas, conspecto magno exercitu, qui bono & prudente Imperatore carebat: Quanta bellua, dixit, absque capite. *Stob serm. 52.*

Idem, in nouissima pugna apud Mantineam sauciatus, delatusque in tentorium, vocauit ad se Diophantum, postq. illum Iolidam: at vbi audiuit, eos viros interijsse, iussit omitti bellum cum hostibus: quandoquidem iam exercitus duces non haberet. ac verbis ipsa res testimonium præbuit, quòd Epaminondas vera dixisset. *Plut. in apoph.*

Agis vicerat Argiuos prælio, qui post redintegratis viribus rursum ferociores illi occurrebant. Agis itaque conspicatus multos è socijs turbari: sitis, inquit, bono animo, viri: cum enim nos, qui vicimus, trepidamus, quid facere censetis eos qui a nobis victi sunt? Eo dicto, ducis solertia pristinum reddidit animum suis. *Plut. in Lacon. apoph.*

Lysan-

Lysander cum ad Corinthiorum, qui defecerant, muros peruenisset videret Lacedæmonios conantes aggredi, ac forte accidisset, vt lepus conspiceretur excitatus transilire fossam: Non pudet, inquit, ò Spartani huiusmodi formidare hostes, quorum mœnibus ob ipsorum ignauiam lepores indormiunt? Casum fortuitum solertia ducis traxit ad animum addendum militibus. *Plutar. in Lacon.*

Brasidas, egressus ad bellum, hunc in modum scripsit Ephoris: Quid quid erit malorum in bello, aut profligabo, aut moriar, testatus animum fortissimo duce dignum. Nam euentus hominis non in manu. *P. M. in apoph.*

Epaminondas, cum copias admoueret castris hostium, tonitru facto militibus percontantibus, quid putaret portendere Deum? Attonitos, inquit, esse hostes, quod cum tales agros haberent in propinquo, in talibus castra metarentur. Solertia ducis non solùm terrorem exemit animis militum, verùm etiam commoda interpretatione addidit alacritatem. *Plut. in Græcorum apoph.*

Iphicrates exercitum constituendum esse dicebat, ceu vnum corpus: ita vt loco thoracis phalangem habeat, manuum socios, pedum equites, capitis autem loco optimum Ducem, & Imperatorem. *Stob. serm. 52.*

Philippus aiebat præstantiorem esse ceruorum exercitum imperante leone, quàm leonum ductore ceruo. Sensit autem prudētiam, & fortitudinem ducis multum conferre ad recuperandam victoriam. *Stob. serm. 52.*

Alexander, si quando in colloquijs, aut conuiuijs incidisset contentio de carminibus Homeri, alijs alia præferentibus, hoc semper prædicauit Alexander, quod scriptum est. *Iliad 7.*

Dux bonus, atque idem validus pugnator in armis,

Plut in vita Alexandri,

Idem, Hortante Parmenione, vt noctu hostem adoriretur, alioqui summum fore discrimen, si palam cum tanta multitudine Martem experiretur, siquidem ex fragore procul, velut è pelago resonante, coniectabant immensum esse numerum: Non furor, inquit, victoriam recusans tenebrarum præsidio vincere. *Plut. in vita Alex. & Q. Curtius,*

Idem Nisam expugnaturus, cum videret milites deterreri fluminis, quod ciuitatem præterlabitur, profunditate, exilijt: O me omnium deterrimum, exclamans, qui natare non didicerim moxq. clypeo pro subere innixus, primus tranauit. *Plut. & Curt. in vita Alex.*

Pyrrhus ad quendam promittentem se traditurũ ei aciem instruendi artificium, qui tamen in acie numquam fuerat, dixit. Non opus esse sibi Imperatore, cuius aures tubæ sonus nunquam circumierit. *Stob. serm. 52.*

Idem, quibusdam inter pocula quærentibus verum Antigenidas aut Satyrus melior esset tibicen? Mihi sanè, dixit, præstare videtur dux, qui multos incitat. *Stob. serm. 52.*

Hannibal cùm audisset Stoici cuiusdam argumenta, quibus probabat solùm sapientem Imperatorem esse, risit, existimans, fieri non posse, vt militaris scientia paretur sine vsu & experientia in rebus ipsis. *Stob. serm. 52.*

Pompeius, Romę mos erat, vt equites, qui legitimum tempus militassent, equum in forum deducerent ad Duumuiros, quos censores appellant, vt commemoratis expeditionibus ac ducibus, sub quibus meruissent, pro meritis aut collaudarentur, aut vituperarentur. Itaque Pompeius cum esset consul, ipse equum ad censores Gallium ac Lentulum deduxit, quibus ex more percōtantibus, an omnia militaria munia obijsset? Omnia, inquit, sub me ipso Imperatore. Significans, se sic gessisse ducem, vt nihilo secus omnes militis partes grauiter pręstaret. Idem & Imperator bonus, & miles strenuus: qua laude nulla principi potest maior contingere. *Plut in apoph.*

SIMILITVDINES.

Polybij. Quemadmodum in singulari certamine oportet locum, vbi aduersarium ferias, speculari, & quę pars corporis nuda, quæ inermis sit, diligenter animaduertere: Ita vbi de summa rerum agitur, à bono duce inuestigandum est, non vbi nudæ sint corporis partes, sed vbi sit animus ducis aduersarij, *lib. 3. hist.*

Quemadmodum nauis sublato gubernatore, facilè in potestatem hostium venit. Eodem modo si quis in bello rationibus atque consilijs ducem è medio sustulerit, statim reliqui quoque exercitus compos fiet. *Idem ibid.*

Plinij. Vt elleborum, cōcitatis intus omnibus, ipsum in primis exit; Ita dux fortis adhortatus suos inter primos prodit in hostem.

Vide Imperium, Miles.

FINIS LIBRI QVARTI.

POLYANTHEAE NOVAE LIBER V.

E

EBRIETAS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

EBRIETAS, Græcè μέθη, &c. μεθύειν vel μεθύσκεσθαι, inebrius, & μεθύω inebrio dicitur. Est autem ebrietas appetitus bibendi vltra mensuram, ex quo prouenit rationis priuatio. Temetum vinum, & Temulentia.

Ebrietas est, per quam menti quædam sui obliuio generatur, & superfluorum potuum indulgentia. *fec. Isid. lib. Etymolog.*

Ebrietas est priuatio vsus intellectus, facta ad aliquod tempus, ex immoderato potu vini, vel cuiuscunque alterius rei potabilis.

Ebrius & ebriosus sic differunt: quod ebrius est, qui in nimio potu est alienatus mente. ebriosus, qui sæpe fit ebrius. Ita ebrietas & ebriositas differunt, quod ebrietas fit ex causa, ebriositas fit ex moribus. Ab ebrius fit inebrio, & eius passiuum inebrior, & ebriose aduerbium, id est, ad ebrij similitudinem. Et ebriolo verbum dicebant antiqui. *Laert. Ebriolati mentem hilaram arripiunt.*

Ebrius dicitur, qui nimio potu alienatus est mente: Contrarium est sobrius, quasi sine ebrietate, qui in cibo & potu temperans est, & qui non est actu ebrius. Ebriosus sæpe & semper fere ebrius dicitur, qui potu obrutus est. Sic ebrietas fit ex causa, ebriositas ex more & assuetudine.

Hebr. *Schacar*, tum immoderatum vini alteriusve potus inebriantis ingurgitationē, tum liberaliorem potationem nonnunquā significat, inde *Schicaron*, ebrietas: Ezech. 23. 24. Cognationem habet verbum Hebræum *Schacar*, cum *Schackar*, scurriliter egit, nam ebrij scurriliter se gerunt, vrbiumq; ac pagorum fiunt ludibria, Hinc σκιρτάω, sicero σκιρτᾶν salto vt ebrius.

SENTENTIÆ BIBLICÆ.

Mulier ebriosa, ira magna: & contumelia, & turpitudo illius non tegetur. *Eccl. 26.*

Sicut ignis probat ferrum durum, sic vinum corda arguet inebrietate potatum. 31.

Diligentes in vino noli prouocare, multos enim exterminauit vinum. *ibid.*

Amaritudo animæ vinum multum potatum, aqua vitæ vinum hominibus: si bibas illud moderatè, sobrius eris: in iucūditate creatum est, non in ebrietate ab initio. *ibid.*

Exultatio animæ & cordis, vinum moderate potatum, & sobrius potus sanitas est animę & corporis. *ibid.*

Quam sufficiens est homini erudito vinum exiguum: in dormiendo non laborabis ab illo, nec senties dolorem. *ibid.*

Non in commessationibus & in ebrietatibus. *Rom. 13.*

Qui ebrij sunt, nocte ebrij sunt. 1. *Thess 5.*

Ebrietas iram Dei prouocat.

Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, & potandum vsque ad vesperam, vt vino æstuetis. Cythara, & lyra & tympanum, & tibia, & vinum in conuiuijs vestris: & opus Domini non respiciris, nec opera manuum eius consideratis. *Esa. 5.*

Væ qui potentes estis ad bibendum vinū, & viri fortes ad miscendam ebrietatem. *ibid.*

Expergiscimini ebrij, & flete, & vlulate omnes, qui bibitis vinum in dulcedine, quoniam perijt ab ore vestro. *Ioel. 1.*

Neque ebriosi regnum Dei possidebunt. 1. *Cor. 6.*

Mentem alienat.

Ne intuearis vinum quando flauescit: cum splenduerit in vitro color eius, ingreditur blandè, & in nouissimo mordebit vt coluber, & sicut regulus venena diffundet. Oculi tui videbunt extranea, & cor tuum loquetur peruersa, & eris sicut dormiens in medio mari, & quasi sopitus gubernator amisso clauo, & dices: verberauerunt me, sed non dolui: traxerunt me, & ego non sensi. Quando euigilabo, & rursus vina reperam. *Prou. 23. 31.*

Vinum & mulieres apostatare faciunt sapientes, & arguunt sensatos. *Eccl. 19. 2.*

Ne comprimaris in conuiuio vini 31.

Væ coronæ superbiæ ebrijs Ephraim, & flori decidenti, & gloriæ exultationis eius, qui erant in vertice vallis pinguissimæ errantes à vino *Esa 28. 17.*

Verum hi quoque qui vinū nescierunt, & præ ebrietate errauerūt, Sacerdos & Propheta nescierunt præ ebrietate, absorpti sunt à vino, errauerunt in ebrietate: nescieuerunt videntem, & ignorauerunt iudicium. Omnes enim mensæ repletæ sunt vomitu, sordibusq; ita vt non esset locus vltra. *ibid.*

Venite, sumamus vinum, & impleamur ebrietate. & erit sicut hodie, sic cras, & multo amplius. 56.

Ad te quoque perueniet calix: inebriaberis atque nudaberis, *Thren 4.*

Fornicatio, & vinum, & ebrietas auferunt cor. *Ose. 4. 11.*

Libidinem inflammat.

Luxuriosa res vinum. *Prou 20.*

Nolite inebriari vino, in quo est luxuria. *Ephes 5. 18.*

Corpus eneruat.

Qui inebriat, ipse quoque inebriabitur. *Prou 11.*

Bibite & inebriamini, & vomite, & cadite, neque surgatis à facie gladij, quem ego mittam inter vos. *Ierem. 25.*

Substantiam dissipat.

Noli esse in conuiuijs potatorum, nec in comessationibus eorum, qui carnes ad vescendum conferunt, quia vacantes potibus, & dantes symbola consumentur. *Prou. 23. 26.*

Operarius ebriosus non locupletabitur. *Eccl. 19. 1.*

Pacem separat.

Tumultuosa ebrietas. *Prou. 20.*

Cui væ, cuius patri væ, cui rixæ, cui foueæ, cui sine causa vulnera, cui suffusio oculorum? Nonne his, qui commorantur in vino & student calicibus epotandis? 23. 31.

Ebrietatis animositas, imprudentis offensio, minorans virtutem, & faciens vulnera. *Eccl. 31. 40.*

Vinum multum potatum irritationem, & iram, & ruinas multas facit. *ibid.*

Cœperunt principes furere à vino. *Ose. 7. 5.*

Secretum manifestat.

Nullum secretum est, vbi regnat ebrietas. *Prou. 31. 4.*

Væ qui potum dat amico suo, mittens fel suum, & inebrians, vt aspiciat nuditatem eius, repletus est ignominia pro gloria: bibe tu quoque & cōsopire: circumdabit te calix dextræ Domini, & vomitus ignominiæ super gloriam tuam. *Abac. 2. 15.*

Ebrietas spiritualis. *Ierem. 13. 13. Ezech. 23. 33. & 39. 19. Esa. 28. 1. 3.* Ebriosi fugiendi. *Prou 23. 20. 1. Cor. 5. 11.*

Ebrius, ebria, ærumnis & afflictionibus oppres. *Esa. 51. 21. Ier. 23. 9.* Ebria sanguine sanctorum meretrix mystica. *Apoc. 17. 6.*

PATRVM SENTENTIÆ.

Noachi indecora ebrietas scripta est, vt ebrietatem, quam maximè vitemus, manifestam scripsisse, nudatam lapsus imaginem habentes, propter quam qui ebrietatis turpitudinem texerunt (nempe Iaphet & Sem) benedicuntur à Domino. *Clemens Alexand.*

Lymphatus & cacodæmone captus, misericordia quidem dignus est; ebrius vero eadem fere & ipse patiens, minime misericordia dignus, qui spontaneo seruit dæmoni. *Basil. Magn. sermon. de ebriet.*

Quid infelicius ebrietatis dominatu? ventri vltra capacitatem infundere, sensui rationem adimere, non loqui, non meminisse, non stare, & mortem quandam oatoræ incolumi imperare? *Hilar. in Psal. 125.*

Ebrietas est fomes libidinis, qua per carnes vaporantur interna viscera, animus ignescit. *Aug. in epist.*

Ebrietas est flagitiorum omnium mater, culparumq; materia, radix criminum, origo vitiorum, turbatio capitis, subuersio sensus, tempestas linguæ, procella corporis, naufragium castitatis,

tis, amissio temporis, insania voluntaria, ignominiosus languor, turpitudo morum, dedecus vitæ, honestatis infamia, animæ corruptela. *Ad sacras virg.*

Ebrietas in vtroque sexu cuncta mala appetit, & nefanda cõmittit, & vt ait Apost. regna cœlestia appetentibus denegat. *Ibidem.*

Quisquis immoderatus conuiuioq. medius, amissis modestię frenis, insana fuerit ebrietate prostratus, aduersus respicit stantes quos integros videre nequit, aut sermone longo superflua verba emittit, & vana dicta cõponit, male clamans, & bene sibi sonas. *Ibid.*

Ebrius vultu deiecto supinus accumbit, & sui omnino nescius spectaculum se conuiuio præbet, & dum nihil consequitur sanum, nullo alio cogente, præter vinum, cordis sui arcana patefacit, & amicorum sibi commissa secreta in medium prodit. *Ibid.*

Assumit inter pocula iniusta certamina, & nullis existentibus causis asperam excitat rixam, quia interponendo verba vana, aliorũ sana dicta non patitur audire, sed in contumeliam exigitur conuiuarum, & proximorum crimina. Vinum potatum moderate est medicamentum: plus iusto sumptum venenum esse cognoscitur. Iucunditati, non ebrietati creata est vini materia. *Ibid.*

Per vinolentiam plurimi plurimæq. à sancto pioq. proposito excidere, & sui obliti, amissis honoribus. ignobiles remanserunt, & sedibus paternis profugi vitam, vt sumpserunt, finierunt. *Ibid.*

Innumerabiles iugum dominationis diu recusãtes, vinolẽtia in alienum redegit arbitrium. Alexander, omnium victor vino victus est, in fine vero nimio vino impellente, iniusta impiaq. homicidia commiserunt, quam plurimæ vrbes diu obsessæ, nec raptæ, custodibus somno vinoq. sepultis, & hosti patefactæ sunt, & incendiis concrematæ. *Ibid.*

In ebrijs non ratio vlla, non vllum vitæ gerendæ consilium, nec vlla artium, nec gestorum aut lectionum memoria, aut industriæ prouidentia est. *Ibid.*

Sobrietas in fœminis ad terram deponit aspectum, ebrietas autem amisso pudore inuerecundos erigit vultus. *Ibid.*

Sobrietas cum summa trepidatione & silentio irreprehẽsibile emittit verbum: ebrietas vero immoderatum facit fœminæ & sermonem & vultum. *Ibid.*

Valde turpe est, vt quem non vincit homo, vincat libido, & obruatur vino, qui non vincitur ferro. *Ep. l. r 82.*

Ebrietas est blandus dæmon, dulce venenum, suaue peccatum, quã qui habet, seipsum non habet, quam qui facit, peccatum non facit, sed totus est peccatum. *In quod serm.*

Quicunque ad bibendũ pronus fuerit vel conuiuio alios suos adiuuabit, pro se, & vt pro ipsis in die iudicij reus erit. *Ibidem.*

Ebriosus, quum absorbet vinum, absorbetur à vino, abominatur à Deo, despicitur ab Angelis, deridetur ab hominibus, destituitur a virtutibus, confunditur à dæmonibus, conculcatur ab hominibus. *Lib. de pænit.*

Ebriosus confundit naturam, amittit gratiam, perdit gloriam, incurrit damnationem æternam. *Ibid.*

Noe ad vnius horæ ebrietatem nudauit femora sua, quæ per sexcentos annos contexerat. *Hier. epist. ad* [illegible] *cean.*

In vino luxuria est, vbicunque saturitas & ebrietas, ibi libido dominatur. *In epist. ad Titum.*

Ebrietas est, per quam menti quædam suboblinio generatur ex superfluorum potuum indulgentia. *Isid. l. 3 ethym.*

Nihil est ita dæmoni amicum, sicut ebrietas & lasciuia, quæ est mater omnium vitiorum. Ante omnia autem vitetur à Clericis, quæ omnium peccatorum radix ac nutrix est. *Chrysost. super Matth.*

Manebat, antequam vinum inueniretur, omnibus inconcussa libertas: nemo sciebat a consorte suæ naturæ officia seruitutis exigere. Non esset hodie seruitus, si ebrietas non fuisset. Non illis solis nocent vina, quos tentant: sed & illis amplius, quorum oculis temulenta ebriorum membra nudantur, fuit ebrietas origo incesti, & *Amb. l. 1. de Helia, &c.*

Ebrietas iudicium rationis offuscat: contentiones & bella procurat: robur & naturalem virtutem eneruat: infirmitatem generat: mortem naturalem adducit: rebus temporalibus spoliat, &, quod deterius est, diuinam maledictionem inducit. *Hug. de sancto Victore.*

Ebrietas in laico crimen est: in sacerdote sacrilegium: quia alter animam suam necat vino. alter spiritum sanctitatis extinguit. *Pet. Rau. in quod ser.*

Ebrietas mater litium, furoris generatrix, petulantię magistra, hanc qui habet, homo non est, hanc qui habet, non peccatum facit, sed est ipse peccatum: hæc enim est rabies voluntaria, inuitatus hostis, illecebra honestatis, & pudoris iniuria. *ibid.*

Vbi regnat ebrietas, ratio exulat, intellectus obtunditur, consilia deuiant, iudicia subuertuntur. *ibid.*

POETICAE SENTENTIAE.

Menander.

Καλὸν τὸ νήφειν ἢ τὰ πολλὰ κραιπαλᾶν.
Pulchrius est sobrium esse quam multa laborare crapula.

Polyanthea Nouiss.

Ὦ πολὺς ἄκρατος μικρ' ἀναγκάζει φρονεῖν.
Multum merum pauca cogit sapere.

Plautus in Pse. dolo.

Magnum hoc vitium est vino,
Pedes captat primum, luctator dolosus est.

Terent. in Eunucho.

Sine Cerere & Libero friget Venus.

Virg. de Vin. & Venere.

Nec Veneris, nec tu vini capiaris amore,
Vno namque modo vina Venusq. nocent.
Vt Venus eneruat vires, sic copia vini
Et tentat gressus, debilitatq. pedes.
Multos cæcus amor cogit secreta fateri.
Arcanum demens detegit ebrietas.
Bellum sæpe petit ferus exitiale Cupido,
Sæpe manus iisdem Bacchus ad arma vocat.
Denique cum mentes hominum furiarit vterque,
Et pudor, & probitas, & metus omnes abest.
Compedibus Venerem, vinclis astringe Lyæum,
Ne te muneribus lædat vterque suis.
Vina sitim sedant, natis Venus alma creandis:
Sed fines horum transiliisse nocet.

Ouid. Metamor. lib. 7. fab. 8.

Nec non & carmina vino
Ingenium faciente canunt,

Ouid. lib. Metamorph. 12. fab. 3.

Ebrietas geminata libidine surgit.

Ibidem.

Vina dabant animos,

Ibidem.

Vinoq. leuant curasq. sitimq.

Ouid. Amor. lib. 1. eleg. 6.

Nox & amor, vinumq. nihil moderabile suadent;
Illa pudore vacat, Liber amorq. metu.

Idem lib. 1. de Arte amandi:

Vina parant animos faciuntq. caloribus aptos;
Cura fugit multo diluiturque mero.
Tunc veniunt risus, tunc pauper cornua sumit,
Tunc dolor, & curæ, rugaq. frontis abit.
Tunc aperit mentes æuo rarissima nostro
Simplicitas, artes excutiente Deo.

Proper. lib. 2. eleg. vlt.

Vino forma perit, vino corrumpitur ætas,
Vino sæpe suum nescit amica virum.

Tibull. lib. 1. eleg. 2.

Adde merum, vinoq. nouos compesce dolores;
Occupet vt fessi lumina victa sopor.

Horat. carm. lib. 1. Od. 18.

Siccis omnia nam dura Deus proposuit: neque
Mordaces aliter diffugiunt sollicitudines.
Quis post vina grauem militiam aut pauperiem crepat?
Quis non te potius Bacche pater, teq. decens Venus?
Ac ne quis modici transiliat munera Liberi,
Centaurea monet cum Lapythis rixa super mero debellata.

Horat. lib. 1. epist.

Quid non ebrietas designat? operta recludit,
Spes iubet esse ratas, in prælia trudit inermem.
Sollicitis animis onus eximit, addocet artes.
Fœcundi calices, quem non fecere disertum?
Contracta quem non in paupertate solutum?

Horat. lib. 2. serm. satyra.

Vides vt pallidus omnis
Cœna desurgat dubia? quin corpus onustum
Hesternis vitijs animum quoque prægrauat vnà,
Atque affigit humo diuinæ particulam auræ.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Comessationibus & ebrietatibus species dotata permutatim cum prædicta, tamquam causa ad causatum genus gaudet sustineri. Coitum enim facit ebrietas relatiuè, nec non & cætera vitiorum genera. Vinum autem modicè sumptum acuit ingenium, & intellectui videtur afferre acumen. Non modicè autem sumptum, rationem perturbat, intellectum hebetat, memoriam eneruat, obliuionem immittit, errorem infundit, ignauiam producit. Vbi est ebrietas, ibi dominatur fortuna, vbi fortuna, ibi nulla sapientia, sed insipientia peruagatur. *Boetius libro de Scholast. disciplina.*

Sapientis uiri super mensam celebre dictum est: Prima, inquit, cratera ad sitim pertinet: Secunda ad hilaritatem: Tertia ad uoluptatem: Quarta ad insaniam, *L. Apuleius Florid. 3.*

Comes ebrietatis obliuio & opinio, his ortus est memoriæ defectus. *Macrob. lib. 1. sup. somnium Scipionis.*

Nam ſicut in præcipiti ſtantem vel leuis tactus impellit: ita vino vel inſanum vel aſperſum, paruus quoque color incitat in furorem. Quis enim ambigit eum, qui diuerſo vino vtitur, in repentinam ruere ebrietatem, nec dum hoc potus copia poſtulante? Qui autem ſiunt crebro ebrii, cito ſeneſcunt. Alii ante tempus competentis ætatis vel caluitio, vel canitie inſigniuntur, quę non niſi inopia caloris eueniunt. *Macrobius Satur. lib. 7.*

Principio lege ſanciemus, vt pueri vſque ad duodevigeſimum annum vini vſum prorſus ignorent. Nempè eos monebimus, non oportere ignem igni in corpus atque animam ſuggerere, antequam viri effecti ſubire labores incipiant. Furioſum namque habitum iuuentutis cauere oportet. Deinde vino moderatè vtatur vſque ad ætatis annum trigeſimum. Ab ebrietate verò & vini repletione iuuenes omnino abſtineant. *Plat. 2. de leg.*

Quemadmodum muſto dolia ipſa rumpuntur, & omne quod in imo iacet, in ſummam partem vis caloris eiectat; ſic vino exæſtuante quicquid in imo iacet abditum, effertur & prodit in mediū. Onerati mero quemadmodum non continent cibum vino redundante, ita nec ſecretum quod ſuum eſt, & alienum pariter effundunt, *Senec. 83. Epiſt.*

Audi quemadmodum Zeno vir maximus colligat virum bonum nō futurum ebrium. Ebrio nemo ſecretum ſermonem committit. Vir ergo bonus ebrius non erit, quemadmodum oppoſita interrogatione ſimili derideatur, attende, dormienti nemo ſermonem committit, viro autem bono committit: vir ergo bonus non dormit. *ibid.*

Interim ſi hoc colligere vis virum bonum non debere ebrium fieri, cur ſimile agis? Dic quam turpe ſit, plus ſibi ingerere, quam capit ſtomachus, & ſtomachi ſui non eſſe menſuram. Quam multa ebrii faciunt quibus ſobrii erubeſcunt? nihil aliud eſſe ebrietatem quam voluntariam inſaniam. Extende in plures dies illum ebrii habitum, numquid de furioſo dubitabis? nunc quoque non eſt minor, ſed breuior. *ibid.*

Refertur Alexandri Macedonis exemplum: qui Cyrum chariſſimum ſibi ac fideliſſimum inter epulas transfodit, & intellecto facinore, mori voluit. Cogita quas clades ediderit publica ebrietas: hæc acerrimas gentes bellicoſaſq. hoſtibus tradidit, hæc multorum annorum pertinaci bello defenſa mœnia patefecit. hæc contumaciſſimos & iugum recuſantes in alienum redegit arbitrium, inuictos enim acie, mero domuit. *ibid.*

Alexandrum, cuius modo feci mentionem, qui tot itinera, tot prælia, tot hiemes, per quæ victa temporum locorumq. difficultate transierat, tot flumina ex ignoto cadentia, tot maria tutum dimiſerunt, intemperantia bibendi, & ille Herculaneus ac fatalis ſcyphus ſubmerſit. Dic ergo, quare ſapiens non debeat ebrius fieri: deformitatem rei & importunitatem oſtende rebus, non verbis, quod facillimum eſt. *ibid.*

Nonnulli maiorem partem noctis in conuiuiis exigunt, vino vero madentes, & merſi vſque ad horam ſextam dormiunt, hoc matutinum eorum. *Epiſt. 85.*

Certè detegit omne vitium ebrietas & incendit, vbi poſſedit animum nimia vis vini, quicquid male latebat, detegit, vel emergit, non facit ebrietas vitia, ſed protrahit, tunc impudicus morbum profitetur ac publicat, tunc petulans non linguam, non manum continet, creſcit inſolenti ſuperbia, crudelitas ſæuo, malignitas liuido, omne vitium graſſatur & prodit. *ibid.*

Adiice illam ignorantiam ſui, dubia & parum explanata verba, incertos oculos, gradum errantem, vertiginem capitis, tecta ipſa mobilia, velut aliquo turbine circumagente totam domum, ſtomachi tormenta, quum efferueſcit, merum, ac viſcera ipſa diſtendit: tunc tamen vtcunque tolerabile eſt, dum illis vis ſua eſt, quod cum ſomno vitiatur, quæ ebrietas fuit, cruditas facta eſt. *ibidem.*

Quæ gloria eſt capere multum? quum enim penes te palma fuerit, & ſuperſtes toti conuiuio fueris, quum omnes viceris virtute magnifica, & nemo vini tam capax fuerit, vinceris dolio. *ibidem.*

Ebrietates continuæ animos in furorem adducunt, nam quum ſæpe apud ſe non ſunt conſuetudine inſaniæ durata vitia: vino tamen concepta etiam ſine vino valent: vinolentiam etiam violentia ſequitur. *ibid.*

Abſentem lædit, qui cum ebrio litigat. *In Prolog.*

Quid turpius ebrioſo, cui fœtor in ore, tremor in corpore? Qui promit ſtulta: prodit occulta: cui mens alienatur, facies transformatur. Nullum enim ſecretum vbi regnat ebrietas, *Innoc. de vilit. conditionis huma.*

Apophthegmata.

Pittacus legem tulit: vt qui per temolentiam ſceleris aliquid commiſiſſent, duplo plecterentur. Solent enim vulgus hominum ebrietatis obtentu crimen extenuare: Ideo factum ferunt, vt inſula vino abundaret. *Laert. l. 1. c. 5.*

Solon legem tulit inter alias, cuius verba eiuſmodi erant: Princeps, ſi deprehendatur ebrius, morte mulctetur. *Fr. Petrarch. lib. 5. de regno, tit. 6. ex Laert.*

Pythagoras, ebrietatem dicere ſolebat inſaniæ meditationem eſſe. *Stob. ſer. 18. Max. ſerm. 30.*

Idem conſultus, quinam vinoſus ebrietatem deſereret? reſpondit, Si quæ per ebrietatem facit, frequenter animo voluat, *Stob. ſerm. 18.*

Heraclitus ruditatem celare non ita facile eſſe dicebat, præcipue in vino. *Stob.*

Democritus pro ſanitate vota (inquiebat) diis homines differunt, neſcii penes ſe ipſam eſſe: contraria autem per luxuriam facientes, ſuis libidinibus ipſam amittunt. *Stob.*

Idem dicere ſolebat, in vite tres naſci botros, quorum primus eſſet voluptatis, ſecundus ebrietatis, tertius iniuriæ. *Ant. in Meliſſa par. 1. ſerm. 39. & 41. Max. ſer. 30. Epicteto attribuit.*

Anacharſis, Scytha idem de tribus botris dixiſſe fertur, niſi quod tertio attribuit moleſtiam. Sentiens, parcum vini vſum eſſe iucundū, quia ſedat ſitim: largiorem, gignere temulentiam; largiſſimum, parare rixas, cædes ac morbos. *Laer. lib. 1. c. 9. Stob. ſer. 16. Ant. in Meliſſ. par. 1. ſer. 41. Max. ſer. 30.*

Idem admirabatur illud, quod Græci initio conuiuij cyathis puſillis vterentur, ſat in maioribus: Sentiens, potum non in aliud adhibendum, niſi ad ſedandam ſitim. Abſurdum igitur eſſe, tū plus bibere, quum iam ſitis eſſet ſedata. *Laert. l. 1.*

Idem dicere ſolebat, quicunque ſobrius fieri vult, turpes ebriorum mores intueatur. *Plut. Stob.*

Plato negabat oportere inebriari præterquam in feſtis, in quibus ipſe Deus vinum porrigit. Feſtos dies decet hilaritas, ebrietas ſemper fœda eſt. *Laer. lib. 3.*

Idem diſcipulos ſuos admonebat, vt ſe ebrios in ſpeculo contemplarentur. Sic enim fore, vt dum faciem ſuam furibundam & phreneticо ſimilem intuerentur, in poſterum ab ebrietatis vitio abhorrerent. *Fu. l. 7 c. 2.*

Idem dicebat animi mores in vino apparere, ac gubernatorē ebrioſum, & quemuis cuicunque rei præfectum omnia ſubuertere, ſiue nauigium, ſiue currum, ſiue exercitum, ſiue quamcunque rem fidei ſuæ commiſſam, *Stob. ſer. 18.*

Idem manifeſtum eſſe dicebat, non modo ſenem bis puerum fieri, ſed inebriatum quoque. *Eod. ſerm.*

Diogenes, videns hominis vino deditiſſimi ædes venales eſſe, ex ianuæ inſcriptione: Minimè dubitabam, inquit, quod vini crapula excuſſa facile domum euomeres. *Bruſ. l. 1. c. 19.*

Idem vinum plurimum in conuiuio quodam dono acceptum effudit, quod quum quidam indigne ferrent: Si, inquit, vinum omne ebiberem, non tam liquorem quam meipſum quoque perderem. *Stob.*

Idem Adoleſcentem ſtupidum mero, & prorſus deſipientem intuitus: Adoleſcentule, ait, temulento ſatus es patre. *Stob.*

Zenonem Citticum ſumma verecundia colebat, in pretioq. habebat rex Antigonus. Accidit igitur, vt aliquando vino ſupra modum impletus, obuiam Zenoni fieret, quē oſculatus eſt, atque amplexus, vt temulentus, petiitq. vt ſibi quid iuberet. Et interpoſito temere ſacramento, confirmauit ſe præſtiturū quicquid poſtulaſſet. Tum ille dixit ei: Abi, & euome. Graui ſapientiq. reprehenſione, ſimul temulentiā eius taxās, ſimul vero cauens ne nimia comeſſatio potatioq. & nocumentum adferret. *Aelia. l. 9. Var. hiſt.*

Sophocles vitio vertebat Aeſchylo, quod ebrius ſcriberet. Nam etſi bene ſcribēt, inquiebat, neſciens tamen id facit. *Stob. ſer. 18.*

Cleoſtratus, cuidam ei dicenti, Non te pudet ebrium fieri? reſpondit, Te vero non pudet, ebrium monere? *Anton. & Max. ſer. de ebrietate.*

Leonycnidas, percontanti cuidam, cur parce biberent Spartiatæ? Ne, inquit, pro nobis alij conſulerent. Senſit autem vir clariſſimus, eum nequaquam ſalubriter de rebus conſultare poſſe, cui ſanum iudicium à vino ablatum ſit. *Bruſ. l. 1. cap. 19. ex Plut. in Lacon.*

Ariſtippus, iactāti cuidam, quod multum bibere poſſet, nec inebriaretur: Quid, inquit, magni narras, quum idem faciat quoque mulus? *Laer. l. 2. c. 8.*

Anonymus quidam Lacon, quum audiſſet quoſdam à cœna cogi ad bibendum: Num, inquit, coguntur etiam ad edendum? Notauit Græcorum morem, in conuiuiis compellentium ad certum cyathorum modum, quum id reuera nihilo abſurdius ſit, quam hominem, qui non eſurit, ad certū eſcarum modum cōpellere, niſi quod alterius abſurditatem eleuat conſuetudo. *Plut. in Lacon.*

Ageſilaus. Cum in comparatione quadam ſortibus ex more ductis factus eſſe princeps conuiuii (huius autem partes erant, præſcribere quantum quiſque biberet) rogatus à pincerna quantum cuique vini deberet apponere? Si multum, inquit, vini paratum eſt, dato cuique quantum poſcit: ſin parum, cunctis ex æquo diuidito. Hac dexteritate mirè proſpexit, ne vel parata vini copia deeſſet, quibus placeret largior potatio: vel ad bibendum cogerentur, quibus placeret ſobrietas. Rurſus in maligniores vini copia, per æqualitatem excluſit rationem murmu-

murmuris. Etenim cum singulis equa vini portio distriboeretur, nihil deerat his qui bibebant moderatius: & qui largius fuerant bibituri, quum haberent quod naturæ satis esset, quem non poterant si deerat libidini, eo quod nemo omnium plus aut minus haberet cæteris. Itaque æquis animis se illi quoque ad moderationem componebant, quibus alioqui placebat luxus. *Plut. in Lacon. apoph.*

Crates conspicatus adolescentem athleticum ebrietate & gula corpulentiorem fieri: O miser, exclamauit, desine aduersus temetipsum carcerem munire. *Ant. & Max. ser. de incont. circ. mens.*

Demosthenes. Philocrates & Aeschines Atheniensium legati ad Philippum Macedoniæ regem, cum domum redirent, regemq. eo nomine laudarent quod strenue bibisset respondit Demosthenes, habet hanc virtutem cum spongia communem. Sensit vir prudentissimus, regum virtutes non in euacuandis poculis sitas esse. *Plut. in Demosth.*

Cyrus. Astyages cum rogasset Cyrum regem, quamobrem vinum non absorbuisset? Quod metueram (inquit) mediusfidius, ne in cratere mixta venena forent. Etenim quum tu in natalitiis amicos adhibuisti, perspicue didici te eis venena infudisse. Et quo pacto, inquit, o fili, hoc dignouisti? Quod videbam vos, respondit, neque corporis esse neque mentis compotes. *Brus. lib. 1. c. 19. Xenophon. in Pædia Cyri.*

Idem. Sparamizas Metrodori cum per ebrietatem Cyri mortem aperuisset: Rectè, inquit, se habet illud, quod crebro vsurpatur à Græcis, Veritatem in vinu esse. *Brus. l. 1. c. 19.*

Androcides ad Alexandrum regem vino plus satis dedi tum, dixisse fertur, Vinum potaturus, rex memento te bibere terræ sanguinem, cicuta homini venenum, cicutæ vinum. *Brus. l. c. 19. ex Plin.*

Stratonicus citharœdus natione Atheniensis, non minus testiuis dictis quam arte musica celebris, ad quietem iturus, assidue iubebat puerum sibi infundere vinum: Non quod sitiam, inquit, sed ne sitiam. *Athen.*

Plutarchus, dicebat Mundum igne & aqua corrumpi, luxuriosorum autem opus amore & ebrietate. *Ant. & Max. ser. de ebriet.*

T. Quintius. Democrates cum temulentus, finito conuiuio, muliebri habitu saltasset, postero die venit ad T. Quintium, petens subsidium contra Messenios, quos ad defectionem ab Achæorum imperio pellicere conabatur. Cui Titus ait. Miror te hominem vinolentum, meroq. eneruatum, huiusmodi res moliri, quæ virorum non mulierum sunt. *Brus. lib. 2. cap. 29. ex Plutarch.*

Cicero, cum in foro ambularet, & ei ad bibendum aqua oblata esset, vidit forte L. Cottam censorem, hominem vino deditissimum non procul astantem, cumque aquam Cicero accepisset iam hausturus, vocatis amicis; Circumtegite me, inquit, ne censor me aquam bibere videat, & pro suo iure rationeq. officii senatura moueat. Notauit autem Cottæ censoris vinolentiam, quam in aliis non reprehendere, verumetiam grauiter punire debebat. *Brus. lib. 1. cap. 10.*

Augustus Cæsar videns equitem in spectaculis bibentem, misit qui illi suis verbis diceret, Ego si prandere volo, domum eo. Respondit eques: Tu enim non times, ne perdas locum. Augustus sensit, indecorum esse, illic in publico bibere. Eques per iocum sic interpretatus est: Cæsarem sine damno posse discedere à theatro, quod locus ipsi seruetur, equiti non item. *lib. 6. apoph.*

Tiberius Imp. quoniam tyro in castris auidius bibebat vinum, militari ioco, pro Tiberio Claudio Nerone, dictus est, Biberius Mero. *lib. 6. apoph.*

Firmus Imp. vini patientissimus fuisse legitur, citra tamen ebrietatē. Quodam autem à barbaro vexillario ad bibendum prouocatus, duas vini situlas hausit, & postea toto conuiuio sobrius fuit. Cum vero barbarus diceret. Cur non & fæcem ebibisti? Stulte, inquit, terra non bibitur. *ex Vopisco.*

Aurelianus. Bonosus, qui imperator postea factus est, cum tantum biberet, quantum hominum nemo: Aurelianus vrbanissimè dicebat, non vt viuat, sed vt bibat, natus est. *Brus. lib. 1. c. 19.*

Vib. Crispus, summus Vitellii Imperatoris amicus, cum ob nocturnas comessationes atque compotationes luxuriosissimas in grauissimum incidisset morbum, & ita quidem vexaretur, vt Vitelliania conuiuijs interesse amplius nequiret, postquam paululum conualuisset, ad amicos dixisse fertur, se omnino fuisse periturum, nisi tam grauiter laborasset. *Xiphil. in Vita Vitellij.*

Anonymus. Bonosus Imperator vir extremæ gulæ & ebrietatis, cum se suspendio suffocasset, interrogatus quidam, qui eius mores & vinolentiam nouerat, quisnam esset suspensus? respondit, non hominem esse, sed amphoram. *Vopisc.*

Anonymus. cum celebrarentur à Ferdinando rege, Hippolytæ nurus atque Alphonsi filii nuptiæ, apparatu splendidissimo (erat enim dies decursionis hastatæ, flagrabantq. sub sole cuncta, conuenerant autem mortales omnis generis ad spectandum) cumq. plurimi ludorum essent laudatores, vel plerique omnes admiratores res potius, in media laudantium frequentia, & plausu exclamauit Germanus quidam: O valeant ludi, quibus nemo bibit. *Pontan.*

Basilius magnus, quid esse ebrietas, rogatus? respondit, Ebrietas dæmon est, sponte admissus in animos per voluptatem. Mater est malitiæ, impugnatio virtutis, ex forti timidum facit, è gnaro ignarum, prudentiam abolet. Et sicut aqua pugnat igni, sic immoderatio vini mentem sobriam extinguit. Item, vt fumus fugat apes, ebrietas pellit spiritualia dona. *Anton. & Max. serm. de ebriet.*

Chrysostomus dicebat, ebrietatem esse rectæ mentis alienationem, & delirium, & secundum animam sanitatis perditio. *ibid.*

Anacharsis ab adolescente in conuiuio pulsatus: Adolescens, si nunc vinum non fers: vbi senueris, aquam feres. Nam qui bibunt intemperantius vinum, ea præsertim ætate cui magis conueniat aqua, ij frequenter senes ob inopiam coguntur aquam bibere. *Laert. lib. 1. c. 9.*

Idem. quidam in conuiuio videns vxorem Anacharsidis, vxorem, inquit, duxisti satis deformem. Cui Anacharsis, Prorsus ita mihi videtur: sed heus puer, infunde mihi largius, vt reddam eam formosam. Indicare voluit vir sapientissimus, vinum immoderatius potatum adimere homini rectum iudicium. *Athen. lib. 9.*

Idem interrogatus, num in Scythia essent tibicines? Respondit. Ne vites quidem. Significans saltationes, reliquasq. eius generis voluptates è vinolentia nasci. *Laert. lib. 1. c. 9.*

Eratosthenes dicebat vinum igni æquale habere robur, quod cum virum inuaserit eum veluti Boreas vel Notus mare Libycum turbat & confundit: occulta, & quæ profunda mente gerit, aperit, ostendit, virorumq. totam mentem excutit. *Phauor.*

Aeschines dicere solebat, Speculum formæ esse æs, vinum autem animi. Voluit autem indicare vir sapientissimus, nil tam secretum esse animo nostro insculptum, quod homo ebrius non effutire audeat. *Max ser. 30. & Stob.*

Aeschylus ebrietatem tanquam pestem fugiendā suadebat, qui enim potus mensuram transgreditur, non amplius mentis & linguæ cōpos est. sed sine pudore turpia & indecentia loquitur, ex viro factus puer. *Phauorinus.* Verum hoc alii etiam ad Theognidem referunt.

Anonymus, quum Philippus Macedonum rex cognitionem exerceret parum sobrius, ac perperam aduersus mulierem quandam tulisset sententiam: illa sentiens errorem esse vini, non regis, exclamauit: Prouocarem, inquit, ad Philippum, sed sobrium, excussit regi muliebre conuicium temulentiam, adegitq. vt expergefactus causam eandem animo præsentiore cognosceret. *P. M. lib. 8. apoph. Val. Max. lib. 1. c. 2.*

Anonymus. milites aliquot Tarentini inter cœnandum multa liberius dixerant in Pyrrhum regem. Res ad eum delata est: acciti sunt iuuenes, ac periclitabantur omnes, quum factum nec negari posset, nec defendi: Tum vnus illorum dexterioris ingenii: Imo, inquit, rex, & ista diximus. & longè acerbiora dicturi fueramus, nisi nos lagena defecisset: linguæ petulantiam in temulentiam reiiciens. Itaque mox ira principis in risum versa dimissi sunt. *P. M. 6. apoph. ex Plut.*

Claudius Cæsar nunquam adeo animi sui secreta protulit, atque olim dum multo vino madidus esset: vbi dixit, Sibi fatale esse, vt coniugum flagitia ferret, deinde puniret. Quæ vox terrorem non mediocrem iniecit Agrippinæ. *Ex Suet.*

SIMILITVDINES.

Syrac. Fornax probat ferruminationem in tinctura: Sic vinum in corde superborum in ebrietate. *cap. 31. Eccl.*

Chrysostom. Sicut nauis quæ aquis impletur, si exhauriri nequit, in profundum submergitur: Ita homo cum crapulæ & ebrietati se exponit, in præceps vadit, rationemq. omnem amittens submergitur in profundum inferni. *Hom. 9. in Gen.*

Quid copia deliciarum & fœditas non mali adducit? Sues ex hominibus facit, imo vero multo peiores. Sus enim in luto voluitur, & stercore nutritur: Hic vero nullo à dæmoniaco discrimine separatur: imprudens enim & furiosus pariter est: & dæmoniacum quidem omnes miseramur: hunc vero auersamur & odimus, qui sponte sibi furorem attrahit, & os, oculos, aures & cætera simpliciter sensuum instrumenta, amatissimas voluptates conficit & cloacas. Quod si etiam interiora inspicias, videbis animā ebrii ceu hieme ac intentissimo frigore congelatam, adeoq. atque torpentem, vt nulla vtilitas corpori ab ea possit afferri. Nihil turpius ebriosa fœmina, quæ quanto vasculum est infirmius, tanto magis naufragium fit. Bestiis peiores sunt ebriosi: illæ enim nihil vltra quam opus est, desiderant. Quanto melior asinus ebrioso? quanto canis præstantior? Omnes certe animantes quæ rationis expertes sunt, cum bibunt aut comedūt vltra quam satis est, etiā si mille homines cogerēt, nunquam elabuntur. Nemo cogit bibere aut edere animalia, ne excessus detrimēto sit eis. ebriosi & qui cogunt alios ad bibendum, peiores ipsi iudices. *Hom. 58. in Matth.*

Tritici quidem hoc est siligo, hoc farina, hoc furfur. Igitur si mola quidem sit idonea molere, hæc omnia separauerit, si vero plus ingesseris, confunderis omnia. Itidem & vinum, si congruam cocturam, & temporum assequatur temperiem,

quoniam citra quidem hoc omnia conf. sa sunt: post hæc vero, hoc quidem in fæcem subsidet, hoc in spumam exilit, hoc vero in gustantium vsum: & hoc est bonum, quod nunquam facile subuertitur. Quod vero dicunt, tropium neque vinum est, neque fæx, omnibus commistis, hoc & in flumine quispiam viderit, cũ aqua cum vortex efficitur. Sicut tunc mortuos pisces videmus adnatãtes, & simi crassitudine oculis captos: Itidem & in nobis efficitur. Cum multus ingluuiei superne influxerit imber, postquam omnia cognouerit, mortuas amare facit cogitationes pridem sanas, & in puro viuentes. *Hom.* 45.

Sicut hostibus vrbem subeuntibus, & obsidione factis. & perturbatione, multus efficitur tumultus: Ita fit in anima subrepente vino cum delicijs. *Hom.* 54.

Augustinus. Corpora nostra terrena sunt: Quomodo pluuia nimium grandis & diuturna si fuerit, terra confunditur. & in lutum resoluitur, vt nulla in ea cultura possit fieri: Sic & caro nostra, quando abundantiori potu fuerit inebriata: nec spiritualem culturã accipere, nec fructus animæ necessarios poterit exhiberet. Et ideo, quomodo omnes homines sufficientem pluuiã in agris suis accipere desiderant, vt & culturam valeant exercere, & de fructuum vbertate gaudere: Ita & in agro corporis hinc tantum deberent bibere, quod oportet, ne nimia ebrietate, ipsa corporis terra, velut in paludem conuersa, magis vermes & serpentes vitiorum generare, quam fructus bonorum operum possit afferre. Omnes enim ebriosi tales sunt, quales paludes; videntur serpentes, sanguisugæ, nascuntur ranæ, & diuersa genera vermium, quæ magis horrorem possum generare, quam aliquid, quod ad victum proficiat, exhibere. Herbæ, quæ in ipsis paludibus, vel circa ripas earum nasci solent, nihil vtilitatis habere videntur, in tantum, vt annis singulis incendio concrementur: ita quod de ebrietate nascitur, igni præparatur. *Serm.* 231. *De vitanda ebrietate.*

Ebriosi peiores sunt animalibus. Cum enim illa amplius, quam eis opus est bibere nolunt: isti & duplum, & triplum, quam eis expedit, potum accipiunt. *Ibidem.*

Ebrietas est quasi puteus inferni: quoscunque susceperit, iam si digna subuenerit pœnitentia, & emendatio subsecuta, ita fortiter sibi vendicat, vt eosdem ipsos de inferni tenebroso puteo ad charitatis vel sobrietatis lucem redire non permittat, sine pœnitentia. *Ibidem.*

D. *Basily.* Ne velut in hos dies crapulæ thesauros reponito. Ista infida penu cella est, in pertusum hauris dolium: sit enim vt vinum perfluat, ad suam recurrens viam, peccatum vero maneat in dolio, famulus profugit ab hero verberante, tu vero non recedis à vino, quod contundit caput tuum. Ebrietas vt somnum adfert mortis germanum: ita vigiliam habet somnijs adsimilem. *De ieiunio.*

Velut nauigia, quando fluctibus procellæ acceptis grauantur, necessario commeatus vacuatione ac proiectione vacuanda sunt: Sic ebriis rerum stomachum grauãtium vacuatio necessaria, ex quo & vomitione & deiectione frequenti vix leuari possunt, tanto naufragis deteriores, quanto illi tes causantur extrinsecus & mare. *Serm de ebrietate.*

Sicuti valles & botri, donec torrentibus inundantur, pleni esse videntur, vnda vero desinente, statim siccæ vacuaq. remanent: Sic & vinolentorum ora vino ac potatione durantibus exsaturantur ac madescunt, paulo post continua siccitate laborant. *De ebrietate.*

Nocumenta quidem pestis cum tempore hominibus contingunt, aere ipso paulatim virus suum corporibus inserente: vini autem noxæ illico ingruunt. Ebrii quippe cum adeo corruperunt animã, vt tota sit inquinata, & plena maculis, insuper etiam corporis habitum perdunt, &c. *Apud Ant. in Mel par.* 1. *ser.* 41.

Vt aqua aduersatur igni: Sic immoderatus vini potus rationem extinguit temperantem. *Apud Max serm.* 30.

Plutarchi. Ignaui canes apud mensam audent, in venatu minimè: Sic ingenerosum est, cum sobrius liberè loqui non audeas, inter pocula id facere. *In Moral.*

Senecæ. Quemadmodum musto dolia ipsa rumpuntur, & omne quod in imo iacet, in summam partem vi caloris eiectat: Sic vino exæstuante, quicquid in imo iacet abditum, effertur, & prodit in medium. *lib.* 10. *epist.* 84.

Quemadmodum difficiles faciunt oculos diutini morbi, etiam a minima radij solis offensionem: Ita ebrietatis continuæ efferant Animos. *Ibid.*

Quemadmodum onerati mero non continent cibum: Ita nec arcanum, redundante vino.

Plinij. Vt polypi non extendunt sua flagella, nisi ad esculenta: Sic quidam omnem felicitatem cibo potuq. metiuntur. *lib.* 9. *cap.* 29. *& Plut.*

P.M. Lysimachus ob sitim coactus se dedere Scythis, deinde cum frigidam bibisset aquam: Dij boni, inquit, quam breuis voluptatis causa quantam deposui felicitatem: Ita nobis cogitandum, postquam ob potiunculam intempestiuam, aut Venerem, in longum morbum incurrimus. *In similibus.*

Musca & alia nonnulla insecta suctu viuunt, ideoq. eis pro lingua est fistula: Ita quosdam videas bibones, qui potu viuant, a cibo abhorreant. *In similibus.*

Thriuer. Qui ambitiosè delegit in mensa, cui bibat, eam meretur gratiam, quam qui dilutum iterum ducit ad pluuiam. *In apoph.* 112.

Exempla Biblica.

Ebrietatis exempla: Noe, *Gen.* 9. *vers.* 21. Nabal, 1. *Sam.* 25. *ver.* 36. Amnon, 2. *Sam.* 13. *ver* 28. Ela, 1. *Reg.* 16. 9. Benadad. 20. 16. *Balsasar, Dan.* 5. 1. In ebrietate extinctorum exempla: Philisthæi, *Iudic.* 16. *v.* 25. 30. Ammon, 2. *Sam.* 13. 28. Ela, 1. *Reg.* 16. 6. Holofernes, *Iud.* 13. 1. 10. Balsasar, *Dan.* 5. *vers.* 1. 2. 3. 4. 30. Simon cum filiis, & quibusdam pueris, 1. *Mach.* 16. *vers.* 16. 17.

Historica Exempla.

Pittacus Mitylenæus temulentos, si quid deliquissent, duplici pœna puniri curauit, vt formidine supplicij à vino promptius abstinerent. *Alex ab Alex lib.* 3.

Apud Hispanos hodie ebrietas tanto habetur odio, vt ne testimonii quidem dictio ei, qui huic vitio obnoxius vel semel fuerit, permittatur.

Indi nisi sacrorum causa vinum non bibebant: apud quos constitutum erat, vt si qua mulier regem temulentum occidisset, hoc donaretur munere, vt successori nuberet. *Alex. ab Alex. lib.* 3. *cap.* 11.

Athenienses, cum ebrietatis vitium in omnibus improbarent ex Solonis instituto ebrium principem morte mulctabãt. *Laer. in Solone.*

Apud eos locos, qui magis vergunt ad Zephyrum, si quis merum sine medici imperio medicamenti gratia biberit, capitis damnatur, quam legem tulit Zeleucus. *Athen. l.* 10. *c.* 9.

Cleio non solum cum fœminis, verum etiam cum viris potare aulæ, omnes superauit. *Aelian. l.* 2. *de var. hist.* & *Athen. l.* 10. *c.* 9.

Heraclites pugil parem in bibendo non habebat: alios enim a ientaculum inuitabat: alios ad prandium, quosdam ad cœnam: quibus omnibus sine interstitio sufficiebat solus. *Rauisius.*

Anacharsin philosophum aiunt plurimum bibisse apud Periandrũ. Hoc enim vitiũ secum è Scythia attulerat. *Aelian. li.* 2. *de var. hist.*

M. Cicero filius, quum parens fuerit abstinentissimus, binos cõgios haurire solitus est, teste Plinio, temulentus M. Agrippæ scyphum impegit. *Val. Max.*

Indos ferunt ex fructu arundinum, quæ mel gignunt: aut vino ex dactylis, inebriari. *Alex. ab Alex. l.* 3. *c.* 11.

Persarum multi farinam in vinum iacientes bibunt, alii ouorum lutea. *Athen l.* 10. *c.* 9.

Carthaginenses & Celtiberi & Thraces mero penitus vtuntur, tam viri quam mulieres: atque vino item vestes perfundunt, præclarum hoc & beatum vitæ genus existimantes. *Cœlius lib.* 28 *cap.* 6. *A. L.*

Vitium ebrietatis grauiter describitur apud Xenophontem in Pædia Cyri: vbi dicitur: Ebrios neque mentis esse, neque corporis compotes. Ob id Cyro puero cum hospites inuitati, ab Astyage auo in natali die ita singultiassent, visum esse venenum a Sacca pocillatore infusum fuisse.

Vini vsus Romanis fœminis ignotus fuit, ne in aliquod dedecus prolaberentur. Quia proximus à Libero patre intemperantiæ gradus, ad inconcessam Venerem esse consueuit. Quæcunque enim fœmina vini vsum immoderatè appetit, & virtutibus ianuam claudit, & delictis aperit. *Valerius Maximus, lib.* 2. *tit. de institut. antiquis.*

Ennium Poetam nunquam nisi potum ad arma dicenda accessisse dicunt: certe ad ferenda tractandaq. arma, multa potione vini opus esse, fateri oportet, cum multo maius existat, bellum gerere, quam describere *Cœlius Rhodiginus. Quare in verbo, carmina aqua potoribus.*

Notum est, Archesilaum philosophum, cum vinum immodice hausisset, obijsse ætatis anno 75: *Rauis. textor.* 2 *Act. offic. Tit. de gul. edacib. ac vinol.*

Ennius articulari morbo consumptus est, quem ex immodico vini vsu contraxerat. Quam rem egregie docet Serenus:

> *Ennius ipse pater dum pocula siccat iniqua:*
> *Hoc vitio tales fertur meruisse dolores.*

Ennius podagricus. *Hæc Cœlius lib. cap.* 30. *lectionum antiquarum.*

Aeneas Syluius in libello de claris mulieribus, tribuit Teutonibus ebrietatem, & tantisper fortes dum vinum habeant.

Quum ad Dionysium regem delatum esset, duos adolescentes inter pocula & in ipsum & in eius tyrannidem dixisse, ambos vocauit ad cœnam. & animaduertit alterum largius potum multa nugari, alterum raro cauteq. bibere: potum dimisit, vt qui per temulentiam maledicus esset: alterum interfecit, vt qui studio maleuolus & hostis esset.

Hieroglyphica.

Per Pantheram ebriositas intelligitur hieroglyphice. Sunt enim

enim Pantheræ vini admodum auidæ, & à venatoribus ebriæ plerunque capiuntur, fontibus quo potatum eunt, suauissimo, peruetri, potentiq. vino vendicans. *Pier. Val lib. 11. pag. 103.*

Hominem vero ebrietate laborantem, ac sibi remedium comminiscentem significare cum vellent Aegyptij: *Vpupam & capillum Veneris herbam* pingebant. *Vpupa* siquidem vuis vescitur immodicè, ita vt plerunque inde ebria fiat, & simulac se tentari sensit, capillo Veneris decerpto, efficacissimè sibi medicatur. *Idem lib. 25. pag. 235. Item, lib. 58. pag. 562.*

Emblema.

In statuam Bacchi. Dialogus.
Emblema xxv.

Bacche pater, quis te mortalis lumine nouit,
Et docta effinxit quis tua membra manu?
Praxiteles, qui me rapientem Gnossida vidit,
Atque illo pinxit tempore qualis eram.
Cur iuuenis, teneraq. etiam lanugine vernat
Barba, queas Pylium cum superare senem?
Muneris ut quandoque mei si parcere discas,
Iunior, & fortis pectore semper eris.
Tympana non manibus, e tybis non cornua desunt.
Quos nisi dementas talia signa docent?
Hoc doceo nostro quod abusus munere sumit
Cornua, & insanus mollia sistra quatit.
Quid vult ille color membris pene igneus? omen
Absit, an humanis vteris ipse focis?
Cum Semeles de ventre parens me fulmine traxit
Ignitumq. infectum puluere mersit aquis.
Hinc sapit hoc, liquidis qui nos bene diluit vndis:
Qui non, ardentis torras ab igne tacet.
Sed nunc me doceas, quo vis misceri? & qua
Te sanus tutum pondere lege queat?
Quadrantem addat aqua, calicem sumpsisse falerni
Qui cupit. hoc sumo pocula more minus.
Stas inter geminas nam qui procedere tendit
Vltra, alacer, sed mox ebrius, inde furit.
Res dura hac manum sunt pondera gustura, dulce
Tu sinis, heu facile commoda nulla cadunt.

ECCLESIA.

DEFINITIO.

Ecclesia, Græca dictio est, ἐκκλησία, ἀπὸ... Hebræis *Kahal*, congreganit, propriè dicitur de congregatione hominum per conuocationem facta. Idem cognationem habet cum *Kol*. id est, vox, & *Laha Kah*, id est, collectio Græcis, καλέω voco, συγκαλέω conuoco, ἐκκαλέω euoco, accerso, ἐκκλησία. Ecclesia, concio, congregatio hominum vocatorum ad aliquid audiendum. Vocabulum ἐκκλησία fuit apud Græcos celebre atque vsitatum, significans propriè cœtus hominum è suis sedibus, in alium locum conuocatorum ad aliquid audiendum. Hinc mutuo sumptum est nomen atque ad sanctiorem vsum traductum. Rei quam significat aptissimè conuenit: quia nihil aliud est Ecclesia, quam cœtus hominum euocatorum. Qui enim ad veram Ecclesiam pertinent, ex hoc mundo, à hominibus qui in mũdo versantur, in vnum corpus & quasi rempublicam sanctam euocantur, nulli in hunc numerũ veniunt, nisi euocati à Deo, nulli suis viribus freti, sed omnes, quotquot veniunt, à Dei vocatione præueniuntur.

Distinctiones, disputationes, notas Ecclesiæ, Theologorum scriptis relinquimus, instituto nostro contenti.

Loci Biblici.

Ecclesiæ Latinis, Græcis ἐκκλησίας nomen accipitur, *Primo* pro loco vbi conueniunt homines religionis ergo. *Deut.* 23.1. *Iudic.* 20. 2. *Psal.* 68.27. *Thren.* 1.10. *Ioel.* 2.16. 1. *Cor.* 11.18. & 14.34. *Secundo*, pro familiæ alicuius domesticis fidelibus, *Rom.* 16.5. 1. *Cor.* 16.19. *Coloss.* 4.15. *Tertio*, pro cœtu vnius prouinciæ, 1. *Reg.* 8.14. *Acto.* 9. 31. & 11.26 & 12.1. & 13.1. & 15.1. & 19.32 & 20.17. *Rom.* 16.2. 1. *Cor.* 5.2 & 16.1. 2. *Cor.* 8.2. *Gal.* 1.2. 2. *Thess.* 1. v. 1. & *cap.* 1. *Pet.* 5.13. *Apo.* 2.1. & c. 3.1. *Quarto*, pro insigni aliquo credentium, verboq. ac Sacramentis simul communicantium cœtu, *Acto* 10.28. 1. *Cor.* 15.22. & 14.4. *Gal.* 1.13. *Quinto* pro cœtu fidelium. *Num* 19.20. & 20.4. 1. *Sam* 19.47. 1. *Reg* 8. v. 14.55. 2. *Par.* 29.1. & c. 2 *Par.* 1.5. *Psal.* 22.26. & 26.12. & 35.17. & 107.32. & 150.1. 1. *Mach.* 4.37. & 5.16. & 14.19. *Matth.* 16.18. *Acto.* 5.11. & 8.1. & 16.4. *Rom.* 16. v. 16.23. 1. *Cor.* 6.5. & 11.16. & 12.28. & 14.5. 2. *Cor* 8. v. 18.23.24. & 11.8. 12.13. *Ephes.* 5.23. *Phil.* 4.15. *Coloss.* 1.18. 1. *Tim.* 3. v. 5.15. *Apoc.* 1.11. & 22.16. *Sexto*, pro vniuersa fidelium per totũ terrarum orbẽ diffusorum multitudine, & tunc confertur candelabro. *Acto.* 1.20. ciuitati, *Ephes.* 2.19. *Apoc.* 21.2. (*vide Matth.* 5.14.) columbario, *Esa.* 60.8. colum. 1. *Tim.* 3.15. *Septimo*, pro senatu Ecclesiastico, *Matt.* 18. 17. quia nimirum cogitur nomine totius Ecclesiæ. Alibi vocatur à Paulo Presbyterium, seu Collegium Seniorum, 1. *Tim.* 4.14. (D. Ignatius Epist. 9. ad Antiochenos, Collegium Presbyterorũ vocat.) Obseruandum autem est, ecclesiæ vocabulum vnico hoc saltẽ noui testamenti loco (*Matth.* 18.17.) de Iudæis dici, quorum alioquio generales cœtus peculiari nomine solent Synagogæ appellari: quamuis Græci interpretes idem vocabulum attribuant eorum congregationi, etiã in veteri Testamento. 1. *Par.* 13. *ver.* 2. 9. Euangelista itaque pro Seniorum collegio, dixit ecclesiam, Lucas autem Presbyterium populi, *Luc* 22.66. *vide Marc* 5.22. *Octauo*, pro ciuium conuentu, seu multitudine in Theatrum concurrente. *Actor.* 16. *ver.* 32.39.

Ecclesia est vna & visibilis præfigurata per vnam & visibilem arcã Noe, *Gen.* 6.14. 1. *Pet.* 3.20. per ciuitatem sanctam Ierusalem, *Apoc.* 21.2. per hortum conclusum, & fontem signatum, *Cant.* 4.12. per vnam columbã, 6.8. per vineam. *Psal.* 80.9. *Cant.* 2.15. *Esa.* 5.2. &c. *Ier.* 2.21. & 12.10. *Matth.* 20. v. 1. &c. *Marc.* 12. 1. *Luc.* 20.9. *Apoc.* 14.15. Per agrum, *Matth.* 13.24. Per nauem, *Luc.* 5.3. Per regnum cœlorum, *Matth.* 13.1. &c. 25.1. &c. per sagenam comprehendentem bonos & malos pisces. *Matth.* 13.47.

Ecclesia dicitur (mysticum) corpus Christi, *Rom.* 12.5. 1. *Cor.* 10.17. 12.27. *Eph.* 1. v. 22.23. & 4. v. 12.16. & 5.13. *Coloss.* 1. *ver.* 18.24. cõtẽtiosa non est, 1. *Cor.* 11.16. domus Dei. 1. *Tim.* 3.15. *Heb.* 3. v. 3.6. 1. *Pet.* 2.5. & 4.17. *Vide & Eph.* 2. 1. 1. *Pet.* 2. v. 4.5. vbi alluditur ad veteris templi structuram. Euangelij ministra, *Esa.* 41.27. immaculata, *Cant.* 4.7. *Ephes.* 5.27. à Christo mundata, 5.26. *Tit.* 2.14. piorum mater, *Esa.* 54.13. & 66.10. *Gal.* 4.26. difficulter parit filios, *Apoc* 12.2. Christo preciosa *Acto.* 20.28. 1. *Pet.* 1.18. plenitudo Christi, *Ephes.* 1.23. Sponsa Dei, *Psal.* 45. v. 11.12. *Ezech* 16.8. *Ose.* 2.19. *Matth.* 6.15. 2. *Cor.* 11.2. *Ephes.* 5.32. *Apoc.* 19.7. & 21. *ver.* 2.9. Christo subiecta. *Ephes.* 5.24. super Christum fundata, *Esa.* 28.16. *Psal.* 118.22. *Matth.* 16.18. & 21.42. *Luc.* 20.17. *Actor.* 4.11. 1. *Cor.* 3.11. Spiritu Sancto prædita, *Ioan.* 14.16. varijs afflictionibus obnoxia. *Dan.* 12.1. *Zach.* 1. *ver.* 4.5. vinci potest nunquam, *Matth.* 16. 18. *Rom.* 8.17. vniuersalis est, *Matth.* 8.11. *Ioan.* 10.16. *Galat.* 4. v. 26.

Ecclesia fidelium nascitur & propagatur per sanam doctrinã. *Ioan.* 1. 12. & 3. *ver.* 3. *Rom.* 8.13. & 9.8. *Galat.* 3.20. & 4.19. *Ephes.* 1.5. *Tit.* 1. 3. *ad Cor.* 4.15. *Philem.* v. 10. 1. *Pet.* 1.23. 1. *Ioan.* 3.9. & 5. v. 1.18. *Iacob.* 1.18. Ecclesia, seu fidelium cœtus, tenetur Pastoribus & Doctoribus suis ad vitam tuendam necessaria suppeditare, *Deut.* 12. 19. & 14.27. & 10.11. & 25.4. 1. *Esd.* 7.23. *Matth.* 10. v. 10. *Luc.* 10. 7. *Rom.* 15.27. 1. *ad Cor.* 9 *vers.* 7.11. *Galat.* 6.8. *Philip.* 2.29. & 4. v. 5. 16. 1. *Thess.* 5.12. *Hebr.* 13.7. & orare pro præfectis suis, *Act.* 4.29. & 12.5. *Rõ.* 15.30. *Eph.* 6.18. *Phil.* 1.19. *Coloss.* 4.2. 2. *Thess.* 3. v. 1. *Heb.* 13.18.

Ecclesiæ Caput est Christus, *Osea* 2. *ver.* 2. 1. *ad Cor.* 12.27. *Ephes.* 1.22. & 4.15. & 5.23. *Coloss.* 1.18. & 2.10. ecclesiæ quasi membra quædam sunt veri Fideles, eidem capiti Christo subiecti, cuiuscunque nationis fuerint, siue Iudæi, siue Gẽtiles. *Esa.* 43.9. *Ioan.* 10.16. 1. *ad Cor.* 17.12 *Eph.* 3.6. ecclesiæ Claues promittuntur, & potestas, *Matth.* 16.17. traduntur. *Ioan.* 20.23. exercentur, *Matth.* 18.17.

Ecclesiam sibi Christus comparauit, & emit sanguine suo *Actor.* 20. 28. 1. *Corinth.* 6.20. & 9.23. *Ephes.* 2. *vers.* 13. *Coloss.* 1. *vers.* 14. 1. *Pet.* 1. 18. *Heb.* 9.12. 1. *Ioan.* 1. *ver.* 7. *Apoc.* 1. *vers.* 5. & 5. *vers.* 9. & 14. *ver.* 4.

Ecclesiam suam Deus protegit & custodit, *Exod.* 13.21. & 29.45. *Leu.* 16.12. *Deut.* 7.20. & 23.14 & 31.3. 1. *Reg.* 6.13. *Psal.* 91. *vers.* 1. 11.13. 2.13. *Esa.* 43.2. *Ierem.* 46.28. *Matth.* 18.20. & 28.20. *Ioan.* 14. 23. 2. *Cor.* 2.6.16.

Sententiae biblicæ.

Ecclesia fundamenta.

Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos. *Esa.* 54.

Omnis ergo, qui audit verba mea hæc, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificauit domum suam super petram, & descendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerant venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit. Fundata enim erat super petram. *Matth.* 7.

Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meã, & portæ inferi non præualebũt aduersus eã. 16.

Secundum gratiam quæ data est mihi, vt sapiens architectus, fundamentum posui, alius autem superædificat. 1. *Corint.* 3.

Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. *Idem.*

Superædificati super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu, in quo omnis ædificatio constructa, crescit in templum sanctum in Domino. in quo & vos coædificamini in tabernaculum Dei in Spiritu Sancto. *Ephes.* 2.

Ad quem accedentes lapidem viuum, ab hominibus quidem reprobatum à Deo autem electum, & honorificatum, & ipsi tanquam lapides viui superædificamini domus spirituales in sacerdotium sanctum, offerentes spirituales hostias, acceptabiles Deo per Iesum Christum. 1. *Pet.* 2.

Firmamentum.

Sicut in diebus Noe istud mihi est, cui iuraui, ne inducerem aquas diluuij vltra super terram: sic iuraui vt non irascar, & non increpem te. Montes enim commouebuntur, & colles contremiscét: misericordia autem mea non recedet a te, & fœdus pacis meæ non mouebitur, Dixit miserator tuus Dominus. *Esa.* 54.

Omnis qui venit ad me, & audit sermones meos, & facit eos, ostendam vobis cui similis sit. Similis est homini ædificanti domum, qui fodit in altum, & posuit fundamentum super petram, Inundatione autem facta, illisum est flumen domui illi, & non potuit eam mouere: fundata enim erat super petram. *Luc.* 6.

Simon, Ecce Satanas expetiuit vos vt cribraret sicut triticum: ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua. Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. 22.

Hæc tibi scribo fili, vt scias quomodo oporteat te in domo Dei conuersari, quæ est Ecclesia Dei viui, columna & firmamentum veritatis. 1. *Tim.* 3.

Patrum Sententiæ.

Disseminata est Ecclesia super omnem terram: columna autem & firmamentum Ecclesiæ est Euangelium & Spiritus vitæ. *Iren. lib.* 3. *c.* 11.

Ecclesia est quædam forma iustitiæ, id est, commune ius omnium. In commune orat, in commune operatur, in commune tentatur: sine Ecclesiæ catholicæ societate. nec alicui Baptismus prodesse potest, nec opera misericordiæ, nisi forte vt minus torqueatur. *Aug. de fid. ad Petr.*

Adhuc habet Ecclesia, quo crescat, donec illud impleatur, Dominabitur a mari vsque ad mare. *super Matth.*

Ecclesia nunc orat pro omnibus: nec tamen pro omnibus exauditur. *August.*

Ecclesia velut lilium inter spinas, malis & bonis est permista. *lib.* 5. *de Bapt.*

Inter nos & Donatistas quæstio est, vbi sit Ecclesia, vtrum apud nos, an apud illos? Quid facturi sumus? in verbis nostris eā quæsituri, an in verbis capitis sui Domini nostri Iesu Christi? Puto quòd in illius potius verbis eam quærere debemus, qui veritas est, & optime nouit corpus suum. *Aug lib. de vnitate Ecclesiæ.*

Non audiamus, dico, hæc dicis, sed audiamus, hæc dicit Dominus. Sunt certe libri Dominici, quorum auctoritati vtrique consentimus, vtrique credimus, vtrique seruimus. Ibi quæramus Ecclesiam, ibi discutiamus causam nostram. *idem, eod. lib.*

Ecclesia quæ per omnes gentes crescit, in frumentis Domini conseruata est. *idem, epist.* 48.

In scripturis didicimus Christum, in scripturis didicimus Ecclesiā: has scripturas communiter habemus. Quare non in eis & Christum, & Ecclesiam communiter retinemus? *Idem epist.* 166.

Si qua est Ecclesia quæ fidem respuat, nec Apostolicæ prædicationis fundamenta possideat, deserenda est. Petra tua Christus est. *Ambros. in Luc. lib.* 6. *c.* 9.

Ecclesia, sicut Luna, defectus habet, & ortus frequentes, sed defectibus suis crescit, & his meruit ampliari, dum persecutionibus minuitur & confessorum martyrijs coronatur. Hæc est vera Luna, quæ de fratris sui luce perpetua lumen sibi immortalitatis & gratiæ mutuatur. Fulget enim Ecclesia non suo, sed Christi lumine, & splendorem sibi accersit de sole iustitiæ, vt dicat Viuo autem iam non ego: sed viuit in me Christus. *Idem lib.* 4. *Hexamer. cap.* 8.

Non habent Petri hæreditatem, qui Petri fidem non habent. *Idem lib.* 1. *de pæn. c.* 6.

Illa est Ecclesia sancta, quæ fidem Christi integram seruat. *Hieron. in Symb. Rufini.*

Ecclesia non in parietibus consistit, sed in dogmatū veritate. Ecclesia ibi est, vbi fides vera est. Ecclesia autem vera illic erat, vbi vera fides erat, quum hæretici omnes has Ecclesias possidebant. *idem in Psal.* 133.

Ecclesia non est Christorum, sed Christianorum. *Epiph. cont. Marcionitas, hæres.* 42.

Non ille de Ecclesia exit, qui corporaliter exit, sed qui spiritualiter veritatis Ecclesiasticæ fundamenta relinquit. Nos ab illis exiuimus loco, illi à nobis fide. Nos apud illos reliquimus fundamenta parietum: illi apud nos reliquerunt fundamenta scripturarum. *Chrysost. hom.* 46. *in Matth.*

Hoc Ecclesiæ proprium est, vt tunc vincat quum læditur: tunc intelligat, quum arguitur: tunc obtineat, quum deseritur. *Hil. de Trin.*

Hoc habet proprium Ecclesia, dum persequitur, floret: dum opprimitur, crescit: dum contemnitur, proficit: dū læditur, vincit: dum arguitur, intelligit: tunc stat, quum superari videtur. *ibid.*

Non altera Romanæ vrbis Ecclesia, altera totius orbis æstimanda est. Gallia & Bithynia, & Persia, & Oriens, & India, & omnes barbaræ nationes, vnum Christum adorant: vnam obseruant regulam veritatis. Si auctoritas quæritur, orbis maior est vrbe. Vbicunque fuerit Episcopus, siue regio, eiusdem meriti est, eiusdem sacerdotij: potentia diuitiarum & potestatis gradus & paupertatis humilitas. vel sublimiorem vel inferiorem Episcopum non faciunt. Cæterum omnes Apostolorum successores sunt. *Hier ad Euandrum presbyt.*

Vbi sunt, qui paupertatem nobis exprobrant, opesq. suas insolenter iactant? qui Ecclesiam multitudine definiunt, ac paruum gregem aspernantur. *Greg. Nazian. Or.* 25.

Ecclesia non est in parietibus, sed in multitudine piorum. Non est locus disputationis, sed doctrinæ. Corpus Ecclesiæ nihil tam scindit atque superbia. Non est ibi Ecclesia, vbi non est fides. In Ecclesia vnam vocem esse oportet. *Chry. in hom.*

Quid, inquit, Arcturi nomine, qui in cœli arce constitutus septem stellarum radijs fulget? nisi vniuersalis ecclesia exprimitur. Arcturus namque semper versatur, & nunquam mergitur: sic ecclesia persecutiones tolerat, sed sine defectu perdurat. *Greg* 29. *mor.*

Est in Arcturo quod consideratius possumus intueri: in septem quidem stellis voluitur, & modo quidem tres ad summa eleuat, atque ad ima quatuor inclinat, modo quatuor superius erigit, & tres inferius premit: sic sancta ecclesia modo infidelibus Trinitatis notitia, modo vero fidelibus quatuor virtutibus, quasi rotatu prædicationis, statum sui speciem quodammodo immutat. *Ibid.*

Arca cessante diluuio in monte requieuit, quia huius vitæ corruptione cessante, quum malorum operum fluctus transierint, in cœlesti patria sancta ecclesia velut in excelso mōte requiescit. *In epist.*

Sancta ecclesia duas vitas habet, Vnam, qua merces colligitur. Aliā, in qua iam de receptis mercibus gaudet, atque in vtraque vita offert sacrificium, hic videlicet sacrificium compunctionis, illic sacrificium laudis. *in hom. super Ezech.*

Tunc sancta ecclesia salubrius in veritate reficitur, quum ardentius pro veritate fatigatur. *In moral.*

Sicut ecclesia proprias res amittere non debet, ita rapacitatis ardore alienas inuadere non debet. *In reg.*

Sancta ecclesia consistit vnitate fidelium sicut corpus vnitate membrorum. *lib.* 29. *Moral.*

Ecclesia afflictionis tempore prouerbium prauis efficitur. *l.* 20. *Mor.*

O vanitas vanitatum, sed non vanior, quam insanior, fulget ecclesia in parietibus, & eget in pauperibus: suos lapides auro induit, & suos filios nudos deserit, de sumptibus egenorum seruitur oculis diuitum. *Ber. in apolog.*

O humilitas & sublimitas, & tabernaculum! Cedar & sanctuariū Dei, & terrenum habitaculum, & cœleste palatium, & domus lutea, & aula regia, & corpus mortis, & templum lucis, & despectio denique superbi, & sponsa Christi. *Ber super Cant.*

Omnino proditorem se esse nouerit, quicunque est ille qui vitia qualibet in hanc domum conatur inducere, & templum Dei speluncam vult facere dæmonum. *Ber. in ser.*

Sponsa, id est, Ecclesia Christi nil sibi gloriosius putat, quam Christi portare opprobrium. *in Cant.*

Ecclesiæ nomine non tantum vna, sed multarum vnitas designatur. *in Cant ser.* 61.

Præsumit ecclesia non de suis meritis, sed de Dei misericordia: *in Cant. ser.* 6.

Ecclesia media est inter cœlum, quod est locus tantum bonorum: & infernum, qui est locus tantum malorum: ipsa vero Ecclesia media est, quia indifferenter bonos & malos colligit, quod figuratum est in arca Noe, vbi animalia mista simul erant cum animalibus immunditibus. *in Matth.* 22.

Quod habet Ecclesia, cum omnibus nihil habentibus debet habere commune: nec aliquid inde eis, qui sibi de eo sufficiunt erogare: quoniam nihil aliud est sic habentibus dare, quam perdere. *Prosper pro vita contemplatiua.*

Ecclesia auro non struitur: sed potius destruitur. *Sulp. ser. dia.* 1.

Orthodoxa Ecclesia hominem persequi non solet. *Soc. eccl. hist.* 7. *c.* 3.

Differentia est inter synagogam & ecclesiam. Synagoga est cōgregatio, ecclesia vocatio. Possunt autem irrationabilia congregari, vocari autem nequaquam, & ideo visum est Doctoribus nominare ecclesiam. *Rab super Matth.*

Tria possumus assignare tabernacula, scilicet materiale, mysticum, & morale: id est, tabernaculum Moysis, tabernaculum Christi, tabernaculum cuiuslibet iusti. Tabernaculum Moysis, fuit ex diuersis generibus ornamentorum conueniens structura, Tabernaculum Christi est ecclesia. Tabernaculum iusti, qualibet fidelis anima. Vnum fit ex lignis imputribilibus: aliud ex sanctis animabus, tertium ex donis & virtutibus. *Hug. lib.* 3. *de claustro animæ.*

Poeticae Sententiae.

Iacob. Billius, Anthol. Sacr.
Ecclesiam nullis hostium machinis euerti posse.

Qui tibi bella mouet, genitrix sanctissima, non te
Lædit, at ipse suum traijcit ense caput.
Calce ferit stimulum, nam se miser ipse trucidat:

Quoque

Quique pars stimulo se dare damna, capit.
Atque eadem patimur, qua rupi allisa procella?
Alluitur rupes: frangitur vnda minax.
Territur et cælo, cætumque & terra peribunt?
At tu sponsa Dei, tempus in omne manes.

Chrysostomi, sicut in horto sunt multæ arbores fructum inutilem facientes: in illis autem non inuenitur bonum faciens: si autem faciunt, aut insipidum faciunt, aut acerbum. Sic in Ecclesia, quæ hortus est Christi, multi sunt boni. In Ecclesijs autem hæresum, quæ sunt siluæ desertæ, nemo est bonus: quia etsi aliquis est bonus, propter homines est bonus, non propter Deum. *In Matth 7. Homil. 19.*

Sicut vxorem quocunque modo contra voluntatem viri agentem, dignum est repellere, non autem est iustum, quantum ad grauitatem viri, nisi ob causam fornicationis: Sic & Ecclesia quocunque modo contra voluntatem egerit Christi, digna est abijci: non autem abijcitur propter longanimitatem Christi, nisi sola causa transgressionis. *In c. 19. Matth. homil. 31.*

Quemadmodum gallina habens pullos, non solum suos calefacit, sed etiam cuiuscunque volatilis filios exclusos a se diligit quasi suos: Ita & Ecclesia non solum suos Christianos studet vocare, sed siue Gentiles, siue Iudæi, si suppositi illi fuerint, omnes fidei suæ calore viuificat & in Baptismo generat, & in sermone nutrit, & materna diligit charitate. *In Matth. 23. homil. 46.*

Quemadmodum mari æstuante, & multis procellis insæuiente, ad portum confugere timor omnes cogit: Sic & nunc fori procellæ, & ciuitatis hiems omnes vndique in Ecclesiam compellit. *Homil. 4. De diuite & paupere.*

Quemadmodum apud ipsos reges, omnes quidem vnius regnantis imperium agnoscunt, subseruiunt autem non omnes iisdem in rebus: sed illius munus est exercitibus imperare, huius vrbes regere, ac dispensare, illius rursus pecunias eas asseruare, quæ in thesauros reconditæ sunt: Ita & in rebus spiritualibus, hic quidem suam in Deum seruitutem ac cultum ostendit in fide ipsa, in recta vitæ propriæ dispensatione: ille autem suscipienda hospitum cura, alius pertractanda rerum necessariarum præfectura. Quemadmodum & inter ipsos Apostolos, Stephani munus erat, viduarum præsidium, ac patrocinium: atque hac quidem in parte Deo inseruiebat: alius porrò Euangelici sermonis præceptionem susceperat, cuiusmodi erat Paulus, seruiens in Euangelio prædicando, *Homil. 2. ad Romanos.*

Sicut in structura non omnes lapides eundem habent locum, sed hic quidem in angulum est accommodus, ad fundamenta non item: ille contra ad fundamenta commodus est, non item ad angulum: Itidem sane est in corpore, quod est Ecclesia. Quin & in nostra carne licet idem cernere: attamen aliud membrum ab alio toleratur, nec ab omnibus omnia requiri ous. Nam ex communi facta collectio & corpus, & ædificium constituit. *in c. 6. ad Galatas.*

Sicut corpus nec motum debita habitudine carens, multas gignit ægritudines & vitam facit non diuturnam: Ita Ecclesia non circundata forti, & vehementer vrgente catena, plurima parturit bella, iram Dei auget, & multarum tentationum est occasio. *Homil. in Priscillam & Aquilam.*

Quemadmodum sæuientibus pugnantibusq. inter sese asperrimis ventis derepente mare antea quietum ac tranquillum furit, atque intumescit, eosque omnes quos tum vela facere contigerit, perdit: Ita Ecclesiæ tranquillitas, perditis hominibus admissis turbulenta fit, ac naufragijs permultis infestatur. *Lib. 3. de Sacerdotio.*

Sicut capiti corpus cohærere necessarium: Ita Ecclesiam sacerdoti & principi populum; vtque vites ulta radicibus & fontibus riuuli: Ita & filij patri, & magistro discipuli. *Homil. 17. de recipiendo Seueriano.*

Epiphanij. Similis est sancta Dei Ecclesia naui. Nauis autem non ex vno ligno constat, sed ex diuersis. Et carinam quidem ex vno ligno habet, sed non vno modo: anchoras autem ex alia materia. Malum item & tabulata, & puppis partes, parietumq. ac transtrorum, velorum item ac temonum, gubernaculorumq. ac aliorum omnium ex diuersis lignis compactionem habent. Vnaquæque verò hæresis velut ex vno ligno constat, & Ecclesiæ formam non ostendit. Sancta autem Dei Ecclesia nuptias quidem habet reuerendas, & colit has: nam venerabiles sunt nuptiæ & lecti impolluti. Habet continentiam in admiratione & laudat talem: quoniam certat certamen, & contemnit vitam velut adhuc potentior. Habet virginitatem, & magnificat talem, velut virtuosam, & penna leuissima ornatam. Habet qui renunciauerunt mundo & non insultant contra eos, qui adhuc in mundo sunt, sed gaudentes talibus: velut etiam Apostoli, qui & ipsi nihil possidebant. *Lib. 2. tom. 1.*

Theophylacti. Libanus mons Phœniciæ siluosis, odore & preciosis arboribus exuberat: huic similis Hierusalem quælibet sanctorum, cedro similis, in altum tollitur, suscipit sub eo omnes. *In Abacuc, c. 2.*

Olympiodori. Parua ciuitas est militans Deo in terra: Ecclesia parua, inquam, comparatione eius quæ triumphat in cœlis. Pauci in hac ciuitate sunt: viri sancti scilicet, & electi Dei. Magnus autem rex, iniquitatis caput est diabolus. Hic assidue hanc circuit ciuitatem, vt illius ciues redigat in seruitutem. Pauper autem sapiens in hac ciuitate, cuius consilio ipsa seruatur, ipse est Christus Dominus Deus noster. Dicit enim ciuibus suis sanctis: Confidite, ego vici mundum. *In Ecclesiasten, capite nono.*

Polianthea Nouis.

Iusti episcopi. Nigra confessione peccatorum, formosa gratia sacramenti filia Hierusalem. Ex illa enim, primitiuorum ecclesia per Euangelium nata est, quæ prima credidit in Hierusalem, libera est, quæ est mater nostra. Et meritò: quia assimilat se tabernaculis Cedar, quod interpretatur obscuritas: ad cuius filios Apostolus dicit, Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Potest etiam nigra vocari, cum passionibus, opprobrijs, contumelijs & despectui traditur. Considera nigram atque formosam in Paulo: In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur: aporiamur, sed non destituimur: deijcimur, sed non perimus. Quemadmodum tabernacula Cedar, tanquam purgamenta huius mundi facti sumus, omnium peripsema: & sicut pellis Salomonis, semper mortificationem Iesu Christi in carne nostra circumferentes, vt vita Iesu manifestetur in carne nostra mortali. *In Cantica Cantic.*

Congrua mulierum nomine vocitantur, qui virginitatem, quæ est in Christo, amiserunt. Igitur non oberres, me alibi extra te quærendo vllo modo, in te quippè, vbi me hactenus non quærebas, tanquam in meridie requiesco. Iam intellige, vbi me pascentem & gubernantem temetipsam quæras: ne velut in nocte quorumlibet simulatio te abducat. *In Cantica Cantic.*

In Carmelo monte sancti Helias & Helisæus sæpe receptaculum habuere; quapropter in capite Ecclesiæ Domino nostro Iesu Christo, quo sublimius nil est, tanquam in monte Carmelo, & iusti habitaculum & multitudo populorum, tanquam diuersitas animalium, sapientiæ percipiunt alimentum. Comæ capitis illius sicut purpura regis iuncta canalibus. Eminentioresq. sancti, beati videlicet martyres, Christo consimilati, per purpuram regalibus ornamentis, & salutaribus, semper copulati intelliguntur. *In Cantica Cantic.*

Clementis. Similis est omnis Ecclesiæ status naui magnæ, quæ per vndosum pelagus, de diuersis locis & regionibus viros portat, ad vnam potentis regis vrbem properare cupientes, sit ergo nauis huius portus Dominus Ipse omnipotens Deus: gubernator verò sit Christus. Tum deinde proretæ officium Episcopus impleat: presbyteri nautarum, diaconi dispensatorum teneant locum. Hi qui catechizant nautologis conferantur: epibatis autem totius fraternitatis multitudo sit similis: ipsum quoque mare hic mundus habeatur: ventorum verò varietates & turbinum, diuersis tentationibus conferantur, persequutiones ac tribulationes & pericula fluctibus exæquentur. Terreni verò spiritus, qui vel de torrentibus, vel de conuallibus spirant, pseudoprophetarum & pseudodoctorum improbæ doctrinæ verba ducantur. Promontoria verò & loca confragosa, hi qui in potestatibus sæculi sunt iudices, & pericula minantur ac mortes. Bithalassa verò loca, quæ duplicibus vndæ fallacis æstibus verberantur, dubijs mente & de promissionum veritate nutantibus conferantur, æque his qui irrationabili fidem nostram ratione discutiunt. Hypocritæ verò & dolosi piratis similes habeantur. Iam verò rapidus vortex & tartarea Charybdis, & saxis illisa naufragia, ac mortiferæ submersiones, quid aliud æstimanda sunt? Restat igitur, quo hæc nauis cursu prospero, tuta possit portum desideratæ vrbis intrare, ita Deo precem fundere nauigantes, vt mereantur audiri. Audiri autem à Deo ita demum merentur, si operationes ipsæ bonis moribus, & bonis operibus adiuuentur. Sed ante omnia cum quiete & silentio epibatæ, id est, laici in suis vnusquisque resideant locis, ne fortè per inquietudinem, inconditos, inutilesq. discursus, si passim vagari cœperint, vel ab officio suo nautas impediant, vel in alterum latus per inquietudinem eorum nauis pressa demergatur. Nautologi de mercedibus commoneant, & nihil omnino quod ad diligentiam vel disciplinam pertinet diaconi negligant. Presbyteri velut nautæ, aptent singula ad instructionem nauis diligenter, & instruant quæ in suo tempore requirenda sunt. Episcopus tanquam proreta vigilanter & solicitè gubernatoris verbo custodiat Christi. Saluator Dominus, gubernator Ecclesiæ suæ, diligatur ab omnibus, & ipsius solius præceptis ac iussis credat & obediat omnis Ecclesia: Deo quoque indesinenter supplicetur à cunctis de prosperitate ventorum. Nauigantes omnem tribulationem, & omne periculum spernant, tanquam immane profundum mundi istius, & vitæ humanæ pelagus nauigantes, in quo & esuriendum sit & sitiendum, nuditatem quoque ferendam, morbos etiam corporis, & ægritudines tolerandas. Insuper & hominum insidijs ac dolis sæpe laborandum, quippè qui dispergendos se nonnunquam nouerint, sed aliquando etiam congregandos. Vomitus quoque & fugillationes ferendas, cum ex confessione peccatorum, & reiectione cri-

minum, vel ut male congregati in visceribus fellis, iactura facienda est, & abiicienda prorsus e corde omnis interius latēs amaritudo peccati, si qua forte ex desiderijs iniquis, velut ex cibis noxiis congregata est. Quam vtique cùm euomuerit quia & abiecerit, ingentis ægritudinis liberabitur morbo: si tamen post vomitum, quæ ad sanitatem pertinent, sumat. *Epist. 1. ad Iacobum fratrem Domini*.

D. Augustinus. Tenet corpus Christi, id est, Ecclesia in torculari, id est, in pressuris. Sed in torculari fructuosa pressura. Vua in vite pressuram non sentit, integra videtur: sed nihil inde manat, mittitur in torculari, calcatur, premitur, iniuria videtur fieri vuæ, sed ista iniuria sterilis non est, imò si nulla iniuria accederet, sterilis remaneret. *In Psal. 55.*

Torcularia possumus accipere Ecclesias eadem ratione qua & aream intelligimus Ecclesiam. Quia siue in area, siue in torculari nihil agitur, nisi vt fructus ab integumentis purgentur, quæ necessaria erant, & vt nascerentur, & vt crescerent, atque ad maturitatem vel messis, vel vindemiæ peruenirent. His ergo vel integumentis vel sustentaculis, id est, paleis in area frumenta, & vinaceis in torcularibus exuuntur. Sicut in multitudine sæcularium hominum, quæ simul cum bonis congregatur, quibus vt nascerentur & apti fierent Verbo Diuino, necessaria erat illa multitudo, id agitur, vt spirituali amore per operationem ministrorum Dei separentur, *In Psal. 80.*

Arca Noe, quæ figuram gessit Ecclesiæ, ædificata est lignis quadratis. Quid est quadrans? Attendite similitudinem: quadrati lapicida esse debet Christianus. In omni tribulatione non cadit, & si impellitur, & si quà vertitur, non cadit. Nam quadratum lapidem quocunque verteris, stat. Stantem te sic inueniat omnis casus. *In Psal. 86.*

Nauicula, id est, Ecclesia, turbatur fluctibus in profundo: sed quia Christus erat in monte, non potest mergi. Turbulentum mare hoc sæculum cogitate. Vnda ascendit super nauiculam cum persecutio venit. Sed in his tentationibus erigantur anthēnæ, id est, crux Christi, simplex conuersatio & pura confessio, tanquam candenti vela regentur. Et hæc vela nostra fluctibus abluantur, vestisque tendatur, vt sine macula & ruga inueniatur. Quantumlibet mare sæuiat, ventus incumbat, inter fluctus & fluctus nauis ista turbetur: tantum non mergatur, & currat. Denique postquā nauis hæc ædificata est in Ierusalem, atque in medio pelagi huius frementis emissa est, æstuantium volumina vndarum, & furentium flabra ventorum, dum eam hinc atque illuc circumferunt, omniū gentium litoribus appulerunt, peregrinas merces, quascunque inuenerit, aduehat. Quid enim tam peregrinum in terra nostra, quam per pœnitentiam, remissio peccatorum & cœlorum regnum? *De verb. Dom. in Matth. ser. 54.*

Quemadmodum ex multis granis vnus conficitur panis, & ex racemis multis vnus calix exprimitur: Sic ex multis fidelibus vnum corpus mysticum integratur. Enimverò, sicut ex multis membris & partibus vnumquodque corpus consistit: Ita Ecclesiæ vnitas ex diuersis personis conficitur, videlicet ex præscitis, prædestinatis, vocatis, iustificatis & glorificatis. Quos enim præsciuit Deus, hos & prædestinauit, &c. *In Ioan. tract. 46.*

Est vnitas Ecclesiæ, quæ late patet in Sacramentorum omnium societate & communione, quæ complectitur cum granis etiam paleas, quas donec eas corporaliter mixtas ita patitur, vt neque illas iusti vitent, neque ab illis iusti vitentur: Sic sunt in Ecclesia homines mali, vt in corpore humano humores mali: qui interdum exeunt ex corpore. *De baptismo.*

Sicut arca de lignis cedrinis construebatur: Ita & Ecclesia de sanctis construitur. Quadratum enim in quacunque parte posueris, fortiter stat: & sancti in quibuslibet tentationibus stabiles permanent, non aduersitatibus, non prosperitatibus cedunt. *Lib. Quæstionum, q. 65. ad Oros. q. 52.*

Si aliter non meruit pacem habere domus Dauid, nisi Absalon filius eius in bello, quod contra patrem gerebat, fuisset extinctus, quāuis magna cura mandauerit suis, vt eum quantum possent, viuū saluumq. seruarent, & esset cui pœnitenti paternus affectus ignosceret: quid ei restitit, nisi perditum flere: & sui regni pace acquisita, suam mœstitiam consolari? Sic ergo catholica mater bellantibus aduersus eam quid aliud quam filiis suis: quia vtique ex ipsa magna arbore, quæ ramorum suorum porrectione toto orbe diffunditur: ille in Africa ramusculus fractus est: cum eos charitate parturiat, vt redeant ad radicem, sine qua veram vitam habere non possunt: si aliquorum perditione cæteros tam multos colligit, præsertim quia ista, non sicut Absalon, casu bellico, sed spontaneo magis interitu pereunt, dolorem materni cordis lenit, & sanat, tantorum liberatione populorum. *De correctione Donati. l. ad Bonifacium c. 20.*

D. Hieronymus, quomodo aquila, quæ regina est auium, certo tempore amittit pilos, & remanet implumis: Sic etiam Israel deponat omnem gloriam suam. *In c. 1. Micheæ.*

Egredietur fons de domo Domini, quæ interpretatur Ecclesia. De quo & Ezechiel & Zacharias ponunt in fine voluminum suorū, vt spinas nostras & vitia atque peccata, quæ nullam frugem habuere iustitiæ, commutent in Domini noualia & ariditatem nostram rigent aquis largissimis, vt pro spinis ac vepribus, flores multiplices germinemus. Et in eo loco vbi quondam fornicatus est Israel, & initiatus est Beelphegor, lilia castitatis, & rosæ pudoris ac virginitatis exuberent. *In Iohelem, c. 13.*

HIEROGLYPHICA.

Punicum malum tintinnabulo adiectū, cuius species apud Hebręos potissimum reperias, vt olim Eucherius mox Greg. Pont. interpretatur, vnitatem Ecclesię & ex multis gentibus in eundē sonū, hoc est, in eadē pręcepta conuenientiā indicat. *Pier. Val. lib. 45 pag. 527*

EDICTVM.

EXEMPLA BIBLICA.

EDictorum tam bonorum quam malorum exempla: Pharaonis, *Gen.* 12. 20, *Exo.* 1. *v.* 5. 16. Ierob. 1. *Reg.* 12. *ver.* 26. 27. 28. Achab, 22. 13. Asæ. 2 *Paral.* 15. 13. Cyri, 1. *Esd.* 1. 2. & 5. 13. Ezech. 2. *Paral.* 3. *v.* 8. 9. Artaxerxis, 1. *Esd.* 4. 21. & 7. 13. Dari, 6. 12. Assueri, *Esth.* 1. 19. & 3. *ver.* 13. 15 & 8. 13. Nabuchodonosoris, *Daniel.* 2. 12. & 3. 5. Dari, 6 *vers.* 9. 26. Antiochi, 1. *Mach.* 1. *vers.* 43. 44. Augusti Cęsaris, *Luc.* 2. 5.

EDVCATIO.

DEFINTIO, ET ETYMOLOG.

EDucatio, Græce *ἀνατροφὴ* [illegible] dicitur. Venitq. ab educo, quod modo tertiæ, modo est primę coniugationis, & significat nutrio, proueho, vnde liberorum eductio, vel educatio dicitur. *Terentius in Andria Eduxit à paruolo, habui, amaui pro meo.* Nonnunquam educere est, extraducere, & extrahere. *Virgilius. hoc dicens, eduxit corpore telum.* Aliquando ponitur pro erigere. *Virgil. Aramq. sepulchri Congerere arboribus, cœloq. educere certant.*

APOPHTHEGMATA.

Socrates dicebat, o, timè natis, ingenuisq. potissimum, adhibendā rectam institutionem. Idem enim in his vsu venire quod in equis, in quibus qui feroces sunt ac generosæ indolis, si statim a primis annis rectè instituantur, egregij & ad omnem vsum accommodī euadunt: sin minus, efferati, intractabiles, & ad nihil vtiles. Eoq. fit, vt felicissima quæque ingenia corrumpantur inscitia instituentium, qui mox equos vertunt in asinos: quod erectia ac liberis imperare nesciant. *P. M. 3. apoph.*

Idem dicebat, Muliebrem sexum virili non minus esse docilem & ad disciplinas, & ad omnem virtutem, etiam fortitudinem, (quæ tanquam viris propria, Græcis a viro dicitur *ἀνδρεία*) si diligenter instituatur. Id collegit ea puella saltatricula, quæ inducta in conuiuium, ea ita arte trochos duodecim in altum proiectos excipiebat, ita temperato altitudinis spacio, numerisq. pedum, vt nūquam falleret: eademq. inter acutissimos gladios, non sine horrore spectantium, impauida saltaret. *ibidem.*

Idem interrogatus etiam quamobrem ipse non administraret Rempublicam, quum administrandi rationem optimè sciret? respondit, Eum vtiliorem esse ciuitati, qui multos efficeret idoneos gubernandæ Reipubl. quam qui ipse rectè gubernaret.

Idem adhortabatur iuuenes, vt se subinde ad speculum conuerterent: quod si essent egregia corporis forma, cauerent ne quid ea indignum committerent: sin minus, quod corpori deesset, id ingenii cultu morumq. honestate pensarent. Adeò vir ille vndecunque rapiebat occasionem ad virtutis studium adhortandi. *ex Laertio.*

Anonymus. puer quidam apud Platonem educatus, quum ad patrem ex interuallo rediisset, eumq. vidisset effusius ridentem, admiratus dixit. Se tale nihil vnquam apud Platonem vidisse. Tanta res est, iam inde à teneris virtuti assuescere. *P. M. l. 6. apophtheg.*

Aristoteles Stagirita aiebat, parentes qui rectè liberos suos instituissent: multo honorabiliores esse ijs qui tantum genuissent: quod ab his contigisset viuere, ab illis bene viuere. *Laer. lib. 5. cap. 1.*

Aristippus percontanti, quæ potissimum adolescentibus essent discenda? Quæ viris, inquit, vsui futura sunt. Hoc dictum & aliis adscribitur. Optima statim discenda sunt, nec rudis ætas, quæ maximè docilis est, superuacaneis est occupanda. *Laert. lib. 2. cap. 8.*

Idem. quidam cum Aristippo agebat, vt filium suum susciperet erudiendum, sed quum philosophus pro mercede peteret quingentas drachmas, ille deterritus magnitudine pretii, Minoris, inquit, emerem mancipium. At hunc, inquit, habebis duo: Lepide

ta xanit

rexauit vulgi iudicium, qui nusquam parcior est, quàm rectè instituendis liberis, pluresq. sumptus impendit curandis equis, quam filiis. *Ibid.*

Diogen. quum captus venderetur in Creta, præconi roganti quid sciret, & quo titulo eum commendaret emptori? Dic, inquit, te vendere hominem, qui sciat imperare liberis. Quidam Xeniades Corinthius admiratus præconii nouitatem, adiit Diogenem, percontatus num sciret quod profiteretur? vbi ex sermone hominis comperit esse sapientem ac doctum, mercatus duxit domum, eiq. suos liberos erudiendos tradidit, quos ille susceptos liberaliter instituit, primumq. tradidit artes liberales, mox docuit equitare, arcum tendere, fundam rotare, iaculari telum. In palæstra verò non permittebat, vt pædotriba illos grauioribus laboribus in morem athletarum exerceret, sed hac tenus, quantum ad ruborem, bonamq. corporis valetudinem conduceret. Curauit etiam, vt ex poetis, aliiq. scriptoribus optima quæque addiscerent, quod eo modo sciamus, quæ memoria tenemus. Breuiter totius philosophiæ summam illis redegit in compendium, quo & citius perciperent, & fidelius memoria complecterentur. Eosdem instituit domi ministrare parentibus, cibo leui vtiq. & aquæ potu contentos esse: eumq. cæteri cæsariem alant ad formæ commendationem, ille iussit illos radere comam, & si quando prodeundum esset in publicum, incomptos producebat absque tunicis, incalceatos ac tacitos. Quin & ad venatum illos instituebat, Lacædemonios imitatus. His rebus factum est, vt a pueris obseruaretur, perq. illos parenti commendaretur. Alii narrant, præconem Diogenis iussu ita prædicasse: Estne quispiam, qui velit emere dominum? *Laer. l. 6.*

Lycurgus is, qui Lacedæmoniis leges condidit, quum conaretur ciues suos a moribus præsentibus ad temperatiorem viuendi rationem traducere, eosq. virtutis & honesti studiosos reddere, (nam erant corrupti deliciis) duos educauit catulos, eodem patre, eademq. matre progenitos: quorum alterum passus est domi lautioribus vesci cibis, alterum eductum venatibus exercuit. Dein quũ ambos produxisset in forum apud multitudinem, posuit illic spinas, simul & escas aliquas delicatiores: mox emisit leporem, quum vterque raperetur ad assueta, alter ad escas, alter leporem inuaderet: Annon videtis, inquit, ciues, duos catulos, quum eiusdem sint generis, tamen ob diuersam educationẽ admodum dissimiles inter se euasisse, plusq. ad honestatem momenti habere exercitationem, quàm naturam? Proinde ne vobis quidem, o ciues, nobilitas, quam miratur vulgus hominum, ductumq. ab Hercule genus profuerit, nisi ea gesserimus, per quæ ille mortalium omnium clarissimus ac generosissimus extitit, ac per omnem vitam quæ honesta sunt & discamus & exerceamus. Reperit vir ingeniosus viam qua multitudini philosophicis rationibus non satis idoneæ, virtutis imaginem ob oculos poneret, magis enim mouent, ac penetrant in animos, quæ cernuntur, quàm quæ audiuntur. Res quidem efficax est natura, sed potentior est institutio, quæ malam naturam corrigit, & vertit in bonam. Quales nascantur liberi, nulli in manu est: at vt rectâ institutione euadant boni, nostræ potestatis est. *Ex Plut. in Lacon. & Brus. l. 2. c. 38.*

Idem obiicientibus, quod eloquentiæ studio Rhetoribus daret mercedem: Si quis, inquit, profiteatur se filios meos mihi redditurum meliores, non mille drachmas, sed omnium facultatum dimidium effunderem. Plurimum ab hominum vulgo discrepans, qui perisse æstimant, quod liberis instituendis impenditur. *l. 8. apoph.*

Eteocles, post Agin bello superatum Antipatro postulanti obsides pueros quinquaginta: Eteocles, qui tum Ephoratum agebat, respondit: Se pueros non daturum, ne si licenter vixissent, fierent indociles patriæ disciplinæ, itaque ne ciues quidem essent: cæterum senes ac mulieres se duplo numero daturum. Verùm Antipatro dira minitanti, ni acciperet postulata, populus vna voce respondit: Si imperas acerbiora morte, facilius moriemur. Hunc animũ in vno alteroue ciuium reperire, fortasse non ita magni miraculi esse videatur: in vniuerso populo tantum esse consensum, prodigiosum est. Hoc exemplo simul admonemur: quanta solicitudo debeatur ætati teneræ ad probitatem educandæ, quando licenter educatos iuuenes illi non putarunt habendos pro ciuibus: perinde quasi mater abdicat filium ex se natum, nisi probitate morum maioribus suis respondeat. *Plut. in Lacon.*

Agesicles, cui iam dicenti admirari sese quod cum esset auidus discendi, non adiungeret sibi Philophanem sophistam eo tempore clarissimum: respondit prudenter: Eorum se velle discipulum esse, quorum simul esset filius. Significans, non minus interesse quos nactus sis parentes, quàm quos ascitcas vt bonis moribus formeris. *Plut.*

Agesilaus. Eum rogabat quidam, in quibus præcipuè rebus pueri instituti deberent? Iis, inquit, rebus, quibus vsuri sunt quum ad virilem peruenerint ætatem. Rectè censuit, non friuolis artibus instituendos liberos, quæ nec grandibus decori futuræ sunt, nec ad seria vocatis vtiles. *Plut. in Lacon. apoph.*

Leotychidas interrogatus, quid potissimum oporteret pueros ingenuos discere? Quæ illis, inquit, vbi ad virilem ætatem peruenerint, vsui sint futura. *Plut. in Lacon.*

Leonidas, cum proficisceretur in bellum contra Persas, vxori Gorgoni roganti, si quid ipsi mandaret: Nihil, inquit, aliud tibi mando, quàm vt nubas, & bonos filios parias. *Plut. in Lac. apoph.*

Hippomachus, quum aliquãdo videret adolescentes, quos exercebat, e foro carnes afferentes, dicebat, se procul agnoscere suos esse discipulos: quod institutio relucet in omnib. dictis ac factis hominis. *Ex Plut.*

Anonyma, quum mulier quædam Ionica de textu quodam suo, vt pretioso gloriaretur, Lacæna ostensis quatuor filiis, quos habebat, moribus compositissimis: Huiusmodi, inquit, decet esse honestæ, probæq. mulieris opera, deq. his tollere animos, & gloriari, non operosis texturis vacant, quæ varia picturarum habent argumenta. At Spartana docuit, nullum opus esse præclarius, quàm si filios honestis moribus instituat. His. n. melius ornari patriam, quàm aulæis vestibus. *Plut. in apop. Lacænarum.*

Themistocles quoniam adolescens, feroci, mutabiliq. ingenio videbatur, mirantibus mutatos mores dicere solebat: Asperos & indomitos pullos in optimos equos euadere, si quis illis adhibeat disciplinam, rectamq. institutionem. *Plut. in eius vita.*

Anonymus, Themistoclis pædagogus dicere solebat, nihil mediocre futurus es, o puer: nam aut magnum bonum eris reipub. aut magnum malum. Generosa indoles, si accedat recta institutio, magno bono est patriæ: sin ad vitia degeneret, ingens affert malũ. *Plut. in Themistocle.*

Demetrius Phalereus, adolescentum fastuosorum sublimitatem dicebat in educatione amputandam esse: sed reliquendam sobrietatem. Docuit vir sapientissimus, hæc ingenia non esse desperanda: sed quod redundat, in institutione recidendum esse. *Laer. l. 5. c. 5.*

Philippus. Alexander etiamnum adolescens, videns patrem Philippum equum præferocem, nec vllum sessorem tergo patientem, velut inutilem abiectum ire: Qualem, inquit, equum illi perdũt, dum illo per imperitiam ac mollitiem vti nesciunt? Cumque mira arte sine verberibus tractasset equum, tandem conscensum ad dorsum admisisset, tunc calcibus vsus est: ac molliter flexis habenis quum equum reduxisset, descendentis caput exosculans pater: Aliud, inquit, o fili, tibi regnum quære, quando iam te nõ capit Macedonia. Præsagiit vir prudens tam excelsæ indoli non suffecturam paternam ditionem. Sed equus ille nos admonet, multa bene nata ingenia perire vitio instituentium, qui ferè nesciunt imperare nisi ex equis generosis reddiderint asinos. *ex vita Alex. apud Plut.*

Cornelia Gracchi mater. quum Campana mulier illius hospitio vtẽs, ornamenta sua, quibus illud sæculum nihil habebat pulchrius, ipsi ostenderet: traxit eam sermone, donec liberi redirẽt è scholis, tum: Et hæc (inquit) ornamenta mea sunt. Sentiens, matronæ nihil esse pulchrius, neque preciosius, quàm liberos rectè educatos. *ex Plut.*

Anonymus. quidam accusatus, quod patrem pulsasset, hoc modo defendit impium factum: & ille, inquit, patrem suum verberauit, & hic (ostẽso filio) me verberabit, postea quam adoleuerit. adeo nobis hoc gentilitium est. Videmus hoc ferè vulgo vsu venire, vt qualis quisque fuerit in parentes, tales experiatur in se liberos. *l. 8. apoph.*

Anonymus quidam quum a filio pertraheretur, ventumq. esset ad domus limen: Desine (inquit) fili, nam & ego patrem hucusque. Agnouit se commeruisse, qui sic a filio tractaretur: tantum postulauit, vt esset æqua retaliatio. *P. Man. ibid.*

Diogenes reprehendebat homines, quod lucta, aliisq. ludis semet sedulo exercerent, nullos autem in hoc incumbere, vt probi & honesti reddantur. *Laer. l. 6.*

Idem dicebat, plurimos insanire, præter digitum. Nam si quis assiduè medium digitum intendat vice indicis, vulgo habetur insanus: si quis indicem, sanus videtur. At plurimi sunt homines, qui grauius insaniunt in rebus seriis, quàm si digitum pro digito porrigant, & tamen hi vulgo non habentur insani. Quemadmodum & hodie parentes in liberis pro graui peccato castigant, si læua pro dextra vtantur, atqui nõ itidem castigant eos, cũ turpia pro honestis eligunt. *Ibid.*

Idem mordacibus verbis in inertiam & inscitiam Megarensium, pecora soliciè curantium, iuuentutem minimè (vt quæ ibi luxu & otio difflueret) inuehebatur, dicebatq. se Megarensis alicuius arietem esse malle, quàm filium. *Aelian. l. 12. de var. hist.*

Demonax. quum Athenas quidam Romanus senator filium ad Demonactem adduxisset eleganti forma, vestitu delicato, ac deliciis effœminatum, diceretq. Salutat te, o Demonax, filius meus. Pulcher est, inquit Demonax, & te dignus, & matri non absimilis, vtrumque poterat dici in laudem: Nunc patrem notauit ex filii moribus, & matri similem dixit mollem & curatum deliciis. *l. 8. apoph.*

Pericles

Pericles Athenienſis dicebat, non oportere in vrbe nutriri leonem: ſi autem ſit alitus, obſequi ei conuenire. Monuit autem vt præcipuæ nobilitatis ac concitati ingenij iuuenes refrænentur, nimio verò fauore ac profuſa indulgentia paſti, quo minus potentiam obtineant, ne impediantur: Quod ſtultum ſit & inutile, eas obtrectare vires, quas ipſe foueris. Erat autem hoc de Alcibiade dictum, vt refert Ariſtophanes, *& Plut. in eius vita, & Valer. Max. lib.... cap. 1.*

Proclus filium habebat intemperantem, gallis gallinaceis, coturnicibus, catellis, & equis alendis indulgentem, quem pater adeo non increpabat, vt vna cum illo potius laſciuiret. Quo nomine, cum ab amicis obiurgaretur: Citius, inquit, deſinet, cum ſenibus colludens, quam cum æqualibus. *Plut. in Sopo. & Volat. l. 18. comment.*

Similitudines.

Syracida. Quemadmodum equus indomitus fit ore duro: ſic filius indulgenter tractatus fit temerarius & præceps. *c. 13.*

Philonis Iudæi Quemadmodum bonæ habitudinis corpora membria omnibus ægris ſecuros pædotribas faciunt, exhibendo illis vel nihil negotij, vel minimum: itemq; agricolis generoſæ plantæ per ſe proficientes in bonas arbores. Sic anima bene nata præceptis obuiam ſe offerens, a ſeipſa magis, quàm à magiſtris adiuuatur, atrepetq; meliorem ſcientiæ. equus (iuxta prouerbium) fertur in planitiem. *l. de vita Moſis.*

Chryſoſt. Vt ea radice optima ſurculi prodeunt firmiores ac ſemper in meliora proficiunt: ita ſi parentes boni bene inſtituant filios ipſos ſeruabunt. *Hom. 9. ad Hebr.*

Magnum depoſitum habent parentes, filios, ſi ingenti illos feruent cura, atque omnia facimus, ne fur à nobis aliquis auferat. At verò nunc contra facimus. Nam vt fundus quidem ſit optimus, cuncta molimur, eumq; fideli viro, magno cum ſtudio tradimus, & agaſonem atque mulionem, procuratoremq; ac diſpenſatoré, qui nobis magna beneuolentia afficiatur, inquirimus: cæterum quod nobis omnium chariſſimum eſt, omnino negligimus, neque curamus, quo pacto filium noſtrum fideli cuipiam viro cómittamus, qui ipſius tueri ac ſeruare pudicitiam poſſit. Et certè nullus fundus, nulla poſſeſſio, æquè nobis grata atque chara eſſe debet; quippe hæc omnia filiis quærimus. Igitur maior nobis poſſeſſionum cura eſt, quàm eorum, quorum illæ gratia comparantur: quod profectò abſurdiſſimum eſt. Exerceamus igitur ad virtutem atque pietatem molles filiorum animos: cætera omnia ſecundo loco quæramus. Nam ſiquidem illi improbi fuerint, nihil eis pecuniæ proderunt: ſin autem probi, nihil ex paupertate lædentur. *Hom 9. ad Heb. & c. 10 ad Heb.*

Si magno fœnore argentum tibi eſſet collocatum ab homine grato, nec impotenti, ſcio huius te malle literas liberis relinquere, vt ingentes inde capiant fructus, quàm pecuniam, ne cogerentur alios quærere, vbi tuto queant collocare. Da igitur filijs tuis has literas. Deum ſibi debitorem relinque, hoc chyrographum, quod maiores omnibus prædijs fructus reddere ſolet, relinquere filijs recuſas? magna certè id eſt dementia: præſertim cū ſcias, quia quamuis hoc filijs relictum ſit chyrographum, tamen & ipſe abiens hinc, tecum portas. Talia quippe ſunt ſpiritualia, vt multis multiplicata ſatiſfaciant. *Hom 77.*

Quemadmodum induſtrij agricolæ primum ſemen in terram deponunt, cupreſſi, aut aliarum arborum ſimilium, deinde vbi conſpexerint è ſemine factam arborem, non relinquunt in eadē terra, ſed inde reuulſam plantulam, in aliud transferunt ſolum, vt terra recens in gremio ſuo acceptam illius radicem, puram & integram vim ſuam, proferat ad nouam educationem, ita & Anna filium præter ſpem proſeminatum in templum transtulit è domo, vbi ſunt perpetuæ fontium ſcatebræ, & irrigationes ſpirituales. *Hom. 8. de Anna, deq; Samuelis educatione. f. 24.*

D. Hieronymi. vnde & tibi eſt prouidendum, ne ineptis blanditijs fœminarum dimidiata dicere verba filia conſueſcat, & in auro, atque purpura ludere, quorum alterum linguæ, alterum moribus officit, ne diſcat in tenero, quod ei poſtea dediſcendum eſt. Gracchorum eloquentiæ multum ab infantia ſermo matris contuliſſe ſcribitur: Hortenſij oratio inter paternos ſinus coaluit. Difficulter eradicatur, quod rudes animi perbiberunt. Lanarum conchylia quis in priſtinum candorem reuocet? Recens teſta diu & ſaporem retinet, & odorem, quo primum imbuta eſt. Græca narrat hiſtoria, Alexandrum potentiſſimum regem, orbiſq; domitorem, & in moribus & in inceſſu, Leonidis pædagogi ſui non potuiſſe carere vitiis, quibus adhuc paruulus fuit infectus. *In Epiſt. ad Lætam.*

Miſimus interim tibi, id eſt, Paulo ſeni Paulum ſeniorem, in quo propter ſimpliciores quoſque multum in deijciendo ſermone laborauimus. Sed neſcio quomodo etiam ſi aqua plena ſit, tamē eundem odorem lagena ſeruat, quo dum rudis eſſet, imbuta eſt. *Ad Paulum Concordienſem.*

D. Anſelmi, videas hominem in vanitate ab infantia vſque ad proſundam ſenectutem conuerſatum, ſola terrena ſapientem, & in his penitus obduratum. Cum hoc age de ſpiritualibus, hunc de ſubtilitate diuinæ contemplationis loquere, hunc ſecreta rimari cœleſtia doce, & proſpicies eum nequaquam poſſe ad hoc videre. Nec mirum: indurata eſt cera, in iſtis ætatem nutriuit, alienam ab illis ſequi didicit. E contra conſideres puerum ætate & ſcientia tenerum, nec bonum, nec malum diſcernere valentem, nec te quidem intelligere de huiuſmodi diſſerentem. Nec quidē mirum: mollis enim eſt cera, & quaſi liquens: nec imaginem ſigilli quoquo modo recipiens. Medius horum adoleſcens & iuuenis eſt ex teneritudine atque duritia quaſi ex ſenectute atque pueritia cōgruè temperatus. Si ergo hunc inſtruaeris, ad quemcumque vtilitatis profectum voles, ſiue honeſtatis, aptè informare valebis. *In Sim. c. 135.*

Vidiſti quæſo vnquam artificem ea lamina auri vel argenti ſolis percuſſionibus imaginē ſpecioſam formaſſe? Non puto. Quid tūc? quatenus aptam formam ex lamina formet, nunc eam ſuo inſtrumento leuiter premit, & percutit, & poſtmodum planat, nunc etiam deterens, læuamine læuius lænat & informat. Sic & vos, ſi pueros veſtros cupitis moribus ornatos eſſe, neceſſe eſt, vt cum depreſſionibus verborum impendatis eis paternæ pietatis, & manſuetudinis leuamen atque ſubſidium. Tenera quidem teneris, ſicut & ipſi teneri ſunt, lac ſcilicet, non ſolidum cibum præbentes eis, nec dum ad perfectam ætatem prouectis. *In Simil. cap. 178.*

Lactantij. Sicut in ſentes aget, qui eſt natura fœcundus, exuberat: Sic animus incultus vitiis ſua ſponte inualeſcentibus velut ſpinis obducitur. Sed cum verus cultor acceſſerit, ſtatim cedentibus vitiis fruges virtutis oriuntur. *l. 6. c. 15. de vero cultu.*

Iſtæ concitationes animorum vncto currui ſimiles ſunt: in quo rectè moderādo ſummum rectoris officium eſt, vt viam nouerit, quam ſi tenebit, licèt quam concitate ierit, non offendet: Si autem errauerit, licèt placidè ac leuiter eat, aut per confragoſa vectabitur, aut per præcipitia labetur, aut certè quo non opus eſt, deferetur: ſic curſus ille vitæ, qui affectibus velut equis principibus ducitur, ſi rectam viam teneat, fungetur officio. *lib. 6. c. 17. de vero cultu.*

Plut. nulla ferè eſt arbor, quæ non ſterileſcat, ac tortuoſa fiat, ſi cultura deſit: ita nullum tam felix ingenium, quod non degeneret citra rectam educationem. *In Mor.*

Nullus equus rectè ſeſſori paret, niſi arte domitus: ita nullum ingenium non ferox, niſi præceptis cicuretur, & educatione. *Ibid.*

Qui equos rectè alunt, eos docent parere freno: pueros qui volet inſtituere, primum aſſuefaciat vt dicto ſint audientes. *Ibid.*

Nulla tam fera bellua, quæ non manſueſcat cura: ita nullum tam agreſte ingenium, quod inſtitutione non miteſcat. *Ibid.*

Vt multa agreſtia ſubnaſcentia in agro, mala quidem ipſa ſunt, ſed tamen ſigna felicis atque vberis ſoli, ſi quis excolat: ſic animi affectus per ſe mali arguunt ingenium non malum, ſi accedat recta inſtitutio. *Ibidem.*

Vt molli materiæ facilè ſigillum imprimitur, ſi dureſcat, non item: ita puerorum ingenia facilè quamuis recipiunt diſciplinam, ſi ætate dureſcant, non item. *Ibidem.*

Fit ita ſuber appenditur retibus, vt natent, niſi plumbum annexum deorſum trahat, & in æquo teneat: ita fruſtra præceptis benè viuendi inſtituitur, ſi malitia addita non ſinit è ſtultitia emergere. *Ibid.*

Vt plures vrbes prætermuigaſſe pulchrum eſt, ſed expedit vnam incolere optimam: ita quamplurima ſunt cognoſcenda, ſequenda, retinendaq; optima. *Ibid.*

Vt ager, ſi non colatur, non ſolum infrugiferus manet, verum etiam multa ſilueſtria producit: ita adoleſcens rationis capax, niſi præceptis honeſtis exerceatur, non ſolum non euadit bonus, ſed ad multa vitia deflectetur. *Ibid.*

Vt agricolæ vallos apponunt arbuſculis, quo rectè creſcant: Ita qui inſtituit, addit monita & præcepta ingeniis ſalubria, ne deuarſcent in vitia. *Ibid.*

Ciceronis. vt agri non omnes frugiferi ſunt, qui coluntur: ſic animi non omnes culti fructum ferunt. *l. 2. Tuſc. qq.*

Seneca, ſi agricolam arbor ad fructum producta delectat, ſi paſtor ea fœtu gregis ſui capit voluptatem, ſi alumnum ſuum nemo aliter intuetur, quàm vt adoleſcentiam illius ſuam iudicet. Quid euenire credis his, qui ingenia educauerunt, & quæ tenera formauerunt, adulta ſubito vident? *l. 2. epiſt. 34.*

Politiani. quemadmodum agricola vehementer exultat, generoſos fœtus ex arbore ipſa legens, quamuis quondam manibus conſeuerat, ac diu multa cura produxerat: ita præceptores atque parentes potiſſimum cum fructus; induſtriam, morumq; honeſtatem intuentur eorum, quorum ingenia atque mores ipſi a prima iuuentute fœliciter formauerunt. *Lib. 6. epiſtolarum, epiſt. ad Franciſcum Puccium.*

Vt rami ſurculi praui, tortuoſiq; natura, minimè vnquam redigi ad rigorem ſuum poſſunt, quamuis manu tractentur & emolliantur, ſed ad naturalem illam ſtatim prauitatem recurrunt: Sic ij,

qui parum nati honestè, parum educati ingenuè sunt, continuò ad humum spectant: hoc est, vilissima quædam ministeria adamant, nec in sublime animos attollunt, nec recti vnquam, nec liberi sunt. *In Lamia.*

Quemadmodum vberi in solo, cui nondum manus agricolæ accessit, vbi innascuntur, & sentes: ita sæpe generosus animus, nisi educatio ingenua accesserit, vitia virtutibus admixta pullulant. *De ira.*

Quemadmodum agricolæ noxias frugibus plantas, herbasq. conuellere atque extirpare solent, quod fœcundi soli ingenium ex illis animaduerterint: ita profectò parentes ac magistros nihilo magis teneris adhuc adolescentum vitiis indulgere oportet, quod ita optimæ, ingenuæq. naturæ documenta præbuerint. Principijs enim obstandum, & quæ eminent, retundenda sunt, antequam ad maturitatem veniant. *Ibid.*

Iacobi Sadoleti, nemo institui rectè potest adolescens, qui nequiter fuerit educatus puer. Nam vt radix indolem, ingeniumq. arboris: sic bene moratam & compositam adolescentiam pueritia ipsa producit. *l. De rectè instituendis liberis.*

Quemadmodum in stirpibus, sic in hominum animis, quamdiu molles hi sunt, atque tractabiles, quæuis facilè inducitur forma, quæ si postea vsu & die callum obduxerit, fit prope immutabilis. *Ibid.*

Plinij, vt gypsum, aut argilla, dum est vda, in quamuis imaginem facile sequitur fingentis manum: ita rudes animi ad omnem disciplinam sunt idonei. *l. 36. c. 24.*

Iniecto in oculos sago, leo sine vllo negocio capitur, alioqui inexpugnabilis, ita facillimum est, potentissimum etiam domare, modo cognitum sit illius ingenium. *l. 8. c. 16.*

Vrsus informes gignit catulos, eos lambendo format: ita rudem ingenij fœtum diuina cura expoliri conuenit. *l. 8. c. 56.*

Coccygis pullus vbi adoleuerit etiam si nothus, tamen legitimos deuorat, vnaq. matrem ipsam: ita quidam magna indulgentia, stultoq. amore quorundam educati, subuertunt eos. *l. 10. c. 9.*

Adamas vna re mollescit, ad ictus ferri alias indomitus: ita nullum est ingenium tam ferum, quod non aliqua ratione queat expugnari. *l. 37. c. 4.*

Arbor per se infrugifera, tamen insitione discit ferre fructus: ita prauum ingenium institutione ad bonam frugem potest permutari. *l. 38. c. 4.*

Fœnum Græcum quo tractatur peius, hoc prouenit melius: ita liberi quidam, quanto habueris indulgentius, tanto minus valent: neglecti verò & vexati, euadunt in viros. *l. 18. c. 16.*

Gypso madido statim vtendum, quod celerrimè siccetur: ita statim fingenda litteris ac moribus ætas rudis, priusquam durior non admittat fingentis manum. *l. 8. c. 24.*

Exempla biblica.

Educationis & eruditionis puerorũ exempla. Noe, *Gen. 9. 23.* Loth, & eius familia honestè educata, & bonis morib. prædita, ideoq. liberata, *Gen. 19. 16.* Iacob, 37. 10. & 42. *v.* 1. 2. Heli, 1. *Sam.* 2. *v.* 22. 23. Dauid. 1. *Reg.* 5. 23. 1. *Par.* 28. 9. Tobias senior, *Tob.* 4. *v.* 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. Parẽtes Saræ vxoris Tobiæ iunioris, *Tob.* 10. *v.* 11. 12. Iob *Iob* 1. *v.* 4. 5. Parentes Susannæ, *Dan.* 13. *v.* 2. 3. Mathathi. 1. *Mach.* 2. *v.* 64. 56. Mater septem liberorũ. 2. *Mac.* 7. *v.* 27. 28. Parentes Iesu, *Luc.* 2. *v.* 41. 42. 43. Huc pertinet & educatio Mosis, *Act.* 7. 22. Thimothæus, 2. *Tim.* 1. 5. & *v.* 15. 1. Fœmina illa electa, cui Ioannes secundam suam epist. inscripsit, *Io.* 2. *v.* 4.

Fabulæ.

Canes.

Cuidam erant canes duo, is horum alterum ad venationes assuefecit, alterum ad custodiam domus. Si quid autem prædæ partum labore venatici allatum forte esset, particeps fiebat illius & domesticus. Ferebat id molestè venaticus, & conuitia ignauiæ & desidiæ faciebat domestico, querebaturq. de suis illum defatigationibus & sudore bene victitare. Cui domesticus respondit, nõ se accusandum esse, sed dominum, à quo non labores, sed aliorũ labore quæsita absumere edoctus esset.

Indicat fabula, imperitæ adolescentiæ sustinere parentes culpam, qui non curarint rectè illos educandos.

Culex & Apes.

Brumæ frigore & insuper fame laborans culex, ab apibus petijt, intra ipsarum aluearia recepto sibi, vt cibum impertirent, ob quod meritum se illarum filios canendi artem edocturum esse pollicebatur. Tum vna de examine: Nihil, inquit, tua est arte opus liberis nostris, qui à nobis multo meliorem & magis salutarem discere poterunt.

Monet fabula, ita instituendos liberos, & eiusmodi artibus instruẽdos, vt sua opera ipsi victum sibi quærere sciant.

Vide Disciplina, Doctrina, Institutio.

ELECTIO.

Definitio et Etymol.

Electio, Græcè αἵρεσις ἀπὸ τοῦ αἱρετίζω eligo dicitur. Est autem electio appetitus consultatiuus eorum, quorum in nobis est & operari, & non operari, & ita operari, & non operari, & eorum, in quibus est propter quod non tamen vnum, & determinatum, vt in Geometria, *sec. Arist. l. Mag. Mor.*

Electio est consulta affectatio eorum, quæ in nobis sunt, *sec. Arist. l. 2. Ethic.*

Electio est quid voluntarium, cuius consultatio antecessit, *sec Host. Ibidem.*

Electio etiam est alicuius personæ idoneæ ad dignitatem, vel fraternam societatem, seruata forma canonica, facta vocatio, *sec. Host.* Venitq. à lego. Vnde etiam diligo eiusdem significationis, & delectus, vt delectus militum. Sunt tamen qui velint eligere, & diligere ita differre, quod eligere sit magis idoneum ad rem gerendam secernere: Deligere verò ad nostrum emolumentum, vel illius, qui eligitur, dignitatem. Vt Imperator diligit milites ad rem gerendam idoneos. Et colonus deligit taurum procreandæ subuli, vel agriculturæ meliorem. Vnde dicimus agere, vel habere delectum. Sunt qui ab eligo elegantem dictum velint, hoc est, cultum, ornatum, politum: vnde elegia, id est, cultus & ornatus. Hinc etiam eligibilis, de quo infra.

Electio variè accipitur in S. Scripturis: Nam

1. Electus in præsenti vita dicitur, qui à Deo vel immediatè ad functionem publicam, politicam, vel Ecclesiasticam, vocatur.
2. Electus ad participationem fœderis gratiæ, nempe Iudæi, deinde Gentiles Christiani.
3. Electus ad vitam æternam, nempe quicunque est membrum Christi.
4. Electus dicitur Christus mediator, nempe quatenus à Patre constitutus est Ecclesiæ rex, doctor, sacerdos, seruator.
5. Electus homo ab homine, varijs de causis, & ad multiplices rerum vsus vel abusus.
6. Electus, id est, præstans, fortis, eximius.
7. Electus locus à Deo, vt tabernaculi sedes, ciuitas Ierosolymitana, templum.
8. Electi Angeli, 1. Tim. 5. 21.

Electio Dei, hominis, rerum, distinctiones suas requirit: quas, nisi quis adhibeat, in errorum Labyrinthus irremeabiles incidat necesse est. Electionis æternæ consideratio aliud opus requirit. In Electione humana, quid natura amiserit, quid gratia velit & possit, quid gloriæ referuetur, elector expendat.

Sententiæ Biblicæ.

Habetis scientiam discernendi inter sanctum & profanum, inter pollutum & mundum. *Leu.* 10.

Propono in conspectu vestro benedictionem & maledictionem, benedictionem, si obedieritis mandatis Domini Dei vestri, quæ ego præcipio vobis: maledictionem, si non obedieritis mandatis Domini Dei vestri, sed recesseritis de via, quam ego nunc ostendo vobis, & ambulaueritis post Deos alienos, quos ignoratis. *Deut.* 11.

Proposui in conspectu tuo vitam & bonum, & è contrario mortem & malum. 30.

Proposui vobis vitam & bonum, benedictionem & maledictionẽ: elige ergo vitam, vt & tu viuas & semen tuum. *Ibid.*

Dabis seruo tuo cor docile, vt populum tuum iudicare possit, & discernere inter bonum & malum. 3. *Reg.* 3.

Elegi abiectus esse in domo Dei mei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum. *Ps.* 83.

Apposui tibi aquam & ignem, ad quod volueris, porrige manum tuam. *Eccl.* 15.

Ante hominem vita & mors, bonum & malum: quod placuerit ei, dabitur illi. *Ibid.*

Væ, qui dicitis bonum malum, & malum bonum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras, amarum in dulce, & dulce in amarum. *Esa.* 5.

Si separaueris preciosum à vili, quasi os meum eris. *Ierem.* 15.

Ecce ego do coram vobis viam vitæ, & viam mortis. 21.

Inter sanctum & profanum non habent distantiam: inter pollutum & mundum non intellexerunt. *Ezec.* 22.

Quærite bonum & malum, vt viuatis: & erit Dominus Deus exercituum vobiscum. *Amos* 5.

Elegerunt bonos in vasa sua, malos autem foras miserunt. *Matt.* 13

Hoc oro, vt charitas vestra magis ac magis abundet in omni scientia & in omni sensu, vt probetis potiora, vt sitis sinceri & sine offensa in diem Christi, repleti fructu iustitiæ per Iesum Christum, *Phil.* 1.

Omnia probate, quod bonum est tenete. 1. *Thess.* 5.

Sen-

Sententiae Patrum.

Quis ferat, quis diuitem eligat ad sedem honoris Ecclesiæ contem pto paupere instructiore & sanctiore? *Amb. in Iac. 1.*

Ad Episcopalem dignitatem eligi non debuit, qui minora officia gubernare non didicit: quia cura nauis illi committi non debuit, qui remum tenere non nouit. *Aug in ser.*

Hæc pax domestica, & cohabitantium ordinata à Deo concordia, & clara iustitia, vt scilicet, qui excellunt ratione, excellant dominatione. *in lib. sent.*

Deus non eligit dignos, sed dignos eligendo facit. *l. 5. cont. Iul.*

Non statim multitudinis acquiescamus iudicio, sed electi in principatum nouerimus miseriam nostram, & humiliemur sub potenti manu Dei, quia Dominus superbis resistens humilibus dat gratiam. Quanti panes non habentes & vestimentum, cum ipsi esuriant, & nudi sint, nec habeant spirituales cibos, neque Christi tunicam integram seruauerunt: alijs alimoniam, vestimentumque promittunt, & pleni vulneribus medicos esse se iactant? *Hier sup. Esa. 5. lib.*

Non sum medicus, & in domo mea non est panis neque vestimentum: nolite me constituere principem. Sicut in ordinationibus malorum, princeps est peccatorum, qui tales constituit: sic in ordinatione sanctorum, princeps est eorum iustitiæ, qui bonos eligit. *sup. Esa. l. 12.*

Moyses amicus Dei, cui facie ad faciem Dominus locutus est, potuit vtique successores principatus filios suos facere, & posteris propriam relinquere dignitatem, sed extraneus de alia tribu eligitur Iesus, vt sciremus principatum in populos non sanguini deferendum esse, sed vitæ. At cernimus nunc plurimos hominum beneficium facere, vt non quærant eos, qui possunt in Ecclesia plus prodesse, in Ecclesia erigere columnas, sed quos vel ipsi amant, vel quorum sunt obsequijs deliniti, vel pro quibus maiorum quispiam rogauerit: & (vt deteriora taceam) qui vt clerici fierent muneribus impetrarunt, & vt constituantur per ciuitates. *Idem Hier. vt ref. 8. sup. Moy.*

Quæritur cur non Ioannes virgo electus est, & vt esset caput Ecclesiæ? respondeo, ætati delatum est, quia Petrus senior erat, ne adhuc adolescens penè puer progressæ ætatis hominibus præferretur. *contra Iouin.*

Res penè contra naturam est, vt sine peccato aliquis sit: sed talis eligatur, cuius comparatione, cæteri grex dicantur. *in epist. ad Ocean.*

Conquerebatur se ferre non posse, & iuuenilem ætatem incongruam sacerdotio causabatur: sed quanto plus repugnabat, tanto magis omnium in se studia concitabat, & merebatur negando, quod esse nolebat, eò quod dignior erat, quò se clamabat indignum. *ad Heliod.*

Si in quibuslibet Ecclesiæ gradibus, prouidè omnis gradus constituitur, non erratur. Nam totius familiæ Domini status & ordo nutabitur, si quod requiritur in corpore, non inuenitur in capite. *Leo Papa in quodam serm. & ponitur 61. dist.*

Sicut boni operis sibi comparat fructū, qui rectum tenet in eligendo sacerdote iudicium: ita graui semetipsum afficit damnatione, qui ad suæ dignitatis collegium sublimat indignum. *Ibid.*

Valde iniquum & absurdum, vt imperitis magistris, noui antiquis, rudes præferantur eruditis. *Ibid.*

Requiritur in ordinando sacerdote, & præsentia populi, vt sciant omnes, & certi sint, quia qui ex omni populo est præstantior, qui doctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligitur ad sacerdotium, & hoc adstante populo, ne aliqua postmodum retractio cuiquam, ne quis scrupulus resideat. *Orig. sup. Leuit.*

Discat electorum Principes, successores sibi non eos, qui consanguinitate generis iuncti sunt, neque qui carnis propinquitate sociantur, testamenta signare, neque hæreditarium tradere Ecclesiæ principatum, sed referre ad iudicium Dei; & non eligere illum, quem humanus affectus commendat, sed totum Dei iudicio de successionis electione permittere. *sup. Num.*

Nulla hæc populi acclamatio, nulla propinquitatis acclamatio, propinquis agrorum & prædiorum relinquatur hæreditas: gubernatio autem populi illi tradatur, quem Deus eligit, qui. s. in se habet spiritum Dei, i. in quo sit charitas legis & scientiæ, vt possint eum audire filii Israel. *Ibid.*

Necesse est prudentissimum eligere, qui possit contra subtilissimos disputare, & in conuentu Doctorum sic agere, ne susceptam causam tot erudita possint ingenia superare. Magna res est contra artifices loqui, & apud illos aliquid agere, qui se putant omnia prouidere. *Cass. l. 1. Epist.*

Necessarium probatur esse reipublicæ, personas dignitatibus aptas eligere, & vt cui iustitia committitur, malis moribus non grauetur: alioquin inefficax est ab homine exigere, quod agnoscitur non habere: & confidenter quæritur, quod inesse sentitur. *l. 3.*

Ligna siluarum non oliuam, non ficum, non vitem, sed rhamnum sibi elegerunt in regem, & egressus est ignis de rhamno & deuorauit cedros Libani. *Pet. Rau. in quadam epist.*

Philosophorum Sententiae.

Electio appetitio sit necesse est eorum, quæ in nostra sunt potestate, cum antegressa est deliberatio. *l. 3. Ethic. c. 3. Arist.*

Electio est illa quidem voluntaria: sed non idem quod voluntarium. *l. 3. Ethic. c. 2.*

Electio in iis consistit, quæ sub actionem cadunt: iisq. in ipsis, quæ est in nobis positum agere, & non agere, itemq. sic ac aliter: denique in quibus sumere est, propter quid. *l. 1. Mag. Mor. c. 17.*

Belluæ & pueri consilii non sunt participes, nec electionis. *l. 3. Ethic. cap. 2.*

Consilio contraria cupiditas est: cupiditas cupiditati non est. *Ibid.*

Institutum ac consilium non est eorum, quæ fieri nequeunt: quod si quis hæc se eligere dicat, insanus esse videatur. *Ibid.*

Omnino iis in rebus versatur consilium, quæ sunt in nostra potestate. *Ibid.*

Ex bonorum & malorum electione tales, hoc est, boni vel mali dicimur. *Ibid.*

Institutum laudatur, quod sit eius rei, quæ magis honesta est, vel rectum sit. Atqui ea deligimus, quæ scimus optima. *Ibid.*

Ex genere voluntariorum est: nec tamē quidquid voluntarium est, id omne etiam deligendum: sed cum antegressa est deliberatio. *Ibid.*

Est actionis omnis principium electio, vt ex quo motio nascitur: non vt finis & extremum. Eligendi autem principium ab appetitione petendū est: eaq. ratione quæ ad finem pertinet. *l. 9. Ethic. c. 2. & l. 1 Mag. Mor. c. 1.*

Bonum consilium quiddam est rectum, non scientiæ quidem, nec opinionis: quoniam in scientia non spectatur quid rectum, cum ne peccatum quidem: & opinionis quod rectum est, appellatur veritas. *l. 6. Ethic. c. 9.*

Delectum quidem & electionem virtus rectam efficit: quod autem illius causa effici solet, hoc iam in virtute non est: sed in alia vi positum. *l. 6. Ethic. c. 12*

Quæ sponte facimus, non omnia eligimus: quæ autem eligimus, omnia cognoscimus. Nemo enim ignorat quę eligit. *l. 1. Rhet. ad Theodect. c. 19.*

Non mihi quidem rectè dicere videntur ii, qui consilium, siue electionem vel cupiditatem aiunt esse, vel iram, vel voluntatem, vel quandam opinionem. *l. 3. Ethic. c. 2.*

Illud quidem apparet institutum & consilium ex genere voluntariorum esse: nec tamen quidquid voluntarium est, id omne etiam deligendum est: sed cum antegressa est deliberatio. Nam cum ratione & mente coniunctum omne consilium est: id quod etiam nomen significat, dictum est enim προαίρετον quasi πρὸ ἑτέρων αἱρετόν. *ibid.*

Quod eligendum est, id bonum est: quod potius eligendum est, id etiam maius bonum. *l. 5. Ethic. c. 3.*

Non omne quod ratione tractatur sub electionem cadit: sed id demum quod rerum agendarum extremum est. *l. de motu animantium c. 4.*

Sine ratione constare bonum consilium non potest. *l. 6. Ethic. c. 6.*

Apophthegmata.

Aristippus. Quum Dionysius tres venustas puellas obtulisset, admonens vt ex iis quam vellet eligeret, omnes apprehendit dicens: Ne Paridi quidem fuisse tutum, vnam cæteris prætulisse, ac puellas deduxit ad aulæ vestibulum, dimisitq. non minus in contemnendo facilis, quàm in amplectendo. *Laer. l. 2. c. 8. Brus. l. 2. c. 31.*

M. Cato Hispaniam fortitus, cum hostium audisset miram copiam esse ad bellum paratā, ob idq. decreuisset Celtiberorum ope vti, petentibus illis ducenta talenta subsidii gratia, atque negantib. aliis conditionem, dicentibus: Turpe esse Pop. Rom. auxilia mercede conducere: vrbanè scitèq. Cato, non esse graue, respondit, nam si vicissent, hostium manubiis se satisfacturum illis: si victi essent, nec eos qui peterent, nec à quibus repeti deberent, perstites fore. *Brus. l. 2. c. 31.*

Aristoteles, quum iam natus annos fere sexaginta duos, adeo laboraret, vt admodum tenuis vitæ spes superesset, conuenerunt ad illum discipuli rogantes vt ex ipsis aliquem deligeret, qui in locum eius succederet. Inter auditores erant duo præcipui, Theophrastus Lesbius, & Menedemus Rhodius. Aristot. respondit, se quod petebant facturum, vbi daretur opportunitas. Paulo post quum rursus ad eum eadem de causa conuenissent, dixit, Vinum quod biberet sibi parum esse commodum ac quæri iussit exoticum, vel Rhodium, vel Lesbium. Id simulatque curatum est, gustato Rhodio dixit: Firmum hercle vinum & iucundum. Mox gustato Lesbio: Vtrumque, inquit, egregiè bonum, sed Lesbium suauius est. Id vbi dixit, nulli dubium fuit, quin lepidè simul & verecundè successorem ea voce, non vinum delegisset: probauit

vnum

verumque, nec tamen auditoribus eligendi ius ademit. *Laer. l.5.c.1.*

Lysander Lacedæmonius quum aliquando Dionysius ipsi misisset stolas duas, iubens vt vtram elegisset, eam mitteret filiæ. Ipsa, inquit, rectius eliget. Atque accepit ambas & abiit. In hoc exemplo nihil est imitandum, nec vno Lacedæmonio dignum, nec aliud ab hoc duce expectandum ferè, præter malitiosam ingenii vafriciem. *Plut. in Lacon. apoph.*

Scipio Aemilianus. Quum Seruius Sulpitius Galba & Aurelius Consules in Senatu contenderent, vter aduersus Viriatum in Hispaniam mitteretur: ac magna inter P.C. dissensio esset, omnibus quonam eius sententia inclinaret expectantibus. Neutrum, inquit, mihi mitti placet, alter. n. nihil habet: alter autem etiam quod habet nequaquam satis est. Aequa malam imperij magistram iudicans paupertatem, atque insatiabilem habendi cupiditatem. Quo dicto obtinuit, vt neuter in prouinciam mitteretur. *Val. Max. l.6.c.4*

C. Fabricius. Cornelius Ruffinus, vir rapax & auarus cæterum in belloanimo ingens, manuq. promptus, quum bellum immineret in consolatu obtinendo C. Fabricij opera adiutus est, qui ob prauam tamen vitam Ruffino semper infensus fuerat: verum eo tempore ob belli suspicionem, cum ignauos, desidesq. ipsius competitores videret, sententiam mutauerat. Quam ob rem Ruffinus miratus, cum Fabricio impensè gratias egisset, Fabricius dixisse fertur: Noli mirari, Ruffine, rapinis. n. immunui malo, quàm vendi. Quo dicto taxauit Ruffini rapacitatem, & competitorũ perniciosam ignauiam. Ostendit q. satius se ducere, auaro consule, eodemq. gnauo homine, & in rebus agendis idoneo rapinis vexari: quam his ad consulatum euectis, qui per ignauiam rempub. prodituri essent, vinctum ab hoste venundari Ex duobus enim his malis optimum eligendum erat. *Fulg. l.6.c.2.*

Exempla biblica.

Electionis, ad diuersa munia obeunda, exempla: Iudices à Mose electi, *Exo.* 18.*v.* 24.25. Duodecim millia ex Tribubus, *Num.* 31.*v.*3.4. Iosue 27.*v* 16.17. *Ios.* 1.*v.*1.2. *Iud.* 1.1. Gedeon 8.22. Iephte. 11.*v.*8 11. Saul, 1.*Sam.* 9.2. & 10.21. Dauid 16.*v.*1.2.11. 2. *Sam.* 2.*v.* 12. 2.3.4 *Ps.* 78.*v.* 70 Salomon, 1.*Reg.* 1.*v.*38.39. 1.*Paral.* 29.1. Ieroboam, 1. *Reg.* 12.*v.*20. Ionathas, 1. *Mac.* 9.*v.*28.29.30. duodecim Apostoli, *Luc.* 6.*v.* 13.14.15.17. *Io.* 6.70. Matth. *Act.* 1.*v.*23.24.25.26. septem Diaconi, 6.5. Paulus & Barnabas, 13.2.

Exempla Prophana.

Cum in Stephani IV. locum absque consensu Imp. subrogatus esset Paschalis, veniã deprecaturus, Ludou. Pium Imp. adijt. Ille eum reuerenter per Bernardum Longobardorum regem & Arelatensem antistitem excepit: ac agnita culpa, dataq. fide, ne posthac vis imperialis læderetur auctoritas, Romam remisit. *Cuspin.*

Leo IX. ab Henrico III. Pontifex creatus, Romanis ius eligendi Pontificem, Imperatore exploso, restituit: in pauperes liberalissimus fuit.

Mortuo Alexandro secundo Scotorum rege, cum Alexander filius successurus esset, magna inter Nobiles disceptatio orta est, alijs sidera, quæ plurimũ illis obseruare mos est, aduersa rege creando esse dicentibus: alijs nondum equitem auratum factum esse, ac propterea à regni gubernaculis prohiberi. At nisi contemptis istius modi superstitionibus comes Fifensis Sconæ fatali lapidi admotum puerum, more maiorum inunctum coronasset, profectò dilatis indis comitiis haud dubiè res in summum euasissent discrimen. *H. Boet. l.13.*

Gregorius V. Pont. Rom. vndecimo sui exilij mense pristinæ dignitati per Imp. restitutus, suam patriam insigni aliqua dignitate ornaturus sanxit, vt penes solos Germanos eligendi Regem esset ius ac potestas, qui post diadema à Rom. Pon. acceptum, Imperator & Augustus appellaretur. Suntq. Electores constituti Moguntinus, Treuirensis, & Coloniensis Archiepiscopi Marchio Brandeburgensis, Comes Palatinus Rheni, Saxoniæ dux: Rex Bohemiæ, qui paribus suffragijs Electorum existentibus litem inter eos dirimat. Hanc constitutionem Imperator & probauit & sua auctoritate ratam haberi voluit, *Naucler. generat.* 34. *Bonfin. l.* 10. *Decad* 1. *rer. Vng. Cuspin. in Otton.*

Nicolaus II. circiter annum salutis 1059, concilio celebrato Pontificum electionem ad Cardinales reduxit, idq. hodie seruatur: sed ea electio tam à reliquis sacerdotibus, quam à populo Romano comprobanda erat, poteratq. optari qui etiam non fuisset è Cardinalium collegio. At vtrumque breui post tempore pene est antiquatum. Nunc enim Cardinales & sine populi sacerdotumq. consensu, & Cardinalem tantum faciunt Pontificem Romanum, quamuis nulla lege exceptum sit, quin iure queant cuiusuis ordinis virum Pontificem creare. *Polyd. Verg. de inuent.*

In primis Ecclesijs rata habebatur episcopi per mortem decedentis electio eius quemcumque successorem dignum iudicasset. Sic enim Athanasius moriturus Petrum sibi successorem designauit, quod ratum & firmum habuit tum Sacerdotalis ordo, tum magistratus & populus *Theodoret lib.4.c.20.*

In Europeis Ecclesijs ad electionem Episcopi cõsensu multitudinis accedebat quemadmodum in historia Ambrosij Mediolani constat. *apud Socrat. l.4.c.30.*

ELEEMOSYNA.

DEFINITIO ET ETYMOL.

Eleemosyna, Græca dictio est, ἐλεημοσύνη, ab ἐλεήμων quod misericors dicitur. Est aũt eleemosyna opus, in quo datur aliquid indigenti, ex compassione propter Deum, *sec. Theol. 4. sent. d. 15. & S. Thom. 2. 2. q. 32. ar. 1.* Dicitur ab ἐλεεῖν, id est misericordia.

Eleemosynam non vno humanitatis, vel liberalitatis genere metiri licet: quodcunque enim charitatis officium in alterum præstatur, id eleemosyna est. *Polid. Virg. de Inuen. l.6.c.3.*

DIVISIO.

ELEEMOSYNA, qua subuenitur proximo.
- Ex parte animæ cui subuenitur.
  - *Poscendo auxilium à Deo in his, quæ per seipsum non potest: quod fit orando.* — Oratio pro aliis.
  - *Impendendo auxilium per seipsum contra tres defectus scilicet.*
    - Ignorantia
      - *Intellectus speculatiui, subuenitur docendo nescientes & est* — Doctrina.
      - *Intellectus practici, cui subuenitur consulendo ignorantibus, & est* — Consilium.
    - *Passionis appetitiuæ, inter quos maximus est Tristitia, cui subuenitur consolando, & est.* — Consolatio.
    - *Inordinatus actus, qui triplex est.*
      - *Peccatum commissum in Deum per inordinatum actum voluntatis, cui subuenitur corrigendo & castigando & est* — Correctio fraterna, vel Castigatio.
      - *Peccatum commissum in nos, cui subuenitur remittendo iniuriam, & est* — Remissio iniuriarum.
      - *Onerosa conuersatio propter infirmitatem vel aliam quamuis causam, cui subuenitur supportando, & est* — Tolerantia.
- Ex parte corporis.
  - In vita.
    - Communis
      - Interior
        - *Defectus alimentorum, cui subuenitur per cibationem & potum, & est* — Cibatio. Potatio.
      - Exterior
        - *Nuditas, cui subuenitur tegumento, & est* — Vestitio.
        - *Defectus habitationis, cui subuenitur colligẽdo, & est* — Hospitatio.
    - Spiritualis ex causa.
      - Intrinseca
        - *Infirmitas, cui subuenitur subueniẽdo infirmis, & est* — Visitatio infirmorum.
      - Extrinseca
        - *Captiuitas, vel in carcere detentio, & est* — Captiuorum redemptio.
  - Post vitã — Sepultura.

Lect

Loci Biblici.

Eleemosyna, speciatim stipem quæ pauperibus erogatur, significat: Generaliter verò omne genus beneficij, quod in miseros cõfertur, atque adeo omnia charitatis officia complectitur. *Mat.* 6.2. alias dicitur Miseratio. 9.13.

Eleemosyna in pauperes eroganda commendatur, *Exod.* 22.25. & 23.11. *Leu.* 19.10. & 23.22. & 25.39 *Deut.* 15.v.7.10. & 24.19.1. *Reg.* 17.10.2. *Esd.* 1.10. *Tob.* 1.3 & 4.v.7.17. & 12.9 & 14.11. *Esth.* 9.21. *Ps.* 41.1. & 82.4. & 112 9 *Prou* 2.14 & 3.v.9 28. & 11.18.25. & 14.v.21.31 & 18.17. & 27.v.13.21. & 22.9. & 28.27. & 31.20 *Ecc.* 4 v.1.2. & 7.35. & 12.3. & 14.11. &c. & 29 12. & 35.4. *Es.* 58.7. *Ezec* 16.49. & 18.7. *Dan.* 4 24. *Matt.* 6.v.3.10.42. & 19.21 & 25.v.35.42. *Luc.* 3.11. & 6.35. & 11.41. & 12.33. & 14.13. & 16.v.9.21. & 19.8. & 21.1. *Act.* 2.42. & 6.2. & 6 39. & 10.2. & 11.29. & 20.35. *Rom.* 12.v.8.15.26.1. *Cor.* 16.1. &c. 2. *Cor.* 5.v.4.15. & 9.1. &c. *Ephes.* 4 28. *Heb.* 13.16. *Iac.* 2.5.1. *Io.* 3.17. *Vide Misericordia & Beneficentia.* Eleemosyna quomodo eroganda, *Mat.* 6.v.2.3. sementi confertur. 2. *Cor.* 9 6. *Gal.* 5.7. est sacrificium Deo gratum. *Phil.* 4.18. *Heb.* 13.16.

Sententiæ Biblicæ.

Ante mortem benefac amico tuo, & secundum vires tuas da pauperi. *Eccl.* 14.

Rogationem contribulati ne abiicias, & non auertas faciem tuam ab egeno. *Eccl.* 4.

Ab inope ne auertas oculos tuos propter iram. *Ibid.*

Maledicentis tibi in amaritudine animæ exaudietur deprecatio illius. Exaudiet autem eum, qui fecit illum. *Ibid.*

Congregationi pauperum, affabilem te facito. *Ibid.*

Quare non dedisti pecuniam meam ad vsuram? (pauperib.) *Luc.* 19.

Beatius est dare, quàm accipere. *Act.* 20.

Bonum autem facientes non deficiamus. *Gal* 9.

Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maximè ad domesticos fidei. *Ibid.*

Eleemosynæ fructus præstantissimi & varij.

Eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. Fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna, omnibus facientibus eam. *Tob.* 4.

Bona est oratio cũ ieiunio, & eleemosyna magis quàm thesauros auri recondere: quoniam eleemosyna à morte liberat, & ipsa est, quæ purgat peccata, & facit inuenire vitam æternam. 12.

Per misericordiam & fidem purgantur peccata. *Prou.* 15.

Misericordia & veritate redimitur iniquitas. 16.

Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur. 21.

Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis, & Deus prospector est eius, qui reddit gratiam. Meminit in posterum, & in tempore eius inueniet firmamentum. *Eccl.* 3.

Eleemosyna patris non erit in obliuione. *Ibid.*

Exorare & facere eleemosynam ne despicias. 7.

Propter mandatum assume pauperem, propter inopiam eius ne dimittas eum vacuum. 29.

Pone thesaurum in præceptis Altissimi, & proderit tibi magis, quã aurum, *Ibid.*

Conclude eleemosynam in sinu pauperis, & hæc pro te exorabit (à peccatis) & ab omni malo. *Ibid.*

Peccata tua eleemosynis redime & iniquitates tuas misericordiis pauperum: Forsitan ignoscet Deus delictis tuis. *Dan.* 4.

Verumtamen quod superest date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. *Luc.* 11.

Meritum augmentat.

Qui faciunt eleemosynam & iustitiam, saturabuntur vita. *Tob.* 12.

Dispersit, dedit pauperibus: iustitia eius manet in sæculum sæculi. *Ps.* 111.

Qui miseretur pauperis, beatus erit. *Prou.* 14.

Qui calumniatur egentem, exprobrat factori eius: honorat autem eum, qui miseretur pauperis, *ibid.*

Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis, & vicissitudinem suam reddet ei. 19.

Benefac iusto, & inuenies retributionem magnam, & si non ab ipso, certè à Domino. *Eccl.* 12.

Da (pauperi) & accipies, iustifica animam tuam. Ante obitum tuum operare iustitiam: quoniam non est quod quæras apud inferos cibaria. 14.

Eleemosyna viri quasi sacculus cum ipso, & gratiam hominis, quasi pupillam, conseruabit: & postea resurget, & retribuet illis retributionem vnicuique in caput ipsorum, & conuertet in inferiores partes terræ. 17.

Qui facit misericordiam, fœneratur proximo suo: & qui præualet manu mandata seruat. *Eccl.* 29.

Qui facit misericordiam, offert sacrificium. 35.

Cum effuderis esurienti animam tuam, & animam afflictam repleueris, orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt sicut meridies, & requiem dabit tibi Dominus Deus tuus semper, & splendoribus implebit animam tuam, & ossa tua liberabit, & eris quasi hortus irriguus, & sicut fons aquarum, cuius non deficient aquæ. *Esa.* 58.

Quicumque potum dederit vni ex minimis istis, calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli: amen dico vobis, non perdet mercedem suam. *Mat.* 10.

Si vis perfectus esse, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo. 19.

Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à cõstitutione mundi: Esuriui enim, & dedistis mihi manducare: Sitiui, & dedistis mihi bibere: Hospes eram, & collegistis me: Nudus, & operuistis me: Infirmus, & visitastis me: In carcere, & venistis ad me: Tunc respondebunt ei iusti, dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, & pauimus te, & dedimus tibi potum? & respondens Rex dicet illis: Amen dico vobis, quamdiu fecistis vni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis. *c.* 25

Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam. *Luc.* 12.

Patrum Sententiæ.

Qui vult ordinatè dare eleemosynam, à seipso debet incipere, & eam sibi primo dare, est enim eleemosyna opus misericordiæ, verissimèq. dictum est: Miserere animæ tuæ placens Deo. *Aug. in Enchir.*

Valde malè diligit is, qui bene audit, & male operatur. Si potes dare, da: si non potes, affabilem te fac, coronat Deus intus bonitatem, vbi non inuenit facultatem: Nemo dicat non habeo: charitas de sacculo non erogatur. *sup. Ps.* 103.

Multa sunt genera eleemosynarum, quæ quum facimus adiuuamur, vt nobis dimittantur peccata: sed ea nihil est maius, quàm cum ex corde dimittimus peccata. *In Enchir.*

Quam frontem habes petendo ad Deum tuum, qui non agnoscis, patrem tuum? Ille nihil portat, tu nimium oneratus es: da illi de eo quod habes, & illum pascis: & pondus minuis. *de ver. Dom. ser.* 5.

Eleemosyna mundat peccata, & ipsa interpellat pro nobis ad Dominum: quia quidquid pauperibus dederimus, ipsum integrè possidebimus. *in ser. de diuite.*

De iustis laboribus facite eleemosynas: non enim corrupturi estis iudicem Christum, vt non vos audiat cum pauperibus, quibus tollitis. Nolite velle eleemosynas facere de fœnore & vsuris, fidelibus dico, quibus corpus Christi erogamus. *Ibid.*

Fœcundus est ager pauperum, citò reddit donantibus fructum. Via cœli est pauper, per quam venitur ad patrem: incipe ergo erogare, si non vis errare. *De ver. Dom.*

Dicit tibi Christus: Da mihi ex eo, quod dedi tibi, de meo quæro: da & redde, habuisti me largitorem, fac me debitorem, habeam te fœneratorem, temporalia mihi das, æterna tibi restituam, teipsum tibi reddam, quando te mihi reddidero. *Ibid.*

Caue præuidens discretioni eleemosynæ, ita vt vtriusque, dantis. s. & accipientis sit solatium, *in ep.*

Si vis esse mercator optimus, fœnerator egregius, da quod non potes retinere, vt recipias quod non poteris amittere, da modicum vt recipias centuplum, da temporalem possessionem, vt consequaris hæreditatem æternam. *in ep.*

Vtantur diuites consuetudine infirmitatis tuæ, sed doleant aliter se non posse, melius enim facerent, si aliter possent. Si ergo non extollitur pauper de mendicitate, tu quare extolleris de infirmitate? Vtere cibis electis, & preciosis, sicut consueuisti, quia aliter non potes, quia si consuetudinem mutas, ægrotas, conceditur tibi vtere necessarijs, da pauperibus superflua, vtere preciosis, da pauperibus vilia. *De ver. Dom.*

Magna eleemosyna, quæ ardentium criminum globos beneuolentiæ suæ fonte refrigerat: & irriguo largitatis obruit incendia delictorum. *in quodam ser.*

Eleemosyna nullius malis negatur, quàm conceditur, *ep.* 48.

Eleemosyna ad necessitatem, non ad pigritiam accipienda, *de opere monach. c.* 15

Beatus planè, de cuius domo numquam vacuo sinu pauper exiuit: neque enim quisquam magis beatus, quàm qui intelligit super pauperis necessitatem, & infirmi atque inopis ærumnam. *Amb. l. de offic.*

Ille intelligit super pauperem, qui largitur pauperi: iam quid prodest misereri inopia, nisi alimoniam eidem largiaris? *in Ps.* 118.

Hoc est occidere hominem vitæ suæ ei subsidia denegare. Caue ne inter loculos tuos includas salutem inopum: tamquam in tumulis sepelias vitam pauperum. *Ibid.*

Sunt qui pauperibus parum tribuunt, vt amplius accipiant, quæ magis venatio appellanda est, quàm eleemosyna. Melius est enim non habere, quod tribuas, quàm impudenter petere, quod des. *Hier. in ep.*

Nos subfarcinati auro Christum pauperum sequimur, & sub prætextu eleemosynæ pristinis opibus incumbimus. *Ibid.*

Pars sacrilegii est, rem pauperum dare non pauperib. laudent te esurientium viscera, non ructantium opulenta conuiuia. *Ibid.*

Siue

Siue ille sacerdos, siue cognatus sit, & affinis, nihil in illo aliud consideres, nisi paupertatem. Sine discretione omnib. indigentibus simpliciter tribuamus, nõ quęrentes cui, sed quare demus. Quisquis enim in quacunque necessitate morituro succurrere potest, si non fecerit, occidit. *Ibid.*

Gloria Episcopi est, pauperum opibus prouidere: ignominia omnium Sacerdotum proprijs studere diuitijs.

Quamuis omnem censum tuum pauperibus distribuas, nihil apud Christum erit preciosius, quam quod manibus tuis ipse confeceris. *Ibidem.*

Eleemosyna amica Deo consistit: & semper ei propinqua est, pro quibuscunque voluerit facile munus gratiæ impetrat, vincula peccatorum ipsa dissoluit, fugat tenebras, extinguit ignẽ: huic cum multa fiducia porrę cœli aperiuntur, & veluti regina intrãte nullus ianitorum, nullus custodum, qui adsistunt, audent dicere: Quæ tu es, vel vnde? sed omnes eam è regione suscipiunt. Virgo est habens alas aureas, circumscripta per omnia venustate, sed succincta vultum habens candidum atque mansuetũ, pennata est, & leuis, & semper ante solium regale consistit. *Chrys. super Matt. ser. 9.*

Medicamentum fortius, quod maximè operatur in pœnitẽtia, eleemosynæ: & sicut in præceptis medicinæ accommodis, medicamentum multas quidem herbas accipit, vnam autem dominantissimam: sic & in pœnitentia ista dominantior, & potentior est, & vniuersum ipsa efficit. *Ibid.*

Si indifferenter omnibus dederimus, semper miserebimur, si autem discutere cœperimus, nunquam misericordia in præstabimus. *Ibid.*

Quæ stultitia est, illic relinquere, vnde exiturus es: & illuc nõ præmittere, quò iturus es? Illic ergo substantiam tuam colloca, vbi patriam habes. *In Matt 6.*

Qui collocat thesauros in terra, non habet, quod speret in cœlo. Vt quid respiciat in cœlum, vbi nihil habet repositum? Quidquid pro anima tua feceris, hoc tuum est: quod autem reliqueris perdidisti. *Ibidem.*

Non est ingrata Deo, quæ visa fuerit ab hominibus eleemosyna, sed quæ ideo facta est, vt visa sit. *In Matt. 5.*

Nihil plus valet curationi, quàm eleemosynarum largitio, quia frustra pro peccatis rogaturus manus ad Deum expandit, qui has ad pauperes non extendit. *Rab. in Matt. 12.*

Si fateris ea tibi diuinitus prouenisse, scilicet temporalia bona, an iniustus est Deus inæqualiter res nobis distribuens? cur tu abundas, & ille mendicat, nisi vt tu bonæ compensationis merita consequaris, ille verò patientiæ brachiis decoretur? Panis est famelici quem tu tenes: nudi tunica, quam in conclaui conseruas; discalceati calceus, qui penes te marcescit: indigentis argentum, quod possides: quocirca tot labefactas, quod subuenire valeas. *Bas. hom. 1.*

Manus pauperis est gazophylacium Christi, & quidquid pauper accipit, Christus acceptat. Da ergo pauperi terram, vt accipias regnum, da micam, vt accipias totum, da pauperi, vt detur tibi: quia quidquid pauperi dederis tu habebis: quod pauperi nõ dederis, habebit alter. *Pet. Rau in quadam ser.*

POETICAE SENTENTIAE.

Anthol. Sac. Iac. Billii.

De eleemosyna, & quod impius probo viro nocere nequeat.

Alcmenenus quidam (sic finxit prisca vetustas)
Regina abscissam vexit ad astra comam.
Is tamen haud astris illam intulit. Ille capillos
Cœlo infert, inopes qui miseratus alit.
Crinis opes, crinis fictos designat honores,
Et vitam, poterit quam resecare Deus.
Sed licet & barbam secet improbus, atque capillos:
Nil tamen his nullè prorsus inesse potest.

Ibidem.

Magnum peccatum est amor immoderatus habendi,
Et plus quàm vita sufficiat cupiens.
Nam quod nos vestit, quod pascit, curat salutis,
Si vanis sit mens libera, non onerat.
Debilibus prosint atque iuuent inopes.
Quisquis enim cupidè non expendenda recondit,
Qua nulli tribuit, pauperibus capiit

De eleemosynæ studio.

Qui reliquis studeant virtutibus, atque labore
Membra premant, homines cernere mille licet.
Deficit ac miseros hæc vna & maxima virtus,
Qua sine nil alias obtinuisse iuuat.
Nam qui pauperie pressis se præbet acerbum,
Cuncta licet teneat, nil tamen ipse tenet.
O quæ stultitia est! Deus emit sanguine seruos:
Mercari exigua nos piget ære Deum.

Martialis l. 5.

Callidus effracta nummos fur auferet arca:
Prosternet patrios impia flamma Lares.
Debitor vsuram pariter sortemq. negabit.
Non reddet sterilis semina iacta seges.
Dispensatorem fallax spoliabit amica:
Mercibus extructas obruet vnda rates.
Extra fortunam est quidquid donatur amicis;
Quas dederis, solas semper habebis opes.

APOPHTHEGMATA.

Democritus peregrinis & egentibus alimoniam ministrandam esse dicebat. Equidem quisquis indigenti victum negat, is neque ab alio quidquam accipiet, dum eguerit. *Stob.*

Idem dicebat, beneficium pro tempore exile, ingens reddi iis, qui illud in extrema necessitate acciperent. *Stob.*

Idem audiens quemdam magnificis verbis multa cuidam promittentem, sed mendaciter: Conetis, inquit, ad exigua largiendum, quàm ad plurima promittendum, esse propensior. Nam penuria laborantibus donum, vel perexiguum prodest, verba autem & magnificæ pollicitationes nulli sunt vtiles. *Stob.*

Idem dicere solebat: Si bene mereri de aliquo voles, citissimè da. Mora enim ingratum redditur, & parum amabile quidquid dederis. *Stob.*

Aristot. cum nefario cuidam homini eleemosynam dedisset, & ob id castigaretur a quodam: Non mores, inquit, sed hominem commiseratus sum. Docuit vir sapientissimus, etiam malis & indignis eleemosynam dandam esse in summa rerum necessitate, ne penuria suadente, agant quod dedecus est coram Deo & hominibus. *Laer. l. 5. c. 1.*

Idem reprehensus à quodam, quod eleemosynam dedisset improbo: Non homini, inquit, dedi, sed humanæ sorti. *Laer. l. 5. c. 1.*

Demosthenes dicere solebat, æquum esse, vt pauperes piè foueantur, cum delectu tamen, ita vt dimissis improbis illorum ratio potissimum habeatur, qui præter culpam egestate premuntur. *Stob.*

Amadæus Sabaudiæ dux rogatus a quibusdam Oratoribus, qui aderant, an etiam haberet canes venaticos? annuit, vt postera die redirent. Cum verò iam adessent, Amadæus è pergula à latere ædium ingentem mendicorum multitudinem eis ostendit vna discumbentium. Atque hi sunt, inquit, canes mei, quos alo quotidie, quibusq. cœlestem gloriam me spero venaturum. *Munsterus l. 2. Cosmog. vbi de Allobrogorum vel Sabaudiæ ducibus.*

Placilla Theodosii Romanorum Imperatoris vxor pientissima, cum reprehenderetur à suis, quod ægrotos visitaret, atque pauperibus etiam liberaliter facultates suas elargiretur, respondit: Imperatori conuenire, vt aurum id largiatur: se autem manuum opus pro imperio ipso ei, qui id semel contulit, offerre. *Nicephorus Callistus l. 12. c. 42.*

SIMILITVDINES.

Syracida. Quemadmodum aqua restringit inflammatum ignem: Sic eleemosyna expiat peccata. *c. 3.*

Chrys. Sicut vlmus infructuosa dat honorem vito, vt vitis pro se, & pro vlmo proferat fructum: ita tuæ res proficiant ad pauperis sustentationem in hoc sæculo, vt & illius sanctitas proficiat ad tuam sustentationem in cœlo. *In c. 5. Matt hom. 12.*

Omnis homo, qui aliquod opus facit, cuius causa facit id, quod facis, in corde suo illius aspicit & personam. Ecce facis epistolam vt aliquem salutes amicum, quamdiu scribis, semper in corde tuo vides illius personam amici, propter quem scribis epistolam. Iam artifex tenens opus in manu, semper eum præ oculis suis habet, qui ei opus commisit faciendum, dum cogitat quomodo illud facere mandauit: sic & qui propter Deum eleemosynam facit, neminem videt in corde suo, nisi in personam Dei tantummodo, propter quam facit. *In c. 5. Matt.*

Si duos quosdam videres, alterum omnino nudum, alterum indutũ, nullamne iniuriam faceres, si vestitum spoliares, vt nudum indueres? imo verò maximam: ita qui Deo ex rapina eleemosynam parat. *Hom. 87 in Matt.*

Quemadmodum ista monumenta pueris detrahuntur, posteaquam facti viri, feruntur ad aliud ornamentorum genus: itidem & in nobis non iam erit eleemosyna, quæ pecuniis erogandis constat, sed alia quædam multo præstantior. *Hom. 1. ad Phil.*

Agricolæ si frumenta domi conclusa tenent, vermium in esca amittent: si verò dispersérint in terras, non modo custodiunt, sed & augent: sic opes stantes quidem in area, ac sub sera & vectibus fossæ, cito transfugiunt: si verò in eleemosyna distributæ fuerint, non solum manent custoditæ, sed & maiores inde resurgunt. *De pœnit. ser. 7.*

Cursores, qui in agone currunt, vestimenta etiam non necessaria abiiciunt: ita iturus in cœlum, vt expeditior sit, diuitias pene omnes pauperibus distribuat. *Hom. de pœnit.*

Vt hospites

Vt hospites & peregrini in aliena terra mansionem non construunt, sed malunt in sua patria inuenire constructam: ita debemus per eleemosynam domos æternas construere, & non hic thesaurizare. *Hom. 36. tom. 4.*

Quemadmodum si opes subditorum in regiis promptuariis conseruentur, per illas etiam regiæ securiores sunt: ita certè & in domo tua, si pauperum opes reposueris, & Dominico die collegeris, etiam tua securiora erunt. *De eleemosyn.*

Agricola sementem facit, & quæ habet expendit, & non contristatur, & dolet, nec sumptum se facere putat, sed lucrum potius, tametsi incerta eius spes. Tu autem non in tam vilibus, sed in multo maioribus seminans, & daturus pecuniam in manus Christi, recusas, turpes & inopiam prætexis? *Ser. de pœnit.*

Quemadmodum Dominus tuus cum multi blasphement, multi fornicentur, multi furentur, latrocinentur, sepulchris insidientur, & multa mala faciant, ipse non desinit à sua in omnes beneficentia, sed communes radios, communes imbres & fructus terræ profert, suam monstrans misericordiam: sic & tu fac, & cum adhuc tempus misericordiæ, iuua pauperes, pasce famelicos, libera afflictos, ne sis præterea curiosè sollicitus. *Serm. de pœnit.*

Quemadmodum hi, qui ad magnos quosdam principatus accersiti, regias inhabitaturi ciuitates, omnem substantiam suam in pecuniam commutant, & sic illò migrant: ita plane & tunc faciebant homines illi ad cœlum vocati, & ad supernam metropolim, & regnum quod illic est. Nam persuasum habentes illic esse patriã, omni substantia sua in pecuniam commutata, pecuniam per Apostolorum manus illuc præmiserunt. *In illud Apostoli dictum, Oportet semper hæreses esse.*

Sicut radix in pingui plantata solo, quæ nobis singulis annis tempestiuos affert fructus: sic & pecunia in manibus pauperum plantata, non solum in singulos annos, sed & in singulos dies spirituales nobis fructus affert, fiduciam scilicet in Deum, peccatorum abscessum, conscientiam bonam, lætitiam spiritualem, spem iucundam, aliaque bona, quæ præparauit Deus diligentibus se. *ibid.*

Nazianz. Quemadmodum omnis, qui nauigat, prope naufragium est, tantoq. propius, quanto audacius id facit: ita quicunque circumseptus est corpore, propinquus & obnoxius est corporis calamitatibus, & eò magis, quò elatius incedit, nec respicit eos, qui ante se iacent. Dum ventis secundis nauigas, da manum illi, qui naufragium fecit: dum sanus ac diues es, in miseria constitutum amplectere. Noli expectare vt in teipso perdiscas quantum sit malum inhumanitas, & quãm bonum sit, egentibus aperire viscera misericordiæ. Ne velis tollere manus ad Deum contra eos qui superbiunt, & ob æterecurrunt pauperes: sed in alienis calamitatibus erudiare. Da aliquid vel exiguum inopi: non erit ex guũ ei, qui rerum omnium eget: ne Deo quidem, modo pro facultate tribuatur: Loco magni muneris affer consolationem. Si nihil habes, collachrima, *In Orat. de pauperib. amandis & benignit.*

Erga fratres calamitosos benignus esto. Quod ventri subtrahis, tribue esurienti: Exæquat omnia iustus Dei timor. Duas inter se contrarias affectiones, tuam videlicet satietatem, & fratris famem, modesta continentia tempera atque moderare. Sic enim faciunt & medici: alios exinaniunt, alios replent, vt accessione, decessioneq. vniuscuiusque sanitas conseruetur. *In Orat. de pauperib. amand. f. 331*

D. Basilius. Quemadmodum sementis, quæ in terram iacitur, lucrum affert ei qui iecit: ita etiam panis in esurientis manum seminatus, multiplex commodum in posterum reddit. *In Luc.*

Tu quidem cum aurum das vt equum compares, animo non angeris: cum verò corruptibilia exponis, vt cœlorum regnum accipias, lachrimandum tibi putas? *Hom. de diuite.*

Vt Adam malè comedens, peccatum induxit: ita nos insidiosam etcã edimus, nisi necessitati fratris & esuriei medeamur. *Ser. de fame & siccitate.*

Lactantij. Si Deorum cultores simulachra insensibilia excolunt, & quidquid pretiosi habent, in ea conferunt: quibus nec vti possunt, nec gratias agere, qui acceperint: quanto iustius est & verius, viuentia Dei simulachra excolere, vt promereare inuenire viuentem? Quæ sicut vsui habent, quidquid acceperint, & gratias agunt: ita Deus, in cuius conspectu bonum feceris, probabit & mercedem pietatis exoluit. *l. 6. c. 13. de vero cultu.*

Thriuers. Illiberale est munus, quod maius aut ditius ambit: elegantissima eleemosyna, quæ neque sanitatem, neque aliud respicit, sed ex sola charitate erga Deum & proximum procedit. *In apoph. 75.*

Exempla Biblica.

Eleemosynæ exempla, Abdias 1. *Reg.* 19. *v.* 13. Tobias senior, *Tob.* 1. *v.* 18. & 2. *v.* 16. & 4. *v.* 8. 9. 10. 11. 12. Tabitha, *Act.* 9. *v.* 36. Cornelius Centurio, 10. *v.* 1. 2. 3. 4.

Exempla Prophana.

Rabanus Maurus Fuldensis antistes, mox Archiepiscopus Moguntinus, cum tanta fames Germaniam occuparet, vt etiam pater filium suum deuorare vellet: multam beneuolentiam pauperibus exhibuit. *Sigibertus in Chron.*

Anastasius IV. Pont. Max. pauperes pauit sua pecunia: cum vniuersam propè Europam torqueret fames. *Rausius.*

Basilius Magnus, Episcopus Cæsariensis, in fame grauissima facultates suas vendidit: frumentum comparauit: ex quo pauperes omnes, etiam Iudæorum liberos aluit. *Sozomen. l. 6. c. 34.*

Ab Imperatore Henrico IV. agmina pauperum sustentata sunt, qui eũ domi in cubilibus, in campis, in castris sequebantur. Nam & liberaliter eis prospexit, & in demortuorum locum mox alios substituit, ac in prædiis suis erogari eleemosynas largas præcepit, vt in vita eius annotatur.

Tullus Hostilius Romanorum rex, quod agrorum cæteri reges in vsum suum seruabant, publicè pauperibus diuisit: multorum regum moribus dissimilis: qui quod pauperum est, sibi vsurpare consueuerunt. *Fulg. l. 4. c. 8. ex Liuio.*

Nerua Imp. ciuibus egenis, vt vitam sustentarent decies & quinquagies centena millia nummum erogauit.

Adrianus Imp. factus pueris ac puellis, quibus Traianus alimenta statuerat, incrementa dedit. *Suet.*

Nerua Imp. puellas puerosq. parentibus pauperibus natos sumptu publico per Italiæ oppida ali iussit. *Cuspinianus.*

ELEMENTVM.

Definitio et Etymol.

Elementum Græcè στοιχεῖον, τό, & στοιχειώδης, ὁ elementalis dicitur. Est autem elementum, in quod aliquid diuiditur inexistens, vt materia, vt syllabæ, a & b, *sec. Arist. l. 7. Met.*

Loci Biblici.

Elementa calore soluenda, 2. *Pet.* 3. 10.

Elementa mundi Paulo sunt rudimenta, quibus Dominus Ecclesiam suam, quasi sub pædagogo erudiit, *Col.* 2. 8. vt explicatur copiosè *Gal.* 4. *v.* 3. vbi etiam pro rudimentis capiuntur. Infirma sunt & egena, *Gal.* 4. 9. Elementa pro mundi partibus, quæ calore dissoluentur. 2. *Pet.* 3. 10. 12.

Poeticae Sententiae.

Ouid. 15. Meta.

Quatuor æternus genitalia corpora mundus
Continet, ex illis duo sunt onerosa, suoq.
Pondere in inferius, tellus atque vnda feruntur:
Et totidem grauitate carent, nulloq. premente
Alta petunt, aer atque aere purior ignis.

Idem Fast.

Altum flamma petit, propior locus aera cepit:
Sederunt Medio terra fretumq. loco.

Manil. 52.

Ignis in æthereas volucer se sustulit auras,
Summaq. complexus stellantis culmine cœli
Flammarum vallo naturæ mœnia fecit:
Proximus in tenues descendit spiritus auras,
Aeraq. extendit medium per inania mundi.
Ignem flatus alit vicinis subditus astris.
Tertia sors vndas strauit, fluctusq. natantes.
Aequora perfudit toto nascentia ponto,
Vt liquor exhalet tenuis atque euomat auras,
Aeraq. ex ipso ducentem semina pascat,
Vltima subsedit glomerato pondere tellus.

Ouid. 1. Met.

Ignea conuexi vis & sine pondere cœli
Emicuit, summaq. locum sibi legit in arce.
Proximus est aer illi leuitate, locoq.
Densior: his tellus elementaq. grandia traxit,
Et pressa est grauitate sui. circumfluus humor
Vltima possedit, solidumq. coercuit orbem.
Neu regio foret vlla suis animalibus orba,
Astra tenent cœleste solum, formæq. Deorum.
Cesserunt nitidis habitandæ piscibus vndæ.
Terra feras cepit. volucres agitabilis aer.

Idem 15. Metam.

Hæc quamquam spatio distant, tamen omnia fiunt
Ex ipsis, & in ipsa cadunt, resoluitq. tellus
Aeraq. humor abit: dempto quoque pondere rursus
In superos aer tenuissimus emicat ignes.
Inde retro redeunt, idemq. retexitur ordo.
Ignis enim densum spissatus in aera transit,

Hinc in

Hinc in aquas: tellus glomerata cogitur vnda.

Ouid.6.Met.

Accessere, postq; genu Titania terram
Pressit, vt hauriret gelidos potura liquores.
Rustica turba vetat Deam sic affata vetantes.
Quid prohibetis aquis? vsus communis aquarum est.
Nec solem proprium natura, nec aera fecit,
Nec tenues vndas. ad publica munera veni.
Quæ tamen, vt detis, supplex peto.

SENTENTIÆ PHILOSOPHICÆ.

Elementum est ea quo primo insito aliquid constat, nec in aliam speciem specie diuidi potest. *lib. 5. 4. Metaph. c. 3. T. 4.*

Elementa oriuntur ex eo, quod alia in alia se vertant. *lib. 3. de Cœlo, c. 7. T. 6. & lib. 1. Meteor. c. 3. & l. 2. de ort. c. 2. T. 8.*

Sunt hæc initia elementorum, calidum, frigidum, humidum, siccum. *l. 2. de part. c. 2.*

Repugnantiam inter se elementa omnia habent, eorumque nihil æternum esse potest. *l. 2. de Cœlo, c. 3. T. 19.*

Sit elementum, & initium corporum id, in quod cætera corpora diuiduntur, cum potestate insit, vel reipsa. *l. 3. de Cœlo, c. 3. T. 31.*

Tria quidem elementa sunt proportione: causæ autem & principia, quatuor. Priusque est & antiquius elementum ijs quorum elementum est. *l. A. 11. Metaph. c. 4. T. 23.*

Ignis non est simplex, nec aer, nec vllum aliorum, sed concreta, atque confusa. *l. de ort. c. 3. T. 20.*

Terræ siccitas magis est propria, quàm frigus: & aquæ frigus magis, quàm humor: & aeris humor magis, quàm calor: & ignis calor magis, quàm siccitas. *ibid. T. 23.*

Quoniam, nec innumerabilia sunt elementa, nec vnum, plura sint, & finita necesse est. *l. 3. de Cœlo, c. 5. T. 52.*

Aeterna quidem elementa esse non possunt. *l. 3. Cœli. c. 6. T. 52.*

Quatuor elementa, quæque sunt eiusdem generis, natura constare dicimus. *l. 2. de Nat. c. 1. T. 1.*

Quæ essentiam maxime significare videntur, hæc sunt, ignis, aer, aqua, terra, ex quibus concreta corpora constantur. *lib. 2. Metaph. c. 5. T. 17.*

SIMILITVDO.

Procop. Vt risibile proprium est hominis, & homo est nomen, seu vna eius animalis, cui risibile inest: Sic ariditas est proprium terræ, terraq; ariditatem quasi peculiariter habet. Frigiditas quidē quoque inhæret terræ, sed non terræ quasi proprium censetur, imò eam qualitatem communem possidet cum aqua. Vt aqua frigiditatem peculiariter tenet: Sic humiditatis cum aere particepa perhibetur. Vt aer ceu proprium retinet humiditatem: Sic quasi per quamdam societatem ab igne calorem trahit. Vt ignis ceu proprium sibi vendicat calorem: Sic cum terra partitur ariditatem, quam terra peculiarem adepta est. Et in hunc modum patet singulis elementis quid inesse proprium, & quid quod cum cæteris habent commune. Per propria singula à singulis separantur: per communia singula singulis connectuntur. Oportebat etenim esse separata, vt singula suam conseruarent naturā. Oportebat & aliquo nexu copulata esse, vt ea his corporum nasceretur compositio, cum aliud alij esset coniunctum secundum communem qualitatem. Quapropter Deus, optimus imponendi rebus nomina artifex aridam appellauit terram: nec terram vocauit aridam. *In Gen. c. 1. fol. 23.*

ELOQVENTIA.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Eloquentia, Græcè λογιότης, ητος ἡ. & λόγιος, ὁ, eloquens dicitur. Aloquorq; descendunt: Est autem loqui, verba proferre, differtq; à dicendo; Quoniam dicere est eleganter, & facundè loqui. Quintilianus: Nam mihi ne dicere quidem videtur, nisi qui dispositè, ornatè, copiosè dicit: Loqui autem a loco descendit; is enim, qui loquitur, suo loco quodque verbum sciēs ponit. Nam qui primo incipit fari, & vocabula, & reliqua verba dicit, antequam suo loco ea ponere possit. Talemq; Chrysippus affirmat non loqui, sed vt loqui. Quapropter vt hominis imago non est homo, sic in coruis, cornicibus, pueris primitus fari incipientibus, verba non esse verba: & loqui non dicent. A loquor, quod est dico (quod est proprium oratoris) fit eloquens, qui dicendi ratione perfectus est. Et eloquentia, dictio ea omni parte perfecta. Et eloquenter aduerbium, hoc est, facundè: Et eloquium, quod modo sermonem, modo eloquentiam significat.

Eloquentia est copiosè loquens sapientia: Est ministra comesque sapientiæ, vber, lata, & ad motus animorum, vulgiq; sensus accommodata, Græcis λογιότης dicta.

LOCI BIBLICI.

Eloquentia, *Exod. 4. 10.* Dei donum, & opus est, *v. 11.*

PATRVM SENTENTIÆ.

Plato temporum suorum vir eruditissimus, qui sic omnia locutus est, quæcumque dixit, vt magna, & quocumque modo parua dicit, modo loquendi magnificauit. Vnde dici potest quidem: Tullij linguam omnes mirantur, pectus non æque. Arist. pectus omnes, linguam non æque: Platonis pectus, & linguam æquè. *Polyanthea Noua.* *August. in epist.* Eloquentia in homine prauo est venenum in poculo aureo. *Idem l. 1. de anima.*

Ille bene loquendi facundiam percipit, qui sinum cordis per rectè viuendi studia extendit, nec loquentem conscientia præpedit, quum vita linguam antecedit. *Greg. l. 6. Mor.*

Eloquens est ille, qui scit parua submisse, media temperatè, magna granditer dicere, qui scit inuenire præclarè, enunciare magnificè, disponere apertè, & figurare variè. *Cass. sup. Psal. 73.*

Bonus Doctor prooemiatur aptè, narrat apertè, arguit acriter, colligit fortiter, ornat excelsè, docet, delectat, & afficit. *Idem.*

Sæpè reperitur simplicitas veridica, & falsitas composita, quæ hominem suis erroribus illicit, per linguæ ornamenta laqueos dulces aspergit. *Isid. l. 3. de sum. bon.*

Antiqui forensem eloquentiam caninam facundiam nuncupabāt, eo quod causidici in certaminibus causarum omissis, quæ agant, veluti alterutrum sese lacerant, iurgiaq; causarum ad iniurias suas commutant. *ibid. l. 3.*

SENTENTIÆ POETARVM.

De Orpheo Virg. l. Georg. 4.

At cantu commotæ Erebi de sedibus imis
Vmbræ ibant tenues simulacraq; luce carentum,
Quin ipsæ stupuere domus, atque intima lethi
Tartara, cæruleosq; amplexæ crinibus angues
Eumenides: tenuitq; inhians tria Cerberus ora:
Atque Ixionei vento rota constitit orbis.

Ea Aeneid. l. 1. De viribus eloquentiæ.

Tum pietate grauem, ac meritis si forte virum quem
Conspexere, silent, arrectisq; auribus astant:
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.

Ouid. l. 10. Metam. fab. 1.

Talia dicentem neruosq; ad verba mouentem,
Exangues flebant animæ, nec Tantalus vndam
Captauit refugam, stupuitque Ixionis orbis.
Nec carpsere iecur volucres, vrnisq; vacarunt
Belides, inque tuo sedisti Sisyphe saxo.
Tum primum lachrimis victarum carmine fama est,
Eumenidum maduisse genas, nec regia coniux
Sustinet oranti, nec qui regit ima negare, &c.

Silius Italicus lib. 11. belli Italici.

Aegolicis quondam populis mirabile dictu,
Exaudita chelys: lapidum testudine felix
Ducere, & in muris posuisse volantia saxa.
Hæc Amphionio vallauit pectine Thebas.
Ac silice aggeribus per se cædentes vocatis
Iussit in immensum cantatas surgere turres.

De Arione.

Altera turbatum plectro moderata profundum,
Et tenuit Phocas: & in omni Prothea forma
Traxit: & æquoreo portauit Ariona dorso.

Propert. lib. 3. eleg.

Orphea te tenuisse feras, & concita dicunt
Flumina Threicia detinuisse lyra.
Saxa Cytheronis Thebas agitata per artem.
Spontè sua in muri membra coisse ferunt.

Orpheus eloquentia mores hominum agrestes formauit. Virgil.

Threicius quondam vates fide creditur canora
Mouisse sensus acrium ferarum,
Atque amnes tenuisse vagos,
Et surda cantu concitasse saxa,
Suauisonosque modos testudinis arbores secutæ
Vmbras sermone præbuisse vati.
Sed placidis hominum dictis fera corda mitigauit.
Doctaque vitam voce temperauit.
Iustitiam docuit, cœtu quoque congregauit vno,
Moresque agrestes expoliuit Orpheus.

Horat. in arte Poetica.

Siluestres homines sacer interpresque Deorum
Cædibus, & victu fœdo deterruit Orpheus.
Dictus ob hoc lenire tigres, rabidosque leones:
Dictus & Amphion Thebanæ conditor vrbis
Saxa mouere sono testudinis: & prece blanda
Ducere quò vellet. Fuit hæc sapientia quondam,
Publica priuatis secernere, sacra prophanis,
Concubitu prohibere vago, dare iura maritis,
Oppida moliri, leges incidere ligno.
Sic honor, & nomen diuinis vatibus, atque
Carminibus venit, post hos insignis Homerus.

Seneca in Hercule furente.

Immites potuit flectere cantibus

Vmbrarum dominos,& prece supplici
Orpheus Eurydicen dum repetit suam.
Quæ siluas,& aues saxaq; traxerat,
Ars quæ præbuerat fluminibus moras,
Ad cuius sonitum constiterant feræ,
Mulcet non solitis vocibus inferos,
Et surdis resonat clarius in locis.

Ouid.2.de Trist.

Discitur,innocuas vt agat facundia caussas.
Protegit hæc sontes,immeritosq; premit.

Euripid.in Hecuba.

Τί δῆτα θνητοὶ τἄλλα μὲν μαθήματα
Μοχθοῦμεν ὡς χρὴ πάντα καὶ ματεύομεν,
Πειθὼ δὲ τὴν τύραννον ἀνθρώποις μόνην
Οὐδέν τι μᾶλλον ἐς τέλος σπουδάζομεν
Μισθοὺς διδόντες μανθάνειν ἵν᾽ ἦν ποτε
Πείθειν ἅ τις βούλοιτο τυγχάνειν θ᾽ ἅμα.

Hoc in Hecuba.

Quid disciplinis,dignum vt est in cæteris
Sudamus,atque singulas inquirimus?
At non magis Suadelam,quæ mortalibus
Regina sola est,examussim exequimur,
Datoq; precio discitur,quoquæ velit
Ea quisque persuadere possit,& assequi.

Homerus.

Σοὶ δ᾽ ἐπὶ μὲν μορφὴ ἐπέων, ἔνι δὲ φρένες ἐσθλαί. id est.
Mente vales,iuncta est facundis gratia dictis.

Ouid.de Ponto lib.3.eleg.4.

Non opus est magnis placido lectore Poetis:
Quemlibet inuitum,difficilemq; tenent.

Ouid.Trist.lib.3.eleg.

Vtque viret semper Laurus,nec fronde caduca
Carpitur,æternum sic habet illa decus.

Iuuen.Satyra 10.

Noscitura toga,nositur a petuntur
Militia,& torrens dicendi copia multis,
Et sua mortifera est facundia.

Ibidem.

Eloquium,ac famam Demosthenis,aut Ciceronis
Incipit optare,& totis quinquatribus optat.
Quisquis adhuc vno partam colit asse Mineruam,
Quem sequitur custos angustæ vernula capsæ
Eloquio,sed vterque perit orator: vtrunque
Largus & exundans letho dedit ingenij fons.
Ingenio manus est,& ceruix cæsa,nec vnquam
Sanguine caussidici maduerunt rostra pusilli.

Virg.1.Aen.

Sic ait,& dicto citius tumida æquora placat,
Collectasq; fugat nubes,Solemq; reducit,
Ac veluti magno in populo cum sæpè coorta est
Seditio,sæuitq; animis ignobile vulgus:
Iamque faces,& saxa volant,furor arma ministrat:
Tum pietate grauem,ac meritis si forte virum quem
Conspexere silent arrectisque auribus adstant,
Ille regit dictis animos,& pectora mulcet.
Sic cunctus pelagi cecidit fragor,æquora postquam
Prospiciens genitor,&c.

Lucanus ad Pisonem.

Iudicis affectum,possessaque pectora ducis
Victor,sponte sua sequitur quocumque vocasti.
Flet,si flere iubes: gaudet gaudere coactus:
Et te dante capit iudex,quam non habet iram.
Sic auriga solet feruentia Thessalus ora
Mobilibus frenis in aperto flectere campo,
Qui modo non solum rapido permittit habenas
Quadrupedi,sed calce citat,modo torquet in auras
Flexibiles rictus,& nunc ceruice rotata
Incipit effusos in gyrum carpere cursus.
Quis non attonitus iudex tua respicit ora?
Quis regit ipse suam,nisi per tua pondera,mentem?
Nam tu siue libet pariter cum grandine nimbos,
Densaque vibrata iaculari fulmina lingua,
Seu iuuat adstrictas in nodum cogere voces,
Et dare subtili vincacia verba catenæ.
Vincis Laertiada,breuitatem vincis Atridæ.
Dulcia,seu mauis liquidoq; fluentia cursu
Verba,nec incluso,sed aperto pingere flore
Inclyta Nestorei cedit tibi gratia mellis.

Lucan.7.

Romani maximus auctor
Tullius eloquij,cuius sub iure togaque
Pacificas sæuus tremuit Catilina secures.
Addidit inualidæ robur facundia caussæ.

Lucanus ad Pisonem.

Quin age maiorum iuuenis facunde tuorum
Scande super titulos,& auito laudis honores.
Armorumque decus præcede forensibus actis.
Sic etiam magno iam tunc Cicerone vigente
Laurea facundis cesserunt arma togatis.

Ouid.13.Met.

Quippe manu fortes,nec sunt tibi Marte secundi,
Consilijs cessere meis,tibi dextera bello
Vtilis,ingenium est,quod eget moderamine nostro.
Tu vires sine mente geris,mihi cura futuri est,
Tu pugnare potes,pugnandi tempora mecum
Eligit Atrides,tu tantum corpore prodes,
Nos animo,quantoque ratem,qui temperat anteit
Remigis officium,quanto dux milite maior,
Tantum ego te supero: nec non in corpore nostro
Pectora sunt potiora manu,vigor omnis in illis.

Ibidem.

Mota manus procerum,& quid facundia posset,
Tunc patuit,fortisq; viri tulit arma disertus.

Val.Flaccus.

Sed te non animis,nec solis viribus æquum
Credere: sæpè acri potior prudentia dextra.

Verinus.

Nil tam difficile est,quod non persuadeat,& non
Efficiat docta lingua diserta senis.
Anceps est eloquium longè penetrantius ense,
Hoc rabiem motam sedat,& arma mouet.

Theocr. in Daphni de Carmen Timonis.

Τῶν πάντων δ᾽ ἡγεῖτο πλατύστατος, ἀλλ᾽ ἀγορητὴς
Ἡδυεπὴς τέττιξιν ἰσογράφος οἵ θ᾽ ἑκαδήμῳ
Δένδρει ἐφεζόμενοι ὄπα λειριόεσσαν ἱεῖσι.
Cunctos antestat latissimus ille susurro
Orator,cuius non cedunt scripta cicadis,
Quæ super arboribus residentes,lucis in opacis.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Vitiosum est in re seuera delicatum inferre sermonem. *Cic. in Rhet.*

Me quidem diu cogitantem ratio ipsa in hanc potissimum sententiam ducit,vt existimem sapientiam sine eloquentia parum prodesse ciuitatibus: eloquentiam verò sine sapientia nimium obesse,plurimumq; nocuisse,prodesse numquam. *In proleg.Rhet.*

Qui verò ita sese armat eloquentia,non vt oppugnet commoda patriæ,sed vt pro his pugnare possit: is mihi videtur suis,& publicis rationibus vtilissimus,atque amicissimus. *ibid.*

Nam quid tam inhumanum,sicut eloquentiam ad salutem hominum datam,ad bonorum perniciem conuertere. *ibid.*

Eloquentia est idoneorum verborum,& sententiarum ad pronunciationem accommodatio: continens vocis,vultus,gestus,moderationem cum venustate. *ibid.*

Pacis est comes,otijq; socia,& iam bene constitutæ ciuitatis velut alumna quædam eloquentia. *Idem de Clar.orat.*

Nihil est tam inhumanum,quàm eloquentiam ad salutem hominum,& ad conseruationem datam,ad bonorum pestem perniciemque conuertere. *lib.2.offic.*

Moris est eloquentibus viris ingeniorum facultatem negotiorum probare difficultatibus,& illic stylum paratum,quasi quemdam fœcundi pectoris fluuium manare: vbi materiæ sterilis argumentum,velut arida cespitis mater gleba ieiunat. Statuitur mundus similibus exemplis,Medicus in desideratione,gubernator in tempestate cognoscitur,quorum famam præcedentia pericula extollunt: quæ profectò nigrescit,nisi vbi probetur,inuenit. Sic & magnus Orator,si negotium aggrediatur augustum,tunc amplum plausibilibus manifestat ingenium. *Sid.in Epist.*

Cicero noster,à quo Romana eloquentia exiuit,gradarius,id est ordinarius fuit,vir egregius,& vita,& scientia: & quod post sita est eloquentia: disputatq; expeditè magis,quam concitatè,vt possis dicere facilitatem esse illam,non celeritatem: hoc ergo in viro sapiente exigo,vt oratio eius sine impedimento exeat,& proferat magis,quam profluat. *Sen in Epist.*

Doctrinæ,& eloquentiæ ornamenta,sicut dicit Valerius,in pronũciatione apta,& conuenienti corporis gestu consistunt,quibus qui se instruxit,tribus modis homines aggreditur: aures penetrando,oculos demulcendo,& animos inuadendo. *Idem.*

Eloquentia,neque adhuc se vlli sic indulsit,vt tota contingeret,satis felix est,qui in aliquam eius partem receptus est. *ibid.*

Magna debet esse eloquentia,quæ in virijs placeat,cum ingenia fauor hominum ostendat,fauor alat. *Senec.in lib.3.Rhet f a.*

Quis Medicus ægrotos in transitu curat,nec vllam quidem voluptatem habet,talis verborum ruentium strepitus,quemadmodum procliue currentium,non vbi visum est,gradus sistitur,sed incitatio corporis pondere serpit,ac longius quàm voluit,effertur. Sic ista dicendi celeritas in sua potestate est: nec satis decora Philosophiæ,quæ ponere debet verba,nõ proijcere,& pedetentim procedere,perennis vnda sit,non torrens. Circumspiciat

ciat se sermo noster, & æstimet, & præbeat æstimandum: profeeratur malo, quam profluat. *Idem lib. 10. Rhet.*

Inquirenti cuidam quomodo optimè possit dicere, Seneca respondit: Si nihil dixeris, nisi quod bene scieris. *idem.*

Non scholam, sed assiduitatem legendi, doctrinam vocat: oratorẽ optimum esse, qui plurima paucis diceret. *idem.*

Totus sermo ab vno loco egreditur, sed ipsius formæ eiusq; intentiones diuersificantur secundum diuersitatem formalem ipsius. Inter sermonem enim, qui egreditur leniter, vel suauiter, ac vultu placido, ac arridente, & inter ipsum, qui egreditur cum ira, & tristi vultu, differentia longa existit. *idem.*

Neque vero quicquam præstabilius est, quàm posse dicendo tenere hominum coetus, mentes allicere, voluntates impellere quo velit, vnde autem velit, deducere. Hæc vna res in omni libero populo, maximèq; in pacatis, tranquillisq; ciuitatibus præcipuè sẽper floruit, semperq; dominata est: Quid enim est, aut tam admirabile, quàm ex infinita multitudine hominum existere vnum, qui id quod omnibus natura sit datum, vel solus, vel cum paucis facere possit? Aut tam iucundum cognitu, atque auditu, quàm sapientissimis sententijs, grauibusq; verbis, ornata oratio, & perpolita? Aut tam potens, tamque magnificum, quàm populi motus, iudicum religiones, senatus grauitatem, vnius oratione conuerti? Quid tam porrò regium, tam liberale, tam munificum, quã opem ferre supplicibus, excitare afflictos, dare salutem, liberare periculis, retinere homines in ciuitate? Quid autem tam necessarium, quàm tenere semper arma, quibus vel tectus ipse esse possis, vel prouocare improbos, vel te vlcisci lacessitus? Age verò ne semper forum, subsellia, rostra, curiamq; mediteris, quid esse potest in ocio, aut iucundius, aut magis proprium humanitati, quàm sermo facetus, ac nulla in re rudis? Hoc enim vno præstamus vel maxime feris, quod colloquimur inter nos, & quod exprimere dicendo sensa possumus: Quamobrem quis hoc iure miretur, summèq; in eo elaborãdum esse arbitretur, vt quo vno homines bellijs maximè præstent, in hoc hominibus ipsis antecellat? Vt verò iam ad illa summa veniamus, quæ vis alia potuit, aut dispersos homines vnum in locum congregare, aut à fera, agrestiq; vita ad hunc humanum cultum, ciuilemq; deducere, aut iam constitutis ciuitatibus, leges, iudicia, iura describere? Ac ne plura, quæ sunt pene innumerabilia, consecter, comprehendam breui: Sic enim statuo: perfecti oratoris moderatione, & sapientia, non solùm ipsius dignitatem, sed & priuatorum plurimorũ, & vniuersæ Reipubl. salutem maximè contineri. Quamobrem pergite, vt facitis adolescentes, atque in id studium, in quo estis, incumbite, vt & vobis honori, & amicis vtilitati, & Reipub. emolumento esse possitis. *Cic. lib. 1. de Oratore.*

An ego falso scripsi, cedant arma togæ, concedat laurea linguæ, qui togatus armatos, & pace bellum oppressi, audes eloquẽtiam vt vitium mihi obijcere? Cuius semper nocens eguisti patrocinio. An vllum existimas posse fieri ciuem egregium, qui nõ his artibus, & disciplinis sit eruditus? An vlla alia putas esse rudimẽta, & incunabula virtutis, quibus animi ad gloriæ cupiditatem aluntur? *Cicero in Sallustium.*

Eloquentia multæ vrbes sunt constitutæ, plurima bella restincta, fortissimæ societates, sanctissimæ amicitiæ comparatæ. *Cic. lib. 1. de arte Rhet.*

Oratorum non simplex, nec vna natura est, sed hic fluit, & redundat: contra, ille breuiter, & circumcisè dicere affectat, tenuis quidam, & siccus, & sobrius amat quamdam dicendi frugalitatem, alius pingui, & luculenta, & florida oratione lasciuit. In qua tanta omnium dissimulatione vnus omnino inuenitur Virgilius, qui eloquentiam ex omni genere conflauerit. *Macrob. lib. 5. Saturnalium c. 1.*

Hæc vna est de virtutibus Philosophiæ, vt si plures intersint conuiuio, alieni à disciplinis, vt sanciat dissimulationem sui, & patiatur loquacitatem maiori parti amicorum sociare, ne rara nobilitas à plebe tumultuosiore turbetur: ita veluti orator non aliter nisi orando probetur, Philosophus non minus tacendo pro tempore, quàm loquendo philosophatur. Si ergo pauci aderunt doctiores, in consensum rudis consortij salua, & inter se quiescente veri notione migrabunt: vt omnis discordiæ suspicio facessat. *Idem lib. 7. c. 1.*

Ἐγὼ δ' ὦ Νικόκλεις, ἡγοῦμαι μὲν εἶναι καλὰ μνημεῖα καὶ τὰς τῶν σωμάτων εἰκόνας, πολὺ μέντοι πλείονος ἀξίας τὰς τῶν πράξεων καὶ τῆς διανοίας, ἃς ἐν τοῖς λόγοις ἄν τις μόνον τοῖς τεχνικῶς ἔχουσι θεωρήσειε.

id est, Arbitror quidem ò Nicocles, pulchra monumenta esse corporum etiam imagines: verùm multo pluris facienda mentis, & actionum simulachra, quas in solis orationibus artificiosè cõpositis spectare licet. *Isocrates in Euagora.*

Ἐν μὲν πολέμῳ πρὸς ἀσφάλειαν σίδηρος χρυσοῦ κρείττων, ἐν τῷ ζῆν ὁ λόγος τοῦ πλούτου.

Id est,

In bello quidem ferrum auro præstat ad defendẽdum se: in vita autem eruditio diuitijs. *Isocrates.*

Neque enim nobis operis amor est, nec quia sit honesta, atque rerum pulcherrima eloquentia petitur ipsa, sed ad vilem, & sordidum lucrum accingitur. Qui imaginem ipsam eloquentiæ diuina quadam mente conceperit, quique illam (vt ait Sophocles non ignobilis Tragicus) reginam rerum orationem ante oculos posuerit, fructumq; non ex stipe aduocationum, sed ex animo suo, & contemplatione, ac scientia petet, perpetuum illum, nec fortunæ subiectum facilè persuadebit sibi, vt tempora quæ spectaculis, campo, tesseris, ociosis denique sermonibus ne dicam somno, & conuiuiorum mora conterunt: Geometræ potius, ac Musico impendat, quanto plus delectationis habiturus, quàm ex illis ineruditis voluptatibus? Dedit enim hoc prouidentia hominibus munus, vt honesta magis iuuarent. *Fab. lib. 2. c. 1.*

De eloquentiæ defectu. DIAL. CII.

Francisci Petrarchæ.

DOL.

Eloquium deest. R. Altero quærendi odij instrumento cares, naturæ beneficium agnosce, quæ vt magnum tibi in ancipites reos, sic in te non paruum fortunæ ius eripuit: multi propter eloquentiam periere, si hinc dubitas vtriusque eloquij principes interroga. Non minorum ob hanc causam passim pereuntium plena sũt omnia. In quibus idem ipse periculo, qui excellẽtiæ est propior, ac notior fama. Sunt quibus obscurum nomen propugnaculum est salutis. Finge autem abesse periculum, disertis nunquam abest labor. Nihil est in rebus tam inane, pro quo tanti labores tantæq; vigiliæ vltro suscipiantur, flatus volatilis sic cæteret animũ solida quasi virtus in verbis sit. D. Eloquentiæ nihil est mihi. R. Fortasse multum securitatis, quod non esset si eloquentiæ multũ esset, multorum quoque in quibus, & tuta forsitan vt vita, sic & tutior fama erit. D. Nihil est eloquentiæ. R. Cura vt sapientiæ sit aliquid, vt innocentiæ, vt virtutis. Illa enim paucorum, hæc sunt omnium. Non te insignis Poetarum, non te maior Oratorum raritas trahat. Imò verò vide vt subito dictum mutem, si te raritas allicit, hoc age, hac ad illam itur via. Indignum quidem vt nihil melius, sic nil rarius virtute. Eloquentia ipsa, quàm paucorum dixi, multo est crebrior, quàm virtus, adeo quod omnes possũt, omnes negligunt. Quod pauci possunt, omnes appetunt, omnes experiuntur. D. Verborum inops sum. R. Rebus intende animũ. In verbis enim flatus, & labor, & eloquium, in rebus quies, virtus ac felicitas. D. Loqui nescio. R. Multi quæ minus sciunt, magis agere gestiunt. Equitandi inscium equo impone, vix illum inde diuulseris, te loquendi ignarum saltem pudor ad tacendũ cogat, & si loqui nescis, quod alij audiant, disce loquentes alios audire. Non est minus artificium tacere, quàm loqui, cum sit tutius, atque facilius. D. Non possum exprimere, quod in corde est. R. Si intellectu polles, magnisq; & altis, qui in animo sunt sensibus, iucunda vox, & volubilis lingua non suppetit, quiesce. Noli quod infeliciter succedit tentare. Quid ergo? bono tuo non tãtum æquanimiter, sed læte vtere. Alienum linque alijs, neu linguam, stilumq; superuacuo atteras. Sine inquam loqui alios, tu intellige, cum secretior, cum maior ex ingenio voluptas, quàm ex eloquio percipitur, magisq; continua, & plus quietis, & inuidiæ minus habens. D. Curã multis loqui pudor impedit. R. Magnis hoc viris accidisse notum est, frontis imbecillitate non vitio linguę, vel ingenij, quod si cum multis refugis, at cum paucis, ac cum vno loquere, vt clariores fatear conciones, dulciora eloquia nõ negabis, sine id ipsum potes, ad te redi, tecum loquere, quod iã supra monui, tuumq; domesticum collocutorem excita. Semper ille quidem præsto est, non insidiatur, non irridet, non inuidet, non fastidit, non exactam, atque laboriosam quærit eloquẽtiam, confabulationibus gaudet, familiaribus interruptisq; sermunculis, quin & multa sæpè loquentis silentio acquiescit. Disce tu illo teste contentus esse, qui non qualiter, sed quid dicas, seu potius dicere velis, attendit. Disce tibi theatrum honestissimũ in medio pectoris extruere. Disce non hominum, sed veritatis applausum optare, & aliquando sine strepitu gaudere, contentaq; modestia, quam perfecta nonnunquam extinguit eloquentia. Disce denique non ad pompam loqui, quo vix maius malum vita hominum habet. D. Blæsi oris sum. R. Fles ne aliquid tibi commune cum Moyse tali viro, & tam Dei amico? Atqui seu antiqua repetis, seu moderna circumspicis, vt multi occurrent blæsi viri optimi, multiq; disertissimi scelerati, sic perrari vtrumque contigerit: singularis eloquentia, & excellens virtus.

De eloquentia. DIAL. IX.

GAV.

At præclarum est eloquium. R. Magnum fateor instrumentum gloriæ, sed anceps cuspide gemina. Et hoc quoque qualiter vti scias refert plurimum. G. Eloquium terrens est, & rapidum. R. Haud inepte quidam stulti, atque improbi eloquentiam furiosi gladio æquiparant, vtrumque enim publicè inermem esse expedit. G. Eloquium clarum est. R. Clarum aliquid variè dicitur, clarus sol, clarum incendium. G. Præfulgidum eloquium est. R. Et lugubres cometæ, & infesti gladij, & hostiles galeæ fulgent, vt fulgor eloquentiæ gloriosus sit, sanctitate, & sapientia temperetur. G. Copia eloquij ingens est. R. Siquidem iuncta mode-

stiæ magnum aliquid supraq; communem hominum mensuram non inficior. Alioqui mutum esse præstabat. G. Eloquentiæ satis est. R. Satis eloquentiæ, parum sapientiæ fuisse in homine illo scelestissimo apud Crispum legis, neque is quidem gloriam eloquentiæ quæsiuit vllam, quamquam altiore iudicio non eloquentia, sed loquacitas illa fuit. Vetus enim orator, hoc est, eloquentiæ magister, nisi vir bonus esse non potest. Quod si bonus, & sapiens putabas ad oratorias laudes perfectumq; munus eloquentiæ, hunc verborum impetum, qui sæpè procacibus, atque inuerecundis vberior est, siue hanc ipsam etiam dicendi peritiam satis esse, fallebaris; linguæ volubilitas, atque verborum copia, & ars etiã quædam sceleratis pijsq; communia esse possunt. Id quod quæris bonorum est, non omnium quidem, sed paucissimorum, ita vt mali omnes huius laudis extorres fiunt, ad quam scilicet, animi bona, quibus carent, virtus, & sapientia requiruntur. Quod vt sic esse non intelligas dicam. Sed memineris duarum, de quibus loquor rerum, definitiones in mentem redeant, quarum altera Catonis, Ciceronis est altera. Ille aut. Orator est vir bonus dicendi peritus, iste autem. Nihil est, inquit, aliud eloquentia, nisi copiosè loquens sapientia. Ex his vides ad oratoris, atque eloquentiæ essentiam, & bonitatem, & sapientiam exigi, nec tamen sufficere, nisi & peritia adsit, & copia: Ita vt primæ illæ duæ virum bonum sapientemq; duntaxat, hæ autem solæ, nec bonum, nec sapientem, nec eloquentem quidem efficiant, sed loquacem. Omnes verò coniunctæ perficiant oratorem eiusq; artificium, quod profectò rarius, atque altius est, quã putent, qui in multiloquio situm sperant. Tu ergo si oratoris nomen, & eloquentiæ veram laudem quæris, virtuti, & sapientiæ primum stude. G. Eloquentia plena, atque perfecta est. R. Pleno atque perfecto nihil deest, deerit autem multum si præmissa defuerint. Ante igitur, quàm de vniuerso pronuncies, hoc vnum tacitus tecum volue. G. Eloquẽtia summa est. R. Supra summum nihil est, his ergo cessantibus iã summa non erit, sed caducum quiddam, & informe, cui fundamẽtum fastigiumq; detraxeris. G. Eloquentia dulcis, & ornata est. R. Dulcedo, & ornatus iste nescio quid blandum, seu dolosum, non virile, nec sincerum præfert, sed non pluris est apud rectos iudices suauis, & compta viri fallacis oratio, quàm vel meretricis fucus, vel mellitum virus, vel phrenetici robur, vel auari aurum, quicquid est quamuis appareat, ac mulceat si principium essentiale defuerit, nihil penitus, aut nihilo proximum videri debet. G. Eloquentiæ fiducia magna est. R. Magna sæpè fiducia magnis periculis viam fecit, vt animum attollat, atque adiuuet, frenum accipiat, sese noscat, quod agendum illud examinet, absit insolentia pariter, & contemptus. Sin progressa liberius virium obliuisci cœperit, iam non fiducia, sed temeritas, & audacia est, quo nihil est à sapiente remotius, hæc in rebus omnibus agendis, vt aspectu preciosior, sic effectu periculosior ignauia est. Illa enim, domi pigros, & inglorios tenet, hæc impellit ardentes, & quos æstimabatur promouta, præcipitat. hæc sæpe bellacissimos viros ostendit imbelles, cautissimos probauit incautos, vtque ad te redeam qui disertissimi videbantur, infantissimus patefecit. G. Eloquentia ingẽs est. R. Vt sit Historico fides, inter vitia infinita eloquentiam habitasse, verisq; locum teneat authoritas, neque dubiũ sit, quod eloquentiæ princeps in Rhetoricis scribit, eloquentiam sine sapientia esse non posse, quæ vt liquet superioribus aduersatur; illa tamen quolibet modo sumpta eloquentia, certè quo maior eo damnosior funestiorq;, si sola est. G. Eloquentia singularis est. R. Hæc est, quæ singulares viros, & Græcorum, & nostrorum in perniciem traxit, quod ita esse Demosthenes, & Cicero, & Antonius non negabunt. G. Eloquentia plausibilis est. R. Si innocenter absque iactantia vtare. Vix vlla re citius multitudinis amorem tibi concilies, & gloriam quæras, si quo nisi meræ virtutis artificio, quæri potest. Sin arroganter, atque improbè, perfacilè tibi discrimen, & multorum odia tibi conflaueris Sapientis dictum est cuiusdam, mors & vita in manu linguæ. Non vnius verò tantum hominis, sed multorum. Quorumdam linguæ totas euertere respublicas, euerterentq;. Pessimum nocentissimumq; hominis mali membrum, lingua est. Nil hac mollius, nil durius. G. Eloquentia sonora est. R. Et sonorum fulmen. G. Eloquentia florida est. R. Et floridum Aconitum. Denique versa vt libet, & reuersa, & gloriæ habeat viam arduam, & inuidiæ pronam valde.

APOPHTHEGMATA.

Demosthenes, immodicum eloquentiæ studium obijcientibus, ita respondit: Eloquentiæ studium declarare hominem popularem: contra negligere studium eloquentiæ, esse eorum qui dominari populo quærerent, vt qui hoc agerent, non persuaderent dicendo, sed vi cogerent. *Plut. in Demosth.*

Idem. Aeschines & Philocrates Atheniensium legati, cum Philippi Macedonis eloquentiam plurimum laudassent, Demosthenes ait: Si eloquens est Philippus, habet hoc cum multis sophistis commune. Sensit vir prudentissimus, regis virtutes nequaquam in eloquentia positas esse. *Plut. in vita Demosth.*

Æschynes. Quum Rhodi causã recitaret orationem suam aduersus Demosthenem, Rhodij demirati sunt, quod tali oratione fuisset damnatus ab Atheniensibus. At desineretis, inquit, admirari, si audissetis, quæ ad hæc respondit Demosthenes, damnationis causam rejiciens in violentiam eloquentiæ Demosthenicæ. *Philostr. & Bruson. lib. 4. c. 31.*

Iphicrates in causa obrutus eloquentia patroni, qui Aristophontem defendebat: Aduersariorum, inquit, melior est histrio, sed mea fabula melior. Vt fabula nonnumquam exploditur vitio histrionis, ita sæpè melior causa vincitur à peiore, patroni infantia, stultitiaue. *P. M. lib. 5. apoph.*

Thucydides ab Archidamo Lacedæmoniorum rege interrogatus, vter esset in palæstra superior, ipse an Pericles: Postequam, inquit, ego hominem pugnando dejeci, ille se negat cecidisse: itaque vincit, & spectatores à sua sententia deijcit, sentiens se bonis rationibus esse superiorem, sed Periclem eloquentia vincere, & quocumque vellet agere multitudinem. Nam Thucydides vir præpotens, diu in administranda repub. aduersatus est Pericli. Eam contentionem Archidamus palæstram appellauit. *P. M. 6. apoph.*

M. Antonius, cui vel primas eloquentiæ patrum tribuebat ætas, vir natura peracutus, & prudens: Disertos dicebat se vidisse multos, eloquentem omnino neminem. Insidebat videlicet in eius mente species eloquentiæ, quàm cernebat animo, sed re tamen ipsa non videbat. *Cicero in Oratore ad Brutum.*

SIMILITVDINES.

Philonis Iudæi. Sicut medicorum quidam gnari curationis omnium, ferme vitiorum, morborum, languorumq;, nullius eorum rationem veram, & verisimilem possunt reddere: alij contra vehementer facundi, signorum, & causarum, remediorumq; ex quibus ars constat, interpretes optimi, in tractandis ægrotorum corporibus sunt ignauissimi, ne minimum quidem remedium adhibere idonei: Ita qui se exercent in operibus sapientiæ, plerumque verba negligunt, qui verò dicendi artes callent, nullam bonam disciplinam habent recondítam. *In lib. Quod deterius potiori insidiatur.*

D. Augustini. Iam ergo abs te didiceram, nec eo deberet videri aliquid verum dici, quia eloquenter dicitur: nec eo falsum, quia incompositè sonant signa labiorum. Rursus nec ideo verum, quia impolitè enunciatur: nec ideo falsum, quia splendidus sermo est: sed perinde esse sapientiam, & stultitiam, sicut cibi vtiles, & inutiles, verbis autem ornatis, & inornatis, sicut vasis vrbanis, & rusticanis, vtrosque cibos posse ministrari. *lib. 5. Confess. cap. 6.*

Sicut cuius pulchrum corpus, & deformis est animus, magis dolendus est, quàm si deforme haberet & corpus: Ita qui eloquenter ea, quæ falsa sunt, dicunt, magis miserandi sunt, quàm si talia deformiter dicerent. Quid ergo non solum eloquenter, verùm etiam sapienter dicere, nisi verba in summisso genere sufficientia, in temperato splendentia, in grandi vehementia, veris tamen rebus, quas audire oporteat, adhibere? *lib. 4. c. 28. de Doctrina Christiana.*

Plutarchi. Vt non satis est clauus, neque frenum, nisi adsit, qui arte moderetur: ita non sufficit eloquentia ad moderandum populum, nisi accesserit sermonis moderatrix ratio. *In Mor.*

Senecæ. Philosophus etiam eloquens perinde est, quasi si bonus gubernator etiam formosus sit.

Plinij. Damnatur bombicina vestis, seu multitium, quod pellucens non tegat corpus, cum in hunc vsum sit reperta vestis: Ita reddenda facundia, quæ rem non explicat, sed inuoluit, cum in hoc repertus sit hominis sermo. *lib. 11. c. 22.*

Vt aquæ laus est si nihil sapiat (etiam vitiosam signum est sapor, aut succus.) Ita à cætera quidem requirimus eloquentiam: Theologus hoc ipso laudatur, quod infans est, & à Musis alienus. *In Similibus.*

Vt non est optima imago, quæ materia testatur opes locatoris, aut artem pictoris, sed quæ rem proximè repræsentat: Ita optima est eloquentia, quæ non ostentat ingenium dicentis, sed rem aptissimè ostendit. *In Similibus.*

Plinij. Vt buxus semper quidem viret, sed alioqui, & odore noxia, & semen habet omnibus inuisum animantibus: Ita quidam præter orationis gratiam, nihil adferunt non fugiendum. *lib. 6. c. 17.*

Tilia cum habeat radicem, ac folia dulcia, tamen fructum eius nullum animal attingit: Ita quorumdam oratio blanda, grataq; & composita, sententiarum nullus fructus. *lib. 16. c. 15. Theophrast. lib. 1. c. 10.*

Vt fabula nonnumquam exploditur vitio histrionis: Ita sæpè melior causa vincitur a peiore patroni infantia, stultitiaue. *li. 5. Apophth. de Iphicrate.*

Tormenta, qui manifesta vitia nituntur excusare meliore occultione, similes sunt pueris, qui exerto tergo putant se latere occultato capite. *In Apoph. 113.*

Rhetor non semper persuadet, nec Medicus semper sanat. *Aristot. Topic. 2.*

Quantum in bello potest ferrum, tantum in Repub. prodest eloquentia. *Demetr. apud Diog. lib. 5.*

Non

Non statim planta optimum fructum pollicetur, quæ pulcherrimū florem edit: sed sæpè econtrario vilis aspectu flos elegantissimū fructum eaibut. Et subinde pessima præstat, qui pulcherrima lo quitur, & sub eloquentiæ vmbra subinde lateut morum vitia. *In Apoph fol. 61.*

EXEMPLA BIBLICA.

Eloquentiæ exempla: Aaron, *Exod. 4. v. 14*, Apollos, *Actor. 18. v. 14.* Tertullus, *24. v. 1.*

EXEMPLA PROFANA.

Homerus Nestorem suum eloquentiæ laudibus celebrat, τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή.

Alcibiades, precio insignis, propter eloquentiam Mercurij filius creditus. *Val. Flaccus Mamo Argonaut.*

Eloquentia non apud quoluis Græcorum cœpit: sed apud *Athenienses* non adolescentibus, sed iam adultis Athenis.

Ante *Periclem & Thucydidem* littera nulla est, quæ quidem ornatum alienum habeat, & oratoris esse videatur. *Cic. in Brut.*

Apud *Romanos* diu exulauit eloquentia. Primus *M. Corn. Cethegus* (qui bello secundo Punico consul fuit cum P. Tuditano 140. annis ante Ciceronem Consulem) eloquens fuisse scribitur, cuius eloquentiæ est auctor Q. Ennius. Hunc Florem delibutum populi, Suadæque medullam homines vocabant.

M. Cato Censorius annis nouem post Cethegum consul fuit: cum alijs, tum eloquentiæ laudibus insignis: quem Cicero Lysiæ con ferre non dubitat. Romanus Demosthenes à quibusdam dictus est: teste *Catilo lib. 25. c. 3.*

C. Lælius, & P. Scipio Africanus in primis eloquentes fuerunt.

M. Æmilius Lepidus, Porcina dictus, paulo minor natu Galba, summus orator fuit habitus. In quo primum lenitas illa Græcorum, & verborum comprehensio, etiam artifex stilus apparuit.

C. Curio illustris Orator fuit. Item *C. Gracchus*, cuius immaturo interitu res Romanæ, Latineq; literæ damnum fecerunt: qui, si vixisset, eloquentia parem habuisset neminem.

Q. Catulus, non antiquo illo more, sed hoc nostro (inquit Cicero) eruditus, incorrupta quadam Latini sermonis integritate, causas egit. *Cic. in Brut.*

M. Antonius, & L. Crassus summi perfectiq; Oratores fuerunt, vt vtrum alteri præferas, ignores, 34. annis ante natum Ciceronem.

Q. Varius rebus inueniendis, & verbis expeditus, fortis actor, & vehemens, verbis, nec inops, nec abiectus. *Cicero in Bruto.*

Cn. Pompeius, Vir ad omnia summa natus, maiorem dicendi gloriam habuisset, nisi eum maioris gloriæ cupiditas ad bellicas laudes abstraxisset. *idem.*

*Cn. Piso*ne genero suo neminem se, nec studio, nec industria maiore cognouisse *Cicero testatur, ibi.*

Q. Hortensius, vt summi Oratoris laudes multis verbis persequitur Cicero in Bruto, cumque se magno studio imitatum esse affirmat: sic peraffe, ex quibusdam verbis subintelligi potest. *ibid.*

Asinius Pollio Augusto familiaris, cum Cicerone de eloquentiæ primatu contendere fuit ausus.

C. Licinius Caluus, Ciceronis æmulus, tanta vi Vatinium accusasse dicitur, vt Vatinius exurgens, exclamauit: rogo vos iudices, nū quia hic disertus, ego condemnabor? ex hac inimicitia odium Vatinianum in prouerbium abijt. *Cic.*

Alexander VI. Pontifex Max. eloquentia vix similem suo tempore habuit: nemo erat, qui rem cautius proponeret, aut acrius defenderet: seu quouis cuperet, impelleret, sese vnum omnium animis accommodabat: cum iucundus de temissime, semper, & seueris de disciplina, cum paribus de Republ. doctissime semper, & mira quadā facundia loquebatur. *Volaterran. lib. 22. Anthrop.*

HIEROGLYPHICA.

Quia *serpentem* pro astu poni docti sumus ex Aristotele dicente, aui malia quædam esse astuta per se, sicuti sunt *Serpentes*: magis verò ea lectione sacra, quæ prudētiam huic in primis animali tribuit, ex etiam de causa *Angues caduceo complicati* putamus, quod often dere voluerint, & calliditatem, & prudentiam necessarias esse eloquētiæ, quæ per *virgam* significatur. Quippe quę regat dictis animos. Neque desunt, qui virgam aureā Mercurij manibus, à qua Deus ipse Χρυσόρραπις appellatur, dignitatis, & excellentiæ, quæ illum ornant, qui & scitè, & opportunè norit orationem concinare, signum esse contendunt. *Pier. Valer. lib. 16.*

Sapientiores à *Sirenas* pro Hieroglyphico eloquentiæ, felicissimaque persuadendi vi posuerunt. Vnde dictum illud de Catone Grammatico. *Cato Grammat. Latina Siren, Idem lib. 20.*

Per effigiem *Psittaci* eloquentem hominem, qualem se negat Tullius reperisse, significant: cum nullum ex animalibus rationis expertibus articulatius humanas explicet voces: id quod ideo præstat, quod linguam habeat latiorem caeterisque, & humanę propemodum similem. *Idem lib. 23.*

Polyanthea Noua.

Suauem eloquentiam per hieroglyphicum *Apis* significari sunt nōnulli qui asserunt. *Idem lib. 26.*

Herculem Galli lingua gentia vernacula Ogygium vocant. Porrò Deum ipsum noua quadam, atque inusitata figura depingunt: Senex apud illos est, ad extremum vsque occipitium recaluus, reliquis capillis, si qui sunt, canis: cute rugosa, & in atterrimum exusta colorem, cuiusmodi sunt nautæ isti senes, Charontem potius, aut Iapetum quempiam ex ijs, qui apud inferos versantur, diceres: in summa quiduis potius quam Herculem esse conijceres ex imagine: Atque tali specie cum sit, tamen Hercules ornatum gerit, vt qui tum leonis exuuium indutus sit, tum clauam dextra teneat, tum pharetram humeris aptatam portet, tum arcum læua prætendat: denique modis omnibus Hercules est: Hæc equidem arbitrabar in Græcanicorum Deorum contumeliam perperam facere Gallos, cum eum eiusmodi fingerent effigie, quo nimirum illum talibus picturis vlciscerētur, quod olim in regionē ipsorum incursasset, prædas agens id temporis, cum Geryonis armenta vestigans occidentalium gentium plerasque regiones peruastaret. At nondum etiam dixi id, quod erat in imagine maximè nouum, atque mirandum: siquidem Hercules ille senex, ingentem admodum hominum multitudinem trahit, omnes ab aure reuinctis: Porrò, vincula, catenulæ tenues auro electroque confectæ, pulcherrimis istis monilibus assimiles, atque cum vinculis vsque adeo fragilibus ducantur, tamen neque de fugiendo cogitant, cum alioquin commode possint, neque prorsus obnituntur, aut pedibus aduersus trahentem obtrudunt, sese resupinantes: verùm alacres, ac læti sequuntur ducentem, admirantes, vltro festinantes omnes, & laxatis vinculis etiam anteuertere studentes, perinde quasi grauiter laturi, si soluerentur vinculis. Nec illud quidem pigebit referre, quod mihi videbatur omnium absurdissimum: Etenim quum non inueniret pictor, vnde catenularum summas nexas necteret, videlicet dextera iam clauam, læua arcum tenente, summam Dei linguam perterebrauit, atque ex hac religatis catenulis eos trahi fecit: ipse nimirum ad eos, qui ducebantur, vultum ac oculos conuertebat, arridens. Hæc ego quum diutius assistens, essem contemplatus admirans, hæsitans: indignans Gallus quispiam, qui propius adstabat, nostratum literarum non indoctus, id quod pictura innuebat declarauit, quum Græcanicam linguam absolutè sonaret: Philosophus opinor, ex eo genere Philosophorum, quod apud illos esse fertur: Ego tibi hospes, inquit, picturæ illius ænigma explicabo, nam videris vehementer ad eam attonitus, ac stupefactus. Orationem nos Galli nequaquam arbitramur esse Mercurij, quemadmodū vos Græci: verum Herculi illam tribuimus, propterea quod hic Mercurio longe robustior extiterit. Quod senex fingitur, nihil mirere: siquidem vna facultas dicendi, vel facundia consueuit in senecta demum absolutum vigorem ostendere: si modo verùm nostri dicunt Poetæ:

> *Obduci iuuenum densa caligine pectus:*
> *Contra senectam posse quiddam dicere*
> *Rudi iuuenta melius, ac præclarius.*

Hinc videlicet apud vos & Nestoris lingua melle profluit, & Troianorum concionatores liriffam educunt vocem, videlicet floridam: Nam licia, si satis commemini, flores appellantur. Proinde quod ab auribus vinctos ad linguam trahit senex hic Hercules, qui non aliud quàm ipse est sermo, ne id quidem debes admirari, qui quidem non ignoras linguæ cum auribus esse cognationem: Neque verò ad contumeliam illius illud pertinet, quod ea pertusa est: nam memini, inquit, & iambicos quosdam versiculos è comœdijs apud vos discere.

> *Siquidem viris loquacibus extrema lingua perforata est omnibus.*

Quin de eodem hanc habemus opinionem, vt quidquid egit, id oratione facundiaq; confecisse putemus: vtpote virum sapientē persuadendo pleraque sibi subegisse. Iam tela illius nimirum orationes sunt acutæ, missiles, citæ, atque animum sauciantes: vnde pennigera dicta vos quoque appellatis. *P. M. & Budæus in Annotationibus in Pandectas.*

Persuadere est bonum consilium dare, Græcia καταπείθειν. vnde Pitho dicta est Dea, dicendi præses, quam Ennius Suadam. Quintilianus persuadendi Deam, Suadelam Horatius, Cicero Leporē vocat. Hæc & flexanima dicitur, quasi animam flectens, à Græcis ψυχαγωγὸς quasi doctrix, & oblatrix animæ: huius Deæ sanctissimum olim nomen apud Gallos fuit.

> *Marcus Cethegus dictus illis popularibus olim*
> *Qui tum viuebant homines, atque æuum agitabant.*
> *Flos delibatus populi.*

Probe verò, vt enim hominis decus ingenium, sic ingenij ipsius lumen est eloquentia, quæ virum excellētem facit. Præclarè tū illi homines florem populi dixerunt, Suadæq; medullā πειθώ, quam vocant Græci, cuius effector est Orator. Hanc Suadam appellauit Ennius πειθώ, in labris Periclis Eup lis sessitasse scribit.

Mercurius filius Iouis, & Maiæ, Deus eloquentiæ, nunciusdiorum, tegitur galero, vt ostendatur, aduersus iouidiæ fulmina solam eloquentiam plurimum valere: Item significatur gratia,

quam quis sibi apud auditores eloquentia cumulat: item viuacitas: ea enim quæve præclara facta ab interitu asserit, dicente Poeta:

O sacer, & magnus vatum labor! omnia fato
Eripis, & populis donas mortalibus æuum,

Ouidius.

Iamque opus exegi, quod nec Iouis ira, nec ignis,
Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetustas.

Alata fert talaria: sermo enim velox est, & ob id à Homero alata exprimuntur verba t. Iliad. eo idem enim momento ex ore loquentis egreditur, & auribus auscultantium excipiuntur. Virgam defert, qua fingunt Mercurium animas ab orco vocare, alias demittere, quod nihil aliud significat, quam plorimos è mortis faucibus suberahi, quos carnifex expectet, mox ad supplicium rapturus, & si velit, in mortem impellat rursus. Ita Cicero communi voce ob necatum Clodium, Milonem eripuit eloquentiæ viribus: ita & Popilium Lenatem, Cœlium & innumeros alios: Is eadem saodi maiestate Lentulum, Cethegum, Sextilium, atque eius farinæ homines potentissimos morti tradidit. Est & eius virga natura, ventos excitare, & trahere nubila: quod indicat eloquentiam solam seditiones commouere, & si ea cupiat sedare posse. Ita fecisse Curionem apud Ariminium in Cæsarem legimus: Ita & Cicero turgidum Cæsaris in Deiotarum pectus pacauit. Virga hæc somnos dat, & adimit: Ita eloquentia inertes sopitosque ad excreendum sᵗ admonet, quum præmia opulentissima proponis, & decoris memores esse iubet, sopit nimium audaces, & temerarios, quum non orare sit, sed potius latrare. Serpens est implicitus virgæ, quod prudentia maximè oratorem deceat. *Boccacius lib. 12. c. 26. Cic. de claris Oratoribus.*

E M B L E M A.

Eloquentia fortitudine præstantior,
Alciato Emblem. CLXXX.

Arcum læua tenet, rigidam fert dextera clauam,
Contegit & Nemees corpora nuda leo.
Herculis hæc igitur facies? non conuenit illud
Quod vetus, & senio tempora cana gerit.
Quid quod lingua illi leuibus traiecta catenis,
Queis fissa faciles allicit aure viros?
An ne quod Alciden lingua non robore Galli
Præstantem populis iura dedisse ferunt?
Cedunt arma togæ, & quamuis durissima corda
Eloquio pollens ad sua vota trahit.

F A B V L A.

De Arione.

De piscibus nihil tale, quod meminerim legi, nisi quod Delphines, nescio quæ humano generi familiaritate coniunctos ferunt: vnde & Arionem quemdam tergo huius piscis insidentem, per tumidos fluctus maris euasisse, Historica, seu potius fabulosa narratio est. Vectorem ipsum fidibus canentem faciunt, quo nauigatione facilior fidea sit, mulcente aures Musica, & nauigium subleuante. Visum est enim fabulam non admitti, nisi color mendacio quæreretur, gubernaculum, malum, vela, remi deerant, pro ijs omnibus vnius Musicæ suauitas subrogata est.

Vide locum de Facundia, vbi Adagia huc pertinentia inuenies.

E M P T I O.

D E F I N I T I O.

Emptio, Græcè ἀγορασία, ας ἡ, & ἀγορασ[μὸς] nemo dicitor. Heb. Miknah, à verbo *Kanah*, emit, acquisiuit, nactus est. Vnde emptitius adiectiuum. Emptitiæ res dicuntur, quæ emptæ sunt: & emptitius miles, mercenarius.

Biblici Loci.

Emere & vendere quomodo oporteat, *Genes. 23. v. 9. 13. & 15. v. 13. & 31. v. 19. & 41. v. 57. & 42. v. 1. & Leuit. 19. & v. 13. 35. & 25. ver. 14. 47. Deut. 15. v. 1. & 25. 13. 2. Samuel. 14. 21. Prou. 11. v. 1. 26 & 16. ver. 11. & 20. v. 10. 23. Eccl. 27. v. 2. & 42. ver. 25. Esa. 23. v. 18. Ierem. 32. v. 6. Ezech. 45. 10. Mich. 6. 16. Matth. 7. 1. Luca 14. 18. 1. Cor. 7. 30. 1. Thess. 4. 6.*

E X E M P L A B I B L I C A.

Empti nis exempla: Abraham emit seruos, *Gen. 17. v. 27.* Speluncam duplicem, 23. 16 Iacob partem agri, 33. 19. Potiphar Iosephum, 37. 36. Iacob & filij eius frumentum, 42. vers. 1. 2. Ioseph terram Aegypti, 47. 20. Dauid aream, 2. *Sam 24. 24.* Amri montem Samariæ, *1. Reg. 16. v. 23. 24.* Negotiatores Regis, *2. Paral. 1. v. 16. 17.* Ieremias agrum, *Ierem 32. 7.* Principes Sacerdotum agrum figuli, *Matt. 27. 7.* Ioseph sindonem, *Marc. 15. 46.* Maria Magdalena, &c. aromata, 16. v. 1. 2. Filius Dei Ecclesiam suam, *Act. 20. 28. 1. Cor. 6. 20. & 7. 23. 1. Pet. 1. 19. 2. Pet. 2. 1.*

E X E M P L A P R O F A N A.

Tarraci mercaturam exercentes, absque omni dolo vendunt omnia: apud quos, si quis domum emerit, sacra facere in Apollinis Epicomæi fano, si verò prædium, in vico quem inhabitabat, & iurare coram magistratu solet, quod reuera iustè emat, nec fraudulenter agat, nec arte dolove vllo. Eodem modo & magistratus quoque vendentem iurare iubet, quod sine malo dolo vendat. *Stob. serm. 42.*

Themistocles prædium distrahens iussit Pronunciari, etiam vicinum bonum illud habere. *Plut. in Apoph.*

Cornelius asinam pecunia onustam in forum produxit, loco sponsorum, cum fundum emisset. Vide Corneliæ genti Asinæ cognomentum datum est. *Macrob. lib. 1. Saturn. c. 6.*

Q. Mutius Scæuola Pont. Max. eloquentium iuris peritissimus, & iurisperitorum eloquentissimus: cum aliquando postulasset, vt sibi fundus, cuius emptor erat, semel indicaretur, idque venditor fecisset: dixit, se pluris æstimare, addidique centum millia. Vsque adeo ab officio boni viri non discedebat. *Rutil. in eius vita.*

Hermes Philosophus Ægyptius, auditor Syriani sophistæ, condiscipulus Procli, sub Hadriano Principe, nec non minus iustitia, quam doctrina prædictus, si quid empturus, minus iusto precio addiceretur, ipse nihilominus iustum promebat: si quid verò contra, non vltra appetebat. *Suidas.*

E P I S C O P V S.

D E F I N I T I O E T E T Y M O L O G.

Episcopus componitur ex ἐπὶ, quod significat in & σκοπεύω, Zeui, id est, specula: & σκοπὸς, quod est speculator. Itaque potest inspectator interpretari. Inde episcopatus, episcopi munus, & ofsirium ᵉpiscopum, locus vbi episcopus commoratur. *De hac materia vide infra, vbi Prælatus.*

Nehem. cap. 11. vers. 22. Huzzi filius Bani, Leuitarum Episcopus (id est inspector, visitator præfectus, præpositus, *Pekid*, a verbo *Pakad*, visitauit, inuisendi curam suscepit,) nominatur a vetere interprete Latino.

Episcopus, Magistratus nomen fuit apud veteres Græcos, & Latinos, vt docet Etymologicon trilingue Lugdun. anno 1607. editum, pag. 280. & 281. Ab Ethnicis ad functiones sacras in Ecclesia Christiana vox apte deducta: nam nempe Episcoporum munus requiritur in primis. Nam de grege filij Dei serio agitur.

L o c i B i b l i c i.

Christus Dei filius vnicus animarum nostrarum pastor, & Episcopus appellatur. *1. Petr. 2. 25.*

Ecclesiæ veri pastores, & inspectores Episcopi nominantur, *Act. 20. 28. Phil. ep. 1. 1.*

Episcopos fidos, & verè Christianos describit Apostolus, *1. Tim 3. 2. Tit. 1. 7.*

S I M I L I T V D I N E S.

Chrysostomi. Quemadmodum Medicus quando primo ingreditur ad infirmum, statim de stomacho eius interrogat, & eum componere primum festinat: quia si stomachus sanus est, totum corpus validum est. Ita si sacerdotium integrum fuerit, tota Ecclesia floret: si autem corruptum fuerit, tota Ecclesia marcida est. *In Matth. 21 homil. 38.*

Sicut enim lapsus iste locus est: Ita sacerdotes sunt receptacula sapientiæ spiritualis. *In Matth. 21. homil. 38.*

Quemadmodum quum videris arborem pallentibus folijs, marcidam intelligis, quia aliquam culpam habet circa radicem: Ita quum videris populum indisciplinatum, & irreligiosum sine dubio cognosce, quia sacerdotium eius non est sanum. *In 21. Matth. homil 38.*

Quemadmodum, qui principatum affectant filij, multo animo intuentur longam patrum suorum senectutem: Sic ex his nonnulli cum viderint futurum, vt Episcopus ad longum aliquod tempus dignitatis suæ munere fungatur, quemadmodum interficere nefas, detrahere illum Imperio satagunt: omnes in detrahendo locum sufficere cupientes, ac singuli honorem illum ad se deferri spectantes. Episcopus si rem recta ratione, ac iudicio aggredi volet, inimici protinus Episcopo aduersantur, donec illum eiecerint, vel suos candidatos intromiserint. Perinde esse videas, vt si quis gubernator piratas habeat eadem naui vna secum nauigantes, qui quidem tum ipsi, tum nautis, tum vectoribus assiduè hostiliter singulis insidias struant. *lib. 2. de Sacerdotio.*

Quemadmodum in prælijs videmus generosissimos quosque milites alacriter manum cum hoste conserere, eosdemque si ita res ferat, fortiter occumbere: Ita oportere puto animatos esse, qui ad ministerij istius functionem se conferunt: videlicet vt & consecrari, & summoueri iuxta parati sint. *lib. 3. de Sacerdot.*

Rex aliquis, si cui ex subditis honorem hunc impertitus fuerit, vt po-

vt potestatem habeat quoscumque velit in carcerem conijciendi, eosdem rursus relaxandi, is omirum beatus, ac mirandus iudicio omnium fuerit. At verò qui à Deo tanto maiorem accepit potestatem, quanto cœlum terra preciosius est, quanto etiam animæ corporibus præstant: hic itane vilem à Deo dignitatem accepisse nonnullis videri debet? *lib. 3. de Sacerdotio.*

Naturales parentes, si eorum liberi principes quosdam magnatesve offenderint, opem certè nullam illis afferre possunt: Quomodo sacerdotes, non principes, reges, sed ipsum Dominum nobis infensum sæpenumero concilient? *ibid.*

Qui sacerdotij optione proposita (quod quidem regno tanto est excellentius, quantum spiritus, & carnis interuallum esse potest) sustinebitne quisquam contemptus, ac fastidij nos accersere? Qui verò id non absurdum? eas prouincias paruas respuunt, vt desiros incusare? at eos qui hoc idem in maximè excellentibus factitant, libere quidem amentiæ crimine, insolentiæ autem, ac superbiæ reos agere? Perinde quasi si quis eum, qui bouillum armentum despiceret, quia armentarius esse recusaret, animi quidem insolentia nequaquam præditus esset, mentis autem alienatione prorsus laborare criminaretur? *ibid.*

D. Hieronymi. Vt sal omnem cibum condit, nec est aliquid tam suaue, quod absque eo gustum demulceat: ita mundi totius, & propriæ Ecclesiæ condimentum Episcopus est: qui si infatuatus fuerit, siue per negationem, siue per hæresin, siue per libidinem & (vt semel dicam) per vniuersa peccata, à quo alio poterit condiri, cùm ipse fuerit omnium condimentum? *Contra Luciferianos.*

Quandoquidem & pastores, quamdiu noxia bestia molesta non est, sub ilicem, aut populum porrecti, fistula canunt, sinentes oues libere pro suo arbitratu pascere. Verùm simulatq; senserint alicunde luporum incursionem imminere, mox abiecta fistula fundam arripiunt, & omisso calamo fustibus, & saxis obarmant sese, proque sepus consistentes, magno longoq; eiulatu vociferantes, frequenter ipso clamore feram priusquam irrumpat, abigunt. Itidem & nos facimus. Superioribus enim diebus in Scriptura velut in prato ludentes, choreasq; ducentes nihil in oratione attigimus contentiosi sermonis, eo quod nullus esset, qui nobis obturbaret, aut molestus esset. Cæterum quoniam hodie lupis omnibus sæuiores Iudæi oues nobis circumuallaturi sunt, ad pugnos, & pugnam accingamur oportet, ne quid nobis ereptum cedat in prædam ferarum. *Aduersus Iudæos oratione.*

Chromatij episcopi. Oculo corporis, quod est membris omnibus pulchrius, ac preciosius, Episcopum aduertimus significatum, qui clara fidei suæ, ac doctrinæ prædicatione, velut oculus quidam, Ecclesiæ corpus illuminat. Qui si per simplicem fidem, ac sanctam conuersationem Catholicus, & fidelis Doctor extiterit, potest populus, cui præest, doctrinæ, ac formæ ipsius exemplo in lumine semper veritatis manere. Verùm si is qui lumen cæteris præbere videtur, per prauam fidem, aut per turpem conuersationem nequam, & perfidus Doctor extiterit, sine dubio vitæ, ac perfidiæ suæ exemplo totum corpus potest tenebrosum efficere: Vnde non immeritò de tali oculo Dominus dicit: Si lumen, quod in te est, tenebræ sunt, tenebræ ipsæ quantæ sunt? hoc est, Si huiusmodi Doctor, qui lumen fidei ex se præbere cæteris debet, per hæresin occæcatus tenebrosus extiterit, quantæ in populo illo possint esse tenebræ peccatorum, debemus aduertere? *In 6. cap. Matth. fol. 435.*

Vide Pastor, Prælatus, Sacerdos.

EQVVS.

Biblici Loci.

EQui fortitudo à Deo est. *Iob 39. 22.* Equi albi visio, *Apoc. 6. 2.* rufi, *v. 4.* nigri, *v. 5.* pallidi, *v. 8.* Equorum Salomonis numerus, *1. Reg. 4. 26.* Equites eius, *10. 26.* Equos ne multiplicet sibi Rex, *Deuter. 17. 16.*

Hebr. equus *Sus* dicitur, & habet cognationem cum verbo *Nus*, fugit: est enim equus admodum celer in fuga.

Philosophicae Sententiae.

De equo. Dial. xxxi. Franc. Petrarch.

Gau.

Equo agili delector. R. Ferocissimo, & inquietissimo animante, insomnique & inexpleta voragine. G. Equo liberis circumuector. R. Non multo est peius mari turbido, quàm frementi equo rapi. Nullum animal insolentius domino suo est, nec ineptè iam equorum domitoribus in prouerbium venit, bis equum male facere, quod omnis hinc humilis, hinc superbus fit, qui illis viribus, eaque pernicitate pro vili cibo fieri alterius, domarique & duris stringi fascijs, nodisque & fune vinciri, freno frenari, ferro calciari perusa clauis vngula, ferro vrgeri, ferratum ferre victorem, turpem carcerem, ac graue seruitium pati possit? Inde autem quasi indomitus non tantùm pro libero sese gerat, sed vt domini sui hostis agit omnia. Si currendum est, stimulos non audit. Si subsistendum, frena mordicus rapit. Si fremendum, torpet. Si latendum, fremit. Obsequiosum illud (vt perhibent) fidumque animal, de quo tam multæ iactantur fabulæ, animal nobile, regium, optabile, colendumq;, dignumq; quod enormi precio comparetur, anxia nutriatur cura. Imò verò animal, quod si conferantur cum obsequijs tædia, nemo sapiens emat, nemo diligens pascat, animal & otij impatiens, & laboris, illo tumidum, hoc deiectum, nunc impetuosum animal, nunc ignauum, nunc audax, nunc trepidum, nunc volatile, nunc caducum, hinc culicum metuens, atque vmbrarum, hinc dominum suum spernens, diuersisq; illum vijs in discrimen trahens. Quis contumaciam, quis morsus, aut calces explicet? Quis hinnitus, & ascensoris impatientiam, ac sessoris? Equidem quot equorum mores, totidem equitum constat esse pericula. G. Equorum studio detineor. R. Mirarer, nisi ingentes viros vsque ad ludibrium captos hoc studio meminissem. Quis Alexandrum Macedonem non audiuit amato equo tumulum erexisse, vrbemq; de equi nomine appellatam? sed nihil in illo mirabile viuente impetus, & animi feruor facit. Mirabilior in Augusto, quàuis minor ineptia, neque enim vrbem equo ille suo instituit, sed sepulchrum, idque ipsum illi grauitate, atque ingenio impar fuit. Nam diui Iulij monstrosus sonipes an ab ipso, an ab alio ante ædem Veneris marmorea sit consecratus effigie, dubitari potest. Minor multo vel ætate, vel gloria, verum opibus, ac Cæsareo nomine pene æqualis Antonius Verus (vt sileam) quem victum, quemve amictum, equo, quem immodicè amabat, exhibuit certè, & viuenti simulachrum aureum fieri fecit, & mortuo sepulturam (quo grauius stomachemur) in Vaticano extruxit, tot inter sacra ossa ibi condita, & condenda. Vix credibilia loquimur, vera tamen. Horum similiumq; conscius vates heroum animas apud inferos quoque equorum studio deditas facit, nec minor ideo, sed maior est vanitas, quæ tam magnos ad se animos trahere potens est. Neve quis priscam tantùm non modernam amentiam suspicetur, redeat ad memoriam, nec longè, seu loco, seu tempore requirendus, adhuc enim viuit, nec dum senuit, & in terra Italica vobiscum degit is, quem nominare non est necesse, fortunæ vtique vir ingentis, nec parui ingenij, consilijq;, vir alioqui magni animi, nec insulsi, vbi quid serio agendum incidit, qui tamen ægrotanti equo quem amabat, aureum puluinar, ac sericum cubile substrauit: Cumq; ipse interim podagra vinctus, atque immobilis medicorum legibus regeretur, nihilominus tamen, aut seruorum vectus manibus, aut equo altero vix iniectus, & suos medicos secum ducens equum ægrum suum bis, terque cotidie visitabat, illi suspirans, atque anxius assidebat, illum leniter manu tractans, blando murmure solabatur. Quid multa? Nullum medicinæ genus intentatum, nil languenti amico debitum prætermissum fuit. Fabulam fortasse posteritas vocet, vera res & magno in populo nota est. Sic vir fortis curam equi gessit, vt propriam: sic extinctum luxit, vt filium. G. Delectat equitare. R. Est id quidem vtile interdum, & celeritati adminiculum, & fatigationi remediũ, & nobilitatis insigne, nec inficior gloriosum vulgo extantem insigni equo vehi, & cunctis excellere, nec vertice solo, sed humeris, & toto pene corpore supra esse. Contra verò laboriosissimus, & sæpè domino suo pestifer immitis equus. Optes iter pedibus agere, tam nulla est respirandi, vel minimum facultas, equestre periculum pedestri luto, seu puluere permutatum velis. Proinde multos media via ad mortẽ rapuerunt equi, multos in mortem impulerunt, aut alliserunt, aut corporibus oppresserũt. Quid? quod non vltimum belli semen equi sunt? Tolle equos peregrinos, terris incursus, partemq; maximam bellicæ cladis abstuleris, vt quod de ventis in natura, quodque de Iulio Cæsare in historia est quæsitum, expediens ne fuerit, aut flare ventos, aut Cæsarem nasci, & de equis similiter quæri possit. Tam multa sunt vtrinque contraria. Nec immerito Thessalia, quæ prima equos reperit domuitque, prima aureum, argenteumq; nummum cudit, prima pelagus rate tentauit, Martis seminarium visa est, quod non semel tot post sæculis multo, claroq; sanguine patuit. G. Quàm me putas, iuuet poeta noster, vbi nobilis equi spiritũ, moresq; descripsit? R. Nec te terret Hebræorum vates vbi ait, Ab increpatione tua Deus Iacob dormitauerunt, qui ascenderũt equos. Excute singula, non tam illud lene, quàm hoc asperum.

ERROR.

Definit. et Etymolog.

ERrare est aliud pro alio putare, vel falsum pro vero putare, *secundum August.* Vnde error, qui Græcè πλάνη, πλάνησις, erro dicitur. Errare propriè est vagari. *Virgil. Recens à vulnere Dido Errabat silua in magna.* Sed quoniam pecudes errando, hoc est, vagando pascuntur: errare aliquando pro pasci ponitur. *Virgil. Mille meæ Siculis errant in montibus agnæ.* Item, quia vagando sæpè à recta via deflectitur: errare aliquando pro peccare, &

delinquere accipimus, à quo fit error, quo modo delictum significat, modo erratum. Et vagatio ipsa propriè erratio dicitur. Differt autem sic error ab erratione, vt error sit animi, erratio pedum. *Terentius: Sat: hac multo propius ibis, & minor est erratio.* Differunt præterea error, nescientia, & ignorantia sic: Quod nescientia simplicem negationem scientiæ importat: Ignorantia verò quandoque significat scientiæ priuationem. Et tunc ignorantia est carentia scientiæ, quam quis natus est habere: Hoc enim est de ratione cuiuslibet priuationis. Quandoque autem ignorantia est aliquid scientiæ contrarium, quæ dicitur ignorantia peruersæ dispositionis: puta, cum quis habet habitum falsorum principiorum, & falsarum opinionum, ex quibus impeditur à scientia veritatis. Error autem est approbatio falsorum pro veris, vnde approbare falsa pro veris addit actum quemdam super ignorantia. Potest esse ignorantia sine hoc, quod aliquis de ignotis sententiam ferat; Et tunc ignorans est, & non errans. Sed quando iam falsam sententiam fert de his, quæ nescit, tunc propriè dicitur errare. *Ex S. Thom. in quæst. de Malo. quæst. 3 art. 3.*

LOCI BIBLICI.

Errores difficile corriguntur, *Actor.* 10.45. erroris efficacia, 2. *Thes.* 5.11. Error pro deceptione, *Eph.* 4.14.22.4. 1. *Thes.* 2.3. 1. *Tim.* 4.1. *Iud. ver.* 11. pro illusione, *Esa.* 30.10. pro imagine, *Esa.* 45.16. pro incogitantia, *Gen.* 42.12. *Eccles.* 10.8. pro vanitate, *Iob* 15.31. *Esa.* 30.8.

SENTENTIAE BIBLICAE.

Errare.

Errare faciet quasi ebrios. *Iob* 12.

Et dixi, semper hi errant corde, *Psalm.* 95.

Errauerunt in solitudine in inaquoso. 107.

Et errare fecit eos in inuio, & non in via. *ibid.*

Erraui sicut ouis, quæ perijt. 119.

Animæ dolosæ errant in peccatis. *Prou.* 13.

Errant qui operantur malum. 14.

Deus in iudicium adducet omne opus, cum omni occultare, siue quid bonum, siue malum fuerit. *Eccl.* 22.

Nos omnes errauimus tamquam ouis, quisque viam suam sectatus. *Esa.* 53.

Propheta cum errauerit, & locutus fuerit verbum, ego Dominus decepi prophetam illum: & extendam manum meam super illum: & delebo eum (dicit Dominus) de medio populi mei Israel. *Ezech.* 14.

Erratis nescientes scripturas. *Matth.* 22.

SENTENTIAE PATRUM.

Interest in quantum, & quibus rebus erretur, & quam facilè se quisque corrigat, vel quanta pertinacia suum defendere conetur errorem. *Aug. in epist. ad Marcell.*

Nimis peruerse seipsum amat, qui & alios vult errare, vt error suus lateat. Quanto est melius & vtilius, vbi ipse errauit, alij non errent, quorum admonitio errore careat? Vos qui me multum diligitis, si talem me asseritis, vt numquam in scriptis meis errasse dicatis, frustra laboratis, non bonam causam suscepistis, facile in ea, me ipso iudice, superamini, quoniam non mihi placet, cum à charissimis meis talis esse existimor, qualis non sum profectò: non me, sed pro me alium, sub meo nomine, diligunt, si nō quod sum, sed quod non sum diligunt. *ibid.*

Non placet sententia Tullij maximi authoris Romani eloquij, qui nullum vnquam verbum, inquit, quod reuocare vellem, emisi: quæ quidem laus, quamuis præclarissima videatur, tamen credibilior de nimium fatuo, quàm de sapiente perfecto. Sed in bonam partem accipiatur, vt quempiam fuisse talem credamus, qui cum sapienter omnia loqueretur nullum vmquam verbum, quod reuocare vellet, emisit: hoc potius de hominibus Dei, qui à Spiritu sancto laudati sunt, quàm de illo, quem sic Cicero laudat, saluberrima pietate credendum est. Ab hac ergo excellentia tam longè absum, vt si nullum verbum, quod reuocare velim, protulero, fatuo sum quàm sapienti similior. Illius quippe scripta summa sunt authoritate dignissima, qui nullum verbum non quidem reuocare vellet, sed quod reuocare deberet, emisit. Non mihi igitur Tulliana illa blanditur, sed angit me planè illa Horatiana sententia. *Nescit vox missa reuerti. ibid.*

Diligendi sunt homines, vt eorum non diligantur errores. *August. in epist.*

Nonnullis errare profuit aliquando, sed in via pedum, non in via morum. *idem.*

O quam detestandus est error hominum, qui clarorum virorum quædam non rectè facta laudabiliter se imitari putant, à quorum virtutibus alieni sunt. *De vno & Bapt. fino.*

Nihil grauius, quàm errantem adeo deleri, vt se reuocare non possit. *Ambr. in l. de Cain, & Abel.*

Nonnulli dum plus exquirunt contemplando, quam capiunt, vsque ad peruersa dogmata erumpunt: & dum veritatis discipuli esse negligunt humiliter, magistri erroris fiunt. *Greg. l. 8. mor.*

Quidam eorum, qui libenter habent criminari proximos suos, adscribunt nobis, & doctrinæ nostræ crimen blasphemiæ, quod à nobis numquam audierunt. Dicunt enim patrem malitiæ, & perditionis eorum, qui de regno eijciuntur, id est, diabolum, me dicere esse saluandum, quod nec aliquis quidem mente captus, & manifestè insaniens dicere potest. Sed nihil mirum videtur, si adulteretur doctrina mea ab inimicis, & illa corruptione corrumpatur, quasi corrupta est epistola Pauli Apostoli. Nam quidam sub nomine eius falsam epistolam conscripserunt, vt turbarent Thessalonicenses, quasi instaret dies Domini, & seducerent eos. *Orig. in epist. Apolog.*

Multis qui in pace ecclesiæ negligenter vixerant, subito errasse, & in flagitia aliqua cecidisse profuit, dum post casum pœnitendo erecti vigilantius Domino seruire cœperunt, & qui pigri, ac desides in innocentia stare videbantur, per accidentem sibi ruinam admoniti, sunt solertius erga sui custodiam contra omnes antiqui hostis insidias accincti, ita vt qui nec propriam vitam recusare ostenderant, postmodum etiam supernæ salutis cum sua erectione curam gerant. *Beda super Esdr.*

APOPHTHEGMATA.

Diogenes. cuidam obijcienti, quod aliquando falso signasset monetam (nam hanc ob rem iussus est exulare.) Fateor, inquit, fuisse tempus, quo talis eram, qualis tu nunc es: qualis autem ego nūc sum, tu numquam futurus es. Notabat eos, qui iuuentutis errores in alijs reprehendunt, quum ipsi ne in senectute quidem corrigant suos. *Laert. l. 6.*

Idem, quodam item obijciente Diogeni, & exilium ob facinus illud ei perpessum exprobrante, respondit Diogenes: Tum temporis celerius etiam iuuenis reddebam lotium, nunc non item. Cynica circuitione notauit iuuenilem ætatem, quæ facilius reddit humorem vesicæ, quum senibus molesta sit. *Laert. l. 6.*

Anonymus, quidam seruo, qui dum puniretur dicebat. Non volens erraui: Non volens, igitur (inquit) pœnas dato. Vulgaris quidē, sed frigida excusatio est. Insciens feci. Vigilandum erat, ne quid committere imprudens. *Plut. in Lacon.*

Minutius facti pœnitens, quod Fabium insimulasset a quo postea esset adiutus: Ad commilitones, Boni (ait) sapientisq; viri est, si errauerit in reliquum tempus Doctorem se sibi adsciscere. *Iustin. l. 5. c. 14.*

Scipio Afr. Turpe esse aiebat, in re militari dicere, Non putaram. Videlicet, quia explorato, & excusso consilio, quæ ferro aguntur, administrari oportere, summa ratione arbitrabatur. *Valer. Max. lib. 7. c. 2.*

SIMILITUDINES.

Chrysostomi. Nihilominus error gētilis superstitionis, quamuis à nullo vmquam obturbaretur, & profunda quiete frueretur, à seipso extinctus est, & in semetipso in diuersa corruit. Non secus quā corpora diuturnæ putredini obnoxia: quæ licèt à nullo offendantur, per se tamen spontè dissoluuntur, paulatim abolentur. *Contra gentiles, & in Babylam matrem.*

Archyta Philosophi. Quemadmodum fabrum, licèt optimum habeatur, aliquoties in operibus, quæ præ manibus sunt, videmus aberrare, itemq; ducem, gubernatorem, & in vniuersum omnes, tamen non negamus, quin artis habitum acquisierint: Ita nec luxuriæ vacantem temporibus quibusdam, aut iniustè agentem, aut præ metu cunctantem, in numero improborum habebimus, sed errorem condonabimus. *In libro de doctrina moral. Meminit etiam Stob. in ser. de Virtute. qui est in ordine primus.*

Seneca. Vna tussis non facit phthisin, sed in morem adducta: Ita error non statim gignit animi morbum.

Vt in magna strage altus alium trahit in ruinam: Ita in publico errore, alius alium secum trahit ad perniciem.

Anonymi. Climenus herba ita morbo medetur, vt sterilitatem adferat etiam in viris: Ita quidam malum aliquod ita profligant, vt aliud diuersum admittant. *In Simil.*

Vt solis defectus magnam mortalium perniciem trahit: Ita regis error etiam leuis, magnam tamen in rebus humanis gignit perturbationem. *In Simil.*

Qui noctu optimè vident, fere interdiu conniuent: Et qui in obscuris solers est, fit vt aliquando in re manifesta aberret. *In Apophe.* 85.

Themist. Multa sunt vitia, quæ excæcant, glaucoma tamen si quid aliud, incurabile est, quippe cæci sunt, sed quasi videntes: Magis deplorati, & admirabiles, qui sese errare sciunt: & tamen errorem dediscere nolunt, aliosq; peruertere contendunt. *In Apoph.* 124.

Quemadmodum malum, quod in aliquo membro circumscribitur, toleratur: sed quod proximum continuè violat, exciditur, aut certè cauritur: Ita multo tolerabiliora sunt vitia, quæ tantum proprio authori officiunt, quam quæ proximum quemque inuadunt. *In Apoph.* 139.

Qui semel aberrat in quadriuio, fere in varia diuerticula tandem deuiat: nec errorem bene explicat, nisi regressus quasi nouam viā ineat: Ita qui errare cœpit, facilè multos errores congerit: nisi paulatim intermittat, ac quasi recens ad intermissam disputationem redeat. *In Apoph.* 58.

ADAGIA.

Eadem oberrare chorda. *Horatius.*
Iocos con tinne dicetur, qui vel in simili re crebrius peccant, vel culpam eandem iterum, atque iterum committunt.

Iterum eumdem ad lapidem offendere. *δὶς πρὸς τὸν αὐτὸν αἰσχρὸν προσκρούειν λίθον.*
Sapientis haud est bis in eodem labier. Zenodot.

Vulpes non iterum capitur laqueo. *ἀλλ' οὐκ αὖθις ἀλώπηξ πάγαις.*
Stupidi est hominis, in malum gustatum incidere. Ein alter fuchs kommet nit ba dins garn. item, der alte Esel kommet nit gern auff die strass, da er einmal gefallen ist.

Non licet in bello bis peccare. *ἁμαρτεῖν οὐκ ἔνεστι δὶς ἐν πολέμῳ.*
In rebus periculosis non est tutum labi.

Venia primum experienti. *συγγνώμη πρωτοπείρῳ.*
Ignoscendum his, qui rudes nouo quopiam in negotio incipiunt versari, si quid per imperitiam peccarint.

Sus in volutabro cœni. *ὗς λελουμένη εἰς κυλισμὸν βορβόρου.*
Cum quis re at iam extirpata flagitia. Extat in Epist. D. Petri.

Canis reuersus ad vomitum. *κύων ἐπὶ τὸν ἴδιον ἐξέραμα. Idem;*
Quadrant in eos, qui relabuntur in eadem flagitia.

Decipienti semel.
Ioannes Campanus, decipiens me semel Dij male faxint: faxintque bene, si bis idem deceperit. Consimile illi. Improbè Neptunum accusas, qui iterum naufragium facis. VVer mich einmal betrogen hat, soll mich nit mehr betriegen.

In limine offendere. In portu impingere. *Virg. Hieron.*
Pro eo quod est: Statim in ipso operis ingressu peccare. In limine deficere, idest.

Cantherius in porta.
Natum à Sulpitio Galba quodam, cui quum in prouinciam ituro Cantherius in porta cecidisset: Ridiculè inquit, Cantherius in porta, cum tam longum iter sis iturus, satis lassum esse, cum vix dum sis ingressus.

ERVBESCENTIA.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

ERubescentia, Græcè *ἐρυθρίασις, ab, ἐρυθριάω* erubesco dicitur. Est autem erubescentia, timor in conuitij expectatione, *secundum Ioannem Damascenum lib. 2. c. 15. Et secundum eundem,* hæc est optima passio.

Differunt erubescentia, & verecundia, quod erubescentia est de turpi facto, verecundia de turpi facto, *sec. B. Tho. 1. 2. q. 45. art. 4.*

EXEMPLA BIBLICA.

Erubescentiæ exempla: Serui Ehud, *Iudic. 3. vers. 42. 25.* Elisæus, *4. Reg. 3. 14.* Esdras, *1. Esdr. 8. 22. 3. Esdr. 8. 52* duo Presbyteri, *Dan. 13. 11.* Serui, *v. 27.* aduersarij Christi, *Luc. 13. 17.*
Vide, Pudor, Verecundia.

ERVDITIO.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

ERuditio, Græcè *παιδεία, ἡ, & παιδεύω*, erudio dicitur. Etenim rudis, siue rudus propriè dicitur res rudis, aspera, & imperfecta. Ideo hominem imperitum, rudem nominamus, a quo fit erudio, quod est doceo, instruo: & eruditio, doctrina, & eruditè aduerbium, doctè: ite & ruditas, imperitia, & obtusitas ingenij: & rudis, impolitus, à quo rudiculus diminutiuum. Sanè rudis etiam erat virga, qua emeriti gladiatores donabantur. *Iuuenalis ergo si dabit ipse rudem, id est, libertatem, & finem pugnandi.* Præterea nouum rudus est materia pauimenti, hoc est, saxa de nouo contusa, seu testæ fractæ ad pauimentum faciendum, & rudus vetus materia veterum pauimentorum, & diruptorum ædificiorum, quæ lapidibus, & testis confractis calceque ac arena constat. *Plinius: Complanata veteri rudere erant via.* Ab Hebræo verbo *Lamadh,* id est, didicit. Cognationem habet cum Madadh, mensurauit: nam discere est mensuræ cognitionis suæ plura adijcere. Hinc Græcis veteribus per aphæresim, *μαθέω* disco, pro quo hodie vsurpatur *μανθάνω* & qui discit, *μαθητὴς* Discipulus, *μάθημα, μάθησις*, disciplina, eruditio. A Lamadh, deriuatur *Limmudh*, disciplina, & per auxesim discipulus, 1. Chron. 25. 8. & Lamadh adiectiuum, id est, doctus, erudiens, Ezech. 27. 23.

POETICAE SENTENTIAE.

Menander.
Ἀναφαίρετον κτῆμ' ἐστὶ παιδεία βροτοῖς.
Inseparabilis possessio est eruditio mortalibus.
Ἅπαντας ἡ παιδεία ἡμέρους ποιεῖ.
Omnes eruditio mansuetos facit.
Βραβεῖον ἀρετῆς ἐστὶ δ' ἡ παιδεία.
Bravium viuentis est bona institutio.
Βλέποντες τυφλοὶ εἰσιν οἱ ἀγράμματοι.
Inscientes videntes sunt ... alterum mal.
Γράμματα μαθεῖν δεῖ καὶ μαθόντα νοῦν ἔχειν.
Literas discere oportet, & discentem mentem habere.
Διπλοῦν ὁρῶσιν οἱ μαθόντες γράμματα.
Duplum vident, qui didicerunt literas.
Βακτηρία γάρ ἐστι παιδεία βίου.
Sustentaculum enim est eruditio vitæ.
Κάλλιστόν ἐστι κτῆμα παιδεία βροτοῖς.
Pulcherrima est possessio eruditio mortalibus.
Κἂν τοῖς ἀγροίκοις ἐστὶ παιδείας λόγος.
Et inter agrestes est eruditionis sermo.
Καλὸν δὲ καὶ γέροντι μανθάνειν σοφά.
Pulchrum est etiam seni discere vehementer.
Τιμὴν πέφυκε πᾶσι παιδεία βροτοῖς.
Honor est omnibus eruditio mortalibus.
Ὁ γράμματ' εἰδὼς καὶ φρονεῖ πλεῖον ἔχει.
Qui literas nouit, egregiam mentem habet.
Ὁ σοφὸς ἐν αὑτῷ περιφέρει τὴν οὐσίαν.
Sapiens in seipso circumfert substantiam.
Ὁ μὴ δαρεὶς ἄνθρωπος οὐ παιδεύεται.
Non percussus homo non eruditur.
Ὁ γραμμάτων ἄπειρος οὐ βλέπει βλέπων.
Literarum expers non inspicit aspiciens.
Ὡς οὐδὲν ἡ μάθησις, ἂν μὴ νοῦς παρῇ.
Quam nihil disciplina nisi mens adsit?

SIMILITVDINES.

Democrati. Quemadmodum mœnia ciuitatibus, sic animi mens per disciplinam exculta decus munimentum præstant. *Apud Anton. Meliss. par. 1. serm. 50.*

Pliny. Vt laurus tota viret perpetuo: Ita doctrinæ fama non senescit, neque marcescit *lib. 5. c. 30.*

Terra quæ gignit salem, nihil aliud gignit. Sic ingenia fœcunda in literis, in cæteris verò rebus non perinde valent. *lib. 31. c. 7.*

Ioannis Ludouici Viuis. Eruditio pastus ingenij verissimus, vt indignum sit pasci corpus, esuriente animo: ex qua voluptates & oblectamenta, & solida & perpetua: quæ alia ex alijs nascentia, & se renouantia, numquam nos deserunt, nec lassant. *In introductione ad Sapientiam. c. 4 fol. 58.*

Themist. Vt flamma lignis quotidie magis ac magis accenditur: sic virtute præditi animus, literis numquam satiatur. *In Apoph. 37.*

Quemadmodum terra licet optime culta sit, & semine obruta, non tamen fruges vllas edit, nisi cœli aerisque clementia accedat: Sic eruditio diuersarumque artium scientia nequaquam solis præceptis innititur, sed sursum datur, ac cœlesti irrigatione demum perficitur. *In apoph. 14.*

FABVLA.

Hirundines & Olores.

Hirundines oloribus conuitijs faciebant, & exprobrabant illis obscuritatem Musicæ illorum. Quid enim, inquiunt, prodest vobis concessa à Dijs singularis canendi facultas, qua primum rarissime vtamini, deinde per loca deserta auscultantibus, fluminibus, & pratis abuti videamini? Ipsi, inter vos suauissimos modos, vt fertur, cietis. Pudetne igitur cum celatis aut inuidetis hanc voluptatem hominibus? Nos quidem non solum vrbes, sed domos ipsas, & tecta atque conclauia ædium cantu replemus. Quid quæritis argumentum carminis? Proprium enim est & vetus & Atticum: Pandion, Athenæ, Thereus, Thracia, Barbarorum affinitas, contumelia, linguæ exsectio, mirificum iudicium literarum. His accedit litis & forma nostra mutata. Vix responsione dignatas stolidas auiculas, vnus tandem ex agmine olorum sic alloquitur: Nostra causa, si hominibus notum sit tempus quo ad Fauonij flatus pandimus alas, & illum suauitatis modulatorem spiritum admittimus, plurimi in hæc deserta loca venturi sint, sed nobis vulgari sanctissimam scientiam turpe visum. Neque in copia ac multitudine, neque temere, sed exquisita, & absoluta illa omnibus numeris vti pulchrum, corrumpere autem quasi prostitutione quadam sceleratum ducimus: At vos à tectis & sedibus suis repellunt homines & vestros cantus auersantur: neque immerito, quippe quæ silere ne excisis quidem linguis sciatis in illa ipsa deploratione mali vestri loquaciores, quam vlli, qui voce & lingua famam & gloriam quærunt. Vos quidem abite, & ingrata Musica vestra molestæ vt hactenus estote mortalibus: Nos neque ingeremus vltro carmina nostra, neque sæpe tractando violabimus Musarum sacra, non prius in vrbibus cantaturi, quam non modo hirundines, sed etiam monedulæ ex his excesserint.

Hæc innuit fabula præstantiam artium, neque locum dignitatis habere, neque vllo in precio esse vulgo & apud imperitos. Caueret igitur eruditos sibi & Musis.

EVAN-

EVANGELIVM.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Euangelium, Græca dictio est, ἀπὸ τοῦ εὐαγγέλλειν, & est bona annunciatio, nam εὖ bene, & ἀγγέλλω nuncio dicitur.

In Ecclesia Euangelium est prædicatio gratiæ Dei peccatoribus resipiscentibus per Christum partæ & efficaciter credentibus, & Deum timentibus oblatæ ad vitam æternam.

BIBLICI LOCI.

Euangelium, pro historia per Euangelistas conscripta, vt cum dicitur Euangelium secundum Matthæum, Marcum, &c. Vt interpretatur Lucas, *Act.* 1.1. pro Euangelica doctrina, seu salutis doctrina, non ab hominibus excogitata, sed è cælo, (*Ioan.* 1.18.) ad nos allata, *Marc.* 16.15. *Gal.* 1. *v.* 6. sicut prædictum fuit. *Esaiæ* 52. 7. vt mutua fit inter fidem & verbum prædicatum relatio, *Rom.* 10.17. pro doctrinæ illius salutiferæ annunciatione, *Rom.* 1. *v.* 6. & 15.19.1. *Cor.* 4.15. & 9.14.2. *Cor.* 8.18. *Philip.* 4.15. & 2.22. *Col.* 1. 5.1. *Thess.* 3.2.2. *Thess.* 2.14.2. *Tim* 1.8. & 2.8.

Euangelium Crux interdum dicitur, *Gal.* 5. *v.* 11. & à Petro λόγος, id est, sermo, per excellentiam dicitur. *Act.* 10.36.

Euangelium Christi, *Marc.* 1. *v.* 1. *Rom.* 1.9 & 15.19.1. *Cor.* 2.12. & 10. 14. *Gal.* 1. 7.1. *Thess.* 3. 2.2. *Thess.* 1.8. Dei, *Roma.* 1.2. *Cor.* 11. *v.* 7. 1. *Thess.* 2.2.8. 9.1. *Pet.* 4.18. Regni Dei, *Mar.* 1.14. Ministri Euangelij aliquando suum illud vocant, *Rom.* 2. *v.* 16. & 16.25.2. *Cor.* 4. 3.2. *Thess.* 2.14.2. *Tim.* 2. *v.* 8. Euangelium gloriæ Dei nomine significatum, *Ro.* 1. *v.* 16.1. *Tim.* 1. *v.* 11. Euangelium lacti comparatur. 1. *Pet.* 2. *v.* 2. (*vide* 1. *Cor.* 3.2.) Euangelium vocatur lex fidei, *Rom.* 3. *v.* 27.

Euangelium est æternum, *Apoc.* 14.6. arcanum, *Ephes.* 1.9. & 3.3. & 6. 19. *Col.* 1.26. & 4.3.1. *Tim.* 3.9.

Euangelij effecta: Fides. 1. *Tim.* 4.6. illustratio vitæ, 2. *Cor.* 4.6.1. *Tim.* 1.10. pax, *Eph.* 6.15. reconciliationis ministerium, 2. *Cor.* 5.19. Regnum Dei stabilitu, *Matt.* 3.2. & 4.23. & 9.35. & 24. *Marc.* 1.14. *Luc.* 16.16. *Col.* 4. *v.* 11. regimen vitæ, *Gal.* 6.16. salutis collatio, *Act.* 13. *v.* 26. & 28.28. *Rom.* 1.16. Spiritus administratio, 2. *Cor.* 3.8. vitæ collatio. *Act.* 5. *v.* *Philip.* 2. *v.* 16.

Euangelij subiectum Christus, & eius gloriæ illustratio, *Roman.* 1. 3.2. *Cor.* 4.4. hoc fit, vt testimonium Christi confirmetur, 1. *Cor.* 1. 6. & 2.1.2. *Tim.* 1.8. Dicitur virtus Dei, *Rom.* 1.16.1. *Cor.* 1. *v.* 18. 24.

Euangelium quibus manifestum, *Matt.* 11.25. & 13.11. *Luc.* 10.21. omnibus & palam in toto orbe annunciandum, *Matt.* 10.27. & 24.14. & 28.19. *Marc.* 13.10. & 16.15. *Luc.* 12. *v.* 2.3. & 24.47. *Tit.* 2.11. vbiq; annunciatum, *Col.* 1.23. calumnijs obnoxium. *Rom.* 1. 2. quibus opertum, 2. *Col.* 4.3. per Prophetas promissum, *Rom.* 1.2. afflictionibus promouetur, *Phil.* 1. *v.* 12.13. à paucis recipitur, *Esa.* 53.1. *Matt.* 7.14. *Ro.* 10.16. & 11. *v.* 3.5. Euangelij certitudo, 1. *Cor.* 15.1. *Gal.* 1.8.1. *Pet.* 1.12.2. *Pet.* 1.16.

Euangelio omnia posthabenda. *Matth.* 13.46.

Euangelistæ dantur Ecclesiæ à Christo. *Eph.* 4.11.

Euangelizare absolute positum pro prædicare. 1. *Cor.* 15.2.

Euangelizari passiuè, pro Euangelium annunciari, aut Euangelij prædicatione dignari, *Esa.* 61.1. *Matth.* 11.5. *Luc.* 4.18.

Euangelizanti debetur necessaria vitæ sustentatio. *Mat.* 10.9. *Marc.* 6.8. *Luc.* 9.4. & 10.7. *Rom.* 15.26.1. *Cor.* 9. *v.* 7.11.13. *Gal.* 6.6.1. *Tim.* 5.17.2. *Tim.* 5.17.2. *Tim.* 2.6. Vide Ecclesia.

Euangelij confirmatio ex donis Spiritus sancti. 1. *Cor.* 1.6. ex S. Pauli constantia. *Phil.* 1.7. ex multitudine verè credentium in Christum, *Col.* 1.6. ex Prophetarum oraculis, 2. *Pet.* 1.19.

Euangelij doctrina lac & cibus, 1. *Cor.* 3.2. *Hebr.* 5.12.1. *Pet.* 2.2. Noua videtur, *Mar.* 1.27. *Act.* 17. *v.* 19.20. Noua tamen non est. *Ioan.* 8.25. *Act.* 2.16. & 3.18. & 10.43. & 13.32. *Rom.* 1.2. & 16.25. *Eph.* 1.9. & 3.8.9.2. *Tim.* 1.9.1. *Ioan.* 1.2. & 2.7.

Euangelij definitio ab effectu sumpta habetur, *Rom.* 1.16. finis, *Ro.* 15.16.1. *Cor.* 1.9. & 2.7. & 2. *Cor.* 3.18. & 10.4.5.6. & 1. *Thess.* 1.9. & 4.3. *Tit.* 2.11.12. & 1. *Ioan.* 2.12. Euangelij hostes duplices, *Matth.* 7.6. Euangelij patrocinium ab omnibus suscipiendum, 2. *Tim.* 4. 16 *Hebr.* 13.5.

Euangelij prædicatio quanti æstimanda, *Rom.* 10.15.2. *Cor.* 4.4. *Gal.* 3. 2.5. *Apoc.* 1.20. Confertur messi. *Matth.* 37. *Luc.* 10.2 *Ioan.* 4. 35. fermento; *Luc.* 13.21. Est cultus Deo gratus. *Io.* 4.36. *Rom.* 1.9. & 15. 16. Euangelij admiranda propagatio. *Act.* 2.41. & *seqq.* 6. præstantia, 2. *Cor.* 3.6.7. *Eph.* 3.8. *Coloss.* 1.27. & 4.3.4. *Heb.* 6.18. Euangelium lege præstantius, *Esa.* 54.1. *Rom.* 3.3.2. *Cor.* 3.7.8. *Gal.* 4.24.26. 27. *Heb.* 2.1 & 7.19. & 12.18.21.23.

Euangelij puritas retinenda. *Rom.* 16.17. *Gal.* 2.5. & 5.8. *Iud.* *v.* 3. Euangelij thesaurus in vasis fictilibus absconditus, 2. *Cor.* 4.9. Euangelij veritas, pro eius genuina puritate, *Gal.* 2.5. Euangelij vis, quanta in arcanis patefaciendis: *Luc.* 2.35.

SENTENTIÆ BIBLICÆ.

Euangelij fructus quo ad prædicantem.

Qui docti fuerint fulgebunt quasi splendor in firmamento, & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates, *Dan.* 12.

Væ enim mihi est, si non euangelizauero, si enim volens hoc ago, mercedem habeo: si autem inuitus, dispensatio mihi credita est. 1. *Cor.* 9.

Notum vobis facio fratres Euangelium, quod euangelizatum est à me; quia non est secundum hominem: neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per reuelationem Iesu Christi, *Gal.* 1.

Attende tibi & doctrinæ: insta in illis. Hoc enim faciens teipsum saluum facies, & eos, qui te audiunt, 1. *Tim.* 4.

Noli itaque erubescere testimonium Domini nostri, neque me vinctum eius, sed collabora Euangelio secundum virtutem Dei, qui nos liberauit, & vocauit vocatione sua sancta. 2. *Tim.* 1.

Ad audiendum.

Cum Propheta defecerit dissipabitur populus; qui verò custodit legem beatus erit. *Prou.* 29.

Et audient in die illa surdi verba libri. Et addent mites in Domino lætitiam, & pauperes homines in sancto Israel exultabunt. *Esa.* 2.9.

Et non facient auolare à te vltra doctorem tuum, & erunt oculi tui videntes præceptum tuum, & aures tuæ audient verbum post tergum monentis. Hæc est via, ambulate in ea, & non declinabitis ad dexteram neque ad sinistram. 30.

Parum est, vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob & fœces Israel conuertendas. Dedi te in lucem gentium, vt sis salus in ea vsque ad extremum terræ. 49.

Spiritus Domini super me, eo quod vnxerit me Dominus. Ad annunciandum mansuetis misit me, vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam, & clausis apertionem. 61.

Si stetissent in consilio meo, & nota fecissent verba mea populo meo, auertissem vtique eos à via sua mala, & à cogitationibus suis pessimis. *Iere.* 23.

Noli subtrahere verbum, si fortè audiant & conuertantur vnusquisque à via sua mala, vt pœniteat me mali, quod cogitaui facere eis propter malitiam studiorum eorum. 26.

Non enim erubesco Euangelium. Virtus enim Dei est in salutem omni credenti: Iudæo primum & Græco. Iustitia enim Dei in eo reuelatur in fidem. *Rom.* 1.

Notum autem vobis facio fratres Euangelium, quod prædicaui vobis, quod & accepistis, in quo & statis, per quod & saluamini. 1. *Cor.* 15.

Contestatur nos & Spiritus sanctus, postquam enim dixit: Hoc autem testamentum, quod testabor ad illos, dicit Dominus, dabo leges meas in cordibus eorum, & in mentibus eorum, superscribam eas, & peccatorum, & iniquitatum eorum iam non recordabor amplius. *Hebr.* 10.

Euangelij vsus bonus quo ad prædicantem, vt prædicandi habeat auctoritatem.

Primus ad Sion dicet; Ecce adsum. & Ierusalem Euangelistas dabo. *Esaia* 41.

Messis quidem multa, operarij autem pauci. Rogate ergo Dominum messis, vt mittat operarios in messem suam. *Matth.* 9.

Et prædicabitur hoc Euangeliũ regni in vniuerso orbe in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet consummatio. 24.

Ego dedi eis sermonem tuum. *Io.* 17.

Sicut tu me misisti in mundum, ita & ego misi eos in mundum. *ibidem.*

Quomodo verò prædicabunt, nisi mittantur? Non enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non effecit Christus in obedientiam gentium, in verbo & factis, in virtute signorum & prodigiorum, in virtute Spiritus sancti. *Rom.* 15.15.

Hæc loquere & exhortare, & argue cum omni imperio. Nemo te contemnat. *Tit.* 2.

Aliorum quæras felicitatem.

Infirmos curate, mortuos suscitate, gratis accepistis, gratis date. *Matth.* 10.

Non enim nosmetipsos prædicamus, sed Iesum Christum Dominum nostrum, nos autem seruos vestros per Iesum. 2. *Cor.* 4.

Non enim quæro, quæ vestra sunt, sed vos. 12.

Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis, neque in occasione auaritiæ, Deus testis est, neque quærentes ab hominibus gloriam, neque à vobis. 1. *Thess.* 2.

Argentum & aurum, aut vestem nullius concupiui. *Act.* 20.

Victus necessitatem accipiat euangelizans.

Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris Non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam, Dignus est enim operarius cibo suo. *Matth.* 10. *Marc.* 6. *Luc.* 9.

In eadem domo manete edentes & bibentes, quæ apud illos sunt. Dignus est enim operarius mercede sua. 18.

Probauerunt Macedonia & Achaia collationem aliquam facere in pauperes Sanctorum, Placuit enim eis & debitores sunt

eorum

eorum. Nam si spiritualium eorum participes facti sunt gentiles, debent & in carnalibus ministrare illis. *Rom. 15.*

Quis militat suis stipendijs vmquam? Quis plantauit vineam, & de fructu eius non edit? *1. Cor. 9.*

Si nos vobis spiritualia seminauimus: magnum est si nos carnalia vestra metamus. *Ibid.*

Nescitis quoniam, qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt? Et qui altari deseruiunt, cum altari participant? Ita & Dominus ordinauit ijs, qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuere. (nota, qui operantur, non qui otiantur, &c.) *Ibidem.*

Communicet autem is, qui catechizatur verbo ei, qui se catechizat in omnibus bonis. *Gal. 6.*

Rogamus vos fratres, vt noueritis eos, qui laborant inter vos, & præsunt vobis in Domino: & monent vos, vt habeatis illos abundantius in charitate, propter opus illorum, & pacem habete cum eis. *1. Thess. 5.*

Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur: maximè, qui laborant in verbo, & doctrina. Dicit enim scriptura: Non alligabis os boui trituranti: &, Dignus est operarius mercede sua. (Bene notentur hæc.) *1. Tim. 5.*

SIMILITVDINES.

Christi Saluatoris. Quemadmodum fermenti modica portio multæ imposita farinæ, totam fermentat, inque suum conuertit saporem, & reddit panem acida sua natura multo gratiorem, & suauiorem, qui alioqui sine fermento futurus erat insipidus: Sic etiam Euangelica doctrina, quamuis ipsa appareat vilis, & aspernanda mundo tamen proposita, ex insipido, & fatuo efficit sapientissimum, adeoque totum fere in suas partes attrahit, & in suam naturam transformat. *Matth. 13.*

Vt integrum sinapis semen licet exiguum in terram iactum non elanguescit, sed suapte sponte in grandem arborem succrescit: Ita semel concepta fides, atque Euangelij vel minima scintilla, magis ac magis proficit, atque adolescit. *Matt. 13. & Matt. 4.*

Nullum est iam prægnans semen, quod alterius societatem repudiat, aut cui lolium, aut zizania non potest interseri, sæpe vltro simul cum ipso exoritur. At semen Euangelij etiam, quæ interserta sunt, sua natura interimit, & suffocat.

Chrysostomi. Iudæi legi studentes, quasi candelæ assistentes, obseruabant, quæ legis sunt: Sic & nos maiores his veniente sole iustitiæ relicta vmbra, ad veritatem Euangelij manu ducamur. *Hom. 54. in Gen.*

Sicut oriente sole tenebræ discutiuntur: Ita virtute apparente omnis è medio tollitur malitia. *Hom. 61. in Gen.*

Theoderi. Vt qui cibum boni succi corrumpere potest, nullum alium ferre poterit: Sic qui Euangelium prophanare audet, nihil aliud tam sanctum occurret, quo is non violet. *In apoph. 43.*

Fere vnicuique cibus suæ ætati conuenit, ac panis vnicuique condecit. Ita & Euangelium prouectis, & paruulis conuenit, & quod est mirabile, vnicuique proprium existit. *In apoph. fol. 47.*

Vt sol nullo minuit tenebras, sed illustrat omnes: Ita Euangelium nullis offundit errorem, sed illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. *In apoph. fol. 47.*

Quemadmodum corpus inedia affatim, inopia verò cibi deficit paulatim: Ita gentes verbi Euangelij contemptu pereunt: Christiani verò eiusdem negligentia elanguescunt. *In apoph.*

Sicut cibus mansus, & aliorum saliua infectus genuinam gratiam amittit: Ita sæpè & ipsum Euangelium aliena fæce conspurcatum. *In apoph. 49.*

D. Ioannis Chrysostomi. Sicut ex diuersis itineribus venientes ad vnam mansionem contendunt: Sic & Euangelistæ ex diuersis occasionibus loquentes, in vnum sensum ingrediuntur. *Homil. 18. in Matth.*

Quemadmodum si quis eum, qui ex litore ciuitates, oras, portusque conspicatus sit, in medium postmodum pelagus proueheret, priorum conspectu adempto, in nullum certum obiectum, sed in infinitum eius dimitteret intuitum: Sic Euangelista supra omnem nos creaturam ad cœlestia erigens, ad supernum erectum oculum dimittit, nullum finem (vt arcana illa assequamur) nobis adhibitum: quippe qui nullus est. *Hom. in Ioan.*

Quemadmodum, qui in Euripo sunt, huc illuc iactantur: Itidem hi numquam sibi constant, vtpote incerta, & fragili sententia omnia loquentes, verùm hic piscator omnia absque vlla dubitatione differens, tamquam petræ innisus, nulla ex parte titubat. Ipsis namque supernis penetralibus dignus habitus, & cum omnipotentem Deum in se loquentem habebat, nihil terrenum sentit, vt illi, qui ne per quietem quidem regias ingredi meriti sunt, sed extra in foro, & in aliorum hominum consuetudine pro captu suo inuisibilia coniectantes, multis se ambagibus inuoluerunt, cum de supernis mysterijs disputare contenderint, & tamquam cæci, & ebrij, non mutuo dumtaxat errore, sed plerisque in locis secum ijsdem semper rebus dissideant. *Hom. 1. in Ioan.*

EVCHARISTIA.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Eucharistia Græca dictio est, εὐχαριστία, quæ in nouo Testamento passim occurrit, & gratiarum actionem significat, teste veteris dictionis Latinæ authore. Sacramentum corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi, Eucharistiæ Sacramentum dictum est, nempe quod in sacra mensa solemnes gratiarum actiones Deo Patri reddantur à pijs communicantibus pro redemptione æterna per Christi obedientiam vsque ad mortem acquisita.

SENTENTIÆ BIBLICÆ.

Eucharistia Sacramentum præfiguratum.

Renes vestros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus vestris, tenentes baculos in manib. & comedetis festinantes (agnũ) est enim Phase, id est, transitus Domini. *Exod. 12.*

Pro quibus Angelorum esca nutristi populum tuum, paratum panem de cœlo præstitisti illis, sine labore, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suauitatem. Substantiam enim tuam, dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebas: & deseruiens vniuscuiusque voluntati, ad quod quisque volebat conuertebatur. *Sap. 16.*

Manna tuum non prohibuisti ab ore eorum. *Nehem. 9.*

Omnes eamdem escam spiritualem manducauerunt, & omnes eumdem potum spiritualem biberunt. (Biberũt autem de spirituali, consequente eos petra: petra autem erat Christus.) *1. Cor. 10.*

A Domino vesciter discipulis suis institutum.

Vespere facto discubuit, & duodecim cum eo: cœnantibus autem eis, accepit Iesus panem, & benedixit, fregit, deditque discipulis suis, & ait: Accipite & comedite, hoc est corpus meum. Et accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis, dicens: hic est enim sanguis meus noui Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. *Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22.*

Ego enim accepi à Domino, quod tradidi vobis, quoniam Dominus Iesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit: Accipite, & manducate, hoc est corpus meũ, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem postquam cœnauit, dicens: Hic calix nouum Testamentum est in meo sanguine, hoc facite quotiescũque biberitis, in meam commemorationem. Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat. *1. Cor. 11.*

A nobis reuerenter sumendum ob ipsius sublimitatem:
Vnde præfiguratur in agno paschali.

Decima die mensis huius tollat vnusquisque agnum per familias & domos suas. *Exod. 12.*

Anima polluta, quæ ederit de carnibus hostiæ pacificorum, quæ oblata est Domino, peribit de populis. *Leu. 7.*

Omnis homo, qui accesserit de stirpe vestra ad ea, quę secreta sunt, & quæ obtulerint filij Israel Domino, in quo est immunditia, peribit coram Domino. 22.

Leprosus aut patiens fluxum seminis, non vescetur de his, quę sanctificata sunt mihi, donec sanetur. *Ibid.*

Cum lauerit carnem suam aqua, & occubuerit sol tunc mundatus vescetur sanctificatis, quia cibus illius est. *Et infra.*

Omnis alienigena non comedet de sanctificatis, inquilinus sacerdotis & mercenarius non vescentur ex ijs. *Ibid.*

SANTANTIAE PATAVM.

Hæc quoties agimus, non dentes ad mordendum acuimus, sed panem sanctum sincera fide frangimus & distribuimus, dum quod diuinum & quod humanum est distinguimus & separamus, itemq; separata simul iungẽtes vnum Deum, & hominem fatemur. *Cyp. de Cœna Domini.*

Quotidie Eucharistiæ communionem percipere, nec laudo, nec reprehendo, omnibus tamen Dominicis diebus suadeo, & hortor, si tamen mens sine voluntate peccandi sit. Nam habentem adhuc voluntatem peccandi grauari magis dico Eucharistiæ perceptione, quam purgari: & ideo quamuis peccato quis mordeatur, peccandi tamen de cætero non habeat voluntatem, communicaturus satisfaciat lachrimis & orationibus, confidens de Domini miseratione, qui confessione peccati piè peccata donare consueuit, accedat ad Eucharistiam intrepidus & securus: sed hoc de illo, quem capitalia & mortalia peccata non grauant. Nam quem peccata vel crimina post Baptismum grauant, hortor prius publica pœnitentia satisfacere, & ita Sacerdotis iudicio reconciliatum communicatione sociare, si vult non ad iudicium, seu ad condemnationem sui Eucharistiam percipere, sed & secreta satisfactione solui mortalia crimina non negamus. *Aug. in lib. de Eccl. dog.*

Accipe quotidie, quod quotidie tibi prosit, sic viue, vt quotidie merearis accipere: qui non meretur quotidie accipere, non meretur post annum accipere. *Aug. vt ait in illud Matt. 6. Panem, &c.*

Hoc

Hoc Sacramentum non in merito consecrantis, sed in verbo efficitur Creatoris: nec bonorum dispensatorum meritis amplificatur, nec malorum attenuatur. *De Eccles. dog.*

Num ἀνθρωποφαγίαν mysterium nostrum pronuncias, & irreligiosè ad crassas cogitationes vrges fidelium mentes, & humanis cogitationibus attentas ea tractare, quæ sola pura & exquisita fide accipiuntur? *Cyrill. ad Euoptium.*

Christus sanctis sancta distribuit. Est cibus, qui replet mentem, & non ventrem. Mensam istam vide cuius gratia constituta sit, tremisce, & vltra in cœlum ipsum ascende. *Chrys. in Matth.*

Quanta enim cordis contritione, & lachrimarum fonte, quanta reuerentia & tremore, quanta corporis castitate atque animi puritate illud diuinum cœleste mysterium est celebrandum, Domine Deus, vbi Caro tua in veritate sumitur, vbi sanguis tuus in veritate bibitur, vbi summis ima, humanis diuina iunguntur. Vbi adest sanctorum præsentia Angelorum, vbi tu es sacerdos, & sacrificium mirabiliter & ineffabiliter. Quis digne hoc celebrare mysterium potest, nisi tu Deus omnipotens offerentem feceris dignum? *Amb. in orat. ante missam dicenda.*

Si tantum valuit sermo Eliæ, vt ignem de cœlo deponeret, non valebit sermo Christi, vt species elementorum mutetur? De totius mundi operibus legisti: quia ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt. Sermo igitur Christi, qui potuit ex nihilo facere, quod non erat, non potest ea quæ sunt, mutare in illud quod non sunt? Non enim minus est nouas rebus dare formas, quam mutare naturas. *De Sacram. lib. 3.*

Liquet, quia præter naturę ordinem virgo generauit. & hoc quod conficimus corpus, ex virgine est. Quid quæris naturæ ordinem in Christi corpore cum præter natura sit ipse partus ex virgine?

Vide, quid agas sacerdos, ne febrienti manu Christi corpus attingas: prius curare, vt possis ministrare. *idem de Viduis l. 1.*

Verba Euangelistæ sunt vsque ad Accipite, siue corpus, siue sanguinem, inde sunt verba Christi: Accipite & bibite ex eo omnes, & inde singula, qui pridie, inquit, quam pateretur in sanctis manibus suis accepit panem, antequam consecretur, panis est, vbi verò verba Christi accesserunt, corpus est.

Denique audi dicentem: Accipite & edite ex eo omnes: hoc est corpus meum. Et ante verba Christi, calix vini & aquæ est plenus, vbi verba Christi operata fuerunt, sanguis efficitur, qui plebem redemit. *idem. de Sacram.*

Ante benedictionem verborum alia species nominatur, post consecrationem corpus Christi vere significatur. *ibid.*

Si quotiescunque effunditur sanguis, in remissionem peccatorum funditur, debeo illũ semper accipere, vt semper mihi peccata dimittãtur: qui semper pecco, semper habere debeo medicinã. *ibid.*

Qui vulnus habet, medicinam requirit. vulnus est, quia sub peccato sumus: medicina est cœleste & venerabile Sacramentum. *ibid.*

Ne veluti quidam horror esset cruoris, & maneret gratia redemptionis: ideo in similitudine quidem accipis Sacramentum, sed veræ naturæ gratiam virtutemq. consequeris. *ibid.*

Hic Christus in imagine offertur, illic verò in cœlo in veritate, vbi apud Patrem pro nobis quasi aduocatus interuenit. Ascende ergo, ò homo, in cœlum & videbis ea, quorum vmbra hic erat, vel imago, &c. *Amb. de offic. l. 4. c. 48.*

Biberunt ex eo omnes: ebrietas felix, satietas salutaris, quæ quanto copiosius sumitur, tanto sobrietatem sumentibus donare dignatur, & Iudas bibit, sed non saturatur, nec sitim extinguit ignis æterni, quia indigne sitiuit mysteria Christi. *Hier. super Lucam.*

Accipit Iesus panem, & benedicens fregit, tradens & figurans corpus suum in panem: quod est Ecclesia præsens: quod accipitur in fide, benedicitur in numero, frangitur in passionibus, datur in exemplis, sumitur in doctrinis, formans Sanguinem suum in calicem vino, & aqua commistum: vt alio purgaremur à culpis, alio redimeremur à pœnis. Sanguine namq; agni seruatur domus è percussione Angeli, & aqua maris rubri extinguuntur inimici, quæ sunt mysteria Ecclesię Christi. *ibid.*

Meritò nostræ reconciliationis causa hoc sacrificium constitutum est: & si sacrificij præcepta cõtempseris, sacrificij remedium sentire non poteris. *ibid.*

Christus assumpto pane, qui confortet cor hominis, veritatem corporis sui repræsentauit. *idem in Matth. c. 25.*

Hæc namq; singula victima ab æterno interitu animas soluit, quæ illam nobis mortem vnigeniti reparat: qui licet surgens a mortuis, iam non moritur, & mors illi vltra non dominabitur: tamen in se ipso immortaliter atque incorporaliter viuens, pro nobis iterum in hoc mysterio sacrę oblationis immolatur: eius quippe ibi corpus sumitur: eius caro in salutem populi patitur: eius sanguis non iam in manus fidelium, sed in ora fidelium funditur. Hinc ergo pensemus quale sit pro nobis istud sacrificium, quod per absolutionem nostram vnigeniti filij passionem semper imitatur. *Greg in dial. lib. 4.*

Cibus dulcis, est corpus & sanguis Christi, quod Iudas accepit indignus. *Greg. in hom.*

Sacramentum Dei altissimi suscipiendum est, non discutiendum: venerandum, non dijudicandum: fide sortitum, non inuentum, traditione sancitum, non traditione adinuentum. *Ber. in epist.*

Christus tangi potest, sed affectu, nõ manu, voto non oculo, fide nõ sensibus. Tanges manu fidei, desiderij digito, deuotionis amplexu, tanges oculo mentis. *Ber. ser. 20. in Cant.*

Credere, inuenisse est. Norunt fideles Christum habitare per fidem in cordibus suis. Quid propius? *eiusdem ser. 76.*

Sicut corporalis cibus, quum ventrem inuenerit aduersis humoribus occupatum, amplius lędit, magis nocet & nullum præstat auxilium: ita & iste spiritualis cibus, si aliquem reperit malignitate pollutum, magis eum perdet, non sua natura, sed accipientis vitio. *Chrys. hom. 5. sup. Matth.*

Qui scelerate viuunt in Ecclesia, & communicare non desinunt, putantes se tali communione mundari, & discant nihil ad emundationem proficere sibi. *idem l. 1. de summo bono.*

Væ tradentibus Christum ad crucifigendum. sed væ cum maligna conscientia sub Sacramento sumentibus illum, & si non tradant Iudæis ad crucifigendum, tradunt tamen ipsum membris inimici ad sumendum. *Remigius in gl. sup. Matth.*

EVENTVS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Euentus dici poterit quodcumq; erit actum. *Nonius Marcellus.*

POETICÆ SENTENTIÆ.

Euripides in Antigone.

Ὅστις δ' πρὸς τὸ πῖπτον [illegible] φέρει
Τὸν δαίμον' οὗτος [illegible] ὄλβιος.

Quisquis in euentu rerum sapienter ac modeste fert
Fortunam, felicior est.

Μεταβαλλομένου δαίμονος ἀνέχου.
Πλεῦσον πορθμὸν· πλεῦσον δαίμονα.

Fortunæ mutationem sustine,
Nauiga secundum fluuium, nauiga secundum fortunam.

Θνητὸς γὰρ ὢν καὶ θνητὰ πείσεσθαι δόκει.
Θεῶν ζῆν βίον ἀξιοῖς ἄνθρωπος ὤν;

Mortalis existens, mortalia quoque te passurum expecta.
Diuinam agere vitam cupis, cum homo sis?

Idem in Hippolyto coronato.

Θάρσει τέκνον· καὶ μὴ χαλεπῶς
Μετάβαλλε δέμας.
Ῥᾷον δὲ νόσον μεθ' ἡσυχίας
Καὶ γενναίου λήματος οἴσεις.
Μοχθεῖν δὲ βροτοῖσιν ἀνάγκη.

Bono animo sis fili, & noli corpus
Anxie iactare.
Facilius enim morbum quietus,
Et forti animo prudens feres.
Laborum autem hominibus necessitas incumbit.

Idem in Alexandro.

Πᾶσιν τὸ θανεῖν· τὸ δὲ κοινὸν ἄχος
Μετρίως ἀλγεῖν σοφία μελετᾷ.

Moriendum est omnibus: communem verò dolorem
Moderate dolere sapientia meditatur.

Idem in Oeolo.

Μοχθεῖν ἀνάγκη, τὰς δὲ δαιμόνων τύχας
Ὅστις φέρει κάλλιστ', ἀνὴρ οὗτος σοφός.

Necessarij sunt labores, Dæmonum autem fortunas
Qui optime tolerat vir sapiens est.

Idem in Bellerophonte.

Τοῖς πράγμασιν γὰρ οὐχὶ θυμοῦσθαι χρεών.
Μέλει γὰρ αὐτοῖς οὐδέν· ἀλλ' οὑντυγχάνων
Τὰ πράγματ' ὀρθῶς [illegible] πράσσει καλῶς.

Rebus ipsis indignari non oportet:
Nihil enim eis cura est. Vtens verò rebus,
Si eas recte instituerit prospere agit.

Idem in Alcmena.

Ἀλλ' εὖ φέρειν χρὴ συμφορὰς τὸν εὐγενῆ.

Oportet hominem generosum infortunia bene tolerare.

Euripides de Helena.

Ἔχεις μὲν ἀλγειν' οἶδα· πειρᾶσθαι δὲ χρή.
Ὡς ῥᾷστα τἀναγκαῖα τοῦ βίου φέρειν.

Habes quidem negocia tristia fateor.
Conandũ est tamen, vt quæ necessaria sunt in vita facilime feras.

Idem in Menalippe.

Τὰ τυγχάνοντα δ' ὅστις εὖ φέρει βροτῶν.
Σοφὸν νομίζειν σωφρονεῖν τ' εἶναι δοκεῖ.

Rerum euentus quisquis mortalium bene fert,
Illum sapientem & moderatum virum iudico.

Πέπονθας οἷα χ' ἅτεροι πολλοὶ βροτῶν.
Τὰς γὰρ παρούσας οὐχὶ σῴζοντες τύχας,
Ὤλοντ' ἐρῶντες μειζόνων ἀβουλίᾳ.

Passus es eadem, quæ multi alij homines.

Nam

Nam quisque ipse fortem fortunam non feruans,
Dum temere petit maiora, perennit.

Sophocles in Thyeste.

Πάντων ἄριστον μὴ βιάζεσθαι θεούς.
Στέργειν δὲ μοῖραν· τῶν ἀμηχάνων δ' ἔρως
Πολλοὺς ἔθηκε τῶν παρόντων ἀμπλακεῖν.
Omnium optimum est, non vim inferre esse in Deos,
Sed suam amplecti fortem: cupido autem rerum impossibilium
Effecit, ut multi praesentibus etiam frustrarentur.

Bacchylides.

Εἷς ὅρος, μία βροτοῖσιν ἐστὶν εὐτυχίας ὁδός,
Θυμὸν εἴ τις ἔχων ἀπενθῆ δύναται διατελεῖν βίον.
Ὃς δὲ μυρία μὲν ἀμφιπολεῖ φρενὶ τάδε
Παρά τε τὸ νύκτα μελλόντων χάριν
Αἰὲν ἰάπτεται κέαρ ἄκαρπον ἔχει πόνον.
Vnus terminus, una mortalibus felicitatis est via.
Si quis animum habens indolentem ita possit transigere vitam,
Quibus verò infinita cura circa mentem versantur, qui
Etiam noctu seq. interes metu futurorum
Cor turbant, inutilis labor consumit ...

Pythagoras.

Ὅσσα δὲ δαιμονίῃσι τύχαις βροτοὶ ἄλγε' ἔχουσιν,
Ὧν ἂν μοῖραν ἔχῃς, ταύτην φέρε, μηδ' ἀγανάκτει.
Quidquid dolorum hominibus Daemonia fortuna producunt,
Eorum tantum sorte n acceptam feras, nec indigneris.

Antiphanes in Heniocho.

Ἀνὴρ ἀνδρὸς διαφέρει τοῦτ' ἀνὴρ ὁ μὲν κακῶς
Πράττων τὸ λυπηρὸν ἄγαν οἷς πάρεστιν,
Ὁ δ' εὐσχημόνως δὲ ... εὔκαιρος ...
Hoc vir à viro differt: Vnus quidem infeliciter
Agens mole stiam ipsam magis excitat.
Alter verò consultius (quod contingit) accipiens commodè fert.

Philemon.

Οὗτος ἀνανδρός γέγονας ... ψυχῇ
Τοῦτ' ἔστ' ὃ ποιεῖς γὰρ ... ἀλλ' ἀνανδρία,
Τὸ μὴ δύνασθαι καρτερεῖν λυπούμενον.
Tam ignauus es, assistit non enim animi fortitudo
Est quod nunc facis, sed ignauia & pusillanimitas.
Dolorem sustinere non posse, nec tristitia sua moderari.
Πολλ' ἔστιν ἐν πολλαῖσιν οἰκίαις κακά.
Ἃ καλῶς ἐὰν ἐνέγκῃς ἀγαθὰ γίνονται.
Multa sunt multis in aedibus mala,
Quae bene si tuleris bona fiunt.

Menander in Canephore.

Ἐνεγκεῖν ἀτυχίαν καὶ βλάβην δ' ἐχομένους
Τοῦτ' ἔστιν ἀνδρὸς τοῦ ἔχοντος νοῦν ...
Ἀνασπάσας τὰς ὀφρῦς, οἴμοι, ἐλαλεῖ.
Ἀλλ' ὃς τὰ αὐτοῦ πράγματ' ἐγκρατῶς φέρει.
Calamitatem, & damnum decenter feras:
Hoc viri prudentis est non eius qui
Sursum retractis superciliys, Hei mihi! dicat:
Sed illius, qui res suas continenter modesteq; fert.

Apollodorus.

Χαλεπὸν τύχης τὸ πρᾶγμα χαλεπὸν, ἀλλὰ δεῖ
Αὐτὸν φέρειν κατὰ τρόπον ὥσπερ φορτίον.
Graue omnino molestumq; est fortuna negotium: sed oportet
Animo & moribus ipsum velut onus quoddam ferre.

Menand. in Androgyno.

Τὰ προσπεσόντα προσδοκᾶν ἅπαντα δεῖ
Ἄνθρωπον ὄντα· παραμένει γὰρ οὐδὲ ἕν.
Futuros euentus expectare oportet vnumquemque
Hominem. Nihil enim stabile permanet.
Ἀεὶ τὸ λυποῦν ἀποδίωκε τοῦ βίου
Μικρόν τι τοῦ βίου καὶ στενὸν ζῶμεν χρόνον.
Tristitia semper à vita repelle,
Exiguum enim & angustum aetatis tempus viuitur.

Philemon.

Μείζω τὰ κακὰ ποιοῦσι πολλοὶ τῶν ὄντων
Αὐτοὶ δ' αὐτοῖς ... τῇ φύσει.
Οἷον τέθνηκεν υἱὸς ἢ μήτηρ τινί,
Ἢ νὴ Δί' ἄλλος τῶν ἀναγκαίων τις ἦν.
Εἰ μὲν λάβῃ τοῦτ' ... ἀπέθανεν ἄνθρωπος γὰρ ἦν.
Τοσοῦτον γέγονε τὸ κακὸν οὐ μεῖζον παρ' ἑ.
Ἐὰν δ' ἀβίωτος ὁ βίος ἐστίν, οἴμοι,
Ἀπόλωλα, κἂν ἑαυτῷ τοῦτο ἐνσκοπῇ,
Πρὸς τοῖς κακοῖς ἕτερα συλλέγει κακά.
Ὁ δὲ τῷ λογισμῷ πάντα παρ' ἑαυτῷ σκοπῶν,
Τὸ κακὸν ἀφανίζει, τἀγαθὸν δ' αὐξάνει.
Multi domino, sua sibi mala augent.
Ipsi sua culpa & maiora faciunt, quàm facta sint per naturam.
Verbi gratia obijt alicui filius, aut mater,
Aut hercle quiuis alius ex necessarys,
Quod si apud se cogitarit, mortuus est. Homo enim erat:
Non amplius fit malum, quàm à natura productum est.
At si exclamet: Vita mihi non vitalis est, non amplius videbo,
Perijt, hoc ferum qui reputet
Praeter mala praesentia insuper alia colligit.
Qui verò omnia apud se ratione considerant,
Is malum adimit & bonum capit.
Ἀγνοεῖς ἄνθρωπος ὤν. Δαιμονᾶν ...
Τέθνηκέ τις, μηδὲν ... ἔστω τοῦτο σοι.
Κακῶς ἔχεις, μηδὲν ... ὑγίαινε ...
Ἠτύχηκέ τις ... τις ...
Ἡ νόσος δ' ἅπαντα ... λύπας.
Obscurus est aliquis: hoc nihil prohibet felicitatem tuam.
Obijt aliquis: noli id agre ferre.
Sine peperit aliquis, nihil est molestum, sine non peperit.
Calamitosus fuit aliquis: hoc tulit ille ploras.
Natura nisi non istorum fert: fuge maerores.

Menander in Bœotia.

Πολλαὶ δύνανται ...
Ἐν ... ἀλλ' εἰ πλείονα
Τὰ συμφέροντ' ἔνεστι τοῦτο δεῖ σκοπεῖν.
Multa vbique grauia
Reperias in rebus, sed an plura
Insint vtilia, istud considerandum est.

SIMILITVDO.

Plutarch. Vt qui canem lapide petens, nouercam percussit. Ne sic quidem, inquit, malè: Ita quod praeter expectationem euenit in bonam partem vertendum est. *In Moral.*

ADAGIA.

Incertus euentus.

Mars communis. *Ἄρης κοινός. Homer. Iliad. σ.*
Incertus ac varius belli euentus hoc adagio notatur.
Anceps eentus rei.
Quum ancepsrei discrimen significamus, & incertum vtro vergat victoria congruet illud.
Καὶ τότε δὴ χρύσεια πατὴρ ἐτίταινε τάλαντα.

Id est,

Tum pater auratus librabat vtrinq; bilances.
Multa cadunt inter calicem supremaq; labra. Πολλὰ μεταξὺ πέλει κύλικος καὶ χείλεος ἄκρου. *Gell. lib. 13.*
Monet proverbium: Nihil tam certum aut vinctum esse, quod non repentinus aliquis casus possit intervertere.
Inter os & offam.
Eiusdem sententia cum praecedente proximo: Gellius ex quadam oratione Catonis. Festus paulo aliter idem refert. Inter manum & mentum.
Euentus praeter expectationem.
Quoties res multo secus euenit, quam vel fuerat instituta, vel probabilibus coniecturis euentura videbatur, congruet illud.
Ἀλλ' αἰεί τε Διὸς κρείσσων νόος αἰγιόχοιο.

Id est,

Verum praepollet magni Iouis vsque voluntas.
Pindarus in Pythijs, hymno vltimo. Τὸ γὰρ μόρσιμον οὐ παρφυκτόν, ἀλλ' ἔσται χρόνος οὗτος, ὃ καί τιν' ἀελπτίᾳ βαλὼν ἔμπαλιν γνώμας τὸ μὲν δώσει, τὸ δ' οὔπω. Id est. *Quod enim in fatis est, euitari non potest: sed erit tempus hoc, quod aliquem desperatione iaculatum praeter opinionem hoc quidem dabit aliud verò nequaquam. Rursus Homer. Iliad. π.*
Ἀλλ' αἰεί τε Διὸς κρείσσων νόος ἠέπερ ἀνδρῶν.

Id est.

Sed magis atque hominum pollet Iouis vsque voluntas.
Nescis quid serus vesper vehat. *Macrobius & Gellius ex Menippeis Varronis.*
Monemur ne praesentiam, successuum prosperitate elati, futurorum curam abyciamus
Nullo scopo iaculari. Ἄσκοπα τοξεύειν.
De ijs, qui nihil certi habent propositum, ad quod instituti consilijq; sui rationem referant. Legitur apud Lucianum in Toxaride.
In herba esse.
Significatur spes immatura. Metaphora est à segetibus teneris adhuc & herbescentibus. Ouid. in epist. Helena.
Si crebro iacias, aliud alias iacceris. Ἂν πολλὰ βάλλῃς, ἄλλοτ' ἀλλοῖον βαλεῖς.
Res eadem si minus ex voto succedat, saepius tentanda. Futurum enim est, vt iterum iterumq; periclitantis successus aliquando cadat. Arist. in libello de Diuinat. ex somnys.
Sol omnium dierum nondum occidit.
Admonemur ne vlla de re securi simus prius quam exitum viderimus. T. Liu. lib. 9 Decad. 4. Es ist noch nicht aller tag abendt. Es findt noch nicht alle entschlaffen, die eine bose nacht haben sollen. Es ist noch nicht aller heiligen abend.

FABVLA.

Olla natans.

Leberem aeneam & ollam fictilem vndae vis abstulerat: Tum olla magnopere vitare concursum aheni, & formidare ac tremere. Cui lebes: Quid metuis? inquit, non ego tibi nocebo. Respondit olla, in tali iactatione se non posse securo esse animo, cui non suspecta

specta ipsius voluntas erga se, sed fortuitus cõcursus timori esset. Docet fabula, periculosas omnibus modis esse conuictiones potentum & impotentium.

Vide Casus, Fortuna.

EXACTIO.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Exactio, ab exigo verbo venit, quod Græcè εἰσπράττω dicitur, quod inter multa quæ habet significata, aliquando significat debitum peto. *Martialis. Exigis à nobis operam sine fine petitam.* Vnde exigere pecuniam, quæ nobis debetur, & exactores vocantur, qui pecuniam exigunt, & exactio actus ipse exigendi. Nomen exactæ pecuniæ, vult Vlpianus, non modo ad solutionem referendum, sed etiam ad delegationem putat, hoc est, cum pecuniam, quæ nobis debetur, alteri assignamus. Tunc enim exacta à nobis dicitur, etsi ille nondum soluerit. Exigere etiam est extorquere, inuestigare, agere, constituere. *Virgilius*

Decreuitq; mori, tempus secum ipsa modumq; Exigit.

SENTENTIÆ BIBLICÆ.

Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem. *Paul. ad Rom. c. 13.*

SENTENTIAE PATRUM.

Exigitur, quod debetur nostro corpori: sed non impendimus, quod subiectorum debemus cordi. *Greg. in Mor.*

Non gaudent martyres, quando de illis pecunijs honorantur, in quibus pauperes plorant. *Chrys. super Matt.*

Magnum scelus est, rem pauperum præstare diuitibus, & de sumptibus inopum acquirere fauores potentum. Arenti terræ aquam tollere, & flumina, quæ non indigent, irrigare. *Isid. lib. 3. de summo bono.*

Ministerialium siquidem tanta est multitudo, quanta est locustarum, vt istis residentibus alij succedant, quod ex parte fuerit deuoratum, alij deuorent crudeliter & cõsumant; impleturq; in eis illud propheticum, residuum erucæ comedit locusta, residuum locustæ comedit bruchus, residuum bruchi comedit ærugo. Pauper enim veretur aperire malitiam exactorum, ne grauiora moliantur in eum, & fiant posteriora hominis peiora prioribus. *Pet. Rau. in quadam epist.*

APOPHTHEGMATA.

Callicratidas, cum ad pecunias petendas ad Cyrum iuniorem mitteretur, ad belli vsum, bis regis aulam accessit, & compotationibus eum indulgentem audiuit. Tertio verò cum audisset, & iterũ bibere eum, nec se ad colloquium admitti intellexisset, dixisse fertur: Ita curam habendam pecuniarum, vt ne quid tamen committeretur Sparta indignum. Quo dicto docuit, ita ab hominib. exigendam esse pecuniam debitam, ne quid nostræ dignitati & existimationi decedat. *Plut. in Lacon.*

Dionysius sen. exegerat pecunias a Syracusanis, deinde quum videret illos lamentantes, obsecrantes, ac negantes se habere, quod darent, indixit alteram exactionem, idq; iterum ac tertio fecit. At postquam, vbi maiorem summam imperasset, audiret illos in foro ambulantes ridere, & scommata in regem iacere, iussit præfectos ab exigendo quiescere. Iam enim, inquit, nihil habẽt, quandoquidem nos contemnunt. *Plut. in apoph.*

Tiberius cum deprehendisset Aemilium Rectum, quem Aegypto præfecerat, nimium à populo exegisse, super ea re iratus rescripsit, se tonderi velle suas oues, non deglubi. Solent autem principes deglubere oues cum grauiores exactiones subditis imponunt, quam vllo pacto ferre possint. *Dion. Nicaus in Tiberio.*

Antoninus Caracalla à Iulia matre grauiter obiurgatus, quod ingentem illã pecuniam, quam per fas & nefas à subditis vi exegerat, profunderet: gladium euaginatum ostendens, Bono (inquit) animo esto mater: Nobis, quam diu hunc habebimus, nulla vnquam deerit pecunia. *Dion. Nicaus & Xiphilinus in eius vita.*

EMBLEMA.

Andreæ Alciati.

Opulentia tyranni, paupertas subiectorum.

Humanũ quod splen q? corporis in populo ve
Hoc Cæsar fi cum dixerat esse suum.
Splene aucto reliquum tabescunt corpore artus.
Fisco aucto angustat ciuica pauperies.

Vide Tributum.

EXCOMMVNICATIO.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Excommunicatio. Græcè ἀφορισμὸς, & ἀφορίζω excommunico dicitur. Est autem excommunicatio censura, à canone, vel a iudice ecclesiastico prolata priuans communione Sacramẽtorum, & quandoque hominum. *secundum Paulum super Rubrica eiusdem tituli.*

LOCI BIBLICI.

Excõicare idem est apud Christianos, quod Iudæis Synagoga moueri. *Io. 9. 22. & 12. 42 & 16. 2.* nempe nomen expungi è populo Dei, vt explicatur, *Luc. 6. 22.* sicut Latini dicebantur, Capitis diminutionem pati, qui ex albo à Censoribus expungebantur.

Excommunicatio in Ecclesia necessaria est, *Matth. 18. 17. 1. Cor. 5. v. 3. 4. 5. 6. 2. Thess. 3. 14. 1. Tim. 1. 20. Tit. 3.* Excõmunicatio legitima quãti sit apud Deũ momenti, *Mat. 18. v. 18.* abusos, *2. Io. v. 10.* Excommunicationis finis & scopos; *Primus*, vt excommunicatus pudore victus, ad pœnitentiam excitetur, & deflectat a malo, *1. Cor. 5. v. 5. 2. Cor. 2. 7. 2. Thess. 3. 14. 1. Tim. 1. 20. Secundus*, ne contagio ad reliquos serpat, *1. Cor. 5. v. 6. 7.*

SENTENTIAE BIBLICAE.

Excommunicationis vsus.

Eijciãt de castris (Ecclesiæ) omnem leprosum, & qui semine fluit, pollutusq; est super mortuo. *Num. 5.*

Sit ciuitas hæc anathema, & omnia, quæ in ea sunt, Domino. *Ios. 6.*

Non poterit Israel stare ante hostes suos, & eos fugiet, quia pollutus est anathemate. 7.

Non ero vltra vobiscum, donec conteratis eum, qui huius sceleris reus est. *ibid.*

Anathema in medio tui est Israel, non poteris stare coram hostibus tuis, donec deleatur à te, qui contaminatus est hoc scelere. *ibid.*

Anathema non erit amplius, sed sedebit Ierusalem secura. *Zachar. 14.*

Iudas anathematizauit filios Bean (iniquus gratiæ.) *1. Machabæor. 5.*

Quodcumque ligaueris super terram (excommunicando) erit ligatum & in cœlis: & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cœlis. *Matth. 16. 1.*

Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus. 18.

Scripsi vobis in epistola, ne commisceamini fornicarijs: non vtique fornicarijs huius mundi, aut auaris, aut rapacibus, aut idolis seruientibus: alioquin debueratis de hoc mundo exijsse. *1. Cor. 5.*

Nunc autem scripsi vobis, non commisceri. si is, qui frater nominatur inter vos, est fornicator, aut auarus, aut idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum eiusmodi nec cibum sumere. *ibid.*

Auferte malum ex vobis ipsis. *ibid.*

Si quis non amat Dominum nostrum Iesum Christum, sit anathema. 16.

Licet nos, aut angelus de cœlo euangelizet vobis præterquã quod euangelizamus vobis, anathema sit. *Gal. 1.*

Si quis non obedierit verbo nostro, per epistolam, hunc notate, & non commisceamini cum illo, vt confundatur: & nolite quasi inimicum existimare, sed corripite, vt fratrem. *2. Thess. 3.*

Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Aue ei dixeritis. Qui enim dicit illi Aue communicat operibus eius malignis. Ecce prædixi vobis, vt in die Domini non confundamini. *Epist. 2. Ioan. vt.*

Effectus.

Ego absens corpore, præsens autem spiritu, iam iudicaui, vt præsens traderem huiusmodi hominem Satanæ (per excommunicationem) in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini, *1. Cor. 5.*

Quos tradidi Satanæ, vt discant non blasphemare. *1. Tim. 1.*

Abusus.

Iam conspirauerant Iudæi, vt si quis eum confiteretur esse Christũ extra synagogam fieret. *Ioan. 9.*

Absque synagogis facient vos. Sed venit hora vt omnis, qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo, & hæc facient vobis, quia non nouerunt patrem, neque me. 16.

SENTENTIAE PATRUM.

Nos communione quenquam prohibere non possumus, quamuis prohibitio hæc nondũ sit mortalis, sed medicinalis, nisi aut sponte confessum, aut in aliquo siue seculari siue ecclesiastico iudicio nominatum atque conuictum. *Aug. in ser. 40.*

Fit vt ipsa ligandi ac soluendi potestate se priuet, qui hanc pro suis voluptatibus: & non pro subiectorum moribus exercet. *Greg. in hom.*

Sententia excommunicationis pastoris siue iusta, siue iniusta metuenda est. *Greg. in reg.*

Si quis illicitè quempiam excommunicat, seipsum, non illum excõmunicat. *ibid.*

Interdum fit, vt aliquis, non recto iudicio eorum, qui præsunt

Eccl.

Ecclesiæ, depellatur, & foras mittatur: sed non exit ante: hoc est, si non ita se gessit, vt mereatur exire, nihil læditur in eo, quod non recto iudicio ab hominibus videtur expulsus, & ita fit, vt interdum ille, qui foras mittitur, intus sit: & ille foris sit, qui intus retineri videtur. *Orig. super Leuiticum hom. 48.*

SIMILITVDINES.

Chrysostomi. Pax vera tunc præstantior, cum quod tabe, vel sanie corruptum est, abscinditur, atque proijcitur, quando factiosa, & improba pars repellitur, vel omnino destruitur: sic certè cœlis terra coniungi potest. Nam & Medicus hoc modo reliquum corpus conseruat, facilè si quod reduci ad sanitatem nequit, deciderit, atque abiecerit: & militiæ dux ad soluendam militum conspirationem, alterum in alterum concitat: Sic illius quoque tempore turrim factam videmus, quando perniciosa illa pax, per probatam discrepantiam dissoluta, tranquillam, atque laudabilem reddidit. Sic Paulus, qui contra se conspirabant, diuidebat. *Homil. 36. in Matth.*

Patres filios delinquentes frequenter ex ædibus exigunt, & à mensa submouent: non vt semper illinc exulent: sed vt hac correptione redditi meliores, cum debita laude in paternum redeant contubernium. Idem sanè faciunt & pastores dum oues scabie oppletas, à sanis segregant, vt misero morbo leuatæ, denuo tuto ad sanas reuertantur, potius quàm ægrotæ, gregem vniuersum suo illo morbo impleant. *Homil. 3. Periculosum esse adire spectacula.*

Sicut priuatus homo, regiam sibi ipsi purpuram circumponens, vna cum omnibus, qui se iuuant punitur, vt tyrannus: Ita & qui Dominicam fert sententiam, & hominem facit anathema Ecclesiæ, abducit se ipsum in extremam perniciem, vsurpando dignitatem filij Dei. *Ser. de Anathemate.*

Mala bestia est peccatum, non quidem in conserua corpora malum proferens, sed in ipsam Domini gloriam effundens malitiam: Propter vos, inquit, nomen meum conuitijs afficitur inter gentes. Eoque peccatorem tamquam è sacra patria abegit Propheta, & vltra fines, ac pomœria submouit. Atque vti Musicus optimus è cythara bene modulata chordam dissonam resecat, ne reliquarum vocum harmonia vitietur: Sic & peritus artis Medicus, membrum putrefactum amputat, ne hæc lues ad cætera membra sana transiliat. Eumdem ad modum Propheta sentit, dum veluti chordam dissonam, ac veluti membrum ægrum, ab vniuerso creaturæ corpore resecat. *Homil. 4. cum presbyter esset designatus.*

Theophylacti. Verùm quomodo aliquis dicit, Satanæ tradebantur? qui enim contumax esset, & minus obediens, extra Ecclesiam emittebatur, eijciebaturq; à cætero grege, & nudus mox, & desertus, lupis dedebatur in prædam. Nam quemadmodum olim nubes tabernaculum obducebat, sic Christi Ecclesiam Spiritus. Quicumque ergo ex Ecclesia fuerit eiectus, & Spiritu sancto priuatus, erit hic miser perfacilis in capturam. Tanti est ab aliorũ, & consortio, & communi ne repelli. *In 1. ad Tim. c. 1.*

D. Augustini. Nollemus quidem tamquam à proprij corporis iunctura præcidi: sed quando tabescentis vulneris putredo pestifera plus habet in abscissione solaminis, quàm in remissione medicaminis, inuenta est causa salubrior, ne per cuncta membra pestilens irrepat virus, vt compendioso dolore natum decedat vulnus. *Contra Crescaninum Grammaticum lib. 4. c. 4.*

D. Cypriani. Imperitus est Medicus, qui tumentes vulnerum sinus, manu parcente contrectat, & multis recessibus viscerum, virus incensum, dum seruat exaggerat. Aperiendum vulnus est, & secandum, & putredinibus amputatis, medela fortiore curandum: vociferetur, & clamet licet, & conqueratur æger, impatiens per dolorem, gratias aget postmodum, cum senserit sanitatem. Sic oportet Dei sacerdotem non obsequijs decipientibus fallere, sed remedijs salutaribus prouidere. *Ser. 5. de lapsis.*

D. Ambrosij. Nescitis quod modicum fermentum totam massam corrumpit? Ita peccatum vnius, quod cognitum non arguitur, multos contaminat, imò omnes qui norunt, & non deuitant, aut, cũ possint arguere, dissimulant: non enim sibi videtur peccare, quando a nullo corripitur, aut vitiatur. *In 1. ad Cor. c. 5.*

Gregor: Trapezonty. Sicut oues agnique veteres, videlicet in fide, atque nouelli ad diem vsque aduentus in gloria Domini per successionem duraturi sunt. Eodem vtique modo illum permanere, cui commendatio facta est. *In expositionem illius textus Euangelij: Sic volo eum manere donec, &c.*

Cutranie. Vt membra quædam amputantur, si & ipsa sanguine, & tamquam spiritu carere cœperunt, & nocent reliquis partibus corporis: Sic ista in figura hominis feritas, & immanitas belluæ, à communi tamquam humanitate corporis segreganda est. *lib. 3. Offic.*

Tironi. Aegram aliquando partem corporis acrioribus medicamentis castigamus, ne omnino pereat: interdum etiam excidimus ne vitium serpat: Ita & proximum licet seuerioribus verbis reprehendere, aliquando etiam, vt spiritus eius saluus fiat, carnem excindere. *In Apoc. 9. 3.*

EXEMPLA BIBLICA.

Excommunicationis & separationis exempla: Adam & Eua. *Gen. 3. 24.* Leprosi vtriusque sexus, *Num. 5. v. 12. 2.* Maria, 12. 15. Core Dathan & Abiron, 16. *v.* 24. 25. 26. 27. Achan, *Ios. 7. v.* 24. 25. Ananias etiam & Sapphira sunt species quædam, & tristissimum excommunicationis exẽplum, *Act. 5. 1. &c.* Iudæi. 13. 46. Corinthius incestuosus, 1. *Cor.* 5. 9. Pseudoapostoli, *Gal.* 1. *v.* 8. 9. Hymenęus & Alexander, 1. *Tim.* 20. Phygellus & Hermogenes. 2. *Tim.* 1. 15.

EXEMPLA HISTORICA.

In sexto generali Concilio Constantinopolitano *Macarius Patriarcha Antiochenus* cum Monothelitis pertinacibus in sua hæresi anathemate percussus. *Theat. Zvving.*

Anacletum Antipapam Innocentius bis terue excommunicauit. *Platina. Sigeberti continuator. Otho Frisingensis. lib. 7. c. 23.*

Theodosius Imp. per octo menses ab *Ambrosio* excommunicatus, ob nimiam aduersus *Thessalonicenses & Pannonas* vindictam, quorum 7000. occidi curauerat: qui magistratus aliquos saxis obrutos & contumeliosè tractatos interfecerant. At veniam tandem petens, receptus est ab *Ambrosio*, populo pro eo deprecante. *Theat. Zvving.*

Innocentius Rom. PP. excommunicauit tum ipsum Imperatorem *Arcadium*, eiusque coniugem *Eudoxiam*: tum etiam ecclesiasticos omnes, quorum peruersis studijs *Io. Chrysostomus* in exilium eiectus fuerat. *Niceph. lib. 13. c. 34.*

Alexander III. Fridericum I. Imp. qui Octauianum Antipapem designasset, ea commonicatione ferit, ac per vniuersum orbem literis missis hoc publicauit. *Sylwius.*

Apud Germanos, qui scutum amisissent in acie: sacris interesse non poterant. *Tacitus.*

Phocensibus ob direptum fanum *Delphicum à Philippo* victis, *Delphici* fani & conuentus *Amphictyonum* communicatione interdictum: iusq; ferendi suffragij ad *Macedonas* ab *Amphictyonibus* translatũ, *Pausanias in Phocaicis.*

Apud *Ægyptios* subulcis vniuersis templa interdicta fuere. *Herodot. lib. 2.*

Apud *Magos*. Lentiginosi tanquam inuisi Dijs immortalibus, ab aris procul arcentur: cum ijs, quibus viuentibus exequiæ factæ sunt. *Alex. ab Alex. lib. 4. c. 17.*

EXCVSATIO.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Excusatio, Græcè ἀπολογία, ας, ἡ. & ἀπολόγημα, excuso dicitur. Est autem propriè excusatio obiecti criminis dilutio & venit ab excuso, quod est quasi ex causa detraho. Huius diminutiuum est excusatiuncula: hinc excusabile, excusatione dignum.

PATRVM SENTENTIAE.

Cœpisti non defendere peccatum tuum: Iam inchoasti iustitiam: perficietur autem in te, quando nihil aliud facere delectabit. *August. de Car. ser. 4.*

Definiunt esse peccata, quæ propter grauiora vitanda suscipiuntur. Sicut enim in rebus vtilibus non vocatur damnum, quod propter maius lucrum admittitur, ne grauius admittatur. *In epist. ad Publ.*

Absit, vt id, quod propter bonum ac licitum facimus, si ex hoc propter nostram voluntatem quicquam mali acciderit, nobis imputetur. *Idem ibid.*

Nulla alligamus onera grauia & humeris vestris imponimus, quæ nos digito non tangemus: quoniam si officij nostri salua ratione possemus, nouit ille, qui nostra scrutatur corda, mallemus hæc agere, quæ vt agatis hortamur, quam ea, quæ vos agere cogimus. *De opere Monachorum.*

Nulla est peccati excusatio, si amici causa peccaueris. *De Amic. c. 7.*

Multitudo sociorum, impunitatem non facit criminum. *Hieron. in epist.*

Superest vt diligas diligentem. & in scripturarum campo iuuenis senem non prouocet: nos nostra habuimus tempora, & cucurrimus quantum potuimus, nunc de currente & longa spatia transeunte nobis debetur otium. *In epist. ad Aug.*

Non enim vt aduersarijs, sed vt amicis scripsimus: nec inuecti sumus in eos, qui peccant, sed ne peccent, monemus: neque in illos tantum, sed in nosmetipsos seueri iudices fuimus: Nullũ læsimus, nullius nomen de mea scriptura vel sermone signatum est, neminem sermo noster specialiter pulsauit, generalis de vitijs disputatio fuit, sed qui mihi irasci voluerit, plus ipse de se, quod talis sit confitetur. *In epist. ad Nepot.*

Non est facilè malum de perfecta ætate credendum: quam vita præterita defendit, & honorat vocabulum dignitatis. *In epist. ad Ru*

Vsitatum generis humani vitium est libendo peccatum committere.

re: & commissum negando abscondere, & conuictum defendendo excusare. *Greg. lib. 22. Moral.*

Fit plerumque vt dum iniqui correcta in se mala defendere nequeunt, vt verecundia peioris fiant: & sic in sua defensione superbiant, vt quaedam vitia contra vitam corripientis exquirant, & eos se criminosos non existiment, si crimina alijs imponant: qui cum vera inuenire nequeunt, fingunt, vt ipsi quoque habeant, quod imparte iustitia increpare videantur. *lib. 10. Moral.*

Peccatum peccato addit, qui culpae, quam fecit, patrocinia defensionis adiungit. *lib. 22. Moral.*

Quidam dicere nonnumquam solent, concessis vtimur, aliena non quaerimus: & si digna misericordiae retributione non agimus nulla tamen peruersa perpetramus, quum tamen diuitem post hanc vitam vitiae gehenna suscepit, non quia aliquid illicitum gessit, sed quia immoderato vsu totum se illicitis tradidit. *In pastorali.*

Noli iudicare proximum, sed magis excusa. Excusa intentionem, si opus non potes, puta ignorantiam, puta subreptionem, puta casum. Quod si omnem omnino dissimulationem rei certitudo recusat, suade nihilominus tibi & dicito apud temetipsum. Vehemens fuit tentatio: quid de me illa fecisset si accepisset in me similiter potestatem? *Bern. super Cant. ser. 11.*

In quacumque hominum versaris frequentia, caue alienae conuersationis esse aut curiosus explorator, aut temerarius iudex, etsi perpetratum actumve quid deprehendes, ne sic iudices proximum, magis autem excusa. *de 12. grad. hu.*

Ad hoc, vt verum fateat, ea mihi deesse video, quae maxime necessaria videntur, diligentiam & ingenium; quia nec doctis, nec indoctis pariter huiusmodi excusandi mos est, nec facile scitur, qui vel experientia, qui vel et veritas eos prodeat, si iniuncti operis obedito non probat. *de diligende Deo in prime.*

Excusatio perfecta, testimonium conscientiae suae. *de Consid. l. 2.*

Quamuis vera sint, credenda non sunt, nisi quae certis indicijs comprobantur, nisi quae manifesto examine conuincuntur, nisi quae ordine iudiciario publicantur. Non enim qui accusatur, sed qui conuincitur reus est. *Isid. l. 1. syn.*

Superbos vult se credi constantem, prodigus liberalem, auarus diligentem, temerarius fortem, inhumanus parcum, ignauus quietum, timidus cautum. *Prosper. de vita contem. lib. 4.*

Hoc enim maximum vitium est, quo laborat humanitas, vt post peccatum suum maxime ad excusationis refugium, quasi poenitudinis se confessione prosternat, quod facinus inter summa peccata constat numeratum esse, quia inde nascitur, vnde ad poenitentiam reus tardius venire videatur. *Cassio. Psal.*

PHILOSOPHORVM SENTENTIAE.

Sine summo scelere non potes, quod maleficium in alijs vindicaris idem in alieno socio cum scires defendere. *Cic. pro Sext.*

Nemo se auarum intelligit esse, nemo cupidum, caeci tamen ducem quaerunt, nos sine duce erramus, dicimus, non ego ambitiosus sum, sed nemo Romae aliter potest viuere. Non ego sumptuosus sum, sed vrbs ipsa magnas impensas exigit. Non est meum vitiu, quod iracundus sum, adolescentia hoc facit. Qui quidem nos decipimus, nō est extrinsecus in nobis malum nostrū, intra nos est, in visceribus ipsis sedet, & ideo difficulter ad sanitatem venimus, quia nos egrotare nescimus. *Sen. 60 epist.*

Intellige tua esse vitia: quae putas rerum. Quaedam enim locis & temporibus ascribimus: at illa quocumque transierimus, secutura sunt. *ibid.*

Nullum putaueris locum sine teste excusatorem quaerere. Vitium est, non posse: praetenditur, sed nolle in causa est. Omitte excusationem, nemo peccat inuitus, omne peccatum voluntarium est: *In Prou.*

Puerum aetas excusat, foeminam sexus, extraneum libertas, domesticum familiaritas; amicus est scilicet, qui offendit, fecit quod noluit: inimicus fecit quod debuit, prudentiori remittamus. *In quadam epist.*

Vtendum est etiam excusatione aduersus eos, quos inuitos offendas, quantumcumque possis id, quod feceris, necesse fuerit, nec aliter potueris facere. *Cicero lib. de Offic.*

Voluntatio facinori nulla est excusatio imprudentiae. *Cicero Rhetoricorum veterum lib. 8.*

Nam qui post factam iniuriam se expurgat, parum sibi prosit. *Terent. comoed. l. 6.*

EXEMPLA BIBLICA.

Excusationis legitimae exempla: Dauid, 1. *Sam.* 17. 29. Abimelech, 22. 15. Christus, *Matt.* 12. 3. Excusationis modestae exempla: Fratres Ioseph, *Genes.* 42. 10. Ruben, Gad, & dimidia Tribus Manasses, *Ios.* 22. *v.* 22. 23. 24. Gedeon, *Iudic.* 8. *v.* 1. 2. 3. Anna, 1. *Sam.* 1. 15. Daniel, *Dan.* 6. 22. Excusationis peccati exempla: Adam & Eua *Genes.* 3. *v.* 12. 13. Iudas, 44. 16. Iudaei, *Ierem.* 8. 35. Excusationis inepte exempla: Sara, *Genes.* 18. 15. Saul, 1. *Samuel*, 13. *v.* 11. 12. 13. & 15. *v.* 15. 20. Vocati ad coenam magnam, *Luc.* 14. 18. Excusationis ironicae exemplum. Paulus. *Act.* 23. 5.

EXECRATIO.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Execratio, Graecè κατάρασις, & καταρᾶσθαι, execror dicitur. Et est malorum deprecatio. Ab execror, quod propriè est mala deprecor, sit execrabile, deprecabile, euitanduor. Deducuntur autem haec omnia à sacrum. Vide. *Gal.* 3. 13.

ADAGIA.

In vltimas terras. εἰς ἔσχατα γῆς.

Quoties in execrationem locum vehementer semotum intelligi volumus. Theoc. & Cicero.

Tragicae execrationes. αἱ τραγικαὶ ἀραί.

Pro magnis seu grauibus & diris imprecationibus.

Deuotionis templum. ἀρᾶς ἱερόν.

In eos dicebatur, qui crebris execrationibus vti consueuerant, Diog.

Oedipi imprecatio. Οἰδίποδος ἀρά.

De tragicis imprecationibus & ingenti malo dicitur. Fabulam vide apud Aeschylum.

Phocensium execratio. Φωκέων ἀρά.

De inextricande multis vinculis obstrictis. Vide de Phocensibus Herodot. lib. 1. & Strab. lib. 4.

In omni fabula execratio. ἐν παντὶ μύθῳ καὶ ...

Quadrabit in autores atrocium facinorum, aut ingentium calamitatum.

EXEMPLVM, EXEMPLAR.

DEFINITIO ET ETYMOL.

Exemplar, Graecè ἀρχέτυπον, dicitur. Et est id, ad cuius imitationem fit aliquid ex intentionem agentis, *secundum P. Tho. in quaestionibus de veritate q. 8. art. 9.*

Exemplū, Graecè παράδειγμα, dicitur. Et est alicuius facti, vel dicti praeteriti, cum certi authoris nomine, propositio. *secundum Cic. lib. 2. Rhetor.* Exemplum est, cum vt totum ad totum, neque vt totum ad partem, sed pars ad partem, simile ad simile: quando vtraq; sub eodem genere sunt, sed vt vnum altero magis perspicuum. *secund. Cic. lib. 1. Rhetor.*

LOCI BIBLICI.

Exempla mala cauenda, *Psal.* 18. 27. & 39. 9. & 141. 4. *Matth.* 6. 2. & 23. 3. *Rom.* 12. 2. *Hebr.* 38. Exemplorum vsus, *Cor.* 2. 21. & 24. 9. & 29. *Ios.* *v.* 17. 20. *Iudic.* 11. 25. *Ruth.* 4. 11. 1. *Sam.* 6. 6. 2. *Sam.* 11. 21. 2. *Reg.* 9. *v.* 30. 31. 1. *Paral.* 15. 13. 2. *Paral.* 16. 8. *Nehem.* 13. *v.* 18. 26. *Iob.* 6. 19. *Psalm.* 34. 5. & 83. 10. *Esa.* 51. 2. *Ierem.* 7. 12. & 26. *v.* 6. 18. & 44. 21. & 49. 18. & 50. 40. *Ezech.* 20. 36. *Dan.* 5. *v.* 21. 22. *Ose.* 4. 15. & 12. *v.* 3. 4. *Amos* 4. 11. *Matth.* 5. 22. & 6. *v.* 26. 28. & 12. 3. & 24. 37. *Marc.* 2. 26. *Luc.* 1. 36. & 4. 25. & 6. 25. & 17. *v.* 26. 28. 32. *Actor.* 5. 36. *Rom.* 4. *v.* 1. 23. & 11. 2. & 15. 3. 1. *Cor.* 10. *v.* 6. 11. 2. *Corint.* 8. 9. *Gal.* 3. 6. & 4. 22. *Iac.* 5. *v.* 10. 17. 1. *Pet.* 3. *v.* 5. 6.

Exemplar nostrum Christus. *Ioan.* 13. 15. *Philip.* 2. 5. & 1. *Pet.* 2. 21. *Philip.* Exemplar vitae & doctrinae Paulus, *Phil.* 3. 17.

SENTENTIAE BIBLICAE.

Si declinasti à viro tuo atque polluta es, & concubuisti cum altero viro, det te Dominus in maledictionem, exemplumq; cunctorum in populo suo. *Num.* 5.

Gladio & igne pereat, & sic deleatur, vt non solum hominibus, sed etiam bestijs sit in sempiternum pro exemplo contemptus & inobedientiae. *Esth.* 16.

Posuit me quasi in prouerbium vulgi, & exemplum suum coram eis. *Iob.* 17.

Qui se iungit fornicarijs, nequam erit, putredo & vermes haereditabunt eum, & extolletur in exemplum maius, & tolletur de numero eius. *Eccl.* 19.

Erit Moab in derisum omnibus, & in exemplum in circuitu suo. *Ier.* 48.

Projiciam super te omnes abominationes tuas, & contumelijs te afficiam, & ponam te in exemplum. *Nahum.* 3.

Ciuitates Sodomorum & Gomorrhaeorum in cinerem redigens euersione damnauit, exemplum eorum, qui impie acturi sunt ponēs. 2. *Pet.* 2.

Sodoma & Gomorrha & finitimae ciuitates simili modo exfornicatae, & abeuntes post carnem alteram, factae sunt exemplū ignis aeterni poenam sustinentes. *Iuda. v.* 7.

Sitis sine querela & simplices filij Dei, sine reprehensione in medio nationis prauae, & peruersae, inter quos lucetis, sicut luminaria in mundo: verbum vitae continentes ad gloriam meam in die Christi. *Phil.* 2.

Mode-

Modestia vestra nota sit omnibus hominibus 4.

Præcipimus vobis fratres, vt honeste ambuletis ad eos qui foris sunt, & nullius aliquid desideretis. *1. Thess. 4.*

Exemplum esto fidelium in verbo, & conuersatione, in charitate, in fide, in castitate, vt profectus tuus manifestus sit omnibus. *1. Timoth. 4.*

In omnibus præbe teipsum exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in grauitate, verbum sanum irreprehensibile. *Tit. 2.*

Quis sapiens, & disciplinatus inter vos? ostendat ex bona conuersatione operationem suam in mansuetudine sapientiæ, *Iac. 3.*

Exemplum accipite fratres exitus mali, & longanimitatis, & laboris, & patientiæ, prophetas, qui locuti sunt in nomine Domini. 5.

Conuersationem vestram inter Gentes habentes bonam, vt in eo, quod detractant de vobis, tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum in die visitationis. *1. Pet. 2.*

Sic est voluntas Dei, vt benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam. *Ibid.*

Christus passus est pro nobis, nobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius. *Ibid.*

PATRVM SENTENTIAE.

Non est innocentiæ, parcendo sinere vt in malum grauius incitetur. Pertinet ergo ad innocentis officium non solum nemini malum inferre, verumetiam cohibere à peccato, vel punire peccatum: vt aut ipse, qui prius odio habetur, corrigatur experimento, aut alii terreantur exemplo. *August. de ciuitate Dei, & hab. 23. quæst. 5. Non est.*

Sana quippe ratio etiam exemplis anteponenda est, cui quidem & exempla concordant: sed illa quæ tantum digniora sunt imitatione, quantum excellentiora pietate. *August. ad Casulanum, & habetur dist. 9. Sana.*

Nolo vt aliquis de vobis inueniat male viuendi occasionem: prouidemus enim bona, vt ait Apostolus, non solum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus. Propter nos conscientia nostra nobis necessaria est: propter vos fama nostra non pollui, sed pollere debet in vobis. Duæ res sunt, conscientia & fama, conscientia necessaria est tibi: fama proximo tuo. Qui confidens conscientiæ, negligit famam, crudelis est. *Aug. in ser. de communi vita cleric. & hab. 12. q. 1. Nolo vt.*

Qui in conspectu populi male viuit, quantum in illo est, cum à quo intenditur, occidit. Omnis qui male viuit in conspectu eorum quibus præpositus est, quantum in ipso est, occidit, & forte qui imitatur, moritur, qui non imitatur viuit: & tamen quantum ad illud pertinet, ambo occidunt. *Aug. lib. de pastor.*

Non tantum curremus habere bonam conscientiam, sed quantum potest nostra infirmitas, quantum vigilantia fragilitatis humanæ curemus nihil etiam facere, quod veniat in malam suspicionem infirmo fratri. *Aug. lib. de ouibus.*

Qui in Christum credimus, Christi sectemur exempla. *Hieronym. epist. 9.*

Qualis enim erit ædificatio discipuli, si intelligat magistro se esse maiorem? vnde non solum episcopi, presbyteri, & diaconi debent magnopere prouidere, vt cunctum populum cui præsident, conuersatione, sermone ac scientia præeant, verumetiam & inferior gradus, exorcistæ, lectores, custodes ædium, acolythi & omnes omnino qui domui Dei deseruiunt: quia vehementer Ecclesiam Dei destruit, meliores laicos esse, quam clericos. *Hier. & hab. 8. q. 5. Qualis.*

Domus episcopi, & conuersatio, quasi in speculo posita magistra est publicæ disciplinæ: quicquid fecerit, id sibi omnes faciendum putant. *Hier. in epist. ad Heliodorum.*

Sancta rusticitas solum sibi prodest, & quantum ædificat exemplo & vitæ merito Ecclesiam Christi, tantum nocet, si destruentibus non resistat. Innocens absque sermone conuersatio, quantum exemplo prodest, tantum silentio nocet. Nam latratu canum, & baculo pastorum, deterrenda est rabies luporum. *Hier. in epist. & est in glossa. 1. Tim. 3.*

Est insitum bonis, vt castum pudicus, prudentem sapiēs, misericors liberalem, affectu pio diligat, & virtutes suas in aliis amet. In plerisq. iusti aspectus iam monitio correptionis est, perfectioribus lætitia est. *Ambrosius super Psal. 118. Beati immaculati.*

Paulus dicit, Seniorem ne increpaueris. Sed hæc eius regula tunc est obseruanda, cum culpa senioris suo exemplo nō trahit ad interitum corda iuniorum: vbi autem senior iuuenibus exemplum ad interitum præbet, ibi districta increpatione feriendus est. Nā scriptum est: Laqueus iuuenum omnes vos: & rursus: Maledictus puer centum annorum. *Gregor. Ianuario Episc. & habetur. 2 q. 7. Paulus.*

Ego etiam minores meos, quos ab illicitis prohibeo, in bono imitari paratus sum. Stultus enim est, qui se in eo primum existimat, vt bona, quæ viderit, discere contemnat. *Greg. Ioan. Episcop Syracusan. & habetur distinctione 22. De Constantinopolitana.*

Cum maiores voluptati deseruiunt, nimirum, minoribus lasciuiæ frena laxantur. *Greg. lib Moral.*

Bona, quæ facere ipsi negligimus, hæc ad correctionem nobis Deus ab aliis fieri demonstrat, vt qui præceptum non attendimus, saltem exemplis excitemur, atque in appetitu rectitudinis nil sibi mens nostra difficile existimet, quod perfectè peragi ab aliis videt. *Idem lib. 9.*

Nullum ego consilium melius arbitror, quam si exemplo tuo fratrem docere studeas, quæ oporteat fieri, prouocans eum ad meliora, & consulens ei, neque verbo, neque lingua, sed opere & veritate. *Idem lib 10.*

Quid est quod omnipotens Deus & virtutes suas taceri voluit, & tamē ab his, qui illuminati sunt quasi inuitus indicatur? nisi quod seruis suis exemplum dedit, vt ipsi virtutes suas occultari desiderent: & tamen vt alii eorum exemplo proficiant, produntur inuiti, facta sua occultando seipsos custodiunt. Sed dum produntur inuiti bona ad proximos extra transmittant, occultentur igitur studio: sed necessitate publicentur, & eorū occultatio fit custodia propria, eorum publicatio fit vtilitas aliena. *Idem lib. 19.*

Volantia animalia se vicissim feriunt alis suis, quia sanctorum mentes in eo, quod superna appetunt, considerantes inuicem alternis virtutibus excitantur. Ala enim sua me percussit, qui exemplo sanctitatis me ad melius accendit: & ala meum vicinum animal ferio, si quando alteri opus bonum, quod imitetur, ostendo. *Idem lib. 24.*

Qui plenissimè intelligere appetit qualis sit, tales debet aspicere, qualis non est, vt in bonorum forma metiatur, quantū ipse de subiecto difformis est. Iustorum enim species quasi quædam forma nobis imitanda proponitur. Lectio hæc bonorū vita. *Idem lib. 30.*

Dum nos quasi licenter lætos aspiciunt, audacter subditi ipsi ad illicita resoluuntur. *Greg. in Mor super illud Iob. 29 si quando ridebam ad eos non credebant.*

Sunt nonnulli quos ad amorem cœlestis patriæ plus exempla quam prædicamenta succendunt. *Idem lib. 1. Dialog.*

Dum monstrare, qualis debet esse pastor, intendo, pulchrum depinxi hominem pictor fœdus, *Greg. in pastora. de seipso.*

Qui in occulto bene viuit, sed alieno profectui minimè proficit, carbo est. Qui vero in imitatione sanctitatis positus, lumen rectitudinis ex se multis demonstratur, lampas est: quia & sibi ardet, & aliis lucet. *Greg. super Ezech. hom. 5.*

Perpendo Petrum, considero latronem, aspicio Zachæum, & nihil in illis aliud video, nisi ante oculos nostros posita spei & pœnitentiæ exempla. *Greg. hom. 25.*

Cum clericum videmus, admonendus est, quatenus sic viuat, vt exemplum vitæ sæcularibus præbeat, ne si quid in illo reprehenditur, ex eius officio ipsa religioni nostræ æstimatio grauetur. *Idem in hom. super Euang.*

Ideoque malus sacerdos de sacerdotio suo crimen acquirit, non dignitatem. In iudicio enim tuo sedes, si quidem bene vixeris, & bene docueris, populum instruis: si bene docueris, & male vixeris, tui solus condemnator eris. Nam bene viuendo, & bene docendo, populum instruis quomodo viuere debet: bene autem docendo, & male viuendo, Deum instruis quomodo te debeat condemnare. *Ioan. Chrysost. & hac distinct. 40. can. Multi sacerdotes. §. Ideoq. 40.*

Qui sanctum virum imitatur, quasi exemplum aliquod intuetur, seseq. in illo quasi speculo prospicit, vt adiiciat quod deesse virtutis agnoscit. Minus enim seipsum homo ex seipso considerat. Sed dum alterum intendit, id quod minus est virtutis addidit. *Isidor. de sum bono lib. 1. par. 1. c. 11.*

Aspice ex alio tormento quod timeas. Respice in alieno exitio quod pauescas. Euita foueam, in quam alium videris cecidisse coram te. Pericula aliena in te pertimesce. Quæ verbis doces, exemplis ostende. *Idem in Syno. soliloquio lib. 1. c. 10.*

Vita malos, caue iniquos. Si fueris socius conuersationis, eris & virtutis. Simili simili coniungi solet: vitam cum malis ducere, periculosum est, & cum his, qui prauæ voluntatis sunt, sociari. *Idem Soliloquior. lib. 2. c. 3.*

Maioris est culpæ manifestè quā occulte peccare, dupliciter enim reus est, qui apertè delinquit, quia agit, & docet. *Isid. de sum. bono lib. 2.*

Non tibi videtur grauiorem Christus sustinere persecutionem, qui suggestione maligna, exemplo pernicioso, scandali occasione ab eo peruertit animas quas redemit, quā a Iudæo, qui sanguinem suum fudit. *Bernard. in serm.*

Sermo quidem viuus & efficax exemplum operis est, facile persuadens quod intendimus, dum factibile probat esse quod suademus. *Idem in ser. 2. de Resurrect. Dom.*

Pulcherrimus ordo est & saluberrimus, vt onus quod portandum imponis, tu portes prior, & ex te discas, qualiter oporteat aliis moderari. *Bernard in epist. 82.*

Validiora sunt exempla, quam verba, & plenius opere docetur, quam voce. *Leo Papa in serm. ieiunio.*

Sic luceat lux vestra coram hominibus: id vero ex hoc fit, cum

apparet misericordia in affectu, benignitas in vultu, humilitas in habitu, modestia in cohabitatione, patientia in tribulatione. *Hugo de claustro animæ. l. 3.*

Illi prudentiores sunt semper habiti, qui multorum hominum conuersationibus probantur eruditi. *Cassio. l. 1. Epist. epist. 38.*

Clarius enim suas maculas reddunt, si illi, ad quos multi respiciunt, aliqua reprehensione sordescunt. Alioquin expedit non videri, quam cunctorum irrisione signari. Omnes ergo, qui grauiorum cella petimus vitiorum, humilia deseramus, sit in nobis frons libera, vt aliorum possimus emendare peccata, æquat crimen omne quod inquinat, & ideo dissimilis ab accusato debet esse, qui iudicat. *Idem l. 5. epist.*

Instructus redditur animus in futuris, quando præteritorum commouetur exemplis. *Idem l. 5. epist. 44.*

Res minor ad potioris currit exemplum, & alieni facti iure iudicem sustinet, qui peccatis præstat exempla. *Idem l. 10. epist. 13.*

Nemo amplius acquirit, quàm qui se bona conuersatione tractauerit. *Idem l. 12. epist. 3.*

Qui docent tantum, nec faciunt ipsi, præceptis suis detrahunt: Bonum est autem recta & honesta præcipere: sed nisi & facias, mendacium est, & incongruens atque ineptum, non in pectore, sed in labris habere bonitatem. Qui nimium parcus est, dicit aqua, & polenta vitam posse tolerari: Qui odit vxorem, huic enumerantur cœlibatus bona. Habenti malos liberos, orbitas prædicatur. Aduersus impios parentes nullum vinculum esse naturæ, litteræ licet paucæ fiunt, variè tamen collocatæ, innumerabilia verba confici ... Non enim fas, aut eum qui sceleratus in vita feliciter effingere, quod meretur, aut eum, qui ob iustitiam miserrimus fuerit, sua in mercede fraudari. *Lactan. Firmian l. 3. diuinar. instit. aduersus gentes.*

Sanctorum exempla perspicaciter recordamini. *Innocen. Papa, & hab. d. 2... de quibus causis.*

P O E T I C Æ   S E N T E N T I Æ.

Plautus in Pseudolo.

Probum esse patrem oportet, qui gnatum suum
Esse probiorem, quam ipsus est, postulat.

Ibidem.

Idne tu miraris si patrissat filius?

Claudianus.

Scilicet in vulgus manant exempla regentum.

Ouid de Ponto, lib. 3. eleg. 2. ad Cottam.

Cum feriant vnum, non vnum fulmina terrent:
Iunctaq. percusso turba pauere solet.
Cumq. dedit paries ventura signa ruinæ,
Sollicito vacuus fit locus ille metu.
Quis non è timidis ægri contagia vitat,
Vicinum metuens ne trahat inde malum?

Idem 6. Fastorum.

Sic agitur censura, & sic exempla parantur,
Cum vindex alios quod monet ipse facit.

Hor. Carm. l. 3. Ode 5.

Hoc cauerat mens prouida Reguli,
Dissentientis conditionibus
Fœdis, & exemplo trahentis
Perniciem venient in æuum,
Si non periret immiserabilis
Captiua pubes.

Hor. Ser. l. 1. Sat. 1.

Paruula (nam exemplo est) magni formica laboris
Ore trahit quodcumque potest, atque addit aceruo,
Quem struit, haud ignara ac non incauta futuri.

Iuuen. Sat. 14.

Plurima sunt Fuscine & fama digna sinistra,
Et nitidis maculam, ac rugam figentia rebus,
Quæ monstrant ipsi pueris, traduntq. parentes.
Si damnosa senem iuuat alea, ludit & hæres
Bullatus paruoq. eadem mouet arma fritillo.

Ibidem.

Expectas vt non sit adultera Largæ
Filia, quæ nunquam maternos dicere mœchos
Tam cito nec tanto poterit contexere cursu,
Vt non ter decies respiret? conscia matri
Virgo fuit ceras nunc hac dictante pusillas
Implet, & ad mœchos dat eisdem ferre cynædis,
Sic natura iubet: velocius & citius nos
Corrumpunt vitiorum exempla domestica.

Ibidem.

Sed reliquos fugienda patrum vestigia ducunt,
Et monstrata diu veteris trahit orbita culpæ.
Abstineas igitur damnandis huius enim vel
Vna potens ratio est ne crimina nostra sequantur
Ex nobis geniti, quoniam dociles imitandis
Turpibus ac prauis omnes sumus, & Catilinam
Quocumque in populo videas quocumque sub axe
Sed nec Brutus erit, Bruti nec auunculus vsquam.
Nil dictu fœdum, visuq. hæc limina tangat,
Intra quæ puer est, procul hinc procul inde puellæ
Lenonum, & cantus pernoctantis parasiti.
Maxima debetur puero reuerentia: siquid
Turpe paras: nec tu pueri contempseris annos,
Sed peccaturo obsistat tibi filius infans.
Nam si quid dignum censoris fecerit ira,
Quandoquidem similem tibi se non corpore tantum,
Nec vultu dederit morum quoque filius, & cum
Omnia deterius tua per vestigia peccet,
Corripies nimirum, & castigabis acerbo
Clamore, ac post hæc tabulas mutare parabis,
Vnde tibi frontem libertatemq. parentis,
Cum facias peiora senex vacuumq. cerebro
Iampridem caput hoc ventosa cucurbita quærat?

P H I L O S O P H I C Æ   S E N T E N T I Æ.

Id agamus, vt meliorem vitam sequamur, quam vulgus, non vt contrariam. Alioquin quos emendare volumus, fugamus à nobis, & auertimus. Illud quoque efficimus, vt nihil imitari velint nostri, dum timent ne imitanda sint omnia. Hoc primum philosophia promittit, secundum omnem humanitatem & congregationem. à qua professione, dissimilitudo nos separabit. Videamus ne ista, per quæ admirationem parare volumus, ridicula & odiosa sint. *Seneca ad Lucilium in epist.*

Prodest sine dubio, custodem sibi imposuisse, & habere quem respicias, quem interesse cogitationibus tuis iudices. Hoc quidem longe magnificentius est, sic viuere, tanquam sub alicuius boni viri, ac semper præsentis oculis. Cum iam profeceris tantum, vt sit tibi etiam tui reuerentia, & donec te cū feceris, cuius quoque peccare non audeas. *Idem epist. 25.*

Dignus tibi sis: coram te peccare pudeat. Discipulus est prioris posterior dies ex vitio alterius, sapiens emendat suum. Optimum est maiorum sequi vestigia, si rectè præcesserint. *Idem in Prouerbiis Licebat dimittas pædagogum.*

Si bene egeris, ipse tibi personæ authoritatem dabis. Viri boni est, scire pati, nec facere iniuriam. Author malus bonam rem turpe facit. *Senec. in sententiis Orator.*

Filius, quid imitandum sit, discet exemplo. *Senec l. Declamat.*

Exemplis vtimur in dicendo, vt facilius intelligatur quod dicitur. *Arist. l. 1. Poetriæ.*

Exempla non ponimus, quia ita sint, sed vt sentiant addiscentes. *Idē lib. 1. Priorum.*

Opposita, iuxta se posita, magis elucescunt. *Idem lib. 2. de Cælo & Mundo.*

Accipere virtutes virtuosorum, beatissima est vita. *Idem l. 9. Ethic.*

In omnibus oportet imitari meliorem, vel quod melius est. *Idem.*

Magis mouent exempla, quàm verba. *Idem l. 10. Ethic.*

In actionibus humanibus minus creditur sermonibus, quàm operibus. *Ibid.*

Quando sermones dissonant in operibus sensibiliter, tunc contemnuntur. *Ibid.*

Iuuenes sunt custodiendi, vt nec dicant, nec audiant malum, vel turpe aliquod, quia ex dicere & audire aliquid turpium, de facili fit, facere aliquod turpe. *Idem l. 7. Politic.*

Considerandum hunc esse fructum legendi, æmulari ea, quæ in alijs probes: & quæ maximè inter aliorum dicta miteris, in aliquē vsum tuum opportuna deriuatione conuertere, quod & nostri, tam inter se, quam à Græcis, & Græcorum excellentes inter se sæpe fecerunt. *Macrob. Saturnal. l. 6.*

Plebeia ingenia magis exemplis, quàm oratione capiuntur. *Idem Saturnal. l. 1.*

Plerumque autem præceptis parentum imbuti ad eorum consuetudinem moremq. deducimur. *Cic. l. de Off.*

Exemplum vitiosum est, si aut falsum est vt reprehendatur: aut si improbum, vt non sit imitandum: aut maius, aut minus quàm res postulat. *Idem Rhetor l. 2.*

Exemplum est alicuius facti, vel dicti præteriti cum certi authoris nomine propositio. *Ibid.*

Hoc ipsum maximum artificium est, aut in arte sua posse alienis exēplis vti. Nam rerum omnium imperiti, qui vniuscuiusque rei de rebus ante gestis exempla petere non possunt: hi per imprudentiam facillimè deducuntur in fraudem. At hi, qui sciunt, quid alijs acciderit, facile ex eorum euentibus suis possunt rationibus prouidere. *Cic. Rhetor. nouor. l. 4.*

Duo illa nos maximè mouent, similitudo & exemplum. *Cic. 3. de Orat.*

Maiores natu in conuiuijs ad tibias egregia superiorum opera carmine comprehensa pangebant, quo ad ea imitanda virtutem iuuenum alacriorem redderent. Quid hoc splendidius? quid hoc vtilius certamine? Pubertas carnis suum decus reddebat, defuncta virium cursu ætas, ingredientes actuosam vitam fauoris nutrimentis prosequebatur. *Va. Max. l. 2. tit. de Institutis antiq.*

SIMI-

SIMILITVDINES.

D. Chrysostom. Sicut in corpore si aliquod membrum infirmatum fuerit, non omnino languet stomachus: si autem stomachus languerit, omnia membra inueniuntur infirma: Sic si aliquis Christianorum peccauent, non omnino peccant & sacerdotes: si autem & sacerdotes fuerint in peccatis, totus populus conuertitur ad peccandum. *In Matth. 21. hom. 38.*

Sicut lapides qui sunt intus in ædificatione, nemo aspicit, sed eos qui sunt foris omnes considerant: Sic secularium hominum vitia, neq. sic cōsiderantur, neq. sic nocēt Ecclesiæ. *In 21. Matt. hom. 40.*

Eum qui regendos alios suscepit, tanta decet gloria virtutis excellere, vt instar solis cæteros velut stellarum igniculos in suo fulgore obscuret: debet huiusmodi vitam habere immaculatam atque e positam, vt omnes in illum, & in eius vitam, veluti in exemplar aliquod excellens, intueantur. *Homil. 10. ad Heb.*

Fert magnum discipulo in mari solatium, magnamque fiduciam, cum meminit, magistrum fere naufragium fecisse & fuisse seruatum. Neque enim arbitratur tam fluctus illos atque tempestates, ex propria imperitia incitiaque, sed ex ipsius rei natura contingere. Ac id permagnum est ratione solanij. Fert item in bellis strenuo vel cuiusuis agminis duci, maxima incitamenta virtutis, cum imperatorem viderit vulneratum primo, tum demum euadere eius vulnere: Ita & fidelibus quibusque multum afferre solatij, quod Apostolum cernunt tolerasse plurima. *Ad Titum. hom. 4.*

D. Hieronym. Quemadmodum qui laborant ab oculis si spongias ac vestigium cyaneo colore pannos tenentes frequenter in ca tuēatur. ex eo colore nonnullum capiunt morbi leuamen: Sic qui hominis clementissimi, & humanissimi imaginem præ oculis habeas, & in hunc assidue oculos defigas, etiam si multis abundet ira, mentis oculum perturbans, ad hoc virtutis exemplar respiciens, perfectam consequeris sanitatem, puramque animi philosophiam ac tranquillitatem. *Hom. 2. Periculosum esse adire spectacula.*

Quomodo in theatralibus scenis, vnus atque idem histrio, nunc Herculem robustus ostendit, nunc mollis in Venerem frangitur, nunc tremulus in Cybelem: Ita & nos (qui sine mundo non essemus, odiremur à mūdo) tot habemus personarum similitudines, quot peccata. *Ad Marcellam.*

D. Basil. Quemadmodum pictores quum imaginem ab imagine pingunt, identidem exemplaria spectantes, illorum lineamenta ad suum opificij vsum transferre student: Sic qui se studeat omnibus virtutis partibus perfectū efficere, debet elaborare, vt quasi ad simulachra motu & actione prædita ad vitas Sanctorum sæpe oculos animi conuertat. *In epist. ad Greg. de vita solit. Anton. memine par. 2. Melissa sere 35.*

Plutarchus. Eryngium herbam si vni capræ in os inferas, cum ipsa sistitur, tum omnes consistunt, donec pastor herbam eximat: Ita principis mores mira vi in populum transfunduntur. *In Moralib.*

Vt qui se comunt, adhibent speculum: Sic gesturus negotium proponit sibi laudatorum virorum exempla. *ibi.*

In facie plus offendit næuus, aut verrucula, quam in reliquo corpore grandes maculæ aut cicatrices: Sic exigua delicta, magna videntur in principe, cuius vita in conspicuo est. *ibi.*

Olim ediscebant nomina digitorum, iisque aduersus terrores, veluti remedio vtebantur singulis seorsum recitatis: Sic aduersus omnes animi perturbatiōnes, exempla quædam optimorum virorum habenda sunt in promptu. *ibid.*

Seneca. qui sibi comparatione deteriorum bonus videtur, perinde facit ac si quis ad claudos respiciens, suam miretur velocitatem.

Anonymi. Vt Zeuxis picturus Iunonem, Agrigentinis omnibus virginibus inspectis, quinque præcipuas elegit, ex quibus quod esset in vnaquaque præcipuum, imitaretur: Ita è plurimis optimis nobis ad exemplum vitæ, aut dicendi proponendi sunt: nec in his tamen reddenda sunt omnia, sed optima. *In Simileb.*

Vt solis defectus magnam mortalibus perniciem trahit: Ita regis error etiam leuis, magnam tamen rebus humanis gignit perturbationem. *ibi.*

Thomari. Veluti terra cum semel culta iterum suapte naturæ exhorrescat, certe annua semente opus habet: Ita in nobis prompte vitia repullulant, nisi animus noster quotidie nouis virtutum recreetur exemplis. *In apoph. 8.*

Vt non vbique semen æque alacre est, aut æque lætum fructum profert, sed pro natura cœli, terræ atque aeris sæpe veniat: Ita & pueri frequentius imitantur parentum, magistrorum, ac sodaliū mores, quam ipsas præceptiones, naturam ac leges. *In apoph. 9.*

Filij non thesaurizant parentibus, sed parentes filiis. Proinde antistites principes tanto deberent cæteros antecellere victus frugalitate, quanto præferuntur honore. *In apoph. 96.*

Non statim quicquid corruptum est, abiicitur, sæpe ad fœcunditatē agrorum colligitur, sal vero corruptum ad nihil conducit, nisi vt stratum sternat, & pedibus conculcetur: Similiter ferunt vt vtcunque vitia hominum priuatorum, sed quasi pedibus vulgus it ac impingit in abominationes primatum. *In apoph. 94.*

EXERCITIVM, EXERCITATIO.

DEFINITIO ET ETYMOL.

Exercitium, Græce γυμνασία, ας, ἡ. dicitur. Et est vitæ humanæ conseruatio, caloris naturalis lima, exercitatio dormientis naturæ, virtutum corroboratio, superfluitatum consumptio, otio inimicum, temporis lucrum, iuuentutis debitum, & senectutis gaudium. Ille ergo solus ab exercitio abstineat qui sanitatis beneficio vult carere *secundum Fulgentium.*

Exercitatio, Græce ἄσκησις, εως ἡ. & ἀσκεῖν. exercen dicitur, venitq; ab arceo, quod est. premo, fatign, quasi extra arceo. Exercere proprie fatigare est. *Terentius. Iam ego te exercebo hodie vt dignus es silicernium.* Aliquando exercere ponitur pro agitare, commouere, pro insequi, pro laborare, colere, à cuius frequentatiuo exercito fit exercitium & exercitatio: & exercitus fatigatus particulariter: & exercitus nomē. hoc est, militum multitudo quæ exercendo fit melior.

SENTENTIAE BIBLICAE.

Qui operatur terram suam, satiabitur panibus. *Prou. 12.*

Quodcunque facere potest manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas. *Eccl. 9.*

SENTENTIAE PATRVM.

Cum sit vtilis ad instituendum lectio & adhibita collatione maiorem intelligentiam præbeat, melius est conferre quam legere: collatio docibilitatem facit. Nam propositis interrogationibus cunctarum rerum error excluditur, & sæpe obiectionibus latens veritas aperitur. *Isid. de sum. bon. l. 3.*

Sæpe illa, quæ in publico non valemus, necessario quendam prius in secreto exercitationis vsum exposcunt, quia si ea prorsus in occulto negligimus, vt postmodum eis, dum opus est, in publico non valemus. *Hugo de instit. nouit.*

Constat omnem operam si longa intercapedine quiescat, ægre resumi. Quis enim ignoret cunctis aut artificibus, aut artibus maximum decus vsu venire: dumque studia consueta non frequētātur, brachia in corporibus, ingenia pigrescere in artibus? *Cass. l. 9.*

Arescit profecto ingenium, nisi vigilantia reparetur: cito expediūtur horrea, quæ assidua non fuerint adiectione suffulta: thesaurus ipse, quam facile profunditur, si nullis iterum pecuniis completur: sic humanus sensus cum alieno non sarcitur, id est, restauratur inuento, cito potest attenuari de proprio. *Cass. l. 4. epist.*

Non facile capitur à diabolo, qui bono vacat exercitio. *Hieron. in serm.*

Rusticus duros habet neruos, lacertos fortes, exercitatio hoc facit, siue cum corpore inolescit, voluntas facit vsum, vsus exercitiū, exercitium vires subministrat. *Bernardus ad fratres.*

Pastoribus vigilantibus exhibita est visitatio angelorum & allocutio. Agnoscant ergo homines, quia qui in labore hominum nō sunt, visitari ab angelis non merentur. *Bernard. in serm. 3. natiuitatis Domini.*

POETICÆ SENTENTIAE.

Virg. in Geor.

Labor omnia vincit
Improbus, & duris vrgens in rebus egestas.

Hesiodus.

Dij bona laboribus vendunt

Horatius.

Perrupit Acheronta Herculeus labor.
Citra laborem nil boni est.

Sopho. in Elect.

Quæcunque votis expetimus, prædicant
Egere curis qui valent prudentia.

Antiphan.

Domat atque subigit cuncta diligentia.

Ouid. in epist. Phædræ ad Hippolytum.

Ars fit, vbi à teneris crimen condiscitur annis.

Ibidem.

Quod caret alterna requie, durabile non est.
Hæc reparat vires, fessaque membra leuat.

Ibidem.

Arcus & arma tua tibi sint imitanda Diana;
Si nunquam cesses tendere mollis erit.

PHILOSOPHICÆ SENTENTIAE.

Omnes artes, omniaque opera quotidiano vsu & iugi exerci-

Ee 2 tatione

tatione proficiunt. Quod si in paruis verum est: quanto magis decet in maximis custodiri? *Veget. de re milit. l. 2.*

Vita humana propriè vel ferrum est: ferrum si exerceas conteritur, si non exerceas, tamen rubigo interficit: item homines exercendo conteri, si nihil exerceas, inertia atque torpedo plus detrimenti affert, quam exercitatio. *Gell. l. 11.*

Quem in ipsa re trepidare nolueris, ante rem exerceas. *Senec. 23. epist.*

Diligentia cuiuslibet operis obtusitas permollitur: sic prudentia sine iustitia parum, vel nihil prodest: iustitia vero sine prudentia multum: sic sine vsu scientia parum: vsus autem cum scientia multum. *Boe. de discipl. schol.*

Constantia parit, constantia parta dissoluit. *Idem ibid.*

Scintillula difficilis veritatis, facilius in differendo reperitur, quam si studio obseruantiæ per multum tempus committeretur: iuxta illud Aristotelis, bona opinio facit videre verum. *Idem ibid.*

Vnum hoc ad virtutis animi partem summopere conferre dicamus, exercitationem videlicet infantium, quæ in motibus est. *Plat. 7. de leg. Dialog.*

Oportet vos verborum nostrorum memores, si quid aliud exercetis cum virtute exercere: scientes absque virtute exercitationes & possessiones omnes malas ac turpes esse. *Exercitatio sine virtute manca. Idem in Menex. l. 30.*

Exercitium est causa sanitatis, & è conuerso. *Arist. libro 5. Metaphysic.*

Exercitium vt in pluribus conseruat sanitatem. *Idem libro 1. Rhetoricor.*

Exercitium temperatum conseruat sanitatem. *Aristot. libro secundo Ethic.*

Exercitatio facultatis gratia suscipitur. *lib. 8. Top. c. 5.*

Et profusæ & remissæ nimium exercitationes labefactant vires, euertuntque funditus: & poculenta ac esculenta si modum transeant, vel infra modum adhibeãtur, labefactant valetudinem eodem modo: sin moderata sunt & modica, pariunt, augent, ac tuentur. *l. Ethic. 2. c. 2.*

Qui optime sit corpore constitutus naturæque bonis, & adiumentis instructus: ei exercitatio optima conueniat, necesse est. *l. 4. de Rep. c. 1.*

Apophthegmata.

Diogenes dicebat, vsum atque exercitationem quemadmodum in actionibus extraneis, ita & in actionibus virtutis & animi, tum celeritatem quandam, tum facilitatem parere. *Laert. l. 9.*

Aristoteles frequenter dicere solebat ad parandam sapientiam tria potissimum necessaria esse: Naturam, doctrinam, & exercitationem. Exercitatio enim nisi naturæ, & doctrinæ accedat, nil solidæ eruditionis haurit. *Laert. l. 5. c. 1.*

Demonax quendam infeliciter declamantem admonuit, vt sese diligenter exerceret: cumque is respondisset, Nunquam apud me non declamo: nihil igitur mirum, inquit, si dicis inepte, qui hactenus semper stulto auditore solitus sis vti. *P. M. l. 8. apoph.*

Cicero, cum M. Crassum pro rostris magno populi applausu laudasset, & eundem postea ex eodem loco acribus conuicijs incesseret: Quid, ait Crassus, an non me nuper ex hoc ipso loco laudasti? Laudaui, inquit, sed exercendi gratia argumentum infame declamans. Solent enim Rhetores tractare materias ἀδόξους, velut cum laudãt Busiridem, aut febrim quartanam, aut ingratitudinem. *P. M. l. 4. apoph.*

Socrates dicere solitus est, saltatione mouenti corpus spatiosa domo opus esse ad exercendum sese: at qui cantu aut oratione sese exerceat, huic vel stanti, vel accumbenti quemuis locum sufficere. Hoc dicto probabat moderatas exercitationes, præsertim à cibo sumpto: turbulentiores improbabat. *P. M. l. 3. apoph.*

Idem cum ad vesperam vsque deambulasset strenue, interrogatus cur id faceret? respondit, Quo melius cœnem. Ostendit vir sapientissimus, exercitationem corporis multum prodesse sanitati. *Cic. l. 5. Tusc. quæst.*

Plato solebat admonere, vt neque corpus sine animo exerceamus, neque animum sine corpore, vt pariter vtriusque curam habeamus. Nam alterum athletarum est, alterum inermium. *Laert. l. 3.*

Anonymus. Quoniã apud Lacedæmonios in summo pretio erat ius, quod illi nigrum appellant, adeo vt seniores hoc contenti non desiderarent carnes, sed eas iuuenibus cederent, Dionysius Siciliæ tyrannus dicitur huius gratia coquum emisse Laconicum, eique mandasse vt sibi hoc ius appararet, nullis parcens impẽdijs. Quod vbi rex gustasset, ac displicuisset, expuit. Tum coquus, Hoc (inquit) ius, ô rex sumendum, postquam te Laconum more exercueris, & in Eurota laueris. *Plut. in Lacon.*

Similitudines.

Chrysostomi. Sicut omne artificium corporea visitatione seruatur, & additur: Sic & gratia omnis per exercitationem additur, & per desidiam minoratur. *In c. 3 Matth.*

D. Hieronymi. Qui nauali prælio dimicaturi sunt, ante in portu & in tranquillo mari flectunt gubernacula, remos trahunt, ferreas manus & vncos præparant: dispositumque per tabulata militem, pendente gradu & labente vestigio stare firmiter consuescunt, vt quod in simulacro pugnæ didicerint, in vero certamine non perhorrescant: Ita & ego qui diu tacui (silere quippe me fecit cui meus sermo supplicium est) prius exerceri cupio in paruo opere, & veluti quandam rubiginem linguæ abstergere, vt venire possim ad latiorem historiam. *In vita Malchi monachi.*

Pij Pontificis. Sicut cæca est sine disciplina natura: Sic sine natura est disciplina, in vtraq. tamen parum momenti fuerit, si subtraxeris exercitium: sed hisce tribus absolutio comparatur. *Epist. lib.*

Plutarch. Vt ferrum aut æs vsu splendescit: Sic exercendis negotijs enitescit animi vigor. *In Moral.*

Vt ferrum si non vtaris, obducitur rubigine: Sic animi vigor, nisi negotijs tractandis exerceas. *In Moral.*

Ioannis Ludouici Viuis. Cato ingenium homini dicebat ferro esse simile, quod ex vsu splendescit: at in ocio rubigine obducitur, & exeditur. Exercendum semper ingenium: ocia enim feraciss. vitiorũ seminarium: sed honesto aliquo & pulchro opere, velut eruditione & virtute. Nam flagitiosis aut turpibus exercere, hoc vero nõ exercere est, sed corrumpere. *In Satellitio.* § 200. *fol.* 124.

Themist. Vinum suapte sponte paulatim expirat, euanescit. Nec vlla tam magna eruditio, & virtus, quæ non citra exercitationem tandem elanguescit atque decrescit. *In Apoph.* 19.

Historica Exempla.

Demosthenes cum sibi non tam artem, quam actionem & pronunciationem deesse animaduerteret: subterraneum locum domi suæ ædificauit, in quem singulis diebus descendit, actionis formãdæ, vocisque componendæ causa: sæpe etiam duos aut tres menses continuos ibi egit, rasa altera capitis parte: vt ne si vellet quidẽ egredi, inde præ verecundia posset. *Aelian lib. 7. Variæ historiæ, & Plutarch. in Demosth.*

In Elide septum est, quod Xistus ex eo appellatur, quo *Hercules Amphytrionis* filius, ad laborum patientiam quotidianis exercitationibus se confirmans, sentes omnes, qui pullularent eo in loco, vellere ac eradere sit solitus. *Pausan. l. 6.*

Lycurgus requirenti, cur corpora virginum cursu, lucta, discorum & iaculorum iactu subigeret? Vt, inquit, fœtuum radix validũ in valentibus corporibus exordium accipiens, bene germinet & ipsæ strenue partus subeuntes, facile simul & bene aduersus puerperij decertent dolores: ac si qua incũbat necessitas, valeãt pro sua liberorum, & patriæ salute pugnare. *Plut. in apoph.*

Epaminondas ephebus factus, vbi palæstræ dare operam cœpit, non tam magnitudine virium seruiuit, quam velocitati: illam enim ad *Athletarum* vsum: hanc ad belli existimabat velitatem pertinere. Itaque exercebatur plurimum currendo & luctando ad eũ finem, quo ad stans complecti posset, atque contendere. In armis plurimum studij consumebat. *Probus in Epaminonda.*

Socrates vsque ad vesperum contentius interdum ambulasse dicitur. Interrogatus autem, cur id faceret? Quo melius cœnaret, obsonari inambulando famem, respondit. *Plato l. 2. de optimo ciue.*

EXILIVM.

Definitio.

Exilium, Græce ἐξορισμὸς, ὁ, & φυγὰς, ἄδος, ὁ. exul dicitur. Exilium autem venit ab exul, qui dicitur extra solum natale: hoc est, qui extra patriam eiectus est. hinc exulo verbum, quod est extra patriam eiectus viuo, & exulabundus in exilio vitam agens. Exsul, extra solum natale eiectus. Heb. *Nahd*, à verbo *Nodh*, Motus est, nutauit, fugit, vagatus est. Exemplum in Cain extat *Genes.* 4. *ao.* 13. Græce. φεύγω fugio, tergum verto. De Exilio prolixè Ambr. Calepinus in Dictionario.

Poeticæ Sententiæ.

Eurip. in Med.

Πολλ' ἐφέλκεται φυγὴ κακὰ ξὺν αὐτῇ.

Multa attrahit exilium mala secum

Μόχθων δ' οὐκ ἄλλος ὑπερβὴς

Ἢ γᾶς πατρίας στέρεσθαι.

Laborum non aliud supra

Quam terra patria priuari.

Philosophicæ Sententiæ.

Exilium, est scelerum pœna. *Parad.* 4.

Exilium ibi est, vbi virtuti non est locus. *Pro Milone.*

Omnes scelerati & impij, quos leges exilio affici volunt, exules sunt, etsi solum non mutant. *Parad.* 4.

Exilium

Exilium terribile est iis, quibus quasi conscriptus est habitandi locus, non iis, qui omnem orbem terrarum, vnam vrbem esse ducunt. *Parad.4.*

Si abesse a patria miserum est, plenæ miserorum sunt prouinciæ, ex quibus admodum pauci in patriam reuertuntur. *1.Tusc.*

Ad omnem rationem Teucri vox accommodari potest: Patria est, vbicumque est bene. *5.Tusc.*

Exilium, non supplicium est, sed perfugium, portusq. supplicii: nam qui volunt pœnam aliquam subterfugere aut calamitatem, eò solum vertunt, hoc est, sedem, ac locum mutant, qui si in ciuitate legis vim subire vellent, non prius ciuitatem, quam vitam amitterent: quia nolunt, non adimitur iis ciuitas, sed ab iis relinquitur, atque deponitur. *Pro Cæcin.*

Exilium id, quod fit propter alienam, & offensam populi voluntatem, malum est. *1.Tusc.*

De exilio. DIAL. LXVII.
Francisci Petrarchæ.
DOL.

Exilio pellor iniusto. R. Quid tu igitur iusto pelli malles exilio? Nempe quod ad iniuriæ cumulum ais in diuersum trahi: habes iniusti exilii solatium comitem iustitiam, quæ iniustos ciues destituens, te sequuta, tecum exulat. D. Iniusto exilio pulsus sum. R. An te rex expulit, an tyrannus, an populus, an hostis, an tu ipse? Nam si rex, aut iniustum exilium non erit, aut ipse non iustus. Atque ita nec rex quidem. Si tyrannus, ab illo te pulsum gaude, sub quo boni exulant, fures imperant. Si populus, moribus ille suis vtitur, bonos odit, & hic quoque multiceps tyrannus nunquam sui similem pepulisset. Non te igitur patria, sed malorum cœtibus arceri, neque in exilium, sed in partem bonorum ciuium cogi putes. At si hostis, agnosce iniuriæ leuitatem, non hostiliter sæuiit, qui omnia cum posset patriam abstulit, spem reliquit. Sin tu ipse, mores populi perosus, aut tyranni habitum elegisti, modo ne doleas, sed etiam gloriare virtutem patriæ prætulisse, non tam flebilem sed honestam, & prorsus inuidiosam, bonis atque optabilem, non iam exilii, sed absentiæ causam habes. Sponte Pythagoras Samon liquit. Athenas Solon. Romam Scipio. D. Exilio damnatus sum. R. Multos exilium honestauit, multos acrior aliqua fortunæ vis, atque iniuria, notos reddidit & illustres: quid te vetat illis inseri, qui quasi ignem, de silice claram famam collisionibus quæsiere? D. In exilium agor. R. Habes in historiis magnos rei huius socios, quorum speciosissimus comitatus, non sensum modo dolores imminuat, sed obliuionem afferat. Non minor in exilio Camillus fuit, quàm fuisset domi: quantus ciuis, quantus exul, qui victorias ac triumphos non iustitia minus, quã prosperitate conspicuos in Capitolium duxit, mox hinc pulsus, pro accepta iniuria, ingratæ salutem patriæ rependit. Non facile aliud tam clari exulis exemplum fateor. Sed Rutilius & Metellus, tam nihil exilio fracti sunt, vt Rutilius reuocatus ab illo, cuius nutui non parere capitale erat, exilium amplexus reditum contempserit, seu ne vlla in parte senatui, iniustisq. licèt legibus patriæ obstaret, seu ne forte exul iterum fieri posset. At Metellus eodem, quo in exilio profectus erat, vultu atque animo remearet. His Marcellus accedat. Hic vltimus, qui in belli ciuilis tempus incidit pulsus, nempe non solitam modo constantiam, honestarumq. artium studium non omisit, sed strinxit arctius, & publicis liber curis vni excolendo animo tam ardenter incubuit, vt ad scholas missus honestissimas, non ad exilium videretur: quod quidem in Cicerone conspectius operum splendor, & litterarum copia maior facit, non exilij modo, sed carceris dulce solatium. D. Exilium patior. R. Exilium breue cito te patriæ tuæ reddet. Longum verò aliam tibi patriam dabit, vnde exulêt, qui te exulem voluere, dedissetq. nunc, si ad naturam rerum nõ ad opiniones hominum aspiceres. Valde enim angustus est animus, qui sic ad vnum terræ angulum se applicat, vt quicquid extra sit exilium putet. Multum abest exilij deplorator ab illa animi magnitudine, cui totus orbis carcer exiguus videtur. Interrogatus Socrates cuias esset, mundanus inquit sum. Vere Socraticum responsum. Atheniensem se alius respondisset. Socrati autẽ patria omnium mundus erat, non hic solum, quem vulgo mundum dicitis, cum pars vltima mundi sit, sed cœlum ipsum, quod hac rectius appellatione comprehenditur: illi patriæ destinati estis, ad quam si suspirat animus, qualibet in parte terrarum peregrinum, atque exulem se nouerit. Nam quis patriam vocet vbi non habitet, nisi ad breue tempus? Illa vere cuiusque patria dicenda est, vbi quisque perpetuo securus ac tranquillus deget. Quære hanc in terris, pro irrita erit inquisitio. Vt naturæ autem lex est data mortalibus ac præscripti fines, dum hic viuitis terra omnis patria vestra est, intra quam, qui se exulem facit, non tam rei, quam animi vi id laborat. Non habemus hic manentem ciuitatem dixit Paulus. Omne solũ forti patria est, inquit Naso. Omne homini natale solum ait Statius. His te vocibus armatum velim, quibus vbique vnus, & vel nũquam, vel semper in patria tua sis. D. Ire in exilium iubeor. R. I sponte, peregrinatio erit, non exilium, & memento, quibusdam reditum pro exilio fore. Sunt quibus nunquam peius quam in patria sua sit. D. In exiliũ cogor. R. Cupiendo quocũq; cogeris, efficies ne cogaris. Omne violentum patientia vincitur, & desinit esse violentum, quod volenti fit. D. Ire in exilium est necesse. R. Tu fac volens, quod vel nolens faceres, fac lætus omnia, ne quid mœstus patiaris. Ita omnem vim necessitatis, omnes clauos, quos adamantinos illi tribuunt, cathenasque, omne tædium, molestiamque discusseris, sed vos impossibilia cupitis, necessaria fugitis. Vtrumque nequicquam. D. In exilium eo. R. Immo forsan in requiem sub obtentu fassæ miseriæ vera felicitas, iam saltem ab inuidia tutus eris, propera, mixtamque cum gloria securitatem arripe. Tutis, & honestis latebris nihil est dulcius. Nullæ his conferri possunt vrbium plateæ. D. Pellor è patria. R. Pulsum te pessimis, optimis insere, neque te patria, sed patriam te indignam rebus proba. Sentiat illa quid perdiderit, tu nihil perdidisse te sentias. mali ciues tui, tædio simulque præsentis odio ac suspicione carent, boni autem amore absentis, ac desiderio teneantur, sequanturque oculis, atque animis abeuntem, illi se solos linqui doleant, tu te comitatum gaudeas proficisci, neque in tergum respicias, neque reditum cogites, neque cum illis esse cupias, qui te cupiunt abesse, neque demum, quod à te fieri debuit, ab alio factum ægre feras. Debuisti cedere ciuium inuidiæ, vtque illam fugeres vltro in exilium ire. Huius ego consilij dux eram, nec exempli duces deerãt clarissimi. Nam in primis tres magnos Scipiadas id fecisse noueras, tamque perseueranter, vt patriam sua præsentia, qua nil charius habebant, spoliatam indignam quoque cineribus defunctorum, quidam insuper famoso dignam epigrammate iudicarent. Nomina sunt immortali memoria, quæ tibi per famam, perque omnis historiæ fidem ignota esse non poterant. Africanus, Nasica, Lentulus. D. Mittor in exilium. R. Immo in experimentum tui, videris quem te in exilio præbeas, si succumbis, exul verus, si consistis exilio clarus, vt multi olim, qui inuicti & fulgidi per asperitates incesserunt, vt sequentibus rectum iter ostenderent. Siue tyrannos sæuire, siue populum furere, siue hostes, ac fortunam fremere. Pelli potes, capi, cædi, perimi, vinci autem nisi manum extuleris nõ potes, neque ornamentis tuis spoliari, cum quibus quocunque teris, & ciuis & patriæ principum vnus eris. D. Exulatum pergo. R. Perge alacer. I securus, nescis quam longa sint brachia tui regis. Nihil illi lõge est. Vbiq. te proteget, qui protexit in patria.

APOPHTHEGMATA.

Hercules interrogatus, Argiuusne esset, an Thebanus? respondit, Non vnam euro patriam iactare: omnis Græcia mihi patria est. *Plut. l. de exilio.*

Democritus dicebat peregrinationem & exilium vitæ frugalitatem docere: offa quippe, & torus herbaceus, famis ac laboris sunt medelæ dulcissimæ *Stob. ser. 28.*

Idem quamlibet terram homini sapienti, dicebat esse peruiam; quum fortis animæ mundus vniuersus patria sit. *Eod. ser.*

Demaratus ad eum, qui apud Regem Persarum parasitum agebat, ac subinde in Demarati exilium dicterijs ludebat: Non, inquit, amice tecum pugnaturus sum, nam vitæ aciem absumpsi. Ludens ex ambiguitate vocis. τάξιν enim Græce tum ordinem sonat: tum aciem. Nullus autem ad pugnam instr. ctus est, cui nulla superest acies: & ordinem vitę assumpsit, qui ex rege factus est exul. *Plut. in Lacon.*

Eudamidas, cum Alexander in Olympijs præconio ius fecisset omnibus exulibus, in suam cuique patriam redeundi præterquam Thebanis: Infortunatum quidem, inquit Eudamidas præconium, sed vobis ò Thebani, gloriosum. Soles enim vos metuit Alexander. Ad consolandos Thebanos sic interpretatus est vir animi solertis. Etenim qui permittit exulibus reditum in suam patriam, non metuit ne moliantur vindictam. A Thebanis igitur solis metuebat. *Plut in Lacon. apoph.*

Cato cum impetrata esset restitutio Achæorum exulum, Polybius & hoc à senatu petit, vt restitutis apud suos pristini honores ac magistratus redderentur. Hic Cato rogatus sententiam dixit, Polybius idem facere videtur quod fecit Vlysses, qui Cyclopis speluncam repetere voluit, quo pileum & cingulum, quę illic per obliuionem reliquerat, reciperet. Significans, abunde multum esse, quod exulibus datus esset in patriam reditus: esseque periculum, ne dum pristinos honores repetunt, etiam à reditu excludantur. *P. M. l. 5. apoph.*

Diogenes, Quidam offensus libertate Diogenis dixit illi. Quoniam illis eras moribus, patria te eiecit. Sane, inquit, quod me, vt Semele Bacchum, ferre non posset. Sentiens, se maiorem esse, quã vt à malis ferri posset, à quibus tamen non tam suo, quam ipsorum malo pulsus esset. *Plut. in apoph.*

Stratonicus Musicus Seriphi agens, hospitem suum percontatus est, ob quam causam illic homines iuberentur vertere solum? cum ille respondisset, flagitiosos apud Seriphios exilio mulctari Quin tu quoque, inquit, aliquid flagitii committis, vt ex his locorum angustiis emigres? Notans regionem esse incommodã, & oppidum frigidum. *P. M. l. 6. apoph. ex Plut.*

Aristides ab amico quodam rogatus, quam ob causam exilium ei tam molestum fuisset? respondit, propter ignominiam patriæ, à qua tamen in exilium missus esset, quæ ob eã multitiam vbique malè, & ab omnibus audiret. *Stob. ex Sermo fer.37.*

Anaxagoras ab Atheniensibus damnatus exilio, & cuidam dicenti, priuatus es Atheniensib. Imo illi, inquit, me. Sentiens, Athenienses magis opus esse Anaxagora, quam contra. *Laer l.2.c.3.*

Stilpo cuidam noxium esse exilium affirmanti, respondisse fertur. Quibus tandem & qualibus bonis priuat exilium, animi ne, an corporis, an fortunæ? An iudicandi, agendiq. dexteritatem, aut felicitatem aufert? haud sanè. An fortitudine, iustitia, aut alia quapiam virtute priuat? Ne id quidem. Sed nec vllo fraudat corporis bono. An non æquè licet in aliena terra bene valere, viribus pollere, acutum cernere, & audire acutè, interdum verò multo magis, quàm si in sua terra quis maneat, fortunæ verò bonis exilium neminem exuit. An non visum est multos, tum demum cum exules sunt facti, potiros fortunæ bonis splendidioribus? vt Phœnix, Themistocles, &c. *Stob fer.38.*

Diogenes cuidam per conuitium dicenti. Sinopenses te exilio damnarunt: At ego, inquit, illos mansione. significans, se quod solum vertere iuberetur, nihilo infeliciorem esse his, qui in patria manerent, nec exilium æquo animo pati possent. Tam enim miserum est manere coactũ, quàm exulare coactum: Philosophus, cui quæuis terra patria est, si iubeatur ire exulatum, vnius tantum ciuitatis exul est. At qui nusquam potest viuere nisi in patria, plurimarum regionum exul est. Hoc ita refert Plutarchus in libello de exilio: Te Sinopenses Ponto exulem esse iusserunt: at ego, inquit, illos hac damno pœna, vt in Ponto extremisq Euxini littoribus inclusi perpetuo maneant. Diogenes mutarat patriam, sed melius: exulabant potius, qui ibi tunc hei regioni erant adscripti. *Laer. l.6.*

Idem cuidam illi probro obijcienti, quod exularet à patria: Miser, inquit, illius rei causa philosophatus sum. Siue quod exilium compulisset Diogenem ad philosophandum: siue quod ideo didicisset philosophiam, vt exilium, similesq. casus æquo animo perpeti posset. *Laer. l.6.*

Demetrius Phalereus cum exularet, ac apud Thebanos inglorius, humilisq. viueret, audissetq. Craterem philosophum, qui ipsum inuiseret, multa placidè prudenterq. de ferendo exilio disputantem: Malè, inquit, sit negotijs & occupationibus, per quas hactenus talem virum cognoscere non licuit. *Laer. l.5.c.5.*

Alexandridas cuidam exilium acerbè ferenti, respondisse dicitur: Ne horrescas exulare ciuitate; A iustitia enim exulare miserum est. Quo responso sensit, eos nequaquam miseros esse, qui præter meritum, vel peculiares quasdam animi dotes, ab imperitis in exilium mittuntur, quibus innocentia semper consolatrix assistit. *Plut. in Lacon.*

Themistocles quum pulsus primum Athenis, & mox tota Græcia, euasisset ad Persarum regem, ditissimus ab eo factus est. Porro, magnifica dona quibus à Rege honoratus erat, intuens, dixit: O pueri, perieramus, nisi perijssemus. Perire autem videtur, qui cogitur exulare: at Themistocli feliciter cesserat exilium. *Plut. in apoph.*

Teucer rediens ex Troiana expeditione, quum ob Aiacis fratris mortem Telamoni patri esset inuisus, atque ab eo exilio multaretur, ad socios conuersus, ait: Patria est, vbicunque bene est. *Cic. in Tusc. qq.*

Rutilius, consolanti eum cuidam, ac dicenti, instare bella ciuilia, & ob id breui futurum vt omnes exules reuerterentur: Quid tibi, inquit, male feci, vt mihi peiorem reditum, quàm exilium optares? Malo vt patria exilio meo erubescat, quam reditu intereat. *Senec. de benef. l.6.c.37.*

Similitudo.

Musonij. Quemadmodum si quis in patria agens, aliam tamen domũ inhabitans, non eam, in qua natus erat, sese maceraret, & ob eã rem lugeret, nihili homo & ridiculus esset: Pari ratione is, qui inhabitans aliam ciuitatem, quam in qua natus est, calamitatem putat, talis merito stultus haberi queat & vecors. in libro in quo tractat, Exilium non esse malum. *Stob. memmust fer.38.*

Plut. è corporis morbo quidam hoc exceperunt commodi, quod vacarent negotijs, quibus distringebantur, & quosdam labores obiecti reddidere validos: Sic quibusdam exilium, paupertas, naufragium, occasio fuit philosophandi. *In Mor.*

Adagia.

Seruabis bouem, *βοῦν σώσεις.* Plut.
Hoc velut ænigmate significabant exilium.
Testaceum flagellum. *ὀστράκινος μάστιξ.*
De rebus subito transmutatis siue de exilio repentino. Conuenies cum ostracismo, de quo vide adagium. Testulæ transmutatio.
Terram pro terra. *γῆν πρὸ γῆς ἐλαύνεσθαι.*
In hominem exulem, errone.m, & incertis vagantem sedibus. Luci.

Exempla Biblica.

Exulum exempla: Adam & Eua. *Gen 3.24.* C. in 4.16. Abraham 12. 1. Dauid. 2. *Sam.* 15. *v.* 13. 14. 16. Elias 1. *Reg.* 19.3. Israelitæ 2. *Reg.* 17. *v.* 5. 6. Oseæ 9. *v.* 3. 4. Ioseph, Maria & Christus. *Math.* 2. 13. Vnde versus

Exul erat Christus comites nos exules inito
Esse decet, cuius nos quoque membra sumus.

Paulus & Barnabas, *Act* 13. *v* 50. 51. Aquila, Priscilla, & fideles Iudæi, *Act.* 18. *v.* 1. 20. Pij in hoc mundo peregrinantes. 2. *Cor.* 5. 6 *Heb.* 11. *v.* 1. 14.

Historica Exempla.

Vt Cicero scribit pro *Cecinna*, exilium non supplicium erat *Romanis*: sed perfugium, portusq. supplicij, nam qui volebant pœnam aliquam subire fugere, aut calamitatem, solum vertebant: hoc est: sedem & locum mutabant. *Hotom. de verbis Iuris.*

Exilij apud *Rom.* triplex genus erat authore *Marciano*. Aut enim omnium locorum interdicebatur accessus, præter vnum: aut in insulam deportabatur: aut, sicut *Claudius* Cæsar quosdam mulctasse dicitur, vltra tertium lapidem ab vrbe egredi vetabatur. Tandem *Claudius Cæsar* legem sanxit: vt hi, quibus prouincia interdictum esset, vrbe quoque submouerentur. *Alex. l 3. c.10.*

In Scyrpho Insula, & apud nonnullas circa Caucasum gentes, proceri nimirum maximis nullũ morte affici, sed exilio mulctari, vrbeq. & agro exterminari, legimus. *Alex. l. 3. c. 5.*

EXORCISMVS.

Definitio et Etymol.

Exorcismus, Græca dictio est, *ἐξορκισμός* à *ἐξορκίζω*. adiuro dicitur. Summus Sacerdos adiurans Christum Mat. 26.63. *ἐξορκίζω σε κατὰ τοῦ Θεοῦ τοῦ ζῶντος*, Adiuro te per Deum viuẽtem. Est autem adiuratio contra diabolum, & habetur de *consec. d.* 4. *c. Ante 10 dies. De hac materia vide sup. Adiuratio & in adiurationis arbore.*

Biblici Loci.

Exorcistæ vocabantur, qui dæmones eiiciebant, addita per Dei nomen obtestatione, quam vulgo Coniurationem vocant. *Vide Adiurare.*

Exorcistæ tempore Pauli. *Act.* 19 13.

EXPECTATIO.

Definitio, et Etymolog.

Expectatio, Græcè *ἀποκαραδοκία*. & *ἀναμένω*, expecto dicitur. Hebr. *Tikuah* à verbo *Kauah*, expectauit incumbendo, præstolatus est. Hinc Græcis *καραδοκεῖν*, incumbo, adiaceo, spero. Est autem expectatio motus spei propter cognitionem præcedentem respectu auxilij alieni, *sec. B. Thom prima Sec. q. 40 ar. 4.*

Dicitur autem expecto a verbo specio, quo non vtimur, nisi in compositione: licet antiqui etiam in simplici vterentur pro video: vnde augures specere, hoc est, inspicere aues dicebant: & spectionem auium pro inspectione & contemplatione. *Ennius: Vos epulo postquam spexit. Et vestispici in ædes vestium serui, quod* frequenti diligentia vestes inspiciebant. *Plautus: Tum familia tota vestispici, mulier auricustos.* Et quoniam cum aliquem præstolamur, an veniat, frequenter aspicere solemus, ideo expecto sumitur pro præstolor. Aliquando pro moram traho. *Virg Tyria Carthagine, qui nunc expectat.* Nonnunquam desidero. Idem: Expectatè venis. Vnde expectatio, quodam odo præstolationem, moram, modo desiderium significat.

Poetarum Dicta.

Homerus in β. Iliad.

αἰσχρόν τοι δηρόν τε μένειν κενεόν τε νέεσθαι
Turpe certè diu expectare vacuumq. redire.

Philosophorum Sententiae.

De Hæreditatis expectatione. Dial. cx.
Francisci Petrarchæ. Gav.

Hæreditatem orbi senis expecto. R. Modo te tranquillum prædicabas, ipse tibi ne contrarius sis attende, nunquam expectatio, tranquillitasq. cohabitant, vix vllum vitæ tædium expectatione molestius. G. Expecto senis hæreditatem. R. Nescis quid ille forsan expectet, est ea quidem inter homines vulgaris insania, vt ferè omnes non coæuis tantum, sed iunioribus quoque diutius se victuros sperent. Inuiti sua de morte cogitant mortales, de aliena autem libenter, cum tamẽ contrarium agere esset vtilius. G. Senis hæreditatem spero. R. Quid si ille interim tua speraret? Falli

Falli alterutrum est necesse. Quot autem senes inuenias mortē iuuenum expectantes? Et sanè nemo tam senex, qui non possit annum viuere. Nemo tam iuuenis, qui non possit hodie mori. G. Hæreditatem orbi senis spero. R. Iustius hanc sperabat filius. Iuniorem iustior spes elusit. G. Hæreditas orbi senis ad me venit. R. Qui scis, an ad illum tua? Caio Claudius, Neroni Galba, Domitiano Nerua, Commodo Pertinax successit, & successionum talium plena est hominum vita. G. Orbi senis hæreditas me manet. R. Quem non fallere possit volens, qui quem noluit fefellit? cui superuiuere nequeat, qui filio superuixit? G. Orbi iā senis elogio scriptus hæres sum. R. An in tabellis forsan adamantinis vnde non facile deleearis? An ignoras quam leuibus causis, testamenta mutent senes? Multis in ipso vitæ exitu, quod per omnem vitā voluere displicuit. G. Hæredem me vult orbus senex. R. Potest nolle. Nihil est autem indignantius orbo sene ac diuite, vbi sua diligi seq. sperni senserit, actum est. G. Hæreditas orbi senis promissa est. R. Ea vtinam innocentia atque ea mortalibus fides esset, vt & nunquam nisi honesta promitterent, & semper promissa seruarent. Nunc nec promittendi modus, nec promissa fallendi pudor vllus, quod in hæreditate potissimum licere sibi homines putant. Itaque voluntatem testatoris ambulatoria vocant: non te exemplis premam, nota res est. Legisti (credo) quib. hoc accidit, non solum vt viuentis promitteretur hæreditas, sed supremo etiam morientis amplexu, & osculo, annulisq. aureis donarentur, quod apud illos indubitæ successionis indicium erat, cū interim & hæredes alij, & eorum mentio penitus nulla esset in tabulis testamenti, tantum medijs de morte perfidia ausa est, te ne igitur viuorum fraudibus immunem reris? Cum dolis morientium circumuentos legas summos etiam & illustres viros. Nam (ne singulis immorer) genus hoc ludibrij passus est Lucius Lucullus vir amplissimus (quodq. est altius) Augustus Cæsar. Horrēda longèq. mirabilis libido fallendi, quæ nefarias animas nec in in morte destituat, sed sic est mos: & tu promissa in hæreditate spem defigis, quam frustrari possit & vita longior testantis, & breuior fides, quamquam his cessantibus mutandi causa propositi possit esse iustissima suus hæres, noua seni oriens progenies. Siquidem octogenario maior Cato filium genuit: nonagenario iam propior Masinissa. Idq. hac etiam nunc ætate nostris senibus euenit, qui vtinam priscis illis vt gignendi vi, sic vigore animi pares essent: Quæ cum ita sint, hæres certè legitimus captatori obstat, atque improbam spem præcedit. G. Iam testamento senis hæres sum. R. Sed viuentis forsitan & victuri. Testamenta autem in vita fiunt, in morte firmantur, suos & cadauer cogitas. Lupus quidem expectatione lassandus & inedia. G. Hæreditas ad me recto calle ventura est. R. Quid quod vt testator, sic hæreditas casibus subiacet, vt neque semper quem velis habeas hæredem, & sæpe nil aliud, quàm inane nomen sit hæreditatis: quid quod interim vasto precio parua re emitur, dum senem, & indignæ viro blanditiæ promerentur. Nulla est tanta vtilitas, quæ decoris impendio æstimanda sit. G. Nullo legum aut fortunæ obice hæreditas ad me venit. R. Vnde & nosti? cum sit scitum illud Marci Catonis sapientissimi senis dictum. Sæpe, inquit, audiui inter os, atque offam multa interuenire posse. Esto autem nihil interueniat, sed ad te sperata perueniat hæreditas, non manebit tecum, sed à te rursus ad alios migrabit. Volubilis sunt bona mortaliū, rotundam omni præcipue formam dicunt, vt perpetuo rotetur motu. Quæsiuisti hæreditatem successori tuo mœstus forsitan gauisuro, solicitus ocioso, & sperasti de alio, propter quod idem alij de te sperant.

De expectatione meliorum temporum. DIAL. CXV.

GAV.

Spero tempora meliora. R. Omnia ferè tempora æquè bona sunt quia Creator temporum vsque bonus est semper. Sed vos temporibus bonis malè semper vtimini, in hoc, vt in alijs culpas vestras rebus ascribitis. Fac vt homines boni sint, & tempora bona erūt. G. Tempora hæc stare nequeunt, lætiora succedent. R. Nullū tempus stat, cuncta prætereunt, cumq. transierint, nec redeunt: virtute, & industria, bonarumq. artium studijs frenari possunt, non quin fugiant, sed ne pereant, nihil est autem dulcius bene impensi temporis memoria. Sed vos nulla re vti scientes, vt oportet, vbi omnem vitam, vel in somnum, ac desidiam, vel in solitudinē atque vsus pessimos effudistis, tempus innoxium accusatis. Nunquid mentior? infantiam, ac pueritiam in vanos ludus, adolescentiam ac iuuentam in libidinem, atque auaritiam, senectam & senium in querelas ac lamenta consumitis? Quænam hæc temporum culpa est? Fluunt illa fateor, hæc natura est. Vos illa (dum datur) occupare negligitis, non est natura ista, sed culpa. Vos autem culpatis, culpam excusatis, res non noua. G. Spero lætiora tempora. R. Lætitia seu tristitia temporum (vt dixi) non in temporibus, sed in vobis est. Eò autem, quò intelligas non modo lætiora tibi speranda esse, sed tristiora perpendes, si ad ætatē ipse tuā respicis, quæ indies tristior (vt à poeta describitur) & plerisque in senibus inuenitur, & sanè si oculos in terga reflexeris, & numerare, atque æstimare annos tuos coeperis, simul incipies desperare quod speras. Non est cur mutari cursum rerum speres, non meliora instant tempora, vereor potius ne peiora, cur quæso nisi quia peiores erunt homines, quod & magni diuinarunt viri, & apertis indicijs res declarat, nisi vos mortales bonæ semper spei magnum aliquid de vestra nobili ac modesta iuuentute concipitis, à qua ego quidem opinione longè absum, nihil enim boni penitus mens præsagit, sic in vitium & ruinam prona sunt omnia. G. Mala sunt tempora, meliora venient. R. Omnem ætatem de moribus suis questam, inquit Seneca. Addo ego omnem habuisse quod quereretur, habituramq. omnem cunctis sæculis, quo quæratur. G. Spero lætiora. R. Vna est ad hoc via, qua lætiora habeas, non expectes. Fac ipse tibi lætiorem animum, quod sine virtute fieri nequit, vbi hoc feceris, læta erunt omnia, triste nihil. G. Meliora tempora expecto. R. Vt veniant quod est dubium, certè illis venientibus tu recedis. Quanto est tutius ritè vti præsentibus, quàm anxiè expectare, quæ vel forte non venient, vel minimè sis visurus.

De filij vel amici expectatione. DIAL. CXIV.

GAV.

Spero filij reditum. R. Speras gaudium solicitum & propinquum metum. G. Spero amicum reuidere. R. Rem prædulcem speras, sed fallacem, fragili res hominum statu tremunt, forsitan quem expectas iam nunc obijt: potes hoc probasse si vixisti. Impedimentorum mille sunt genera. Vnum commune omnibus mors. G. Amici conspectum exoptatum spero. R. Sunt hæc ferè coniuncta optare, & sperare, sed multis assiduè casibus disiunguntur, quam multos credimus fuisse Romæ, quam cupidis animis Marci Marcelli. huius vltimi reditum expectantes? Contra autem viæ medio hostis illum crudelissimus expectabat, cuius potentior fuit immanitas, quam victoris clementia aduersarium ab exilio reuocantis. Potuit igitur Cæsar precibus Senatus Marcello veniam dare: Non potuit Marcelli cliens graue magis pati, vt is Cæsaris beneficio vteretur. G. Spero amicum & expecto hoste quolibet carentem. R. Quis est hic hominum hoste carens? vt sit aliquis priuatorum expers, an publicis inimicitijs quisquam vacat? sicariorum dico & prædonum, qui auaritia duce bellum humano generi indixere. Finge aliquod tam benignum sidus, vt hæc pestis terris exulet, alios quis arcebit? vehiculorum & equorum lapsus, fluuiorum ac torrentium insultus & ruinas pontium ac tectorum, æquorasq. & aeres tempestates? Adde ferocium incursus animalium, quibus non singulos tantum homines Dicearchus curiosissimus indagator rerum talium, sed quædam hominum genera docet occubuisse. Et ad summam, quot sunt casus humanarum rerum, quorum nullus est numerus, tot sunt hominum hostes, qui spem tuam (non dicam) retardare possint, sed extinguere, vt nihil interueniat. Mors quam dixi & euntibus & stantibus vbique contigua est, nisi itinerantibus eo fortasse vicinior, & quo iter, & vectatio, & locorum commutatio pluribus videtur exposita. G. Spero amicum prospero exacto negocio reuersurum. G. Quàm gloriosè, quàm prosperè res gesserat Drusus Nero Diui Augusti priuignus, vt omnibus etiam hostibus domitis carus esset, ita vt eum paulo minus adorarent, quorum mirificos affectus erga illius memoriam, vsque ad hæc tempora, si vnquam Germanorum inter proceres fuisti, te sentire arbitror potuisse. Certè illa gesserat quibus verè gloriaretur, quod Romanis in saxis, primis aliquot syllabis casu aliquo deiectis, nunc etiam sculptum viget his versiculis: Ad diuortia Rheni peruasi hostiles depopulatus agros, Dum tibi Roma decus, æternaq. ludo truphæa, Hister pacatis lenior ibit aquis. Talem hunc iuuenem qualiter expectabat mundi Dominus Augustus, qui eum sibi filium fecerat amando, qualiter Liuia Augusta, cui natura illum carum fecerat, cariorem virtus, carissimum rerum fratris ignauia, qualiter deinde frater ipse, qualiscunque erga alios, tanti certè fratris amantissimus? ad postremum qualiter Roma ipsa, atque vniuersa Respublica, quæ de nullo tunc hominum, sic pendebat? Quid ergo? Quis tam multiplicis spei finis? expectatū Drusum inexpectata mors abstulit: morbo quod constat raptus, & quod magni sunt authores ex fractura cruris equo superlabente suscepta, qui viuus victor reuersus sperabatur in patriam exanimis est reuectus. Quid filium huius loquor Germanicū? Nullius credo vnquam hominis expectatio maior fuit. Non hunc pater, non Augustus, ambo iā defuncti, sed Roma omnis expectabat tanto desiderio, quasi totius vrbis vnus animus, isq. & viduæ, & non nisi vnicū habentis filium matris esset. Itaque ad primum ægritudinis suæ nunciū attonita penitus ac deiecta ciuitas, vultusq. omnium, atque habitus mutati, & mœstum tota vrbe silentium fuit. Vbi autem lætior fama incertis licet authoribus superuenit, cōualuisse illum, & viuere, subitus clamor,

atque felicissimus vndique sublatus ipsum quoque Tiberium excitauit, concursusq. in Capitolium ingens factus, & penè conuulsæ templorum fores ad persoluenda vota, agendasq. diis gratias nocte luminibus, strepitoq. vocibus silentio gratulando canentiũ, salua Roma, salua patria, saluus est Germanicus. Quis vero tandem rei exitus? Is nẽpe qui humanis in rebus est creberrimus. Venit nuncius certior obiisse Germanicum, hinc publicus dolor, ac gemitus non edictis, aut diebus festis, aut vllis omnino consolationibus coerceri quiuit. Nota est historia libro Cæsarum. 4 G. Spero iuuenem filium reuersurum. R. An hi parum iuuenes, de quibus dixi? accipe iuniorem. Marcellus eiusdem diui Augusti nepos ex sorore, quantum putas expectaretur ab auunculo, qui eum sic dilexit, vt Vergilianum illud carmen nobilissimum, quo summus vates ad felicitatis illius, penè pueri memoriam honestauit, sine lachrimis audire non posset, & actori silentium imperaret? Quomodo mater Octauia, quæ illum sic amauit, vt vsque ad vltimum vitæ suæ finem, quasi tunc extinctum continuè deploraret, omnemq. consolationem, non tãtum contemneret, sed odisset? Quid hæc autem, & quid putas? nisi quod cæteri, nõ rediit, sed relatus est, & Drusum quidem non qualem acceperat Germania Romæ, Antiochia Germanicum, Marcellum Baiana restituit, vestrarum expectationum sors communis, tu tibi nunc aliam fingis, & sors veniet quem expectas, qui cum venerit fortassis, vt abeat, & sperare incipies & optare. G. Amici absentis aduentum spero. R. Quis miretur expectari viuos, cum mortui expectentur, vt perhibent? quod nisi inter fatuos vsu facturũ nõ babet Arthusium Britones expectare fama est. Neronem principem mundi sub finem rediturum quidam somniant. Vita vestra ab initio ad extremum non modo nimis expectationibus plena, sed ipsa expectatio vana. Id sic esse si non vidisti, aut modicum vixisti, aut nimium, quid hic agitur neglexisti. G. Expecto villicum rure venturum. R. Aut domus arserit, aut messis euanuerit, aut pratum exaruerit, aut vites grando percusserit, arbores turbo conuulserit, arua torrentibus inundarint, aut apes auolauerint, locustæ satis insultauerint, columbos corui & mures, pullos vulpecula, agnos lupus inuaserit. Hi ferè rustici sunt rumores. G. Vxoris aduentum spero. R. Si hoc speras, quid iam metuas ignoro, Sic est tamen. Sunt & qui expectent coniugem, & qui febrem.

EXPERIENTIA.

DEFINITIO ET ETYMOL.

Experientia, Græcè *πεῖρα ὡς ἡ ἀπὸ πείρας τὸ ἐμπ*... experior dicitur, *ἐμπειρία* item & *αὐτόπεια* Heb. *CheKer*, a verbo *ChaKar*, i. rem exactè scrutatus est, perquisiuit fundit. s. Gall. *cercher*. Experimentum autem siue experientia nihil aliud esse videtur nisi accipere aliquid ex multis in memoria retentis, cum aliqua ratiocinatione in particularibus *sec. S Thom. sup. lib. Poster. 2. col. 2. l. fi.*

Experientia est cognitio singularium. Ars verò vniuersalium, *sec. Arist. l. 1. Metaph.*

Experientia venit ab experior, experiorq. venit à perio verbo, quo vtebãtur antiqui pro aperio, doceo: vnde peritos dicimus doctos, expertos. Sicuti è conuerso, imperitos, indoctos, atque inexpertos, vnde peritia & imperitia deriuantur ab eo verbo actiuo, perio, fit compositum, quod est in vsu, experior, vnde experti, periti: & experientia, vsus, doctrina. Expertes autem dicuntur ignari, rudes, nullam rerum experientiam habentes. Item expertes, qui non sentiunt: vt expertes doloris, qui dolorem non sentiunt, vt expers mortis, qui non moritur. Expers humanitatis, qui nihil habet humani. Sunt tamen qui velint expertem non ab experior venire, sed ab ex & pars, quasi extra partem. Venit autem aperio, vnde dicitur experior à pario paris.

SENTENTIAE BIBLICÆ.

Experientia laudabilis.

Vir in multis expertus, cogitabit multa: & qui multa didicit, enarrabit intellectum. Qui non est expertus, pauca recognoscit. *Eccl. 34.*

POETARVM DICTA.

Ter. Adelph.

Nunquam ita quisquam bene subducta ratione ad vitam fuit.
Quin res, ætas, vsus semper aliquid apportet noui.
Aliquid moneat, vt illa quæ scire credas, nescias:
Et quæ tibi putaras prima, in experiundo repudies.

Ouid. 6. Met.

Seris venit vsus ab annis.

Manil. 1.

Postquam omnis cæli species redeuntibus astris
Percepta in proprias sedes, & reddita certis
Fatorum ordinibus sua cuique attenta forma,
Per varios vsus, artem experientia fecit,
Exemplo monstrante viam.

Ouid. 1. Art.

Scit bene venator ceruis vbi retia tendat,
Scit bene qua frendens valle moretur aper.
Aucupibus noti frutices, qui sustinet hamos
Nouit quæ multo pisce natentur aquæ.

Propert. 3. 11.

Venturam melius præsagit nauita mortem:
Vulneribus didicit miles habere metum.

Ouid. 2. Pont. 3.

Da veniam quæso, nimioq. ignosce timori,
Tranquillas etiam naufragus horret aquas.
Qui semel est læsus fallaci piscis ab hamo,
Omnibus vnca cibis æra subesse putat.
Sæpe canem longè visum fugit agna, lupumq.
Credit & ipsa suam nescia vitat opem.
Membra reformidant mollem quoque saucia lectum,
Vanaq. sollicitis incitat vmbra metum.
Sic ego fortunæ telis confixus iniquis,
Pectore concipio nil nisi triste meo.

Menander.

Ἐμπειρία γὰρ ῥᾳδίως ἀπειρίας κρατεῖ.
Experientia enim inexperientiæ improbat.

PHILOSOPHORVM SENTENTIAE.

Ex ipsa experientia proficiscuntur omnis artis & scientiæ principia: Artis quidem, si ad eas res pertineant quæ oriuntur & occidunt. Scientiæ autem, si ad ea, quæ eadem semper sine vlla mutatione permanent, *l. 2. Dem. c. 18. T. 27.*

Multæ eiusdem rei recordationes vsum, experientiæq. vnius vim perficiunt: videturq. scientiæ atque artis similis vsus & experientia. Verum vsu atque exercitatione hominibus ars & scientia comparatur. Vsus enim artem, vt rectè Polus ait, genuit: casum autem & fortunam imperitia, *l. 1. Metaph. c. 1.*

Experientia quidem, vsusq. rerum nihil ab arte differre videtur, si ad agendum referatur: quin etiam multo magis ac sæpius eos animaduertimus, qui vsu valent, quàm eos, qui sine vsu ratione & arte præditi sunt, id quod volunt, consequi: propterea quod experientia & vsus rerum singularum cognitio est: ars vniuersarum: actiones verò & effectus omnes in rebus singulis versantur. *Ibid.*

Ars omnis in ortu versatur, idq. vnum agit & spectat, quemadmodum efficiatur quidque eorum, quæ & esse & non esse possunt: quorumq. principium situm est in eo, qui facit, non in eo quod efficitur. *l. 6. Ethic. 4.*

Ars non tractat ea, quæ stant, vel eueniunt necessario: nec in iis, quæ à natura ortum habent, versatur, *Ibid.*

Ars est habitus ad faciendum aliquid, vera cum ratione idoneus. Inscitia contra, habitus cum ratione falsa faciendi quippiam, quod aliter euenire potest, *Ibid.*

Necesse est artis factionem subiectam esse, non actionem *l. 6. Ethi. c. 4. & l. 1. Mag. Mor. c. 33.*

Qui in arte volens in re sua aberrarit, præstantior est: imprudentia minus. *l. 6. Ethic. c. 5.*

Ex iis quæ ratione & artificio fiunt, quædam sunt, in quibus casus nullum habere locum potest, sed ad finem aliquem semper pertinent. Alia sunt, in quibus etiam fortuna interdum cernitur: qualis est valetudo & salus cuiuspiam, *l. 2. de Dem. c. 11. T. 12.*

Quæ artis sunt, quæ ex parte artis sunt, nullum mutationis principium insitum habent. *l. 2. de Nat. c. 1. T. 3.*

Ars tum existit, & comparatur, cum ex multis experientiæ notionibus vna quæ ad vniuersum genus accommodetur, de rebus similibus nascitur perceptio. *Metaph. l. 1. Maior. c. 1.*

Scientiam & intelligentiam arti potius inesse, quàm in vsu & experientia censemus, sapientioresq. eos, qui arte præditi sunt iis, qui vsu artis valent, iudicamus, quod sapientia pro scientia, & cognitione magis omnes sequatur. *Ibid.*

Necesse est vnamquamque arte, quodammodo esse eoram tenere, & hoc pro principio vel. *l. 10. Metaph. c. 6.*

Ars omnis & doctrina, ab anticipata & informata vel omnium, aut certè quorundam notione gignitur, idq. aut demonstrationibus, aut definitionibus. *Metap. l. 1. Maio. c. 7. T. 48.*

Hæc duo in artibus & disciplinis obtineri debent, finis, & quæ ad finem pertinent actiones. *l. 7. de Rep. c. 13.*

Ea ars principatum omnium obtinet, administraq. anteponitur, cuius causa quidque agendum: quo in genere est bonum cuique, sed omnino id, quod omni natura est optimum, *l. 1. Maior. Metaph. c. 2.*

Nulli arti, quasi materia, quam tractet, & in qua versetur subiecta est voluptas: cum interim omne fit artis opus in bonis. *l. 7. Ethic. c. 11.*

Artiu

Artium eam, quæ per se cognitionisq. causa expetenda est, digniorem esse sapientiæ nomine iudicamus, ea quæ ad vtilitatē aliosq. casus dirigitur, & eam, quæ præest, principatumq. obtinet, ea quæ administra est. *lib. 1. Maior. Metaph. c. 2.*

Apophthegmata.

Eudamidas audito philosopho, qui disseruerat, solum sapientem esse bonum belli ducem: Sermo, inquit, mirificus est, at qui eum dicit, fide caret, eo quod illum nunquam circumsonuit tuba. Probauit sententiam: sed indicauit neminem cum fide loqui de re quam nullo modo sit expertus. *Plut. in Lac.*

Demades rogatus, quo præceptore esset vsus? Tribunali respondit, Atheniensium. Insinuans, quod in ipsis negotiis experientia quauis institutione sophistarum melior sit. *Stob. ser. 27.*

Antigonus interrogatus. Quem è suæ ætatis ducibus præstantissimū iudicaret? respondit, Pyrrhum si senesceret. Non pronunciauit optimum: sed optimum fore, si rerum experientiam ætas adiungeret. *Plut. in vita Pyrrhi.*

Tasso interrogatus, Quidnam sapientius esset præ cæteris? Experienti., dixit. *Stob. ser. 27.*

Paulus Aemilius, quum per loca prærupta irrupisset in Macedoniā, vidissetq. instructam hostium aciem, exhortante Nasica, vt protinus inuaderet hostem: Facerem, inquit, si tuæ essem ætatis: sed multarum rerum experientia prohibet, ne ex itinere statim cum instructa acie congrediar. *Plut. in apoph.*

Similitudines.

Archytæ philosophi. Quemadmodum calculorum computatione ex partibus coniunctis, totum ex ipsis resultans demum colligitur: Sic in rebus omnibus ratio speculationem vniuersalem delineat, experientia vero singularia iudicat. *Apud Stob. ser. 1. de Prudent.*

Anon. ins. ex omni genere curiositas hominum signa collegit instantis tempestatis: At multo magis conueniebat hac vti diligentia in consultationibus vt obseruatis experimentis coniiciant, quid malorum ex vnoquoque perperam instituto consequatur. *In Sim.*

Adagia.

Rex aut asinus. Βασιλεὺς ἢ ὄνος.
Hoc est. Aut victor, aut victus. Bischoff oder Bader.
In Care periculum. ἐν Καρὶ τὸν κίνδυνον.
Subaudi facito. Hoc est: In homine, aut in re viliori fac periculosam experientiam.
In dolio figularem artem discere. ἐν πίθῳ τὴν κεραμείαν μανθάνειν.
De iis, qui protinus maximis in rebus artificii capiunt experimentum, cum paulatim à minutis ad summa proficisci conueniat.
In arenam descendere.
Hoc est: Certamen inire.
Quanta mus apud Pisam. ὅσα μῦς ἐν Πίσῃ.
Subaudi tulit. De iis, qui vincunt, & optatis potiuntur, sed non sine summo negotio, neque citra magnum incommodum suum.
Omnem mouere lapidem. πάντα λίθον κινεῖν. *Basil.*
Hoc est: Omnia experiri, nihilq. intactum relinquere.
Pedem conferre.
Vsurpatur. vbi propius acceditur ad rem.
Omnem rudentem mouere. πάντα κάλων σείειν.
De extremo summoq. conatu in peragenda re sive negotio sumitur.
Respublica virum docet. πόλις ἄνδρα διδάσκει.
Significat, neminem ad rem gerendam idoneum esse, nisi qui sit vsu exercitatus. Plut. Der Marckht lernt Kramen.
Omnem iacere aleam.
Est rem vniuersam periclitari, fortunæ arbitrio committere.
Aut ter sex, aut tres tesseræ. ἢ τρὶς ἓξ ἢ τρεῖς κύβοι.
Si quando significabimus, nos extrema periclitari velle, & aut plane vincere, aut prorsus vinci.
Vela ventis permittere.
Hoc est: Ancipitem negotii euentum, vtcunque cadat, experiamur.
Deo fortunæq. committo.

Ἤτοι γὰρ καὶ ἐγὼ τάδε κεν Διὶ πάντα μελήσει.

Hoc est

Torsero & ipse, Ioui fuerint hæc omnia curæ.
Vsurpabimus quoties fortunam experiri statuerimus, euentum negotii huic committentes. Hom. Iliad. π.
Res ad Triarios rediit.
Hoc adagio licebit vti: cum significabimus rem eo periculi redactam esse, vt extremo conatu, summisq. viribus sit enitendum & ad suprema confugiendum consilia. Natum à ratione modoq. componendi exercitus Romani. Vide Tit. Liu. Dec. 1. l. 8. Die Kertz ist auff den nagel gebrandt.
Sacram anchoram soluere. ἱερὰν ἄγκυραν χαλάζειν. *Lucianus.*
Quoties ad extrema præsidia confugitur. Μεταφορὰ *est à nautis. Huc & illud pertinet: Ad Asylum confugere.*
Semper tibi pendeat hamus.
Semper experienda fortuna, & omnis tentanda occasio Lafs nicht [illegible] so Kommestu doch. item, Vnuerdrossen hat's offt genossen.
Tanquam ad aram.
Hoc adagio extremum refugium intelligi volumus.
Mouebo talum à sacra linea. κινῶ τὸν ἀφ' ἱερᾶς.
De iis qui extrema parant experiri. Plut.
Tentantes ad Troiam peruenerunt Græci. εἰς Τροίαν πειρώμενοι ἦλθον Ἀχαιοί.
Docet adagium. Tentando atque experiendo, quantumlibet etiam ardua perfici. Es muess gewaget sein. Item, Wagen gewinnet, wagen verleurt.
Et post malam segetem serendum est. *Senec.*
Quo licebit vti, quoties res parum ex animi sententia cecidit, & significabimus non esse desistendum à conatu.
Posterioribus melioribus. δευτέρων ἀμεινόνων.
Significabant hoc adagio, ea quæ prima experientia parum bene successerant, secunda nonnunquam commodius euenire, & prioris consilii erratum posteriore consilio corrigi. Huc referendum & illud Euripideum: αἱ δεύτεραί πως φροντίδες σοφώτεραι. Posteriores cogitationes sapientiores esse solent.
Destitutus ventis, remos adhibe. τοῦ πνεύματος ἁμαρτὼν, κατὰ τὰς κώπας χώρει.
Monet adagium, ad alia præsidia fugiendum esse, cum res vt volumus, non succedit.

Historica exempla.

Prisci mortales ægrotos in propatulo collocabāt: quibus quisque, si quid salutare vel ægrotando ipse, vel ægrotos tractando comperisset, indicaret. Atque hac ratione artem experientia auctam putant. *Plut. de Nosce teipsum.*

Fuit *Hippocrates* discendæ medicinæ adeo studiosus: vt eum non puduerit vel retrimenta gustare, vt morbi materiam cognosceret. Quod tamen alij Aesculapio, alij Asclepiadi adscribunt. *Cal. 12. lib. 16.*

Auicenna domum hospitalem exædificari fecit Cordubæ: in qua collegit omnium generum infirmos: vt experiretur in eis medicinæ suæ efficaciam. *Crantz. lib. 6. Metrop. c. 32.*

EXPROBRATIO.

Defintio, et etymolog.

EXprobratio, Græce ὀνειδισμὸς ὁ, & ὀνειδίζω, exprobro dicitur. Hebr. *Cherph*, à verbo *Charaph* exprobrauit, criminatus est, vituperauit. Per metathesin *Caphar*, perforauit, pudefactus est. Nam opprobrijs perforatur cor hominis, & pudefit. Est autem exprobratio ingestio improperii in faciem: sed oblocutio, est occulta detrectatio. *secundum S. Tho. super Psal. 43 col. 3.* Dicitur autem exprobro ab ex & probrum: est autem probrum scelus, ac flagitium. Et per metaphoram pro ignominia accipitur, quæ ex scelere sequi solet: vt, datum est ei probro, hoc est, ignominiæ ascriptum, hinc probrosum dicimus ignominiosum, & opprobrare ignominiæ obiicere, à quo opprobrium, pro ipsa ignominia. Item opprobrare, ignominiosum aliquid obiicere, à quo exprobratio, ipsa probri obiectio.

Philosophorum Sententiæ.

Beneficia non sunt exprobranda apud memores. *Liu. 1. Decad. lib. 1.*

Odiosum est genus hominum officia exprobrantium, quæ meminisse debet is, in quem collata sunt, non commemorare qui contulit. *Cic. in Lælio.*

Apophthegmata.

L. Volumnius. Appius populo exprobrabat, sibi acceptum ferri debere, quod ex mutuo & elingui facundum haberet Consulem, de L. Volumnio collega sentiens. Ibi L. Volumnius: Quam mallē, inquit, tu á me strenue facere, quam ego abs te scire loqui didicissem. *P. M. 6. apoph. Ser.*

Ser. Galba. C. Iulium consummatis victoriis in foro ius dicentem, huiusmodi dictis ausus est interpellare. C. Iul. Cæsar, pro Cn. Pompeio Magno quondam genero tuo in tertio eius consulatu pecuniam spopondi, quo nomine nunc appellor: quid agam? num dependam? Hac voce palam illi exprobrans, quod Pompeii bona vendidisset, cui fuerat affinitate iunctus. Aequum autem videbatur, vt qui bona generi vendiderat, ea dependeret, quo nondum orto inter illos bello fuissent contracta. Cæsar hac inuidia commotus, æs alienum Pompei è fisco resolui iussit. *P. M. l. 8. apoph.*

Licinius. Is Cæsaris libertos solebat patrono, nouum aliquod opus inchoanti magnas conferre pecunias. Quem morem sequutus Licinius, nouum opus aggressuro centies promisit per libellum: in quo post expressam pecuniæ summam, quæ virgula superducta si-

cta signabatur, spatium erat vacuum. Hac occasione Cæsar vsus priori summæ, quam scripserat libertus, alterum centies adiecit, sua quidem manu spatio quod vacabat diligenter expleto, sed affectata literarum similitudine. Itaque duplum accepit pecuniæ, dissimulante liberto. Cæterum vbi Cęsar rursus nouum opus inchoaret, libertus hoc factum illi leuiter obiecit, dato tali libello. Conferto tibi domine, ad noui operis impensam quod videbitur. Non expressi summæ modum, vt illi liberum esset scribere quantum vellet, quandoquidem priorem summam duplicasset. *Sueton.*

Turonius. Augustus delectatus inter cœnam fuerat symphoniacis Turonij Flacci mangonis, eosq. frumento donarat, quum alios auditos soleret largiter donare nummis. Eosdem quum postea Cæsar inter cœnam requireret, Turonius sic excusauit: Ad molas, inquit, sunt, exprobrans illi frumentarium munus: Et hoc impune tulit, quod dixerat non miles, sed mango. *Suetonius.*

SIMILITVDO.

Chrysostomi. Vt qui in peccatis est, dum alios accusat, se prior ipse accusat: Sic & in miserijs versans, & exprobrans alijs calamitatem, sibi ipsi prior exprobrat. *Apud Maximum serm. 26.*

EXEMPLA BIBLICA.

Exprobrationis malignæ exempla: Hebræus, *Exod. 2. vers.* 14. phenenna. 1. *Sam.* 1. *versicul.* 6. Principes Sacerdotum, *Matth.* 27. *versic.* 42. *Marc.* 15. *versic.* 31. Populus, *Luc.* 23. *vers.* 35. Pharisæi, *Ioan.* 9. *versic.* 34.

Exprobrationis beneficiorum exempla: Dominus Deus, *Iud.* 6. *versic.* 9. & 10. *versic.* 11. 12. 13. Vir Dei, 1. *Sam.* 2. *versic.* 27. Samuel, 10. *versicul.* 17. 18. & 12. *versicul.* 7. 8. 9. & 15. *versicul.* 17. Nathan, 2. *Samuel,* 12. *versicul.* 7. Ahia, 1. *Regum* 14. 7. Iehu Propheta, 16. *versic.* 2.

Exprobrationis vitiorum exempla: Iehu, 2. *Regum* 9. *versic.* 22. Propheta, *Esaia* 3. *versic.* 13. & 57. *versic.* 4. *Ezech.* 16. *versicul.* 14. Dominus Deus Israel, 34 *versic.* 3. *Abd. versic.* 11. *Mich.* 6. *versicul.* 4. CHRISTVS, *Matth.* 8. *versic.* 26. & 11. *versic.* 20. & 14. *versic.* 31. & 15. *versicul.* 16. & 16. *versic.* 8. & 17. *versic.* 17. *Marc.* 14. *versic.* 48. & 16. *versic.* 14. *Luca* 24. *versic.* 25. *Ioan.* 3. *versic.* 10. & 4. *versic.* 48. & 5. *versic.* 40. & 6. *versic.* 26. 36. & 7. *versic.* 19. Petrus, *Acto.* 3. *vers.* 13. 14. & 4. *versic.* 10. 11. & 5. *vers.* 30. Ioannes Baptista, *Matth.* 14. *versic.* 4. Stephanus, *Acto.* 7. *vers.* 51. Paulus & Barnabas, 13. *versic.* 46. Paulus, 2. *Corinth.* 12. *versic.* 11. & 13. *versic.* 3. *Gal.* 1. *vers.* 9. & 3. *versic.* 1. Apostolus, *Hebr.* 5. *versic.* 12.

FINIS LIBRI QVINTI.

POLYAN-

POLYANTHEAE NOVISSIMAE LIBER VI.

F

FABVLA.

DEFINITIO ET ETYMOL.

FABVLA, Græce μῦθος, ὁ, & μυθολογίαι fabulor, μυθώδης, fabulosus dicitur. Est autem fabula, res ad vtilitatem siue delectationem hominum conficta, vt sunt Poetarum fabulæ, vt fabulæ Aesopicæ, quæ ab Hesiodo Poeta initium sumpsere. Dicitur autem fabula à fando, inde fabulę & confabulor, sin. colloquor, & confabulatio, hoc est colloquutio. Fabula facit diminutiuum fabella. Est autem propriè sermo, & rumor populi, atque adeo res in vulgus sparsa, in dicterium versa, & passim publicata, sic dicta, à fando. Heb. *Maschal*, vox media a verbo *Maschal*, dominatus est. Hinc vulgatum illud. Vox populi vox Dei.

LOCI BIBLICI.

Fabulæ pro falsis & inutilibus doctrinis, 2 *Timoth*. 4. 4. eas passim amplectuntur homines, *ibidem*. Fabula de Diana Ephesina, *Act*. 19. 35. Iudæi, 1. *Timoth*. 1. 4. Fabulæ vitandæ. *ibid Tit*. 1. 14 2. *Petri* 1. 16. in fabulam fuerunt alijs Iudæi inobedientes, *Deut*. 28. 37.

SENTENTIAE BIBLICAE.

Erit enim tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros prurientes auribus. Et à veritate quidem auditum auertent; ad fabulas autem conuertentur. 2. *Timoth*. 4.

PATRVM SENTENTIAE.

Apud authores sęcularium literarum, vt apud Horatium, mus loquitur muri, & mustela vulpeculæ, vt per narrationem fictam ad id, quod agitur, verax referatur significatio: Vnde & Aesopicas fabulas ad eum finem relatas, nullus tam ineruditus fuit, qui putaret appellanda mendacia hæc in sacris libris, vt in libro Iudicum, quum ligna sibi regem fecerunt, & loquuntur ad ficum & ad vitem, quod totum fingitur: ficta quidem narratione, sed veraci significatione hæc dicuntur. *August. in lib. contr. mendacium*.

Fabula etsi vim veritatis non habeat, tamen rationem habet, vt iuxta eam possit veritas manifestari. Referunt, inquit, sæculares, virum quendam fuisse, vt quoties beneficio virium suarum destitutus, amicam & nutricem terram impulsu aduersarij contigisset, de solo surgens magis in aduersarium præualeret, & sic occasio prostrati occasio fiebat triumphi. Dabat infirmitas fortitudinem, lapsus palmam, ruina victoriam. Cui hæc conueniunt, nisi Christo, qui ad hoc cecidit, vt [illegible] melior resurgeret? *Am. lib. 3. de Offic.*

Fabulæ à fando dictæ: quia non sunt res factæ, sed tantum modo loquendi dictæ: quæ ideo sunt inductæ, vt ficto animalium mutorum inter se colloquio, imago quædam vitę hominum nasceretur. Sicut mus loquitur muri, mustela vulpeculæ & in libro Iudicum, ligna sibi regem requirunt: quod totum ad mores ordinatur, vt ad rem, quæ intenditur, ficta quidem narratione, sed veraci significatione, perueniatur. Sic enim Demosthenes in quadam oratione vsus est fabula aduersus Philippum: qui ab Atheniensibus postulauit decem oratores, & ille finxit fabulam. Lupi suaserunt pastoribus, vt in amicitiam conuenirent: cumque hoc pastoribus placuisset: petierunt lupi, vt prima sibi vice securitatis canes traderent, In quibus videbatur occasio iurgiorum: annuerunt pastores: & tunc lupi omni adempta formidine, omnem gregem non solum pro satietate, sed etiam pro libidine lacerauerunt. Sic, inquit, Philosophus, sublatis oratoribus in populo Atheniensium facturus est. Oratores populi postulat, quo facilius possit opprimere spoliatam custodibus vrbem. *Isidor. lib. 1. Etymo.*

POETARVM SENTENTIAE.

Martialis.

Quodq. tibi mœchum fabula nulla dabat.

Verinus.

Inficit obscœni puerorum carminis aures
Fabula, dum vatum quæritur ipse nitor.

PHILOSOPHICA PLACITA.

Aesopus, qui merito sapiens æstimatus est, vtilia monita sua non seuere, neque imperiosè præcepit: sed vt Philosophis mos erat, salubriter ad perspiciendum mentes animasq. hominum causa audiendi quadam illecebra induxit. *Gellius lib. 2.*

Apuleius de Deo Socratis introducit fabulam Aesopi, de coruo tenente carnem in ore: cui dum dixisset vulpecula, quod cygno melius cantabat, & volens cantare, amisit carnem de ore, ac potius crocitauit, quam cantauit, & sic suam defectionem publicauit: quod multis accidit, qui volunt se magnificare, & vltra mensuram vires suas ostentare. *ibid.*

Fabulas existimo necessarias, non ex eadem causa, qua poetis, sed vt imbecillitatis nostræ adminicula sint: & vt dicentem & audientem in rem præsentem adducant. *Incertus author.*

Istæ ineptiæ poetis relinquantur, quibus aures oblectare propositum est, & dulcem fabulam nectere. Sed qui ingenia sanare, & fidem in rebus humanis retinere, ac memoriam officiorum animis ingerere volunt, serio loquantur, & magnis viribus agant. *Seneca, lib. de beneficijs.*

Nihil debet esse in philosophia commentitijs fabellis loci. *Cic. lib. 2. de diuinat.*

Philomythes, id est, fabularum amator est aliqualiter philosophus, quia fabula ex mirabilibus constituitur. *Arist. lib. 1. Metaphys.*

Consuetudo audiendi apologos, & maxime fabulas, magnum impedimentum est in cognitione veritatis. *Commentator super secundo Metaphys.*

SIMILITVDINES.

Plutarchi. Quemadmodum iris nihil aliud est, quam relucentia solis refracti in nubibus: Ita fabula quædam est veri repręsentatio. *In Moral. Plut.*

Quemadmodum araneæ ex se telas texunt: Ita quidam ea sibi ipsis comminiscuntur fabulas ac mendacia, cum nihil subsit veri. *In Moral. Plut.*

Vt apis ex amarissimis floribus & asperrimis spinis mel suauissimũ ac lenissimum colligit: Sic ex turpibus ac scelestis fabulis, vtcunque decerpi potest aliquid vtilitatis *In Moral. Plut.*

Anonymi. Vt Democrates medicus Consideræ mulieri omnem curationem austeram recusanti, lac caprarum dedit, quas lentisco pascebat: sic iis qui prorsus à tetricis philosophiæ præceptis abhorrent, fabellæ quædam amœniores proponendæ, sed quæ philosophiam recipiunt. *In Simil.*

FACETIA.

DEFINITIO ET ETYMOL.

FAcetia, Græce [illegible], facetus dicitur. Est autem facetus, qui facit verbis quod vult, dictus à facie, vel, vt aliquibus placet, à fando, vnde facetiæ. Vel sic: Facetus est elegans in dicendo, & delicias & diuitias quasdam sermonis habens, quæ facetiæ dicuntur, vnde facetè aduerbium, hoc est, exculté, eleganter, vrbanè.

APOPHTHEGMATA.

Crates à magistratu obiurgatus, quod contra leges & consuetudinem Atheniensium sindone vestiretur, ait: Quid si Theophrastum vobis ostendam sindone amictum? Adduxit igitur eos in tonstrinam, ostenditq. Theophrastum, qui tum forte tondebatur, ha-

tio.

tco amictum, quod Græci à contegendis humeris ἐπωμίδιον vocant, submonens faceto responso, omnibus ad vsum vti licere. Turpe enim ac inhonestum si esset vti linteis, ne in tonstrina quidem vsus esset. *Laert. lib. 7. c. 5.*

Aristippus. Aristippo philosopho cum probrose obiiceretur à quodam, quod haberet Laidem meretricem. Quid tum ait, si modo non habeor à Laide? *Cic.*

Socrates. cuidam dicenti, Antisthenem philosophum matre Threicia natum esse, patre autem non tam barbaro, sed Atheniensi: Quid, inquit, an tu putas virum adeo præclarum ex vtroque parente Atheniensi nasci potuisse? Facete vir sapientissimus notauit corruptos Atheniensium mores, indicans potius è Thrace Scythave nasci posse virum ac præclarum, quam ex Atheniensi: & hoc igitur quod habebat virtutis Antisthenes, matri Hybridi potius ascribendum, quam parenti. *Laert. in eius vita. P. M. l. 3. apoph.*

Idem. Alcibiades Socrati miserat munus præclarum. Id quum Socrates videretur recusare, Xantippe dissuasit, asseuerans donum esse magnificum & indignum quod respueretur. Tum Socrates: Alcibiades, inquit, hæc mittit ambitiose, & nobis nostra est ambitio. Sentiens, interdum esse magnificentius magna contemnere, quam magna largiri. P. M. *lib. apoph.*

Anonymus. Quum Alcibiadi Atheniensi balneator plurimum administraret aquæ, Lacon id videns: Quid hoc rei est, inquit? plus aquæ infundit quasi non puro, sed vehementer sordido. Hoc scommate notauit Alcibiadis vitam multa infamia contaminatam. *Plut. in Lacon.*

Pericles. Subito oborto solis defectu; cum Pericles Atheniensis videret alios multos, sed præcipue classis gubernatorem, vehementer perturbatos, chlamyde sua texit gubernatoris faciem, interrogauitq. Nunquid hoc horrendum ostentum existimaret? illo negante: Quid interest, inquit, igitur, nisi quod chlamyde maius est id quod nunc tenebras inducit? Sensit vir prudens, interuentu lunę nobis abscondi solem, quemadmodum opposita chlamys impediebat alicuius aspectum, nullum autem esse ostentum, quod natura fit. *P. M. l. 5. apoph. Plut. in Græc. apoph.*

Pyrrho, cum sororem Philistiam vehementer obiurgasset, male audiuit eam ob causam, quod oblitus esset suæ professionis (docebat enim omnia esse indifferentia.) Verum maledicentium improbitatem sic elusit, cum diceret. In muliercula non declarari indifferentia. *Laert. l. 9. c. 11.*

Diogenes, ad puerum spurium, ex meretrice natum, lapillos iacientem in populum: Caue, inquit Diogenes, ne patrem ferias. Erat enim è scorto natus, atque ob id incerto patre. *Laert lib. 7. cap. 5.*

Idem, cum furem purpuræ comprehensum vidisset, carmen Homericum in eum detorsit: ἔλλαβε, inquit, πορφύρεος θάνατος καὶ μοῖρα κραταιή.

Id est,

Te mors purpurea apprehendit, violentaq. Parca. Laert.

Idem, aliquando stipem poscens, ita ἐρανάρχην, id est, eum qui stipi erogandæ erat præfectus, Homerico carmine compellauit:

Τοὺς δ' ἄλλους ἐνάριζε, ἀπὸ δ' Ἕκτορος ἴσχεο χεῖρας.

Id est,

Despolia reliquos, teneas sed ab Hectore dextram.

Dicti autem huius festiuitas in hoc est, quod pro ἔρανιζε dixit ἐνάριζε: quorum prius est, da stipem: alterum, armis spolia, se Hectoris nomine signans. Spoliat autem, qui munus denegat pauperi & egenti. Et solet hoc hominum genus esse furax. *ibid.*

Idem, cum hominem qui in Olympiacis certaminibus subinde pugnare solitus erat, inuenisset oues pascentem: Quam celeriter, inquit, vir fortissime, ab Olympiis ad Nemea te contulisti? Allusit autem quam facetissimè ad vocum affinitatem: νέμεα quippè certamina a loco dicuntur, vt Olympia. Νέμω vero Græcis pasco sonat, & νέμος pascua. *Laert. l. 6. c. 2.*

Idem Corintho vendendus. interrogante præcone quidnam calleret? respondit, Hominibus imperare. Risit præco, & Magnum (dixit) artificem vendo, siquis sibi dominum velit emere. *Stob. ser. 1. de Prudentia.*

Idem videns vetulam quandam nimis compte incedere: Si, inquit, ad viuos properas, falsa es: si ad mortuos, ne cunctare. *Ant par. 2. ser. 18. Melissa. Max. ser. 41.*

Alexander senem quendam capillos inficientem intuitus, Noli, inquit, capillos tingere, sed genua hæc incurua potius, vt facilius & promptius eas. *Max. ser. 41.*

Agesilaus. Quidam aspiciens Lacedæmonium quendam claudum ad bellum exeuntem, cum ei equum veluti debili necessarium quęreret: Non intelligis, inquit Agesilaus, In bello opus esse non qui fugiant, sed qui loco maneant. *Plut. in Lacon.*

Idem iam senex persæpe sine calceis & tunica prodibat in publicum, cum lacera veste, idq. matutino tempore hyemis. Cum autem quidam eum obiurgaret, quod puerilius ageret quam ætatē deceret, respondit, Iuniores ciuium, si vestem virilem induam, omnes oculos in me conijcient. *Aelianus l. 7. de Var. hist.*

Idem ex Asia discedens, aiebat se triginta sagittariorum millibus à rege Asia depelli, tot enim Daricorum aureorum millibus (Persarum autem hi nummi aurei saggitarium habebant insculptū) Athenas ac Thebas deportatis, ac in plebis moderatores distributis, Timocrates effecerat, vt populus hostilem animum aduersus milites susciperet. *Plut in Lac.*

Idem. Menecrates quidam medicus cum forte ægrotantes aliquot liberasset à morbis, sibi Iouis nomen inde adscribi passus est. Tandem vero epistolam ad Agesilaum regem scribens, eam sic exorsus est, Menecrates Iupiter, Agesilao regi salutem. Verum rex cum hominis stultitiam esset admiratus, hunc in modum rescripsit: Rex Agesilaus Menecrati plane sanitatem. Facete admonuit hominem, cui mentis sanitatem plane deesse putabat, qui homo cum esset, Deorum nomen sibi adscriberet. *Plut. in Lacon.*

Demonax rogatus, an philosophus etiā placentis vesceretur? Quid, inquit, num putas apes stultis tantum mellificare? Placentæ melle condiebantur, sacchari vsu nondum reperto. *P. M. l. 8. apoph.*

Idem quum videret Athenienses hoc agere, vt barbarorum exemplo gladiatorum spectacula in vrbem inducerent: nolite, inquit, ô canes, istam crudelitatem prius admittere in ciuitatem vestram, quam Misericordiæ aram sitis demoliti. Significans non conuenire, in ea ciuitate in qua Misericordia pro Dea coleretur, spectari plusquam ferinam crudelitatem. *P. M. lib. 8. apophthegmata.*

Cleomenes, Argiuis profitentibus se prioris conflictus fortunam, in qua victi fuerant, iterato prælio sarcire velle: Demiror, inquit, si duarum syllabarum accessione facti estis meliores, quam eratis prius. Verum huius dicti argutia Latine reddi non potest. Græcis enim μάχεσθαι pugnare est, ἀναμάχεσθαι vero redintegrare pugnam. *Plut. in Lacon.*

Anonymus. Lacon quidam Gymnasiarcham ligna ἄκαπνα exhibentem, facetissimo ioco incusauit, dicens, quod per eum ne lachrimas quidem illic effundere daretur. Fumus quippè mouet lachrimas. Acapna autem ligna inde dicta sunt, quod fumo careant. *P. M. l. 8. apoph.*

Anonymus. Lacon quidam quotidie conuiuantem quendam, plagiarium ac tyrannum vocauit, per quem ipse tot annis nunquam vidisset mensam suam. Ioci autem lepos est in faceta fictione, plagiarium appellauit, quod liberalitate sua homines sibi redderet obnoxios: tyrannum vero, quod per illum non licet cuiquam conuiuarum domi suæ viuere. *P. M libro 8. apoph.*

Alius quidam, quum homines defunctos in sellis sedentes videret: Absit, inquit, vt hic sedeam, vnde se iori assurgere fas non est. ostendit autem facetissimo dicterio mortem horrorem incutere hominibus, vitam autem omnibus esse dulcissimam. *Brusen. lib. 4. capit. 10.*

Quidam iratus agasoni, volebat eum percutere, quumq. is clamaret, Atheniensis sum: ad asinum versus, At tu (inquit) Atheniensis non es, eique multas plagas inflixit: *Plutarchi de cohibenda iracundia.*

Philopœmen diuertere volebat ad hospitium veteris amici. Quo cognito, iussit hospes apparari quæ necessaria essent alia ab vxore, dum interim ipse obsonia appararet. Inter hæc Philopœmen solus (vt res ipsa ferebat) ad hospitium properat, quem venientem, vt solum, vt deformem, vt qui nihil ornatus haberet eximij, arbitrabatur mulier ex administris esse aliquem, qui herum præueniret: cumq. esset de aduentu Philopœmenis mirifice solicita, etiam blandiendo rogauit eum, se vt adiuuaret ad dominum comiter excipiendum. Tum Philopœmen, vt erat perhumanus, cognito mulieris errore, confestim securi accepta, & cuneo, cœpit ligna findere, ad coquendam cœnam. Hospes interim, domum ingressus, cum animaduerteret Philopœmenem findendis lignis in illo incumbere: Proh, Iupiter, inquit, quid hoc Philopœmen? quid agis dux maxime? Ad ea Philopœmen: pro deformitate, inquit, oris, totiusq. corporis, pœnas luo. Voluit ipsemet præbere de se hospiti & sibi ipsi risum. Res sane festiuo ac faceto homine digna. quæq. quo rarior, eo etiam fuerit lepidior. *Pontanus ex Plut.*

Stratonicus Musicus cum in Pontum nauigans, ad regem Berisadem venisset, diu apud eum moratus, voluit illinc in Græciam adornare fugam. Verum cum id rex non videretur passurus: Bene, inquit Stratonicus, cogitas, o rex, qui statuens hic manere. Quo dicto, facetè suam indicabat fugam, & regis interim consiliū probabat quasi ille de migrando cogitasset, & ipse, non nisi grauibus causis commotus, pararet abitum. *Athenæus.*

Idem se vehementer demirari aiebat Satyri sophistæ matrem, quæ illum decem menses tulisset, quem nulla ciuitas decem dies ferre posset *P. M. l. 6. apoph.*

Idem, in sacrificio tibia inflaturo inscito quodam tibicine, Bona ominari me oportet, inquit: libemus iam, atque Deos precemur. *Athen. l. 8.*

Idem, Cleon citharœdus, cognomine Bos, nec rectè pulsabat lyram, & voce plurimum dissonabat ab eius fidibus, cum cum audisset Stratonicus. Asinus (inquit) ad lyram, adagium olim fuit: nunc autem dicendum, Bos ad lyram. *Athen, eod. lib.*

Idem,

Idem, quodam sciscitante, quænam essent tutissima nauigia: rotunda, an longa? respondit, quæ in terram subducta sunt. Rhodi cum artis specimen exhiberet, applaudente nullo abiit, theatro relicto, ac dixit, Quandoquidem id vos non præstatis, quod nullius est impendii, quomodo à vobis sperare munus aliquod viritim possum? Minaco calceario de musica pertinacius cum ipso altercanti, animum se non aduertere dixit, propterea quòd supra pedis malleolum loqueretur. Affine huic dictum est Apellis, ne sutor vltra crepidam, *Athen. eod. lib.*

Idem, ignarum Medicum dicebat, ægros quos tractaret, vno die ad inferos migrarent, efficere: in agri Milesij oppido quodam cum variarum nationum miscellani homines habitarent, omnia sepulcra peregrinorum esse, ac conuenarum intuitus, facessamus hinc, inquit, puer: soli mori videntur hic alienigenæ, ciues autem nulli. Maroneæ quę ciuitas erat luxui ac compotationibus diffluens, cum quibusdam potans, si per ciuitatem oc. lis tectis duceretur, quo in loco ciuitatis esset, cognitururn se dixit. Opertis deductus oculis, interrogantibus vbinam esset, in caupona, respondit, tanquam caupona foret tota ciuitas. Victis Sicyone qui aduersus illum certauerant, in Aesculapii delubro trophęum erexit, inscriptionemq. hanc addidit, Stratonicus de iis qui cytharam male pulsant. Cuidam ipsum laudanti vt nonnihil muneris auferret, maiorem se mendicum esse dixit. Pellæ ad puteum accedens, an esset potui salubris aqua sciscitatus est: respondentibus qui hauriebant, illam se bibere: est igitur insalubris, ait, quia luridi essent incolæ, & pallentes. *Athen. l. 8. vbi alia extant eiusdem Stratonici iocose dicta, quæ suis locis hoc opere continentur.*

Anonymus, quidam cum in tabernâ venisset, ibidemq. hospitis vxorem cum ancillis plus satis rixantem in prandio ferre nequiret, hospes conuersus ad hominem. Ecqua, inquit, hæc est tua impatientia? duos ego & triginta nunc annos huius clamores & insaniam dies noctesq. pertuli, tu verò ne horam quidem eam ferre potes? Quo dicto & hominis impatientiam leniit, & vxorem ab ira in risum commouit. *Adrianus Barlandus.*

Ludouicus vndecimus Gal. rex, audiens indoctum quendam, instructissimam habere bibliothecam, dixit, Eum similem esse gibboso, qui molem in dorso portans eam nunquam aspiceret, *Corrozeus, de dict. & fact. memor.*

F A B V L A.

Sus & Canis.

Mutua sibi conuicia sus & canis faciebant. Sus per Venerem iurare, se canem, nisi desinat maledicere, dentibus suis conscissuram esse. Hanc irridens canis: per Venerem, inquit, venustum est iusiurandum tuum. Nam te valde delectari Deam apparet, quippè cum nolit in suum fanum admitti eos, qui gustarint carnes tuas. Cui sus iam mitior, respondit: enimvero illa me diligit, cum occisores meos, & infestos mihi prorsus repelli iubet à se, At tu fœtes tam viuus quam mortuus.

Monet fabula prudentes, vt inimicorum conuitia & probra facete ad laudem suam conuertant & contra illos retorqueant.

FACIES.

Loci Biblici.

FAcies, Hebræorum more, pro externa facie, & quasi vultu rerum quarumlibet, *Matth. 16. 3.* facies Dei, id est, diuinæ Maiestatis, gloriæ, præsentiæ, potentiæ, indignationis, beneuolentiæ, designatio peculiaris, quę ex contextus consideratione facile discernitur: *Genes. 38. Exo. 33. 11. Numer. 6. 25. Iud. 5. 5. 1. Samuel. 13. 22. 1. Chron. 16. 11. 30. Nehe. 1. 4. Psalm. 10. 11. 1. Corinth. 13. 12. Apoc. 22. 4.*

Facies Dei Patris. *Matth. 18. 10. Apocal. 6. 16.* facies Christi filij Dei, in carne manifestandi & manifestati. *Esaia 50. 6. 7. Daniel. 10. 6. Malach. 3. 1. Matth. 17. 2. & 26. 39. 67. 2. Corinth. 4. 6. 2. Thessal. 1. 9. Apocal 1. 16. &* in facies Iehouæ, arca fœderis, *1. Samuel 2. 18. & 21. 6. Psal. 24. 6. & 42. 3. & 95. 2. & 114. 7.* facies, id est, os, vultus, conspectus, præsentia, status externus, sermo, actio, conditio hominis, *Genes. 2. 7. & 16. 8. Esa. 3. 15. & 20. 6. & 37. 6. Marc. 12. 14. Ioan. 7. 24. 2. Corinth. 5. 12. & 10. 1. 7.* facies mystica, *Cantic. 2. 14.* facies, id est, superficies orbis, &c. *Gen. 1. 2. & 4. 6. Iob. 37. 12. Esa. 39. 8. Ezech. 37. 2. Matth. 26. 3. Act. 17. 26.* facies animalium variorum, *Ezech. 11. 19. Dan. 7. 8. Ioel. 2. 3. &c. Apoc 9. 7* facies serpentis, draconis, Satanæ, *Apocal. 12. 24.* facies afflictionis variæ, *Esa. 19. 16. Ierem. 42. 17. & 48. 44. Thren. 5. 10.* facies arcus, gladii, prælii, *Iob. 19. 29. Psal 60. 6. Esa. 21. 15.* facies rerum artific. *Exod. 28. 27. 1. Reg. 6. 3. Ezech. 40. 15. &c.* facies venti, ignis, frigoris *Psal. 18. 45. & 88. 3. & 147. 17. Mich. 1. 4.*

Facies Dei præcedebat Israelitas, *Exod. 33. vers. 14. 17.* iuxta faciem non iudicat Deus, *1 Samuel. 16. 7.* vt faciem suam ostendat nobis Deus, orandum, *Numer. 6. 25.* Facie ad faciem locutus est Moysi Deus, *Exod. 33. 11. Deuteron. 5. 4. & 34. 10.* Facie ad faciem quando Deum simus cognituri. *1. Cor. 13. 12.* Vide *1. Ioan. 3. 2.* in Faciem cadere Hebræis, est pronos adorare, *Matth. 17. 7.* Facierum panes qui vocentur, *Exo. 25. Leuit. 21. Num. 4.* dicti quia ante faciem Dei ponebantur.

Philosophicae Sententiae.

Faciem eam partem nominamus duntaxat in homine, quæ caluæ subiecta est. *lib. 1. de Hist. c. 8.*

Quibus frons magna, segnes sunt: quibus frons parua, mobiles: quibus lata, mente moueri idonei: quibus rotunda, iracundi. *ibidem.*

FACILITAS.

Definitio et Etymol.

FAcilitas, Græce, εὐκολία, ας, ἡ. & εὔκολος, ὁ, ἡ. facilis dicitur Sunt autē facilia, quę vel sine labore, vel breui tempore fiunt. *secund. Arist. l. 1 Rhet.* Erit itaque dictu vel factu facile, quod facile dici vel fieri potest. Cuius contrarium est difficile, quod non sine labore fieri potest. Difficiles etiam terræ dicuntur quasi steriles. *Virgil. Difficiles primum terræ, collesq. maligni.* Dicuntur autem hæc è facio.

Poeticæ Sententiae.

Lucret. 1.

Sed neque tam facilis res vlla est quin ea primum
Difficilis magis ad credendum constet.

Ouid. 3. Trist. 11.

In causa facili cuiuis licet esse diserto,
Et minimæ vires frangere quassa valent.
Subruere est arces & stantia mœnia virtus:
Quolibet ignaui præcipitata premunt.

Manil. 3.

Facile est ventis dare vela secundis,
Fœcundumq. solum varias agitare per artes,
Auroq. atque ebori decus addere, cum rudis ipsa
Materies nitet.

FACVNDIA.

Definitio, et Etymolog.

FAcundia, Græce. εὐγλωττία, ας, ἡ. & εὔγλωττος, ὁ, facundus dicitur. Est autem facundia eloquentia, vnde facundus, fatu iucundus. *secund. Acronem super arte poet. Horat.* Diciturque facundia à fando, ita & facundus dicitur disertus, & qui ea, quæ mente concipit, ad audientes facile atque ornate profert. Estque facundia facultas differendi cum gratia: & facunde aduerbium, pro diserte. De hac materia vide supra in Concio & Eloquentia,

Vis facundiæ ea est, vt omnia conficere & subigere valeat. *Plutarchus in Demosth.*

Eum qui in Rep. potentia præstare velit, eam eloquentia sibi parare necesse est: Contentum autem esse gloria facundiæ, inque eius ingluuie quasi acquiescere, non est ingenuum. *Idem in comp. Demosthen. & Ciceronis.*

Adagia.

Attica musa. Ἀττικὴ Μοῦσα.

Pro venusta lepidaq. oratione, Diogen. Laer.

Lepos Atticus. Eloquentia Attica. *Hieron.*

Inter reliquos Græciæ populos lepos & festiuitas quædam quasi vernacula ac peculiaris est Atticis, adeo vt in prouerb. abierit.

Cygnea cantio. κύκνειον ᾆσμα.

Conuenit in eos, qui supremo vitæ tempore facunde disserunt.

Tunc canent cygni, quum tacebunt graculi. τότ' ᾄσονται κύκνοι, ὅταν κολοιοὶ σιωπήσωσι.

Tum loquentur eruditi, quum garrulis non erit loquendi locus.
Aut inter garrulos & obstreperos non esse eruditis dicendi locus.

Nestorea eloquentia. Poetica mella.

Nestoris Pyliorum ducis facundia in prouerbium abijt, si quando senilem suauiloquentiam significamus.

Nihil ex agro dicis. οὐδὲν ἐξ ἀγροῦ λέγεις. *Suidas.*

Nihil humile, neque triuiale. Quod enim parum elegans, parum expolitum,

tum, id ex agro profectum dicitur. Contra, quod festiuum aut lepidum, id urbanum ac ciuile vocatur.

Nunc ipsa viuit sapientia, αὐτὴ νῦν σοφία ζῇ.

Applaudentis & adgratulantis est sermo, si quid aliquando videtur scite & arte dictum factumve, festiuius erit si per Ironiam efferatur.

Nunc ipsa floret Musa. αὐτὴ νῦν ἀνθεῖ Μοῦσα.

Vbi quid erudite, facunde, venuste dictum aut scriptum videbitur.

Et hoc venustius fiet per Ironiam.

Musarum aues, Μουσᾶν ὄρνιθες Theocrit.

Dicuntur Poetæ, quod assidue carmina sua modulentur.

EMBLEMA.

Facundia difficilis.

Emblema CLXXXI. Andr. Alciati.

Antidotum Aeæa medicata in pocula Circes
Mercurium hoc Ithaco fama dedisse fuit.
Moly vocant: id vix radice euellitur atra,
Purpureus sed flos, lactis & instar habet.
Eloquii candor facundiaq. allicit omnes:
Sed multi res est tanta laboris opus.

Vide Eloquentia, Oratio.

FALLACIA.

DEFINITIO ET ETYM.

Fallacia, quæ alio nomine dicitur locus sophisticus, quia. sc. est causa fallendi, quantum est de se, licet aliquis non fallatur per ipsum in actu, nisi ignorantia adueniente. *B. Thom opusc. 39. cap. 1. final.* Fallacia à fando dicitur, vt Varroni placet, quod fando decipiamus, & contra quem diximus, faciamus. Et falli ex appellatur, qui mentiendo decipit: hinc refello, quod ita differt à purgo: vt refellere dicatur de eo, qui factum negat. purgare de eo, qui fatetur quidem factum, sed defendit. Hinc etiam falsarii dicuntur, qui decipiendi gratia publica scripta falsificant, & falsificen verbum, à quo falsificatio & falsitas, de qua infra.

Fallacia, Græc. ἐξαπάτη Hebr. varijs vocibus fallacias multiplices depingunt. 1. *Beghedh*, præuaricatio, excursio, vestis quæ diffluit, & excurrendo aperitur à verbo *Baghadh*, transgressus est metá, currit extra lineas, quemadmodum vestis à superne incedentibus variè discutit suas flexuras. Ita fallaces homines suas imposturas (Gall. *Bagatelles*) paulatim explicant. 2. *Hebel*, i. dolosus fuit, fallaciter egit, fefellit nugis & mendaciis. Cognationem habet cum *Talah*, suspendit, nam suspensum aliquem tenere variis promissis, est fallere, quod & Latini dicunt suspendere naso. Hinc Græc. ληρέω nugis aliquem decipio; λῆροι nugæ. Hebr. *hathulim*, & *hathalloth*, Iob. 17. 2. Esa. 30. 10. 3. *Cachasch*. verbum signif. negauit, denegauit, mentitus est. Cognationem habet cum *Schachac*, oblitus est, & *Caschac*, obtenebratus. fallaces enim memores non sunt, sed tenebricosis inuoluti, à verbo fit nomen idem, *Caschasch*, fallacia, mendacium, denegatio: Oseæ, 10. 13. Nahum. 3. 1. 4. A verbo *Cazab*, mentitus est, fefellit (cognationem haben te cum *Caschaph*, fascinauit) fluit nomen *Cazab*, & *Achzab*, mendacium, fallacia, falsitas, Psal. 5. 7. Mich. 1. 14. 5. Verbum *Pittah*, in secunda coniugatione, sign. illexit. decepit. cognationem habet cum *Phatha*, fatuus. fatui. n. facile credunt & persuadentur. Hinc πείθω suadeo, ἀπατάω, decipio. *Pethi*, fatuus, qui facile fallitur: *Pethaiuth*, persuasio, fallacia, fatuitas eius respectu qui fallitur.

Falsitas Grecæ ψεῦδος, εος, τὸ, ac mendacium, ψευδής, έος, ὁ. falsus à ψεύδω, fallo dicitur. Est autem falsitas, qua putatur esse, quod non est. *secund. Aug. 7. l. Confession.*

Falsitas consistit in æqualitate rei. & intellectus. *2. B. Tho. in q. de Veri. q. 1. art. 10.*

Falsum est significatio rei, non ita se habentis. *2. Aug. l. 1. de doctrina Christiana.*

SENTENTIÆ POETICÆ.

Ter. And.

Fallacia alia aliam trudit.

Ouid. 1. Art.

Tuta frequensq. via est per amici fallere nomen.
Tuta frequensq. licet sit via, crimen habet.

Ibidem.

Fallite fallentes: ex magna parte profanum
Est genus: in laqueos quos posuere cadant.

EXEMPLA BIBLICA.

Fallaciæ præsertim mulierum exempla: Serpens. *Gen. 3. ver. 4.* Duæ filiæ Loth, 19. *v.* 31. Rebecca. 27. *v.* 6. 7. Rachel, 31. *v.* 35. Thamar, 38. *v.* 13. 14. Vxor Potiphatis, 39. *v.* 17. 18. Rahab, *Iosu. 2. ver. 4. 5. 6.* Iahel, *Iud. 4. v.* 16. 17. 18. Dalila. 6. *v.* 15. 16. Micha. *1. Sam. 19. v.* 12. 13. 14. 15. 16. 17. Ionathas, 20 *v.* 21. 22. Dauid, 26. *v.* 10. 11. 12. Mulier Thecuitis, *2. Sam. 14. v. 6.* Mulier quædam, 17. *ver.* 19. Iudith, *Iudith. 11. 4. 5. &c.*

APOLOG. SEV FABVLÆ.

Leo & Vulpes.

Leo senio confectus, cum vires non suppeterent ad cibum parandum, callidum cœpit consilium sustentandi vitam. Itaque in antro, quasi periculoso morbo correptus, decumbens, quod ad ipsum visendū passim animantes reliquæ aduenirent, prehensas illas deuorabat. Atque ita magna bestiarū multitudine à leone absumpta, accedit tandē & vulpecula ad antrum. & ante illud substitit, hæsitans atque circumspectans. Tum leo, quid cesset, cur non adeat ad se rogat. At illa, id quod Horatius versibus retulit, respondisse fertur.

Quia me vestigia terrent.
Omnia te aduersum spectantia, nulla retrorsum.

Fabula docet, prudentes ante pericula cauere sibi, & ea signa quibus mala portendantur, notare, & hæc effugere.

Fur & Canis.

Fur allatranti cani offerebat panem. Cui canis: Ac nunc ego, inquit, satiatus, quum tu domum nostram compilaueris, me silente, vnde mihi mox cibum petam, aut quomodo sedabitur fames mea?

Fabula docet, cauendas fraudes fallacium, neque facta illorum, sed consilia spectanda esse. Referri & ad illud potest, quod a Iurisconsultis memoratur:

Tolle voluntatem, nec erit discrimen in actu.

Quæ sententia in conuiuio Platonis elegantissimè memoratur. *Exposita & à Gellio lib. 17. cap. 20.*

FAMA.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Fama, Græce φήμη, ης, vel εὐφημία, ας, ἡ, est illæsæ dignitatis status, legibus & doloribus comprubatus.

Fama est omnis de aliqua re rumor, sine veri cognitione, siue bonus, siue malus. Et hoc tantum differt à rumore, quod rumor semper de re recenti dicitur: fama etiam de re inueterata firmataq. in hominum opinione, quamuis incerta.

Famam à fando dici putant, vt sit, quicquid de aliquo diuulgatur, siue in bonum, siue in malum.

Heb. *Schemach*, auditus, quod Gallicè dicimus, *vn ouir dire*, à verbo *Schamach*, audiuit. Nihil enim aliud est fama quam rumor quidam per aures sparsus & longe lateq. postea delatus.

Fama Dea terræ filia dicitur. Nam cum bellum ob regni cupiditatem inter Gigantes Titani ac Terræ filios, & Iouem esset exortum, iamq. passim Terræ filii à Ioue ac cæteris dijs trucidarentur, percita nimio dolore Terra, quum sibi aduersus hostes tam potentes arma deessent, vlcisci tamen, quacunque via posset illatam sibi iniuriam cogitans, coacta vtero. Famam enixa est, quæ superum scelera per orbem terrarum disseminaret.

LOCI BIBLICI.

Fama bona præstantior diuitiis, eoq. expetenda. *Prou. 22. 1. Ecclef. 7. v. 1. 2. Ecclef. 41. v. 15. 16.* quatenus illius habenda ratio, *Rom. 12. 17. 2. Cor. 5. 12. & 6. 4. & 8. 2. & 13. 7. 1. Tim. 3. 7. 2. Pet. 2. 12. & 3. 16.*

SENTENTIAE BIBLICAE.

Fama bona impinguat ossa. *Prou. 15.*

Melius est nomen bonum, quam diuitiæ multæ: super argentum enim & aurum gratia bona 22.

Melius est nomen bonum quam vnguenta pretiosa: & dies mortis. die natiuitatis. *Ecclef. 7.*

Diligenter conseruanda.

In omnibus operibus tuis præcellens esto.

Ne famæ tuæ maculam imprimas 33.

Curam habe de bono nomine. Hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri pretiosi & magni. Bonæ vitæ numeros dierum, bonum autem nomen permanebit in æternum. 41.

PATRVM SENTENTIAE.

Non sunt audiendi siue viri sancti, siue fœminæ, qui quando reprehenduntur in aliqua negligentia, per quam fit, vt in malam veniant suspicionem, vnde vitam suam longè abesse sciunt. dicunt, coram Deo sufficere sibi conscientiam, æstimationem hominum non solum impudenter, verum etiam crudeliter contemnentes: quum occidant animas aliorum, siue blasphemantium viam Dei, quibus secundum suspicionem quasi turpis, quæ casta est. displicet vita sanctorum: vel etiam cum accusatione imitantium non quod vident, sed quod putant. Proinde quisquis à criminibus flagitiorum atque facinorum vitam suam custodit, sibi benefacit:

quis-

quisquis autem etiam famam, & in alijs est misericors. Nobis enim necessaria est vita nostra, alijs fama nostra. *Aug. de bono viduitatis: & habet. 11. quæst. 3. Non sunt audiendi.*

Cauete omnes suspiciones, & quicquid probabiliter fingi potest, seu dici, ne fingatur, ante deuita. *Aug. lib. Confession.*

Sic Doctor bonam eligat vitam, vt etiam bonam non negligat famam. *Idem lib. de doctr. Christ.*

Falsus rumor cito opprimitur, & vita posterior indicat de priore. Si anno præterito fama mentita est, aut certe verum dixit: cesset vitium, cessabit & rumor. *Hier. ad Marcel.*

Opera salutis sine fama boni odoris non satis relucent auditoribus: nec fama sine opere proficit, sine quibus forma veri sacerdotis non commendatur. *Hier. super illud Matth. 4. Abijt opinio eius.*

Sunt plurimi, qui vitam bonorum, fortasse amplius quam debent, laudant: & ne qua elatio de laude surrepat, permittit omnipotens Deus malos in obtrectationem & obiurgationem prorumpere; vt si qua culpa ab ore laudantium in corde nascitur, ab ore vituperantium suffocetur. Hinc est, quod Doctor gentium se in prædicatione currere testatur inter infamiam & bonam famam: qui etiam dicit, vt seductores & veraces. *Greg. & hab. q. 1. Sunt plurimi, qui.*

Habet proprium antiqui hostis insidia, vt quos in prauorū actuum præparatione Deo sibi resistente decipere non valet, opiniones eorum, falsa ad præsens insinuando, dilaceret. *Idem in Registro.*

Disce bono flagrare præconio. Custodi bonam famam tuam. *Isidor. in synon. soliloquior l. 2. c. 27.*

Inclyti animi signum est famæ diligere commodum, & lucra causarum negligere. Nam qui affectat famæ commodum pecuniæ negligit augmenta. *Cassiod. l. 1. epist. 3.*

Regnantis facultas tunc fit ditior, cum remittit & acquirit thesauros famæ, neglecta vtilitate pecuniæ. *Idem.*

Nemo futurum putat diligentem, quem in ipsa nouitate operationis suę non videt esse custodem. Prouidus institutor hortū suum fœcundis nititur ornare plantarijs, vt reddant fructus optatos, quæ sollicitis fuerant exculta laboribus. *Idem.*

Laborem quippè non refugit, qui virtutis gloriam concupiscit, *ib. epist. 20.*

Vbique cognoscitur, quisquis fama teste laudatur. Dum enim copia plurimum quæ solet habere fastidium, bonum nomen repetitum semper efficitur gloriosum. *Idem. l. 2. epist.*

Melius est de perpetua vita, quam de fama cogitare: nostra enim post mortem non opuscula, sed opera sunt pensanda, quia si aliquid agimus, nostrum est, si quid habemus, alienum est. *Idem.*

Vituperationem generant, quæ in medijs conatibus ægra deseruiunt. *Idem l. 4. epist. 31.*

Pulchrum est commodum famæ, fœda neglexisse lucra pecuniæ. *Idem lib. 4. epist. 12.*

Interdum assidui labores & ipsas ingratas faciunt dignitates. Graue pondus inuidiæ est splendere singulari claritate, & morum lampade non lucere. *Idem. l. 6. epist. 12.*

Quærat eruditus, vbi possit existere gloriosus. Prudens frequentiā non respuat hominum, in qua se nouerit esse laudandum. Alioquin virtutibus fama tollitur, si eorum fama in hominibus non sciatur. *Idem lib. 6. epist. 88.*

Hoc naturæ thesauris reponimus, quod famæ commodis applicamus. *Cassiod. l. 8. epist. 23.*

Veræ famæ hæc est gloriosa proprietas, vt appetitores sui contemnat, appetat contemptores: famam fugiendo consequitur, quam perderet in consequendo. *Alanus de complanctu Naturæ.*

Nam omnino fingendarum similitudinum ratio idcirco ab omnibus inuenta est, vt possit eorum memoria retineri, qui vel morte subtracti, vel absentia fuerant separati. *Lactan. Firmian. lib. 2. diuinarum institutionum.*

SENTENTIAE POETICAE.

Virg. 4. & Aen.

Extemplo Libyæ magnas it fama per vrbes,
Fama, malum quo non aliud velocius vllum.
Mobilitate viget, viresq. acquirit eundo.
Parua metu primo, mox sese attollit in auras,
Ingrediturq. solo, & caput inter nubila condit.
Illam terra parens ira irritata Deorum,
Extremam, vt perhibent Cœo, Enceladoq. sororem
Progenuit pedibus celerem & pernicibus alis,
Monstrum horrendum ingens: cui quot sunt corpore plumæ,
Tot vigiles oculi subter (mirabile dictu)
Tot linguæ, totidem ora sonant, tot surrigit aures.
Nocte volat cæli medio, terræq. per vmbram
Stridens, nec dulci declinat lumina somno.
Luce sedet custos, aut summi culmine tecti,
Turribus aut altis, & magnas territat vrbes,
Tam ficti, prauiq. tenax, quam nuncia veri.

Ouid. 9. Met.

Fama loquax peruenit ad aures
Deianira tuas quæ veris addere falsa
Gaudet, & è minimo sua per mendacia crescit.

Idem 12. Met.

Orbe locus medio est inter terrasq. fretumque,
Cœlestesq. plagas, triplicis confinia mundi:
Vnde quod est vsquam quamuis regionibus absit,
Inspicitur, penetratq. cauas vox omnis ad aures,
Fama tenet, summaq. domum sibi legit in arce,
Innumerosq. aditus, ac mille foramina tectis
Addidit, & nullis inclusit limina portis.
Nocte dieq. patet: tota est ex ære sonanti,
Tota fremit, vocesq. refert, iteratq. quod audit.
Nulla quies intus, nullaq. silentia parte:
Nec tamen est clamor, sed paruæ murmura vocis,
Atria turba tenet, veniunt leue vulgus, euntq.
Mixtaq. cum veris passim commenta vagantur
Millia rumorum confusaq. verba volutant,
E quibus hi vacuas implent sermonibus aures,
Hi narrata ferunt alio mensuraq. ficti
Crescit, & auditis aliquid nouus adijcit auctor. &c.
Ipsa quid in cœlo rerum, pelagoq. geratur,
Et tellure videt, totumq. inquirit in orbem.

Idem 4. Pont. 4.

En ego lætor in venit tibi nuncia rerum
Fama per immensas aere lapsa vias.

Martialis 7.

Certus abest auctor, sed vox hoc nunciat omnis.
Credo tibi, verum dicere fama solet,

Plaut. Pers.

Inimici famam non ita, vt nata est ferunt,

Horat. serm. 2.

Vnde
Fama malum grauius, quam res trahit, an tibi abunde
Personam satis est, non illud, quicquid vbique
Officit, euitare, et bonam deperdere famam, &c.

Plaut. Mostell.

Ego si bonam famam mihi seruasso, sat ero diues.

Boet. 27.

Quid o superbi colla mortali iugo
Frustra leuare gestiunt?
Licet remotos fama per populos means
Diffusa linguas explicet,
Et magna titulis fulgeat claris domus,
Mors spernit altam gloriam.
Inuoluit humile pariter, & celsum caput,
Aequatque summis infima.
Vbi nunc fidelis ossa Fabricij manent:
Quid Brutus, aut rigidus Cato?
Signat superstes fama tenuis pauculis
Inane nomen literis.
Sed quid decora nouimus vocabula,
Num scire consumptos datur?
Iacetis ergo prorsus ignorabiles,
Nec fama notos efficit.
Quod si putatis longius vitam trahi
Mortalis aura nominis.
Cum sera vobis rapiet hoc etiam dies,
Iam vos secunda mors manet.

Auson. Epig. 35.

Miremur periisse homines? monumenta fatiscunt,
Mors etiam saxis nominibusq. venit.

Ouid. 2. Fast.

Fama manet facti posito velamine currum:
Et memorem famam, qui bene gessit, habet.

Idem Epist. 21.

At mihi Pegasides blandissima carmina dictant,
Iam canitur toto nomen in orbe meum.

Idem. 3. Pont. 2.

Corpora debentur mœstis exsanguia bustis,
Effugiunt structos nomen honorq. rogos.
Occidit & Theseus, & qui comitauit Orestem,
Sed tamen in laudes viuit vterq. suas.

Seneca in Hercule furente Tragœd. 1.

Sic statue quicquid statueris, vt causam tuam,
Famamq. in arcto stare, & ancipiti scias.

Idem Tragœd. 4.

Contemne famam, fama vix vero fauet.

Sen-

Sententiae Philosophicae, Et Historicae.

Ea est gloria, laus recte factorum, magnorumq. in Rempubl. meritorum, quæ tamen optimi cuiusque magnitudine & testimonio comprobatur. *Cic. in Phil. lib. 1.*

Nihil est detestabilius dedecoratione, nihil fœdius seruitute. Ad decus & libertatem nati sumus, aut hoc teneamus aut cum libertate moriamur, dedecus virtus propulsare solet. *idem lib. 3.*

Quid poetæ? nonne post mortem nobilitari volunt? vnde ergo illud?

Aspicite o ciues, senis Ennij imaginis formam.
Hic vestrum pinxit maxima facta patrum.

Mercedem gloriæ flagitabat ab ijs, quorum patres affecerat gloria. Idemq.,

Nemo me lachrymis decoret, nec funera fletum
Faxit, cur? volito viuus per ora virum.

Sed quid poetas? Opifices etiam post mortem nobilitari volunt. Quid enim Phidias sui similem speciem inclusit in clypeo Mineruæ, cum inscribere non liceret? Quid nostri Philosophi? Nonne in his ipsis libris, quos scribunt de contemnenda gloria, sua nomina inscribunt? *Cic. lib. 1. Tusculanarum quæst.*

Non tenebræ, non solitudo obstat, quo minus in vulgus dimanet, quicquid egerit princeps: Nam lux principatus omnia reddit conspicua, intentisq. tot in se vitam ora fallere, vt maximè velit non tamen potest. Loquax enim fama, vel abditissimus recessus explorat ac patefacit. *Ludou. Viues in epist. quadam ad Henric. 8. Angliæ Reg.*

Fama, quam sequimur, ventus est, fumus est, vmbra est, nihil est: itaque facillime recto atque acri iudicio contemni potest. Quod si forte, quoniam generosos animos familiaris hæc pestis insequi solet, appetitum hunc radicitus extirpare non potest, excrescentem rationis falce compesce. Parendum tempori, parendum rebus est. Denique vt sententiæ meæ summam breuiter expediam, virtutem cole, dum viuis: famam inuenies in sepulchro. *Pet. ad Thomam Messanensem. Famam ante mortem non esse appetendam.*

Parente Deo fama non faciet in populos dimissa vel diffusa notitia: nemo nouit Deum, multi male de illo existimant & impune. *Senec. 31. epist.*

Male de te opinantur homines: bene autem loqui nesciunt, faciunt nō quod mereat is, sed quod solent ipsi homines, de malis loqui, molestum si quid mentiuntur: sic immerito minimæ innocentiæ nunc maxime gaudeo. Apparet enim illos vera obiecturos si possent. *lib. de moribus.*

Male autem de te opinantur homines: sed mali. Mouerer, si de me Marius, si Cato, si Lælius sapiens, si alter Cato, si Scipiones duo ista loquerentur; mouerer, si hoc iudicio facerent, quod nunc morbo faciunt. *De remed. for.*

Bona opinio hominum tutior est pecunia. Bonum quod est, supprimitur, nequaquam extinguitur: bona fama in tenebris proprium splendorem tenet. *ibid.*

Damnum appellandum est, quum mala fama lustratur: honestus rumor alterum est patrimonium. Vis omnibus esse notus? prius effice vt neminem noueris. *In Prou.*

Homines famam rerum antea gestarum, etiamsi illis domesticę fuerint, alii ab aliis, nullo iudicio examinatam, sine discrimine accipiunt. *Thucyd. lib. 1.*

Plerumque in nouitate fama antecedit, *Cæsar, lib. 3. de bello ciuili.*

Incerta in maius vero fama ferri solent. *Liuius, Decad. 3. l. 1.*

Fama bella stant, & is qui recedit fugere creditur. *Curtius l. 3.* fama infirmissimum aduersus viros fortes telum, *lib. 4.* fama maximum in bello momentum. *libro 5.* fama bella constant, & sæpe etiam quod creditum est, veri vicem obtinuit, *libro 8.* Nunquam ad liquidum fama perducitur; omnia illa tradente maiora sunt vero. *lib 9.*

Vnum est insatiabiliter parandum, prospera sui memoria: nam contemptu famæ contemnuntur virtutes. *Tacitus, Annal. lib. 4.* fama in nouis cœptis validissima est. *lib. 13.* Magna moræ rei fama plurimum in consiliis valet. *lib. 15.*

Credula fama inter gaudentes & incuriosos. *4. Tacit. hist. lib. 1.* malè coercitam famam supprimentes augent. *idem, eod. lib.* vera & falsa, procurante fama, in maius innotescunt. *lib. 4.* famæ etiam boni sæpe indulgent. *In vita Agricolæ.* Haud semper errat fama, aliquando & eligit. *ibidem.*

Contemptio boni nominis vitium est cum impudentia & insania quadam coniunctum. *Plut. in Alcibiade.*

Fama res maximas, vel obumbrantibus plurimis, silere nescit. *Amm. Marcell. lib 16.*

Credimus (neque enim dubium est) per aerios tramites famam præpetem volare. *idem, lib. 18.* fama rumorum nutrix maligna. *Idem lib 31.*

Fama nihil imperuestigatum aut occultum sinit. *Nicetas Acominat. in Io. Comneno.*

Ea quoque quæ sub terra latent fama perspicit, & futura sæpe, tanquam iam facta promulgare solet. *Idem in Andronic. Comn. lib. 1.*

Fama sæpe veritatem opprimit, nec certi quicquam adfert. *Idem in Alex. Angelo, lib. 2.*

Non semper famæ præbendæ sunt aures, nec si quem ea pro viro forti celebrat, is statim, vt talis, est formidandus, nec si quis pro timido traducitur, spernendus & reijciendus est. Sed fama, vt non omnino vana, præsertim tam celebris, non quidem planè est contemnenda, sed ad res gestas, eorum qui vel malè vel bene audiunt, tanquam ad Lydium lapidem exigenda, sæpe etiam oculo iudicium permittendum, & sic ea vel tanquam vera probanda est, vel vt falsa repudianda. Aures enim non vident ipsam rem, sed alienarum linguarum, & sæpe aduersarium strepitum conseruant. Visus verò certius est rerum arbiter. *Idem lib. 1. in Alex. Ang.*

Fama nihil vanius, nihil rumoribus magis mendax in bonos *P. Aemyl. lib. 10.*

De famæ spe. Dialog. CXVII.

Francisc. Petrarcha.

Gau.

Meritis post obitum famam spero. RAT. Multi famam se mereri sperant, cum infamiam mereantur, & ceu viatores erronei dum accedere æstimant, retrocedunt. G. Famosus sum in vita, famosiorq. post mortem ero. RAT. Est hoc fateor in nonnullis verum, vnde & Annæus Seneca in epistola quadam habiturum se gratiam apud posteros vaticinatur. Et Statius Papinius præsentem famā, benignum iter suo operi ad futuros statuisse ait. Et Ouidius Naso sibi nomen indelebile futurum, seque ore populi legendum, perque omnia sæcula fama victurum præsagit, neque hercle vllus horum fallitur. Sed quam multos putas idem sperantes suam fefellisse spem? Multi hoc idem de seipsis crediderunt. GAVD. Si famosus sum dum viuo, cur non famosior sum post mortem? R. Quia hoc cotidianum & vulgare est, vt multi in via famosi & clari, post obitum sint incogniti & obscuri, miraris? causa rei huius in promptu est, affabilitas quædam, sermo comptus ac lepidus, blandum supercilium, clara frons, benigna salutatio, beneficia in vicinos, protectio in clientes, hospitalitas in externos, in cunctos vrbanitas, hæc & his similia viuentibus famam pariunt, ea vero mox vt hinc abierint non durant, nisi forsitan quā diu qui illos nouerant supersunt, quod ipsum quam breue sit cōspicis, quomodo autem durant non in solido radicata? naturale est vt debiliter, leuiterq. aucta breuiter dilabantur, vt sit fama durabilis, aut vitę sanctitas, aut gestorū claritas, aut insignis scriptorum pręstabit elegantia. Rarum decus, loquaces isti & vrbani qui togati, ac gemmati populorum digitis ostenduntur, non nisi quantum loqui poterunt, aut paulo amplius cognoscentur. Durum, hos apparatus tam celeriter, & has pompas, hanc scientię nubem, hęc verborum tonitrua in tenuem fumum euanescere, durum fateor, sed sic est. Nam nec ipsi de se testimonium prębuerunt ambitioni, aut lucro, aut somno dediti, nec qui præbeat meruerunt. G. Famam inueniam post mortem. R. Fama nihil vnquam mortua profuit, viuis sæpe etiam nocuit. Quid enim perniciem, ac mortem Ciceroni, ac Demostheni nisi insignis literarum fama consciuit? Idem de Socrate, ac Zenone, & mille aliis dici potest, non omnes. Quid vero nisi fama scientiæ & ingenii dedit causam filio Gnosij Regis Androgeo, vt ab Atheniensibus mactaretur? Quid Oete Colchorum Regi Argonautus attulit, delectos (vt aiunt) viros, verè autem prædones nisi fama diuitiarum? Nam quid significasse aliud credimus famosum illud aureum vellus arietis, nisi opes multas lateq. vulgatas, quibus diuites bestiales opumq. inopes verarum, velut arietes velleribus vestiuntur? G. Famosus ero. R. Vt sit ita, quid hic magnum concipis? esset aliquid forte fama, si notitia comes esset, vt plerunque accidit in viuis. Nunc quid laudari proderit ab his qui te si videant non agnoscant? Dic enim quæso, si Homerum videas, & Achillem, si Vergilium & Augustum, nunquid non ignoti abibunt? Cum tam nota & tam clara sint nomina. Crede mihi, spes vestræ magna ex parte dupliciter vanæ sunt, quod nec sperata proueniunt, nec vt proueniant, afferunt quod promittunt. Fere enim plus in spe sunt humana omnia quam in re. Mitte igitur spes inanes, & vana desideria, contemptisq. terrestribus iam tandem, & optare discite, & sperare cœlestia.

De studio famæ in morte. Dial. CXXX.

Dol.

Quid de me post fata dicent homines? R. Intempestiua solicitudo: hoc à iuuentute prouisum esse debuit. Qualis vero hominum vita, talis est fama. DOL. Quid de me loquentur? R. Quid respondeam, nisi illud doctissimi atque omnium eloquentissimi Ciceronis. Quid de te alii loquantur ipsi viderint, sed loquentur tamen

tamen. Sermo autem omnis ille angustijs cingitur his regionũ, quas vides, nec vnquam de vllo perennis fuit, sed obruitur hominum interitu, & obliuione posteritatis extinguitur. D. Quid de me dicent homines, qui post me nascentur? R. Dicerem aliter ista, quàm Cicero, si melius dici posse crederem. Quid autem, inquit, interest ab his qui postea nascentur, sermonem fore de te, cum ab his nullus fuerit, qui ante te sunt nati? Vnum addidit, quod tunc forsan dubitabile, forsan falsum, nunc certissimum, & absque vlla prorsus hæsitatione verissimum est. Qui nec pauciores, inquit, & certè meliores fuerunt viri. Nam quis est (oro) iam qui dubitet numquam quales fuerint futuros homines, ita in peius inclinata omnia, ruinæq; proxima? Cura ergo mirabilis ignotorum, atque imparium dicta metuere, cum excellentium, ac notorum opiniones, ac verba contempseris. D. Quæ mihi fama erit extincto? R. Facilè melior, quam viuenti, cum siluerit liuor. Ratò enim vitæ hominum superstes inuidia est, vt autem virtus radix est gloriæ, sic decerptria inuidia: vtque liuidus pollex præsens impedit, sic amotus veræ laudis restituit incrementum. Itaque multis busti limen inuidiæ inaccessum magnæ gloriæ vestibulum fuit. D. Quantum me longa manet fama? R. Longa forsitan, vt vos longum dicitis, verè autem apud vos nihil est longum: vt verò non modo longa sint omnia, sed æterna, sola virtus efficere potens est, præcipueq; iustitia, de qua scriptum est. *In memoria æterna erit iustus*, quod vt potuit Poeta noster expressit, (vbi ait) *Sed famam extendere factis. Hoc virtutis opus.* D. Quali post obitum fama ero? R. Quid refert quale sit, quod mox vel nescies, vel contemnes, quid ad te hominum flatus, dum tu flatu cariturus sis? Spirantem vesci, delectari auris non miror, at defunctum stupeo. D. Quid de me post obitum dicetur? R. Et quid putas nisi quod mereberis bonum, malum, multum, parum, nihil: in quibusdam mendax, sed in pluribus verax fama est, aliniqui longa vtique non est diuturnitatis fundamentum veritas. Ruinosum, atque imbecille mendacium. D. Qualis mihi post exitum fama erit? R. Qualis ante exitum fuit vita, nec minus exitu. De hoc ergo tempus omne præteritum, sed in primis præsens hora viderit. Sic enim habeto quali quisque dignus sit fama post mortem nulla re melius, quàm morte censeri, quippe cum multos per omnem vitam inglorios, & obscuros sola (dictu mirabile) mors illustret.

APOPHTHEGMATA.

Thales interrogatus ab amico quodam, quantum veritas abesset à mendacio: Quantum respondit oculi distant ab auribus. Voluit, significare, ea non semper certa esse, quæ communi fama sparguntur in hominum cateruas. Fama quippe (vt Maro ait) mobilitate viget, viresque acquirit eundo, quo fit, vt falsa multoties veritati adiungantur. Veriora igitur sunt ea, quæ præsentibus oculis intuemur, quàm quæ ab alijs falsa relata audimus. *P. M. lib. 8. apoph.*

Stratocles, quum de parta quadam victoria nuncium accepisset, protinus ad populum retulit, vtque supplicationibus immortalibus decerneretur persuasit: Aliquanto post, quum certior nuncius adferretur acceptæ cladis, populo indignante, quod delusus esset: Ecquis, inquit, vestrum quicquam damni accepit, quod totum hoc triduum mea opera hilares lætique fuistis? *P. M. libro sexto, apophthegm. Fulgosius libro quarto, capite 18. ex Plutarch.*

Socrates rogatus, quo pacto quis posset honestam assequi famam? Si talis, inquit, esse studeas, qualis haberi velis. Veluti si quis bonus tibicen haberi cupiat, ea præstet oportet, quæ à probatis tibicinibus fieri viderit. Quemadmodum qui medendi est imperitus, non ideo Medicus est, quod pro Medico ascitus est, & vulgo Medicus appellatur, ita non statim princeps est, aut Magistratus, qui populi suffragijs declaratus sit, nisi sciat artem gubernandæ ciuitatis. *P. M. l. 3. apoph.*

Idem, pulchritudinem famæ dicebat cito marcescere ex inuidia, ceu morbo quodam. *Stob. serm. 18.*

Epictetus interrogatus, quo pacto quis honestam famam assequi posset? Respondit: Si bene vis audire, disce bene loqui, & cum bene loqui didiceris, rectè facere conator, & hoc modo bonam famam acquires. *Stob. serm. 3. de Temp.*

Idem. Si cupis, inquit, bene audire, disce bene dicere. Doctus autem bene loqui da operam, vt rectè agas: atque sic perfrueris bona fama. *Stob. serm. de virtut.*

Isocr. Plus tibi curæ sit, vt honestam famam, quàm diuitias ingentes liberis relinquas. Nam hæ mortales sunt, illa verò immortalis. *Stob. serm. 46.*

Agesilaus interrogatus, qua ratione potissimum quis assequi posset, vt apud homines honestam haberet famam? Si loquatur, inquit, quæ sunt optima, & faciat, quæ sunt honestissima. Quid dici poterat breuius? Ac rursus quid absolutius? Siquidem fucis parta gloria, vt non est vera gloria, ita nec diuturna est. *Plutarch. in Lacon. apopht.*

SIMILITVDINES.

Luciani. Studiosi discipuli, quicquid præceptor dicit, aut facit, laudare solent, ac imitari. Tibi verò sunt negligenda omnia, quæ temere dicuntur: amplectenda, quæ rationibus probantur. *In Epist. ad Philopatrum fol. 433.*

Plutarchi. Deliacum nauigium, dum subinde sarcitur, & reconcinnatur, veluti perpetuum in multa sæcula redditur: Sic famæ semper aliquid adijciendum, ne collabatur. *In Moral.*

Ignis semel accensus facile seruatur, extinctus haud facile redaccenditur: Ita famam tueri facilè est, extinctam non facilè est restituere. *Idem.*

Seneca. Vt vmbra aliquando antecedit, aliquando sequitur: Sic quibusdam statim contigit fama, quibusdam post mortem: denique ea quò longius sequitur, hoc maior esse solet.

Iouianus Pontani. Quid improbius, quam infamiam non vereri? Quã qui non veretur hic (quod longissimè discessit à fortitudine) impudentissimus sit, necesse est. Nihil autem tam esse potest alienũ ab eo viro quem iure omnes non solùm probant, verum etiam admirantur (cuius etiam proprium est, agendis honestis decus assequi) quàm impudentia, atque improbitas, quæ labes totius est honestatis. Quotus etiam pater est, qui filio grauius ægrotanti, aut filium in acie cum hoste conferenti, non timeat etiam quã grauissimè? Quod quidem humani, atque amantis patris est, non imbecilli, & fracti hominis. Quis rogo nisi impurissimus idemq; abiectissimus, filiarum, atque vxoris pudicitiam securus neglexerit, de qua probatissimus quisque maximè solet esse solicitus? *De fortitudine lib. 2. c. 5.*

Anonymus. Vt aromata tum vehementius fragrant, cum mouentur, aut teruntur, franguntur ve: ita virtutis fama latius spargitur, cũ exercetur negotijs, & rebus aduersis. *In Simil.*

Medici vetant vti halicacabo, quamquam dentibus firmandis prodest, si eius succo colluantur: propterea quod periculum est, ne si diutius id fiat, delirationem gignat, & plus afferat incommodi, quàm commodi: Ita non est vtendum his literis, quæ sic linguam expoliunt, vt mores inficiant: aut non conuenit sequi, quæ sic augeant rem, vt famam lædant. *Ibid.*

Vt ingentes obelisci magno quidem negotio statuuntur, & collocantur ob immensum molis pondus, sed collocati semel, infinitis durant sæculis: Ita arduum est virtutis, aut sapientiæ parare famã, sed parata numquam intermoritur. *In Simil.*

Vt venti desituri vehementissimè spirare solent: Ita mortales cum maximè efferunt sese, veluti Iulius Pontifex, tum proximi exitio solent esse. *Idem.*

EXEMPLA BIBLICA.

Famæ bonæ exempla: Salomon, 1. *Reg.* 10. 2. 2. 2. *Paralip.* 9. 1. 2. *Matth.* 12. 32. *Luc.* 11. 31. Mardochæus. *Esth.* 9. 4. Iudas Machabæus, 1. *Macch.* 8. 5. 6. 7. Ioannes Baptista, *Matth.* 11. 11. Christus, 9. 31. & 14. 12. *Luc.* 4. 14. Zacharias, & Elizabeth, *Luc.* 1. 6. Simeon, 2. 25. Paulus. 2. *Cor.* 6. 4. 8. Famæ malæ exempla: Filij Heli, Ophni & Phinees, 1. *Sam* 2. v. 23. 24.

EXEMPLA PROFANA.

Areopagus Athenis bonos ciues corona decorandi primo consuetudinem introduxit, duobus oleæ connexis ramulis clarum, Periclis cingendo caput. Probabile institutum, siue rem, siue personam intueri velis. Nam & virtutis vberrimum alimentum est honos, & Pericles dignus, a quo talis muneris dandi potestas potissimum initium cœperat. *Val. Maxim. lib. 2. tit. 1. de institutis antiquis.*

Socrates expedita, & compendiaria via eos ad gloriam peruenire dicebat, qui id agerent, vt quales videri vellent, tales etiam essent. Qua quidem prædicatione apertè monebat, vt homines ipsam potius virtutem haurirent, quàm vmbram eius consectarentur. *Val. Max. lib. 7. tit. Sapienter dicta, aut facta.*

HIEROGLYPHICA.

Non sum nescius, auctores esse, qui *Pegasum*, qualem quippe passim in Hadriani, & L. Pap. Cursoris, & aliorum quorumdam nummis aspicimus, famæ potius, quàm celeritatis indicium esse contendant. *Pierius Val. lib. 4. pag. 34. B. C.*

Lancea in quacumque videatur imagine, præter militiam ipsam famæ etiam celebritatem indicat. *Idem lib. 42. pag. 408.*

Illud verò præcipuum *fulminis* significatum est: vt Vocem procul auditam, hoc est, famam rerum gestarum longè, latèq;, per immensa terrarum spacia diffusam expiatamq; præ se ferat. Aegyptij enim sacerdotes, huiusmodi gloriæ amplitudinem ostendere si vellent. Vocem vt ipsi dicunt, aeris quippe tonitrum, hoc est, ipsius *fulminis* describebant imaginem. *Idem lib. 43. pag. 427. B*

FAMES.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Fames, Græcè, λιμώττω & λιμώττειν, famesco dicitur. Hebr. *Rahab, Reaabon*, à verbo *Raeeb*, Esuriit, famelicus fuit, laborauit inedia, arsit fame, exarsit fame. Affine est huic *Rahar*, exarsit, & *Raham* impetuosus fuit, vt solet ille fame percitus. Cum nomine *Rahab* conuenit Laurum Rabies. Nam præ fame egestio rabie aliquoties vertuntur.

Est autem fames, appetitus calidi, & sicci, *secundum Arist. libro 2. de Anima.*

Fames est concupiscentia calidi, & sicci, id est, cibi. *Secundum B. Thomam, sup. 1. de Anima, lect. colum. 3. in princip.* Dicitur autem fames, ἀπὸ τοῦ φαγεῖν, quod est edo; vnde famelicus, qui agitur edendi cupiditate, & famelicosus, qui frequenter famelicus est, & fame esurio, à quo famesco, & licet à Græco veniat, vsus tamen obtinuit, vt per f scribatur.

LOCI BIBLICI.

Fames à Deo est, *Gen. 41. v. 30. 32. Leu. 26. v. 20. 21. Deut. 28. ver. 18. 2. Reg. 8. v. 1. Ps. 105. v. 16. Esa. 3. 1. Ezech. 4. v. 16. & 5. v. 17. & 14. v. 13. Vide afflictiones à Deo.* Famis causa peccatum, *Amos 4. v. 6.* Fames quantum malum, *Thren. 4. v. 9.* Fames, & annonæ caritas, *Gen. 12. 10. & 26. 1. & 41. 1. &c. 43. 1. &c. 44. 1. &c. 45. 1. &c. 47. 1. &c. Exod. 16. 3. Deut. 28. 53. & 32. 24. Ruth 1. 1. 2. Sam. 21. 1. & 24. v. 13. 1. Reg. 8. 37. & 18. 2. 2. Reg. 4. 38. & 6. 25. & 8. 1. & 25. 3. 2. Par. 6. 28. & 20. 9. 2. Esdr. 5. 1. &c. Psal. 36. 19. Esa. 5. v. 13. &c. Ier. 14. 1. & 11. 15. & 15. 2. & 29. 17. & 34. 17. Ezec. 5. 12. 16. & 6. 11. Ioel 1. 1. &c. Amos 4. 6. Agg. 1. v. 6. 10. & 2. v. 17. Mat. 24. 7. Luc. 4. 25. & 15. 14. Act. 7. 11. & 11. 28. Rom. 8. 35. 2. Cor 8. 14. & 11. 27. Apoc. 6. 8. & 18. 8.* Fames duplex. Verbi Dei scilicet, & panis caduci, *Amos 8. & 11. Vide 1. Sam. 3. 1. 2. Paral. 15. 3. Ose. 3. 4. & 41.* Fames prædicitur, *Ezech. 4. 9. Act. 11. 28.* Fames in toto orbe Abrahæ temporibus, *Gen. 12. 10.* Fames ob violatam Gabaonitis fidem, *2. Sam. 21.*

SENTENTIÆ POETICÆ.

Famis descriptio.

Ouid. 8. Metam.

Est locus extremis Scythiæ glacialis in oris,
Triste solum, sterilis sine fruge, sine arbore tellus,
Frigus iners illic habitant, Pallorq; Tremorq;
Et ieiuna fames.

Et infra.

Quæsitamq; famem lapidoso vidit in antro,
Vnguibus, & raris vellentem dentibus herbas.
Hirtus erat crinis, caua lumina, pallor in ore,
Labra incana situ, scabri rubigine dentes.
Dura cutis, per quam spectari viscera possent.
Ossa sub incuruis exstabant arida lumbis.
Ventris erat pro ventre locus; pendere putares
Pectus, & à spina tantummodo crate teneri.
Auxerat articulos macies, genuumq; tumebat
Orbis, & immodico prodibant tubere tali.

Plaut. Amph.

Fames, & mora bilem in nasum conciunt.

Ouid. Metam.

Haustus aqua mihi nectar erit, vitamq; fatebor
Accepisse, simul vitam dederitis in vndis.

Horat. 2. Carm. 2.

Ieiunus stomachus raro vulgaria temnit.

Ex Comicis Græcis.

Ἅπανθ' ὁ λιμὸς γλυκέα πλὴν αὐτοῦ ποιεῖ.
Iucunda præter se omnia efficit fames.
Πολλῶν δ' ὁ λιμὸς γίνεται διδάσκαλος.
Fames docere multa mortales solet.

Menander.

Λιμὸς μέγιστον ἄλγος ἀνθρώποις ἔφυ.
Λιμῷ γὰρ οὐδέν ἐστιν ἀντειπεῖν ἔπος.
Fames maximus dolor hominibus est:
Fami enim nullum est contradicere verbum.

APOPHTHEGMATA.

Socrates dicere solebat, Cibi condimentum esse famem, potionis sitim. *Cic. l. 5. Tusc. q.*

Idem arbitrari dicebat, idcirco sues homines effectos à Circe, quod famis, & sitis impatientes, vario cibo, & potu nutriuisset. Vlyssē autem partim Mercurij consilio, partim abstinentia sua hoc periculo se exemisse. *Xenophon. lib. 1. de dictis & factis Socratis.*

Diogenes in foro manibus operans, Vtinam, inquit, liceret sic perfricato ventre non esurire. *Erus. lib. 2. c. 41.*

Anonymus. Apud Lacones ius, quod nigrum vocabant, quum maxime celebraretur, fertur Dionysius tyrannus iuris ipsius gratia, Laconicum emisse seruum. Et iussisse id sibi præparari nulla impensæ habita ratione, sed cum gustasset, indignabundus expuisse dicitur. Tum verò coquus, ò Rex, inquit, hoc ius tibi sumendum est, cum te Laconicè exercueris, in Eurotaq; laueris. *Bruson. lib. 2. c. 41. ex Cic. lib. 5. Tusc. q.*

Amphanes dicebat, famem omnia dulcia reddere, præter se ipsam: & paupertatem morum esse magistram. *Stob. serm. 93. vnde apoph. de paupertate.*

Darius in fuga quum aquam turbidam, & cadaueribus inquinatam bibisset, negauit vmquam se bibisse iucundius: Numquam autē, vel perraro sitiens biberat. *Cic. l. 3. Tusc. q.*

Artaxerxes, quum in fuga quadam, direpto illius commeatu, aridis ficis, & hordeaceo pane vesceretur: Dij boni, inquit, cuiusmodi voluptatis hactenus inexpertus fui? *Plutarch. in Reg. & Imperat. apoph.*

Artaxerxi iam siti deficienti, Peribarzanes eunuchus, quū aliud nō liceret, è rustico quopiā tugurio sordidum vtrem detulit, putris aquæ cotilas octo continentem, eam aquam quum Rex ebibisset, se numquam vinum potasse iucundius, nec vllam aquam, quamuis purissimam, sibi visam suauiorem confessus est. *P. M. lib. 5. apoph.*

Lysimachus superatus à Dromichete in Thracia, quum seipsum totumq; exercitum propter sitim tradidisset, postquam captiuus bibisset: o Dij, inquit, quàm paruæ voluptatis causa meipsum ex Rege seruum effeci. *Bruson. lib. 7. c. 6. ex Plut.*

Ptolemæus Lagi F. quum peragranti Aegyptum, comitibus non consequutis, cibarius in casa panis datus esset, negauit vllum cibum vmquam sibi visum suauiorem. Aderat enim optimum condimentum, fames. *P. M. lib. 6. apoph. Cic. lib. 5. Tusc. quæst.*

Stratonicus ad quietem iturus, assiduè iubebat puerum sibi infundere vinum: Non quod sitiam, inquit, sed ne sitiam. *Athenæus.*

C. Marius. quum castra metatus esset aduersus Teutonas, in loco, qui minimum habebat aquæ, militibus dicentibus se sitire, ostendit illis flumen proximè hostium vallum lambens: Illinc, inquit, nobis potus sanguine venalis est. At illi iusserunt, vt se, quo vellet, duceret, donec liquidum haberent sanguinem, nec totus adhuc præ siti diriguisset. *Plut. in Roman. apoph.*

C. Cato in oratione, quam habuit ad populum tumultuantem, de frumento diuidendo ait: Perdifficile esse ad carentem auribus ventrem verba facere. Venter quippe cibi auidus præcepta non audit. *Plut. in Caton.*

Iulius Cæsar dicere solitus est, sibi idem esse consilium aduersus hostem, quod plerisque Medicis contra morbos corporum, fame potius, quàm ferro superandi. Nam Medici non nisi tentatis omnibus, ad sectionem descendunt. Hic mos, & hodie manet apud Italos: aduersus omne morbi genus iudicant inediam. Huic simile est, quod dicere solebat Dominus Corbulo, hostem dolabra, id est, sensim esse vincendum. Securis statim incidit, dolabra paulatim idem efficit. *P. M. lib. 4. apoph.*

Alphonsus videns rusticum quemdam humi prostratum vuas comedentem auidè, ad suos conuersus: Vtinam mihi, inquit, isto ocio comedere Dij dedissent. *Panorm. lib. 1. de reb. gest. Alphonsi.*

SENTENTIÆ HISTORICÆ, ET PHILOSOPHICÆ.

Fames quàm pestilentia tristior. *Liu. Decad. 1. lib. 4.*

Famem vnam Natura vinci non sinit. *Idem lib. 5. eiusd. Dec.*

Vltimum supplicium humanorum, fames. *Id. Decad. 3. l. 1.*

Fames consultrix in rebus alienis pessima, præsertim apud egenos omnium: nec æquum est rationem actorum postulare à turba misera. *Appian. de bello Punic.*

Profana, & fœda in vsum necessitas vertit. *Tacit. hist. lib. 4.*

Fames, ignauissimum mortis genus. *Ammian. Marcel. l. 17.*

Magna dispositio est, hostem fame magis vrgere, quàm ferro. *Veget. lib. 3. c. 26.*

Numquam periclitati sunt fame, qui frugalitatem inter copiam seruare cœperunt. *Id. l. 4. c. 7.*

Annonæ penuria machina firmissima, & acerrima ad vrbium expugnationem. *Nicetas Acominatus Isaacio Ang. lib. 1.*

Vt famem, sitimq; depellas, non est necesse superbis assidere liminibus, nec supercilium graue, & contumeliosum etiam est, humanitatem pati. Non est necesse maria tentare, vel loqui castra. Parabile est, quod natura desiderat, & expositum. Ad superuacua sudatur. Ad manum est, quod sat est. *Senec. epist. 4.*

Facilè est pascere paucos ventres, & bene institutos, & nihil aliud desiderantes, quàm impleri. Paruo fames constat, magno fastidium. Paupertas contenta est desiderijs instantibus satisfacere. *Idem, epist. 17.*

Ambitiosa non est fames: contenta desinere est. Quod desinat non nimis curet. *Epist. 119.*

Malum panem tenerum tibi, & silígineum fames reddet. *Epist. 123.*

Fames omnia reddit dulcia, præter seipsam. *Stob. serm. 93.*

Aoa-

ADAGIA.

Fames, & mora bilem in nasum conciunt. *Plaut.*

Ostenditur, latrantem stomachum moram haud posse ferre. Hunger vnd hast reucht in die nasen. item. Den hungerigen ist nit guet lang predigen.

Miserrimum fame mori. *Λιμῷ ἀποθανεῖν οἴκτιστον.*

Verissimum, siue de animi, siue de corporis fame dicatur. Accommodabitur autem haud inuenustè in sordidos quosdam, qui, vt minimulis suis parcant, genium defraudant suum. Hungers noth, bringt hassen to it.

Optimum condimentum fames.

Inter apophthegmata Socratica hoc refertur adagium, quo luxum Atheniensium ille Philosophus vrridebat. Germani dicunt: Der hunger ist der beste koch. item, Der hunger ist die beste vvurtz.

Galli, Il n'est sauce que d'appetit.

Cestreus ieiunat. *κεστρεὺς νηστεύει. Suid.*

Dici consueuit de famelicis, & voracibus.

Ventre pleno melior consultatio. *γαστρὸς ἐπεὶ πλήρης ἐλαυ καὶ μῆτις ἀμείνων.* Consultatio tum melior, cum expleueris aluum.

Ostenditur, fame interpellante, consultationi non esse vacandum, propterea quod consultatio moram, & animi tranquillitatem desiderat, fames verò bilem acuit.

Etiam Bœtylum deuorares. *καὶ βαίτυλον ἂν καταπίοις.*

Iactatur in voracem, & omnia concoquentem. Du koentest auch ein vvetasteen verdevven. Du koentest auch ein huesseisen verdevven.

Manduces, Manducones.

Dicebantur vehementer famelici, aut etiam qui minis inanibus terrorem incuterent.

Molestus interpellator venter.

Commodè ad egestatem torqueri potest, quæ mortales ad omnia cum facienda tum perpetienda solet impellere.

Fames Meliaca. *Λιμὸς μηλιαῖος.*

De fame extrema, deque rebus difficillimis. Est enim Melus oppidum Thessaliæ, quod Nicias Atheniensium dux obsedit, expugnauitque, non tam machinis bellicis, quam fame. Suid. Meminit Thucyd. hist. lib. 5.

Saguntina fames.

In prouerbium venit. Historiæ meminit. Tit. Liu. Val. Max. & Cic. in Philip.

EXEMPLA BIBLICA.

Famis in diuersis & locis, & temporibus exempla: Tempore Abrahæ, *Gen.* 12.10. Isaaci, 26.1. Iacobi, & Iosephi, 41. *v.* 53.54. & 42.5. & 43. *v.* 1.2. & 45. *v.* 5.6. & 47. *v.* 13.50. Iudicum, *Ruth* 1. *v.* 1. Dauidis, 2. *Sam.* 21.1. Eliæ in Samaria, 3. *Reg.* 18.2. *Luc.* 4.25. Elisæi, 2. *Reg.* 4.38. & 8.1. Ioram Regis Israel, in Samaria, 6. *v.* 25.26. In Ierusalem tempore Sedechiæ, 25.3. *Ier.* 52. *v.* 4.5 6. *Thren.* 4 *vers.* 4. 1. *Mach.* 6. *v.* 53.54. in arce Ierusalem, 3.49. in Bethulia, *Iudith* 18.10. Nehemiæ tempore, *Nehem.* 5. *v.* 1.2.3. Iudæ Machabæi, 1. *Mach.* 9.24. in prodigo filio, *Luc.* 15.14. Claudij Cæsaris temporibus, *Act.* 11.28. Miserandam etiam, & stupendam famem minatur Moyses populo Israelitico, si diuinæ Legis custodiam abijcientes, Deo rebelles esse perrexerint, *Deut.* 28. *v.* 51 52.53. &c. Ita vt liberos etiam proprios comedere cogantur: quod ante Christũ natum factum esse legimus, 4. *Reg* 6. *v.* 28.29. Post Christi autem natiuitatem, & in cœlos ascensionem idem factum esse anno Christi LXXI. testatur *Iosephus lib.* 2. *Historia sua de bello Iudaico, c.* 8. Titi Vespasiani, in obsidione vrbis Ierosolymorum tẽpore. Imò minatur Deus, *Deut.* 28. *v.* 57. tantam famem, vt tenerrimæ mulieres, quæ præ plantarum pedis teneritudine incedere non valebant, secundinas comesturæ essent.

HISTORICA EXAMPLA.

Cum Phygalenses Arcades Cereris sacra intermisissent, crudeli fame vexati, ex Pythiæ oraculo nouum Cereri signum fecerunt, & sacra magnificentius instaurarunt. *Pausan. in Arcad.*

Famem exercitus Persici describit *Senec. lib.* 3. *de Ira, c.* 20. In qua deficiente omni alio victu, Cambysis milites decimum quemque sortis alimentum habuerunt fame sæuius, &c.

Post victoriam Platæensem Athenienses Xantippo duce, Sestum in Chersoneso oppugnabant. Obsidio illa iam diu durauit, vt qui obsidione tenebantur, lectorum funibus elixis vescerentur. *Sabell. lib.* 2. *Ennead.* 3.

Stipendiarij Carthaginensium post primum Punicum bellum seditione mota, ad extremum periculum res Carthaginensium deduxerãt, nec nisi fame ab Hamilcare domari potuere. Constat illos captiuorum primo, mox & seruorum corpora crudeliter absumpsisse. *Sabel. lib* 9. *Ennead.* 4.

Decimo Mauritij anno, post maximam siccitatem, quinque locustarũ agmina innumerabili multitudine, quidquid in aruis virescebat depascentia, ingentem per Italiam famem biennio fecere. *Palmerius ex P. Diac. lib.* 4. *Longobar.*

Tyrus vrbs à Venetis, & Latinis reliquis fame capta fuit, anno 1124. Kal. Iulij. Quinque tantùm frumenti modij in ea vrbe reperti.

Anno 546. Romani, qui Placentiæ erant, inopia rei frumentariæ vsque adeo laborare fame cœperunt, vt carnes humanas esui adhiberent. Quibus malis attriti, semet cum vrbe Totilæ Gethorum Regi dediderunt. *Sigon. lib.* 19.

Anno Christi 1095. Fames grauissimè omnes afflixit, pauperibus per furta, & incendia ditiores grauiter vexantibus. *Sigebertus in Chronicis.*

Anno Domini 1569. centum quinquaginta rustici ad ædificandum arcem Orlo, a Ioan. Basilide Moschorum Tyranno missi coacti sunt ob annonæ penuriam ex suis nouem mactare, & illorum carnibus vesci. *Alex. Guaguin. in Moscou.*

Quam fuerit horrenda fames Hierosolymitanorum in obsidione, ostendit *Cal. lib.* 23. *c.* 24. *ex Ægesippo.*

FAMIGERATIO.

DEFINITIO ET ETYMOL.

FAmigeratio, famæ disseminatio, rumorum gestatio, & diuulgatio, *λογοποιία*, *διαθρύλησις*. Hebr. *hascha moatinath*, à verbo *Schamah*, audiuit, auscultauit. famigerator igitur, *λογοποιός*, id est, quem Galli *appellent un forgeur de nouuelles*, nouorum rumorum fictor; geruli figulus Plauti: mantiorum gerulus Iurisc. Sermonum gestator Senecæ: rumigerulus Amm. Marcell.

Athenienses, (inquit D. Lucas) & aduenæ hospites nulli alij rei vacabant, nisi ad dicendum, aut audiendum aliquid noui. *Actor.* 17.21.

Hanc leuitatem suis ciuibus sæpè exprobrat Demosthenes, nempe orat. resp. ad epist. Philippi: secunda item & tertia Olynthiaca. *vide Plutarch de curiositate.*

Cæsar de veteribus Gallis loquens, est autem hoc (inquit) Gallicæ consuetudinis, vt & viatores etiam inuitos consistere cogant: & quod quisque eorum de quaque re audierit, aut cognouerit quærant: & mercatores in oppidis vulgus circumsistat, quibus ex regionibus veniant, quasque res ibi cognouerint, pronunciare cogant: & his rumoribus, atque auditionibus permoti de summis sæpè rebus consilia ineunt: quorum eos è vestigio pœnitere necesse est: cum incertis rumoribus seruiant, & plerique ad eorum voluntatem ficta respondeant. *lib.* 4. *de bello Gall.*

Famigerationem festiuè depingit Iuuenalis *Sat.* 6. his versiculis.

> *Instantem regi Armenio, Parthoque cometem*
> *Prima videt: famam rumoresque illa recentes*
> *Excipit ad portas: quosdam facit ipsa: Niphatem*
> *In populos, magnoque illic cuncta arua teneri*
> *Diluuio, nutare vrbes, subsidere terras,*
> *Quocunque in triuio, cuicunque est obuia narrat.*

Prolixius verò Theophrastus *in Characteribus*, seu notationibus morum. Famigeratio (inquit) est factorum dictorumq; ad arbitrium ipsius fingentis confictio. Famigerator autem is est, qui obuius amico factus, statim mutato vultu, ac renidens, interroget, vnde tu, & quid ais? &, habesne super hoc nouum quicquam? & pergens interrogare, nihil ne, inquit, noui dicitur? atqui fausta sanè sunt, & læta, quæ vulgo narrantur tum autem prius quàm ille respondeat: Quid ais, inquit, nihil audiuisti? Ergo ego te, sicut video, rerum nouarum epulis lautè excipiam. Ac statim est illi, aut miles aliquis, aut Astei tibicinis puer, aut manceps Lyco qui ex ipso prælio sit reuersus, à quo se dicat audijsse: auctores siquidem ille tales eorum, quæ dictitat, profert, quos nemo queat arguere. Refert autem se accepisse ab illis Polyperchontem cum rege hostes prælio fudisse, & superasse: Cassandrumq; viuum in hostium potestatem venisse. Quod si quis dicat: Tu autem hæc credis? Imò, inquiet, rem enim clarissima omnium voce tota vrbe ferri; rumorem crescere; omnes congruere: eadem enim de prælio ab omnibus narrari: magnum nimirum ea pugna fatum esse factum. Idque se ex eorum etiam vultu qui rem gerunt publicam, colligere, quem viderit ipsis penitus immutatum. Addit deinde se audisse quemdam, qui ex Macedonia aduenerit, quique omnibus, quæ gesta sunt interfuerit, quintum iam diem ab illis domi occultari. Atque vbi hæc commemorauit, miserationes adijcit: at scio quomodo? Sanè quàm persuasibiliter: O infelicẽ, inquiens, Cassandrum! O verum ærumnosum! En fortuna quid possit, at fuit certè Cassander præpotens. Tu verò, ait, tacitus hoc tecum habeto: ipse autem ad ciuium quemque accurrit, vt ei omnia narret. Equidem mirari soleo quid sibi homines hoc genus falsis rumoribus fingendis, spargendisq; velint: quæ res, vt taceam mendacij turpitudinem, non rarò ipsis incommoda euenit. Factum enim sæpè, vt dum isti in balneis concursus facerent, vestes interea suas furto amitterent: alij dum in porticu, aut pedestri, aut nauali prælio vincunt, quod vadimonium non præstitissent, grauiter mulctati sunt. Quibusdam etiam, dum vrbes verbis suis fortiter caperent, cœna interea loci perijt. Enimvero misera est istorum vita, & conditio: nam quæ porticus est, quæ officina, quæ fori pars, in qua dies non traducant integros, magno cum audientium, quos falsis suis narrationibus obtundunt, tædio?

FAMILIA.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

FAmiliæ appellatione comprehenduntur tam liberi, quàm serui vtriusque sexus, vnius quem familiæ Dñm, vel patremfamiliæ vocat, iuri subiecti. Græc. *οἶκος*, domus, familia, *οἱ ἐν οἴκῳ οἰκεῖοι*, domestici, famuli: Apud antiquissimos, quorumdam sententia, famelia, & familia dicebatur, tantùmq; de seruis: ab Osca dictione famel, vel famul, qua illi seruum appellabant, teste Festo, & Nonio Marcello, cap. 2. qui Ennium citat li. 8. vbi hæc: *Mortalem summam fortunam repente reddidit, vt summo regno famulus optimus esset.* Paulatim inualuit vsus, vt familiæ nomine liberi, & quicomque sub vnius patrisfamilias iure viuerent, comprehenderentur. Translata vox deinde ad eos qui sunt ex eadem cognatione, vt Cæsarũ familia, &c. Sueton. in Nerone: Ex gente Domitia duæ familiæ claruerunt. Coruinorum, & Aenobarborum. Familia item pro secta sumitur, vt apud Ciceronem, Peripateticorum familia. Huius nominis significationem latiorem vide apud Paulum Iurisc. l. Pronunciatio, ff. de verb. signific. apud veteres frequenter occurrunt familiaria sepulchra, familiares Lares, familiaria funera, &c. familiares etiam pro amicis, contubernalibus, necessarijs, domesticis, & familiæ membris.

Hebræi domum, ædes, domicilium, & Synecdochice familiam, quę domo continetur *Baith* appellant *Beth*. domus. Familiæ cura cõmendatur. *Prouerb* 27. 23. *&* 31. 15. *&c.* 1. *Tim.* 5. 8. familiæ suæ Doctor fuit Abraham Patriarcha. *Gen.* 18. 19.

SENTENTIAE VETERVM.

Familia, quæ coetus est cognationis, dissimilibus sui partibus componitur, & ad patremfamilias veluti vnum optimum se refert, & concordiam, vtpote commune bonum molitur. *Callicratidas Pythagoras apud Stob. serm.* 83.

Omnis familia, tamquam psalterium tribus istis indiget, apparatu, concinnitate, & contrectatione, siue vsu musico. *ibid.*

Familiaris hominum ordinis partes sunt tres. Prima imperat, vt maritus: secunda paret, vt vxor; tertia auxiliaris est, nempe liberi ex illis nati. *ibid.* Accedunt serui, &c.

Nostri maiores omnem dominis inuidiam, omnem contumeliam seruis detrahentes, dominum patremfamilias, seruos familiares vocabant. *Senec. epist.* 47. *Macrob. lib.* 1. *c.* 2.

Coniuges, & liberi in exercitu sunt militibus hortamenta victoriæ, vel pulsis pudor. *Tacit. hist. lib.* 4.

In confesso illud est præstantiorem ciuili nullam virtutem in hominem cadere. Huius autem partem non exiguam esse in rei familiaris administratione positam plerique fatentur. Ciuitas enim corpus quoddam ex familijs conflatum cum sit, & quasi summa earum, ita demum valida est respublica, si priuatim res ciuium bene habeant. *Plut. in compar. Aristidis, & Catonis.*

Hesiodus nos ad iustitiam cum rei familiaris cura coniungendam est cohortatus, ignauiam, & iniustitiæ causam traducens. Rectè & hæc Homerus cecinit,

Non operi etenim mihi fruges ferive laboris
Augendæq; rei qua dulcia pignora aluntur,
Cura fuit: studium lembis remisque dicaram,
Semper & horrisferi ludum Mauortis amabam,
Spiculaq; & leues hastas, volucresq; sagittas.

Ostendit enim eos, quibus rei familiaris studium, iniustis rebus victum suum quærere. *ibid.*

Domum suam coercere plerisque haud minus est, quàm prouinciam regere. *Tacit. in vita Agricolæ.*

Vide Oeconomia.

FAMILIARITAS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

FAmiliaritas, *συνήθεια*, consuetudo ipsa inter familiares, & amicos, *Cicero de Amic.* Accepimus à patribus maximè memorabilem C. Lælij, & P. Lælij familiaritatem. *Terent. in Heaut.* Mihi magna cum eo iam inde vsque à pueritia semper fuit familiaritas.

SENTENTIÆ BIBLICÆ.

Cum potentioribus vitanda.

Quando sedebis, vt comedas cum principe, diligenter attende, quæ apposita sunt ante faciem tuam, & statue cultrum in gutture tuo, &c. *Prouer.* 23. 1. 2. 3.

Aduocatus à potentiore, discede, ex hoc enim magis te aduocabit. Ne improbus sis, ne impingaris, & ne longè sis ab eo, ne eas in obliuionem. *Eccl.* 13.

Inhonesta.

Subtrahe pedem tuum de domo proximi tui, ne quando satiatus oderit te. *Prou.* 25. 17.

Domum fratris tui ne ingrediaris in die afflictionis tuæ. 27.

Pes fatui facilis in domum proximi, & homo peritus confundetur a persona potentis. *Eccl.* 21.

Stultus à fenestra respiciet in domum: vir autem eruditus foris stabit. *ibid.*

Stultitia hominis auscultare per ostium, & prudens grauabitur contumelia. *ibid.*

APOPHTHEGMATA.

Lacides accersitus ab Attalo Rege, respondit, imagines eminus esse spectandas. Innuens arctam, assiduamq; familiaritatem sæpè minuere virtutis admirationem. *Laert. lib.* 4. *c.* 8.

Cato Vticensis Munatio quærenti, quod in Cypro Catonem adiens, parum ciuiliter repulsus esset, quum nihil esset negotij, sed intus cum Canidio fabularetur: sic se purgauit Cato, vt diceret, ne, iuxta Theophrasti sententiam, nimia amicitia causam aliquando daret odio. *lib.* 5. *apoph.*

Ea vis est consuetudinibus cum amicis, atque conuictus, vt omnẽ maiestatem deprimere valeat: & in familiaritatibus retineri grauitas, quæ ad gloriam requiritur, non potest. At in eo qui vera virtute sit præditus, ea pulcherrima videntur, quæ maximè apparent, neque quicquam in viro bono exteri mirantur, quàm eius domesticæ, quotidianæ vitæ rationem. *Plut. in Pericle.*

SIMILITVDO.

Anonymus. Vina non modo folliculi referunt saporem, verum etiam arborum, aut fruticum vicinorum. Ita non solùm exprimimus eos, vnde progeniti sumus, sed & eos quorum consuetudine sumus vsi. *In Simil.*

Vide Amicitia, & Amicus.

FASTIDIVM.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

FAstidium, Græce *ἀηδία*, *ἀπὸ* & *κόρος*, saturo, dicitur. Venit autem fastidium a fastu. Est enim fastidire propriè, cum fastu quodam contemnere. *Virg. Inuenies alium, si te hic fastidit Amyntas.* Sumitur & fastidio pro stomachor: a quo fit fastidiosum, hoc est, fastidium afferens: & fastidiosè aduerbium, hoc est, stomachosè, veteres etiam fastibiliter dicebant.

SENTENTIAE POETICAE.

Fastidium Spirituale.

Iacob. Bil. Antho. Sacr.

Vt pereunt propriam mortalia corpora vitam,
Si nequeunt escas sumere corporeas:
Sic animæ nisi deliciis rationis alantur,
Dum verbo æterni pane carent pereunt.
Nam quid erit, quod dira procul fastidia pellat?
Cum sese refugit mens saturata Deo.

APOLOGI.

Pauper Nugator.

Iuerat pauper in siluam, ligna vt colligeret. Is forte quicquid reperierat contemnens, progrediebatur quærendo vlterius, neque finem faciebat mutationis, neque electionis. Tandem pergendo incidit in cateruam luporum, eos fugiens, deuenit ad flumen, cuius ripæ cum neque ponte coniunctæ, neque nauicula eo in loco esset: demittit se in flumen, vrgebant enim à tergo lupi. In illo autem iactatus aliquantisper, cum non procul abesset, quin suffocaretur, aduehuntur piscatores qui extractum reclinant ad proximam maceriam, & relicto illo semianimo discedunt. Paulo post recreatus, dum prætereuntibus narrat casum suum, & de aduersis suis multa verba facit, ruit maceria, & nugatorem inter sermocinationes opprimit.

Fabula ostendit, qui exitus fastidia, & stoliditatem maneat. Indicat & hoc, maximis sæpè periculis ereptos minimo momento extingui.

Gula deditus.

Gulæ deditus quidam ad epulas inuitatus in rus, quod abesset ab vrbe paulò longius, dum proficiscitur spe singularium lautitiarum, & opipare instructarum dapum, in itinere pira reperta ita spreuit, vt etiam per derisionem lotio suo aspergeret. Cum autẽ riuus, qua transeundum fuerat, subito ea nocte ad altitudinem excreuisset tantam: vt cum manifesto discrimine ingressurum se ille aquas intelligeret, redire tristis, atque post ereptam spem copiosi cibi certissimè etiam esurire cœpit. Itaque cum ad pira, quæ dudum comminxerat, venisset, detersa illa arrosit, & hanc escam obiecit ieiunis, & latrantibus intestinis.

Fabula docet, contemptus, & fastidij sæpè has pœnas dari, vt quæ paulò ante homines spreuerint, & abiecerint, ea mox appetant, & amplectantur.

Fastus

FASTVS.

DEFINITIO ET ETYMOL.

Fastus, m.g. superbia, & elatio quædam cum iactantia verborũ, Græce τῦφος, Hebr. *Zadhon, Zedo*, superbus, tumidus, inflatus, a verbo *Zedh*, efferbuit, intremuit, temere egit. Cognationem habet cum *Natzidh*, coctio, ebullitio, quæ ad ignem efferuescit. Fastuosi enim præ ira efferuescunt, & suæ virtutis opinione tumidi apparent.

APOPHTHEGMATA.

Diogenes. Fastus (inquit) tamquam pastor quoquo libet vulgus hominum ducit. *Stob. serm. 22.*

Antisthenes inuisens Platonem aduersa valetudine laborantem, ac visa pelui in quam vomuerat: Bilem, inquit, Platonis video, fastum non video. Solebat enim quemadmodum Diogenes, Platonis arrogantiam notare. Itaque quum in pompa quadam equestri, quidam equus crebro hinnitu ferocitateq; spiritus excelsos testaretur, eoque vehementer à Platone laudaretur, conuersus ad Platon. Videris, inquit, & tu bonus equus futurus. *Laert. lib. 6. cap. 1.*

Demetrius Phalereus hominum fastuosorum sublimitatem dicebat amputandam, & relinquendam sobrietatem. Talia enim ingenia non sunt desperanda, sed quod redundat, recidendum est. *Laert. lib. 5. c. 5.*

SIMILITVDINES.

Socratis. Vt aer distendit vtres: Sic homines stolidos animi elatio, & fastus. *Apud Anton. Meliss. par. 2. serm. 74.*

Platon. Sicut aerem ex vtribus quippiam infusuri exugunt: Sic exhaurire oportet ex animis iuuenum falsam opinionem, fastum & arrogantiam. Secus enim inflatione, & spiritu turgentes nihil admittunt. *Apud Stob.*

Anonymi. Vt venti desituri vehementissimè spirare solent: Ita mortales cum maximè efferunt sese, veluti Iulius Pontifex, tum proximi exitio solent esse. *In Simil.*

Timoteri. Poculo pleno nemo quicquam tentat infundere: Neque animus fastu tumidus, aut virtutem, aut literas eleganter potest recipere. *In apoph. 97.*

Qui immanes literas didicerint, tamen omissa humanitate fastu turgent, similes illis, qui multas domos ædificant, & semper foris sub dio habitant. *In apoph. 80.*

Vide Arrogantia, Superbia.

FATVM.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Fatum, Græcè εἱμαρμένη dicitur, vt ait Chrysippus, & est sempiterna quædam, & indeclinabilis series rerum, & catena voluens semetipsa sese, & implicans per æternos consequentiæ ordines, ex quibus apta connexaq; est. *secundum Aulum Gellium, lib. 6. c. 2. Noctium Atticarum.*

Fatum est inhærens rebus mobilibus dispositio, per quam prouidentia suis quæque nectit ordinibus, *secund. Boet. lib. 4. prosap. 61. de philosophica consolatione.*

Fatum est ordo seriesque causarum. Causa autem ex omni æternitate fluens veritas sempiterna, *secund Cic. lib. de Diuina.*

Fatum est, quod ex omni æternitate verum fuerit, *secund. Cic. lib. de Natura Deorum.*

Fatum propriè est dispositio siderum, qua quis est conceptus, vel natus: Sed impropriè est prouidentia Dei. Ideo est in rebus, *secundum S. Thom. 1 p. q. 116.*

Fato qui credit, mortaliter peccat, *26. quæst. 5. Non obseruetis.* Fatum dicitur à fando; significatq; aliquando oraculum, id est, quod Dij fantur. *Virgilius: Oblitus fatorum.* Nonnumquam ponitur fatum pro morte, nihil enim homini à necessario impendet, quàm mors: Quare fato concedere, est mori, & fatalis dies perniciosos dicitur, & fatiferum, mortiferum, fatale etiam dicimus, quidquid nobis fato debetur, siue bonum, siue malum sit.

POETICAE SENTENTIAE.

Virg. 2. Aeneid.

Desine fata Deum flecti sperare precando.

Iuuenal. 6.

Fata regunt homines.

Sen. Oed.

Fatis agimur, cedite fatis.
Non solicitæ possunt curæ
Mutare rati stamina fusi:
Quidquid patimur mortale genus,
Quidquid facimus, venit ex alto,
Seruatq; suæ decreta colus
Lachesis: dura reuoluta manu,
Omnia certo tramite vadunt,
Primusque dies dedit extremum,
Non illa Deo vertisse licet,
Quæ nexa suis currunt causis,
It cuique ratus prece non vlla
Mobilis ordo: Multis ipsum
Timuisse nocet: multi ad fatum
Venere suum, dum fata timent.

Idem Oct.

Regitur fatis mortale genus,
Nec sibi quisquam spondere potest
Firmum, & stabile: perque casus
Voluuntur varios semper nobis
Metuenda dies.

Manil. 2.

Mitto, quod certum est, & inevitabile fatum.

Idem 4.

Soluite mortales animos, curasq; leuate,
Totque superuacuis vitam deflete querelis.
Fata regunt orbem, certa stant omnia lege,
Longaq; per certos signantur tempora cursus.
Nascentes morimur, finisq; ab origine pendet.
Tunc & opes, & regna fluunt, & sæpius orta
Paupertas, artesq; datæ, moresq; creati,
Et vitia, & clades, damna, & compendia vitæ.
Nemo caret damno, poterit nec habere negatum,
Fortunamve suis inuitam perdere votis,
Aufugere instantem sors est sua cuique ferenda.
At nisi fata darent leges vitæq; necisque
Fugissent ignes Æneam: Troia sub vno
Non euersa viro fatis vicisset in ipsis.
Aut lupa proiectos nutrisset Martia fratres,
Romaq; sic enata foret, pecudumq; magistri
In Capitolinos auxissent culmina monteis.
Includive sua potuisset Iupiter arce
Captus, vel captus hic orbis foret: igne sepulto,
Vulneribus victor repetisset Mucius vrbem,
Solus & oppositis clausisset Horatius armis
Pontem, vrbemq; simul, ruperet fœdera virgo,
Tresque sub vnius fratres virtute iacerent,
Nulla acies tunc enciu: pendebat ab vno
Roma viro, regnumq; orbis sortita iacebat.

Sat. 5. l. 1.

Heu durus fati tenor, est ne quod illi
Non liceat? quanta poterant mortalibus annis
Accessisse mora? si sup ator omne teneres
Arbitrium: cæco gemeret mors clausa barathro,
Longius & vacua posuissent stamina Parcæ.

Sen. Oedip.

Qui fata proculcauit, ac vitæ bona
Proiecit, atque abscidit, & casus suos
Onerauit: ipsi, eum video, nulla est opus,
Qui ire ipse mortem cupiat, aut quare petat.
Vtrumque timidi est velle: contempsit mori,
Qui non concupiscit.

Polyanthea Nouiss.

APOPHTHEGMATA.

Thales interrogatus, quid in tota rerum natura esset robustissimũ? respondit: Fatum, cuncta enim superat. *Laert. lib. 1. c. 1.*

Solon dicebat: Fatum mortalibus abducere mala simul & bona. *Stob. serm. 9.* Sacra autem philosophia asserit, mala ex peccato, bona ex Dei gratia oriri.

Titus Vespasianus. Quum à duobus clarissimi ordinis esset in ipsum coniuratum, ac facinus eo processisset, vt iam inficiari non possent, deduxit illos in spectaculum, atque inter illos medius consedit, ac petitis de industria mirmillonum gladijs, velut exploraturus aciem, vnum vni, & alterum alteri commisit, tamquam prouocans ad id, quod moliebantur. Illis autem perculsis, & animi præsentiam admirantibus: Videtisne, inquit, principatum fato dari, frustraq; tentari facinus potiundi spe, vel amittendi metu? *P. M. lib. 8. apophth.*

Asclitario Mathematicus à Domitiano Imperatore interrogatus, quis exitus vitæ ipsum exspectaret? affirmauit fore vt breui lacerraretur à canibus. Domitianus igitur è vestigio interfici illum imperat, atque accuratissimè sepeliri, ad artis derisionem. Sed repentina tempestate deiecto funere, semiustum cadauer canes discerpserunt. *Erasm. lib. 2. c. 38.*

Cosmus Florentiæ dux, Alphonso Aragonum regi male pacatus, vir alioqui magnus, & illustris, cum Alphonso dono mitteret Titi Liuij libros vtique præclaros, reclamatũ est à Medicis, qui aderãt, ne per immortales Deos librum attrectaret, ab hoste missũ, veneni suspectum. Rex prima facie visus est Medicis assentiri, il-

lis animo illudens. Nam cum Liuius in medio constitutus esset, illum manibus accepit, legit, & euoluit. Subinde Medicos, qui cōtinuè aduersarentur, rogitans, vt desinere & ineptire. Regum quidem animas non priuatorum libidini subiectas esse; sed sub Dei cura, & tutela sacras lætasq; agere, inquie. *Panor. lib. 6. de rebus gestis Alphonsi.*

Fatum quadruplex. 1. *Mathematicum*, quo illigat, & nectit firmiter actiones omnes euentusq. ad vim siderum, & positurain stellarum. 2. *Naturale*, 1. Ordo causarum naturalium, quæ nisi impediātur vi, & natura sua, certum eumdemq; producunt effectum. 3. *Violentum*, Stoicum nempe, & Poeticum, quod Seneca definit necessitatem rerum omnium actionumq; quam nulla vis rumpat: Deum ipsum & actiones omnes internas, & nostræ voluntatis huic fato subijciens. 4. *Verum*, est pendens à diuino consilio, series ordoq; causarum. Vel, Inhærens rebus immobilibus immobile prouidentiæ decretum, quod singula suo ordine, loco, tempore, firmiter reddit. Prior veri fati definitio est planè Theologica, de quadruplici illo fato veteres. & neoterici multa tradūt, summam proponit I. Lipsius *lib. 1. de constantia, c. 17. & 18.* Vide Augustinum lib. 5. de ciuit. c. 9. & Tit. *Prouidentia.*

SENTENTIÆ *Variorum de fatis.*

Fatalia necessariò ferenda sunt: fortiter autem ea quæ hostes faciunt. *Thucyd. lib. 25.*

Fati vim effugere nulla possunt homines ratione. *Pausan. lib. 5.*

Hominum plerumque in rebus præclarè gerendis alacritatem, nihilo fore minus fatum, quàm calculos fluuiorum quos limus obruit. *idem. lib. 4.*

Fatum est ineuitabile. *Curtius, lib. 4.*

Equidem æterna constitutione crediderim, nexuq; causarum latentium, & multò ante destinatarum suum quemque ordinem immutabili lege percurrere. *idem. lib. 5.*

Ineluctabilis fatorum vis cuiuscumque fortunam mutare constituit, consilia corrumpit. *Vell. Paterc. lib. 2.*

Præualent fata consilijs, omnemq; humanæ mentis aciem perstringunt: quippe ita se res habet, vt plerumque qui fortunam mutaturus est, consilia corrumpat, efficiatq; quod miserrimum est, vt quod accidit etiam merito accidisse videatur, & casus in culpam transeat. *idem. eod. lib.*

Manum iniectantibus fatis, solent hebetari sensus hominum, & obtundi. *Amm. Marcell. lib. 14.*

Arduum fatalia diuertere: eoque futuri notio superflua. *Aurel. Victor. l. de Cæsarib.*

Fatorum vis prudentiam humanam superat. *Nicet. Acom. Isai. Angel. lib. 1.*

Dubitare cogor, an fato, & sorte nascendi, vt cætera, ita principum inclinatio in hos, offensio in illos: an sit aliquid in nostris consilijs, liceatq; inter abruptam contumaciam, & deforme obsequium pergere iter ambitione, ac periculis vacuum. *Tacit. Annal. lib. 4.*

Mihi in incerto iudicium est, fatone res immortalium, & necessitate immutabili, an forte voluantur: quippe sapientissimos veterum, quique sectam eorum æmulantur, diuersos reperies: ac multis insitam opinionem, non initia nostri, non finem, non denique homines Dijs curæ. Ideo creberrima, & tristia in bonos, læta apud deteriores esse. Contra alij, fatum quidem congruere rebus putant, sed non è vagis stellis, verum apud principia, & nexus naturalium causarum, ac tamen electionem vitæ nobis relinquunt: quam vbi elegeris, certum imminentium ordinem, neque mala, vel bona, quæ vulgus putet: multos qui conflictari aduersis videantur, beatos: ac plerosque, quamquam magnas per opes, miserrimos: si illi grauem fortunam constanter tolerent, hi prospera inconsultè vtantur. Cæterum plurimis mortalium non eximi, quin primo cuiusque ortu ventura destinentur: sed quædam secus quàm dicta sunt cadere, fallacijs ignara dicentium. *idem, Annal. lib. 6.*

Nulla vis humana, vel virtus, vmquam meruisse potuit, vt quod præscripsit fatalis ordo, non fiat. *Amm. Marcell. lib. 23.*

Fatum, vt animantibus, ita etiam ciuitatibus ineuitabile. *item.* Quod in fatis est, oppugnat sapientiam. *G. Pachymer. hist. lib. 2.*

Fati magna vis est, quidquid contra machineris. *lib. 3.*

Id quod futurum est, semel diuinitus decretum, nec murus (vt aiūt) ferreus, nec ignis impedire potest. *Constant. Manass. in Annalib. ext. in Dara.*

O culta vis fati sæpenumero prudentes ad insaniam vertit. *P. Iouius hist. lib. 3.*

Fatali temeritati, nec humanum consilium, nec constantia repugnare potest. *Fr. Guicciard. hist. lib. 8.*

ADAGIA.

Fatis adactus.

In eum, qui non sponte sed casu, veluti que fatis impellentibus, in aliquod vitæ genus incidit, congruet illud Homericum:

Τὸν δ' ἄρα δαὶς ἀνιοῦσα τε φέραν χαλκήρεα πλῆξεν.

Id est:

At hunc hic casusque ferens, atque oppetiit vnda.

Fatis imputandum.

Cum hominis quempiam culpa liberabimus eamq; vel in fatum, vel in fortunam reijciemus, vsurpare licebit, quod apud Homerum Priamus ad Helenam.

Οὔ τί μοι αἰτίη ἐσσί, θεοί νύ μοι αἴτιοί εἰσιν.

Id est:

Nil tibi ego imputo, verum ipsis magis imputo Diuis.

Fatum immutabile.

Diuina decreta non commutantur: humanæ leges pro tempore variantur, quemadmodum & mores voluntates. Ad id congruet illud Homeri:

Οὐ γάρ τ' αἶψα θεῶν τρέπεται νόος αἰὲν ἐόντων.

Id est:

Non etenim Diuum mens vertitur astricolarum.

Fatum ineuitabile.

Quod fatis decretum est, id nemini licet euitare. Ad eam sententiam facit illud Homeri.

Ἀλλὰ μάλ' οὔ πως ἔστι Διὸς νόον αἰγιόχοιο
Οὔτε παρεξελθεῖν ἄλλον θεὸν οὔθ' ἁλιῶσαι.

Id est:

At mentem Iouis haud vllis rationibus vnquam
Diuorum quemquam vitare, aut fallere fas est.

Ineuitabile fatum.

Quod hominis fatis decretum est, id eueniet. In hanc sententiam Homerus:

Ἔνθα δ' ἔπειτα
Πείσεται ἅσσα οἱ αἶσα κατακλῶθές τε βαρεῖαι
Γεινομένῳ νήσαντο λίνῳ, ὅτε μιν τέκε μήτηρ.

Post illic accidet illi,
Quod fatum Parcæq; graues in stamine nerunt
Nascenti, cum quem matris promergeret aluo.

Quanquam hunc locum de fatis oportebit loco duntaxat adhibere. Veluti si quis plurium longius atque studij causa amandans negaret sibi curæ futurum, quid ille agat, sed id Deo se fortunæq; committere.

HIEROGLYPHICA.

Addemus & illud, receptissimum apud Poetas esse, *Lina pro* Fato ponere, quod nescio quid sapit Hieroglyphicum. Nam vt Parcarū stamina prætereamus, quæque super his alibi dicenda sunt, cur *Linum* pro Fato Poetæ ponant, causam afferūt interpretes Theocriti, quia scilicet terræ fœtus est *linum*, quemadmodum etiam mortales: idque abruptum, significat hominem rursus ad terram redire. *Pier. Valer. lib. 41.*

Adieceruut Sacerdotes Aegyptij, Fatum per *Stellam* significari: quoniam id ex siderali dispositione consistere vulgata Doctorū opinione creditur. Per motum enim stellarum negotia transigitur, vt Hesiodi interpres ait super Asteris. *Pier. Val. lib. 41.*

Addunt & Fatum, siue Parcas per vocalium Α, & Ω designationē intelligi: non tam ob Planetas septem, qui Fatorum ministri sūt, vti latius in stella differuimus, quam ob id, quod imago Dei habetur Septenarius, dux idem & princeps vniuersorum immobilis, indomitus, omnium victor, gubernator omnium. *idem lib. 47.*

Per colum autem & fusum significari Fatum, longè manifestius est, quàm vlla debeat commentatione vlterius explicari: plena siquidem sunt poetarum volumina, fatum ipsum *per stamina, per fusum, per colum, per fila vbique* significantium. *Pier. Val. lib. 4.*

Vide Deus, Fortuna, Prouidentia.

FAVOR.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Fauor, Græcè εὔνοια, χάρις, à fando dicitur. Est autem fauor vox bene precans alicui, siue alicuius commodum, & laudem iuens. Vnde fautor & fautrix à faueo. Est enim fauere propriè bona fari, *Virgil. Ore fauete omnes.* Vnde fauorabilis, a quo fauorem habemus, & fauorabiliter cum fauore passiuè, & faustum, felix, cui omnes fauent, & hinc faustè, aduerbium, hoc est, feliciter, & infaustum, & infauste, id est, infelix, & infeliciter.

Hebr. *Chen* gratia, fauor, clementia, χάρις, id est, dulcedo, vel χάρις, gratia, *Chen* fuit, à verbo *Chanaam*, gratia afficit, in gratiam recepit, gratificatus est, gratis donauit, misertus est. Cognationem habet cum *Chanah*, placidè se insinuauit. Item cum *Noach*, quieuit, & *Nachach* duxit placidè. Hinc Græc. χαρίζω, lætifico, aliquē per gratiam prælitiam.

PATRVM SENTENTIÆ.

Qui pro virtute, quam egit, humanos fauores desiderat, rem magni meriti vili precio portat venalem. *Greg. lib. 3. Moral.*

Non possumus simul pro vno, & eodem opere fauorem expetere mundi, præmiumq; vitæ cœlestis acquirere. *Maxim. in serm.*

Poeticae Sententiae.

Ouid.l.2.Pont.3.

Communiens hominum est, hominem seruare voluptas,
Et melius nulla quaeritur arte fauor.
Quis non Antiphatem Laestrygona deuouet? aut quis
Munifici mores improbat Alcinoi?

Ouid.3.Pont.9.

Scribentem iuuat ipse fauor, minuitq; laborem:
Cumque suo crescens pectore feruet opus.

Philosophorum Sententiae.

Nunquam volui placere populo: nam quae ego scio, non probat populus: quod probat populus, ego nescio. Quis enim placere potest, cui non placet virtus? Malis artibus popularis fauor acquiritur. Similem te illis facias oportet: alioquin non probabunt, nisi agnouerint. *Senec. 28 epi 7.*

Multo autem magis ad rem pertinet, qualis tibi videaris, quam qualis alijs. Si te intrante clamor, & plausus obstrepuerint: si foeminae pueriq; laudauerint, quid ego tui miserear, cum sciam, quae via ad istum fauorem ducat? *ibid.*

Nūquā multis placeas, sed bonis quibuslibet stude. Maximū in eo vitium, qui non vult melioribus placere, sed pluribus. *ibid. in epist.*

Vehementer amor multitudinis mouetur ipsa fama, & opinione libertatis, beneficentiae, fidei, iustitiae, omniumq; earum virtutum, quae pertinent ad mansuetudinem morum, ac facilitatem. Etenim id ipsum, quod honestum decorumq; dicimus, animos omnium natura, & specie sua commouet. *Cic. in lib. de Offic.*

Apophthegmata.

Dionysius iunior. Se multos quidem alere liberalium artium Doctores dicebat, non quod illos admiraretur, sed quia per illos ipse alijs admirationi esse vellet. Sciebat, populum de illis, tamquam de viris ornatissimis, magnificè sentire, & hac persuasione callide abutebatur, ad conciliandum sibi multitudinis fauorem. Simili arte hodie fortassis principes quidam alunt in palatijs suis viros eruditionis, & sanctitatis opinione venerabiles, vt populus arbitretur locum consilijs geri pleraque. *P.M. lib. 5. apoph. ex reg. & Imper. apoph.*

Philippus. Alexander Magnus, cum fauorem suorum ciuium sibi conciliare cuperet, largitionibus eos corrupit. Verum cum haec fama ad Philippum parentem delata esset, filium illico accersit, & grauiter his verbis obiurgauit. Quae te malum, ô fili, ratio in istam spem induxit, vt eos putes tibi fauere, quos pecunia tibi deuinxisti? *Plut. in apoph.*

Glaucia & Libo. Celebratur Glauciae dictum in Metellum, Villam habes in Tiburte, cortem in palatio. At cors villa solet esse contigua. Notauit autem illum, quod multos sibi cibo largitionibusq; deuinciret. Idem alijs verbis Libo obiecit Galbae. In corte aluntur animalia domestica. *P.M. lib. 6. apoph.*

Anonymus. Quidam dixit, eum, qui primus populo Romano dedit epulum, & congiarium, exitij causam illi fuisse. Vnde Caesar Augustus cogitauit aliquando de tollendis huiusmodi largitionibus. Insincerus fauor est, qui donis emitur, quae si minuas, ingēs murmur: si tollas, seditio grauis oritur. *ibid.*

Orontes. Artaxerxis regis gener, quum ab irato rege reiectus, & condemnatus esset: Quemadmodum, inquit, supputatorum digiti, nunc infinitum numerum, nunc vnum tantum possunt ponere: sic regum amici, nunc quiduis possunt, nunc quàm minimum. Olim digitis subducebatur ratio, quemadmodum nunc calculis. *Plut. in apoph. Regum.*

Iulius Caesar. Postquam Publius Mimus in scena superasset omnes, & in his Laberium, ita pronunciauit: Fauente tibi Caesare victus es Laberi à Syro. Publius enim conditione seruus, natione Syrus erat. Longè à tergo relinquitur, qui fauente iudice superatur. *P.M. lib. apoph.*

Similitudines.

Plutarch. Quaedam corpora lumen solis exceptum suo fulgore vicissim augent, atque illustrant: Ita quidam aliorum fauore commēdati, vicissim suis dotibus eos commendant. *In Moralib.*

Anton. Constantius. Vt venti naues: sic fauor mouet ingenia. *In 1. Fast. Ouid.*

P.M. Vt bilanx in eam vergit partem, vnde plus accipit: sic quidam nunc huic, nunc illi fauent, qui plurimum det, non cuius causa sit optima. *In Simileb.*

Hieroglyphica.

Non desunt, qui *Oculum* fauoris, & beneficentiae signum dicant: & in sacris verbum *Aspicere* significare, se propitium, & benignum ostendere. Videmus enim apud Maronem, vbi *Inpiter Libya defixit lumina regnis*, Reginam ritè quietum accipere in Teucros animū, mentemq; benignam. Contra verò de Pallade acriter irata, *Diua solo fixos oculos auersa tenebat.* Hunc verò fauorem, qui per *Oculum* indicatur, Theologi nostri gratiam vocant. *Pier. Val. lib. 33. pag. 306 F.*

Vide supra in loco de Beneficentia.

Polyanthea Noua.

FEBRIS.

Loci Biblici.

Febri percutiuntur praeceptorum Dei violatores, *Deut. 28. v. 22.* Febribus quidam leuantur, *Matth. 8. 15. Ioan. 4. 50.* Febris est calor non naturalis, qui in corde accensus, per venas, & arterias in totum corpus deriuatur, sitim accendit, non nisi noxia appetēs, vires debilitat, facultates, sine actiones naturales impedit. Species febris, quàm plurimae. Graec. *πυρετός*, intemperies calida totius corporis, Hebr. *Kaddachath*, à verbo *Kadhach*, accensus est, efferbuit. vnde *Leu. 26. 16. & Deut. 28. 22.*

Philosophica Placita.

De Febribus. Dial. CXII.

Francisci Petrarchae.

Dol.

Febribus aestuo. R. Aestus hic aut tempore finiendus, aut frigore, vtrumuis fecerit, bene erit. D. Febribus vrgeor. R. Omnis hic cōtra naturam motus, plus habet impetus, quàm diuturnitatis, & saepe duorum factus alterum, aut corpus expurgat, aut animam absoluit. D. Febribus teneor. R. Non longum teneberis, expecta. Cito te vel sanum oportet esse, vel liberum, vtrumque optimū. D. Febribus laboro. R. Illico requiesces: Natura cum morte confligit, operire exitum duelli, prope est hora, vel hinc te morbo, vel omnibus exemptura. D. Febribus ardeo. R. Minus mali est corpus ardere, quàm animum, de quo praecedentes tuae septem proximae sunt querelae. Quid si ardor alterius salubris est alteri? Quid si ardor, quamuis asper optabilis est? quantum denique boni est praesentis vitae mala breui gustu perennis admonere supplicij, vt infinitas amaritudines declinare studeant, qui tam grauiter paucis horis amariuscula tolerant, atque his angustijs discant illas euadere, quibus nec physicus, nec herba medebitur, nec dies criticus, nec mors quidem. D. Febribus vror. R. Vermiū cibus excoquitur. Fer te alijs vri, cui toties alia vsta sunt, & de supplicio consilium cape, ex quibusdam malis remedia conflantur. Saepè paruus dolor, ac praesens, vt venturis, ac grauibus occurreretur, admonuit, fuitq; vtilis, qui molestus erat. Felix incendium, breue, quod aeterni refrigerij causa est. D. Febribus exerceor. R. Eris iam bonae valetudinis aestimator idoneus, vos homines Dei dona, nisi amissa, vel intermissa, non noscitis, ingratum genus. D. Febre vexor importuna. R. Diu simul esse non potestis. Nemo diu ardet, aut illa te deseret, aut tu illam.

Vide Aegritudo, Morbus.

FELICITAS.

Definitio et Etymolog.

Felicitas, Graecè *ἡ εὐδαιμονία, ας, ἡ*. Hebr. *Oscher*. & *ὁ ἐὐδαίμων, ονος, ὁ, ἡ*. Hebraicè *Aschre*, felix dicitur. Est autem felicitas quaedam operatio animae per virtutem perfectam, *secundum Arist. lib. 1. Ethic.*

Felicitas est, quae vitam sufficientem, optabilem, ac nullius indigam praestat, *secundum eundem, ibid.*

Felicitas est virtus in vita perfecta. *Idem lib. Magnor. Mor.*

Felicitas est virtutis operatio, & vsus quidam perfectus, *secundum Arist. lib. 7. Politic.*

Felicitas est operatio quaedam secundum virtutem perfectam operantem exterioribus bonis, *secundum Arist. 8. Ethic.*

Felicitas est, vel forma secunda cum virtute, vel per se sufficientia vitae, vel vita tuta, & iucundissima, vel possessionum facultas, & corporis vires cum factiua, conseruatiua, amplificatiua horum virtute, *secundum Arist. l. 1. Rhetor.*

Sententiae Poeticae.

Boet. 3. 12.

Felix, qui potuit boni
Fontem visere lucidum:
Felix, qui potuit grauis
Terrae soluere vincula.

Boet. 1. 1.

Quid me felicem toties iactastis amici?
Qui cecidit, stabili non erat ille gradu.

Tibull. 36.

Vos ego nunc moneo, felix quicumque dolore
Alterius disces posse carere tuo.

Plautus.

Feliciter sapit, qui alieno periculo sapit.

Terent.

Ex alijs periculum facito tibi quod ex vsu siet.

Virg. 2. Georg.

Felix, qui potuit rerum cognoscere causas:
Atque metus omnes & inexorabile fatum
Subiecit pedibus, strepitumq; Acherontis auari.

Claud. de sene Veronensi.

Felix, qui proprijs æuum transegit in aruis,
Ipsa domus puerum quem videt esse senem.
Qui baculo nitens in qua reptauit arena,
Vnius numerat sæcula longa casæ.
Illum non vario traxit fortuna tumultu,
Nec bibit ignotas mobilis hospes aquas.
Non freta mercator timuit, non classica miles,
Non raucas lites pertulit ille fori.
Indoctus rerum, vicinæ nescius vrbis,
Aspectu fruitur liberiore poli,
Frugibus alternis, non consule computat annum.
Autumnum pomis, ver sibi flore notat.
Idem condit ager soles, idemq; reducit,
Metiturq; suo rusticus orbe diem.
Ingentem meminit paruo qui germine quercum,
Æquæuumq; videt consenuisse nemus.

Ibidem.

Erret, & extremos alter scrutetur Iberos,
Plus habet hic vitæ, plus habet ille viæ.

Iuuenal. 13.

Plurima felix,
Paulatim vitia atque errores exuit omnes.

Iuuenal. 13.

Dicimus autem
Hos quoque felices, qui ferre incommoda vitæ,
Nec iactare iugum vita didicere magistra.

Horat. 1. Carm. 13.

Felices ter, & amplius,
Quos inrupta tenet copula, nec malis
Diuulsus querimonijs,
Suprema citius soluet amor die.

Ex Græcis Comicis.

Δίκαιον εὐτυχοῦντα μεμνῆσθαι θεοῦ.
In prospera æquum forte meminisse est Dei.
Θεοῦ γὰρ οὐδεὶς δίχα τυχῶν βροτῶν ἀνήρ.
Nullus beatus absque numine est Dei.
Κοινὸν δὲ καλὸν ἐστι χρηστοῖς εὐτυχεῖν.
Viri probi communis est felicitas.
Πολλοὶ μὲν εὐτυχοῦσιν οὐ φρονοῦσι δέ.
Prudentia expers plurimus felicitas.
Τὸν εὐτυχοῦντα καὶ φρονεῖν νομίζομεν.
Prudens videtur ille, cui fors prospera.
Τῷ γὰρ καλῶς πράσσοντι πᾶσα γῆ πατρίς.
Terra omnis illi patria, cui res prospera.
Ὅτ' εὐτυχεῖς μάλιστα μὴ μέγα φρόνει.
Minus insolesce quo magis beatus es.
Ὡς ἐκ λαμπρῶν πίπτουσιν αἱ λαμπραὶ τύχαι.
O quam ruina splendida vita cita.

Anthol. Sacr. Iac. Bill.

Stultum esse, qui in mundi prosperitate fiduciam collocat.

Stultus vt est, leuibus ventis qui fidit, & vmbræ,
Et noctis placida somnia certa putat.
Scribere quique in aquis moliturque sic quoque figit,
Qui spes in mundi prosperitate suas.
Atque ideo in terris firmi nil prorsus vt esset,
Constituit, supera qui manet arce Pater.
Scilicet vt firmi nihil hic stabilisq; videntes,
Tendamus celeri semper ad astra pede.

PHILOSOPHICA PLACITA.

De felicitate. DIAL. CVIII.

Francisc. Petrarch.

GAVD.

Sum felix. R. Pontificatu forsan, aut Imperio, aut omnino potentia, atque opibus felicem fieri credis? Falleris. Non felicem faciunt ista, vel miserum, sed detegunt, ac ostendunt, & si quid facerent, miserum potius, quam felicem facerent. Sunt enim plena periculis, quibus humanarum est affixa miseriarum radix. G. Felix sum. R. Opinione fortassis tua, quæ, quoniam falsa est, felicitati nihil addiderit, sed miseriæ multum. Et quidem propriam non noscere miseriam, miseria summa est. G. Felix sum. R. Hoc inter carnificum gladios magnus ille Pompeius de se prædicat, quod tamen (si profundius verum fodis) nunquam fuerat, ne tum quidem, dum florentissimo in statu felicissimus videretur. O miser, qui in tot malis te felicem speres! G. Sum felix. R. Felix es, & viuus viator insolitus miros cursor, quo in hoc scrupeo, & difficili calle sis felix inter mille pericula raptatus iugiter, & ignorans, quo si quidem hic et felix, quod nemo vmquam fuit, nemo erit, vt auguror. Nam quis, quæso, hominum felix in miserijs? Nemo igitur felix, priusquam ex hac miseriarum valle migrauerit. Duos quidem e cunctis mortalibus eligunt felices, in quibus opinatissimus est Quintus Metellus, & apud scriptores rerum, & vulgo etiam felix. Sed huic tamen, quamuis late iactatum, felicitatis nomen in quibusdam exactioribus scriptis ereptum scio iniurijs aliquando grauissimis, & (quod dolorem ingeminat) vili ab authore susceptis. Iam reliquorum falsa felicitas in aperto est. Sylla felix tantùm dictus est, infelicem tamen vitæ illum, ac mortis atrocitas probat. Alexandri Macedonis, ac Iulij Cæsaris, etsi fortuna prosperrima, vita tamen inquieta semper, ac turbida, atque ideo nunquam felix. Vtriusque mors rapida. Ille in medio bellorum cursu, hic post victoriam repente: ille veneno perijt, hic ferro. Scipionum bellicam felicitatem alterius indignum exilium, indigna quoque alterius, & inulta mors minuit. Longum est euoluere singulorum fortunas; ad supremum venio. Vnus omnium fere omnibus felix visus est Augustus Cæsar, Monarchia omnium altissima, diuturna pace, vitæ spacio, ac fine suauissimo (quodque omnia superat) morum, atque animi tranquillitate perpetua. Quis hunc felicissimum negauerit? Sed felicem negant, quibus hæc scrutandi studium fuit. Obstat enim extrinsecis fulgoribus interioris, ac domesticæ vitæ status, & fortuna longè alia: naturalis, ac virilis sobolis defectus, adoptiuorum, ac nepotum immaturæ mortes, & quorundam morte peior contumacia. Ad hæc & vilissimorum quoque hominum insidiæ, & suorum in se crebræ conspirationes, & dilectissimæ, atque vnicæ filiæ, ac neptis adulteria crebriora, denique non suus hæres, successorq; non placitus, & necessitate magis, quam iudicio electus, nec omnino se dignus, nec Imperio. Si horum ergo nemo felix, vel felicem alium da mihi, cum quo felix sis, vel sine eo sorte felix esto, vel iam tandem veriori sententiæ aurem præbe. Secundum quam dico iterum, ante mortem nemo hominum felix. G. Ego animo felix sum. R. Sentio, quam felicitatem dicis; aut felix igitur errore tuo es, vt ait ille: Quæ felicitas (vt dixi) miseria est. Aut virtute animi felix, quæ nec ipsa felicitas plena est, quamuis sit ad felicitatem via. Ad postremum cuncta discutiens, ne mirari non dissimulo, quam mihi felicitatem quidam somniant, promittuntq; alijs, acutissimi homines in multis, hac in parte cæcissimi. Nam siue omnium cumulus honorum ad felicitatem, isque indeficiens, ac stabilis requiritur, & quàm multa desint hominis vitæ, studium hoc agenti pro se quisque sentit, & hæc ipsa, quæ adsunt, quam incerta, quamque labilia sint, agnoscit, siue, quod alijs videtur, sola virtus hoc præstat, certè ipsi, qui secundum virtutem vitam agunt, quos definiunt felices, quosque felicitati proximos, non nego, vitam ipsam perpetuis tentationum prælijs patiuntur infestam, periculis semper multis, & grauibus expositi, nec vmquam ante exitum securi, quod siue nesciunt, siue sciunt, æquè miseri sunt habendi. Nulla enim cum errore, nulla sine securitate felicitas. G. Felix mihi ipse videor. R. Iam responsum habes. Si felicem error faceret, paucissimi non felices essent, falsa ergo felicitas tua est, & ea ipsa perbreuis. Nulli errore diu contigit gaudere. Sola quidem veritas solida est. Error tenue quiddam, & inane, quod inter amplectentium manus, quasi fumus, aut vmbra dissilit. Veniet, quæ vmbras abigat, falsaque gaudia in apertum protrahat, quæ felicitati humanæ verum precium somnijs ponat. Quære interim ab his ipsis, quorum proximè mentio est habita, quære ab omnibus, qui felices, vel sibi, vel alijs visi sunt, vbinam gentium, quoue nunc in statu sint, de sua illa breui felicitate quid sentiant, tacebunt ipsi, sed loquetur veritas, testabiturq;, habitos felices fuisse miserrimos.

SENTENTIAE HISTORICÆ.

Deos Græcis (inquiebat Solon) mediocriter sentire dedit, tum sapientiæ cuiusdam fiducia eos beauit, quæ mediocritatem respiciens popularibus magis hominibus, quàm regio splendori sit cômoda. Ea cum videat hominum vitam numquam non varijs casibus esse obnoxiam, non patitur quemquam præsentium bonorum cogitatione efferri, neque admirari alicuius hominis felicitatem, quam immutare tempus possit: vnicuique enim variæ res futuræ, de quibus certi nihil constat, ingruunt. Cui verò res secundas vsque ad finem Deus prorogauit, hunc felicem esse iudicat: viuenti adhuc, & in discrimine versanti, felicitas quæ tribuitur, non magis certa, atque rata est, quàm si victoriam coronamque alicui adhuc decertanti adscribamus. *Plutarch. in Solone.*

Prouidorum hominum est, felicitatem suam pro certo habere in incerto esse positam, vt ferendis aduersis sint instructiores,

neque

neqoe existimare, quatenus voluerit quis aggredi bellum, eatenus ei facultatem adesse, sed quatenus fortuita sua ducent. *Thucyd.lib.4.*

Ita statuo homini ad felicitatem sufficere, vt quæ ad vsum vitæ opus sunt, omnia possideat, neque vllius rei qua ad se sustentandum corpus indiget, destituatur: omne autem superuacaneum, curas, negotia, & multorum inuidiam secum trahere existimo. *Dion.lib.38.*

Omnes mortales non tam rebus secundis suam felicitatem sentiunt, quàm malis confectati eam desiderant. *Idem,l.56.*

Adolescentiam, & perpetuam felicitatem, ferociora vtraque quàm quietis opus est consilijs, metuo. *Liu.deca.l.3.lib.10.*

Superba est felicitas. *Curtius lib.5.*

Felicitatis, & moderationis diuiduum est contubernium. *Val. Max. l.9 c.5.*

Difficilius est temperare felicitati, qua te non putes diu vsurum. *Tacit.l.2.histor.*

Felicitas nihil aliud est, nisi honestarum prosperitas, Tullio teste, vel, vt alio modo definiam, Felicitas est fortuna adiutrix consiliorum bonorum, quibus qui non vtitur, felix nullo pacto esse potest. Ergo in perditis impijsque consilijs, quibus Cæsar vsus erat, nulla potuit esse felicitas, felicior<q;>, meo iudicio, Camillus exsultans, quàm temporibus ijsdem Manlius, etiamsi (id quod cupierat) regnare potuisset. *Am. Marcel lib.21.*

Non procul a veritate antiquum puto prouerbium: Quod non pura Deus bona, sed malis semper aliquibus admixta præbet hominibus, neque risum sine fletu habemus, resque secundas semper calamitas quædam subsequitur, ac voluptatem comitatur tristitia: denique legitima, sinceraq; felicitate quandoque frui nusquam datur. *Procop. de bello Pers.lib.2.*

A D A G I A.

Omnia ex sententia cedunt.

In magnopere fortunatos, quibus & fecus instituta feliciter cedunt, congruet illud ex Iliad.ς.

> Τῶν μὲν γὰρ πάντων βέλε' ἅπτεται ὅστις ἀφήῃ.
> Ἤ κακὸς ἢ ἀγαθὸς, Ζεὺς δ' ἔμπης πάντ' ἰθύνει.

Id est:

> *Specula cuncta horum feriunt seu torserit illa*
> *Ignauus, seu vir fortis: quia Iupiter ipse dirigit.*

Nunc aduenit Datidis cantilena. νῦν τοῦτ' ἐκεῖν' ἥκει τὸ Δάτιδος μέλος. *Suidas.*

Dicebatur, vbi quid lætum, ac festiuum accidisset.

Proeridis telum. Προκρίδος ἄκοντες.

De ijs, qui velut certis telis, quidquid animo destinant, assequuntur. Contrarium ferè sensum Germani exprimunt hoc adagio: Es ist alle tag lagtag, aber nicht alle tag Fahtag.

Albæ gallinæ filius. *Iuuenal.*

Feliciter natum, albæ gallinæ filium dicimus.

Aut piscem olet, aut florem.

D. Ambrosius. De hoc alibi.

Virga diuina. Gygis anulus. Γύγου δακτύλιος.

Quadrat, vel in homines inconstantibus moribus, vel in fortunatos, qui veluti virgula diuina, quidquid optant, ad suo arbitrio consequuntur. Prius ascribitur Ciceroni.

Alia dantur, alia negantur.

Quoties è duabus naturæ dotibus altera contingit, altera negata est (veluti si cui forma dotis adsit, desit ingenij laus) siue cum è duobus postulatis alterum duntaxat impetratur. quadrauerit illud ex Iliad. π.

> Τῷ δ' ἕτερον μὲν ἔδωκε πατὴρ, ἕτερον δ' ἀνένευσε.

Id est:

> *Annuit hoc illi diuum pater, abnuit illud.*

Bonis auibus, malis auibus.

Quum rem feliciter, aut secus cedere significamus, Ab augurum obseruatione sumptum. Horat.

Secundis ventis.

Secundis ventis nauigare dicitur, cui res ex sententia succedunt Horatius:

> *Non agimur tumidis velis Aquilone secundo,*
> *Non tamen aduersis ætatem ducimus austris.*

Datyli dies. Δατύλου ἡμέρα.

Vt res feliciter successerunt.

Dijs hominibusq. applaudentibus.

Pro eo quod est feliciter, atque auspicato.

Semper feliciter cadunt Iouis taxilli. αἰεὶ γὰρ εὖ πίπτουσιν οἱ Διὸς κύβοι.

Dici solitum in eos, quibus res omnes perpetuo quadam fortunæ fauore ex animi sententia cederent. Es ist alles glueck, vvas dieser Mensch anfachet.

Contingit, & malis venatio. ἔδ' ἔστιν καὶ κακοῖσιν ἄγρα.

Vbi quid feliciter obtigit immerenti, quod quia fortunæ magis quàm illius industriæ sit acceptum ferendum. Suid.

Iecit Achilles duas tesseras, & quatuor. βέβληκ' Ἀχιλλεὺς δύο κύβω καὶ τέσσαρα.

> *Duas Achilles, quatuorq; tesseras.*

Hunc versum Suidas ex Euripide citat. Quid autem sibi velit adagium, nullus explicat, nisi quod coniectare licet dictum fuisse de ys, qui in omnire vincerent, propterea quod is tesserarum iactus felix esset.

Noctua volat. Γλαῦξ ἵπταται.

Rebus feliciter atque ex animi sententia succedentibus dici consueuit: Noctua volat. Zenodot.

Laureum baculum gesto. δαφνίνην φορῶ βακτηρίαν.

Suidas tradit, ita solere loqui eos, qui essent ab aliquibus insidijs appetiti, feliciterq; periculum effugissent: propterea quod Laurus credita est aduersus venena remedium habere.

Midas in tesseris consultor optimus. Μίδας ὁ ἐν κύβοισιν εὐβουλότατος.

Accommodari poterit adagium ad rem, quæ fortè fortuna bene cadit.

Quæ diuinitus contingunt.

Quis dicit quippiam non cuiuis contingere, quisquis optat, sed diuinitus dari, veluti ingenium, formam vires. Vsurpare poterit illud Homeri.

> Ἑκὼν δ' οὐκ ἄν τις ἕλοιτο
> *Non quisquis volet illa ferat.*

Felicitas à Deo. Θεῷ δ' ὑπέρ ἐστι εὐτυχεῖν βροτοῖς.

Verum nostre bene cedant, id in nobis situm non est, sed à Superum arbitrio pendet Hominum est conatus. Dei est euentus. Ich hab es im sinn, Gott hat den gevvalt.

Galli. L'homme propose & Dieu dispose.

Primum rectè valere: proximè forma: tertio loco diuitiæ. λέγεται γὰρ ὡς ἄριστον ὑγιαίνειν, δεύτερον δὲ καλλος, τρίτον δὲ πλοῦτος. *Plato lib.2. de legibus.*

Id est: Aiunt enim optimum ac potissimum esse bonum valetudinem, proximum formam, tertium diuitias. Alius quidam dixit: Rectè valere & sapere, duo vitæ bona.

In cœlo esse.

Pro eo, quod est, supra modum fortunatum esse & gloriosum.

Quæuis terra patria. πᾶσα γῆ πατρίς.

Admonet adagium, virum sapientem ac bonum, vbicumq; gentium viuerit, felicem esse. Zenodot.

Virtute duce, comite fortuna. *M. Tull. epist. fam.l. 10. ad Planc. Omnia summa consequutus es, virtute duce, comite fortuna.*

Supercilium salit.

Quoties bona quadam spes titillat animum nostrum, dicere licebit, mihi salire supercilium. Plaut.

Effugi malum, inueni bonum. ἔφυγον κακὸν, εὗρον ἄμεινον.

Dici solitum, si quando fortuna lautior cuipiam contigisset.

Inueni, non quod pueri in faba.

Vbi magnum quiddam reperisse nos significabimus. vide Aulul. Plauti. Es seind nicht schnellfac zlein.

Bonorum mare. ἀγαθῶν θάλασσα.

Dicitur & diuersam in partem. Item de magna, & vehementer cumulata commoditate.

Thassus bonorum. Θάσος ἀγαθῶν.

De ijs, qui splendida pollicentur.

Bonorum aceruus. ἀγαθῶν σωρός.

De opibus ingentibus. Vnde & frequenter extructas opes, & opes cumulatas pro copiosis legimus, tanquam aceruatim congestas, neque pondere neque numero, sed ipso cumulo infusas.

Horna messis.

Plautus in Mustell. Hornam messem prouerbiali figura dixit, pro maximo emolumento, quasi dicas tantum lucri, quantum eo anno sis prouenturum in agris.

Bonorum myrmecia. ἀγαθῶν μυρμηκιά.

De immensis opibus. Cicero.

Dathus bonorum. Δάθος ἀγαθῶν.

In eandem sententiam dici consueuit.

Gargara bonorum. ἀγαθῶν γάργαρα.

Innumerabilem hominum, rerumq; vim, prisci Gargara dicebant, ficta, ni fallor, voce, à strepitu, quem facit hominum congregatorum multitudo, aut rerum copia.

Bona terræ. τὰ τῆς γῆς ἀγαθά.

De bonis immensis, & omnigenis, quasi dicas, quicquid terra progignit, omnium rerum parens.

Ingens rerum multitudo. *Item* Bonorum glomi. ἀγαθῶν ἀγαθίδες.

De opibus exstructis & affatim cumulatis.

Copiæ cornu. ἀμαλθείας κέρας.

Cum affatim omnia superesse significamus, copiæ cornu dicimus, Lucianus.

Extis pluit. ἄλλαντι ὕει.

Id est, Lucanicis pluit: Sermo prouerbialis de prodigiosa rerum copia. Es regnet Bratvvurst.

Capram cœlestem orientem conspexerunt. αἶγα τὴν οὐρανίαν ἀνατέλλουσαν ἐθεάσαντο.

Hoc dici solitum in eos, quibus omnia feliciter, ex animi sententia succederent.

Bonæ fortunæ. ἀγαθῶ δαίμονος. *Aristoph.*

Boni

Boni genij, vel bona fortuna, subaudiendi nomine. Sermo est bene ominantis in re quapiam aggredienda. Gluckeh sey darbey.

Oculus dexter mihi salit. *ἄλλεται ὀφθαλμός μοι ὁ δεξιός.*

Vbi spes est, visuros nos lætum quippiam, & vehementer expetendum. Dass rechte ohr singet oder klinget mir.

Bona spes ostensa.

Cum bona quepiam spes affulget aliunde, perficiendi, quod proposuimus, cõueniet illud ex Odyss. o.

Ὡς ἄρα οἱ εἰπόντι ἐπέπτατο δεξιὸς ὄρνις.
Sic fato felix à dextris aduolat ales.

Deus vndecumque iuuat, si modo propitius.

Deus vbique præsens adest, si faueat neque refert. Vbi gentium agas, illo propitio. Ad hanc sententiam accommodare licebit illud Homeri.

Ῥεῖα θεός γ' ἐθέλων καὶ τηλόθεν ἄνδρα σαώσαι.
Si libens, seruare procul quoque numina possunt.

Lux affulsit.

Vbi melior rerum spes ostendi cœperit lucem affulsisse dicunt.

APOPHTHEGMATA.

Thales. cuidam quærenti, quis esset felix? Qui corpore, inquit, sanus est, animo eruditus, sine castigatus. Cupiditates enim animorum morbi sunt. *Laert. lib. 1. c. 1.*

Anaxagoras ab homine quodam malè sano interrogatus, quinam felices essent, respondit: Nemo sanè ex ijs, quos tu felices existimas, sed is, quem tu miserum credis. *Val. Max. l. 7. c. 2.*

Diogenes vnicam felicitatem esse æstimabat, qua fieret, vt reuera lætemur, nec vnquam tristemur, quocumque in loco aut tempore. *Stob. ser. 101.*

Idem. veram felicitatem esse dicebat, quæ faceret, vt mens & anima in perpetua tranquillitate hilaritateq; collocentur. *Stob. sermo. 101.*

Ariston, vt nihil iuuat (inquit) ægrum lectus, quem pedes aurei fulciunt: sic neque stultum felicitas externa. *Stob. ser. 101.*

Democritus eum felicem esse dicebat, qui cum exiguis pecunijs hilaris esset. Infelicem autem, qui inter magnas opes tristaretur. *Stob. serm. 101.*

Socrates interrogatus, quid esset felicitas? Voluptas, dixit, quam pœnitudo nulla sequitur. *Stob. serm. 101.*

Idem, interrogantibus, quinã essent felices? respondit: Illi, qui mentem bonam & rationem possident. *Stob. serm. eod.*

Idem. Polus quidam ab eo sciscitabatur, vtrum magnus Persarum rex felix esset? Nescio, inquit, an eruditione & iustitia sit instructus. In hoc enim hominis felicitas consistit. Et miser homo est, si iniustus. *Plato in Gorgia.*

Plato rogatus à Cyrenensibus, vt ipsis leges scriberet, ac Reipublicæ statum componeret, recusauit dicens: Perdifficilè esse condere leges tam felicibus: indicans, eos non facilè parere salubribus monitis, qui successu rerum elati, sibi felices viderentur. *Laert. lib. 3.*

Antisthenes rogatus quid esset mortalibus beatissimum? Felicem, inquit, mori. Hæc sententia consentit cum illa Solonis: Qui feliciter absoluit vitam, huic nihil sinistri potest accidere, quod felicitatem ægritudine aliqua contaminet. At quibus res sunt secundæ, ijs nihil magis optant, quam diuturnam vitam. *Laert. lib. 6. cap. 1.*

Solon. Crœsus Lydius rex omnium ditissimus, accitum ad se Solonem, in congressu rogauit, An quis esset se felicior? Cui Solon, Tellum ciuem suũ feliciorem, qui filios habuerit probatissimos & pro patria fortiter occubuisset, dixit. Crœsus autem putans Solonem omnium vrbanitatum expertem, iterum contendit: Num post Tellum alium beatiorem nosset? Cleobem dixit, & Bitonem, Argiuos, qui mirifico inter se amore, tum summa in matrem obseruantia se feliciores esse ostenderant. At Crœsus iratus, interrogauit etiam, an in beatorum numerum non meritò reponeretur? Solon respondit. Nondum te felicem prædicamus: adhuc enim es in fortunæ & affectuum potestatem. Quamprimum autem mortuus fueris, tum demum videbimus, quam felix fueris. *Plut. in Solone.*

Demetrius Cynicus dicere solebat, nihil sibi videri infelicius eo, cui nihil in vita accidisset aduersi. Non licuit enim illi se experiri, vt ex voto illi fluxerint omnia vt ante votum: malè tamen de illo Dij iudicauerunt. Indignusq; visus est, à quo vinceretur aliquando fortuna, quæ ignauissimum quemq. refugit. *Seneca lib. quare bonis mala accidant.*

Iamblichus felicem eum esse dicebat, qui Deo, quatenus fieri potest, similis fuerit perfectus: simplex, purus, & separatus ab humana vita. *Stob. ser. 101.*

Sylla cognomento Felix, inter felicitates suas duas præcipuas ducebat: alteram, quod Pium Metellum haberet amicum, alteram, quod vrbem Athenarum non subuertisse. *Plutarch. in Rom. apophtheg.*

SIMILITVDINES.

Philonis Iudæi. Sicut nec ignis, nec terra, nec vnum aliquod ex quatuor, ex quibus constat hæc rerum vniuersitas, mundus est, sed elementorum in vnum congressus & contemperatio: Pari modo felicitas nec in corporis, nec in animæ bonis seorsim examinatur: (hæc enim singula velut partes quædam & elementa sunt) sed in omnium simul congerie consistit. *In lib. Quod deterius potiori insidietur.*

Socratis. Quemadmodum incontinentes in morbis: sic insipientes in prosperitatibus, curatu difficiles sunt. *Apud Maximum ser. 18.*

Seneca. Magni animi est magna contemnere, ac mediocria malle, quam nimia. Illi enim vtilia vitaliaq; sunt, at huic eo, quo superfluunt, nocent. Sic segetem nimia sternit vbertas, sic rami onere franguntur, sic ad maturitatẽ non peruenit nimia fœcunditas. Idem animis quoque euenit, quos immoderata felicitas rumpit, qua non tantum in aliorum iniuriam, sed etiam in suam vertuntur. *Lib. 2. epist. 39.*

Plutarch. Quemadmodum ij, quibus sunt equi ferociores, tradunt eos domitoribus, vt his facilioribus possint vti: Sic homines secundis rebus effrenatos, sibiq; præfidentes, tanquam in gyrum rationis ac doctrinæ ducere oportet, vt perspecta rerum humanarum imbecillitate, varietateq; fortunæ, reddantur moderatiores. *Scipionis Maioris dictorum est apud Plutarchum, & P. M. lib. 5. apoph.*

Seneca. vt periculosa est, secundum Hippocratem, summè bona corporis valetudo: Ita rebus maximè prosperis metuenda diuersa fortuna. *In Moralib.*

Vt segetem nimia sternit vbertas, rami onere franguntur: sic animos immoderata rumpit felicitas. *idem.*

Vt histrio non est felicior, quod in scenis adornatus, rex aut Deus videatur: sic nec homo fortunæ muneribus, quãdoquidem suis bonis æstimatis, nihil est. *idem.*

Theonis. Quemadmodum austera ægrius quidem coquuntur, sed stomachum firmant: sic blandior fortuna melius toleratur, sed vires animi clam frangit ac demolitur. *In Apoph. 133.*

Pueri dum tinguntur, aut malè habent, nullam titillationem sentiunt. Et fere ij soli illicitis capiuntur mundi pruritibus, quos felicior impinguat fortuna. *In Apoph. 86.*

Nulla vinea tam iucundè, tam prægnans, quæ purgatione nõ egeat. Neque quisquam tam bonus, qui perpetua vitæ felicitate non frangatur. *In apoph. 106.*

Maximi Monachi. Quemadmodũ vehementiores venti plura hominibus incommoda adferunt, quam leuiter flantes: Sic splendidissima fortuna magis obest hominibus, quam mediocris. *Sermone 18.*

Hippocratis. Quemadmodum in bona corporis constitutione periculum morbi perspicuum sæpius inest. Sic in magnitudine prosperitatum nihil subest diuturnum. *In epist. ad Damagetum.*

HISTORICA EXEMPLA.

Erichthonius Dardani ex Batea F. omnium hominum fortunatissimus fuisse veterum Græcorum historijs traditur. *Calius lib. 9. cap. 19.*

P. Crassus Mucianus quinque rerum bonarum maxima habuit, & præcipua. *Vide titul. ex Gell. lib. 1. c. 13.*

Vnus hominum ab hoc æui *Felicis* sibi cognomen asseruit L. Sylla: ciuili nẽpe sanguine, ac patriæ oppugnatione adoptatus. Et quibus felicitatis inductus argumentis? quod proscribere tot millia ciuium ac trucidare potuisset. *Plin. l. 7. c. 42.*

Agripina Augusta inter fœminas Romanas, quæ ante eam fuerunt, vni contigit: vt Romani Principis vxor, soror, mater, ac filia haberetur. Germanici enim filia fuit, quem Tiberius imperij successorem adoptauerat: Claudium Augustum virum habuit: Caligulæ soror erat: deniq; Neronem peperit. *Fulgos. lib. 8. cap. 16*

Constantinum Magnum non supplicantem dæmonibus, sed ipsum verum Deum colentem Deus tantis terrenis impleuit muneribus, quanta optare nullus auderet. *Aug. l. 5. de ciuit. Dei, c. 25.*

Ambrosius Episcopus, cum apud diuitem quendam hospitandi gratia diuertisset: & ille se nihil vnquam in vita aduersi passum iactaret, è vestigio cum suis recessit, dixitq; ideo se inde fugere, ne vna cum homine perpetuis prosperitatibus vso, statim periret. Haud ita procul cacesserant, & respicientes, vident ædes illas cum omnibus, qui ibi erant, terræ hiatu iam absorptas. *Marullus lib. 5. cap. 3.*

HIEROGLYPHICA.

Si caduceo cornu copia adijciatur, felicitatis indicium est: quod in Vespesiani & aliorum nummis obseruauimus. *Pier. Val. l. 15.*

Ad hæc *Nauis* in aliquot veterum monumentis felicitatis hieroglyphicum est: vt in Hadriani nummo, quæ remigio vecta pulcherrimeq; elaborata visitur, cum inscriptione. Felicitati Aug. sub naui verò, S. C. Cos. III. P. P. *Pier. Valer. lib. 45.*

Quod etiam *Olea adiecta caduceo* felicitatis hieroglyphicum habeatur, multa veterum numismata indicio sunt, quæ in ipsius caducei commentario continentur. *Idem lib. 53.*

Pisis etiam felicitatis est hieroglyphicum. Artis enim diuinandi periti, seu coniectores scribunt: vbi eius significata examinant, *Pruna* in somnijs visam, etiam extra tempus, felicia esse præsagij. *Idem lib. 53.*

E m b l e m a.

In momentaneam felicitatem.

Emblema Andr. Alciati c x x i v.

Aeream propter creuisse cucurbita pinum
Dicitur, & grandi luxuriasse coma:
Cum ramos complexa suos, egressa cacumen,
Se præstare alijs crederet arboribus.
Cui pinus, Nimium breuis est hæc gloria: nam te,
Protinus aduentet, qua male perdet, hiems.

Vide Beatitudo.

F E R I Æ.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Feriæ, Græcè ἑορτὴ, &c. ἀργία, feriatus dicitur: sic dictæ à ferendis epulis: lo his enim epulæ fiebant ex porcorum frugumque prouentibus. Feriarum publicarum genera erant quatuor apud Rom. Statiuæ vniuersi populi communes, quæ certis, & constitutis diebus fiebant, in quibus præcipuè seruabantur Agonalia, Carmentalia, Lupercalia. Conceptiuæ, quas quotannis à Magistratibus, vel Sacerdotibus concipiebant certos, siue incertos dies, vt sunt Latinæ, Sementinæ, Paganalia, Compitalia. Imperatiuæ, quas Consules, vel Prætores pro arbitrio indicebant. Nundinæ paganorum, ac rusticorum, quibus ad negotia, & merces conueniebant.

A p o p h t h e g m a t a.

Diogenes. Lacedæmone peregrinum quemdam conspiciens sese studiosè ad festum diem componentem: Quid facis, inquit? An non quilibet dies viro bono festus est? Sensit, hunc muodum esse phanum Deo dignum, in quo constitutus homo semper honestè, velut in conspectu numinis omnia cernentis, versari deberet. Detorsit huc prouerbium, quod dicitur: Pigris semper esse festum. *Laert lib. 6.*

Antisthenes interrogatus, quid esset dies festus: Gulæ irritamentum, & luxuriæ occasionem esse dixit. *Stob. & Max. serm. 27. Anton. in Meliss. par. 1. serm. 39.*

Vide Sabbathum, & Solemnitas.

F E R M E N T V M.

Loci Biblici.

Fermentum: Fermento in Pascha celebratione non vtendum, *Exod. 12. 15. & 13. vers. 6. 7.* qui fermentum comedisset in Paschæ celebratione, moriebatur, *ibidem.* Fermentum in oblationibus non permiscendum, *Leuitici 2. 11.* Fermentum in bonam partem, *Matth. 13. 33.* vbi Ecclesia comparatur fermento repositio in farina. In malam pro pestilenti doctrina, *Matth 16. 6. Luc. 12. 1. Gal. 5. 9.* Allegoricus pro eadem accipi potest, & *Leuit 2. 11. & 6. 16. Deut. 16. 3.* Fermentum veteris malitiæ expurgandum, *1. Cor. 5. 7.*

S e n t e n t i æ   B i b l i c æ.

Fermenti conditio bona.

Simile est regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum. *Matth. 13. 33.*

Mala.

Intuemini, & cauete à fermento (id est, à doctrina, & hypocrisi) Pharisæorum, & Saducæorum. *Matt. 16.*

Expurgate vetus fermentum, vt sitis noua conspersio, sicut estis azymi: etenim Pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis, & veritatis. *1. Cor. 5.*

Fermentum, farina quæ subigitur, prius quam addatur sal, ad pultis modum decoct a, & relicta donec acescat. Hebr. *Seor* Græcè, *ζύμη* τύραννα, à qua Latinum fermentum. Iacens in fermento mulier inflata, & irata dicitur. *Plauto.*

F E R T I L I T A S.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Fertilitas, Agrorum & frugum vbertas, ac fœcunditas, εὐφορία, ἀφθονία. Hebraicè *Sobahh*, à verbo *Sabahh*, satur fuit, satiatus est. In abundantia etenim frugum terra bonis vel iis satiata videtur, fertilitas magna in terra Aegypti, *Genes. 41. 47. & Deut. 8. Esa. 55. 10.*

S e n t e n t i æ   P h i l o s o p h.

De fertilitate terræ. D i a l. L v i i.

Francisci Petrarcha.

G a v.

Fertilis ager est mihi. R. Vim fœcundatoris intelige, donisq; celestibus sic vtere, ne displiceas largienti, quod ita se num rite facies, si & sobrietatem & modestiam fertilitas non excludet, & vbertatis in partem egeni veniet atque amici: Nil soli dulce, nil sapidum. G. Agrum fertilem ex quisitissimè colo. R. Non homo terræ, sed terra homini seruire debuerat, hominum culpis effectum est, ne terra possessori suo sine labore responderet. Incultam messem horridam, lappas, & tribulos parituram, hanc ferro sollicitare, mirisq. blanditijs mollire mortalis coegit indigentia. Hinc agriculturæ fluxit initium, sanctissimæ & innocentissimæ quondam vitæ. Nunc vni ea multis & prisco labori, & nouis vitijs obnoxiæ, postquam nihil inuidiæ atque auaritiæ inaccessum rusticas etiam casas vrbana piacula peruasere. Certè vltimos hominum rusticos malos fuisse conuenit, vnde illud poeticum: *Extrema per illos Iustitia excedens terris vestigia fecit.* Sed verendum, ne qui mali fuerant, nouissimi primi sint, vt si vnquam fortè esset ad virtutē reditus, & ad priscos mores, in hoc quoque sint vltimi. Nunc ad ipsam agriculturæ artem redeo, quæ magnis olim tractata viris atque ingenijs in precio fuit, in qua vt multis in rebus altum locū Cato Censorius tenet, de quo cum verissimè scriptum sit, optimus Senator, optimus Arator, optimus Imperator, tandem Iudis ad cumulum illud est additum, sine æmulo, siue sine exemplo sui temporis agricola. Quem puderet igitur cum Catone terram colere? Quis omnino sibi turpe aliquid duceret, quod pulchrum ille sibi duxisset? qui præter corporis atque animi virtutes, rerūque gestarum gloriam, etiam de Hispania triumphasset? Quis sol licitare atque hortari boues erubesceret, quos in sulcum vrgeret illa vox, quæ tot magnos exercitus in prælium accendisset, tot ancipites causas dissertissimè perorasset? Quis rastrum atque aratrum fastidiret, quod illa triumphalis ac philosophica manus attingeret? quæ insignes de tot hostibus victorias peperisset, tot de rebus optimis preclaros libros scripsisset, siue ad philosophiam, siue ad historiam, siue ad vsum vitæ spectantibus, quales sunt, quos de hoc ipso, quod nunc loquimur, scripsit? Primus equidem apud nos colendi arui præcepta collegit in formam artis, ac redegit in literas. Secutiq; illum multi alij, quorum quidam humile illud ac despectum artificium nobilissimis versibus extulerunt, quos nunc memorans, nec humanæ immemor necessitatis agriculturam certè non improbo. Nunquam tamen aut Scriptorum claritas aut inopiæ metus coget, vt liberalibus & honestis artibus præferendam censeam, nec æquandam quidem. Quamuis enim eosdem duces simul illustres & agricolas, primum illud Imperij rēpus habuerit, mortalia spacio resedit. Neque (vt fragilior nunc natura est) ad res tam varias ingenia nostra sufficiunt. Hæc ætate igitur excellentib. viris agriculturæ operā dare non pro arte vel negocio, sed pro otio & curarum alternatione permiserim, veq; interdum teneros ramos pubescentibus gemmis inserere, luxuriantia folia curua falce compescere, lasciuos palmites prolis in spem scrobibus caois infodere, fitientibus prans querulos riuos prono calle diuertere, illos sinam: sic fodere pertinaciter, atque arare, totoq. animo incumbere terris (nisi necessitas cogat) indecorum atque indecens docto fortiq; viro arbitror, cui nobilioris exercitij deesset materia vix possit. Natura parens optima, dū multas mortalibus artes daret, ipsa etiam distinxit ingenia, vt cui quisque erit aptissimus, illi insistat. Videbis aliquem, qui mediocri ingenio tam solerter aut arua sulcet, aut maria, vt hac in re cuiusuis acumen philosophi nulla sibi conferri possit industria, stultum & inglorium fuerit cum illo non in sua, sed illius arte contendere, vbi toto maior vertice minor appareat, & victor in maximis, multis æ paruis in rebus facilè vinci queas. G. Ager hac mihi æstate perfertilis fuit. R. Proximam operire, præsens fœpe fertilitas venturæ sterilitatis arrha est, rara quidem sine intermissione prosperitas. G. Diligenter agrum colui. R. Bene, si nil melius quod faceres, fuit. G. Colui vineam exquisite. R. Lætam cum illa sorte vindemiā pactus, sin & cum pruina, aut etiam cum grandine pepigisti? G. Solito largius annum seui. R. Plures pasces grues ruri, plures domi mures, volucrum hospes ac vermium, so li excussor, areæ compactor, horrei architectus, metentium seruus, acterrentium. G. Seui agrum largiter. R. Esto, in spe bona metes, quod seuisti triticum, atque sollicitudinem, nisi illud est verius, quod triticum plurimorum, sed anxietas tua est, & vt propriè dixerim, ager ipse est animos, cultus intentio, semen cura, messis labor, hanc vberrimam percipies. G. Rus opeime colui. R. Dicam, quod mireris: Illi ipsi antiqui agricolæ viri fortes, quibus gloriæ

gloriæ fuit agricultura, colendum bene censuerunt, sed non optime, incredibile primo forsan auditu, at experientiæ comprobatione verissimum, vix enim fertilitas sumptum æquat, estq; apud ipsos veteres hominis atque agri comparatio non inepta, ut vterq. si sumptuosus fuerit, quamuis & quæstuosus, reliqui nihil aut modicum sit. Neutrum magni igitur existimandum. G. Summo studio terram colo. R. Tete mallem coleres, sed terrestri animal terram amas, nec multum, cum tu illã q̃ nunc periculis, impinguabis: Cole agrorum atque arborum quantum vis, neque mu tos terræ pedes ad vltimum, occupabis, neque. (vt ait Flaccus, *Harũ quas colis, arborum, te præter inuisas cupressus nulla breuem dominum sequetur.*

FESTINATIO.

Adagia.

Citis quadrigis. Iouis quadrigis.
Subintellige, fugere, quod est ocyssime fugere. Plaut.

Talaria induere. πέδιλα δύειν.
Id est, fugam adornare, quasi velle quopiam auolare. Cic.

Celerius quam Butes. θᾶττον ἢ Βούτης. *Zenodotus.*
Hoc adagio significatur, aliquid quamprimum absolui, ac quasi compendio explicari. Vsus eius erit, cum iactare nos volumus, quod facile perficere aliquid possimus.

Salaminia nauis. Σαλαμινία ναῦς.
De praeelectibus hoc dictitatum est.

Ignem palma. πῦρ παλάμῃ.
Imitando exprimi poterit, cum protinus aliquid à quopiam est intellectum: vt si scommate dicto statim aliquis in se dictum sentiat.

Aphya ad ignem. Ἀφύα εἰς πῦρ.
Prouerbium in iis locum habet, quæ celeriter intereunt aut absumuntur, vel quæ statim ac facile conficiuntur.

Intra septimam. ἐντὸς ἑβδόμης.
Vti hoc adagio recte poterimus quoties admonere volumus, mature sitoq; tempore negocium aggrediendum esse. Zenodotus.

Priusquam gallos cecinerit. πρὶν ἢ τὸ δεύτερον ἀλεκτρυὼν φθέγγηται.
Id est, Admodum mane: & antelucano. Sumptum à prisca consuetudine qua noctis deliquium & accessum diei galli cantu metiebatur, gnomonibus horariis nondum repertis.

Viui, incende ignem. Ζῶν καῖε πῦρ.
Vbi in negocii periculosi puncto, festinandum admonemus, & occasionem arripiendam. Vt cum reperta scintillula, properatur, ne & illa pereat. Suidas.

A subeunte portum naui. ἀπὸ καταδυομένης.
Id est: A subeunte, subaudi naui, lucrum capias. Monet adagium, celeritatem multum ad quæstum conducere. Sumpta à mercatoribus metaphora, qui merces statim emunt ab ipsis nautis in portum appellentibus.

Matura satio sæpe decipit: sera semper mala est. *Columella.*
Admonemur hoc adagio, in omni negocio maturandum esse, neque paulo satius, occupare tempus legitimum, quam serius aggredi.

Vt canis è Nilo.
Locum hoc in iis habet, qui leuiter ac obiter saltem artem aliquam vel authorem degustarint. Er lauffe darÿber als ein hahn ÿber die heissen Kohlen.

Crisonem Himeræum præcurrere.
Hoc est, præcipitanter aliquid agere. Videtur autem huic prouerbio prodigiosa Crisonis celeritas locum dedisse, de qua Plato in Protagora agit.

Equis albis præcedere. *Plautus.*
Id est: Longo interuallo antecre. Vsus, cum significare volumus aliquem quopiam in re longo post se alios interuallo relinquere.

Citius quam asparagi coquuntur.
Accipiendum hoc de re vehementer propera.

E vestigio. ἐκ ποδός.
Dicitur è vestigio fieri, quod citra moram ac protinus fit: prisci dicebant, ex templo.

Simul & dictum & factum. ἅμ᾽ ἔπος ἅμ᾽ ἔργον.
Vsurpari hoc de iis potest, qui citra moram & cunctationem id, quod verbis pollicentur, re ipsa præstant.

Ne nimium calidum hoc sit modo.
Donatus prouerbium esse demonstrat, quanquam anceps est lectio. Potest enim vtrumq; legi, & callidum, & calidum: vt vt prius ad nimis astutum, posterius ad festinatum consilium referatur. Terentius.

Duobus pedibus fugere. ἐν δυοῖν ποδοῖν καταφεύγειν.
Hoc est: Summa vi summoq; conatu confugere. Arist.

In foribus adest. ἐπὶ ταῖς θύραις.
Pro eo, quod in foribus, iamq; in proximo est. Hinc Deus dixit ad Cain, Gen. 4. Sin male egeris statim in foribus peccatum tuum aderit.

Velis è quisque. *Cicero.*
Vtimur autem hoc prouerbio, cum extremum conatum significare volumus.

Nauibus atque quadrigis.
Hoc est: Summo studio, summaq; festinatione. Vnde Flaccus in epistolis.
Strenua nos exercet inertia, nauibus atque
Quadrigis petimus bene viuere, quod petis, hic est.

Vir fugiens haud moratur lyræ strepitum. ἀνὴρ δὲ φεύγων οὐ μένει λύρας κτύπον.
Dicitur hoc de iis, qui in rebus periculosis ac se iis properandi studio leuiora negligunt.

Ocyor accipitre. ἰρήκων ὠκύτερος. *Homer.*
Licebit nobis vti hac prouerbiali hyperbole, cum admirandam celeritatem indicare cupimus.

Pegaso velocior. Πηγάσου ταχύτερος.
De pegaso ibis hoc dicitur. Nota fabula de equo alato.

Duobus clunis fugere. ἀμφοτέραις χερσίν.
Huic affine illud, Duobus pedibus fugere. De quo supra.

Quantum pedibus potest. ὡς εἶχε ποδῶν ἕκαστος. *Plato in Gorgi.*
Prouerbium est translatum à corpore ad animum. Quod enim in corpore sunt pedes, id in animo sunt affectus, quibus aliquid expetimus, aut refugimus.

Qui nimium properat, serius absoluit. σπεῦδων ταχὺ πάντα καλῶς μᾶλλον βραδύνει.
Monet adagium, instituenda rei non tam celeritatem, quam curam adhibendam esse, nec postea, ut in mora quod in operis ingressu fuerit erratum. Eilen thut nie guet. Item, wer zu fast eilt, kompt langsam heim.
Gal. Qui trop commence, tard acheue.

Ante victoriam encomium canis. πρὸ τῆς νίκης τὸ ἐγκώμιον ᾄδεις.
Gall. chanter le triomphe deuant la victoire.
Quadrat hoc in eos, qui præpropere gloriantur, re nondum confecta. Plato in Lysid. Die beut austheilen vor dem sieg.

Ante lentem augere ollam. πρὸ τῆς φακῆς αὐξάνειν τὴν χύτραν. *Athenæus.*
Hoc est: Spes ingentes ante in animo concipere quam res ipsa teneatur aut polliceri, quod ipse nondum habeat, aut præpropere sibi placere quasi iam possideat ea, quæ procul absunt, ut tenentur. Ein Schloss in die Lufft bawen, item, die haut verkauffen, ehe dann der beer gestochen ist.

Æstate penulam deteris. ἐν θέρει τὴν χλαῖναν κατατρίβεις.
Recte dicitur in eos, qui res necessarias temere, nec in tempore profundunt, alioqui inde vsui futuras, si seruarent. Zenodotus. Wiltu im son nie Kleider zerreissen so gehe im winter nackendt.

Non statim finis apparet. μὴ ἅμα ἀρχῇ τὸ τέλος καταφαίνεται. *Herodot. in Polyhymnia.*
Vsurpari hoc prouerbium tum potest, cum reprehendendi illi sunt qui negocio vix cœpto rem sese habere factam arbitrantur, cum tamen exitus sæpe initiis non respondeat.

Canis festinans cœcos parit catulos. ἡ κύων σπεύδουσα τυφλὰ τίκτει. *Aristoteles.*
Dicetur autem de iis prouerbium, qui nimio festinandi studio rem parum absolutam reddunt. Eylen thut nicht guet.

Muscum demetere. μνία θερίζειν.
Id est, Prius emolumentum tollere, quam opportunum est. Translatio sumpta ab iis, qui quamprimum ager obduci cœperit herba, statim demetunt, nec gramen adolescere sinunt.

Odi puerulos præcoci sapientia. *Apul.*
Adaptare licebit ad discipulum, qui in ipsis statim rudimentis sibi placet. Auss gescheiden oder witzigen kindern werden Geckenn, item, Spat obs ligt lang.

Citius, quam formicæ papauer.
De subita rerum consumptione non aliter, quam si quis agmini formicarum papauer obiciat: tum enim statim totum auferunt diripientur.

Dædaleum remigium.
Vsus erit cum celeritatem significare volumus. Plaut. in Amphitrione. gesch windt wie der windt.

Ante pilos sapis.
Accipiendum hoc est de sapientia præcoci præsertim boni ominis, siue natura ea debeatur, siue alii externæ causæ.

Ante barbã doces senes. πρὸ τῆς γενειάδος διδάσκεις τοὺς γέροντας.
Dici hoc solet cum imberbis natu maiorem docet & instituit. Das eye will klueger sein dann die henne.

Festinatio, properatio, σπουδή. Heb. *Chippazan*, à verbo *Chaphaz* festinauit pauidus, & cum terrore festinanter motus est cum timore præceps fuit. Vide *Exod.* 12. 11 *Deut.* 16 3. *Esa.* 52. 12

Exempla Biblica.

Festinationis bona exempla: Abraham, *Genes.* 18. 6. Loth 19. 22. Rachel, 31. 34. Vxor Manue, *Iudic.* 13. 10. Dauid, 1. *Sam.* 17. 48. 2. *Sam.* 15. 14. Abigail. 1. *Sam.* 25. v. 18. Semei. 2. *Sam.* 19. 16. Mulieres. *Matth.* 28. 8. Bartimæus, cœcus, *Marc.* 10. 50. Maria, *Luc.* 1. 39 Pastores. 2. 16. Zachæus, 19. 6. Duo discipuli, 24. 33. Samaritana, *Ioan.* 4. 29. Paulus, *Act.* 20. 28, *Philipp.* 2. 28. 1. *Thessal.* 2. 17. Timotheus. 2. *Timoth.* 4. 9. Titus. *Tit.* 3. 12. Festinatio vitiosa cauenda, *Prou.* 18. 13. & 19. 2. & 28. 20. 22. *Esa.* 59. 7. *Roman.* 3. 15. 1 *Timoth.* 5. 21. *Iacob.* 1. 19. Festinatio nimia corrigẽda. 2. *Pet.* 3. 8. 9. 10. Festinationis malæ exempla

exempla: Nutrix Miphiboſet, 2.*Sam*.4.4. Eunuchus Achabi, 2.*Reg*.21.9.11. Cuſtores Aſſueri, *Eſth*.4.v.15. Samtai Scriba. 2.*Eſd*..15. Peccatores, *Prou*.1.16.*Eſa* 59.7.*Rom*.3.15. Nabuchodonoſo, *Dan*.2 13. Iudæi, *Agg*.1.9. Antiochus, 2.*Macab*.9 14. quidam ex aſtantibus, *Matth*.27.48. Herodiadis filia, *Marc*.6.25. Summi Sacerdotes, 15.1.

Sententiae Historicae.

Feſtinatio improuida eſt, & cæca. *Liuius, dec*.3.*l*.2.

Multos etiam bonos feſtinatio pellundedit, qui ſpretis, quæ tarda cum ſecuritate præmatura, vel cum exitio properant. *Tacit. Ann. lib*.3.

Exercitui feſtinatio eſt vtilis, ſi ei pugnandum eſt aduerſus hoſtes non in procinctu, & caſtris habitos, per opimæ regionis municipia deſides, tantum hoſtibus metuendos, qui quanto ferocius ante ſe egerint, tanto inſolentius voluptates hauſerant, qui circo, theatris, & amœnitate vrbis pel narīæ emolliti, aut valetudinibus feſſi ſunt. Nam ſi eis adduatur ſpacium, redit, & his robur meditatione belli. *Tacit. hiſt.l*.3.

Hieroglyphicum.

Apua piſciculus, ex eo genere, qui ex ſola pluuia procreantur, feſtinantiæ ſignum erat. Nam vbi piſcis ille, vel minimum concaluerit, coctus eſt: vnde adagium: *Adignem Apua*: cum quid celerrimè factum, vel ipſo temporis momento ſignificamus. *Pier. Valer. lib*.30.

Emblema.

Emblema xx. And. Alciati.

Maturare iubent propere & cunctarier omnes,
Ne nimium præceps, neu mora longa nimis.
Hoc tibi declaret contextum Echeneide telum:
Hac tarda eſt, volitans ſpicula miſſa manu.

Vide Cunctatio, Mora.

FIDEIVSSIO.

Definitio et Etymolog.

Fideiuſſio, Græcè ἐγγύησις, ἐγγυᾶσθαι & ἐγγυάομαι, fideiubeo dicitur: vnde fideiuſſor, qui pro alienis debitis intercedit, qui ἐγγυητής dicitur. Hebr. *Harubbah*, à verbo *Harab*. pro alio promiſit, fidem ſuam interpoſuit, promiſit. Latina locutio eſt emphatica, qui pollicetur, & iubet, vt ſuæ fidei creditor ſtare velit.

Sententiae Biblicae.

Fideiuſſio ſoleter cauenda.

Affligetur malo, qui fidem facit pro extraneo. *Prou*.11.

Stultus homo plaudet manibus, cum ſpoponderit pro amico ſuo. *Prouerb*.7.

Tollite veſtimentum eius, qui fideiuſſor extitit alieni, & pro extraneis aufer pignus ab eo. 20.

Noli eſſe cum his, qui defigunt manus ſuas, & qui vades ſe offerunt pro debitis. Si enim non habes, vnde reſtituas, quid cauſæ, vt tollat operimentum tuum de cubili tuo? 22.

Non ſpondeas ſuper virtutem tuam: quod ſi ſpoponderis, quaſi reſtituens cogita. *Eccl*.8.16.

Vir repromittit de proximo ſuo, & quum perdiderit reuerentiam, derelinquetur ab eo. Repromiſſio nequiſſima multos perdidit diligentes, & commouit illos quaſi fluctus maris. Viros potentes, gyrans migrare fecit, & vagati ſunt in gentibus alienis. 29.

Vigilanter redimenda.

Fili mi, ſi ſpoponderis pro amico tuo, defixiſti apud extraneum manum tuam. Illaqueatus es verbis oris tui, & captus proprijs ſermonibus. Fac ergo, quod dico, fili mi, & temetipſum libera: quia incidiſti in manum proximi tui. Diſcurre, feſtina, ſuſcita amicum tuum. Ne dederis ſomnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ. Eruere quaſi damula de manu, & quaſi auis de manu aucupis. *Prou* 6.

Ex corde recognoſcenda.

Vir bonus fidem facit proximo ſuo, & qui perdiderit, confuſionem derelinquet ſibi. Gratiam fideiuſſoris ne obliuiſcaris, dedit enim pro te animam ſuam. Repromiſſionem fugit peccator, & immūdus. Bona repromiſſoris ſibi adſcribit peccator, & ingratus ſenſus derelinquit liberantem ſe. *Eccl*.29.

Recupera proximum ſecundum virtutem ſuam, & attende tibi, ne incidas. *ibid.*

FIDELIS, FIDELITAS.

Loci Biblici.

Fidelis, pro conſtanti, quique præſtet reuera, quod promiſit, 1. *Theſſalonic*.5.24. Deus πιστὸς fidelis dicitur, id eſt, verax benigniſſimè & firmiſſimè ſtans promiſſis gratuitis erga ſuos. *Deut*.7.9.& 32.4.*Pſal*.145.13. *Eſa*.49.7.1.*Cor*.1.9.& 10.13.2.*Cor*.1,18.1 *Theſſ*.5.24.2.*Theſſ* 3.3.*Heb*.10.23.& 11.11.*Pet*.4.19.1.*Io* 1.9.

Fidelis Ieſus Chriſtus. Deus homo. 2.*Tim* 2 13.*Heb*.2.17 & 3.2. *Apocal*.1.5.& 3.14.& 19.11. Fidele Dei verbum, i. certum, immotum, verū, dicitur. *Pſal*.19 8.& 89.29.& 111.7 *Eſa*. 25.1.*Tim*.1.15. 3.15.& 4.9.& 2.*Tim*.2.11.*Tit*.1,9 & 3.8. *Apoc*.21 5.& 22.6.

Fidelem ſeu fidum ſermonem vocat Paulus *Tit*.1.9. cui merito fides adhiberi poſſit, ſiue qui numquam fallat, quamobrem etiam veritatis nomine ſignificatur. *Ioannis* 17 v.17. Nomen fidelis nunc ijs tribuitur omnibus, qui fidem & religionem Chriſtianam profitentur, 1.*Corinth*.7.12.13. nunc ſolis electis conuenit, 1 *ad Timot*.4.10.

Fideles a fide dicti in ſacris literis, non tam qui fidem datam ſeruent, denominantur, quam qui credant Dei promiſſis. Fideles omnes per fidem æquales, 1.*Pet*.2.5. Chriſto conformes, *Rom*.8.29.2. *Corint*.3.18. Chriſto dati, *Pſal*.101.6.*Eſa*.8.18 *Ioan*.6.37.39 & 16.29.& 17.16.& 18.v.9. Domeſtici Dei, & conciues Sanctorum, *Epheſ* 2.v.19.*Heb*.3.v.6.1.*Pet*.2.v.5. Electi ante mundum conditū, *Epheſ*.1.v.4. expoſiti calumnijs, 1.*Petr*.4 v.16. filij lucis, *Epheſ*.5.8. tum quia vera luce illuſtrantur in ſeſe, & in luce ambulant, tum quod alijs etiam prælucent, *Matthæi* 5.16. adeo vt ſceleratorum vitam etiam coarguant, & damnent, *Rom*.2.27. Fratres Chriſti, *Pſal* 22.23 Gens ſancta, 1.*Petr*.2.9. Gloria Dei, 2 *Corin*.8.23. mundi domini, 1.*Corinth*.3.22. mundi & Angelorum iudices futuri, 1. *Corint*.6.2.3. Lapides viui, 1.*Pet*.2 v.5. luminaria in mundo. *Philip* 2.v 15. obnoxij cruci, 2 *Tim*.3.12.1.*Theſſ*.3.3.1.*Pet*.2.v.21.& 4.19.& 5.9. Pauci, *Eſa*.39 16.*Rom*.10.16 1.*Corinth*.1.21.2 *Theſſ* 2.10 1.*Ioan*.4.6. primitias Spiritus habent, *Rom*.8.23.*Iacob*.1.18. Sanctificati, *Rom*.1.7.& 8.27.28.1.*Corinth*.1.2.2.*Corint* 1.1.*Epheſ*.1.1.*Coloſſ* 1.2.1.*Theſſ*.1.10.*Heb*.13.24.1.*Pet* 1.2.14. Sacerdotes ſunt & Reges *Rom*.12.1.1.*Pet*.2.5.9.*Apoc* 5.6.*Heb*.13.15. Templa Dei. *Leuit* 26,12.1.*Corinth*.3.16 & 6.19.*Corinth*.6.16.*Epheſ*.2.20.21.22.& 4.30.1.*Pet* 2.5. in quib. Deus per Spiritum Sanctum reſidet, *Rom*.8.11. & totus fidelium cœtus ingenti alicui ciuitati, id eſt, nouæ Ieruſalem, comparatur, ex ipſis fidelibus, quaſi lapidibus conſtructæ, *Eſa* 54.*Apoc*.21. Inde eſt etiam phraſis illa, Aedificare, & ædificatio. *Rom*.14.19.*Vide Epheſ*.2.21.

Fideles dicuntur Dei ſerui in fide, atque conſtantes in veritatis, & pietatis profeſſione. *Num*.12.7.1.*Sam*.2.35. *Matt* 24.45.& 25.21.22.23.1.*Pet*.5.12. Fideles mulieres, 1 *Tim*.3.11. fideles homines erga proximos, 1.*Sam*.22.14. *Luc*.16.11.12. fideles Dei promiſſiones, i. ratæ, immutabiles, *Eſa*.55.3.*Act*.13.34. fideles vaſtæres dicuntur, i. firmæ, certæ, Deo addictæ, eiuſdem ſingulari quadam beneuolentia, 1. *Sam*. 2.35.& 20 28.2.*Sam*.7.16. *Pſal*.89.38.*Eſa*.1.21.26.& 7.10.

Fideles quo magis affliguntur, eo magis creſcunt. *Exod*. 1.v 12. in dies proficere debent, *Rom*.1.17.*Epheſ*. 4.16.18.& 2.22 & 3.16.& 5.27.*Philip*.3.12.*Coloſſ*.1.3.& 2.2.1. *Theſſal*. 3. 10.& 4.1.& 5.25. 2.*Theſſ*.1.3.*Philem*.4 5.6.*Hebr*.3.15.& 6 7.& 8,10 11.& 10.36 & 13.20,21.*Iacob* 1.5.2.*Petr*.1.5.& 19.& 3.13.1.*Ioan*.2.8.27.& 5.13. *Iuda* v.20.

Fidelis interpretatio, i. vera, certiſſima, *Dan*.2.45.

Fidelium arma, *Epheſ*.6.v.11.13.16.2.*Corinth*.10.4.1.*Theſſ* 5.8 1.*Ioan*.3.9. Communicatio, *Ioan*.17.11.*Rom*.12.4.15.2 *Corint*.4.15.*Epheſ*.4.16.*Philip*.1.5.& 2.1.1.*Theſſ*.5.11.2.*Theſſ* 1.3. *Philem*. v 6.*Heb*.10.33. Conditio in hac vita, *Rom* 8 22.35. Conditio beata. *Pſal*.16.11. Conſolatio multiplex paſſim in Scriptis Propheticis, & Apoſtolicis occurrit. Contemptus. *Pſal*.79.4.& 102.9 1 *Corint*.4.12.14 Fidelium dignitas, *Luc*.10.23.*Ioan*.1.12. diuinæ 1 *Tim* 6.6 filij.1.*Corinth*.7.14. Gaudium. *Rom*.12,12.*Philip*.1.4. Gloria *Rom*.5.3. 2 *Tim*, 4.8.1 *Ioan*.3,2. Gloriatio vera, 1.*Corint*.1.30.31. Hereditas præclara, *Geneſ* 15.18. *Rom* 8.17.1.*Pet*.1.4. Libertas, *Luc*.1.74 *Ioan*.8.32.36.*Rom*.6 18.& 7.14.*Gal*.4.31. Meditatio, *Pſal*.1.2. Militia, *Rom*.6.13.*Epheſ*.5,11.12. Mors, *Pſal*.116.15.*Hebr*. 11.4. Multitudo, *Gen*.18 18.*Pſal* 2.8.& 72.8.*Hebr*.12.1. Nomen Libro vitæ adſcriptū, *Luc* 10.20.*Philip*.4 3.*Apoc*.3 5.& 20.12.& 21.27. Officiū. 1.*Theſſ*.5.6.*Heb*.10 24 Patientia. *Matth*.39.*Rom*.5.3. Perfectio. *Roma*.7.25 & 8.5.1 *Ioan*.1.9.& 2.3.& c. Preces. *Eſa*.49.8. Prudentia, *Matth*.10.16. Salus. *Rom*.8.28. Sermones. *Epheſ*.4.3.29.& 5.4. Simplicitas, *Matt*.10,16.*Rom*.16,19. Victoria, *Ioan* 16.33.*Rom*.8.37. Vita, *Luc*.1.74.75.*Rom*.6.11.12,13.1.*Cor*.9 24. Virtutes, 2.*Pet*.1.5 & c.

Fidelitas, Obſeruatio fidei. Heb. *Emun*, à verbo *hoemin*: fides *Emunah*: vnde Amen Græc. τὸ πιστόν. fidelitas ſeruanda eſt, *Prou*.15 14. & 28.20.*Luc*.16.10.1.*Cor*.4.2.*Epheſ*.6.5.6.*Coloſſ*.3.22.1.*Tim*.6.1.2.*Tit*.2.9.10.1.*Pet*.2.18.

Exempla Biblica.

Fidelitatis exempla: Eliezer ſeruus Abraham, *Gen*.24.v 33. Iacob, 31.v.40. Ioſeph, 39.v.8.& 41.v.47.48. Moyſes, *Num*.12.v.7.*Heb*.3.v.2. Rahab, *Ioſue*.2 v.4. Ioſue, *Ioſ*.6.v.17. Nuncij, v 23. Principes Iſrael, 9.v.19. Ioſue & fortiſſimi bellatores, 10.v.7 Samuel.1.*Sam*.3.v.19.20. Ionathas, 19.v.1.& 20.v.32 25. Dauid, 22.v.14.

25.&

23 & 24. v. 8. & 26. v. 9. 10. Viri Iabes Galaad, 31. v. 12. Vrias, 2. *Sam.* 11. v. 11. Ioab, 12. v. 28. Ethai Gethæus, 15. v. 22. Populus, 18. v. 3. Iuda, 20. v. 2. Abisai 21. v. 17. Elias, 1. *Reg* 18. v. 15. 16. Iosaba filia Ioram, 2. *Reg.* 11. v. 3. Ioiada, v. 4. tres viri, 1. *Paral.* 11. v 18. Aedificatores templi, 2. *Paral.* 34. v. 12. Raphaci. *Tobia.* 10. v. 7. Abraham, 1. *Mach.* 2. v. 52. Bacchides, 7. v. 8. Davs, 1. *Corint.* 10. v. 13. *Tim.* 3. v. 15. & 4 v. 9. Paulus, *Galat.* 6. v. 17. Siluanus, 1. *Pet.* 5. v. 12. Aotipas, *Apoc.* 2. v. 13.

Historica Exempla.

Zeno cuidam promiserat quingentos denarios mutuo, admonitus ab amicis hominem esse malè fidei: tamen credit, vel ob hoc, quia promiserat, & summa erat exilis, *P. M. in Adagijs.*

Fridericus Dux Austria, Alberti Cæsaris filius commissurus prælium aduersus Ludouicum Baioarium, qui quom de imperio contendebat, quamuis Marchiones Brandeburgenses cum hostilibus sentirent, his tamen promissam ante pecuniam numerauit, alienam fidem accusari, quam suam malens. *Æn. Sil. lib. 3. Com. in Panor.*

In Aureliano scribit Flauius Vopiscus, rarum esse, vt Syri fidem seruent, imo difficile: ceu dempta modo hortorum cura operosiore boni maioris nil præterea in Syrorum ingenijs fere sit requirendũ. *Cal. lib. 25. A. A. L.*

Parthis fides nulla, nisi quantum expedit, quibus vtilitas semper est, fide sanctior. *Alex. ab Alex. lib. 5. c. 10.*

Græcorum gens malè audit passim apud Poetas Latinos, & itẽ apud Ciceronem: non solum quasi voluptatibus addicta, & effœminata delicijs, verum etiam lubrica quasi fide. *P. M. in Adagijs.*

Lacones vt infidos descripsit Eurip. in Andromacha:

Σπάρτης ἔνοικοι, δόλια βουλευτήρια.

Id est.

Sparta inhabitatores, dolosus senatus.

Et Aristophanes in Acharnensibus.

Οἷσιν οὔτε βωμὸς οὔτε πίστις οὔθ' ὅρκος μένει.

Id est.

Quibus nec ara, nec fides. nec iusiurandum manet.

Calius lib. 18. cap. 5. A. L. & P. M. in Adag.

Hieroglyphicũ.

Fidelitatis Hieroglyphicum, *Canis* est: & Socrates apud Platonem in Phædone per *Canem* iurat: quum putat fidem & obsequium præstandum ijs, qui rerum habenas in ciuitatibus moderantur. *Petr. Valer. lib. 5.*

F I D E S.

Definitio et Etymolog.

Fides. Græcè πίστις, ἀπὸ τοῦ πείθω, fido dicitur. Fides multipliciter sumitur: nam quandoq; dicitur sponsio. Item delicias. Item conscientia. Item creditum, vel collectio creditorum. Item Sacramentum. Item fides miraculorum, de qua 1. *Cor.* 13. *Et si habuero omnem, &c.* Item fides viua, de qua *ad Hebr.* 11. & hoc modo sumpta, sic definitur.

Fidus & fidelis differunt, secundum Donatum super Terent. Quod fidus est amicus, fidelis est seruus. Fidi in maximis, Fideles in minoribus negocijs.

Fides quid differat ab opinione, vide iosra in Opinio.

Fides est dictorum conuentorumq; constantia & veritas. Cuius contrarium fraudatio. Vel. Fides est opinio vehemens. *Aristoteles 4. Topicorum Cic. de Offic.* dicta, quod fieri debeat, quod dictum est.

Divisio.

Fides, cuius fec. B. Tho. secunda secunda.

- *Materia*
  - *In qua, id est, subiectum, & est intellectus.* q. 1 art. 1.
    - *Speculatiuus principaliter.*
    - *Practicus secundariò.*
  - *Circa quam, id est, obiectum.* q. 6 art. 1.
    - *Formale & est veritas prima, cui credimus.*
    - *Materiale, Articuli fidei in Apostolico Symbolo contenti.*
- *Causa efficiens.* q 6. art. 2.
  - *Intrinseca, & per se sufficiens, Deus.*
  - *Extrinseca, & per accidens insufficient.* — *Homo. Angelus.* quæst. 2.
    - *Reuelans immediate credibilia Prophetis & Apostolis.*
    - *Mittens prædicatores ad prædicandum credibilia reuelata.*
    - *Mouens per gratiam voluntatem ad assentiendum.*
- *Actus.*
  - *Principalis*
    - *Interior est credere.* — *Deum. Deo. In Deum.* — *Oppositum.*
      - quæst. 10. *Infidelitas* — *Paganorum. Iudæorum. Hæreticorum.*
      - *Apostasia à fide.*
    - *Exterior, confiteri,* quæst. 1. — *Oppositum.* — *Blasphemia quæstione 13*
      - *Diuini nominis,* quæst. 14 — *Cordis. Oris.*
      - *In Spiritum Sanctum.* quæst. 2.
        - *Desperatio.*
        - *Præsumptio.*
        - *Impœnitentia.*
        - *Obstinatio.*
        - *Impugnatio veritatis agnitæ.*
        - *Inuidentia fraternæ gratiæ.*
  - *Secundarius & consequens, id est effectus.*
    - quæst. 7. artic. 1. *Timor.*
    - artic. 2. *Purificatio cordis*
- *Correspondentia.*
  - *In donis, quæ sunt* — quæst. 8. *Intellectus.* — *Oppositum.*
    - quæst. 5.
    - *Cæcitas mentis.*
    - *Hebetudo sensus*
  - *In fructibus.*
    - *Scientia, Oppositum, Ignorantia.*
    - quæst. 8. art. 8.
  - *In beatitudinibus*
    - *Fides.*
    - quæst. 8. art. 7.
    - *Beatitudo sexta. Beati mundo corde.*

Loci Biblici.

Fides in sacris literis variè capitur:

Primo, significat veritatem, & constantiam in seruandis promissis. *Psal.* 25, 10. & 86. 15. *Rom.* 3. 3.

Secundo, accipitur pro ipsa doctrina fidei, pro Euangelio, cui creditur, idq; per Metonymiam subiecti. *Rom.* 1. 5. *Eph.* 4. 5. 1. *Tim.* 1. 1. 19. Hoc sensu dicitur fides Apostolica, pro doctrina.

Tertio, sumitur pro complemento seu impletione promissionum diuinarum in veteri Testamento factarum, seu pro rebus ipsis promissis olim, & suo tempore exhibitis, *Gal.* 3. 23.

Quarto, capitur pro obligatione illa facta in Baptismo, ad profitendum veram religionem, & ad credendum in hunc Deum, in cuius nomen baptizamur. 1. *Tim.* 5. 11. 12.

Quinto, denotat externam religionis & fidei professionem. *Iacob. c.* 2. *v.* 24.

Sexto, significat notitiam, assensionem & persuasionem de gratia Dei temporariam, vt quæ in Christo radices non agat: sicut dicitur. *Luc.* 8. 13. Quæ species dicitur fides historica.

Septimo, declarat notitiam beneficij Christi, qualis est in pijs. *Rom.* 3. 11. 12.

Octauo, sumitur pro fidelitate in faciendo officio, & animo à fraude & fraudis cupiditate alieno, studiosoq. conseruandi atque tuendi aliorum facultates & bona. *Tit.* 2. 1.

Nono, idem est quod iustitia. *Psal.* 119. 75.

Decimo, denotat quandoq; certam persuasionem de futuro aliquo effectu miraculoso, conceptam ex reuelatione aut promissione singulari. 1. *Corin.* 12. 9. & 13. *Matth.* 17. 20. *Luc.* 17. 6. Hanc appellant fidem miraculorum.

Vndecimo, indicat fiduciam consequendi bonum aliquod terrenum & corporale. *Act.* 14. 9.

Duodecimo, vsurpatur pro certa notitia & securitate libertatis Christianæ. *Rom.* 14. *v.* 1. 22.

Decimotertio, accipitur etiam pro spe, per Metonymiam causæ efficientis. 1. *Pet.* 1. *v.* 5. vbi dicitur, nòs virtute Dei custodiri per fidem ad salutem: quum tamen per spem propriè hoc fiat: Est enim illa salutis plenè occupandæ patiens expectatio.

Decimoquarto, tanquam μέσον vocabulum sumitur, aut pro constantia in officio, aut instabilitate. 1. *Sam.* 26. 23.

Decimoquinto, significat studium & zelum in obseruanda religione Christiana. *Rom.* 18.

Decimo sexto. denotat specialiter fidem saluificam, & iustificantem. *Ephes.* 2. 8. *Rom.* 3. 28. Reliqua ex Theologorum libris sunt haurienda.

SENTENTIÆ BIBLICÆ.

Sponsabo te mihi in fide. *Ose* 2.

Quid cogitatis inter vos modicæ fidei? *Matth.* 16.

Respondit ei Simon Petrus: Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes, & nos credimus, & cognouimus, quia tu es Christus filius Dei. *Ioan.* 6.

Gratias ago Deo meo per Iesum Christum pro omnibus vobis, quia fides vestra annunciatur in vniuerso mundo. *Rom.* 1.

Iustitia Dei est per fidem Iesu Christi, in omnes, & super omnes qui credunt in eum: non enim est distinctio. 3.

In fide viuo filij Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me, non abijcio gratiam Dei. *Galat.* 2.

Cognoscite, quia qui ex fide sunt, hi sunt filij Abrahæ. 3.

Igitur qui ex fide sunt, bene dicentur cum fideli Abraham. *ibid.*

Nos autem, qui diei sumus, sobrij simus, induti loricam fidei. 1. *Thessal.* 5.

Fides proximo recte seruanda.

(Sic Iosue Gabaonitis proditam seruauit fidem, dicens:) Iurauimus eis in nomine Dei Israel, & idcirco non possumus eos contingere. *Ios.* 9.

Multi homines misericordes vocantur. Virum autem fidelem quis inueniat? *Prouerb.* 20.

Non duplices sermonem auditus de reuelatione sermonis absconditi, & verè sine confusione, & inuenies gratiam in conspectu omnium hominum. 41.

Cum periculo frangitur.

Et qui dissoluit pactum, numquid effugiet? Viuo ego, dicit Dominus, quoniam in loco regis, qui constituit eum regem, cuius fecit irritum iuramentum, & soluit pactum, quod habebat cum eo in medio Babylonis morietur. *Ezech.* 17.

Ego lux in mundum veni, vt omnis, qui credit in me, in tenebris nō maneat. *Ioan.* 12.

Nunc sine lege iustitia Dei manifestata est, testificata à lege, & Prophetis. Iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi, in omnes, & super omnes, qui credunt in eum. *Rom.* 3.

Arbitramur enim iustificari hominem per fidem sine operibus legis. *ibid.*

Virtus enim Dei est, in salutem omni credenti. *Rom.* 1.

Iustificati ex fide pacem habemus ad Deum, per Dominum nostrū Iesum Christum, per quem habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua stamus, & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. *Rom.* 5.

Non iustificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi. *Galat.* 2.

Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius, omnes, qui credunt in eum. *Actor.* 10.

SENTENTIAE PATRVM.

Palam est, quod in re dubia ad fidem, & certitudinem valeat authoritas Ecclesiæ Catholicæ, quæ ab ipsis fundatissimis Apostolorum sedibus vsque ad hodiernum diem succedentium sibimet, & Episcoporum serie, & tot populorum consensione cōfirmatur. *August. contra Manicheos, & habetur dist.* 11. *c. Palam.*

Si cuius manus esset arida, verum quidem esset membrum, quamuis sine sanguine, & inefficax esset, & mortuum. Sic & fides cum sit vera, tamen sine operibus mortua est. *Aug. contra Donatistas, & habetur* 1. *q.* 1. *Sicut vrgeri,* §. *Si enim.*

Si ad peccatum admittendum fides exhibeatur, mirum est, si fides appelletur: verumtamen qualiscumque sit, si & contra ipsam fit, peius est: nisi cum propterea deseritur, vt ad fidem veram legitimamque redeatur, id est, vt peccatum emendetur voluntatis prauitate correcta. Tamquam si quis, cum hominē solus expoliare non possit, inueniat socium iniquitatis, & cum eo paciscatur, vt simul id faciant, spoliumque partiantur: quo facinore commisso, totum solus auferat: dolet quidem ille, & seruatam sibi fidē non esse conqueritur. Verùm in ipsa sua querela cogitare debet, potius in bona vita ipsi humanæ societati fidem fuisse seruandam, ne præda iniqua ea homine fieret: si sentit, quàm inique sibi in peccati societate seruata non fuerit. Ille quippe vtrobique perfidus: profectò sceleratior iudicandus est. *August. de bono coniugali, & habetur* 22. *q.* 4. *Sicut peccatum.*

Forte in populo Dei stat iuxta te auarus raptor inhians rebus alienis, quem nosti talem, & fidelis est, vel potius fidelis vocatur: nō eum potes de Ecclesia pellere, non habes aliquem aditum castigando, & corripiendo illum corrigere, accessurus est tecum ad altare. Noli timere: vnusquisque onus suum portabit. *August. de vnico Baptismo, & habetur* 23. *q.* 4. *Forte in.*

Infideles non possumus Christo lucrari, si colloquium eorum vitamus, & conuiuium. Vnde & Dominus cum publicanis & peccatoribus manducauit, & bibit. In his verò, qui intus sunt, id est, Infideliter, putredo resecanda est. *August. super epist. ad Corinth. & hab.* 23. *q.* 4. *Infideles*

Ad fidem nullus est cogendus, vt dicitis: sed per seueritatem, imo & per misericordiam Dei tribulationum flagellis solet perfidia castigari. *Augustinus contra Petilianum, & habetur,* 23. *quæst.* 5. *Ad fidem.*

Vbi sana fides non est, non potest esse iustitia. quia iustus ex fide viuit; neque schismatici aliquid sibi ex ista mercede promittant, quia similiter vbi charitas non est, non potest esse iustitia. Dilectio enim proximi malum non operatur, quam si hæretici haberent, non dilaniarent corpus Christi, quod est Ecclesia Catholica. *Aug. & habetur* 24. *q.* 1. *Vbi sana.*

Mentis humanæ acies inualida in tam excellenti luce non figitur, nisi per iustitiam fidei emendetur. *Aug. lib.* 1. *de Trinit.*

Nullæ maiores diuitiæ, nulli thesauri, nulli honores, nulla huius mundi maior est substantia, quam est fides catholica, quæ peccatores homines saluat, cæcos illuminat, infirmos curat, catechumenos baptizat, fideles iustificat, pœnitentes reparat, iustos augmentat, martyres coronat, virgines, & viduas & coniugales casto pudore conseruat, clericos ordinat, sacerdotes consecrat, in hæreditate æterna cum sanctis Angelis collocat. *Idem de verbis Domini.*

Ille apud Deum plus habet loci, qui plus attulit, non argenti, sed fidei. *Idem lib. de ouibus.*

Cum dilectione fides Christiani, sine dilectione fides Dæmonis. Qui autem non credunt, peiores sunt, quam Dæmones & tardiores. *idem lib.* 10 *de charitate.*

Sicut in radice arboris nulla prorsus apparet pulchritudinis species, & tamen quidquid est in arbore pulchritudinis, vel decoris, ex illa procedit: sic ex fidei humanitate, quidquid meriti, quidquid beatitudinis anima susceptura est, ex fidei fundamento procedit.

Quid est fides, nisi credere quod non vides? Vnde & quomodo capitur Trinitas directè, ô homo, interrogas: ideo bene creditur, quia cito non capitur: nam si cito caperetur, non esset opus, vt crederetur, quia videretur.

Noli intelligere vt credas, sed crede vt intelligas. Intellectus merces fidei est. *idem super Ioannem.*

Ante aduentum Christi præcesserant iusti credentes, sic eum venturum, quomodo nos credimus in eum, qui venit. Tempora variata sunt, non fides. Nos credimus Christum ex Virgine venisse, in carne passum esse, resurrexisse, in cœlum ascendisse, Illi crediderunt nasciturum, passurum, resurrecturum, in cœlum adscensurum. *Idem super Ioan. ser.* 45

Ambula per fidem, vt peruenias ad spem, spes non ædificabit in patria, quam fides non consolatur in via. *Idem super Ioan. ser.* 18.

Fides appellata est ab eo, quod fit, duæ syllabę sonant, quum dicitur fides, prima syllaba est à facto, secunda à Deo. Interrogo te ergo, verè credas? dicis, credo: fac quod dicis, & fides est. *Idem super Ioan.* 52.

Quod Imperatorum lex minando imperat, hoc fidei lex credendo impetrat. *Idem de spiritu & litera.*

Hoc est humanæ salutis initium, sine hac nemo ad filiorum Dei numerum potest pertingere, vel peruenire; sine hac omnis labor hominis vacuus est. *Idem de fide ad Petrum.*

Fides est prima, quæ subiugat animam Deo, deinde præcepta dat viuendi, quibus custoditis spes nostra firmatur, & nutritur. Cum ergo cognitio & actio hominem beatum faciunt, sicut in cognitione cauendus est error, sic in actione cauēda est nequitia. *Idem de agone c.* 18.

Illi offerunt sacrilegum panem, & dant eleemosynas, & sectari videntur humilitatem: quæ ego, si vera fiant, holocausta interpretor: cum autem scientiam Dei dereliquerint, frustra truncato capite fidei, cætera membra habere se iactant. *Hier. in Ose, & habetur,* 5. *q.* 1. *Illi.*

Fides hosti etiam seruanda est, nec est considerandum, cui, sed per quem iurauerit. *Hier. super Ezech.*

Credo igitur primo omnium ponitur, sicut Paulus Apostolus ad Hebræos scribens, dicit: Credere enim primo omnium accedentem ad Deum oportet, quia est, & credentibus remunerator sic. Sed & Propheta dicit: Nisi credideritis non intelligetis. Vt ergo intelligentia auditu patefiat teste, primo omnium te credere profiteris, quia nec mare quis ingreditur, & liquido ac profundo sese committit elemento, nisi se prius credat posse saluari. Nec agricola semina sulcis obruit, & fruges spargit in terram, nisi crediderit venturos imbres, affuturum quoque solis teporem, quibus terra confotas segetes multiplicata fruge producat, ac ventis spirantibus nutriat. Nihil denique est, quod in vita geri possit, si non credulitas ante præcesserit. Quid igitur mirum, si accedentes ad Deum credere nos primo omnium profitemur, quum sine hoc nec ipsa exigi possit vita communis? Hoc autem idcirco in principijs præmisimus, quia pagani nobis obijcere solent, quod religio nostra, quia rationibus deficit, in sola persuasione consistat, & ideo ostendimus, nec agi, nec stare aliquid posse, nisi præcesse-

præcesserit ius credendi. Deniq; matrimonia contrahunt, quia creditur successura posteritas: & pueri discendis artibus traduntur, quia magistrorum in discipulos transfundenda creditur disciplina: & imperij insignia vnus suscipit, dum credit sibi populos & vrbes, armatum etiam exercitum pariturum. Quod si hæc singula, nisi prius crediderit futura, nullus aggreditur, quomodo non multo magis ad agnitionem Dei credendo venitur?

Valdè alienus a fide est, qui regnum Christi dicit aliquando finiendum. *Hieron. epist. 1.*

Est autem fides, vt dixit Apostolus Paulus, substantia rerū, quas speramus, & index rerum, quas non videmus. Credere, & videre quis non debet, quod ea, quæ Deus promisit, potens sit, vt promissa sunt, facillimè præuenire? Hæc nobis inuisibilia ante oculos ponit, ad hanc ingressi, & Diaboli, & potestatum huius mundi, & harum tenebrarum vniuersa deserimus, & Deo cum fiducia proximamus. Credere enim, & sperare necesse est, quæ Deus iussit. Cumq; ea, quæ Diabolus inseruit, abnegamus, fidem spes sequitur. *Hieron. Epistola 5.*

Ergo non turbatur hæc nauis, in qua prouidentia nauigat, abest perfidia, fides superat. Quemadmodū enim turbari poterat, cui præerat is, in quo firmamentum Ecclesiæ est? Illic ergo turbatio, vbi modica fidi: ibi securitas, vbi perfecta dilectio. Denique etsi alijs imperatur, vt laxent retia sua, soli tamen Petro dicitur: Duc in altum, hoc est, in profundum disputationum. Quid enim tam altum, quam altitudinem diuitiarum videre, id est, scire Dei Filium, & professionem diuinæ generationis assumere, quam licet mens nequeat humana plenæ rationis inuestigatione comprehendere, fidei tamen plenitudo complectitur. *Ambrosius super Marcum. & habetur 24. quæstione 1. Canon. Non turbatur. §. Ergo.*

O thesaurus omnibus opulentior fides, ò virtutibus corporeis omnibus fides fortior, medicis omnibus saluātior: *Idem lib. de virginitate.*

Aufert argumenta, vbi fides quæritur: in ipsis gymnasijs suis iam Dialectica taceat, piscatoribus creditur, non Dialecticis. *Idem lib. de Trinitate.*

Cito fides inexercitata languescit, & crebris otiosa tentatur incommodis. Remissas eneruatas callidus insidiator irrumpit, assuetum autem bello viperum hesterna fraus instruit, & gloriose prouehit palma victoriæ. pax ergo fidei corruptelæ materia est. *Idem sup. Beati immaculati.*

Fides est radix omnium virtutum, & quod super hoc fundamentū ædificaueris, hoc solum ad operis tui fructus, & virtutis proficit mercedem. *Idem lib. de Cain & Abel.*

Quis fideles putat, quos vel pecunia, vel adulatione obligatos sibi crediderit?

Liquet etiam in bello fidem & iustitiam obseruari oportere: Fundamentum enim iustitiæ est fides *idem lib. 1. de Offic.*

Vnusquisque nihil promittat inhonestum: at si promiserit, tolerabilius est, promissum non facere, quam facere, quod turpe est. *idem lib. 3.*

In Sacerdotibus fides sit eligenda cum vita: Si enim vita deest, fides meritum non habet. B. Iacobo attestante, qui ait: Fides sine operibus mortua est. *Gregorius Theoderico & Theoberto Regibus Francorum: & hab. 1. q. 1 Fertur Simo.*

Fortasse vnusquisque apud semetipsum dicat: Ego iam credidi, saluus ero. Verum dicit, si fidem operibus tenet. Vera etenim fides est, quę in hoc, quod verbis dicit, moribus non contradicit. Hinc est enim, quod de quibusdam falsis fidelibus Paulus dicit. Qui cōfitentur se nosse Deum, factis autem negant. Hinc Ioannes ait: Qui dicit se nossé Deum, & mandata eius non custodit, mendax est. *Gregorius in homilia Ascensionis. super illud Marci decimo sexto: Qui verò non crediderit, condemnabitur.*

Diuina operatio, si ratione comprehenditur, non est admirabilis: nec fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. *Greg. hom. 26.*

Tunc enim veraciter fideles sumus, si, quod verbis promittimus, operibus adimplemus. *idem hom. 29.*

Nisi prius fides teneatur, nullo modo ad spiritualem amorem pertingitur. Non enim charitas fidem, sed fides charitatem præcedit. Nemo enim potest amare, qui non crediderit, sicut nec sperare. *idem super Ezech.*

Sicut semper discere, signum est numquam posse perficere: sic testimonium semper quærere, signum est numquam velle credere. *Ioannes Chrysost. super illud Matth. 12. Volumus à te signum videre.*

Vna est veritas, & non partita: sicut qui margaritam habet, ipse nouit quantum diues est, & tamen multis potest esse non cognitus: ita qui fidei veritatem detinent, noscunt, quod diuites sunt: infideles autem thesaurum nescientes hunc, diuitias nostras ignorant. *Ioan. Chrysostom super illud Matth. 13. Inuenta autem vna pretiosa margarita.*

Talis est natura fidei, quanto magis vetatur, tanto magis accenditur. Virtus fidei in periculis secura est, in securitate periclitatur. Quid enim aliud sic laxat vigorem fidei, sicut longa tranquillitas? *Ibidem super illud Matthæi vigesimo. At illi magis clamabant.*

Fides lampas est, quia sicut lampas illuminat domum, ita fides animam. *Ioan. Chrysost. super Matth. 25.*

Fides religionis catholicæ lumen est animæ, ostium vitæ fundamentum salutis æternæ. *Idem super illud Symboli. Credo in Deum*

In malis promissis rescinde fidem. In turpi voto muta decretum. Quod incaute vouisti, ne facias. Impia est promissio, quæ scelere adimpletur. *Isidorus in Synonymis lib. 2. & hab. 22. quæst. 4. In malis.*

Mors fidei est separatio charitatis. Credis in Christum? fac Christi opera, vt viuat fides tua. Fidem tuam dilectio animet, actio probet. Non reuertet terrenum opus, quem fides cœlestium erigit. *Bern. super Cant. ser. 24.*

Quid non inuenit fides? Attingit inaccessa, deprehendit ignota, Comprehendit immensa, apprehendit nouissima. Ipsam denique æternitatem suo illo vastissimo sinu quodammodo circumcludit. *Idem super Cant.*

Non fidei, sed perfidiæ: non confidentiæ, sed diffidentiæ est, in semetipso habere fiduciam.

Is fidelis est, qui nec sibi credit, nec in se sperat, factus sibi tanquam vas perditum. sed sic perdens animam suam, vt in vitam æternam custodiat eam. *Idem sermone quinto in vigilia in Natali Domini.*

Transgreditur enim fides rationis fides, humanę naturę vsum, experientię terminos. *Bern. ser. 67.*

Fides aliquando recipit, quod ratio non præsumit, qualis sit cuiusque fides tribulatio probat. *Idem de duodecim gradibus Humilitatis.*

Hoc vestræ indicimus charitati, vt ab Apostolicis institutis nullo vlterius recedatis excessu, quia inultum posthac esse non poterit, si quisquam Apostolicas regulas in aliquo crediderit esse negligendas. *Leo Papa. & hab. dist. 11. Hoc vestra.*

POETICÆ SENTENTIÆ.

Silius 2.

Ante Iouem generata decus, diuumq; hominumq;
Quę sine non tellus, pacem non æquora norunt,
Iustitiæ consors, tacitumq; in pectore numen,
Exitiumne tuis diuum spectare Saguntis,
Et tot pendentem pro te Dea cernere pœnas,
Vrbem lenta potes? moritur tibi vulgus & vna
Te matres vincente fame, te maxta virorum
Ora vocant, primæq; sonant te voce minores:
Fer cælo auxilium, & fessis da surgere rebus,
Hæc fatus Alcmena.

Idem.

Contra cui talia virgo:
Certo equidem, nec pro nihilo est mihi fœdera rumpi.

Sen. Oct.

Teneris in annis haud satis clara est fides.

Claud. 4. Hon.

Promissa futuris.
Dant exempla fidem.

Terent. Adr.

Nihil istac opus est arte ad hanc rem, quam paro,
Sed his, quas semper in te intellexi sitas.
Fide & taciturnitate.

Virg. 4. Aeneid.

Nusquam tuta fides.

Manil. 3.

Perq; tot ætates hominum, tot tempora & annos,
Tot bella, & varios etiam sub pace labores,
Cum fortuna fidem quærat, vix inuenit vsquam,
At quanta est scelerum moles per sæcula cuncta.
Quamq; onus inuidiæ non excusabile terris?
Venales ad fata patres, matrumq; sepulchra.
Imposuit Phœbus noctem terrasq; reliquit.
Quid loquar euersas vrbes, & prodita templa,
Et varias pacis clades, & mixta venena.
Insidiasq; fori, cædes in mœnibus ipsis,
Et sub amicitiæ grassantem nomine turbam?
In populo scelus est, & abundant cuncta furore.
Et fas atque nefas mixtum, legesq; per ipsas
Sæuit nequities pœnas iam noxia vincit.
Corpora nascuntur, pars, & sublata per orbem.
Et fidei carum fœdus paciq; tributum:
Vtq; sibi cælum, sic tellus diffidet ipsa.
Atque hominum mentes immissa sorte feruntur.

Claud. 2. Sol.

Huic Diua germana Fides, eademq; sorores

Candidum delibra teneus?

Ibidem.

Hac & amicitias longo post tempore firmat,
Mansurasque adamante ligat, nec mobile mutat
Ingenium, parua strepitus nec vincula nexa
Dissoluit pariter, nec fastidire priorem
Affuescit veniente nouo, benefacta tenere,
Respuere offensas facilè, pariterq; meminisse
Officij, magniq; memor superare labore,
Neque hostes armis, meritis sic vincit amicos.

Propert. 1. 16.

Multum in amore fides, multum constantia prodest.

Ouid. Epist. 18.

Non boue mactato cœlestia numina gaudent,
Sed quæ præstanda est, & sine teste fide.

Ouid. Epist. 16.

Tarda solet magnis rebus inesse fides.

Lucanus.

Clauda fides miseris.

Sen. Herc. Oet.

Non rata fides, vbi iam melior
Fortuna ruit.

Silius 11.

Sunt nulla diu mortalibus vsquam
Fortuna titubante fides.

Claud. 4. Hon.

Perdere non empta fides, nec pectora merces
Alligat.

Ouid. 4. Fast.

Surgit, cui dederat clarum Collatia nomen:
Non opus est verbis, credite rebus, ait.

Silius 2.

Quis verò non æqua dedit victoria nomen?
Audite, ô gentes, neu rumpite fœdera pacis,
Nec regnis postferte fidem.

Lucan. 8.

Ardua quippe fides robustos exigit annos.

Ibidem.

Pellæusque puer gladio tibi colla recidit,
Magne tuo.

Plaut. in duob. Captiuis.

Fac fidelis sis fideli, caue fidem fluxam geras.

Philosophicæ et Historicæ Sententiæ.

Eruditi est hominis vnumquodque, vt ipsum est, ita de eo fidem capere, & tentare. *Boet. lib. de Trinit.*

Fides sanctissimum humani pectoris bonum est. Nulla necessitate ad fallendum cogitur, nullo corrumpitur præmio. Vre, inquit, cæde, occide, non prodam, sed quo magis secreta quæret dolor, hoc illa altius condet. *Seneca ad Lucilium Epist. 89.*

Fidem nemo vnquam perdit, nisi qui non habet. *Seneca in Prouerbijs.*

Fides vulgi fortior est, quàm fides Philosophorum. *Commentator. super 3. Physicor.*

Animus sine fide stabilis amicis esse non potest. *Cic. lib. 1. Rhetoricor. nouor.*

Fundamentum iustitiæ est fides, dictorum conuentorumq; constantia, & veritas. *Cic. lib. 1. de Offic.*

Nec promissa ea seruanda sunt, quæ non sunt his, quibus promiseris, vtilia: nec si plus ea noceant illi, cui promiseris, quam prosint.

Nam illis promissis standum quis non videt? quæ coactus quis metu, aut deceptus dolo promiserit.

Nec enim vlla res vehementius Rempubl. continet, quàm fides: quæ nulla esse potest, nisi erit necessaria solutio rerum creditarum. *Cic. lib. de Offic.*

Sed nihil stabile, quod est infidum. *Cic. lib. de Amicit.*

In vita tyrannorum nulla fides. *idem.*

Deiotarus vetat expectare fortunam, dum præstatur fides. *Cic. lib. 2. de Diuinat.*

Magna, & perpulchra res est, cum alijs omnibus, tum viro principi, fas fidemq; seruare, & se talem esse cognosci. *Xenoph. orat. de Agesilao.*

Data fides omnem deliberationem excludit. *Plut. in Sertorio.*

Cum fidei abrogatione omnis humana societas tollitur. *Liuius, Decad. 1. lib. 6.*

Vult sibi quisque credi, & habita fides ipsam plerumque obligat fidem. *Id. Dec. 3. lib. 2.*

Circumuentis in solitudine, natura ipsa subijcit, vt hominum quos numquam viderint, fidem tamen implorent. *Dec. 4. lib. 10.*

Fides non integra manet, vbi magnitudo quæstuum spectatur. *Tacitus, Annal. lib. 11.*

Inter ciuiles discordias, nusquam fides, aut amor motu, ac necessitate huc illuc mutantur. *Herod. hist. lib. 1.*

Expertus sum parum fidei miseris esse. *Salust. in Iugurth.*

Fides stabile, & æternum facit imperium. *Qu. Curtius de gestis Alexand. lib. 8.*

In magna malorum multitudine difficillima dictis fides. *Paul. Oros. de Ormesta, lib. 3.*

Malo mihi successum deesse, quàm fidem: etiam hosti est æquus, qui habet in consilio fidem. Fidem qui perdit, nil potest vltra perdere. Fides vnanima vnde abit, numquam redit. *Seneca in prouerbijs.*

Viri boni est etiam non politicam fidem seruare: maximum maioribus nostris telum, fidem fuisse, ex quo plures pace susceptæ, quam bello gentes fuerint deuictæ: nocens fit, vbi succumbit fides, siue veritas. *Cato.*

Apophthegmata.

Anaxarchus, cum a Nicocreonte grauiter torqueretur, vt conscios perderet post multa in tyrannum conuitia, linguam sibi ipsi dentibus abscidit, commanducatam in tyranni faciem exspuit, his prius verbis emissis: Non erit hæc corporis pars tuæ ditionis. Voluit vir constantissimus potius sibiipsi amputare linguam, & perire penitus, quàm non seruare silentij fidem. *Laert. lib. 9. & 10.*

Zeno Eleates accusatus, quod in perniciem Nearchi tyranni coniurasset, ductus ad tormenta, vt coniuratos proderet, indicauit eos, qui tyranno omnium amicissimi erant: neglectis conscijs, qui postquam pœnas dedissent, interrogatus à tyranno, num quis præterea occidendus superesset? Tu solus, inquit, Reipublicæ pernicies superes, quibus dictis, dentibus linguam abscidit, & in tyranni faciem expuit. Maluit enim mori, quàm indicare eos, qui occiso tyranno saluam cuperent esse Rempub. *Laert. lib. 9. c. 5.*

Eurycratidas, percontanti, cur Ephori per singulos dies de conuentis, & contractibus ius dicerent? Vt inter hostes etiam, inquit, mutuam fidem inueniamus. Maiore Reipublicæ discrimine pacta violantur in bellis: sed illic quoque violantur ab his, qui domi consueuerint fallere. *Plutar. in Laconicis apoph.*

Alexander. Quidam cum rupem teneret inexpugnabilem, vt putabatur, semet Alexandro dedit: At Alexander non solùm eius ditionis Principem esse iussit, verum etiam addidit, dicens: Hic homo mihi videtur sapere, qui se maluit bono viro, quàm loco munito concredere. Et sic fidem hosti sanctissimè seruare voluit. *Plutarch. in apoph.*

Hanno & Roman. Coss. Amissa nauium classe prope Siciliam insulam omnium fertilissimam, Carthaginenses de pace cum Romanis ineunda consultabant. Hamilcar cum negaret se iturum esse ad Consules Romanos, timens ne idem accideret ipsi à populo Romano, quod Pœni fecerant Cornelio Asinæ Consuli Romano (qui contra ius gentium catenis vinctus est) Hanno fidem Romanorum considerans, profectus est in vrbem, vt pacem impetraret, qui dum liberius legationis suæ rationes exposuisset, à tribuno audiuit: illi posse accidere, quod accidisset Cornelio Consuli. Verum cum vterque Consul tribunum compescuisset, responderunt: isto metu Hanno te fides nostræ ciuitatis liberat. *P. M. lib. 6. apophth.*

Fabricius, pugnaturus contra Pyrrhum regem, à Medico regis epistolam accepit, qua promittebat, se regem veneno necaturum esse, si iuberet. Verùm eam epistolam misit Fabricius ad hostem crudelissimum, & admonuit, vt sibi caueret ab insidijs potius amicorum, quàm hostium. Quis non admiretur Fabricij erga hostem immanissimum fidem, quem amicè monuit, vt tutè periculum euitaret? Secus faciunt hodie duces, qui clam insidias hostibus struunt, contra iustitiam, fidem, & omnem æquitatem, vt victores etiam ex coempta victoria domum gloriabundi redeant. *Valer. Maxim.*

Cicero. Dicente illi Metello, plures testimonio peremisti, quàm patrocinio seruasti: Nempe, inquit, Cicero, plus est mihi fidei, quã eloquentiæ. *Plutarc.*

Pontius Centurio, captus à Pompeij socero Scipione, cum isto modo ei salus daretur, si se futurum Cn. Pompeij militem affirmasset, ita respondit: Tibi quidem Scipio gratias ago, sed mihi iniusta conditione vitæ non est opus. Maluit autem potius mori, quàm fidem Cæsari datam frangere. *Brusoni. l. 2. c. 35.*

Alphonsus sæpenumero dicere solitus est: Tantum valere ad fidem debere Principum verbum simplex, quantum priuatorum hominum iusiurandum. Turpissimum enim est fidem fallere, in regibus verò longè turpius. *Panorm. lib. 1. de Alphonsi reb. gest.*

Similitudines.

Chrysostomi. Sicut inter duos lapides molares teritur triticum, & separatur a cortice suo, & fit similago munda; sic fideles in me-

 dio

dio desuper quidem vrgente se verbo Dei ad fidem, & iustitiã, inde autem verbo impio se compellente ad infidelitatem, atque peccatum, conteruntur, & carnalia sua vomitia deponunt, & spiritualea efficiuntur. *In Matth. 24. homil. 50.*

Vt nauis tutissima est fides: ita qui ex illa ceciderint, necesse est naufragium facere. *In 1. ad Tim. hom. 3.*

Quemadmodum hi qui huic subnixi sunt, in tuto nauigant: Ita & qui illa ceciderunt, nusquam possunt consistere, sed longo errore circumacti, postremò in ipsa perditionis prærupta feruntur. *In 1. ad Timoth homil. 12.*

Quemadmodum carnales cibos diebus singulis ex necessitate requirimus: Ita & fidei pietatisq; doctrinam semper accipimus, eaque iugiter enutrimur. *In 1. ad Timoth. homil. 12.*

Nec qui clausis oculis quærit, inuenire quid poterit; sicut idem si apertis illis seipsum humo obruat, auersatusq; solem ibi inquirat, inuenire aliquid nequaquam poterit. Adeo sine fide nihil inueniri potest, eaque absente, pugnas nasci necessario contingit. Quæ enim fides profitetur sola, succedens quæstio, neque permittit intelligi. Cum in quæstiones incidimus, de Deo, quæ non oportet, opinamur. *Homil. 12. in 1. ad Timoth. & 2. ad Timoth. Homil. 16.*

Quemadmodum peccatum si vicerit, ipsum est, quod viuit in homine, animum, ad quæ vult, pertrahens: Ita si illo mortuo, quæ Christo sunt placita, fiant, nec humana deinceps est eiusmodi vita, videlicet ipso Christo viuente in nobis, hoc est, agente, ac dominante. *In c. 8. ad Galat.*

Sicut anchora iactata de naui haud permittit eam circumferre, licet venti commoueant, sed iactata firmam facit: Sic & fides. Inuenire, quoniam valdè conuenientem inueni imaginem. Non enim dixit fundamentum, quasi dissonaret, sed anchoram. Quod enim in motu est, & non valde videtur fixum esse, quod est super mare, sicut quod super terram stat, & mouetur, & non mouetur in valde firmis, & Prophetis fortassis. Tempestas, & multus imber commouet eatem: spes autem non permittit circumferri. Si hanc non haberemus, olim demersi fuissemus, non in spiritualibus tantum, sed in secularibus. Multam quis huius inuenit fortitudinẽ, veputa in negociando, in agricultura, in militia. Nisi hanc quisque sibi proponat, nunquam aliud attingit. *Homilia 11. ad Hebræos.*

Fide opus est. bonorum matre, salutis medicina, sine qua nullam magnarum rerum doctrinam quispiam percipere potest, sed illis similis, qui sine naui pelagus transnatare aggressi, parum prouecti, lassatis manibus, pedibusq, fluctibus continuo obruuntur, neque aliter, qui suis nituntur rationibus ante cognitam veritatem (vt Paulus ait) naufragium faciunt. *Homil. 3. epist. ad Hebræos.*

Sicut plantæ rigatæ magis crescunt: Ita & fides nostra oppugnata magis floret: seditione agitata, incrementa maiora sumit. Neque horti aquis irrigati ita germinant, & fœcundi sunt, vt Ecclesiæ, si martyrum irrigentur sanguine. *Sermon. in Iuuentinum, & Maximum.*

Sicut in turri consistentes duo bona consequuntur, & hostium irruptionem ipsi non facilè patiuntur: & hostes de turri facile conterunt: Sic & qui in fide Christi consistunt, vel in lege Dei, & Dæmones super se irruere nõ sinunt, & spiritualibus bonorum operum sagittis eos facilè vulnerant. *in 81. Homil. 40.*

Sicut si adamantina, & incorruptibilia nobis corpora essent, neque scorpios, neque serpentes, neque ignem manibus formidaremus complecti: Ita cum animas nostras tali fide Christus armauit, non est, quod timeamus, etiam hostium tenentes venena. Nobis enim concessum est ambulare super serpentes, & scorpios, & omnem Diaboli tyrannidem, multo magis, & super teredines, ac scarabæos. Tam procul est, ne qua parte nos offendant insidiæ Diabolicæ, & ita se habent res nostræ. *Aduersus gentiles, & in Babylam martyrem.*

Theophylacti. Quid lutum, id est, corpus maiore, quàm margaritam honore afficis animam? conculca paleam, id est, sterilia opera, quę comburet ventilabrum diiudicationis, habens verbum Dei igni inextinguibili. Vt locusta, quæ descendit super sepem in die glaciei, sol ortus est, ac desilijt, nec agnouit locum suum, hoc est: Quemadmodum locusta, cæteraq; id genus volatilia, rore ac pruina eorum alis superposita, sepibus insident, atque fruticibus, vt quæ volare nequeant, sole autem oriente, absumenteq; rorem, ipsaq; animalcula calefaciente, expandunt alas, & in alium transmeant locum: Hunc in modum ascendebat etiam super sepem legis potentia Dei, purificationes quasdam corporales perficiens, & mira signa faciens, vsque dum dies erat glaciei, hoc est, regnaret peccati ex Adamo contracti hiems: quando verò secundus Adam peccati expers, Sol iustitiæ existens ortus est, desilijt diuina potentia ex legali sepe, ostendens ipsam infirmam esse, vt quæ non possit mundam facere conscientiam, transilijtq. ad fidem, quæ possit iustificare, nec vlterius cognouit locum eius, quem antea occuparat, legit. *In cap. 3. Nahum.*

Postquam fides aduenit, quæ hominem reddit perfectiorem, non vltra pædagogo subijcimur, qui sumus per fidem perfectionẽ adepti, & infantiam ipsam excessimus. quod autẽ simus ex fide perfectiores, patet ex eo, quia ob nostram in Christo fidem Dei efficimur filij: qui autem fuerit, vt in Dei Filium susciperetur dignatus, nil prorsus vel imperfectus, vel infans putandus est, eo fit, vt ridiculum videatur, vt qui iam in virum euaserit, pædagogi sit legi obnoxius: neque enim secus id videretur, quàm si vbi dies illuxit, lucernam quis intueretur, non Solem. *In epist. ad Galat. c. 3.*

Quemadmodum opulentus vir quispiam, cum quempiam viderit, vt sua diripiat, & se inuadentem, vt enecet, omnia illi eximendi se gratia ab eodem discrimine permissurus est: Sic vos vniuersa offerte, vt in tuto sit caput, hoc est, fides ipsa. *In c. 5. Ephes.*

Nazianzeni. Vt in creaturis primaria dona non aliquorum nostri sunt, sed omnium, vt vnius creaturæ communis est gratia: ita & in fide, quæ saluat, non eorum tantum sunt, qui magis possunt, sed eorum, qui volunt. *De modestia in disputationibus.*

Origenis. Sicut nihil est delectabile hominibus sine luce: Sic similiter nihil est delectabile, neque acceptum Deo absque fidei lumine. *In lib. Iob.*

Sicut sol, nisi vibrauerit super faciem terræ, nullus ex fructibus eius crescit, neque adolescit, neque maturescit. Sic similiter nisi per fidem veritas refulserit in animabus hominum, nunquam erunt acceptabiles coram Deo. *In lib. Iob 1.*

Athanasij. Vt si quis Medicus ingressus ad ægrotos, prius sciscitatur, an velint curari, ne dum ipse curam susceperit, & illi nolint, inutilis existat curatio, nimirum ijs, qui laborant aduersus artem Medici pugnantibus: Sic & Dominus eos, qui sanabantur, percõtabatur, nec nisi fidentibus conferebat beneficium, vt per fidem, & beneficium conseruari possent. Per fidem enim dignoscitur animi propositum. *De passione Domini.*

Damasceni. Fide omnia, & humana, & spiritualia constant. Neque agricola sine fide incidit terræ surculum, neque mercator paruo ligno suam ipsius animam insano maris pelago committit, non nuptiæ fiunt, non aliud quicquam in terra sine fide. Fides est inscrutabilis consensus. *Lib. 4. c. 12. Orthodox. fidei.*

Theodoreti Episcopi. Sutoris discipulus, dum cupit artem discere, credit, quidquid illi a magistro dicitur. docet eum, quomodo calceum tenebit, quomodo corium scindat. Sic natura facit, sic agricola: Sic si probatum aurum a crudo cognoscere volumus, adimus Magistrum, qui nouit discernere: ille discernit (didicit enim diu experientia) an adulterinum sit: sic facit, qui lapillos emit, qui gemmas, qui sericãm vestem, & quidquid audierit, statim credit: sic agrestes operæ crassiq auditores credunt. *Ser. 1.*

Marci eremitæ. Talpa sub terra capta oculis stellas videre non potest: Et qui rebus temporaneis Deo fidem non habet, neque de æternis potest credere. *De lege spirituali.*

Plutarchi. Non quemadmodum quoties cum truculento agimus tyranno, animo sumus anxio: Sic in sacris mysterijs anxium, ac diffidentem oportet esse. *In Moral.*

D. Augustini. Sicut euenire assolet, vt malum Medicum expertus etiam bono timeat se committere: Ita erat valetudo animæ meę, quæ vtique nisi credendo sanari non poterat, & ne falsa crederet, curari recusabat: resistens manibus tuis, qui medicamenta fidei confecisti, & sparsisti super morbos orbis terrarum, & tantam illis authoritatem tribuisti. *Libro 6. Confession. c. 4.*

Diui Ambrosij. Sicut granum sinapis prima fronte specie sui est paruum, vile, despectum, non saporem præstans, non odorem circũferens, non indicans suauitatem: at vbi teri cœperit, statim odorem suum acrimonia exhibet, cibum flammei saporis exhalat, & tanto feruoris calore succenditur, vt mirum sit in tam friuola granis tantum ignem fuisse conclusum, cuius etiam semina cibum homines, hiemis tempore præcipuè, magna pro suauitate percipiunt, quatenus repellant frigora, humores egerant, viscerum interna calefaciant, sæpè etiam capiti ex hoc adhibent medicinam, vt si quid inualidum, si quid ægrorũ fuerit, sinapis igne curetur. Ita & Christiana fides prima fronte videtur esse parua, vilis, tenuis non ostendens potentiam suam: at vbi diuersis tentationibus teri cœperit, statim vigorem suum prodit, acrimoniã fundit, ardorem dominicæ credulitatis adspirat, & tanto diuini ignis ardore iactatur, vt & ipsa feruеat, & participantem sibi ardere compellat. Granum sinapis membrorum viscera calefacit: Fidei autem vigor cordium peccata comburit. Ille quidem asperum algorem frigoris remouet: hæc autem delictorum diabolicum frigus expellit. Sinapis iniquos humores decoquit corporum: Fides autem libidinum fluenta consumit. Par illud medicina capiti procuratur; per fidem autem spirituale caput nostrũ, quod est Christus, sæpius refouetur, fidei (iuxta comparationem sinapis) odore sancto perfruimur. *Serm. 1.*

Hilarij. Vt quædam medicamentorum genera sunt ita comparata, vt non in singulis tantum ægritudinibus vtilia sint, sed omnibus in communi medicantur, habentq in se virtutem generalis auxilij: ita & fides catholica non aduersus singulas tantum pestes, sed contra omnes morbos opem medelæ impertit, non infirmanda genere, non vincenda numero, non diuersitate fallenda, sed vna, atque eadem aduersus singula omniaque consistit. *Lib. 1. de Trinitate.*

Manto

Manere debet apud nos, frater, fidei robur immobile, & stabilis, atque inconcussa virtus contra omnes incursus, atque impetus oblatrantium fluctuum, velut petræ obiacentis fortitudine, & mole debet obsistere. *Cypr. lib. 1. Epist.*

Gregor. Crescunt quotidie per linguæ vestræ vomerem grana cœlestia, atque in horreis multiplicantur superois; Ita in vobis impletum esse gaudemus, quod scriptum est: Vbi plurimæ segetes, ibi manifesta fortitudo boum. *Lib. 11. Epist. 47.*

Pastoris nuncij pœnitentiæ. Sicut homo, cum implevit amphoras bono vino, & inter illas paucas semiplenas posuit, & venit, vt tentet, & gustet amphoras, non tentat plenas: scit enim, quia bonæ sunt: semiplenas autem gustas, sinene acidæ factæ, cito enim semiplenæ acescunt: Sic & qui pleni sunt in fide, resistunt Diabolo, & fugit ab eis, quia non habet locum intrandi, sed in semiplenos intrat, & quæcumque vult, facit illis, & fiunt famuli eius.

Lactanty. Eodem modo, quo matrimonium dici non potest, vbi mulier viros multos habet, sed hæc aut meretrix, aut adultera nominabitur: à qua enim pudor, castitas, fides abest, virtute careat necesse est: Sic & religio Deorum impudica est, & incerta, quia fide caret: quia honor ille instabilis, & incertus caput, atque originem non habet. *Libro quarto de vera sapientia, capit. 4.*

Drogonis Hostiensis Episcopi. Hilaris pupilla lucidè speculatur. Fides est pupilla oculi tui. Quomodo pupilla oculi est subtilissima, nisi impigrè, ac solicite custodiatur à palpebris, leuissimi, ac tenuissimi pulueris tactu confunditur. Sic acies fidei nisi peruigilem semper habeat custodiam, nihil citius conturbatur. *lib. de sacram. Domini passionis.*

Chromatij Episcopi. Vos, inquit, estis sal terræ. Itaque sicuti sales, quum operantur in carne qualibet, corruptelam non admittunt, fœtores auferunt, sordes expurgant, vermes non sinunt generari: Ita & cœlestis gratia, ac fides, quæ per Apostolos data est, simili exemplo in nobis operatur. Aufert enim carnalis concupiscentiæ corruptelam, peccatorum sordes expurgat, odorem malæ conuersationis excludit, vermes delictorum non sinit generari, id est, de corpore libidinosas, & mortiferas voluptates exurgere, conseruans corpora nostra etiam ab illo immortali verme, qui indefessa pœna peccatores excruciat, de quo scriptum est: Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Et sicuti sales à foris quidem apponuntur, intrinsecus verò operantur per virtutem naturæ suæ: Ita & cœlestis gratia exteriora hominis, atque interiora perpenetrat, & totum hominem integrum à peccato incorruptumq; conseruat. *In 5. cap. Matth.*

Lucerna corporis sensus mentis, & fides cordis intelligitur, quæ si in nobis pura, & lucida fuerit, sine dubio omne corpus nostrum illuminat. Idcirco autem lucerna in comparatione fidei ponitur: quia sicut lucerna incedentium in nocte gressus illuminat, ne aut in foueas, aut in offendicula quæque ambulantes incurrant: Ita in hac sæculi nocte splendor fidei omnes vitæ nostræ gressus, præeunte lumine veritatis illuminat, ne aut in foueas peccatorum, aut offendicula Diaboli incidamus. *In 6. cap. Matthæi.*

Ioannis Ludouici Viuis. Vt nihil est homini gratius, quàm fidi sibi: Ita nec Deo, nec quisquam bene de illo cogitat, cui timidè seipsum credit. *In introductione ad sapientiam, c. 7.*

Thriueri. Amuleta depellunt omne incantamentum, & effascinationem: integra verò fides elidit omnem superstitionem, & temeritatem. *In apoph. c. 10.*

A D A G I A.

Folium Sibyllæ.

Iuuenalis.

Credite me vobis folium recitare Sibyllæ.

Id est:

Rem indubitatam.

Ex tripode. τἀκ τοῦ τρίποδος.

Dici solitum de ijs, quæ vehementer vera, atque indubitata videri volumus. Athenæus.

Diues promissis. μὲν λόγοις θαυμαστὸς ὁ δὲ λόγων ἄπιστος. *Plutarchus.*

Quoties aliquis ingentia pollicetur, quæ non videatur præstiturus.

Priscis credendum.

M. Tullius in libello de Vniuersitate. Credendum, inquit, nimirum est veteribus, & priscis, & vt aiunt, viris, qui se progeniem esse Deorum dicebant.

Recto pectore.

Pro eo, quod est ingenuo, citraque dissimulationem, vt veritatis simplex est oratio, Cicero.

Bonus magnusque. ἠΰς τε μέγας τε.

Id est, magnus q; bonus q; apud Homer. Prouerb. autem locum habuerit, quo. Polyanthea Noua.

tiis aut testem, aut iudicem, aut consultorem significamus; idoneum, ac nequaquam rejiciendum.

Legatus non cæditur, neque violatur. πρέσβυς οὐ τύπτεται, οὐδ᾽ ὑβρίζεται.

Id iure gentium receptum est, vt legati publica fide veniant, & redeant inviolati.

Ex Iouis tabulis testis. ἐκ τῶν Διὸς δέλτων ὁ μάρτυς.

Pro certo, & indubitabili teste.

Atticus testis. Ἀττικὸς μάρτυς.

Pro probatissimo, atque incorruptissimo teste. Quod si quis per ironiam torqueat in testem vanum, non inconcinne dixeris. Diogenian.

Attica fides. Ἀττικὴ πίστις.

Legitur apud eundem de minimè vanis, minimèq; periuris.

Rhadamantheum iudicium. Ῥαδαμάνθιος κρίσις.

De incorruptè iudicantibus.

Iouem lapidem iurare.

Qui sanctè, & religiosè deierant. M. Tull. in Epist.

Rhadamanthi iusiurandum. Ῥαδαμάνθυος ὅρκος.

Dicebatur, quod verissimum quidem esset, cæterum nullum Deum ascisceret.

Viri iureiurando, pueri talis fallendi. ὅρκοις ἄνδρας, ἀστραγάλοις δὲ παῖδας ἐξαπατητέον.

Docet, viris nulla re citius imponi posse, quàm iureiurando, quod nemo tam improbus esse credatur, qui id velit violare.

Iouis suffragium. Διὸς ψῆφος.

Dicebatur sacrum, & inuiolatum.

Amphictyonum consessus. Ἀμφικτυονικὸν συνέδριον.

De frequente grauium virorum conuentu.

Dictum, ac factum. ῥηθὲν καὶ πραχθέν.

Prouerbialis figura. Qua nihil in negotio procurando prætermissum significamus. Terent.

Dictum, ac factum reddidi.

Mineruæ suffragium. ἡ Ἀθηνᾶς ψῆφος.

De exacto suffragio, seu iudicio, contrarium illi: Sus iudicauit. Sed lepidius fiet, si per ironiam efferatur, in stupidum, & nullius iudicij hominem.

Veriora ijs, quæ apud Sagram acciderunt. ἀληθέστερα τῶν ἐπὶ Σάγρᾳ.

Dictum olim in incredulos, quique non nisi magno malo docti credunt. Strabo.

Oculis magis habenda fides, quàm auribus. ὦτα ἀπιστότεροι ὀφθαλμοί.

Quæ cernuntur, certiora sunt, quàm quæ audiuntur. Horat.

Nec tenuent patula commissa fideliter aures,
Quam quæ sunt oculis subiecta.

Domesticus testis. οἴκοθεν ὁ μάρτυς.

Vbi quis ipse sese laudat. Quasi domi testem habeat, non aliunde adductum.

Venereum iusiurandum. ἀφροδίσιος ὅρκος οὐκ ἐμποίνιμος.

Venereum iusiurandum non punitur: sensus est. Amantium iusiurandum irritum esse, neque ad Deos quicquam pertinere, tamquam sacrosum. Plato.

Dignus qui cum in tenebris mices.

Qui certissima esset fide, eum dignum dicebant, qui cum in tenebris micaretur. Prouerb. natum à rusticis. Cic.

De manu in manum.

Cic. lib. Epist. 7. Totum denique hominem tibi trado de manu, vt aiunt, in manum tuam istam & victoria, & fide præstantem. Traduntur etiam, & qui commendantur.

Manu longa, & manu breui tradere.

Qui promissis agit, ac spem tantum ostendit, longa manu dat: Contra, qui præsens, ac statim exhibet, quod promittit, breui manu dat.

E M B L E M A.

Fidei symbolum.

Emblema 1 x.

Stet depictus Honos tyrio velatus amictu,
Eiusq; iungat nuda dextram Veritas.
Sitq; Amor in medio castus, cui tempora circum
Rosæ, it, Diones pulchrior Cupidine.
Constituunt hæc signa Fidem, Reuerentia Honoris,
Quam fouet, alit Amor parturitq; Veritas.

F I D V C I A.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Fiducia, Græcè παρρησία, ας, ἡ, & παρρησιάζομαι, audacter loquor, dicitur. Est autem fiducia spes futuri auxilij, concepta dictis aliorum, vel ex his quæ sunt in se, vel in alen, *secundum B. Thom. 2. 2. q. 129. art. 6.* & dicitur a fide.

Fiducia io Deo solo collocanda, *Esai.2.22. Ier.17.5.7. Zach.4.6. Psal. an.8.9.*

Fiducia in Pastoribus requiritur. *Eph.6.19.*

Fiduciæ exemplum. *Phil.1.14.*

Fiducia, seu confidentia dicit, motum irascibilis inæstimatum non excedere facultatem. Et erca bona est spes, sed circa mala est audacia, *secund. B. Thom.3. Sent dist.29.q.1.art.8.*

Fiducia est omnium bonorum: magnanimitas est magnorum, *secund. eund.3. Sent. dist.33.q.3.a 14.*

SANTANTSAA HISTORICAE.

Cum vltimi discriminia tempus aduentat, in solicitudinem versa fiducia est. *Curtius.lib.3.*

Laudanda fiducia est, quæ existimationem sui certo pondere examinat tantum sibi arrogans, quantum à contemptu, & iosolentia distare satis est. *Val. Max.lib.3.c 7.*

Nimia fiducia maximæ calamitati solet esse. *Æmil. Probus, in Pelopida.*

POETICAE SENTENTIAE.

Anthol.Sac.Iacob.Bill.

Rebus fragilibus nimium noo fludendum.

Angelicos ciues, & Christi in membra renatos,
Non trahat ad veterem carnis origo hominem,
Multa quidem in nostros bona mundus procreat vsus,
Et bene tellus fertus opima sinu.
Sed terræ hospitibus cœlis supra astra vocatis,
Virtutis palma est spernere blanda soli.
Et sic præsentis spatium transcurrere vitæ,
Ipsa peregrinis ne via sit laqueus.
Nam declinantes pro summis ferre labores,
Terrenorum auidos infima suscipiunt.

Rebus caducis fidendum non esse.

An sapit is pressus qui fluctibus arripit algam?
Nec solidis manus littora tuta petit?
Haud magis ille sapit, qui vita in fluctibus huius
Proponit solidis fluxa miserq; perit.
Vt fugias igitur tanti discrimina ponti,
Nec caput ista minax obruat vnda tuum?
Spemq; fidemq; agapemq; tene, fluxa omnia linquens.
Has nihil in tabulas vlla procella potest.

APOPHTHEGMATA.

Themistocles. Cum Eurybiades baculum sustulisset in Themistoclem obstrepentem: Percute, inquit, sed tamen audi. Præsens animus, & suo fidens consilio. *Plut. in Græc. apoph.*

Epaminondas. Postquam Alcaandrum Pheræorum tyrannum Thebanis infensum Athenienses sibi fecissent amicum, ac socium, isque polliceretur illis, se perfecturum, vt minam carnium emerent semiobulo: videlicet significans, se immensum numerum pecudum, ac iumentorum adducturum e præda: Epaminondaa, Ac nos, inquit, Atheniensibus ad coqueodas istas carnes ligna gratis suppeditabimus. Nam siluas ipsorum succidemus, si se plus satis admisceant nostris negotijs. *Plut. in apoph.*

Xerxes. Cum importarentur ad eum Atticæ caricæ venales, negauit se illas esurum, donec regione potitua esset, quæ illas ferret. Tà ingens erat excelsi pectoris fiducia. *Plut. in apoph.*

Fabricius. Pyrrho hortanti, vt apud se ageret, imperij socius futurus: Ne tibi quidem istuc expediret, inquit. Nam si Epirotæ nostrum vtrumque pernorint, mihi Regi, quam tibi partre mallent. *Idem.*

Scipio Maior. cum obsideret oppidom humili loco situm, prominente illinc Veneris templo, iussit illuc profiteri vadimonia, tamquam tertio post die ius ibi redditurus. Et quod se facturum prædixit, fecit vrbe capta. Tanta erat fiducia victoriæ! *Idem.*

Sylla. cum ad sociale bellum magnis cum copijs missus esset circa Linternum, è vasto terræ hiatu magnus ignis emicuit, cuius flamma ad cœlum perueniens constitit. Id vates interpretati sunt, quod vir bonua, aspectu eximius, & admirandus principatum adeptua, præsentibus turbis ciuitatem liberaturus esset. Hoc audito Sylla: Ille, inquit, ego sum. Nam illi erat peculiare, comam habere auream ignisque concolorem: nec se ait suæ virtutis pudere, qui res tam multas tamque præclaras gessisset. *Plutarch in Sylla.*

Idem, cum Athenienses ad eum duos, tresve misissent de pace acturos, atque illi nihil adferrent, quod ad incolumitatem ciuitatis faceret, sed Thesæum, Eumolpum, & res aduersus Medos gestas verbis inanibus iactarent: Abite, inquit, ò beati, istasq; orationea vobiscum referte: oon enim discendi cupidus huc missus sum à populo Romano, sed vt rebelles subuertam. *Idem.*

M. Crassus & Parthi legati. Cum Parthi denunciassent Crasso per legatos, vt suæ ætati consulens, à bello abstineret, iam sexagenarius, respondit: Io Seleucia istis mandatis responsum dabimus. Hic Agidis legatorum vnus, sublata manu mediam palmam ostendens: Prius, inquit, in hac manu nascentur setæ, quam tibi Seleuciam conspiciendi sit futura potestas. *Plutarchus in Crasso.*

Iulius Cæsar. quum Romæ Maximi Pontificis dignitatem ambiret, competitore Q. Catulo, primæ apud Romanos dignitatis, ac potentiæ viro, matri ipsum ad fores deducenti: Hodie, inquit, o mater, aut Pontificem Maximum habebis filium, aut exulem. Excelsa indoles, omnisq; repulsæ impatiens. *Plutarc. in Rom. apophtheg.*

Pompeius. quibusdam se videre negantibus, quomodo posset Cæsaris impetum sustinere, hilari vultu vetuit illos hac de re esse solicitos. Nam simulac, inquit, solum Italiæ pede pulsauero, exilient afflatim equestres pedestresq; copiæ. Præsens quidem animus, si fortuna respondisset. *Plut. in apoph.*

Anonymus. Maximinus, quum nimium fideret corporis viribus, quidam in theatro ipso præsente Græcos versus recitauit: quorum hæc est sententia:

Elephas grandis est, & occiditur.
Leo fortis est, & occiditur.
Tigris fortis est, & occiditur.
Caue multos si singulos non times.

Qui ab vno non potest occidi, à multis occiditur. *Capitolinus.*

Antigenidas. cum scite canens populo minus probaretur: Mihi, inquit, cano & musis: admonens prorsus esse contemnendum imperitæ multitudinis iudicium, quum artis abundè magnum præmium sit ipsa conscientia. *P. M. lib.7. apoph.*

Anacharsis. cum ex patria Athenas ideo profectus esset, vt apud Solonem philosophiæ studija animum excoleret: reuersus io patriam, leges Scytharum iuxta consuetudines Græcorum formare voluit, ob quam causam à fratre in venatione occisus est. Verum cum iam moreretur, in hæc verba prorupit: Ego ob eruditionem meam incolumis è Græcia dimissus sum, & nunc per inuidiam, in propria mea patria trucidor miser. *Laert. l.1. c.9.*

Euripides. Quum populus Atheniensis tumultuaretur, offensus sententia quadam in illius tragœdia, quæ tum agebatur, & authorem eflagitaret, vt eum mulctaret, progressus io scenam dixit: Se vt populum doceret, non vt ab eo disceret, fabulas solere cōponere. Eruditio sibi conscia contempsit multitudinis iudicium. *P. M. lib.6. apoph.*

Idem. apud Alcestidem tragœdiarum scriptorem aliquando questus est, quod summo tridui labore adnixu, non potuisset nisi tres versus absoluere. Contra Alcestidi glorianti, quod ipse perfacilè centum absoluisset vno die: At tui, inquit, ad triduum modo, mei in omne æuum duraturi sunt. *P. M. l.6. apoph.*

Dionysius, cum obiurgaret filium, quod ciuis cuiusdam Syracusani vxorem stuprasset, cum hoc tam indignum facinus a parente suo numquam, vel vidisse, vel audiuisset etiam ab alijs, respondit filius: Verum est pater, hoc abs te numquam audiui: sed id accidit, quod numquam patrem Regem habuisti. Ad quem pater: Nec tu quidem, mi fili, nisi hæc facere desinas, vmquam habebis filium Regem. Quod mox contigit. Nam cum Dionysio seniori filius successisset, haud multo post id indigoa facinora Syracusis pulsua est. *Fulgosius lib.7. c.2.*

Antonius Imperat. Cum pecuniam multam partim à plebe, partim etiam à senatoribus minis, atque vi extortam profudisset, obiurgatus à matre, quæ aliquam pecuniæ partem io alium vsum conferre conabatur: Desine, inquit, solicita esse de pecunia, & ostendens gladium nudatum: Quamdiu hunc habebimus, nihil deerit nobis. Fretus enim sua potentia, nihil in toto Imperio esse sibi ipsi persuadebat, quod armata manu rapere non posset. *Dion. Nicæus. & Xiphilinus in Antonino.*

Idem. quum propter nefaria quædam facinora se à Senatu contemni animaduerteret: Certe, inquit, scio vos rebus a me gestis minimè contentos fore: propterea in armis sum, habeoq; apud me milites, vt possim rumores, qui sparguntur de me, contemnere. *Dion. & Xiphilinus.*

Socrates. Quum iudices inter se discreparent, qua pœna dignus esset Socrates: Ego, inquit, ob ea, quæ feci dignum me censeo, qui ex publico alar in Prytaneo. Nam hoc honoris habere solebant, qui præclarè de Republica fuissent meriti. *Cic. lib.1. de orat.*

Epaminondas. Quum Lacedæmone reuersus, cum suis commilitonibus capitis postularetur, eo quod præter legem Bœoticæ præfecturæ menses quatuor addidisset, iussit vt duces in ipsum reijcerent crimen, tamquam vi compulsi. Ipse autem pro se dixit, non habere se sermones factis meliores. Sentiens, ipsas res gestas reo patrocinari debere. Quod si, inquit, omnino aliquid dicendum est apud iudices, peto vt cum me occiderint, columnæ damnationis titulum ascribant, quo Græci videant, quod Epaminondas Thebanos nolentes coegerit Laconicam, quæ per quingentos annos capi non poterat, ac Messanam incolueratannis 230. igne, ferroq; populari: tum Arcades inter se conciliare resque illorum componere: denique Græcos libertati restituere: Hæc enim omnia sub ipso gesta erant. His auditis, di-

scesserunt

sceſſerunt iudices, & calculos de illo ferre non potuerunt. *Plut. in apophth.*

Scipio maior. Scipioni Senatus decreuerat, vt pecunias ſumeret ex ærario, at quum quæſtores ærarij negarent ſe eo die aperturos, ipſe (inquit Scipio) aperiam, quando mea cauſa clauditur, qui tãta pecuniarum vi repleuerim ærarium. Vacua non clauduntur, ideo Scipio per iocum dicebat, ſibi hoc laboris ſuſcipiendum, vt aperiret, qui fuiſſet in cauſa vt tam diligenter clauderetur, vt quæſtores diei ſpacium quærerent ad recludendum. Exemplum ingentis fiduciæ meritis quæſitæ. *Plut. in apoph.*

Idem, quum à Petilio, & Quinto tribunoplebis multis nominibus accuſaretur apud populum Romanum, nihil ad crimina reſpondit, tantum hoc dixit. Hac die Quirites Hannibalem, & Carthaginem deuici, proinde aſcendo in Capitolium Ioui Opt. Maxim. ſacrificaturus. Si quis de me ſuffragium ferre velit, ferat. Hæc loquutus, aſcendebat ad Capitolium, relictis accuſatoribus, nondum perorata cauſa. Tantum valet egregiorum in Rempub. meritorum fiducia, vt repentè iudicij vigor verſus ſit in orationem, & reus pro ſupplice egerit triumphantem. *Plut. in apoph. & Plin. Iunior de viris illuſtrib.*

F I L I V S, F I L I A.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Filius, Græcè υἱὸς, τοῦ υἱοῦ, vel υἱωνὸς, & υἱότης filiatio dicitur. Appellationeq; filiorum, vt Iuriſconſulti ſentiunt, etiam filiæ continentur, ſed nõ econtrario. Filium ἀπὸ τοῦ φιλεῖν, h. e. ab amore dictum volunt, quod omnium conſtantiſſimus amor ſit parẽtum in filios. Filius, Hebr. *Ben*, qui ædificatus, ſeu exſtructus eſt ex cohabitatione viri, & mulieris. *Banah.* verbum, id eſt, ædificauit, extruxit. Hinc Græcè πονέω, πονῶ, πονοῦμαι, Laboro, exerceor in exſtruendis ædificijs.

LOCI BIBLICI.

Filia non proſtituenda, *Leu.* 19.29. Filia pro nepte, *Exod.* 2.21. *vt liquet ex Exod.* 3.1. Filiorum appellatione tota poſteritas includitur, *Luc.* 1.5. Filiæ nomen etiam vrbibus tribuitur, *Matth.* 21.5. *cuius rei exempla plura extant in Threnis.* Filiæ Ieruſalem, pro mulieres Ieroſolymitanæ, *Luc.* 23.*v.*28.

Filius: Filius pro nepote, 2.*Sam.* 19.24. *Prou.* 13.22. & 17.6. *Ier.* 27.7. *Ezech.* 37.25. pro poſteris ex aliqua familia oriundis, *Matt.* 22.24. Filij nomen pullo aſini attributum legitur, 21.5. Filius ſapiens extra periculum eſt, *Prou.* 19.28. Filij pro parentibus non puniendi, *Deut.* 24.16. 2.*Reg.* 16.6. *Ier.* 31.29. *Ezech.* 8.*v.*3.20. Filij erudiendi, & corripiendi, *Prou.* 13.24. & 19.18. & 29.15.17. *Hebr.* 12.8.9.

Filij Belial, pro hominibus nequam, 1.*Reg.* 22.10. Filij carnis, pro naturali modo procreatis, *Rom.* 9.8. ſeu quorum non alia ratione pater eſt Abraham, quàm ea ipſa, qua ſolent conſuetudo naturæ ordine, homines ex hominibus gigni, qui aliàs filij ſecundum carnem dicuntur, *Gal* 4.23.29. Filij contumaciæ Hebræis dicuntur, *Eph.* 2.2. homines contumaciæ dediti.

Filij Dei pro pijs ex Sethi poſteris oriundis, *Gen.* 6.2. Sicut filiæ hominum, pro impijs filiabus ex Caini familia, *verſ.* 2. pro pijs Deo charis, & Chriſti cohæredibus, *Matt.* 5.9.45. *Ioan.* 1.12. *Rom.* 8.7.1. *Ioan.* 3.9. vt explicat Paulus, *Rom* 8.16.17. Filij Dei dicuntur etiam Angeli, *Iob* 1.6. *Pſal.* 89.7. Item Principes, *Pſal.* 82.6.

Filij rebelles parentibus: quomodo tractandi, *Deuter.* 21.18.19.20.21. Filij regni pro omnibus in genere indigenis, & regni incolis, *Matth.* 8.12. pro ijs qui ſunt in regno, id eſt, in Eccleſia, vt etiam ſint ex Eccleſia, 13.38. Filij reſurrectionis, pro reſurrectionis participibus, *Luc.* 20.36. Filij roboris pro ſtrenuis, 2.*Sam.* 13.28. & 17.10. 1.*Reg.* 15.1. Filij ſæculi huius pro hominibus præſenti vitæ addictis, *Luc.* 16.8. quos Paulus ψυχικοὺς vocat, h. e. animales, & σαρκικοὺς, hoc eſt, carnales, 1.*Cor.* 2.14. Aliàs tamen interdum filij ſæculi huius dicũtur, quicumque adhuc in viuis ſunt, ſiue boni ſint ſiue mali, *Luc.* 20.34. Filij ſtulti patres triſtitia afficiunt, *Prou.* 17.*v.*25. & 19.*v.*13. Filij ſubductionis dicuntur, qui quodam impetu in partem aliquam feruntur, *Hebr.* 10.39. Hebraiſmus. Eo enim loci ſubintelligi videtur filiorum nomen. Filij thalami dicuntur, *Matth.* 9.15. qui cum ſponſo verſantur, & quos ſponſus in ſuum vſque thalamum admittit.

Filij boni laudantur, *Prou.* 10.1. & 13.1. & 15.20. & 23.24. Filiorum erga parentes officium, *Gen.* 9.23. & 22.2.7. & 27.1. & 28.7. & 37.14.15. *Exod.* 20.12. & 21.17. *Leuit.* 19.3.32. & 20.9. *Deuter.* 5.16. & 21.15.18. & 27.16. *Iud.* 4.1.1. *Sam.* 2.11.18. & 3.1.7. & 8.1. & 18.5. 1.*Reg.* 2.1. 2.2.*Reg.* 2.23. & 12.2. & 22.1.2. *Par.* 34.2. *Eccleſ.* 3.1.8. & 6.18. & 7.29. & 8.7.11. & 22.3. & 23.18. & 25.10. & 32.24. *Tob.* 4.1. & 14.5. *Iob* 1.4. & 8.4. & 32.*v.*4.6. *Prou.* 1.8. & 4.1. & 5.10. & 10.1. & 13.1. & 15.20. & 19.26. & 20.21.20. & 22.15. & 23.19.25. & 28.24. & 30.17. *Ierem.* 35.16. *Ezech.* 22.7. *Matt.* 4.20. & 10.25. & 15.4. & 19.19. *Marc.* 10.19. *Luc.* 2.48. & 18.20. *Act.* 7.14. & 22.3. *Epheſ.* 6.2. *Coloſſ.* 3.20.1. *Timot.* 5.1.1. *Pet.* 5.5. Filij boni ex malis parentibus orti: Ezechias Achazi filius, 2.*Par.* 28.27. Ioſias Ammonis filius, 33.25. & 34.2. Filij mali ex bonis parentibus orti: Cain Adæ

Polyanthea Noua.

filius, *Geneſ.* 4.1. Cham filius Noe, 9.21. Iſmael Abrahæ filius, 21.20.21. Eſau Iſaaci filius, 25.*v.*25. Filij Heli Sacerdotis, 1.*Sam.* 2.12.25. Filij Samuelis, 8.3. Amnon filius Dauidis, 2.*Sam* 13.1.2. Abſalon filius Dauidis, 15.12. Roboam Salomonis filius, 1.*Reg.* 11.43. qui conſilium iuuenum ſecutus, ſuper duas tantum tribus regnat. 2.*Paral.* 10.6. *vide Eccleſ.* 47.36.37.38.39. Ioram filius Ioſaphat, 2.*Paral.* 21.4. Manaſſes Ezechiæ filius, 33.2. Filij inobedientis pœna, *Deut.* 21.18. *Prou* 20.20. Filij caſtigandi, *Prou.* 13.24. & 19.18. & 22.15. & 23.13.15.29. *Eccleſ.* 30.1. &c. docendi myſterium Paſchæ, *Exod.* 12.27. & 13.8. nempe, nos eſſe liberatos ex captiuitate Aegyptiaca, hoc eſt, diabolica, *Deut.* 4.9. & 6.20. Quare primogenita Deo offerenda, *Exod.* 13.12.14. Filios conſecrant idolis per ignem Iſraelitæ, 2.*Reg.* 17.17. in filios Dei adoptati ſumus per CHRISTVM, *Eph.* 1.5. Aliæ quam plurimæ occurrunt in Bibliorum S. codice harum vocum (filiæ, filiarum, filij, filiorum) acceptiones, quæ in Concordantijs magnis ante aliquot annos editis explicantur, & ordine ſuo proponuntur.

SENTENTIÆ BIBLICAE.

Filij tibi ſunt, erudi illos, & curua illos à pueritia eorum. Filiæ tibi ſunt, ſerua corpus illarum, & non oſtendas hilarem faciem tuam ad illas. Trade filiam, & grande opus feceris, & homini ſenſato da illam. *Eccl.* 7.

Confuſio patris eſt de filio indiſciplinato. Filia autem fatua in deminoratione fiet. 22.

Filia prudens hæreditas viro ſuo, at viuens turpiter mœſtitiam affert genitori. Imprudẽs patrem, & virum afficit ignominia. *ibid.*

A filijs tuis caue, & à domeſticis tuis attende. 32.

Lacta filium, & pauentem te faciet: lude cum eo, & contriſtabit te. Non corrideas illi, ne condoleas, & in nouiſſimo obſtupeſcent dentes tui. 30.

Non des filio poteſtatem in iuuentute, & ne deſpicias cogitatus illius. *ibid.*

Filio & mulieri, fratri, & amico, non des poteſtatem ſuper te in vita tua. 33.

Melius eſt, vt filij te rogent, quam te reſpicere in manus filiorum tuorum. *ibid.*

Ne dederis alijs poſſeſſionem tuam, ne forte pœniteat te, & depreceris pro illis. *ibid.*

Filia patris abſcondita eſt, vigilia, & ſolicitudo eius aufert ſomnũ: ne forte in adoleſcentia ſua adultera efficiatur, & cum viro commorata odibilis fiat: ne quando polluatur à virginitate ſua, & in paternis ſuis grauida inueniatur, ne forte cum viro commorata tranſgrediatur, aut certè ſterilis efficiatur. 42.

Super filiam luxurioſam confirma cuſtodiam, ne quando faciat te in opprobrium venire inimicis, a detrectatione in ciuitate, & abiectione plebis, & confundat te in multitudine populi. *ibid.*

Iuuenes ſimiliter hortare, vt ſobrij ſint. *Tit.* 2.

Filius ſapiens lætificat patrem, filius verò ſtultus mæſtitia eſt matris ſuæ, & deſpicit eam. *Prou.* 10. & 15.

Exulta gaudio pater iuſti, qui ſapientem genuit, lætabitur in eo. Gaudeat pater tuus, & mater tua, & exultet, quæ genuit te. 23.*v.*24.

Rurſus deteſtatus ſum omnem induſtriam meam, qua ſub ſole ſtudioſiſſimè laboraui habiturus hæredem poſt me, quem ignoro vtrum ſapiens an ſtultus futurus ſit, & dominabitur in laboribus meis, quibus deſudaui, & ſolicitus fui. *Eccl.* 2.

Ex iniquis omnes filij, qui naſcuntur, teſtes ſunt nequitiæ, aduerſus parentes interrogatione ſua. *Sap* 4.

In filijs ſuis agnoſcitur vir. *Eccleſ.* 11.

In filia non auertente ſe firma cuſtodiam, ne inuenta occaſione abutatur: Ab omni irreuerentia oculorum eius caue, & ne mireris, ſi te neglexerit. 26.

Pro illis corrigendis.

Si genuerit homo filium contumacem, & proteruum, qui non audierit patris, ac matris imperium, & coercitus obedire contempſerit, apprehendent eum, & ducent ad ſeniores ciuitatis illius, & ad portam iudicij, dicentq; ad eos: Filius noſter proteruus, & contumax eſt, monita noſtra audire contemnit, commeſſationibus vacat, & luxurijs, atque conuiuijs: lapidibus eum obruet populus ciuitatis, & morietur, vt auferatur malum de medio veſtri, & vniuerſus populus audiens pertimeſcat. *Deut.* 21.

POETICAE SENTENTIAE.

Eurip. in Menalippo.

Ὅστις δ᾽ ἄπαις ὢν ὄστις ἄτεκνος ὢν τὸ πρὶν,
Παῖδας θυραίους εἰς δόμους ἐκτήσατο,
Τὴν μοῖραν εἰς τὸ μὴ χρεὼν παραστρέφων.
Ὧ γὰρ θεοὶ διδόασι μὴ φῦναι τέκνα,
Οὐ χρὴ γυναικῶν θεομαχεῖν πρὸς τὸ θεῖον, ἀλλ᾽ ἐᾶν.
Αὐτὸς γὰρ οὐδεὶς οἶδε πῶς ἐγένετο.
Hic ſe ſtultum fatetur, qui cum antea liberis careret,
Externam prolem ædibus ſuis accerſiuit,
Fatum peruertens contra quam oportebat:
Nam cui liberos procreare Dij non conceſſerint,
Id pati debet, non incuſare numen,
Nullus enim per ſe nouit, quomodo natus ſit.

Marullus Poeta.

Scilicet est olim vis rerum in semine certa,
Et referunt animos singula quaque patrum.
Nec leporem canis emasitus, timidamve columbam
Natus Hyperboreo falco sub axe creat.

Apud Homer. de Hippothoo, Iliad. ρ.

Οὐδὲ τοκεῦσι θρέπτρα φίλοις ἀπέδωκε.
Neque nutricandi gratis parentibus ille
Reddidit officia sed ei breue contigit aeuum.

Eurip. in Oenomao.

Ἀμηχανῶ δ᾽ ἔγωγε κοὐκ ἔχω μαθεῖν,
Εἴτ᾽ οὖν ἄμεινόν ἐστι γίγνεσθαι τέκνα
Θνητοῖσιν, εἴτ᾽ ἄπαιδα καρποῦσθαι βίον.
Ὁρῶ γὰρ οἷς μὲν οὐκ ἐοῦσαν ἀθλίους.
Ὅσοισι δ᾽ εἰσὶν οὐδὲν εὐτυχεστέρους.
Καὶ γὰρ κακοὶ γεγῶτες ἐχθίστη νόσος
Κἂν αὖ γένωνται σώφρονες, κακὸν μέγα,
Λυποῦσι τὸν φύσαντα μὴ πάθωσί τι.
Dubius equidem sum, neque diiudicare possum,
Vtrum melius sit progigni liberos
Mortalibus, aut sterili vita frui.
Illos enim, quibus liberi nulli sunt, miseros esse video.
Et contra illos, qui prolem genuerunt, nihilo feliciores.
Nam si mali fuerint, extrema calamitas est:
Rursus si probi euadant, magnum pariunt malum:
Affligunt enim genitorem dum, ne quid patiantur, metuit.

Idem in Andromache.

Ψυχὴ τοῖς πᾶσιν ἐστι δ᾽ ὅστις αὔτ᾽ ἄπειρος ὢν ψέγει,
Ἧσσον μὲν ἀλγεῖ, δυστυχῶν δ᾽ εὐδαιμονεῖ.
Si quis imperitus liberos solatium appellauerit.
Ille minus quidem sentit doloris, at in medio infortunio fortunatè viuit.

Menander in Epitecto.

Ἢ μόνον δεῖ ζῆν ἢ παίδων γενομένων
Πατέρ᾽ ἀποθανεῖν· ὅτι τὸ μετὰ ταῦτ᾽ ἐστὶ τοῦ βίου πικρόν.
Aut oportet viuere solum, ac cœlibem, aut natis iam liberis
Mori parentem. Adeo omnis deinceps vita acerba est.

Sophocles in Electra.

Δεινὸν τὸ τίκτειν ἐστίν· οὐδὲ γὰρ κακῶς
Πάσχοντι μῖσος ὧν τέκῃ προσγίγνεται.
Magna vis est pro creatione: nam neque si mala
Patiatur aliquis, prolem à se genitam odisse potest.

Menander Comicus.

Οἱ γὰρ τεθεῖσθαι πατέρα παίδων, λύπην
Φόβον, φροντίδ᾽ ἔτι παρασκευὴν ἔχει.
Patrem esse plurimum habet molestiæ,
Metusque & curas infinitas.

Sophocles in Aiace.

Ἐν τῷ φρονεῖν γὰρ μηδὲν ἥδιστος βίος.
Nihil sapere, iucundissima vita est.

Incertus author.

Φροντίδες εἰ παῖδες, μέγα μὲν κακὸν εἴ τε πάθοιεν,
Εἰσὶ δὲ καὶ ζῶντες φροντίδες οὐκ ὀλίγαι.
Ἡ γαμετὴ χρηστὴ μὲν ἔχει τινὰ τέρψιν ἐν αὐτῇ,
Ἡ δὲ κακὴ πικρὸν τὸν βίον ἀνδρὶ φέρει.
Curas pariunt liberi, magnum malum si quid humanitus eis accidat.
Viuentes etiam non modicæ curæ causa sunt.
Vxor bona quidem aliquid in se habet iucundi:
Mala vero acerbam facit marito vitam.

Menander.

Εὐδαιμονία τοῦ πατρὸς υἱὸν νοῦν ἔχειν.
Lætitia patris filius sapiens.

Pythagoras in aureis carminibus.

Τοὺς τε γονεῖς τίμα τούς τ᾽ ἄγχιστ᾽ ἐκγεγαῶτας.
Ipse parentes, atque tuos venerare propinquos.

Agatho.

Ὡς ἡδὺ τῶν φυσάντων πειθεσθαι τέκνα.
Quam dulce genitoribus, filios obtemperantes habere.

Virg. 2. Georg.

Tu quos ad studium, atque vsum formabis agrestem,
Iam vitulos hortare, viamque insiste domandi,
Dum faciles animi iuuenum, dum mobilis ætas,
Ac primum laxos tenui de vimine circlos
Ceruici subnecte, dehinc, vbi libera colla
Seruitio assuerint ipsis è torquibus aptos
Iunge pares, & coge gradum conferre iuuencos.

Claud. 3. Hor.

Mox vbi firmasti recto vestigia gressu.
Non tibi desidias molles, nec marcida luxu
Otia, nec somnos genitor permisit inertes:
Sed noua per duros instruxit membra labores.
Et cruda teneras exercuit indole vires.
Frigora saeua pati, grauibus non cedere nimbis.
Æstiuum tolerare iubar, transnare sonoras
Torrentum furias, adscensu vincere montes.
Planitiem cursu, valles & concaua saltus:
Nec non in clypeo vigiles producere noctes.
In galea portare niues, nunc spicula cornu
Tendere, nunc glandes baleares spargere funda:
Quodque magis nimium pugnæ inflammaret amorem.
Facta tui numerabat aui, &c.
Hos tibi virtutum stimulos, hæc semina laudum.
Hæc exempla dabat non ocius hausit Achilles
Semiferi præcepta senis, seu cuspidis artes.
Siue lyræ cantus, medicas seu disceret herbas.

Hor. 3. Carm. 6.

Ætas parentum peior auis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

Ter. Adelph.

Sic fiet modo, vt nunc est quæso,
Vt quisque filium suum vult esse, ita est.

Hor. 4. Carm. 4.

Fortes creantur fortibus, & bonis:
Est in iuuencis, est in equis patrum
Virtus, nec imbecillem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Sen. Hipp.

Redit ad authores genus,
Stirpemque primam degener sanguis refert.

Plaut. in Epid.

Doctè & sapienter
Dicis, non nimis potest pudicitiam quisquam suæ seruare filiæ.

SENTENTIÆ PHILOSOPHICÆ.

De filio contumace. DIAL. XLIV.

Francisci Petrarchæ.

DOL.

Habeo filium contumacem. R. Aequum est, vt qui patrem ferre nō poteras, filium feras, vtique sarcinam grauiorem, magis animum premit, pungitq; acrius superbi filij verbum vnum irreuerenter prolatum, quàm seueri patris quæcumque durities. Ille enim iniuriam facit, hic iure suo vtitur. D. Filium habeo rebellantem. R. Impudenter de minorum rebellione conqueritur, qui maiorum iusta contempserit imperia. D. Filius contumax est mihi. R. Tandem fortassis intelligis, quid tuus ille tam durus pater vilus est tibi. D. Filium patior insolentem. R. Si ætatis est vitium, cum ætate transibit. Multorum ferox adolescentia progressu temporis ad virtutem mirificis prouectibus flexa est. D. Rebellem filium habeo. R. Non solus. Et Dauid, & Mithridates Ponti Rex, & Seuerus Imperator Romanus rebellantes filios habuere, & multis post sæculis Britannici pacem regni (vt fama loquitur) turbauit Regis adolescentis in patrem concitata rebellio, sed quisque sua deflet incommoda, nullus aliena, vel publica. D. Impius ac rebellis est filius. R. Magna tibi portio paternæ molestiæ dempta est mortem filij timere. D. Habeo ignauum, & inertem filium. R. Nescis vt Africanus ille vir magnus dissimillimum filium sibi longèq degenerem amauit vnice? Et profectò maior non dicam amor, sed miseratio debetur ei, quem minus adiuuat natura. Nullius rei eget, qui virtutum diues est, quarum indigentia verè miseros, ac proinde misericordiæ egentissimos facit, tu in filio, & si non virtutem, ama quod filius, siue id quidem, at quod homo est. Postremò si nihil est quod ames, miserere. Proprium patris, vt seueritas, sic misericordia est. D. Perditæ filius est vitæ. R. Pondus insulsum, eoque grauius, quod dum ferri potest, nequit abijci, perfer, & qua datur corrige. Sic enim aut filium curaueris, aut certè patrem egeris, hoc tibi debitum, illud optabile. D. Impius, inhumanus, intractabilis est filius. R. Siquidem mollities, ac voluptas in perfidiam, ac scelus eruperint, venenosum animal exigendum est domo, neque vbi, sed quid natum æstimandum, & in siluis ortas auiculas pascitis, & domi natos scorpiones occiditis. D. Impius filius est mihi. R. Periculosa seponere antequam noceant sapientis est. Non te pietatis vmbra decipiat. Nulla impio debetur pietas. Est vbi sit crudelitatis species pium esse, sed dum aliquid vel minimum spei est, semper ad misericordiam inclina, mementoq patrem esse non iudicem, neque hic tibi Terentianum illud excidat, pro peccato magno paululum supplicij satis est patri.

De ortu filiorum. DIAL. LXX.

GAV.

Nati mihi sunt filij. R. Geminatum malum, pondusque domesticum. GAV. Filij mihi sunt nati. R. Laboriosa vxor, laboriosa amica, laboriosissima demum proles. G. Nati filij. R. Dulcedo amarissima

marissima, & fel melle circumlitum. G. Nata mihi est dulcis soboles. R. Fontem tibi grauium curarum domi natum credito. Numquam sine metu, atque angoribus vitam ages. G. Filios genui. R. Nec timere, nec sperare, nec vota facere noueras. En disces tuo periculo, disces & parentes orbos miserari, disces & in breui vita longas curas texere, teque longiora negotia ordiri, disces his qui nihil ad te pertineant torqueri, quæ visurus numquam sis disponere. Ad postremum disces amare plus alium, quàm te, disces ardentissimè diligere, tepidissimè diligi duras artes. G. Filios habeo. R. Nunc primum intelligere incipis, quid ipse debeas parentibus tuis. G. Filios procreaui. R. Seuisti arborem inexhausto percolendam studio, quæ te dum viuas exerceat, cuius nullos forsitan aut fetos, & fortasse post obitum fructus legas. G. Filij mihi sunt. R. Si boni iugis timor, sin mali sempiternus dolor, interim solamen ambiguum, certa cura. G. Habeo filios. R. Habes vnde viuus doleas, mortuus agnoscaris. Habes & vnde sæpius mori possis. G. Pater filiorum sum bonorum. R. Quanto meliores filij, tanto periculosior conditio tua est. Nescis quam dolendi materiam gignendo quæsieris, quos lachrimis aditus in domum tuam patefeceris, quantum in te ius morti, miseriæq; præbueris. O matres miseræ! *Ait Horatius.* O Patres miseri! Dico ego. G. Optimorum pater filiorum sum. R. Optanda mors tibi integro est, ne forte viuus esse desinas, quod delectat, & aliquando cum Nestore à socijs quæras, cur tam diu vixeris. G. Votiua felix lætusq; sum sobole. R. Felicitas anxia, solicitum gaudium, & sæpè mœstū, felicitas misera. Possem multos illustrium proferre, quorum felicitati nihil magis obstitit, quàm quod filios habuerunt.

De filio infante festiuo. DIAL. LXXI.

GAV.

Infans filius festiuus est mihi. R. Modo ne ista festiuitas in dolorem desinat, & quo tibi præsens lætior infans tuus fuerit, eo mœstior sit digressus. G. Infans est mihi bonæ spei. R. Quid si sit nullius rei? Caduca ante alias ætas, illa sæpè in ipso flore præciditur. Vtque nil dulcius, sic fere nil amarius. G. Infans est mihi blandissimus, atque multiloquus. R. O, ne istæ blanditiæ vertantur in lachrimas. Res est dulcissima (fateor) infantuli aspectus, & alloquium, vtque est apud Statium Papinium. *Sydereis vultus, & verba ligatis Interrupta modis*, quæ dum audiuntur mulcent, dum audiri amplius non possunt, cruciant, nec sine sensu doloris ad memoriam reuertuntur, sic humanis in rebus, sed in nulla magis dulcedini opposita semper amaritudo est. G. Delector filio infante iucundissimo. R. Non prohibeo delectari, ne naturæ obstem, sed in omnibus modum quæro, sine quo nihil bene agitur. Volo te parcius gaudere, vt si dolendum fuerit, possis & parcius dolere, & moneo cogitare facilè fieri posse, vt arundineo baculo insistas: vel in caducum se parietem inclinaueris, quod sæpè dixisse fertur Adrianus princeps, cum Aelium Verum puerum pulchrum, sed fragilem adoptasset, & tecum canere possis Maroneū illud. *Ostendent terris tantum fata, neque vltra esse sinent.* G. Gaudeo de infante meo. R. Sic gaude vt doliturus, siue ille vt dixi acerba morte defungetur, siue quod est multo grauius, quodque sæpissimè accidit, e grauissimo infante fit ingratus, & inobediens adolescens. G. Multum gaudeo de infante filio. R. Nemo tam stultus agricola est, qui de flore multum gaudeat, fructus est expectandus, tunc gaudendum modicè. Interim tempestates, grandines, & rubigines metuendæ sunt, frenandumq; metu gaudium.

De amisso filio. DIAL. XLVIII.

DOL.

Sed amisi filium. R. Melius dic præmisi, secuturus cito quidem, & fortassis hodie, & quid scimus, an hac ipsa hora? Nulla fides vitæ est, quum tanta sit fides morti, secuturus dixi, sequens debui, continuè sequeris, nusquam in vita pedem figere permissum hominem, vno semper gradu ad mortem (mirum dictu) seu ille vinctus, seu solutus, seu stans, seu ambulans, seu sedens, seu sanus, seu æger, seu vigilans, seu sopitus, ad metam fertur, atque illorum more, qui vehuntur nauibus, vel quiescens properat. D. Amissi filij desiderio excrucior. R. Compesce animum, quem cupis inuenies, nulla est mora, non posse pati desiderium parui temporis puerile, seu fœmineum est. Viro enim nihil breue difficile. Nosti credo quibus verbis desideria huiusmodi apud Platonem Socrates, apud Ciceronem Cato, & Lælius consolentur. Virtute quamuis & gloria supremi viri, hac spe tamen longe impares. Nosti præterea quid animi Aemilius Paulus, quid Cato ipse, quid Pericles, quid Xenophon ille Socraticus condiscipulus Platonis, atque æmulus, quid innumerabiles alij natorum in mortibus habuere, nec te præterit, vt Propheta idem & Rex filium quem languentem fleuerat, nō fleuit extinctum, cogitans, quod irrecuperabilia lugere superuacuæ dementiæ verius, quàm pietatis est. Quibus se virilibus exemplis interserit Spartana illa mulier apud scriptores quidem innominata, sed non pariter illaudata, quæ audito quod filius in prælio occidisset, ideo ait, illum

Polyanthea Nouiss.

genui, vt esset qui mori pro patria nō timeret. Par Liuiæ virtus, maiorisq; Corneliæ, sed clariora sunt nomina, quarum prior ingentis nati, & ad summum spectantis Imperium, vt terræ traditus fuit, luctum mox deposuit, numquam verò memoriam intermisit: altera filijs multis immo omnibus amissis, quorū aliquos à populo interfectos, inhumatosq; conspexerat, commiserantibus & illius sortem fœmineo more deplorantibus, miseramq; vocantibus, non se miseram, sed felicem esse respondit, quæ tales filios genuisset. Insignis mulier, nec præsenti misera, nec præterito etiam infelix, quæ contra publicam opinionem, & consuetudinē miserorum se felicitate præterita, & læti temporis memoria solaretur, grata quod habuisset, quod amisisset æquanimis, ob hoc vnum digna vti prosperiore successu. Et illa quidem mulier tot a grauibus fortunæ vulneribus inconcussa permansit. Tu vir vnico deiectus luges. D. Amisi filium. R. Amisisti simul & metus multos, infinitamq; materiam solicitudinum, & curarum, quibus vt careres, vel tibi, vel filio moriendum fuit. Securum patrem sola mors facit. D. Filium amisi. R. Si pium nil est, quod illi metuas, in tuto est. At si impium tuorum numeratorem annorum, tuæ stimulum senectutis extulisti. D. Filium perdidi. R. Si virtute præditum, gaude quod habueris. At si vsno perditum, gaude saltem quod amiseris, vtrobique naturæ beneficium agnosce, seu quod talem dedit, seu quod talem abstulit. D. Ante tempus filium mihi mors rapuit. R. Non fit ante tempus, quod in omni tempore fieri potest. In omnem ætatem multi sunt aditus morti, in adolescentia infiniti. D. Sine filio remansi. R. Et sine angoribus, & sine pauoribus. Iam non erit cui noctes insomnes, cui solicitos dies agas, cui spes longas, atque inextricabiles ordiare, qui canos tuos, rugasque cōsideret, hæreditatem æstimet, sumptus arguat, moram mortis incuset. Vndique tibi securitas, & quies, genus bonum ingens, titulo licet moros asperius. D. Acerba filij morte deiectus sum. R. An non Anaxagoram audieras? An oblitus eras te genuisse mortalem? An id potius forsan luges, quod qui sequi debuerat antecessit? Equidem cum in multis inordinata hominum vita sit, nullum penitus mors habet, & senes decrepiti cunctantur, & festinant iuuenes, & præcipitant pueri, & infantes, primo vitæ de limine retrahuntur. Hic tardius licet, ille ocius, hic maturus, ille acerbus, nemo non moritur, hæc summa est, vbicumque vero hoc qualibet ætatis parte quis obierit, & si acerbus fuerat, morte maturuit. D. Extinctum fleo filium. R. Si fleturus eras morientem, & nascentem flesses, tunc mori cœperat nunc desijt. Noli autem tuam, & illius sortem optimam lugere, ille iter ambiguum à tergo habet, tu securum ante oculos non amplius, aut charo oneri timens, vt Maro ait, aut alteri. D. Cum filio vitæ dulcedo omnis extincta est. Magnum fateor, ac dulce solatium patri filius bonus, sed solicitum, ac graue. Et sæpè dulcissima offendunt, & charissima impediunt, & preciosissima rerum premunt. Et fortassis hic filius obstabat aliquo animo volenti. Iam mœstior licet ac liberior factus exurge, bona de malis elicere sapiētis est. D. Mors me filij mœstum fecit. R. At quod restat alacer exige, illi vixeras, viue iam tibi.

De filij fortitudine. DIAL. LXXXII.

GAV.

Est mihi filius vir fortis. RAT. Quanto ille est fortior, tanto tu timidior sis oportet: In nullos enim homines plura pericula, quàm in sui contemptores, hoc est, viros fortes, congerit fortuna, nec immerito. Cæteri enim se abdunt, euitantq; impetum, illi se obijciunt fulminanti. Recurre memoria præteritum tempus, fortissimos fere omnes violenta morte consumptos inuenies. G. Fortitudo filij ingens est. R. Fortitudo pulcherrima virtus est, sed comitats casibus varijs, paratas lachrimas, & instructum feretrum habeto, omnibus mors vicina, viris fortibus contigua est. G. Vir fortissimus est filius. R. Est qui patriæ libertatem forsitan, stragem hostibus, sibi decus, tibi fletum aliquando, metum semper afferat. GAV. Natus mihi fortis, ac magnanimus est. R. At quid aliud interfecto in filio Creon gemit, nisi magnanimum bellicæ laudis ardorem? Quid Euander in Pallante suo, nisi nouam gloriam armorum, prædulce decus primi certaminis? Quid aliud Priamus Hectorem pauens monet, nisi ne Achillem solus expectet? Quidve aliud hunc ipsum mater anxia precatur, nisi vt fugiat bellicosum virum? Quid denique vxor Hectoris post viri mortem fati ignara timere se dicit: nisi probitatem viri miseram, & feruore animi non se in acie continentem bellatorem, sed cæteros præcurrentem, quod ipsum iam ante ab initio formidabas, vbi euntem ad bellum his verbis alloquitur, Dæmonice, corrumpet te tua vis, neque misereris filij pueri, & mei miseræ matris, q̄ cito vidua tui ero. Quid postremò Achillis genitrix pro nato timida dum diceret: *Iam Pelago terrisq; meus quæretur Achilles, Et volet ipse sequi.* dumque illum frustra tam feruentis belli motibus ereptum, & imbecillem tranquilli senis in regiam inuectum virgineis latebris occultaret? Omnes hos quidem fletus, & hos metus nihil aliud quàm martia vis, & virtus animosa pepererat. GAV. Valde mihi

magnanimus est filius. R. Magnos animos, siue magna potentia, stultitia magna est. Magnanimitas recta hominum est paucorũ, quamuis & qui potentissimi videntur, quam sint fragiles multa etiam præter mortem, sed præcipue mors declarat, vt breuiter vereq. dici possit. Nihil imbecillius homine, nilque superbius. G. Filius est mihi magnanimus. R. Gaude. Ergo habebis magnorum conatuum plenam domum, otij vacuam, & quietis. Et sæpe optabis non tam magnanimum filium habuisse. Ad summam clara est fortitudo, magnanimitas speciosa, vtraque verò laboriosa, & turbida, tuta modestia, & tranquilla.

De filia impudica. DIAL. LXXIII.

DOL.

Delicata nimis est filia. R. Duas se habere filias delicatas, sed ferendas tamen, Rempubl. scilicet & Iuliam dicere solitus fertur Augustus Cæsar, Iuliæq; animum lætum quidem vsque ad speciem procacitatis, sed reatu liberum. In vtraque tamen ita sentiens princeps sapientissimus fallebatur. Nam & Respublica iam pridem ab illa sua prisca virtute fornicari cœperat, & filia non tam delicata, quàm probris solum patrem latentibus deformata erat, quæ tandem (sero licet) erupere: secundum tamen hanc sententiam delicata potest esse filia, sed pudica. Quod vt permiserim, negari illud certè non potest. Pronum, & breue iter ad impudicitiam esse delicias. D. Filia lasciuire incipit. R. Occurre principijs, dura ferro, tenera digitis conuelluntur. Qui sibi, vel alteri habitum quærit, à teneris annis incipiat. Facilè & tractantur mollia, & flectuntur. D. Lasciuire incipit filia. R. Lautas dapes, & vestes illi molles, ac fulgidas, anulosque & armillas detrahe, & quidquid est aliud, quo & ipsa sibi placeat, & placere alijs studeat, obijce illi domesticas curas, pensa, acus, & colos, & si quid est operis, quod suauea, ac molles manus in callum duret. Seduc eam à spectaculi, è concursu populi. Festis etiam diebus illam domi contine. Nullum vagis, ac discolis cogitationibus tẽpus linque. Occupatio, & labor, & incultior habitus, & victus asperior, & secessus, inque vnum aliquid iugis intentio. Ad hæc testis charus, & verendus, frequens admonitio, dulces minæ, etsi quando res exigat, asperæ. Hæ sunt castitatis aduersus impudicitiam seræ, ac vectes, qui & insultantes otioso animo passiones arceant, & ingressas eijciant. D. Filia impudica est. R. Ecclesiasticum consilium: Super filiam luxuriosam confirma custodiam, ne quando faciat te in opprobrium venire. Etsi autem nihil penetralibus pati possis, modo tamen paterni officij nihil omiseris, est vnde mœstum te soleris. Tuus enim potest esse dolor, sed nõ pudor, nec crimen. Nam præcipitem in libidines animum frenare difficile est valdè, & nisi Deus in manum adhibeat, impossibile homini. Tantus est enim impetus, tamque effrenis, vt contra eum frustra sæpenumero parentes, frustra & fratres, frustra etiã ipse vir laboret, neque id mirum, cum sit scriptum: Aliter non possum esse continens, nisi Deus dat. Neve hinc pudicitiæ excusatio vlla sit, dat hoc Deus pia fide poscentibus, quodque ipse est annitentibus, ac scientibus cuius sit hoc donum, ritèq; & ipsum æstimantibus, & authorem. D. Filia adultera est. R. Si nupta, habeat participem generum doloris. Habes & ipsum Cæsarem Augustum, & iniuriæ comitem, & vltionis exemplum.

De filia castitate. DIAL. LXXIV.

GAV.

Casta est mihi filia. R. Iucunditas magna, sed solicita. Quanto enim castitas maior, tanto in eam vigilantior libido. Nihil tam ardenter inuaditur, quam quod castis excubijs, & fœmineo pudore vallatum est. Concessu calle corruptor it segnius, & permissa tepentius appetuntur, multum concupitæ rei difficilis solet esse custodia. G. Insignis natæ pudicitia est. R. Est vbi res optima rei pessimæ materiam præbet. Magna Lucretiæ forma fuit, sed nil æquè a spectata matronæ nobilis castitas vesanum iuuenem in adulterium violentum stimulis egit ardentibus. Sic bonorum donis abutitur nequitia reproborum. G. Castitas filiæ nota est. R. Opta vt perpetua sit. apud Poetam legis, *Varium, & mutabile semper Fœmina.* Quod si Maro non diceret, numquid minus ideo certum esset? Quot adolescentulas pudicas primum, post lasciuas anus vidimus? Et ita præsentibus vitijs cum præterita castitate certantes, vt pudicè acti quasi perditi temporis pœnituisse videtur, quo nullum fœdius illo in sexu, atque ætate ludibrium. G. Castissima mihi filia. R. Si ipsam cognouerit, scieritq. cuius est domini castitas, & illi grates agens ad custodiam boni sui totũ peruenerit, erit (fateor) vnde & secum Deo gratias agas, & gaudeas, magis quàm si illam regijs nuptijs illustrasses. Est tamen interim (mihi crede) quod timeas. Cum sit enim in omnibus rara constantia, tum in fœminis nulla est.

Τεκνοτροφίη σφαλερόν· τὴν μὲν γὰρ ἐπιτυχίην ἀγῶνος μεστὴν καὶ φροντίδος κέκτηται, τὴν δ' ἀποτυχίην, ἀνυπέρθετον ἑτέρῃ ὀδύνῃ. Id est. Periculosa est educatio liberorum. Nam si res bene cedat, multum solicitudinis, & curarum affert: si male, alios dolores necessarios parit. *Democritus.*

Est profectò (vt videre videor) magnum virtutis adiumentum, claris ortum esse parentibus. Solent enim iuuenes, qui aliquid indolis habent, ne degenerare videantur, maiorum suorum dignitatem æmulari, & ad paternarum laudum aspirare felicitatem: Sic Philippi nomen Alexandrum: sic maioris Africani gloria minorem Scipionem. sic Cæsaris Iulij fama Octauianum excitauit: sic denique Pyrrhus Achillides animosus imagine patris. Te quoque Ludouice, quamquam Deo, & natura ducente, tuisq; annitentibus studijs, virtutem amas: non parum antecessorum tuorum te iuuare possunt imagines, quorum mores æquare, vt arduum, & difficile, sic certè pulchrum, & laudabile. *Baptista Mantua. ad Ludou. Fuscar.*

Quare, vt solidus, stabilis, & quietus conceptus fiat, non oportet corporibus ebrietate diffusis dare operam liberis: qui autem vino refertus, iam animæ, quàm corporis rabie concitatus quouis, & trahit, & trahitur. Idcirco ebrius, tamquam mente captus ad serendum est inutilis. *Plato 6. Dialogo de legibus.*

Οὐ δοκεῖ μοι χρῆναι παῖδας κτᾶσθαι· ἐνορῶ γὰρ ἐν παίδων κτήσει πολλοὺς μὲν καὶ μεγάλους κινδύνους, πολλὰς δὲ λύπας, ὀλίγα δὲ τὰ εὐθηνοῦντα, καὶ ταῦτα λεπτά τε καὶ ἀσθενέα. Id est, Non probo liberorum propagationem. Nam in ipsorum possessione multa, magnaq. discrimina inesse video, & molestias plurimas: Pauca vero iucunda, eaque tenuia, & exilia. *Democritus.*

Palam est ignauos sæpè filios claris ortos esse parentibus, vt de Scipione legimus, Cicerone, Herode Attico. Causam Aristoteles in problematibus affert: Mentem viri præstantis, magis a natura sensua, carnisq; remotam, ac quasi suspensam, inopem ingenij conceptus genituram præstare. Contra verò claros ex ignauis, & improbis, bonos sæpè genitos videmus, vt tot sanctos viros ex crudelibus, & nefarijs. Plerumque tamen iuxta Græcum Prouerbium euenire solet, *κακοῦ κόρακος κακὸν ᾠόν.* Plato felicem dicit fieri genituram ex vtrisque bonis, malam vero ex vtrisque malis. Bonam autem intelligit ex concordi discordi prouenientem, vt videlicet acriora ingenia mitioribus copulentur, vehementiora remissioribus. *Volat. lib. 30. Philologia. Titulo, Ex liberis bona, mala q;.*

Hoc generi hominum prope natura datum, vt i qua in familia laus aliqua forte floruerit, hanc fere qui sunt eius stirpis, quod sermo hominum ad memoriam patrum virtute celebretur, cupidissimè persequuntur: Siquidem non modo in gloria rei militaris Paulum Scipio, aut Maximum filius: Sed etiam in deuotione vitæ, & ipso genere mortis imitatus est Publium Decium filius. *Cic. in orat. pro Caio Rabirio Posthumo.*

Oportet ante omnia Dijs non tam multa, quàm frequenter, & piè sacrificare. Deinde parentum alere senectutem, eorumq; consilijs vitam accommodare. Qui autem hæc neglexerit, contra naturæ, & iustitiæ leges aget. Vxoris igitur, & filiorum curam suscipiendam, vt ab ipsis in senectute recipiamur. *Theophrastus.*

APOPHTHEGMATA.

Agesilaus. Cum miro esset affectu erga liberos suos, dicitur aliquando arundine pro equo conscensa, vna cum pueris lusisse domi. Id ex amicis illius quodam vidente, rogauit, ne cui hoc quod viderit diceret, priusquam ipse quoque liberorum parens factus esset. Festiuè subindicans, eum lusum nequaquam leuitatis, sed amoris fuisse. *Plut. in Lacon. apoph.*

Crœsus. Quum Cambyses, se cum patre Cyro conferret, amicis illum patre præstantiorem affirmantibus: Crœsus respondit, illũ nondum patri æquandum. qui nondum reliquisset filium. Sentiens, & hoc esse non infimum erga Rempublicam meritum, si non solù ipse te præstiteris egregium virum, sed aliquem tui similem gignas, educesque patriæ. *P. M. lib. 6. apoph.*

Cæsar. Quum Romæ videret peregrinos quosdam locupletes, canum, ac simiarum catulos in gremio circumferentes, eosq habere in delicijs, percontatus est: Num apud illos fœminæ parerẽt liberos? Sentiens, nullos catulos esse iucundiores infantibus. *Plut. in vita Periclis. tametsi non indicat, cuius Cæsaris hoc dictum sit, suspicor esse August.*

Antoninus Pius, biduo priusquam moreretur, admissis amicis, aperuit sententiam suam de filio, eamdem quàm Philippus de Alexandro, dicens: Se æquo animo mori, cum filium relinqueret. *Capitolinus.*

Thales filius subinde admonebat, vt parentibus benefacerent, his verbis: Quale præmium rependeris parentibus tuis, tale à liberis tuis expectato. *Laert. lib. 1.*

Pittacus, filium admonens, ne cum Patre in iudicio litigaret, his verbis vsus est: Si de patre iniquiora dixeris, damnaberis: sin æquiora, vel ob istud damnari dignus es. *Stob. serm. 77.*

Telecrus, cuidam nuncianti, patrem de eo male loqui: Nisi, inquit, illi dicendum esset, haud quaquam diceret. Malè, it in se transfer-

transferre culpam, quàm committere vt pater quicquam temere loqui videretur. Habes & pietatis simul, & modestiæ exemplum. *Plut. in Lacon.*

Idem. Percontanti, quare mos esset apud Spartanos, vt iuuenes assurgant senioribus: Vt, inquit, assueti honorem habere nulla propinquitate iunctis, magis honorent parentes. Optima ratio consuefaciendi ad debitum officium, si vltra quàm debetur doceamur præstandum. Veluti si quis assuescat cum vxore verecundè, castèq; conuiuere, multo minus improbus erit apud alienas. *Plut. in Lacon.*

Agidem vltimum Regem Lacon. huius nominis, cum rogassent parentes, vt sibi in re quapiam iniustè adesset, recusauit illis aliquando. Verùm cum instarent, hunc in modum respondit: Donec essem apud vos, nullam omnino tenebam iustitiæ scientiam. Verũ vbi me patriæ tradidistis, patriæq; legibus, conabor huic magis obtemperare, quàm vobis. *Plut. in Lacon. apoph.*

Scythæ. Dario totius regni viribus subinde impetum faciente, Scythæ paulatim cedentes ad vltimas solitudines peruenerant, Interrogati tandem ab eo, quem fugiendi finem essent facturi? Responderunt, se nec agros, nec villas, nec vrbes, pro quibus dimicarent, habere: Cæterum cum ad parentum suorum monumenta peruentum esset, tum denique sciturum Darium, quomodo Scythæ solerent præliari. *P. M. 6. apoph.*

Alexander cum sibi multa de matre scripsisset Antipater: Ignorat, inquit, Antipater matris vnicam lachrimam multarum calumniarum epistolas deleturam esse. *Plut.*

Demetrius Phalereus admonebat adolescentes, vt in solitudine seipsos, in via obuios, & domi parentes diligenter reuererentur. *Laert. lib. 5. cap. 5.*

Epaminondas, ex omnibus, quæ præclarè, & honestè gessisset in vita, illud sibi dicebat esse iucundissimum, quod vtroque parente viuo Leuctrica pugna vicisset Lacedæmonios. Vir pius non tam sibi gratulatus est eam obtigisse gloriam, quàm hanc voluptatem ex se contigisse his, quibus vitam suam acceptam ferebat. *Plut. in apoph.*

M. Cato. Adolescens quidam patris vita defuncti imimicum mox in ius vocauit, vltusque est, quem Cato obuium comiter amplexus, Sic oportet, inquit, non agnis hœdisve, sed e malorum lachrimis, ac damnationibus parentum exequias celebrare. *P. M. 5. cap. apoph.*

Coriolanus. Cum merito iratus ingrato populo Romano, exitium vrbi moliretur, nec à legatis, nec à sacerdotibus exorari posset: Veturia mater vna cum vxore filij, ac liberis in castra venit. In cuius complexum, quum accurreret Coriolanus: Sine, inquit, illa prius sciam, vtrum ad hostem an ad filium venerim, & vtrum captiua an mater in castris tuis sim. Hæc aliaque quum dixisset, matrem complexus: Expugnasti, inquit, & vicisti iram meam. Patria, te quamuis mihi merito inuisam, huius precibus dono. *Liuius.*

Anton. Geta. Quum Antonini Getæ pater Seuerus destinasset omnes diuersarum partium occidere, inter suos dicere solitus est: Hostes vobis eripio, adeo consentiente Bassiano, vt liberos etiã illorum suaderet necari, Geta puer interrogauit, quantus esset occidendorum numerus? Eum quum pater edidisset, rogauit, nũ isti haberent parentes, ac propinquos? quum responsum esset: Habere & quidem multos. Plures ergo, inquit, in ciuitate tristes futuri sunt, quàm læti, quod vicimus. Valuisset enim datum pueri dictum, nisi quorumdam crudelitas obstitisset. *Ælius Spartianus.*

Aristippus. Incusante quodam, quod filium sic abijceret, negligeretque, quasi ex ipso natus non esset: An non, inquit, & pituitam, & pediculos è nobis natos, velut inutiles, procul à nobis abijcimus? Sensit, eos non habendos pro filijs, qui nihil haberent alioqui, quo se parentum affectui commendent, nisi quod ab ipsis progeniti sunt. Ita senex in comœdia: Tantisper te volo meum, dum id quod te dignum facis. *Laert. lib. 2.*

Anonyma. Lacæna quædam, filium qui profectus in militiam in aciei loco fugerat, non tantum vt ignauum, & inobedientem abdicauit, sed occidit penitus. De qua hoc extat *apud Plut. in Lacanarum apoph. Epigramma:*

Germen iners abeas ad tartara, teque perosus
Eu otas, ceruis nec det aquam timidis.
Ignauus catulus, mala fors, hinc vade sub orcum,
I Sparta indignus quem nec ego peperi.

Damatria. Cum filium haberet, qui se in bello non strenuè gessisset, domum redeuntem non abdicauit tantum, sed occidit etiam, dicens: Nequaquam conuenire, vt ex fortissimis parentibus natus filius ignauus superstes esset. *Plutarchus in Lacænarum apophthegm.*

Teleutia. Quum Chij exules venissent Spartam, quàm plurimis multis nominibus incusabant Pædaretum. Eos mater Teleutia ad se accersit, ex his vbi cognouisset, quæ filio obijcerent, videreturque filius in culpa esse, scripsit illi in hunc modum: Mater Pædareto. Aut melius viue, aut illic mane, Virago mortem minata est filio, vt mores corrigeret suos. *Plut. in apoph. Lacænarum.*

Alexander reprehensus ab vxore, quod filium inutilem abdicasset, diceretq; ex eo esse, cum expulisset interan. Et hoc, inquit, ex me est, at non vtile. *Stob. ser. 23.*

August. Cæsar. Iuliam filiam ac neptem relegarat: deinde Agrippã prius adoptatum, post ob sordidum ac ferox ingenium abdicatum. Ad omnem horum mentionem solebat exclamare versu Homerico:

αἴθ' ὄφελον ἄγαμός τ' ἔμεναι, ἄγονός τ' ἀπολέσθαι.
O vtinam cælebs vixissem orbusq; perissem.

Nec aliter illos appellabat, quàm tres vomicas, seu tria carcinomata sua. Suorum enim mortem leuius ferebat, quàm dedecora. Quin & testamento cauit, ne si quid accidisset Iuliæ filię & nepti, sepulchro suo inferrentur. *P. M. l. 4. apoph. ex Suetonij Augusto.*

Titus. Non legiones, inquit, non classes, perinde sunt firma imperij munimenta, quàm numerus liberorum. Nam amici tempore, fortuna, cupidinibus aliquando, aut erroribus imminuuntur, transferuntur, desinunt. Suus cuiq; sanguis indiscretus, sed maximè principibus: quorum prosperis & alij fruuntur, aduersa ad iunctissimos pertinent. Ne fratribus quidem mansura concordia, ni pater exemplum præbeat. *Tacit. hist. lib. 4.*

Solon interrogatus, cur nullas leges aduersus eos, qui parentes verberassent, constituisset: Quod nullos, inquit, tales extituros existimabam. *Ant. in Meliss. par. 2. ser. 11. Max. ser. 23.*

Diogen. Ad eum, qui patrem despiciebat: Non te pudet, inquit, eum contemnere, cui debes hoc ipsum quo tibi places? Dicti gratia sita est in allusione contrariorum. Pugnant inter sese, despectui esse, & sibi placere. *Laert. lib. 6.*

Plato videns quendam erga Patrem suum fastuosius agere. Non desines, inquit, adolescens illum contemnere, cuius gratia altum sapere vis? *Stob. ser. 77. & Max ser. 33.*

S I M I L I T V D I N E S.

Chrysostomi. Vt regula est humanæ naturæ, vt omnis homo nascatur duos oculos habens, & quinos digitos: aliquando tamen vt manifestentur opera Dei, nascitur homo aut sex digitos habens, aut oculos omnino non habens: Sic & homo extra regulam naturæ raro procedit, vt dissimilis nascatur filius parentibus. *In Matth. 23. hom. 45.*

Sicut arbor in fructu cognoscitur, & fructus per arborem demonstratur: Sic parentes cognoscuntur in filijs, filij per parentes: *In Matth 23. hom. 45.*

Anonymi. Vt ferrum aut chalybs cætera quidem duritie, rigoreq; superat, ab adamante vincitur. Ita res quidem potens est amor in liberos, sed hunc quoque superat pietas in Deum. *In Sim.*

A D A G I A.

Filius degenerans.

In filium qui paterna degenerat virtute: vel qui non dicuntur à parentibus, sed excutiuntur à maiorum facultatibus. Apposite autem torquebitur ex Iliad. ρ.

ἀλλ' οὐχ υἱὸς ἐν ἔντεσι πατρὸς ἐγήρα. id est.
At non consenuit patrijs in filius armis.
ἀνδρῶν ἡρώων τέκνα πήματα.

Virorum Heroum filij noxæ.

Veteribus illud obseruatum fuit præstantium virorum filios multum à progenitorum moribus abfuisse, Vnde & Demosthenes dixit:

Τῶν ἀγαθῶν ἀνδρῶν, ὥσπερ εἱμαρμένον, οἱ υἱεῖς ἀποβαίνουσι φαῦλοι.

Id est: *A viris egregiis, perinde quasi fato quodam id accidat, improbos prognasci filios. Atque hæc Demosthenis sententia refertur ab Aristide in Cimone. Manet & hodie vulgatus iocus, nempe. Ex sapientissimis patribus stultissimos propagari liberos. Euripides in Heraclidis generatim hanc sententiam ad omnes mortales retulit.*

ἕνα γὰρ ἐν πολλοῖς ἴσως
εὕροις ἂν ὅστις ἐστὶ μὴ χείρων πατρός.
Vnum forsan inter plurimos
Inueneris, qui patre non sit nequior.

Declarat hoc argumentum Ælius Spartianus in Seuero Cæsare, multis exemplis declarans: ita fere vsu venisse, vt viri seu virtute, seu literis seu fortunæ indulgentia insignes, aut nullos omnino liberos haberent, aut tales reliquerint, vt magis ex vsu rerum humanarum fuerit illos absque liberis discedere.

Nunquam ex malo patre bonus filius.

Euripides hanc sententiam prouerbio celebrem fuisse testatur: Ex malo patre non progigni bonos liberos.

φεῦ φεῦ, παλαιὸς αἶνος ὡς καλῶς ἔχει,
οὐκ ἂν γένοιτο χρηστὸς ἐκ κακοῦ πατρός.
Heu, Heu, vt illud dictant recte, probum
Patre ab improbo non posse nasci filium.

Adstipulatur huic dicto prouerbium illud:

Κακοῦ κόρακος κακὸν ᾠόν. id est. Mali corui malum ouum

Item illud Theognidis: οὔτε γὰρ ἐκ σκίλλης ῥόδα φύεται. Id est: Non enim ex squillis rosa nascitur.

E X E M P L A H I S T O R I C A.

Bonorum parentum degeneres filij, Ctesippus Gabriæ Atheniensis

fis filius, Gersa & Eliezer Mosi filij, C. Ca'igula Germanici filius, Commodus Imperator M. Antonini philosophi filius Licinius Galienus Imperatoris Pub. Cornelij Liciuij Valeriani filius. *Baptista Fulgos. de dictis factisq. memorabil. lib. 5. c. 5.*

Carinus Cari Imperatoris filius: Samuelis prophetæ filius: Henricus Imperator, Henrici secūdi filius: Venceslaus Cęsars Bo.mię Regis Caroli quarti filius: Noradinus Damascenus Sulthanus Sa-ladini filius: Ioannes vicecomes primi Ducis Ioannis Galeazi filius: Item Francisci Sfortij filij, maior natu Galeatius, Philipp. & Ludouic. *Idem.*

Scipio ignobilis Africani Filius: Q. Fabius Q. Fabij Maximi Allobrogici & ciuis & Imperatoris clarissimi filius: Clodij Pulch.i filius: Hortensius Corbio Quinti Hortensij eloquentissimi ciuis nepos, *Ex Valer. Maxim.*

rari felicitatē, respondit: Nondum vitę finis adest, vir optime. Nā ne Priamus quidem quum eius esset ætatis erat infelix, qui tamen misere iam senex in Troiano incendio extremum clausit diem. *Plut. in apoph.*

Epaminondas interrogatus, quem arbitraretur ducem præstantissimum, ipsiu noe, an Chabriam, an Iphicratem, ad, inquit, iudicatu perdifficile est, donec viuimus. Alludit ad Solonis dictum, qui finem hominis vbique spectabat. Quamdiu enim viuit homo, potest ad meliora proficere, & ad deteriora degenerare. *Plut. in apoph.*

Fridericus Imperat. percontatus aliquando quid homini optimum posset contingere, respondit, Bonus in hac vita exitus. *Æneas Sil. lib. 4. commentar. rerum Alphonsi regis gest.*

FINIS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Finis, pro mercede vel pœna, quæ opus sequitur. *Philip. 3. 19.* finem suum nescit homo, *Eccl. 9. 12.* finis rerum omnium instat, *1. Pet. 4. 7.* In finem sæculorum incidimus, *1. Cor. 10. 11.* finis legis Christus, *Rom. 10. 4.*

POETICAE SENTENTIAE.

Ouid. Epist. 2.

Exitus acta probat: careat successibus opto,
Quisquis ab euentu facta notanda putat.

Iuuenalis 10.

Festino ad nostros, & Regem transeo Ponti,
Et Crœsum, quem vox iusti facunda Solonis
Respicere ad longæ iussit spatia vltima vitæ.

Boet. 3. 2.

Repetunt proprios quaq. recursus,
Redituq. suo singula gaudent,
Nec manet vlli traditus ordo,
Nisi quod fini iunxerit ortum,
Stabilemq. sui fecerit orbem.

SENTENTIÆ PHILOSOPHORVM, ET HIST.

Finis est bonum aliquod, cuius causa aliquid aut natura, aut arte fit. Nam quod fortuito euenit: nullius rei gratia fieri dicitur. *l. 2. de demonst. c. 2. T. 12. Arist.*

Inter fines, qui perfectus est, semper præcellit imperfectum. Perfectus porro est, quo admoto, nullo amplius nobis opus est. Imperfectus contra quo assi,tente, nonnihil quo indigeamus abest nobis. *l. 1. Magn. Moral. c. 2.*

Non omne quod extremum est, finis dicitur, sed id demum, quod est omnium præstantissimum, *l. 1. de Natura, c. 2. T. 23.*

In cuius causa fit aliquid, & quod eius causa efficitur, forma eueni re possunt, *l. 2. de Nat. c. 8. T. 85.*

Est idem finis, & actio, neque aliud quippiam est præter actionem finis, *l. 2. Magno Moral. 12.*

Est finis id, vnde principium non agendi, sed cogitandi ducitur, *l. 2. de Natur. c. 9. T. 89.*

Id cuius causa aliquid efficitur finis est, eiusmodi autem est id, quod non alio, sed ad ipsum cætera referuntur, *l. 1. Breuior. Metaph. cap. 2. T. 8.*

Fieri non potest, vt causa ad quam aliquid refertur, infinite progredi possit.

Finis est cuius gratia omnia comparantur, & cuius gratia cæteræ res habentur, *l. 1. Rhet. c. 7.*

Maius bonum est finis, quam quod finis non est. *Ibid.*

Quod per se bonum est, atq; vi & natura, id omne finis est: & ita causa, vt eius gratia & fiant & sint cætera omnia, finis autem & id quo alia referūtur actionis alicuius finis est: actiones verò omnes cum motu coniunctæ sunt *Lib. 2. Metaph. c. 2. T. 3.*

Ea omnia quæ cum aliquid motum attulit et ac fini interiecta sunt, ad finem omnia referunt: et hoc autem inter se differunt, quod alia vt instrumenta sint, alia quasi opera. *lib. 4. Metaphys. cap. 2. T. 2.*

Finis turpis laudem egregiam maculat. *Tacit. hist. l. 4.*

Verbis res maximas aggredi prorsus est facile, difficile verò rē egregiam reipsa præstare. Quapropter & hoc quidem quibusuis in promptu est, & omnibus (vt ita dicam) tantum audire scientibus commune: illud verò rarum admodum, quodq; paucis in vita contingit. *Polyb. lib. 5.*

Res arduas grauiter ordiri, & impetu quodam ad incrementa rerū contendere, multis iam contigisse: sed propositum ad finem deducere, & sicubi fortuna obstiterit, ratione & industria id, quod promptitudini ac alacritati decedit, adimplere, paucorum esse videtur. *Idem lib. 16.*

APOPHTHEGMATA.

Agesilaus audiens quendam Persarum Regis adhuc iuuenis admi-

FOEDVS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Fœdus est pax, quę fit inter dimicātes, vel à fide, vel à Fecialibus, id est, sacerdotibus dictum, per ipsos enim fiebant fœdera, sicut per sæculares bella. Alij fœdera dicta putant à porca fœde & crudeliter occisa: cuius mos optabatur el, qui à pace resilijsset. *Virgilius, & cæsa iungebant fœdera porca.* Fœderis partes induciæ. Et dictæ quasi in ites otia, *Isid. lib. 18 c. 1. orig.*

Fœdus, *Heb. Barith.* vox cognationem habet cum verbo *Bathar*, diffecauit, per medium diuisit, à diffectione pecudum & execrationibus, quæ in fœderibus pangendis obseruabantur.

LOCI BIBLICI.

Fœdus cum impijs inire prohibemur, *Osę 12. 1.* Pœna eorum, qui fœdus cum impijs percusserant, *2. Paral. 20. 37.* Fœdus cum infidelib. contra Dei voluntatem punitur, *Iud. 1. 14. & 3. 5. 1. Reg. 10. 34. 41. Paral. 19. 2.* Fœdus cum quibus fit ineundum, *Exod. 23. 32. & 34. 15. Deuter. 7. 3. & 20. 13. 1. Reg. 20 v. 36. 41.* Fœdus à Deo percussum cum Noah, *Genes. 16. 18. & 9. 12.* Abrahamo, *15. 13 & 17. 2.* Fœdus circumcisionis cum Abrahamo à Deo initum, *Genes. 17. 10. Act. 7. 8.* cum Abrahamo, Isaaco, & Iacobo, *Exod. 2. 24.* Fœdus à Deo percussum cum populo suo, *Genes. 17. 7. Exod. 6. 4. & 19. 5. 24. 7. 8. & 34. 27. Leuit. 26. 45. Deut. 4. 23. & 5. 2. Esa. 59. 2. & 61. 9. Ierem. 13. 3. & 24. 7. & 30 22. & 31. 1. 31. 33. & 32. 38. 40. Ezech. 11. 20 & 14. 11. & 34. 25. & 36. 28. & 37. 27. 28. Oseæ. 1. 18. 23. 24. Zach. 8. 8. & 13. 9. Rom. 11. 17. 2. Corint. 6. 16. 18. Hebr. 8. 8. 10. & 10. 6. 16. Apoc. 21. 3. 7.* à populo cum Deo, *Iosua 24. 25. 2. Reg. 23. 3. Paral. 25. 12. & 23. 16. Nehem. 10. 29.*

Fœdus antiquum sanguine consecrabatur, *Exod. 24. 8. Hebr. 9. 20.* Fœdus nouum æternum, *13. 20.* per Christum sancitum est, *8. 6.*

Fœdera pro tabulis fœderis, *Rom. 9. 4. αἱ διαθῆκαι.*

De Dei fœdere, præsertim gratuito, pauca quædam addenda sunt. De bonis cœlestibus per verbum & Sacramenta Deus nobiscum paciscitur, fœdus Dei generale & speciale. Generale vel vniuersale exstit in *Genes. 9. v. 9 10. 12. Ierem. 33. 20* Speciale & particulare ad homines restringitur, quibus bonum aliquod promittit, eosdemq; vicissim obstringit, vt præstent ea quæ requirit ab ipsis. Hoc fœdus dupl. x est, legale & Euangelicum: fœdus le is est conditionale, hoc fac, & viues: de quo quid sentiendum sit docet Apostolus, *Rom. 3. 19. Gal. 3. 21.* De fœdere Euangelico lege dicta *Genes. 3. 15. & 4. 4. & 8. 20. & 17. 7. 17. 10. &c.* Item *c. 22. 26. 28. & 35. Heb. 11. 4.*

In fœderis gratuiti consideratione sex capita nobis occurrunt: agnitio Dei, hominis, mediatoris, leges fœderis, duratio instrumēta & testimonia fœderis huius.

1. Deus cognoscitur vnus essentia, trinus in personis, summe bonus, iustus, misericors, omnipotens, sapiens, verax, immutabilis, omniscius, &c. Post Adami lapsum, promisit semen mulieris, nempe filium suum, vt dissoluat opera diaboli, *Genes. 3. 15. Ioan. 3. 8.*
2. Homo, est coetus ex Iudæis & Gentibus ad fœderis gratuiti, participationem vocatus. fœdus illud gratuitum non modo homines adultos in Christum credentes, verum etiam credentium infantes amplectitur, quemadmodum Abrahami & seminis eius Deus se Deum esse profitetur. Vide *Matth. 19. 14. Rom. 9. 11. Gal. 3. 7. Ephes. 2. 12. Roman. 11. 15. Corinth. 7. 14. Hebręor. 11. 4 & 13. 8.*
3. Christus in toto sacro codice graphicè depictus apparet, mediatur noster Deus homo, sapientia, iustitia, sanctificatio & redēptio nostra, vide Christus, & memoriæ refricandæ gratia, *Malac. 3. 1. Ioan. 3. 16. Rom. 5. 8. & 8. 33. 1. Tim. 2. 5. 1. Corint. 1. 30. 2. Cor. 5. 21. Hebr. 4. 14 & 15. 1. Ioan. 4. 9.*
4. Leges fœderis sunt à Dei parte: nobis & semini nostro erit in Deum, *Gen. 17. 7.* tum pietatis, tum vitæ æternæ respectu. *Genes. 15. 1. 4. 5 Ierem. 31. 31. & 32. 40. Ezech 36. 26. Esai. 54. 7 Osea. 2. 19. 1. Corint. 5. 19. &c.* Pollicemur Deo fidem & nouam obedientiam.

5. Dura-

5. Duratio est æterna, ratione æternæ, seu immutabilis veritatis, & voluntatis in Deo, primaria assumente, & constituente fœderis parte. 2. ratione continuationis fœderatorum. 3. ratione vitæ futuræ.

6. Instrumenta, & sigilla fœderis sunt verbum Dei, & Sacramenta: de quibus prolixè Theologi. Vide postea voces SACRAMENTUM, ET VERBVM.

De humanis mutuis fœderibus sequentia dicta adduntur.

SENTENTIAE HISTORICAE.

Fœdera sancta sunt apud eos homines, apud quos iuxta diuinas religiones fides humana colitur. *Liuius, Dec. 1. lib. 9.*

Aut verbis, aut armis castigandus est, qui fœdera rumpit. *Idem Decad. 5. lib. 2.*

Qui sapiunt, sociorum, seu confœderatorum suorum iniurias non negligunt, nec differunt vltionem, cum ipsorum non differatur iniuria. *Thucyd. lib. 1.*

Qui recens in amicitiam venerint, non infortunio, sed beneficijs decenter affecti, seruare fidem consueuerunt. *Procop. de bello Goth. lib. 1.*

Eos qui præsunt fœderatis oportet quidem in priuatis rebus æqua litatem seruare, in publicis verò plus habere authoritatis, vt alijs prospiciant, eamque ob causam à cæteris honore afficiuntur. *Thucyd. lib. 1.*

Scimus neque priuatis hominibus amicitiam stabilem esse, neque ciuibus societatem, nisi fiat cum opinione virtutis, & nisi in cæteris rebus sint similes. Dissidentibus enim opinionibus, & voluntatibus fiunt opera diuersa. *Idem lib. 3.*

Metus mutuus vinculum est fidelis societatis. Nam volens transgredi, si non antecellat, inuadendo absterretur. *Ibid.*

Nulla potest esse amicitia, aut fida libertas, in qua præter animi voluntatem, fœderati suspiciosè alij alios obseruant. *Ibid.*

In fœderibus constitutum est, vt cum incidunt controuersiæ, iudicijs dirimantur, nec ante iudicium quisquam possessione deijciatur. *Idem lib. 1.*

Fœdera violant, non qui depellunt, sed qui priores inferunt iniuriam. *Idem eod. lib.*

Violant fœdera non qui deserti alia auxilia quærunt, sed qui socios non defendunt. *Ibid.*

Qui rupto fœdere iniuriam inferunt, Numinis sunt contemptores. *Plut. in Agesilao.*

SENTENTIÆ PHILOSOPHORVM.

Nulla societas optimis ciuibus cum importunissimo hoste fœdere vllo confirmari potest. *Cic. in offic.*

SIMILITVDO.

Plin. Vt adamas si frangi contingat malleis, in diminutissimas dissilit crustas, adeo vt vix oculis cerni queant: Ita arctissimæ necessitudo si quando contingat dirimi, in summam veritur simultatem, & ex arctissimis fœderibus, si semel rumpantur, maxima nascuntur dissidia: Aut supra modum incandescit semel victa lenitas. *lib. 37. c. 4.*

EXEMPLA BIBLICA.

Fœderis quod inter se percutiunt homines, exempla: Escol & Aner cum Abrahamo. *Genes. 14. 13.* Abraham cum Abimelech, 21. 27. Isaac cum Abimelech, 26. 31. Iacob cum Laban, 31. 44. Iosue cum Gabaonitis, *Ios. 9. 15.* Dauid cum Ionatha, 1. *Sam.* 18. 3. & 30. 16. & 13. 18. Dauid cum Senioribus Israel, 2. *Sam.* 5. 3. 1. *Paral.* 11. 3. Abner cum Dauide, 2. *Sam.* 3. v. 12. 21. Salomon cum Hiram, 1. *Reg.* 5. 12. Asa cum Benadad, 15. 19. 2. *Paral.* 16. 3. Achab cum Benadad, 1. *Reg.* 20. 34. Iosaphat cum Ochosia, 2. *Paral.* 20. v. 35. 37. Iosaphat cum Achab, 1. *Reg.* 22. 24. Ioiada cum Præfectis militum, 2. *Regum* 11. 4. *Paral.* 23. 1. Ephraim cum Assyrijs, *Ose.* 12. 1. Demetrius cum Iudæis, 1. *Mach.* 10. v. 15. 16. Demetrius cū Ptolemæo, 11. v. 8. 9. Romani cum Iudæis, 16. v. 16. 17.

HISTORICA EXEMPLA.

Iusiurando se obstrinxerunt Græci omnes, eum aduersus copias Xerxis dimicaturi essent, in hæc verba: Vitam libertate pluris non faciam, neque deseram Imperatores, neque viuos, neque mortuos: sed eos è socijs, qui in prælio occubuerint, omnes sepeliā: & vbi belli victor extitero, etiam barbaros, ex ijs ciuitatibus, quæ pro Græcia pugnauerint, nullam deuastabo, quæ barbari partes sequi maluerint, omnes decimabo: fanorum, quæ a barbaris incensa, & diruta sunt, nullum omnino excitabo: sed sinam impietatis barbaricæ extet in omni posteritate monumentum. *Muret. lib. 3. Var. lect. c. 10.*

Græci, qui cum Cyro aduersus Persas ascenderunt, fœdus percusserunt, mactato tauro, & lupo, & apro, & ariete in sanguine intingentes Græci enses, Barbari hastam iureiurando addito, neutri alteros desertūros, sed belli fore socios. Barbari verò insuper iurarunt, se sine fraude ducturos esse. *Suid.*

Claudius Cæsar cum regibus fœdus in foro icit, porca cæsa, & vetere fœcialium præfatione adhibita. *Sueton.*

Perceptione corporis & sanguinis Domini, confirmata fuit pax inter Henric. IV. Imperat. & Paschalem Romanorum Pontificem. *Sigebertus.*

Persæ inter vinum & epulas, frequentiq; conuiuio, vxores, filios, amicosq; omnes habent & tanquam fidei pignora adhibent: vbique inter sacra mensæ, velut apud hospitales Deos fœdera & pacta ineunt: & sic fidem socialem ratam, & mansuræ pacis pignus inuiolabile esse putarunt. *Alex. l. 5. c. 3.*

Dux Roma. à medio dici fœdus non ferit, nec formulam conscribit. *Plut. in quæst. Rom.*

Plut. in Galba vit. & Dion. lib. 57. scribunt suis temporibus moris fuisse, vt Romani milites Kalen. Ianuarij in nomine Imper. iurarent; cum antea stante Repub. in Senatus Populiq. Rom. iurare soliti fuissent.

Fœdus firmantes Medi & Arabes, missum è leuiter vulneratis brachijs aut pollicibus sanguinem inuicem lambebant.

Romani fœdus firmabant porca saxo contusa, cum imprecationibus, vt sic cæderentur, ut fœdere rupto a promissa fide discederent. *Franc. Patric. de regno lib. 8. c. 20.*

EXEMPLA HISTORICA.

Apud Romanos Sacerdos fecialis ex iussu regis sumpta ex arce graminis herba pura, feriebat porcum sic, dicens, Sic a Ioue feriatur is, qui sanctum hoc fregerit fœdus, vt ego hunc porcum ferio. *Liuius vel 3. ab vrb. cond.*

Arabes quoties fœdus faciebant cum alijs, quidam medius inter vtrumq; stans, acuto lapide feriebant volam iuxta maiores digitos ipsorum, qui fœdus agebant: deinde sumpto flocco ex vtriusque vestimento, inungebat eo sanguine septem lapides in medio positos, inter vngendum inuocans Dionysium & Vraniam. Hoc acto idem, qui fuerat sequester fœderis inter amicos contrahendi, vadabatur pro hospite, aut forte pro ciue si cum e ue res agebatur. Quod fœdus & ipsi qui amicitiam contraxerant, seruare iustum censuere. *Polyd Virg. de inuent. li. 2. c. 15.*

Scythæ hoc modo fœdus sanciebant: Infuso in grandem calicem fictilem vino, commiscebant eorum sanguinem, qui ferirent fœdus, percutientes cultello aut incidentes gladio aliquantulū corporis, deinde in calice tingebant sagittas, securim, iaculum: hæc simul atque fecissent, sese multis verbis deuouent, postea vinum epotare, non modo ij, qui fœdus faciebant, sed etiam comites illi qui erant maximæ dignitatis.

Baurus pactionem in hanc formulam conflabant: feriebant enim fœdus super occultam fossam, & quoad humus ea ita se haberet, tamdiu fœdus in ea regione ratum fore sentiebant. *Herod. libro 3. 4. & 5.*

EMBLEMA.

And. Alciati Emblema x.

Hanc cytharam, à lembi quæ forma halieutica fertur,
Vendicat & propriam Musa Latina sibi.
Accipe Dux: placeat nostram nec tibi tempore munus,
Quo noua cum socijs fœdera inire paras.
Difficile est, nisi docto homini tot tendere chordas
Vnaq; si fuerit non ben tenta fides.
Ruptave, quod facile est, perit omnis gratia conchæ,
Illaq; precellens cantus ineptus erit.
Sed Itali cœunt proceres in fœdera concors
Nil est quod timeas, si tibi concilies amor.
At si aliquis desciscat (vti plerumq; videmus)
In nihilum illa omnis soluitur harmonia.

Vide Amicitia, Fides, Pactum, Promissio, Societas.

F OE N V S.

DEFINITIO ET ETYMOL.

Fœnus Græcè τόκος, ab τοκίζω fœnero. Est autem fœnus vsura: Sed differunt, quia vsura est lucrum de capitali acceptum, fœnus verò est lucrum de vsura. Vel sic: Fœnus est fœtus ipso est. Nam dicitur naturalis fructus terræ: *Ouid. Qua tibi cum multo fœnore reddat ager.* Et inde ad vsuram transfertur, quasi pecunia per se fructum producat, sicut terra. Ita & fœnum fœtum terræ dicimus, & fœnus fœtum pecuniæ. A fœnore dim nutiuum fit fœnusculum, & fœnero verbum, quod est pecuniam siue aliam rem ad fœnus mutuo, & cum accusatiuo iungitur. *Mart. Hæc sapit, hæc omnes fœnerat vna Deos,* huius passiuum est fœneror: vide res fœneratæ dicitur ad vsuram tradita. A fœnero, fœnerator, qui apud Græcos Danista dicitur, & fœneratitius: vnde pecunia fœneratitia, quæ ex vsuris est collecta, hinc & fœnū dicitur, quod herbæ eodem manentes quotannis nouas pariant.

Hebræi

Hebræi vsuram & fęnus duobus nominibus perstringunt. 1. *Noscech*, à morsu, & rosione. 2. *Tarbith*, ab acquisitione, & multiplicatione, quæ voces fęneratorum artibus apprimè conueniunt.

SENTENTIÆ BIBLICÆ.

Fœneration. condit. bona.

Si pecuniam motuam dederis popolo meo pauperi, qui habitat tecum, non vrgebis eum, quasi exactor, nec vsuris opprimes. *Exod.* 22.

Non fęnerabis fratri tuo ad vsuram pecuniam, nec fruges, nec quālibet aliam rem, sed alieno. Fratri autem tuo absque vsura id quod indiget, commodabis, vt benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni tempore tuo, in terra ad quam ingredieris possidendam. *Deut.* 23.

Fęnerare proximo tuo in tempore necessitatis illius, & iterum redde proximo in tempore suo. Confirma verbum, & fideliter age cum illo, & in omni tempore inuenies, quod tibi necessarium est. *Eccl.* 29.

Perde pecuniam propter fratrem & amicum: & non abscondas illam sibi in lapide in perditionem. *Eccl.* 29.

Mala.

Hodie fęneratur quis, & cras expetit, & odibilis est homo huiusmodi. *Eccl.* 20.

Fœneratio est periculosa quo ad accipientem.

Qui accipit mutuum, seruus est fęnerantis. *Prou.* 22.

Multi non causa nequitiæ non fęnerati sunt, sed fraudari gratis timuerunt. *Eccl.* 29.

Quo ad facientem.

Noli fęnerari homini fortiori te, quod si fęneraueris, quasi perditum habe. *Eccl.* 8.

Multi quasi inuentionem æstimauerunt fęnus, & præstiterunt molestiam ijs, qui adiuuerunt. Donec accipiant, osculantur manus diuitis, & in promissionibus humiliant vocem suam, & in tempore redditionis postulabit tempus, & loquitur verbis tædij, & murmurationum, & tempus causabitur. Si autem potuerit reddere, aduersabitur. Solidi vix reddet dimidium, & computabit illud quasi inuentionem. 26.

PHILOSOPHICÆ SENTENTIÆ.

De fœnere. DIAL. LVI.

Franc. Petrarch.

GAV.

Pecuniam in tuo fęnore posui. R. Est & qui bene inuentis malè vtitur, & qui malè inuentis peius & pessime. Tu pecuniam inuenisti, non vt diues fieres, sed vt malus, non tamen malus (vt auguror) futurus ni pecuniam inuenisses. Sunt.n. qui successibus nequiores fiunt, non Dei munus agnoscentes, neque illi saltem similes (de quo scriptum est) Confitebitur tibi cum benefeceris ei, sed apertam sibi celerius nequitię semitam existimantes. Inuenisti ergo pecuniam qua dedecus mercareris, & exanime metallum, quo animæ tuę sarcinam faceres infelix. G. Fęnus bene posui. R. Malum non bene poni dixeris, sed deponi. Siquidem malum pondus excusseris, bene erit, alioqui vbicumq; posueris, dum ad te pertineat malum esse non desinet. G. Fęnus optimum bene collocaui. R. Quomodo bene collocetur malum videris. Sanè quanto opimius malum, tanto est peius. Notum illud Dauidicum, Prodijt quasi ex adipe iniquitas eorum. Quanto ergo ditior fęnerator, tanto & nequior, tanto maior auaritia, maior impietas. G. Fęnori studeo. R. An nulla artium erat, cui melius studeres? An erant multæ, sed huius aptius erat ingenium? An quid rei est vt huic vni studio animum applicares, quo nescio an aliud vsquam fœdius inuenire potueris, aut vilius, aut tam miseri prorsus, & deiecti animi tanquā inertis indicium? tot vndiq; patent artes, tot viuendi viæ, pessimā omnium elegisti, quod quietior tibi visa est sedere, s. & numerare dies, ac velocissimi finem mensis expectare, non intelligens tibi quoque horas diesq; & menses & annos currere, & vt nexis tuis sic & tibi terminum instare, sicut inquā illis vt tibi, sic tibi, vt naturę debitum soluas, turpiter parta destituens, & incertus tui. Extorques ergo pauperibus quo ignotos dites, & futuri semper metuens inediæ, & obscenę interim non Dominus, sed custos pauidus rapinę, fame pressus & infamia. Mirarer in vrbibus politicis huic flagitio locum esse, nisi essec & reliquis. Itaque cum paulo ante hoc tempus fęneratores vt leprosi à consortio hominum segregati agerent, nec tantum ad eos nullus accederet nisi egenus, sed etiam vt malè olentes atque contagiosi ab obuijs vitarentur, nunc iam non modo cum populo, sed cum principibus conuersantur, & matrimonia contrahunt, & dignitates adipiscuntur. Tanta est vis auri, immo quidem, quod pro monstro audias, ipsi quos Deus omnipotens malè perdat principes fęnerantur, tam leuis animæ famæq; iactura, tam suauis vndecumq; quæsitæ pecunię odor est. G. Fęnerari iuuat. R. Turpis delectatio & misera. G. Fęnerari solitus sum. R. Si Catoni credimus, hominem occidisti. G. Fęnerator sum, artificium aliud non didici. R. Hic auaritię clypeus, hæc causa prætenditur, quod si discere volenti quoque difficile est, qui discat inuitus. G. Sēper fęnerabor. R. Semper igitur miser eris, semper cupidus, semper inops.

APOPHTHEGMATA.

Pittacus. Quæsitum vbique lucrum inexplebile esse dicebat. *Stob. sermo.* 10.

Periander dicebat quæstum turpem esse grauem thesaurum. *Eodem sermone.*

Socrates, interrogatus, quinam auari essent? Qui turpia venantur, inquit, & necessarios amicorum negligunt. *Eodem sermone.*

Politianus, fęneratores pecunias habere & non habere dicebat. Nā dum omnia ad vsuram trahunt, nihil habent, & quod habent, alius habet. *ibid.*

Tacitus. Fęnus est reipublicæ funebre malum, seditionum discordiarumq; creberrima causa: eoque cohibebatur antiquis quoque & minus corruptis moribus. *Annal. lib.* 6.

SIMILITVDINES.

Lepus simul parit, & aliud alit, & rursum superfętat. Ita fęnerator æs alienum, priusquam conceperit, parit. Nam dentes statim petunt, & ponentes tollunt, & fœnerant, quod pro fęnore acceperūt. *Plut.*

Vt ignis inualescens alia post alia corripit: sic vsura. *Plut.*

Vultures nihil ipsi occidunt, sed ab alijs occisa inuadunt: Ita nonnulli alienis fruuntur sudoribus. *Plut.*

Qui in lutum inciderit, cum oportet, aut fugere, aut manere: nam si se voluat, magis etiam inquinatur, sic qui rem habet cum fęneratoribus. *Plut.*

Cholerici, qui purgari nolunt sub tempus, collecta indies maiore bile postea grauiter discruciantur, sic qui fenum fęnus accrescere, cum adest, grauiter è capite laborant. *Plut.*

Plato vetat aquam à vicinis petere, nisi prius domi foderis vsque ad terram, quā ceram itidem vocant, repereris; non secus est venæ ita prius excutiendum, vt parsimonia, aliave via tibi suppedites, prius quam à mensarijs pecuniam mutuam petas. *Plut.*

Auratam piscem semper sequitur piscis nomine sargus, qui illo cœnum fodiente excitatum deuorat pabulū: Ita sunt, qui se misceant alienis negocijs, vt eis laborantibus fructum ipsi præripiant.

Vide Auaritia, & Vsura.

FORMA.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Forma, Græcè μορφὴ ἢ εἶδος & μόρφωσις formatio dicitur. Est autem forma, quæ dat esse specificum artificiatum.

Forma nihil aliud est, (vt hoc loco accipimus) quam recta proportio membrorum, decenti colore superinfusa. Eadem ferè cum pulchritudine, quam Cic. 4. *Tuscul.* definit, aptam quandam figuram membrorum, cum coloris quadam suauitate.

Cuius laus (teste *Aristotele* 1. *Rhet.*) non solum decore ipso constat & specie, sed etiam dignitate, & veneratione, & in quadam seueritatis nota.

Forma, Heb. *Toàr*, à verbo *Teer*, formauit, formam rei alicui induxit. Græc: σχῆμα, μορφὴ, τύπος. Forma Dei & serui. Vide Christus. Hic de forma hominis externa, & rerum non agitur.

POETICÆ SENTENTIÆ.

Ouid. 2. Art.

Forma bonum fragile est, quantumq; accedit ad annos
Fit minor, & spatio carpitur ipsa suo.
Nec semper violæ, nec semper lilia florent,
Et riget amissa spina relicta rosa.
Et tibi iam venient cani formose capilli,
Iam venient rugæ, quæ tibi corpus arent.

Idem de Medicamine faciei.

Et placidus rugis vultus aratus erit.
Tempus erit, quo vos speculum vidisse pigebit,
Et veniet rugis altera causa dolor.

Petro-

Petronius.

Quod solum formæ decus est, cecidere capilli,
Vernantesque comas tristis abegit hiems.
Nunc umbra nudata sua iam tempora mœrent,
Areaque attritis ridet adusta pilis.
O fallax natura Deum, quæ prima dedisti
Ætati nostræ gaudia, prima rapis.

Senec. Hipp.

Anceps forma bonum mortalibus,
Exigui donum breue temporis,
Vt velox celeri pede laberis,
Non sic prata vere nouo decentia
Æstatis calidæ despoliat vapor,
Sæuit solstitio cum medius dies.
Et noctem breuibus præcipitat rotis:
Languescunt folio lilia pallido,
Et gratæ capiti deficiunt rosæ,
Vt fulgor teneris qui radiat genis
Momento rapitur, nullaque non dies
Formosi spolium corporis abstulit.
Res est forma fugax.

Idem Herc. Oed.

Vt alta siluas forma vernantes alit,
Quas nemore nudo primus inuestit tepor:
At cum solutos expulit Boreas Notos,
Et sæua totas bruma decussit comas,
Deforme folijs adspicis truncis nemus:
Sic nostra longum forma percurrens iter,
Deperdit aliquid semper, & fulget minus,
Malisque minus est: quidquid in nobis fuit,
Olim petitum cecidit, & partus labat,
Maiorque multum rapuit ex illo mihi,
Ætas citato senior eripuit gradu.

Nemesian. Ec. 4.

Non hoc semper erit, perdunt & gramina flores,
Perdit spina rosas, nec semper lilia candent,
Nec longum tenet vua comas, nec populus vmbras.
Donum forma breue est, nec se tibi commodat omnis.

Propert. 2. 28.

Nec forma æternum, aut cuiquam est fortuna perennis.

Ouid. 1. Met.

Sed te decor iste, quod optas
Esse vetat, votoque tuo tua forma repugnat.

Idem Epist. 15.

Lis est cum forma magna pudicitiæ.

Iuuenal. 30.

Formam optat modico pueris, maiore puellis
Murmure, cum Veneris fanum videt anxia mater, &c.
Sed vetat optari faciem Lucretia, qualem
Ipsa habuit, cuperet Rutila Virginia gibbum
Accipere, atque suam Rutilæ dare filius autem
Corporis egregij miseros trepidosque parentes
Semper habet: rara est adeo concordia formæ
Atque pudicitiæ.

Ter. Andr.

Huius formam, atque ætatem vides:
Nec clam te est quam illi nunc vtraque res inutiles
Et ad pudicitiam, & ad rem tutandam sient.

Sen. Hipp.

Raro forma viris sæculo prospice,
Impunita fuit.

Ouid. de med. fac.

Est etiam placuisse sibi quæcumque voluptas.
Virginibus cordi grataque forma sua est.
Laudatas homini volucris Iunonia pennas
Explicat, & forma muta superbit auis.

Terent. Heaut.

Quippe forma impulsi nostra nos amatores colunt:
Hæc vbi immutata est, illi suum animum alio conferunt.

Ouid. 4. Pont. 13.

Tam male Thersiten prohibebat forma latere,
Quam pulchra Nireus conspiciendus erat.

Ouid. 1. Fast.

Fastus inest pulchris sequiturque superbia formam.

Propert. 2. 33.

Vino forma perit: vino corrumpitur ætas:
Vino sæpe suum nescit amica virum.

SENTENTIÆ PHILOSOPHORVM.

Forma naturæ potius nomine, quàm materia appellanda est, & separari nisi ratione, & cogitatione non potest. *l. 2. de Nat. c. 1. T. 12.*

Cum forma sit diuinum quoddam, quod & bonum, & expetendum est: alterum ei contrarium esse dicimus: alterum quod suapte natura eius cupiditate ducitur. *libro primo, de Natura, capite 9. T. 81.*

Nec mouet forma nec mouetur, aut locus, aut quod tam magnum est: sed est id, quo aliquid mouetur, & id quod motum affert, & id quod mouetur. *lib. 5. de natura, c. 1. T. 3.*

Forma ac species cuiusque essentiæ ac naturæ ratio est, *lib. 2. de Ort. c. 9. T. 51.*

Essentia est forma, quæ inest, ex qua & materia, essentia vniuersa & tota dicitur *lib. 7. Metaph. c. 11. T. 40.*

Maior est formarum numerus, quam rerum singularum, quæ sub sensum cadunt. *lib. 1. t. 2. Metaph. c. 4.*

De forma corporis eximia. DIAL. II.

GAV.

Forma corporis eximia est. R. Nihilo firmior est illa, quam tempus, cum eo veniens cum eodem fugit. Siste si potes tempus, poterit forsan & forma consistere. G. Forma corporis egregia est. R. Fragili niteris fundamento. Corpus ipsum vmbræ in morem præterit, tu momentaneum corporis accidens tibi mansurum spondes? Ruere nequeunt accidentia stante subiecto, nequeunt illo ruente non ruere. Atque cunctis ex qualitatibus, quæ mortali cum corpore fugiunt nulla velocior quam forma, quæ mox vt amœnum flosculum ostenderit, ipsos inter oculos mirantium, atque laudantium euanescit, breuis hunc pruina perusserit: leuis hunc aura deusserit, subito vel inimicæ manus vngue decerpitur, vel prætereuntis morbi calce deprimitur. Denique gloriare, & exulta, vt libet, venit ecce magnis passibus, quæ te velo tenui latentem detegat, quanti esset forma viro homini mors ostendit, nec mors sola, sed senectus, & paucorum spacium annorum, immo vel vnius lucis repentina febricula. Postremo vt nihil externum incidat, per sese stando durandoque consumitur, & in nihilum redit, neque tantum gaudij veniens tulit, quantum fugiens fert doloris. Hæc (ni fallor) expertus erat aliquando formosus ille Romanus Princeps Domitianus, qui amico scribens, scias, inquit, nec gratius quicquam decore, nec breuius, quàm si etiamsi durabile perpetuumque naturæ donum esset, non intelligo, quid tantopere expetendum habeat iste non solidus, nec in ipso homine nisi superficie tenus fulgens decor, multaque fœda contegens, & horrenda, leuissimoque eius obtentu, sensib. blandiens, & illudens. Veris igitur ac mansuris bonis delectari conuenit, non falsis, atque labentibus. G. Forma corporis elegantissima est. R. Habet velum oculis, laqueum pedibus, alis viscum, haud facilè, seu vera discernere, seu virtutem sequi poteris, seu in altum euolare animo, multos ad honesta pergentes forma detinuit, detorsitque contrariam in partem. G. Forma corporis mira est. R. Bene ais mira. Nam quid hac vanitate mirabilius? quot delectabilibus abstinent formosi iuuenes? Quot suscipiunt labores? Quanta sibi inferunt supplicia, vt formosiores non sint quidem, sed appareant, vnius formæ studio, & valetudinis, & voluptatis immemores? Quantum verò inter comendum tempus effunditur? Quot honesta interim? Quot vtilia? Quot postremo necessaria negliguntur? Tuum igitur breue caducumque bonum, & inane gaudium sine inuidia tibi habeto: habes hostem tuum domi (quodque peius est) delectabilem, ac blandum. Habes raptorem quietis, ac temporis, perpetuumque tortorem, habes materiam laboris, vberrimam discriminum causam, fomenta libidinum, nec minorem quærendi odij, quam amoris aditum. Fies mulierculis forsan amabilis, odiosus viris, aut forte suspectus. Nulla re magis quam forma corporea coniugalis zelus accenditur. Nulla. n. res ardentius appetitur, quam forma. Nulla animum mouere potentior, atque ideo nulla suspectior. G. Forma corporis magna est. R. Solet hæc stultos adolescentes quo non expedit vrgere, dum bono suo, vt libitum, sic licitum frui putant, neque quid deceat attendunt, quæ sæpe iam multis acerbi ac turpis interitus causa fuit. G. Forma corporis rara est. R. At breuissimum tempus erit, quando oris habitus hic colorque mutabitur. Cadet flaua cæsaries, reliqua albescent, teneras genas, serenam frontem squallentes arabunt rugæ, lætas oculorum acies, & lucida sidera mœsta teget nubes, leue dentium ebur, ac candidum scaber situs obducet atque atteret, vt nõ colore tantum, sed tenore alio sint, recta ceruix atque agiles humeri curuescent. Guttur leue crispabitur. Aridas manus & recuruos pedes suspiceris tuos non fuisse. Quid multa? Veniet dies, quo te in speculo non agnoscas. Et hæc omnia, quæ abesse multum existimas, ne quid improuisis mõstris attonitus, non prædictum dicas, hoc iam tibi si viuis dicto citius euentura denuncio, qui si mihi nunc credis, tunc te parcius miraberis transformatum. G. Interim forma clara est. R. Quid hic dicam breuius, quam illud Apuleij Madaurensis. *Exspecta paulisper, & non eris.* G. Forma corporis hactenus excellens est. R. Quã mallem formam animi excellentem. Est. n. & sua animæ pulchritudo multo suauior certiorque, quam corporis, & ipsa quoque suis legibus decore ordinis, atque apta suarum partium dispositione subsistẽs. Illam optare, illi operam impendere dignum erat, quã nec

dies

dies longa deterreret nec morb. extingueret, nec mors ipsa. Nunc caduca miramtor. G. Certe nunc idem solicita forma est. R. In hac vt in alijs multis optãda mediocritas. Sit hac talis forma, nec tibi placueris, nec nisi qua decet alijs placere curaueris, visusq. fueris caste, sobrie, modeste, non exigua tuæ laudis accessio est futura. G. Præclara facies animum honestat. R. imo quidem exprobrat, & sæpius in periculum trahit. Quod verò attinet gloriari, eo quod neque tuum sit, neque diutius seruare possis? Quod habuisse nulli, proiecisse multis gloriosum fuit. Mitto alios, Spurinam non naturalis forma nobilitat, sed accersita deformitas. G. Vt virtus animi corporis formæ iuncta sit studeo. R. Si id effeceris, tum demum vere mihi tunc vndiq. formatus fueris, formaq. clarior videbitur, & virtus gratior. Quamuis enim errare sibi visum esse, qui ait, *gratior est pulchro veniens è corpore virtus*, scribat Seneca: mihi tamen iure reprehensus videretur, si dixisset maior, aut perfectior, aut altior. Nunc quia dicendo gratior, non rem ipsam, sed spectantium iudicium respicit, non mihi visus est errare Virgilius, qui hoc ait. Et ad summam vt nihil in se solidum habet formæ gratia, nihil optabile, sic si obuenerit virtuti addita, neq. vtriusq. de precio error sit, hanc illius ornamentum dici patiar, vel non inamœnum visui, breue tamen ac fragile. Solam verò, pondus animæ dixerim, atque infaustum tristis insigne ludibrij.

Apophthegmata.

Bion, formam dicebat esse bonum alienum. Sentiens, extra hominẽ esse, quod ipse sibi nec dare potest, nec tueri datum. Animi bona vere nostra sunt. *Laert. lib. 4. c. 7.*

Zeno Citticus formam aiebat esse vocis florem: aut contra, quemadmodum ab alijs refertur: vocem esse formæ florem. Nam loquẽtis orationem commendat forma, & cuius oratio composita gratiam addit formæ. *Laert. lib. 7. c. 1.*

Idem, Dicenti formoso cuidam, nũ videret sibi emptorum sapientem Nihil, ait, vobis formosis est infelicius. *Brus. l. 2. c. 44.*

Socrates vocabat formam modici temporis tyrannidem. *Brus. lib. 2. cap. 44.*

Plato, cum exprimere tentaret, quidnam forma hominis esset? Naturæ priuilegium vocauit. *Brus. lib. 2. c. 44.*

Diog. Formosum adolescentem formæ causa amari conspicatus, dixit: Quin operam das adolescens, vt corporis amatores ad animam transferas? *Anton. in Melissa, sermo. 60. part. Hoc autem Stob. ad Æsopum refert.*

Idem, conspecto adolescente mollius compto, dixit: Si viris quidem te ornas, infelix: sin mulieribus, iniustus. *Ant. in Melissa. par. 1. sermo. 60.*

Idem speciosa scorta reginas appellabat, multos enim facere, quæ præceperint. *Stob. ser. 63.*

Arist. cum adolescentem se comere vidisset: Non erubescis, quod cum natura te virum fecerit, tu teipsum effœminas? *Ant. in Melissa par. 1. ser. 69.*

Idem. Cum iuuenis quidam, facie formosus, sed moribus petulans, inter alia conuitia ei diceret: Si tam exosus essem ciuibus, vt tu es, laqueo vitam finirem, respondit: Ego verò laqueum mihi inferrem, si ita me ciues amarent vt te: Notauit autem adolescentis petulantiam Aristoteles, cui ostendebat, quam turpiter ob eiinsignem corporis formam à ciuibus adamaretur. *Ant. in Melissa, par. 1. ser. 9.*

Idem percontanti qui fieret, vt cum formosis diutius ac lubentius confabulemur? Respondit, eam percontationem esse cœci. Cœcus enim non sentit formæ illecebram, nihilo magis, quam colorum gratiam. *Laert. lib. 5. c. 1.*

Idem Pulchritudinem dicebat quauis epistola efficaciorem ad commendationem. Sunt qui hoc ascribant Diogeni. Aristotelem verò formam solitum appellare donum, quia gratis contingit a natura. Eandem Socrates appellauit exigui temporis tyrannidem, quod formæ gratia mox deflorescat: Plato naturę prærogatiuam, quod paucis contingat. *Laer. lib. 5. c. 1. Stob. ser. 63. Brus. lib. 2. c. 44.*

Isocr. Eos, qui pulchrum habent corpus, animam autem malam, dicebat, optimam habere nauim, gubernatorem autem malum. *Ant. in Melis. par. 1. ser. 60.*

Agesilaus, interrogatus cur aleret comam? Quoniã inter ornamenta, respondit, minimo constat. *Stob. ser. 63.*

Carneades sciscitatus, quid forma hominis esset? Regnum sine satellitio, respondit, quoniam formosi imperant quicquid volunt nulla vi adhibita. *Laert. Stob.*

Theophrast. Pulchritudinem nihil aliud esse dicebat, quam tacitam deceptionem, aut silentem fraudem quod absque verbis persuadeat. *Laert.*

Demosthenes. Æschinem & Philocratem, ea decem illis legatis haud postremi nominis, ab Atheniensibus ad Philippum Macedoniæ Regem missis, & formam Philippi Regis plurimum laudantes irrisit Demosthenes, dicens, quod in Philippo admodum formam laudatis, id habet cum alijs mulieribus commune. Sed sit vir prudentissimus, Regia boni virtutes nequaquam in forma corporis positas esse, sed in animo rectè composito. *Plutarch.*

Æsopus ei, qui corporis forma malè vtebatur: pulchra veste (inquit) indutus, malè eam exuis. *Max. ser. 44.*

Idem cum per conuitium facie deformi esse, ac turpi notaretur, ad eum à quo contemnebatur: Iniquus planè Censor es, inquit, qui de forma mea pronunciaturus, vultum damnas, animi autem speciem non intueris. *Stob. Ant. & Max.*

Antisthen. Quidam adolescens curarat sese ex ære sculpendum & ad eam imaginem sese conformabat. Huic Antisthenes: Si æs posset vocem edere, qua de re potissimum gloriaretur? De pulchritudine, inquit adolescens. Non, inquit, igitur erubescis, qui cum inanimo gloriaris? Voluit autem significare, de forma non gloriandum esse, quæ facilè varijs casibus ac morbis gratiam amittit. *Laer. l. 6. cap. 1.*

Theocritus cum diu multumq; cogitasset, quo pacto ostendere hominibus posset, quidnam pulchritudo corporisq; venustas esset: Demum eburneum detrimentum esse pronũciauit; quod grata quidem sit aspectui, sed multorum incommodorum causa. *Stob.*

In Philopœmenem cum iocaretur Titus Flaminius deformitati corporis eius illudens, diceretq; vultu quam maximè iocoso & hilari, quid hoc Philopœmen, cum pulchras manus, crura etiam perquam pulchra habeas, quod ventrem ipse non habeas? Ad ea Philopœmen: Quid, o Romanorum Imperator eximie, cum egregios pedites, strenuos maximè equites habeas, quod pecuniã minimè habeas? Nam & Flaminius persæpe inopia rei pecuniariæ laborabat, quemadmodum Philopœmen tenuitate ventris, ac medij corporis gracilitate. *Pontanus ex Plut.*

Domitius nec quicquam gratius hominibus esse dicebat forma & decore, nec quicquam etiam breuius. *Brus. l. 5. c. 44.*

L. Crassus apud Perpennam iudicem defendebat Aculeonem, quem accusabat L. Aelius Lamia, homo deformis. Is quum interpellaret odiose. Audiamus, inquit, Crassus, pulchellum puerum. Huic dicto quum esset arrisum: ingenium, inquit Aelius, ipse mihi fingere potui, formam non potui. Tum Crassus: Audiamus igitur, inquit, disertum. Multo arrisum est vehementius. *Cicer. lib. 2. de Orat.*

M. Lælius. In Galbam, Oratorem eloquentia clarum, sed gibbo deformem, ita lusit M. Lælius, vt diceret, ingenium Galbæ male habitare. Nam animi domicilium est corpus. *P. M. lib. 6. apoph.*

Cicero cum Voconium forte obuium haberet cum filiabus tribus insigniter deformibus, tacite ad amicos dixit versiculum Græcum.

> *Φοίβου γ' ἄκοντος ἔσπειρεν τέκνα.*
> *Phœbo haud sinente hic semina it liberos.*

Sentiens, illum inuito Apolline liberis operam dedisse: siue quod Apollo pulcher à Poetis fingitur, siue quod oriente sole fœtus existiment concipi feliciores. *Plut. in Rom. apoph.*

Bartholomæus Captanus, Mediolanensis Ecclesiæ antistes, idcirco se ministros forma præstantes quæsijsse dicebat, quoniam turpes animi turpia corpora incolerent. Improbitatem autem in egregia forma perraro compertam esse. *Æneas Sil. lib. 2. comment. reb. gest. Alphonsi.* Constat tamen Aspasio Rauennati, magistro epistolarum imperatoris Alexandri Mammeæ F. hoc etiam dicterium attributi.

Similitudines.

Chrysostomi. Si videris virum aut mulierem speciosam, ne admireris. Nam & roboreæ arbores, cum densæ sint folijs & altitudine excelsæ: attamen non habent fructum hominibus vtilem, sed porcis afferunt cibum. Vinea autem per terram repens, maturum vuarum affert fructum. Quid ergo? Vis vineam habere an arborem? Puto te vineam eligere magis, quæ lætitiæ est ad hominum vsus, quam arborem animalium escam. Quid ape vtilius est? Quid pauone pulchrius? Quid formica sapientius? Et apis quidem dulcedinem in se habet, & aculeum: pauo verò solummodo in pennis est, non in fructu decorus: formica verò contemptibilis hominibus, sed magistra virtutum est. *Homil. in Psalmum 50.*

Themisti. Quemadmodum in gemmis, sæpenumero sub ignobili forma latet pulcherrima natura: Sic in corpore deformissimo latet sæpe insignis animus. *In apoph.*

Adagia.

Multam siluam gestas. *Λοχμώδη πολλὴν φορεῖς.*
Quadrat in hominem agrestem, & stupidum.

Simiarum pulcherrima deformis est. *Τῶν πιθήκων ὁ κάλλιστος αἰσχρός.* Plato.

De his vulgo dicitur qui ipso genere sunt vitiosa, neque prorsus conferenda, vel cum extremis eorum quæ in ordine sunt honestiorum.

Simia est simia etiamsi aurea gestet insignia. *Ὁ πίθηκος ὁ πίθηκος, κἂν χρύσεα ἔχῃ σύμβολα.*

Mente

Venter ad equum fortuna amammata non mutare hominis ingenium. Vide apolog. Lucian de Ægyptijs sim. ε. faciationem humanam immutasse.

Leporem non edit.

Antiquitus creditum, esse leporina pulpa conciliari formam, Martialis in deformem mulierem.

Edisti nunquam Gellia tu leporem.

Quod pulchrum, idem amicum. καλὸν φίλον.

De conciliantibus amicitiam dici potest. Plato.

Perdicis crura. πέρδικος σκέλος.

Quadrabit in loripedes, aut quibus crura sunt gracilia distortaq. Ex Aristophane, qui Perdicem, Campestum quendam claudum aliquot locis notat & traducit.

Pulchrorum etiã autumnus pulcher est. τῶν καλῶν καὶ τὸ μετόπωρον καλόν.

Quadrabit in eos, qui belle ferunt aetatem, & senio accedente vigorem nonnullum, verum ac formam retinent.

A Furijs ortundus. ἐρινύων ἐκπεφυκώς.

Dici solitum in terra foeda q. specie. Item quod exitiale sit, ac pestilens, à Furijs ortum dicimus.

Pistillo caluior. ὑπέρου φαλακρότερος.

De vehementer glabris, aut caluis dicitur, Metaphora sumpta à pistillo, cuius summa pars calui cranium referre videtur.

Ex ouo prodijt. ἐξ ᾠοῦ γεγονώς.

Dici solitum de magnopere formosis, ac nitidis, quasi non communi hominum more nati, sed ex ouo more Castoris, Pollucis, & Helenæ, quorum forma literis omnium est nobilitata.

Ominibus aliquis re conspecto. ἐξ οἰωνῶν τινα θεασάμενος.

Dicitur in deformes, foedosq. aspectu. Apud veteres occurrere formoso felix omen habebatur: occurrere deformi, ac nigro contra.

Myconius caluus. Μυκόνιος φαλακρός.

In glabros & caluos accommodatum. Strabo refert. Myconios vulgo caluos dici solitos. quod in ea insula virium hoc quasi gentilitium sit, ut pene omnibus forme commune.

Pronomi barba. Προνόμου πώγων.

Conuenit in eos, qui aliquid mollissimi, vultus vestitumq. fortitate, vita contemnentum professerunt. De Pronomo tibicine vide Aristophanem.

Nauiges Troezenem. πλεῦσαι Τροιζῆνα.

Dici solitum in imberbes: sicut ij pilis barbam virilem mentientibus. Inde natum, quod Troezenij potius quidam vulgo celebratus fit nomine Barba.

Καλλίπυγοι. Callipygi.

Dicebantur forma elegant prædita. De hac voce vide Cœlium Rhod. lib. 2. cap. 40.

Thersitæ facies. Θερσίτου πρόσωπον.

De prodigiose deformi. Thersittam deformitatem vide apud Homerum Iliad. lib. 2. Suidas.

Corytheo deformior. Κορυθέως αἰσχρότερος.

Iactitatum in homines bardos ac deformes. Ortum verò à Corytheo quodã homine admodum stulto, & vecordi, ad haec, forma infœlicissima, foedissimaq. Zenodot.

Μορφώματα.

Notantur hoc adagio homines macie pratemes, aut decolores.

Monogrammi. *Veterum sunt deformes, nullaq. specie.*

Simia in purpura. πίθηκος ἐν πορφύρᾳ.

In eos, quibus dignitas additur indecora: vel, qui, tametsi magnifico cultu sint ornati: tamen vultu moribusque nativam suam, ac vecordiam produnt.

Historica Exempla.

Hesiodus lib. 3. Melampodia Chalcedem in Eubœa pulchras mulieres habentem ominat: nam formosæ ibi mulieres nascuntur, *volut teftantur Theophrast. Athen. lib. 13 c. 32.*

Hypæpenas mulieres fuisse pulcherrimas traditur. Est verò vrbs Hypæpa, quæ à Tmolo descendentibus occurrit, ad Cayistri campestria, nomine imposito, quia sit sub monte, qui Aepos nuncupetur, sit ac dicata Veneri. *Cœlius lib. 14. c. 1.*

Apud *Tenedum, Troianus* adiacẽtem insulam, esse omnium quotquot sint mulieres speciosissimas, in Asiæ periplo scribit Nymphodorus. *Cœlius lib. 14. c. 9.*

Senenses fœminæ inter Italicas præcellentis formæ, & elegantis ingenij singulare decus, constanti omnium fere fama obtinent, *Sab. Supplem. lib. 20. ex Iouio.*

Thamnum omnibus hominibus elegantia formæ præstantem, Venus in lactucis abscondit. Deprehensus in stupro perijt. *Ælianus libro 12.*

Vxor Agetis Lacedæmonij, Alcidis F. quam postea duxit rex Ariston, speciosissima fuit: ex turpissima talis facta. *Herodot. lib. 6. & Pausan in Lacon.*

Pythagoras Philosophus tam formosus, vt illum discipuli opinarentur Apollinem esse, qui ex Hyperboreis venisset. Cum nudatus aliquando esset, femur eius aureum apparuisse, fama est. *Laertius.*

Syrianus magnus Philosophus, corpore optimè constituto, procero, supra modum formoso. *Suidas in Ammoniano.*

Callicrates formosissimus Græcorum omnium apud Plateas. *Plut. in Aristide.*

Gerrinus formosissimus, & luctator fortissimus. *Pausanias lib. 6.*

Homerus Heroum, præstantissimos Hectorem & Achillem formosissimos facit.

Turnum à forma pleris q; in locis commendat Virgilius: *vt lib. 7. Æneid.*

Perit ante alios pulcherrimus omnes.

Turnus auis atauisq; potens.

P. Scipio Africanus maior ex maĩ dignitate barbaris in Hispania admirationi fuit. *Plutarch.*

Magnes Smyrnæus puer, præ cæteris mortalibus formosus, poetica insuper & musica ornatus corona insignis. *Suidas & Pausanias.*

Teridates eunuchus, formosissimus omnium in Asia iuuenum: cum rex Artaxerxes rex Persarum mortem obijsse audisset, per vniuersam Asiam l. ctum indixit. *Ælian. lib. 12.*

Phædrus Eliensis Socrati Platoniq. familiaris, & Dialecticus, cuius nomine liber inscribitur, ὁ τοῦ καλοῦ puer forma præstanti à lenone domino ad merendum coactus, & ab Alcibiade redemptus, philosophiæ traditus est. *Gellius lib. 2. c. 18.*

Galæta formosissimus adolescens, ob pulchritudinem, & animo insitas peculiares quasdam virtutes à Ptolomæo rege Aegyptiorum amatus est. *Ælian. de var. hist. lib. 1.*

Gyges Gnidij formosissimi meminit *Horat. lib. 2. Ode. 5.*

Emblema.

Io formosam fato præreptam.

Alciati, Emblema. CLV.

Cur puerum Mors ausa ferit, ut corpore Amorem,
Telaque, vt iaceret, dum propria esse putat?

FORMIDO.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Formido, Græcè δειλία, à δειλός, formidolosus vel timidus dicitur. Est autem formido virt s, medio modo se habens circa timores & audacias propter bonum, *secundum Aristotel. lib. 3 Ethic.*

Formido est metus permanens, *secundum Cic. lib. 4. Tusc. q.*

Dicitur autem formido à fero fers, & est metus, qui vehementius in mouendo, vt ab se abeat, foras fertur: hinc formido verbum, id est, timeo: & formidabile, timidum: & formidolosus, qui formidat. Terentius, Num formidolosus es mihi homo? & formidolose, id est, cum timore. Apophoreta verò, quæ sunt munera, quæ dari solebant in Saturnalibus: quem morem quoque hodie seruamus mense Decembri, non à fero, sed à Pheto Græco, quod ab his, quos salutabant, referrentur: nã ἀποφέρω modo auferre, modo referre significat. Hinc Martialis nouissimum sui operis librum Apophoreta inscripsit, hoc est, munera Saturnaliorum.

Sententiæ Biblicæ.

Formido & pusillanimitas.

Quis homo formidolosus, & corde pauidus? vadat & reuertatur in domum suam, ne pauere faciat corda fratrum suorum, sicut ipse timore perterritus est. *Deut. 20.*

Dabit tibi Dominus cor pauidum, & deficientes oculos, & animam consumptam mœrore, & erit vita tua quasi pendens ante te. 26.

Mane dices: quis mihi det vesperum? & vespere: quis mihi det mane? propter cordis tui formidinem, qua terreberis: & propter ea, quæ tuis oculis videbis. *ibid.*

Bestias terræ non formidabis. *Iob 5.*

Vndiq; terrebunt eum formidines, & inuoluent pedes eius. 18.

Ne paueas repenti nos terrores, & irruentes tibi potentias impiorum. *Prou. 3.*

Leo fortissimus bestiarum ad nullius pauebit occursum. 30.

Noli esse pusillanimis in animo tuo. *Eccl. 7.*

Dominum exercituum ipsum sanctificate, & ipse pauor vester, & ipse timor vester & erit vobis in sanctificationem. *Esa. 8.*

Formido & fouea, & laqueus super te, qui habitator es terræ. 24.

Pusillanimes confortamini, & nolite timere. 35.

Non sis mihi tu formidini: spes mea tu in die afflictionis. *Ier. 17.*

Paueant illi, & non paueam ego. *ibid.*

Non formidabunt vltra, & non pauebunt. 23.

Non erit quem formides, quoniam ego tecum sum, vt saluem te, ait Dominus. 3.

Noli timere à facie regis Babylonis (Diaboli) quem vos pauidi formidatis: nolite metuere eum, dicit Dominus: quoniam ego vobiscum sum, vt saluos vos faciam. 42.

Ne timeatis multitudinem eorum, & impetum eorum ne formidetis. 1. *Mach. 4.*

Da

Da illis formidinem, & tabefac audaciam eorum, & commoueantur contritione sua. *Ibidem.*

Quid timidi estis modicæ fidei? *Matth.* 8.

Non turbetur cor vestrum, neque formidet. *Ioan.* 14

Consolamini pusillanimes. 1. *Thess.* 5.

Vide Timor. Item supra Fiducia.

FORNICATIO.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Fornicatio, Græcè, *πορνεία, ας, ἡ. & πορνεῖον, ου, τὸ.* lupanar dicitur. Hebr. *Zenath*, Ose. 4. 11. *Zonach*, meretrix, scortum, fornicatrix, fornices, stabula, loca furua, obscura & obscœna captans ad libidines suas explendas, à verbo *Zanach* fornicatus est, scortatus est, meretricatus est. Cognationem habet cum verbo *zon*, diuertit in hospitium publicum. Apud gentes profanas publicis diuersorijs prostituebant se meretrices viatoribus & alijs pro vili mercede. Inde prostibulanæ, fornicariæ, quadrantariæ dictæ. Est aũt fornicatio omnis illicitus coitus, *vt habetur 31 q. 2. c. Meretrices. §. Qui ergo.* Propriè tamen est inordinatus concubitus naturalis, quo solutus solutam naturali vsu cognoscit, solutus, inquam, quolibet vinculo coniugali, consanguinitatis, affinitatis, ordinis, religionis, seu voti.

Fornicatio, *vt habetur 36. q. 1. c. Lex illa*, licet videatur esse genus cuiuslibet illiciti coitus, qui fit extra vxorem legitimam, tamen specialiter intelligitur in vsu viduarum, vel meretricum, vel concubinarum.

Fornicatio dicitur à fornice, id est, arcu, seu opere concamerato, vbi Romæ fiebat fornicatio, & propriè est soluti cum soluta, *secundum B. Thom. 4. sent. dist. 41. art. 4.* Fornix dicitur, vt nonnulli putãt, à furno. Furnum verò veteres dixere, quasi furuum: & furuum, nigrum vel obscurum dicebant. Suntq; fornices loca in arcuum similitudinem ædificata, subobscura: inde fornicor, quod est meretricor, quoniam meretrices in fornicibus habitare consueuerũt: inde fornicor & fornicatio deducuntur: hoc est, meretricator & meretricatio.

Fornicantes fœminæ cum clericis debent in seruitutem redigi. 32. *dist. cap. qui.*

Fornicatio non est multum aggerenda propter maius malum vitandum. 32. *q.* 2. *Ancillam.*

Fornicandi occasionem vt non det vxori maritus, se continere debet. 27. *q.* 1. *Nubendi.*

Fornicationis propter solam causam vxor dimittitur, quantum ad cohabitationem. 32. *q.* 1. *Dixit Dominus.*

DIVISIO.

Fornicatio est duplex, scilicet spiritualis & corporalis, seu carnalis. 28. *q.* 1. *Idololatria*, 32. *q.* 7. *Non solum.*

Fornicatio spiritualis est idololatria, quam sequuntur infideles, & quælibet noxia superstitio. 28. *q.* 1. *Idololatria.*

Fornicatio spiritualis dicitur consensus mentis ad fornicandũ, iuxta illud: *Qui viderit mulierem, &c.* 32. *q.* 7. *Non solum.*

Fornicans Episcopus vel Presbyter cum sua filia spirituali, si publicum est, debet deponi, si occultum, Episcopus quindecim annis, & presbyter duodecim debet pœnitere. 30. *quæst.* 1. *omnes, & 2. c. seq.*

Fornicatio carnalis dicitur omnis pollutio immunda. 32. *q.* 7. *per totum.*

Fornicatio simplex est peccatum mortale. *gl. in clem. vlt. her. in ver. non est.* & est soluti cum soluta.

Fornicationis excusationem non affert necessitas famis, sicut furti, *ff de ritu nuptiar. l. palam.* §. Non est sicut à furto, quia propter necessitatem res, quam furatur, est facta communis, sed in fornicatione non est ita. Imo potius debet quælibet mala pati, quã malo consentire, *vt 32. q. 5. c. Ita ne. & gl. in c. Si quis de furtis.*

LOCI BIBLICI.

Fornicatio iram Dei prouocat, *Deut.* 21. 22. *Prou.* 21. 27. *Eccl.* 19. 3. *Ieremia* 3. 7. *Osea* 4. *v.* 14. 1. *Corint.* 6. *v.* 9. 13. 15. *Col.* 3. 5. *Hebr.* 13. 4. corpus eneruat, & facultates absumit, *Iob* 31. *v.* 12. *Prouerb.* 23. 27. & 29. 3. & 31. 3. *Eccl.* 9. *v.* 6. infamiam adfert, 9. *v.* 10. & 41. *v.* 21. Fornicationis occasiones vitandæ. *Eccl.* 9. *v.* 4. 12. & 42. 12. Fornicatio non solum in opere externo, sed & in affectu prohibetur, *Exodi* 20. 17. *Matth.* 5. 20. Fornicatio spiritualis. *Deut.* 31, 16. *Iudic.* 2. 17. & 8. *v.* 27. 33. *Esaia* 1. *v.* 21. & 57. 3. *Ierem.* 3. 1. *Ezech.* 6. 9. & 16, 14. &c. *Osea* 1. 2. & 24. & 4. 15. *Apoc.* 18. 3.

SENTENTIÆ BIBLICÆ.

Si seduxerit quis virginem, nec dum desponsatam, dormieritq; cũ ea, dotabit eam, & habebit eam vxorem. Si pater virginis dare noluerit, reddet pecuniam iuxta modum dotis, quam virgines accipere consueuerunt. *Exod.* 22.

Si inuenerit vir puellam virginem, quæ non habet sponsam, & apprehendens concubuerit cum ea, & res ad iudicium venerit, dabit qui dormiuit cum illa, patri puellæ quinquaginta siclos argenti, & habebit eam vxorem, quia humiliauit illam, non poterit dimittere eam cunctis diebus vitæ suæ. *Deut.* 22.

Non des mulieri potestatem animæ tuæ, ne ingrediatur in virtute tua, & confundaris. *Eccl.* 9.

Fornicatio mulieris in excellentia oculorum, & in palpebris illius agnoscitur. 26.

Dimitte eum, separatum est conuiuium eorum, fornicatione fornicati sunt. *Ose.* 4.

Iram Dei prouocat.

Morietur, quoniam fecit nefas in Israel, vt fornicaretur in domo patris sui, & auferes malum de medio tui. *Deut.* 22.

Qui se iungit fornicarijs, erit nequam, putredo & vermes hæreditabunt illum, & extolletur in exemplum maius, & tolletur de numero anima eius. *Eccl.* 5.

Saturaui eos, & mœchati sunt. Equi amatores in fœminas, & emissarij facti sunt, vnusquisq; ad vxorem proximi sui hinniebat. Nunquid, super his non visitabo, dicit Dominus? *Ieremia* 5.

Non visitabo super filias vestras (in præsenti) quum fuerint fornicatæ, & super sponsas vestras, quum adulterauerint, quoniam ipsi cum meretricibus conuersabantur, & cum effœminatis sacrificabant, & populus non intelligens vapulabit. *Osea* 4.

Fornicarij regnum Dei non possidebunt. 1. *Cor.* 6.

Fornicatores & adulteros iudicabit Deus. *Hebr.* 13.

Esca ventri, & venter escis; Deus autem & hunc & hanc destruet, corpus autem non fornicationi, sed domino suo, & dominus corpori. 2. *Corint.* 6.

Nescitis, quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membrum Christi, faciam membrum meretricis? Absit, an nescitis, quoniam qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur? Erunt, inquit, duo in carne vna. Fugite fornicationem, omne enim peccatum, quodcumq; fecerit homo, extra corpus suum est, qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo, & non estis vestri? *ibid.*

Timidis autem, & incredulis, & execratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idololatris, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti igne & sulphure, quod est mors secunda. *Apoc.* 21.

Conuersionem retardat.

Non dabunt cogitationes suas, vt reuertantur ad Deum suum, quia spiritus fornicationum in medio eorum, & Dominum non cognouerunt. *Osea* 5.

Corpus eneruat.

Homini fornicario omnis panis dulcis, non fatigabitur transgrediẽs vsque ad finem. *Eccl.* 23.

Fornicatio & vinum & ebrietas auferunt cor. *Osea* 4.

Substantiam dissipat.

Ignis est vsque ad perditionem deuorans, & omnia eradicans genimina. *Iob.* 31.

Fouea profunda est meretrix, & puteus angustus à linea. Insidiatur à via quasi latro, & quos incautos viderit, interficit. *Prou.* 23.

Qui autem nutrit scortum, perdet substantiam. 29.

Non dederis mulieribus substantiam tuam. 31.

Non des fornicarijs animam tuam in vllo, ne perdas te & hæreditatem tuam. *Eccl.* 9.

Hominem infamat.

Non offeres mercedem prostibuli *Deut.* 23.

Omnis mulier, quæ est fornicaria, quasi stercus in via, ab omnibus prætereuntibus conculcabitur. *Eccl.* 9.

Erubescite à patre & matre de fornicatione. 41.

Fornicatio diligenter vitanda affectu.

Nec desiderabis vxorem eius, nõ seruum, non ancillam, nõ bouem, non asinum, nec omnia, quæ illius sunt. *Exod.* 20.

Attende tibi, fili mi, ab omni fornicatione, & præter vxorem tuam numquam patiaris crimen scire. *Tob.* 4.

Ego autem dico vobis, quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam mœchatus est eam in corde suo. *Matthæ.* 5.

Visum est Spiritui Sancto, & nobis, vt abstineatis à fornicatione. *Actor.* 15.

Ne commisceamini fornicarijs. 1. *Cor.* 5.

Neque fornicemur, sicut quidam ex ipsis fornicati sunt, & ceciderunt vna die viginti tria millia. 10.

Assam

Afsum.

Cum aliena muliere nõ sedeas omnino, nec accumbas cum ea super cubitum, & non alterceris cum illa in vino, ne forte declinet cor tuum in illam, & sanguine tuo labaris in perditionem. *Eccles. 9.*

Fornicatio autem & omnis immunditia, aut auaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos. *Eph. 5.*

Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra, vt abstineatis vos à fornicatione, vt sciat vnusq. vestrum vas suum possidere in sanctificatione & honore, non in passione desiderij, sicut & gentes, quæ ignorant Deum. *1. Thess. 4.*

Actu.

Ne prostituas filiam tuam: ne contaminetur terra, & impleatur piaculo. *Leuit. 19.*

Non erit meretrix de filiabus Israel, nec scortator de filiis Israel. *Deut. 23.*

Cum saltatrice ne assiduus sis, nec audias illam, ne forte pereas in efficacia illius. *Eccl. 9.*

Omni homini noli intendere in specie, & in medio mulierum noli commorari. De vestimentis enim procedit tinea, & à muliere iniquitas viri. Melior enim iniquitas viri, quam benefaciens mulier, & mulier confundens in opprobrium. *41.*

Bonum est homini mulierem non tangere. *1. Cor. 7.*

Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & auaritiam, quæ simulachrorum seruitus, propter quæ venit ira Dei super filios incredulitatis, in quibus & vos ambulastis aliquando cum viueretis in illis. *Coloss. 3.*

PATRVM SENTENTIAE.

Fornicatio autem nulli impune conceditur. *Augustinus de conflictu vitiorum & virtutum, & habetur 27 q. 1. Nuptiarum §. Fornicatio.*

Omnis mœchia etiam fornicatio dicitur in Scripturis, sed vtrum omnis fornicatio mœchia dici possit in eisdem Scripturis, nõ mihi interim occurrit locutionis exemplum. Sed si omnis fornicatio etiam mœchia dici non potest, vbi sit in Decalogo prohibita illa fornicatio, quam faciunt, qui vxores non habent, cum fœminis quæ viros non habent, an inueniri possit ignoro. Sed si furti nomine bene intelligitur omnis illicita vsurpatio rei alienæ: (non enim rapinam permisit, qui furtum prohibuit: sed vtiq. e ex parte totum intelligere voluit, quicquid illicite rerum proximi aufertur) profecto nomine mœchiæ nominis illicitus concubitus, atque illorum membrorum non legitimus vsus prohibitus debet intelligi. *August. super Exod. & habetur 32 quæst. 4. Meretrices. §. Omnis.*

Nihil est iniquius, quam causa fornicationis vxorem dimittere, si ipse conuincitur fornicari. Occurret enim illud: In quo alterum iudicas, te ipsum condemnas. *August. de verbis Domini.*

In fornicatione non idcirco diuersa fit fornicatio, si mulier sit pulchra aut deformis, ancilla aut ingenua, paupercula aut opulenta: sed qualiscunque illa fuerit, vna est fornicatio. *Hieron. epist. ad Titum, & habetur 14. q. 9 Tur autem. §. Quomodo.*

Dixit Dominus in Euangelio: Quicunque dimiserit vxorem, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur: & qui dimissam duxerit mœchatur. Sola fornicatio est, quæ vxoris vincit affectũ: imo cum illa vnam carnem in aliam diuiserit, & se fornicatione à marito separauerit, non debet teneri, ne virum quoque sub maledicto faciat, dicente Scriptura: Qui tenet adulteram, stultus & impius est. Vbicunque igitur fornicatio est, vel fornicationis suspicio, libere vxor dimittitur. Et quia poterat accidere, vt aliquis calumniam faceret innocenti, & ob secundam copulam nuptialem veteri copulæ crimen impingeret, sic priorem dimittere iubetur vxorem, vt prima viuente secundam non habeat. *Idem & habetur 32 quæst. 1. can. Dixit.*

Sicut non omnis congregatio hæreticorũ Christi Ecclesia dici potest, nec caput eorum Christus est: sic non omne matrimonium, quo non viro suo secundum præcepta Christi vxor iungitur rite coniugium appellari potest, sed magis adulterium. *Hieron. & habetur 32. q. 1. canon. Sicut non.*

In eo fornicator maioris criminis est, quia tollit membra Christi, & facit ea membra meretricis. Erunt quippe duo in carne vna, qui non est fidelis, nec credit in Christo, membra sua facit membra meretricis. Qui credit, & fornicatur, Christi membra facit membra meretricis. E contrario infidelis in fornicatione sua vtrum violet vel ædificet templa idolo, nescio. *Idem 32. quæst can. In eo.*

Considerandum pueris est, vt casti & pudici permaneant, & frequentius ad Ecclesias sciant conuenire debere. Quia frequentius sunt armandi, quibus adhuc propter ætatem minus stabilẽ, pugna Diaboli futura sit grauior. obseruanda illis omnia cum timore, & ante omnia cauendum à fornicatione, quæ initium ad idololatriam habet, & necesse est vtrumque nouerit, qui sequutus est alterum. *Idem ad Damasum Papam.*

Deus sine peccato est, qui non fecit peccatum: homo autẽ ad imaginem Dei est. Fugite ergo fornicationem, persequuntur enim vos illecebræ peccatorum, persequitur libido, sed tu fuge tanquam furiosam dominam, quæ si te comprehenderit, nec de die, nec de nocte requiescere sinet, exagitat, vrit, incendit. *Ambros. de fuga sæculi.*

Non solum de commissa fornicatione peccatum regnat in homine, sed si adhuc delectetur, atque animum teneat, procul dubio regnat. Fornicatio carnis adulterium est, fornicatio animi idolorũ est seruitus. Est autem spiritualis fornicatio, de qua Dominus ait: Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Omnis immunda pollutio fornicatio dicitur, quamuis quisque diuersa turpitudinis voluntate prostituatur. Ex delectatione enim fornicandi varia gignuntur flagitia, quibus regnum Dei clauditur, vt homo à Deo separetur. Inter cætera septem vitia visium fornicationis maximum scelus est, quia per carnis immunditiam templum Dei violatur. *Isidor. & habetur 32. q. 7. Non solum.*

Cui impulsu Dæmonum mens ad delectationem fornicationis impellitur, diuini iudicii metus, æterna tormenta incendii, ante oculos præponantur: quia omnis pœna grauioris supplicii formidine superatur. Sicut enim clauus clauum expellit, ita sæpe recordatio ardoris gehennæ, ardorem excludit luxuriæ. *Isidorus de summo bono, lib. 3. cap. 39.*

EMBLEMATA.

Cauendum à meretricibus.
Andreæ Alciati Emblema. LXXVI.

Sole sata Circes tam magna potentia fertur,
Verterit vt multos in noua monstra viros.
Testis equum domitor Picus, tum Scylla biformis,
Atque Ithaci postquam vina bibere, sues.
Indicat illustri meretricem nomine Circe,
Et rationem animi perdere quisquis amat.

Tumulus meretricis.
Emblema LXXIV.

Quis tumulus? cuia vrna? Ephyrææ est Laidos. ah! non
Erubuit tantum perdere Parca decus?
Nulla fuit tum forma illam iam carpserat ætas,
Iam speculum Veneri casta dicarat anus.
Quid sculptæ sibi vult aries, quem parte leæna
Vnguibus apprensum posteriore tenet?
Non aliter captos quod & ipsa teneret amantes:
Vir gregis est aries, clune tenetur amans.

Ocni effigies, de iis, qui meretricibus donant, quod in bonos vsus verti debeat.
Emblema XCI.

Impiger haud cessat funem contexere Sparto,
Humidaq. artifici iungere fila manu.
Sed quantum multis vix torquet strenuus horis,
Protinus ignaui ventris asella vorat.
Fœmina iners animal facile congesta mariti
Lucra rapit, mundum prodigit inq. suum.

In amatores meretricum.
Emblema LXXV.

Villosa indutus piscator tegmina capræ,
Addidit vt capiti cornua bina suo,
Fallit amatorem stans summo in littore sargum,
In laqueos sinus quem gregis ardor agit.
Capra refert scortum, similis sit sargus amanti,
Qui miser obscœno captus amore perit.

Vide, Meretrix, Scortum, Scortatio.

FORTITVDO.

DEFINITIO ET ETYMOL.

Fortitudo, Græce ἀνδρεία, ας, ἡ, & ἀνδρεῖος, ὁ, fortis & virilis dicitur. Est autem fortitudo aggressio terribilium, vbi mors imminet propter bonum commune saluandum. *secundum Aristot. lib. 3. Ethicorum.*

Fortitudo est virtus, quæ animum super periculi metum agit, nihilq. nisi turpia timet, tolerat fortiter vel aduersa, vel prospera. Præstat autem fortitudo magnanimitatem, fiduciam, securitatem, magnificentiam, constantiam, tolerantiam, firmitatem. *secundum Macrobium.*

Fortitudo est scientia perferendarum, vel affectio animi in patiendo ac perferendo, summæ legi parens sine timore. *secundum Cic. lib. 4. Tusc. quæst.*

Fortitudo est animi affectio legi summæ in perpetiendis rebus obtemperans. *Vt ibidem.*

Fortitudo est probata (vt dicunt maiores) scientia rerum tolerandarum, & non tolerandarum, non excedens modum per immoderatam audaciam, nec deficiens per pœnæ sensibilitatem. *secundum Aulum Gellium li.12. Noctium Atticarum.*

Fortitudo est, quę gratia Reipublicæ se exponit & non cedit, neque fugit periculis excrescentibus, *secundum B.Thom. opusc. de regimine Principum.*

Fortitudo est firmitas animi in sustinendis & repellendis his, in quibus maxime est difficile firmitatem habere propter bonum virtutis. *B Tho. 2.2.q 23.art.2.*

Fortitudo est virtus moderatiua timoris & audaciæ, & propter bonum Reipublicæ. *B.Tho. super epist. ad Hebr. 11. princ.*

Fortitudo & magnanimitas conueniunt in modo & forma, & differunt in materia. *B.Tho.3.Sent.dist.3.q.33. art.3.*

Fortitudo firmat contra mala, magnanimitas est in persecutione bonorum. *B.Tho.2.2.q.129.art.5.*

Fortitudo moderatur timorē, patientia & perseuerantia tristitiam, mansuetudo iram. *B Tho.2.2.q.136.art.2.*

Fortis proprie est, qui animum habet infractum, vel qui validis viribus præditus est. Dicitur autem à ferendo, quod æquo animo ferat aduersa. A fortis fit fortiter aduerbium, & fortifico. pro fortem facio. *Plautus Fortifico animum.* Et fortesco, pro fortis fio. *Naeuius: Crescit animus, & fortescunt vires.* Hinc etiam forticulus diminutiuum.

Fortitudo est mediocritas in metu & confidentia. *Arist.3.Ethic.*

Fortitudo est mediocritas earum rerum, quæ hominibus vel fiduciam præbent, vel terrorem afferunt. *Petronius in librum 3. Ethic.* Vel.

Fortitudo est virtus, pugnans pro æquitate. Item scientia. *Secundum Socratem & Aristot.3.Ethic.* rerum tolerandarum & non tolerandarum:

Fortitudo, animi magnitudo, robur, excelsitas, præsentia animi, in rebus arduis: Hebr. *Chozek.* à verbo *Chazak.* fortis & validus fuit inualuit, obfirmatus est. Ab eodem verbo deriuatur Chezek, fortitudo, firmitas, robur, *Geburah* etiam fortitudo dicitur Hebr. quæ est robur animi & corporis, quo alius alium superat. *Gibbor*, prævalidus, qui alijs imperat & potenter dominatur, superiorq. omnibus modis apparet: à verbo *Gabar*, superauit, præualuit, prædominatus est alijs virtute: potentia & authoritate superior fuit. In 3. coniugatione *Higebbir*, fecit superare, corroborauit. In 4. *Hitgabbar*, corroborauit se. Deus *EL Gibbor* dicitur, i. fortis, Omnipotens, qui quoscunque vult reddit insuperabiles & potentissimos: qui seipsum noua quadam ratione, quoties ei libet corroborat aduersus impios, qui eius robur contemnunt. *Vide Esa 42.13.*

DIVISIO.

Fortitudo duplex, scilicet

- *Mentalis, sec. secunda q.123. artic. 2. B. Tho,*
  - *Vno modo vt definit Aristot. 3. Ethicor. & est mediocritas inter audaciam & timorē propter bonam mortem. & hæc est duplex, scilicet*
    - *Assimulata, & non vera quia scilicet non habens fortitudinem veram operatur fortia, quod fit quintupliciter, propter*
      - *Passionem*
        - *Timoris & dicitur ab Arist. politica, id est, ciuilis, cuius gradus tres assignantur. quorum*
          - *Primus, sustinere, vel aggredi ardua vel periculosa mortis non propter virtutem vel bonum commune, sed vt vitentur increpationes & opprobria, vel vt acquirantur honores.*
          - *Secundus est, sustinere vel aggredi ardua, vt supra, timore pœnæ futuræ, secundum leges statutas.*
          - *Tertius est sustinere vel aggredi, vt supra: Coactione præsentis pœnæ, vt cum præcipitantur vel occiduntur fugientes.*
        - *Iræ vel furoris, cum quis propter iram fortiter agit; quæ secundum Stoicos est cor fortitudinis.*
        - *Spei, cum scilicet propter multas victorias acquisitas, non propter artem vel armorum experientiam, fiduciam concipiunt, & spem victoriæ, vt in ebriis contingit: & tales à Philosopho bonæ spei dicuntur.*
      - *Artem, sicut in militibus, qui propter peritiam & exercitium non reputant grauia pericula belli, arti suæ fidentes, vt ait Vegetius de re militari: Nemo facere metuit, quod se bene didicisse confidit.*
      - *Experientiam, & Philosopho 3. Ethic. dicitur fortitudo militaris.*
      - *Ignorantiam, cum scilicet nescientibus pericula occurrunt in grauibus & arduis, & hi minimum de formidine habent.*
      - *Lucrum. Horat. Impiger extremos currit mercator ad Indos. Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes.*
    - *Vera secundum B. Tho. & est ea, quæ firmat animum, retineat, & audeat mori propter quod, quando, vbi, & secundum cæteras circumstantias: cuius*
      - *Materia,*
        - *Circa quam, id est, obiectum, & est terribile circa pericula mortis.*
        - *In qua, id est, subiectum perfectibile per fortitudinem, & irascibilis pars appetitus sensitiui.*
      - *Partes,*
        - *Integrales, quæ sunt ea, quæ oportet concurrere ad perfectum actum fortis, & sic sunt quatuor, quas ponit Cicero, scilicet*
          - *Fiducia, qua quis in aggrediendo periculo mortis, promptum habet animum.*
          - *Magnificentia, qua fortis persistit in executione eorum, quæ fiducialiter inchoauit circa pericula mortis.*
          - *Patientia, qua fortis hominis animus non frangitur, aut decidit a sua magnitudine difficultate imminentium malorum.*
          - *Perseuerantia qua fortis animus non frangitur, vel dicidit ē propria magnitudine non modo difficultatem sed insuper diuturnitatem tolerantiæ imminentium malorum. q.128.*
        - *Subiectiuas non habet, quia non diuiditur in multas species, quia est circa materiam valde specialem, de quibus supra.*
        - *Potentiales vel annexæ, & sunt*
          - Secundum Ciceronem Magnificentia, Fiducia, Patientia, Tolerantia.
          - *Secundum Macrobium.*
            - *Magnanimitas, quæ a Cicerone sub fiducia comprehenditur.*
            - *Fiducia, per quam magnis & honestis rebus multum ipse animus in se fiducia cum spe collocauit, secundum Ciceronem.*
            - *Securitas, quæ sub fiducia continetur.*
            - *Magnificentia, quæ est rerum magnarum & excelsarum cum animi quadam ampla & splendida propositione cogitatio atque administratio, id est, executio, secundum Ciceronem.*
            - *Constantia, quæ a Cicerone sub magnificentia comprehenditur.*
            - *Tolerantia, quam Cicero sub patientia ponit.*
            - *Firmitas, quam Cicero vocat perseuerantiam.*
          - *Secundum Andronicū.*
            - *Epicia, id est, bona animositas, & est idem quod securitas, & sub fiducia comprehenditur, & est robur animi ad perficiendum opera ipsius.*
            - *Lenta, id est, patientia vel tolerancia, & est habitus promptus, tribuens ad conari, qualia oportet, & sustinere, quæ ratio dicit.*
            - *Magnanimitas, quam sub fiducia Cicer. comprehendit, Virili.*
  - *Secundo modo, vt definiuit Aug. l 83. q. dicens, quod fortitudo est firmitas animi eorum, quæ temporaliter molesta sunt, & sic est quædam generalis conditio cuiuslibet virtutis, & non est virtus specialis.*

Virilitas, & est habitus per se sufficiens tribuens in his, quæ secundum virtutem sunt, est idem cum fiducia.
Perseuerantia, vt Cicero.
Magnifice ntia vt Cicero.
Andragathema, id est, strenuitas, quã Cicero cõprehendit sub magnificẽtia, cui opponitur per { Excessum Banausia, quæ cõsumptio latine dici potest. Defectum, Paruificentia.

Corporalis, quæ in 5. consistit, scilicet { Vigore complexionis, Robore membrorum, Abundantia cibi, Constantia mentis, Experientia bellica artis,

Actus { Principalis, Secundarius, } { Sustinere, Aggredi, } quibus opponitur { Timor, Audacia, Intimiditas.

B. Thomas super Esaiam, 3. prime quæst. 123. art. 6.

Loci Biblici.

Fortitudo quæ; *Prou. 24. v. 5.* *Fortitudo a Deo est,* *Psal. 28. vers. 9. Dan. 2. vers. 20.* Fortitudo nostra Deus, *Exod. 15. 2.* Fortitudo Dei ostẽsa in Pharaone, *9. vers. 16.* Fortitudinem aufert Deus inobedientibus, *Deut. 28. vers. 32.*

Sententiae Biblicae.

Non in fortitudioe sua (sed D.i) roborabitor vir, *1. Reg. 2.*

Confortamini, & agite diligenter: & Dominus erit vobiscum in bonis. *2. Paral. 59.*

Expecta Dominum, viriliter age & confortetur cor tuum, & sustine Dominum. *Psal. 26.*

Fortis Deus noster. *Iosu. 22. 22.* & *2. Sam. 22. 3.*

Domus iusti plurima fortitudo, & io fructibus impii conturbatio. *Prou. 15.*

Mulierem fortem quis inueniet? 31.

Dicebam ego mulierem esse sapientiorem fortitudine. *Eccl. 9.*

Factus est fortitudo pauperi: fortitudo egeno in tribulatione sua. *Esa. 25.*

Dicite, pusillanimes, confortamini, & nolite timere: ecce Deus vester vltionem adducet retributionis: Deus ipse veniet, & saluabit nos. 35.

Consurge, consurge, induere fortitudine tua Sion. 52.

Conforta lumbos, robora virtutem valde. *Nahum. 2.*

Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia, quæ possidet. *Luc. 11.*

In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur: apperimur, sed noo destituimur: persecutionem patiomr, sed non dereloquimur. *2. Corinth. 4.*

Fortitudo bona Deum quærit.

Fortitudo mea & laus mea Domous. *Exo. 15.*

Vos ergo confortamini, & ooo dissoluantur manus vestræ: erit enim merces operi vestro. *2. Paral. 15.*

Oculi Domini contemplantur vniuersam terram, & præbent fortitudinem his, qui corde perfecto credunt in eum. 16.

Etenim Dominus est fortitudo vestra. *Nehem. 8.*

Viriliter agite & confortetur cor vestrum, omnes qui speratis io Domino. *Psal. 30.*

Fortitudinem meam ad te custodiam: quia Deus susceptor meus es. 58.

Mirabilis Deus io Sanctis suis. Deus Israel ipse dabit virtutem & fortitudinem plebi suæ: benedictus Deus. 67.

Est prudentia mea, est fortitudo (non tua.) *Prou. 8.*

In tim re Domini fiducia fortitudiois. 14.

Turris fortissima nomen Domini, ad ipsum currit iustus, & exaltabitur. 18.

Quia fortitudo mea, & laus mea Dominus: & factus est mihi in salutem. *Esa. 12.*

Quia factus es fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione sua, spes à turbine, vmbraculum ab æstu. 25.

In silentio & spe erit fortitudo vestra. 30.

Qui dat lasso virtutem, & in his, qui non sunt, fortitudinem, & robur multiplicat. 40.

Qui autem sperant io Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas vt aquilæ: current, & non laborabunt, & non deficient. *Ibidem.*

Deus meus factus est fortitudo mea. 49.

Viriliter agite, & coofortamini in Domino. *1. Cor. 16.*

Fratres confortamini in Domino, & in potẽtia virtutis eius. *Eph. 6.*

Scio saturari, & esurire, & abundare, & penuriam pati: omnia possum in eo, qui me confortat. *Philip. 4.*

Fili mi, confortare in gratia, quæ est in Christo Iesu. *2. Timoth. 1.*

In Christo Iesu modicum passos ipse perficiet, confirmabit solidabitq. *1. Pet. 5.*

Vitia subigit.

Tenebit iustus viam suam, & mundus manibus addet fortitudinem. *Iob. 17.*

Fortitudo simplicis via Domini, & pauor his, qui operantur malum *Prou. 10.*

Si desperaueris lapsus in via angustiæ, imminuetur fortitudo tua. 24.

Vigilate, state in fide, viriliter agite, coofortamini: omnia enim vestra in charitate fiant. *1. Cor. 16.*

Nondum enim vsque ad sanguinem restitistis aduersus peccatum repugoantes, & obliti estis consolationis, quæ vobis tanquam filijs loquitur. *Heb. 12.*

Hosti resistit.

Fugit impius, oemine persequente: iustus autem quasi leo confidens absque terrore erit. *Prou. 28.*

Noli timere, quia redemi te, & vocaui te nomine too; Meus es tu. Cum transieris per aquas, tecum ero, & flumina non operiẽt te: cum ambulaueris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te: quia ego sum Dominus Deus tuus, sanctus Israel Saluator tuus. *Esa. 43.*

Si Deus pro nobis, quis contra nos? *Rom. 8.*

De cætero, fratres, confortamini in Domino, & in potentia virtutis eius. *Ephes. 6.*

Scribo vobis adolescentes, quoniam vicistis malignum. Scribo vobis iuuenes, quoniam fortes facti estis, & verbum Dei manet in vobis, & vicistis malignom. *1. Ioan. 2.*

Fortitudo reproba Deum offendit.

Tendit enim aduersus Deum manum suam. & contra Omnipotentem roboratus est. Cucurrit aduersus Deum erecto collo, & pingui ceruice armatus. *Iob. 15.*

Melior est sapientia, quam vires, & vir prudens, quam fortis. *Sapient. 6.*

Fortitudo vestra vt fauilla stuppæ, & opus vestrum quasi scintilla, & scindetur vtrumque simul, & non erit qui extinguat. *Esaia 1.*

Fortes Dauidis, *Sam. 23. 8. 1. Chron 11. 10.*

Patrum Sententiæ.

Quia vera virtute fortis est, nec temere audet, nec inconsulte timet. *August. in epist. ad Hieron.*

Nemo est, qui non magis dolorem fugiat, quam affectet voluptatem, quandoquidem videmus immanissimas bestiãs à maximis voluptatibus exterreri dolorum metu, contra quæ firmiter stat fortis. *Lib. 83. quæst.*

Hæc est vera fortitudo, quæ naturæ vsum, sexus infirmitatem mentis deuotione transgreditur. *Idem de vid.*

Ille solus vir fortis debet iudicari, qui temperans est, moderatus & iustus. *Lactant. Firm. diuin. instit. lib. 1.*

Timiditas in sapiente esse non debet. *idem lib. 2.*

Fortitudo atque constantia via regia est, à qua declinat ad dexteram, qui temerarius est & pertinax: ad sinistram, qui formidolosus est & pauidus. *Hieron. super Esaiam.*

Iusti & fortis viri est, nec aduersis frangi, nec prosperis subleuari, sed in vtroque esse moderatum. *Hieron. super Ioelem.*

Fortitudo, quæ bello tuetur à barbaris patriam, vel domi defendit infirmos, vel à latronibus socios, plena iustitia est. *Ambros. lib. 1. Offic. & habetur 23. q. 3. Fortitudo.*

Non mediocris animi est fortitudo, quæ sola defendit ornamenta virtutum omnium, simulq. & iustitiam custodit, & quæ inexpiabili prælio aduersus omnia vitia decertat, inuicta ad labores, fortis ad pericula, & rigidior aduersus voluptates, vt auaritiam effugiat tanquam labem quandam, quæ virtutem effœminat. *Ambros. lib. 1. de Offic.*

In duobus generibus fortitudo spectatur animi. Primò, vt exteriora corporis pro minimis habeat, & quasi superflua despicienda magis, quam expetenda ducat. Secundo, vt ea, quæ summa sunt, omnesq. res, in quibus est honestas, præclara animi intentione vsque ad effectum prosequatur. *Ibidem.*

Fortis propriam contumeliam non dolet, sed aliena peccata, & in sua iniuria lapsum alterius ingemiscens causa se fuisse deplorat lædentis erroris. Nam si iustus sum, afficior propter charitatem, propter Ecclesiæ damnum, propter corporis detrimentum. *Ambros. sup. Beati immaculati.*

Stultus vt luna mutatur sapiens enim non metu frangitur, non potestate mutatur, non extollitur prosperis, non tristibus mergitur. Vbi enim sapientia, vbi virtus est, ibi constantia & fortitudo. Sapiens ergo idem est animo, non minuitur, nõ augetur rerum mutationibus, nec vt paruulus fluctuat, vt circumferatur

omni vento decertatæ, sed manet perfectus in Christo fundatus charitate radicatus fide. *Ambrosius in epist. ad Simplicianum.*

Fortitudo non nisi in aduersitate ostenditur. Tanto enim quisque ad fortitudinem profecisse verius se demonstrat, quanto aliena mala robustius tolerat. Nam minus in se conualuit, quem aliena iniquitas sternit: qui in eo, quod ferre non valet, pusillanimitatis suæ, gladio confossus iacet. *Greg. lib. 5. Moral.*

Fortitudo destituitur, nisi per consilium fulciatur. Quia cum plus se posse conspicit, eo virtus sine moderatione rationis deiectus in præceps ruit. *Idem.*

Iustorum fortitudo est, carnem vincere, propriis voluptatibus contraire, delectationem vitæ præsentis extinguere, huius mundi aspera pro æternis præmiis amare, prosperitatis blandimenta contemnere, aduersitatis metum in corde superare. *Gregor. lib. 7. Moralium.*

Reproborum fortitudo est transitoria, sine præceptis eius, sine cessatione diligere, contra flagella conditoris insensibiliter perdurare, ab amore rerum temporalium nec aduersitate quiescere, ad inanem gloriam etiam cum vitæ detrimento peruenire, malitiæ augmenta exquirere, bonorum vitam nõ solum verbis ac moribus, sed etiam gladiis impugnare, in semetipsis spem ponere, iniquitatem quotidie sine vllo desiderij defectu perpetrare.

Nonnunquam culpa fortium occasio virtutis fit, & virtus infirmorum occasio peccati. Sicut in fluente aqua paulatim consumitur terra, sic leuiter sui reperire vitio, mens etiam fortis absorbetur. *Idem.*

Fortes facti sunt Sancti, carnem domant, virtutibus corroborant, spiritum roborant, terrena despiciunt, cœlestia appetunt: occidi possunt, flecti autem nequeunt, nec sustinere falsa per infirmitatem metuunt, nec læsi vnquam a veritate conticescunt. *Greg. in quadam homil.*

Sancti, quorum vita in prosperitate & aduersitate nouit fortiter stare, lapidibus quadris comparantur. Lapis enim quadrus æqualiter stat, in quocunque fuerit latere versus. Quisquis igitur in prosperitate non extollitur, in aduersitate non frangitur, suasionibus ad malum non trahitur, vituperationibus a bono opere non reuocatur, lapis quadrus est. Et quasi ex omni latere statum habet, qui casum in qualibet mutatione non habet. *Gregor. super Ezech. hom. 21.*

Fortitudinis mater prudentia, non enim fortitudo, sed temeritas est quilibet ausus, quem non parturiuit prudentia. *Bernar. in lib. 1. de Considerat.*

Bonus circuitus est, si iustitia quærit, prudentia inuenit, fortitudo vendicat, temperantia possidet, vt sit iustitia in affectu, prudentia in intellectu, fortitudo in effectu, temperantia in vsu. *Idem.*

Virum fortem iniuriæ probant. *August.*

Sunt quidam, qui corpore fortes sunt, debiles autem animo, parcũt sibi seipsos amantes, sequuntur otium, vacant fabulis, tales accusantur de furto, rapina, & mendacio. Sunt enim fures, qui communi necessitati subtrahunt, quod commune fecerunt, cum renunciarent mundo, seipsos abnegantes. Sunt raptores corã Deo, quia eo vidente, qui nouit occulta cordium, communi vitæ, quod sciunt, aut quod possent, violenter auferunt. Sunt mendaces coram Deo & hominibus, qui quod voluerunt, reddere possunt, sed nolunt. Sic igitur coram fratribus suis fures, coram Deo raptores, coram Deo & hominibus mendaces sunt. *Hugo de claustro animæ, lib. 2.*

Vir vocatus à viribus, qui nescit in aduersis tolerando deficere, aut in prosperis aliqua elatione se iactare, sed animo stabili defixus, & cœlestium rerum contemplatione firmatus, manet semper impauidus. *Cassiod. super psal. 1. Beatus vir.*

SENTENTIAE POETARVM.

Ouidius.

Scilicet aduersis probatas exercita rebus,
Tristi materiam tempore laudis habet.

Seneca.

Haud est virile terga fortunæ dare,

Virgilius.

Superanda omnis fortuna ferendo est.

Idem.

Audaces fortuna iuuat, timidosq; repellit.

Propert.

Audendum tibi aliquid, si vis esse aliquid.

Terent.

Non fit sine periculo facinus magnum & memorabile,
Laus est, in magnis & voluisse sat est.
Tendit in ardua virtus.
Nihil intentatum relinquit virtus.
Nihil tam alte natura constituit, quo virtus non possit eniti.

Horatius.

Viuite fortes.
Fortiaq; aduersis opponite pectora rebus.

Martial.

Rebus in angustis facile est contemnere vitam;
Fortiter ille facit, qui miser esse potest.

Plautus in Pseud.

Bonus animus in re mala, dimidium est mali (credere.
Nam mala stultitia est, facinus magnum timido cordi
Nã oẽs res perinde sunt, vt agas, vt eas magnifacias.

Ouid. 2. de remed. amor.

Parua necat morsu spatiosum vipera taurum.
A cane non magno sæpe tenetur aper.

Menander.

Ἀνδρὸς ἐστι τὰ ἀπροσδόκητα τὰ γενναίως φέρειν
Viri est, accidentia generose ferre.

Plautus in Asinaria. (piter.

Hem ista virtus est quãdo vsus est qui malũ fert for-
Fortiter malum qui patitur, idem post patitur bonum.

Virg. Aeneid. lib. 2.

Moriamur, & in media arma ruamus:
Vna salus victis, nullam sperare salutem.

Ibidem.

Quondam etiam victis redit in præcordia virtus.

Virg. Aeneid. lib. 6.

Tu ne cede malis, sed contra audentior ito,
Qua tua te fortuna sinet.

Ibidem.

Nunc animis opus Aenea, nunc pectore firmo.

Virg. Aeneid. lib. 9.

Est hic, est animus lucis contemptor & istum
Qui vita bene credat emi, quo tendis, honorem.

Lucan. Pharsal. lib. 7.

Fortissimus ille est,
Qui promptus metuenda pati, si comminus instent,
Et differre potest.

Ouid Metamorph. lib. 10. fab. 12.

In audaces non est audacia tuta.

Idem lib. 10. fab. 13.

Audentes Deus ipse iuuat.

Ouid. Trist. lib. 3. eleg. 2.

Sufficitq; mihi animus, nam corpus ab illo
Accepit vires, vixq; ferenda tulit.

Martialis lib. 1. Epigrammatum, de Mutio.

Dum peteret regem decepta satellite dextra,
Iniecit sacris se peritura focis.
Sed tam sæua pius miracula non tulit hostis:
Et raptum flammis iussit abire virum.
Vrere quam potuit contempto Mutius igne,
Hanc spectare manum Porsena non potuit.
Maior decepta fama est, & gloria dextra,
Si non errasset, fecerat illa minus.

Martialis lib. 1. Epigrammatum de Portia.

Coniugis audisset fatum cum Portia Bruti,
Et subtracta sibi quæreret arma dolor:
Nondum scitis ait mortem non posse negari?
Credideram satis hoc vos docuisse patrem.
Dixit, & ardentes auido bibit ore fauillas.
I nunc, & ferrum turba molesta nega.

Horat Carm. lib. 2. Od. 3.

Aequam memento rebus in arduis
Seruare mentem, non secus in bonis
Ab insolenti temperatam
Lætitia moriture Deli.

Horat. Epist. lib. 1. Epist. 3. ad Iulium Florum.

Quod si
Frigida curarum fomenta relinquere posses,
Quo te cœlestis sapientia duceret ires.
Hoc opus, hoc studium, parui properemus & ampli,
Si patriæ volumus, si nobis viuere chari.

Boet. de consol. lib. 3. Metro 5.

Qui se volet esse potentem,
Animos domet ille feroces,
Nec victa libidine colla
Fœdis submittat habenis.
Etenim licet Indica longe
Tellus tua iura tremiscat,
Et seruiat vltima Thule:
Tamen atras pellere curas,
Miserasq; fugare querelas
Non posse, potentia non est.

Menander.

Ὅταν τι πράττῃς ὅσιον, ἀγαθὴν ἐλπίδα
Πρόβαλλ' ἑαυτῷ, τοῦτο γινώσκων ὅτι
Τόλμῃ δικαίᾳ καὶ Θεὸς συλλαμβάνει.

Quum

Quum quid sanctum agis: bonam spem
Tibi propone, certus quod
Conatum iustum etiam Deus adiuuat.

Sophocles in Euryphile.

[illegible]
Virorum fortium pectus non languescit.

Idem in Creusa.

[illegible]
[illegible]
Quisquis audacter periculum adit
Recta quidem & lingua est, & mens firma certaq.

Euripides in Hercule.

[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
Vtrum sane volunt? an esse
Prudentem sine audacia, an audacem & furentem?
Alterum quidem horum inhumanum est, sed mala repellit,
Alterum vero tranquilla res: in vtroque tamen est vitium.

Homerus.

[illegible]
[illegible]
Non quidem fugienti mihi dorso hastam infiges,
Sed ex aduerso ruenti per pectora adige.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

ET HISTORICAE.

Appellata enim est ex viro virtus: viri autem propria maximè est fortitudo: cuius munera duo maxima sunt, mortis dolorisq. contemptio. Vtendum est igitur his, si virtutis compotes, vel potius si viri volumus esse, quoniam à viris virtus nomen est mutuata. *M. Tullius Cic. lib. 2. Tusculanarum quæstionum.*

Quæ sunt ista arma? contentio, confirmatio, sermoq. intimus, quũ ipse secum; Caue turpe quicquam, languidum, non virile, obuersentur species honestæ animo: Zeno proponatur Eleates, qui perpessus est omnia potius, quam conscios delendæ tyrannidis indicaret. De Anaxarcho Democriteo cogitetur: qui, cum in manus Cyprii Nicocreontis regis incidisset, nullum genus supplicii deprecatus est, neque recusauit. Calanus Indus, indoctus ac barbarus, in radicibus Caucasi natus, sua voluntate viuus combustus est. Nos si pes condoluit, si dens (sed fac totum dolere corpus) ferre non possumus. Opinio est enim quædam effœminata ac leuis, nec in dolore magis quam eadem in voluptate, qua cum liquescimus, fluimusq. mollitia, apis aculeum sine clamore ferre non possumus. At vero, O Marius rusticanus vir: sed plane vir quum secaretur, vt supra dixi, principio vetuit se alligari: nec quisquam ante Marium solutus dicitur esse sectus: Cur ergo postea alii? valuit authoritas. Videsne igitur esse opinionis, non naturæ malum? & tamen fuisse acrem morsum doloris, idem Marius ostendit: crus enim alterum non præbuit. Ita & tulit dolorem, vt vir, & vt homo, maiorem ferre sine causa necessaria noluit. Totum igitur in eo est, vt tibi imperes. *Idem.*

Si gemitus in dolore ad confirmandum animum valebit, vtemur: sin erit ille gemitus lamentabilis, si imbecillis, si abiectus, si flebilis, ei qui se dederit, vix eum virum dixerim. Qui quidem gemitus si leuationis aliquid afferret, tamen videremus, quid esset fortis & animosi viri. Quum vero nihil imminuat doloris, cur frustra turpes esse volumus? Quid est n. fletu muliebri viro turpius?

Ad ferendum igitur dolorem placide & sedate, plurimum proficit toto pectore, vt dicitur, cogitare, quam id honestum sit. Sumus enim natura, vt ante dixi (dicendum est enim sæpius) studiosissimi appetentissimiq. honestatis: cuius si quasi lumen aliquod aspexerimus, nihil est, quod vt eo potiamur, non parati simus, & ferre, & perpeti. *Idem.*

Nam si omnia fugiendæ turpitudinis adipiscendæq. honestatis causa faciamus, non modo stimulos doloris, sed etiam fulmina fortunæ contemnamus licebit. *Idem.*

Præterea necesse est, qui sit fortis, eundem esse magni animi: qui magni animi, inuictum: qui inuictus, eum humanas res despicere, atque infra se positas arbitrari. Despicere autem nemo potest eas res, propter quas ægritudine affici potest nisi fortis. Ex quo efficitur, fortem virum ægritudine nunquam affici: Omnes autem sapientes, fortes. *Cic. lib. 3. Tusculanarum Quæstionum.*

Ergo is, quisquis est, qui moderatione & constantia quietus animo est, sibiq. ipsi placatus, vt neque tabescat molestiis, neque frangatur timore, nec sitienter quid appetens ardeat desiderio, nec alacritate futili gestiens deliquescat: is sapiens est, quem quærimus: is est beatus, cui nihil humanarum rerum aut intolerabile ad demittendum animum, aut nimis lætabile ad efferendum videri potest. *Idem lib. 4.*

An fortitudo, nisi insanire cœperit, impetus suos non habet? Quid Herculem, quem in cœlum ista ipsa, quam vos iracundiam esse vultis, sustulit fortitudo, iratumne censes conflixisse cum Erymanthio apro, aut leone Nemæo? An etiam Theseus Marathonii tauri cornua comprehendit iratus? Vide ne fortitudo minime sit rabiosa, sitq. iracundia tota leuitatis, neque enim est vlla fortitudo, quæ rationis expers est. Contemnendæ sunt humanæ res: negligenda mors est, patibiles & labores & dolores putande. *Ibidem.*

Fortitudo est igitur animi affectio, legi summæ in perpetiendis rebus obtemperans. Vel conseruatio stabilis iudicii in iis rebus, quæ formidolosæ videntur, subeundis & repellendis. Vel scientia rerum formidolosarum, contrariarumq. perferendarum, aut omnino negligendarum, conseruans earum rerum stabile iudicium. Vel breuius Chrysippus, (nam superiores definitiones erant Sphæri, hominis imprimis bene definientis, vt putant Stoici. Sunt enim omnino omnes fere similes, sed declarant communes notiones, alia magis alia.) Quomodo igitur Chrysippus? Fortitudo est, inquit, scientia perferendarum rerum, vel affectio animi in patiendo ac perferendo, summæ legi parens sine timore. *Idem.*

Quomodo igitur, & cui tandem hic libere imperabit, qui non potest suis cupiditatibus imperare? Refrenet primum libidines, spernat voluptates, iracundiam teneat, coerceat auaritiam, & cæteras animi labes repellat. Tunc incipiet aliis imperare, cum ipse improbissimis dominis dedecori, aut turpitudini parere desierit. Dum quidem his obediet, non modo Imperator, sed liber omnino habendus non erit. *Idem libro Paradoxorum.*

Magna laus & admirabilis videri solet, tulisse sapienter casus aduersos, non fractum esse fortuna, retinuisse in rebus asperis dignitatem. *Idem l. 2. de Oratore.*

Res magnas & excelsas sequi & appetere oportet, si fortitudinis partibus vtemur. *Idem Rhet. nou. l. 3.*

Fortitudini fortuna quoque adiumento esse solet. *Idem.*

Qui magno est animo, atque forti, omnia, quæ cadere in hominem possunt, despicit, & pro nihilo putat, atque iste vir altus & excellens magno animo, verè fortis, infra se omnia humana ducit. *Cic. l. 3. de finibus bonorum & malorum.*

Qui prælio imminente potest alios fortiores reddere, is sibi procul dubio conscius fuerit, hominem se perfectè fortem esse: Qui verò hæc sibi soli suggerere potest, atque hoc adeo satis esse sibi ducit, is meritò se imperfectè fortem esse arbitretur. *Xenoph. de instit. Cyri l. 3.*

Tranquillitas & ocium, nequit seruari, nisi iungatur promptitudo, & alacritas in agendo. *Thucyd. ex concione Periclis.*

Magnæ res etiam magnis cum periculis volunt percipi. *Herodot. lib. 1. hist.*

Fortitudinem mediam esse dicunt inter timiditatem & temeritatẽ: quarum altera superatur à modo, altera ei præstat in irascentiæ affectu. *Plut. apud Stob. ser. 7.*

Fortissimi sunt, qui cùm optimè sciant discrimen terribilium rerum & suauium, propterea periculum non fugiunt. *Thucyd. l. 2.*

Fortissimos esse oportet, qui fortissimos vicerunt. *Idem l. 7.*

Absque animi intrepida præsentia nullus dolus contra pericula valet, metus enim memoriam stupefacit, dolus autem sine ea nihil prodest. *Idem apud Stob. ser. 7.*

Acerbior viro mente prædito, animi fracti cum timore afflictio videtur, quàm ea mors, quæ cum robore & communi spe obrepit sine sensu doloris. *Ibid.*

Fortes iure censeri queant, qui cùm dura & iucunda liquidò cognorint, propterea tamen à periculis non declinant. *Ibid.*

Fortium virorum est magis mortem contemnere, quàm odisse vitam. *Curt. l. 5.*

Ferro atque audacia iter fit, quamuis per confertos hostes. *Liuius dec. 3. l. 2.*

Etiam fortes viri casibus subitis terrentur. *Tacit. Annal. l. 15.*

Paucos viros fortes natura procreat, bona institutione plures reddit industria. *Vegetius l. 3. c. 26.*

Pauci virtute instructi maximas queunt hostium copias profligare. *Procop. de bello Goth. l. 1.*

Viri virtutem non cœptæ res arguunt, sed peractæ designant. *Idem ibidem.*

Grauium hominum est, si non lacessuntur iniuria, quiescere: fortiũ autem, si lacessiti fuerint, pacem bello mutare, eosdemq. re bene gesta rursus in concordiam redire: neque bellorum prosperitate extolli, neque ex otio pacis voluptate captos pati iniuriã. *Thucyd. l. 1.*

Oportet in hostili terra militantes animo quidem esse præstanti, ad rem verò gerendam cum metu se præparare. Ita namque ad inuadendum hostem promptissimi fuerint, & ad congrediendum tutissimi. *Idem l. 2.*

Ea fortitudo vera est, qua appetitus ratione coercentur. *Plut. in Numa.*

Fortitudinem mihi videntur, non vacuitatem à metu, sed metum reprehensionis & ignominiæ antiqui iudicasse. Qui enim maxi-

mè leges timent, ij aduersus hostem sunt audacissimi: minimèq. dolorem formidant, qui malè audire maximè timent. *Plutarch. in Cleoment.*

Efficit fortitudo bellica, vt & aliæ virtutes earum possessoribus sint fructuosæ. *Dionys. Halicarnass. lib. 2.*

Nihil adeo arduum est, quod non virtute consequi possit. *Cæsar de bello Gal. l. 7.*

Nihil est tam arduum quod animi fortitudine superari non possit. *Appian. de bello Hispanico.*

Fortiter se gerere in aduersis rebus, quid aliud est quàm sæuientem fortunam, in adiutorium sui, pudore victam conuertere? *Valer. Max lib. 3. c. 7.*

Cuncta virtute sunt expugnabilia. *Tacitus, Annal. lib. 12.*

Decet viros fortes atque moderatos optima quidem optare, sed ferre quæcumque inciderint. *Herodian. in Alex.*

In periculis virtutem impigram esse conuenit & audacem, atque (quum res postulat) regibilem & consultam. His virtutem oportet esse contentam, quæ sudore quæsitur & dexteris. *Ammian. Marcell. lib. 17.*

Illum fortem virum dicam, quem bella non subigunt, nec admota vis hostilis exterret, non cui pingue otium est inter desides populos. *Senec. lib. in Sap. non cadere iniuriam.*

Fortitudo est virtus, pericula iusta contemnens: aut scientia periculorum repellendorum, excipiendorum, prouocandorum. *Idem, de benef. lib. 2. cap. 34.*

Quid est fortitudo? Munimentum humanæ imbecillitatis inexpugnabile, quod qui circumdedit sibi, securus in hac vitæ obsidione perdurat: vtitur enim suis viribus, suis telis. Non est quod vnquam fortunæ putes esse te tutum. Tuis pugna contra ipsam.

Fortuita non armant. *Epist. 113.*

Fortitudo, & industria, & ad bellum prompta mens, tam in Persas, quàm in altè cinctos cadit. *Epist. 33.*

Bona capessere decet, & perpeti quodcunque accidit. *Plato apud Stob. ser. 7.*

Fortitudo virtus est animosi, per quam non facile mortis metus ingruit. *Aristoteles libro de virtutibus apud Stobæum eodem sermone.*

Fortitudinis vero inconcussum à mortis formidinibus, constantem in malis & intrepidum esse ad pericula: malle honestè mori quam turpiter seruari, & victoriæ causam præstare. Præterea autem fortitudinis est, & laborare, & in animo instituere, & posse. Accidit autem fortitudini & audacia, & animi præstantia, fiducia, confidentia, ad hæc industria & tolerantia. *Idem ibid.*

Fortis est non tantum hostium bellatorum, sed & voluptatum victor. *Stob. serm. 17. ex Democrito.*

Necessitudo etiam timidos fortes facit. *Sallust. in Catilin.*

Ego naturam vnam communem omnium existimo, sed fortissimum quemque generosum esse. *Sallust. in Iugurth.*

Is clarus est, qui prælio strenuus est & bonus consilio: quorum alterum ex prudentia timorem, alterum ex audacia temeritatem consequi plerunque solet. *Idem.*

Secundis rebus feroces sumus. *Idem.*

Fortitudo autem non ea est, quæ contra naturam monstri vice nititur vltraq. modum eius egreditur, aut stupore animi, aut immanitate, aut quadam misera & necessaria in perpetiendis doloribus exercitatione: qualem fuisse accepimus ferum quendam in ludo Cæsaris gladiatorem, qui, cum vulnera eius a medicis exsecabantur, ridere solitus fuit. Sed ea vera & proba fortitudo est, quam maiores nostri scientiam esse dixerunt: & rerum tolerandarum & non tolerandarum. Per quod apparet, esse quædam intolerabilia, quibus fortes viri aut obeundis abhorreant, aut sustinendis. *Idem lib. 12. c. 5. Noct. ym Atticarum.*

Eneruos animos odisse virtus solet. *Val. Max. lib. 2.*

Multo enim, multoq. seipsum quam hostem superare, operosius est, nec aduersa propera festinatione fugientem, nec secunda effuso gaudio apprehendentem. *Idem lib. 4.*

Multa exilia patent fugienti. Patria est, vbicunque vir fortis sedem sibi elegerit. *Qu. Curtius de gestis Alexandri, lib. 5.*

Nemo est tam fortis, quin rei nouitate perturbetur. *Iulius Cæsar lib. 6.*

Primum argumentum compositæ mentis existimo, posse consistere, & secum morari. *Seneca ad Lucil. epist. 2.*

Turpe est cedere oneri, luctari cum officio, quod semper recepisti. Non est vir fortis & strenuus, qui laborem fugit. *Seneca epist. 22. ad Lucil.*

Fortis & compositus animus est, qui nec ablatum quicquam sibi sentit, nec abiectum: sed in eodem habitu est, quocunque res cedunt, siue geruntur. Vulgaria bona supra res suas eminent siue aliquid ex istis, quæ omnia casus excusserit, minor non fit. *Senec. ad Lucil. in epist.*

Fortes quidem & paratissimi fundere sanguinem suum, alienum videre non possunt. Alij gladium facilius recipiunt, quam vident. *in epist. 58.*

Sic dolores, molestias, iniurias virtus sua magnitudine elidit atque opprimit. *Seneca ad Lucil. epist. 68.*

Quæris, an omne bonum optabile sit: Si bonum est, inquis, fortiter torqueri, & magno animo vri, & patienter ægrotare, sequitur, vt ista optabilia sint. Distingue ista, & intelliges esse in his aliquod optandum. Tormenta a me abesse velim, sed si sustinenda fuerint, vt me in illis fortiter, honestè, animoseq. geram, optabo: velim non incidere in bellum, sed si incido, & vulnera, & famem, & omnia, quæ bellorum necessitas affert, vt generosè feram, optabo. Ita non incommoda optabilia sunt, sed virtus qua perferuntur incommoda. Pati tormenta non optabile est, sed fortiter pati. *Idem.*

Non quia difficilia sunt multa, nō audemus, sed quia non audemus, difficilia sunt. *Seneca ad Lucil. in epist.*

Non mirum est in tranquillitate non concuti. Id mirare, ibi extolli aliquem, vbi omnes deprimuntur, ibi stare, vbi omnes iacent. Sapienti viro nihil mali potest euenire. Stat rectus sub quolibet pondere, nulla illum res minorem facit. Nihil illi eorum, quæ ferenda sunt, displicet. Nam quicquid cadere in hominem potest, in se cecidisse non queritur. *Idem epist. 73.*

Fortitudo non est inconsulta temeritas, nec periculorum amor, nec formidabilium appetitus: sed est scientia distinguendi, quid sit malum, & quid non sit. Diligentissima est in tutelis Fortitudo, & patientissima est eorum, quibus falsa spes malorum est. *Seneca epist. 85.*

Quemadmodum hostis est perniciosior fugientibus, sic omne fortuitum incommodum magis instat cedenti, quam aduerso. Parata tibi est pax, si in aliquo certamine debellata fortuna est. Corpus conualitudo tenet, non animum. *Sen. epist. 79.*

Si aliquem valde facias impauidum, quod Deos non timeat, non fortis, sed insanus est. Fortis ergo erit, non qui timet omnia, neque qui nihil mensurat timore, sed qui auget fortitudinem. *Arist. lib. Magnor. Moral. 1.*

Fortitudo contemptrix timendorum est. Cogitanda ergo sunt omnia, & animus aduersus ea, quæ possunt euenire, firmandus: exilia, tormenta, morbos, bella, naufragia, meditare. *Seneca epist. 89.*

Fortitudo est munimentum humanæ imbecillitatis inexpugnabile, quod qui circumdedit sibi, securus in hac vitæ obsidione perdurat. *Idem 114.*

Locum medium optimum dicimus in bello, quia fortes tenent locum medium, inter locum timidorum & audacium. *Aristot. lib. 2. Poetica.*

Fortes ex eo nominantur, quod ea, quæ acerba sunt & videntur, forti magnoq. animo perferant. Itaque molesta res est fortitudo, eaq. iure laudatur: difficilius est enim res periculorum molestiasq. plenas ferre, quam se a voluptate abstinere. Sed fortitudinis finis iucundus est, etsi propter eas res, quæ circumfusæ sunt, minus appareat. *Ibid. Arist. lib. 3. Ethic.*

Inter virtutes, quæ fortitudini famulantur, est tolerantia, quæ est æqua laborum ac molestiarum perpessio. Item duritia, imbecillitatis mollitieiq. expultrix. Item patientia, stabilis & firma perpessio eorum omnium, quæ dura, aspera, difficilia, grauia, ærumnosa contingere vnquam possunt. Firmitas quoque, quæ periculosis atque aduersis nullo modo succumbendum esse doceat. *Ioannes Pontanus libro primo, de fortitudine bellica & heroica.*

Apophthegmata.

Zeno accusatus, quod coniurasset in perniciem Nearchi tyranni, cum in eculeo iuberetur edere nomina coniuratorum, nominauit plerosq. illi amicissimos. De his sumpto supplicio, rogatus a tyranno, num quis superesset etiam? Tu solus, inquit, Reipublicæ pernicies, tandem & linguam dentibus amputatam in os tyranni, quod obiratum iam hiabat, expuit. *Laertius libro 9. cap. 5.*

Bion frequenter dicere solebat, Senum esse valere prudentia: iuuenum verò, fortitudine. *Laert. lib. 4. c. 7.*

Coriscus, admodum senex, cum à quodam graui morbo conualuisset: Apage, inquit, quam inuitus reuersus sum, iam magnam partem itineris emensus, quod absoluere omnino decet. Et sanè fortitudinis pars melior in moderato mortis contemptu consistit. *Stob. serm. 7.*

Bias. Crœsus rex cum contemptim atque minaciter Biantem allocutus esset, hominem in aduersis rebus infractum, iussit eum cepas edere, fletum ciuiliter indicans, quandoquidem harum esus ciet lacrimas. Adeo sapientes arbitrantur, nihil esse æque regium, ac virtutem, cuius instituta per totam vitam fortiter atque infracto animo sequuntur, nec imperatis aliorum terrentur. *Philo Iudæus lib. Quod omnis probus liber.*

Idem. Consertus demisso vultu mœrentibus, eo quod iam à latronibus capti essent, animaduertens quendam ex aspectu plus satis effœminatum esse, accedens, inquit: Tu me emito, viro enim opus habere videris. Sic ille pudefactus cauillo, quod

non

non esse vanum, erat sibi conscius, in turbam se abdidit: cæteris audacem coniectorem, sed veraticum stupentibus. *Philo Iudæus eodem libro.*

Socrates interrogatus, quid esset fortitudo & robur? dixit, Nodus animæ cum corpore. *Stob. ser. 7. de fortitud.*

Democritus quid efficeret fortitudo? sciscitatus: dispendia minuit, inquit. Item, fortis est, non qui hostes modo superat, sed & qui voluptatibus superior existit: Nam licet aliqui ciuitatibus imperent, mulieribus seruiunt. *Eod. ser.*

Theodorus Philos. Minabatur ei tyrannus mortem, & quidem insepultam. Habes, inquit Theodorus, cur tibi placeas: hemina sanguinis in tua potestate est: nam quod ad sepulturam pertinet, o te ineptum, si putas interesse, supra terram an intra putrescam. *Seneca lib. de tranquill. anim.*

Plato interrogatus, quomodo affectum esse conueniat aduersus calamitates? ita (dixit) vt prouidens aliquis non incidat in eas: si tamen inciderit, condemnationem etiam sui non curet. *Stob. serm. 7.*

Aristoteles, quid esset fortitudo, sciscitatus: Est (inquit) virtus animosi, per quam non facile mortis metus ingruit.

Anonymus. Lacon quidam noctu prætereuns monumentum, quum videret spectrum, accurrit lancea traiecturus, & in hoc mitens: Quo me fugis, inquit, bis moritura? *Plutarchus in Laconicis.*

Cleomenes, cum sophistam quendam de fortitudine disserentem non admodum attentis auribus audiret, & ob id à quodam reprehenderetur: Ineptum est, inquit, quenquam de fortitudine magnificis vti verbis, qui ipse nil fortiter gessit vnquam. *Plutarchus in Lacon.*

Alexander Macedo. In Ilio sacra facienti Alexandro, sacerdos dixit, se ostensurum Paridis lyram: at ille, imo Achillis (ait) si habes ostende, ac ante lyram potius hastam. *Stob. ser. 7.*

Socrates morti adiudicatus, & proximus quidam Apollodorus eũ accedens, ait, Ad istud, o Socrates, ægerrime fero, quod te iniuste damnatum video. Tunc Socrates: An tu (respondit) malles me iuste quam iniuste damnatum? Simulq. risisse dicitur. Cum autem Anytum falsum testem prætereuntem videret, dixit: Vir ille triumphat, quasi facinus magnum & præclarum egerit, me ita occiso. Sed quam stultus & improbus est? ignorat enim, vter nostrum in omne æuum vtilior & melior extiterit. *Xen. in Apol. pro Socrat.*

Archidamus Spart. R. Soli, inquiebat, in rebus secundis non sumus insolentes, & in aduersis non frangimur animis. Nec incitamur laudibus, vt deliniti voluptate præter nostram sententiam aliquid moueamus: nec accusati impellimur ira ac dolore, sed propter grauitatem simul & bellicosi & circumspecti sumus. Bellicosi, quia pudor cum grauitate coniunctus est, & cum pudore magnitudo animi. Circumspecti verò sumus, quia sic instituimur, vt non ita ineptiamus quàm vt leges contemnamus. Et seuerius regimur cum quadam asperitate, quam vt detrectemus obedire. Sicq. sumus assuefacti, non vt in rebus inutilibus splendida oratione sapientes videamur, aut hostes vituperemus, aut reipsa impares in eos bellũ moueamus: Sed existimamus & alios valere consilio, & fortuitos casus non posse prospici. Aduersus hostes factis ipsis nos præparamus, ratiocinantes, quid ipsi tanquam homines non stulti facturi sint. Nec pendet nobis spes ex aliena ignauia, sed ex nostra diligentia & circumspectione. Ac existimandum est homines non multum natura inter se differre. Sed eos antecellere, qui in rebus necessariis rectè instituti sunt. *Thucyd. lib. 1. 2.*

Agesilaus fortitudinis in rebus aduersis insigne dedit specimen, Conon & Pharnabazus per classem regiam mari potiti, obsidebant maritimas Lacedæmoniorum regiones, quum interim Atheniensium ciuitas mœnibus esset cincta. Itaque Lacedæmonii Pharnabazo donantes pecuniam, pacem ineunt cum rege: mittentq. ciuem Antalcidam ad Tiribazum, Græcos Asiaticos, pro quibus bellum gesserat Agesilaus, tradentes regi: vnde euenit, vt huius ignominiæ portio recideret in Agesilaum. Antalcidas enim inimicus erat Agesilao: ideo pacem quacunque occasione confecit, inuidens illius gloriæ, quem videbat bello crescere, reddiq. maximum, ac maximè celebrem. Nec tamen hæc infelicitas deiecit illius animum, quin etiam cuidam dicenti, quod Lacedæmonii Medissarent, ita respondit, imo Medi potius Laconissant: significans indolem suæ gentis corrumpi fortuna non posse: *Plut. in Lacon. apoph.*

Idem. Sciscitatus vtra virtus esse præstantior, fortitudo an iustitia? grauiter respondit: Fortitudinis nullum esse vsum, nisi adsit iustitia: Quod si omnes essent iusti, nihil opus foret fortitudine. En animum summo dignum duce, qui nihil præter æquum iudicarit faciendum: rectèq. perspexit, plurimum interesse inter audaciam & fortitudinem. *Plut. in apoph. Lacon.*

Alexander Mammeæ F. cum audisset Artaxerxem Persarum regem magno militum exercitu Romanum inuasurum imperium: Fortes, inquit, viros atque moderatos decet optima quidem optare, sed ferre etiam, quæcunque accidunt contra animi votum. Fortitudinis quippè est, rebus prosperis non extolli, infaustis nequaquam deiici animo. *Herod. lib. 6.*

Anaxarchus, dicente ei Alexandro, suspendam te: Minare his, inquit, è vulgo: mea autem nihil interest, super terramne an infra computrescam. *Stob ser. 7.*

Anaxarchus. Alexandro mortuo quum Anaxarchus tempestate esset delatus in Cyprum, Nicocreon memor contumeliæ, philosophum arreptum in mortarium coniecit, ac ferreis pistillis contundi iussit. Hic illam vulgo celebratam vocem emisit: πτίσσε τὸν Ἀναξάρχου θύλακον, Ἀνάξαρχον δ᾽ οὐ πτίσσεις. id est. Tunde Anaxarchi manticam, nam Anaxarchum non percutis. Sentiens, corpus non esse partẽ hominis, sed animi domicilium tantum. Animus autem non potest tundi. *Laert. lib. 9. cap. 10.*

Demetrius Cynicus graui calamitate affectus dixit: Hoc vnum, Dii immortales queri possum, quod non antehac mihi voluntatem vestram notam fecistis. Prior enim ad ista venissem, ad quæ nunc vocatus adsum. Vultis liberos sumere? illos vobis sustuli: vultis aliquam corporis partem? sumite. Non magnam rem promitto: cito totum relinquam. Vultis spiritum? quid ni? nullam moram faciam, quo minus recipiatis, quod dedistis. A volente feretis quicquid petieritis. Quid ergo est? Maluissem offerre, quam tradere. *Vide reliqua apud Senec. lib. 5. de prouidentia. seu, quare bonis viris mala accidant.*

Paulus Aemilius. Cn. Cornelius Lentulus in clade Cannensi tribunus militum, quum equum Paolo Aemilio in saxo sedenti, cruoreq. oppleto adduceret: Tu quidem, ait Paulus, macte virtute Corneli esto: sed caue, ne frustra miserando, exiguum tempus è manibus hostium euadendi absumas. *Plutarchus & Liuius.*

M. Cato, quibusdam efferentibus hominem inconsulte audacem, & in rebus bellicis strenuum, ait; plurimum referre, vtrom quis virtutem magno æstimet, an vitã non magnifaciat, sentiens, non eos statim esse fortes, qui quouis modo vitam contemnunt, sed qui tanti faciunt virtutem: vt huius gratia vitam alioqui charã negligant. Nam semet in vitæ discrimen conicere, aut infelicium est, & quos vitæ iam tædet, aut immanium, & belluis similium. *P. M. l. 5. apoph. ex Plut.*

M. Crassus. Quum Publius, Crassi filius fortissime in bello & pugnasset, & cecidisset, hostes caput iuuenis hastæ impositum gestantes, proxime ad Romanos accedebant, insultantes, rogantesque, quo genere iuuenis ille fuisset ortus, neque enim fieri posse, vt ex patre tam ignauo & imbelli talis filius nasci posset. Hoc tam tristi spectaculo nihil commotus Crassus, per omnes ordines concionatus est, clamans: Meus hic priuatus dolor est Romani, mea hæc calamitas, meus hic peculiaris luctus: cæterum publica ciuitatis salus & gloria in vestra incolumitate vestraq. virtute sita est. *Plut. in M. Crasso.*

Scipio Pompeii socer, quum nauem suam teneri ab hostibus vidisset, ferro se transuerberauit, & quærentibus, vbi Imperator? inquit, bene habet. *Brus. lib. 2. c. 1. ex Appiano.*

P. Thraseas Paetus, cum post multa crudelia Neronis facinora atque Agrippinæ mortem, in senatu Romano de Neronis rebus ageretur, cui mirum in modum senatores assentabantur, dicere solebat: Si me tantum Nero interfecturus esset, magnam haberem adulatoribus eius gratiam: sed si eos, à quibus maxime laudabatur, sustulit; sublaturusq. est, cur oportet frustra turpiter, & seruiliter mori, cum munus naturæ explere liceat, retenta libertate? De me enim, inquit, aliquis sermo habebitur in posterum, de iis nullus, nisi tantummodo eos interfectos fuisse. *Xiphil. in Nerone.*

Idem dicere solebat, Nero pro innata sua crudelitate occidere me potest, lædere autem non potest. Innuens, corpus quidem hominum crudelitati expositum esse, animum autem nequaquam. *Xiphil. in Nerone.*

Philo Iudæus cum aliis Iudæis ex aula C. Caligulæ eiectus, eo quod Cæsari diuinos tribuere honores recusasset, ad suos conuersus dixisse fertur: Bono animo estote viri, non deerit nobis auxilium: vbi enim humanum cessat, diuino non destituemur. *Euseb. lib. 2. Eccl. hist. c. 5.*

Athanasius, quum ei indiceretur à Iuliano Imperatore exilium, mœrentibus cunctis, qui discessum eius grauiter ferebant, inq. ipsum oculis coniectis: Bono estote animo, filioli, inquit, nubecula est, quæ breui euanescet. *Niceph. Call. lib. 10. Eccles. histor. cap. 19.*

D. *Ambrosius*, postquam aduersus Arrianos & Iustinam Augustam in templo multa disputasset, atque orthodoxam fidem contra aliorum blasphemias fortiter defendisset, a Valentinia o iuniore iussus templum exire, respondit, Lubens id quidem non fecero, neque enim lupis ouium caulam prodam, neque blasphemis templum diuinum concedam. Quod si necare me vis, in ipsa Ecclesia in me ensem aut cuspidem stringe, perlibenter enim cædem eam tulero. *Theodor. lib. 5. cap. 13. & Niceph. scholastes lib. 12. c. 19. Eccl. hist.*

Aæmenidas, qui & Hormidas appellatus est, cum in Persa Christianam religionem in maxima piorum persecutione profiteretur, uocatus a Tarane rege, & obiurgatus ob fidei confessionem quam in homine extinguere nimis conabatur, respondit: Impia atque difficilia a me petis rex, qui vniuersitatis Deum nequaquam abiuro, vt tuæ maiestatis fiam amicus. Maius enim est crimen, diuinam quam regiam lædere maiestatem. *Nicephor. lib. 14. c. 20. Eccl. hist.*

Idem. Vestimentis quibusdam donatus à rege, qui cum beneficijs vincere conabatur, ea candidiores tunicam conscissam abiecit, & voce magna exclamauit. Si huius, inquit, gratia me religionem longe optimam mutaturum putas, en munus tuum vna cum impietate habes. Rex autem tam forti illum animo esse cernens, nudum regia exegit. *Niceph. eodem loco.*

Synnidas ante pugnam Leuctricam quibusdam dicentibus, illam ipsam diem ostentuream fortem virum: Multifaciendam, vrbane inquit, diem esse, quæ virum fortem monstrare potest. *Plutarchus.*

Anonymus. Miles quidam Lacedæmonius, in pugna prostratus, hostem eius tergo insidentem, rogauit vt se verteret, & in pectus potius stringeret ensem, rogatus: Quid ita? Ne Amasius, inquit, meus erubescat si viderit auersis confossum vulneribus. *Plut. in Lacon.*

Pompeius cum Syllanæ factioni se addixisset, non absque spoliis, nec sine cruenta victoria ad imperatorem se copias exhibiturum esse dicebat. Nec prius venit ad Syllam, quam multis conflictibus hostium duces superasset. *Plut. in Rom. apoph.*

Iul. Cæsar: post attritos Tigurinos, ad vrbem quandam sociorum proficiscens, cum audisset Heluetios in itinere occurrere, in locum quendam munitum se recepit. Ibi cōgregans copiis, instructaq. acie, vbi equus illius, cui solebat insidere, adductus est: Hoc inquit, post victoriam vtar in persequendis hostibus, & pedes aggressus est Heluetios. *Plut. in Cæs.*

Idem, Videns aquiliferum terga dantem hostibus, faucibus cōprehensum hominem in hostes manus conuertit, atque ait: Quorsum abis, ignauissime, an non illos esse vides, quibus cum dimicamus? *Eras. lib. 2. c. 43.*

Idem, Potentiam duabus potissimum rebus parari, pecunia scilicet & militibus, atque deinde eam potentiam eiusmodi rebus conseruari & augeri, dicere solebat. Existimauit autem, hæc duo sese mutuo consequi posse, exercitum commeatu retineri, rursum commeatum armis comparari. *Xiphil. in Cæs.*

Idem. Dyrrachij expectabat, vt illuc a Brundusio milites mitterentur. Id cum tardius fieret, clam omnibus conscensa scapha exigua tentauit transmittere pelagus, cumq. nauigium vndis obrueretur, gubernatori iam animum despondenti, quis esset aperuit, dicens: Confide fortunæ, sciasq. te Cæsarem vehere. Tanta erat animi præstantia, quasi fortunam ac Deos in manu haberet. Ac tum quidem tempestate ingrauescente, veritus est, quod instituerat, peragere: Milites autem, ubi resciuere factum concursum fecerunt ad Cæsarem, grauiterq. ferebant, si alias expectaret copias, uelut ipsis diffisus. *Plut. in apoph.*

Anonymus. Cum Antonius appareret classem cum Cæsare confligere, quidam tribunus militum, uir fortis, & armis exercitatus Antonio prætereunti corpus suum multis cicatricibus insignitum ostendit, dicens: O Imperator, cur his vulneribus, aut huic gladio parum fidis, inque lignis fragilibus spem reponis? Sine, Phœnices & Aegypti classe pugnent, nobis Romanis terram da, in qua consueuimus vel hostem uincere, uel mortem oppetere. *Plut. in vita Antonij.*

Turbo. *Adriani Cæsaris præfectus*, monitus ab eo, vt curam haberet suæ valetudinis, sibiq. daret vacationem à negotiis, respondit: Non decere Cæsaris præfectos nisi stantes mori, ignauum esse sentiens, in lecto incumbentem expirare. *P. M. 6. in apophtheg.*

Alphonsus, videns naufragos auxilium implorantes, suos adhortatus est, vt illico subuenirent, qui dum pertimescerent periculum maris tam horrendum, dicentes, melius esse vnam quam vniuersas triremes perditum ire: Rex ipsemet soluit prætoriam nauem: Satius esse inquiens, vna cum sociis viris fortissimis occumbere, quam illos videre ante oculos extrema pati. *Panor. lib. 2. de rebus gestis Alphonsi.*

SIMILITVDINES.

Synesio. Vt compages & ligamenta lignea ædificio indita concussu non dissoluuntur: Sic animus perpenso consilio nullo tempore pertimescit, *c. 22.*

Plutarchi. Vt qui inambulantes attollunt sese, ac dilatant, fastuosi vocantur: at laudantur, qui itidem faciunt in pugilum certamine, aut in pugna, & vocantur fortes & inuicti: Sic & qui in rebus aduersis erigit animum, fortis habetur & insuperabilis. *In Moral.*

Vt ceruis frustra sunt ingentia cornua, cum desit animus: Ita non satis est opibus pollere, nisi fortitudo accesserit. *In Moralibus.*

Seneca. Magnus gubernator & scisso nauigat velo, etsi exarmauit, tamen reliquias nauigij aptat ad cursum: Sic in corpore parum felici ac deficiente, tamen fortis animus sui similis est. *apud Paul. Man.*

Ioviani Pontani. Quoniam generosissimus quisque laudis est decorisq. appetentissimus: quibus vt ponatur, nihil non paratus sit & ferre & perpeti. Ex hoc naturæ atque animi motu, & quodammodo impetu, ad laudem ac decus (vt Cicero ait) illa pericula adeuntur in prælis. Non sentiunt viri fortes in acie vulnera, vel sentiunt, sed mori malunt, quàm tantummodo de dignitatis gradu moueri. Nec vero quocunque in periculo: sed vbi aut ex victoria, aut ex morte decus illud senserint se adepturos. Siquidem ignauissimi etiam nautæ, tamen ferendis procellis assueti, non perturbantur marinis tempestatibus. Quorum quidem mors, an quicquam potest habere præclarum? Iidem quoque homines, & in vmbra educati, corporis cruciatus patiuntur. Iidem gladiatorum vibratus, & hosticum tubæ sonum ferre nequeunt. Quocirca fortis vir, quique plane dicendus est vir, ex morte quæ quidem futura sit multo pulcherrima, decus illud adipisci contendet, cuius est quam maxime studiosus: quo vt potiatur, difficillima quæque pericula sponte subit: in quibus peruincendis, aut si hoc minus contigerit, in oppetenda morte, laudemq. & decus collocatum intelligit. *De fortitudine lib. 1. cap. 7.*

Canis timidus vehementius latrat, quam mordet. Altissima quæque flumina minimo sono labi videmus. *Q. Curtius de rebus gestis Alex. lib. 5.*

Francisci Philelphi. Vt naturæ atque fortunæ commodis moderate utendum est, & secundum rationem: ita etiam incommoda, si qua sunt, animo infracto atque ingenti toleranda sapientes iubent. *In Consolatione ad Iacobum Antonium Marcellum de obitu filii.*

Plinii. Vt palmæ arboris ramus, imposito onere, non deflectitur in terram cæterarum more, sed renititur, & ultro aduersus sarcinæ pondus erigit sese: Ita viri fortis animus quo plus negotiis premitur, quoque magis sæuit fortuna, hoc est erectior. *libro 16. capit. 43.*

P. M. Vt in arboribus robustiores sunt partes Aquiloni oppositæ, quam quæ Austrum aut Zephyrum spectant: ita fortiores ac firmiores sumus in his, in quibus nos duris casibus exercuit fortuna. *In similibus.*

Vt pisces in mari nati, educatiq. nihil tamen sapiunt salis marini: Ita quidam inter barbaros geniti & educati, longe absunt ab omni barbarie. *In similibus.*

Themist. Multus ignis multis lignis potius accenditur, quam extinguitur: Neque uir fortis calamitatibus & iniuriis deturbatur, magis animatur. *In apoph. 25.*

Quo hostis est occultior, eo est formidabilior: Proinde fortior est qui seipsum uincit, quam alios. *In apoph. 518.*

ADAGIA.

Masculum. *Varro.*

Quicquid vegetum, solidum ac robustum est, masculum dicitur. Leuidius erit, si ad incorporea transferatur. veluti, cum excelsum, fortemq. animum masculum appellamus.

Adamantinus. Ἀδαμάντινος, *Plato.*

Pro eo, quod est, inexorabilis infatigabilis, inuictus.

Aut manenti vincendū, aut moriendum. ἢ μένοντα ἀνανεῖν ἢ νικᾶν.

Dici solitum, vbi certa stat sententia, aut negotium aliquod absoluere, aut immori.

Ἢ τὰν ἢ ἐπὶ τᾶς.

Celebratum est cuiusdam Lacænæ apophthegma, quæ filio tradens clypeum dixerit, ἢ τὰν ἢ ἐπὶ τᾶς. id est, aut hunc, aut supra hunc, Laconice significans, aut ferendum clypeum, aut in eo moriendum.

Thurium lema. Θούριον λῆμα.

Dicebant animum intrepidum, & ad bellum paratum.

Infige plagam ab aratro. παῖε τὴν ἀπ' ἀρότρου.

Cum vehementius strenue pugnare, licet sine arte.

Mœnia ferrea, non terrea.

Innuit, non oportere munimentum ciuitatis in mœnibus collocare, sed in viris armatis quorum consensus murorum inexpugnabilium vice, ciuitatem optime tuetur. Horat.

Hic murus aheneus esto.

Præbere viros.

Ad fortiter agendum ferendumue adhortabimur hoc carmine Homeri ex Iliad. ρ.

Ἀνέρες ἐστέ φίλοι, μνήσασθε δὲ θούριδος ἀλκῆς.

Eia estote viri, validasq. expromite vires.

Reijcientis authorem formidinis.

Terriculanti, metumq. manem inijcienti, versum hunc occinere licebit, quo Sthenelum alloquitur Diomedes.

Μή τι φόβονδ' ἀγόρευε.

Ne trepidantis auctor sis.

Vnum

Vnum augurium optimum, tueri patriam.
Abijt in prouerbium extremus hic versus Homericus,
Εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης.
Vna auis optima pro patria pugnare memento.
In Lipfydrio pugnas. ἐπὶ Λειψυδρίῳ μάχη.
Prouerbium dictum in strenuos ac bellicosos viros.

Solæ Lacænæ viros pariunt. μόναι Λάκαιναι ἄνδρας τίκτουσι, *Plutar.*
Apud Lacedæmonios fortissimi viri nascebantur, & apud eosdem matres seuerè natos educabant.

Exempla biblica.

Fortitudinis & magnanimitatis exempla: Abraham, *Gen.* 14. Iacob, 31.36. & 32.28. Moses & Aaron *Exod.* 5.1 *Numeri* 14.9. Moyses, *Exod.* 8.29. & 9.30. Israelitæ 13.28. Caleb, *Num.* 13. 31. Exercitus Israelitarum, 31.7. *Deut.* 31.23. Iosue, *Ios.* 8.10. & 10.24. Caleb 14. 11 *Ecc.* 46.11. Aod, *Iud* 3.28. Gedeon 6.12.16. & 7. 3. Iephte Galaadites. 11.1. Samson. 14.6.15. & 16. 30. quinque Viri fortissimi, 18.7. sexcenti Viri. 11.16. septingenti Viri. 20. 16. Saul 1. *Samuelis* 9.1.2. & 11.6.7. Dauid 17.36.50. & 24.6. & 26.5. duodecim adolescentes, 2. *Sam.* 2.15. Nathan. 12.1. Vir Dauidis. 17.8. tres Dauidis Principes. 23.16. Ieroboam, 3. *Reg.* 11. 18. Elias 1. *Reg.* 18.18. & 21.20. 2. *Reg.* 1.4.16. Naamã, 5.1. Elisæ, 3.13. Iehu, 9.24. & 10.8. 14.25. Ioiada 11.4. Iudas 1. *Par.* 5.2. Ioab filius Sarui, 11.6. fortissimi Viri. 12.1.2. Filij Semeiæ, 16.7.8. Banaias, 27.6. exercitus Asa 2. *Par.* 14.8. Iosaphat 17.5.6. Zacharias, 24.20. Azarias & octoginta Viri, 26 17. Ezechias, 32.7. Nehemias, *Nehem.* 2.18. Reduces ex captiuitate Babylonica, 4.2.17. Sadrach, Mesach, Abednego, *Da.* 3.16.17. Daniel 6.10. Iudas Machabæus, 1. *Machabeor.* 2.66. Ioannes Simonis filius 13. 54. Iudas 2. *Machab.* 12.42. Ioseph Arimathæus, *Mat.* 27.38. Coecus natus, *Io.* 9.17.31. Thomas 11. 16. Petrus, *Act.* 2.14. & 4.8.9. Petrus & Ioannes v. 19. Apostoli 33. Petrus cum collegis 5.29. Stephanus 6.8. & 7.51. Paulus. *Act* 13.10. & 16.37. & 17.17. & 19.30. & 20.23.24. & 21.13. & 22.1.14.9. 10. & 25.11. & 27.22.37. & 28.30. 2. *Cor.* 1.21.

Fortitudinis iniuriosæ exempla: Cain. *Gen.* 4.8. Reges Elam, & alij, 14.11. Abimelech, *Iud.* 9.5. Saul 1. *Sam.* 10 11. Absalon, 2. *Sam.* 15. 10.11. Ieroboam. 1. *Reg.* 12.26. Iudas proditor, *Mat.* 26.15. Sacerdotes, Magistratus, & Sadducæi, *Act.* 4.13.18. Iudæi 23.12.

Historica exempla.

Cato maior cohortans adolescentes, vt audacter pugnarent, subinde addebat: sermonem citius quam ferrum, ac vocem quam manũ emollire, & obstupescere hostem. *Plut. in apoph.*

Apud Spartanos erat orationis genus simplex, nihil affectatum, nihil habens molle ac delicatum: nec in alijs versabatur argumentis, quam vel in laudibus eorum, qui fortiter ac generosè vitam exegissent, quiq. pro Sparta occubuissent, & ob id ab omnibus, vt beati celebrabantur: Vel in vituperandis his, qui metu periculorum nihil egregij gessissent, & qui ob ignauiam à morte cruciabilem, infelicemq. vitam viuerent: vel in pollicitatione per gloriæ studium, accendente animos ad virtutem, ad eiusq. ætatem accommodata. Itaque tres erant apud illos chori, iuxta triplex ætatum discrimen: quibus in festis simul constitutis, senum chorus incipiens canebat.

Ἄμμες πόκ' ἦμες ἄλκιμοι νεανίαι.
Nos quondam eramus inclyti bello viri.
Iuuenum verò chorus succinebat:
Ἄμμες δέ γ' εἰμὲν· αἰ δὲ λῇς, αὐγάσδεο.
Nos q. sumus, fac, si volis, periculum.
Puerorum denique sequebatur:
Ἄμμες δέ γ' ἐσσόμεσθα πολλῷ κάρρονες.
Nos fortitudine plurimum præstabimus.

Rectè nimirum atque ordine Legislator propinqua, domesticaq. exempla iuuentuti per ipsos ob oculos posuit authores. *Plut. de laude sui ipsius. & in Laconicis.*

Templarij milites, vt aut vincere, aut mori in bellis contra Sarracenos discerent, si forte caperentur, solo cingulo & cultello redimebantur. *Sigebertus Continuator.*

Probus, antequam ad imperium eueheretur in Africa Proconsul, Aradionem fortissimum virum singulari certamine interemit, & honorificè sepeliuit. *Fulg. l. 3. c. 2.*

Achillinus, miles Bellisarij Romæ ad portam Pincianam solus impetum Gothorum repressit. *Procopius.*

Inter labores voluntarios & exercitia corporis ad fortuitas patientiæ vires, firmamentum id quoque accepimus Socratem facere insueuisse: stare solitus Socrates dicitur pertinaci statu perdius, atque pernox, à summo lucis ortu, ad solem alterum orientem, inconniuens, immobilis, iisdem in vestigijs, & ore atque oculis in eundem locum directis, cogitabundus, tanquam quodam secessu mentis atque animi facto à corpore. *Gel. l. 2. Noctium Atticarum, c. 1.*

Lucium Sicinium dentatum, qui Tribunus plebis fuit Sp. Tarpeio, A. Thermio Consulibus (scriptum est in libris Annal. plus quam est e dedebeat,) strenuum bellatorem fuisse, nomineq. ex facto ob ingentem fortitudinem appellatumq. esse Achillem Romanum. Is pugnasse in hostem dicitur centum & viginti prælijs cicatricem auersam nullam, aduersas quinque & quadraginta tulisse. Coronis esse donatum aureis octo, obsidionali vna, muralibus tribus, ciuicis quatuordecim, torquibus tribus & octoginta, armillis plus centum sexaginta, hastis duodeuiginti. Phaleris quoque donatus est quinquies viciesq. Populi militaria dona habuit multiiuga: in his prouocatoria pleraque: Triumphauit cum Imperatoribus suis triumphos nouem. *Aul. Gel. Noctium Attica. rum l. 2. c. 11.*

Hieroglyphica.

Per anteriora Leonis Hieroglyphicè robur significatur: propterea, quod in eo animali membra illa robustiora sunt, ab excellentia, vt quadam vniuscuiusque rei significata sua Aegypti desumebant. Expressit robur hoc Lucretius Carus, cum ita scripsit:

Principio genus acre Leonum saeuaq. secla
Tutata est virtus.

Pier. Val. l. 1.

Per *Vespas* hieroglyphicè pugnacitatem, & infestum aduersus hostes ingenium significabant Aegyptij. *Idem l. 4.*

Fortem quoque per *Camelum* hieroglyphicè præfigurabant. Est enim in hoc animante mirus dorsi vigor, & onerum gerendorũ robur indefessum, vt fame etiam ac siti pertinacissimè tolerata, in plures sub onere dies perseueret. *Pier. Val. l. 12*

Fortitudinem quoque nonnulli per *Tygrim* fluuiorum omnium rapidissimum hieroglyphicè significant, quod quemadmodũ velocissimus hic fluuius, qua parte ex Armenia in Mesopotamiam labitur propter rapidissimam velocitatem sagittæ (quæ Armeniorum lingua Tigris dicitur.) comparetur: sic fortitudo cursu quodam pernici concitata, obstantia quæque demoliri atque prosternere videatur, nullisq. obicibus, oppositisq. molibus aut obstaculis impediri, quin quo ferri destinarit, eò victrix prorumpat. *Idem l. 21.*

Nõ temere quoque *Adamantem* pro fortitudine proponi, cui robur indomitum visq. insuperabilis nomen meritò fecisset, quippe qui limæ scalpro & malleo duritia inenarrabili resistat, quodq. omnium maximè admirandum est, contra etiam ignis violentiam incolumis lapillus euadat. *Idem.*

Emblemata.

Signa fortium.
Dialogismus.
And. Alc. Emblema xxxiii.

Quæ te causa mouet, volucris Saturnia, magni
Vt tumulo insideas ardua Aristomenis?
Hoc moneo quantum inter aues ego robore præsto,
Tantum semideos inter Aristomenes.
Insideant timida timidorum busta columbæ:
Nos aquila intrepidis signa benigna damus.

Obdurandum aduersus vrgentia
Emblema. xxxvi.

Nititur in pondus palma & consurgit in arcum,
Quo magis & premitur, hoc mage tollit onus:
Fert & odoratas, bellaria dulcia glandes,
Queis mensas inter primus habetur honos.
I puer & reptans ramis has collige mentes
Qui constantis erit præmia digna feret.

Strenuorum immortale nomen
Emblema. cxxxv.

Aeacidæ tumulum Rhœteo in littore cernis,
Quem plerumque sedes visitat alba Tetis.
Obtegitur semper viridi lapis hic amaranto,
Quod nunquam heroïs sit moriturus honor.
Hic Graium murus, magnum & Hectoris. Haud plus
Debet Mæonidæ, quam sibi Mæonides.

FORTVNA.

Definitio et etymol.

Fortuna, Græcè τύχη, ης ἡ, & εὐτυχία, ᾶς ἡ. fortunatus dicitur. Heb. *Gadh,* à verbo *Gadhadh,* turmatim excurrit propter fortunæ varias conuersiones. *Pur* etiam *Sor,* dicitur, id est, sors, *Purim,* Sortes, Esther 3.7. & 9.27. &c. à verba *Parlabot.* cauit, fregit, irritũ fecit. Sors enim consilia humana virtusq. astutorum cogitationes labefactat. Est autem fortuna causa per accidens in agentibus à proposito, semper & frequenter in his, quæ propter hoc fiunt, *sec. Arist. l. 2. Physic.*

Fortuna est causa per accidens, vt in paucioribus præter intentionem, in his, quæ sunt propter finem, & à proposito, *sec. S. Thom l. 8. s.*

Fortuna quid aliud est? quid fors? quid casus? quid euentus? nisi cum

sic

sic aliquid cecidit, sic euenit, vt vel non cadere atque euenire, aut aliter cadere atque euenire potuerit, *sec. Cic. l. 2. de Diuinat.*

Fortunæ nomen à volubilitate inditum est. Nam quæ prius Vortuna à verto dicebatur litteræ V, mutatione in F. affinem (quod in plerisque dictionibus factum est) in fortuna abijt. Cuius præcipuum opus esse poetæ finxerunt, ima summis, imis summa commiscere rerumq. omnium vicissitudinem inducere & cūcta inuertere: cuius quidem vertiginis ergo φερέπολις τύχη à Pindaro appellatur.

Fortuna dicitur à fero fers, quod temerè & sine ratione feratur. Est enim fortuna accidentium rerum subitus atque inopinatus euentus. Hæc eadem fors dicitur. *Terentius. O fortuna, o fors fortuna vt nunquam es perpetuo bona.* Aliud (*ait Donatus*) est fortuna, & aliud fors fortuna. Fortuna dicta est incerta res, fors fortuna euentus fortunæ bonus. Nam fors fortuna est, cuius diem festum colunt, qui in arte aliqua viuunt, huius ædes trans Tyberim erat. Sanè fortunæ vocabulum medium est. sed cum fortunam solam dicimus, intelligimus felicitatem, vnde fortunatos felices nominamus, infortunatos verò infelices, & infortunium malam fortunam: fortunare est prosperare, & bonis augere. *Cicero: Tibi patrimonium Dij fortunent.* Hinc fortunæ dicuntur diuitiæ, & fortunatim aduerbium, prosperè ac feliciter: *Plautus: fortunatim omnia succedant.* Fortunatæ etiam Insulæ in mari Athlātico vltra Gorgonas, sic dictæ à fructuum vbertate.

Fortuna & casus sic differunt, quod casus in plus est, quàm fortuna, quia omne quod est à fortuna, est à casu, sed non conuertitur. Casus non solum est in hominibus, qui voluntariè agunt, sed etiam in alijs animalibus, sicut quod equus casu venit, quando salutem adeptus est, licet causa salutis non venerit. In his, quæ simpliciter fiunt, causa alicuius extrinseci, tunc dicimus, quod fiunt à casu. Sed à fortuna dicimus illa fieri tantum de numero eorum, quæ fiunt à casu, quæcumque accidunt in habentibus propositum. Quare infans & bestia nihil agit à fortuna. *Ex Arist. l. 2. Physic.*

LOCI BIBLICI.

Fortunæ quod tribuitur, vulgo Scriptura ad Deum refert, vt videre est. *Exod.* 21. 13.

Fortuito nihil accidit. *Exod.* 21. 13. *Deut.* 19. 5. 1. *Sam.* 6. 9. 12. & 9. 19. 20. 1. *Reg.* 13. 24. *Prou.* 16. 33. *Ezec.* 21. 21. Vide Dei prouidentia.

SENTENTIAE PATRVM.

Fortuna est accidentium rerum subitus atque inopinatus euentus. Multa enim, inquit Cicero, efficit inopinata nobis propter obscuritatem ignorationemq. causarum. *Descriptio fortunæ per Lactantium l. 3. de falsa sapientia. c. 29.*

Quomodo ergo Dea fortuna aliquando bona est, aliquando mala? an forte, quando mala est, Dea non est, sed in malignum dæmonem repente conuertitur? *Aug. de ciu. Dei, l. 4. c. 18.*

POETARVM DICTA.

Ouid. lib. vlt. Trist. eleg. 15.

Rara quidem est virtus, quam non fortuna gubernat,
Quæ maneat stabili, quum fugit illa, pede.

Horat 35. Od. lib. 1.

O diua gratum quæ regis Antium,
Præsens vel imo tollere de gradu
Mortale corpus, vel superbos
Vertere funeribus triumphos.
Te pauper ambit solicita prece
Ruris colonus: te dominam æquoris,
Quicunque Bithyna lacessit
Carpathium pelagus carina.
Te Dacus asper, te profugi Scythæ,
Vrbesq. gentesq. & Latium ferox,
Regumq. matres barbarorum, &
Purpurei metuunt tyranni.
Iniurioso ne pede proruas
Stantem columnam; nec populus frequens
Ad arma cessantes, ad arma
Concitet, imperiumq. frangat.
Te semper anteit sæua necessitas.
Clauos trabaleis, & cuneos manu
Gestans ahena, nec seuerus
Vncus abest, liquidumq. plumbum.
Te spes & albo rara fides colit
Velata panno, nec comitem abnegat:
Vtcunque mutata potentes
Veste domos inimica linquis.
At vulgus infidum, & meretrix retro
Periura cedit, diffugiunt q. cadis
Cum fæce siccatis amici,
Ferre iugum pariter dolosi, &c.

Claudianus lib. 1. in Ruffinum.

Sed cum res hominum tanta caligine volui
Aspicerem lætosq. diu florere nocentes.
Vexariq. pios, rursus labefacta cadebat
Relligio, causæq. viam non sponte sequebar
Alterius, vacuo quæ currere semina motu
Affirmat magnumq. nouas per inane figuras
Fortuna, non arte regi, quæ numina sensu
Ambiguo, vel nulla putat vel nescia nostri.

Seneca.

Fortuna opes auferre, non animum potest.

Seneca.

Quicquid in altum
Fortuna tulit ruitura leuat.

Horatius.

Fortuna nunquam perpetuo est bona.
Fortuna sæuo læta negocio, &
Ludum insolentem ludere pertinax,
Transmutat incertos honores,
Nunc mihi, nunc alij benigna.

Lucan.

Seruat multos fortuna nocentes.

Seneca.

Res secundæ non habent vnquam modum.

Seneca.

Prospera animos efferunt.

Plautus.

Perinde vt quisque fortuna vtitur, ita præcellit.

Terent.

Omnibus vt res dant sese, ita magni atque humiles sumus.

Horatius.

Fortuna non mutat genus.

Martial.

Fortuna multis nimis dat, satis nulli.

Ouidius.

Dat quodcunque libet fortuna rapitq.

Sil. Ita.

Breuis est magni fortuna fauoris.

Horatius.

Quæ res plus nimio delectauere secundæ,
Mutata quatient.

Ouidius.

Fortuna arbitrijs tempus dispensat vbique.
Careat successibus opto,
Quisquis ab euentu facta notanda putat.

Iuuenal. Sat. 10.

Nullum numen abest si sit prudentia, sed te
Nos facimus fortuna Deam, cœloq. locamus.

Ouid. 1. de Pont.

Quid facis? ah demens! cur si fortuna recedat,
Naufragio lachrimas eripis ipse tuo?

Tibul. lib. 1.

Versatur celeri fors leuis orbe rotæ.

Ouid. 5. de Trist.

Rara quidem est virtus, quam non fortuna gubernat;
Quæ maneat stabili, cum fugit illa, pede.

Auson. 10 epig.

Si fortuna iuuat, caueto tolli,
Si fortuna tonat, caueto mergi.
Fama est fictilibus cœnasse Agathoclea regem,
Atque abacum Samio sæpe onerasse luto.
Fercula gemmatis cum poneret aurea vasis,
Et misceret opes, pauperiemq. simul.
Quærenti causam respondit: Rex ego qui sum
Sicaniæ figulo sum genitore satus.
Fortunam reuerenter habe quicunque repente
Diues ab exili progrediere loco.

Menander.

Ἄνθρωπος ὢν, μέμνησο τῆς κοινῆς τύχης.
Homo existens recordare communis fortunæ.
Δῶς τῇ τύχῃ τὸ μικρὸν ἐκλήψῃ μέγα.
Si dederis fortunæ paruum aliquid, accipies magnum.
Θεῷ μάχεσθαι δεινόν ἐστι καὶ τύχῃ.
Deo pugnare graue est & fortunæ.
Οἷς μὲν δίδωσιν, οἷς δ' ἀφαιρεῖται τύχη.
Aliquibus quidem dat, aliquibus autem aufert fortuna.
Πᾶσιν γὰρ εὖ φρονοῦσι συμμαχεῖ τύχη.
Omnibus quidem bene sapientibus auxiliatur fortuna.
Πταίει παρόντος τῆς τύχης τὰ πράγματα.
Seruiunt præsentes fortunæ negocia.
Ἐστέρησεν πάντα τὰν βίω μικρὰ τύχη.
Permutat autem omnia, quæ sunt in vita parua fortuna.
Τύχης τὰ θνητὰ πράγματ' οὐκ εὐβουλίας.
Fortunæ mortalia negocia, non consilij.
Τ' αὐτόματον ἡμῶν κάλλιον βουλεύεται.
Casus nobis melius consulit.
Τὰ θνητὰ πάντα μεταβολὰς πολλὰς ἔχει.
Mortalia omnia mutationes multas habent.

Χειρὶ

Χειμὼν μεταβάλλει ῥᾳδίως εἰς εὐδίαν·
Tempestas mutatur facile in serenitatem.
Ὡς ποικίλον πρᾶγμ' ἐστὶν ἡ πλανὸς τύχη.
Quam varia res est & errabilis fortuna.

Ex primo Epigrammat.

Οὐχ ἵνα σε τύχη προήγαγεν, ἀλλ' ἵνα δείξῃ,
Ὡς ἐστὶ χρῆμα κρείττον πάντα ποιεῖν δύναται.
Non propterea fortuna te promouit, sed vt ostendat,
Quod etiam in te omnia facere potest.

Lucianus.

Μὴ πταίων, φίλος εἶ θνητοῖς, φίλος εἶ μακάρεσσι,
Καί σευ ῥηϊδίως ἔκλυον ἀζόμενοι.
Ἂν πταίσῃς, οὐδεὶς ἔτι σοι φίλος, ἀλλ' ἅμα πάντα
Ἐχθρά, τύχης ῥοπαῖς συμμεταβαλλόμενα.
Non errans amicus es mortalibus, amicus et beatis,
Et te facile exaudierunt precantem.
Si erraueris nullus amplius tibi amicus, sed simul omnia
Inimica, fortunaq. momentis commutata.

Sophocles in Aiace.

Τῆς ἀναγκαίας τύχης
Οὐκ ἔστιν μεῖζον ἀνθρώποις κακόν.
Immutabili fortuna
Nullum est peius homi nibus malum.

Palladas.

Οὐ λόγος, οὐ νόμος ἐστὶ τύχη, κρατεῖ δὲ τυραννεῖν.
Τοῖς ἰδίοις ἀλόγως ῥεύμασι συρομένη.
Μᾶλλον τοῖς ἀδίκοισι φέρει ῥοπήν, τοὺς δικαίους
Ὡς ἐπιδεικνύουσα τὴν ἄλογον δύναμιν.
Non rationem, non legem nouit fortuna, hominibus autem imperat,
Propriis fineratione fluxibus tracta.
Magis enim fert fauet, odit autem iustos,
Veluti ostendens temerariam potentiam.

Plautus in duobus captiuis.

Sed viden' fortuna humana fingit, artatq. vt lubet
Me qui liber fueram seruum fecit, ex summo infimum.
Qui imperare insueram, nunc alterius imperio obsequi.

Plautus in Cistellaria.

Immundas fortunas aequum est squalorem sequi.

Plautus in Pseudolo.

Sed profecto hoc sic erit:
Centum doctum hominum consilia sola haec deuincit Dea
Fortuna: atque hoc verum est. proinde vt quisque fortuna vtitur,
Ita praecellit, atque exinde sapere eum omnes dicimus.
Bene vbi quod consilium discimus accidisse, hominem catum
Eum esse declaramus: stultum autem illum, cui vertit male.
Stulti haud scimus, frustra vt simus, cum quod cupienter dare
Petimus nobis quasi quid in rem sit, possimus noscere.
Certa amittimus, dum incerta petimus. Atque hoc euenit
In labore atque in dolore, vt mors obrepat interim.

Terentius Comoed. 5.

O fortuna, vt nunquam perpetuo es bona,

Virg. in Bucol. eclog. 9.

Sors omnia versat.

Virg. 2. Aeneid.

Nec si me miserum fortuna Sinonem
Finxit, vanum etiam, mendacemq. improba finget.

Ibidem.

Viuite felices quibus est fortuna peracta
Iam sua.

Idem Aeneid. lib. 10.

Et, quamcunque viam dederit, fortuna sequamur.

Idem Aeneid. lib. 11.

Multa dies, variusq. labor mutabilis aeui
Rettulit in melius, multos alterna reuisens
Lusit, & in solido rursus fortuna locauit.

Virg. lib. 12. Aeneid.

Forsan miseros meliora sequantur.

Ibidem.

Quo Deus, & quo dura vocat fortuna, sequamur.

Ibidem.

Sors & virtus miscentur in vnum.

Virg. de fortuna.

O fortuna potens quam variabilis!
Tantum tutis atrox quae tibi vendicas.
Euertisq. bonos, eligis improbos.
Nec seruare potes muneribus fidem.
Fortuna immeritos auget honoribus.
Fortuna innocuos cladibus afficit.
Iustos illa viros pauperie grauat,
Indignos eadem diuitiis beat.
Haec aufert iuuenes, & retinet senes,
Iniusto arbitrio tempora diuidens.
Quod dignis adimit, transfert ad impios.
Nec discrimen habens rectaq. iudicat.
Inconstans, fragilis perfida lubrica.
Nec quos clarificat, perpetuo fouet:
Nec quos deseruit, perpetuo premit.

Ennius in 7.

Fortibus est fortuna viris data.

Idem in 8.

Multa dies in bello conficit vnus.
Et rursus multo fortuna forte recumbunt.
Haud quemquam semper fortuna secuta est.

Actius in Telepho.

Nam si a me regnum fortuna atque opes
Eripere quiuit, & virtutem nequiuit.

Lucan. lib. 2. Pharsal.

Sors incerta vagatur,
Fertq. refertq. vices, & habent mortalia casum

Lucan. lib. 3. Pharsal.

Neque enim iam sufficit vlla
Praecipiti fortuna viro.

Idem lib. 8. Pharsal.

Longi poenas fortuna fauoris
Exigit a misero.

Ouid. Metam. l. 7. fab. 10.

Flebile principium melior fortuna secuta est.

Idem l. 13. fab. 4.

Tanta homines rerum inconstantia versat.

Ouid. Metam. l. 15.

Nil equidem durare diu sub imagine eadem.
Crediderim. sic ad ferrum venistis ab auro
Secula, sic toties versa est fortuna locorum.

Idem Metam. l. 15.

Sic omnia verti
Cernimus, atque alias assumere robora gentes,
Concidere has sic magna fuit censuq. virisq.
Perq. decem potuit tantum dare sanguinis annos,
Nunc humilis veteres tantum modo Troia ruinas,
Et pro diuitiis tumulos ostendit auorum.
Clara fuit Sparta. magnae viguere Mycenae.
Nec non & Cecropis, nec non Amphionis arces,
Vile solum Sparta est, altae cecidere Mycenae:
Oedipodoniae quid sunt nisi nomina Thebae?
Quid Pandionis restant nisi nomina Athenae.

Ouid. Trist. l. 2.

Cum coepit quassata domus subsidere, partes
In proclinatas omne recumbit onus.
Cunctaq. fortuna rimam faciente dehiscunt:
Ipsa suo quodam, pondere tracta ruunt.

Ibidem.

Scilicet in superis etiam fortuna luenda est,
Nec veniam laeso Numine casus habet.

Senec. in Herc. fur. tragoed. 1.

Iniqua raro maximis virtutibus
Fortuna parcit; nemo se tuto diu
Periculis offerre tam crebris potest.
Quem saepe transit casus, aliquando inuenit.

Ibidem.

O fortuna viris inuida fortibus:
Quam non aequa bonis praemia diuidis.

Seneca Thyeste tragoed. 2.

Habere regnum casus est, virtus dare.

Ibidem.

Ima permutat breuis hora summis.

Ibidem.

Nemo confidat nimium secundis,
Nemo desperet meliora lapsis.
Miscet haec illis, prohibetq. Clotho
Stare, fortunam rotat omne fatum.
Nemo tam Diuos habuit fauentes,
Crastinum vt posset sibi polliceri.
Res Deus nostras celeri citatas
Turbine versat.

Idem tragoed. 4.

Res humanas ordine nullo
Fortuna regit, spargitq. manu
Munera caeca, peiora fouens.

Ibid. tragoed. 6.

Ne turpe puta, quidquid miseros fortuna iubet.

Ibidem.

Violenta nemo imperia continuit diu.

Modicum

Moderata durant, quoque fortuna altius
Euexit ac leuauit humanas opes,
Hoc se magis supprimere felicem decet.

Ibidem.

Misero datur quodcunque fortuna datur.

Idem tragœd. 7.

Fortes fortuna iuuat, ignauos premit.

Idem tragœd. 6.

Rapida fortuna ac leuis
Præcepsq. regno eripuit exsilio & dedit.

Idem tragœd. 8.

O regnorum magnis fallax
Fortuna bonis, in præcipiti
Dubioq. nimis excelsa loco.
Nunquam placidam sceptra quietem,
Certumue sui tenuere diem.
Alia ex aliis cura fatigat,
Vexatq. animos noua tempestas.

PHILOSOPHICÆ SENTENTIAE.

Caduca nimirum & fragilia, puerilibusq. consentanea crepundijs sunt ista, quæ vires atque opes humanæ vocantur. affluunt subitò repente dilabuntur, nullo in loco, nulla in persona stabilibus nixa radicibus consistunt: nec incertissimo flatu fortunæ huc atque illuc acta quos in sublime extulerunt, improuiso recursu destitutos, in profundo cladium miserabiliter immergunt. Itaque neque debent existimari, neque dici bona, quæ inflictorum malorum amaritudinem, desiderio sui duplicant. *Val. l. 6. c. vlt. de varieta te casuum.*

Sapienter fecisse videri possunt, qui fortunam volucrem, cæcam, variamq. finxere, nihil certè hac vna (si quid illa est) inconstantius, nihil magis variabile: nunc blanda & indulgens, nunc sæua & infesta, nec vllis infestius irascitur, quàm quos indulgentissimè fouit; fitq. ex matre subito nouerca, ex nouerca mater: nec, si quæratur causa, alia reddi possit, quam quod ita libeat, quodq. incertæ sortis sint res humanæ. Circumscribit sese tamen stulta mortalitas, prudentiamq. reputat suam, tamquam homo semper sapiat, præsertim in rebus subitis & inopinatis, in quibus ne sapientes quidem satis sibi sapiunt. *Sabellic. de subita mutat. fort. l. 7. cap. 8.*

Subibat me, inquit, non de nihilo veteris priscæq. doctrinæ viros finxisse ac pronunciasse cæcam, ac prorsus exoculatam esse fortunam, quæ semper suas opes ad malos & indignos conferat: nec vmquam iudicio quemquam mortalium eligat. *Apul. l. 7. Meta.*

Fortuna non est, nisi in agentibus à proposito & è voluntate. Casus est solum in animalibus irrationalibus, & in rebus inanimatis, vnde dicitur, quod casu tripus cecidit, & stetit. *Arist. l. 2. Physic.*

Fortuna superexcellens impedit felicitatem. *Arist. l. 7. Ethic.*

Quanto maior est fortuna, tanto minus est secura. *Idem l. 8.*

Sine exterioribus bonis, quorum domina est fortuna, non contingit felicem esse. *Arist. l. de bona fortuna.*

Vbi plurimus intellectus & ratio, ibi minima fortuna. *Idem.*

Non solum ipsa fortuna cæca est, sed etiam eos plerumque cæcos efficit, quos complexa est. *Cic. de Amicitia.*

Fortuna amica varietati, constantiam respuit. *Cic. lib. 2. de Natura Deorum.*

Fortunam nemo ab inconstantia & temeritate seiungit. *Idem l. 3.*

Cuius spes omnis & ratio & cogitatio pendet ex fortuna, huic nihil certi esse potest. *Cic. in Paradox.*

Sic enim se profectò res habet, vt nunquam perfectè veritatem casus imitetur. *Cic. de Diuinat.*

Nihil enim est tàm contrarium rationi & constantiæ, quàm fortuna. *Idem l. 5.*

Nam fortunam quidem & laudare, stultitia, & vituperare, superbia est. *Cic. Rhet. Vet. l. 1.*

Fortunam insanam esse, & cæcam & brutam, perhibēt Philosophi, saxiq. instar globosi dicunt esse volubilem. *Idem Rhet. nou. lib. 5.*

Et non multum potest obesse fortuna, qui sibi firmius in virtute, quam in casu præsidium collocauit. Nam si quis spei non multū collocarit in casu, quid est quod ei magnopere casus obesse possit? Quod si in eos plurimum fortuna potest, qui suas rationes omnes in casu collocarunt, non sunt omnia committenda fortunæ, ne magnam in nos nimis habeat dominationem. *Idem l. 4.*

In rebus omnibus modò iniquior, modò æquior est fortuna. *Pausan. l. 10.*

Solet fortuna leui momento res maximas decernere. *Plut. in Cleomene.*

Maxima bona hominibus maximè indignis fortuna temere largitur. *Dionys. Halic. l. 1.*

Instabilis & mutabilis admodum est fortunæ felicitas: & difficile est, vel in quantumuis beatis hominibus, asserere quamdiu hæc ipsis sit duratura. *Idem l. 4.*

Fortunæ non est fidendum, quum homines sæpe eam sint experti in suis malis & bonis, quàm sit variabilis & incerta. *Idem l. 6.*

Fortuna virtutem sequitur. *Liuius. Dec. 1. l. 4.*

Quæ summa ratione & consilio aguntur, fortuna sæpe sequitur, *lib. 5.*

Per omnia humana maximè in res bellicas fortuna potens est, *lib. 9.*

Fortuna plus humanis consilijs pollet. *Decad. 5. l. 4.*

Ex summa retro volui fortuna consueuit. *lib. 5.*

Quò se fortuna, etiam fauor hominum inclinat. *Iustin. l. 5.*

Rumpit, interdum moratur proposita hominum fortuna. *Velleius Paterc. l. 2.*

Aduersas res fortuna cupido animo infigit, secundas parce tribuit. Eadem vbi malignitatis obliuisci sibi imperauit, non solùm plurima ac maxima, sed etiam perpetua bona congerit. *Val. Max. l. 7. c. 1.*

Quæ fortuito patimur, non oportet nos præcipuæ & intolerabilis amaritudinis iudicare. *Idem ibid. c. 2.*

Quæ casus offert, in sapientiam vertenda sunt. *Tacit. Annal. l. 1.*

Illudit tyranno fortunæ, per vanitatem ipsius. *Idem Annal. l. 16.*

Versabiles fortunæ motus ludunt mortalitatem: nunc euehentes quosdam in sidera, nunc ad Cocyti profunda mergentes. *Amm. Marcel. l. 14.*

Fortuna vbi primùm aduersa conspicitur, ipsam ab ea decidentium mentem prosternit, atque in seruitutem redigit. *Procop. de bello Vandal. l. 5.*

In rebus sese offerentibus fortuna neglecta, non æquò postea redire solet. *Idem eod. lib.*

Fortuna in omni re dominatur, eas res cunctas ex libidine magis, quàm ex vero celebrat obscuratq. *Sal. in Catil.*

Humanarum rerum pleraque fortuna regit. *Idem in Iugurth.*

Grauis est casus è regno in seruitium. *Idem.*

Quippe res humanæ ita se habent. In victoria vel ignauis gloriari licet, sed res aduersæ etiam nos detrectant. *Idem.*

Res humanæ fluxæ & mutabiles sunt. *Idem.*

Dominium rerum collabi solet: bona mens præfertur diuitijs, bonæ mentis vsurpatio, nullum tristioris fortunæ recipit incursum. *Val. Max. l. 4.*

Mortalium negocia fortuna versat. *Idem l. 5.*

Nemo nimiæ fortunæ credere debet. *Idem l. 6.*

Humanæ autem vitæ conditionē præcipuè primus & vltimus dies continet. Quia plurimum interest, quibus auspicijs inchoetur, & quo fine claudatur. Ideoq. demum eum felicem fuisse iudicamus, cui & accipere lucem prosperè, & reddere placidè contigit. Medij temporis cursus, prout fortuna gubernaculum rexit, modò aspero, modò tranquillo motu peragitur, spe semper minor, dum & cupidè vous extenditur, & ferè sine oratione consumitur. Namque, si eo bene vti velis, etiam paruum amplissimum efficies, numerum annorum multitudine operum superando. Enimuero nimio studio retinendum bonum. *Idem l. 9.*

Etiam naturam plerumque fortuna corrumpit. Homines cum se permiscuere fortunæ, etiam naturam dediscunt. *Cur. l. 3.*

Destinata salubriter omni ratione fortuna potentior discutit. *Eod. libro.*

Numquam diu eodem vestigio stat fortuna, semperq. homines quātamcumque felicitatem habeant, inuidiam tamen sentiunt maiorem, *l. 4.*

Fortuna quos vni sibi credere cogit, magna ex parte auidos gloriæ magis, quàm capaces facit. *Eod. lib.*

Suam quisque fortunam in consilio habet, cùm de aliena deliberat, *lib. 5.*

Dignus est omni malo qui erubescit fortuita, & tristem de mortalitate fert sententiam: ac misericordiam desperat, quam ipse denegaturus est. *Eod. lib.*

Fortunati semper pacem quærunt. *Eod. lib.*

In communi calamitate suam quisque habet fortunam. *l. 5.*

Fortuna belli artem victos quoque docet. *l. 7.*

Sine pedibus dicunt esse fortunam, quæ manus & pinnas tantùm habet: cum manus porrigit, pinnas quoque comprehendere non sinit. *Idem eod. lib.*

Contra obsequia fortunæ, non satis cauta mortalitas est. *Idem l. 8.*

Quis neget eximiam quoque gloriam sæpius fortunæ, quàm virtutis esse beneficium. *Idem.*

Fortuna rebus, famam pretiumq. constituit, & militiæ probrum plerumque vertit in gloriam. *Idem.*

Non est sæpius fortuna tentanda. *Cæsar lib. 4.*

Multum tum in omnibus rebus, tum in re militari potest fortuna, *lib. 6.*

Sic & ad subeundum periculum, & ad vitandum, multum fortuna valet. *Idem.*

Fortunæ credendum est, & ad vtramque rem se illi offerendum, *lib. 7.*

Fortuna plerumque eos, quos plurimis beneficiis ornauit, ad duriorem casum reseruat, superiorum ipsorum dissimilis. *l. 10.*

At verò hic etiam nostris malis cumulus accedit, quod æstimatio plurimorum non rerum merita, sed fortunæ spectat euentum: eaq. tantum iudicat esse prouisa, quæ felicitas commendauerit.

Quo

Quo fit, vt æstimatio bona, prima omnium deseret infelices. Qui nunc populi rumores, quàm dissonæ, multiplicesq; sententiæ, piget reminisci. Hoc tantum dixerim, vltimam esse aduersæ fortunæ sarcinam, quod dum miseris aliquod crimen affingitur, quæ perferunt, meruisse creduntur. *Boet. lib. 1 de Consol prosa 4.*

Huncccine, inquit, mundum temerarijs agi, fortuitisq; casibus putas? an vllum credis ei inesse regimen rationis? Atqui, inquam, nullo æstimauerim modo, Vt fortuita temeritate tam certa moueantur. Verum operi suo conditorem præsidere Deum scio, nec vnquam fuerit dies, qui me ab hac sententiæ veritate depellat. *Idem l. 1. prosa 6. dicente Philosoph.*

Postremo æquo animo toleres oportet, quidquid intra fortunæ aream geritur, cum semel iugo eius colla submiseris. Quod si manendi abeundiq; scribere legem velis ei, quam tum tibi dominam sponte elegisti, nonne tu iniuriosus fueris, & impatientia sortem exacerbabis, quam permutare non possis? *Boet. de Conso. l. 2. prosa 1.*

Si ventis vela committeres, non quò voluntas peteret, sed quo flatus pelleret, promoueris. Si aruis semina crederes, feraces inter te annos sterilesq; pensares. Fortunæ te regendum dedisti, dominæ moribus oportet obtemperes. Tu verò voluentis rotæ impetum retinere conaris. At omnium mortalium stolidissime, si manere incipit, fors esse desistit. *Idem.*

Hæc nostra vis est, hunc continuum ludum ludimus. Rotam volubili orbe versamus. Infima, summis summa infimis mutare gaudemus. Ascende, si placet, sed ea lege, ne vti cum ludicri mei ratio poscet, descendere, iniuriam putes. An tu mores ignorabas meos? *Boet. de Consol. l. 2. prosa 2.*

An tu in hanc vitæ scenam nunc primum subitus, hospesq; venisti? Vllamne humanis rebus inesse constantiam reris, cum sæpe ipsum hominem velox hora dissoluat? Nam etsi rara est fortuitis manendi fides, vltimus tamen vitæ dies mors quædam fortunæ est etiam manentis. Quid ergo referre putas, tune illam moriendo deseras, an te illa fugiendo deserat? *ibid. prosa 3.*

Etenim plus reor hominibus aduersam, quàm prosperam prodesse fortunam. Illa enim semper specie felicitatis cum videtur blanda, mentitur. Hæc semper vera est, cum se instabilem mutatione demonstrat. Illa fallit, hæc instruit. Illa mendacium specie bonorum, mentes fruentium ligat: hæc cognitione fragilis felicitatis absoluit. Itaque illam videas ventosam fluentem, suiq; semper ignaram: hanc sobriam succinctamq; & ipsius aduersitatis exercitatione prudentem. *ibid. prosa 8.*

Ξεῖνε, ὅ,τι δεῖ γενέσθαι ἐκ τοῦ θεοῦ, ἀμήχανον ἀποτρέψαι ἀνθρώπῳ. οὐδὲ γὰρ πιστὰ λέγουσι ἐθέλει πείθεσθαι οὐδεὶς. ταῦτα δὲ περσέων συχνοὶ ἐπιστάμενοι ἑπόμεθα ἀναγκαίῃ ἐνδεδεμένοι. ἐχθίστη δὲ ὀδύνη ἐστὶ τῶν ἐν ἀνθρώποισι αὕτη, πολλὰ φρονέοντα μηδενὸς κρατέειν.

Id est.

O hospes, id, quod à Deo præfinitum est, auerti per hominem non potest. Nam ne vera quidem dicentibus parere vult quisquam, hæc scientes plurimi Persarum, sequimur, necessitate vincti. Grauissimus autem dolor est inter homines si quis permulta sciens, nihil obtineat. *Fortuna immeritos auget honoribus, innocuos verò cladib. afficit. Herodot. l. 9.*

Fortuna & casus in causis esse dicuntur: multaq; & esse & fieri fortuito & casu. *l. 2. de Nat. c. 4. t. 39. Arist.*

Id quod fortuito euenit, non est in ijs quæ necessario & semper, aut in ijs, quæ plerumque fiunt. *l. 2. de Nat. c. 5. t. 48.*

Fortuna in ijs causis est, quæ aliena, aduentitiaq; vi efficiunt: eaq; in ijs rebus dominatur & versatur, quæ ab animi iudicio & voluntate proficiscuntur: ratioq; & fortuna in ijsdem versantur rebus. *ibi. t. 52.*

Illud rectè dicitur, fortunam esse quiddam, quod à ratione aduersum, alienumq; fit: quippe cum ratio vel in ijs quæ semper sunt & eueniunt, vel plerumque cernatur: fortuna autem in ijs, quæ præter ea eueniunt. *ibi. t. 55 l. 2. Mag. Mor. c. 8.*

Fortunæ prosperitas in eo consistit, quod est cuipiam insperato ac præter rationem nonnihil boni incassere. *Lib. 2. Magn. Moral. cap. 8.*

Secunda fortuna & aduersa dicitur, cum bonum aut malum euenit. Prosperitas verò & calamitas in bonorum magnitudine & excellentia cernitur. *l. n. tc. Meta c. 7.*

Fortuna est causa aduentitia in ijs, quæ voluntate atque iudicio aliqua de causa fiunt. *Ibid.*

Hoc differunt fortuna & casus, quod casus latius patet. *l. 2. de Nat. cap. 6. t. 57.*

In ijs quorum euentus omnino ad aliquem finem pertinet, eius modi euentus causa finis, & eorum extra rem ipsam est causa: tum nos ea *ἀπὸ ταυτομάτου*, casu fieri soliti sumus dicere. *ibid. t. 61.*

Fortuita appellantur, quorum causa indefinita est: quæq; nullius finis institutione proueniunt. *l. 1. Rhet. c. 10.*

Apophthegmata.

Thales sciscitatus, quemadmodum quis calamitatem optimè ferre posset: Si, inquit, hostes videat in maiori versari miseria. *Max. serm. 18.*

Chilon. Chilonis sententia huic non absimilis est, qui dicebat, infortunatum non irridendum esse, fortuna eum iocoutans sit, & nostræ etiam felicitati inuideat. *Stob ser. 109.*

Idem, ab Aesopo interrogatus, quid ageret Iupiter? Respondit: Excelsa deprimit, depressa extollit, indicans, arbitrio numinis res hominum sursum deorsum volui, reuoluiq;. *Laert.*

Aesopus, quærenti, quid Dij facerent? dixit, eos alia struere, alia diruere. *Stob ser. 103.*

Bion interrogatus, quis esset in vita maximè anxius? Qui in maximis inquit, rebus cupit esse fortunatus. Is enim mille curis destorquetur, vt assequatur ardua: & assequutus, æquè torquetur ne amittat. *Laer. l. 4.*

Idem dicere solebat: Fortunam diuitibus pecunias non dono dedisse, sed mutuo. Hæc enim, cum suis bonis extra omnem spem nos euehit, eoq; pro arbitrio mox deprimit incautos. *Stob. serm. 103.*

Socrates dicebat, idem esse in secunda fortuna altum sapere, & in lubrica via cursu certare. *Stob. ser. 103.*

Bias eum demum infortunatum esse pronunciabat, qui infortunium suum æquo animo ferre non posset. *Max ser. 18.*

Idem. Interrogatus, quid esset difficile? Mutationem, inquit, secundæ fortunæ fortiter ferre. *Max ser. 18.*

Leotychidas, roganti quo modo quis maximè præsentia bona tueretur? Si non omnia, inquit, fortunæ crediderit. *Fr. l. 2. c. 37.*

Dionysius iunior, amisso imperio Corinthi agens, si quis ipsi molestus esset, dicebat. Quam beati sunt, qui à puero infelices fuere. *Stob. ser. 106. de im, peratis euen th.*

Idem. Conuenerant aliquando Dionysio secundus & Philippus Amyntæ F. cumq; in diuersos sermones incidissent: Philippus inter alia Dionysium rogabat: Quomodo cum tantum regnum accepisset à patre, non id defendisset, & conseruasset? Respondet, non mirum est, ait: quoniam quum rel qua mihi pater omnia reliquisset, fortunam solam qua ea parauerat, & tutatus fuerat, mihi non tradidit. *Aelian. l. 12. de var his. & Bruson. lib. 2 c. 37*

Democrates etiam bonum gubernatorem aliquando naufragium facere, & virum bonum, vel industrium etiam infortunatum euadere dicebat. *Ant. & Max ser. de fortuna bona & mala.*

Pausanias. Simonides ad conuiuium a Pausania vocatus, rogabatur inter conuiuandum, vt quidpiam ex philosophiæ arcanis in medium adferret hospitibus, quod documento esset omnibus. Is itaque respondit Pausaniæ. Memineris te hominem esse. Vidit vir sapientissimus, Pausaniam ex nimia felicitate superbientem quem hoc dicto sui officij admonere voluit. Sed Pausanias contempsit philosophi dictum. At cum iam in carcere cæco cum fame luctaretur, iamq; contumeliosissimam mortem præ oculis cerneret, in memoriam philosophi dictum reuocans, O Cee hospes, ait, magnum quiddam in tuo erat sermone: ego verò nimium fortunæ meæ fidens, eum nullius momenti esse putabam: vnde nunc miserrimè interire cogor. *Aelian. l. 9. de var. hist.*

Crœsus, consultus à Cyro de bello inferendo contra Tomyrin reginam, à qua tandem occisus est. Si tibi, inquit, esse videris immortalis, nihil est opus vt meam tibi sententiam dicam. Si verò te quoque agnoscis hominem, illud in primis disce, talem humanarum rerum circulum esse qui rotatur, eosdem semper fortunatos esse non sinit. *Brus. l. 2. c. 37 ex Herod.*

Demet. Illum qui insultantem fortunam ferre nequeat, ne dextram quidem posse ferre dicebat. *Ant. in Mel. p. 1. ser. 10.*

Idem. Nemo Demetrio fuit vtraque fortuna exercitatior. Itaque frequenter solebat in fortunam illud Aeschyli dicere. Tu me extulisti, tu ipsa rursus deijcis. *Plut in Demetr.*

Darius Xerxis pater in sui laudem dicere solebat, sese prælijs ac rebus asperis reddi prudentiorem. Atqui talis prudentia non in constat reip. Præstat principem è philosophiæ præceptis haurire sapientiam potius, quàm experimentis miseriam, vt vocant, colligere prudentiam. *P. M. l. 5 ex Plut. apoph.*

Philippus. Cum Philippo Macedoni nuncium esset allatum, vno die multas res feliciter ac prosperè gestas (nam eodem tempore vicerat in Olympiis, & Parmenio Dardanenses prælio fuderat & Olympias ipsi masculum fœtum erat enixa) porrectis in cœlum manibus exclamauit: Et ò fortuna, inquit, pro tot tantisq; bonis leui quopiam malo me affice. Vir cordatissimus, non insolenter gestiit ob rerum successum, sed fortunæ indulgentiam suspectam habuit, cuius ingenium esse nouerat, vt quibus exitium molitur, his prius noua rerum prosperitate blandiatur. Huc pertinet quod de Polycrate Samiorum tyranno refert Plin. *Plut in apoph. Fulg. l. 7. c. 2.*

Apelles interrogatus, cur sedentem fortunam pinxisset? Respondit: Quia loco stare non potest. *Stob ser. 130. Max ser. 67.*

Romulus infelicitatem hominibus plurimum prodesse dicebat, eo quod in rebus aduersis doceamur de rebus antea nobis ignotis. Multi enim cum ratione futura prouidere non possunt, patiendo res intelligunt demum. *Ant. in Mel p. 1. ser. 70.*

Idem, Eum nequaquam beatum prædicandum dixit, qui propter

a . icos.

amicos, aut alias fortunæ dotes exultaret, hæc enim sunt fallacia & caduca omnia, quæ fortuna in sua potestate habet. *Max. serm. 18.*

Fabius Max. Cum audiret Minutium collegam ab omnibus mirum in modum collaudari, quod nonnullos hostes jam deiecisset: se magis secundam Minutij fortunam, quàm aduersam pertimescere, dicebat: Non ignorabant enim, quàm variæ essent fortunæ vices. &c. *Plut. in vita Fabij Max.*

C. Marius, non sanæ mentis hominem esse aiebat, qui se fortunæ cõmitteret. *Ern∫. l. 2. c. 37.*

Anonymus. De Mario tyrannorum septimo dictum est, quod vno die factus est Imperator, altero visus est imperare, tertio interemptus est à milite, qui percussurus illum dixerit: Hic est gladius quem ipse fecisti. Fuerat enim opifex ferratius. Allusit autem interemptor ad illud prouerbium, tuo te gladio iugulo. *Trebell. Pollio.*

Seuerus Imp. Celebratur Seueri Imp. dictum: Omnia fui, sed nihil expedit. Sentiens, sese ex humili loco per literarum ac militiæ officia plurimas gradibus fauore fortunæ ad imperij fastigium fuisse perductum: sed nihil feliciter cessisse, aut nulla in re sibi placuisse. *Aelian. Spart.*

Chilon. Quum quidem propter sua mala doleret, dixit: Si aliorũ omnium mala perpenderis, minus ægrè feres tua. *Stob. ser. 18.*

Pittac. prudentium virorum esse dixit, ne quid mali fiat cauere, fortium autem, id quod factum est, moderatè ferre. *Stob. ser. 18.*

Diogenes in casus quosdam aduersos quum incidisset, dicebat: Benefactum, ò fortuna, quod tam viriliter mihi præfueris. Idem in huiusmodi casibus alta voce cantillabat. *Stob ser. 106.*

Zeno naufragium passus, cum vna cum opibus omnia amisisset, immobili vultu: Euge, inquit, fortuna, quàm opportunè nos ad hoc palliolum redegisti. *Max. ser. 8.*

Socrates. Xantippe dicebat, cum infinitæ mutationes & Rempubl. & ipsos occupassent, in omnibus se similem vidisse Socratis vultum & exeuntis domo, & domum redeuntis. Ad omnes enim fortunæ vndique ingruentes procellas moderatus, & concinnus erat. *Stob ser. 106.*

Idem dicebat, idem esse in gymnico certamine victum contumeliæ actionem aduersario intentare, & in vita victum à fortuna eam accusare; quasi nescias quo iure quibusque legibus in vitæ certamen cum ipsa descenderimus. *Stob ser. de pusil.*

Archytas Pythagoreus dicebat, non difficile esse aduersam fortunam commode ferre, sed prosperam. Omnes etenim, inquit, quamdiu in miseria permanent, vt plurimum moderatis modestisq. moribus esse videntur: in rerum autem successu elatis animis, &c. *Stob. ser. de virtute.*

SIMILITVDINES.

Maximi Monachi. Similis est fortuna sagittario: interdum enim in nos iaculans tamquam in scopum quemdam, interdum in ea, quæ nobis adhærent, omnia dirigit. *ser. 18.*

Epicteti. Fortunæ vita implicata similis est torrenti. Est quippe turbulenta, & limo repleta, ingressu difficilis, violenta, obstrepera, & momentanea. *Apud Stob ser. de virtute.*

Iosephi Iudæi. Quemadmodum ineptorum est, secunda fortuna nimium efferri: Sic mollium est, aduersa deiici & terreri. facilis enim est in vtramque mutatio. *Apud Max ser. 18.*

Euripidis. Ceu speculum admotum puellæ faciem arguit. Sic improbos homines fortuna. *Apud Stob ser. 88.*

Plut. Veluti si quis cœcus in quempiam incidat, illum cœcum appellat, qui non vitauerit: Sic nos fortunam facimus cœcam, in quam nostrapte incidimus cœcitate. *In Mor.*

Vt alijs venti secundi sunt, alijs aduersi: ita alijs fortuna fauet, alijs aduersatur. *In Mor.*

In Olympijs non licet vincere delecto aduersario, sic in vita quæcumque obtingit fortuna, cum ea luctandum est. *In Moral.*

Vt os non secatur trama, nisi prius cinere & aceto præmollitum, nec ebur inflecti potest, nisi zytho prius molle fiat: Sic fortuna non potest reddere vulneratos animo, nisi accesserit malitia. *In Mor.*

Seneca. vt pumilio, etiamsi in monte consistat, pusillus est, Colossus etiam in puteo, magnus: Ita sapiens in quacumque fortuna suis bonis magnus est, stultus & in summa fortuna humilis. *Apud P. M.*

Vt apparatus scenæ quia commodato datus est, statim redditur & sine querela: ita quidquid in vita contingit magnificum, siue serius siue mox à fortuna repetatur, æquo animo reddemus, si in his tamquam commodatitiis vtimur. *Apud P. M.*

Vt grando illisa tectis dissultat, magno quidem fragore, verum nulla noxa: sic insultus fortunæ nihil potest in sapientem. *Apud P. M.*

Socrates. Quemadmodum ignis in foco splendet: sic mens quoque in bona fortuna. *In Ant. Melis. p. 1 ser. 70.*

Vt qui nauigant ventis secundis, in promptu habent instrumenta, quibus contra tempestatem aduersam vtuntur: sic qui cum bona fortuna sapiũt, etiam ad infortunia paratum habent ac bene munitum animum. *Stobæus ser. de prudentia.*

Plut. Quemadmodũ imperiti artifices, cum statuis exiguis magnas subdunt bases, magis conspicuam reddunt illarum exiguitatem: ita fortuna si pusillo animo munus amplum addat, indicat, & arguit magis animi humilitatem. *In Mor.*

Qui morbo comitiali sunt obnoxii, frigore deprehenduntur: nam illico capitis vertigine laborant. At indoctos si paululum euexerit fortuna, protinus arguit cuiusmodi sunt. *In Mor.*

Vt honoratior est domus, si luceat ignis, quemadmodum inquit Homerus. sic fortunæ commoda splendidiora iucundioraq. si animi gaudio condecorentur. *In Mor.*

Vt qui morbo laborant, cibos purissimos & lautissimos fastidiunt, & recusant, si quis edere compellat: iidem restitutæ bonæ valetudini, caseo quoque aut cæpe libenter vescuntur: ita stultis magnifica fortuna iniucunda, sapientibus humilis ac tenuis fortuna suauis. *In Mor.*

Seneca. Canis quidquid excepit, protinus deuorat, & semper ad spẽ futuri hiat: ita quod expectantibus fortuna proiecit, id sine vlla voluptate dimittimus, statim ad rapinam alterius erecti.

Plinij. Hedera complexu necat arbores: Ita fortuna prospera, dum blanditur, strangulat & perdit. *Lib. 16. c. 35.*

Folengii. Quemadmodum dormientes, dum somniant, delectantur ijs quæ per somnium imaginantur rebus, experrecti autem vana spe se delusos vident: Ita ij quibus humana contigit felicitas, delectatione se aliqua affici sibi videntur. Interim vero è fortunæ sinu, tanquam à mollissimo eiecti lectulo sentiunt miseri, illum bonorum honorumq. splendorem, nil aliud fuisse quam vanam imaginem, ac rei simulachrum potius quam rem ipsam. *In Psal.*

D. Gregorii. Aduersitas magis auget desiderium in Deum. Sic semina melius gelu cooperta fertilius germinant. Sic ignis flatu premitur vt crescat. *Lib. 6. Epistolar. epist. 27.*

Plutarchi. vt deciduæ stellæ subito extinguuntur. Ita quos fortuna subito in summa prouexerit, repente solent corruere. *In Moralium.*

Vt terra fœtus aliquando copiosè proueniunt, aliquando maligne: & in animantibus aliquando fœtura fœlix, aliquando sterilitas est: & in mari aliquando tempestas, aliquando tranquillitas: Sic in vita varij fortunæ casus. *In Moral.*

Plinii. vt in rerum natura, quæ spectatissime florent, celerrimè marcescunt, veluti rosæ, lilia, violæ, cum alia durent: Ita in hominum vita quæ florentissima sunt, citissimè vertuntur in diuersum. *Lib. 16. cap. 15.*

Lucilli. quod pauper quondam repente diues sis factus, ludus est fortunæ: quæ indignos homines feliciores facit, quam bonos & integros. Nam prioris conditionis oblitus, veteres amicos negligis? non cogitans, quanta sit lubricæ fortunæ instabilitas. Illa enim te sublimius euexit, vt illusura grauiore casu præcipitem daret. *In Epist. ad Regul.*

Pii Pontificis. Regna & opes non magis possidentium sunt, quam cuiuscunque: sed vt in sæculari ludo: nunc huc transeunt, nunc referuntur illuc. Sola virtus & viuenti & mortuo, stabilis est & firma possessio. *Epist. I. epist. 414.*

Max. Tyrii Platonici. Quemadmodum noctu lux exigue lucens, maiorem claritatem ostentat ea, quæ pariter interdiu apparet, propterea quod noctu profunda obscuritas circumfusa eius auget splendorem. Interdiu vero quasi certamine tenui, ac debilissimę luci cum valentissimo solis fulgore suscepto obscurari magis minorem claritatem oportet. Sic etiam tenuis notæ bonum, si per contentionem cum mali examinari contingat, fit vt optimum, maximum, excellentissimumq. esse videatur: quemadmodum tenebris profundis parua aliqua scintilla, aut obscurissima nocte minima lux splendorem late ostentat, at si ei cum suis similibus bonis cursum, contentionemq. proponas, tunc optime despicies id quod verè est optimum: cum si aliter feceris, ordinem prorsus perturbes atque confundas. *Ser. 24.*

Epicteti. Quemadmodum in paruo humiliq. grabato anguste cubare hominem sanum melius est, quam in amplo lecto cubantem ægrotare: Similiter & in exigua fortuna melius est sese contrahentem feliciter agere, quam in magna fortuna amplissimisq. diuitiis feliciter agere. *Apud Stob ser. 3. de Temperantia.*

Thriteri. Iucundissimè quiescit corpus post multum exercitium: Et bonorum virorum animus tranquillissimè sese habet post multas tempestates, calumnias & iniurias. *In apoph. 114.*

Qui frequenter intentantur ab hostibus, tandem ipsos contemnunt: Et per varias tempestates animus quoque fit firmior. *In apophthegmata 118.*

Magna est corporis imbecillitas, quod ab omni etiam leui causa læditur. Et satis magna, superq. idonea animi clades & calamitas est, ad singulos fortunæ strepitus animum demittere. *In apoph. 97.*

Philonis Iudæi. Res humanæ habent naturalem quodammodo scalæ imaginem, propter cursum inæqualem, inconstantemq.: vna enim

enim (vt ille aie) dica alium de fastigio detrahit, aliu n tollit in altum: cum nihil in eodem statu, apud nos perpetuo maneat, sed cuncta varijs omnifarijsq. mutentur vicissitudinibus. *Lib. de somnijs.*

Marci Eremita. Quemadmodum ijs qui crudo & indigesto sunt stomacho, amarum prodest absynthium. sic malè moratis mala tolerare vtile est. *De lege spirituali.*

Quemadmodum in ebrietatibus plurimi bacchantur: sic in miserijs & calamitatibus permulti mente mouentur. *Idem ser. 18.*

Quemadmodum infirmo, si graue onus imposueris, deprimitur: sic indoctus, si fortuna accumulatus fuerit, malè sanus. *Ibid.*

Democritus. Quemadmodum eum gubernatorem non statim contemnimus, qui semel naufragium fecit: sic nec vir bonus ideo deridendus, qui semel fortunatus est. *Apud Ant. in Mel. p. 1. ser. 70.*

Fortuna similis est malo certaminum præsidi. Nam sæpe coronat illos, qui non vicerunt. *In Meliss. p. 1. ser. 70.*

Quemadmodum in palæstra exercitati, si semel ceciderint, statim surgunt: sic docti homines etsi ceciderint, statim cum dexteritate quadam ab infortunio resurgunt. *Ibid. Meminit etiam Max. ser. 18.*

D. Aug. Cythara ex inferiore parte habet quo sonat, psalterium ex superiore. Ex inferiore vita, i. terrena, habemus prosperitatem & aduersitatem, vnde Deum laudemus: ex vtroque Cytharizа, quando malè ex interiori venit, tange chordas in corde tuo, & dic tam quam in cythara, inferiori parte bene sonante: Dominus dedit, Dominus abstulit, &c. Cum attendis superiora dona Dei, quæ tibi contulit, conuerte ad Psalterium decem chordarum & præcepta Dei. *In Ps. 32.*

A d a g i a.

Deo fortunæq. committo.

Qui fortunam experiri statuerit, euentum negocij fortunæ committens, in hunc conuenerit illud Homeri.

> Ἤδη γὰρ καὶ ἐγὼ τάδ' ἔασα Διῒ πάντα μέλεσθαι.
> *Torsero & ipse: Iouis fuerint hæc omnia curæ.*

Fortuna reddit insolentes.

In eû, qui posteaquam fortuna secundior affulsit animos item effert, & paulo confidentius gerit sese, quadrabit illud.

> Γηθόσυνος δ' οὔρῳ πέτασ' ἱστία δῖος Ὀδυσσεύς.
> *Lætus ventis pandebat vela secundis.*

Rerum omnium vicissitudo.

Varia fortunæ vices. & nunc læta contingunt vnicuique nunc tristia. Ad eam sententiam applicabitur illud Homer.

> Ἀτὰρ θεὸς ἄλλοτ' ἐπ' ἄλλῳ
> Ζεὺς ἀγαθόν τε κακόν τε διδοῖ.
> *Nunc huic, nunc Iupiter illi,*
> *Nunc læta immittit, nunc tristia.*

Quod abest boni consule.

Qui admonebit oportere boni consulere, quidquid à fortuna conceditur, vsurpabit illud ex odyss. ξ. Vbi subulcus Vlyssem inuitat, vt cibos viles & rusticanos boni consulat, his verbis.

> Ἔσθιε δαιμόνιε ξείνων, καὶ τέρπεο τοῖσδε
> Οἷα πάρεστι θεὸς τὸ μὲν δώσει, τὸ δ' ἐάσει.
> Ὅττι κεν ᾧ θυμῷ ἐθέλει· δύναται γὰρ ἅπαντα.
> *Hospes sume cibum, quorum data copia. lætum hîs*
> *Pasce animum, nam sors dabit hæc, rursum illa negabit,*
> *Vtcumque est animo lubitum. Valet omnia quippe*

Transferri potest ad omnem hominis vitam quoties monebimus, vt quemcumque statum sors dederit, in eo læti ac tranquillè viuamus. Apud Athenæum lib. 10. refertur hic Senarius. Ἐπὶ τοῖς παροῦσι τὸν βίον διαπλέκειν. Quæ præsto sunt in hisce vitam nectito: Isocrates in oratione de pace. στέργειν τοῖς παροῦσιν, ait plerisque hominibus esse difficillimum: & hinc est, quod bellum malunt quam pacem.

Testulæ transmutatio. ὀστράκου μεταπεσόντος.

De rebus repente in diuersum commutatis non absurdè videri potest dictum adagium.

Alia vita, alia diæta. ἄλλος βίος, ἄλλη δίαιτα.

Nos quadrabit, qui commutata in melius fortuna, & vitæ rationem, moresq. commutant.

Nunc pluit, & claro nunc Iupiter æthere fulget. Χὠ Ζεὺς ἄλλοκα μὲν πέλει αἴθριος, ἄλλοκα δ' ὕει.

Huic affinis est allegoria Pindarica. Non semper eosdê flare ventos sed nunc hos, nunc illos. Theocr.

Citius quam formicæ papauer. *Plaut.*

De subita rerum consumptione, non aliter, quam si papauer abijcias agmini formicarum.

Nemo mortalium omnibus horis sapit. *Plin.*

Sensus vel citra interpretem liquet. Nempe neminem esse, qui non aliqua parte vitæ desipiat.

Pitana sum. Πιτάνη εἰμί.

Zenodotus indicat dici solitum de iis, qui in extremas redacti calamitates, ab iisdem denuò in pristinam felicitatem restituuntur.

Quod alius condiuit coquus, aliter condiam.

Vbi quis rem omnem nouat & peruertit, conueniet Plautinum illud.

Bona nemini hora est. *Publius.*

Bona nemini hora est, quin alicui sit mala. Ita fortuna temperauit res mortalium, vt quod huic lætum est, alii pariat dolorem. Dess einen Glück, ist dess andern Vnglück.

Osculana pugna.

Festus Pompeius indicat: Osculanam pugnam prouerbio dici solitam quoties victi vincerent.

Per manus tradere. *Aul. Hircius.*

Quod successione quadam ab aliis ad alios deuenit.

De manu in manum. *Cicer.*

A superiore non vsquequaque dissimile est. Traduntur & qui commendantur. Ter. Hanc in manum dat.

H i e r o g l y p h i c a.

Vulgatissimum illud inter Hieroglyphica, *fortunam nunc rotulæ,* vt vulgus, nunc *sphæræ* alicui, vt *Cebes,* insistentem pingere: siue vt eam rerum dominam ostenderent, (qua de causa Appelles eam in sedem collocauit) siue vt eius instabilitatem coarguerent. *Pier. Valer. l. 39.*

Veteres quum *fortunæ* plurimum tribuerent, eamq. negotiorum pene omnium arbitrum opinarentur: simulacrum eius dextra clauum, sinistra cornu copiæ tenere finxerunt: quod bona & commoda ab eadem omnia proficisci crediderunt: vnde diuitias & opulentiam *fortunas* appellauere, vni illi regendi elargiendiq. facultatem concessam arbitrati. *Pier. Val. l. 45.*

Vt verò *eiusdem inconstantiam* notarent, sedentem eam in *pila* sculpebant. *Idem eod. lib.*

Capricorni signum, quod in multis Augusti Cæsaris numismatis videmus, summam, vt Astronomi tradunt, sub se natis protendens felicitatem, hieroglyphicè nonnunquam significat *secundam fortunam,* summamq. felicitatem. *Idem ibid.*

Lactantius fortunam pictam à veteribus fuisse testatur cum copia & gubernaculo. tanquam opes tribuat & rerum humanarum teneat regimen. Vnde & omnipotens à plerisque vocata est, quod pro arbitrio possit diuitias commutare, victorias largiri, pauperem subleuare, & opulentum deprimere.

Pacuuius de ea sic ait: Fortunam insanam esse, & brutam perhibent Philosophi. *saxiq. ad instar globosi* prædicant esse volubilem. Quia quo saxum impulerit fors, eo cadere fortunam autumant: cæcâ ob eam rem vocant, quia nihil cernat, quo se applicet: insanam autem aiunt, quia atrox, instabilisq. sit: brutam: quia dignum, aut indignum nequeat internoscere.

Plutarchus in libello de fortuna Romanorum ait, *vmbram eximiæ & antiquæ fortunæ,* cum primis fundamentis eiectam fuisse. Primus, inquit, fortunæ delubrum Ancus Marius substruxit, fortunamq. virili nomine dicauit. Propterea fortassis, quod in victoria fortiter obtinenda, priores sunt fortunæ partes.

Blondus libro primo de Rom. Triumphante, scribit, apud Nemorensê lacum fuisse templum *fortunæ virilis,* vbi virgines Deæ immolarent. Certum est Tullum Regem, suos omnes actus fortunæ adscripsisse, cuius beneficio ab ancilla matre, ad regnum fuerat euectus.

Fuit & apud Romanos *fortunæ barbatæ* simulachrum, quæ cultoribus suis malas speciosius vestiret: se spernentes, male barbatos, glabrosq. redderet.

Fuit & vtriusque fortunæ simulachrum, *bonæ* scilicet & *malæ* ara vetus, inquit *Cic. l. 3 de Legib.* Fuit in exquiliis malæ & execratæ fortunæ.

Plin. l. 36. c. 5. ait. Bonæ fortunæ simulachrum à Praxitele factum, Romæ in Capitolio fuisse, &c.

F a b v l æ.

Robustus Bos.

Contemnebat præ se reliquos boues, socios suos, vnus eximiis viribus præditus. Sed cum post arationem illi etiam iuga & aliud aratra imposuisset agricola, reuersus in stabulam post matutinam ferociam maximam, vespere placidissimo dimisso capite astitit. Fabula indicat, & virtutem negociosissimam solere esse, & cum fortuna plerumque mutari animos. Inde hæc duo nata sunt:

> Χαλεπὸν ἐθελοντί ...
> Τοῖος γὰρ νόος ἐστὶν ἐπιχθονίων ἀνθρώπων
> Οἷον ἐπ' ἦμαρ ἄγῃσι πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε.
> Id est: vt Cic. vertisse traditur.
> *Tales sunt hominum mentes qualis pater ipse*
> *Iupiter auctiferas lustrauit lampade terras.*

Viatores.

Duo vna faciebant iter, quorum alter perpetua in cogitatione de victu parando versabatur, alter in bona felicisque fortunæ alacriter pergebat, quo intenderat. Hoc ille mirari, & quærere de socio suo, quænam res tantam animi tranquillitatem efficeret: nam ego quidem curis & solicitudinibus distringor, dum mecũ reputo, quam rationem, & quod consilium vitæ degendæ sequar.

At

At ego, inquit ille, iam pridem constitui: ideo animus meus quietus est. Quid constituisset interroganti, respōdit: fideliter se, quā didicisset artem facere velle, & euentum permittere Deo. Hoc verò ille anxius, ridere, & dicere, se multos vidisse Deo fretos decipi. Atque ita relapsus ad dubitationes & incertas atque solicitas deliberationes suas, cœpit inter alia percelli metu cæcitatis: atque Deum immortalem, secum loquit, quid re futurum esset, cernendi sensum si forte amitteres? Itaq. hac formidine subiit voluntas tentandæ in tali calamitate progressionis; vtq. antecesseat non longe socium, oculos comprimit arctissimè, & ita per viam cautè & attentè vadit. spaciumq. nescio quam longum clausis oculis conficit, neque videt in via marsupium cum pecunia, quod alteri cuipiam viatori elapsum esset. Ideo verò sequens pone socius mox sustulit, & aliquanto etiam postea æquiore animo quam dudum reliquum itineris confecit.

Fabula non considerationem, neque industriam notat, sed anxietatem, & miseriam consiliorum, de qua neque actiones fere bonæ, & plerumque id existit cuius aliquem pœniteat. Fortunam autem in rebus humanis posse plurimum: sensit autem huius versiculi autor.

Θίλω τύχης σταλαγμὸν ἢ φρενῶν πίθον.

Et cecinit præclarè Tibullus.

Non opibus mentes hominum curæq. leuantur,
Nam fortuna sua tempora lege gerit.

Piscatores.

Cum piscatores diu multumq. defatigati, nil capere potuissent, tædio tandem affecti, perdita opera, tristes domum redire parant, Tum de improuiso Thunnus à reliquis piscibus agitatus, saltu in nauigium illorum se dedit, quo potiti cum præda & lætitia abiere. Indicat fabula, sæpenumero forte fortuna obuenire ea, quæ nulla arte ac ratione parari potuerint Secundum Tragicam clausulam.

Præter spem multa Dii efficiunt.
Et spes multas sua frustratur,
Contra explicat insperata Deus.

Camerar. Fab. Aesop.

FRATER.

DEFINITIO ET ETYMOL.

FRater, Græcè *ἀδελφός, ὁ* & *ἀδελφικός, ὁ*. fraternus dicitur. Dicitur autem frater, quasi fere alter. *sec. Aul. Gel. l. 13. Noct. Att. & ex sententia P. Nigidij. Sallustius in Iugurtha. Quis autem amicior, quam frater fratri? aut quem alienum fidum inuenies si tuus hostis fueris?* Hinc fratria, fratris vxor. Fraterculus diminutiuum, & fratrueles, duorum fratrum filii.

Fr. Hebr. *Ach.* cognationem habet cum *Achad.* i. Vnus. Dicuntur enim fratres qui sunt vnius sanguinis, vteri, animi, religionis. Nam in S. Biblijs hoc nomine intelligitur 1. Natus ijsdem parentibus, vel etiam patris, aut matris eiusdem filios. 2. Consanguineus, fratris, vel sororis filius. 3. Homo Israelita ex vna 12. trib. 4. Frater iure religionis seu eiusdem cœlestis benedictionis consors atque particeps in Christo mediatore. 5. Frater, iure naturæ humanitatis, patriæ, vicinitatis, amicus, conterraneus, contribulis, popularis, contubernalis, sodalis, cōmilito, conuictor, familiaris, proximus. 6. Frater est discipulus, 1. *Chr.* 25. 7. 6. 10. Similis, æqualis. *Iob* 30. 23. *Prou.* 18. 9.

Fraternitas, fratrum cœtus & communio. *Zac.* 11. 14. 1. *Pet.* 17. & 5. 5. 9. fraternitas diligenda. *Rom* 12. 10. 1. *Thess.* 4. 9. *Heb.* 13. 1. 1. *Pet.* 1. 22. & 2. 17 & 3. 8. 2. *Pet.* 1. 7. *Ps* 133. 1.

SENTENTIAE BIBLICAE.

Frater, qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas firma, & iudicium quasi vectes vrbium, *Prou.* 18.

Fratres in adiutorium in tempore tribulationis, & super eos misericordia liberabit. *Eccl.* 40.

Numquid non pater vnus omnium nostrum? Numquid non Deus vnus creauit nos? Quare ergo despicit vnusquisque vestrum fratrem suum, violans pactum patrum vestrorum. *Mala.* 2.

Quicumque enim fecerit voluntatem patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater, soror, & mater est. *Mat.* 12.

Omnes autem vos fratres estis. 23.

Decebat autem eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummari. *Heb.* 2.

Per iram homicidii fraternitas deperiit. *Sap. c.* 10.

Charitas & fraternitas maneat in vobis. *Paul. ad Heb. c.* 13.

SENTENTIAE PATRVM.

Qui effundit sanguinem, & qui fraudem facit, necessario fratres sunt. *Aug. & hab.* 14. *q.* 5. *Immolans.*

Ismael vt separaretur à populo Dei, non obfuit mater ancilla Agar, sed obfuit fraterna discordia: nec profuit potestas vxoris, cuius magis filius erat: quia per ipsius iura coniugalia & in ancilla seminatus erat, & ex ancilla susceptus est. *Aug. l. 1. de vnico bapt. sermo. & hab. d. 56. can. Ismael.*

Pro se orare necessitas cogit, pro aliis autem charitas fraternitatis hortatur, dulcior autem ante Deum est oratio, non quam necessitas transmittit, sed quam charitas fraternitatis commendat. *Io. Chrys. super Matt.*

Vera fraternitas est, quæ fratrem veneratur deuotum, corripit dissolutum, quæ præsenti obsequitur absentem non rodit, sano applaudit, infirmum non deserit, placatum non prouocat, iratum vt maiorem mereatur. *Raban super Mat.*

Hæc est vera fraternitas, quæ nullis casibus scinditur, quam non solum dissociare vel deserere locorum, vel temporum interualla non præualent, sed nec mors quidem ipsa diuellit.

Hæc est vera & indirupta fraternitas, quæ gemina amicorum perfectione ac virtute concrescit, cuius semel initum fœdus, nec desideriorum varietas, nec contentiosa dirumpet contrarietas voluntatum. *In collationib. patrum & abbatis Iosephi.*

Nihil prodest, si motibus ac proposito dissidentes, vna habitatione iungantur, nec obest pari virtute fundatis, per locorum interualla disiungi. Apud Deum namque morum cohabitatio, non locorum vnitas, fratres habitatione coniungit. Nec potest vmquā pacis integritas custodiri, vbi voluntatum diuersitas inuenitur. Huius primum fundamentum est, substantiam mundialem in contemptum habere. Iniustum enim atque impium est, si post abrenunciatam mundi, & omnium, quæ in eo sunt, vanitatem preciosissimæ dilectioni fratris, suppellex vilissima, quæ superfluit præferatur. Secundum est, vt vnusquisque ita suas resecet voluntates, ne se sapientem atque consultum esse iudicans, suis malit quam fratris definitionibus obedire. Tertium est, vt sciat omnia etiam quæ vtilia, ac necessaria æstimat, postponenda bono charitatis & pacis. Quartum est, vt credat, nec iustis, nec iniustis de causis penitus irascendum. Quintum, vt aduersus se iracundiam fratris, etiam sine ratione conceptam eo modo quo suam curare deside ret, sciens æqualiter sibi perniciosam alterius esse tristitiam, ac si aduersus alium ipse moueatur, nisi eam quantum in se est, de fratris etiam mente depulerit. *Idem.*

Fratres homines omnes inter sese. *Aug. l. 2. contra Academ.*

Fratrem non tolerans, infirmum non diligit. *Idem sup. Io. tract.* at.

Frater infirmitates fratrum tam corporales, quam spirituales sustinens, est verè fratrum amator. *Ber. sup. Cant. ser.*

POETICAE SENTENTIAE.

Virg. 1. Aen.

Regna Tyri germanus habebat
Pygmalion scelere ante alios immanior omnes.
Quos inter medium venit furor. Ille Sichæum
Impius ante aras, atque auri cæcus amore,
Clam ferro incautum superat securus amorum
Germanæ: factumq. diu celauit, & ægram
Multa malus simulans vana spe lusit amantem.

Ouid. 1. Met.

Viuitur ex rapto; non hospes ab hospite tutus,
Non socer a genero: fratrum quoque gratia rara est.

Silius. 16.

Impia circo
Innumero fratres cauea damnante furorem
Pro sceptro armatis inerunt prælia dextris.
Is genitor duras erat. patriumq. petebant
Orbati solium lucis discrimine fratres.

Sta. 11. Theb.

Nondum ille peractis
Manibus, vltrices animam seruabat in iras.
Vtq. superstantem pronamq. in pectore sensit,
Erigit occultè ferrum, vitaq. labantis
Reliquias tenues odio suppleuit, & ensem
Iam lætus fratri, frater sub corde reliquit.

Manil. 4.

Ecce patrem nati perimunt, natosq. parentes,
Mutuaq. armati coeunt in vulnera fratres.

Ouid. 4. Fast.

Hoc Celer vrget opus, quem Romulus ipse vocarat,
Sintq. Celer curæ, dixerat, ista tuæ.
Neue quis aut muros, aut factam vomere fossam
Transeat, audentem talia dede neci.
Quod Remus ignorans humiles contemnere muros
Cœpit & hos populus dicere tutus erit?
Nec mora transiluit, rutro Celer occupat ausum,
Ille premit duram sanguinolentus humum.

Hor. 7. Epod.

Acerba fata Romanos agunt,
Scelusq. fraternæ necis,
Vt immerentis fluxit in terram Remi
Sacer nepotibus cruor.

Lucan. 1.

Nulla fides regni socijs, omnisque potestas
Impatiens consortis erit, nec gentibus vllis
Credite, nec longè fatorum exempla petantur,
Fraterno primi maduerunt sanguine muri.

Horat. epist. lib. 7. epist. 3.

At vos
Seu calidus sanguis, seu rerum inscitia vexat,
Indomita ceruice feros, vbicunque locorum
Viuitis, indigni fraternum rumpere fœdus.

Sententiæ Philosophorum.

De pijs fratribus, bonisque. Dial. xxxxiii.

Franc. Petrarch.

Gav.

Pios fratres habeo. R. Ratum; Nam parentes fere semper amāt, fratres sæpè inuident, sæpè despiciunt. Rarumq; ideo fratrum gratiam Nasonis ore veritas clamat, vbi & fratrum, & filiorum, & omnium pene nisi parentum notatur impietas. G. Fratres mihi sunt optimi. R. Miror planè, bonos esse sat est, sæpè enim mali sunt, aliquando & pessimi, eoque priores hostibus quominus cōtra domesticas insidias est cautela. Quantum autem sit amor fratrum ne latentes eruam, neu præsentes lædam, sanis notissima patria Mycenei, Thebaniq; fratres, ac Romani indicant, quæ quidē infamia cur vnius vrbis potius, quàm totius orbis sit, non video. Primos mundi fratres aspice, alter alterius oppetijt manu. Necdum relatu horridum scelus audis; Siquidem Phraates Rex Parthorum, cuius supra mentio est habita, præter parricidia in patrē simul ac filium admissa xxx. insuper proprios fratres trucidasse legitur, non veritus tanto ac tali sanguine, & regnum male partum stabilire, & metum omnem inuisi consortis extinguere. G. Fratres boni sunt. R. Nondum puto patrimonium diuisistis, tunc erumpet iniquitas. Igne aurum, auro animus probari solet, magna sæpè quæ videtur pax, pauxillum auri si adhibeas, lis erit. G. Pij sunt fratres. R. Cœlibatus forsan tuus, aut orbitas illos tibi conciliat. Coniugio detegentur tuo, sed prole melius spe successionis amissa, quæ impatientissimos quoque multa pati docuit. G. Amantissimos mei fratres habeo. R. Debet id quidem ita esse nisi liuor obstet, aut timor, aut cupiditas, & habendi sitis, diuini omnis humaniq; iuris dum expleri studet immemor. Inter parētes enim filiosq; quantumlibet sit amoris, conuersatio tamen dispar, diuersiq; mores sunt filij, & si cito patres videant, sero agnoscunt. Patres & si filios statim ament, sero illos sæpè etiam in senectute suscipiunt. Fratres antequam nascantur, & postquam nati sunt in eodem domicilio eisdemq; incunabulis æuo pares versantur, ac moribus, illicet in lucem editi se vicissim cernunt vno cibo aliti, ijsdemq; parentibus, ijsdemq; socijs, ijsdemq; ludis, ijsdemq; scholis, ijsdemq; præceptoribus, ac nutritoribus assuefacti, pariter pubescunt, pariter adolescunt. Vndique paritas, mulsaque, & validia nexibus iunctus amor, nisi aduentitiæ soluant causæ, duræq; mentis asperitas frangat, quod commune est adeo vt nesciam an fraterno vllus amor maior esse debeat, an vllum odium maius sit, an indignatio vlla profundior. Tam turbida semper æqualitas, tam pacis impatiens mens humana. G. Aequos piosque fratres habeo. R. Serua illos æquitate mutua, ac pietate. Delicatissima res est amor, serua illum, difficile quæritur, facile perditur. G. Sed sorores habeo bonas. R. Graue pondus, sed iucundum, ac fere adolescentum primus labor, quo se effecti suiiuris exerceant, vnde primam pietatis, atque indolis famam quærant. G. Bonas habeo sorores. R. Cura vt illæ bonum fratrem habeāt, seque superstitem, & si communis pater obierit orbitatem non sentiant. G. Pulcherrimæ sunt sorores. R. Custos rei labilis vigilātibus oculis dolos caue, circumfusa te procorum cohors excitet, difficilis est vnius formæ custodia, quid multarum erit? tanto exactiorem pudicitiæ, quàm auri curam esse deceat, quanto & preciosior, & irrecuperabilior illa est. Sanè virgineam castitatem nulla arte melius, quàm maturo coniugio præseruabis. G. Formosæ mihi sorores domi sunt. R. Ne diutius tibi sint prouidè, multas aptius ornabunt domos

De discordi fratre. Dial. xlv.

Dol.

Habeo discordem fratrem. R. Quid autem, illene igitur te concordem habet, vnanimitas fraterna, quæ vnum ex duobus facere debuit in duo non iam diuersa, sed contraria penitusque pugnantia scissa est? Graue sed antiquum malum, quod & mundus, & mundi caput ab initio habuere. Siquidem vetus vrbis Romæ, sed vetustior orbis infamia est fraterno sanguine maduisse, tu quod in singulis paribus fratrum vides, & altero quin etiam adhuc solo in vno tot millium quid stupeas, non habes. D. Est mihi discors domi frater. R. An & hoc miraris esse magna in domo, quod in ipsis materni vteri fuit angustijs, vbi olim, & si maioris mysterij velamentum esset, certè non discordes tantum fratres legimus, sed bellantes. Est ne igitur nouum, si armati faciunt, quod non nati solent? D. Nulla mihi apud fratrem gratia est. R. Multo prius hoc in scholis edoctus, quàm domi expertus esse debueras: prouisa verò nec querimur, nec miramur. D. Odiosum fratrē habeo, ac discordem. R. Vt fermè nullus amor æquior fraterno, sic nullum vbi incœperit iniquius odium, nulla acrior inuidia. Sic paritas incitat animos, atque incendit, cum cedendi pudor, & amor excellentiæ ardentior, quo incunabulorum recordatio, & quęcūque beneuolentiam paritura viderentur, vbi semel à recto calle deflexum est, odium & contemptum pariunt, hic naturæ rebellātis ardor animi optimè quidem pro obsequio, atque humanitate placabitur. Vix est enim tam immite vllum, tamque asperum ingenium, quod non tandem molliat vera, ac iugis humilitas verborum, & rerum omnium leuis, & non ficta retractatio. Sin id ferum, æque inualidum deprehēdas, seu forte huc tu cogere tuū ipse animum non potes, quo honeste quidem, atque vtiliter cogetur. Tūc antequam in perniciem res erumpat vltimo remedio vtendum erit. Extirpanda mali radix, & discordiarum mater propellenda communio. In quo ita te facilem præbebis, vt quātum iuri tuo demptum, tantum virtuti famæq; additum inuenias. Implæ ac superbæ cupiditatis aculei nulla re melius, quàm pia, & miti liberalitate franguntur. Bonum aurum, quo pax domus, & charitas fraterna redimitur. Vetus valde, nec verū minus est verbum: Magnam discordiarum bellorumq; materiam duo hæc esse pronomina Meum, & Tuum, quæ si de vita hominum tollerētur, haud dubiè tranquillius viueretur.

De amisso fratre. Dial. li.

Dol.

Fratrem perdidi. R. Nondum audio propter quod valde lūgeas, fieri potest enim vt & fratrem, & domesticum simul hostem amiseris. En iactura! Rem malam boni nominis perdidisse. D. Fratrem perdidi. R. Perdidisti forsitan, qui te perditum optabat, quique rebus obstabat tuis, multa quidem magnæ laudis aditum fraternus obstruxit liuor. D. Amisi fratrem. R. Filiorum fortassis ætatulæ (quod sæpè vidimus) graue iugum, vitæ tuæ æmulum, gloriæ obicem, id quod constat patrimonij participem amisisti. Fratre impio nullus hostis inferior. D. At amisi pium, & beneuolū. R. Sed mortalem. Non tutela corporis est virtus, verum animi ornamentum, illi gloriam immortalem præstat, corpusculum mortis imperio non eximit, immo quidem sæpè illud tempus in mortē trudit, quod si naturæ suæ linquatur, æquè boni pereunt maliq; quin & vulgo imbecilles bonos, & viuaces malos cernimus, immortalem nullum. D. Bonum, & gloriosum fratrem perdidi. R. Si frater perijt, superstes est gloria, virtus, anima, præter quas humana omnia pari mors turbine propellit, ac dissipat. Has tu igitur ceu totidem filios fratris amplectere, atque his bonis immortalibus mortalia damna compensa, quod si filij supersunt alij, vera illos tuos pietas facit. D. Amisi germanum optimum. R. Auidè illo vti debueras, id si lentius egisti non mortis iniuria, sed segnities tua est. Illa ius suum exercuit, tuum tu neglexisti. D. Mors me lusit, nō putabam tam cito moriturum. R. Omnia, quæ nolentibus accidunt, cito fieri videntur, quæ optantibus autem sero. D. Via illū mori posse credebam. R. Cuncta sibi vehementissimus amor indulget, nilque sibi non spondet, amarosq; cogitatus, & quicquid est gustui aduersum vitat, ac refugit, vnde & qui amant pene sibi æternas delicias fingunt, tu si fratrem natum noueras, & mortalem nosse debueras, & iccirco si prouisam mortem, inopinatum velut aliquid doles, longè erras, si improuisa autem fuit, errasti. D. Sciebam mortalem, sed de morte non cogitabam. R. Inconsultè, sed hæc dissimulatio vestra est. Vix vnquā mori creditis mortales, cum & contingens mori semper, & aliquando etiam sit necesse. Immo verò cum non mori numquam, mori autem semper vestræ sit immobilis sit naturæ. Sed vos assiduè morientes, sensum à præsentibus, animum à fine diuertitis, vulgare malū quod quid est aliud, quàm vltrò oculos claudere, ne radios solis aspiciant tamquam luci, vt oculis damnum sit illam non videre, nec minus clarum, quod non videas, nec minus verum esse, quod nescias? Quis tam cæcus, vt non videat? quis tam hebes, vt nesciat? Veritati rerum nihil detrahit sensuum, aut intellectus infirmitas. Vos equidem neque infirmi, neque obtusi, sed quod excusatione careat, dissimulatores eximij, & ad fallendum vosmetipsos ingeniosissimi, qui tanto studio inutilia disciitis, necessaria nescire nitimini, nequicquam tamen, clausis namque sese oculis ingerunt, & nesciendi auidum ingenium irrumpunt, & obliuiscendi cupidam memoriam interpellant, & multa in dies fert vita hominū, quæ vos cogitare adigant, quod nolletis, quæve dissimulationes vestras, aut proprijs, aut externis excitent argumentis, sed ad plenum fateor. Figmenta mortalium sola mors discutit. D. Et mortalem, & moriturum fratrem sciui; mortuum tamen fleo. R. Magna pars humanorum actuum superfluit, quid fles mortuū? Aut quid illi? quid tibi, quidve alijs, tuus hic fletus prodest? Vt sit malum mors, quod docti negant, quod nemo negauerit, mali irreparabilis est fletus inutilis: Et certè si quid præter animi vitium dici miserū decet, si quid penitus in rebus est flebile, flendū potius dū impendet, quā dum transijt, quod Regem profectò illum non la-

tebat, cuius paulo ante meminimus. D. Optimi fratris morte affi cior. R. Nullus affectus intensior, quam paternus, quamobrem vt quæ ante de morte filij dicta sunt fratris ad interitum träsfer, quæ vtrobique dici solent, amicorum etiä in morte proferunt, quæ iactura par summis est ferenda, tamen vt reliqua uno animi robore toleranda sunt omnia, quæ videntur grauia, & si cedetur oppressura sunt. D. Amantissimum fratrem amisi. R. Amissum amisisse peius fuerat, illius enim amor, huius autem ipsa quoque memoria dulcis est. D. Gratissimum ipsis ab incunabulis vitæ comitem perdidi, solus sum, R. Non est solus cum quo virtus, & honestas habitant, inter quas affixam præcordijs fratris imaginem esse, nec mors ipsa vetuerit. Sic nec frater tuus perditus, nec tu solus.

Fratres si longè ætatibus diuersi sunt non amplius fraterna inter ipsos amicitia est. *Arist. Ethic.c.8.c.*

Fratrum amicitia sodalitiæ est similis. *Idem. ibid.*

Fratrum contentiones, & iræ sunt acerbissimæ, & qui se nimium amant, hi se nimium oderunt. *Idem Polit. 7.c.7.*

Fratris officium est erga fratrem ceu sese alterum affici. *Cic. in Epist. lib. 3.7.*

Apophthegmata.

Antisthenes, fratres concordes omni pariete dicebat esse fortiores. *Laert. l.6.c.1.*

Isocrates dicebat, non decere fratres, vt lances in statera, altero humiliato alterum extolli. *Anton. & Max. ser. de amore fraterno.*

Socrates eos qui fratribus prætermissis alios sibi amicos acquirunt, ijs similes esse dicebat, qui relicto suo agro alienum colunt. *Stob. serm. 82.*

Plutarchus dicebat, nullam esse fratris amissi recuperationem, vt neque manus ablatæ. *Anton. ser. de amore. ac odio in fratres.*

Idem. Musas dicebat nominatas quasi ὁμοῦ οὔσας id est, simul degentes, propter futuram animorum coniunctionem. *Stob. ser. 82.*

Euclides Socratic. cum fratrem dicentem audiuisset: Dispeream nisi te vltus fuero: Respondit, Et ego, nisi vt nos ames tibi persuasero. *Plut. lib. de frat. amore.*

Solon. Fratrum amantem, & pauperem dici præstat, inquit, quam fratrum osorem, & diuitem. *Stob. ser. 82.*

Idem. Fratri in fratrem insurgenti, dicebat: Canem tibi infensum mitigare conaris, vt fiat benignior: erga fratrem verò idem non facies. *Eod. serm.*

Aristippus ad fratrem reconciliatum dixit: Memineris te dissensionis, me reconciliationis fuisse authorem. *Ibid.*

Intaphernis vxor. Dario permittente, vt vnum ex suis eligeret, cuius vitam sibi donari vellet, fratrem elegit. Demirante Rege, causamq; sciscitante: Alius, inquit, maritus, alij liberi, si Deus volet possunt contingere: alium fratrem parentibus vita defunctis, non est quod sperem. *P. M. 6. apoph.*

Eumenes insidijs petitus a Perseo, credebatur extinctus: Is rumor cum Pergamum esset perlatus, Attalus eius frater imposito sibi diademate, ductaq; fratris vxore, regnum occupauit. Cæterum cum audiuisset illum viuum, vt solebat profectus est illi obuiam, vna cum satellitibus, hastam gestans. Eumenes autem amanter illum amplexus, dixit in aurem: Ne festines ducere, priusquã me mortuum videris: nec præterea per omnem vitam vllam offensi animi significationem, vel edicto, vel facto dedit: quin etiam moriens fratri, & vxorem, & regnum reliquit. Cuius animi memor Attalus, cum multos ex se liberos haberet, nullum tamen regno educauit: sed Eumenis filio postea quam adoleuisset, adhuc viuës principatum tradidit. *Plut. in reg. apoph.*

Antiochus cognomento Accipiter, cum fratre Seleuco pro regno bellum gereba. At vbi Seleucus a Galatis victus, nusquam appareret, sed interfectus in prælio crederetur, deposita Antiochus purpura, pullam vestem induit: rursus paulo post cum audisset illũ esse incolumem, pro læto nuncio Dijs immolauit, fecitq; vt ciuitates ipsi subditæ coronas gestarent. Solent fratrum iræ, si quando inciderint, esse acerrimæ: solet regni cupiditas nihil impium, aut nefarium ducere. At hic ea moderatione regnum ambijt, vt fratrem vellet incolumem. *Plut. in reg. apoph.*

Cyrus maior. Qui ex eodem semine sunt orti, & nutriti ab eadem matre, & in eadem domo adoleuerunt, ab eisdem parentibus amati, eamdem matrem, eumdemq; patrem appellant, quomodo hi non sunt omnium inter se coniunctissimi? Nolite igitur bona, per quæ deducuntur fratres ad coniunctionem inania vnquam facere; sed his continuò superstruite alia amicitiæ opera, & ita semper insuperabilis vobis inuicem futura amicitia vestra est. Qui fratri prouidet seipsum curat, &c. *Xenophon l. 8. de instit. Cyr.*

Caracalla. Bassianus præfectus suadebat Caracallæ, vt ad mitigandam inuidiam parricidij, fratrem Getam appellaret diuum: Sit, inquit, diuus dum non sit viuus. Et sic fratrem in diuos retulit. Atque ita regnandi cupiditas nescit iura pietatis. *Ex Ælio Spartian.*

Similitudines.

Hierocles. Sicut oculi manusque, si animæ, & mentis per se compotes forent, reliquas partes omni studio curarent, propter intercedentem ipsis communionem: quoniam ne ipsæ quidem functionem suam rectè administrare possunt, citra præsentiam aliarum partium: ita nobis etiam qui homines sumus, & animã nos habere fatemur, omnibus viribus annitendum est, vt fratribus deceenter vtamur. Magis enim, quàm partes corporis ad auxiliũ mutuum fratres compositi esse videntur. In libro De fraterno amor. *Memnon & Stob. serm. 82.*

Plutarchus. Ex eadem materia prima, nata sunt elementa inter se diuersissima, pugnantissimaque. Sic aliquoties ex ijsdem parentibus nascuntur fratres ingenijs dissimillimis. *In Moralib.*

Vt in digitis etiam qui scribere, aut canere nesciunt, tamen vna cum illis mouentur, & obsequuntur: Sic fratres fratribus magistratũ administrantibus adesse conuenit. *In Moralib.*

Vt in bilance altera insurgente, altera cedit, ac deprimitur: Ita frater euecto ad maiora fratri cedere debet, submittens sese, non repugnans. *In Moralib.*

Vt in numeris minores additi maioribus eos multiplicant, & vicissim multiplicantur ipsi: Sic frater obseruiens fratri euecto ad honores, & auget illius dignitatem, & vicissim utatur illius splẽdore. *In Moralib.*

FRAVS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

FRaus, Græcè ἀπάτη, & ἀπατηλὸς, fraudulensus, & fallax dicitur. Est autem fraus executio iniustitiæ in factis, secundum D. Thom. 2.2. q. 55 art 5.

Fraus non potest esse sine dolo, sed bene dolus sine fraude. Ideo fraudi inest dolus, sicut species generi. *ex D. Thom.*

Fraus dicitur a ferendo, & est deceptio, quæ alicui infertur: Fraus pro periculo quandoque ponitur. *Virg. Quos Deus in fraudem, quæ de ta potentia nostra Egit.* Inde fraudo, as, & fraudor passiuum: & defraudo, quod est fructum minuo, vel per fraudem aliquid decerpo. *Terent. Suum defraudans genium comparsit miser.*

Hebr. *Ramah*, verbum, significat præcipitauit, leuando proiecit cũ impetu quodam, & defraudauit aliquem. Inde *Mirmah*, nomen, fraus, impostura. *Psal. 5.7. & 10.7. & 17.1. & 24.4. & 32.2. & 34.4.* *Nechel* item, id est, fraus, a verbo *Nachal*, fraudulentus fuit, struxit fraudes, insidiatus est fraudulenter. Ab *Hascheck*. verbo, id est, fraudulentis verbis decepit aliquem, fraude, & calumnia oppressit. deriuatur *Hoscheck*, fraus, calumnia. *Leuit. 5.4.* Opes collectæ malis artibus, nempe fraudibus, & Syeophanticis dolis appellantur *Maaschakkoth*. *Prou. 28.16. Isa. 33.15.* Conuenit verbum *Hascheak* cum alio, nempe *Hikkesch*, peruertit, & *Hissek*, litigauit, calumniauit. Litis enim soror, & comes fraus, & peruersitas dicenda videtur.

Biblici Loci.

Fraus damnatur, *Leuit. 19.11. Psal. 101.5. Ier. 5.26. & 6.13. Marc. 10. 19. 1. Cor. 6.8. 1. Petr. 2.1.* *fraus ferenda, non inferenda.*

Fraudulentorum merces, *Prou. 28.10.* Fraudulenti non saluabuntur, *1. Cor. 6.9.*

Sententiae Patrum.

Iudas de Apostolatus fastigio in proditionis Tartarum labitur, nec familiaritate communi, nec intinctione buccellæ, nec obsequij gratia frangitur, ne hominem tradat, quem filium Dei nouerat. *Hieron. epist. ad Rusticum Monachum.*

Instrumento pacis mortem ingerat, seruus dominum, discipulus magistrum sic prodit, quasi, inquit, per instrumentum pacis perimis ipsam pacem, & osculo machinaris ipsam proditionem. *Ambros. super illud Matth. 26. Et osculatus est eum.*

Duo timenda sunt in bonis operibus, desidia videlicet, & fraus. *Gregor. super illud Iob. c. 9. Verebar omnia opera mea.*

Sciendum quoque est, quod tribus modis fraus ipsa committitur, quia per hanc procul dubio, aut tacita cordis humani gratia, aut fauoris aura, aut res qualibet exterior desideratur. *Idem libro 9. Moral.*

Solus in Dei opere fraudem non facit: qui enim ad studia bonæ actionis inuigilat, nec ad corporalis rei præmia, nec ad laudis verba, nec ad humani iudicij gratiam anhelat. *Idem.*

Dolosus aduersarius ferire simul oritur, & aperte feriens, & insidiose latens, ve dum occulta sagitta meruitur, minus ante faciem hasta timeatur, vel dum ante faciem hastæ resistitur, nequaquam ex occulto veniens sagitta videatur. *Idem.*

Quacumque arte verborum quis iuret, Deus tamen, qui conscientiæ testis, ita hoc accipit, sicut ille, cui iuratur, intelligit. Dupliciter autem reus fit, quia & nomen Dei in vanum assumit: & proximum dolo capit. *Isidor. sentent. arum lib. 2. & hab. 22. q. 5. can. Quacumque.*

Dolus

Dolus est, cum aliud agitur, & aliud simulatur. Callidus est qui exitum virtutis dolo, ac fraude imitatur. *Isidor. in Sinonymis.*

Dolus est, cum aliud quis lingua loquitur, aliud voluitat in corde: quod crimen, nescio, si vel nudos quosque & electos relinquat: sed puto quod alius plus, alius minus, nemo tamé sit ab hoc perfectè liber, nisi ille de quo dicitur, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. *Orig. super epist. ad Rom. lib. 4.*

Diuturna fraudatio studiorum est nutrix, suspicionum fomes, impatientiæ fax, nouerca amoris, desperationis mater. *Bernard. super Cant.*

Inspersum bonum est, si is ad quem deceptionis pertinet periculum, sibi gratiæ procuret augmentum. Ita enim exigit, sagittas fraudis redire in dolosum verticem sagittantis. *Cassiod. lib. 5. epist.*

Fallacia est, per quam moribus deceptorijs veritas palliata, vel odium alterius, vel proprium commodum intenditur. *Aug. de Definitionibus.*

Sunt qui seducunt per Philosophiam, magno, blando, & honesto nomine colorantes, & fucantes errores suos. *August. lib. 3. Confessionum.*

Poeticae Sententiae.

Virg. lib. 6. Aen. loquens de inferno.

Hic quibus inuisi fratres, dum vita manebat,
Pulsatusve parens, & fraus innexa clienti,
Aut qui diuitijs soli incubuere repertis,
Nec partem posuere suis, quæ maxima turba est.

Ouid. de Arte Amandi lib. 1.

Tuta frequensq; via est per amici fallere nomen:
Tuta frequensq; licet sit via, crimen habet.

Idem lib. 1.

Reddere depositum pietas sua fœdera seruet.
Fraus absit, vacuas cædis habete manus.

Catullus.

Nec facta impia fallacium hominum cælicolis placent.

Ouid. 2. Fast.

Sæ iterum, sic sæpè cadunt, vbi vincere aperte
Non datur, insidias armaq; tecta parant.

Ouid. lib. 3. de Art.

Iudice me fraus est concessa repellere fraudem,
Armaq; in armatos sumere iura sinunt.

Philosophicae Sententiae.

Turpius est his qui imperia tenent insidiari honesto prætextu, quàm insidiosa maleuolentia vti. Nam violentia videtur aliquid iuris habere, propter potentiam à fortuna datam: sed fraus tantùm ab iniustitiis oritur. *Thucyd. l. 4.*

Qui nihil metuit, & nihil suspicatur, nullam ille fraudi ansam præbet: sicut & in lucta, qui se numquam mouet, nullum ad sternendum colluctanti momentum dat. *Plut. in Agesilao.*

Fraus fidem in paruis sibi præstruit, vt cum operæ precium sit cum mercede magna fallat. *Liuius, Decad. 3. l. 8.*

Occultum, & insidiosum malum perfidia, eius efficacissimæ vires sunt, mentiri, & fallere. Fructus in aliquo admisso scelere consistit: qui mendacijs, & fallacia quasi præclaris artibus gaudet. *Val. Max. l. 9.*

Sunt homines qui rationem bono consilio à Dijs immortalibus datam, in fraudem malitiamq; conuertunt. *Cic. 3. de Nat. Deor.*

Malitia est versutia, & fallax ratio nocendi. *Cicero lib. 3. de Natura Deorum.*

Cum duobus modis fiat iniuria, aut vi, aut fraude: Fraus quasi vulpeculæ, vis leonis videtur, vtrumque verò ab homine alienissimum. Totius autem iniustitiæ nulla est capitalior, quàm eorum qui cum maximè fallunt, id agunt, vt boni videantur. *Idem de Offic. lib. 1.*

Maxima culpa est in eo, qui & veritatem aspernatur, & in fraudem obsequio impellitur. *Cic. de Amicitia.*

Magis amicorum inuidiam, quàm inimicorum insidias cauere debemus. Illud enim apertum, hoc celatum est malum, nocendiq; fraus, quæ non speratur, potentior est. *Laert. Diog. de vita, & moribus Philosoph.*

In animis hominum multæ sunt latebræ, & multi recessus. *Cicero pro Milo.*

Multis simulationum inuolucris tegitur, & quasi velis quibusdam obtenditur vniuscuiusque natura, frons, oculi, vultus persæpe mentiuntur. *Idem ad Q. Frat.*

Temere affirmare de altero, est periculosum, propter occultas hominum voluntates, multiplicesq; naturas. *Ad Brut.*

Fraus est accipere, quod non possis reddere. Repelli se homines facilius, quàm decipi ferunt. *Seneca in Prouerbijs.*

Similitudines.

Chrysostomi. Sicut fori est proprium, vt illic omnia vendantur, & emantur, & inuicem se circumueniant ementes: Sic in hoc mundo omnes vendendo, & emendo viuunt, & inuicem sibi fraudem facientes vitam suam sustentant. *In c. 20. Matth.*

Polyanthea Noua.

Venena non dantur nisi melle circumlita, & vitia non decipiunt nisi sub specie vmbraq; virtutum. *Ambr. lib. de Virgin.*

Adagia.

Κύκλῳ περιέλκειν.

Qui arte circumagis quempiam, vt quum se putet aliquid egisse nihil egerit, aut in idem recidat, vnde volebat extricari, κύκλῳ περιέλκειν dicitur.

Vellus vitem decepit. ἡ χάραξ τὴν ἄμπελον ἐξηπάτησεν. *Aristoph.*

Vbi quispiam ab eo fallitur, aut læditur à quo pendebat, cuiusque fide nitebatur.

Canis mendico auxilians. κύων τῷ πτωχῷ βοηθῶν.

Vbi quis nobis aduersatur, & diuersis studet partibus is, cuius auxilio nitebamur.

Exempla Biblica.

Fraudis exempla: Cain. *Gen. 4. 8.* Iacob 27. *ver.* 18. 19. 20. & 30. 31. 32. 33. Thamar, 38. *v.* 13. 14. Obstetrix, *v.* 27. 28. Gabaonitæ, *Ios. 9. v. 4.* 22. 23. Ananias, & Sapphira, *Act. 5.*

Exempla Profana.

Amator quidam *Clodiam P. Clodij* sororem decepit, æreis quadrantibus loco argenteorum in loculos eius immissis. Vnde postea Quadrantula dicta fuit. *Plut. in Cicerone.*

Sergius Galba obseruauit ante omnes Liuiam Augustam, cuius & viuæ gratia plurimum valuit, eiusq; opera ex palatio processit ad consulatum, & mortuæ testamento pene ditatus esset, ni fraude Tiberij fuisset impeditus. *Cuspinian.*

Pericles Atheniensis proclamauit, incolumes futuros hostes si deponerent ferrum, eisque obsecutos conditionibus vniuersos, qui in sagulis ferreas fibulas habuissent, interfici iussit. *Frontin. l. 4. c. 7.*

Oppugnabat *Furius Camillus* Phaliscos, trahebaturq; bellum cum oppidanorum virtute, tum loci natura, quæ erat munitissima: interea Ludimagister per speciem deambulationis tractos Principum filios ad Romana castra, ipsi duci gratificaturus, attulit secum proditor certam spem victoriæ: nulli dubium erat quin parentes charitate filiorum, suis authores essent ciuibus deditionis faciundæ: sed tantum abfuit, vt Romanus eo modo vincere voluerit, vt proditorem auersatus, qui id persuasum habuisset, Romanos dolo, & astu potius, quàm virtute bellare, vinctum, nudatumq; terga adolescentibus dederit, in vrbem verberibus agendum, mouit Romani ducis virtus Phaliscos, & qui nuper omnia pati maluissent, quàm assidentibus cedere, voluntaria deditione cessere. *Sabel. lib. 10.*

Emblema.

In fraudulentos.

And. Alciati Emblema ai. cx.

Parua lacerta, atris stellatus corpora guttis
Stellio, qui latebras, & caua busta colit,
Inuidia paruiq; doli fert symbola pictus,
Hei nimium nuribus cognita zelotypis!
Nam turpi obtegitur faciem lentigine quisquis,
Si quibus immersus stellio vina bibat.
Hinc vindicta frequens decepta pellice vino,
Quam forma amisso flore relinquit amans.

Fabulae.

Lupi & Ouis.

Qui euaserat canes saucius lupus cum iaceret in terra sine viribus à prætereunte oue petijt de præterfluente sibi potum vt afferret: nam ego facilè, inquit, tum cibum inuenero. Ouis fraude intellecta, si ego potum attulero, inquit, me scilicet pro cibo vsurus sis.

Fabula dicitur in veteratores, & fraudulentos insidiatores.

De Anu laborante ex oculis.

Laborans anus ex oculis accersit Medicum, mercedemq; pactam, vt sanitate recepta demum persolueret, conuenit. Medicus orsus curationem, quotidie collyrio oculos pelluebat, & supinam in lectulo cum inunxisset in tenebris iacentem relinquebat, asportans ipse secum quidquid forte reperisset supellectilia, siue vasculum, seu vestimentum mulieris. Quæ cum animaduerteret se spoliari, & iam recuperato visu cerneret vacuam relictam domum sibi, postquam accessit Medicus, mercedem postulans promissam, nam & esse illam sanam, & se iudicium nullorum, quibus notus fuisset morbus ipsius, defugere aiebat: Non est ita, inquit, Medice. Nam priusquam tuæ artis fortunam subirem, conspicabar passim copiosam domi meæ supellectilem: Nunc verò sana, vt ais, nihil prorsus video.

Significatur hac fabula, improbos, & veteratores ipsos nonnumquam suis dolis implicari, & lædi.

FRVGALITAS.

Definitio et Etymolog.

FRugalis, Græcè χρηστὸς, σώφρων, ἐγκρατὴς, & χρηστός. Et σωφροσύνη, λιτότης, & τέλεια, frugalitas dicitur. Est autem Frugalitas

Ita virtus,

virtus, quæ motus animi regit, & sedat, moderatamq; in omni re nouit seruare constantiam. Suntq; frugi homines, quos Græci *Χρησίμους* dicunt, qui in omni re motus animi moderantur.

Frugalitas, Hebr. *Chochmah, Chacham.* vir sapiens, industrius, prudens, frugi. vide Prouer. c. 2. 7. & 10. c. Eccl. 2. 14. Idem illis est sapientia, & frugalitas.

Frugalitas virtus est media, inter prodigalitatem, & auaritiam, cum nec nimis parcè rebus vtimur, nec nimis luxuriosè. Est igitur moderata parsimonia cibi, & potus. Hinc frugaliter aduerbium, têperatè, modestè. Dicuntur autem hæc omnia à frux nominatiuo, pro fruge. *Varro: Frux, legumen, triticum.* Hinc frugi indeclinabile nomen. Suntq; frugi, de quibus supra. Hinc etiam frumentum, quasi frugamentum, & fruor, quasi ex vsu frugum delectationem capio. Vnde fruitio, de qua infra.

Frugalitas est virtus, quæ res proprias custodit, vtiliter collocat, vitat sumptus non necessarios, emacitatē, luxum, mutuationes, ædificationes: & tamen vbi ratio postulat, expendit quantū opus est. Vicina virtus est liberalitati, & eadem fere habet extrema. Liberalitas, auarinæ, & tenacitati: frugalitas profusionibus, & prodigalitati magis est opposita. Emacitatem fugiēdam esse docet Senecæ regula Oeconomica, *epist. 91.* Emas non quod opus est, sed quod necesse est. Aduersus mutuationes *Chilo* foribus templi Delphici adscripsit, Aeris alieni comes, miseria. Quoad ædificiorum insaniam extant Græci versiculi, Latinis verbis ita expressi.

Ædificare domos, & pascere corpora multa,
Ad paupertatem proximus est aditus

Frugalitatis præceptum extat. Ioan. c. 6. vers. 12. à Christo sanctificatum, Colligite fragmenta, ne quid pereat. Fines, & effectus huius virtutis sunt, 1. vt Deo obediamus. 2. vt nostras facultates conseruemus, & augeamus. Olim Hesiodus cecinit,

Adde parum paruo, paruo superadde pusillum,
Fiet & hoc magnum: infelix pelletur egestas.

3. Vt ad beneficentiam, & sumptus necessarios copiæ suppetant. *Plin. lib. 2. epist. ad Cal.* Quod cessat ex reditu, frugalitate suppletur, ex qua, velut fonte, liberalitas nostra decurrit. Quæ tamen ita temperanda est, vt ne nimia profusione inarescat. Pugnantia sunt, profusio in pompas inanes, vestes splendidas, inutiles sumptus, ambitiosas ædificiorum moles, conuiuia nimis lauta: Nimia ex opposito tenacitas, sordities, genij fraudatio: negligentia item & ignauia in rebus proprijs custodiendis, & laboribus tempestiuis suscipiendis. *Vide sufficientia.*

BIBLICI LOCI.

Ad frugalitatem exhortatio, *Prouerb. 27. 23.* & toto hoc Salomonis aureo libro passim: item quibuscumque animi, & corporis sobrietas commendatur frugalitatis exempla Patriarchæ, Prophetæ, Christus, Apostoli, pij omnes, & Deum timentes.

POETICAE SENTENTIAE.

Horat. 3. Carm. 16.

Bene est, cui Deus obtulit
Parca, quod satis est, manu.

Idem 1. Epist. 2.

Quod satis est cui contingit nil amplius optet.

Idem 1. Serm. 1.

At qui tantuli eget quanto est opus, vt neque limo
Turbatam haurit aquam, neque vitam amittit in vndis.

Ibidem.

Nescis quo valeat nummus, quem præbeat vsum?
Panis ematur olus, vini sextarius adde,
Queis humana sibi doleat natura negatis.

Sen. Thyest.

O quantum bonum est
Obstare nulli, carpere securas dapes!
Humi iacentem scelera non intrant casa
Tutusque mensa carpitur angusta cibus.

Iuuenalis 14.

Viuite contenti casulis, & collibus istis.
O pueri, Marsus dicebat, & Hernicus olim
Vestinusque senex, panem quæramus aratro
Qui satis est mensis.

Persius 3.

Rure paterno
Est tibi far modicum, purum, & sine labe salinum,
Quid metuas? cultrixque foci secura patella.
Hoc satis,

Plaut. Rud.

Quidquid est domi, id jus est habendum.

Claud. 1. Ruff.

Contentus honesto
Fabricius paruo spernebat munera Regum,
Sudabatque grauis Consul Serranus aratro.
Et casa pugnaces Curios angusta tenebat.
Hæc mihi paupertas augustior. hæc mihi tecta
Culminibus matora tuis: tibi quærit inanes

Luxuries nocitura cibos. mihi donat inemptas
Terra dapes. rapiunt Tyrios tibi vellera succos,
Et pictae ata saturantur murice vestes.
Hic radiant flores, & prati viua voluptas
Ingenio variata suo, fulgentibus illic
Surgunt strata toris: hic mollis panditur herba.
Sollicitum curis non abrumpunt soporem.
Turbo salutantum latus tibi perstrepit ædes:
Hic auium cantus, labentis murmura riui.
Viuitur exiguo melius, &c.

Iuuenalis 14.

Sensit Alexander, testa cum vidit in illa
Magnum habitatorem, quanto felicior hic, qui
Nil cuperet, quam qui totum sibi posceret orbem.

Ibidem.

Mensura tamen quæ
Sufficiat censûs, si quis me consulat, edam,
In quantum sitis atque fames, & frigora poscunt,
Quantum, Epicure, tibi paruis suffecit in hortis,
Quantum Socratici ceperunt ante Penates.

Idem 15.

Pythagoras cunctis animalibus abstinuit, qui
Tamquam homine, & ventri indulsit non omne legumen
Quid diceret ergo,
Vel quo non fugeret si nunc hæc monstra videret?

Tibull. el. 1.

Me mea paupertas vita traducat inerti,
Dum meus assiduo luceat igne focus.

Ibidem.

Fictilia antiquus primum sibi fecit agrestis
Pocula, de facili composuitq; luto.

Martialis Apophor.

Aretina nimis ne sperne vasa, monemus:
Lautus erat Tuscis Porsena fictilibus.

Auson. Epig. 9.

Fama est fictilibus cænasse Agathoclea regem.
Atque abacum Samio sæpè onerasse luto.
Fercula gemmatis cum poneret horrida vasis,
Et misceret opes, pauperiemq; simul.
Quærenti causam respondit: Rex ego qui sum
Sicaniæ, figulo sum genitore satus.
Fortunam reuerenter habe, quicumque repente
Diues ab exili progrediere loco.

Iuuenalis 10.

Sed nulla aconita bibuntur
Fictilibus: tunc illa time, cum pocula sumes
Gemmata, & lato Setinum ardebit in auro.

Senec. Thyest.

Venenum in auro bibitur, expertus loquor.

Idem Hipp.

Regios luxus procul
Est impetus fugisse sollicito bibens
Auro superos, quam iuuat nuda manu
Captasse fontem, si tulit somnus premit,
Secura duro membra versantem toro.

Idem Herc. Oct.

Pectora pauper secura gerit,
Tenet è patula pocula fago.
Sed non trepida tenet ipsa manu.
Carpit faciles, vilesque cibos,
Sed non strictos respicit enses:
Aurea miscet pocula sanguis.

Sophocles.

Ὅσοι φιλοσοφοῦντες ἐκμοχθοῦσί τι,
Ἐνταῦθ' ὑπάρχει τοῦ βίου γαστρὸς κρατεῖν.
Διδάσκαλος γὰρ ἐστιν ἡ εὐτέλεια σοφῶν
Καὶ τῶν ἀρίστων ὡς ἔοικε βουλευμάτων.

Quicumque philosophicis se dedunt laboribus
Addiscunt per vitam compescere ventrem.
Videlicet frugalitas est magistra
Sapientium optimorumq; consiliorum.

SENTENTIÆ PHILOSOPHORVM.

Ἐξηλώκαμεν τὴν αὐτάρκειαν, οὐχ ὅπως τοῖς εὐτελέσι καὶ λιτοῖς πάντως χρώμεθα, ἀλλ' ὅπως θαῤῥῶμεν πρὸς αὐτά.

Commendamus frugalitatem, non quod tantū res viles, ac minimè sumptuosas faciamus, sed vt hoc pacto animi magnitudinem augeamus. *Apollon.*

Κρατεῖ ἡδονῆς, οὐχ ὁ ἀπεχόμενος, ἀλλ' ὁ χρώμενος μὲν, μὴ παρεκφερόμενος δέ· ὥσπερ καὶ νεὼς καὶ ἵππου οὐχ ὁ μὴ χρώμενος, ἀλλ' ὁ μετάγων ὅποι βούλεται.

Moderatur voluptati, non qui penitus abstinet, sed qui hoc modo vtitur, vt non abripiatur cum ipsa. Vt nauim, & equo moderatur, haud qui non vtitur, sed qui, quo libuerit, ducit. *Aristip.*

Xias

Χάρις τῇ μακαρίᾳ φύσει, ὅτι τὰ ἀναγκαῖα ἐποίησεν εὐπόριστα, τὰ δὲ δυσπόριστα οὐκ ἀναγκαῖα. Epicurus.

Gratia est habenda naturæ beatæ, quæ necessaria parabilia fecerit: difficilia autem paratu, non necessaria. *Idem.*

Εἰ βούλει πλούσιόν τινα ποιῆσαι, μὴ χρημάτων προστίθει, τῆς δὲ ἐπιθυμίας ἀφαίρει.

Si quem volueris diuitem efficere, non est quod augeas opes, sed minuas cupiditates. *Idem.*

Genitrix virtutum frugalitas. *Iustin. hist. lib. 2c.*

Bonæ valetudinis veterum quasi quædam mater erat frugalitas, inimica luxuriosis epulis, aliena nimiæ vini abundantiæ, & ab immoderato Veneris vsu auersa. *Valer. Max. l. 2. c. 5.*

Tantas habet vires frugalitas, vt tot impendijs, tot erogationibus, sola sufficiat. *Plinius panegyr.*

APOPHTHEGMATA.

Crates Beneficio Philieri indignatus est, quod ipsi panes, ac vinum misisset, dicens: vtinam fontes etiam panes ferrent. Sentiens, Vino nihil opus esse Philosopho: atque hoc ipsum esse submolestū, quod panis non æquè parabilis esset, ac potus *Laert. lib. 6. c. 5.*

Idem Stilpon Ceij dedit caricam, simulq. proposuit quæstiunculā. Cum Cynicus prorsus nucem deuorasset: Caricam, inquit, Stilpo, perdidi: hic Crates, Non caricam modo, sed & quæstiunculā cuius illa fuit arrha. Sentiens, se frustra captatum munusculo ad respondendum *Laert. lib. 2. cap.*

Idem. Cum in forum, incidisset, alios ementes, vendentes alios contemplatus: Illi, inquit, quod rem inter se contrariam agunt, se beatos esse iudicant: at ego me, quod vtriusque, tum emendi, tū vendendi sim immunis. *Stob. ser. 2. de Prud.*

Socrates dicebat, eos qui frugaliter viuerent, longe plus habere voluptatis, ac minus cruciatuum, quàm si indulgerent genio. *Laert. lib. 2. c. 5.*

Idem aduocarat diuites aliquot ad cœnam, ob id solicita Xantippe, quod apparatus esset perquam exiguus: Bono animo es, inquit, nam si frugi temperatiq. sunt, boni consulent: si minus, nulla bonis horum cura debet esse. Hoc dilemma nobis merito excuteret operosam, & sumptuosam ambitionem in excipiendis conuiuis. *Laert. lib. 2. c. 5. Stob.*

Idem dicere solitus est, eum esse Dijs simillimum, qui quam paucissimis egeret, cum Dij omnino nullius egeant rei. At vulgus diuites Dijs proximos existimat, quorum delicijs nihil satis est. De his etiam dictum est in comœdia Terentiana: Quam vos facillimè agitis. Hoc autem Homerus Dijs tribuit, quos appellat *ῥεῖα ζώοντας* id est, facillimè viuentes. Facillime autem viuit qui paucissimis contentus est. *Laert. lib. 2.*

Idem dicebat, qui suauiter ederet panem, huic non esse opus obsonio: & qui suauiter biberet quemlibet potum, hunc non desiderare poculum, præter id quod adest. Fames enim & sitis optime cōdit omnia. *Ibid.*

Idem admonere solebat, quod apud alios diceretur edere, aut conuiuari, apud Athenienses dici *εὐωχεῖσθαι*: qua voce dicebat nos admoneri, eo temperamento sumendum cibum, vt nec corpus, nec animus oneretur, huc opinor alludens, quod *ὀχεῖσθαι* sonet vehi, vnde *ὄχημα* vehiculum, quamquam *ὄχος* dicatur, & cibus: eoque additum *εὖ* ne sarcina iusto grauior imponeretur corpori. *P. M. lib. apoph.*

Idem Xantippe eum increpante, quod tenuiter se ad amicos accipiendos prępararet, dixit: Si nostri fuerint, nihil curabunt, sin alieni, nos de ipsis nihil curabimus. *Max. serm. 13.*

Idem dicebat quoque optimum condimentum esse famem, quod & optimè edulcaret omnia, & nullius esset impēdij. Vnde ipse semper iucundè edebat, ac bibebat, quia neutrum faciebat nisi esuriens ac sitiens. *Laert.*

Idem dicere solebat, multos in hoc viuere vt ederent, & biberent: se autem contra, ob id bibere, & edere, vt viueret: quod his rebus non ad voluptatem, sed ad necessitatem vteretur, quandoquidem natura paucis contenta sit. *P. M. l. 3. apoph. ex Stob.*

Idem per forum obambulans, cum aspiceret mercium copiam, quæ illic vendebantur, ita secum loqui consueuit: Quam multis rebus ego non egeo: at alij cruciantur animo, ita cogitantes: Quā multa mihi desunt! Sibi gratulabatur, quod iuxta naturam viuens, ac paucis assuetus, aurum, purpuram, gemmas, ebur, aulęa, reliquasque diuitum delicias, nec cuperet, nec egeret: quas dicere solebat magis necessarias agendis tragœdijs, quàm ad vsum vitæ. *Laert. l. 2.*

Idem quemdam ex amicis conquerentem, quod Athenis omnia magno venirent (vinum enim Chium mina, purpuram tribus minis constare, mellis heminam quinque drachmis) manu illius prehēsa, duxit in forum farinarium: Obolo, inquiens, semisextarius venit, vilis igitur annona est. Hinc ad olearia deducens: Duobus, inquit, æreis sextarius, non magno igitur in vrbe veneunt omnia. Qui paucis, ac necessarijs contentus est, sibi facit vilem annonam. *P. M. l. 3. apoph. ex Plut.*

Idem. Quondam pro foribus deambulanti contentius vsque ad vesperam, cum prætereuntium quispiam dixisset, quid agis Socrates? Obsonium, inquit, mihi comparo in cœnam, de fame sentiēs, quam agitatione corporis excitabat. M. Tullius sic explicat: Quo melius cœnem, obsono ambulando famem. *Laert.*

Idem ad famem, ac sitim tolerandam exercuerat se, post sudorem enim palęstra collectum, cum alij potum vehementer appeterent, numquam bibebat de primo cratere, rogatus quam ob rem id faceret? Ne cōsuescam, inquit, obsequi affectibus. Interdum enim, licet sitias, noxium est bibere, hic cum ratio suadet abstinētiam, affectus hortatur vt bibas, magis obtemperandum est rationi. *Laert. l. 2.*

Diogenes, cum aliquando à Cratero Alexandri Magni præfecto ad cœnam inuitatus esset, respondit: se malle salem Athenis ligere, quam apud Craterum adipata frui mensa. *Laert. l. 6.*

Idem. quibusdam obijcientibus, quod in foro cibum caperet: Quid mirum, inquit, in foro esurio, ratiocinatus à relatiuè oppositis. Si fames non vrgeret hominem in foro, fortassis absurdum esset in foro vesci. Sed eodem colore se tueri potuerat, in foro deijciens aluum, aut vrinam reddens. *Laert. l. 6.*

Idem, quum aliquando vidisset puerum caua manu bibentem: Hic puer, inquit, me frugalitate superat, qui supellectilem superfluā mecum circumferam, & eductum è pera poculum ligneū abiecit: Nesciebam, inquiens, & in hoc nobis prouidisse naturā. Quū alterum puerum vidisset vasculo fracto cauo panis excipere lenticulam, abiecit, & catinum ligneum, vt superuacaneum. Hæc partim videri ridicula, modo fateamur, immodicum simplicitatis exemplum in hoc esse vtile, vt nos nostri luxus pudeat. *Laert. l. 6.*

Idem, quum in publica via pranderet, multique cingerent illum ob spectaculi nouitatem, ac subinde acclamarent: Canis, canis! Imò, inquit, vos potius estis canes, qui prandentem circumstatis, nam id canibus cum primis familiare est. *Laert. l. 6.*

Idem, quum primum cœpisset philosophari, ac in dolio, sicco mucidoque pane vescens solus, audiret totam vrbem lætitia perstrepentem (erat enim dies festus) sensit animo nonnihil tædij, diuque secum de relinquendo vitæ instituto cogitauit. Sed quum tandem mures videret adrepentes, panisq; micas edere. Quid tibi displicet, inquit, ò Diogenes? sat magnificus es ecce etiam parasitos alis. *Laert. l. 6.*

Idem, panem album nactus, è pera cibarium eiecit, hunc versum proloquens: Hospes tyrannis è vita decedito. *Stob. ser. 15.*

Idem, quum in opiparo conuiuio videret Platonem nihil attingentem lautitiarum, sed oleis duntaxat vescentem: Quid accidit, inquit, vir sapientissime, vt cum ob huiusmodi mensas in Siciliam profectus sis, hic a paratis abstineas? Ad hæc Plato: At hercle Diogenes, & in Sicilia huiusmodi fere cibo contentus eram: Quid igitur, inquit Diogenes, necesse erat Syracusas nauigare? An tum Attica non ferebat oleas? Hoc dictum quidam adscribūt Aristippo. *Laert. l. 6.*

Timotheus Cononis F. omissis opiparis cœnis, & epulationibus Imperatoris, assumptus à Platone ad conuiuium Academicum, & frugali modicaque cœna exceptus, reuersus ad suos dixisse fertur; Qui cum Platone cœnant, etiam postero die bene habent: Vituperauit cœnas splendidas, & onerosas, quæ omne sequentis diei gaudium, & hilaritatem præscinderent, atque præriperent. *Æl. l. 2. de Var. hist. & Plut. in Symposiacis.*

Leo Euth. F. interrogatus, quàm quis vrbem incolens tutus sit? Vbi, inquit, neque plura, neque pauciora inhabitantes possideant: *Plut. in apoph.*

Antisthenes. Quum Diogenes ab Antisthene peteret tunicam, iussit vt duplicaret pallium, sic eum tunicæ speciem præbiturum: admonens, oportere paucissimis esse contentum. *Laert. l. 6. c. 1.*

Epicurus dicere solebat, ei cui pauca non sufficiunt, nihil omnino satis esse. Item, se paratum esse de felicitate etiam cum Ioue certare, si aquam, & offam haberet: Laudauit frugalitatem his dictis, quo animo autem voluptatem laudauerit, ex alijs disces. *Æl. l. 4. de Var. hist. & Stob. serm. 15.*

Idem. Gratias naturæ habendas dixit, quod ea quæ ad vitam hominis subleuandam spectant, parabilia fecerit: difficilia autem non necessaria. *Stob. serm. 15.*

Isaeus interrogatus, quis piscis, aut quæ auis esset ad vescendum suauissima? *πέπαυμαι*, inquit, *ταῦτα σπουδάζων*: id est, ista curare desij. *Philos. in sophistis.*

Apollonius, frugalitatem non ideo commendari hominibus dixit, quod tanti res viles, ac minimè sumptuosas faciamus: sed vt hoc pacto animi magnitudinem augeamus. *Stob. ser. 15.*

Alcamenes Telecri F. obiurgatus a quodam quod parce nimium, ac tam frugaliter viueret, cum tamen amplissimas possideret diuitias? Decet, inquit, eum qui multa possidet, pro ratione non pro libidine viuere. *Plut. in Lacon.*

Idem, percontantibus quam ob rem statuisset, vt ad ædium culmen imponendum fabri securi vterentur, ad fores verò addendas sola serra, nec vllo alio instrumento: Vt, inquit, ciues mediocritatem seruent in omnibus, quæ in ædes inferunt, neque quicquam habeant earum rerum, quæ apud alios sunt admirationi. Videbatur enim indecorum, si per ostium rude, ac ciuile supellex infer-

retur exotica, precio cara, arte operosa id ne fieret, ipse quodam modo tores admonebant. Hinc aiunt accidisse, quod Leotychidas primus apud Lacones Rex cum cœnaret apud quēdam, cerneretq; tectum domus sumptuoso apparatu factum, ac lacunaribus ornatum, rogabat hospitem, num ligna apud eos quadrata nascerentur, adeo luxum esse potabat, naturam artificiu corrumpere. *Plut. in Lacon.*

Agesilaus. Thasiorum gens vt copia rerum abundabat, præcipuè vini præstantia nobilis, ita delicijs erat addictior, per horum agros cum exercitu proficiscenti Agesilao, Thasij honoris gratia miserunt farinas, anseres, bellaria, liba ex melle condita, & item omnis generis alia maximi precij, tum esculenta, tū potulēta. At ille præter farinas nihil accepit: reliqua domum referri iussit ab his qui attulerunt, tamquam sibi suisq; prorsus inutilia. Cæterū cū illi precibus, & obtestationibus vrgerent omnino, vt acciperet xenia, iussit ea inter Helotas distribui: id erat apud Lacedæmonios mancipiorum genus. Eius facti caulam sciscitantibus, respondit: Non decere qui virtutis, ac fortitudinis studio tenerentur, id genus delicias cupediasq; recipere, propterea quod istiusmodi res quibus inescarentur ingenia seruili nati, oporteret a liberis procul abesse, grauiter taxans Thasiorum mores, qui dum voluptatibus seruirent, nec ingenuos se præstarent, nec liberos: & sapienter ostendens, nihil esse seruilius abiectiusq; voluptatibus obnoxium viuere. *Plut. in apoph.*

Idem, cum audiret quemdam admirari cur Rex cum cæteris Lacedæmonijs tam frugali cibo, & vestitu vteretur: Optimam inquit, metimus, inquit, nempe libertatem. *Plut. in apoph. Lacon.*

Lysander in Ioniam proficiscēti, hospites quos habebat in Ionia, cū alijs multis etiam bouem, & placentam dono miserunt. Qui placentam contemplatus rogabat, quidnam illud cupediarum esset: Cui cum is qui attulerat, responderet, ex melle, caseo, alijsq; quibusdam confectum esse: Sed hoc, inquit Lysander, sancum est ijs qui nouerunt. Non enim hic est liberi, & ingenui hominis cibus. *Ælian. lib. 3 de Var. historia.*

Pausanias, quum Medos vicisset, iussit Persicam cœnam præparatā sibi apponi: in qua quidem quum magnus inesset sumptus. Per Deos, (inquit) lurco Persa erat, qui cum tot haberet, ad nostram venerit polentam. *Brus. lib. 3 c. 1.*

Epaminondas conuiuans cum collegis ducibus, in fine conuiuij bibit acetum. Percontantibus, num id conduceret ad sanitatem? Nescio, inquit, illud scio, bonum esse ad hoc, vt quis meminerit domesticæ diætæ, siue domesticorum: Sentiens, conducere aduersus crapulam, & conferre sobrietati: simul indicans, se domi parcissimo victu agere solitum. *Plut. lib. 2. Symposiacon.*

Anonymus. Quidam ingressus diuersorium, cauponi dedit obsoniū, vt appararet, quum ille posceret caseum, & oleum: Quid, inquit Laco, si caseum haberem, iam non egerem obsonio. Caupo caseum, & oleum petebat ad condiendum piscem, at Lacon id videns, cui sufficiebat victus simplex, superuacuum existimabat cibum cibo miscere, quum alter per se satis esse posset. Quantum absunt ab huius Laconis animo, qui centum rerum species in vnum miscent discum? *Plut. in Lacon.*

Anonymus. Quidam Lacon cum duas amygdalas duras duplo vendi conspiceret: Suntne hic, inquit, lapides? Quasi nihil interesset inter silicem, & amygdalam. Adeo Lacon deliciarum erat rudis, vt nesciret, sub gemino cortice latere nucleum. Et apparet hoc genus arboris non quibuslibet regionibus fuisse notum, quando Plinius dubitat, an ætate Catonis fuerit in Italia. *Plutarch. in Lacon.*

Alexander. Quum regina Carum Ada illud haberet studio, vt assiduo mitteret Alexandro obsonia: bellaria que per summos rerum architectos coquosque magna arte parata. Alexander ait, sese ipsum habere meliores obsoniorum artifices: ad prandium quidem, nocturnum iter: ad cœnam verò tenue prandium. *Plut. in reg. & Imp. apoph.*

Cyrus rogatus ab hospite, quid ad prandium apparari iuberet? Nihil aliud, inquit, quam panem. Nam spero me prope riuum cœnaturum. Mira frugalitas in rege barbaro, cui panis erat pro obsonio, & sitim aquæ spe differebat in cœnam. *Refert Ammianus lib. 21.*

Prodicus dicere solebat, optimum condimentum esse ipsum ignem. Sentiens, bono stomacho satis esse, obsonium esse coctum etiāsi nihil accedat deliciarum. *P. M. lib. 6. apoph.*

Scipio minor. Narrant eum annis quinquaginta quatuor, quibus vixit, nihil vendidisse, nihil emisse, nihil ædificasse, libras autem argenti triginta treis, aurī duas in ampla domo reliquisse, quamuis pater minatus est ei: Si plura quam secundum naturam vesceretur, vel ingurgitaret, ipsum condignas pœnas luiturum. Docuit filium vir sapientissimus, frugaliter esse viuendum, cum natura paucis contenta esse soleat: quæ si obsonio obruitur nimio, pœna statim in promptu est, quæ in varijs morbis illico sese ostendit. *Stob. serm. 15. & 20.*

Epaminondas. Quum coquus collegis Epaminondæ de impendijs aliquot dierum rationem redderet, non alia de re indignabatur, quam tantum fuisse consumptum olei, demirantibus autem collegis negauit se offendi sumptu, sed molestè ferre tantum olei exceptum intra corpus hominum. Sentiens oleum esse natum foris vngendo corpori, non intus explendo. Inunctum reddit corpus firmius, & iniuriæ patientius: infusum in viscera, reddit delicatius, ac segnius. *Plut. in apoph.*

S I M I L I T V D I N E S.

Plinij. Templum Ephesiæ Dianæ tutos reddit obæratos à creditoribus: At multo tutius frugalitas, & parsimonia præbet asylum. *lib. 36. c. 14. & Plut. in Moral.*

Tiriner. Quemadmodum ager fimo luxuriatur: Sic animus humanus vberiore vita insolescit, frugaliore vero, ac asperiore mitescit. *In apoph.*

A D A G I A.

Acolo non fiunt. Α'κόλω τὰ χείλη ὁ ξῦνει.

Prouerbium hortatur ad victum tenuem. Nam ἀκόλους Græci vocant minutas offulas. Suidas.

Mureno poi.

qui dure, ac siccè viuerent. Vox videtur ficta à muro, & palea.

Album in retibus. σκορόδον ἐν δικτύοις.

De sordido commeatu dicebatur.

Phormionis tori. στιβάδες φορμίωνος.

De strauis sordidis, ac frugalibus, minimèq; delicatis qualia sunt cubilia militaria.

Cilicij Imperatores. Κιλίκιοι στρατηγοί.

Dicebantur homines hirsuti, & pilis obsiti.

Vita doliaris. Ζῆν πιθο.

Id est Vita dolij. Prouerbio dicitur vita frugalis parca, ab omni strepitu atque ambitione semota. Veteres torqueri, & in eos qui nimium sordidè, nimis durè, atque immundè viuunt.

Tamquam in Phidiitijs. ὥσπερ ἐν φιδιτίοις.

Vbi quid parcius minimùmq; frugaliter actum significabimus.

Hecatea cœna. Ἑκάτης δεῖπνον.

Veteres cœnam perparcam, ac impendio frugalem Hecates cœnā appellabāt, quod apud inferos tenuissimo victu, minimoq; cibo, atque vilissimo viuunt.

Olimam ne comedas cum vrticam habeas hyberno tempore. μὴ ποτε ἐλαίαν ἐσθι ἀκαλήφην ἔχων χειμῶνος ὥρᾳ.

Adagij vsum non video, nisi quando significabimus extremam victus parsimoniam, vt ne vrtica quicquam ad obsonia condiamur.

Sicyon aruo icū, vxor, lacernam texe. Τὸν Σικυῶνα ἀροῦν γύναι τὴν χλαῖναν ὕφαινε.

Aruo dum Sicyon, vxor, subtexe lacernam.

Verbum maris iacentis, vt vxor tenui contenta victu, peragat opus suum.

Thymbra victitans. Θυμβροτρώγος.

Adagio dicebantur, vel qui tenuius, ac liberius vitam agerent, vel qui mores essent parum blandis, vel qui solariter eiusque sollicitudinem parùo contenti viuerent, quod Thymbra herbæ genus est.

Aspera vita, sed salubris.

In vita victum durum seculum quidem, sed tamen ad rectam morum institutionem idoneam, commendat illud Homericum Odyss. 1.

Τρηχεῖ' ἀλλ' ἀγαθὴ κουροτρόφος. Idem,

Aspera, sed iuuenum nutrix bona.

Salem, & caseum edere.

Consimile hoc cum præcedentibus. Plenius.

E X E M P L A P R O F A N A.

Arabes frugi in conuictu hominea, nulla cibi intemperie vires alūt. Temperantia valetudinem tuentur, multaque exercitatione ad iuuentutio robur habiles artus confirmant. *Iouius.*

Persarum pueri ad magistrum euntes, afferunt e domo panes quidem in cibos, nasturtium verò pro obsonio: itemq; fictile poculum, vt si quis sitiat, è flumine possit haurire. *Xenoph. l. 1. Pædia.*

Phylarchus narrat Iberos omnes aquam bibere, quamuis omnium hominum sint ditissimi, atque semel quotidie comedere ob parsimoniam, vestibus verò magnificentissimis indui. *Athen. l. 2. c. 2.*

Iberorum mulieres laboriosissimam vitam agentes, in primis temperantia excellunt alias gentes. Nam certæ mensuræ habent zonā, quasi venter alicuius cingi nequeat, turpe apud omnes videtur, *ex Nicolao de moribus gentium recitat Stob. ser. 3.*

Samanæi populi (vt auctor est Bardesanes Babylonius historicus) tantæ sunt continentiæ, vt cum cibis vesci exquisitissimis possint, arborum tamen pomis iuxta Gangem fluuium tantum vtantur. *Idem de Brachmanibus testatur.*

Essæi Iudæorum gens, vino, carnibus, & vxoribus semper abstinuerunt: *Ioseph lib. 2. belli Iudaici. Philo Iudæus, Plinius.* Gymnosophistæ pomis solum, oriza, & farina aluntur. *Alexand. ab Alex. lib. 4. c. 17.*

Incredibile dictu est, quàm tenui victu, & vires, & valetudinem *Numidæ* tueantur. Nam ficu sicca, dactylis, pulticula, atque acido lacte conuiuia finiunt. Tum verò epulantur, cum è venatione, falconumq; aucupijs quibus maximè gaudent prædam retulerint. *Iouius lib. 33.*

P. Scipio Æmilianus, si quando cum amicis in itinere ambularet, pane,

pane, tantum vescebatur, cum cæteri lautissimè epulantur. *Frontinus lib.4.c.3.*

Titi Vespasiani filij conuiuia non profusa, sed iucunditatis plena semper fuere. *Pontan.c.1.de continentia.*

Traianus Imp. cum omnem contemneret luxum, ipse quoque in vescendo frugalissimus fuit. *Alex.l.5.c.21.*

Caracalla Imp. tenui mensa, ac perexiguo sumptu militari vixit, elegantiora omnia aspernatus, gregario militi perquam similis, Ob hæc velut homo militaris, ac laboriosus, ab exercitu dilectus est. *Cuspinianus.*

Fl.Claudius Imp. qui Galieno successit, adeo moderatus in cibo, ac potu fuit: vt omnibus esset admirationi. *Cuspin.*

Maximilianus I. Imp. inter prandia raro bibebat, in cœna vt plurimum ter: atque ideo valetudo illi vsque ad periodum vitæ prospera semper fuit. *Cuspinianus.*

Hieroglyphica.

Est frugalitatis indicium hieroglyphicum *Oliua*: de qua sæpè legas eiusmodi baccas apud veteres parsimoniæ causa appositas, & à Platone lauto etiam conuiuio delicijs contemptis, euitatas. *Pier. Valer lib.53 pag.514.E.*

Vide Temperantia.

FVCATIO, FVCVS.

Definitio et Etymolog.

Fucatio à fucus venit. Fucus verò Græcè φῦκος, τὸ & φυκίον, fuco dicitur. Et est species fictionis ad mentiendum pulchritudinem, ideo semper est peccatum. Sed non est mortale, nisi fiat ad lasciuiam, vel contemptum Dei. Tamen licet occultare turpitudinem causatam ex infirmitate, vel ex alia causa accidentali, *ex S.Tho.2.2.q.169.art.2.* Deberet scribi per ph apud nos, cum Græca dictio sit, licet conscribatur à nonnullis per f scribi.

Fucus hic accipitur pro pigmento, & peregrino ornatu, quem assumere solent mulieres male feriatæ, vt pulchriores videantur. Alij cerussam, alij purpuræ saniem, alij ex vtroque medicamine mixto compositum pigmentum existimant. Græcè φῦκος. Hebr. *Puch.* vox hæc duo significat: nempe fucum, qui rubrum colorem albicanti, vel pallido admiscer, & lapillum preciosum, quem rubinum vocamus. Metaphoricè etiam sumitur pro vario prætextu impiorum suas turpitudines coram Deo velare studentium: vt etiam fucus, & fucum facere, fraudem, & decipere frequenter significat. verbum Hebr. *Cakal*, id est, Colorauit, pinxit stibio, aut minio, fucauit pigmento. affine est verbo *Kakal*. eadem pronunciatione vtriusque manente, & significat posteriua illud, ruber fuit. Fucatæ enim mulieres nouum colorem induunt.

Loci Biblici.

Iezabel, introitu eius, nempe Iehu, audito, depinxit oculos suos stibio, & ornauit caput suum, &c. *2.Reg.9 30.*

Eleuatæ sunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo, & nutibus oculorum, &c. *Esa 3.16.*

Vastata quid facies? cum vestieris te coccino, cum ornata fueris aureo monili, & pinxeris stibio oculos tuos: frustra componeris. *Ier.4.30.*

Te lauisti, & circumlinisti stibio oculos tuos, & ornata es mundo muliebri *Ezech.23.40.*

Permittis mulierem Iezabel, quæ se dicit propheten, docere, & seducere seruos meos, fornicari, & manducare de idolothytis. *Apoc.2.20.*

Sententiae Patrum.

Angeli desertores propriè, & quasi peculiariter fœminis instrumẽtum illud gloriæ muliebris gloriæ contulerunt: Lumina lapillorum, quibus monilia variantur; & circulos ex auro, quibus brachia artantur: & medicamenta ex fuco, quibus lanæ colorantur: & illum ipsum nigrum puluerem, quo oculorum exordia producuntur. *Tertull. lib.de habitu muliebri, c.2.*

Expingamus nos, vt alteri pereant! vbi est ergo, diliges proximum tuum sicut teipsum? &, Nolite vestra curare, sed alterius? *Idem, lib.de cultu fœminarum, c.2.*

In Deum delinquunt, quæ cutem medicaminibus vngunt, genas rubore maculant, oculos fuligine collinunt. Displicet illis nimirum plastica Dei: in ipsis redarguunt, reprehendunt artificem omnium. Reprehendunt enim cum emendant, cum adijciunt, vtique ab aduersario artifice sumentes additamenta ista, id est, Diabolo. Nam quis corpus monstraret mutare, nisi qui & hominis spiritum malitia transfigurauit? ille indubitatè huiusmodi ingenia concinnauit, vt in nobis quodammodo manus Deo inferret. *ibid.c.5.*

Polyanthea Noua.

Quod nascitur, opus Dei est. Ergo quod fingitur, Diaboli negociũ est. Diuino operi Satanæ ingenia superinducere, quam scelestum est? Serui nostri ab inimicis nihil mutuantur: milites ab hoste Imperatoris sui nihil concupiscunt. De aduersario enim eius in cuius manu sit, aliquid vsu postulare transgressus est. Christianus a Malo illo adiuuabitur? nescio an hoc nomen ei perseueret. Erit enim eius, de cuius doctrinis instrui concupiscit. *ibid.*

Quantum autem à nostris disciplinis, & professionibus aliena sunt, quàm indigna nomine Christiano, faciem fictam gestare, quibus simplicitas omnis indicitur: effigiem mentiri, quibus lingua nõ licet! appetere, quod datum non sit, quibus alienum abstinendum! speciem exercere, quibus studium pudicitiæ est! Edite, benedictæ (mulieres Christianæ) quomodo præcepta Dei custodiatis, liniamenta non custodientes? *Ibid.*

Vtinam miserrimus ego, in illo die Christianæ exultationis, vel inter calcanea vestra caput eleuem, videre, an cum cerussa, & purpurisso, & croco, & in illo ambitu capitis resurgatis: an taliter expictam Angeli in nubila subleuent obuiam Christo. Hodie vos Deus tales videat, quales tunc videbit. *Ibid.c.7.*

Pudicitiæ Christianæ satis non est esse, verum & videri. Tanta enim debet esse plenitudo eius, vt emanet ab animo in habitum, & eructet a conscientia in superficiem, vt & foris inspiciat quasi supellectilem suam, vt conueniat fidei continendæ in perpetuum. *Ibid.c.13.*

Apostatæ Angeli oculos circumducto nigrore fucare, & genas mẽdacio ruboris inficere, & mutare adulterinis coloribus crinem, & expugnare omnem oris, & capitis veritatem corruptelæ suæ impragnatione docuerunt. *Cyprian. de discipl. & habitu virginum.*

Non virgines tantum, aut viduas, sed & nuptas puto, & omnes omnino fœminas admonendas, quod opus Dei, & factura eius, & plastica adulterari nullo modo debeat, adhibito flauo colore, vel nigro puluere, vel rubore, aut quolibet denique liniamenta natiua corrumpente medicamine. *Idem, ibid.*

Apophthegmata.

Archidamus. Chius quidam ætate prouectus, venit Lacedæmonem: & cum aliàs turgeret superbia, propter senectutem reuerenter habebatur, proinde canos occultare conabatur tinctura. Itaque cum in conspectum Lacedæmoniorum prodijsset, ostenso tali capite, exposuit quorum gratia venerat. Consurgens itaque Archidamus rex Lacedæmoniorum: Quid, inquit, hic sani diceret, cuius non solùm animus, verum etiam caput fucis contaminatum est? Et explosit eius dicta, ingenium Chij redarguens, ex ijs quæ oculis cernebantur. *Ælian. lib.8. de Var. hist.*

Philippus. Ex amici patri amicis quemdam Philippus Macedoniæ rex in iudicum numerum ascripserat. Verum post, vbi cognouit illum tingere barbam, & capillum, submouit eum, dicens: Qui in capillis fidus non esset, eum muneribus gerendis non videri dignum, cui fideretur: lusit homonymia vocis. Fuco vtebatur in tingendis capillis, vbi non multum erat lucri: multo magis vsurus erat fuco in publicis negocijs, vbi dolus interdũ ingens adfert emolumentum. *Plut. in apoph.*

Adagia.

Lecythum habet in malis. ἔχειν λήκυθον περὶ τὰς γνάθους.

Tectum, & ænigmaticum est conuicium in anus, quæ rugas illitis pigmentis dissimulant.

Schænicolæ.

Festus Pompeius indicat Schænicolas olim appellatas scorta plebeia, ac vilia, quæ ab vnguento vilissimo obiinuntur.

Oleo nitidus.

Olei nitor adeo venerat in prouerbium, vt mystica quoque litera iubeant facie oleo vncta dissimulari tristitiam.

Vide Dolus, Fraus, Mendacium.

FVGA.

Definitio et Etymol.

Fuga, ipse fugiendi actus, ἀποδιδράσκειν. Hebr. *Manos.* à verbo *Nos*, cum cursu, & celeritate discessit, in fugam se dedit. Et *Mibrah.* à verbo *Barach*, fugit festinanter instar venti, fugit repẽtè & procul. Differt à *Nos*, quod significat quidem fugere celeriter, sed per recessionem priuatam.

Fuga alia licita, alia illicita. Licita, quando nihil fit præter officium in vocatione probata, neque contra salutem proximi, neque cõtra gloriam Dei.

Fugæ licitæ exempla: Iacob, *Gen.27.43.& 31.20.* Ioseph, *Genes.39.12.* Moses, *Exod.2.15.* Dauid, *1.Sam.19.20.21.22.cap. Psalm.3.1.* Christus, *Matth.13.Ioan.6.15.* Apostoli, *Matt.10.23.Act.14.6.* Paulus, *Act.9.25.*

PATRVM SENTENTIÆ.

Sicut fuga redemptio gratuita est, ita redemptio nummaria fuga est. Quod times redimis, ergo fugis. *Tertul. de fuga in persec.*

Nemo, cum populum nostrum fugari conspexerit metu persecutionis, & spargi, conturbetur, quod collectam fraternitatem non videat, nec tractantes Episcopos audiat. Simul tunc omnes esse non possunt, quibus occidere non licet, sed occidi necesse est. Vbicumque in illis diebus vnusquisque fratrum fuerit à grege interim necessitate temporis corpore non spiritu separatus, non moueatur ad fugæ illius horrorem, nec recedens, & latens deserti loci solitudine terreatur. Solus non est, cui Christus in fuga comes est. *Cyprian. epist. 56. ad Thibaritanos.*

Qui exit de Babilone, & cedit, delicti particeps non fit: Plagis verò & ipse perstringitur, qui socius criminis inuenitur. Ideo dominus in persecutione secedere, & fugere mandauit, atque vt id fieret, & docuit, & fecit. Nam cum corona de Dei dignatione descedat, nec possit accipi nisi fuerit hora sumendi, quisquis in Christo manens interim cedit non fidem deneg at, sed tempus expectat. Qui autem cum non secederet cecidit, negaturus remansit. *Idem serm. de lapsis.*

SENTENTIAE HISTORICAE.

Stultum est, qui potiri volunt victoria, hos terga, & eas corporis partes quæ oculis, & armis carent, ac manibus, per fugam aduersarijs opponere. *Xenoph. Cyropæd. lib. 3.*

Fugiendo fermè in media fata ruitur. *Liuius. Decad. 5. l. 8.*

In fuga salutem sperare, cum arma, quibus corpus tegitur ab hostibus, abiiceris, ea verò dementia est. *Salust. de coniurat. Catil.*

Contra opinionem militum famamq; omnium, videri prælio diffugisse, magnum detrimentum adfert. *Cæs. lib. 1. de bello ciuili.*

Fuga, quæ salutem numquam repetit, irriti conatus stultitiam indicat. *Amm. Marcell. l. 16.*

Stultus est quicumque vitæ cupidus fugæ se committit, quum in victoria sita sit salus: & qui fugam arripiunt magis intereant, quàm qui subsistunt. *Xenoph.*

APOPHTHEGMATA.

Diogenes. Quum eius seruus Mathes quem vnicum habebat, aliquando sufugisset, hortaretur q; vt rediret, negauit: Turpe est, inquit, Mathen sine Diogene viuere posse, Diogenem sine Mathe non posse. *Laert. & Stob.*

Idem. videns seruum fugitiuum ad puteum sedentem: Caue, inquit, ò adolescens, ne incidas, ad fugam alludens. *Laert. & Stob.*

Aristides Themistocli sæpenumero dixisse fertur, non esse soluendum pontem, sed alium potius faciendum quo abiret Xerxes atrocissimus. *Plut.*

Agesilaus videns claudum quemdam militem, quærentem equum quo veheretur debilis, dixisse fertur: An non intelligis in bello opus esse, non qui fugam adornet, sed qui fortiter pugnantes loco maneant? Significare voluit vir clarissimus, eos demum bello esse vtiles milites, quibus non decretum est ex periculo fugere, sed aut vincere in prælio, aut appetere mortem. *Plut. in Lacon.*

Callicratidas, quum nauali pugna esset conflicturus, atque Hermon nauclerus diceret, bonum esse ab eo loco soluere, eo quod Atheniensium triremes numero longè plures essent. Quid, inquit, tum postea? fugere non tantum ignominiosum, sed damnosum etiam Spartanis est: contra fortiter pugnare, & vincere, honestissimũ. *Plut. in Lacon. apoph.*

Anonyma. Lacæna quædam cum filios suos è prælio fugam adornasse audisset, domum venientes vehementer obiurgauit, dicens: Quo itis ignaua, & fugitiua mancipia? & ostento ventre: Num huc, inquit, denuo subituri vnde emersistis? *Plut. in apoph. Lacænarum.*

Alcibiades, quum accepisset se vna voce à populo Atheniensi morte damnatum, vitassetq; carcerem, (nam statim vt accusatus est è patria aufugit.) At ego, inquit, ostendam illis Alcibiadem viuere. *Brus. lib. 7. c. 14.*

Pyrrhus, quibusdam dicentibus hostes ita circumueniendos esse, vt ne fuga vitam eripere possent, respondit: Hostibus nequaquam intercludendam, sed aperiendam potius esse viam quo citius magna cum ignominia fugiant. *Plut.*

Scipio Africanus dicere solebat, hosti non solùm dandam esse viam fugiendi, sed etiam muniendam. Fuga enim hostium paratur salus militum fortiter pugnantium. *Plut. in apoph.*

Cicero. Fabricius cum demisso capite à iudicio recederet, vrbane Cicero in oratione pro Cluentio ad illius fugam alludens: Respice, inquit, hominum fortunam, respice C. Fabricij senecturem. *Brus. l. 2. c. 45.*

Anonymus. Post Mutinensem fugam, percontantibus quid ageret Antonius? Quidam è familiaribus eius respondisse fertur, id quod canis in Nilo, bibit, & fugit. Constat enim in Aegypto canes in Nilo currentes bibere: nimirum metu crocodilorum eo in flumine regnantium. *Macrob. l. 2. c. 2. Saturn.*

Cornificius Poeta, videns milites in bello, quod inter Augustum, & Antonium gerebatur, frequenter fugere, appellauit eos lepores galeatos. *P. M. l. 8. apoph.*

Cicero cum à Cæsaris partibus discessisset, Pompeijq; ignauiam contemneret, vrbane: Quem fugiam, inquit, noui: ad quem autem fugiam, haud quaquam. *Plut. in apoph.*

Idem. Quidam à Cæsare ad Pompeium transfugiens, dicebat se festinandi studio equum reliquisse. Cicero dixit, illum melius de equo quam de se statuisse. Sentiens, longè rectius facturum fuisse, si & ipse mansisset apud Cæsarem. *Plut. in apoph.*

Iul. Cæsar, Pomponio militi ostentanti ore exceptum in seditione Sulpitiana vulnus, quod se passum pro Cæsare pugnantem gloriabatur: Ne vnquam fugiens respexeris, inquit, Cæsar. *P. M. lib. 4. apoph.*

Idem in prælio quodam, Martiæ legionis aquiliferum iam ad fugam conuersum, faucibus apprehensum in contrariam retraxit partem, dextraq; ad hostem porrecta. Quorsum, inquit, tu abis? illic sunt, cum quibus dimicamus. At manibus quidem vnum militem correxit, voce autem tam acri legionum trepidationem discussit, vinciq. paratas vincere docuit. *P. M. lib. 4. apoph.*

Augustus Cæsar militem saxo in expeditione percussum, ac notabili cicatrice in fronte deformem, nimium tamen sua gesta iactantem, sic leniter taxauit: At tu cum fugies posthac, numquam post te respexeris. *Macrob. l. 2. c. 4. Saturn.*

Pertinax ab amicis suis admonitus, atque oratus etiam, vt militum prætorianorum crudeles insidias, qui Imperatorem è vita tollere conabantur, effugeret, populiq. auxilium imploraret: Respondit, indecorum esse, ac illiberale, minimèq; dignum Imperatoria maiestate, atque anteacta vita, latebris, aut fuga salutem quærere. *Herod. l. 1.*

Aurel. Probus, cum equus esset ipsi oblatus, qui ob miram currendi velocitatem admodum laudaretur (centum enim ad diem millibus passuum currere dicebatur) credentibus hoc omnibus: Fugitiuo, inquit, militi potius hic equus, quàm forti conuenit. *Vopiscus.*

Alphonsus laudare eum maximopere solebat, quicumque fugentibus hostibus argenteum pontem extruendum dixisset. Existimabat enim vel multo optabilius esse hostes in fugam vertere, quã occidere: vel hostes pecunia sollicitandos, vt ab acie discederent. *Panor. lib. 4. de reb. gest. Alphons. P. M. 8. apoph.*

Demosthenes clypeo suo literis aureis inscripserat ἀγαθῇ τύχῃ id est, bona fortuna: Attamen cum ad pugnam ventum esset, illico projecto clypeo sufugit. Id cum illi probo daretur, quod ῥίψασπις esset, eluit vulgato versiculo:

Ἀνὴρ ὁ φεύγων καὶ πάλιν μαχήσεται.

Id est,

Vir fugiens, redintegrabit prælium.

Iudicans, satius esse patriæ fugere, quã in prælio mori. Mortuus enim non pugnat: at qui fuga quæsiuit salutem, potest in multis prælijs patriæ vsui esse. *Plut. in vita Demost.*

Theodorus Philos. interrogatus, cur Athenis profugus venisset ad Lysimachum regem? Non profugi, inquit, sed idem mihi accidit, quod Herculi: nam vt ille ob peculiares quasdam virtutes ab Argonautis fuit expositus: sic ego propter magnanimitatem, quam Atheniensium rectores non valebant assequi, sum vrbe exclusus. *Philo Iudæus in lib. Quod omnis pro lib.*

Xenetus, ciuibus exprobrantibus sibi quod Imperator exercitus fugisset in bello: At vobiscum, inquit, o cara capita, probrum cum exprobrantibus communicans: neque enim dux persistere potest absque militibus. Et turpiter obijcit alteri vitium, à quo ipse non est immunis. *Plut. in Politicis.*

Alcibiades. cum ad causam pro capite dicendam è Sicilia vocaretur ab Atheniensibus, obtemperare noluit: Stultum est, inquiẽs, iudicium quærere, non fuga sibi consulere, cum fugere possis. Et cum quidam diceret: An non credis teipsum patriæ? respondit, imò ne matri quidem crederem. Timerem enim, ne forte per imprudentiam, aut errorem veritatis, nigrum calculum pro candido submitteret. *Ælian. l. 3. de varia hist. Plut. in Alcibiade.* Huic haud absimile est Germanorum tritum prouerbium: Auff der vveite ist gut taedigen. Cum licet fugere, ne quæras litem.

Antigonus aliquando cedens hostibus imminentibus, aiebat se non fugere, sed opportunitatem à tergo sitam persequi. Sentiens, nõ esse turpe fugere quoties magis expedit hosti dare locum, quã conserere manus. Dicti gratia in hoc est, quod cum fugere, & persequi sint contraria, ille fugiens interpretabatur, se persequi magis quàm fugere. Persequimur enim hostem, & persequimur id quod studiosè expetimus. *Plut. in apoph. Stob. ser. 55.*

SIMILITVDINES.

Ciceronis. Vt contemnendus est, qui in nauigando se, quàm nauem mauult incolumem: Ita vituperandus, qui in Reipublicæ discrimine suæ plus, quàm communi saluti consulit. *lib. 4. ad Herennium.*

Seneca.

Seneca Quemadmodum perniciosior hostis fugientibus: Sic grauius est incommodum, si cedas ac des terga. *Apud P. M.*

Themist. Corpora mollia rarius violantur, quàm dura: Ita sæpè melius habet qui cedit, quàm qui resistit. Nam & abies, & quercus potius exuuntur tempestatibus, quàm salices. *In apophth.* 126.

ADAGIA.

Ἐκδιδράσκειν.
Græci prouerbiali metaphora vocant elabi ac subfugere. Aristophanes.

Ἐκλύεσθαι
Prouerbiali figura extendit dictum Eustathius, pro elabi, & clam sese subducere.

Casses rodere.
Vsurpari hoc tum potest, cum effugij nobis quærenda occasio est, etiam cum argumentis implicitis tenemur, aut alia quadam ratione capti sumus. Den Strick abnagen.

Omnes laqueos effugere difficile: *τὸ τὰς ἁπάσας παγίδας μὴ ἐκδύειν διαφυγεῖν.*
Prouerbialis hæc locutio, à venatu etiam translata est, in quo ita vndique exitus sepiuntur, vt feram in aliquas incidere insidias necesse sit. Plato in Sophista.

Reperire rimam.
Quadrat hoc in cauillatores, & tergiuersatores, qui nullis in causa sua fidei astringi vinculis possunt, vt non aliquid inueniant quo elabantur. Plato. Ein schlupffen finden.

EXEMPLA BIBLICA.

Fugæ exempla: Rex Sodomorum. *Gen.* 14. 10. Agar, 16. 6. Iacob, 27. 43. & 31. 1. Moyses, *Exod.* 2. 15. *Act.* 7. 29. Israelitæ, *Exod.* 14. 5. *Ios.* 7. 4. 1. *Sam.* 4. 10. & 17. 24. & 31. 1. Moyses & Aaron, *Num.* 16. 42. quinque Reges, *Num.* 10. 16. Adonibezech, *Iudic.* 1. 6. Sisara, 4. 15. 16. 17. Madianitæ, 7. 21. Zebee & Salmana, 8. 12. Ioathan, 9. 21. Iephte, 11. 23. Israelitæ, & Beniamitæ, 20. 32. 47. Vir quidam, 1. *Sam.* 4. 16. Philistæi, 19. 8. Dauid, 10. & 20. 1. & 21. 10. & 22. 1. 2. *Sam.* 15. 14. Abiathar, 1. *Sam.* 22. 20. quadringenti Viri, 1. *Sam.* 30. 17. Abner, 2. *Sam.* 2. 24. Berothitæ, & Nutrix Miphiboseth, 10. 18. Filij Dauidis, 13. 29. Absalon, 34. Ioab, 1. *Reg.* 2. 28. Serui Semei, 39. Adad, & viri Idumæi, 11. 17. Syri, & Benadad, 20. 21. 30. Elias, 1. *Reg.* 17. 5. 9. & 19. 3. Moabitæ, 2. *Reg.* 3. 14. Ochosias, 9. 27. Adramelech, Sarasar filij Sennacherib, 19. 37. Tobias, *Tob.* 1. 24. Sedechias, & viri bellatores, 2. *Reg.* 25. 4. *Ier.* 39. 4. & 52. 7. Ismael Nathaniæ filius, &c. *Ier.* 41. 15. Ionas, *Ion.* 1. 3. Ptolomæus, 1. *Machab.* 1. 19. Mathathias, & filius eius, 2. 28. Gentes, 5. 9. exercitus Nicanoris, 7. 44. Ionathas, & Simon, 9. 33. exercitus Demetrij, 10. 49. Alexander, 11. 15. 16. Tryphon, 15. 11. Menelaus, 2. *Machab.* 5. 7. Lysias, 11. 12. Gentes, 14. 14. Ioseph cum Maria matre Iesu, *Matth.* 2. 13. Christus, 12. 15. *Marc.* 14. 50. *Ioan.* 6. 15. & 7. 1. & 8. 59. Discipuli, 26. 56. Paulus, *Act.* 9. 25. & 17. 14. Paulus, & Barnaba, 14. 6. Mulier, *Apoc.* 12. 6. 14.

EXEMPLA PROFANA.

Iphicrates hostibus in fugam versis, pedetentim agmen ducens sequebatur, & præcipiens aiebat: insidias omnino illud o cauete: reliquos autem ex fugientibus cædite vsque ad fluuiorum transitus & locorum angustias, atque fossas. Hic maximè includi fugiẽtea non oportet, ne cogantur ex desperatione pugnare: Prope munitiones, aut mœnia persequi, non vtile est. multi enim iam sæpè parta victoria, postquam intra teli iactum venerunt, maximis cladibus affecti discesserunt. *Polyæn. l.* 3.

Idem noctu capta vrbe, hostibus in forum concurrentibus, & conglobatis, portas aperire iussit, fugiendi potestatem concedens: vt ipse minori cum periculo ciuitatem obtineret. *idem.*

Edixit *Lycurgus*, vt prælio fusos, fugatosq. hactenus, dum confirmassent victoriam, consectarentur, mox receptui canerent: quod trucidare terga dantes Græcis neque dignum, neque conducibile foret. *Plut. in apoph.*

Agesilaus Athenensibus ad Coroneam superatis, nunciante quodam: Hostes in templum confugiunt: iussit eos abire quocumque vellent. *Polyænus lib.* 2.

Gallos, eo prælio quod Camilli ductu gestum est, desiderantes nauigia, quibus Tyberim transirent: Senatus censuit transuehendos, & commeatibus quoque prosequendos. Iisdem postea per Pontinum agrum fugientibus via data est, quæ Gallica appellatur. *idem.*

C. Iul. Cæsar Germanos inclusos ex desperatione fortius pugnantes, emitti iussit, fugientesq; aggressus est.

Ioan. Huniades suos ab insequendis Turcis ad Belgradum victis inhibuit, cum sciret Turcos ancipiti discrimine duplo seipsis fortiores reddi. *Chalcocondylus lib.* 6.

HIEROGLYPHICA.

Si fugam notare voluerimus, *Canem* identidem, sed subiecta inter crura cauda figurabimus. Hieroglyphici caussam nemo eorum quos in hoc argumento sequimur, explicauit. Figmentum ego à re ipsa dubio procul sumptum crediderim, vulgato in hæc tempora prouerbio: vt eum, qui animum despondeat, vel ab incepto propter ignauiam perculsus, meticulosè desistat: subijcere eum inter crura caudam, obijciamus. Quoties enim *Canes* fugam arripiunt, pręq; metu abacti caudam inter crura subijciunt. *Pier. Val. lib.* 5.

Fugitiuum dubio procul hieroglyphice notari qui vellent currentem *Ceruum* describebant. Ea verò fugacitas *Ceruo* natura insita. *Hinc Lucretius.*

> *Et fuga ceruis*
> *A patribus datur, & patrius pauor incitat artus.*

Pier. Val. lib. 7.

Commenti sunt nonnulli popularem fugam per *examen apum & subiectum fumum* indicari: quandoquidem *apes* nulla re magis consternantur, quam fumo supposito. Atque hac similitudine vtitur Apollonius Argonautis, in describenda Bebryciorum fuga, simul atque interemptum Amycem conspexere. *Pier. Val. lib.* 25.

Dorsum autem fugæ manifestum est hieroglyphicum: vnde 1. *Regum* 6. vbi de Dagonis idoli casu scribitur: *Arcã Domini iuxta locatã, nostra fractã diffi. ffe, manenq; dorsum eius tantum inuentum*: quod indiciũ fuit, veri numinis aduentu falsum erectum, & in fugam actum. *Idem l.* 32.

F V R T V M.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Furtum, Græcè *κλοπὴ & κλέπτης*, fur dicitur. Et est occulta acceptio rei alienæ, *secundum B. Thom. secunda secundæ quæst.* 66. *art.* 3.

Furtum est minus graue, quàm rapina, dupliciter. Primo, quia inuoluntarium per vim est maius quam per ignorantiam. Secundo, quia rapina est in re, & in persona: furtum verò in re tantum. *secund. B. Thom. Ibid. art.* 9.

Furtum *secundum Legistas ff. de fur. l.* 1. est contrectatio rei alienæ mobilis, & corporis fraudulosa inuito domino, lucri faciendi gratia, siue ipsius rei, siue vsus rei, siue possessionis. Differt autem fur ab abigeo, quia fur generale nomen est. Abigeus speciale, s. Quid autem abigeus siue abactor sit, vide supra *in Abactor.* Dicitur autem furtum, à fur, fur verò à furuum, quod veteres atrum dicebant, vnde furuo, fulgo. Furtum prætereà interdum significat adulterium. *Ouid. Hæc tibi nempe patrem furta dedere Iouem*, quod adulteria, sicuti & latrocinia furtim, hoc est, clam soleant perpetrari.

Fur, generis comm. nomen notæ significationis, à ferendo, vt quidam putant, id est, ab auferendo dicitur, à Græca voce φώρ. Heb. *Ghannab.* furtum, *Genebah*, à verbo *Ghanab*, furatus est: furtim abstulit, clam subtraxit, tanquam sub alis & axillis occultando, abripuit clanculum. Cognationem habet cum *Canaph*, flexit alas, & *Canaph*, obtectus fuit nebula. Fures etenim se contegunt, quærentes latibula, & pro virili rem ablatam sub alis seu axillis abscondunt.

Furtorum in omni vita tum priuata, tum publica, genera multa numerantur. Inter cætera occurrunt. 1. Pleonexiæ & fraudes variæ in contractibus. 2. Vsuræ immodicæ. 3. Rapinæ, vt prędonum tum in sagis, tum in togis imbecilliores supprimentium. aduersus quos exclamat *Esaias c.* 33. Væ tibi qui spolias: quia spoliaberis. 4. Iniusti & dolosi contractus. 5. Expilationes iniquæ & immoderatæ. 6. Furta priuata & publica in foro, curia, aula, œconomia, politia, Ecclesia. 7. Iniustę mercedes, iniqua stipendia & præmia, quę deuorantur ab ignauis & ociosis, cum interea fideles serui fame vel penuria contabescant. 8. Ignauia seruorum seu ministrorum in varijs vocationibus. 9. Mendicitas validorum, de quibus in Vlyssis persona. Homerus Odissεæ lib. 16.

> *Hic quia nequitiæ assueuit, adire laborem*
> *Non vult, & tumida populi petit ostia voce,*
> *Vt replere suam queat insatiabilis aluum.*

10. Omnia denique lucra iniusta, quæ malè parta malè dilabuntur, vt vulgo dicunt, de malè partis non gaudet tertius hæres.

Furti autem non solum reus est, qui rem ipsam alienam vel surripit, vel mala fide possidet, vel ad se recipit: verum etiam qui vetus pro nouo supponit, qui falso pondere ac mensura vtitur, qui tempore & loco cõstitutis rem alienam, cui debet, mala fide retinet, vel interpolat, vel denegat, vel falsatam aut mancam restituit.

LOCI BIBLICI.

Fur nocturnus impune occidi potest. *Exod.* 22. 2.

Furtum, prohibetur, committitur & punitur. *Exod.* 20. 15. & 21. 16. & 22. 1. *Leu.* 19. 11. *Deut.* 5. 19. & 24. 7. *Ios.* 7. v. 19. *Tob.* 2. 21. *Prou.* 6. 30. *Ose.* 4. 2. 2. *Machab.* 12. 40. *Ierem.* 7. v. 9. *Zach.* 5. 3. *Matth.* 19. 18. *Ioan.*

Ioan. 12.6.1.*Cor.*6.10.*Ephes.*4.28.*Tit.*2.10.1.*Pet.*3.et 5.*Apoc.*9.v.21. poena furti. *Exod.*22.v.1.4 *Prou.*6,31.1.*Cor.*6.10.Furti & scortationis collatio,*Prou.*6.30.

SENTENTIÆ BIBLICÆ.

Furti prohibitio.

Non furtum facies.*Exod.*20.*Leuit.*19.*Prou.*3.

Qui furabatur,iam non furetur.*Ephes.*4.

Conditio.

Qui cum fure participat, odit animam suam,adiurantem audit, & non indicat.*Prou.*29.

Participes tui infideles socij furum.*Esa.*1.

Punitio.

Qui furatus fuerit hominem, & vendiderit eum, conuictus noxæ, morte moriatur.*Exod.*21.

Si quis furatus fuerit bouem, aut ouem, & occiderit,vel vendiderit, quinque boues pro vno restituet, & quatuor oues pro vna oue.Si effringens fur domum,siue effodiens fuerit inuentus & accepto vulnere mortuus fuerit, percussor non erit reus sanguinis.Quod si orto sole hoc fecerit, homicidiumque perpetrauerit, & ipse morietur.22.

Fures regnum Dei non possidebunt.1.*Cor.*6.

SENTENTIÆ PATRVM.

Nemo habet iniustum lucrum sine iusto damno,verbi gratia. Qui furatur, acquirit vestem, sed perdit fidem: vbi lucrum ibi damnum,lucrum in arca,damnum in conscientia. *August. in sermo. de decem plagis.*

Amico rapere quippiam, furtum est,Ecclesiam fraudare,sacrilegium est, decerpsisse pauperibus erogandum, & esurientibus plurimis illud reseruare vel cautum,vel timidum est,aut quod apertissimi sceleris est, exinde aliquid subtrahere, omnium prædonum crudelitatem superat.*Hier.*& *habetur* 12.q.2.c.*Gloria episc.*§.*Amico.*

SENTENTIÆ POETICÆ.

Phocylides.

Φειδοῦ μὴ δ' ἔξω κλεπτίμενα δῶρα παραδέχου.

Α'μφότεροι κλῶπες καὶ ὁ δεξάμενος καὶ ὁ κλέψας.

A furibus ne suscipias furtiuum viris depositum.

Ambo enim fures,& qui recipit,& qui furatus est.

Plautus in Pœnulo.

Mali partum,malum disperit.

Catullus in Epithalamio.

Nocte latent fures.

Iuuenalis satyra 3.

Me nemo ministro.

Fur erit.

PHILOSOPHORVM SENTENTIÆ.

De Furtis. DIAL. LX.

Franc. Petrarch.

DOL.

Id modicum,quod superest à furibus vix defendo.R.Rure te villicus tuus patientiam mali huius edocuit, quam in vrbibus exhibeto.D.Me fures infestant.R.Cótra hoc malum nil querelis agitur supplicijs opus est. Interim custodia proficiet vigilanti. Sunt qui nihil custodiant,& accusent fures,cum vetus sit prouerbium,quod occasio furem facit. D. Limen meum fures obsident.Claude ostium, obde seram,aperi oculos,atque intende;si negligis, temetipsum culpa,raro fur intentis obstat. Illi iustius queruntur,quibus non sunt domos,quales sunt quidam populi sub meridiem,& sub Arcton:& ideo apud scythas,vt scriptum vides, nullum scelus fur to grauius,& sequitur ratio: quid.n inter siluas supeiesset,si fura ri liceret?D.Fures mihi subtrahunt res meas.R.Suas fieri volunt, nec tu vetas.Puta ergo negligentiam tuam plecti, rerumque te tuarum custodiam hoc precio doceri.Vitia non discuntur gratis.D. Mihi molestissimi fures sunt R. Importunum plane genus hominum iure optimo bonis omnibus odiosum,non modo vt pellileus, sed vt vile.Sic.n.habe.Non.n.aliter,quam summa animi vtilitate aliquem ad hoc trahi.Haud immeritò igitur Aurelius Alexander princeps iuuenis sed bonus,tanto furum odio flagrauit, vt de illo scribat Aelius Lampridius, si quem talium vidisset,paratum digitum habuisse, vt illi oculum erueret, tautique cum stomachi fuisse in furtorum infamia laborantes, vt si eos casu aliquo videret commotione animi choleram euomeret, toto vultu inardescente,ita vt nihil loqui posset. Nobilis prorsus indignatio generosi animi,vere ingens furum fœditas, quæ viro forti,& sublimi sic subito nauseam extorqueret. Quin imo, quum quidam ex honoratis aliquando furti reus ambitiose tandem fauore quorundam amicorum regum ad militiam aspirasset, & statim in furto deprehensus esset(vix.n.illi vitio assueti desistere vnquam sciūt) quæsiuit Alexander à regibus,qui illum promouerant,quid apud eos pateretur fures? cumque illi respondissent crucem,illico eum de illorum sententia crucifixit.D. Furtis infestor.R. Contra furta bona est vigilantia, atque custodia optima est paupertas,quādiu aliquid erit,quod furtū dulce sit,eorum vel manus certè, vel oculos non euades,vis fures non metuere? pauper esto.

Nihil est turpius ingenuo,nihil minus libero dignum quam in conuentu maximo cogi à magistratu furtū reddere.*Cic.* 4. *Act. in Ver.*

Furtum quidem pecuniarum, res illiberalis est,rapina verò impudens.*Idem.*

Nulli verò, etiam cui rapina cessit feliciter , gaudium recte durauit in posterum.*Seneca ad Lucilium epist.*75.

Alienum nobis nostrum plus alijs placet.

Alienum æs homini ingenuo acerba est seruitus . *Seneca in Prouerbijs.*

Omnis fur malignus est.*Arist.lib.*2.*Rhetor.*

Detrahere aliquid alteri,& alterius incommodo suum commodum augere,magis est contra naturam quam mors,quam dolor, quam cætera,quæ possunt aut corpori accidere,aut rebus externis,*Cic. de Offic.* l.3.c.3.

Si vnusquisque rapit ad se commoda aliorum, & distrahit quæ potest,emolumenti sui gratia, societas & communitas hominum euertitur. *Idem.*

Opportunitas etiam mediocres viros spe prædæ transuersos agit. *Salustius in Iugurtha.*

Ex pecuniæ cupiditate factiones dissensionesque nascuntur. Nam & predę cupiditas multos longius euocat.*Iulius Cæsar.*

Soli fures de paupertate conqueruntur,dum volunt vitæ suę scelera tegere.*Lampridius in Alex.Seuero.*

APOPHTHEGMATA.

Democrates,furem ab vndecim viris abduci videns, vah miser,inquit, cur tantula furatus es, & non potius magna, vt tute etiam abduxisses alios.*Stob.ser.*11.

Zeno Citticus seruum in furto deprehensum cædi iussit: cumque is se sic excusaret, vt diceret, sibi fuisse in fatis, vt furaretur: Et cædi, inquit.*Laert.l.*7.c.1.

Diogenes Harpalum, celebratissimum furem, contra Deos testimonium dicere aiebat, quod in illa fortuna tamdiu viueret. *Laert.*

Idem conspicatus duci quendam, qui phialam ex ærario furatus fuisset(ducebatur autem à magistratibus,quos illi *ἱεpομνήμονας*, appellant) Magni,inquit Diogenes, fures paruum ducunt, vtinam hoc non possit vere dici in magistratus aliquot Christianos, à quibus ad laqueum adigitur interdum, qui decem drachmas sustulit: ipsi impune magnis furtis vel peculatu potius ditescunt. *Laert.l.*6.

Demosthenes, ad furem inquientem , Nesciebam quod tuum hoc esset: At tuum non esse satis sciebas, respondit.*Stob.ser.*11.

Anonymus. Lycurgi legibus cum furta permitterentur, solusque qui deprehenderetur, pœnas negligentiæ daret: puer quidā vulpeculā furatus, aduenientibus, qui amiserant ad quærendum vestibus occuluit. Feram verò sæuientem,ac pueri ipsius latus ad intestina vsque lacerantem, tantisper tolerauit. Dum autem quærentes abirent,reprehensus à pueris quibusdam, dicentibus melius fuisse manifestare vulpeculam, quam vsque ad mortem occulere, Minime,inquit puer: sed multo satius est mori, quam in furto deprehendi.*Plut.in Lacon.*

Alexander Euryct. F. roganti cuidam , cur Spartani non colligerent pecunias in ærarium publicum? Ne inquit,corrumpantur,qui sa cti fuerint illarum custodes . Quam malè consulunt integritati suę,qui priuatim pecuniarum vim in arcam recondunt,si vii prudens ciuium suorū moribus timuit,à pecunia publica, cuius tantum erant custodes futuri,non domini.*Plut.in Lacon.*

Catulus,dicente Philippo,quid latras? Festiue,furem se videre respōdit.*Brus.l.*2.c.40.

Anonymus. In seruum furacem ita iocatus est, vt diceret eum solum esse , cui domi nihil sit signatum nec occlusum . Intelligimus autem, illi nec signa obstare , quo minus furetur . Scrinia claudimus : olim verò & cadi lagenæque solebant obsignari. *P.M.l.*6 *apoph.*

Alex.Seuerus adeo vindex furti fuit, vt per præconem sæpe edixerit : Nemo salutet principem qui se furem esse nouit. *Æl.Lampridius.*

Idem dicere solebat , solos fures de paupertate conqueri, dum ita student scelera vitæ suæ tegere. Iactabat & sententiam notam furibus.

Ὁ πολλὰ κλέψας, ὀλίγα δοὺς ἐκφεύξεται.

Id est.

Qui multa furatur, & pauca dat, effugit. Notans quosdā,qui tantum furantur, vt habeant quo corrumpant iudicem, aut actorem. *Æl.Lamprid.*

Idem, furti suspicione infames nec intueri sustinebat : adeo vt quum Septimus Arabinus, qui famosus crimine furtorum sub Heliogabalo fuerat liberatus, inter senatores principem salutatum venisset,exclamauerit, O Numina,ò Iupiter,ò Dij immortales,Arabinus non solum viuit,sed etiam in senatum venit,fortassis

...sis de me sperarat tam fatuum, tam stultum me esse iudicat? *Lampid.*

SIMILITVDINES.

Ciceronis. Vt fures earum rerum quas ceperunt, signa commutant: Sic multi alienis sententijs pro suis vtuntur, omnia tamquam rerum notas mutantes. *lib. 5. de finibus.*

Seneca. Quemadmodum fures alienis poculis ansas mutant, ne possint agnosci: Ita nonnulli de alienis inuentis paululum quiddam immutant, ac sibi vsurpant, & detractis, aut additis paucis verbis, existimant suum videri posse, quod est alienum. *Apud P. M.*

Plini. Vt fuci cum ipsi non mellificent, tamen apum insidiantur laboribus: Ita sunt qui nihil ipsi excudant, sed aliorum vigilijs elaborata furto vendicant. *lib. 11. c. 17.*

ADAGIA.

Siculus omphacizat.

Omphaca Græci dicunt vuam acerbam & immaturam. Vnde dicebatur in eos, qui quantumlibet vilia tollerent furto. Dictum à furacitate Siculorum.

Furari litoris arenas.

De ijs dicitur, qui rem neglectam, & incustoditam tollunt. Vnde illud Ouid. in Amor.

Ille potest vacuo furari littore arenas,
Vxorem itidem quisquis amare cupit.

Famelicus vir esse furax cogitur. *Suidas.*

Furem fur cognoscit, & lupum lupus.

Lydus ostium clausit. *Λυδὸς τὴν θύραν ἔκλεισε.*

De furacibus dicebatur, quod Lydi non discederent, nisi re quapiam sublata. P. M.

Argiui fures.

Argiui antiquitus furacitatis infamia laborarunt. Suid.

EXEMPLA BIBLICA.

Furti, & furum exēpla: Rachel, *Gen 31. 19.* Acham. *Iosf. 7. v. 10. 20.* Soror Ochosiæ, *2. Reg. 11. 2.* Menelaus, *Macc. 4. 32.* Principes Iudæorum, *Esa 1. 23.* Iudas Ischariotes, *Ioan. 12. 6.* cum fure non versandum, *Prou 29. 24.* Fures dicuntur, verbum Dei, & doctrinam veram ad se rapientes, *Ier. 23. 30. Ioan. 10. 1.* Fures laborēt, & ad quid, *Eph. 4. 28.*

EXEMPLA PROPHANA.

Cum primum *Persæ* in Euboea militarūt, Diomnestus vir Eretriensis præerat thesaurorum custodiæ. Omnibus verò mortuis, cum & nesciretur Diomnestus habere pecuniam, thesauros illos apud se retinuit. *Athen. l. 12. c. 12.*

Tauros Scythas Herodotus scribit in Melpomene furandi licentia sibi victum comparare, atque item ex bello.

Lydi non discedebant, nisi re quapiam sublata. *P. M.*

Argiui antiquitus furacitatis infamia laborarunt. *Suidas.*

Apud *Spartanos*, puerorum præfectus, qui Iren dicitur, pueris imperat grandioribus, vt ligna adferant, & olera minoribus. Ferūt furto, partim ex hortis, partim in virorum conuiuia, per astutiæ, & cautè irrepentes. Deprehensus multa verbera flagello accipit, quod solutus in furando, & iners videatur. *Plut. in Lycurgo.*

Vranius Q. Lucilij Catuli furacissimus libertus fuit: cum quum deprehendisset nummularius, nūmos de mensa subtrahentem, ac in calceos sibi infarcientem, Belle (inquit quidam) te nummularius excalciauit. *Calius l. 19. c. A. L.*

Theodorus pædagogus gemmam discipuli collo detractam suffuratur.

D. *Augustinus* fatetur, se puerum de paterno penu, vel ingluuiei causa, vel vt esset quod pueris collusoribus daret, quædam furto abstulisse *lib. 1. Confess. c. 19.*

FABVLA.

Mercurius, & Tiresias.

Mercurius periculum facturus diuinationis Tiresiæ, formam hominis sibi accommodat, & abactis bobus illius qui in agro pascerentur sub vrbe, ad Tiresiam venit, quasi ioa aliqua de re illum consulturus. Interea & de amissis bobus huic nuncium affertur. Quo damno motus Tiresias assumpto Mercurio in locum editum, & patentem proficiscitur, de auium iudicio furem vt cognosceret. Iubet igitur dicere Mercurium, num auem aliquam cernat. Ille, aquilam se videre, ait, quæ volatu à læua ad dexteram ferretur. Nil hæc ad nos, inquit Tiresias, obseruemus igitur aliam. Paulo post Mercurius, cornicem conspicatus in proximæ arboris ramo insidentem, quæ nunc rostrum in cœlum attolleret, nunc terram versus demitteret, ipsum significat vati. Qui gestu cornicis intellecto: Hæc, inquit, cœlum & terram coniux testatur, recepturū me boues meos, si quidem tu volueris. Hac fabula aduersus fures vti possumus.

FVROR.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Furor Græcè ὀργὴ, ἐμμανής vel χόλος, dicitur. Est ira accensa, non differens re ab ira, sed secundum magis & minus. *D. Tho. super Psal. 35. col. 6.*

Furor, *μανία τῆς διανοίας παραφορά*, est grauior diuturniorque mentis alienatio ex vitiato principis animæ facultatis instrumento originem habens. Vel est mentis abalienatio vehemens citra febrem. Hebr. *Zahhaph.* Sæuitia indignatio sæua, à verbo *Zahhaph*, Sæuit, sæuus fuit, obscurus seu tristis fuit. Furiosi enim torui intuentur, turbato vultu, & obscura facie ceu tristes, apparent. Cognationem habet cum *Zahham*, indignatus est. Indignatio n. furoris comes. 2. Appellatur etiam *Charon. Ezech. 7. 22. Psalm 2. 5. & 85. 4.* à verbo *Charah*, exarsit ira, excanduit animo. Cognationem habet cum verbo *Charar*, exustus est, furor tanquam ignis vrit. 3. Dicitur etiam *Hebrah.* efferuescentia bilis, furor, *Hebroth* furores. Ira certè furor breuis est. Furor Dei humani eius describitur innumeris locis. *De hebrah, & Hebroth.* vide, *Iob. 21. 30. & 40. 6. Psal. 7. 7. Esa. 9. 18. Ose. 5. 10. Prou. 11. 4.* à verbo *Habar*, transijt, præterijt, traiecit. Vt ignis n. momento inualescit, & transit de loco ad locum, ita bilis feruens, vnde furor. Cognationem habet verbum illud cum *Babar*, exarsit, combussit, vt furor solet in furioso exardere & grassari miris modis. 4. Nominatur *Schighghabon*, Insania, dementia, fatuitas, *παράνοια.* festinatio præceps, quæ in furore impulsis apparet: *Deut. 28. 28. 2. Reg 9. 20. Zach. 12. 4.* à verbo *Schighghehha.* Vesanum reddidit, insanum fecit. Et in 4. coniugat. *Hischennaghghahha*, simulauit se insanum & furiosum. *1. Sam. 21. 13. 15.*

Quomodo furor differat ab insania docet Cicero, *lib 3. quæst. Tuscul* Insaniam (inquit) censuerunt esse inconstantiam sanitate vacantem, quæ tamen posset tueri officium, & vitæ communem cultum atque vsitatum: furorem autem rati sunt mentis ad omnia cæcitatem: Quod quum maius esse videatur, quàm insania, tamen eiusmodi est vt furor in sapientem cadere possit, non possit insania.

Idem *lib. 1. de Diuin.* Furorem sumit pro humana mente quæ vi quadam diuina concitatur, qualis est furor Poetarum. Negabat etiam Democritus quempiam Poetarum magnum esse sine furore. Paulo ante dixerat: Inest igitur animis præsagitio extrinsecus iniecta atque inclusa diuinitus: ea si exarsit acrius furor appellatur, quum à corpore animus abstractus diuino instinctu concitatur. Porro furor hic affectus dictus est, quod eo correptus huc atque illuc temere feratur.

LOCI BIBLICI.

Furor impiorum. Furore percuuit Deus inobedientes. *Deut. 18. v. 28. Prou. 6. 34. & 15. 1. & 27. 4.* Furor Dei.

Vide Ira Dei.

POETICAE SENTENTIAE.

Ouid. 1. Amor. 2.

Blanditiæ comites tibi erunt, terrorque, furorque,
Assiduè partes turba secuta tuas.

Sen. Herc. fur.

Solus te iam præstare potest
Furor insontem proxima patris
Sors est manibus, nescire nefas.

Ouid. 1. Remed.

Dum furor in cursu est, currenti cede furori:
Difficiles aditus impetus omnis habet.
Stultus, ab obliquo qui cum discedere possit,
Pugnat in aduersas ire natator aquas.

Stat. 3. Theb.

Deus ecce furentibus obstat.

Claud. bello Get.

Sed caret euentu nimius furor, improba numquam
Spes laturata diu.

PHILOSOPHICÆ SENTENTIÆ.

Furiosum habitum iuuentutis cauere oportet. *Platon. lib. 2. de leg.*

De furore. DIAL. CXV.

Franc. Petrarch.

DOL.

Nimius dolor, ne furorem pariat metuo. R. Obsta illi cogitationibus bonis & placidis. Quidam furori viam passio ibilis faciunt, ex multis affectibus non sanis vera tandem prodit insania, sicut è contrarijs vera virtus: frequentatis actibus fieri habitum, philosophicum dogma est. D. Furere metuo. R. Si animi vitio ille

tibi armandus, armatura animi virtus est, at si corporis, consulendum succurrendumq; illi est. si qua rei huius ars est ipsos apud corporum magistros qui physici nuncupantur, quæ si in hoc, vt in multis alijs, aut nulla est, aut professoribus suis incognita. Ego artem hanc vnam tibi præscripserim abstinentiam & omnia excessus fugam. Notum illud atque antiquum: Viri sancti virtutib. corpus ædificant, multum conferunt animo simul & corpori fræna libidinũ ac gulæ. Multos strauit luxuria, multos oppressit crapula, multos somnus, multos ebrietas sepeliuit, multorum vitæ feruor, atque impetus, & furibunda licentia verum abijt in furorem. D. Timeo naturaliter in furorem agi. R. Quod natura infert durum potest esse, non miserum. Culpa enim caret, quæ miseriæ est radix. Quando autem prouidendi obtigit facultas, vnum facito, vt te furor si vitari nequit, insecuto saltem statu animæ reperiat. Innocens si furere cœperis, aut innocens resipisces, aut innocens morieris: Nulla ætas, nulla sanctitas, nulla custodia, sic innocentiam conseruat vt furor, qualem inuenit, talem reddit. D. Furere metuo. R. Heroas comites ac reginas metuis. An fastidis Herculem, & Aiacem, Hecubam, & Cassandram? an ex alio genere Lucretiam spernis. & Empedoclẽ? D. Furere pertimesco. R. Multa vaticinari solitos furentes accepimus. sic quo nullum acumen sani capitia peruenisset, vagus & rapidus furor venit, atque hinc Graij quam vos diuinationem dicitis à furore manticen dici volunt. D. Horreo vim furoris. R. Et sanos mœstos, & furentes lætos vidimus, falsa quamuis opinione. Habet & terror voluptatẽ suã. D. Furendi pauor animum ea agitat. R. Laborum furias quidam stimulato furore quæsiere. Verus furor furias veras dabit.

Exempla Biblica.

Simeon & Leui, fratres Dinæ, *Gen. 49. 6, 7.* Esau, *Gen. 27. 44.* Saul, 19. 10. *&* 20. 30. *&c.* Assuerus, *Ester. 1. 12.* Nebucadnezar, *Dan. 2. 12. &* 3. 13. 19.

Exempla Historica.

Athamas Æoli filius. furijs à Iunone immissis agitatus, Learchum filium interfecit *Plin. lib. 34. c. 14.*

Agaue, Cadmi & Hermiones filia, Bacchico furore correpta Pentheum filium interfecit.

Thamyras poeta, prouocans in musices certamen Musas, victus atque oculis, & mente priuatus, prouerbio locũ fecit. *Θαμύρας μαίνεται.*

Corybantes Cybeles cultores furore sacro correpti, cymbala pulsabãt: alios item in similem agentes rabiem *Idem.*

Pentheus dum sacra Bacchi contemneret, vlciscente numine in furorem raptus est *Virg. lib. 4. Æneid.*

Eumenidem veluti demens videt agmina Pentheus.
Et solem geminum, & duplices se ostendere Thebas.

Proetide ira Iunonis, cui sese præferebant, bouina insania laborarũt. *Ælianus.*

Lycurgus Dryantis filius rex Thraciæ, à Bacchi (cuius numen aspernabatur) in furorem versus vites excindere volens, crura sibi amputauit.

Cambyses Persarum rex, quum bouem Apin, quem Aegyptij pro Deo colebant, occidisset, furijs agitatus, vniuersam prope familiam deleuit. *Herodotus in Thalia.*

Fuluius censor, cum ex Iunonis templo marmoreas tegulas sustulisset, ijsque Romæ ædem Fortunæ equestris tegeret, mente captus est. *Lactantius lib. 2. c.*

Theopompus historicus propter vulgatos libros sacros Iudæorum per xxx. dies insanijt.

Iustinus minor Imperat. ab initio liberalis visus: verum à Sophia coniuge persuasus, auarissimus euasit, simul & Pelagianæ assertor hæreseos. Quapropter pro insano ad postremum habitus est. *Volat. lib. 23. Ant. rep.*

Alcmaeon, Amphiarai & Eriphyles filius, propter interfectam matrem, furijs agitatus est.

Emblema.

Furor & rabies.

And. Alciat. Emblema LVII.

Ora gerit clypeus rabiosi picta leonis.
Et scriptum in summo margine carmen habet:
Hic hominum est terror cuius possessor Atrida:
Talia magnanimus signa Agamemno tulit.

FVTVRVM.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Futurũ, Græcè *μέλλον, ὄντος, τὸ* dicitur. Et est, quod nondum aduenit, cum aduenturum sit. Hebr. *Hathidh* vocant id quod futurum est, & hominem expeditum in rebus agendis, à verbo *hatidh*, expediit, parauit festinanter, futurum enim semper & festinanter est in procinctu.

Sententiæ Biblicæ.

Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ pater posuit in sua potestate: sed accipietis virtutem superuenientis Spiritus Sancti in vos, & eritis mihi testes in Hierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vsque in vltimum terræ. *Actuum Apostolorum cap. 1.*

Poetarum Dicta.

Horat. Od. 29. lib. 3.

Prudens futuri temporis exitum
Caliginosa nocte premit Deus,
Ridetq; si mortalis vltra
Fas trepidat.

Stat. lib. 3.

Quid crastina volueret ætas,
Scire nefas homini.

Hor. Od. 9. lib. 1.

Quid futurum cras fuge quærere.

Comici Græci.

Οὐδεὶ τὸ μέλλον ἀσφαλῶς ἐπίσταται.
Haud de futuro tuta quis deliberat.
Θνητὸς πεφυκὼς τοὐπίσω προσβλέπειν.
Nitere, homo quum sis, prouidere in posterum.
Μηδεὶ ἕκαστος τῷ δ' ὅσα μέλλει παθεῖν.
Quodcunque quis passurus est, id eum manet.
Μή μοι γένοιθ' ἃ βούλομ', ἀλλ' ἃ συμφέρει.
Contingat id quod expedit, non quod volo.

Philosophica et Histor.

Placita.

Effugere nemo potest, quod futurum est Et sæpe vtile est non scire, quid futurum sit: miserum est enim nihil proficientem angi. *Futurum vitari non potest, Cic. 3. De Nat. Deor.*

Futurum omnibus hominibus est incertum. *Ex orat. ad Leptinem. Demosth.*

Oportet eos, qui prospera optataq; vtuntur fortuna, erga afflictos & oppressos semper optima videri consulere: quandoquidem vniuersis hominibus incertus est ac dubius rerum euentus. *Ex orat. de Rhodio. libertate.*

Præterita semper apud omnes omittuntur. & nemo vnquam de ijs deliberationem habendam proposuit: futura autem vel præsentia consultoris munus ac officium postulant. *Ex orat. de Coron.*

Id ipsum quod inter sententiam accidit, virum perturbat, ipsiq; magnum dolorem adfert. *Olynth. 1.*

Necessario euenit, cum pugna committitur, vt alij superentur, alij vincant. *Ex orat. funebri.*

Ea postremo euentu, quæ præterierunt omnia, & plurimum, æstimantur. *Olynth. 1.*

Sæpe contingit, vt idem homo in hoc non recte dicat, in altero verò recte sentiat. *Ex 5. Proœm.*

Futura vates tantum sciunt. *Plat. in dialog. de sancto.*

Futuris prædicendis qui curiosius inhiant, omnium infortunatissimos esse, vel fieri. *Ficinus epist. l. 11.*

Futura à præsenti constellatione fieri non possunt. *Ioan. Pic. Mir. in Astrolog. l. 4. c. 6.*

Futura prophetici luminis beneficio multo certius præcognosci possunt, quã sensu & ratione videri & cerni præsentia, adeo prophetæ præteritum pro futuro sæpe ob indubiam, & certitudinẽ maximam. *Io. Franc. Pic. Mir. de prænot. lib. 1. c. 6.*

Futurorum omnis cognitio, quæ non habet in natura causam determinatam, super humana est, & à Dei voluntate & prouidentia dependet. *Idem ibid. lib. 2. c. 3.*

Futura aut considerantur, vt in seipsis & sua natura manent, quæ soli Deo, & cui voluerit ipse reuelare, nota sunt, aut in suis causis continentur, quæ etsi Deo nota sunt, tamen etiã aliqua experientia, & sagax coniectura sibi vendicat, quæ tamen omnia nos scire non possumus. *Io. Franc. Pic. Mir. de prænot. l. 2. c. 7.*

Futurorum prænotio ex luce eximia spirituali comparatur, non ea talpa, vt Proclus somniat. *Ioan. Franc. Pic. Mir. de prænotione, lib. 6. cap. 5.*

Futura ad cognoscenda nil vanius est, quam id quod vtrinque contrarijs experimentis asseritur, nam veritas vna est, neque sibi aduersatur: ideo quæ aduersantur sibi falsa sunt. *Idem ibidem. lib. 6 cap. 7.*

Nulli

Nulli mortalium certam futurorum scientiam Dij dederunt: nec post homines natos inuenias quemquam, cui omnia ex animi sententia successerint, ita vt nulla in re fortuna sit ei aduersata. *Dion. Halic. lib. 8.*

Non ita facilè de rebus futuris, quænam illæ futuræ sint, vt de præteritis iudicari potest: sed illas quidem sensibus, & cladibus percipimus, has vero diuinationibus, & coniecturis, in quibus inest fallaciæ plurimum. *Idem lib. 9.*

Numquam de futuris rebus, velut iam factis consultandum est, neque spes est in illis collocanda, quæ aliter euenire possunt: sed semper pars aliqua ijs, quæ præter spem accidere possunt reseruanda, cum omnibus in rebus, quandoquidem sumus homines, tum vel maximè in bellicis. *Polyb. lib. 2.*

Si futura respicias, nihil in præsentia, neque magnum est, neque paruum: sed idem & mutationum fortunæ, & vitæ est finis. *Plutar. in Q. Flaminio.*

Optimè de futuris consultant, qui rerum futurarum exempla ex præteritis sumunt. *Dion. Halic. lib. 10.*

Res futuræ difficulter ab hominibus præcaueri possunt: neque facilè quisquam euadet pericula, nisi Numine exorato diuinitus custodiatur, malorumque leuamen impetret. *Nicetas Acom. in Manuale Comn. libro 6.*

Futurorum notitia cum agnitione cordium soli Deo peculiaris est. *Mich. Glyca Annal. par. 1.*

Multa perficit Deus inexpectata, quæ expectabantur frustrata sunt, quæ verò nemo expectabat, eorum exitum reperit Deus. Nam futurarum rerum prædictiones, siue per somnia, siue sexcentis alijs rationibus significantur, multa caligine inuolutæ, multos ab officio depulerunt, & in errorem induxerunt, alijs præter spem exitum felicem adeptis, alijs diuersum. *Niceph. Gregoras. lib. 8.*

Futura in æquilibrio quodam collocanda sunt: nec iniucunda, nec in tristitia nimis inclinante animo. *Idem, ibid.*

Homines multa sibi ipsis incommoda ob futurorum ignorationẽ inferunt. *Procop. de bello Pers. lib. 2.*

Ex prædictis factis contemplari futura homines queunt, & in toto eadem constituere. *Idem de bello Goth. lib. 3.*

Solent mortales dum rerum præsentium admiratione capiuntur, & plerumque simul inscitia, futura præsagire: & dum molestijs opprimuntur, temere contemplando futura prædicere. *Idem, eodem lib.*

FINIS LIBRI SEXTI.

POLYAN-

POLYANTHEAE NOVISSIMAE LIBER VII.

G

GARRVLITAS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

GARRVLITAS, ἀδολεσχία. Heb. *hamiah*. & *hamith*, id est, strepitus, sonitus, vox, clamor, à verbo *hamah*, tumultuatus est, sonuit, tumultuosè, tumultum concitauit, intonuit, fremuit, vtque in magna multitudine & copia confusæ voces ingentem atque inconditum sonum edunt. Quæ significationes garrulo sine mente voces effutienti garrulitatisq; maximè conuenient. Solent enim garruli aures patulas obtundere, ita vt obsurdescant, tanquam ad Nili catadupa, qui istos auscultant. Hebræis etiam *Homullah* dicitur strepitus loquelæ copiosæ, sonitus sermonis magni seu prolixi. Hinc ὁμιλέω loquor in magna copia hominum, concionor, ὁμιλία sermo, homilia, ὅμιλος cœtus. Garruli equidē meritò oratorum, & Ecclesiastarum simioli dicendi sunt. Quod enim prudentes & pij de rebus serijs sacrisq; grauiter pronunciant, isti circa nugas versantes ridiculè effutiunt.

Garrulos Græci ἀδολέσχας, quasi auidos confabulandi, παρὰ τὸ ἄδην ὁσᾶν τῷ λέσχῃ nuncuparunt. Veteres Latini fatuos dixere: est enim fatuus à fando, & inepta loquentem notat. Ἀδολέσχον Græcorum fabulatorem etiam & nugatorem Latini vocant, ἀδολεσχίας nugas.

Garrulitatem. & garrulum his dolotibus graphicè depingit Theophrastus *in notationibus morum*. Garrulitas est longorum, & inconsideratorum sermonum effutitio. Garrulus autem eiusmodi est, qui apud ignotum iuxtim ei assidens, vxorem, & suæ laudes prædicare instituat, deinde, quod præcedenti nocte somniauerit, id narrat: tum quæcumq; in cœna sibi fuerint apposita, omnia sigillatim recenseat. Mox verò vbi incaluerit, homines huius sæculi dicet esse antiquis deteriores: frumenta in foro vili venisse precio: peregrinos esse in vrbe quamplurimos: mare statim à Dionysijs patere nauibus: & si Iupiter pluerit, eorum quæ terra conduntur meliorem fore prouentum: seq; agrum suum insequentem annum esse culturum: ait etiam viuendi rationes esse perdifficiles: & quum mysteria agitarentur, Dannipum facem omnium maximam statuisse. Quærit etiam, quot sint Odei columnæ? & quotus hic est mensis dies? Quod si quis patientem se præbeat, nunquam ille ab eo discedet. Narrabit mysteria mense Boedromione, Apaturia Pyanepsione. Posideone verò quę agitantur ruri Dionysia solita celebrari. Id genus demissis manib. grandiq; gradu fugiat oportet, quisquis febre carere volet. Difficile est enim cum ijs durare, qui neque otij neque negotij tempora distinguere norunt.

Horatius Satyrarum libro primo, Satyr. 9. Cuius initium, *Ibam fortè via Sacra*. & Plutarchus libello pulcherrimo de Garrulitate, hominis garruli charactera luculenter propoluetunt. Vide *famigeratio*, & *loquacitas*.

SENTENTIAE SACRAE.

Mulier meretrix, garrula & vaga describitur. *Prou.* 7. 10.
In multiloquio non deerit peccatum, *c.* 10. *v.* 19.
Homo verbosus separat principes. *c.* 16. *v.* 28.
Ethnici putant, quod in multiloquio suo exaudientur. *Matth.* 6. 7.
Diotrephes perstringitur ob malignam garrulitatem. *Ioan epist.* 3. *v.* 10.

PLVTARCHI DICTA QVAEDAM EX LIBRO

περὶ ἀδολεσχίας, aduersus garrulos

Morbum curatu admodum difficilem atque molestum in curam recipit philosophia, garrulitatem.

Hoc primum habet malum garrulitas, quod non audiat.
Garruli naturam reprehendunt, quod vnam quidem linguam, duas autem aures habeant.
Alij quidem sermones continent, garruli verò pleni sunt rimarum & perfluunt: deinde, tanquam vasa, mente cassi, sono pleni, obambulant.
In eo sunt infelices, quod neque audiunt neque audiuntur.
Sermonis proprius finis hic est, vt fidem faciant audientibus: nemo autem fidem habet loquacibus, etiam si vera loquantur.
Quod in corde sobrij est, id in lingua est ebrij.
Temulentus nugatur inter pocula: garrulus autem vbique, in foro, in theatro, in deambulatione, interdiu, noctuq;.
Iucundius cum prauis, dextri tamen ingenij, habere colloquium, quàm cum bonis, si sint garruli.
Animæ cæteri morbi partim sunt periculosi, partim odiosi, partim ridiculi: garrulitati autem hæc omnia accidunt.
Dicendi magistros habemus homines, tacendi autem Deos, silentium in initiationibus mysterijsque quasi per manus accipientes.
Aegyptiorum rex cum Pittaco victimam misisset, iussissetq; optimam ac pessimam carnem eximere, linguam exemptam remisit, quasi bonorum quidem, non minus tamen, & maximū malorum instrumentum esset.
Qui ingenuam regiamq; consequuti sunt eruditionem, primum silere, denique loqui didicerunt.
Loquutum esse, sæpe me pœnituit, inquit Simonides, tacuisse nunquam.
Silentium non solum sitim non conciliat, vt ait Hippocrates: verum neque tristitiam, nec dolorem.
Exempla & Similia elegantissima de garrulitate, idem liber continet.

EX STOBAEO Sermone 36.

Dicendi modus non penes loquentem est, sed penes audientem.
In garrulo verborum flumen, mentis gutta.
Auaritia quædam est, omnia velle dicere, & nihil audire.
Isocrates cuidam loquutuleio quærenti, cur duplicem mercedem ab eo oratoriæ artis studioso postularet, respondit, alteram peto, vt loqui, alteram verò vt tacere discas.
Loquacitas multos errores habet, tacere autem tutum est.
Optimi hominum in dicendo breuissimi sunt. Garruli verò si tantum in loquendo molestiæ caperent, quanta reliquos afficiunt, haud sanè longos sermones traherent.
Homines magnum possident vallum dentium ad coercendos leues sermones.

EX ANTONIO ET MAXIMO.

Sermo, 15.

De omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines rationem reddent in die iudicij. *Christus, Matth.* 12, 36.
Sit omnis homo velox ad audiendum, & tardus ad loquendum. *Iacob.* 1. 19.
Noli lingua omnia audere, nec quid tibi accidat incommodi: quemadmodum oculus totum volens intueri solem, id etiam quod habet lumen perdit. *Basil. Mag.*
Labendi causa est lingua, quæ non ratione gubernatur. *Nazianzenus.*
Pecuniarum damnum resarcire licet: semel autem emissum verbū reuocare non licet. *Chrysostomus.*
Hirundines tecto ne excipe, hoc est, homines garrulos & linguæ incontinentis, contubernales tibi ne ascíscito. *Cyrillus.*
Si imperas ventri, impera & linguæ: vt ne huius sis seruus, ab illo autem stultè liber. *Nilus.*

POETICAE SENTENTIAE.

Theognidis.

Πολλοῖς ἀνθρώπων γλώσσῃ θύραι οὐκ ἐπίκεινται,
Ἁρμόδιαι, καί σφιν πόλλ' ἀλάλητα μέλει.

Πολλάκις

Πολλάκις γὰρ τὸ κακὸν κατακλειόμενον ἔνδοθεν ἄχθει.
Ἐξῆλθεν δ' ἐκλαλῆσαι λαθὸν τὸ κακόν.
Multis hominibus nonnulla tamen lingua obducit
Conueniens, & multa mensis occultanda comparent.
Sæpius enim latitans malum intrinsecus processit:
Multis autem fuerit bene quippiam egredi, quam malum.

Euripides in Hippolyto coronato.

Γλώσσῃ γὰρ οὐδὲν πιστόν, ἥτις ὀθνεῖα μὲν
Φρονήματ' ἀνδρῶν νουθετεῖν ἐπίσταται,
Αὐτὴ δ' ὑφ' αὑτῆς πλεῖστα κέκτηται κακά.
Nulla fides linguæ est, quæ alienos quidem
Animos hominum à monere callet,
Ipsa verò ex sese plurima mala possidet.

Eiusdem in Medea.

Οὐ νῦν με πρῶτον, ἀλλὰ πολλάκις, Κρέον,
Ἔβλαψε γλῶσσα μεγάλα τ' εἴργασται κακά.
Non primum nunc mihi sed sæpius, ò Creon,
Lingua nocuit, & ingentia mala tulit.

Astydamantis.

Γλώσσης περὶ πάντων ἐστὶν ἀδολεσχία.
Ἀπελῶς ἐν δ' ὄντι καιρῷ φιλοσοφῶν.
Garrulitas est deambulatio linguæ,
Nugas ais, dum philosopharis intempestiue.

Homeri.

Καί τεῦ πως πρώτον ... ἄλειτον.
Αὐτὰρ ἀεὶ μύθοις λαβρεύεαι, οὐδέ τι σε χρὴ λαβραγόρην ἔμεναι.
Et verbum aliquod protulit, quod melius fuisset indictum.
Sed semper immodesta verba fundis. Nam te posthac oportet intemperantem esse loquendo.

Nicostrati.

Εἰ τὸ συνεχῶς καὶ πολλὰ καὶ ταχέως λαλεῖν
Ἦν τοῦ φρονεῖν παράσημον, αἱ χελιδόνες
Ἐλέγοντ' ἂν ἡμῶν σωφρονέστεραι πολύ.
Si continue & multa celeriterque loqui,
Signum esset prudentiæ, tum hirundines
Dicerentur multo sapientiores nobis.

Euripidis.

Σὺ δ' εὔτροχον μὲν γλῶσσαν ὡς φρονῶν ἔχεις,
Ἐν τοῖς λόγοισι δ' οὐκ ἔνεισί σοι φρένες.
Tu verò linguam quidem volubilem habes, vti vir prudens,
Sed in sermonibus tuis nulla mens inest.

Sophoclis.

Κόσμος δὲ σιγῆς στέφανος ἀνδρὸς οὐ κακοῦ.
Τὸ δ' ἐκλαλοῦν οὐδ' ἡδονὴ μὲν ἄπλετος,
Κακὸν δ' ὁμιλεῖν ἐστι καὶ πόλει.
Decorum silentium corona est viri boni:
Loquacitas autem neque iucundum aliquid habet,
Et mala est conuersatione, & inutilis ciuitati.

Martial. lib. 5.

Crede mihi, quamuis ingentia, Posthume, dona,
Auctoris pereunt garrulitate sui.

Horat. epist. lib. 1. 18. epist.

Percontatorem fugito: nam garrulus idem est,
Nec retinent patulæ commissa fideliter aures.

Idem, de Art. poet.

Omne superuacuum pleno de pectore manat.

Plaut. in Aulul.

Multum loquaces merito omnes habemur,
Nec mutam profecto repertam vllam esse
Hodie dicunt mulierem vllo in sæculo.

A P O P H T H E G M A T A.

Zeno Citieus, audiens adolescentem nimis garrulum: Aures (inquit) in linguam defluxere. Ostendit autem adolescentis esse audire quidem multa, loqui autem pauca. *Laert. l. 7. c. 1. Stob. ser. 6.*

Idem, alium multa garrientem, hoc dicto Zeno corripuit: Ob id binas habemus aures, & os vnicum, vt plurima audiamus: loquamur autem paucissima. *ibid.*

Idem, adolescenti confidenter loquenti: Non dixeram, inquit, ò adolescens, quæ mihi succurrunt: Significans ex sermonis procacia colligi morum impudicitiam. *ibid.*

Idem, è discipulis suis aliquos dicebat esse *φιλολόγους*, id est, variæ rerum cognitionis studiosos: alios verò *λογοφίλους*, id est, loquendi tantum studiosos. *Stob. serm. 39.*

Idem, quum percontatus esset à quodam homine satis contentioso: An virtus vtilis esset, ita tenuit, non volens verbis respondendo ei occasionem dare litigandi. *Eod. serm.*

Idem, adolescenti in Academia de rebus, & negotijs friuolis garrienti, dixit: Nisi linguam in mentem intinctam dissererus, adhuc multo amplius dicendo delinques. *ibid.*

Clearchus, quæ nolis audire (inquit) ea etiam ne dicito: quæ nolis dicere, ea ne audito quidem. Aurium enim & linguæ magnum est periculum. *Max. ser. de temeritate linguæ.*

Plato, cum Antisthenes aliquando in diatriba longam orationem habuisset: Ignoras, inquit, quod dicendi modus non penes loquentem, sed audientem est. *Stob. ser. 37. Max ser. 47.*

Menedemus, quendam friuolis nugis obstrepentem, rogauit, num fundum haberet? Vt is respondit, sibi plurimas esse possessiones: Abi igitur, inquit, & illas cura, ne turpiter eas perdas. Notauit autem hominem inaniter garrulum, qui ad agros colendos magis esset idoneus, quam ad dicendum. *Laert. lib. 2. c. 16.*

Apollonius dicere solebat, Loquacitatem quidem multos habere errores, silentium autem tutum esse. *Stob. ser. 37.*

Idem interrogatus, qui essent hominum optimi? qui in dicendo (inquit) sunt breuissimi. Linguaces autem si tantum molestiæ caperent, quanta reliquos afficiunt, haud tam longos sermones facerent. *ibid.*

Demosthenes, in conuiuio cuidam multa loquenti: Si tam multa, inquit, sapuisses, nunquam tam multa locutus esses. *ibid.*

Idem rogatus, cur vnam habeamus linguam, aures verò duas? Quia, inquit, duplo plus audiendum quam loquendum. *ibid.*

Eusebius philos. dicebat, homines magnum possidere vallum dentium ad coercendos leues sermones. Nos in omni re iudicio mentis indigere, quæ si verba non direxerit, sæpius ante consultationem effugiunt, & tanto vallo neglecto, citra iudicium ante tempus foras ruunt. *ibid.*

Lycon, oratores ranis similes esse dicebat; has enim in aqua clamare, illos verò ad clepsydram. *ibid.*

Idem dicebat, quemadmodum hirundines perpetuo garritu familiaritatis voluptatem perdunt; sic garrulos perpetuo obtundentes molestos esse auditoribus. *ibid.*

Democrates, auaritiam quandam esse dicebat omnia velle dicere, & nihil audire. *Stob. ser. 36. & Max ser. 47.*

Isocrates, cum locululeus quidam nomine Carzon, in disciplinam eius recipi vellet, duplicem mercedem postulauit. Illi verò causam interroganti, dixit: Alteram quidem pero vt loqui discas, alteram autem vt tacere. *Stob. ser. 36. Ant. Meliss. par. 2. ser. 40. Max. ser. 47.*

Archelaus, tonsori garrulo interroganti, Quomodo te tōdā, o rex? Silendo, inquit. Alter aliud responsum expectabat, & hinc dicti lepos. Quidam sunt in curatione morosi, Archelao satis erat, si sileret. Nobis autem interdum etiam cum ebrijs, pariterq. loquacibus res est. *Plut. in apoph.*

Anonymus, iurisconsulto loquaci dixit, non oportere multis verbis pauca dicere, sed paucis multa. *Ant. & Max. de temeritate in dicendo.*

Hieron, qui Geloni successit in regnum, neminem qui libere apud se loqueretur, importunum aut molestum esse dicebat: cæterū qui arcanum efferrent, eos existimabat etiam illos lædere, apud quos effutiant, eo quod odimus non solum illos qui efferunt, verum etiam eos qui audierunt, quæ nollemus illis audita esse. *ibid.*

S I M I L I T V D I N E S.

Ausonius, vascula inania maximè tinniunt: ita quibus minimum inest mentis, hi sunt loquacissimi.

Plutarchus, aiunt semen, quod statim effunditur, inutile esse ad geniturам, ita sermo garrulorum ad nihil conducit. *in Mor.*

Sicut puer glaciem nec retinere potest, nec vult amittere: ita garrulus nec tacere potest quæ accepit, nec potest obliuisci. *Ibid.*

Vt egregius artifex iaculandi scopum petit: ita sapit qui pauca loquitur, sed ad rem. *ibid.*

A D A G I A.

Archytæ crepitaculum. Ἀρχύτου πλαταγή.
In hominem vehementer garrulum, & obstreporum torquebatur.

Arabicus tibicen. Ἀράβιος αὐλητής.
In eos dici solitum, qui à semel cœptis nunquam desistunt. Menand.

Turture loquacior, τρυγόνος λαλίστερος.
In garrulos, & impendio loquaculos homines dici solitum. Zenodot.

Prolixius Iliade. μακροτέρα τῆς Ἰλιάδος λαλῶν.
Est autem Ilias nobile opus Homeri, quo Troiæ captæ historiam libris 24 explicat, quum Vergil. 12. libris complexus sit, quod ex vtroque opere visum est decerpere. Iul. Pol.

Cornicari.
Quin & Græci prouerbio χρώζειν dicunt, pro eo quod est inhiare prædæ, aut inepte garrire, cornicum more. Persius Satyra 5.

Nescio quid tecum graue cornicaris inepte.

Musarum aues. Μουσῶν ὄρνιθες.
Musarum aues, non absque prouerbij specie Theocritus in Thalisijs appellat Poetas, quod Luscinarum in morem assidue canant sua poemata.

Tam multa quam sapiens. τόσα εἰπεῖν ὅσ' ἂν πεπνυμένος ἀνήρ.
Aristoteles libro Rhetoricorum tertio, admonens ne orator crebris Enthymematibus vtatur sed ea intermisceat, subijcit hoc carmen Homeri, ni fallor, ceu vulgo iactatum.

Ὦ φίλ' ἐπεὶ τόσα εἶπες ὅσ' ἂν πεπνυμένος ἀνήρ.

Id est.

Quandoquidem nobis tam multa locutus amice es,
Quam mala prudens vir diceret, atque periret.

Cantenus

Conuenit in hominem multa loquentem potius quam opportuna.

Daulia cornix. Δαυλία κορώνη.

Dictum est in garrulos, sut audaces.

Hirundinum Musica. χελιδόνων Μουσεῖα.

Conuenit hoc in imperitos, & tamen garrulos Aristoph.

Lusciniæ nugis insidentes. ἀηδόνες λέσχαις ἐγκαθήμεναι.

Conuenit hoc ad eruditos, qui tamen immodice suo studio delectentur, quod genus sunt Poetæ potissimum. Plin. lib. 10. c. 29. de Luscinia.

Dodonæum æs. Δωδωναῖον χαλκεῖον.

Dodonæum cymbalum, aut tintinnabulum. In hominem dici consueuit improbe atque importuna loquacitatis. Menander.

Caure loquacior. καικίας λαλίστερος.

Prouerbialis hyperbole. In hominem immodice aut permoleste garrulum.

Turture loquacior. τρυγόνος λαλίστερος.

In tabulam & obstrepitum dicebatur.

Cicada vocalior. τέττιγος ἀοιδότερος.

Dicebatur in hominem impendio garrulum, aut admodum musicum, propterea quod hoc insectum esse dumtaxat viuens cantu potissimum delectetur.

Non est eiusdem & multa & opportuna dicere. χωρὶς τό τ' εἰπεῖν πολλὰ καὶ καίρια.

Admonet vitandam multiloquentiam, quod fere laboret necesse sit quisquis multum loqui conetur. Vver viel schvvezt, der leugt auch viel.

Homo semper contradicens. οὐδεὶς ἐστὶν ἄνθρωπος ἀντιλογικώτερος.

Id est: Nihil est pertinacius ad contradicendum, quam homo. Conuenit in eos qui nunquam fatentur se victos.

Os infrene. ἀχάλινον στόμα.

Os infrene vocant, os petulans & maledicum. Einem vngczaem, ten Maul ist das jungkek zum ziel gestetec.

Tanquam suber. ὥσπερ φελλός.

De qui non n tunc dissimulare.

Telesicia echo. Τελεσίκου ἠχώ.

Roste dicetur orate fatui. Sic enim vocant crepitum vasculorum inanium.

Balneator. Βαλανεύς.

Sunt balnei campo Id nominis vulgato conuitio dicebatur in hominem alienarum verum plus satis curiosum, propterea quod huiusmodi genus hominum, quoniam in otio viuit, negocijs suis destinetur, aliena curare consueuit, cuiusmodi sunt & tonsores.

Battologia. Laconismus.

Battologia Græcis multiloquium vocatur, à Batto quopiam inepto Poet, qui hymnos quosdam conscripsit prolixos, in quibus eadem crebrius iteratur. Laconismus in breuiloquentia significationem ab it.

Moschus canens Bœotium. Μόσχος ᾄδει Βοιώτιον.

Quadrabit in multiloquos, sed tamen inepte loquaces.

Si coruus posset tacitus pasci. Horatius.

Sed tacitus pasci si posset coruus, haberet
Plus dapis, & rixæ multo minus inuidiaq.

Quadrabit in eos, qui si quid bona rei nacti sunt, continuo iactant, ostentantq. atque ad eum modum efficiunt, vt alij eum obsistant que minus eiusmodi commoda nanciscantur, tam qua nacti sunt intercertant.

Quicquid in linguam venerit. Quicquid in buccam venerit. ὅ τι κεν ἐπ' ἀκαιρίαν ἔλθῃ.

Quoties libere quempiam a rate loqui significabimus incircumspecte & quid quid forte fortuna in animum inciderit. Cicero. & Plato.

Citra vinum temulentia. ἄοινος μέθη.

Vulgo panarum ebrietatem appellant arrogantiam licentiamq. morum, qua secundis rebus comes esse consueuit.

Meliacum remigium. τὸ μηλιακὸν πλοῖον.

In futilem & rimarum, vt ait Terentius, plenum, hac atque illac perfluentem, dictum videtur.

Interfecta musica. ἐκκεκόφθ' ἡ μουσική.

Quidam moleste ferentes interrumpi sermones suos, dicebant: Interfecta est Musica. Quæ vox in prouerbium traducta est quoties aliquis, intermissum sermonem institutum interpellaret.

Lingua quo vadis? erectura ciuitatem, eandem denuo subuersura. γλῶσσα ποῖ πορεύῃ; πόλιν ὀρθώσουσα, καὶ πάλιν ἀνατρέψουσα. Suidas.

Docet linguam plurimum vtilitatis adferre mortalibus, & eandem rursum plurimum adferre perniciem.

ἀθυρόγλωττος.

Dicitur cui os est intemperans atque impotens: annexum superius citato, os infrene.

Cane Tallenis cantilenam. ᾄδε τὸ Τελλῆνος.

Quidam disceptant de dictibus, mordacibusq.: quidam de inepte loquaculis.

Ad vinum diserti.

Cicero in oratione pro Marco Cœlio, ad vinum disertos appellat, qui ad serias causas agendas inepti, inter pocula multa garriunt. vbi nil opus.

Leuissima res oratio. κουφότατον πρᾶγμα λόγος.

Apud Homerum passim obuium est illud, ἔπεα πτερόεντα προσηύδα. Verba volucria dixit. Verba alata cognominat quod facile euolent atque reuocare nesciant. Proinde Horat.

Et semel emissum volat irreuocabile verbum.

Farcire centones.

Plautus: Vineasanquit, aliam quæras, cui centones farcias? Id est, quem tu gloriosis mendacijs & consarcinatis fabu amentes vixloli. Solent enim homines gloriosi mendacium aliud ex alio connectere, nullum facientes neque finem neque modum.

Sine capite fabula. ἀκέφαλος μῦθος.

Historica Exempla.

Cyrus puer Cambysis Persarum regis, loquacior erat: partim propter institutionem, quod more Persarum a magistro cogeretur, & factorū suorum rationem reddere, & ab alijs poscere, quum ius diceret: partim quod, quum discendi studiosus esset multa semper ex præsentibus, quo pacto se haberent, ipse percunctaretur, & sciscitantibus alijs ob acumen ingenij expedite respondere: has ob causas loquacitatem sibi coflauit. *Xenophon. de instit. Cyri, lib. 1.*

Interpres *Pindari* admonet Iocum esse mololoquentiam.

Tenstrmus Theophrastus propter conuiuentium illic loquacitatem ἄοινα συμπόσια, hoc est, sicca conuiuia appellauit. *Plut. lib. 5. con. quæst. 5.*

Apud Romanos Citeria effigies erat quædam arguta & loquax. quæ ridiculi gratia in pompa vehebatur. Vnde *M. Cato in M. Cæcilium*, quid ergo dicerem amplius? quem ego denique credo in pompa vectitatum iri ludis pro Citeria, ac spectatoribus sermocinaturum. *P.M.*

Horatianus ille garrulus, qui vadato respondere debebat: dubitat vtrum illum, an rationem deserere, an vadimonium. *P.M.*

Hieroglyphica.

Ex Græcorum ipsorum sententia, abiecta repulsaq; *cornix* à Pallade est: ipsa quæ meditationum pertinacia infesta sit, & mentis agitationem interpellet obturbetq; garrulitate sua, cuius est hieroglyphicum. *Pier. Val. lib. 20.*

Garrulitatem etiam designari hieroglyphice per *Hirundinem* quidam afferunt. Vnde D. Hieronymus & Cyrillus cum Aristotele consentientes, per præceptum illud Pythagoricum, ὁμωροφίους χελιδόνας μὴ ἔχειν, abstinendum à commercio garrulorum & susurrorum intelligunt. *Pier. Valer. lib. 22.*

Emblema.

Garrulitas.

Emblema LXX. Andreæ Alciati.

Quid matutinos Progne mihi garrula somnos,
Rumpis, & obstrepero Daulias ore canis?
Dignus Epops Tereus, qui maluit ense putari,
Quam linguam immodicam succidit arpenis ciuere.

Fabulæ.

Amatorum altercatio.

Nupta mulier formosa & adolescentula cum viro, qui sæpe abesset domo in mercaturis, amabat alterum. Qui cum forte apud se esset, nunciatur subito aduenire maritum. Illa iubet amatorem celeriter decurrere ad puteum, & quærere cuniculos, per quos facile euasurus esse videretur. Redit hic & negat puteum se reperire potuisse, sed vestigia animaduertisse, vbi quondam puteum fuisse arbitretur. Quid id tua refert? inquit mulier, per cuniculos vide vtte subducas appropinquanti viro meo. Quin igitur, inquit ille, vere recteq; monstras? Nugator, inquit illa, quin consulis saluti tuæ, neque enim nunc verbis locus. At ille non cessauit litigare donec à marito oppressus pro mœcho arriperetur, & pœnas stolidæ & intempestiuæ loquacitatis grauissimas, rei leuissimæ, persolueret.

Docet Fabula, loquacitatis finē esse infortunium, vt ait Euripides: ἀχαλίνων στομάτων τὸ τέλος δυστυχία ἐστιν. *Cam. Fab. Æs.*

Testudo volatica.

Iunxerat testudo societatem cum duabus auibus. Accidit quodam anno vt æstu sideris & cœli ardore omnia squalerent, riuulisq; vbi illa manebat funditus exsiccaretur. Nec non & auibus eo in loco consistere graue erat, victoræ locis omnibus situ squaloreq; laborantib. Placuit igitur migrare alio, sed obstabat desertio sociæ & amicæ testudinis. Tandem hanc ineunt rationem: hac illū transuersum rostris capessunt: & medium tenere mordicus testudinem iubent, ita se sublatam io aera secum asportaturas in loca irrigua, & ad perennes aquas pollicentur. Sed hoc iterum atq, iterum monent, semel prehensum bacillum vt tenceat neue committat vt os aperiat suum. Ita cū illa obuolarunt. Aliquantisper processerant, cum vident aliq testitudinem rem admirabilem sibi, seq; mutuo inclamant, & demonstrat vna alteri volantem sororem. Tum illa oblita salutis suæ & præceptorum salutarium. Etiā, inquit, dicere volebat, se volare munis omnibus, & amisso per hiatum bacillo, delapsaq; in saxum testa fracta interijt.

Res est noxia garrula loquacitas. Itaque secundum veterum præ-

præcepta ad taciturnitatem nos exercere studebimus, ne futilio res simus Homerica ann, quæ se profitetur.

Ἔξεσθαι ἔργα ὅτε τι παραλλοι Αἴδος ...

Tacere enim non solum contra sitim prodest, secundum Hippocratem, sed multa etiam silentio mala, & infelices euentus auerti solent.

GAVDIVM:

DEFINITIO ET ETYMOL.

Gaudium, Græcè χαρὰ, ... vel χάρμα, ... χαρμονὴ, ... dicitur: & χαίρω, gaudio, Hebr. *Simchah*, à verbo *Samach*. Lætatus est, gaudio perfusus est. Est gaudium passio concupiscibilis, proueniens ex perfectionis appetitæ coniunctione, secundum interiorem apprehensionem sensus, vel intellectus, *secundum B. Tho. 4. sent. dist. 49. q. 3. art. 1. Vel sic*

Gaudium est affectio animi, alicuius præsentis boni opinione concepta, à quo *gaudeo* verbum. Sunt qui velint gaudium à verbo Græco deduci, illi enim γαῦρον superbum dicunt. Differunt autē sic gaudeo, & lætor, quod lætari est extrinsecus, gaudere verò intrinsecus, quare propriè lætus is dicitur, qui hilaritatem, quam intus habet, eam vultu ostendit.

Gaudere, & gratulari differunt, vt placet Donato super Terentio, quia gaudemus nobis, gratulamur alijs: vel gaudemus nostris, gratulamur alienis.

LOCI BIBLICI.

Gaudendum cum gaudentibus, *Rom.* 12. 15.

Gaudere, & lætari honestè licet, 1. *Paral.* 29. 9. 2. *Esdr.* 12. 42. *Psal.* 68. 4. *Luc.* 1. 14. 1. *Thess.* 1. 6. & 5. 16.

Gaudendum non est Gentilium more, *Eccles.* 2. v. 2. & 7. 3. *Osee* 9. 1. *Amos* 6. 8. *Prou.* 1. 14. *Iacob.* 4. 9.

Gaudium pro rebus secundis, & prosperis, 1. *Corint.* 7. 30. Hebraismus: Gaudium, quam bonum, *Prou.* 17. 22. Gaudium verū à Deo, 1. *Esdr.* 6. 22. *Nehem.* 12. 42. Gaudium verum quale, *Deut.* 12. 18 & 16. 11. & 26. 11. *Psal.* 9. *ver.* 2. 15. & 13. 5. & 14. 7. & 16. 9. & 31. 8. & 32. 11. & 33. 21. & 35. 9. & 40. 17. & 48. 12. & 51. 10. & 53. 7. & 58. 11. & 63. *ver.* 6. 8. & 64. 11. & 66. 2. & 68. 5. & 69. 33. & 70. 5. & 71. 23. & 86. 10. & 89. 17. & 90. v. 14. 15. & 92. 5. & 95. 1. & 97. v. 8. 12. & 100. 1. & 104. 34. & 105. 3. & 107. 42. & 119. 74. & 122. 1. & 149. v. 2. 5. *Prou.* 13. 9. & 21. 15. & 29. v. 2. 6. *Cantic.* 1. 3. *Esa* 9. 3. *Gal.* 5. 22. Gaudium verum quod, *Luc.* 10. 20. Gaudium in afflictionibus, *Matth.* 5. v. 11. 12. *Act.* 5. 41. & 20. 24. *Roman.* 3. *Col.* 1. 24. *Hebr.* 10. 34. & 11. 15. Gaudium ob piorum liberationem, *Psal.* 35. 27. *Philip.* 1. v. 25. 26. Gaudium verum a Spiritu sancto proficiscitur, *Roman.* 5. 12. 12. & 14. 17. *Gal.* 5. 22. *Phil.* 4. v. 4. 1. *Thess.* 5. 16. Gaudium salutis æternæ, *Sap.* 1. v. 1. 7. *Esa.* 25. 18. & 26. 1. & 32. 20. & 63. 13.

Vide Beatitudo.

SENTENTIÆ BIBLICÆ.

Gaudium spirituale.

Prouidebam Dominum in conspectu meo semper. *Psal.* 16.

Propter hoc lætatum est cor meum. *ibid.*

Lætabimur in salutari tuo, & in nomine Dei nostri magnificabimur. 20. 6.

Lætamini in Domino, & exultate iusti, & gloriamini omnes recti corde. 32. 11.

Renuit consolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus sum, & exercitatus sum, & defecit spiritus meus. 77.

Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum. 84.

Lætetur cor meum, vt timeat nomen tuum. 86.

Secura mens quasi iuge conuiuium, *Prou.* 15.

Non enim habet amaritudinem conuersatio illius, nec tædium conuictus illius, sed gaudium, & lætitiam. *Sap.* 8.

Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe: sicut exultant victores capta præda, quando diuidunt spolia. Iugum enim oneris eius, & virgam humeri eius, & sceptrum exactoris eius superasti. *Esa.* 9.

Et addent mites in Domino lætitiam, & pauperes homines in Sancto exultabunt: quoniam defecit, qui præualebat, consummatus est illusor, & succisi sunt omnes, qui vigilabant super iniquitatē, qui peccare faciebant homines in verbo, & arguentem in porta supplantabant, & declinauerunt frustra à iusto. 29.

Ventilabis eos, & ventus tollet, & turbo disperget eos: & tu exultabis in Domino, & in sancto Israel lætaberis: Egeni, & pauperes quærunt aquas, & non sunt: lingua eorum siti aruit. Ego Dominus exaudiam eos, Deus Israel non derelinquam eos. 41.

Et gaudebit sponsus super sponsam, & gaudebit super te Deus tuus. 62.

Gaudete semper in Domino iterum dico, gaudete. *Phil.* 4. 4.

Semper gaudete. 1. *Thess.* 5. 16.

Gauisus sum valde venientibus fratribus, & testimonium perhibentibus veritati tuæ, sicut in veritate ambulas. Maiorem horum non habeo gratiam, quam, vt audiam filios meos in veritate ambulantes. 3. *Ioan.*

Fructuosum.

Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. *Psalm.* 37.

Æternum.

Conuertisti planctum meum in gaudium mihi, conscidisti saccum meum, & circumdedisti me lætitia. *Psal.* 30.

Gaudēs gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo. Qui induit me vestimento salutis, & indumento iustitiæ circumdedit me, quasi sponsum decoratum corona, & quasi sponsam ornatam monilibus, *Esa.* 61.

Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. *Matth.* 5.

Verumtamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subijciuntur. Gaudete autem, quod nomina vestra scripta sunt in cœlis. *Luc.* 10.

Amen, amen dico vobis, quia plorabitis, & flebitis vos, mundus autem gaudebit, vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium. *Ioan.* 16.

Iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis. *ibid.*

Petite, & accipietis, vt gaudium vestrum sit plenum. *ibid.*

Corporale esse debet honestum.

Et iusti epulentur, & exultent in conspectu Dei: delectentur in lætitia. *Psal.* 68.

Et cognoui, quod non esset melius nisi lætari, & facere bona in vita sua. *Eccl.* 3.

Et deprehendi nihil esse melius, quam lætari hominem in opere suo. *ibid.*

Vade ergo, & comede in lætitia panem tuum, & bibe cum gaudio vinum tuum, quia placent Deo opera tua. 9.

Gaudete cum gaudentibus. *Rom.* 12.

Qui gaudent tamquam non gaudentes. 1. *Cor.* 7.

Fructiferum.

Cor gaudens exhilarat faciem: in mœrore animi deijcitur spiritus. *Prou.* 15.

Non est oblectamentum super cordis gaudium. *Eccl.* 30.

Gaudium mundanum est vanum.

Laus impiorum breuis, & gaudium hypocritæ ad instar puncti. *Iob* 20.

Risus dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupat. *Prouerb.* 14.

Risum reputaui errorem, & gaudio dixi: Quid frustra deciperis? *Eccl.* 2.

Si annis multis vixerit homo, & in his omnibus lætus fuerit: meminisse debet tenebrosi temporis, & dierum malorum, qui cum venerint, vanitatis arguentur præterita. 11.

Peruersum.

Quasi per risum stultus operatur scelus. *Prou.* 10.

Melius est ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij. In illa enim finis cunctorum admonetur hominum, & viuens cogitat quid sit futurum. *Eccl.* 7.

Cor stultorum, vbi lætitia. *ibid.*

Dixerunt enim impij cogitantes apud se non rectè: Exiguum, & cum tædio est tempus vitæ nostræ, & non est refrigerium in fine hominis. Venite ergo, & fruamur bonis, quæ sunt, & vtamur creatura, tamquam in iuuentute celeriter. Vbique relinquamus signa lætitiæ nostræ, quoniam hæc est pars nostra, & hæc sors nostra. *Sap.* 2.

Narratio peccantium odiosa, & risus illorum in delictis peccati. *Eccl.* 27.

Nunc autem exultatis in superbijs vestris. Omnis exultatio talis maligna est. *Iacob* 4.

Perniciosum.

Tenent tympanum, & citharam, & gaudent ad sonitum organi. Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt: qui dicunt Deo, recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. *Iob* 21.

Versa est in luctum cithara mea, & organum meum in vocem flentium. 30.

Pro eo, quod eleuatæ sunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, & ambulabāt, & pedibus suis composito gradu incedebant, decaluabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crinem earum denudabit. *Esa.* 3.

In illa die auferet Dominus ornamentum calceamentorum, & lunulas, & torques, & monilia, & armillas, & mitras, & discriminalia. *ibid.*

Et erit pro suaui odore fœtor, & pro zona funiculus, & pro fascia pectorali cilicium. *ibid.*

PATRVM SENTENTIÆ.

Est gaudium, quod non datur impijs, sed eis, qui te gratis colunt, quorum gaudium tu ipse es: & ipsa est beata vita, gaudere de te, propter te, ipsa est, & non est altera. *Aug. l. 9. confessio.*

Temporalibus gaudent, qui bona æterna non norunt desiderare. *in Psal.* 52.

Comparemus gaudia veritatis cum gaudio vanitatis: si honoramur, doleamus; si dolemus, oremus; si oramus, exaudimur; si exaudimur, & illos lucramur. *in Ioannem.*

Inepta lætitia dicit, vt quid autem gaudium intus abscondis? ingredere in publicum lætus, dic aliquid foris, vnde, vel tu, vel proximi rideant, fac eos lætos tua lætitia. *de conflictu vitiorum.*

Animi lætitia interdum corporis dolores mitigat, quod si ad ægrotatio[n]em corporis accedat ægritudo animi, duplicatur infirmitas. *Hier. super Isaiam.*

Dignum est itaque, vt in se semper homo mœrorem inueniat, qui derelicto creatore, gaudium in se quærebat. *Greg. in Mor.*

Iure testat, vt quot prius in mundo incolumes habuimus gaudia, tot de ipso postmodum cogamur sentire tormenta. *ibid.*

Fit plerumque, vt in ipsis pijs fletibus illa interim gaudij claritas erumpat, & mens, quæ in corpore prius cæca iacuerat, ad inspectionem fulgoris intimi suspirij vegetata, conualescat. *ibid.*

Nonnumquam quicquid gaudij, quicquid virtutis fouere videbatur, subito in pauore tentationis amittitur, & quasi euacuaturus eisdem virtutibus tristis animo solo mœrore possidetur.

Iubilum namque dicitur, quando ineffabile gaudium mente concipitur, quod, nec abscondi possit, nec sermonibus aperiri: & tamen quibusdam proditur moribus, quamuis nullis proprietatibus exprimatur. *ibid.*

Iubilatio dicitur, quum cordis lætitia oris efficacia, non expletur, sed quibusdam modis gaudium prodit, quod ipse, qui gaudet, nec regere præualet, nec explere. *ibid.*

Solet lætitia arcana mentis aperire, atque aperiendo amittere: aduersa verò, quum nos exterius depriment, interius cautiores reddunt. *ibid.*

Illud est verum, ac summum gaudium, quod non de creatura, sed de creatore concipitur, quod quum acceperis nemo tollet à te, cui aliunde comparata omnis iucunditas mœror est: omnis suauitas dolor est: omne dulce amarum est: omne decorum fœdum est: omne, postremò, quod delectare potest, molestum est. *Bern. in serm.*

Gaudendum est de ijs, quæ expectamus, & gaudendum de ijs, quæ sustinemus. *de ver. Ap. serm. 2.*

Gaudendum in bono alieno magno, magis, quàm in proprio paruo. *in Cant. serm. 49.*

Gaudium in materia conuertibili mutari necesse est, re mutata. *de sal. præ. vite.*

Verum Gaudium non possidetur, nisi pax, & iustitia teneatur. Prima enim est, & quasi radix iustitia: secunda pax: tertia gaudium. De iustitia nascitur Pax, de Pace Gaudium generatur. *Cæsarius admonitione secunda.*

Mensura lætitiæ de magnitudine nuncij venit, & tanta fit alacritas animi, quanta fuerit consideratio rei. *Cass. lib. 1. epist.*

Bonum insolitum plus amatur, & sequenti gaudio confert dulcedinem temporum præmissa tristitia. *idem.*

POETICÆ SENTENTIÆ.

Iacob. Bill. Anthol. Sacr.

De spirituali gaudio piorum.

Nil sibi conscius est qui læta viuere mente,
Atque e metu varios gestit habere dies,
Qui pro[...] vit, nulla qui palles criminis, cuique
Intima commissum non facit ossa scelus.
Ille, nec horrendi pauidus tremet ora tyranni,
Mille, nec armatas in sua fata manus.
Quinetiam, terræ si fractus concidat orbis,
Obruet impauidum vasta ruina caput.

Carnale gaudium nihil esse præ spirituali.

Sidera qui nunquam spectato Sole videres,
Aut etiam, quæ dat lumina nocte soror:
Nusquam splendidius lumen, nec clarius orbi
Quæ prouenire, crederet esse fatem.
Sic quoque qui sancta, non sensit gaudia mentis,
Hæc caro, quæ sequitur, gaudia sola putat.
At qui lætitiam nouit sensitque piorum,
Protinus huic mundi nil sapit omnis amor.

De mundanorum gaudio.

Qui sonus est medio spina flagrantis in igne,
Hic sonus in stulti prosperitate viri est.
Quod si nosse cupis quæ sit sors fausta malorum,
Vendicis est pœna nescia vita nocens.
Ludere, bacchari, gaudere sub umbra mensis,
Ridere, & curis semper amica sequi:
Nulla sincera febres, nec ferre labores,
Lætitia est hominis forsque beata mali.

Nullum nisi post discessum è vita verum gaudium esse.

In puero risum fletus præcedit acerbus,
Nam vita à lacrimis inchoat ille dies.
Cumque etiam, vt quidam referunt, omnium ædere risum
Incipit, in somno creditur esse grauis.
Quid notas hoc primum, quod ridens ille sopore
Corripitur? Nos nunc discere bina docet.
Nempe, quod, & mundi vana est, ac falsa voluptas;
Atque adsunt vera non nisi morte pares.
Semper erunt, quod sunt, æterna gaudia vera,
Gaudendi quoniam causa erit ipse Deus.
Nec varias partes mouet diuersa voluptas:
Vnum erit in cunctis lumen, & vnus amor.
Inque bonis summis posita experientia felix,
Nec volet augeri, nec metuet minui.

Verum hominis gaudium.

Felices verè faciunt semperque beatos,
De vero, & summo gaudia nata bono,
Nam mundi ex opibus breuis, ac peritura voluptas
Edita, perpetua semina mortis habet.
Non placeat vanis animum submittere rebus,
Postferisq. audeam mentem onerare cibis.
Cor mundum, & sapiens fructu veritatis alatur,
Et Christi in nostro pectore regnet amor:
Quæ semel impletus nunquam vacuabit, & illos
Æterna æterni flumina fontis erunt.

Ouid. 7. Met.

Flebile principium melior fortuna secuta est.

Idem 4.

Nulla dies adeo est australibus humida nimbis,
Non intermissis, vt fluat imber aquis.

Ibidem.

Nil adeo fortuna grauis miserabile fecit,
Vt minuat nulla gaudia parte malum.

Idem 6. Fast.

Scilicet interdum miscentur tristia lætis.

Ouid. 7. Met.

Gaudia principium nostri sunt sæpè doloris.

Ouid. Met. lib. 7. fab. 8.

Vsque adeo nulla est sincera voluptas,
Sollicitumque aliquid lætis interuenit.

Ouid. epist. Hero. ad Leandrum.

Longa mora est nobis omnis, quæ gaudia differt.

Mart. epigram. lib. 10. ad Iulium.

Expectant curæque, catenatique labores:
Gaudia non remanent sed fugitiua volant,
Hæc vtraque manu complexusque assere toto,
Sæpe fluunt imò sic quoque lapsa sinu.
Non est (crede mihi) sapientis dicere viuam,
Sera nimis vita est crastina. Viue hodie.

Seneca in Hercule furente traged. 1.

Dum fata sinunt,
Viuite læti: properat cursu
Vita citato, volucrique die
Rota præcipitis vertitur anni.

PHILOSOPHICÆ SENTENTIÆ.

Gestiens lætitia turpis est, vt si ridere concessum sit, vituperatur tamen cachinnatio.

Et vt nimis afflicti molestia, sic animi elati lætitia iure indicantur leues.

Atque, vt confidere decet, timere non decet: sic gaudere decet, lætari non decet. *Cic. Tusc. quæst. lib. 4.*

Dicimus nos magnum gaudium ex illius cõsulatu percepisse, quod non est gaudium, sed sæpè initium futuræ tristitiæ. Gaudio enim iunctum est, non desinere, nec in contrarium verti.

Et post multa. Omnes tendunt ad gaudium, sed vnde stabile, & magnum consequantur, ignorant. Ille ex conuiuijs, & luxuria, ille ex ambitione, & circumfusa clientum turba, ille ex amica, alius ex studiorum liberalium vana ostentatione, & nihil sanantibus litteris. Omnes istos oblectamenta fallacia, & breuia decipiunt, sicut ebrietas, quæ vnius horæ hilarem insaniam, longi temporis tædio pensat. *Senec. in epist. 60.*

Malum alienum, tuum ne feceris gaudium. *Senec. in Prou.*

Gaudium absque ratione, & consilio, animo accidens, magis eum perturbat, estuque afficit, & sui impotem facit, quàm, vel dolor, vel metus. *Plut. in Arato.*

Continuum gaudium bellantibus fortuna tribuere, non decreuit. *Hirtius de bello Afric.*

Plerumque magnis gaudijs, dolores adhærescunt. *Niceph. Greg. hist. lib. 5.*

SIMILITVDO.

Plutarchi. Vt fonti non deest humor, semper ex eo scatens: sic probo viro semper adest gaudium, etiam si res externæ mutentur. *in Moral.*

EXEMPLA BIBLICA.

Gaudij veri exempla: Anna, 1. *Sam.* 2. 1. Saul, & viri Israel, 11. 15. Mulieres Israelitæ, 18. 7. Dauid, & Israelitæ, 2. *Sam.* 6. *v.* 5. 14. 15. Populus, 1. *Reg.* 1. *versic.* 39. 40. 45. & 8. 66. 2. *Reg.* 11, 20. Dauid cum p-

so Israel, *Ibid. 1. Paral.* 13.8. & 29.22. Hiram, 1. *Reg.* 5.7. Leuitæ, 2. *Paral.* 5.12. Populus Israeliticus, 7.10. Habitatores Ierusalem, 20. 27. Populus terræ, 23. *v.* 13.21. Populus a captiuitate redux. 1. *Esd.* 6.16. *Nehem.* 8. *v.* 12.18. & 12.42.3. *Esd.* 4.65. & 9. *v.* 15.54. Ciuitas Susan, *Esth.* 8. *v.* 15. Iudæi, *v.* 16.17. Magi, *Matth.* 2.10. Magdalena, & altera Maria, 28.8. septuaginta duo Discipuli, *Luc.* 10.17. Discipuli, 24.41. *Act.* 5.41. & 13.52. & 15.3. *Ioan.* 20.20. Samaria, *Act.* 8. *v.* 8. Rhode puella, 12.13. Custus carceris, 16.34. Paulus, 2. *Cor.* 7. *v.* 4.7.13. *Philem.* *v.* 7.

EXEMPLA PROFANA.

Archimedes inuenta permisti auri, atque argenti ratione, è baloeo nudus cucurrit domum, clamans: *Εὕρηκα, εὕρηκα*: inueni, inueni.

Perseus linearum curuarum tribus speciebus inuentis, Deos placauit. *P. Ramus lib. 1. Proœmij Mathem.*

Octauius Cæsar apud Insulam Capreas, veterrimæ ilicis dimissos iam ad terram, languentesq; ramos conualuisse aduentu suo, adeo lætatus est; vt eas cum Republ. Neapolitanorum permutauerit, ærraria data. *Sueton.*

Sophocles tragicus gaudere se alebat, quod rem Veneream, sicut ferum, & rabiosum dominum, effugisset. *Idem.*

Agesilaum Regem Spartanum Xenophon tradit, cum locupletaret amicos, exultasse: qui interim pecuniam ipse contemnebat. *Plut. in præcept. polit.*

Nero Cæsar obijt trigesimo secundo ætatis anno, die quo quondam Octauiam interemerat: tantumq; gaudium publicè præbuit, vt plebs pileata tota vrbe discurreret: nimirum hoc indicio redditam sibi libertatem significans. *Sueton.*

Quantam putamus *Aristotelis* fuisse voluptatem, cum Alexandri Magni permissu, solo æquatam, excitauit patriam suam, ciuesq; reduxit? *Plut. contra Epicurum.*

M. T. Cicero ob Clodij inimicitiam in exilium actus: redijt Põpeio, & Lentulo Coss. tanta vrbis lætitia, vt quasi auulsa sedibus suis Roma, omnis ætas ordoque obuiam procederet. Quæ omnia ex eius orationibus, & pridie, quam iret in exilium, & postquam redijt, licet deprehendere.

GEMMÆ.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

Gemmarum materia communis est aqua non pura: sunt enim vitra naturæ opere producta, cui aquæ est immixtum subtile. *Albert. Magn. l. de Miner. tract.* 2. *c.* 3. Gemma, omnis lapis preciosus dicitur, siue pellucidus, siue obscurus, Græc. *λίθος τίμιος* Hebr. *Eben-Iekarah*, i. lapis politus, vel eximius. à *Kara*, vocauit, vel nominatus fuit, & inclytus: vel à *Karah*, politus fuit, vt glaber, & caluus.

De Gemmis. DIAL. XXXVII.
Francisci Petrarchæ.
GAV.

Gemmarum fulgor, & species delectant. R. Rerum fateor terrestrium, & mortalium vanitatis pars non vltima, exiguo in lapillo patrimonia magna claudentium, cuius preciũ instabile, & incertum, cotidieq; varium, quod, & sola mercantium fama, & diuitum insanorum credulitate dependeat, vnde diu spretæ inopinis precijs attolluntur, & gemmarum famosissimæ subita premũtur infamia. Nescio quibus notis erumpentibus non tam ipsis, de quibus agitur in rebus, quam in opinione hominum ista callẽtium. Præclara quidem illa prudentia, quæ neglecto cultu Dei, atq; animi, & vtriusque notitia, internoscendis lapidum venis inuigilat. Sed sic est mos. Neque nunc primum in precio sunt, qui his precia vasta fingunt. Vera enim precia, vel nulla sunt penitus, vel ignota, quã verò periculosa vanitas, quam tremulum, quamque anceps iudicium ipsos inter artifices facilè est iudiciũ, memoria repetentis id quod nuper accidit, vt perbreuem gemmam (carbunculus is erat) decem millibus aureorũ ille vir fortunæ maioris, quàm ingenij, cum emisset, diu se cunctatum fuisse iactabat, quod naturalem, & communem modum fulgor excedens suspicionem faceret, eius artificio peritissimo cuidam cuius consilio vtebatur, non veram gemmã esse, sed vitreum aliquod, seu quidnis aliud in eam speciem non natura genitum, sed nescio qua supernaturali, & mira quadam arte conflatum. Quæ quidem hæsitatio, quid nisi confessio quędam erat vitrum tale visu pulchrius esse, quàm gemmam? quamuis forsan illa solidior sit. De hoc iameo ipsi iudicent, qui, vel in hoc quæstu pecunias alio vertendas honestius, vel in hoc cognitu melioribus debitum tempus perdunt. Quod si ista cunctatio iusta fuerit, quid hinc sequatur quis non videt? Quænam scilicet ambitio, & quanta sit cæcitas nõ rei formam, ac substantiam, sed nudum nomen tanta mercede captantium? G. Nil mihi gemmis est carius. R. Crede hercle, non virtus, non fama, non patria, non vita ipsa (vtque illa dno sileam) quibus vobis nihil est vilius, dno hæc vltima, cumque his diuitias ingentes, & quicquid preciosissimum iudicatis vnius gemmæ precio, atque amori succubuisse monstrabo, & exilio illam, & inopia, & si ita res tulisset morte seruatam. Cui enim quæso non est notum Nonij consilium? Romanus hic Senator fuit, Vir locupletissimus, gemmamq; habuit viginti millibus æstimatam, gemmæ nomen Opalus. Mittit huc India, colorum pene omnium varietate præfulgidum. Huius fama excitatus, accensusq; cupidine Antonius triumuir, homo omnium superbissimus, atq; auarissimus, & cui quicquid natura libitum, fortuna licitum fecisset, cum iniusto gemmæ desiderio (vt fit crudele possessoris odium concepit, hunc in illo publico proscriptionis incendio, quo tot patriæ lumina periere, Nonij nomen arsurum cum reliquis, ob hoc vnũ crimen, quod formosæ tyrannoq; placitæ dominus rei esset, insertum est. Ille autem, cui posticus saltem fiber exemplo esset, vt perniciosæ iactura sarcinulæ libertatem redimeret, ac salutem, illam ipsam, sibi (vt auguror) præsenti discrimine cariorem sic amplexus aufugit, vt ea salua nulla sibi, vel patrimonij, vel patriæ cura esset, cum illa paratus exulare, & mendicare, & ad extremum mori. Quis non magni æstimet, ad quam vir senatorius sic affectus sit? Et profectò fatendum alterum, aut magni precij rẽ fuisse, aut parui animi possessorem. Sed quid horum verius, vt diffiniam non expectas. Etsi autem huius, ac reliquorum simile iudicium, ceu contagium animorum, latè serpens vulgi mores infecerit: Magna tamen ingenia, nec nummis delectari, nec omnino alia, quàm virtutis pulchritudine tangi decet, nisi, vt per hæc breuia, quæ delectant oculos, experrecta mens in amorem, ac desiderium æternæ pulchritudinis rapiatur, quo de fonte quicquid est pulchrum prodit. G. Excellentibus gemmis allicior. R. Hanc excellentiam non natura fecit, sed opinio, quæ apud quosdam carbunculo palmam dedit, apud alios adamanti. Illa vulgo, ac plerisque gemmarijs æui huius æstimatio, ista veteribus quibusdã rerum scriptoribus probatur, secundum quos non modo gemmarum, sed rerum omnium terrenarum preciosissimus adamas, Regum olim, atque non omnium, seu præcellentium gemma fuit, hodie, quia nullius rei tantum, & tam velox, quàm luxuriæ, & superbiæ incrementum est, multorum non regum etiam, esse cœpit, & iam plebis in digitos sensim veni. Huic proximam Indicam, atque Arabicam margaritam locant, & huic itidem Smaragdum, nescio quidem qua ordinis iniuria. Nã si illorum rubor, pallorq; gratus est, cur non æquè horum candor, vigorq; oculis blãdiatur? Iustiorq; nunc etiam Sapphiri querela, quo vix aliud terra parit cœlo similius sereno. Verum (vt dixi) furor hic hominum, non natura nobilitat, diuitum nugæ inanes, atque ociosorum fabulæ, qui facile ista contemnerent si quo vnquam honestiore pacis, aut belli negotio tenerentur. G. Fulgidæ animũ mouent gemmæ, suauiter candidæ margaritæ. R. Mouẽt aiš? imò sternunt, calcant, molliunt, & eneruant. Qua de re si pergam virorũ, ac mulierum exempla congerere, non te doceam, sed obtũdam. Vnum ex omnibus, & id maximum attingam, vt intelligas, quã periculosus iste furor sit infirmioribus animis, qui continentissimos, fortissimosq; peruaserit. Magnus Pompeius continentissimus Romanorum ducum, horum dico nouissimorum, qui quantum magnitudine gestarum rerum cæteris antecellunt, tantum modestia virorum vitæ, quæ frugalitate maioribus cedunt suis, victor ab Hispania, pacato rediens occidente, compressisq; prædonibus, & in vnum coactis locum, cui cõuenarum nomen, ob hoc inditum, in sæculum id durat, illic Pyrenæis in montibus locorum forsan asperitate molestiam adiuuante, atque ætatis victor æquè superbiam compescente, masculum trophæum puramque, & rigidam sui oris imaginem erexit, vere tunc magnus, atq; magnificus quamuis adolescens annis: moribus senex, maturusq; animi. Idem postea captis piratis, & oriente perdomito, quasi cum loco mutatus, ac tempore, estq; alia parte orbis ipse alius reuersus, non militarem, sed fœmineum, seu diuinum potius in morẽ, vultus suos non iam viriles, ac solito molliores, non ære fictus, aut marmore, sed insuetis, atque exquisitissimis margaritis in triumpho tulit. Exprobratio non leuis Eoi fastus vnum in caput expositi, non sine insultatione quadam victoris omnium populi, atque excusatione principum sequẽtium. Quid nõ enim à Tyrannis iam serua pateretur, quæ libera ciuis amantissimi talem hanc insolentiam aspexisset? Neque reliqua triumphi illius humilia magis, aut sobria, non arma, & equi domitarum gentium (vt mos erat) non captiui memorantur, aut currus, aut phaleræ: quod vilissimum in eo legimus, aurum fuit: gemmæ omnia, & margaritæ. Inter multa alueus ingens ibi, & ingeniũ thesaurorum ordo bicolor, ita, vt singulæ gemmis è singulis constarent, & vasa aurea, & vestes, & statuæ, quin, & luna quædam solito ex auro immensi ponderis lectiq; auri, & coronæ plurimæ magnis, & candidis margaritis intextæ. Denique mons aureus illic fuit, formæ illæ mirabiles in quadrum ductæ, ceruis, ac leonibus, & figuris varijs animantium frequens, nec non arboribus, atque omni pomorum genere consitus, ramos aureos tegentibus margaritis montis in vertice, ijsdem ex rebus horologium artificio vbique vincente materiam, voluebatur, mirabile prorsus ostentum his, qui mirari inania didicerũt. G. At his rebus delector. R. Credo id quidem, teque hunc triumphum, & cupidè spectaturũ

rcor, & cupidius ductu ũ, & cupidissimè possessurum, id tibi passionati status animi suadet. Crede autem, & tu mihi, hæc quæ visum vsque adeo delectãt, sæpe animæ, sæpè corpori nocuerunt. Illius certè quẽ loquutur triumphantis gloriæ nil vnquã magis obfuit, non Thessalicus dies, nõ Aegyptia calamitas, ibi enim fortunæ succubuit non totus, hic vitio totus, ibi aliena via, aliena perfidia, hic sua fragilitas, sua fuit ambitio. Illic ergo potentiã, & vitam, hic animi popularis, modestiæq; insignis, famã, magniq; laboribus partum magni nomen, imminuit. Mirum dictu tanto victoriosior contra Hispanos bellicosũm gentem, quam contra imbelles, & inermes Asiaticos apparuit, eoque mirabilius, quod in ipsa quoque Asia aliquãdiu integer, atque inuictus, cum se in tẽplo Hierosolymæ omnium opulentissimo verè erectũ, atque abstinentissimum præbuisset, ad vltimum vrgenti vitio nõ restitit, neque iã amplius vir singularis, atque vnicus, vt semper fuerat, sed quasi vnus ex multis captus, delectusq; est. Is gẽmarũ fulgor, ea vis margaritarum, idque auri pondus fuit. Vicerat iã ante pari prælio Alexãdrum Asia, sed parum est vitijs victum suis vincere. Illud magnum vicisse victorem sui, post quem nullus fermè ducum stetit inter Asiæ delicias, quæ in orbẽ Latium transuectæ vestra vos in patria vicerunt. Nempe si fateri verum vultis, vbique gentium victores Asiatica victoria victi estis: Inne, & amicas oculorum, animorũ hostes, & victrices virorum fortium gẽmas colle. G. Gemmis delector ardentibus. R. At hic varijs, ille pallentibus, multiplex appetitus, vna vanitas. Audisti, vt Pyrrho illi, qui cum Romanis bellum gessit, Achates fuit lapis olim preciosissimus hominũ iudicio: Nunc eodẽ, quo precia rebus fiunt, variante, vilissimus, in quo quidem species rerum diuersarũ repræsentari solere oculis: fama est, hominum, iumentorũ, fluminum, nemorum, volucrum ferarumq; nulla penitus manu artificis, sed naturæ: In illo sanè regio (vt Solini verbo vtar) non impressis, sed ingenitis figuris musæ nouem, & Apollo erat choreæ nobilis citharista, sparsis ita nexisq; inolitæ gemmæ notis, vt tot imaginũ in tã paruo spatio vnaquæque suis discerneretur insignibus, præclarus (vt res erant) anulus, addiditq; gratiæ regis nomen. Pluris enim fiunt res illustriũ, sed quid oro illi contulit Achates suus, an bello inuictum, an non dicam mortis nõ hostili gladio, sed saxo, quod fœminea etiam torsit manus exemplum fecit? Quid inquam, vel hunc Pyrrho profuit habuisse? vel hoc nocuit caruisse Fabricio, Curioq; quibus ille victus, atque Italia pulsus est ducibus? Affirmare ausim neutri horum vnquam sessurum animo fuisse, vt horrentem galeam rigidumq; nec auro, nec gemmis insignẽ gladiũ, anulo regio permutaret. Sic mollia quæque despiciunt viri fortes. quomodo verò anulum regia ambirẽt, qui sola virtutis fiducia regem ipsum, & regias opes regnumq; contempserant? Contra autem vos animorum differentia cuncta miramini, & quasi beatos factura concupiscitis, virtus sola contẽnitur. Est, & gẽmæ alterius fama vetustior, quã Samiorum Tyrãnus Polycrates habuit, ferunt fuisse Sardonychẽ. Is lapillus inter multa preciosa ditissimi hominis preciosissimus habitus, quamobrẽ qui nihil vnquã sensisset aduersi, palã obsequentis, & clanculum insidiantis fortunæ inuidiã placaturus, nauigio in altum prodit, anulũq; ipsum in quo gemma erat manu propria demersit. Vel sic saltẽ semel doliturus in vita, visus sibi callidè transegisse cum fortuna si tot lætis hoc vnum triste pẽsaret. Illa verò, nec falli facilis, nec mulceri, mala bonis æqua lance componẽs, plusculum exigebat pro diuturno fauore, breue quidẽ, sed prædurum, vt qui per omnem vitam felicissimus sibi, atque alijs visus esset, in morte miserrimus videretur, essetque miserrimus. Hoc vitijs, hinc supplicijs omnibus vnũ caput vrgentibus. Itaque velut oblatum respuens (ô fortunæ ludos) pisce quodam internuncio, qui tunc ore anulũ excipiens, captusq; illico mensæq; eius appositus fuerat, anulũ illi suũ, non sine quodã spectantiũ stupore, restituit. Eã gemmam multis post sæculis Augustus Cæsar, & precio tactus, & miraculo, insertã aureæ coronæ ad ædẽ concordiæ dedicasse fertur. Hic rursus interrogo, quid hoc, vel tyrãno profuit habuisse patriam affligenti, vel Pythagoræ obfuit caruisse eõem sibi cum illo patriã, & domum propriã, & amicos morũ eius odio, relinquenti? Nẽpe tyrannus ille patibulo affixus omniũ iudicio eũ summum suppliciũ pateretur, maiore etiã dignus erat. Iste Philosophus in pace obiẽs pro Deo cultus, domus eius pro tẽplo habita est. Tantũ inter illius gẽmam, atque palliũ interfuit. Neque verò, seu Polycrati tunc Sardonyx ille ne morsu volucrum semesus in cruce marcesceret, seu modo Ioanni Galliarum regi ne acie victus in manus hostium deueniret, suus valuit præstare carbunculus, quẽ die illa in digito eius inuentũ ereptumq; sibi, & post annos ab amico quodã orbe alio redẽptum remissumq; cernere fuit, ac tangere rẽ precij infiniti. Sed nullius efficaciæ, nulliusq; operæ, nisi cuius, & reliquæ id genus. Gemmas enim lucidas nõ nego ne sensui contradicã. Nego vtiles, nego vllã vim habere, nisi illã, quæ vulgo ẽt fertur. Possunt seras auarorũ quoque diuitũ confringere, atque arculas exhaurire. G. Vtcumque in precio sunt gemmæ, hæque animũ delectant. R. Atqui dementiæ summæ est multã cura rebus impẽdere, quæ, & si aliquid videantur, in se nihil sũt. Hoc est enim errore oculorũ, ac præstigio delectari. Quid in his laboras, quæ non dico felicitati non conferunt, sed nec miseriæ detrahũt, præsentes, neque cõtrario absentes? Et si multa equidẽ hic à multis, & mirabilia scripta sint, nõ veritati rerum, nec vtilitati legentium, sed stupori operam dantibus, præcipueque a Magis, qui his nugis libros integros implere (tantũ erat ocij) potuerunt. Mihi tamen hac in parte cum Plinio secundo planè conuenit, & scripsisse eos ego quoque non sine contemptu, & risu generis humani arbitror, vt & stultam credulitatẽ vanis opinionibus implicarẽt, & seipsos nostris ineptijs oblectarẽt. G. Delector gẽmis, quibus credibile est aliquã vim inesse. R. Quænã illa sit audisti, vt sit alia, quãtula tamẽ illa est mercatorũ, ac scriptorũ collata mẽdacijs, nõ Graia tantũ arte confictis, sed vestra etiam assensione auctis, atque firmatis, quæ multo est satius, vel prudẽter arguere, vel magnificè contemnere, quam callere omnia gemmarum precia, virtutesque, & vitia. Hic enim à Plinio (cuius multa placent) valde dissentio. Ille quidem falsas deprehendandi arte, seu notitiam quamdam pollicetur, quando inquit etiam luxuriã aduersus fraudem muniri decet. Mea verò sententia non muniendã, neque armanda luxuria est. Sed inermis, & sola circulatorum inter armatas acies deserenda, vt circumuenta sæpius, & illusa, quãdo aliter non potest, saltem damnis, & fraudibus castigetur.

De gemmarum poculis. DIAL. XXXVIII.

GAV.

Iuuat gemmis bibere. R. Cauari gemmas ad pocula luxuria vetus est, non virtutum modo rem fragilem, ac profectò pulcherrimam mundissimamq; despiciens, sed argentum, ipsumq; aurum, humanæ olim cupiditatis vltimam metam. Inuẽtumq; aliquid quo auaritiã luxus excederet. Non sic fit digna mali causa. Vidit hoc Poeta dũ diceret: *Hic petit excidijs vrbem, miserosq; penates.* Malum ingẽs nec iustitiæ tantum, sed humanitati obuium. Et vt scires vnde ortum, addidit, *vt gemma bibat.* En ciuiliũ par furorum causa, vt cũ calix argenteus diuino cultui satis esset, aureus humano vsui paratum sit, nisi precium faciente periculo gemmæ etiam peregrino artificio excauentur, quibus bibat infelix homuncio, & polluta mẽdacijs, atque spurcitijs labra iucundius applicet, res, & potui incommoda, voluptate interpellante metu, & apparatu operosa, & custodiæ difficilia, & saluti anceps, & venenis aptissima. Verum namq; est illud alterius Poetæ, *nulla aconita bibuntur fictilibus. Tunc illa time cum pocula sumes gemmata.* G. Gemma bibere gloriosum reor. R. Superbia dum se attollit, nec descensum cogitat, nec ruinam, caræ libentius bibitis, quam securè, ambitiosè, quam lapide. Sic vitia vitijs vincuntur, & gulam parcius aliquanto sollicitat vini sapor, quam insolentiam scyphi color. Obstupescitis ad gemmarum radios, hunc stuporem nullo non precio æstimandũ arbitramini, non tantũ pecuniæ, sed virtutis. Nõne enim ille Virgilianus euersor patriæ hoc ipso de quo loquor precio gemmã quærit, iustitia, scilicet, & pietate properans his amissis illa ad piscis, & vt gemma bibat ciuem, atque hominem obliuiscit? G. Libẽter gemmatis vtor poculis. R. Est fortasse alia desiderij tam intẽsi radix, atque solus fulgor allicit, sed aliqua latens virtus. Nam quis omnes gemmarum vires, atque virtutes explicet? Ita dico si omnium, quæ de his dicuntur, aut scribuntur pars septima vera esset, sed nec septuagesima vera est, neque profectò centesimã. Quod si (vt Plinius ait) Nulla fraus vitæ lucrosior: quis miretur, si, & nulla numerosior? Nõ quod gẽmarum, quam rerum cæterarũ crebrior sit cõtractus, quippe quas raritas preciosas facit, sed quod nusquam rarior est veritas, neque enim alicubi, vel experiẽdi minor copia, vel maior licẽtia mẽtiendi, vel mendacij fructus vberior, vel impudentia liberior, vel consuetudo frequentior. Quod si quid ex omnibus verũ prorsus est, an illud forsitã verũ erit, quod, & Magorum authoritas, & super illam fundata vulgã habet opinio ebrietati resistere Amethystum? Parũ ne igitur causæ sit, cur ebriosorum poculis hæc gemma deseruiat? Ludo tecũ. Sæpè ita iocos parit. Nempe, vt hoc vni tribuant, quid aliæ meruere? nisi quod voluptaria ingenium fuit, vt cum gustu bibentis delectetur visus, atque hinc illinc sensibus delinitis ambitiosior lætiorq; fit ebrietas? Hæc (ni fallor) & verior rei huius, & certior causa, cum in reliquis, tum in hac ipsa, quæ aduersus ebrietatem quasi belli dux eligitur, de qua triumphare sobrietas sola potest vti vino modico, iuxta illius consultoris optimi sententiam, eoq; ipso non ad voluptatem, sed ad vtilitatem, & stomachi ægritudines depellendas, vino inquam exiguo, & fragili lymphisq; perdomito: Meri autem potentis incendium, atque impetum, seu fuga euadere, seu aquarum diluuio extinguere, ac frænare. Scire, & meminisse in vino magno, ac feruido, potuque crebro, & nimio, multam pudoris, ac doloris pœnitentiæq; materiam inesse, eam quocumque te verteris oculis ingeri, neque à quoquã sanæ mentis posse dissimulari. Hæc sunt arma contra monstrum illud vtilia. Quis hic Amethysto, seu gemmis omnino vllus est locus? Mentiti sunt id Magi, fueruntq; qui crederent, vt hoc sponsore sobrietatis, intrepidi biberent. Perfide quidem Magi, atque impudenter, vt plurima, stultè credulum vulgus, vt omnia. Summa igitur rerum est, nihil aliud vobis hanc, reliquasque conciliat, quam

quam voluptas difficultatibus excita, & incensa, sed multo maximè superbia, & conditionis oblitio tumorq; animi lenis..., quo cum nil peius sit hominum vitæ, miror quid ita nil grauius. Non dico virtus bonum ingens vestro vili iudicio, sed nec vita ipsa, nec salus, nec securitas, non opes, non denique voluptates ijsdem vobis extimatoribus summum bonum. Cuncta hæc vni cessere superbiæ. Hæc præter cætera vos gemmarum cupidos fecit, quæ semper inutiles, sæpè damnosæ sunt, necessariæ verò numquam. Hac hortante igitur effectum est, vt occupati semper, ac trepidi, sed excubi, domos, mensas, templorum instar altarium, habeatis aureas, atque gemmatas, hostiæ ipsæ purpureæ, ac vitatæ auaritiæ, luxuriæq;, ambitionis, atque superbiæ cultus expositæ, quæ in vos omnes, ac singulæ sæuiunt, primas sibi partes (vt dictum est,) vindicante superbia. Auaritia quippe quod nomē sonat vtcumque fortassis auro contenta quiesceret: luxuria epulis, & voluptatibus suis. Sola superbia non quiescit quamdiu aliquid supra se videt, et quæ ab initio rerum Deo par esse tentauit. Hæc eadem vos cogit laboriosè gemmas quærere, studioseq; vel nectere, vel cauere, vt prodeuntes sedentesq; in foro, inque conuiuio, radiantes, ac stellati cœli semper inuidiam faciatis. Hac duce igitur (vt ad rem redeam) in habitaculo, & in veste ciboq;, & potu, & rebus omnibus, quæ humanæ necessitati, seu iucunditati inuentæ erant, speciosum aliquod fulgidumq; periculū miscuistis, eoque crescendo malum prodijt, vt ex gemmis non modo iā pocula, sed pelues, ac lebetes, & mortaria, & ahena cōspiciamus. Victrix plane superbia! gemmea pocula requirebas, omne tibi ex eadem materia vasorum genus tui offerunt ministri. Neq; iam minus est commune gemmam hos in vsus, quàm in vsum frugum terram fodere, sic consuetudo facta est vobis, quæ luxuria maioribus vestris fuit. G. Crystallina pocula libens vtor. R. Parco iam gemmis, concretas illas glacies excusat, nescio quid plus vitro habens, æquè enim frangitur, & sarciri nequit, nisi quod quæsitu difficilior, & vel de longinquo veniens, vel quæ propinqua est inter alpium scopulos, rupesq; inuias, & algentes tenui fune pendentibus eruenda: ob eamque rem carior, vestrasq; cupiditates irritare potentior. Itaque Neronem legis infelici perditum rumore ceu damnis ex omnibus crystallinos duos calices, forte elisos, grauissimè doluisse, seu quod aliter puto verior historiæ sensus habet, ita feruidum præcipiti, & ætati suæ infensum, & posteris inuidentem, ne quis vnquam ex his biberet, manu propria collisisse. En fortunæ durioris expiatio! nil infectum, in quo grauibus sæuitiæ magister iracundiam exerceret, in crystallum sæuit, quo nullæ tunc sibi deliciæ rariores. Excusat o minorum . dicat aliquis imitari principem, sed Neronem sequi nemo bonus, optauerit. G. Crystallinis gaudeo. R. Nec attendis quā caduca, quam fragilis delectatio tua sit, sed mos est vester, naturæ propriæ similia exoptatis, cum & imbecillitatis vestræ firmum aliquid cui hæreret, & nostri melior pars cœlestis, altum aliquid quod spectaret, & optare, & quærere debuisset. Vtrique debilia, atque ima quæritis. Bene autem habet quod murrhina hodie lautitijs excessere. Veterum furor incredibilis eadem illa victoria molta vobis intulit, ipso de quo dicimus, triumphante Pompeio, in Italia, inque vrbem Romam transuectus, ex Asia semen inutile, sed terræ creditum præfertili colonisq; impigris, itaque in breui auctum vsque adeo, vt murrhini vnius preciom septuaginta videas talenta, calicisq; illius ab amante quodam cupide conuulsum dentibus labrum, & miri amoris mirabiliorem exitum, vt cicatrix illa nobilitans vasculum, & famæ eius, & precij esset argomentum. Nō igitur hac in parte luxuria, qua nulli ceditis ætati, neque superbia minor est vestra, quam maiorum: Sed vtriusq; subducta materia est murrhinis non solum vsui vestro deficientibus, sed ignotis pro quibus noua luxuriæ species inuasit. Auellanæ radix ad pocula generosum lignum, ipsumq; cicatricibus honestandum, furor nunc præcipuus Galliarum. Venerunt hos in vsus nuper arbores aliæ peregrinis nominibus aduenis, & notis, alijs, atque alijs, sed eadem vanitate, venientq; nec vllus erit nouitatum modus, donec vestris poculis murrhinorum iactatio victa sit. In vno planè fateor auorum cessisti insaniæ, quod illi succinos nullo vsu, sola sed habendi libidine mirabantur, interque delicias numerabant. Vnde, & Nero ipse non Principum modo, sed hominum sæuissimus male dilectæ, & peius occisæ coniugis flauos crines hoc sub nomine ceu titulum meditatus eximium, adoptasse legitur carmine edito. Fuit namque (quod stupeas) trux illud ingenium amicum musis, in quo illos quod aurei viderentur, succinos suos dixit. O feroces, atque infaustæ blanditiæ! decorumque, & laudatum caput calce impia ad inferos detrudēdum. At vos succinos, & habetis, & spernitis, aut certè modestius colitis, & parcius æstimatis.

De Gemmarum signis. DIAL. XXXIX.

GAV.

Signis gemmæ expressis mulceor. R. Accessit (non inficior) ad naturæ decus quidam artis ornatus, & minutos in vultus, inque signorum vsum gemmas sculpi. Subtiliora quidem inter ingenij opera numeratum, vbi, & Amethystus inter lapides, vel impressioni facilis, vel successu propter (vt perhibent) & inter artifices primum sibi Pyrgoteles sumpsit nomen, eo quod vnus è cunctis sui generis idoneus Alexandro visus est sculpendæ sui oris imagini, qua postmodum diuus Augustus vsus est, cum gemma illa qua erat vti solitus in iocos hominum abijsset, vt sphinx ænigmatica diceretur, ita vt præter exactionum difficultates, ipsa quoque signi perplexitas verecundissimo Principi parere videretur inuidiam. Huic proximus, vel ingenio, vel ætate Apollonides fuit, & Cronius, post hos magni nominis in hac arte Dioscorides fuit, cuius cum opus exprimeret, nomen siluisse Plinium miror. Hic est enim qui ipsa diui Augusti sculpsit effigiem, qua ad extremum, & ipse dum vixit, & post eum multi Principum vsi sunt, ea vel Cæsarei oris veneratio, vel admiratio fuit artificis. Et nunc ego tanto de gemmis habito sermone, quas seu natura integras solidasque voluptatibus vestris exhibet, seu ars cauat, quæro ex te quanto amplius delectare animum deberet sine precio, aut labore parabilis splendor æthereus? Imò ne is quidem, sed qui huius & illius fons, ac principium lucis est? Rutili Carbunculi, virides Smaragdi, sereni Sapphiri, candidæ Margaritæ sic alliciunt: nec solis fulgor, aut siderum, nec terræ viror, aut arborum, nec serenitas, nec candor niuis, aut rubor Auroræ. Stupetis facies manu hominum gemmis insculptas, nec artificis stupetis ingenium, imò verò neque illum veneramini, totque tam clara ad...verum vijs agnoscitis, qui gemmas ipsas quique ingenium, qui manus, quique oculos fecit, quibus hæc cernerentur, atque intelligerentur, & fierent. O semper vilium miratores rerum! semperq; nobilium contemptores!

GENEALOGIA.

DEFINITIO.

GEnealogia est generationis series: Cōponiturq; ἐκ τῆς γενεᾶς, id est, generatione, & λόγος sermone.

Hebr. *Iachas: Nehem* 7.5. a verbo *Iachas.* Recensuit se per genealogiam, censuit familiam suam, numerauit se per originem generationis, & prosapiæ.

BIBLICI LOCI.

Genealogia, γενεαλογία: Genealogiæ non magnopere curandæ, 1. *Tim.* 1.4. *Tit.* 3.9.

Generatio, Græcis, γένεσις & γενεά. pro historica rerum narratione, *Gen.* 6.9. & 25.19 & 31.2. & sic accipi debere hoc vocabulum manifestum est, quia hic titulus generatim ad totam historiam accommodatur, quæ postea subiungitur, vt sit sensus: Hæc sunt, quæ acciderunt Noe, Isaaco, &c. pro primo ortu, & origine, *Gen.* 2.4. pro generis supputatione, & genealogia, 10 1. & 25. 12. & 36. 1. *Ruth* 4. 18. pro vnius sæculi, seu ætatis hominibus, *Genes.* 55. 26. *Hebr.* 3.10. id est, pro progenie vnius ætatis, *Matth.* 11.16. & 23. 36. pro ætate, 24.40. pro natiuitate, *Matth.* 1.18. Generatio spiritualis, *Ioan.* 1.13. 1. *Cor.* 4.15.

Generandi vim indidit Deus omnibus, quæ super terram sunt, *Gen.* 1.11. & 5. v. 5.7.

Generatio, pro duratione perpetua, *Esa.* 53.8. *Act.* 8.35. pro cognatione, *Gen.* 31.3. pro genitura, *Ezech.* 16.3. 1. *Tim.* 2.15. pro genie, & natione, *Matth.* 12.39. &c. *Act.* 2.40. *Hebr.* 3.10. pro genere, *Luc.* 16.8. *Hebr.* 7.6. Generatio Dei, seu qui genitus est ex Deo, 1. *Ioann.* 5.18.

GENEROSVS.

Generositas.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

GEnerosus, Græci εὐγενής, ἐος, ὁ, ἡ, ita differt à nobili, quod nobile est, id quod ex bono prodijt genere: Generosum, quod non à sui natura degenerauit, *sec. Arist. l.* 1. *de Anim.*

Generosus est præclaro genere natus, vnde generositas, hoc est, nobilitas, & generosè, nobiliter.

Viri nobiles, & generosi vocantur ab Hebræis *Benè-Chorim.* id est, heroum filij. A voce Hebræa fluunt Græca, & Latina ἥρωες, & heroes, *Chorim* verò, heroes, illustres viri, nobiles, togati, seu toga candida vtentes, viri vultu ingenuo, illustri, candido, siue heroico conspicui, herus, dominus. In plurali numero hæc vox *Chorim* occurrit, non in singulari. A fortibus enim, & heroibus alij heroes generantur. Columba parit aquilam.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Generositas sita est in generis virtute, ne à natura desciscat. *Arist. Rhet.* 2.

Generosum est, quod à sua natura non degenerat. *Idem hist. Animal. cap.* 1.

Generositas est virtus ingenui moris, facilitas animi ad dicenda pariter, & agenda. *Speusippus in Plat. defin.*

Generosi hominis est, honestis rationibus victoriam quærere; turpibus, ne salutem quidem. *Plut. in Sertorio.*

Generosos homines semper, & vbique fortiter agere decet. *Procop. de Bello Vandal. lib. 2.*

Viri generosi, & fortes, vel si aliqua vna in re fortasse fallantur, vel vtcumque ad vota aliquid sibi minus successerit, apud hostes existimant suam authoritatem imminui. *Idem de bello Goth. l. 1.*

Nobiles, & fortes viri, antequam contumeliam patiantur, mortem sibi anteponendam putant. *Xiphilin. in Cæs. Augusto.*

Turpe est, generosum hominem ingenium in vilibus rebus ostentare. *Niceph. Greg. hist. lib. 9.*

Est animi generosi contemnere, quæ vulgus hominum effutit. *Ph. Comminæus, lib. 2. de bello Neapol.*

APOPHTHEGMATA.

De generosè dictis.

Polydorus Alcamenis F. In eum qui non cessabat hostibus minitari: Non intelligis, inquit, te maximam vindictæ partem frustra consumere? Nam qui cupit inimicum vlcisci, nihil aliud efficit minando, nisi vt præmonito inimico, sibi ipsi maiores struat insidias. *Plut. in Lacon.*

Astycratidas, postquam Agis superatus est apud Megalopolin in prælio aduersus Antigonum, cuidam dicenti: Quid nunc acturi estis Lacedæmonij? Macedonibusne seruituri? Quid tandem, inquit, num Antigonus vetare potest, quo minus in pugna pro patria mortem oppetamus? *ibid.*

Agasicles, cuidam dicenti, admirari sese, quod cum discendi, tam auidus esset, tamen non adiungeret sibi Philophanem sophistam: regali prorsus indole respondit: Eorum discipulus esse volo, quorum sum & filius. Significans non minus interesse quos nactus sis parentes, quàm quos informatores, & educatores adsciscas. *ibid.*

Anonymus. Thebani cum debellatis, ac fugatis apud Leuctra Lacedæmonijs, ad ipsum venissent Eurotam, & quidam gloriabundus dixisset: Vbi nunc sunt Lacones? Spartanus ab illis captus: Non adsunt, inquit, alioqui vos huc non venissetis. Ne victus quidem & captiuus potuit indolis Laconicæ obliuisci: Nec tulit viri iactantiam. *ibid.*

Ephori. Cum Lacedæmoniorum Rex polliceretur se funditus euersurum ciuitatem quamdam, quæ sæpennmero Lacedæmonijs negotium exhibuerat, non permiserunt Ephori, dicentes: nequaquam abolebis iuuenum cotem. Vrbem infestam appellabant cotem iuuentutis, eo quod hostibus ipsa iuuentus acueretur ad bellandi peritiam. *ibid.*

Anonymus. Mos erat apud Lacedæmonios, vt Rex hostes aggrederetur, præcedente quopiam gestante coronam, qui in certamine victor aliquando tulisset coronam. Cum igitur Lacon quidam in Olympijs magnam pecuniæ vim respuisset, & coronam prætulisset: cuidam dicenti: Quid emolumenti tibi adfert victoria? ridens respondit: Ante regem, inquit, coronatus incedens pugnabo cum hostibus. *ibid.*

Anonymus, apud Lacedæmonios duo pueri cum inter se pugnassent, & vnus alteri lethale vulnus inflixisset, puerorum sodales saucium iam morientem consolantur, ac pollicentur vltionem. At ille: Nequaquam, inquit, de vltione cogitandum est; quando quidem ego idem facturus eram, quod fecit ipse, si potuissem. *ibid.*

Anonymus. Lacon quidam sagitta percussus, cum animam ageret, dicebat: Non me mouet, quod morior, sed partim, quod ab imbelli sagittario, ac mulierculæ simili, partim quod nullo facinore edito morior. *Plut. in Lacon.*

SIMILITVDINES.

Socratis. Quemadmodum equus non generosus vocatur, ac iudicatur, qui instructus apparatu magnifico fuerit, sed qui natura sit egregius: Ita neq; vir bonus, qui dominus est preciosæ supellectilis, sed qui animũ generosum possidet. *Apud Stob. ser. 1. de Prudẽtia.*

Gentis, atque familiæ non minus, quàm arboris Generositas ex fructuum probitate cognoscitur, & ex virtutis suæ merito diligitur. Quod quidem meritum, quo diutius in eadem stirpe per plures ætates transfunditur, eo certe preciosior, atque generosior hæc haberi debet, atque stemmatibus exornari splendidioribus. Virtus enim honore, gloriaq; non minus in animo humano, quã in agro plantarum fructus, cultu promouetur. *Steph. Vinand. in Hercul. Prodic.*

GENS. GENTES.

DEFINITIO ET ETYMOL.

Gens Israelitica, in 12. tribus distincta, sub Roboam, ò regnum Iudaicum, & Israeliticum, diuisa tandem, Iudæorũ gens, & natio dicta est, *Luc. 7. 5. Ioan. 11. 48. & 18. 35. Act. 10. 24. 26. 28. cap.*

Gens, electi Dei, *Psal. 33. 12. Esa. 26. 2. 1. Pet. 2. 9. Apoc. 21. 24.*

Gens, natio, populus turba numerosissima, in quapiam regione viuens, *Gen. 15. 14. Psal. 105. 13. Prou. 14. 34. Esa. 2. 4. Ier. 2. 11. Ioel 3. 8. Abac. 1. 17. Luc. 21. 10. Act. 8. 9. 2. Cor. 11. 32.*

Gens hypocritæ, impij nebulones in populo Iudaico, *Psalm. 43. 1. Esa. 1. 4. & 10. 6. & 49. 7.*

Gens figuratè sumitur pro locustarum numerosissimis agminibus, quæ fruges terræ consumpserunt. *Ioel 1. 6.*

Gentes Synecdochicè, pro primis parentibus, & stirpibus duarum gentium oppositarum. *Gen. 25. 23.*

Gentes, populi, præter Iudæos, extra fœdus, incircumcisi: Gentiles, quorum magna pars ad salutis æternæ cognitionem per Euangelium, familia Dei per fidem in Christum recepta, & i[...]sita est. *Gen. 10. 5. & 22. 18. Psal. 2. 8. Esa. 2. 2. Act. 13. 47. Rom. 1. 5. 1. Cor. 1. 23. Eph. 2. 11. Apoc. 11. 2. & 22. 2.*

Gentes, incolæ orbis, *Esa. 40. 15. 17. Matth. 20. 25. Apoc. 12. 15.*

Gentes, Antichristi mancipia, *Apoc. 13. 14. 16. 17. 18. 20. cap.*

LOCI BIBLICI.

Gentes omnes in gloriam Dei creatæ, *Deut. 26. 19.* cur paulatim eiectæ è terra Chanaan, *7. v. 22.* cur ibidem relictæ, *Iud. 3. v. 1.* Gentes ignorantiæ prætextu excusandæ, *Rom. 2. v. 14.* Gentes pro nationibus à Dei cultu, & fœdere prorsus alienis, *1. Cor. 12. ver. 2.* vt explicatur, *Ephes. 2. ver. 11. 12.* Gentes legem non habentes (quod tamen non simpliciter, sed κατά τι est intelligendum, id est, habita Iudæorum ratione, quibus Deus singula Legis capita tradidit, *Exod. 20. v. 1.*) quæ Legis sunt, faciunt, *Rom. 2. v. 14.* hoc est, honesta iubent, turpia prohibent, & puniunt.

Gentium abominationes fugiendæ, *Deut. 12. v. 30. & 18. 9. Ios. 13. v. 32.* Gentium conuersatio ante Christum cognitum, *Ephes. 2. v. 3. 1. Pet. 4. v. 3. Act. 14. 16.* Gentium conuersio, & vocatio prædicitur, *Gen. 9. 27. & 17. v. 5. 18. & 48. 10. Deut. 32. 21. 2. Sam. 22. 44. Psal. 2. 8. & 18. 44 & 22. v. 29. 30. 31. & 72. 11. & 86. 9. & 87. 4. & 96. 7. & 98. 2. & 117. 1. Esa. 9. ver. 1. 2. & 11. 10. & 14. 1. & 42. 4. & 44. 5. & 49. ver. 20. 22. & 50. 19. & 52. 15. & 66. 12. Ier. 3. 17. & 16. 19. Osea 1. 10. & 3. 23. Ioel 2. 28. Amos 9. v. 11. 12. Mich. 4. 2. Soph. 2. 11. Agg. 2. 8. Zach. 2. 11. & 8. 11. & 12. v. 18. 21. & 21. 43. & 22. 9. & 28. 19. Marc. 11. 17. & 16. 15. Luc. 2. v. 31. 32. & 13. 29. & 14. vers. 21. 23. & 24. 47. Ioan. 10. 16. & 11. 52. Act. 1. 8. & 2. 39. & 9. 15. & 10. v. 15. 18. 35. & 11. 20. & 13. 46. & 14. 27. & 15. v. 14. 17. & 17. 30. & 28. 28. Rom. 1. v. 5. 14. 16. & 3. 30. & 9. v. 24. 25. & 10. v. 19. 20. & 11. 11. & 15. ver. 9. 10. 11. 21. Gal. 3. 8. & 4. 23. 1. Tim. 2. v. 6. 7. 2. Timoth. 1. 11. & 4. 17. 1. Pet. 2. 10. Apoc. 7. 9. & 10. 11. & 14. 6. & 15. 4. & 21. 24.*

Gentium vocatio arcanum quoddam fuit, *Ephes. 3. v. 5. 6. Rom. 16. 25. Col. 1. v. 26. 1. Timot. 3. 16.* allegoricè significatas, *Matth. 22. vers. 9.* Gentium, & Iudæorum coniunctio, *Zach. 8. 23. Act. 15. 3.* Gẽtium expectatio, Christus, *Gen. 49. 10. Esa. 11. 10.* Gentium imbecillitas, *40. 17.*

Gentiles, siue Gentes, siue Græci, pro Iudæis inter Græcos dispersis, *Ioan. 7. 35. & 12. 20.* Gentium mores non imitandi, *Leu. 18. ver. 20. 23. Ier. 10. 2.* Gens non gens dicuntur Moysi, *Deut. 32. 21. Rom. 10. v. 9.* omnes profani populi: sicut viuere non dicuntur, qui æternis supplicijs sunt addicti, sed mori.

SIMILITVDINES.

Chrysostomi. Quemadmodum supra dorsum omnium iumentorum non stat sarcina, nisi fortiter fuerit colligata ad ipsum: supra camelum autem sine recolligatione etiam repausat: nam ipse gibbus sarcinam tenet in se: aptus est enim ad pondera baiulanda. Ita in cæteris quidem peccatoribus cognoscentibus Deum, non stat sarcina peccatorum in corde ipsorum, nisi cum magna violentia, & virtute: Diabolus teneat illã in corde ipsorũ, alligans eam delectationibus: ipsa enim cognitio Dei excutit a se pondera peccatorum. In gentibus autem sine labore Diabolus tenet peccata, quia idololatria ipsa quasi gibbus retinet in se vniuersa peccata: apta est enim ad baiulanda pondera peccatorum. *In c. 19. Matth. hom. 32.*

Vt omnia animalia quamuis libenter terram aspiciant, semper tamẽ quando volunt, possunt tollere collum ad cœlum: solus camelus autem nunquam potest sursum tollere collum suum, gibbo depressus: Sic omnes peccatores libentius quidem terrena adeunt, tamen quandocumque volunt, possunt conuertere se ad cœlestem iustitiam: Gentes autem nullo modo possunt explicare se, & ad diuina conuertere, idololatria sua curuati, & excæcati. *In c. 19. Matth. hom. 32.*

Sicut camelus, neque deorsum recto collo aspicere potest, sicut cætera animalia: neque sursum recto collo aspicere potest, sicut homo, sed inter sursum, & deorsum caput eius pendet in medio: Ita & Gentiles, neque animalibus assimilantur ad plenum, propter humanum, & rationabilem intellectum suum. Hominibus non sunt similes, quia numquam cœlestia, sed terrena semper attendunt. *In c. 19. Matt. hom. 32.*

Quemadmodum camelus, nec ad plenum immundus est, nec ad plenum mundus. Mundus quidem est, quia reuocat, & ruminat: immundus autem, quia non habet duas vngulas scissas: Sic & Gentes, quoniam vacuæ sunt, nec mundæ ad plenum. Mundæ quidem fuerant, quia tractabant, quæ Dei erant, id est, ruminabant, & conuersabantur rationabiliter pene secundum Deum: sed con-

conuersatio

uersationem, quæ pes est, non habent diuisam in duo, i. in fidem, & in opera, sed habent opera tantum. *Ibid.*

Quomodo vinitor studiosus, qui primũ omnes in circuitu infructuosas siluas excidit, & sic postea plantat, ne forte arbores latitantes, dum huc & illuc per longa spacia ramos suos exporrigunt, adhuc tenerũ effocét malleolũ: Sic Deus gẽtes sine fructu iustitiæ constitutas occidit, & sic collocauit Israel, ne forte gentes indisciplinatæ, dum in longum terminum suæ dominationis extendunt, affligant populum Dei nouitium. *In 25. Matt. hom. 40.*

Lapis quidem durus est ad opus, sed quum factum fuerit opus, ex eo deficere nescit: Sic gentes cum difficultate quidem crediderunt, tamen credentes permanent in æternum in fide. *In c. 3. Mat.*

Sicut aliquis in itinere constitutus, aut in opere quodam, ante sextam quidem non operatur, aut vrgetur, aut ambulat, sciens quia longus adhuc dies superest, transacta autem sexta, quum cœperit esse octaua & nona, incipit properantius agere, vt opus suum, vel iter, tempore definito concludat: sic & Deus vsque ad Abraham, qui fuit in sexta hora, venit ad homines disponere testamẽtum: post Abraham autem vsque ad transmigrationem frequenter properans, vt aduentum suum in hunc mundum, & vocationem gentium definito tempore consummaret, quasi vespere iam propinquante. *In c. 50. Mat. hom. 34.*

D. *Basil.* Velut hi, qui tingũt, cum primo quibusdam modis id quod colorem recepturum sit, præpararunt, tandem postea florem superinducunt, siue purpureum, siue quemuis aliũ: Eodem nos itidem modo, si vt indelebilis sit apud nos probitatis sententia, cupimus his cum externis disciplinis fuimus imbuti, tunc sacris & occultis operam dabimus, & quasi solem in aqua prius videre assuefacti ad ipsam lucem dirigemus intuitum. *De gentilium scriptis euoluendis.*

GENVS.

DEFINITIO ET ETYMOL.

GEnus, Græcè γένος, τὸ dicitur. Et est, quod prædicatur de pluribus differentibus specie in eo quod quid: vt animal prædicatur de homine & asino, quæ specie differunt, *sec. Arist. l. Prædicam.*

Genus multis modis dicitur. Est enim propriè principium vniuscuiusque generationis, vel ab eo qui genuit, vel à loco, in quo quis genitus est, vt Orestes à Tantalo ducit genus. *Ouid. Et genus à magno ducentem forte Gradiuo. Et, Plato est Athen. genere.* Patria enim generationis principium cuiuscunque est, quemadmodum & parẽtes. Hinc per metaphoram multitudo dicitur genus, vt Romanorum genus. Et est genus, cui supponitur species vt supra definitũ quod sit quasi principium sub se positarum specierum. Genus itẽ vocamus esse, per quod alicuius rei qualitas declaratur, vt genus mortis, genus vitæ, genus exempli, genus marmoris, genus coloris, genus vestis. *Virg. Quod genus hoc hominum.* A genus fit generatim: hoc est, per singula genera.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Cum tribus modis genus notetur: tamen de tertio apud Philosophos tantum oratio est, Idq. hoc modo definiunt. Quod de multis, specie autem differentibus, dicitur: cum quid quodq. sit, quæritur, vt animal. *Porph. c. 2. Arist.*

Quod in definitionibus primum inest, & in quæstione qua de rei natura quæritur, dicitur, id genus est, cuius differentiæ dicuntur esse qualitates. *l. δ. 4. Metaph. c. 28. T. 33.*

Genus quidem tot modis dicitur: aliud est continuata eiusdem speciei propagatione: aliud ex prima causa efficiente, quæ sit eiusdẽ speciei: aliud quasi materia. Cuius enim differentia & qualitas est, id est, subiectum, quod materiam dicimus. *Ibid.*

Genus id est semper, quod ex ijs, quæ communia sunt, maximè indicat, quid quidq. sit. *Top. l. 1. c. 14.*

Necesse est in quibus genus dicitur, ijs etiam speciem aliquam dici: & quæcunque genus habent, aut quæ à genere nomen duxerũt, eandem aliquam speciem habere, aut nomen ab aliqua specie ducere. *Top. l. 2. c. 5 t. 13.*

Nec genus de formis suis eum dicitur, illas magis & minus sibi adiungi patitur. *Porph c. 4.*

Qui in proximo genere numerarit aliquid, is superiora dixit omnia: quandoquidem in inferioribus ea, quæ supra sunt, intelligun tur. *l. 6. Top. c. 3 t. 18.*

Vnum etiam dicuntur ea, quorum vnum est genus contrariis differentijs differens, atque hæc omnia vnum dicuntur, quod vnum genus differentijs subiectum est: veluti equus, homo, canis vnum dicuntur, quod omnia sint animalia, & quodammodo, vt materia vna. *Metaph l. δ. 4. c. 6. T. 1c.*

Genus principale, cum sit summum omnium, ad ea effectum est, quę complectitur: ad ea autem quæ eo antiquiora sunt, quoniã summum est, primumq. principiũ, atque id, vt diximus, cuius nullum esse genus vllo modo potest, ad ea, inquam, nullo modo affectũ est. *Porph. c. 3.*

Cum sint decem prima genera, nominis est solum, non etiam rationis, quæ nomini constituta est, societas & communio. Ac prima quidem decem sunt, formarum autem infimarum certus est numerus, non infinitus: indiuiduorum, quæ formas infimas sequuntur, infinitor. *Ibid.*

Indiuiduum à specie, & species à genere continetur: quippe cum genus quiddam totum sit, pars indiuiduum, species partim pars, partim totum: ita tamen vt pars sit alterius, totum non alterius, se in alijs sit. Siquidem totum in partibus inest. *Ibidem.*

Non quadam ex parte genus cõmunicatur: quippe cum homo non sit in quadam ex parte animal, nec Grammatica aliqua ex parte scientia: quod idem in cæteris contingit. *Ibid loc. 53.*

Fit vt vis nullius rei, quæ quidem vituperanda sit, genus possit esse. *Ibid. l. 55.*

In errore versantur ij, qui affectionem eius rei, cuius est affectio, genus esse ponunt: vt ventum esse aerem motum & agitatum. *Ibid. l. 60.*

Semper genus de formis verè dici debet. *Ibid.*

Si omnino nullius sit genus id quod datum est, perspicuum est, non eius quidem quod positum est, esse: quia nihil specie differunt ea omnia, quibuscum genus id quod datum est, communicatur. *Top. l. 4. c. 6. t. 61.*

Genus de nullo, nisi de formis, dicitur. *Ibid. t. 62.*

Si in subiecta specie genus id, quod datum est, vt id quod album est in niue insit, perspicuum est id non esse genus. Solum enim genus de subiecta specie dicitur. *Ibid t 63.*

Genus de formis omnibus nominis definitionisq. communi societate dicitur. *Ibid. t. 64.*

Sunt in contrarijs generibus contraria. *Ibid t. 65.*

Optimæ cuiusq. rei, etiam genus optimum est. *Ibid.*

Si genus quod datum est, accessionem accipiat, speciesq. non accipiat, neque ipsa, neque id quod ab ea natum sit, id quod datũ est, esse genus nullo modo potest. *Ibid t. 67.*

Si id quod magis aut æquè videtur genus, non est genus: certe neque id quidem quod datum est. *l. 4. Top. c. 6. t. 68.*

Si eadem est huius aut illius generis ratio, & alterum genus est, & alterum erit. *Ibid.*

Illud in confirmatione videndum est, an genus de ijs, quibus datum est & tributum, in naturæ quæstione dicatur: nec vna sit species eius, quod genus esse positum est: sed & plures & differentes: sic enim genus erit. *Ibid. t. 69.*

Quoniam quibusdam placet, differentiam in quæstione naturæ dici de formis, secernendum est genus à differentia, ijs locis, quos exposuimus: quorum primus est, genus plura quàm differentiam continere: Alter, genus in respondendo quid cuiq. sit, aptius dici posse quàm differentiam. Tertius est differentiam generis qualitatem declinare semper, genus differentiæ qualitatem non item. *Ibid.*

Non differentia genus, sed de ijs, de quibus differentia dicitur. *Top. l. 6. c. 3. t. 56.*

Omne animal vel speciei, vel indiuiduorum nomen obtinet. *Ibid.*

Nullo ex genere παρωνύμως trahitur de specie dicendi ratio: omniaq. genera συνωνύμως de formis dicuntur. *Top l. 2. c. 2. t. 1.*

Homo aliquorum & singulorum hominum non est genus. *Metaph. l. β. 2. c. 3. T. 11.*

Fieri non potest vt vel species generis de proprijs differentiis, vel genus sine suis formis dicatur. *Metaph. l. β. 2. c. 3. T. 10.*

Genus vno modo licet probare, si omnibus conuenire doceamus: refelli autem duobus. Nam & si nulli, & si cui doceatur non conuenire, euersum erit. *T. l. 7. c. 3.*

Sunt qui genus in duas secando differentias accipiant singulares: quod quidem partim non facile, nullo pacto fieri potest. Non enim desunt quorum vna tantum differentia. *l. 1. de Partib. Animalium, c. 5.*

Genus quodvis distrahi non debet. *Ibid.*

Si nihil ex iis quæ generis societate iunguntur, distrahi debet, frustra illa seorsum in duas partes distinctio agitur, cum seiungi, atque distrahi sit necesse, si ita diuidatur. *Ibid.*

Genera & species sunt præter res singulas. *Metaph l. κ. 10. c. 2.*

Genus quid res sit declarat, & primum eorum, quæ in definitione dicuntur, collocatur. *Top. l. 6. c. 3.*

Genus non solum de vna specie, sed de multis, iisq. differentibus dicitur. *Porph. c. 2.*

Ea quæ diuersæ speciei sunt, in eodem genere sint necesse est. Genus enim eiusmodi voco id, ex quo vnum atque idem vtrumque dicitur, nec differentiam aduentitiam habet, siue quasi materia sit, siue alio modo. *Metaph. l. ι. 9 c. 3. T. 12.*

Si velit quispiam genus ipsum definitione explicare, hæc erit illi via sequenda. Primum distribuendum erit genus in species vltimas, in quas primum inter diuidendum incidet: vt numerus in ternarium, & binarium. Tum singularum formarum erunt in-

quirendæ ex superiore ratione definitiones Verbi gratia, quid sit recta linea, quid circulus, quid rectus angulus, & huius generis alia. Deinde postquam genus ad quod sit idipsum, quod definitur referendum, inueneris: nempe vtrum quantitas sit, an qualitas sũ ea ijs quæ sunt communia primis illis speciebus, erunt illa colligenda, quæ propriè generi conueniant. *l. 2. de Dem. c. 14. T. 18.*

Est primum genus, supra quod aliud esse genus numquam potest: vltimum verò, post quod nulla alia species sequitur. Inter primũ autem & vltimum alia interiecta sunt, quæ eadem & genera sunt & species, sed si cum alio alioque conferatur. *Porph c. 3.*

Genera formis antiquiora sunt semper. *In Categorius, c. 12. de modis Simul.*

Genus, quoniam latissimè patet, omnium est clarissimum & planissimum *l. 6. T. c. 5.*

Genus in quaque forma & specie vnum est: vt in homine genus est animal. *Porph c. 8.*

GENV.

Loci Biblici.

Genu omne flectendum Domino Iesu Christo. *Ps. 22. 30.* Esaiæ. 45. *v. 23. Rom. 14. 11 Phil. 2. 10.*

Exempla Biblica.

Genu flexio in precibus vsitata. Exempla Salomon. 1. *Reg. 8. 54. 2. Par. 6. 13.* Elias. 1. *Reg. 18. 42.* quinquagenarius miles. 2. *Reg. 1. 13.* Leuitæ. 2. *Par 29 30.* Esdras. 1. *Esd. 9. 5.* Serui Regis Assueri. *Esth. 32.* Daniel. *Dan. 6. 10* Micheas. *Mica. 6. 6.* Mater Lunatici. *Mat. 17. 14.* Leprosus. *Marc. 1. 40. Luc. 17. 16.* Petrus 5 8. *Act. 9. 4 6.* Christus. *Luc. 22. 41.* Stephanus, *Act. 6. 60.* Paulus cum suis. 20. 36. *&* 21. 5. Paulus cum Ecclesia. 21. 6. Sunt qui colligant Israelitas stantes precari solitos, ex Marci 11. 25. cum potius verisimile sit, si non semper, at certè plerumque solemni tantum flexis genibus orasse: vt apparet ex Daniel 6. 10. adeo quidem, vt flectere genua pro toto Dei cultu interdum accipiatur, vt 1. *Reg. 19. 18. Mica. 6. 6.*

GEOGRAPHIA.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

GEographia Græca est dictio, quę ea duabus constat vocibus, nẽpe ex Gea, quæ Græcis terram significat, & ex grapho, quæ scribo, seu describo sonat. Itaq. nomen hoc Geographiæ nil aliud significat, quàm terræ descriptionem. Aduertendum tamen est, terram hic non debere accipi sub propria ac stricta sua significatione, s. vt vnum est ex quatuor elementis: sed pro terra intelligẽdus est globus terræ & aquæ simul, quem communiter mundum vocamus, qui ab animantibus habitatur. Est itaq. Geographia priuata nominis deriuatione, ars illa seu facultas, quæ describit mundum, vel maiorem portionem eorum, quæ in eo sunt, veluti sunt prouinciæ, vrbes, oppida, maria, flumina, lacus, montes, promontoria, & aliæ partes principales ipsius mundi: deinde, & vt hæc omnia delineata sint, tum secundum habitudinem ac positionem, quam ad inuicem habent, tum etiam respectu cœli. *Io. Ant. Magin. in prin l. Geograph. Ptolem.*

Geographiæ tractationem philosophis haud indignam esse, aliquot argumentis demonstrat Strabo. *Strabo statim ab initio, l. 1.*

Ibidem ostendit, Geographiam sine rerum multarum & astronomiæ cognitione parari non posse. Idem Geographiæ cognitionẽ ad reliquas scientias conducere: ignorationem magnarum cladium extitere causam. *De Geograph. vtilitatib. eod. in lib. agit.*

Geographiæ principia, quæ sint idem ostendit. *l. 2.*

Similitvdo.

Ptolomai. Quemadmodum pictores in figurandis corporum imaginibus, maiora membra primum lineis suis explicant, velut caput brachia, manus, pectus, ventrem, coxas, crura, pedes: deinde minutiora membra, illis maioribus contenta: velut oculum, nasum, os, &c. suis lineamentis & aptis coloribus repræsentant. Sic et Geographia, maiora loca, & velut celebriores ciuitates, integras prouincias, & maiora flumina, descriptione repræsentat: Chorographia verò minima quædam loca, velut villas, arces, portus, riuulos, prata, siluas, &c. quam similius potest accommodatis coloribus explicare molitur. *l. 1. c. 1. Cosmo.*

GEOMETRIA.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

GEometria dictio est Græca composita, ex *γέα*, quod est terra, & *μέτρον*, mensura, & est terræ mensora. Qui verò huius artis peritiam habet, Geometra, Geometer, Geometres dicitur. *Iuuenal.* *Grammaticus rhetor, Geometra pictor, aliptes, augur schœnobates, medicus, magus omnia nouit.* Ita enim legendum arbitror, nõ geometer nec geometres, vt aliqui prætereperè. Quoniam apud Græcos *γεωμέτρης*, geometra dicitur. Quod cum per ω scribatur, necessario illud o longatur. Terra autem ab illis modo *γῆ*, modo *γέα*, modo *γαῖα*, scribitur. Itaq. geometra habebit primam syllabam longam diphthongo. Ita & *γαίη* longa fere Homero & Phocylidi. *Hom. enim ait in Odyssea*

Οὐ τοι ἐγώ γε γαίης
Πατρίδος ὧδ᾽ ἀμοὶ γλυκερώτερον ἄλλο ἰδέσθαι.

Phocylides.

Σῶμα γὰρ ἐκ γαίης ἔχοντες ἅπαντες ἐς αὐτὴν.

Philosophicæ Sententiæ.

Geometræ non est speculari, quid contrarium, quid perfectum, vnum ens, idem aut diuersum, nisi ex conditione. *Arist. 4. Met. ex sup. 1. c. 2. tex. 6.*

Geometra falsa non supponit, etsi lineam pedalem supponit, quia non ob talem lineam concludit. *Idem post. l. 1. c. 9. t. 28.*

Geometrię est demandatus de figuris sermo. *Proclus in Euclid. l. 2. c. 6.*

Geometræ in constructione petitionibus, in demonstratione pronunciatis vtuntur. *Idem in Euclid. l. 3. c. 1.*

Geometriæ subiecta sunt triangula, quadrangula, circuli, figuræ, magnitudines, & horum termini. *Ibid. l. 2. c. 2.*

Geometriæ expers nemo scholam Platonis ingredi aptus est: & quod de mathematicis scientijs, & de virtute quæ ex Geometriæ meditatione est, qui non acquisiuit intelligi potest. *Bess. Card. in calumniatorem Plato. l. 1. c. 8.*

Geometriæ sine cognitione nemo hominum doctus appellari potest. *Idem lib. eod.*

Geometrica æqualitas in quadam congrua proportione consistit. Arithmetica in numero vtrinque pari. *Plato in Gorgia.*

Geometriam multi è medio tollere conati sunt, tollentes eorũ suppositiones, quæ non probant, & principia omnia vnica negatione tamquam falsis tractu dissecuere, eorum definitiones nõ magno labore vt ipsi putant sustulere: alij extare illa omnia, nec figmentum esse contendunt: quærunt alij, & in magna ambiguitate versantur non secus de Arithmetica & Astrologia cum astrorum numerus & Planetarum, & cœlorum sit incertus. *Io. Fr. Picus.*

Geometria magis videtur conuenire Ducibus, & Regibus Arithmetica. *Fran. Pet. de Regno l. 2. c. 14.*

Geometra de non Geometricis non debet disputare, latet enim prauè disputans, & sic in alijs scientijs. *Idem ibid.*

Geometria considerat de Physica linea, non vt physica: perspectiua considerat lineam mathematicam, non vt mathematica, sed vt physica. *Idem phys. 2. sup. 2. c. t. s. 20.*

Geometria & Arithmetica ex omni disciplinarum cœtu à materia naturali longissimè absunt. Astronomia, Musica, perspectiua, quamquam conatur remouere materiam, tamen æque id facere non possunt. *Idem in 3. de ani c. 5. t. 55.*

Geometra corporum figuras, atque magnitudines despicit. *Amm. in Porph.*

Geometria laborat circa quantitatem coniunctam, quæ agitari nõ potest, quæ est terra. *Idem ibid.*

Geometria est coniunctæ quantitatis, situmq. habentis cognitio. *Idem ibid.*

Geometria perspectiuam sub se comprehendit scientiam. *Io. Gram. in 1. c. 7.*

Geometria lineas simpliciter considerat, perspectiua lineas, vt ad prospectum pertinent. *Idem ibid.*

Geometriæ non est disputandum in non Geometricis. *Idem ibid c. 9.*

Geometria ab astronomia differt, quia illa circa plana: astronomia autem circa solida versatur sub mathematica. *Idem ibid c. 10.*

Geometria demonstrat terram sphæricam esse non tamquam per se, & primo terræ inserit sphærica figura, sed tamquam simpliciter. *Io. Gram. in 1. post c. 18.*

Geometriæ principium est circumferentiam adæquari non posse lineæ rectæ. *Idem in 1. phys. t. 12.*

Geometra disputat de formis diuisibilib. quæ in imaginatione sunt *Idem in 1. de ani. c. 16.*

Geometriæ ignaris non licebat Platonis Academiam ingredi. *Idem ibid. t. 45.*

Geometria & Astrologia circa magnitudinem versatur, etsi alio & alio modo, vt & arithmetica, & musica circa numeros, studium suum exercet. *Eustr. 6. Ethic. c. 8.*

Geometriæ consideratio est magis abstracta, & remota à materia, quàm Astrologiæ: considerat enim de figura simplici. Astrologus verò de figura terminata in corpore cœlesti. *Auer. in phys. 2. tex. 18.*

Geometriæ principia omnia non sunt eadem numero, principia verò numerorum sunt eadem numero. *Idem 3. de cœlo. t. 53.*

Geometria excedit Astrologiam per confirmationem demonstrationis. *Idem de ani. tex. 1.*

Geometriæ ad Arithmeticam proportio est, vt puncti ad vnitatem. *Alex. de Alex. in 1. Met.*

Geometria præcedit Astrologiam, quia motu prior est status. *Procl. in Euclid. l. 1.*

Geometria in duas diuiditur partes, in planorum & solidorum contemplationem. *idem ibid. c. 13.*

Geometria figuras considerat, quæ in imaginibus constitutæ sunt. *in Euclid. l. 2. c. 1.*

Geometria ab agrorum emensione primo inuenta est, apud Aegyptios propter Nili inundationem terminos diluentis: quam Thales in Græciam transtulit. *idem ibid. c. 4.*

Geometriæ accidentia sunt diuisiones, rotiones, contractus, æqualitates, applicationes, excessus, defectus, & huiusmodi omnia. *ibidem.*

Geometriæ principia sunt petitiones & pronunciata. *ibid.*

AVCTORES.

De Geometriæ cum vtilitate tum necessitate, dignitate & excellentia. *Vide Plin. l. 7. c. 37. Textorem, l. 11, 381. Cælium Rhod. lib. 18. c. 34. Polydor. Virg l. 1. c. 18. Rursus Cælium Rhod l. 7. cap. 30. & l. 15. cap. 13. Plutarchum Sympos. 8. 2. A. Gellium l. 1. c. 20. Valturium de Geometr. militari l. 2. c. 5. Fab. Quint. In Instit. Orator. l. 1. cap. 11. Iacobum Magnum in Sophilogio 1. 2. 7.*

GESTICVLATIO.

APOPHTHEGMATA.

CHilon dicere solebat, inter loquendum non esse mouendum manus: id enim esse vecordium. *Laert. lib. 1. c. 4.*

Methonax histriones ac gesticulatores appellare solebat *χειροσόφους*, quod manibus sapientes, non lingua. Erat autem choreæ genus, quo graues historiæ citra vocem vel recitantis, vel tibicinis solo corporis gestu sic repræsentabantur, vt spectatores prope plus intelligerent ex saltatione, quam si quis recitasset. *P. M. l. 8. apophtheg.*

Polemon Sophista, histrionem Tragœdiarum, qui in Olympiis, O Iupiter pronunciarat, ostensa terra: O terra manu in cœlum protecta: submouit à præmiis (præsidebat enim ei certamini) dicens, Hic manu commisit solœcismum. *Ex Philostrato.*

Domitius Afer Manlium Suram multum in agendo discursantem, manus iactantem, togam deijcientem ac reponentem, non agere dixit, sed satagere. Actio enim oratoris est. Satagit autem qui frustra misereq. conatur. *P. M. l. 6. apoph.*

Cicero. Marcus Callidius Gallum accusauit M. Tullio defendente, cumq. accusator affirmaret, se testibus, chirographis, quæstionibus probaturum, sibi à reo fuisse præparatum venenum: sed interim rem tam atrocem, remisso vultu, languida voce, ac reliquo gestu parum concitato pronunciaret: M. Tullius, Tu, inquit, nisi fingeres M. Callidi, sic ageres: Ex actione colligens, illum non ex animo loqui. *P. M. l. 4. apoph.*

Cæsar. Testius Penatius in dicendo mentem intorquebat. In hunc Cæsar ita iocatus est: Dic si quid velis, ait, quum nucem perfregeris. Notauit incompositos perorantis mores ac gesticulationes parũ decoras. Nam qui habet in ore nucem duram, in rumpendo mentem solet intorquere. *Brus. lib. 4. c. 31.*

August. Cæsar de duobus Pantomimis inter se commissis, vt alternis gestibus certarent, alterum dixit saltatorem, alterum interpellatorem: quod ille immodice gesticularetur, alter non gesticulari, sed saltantem interpellare videretur. *P. M. lib. 4. apophtheg. ex Suetonio.*

GLADIVS. GLADIATOR.

DEFINITIO ET ETYM.

GLadius generaliter dicitur ensis in prælio, sed ensis, ferrum tantum: gladius vero totus. Propriè autem appellatur gladius, quia gulam diuidit, id est, ceruicem desecat, ad hoc enim factus est. Nam cætera membra securibus cæduntur, collum gladio tantum. *Isidor. Origin. l. 17. c. 6.*

Gladius ensis, à clade dici videtur, c. in g. mutata, teste Varrone, quod ad gladem, seu cladem sit inuentus Hebr. *Chereb*, à verbo *Charab*, exsiccatus est deuastatus est. Item *Schelach*, missile, mucro punctim vulnerans. Gall. *vn estoc*, à verbo *Schalach*, misit, immisit, demisit. Græcè. *ξίφος. μάχαιρα.*

Gladius, C. in G. commutato à clade, quod fit ad hostium cladem gladius similiter ab omine. *Varro de ling. Lat. l. 4.*

Gladiatores dicuntur generaliter omnes, qui gladiis pugnant, etiam discendi gratia, antequam in ludum producantur. *Spieg. in Dict. Iurid. litera G.*

Gladiator duo significat: & Athletam seu Myrmillonem: hoc est, qui pugnæ cruentum exhibet simulachrum. Significat etiam sicarium audacem, ac ad cædes hominum assuefactum. *Cal. Sec. Curio in Catilin. 1. Cic.*

LOCI BIBLICI.

Gladius & gladiatius, *Gen. 9. 6. Exod. 21. 12. Leuit. 24. 17. Deut. 19. ver. 11. 12. Rom. 13. 4. 1. Pet. 2. 14* non cuiuis permittendus. *Matth. 26. 51. Marc. 14. 47. Luc. 22. 49. Ioan. 18. 10.* Gladium accipere dicuntur. *Matth. 26. 52.* qui gladium à Domino non traditum sibi ipsis vendicant & vsurpant: hoc est, qui præter vocationem gladio vtuntur. Gladius spiritus est verbum Dei, *Esdr. 13. 8. 29. Esa. 11. 4. & 27. 1. & 51. 8. & 49. 2. & 65. 16. Ephes. 6. 17. Hebr. 4. 12. 2. Thess. 2. 8. Apoc. 1. 16. & 2. 16. & 19. 15.*

Gladius Dei iudicis, *Gen. 3. 24. Esa. 27. 1. & 34. 5. 6. Ierem. 12. 12. Ezech. 21. 8. &c. & 30. 24. 25.*

Gladius Angeli Dei. *Num. 22. 31. 1. Chron. 21. 12. 16. 27. 30. Apoc. 6. 4.*

Gladius magni principis exercitus Dei, nempe Christi, *Iosu. 5. 13. Apoc. 19. 14. 15.*

SENTENTIÆ PATRVM.

Paratur gladiatorius ludus, vt libidinem crudelium luminum sanguis oblectet: homo occiditur in hominis voluptatem: & qui possit occidere, peritia est, vsus est, ars est: scelus non tantum geritur, sed docetur. *Cyprian. ad Donatum.*

APOPHTHEGMATA.

Agis. Demadi dicenti, quod enses Laconici ob breuitatem à circulatoribus ac præstigias imitantibus deuorarentur: Agis iunior respondit, His ensibus Lacedæmonii assequuntur hostes longioribus armatos gladiis. *Plut. in Lac. apoph.*

Demonax videns Athenienses hoc agere, vt barbarorum exemplo gladiatorum spectacula in vrbem inducerent: Nolite, inquit, o ciues, istam crudelitatem prius admittere in ciuitatem vestram, quam Misericordiæ aram sitis demoliti. Voluit autem significare, nequaquam conuenire in ea ciuitate, in qua Misericordia pro Dea coleretur, spectari plus quam ferinam crudelitatem. *P. M. l. 8. apophtheg.*

SCRIPTORES.

Gladiatores omnino prohibentur in constitutionib. principum, *l. 11 de Gladiat. toll.* Originem eorũ C. Iulius Capitolinus refert. *Gubiel. Budæus* genera recenset *in Ann. ad l. athletas, 1. de his qui not. infam.* Item de origine muneris gladiatorii, & quo temporis vsque durauerit, præter Blondum *lege Alex ab Alexan l. 6. cap. 19 Alciat. l. 1. pererg. cap. 22. Polydorum Vergil de rerum inuent. l. 6. cap. 14.* Item de generibus variis, *Cœl. Rhodig. l. 6. cap. 32. & 33.* contra gladiatores inuehitur *August. l. 6. confess. & Lactantius in Epitome.*

GLORIA.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

GLoria Græce *κλέος, κῦδος, δόξα, ης, ἡ. & δοξάζω,* glorifico, *ἔνδοξος, ου, ὁ.* gloriosus dicitur. Hebr. *Chabodh*, gloria, honor, grauitas, quicquid est alicuius põderis à verbo *Chabedh*, grauis fuit. Dicitur de pondere & dignitate. Nam vir grauis appellatur, qui est honorabilis & magnæ æstimationis: vnde etiam potest verti, honoratus est, glorificatus est, vel gloriosus fuit. Est autem frequens de aliquo fama cum laude: *secund. Cicer. in Rhetor.*

Gloria est illustris ac peruagata multorum & magnorum, vel in suos ciues, vel in patriam, vel in omne genus hominum fama meritorum. *secund. Cic. in orat. pro M. Marcello.*

Gloria est clara notitia cum laude. *secund. Ambr. sup. epist. ad Romanos.*

Gloria, Græce *κλέος, ους, τὸ & ἀΐδιος, ου, ὁ*, æternus dicitur. Gloria æterna, quam Sancti habent, est magna quantũ simpliciter. Est enim intensa, extensa, æterna, perfecta & integra. *ex B. Tho. sup. Esa. c. 34. in fine.*

Gloria vana, quæ & inanis gloria appellatur, Græce *κενοδοξία, ας, ἡ*, dicitur, & est vitium capitale, cuius filiæ sunt septem, scilicet inobedientia, iactantia, hypocrisis, contentio, discordia, præsumptio nouitatum, pertinacia. *secund. B. Th. in secunda Secundæ quæst. 21. artic. 4.*

Dicitur autem gloria vana tripliciter, & est peccatum. Primò, quando est de non ente, vel de translatoriis, vel de peccato: secundo, quando quæritur ab hominibus, & non à Deo: tertiò, quando non ordinatur ad debitum finem, *secund. B. Thom. secunda Secundæ, quæst. 131. art. 1.*

DIVI-

Gloria.

Divisio.

Gloria vana, *quæ & inanis gloria, peccatum.*

- *Mortale*,
  - *Cum quis gloriatur de aliquo falso, diuinæ reuerentiæ contrario.*
  - *Cum quis constituit vltimum finem in gloria humana, ad quem ordinat etiam virtutis opera, vt pro gloria acquirenda, non recusaret etiam ea, quæ sunt contra Deum.*
- *Veniale*,
  - *Cum quis gloriatur de aliquo, diuinæ reuerentiæ non contrario.*
  - *Cum licet gloriam optet, tamen pro illa acquirenda nihil faceret contra charitatem Dei vel proximi.*
- *Capitale, quia inde aliqua alia ducuntur peccata.*
  - *Directe*
    - *Per Verba, & sic est iactantia.*
    - *Per facta vera, & habentia aliquam admirationem, & sic est Præsumptio vanitatum.*
    - *Per facta falsa, & sic est Hypocrisis.*
  - *Indirecte ostendendo se non esse alio minorẽ, quatuor,*
    - *Quantum ad intellectum, cum quis nimis innititur suæ sententiæ, nolens credere meliori sententiæ, & sic est Pertinacia.*
    - *Quantum ad voluntatem, cum non vult à propria voluntate discedere, vt aliis concordet, & sic est Discordia.*
    - *Quantum ad locutionem, cum quis verbis clamose contra alium litigat, vel non vult verbis ab alio superari, & sic est Contentio.*
    - *Quantum ad factum, cum quis non vult facta sua præcepto superioris subjicere, & sic est Inobedientia.*

Loci Biblici.

Gloria Dei pro Deo glorioso, *Exo.*16.10. *Acto.*7.55. *Eph.*1.12.14. pro vita æterna, *Rom.*3.23. Gloria Patris, pro gloriosa Patris virtute & potestate, 6.4. Gloriam Dei mutare, est, pro Deo glorificando aliud amplecti. 1.23.

Gloria solida quærenda, *Io.*5.44. gloria vana non quærenda, *Matth.* 6.2. *Gal.*5.26. & 6.3. *Phil.*2. *vers.*3.

Gloria pro maiestate & splendore illo, qui Reges illustriores reddit, *Matth.*6.29. pro misericordia, *Eph.*3.16. pro arca fœderis per metonymiam, 1.*Sam.*4.21.22. *Rom.*2.14. vnde & Templum dicebatur habitatio gloriæ Dei, *Psal* 26.8. pro honore, ea quæ reddenda est Deo, 29.2. & 96.7. & 11.1. *Matth.*5.16. *Luc.*2.14. 1 *Cor.*10.31. *Ephes.*3.21. *Phil.*4.21. 1. *Timoth.*1.17. *Iud. ver.*25. *Apoc.*4.9. & 5.13. & 9.1.7.

Gloriari in Domino, est Deo totam Gloriam vendicare, ne in sese superbiat quispiam, 2. *Corinth.*10.17. deinde ad Dei gloriam, non ad sua commoda referre quicquid gratiæ à Domino accepit.

Gloriari secundum carnem, est gloriari de rebus externis, veluti de generis nobilitate, &c. 2. *Cor.*11.18. Gloriari in vel ex corde pro vera pietate, quæ in corde sedem habet, 2. *Cor.*5. *ver.*12. gloriari in, vel ex facie, pro externis sapientiæ & eloquentiæ humanæ laruis. *ibid.*

Gloriatio vera quæ, *Psal.*5.12. & 32.11. & 106.47. *Esa.*41.16. *Ier.*9.23. *Luc.*10.20. *Rom.*5. *ver.*23. 1. *Cor.*1.31. & 2.2. & 9.15. & 15.31. 2. *Cor.* 10.17. *Iac.*1.9.

Glorificare Deum iubemur in corpore nostro, 1. *Cor.*6. *ver.*20. id est, ita ab omni scortatione abhorrere prorsus: ita, inquam, tum animo, tum corpore ad omnem puritatem comparare, vt nostræ omnes & cogitationes & actiones ad Dei gloriam referantur, à quo tum corpus, tum animum idcirco accepimus, vt vtroque in ipsius gloriam vteremur. Huc pertinent & loci isti, in quibus Dei gloriam in omnibus quærendam esse docemur, *Ios* 7.19. *Psal.*12.1. *Matth.*6.9. *Ioan.*9.24. & 17.4. *Actor.*3.12. & 12.23. 1. *Cor.*6.20. & 10.31. *Philip.*1.20. *Coloss.*3.17. *Tit.*2.10.

Sententiae Biblicae.

Gloria Dei in omnibus quærenda.

Etenim sacramentum regis abscondere bonum est. opus autem Dei reuelare & confiteri honorificum est. *Tob.*12.

Ego Dominus, hoc est nomen meum, & gloriam meam alteri non dabo: & laudem meam sculptilibus. *Esa.*42.

Siue manducatis, siue bibitis, vel aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. 1. *Cor.*10.

Omne quodcunque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi facite, gratias agentes Deo & Patri per ipsum. *Coloss.*3.

Gloria modesta honeste habenda.

Et gloriabuntur in te omnes qui diligunt nomen tuum: quoniam tu benedices iusto. *Psal.*5.

Gloriam sapientes possidebunt, stultorum exultatio ignominia. *Prou* 3.

Ne dederis maculam in gloriam tuam, *Eccl.*33.

Gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. Non solum autem, sed & gloriamur in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem. *Roman* 5.

Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quod in simplicitate cordis, & in sinceritate Dei, & non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conuersati sumus in hoc mundo, abundantius autem ad vos. 2. *Cor.*1.

Nos autem non in immensum gloriamur, sed secundum mensuram regulæ, qua mensus est nobis Deus mensuram pertingendi vsque ad vos.

Si gloriari oportet, quæ infirmitatis meæ sunt gloriabor. 11.

Opus autem suum probet vnusquisque, & sic in semetipso tantum gloriam habebit, & non in altero. *Gal.*6.

Glorietur autem frater humilis in exaltatione sua, diues autem in humilitate sua. *Iac.*1.

Gloria vana fugienda.

Ne glorieris in crastinum, ignorans quid superuentura pariat dies. *Prou.* 27.

Pauper gloriatur per disciplinam & timorem suum, & est homo qui honorificatus propter substantiam suam. *Eccl.*10.

Qui gloriatur in substantia, paupertatem vereatur. *Ibid.*

Melior est qui operatur, & abundat in omnibus, quam qui gloriatur, & eget pane. *ibid.*

In vestitu ne glorieris vnquam, vel in die honoris tui extollaris. *Ibidem.*

Væ vobis Pharisæis, quia diligitis primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro. *Luc.*11.

Non efficiamini inanis gloriæ cupidi, inuicem prouocantes, inuicem inuidentes. *Gal.*5.

Nam si quis existimat se aliquid esse cum nihil sit, ipse se seducit. 6.

Patrum Sententiae.

Puritatis intimæ bono gloriari non potest veraciter, nisi qui extrinsecus gloriari perfecte respuerit, nec enim pure valet Dei vel proximi quærere lucra, qui propria non contempserit. *Bern. in epist.*

Si gloriari cupis, gloriam despice, & omnibus eris gloriosior. *Chrysost. hom.*4.

Magna est eius gloria, quæ nullis laudibus crescit, & nullius vituperatione minuitur. *Cass in epist.*

Sæpe homo de ipso vanæ gloriæ contemptu vanus gloriatur: non enim eum contemnit, dum gloriatur in sua de gloria, quam amplexatur. *Aug. l. confess.*

Qui bene didicit, vel expertus est vitiorum superandorum gradus, intelligit vitium inanis gloriæ, vel solum, vel maxime cauendum esse perfectis, quo primo enim vitio lapsa est anima, hoc vltimum vincit. *in Psal.*7.

Inanis gloria huius sęculi fallax est suauitas, & infructuosus labor, & perpetuus timor, & periculosa sublimitas: initium sine prouidentia, finis cum prouidentia. *in Psal.*149.

Inanis gloria dixit: age bonum quod vales: ostende bonum cunctis quod agis, vt bonus à cunctis dicaris, vt sanctus & venerabilis ab hominibus prædiceris, vt Dei electus voceris, vt nemo te despiciat, sed vniuersi debitum sibi honorem persoluant. *de conflictu vitiorum.*

Non est tanti gaudij excelsa tenere, quanti mœroris est de excelsis corruere, nec tantam gloriam sequi post victoriam, quanta ignominiam post ruinam. *Amb. in suo pasto.*

Gloria inanis est inordinatus animi motus, quo aliquis propriam desiderat excellentiam, vt alios honore præcellat. *Hier. in epist.*

Ne nimia religiosus velis videri, ne plus humilis, quam necesse est, gloriam fugiendo non quæras. *ad Nepotes.*

Sub hoste, quem prosternit, moritur, qui de culpa, quam superat, eleuatur. *Greg l.*20. *Moral.*

Qui ante oculos hominum gloriam sequendo eam apprehendere non possunt, student plerunque gloriam tenere fugiendo. Nonnulli præsentem gloriam amantes assequi non possunt: quia despicientes sequuntur. *Greg. in moral.*

Tanto ad volandum latius patet fouea, quanto de semetipsa clarius gloriatur vita. *Ibid.*

Quum bene viuitur, valde timendum est, ne mens despectis cæteris de gloria singularitatis eleuetur. *lib.*6. *moral.*

Non parua condemnatio est, ex eo bono quod communiter datur, gloriari priuatim. *in mor.*

Time-

Tale sagittam, leniter volat, leniter penetrat, sed dico tibi, non leue infligit vulnus, cito interficit, nimirum sagitta hæc vana gloria est. *Bern. in serm.*

Non bona, sed p. x hominibus bonæ voluntatis: iniquus est, qui nequaquam pace contentus superbo oculo, & insatiabili corde, inquietus anhelat ad gloriam, nec pacem inde retinens, nec gloriã apprehendens: nec laus calami est laudabilis in scriptura, nec in gloria linguæ, aut labiorum sermo bonus. *sup. Cant.*

Nec recti planè, sed peruersi animi est quærere gloriam, & non exercere virtutem, & velle coronari, qui legitimè non certauit. *in serm.*

Virtus mater gloriæ est, sola enim est, cui gloria iure debetur, & secure impenditur. Quæ autem est sine virtute gloria, profectò indebitè gloria viuit, properè affectatur, periculosè capiatur. *ibid.*

Qui omnium pecuniarum contemptum habent, & nulli imaginationi totius mundi se immiscuerint, & tyrannicas corporum concupiscentias sustinuerint: hi multotiens capti à vanagloria omnia perdiderunt. *Chrys. in Ioan.*

Nihil enim ita pecunias concupiscere facit, vt gloriæ cupido, propter hoc namque famulorum greges, equos auro opertos, & argenteas mensas expetunt homines, non vt vtilitatem, aut voluptatem impleant, sed vt multis ostendatur. *sup. Matth.*

Dicebant apud se: Si bene fecerimus cum pauperibus, quis nos videt? & si viderint, non multi vident, & si multi vident, pro tempore vident, transit tempus, & cum tempore beneficij memoria. Melius est ergo ædificia facere, quæ aspiciant homines non in hoc tempore solum, sed etiam in posterum. O insipiens, quid tibi prodest ista memoria, si vbi es, torqueris: & vbi non es, laudaris? *ibid.*

Quisquis ex deteriore iam melior esse cœpit, caueat de acceptis extolli virtutibus, ne grauius per vanam gloriam corruat, quam prius per lapsum vitiorum iaceat. *Isid. l. 2. de summo bono.*

Dic mihi, vbi sunt amatores mundi qui ante pauca tempora nobiscum erant? nihil ex eis remansit nisi cineres, & vermes. Attende diligenter quid sunt vel fuerunt homines, fuerunt sicut tu comederunt, biberunt, riserunt, duxerunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descenderunt. Hic caro eorum vermibus, & illic anima ignibus deputatur, donec rursus infelici collegio colligati sempiternis inuoluantur incendijs, qui socij fuerunt in vitijs, socij erunt in pœnis. Vna namque pœna implicat, quos vnus amor in crimine ligat. *Hugo. l. de anima.*

Quid profuit illi inania gloria, breuis lætitia, mundi potentia, carnis voluptas, & plenæ diuitiæ, magna familia, & magna concupiscentia? vbi risus? vbi iocus? vbi iactantia? vbi arrogantia? De tanta lætitia, quanta tristitia! post tantam voluptatem, tam grauis miseria! de illa exultatione ceciderunt in magnam ruinam: & magna tormẽta. Quidquid illis accidit, tibi accidere potest, quia homo es, homo de humo, limus de limo, de terra es, & de terra viuis, & in terram reuerteris, quando venit dies vltima, quæ subito venit, & forsitan hodie erit, certum est quia morieris: sed incertum, quando, quomodo, vel vbi, quoniam mors vbique expectat, tu quoque si sapiens fueris, vbique eam expectabis. *ibid.*

Diuitias siquidem, & honores sollicitudo inseparabiliter comitatur: pompa mundi, & fauor populi fumus est, & aura subito evanescens, quæ si plerumque placeant, pœnitudinem inducunt, & si delectant ad modicum, productiore spacio displicebunt. *Petr. Rau. in quodam serm.*

Tanta est pulchritudo iustitiæ, tanta est iucunditas lucis æternæ, hoc est, incommutabilis sapientiæ: vt etiam si non liceret in ea amplius manere, quam vnius diei mora, propter hoc solum innumerabiles anni huius vitæ pleni delicijs, & circumfluentia bonorum temporalium: rectè meritoq; contemnerentur. *Aug. l. de Moral.*

Verus honor, qui nulli negabitur digno, nulli deferetur indigno, sed nec ad eum ambiet nullus indignus, vbi nullus permittitur esse nisi dignus. Vera pax, vbi nihil aduersi, nec a seipso, nec ab alio quisquam patietur: præmium virtutis erit ipse, quia virtutem dedit, eique se ipsum, quo melius & maius nihil esse promisit. Quid est enim aliud, quàm quod per Prophetam dixit: Ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi plebs, vbi ego ero vnde satientur, ergo ero quæcumque ab hominibus honestè desiderantur, & vita, & salus, & victus, & copia, & gloria, & honor, & pax, & omnia bona? Sic enim & illud rectè intelligitur, quod ait Apostolus. Vt sit Deus omnia in omnibus, ipse finis erit desideriorum nostrorum: qui sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur, hoc munus, hic affectus, hic actus procul dubio erit omnibus, sicut vita æterna communis. *lib. 22. de ciuitate Dei.*

Incomparabiliter superna ciuitas clara est, vbi victoria, vbi veritas, vbi dignitas, vbi sanctitas, vbi vita, vbi æternitas. *De vita æterna.*

In ciuitate Dei Rex veritas, lex charitas, dignitas æquitas, pax felicitas, vita æternitas, sed in ciuitate Diaboli econtra, Rex falsitas, lex cupiditas, dignitas iniquitas, lis fœlicitas, vita temporalitas. *De ciuitate Dei.*

POETICÆ SENTENTIÆ.

Ouid. lib. 4. de Ponto, eleg. 2.

Excitat auditor studium, laudataq; virtus
Crescit, & immensum gloria calcar habet.

Ouid. 2. Pont. 1.

Artibus ingenuis quæsita est gloria multis.

Idem ad Liuiam.

Facta ducis viuent, operosaq; gloria rerum
Hæc manet, hæc auidos effugit vna rogos.

Ouid. Metamor. lib. 11. fab. 7.

An obest quoq; gloria multis?

Martialis lib. 5. Epigram ad Regulum.

Vos tamen ô nostri non festinate libelli:
Si post fata venit gloria, non propero.

Tibullus lib. 4.

Nil opus inuidia est, procul absit gloria vulgi,
Qui sapit, in tacito gaudeat ille sinu.

Tibullus circa finem.

Procul absit gloria vulgi.

Iuuenal. satyr. 10.

Quis enim virtutem amplectitur ipsam,
Præmia si tollas? patriam tamen obruit olim
Gloria paucorum, & laudis, tituliq; cupido.

Boetius lib. 2. metro 7.

Quicumque solam mente præcipiti petit,
Summumq; credit gloriam:
Latè patentes ætheris cernat plagas,
Arctumq; terrarum situm.
Breuem replere non valentis ambitum,
Pudebit aucti nominis.

Iacob. Billius, Anthol. Sacr.

In Deo gloriandum.

Qua primum in mortem est homo pulsus fraude maligni
Hanc ille extremam bella peracta morens,
Sublimes vt cum palmas claras; coronas
Sumpserit, atque hostem subdiderit pedibus,
Viventi propria volet assignare triumphum,
Non Domino cuius munus opusq; fuit.
In quo vno semper superat qui non superatur:
Quo dignante manum subdere nemo cadit.

Fugiendam esse mundi gloriam.

Quo magis à Phœbo distat soror, hoc magis nobis
Fulget, at à supera lumine parte caret.
Cum verò fratri iuncta est, non lucida nobis
Illa quidem est, supero fulget ab orbe tamen.
Esse Deo quisquis cupit ergo fulgidus ipsi
Hæreat, & mundi spernat inane decus.
Nam quo mortales quisquam est mage fulgidus inter,
Hoc minus est magno fulgidus ante Deo.

Val. Flaccus 1.

Si qua operis tanti domino consurgere ponto
Fama queat, tu sola animos, mentemq; peruris
Gloria. te viridem videt immunemq; senectæ
Phasidis in ripa stantem, iuuenesq; vocantem.

Ouid. 5. Trist. 15.

Denique non paruas animo dat gloria vires,
Et fœcunda facit pectora laudis amor.

Idem 4. Trist. 3.

Ardua per præceps gloria vadit iter.

Silius 6.

Arripuit, traxitq; virum fax mentis honesta
Gloria. Propert. 4. 11.

Magnum iter ascendo, sed dat mihi gloria vires:
Non iuuat ex facili lecta corona iugo.

Terent. Phor.

Non sat, suum officium te fecisse, si non id fama approbat.

Ex Comicis Græcis.

Φιλόδοξοι γὰρ πάντες ὄντες βροτοί.

Honore gaudet afficier quilibet.

Καλῶς ἀκούειν μᾶλλον ἢ πλουτεῖν θέλε.

Famam libentèr opibus anteponito.

Κενῆς δὲ δόξης οὐδὲν ἀθλιώτερον.

Miserabilius est gloria vana nihil.

Ζήτει σεαυτῷ δόξαν ἐγκαταλιπεῖν.

Tibi studeto gloriam relinquere.

SENTENTIÆ PHILOSOPHORVM.

De gloria. DIAL. XCII.

Francisci Petrarchæ.

GAV.

Inueni magnam gloriam. R. Magna in exiguo qualiter expliceatur non intelligo. Si temporum, si locorum angustias metiare,

magnam

magnam hic gloriam non esse fateberis. Non ingeram tibi vt terra omnis punctus est, cuius ipsius partem maximam natura fecit inhabitabilē, atque inaccessibilem fortunæ: vt tēpus presens puncto minus, idq; ipsum semper instabile fugæq; tam rapidæ, vt vix illam animo sequi possis. Duæ reliquæ temporis partes semper absentes, ita vt altera nos lubrica memoria, altera expectatione anxia fatiget, vt omne simul tempus, aut diluuijs, aut æstu nimio, aut peste aliqua, aut cœli inclementia vel terrarum denique per seipsum lapsu proprio ita discerptum atque confusum sit, vt vna sæpe ætas prope nihil habeat commune cum altera. Neque minua in temporibus, quam in locis videas exiguo interuallo notissimum non agnosci. Hæc inquam, & quæ sunt id genus plurima transeo. Vulgata omnia quibus liquido cernitur, quænam hæc mortalis, ac terrenæ gloriæ magnitudo est. G. Quam conditio mea fert gloriam sum adeptus. R. Si indignam, breuem hercle, at si dignam gaude, non quod habeas sed quod meritus sis. G. Gloriam quæsiui. R. Gloria vera nisi bonis artibus non quæritur. Vnde tibi partum nomen vide, sic intelligas an gloria vera sit, famā si casus dedit, eripiet. G. Multum est gloriæ. R. Caue ne quam gloriam veram putas, imago falsa sit gloriæ. In rebus hominum multa regnat illusio. G. Plurimum est gloriæ. R. Vt nemo pauper magnæ pecuniæ famam quærit nisi vt fallat, sic nemo ignauus magnæ virtutis opinionem, vterque tamen sibi conscius quicquid de se alij loquantur quantum, vel pecuniæ in arcula, vel virtutis in animo sit. G. Insignis est gloria. R. Si ex merito, modeste vtere, ne superbiæ illi notam apponeris. Si minus, fac ne diu populum fallas. G. Præfulgens est gloria. R. Vel mereri stude, vel graue non tuum indumentum exue. Ingloriū esse præstat, quā mendacio gloriosum. Vera etiam gloria cum labore seruatur, quid de falsa speres? Cum omnis fictio difficilis sit, tum difficillima est cum multi vndique obseruant. Rari nempe sunt gloriosi, hos propter dissimilitudinem obscurum atque inuidum vulgus odit. Graue est inter tot hostium insidias latere, præstringere omnium oculos non potes in re tanto studio defixos. G. Gloriosus appareo. R. Melius forsitan lateres, & certe tutius, hoc grauiter dixit is qui multa leuiter. *Bene qui latuit, bene vixit.* G. Clarus lateq. notus sum, longeq; conspicuus. R. Liuor abdita penetrat rimarumq; putas conspecta prætereat? Quid quod pauci sunt, quibus expediat apparere, & conspici, pauci quorum famæ non noceat ad plenum nosci? Notissimum Claudiani dictum, *Minuit præsentia famam. Quanto magis illam minuit notitia.* Raro sunt homines quod videntur. G. Gloriosus videor. R. Caua nube circumdatus delitescis. Si parumper emerseris, quo plus gloriæ falsæ fuit, eo veræ plus erit infamiæ. G. At gloria vera est. R. Id nemo te melius nouit, ita demum si externi iudicis incorruptum animū tuis in rebus assumpseris. Gloria quidem (vt sapientibus placet) quasi quædā vmbra virtutis est. Illam comitatur, illam sequitur quandoque etiam antecedit? quod in adolescentibus claræ indolis videmus, quos ante perfectam virtutem præconcepta de illis spes hominum claros facit, quæ quibusdam velut stimulis generosos modestosq; animos excitat atque erigit, & impellit ad æquandā spem ciuium suorum. Stultos autem tumidosq. præcipitat. Hinc transformatio illa ridicula clarorum adolescentium in obscuros senes. Laus quidem sapienti vtilis, stulto nocet. Ex his vides vmbram per se ipsam esse non posse, rei cuiuspiam sit oportet. Visne igitur gloriam veram esse? fac vt vera, & solida virtus sit.

De sperata gloria ex conuictu. DIAL. CXIX.

GAV.

Spero gloriam ex conuictu. R. Refert multum quib. conuiuas, sunt quidam vtinamq. non plurimi quorum conuersatio sit infamis. G. Scio nisi bonis artib. aut bonorū contubernio gloriam nō quæri. Ego hoc vltimo subnixus spero, vel bonorum exemplo bonus fieri, vel si nihil aliud horum, vel familiaritatis solam gloriā mihi fore. R. Est id quidem in adolescente præcipue signum optimum, qui nisi bonum animum haberet, neqnaquam iungi bonis optaret. Est enim amicitiarum, ac familiaritatum fere omniū causa, nexusq. similitudo quædam. Age ergo si quos imitaris æquaueris, bene erit. Si minus, modo quod in te est nihil omiseris: ipsa voluntas bona, laudis. & gloriæ præmio non carebit. Prima enim, & maxima pars virtutis est bonum velle, quod nisi præcesserit non sequitur virtus. G. Familiaritate bonorum glorior. R. Laudo id quidem, modo nec te lucri cuiuspiam, nec alia spes inducat, eoq. tua tantum pergat intentio, vt similis illis fias. Alioqui quod propter gloriam solam fit, veram gloriam nō meretur. G. Ex bonorum conuictu gloriam spero. R. Spes quidem magna, nec improba, quando & in scientia, & in eloquentia, & belli pacisq. artibus obseruando, & imitando fit. Multi olim illustres ex conuictu illustrium euasere. Illud vide, ne aut tibi pro bonis ducibus malos elegeris errore aliquo, aut bonum flebili raritate & virtutum huius ætatis inopia prorsus assequi nequeas quod intendis.

De gloria ex ædificijs sperata. DIAL. CXVIII.

GAV.

Ex ædificijs gloriam spero. R. Nesciebam calce, & arena, & lignis, & lapidib. gloriam quæri, credebamq. quod rebus gestis & virtutib. quæreretur. G. Aedificando mihi gloriam paro. R. Sed fragilem, & caducam. Omnia, quæ manu hominum facta sunt, vel manu hominum euertuntur, vel stando, & durando deficiunt. Habet enim manus longo præualidas longa dies, è cunctis nostris operibus nullum senio resistit. Ruentibus ergo super quib. hæc tua gloria fundata est, ipsā quoque corruere est necesse. Si forte nō credis, respice ad antiqua, quæ ignota tibi quidam esse non possunt, vbi est nunc Troianum illud Ilion superbum? Vbi Byrsa Charthaginis? Vbi turris, & mœnia Babylonis, beluarum nunc habitatio, & serpentum? De Babylona loquor antiqua, altera nempe propinquior, atque recentior adhuc stat, cito itidem casura si essetis viri? Vbi sunt denique septem illa opera Græcis scriptoribus celebrata? Atque (vt ad propinquiora veniamus) vbi est quæso illa Neronis domus aurea? quæ quantum fatigauerit Architectos cogita, lectores etiam nunc fatigat, quæ quidem domus vna, cum alijs ædificandi furoribus, quibus omnes excessit, ad inopiam illum compulit, & rapinas: vbi sunt thermæ Diocletianæ, & balneum Antonianum, & Cymbrum Marij, & Septizonium Seueri, & eiusdem thermæ Seuerianæ? Demum, vt summam rerum attingam, vbi est Augusti forum, & ędes Martis vltoris, vbi ædes tonantis Iouis in Capitolio? & Apollonis templum in palatio? vbi eiusdem porticus, ac Bybliotheca Græca pariter, & Latina? vbi porticus altera, & Basilica Gaij, Lucijq. nepotum sub nomine dedicata, & extructa? & porticus tertia Liuię coniugis, & sororis Octauiæ, Theatrumq. Marcelli? Vbi tot opera per illustres viros iussu eiusdem principis, & hortatu, multis vrbis in locis tāto labore, tantis impensis ędificata? Martij Philippi ędes Herculis, & Musarum, Lucij Cornificij ædes Dianæ, Asinij Pollionis atrium libertatis, Munacij Plancij ędes Saturnia, Theatrum Balbi Cornelij, Amphitheatrum Statilij Tauri? Innumerabilia præter hæc opera Marci Agrippæ, neve eam per singulos, vbi sunt luxuriosa principum palatia? Quære in libris, inuenies nomina. Quære vrbem totam, aut nihil inuenies, aut perexigua tantorū operum vestigia. Tu de ruis quid speres, videris. Certe Augustus omnium supremus, nisi aliud quam ędificia reliquisset, iampridem eius gloria corruisset, nec verò solum templa deorum, quæ parauerat in ipsos ædificantes ruere, sed pia etiam loca, hac ipsa ętate in eadem vrbe alia ceciderunt, alia tremuerunt, & nunc vix ponderib. suis stant præter vnū Pantheon Agrippæ, quod Dijs erectum sancti possident, & Maria, quæ antiquissimam illam domum sui nominis virtute sustentat. Crede mihi, alijs quam lapideis fundamentis eget gloria, vt mansura sit. G. Ex ædificijs gloriam quęro. R. Quære illam igitur vbi est: nihil vnquā inuenies, vbi non est, vera quidem gloria non est in mœnibus neque in saxis. Sunt fateor rerum vulgo iudicis, qui dicant tribus modis gloriam quæri Gerendo magnum aliquid quod de te scribant autores idonei: Vel scribendo aliquid quod mirentur, & legant posteri: Vel insigne aliquod opus extruendo. Vt sit ita, vltimum tamen hoc, omnium, & minimum, ac caducum. G. Relinquo opera ædificiorum, quib. moriens ipse mecum glorior, & à posteris gloriam spero. R. Gloriatus est Augustus ipse (de quo dixi) quod vrbem marmoream relinqueret, quam latericiam accepisset, quæ tum gloria nisi alijs rebus adiuta esset, quonam fuerit peruentura cōspicimus, proinde cum meliorib. curis morere stabilesq. spes amplectere. Ista etenim quibus fidis, & nullius pretij sunt, & te illico consequentur inque ipsam, vnde sumpta, terram reuertentur. G. Aedificaui domos, vnde laudem spero. R. Laudabunt forsitan, qui illas inhabitabunt. Breuis laus & angusta, qui post venient, vel illas non inuenient, vel à paganis (vt vulgo dicitur) factas dicent, tuum nomen ignotum erit.

Gloria, est illustris, & peruagata multorū, & magnorum, vel in suos ciues, vel in patriam, vel in omne genus hominum, fama meritorum. *Cicero pro Marcello.*

Gloria, est solida quædam res, & expressa, non adumbrata: ea est cōsentiens laus bonorum, incorrupta vox bene iudicantium de excellenti virtute: ea virtuti resonat, tanquam imago gloriæ, quæ quia recte factorum plerumque comes est, non est bonis viris repudianda. Illa autem quæ se eius imitatricem esse vult, temeraria atque inconsiderata, & plerumque peccatorum vitiorumq. laudatrix fama popularis, simulatione honestatis, formam eius, pulchritudinemq. corrumpit. Tu ergo quæ habent speciem gloriæ, collecta exinanissimis splendoris insignibus, contemne. breuia, fugacia, & caduca existima. *3. Tusc.*

Vera gloria radices agit, atque etiam propagatur: ficta omnia tanquam flosculi celeriter decidunt: nec simulatum quicquam potest esse diuturnum. *2. Offic.*

Honos est præmium virtutis iudicio studioq. ciuium delatum ad aliquem. Qui eum sententijs, qui suffragijs adeptus est, is mihi & honestus, & honoratus videtur. *De Clar. Orat. ad Brut.*

Is vetus triumphus est, cum bene de Republica meritis testimonium

monium à consensu ciuitatis datur. *Phil. Ep. 14.*

Is honos videri solet, qui non propter spem futuri beneficij, sed propter magna merita claris viris defertur, & datur: estque non inuitamentum ad tempus, sed perpetuæ virtutis præmium. *Ad Planc. Fam. lib. 10.*

Ea est profectò iucunda laus, quæ ab his proficiscitur, qui ipsi in laude vixerunt. *Ad M. Catonem Fam. lib. 15.*

Is mihi videtur amplissimus, qui sua virtute in altiorem locum peruenit, non qui ascendit per alterius incommodum, & calamitatem. *pro Rosc. Amer.*

Quæ melior in genere hominum natura, quam eorum qui se natos ad homines iuuandos, tutandos, conseruandos arbitrantur? Abijt ad Deos Hercules: numquam abijsset, nisi, cum inter homines esset, eam sibi viam muniisset. *1. Tusc.*

Actum præclarè cum ijs est, quorum virtus est, nec obliuione eorum qui sunt, nec reticentia posterorum, sepulta esse poterit. *Philip. 14.*

Breuis vita data est, at memoria bene redditæ vitæ sempiterna, quæ si non esset longior, quam hæc vita, quis esset tam amens, qui maximis laboribus, & periculis ad summam laudem gloriamque contenderet? *ibid.*

Exiguum nobis vitæ curriculum natura circumscripsit, immensum gloriæ. *pro C. Rab.*

Vita breuis est, gloriæ cursus sempiternus. *pro Sest.*

Breue tempus ætatis, satis longum ad bene viuendum. *1. Tusc.*

Honos alit artes, omnesq; incendimur ad studia, gloria: iacentq; ea semper, quæ apud quosque improbantur. *1. Tusc.*

Trahimur omnes laudis studio, & optimus quisque maximè gloria ducitur. Ipsi illi Philosophi etiam in illis libellis, quos de contemnenda gloria scribunt, nomen suum inscribunt, in quo prædicationem, & nobilitatem despiciunt, prædicari se, ac nominari volunt. *pro Archia Poeta.*

Opifices post mortem nobilitari volunt. Quid enim Phidias sui similem speciem inclusit in clypeo Mineruæ, cum inscribere non liceret? Quid nostri Philosophi? nonne in his ipsis libris, quos inscribunt, de contemnenda gloria, sua nomina inscribunt? *1. Tusc.*

Nemo est tam auersus à Musis, qui non mandari versibus æternum suorum laborum facilè præconium patiatur. *pro Archia Poeta.*

Nemo nostrum in Reip. periculis cum laude, ac virtute versatur, quin spe posteritatis, fructuq; ducatur. *Pro C. Rab.*

Quum optimus quisque maxime posteritati seruiat, esse aliquid verisimile est, cuius is post mortem sensum sit habiturus. *1. Tusculano.*

Licuit esse ocioso Themistocli, licuit Epaminondæ: sed nescio quomodo inhæret in mentibus, quasi sæculorum quoddam augurium futurorum: quo quidem dempto, quis tam esset amens, qui semper in laboribus, & periculis viueret? *ibid.*

Pueri afficiuntur lætitia cum vicerint, & pudet victos, vt se accusari nolunt: quam cupiunt laudari: quos illi labores non perferunt, vt æqualium principes sint? *de Finib.*

Quis tantos labores diurnos, nocturnosq; domi, militiæq; susciperet: si ijsdem finibus gloriam suam quibus vitam esset terminaturus? Sed optimi cuiusque animus maximè ad immortalitatem, gloria, nititur. *Cato Maior.*

Est angusti animi, atque demissi, triumphi honorem, atque dignitatem contemnere. Nam & leuitatis est *In Pis.*

Præstantes viri, numquam tanta conati essent, quæ ad posteritatis memoriam pertinerent, ni animo vidissent posteritatem ad se pertinere posse. Nonne melius multo fuisset, ociosam ætatem, & quietam sine vllo labore, & contentione traducere? Sed nescio quo modo animus erigens se posteritatem semper ita prospicis, quasi cum excesserit è vita, tum denique victurus sit. *Cato Maior.*

Sapiens virtutis honorem, præmium, haud prædam petit. *3. de Orat.*

Nullam virtus aliam mercedem laborum, periculorumque desiderat, præter hanc laudis, & gloriæ: qua quidem detracta, iudices, quid est quod in hoc tam exiguo vitæ curriculo, & tam breui, tantis nos in laboribus exerceamus? Certè si nihil animus præsentiret in posterum, & si quibus regionibus vitæ spatium circumscriptum est, eisdem omneis cogitationes terminaret suas: nec tantis se laboribus frangeret, neque tot curis vigilijsq; angeretur, nec toties de vita ipsa dimicaret. Nunc insidet quædam non optimo quoque virtus, quæ noctes, & dies animum gloriæ stimulis concitat, atque admonet, non cum vitæ tempore esse dimittendam commemorationem nominis nostri, sed cum omni posteritate adæquandam. *Pro Archia Poeta.*

Nullam mercedem tanta virtus, præter hanc laudis, & gloriæ desiderat: qua etiam si careat, tamen est seipsa contenta: quamquam in memoria gratorum hominum, tamquam in luce posita lætetur. *Philip. 5.*

Ex omnibus præmijs virtutis, amplissimum est præmium gloria: quæ vitæ breuitatem posteritatis memoria consolatur: quæ efficit, vt absentes adsimus, mortui viuamus: cuius gradibus etiam homines in cœlum videntur ascendere. *pro Milone.*

Non vita hæc dicenda est, quæ corpore, & spiritu continetur: illa, inquam, illa vita est, quæ viget memoria sæculorum omnium, quam posteritas alit, quam ipsa æternitas semper intuetur. *pro Marc.*

Qui sordido vehiculo erubescit, pretioso gloriabitur. Quid ad rem pertinent mulæ saginatæ? quid ista vehicula cælata? quid phaleræ deauratæ? quid monilia demissa pectoribus? ista nec dominum possunt facere meliorem, nec mulam. *Sen. ep. 88.*

O quantum erat sæculi decus. Catone vno caballo esse contentum, & ne toto quidem: partem. n. sarcinæ ab vtroq; latere dependentes occupabant. O quam cuperem illi nunc aliquem occurrere ex his trossulis in via, & multum ante se puluerem agitantibus. *ibid.*

Quæris, qualis mensa, quali argento, quam paribus ministris, & leuibus afferatur cibus? nil præter cibum natura desiderat. Nunquid tibi, quum fauces vrit sitis, aurea quæris pocula? ambitiosa non est fames, contenta est desinere, quo desinat, non nimio curat. *ibid.*

Nunquid fortis se fortem gloriabitur, quem corporis ægritudo efficit infirmum? *de Mo.*

Nunquid diues in opibus suis gloriatur, cuius spem fur vel tyrannus arripuit? *ibid.*

Nunquid nobilitas gloriabitur, effecta nonnunquam indignis & miserabilioribus seruiens? *ibid.*

Cito ignominia fit superbi gloria. *In Prou.*

Duplex est gloria, altera adumbrata, & ex populari rumore progenita, propagataq; quæ nec iudicio prouenit, nec firma perdurat, quam veluti vitium sapiens minime expetit: Altera est solida, vera, ac durabilis, quæ e a consensu bonorum producitur. *Sicut enim consuetudo sermonis, consensus est eruditorum*, vt ait Quintilianus: sic consentiens laus bonorum gloria appellatur: quam, D. Augustinus dixit esse iudicium hominum bene de hominibus opinantium, hæc autem bonis viris non est contemnenda: quum tamen sapiens non gloria, sed conscientia rectè factorum virtutem metiatur. Cicero scripsit de gloria, sed illi, vt plerique alij, temporum calamitate desiderantur. Inter gloriam, & claritatem hoc interest, quod gloria multorum iudicijs constat, claritas autem bonorum. Author est Seneca libro epistolarum moralium duo decigesimo. *Beroal. in Comment. ibid.*

Honor non est, sicut Aristot. existimauit, & eum plerique Gentiles secuti (precium virtutis) sed testificatio, qua testamur nos sentire, atque existimare, virtutem in illo inesse, quem honoramus. *Ludouicus Viues lib. 3. de Anima.*

APOPHTHEGMATA.

Bion gloriam dicebat esse matrem annorum: ob id opinor, quod cum hominis vita sit breuis, honesta memoria in multa sæcula propagatur. *Laert. l. 4. c. 7.*

Heraclitus, viam ad gloriam maximè compendiariam esse dicebat, si quis bonus esse studeret. *Ant. & Max. ser. de gloria.*

Socrates, hanc viam ad gloriam proximam, & quasi compendiariam dicebat, si quisque id ageret, vt qualis haberi vellet, talis esset. *Cic. l. 2. Offic.*

Democritus fertur, & illud solitus dicere. Λόγος ἔργου σκιή idest, Oratio operis est vmbra. Significans, ex egregijs factis nasci laudes, hominum eloquentium, non contra. Primam igitur oportet esse curam factorum, quam gloria consequitur vltro. *Laert. lib. 9. c. 7.*

Agesilaus. à quodam interrogatus, qua ratione perpetuam sibi gloriam parare posset? Si mortem contempseris, ait, nihil. n. præclarè rei gerere eum, cuius animum mortis metus occupauit. *Plut. in apoph. Lac.*

Themistocles adolescens, in compotationibus, ac mulierum amoribus volutabatur. At postquam Miltiades apud Marathonem deuicisset barbaros, iam nullus offendit illum quicquam agentem præter decorum: Percontantibus autem, vnde sic esset repente mutatus? Miltiadis, inquit, trophæum non patitur me dormire, neque cessare. Gloriæ studium excussit amorem voluptatum: clauum, vt aiunt, clauo. *Plut. in apoph.*

Idem ad Olympiæ certamen profectus, cum in stadium processisset, omnes neglectis certaminibus oculos in ipsum intenderunt, in eoque complexando diem totum consumpserunt, ac Themistoclem illum cum plausu, & admiratione peregrinis ostenderunt. Ea re vir gloriæ omnium cupidissimus, dixit amicis, in eo die laborum quos pro Græcia suscepisset, omnium fructum amplissimum reportasse. *Plut.*

Anonymus. E a Indis quendam sagittandi arte cum primis celebrem, adeo vt etiam per annulum sagittam mittere diceretur, quum in bello cepisset Alexander, iussit artis suæ specimen edere: recusantem, iratus rex necari iussit. Quum duceretur homo, dixit his à quibus ducebatur, se multis diebus non exercuisse artem, eoque timuisse ne aberraret. Id vbi renunciatum est Alexandro, quod non contumacia, sed ignominiæ metu recusasset, admiratus ingenium gloriæ studiosum, dimisit illum donatum: eo quod mortem oppetere maluisset, quam fama sua videri indignus. Hic apparet, non omnino vanum esse, quod prouerbio iactatum est, Simi-

le

le simili esse amicum. Alexander gloria supra modum appetens, similem affectum in alijs amabat. *Plut.*

Phryne quum Alexander Thebanorum mœnia diruisset, Phryne meretrix pollicita est se suis impendijs reposituram, modo ciues paterentur hoc insculpi elogium.

Ἀλέξανδρος μὲν κατέσκαψεν, ἀνέστησε δὲ Φρύνη. Idest, *Alexander quidem subuertit, sed Phryne restituit.* Hic merito quis dubitet, vtrum sit admiratione dignius, an quod tanto nominis amore teneretur, vt titulum tam care voluerit emptum? Nam, vt præclarius est restituere, quam demoliri: ita speciosior fuisset laus Phrynes scorti, quam Alexandri Regis. *P. M. l. 8. apoph.*

Epaminondas. Venerat Thebas Iason Thessal. belli socius futurus. Is cum Epaminondæ egenti, duo aureorum millia misisset, non accepit, sed ipsum Iasonem intuitus: iniustis, inquit, imperas, ipse deterior. Sentiebat autem, iniquas esse opes, quæ possessorem facile seducunt. At viros fortes gloria, virtutis præmio contentos esse debere putabat. *Plut. in Græc. apoph.*

Pericles. quum Thucydides vociferaretur apud populum aduersus Periclem, quod in picturas ac statuas summorum artificum profunderet Reipublicæ census: ipse assurgens rogauit populum. Videretur ne multum impendisse? quo respondente; Plurimum: Age, inquit, sit igitur hæc mihi impensa, & non vobis: atque ipsis donarijs deorum, meum tantum nomen inscribam. Hæc vox subito mutauit animum populi, iussitq. vt publicis impendijs pergeret, nec vllis parceret sumptibus. *P. M. l. 5. apoph. ex Plut.*

Eum iam morientem quum necessarij mœsti deplorarent, ac præturas commemorarent, potentiam, & quæ trophea, quas victorias vrbesque Ateniensibus partas relinqueret: paululum sese erigens, reprehendit eos, quod communes multorum, & fortunæ magis, quam virtuti debitas laudes retulissent, pulcherrima, & maxima, ipsique propria hac laude prætermissa. Quod propter ipsum nemo Atheniensium nigram vestem vnquam sumpsisset. *Plut.*

Epaminondas. Meneclida quodam oratore ipsum aliquando traducente, vt qui de se quam de Agamemnone amplius sentiret: facio, inquit, hoc propter vos, Thebani, quorum solorum, opera Lacedæmonium imperium vnica die euerti. *Plut. lib. de sui laude, &c.*

Phocion. Leosthene adhuc rem feliciter gerente interrogatus ab oratoribus, quod nam beneficij in vrbem contulisset? Nihil, inquit, quam, quod me prætore, vos orationem funebrem nullam habuistis, sed quotquot mortui sunt, in sepulchris maiorum sunt humati. *Plut.*

Antigonus, quum mitteret filium suum Demetrium cum numerosa classe, magnaque militum vi ad Græcos liberandos, dicebat: Gloriam à Græcia, velut a specula in orbem terrarum accendi, iuuenem gloriæ studio extimulans, vt strenue rem gereret, quod eius laudis rumor non intra Græciæ fines esset continendus, sed ob Græci nominis celebritatem, per omnes mundi plagas dimanaturus. *Plut. in Regum apoph.*

Antigonus iunior. Is cætera fastu vacuus, & princeps moderatus, in nauali quodam prælio amicorum quodam dicente. Non vides quanto plures sint hostium naues? Me verò ipsum, inquit, quot nauibus opponis? *Plut. in apoph.*

Scipio iunior censor creatus, adolescenti cuidam equum ademit, quod eo tempore quo Carthago oppugnabatur, splendide cœnatus, libum in vrbis similitudinem figuratum, cui Carthagini nomen indiderat, conuiuis diripiendum proposuisset. Iuuene verò causam sciscitante, cur equo priuatus esset? Quoniam, inquit Scipio, me prior Carthaginem diripuisti. *Plutarchus in Rom. apophth.*

Iul. Cæsar. postquam milites, qui Scipionem in Africa sequebatur, fugissent, & Cato victus sibi necem Vticæ consciscisset: Inuideo, inquit Cæsar, o Cato, tibi mortem illam, quando tu mihi salutem inuidisti. *ibid.*

Basilius. si gloriam quæris, & cupis superior multis videri, & in rebus mundanis clarus fieri, sis iustus, temperans, prudens, fortis, & patiens in aduersis pro religione suscipiēdis, &c. *Ant. & M. in. serm. de gloria.*

Crates dicebat, se pro patria habere gloriæ neglectum, & paupertatem, in qua nullum ius habet fortuna. *Laert. l. 7. c. 5.*

Democritus. vnus, aiebat, mihi pro populo est, & populus pro vno. *Senec. epist. 7.*

Anonymus, quum quæreretur à quodam egregio opifice, quo tanta diligentia artis spectaret ad paucissimos peruenturæ: satis sunt, inquit, mihi pauci, satis est vnus, satis est nullus. *ibid.*

Diogenes, cum præconem in Olympijs ita pronunciantem audiuisset. Dioxippus vicit viros, correxit: Hic, inquiens, mancipia potius vicit. Ostendens, eos nequaquam esse viros, qui in his certarent spectaculis, sed mancipia potius gloriæ. *ibid.*

Socrates. cum audiret recitare Lysidem Platonis: Deum, inquit, immortalem, quam multa mētitur de me adolescens, siue, quod ob modestiā non agnosceret laudes quas tribuebat Plato, siue quod in dialogo multa de Socrate fingeret. *P. M. 3. apoph.*

Epicurus, quum vni ex consortibus studiorum suo scriberet. Hæc, inquit, ego non multis, sed tibi, satis enim magnum alter alteri theatrum sumus. *Seneca epist. 7. ad Lucil.*

Metrocles libros suos exussit dicens:

Τὰ δ' ἐστ' ἐνέρων φαντάσματα. Id est.

Sunt inferiorum hæc somniorum imagines. Sentiens, esse nugas, ac deliramenta, quæ scripserat. *Laert. l. 6. c. 6.*

Frontinus vetuit sibi extrui monumentum, his verbis: Impensa monumenti superuacanea est, memoria nostra durabit, si vitam meruimus. Excelsi animi est, quum præclara gesseris, gloriam contemnere. *P. M. lib. 8. apoph.*

SIMILITVDINES.

Plutarchi. Vt conuenit amantibus diuersas amicas, in eandem deperentibus malè conuenit: Sic dissident, qui eadem ex re gloriam affectant. *Moral.*

Qui esuriunt, magis irritantur, si conspexerint alios edentes: Sic magis inflammantur ad gloriam, qui gloriæ sunt auidi, cum alios audiunt laudari. *ibid.*

Ciceronis. Valentis est, inanem aucupari rumorem, & omnes vmbras etiam falsæ conspectari: Sic leuis est animi, lucem splendoremque fugientis, iustam gloriam, quæ est fructus veræ gloriæ honestissimus, repudiare. *in Pisonem.*

P. M. Vt chamælion nō alio pascitur alimento, quam aeris, & idcirco ore est semper hiante: Ita quosdam aura popularis alit: neque quicquam captant præter inanes laudes, & gloriam. *in Simil.*

Chrysostomi. Vt in sæculari bello videmus, quia, qui vadens ad pugnam de præda victoriæ cogitat, difficile vincit, qui autem sic vadit, quasi ad mortem facilè vincit: Sic & nos in hoc certamine spirituali viuentes, non debemus cogitare, qualem gloriam consequamur, sed quomodo euadamus ruinam peccati. *in cap. 10. Matt. homil. 35.*

Intolerabilis quædam est ebrietas vana gloria: quem suæ subiecit ditioni, is ægre in sanitatem restituitur. Et, quam pestifera tabe infecit animam, a cœlo abscindens, terræ affigit, neque eam amplius sinit, vt ad veram lucem ducere possit intuitum. Qui enim hoc modo afficitur, nullo præceptore, omnia sua sponte operatur, quæ alijs placere arbitratur: vt alijs admirationi sit, præceps agitur. Vis huius intelligere tyrannidem? Si quempiam negociatorem: qui preciosissimas sibi merces, magno auri pondere compararit, rogaueris, quanam gratia tantum auri profundat, quidve tantus sibi sumptus velit, nullam aliam ab eo rationem accipies, quam, vt populo placeat. Quod si deinde, qui populus sit percunctaberis: Quidam, inquit, tumultus, perturbationisque plenus, & stultitia maiori ex parte constans, atque compositum temere, per maris fluctus varia, & pugnante sententia sæpenumero iactatum. Qui igitur sub huius seruitij domino premitur, nonne omnium miserrimus est? Inanis gloria, maiores nostri sic etiā appellarunt. Inanis est, nihilque rectum, elatum, nec gloriosum in se habens, tanquam personæ, quæ pulchræ quidem visu, & decore, intus autem inanes reperiuntur: quare aspectu cum ipso elegantiores appareant, neminem tamen vnquam ad se amandū allexerunt: Ita nihil miserius, quæ a multitudine comparatur gloria, difficilem vobis & violentum affectum significat, aspectu namque solo pulchra, atque elegans videtur, intrinsecus autem non inanis modo, verum etiam ignominiosa, crudelitatis, & violentiæ plena. *Hom. 2. in Ioannem.*

Quemadmodum vermis ligna, ex quibus nascitur, & rubigo ferrum, consumit: Ita inanis gloria altricem sui animam perdit. *Hom. 29. in Ioannem.*

Spinarum est plena gloria, multorum capitum bestia, & in eos quibus fouetur, quibus suscipitur, armata. *ibid.*

Vana gloria est bestia varia, & multiformis, & vbique proprium virus disseminat, pecunijs, delicijs, corporis pulchritudine, vestimentorum copia. *Hom. 68. in Ioan.*

Nihil vilius, abiectiusque vana gloria. Sicut, si videre contingat multitudinem paruulorum, eorum scilicet, qui subiecti vberibus sunt, ab ijs non cupis gloriam: Ita te necesse est gloriæ causa ad omnes affici. Idcirco enim inanis dicitur gloria. Non aspicis, vt in scena sibi personas imponunt histriones: quam præclaras, quam honestas, quam ad extremam, quam ad exactissimam formę diligentiam effictas? Potesne mihi huiusmodi aspectum verum esse demonstrare? minime sane. Quid igitur? non eas aliquando amasti? Non. Cur id? quoniam inanes sunt, immutanteque decorum, sed nullus ibi solidus decor. Ita, & gloria inanis est, imitaturque gloriam, nō quæ vera gloria est. Illa quippe sola permanet, quæ naturalis est, quæ in intimis conditur. Porro quæ extrinsecus adhibetur, obtulit sæpius facilitatē, sed id apud homines, & vsque ad vesperam: cęterū soluto theatro, sublatisque personis, vnusquisque, quod est, is quoque videtur. Nō igitur velut in scena, atque ludo, veritatem arripiamus: inanis est gloria, nihil solidi in se habet, nec veri. Extincta est, & in fumum resoluta, rem tam instabilem amare, quo pacto inducimur: quam magnæ est stultitiæ: hanc velut lutum in comparatione, auri, scilicet,

liæ gloriæ Dei contemnas. *Ad Tirium, homil.* 3.

Lumaeus. Inanem gloriam cum formica componit, quæ breuis licet, & pusilla: ingentes tamen segetum fructus, graui labore quæsitos rapit. Insidiatur formica, vt grana maturescant: Stat itidem in insidijs inanis gloria expectans, vt spirituales diuitiæ cumulentur. Gaudet formica, coaceruatas frugum opes populari: Gaudet pari modo inanis gloria, bene partos virtutum thesauros dispergere.

Mapheo. Prisci patres naturam inanis gloriæ describentes, cœpiæ, & bulbis persimilem esse dixerunt: quibus multiplici veste contectis, cum vnam exueris, alia rursum, quæ pene illam sequens latebat, quasi rediuiuo ordine pullulans aperitur. *De perseuerantia religionis. l. 2. c. 3.*

Plutarchus. Vt ignis non reddit fumum, si statim emicet flamma: Sic nec gloria est obnoxia inuidiæ, si protinus elucescat: sed eos, qui paulatim crescunt, sequitur inuidia. *In Moralib.*

Qui viro malo addit opes, & gloriam, is febricitanti ministrat vinũ, bilioso mel, cœliacis obsonia, quæ morbum animi, hoc est, stultitiam augeant. *ibid.*

Vt lumen magis prodest ijs, qui vident, quàm qui videntur: Sic gloria magis confert ijs, qui eam sentiunt, quàm quibus contingit. *ibidem.*

Fumus initio ingens, facilè euanescit: Sic gloria falso parta. *ibidem.*

Vt sol, si immineat hominis vertici, aut prorsum tollit vmbram, aut minimam reddit: Sic ingens gloria extinguit inuidiam. *ibid.*

Ciceronis. Vt quidam morbo aliquo infecti, à cibo suauissimo abhorrent: Sic facinorosi, veræ gloriæ gustum omnino non sentientes, ab eius studio planè abhorrent. *5. Philip.*

Seneca Quemadmodum aliquando vmbra antecedit, aliquando sequitur, vel à tergo est: Ita gloria aliquando ante nos est, visendamque se præbet, aliquando in auerso est, maiorq; quo serior, vbi inuidia secessit. *lib 2. epist. 80.*

Vt vmbra nos, vel inuitos comitatur: Ita gloria virtutem sequitur etiam fugientem. *Apud P. M in Simil.*

Themist. Pertinaci admodum, atque integro calore eum esse oportet, qui flamma vritur, nec fumo tentatur: Magis est admirabilis, qui res pulcherrimas gerit, & nulla illarum gloria tangitur. *in apoph.*

Solus qui gloriam spernit, veram habebit: nam more crocodili, non nisi fugientem sequitur. *in apoph.* 55.

Sap fumus flammam suffocat: Ita veram virtutem subinde vana gloria perdit, & annihilat. *in apoph.* 115.

EXEMPLA BIBLICA.

Gloriationis veræ exemplum: Paulus, *2. Cor. 7. 4. Gal. 6. 14. Philip. 3. v. 3. 1. Thes. 1. 4* Gloriæ Deo redditæ *exempla:* Abraham, *Rom. 4. v. 20. 21.* Achan *Ios. 7. v. 19. 20.* Dauid, *1. Sam 17. v. 45 46. Psal. 115. 1. Paralip. 29. v 10. 11.* Sidrach cum socijs, *Dan. 3. v. 51. 52. 53.* Daniel, *9. 7.* Bene operantes, *Matth. 5. 16.* Angeli, *Luc. 2. v. 13. 14.* Samaritanus à lepra mundatus. *17. 15.* Paulus, *Rom. 11. 36. & 16. 27. Gal. 1. 5. Ephes. 3. 2.* Petrus, *1. Pet. 4 11. 2. Petr 3. 18.* Iudas, *Iudæ v. 25.* Ioannes, *Apoc. 1. 6.* Gloriam Deo tribue. Solemnis formula apud Iudæos extorquendæ veritatis, *Ioan. 9. 24.* vt apparet ex *Iosue 7. 19. 1. Sam. 6. 5.*

Gloriæ vanæ exempla: Benadad, *1. Reg. 20. v 2. 3. 10.* Sennacherib, *2. Reg. 18. v. 33. 34.* Doeg, *Psal. 52. v. 3. 4 5* Chaldæi, *Esa. 43. 14.* Nabuchodonosor, *Dan. 4. 26.* Seron, *1. Mach. 3. vers. 13. 14.* Antiochus, *2. Mach. 9. v. 47.* Herodes Agrippa, *Act. 12. v. 21. 22.* Gloria vana fugienda. Exempla: Christus, *Ioan. 5. 41 & 8. v. 50. 54.* Herodes, *Act. 12. 23.* Petrus, *10. 25.* Paulus, & Barnabas, *14. v. 14. 15.* Paulus, *Gal. 2. 10. & 5. 26. Philip. 2. 3.* Angelus, *Apoc. 19. 10.*

Alia quædam ex S. Hebræorum codice prætermissa, hic reposita.

1. Gloria Dei est Maiestas incomprehensibilis, & immensa Dei gloriosi, quæ omnipotenti, & sapientissimo modo sese hominibus, & Angelis patefacit, & reuelatione, varia visione, conuenientiq; quadam ratione, quantum salus Ecclesiæ requirit, percipitur, *Genes. 19. 19. Exod. 16. 7. & 33. 18. 22. & 40. 34. Leu. 9. 6. 23. Num. 14. 10. & 16. 19. 42. & 20. 6. 1. Reg. 8. 11. Psal. 17. 15. & 102. 16. 17. Esa. 6. 3. & 66. 18. Ezec. 1. 2. 3. 8. 9. 10. 11. 43. & 44. Abacuc. 3. 3. 2. Petr. 1. 17. Rom. 1. 23. 1. Cor. 11. 7.*

2. Gloria filij Dei, *Ioan. 1. 14. & 2. 11. & 11. 40. Act. 7. 55. Rom. 6. 4. 2. Cor 3 18. & 4. 4 Ephes. 1. 12. 1 Pet. 1. 2. 2. Pet. 1. 17. Iud. 24. Apoc. 4. 11. & 5. 12 & 18. 1.*

3. Gloria Deo tribuenda, vel attributa, quod fit quando Deus agnoscitur, & celebratur, vt decet, *Iosue 7. 17. 1. Sam. 6. 5. Psal. 96. 3. 7. 8. Esa. 42. 12. Ier. 13. 16. Malac. 2. 2. Luc. 2. 14. & 17. 18. & 19. 38. Rom. 4. 20. & 11 36. & 16. 27. Gal. 1. 5 Ephes. 3. 21. Philip. 4. 20. 1. Tim. 1. 17. 2. Tim. 4. 18. Heb 13 21. 1. Pet. 4. 11. & 5. 11. 2. Petr. 3. 18. Iud. 25. Apoc. 1. 6. & 4. 9 & 5. 13. & 11. 13. & 16 9. & 19. 1. 7.*

4. Gloria (subiectum pro adiecto) quum de Deo dicitur, quicquid in Dei maiestate, vel testimonio præsentiæ eius considerari potest, nempe gloriosum, & supra cogitatione dignum denotat, *Ps. 24. 9. & 79 9. & 145. 5. 11. 12. Esa. 22. 13. & 63. 14. 15. Act. 7. 2. 2. Corinth. 1. 8. Ephes. 1. 6. 19. & 3. 16. 1. Tim. 1. 11. Tit. 2. 13. Hebr. 1. 7. & 9. 5. Iac. 2. 1.*

5. Gloria, quam sibi Deus tribuit, *Psal. 115. 1. Ier. 13. 11. 5. 44. & 7. 18. & 11. 4. & 12. 43. Rom. 3. 7. 1. Cor. 10 31. 2. Cor. 4. 15. & 8. 19. 23. Phil. 1. 10. 11. 2. Thess. 1. 9. 1. Pet 1. 7. 11. 1. Pet. 2. 7. 11. 2. Pet 1. 3.*

6. Gloria, pro misericordia Dei Omnipotentis erga suos. *Esa. 58. 8. & 60. 1. 2.*

7. Gloria cœlestis. *Matth. 16. 27. Rom. 5. 2. & 8. 18. 21. 2. Cor. 4. 17. Eph. 1. 18. Philipp. 3. 21. & 4. 19. Coloss. 1. 27. 1. Thessal. 12. 2. Thess 2. 14. 1 Timo. 3 16. 2. Tim. 2. 10. Heb. 2. 10. & 3. 6. 1. Pet. 5. 1. 4 10. 2. Pet. 1. 17.*

8. Gloria Ecclesiæ, & membrorum eius. *Psal. 3. 4. & 8. 6. & 45. 14. & 62. 8. & 84. 12. & 149. 5. 9 Esa. 52. 1. & 62. 3. & 60. 11. 12. Rom. 8. 18. & 9. 4. 2. Cor. 1. 12. 14. 20. & 7. 14. Philip. 2. 16. 1. Thess. 2. 19. 20.*

9. Gloria, pro præstantia hominum coram Deo. *Roman. 3. 23. & 15. 17.*

10. Gloria, magnificentia legalis, & mystica, *Exod. 28. 2. 40.*

11. Gloria hominis, dona eximia Dei Opt. Max. liberalitate hominibus collata, vel præsentis tantum, vel etiam futuræ vitæ respectu. *Matth. 6. 29. Rom. 2. 7. 10. 2. Cor. 6. 8. Hebr. 2. 7. 1. Pet. 1. 24. Apoc. 21. 24. 26.*

12. Gloria, pro lingua, & anima. *Gen. 49. 6. Psal. 16. 9. & 30. 13. & 57. 9. & 108. 2.*

13. Gloria Creaturarum ratione expertium, *Esai. 35. 2. & 60. 13. Ezech. 7. 7.*

14. Gloria vana, quam homines frustra vsurpant, & alijs tribuunt, *Ioan. 5. 44 & 7. 18. & 8. 50. 54. & 12. 43. Rom. 4. 2. Gal. 5. 26. Philipp. 2. 3. & 3. 19. 1. Thess. 2. 6.*

SENTENTIAE PATRVM.

De gloria æterna.

Nullus labor durus, nullum tempus longum videri debet, quo gloria æternitatis acquiritur. *Hieron epist.*

Regnum cœlorum vim patitur, Grandis violentia est, nos generatos in terra, cœlum quærere, & possidere per gratiam, quod non tenuimus per naturam. *Idem ibid.*

Hæreditas Christi, qua cohæredes sumus, non minuitur copia possessorum, nec fit angustior numerositate cohæredum, sed tanta est multis, quanta paucis: tanta singulis, quanta omnibus. *Aug. in Psal. 49.*

Diuitiæ si diliguntur, ibi seruentur ubi perire non possunt: honor si diligitur, illic habeatur, vbi nemo indignus honoratur: salus si diligitur, ibi adipiscenda desideretur, vbi adepta nihil timetur, vita si diligitur, ibi acquiratur, vbi nulla morte finitur. *Idem in epist. ad.*

Illud valde magnum, quod nec oculus vidit, quia non est color: nec auris audiuit, quia non est sonus: nec in cor hominis ascendit, quia cor hominis debet illuc ascendere. Sumamus capatius, quanto illud, & fidelius credimus, & speramus firmius, & desideramus ardentius. *Idem epist. ad Dard.*

Incomparabiliter superna ciuitas clara est, vbi victoria, vbi veritas, vbi dignitas, vbi sanctitas, vbi vita, vbi æternitas. *Id. de vita æterna.*

Si consideremus, quæ, & quanta sunt, quæ nobis promittuntur in cœlis, vilescent omnia, quæ habentur in terris. Terrena namque substantia supernæ felicitati comparata, pondus est, non subsidium. *Greg. Magn. in homil.*

Intuere cœlum, non solum ex hominibus, sed ex Angelis, atque Archangelis, thronis, & dominationibus, principatibus, ac potestatibus conuocatum: De rege autem, qui inter hos medius residet, dicere vox nulla sufficit: effugit omnem sermonem, atque omnem sensum humanæ mentis excedit decus illud, illa pulchritudo, illa virtus, illa gloria, illa magnificentia. *Chrysost. lam. de reparat. Lapsi.*

Si quotidie oporteret nos tormenta perferre, si ipsam gehennã paruo tempore tolerare, pro eo, vt Christum videre possemus in gloria venientem, & sanctorum eius numero sociari, non esset dignum pari ratione, omne, quod triste est, modo, vt tanti boni tantæque gloriæ participes haberemus. *Idem ibid.*

Futura vita vbi creditur esse beatè sempiterna, sempiternè beata: Vbi est certa securitas, secura tranquillitas, tranquilla iucunditas, felix æternitas, æterna felicitas: vbi amoris perfectio, timor nullus, dies æternus, alacer motus, & vnus omnium Spiritus. *Prosper de vita contempl.*

Reliqua Patrum dicta de gloria, vide Tit. *Vita æterna.*

PHILOSOPHOR. ET HISTOR.

De gloria mundana SENTENTIÆ, *prioribus subiunctæ.*

Gloria maximè sequitur virtutem ipsam: etenim omnes, quodammodo strenuis auxilio esse volunt. *Xenophon. Rep. Lacedæmon.*

Viro politico, administratio Reipubl. ex sore actæ vitæ gloriam pulcherrimum funus conciliat, Studium enim honestatis, Simonide teste, omnium postremum terram subit. Nam non solum ambitio. & gloriæ studium expers est senectutis, iuxta Thucididem: Sed magis, quod populare, & ciuile est, quale etiam formicis. & apibus, ad finem vsque perdurat. *Plut. in Moralib. & apud Stob. serm. 43.*

Apud

Apud plurimas gentes gloriosum est in bello occumbere. Etenim, qui sic è vita migrat, funere, & sepulchro magnificentissimè honoratur. *Plato in Max. & apud Stob. ser. 48.*

Agesilaus nullam gloriam diligebat, pro qua nō laborasset. *Xenoph. orat. de Agesilao.*

Iter facientes per solem necessario comitatur vmbra: incedentibus verò per gloriam comes est inuidia. *Socrates apud Stob. sermone 28.*

Gloriæ pulchritudo citò marcescit ex inuidia, ceu morbo quodam. *Idem, eod. serm.*

Gloria, & opes absque mente non tuæ sunt possessiones. *Stob. sermone 4.*

Gloria vanum, & volatile quiddam est, auraque mobilius. *Senec. epist. 153.*

Studia te tua clarum, & nobilem efficient. *Idem, epist. 52.*

Ad gloriam, & famam non est satis vnius opinio. Consensum multorum exigit. *Idem, epist. 102.*

Gloria multorum iudicijs constat. *Ibid.*

Gloria vmbra virtutis est: etiam inuitos committabitur. Sed quemadmodum vmbra aliquando antecedit, aliquando sequitur, ita gloria aliquando ante nos est, visendamque se præbet: aliquando in auerso est, maiorque, quo serior, vbi inuidia recessit. *Idem, epist. 79.*

Ex maximis periculis vrbes, & priuati homines adipiscuntur magnam gloriam. *Thucyd. lib.*

Vile corpus est ijs, qui magnam gloriam petunt. *Liuius, decad. 1, libro [illegible].*

Spr[illegible] tamen tempore gloria, interdum cumulatior reddit. *Idem, eodem libro.*

Gloriam, qui spreuerit, veram habebit. *Idem, decad. 3, l. 2.*

Gloriam parare, & quærere arduum est: nescio an tueri difficilius sit. *Decad. 4, l. 7.*

Citò gloria obsolescit in sordidis hostibus: Nec quicquam indignius est, quam consumi eam, vbi non possit ostendi. *Curtius lib. 9.*

Pulchrum est benefacere Reipub. etiam bene dicere haud absurdū est. *Salust. de Coniurat. Catil.*

Mihi rectius esse videtur ingenij, quam virium opibus gloriā quærere: & quoniam vita ipsa, qua fruimur, breuis est, memoriā nostri, quam maximè longam efficere. *Idem, ibid.*

Gloria industria alitur: vbi eam dempseris ipsa per se virtus amara atque aspera est. *Idem in fragm.*

Expedita, & compendiaria via eos ad gloriam peruenire Socrates dicebat, qui id agerent, vt quales videri vellent, tales etiam essent. Qua quidem prædicatione apertè monebat, vt homines ipsam potius virtutem, quam vmbram eius cōsectarentur. *Val. Max. lib. 7. c. 2.*

Nulla est tanta humilitas, quæ dulcedine gloriæ nō tangatur. *Idem, lib. 8. c. 14.*

Gloria ne ab his, qui contemptum eius introducere conantur, negligitur: quoniam quidem ipsis voluminibus nomina sua diligenter adijciunt, vt quod professione eleuant vsurpatione memoriæ consequantur. Sed qualiscumque horum dissimulatio, proposito illorum longè tolerabilior est, qui dummodo æternam memoriam assequantur, etiam sceleribus innotescere non dubitant. *Idem, eod. lib. &c.*

Nisi hominibus officium, ac verecundia sua constiterit, partarum rerum æquatus cœlo cumulus sedem stabilem non habebit. *Val. Max. lib. 2. c. 9.*

Eximia gloria sæpius fortunæ, quam virtutis est beneficium. *Curtius, lib. 8.*

Sola dulcedo gloriæ non senescit: nec, vt quidam aiunt, in senecta lucrari magis delectat, quam honore affici. *Thucyd. lib. 2.*

Qui mollitie præsentem gloriam amittunt, digni sunt accusatione, & digni odio, qui appetunt non conuenientem gloriam. *Idem, eo. lib.*

In ijs, qui pro patibus præmijs certant, par studium, & gloriæ cupiditas ad ipsas res gerendas innasci solet: in ijs verò ad quos nullus inde fructus, & emolumentum redit, nunquam innascuntur generosi spiritus. *Dionys. Halic. lib. 3.*

Gloriæ cupiditas res est infinita, &, quæ terminum ad quem perueniri possit, nullum habet. *Plut. in Cicerone.*

Profectò ea vis est gloriæ, vt eius studium eorum, qui in Repu. versantur ex animis doctrinam, veluti tincturam aliquā eluere possit affectusq; multitudinis ob consuetudinem in ijs extingere: nisi si quis admodum cautus ita cum hominibus agit, vt rerum nō affectuum, qui eas sequuntur, particeps esse studeat. *Idem ibid.*

Optimi mortalium altissima cupiunt. *Tacitus. annal. lib. 4.*

Etiam sapientibus, cupido gloriæ nouissima exuitur. *Idem hist. lib. 4.*

Multum posse ad salutem alterius honori multis, parum potuisse ad exitium, probro nemini fuit. *Am. Marcell. lib. 30.*

Solet amplissima gloria obiecta esse semper inuidiæ.

HISTORICA EXEMPLA.

Apud Lacedæmonios, qui strenuam in bello operam nauassent, ac pro patria fortiter occubuissent, oliua, & alijs ramis redimiti laudibus vehebantur: ac demum amicti purpura preciosissima, gloriosè, ac honorificè sepulchris mandabantur. *Ælian. lib. 6. de varia historia.*

Chilonis Lacedæmonij funus, cum victore filio Olimpiæ expirasset, gaudio tota Græcia prosecuta est. *Plin. lib. 7. c. 32.*

Agesilaum Archidami filium, rerum gestarum gloria clarissimum, in expeditione in Aegyptum mortuum Lacedæmonum maiore multo, quam alios reges sepultura, & functis honore decorarunt. *Pausanias in Laconicis.*

Athenienses se indigenas ab eaq;, quam incolebant terra creatos, & enutritos, nobilitatem suam prędicantes gloriabantur.

Alexander Magnus, neq; vndiq; neq; gloriam aucupabatur omnem: vt Philippus: sed cum tentarent eum ministri, quia pernix erat pedibus, an Olimpijs certare curriculo vellet: sane, si habiturus sim, inquit, aduersarios reges. *Plut. in Alex.*

Musarum nutricem fuisse Euphemen fingūt, quod pleriq; ex ijs, qui eruditione sua clarum sunt consecuti nomen, glorię immortalis spei ingenij sui monumenta ad posteros transmiserint.

Ioan. Picus Mirandula humanam gloriam pro nihilo habebat: aiebatque sæpius, Famam viuis non nihil, mortuis minime profuturam: tantamque propriam æstimauit doctrinam: quantum vtilitati Ecclesiæ, & eliminandis explodendisque aduersis erroribus conduceret. *Io. Franc. eius in vita.*

Capaneum fuisse talem prodit Euripides: vt opum affluentia intumesceret nihil, nec elatius saperet, quam pauperum, quis, τὸ ἀρκοῦν [illegible] *Calius lib. 20. c. 23. A. L.*

Timoleonti Corinthio nihil vnquam neque insolens, neque gloriosum ex ore exijt. *Probus.*

HIEROGLYPHICA.

Per pauonem surrecta in orbem cauda hominem gloriæ plenum exprimebant. *Pauo* enim preciosam eam caudæ supellectilem tum plurimum ostentat, cum plurimos ad spectandum aduenisse conspexerit, quod si nullum admirari, adesse ve cognouerit, eam recondit veluti indignans. Hinc Ouid. *Laudata pauone superbior:* de valde sibi placente dixit. *Pier. Val. lib. 24.*

Bulla quoque pro gloria, & fastu hieroglyce ponitur, vbi quis non aliter gloria turgescere videatur, quam Bulla ipse intumescentis cuiusdam figurę speciem præferunt, vnde dixit *Persius.*

> *Non equidem hoc studeo, bullatis, vt mihi nugis*
> *Pagina turgescat.*

Pier. Val. lib. 41.

EMBLEMA.

Ex arduis perpetuum nomen.

Emblema. CXXXI. And. Alciati.

> *Crediderat platani ramis sua pignora passer,*
> *Et bene, ni sæuo visa dracone forent.*
> *Glutit hic pullos omnes, miseramq; parentem*
> *Saxeus, & tali dignus obire nece.*
> *Hæc nisi mentitur Calchas monumenta laboris*
> *Sunt longi, cuius fama perennis erit.*

FABVLA.

Mercurius, & Statuarius.

Auebat cognoscere Mercurius, quantopere ab hominibus coleretur. Venit igitur in officinam statuarij specie emptoris, & primū Iouis simulachro conspecto, quanti indicaret, interrogat. Cumque audisset æstimari denario, subridens. At Iunonis hoc quanti? inquit. Aliquantulo pluris, inquit statuarius, hoc vendo. Quam magno igitur, inquit Mercurius, faciamus cum precium. Nummis sextertijs inquit ille, habeto nouem. Contemplatus verò reliqua vidit, & Mercuriale signum, quod, & ipsum licitatur. Sperabat autem carius multo æstimatum iri, quippe Mercurij, quod esset, nuncij, & interpretis Deorum, cuius numen in spe lucri omnes mortales inuocarent. Tum statuarius: si tibi, inquit, emptis signis opus est, dabuntur illa duo de quorum precio percontatus es, sexquidenario, & hoc in cumulum accedet.

Fabula dicitur contra gloriæ cupidos, qui tamen ab alijs non magni fieri consueuerint.

GRAMMATICA.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

GRammatica, est scientia scribendi, & cognoscendi, quod profertur, *secund. Arist. l. 6. Top.* diciturque à γράμματος, τό, quod est litera, vnde, & γραμματιστής, quod est literatura, & γραμματικός, ὁ, literatorius dicitur.

Grammatica est ars literaria, quæ in emendatè loquendo scribendoque consistit, vt literæ suas custodiant voces, & depositum reddant legentibus.

Sententiae Philosophicae.

Grammatica est peritia eorum, quæ magna in parte x Poetis, ac re rum scriptoribus dicuntur. *Amm. in Porphyr.*

Grammatices est scire confusionem de ipsis viginti quatuor literis: Musices autem est docere cognitionem exactam, & perfectam de ipsis. *Simpl. in Phys. l. 1.*

Grammatici, quia vocum figuras considerant, ideo octo orationis partes speculantur: Philosophi autem cum rem tantum contemplentur, sola nominis, & verbi speculatione indigent. *inquit Boetius in introductione ad Cat. Syll.*

Grammatica sermone vtitur, prout modus inflexionum, & constitutionum intellectus simplicis, & compositi complexe designatiuus existit: simpliciter absque eo, quod sciat de significatu, vtrum sit, vel non. *Albert. Magn. de prædicab.*

Grammaticus ille est, qui tenet, quod in species vox distingui potest, & quales, dum ore articulatim in verba mente concepta distinguuntur. *Ficin. in Platonis Phileb. lib. 1. c. 28.*

Grammaticam esse Dionysius Thracius peritiam experientiamque eorum, quæ apud Poetas plurimum versantur: contra Ptolomæus Peripateticus non esse Grammaticam contendit. Chares habitum dixit esse, quo ex arte dictiones, & sensa nascerentur.

Crates inter Grammaticum criticumque distinxit, illi, solam linguarum notionem, huic, & omnis logicæ peritiam tribuens.

Chorus ait esse cognitionem earum dictionum, quæ apud Poetas, & apud communem vsum essent. *Ioan. Fran. Picus Mirand. in exam. vanit. doct. gent. l. 1. c. 6.*

Grammaticæ alij tres faciunt partes: alij plures: Dionysius, & Tauriscus tres, artificialem historicam, & propriam. Artificialem in qua de elementis literarum, de partibus orationis, de orthographia præcipitur. Historicam nonnulli condemnant, & censent instabilem, ea agit de personis, diuinis, & humanis, heroicis locis. Propria circa Poetas, & historicos versatur. *Ioan. Franc. Pic. Mirand. in exam. vanit. doct. gent. l. 1. c. 16.*

Grammaticæ non solum necessariæ sunt Poetarum dictiones, sed etiam, quæ in vsu communi sunt notiones. *Ioan. Franc. Picus Mir. in exam. van. doct. gent. l. 3. c. 3.*

Grammatica est omnium disciplinarum fundamentum. *Franc. Patri. de Repub. l. 2. c. 1.*

Scriptores.

De Grammatica vide multa apud Quintilianum. *l. 1. Orator. instit.* de Grammatices origine, & quantum valeat, *lege Polydorum Virgil. l. 1. c. 7. de rerum inuent.* De excellentia Grammatices, *Pli. lib. 7. c. 37.* De Grammat. & vocabulis. *Isidor. in lib. Originum.* De illustribus Grammaticis. *C. Suetonij Tranquilli liber extat.* De ratione docendi Grammaticam extat *Synopsis Coely.*

Secundi, Grammatici an electæ, qui sint? *Cæl. Rhod. l. 13. c. 31.* Vide præterea de Grammaticis, & horum conditionem, *Anthol. Græc. lib. 1. sect. 17. lib. 2. section. 10. Gell. lib. 4. c. 1. Crinit. l. 3. c. 8. Ælian. var. historia Græca.*

GRATIA.

DEFINITIO, ET ETYMOL.

Gratia, Græcè χάρις, ιτος, ἡ & χάρισμα, ατος, τὸ, dicitur, & χαριτόω, gratia impleo. Hebr. *Chen*, fauor, clementia, χάρις, dulcedo, vel gratia, a verbo *Chanan*, gratia affecit, in gratiam recepit, misertus est, benefecit ex gratia, seu gratis. Græc. χαίρω, lætifico aliquem per gratiam præstitam: χάρις. Lætitia gratiosa. 2. *Chesedh*, misericordia, pietas, affectus charitatis, à verbo *Chassadh*, sacrauit, consecratus est. 3. *Iadhidh*, charus, amicus, dilectus, suauis, iucundus, *Todhah*, gratiarum actio, εὐχαριστία, quæ conuenit Dei filijs adoptiuis in Christo, hominibus εὐδοκίας, id est, beneplaciti, vt enim gratis nos Deus diligit in filio dilecto, ita gratiarum actionem requirit ab ijs quos in gratiam recepit, quos vocauit, iustificauit, sanctificauit: quos item gratis per Christum saluatorem glorificabit.

Gratia hominum respectu est in qua amicitiarum, & officiorum alterius memoria, & remunerandi voluntas continetur, *secundum Ciceronem in Rhetor.*

Gratia est, per quam dicuntur homines, roganti, gratis aliquid facere, non pro re alia, nec, vt sibi quicquam, qui faciunt eueniat, sed, vt cui faciunt, *secundum Ciceronem lib. 2. Rhetor.*

Gratia nihil aliud est, quam quædam inchoatio gloriæ in nobis, vel auxilium, quo indiget homo ad beatitudinem consequendam *secundum B. Thom. 2. 2. q. 23. art. 3.*

Gratia est virtus specialis, reddens gratiam benefactori, *secundum B. Thom. 2. 2. q. 106. art. 1. eadem gratitudo dicitur.* Hæc est gratiarum actio, quæ iustos, & iustificatos decet *Psal. 33.*

Gratia est, in qua amicitiarum, & officiorum alterius memoria, & alterius remunerandi voluntas continetur. Cuius contrarium Ingratitudo.

Polyanthea Noviss.

Biblici Loci.

Gratia per Christum præstita, *Ioan. 1. 17.* Gratia hominum magno animo contemnenda, *Gal. 1. 10.* gratia, præmium. *Ioan. 6. 32.*

Gratia, beneficentia, eleemosyna, *2. Cor. 8. 4. 6. 19. & 9. 8.* Gratia, fauor erga proximum, *2. Sam. 2. 6. & 15. 20. & 16. 17. 1. Reg. 2. 17. 1. Cir. 19. 2. Act. 14. 28. & 25. 3. 9.* Gratia, venustas corp. *Prou. 31. 30.*

Gratiarum varietas fideles ad mutuam concordiam impellit, vt per illas mutuo collatas coalescant ea symmetria in vnum Christi corpus, quemadmodum membra corporis in vnum hominem coalescunt, *1. Cor. 12. v. 4. 7. 11. 12. 20.* eæque quantumuis eximiæ sint, vitiantur, si destituuntur charitate, *1. Cor. 13. 1.* Gratiæ in nobis non sunt negligendæ, *1. Tim. 4. 14.*

Gratia, id est, fauor coram Deo, *Gen. 6. 8. Ier. 31. 2. Luc. 1. 30. Act. 7. 46. 1. Pet. 5. 5.* Coram hominibus, *Genes. 30. 27. Exod. 3. 21. Ruth 2. 10. 1. Reg. 11. 19. Dan. 1. 9. Act. 2. 47.* Coram Deo, & hominibus, *Luc. 2. 52. Iac. 4. 6. &c.*

Gratia Dei Patris in Christo ad filios adoptionis pertinens, *Psal. 84. 12. Zach. 12. 8. Rom. 11. 5. 6. Eph. 3. 7. 1. Tim. 1. 14. Heb. 4. 16. 1. Pet. 3. 7.* Gratia Iesu Christi, id est, gratia, quam Iesus Christus Deus homo, sua originali puritate sanctissima, vitæ obedientia perfectissima, mortis satisfactione, apud Deum patrem suis membris acquisiuit, *Rom. 16. 20. 24. 1. Cor. 16. 23. 2. Cor. 13. 13. Galat. 6. 18. Philip. 4. 23. Colos. 4. 18. 1. Thess. 5. 25. 2. Thess. 3. 18. Apoc. 22. 21.*

Gratia vnionis, *Ioan. 1. 14.* Gratia, misericordiæ Dei, & vitæ beatæ per Christum in Euangelio propositæ efficax præconium. *Psalm. 45. 3. Luc. 4. 22.* Gratia, donum Spiritus sancti, *Luc. 2. 40. Ioan. 1. 16. Act. 10. 45. Rom. 1. 11. 2. Cor. 1. 12. Ephes. 4. 7. 1. Tim. 4. 14. 2. Tim. 1. 6. 1. Pet. 4. 10.*

Gratiæ effecta duo commemorantur, *1. Timot. 1. 14.* nempe fides, a qua sit absorpta ignorantia: & charitas, quæ indomitæ illi credulitati successit, idque ex gratia in Christo Iesu. Gratiæ redundantia, pro gratia redundante, Hebraismus, *Rom. 5. 17.*

Gratia, qua quis hominibus est gratus, à Deo est, *Exod. 3. 21. & 11. 3. & 12. 16. 2. Reg. 25. 27. Esdr. 2. 5. Tob. 1. 13. Psal. 106. 46. Ier. 40. v. 2. 3. 4. Dan. 1. 9. Act. 24. 23. & 27. 3. & 28. 16.*

Gratia in genere, pro beneficio, *2. Cor. 1. 15. Ruth 2. 20. 2. Sam. 2. 6. & 15. 20. Prou. 4. 9. Eccles. 7. 37. & 29. 20.* pro beneficio diuino, & dono Dei, μεταφορικῶς, *2. Cor. 1. 12. & 8. 1.* pro Consolatione, *Ephes. 4. 29.* pro spirituali, id est, Euangelico Dei cultu, *Hebr. 13. 9.* pro gratuitis Spiritus sancti Donis pleno cornu per Christum e coelis in suos effusis, *Io. 1. 16.* pro gratuitis Dei donis, *1. Pet. 1. 4. & 5. 10. 2. Pet. 3. 18.* pro Eleemosyna, *2. Cor. 8. 4.* pro Fauore, *Genes. 6. 8. & 18. 1. & 19. v. 19. & 39. 21. Exod. 12. 36. Tob. 1. 3. Esth. 2. 17. Prouerb. 13. 15. Eccles. 4. 25. Dan. 1. 9. Act. 2. 47. & 24. 27. & 25. 9.* pro fide, & eius saluiferis effectibus, *Hebr. 12. 15. 1. Petri 5. 12.* Pro gratuito, & æterno Dei fauore, fonte nimirum ex quo omnia Dei beneficia salutaria in nos promanant: quod passim Apostoli demonstrant. Per nostra in Christo, per Christum iustificatione, *Act. 13. 43.* pro gratuita iustitiæ Christi imputatione, *Rom. 5. 17. 20.* pro Dei erga homines Munificentia, *2. Cor. 9. 8.* pro grato obsequio, *1. Pet. 2. 19.* pro efficaci præsentia S. Spiritus, *Act. 14. 26.*

Sententiæ Biblicæ.

Gratia à solo Deo datur.

Gratiam, & gloriam dabit Dominus. *Psal. 84.*

Qui bonus est, hauriet gratiam à Domino. *Prou. 12.*

Oculi tui vias Domini custodiant, vt addatur gratia capiti tuo. *ibid.*

Gratia datus in conspectu omnis viuentis. *Eccles. 7.*

Est datum, quod non est vtile, & est datum cuius retributio duplex est. *Eccles. 20.*

Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris. *Esa. 12.*

Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite. Venite, emite absque argento, & absque vlla commutatione vinum, & lac. 55.

Gratia, & veritas per Iesum Christum facta est. *Ioan. 1.*

Et de plenitudine eius omnes nos accepimus. *ibid.*

Non potest homo accipere à se quicquam, nisi fuerit ei datum de coelo. 3.

Nullus ergo proprijs viribus valet ingredi ianuam fidei, nisi patefaciente, & operante gratia Dei. *Act. 15.*

Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei. *Rom. 3.*

Vbi autem abundauit peccatum, superabundauit, & gratia, vt sicut regnauit peccatum in mortem, ita, & gratia regnet per iustitiam in vitam æternam per Iesum Christum Dominum nostrum. *Rom. 5.*

Stipendia peccati mors, gratia autem Dei vita æterna in Christo Iesu Domino nostro. 6.

Igitur non volentis, neque currentis, sed est Dei miserentis. 9.

Sufficit tibi gratia mea. *2. Cor. 12.*

Vnicuique autem nostrum data est gratia, secundum mensuram donationis Christi. *Ephes. 4.*

Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ eius, vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno. *Hebr. 4.*

Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. 1.*Pet.*5.

Ego sitienti dabo de fonte aquæ viuæ gratis. Et qui sitit, & qui vult, accipiat aquam vitæ gratis. *Apoc.*21.

Bonum operatur.

Gratia sicut paradisus in benedictionibus: & misericordia in seculum permanet. *Eccl.*40.

Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Deo per Iesum Christum Dominum nostrum. *Rom.*7.

Gratia autem Dei sum id quod sum, & gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboraui. Non ego autem, sed gratia Dei mecum. 1.*Cor.*15.

Gratia enim estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis: Dei enim donum est, non ex operibus, vt ne quis glorietur. *Ephes.*2.

Bonitate conseruatur.

Tollite ab eo talentum, & date ei, qui habet decem talenta. Omni enim habenti dabitur, & abundabit. *Matth.*25.

Adiuuantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. 2.*Cor.*6.

Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterij 1.*Tim.*4.

SENTENTIAE PATRUM.

Quantum quis crescit in gratiam, tantum in fiduciam dilatatur. *Bernard. in Cant. serm.*3.

Quærere Deum non potest anima, nisi preueniatur, vt quærat. *Idem serm.*83.

Aliquando plerique, & vitam habentes mundam, non accipiunt gratiam, quare? ne in superbiam eleuentur, ne inflentur ventositate iactantiæ, ne altitudo muneris negligentiores efficiat. *Chrysost. super epist. ad Hebr.*

Pauper, & creditor obuiauerunt sibi, vtriusque illuminator est Dominus. Pauper est humilis auditor, creditor, prædicator, qui sibi obuiant, quum in vnam pietatis gratiam conueniunt. Vtriusque illuminator est Dominus: quia, nec iste prædicat, nec illa credit sine Dei munere. Vnde, Sine me nihil potestis facere. *Beda in glos. Prou.*15.

Si gratiam ideo dedit Deus, quia dedit gratis, gratis ama: Noli ad præmium diligere Deum, ipse sit præmium tuum. *August. super Ioannem.*

Si leuis morbus esset contemneretur, Medicus non quæreretur, si Medicus non quæreretur, morbus non finiretur: ideo vbi abundauit peccatum, superabundauit, & gratia. *Idem de verbis Apostolorum.*

Sola gratia discernit redemptos à perditis, quos in vnū concreuerat massa perditionis, ab origine ducta creationis. *Idem in Encherid.*

Dei gratia cur ad istum veniat, ad illum non veniat: occulta causa esse potest, iniusta non potest. *Idem lib. de Baptismo paruulorum.*

Lex Dei ciuitas est: lex data est, vt gratia quæreretur: gratia data est, vt lex impleretur. *Idem de spiritu, & litera.*

Gratia, quæ per Christum datur, non solum peccatorum remissionem facit: sed etiam, vt lex impleatur, vt natura liberetur, nec peccatum dominetur. Spiritus etiam gratiæ dat fidem, quæ etiā non petita à Deo conceditur, vt homini petenti, & alia concedantur: nam fides non est liberi arbitrij tantum, sed donum Dei. *Idem de libero arbitrio, & hab. de cons. dist. 4. can. Gratia.*

Operibus debitum redditur, gratia datur, vnde, & nuncupatur. Sin autem dixeris, quod gratiam bene operandi fides mereatur, negare non possumus: imò gratis dedisse confitemur. Si autem ex fide, quomodo gratis? Quod enim fides meretur, cur non potius redditur, quam donatur? Non dicat hoc homo fidelis, quia cum dixerit, vt merear iustificationem, habeo fidem. Respondetur ei, quid habes, quod non accepisti? Cum igitur fides impetrat iustificationem, sicut vnicuique Deus partitus est mensuram, & ipsius fidei, non gratiam Dei aliquid meriti præcedit humani, sed ipsa gratia meretur augeri, vt aucta mereatur perfici. *Idem in epistol. ad Paulinum.*

Christi gratia, sine qua, nec infantes, nec ætate grandes, salui fieri possunt: non meritis redditur, sed gratis datur, propter, quod gratia nominatur. *Idem lib. de natura, & gratia.*

Gratia ad hoc datur, vt lex compleatur, vt natura liberetur, & peccatum non dominetur, vt velimus, sine nobis operatur incipiēs, quod volentibus cooperatur perficiens: sine illo autem nihil operante, cum volumus, ad bona opera nihil valemus. *Idem de gratia, & libero arbitrio.*

Vberior est gratia, quam petitio: semper enim Dominus plus tribuit, quam rogatur. *Ambros. super Lucam.*

Gratia vehementior est ad diligendum, quam natura. Reddendo vacuatur pecunia: gratia autem, & habendo soluitur, soluendo retinetur. *Idem lib. de Offic.*

Vide, quam breuis est oratio, & omnium plena virtutum, primus sermo quantæ est gratiæ? homo, faciem tuam non audebas ad cœlum attollere, oculos tuos in terram dirigebas, & subito accepisti gratiam Christi, omnia peccata dimissa sunt; Ex malo seruo factus es bonus filius, imo præsume, non de operatione tua, sed de gratia Dei. Gratia enim saluati estis, vt dicit Apostol. non enim hæc arrogantia est, sed fides, prædicare, quod acceperis, non est superbia, sed deuotio. Ergo attolle oculos ad patrem, qui per lauacrum te genuit, ad patrem, qui per filium te redemit, & dic Pater noster, bona præsumptio, sed moderata: patrem dicis quasi filius. Sed noli spiritualiter tibi aliquid vendicare solus Christi est pater spiritualis, nobis omnibus in commune est pater, quia illum solum genuit, qui nos creauit. *Idem super illud Matth.6. Pater noster qui es.*

Dum nos gratia diuini respectus illuminat, cuncta mentis nostræ nobis abscondita manifestat. *Greg. lib.8 Moral.*

Gratiam in tribus consistere arbitror: In odio præteritorum, contemptu præsentium bonorum, & desiderio futurorum. *Bernard. de libero arbitrio.*

Præoccupatum quippe sæcularibus desiderijs animum, declinatio sancta declinat, nec misceri poterunt vana veris, æterna caducis, spiritualia carnalibus, summa imis, vt pariter sapias, quæ sursum sunt, & quæ super terram. *Idem serm.*77.

In veritate didici, nihil æquè efficax esse ad gratiam promerēdam, retinendam, & recuperandam, quam si omni tempore coram Deo inueniaris, non altum sapere, sed timere, sicut scriptum est: Beatus est homo, qui semper est pauidus. Time ergo cum arriserit gratia, time cum abierit, time cum denuo reuertetur, & hoc est semper pauidum esse.

Gratia balsamum purissimum est, & ideo purum, solidum, & profundum vas requirit. *Idem sup. Cant. serm.*54.

Gratia si non datur gratis, vel accipitur, gratia non est. Simoniaci autem non gratis accipiunt, igitur gratiam, quæ maxime in ecclesiasticis ordinibus operatur, non accipiunt, si autem non accipiunt, non habent, nec gratis, nec non gratis cuiquam dare possunt: quid ergo dant? profectò, quod habent. Quid autē habent? spiritum vtique mendacij: quomodo hoc probamus? quia si spiritus veritatis, restante ipsa veritate de qua procedit, gratis accipitur, procul dubio spiritus mendacij esse conuincitur, qui non gratis accipitur, vel datur. *Leo Papa, & hab. 1. q. 1. c. Gratia.*

POETICAE SENTENTIAE.

Menander.

Καλὸς δὲ θησαυρὸς κειμένη χάρις.
Pulcher autem thesaurus collatum beneficium.
Χάριν λαβὼν ἀπόδος ἐν καιρῷ δίδου.
Beneficium cum acceperis compensatum, in tempore da.
Χάριν χαρίζου καθ' ὅσον ἰσχύεις ὅμως.
Gratiam gratis da, in quantum potes tamen.
Χάριτας δικαίας καὶ δίδου καὶ λάμβανε.
Gratias iustas & da, & cape.
Χάριν λαβὼν μέμνησο καὶ δοὺς ἐπιλαθοῦ.
Gratiam cum acceperis, in memoria habe: & cum dederis obliuiscere.

Lucianus.

Αἱ ὠκεῖαι χάριτες γλυκερώτεραι· ἢν δὲ βραδύνῃ,
Πᾶσα χάρις κενὴ, μηδὲ λέγοιτο χάρις.
Celeres gratiæ dulciores. Si autem tardauerit,
Omnis gratia vana, neque dicitur gratia.

Ausonius.

Gratia, quæ tarda est, ingrata est: gratia namque
Cum fieri properat gratia grata magis.

Idem aliter.

Si bene quid facias facias cito, nam cito factum
Gratum erit, ingratum gratia tarda facit.

Ouid. 3. Pont. 4.

Gratia officio, quod mora tardat abest.

Ouid. 1. Amor. 10.

Gratia pro rebus merito debetur inemptis.

Plaut. Pœn.

Si quid benefacias, leuior pluma est gratia:
Si quid peccatum sit, plumbeas iras gerunt.

SIMILITVDINES.

Chrysostom. sicut nauis fracto gubernaculo illuc ducitur, vbi tempestas voluerit: Sic, & homo diuinæ gratiæ auxilio perdito, per peccatum agit, quod non vult, sed, quod Diabolus vult. *In Matth. 21. homil.* 37.

Sicut turpitudo nuditatis vestimento tegitur: Sic naturalia mala carnis nostræ præceptis, & gratia diuina teguntur. *In Matt.* 27.

Vt terra non germinat, nisi pluuias susceperit, nec pluuia fructificat sine terra: ita, nec gratia sine voluntate aliquid operatur, nec voluntas sine gratia potest. *In 19. Matth. hom.* 32.

Quemadmodum ignis indiget lignis: Ita, & gratia alacritate nostra opus habet, vt feruere perpetuo possit. *In 2. ad Timot. hom.* 20.

Marci eremitæ: quemadmodum pluuia terræ infusa, accommodam qualitatem plantis suppeditat, dulcem quidem dulcibus, amarā autem amaris: Sic quoque gratia fidelium cordibus indeclinabiliter adijciens, conuenientibus virtutibus actiones largitur. *De lege Spiritual.* 184.

Augustini. Quomodo odit Medicus ægritudinem ægroti, & id agit curando, vt ægritudo pellatur, æger leuetur: Sic Deus gratia sua hoc in nobis agit, vt peccatum consumetur, homo liberetur. *In Ioan. cap., tract. 41.*

Non cum ferueat, calefacit ignis, sed quoniam feruet, nec ideo benè currit, vt rotundus sit, sed quia rotundus: Sic nemo propterea bene operatur, vt accipiat gratiam, sed quia accepit. *lib. ad Simplicianum. q. 2.*

Neque qui laudat beneficium medicinæ, prodesse morbos dicit, & vulnera, à quibus illa hominem sanat: sed quanto maioribus medicina laudibus prædicatur, tanto magis vituperantur, & horrentur vulnera, & morbi à quibus liberat, quæ ita laudatur: Sic, & laus, & prædicatio gratiæ, vituperatio, & damnatio est delictorum. *De Spiritu, & litera.*

Sicut oculus corporis etiam plenissimè sanus, nisi eum candore lucis adiutus, non potest cernere: Sic homo etiam perfectissime iustificatus, nisi æterna luce iustitiæ diuinitus adiuuetur, rectè non potest vinci. *De natura, & gratia. c. 18.*

D. Bernardi. Fluminis aqua, si stare cœperit, putrescit, & inundatione facta superueniens repellitur: Sic planè gratiarum cessat decursus, vbi recursus non fuerit.

Vt Helisei farinula potum dulcorat: Sic gratia spiritus labores alleuiat. *Epist. vltima.*

Fulgentij. Cum oculus factus est, vt videre lumen possit, sed videre non potest, nisi se illi lumen infuderit: Ita bonum, quod facis, gratiæ adscribendum. Nam, quod videt oculus, beneficium est luminis: quo si careret, cæcus remanebit in tenebris. *Ad Theodorum senatorem.*

Vti summa confusio est, alienis ornamentis se extollere: Ita insanire est manifestè quemquam, qui gratias, quæ a Deo solo profectæ sunt, virtuti suæ attribuit. *Ad Theodorum senatorem.*

FABVLÆ.

Leo, & Musculus.

Lasciuè discurrentes circum leonem dormientem musculi, vnum ita agitauere incursione sua, vt in dorsum bestiæ deferretur. Qui à leone captus, deprecari vitam suam, & excusare inprudentiam facti. Leo, etsi erat commotus, ignouit tamen musculo, & tam contemptum animalculum inuiolatum dimisit, paulo post incautius prædam inuestigans, in laqueos incidit, quibus astrictus, rugitum maximum edidit, ad quem percurreos musculus, cerne. sque in vinculis eum, qui sibi dudum vitam petenti concessisset, gratiam pro beneficio relaturus, accedit ad laqueos, & illis corrosis leonem omni periculo liberat.

Docet fabula, & nullius exiguitatem, atque impotentiam spernendam, & gratiam beneficijs referendam esse.

Mustela, & Paterfamilias.

Capta mustela perebat amitti se, quæ ipsa familiæ vtilis esset, & mures prehendere soleret. Ita est, vt dicis, inquit, illam, qui ceperat, sed hæc opera non mihi datur, neque meis verbis, sed primum, cui ventris gratia, muribus insidiaris, deinde infesta illis es, qui arrodendo reliquias victus mei, tibi diminuunt pastum. Quæ igitur non debetur tibi venia, eam ne petas.

Dicitur fabula contra illiberalitatem eorum, qui solent, vt Comicus ait, quum nihil promereant, postulare id gratiæ apponi sibi. *Vide Gratitudo.*

GRATIÆ.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

GRatiæ à Græcis χάριτες dicuntur, eo quod, lætitiam significent: nam, & lætari videntur, qui dant, & accipiunt beneficium. Tres ideo esse finguntur, quia & benefici esse in alios debemus, & aliorum beneficia suscipere, & his, qui in nobis liberales fuerunt, retribuere. Dare autem, & accipere, & retribuere, tres actus sunt in se distincti. Alij dicunt ideo tres fingi, quia acceptum beneficiũ cum fœnore reddi debet. Quapropter solebant veteres ita Gratias pingere, vt vna earum auersam faciem teneret, quasi à nobis profecta. Duæ verò nos aspicerent, vt duplex nobis beneficium rependi debere ostenderent. Nudæ præterea pingebantur, quia beneficia sine fuco esse debent, & nullo tegi velamine. Itẽ connexæ, quia insolubiles decet gratias esse, & amicitiæ fœdus perpetuum esse. Horatius: *Segnesq; nodum soluere gratia.* Has quidẽ dicunt Ioue patre genitas, quoniam a Ioue omnis procedit gratia. Item matre Eurydomene, vel Eurynome, vel Eurymeduse. Dicitur enim Eurydomene, ἀπὸ τοῦ ἀφθόνως διδόναι, hoc est, abundãter dando. Eurynome, ἀπὸ τοῦ ἀφθόνως νέμειν, hoc est, abundanter retribuẽdo. Eurymedusa verò, ἀπὸ τοῦ ἀφθόνως μέδειν, hoc est, tego. Quoniam qui liberales, & munifici sunt, cæteris imperare consueuerunt. Alij ex Venere, & Marte: alij ex Venere, & Libero patre: alij ex Herebo, & Nocte genitas dixere. Finguntur lauari in Acidalio fonte Orchomeni, vrbis Boetiæ, quoniam pura esse beneficia debent, & nihil sordidum habere, nullamq; spem retributionis.

Polyanthea Noua.

Hesiodus facit tres Gratias: Aglaen, Euphrosynam, Thaliã: Homerus vnam ex his, Pasithoan appellat: atque illis matrimonium addicit. Respiciunt se inuicem complexis dextris, vt redditio beneficij notetur: hilares sunt, sicuti dantes, & accipientes: præterea virgines, quod sine spei conceptione detur, vestibus fluentibus, & lucidis, quod sine alligatione alterius, aut obligatione tribuatur: denique iuuenes, quia non debet beneficiorum memoria senescere. Tres sunt, promerentium videlicet, & reddentium, & amborum simul.

EMBLEMA.

Emblema CLXII. Andr. Alciati.

Tres Charites Veneri assistunt, dominamq; sequuntur:
Hincque voluptates, atque alimenta parant:
Lætitiam Euphrosyne, speciosum Aglaia nitorem,
Suadela est Pitho, blandus & ore lepos.
Cur nudæ mentis, quoniam candore venustas
Constat, & eximia simplicitate places.
An quia nil referunt ingrati, atque arcula inanis
Est Charitum? qui dat munera, nudus eget.
Addita cur nuper pedibus talaria? bis dat,
Qui cito dat, minimi gratia tarda preti est.
Implicitis vlnis cur vertitur altera? gratis
Venerat: hinc remanent, vna abeunte, duæ.
Iupiter ijs genitor, cœlo de femine diuas
Omnibus acceptas edidit Eurynome.

SCRIPTORES.

Planè de tribus Gratijs vide *apud Marf. lib. 8. c. 12.* De ijsdem, & Genio *eundem l. 7. c. 10.* De ijsdem, & concordia, *l. 8. c. 62.* De Gratiarũ templis, *Cal. Rhod. l. 23. c. 16.* Sacris, *Cel. Rhod. l. 22. c. 2.* De Gratiarũ ratione, & Furiarum, *eundem l. 11. c. 19.* Gratiæ omnigenum bonorum. *Tretzes l. 10. 337.* Natal. Comes in Mythologio.

GRATITVDO.

DEFINITIO.

GRatitudo, vel Gratiarum actio, Græcè εὐχαριστία. εὐχάριστος gratus, & εὐχαριστῶ gratias ago, dicitur.

Gratiarum actio, siue gratitudo est virtus specialis, reddens gratiã benefactori, *secund. B. Thom. 2. 2. q. 106. art. 1.*

Quilibet dicitur gratus, nisi doceatur ingratus, *In auth. de sec. nupt. §. fin. fus. & cum de appellat. cognosc. § fin.* Ingratitudo enim est vitium, quod tollit debitum honestatis, dum non refertur gratia. Imò ea quo Republ. nihil aliud sunt, quam commercium dandi, & accipiendi beneficia, certumq. fit, vitam hominum mortem esse, vbi plures ingrati fuerint. Vitium itaque maximum esse constat, bene meritis negligere referre gratiam. *ff. de manumiss. in l. l. seruos, l. contutoris ad est. omni modo. C. de inoff. testam. Valer. Max. lib. 5. tit. de ingratis.*

Gratitudo est laudatissima virtutum omnium, res Deo, & hominibus grata, iucunda, gratique nominis. *M. Sabell. l. 7. c. 1.*

Gratiarum actio, est mente, & voce confiteri, quod non casu, nec causis secundis tantum bona externa, & interna nobis offeruntur: multo minus summum illud bonum, nempe Christus, Saluator noster: sed quod Deus Pater, per, & propter filium eius vnicum illum Iesum vere omnium bonorum, & beneficiorum, quæ percipimus author sit, & hac nostra confessione alios homines inuitare ad agnitionem, & Inuocationem veri Dei, vt ipsi quoque certo statuant, pios Deos curæ esse, & exaudiri, custodirique, vt in æternum seruentur, ac glorificentur: propterea verò corde se Deo subijciant, eumque celebrent.

SENTENTIÆ BIBLICÆ.

Semper gaudete, sine intermissione orate, in omnibus gratias agite. Hæc enim voluntas Dei in Christo Iesu in omnibus vobis. *Paul. 1. ad Thess. 5.*

Apostolus veram, & Deo gratissimam Christianarum gratiarum actionem præcipiens, iuxta Christi mandatum, de sacro cõuiuio verba faciens, *1. Corinth. 11. 16.* Ad mensam Domini digitum extẽdens, ait: Quotiescumque manducabitis panem hunc, & calicem hunc bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat.

SENTENTIAE PATRVM.

Ab ortu solis, vsque ad Occasum, nomen meum glorificatur inter gentes, & in omni loco incensum offertur nomini meo, & sacrificium purum: quoniam magnum est nomen meum in Gẽtibus, dicit Deus omnipotens: manifestissimè significans per hæc, quoniam prior quidem populus cessauit offerre Deo: omni autem loco sacrificium offertur Deo, & hoc purum: nomen autem eius glorificatur in gentibus. *Irenæus lib. 4. c. 32.*

In omni loco incensum offertur nomini meo, & sacrificium purum. Incensa autem Ioannes in Apocalypsi orationes esse ait sanctorum, *cap. 33.*

Igitur Ecclesiæ oblatio, quam Dominus docuit offerri in vniuerso mundo, purum sacrificium reputatum est apud Deum, & acceptum est ei, non quod indigeat a nobis sacrificium, sed quoniam is, qui offert glorificatur ipse in eo, quod offert, si acceptetur munus eius. *cap. 34.*

Oportet nos oblationem Deo facere, & in omnibus gratos inueniri fabricatori Deo, in sententia pura, & fide fine hypocrisi, in spe firma, in dilectione feruenti, primitias earum, quæ sunt eius creaturarum offerentes: & hanc oblationem Ecclesia sola puram offert fabricatori, offerens ei cum gratiarum actione ex creatura eius. *ibid.*

Certo constat, quod huius nominis sacrificia, quæ Iesus Christus tradidit, hoc est Eucharistiam panis, & poculi, vbicumque terrarum apud Christianos fiant, Deus accipiat, & sibi grata esse testetur. *Iu. im. Martyr in colloq. cum Tryphone.*

Equidem, & preces, & gratiarum actiones, si per homines dignos fiant, solas pro perfectis, & Deo gratis habeo. Hæc enim sola facera Christiani facienda acceperunt, vt alimento sicco, atque humido admonerentur eorum, quæ propter eos Deus Dei filius perpessus esse narratur. *ibid.*

A precibus finitis (nempe in cœtu sacro, & communi fidelium) mutuis nos inuicem osculis salutamus. Deinde ei, qui fratribus præest (προεστῶτι, i. Ecclesiæ pastori, qui omnium nomine toti actioni sacræ vacat, & alijs ordine præit) offertur panis, & poculum aquæ, & vini: quibus ille acceptis: laudem, & gloriam rerum vniuersarum Patri, per nomen Filij, & Spiritus sancti offert, & Eucharistiam, siue gratiarum actionem, pro eo, quod nos donis hisce suis dignatos sit prolixè exsequitur. Atque vbi ille preces, & gratiarum actionem, absoluit, populus, qui adest omnis fausta acclamat approbatione, dicens: Amen. Præsul verò, peracta gratiarum actione, quam populus voti eius apprecatione læta comprobauit, qui apud nos vocantur Diaconi, distribuunt vnicuique præsentium, vt participet eum in quo gratiæ factæ sunt, panem, vinum, & aquam, & ad absentes perferunt. Porro alimentum hoc apud nos appellatur Eucharistia: quod nulli alij participare licitum est, quam veram esse nostram doctrinam credenti, & lauacro in remissionem peccatorum, & regeneratione abluto, & ita, vt Christus tradidit viuenti. *Idem Apologia secunda pro Christianis.*

Panis Eucharistiæ illæ, bona gratia nuncupatus, argumento est nobis, quemadmodum gratias Deo agamus. *Origen. lib. 8. contra Celsum.*

Quod sacratius est laudis sacrificium, quàm in gratiarum actione? Et vnde maiores Deo agendæ sunt gratiæ, quam pro ipsius gratia per Dominum nostrum Iesum Christum? quod totum fideles in Ecclesiæ sacrificio sciunt, cuius vmbræ fuerunt omnia priorum genera sacrificiorum. *August. contra aduers. Legis, & Proph. lib. 1. cap. 18.*

Cur per Prophetas prædicat Spiritus futurum, vt in omni loco sacrificia Deo offerantur? Sic sacrificia spiritualia laudis designantur. *Tertull. contra Iud. c. 5.*

In omni loco sacrificium nomini meo offertur, & sacrificium mundum: gloriæ, scilicet relatio, & benedictio, & laus, & hymni. *Idē lib. 3. cont. Marcion. c. 22.*

In omni loco sacrificium nomini meo offertur, & sacrificium mundum, scilicet simplex oratio de conscientia pura. *Idem lib. 4. c. 1.*

Reuerenda, & salutaria illa mysteria, quæ in omni Ecclesiæ congregatione celebramus, Eucharistia, id est, gratiarum actio nuncupantur. Sunt enim beneficiorum recordatio plurimorum, caputque ipsum diuinæ erga nos charitatis ostendunt, nosque faciunt debitas Deo gratias semper exsoluere. *Chrysost. in Matth. cap. 8. homil. 16.*

Postquam Eucharistiam, seu gratiarum actionem in Ecclesia audiuisset, & ad illam vna cum alijs, Amen accinuisset, mensæ adstitisset, eamque manum ad sanctum cibum suscipiendum extendit. *Eusebi lib. 7. hist. Eccl. cap. 9.*

A Solis ortu vsque ad occasum, inquit, per Prophetam, nomē meū glorificatum est inter gentes, & in omni loco sacrificium offertur nomini meo, & hostia munda. Quare sacrificamus Deo sacrificium laudis, sacrificamus diuinam, venerandam, & sacrosanctam hostiam: sacrificamus nouo ritu, iuxta noui Testamenti institutum, victimam impollutam: ac sacrificium Deo acceptū spiritus contritus dicitur. Et post. Sacrificamus ergo, & adolemus, aliàs quidem memoriam magni illius Sacrificij in traditis ab ipso mysterijs celebrantes, & gratias Deo pro salute nostra per hymnos religiosos, & pias preces agentes: alias autem nos totos ipsi, & summo Sacerdoti consecrantes, & verbo eius corpore, & animo mancipantes. *Idem lib. 1. de demonstr. Euang. c. 10.*

Patrum Sententiæ.

Iugiter sibi subuenire facit, cui collatum beneficium ante oculos semper assistit. *Cass. in Psal.*

Præstita dona numerantur, vt ad beneficia consueta, animus boni iudicis inuitetur. *ibid.*

Meliora meretur suscipere, qui collata bona de corde non probatur amittere. *ibid.*

Si bene operantibus aliena gratia, non respondet, merces tamen sua, virtuti non deerit: quæ potius fructus lucra suos habet simpliciter apud se bona felici conscientiæ testimonio gloriari, neque enim subiecta est externæ dispositionis arbitrio, sed in sua propriæ puritatis maiestate consistens, ab indignioribus præmia non requirit. *in epi. 7.*

Qui, quanta sibi gratia collata sit, nescit, quantas largitori grates debeat, non intelligit: non enim potest quis plene intelligere, quod accepit, nisi meminerit. *ibid.*

Omnis profectus, ad diuinitatis est munera referendus: quia nihil constat fore bonum, nisi quod ab ipso cognoscitur esse collatum. *ibid.*

Inuitat ad magna, qui grataanter suscipit modica: & spem de futuris recipit, qui transacta beneficia recognoscit: nec desperatione frangitur, qui magnorum munerum consolatione roboratur. *ibid.*

Gratias agere Deo possumus, referre non possumus. *In Ps. 47.*

Danti, rependi quicquam gratius ab accipiente non potest, quam si gratum habuerit, quod gratis accepit: nam spiritui gratiæ contumeliam facit, qui beneficio oo dantis, grata mente non suscipit. *Bern. in epist.*

Quid est, tota die, id est, sine intermissione laudare, in prosperis, quia consolaris: in aduersis, quia corrigis, antequam essem, quia fecisti me: cum essem, quia salutem dedisti: cum peccassem, quia ignouisti: cum conuersus essem, quia adiuuisti: cum perseuerassem, quia coronasti. *Aug. sup. illud Psalm. Tota die repleatur os meum laude.*

Non est ista superbia elati, sed confessio non ingrati, & habere te cognosce, & nihil ex te habere, vt nec superbus sis, nec ingratus. Dic Deo tuo, quoniam sanctus sum, quia sanctificasti me: quia accepi, non quæ habui: quia tu dedisti, non, quæ ego merui. *Idem super illud Psal. Custodi animam meam, quia sanc.*

Quid melius, & animo geramus, & ore promamus, & calamo explicemus, quam Deo gratias? Hoc nihil dici breuius, nec audiri lætius, nec intelligi gratius, nec agi fructuosius potest. *Idem in epist. ad Marcellinum.*

Siue nos accusemus, siue Deum laudemus, semper illi gratias agere studeamus, à quo gratia gratis datur. *Idem lib. de verb. Domini, sermone 8.*

Nihil est, quod dignum referre possemus, pro suscepta carne in Maria. Quid pro verberibus? Quid pro cruce obita, & sepultura reddemus? Licet crucem pro cruce, funus pro funere. numquid reddimus, quod ex ipso, & per ipsum, & in ipso habeamus omnia? Reddamus igitur amorem pro debito, & charitatem pro munere, gratiam pro sanguine, pro precio pecuniam. *Ambr. super Luc. serm. 5.*

Optima beneficiorum custos est ipsa memoria: & beneficiorum, est perpetua confessio gratiarum. *Ioan. Chrys. sup. Mat. hom. 25.*

Admoneo vos, vt Dominum semper benedicatis. Si venerint, mala, benedicite, & dissoluentur mala. Si prospera venerint, benedicite, & perseuerabunt bona, & prospera. *Idem in tract. de symbolo.*

Disce in ferendo gratias, non esse tardus, non segnis, disce ad singula dona gratias agere. *Bern. super Cantica.*

Non omnis gratiarum actio accepta est Deo, nisi, quæ de cordis pudica, & vera simplicitate procedit. Pudicam sane dixero propter eos, qui de malis actibus suis gloriantur, Deo gratias dicere solent, quasi Deus noster ipsorum lætetur, quum malefecerint, & exultentin rebus pessimis. *Idem sup. Cant. serm. 13.*

Veram adiunxi propter hypocritas, qui Deum quidem de bonis suis verbotenus gloriantes, corde retinent, quod ore præbuerūt. Illi impiè mala sua Deo, isti Dei bona fraudulenter intorquent sibi. *Idem infra.*

De omni bono appetenti à nobis referantur Deo laudes, idque nō fictè, quemadmodum ab hypocritis, nec sola consuetudine sicuti a sæcularibus: sed, nec quadam necessitate, vt tumenta terendis oneribus applicantur: sed sicut decet sanctos, sinceritate fida, deuotione solicita, hilaritate grata, sed non dissoluta. *ibid.*

Quoties tentatio superatur, aut vitium subiugatur, aut imminens periculum declinatur, aut laqueus insidiantis deprehenditur, aut annosa, & inueterata quæcumque animæ passio semel perfecteque sanatur, aut multum diuque cupita, & sæpius petita virtus tandem aliquando Dei munere obtinetur: toties personare debet gratiarum actio, & vox laudis. Debet ad singula quæque beneficia benedici Deus in donis suis, alioquin ingratus reputabitur, cum discussio venerit, qui non potest dicere Deo. Cantabiles mihi erant iustificationes tuæ. *Idem super Cant. ser. 1.*

Poeticæ Sententiæ.

Ouid. in Ibin.

Huic igitur meritas grates, quascumque licebit,
Pro tam mansueto pectore semper agam.

Ibidem.

Immemor illorum vestri non unquam mer vnquam.

Qui

Qui mala sollicitè nostra leuatis ita
Semper inoblita repetam tua munera mente,
Et mea me tellus audiet esse tuum.

Ouid. 5. de Trist.

Hæc mihi semper erunt imis infixa medullis,
Perpetuusq; animæ debitor huius ero,
Spiritus hic vacuas prius extenuandus in auras
Ibit, & in tepido deseret ossa rogo.
Quam subeant animo meritorum obliuia nostro,
Et longa pietas excidat ista die.
Dij tibi sint faciles, & opis nullius egentem
Fortunam præstent dissimilemq; meæ.

Virg. 1. Aen.

Grates persoluere dignas,
Non opis est nostræ Dido.
Dij tibi, si qua pios respectant numina, si quid
Vsquam iustitia est, & mens sibi conscia recti,
Præmia digna ferant.

Soph. in Oedip.

Gratiam adfert gratia.
Beneficium semper beneficium parit.

Hesiodus.

Æquum, vt ametur amans, qui accedit, iungitor illi.
Da, tibi qui dederit: qui non dederit tibi, ne da.
Danti aliquis dedit, at non danti dedit vllus.

Eurip. in Hel.

Beneficium, beneficio respondeat.

Ter. in Eunuch.

Par pari referto.

Vrsinus Velius.

Capturos pisces hamata in littore seta,
Naufraga forte hominis calua prehensa fuit:
Qui caput auulsum membris miseratus inerme
Pro subigens fecit vilia busta manu,
Pondus, vbi infossi terra graue reperit auri,
Gratia sic iustis nulla benefque perit.

Andreas Alciatus.

Quum curuus piscator aquis educeret hamos,
Naufragij anfractum sustulit are caput.
Maxima mox hominis flens infortunia, partis,
Qua super inne fuerant, condidit ossa solo.
Pondera sed fodiens ingentia reperit auri.
Iusto homini numquam gratia facta perit.

Seneca.

Bis est gratum, quod opus si vltro offeras.

Item.

Beneficia dare, qui nescit, iniustè petit.

Item.

Beneficium accipere, libertatem vendere est.

Item.

Beneficia plus a recipit, qui scit reddere.

Item.

Beneficium sap dare, est docere reddere.

Ouid. 2. de Pont. ad Rufum, eleg. 11.

O referant grates! quoniam non possumus ipsi,
Dij tibi, qui referent, si pia facta vident.

Sententiæ Philosophicæ.

Etenim, iudices, quum omnibus virtutibus me affectum esse cupiam, tum nihil est, quod malim, quam me, & gratum esse, & videri. Hæc est vna virtus, non solum maxima, sed etiam mater virtutum omnium reliquarum. Quid est pietas, nisi voluntas grata in parentes? Qui sunt boni ciues, qui bello, qui domi, qui de patria bene merentes, nisi qui patriæ beneficia meminerint? Qui sancti, qui religionem colentes, nisi qui meritam Dijs immortalibus gratiam, iustis honoribus, memori mente persoluunt? Quæ potest esse iucunditas vitæ, sublatis amicitijs? Quæ porro amicitia esse potest inter ingratos? Quis est nostrum liberaliter educatus, cui non educatores, cui non magistri sui, atque Doctores, cui non locus ille mutus, vbi ipse alitus, atque doctus est cum grata recordatione in mente versetur? Cuius opes, aut tantæ esse possunt, aut vnquam fuerunt, quæ sine multorum amicorum officijs stare possunt. Equidem nil tam proprium hominis existimo, quam non modo beneficio, sed etiam beneuolentiæ significatione alligari. Nihil porro, tam inhumanum, tam immane, tam ferum, quam committere, vt beneficio non dicatur indignus, sed victus esse videatur. *Cicero in Orat. pro Cnæio Plancio.*

Duo sunt genera grati hominis: Dicitur gratus, qui aliquid pro eo, quod acceperat, reddit: hic fortasse ostentare se potest, habet, quod iactet, quod proferat. Dicitur gratus, qui bono animo accepit beneficium, bono dedit: hic intra conscientiam occlusus est: Quæ illi contingere potest vtilitas ex affectu latenti? Atque etiam hic si vltra facere nil potest, gratus est, amat, debet, referre gratiam cupit. Quicquid vltra desideras, non ipsi deest. Artifex est etiam, cui ad exercendam artem instrumenta non suppetunt. Nec minus canendi peritus, cuius vocem exaudiri fremitus obstrepentium non finit. Volo referre gratiam, post hoc aliquid superest, non, vt gratus, sed, vt solutus sim. Sæpè enim, & qui gratiam retulit, ingratus est, & qui non retulit, gratus. Nam, vt omnium aliarum virtutum, ita huius ad animum tota æstimatio redit. Hic si in officio est, quicquid defuit, fortuna peccat. Est aliquando gratus, etiam, qui ingratus videtur, quem mala interpres opinio in contrarium adducit. *Seneca de beneficijs lib. 4. cap. 2.* *Polyanthea Noua.*

In referenda gratia, si modo Hesiodo credimus, debemus imitari agros fertiles, qui plus multo adferunt, quam acceperunt. Etenim si in eos, quos speramus nobis profuturos, non dubitamus officia conferre, quales in eos esse debemus, qui iam profuerunt? 1. *Offic. Cic.*

Referre gratiam ad iustitiam pertinere videtur, quo nullum est magis, vt ait Cicero, necessarium. Sed, & nullum quoque difficilius esse comperimus, quia, quæ ex liberalitate sponte damus, libenter damus, quæ non sponte, non item. Quod eleganter Hesiodus his versibus expressit:

Ὃς μὲν γάρ κεν ἀνὴρ ἐθέλων ὅγε καὶ μέγα δώῃ,
Χαίρει τῷ δώρῳ καὶ τέρπεται ὃν κατὰ θυμόν.
Ὃς δέ κεν αὐτὸς ἕληται ἀναιδείηφι πιθήσας,
Καί τε σμικρὸν ἐὸν τό γ' ἐπάχνωσεν φίλον ἦτορ.
Quisquis spontè dabit, quamuis ingentia dona,
Gaudet, & hæc memori tacitus sub corde volutat.
Idem forte procax quisquam si postulat vltro,
Vel minimum, hærebit in virens, longèq; grauanter.

Volaterranus l. 29. Philologia capite de referenda gratia.

Sapiens omnia examinabit secum, quantum acceperit, à quo, quando, vbi, quemadmodum. Itaque negamus quemquam scire gratiam referre, nisi sapientem. Hoc certè, inquam, iustitiæ conuenit, suum cuique reddere, beneficio gratiam, iniuriæ talionem, aut certè malam gratiam. Non omnes grati sciunt debere beneficium. Potest enim, & imprudens, & rudis, & vnus de turba. Ignorat autem, quantum pro re debeat. Sapienti notum, quanti res quæque taxanda sit, nam stultus, etsi bonæ voluntatis est, aut minus, quam debeat, aut tempore, aut quo non debet loco, reddit id, quod referendum est, effundit, atque abijcit. Nemo etiam referre gratiam scit, nisi sapiens, stultus autem vtcumque scit, & quemadmodum potest, refert, scientia illi potius, quam voluntas deest, velle non discitur. Sapiens omnia inter se comparabit, maius enim, aut minus sit, quamuis idem sit, tempore, loco, & causa. Gratus sum, non, vt alius mihi libentius præstet, priori irritatus exemplo, sed, vt rem iucundissimam faciam. Credamus itaque, nihil esse grato animo honestius. Omnes hoc vrbes, omnes etiam ex barbaris regionibus gentes conclamabunt. In tanta iudiciorum diuersitate referendam bene merentibus gratiam, omnes vno ore affirmabunt: in hoc discors turba consentiens. *Seneca ad Lucilium Epistola 28.*

Beneficiorum memoria senescere non debet. *Idem libro de beneficijs.*

Acceptum beneficium æternæ memoriæ insigendum est. *Idem.*

Gratus etiam si à seruo suo beneficium accipit, existimat, non à quo, sed quid acceperit. *Idem.*

Laus, & gratiarum actio debetur danti, & non accipienti. *Aristot. lib. 4. Ethic.*

Oportet regratiari, vel famulari ei, qui gratiam facit. *Idem lib. 5. Ethic.*

Retributio possibilis esse debet, non condigna, vt pater de Deo, & parentibus, quibus non possumus æquale reddere. *Idem libro 8. Ethicor.*

Magistris, Dijs, & parentibus non potest reddi æquiualens. *Idem lib. 9. Ethic.*

Volo, & esse, & haberi gratus. *Cicer. lib. 2. de finibus bonorum, & malorum.*

Nam si his, qui imprudenter læserunt, ignosci conuenit, his qui necessario profuerunt, habere gratiam non oportet? *Idem Rhetor. veter. lib. 2.*

Impudens est, qui pro beneficio non gratiam, verum mercedem postulat. Contra autem de pecunia ratiocinari sordidum est, cum de gratia referenda deliberatur. *Idem lib. 2.*

Cum gratia tanta referri non potest, quanta debetur, habenda tamen tanta est, quam maximam animus capere possit. *Idem in Philippicis.*

Sæpè ex iniuria, gratia postmodum orta est. *Liu. Decad. 1. lib. 1.*

Tarda sunt, quæ in commune expostulantur: priuatam gratiam statim mereare, statim recipias. *Tacit. Annal. lib. 1.*

Qui gratis beneficium accepere, hi iucundè semper beneficio seruiunt: tum, quia beneficio sunt affecti, tum, quia prius crediti sunt digni esse, quia gratiarum depositum tuerentur. *Xenoph. orat. de Agesilao.*

Non cum ipsis corporibus hominum de nobis bene meritorum

ipsam beneficiorum acceptorum memoriam defodere decet. *Dionys. Halic. lib. 4.*

Aes alienum etiam hæredibus creditorum reddi potest: compensationes beneficiorum, nisi senserit benefactore suos bonis, tuitiq; sunt molestæ. *Plut. in Pyrrho.*

Nullum est, nec sincerius, nec acceptius genus gratiarum, quam quum illas acclamationes æmulamur, quæ fingendi non habent tempus. *Plin. in Panegyr.*

Apophthegmata.

Python Atheniensibus ob res felices gestas ipsum admirantibus, ac prædicantibus, quod Cotyn regem interemisset: Dijs, inquit, habenda est gratia, quibus authoribus hoc facinus præclarè gestum est, nam ipse nihil aliud, quam manum, & operam meam commodaui. Euentus rei in manu Dei est, & huic debetur gratia si quid feliciter cesserit. Sed interim vult nostram operam accedere. *P. M. l. 6. apoph. ex Plut.*

Placilla Theodosij Romanorum Imperatoris vxor, quum videret maritum à pietatis veræq; religionis studio alienum magis esse, quam Imperatorem deceret, subinde ad eum dixisse fertur: Considerare te oportet, suauissime coniunx, quis antea fueris, & in quem locum te euexerit vniuersitatis huius Deus. Si enim perpetuam eius rei obtinueris memoriam, non prorsus te, ob accepta beneficia, erga eum ingratum præstabis: sed ex præscripto legum Dei, quod ab eo accepisti, guberoabis imperium, & ita eum, qui tibi, vt fideli ministro, commisit, ritè coles. *Nicephor. Callist. lib. 12. c. 41.*

Chilon dicere solebat: Beneficij dati obliuisci decet, accepti meminisse: vulgus hominum contra facit. Si quid cui benefecerunt, sine fine prædicant, si neque modo exaggerant, si quid in ipsos collocatum fuerit officij, mox, aut obliuiscuntur, aut dissimulant, aut eleuant. *Laert. l. ... c. 4.*

Diogenes, acceptis paucis nummis à Diotimo Carystio homine sibi amicissimo, cum non haberet, vnde munus, tam amplum rependere posset, ad Diotimum dixisse fertur: Dij tibi largiantur tantum, quantum animo tuo cogitas, & cupis. *Ælian. libro 4. de var. histor.*

Democritus, dum quemdam ad gratificandum alijs studiosissimum, vilem nihilominus, vicissim videret com[m]entarionem accipere: Ohe! inquit, qui beneficia perdideris: num te non pudet, Gratias, quæstus gratia, prostituere, quæ virgines esse dicuntur. *Stob.*

Idem dicere solebat: Si facultas adest alijs gratificandi, ne differas: nosti enim, quàm mutabilis sit rerum omnium status. *ibid.*

Simonides, rogante quodam, vt sibi conscriberet encomium, & gratiam se relaturum, inquiente, argentum autem non dante: Duas respondit, arcas domi habeo, vnam gratiarum, alteram argenti, & cum necessitas exigit, gratiarum quidem arcam aperiens, inanem ipsam reperio, alteram verò solum mihi commodam. *Stob. ferm de iniustitia.*

Philippus. Hipparcho Euboico vita defuncto, Philippus præ se ferebat, quàm illius mortem acerbè ferret. Itaque cuidam volenti dolorem ipsius mitigare, dicentique. Attamen ille tempestiuè decessit, iam natu grandis: Sibi quidem ipsi, inquit, Philippus, tempestiue decessit: sed mihi præpropere. Mors enim illum anticipauit, priusquam à me beneficium acceperit, nostra dignum amicitia. Perquam rarum est, Principem sentire gratiarum affectus, sed amicis plerique non aliter, quam equis vtuntur. Dum vsui sunt, curant, inutiles factos abijciunt, eosque spoliant ettius, quâ beneficio iuuant. *Plut.*

Augustus Cæs. Veteranus quidam, cum vocatus in ius periclitaretur, adijt in publico Cæsarem Augustum, rogans, vt sibi vellet adesse: Cæsar è comitatu suo selectum illico dedit, eique litigatorem commendauit. Hic miles vociferans: At non ego, Cæsar, periclitante te Actiaco bello, vicarium quæsiui, sed pro te ipse pugnaui, simulque detexit cicatrices. Erubuit Cæsar, atque ipse descendit in aduocationem, veritus, ne non modo superbus, verum etiam ingratus videretur. *P. M. lib. 4. apoph. ex Suet.*

Similitudines.

Plutarchi. Sicut mensarij non grauatim reddunt deposita pignora, vt quæ in hoc ipsum acceperint, vt restituant: Sic nos, quod a Dijs accepimus *in Moral.*

Ciceronis. Vt ijs, qui imprudenter læserunt, ignosci conuenit: ita ijs, qui necessario profuerunt, haberi gratiam non oportet. *lib. 1. de Inuentione.*

Seneca. Creditori præter sortem extra ordinem numeramus, beneficiorum autem vsum esse gratuitum iudicamus: & illa crescunt mora, tantoq; plus soluendum est, quanto tardius. *Apud P. M.*

Vt aues, quæ laceratione corporum aluntur, lapsa morbo pecora, & casura è proximo speculantur: Ita hic imminet morti, & circa cadauera volat. Gratus animus ipsa virtute propositi sui capitur. *lib. 4. de benef.*

Quemadmodum disertus etiam, qui tacet, fortis etiam, qui compressis manibus, vel etiam alligatis, gubernator etiam, qui in sicco est, quia consummatæ scientiæ nihil deest, etiam si quid obstat quo minus se vtatur: Ita gratus est etiam, qui vult tantum, nec habet huius voluntatis suæ vllum alium, quam se testem. *De Bene. lib. 4. c. 21.*

Hac debemus virtutibus: vt non præsentes solum illas, sed etiam ablatas è conspectu colamus: Quomodo illæ id egerunt, vt non in vnam ætatem prodessent, sed beneficia sua etiam post ipsas relinquerent: Ita, & nos non vna ætate grati sumus. *lib. 4. de Benefic. c. 30.*

Vt gloria fugientes magis, ac magis sequitur: Ita fructus beneficiorum gratius respondet illis, per quos etiam esse ingratis licet. *lib. 5 de Benefic. c. 1.*

Quemadmodum illi seruauerunt bonorum ciuium officium, qui reddi sibi penates noluerunt clade communi, quia satius erat duos inique malo affici, quam omnes publico: Ita non seruat hominis grati affectum: qui bene de se merentem difficultatibus vult opprimi, quas ipse summoueat, qui etiam si bene cogitat, male precatur. *lib. 6. de Benefic. c. 37.*

Plinij. Vt faba, & lupinum non exhaurit, sed stercorat agrum, in quo alitur: Ita gratus meliorem reddit fortunam eius, a quo beneficio adiuuatur, & refert, quod accepit. *lib. 18. c. 14. & c. 12. eodem libro.*

Chrysostomi. Si, cum ex amico beneficium aliquod sumimus, siue cum verbum aliquod gratum placidumq; audimus, in amorem exardescimus: Quanto magis, cum videmus, quibus periculis implicitι sumus, ex quibus omnibus nos eripuit Dominus, promptiores ad obedientiam erimus. *Ad Titum hom. 1.*

Theophylacti. Imperator aliquis ignoti cuidam, & fortunæ sordidioris, prouinciam credidit procurandam: contulit quidem huic dignitatem, nihil tamen tanto magistratu dignum effecit, vt pro merito, & dignitate hanc gubernaret: quo fit, vt tantus illi delatus honos ridiculum sæpe præstiterit. Deus verò, & nos honore prouexit, eumdemque ad promerendum idoneos fecit: geminatur, itaque honor, cum ad munus accedat collata sufficientia. *In c. 2. ad Coloss.*

Adagia.

Qui egent lucerna, oleum infundunt.

In eos qui amicos, ex quibus vtilitatem capiebant ætate, aut morbo grauatos negligunt: ὦ Περίκλεις καὶ οἱ τῦ λύχνυ χρείαν ἔχοντες, ἔλαιον ἐπιχέουσι, *inquit Anaxagoras ad Periclem, exprobrans illi neglectum amici.*

Lingua seorsum inciditur.

Aristophanes in Pace: ἡ γλῶττα χωρὶς τέμνεται. *Interpres admonet allusum esse ad prouerbiale dictum,* ἡ γλῶττα τῷ κήρυκι *id est, Lingua præconi. Quo rectè videlimur vsuri, cum præmij nonnihil deberi significabimus equi in conficiendo negotio pro sua virili in partem adiumento fuit: aut* ἀγγέλλων *eandum læta nunciauit.*

Ἀντιπελαργεῖν.

Apud Græcos est mutuam officij vicem rependere, maximè nutricandi, fouendiq; eos, à quibus aliquando fueris enutritus, aut institutus.

Pro bonis glomi. ἀντ' ἀγαθῶν ἀγαθίδες.

Dici consueuit, vbi quis beneficium, quod in alium contulisset, cumulatè cum fœnore reciperet.

Sylosontis chlamys. ἡ Συλόσωντος χλαμύς.

Dici solitum in hos qui se cultu, vestituq; iactitant, ac venditant.

Exempla Biblica.

Gratitudinis exempla, in rege Sodomorum, *Genes.* 14. 21. 24. Labane 24. 29. 30. 31. & 29. v. 15. Pharaone, 41. 39. 40. Iethrone, *Exodi* 2. 20. Iosua, *Ios.* 6. 17. 24. Israelitis, *Iudic.* 8. 22. Noemi, *Ruth* 2. 20. Saule, 1. *Sam.* 15. *versic.* 6. Dauide, 22. 23. 2. *Sam.* 2. 4. 5. 6. & 9. 1. 2. & 10. 2. 1. *Reg.* 2. 7. Thou rege Ematheo, 2 *Samuel.* 8. 10. & 9. *versic.* 37. Salomone, 1. *Reg.* 2. 7. 26. & 10. 13. Elia, 1. *Reg.* 17. 10. 2. *Reg.* 2. 9. Elisæo, 4. 2. 13. 16. 36. Naamane Syro, 5. 15. 23. accusatoribus Iudæorum, 1. *Esdr.* 4. 14. 15. Assuero, *Esth.* 2. *vers.* 2. 3. & 6. *vers.* 3. 4. Esther, 7. *vers.* 2 Nabuchodonosore, *Dan.* 2. *vers.* 48. Baldasare, 5. v. 29. 31. duobus cæcis, *Matth.* 20. 24. a dæmonio liberato, *Marc.* 5. 20. Iudæis, *Luc.* 7. 4. 5. Paulo, *Act.* 27 34. 35. *Rom.* 16. 4. *Gal.* 4. 15. *Phil.* 4. 15. 18. 2. *Tim.* 1. 16.

Gratus animus erga Deum, & homines commendatur, *Gen.* 4. 3. & 8. 20. & 14. 20. & 21. 1. &c & 24. 48. & 26. 25. *Exodi* 15. 1. *Num.* 15. 17. & 31. 48. *Deut.* 4 9. & 65. *Iudic* 5. 1. 1. *Sam.* 2. v. 5. 14. 33. & 31. 11. 2. *Sam.* 10. 2. & 19. 33. 1. *Reg.* 2. 7. 1. *Paral.* 29. 10. 20. 2. *Paral.* 15. 31. & 20. 26. *Iob* 9 1 & 12. v. 1. 7. *Esth.* 6 v. 1. &c. *Eccles* 7. *ver.* 22. 28. 32. & 35. 13. *Matth.* 11. 25. *Marc.* 5. 19. *Luc.* 18 43. *Ioan.* 11. 41. *Act.* 4 *ver.* 21. 27. 35. *Rom.* 6. 17. 2. *Cor.* 6. 1. *Ephes* 5. 19. *Philip.* 4. 6. *Coloss* 2. 7. & 3. 15. 1. *Thessal.* 5. 18. 2 *Thess.* 5. 3. 1. *Tim* 4. 3.

Gratitudo commendatur, *Col* 3. 15.

Gratiæ per Christum agendæ, Exemplum: Paulus, *Rom.* 1. 8.

Gratiarum actio, tum pijs viris, tum Ecclesiæ toti in vniuersum

sum necessaria, *Exod.* 13.9. *Psal.* 50.19. & 105.v.47.48. *Esa.* 41.10. & 51.3. *Ose.* 14.3. *Rom.* 1.21. & 14.6. *Ephes.* 5.4. *Philip.* 4.6. *Col.* 1.12 & 2.7. & 3.17. & 4.2. 1. *Thess.* 3.9. & 5.18 2. *Thess.* 1.3. & 2.13. 1 *Timot.* 2.1. & 4.v.3.4. *Hebr.* 13.15.

Gratiarum actionis pro Dei beneficijs exempla: Melchisedech, *Genes.* 14.20. Seruus Abrahæ, 24.26.27. Iacob, 32.10. Hebræi. *Exod.* 4.31. Moses, & Hebræi, 14.1. &c. Maria, 20.21. Israelitæ, *Num.* 21.17.18. & 31.50. Iosuah. *Ios.* 8.30 Debora, & Barac, *Iudic.* 5.1.2. Gedeó, 7.15. Anna, 1. *Samuel.* 2.1. Dauid, 2. *Samuel.* 7.18. 1. *Paral.* 29.10.11. *Ps.* 7.18. & 51.17. & 103.1. & 104.1. Achimaas, 2. *Sam.* 18.28. Salomon, 3. *Reg.* 3.15. & 8.56. Hiram, 5.7. Iosaphat, 2 *Paralip.* 20.18. Esdras, 1. *Estr.* 7.26. Tobias, *Tob.* 2.14. Esaias, 25.1. Ezechias, 38.20. Daniel, *Dan.* 2.19.20. & 3.95. Nautæ, & comites Ionæ *Ion.* 1.16. Ionas, 2.10. Turbæ, *Mat* 9.8. Christus, 11.25. *Ioan.* 11.41. Maria, *Luc.* 1.46. Zacharias, 68. pastores, 2.20. Paralyticus, 5.25. Populus, 7.16. Mulier, 13.13. Leprosus Samaritanus, 17.15. Cæcus, & plebs, 18.43 Centurio, 23.47. Cæcus natus, *Ioan.* 9.38. Credentes, *Act.* 2.47. Claudus, 3.8. Christiani, 11.18. Paulus, *Rom* 1.8. & 6.17. & 7.25. & 16.25. *Act.* 28.20. 1 *Cor.* 1.4.14.18. & 15.57. 2 *Cor.* 1.3. & 2.14. & 8.16. & 9.15. *Galat.* 1.3. *Ephes.* 1.3.16. *Philip.* 1.3. *Col.* 1.3. 1. *Thess.* 1.2. & 2.13. 1. *Timoth.* 1.12. 2 *Timot.* 1.3. & 4.18. *Philem.* 4. *Hebr* 13.21. Petrus, 1. *Petr.* 5.11. quatuor animalia, & viginti quatuor Seniores, *Apoc* 4.8. Angeli, animalia, & Seniores, 5.9. Turba multa, 5.10.11. Viginti quatuor Seniores, 11.17. Sancti, 16. Omnis creatura, *Apoc.* 25.13.7. Gratiarum actionis in Bonorum amissione exemplum: Iob, *Iob* 1.21. Gratiarum actio pro beneficentia in pauperes, 2. *Corinth.* 9.v.15.12.1. Gratiarum actio ante cibum commendatur, 1. *Tim.* 4.4.5. *Exempla:* Christus, *Matth.* 14.19. & 15.36. *Marc* 6.41. & 8.6. *Luc.* 9.16. & 24.30. 1. *Corinth.* 11.24. *Ioan* 6.11.23. Turbæ, 33. Paulus, *Act.* 27 35. Gratiæ agendæ ante, & post cibum sumptum, *Deut.* 19.10. 1. *Sam.* 9.13. *Esa.* 62.9. *Matth* 14.19. & 15.36. & 26.25. *Marc.* 6.45. & 8.6. & 14.22. *Luc.* 9.16. *Ioan.* 6.11.23. *Act* 27.35. *Rom.* 14.6. 1. *Cor.* 10.30. 1 *Tim* 4.3. post cibum commendatur, *Deuter.* 8.10. *Esa.* 62.9. *Ier.* 2.26. pro regni Christi amplificatione, *Apoc.* 11.17. pro regenerationis dono, *Col.* 1.12. 1. *Pet.* 1.3. pro liberatione è periculis, *Psal.* 9.12.13. & 22.27 & 28.6. & 30.2. & 31.22. & 35.18.28. & 40.2.4. & 106.48. & 107.2.15.21.31. & 124.6. 144 1. *Ier.* 20.13. Gratiarum actionis pro liberatione à seruitute, *Exempla:* Moses, & populus, *Exod.* 15.1.3. Iethro, 18.10. Dauid, *Psal.* 136.1.2.3. pro Oratione exaudita, *Exempla:* Dauid, *Psalm* 6.9. & 20.6.7. & 66.20. & 118.21. Vxor Tobiæ, *Tob.* 11.v.18.19.20. Daniel, *Dan.* 2.v.20.21. Azarias, & socij eius, 3.49.50.51. Saracides, *Eccles.* 15.1.2.3. &c. pro bono Principe, *Exempla:* Hiram, 1. *Reg.* 5.7. Regina Saba, 10.9. pro prole suscepta, *Exempla:* Lea, *Genes.* 29.35. mulieres Bethlehemiticæ, *Ruth* 4.14. Anna 1. *Samuel* 2.1. Zacharias, *Luc* 1. *versic.* 68. pro promissione Dei præstita, *Exempla:* Salomon, 2 *Paralip.* 7. *versic.* 4.15. Zacharias, *Luc.* 1. *versic* 68 70. Maria virgo, 46. *versicul* 55. pro manifestato Saluatore, *Exempla:* Pastores, *Luc* 2. *versic* 20. Ecclesia, *Actorum* 21. *versicul.* 19.20. Paulus, 2. *Corinth.* 2.14. *Ephes.* 1.15.16. *Philip.* 1.3.5. *Coloss.* 1.3.4. 1. *Thessalon.* 1.2.3. & 2.13 & 3.9. 2. *Thessalon.* 1.3. & 2.13. pro templi ædificatione, *Exempla:* Salomon, 1. *Regum* 8.15 16 2. *Paralip.* 6. *versic.* 15. pro eiusdem instauratione, populus reductus à captiuitate, 1. *Esdras* 3. pro Victoria tam spirituali, quam corporali, *Exempla:* Principes exercitus, &c. *Numer.* 31.49. Iosua, *Ios.* 8.23.30. Debora, & Barac, *Iudic.* 5.1. Dauid, 2. *Samuel.* 22.1.2. *Psalm.* 18.50.51. & 144. Iosaphat, & populus, 2. *Paralip.* 20.27.28. Bethullam, *Iudith* 16 22. Iudas, & Israelitæ, 1. *Machab.* 4.36.37. Iudas Machabæus, 2. *Machab.* 5.10.11. &c. Populus Ierosolymitanus, 10.13.14.15. &c. Paulus, *Rom.* 7.25. 1. *Cor.* 15.57.

HISTORICA EXEMPLA.

Ægypti extra quam sit gentium aliarum captus, erga bene meritos præcipuè grati sunt: quod magnum vitæ subsidium opinentur gratæ retributionem. Itaque non Dijs tantum, non hominibus: sed brutis quoque animalibus gratitudinem pro beneficijs acceptis ostendere voluerunt. *Diodorus Siculus.*

Alexander Magnus prædicare solebat, à nemine se vmquam benignitate fuisse exuperatum. *Cælius libro 7. cap. 28. antiquarum lectionum.*

Pyrrhus rex Epirotarum ad familiares humanus, atque facilis: alacris, & promptus ad rependendam gratiam. *Plut. in Pyrrho.*

Alphonsus Arragonum, & Siciliæ rex, à nemine vmquam gratitudine, & officio se vinci passus est. *Panorm. lib 1. de dictis. & factis Alphonsi.*

Cyrus quamuis se Cambysis Persæ, & Mandanes filiæ Astyagis regis Medorum filium esse resciuisset, suam tamen altricem Spaco (Græci Cyno vocant: vnde fabulæ initium, quod à cane fuerit nutritus) Mithridatis regij bubulci vxorem in tanto honore semper habuit: vt semper in eius sermone esset Cyno. *Herod. lib* 1.

Romulus, & Remus, cum expositi ad Tiberim essent, & à lupa victum accepissent, eius beneficij memores Lupæ simulachrum Romæ posuerunt. *Plin. & Liuius.*

Henricus II. Imper. in literarum studio à teneris educatus in oppido Saxoniæ Hildeshem, episcoparum ibi instituit, conarijque, & censibus decorauit. *Cuspin.*

Scotorum pueri altores, atque nutrices, earumdemq; liberos, haud secus, ac parentes, germanosq; adamant. *Hect. Boet. lib. 1.*

Crœsus Lydorum rex, cum audiuisset legatos suos, quos Delphos miserat, comiter ab Alcmæone Atheniensi exceptos fuisse: hominem accersiuit: & vbi aduenit, tanto eum donauit auro, quanto semel corpore suo ferre posset. *Herod. lib. 6.*

Alexander Magnus captis Thebis, hospites patris sui Philippi (apud eos enim obses adhuc puer egerat) eorumque cognatos incolumes seruauit, reliquis captis, aut trucidatis. *Ælianus lib. 13. Var. histor.*

Laudatissima virtutum omnium Gratitudo, res cœlo, & hominibus grata, gratique nominis, in quo genere, vt vetustissimum, ita maximè pium Israelitæ exemplum edidere: qui excusso seruitutis iugo, perque medios pelagi fluctus in pacatam terram egressi, confestim Deo seruatori hymnum cecinere, quem Moyses itineris author est pie meditatus. *Sabellicus lib. 7. cap. 1. exemplorum.*

Fuit, & in Rahabam Hierichuntiam eadem gens non ingrata, quam in Hierichuntis excidio solam eum domo præstitit incolumen: quod suos hæc exploratores in vrbe deprehensos, per diem texisset, cum ad supplicium quærerentur, noctuque tutos in castra demisisse. *Idem.*

Gratus, & Dauid rex Ionathæ opera sæpius seruatus (erat Ionathas filius Sauli regis, quo nullus vmquam hominum fuit Dauid infestior) postquam regno Dauid potitus est, Ionathæ eius filium complexus, cum omnem alioqui progeniem Sauli hostiliter insectaretur, vnum ob patris memoriam clementer fouit, regioque conuiuio adscripsit. *Idem.*

Cyrus maior, quod in Esaiæ libro ducentis ante, & amplius annis editis, nomen suum disertè positum inuenit. Prophetæ carmen, hoc habuit: Volo Cyrum quem multarum, & magnarum gentium regem constitui, populum meum ad propria remittere, ibique mihi templum iterum suscitari. ipse inquam Cyrus prophetica prædictione lætatus, edicto testatus est, se Iudæos in patriam remittere, vt Deo templum restituerent, cuius prouidentia, multo prius quàm nasceretur, fuisset rex constitutus. *Idem.*

Pari gratitudine Alexander Macedo, cum Hierosolymis esset Danielis Prophetæ oraculo instructus, fore, vt rex Græciæ, Persarum olim opes euerteret, certa spe victoriæ ex eare percepta, Iaddum, & cæteros sacerdotes, per quos fatidicum carmen cognouit, amplissimis donauit muneribus: ipsi ciuitati permisit, vt suis vteretur legibus, tributaque in septem annos remisit. *Idem.*

Proximus est publicæ gratitudini vetus ille Romanorum mulierum luctus, quæ Iunium Brutum ob læsam Lucretiæ pudicitiam Tarquiniorum insectatione insigniter vindicatam, annum integrum luxere. *Idem.*

Pulchrum facinus, & in primis memorabile, quod in ea vrbe, quæ futura erat caput, & arx omnium gentium, virilis gratitudo cum muliebri toties certarit. Enimuero matronæ rursus ob insignem pietatem à Mario Coriolano matri exhibitam, cum extinctum menses decem luxere. *Idem, copiosius Valer. lib. 2. c. 2.*

Statuit populus Romanus Antonio Musæ Medico signum Aesculapio proximum, ob Augustum periculoso morbo seruatum, monumentum publicæ gratitudinis haud vulgare, præcipuumq; artis decus, quod potentissimi populi omniumque gentium victoris iudicio vnus aliquis hominum medicinæ Deo æquari debuerit, quod caput vnum esset ciuitati gratissimum maiore felicitate, quam artis peritia seruasset.

Thalis, nec minor honos, minorve gratitudinis fonte egressus. Hippocrati Medico contigit in Græcia. Nam cum pestis ex Illyrico appropinquare diceretur, ex discipulis quosdam in diuersas Græciæ ciuitates dimisit, qui illis laborare incipientibus opitularentur. Quapropter eosdem, quos, & Herculi, Græcia honores illi decreuit.

Magna Syracusanorum erga Thimoleontem Corinthium gratitudo fuit, cuius opera Dionysij secundi tyrannide liberati fuerunt. Nam cum postea Syracusis, quod supererat ætatis peregisset (etenim vsque ad vltimam decrepitam viuere ei contigit) nihil, quod publicam rem attingeret, per id tempus Syracusani decreuerunt: nisi prius in consilium perlato Thimoleonte, eius sententiam perquisiuissent, à qua discedere nefas erat. Quum autem Thimoleon decessit, candidatus populus Syracusanus coronatusq; eum extulit, laudes eius magna lachrimarum vi decantans: publico edicto declarata funeris impensa, vt quanti ea constitisset, omnes intelligerēt, in medio fori sepultus est, sepulchri area magna porticu circumsepta, quæ à Thimoleontis nomine vocata est, in quo loco quotannis ludi in Thimoleontis memoriam edebantur. *Baptist. Fulgos.*

Atheniensium ciuitas erga Aristidis liberos grate se admodum egit

Eorum enim memor, quæ Aristides pro Atheniensium salute à Persarum bello egerat, honestè dotatas è publico Aristidis filias, ex publico palatio ad maritorum ædes deduxit, Lysimachoque filio centum argenti minas, & totidem agri iugera, quadragintaq; drachmas in singulos dies, vt de viueret, contulit. *Idem.*

Artaxerxes Persarum Rex, cum per regnum obequitaret, è more munera populi offerebant. Rusticus autem quodam transeunte eo rege, habere se nihil, quod daret, veritus: statim ad proximum amnem se contulit, vnde impletis aqua manibus ambabus, alios, qui cum muneribus antecesserant, currendo consecutus, regi aquam obtulit. Eo argumento amoris motus rex, mille Daricos, & cum eis cantharum aureum rustico, quia gratitudine vinci se nolebat, dono dedit. Eadem etiam gratitudine vsus est, cum inopem militem ditauit, quod ei ea aquæ vere potum præbuerat: quo die aduersus Cyrum fratrem suum decertauit, & prælio defessus, magno animi corporisq; æstu torquebatur. *Idem.*

Agrippa cum Romæ in priuata fortuna esset, atque cum propter falsas suspiciones Tiberius catenis ante eius palatium ad arborem vinciri iussisset, vt inde in carcerem duceretur. Eo in loco propter solis ardorem, animiq; molestiam, magna siti torquebatur. Et cũ prætereuntem Taumastem vidisset Caij seruum aquæ plenam hydriam vas ferentem, orauit, vt bibere se sineret. Quod ille cum amanter fecisset, dixit Agrippa, se pro ipsa re gratiam aliquando ei relaturum: Haud multo post igitur, Tiberio, Caius in principatu successit, à quo Agrippa, qui in eius contemptum captus fuerat, liberatus, atque in Iudæa rex constitutus fuit: qui tunc à Caio impetrauit, vt eius precibus Taumastes liberaretur. Itaque postea suorum numero acceptum, regni procuratorem fecit: moriensq; testamento cauit, vt vxor, atque liberi eodem apud se loco Taumastem retinerent. Quæ res exemplo esse potest, omnibus inseruiendum, quantum fieri potest. *Idem.*

HIEROGLYPHICA.

Non ignoro esse aliquos, qui huiusmodi hieroglyphicum, quo scilicet *Canis,* vel simulachrum aliquod, vel conditum cadauer inueeretur, hominem beneficij accepti memorem significare contendant. Canis porro illos, qui de se bene meriti fuerint, numquam obliuioni tradit. *Pier. Valer. l. 5.*

Per Cucupham autem Aegyptij animum gratum hieroglyphicè significabant: propterea, quod vnum hoc animal (*ita enim scribit Philippus cui Horapollinem nomen faciunt*) ante alia omnia genitoribus senio confectis, eodem modo gratiam rependit, quo ales ipsa fuerit educata. In eodem enim loco vbi fuerit à parentibus enutrita, eis nidum parat, pennas vellicat inutiles, eoque cibum importat, idque quoad resumptis pennis sibi sufficere queant. *Pier. Valer. lib. 17.*

EMBLEMA.

Gratiam referendam.

Emblema 121.

Aerio insignis pietate Ciconia nido,
Implumes pullos pignora grata fouet.
Talia que expectat sibi munera mutua reddi,
Auxilio hoc quoties mater egebit anus.
Nec pia spem soboles fallit, sed fessa parentum
Corpora fert humeris, præstat, & ore cibos.

FABVLA.

Formica, & Columba.

Formica sitiens in fonticulum se demiserat, sed vndis ablata veniebat iam in periculum ne suffocaretur, cum non esset vbi consisteret. Hoc columba cernens, de arbore, iuxta fontem enata, defractum ramum in aquas abiecit, cui adhærescens formica mortem euasit, paulo post affuit auceps, & arundinibus dispositis visæ columbæ insidiari cœpit. Cui metuens formica, ad aucupem inter opus arrepsit, & ita vehementer illum pupugit, vt arundines præ dolore abijceret, atque harum strepitu territa columba auolauit, ac periculum vitauit.

Docet fabula, erga bene meritos esse nos gratos debere.

GRAVITAS.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

GRauitas, Græcè *βάρος, εος, τὸ* & *βαρύς, εῖα, ύ,* grauis dicitur. Est autem graue, quod est natum ferri ad medium, *secund. Arist. lib. 1. de Cœlo & Mundo.*

Grauissimum est, quod substat omnibus deorsum latis, *secund. Arist. ibid.* Et est graue per abusionem, quod nos grauat, & molestia afficit, hinc senectus grauis, morbus grauis, dolor grauis: quoniã qui talia ferunt, vellent tamquam onus graue deponere: Ita, & constantem, ac prudentia præditum, grauem dicimus, quod, nec precibus, nec minis, nec alia passione moueatur à recto. Oppositum faciunt, qui leues sunt. Vnde Ouidius:

Tu leuior foliis, tunc cum sine pondere suci.

Hinc grauitas, quæ est firmitas, ac constantia animi, & in vultu, moribus, verbis, rebus agendis quædam seueritas.

Grauitas est, per quam loco, ac tempori, item, & personæ animum consentaneus talem etiam corporis, & sermonis habitum gerit, cum dignitate: Cuius extrema, morositas, & abiectio, & vt Apuleius fingit placentia. Partes ipsius tristitia, & seueritas.

Vel est firmitas, & constantia animi, in moribus, vultu, verbis, rebus agendis quædam seueritas. Græcis *σεμνότης, ητος, ἡ,* dicta, Hebr. *iakkar.* Carus, preciosus, inclitus, à verbo *iakar,* preciosus fuit, carus est habitus: vt sunt viri graues. *Ierem. 31. 20.*

Grauitas est virtus, quæ necessaria vocationis officia constanter, hoc est eodem modo facit, & omnes actiones, & gestus regit, vt congruant cum ordine naturæ, personarum, locorum, & temporum.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

De grauitate corporis. DIAL. XCIX.

Francisci Petrarchæ.

DOL.

Grauis sum corpore. R. Queri posses, si vt volucris ad volatum, non vt vir ad virtutem natus esses. D. Graue corpus, & inhabile est. R. Hanc querelam Roscio dimitte, atque Aesopo. Tu si, vel per actum circulum flecti, vel per funem aereum labi nequis, quid ad rem? Ito cum viris bonis gressu sobrio. Gestus, ac saltus histrionum sunt. Sapientem, vt in actibus, vtque in verbis, sic in incessu grauitas decet, æque modestia. D. Graui corpore sum. R. Hæc grauedo vna comitum senectutis esse solet, ne qui illã amiserit, hanc excludat, quamuis interdum non ætatis, sed naturæ comes inueniatur. Vnde fit, vt, & iuuenes graues, & senieulos agiles videamus. Cæterum, & si graui sub corpore, sæpè animus leuis, & sublem grauis habitet: corporis tamen, atque animi proportio quædam, paritasq; si obuenerit, haud spernenda est. D. Moles corporis ingens est. R. Non mirum quamuis inuisibilis animi moles, & constantia, hanc illi obijce, nihil graue erit. D. Mole corporea demergor. R. Agilitate mentis emerge: & illam extenuare, ac discutere laborando stude, circumeundo res multas, & difficilea agendo, exercitio mentis, & corporis exilio voluptatũ, pelle ocia, accesse negocia, sperne libidines, odi inertiam, curas, ama, molliciem abijce, sectare duritiem, asperis delectare, cibo, potu, accubitu, sessione, intentione perpetua, somno breui, ac solicito. D. Mole corporea laboro. R. Alius contrario, alius alio laborat. Nullius sine labore vita agitur, sed quisquis suum nouit, alienum, vel despicit, vel ignorat. D. Multum corporeæ molis excreuit. R. Si hominis nomen, quod mortale est animal, ab humo dicitur, sic maximè homo erit, multa humo obsitus, non potest tamen sic cœlestem naturam terrestris obruere, quin assurgat, nisi se surdam vertuti, & male suadenti credulam præbeat voluptati. D. Graue corpus animam premit. R. Ipsum collige animum, & enormem sarcinam magno nitu perfer, ac cogita sæpè cœlestia ingenia ex hoc fasce corporeæ molis erumpere, & miram ad altitudinem peruenire. D. Corporis onere prægrauor. R. Etsi vinci nequeat natura, omni tamen studio enitere, vt indies, & viribus tuis accedat aliquid, & sarcinæ detrabatur.

Grauitate, ac mansuetudine ad virtutem ciuilem maximè opus est. *Plut. in Coriolano.*

Admodum est efficax animi sermonisq; abscissa grauitas. *Val. Max. lib. 6. c. 4.*

APOPHTHEGMATA GRAVITER
prolata.

Alcamenes Teleeri filius cuidam percunctanti, quo pacto quis optime regnum seruare posset: Si lucrum, inquit, non magni fecerit. Longe lateq; dissentiens à vulgo principum, qui non alia magis ratione principatum constabilire student, quam attenuandis ciuium, suis augendis opibus; cum iustitia, & æquitas maxime reddant diuturnum imperium. *P. M. lib. 1. apoph.*

Grauissimum fuit responsum Syagri, cum vna cum Atheniensibus, quo tempore Xerxes expectabatur, ad Gelonem tyrannum Syracusanum missus fuit, vt in eo bello opem ab eo peteret. Nam cum Gelo offerret ducentas triremes, duo equitum, & octo peditum millia, ac præterea grandem pecuniam, ac vim magnam frumenti, si Græci in eo bello eum ducem creare vellent: Syagrus respondit, non accipere se conditionem, quia ad quærẽdos militea, & non ad sumendum ducem missus erat. Pluris enim patriæ dignitatem, quam eam necessitatem, in qua eos fortuna deprehenderat, facere voluit.

Quum in Spartanorum consilio quidam vitæ parum probatæ, lingua promptus, sententiam suam apprime prudenter dixisset: quoniam maiorem senatus partem magno opere mouerat, & propterea dictum erat, vt in eius verba decretum conscriberetur:

Senex

Senex quidam inter alios vehementer senatũ reprehendit, quod ab illaudatæ vitæ homine, aliquo modo consilium cepisse videri vellet. Ostendens eiusmodi rem vehementer grauitati Lacedæmoniorum aduersari. Sed cum omnes illius tamen sententiam laudarent, persuasit, vt eandem ipsam rem, quam eloquens, cæterum bonus parum dixerat, ab alio quamquam non æquè diserto, bono tamen viro, dici iuberent, & sub eius nomine Senatusconsultum conficerent. Quamobrem ne (vt monebantur) grauitatis immemores fuisse viderentur, bono, consilio vsi, authoris nomen præterierunt.

Ingenti grauitate Romanus Senatus vsus est, quum vrbe à Coriolano, atque Volscis obsessa: quamquam Senatusconsultum de pace conscripsisset, aperiri tamen numquam voluit: nisi prius Romano agro Volsci cum exercitu excessissent, ne aliquando diceretur, Timore coactos Romanos pacem cum Volscis fecisse. Alia de eodem alijsq; viris, populis, item exempla, grauiter dicta, & facta *videto apud Fulgosum, atque Valer. Maxim. lib. 5. c. 4.*

Themistocles cum ad mare descendisset, vt occisorum Persarum stragem inspiceret, cum passim humi mortuorum corporibus militum sparsos torques, & armillas aureas videret, ad amicum conuersus dixit: Tu, qui Themistocles non es, ista collige. Grauissimo verbo ostendens, conditiones quibus hominum gradus discriminantur eas esse, quæ faciant, vt aliquid agere, aut deceat, aut non deceat.

Quum Simonides Poeta, prætoris Themistoclis operam pro amico in re iniqua peteret, respondit Themistocles. Nec Simonidem fore bonum Poetam, nisi mensuram modumq; in canendis carminibus, quæ scribebat, curaret: neque se bonum prætorem habitũ iri, si legibus, ac iustitiæ alicuius gratiam præposuisset.

Grauiter Lacedæmonij quoque Macedonum Philippo regi responderunt, cum rem iniquam ab eis petijsset. Hoc enim responso vsi sunt: Lacedæmonij Philippo regi, de eo, quod ad nos scripsisti, non vlla alia, vel excusatione, vel verbo addito.

GREX.

Loci Biblici.

GRegem pascens, de lacte gregis manducat, 1. *Cor.* 9. 7. Greges ouium multiplicantur seruantibus Dei præcepta, *Deut.* 28. 4. & contra, *v.* 16. 18. *Vide Gen* 30. 19 *Iud* 6. 4.

Grex, turba, vel numerus hominum, populus, exercitus, 1. *Chron.* 21. 17. *Ezech.* 36. 38. *Ierem.* 6. 3. Grex Dei Ecclesia, *Cant.* 1. 7. 8. *Esa.* 40. 11. *Ierem.* 13. 17. & 23. 1. & 50. 6. &c. *Mich.* 7. 14. *Matth.* 26. 32. *Act.* 20. 28. 1 *Pet.* 5. 2. 3.

Philosophicæ Sententiæ.

De gregibus, & armentis. DIAL. XIX.

Francisci Petrarchæ.

GAV.

Gaudeo gregibus, & armentis. R. Brutinum gaudium. G. Armentis, ac gregibus abundo. R. Belluina prosperitas, quam beluæ peperere. G. Amo greges, & armenta. R. In omni amore amantis, & amati similitudo suspecta est. G. Armenta gregesq; amo. R. Amatis omnia nisi vos inuicem, ac virtutem, quæ in primis erant amãda negligitis, & quæ negligenda diligitis. G. Amo armenta gregesq. R. O miseri rerum vilium amatores osoresq. nobilium: amatis, quæ sic, nec amari sentiunt, nec amantibus vicem reddunt. Cum interea, nec vos vicem reddatis amantibus, totumque hoc malum facit auaritia, vt non modo seruum ingenuo, sed pecua homini præferendum existimetis. G. Armentorum gregumque ingens copia est. R. Si per teipsum illos pascis, quid nisi occupatissimus pastor es? Officium vile laudatum licet à multis, ante alios à Catullo Veronensi, sin per alios, non tu pastor, sed pastorum seruus, pastorumq; dolis expositus. Nunc vicinus obstrepit, nunc præcipitium, nunc morbus, nunc abactor, cotidie demũ aliquid fingendum, vnde damnum tibi, dolorque, & illusio. Magna vero ô pars mali fuerit illi ser uus. G. Armentis, ac gregibus diues sum. R. Laudatæ diuitiæ, sed incertæ, & casibus multis obnoxiæ, fraudibus, rapinis, pestibus, quæ, tam crebræ, tamque validæ sunt, vt sæpè totos greges, totaque lacerent armenta. Nota pestis, quam Lucretius, quamque illum sequens Maro descripsit. Et quam multas putas famosas minus scriptorum penuria, sed damnosas æque. GAV. Diues sum gregibus, & armentis. RAT. Vagæ, patentesque diuitiæ, quæ (non dicam) arcula, vt gemmæ, sed ne domo (licet amplissima) claudi possint, tam, nec à seruis, nec à furibus, nec à feris atrocioribus tutus est, omnibus in tuas diuitias datum ius. G Gregibus, & armentis gaudeo. R. Gaudes semel doliturus millies, nullus dies sine rumoribus mœstus erit. Nunc irruerint Sabæi, tulerintque omnia, nec non pueros gladio percusserint, vt pecuoso illi quondam nunciatum fuit, nunc bos cornu fregerit, nunc crus equus, nunc vagantem lepus agnum, nunc infectum gregem mors inuaserit. Non sat miseri vestris malis, & mortalitate propria, visi estis, nisi mortes, quoque brutorum animalium lugeretis?

GVBERNATIO.

Definitio et Etymolog.

GVbernare est rem ad debitum finem conuenienter perducere, *secundum B. Thom.* 2. 2. *q.* 102. *art.* 2.

Gubernatio est executio prudentiæ. *secundum B. Thom.* 1. 2 *q* 21. *art.* 1. *κυβερνᾶν* Græce, guberno Latine dicitur.

Guberno, proprie significat nauim rego. In nauigatione infinita insunt pericula, & nauis magistrum, peritissimum esse oportet. In mari etenim, vt, & in bello, bis peccare non licet. Metaphoricè guberno idem est, ac moderor, administro, procuro.

Gubernator, rector nauis, claui moderator, *κυβερνήτης* Heb. *Rab hachobel*, magister funis: Synecdochicè, pro eo, qui nauim ducit, ad puppim sedet, clauum tenet, & alijs dat mandata necessaria. Gal. *Qui tient en main les cordages.* Nominatur etiam *Menaheh*, ductor, à verbo *Naghah*, duxit, quod cognationem habet cum *, haghah,* mouit, ductio enim fit cum motu. Et *Rohheh*, pastor. Gubernatores enim, & reges sunt, aut esse debent, pastores populorum. Deus sæpissime pastor Israelis, idest, Ecclesiæ, nominatur. Gubernatio, *κυβέρνησις, διοίκησις.* Heb. *tachbuloth*. gubernatio prudens, industria, consilium. *Prou.* 1. 5. & 11. 20. 18. & 24. 6. *Iob* 37. 12. *Chebel (chable)* funis à verbo *Chabal* ubi structus est alicui gubernatio prudens funibus, & vinculis legum homines, quantumuis feroces in officio continet.

Poeticæ Sententiæ.

Cum lapides viui pacis compage ligantur,
Inq; pares numeros conueniunt vna domus,
Clares opus Domini qui totam construit aulam,
Effectumq; suis dat studijs hominum.
Quorum perpetui decoris structura manebit,
Si perfecta auctor protegat atque regat.

Philosophica Placita.

Gubernatoria est ars gerens magistratum in eos, qui nauigatione participant. *Plat. in Alcib.* 1.

Res fouet tranquilla moderatio imperij, eoque nutriendo perducit, vt bonam frugem libertatis maturis iam frugibus ferre possint. *Liuius, Decad.* 1. *l.* 2.

Plerumque rudiores homines melius regunt suas respublicas, quam astuti: Si enim volunt videri sapientiores legibus, & vincere ea, quæ ab alijs dicuntur, quia ingenium maiori re ostentare non possunt: ideo in multis negotijs ciuitates euertunt. Rudiores vero diffidentes ingenijs, nolunt esse callidiores legibus, nec certare dicendo cum alijs, conscij sibi suæ infirmitatis: ideo sæpius prosunt ciuitatibus. *Thucyd. lib.* 3.

Gubernant omnia humana, Deus fortuna, & ars. *Fic. in Plat.*

Gubernatio recta est, cum fit gratia gubernanti, non gubernatori. *Idem in Plat de Regno.*

Gubernatori casus iniustus accidere solet, quia vel non omnia conspicit, vel non omnibus dominatur, soletq; casus ab externis incidere. Vt vniuersum sub vnius diuinæ mẽtis Imperio conspectuq; comprehenditur, vt nihil subterfugere præuaricariq; possit, præsertim, quia est, vt vita mundi in qualibet parte tota, sic & intelligentia in hoc viuente corpore tota simul vbiq;, nec tractat extrinsecus materias alienas, nec in plura distrahitur, sed suam agitat intus, & ex vno ordine totam, totamq; facile regit intelligẽdo, quam viua, viuendo viuificat, quam corpus agit essendo. *Fic. in Plat.* 3. *lib.* 3. *c.* 2.

Gubernare seipsum feliciter difficillimum est: ac ciuitatem impossibile est ex tam multis, ac diuersis compositam, cui quotidie innumerabiles incertique imminent casus, beate vnquam absque Deo beatitudinis auctore componere. Hinc ciuitas vnaquæque numen patronum habet. *Fic. de Repub, Plat. dialog.* 7.

Apophthegmata.

Socrates dicebat vehementer absurdum esse, cum artes sedentarias nemo profiteatur absque dedecore, qui eas non didicerit: neque quisquam scrinium faciendũ locet ei, qui rudis sit eius opificij: & ad publicos magistratus admitti, qui nunquam dederunt operam disciplinis: sine quibus nemo potest rectè magistratum gerere. Cumque nemo non detestaturus sit eum, qui clauo assideret, ignarus artis nauticæ: multo magis detestandos, qui Rempub. capessrent ignari politicæ philosophiæ. Neque eum putabat appellandum impostorem, qui à quopiam pecuniam, aut vasculum acciperet, quod non posset reddere, sed illos magis impostores habendos

bendos dicebat, qui dolo persuaderent se idoneos gubernandæ Reipublicæ, cum sint homines nihili. Hoc dictum multo magis ad principes, magistratus, & episcopos Christianos pertinet, quã ad Ethnicos. *P. M. lib. 3. apoph.*

Idem illum impudenter facere dicebat, qui cum boues efficeret pauciores, postularet tamen haberi bonus bubulcus: sed multo absurdius esse, si quis haberi velit bonus Reipub. gubernator, qui ciuium numerũ imminuat. Hoc dictum torsit in Critiam, & Chariclem, qui multos ciuium trucidarant. Nec illos id latuit: Critias enim illi minatus est, nisi sileret, fore, vt ipse quoque faceret boues pauciores: &, quod minatus est verbo, re præstitit, nam huius opera Socrates periit. *Laertius in vita Socratis.*

G V L A.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Gvla, Græce *λαιμαργία*, *ας*, *ἡ*, & *λαίμαργος*, *ὁ*, gulosus, & heluo, & *λαιμός*, *ὁ*, guttur dicitur. Hebr. *Lohah*. Prouer. 23. 2. a verbo *Louah*, abliguriuit, deglutiuit.

Et est gula immoderata cibi auiditas, vel inordinatus appetitus cibi, & potus, *secundum B. Thom. 2. 2. q. 148. art. 1. & Albertus Magnus in Compendio suo lib. 3. c. 20.*

Hinc degulo verbum, hoc est, gulæ trado. *Plautus Postquam degulato patrimonio pauper est factus.* Hinc gulose, id est, auide. Hinc etiam ingluuies, id est, ventris rapacitas.

DIVISIO.

GVLA *est inordinatus appetitus delectabilium secundum gustum, & est peccatum.* *Ex B. Thom. secunda Secundæ, quæstio. 148.*

- *Mortale, cum quis delectationi ciborum, & potus inhæret, paratus, scilicet, contra præcepta Dei agere, vt delectationes huiusmodi consequatur.*
- *Veniale, cum est immoderata concupiscentia delectabilium gustus, ita tamen, quod propter hoc nihil ageret præter legem Dei.*
- *Generale, habens species quinque in hoc versu subscripto contentas, Nam art. 4.*
  - *Quantum ad comestibile triplex contingit inordinatio.*
    - *Prima, quantum ad substantiam, cum cibaria nimis preciosa quæruntur dicitur, Laute.*
    - *Secunda, quantum ad qualitatem, cum nimis accurata cibaria, quæruntur. Studiose.*
    - *Tertia quantum ad quantitatem, cum maior debito, quantitas sumitur, dicitur, Nimis.*
  - *Quantum ad modum comestionis, & contingit inordinatio duplex scil.*
    - *Prima cum nimium præuenitur cibi tempus, & dicitur, Prapropere.*
    - *Secunda, cum non seruatur debitus modus, & dicitur, Ardenter.*
  - *Versus: Prapropere, Laute, Nimis, Ardenter, Studiose.*
- *Capitale, quia ex inordinato appetitu delectabilium gustus, deordinatur homo, art. 5. & 6.*
  - *Ex parte animæ quatuor.*
    - *Primo, acies mentis, vel rationis per fumositatem ciborum, & dicitur. Hebetudo sensus.*
    - *Secundo, affectus qui deordinatur cũ sc inenter per defectum rationis & dicitur, Inepta lætitia.*
    - *Tertio, locutio, quæ deordinatur superfluis, & inhonestis, & dicitur, Multiloquium & Turpiloquium.*
    - *Quarto, actus, qui deordinatur per defectum rationis, cuius erat exteriora componere, & dicitur, Iocularitas vel Scurrolitas.*
    - *De his, vide, quid dicat Gregor. in primo Moralium, de Gula.*
  - *Ex parte corporis.*
    - *Consequitur emissio, quarumdam superfluitatum, & dicitur, Immunditia.*

LOCI BIBLICI.

Gula opus tenebrarum. *Rom. 13. 13.*

SENTENTIÆ BIBLICÆ.

Cum comederis, & saturatus fueris, caue diligenter, ne obliuiscaris Domini Dei tui, qui eduxit te de terra Aegypti, & de domo seruitutis. *Deut. 6.*

Filius vester si comessationibus vacat, & luxuriæ, atque conuiuiis: lapidibus obruet eum populus. 21.

Anima saturata calcabit fauum (spiritualium) & anima esuriens pro dulci amarum sumet. *Prou. 27.*

Omnis labor hominis in ore eius, sed anima eius non adimplebitur bonis. *Eccl. 6.*

Somno salubri fruuntur viscera temperantis: mane surgit idem, & compos est, animi, labor autem vigil, & cholera, torsionesq; efficent hominem insatiabilem. *Eccl. 31.*

Ab ea, quæ dormit in sinu tuo (concupiscentia) custodi claustra oris tui. *Mich. 7.*

Ne solicitũ sitis animæ vestræ, quid manducetis, neque corpori vestro, quid induamini. *Matth. 6.*

Qui voluerit animam suam (animalitatem) saluam facere, perdet eam: qui autem perdiderit propter me, inueniet eam. 18.

Væ vobis, qui saturati estis, quia esurietis. *Luc. 6.*

Attendite vobis, ne forte grauentur corda vestra crapula, & ebrietate, & curis huius vitæ. 21.

Qui secundum carnem sunt, quæ carnis sunt, sapiunt. *Rom. 8.*

Sicut in die honeste ambulemus: non in comessationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitiis, non in contentionibus, & æmulatione: sed induimini Dominum Iesum Christum, & carnis curam ne feceritis in desideriis. *Rom 13.*

Si mortui estis cum Christo ab elementis huius mundi, quid adhuc tanquam viuentes in mundo decernitis? (quid sapidum, vel insipidum.) *Coloss 2.*

Optimum est gratia stabilire cor, non escis, quæ non profuerũt ambulantibus in eis. *Hebr. 13.*

Gula delectationem, non necessitatem quærit.

Sic primi parẽtes. Vidit igitur mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuq; delectabile, & tulit de fructu eius, & comedit, deditq; viro suo. *Genes. 3.*

Sic filii Israel fastidientes manna, carnes concupierunt. *Num. 11.*

Deum offendit.

Vnde primi parentes grauiter sunt puniti. *Genes. 3.*

Mulieri quoque dixit: Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos: in dolore paries filios tuos, & sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui: Adæ verò dixit: Quia audisti vocem vxoris tuæ, & comedisti ex ligno, de quo præceperam tibi, ne comederes, maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ: Spinas, & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas terræ. *ibid.*

In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec reuertaris in terrã, de qua sumptus es, quia puluis es, & in puluerem reuerteris. *ibid.*

Adhuc carnes erant in dentibus eorum, nec defecerat huiuscemodi cibus, & ecce furor Domini concitatus in populũ percussit eum plaga magna nimis. *Num. 11.*

Panis eius in vtero illius vertetur in fel aspidum intrinsecus. *Iob. 20.*

Intellectum deprimit.

Accepto pane, & lentis edulio, comedit, & bibit, & abiit paruipendens, quod primogenita vendidisset. *Genes. 23.*

Introducã enim eum in terram, pro qua iuraui patribus eius, lacte, & melle manantem. *Deut. 31*

Cumq; comederint & saturati, crassiq; fuerint, auertentur ad Deos alienos, & seruient eis, detrahentq; mihi, & irritum facient pactum meum: *Deut. 31.*

Ne quis fornicator, aut profanus, vt Esau, qui propter vnam escam vendidit primitiua sua. *Hebr. 12.*

Affectum inficit.

Huiuscemodi enim Christo Domino nostro non seruiunt, sed suo ventri. *Rom. 16.*

Quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt. *Philip. 3.*

Corpus interficit.

Propter crapulam multi obierunt, qui autem abstinens est, adiiciet vitam. *Eccl. 37.*

Substantiam perdit.

Sic Esau pro lenticulæ edulio primogenituram vendidit. *Gen. 25.*

Qui diligit epulas, in egestate erit: Qui amat vinum, & pinguia non ditabitur. *Prou. 21.*

In diebus Noe edebant, & bibebant, vxores ducebant, & da-

banto

bebatur ad nuptias vsque in diem, qua intrauit Noe in arcam, & venit diluuium, & perdidit omnes. *Luc. 17.*

PATRVM SENTENTIÆ.

Ventris ingluuies dicit ad eum: Dominus omnia munda creauit, & qui saturari cibo respuit, quid aliud, quam diuinæ ordinationi contradicit? *Aug. lib. de conflict. vitior.*

Non propter porcum, sed propter pomum, mortem primus homo inuenit, & Esau primatum suum non propter gallinam, sed propter lenticulam perdidit. Scio enim Noe omne genus carnis, quod cibo esset vsui, manducare concessum, Eliam cibo carnis refectum, Ioannem mirabili abstinentia præditum, animalibus, id est locustis, in escam cedentibus non fuisse pollutum. Et scio Esau lenticulæ concupiscentia deceptum. Et Dauid propter aquæ desiderium à seipso reprehensum, & regem nostrum non de carne, sed de pane tentatum. *In gl. sup. Rom. 14.*

Malæ dominæ seruitur gulæ, quæ semper expetit, numquam expletur. Quid enim insatiabilius ventre? hodie suscipit, cras exigit, quum impletus fuerit, disputat de continentia, quum digesserit, vale virtutibus dicitur. *Amb. in ser. de ieiun.*

Fames amica virginitati est, inimica lasciuiæ. Saturitas verò castitatem prodigit, nutrit illecebram. *serm. 40.*

Sit vilis, & vespertinus cibus, olera, & legumina, interdumq; pisciculos pro summis ducas delicijs. Qui Christum desiderat, & illo pane vescitur, non quærit magnoperè, quam de preciosis cibis stercus conficiat. *Hier. in epist. ad Paulin.*

Hippocrates in Aphorismis docet, crassa, & obesa corpora, quæ crescendi mensuram impleuerunt, nisi cito ablatione sanguinis minuantur, in paralysin, & pessima morborum genera erumpere: & idcirco necessariam esse demptionem: vt rursum habeant, in quæ possint crescere. Non enim manere in vno statu naturam corporum, sed, aut crescere semper, aut decrescere: non posse viuere alias, nisi crescendi capax sit. Vnde, & Galenus, vel Doctissimus Galeni interpres Adeps, quorum vita, & ars sagina est (dicit in exhortatione medicinæ) nec viuere posse diu; nec sanos esse, animasque ita nimio sanguine, & adipibus quasi luto inuolutas, nihil tenue, nil cæleste, sed semper de carnalibus eructare, & ventris ingluuiem cogitare. *Hier. in epist.*

Legimus, quosdam morbo articulari, & podagræ humoribus laborantes, proscriptione bonorum, ad simplicem mensam, & pauperes cibos redactos conualuisse. Caruerunt enim solicitudine dispensandæ domus, & epularum largitate: quæ, & corpus frangunt, & animam. *In epist. ad Iouin.*

Semper saturitati iuncta est lasciuia. Vicina igitur sunt venter, & genitalia: pro membrorum ordine, ordo vitiorum. *In quodam sermon.*

Cor habet in ventre gulosus, lasciuus in libidine, cupidus in lucro. *In Matth.*

Non cibus, sed appetitus in vitio est, vnde, & lautiores cibos plerumque sine culpa sumimus, & abiectiores non sine reatu conscientiæ degustamus. *Greg. lib. 3. Moral.*

Dominante gulæ vitio, omne, quod homines fortiter egerunt, perdunt, & dum venter non restringitur, simul omnes virtutes obruuntur. *ibid.*

Coquorum princeps muros Ierusalem deiecit; quia dum venter ingluuie tenditur, virtutes animæ luxuria destruuntur. *In past.*

Gulæ vitio rescisso multa simul vitia subiugantur. *In Reg.*

Gula innumera vitiorum agmina ad animæ conflictum producit. *Ibid.*

Pene semper epulas comitatur voluptas. Nam dum corpus in refectionis delectatione resoluitur, cor ad inane gaudium relaxatur. *lib. 1. Moral.*

Non ad conflictum spiritualis agonis assurgitur, si non prius intra nosmetipsos hostis positus, gulæ videlicet appetitus euomatur, quia si non ea, quæ nobis sunt viciniora, prosternimus: inaniter ad ea, quæ longius sunt, impugnanda transimus. Incassum, namq; contra exteriores inimicos in campo bellum geritur, si intra vrbia mœnia ciuis insidians habetur. *lib. 30. Moral.*

Sæpe edendi ratio seruit gulæ, & seruire se simulat indigentiæ naturæ, quumque venter ingluuie se extendit, membra in luxuriã erigit. *lib. 7. Moral.*

Sic voluptas plerumque sub necessitate se palliat, vt vix eam perfectus quisque discernat: nam dum solui debitum necessitas petit, voluptas expellere desiderium suppetit, & tanto gula securius in præceps ruit, quanto sub honesto nomine necessitatis explendæ se contegit. *Greg. lib. 30. Moral.*

Melius est exiguo sanguine ad vsum vesci, quam ventoso legumine vsque ad ructum exsaturari, præcipuè cum, & Esau nõ de carne, sed de lente sit reprehensus, & de ligno Adam, non de carne damnatus, & Ionathas de gustu mellis, non carnis, morti adiudicatus. E contra verò Elias innox è carnem comedit, Abraham Angelos gratissime carnibus pauit, & de ipsis sua fieri sacrificia, Deus præcepit. *Bern. in apologia.*

Paulus Timotheo modicè vino vtendum consuluit: & Dominus ipse bibit, ita, vt vini potator appellatus sit, Apostolis quoque bibendum dedit, insuper ex eo Sacramentum sui sanguinis edidit. *Ibid.*

Ipsa deinde, qualitas rerum talis deforis apparere curatur, vt non minus aspectus, quam gustus delectetur, quum iam stomachus crebris ructibus repletum se iudicet, necdum tamen curiositas satiatur, sed dum oculi coloribus, palatum saporibus illiciuntur, infelix stomachus, cui nec colores lucent, nec sapores demulcent, dum omnia suscipere cogitur, oppressus magis obruitur, quam reficitur. *Ibid.*

Inter prandendum, quantum fauces dapibus, tantum aures pascantur rumoribus, quibus totus intentus, modum nescias in edendo. interim autem fercula fercul is apponuntur, & pro sola carnibus, quibus abstinetur, grandia piscium corpora duplicantur. *super Cant.*

Gulæ saturitas nimia aciem mentis obtundit, ingeniumque euertere facit. *Isid. lib. 2. de summo bono.*

Quibuslibet escis refectus venter seminaria luxuriæ parit, nec præualet mens discretionum gubernacula moderari ciborum pondere prouocata, Non enim sola crapula vini mentem inebriare consueuit: verum etiam cunctarum escarum omnis ferta vacillantem eam, ac nutabundam reddit, omniq; integritatis, ac puritatis contemplatione despoliat. *De instit. Monach.*

Gula paradisum clausit: primogenituram vendidit: suspendit pistorem: decollauit Baptistam. Nabuzardam princeps coquorum templum incendit, & Ierusalem totam euertit. Baltasar manum cõtra se scribentem aspexit in conuiuio, & eadẽ nocte interfectus est à Chaldæis. *Innoc. de vilit. cond. human.*

Nunquam poterit ardentes concupiscentiæ stimulos inhibere, quisquis desideria gulæ refrænare nequiuerit. Interioris hominis castitas virtutis huius consummatione discernitur: nunquam enim robustioribus æmulis colluctari posse confidas eum, quem in leuiori conflictu conspexeris ab inferioribus paruisque superari. *Ibid.*

Impossibile est saturum ventrem pugnas interioris hominis experiri, nec bellis robustioribus attentari dignum esse eum, qui potest deijci leuiori conflictu. *Ibid.*

Quidam, quum ad edendum assederint, inquieta, quadam agitatione membrorum intemperantiam animi sui designant, caput excutiunt, brachia exuunt, manus in altum expandunt, & non sine magna turpitudine, quasi totum epulum simul sint absorpturi. Ingentes quosdam conatus, & gestus satis indecoros ostendunt, in vno loco sedentes, oculis, & manibus, quæ prope, & longè sunt, omnia circumcurrunt, simulque panes comminuunt, vina in calices infundunt, discos in gyrum circumducunt, anhelant, & suspirant præangustia, ita vt existimes eos, aliuum rugienti ventri, potentiorem aditum quærere, quasi angustijs faucium non possint esurienti stomacho satis sufficienti abundantia ministrare, & velut super obsessam ciuitatem assultum, facturus, dubitans, vbi primum expugnationem aggrediatur, dum simul in omni parte irruptionem facere concupiscit. *Hugo in suo claustr.*

Superstitiosum, quidem nimia in suis præparandis cibis adhibent studium, infinita decoctionum, frixurarum, & condimentorum genera excogitantes, modo mollia, modo dura, modo frigida, modo calida, modo cocta, modo assa, modo pipere, modo allio, modo cymino, modo sale condita, secundum consuetudinem prægnantium mulierum desiderantes, ita, quod sibi desudant coquorum artes. & fiunt variæ quæstiones vtrum fieri debeant assata, vel frixa, vel elixa, & tanta solicitudine præparantur, vt deinceps tis, quatuor, vel quinque ferculis, prima non impediant nouissima, & cum iam stomachus crebris eructibus repletum se indicat, nondum tamen curiositas satiatur. Isti videntur colere ventrem, tanquam Deum. *Ibid.*

Solent Dijs templa construi, altaria erigi, ministri adseruiendum ordinari: immolari pecudes, thura concremari: Deo siquidem Ventri templum est coquina, altare mensa, ministri coqui, immolatæ pecudes, coctæ carnes, fumus incensorum, ordo saporum. *Ibid.*

Gula, est solius corporis causa, illecebrosus, & auidus ciborũ appetitus. *Ibid.*

Gula, vel Gastrimargia est vorax edacitas nauseanti stomacho applaudens, naturalibus finibus non contenta. *Ibid.*

Hæc pestilentia non vulgari humilitate contenta, profundius se porrigit in prælatos, qui salmones, lucios, cæterosque pisces æquipollenti generositate præsignes, varijs decoctionum cruciatos martyrijs, baptizari adulterantes officium sacri piperis fonte baptizant, vt ex tali baptismate baptizari multiformem saporis gratiã consequantur. In eadem mensa terrestre animal piperis inundatione submergitur, piscis natat in pipere, auis eiusdem viscositate ligatur, dumque tot animalium genera, vno ventris ergastulãtur in carcere, aquatile animal secum, pedestre aereumque genus in eodem sepulchro intumulari mirantur, quibus si detur licentia exeundi, egressus vix portæ sufficit amplitudo. *Alanus de complanctu naturæ.*

Pon-

POETICAE SENTENTIAE.

Lucan. 4.

O prodiga rerum.
Luxuries nunquam paruo contenta paratu.
Et quaesitorum terra, pelagoq; ciborum
Ambitiosa fames, & lautae gloria mensae.

Sat 4

Ah miseri, quos nosse iuuat, quid Phasidis ales
Distet ab hyberna Rhodopes grue: quis magis anser
Exta ferat, cur Tuscus aper generosior Vmbro?
Lubrica, qua recubent conchylia mollius alga.

Petronius.

Ingeniosa gula est. Sicula Scarus aequore mersus
Ad mensam viuus perducitur, atque Lucrinis
Eruta litoribus vendunt conchylia cenas,
Vt renouent per damna famem, iam Phasidis vnda
Orbata est auibus mutoq; in litore tantum
Sola desertis adspirant frondibus aurae.

Horat. 2. Serm. 2.

Quae virtus, & quanta boni sit viuere paruo, &c.
Discite non inter lances mensasq; nitentes.
Cum stupet insanis acies fulgoribus, & cum
Acclinis falsis animus, meliora recusat.
Verum hic impransi mecum disquirite. cur hoc?
Dicam, si potero, male verum examinat omnis
Corruptus iudex.

Faustus.

Sint ignota licet magni patrimonia Croesi,
Immensa absumunt alta barathra gulae.

Plaut. in Mostell.

Aedes plenas esse conuiuarum, & mulierum miserum est opus.

Iuuenal. Satyr. 1.

Sed, quis fert istas
Luxuriae sordes? quanta est gula, quae sibi totos
Ponit apros, animal propter conuiuia natum?
Poena tamen praesens, cum tu deponis amictus
Turgidus, & crudum pauonem in balnea portas.
Hinc subitae mortes, atque intestata senectus.
It noua, nec tristis per cunctas fabula coenas.
Ducitur iratis plaudendum funus amicis.

Idem Satyr. 1.

Multos porro vides, quos saepe elusus ad ipsum
Creditor introitum solet expectare macelli.
Et quibus in solo viuendi causa palato est.

Ibidem.

Interea gustus elementa per omnia quaerunt.
Nunquam animo pretijs obstantibus, interius si
Attendas, magis illa iuuant, quae pluris emuntur.

Ibidem.

Bucca.

Noscenda est mensura sua.

Ibidem.

Nec multum cupias, cum sit tibi gobio tantum
In loculis: Quis enim te, deficiente crumena,
Et crescente gula, manet exitus?

Ibidem.

Non praematuri cineres, non funus acerbum
Luxuriae sed morte magis metuenda senectus.

Martial. lib. 5. ad Charopinum.

Improbius nihil est hac, Charopine, gula.

Idem lib. 9. in amicos fictos.

Hunc quem coena tibi, quem mensa parauit amicum,
Esse putas fidae pectus amicitiae?
Aprum amat, & mullos, & sumen, & ostrea, non te.
Tam bene si coenem noster amicus erit.

Idem lib. 12.

Non Albana mihi sit comessatio tanti,
Nec Capitolinae pontificumq; dapes.
Imputet ipse Deus, nectar mihi fiet acetum.
Et Vaticani perfida vappa cadi.
Conuiuas alios coenarum quaere magister,
Quos capiant mensae regna superba suae.

Horat. sermon. lib. 2. satyr. 2.

Ieiunus raro stomachus vulgaria temnit.

Idem satyr. 7.

Nempe inamarescunt epulae sine fine petitae
Illusiq; pedes vitiosum ferre recusant
Corpus.

PHILOSOPHORVM SENTENTIAE.

Quicquid auium volitat, quicquid piscium natat, quicquid ferarum discurrit, nostris sepelitur ventribus, quaere nunc, cur subito moriamur? quia mortibus viuimus. *Senec. 10. Rhetor.*

Ventri obedientes animalium numero computantur, non hominum, *c. 61.*

Multos morbos fercula multa ferunt, innumerabilesque morbi innumerabiles coquos innumerant. *cap. 7.*

Vna sylua pluribus elephantibus sufficit, homo verò pascitur & ex terra, & mari. *ibid.*

Venter praecepta non audit: poscit, & appellat: non est tamen molestus creditor: paruo contentus est, si das illi, quod debes, nō, quod potes. *epist. 1.*

Vitium ventris, & gutturis non solum minuit aetatem hominibus, sed etiam aufert. *Cic. pro M. Cael.*

Gula plures occidit, quam gladius, estque fomes omnium malorū. *Franc. Petrar. de Republ. l. 5. c. 8.*

De Gula. DIAL. CVIII.

Francisc. Petrarch.

DOL.

Gula vellicor. R. Dixi iam, his medemur, quae inuitis accidunt. Nam, quis sponte aegrotantibus medeatur? D. Gula sollicitor. R. Proprie id quidem. Nulla res tam vilis tam sollicitos vos habet. Stupor, & pudor est cogitare, quo se humanū inclinat ingenium ad maiora creatum, nisi respuere terrarum tractus, coelique, & maris abdita penetrant. Meditati esu arena, & hamos, & viscum, & laqueos, & rapaces volucres imperio parere, & praedari vobis docuistis ad nil aliud, nisi vt gulae satisfiat, quam non modo caplendo, sed onerando fatigatis, & angustum ventrem varia arte laxatis, ac premitis obsequendo, cui aliquanto vtilior fames esset, vtilissima verò sobrietas, & foedo illi, ac misero saeculo, simul & syluis, & nubibus, & fluctibus pacē loquent. Ita tamen eunt res. Hic est mos nobilium ante alios, hae sunt artes, quae liberales fuerant, mechanicę euasere, ipsiq; qui bellorum duces, ac philosophi, ac rectores vrbium, ac patres patriae esse solent, venatores, atque aucupes facti sunt, vtq; intelligas nullam esset reliquā spem salutis: Nobilitati tribuitur, quod est gulae, aut procul dubio vanitatis. Hoc malum nullo melius modo, quam generosa, quadam indignatione, & rei ipsius existimatione contunditur, vel sensim, vt Ciceroni placuit, vel repente, vt Aristoteli visum est. Multum confert cogitatio exitus, quod cum omnibus vitijs sit commune, tamen huic proprium, atque luxuriae.

APOPHTHEGMATA.

Anonymus. Sybarites, quidam, quum Spartae in Phiditijs conuiuaretur: Meritò vitae contemptores esse dixit Spartanos: quisquis insanae sit mentis, decies millies mori prius eligeret, quam huius parcitatis esse particeps. *Athen. lib. 4.*

Galienus Caes. quum ei relatum esset, populum Rom. indignè ferre, quod Valerianus pater eius apud Parthos seruiret, conuersus ad adstantes: Ecquidnam habemus, inquit, quod prandeamus. *Treb. Pollio.*

Augustus Caesar quum audisset, Erotem Aegypti procuratorē emisse coturnicem, in pugna superantem omnes, ac prorsus inuictam, eamque assam deuorasse: iussit accersiri hominem, & discussa causa, confessum, malo nauis affigi iussit: vita iudicans indignum, qui ob tantillam gulae voluptatem non pepercisset aui quae pugnando diu multisque potuisset esse voluptati: praeterea, quae fato, quodam omine Caesari perpetuam in bellis prosperitatem portendere. *Plut. in Rom. apoph.*

HISTORICA EXEMPLA.

Sauromatae triduo ad satuitatem se ingurgitant, & vxoribus ceu dominis per omnia parent. *Stob. sermo. 42. ex Nic. de Moribus gentium histor.*

Arras singulis diebus fiunt ebrij, conuentusque faciunt inter per anterque se habent ad cibum, & potum. *Alex. lib. 10. c. 14.*

Lityersas Midae filius nothus Celaenorumque eorum, qui Phrygiam incolebant, rex vir aspectu agrestis, & insuauis, erat valde vorax. *Sosithens Tragicus.*

Amaranthus Alexandrinus. Herodotum scribit tubicinem Megarensem magnitudinis fuisse trium vlnarum cum dimidio, lateraq; fortia habuisse, ac sex panis semodios edisse, carnium libras viginti binos vini congios vini bibisse. *Athenaeus lib. 10. c. 1.*

Fuit Heraclides pugil infiniti prope cibi potusque capax: non reperiebatur illi compar in potando. *Plut. lib. 1. conquaest. 6.*

Ethnicorum Pontificum Romanor. luxuriosam coenam pete ex *Macrob. lib. 3. c. 13.*

Claudius Caesar conuiuijs plus nimio deditus, vini cibique appetentissimus, vsque adeo, vt saepe stomachum vomitu cogeretur exonerare. *Suetonius.*

Flauius Vopiscus indicat, Aureliano in delicijs fuisse Phagonem quendam, qui vno die ad mensam Imperatoris ederit aprum integrū, centum panes, veruecem, & procellum: biberit autem infundibulo ori apposito plus orca.

EMBLEMA.

Captiuus ob gulam.

Andr. Alciati Emblema XCIV.

Regnatorq; penus, mensaq; arrosor herilis.

O, Itea

Ostrea mus summis vidit hiulca labris.
Qu is tenetam apponens barbam falsa ossa momordit:
Ast ea clauserunt tacta repente domum.
Deprensum, & tetro tenuerunt carcere furem.

Gula.

Emblema XC.

Curculione gruis tumida vir pingitur aluo,
Qui Laron aut manibus gestat Onocrotalum.
Talis forma fuit Dionysi, & tales Apici,
Et gula quos celebres deliciosa facit.

Paruam culinam duobus ganeonibus non sufficere.

Emblema XCIII.

In modicis nihil est, quod quis lucretur: & vnum
Arbustum geminos non alit erithacos.

Aliud.

In tenui spes nulla lucri est: vnoque residunt
Arbusto gemini non bene ficeduale.

In garrulum, & gulosum.

Emblema XCV.

Voce boat torua, praelarga est guttare, rostrum
Instar habet nasi multiforisque tubae.
Desuemem rabulam, addictum veneriq; gulaeque
Signabis, velucer cum Truo pictus erit.

F A B V L A.

Ligutitor.

Ligoritori cuidam, & gulae dedito, inque primis cupido boni vini, quique per iocum parasitico more soleret gustare, quicquid forte appositum vini esset, & optimum, iterum, atque iterum posce re, quod bona, secundum vetus verbum, repetenda saepius dicerer: huic igitur quidam diues, apud quem crebro coenitaret, curauit argenteo poculo vrinam hominis propinari, at ille deceptus, & argenteo colore auidè primum haurire, sed mox offensus tetrimo sapore, suspicatus id, quod res erat, se lotium bibisse, vt certius etiam experiretur, admouere nares poculo, & re comperta nauseare, atque corrugare nasum. Tum is, qui illum inuitauerat: Numquid vinum hoc placet, inquit? Non admodum, inquit ille: Certè, inquit hic, bonum fuisse scio. Credo, inquit ille, sed in dolio corruptum esse apparet.

Fabula duo subijcit, & gulae deditos omnibus fere in odio, & dissimulare iram in offensis optimum esse.

GVSTVS, SEV GVSTATVS.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Gvstatus in nobis acrior est, propterea, quod ipse est tactus quidam, qui fit in homine acerrimus. *l. 2. de Anim. c. 9. T. 94. Arist.*

Gustus, & in eo, quod gustatur, cernitur, & in eo, quod non gustatur: quale est id, quod vel parum, vel malum saporem habet, vel gustum labefactat. *lib. 2. de anim. c. 10. Tex. 103.*

Gustus sensus est, quo res, quae sub tactum cadunt, & quae alant, internoscuntur *lib. 3. de anim. c. 12. T. 64.*

Gustatum animalibus natura tribuit, vt voluptatem, & dolorem in cibo sentiant, expetant, atque ad eum veniant. *lib. 3. de Anim. c. 13. T. 68.*

Gustatus salutarem cibum à pestifero ita secernit, vt insuaue, & ingratum fugiat: salutarem gratumq; appetat. *lib. de Sens. c. 1.*

Gustus sensus similis est tactui coagmentatione, & discretione, itemque ad meatus progressione, & figuris. Aut acerba sunt, aut leuia ea, quae ad gustum pertinent: aliquando enim, & extergentia linguam acerba apparent, moderata extersione praedita salsa: incidentia verò, & diffundentia carnem acida, at contraria lenia quae, & dulcia in succū obliquescunt. *Tim. Locrus de anima mundi, & natura.*

Gustus est iudex variorum succorum, à quo porrexerunt Dij venas ad cordis sedem, quibus diuersi liquores examinarentur. Haec dum dilatantur varie, & contrahuntur, secundum succorum incidentias eorum varietatem discernunt. *Alcm. c. 19.*

Gustus instrumentum existimat Aristoteles, nec humidum esse debere, nec tale, vt humescere nequeat, quippe cum humidum sit futurum, quod est gustandum. Respondit forsan aliquis, hoc ipsum, quod est gustabile, non esse simpliciter humorem, sed humorem sapidum: oportuit igitur instrumentum gustus humorem se dumtaxat sapidum non habere, vel potius, quoniam gustus sensibile proprium, quodam tactu, gustatū necesse est ipsum pati, vel a quodam non gustabili solum, sed tangibili: quapropter, & velut ab humido: quamobrem oportet instrumentum eius propria humiditate prius non esse humectatum. *Priscian. in Theophr. c. 39.*

Gustus verum instrumentum linguam non esse, nec carnem tactus existimant Aristoteles, & Theophrastus, sed proportionem habere ad medium: sed instrumentum est spiritus. *Prisc. in Theophr. cap. 40.*

Gustus sani indicium nullum certius apud medicos est, quam si illa, quae salubria sunt, eadem, & suauia videantur, & contra, quae laedunt plurimum, eadem, & offendant. *Fic. epist. lib. 4.*

Gustus aquae liquoribus comparatur & potu, & humidis saporibus vehementissime delectatur. *Marc. Fic. in Plat. conuiui. 5. cap. 2.*

Gustus instrumentum non oportuit esse aridum, & humectationi prorsus ineptum, cum alimentum aridum in ore liquefieri oportet, ne offendat, & facilius illabatur: ideo oportuit facillime, & instrumentum humectari, & linguam habere spongiosam, quae stomachi pulmonem, cerebri illiciaria irrigetur, & alimentorum combibat liquores, nec tamen oportuit humorem in se viscosum habere, vel multum alioquin, & hebetaret sensum, & liquorem venientem esse humidum non perciperet: humidum enim ad tactum pertinet, & gustus est, quasi tactus, & tactui proximus. *Fic. in Prisc. Theoph. c. 49.*

FINIS LIBRI SEPTIMI.

POLYANTHEAE NOVISSIMAE LIBER VIII.

H

HABITATIO.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

HABITATIO, Ius est alienas inhabitandi ædes salua ædium substantia. *Per instit. de vsu, & habit.* Est domus etiam, & locus, quem habitamus.

LOCI BIBLICI.

Habitaculum Dei terra Chanaan, *Exod.* 15. 13.

Habitaculum Dei facti Christiani per Spiritum Sanctum, *Ephes.* 2. *versic.* 22. habitant confidenter fideles, *Deut.* 33. *versic.* 28.

PHILOSOPHICÆ SENTENTIAE.

De habitatione angusta. DIAL. LXIII.

Francisci Petrarchæ.

DOL.

Anguste habito. R. Angusta domus ad multa est habilis, inter alia contra fures vtilis, de quibus paulo ante querebaris, qui in ea latebras nō habent, sicut ex diuerso de magna domo recte dicitur, quod dominum fallit, & prodest furibus, arctam sane, vel amplam domum pro numero habitantium accipio, tu nunc, vt tibi videris, anguste habitas. At quanto habitat angustius anima tua, quantoq; fœdus inter saniem, & cruorem, nec migrare illam inde, si fieri possit, vnquam velis. D. Arcta domus est mihi. R. Domus lutea cœlestem animum non angustat, sæpe parua domus magnæ gloriæ capax fuit, quum magna interim multæ infamiæ plena esset, non format domus animum, sed ab illo formam accipit, vt læta igitur atque honesta pauperum tuguria esse possunt: sic infames mœstæque regum arces diuitum palatia. Nulla tam parua domus est, quam non amplificet magnanimus habitator, magnoque hospio præstet idoneam. D. Parua domus mea est. R. Parua Euandri regia magnum cepit Alcidem: modicis ædibus futurus mundi dominus natus est Cæsar, pastorali casa Romulus, ac Remus, tam magnæ vrbis authores educati. Non amplis atrijs habitauit Cato, volubili dolio Diogenes, angusto tugurio Hylariō, imis terræ specubus sancti viri. In exiguis hortulis magni philosophi, sub dio, modicis subtentorijs summi duces, in stupendis palatijs Caius, & Nero. Tu cum quibus habitare velis elige. D. Angusta est mihi domus, & humilis, & inculta. R. Muri fures ventosque submoueant, & vtrisq; peiora vulgi tædio tecta frigus, æstū, soles, imbres arceant turres atræ volucrib. domus ampla superbiæ, ornata luxuriæ, referta cupidinum, nullum virtus spernit habitaculum, nisi vitijs occupatum. D. Peranguste habito. Vis ne tibi domos omnis amplissima videatur, sepulchrum cogita.

Habitatio simul in omnibus his locis est secundum sensum, quorum secundum sensum est vna loci in calido, & frigido, humido, & sicco, proprietates ex eadem latitudine loci sensibilis, & quibus sensibiliter, & secundum tempus, suus ortus, & occasus. *Alb. Mag. de natur. loc. dist. c.* 10.

Habitatio custodibus ciuitatis communis esse debet, & in qua omnibus semper aditus pateat. *Plat de Rep. dialog.* 3.

HABITVS.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

HAbitus est, quædam animi, qualitas, acquisita ex frequentibus actibus, vel ex vno multum vehementi, quo anima faciliter disponitur ad aliquid faciendum. Differt autem à dispositione, quia habitus est de difficili mobilis à suo subiecto. Dispositio verò de facili mobilis. *secundum Arist. lib. Prædicamentorum.*

Habitus est, qualitas de difficili mobilis, qua homo potest vti cum voluerit, reddens operationem delectabilem. *B. Thom. 1a. q. 49. art. 2. & sic est prima species qualitatis.*

Habitus prout est prædicamentum, importat habitudinem indumenti ad indutum. *Beat. Thom. prima Secunda. quæstione 49. Artic.* 1.

Habitus est corporum, & eorum, quæ circa corpus sunt, adiacentia *secundum Gilbertum Porretanum, lib. 6. Principiorum.*

Habitus est, secundum quem ad aliquid nos habemus, bene, vel malè. *secundum B. Thom. 1. par. quæst. 83. art. 2. & sic est postprædicamentum.*

Habitus religionis est obseruantia regularis, pertinens ad tria principalia vota, vt signum obligationis. *B. Thom. secunda Secundæ, quæstio, 186. artic.* 7.

SENTENTIÆ PHILOSOPHORVM.

Omnes habitus, quibus vera noscuntur, sunt intelligentia, scientia, opinio: & quæ ab illis cognominata sunt, res ipsæ sunt, quæ vere, ab is percipiuntur. *lib. 1. demonstr. c. 26. T.* 44.

Omnium, qui ratione cernuntur habituum, quibus verum aliquid dicere possumus: alij sunt, in quibus perpetua inest veritas: alij in quibus, vt falsum dicatur, interdum euenit. Huius generis sunt rerum agendarum, & faciendarum ratio, & opinio. Ex genere autem eorum, quæ semper vera sunt, est scientia & intelligentia. *lib 2, Demon. c. 18. T.* 27.

Sunt quinque, quibus animus verum enunciat, vel affirmando, vel negando, ars, scientia, prudentia, sapientia, intelligentia. Fieri enim potest, vt falsum suspicione, & opinione dicat. *lib. 6. Ethic c.* 3.

Habitus fit in anima, & generatio ad naturam perficiendam, & anima fit quodammodo, quoniam non ita vniformis, & simplex est, vt intellectualia, nec stabilis, vt illa, sed permanet, & mutationem habet innatam: & sic, vbi Theophrastus interrogat, à quo fiat in anima generatio, vel habitus, atque potentiæ, vel essentiæ, putandus est interrogare, vtrum secundum habitum tantum, atque potentiam, an etiam secundum essentiam in anima fiat permutatio. *Prisc. in Theophrast. de phantasia, & intellect c.* 1.

Habitum, Platonici putauerunt phantasia, quandammodo remanentem restare post mortem, & in rationem illi consentientem, si modo, quicquam, & tunc, quidem coacta consenserit, inde transfundi: Peripatetici autem, cessare, cōposito dissoluto, putant. *Fic. Plat. Theol. lib. 18. c.* 10.

Habitus rationem entis magis habent, quam priuationes. *Idem in Plat. Parmenid. c.* 46.

Habitus, vel ad operationem trahit sibi conuenientem, vel ad opus conueniens. *Idem in Plat. Phil. lib. 1. c.* 1.

Habitus semper pertinet ad aliquod obiectum, nec est habitus, nisi vnius rei tantum: quo fit, vt, qui ad vnam non sit aptus, interdum ad alias esse non possit. *Sebast. Foxius in 6 Platonis de Repub.*

Habitus animæ intelligentis, quinque esse dicuntur: ars, prudentia, intellectus, scientia, & sapientia. *Leo Hebr. de Amor. Dialect.* 1.

Habitus, qui sunt circa discursum, alij semper veri sunt, alij suscipiūt falsum, vt opinio, & ratiocinatio, veri autem semper sunt scientia, & intellectus. *Idem Poster. lib. 2. c. 18. text.* 27.

Habitus, qui ad intelligentiam pertinent, alij semper veri, alij non semper, vt opinio, & ratiocinatio, veri semper scientia, & intellectus. *The. in 2. poster. c.* 3.

Habitus alij naturales, alij non naturales sunt. *B. Thomas Ethicorum 7. l. c.* 37.

HAEREDITAS, HAERES.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

HAEREDITAS, Græce κληρονομία, καὶ κληρονομέω hæredito dicitur. Et est successio in vniuersum ius, quod defunctus habuit. *vt l. 1. Nihil de verb. signif.*

Hæres

Hæres Græcè κληρονόμος dicitur. Et est ille, qui principaliter alicuius bona percipit: non autem, qui munuscula eius capit, *secundum B. Thom. super epist. Pauli ad Roman. 8. lib. 3. col. 4.*

Dicuntur autem hæreditas, & hæredes ab hærendo, hoc est, arctè insidendo. Nam qui hæres est, hæret, hoc est, proximus est ei, cuius est hæres: licet nonnulli hæredem dictum velint, quod herus fiat, hoc est, dominus bonorum, quæ ad eum perueniunt. Ab *hæres* fit *cohæres*, qui simul hæres institutus est; & *exhæres*, qui extra hæreditatem est, & hæreditate priuatur. Vnde fit verbum *exhæredo*, à quo *exhæredatio*. Hinc etiam *hæreditarius*, hoc est, ad hæreditatem pertinens, hæreditarius morbus, qui parentum vitio nobis obtingit: hinc *hæredipeta*, qui blanditijs, muneribus, & alijs artibus suborn at morituros, vt ab eis hæres instituatur. *Hæreo* aliquando pro dubito ponitur, quoniam qui in aliqua re dubitant, non mouentur. Cuius frequentatiuum, *hæsito*, *hæsitatio*, dubitatio: *hæsitabundus*, valde dubius.

Loci Biblici.

Hæreditas Dei populus Israel, *Exod.* 15.16. *Deut.* 4.20 & 9.26. & 32.9. 1. *Reg.* 5.1. Hæreditas Leuitarum Deus, *Num.* 18.20. *Deut.* 4.20. & 10.9. & 18. *Ios.* 13.14.33. *Ezech.* 44.28. Hæreditatem diuidere non vult Christus inter fratres, *Luc.* 12.13.14. de Hæreditate mortui absque masculo, *Num.* 27.1.

Hæres vniuersorum Christus, *Luc.* 20.24. *Hebr.* 1.2.

Hæredis, & hæreditatis nomen Græcis, & Latinis propriè accipitur, cum alicuius hæredem esse dicunt; pro eo si alicuius bona post mortem succedere. Item, cum ipsam possessionem hæreditariam ad hæredem legitimum demoliendam declarant. Sed ex Hebræorum idiotismo; hæreditas dicitur, quicquid alicui gratis cedit in possessionem, ac nominatim quidem filij dicuntur hæreditas, quæ patri à Deo datur, *Psalm.* 127.3. Vnde patet, hæredem esse mundi apud Paulum, *Rom.* 4.13. declarare idem, quod totum mundum habere pro filijs, & hac ratione quasi vniuerso mundo potiri. Sic dicitur totius mundi hæres constitutus, *Hebr.* 1.2. in quo videlicet ipsemet pater Abraham cum toto mundo adoptatus benedicitur, *ibidem*. Sic dicimur Dei hæredes correlatiuè, *Rom.* 8. 17. quia Dei sumus hæreditas cum Christo cum alioqui (vt dictũ est) Græcis, & Latinis alicuius hæredem esse idem declaret, quod in alicuius bona post mortem succederet: Ex qua propria significatione consequitur hæredis vocabulum, *Rom.* 8. 17. accipi pro bonorum patris participe, vt sit sensus: Nos esse Hæredes, id est, bonorum patris participes, idque gratis, quia filij adoptiui: Alioquin enim viuo patre filius hæres dici non potest. At numquam moritur pater, cuius cohæredes dicimur cum Christo. Ex quo efficitur, hæredem ex Hebræorum idiotismo dici, qui bonis sibi concessis fruitur.

Sententiæ Biblicæ.

Hæreditas spiritualis, & cælestis.

Saluum fac populum tuum, Domine, & benedic hæreditati tuæ. *Psalm.* 27.

Dominus pars hæreditatis meæ. 15.

Sustinentes Dominum, ipsi hæreditabunt terram. 36.

Tu es spes mea, portio mea in terra viuentium. 141.

Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. *Rom.* 8.

In quo, & credentes signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ, in redemptionem acquisitionis, in laudem gloriæ ipsius. *Ephes.* 1.

Terrena.

Homo cum mortuus fuerit absque filio, ad filiam eius transibit hæreditas: si filiam non habuerit, habebit successores fratres suos. *Num.* 27.

Quod, & si fratres non fuerint, dabitis hæreditatem fratribus patris eius. Sin autem, nec patruos habuerit, dabitur hæreditas his, qui ei proximi sunt. *ibid.*

Bonus relinquet hæredes filios, & nepotes: custoditur iusto substantia peccatoris. *Prou.* 13.

Hæreditas, ad quam festinatur in principio, in nouissimo benedictione carebit. *Prou.* 20.

Similitudo.

Syracida. Quemadmodum cœna peracta reliquiæ circumstantibus diuiduntur: Sic peracta vita aliquid porrigi his, qui totius vitæ ministri fuissent. *lib.* 2. *epist.* 78.

Adagium.

Si vultur es, expecta cadauer.

Captatores testamentorum, & hæredipetæ, vulgata metaphora vultures appellantur, quod senibus orbis ceu cadaueribus inhiant.

Emblema.

Opulenti hæreditas.

Emblema CLVIII.

Paruulum falsis rapiunt hinc Troes in armis,
Hinc socij, atque omnis turba Pelasga vetat,
Obstante attonitus Nestor, Græcique cadauer.
Hac fabella agitur, cum vir opimus obit,
Maxima nixo cruitur, tandem, sed transfigit hæres,
Et sortitur aliquid, vulturijque fame.

HAERETICVS & Hæresis.

Definitio et Etymolog.

Hæreticus, quid sit, vide infra in præsenti capitulo authoritates Beatorum Augustini, & Hieronymi incipientes. *Dixit Apostolus, Qui in Ecclesia, & Hæresis Græce.*

Hæresis Græca dictio est αἵρεσις, dicturque ab electione, quoniam vnusquisque eligit sibi disciplinam, quam putat esse meliorem. *secundum Hier. in epist. ad Gal. & habetur* 23. *q.* 1. *c.*

Hæresis. Videtur deduci ab αἱρέω, quod est mutuor, & sermo Latine: vel ab αἱρέομαι, quod est opto, seu eligo.

Hæresis ratione pertinaciæ, est species peccati in Spiritum Sanctũ, scilicet, impugnatio veritatis. *secundum S. Thomam.* 4. *Sent. distin.* 13. *quæst.* 2. *art.* 2.

Loci Biblici.

Hæresis, pro secta, *Act.* 5.17. & 15.5. & 24.14. Hæreses oportet esse, & quare, 1. *Cor.* 11.19. *Vide Iudic.* 3.1.

Hæresis duplex est causa: Efficiens, & Finis. Efficiens duplex. *Prima* & remotior, est Dei iustissima voluntas, qua sic verbi sui contemptum vlciscitur, & suos probat, 1. *Cor.* 11.19. 2. *Thess.* 2.11. *Secunda*, propinquior, hominum ipsorum naturalis tum rebellio, tum cæcitas, & ambitio, &c. 1. *Tim.* 2.8. 2. *Tim.* 3.2. *Tit.* 1.16. *Ephes.* 4.14. 1. *Thess.* 2. *v.* 3.4.9. Finis duplex: Piorum probatio, 1. *Cor.* 11.19. impiorum iusta punitio, qui veritati Dei placide obedire, & acquiescere noluerunt. 2. *Thess.* 2.11. (*Vide* 1. *ad Cor.* 11. 19.) Forma est ipse error: Materia est articulus ille, in quo peccatur.

Hæretici cauendi, & fugiẽdi, *Deut.* 13.1. & c. 18 20. 1. *Reg.* 18.20. & c. 2. *Reg.* 10.15. *Matth.* 7.15. *Rom.* 16.17. 2. *Thess.* 3.14. 2. *Tim.* 2.17. & 3.5. *Tit.* 3.10. 2. *Io.* 10. Hæretici iam inde à temporib. Apostolorum extiterunt, 1. *Tim.* 1.20. 2. *Tim.* 1.15. 7. 1. *Io.* 2.18. 2. *Io.* 7. *Apoc.* 2.15. Hæreticos futuros etiam nostris temporibus prædictum est, *Matth.* 24 5.24 *Ioannis*, 5.43. 1. *Tim.* 4.1. 2. *Timo.* 3.12. 2. *Pet* 2.1 & 3. *Iud.* 18. Hæreticorum mores, & doctrina, *ibid.* Hæretici male tolerantur à Præfectis, *Apoc.* 2.14. Hæretici à magistratu puniẽdi, 1. *Tim.* 2.2.

Sententiæ Biblicæ.

Hæretici Deum offendunt.

Nouit Dominus pios de tentatione eripere, iniquos verò in diem iudicij reseruare cruciandos: magis autem eos, qui post carnem in concupiscentia immunditiæ ambulant, dominationemque contemnunt, audaces, sibi placentes, sectas non metuunt introducere blasphemantes 2. *Pet* 2.

Nam eiusmodi pseudoapostoli sunt operarij subdoli, transfigurantes se in Apostolos Christi. Et non mirum, ipse enim Satanas transfigurat se in Angelum lucis. Non ergo magnum, si ministri eius transfigurentur, velut ministri iustitiæ, quorum finis erit secundum opera ipsorum. 2. *Cor.* 11.

Ego scio, quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi. Et ex vobis ipsis exurgent viri loquentes peruersa, vt abducant discipulos post se. *Act.* 20.

Fuerunt verò, & pseudoprophetæ in populo, sicut, & in vobis erũt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, & eum, qui emit eos, Deum negant: superinducentes sibi celerem perditionem. Et multi sequentur eorum luxurias per quos via veritatis blasphemabitur, & in auaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur. 2. *Pet* 2.

Superba enim vanitatis loquentes, pelliciunt in desiderijs carnis luxuriæ eos, qui paululum effugiunt, qui in errore conuersantur: libertatem illis promittentes, cum ipsi serui sint corruptionis. *Ibid.*

Propter, quod, charissimi, hæc expectantes, satagite, immaculati, & inuiolati ei inueniri in pace: & Domini nostri Iesu Christi longanimitatem salutẽ arbitramini, sicut, & charissimus frater noster Paulus, secundum datam sibi sapientiam, scripsit vobis: sicut, & in omnibus epistolis loquens in eis de his, in quibus sunt, quædã difficilia intellectu, quæ indocti, & instabiles deprauant, sicut, & cæteras scripturas, ad suam ipsorum perditionem. 2 *Pet* 3.

Charissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint: quoniam multi pseudoprophetæ exierunt in mundum: 1. *Ioan* 4.

Ipsi de mundo sunt, ideo de mundo loquuntur, & mundus eos audit. Nos ex Deo sumus. Qui nouit Deum, audit nos: qui non est ex Deo, non audit nos. In hoc cognoscimus spiritum veritatis. & spiritum erroris. *Ibid.*

Factis seipsos produnt.

A fructibus eorum cognoscetis eos. Nunquid colligunt de spinis vuam, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona bonos fructus facit: mala autem arbor malos fructus facit, *Matth.* 7.

Amen amen dico vobis, qui nõ intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde ille fur est, & latro. *Ioan.* 10.

Hoc

Hoc autem scito, quod in nouissimis diebus instabunt tempora periculosa, & erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, proterui, tumidi, & voluptatum amatores magis, quam Dei, habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes. *2. Tim. 3.*

Hæretici solerter vitandi.

Hæreticum hominem post vnam, & secundam correptionem deuita, sciens, quia subuersus est, qui eiusmodi est, & delinquit cum sit proprio iudicio condemnatus. *Tit. 3.*

Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec aue ei dixeritis. Qui enim dicit illi aue, communicat operibus eius malignis. *2. Io. 1.*

Patrvm Sententiæ.

Adferunt hæretici immensam apocryphorum librorum, & scripturarum notharum multitudinem, vt stupefaciant amentes, & ignaros verarum literarum. *Iren. l. 1. c. 17.*

Veritati non credentes in mendacio voluntarie perdiderunt panem veræ vitæ, in vacuum, & profundum vmbræ incidentes, similes Aesopi cani, qui panem, quidem reliquit, in vmbram autem huius impetum fecit, & perdidit escam. *Idem lib. 2. c. 12.*

Quum ex Scripturis arguuntur, in accusationem conuertuntur ipsarum Scripturarum, quasi non recte habeant, neq; sint ex authoritate: &, quia varie sint dictæ: &, quia non possit inueniri veritas ab his, qui nesciant traditionem. *Idem lib. 3. c. 2.*

Aufer hæreticis, quæ cum ethnicis sapiunt, vt de scripturis solis, quæstiones suas sistant, & stare non poterunt. *Tertullianus de resurrect. carn.*

Hæreticorum voces si adhibeamus ad altare Dei, vbi diuinus ignis est, vbi vera fidei prædicatio, melius ipsa veritas ex falsorum comparatione fulgebit. Si enim opponam dicta cuiuslibet hæretici, & hæc sermonibus veritatis, ac Scripturarum diuinarum testimonijs veluti diuini altaris igne confutem, nonne euidentior eorum ex ipsa comparatione apparebit impietas? *Origen. hom. 9. in Num.*

Ad nos sæpe studio magis contradicendi, quam voto discendi conueniunt, & clamosis vocibus personantes malunt sua impudenter ingerere, quam nostra patienter audire. *Cyprianus contra Demetrium.*

Ab his, si fieri potest, humanitatis iure postulamus, vt non prius damnent, quam vniuersa cognouerint. Sed non hominum pertinacia nunquam impetrabimus. Timent enim ne a nobis reuicti, manus dare aliquando, clamante ipsa veritate, cogantur. Obstrepunt igitur, & intercedunt, ne audiant, & oculos suos opprimunt, ne lumen videant, quod offerimus. *Lactantius instit. lib. 5. c. 1.*

Hæretici non tam vitam honestam, mores sanctos, & benignam erga egenos misericordiam, quam si quis contentiose dissereret, & syllogismis, atque ratiocinationibus vincere videatur, laudant. *Sozomen. apud Niceph. l. 11. c. 21.*

Hæreticus est, qui pro alicuius temporalis commodi, & maximè gloriæ principatusq; sui gratia, falsas, ac nouas opiniones gignit, vel sequitur. *August. de definition.*

Hæreticus est, qui conceptam noui erroris perfidiam pertinaciter defendit. *Idem ibid.*

Schisma est eadem opinantem, atque eodem ritu colentem, quo cæteri solo aggregationis delectari desiderio. Hæresis verò diuisa opinatur ab his, quæ Catholica credit Ecclesia. *Contra Faustum.*

Quando animositatem, qua tenentur, vicerint hæretici, tunc veritatem potuerunt tenere, qua vincuntur. *Idem contra Iulian.*

Resecandæ sunt putridæ carnes, & scabiosa ouis ab ouili repelenda est, ne tota domus, massa, & pecora ardeant, corrumpantur, putrescant, intereant. Arius in Alexãdria vna scintilla fuit, sed quia non statim oppressus est, totum orbem eius flamma populata est. *Idem Hieron.*

De intelligentia, hæresis, non de scriptura est sensus, & non sermo fit crimen. *Hilar. lib. 2. de Trinit.*

Plus longe nocet falsus catholicus, quam si verus appareat hæreticus. *Bern. super Cant.*

Sicut cauendi sunt, qui habent speciem bonæ vitæ propter dogma nequitiæ: sic, & qui integræ fidei, & doctrinæ sunt, & turpiter viuunt. *Chrysost. super Matth.*

Schisma est error pertinax, catholicam pacem in singulari perturbans Ecclesia. *Hugo.*

Non dubito, catechumenum catholicum diuina charitate flagrantem hæretico baptizato anteponere. *Aug. in lib. de Bapt. & hab. de consec. dist. 4. can. Non dubito.*

Prima, quidem (inquit) hæresis in discipulis Christi velut à duritia eius sermonis facta est: cum enim diceret. Nisi quis manducauerit carnem meam, & biberit sanguinem meum, non habebit vitã æternam. Illi verò non intelligentes: dixerunt ad inuicem: Durus est hic sermo, quis eum potest manducare? *Idem in expositio Psal. 4. & habetur de Consec. distinc. 2. cap. Primam, quidem (inquit) hæresis.*

Vbi sana fides non est, non potest esse iustitia: quia iustus ex fide viuit. Neque schismatici aliquid sibi ex ista mercede promittant: quia similiter vbi charitas non est, non potest esse iustitia. Dilectio enim proximi malum non operatur, quam si hæretici haberent, non dilaniarent corpus Christi, quod est Ecclesia catholica. Ideo diuina prouidentia multos diuersi erroris hæreticos esse permittit, vt cum interrogant nos ea, quæ nescimus sic discutiamus pigritiam, & diuinas scripturas capiamus: propterea Apostolus ait: Vt probati manifesti sunt. Hi autẽ à Deo probati sunt, qui bene possunt docere. *Idem, & habetur 24. quæstio. 1. Vbi sana.*

Dixit Apostolus: Hæreticum hominem post primam, & secundam correptionem deuita: quia subuersus est huiusmodi, & peccat in semetipso damnatus. Sed qui sententiam suam, quamuis falsam, atque peruersam, nulla pertinaci animositate defendunt, præsertim, quam non audacia suæ præsumptionis pepererunt, sed à seductis, atque in errorem lapsis parentibus acceperunt, quærunt autem cauta solicitudine veritatem, corrigi parati cum inuenerint, nequaquam sunt inter hæreticos deputandi. *Idem & habetur 24. q. 3. Dixit.*

Qui in Ecclesia Christi morbidum aliquid, prauumque, quid sapiũt, si correcti, vt sanum rectumque sapiant, resistunt contumaciter, suaque pestifera, & mortifera dogmata emendare nolunt, sed defensare persistunt, hæretici sunt. *Idem contra Manichæ. & habet. 24. q. 3. Qui in Ecclesia.*

Ille gladium accipit, qui nulla superiori, ac legitima potestate, vel iubente, vel concedente, in sanguinem alicuius armatur. Porro illud Hieronymi, quo Ecclesia negatur aliquem persequi, non ita intelligendum, vt generalliter Ecclesia nullum persequatur, sed quod nullum iniuste persequatur. Non enim omnis persecutio culpabilis est, sed rationabiliter hæreticos persequitur, sicut, & Christus persecutus est eos, quos de templo expulit. *Idem lib. 2. contra Manichæos.*

Hæresis Græce ab electione dicitur, quod, scilicet, eam sibi vnusquisque eligat disciplinam, quam putat esse meliorem. Quicunque igitur aliter scripturam intelligit, quam sensus Spiritus sancti flagitat, à quo scripta est, licet ab Ecclesia non recesserit, tamen hæreticus appellari potest, & de carnis operibus est eligens, quæ peiora sunt. *Hieronym. in epistol. ad Galat. & habetur 24. quæst. 3. Hæresis.*

Omnis iniquitas, & oppressio, & iniustitia iudicium sanguinis est. Et licet gladio non occidas, voluntate tamen interficis. *Idem in Esa. & habet. de pænit. dist. 1. Omnis iniquitas.*

Qui autem iniquius est, quam impia sapere, & sapientioribus doctoribusque non credere? Sed in hanc insipientiam cadunt, qui, cum ad cognoscendam veritatem aliquo impediuntur obscuro, non ad propheticas voces, non ad apostolicas literas, non ad euangelicas authoritates, sed ad semetipsos recurrunt: & ideo magistri erroris existunt, quia veritatis discipuli non fuerunt. *Leo Papa. & habet. 24. q. 3. Quid autem.*

Apophthegmata.

Polycarpus martyr aliquando Marcioni obuiam factus, atq; oratus, vt eum agnoscere vellet: Agnosco, inquit, primogenitum Satanæ. Tanta tunc Apostoli, atque eorum discipuli in religione cautela vtebantur, vt ne verbi, quidem communionem cum aliquo eorum, qui à veritate declinauerant, habere paterentur. *Ibid. Euseb. l. 4. eccl. hist. c. 14.*

Idem, si forte impia dogmata audiret, aures obturans continuo exclamabat. O bone Deus: in quæ me tempora reseruasti, vt hæc patiar? atque ex eo loco, quo vel sedens, vel stans ea audiuisset, exemplo plane aufugiebat. *Eusebius lib. quinto, histor. eccles. cap. 19.*

Alexander Episcopus Alexand. Par est (inquiebat) vt nos, qui sumus Christiani, omnes, qui contra Christũ loquuntur, animoque sunt ab eo alienato, tanquam Dei hostes, & corruptores animarũ deuitemus, &c. *Socrat. hist. eccl. lib. 1. c. 3.*

Similitvdines.

Chrysostomi: Sicut membrum à corpore præcisum viuere non potest, neque ramus arboris viridis esse: Sic, & omnes hæretici præcisi à corpore vnius Ecclesiæ, nec vitam Christi in se habere possunt, nec viriditatem gratiæ spiritualis, sed est Ecclesia eorum deserta. *In 23. Matth. hom. 46.*

Sicut serpentes varij in corpore: sic hæretici varij in erroribus. Serpens super ventrem graditur: ita hæretici causa ventris, & vanæ gloriæ omnia faciunt. Terram manducat serpens, & isti illos lucrãtur, qui in terra sunt, idest, carnales. Non solum sunt serpentes, sed & viperæ, quarum natura est, vt rumpentes viscera matrum nascantur. Sic authores hæresium, rumpentes fidem matris Ecclesiæ, processerunt ad principatum. *Homilia quadragesimaquarta in Matth.*

Quemad-

Quemadmodum si rex in bello victus, atque fugatus ab alio rege, induerit indumentum regis illius victoris, & in parte sua erigat simile signum signo regis illius, ve ille populus victus schema sui regis aspiciens, & signum partis ipsius, dum putat se ad proprium currere regem, incurrat in manus aduersarij sui: Sic, & Diabolus subornat ministros suos sub nomine Christi, vt volentes homines ire ad Christum, similitudine nominis tenebricati ad Diabolum vadant. *In Matth. 24. hom. 48.*

Sicut omnis mulier, quamdiu non admonetur à malis hominibus, non bene cognoscitur, verum sit casta: si vero admonita conscientiam, vel fidem viro seruauerit, tunc merito casta laudatur: Sic Ecclesiæ fides non bene cognoscitur, nisi Antichristi venerint ad eam. *In Matth. 24. hom 48.*

Sicut, quum domus incendio comprehenditur, omnes latrones consurgunt, quærentes vnusquisque quod rapiat: Sic quando casus specialiter tunc Iudæorum, aut generaliter, aut modicum Christianorum fieri cœperit, omnes dæmones spirituales latrones insurrexerunt, per suos ministros quærentes vnusquisque quem perdant. *In Matth. 24. homil. 48.*

Homo circa mortem phantasias videt: Sic, & mundus in exitu suo multos patietur errores. *In Matth. homil. 48.*

Vbi sunt igitur, qui nos, vt contentiosos damnant, eo quod cum hæreticis habemus dissidium, dictitantque, nullum esse discrimen inter nos, & illos, sed ex principatus ambitu profectam discordiam? Audiant, qui id dicat Paulus. Nimirum illos subuertisse Euangelium, qui paululum quippiam rerum nouarum induxerant. Isti verò non simpliciter pusillum, qui filium Dei prædicant esse creaturam, sed, quod est omnium maximum, innouant. An non audiuisti, quod is, qui veteri quoque Testamento sabbatho ligna collegerat, vnicum mandatum, nec id maximum transgressus, extremo affectus est supplicio? Quodque Ozas, qui arcam alioqui subuertendam fulciuit, è vestigio mortuus est, eo quod ministerium ipsi non congruens vsurpauit? Ergo ne sabbathum violatum, & solus arcæ ruituræ contactus, tantam indignationem prouocauit, vt qui hæc ausi fuerant ne minimum quidem veniæ sint consequuti: hic vero, qui adoranda, & inestabilia dogmata corrumpit, excusationem habiturus est, & veniam consequetur? Non potest hoc fieri, non potest, inquam. Hoc ipsum igitur est omnium malorum causa, quod ob pusilla non indignamur. Ob id enim maiora scelera subierunt, quod minoribus debita correctio non adhibetur. Et quemadmodum in corporibus, qui vulnera neglexerunt, febres gignunt, & putrefactiones, ac mortem denique: Itidem, & in animis, qui pusilla dissimulant, ad maiora inuitant. *In epist. ad Galat. c. 1.*

Quod accidit ægrotantibus, dum salubribus cibis offenduntur, hoc idem vsu uenit Marcionitis. Arripuerunt enim, quæ dicta sunt hic, ac dicebant: Ecce Paulus etiam ipse dixit, non esse aliud Euangelium. *Ad Galat.*

Quemadmodum illud est grauissimum in mente captis, & attonitis, quod quum ægrotent, nec hoc ipsum sentiant se esse ægrotos: Sic, & Iudæi, nunc quum sint ebrij, non sentiunt tamen morbum suum. *Contra Iudæos, orat. 5.*

Ne ne remittamus pro fratribus nostris solicitudinem, neque posthac existimemus vllam illorum rem esse importunam: sed quemadmodum faciunt milites, vbi commisso prælio verterint in fugam aduersarios, ab insectatione redeuntes, non protinus currunt ad tabernacula, sed prius ad conflictus locum profecti, tollunt eos, qui ex ipsorum numero cæsi sunt, ac vita quidem defunctos terra occulunt. Cæterum si quos viderint inter mortuos spirantes adhuc, nec lethale vulnus habentes, hijs in tentoria sublatis, multam adhibent curationem, extracto telo, accersitis Medicis, absterso sanguine, pharmacis porrectis, reliquaque omni curatione admota ad sanitatem reducunt. Et nos igitur, quoniam opitulante Dei gratia, Iudæos persequuti sumus, armatis aduersus illos vndequaque Prophetis, reuersi ad nos videamus, num qui fratrum nostrorum ceciderint, num qui ab ieiunio intercepti sint, num qui illis in festo communicarint: ac neminem quidem tradamus sepulturæ, sed potius sublatos omnes curemus. *Contra Iudæos, orat. 8.*

Sub externis quidem hostibus qui semel conciderit, animamque efflarit, fieri non potest, vt miles eum recuperet, & ad vitam reuocet. Cæterum in hoc bello prælioq; etiam si quis lethale vulnus acceperit: fieri potest, vt auxiliante nobis Dei gratia, eum ad vitam reuocamus. Non enim hæc naturæ mors est, quemadmodum illa, sed voluntatis, ac propositi. Voluntatem autem mortuam licet denuo suscitare, animæque morti datæ persuadere licet, vt ad suam vitam redeat, suumque dominum agnoscat. *Contra Iudæos, orat. 5.*

Sed quod dicebam (nam oportet ad id, quod propositum erat, reuerti) satis vobis ex his demonstrauit ratio, quod non oporteat fratres lapsos negligere, neque contemnere, verum prospicere quidem illis ante peccatum, cæterum etiam post peccatum multam erga illos præstare curam. Itidem faciunt, & medici: præscribunt enim, ac præcipiunt hominibus, quæ possunt illorum sanitatem tueri, omnemque morbum excludere; cæterum vbi neglexerint præscripta, & in valetudinem aduersam inciderint, non negligunt eos ipsi, sed tum maximè multam adhibent solicitudinem, quo illos morbo leuent. *Contra Iudæos, orat. 5.*

Tu quum videris aliquem egentem curatione, vel corporis, vel animi, ne dicito apud teipsum: Quare ille, & ille non curauerunt? sed à morbo libera. Ne petas ab illis excusationes negligentiæ. *Contra Iudæos, orat. 5.*

Si inueneris aurum iacens, non dicis apud teipsum: Quare ille, aut ille hoc non sustulerunt? sed festinas ante alios rapere. Item, & de fratribus collapsis cogita, putatoq; te thesaurum reperisse, occasionem illis medendi. Etenim si instillaueris illi velut oleum sermonis doctrinam, si obligaueris humanitate temperantiaque, vulneratum, si sanaueris, ille te faciet ditiorem quouis thesauro. Quid enim eduxerit preciosum ex indignitate, tamquam os meũ erit, inquit ille. *ibid.*

Irenæi Episcopi. Quomodo si quis regis imaginem bonam, fabricatã diligenter, & ex gemmis preciosis à sapiente artifice soluens, subiacentem hominis figuram transferat gemmas illas: & reformans faciat ex his formam canis, vel vulpeculæ, & hanc male dispositam conformet, & dicat, hanc esse regis illam imaginem bonam, quam sapiens artifex fabricauit, omnes gemmas, quæ bene quidem a primo artifice in regis imagine compositæ erant, male vero à posteriore in canis figuram translatæ sunt, & per gemmarum phantasiam decipiant idiotas, qui comprehensionem regalis formæ non habeant, & suadeant, quoniam hæc turpis vulpeculæ figura illa est bona regis imago: Eodem modo, & hi anicularum fabulas assumentes, post deinde, & sermones, & dictiones, & parabolas hinc inde afferentes, aptare volunt fabulis suis eloquia Dei *lib. 1. c. 1. contra Valentinianum.*

Vnde oportebat, & te, & omnes, qui intendunt huic scripturæ, & solliciti sunt pro sua salute, non cum audiunt forinsecus eorum sermones sponte succumbere: similia enim loquentes fidelibus, sicut prædiximus, non solum dissimilia sapiunt, sed, & contraria, & per omnia plena blasphemijs, per quæ interficiunt eos, qui per similitudinem verborum, inque mille affectiones eorum in se attrahunt venenum. Sicut quis aquæ mixtum gypsum dans pro lacte, seducat per similitudinem coloris: sicut quidam dixit superior nobis, de omnibus, qui quolibet modo deprauant, quæ sunt Dei, & adulterant veritatem Dei. Lacte gypsum male miscetur. *lib. 3. c. 19.*

Hæretici alienum ignem afferentes ad altare Dei, Id est, alienas doctrinas, à cœlesti igne comburentur, quemadmodum Nadab, & Abihu. Qui verò exsurgunt contra veritatem, & alteros adhortantur aduersus Ecclesiam, remanent apud inferos voragine terræ absorpti, quemadmodum circa Chore, Dathan, & Abiron. Qui autem scindunt, & separant vnitatem Ecclesiæ, eamdem quam Hieroboam pœnam percipiunt à Deo. *libro 4. contra hæreses.*

Quemadmodum in palæstra insueti concertantes alijs vnamquamlibet partem corporis, telis, sine totis complectentes manibus per illud, quod detinet, caduut: & cadentes putant se vincere, eo quod contentiosè teneant illud, quod primum apprehenderũt membrum, super hoc autem, quod ceciderunt, & derisui habentur: Sic autem, & hæretici caro, & sanguis regnum Dei possidere non possunt, duas dictiones tollentes à Paulo, neque sensum Apostoli perspexerunt, neque virtutem dictionum scrutati sunt. Inde autem ipsas dictiones tenentes circa ipsas moriuntur, vniuersam dispensationem Dei, quantum in ipsis, euertentes. *lib. 5. contra Valentinianum.*

Qui relinquunt præconium Ecclesiæ, imperitiam sanctorum presbyterorum arguunt, non contemplantes, quanto pluris sit idiota religiosus à blasphemo, & impudente Sophista. Tales sunt autem omnes hæretici: & qui se plus aliquid præter veritatem inuenire putant, sequentes ea, quæ prælecta sunt, variè, & multiformiter, & imbecille facientes iter, de ijsdem non semper easdem sententias habentes, velut cæci à cæcis circumducuntur, iuste cadent in sublatentem foueam, semper quærentes, & nunquam verum inuenientes *ibid.*

Theodoreti Episcopi. Mel omnibus hominibus dulce esse videtur, etiamsi cum nullo conferatur: sed dulcius esse apparet, si amara aliqua qualitas, iuxta ipsum statuatur. Et sanitatem valde diligendam omnes existimant: sed post morbum multo magis complectendam statuunt. Iam verò tranquillitas quoque est post tempestatem gratior. Ita etiam veritatem, quicumque sapiunt, rem sedulo comparandam, & diligenter retinendam intelligunt: eam tamen splendidiorem, & diuiniorem reddit, si cum eo conferatur, & examinetur, quod falsum est. Quoniam ergo falsi turpitudinem, & ignominiam ostendimus, & hæreticas fabulas aperuimus, & planum factum est, quam sint impiæ, iniucundæ, & minimè probabiles: age cum his doctrinam Euangelicam conferentes, ostendamus, quid inter se differant lux, & tenebræ, & morbus molestissimus, & difficillimis. *In Epitome diuinorum decretorum, in proœm. fol. 365.*

Synesius. Melius est confidere in Deo, quam in homine. Sed tamen audio gregales ex impietatissima Eunomij sub numine Quintiani, cuiusque in exercitu famigeratam potentiam iterum adulterare Ecclesiam Dei, quosdam falsos magistratos laqueum intentare simplicioribus animis; Quos nuper Quintiani commissarij secum ducentes, ad hoc ipsum abnauiganerunt. Nam iudicium itemq; simulant se de impietate instituere, cum reuera pietatem in contentionem, & periculum fint vocaturi. Isti igitur degeneres sacerdotes, illi nouioj Apostoli, & Diaboli, & Quintiani, videte, ne ignoratis vobis, in gregem, quem pascitis, insiliant, neve clam vobis tritico zizaniam adseminent. Nota sunt omnibus illorum refugia. Scitis, qui pagi illos excipiant, quæve dumus latronibus pateant. Fures sagacitet insectemini, æmulatores sitis benedictionis, qua benedixit Moyses, qui contra eos, qui in castria peccauerant, & animum, & manum exercuerunt. Id autem operæprecium est, vt dicam, fratres, bona bene fiant, concertatio quæstus lucrandique amoueatur. Omnia propter Deum agatur. Non decet eumdem virtutis, & vitij esse scopum; pro pietate hoc curriculum pro animabus contendendum, ne aliquas ab Ecclesia deprædentur, vt solent, &, vt iam sæpius factum est, *In epist. ad Presbyt. fol. 365.*

Epiphanius. Et sic Bardesianus per omnia magnopere ornatus erat, donec in errorem sectæ suæ incidit, factus instar pulcherrimæ nauis, cui incomparabile onus immittitur, & quæ iuxta ripas portus tracta est, & totum mercimonium perdidit, & alijs, qui conscenderunt nauem, mortem induxit. Corrumpitur enim hic per Valentinianos: & ex ipsorum improbitate, venenum, & zizania horum haurit. *lib. 2. Tom. 1. fol. 225.*

Sicut si quis videat aliquem natantem in aqua: & ignorans natandi experientiam, seipsum det aquis, & submergatur, quum non expertus sit, neque certo sciat scientiam eorum, qui per manus, & pedes sibi ipsi salutem suppeditant, sed simpliciter putet aquam gestare hominem citra manuum adminiculum. Aut sicut si quis audiret ducem supplicio affecisse eos, qui aliquid mali fecerunt vsque ad minimum: & putaret vltionem æqualem in omnes exequi oportere, velut ob cædem: ita etiam in calumniantem, aut pugnantem contra proximum. Aut sicut si quis sit penitus idiota, & videat principem, qui potestatem accepit, contra scelestos gladium eduxisse, aut contra præstigiatores, & blasphemos, ac impios, putet omnes potestatem habere, vt de talibus criminibus vlciscantur, & vbi vidit homines pœnas dedisse, etiam ipse similia imitatus, velit quosdam occidere, velut qui iniustos iudicet. At talis deprehensus ipse pœnas dabit, vt qui a rege talium faciendorum non accepit potestatem, & æqualem calculum à legum iustitia contra omnes exire putauit, & seipsum in iniustitia per propriam inexperientiam, ac inscitiam in interitum dedit. Sic etiam ipsi omnium facta simul miscentes, ab omnibus exciderunt: & non intelligentes doctrinæ Dei sinceritatem, ad aliam viam decepti, conuersi sunt; nescientes, quod hæc est diuinæ Scripturæ traditio, ac consequentia. *lib. 2. Tom. 1.*

H I L A R I T A S.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Hilaritas, Græcè ἱλαρότης, -ητος, ἡ. & est gaudij, vel exultationis in facie declaratio: *Secundum S. Thom. 3. Sent. dist. 26. q. 1. art. 5.*

SENTENTIA PHILOSOPHICA.

Hilaritas amplior est voluptate, hilares enim sumus dicendo aliquid, & si quis mente ipsa prudentiæ particeps fiat, voluptate verò affici contingit edendo aliquid, aut si quid aliud iucundi, quis ipso corpore percipiat. *Plato in Protag.*

APOPHTHEGMATA.

Zeno Zittieus rogatus, cur quum esset natura seuerus, in conuiuio tamen hilaresceret? lepide respondit: Et lupinum quum sit suapte natura amarum, tamen aqua maceratum dulcescere. Naturale est cibo, potuq; rigato corpore, discuti tristitiam. *Laert. l. 7. c. 1.*

Socrates iam morti addictus, carceris ministrum in poculo cicutam porrigentem, interrogauit: Quomodo sumendum esset hoc pharmacum? quod eius esset artis peritus. Alludens ad ægrotos, qui à Medicis, quando, & qua ratione diæta sit sumenda, discunt. Rogauit præterea, an Dijs aliquid de suo potu libare liceat, iuxta morem conuiuiorum, quod quum negaretur Certè, inquit, Philosophus, fas est, & oportet orare Deos, vt felix, & fausta mea sit migratio. Et sic Socrates, quum aduersus omnia mala animi fortitudine armatus esset, in ipsa etiam morte hilaritatem ostendit. *Laert. in eius vita.*

Idem. Quum puer Socratem in ipso fere mortis agone detexisset, quod illi iam frigescerent præcordia: Debemus, inquit, ò Crito, gallum Aesculapio, quē ne persoluere neglexeris, perinde quasi sumpta potione medica conualuisset. Adeo inerat Socrati natiua quædam hilaritas, vt moriens etiam eam ostenderet. Hanc enim postremam vocem fuisse ferunt. *Laert.*

Plato negabat oportere inebriari, præterquam in festis, in quibus ipse Deus vinum porrigit. Festos dies autem decet hilaritas. ebrietas autem in his locum habere nequaquam debet. *Laert. libro 3.*

Vide Gaudium, Lætitia.

H I S T O R I A.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Historia, Græca dictio est, ἱστορία, -ας, ἡ. & ἱστορέω historiam narro dicitur. Est autem historia rerum gestarum expositio. Differtque ab annalibus, quod historia est genus, annales verò species: sunt enim Annales rerum gestarum narrationes, & pluriū annorum, obseruato cuiuscumque ordine anni. Sicuti Diarium est historia, quæ per singulos dies scribitur, & à Græcis ἐφημερίς. *Idem. Iuuenalis: In cuius manibus, seu pinguia succina tritas Cernis ephemeridas.* Historia verò vtrumque comprehendit, *ex Aulo Gellio Noctium Atticarum lib. 5. ca. 18.* Seruius tamen super primo Aeneidos aliter sensit, & male, vt reor. Præterea annales Maximi dicebantur à Pontificibus maximis facti, quibus data potestas erat memoriam rerum gestarum in tabulas referendi.

Historia ab ἱστορεῖν deducitur: hoc valet, vt historia sit visa res, atque spectata, quasi quis dicat, gesta. *Viues de causis corruptarum artium. lib. 2.*

Historia ab ἱστορέω, quod est, historiam narro, specto, video, inquiro, interrogo, scio, quæro, disco, dico, & alia: Imò quicquid verè, & grauiter explicatur, historia dici potest. *Budæus in comment. ling. Græcæ.*

Historia est rerum gestarum expositio. Vel; est gesta res ab ætatis nostræ memoria remota. *Cic. 1. de inuent. Rhet.*

Historia est testis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magistra vitæ, nuncia vetustatis. *Cic. lib. 2. de Orat. ad Q. Fr.*

Historia olim nihil aliud erat, nisi annalium confectio. *Cicer. 2. de Orat. lib.*

Historia est rerum gestarum cum laude, aut vituperatione narratio: Quæ magnarum rerum consilia, actiones, exitus, regumque, & magnorum virorum acta, cum temporum, ac locorum ordine, & descriptione, tamquam viua quædam pictura ante oculos exponit. Ideoque hanc tamquam vitæ magistram, & ad eius institutionem vtilissimam censent fermè omnes: eo quod multarum rerum exempla cum optimos quosque ob laudis, nominisque Immortalem gloriam, ad præclara quæque facinora accendat, tum, quod impios quosque, ac prauos, perpetuæ infamiæ metu, à vitijs deterreat. *Cornel. Agrippa de veritate scientiarum.*

Historia est imago veritatis. Est autem imago ea absolutissima, quæ rem, neque maiorem, neque minorem reddit: non vt vmbræ in ortu, & occasu Solis longissimæ, in meridie prope nullæ. *Viues lib. 2. de caus. corrup. artium.*

Historicus interpres est gestarum rerum, cuius iudicium si vitio laborat, perinde fit, vt cum vinum ex fæce generosum, & nobile, grauecolentiam, vel è vase contrahit, vel alioqui lenocinio deprauatur: quæ res, vel impostura, vel inscitia maxima est, & intoleranda. *Geyn. in præfat. ad Plut. de vitis virorum illustr.*

Diuersam historicorum esse scribendi rationem ab oratoribus ostēdit. Historici enim rei ordinem seruant, & materia vtuntur præparata: Oratores verò multa inuertunt, & fingunt. *Lucia.*

Proœmium historicorum duabus tantum rebus, attentione, & docilitate constare debet, omissa beneuolentia, quam præcipuè captat orator. *Idem.*

Habent oratio, & historia multa communia, sed plura diuersa, in ijs ipsis, quæ communia sunt, narrat illa, narrat hæc, sed aliter: huic pleraque humilia, & sordida, & ex medio petita: illi omnia recondita, splendida, excelsa conueniunt: hanc sæpius ossa, musculi, nerui: illam thori quidam, & quasi iubæ decent; hæc, vel maximè vi, amaritudine, instantia: illa tractu, & suauitate, atque etiam dulcedine placet: postremò alia verba, alius sonus, alia cōstructio. *Plin. lib. 5. ad Capitonem, vel, vt aly, ad Tacitum.*

Historia est rerum gestarum, vel expositio, vel demonstratio. Annales verò sunt, quum res gestæ plurium annorum, obseruato cuiusque anni ordine, deinceps componuntur.

Cum verò non per annos, sed per dies singulos res gestæ describuntur, ea historia est, Græco vocabulo ἐφημερίς, τῶν ἐφ' ἑκάστης ἡμέρας συμβαινόντων ἀναγραφή. Suidas: Latini Diarium vocant. *Gellius lib. 5. c. 18.*

Historia differt à fabula: Quia fabula, neque veras, neque verisimiles continet res: quapropter Musæ apud Hesiodum in Theogonia in hunc fere modum de se prædicant: Scimus falsa quidē narrare simillima veris,: scimus item, quoties libitum est, & vera fateri.

fateri. Strabo lib. 1. Geographiæ præfari Politianus verut. *Sabellicus Ennead. lib. 5.*

D I V I S I O.

Historia, vel fabularis, & ea voluptatis gratia, vt in argumentis comicorum: aut adhortationis, vt in fabulis Aesopi: vel ad fidem, quæ per turpia, contexitur, vt in quibusdam poeticis figmentis; aut pio regitur velamine: quod solum veteres genus Philosophi admiserunt.

Quatuor species historiæ:
- *Vel enim de locis est: vt Geographia.*
- *Vel de temporibus: vt Chronica.*
- *Vel de generatione: vt Genealogia.*
- *Vel de gestis: vt Annales historiaq; cætera.*

Elementa historiæ:	*Persona,*	*Tempus,*	*Materia.*
	Causa.	*Modus.*	*Res.*
	Locus,	*Instrumentum.*	

S E N T E N T I A E P H I L O S O P H I C A E.

Nihil vtilius, iocundiusque cogitari potest, quam in humanæ vitæ theatro, quod historia partibus omnibus mirè instructum habet, sedentem periculis aliorum, sine suo periculo, cautum sapientemque fieri: exempla capere omnigena, quæ ad vsum tuum vtiliter qualibet in re traducas. Cumque maximorum hominum de summis rebus maximis consilijs interfueris, id, quod cupidissimè homines auemus, eorumdem etiam euentibus interesse, & quod per angustiam vitæ hominum impossibile sit alioqui, sæcula tota memoria coniungere: maximorum imperiorum auspicia, progressus, & finem videre: malorum, seu priuatorum, seu publicorum causas liquidè cognoscere; in omni ardua magnaq; re, qui ante te periclitatur, qui in discrimine te præcedat, habere: nec vsquam experimento certo destitui, ac vt in summa e retro actis (quod proprium sapientis viri officium est) futura scienter in omneis euentus perspicere, præsentia iudicare. *Diodorus Siculus in proœmio vitarum Philippi. & Alexandri.*

Nullis ea libris plus vtilitatis capi potest, quam ex eorum monumentis, qui res publicè priuatimq; gestas bona fide posteris prodiderunt. Ex bonæ enim fidei scriptoribus super alias innumeras hæc præcipua capitur vtilitas: quod non res æque, vel bonorum Regum animos ad res cum laude gerendas accendit: vel Tyrannorum cupiditates cohibet, ac refrenat, dum vtrique centiunt horum litteris suam vitam omnem, non in totius orbis, imò sæculorum omnium theatrum producendam: Et quicquid in audito nunc, vel patrant, vel ascito fuco prætexunt, vel metu dissimulari cogunt, vetius quam ignorari, paulo post clarissima in luce sub oculis omnium traducendum, quam iam n etu pariter, ac spe libera posteritas, nec vllo corrupta studio, magno consensu rectè factis applaudet, parique libertate his diuersa explodet, exibila bitque. *P. M. in præfat. in Suet.*

Rerum ad actiones moresque nostros pertinentium ratio ab historicis, etiam Poetis, & Oratoribus petenda est: Quoniam ij, & benefacta laudando, & quæ contra facta sint, vituperando, non docent quidem, sed, quod efficacissimum est, exemplis propositis, quæ rectè secusve fiant, velut in speculo ostendunt. *Rudolph. Agricola de formandis studijs.*

In historia veritas obseruatur: in poesi omnia ad delectationem spectant. *Cic. in 1. de legib.*

Poetæ voluptatem, fingendo non modo falsa, sed etiam incredibilia, sectantur. *Fab. Quint. l. 10. instit.*

Historiæ proprium est, vera, non falsa scribere, atque hoc fine ostentatione. *De historia veritate.*

Historiæ finis est veritas, nec ostentationi, sed fidei veritatiq; historia componitur. Ergo historia non debet egredi veritatem, & honestè factis veritas sufficit. *Strabo lib. 1. Geograph.*

Haud ignoro, satis esse historiæ, si sit vera: quæ, vt reliqua habeat omnia, si veritatem non habet, obtinere nomen suum non potest. Sed tamen iucunditas orationis detinet lectorem, vt res illas gestas velit cognoscere, neque id semel, cui lectio vna sufficit, vel Liuij, vel Taciti, vel Thucydidis? Quis non authores illos sæpius sumit in manus, & sæpius perlegit? *Viues lib. 2. de caus. corruptarum artium.*

Experimenta nostra accedunt ætate, & rerum actibus: aliena ex cognitione prioris memoriæ discuntur, quæ historia nuncupatur: eaque efficit, vt præteritis non minus videamur interfuisse, quam præsentibus: illisq; perinde vti posse, ac nostris. Merito Sacerdos Aegyptius Solonem, & Græcos, qui recordationem priscæ memoriæ non tenerent, pueros appellauit. Historia si adsit, ex pueris facit senes: sin absit, ex senibus pueros. *Idem lib. 5. de tradendis disciplinis.*

Herodoti Halicarnassæi historia hæc est, vt neque ea, quæ gesta sunt ex rebus humanis, obliterentur ex æquo, neque ingentia, & admiranda opera, vel à Græcis edita, vel a Barbaris, gloria fraudarentur. *Herodot. in proœmio.*

In omni rerum gestarum narratione illud scribentis videtur esse officium, vt libris singulis ciuitatum, aut Regum facta integra, ab initio ad finem vsque comprehendat: quod ita præcipue narratæ res fideliori memoria retineantur, & aptiores fiant ad cognoscendum. Quæ enim interrupta finem principio continuum non habent, ea intentionem, & studium legentium abrumpunt: quæ verò non continentur, ad eorum deducuntur, absoluta vtique rerum ipsarum viuntur declaratione. *Historiographi maxime.*

Polyanthea Noua.

Historiæ vtilitas est magna. Hæc enim felicitatem nobis participat, & citra vllum documentum prodest homini. Quid enim pulchrius, quam non, quod alij egerint, quærere, sed quid optimè actum sit, nobis proponere, ad imitandum seniorum cõsilia, quos longa ætas prudentiores efficit, laudantur à iunioribus: at hos tanto antecellit historia, quanto plura exempla complectitur diuturnitas temporis, quam hominis ætas. Præterea iuniores historica lectio antiquioribus æquat prudentia. Adde, quod natu maioribus rerum experimenta subministrat, priuatos viros imperio dignos efficit, Imperatores ob immortalem gloriam ad præclara facinora impellit: &, vt io summa dicam, omnium rerum series, quibus hominis felicitas paratur, tribui historiæ debet: est enim custos eorum, quæ cum virtute acta sunt, testem se malefactis præbens. *Plin. lib. 8. epist. ad Lacetan. Diodor. Sicul. lib. 1. de fabulosis antiquorum gestis.*

Historiarum, & Poetarum lectio prodest ad parandam perfectam virtutem, & ad curam Reipubl. *Philo de sacrificijs Abelis, & Caini.*

Historia in Atlantico descripta vera fuit, tum, quia vbi aliquid fingit, solet fabulam nominare: deinde idẽ in Timeo adserit, appellans miram, sed omninò veram, & a quibus desumpta sit, recenset, id est, à maioribus suis, & gentilibus: præterea Proclus de rebus Aethiopũ hæc manifestè confirmat. *Ficin. in Plat. Atlanticum.*

P O E T I C A E S E N T E N T I A E.

Historiæ laus, & encomium, nec vlla res vtilior est.

Illa ego, quæ gestis rerum sum custodia rebus,
Digero, quod caueas, quodque sequaris iter.
Priscaq; ne veteris vanescat gloria facti,
Viuida defensant, quæ monumenta damus.
Et sua virtuti per me sunt præmia, rursum
Impia famosis defero facta notis.
Eloquor, & summi quantum iactatur & imi:
Eloquor, & cæca fasque, nefasque Dea.
Quod maius theatrum circusq; capacior, aut qua
Doctior humanas scena referre vices?
Me sine quis prudens? vnde experientia maior?
Quis me adquirendam non mage doctus eat?
Omnis enim nostra pendet prudentia sensu,
Riteq; nil nostra qui caret arte, sapit.

Aliud Historiæ encomium.

Omnibus vtilitas multum, si vera fatemur,
Humana ingenij sensim prouecta Minerua.
Debet ab obscuris per quæ me talis egestis
Emersit tenebris, summa ad fastigia iuxit:
Per quæ detersa illuuie, vitaque ferino
At nitidam Cererem posteraq; tecta latebris
Egressa adiecit, eneam nouæ vita recensens.
Orbe nouo Agrestum, meditandoq; edidit artes
Paulatim varias, & commoda plurima passim,
Repperit in medium referens, veteremq; perosa
Ritum ciuili pedetentim pellat a more
Imbuit & studijs sese oblectauit honestis.
Hinc mitor ingenium vernaque politior vsu:
Hinc hominum iusti cœtus atque oppida primum
Condita, conubitus misti sine lege repressi
Hinc pudor, & sancta sociata fœdera teda,
Et thalamus concors, & casti coniux amores
Exutis & frenos Venus impermissa momordit,
Vet æquo, suusque locum, sine cæde reliquit:
Fasque Deum subijt mentes, Astræaq; virgo,
Et pietatis honos superisque accepta ferendis
Religio paxque vna potens nisi credere nollet:
Et facere humanum genus, & seruare beatum.
Hic quanquam veteres cœleste carmine v...
Non minimum populos sibi promeruere canoris
Dum numeris mouere feras siluasq; sequentis
Traxere, & plectro manes domuere profundos,
Et qui sidereos orbes, solisque labores,
At lunæ varios simulantis cornua vultus,
Falciferiq; senis stellam, natiq; benignum
Lumen, & Gradiui iubar exitiale gradiui,
Tranquillasq; faces placidi radiosq; Diones,
Mercuriiq; citis versum talaribus astrum.
Fataq; fortunasq; virum, docuere sagaces.
Quique dolos primi cæcos dissoluere elenchis
Fallacis, linguaq; animos vincere diserta:
Qui morbos sanare herbis & vulnera lectis.

Atque Machaonia Parcas inhibere medela
Aggressi, qui quid vitium, quid praua iubido
Turbet, agens animos curis ambagibus agros;
Contra quid virtus ratione miles victa salubri,
Conferat, aduersos casus fortemq; malignam
Despiciens subigi nesque natus, & gaudia vulgi,
Spesq; leues ridens, & opum certamina victrix
Fortuna, & mortis terrore excelsior omni
Eximio studio, & cura inuenere magistra:
Omnibus ijs quamuis mortalis vita iuuetur,
Plurimum, & in precio factorum vere feratur
Nulla tamen doctum res vtilitatibus aequat
Historiam: sola haec a nobis, & tempora nobis
Praeterita, & prisci memorans insignia mundi,
Suggerit ignotis quicquid longaeua vetustas
Gestorum tenebris tegit, & caligine voluit.
Immensoq; situ, atque alent premit inuida lustris.
Haec nobis rerum primaeua ab origine pandit
Omnia: vt obscuro pulcher concreuerit orbis
Principio, blandusq; nouus effulserit aether
Ignibus, & tellus hic montibus ardua celsis
Hic in planiciem, & campos effusa patentes
Protulerit subito nemora, & genus omne ferarum,
Aspersas maculis tigreis Libycosq; leones.
Fulmineosq; sues, & recto vertice regem
Cunctorum de limo hominem traxisse figuram
Progenerante Deo Diuum mundiq; capacem.
Haec eadem formatum vnum cum coniuge iustum
Diluuio stagnante refert, rubrumq; per aequor
Hebraeis patuisse viam, mersasque quadrigas
Gurgite Niliaci rursus refluente tyranni,
Et quicquid sacrata refert pagina fama
Haec canit prodente Ducum, Heroumque potentum
Nomina, fortunas, viros, & gesta tot vsquam
Millibus annorum diuersis partibus orbis,
Haec numerum Xerxis fluctum, pauidamq; recenset
Tempestate fugam. Persas acresque Baetri,
Belleamq; manum, Hannibalem Tyriosque furores.
Romuleumq; decus, raptas ab vtroque triumphos
Littore Caesaribus.

Dido apud Ausonium.

Vos magis historicis lectores credite veris,
Quam quis furta Deum, concubitusq; canunt,
Falsidi. vates temerant, quo carmine verum,
Humanisque Deos adsimulant vitijs.

A P O P H T H E G M A T A.

Demetrius Phalereus Ptolomaeum regem adhortari solebat, vt sibi pararet libros de regno, deque militari imperio gerendo tractantes, eosque euolueret: propterea, quod de ea quibus amici non audent admonere reges, in libris scripta habeantur. *Plut. in Graec. apoph. & Laert. l. 5. c. 5.*

Theopompus dicebat eum quidem optimum rerum bellicarum scriptorem esse, qui quam plurimorum certaminum ciuilium particeps fuerit, & quam plurima etiam pericula coram expertus sit. Innuere autem voluit, eum tantum re vera esse bonum historicum, qui de his scribat rebus, quibus ipse interfuit. *Polyb. l. 12. hist.*

Alphonsus Capuae laboriosos aduersa valetudine: Medicis multa medicamenta adhibentibus, in grauissimo morbo Quinti Curtij historias de Alexandri Magni rebus gestis descriptas legere coepit, cuius lectione delectatus cum omnem morbi improbitatem superasset, sanitati restitutus: Valeat, inquit, Auicenna, valeat Hippocrates, & alij Medici, & viuat Curtius, restitutor sanitatis meae. *Anton. Panor. de reb. gest. Alphonsi. & Aeneas Syl. de eius dictis.*

S I M I L I T V D I N E S.

D. *Chrysostomi.* Quemadmodum in agris termini, columnaeque non sinunt arua confundi: Sic tempora non sinunt confundi res gestas, sed dum dirimunt alias ab alijs, & in ordinem congruentem digerunt, multa nos liberant turbatione. *Homil. 2. in Esaiam.*

D. *Basily.* Quemadmodum ex igne naturaliter emicat splendor, ex vnguento quoque praestanti diffunditur odor: Sic e sanctorum commemoratione gestorum ad omnes prouenit vtilitas. *In Gordianum martyrem militem Caesariensem.*

D. *Augustini.* Quid prodest lectione continua tempus occupare, sanctorum gesta, & scripta legendo transcurrere: nisi ea masticando, & ruminando succum bibamus, & transglutiendo vsquoad cordis intima transmittamus, vt ijs diligenter consideremus statum nostrum, & studeamus eorum opera agere, quorum facta, & verba coepimus lectitare? *De scala paradisi. c. 10.*

D. *Gregorij.* Sicut ignotorum hominum facies cernimus, & corda nescimus, sed si familiari eis locutione coniungimur, vsu colloquij eorum, etiam cogitationes indagamus: Ita cum in sacro eloquio historia sola aspicitur, nihil aliud, quam facies videtur: sed si huic assiduo vsu coniungimur, eius nimirum mentem quasi ex locutionis familiaritate penetramus. Dum enim alia ex alijs colligimus, facile in verbis colligimus aliud esse, quod intimant, aliud quod sonant: tanto enim quisque notitiae illius extraneus redditur, quanto in sola eius superficie ligatur. *lib. 19. Moral. c. 52.*

Polyby. Perinde, ac si quis oculos animanti effoderit, quicquid superest corporis, inutile fit: Ita dempta ex historia veritate, narratio omnis inutilis est. *lib. 1. Histor.*

Quemadmodum pugiles praeclarè, & dexterè, ac fortiter proposita corona pugnantes plagis plagae indesinenter iungunt, neque spectatoribus, neque ipsis certatoribus possibile est, vt de singulis impulsibus, & plagis rationem reddant, sed satis intelligentiae cum ex efficacia virorum, tum vtrorumque concertatione, peritia quoque, & viribus adhuc, & alacritate animi accipiunt: Ita quoque de ducibus historiae loquuntur: qui si causas, vel modos quibus singulis diebus inuicem insidias, inuasiones, & impressiones struunt, & inferunt, scribere vellent, neque ipsi enumerare possent, & infinitam molestiam audientibus generarent, nec legentibus aliquid vtilitatis adferrent. *lib. 1. Histor.*

Quemadmodum Tragoediarum scriptores frequenter dramata sua, aut Dijs aliquibus, aut machinis terminant, quod falsa irrationabiliaque principia sumant: Ita Historici simile quiddam patiuntur, & dum falsa sumunt exordia, tandem ad Deos aliquos, siue heroas fugere coguntur. *lib. 3. Histor.*

Quemadmodum Medici nihil prodesse aegrotantibus possunt, si morborum causas ignorant: Ita qui circa res gestas versantur, omni prorsus vtilitate carent, nisi, & loci, & temporis, & causarum omniumq; occasionum ratio constet. Nam, nec illi corpora aegrota competenter curare, nec isti quicquam ex rebus gerendis rectè obire poterunt, nisi adsit eorum cognitio, de quibus loquimur. *ibid.*

Quemadmodum regula etiamsi longitudine minor, & latitudine humilior sit, tamen id habet, quod regulae proprium est, regula vocatur: si verò ad rectitudinem, & proprium regulae non accesserit, omnia potius, quam regula vocari debet: Sic etiam Historiographorum commentarij, etiamsi, vel dictione, vel vsu, vel alia re quapiam ab ijs partibus, quae ipsis propriae sunt, aberrauerint, si veritatem retinuerint, nomen historiae recipiunt: si verò à veritate defecerint, non amplius historiae nomine vocādi sunt. *Locrasium est hac similitudo apud Polybium, lib. 12. Historiar. non procul à principio.*

Quemadmodum corpus animatum, si ossa sint exempta, totum redditur inutile: Ita, & historia, si veritatem illi abstuleris, quod reliquum est, inanis redditur. *lib. 12. Historiar.*

Politiani. Quemadmodum vsu videmus optima natura cibos pendente reijci, cum sordidius parati sunt: Sic etiam historiam, quae ornatu suo, & nitore vacat, contemnendam, reijciendamq; existimamus. *lib. 10. Epist.*

Ioannis Campani. Vt anni vices poma, sic aetates ingenia suo decori, atque ornamento pepererunt: nec tempus vllum fuisse censeo, in quo, & qui gerere praeclaras res, & qui gestas scribere possent, natura abunde non tulerit: alteros, vt tamquam meterent gloriae segetem, alteros, vt horreo penuque repositam instruendae posteritati, tamquam familiae alendae, reseruarent. *In Praefatione in libros de Andreae Bracciy reb. gestis.*

P. M. Sicut sal modice cibis aspersus condit, & gratiam saporis addit: Ita si paulum antiquitatis, aut ioci admiscueris, oratio fiet venustior, si plus satis, nihil insuauius. *In similib.*

H I S T R I O.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Histrio. Histriones sunt, qui muliebri indumento gestus impudicarum foeminarum exprimebant: ij autem saltando etiam historias, & res gestas demonstrabant. Dicti autem Histriones, siue quod ab Histria id genus sit adductum, siue quod perplexas historijs fabulas exprimerent, quasi historiones. *Isidor. Orig. li. 18. c. 48.*

PHILOSOPHORVM SENTENTIAE.

De histrionibus. DIAL. XXVIII.

Francisci Petrarchae.

G A V D.

Delector histrionum iocis. R. Nobilior multo delectatio illa est, quae de modulatione musica liberali, scilicet quadam arte percipitur haec solius vanitatis, & impudentiae plena est. G. Histrionibus delector. R. Malim pauperibus, malim amicis humilibus, malim tandem solitudine delecteris. G. Histriones mihi risum mouent. R. Quid tu illis? quoties de se dominum ridentem risit histrio? quoties se mirantis amentiam admiratus finxit aliquid, quo falso illum, verè se autem delectaret. G. Histriones doctos habeo. R. Habes, de quibus rideas, quique te rideant, & te ro-

rodant. Pestis diuitum peruetusta, quæ ab Etruscis orta Romæ creuit adeo, eoque fiduciæ est euecta, vt Aesopus hinc quæstum patrimonium incredibilem, atque immensum filio dimiserit, & Roscius vagam, sparsamque, rem arte collegerit, de histrionica librum scribens, in quo artem suam oratoriæ, seque periade Ciceroni æquare non erubuit; eam scilicet ob causam, quod affectus animi, conceptusque abditos, quos Cicero verbis ornatis variè pronunciaret, ipse alio modo, sed affectu pari gestibus aptis exprimeret. Et sanè, fuit ille mirus artifex, nec scio, quid tam durum esse, vel tam inficetum poterit, quod non facilè leniisset, non dico, qui facilimè, atque minimum Ciceronis amicitiam ingenio meruit, dignusque, pro quo tantus orator verba faceret, & de quo scriptum opus memoriæ posterorum traderet, est habitus. Sed qui tetricum, ac superbum Syllæ animum inflexit, & ab illo omnium contemptore admissus in gratiam, annuloque aureo donatus est, qui tot grauta & seueros senes, senatumque; illum per frena orbia agebantur, quoties voluit, ad ritum, ac lætitiam coegit, qui populum Romanum tantum, & tam varium, sic illexit, vt diurnum salarium de publico mille denarios sine gregalibus, ac ministris solus ipse perciperet. Magna merces, quamuis ea igua fingatur moneta, non sine mira quadam, & insolita agilitate animi hoc fieri posse consensus, vt si quis vsquam Roscius affuerit, non tibi forte sit vetitum, quod Ciceroni licitum fuit, non solum ludis interdum, sed familiaritate eius, & ingenio vti. Est enim ingenijs, inter se quamquam studio, & professione distantibus, multa cognatio, vbi verò hunc quæ rimur, multum breui tempore nobilissimæ artis in retroc esse: ne dicam histriunicam, quæ eo rediji, vt tunc illi dedi tos, corrupto gustu, alioqui iudicio esse non fitdubium. Profectò enim consequens est, vt quibus mala bene sapiunt, bona illis ignota sint. & curis nobilibus insuetos esse, qui vilibus delectantur. G. Multi cotidie me frequentant histriones. R. Frequentare te desinent, quum tu diues, aut largus (dicam rectius) quum tu stultus, & prodigus esse desieris. G. Magna mihi actea histrionum est. R. Immo muscarum, quæ te vestum comitentur, siccumque delituant, nec destituisse sufficerit, nisi hunc plausum par sequitur infamia. Sunt linguæ, quibus quiesa, ac silentium pœna est, numquam verò nisi de alijs loqui iuuat, aut falso laudant, aut liuide detrahunt, & quorum nequeunt mordere diuitias, famam mordent. Vna est histrionum, atque parasitorum lex, vtrique blanditijs armati post fortunam eunt. Verum illis ventrem impleffe sana est, his alia famet, cibi mentio iniuriæ genus est, implenda cupiditas fundo carens.

Histriones cur improbis mentibus magna ex parte sunt? quia non se dedunt studio sapientiæ, & incontinentiæ operam dant. *Arist. probl. sec. 30. nu. 9.*

HOMICIDIVM.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Homicidium, Græcè ἀνδροφονία homicida dicitur. Est autem homicidium hominis ab homine facta cædes. Homicidium voluntarium dicitur, quod animo, & intentione occidendi hominem cum effectu perpetratur. Componuntur homicidia, & homicidium ex homo, & cædo.

Loci Biblici.

Homicidij pœna, *Leu. 24. v. 17. Num. 35 v. 16. 31. 1 Reg. 2, 34. 2. Regum 14. 5. Esaia 26. 21. Thren. 4. 13. 14. Ezech. 22. 4. & 36 17. Matth. 5. 21. & 26. 52. Luc. 11. 50.*

Homicidæ fugientis lex, *Deut 19. ver. 4.* Homicidarum mos, *Iob 24. v. 14.* Eorum, qui contra hominum opinionem perpetrantur, apud Deum censentur, tres gradus constituuntur, *Mat. 5. 22.* Vnus gradus est eorum, qui intus duntaxat aduersus proximum commouentur. Alter eorum, qui eo vsque efferuescunt, vt iracundum aliquid euomant. Tertius denique eorum, qui in apertū aliquod conuitium erumpunt. Homicida Diabolus, *Ioan. 8. v. 44.* Homicida est, qui fratrem suum occidit, *1. Ioan. 3. 15.* Homicida voluntarius occidendus, *Deut. 19. v. 11. &c.*

Homicidium, quam exsecrandum, *Gen 4. 11. Exod. 21. 28. 1. Reg. 25. & 21. 19.* damnatur, *Gen 9. 6. Exod. 20. 13. Deut. 27. 24. Psal. 5. 7. Prou. 6. 17. Ezech. 33. 25. Matth 5. v. 21. & 26. 52. Rom. 1. 29. Gal 5. 21. 1. Petr. 4. 15.* Homicidium voluntarium, *Exod. 21. v. 12. 14. Deut. 19. 11.* fortuitum, *Exod 21. 13. Num. 35. v. 22. 23. 24. 25. Deut. 4 v. 41. 42. & 19. v. 4. 5.* Homicidium, cuius author ignoratur, quomodo expiandum, *Deut. 21. v. 1. 2. 3. 6. 7.* Homicidij variæ species, *Prou. 28. 24. Esa. 1. 21. Ierem. 7. 11. Ezech. 9. 9. Mich. 3. 10. Matth. 5. 22. Ioann. 8. 37. 44. Apoc 9. 21. & 13. 10. & 16. 6. & 18. & 22. 15.*

Sententiæ Biblicæ.

Homicidium spirituale.

Omnis, qui odit fratrem suum, homicida est. Et scitis, quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem. *1. Ioan. 3.*

Homicidium corporale firmiter prohibetur.

Non occides. *Exod. 20. & 23. Deut. 5.*

Sanguinem enim animarum vestrarum requiram de manu cunctarum, bestiarum, & de manu hominis, & de manu viri, & de manu fratris requiram animam hominis. Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius. Ad imaginem quippe Dei facta est homo. *Gen. 9.*

Qui percusserit hominem volens occidere, morte morietur. *Exod. 21.*

Si quis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias, ab altari meo auelles eum, vt moriatur. *ibid.*

Si rixati fuerint viri, & percusserit alter proximum suum lapide, vel pugno, & ille mortuus non fuerit, sed iacuerit in lecto: si surrexerit, & ambulauerit foris super baculum suum, innocēs erit, qui percusserit: ita tamen, vt opera eius, & impensas in medicos restituat. *ibid.*

Si rixati fuerint viri, & percusserit quis mulierem prægnantem, & abortiuum quidem fecerit, sed ipsa vixerit, subiacebit damno, quantum maritus mulieris expetierit, & arbitri iudicauerint. Si autem mors eius fuerit subsecuta, reddet animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, vulnus pro vulnere. *ibid.*

Si bos cornu percusserit virum, aut mulierem, & mortui fuerint, lapidibus obruetur, & non comedentur carnes eius: dominus quoque bouis innocens erit. *ibid.*

Qui percusserit hominem, & occiderit, morte moriatur. *Leu. 24.*

Si quis ferro percusserit, & mortuus fuerit: qui percusserit, reus erit homicidij, & ipse morietur. *Num. 35.*

Si lapidem iecerit, & ictus occubuerit, similiter punietur. Si ligno percussus interierit, percussoris sanguine vindicabitur. *Ibid.*

Homicida sub testibus punietur: ad vnius testimonium nullus condemnabitur. Non accipietis precium ab eo, qui reus est sanguinis, statim & ipse morietur. *Ibid.*

Nemo occidatur, vno contra se dicente testimonium. *Deut. 17.*

Omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt.

Frequenter oritur ex inuidia.

Sic Iudæi Christum cruci affigi iusserunt: Sciebat enim, quod per inuidiam tradidissent eum. *Matth. 27.*

Sententiæ Patrum.

Ille gladium accipit, qui nulla superiore, ac legitima potestate, vel iubente, vel concedente, in sanguinem alicuius armatur. *Aug. lib. 2. contra Manichæos, & hab. 23. q. 4. 24. Ille gladium.*

Si non licet priuata potestate alicui hominem occidere innocentē, cuius occidendi licentiam lex nulla concedit: profectò etiā qui seipsum occidit, homicida est: & tanto nocentior, cum se occiderit, quanto innocentior in ea causa fuit, qua se occidendum putauit. *Aug. lib. de Ciuit. Dei, & hab. 23. q. 5. Si non licet.*

De occidendis hominibus, ne ab eis quisquam occidatur, non mihi placet consilium, nisi forte sit miles, aut publica functione teneatur, vt non pro se hoc faciat, sed pro alijs, vel pro ciuitate, vbi etiam ipse est, accepta legitima potestate, si eius congruit personæ. *Idem ad Publ. & hab. 23. q. 5. De occidendis.*

Qui sine publica administratione maleficum interfecerit, velut homicida iudicabitur, & tanto amplius, quanto sibi potestatem à Deo non concessam vsurpare non timuit. *Idem lib. 1. de Ciuitate Dei.*

Homicida dicitur Diabolus, non gladio armatus, non ferro accinctus, ad hominem venit. Verbum seminauit, & occidit: noli ergo te putare non esse homicidam, quando fratri tuo mala persuades, occidis: vt scias, quia occidis, audi Psalmistam: Filij hominum dentes eorum, arma, & sagittæ linguæ eorum, & machæra acuta. *Idem sup. Ioan.*

Homicidium lege vetitum, putabatur non aliud esse, nisi corporis peremptio. Aperuit ergo Dominus omnem iniquum motum ad nocendum fratri in homicidij genere deputari. *Idem. & hab. de pænit. dist. 1. Homicidium.*

Periculose decipiuntur, qui æstimant eos tantum homicidas esse, qui manibus hominem occidunt, & non potius eos, per quorum consilium, & fraudem, & hortationem, homines extinguuntur. *Aug. & hab. ibid. Periculose.*

Si quis non iratus, sed propter disciplinam, aliquem verberauerit, vel palmam alicui dederit, & casu occiderit: sicuti heri solet, quantum ad grauiam innocens est, quia voluntatem non opus requirit, quantum autem ad regem, reus est: quia opera lex quærit. *Hieron. & hab. 15. q. 1. Si quis.*

Non est nostrum mortem arripere, sed illatam ab alijs libenter accipere. *Hier. in Ionam Prophetam, & hab. 23. q. 5. Non est nostrum.*

Omnit iniquitas, & oppressio, & iniustitia iudicium sanguinis est: licet gladio non occidas, voluntate tamen interficis. *Hier. & hab. de pænit. dist. 1. Omnis iniquitas.*

Miles quum obediens potestati, sub qua legitimè constitutus est hominem occidit, nulla ciuitatis suæ lege reus est homicidij, imò nisi fecerit, reus est Imperij deserti, atque contempti. Quod

si sua sponte, atque authoritate fecisset, in crimen effusi humani sanguinis incidisset. Itaque vnde punitur, si fecerit iniussus, inde punietur si non fecerit iussus. *Hieron. in Ionam Prophetam, & hab. 23. q. 5. Miles.*

Cum minister Iudicis occidit eum, quem iudex iussit occidi; profectò si id sponte facit, homicida est, etiamsi eum occidat, quem scit a iudice debuisse occidi. *Hieron. in quæst. Exod. & habet. 23. q. 5. Cum mini ler.*

Lex æterna ita medio quodam loco posuit aliqua, vt in eis vsurpandis merito reprehendatur audacia, in exequendis iure laudetur obedientia. Abraham si spontaneus in occidendo filio motus fuisset, execrabilis haberetur: at iubenti Deo obsecundans famulatus est. *Hier. ibid. & hab. ibid. Lex.*

Pythagoræ præceptum fuit, nisi iussu Imperatoris, scilicet Dei, de statione non discedere, id est, animam è corpore non educere. *Ambros. lib. 3 de Offic.*

Si in mortem Longobardorum me miscere voluissem, hodie Longobardorum gens, nec regem, nec ducem haberet: sed, quia Deũ timeo, in mortem cuiuslibet hominis me miscere formido. *Greg. & hab. 23. q. 8. Si in mortem.*

Tot occidimus, quot ad mortem ire quotidie tepidi, & tacentes videmus. *Greg. sup. Ezech.*

Non interest quis occidat, si innocentem aliquis occidendum esse pronunciet. *Cassiod. sup. Psal. 62.*

Poetica Sententiæ.

Pallades.

Εἰ τὺς ἀνδροφόνους δ' ἐυτυχοῦντας ὁρῶμεν,
Οὐ πάνυ θαυμάζω τῦ Διὸς ὅτι γέρας.
Τὸν γὰρ γεννήσαντα μιαιφονίαις καὶ ἐκεῖνος
Κτεῖνε ἄν, εἰ ὁ κρόνος θνητὸς ἐτύγχανεν ὤν.
Ἀντὶ δὲ τῦ τείνειν σὺν τοῖς τιτᾶσι κολάζει
Δησμίον ὡς λῃστὴν εἰς τὸ βάραθρον ἀφείς.
Si homicid s felices esse videmus,
Non valde admiror Iouis est honor.
Genitorem enim odio persequens, & ille
Interfecisset utique si Saturnus mortalis fuisset.
Sed loco cædis cum Titanibus punit.
Ligatum tamquam latronem in barathrum immittens.

Ouid. Fast. lib. 2.

Ah nimirum faciles, qui tristia crimina cædis
Fluminea tolli posse putatis aqua.

Idem art. lib. 1.

Vacuas cædis habere manus.

Silius lib. 4.

Cædumque feros auertit a visus.

Tibul. lib. 3. Eclog. 8.

Nec mea mortiferis infecit pocula succis
Dextera, nec cuiquam certa venena dedit.

Iuuenal. satyr. 10.

Et qui nolunt occidere quemquam
Posse volunt.

Idem Satyra vltima.

Sed iam serpentum maior concordia parcit.
Cognatis maculis similis fera quando leoni.

Philosophorum Dicta.

Homicidium iræ causa bifariam distinguitur. Nam peragitur cædes ab his, qui de repente, & nulla occidendi præmeditatione plagis, aut aliquo huiuscemodi impetu confestim oriente, aliquem occiderint, & pœnitentia statim factum sequitur. Vel, qui verbis antea lacessiti, aut contumelija factis vltionem prosequentes postea aliquem occiderint: volentes ipsum occidere, & nulla sequitur ad factum pœnitentia: hic voluntario similis est, ille inuoluntario, seu potius inuoluntarij imago: contra primum leuiores pœnas, contra secundum grauiores sancire oportet. *Plat. de leg. dia. 9.*

Exempla Biblica.

Homicidij, & occisionis exempla: Cain, *Genesis* 4. 8. Sichem, Leui, & alij, 34. 25. Moyses, *Exod. 2. vers.* 11. 12. Phinees, *Num.* 25. 7. 8. Iosuah, & Israelitæ, *Ios.* 6. 20. 21. & 8. *ver.* 22. 23. & 10. 20. *&c.* & 11. 11. Gedeon, *Iudic.* 7. 25. & 8. 21. Abimelech, 9. 5. Mulier quædam, 53. Iahel. 4. 21. Samson, 15. 15. Israelitæ, 20. 44. 45. 46. Ionathas, & armiger, 1. *Sam.* 14. 14. Saul, 15. 7. 8. Dauid, 17. 50. 2. *Sam.* 11. 15. & 12. 9. Doeg. Idumæus, 1. *Sam.* 22 *v.* 18. 19. Puer Dauidia, 2. *Sam.* 1. *v.* 14. 15. Ioab, 3. 27. Pueri Dauidis, 4. 12. Baan, Rechab, &c. *vers.* 7. Viri Rabba, 11. 15. Pueri Absalonia, 13. 28. 29. Ioab, & eius Armigeri, 14 14. 15. Ioab, 20. 9. 10. Gabaonitæ, 21. 9. Banaias, 23. 21. 1. *Reg.* 2. 34. Pharao Salomonis socer. 9. 16. Leo, 13. 24. Baala, 15. 18. Zimbri, 16. 10. Elias, 18. 40. Filij Israel, 20. 20. Vir quidam, 22. 34. Rex Moab, 2. *Reg.* 3. 27. Turba, 7 17. Iehu, eiusque Duces, & milites, 10. 7. Athalia, 11. 1. Centuriones, *v.* 16. 20. Serui, 12. 21. Rea Syriæ, 15. 7. Amasias, 14. 7. Salium, 15. 10. Manahen, 14. Phacee, *v.* 25. Oseæ, *vers.* 30. Rea Assyriorum, 16. *v.* 1. 2. 9. Serui Amon, 21. 23. 2. *Paralip.* 33. 24. Iosias, 2. *Reg.* 23. 20. Nabuchodonosor, 25. 7. Saul, 1. *Paralip.* 10. 4. Ioas, 2. *Paral.* 24. 22. Amasias, 25. 21. 22. 27. Iudith, *Iudith* 13. 8. 9. 10. Rex Babilonis, *Ierem.* 39. 6. Ismael, 41. 10. Gobria, & Gadata, satrapæ Cyri, interfectores Baldasaris, *Dan.* 5. 30. *teste Xenophonte lib.* 7. Duo Presbyteri, *Daniel.* 13. 62. Rex, 14 *v.* 20. 21. Alexander, 1. *Mach.* 1. 2. Iudas, 3. 11. & 5. 28. Ptolomenenses, 12. 48. Tryphon, 13. 22. Ptolomæus cum suis, 16. 16. Andronicus, 2. *Mach.* 4. 34. Populus, 41. 42. Antiochus, 5. 11. 13. & 6. 10. Iudas Machabæus cum suis, 8 30. & 12. 26. Dositheus, & Sosipater, *vers.* 9. Herodes Ascalonita, *Matth.* 2. 16. Herodes Antipas, 14. 10. Herodes Agrippa, *Act.* 12. 1. Agricolæ, *Matth.* 21. 38. Theudas, Iudas Galilæus, *Act.* 5. 36. Iudæi, 7. 52. 1. *Thess.* 2. 15.

H O M O.

Definitio et Etymolog.

Homo, Græce ἄνθρωπος, *nomen* dicitur. Est autem homo animal rationale, & mortale. Dicitur que non ab humo, vt Varro, inquit, quoniam, id est, commune omnibus animalibus, sed à concordia: nam ὁμόνοια *est*, concordia est, & consensus, & ὁμονοέω, quod est concordo, consentio. Est enim homo omnium animalium maximè sociabilis. Quare a consortio, & concordia hominem dictum existimamus. Ab homo veniunt eius diminutiua homuncio, homunculus, qui Græcè ἀνθρωπάριον dicitur.

Loci Biblici.

Homo ad imaginem Dei formatur, *Gen.* 1. 27. & 5. 1. & 96. à Deo rectus creatus, *Eccles.* 7. 30. Homo terræ fictus, *Genes.* 2. 7. 1. *Cor* 15. 45. collocatur in paradiso voluptatis, *Genes.* 2. *v* 8. 15. Hic corrumpitur, 3. *v* 6. 7. *Rom* 5. 12. Eius natura corrupta nihil nisi corruptum profert, *Genes.* 6. 5. & 8. 12. *Iob* 15. 16. *Ierem.* 17. 9. *Matth.* 17. 11. *Ioan.* 3. 19. *Rom.* 3. 4. & 8 7. *Ephes.* 2. 3 *Tit.* 2. 3. Corruptionis eius pœnæ: prima, labor, & mors, *Genes.* 3. 17. Secunda, eiectio è paradiso voluptatis, *vers.* 23. Tertia generatio posteritatis obnoxiæ iræ Dei, & peccato, *Psal.* 51 6. *Ephes.* 2. 3. nascuntur ad labores, *Iob* 5 7. Peccatores, *Genes.* 6. 5 & 8. 21. 1. *Reg* 8. 46. *Iob* 14. 4. *Psal.* 13. 3. & 143. 2. *Prou.* 29 & 14. 16. *Eccles.* 7. 21. *Esa.* 53. 4. *Matth.* 19. 25. *Ioan.* 3. 6. *Rom.* 3. 9. 10. 12. 20. 23. & 5 12. & 11. 32 *Galat.* 2. 17. & 3. 22. *Ephes.* 2. 3. 1. *Ioan.* 1. *v.* 8. 10. sortis miseræ, & infelicis, 2. *Samuel.* 14 14. 1. *Paralip.* 29. 15. *Iob* 7. 1. & 14. 1. *Psal.* 39. 6 Vani, *Iob* 1. 21. & 8. 9. & 25. 6. *Psalm.* 8. 5. & 39. *v* 6. 9. & 49. 18. & 62. 10. & 82. 7 & 94. 20. & 103. 14. & 144. 4 & 146. 3. *Eccles* 4. 3. & 5. 14. *Esa.* 31. 3. & 40. 7. & 51. *v.* 8. 12. *Ierem.* 17. 5. 1. *Cor.* 3 20. 1. *Tim.* 6. 7. *Hebr.* 2. 6. 1. *Pet.* 1. 24. Morti obnoxij. *Psal.* 89. 49. 1. *Sam.* 6. 9. *Eccles* 3. *v.* 2 10. & 9 *v.* 3. 10. 11. *Rom.* 5. 12. *Hebr.* 9 27. *Vide* 1. *Cor.* 15. 15. 1. *Thess.* 4. 15.

Hominis vocabulum primo interdum indefinitè, & vniuersaliter quemuis hominem significat, & pro, quidam, ponitur, Hebræorum more, *Matth.* 16. 26 & 20. 1. *Marc.* 8. 36 *Luca* 18. 2. Secundo, interdum de singulari quodam dicitur, *Matth.* 12. 45. *Marc* 14. 21. Tertio interdum per quamdam similitudinem, & parabolam effertur, *Matth.* 7. 9. & 18. 23. Quarto interdum non iam naturam, quam eius corruptionem, & errores designat, *Matth.* 15. 9. *Rom.* 3. 4. Quinto, collectiuè significat Ecclesiam ex Iudæis, & gentibus in vnum quasi corpus collectam, & compactam, *Ephes.* 1. *v.* 15. Hunc hominem Paulus à capite, omnium præstantissima videlicet parte, vocat Christum, 1. *Cor.* 12. *v.* 12. Sexto qualitatum in eo respectu, homo alias internus, & nouus, alias internus, & vetus dicitur, *Ephes.* 4 *vers* 24. Septimo, κατ᾽ ἐξοχὴν, homo alteram sui partem, quæ immortalis est, & spiritui opponitur, significat, 2. *Cor.* 4 *v.* 16. Octauo, relationem, & ordinem si spectes, præ alijs celebratur in sanctis Scripturis, Homo primus, & secundus, 1. *Cor.* 15. 47. Nono, relationis autem (quæ inter summum Dominum, & Patrem, ac adoptiona filios) est ratione, homo Dei nuncupatur is, qui fidam obedientiam eidem præstare satagit, 1. *Timoth.* 6. 11. 2. *Tim.* 3. 17. Decimo, κατ᾽ ἐξοχὴν, Christus Iesus, Redemptor mundi, Homo dicitur, *Marc.* 15. 30. Vndecimo, cum epitheo peccati Antichristum significat, 2. *Thess.* 1. 3. Duodecimo, à gubernatoribus dicitur, alius quidem animalis, alius vero spiritualis, 1. *Corinth.* 2. 14. Decimotertio, caput, & pro filio, *Matth.* 10. 35.

Hominis partes Anima, & corpus, *Matth.* 10. 28. 1. *Thessalonic.* 5. 25. Homo non frustra creatus, *Psalm.* 89. 48. Hominum corda in manu Dei, ita, vt ea, vel emolliet, vel induret, prout ipsi visum fuerit, *Genesis* 31. 24. & 45. 14. *Exod.* 4. 21 & 7. 3. *Leuitic.* 26. 36. *Deuteronom.* 2. 30 & 28. 65. *Iosu.* 11 20. *Iud.* 9. 53. 1. *Samuel.* 10. 26. & 11. 16. 2. *Samuel.* 17. 14. 1. *Reg.* 8. 58. & 18. 37. 2. *Paral.* 36 32. 1. *Esdr.* 2. *ver.* 1. 5. & 6. 22. & 7. 26. *Nehem.* 7. 5. *Iob* 12. 20. 24. *Psal.* 33. 15. & 105. 25. & 106. 44. 46. & 107. 40. & 119. 36. *Prou.* 15. 11 & 16. 7. & 21. 1 *Esaia* 5. 26 & 7. 18. & 10. 15. & 63. 17. *Ierem.* 24. 7. *Ezech.* 11. 7. 26. & 11. 19. & 12. 13. *Daniel.* 1. 9. *Agg.* 1. 14. *Marc.* 11. 36. *Actor.* 2. 17. 47. & 7. 10. 2. *Corinth.* 8. 16. 2. *Thessal.* 2. 10. *Apocal.* 17. 17. Hominum corda a

Deo

Deo probantur, *Prou.* 17.3 & 21.2. fide ille purificat, *Act.* 13.5. Homo Dei, pro eo quem spiritus Dei regit, vt Prophetam, & Dei interpretem, Hebr. aimos, 1. *Tim.* 6.11. 2. *Tim.* 3.17. Hominis præ reliquis Dei creaturis excellentia, *Psalm.* 8. v. 6. *Matth.* 6.26. & 12. 12. *Hebr.* 1.7.

Sententiæ Biblicæ.

Hominis veteris renouatio.

Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cælestis. Qualis terrenus, tales, & terreni, & qualis cælestis, tales, & cælestes. Igitur sicut portauimus imaginem terreni, portemus, & imaginem cælestis. 1. *Cor.* 15.

Licet is, qui foris est, noster homo corrumpatur: tamen is, qui intus est, renouatur de die in diem. 1. *Cor.* 4.

In Christo enim Iesu, neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed noua creatura. *Galat.* 6.

Vos autem non ita didicistis Christum: si tamen illum audistis, & in ipso docti estis, sicut est veritas in Iesu. Deponite, secundum pristinam conuersationem, veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris. Renouamini autem spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis. *Ephes.* 4.

Nunc autem deponentes vos omnia, iram, indignationem, malitiã, blasphemiam, turpem sermonem de ore vestro. Nolite mentiri inuicem: expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes nouum, eum, qui renouatur in agnitionem Dei, secundum imaginem eius, qui creauit illum. *Colos.* 3.

Hominis nobilitas ob animæ sublimitatem.

Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram. *Genes.* 1.

Ad imaginem quippe Dei factus est homo. 9.

Minuisti eum paulo minus ab Angelis. *Psal.* 8.

Quoniam Deus creauit hominem inexterminabilem, & ad imaginem similitudinis suæ fecit illum. Inuidia autem Diaboli mors introiuit in orbem terrarum. *Sap.* 2.

Humilitas ob materiæ vilitatem.

Formauit igitur Dominus hominem de limo terræ. *Gen.* 2.

Manus tuæ Domine fecerunt me. Memento quæso, quod sicut lutum feceris me, & in puluerem reduces me. *Iob* 10.

Homo vanitati similis factus est. *Psal.* 143.

Vnus ergo introitus est omnibus ad vitam, & similis exitus. *Sap.* 7.

Nec enim omnia possunt esse in hominibus, quoniam non est immortalis filius hominis, & in vanitate mali æ placuerũt. *Eccl.* 17.

Ecce vos estis ex nihilo, & opus vestrum ex eo, quod non est, abominatio est, qui elegit vos. *Esa.* 41.

Væ qui contradicit factori suo testa de samijs terræ. Numquid dicit lutum figulo suo, quid facis? & opus tuum absque manibus est? 4.

Exortus est sol cum ardore, & arefecit fœnum, & flos eius decidit, & decor vultus eius deperijt. Ita, & diues in itineribus suis marcescet. *Iacob.* 1.

Ob vitæ breuitatem.

Hesterni quippe sumus, & ignoramus, quoniam sicut vmbra dies nostri super terram. *Iob* 8.

Numquid non paucitas dierum meorum finietur breui? 10.

Ecce enim breues anni transeunt, & semitam per quam non reuertar, ambulo. 16.

Ecce mensurabiles posuisti dies meos: & substantia mea tamquam nihilum ante te. *Psal.* 38.

Si autem in potentatibus octoginta anni, & amplius eorum labor, & dolor. 89.

Dies mei sicut vmbra declinauerunt: & ego sicut fœnum arui. 101.

Nescit homo finem suum, sed sicut pisces capiuntur hamo, & aues laqueo comprehenduntur: sic capiuntur homines in tempore malo, cum eis extemplo superuenerit. *Eccl.* 9.

Vmbra enim transitus est tempus nostrum. *Sap.* 2.

Transierunt omnia illa tamquam vmbra, & tamquam nuntius præcurrens; sic, & nos nati continuo desinimus esse. *Sap.* 2.

Omnis caro sicut fœnum veterascet, & sicut folium fructificans in arbore viridi. Alia generantur, & alia deijciuntur, sic generatio carnis, & sanguinis alia finitur, & alia nascitur. *Eccl.* 14.

Vox dicentis clama, & dixi: Quid clamabo? Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos agri. Exsiccatum est fœnum, & decidit flos: quia Spiritus Domini sufflauit in eo. Verè fœnum est populus. *Esa.* 40.

Quia omnis caro, vt fœnum, & omnis gloria eius tamquam flos fœni: Exaruit fœnum, & flos eius decidit: verbum autem Domini manet in æternum. 1. *Pet.* 1.

Ob miseriæ multiplicitatem.

In sudore vultus tui vesceris pane tuo. *Gen.* 3.

Homo nascitur ad laborem, vt auis ad volatum. *Iob* 5.

Militia est vita hominis super terram, & sicut dies mercenarij dies eius. 7.

Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miserijs. Qui quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra, & numquam in eodem statu permanet. 14.

Quid enim proderit homini de vniuerso labore suo, & afflictione spiritus, qua sub sole cruciatus est? Cuncti dies eius doloribus, & ærumnis pleni sunt, nec per noctem mente requiescit: & hoc nonne vanitas est? *Eccles.* 3.

Est, & alia infirmitas pessima, quam vidi sub sole: Diuitiæ conseruatæ in malum sui. 5.

Quid ergo prodest ei, quod laborauit in ventum? *ibid.*

Corpus enim, quod corrumpitur, aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. *Sap.* 9.

Occupatio magna creata est omnibus hominibus, & iugum graue super filios Adæ à die exitus de ventre matris eorum, vsque ad diem sepulturæ in matrem omnium. *Eccl.* 40.

Omnia, quæ de terra sunt, in terram conuertentur, & aquæ omnes in mare conuertentur. *ibid.*

Patrum Sententiae.

Ad hoc homo positus erat in paradiso, vt si se ad conditoris sui obedientiam vinculis charitatis adstringeret, ad cœlestem Angelorum patriam, quandoque sine carnis morte transiret. *Greg.* 4. *Mor.*

Homo ad contemplandum creatorem suum conditus est. *li.* 8.

Quia homo de humo sumptus est, iudicia Dei discutere illius non est. *lib.* 21.

Animalia fecit Deus propter hominem, hominem propter seipsum. Si ergo animalibus ministrat propter hominem, quomodo hominibus non ministrabit, propter seipsum? *Chry. op. imp. super Matt.*

Omnem creaturam sensibilem Deus armatam, & munitam creauit, alios veloci pedum cursu, alios vnguibus, alios pennis, alios cornibus, hominem solum sic disposuit, vt virtus illius sit ipse Deus, & in eo quo inferiorem eum fecit, in ipso fortiorem esse voluit in se, vt necessitate infirmitatis coactus, semper necesse habeat dominum suum requirere. *ibid.*

Præ omnibus malis homo est pessimum malum. Qualibet bestia vnum habet, & proprie malum, homo autem omnia: Diabolus enim ad iustum accedere non audet, sed malus homo nõ timet, sed contemnit. *ibid.*

Comparatus est homo iumentis, &c. Peius est comparari, quam nasci: naturaliter non habere rationem, tolerabile est: hominem verò ratione decoratum irrationabili naturæ comparari, voluntatis crimen est. *hom. in Ascensione.*

Qui vsum vestimentorum prius adinuenit, considerauit, quod singula quæque nascentium propria quædam habebant munimenta, quibus naturam suam ab incommodis defendunt. Cortex ambit arborem, penna tegit volucrem, piscem squama operit, lana ouem induit, pilus iumenta, & feras vestit: concha testudinem excipit, ebur elephantem: iacula nec timere facit, nec tamen sine causa factum est, quod cum singula animalium naturæ suæ arma habeant secum nata, solus homo inermis nascitur, & nudus. Oportuit enim, vt illis, quæ sibi prouidere nesciunt, natura consuleret, homini autem ex hoc etiam maior experiendi occasio præstaretur: cum illa, quæ cæteris naturaliter data sunt propria sibi ratione inueniret: multò enim magis enitet nunc ratio hominis, hæc eadem inueniendo, quam habendo claruisset: nec sine causa prouerbium sonat, quod ingeniosa fames omnes excuderit artes. *Hug. in didasc. l.* 1.

Vide, homo, dicit mundus, quomodo amauit te, qui propter te fecit me, seruio tibi, quia factus sum propter te, vt seruias illi, qui fecit, & me, & te: me propter te, & te propter se. Si sentis beneficium, redde debitum: si accipis benignitatem, redde charitatem. *ibid.*

Omne hominum genus etsi ignoret, qualem Deum habere debet, tamen habendum scit. *Idem. lib.* 1.

Infructuosa intricat cespitem, necat spacia, exhaurit terræ vires, cultorem conficit, damno afficit possidentem, ac si excidere istã lucrum est, istam non habere commodum est, sic homo vtique qui naturæ donum, munus animæ, rationis beneficium, excellentiam sensus, iudicium mentis, artis industriam, culturæ bonum steriles, atque inopes actus euerrit, occupat, mergit authori fructum, cultori gratiam negat: vnde sicut arbor à terra, sic ille à vita meretur excidi. *Pet. Rau.*

Anima facta est similis Deo, quia immortalem, & indissolubilem fecit eam Deus. Imago ergo ad formam pertinet, similitudo ad naturam. *August. lib. de quantitate animæ.*

Alia vita pecorum, alia hominum, alia Angelorum: vita pecorum terrenis voluptatibus æstuat, id est, sola terrena quærit: vita Angelorum, sola cœlestia: vita hominum media, & inter vitam Angelorum, & vitam pecorum. Si viuit homo secundum carnem, pecoribus coniungitur: si secundum spiritum, Angelis sociatur. *August. super Ioan. serm.* 18.

Procliuis, & mutabilis est, in vtrumque humana conditio, vt quocumque intenderit, eo perpendat, & vergat, vel ad studia virtutum, vel ad illecebras delictorum. *August. lib. de Ioseph.*

Homo nihil aliud est, quam sperma fœdidum, saccus stercorum, & cibus vermium. Post hominem vermis, post vermem fœtor, & horror, sic in hanc speciem vertitur omnis homo. *Bernard. lib. Meditat. c. 3.*

Cor hominis sicut molendinum voluitur velociter, & nihil respuit, sed quicquid imponitur, molit, si autem nihil apponitur seipsum consumit: semper est in motu, numquam quiescit: sed siue dormiat, siue vigilet, somniat, & cogitat quicquid illi occurrit. Et sicut molendinum arenam, si imponitur, exterminat, pix inquinat, palea occupat: sic cogitatio amara perturbat, immunda maculat, vana inquietat, & fatigat, & dum futurum non curat gaudium, nec diuinam quærit auxilium, ab amore cœlesti elõgatur, & inuoluitur in illis vanis, vanitas illud recipit, curiositas deducit, cupiditas allicit, voluptas seducit, & polluit luxuria, torquet inuidia, turbat iracundia, cruciat tristitia. *Ibid. c. 9.*

Septem sunt de essentia hominis, quæ si homo consideraret, in æternum non peccaret, scilicet materia vilis, operatio turpis, exitus flebilis, status instabilis, mors tristabilis, dissolutio miserabilis, damnatio detestabilis, & consideratio gloriæ ineffabilis. *Bern. de consideratione vilitatis humanæ.*

Donec in carne est anima, inter spinas profectò versatur, & necesse est, vt patiatur inquietudines tentationum, tribulationumque aculeos. Videat, quam vigilem solicitamq; esse oporteat super custodia sui, septa vndique spinis hinc inde aculeos intendentibus, vnde dicitur: Sicut lilium inter spinas. *Idem sup. Cant. ser. 48.*

Homo cum in honore esset, non intellexit. In quo honore? Habitabat in Paradiso, & in loco voluptatis conuersatio eius: nihil molestiæ, nec indigentiæ sentiebat, odoriferis stipatus malis, felicitus floribus, gloria, & honore coronatus, & constitutus super opera manuum plasmatoris. Magis autem ob insigne diuinæ similitudinis præcellebat, & erat illi sors, ac societas cum plebe Angelorum, & cum omni militia cælestis exercitus. Sed mutauit istã gloriam in similitudinem vituli comedentis fœnum. Heu tristis, & lachrimosa mutatio! vt homo paradisi accola, terræ dominus, cœli ciuis, domesticus Domini Sabaoth, frater beatorum spirituum, & cœlestium virtutum cohæres, repentina se conuersione inuenit, & propter infirmitatem iacentem in stabulo, & propter pecorinam similitudinem indigentem fœno, & propter indomitam feritatem alligatum præsepio, sicut scriptum est: In chamo, & fræno maxillas eorum constringe, &c. Vide hominem prius quatuor virtutibus amictum: quid huic deerat, quem misericordia custodiebat, veritas docebat, iustitia regebat, pax fouebat? *Bern. Cant. serm. 35.*

Formatus est homo de luto, de puluere, & de cinere, quodcumque est vilissimo, & spurcissimo spermate conceptus in fœtore luxuriæ, quodque deterius est in labe peccati, natus ad laborem, timorem, dolorem, miserrimus ad mortem. Agit praua, quibus offendit Deum, offendit proximum, offendit seipsum: agit turpia, quibus polluit famam, polluit personam, polluit conscientiam: agit vana, quibus negligit sana, negligit vtilia, negligit necessaria. *Innoc. de miseria humana.*

Omnia enim tribus temporibus contineri necesse est, præterito, præsenti, & futuro. Præteriti est origo, præsentis substantia, futuri dissolutio. Quæ omnia in singulis hominibus apparent. Incipimus enim cum nascimur, & sumus cum viuimus, & desinimus cum interimus. Vnde etiam tres Parcas esse voluerunt Poetæ: vnam, quæ vitam hominibus ordinat: alteram, quæ contexat: tertiam, quæ rumpat, & finiat, quæ in hoc versiculo continentur.

Clotho colum baiulat, Lachesis trahit, Atropos occat.

Lactant. Firmian lib. 2. diuin. Institution.

Homines autem ipsos miror ad tantam cœcitatem esse deductos, vt verò, ac viuo Deo, mortuos anteferant: terrenos autem, in terraq; sepultos, ei præponant, qui fundator ipsius terræ fuit. Et tamen huic impietati hominum posset venia cõcedi, si omnino ab ignorantia diuini nominis veniret hic error. At verò si qua grauis necessitas presserit, tunc Deum recordantur. Si belli terror infremuerit, si morborum pestifera vis incubuerit, si alimenta frugibus longa siccitas denegauerit, si sæua tempestas, si grando ingruerit, ad Deum confugitur, à Deo petitur auxilium, Deus, vt subueniat, oratur. Si quis in mari vento sæuiente iactetur, hunc inuocat: Si quis aliqua vi affligatur, hũc potius implorat. Si quis ad extremam mendicandi necessitatem deductus, victum precibus exposcit, Deum solum obtestatur, & per eius diuinũ, atque vnicum nomen hominum sibi misericordiam quærit. Numquam igitur meminerunt, nisi dum in malis sunt. Postquam metus deferuit, & pericula recesserunt, tum alacres ad Deorum templa concurrunt: his libant, his sacrificant, hos coronant: Deo autem, quem in ipsa necessitate implorauerant, ne verbo quidem gratias agunt. Adeo ex rerum prosperitate luxuria, ex luxuria verò, vt vitia omnia, sic impietas aduersus Deum nascitur. *Lactan. Firm. l. 2. c. diuin. instit. aduersus gentes.*

Deus igitur rerum omnium machinator, fecit hominem: quod Cicero, quamuis expers cœlestium literarum, vidit tamen: qui libro de Legibus primo hoc idem tradidit, quod Prophetæ, cuius verba subieci. Hoc animal prouidum, sagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis, & consilij, quem vocamus hominem, præclara quadam conditione generatum esse à summo Deo solum. Est enim ex tot animantium generibus, atque naturis, particeps rationis, & cogitationis, cum cætera sint omnia expertia. Videsne hominem, quamuis longè a veritatis notitia remotum, tamẽ quoniam imaginem sapientiæ tuebatur intellexisse, non nisi à Deo hominem potuisse generari? *Ibid. c. 12.*

Cum ergo marem ad similitudinem suam primum finxisset, tum etiam fœminam configurauit ad ipsius hominis effigiem, vt duo inter se permisti sexus, propagare sobolem possent, & omnem terram multitudine opplere. In ipsius autem hominis fictione, illarum duarum materiarum, quas inter se diximus esse cõtrarias, ignis, & aquæ conclusit, præfecitq; rationem. Ficto enim corpore, spirauit ei animam de vitali fonte spiritus sui, qui est perẽnis, vt ipsius mundi ex contrarijs constantis elementis similitudinẽ gereret. Constat enim ex anima, & corpore, id est, quasi è cœlo, & terra; quandoquidem anima, qua viuimus, vel, vt è cœlo oritur à Deo: corpus e terra, quod è limo diximus esse formatum. *Idem lib. 2. c. 13. diuin. Instit.*

Dedit enim homini artifex ille noster, ac parens Deus, sensum, atque rationem, vt ex eo appareret, nos ab eo esse generatos, quia ipse intelligentia, ipse sensus, ac ratio est. *Lactant. Firm. l. de Opificio Dei, vel formatione hominis, c. 2.*

Cum igitur statuisset Deus, ex omnibus animalibus solum hominẽ facere cœlestem, cætera vniuersa terrena, hunc ad cœli contemplationem rigidum erexit, bipedemq; constituit, scilicet vt eadẽ spectaret, vnde illi, & origo est. Illa verò depressit ad terram, vt, quia nulla his immortalitatis expectatio est, toto corpore in humum proiecto, ventri pabuloq; seruirent. Hominis itaque solius recta ratio, & sublimis status, & vultus Deo patri communis, ac proximus originem suam fictoremq; testatur. *Ibidem c. 8.*

Poeticae Sententiae.

Antholog. Sacr. Iacob. Billij.

Letifer immodico naturæ elatus honore
Angelus, vnde hominem subruit, vnde ruit.
Sed Christus miseram deceptum fraude maligni,
In se, illi ad vitam posse redire dedit.
Si caueat pactis hostis seruire superbi,
Sectari, & studeat formam humilis Domini,
Qui patris in Deitate manens Deus omnis creator,
Verus de sacra Virgine natus homo est.
Sic nostrum assumens matris de corpore corpus,
Esset, vt assumpto carnis origo Deus.
In quo per fidei natæ virtute lauacrum
Cœleste accepit gens noua principium.
Nil hominis primi retinens, sed plena secundi
Splendore, & capitis glorificanda sui.

Ibidem.

De bello, quod homini in hac vita subeundum est.

An firmis tribus ipse queam par hostibus esse,
Alcides nequeat cum superare duos?
Me caro perpetue, me mundus, Marte lacessit:
Bella mihi dæmon sanguinolenta mouet.
An par esse queam trinis his infirma locusta,
Atque cinis tenuis puluis, & exiguus?
Iunge tibi me, Christe potens: mundusq; caroq;
Et Satana rabies, tunc mihi risus erunt.

Ibidem.

De hominis peruersitate.

Serpentum nobis dens est, mens læua columbæ:
Astutia, & paruos & superamus aues.
Et canis est morsus nobis & equina libido:
Vt leo nos furimus semper, & instar apri.
Formica veteris non cura est iracunda alendi:
Formicæ, & veteris nos comitatur acor.
Sic innata foris mala nobis cuncta supersunt:
Cum bona deficiant intus cuncta foris.

Ibidem.

Quanto honore Deus hominem affecerit.

Tu cœlum supra me patens, terramq; creasti:
Cœlestem vt faciam, das mihi, rursus humum.
Tu pulcherrimum corpus genitor mihi, ante dedisti:
At mihi das animæ conciliare decus.
Vt super iuuencus pluis, & super ista nocentes,
Muneribus plurimam sic quoque funde tuis.
Horrendo illudes Belia sanoque dracone:
Das etiam, vt ludus, Christe, sit ille mihi.

Ibidem.

Maiestate Dei concluditur omne, quod vsquam est,
Qua sine nil rerum stare, vel esse potest.
Huic homo si verè famulatur, proximus hæret,
Si resilit, misero degit in exilio.

Omnia sic hominis discriminat ordine iusto,
Quæ sint summa bonis, sint parata malis.

Ibidem.

De hominis creatione.

Iapeto genitore satum mortalibus ignem
Græcia, cum vita stulta dedisse refert.
Hunc tibi quem capias, vanissima Græcia falsum
Authorem generis, vel morere ipse tui.
Credimus at contra, qui nos de puluere terra
Æthereum ad formam struxerit, esse Deum.
Dominum, ac flammam in terra non raptor Iesus
Attulit, huius enim sunt bona cuncta Patris.

Ouid. 1. Met.

Sanctius his animal, mentisque capacius altæ
Deerat adhuc, &, quod dominari in cætera posset,
Natus homo est, siue hunc diuino semine fecit
Ille opifex rerum, mundi melioris origo.

Ibidem.

Pronaque cum spectent animalia cætera terram,
Os homini sublime dedit, cœlumque tueri
Iussit, & erectos ad sidera tollere vultus.

Pers. Sat. 5.

Mille hominum species, & rerum discolor vsus.
Velle suum cuique est, nec voto viuitur vno.
Mercibus hic Italis mutat sub sole recenti
Rugosum piper, & pallentis grana cumini.
Hic satur irriguo mauult turgescere somno.
Hic campo indulget, hunc alea decoquit, ille
In Venerem putris.
Hic satus ad pacem, hic castrensibus vtilis armis.

Propert. lib. 3.

Naturæ sequitur semina quisque suæ.

Virg. 2. Ec.

Trahit sua quemque voluptas.

Terentius Phorm.

Quot homines tot sententiæ, suus cuique mos.

Claudianus.

Etenim mortalibus ex quo
Tellus cœpta coli, nunquam sincera bonorum
Sors vlli concessa viro: quem vultus honestat,
Dedecorant mores: animus quem pulchrior ornat,
Corpus destituit. Bellis insignior ille,
Sed pacem fœdat vitiis: hic publica felix,
Sed triuiata domus: partitum singula quemque
Nobilitant, hunc forma decens, hunc robur in armis,
Hunc rigor, hunc pietas illum solertia iuris,
Hunc soboles casusque thori.

Ouid. 6. Met.

Proh superi, quantum mortalia pectora cæcæ
Noctis habent!

Cornelius Gallus.

O quam dura premit miseros conditio vitæ,
Nec mors humano subiacet arbitrio?
Dulce mori miseris, sed mors optata recedit:
At cum tristis erit præcipitata venit.

Ouid. 4. de Pont.

Omnia sunt hominum tenui pendentia filo,
Et subito casu, quæ valuere ruunt.

Plaut.

Nulli est hominum perpetuum bonum,
Vt sunt humana nihil est perpetuum datum.

Homer. in ζ. Iliad. s.

Οἵη περ φύλλων γενεὴ, τοίη δὲ καὶ ἀνδρῶν.
Φύλλα τὰ μέν τ' ἄνεμος χαμάδις χέει, ἄλλα δέ θ' ὕλη
Τηλεθόωσα φύει, ἔαρος δ' ἐπιγίγνεται ὥρη.
Ὣς ἀνδρῶν γενεὴ ἡ μὲν φύει, ἡ δ' ἀπολήγει.
Quale foliorum genus, tale & hominum.
Folia quidem alia ventus humi fundit, alia vero silua
Pullulans gignit quando veris venit tempus:
Sic hominum quidem genus aliud quidem nascitur, aliud
autem moritur.

Homer. in ε. Iliad.

Ἀργαλέον δὲ
Πάντων ἀθανάτων φῦλον γενεήν τε νοῆσαι.
Difficile autem
Omnium hominum seruari genus, & proles.

Idem in ρ. Iliad.

Οὐ μὲν γάρ τί πού ἐστιν ὀϊζυρώτερον ἀνδρὸς
Πάντων ὅσσα τε γαῖαν ἔπι πνείει τε καὶ ἕρπει.
Non quidem certè est aliquid miserius homine,
Omnium, quæ spirant, & serpunt.

Idem ... Iliad.

Οὐδ' ἄρα πως ἦν
Ἐν πάντεσσ' ἔργοισι δαήμονα φῶτα γενέσθαι.

Nondum profecto accidit,
In omnibus operibus peritum virum nasci.

Idem in ξ. Odyss.

Ἄλλος γάρ τ' ἄλλοισιν ἀνὴρ ἐπιτέρπεται ἔργοις.
Alius enim alijs homo delectatur operibus.

Phocylides.

Σῶμα γὰρ ἐκ γαίης ἔχομεν, καὶ πάντες ἐς αὐτὴν
Λυόμενοι κόνις ἐσμέν, ἀὴρ δ' ἀνὰ πνεῦμα δέδεκται.
Corpus enim ex terra habemus, & penitus in ipsam
Solutus puluis sumus, aer vero spiritum recipit.

Idem.

Οὐ πολλὸν ἄνθρωποι ζῶμεν χρόνον, ἀλλ' ἐπὶ καιρόν.
Non multum homines viuimus tempus, sed breue.

Palladas.

Ἂν μνήμην ἄνθρωπε λάβῃς ὁ πατὴρ σε τί ποιῶν
Ἔσπειρεν, παύσῃ τῆς μεγαλοφροσύνης.
Ἀλλ' ὁ Πλάτων σοὶ τῦφον ὀνειρώσσων ἐνέφυσεν,
Ἀθάνατόν σε λέγων καὶ φυτὸν οὐράνιον.
Ἐκ πηλοῦ γέγονας, τί φρονεῖς μέγα; τοῦτο μὲν οὕτως
Εἶπ' ἄν τις κοσμῶν πλάσματι σεμνοτέρῳ.
Εἰ δὲ λόγον ζητεῖς τὸν ἀληθινὸν, ἐκ ἀκολάστου
Λαγνείας γέγονας καὶ μιαρᾶς ῥανίδος.

Id est.

Si memoriam feceris homo cogitans, pater te, quid faciens
Seminauit, cessabis à superbia.
Sed Plato tibi superbiam somnians indidit,
Immortalem te dicens, & plantam cœlestem.
Ex cœno natus es, quid superbis valde? hoc quidem sic
Diceret vtique aliquis, ornans figmento venerabiliori,
Si autem rationem, quæris veram, ex immodesta
Libidine natus es, & ex fœda gutta.

Sophocl. in Aiace furent. Vlyss. verba

Ὁρῶ γὰρ ἡμᾶς οὐδὲν ὄντας ἄλλο πλὴν
Εἴδωλ', ὅσοιπερ ζῶμεν, ἢ κούφην σκιάν.
Video enim nos nihil esse aliud, ortos
Simulachra, quicunque viuimus, vel leuem vmbram.

Idem Aiaceis verba.

Αἰσχρὸν γὰρ ἄνδρα τοῦ μακροῦ χρῄζειν βίου,
Κακοῖσιν ὅστις μηδὲν ἐξαλλάσσεται.
Turpe est enim virum longam appetere vitam,
A malis, qui nihil liberatur.

Senec. in Herc. furent. tragœd. 1.

At gens hominum fertur rapidis
Obuia fatis, incerta sui.
Stygias vltro quærimus vndas.

Ibidem.

Mortale cœlo non potest iungi genus.

Sententiæ Philosophicæ.

Homines mortales sunt. 1. *de Nat. Deor.*

Omnia aliorum causa sunt genera, vt fruges atque fructus, quod terra gignit animantium causa: animantes autem hominum: vt equum vehendi causa, arandi bouem, venandi, & custodiendi canem. Ipse autem homo ortus est ad mundum contemplandum, & imitandum. 2. *de Nat. Deor.*

Homines hominum causa sunt generati, vt ipsi inter se alij alijs prodesse possent. 1. *Offic.*

Proxime, & secundum Deũ, homines hominibus maxime vtiles esse possunt. 2. *Offic.*

Hoc natura præscribit, vt homo homini, quicunque sit ob eã ipsam causam tantum, quod is homo sit, consultum velit. 3. *Offic.*

Sic nos nati videmur, vt inter omnes esset societas quędam *in Lælio.*

Homo naturæ obediens, homini nocere non potest. 3. *Offic.*

Oportet hominem ab homine, ob hoc ipsum, quod homo sit, non alienum videri. 3. *de finib.*

Impellimur natura, vt prodesse velimus, quam plurimis, in primisque docendo, rationibusque prudentiæ tradendis. Itaque non facilè est inuenire, qui, quod sciat, ipse non tradat alteri. Ita non solum ad discendum propensi sumus, verum etiam ad docendum. 2. *de finib.*

Vt magnas vtilitates adipiscimur conspiratione hominum, atq; consensu: sic nulla tam detestabilis pestis, quæ non homini ab homine nascatur. 2. *Offic.*

Duplex est natura generis humani, sed præstantius genus est eorũ, qui sunt viri. *De vniuersit.*

Hominum duo sunt genera: alterum indoctum, & agreste, quod antefert semper vtilitatem honestati: alterum expolitum, quod rebus omnibus dignitatem anteponit. Itaque huic generi laus, honos, gloria, fides, iustitia, omnisque virtus: Illi autem alteri, quæstus, emolumentum, fructusque proponitur, atque etiam voluptas, quæ est maximè inimica virtuti, bonique naturam fallaciter imitando adulterat: quam immanissimus quisque acerrime sequitur, neque solum honestis rebus, sed etiam necessarijs anteponit. *In Part.*

Hoc solum animal homo natum est, pudoris, ac verecundiæ particeps, appetens coniunctionem hominum, ac societatem, animaduertensque in omnibus rebus, quas ageret, aut diceret, ne quid ab eo fieret, nisi honeste, & decorè. *4. de fin.*

Nihil est vnum vni tam simile, tam par, quam omnes inter nosmet ipsos sumus. Quod si deprauatio consuetudinum, si opinionum varietas non imbecillitatem animorum torqueret, & flecteret, quocunque cœpisset: sui nemo ipse tam similis esset, quam omnes essent omnium. Itaque quæcunque est hominis definitio, vna in omnes valet: quod argumenti satis est, nullam dissimilitudinē esse in genere: quæ si esset, non vna omnes definitio contineret. *1. de leg.*

Homini natura præscribit, vt nihil pulchrius, quam hominem putaret: est enim vis tanta naturæ, vt homo nemo velit, nisi hominis similis esse, & quidem formica formicæ. *1. de Nat. Deor.*

Omnium animantium formam vincit hominis figura. *1. de Nat. Deor.*

Nullum est animal præter hominem, quod habeat aliquam notitiam Dei. *1. de leg.*

Est homini cum Deo rationis societas. *1. de leg.*

Deus animal vnum spectabile, hominem, in quo omnia animalia contineret, effecit. *de Vniuers.*

Sunt ex terra homines, non, vt incolæ, atque habitatores, sed quasi spectatores superarum rerum, atq; cœlestium, quarum spectaculum ad nullum aliud genus animantium pertinet. Sensus autem interpretes, ac nuncij rerum, in capite tanquam in arce, mirifice ad vsus necessarios, & facti, & collati sunt. Nam oculi tanquā speculatores, altissimum locū obtinent, ex quo plurima conspicientes fungantur suo munere. Et aures, cum sonum percipere debeant, qui natura in sublime fertur, recte in altis corporum partibus collocatæ sunt. Itemque nares, eo, quod omnis odor ad supera fertur, recte sursum sunt: &, quod cibi, & potionis iudicium magnum earum est, non sine causa vicinitatem oris secutæ sunt. Iam gustatus, qui sentire eorum, quibus vescimur, genera deberet, habitat in ea parte oris, qua esculentis, & poculentis iter natura patefecit. Tactus autem toto corpore æquabiliter fusus est, vt omnes ictus, omnesque nimios frigoris, & caloris appulsus sentire possemus. Atque, vt in ædificijs architecti auertunt ab oculis naribusque dominorum ea, quæ profluentia necessariò tetri essent, aliquid habitura, sic natura res similes procul amandauit a sensibus. Adde, quod ipsa natura primum oculos membranis tenuissimis vestiuit, & sepsit, quas primū perlucidas fecit, vt per eas cerni posset: firmas autem, vt continerentur: Sed lubricos oculos fecit, & mobiles, vt declinarent, si quid noceret, & aspectum, quo vellent, facilè conuerterent. Nasus ita locatus est, vt quasi murus oculis interiectus esse videatur. Auditus autē semper patet: eius enim sensu etiam dormientes egemus: à quo cum sonus est acceptus, etiam à somno excitamur. Flexuosum iter habet, ne quid intrare possit, si simplex, & directum pateret. Prouisum etiam, vt si qua minima bestiola conaretur irrumpere, in sordibus aurium tanquam in visco inhæresceret. Quam verò aptas manus, quamque multarum rerum ministras natura homini dedit, &c. *2. de Nat. Deor.*

Principio corporis nostri magnam natura ipsa videtur habuisse rationem, quæ formam nostram reliquamque figuram, in qua esset species honesta, eam posuit in promptu: quæ autem partes corporis ad naturæ necessitatem datæ, aspectum essent deformem habituræ atque formā, eas contexit, atque abdidit. Hanc naturæ tam diligentem fabricam imitata est hominum verecundia. Quæ enim natura occultauit, eadem omnes, qui sana mente sunt, remouent ab oculis, ipsique necessitati dant operā, vt quam occultissime pareant: quarumque partium corporis vsus sunt necessarij, eas neque partes, neque earum vsus suis nominibus appellant: quodque facere turpe non est, modo occulte, id dicere obscœnum est. *1. Offic.*

Ipsum hominem eadem natura non solum celeritate mentis ornauit, sed & sensus tanquam satellites attribuit, ac nuncios, & rerū plurimarum obscuras, & necessarias intelligentias enodauit, quasi fundamenta, quædam scientiæ: figuramque corporis habilem, & aptam ingenio humano dedit. Nam cum cæteras animantes abiecisset ad pastum, solum hominem erexit, & ad cœli, quasi cognationis domicilijque pristini conspectum excitauit. Tum speciem ita formauit oris, vt in ea penitus reconditos mores effingeret. Et oculi, quemadmodum animo affecti sumus, loquuntur: & is, qui appellatur vultus, qui nullo in animante esse præter hominem potest, indicat mores. *1. de Legib.*

Natura corpus hominis sic formauit, & genuit, vt alia in primo ortu perficeret, alia progrediente ætate fingeret: neque sane multum adiumentis externis, & aduentitijs vteretur. Animum autem reliquis rebus ita perfecit, vt corpus: sensibus enim ornauit ad res percipiendas idoneis, vt nihil, aut non multum, adiumento vllo ad suam confirmationem indigeret. *5. de Finibus bonorum.*

Parui primo ortu sic iacent, tanquam omnino sine animo sint. Cū autem paulum firmitatis accesserit, & animo vtuntur, & sensib. connituntur que, vt sese erigant, & manibus vtuntur, & eos cognoscunt a quibus educantur: deinde æqualibus delectantur, libenterque se cum his congregant, dantque se ad ludendum, fabellarumque auditione ducuntur: denique eo, quod ipsis superat, alijs gratificari volunt, animaduertuntque ea, quæ domi fiūt curiosius, incipiuntque cōmentari aliquid, & discere: & eorum quos vident, volunt non ignorare nomina, quibusque rebus cum æqualibus decertant, si vincunt efferunt se lætitia: victi debilitantur, animosque demittunt. *5 de Finib.*

Quod homines errent, vt homines, nihil puto mirandum esse. *Xenophon. Cyroped. lib. 5.*

Neminem, ex omni numero mortalium, crimine carere puto. *Idem, de reb. gest. Græc.*

Non agrorum, aut villarum amissio, sed hominum deploranda est. Non enim prædia viris, sed viri prædijs potiuntur. *Thucyd. l. 5.*

Prolis humanæ portio, res est dijs omnium longe charissima. *Dionys. Halic. l. 1.*

Eos hortabantur, ne quum homines essent, quicquam præter humanam naturam sumerent, neve immortales iras in mortali corpore gererent. *Idem, lib. 5.*

Homines ob cætera quidem delicta admissa, solent irasci: sed, quando est aliqua proditionis suspicio, existimant maioris esse prudētiæ, si vano metu territi potius sibi ab ea caueant, quam ob eius contemptionem se funditus euerti patiantur. *Eod. l. 5.*

Quæ prosunt, & quæ obsunt homines facillime cognoscunt, quando ea ex multorum exemplis vident, ijsque, qui se ad hæc hortantur prudentiæ magis, atque sapientiæ testimonium dicunt. *Idem lib. 11.*

Homines, quantācumque felicitatem habeant, semper tamen inuidiam sentiunt maiorem. *Curtius lib. 4.*

Si homo es, id, quod es, semper esse te cogita. *Idem, lib. 7.*

Homines, nec totam seruitutē pati possunt, nec totam libertatem. *Tacitus hist. l. 1.*

Dominantur, vt parcant, non, vt seruiant. *Idem in Agricola.*

Cuncta mortalium incerta. *Idem.*

Nati omnes peccare, & late sunt, qua priuatum, qua publice: neque lex est, quæ satis valide vetet, aut capiat mundum. *Thucyd. l. 3.*

Humanæ res fluxæ semper in aduersa mutantur. *Salust. in Iugurt.*

Homines, quum audiunt ea, quæ in aliqua ciuitate gesta sunt, non satis habent ipsa rerum capita, & earum euentum cognoscere: sed etiam, & quænam fuerunt necessitates, quibus ciuitas pressa tum hæc atrocia, & miseranda mala pertulerit, & quibus rationib. ciues adducti, & quorum oratione impulsi, id fecerint, & omnia, quæ res ipsas comitantur scire volunt. *Dionys. Hal. l. 11.*

Augustus cum esset luxuriæ seruiens, erat tamen eiusdem vitij seuerissimus vltor, more hominum, qui in vlciscendis vitijs, quibus ipsi vehementer indulgent, acres sunt. *P. Diac. in Aug. hist. l. 7.*

Commune humani generis vitium est, vt seruire externis malint, quam cedere suis. *Fr. Guicciard. hist. l. 3.*

Illud est commune hominum naturæ insitum, vt prius propinquiora pericula timeant, & præsentia pluris, quàm decet faciant, futurarum verò remotarum, atque temporum minorem habeant, quam debent rationem; quoniam ad ea multa remedia, & casibus, & temporibus sperari possunt. *Idem l. 7.*

Falso, quæritur de natura sua genus humanum, quod imbecille, atque æui breuis, forte potius, quam virtute regatur. Nam contra reputando, neque maius aliud, neque præstabilius inuenias, magisque naturæ, industriam hominum, quam vim, aut tempus deesse. *Sallust. de bel. Iugurt.*

In calamitates euitat, nescio, quo modo correcti homines, palam, & aperte incidentes sibi tamen confidere nequeunt, immo ne ad momentum, vel breuissimam diffidere, norem: à brutis animantibus hac in parte superati. Nam bruta, si ob escam in retia inciderint, aliudve periculum subierint semel, haud facilè ad foueam, & laquei vmbram postea adduxeris: sed, & locum ipsum suspectum habent, & quibuslibet eiusmodi speciem habentibus diffidunt. Homines verò cum de alijs audiant, alios adhuc hoc pacto perire videant, nihilominus tamen, quam primum quis blandioribus verbis vsus spem meliorem proposuerit, ad illecebras incauti accedunt, at si certo sciant neminem vnquam ex illis enasisse, qui huiusmodi escas vorarunt, sed cunctis indubitato fuisse exitio. *Polyb. hystor. l. 16. 15.*

Humanum genus, quod omnium animantium vaferrimum esse videtur, multum rationis habet ad hoc, vt sit vitiosissimū. Etenim reliqua, quidem animantia, corporalibus concupiscentijs seruientia, per eas solas seducuntur. Humanum verò genus, quoniā gloriæ studiosum est, non minus per incogitantiam, quam per naturam peccat. *Idem. l. 17.*

Facta audacia, & præclara, multi quidem appetunt, pauci verò aggrediuntur. *Idem eod. l.*

Omnino calamitosa res est homo. *Herodot. l. 1.*

Nostra omnis vis in animo, & corpore sita est, animi imperio, corporis seruitio magis vtimur. Alterum nobis cum dijs, alterū cum belluis commune est. *Sallust. de coniurat. Catil.*

Quidam

Quidam belli dux factis cum Selgensibus ciuibus quos obsidione premebat inducijs, spem fœderis ineundi iniecit, copias validiores expectans, & cuidam in vrbe proditori perficiendæ rei crudelissimæ, id est ciuium cladis opportunitatem præbēs. Inter hæc cum in sermone oppidani, & oppugnatores frequenter conuenirent, paulatim quasi consuetudine quadam factum est, vt milites commeatus gratia libere in vrbem proficiscerentur, quæ res multis sæpenumero internecionis causa fuit. Quo fit, vt mihi quidem videatur ex omnibus animalibus nullum stolidius, aut magis expers rationis esse, quam hominem, qui à plerisque callidissimus omnium iudicari solet. Quot enim castra? quod munimēta? quot arces? quot, & quales ciuitates per huiusmodi modum in manus hostiū deuenere? Quæ cum quotidie accidant, cernanturque ab omnibus, semper tamen nescio quo modo noui, ac rudes in huiusmodi rebus esse videmur, quod ideo fit, quia ea, quæ superioribus sæculis maioribus nostris acciderunt, non consideramus: sed ad apparatum frumenti, pecuniarum, murorum, & sagittarum intenti cum labore, & sumptu hæc duntaxat conquirimus. Quod verò facillimum est, maximosq. in periculosissimis temporibus vsus affert, id omnes contemnimus, ac pro nihilo habemus: cum nobis alioquin liceat cum quiete, & tranquillitate in historijs, & rerum gestarum commentarijs ediscere, & quasi experiri. *Polyb. hist. lib. 5.*

Mortalium in terris nemo planè labis expers est, etiam si quis ad summum virtutis verticem perueniat. *Constant. Manass. Annal. pag. 550.*

Homo suapte natura, neque efferum est, neque, quod domari non possit animal, sed vitijs contra naturam vtendo degenerat: disciplina porro, locorumque, & victus mutatione etiam feræ cicurantur, sæuitiamque suam, cultui mansuetiori adhibitæ, exuunt. *Plutar. in Pompeio.*

Humanus animus insatiabilis est, eo quod fortuna spondet. *Liu. Decad. 1. l. 4.*

Pactum est, quod viuimus, & adhuc puncto minus, sed hoc minimū species quadam longioris spacij natura diuisit. Aliud ex hoc infantiam fecit, aliud pueritiam, aliud ab adolescentia senectutē, aliud ipsam senectutem. In qua annus totus, quotdam gradus posuit, cuius breuitatem aliquando futuram cogitemus. *Seneca ad Lucil. epist. 50.*

Omnia suo bono constant, vitem fertilitas commendat, vinum sapor, & velocitas ceruum. Quare fortia dorso iumenta sint quæris, quorum hic vnus est vsus, sarcinas ferre. In cane sagacitas prima est, si feras inuestigare debet: cursus, si consequi: audacia, si mordere, & inuadere. Id in quoque optimum esse debet, cui nascitur, quo censetur. In homine, optimum quidem, est io. Hac antecedit animalia, Deos sequitur. Ratio ergo perfecta, proprium hominis bonum est, cætera illi cum animalibus satisq. communia. Valet, & leones: formosus est, & pauones: velox est, & equi: corpus habet, & arbores, impetum habet, & motum voluntariū, & bestiæ, & vermes: habet vocem, sed quanto clariorem canes, acutiorem aquilæ, grauiorem tauri, dulciorem, mobilioremque luscinia. *Idem ad Lucil. epist. 77.*

Si quis omnia alia habeat, valetudinem, diuitias, imagines multas, frequens atrium, sed malus ex confesso sit, improbabis illum. Item si quis nihil quidem illorum habeat, quæ retuli, careat pecunia, clientum turba, nobilitate auorum, & proauorum serie, si ex cōfesso bonus sit, probabis illum. Ergo hoc vnum bonum hominis, quod, qui habet, etiamsi alijs destituitur, laudandus est: quod qui non habet, in omnium aliorum copia damnatur, ac reijcitur. *idem.*

Atqui viuere mi Lucili militare est. *idem. epist. 97.*

Omnis dies, omnis hora, quam nihil sumus, ostendit. *idem in epist.*

Homines tantum canescunt, & non animalia, quia homo habet cerebrum valde humidum. *Arist. lib. 19. de Animalib.*

Homo est principium suarum operationum. *Arist. l. 3. Ethic.*

Homo naturaliter est animal politicum, & ciuile. *Idem l. 1. Polit.*

Solus homo sentit, & delectatur odoribus florum. *Aristot. lib. de Sensu, & sensato.*

Propter hoc est nobis datus sermo, vt præsto forent mutuæ voluntatis indicia. *Plato in Timæo.*

Homo differt ab asino qualitate essentiali, id est, differentia specifica, quæ dicitur rationalis.

Sumus enim rationales nos, & Dij, sed mortale appositum disiungit nos ab illis. *Porphyrius lib. V niuersalium.*

Præstantissimum animal est homo in terris existens. *Lucius Apuleius de Deo Socratis.*

Nihil est Deo similius, & gratius, quam vir animo perfecto bonus, qui hominibus cæteris antecellit, quod ipse a Dijs immortalibus distat. *idem.*

APOPHTHEGMATA.

Cyrus dicebat, eos homines, qui sibi prodesse nollent, cogi oportere, vt alijs sint vsui. Significans seruili animo natos sibique inutiles imperio adigendos: vt aliorum commodis inseruiant. *Plutar. apoph.*

Diogenes, quodam tempore lucernam accensam gestans, obambulabat in foro clarissima luce, quærenti simul & Roganti eius, quid ageret? Hominē, inquit, quæro: notans publicos ciuitatis mores vix homine dignos. *Laert. l. 6.*

Idem in foro stans, clamabat Adeste homines: veluti concionaturus apud populum. Quumque iam frequentes conuenissent, nec ille desineret clamare, Adeste homines: quidam indignati. En adsumus, dic aliquid. Tum Diogenes baculo illos abigens: Homines, inquit, adesse iussi non sterquilinia. Non putauit hominis cognomen competere in eos, qui non viuerent iuxta rationem, sed brutorum in morem agerentur affectibus. *Laert. l. 6. P. M. l. 3. apophthegmat.*

Idem, eos, qui in coquos, nepotes, scorta, & adulatores facultates suas profunderent, similes dicebat arboribus, per præcipitia nascentibus: quarum fructus nullus hominum gustaret, sed à coruis, & vulturibus ederentur, quo dicto innuit, eos nequaquam esse homines, qui ventri, & gulæ seruiunt. *Laert. l. 6.*

Idem, quum e balneis redeuntem, quidam rogasset, num illic esset multum hominum? negauit esse. Rursus percontatus, an illic esset multa turba? annuit. significans hoc vocabulum in paucos competere *Laert. l. 6.*

Redeuntem ex Olympijs, quidam interrogabant, vidisset ne illic multam turbam, Turbam, inquit, plurimam, sed homines perpaucos. *Laert. l. 6.*

Idem conspecto adolescentulo, cultu gestuque parum virili, Non te pudet, inquit, qui peius tibi, velis, quam ipsa natura voluit? Siquidem illa te virum fecit, tu teipsum refingis in fœminas. *Laert.*

Stilpon Quum omnium oculi coniecti essent in Stilponem: quidam Isti, inquit, Stilpon mirantur te, vt belluam. Nequaquam, inquit, ille, sed, vt verum hominem. Solent peregrinæ bestiæ in spectaculum produci: vulgares homines nemo miratur. Sed philosophum plerique spectabant, non, vt, quemuis hominem, sed, vt hominē verum: nam id spectaculum est rarissimum. Obiter notauit interpellatorem, quod ipse nō esset verus homo, nec spectatu dignus. *Laert l. 5. c. 52.*

Archytas dicebat, Quemadmodum, si etiam summam diligentiam adhibeas: tamen piscem sine spinis non inuenias: sic neque hominem inueniri posse, qui non dolosum spinosumque, quiddam habeat admixtum. *Ælian. lib. 10. de var. hist.*

Alphonsus, licet socordi, & obtuso ingenio homines patienter audiret, solitus tamen est eos tantum, quorum proba ingenia esse sciebat, homines appellare, Ennianum illud leui voce submurmurans: Volturis (sic enim in nominatiuo, vt nos Vultur, loquebatur) in syluis miserum mandabat hominem. Bellissime enim non homines, sed homones, Ennium eos vocasse dicebat, quos vidisset ex homine nihil præter effigiem possidere. *Pan. l. 5. de rebus gest. Alphonsi*

Bias dicere solebat, sic metiendam esse ab homine vitam, quasi, & multum, & parum temporis victurus sit. *Max. serm. 67.*

Crantor senarium hūc ex Bellerophonte Euripidis probare solebat.

> Οἴμοι! τί δ' οἴμοι; θνητά τοι πεπόνθαμεν.
>
> *Eheu! quid heu nobis. quod humanum est accidit.*

Sensit, quicquid vlli hominum accidit, hoc vnicuique posse accidere. Nihil igitur nec inexpectatum videri oportere, nec intolerabile. *Laert. lib. 4. c. 5.*

Anacharsis rogatus a quodam, qui hominibus esset infestum? Ipsi, inquit, sibijpsis *Stob. serm. 2.*

Socrates dicere solebat, si omnes hominum calamitates in vnum conferrentur, moxque singulis ex eo aceruo portiones æque distribuerentur, ita fore, vt suas, quisq; calamitates recipere malit, quam æquam è communi portionem. Hoc aduersus vulgares hominum mores, qui alienæ inuidens, suam deplorant sortem. *P. M. l. 3. Apoph.*

Idem interrogatus, quomodo, quis sine molestia vitam ageret? negauit vllo modo id fieri posse. Non enim licet, inquit, ciuitatem aut domum inhabitāti, & hominibus conuersanti, sine molestijs degere. *Stob. serm. 97.*

Idem dicebat, se putare, quod dij semper rideant, vana hominum studia inspicientes, quibus peractis perpetuo se victuros putent: cum mox hinc tamen nobis migrandū sit, omnibus relictis. *Stob. serm. 96.*

Zeno canem eum inuadentem, quum repulisset, reprehensus à quodam ob id: Perdifficile est, inquit, prorsus hominem exuere. Voluit autem ostendere, hominem nunquam esse tam cautum, quin aliquando ostendat se quoque hominem esse affectibus obnoxium. *Laert. l. 9. c. 5.*

Democritus interrogatus, quid de hominum sorte sentiret? Miseram hominis fortunam esse dixit, cum bona quærentibus vix obtingant: mala autem non tantum non exquisita, sed extra omnem etiam expectationem. *Stob. serm. 96.*

Idem admonere sæpenumero solitus est suos, vt humanam imbecillitatem expenderent, quod ei per mediocrem possessionem prospiciatur, & miseria in rebus necessarijs mensuret. *Stob. ser. 96.*

Aristonymus hominis vitam theatro similem esse dicebat, vbi pessimi

mi homines fere semper primatum obtinent. *Ant. in Meliss. par. 1. ser. 7. Max. serm. 67.*

Antiphon hominis vitam carceri vnius diei similem esse dixit, & totum vitæ spatium vni diei æquale propemodum, per quam intuiti lucem, posteris deinde vitam tradimus. *Stob. serm. 96.*

Simonides & Pausanias. Cum Simonides conuiuio lautissimo à Pausanias exceptus rogaretur, vt quippiam ex philosophorum arcanis in medium proferret: videns Pausaniam nimium rebus suis fidere, eo quod, iam ad Medorum partes se applicuisset: respondit, Memento te in tanta rerum felicitate hominem esse. At Pausanias parum animaduertit, quod à philosopho dictum esset. Cumque iam in summo vitæ discrimine esset, & mortem præ oculis esse intelligeret atrocissimâ, altissima voce exclamasse fertur: O Cee hospes, quam salutare tuum erat consilium. Ego autem adeo captus eram inani persuasione, vt mihi nequaquam tantam admonitionem conuenire putarem, vnde misere nunc perire cogor. *Ælian. lib. 6. de var. hist.*

Neoptolemus sciscitans, quidnam ab Aeschylo, aut Sophocle, aut Euripide dictum admiraretur? Nihil quidem (inquit) illorum se in admirationem trahere: sed, quod ipse vidisset Philippum Cleopatræ filiæ suæ nuptias magnifice celebrantem in cœna amplissima, cum tertius decimus Deus appellaretur, postridie in theatro iugulatum, & proiectum. *Stob. serm. 96.*

Phauorinus. homines partim esse ridiculos, partim odiosos, partim miserabiles dixit. Ridiculos quidem, qui per audaciam ad maiora aspirant. Odiosos, qui ea consequuntur. Miserabiles verò, qui spe frustrantur. *Stob. ser. 2.*

Mercurius Trismegistus. Homo, inquiebat, animal est imperfectum, membris imperfectis constans, & ex multis diuersisque corporibus constitutum corpus gerens. *Stob. ser. 11.*

Aristoteles interrogatus, quidnam esset homo? respondit imbecillitatis exemplum, temporis spolium, fortunæ lusus, inconstantiæ imago, inuidiæ, & calamitatis trutina: reliquum verò, pituita, & bilis. *Stob. serm. 96.*

Plotinus, Amelio roganti, vt corporis formam pateretur effingi, non passus est. Quid, inquit, an non satis est nos hanc imaginem circũferre, nisi, & imaginis imaginem relinquamus posteris ostentandam? iudicauit cum Pythagora, corpus esse thecam mentis, vtcumque eam exprimentem. Minimum autem hominis videre eũ, qui nihil aliud videt, quam corpus. *P. M. libro octauo, apoph.*

Ephraim Syrus amissa vxore dicebat, O philosophia, tyrannica sunt præcepta tua: amare iubes: & si quis amiserit, quod amabat, dolore, & mœrore affici, prohibes. *Stob. serm. 57.*

Xerxes cum vidisset vniuersum Hellespontum nauibus suis cõstratum, omnia littora, atque Abydenorum plana hominibus referta iactauit se beatum, moxque fudit lachrymas. Tam subitam mutationem admiratur Artabanus regis patruus, qui dissuaserat eam expeditionem, suasit rogatque causam: Tum Xerxes, Subijt, inquit, animum meum cogitatio, quam breuis sit hominum vita, quãdo ex tam numerosa multitudine post annum centesimum nemo superfuturus est. *Plut. in apoph.*

Philippus, postquam apud Cheroneam Atheniensium profligauit opes, adeo ex nimis felicitate efferri cœpit, vt se hominem fortunæ malis obnoxium esse non cogitaret amplius. Verum cum intelligeret, quid mali ex tanta superbia sibi immineret, ex aulicis pueris vni id muneris iniunxit, vt ad solis exortum in suum cubiculum ingressus, inclamaret: Rex memineris te non Deum, sed Hominem esse multis fragilitatibus, ærumnis, ac malis obnoxium & expositum. *Cælius Rhodiginus lib. 19. c. 33. lectionum antiquarum.*

Alexander, cum Deus vbique ob res feliciter gestas vocaretur. Se, quod mortalis esse, duabus potissimum rebus deprehendere dicebat, somno, videlicet, & coitu. Hæc enim præcipue produnt hominis imbecillitatem. Somnus enim, quid aliud est (vt si, vt ille ait) gelidæ mortis imago? coitus item, quid aliud, nisi species morbi comitialis? *Plut. in Alex.*

Idem. Dum in obsidione cuiusdã vrbis infirmissima mœnium, quærit, sagitta grauiter ictus est: nec tamen ab instituto destitit: sed mox, quum represso sanguine sicci vulneris dolor cresceret, & crus equo suspensum paulatim obtorpuisset, coactus, quod cœperat omittere, ac chirurgum accersere: Omnes, inquit, me prædicant Iouis esse filium, sed vulnus hoc hominem esse me clamat. *Plut. & Q. Curtius in Alex.*

Stratonicus. quũ audisset partum matris Timothei regis: Si, inquit, opificem peperisset, non Deum, quales emisisset voces? Irridens quorundam fœdam adulationem, qui regum filijs tribuebant diuinitatem, quum vox parientis regem æque miserabilis sit, ac parturientis quemlibet plebeium: ipse autem Stratonicus filius erat opificis. *Athenæus.*

Silenus à Mida captus, rogatus est, quid esset homini optimum? diu silentium tenuit, tandem adactus, vt diceret: respondit: Optimũ esse, nunquam nasci, proximum quam ocyssime aboleri: atque hoc precio dimissus est. *Plut. ch.*

Scipio Africanus dicere solebat: vt ij, quibus sunt equi ferociores tradunt eos domitorib. quo his facilioribus possit vti. Sic homines præ secundis rebus effrenatos, sibique præfidentes tanquam in gyrum rationis, ac doctrinæ duci oportere, vt perspecta rerũ humanarum imbecillitate, varietateque fortunæ, reddantur moderatiores. *Plut. in vita Scipionis.*

Hadrianus Imp. cuidam illos Virgilij versus ad Verum accommodanti, *Manibus date lilia plenis, &c.* Cum risione respondit. Ego mihi diuum adoptaui, non filium. Huc alludens, quod Imperatores referri solebant in numerum diuorum, sed à rogo. *Diony. in Hadrian.*

Æneas Syluius audiens disputantes de vitæ humanæ miseria: Comœdia, inquit, est vita nostra, cuius vltimus actus in morte agitur: bonus autem poeta nemo habetur, nisi ad finem vsque actus omnes prudenter explicet. *Syiu. lib. 3. comment. de reb. Alphons.*

Solon, interrogatus olim, Quid esset homo? respondit, putredo est in exortu, bullus in omni vita, esca vermium in morte. *Aus.*

Diogenes, quoties considerabat in hominum vita ciuitatum gubernatores, medicos, aut philosophos, nullum animal dicebat esse homine sapientius. Idem contemplans somniorum interpretes, coniectores, diuinos, & huius generis cæteros, aut, qui gloriæ diuitijsque seruirent: aiebat, sibi nihil homine videri stultius. Indicans hominis ingenium ad res optimas accommodum si exerceatur, sin ad vitia degeneret, longe esse infra mutas pecudes. *Laert. lib. 6.*

Perictione Pythagorea dicebat, conditum, & compositum esse hominẽ in hoc, vt contemplaretur naturæ rerum ipsiusq; sapientiæ rationem: demque laborem esse iniunctum comparandi, contẽplandique rerum, quæ extant sapientiam. *Stob. serm. de virtute.*

Plato hominem mansuetum animal esse dicebat. Quod si recta disciplina institueretur in mansuetissimum, & diuinum prorsus animal euaderet: sin verò non satis, aut non bene esset educatus, ferocissimum omnium, quæ in terris nascuntur animal reddi. *lib. 6. de legib.*

Musonius, quid esset homo describens, Homo solus (inquit) omnium in terra degentium Dei imago est, & similes ei virtutes habet. Nã ne inter Deos quidem præstantius aliquid cogitari potest, quam prudentia, iustitia, fortitudo, & temperantia, *&c. Stob. ser. 116.*

SIMILITVDINES.

Chrysostomi. Quemadmodum, in lignis, & plantis, si quando excisum videmus reliquam de cætero repudiamus partem: Sic, & in homine cum cor perierit, incassum est inde reliqua corporis sanitas. Auriga perijt, fractus, deiectus est, vanum in posterum equi currunt. *De pœnit. serm. 8.*

D. Augustini. Si paterna vestis, & annulus, ac si quid huiusmodi, tanto carius est posteris, quanto erga parentes maior extitit affectus: Nullo modo ipsa seruanda sunt corpora, quæ vtique multo familiarius, atque coniunctius, quam quælibet indumenta gestamus. *lib. 1. cap. 13. de ciuitate Dei.*

Lactantij. Sicut in fidibus ex intentione neruorum effici concordem sonum, atque cantum, quem Musici harmoniam vocant: Ita in corporibus ex compage viscerum, ac vigore membrorum vim sentiendi existere: quo nihil dici delirius potest. *libro 7. cap. 13. De præmio diuino.*

Ipse mundus ex duobus elementis repugnantibus, & inuicem copulatis est concretus, humido, & igneo: nec potuit lux fieri, nisi, & tenebræ fuissent: quia nec superum potest esse sine infero, nec oriens sine occidente, nec calidum sine frigido, nec molle sine duro: Sic, & nos ex duobus æque repugnantibus compacti sumus anima, & corpore: quorum alterum cœlo ascribitur, quia tenue est, & intractabile, alterum terræ, quia comprehensibile est: Alterum solidum, & æternum est, alterum fragile, atque mortale. Ergo alteri bonum adhæret, alteri malum. alteri lux, vita, iustitia, alteri tenebræ, mors, iniustitia. *Chrysostom. De ira Dei, capit. 15.*

Seneca. Vt, qui se meminerint inquilinos esse, & in conducto habitare: & modestius se gerunt, & minus grauatim exeunt: Ita, qui intelligunt domicilium corporis ad breue tempus à natura commodatum esse, Viuunt temperantius, & libentius moriuntur. *Apud P. M.*

Plinij. Luna semel extincta subinde renascitur, & vbi consenuit: reiuuenescit: At homo, nec renascitur mortuus: nec repubescit senex. *lib. 2. cap. 9.*

P. M. Sol post occubitum redit nouus: Homo non item. *In Simil.*

Theodoret episcopi. Quemadmodum corporis nostri concordis ex dispartibus elementis comparata est: Ita, & animus noster, sue genius, pugnantib. quodammodo principijs inter se coaluit. *In apoph. 1.*

Philemo Iudæi. Quemadmodum corporis animique forma, habitu, gestu, consilijs, actionibus, prognati maiores suos referunt. Eodem modo probabile est in ipso semine principum delineari quandam habilitatem dignam principe. *Liber. delegatione ad Caium.*

Theodo-

Theodoreti. Sicut nunc ipso volente fœtus in vtero creatur: & terminos qui initio positi sunt, natura consequitur: Ita etiam humanũ corpus è terra ipso volente concreuit, & compactum est, & caro factum est, & sanguis, & cutis, & adeps, & nerui, & venæ, & arteriæ, & cerebrum, & medulla, ossium sustentacula, & oculorũ tunicæ, & pupillæ puritas, & aurium flexuosi meatus, & odorum apprehensio, & oris ad loquendum instrumentum: in quo dentes quidem implet vsum chordarum, lingua verò imitatur plectrũ, mens autem dextram musici. Cæterum quis pro dignitate satis possit mirari huius vitæ prædiri animalia formationem? Quam, & multi alij conantur calumniari, & imprimis Manetis successores. Quamobrem non Deum, sed Satanam id formasse dicunt, qui est princeps materiæ. Græcorum autem sapientes, Socrates, & Hippocrates, & Plato, & Xenophon, & Aristoteles, & Galenus: & innumerabiles alij, humani corporis aptam compositionem suspiciunt, & admirantur vsum vniuscuiusque particulæ, fatenturque laudes suas superari à præclari vniuersorum artificis sapientia, quæ in hoc animali cernitur. *In Epitome Diuin. decret. c. de Homine fol. 400.*

D. Hieronymi. Nasci de adulterio, non eius est culpa qui nascitur, sed illius qui generat. Quomodo in seminibus non peccat terra, quæ fouet, non semen, quod in sulcis iacitur, non humor, & calor qui bus temperata frumenta in germen pullulant: sed (verbi gratia) fur, & latro, qui fraude, & vi eripit semina: Sic in generatione hominum recipit terra, id est, vulua, quod suum est, & receptum confouet, confotum corporat, corporatum in membra distinguit. *Ad Pammachium.*

Antonij monachi. Vt humida materia ignem: Sic hominum natura bonum via deprehendit, plurimi autem ad mala perpetranda prompti, & idonei sunt. *In Melissa par. 1 serm. 69.*

B. Anselmi. Humana natura iam facilè per vitia; quam per planum profunditur aqua. Sic ergo agere debet qui eam restringere appetit, velut qui aquam currentem retinere cõtendit. Sicut enim ille qui aquam concludit in stagnum, atque coercet: Sic iste naturam humanam vagam infra regulam aliquam cohibere debet, vtque ille procurat ne qua parte dirumpatur stagnum qua effluat aqua, & illum etiam præuidere condecet, ne suam in quoquam violet regulam, quo ad peccatum proruat. *In Similitudinibus. cap. 122.*

Tertuli. Vt chamæleon cutem habet adeo tenuem, ac pellucidam, vt omnem eorum quibus, vel ipse insidet, vel ad ipsum accedũt, imitetur colorem: Sic quoque genius, & natura hominis quo est subtilior, generosior, eo ad omnem affectionem opportunior. *In apoph.*

Quemadmodum lex Iudęis posita, mortis nomen interdum habet, non suopte ingenio mortem complectens, sed, quod eam transgressoribus importat: Sic, nec lignum mortem continuit in sese, nec Deus ipse mortem creauit. Deus enim hominem cõdidit, vt esset immortalis, & ad suæ æternitatis imaginem. Deus mortem non creauit, nec oblectatur viuentium interitu: sed inuidia Diaboli mors in mundum introiuit, sicuti Salomonis docet sapientia. Imò Deus hortatur hominem ante præuaricationem, vt mãducaret de ligno vitæ. Nam etiam arborem vitæ complexus est sub dictione, Omni: cum diceret: De omni ligno, quod est in paradiso, comedendo, comedes præsertim cum illa arbor ei, vtpote in medio paradisi conuersanti, cæteris proximior foret. *ibid.*

Extra paradisum Deus hominem ex luto formauit. Vt igitur Deus aliquantulum pœnam leniret, iussit hominem habitare è regionis paradisi. In hoc imitatus est regem bonum, & clementem Deus, qui non longinquum delinquenti inducit exilium, sed propinquum, iubens illum morari in conspectu regiæ vrbis: quare significat, fore, vt mox reuocetur, & in integrum restituatur. Præterea voluit: vt paradisus subinde eius oculis obuersaretur, quo recordaretur peccati, ipsumque oderit, vt causam, quæ illum deturbauerit possessione paradisi: & ex animo desideraret eum locum, ex quo præuaricatus ceciddisset. *In Genes. c. 3.*

Procopij. Quemadmodum peritus figulus vas contractum conuertit iterum in suam conspersionem, scilicet in lutum, seu terram: Sic hominem fractum fraude Diaboli, reducit in suam conspersionẽ, scilicet terram: eumq; in resurrectione vniuersali reformabit, & refinget. Iustum gloria immortali exornabit, vt possit frui æterno regno: iniustum sic componet, & finget, vt possit perpeti æternum supplicium. *In Genes. c. 3.*

Plinij. Sol, luna, stella, mare, terra, arbores, herbæ, bruta, & in his apes, formicæ, conchæ, denique lucernæ, tempestatem præsentiũt: Solus homo sua mala non præsentit, neque prospicit. *l. 18 c. vlt.*

Cerui pastu dictamni excutiunt corpore sagittas: à phalangio percussi cancrorum esu sibi medentur: lacertæ à serpentibus ictæ herba quadam se refouent: hirundines vexationi pullorũ oculis chelidonia succurrunt: testudo cunilæ pastu vires aduersus serpentes reficit: mustela in murium venatu ruta se confirmat: ciconia origano: hedera apri sibi medentur in morbis, item cancrorum esu: anguis fœniculi succo abijcit exuuium: draco vernam nauseam siluestris lactucæ succo restinguit: panther æ aduersus aconitum, hominis excrementis sibi medentur. Elephas chamæleonte fronte (nam similis est animanti color) deuorata: vrsi cum mandragoræ mala degustauere, formicas lambunt: ceruus venenatis pabulis herba cinaræ resistit: palumbes, graculi, merulæ, perdices, lauri folio annuum fastidium purgant: idem faciunt columbæ, turtures, gallinaces, herba, quæ vocatur helxine, anates, anseres, cæteræq; aquaticæ, herba siderite: grues, & similes, iunco palustri: coruus occiso chamæleonte, qui etiã victori nocet, lauro infestum virus extinguit: breuiter nullum est animal, quod non intelligat sua remedia, Solus homo nescit, vnde, vel corporis, vel animi remedia petere debeat. *lib. 8. cap. 27.*

Si hominibus latum est, & gloriosum, filios habere consimiles, & tunc magis generasse delectat, si ad patrem lineamentis paribus soboles succisiua respondeat: Quanto maior in Deo patre lætitia est, cum quis sic spiritualiter nascitur, vt actibus eius, & laudibus diuina generositas prædicetur. *Serm. 2. De zelo, & liuore.*

D. Hieron. Signaculum Dei est, vt quomodo primus homo conditus est ad imaginem, & similitudinem Dei: Sic in secunda regeneratione. quicumque Spiritum sanctum fuerit consequutus, sigoetur ab eo, & figuram conditoris accipiat. *In epist. ad Ephes. cap. 1.*

Laurentij Iustiniani patriarchæ. Quemadmodum oriente sole noctis caligo depellitur: ita se humani cordis penetralibus diuina luce fundente præteritorum vitiorum fugantur tenebræ, ac naturalis puritatis dies serena refulget. Atque si ex huiusmodi gratiæ nouo splendore reformatur mens hominum, & virum mutatur in alterum. *De contemptu mundi cap. 13.*

Dauidis regis. Homo ipsi vanitati, quam similimus est, dies vitæ illius obscuri, similes sunt vmbræ, quæ assiduo magis ad noctis caliginem tendit. *Psal. 144.*

Nazianzeni. Vt aquarum fluxus copiosarum, incidentem recipiens pluuiam, bullas excitat, quarum aliæ simul vt natæ sunt, rumpuntur, aliæ diutius inflatæ, postea, & ipsæ rumpi solent: Sic huius vitę mare alios cum paulisper conspecti fuerint, occultat: alios diutius permanentes, ipsos quoque submergit. *Apud Antonium.*

Gregorij Nysseni. Quemadmodum lateres ex luto primam originem ducunt. Sic ex gleba terræ homines. *Apud Ant.*

A D A G I V M.

Vt nunc sunt homines.

Si notabis temporum tuorum mores, vt semper ea prius degenerantes à virtute maiorum: applicabis illud Homericum Οἷοι νῦν βροτοί εἰσιν. Quod quidem Hemistichion aliquot est locis apud Homerum: hoc de Aiace, & de Hectore, saxum ingens homo facile tollentibus: Iliados quinto de Tydeo saxum item tollente.

Homo homini Deus.

Homo homini Lupus.

Adagia vulgo familiaria, quæ pij, & impij discrimen in humana vita designant.

H I E R O G L Y P H I C A.

Palma in mysticis literis celeberrima. duplici de causa hominis simulachrum esse putatur: primum. quia fructum non fert sine coitu, sed replentur eius rami gemmis masculeis, quasi semine quodam: deinde, quia in superiore parte habet quasi cerebrum, quod Hebræi *Halulab.* Arabes verò *Chedar & Gemar*, vocant: quo corrupto, moritur arbor, sicut cerebro læso. homo interit, quod, quidem huic soli plantæ contingit. Præterea, quod coman in cacumine habeat, & ramos in manuum modum protensos, & fructus digitorum figuram præ se ferentes, vnde *dactyli*. id est, *digiti* sunt appellati *Eruditus quidam lib. 2. Hieroglyph. pag 588.*

Quoniam tumorculi illi, qui sbl'icidijs fiunt in aqua, cito prætereunt: ad humanæ vitæ fragilitatem ostendendam, hieroglyphicum factum est prouerbium *homo bulla*, cuius meminit *Varro lib de re rustica primo. Pier. Val. lib. 24. pag. 396.*

Consule etiam tit. de Morte, & Vita.

HONESTAS. HONESTVM.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

HOnestas, Græce σεμνότης, & σεμνὸν honesto dicitur. Est autem honestas mollis compositaque morositas *secundum Aristotelem lib. Rhetor.*

Honestas est morum castitas, i. Sanctitas, & disciplina verbo Dei cõsentiens, quæ in rebus externis, & publicis legibus sancita est, & in omni ordinum genere apparet. Huic contraria est ἀταξία, *Thess 3. 6. & 1. Thess 5. 14.* Verbum Hebr. *Hadhar*, signif. ornauit, reuerita est, veneratus est. Inde nomẽ *Hadhar*, Ornatus, honestas, decor, magnitudo, magnificentia. Verbum *Cabedo*, significat Grauis fuit. Inde *Cabodh*, gloria, honestas, grauitas, honor. Aliud verbum *Iakar* significat preciosus fuit, charus est habitus. Inde *Iekar* nomen, dignitas, honestas.

Hone-

Honestus Græce καλὸς ... dicitur. Est autem honestum id, quod tale est, vt detracta omni vtilitate, vllis præmijs fructibusque per seipsum possit iure laudari, quod quale sit, non tam disputatione, qua sum vsus intelligi potest (quamquam aliquantum potest) quam communi omnium iudicio, & optimi cuiusque studijs, aut factis, qui multa ob eam causam faciūt, quia decet, quia rectum, quia honestum est, etsi nullum consecuturum emolumentum vident. Vt enim consuetudo loquitur, id solum dicitur honestum, quod est populari fama gloriosum: *secundum Cic. lib. 2. de finibus bonorum, & malorum.*

Honestum idem est, quod spiritualis pulchritudo, vel quod est honore dignum, & idem quod virtus. *Ex S. Thom. 2. 2. quæst. 145. art. 1.* Refertur nonnunquam ad corporis pulchritudinem. *Terent. Ita me dij ament, honestus est, hoc est, formosus.*

Loci Biblici.

Honestæ res coram hominibus procurandæ, *Rom. 12. 17.*

Honestas externa pars Ecclesiastici ordinis, *1. Corin. 11. 34. & 14. 40.*

Patrvm Sententiæ.

Tanta est probitatis vis, & honestatis, vt omnis, vel pene omnis eius laude moueatur humana natura, nec vsque adeo sit turpitudine vitiosa, totum, vt amittat sensum honestatis, *Augustin. lib. de ciuit. Dei.*

Tantus splendor honestatis est, vt vitam beatam efficiat tranquillitas conscientiæ, & securitas innocentiæ. *Amb. lib. 2. de Offic.*

Sententiæ Philosophorvm.

Nihil turpe faciendum bono viro etiam si ex omni parte lateat etiam si omnes Deos, hominesque celare possimus. Nihil tamen in nobis auare, nihil iniuste, nihil libidinose, nihil incontinenter esse faciendum. Sapientis enim est proprium nihil, quod pœnitere possis facere, sed splendide, constanter, grauiter, honeste omnia. *Cic. 3. de Offic.*

Ecce torpent ingenia desidiosæ iuuentutis, nec in vnius honestæ rei labore vigilatur, somnus languorque est somno, & languore turpior, malarum rerum industria inuasit animos, cantandi, saltandique obscœna studia, effœminatos tenent: & ad muliebres blanditias extenuare vocem, mollitia corporis certare cum fœminis, immundissimis se extollere immunditijs, nostrorum adolescentium specimen est, qui sunt expugnatores alienæ pudicitiæ, immunditiæ negligentes suæ. *Senec. in Rhetor.*

Ita viue, vt nihil tibi committas, nisi, quod committere etiam inimico tuo possis. *in epist.*

Honesta, & iusta, de quibus ciuilis considerat, tantam differentiam, tantumque errorem in se habent, vt lege non natura esse videantur. *Arist. Ethic. c. 3.*

Honesta omnes, aut plerique volunt, sed tamen vtilia eligunt. *Idem 8. Ethic. c. 13.*

Honestum est, quod per se eligendum cum sit, laudabile est: bonum autem sit iucundum, sit, quia bonum. *Arist. Rhet. 1.*

Honesta sunt, & efficientia virtutis, & quæ à virtute efficiuntur. Honesta sunt, quorum præmium est honor: & quorum præmium, honor potius, quam pecunia. &, quæ simpliciter bona natura bona sunt, & quæ accidunt, vt potius sint mortuo, quam viuenti, & quæ aliorum gratia. *Idem ibid.*

Honestū, quod in nobis est, hoc ex nobismet ipsis possidemus. *Alex. Aphrod. in 1. natur. q. c. 14.*

Honestum, & honoratum eadem subiecto sunt, ratione autem differunt: nam honestum expetitur: honoratum propter excellētiam sic appellatur. *Simpl. in 1. ani. tex. 1.*

Honestum est id, quod propria sua vt essentiali nos trahit, & allicit, & hoc per se appetimus. Et nil vtilitatis, vel delectationis nobis afferat. *Alb. Mag. de nat. & orig. ani tract. 2. c. 6.*

Honestum est homines erudire. *Plat. in Apolog.* Honestum nullum, vel honestum malum est: nec turpe, vt turpe, bonum. *Idem in Alcib.*

Honestum bonum est: nam omnes honestæ actiones bonæ quoque sunt. *Protag.* Honestum, & bonum virum, & fœminam felicē esse iniustum, & malum miserum dico. *In Gorg. Idem.*

Honestum, vtile, & iucundum, qui loquendo inuicem discreuit, non est audiendus. *Fic. in Plat. de legib. dialog. secundo* Honestas solius mētis decor, pulchritudo, & ornatus existit. *Idem de volupt. capit. 8.*

Honestum ab vtili non re ipsa, sed cogitatione discernitur. *Seb. Foxius in 5. Plat. de Repub.* Honestum non est ab vtili dissociatum. *Marc. Ant. Narta de pulchro lib. 4.*

Honestum vtili, atque iucundo duabus de causis dignitate præcedit: primo, quia iucunda in sensu, vtilia in phantasia, honesta in intellectu collocantur: secundo, quia vtile, & iucundum ad honestum, vt ad finem referuntur. *Leo Heb. de Am. dialog. 1.*

Honestum cum vtili conuenit, atque iucundo in rebus, quæ post earum absolutam acquisitionem iam possidentur, diligendis. *Leo Heb. de Amore dialog. 2.*

Honesta, & iucunda expetuntur simul, & amantur, quia ipsorum desiderium in phantasia existens, iam quādam voluptuariam excitat: vtilia verò cum actu tantum possidentur amantur, alioqui non, cum prorsus cupientibus sint aliena. *Idem ibid.*

Honestas idoneum militem reddit. *Veget. l. 1. c. 7.*

Quum, quis res alienas non appetit, sed suas tantum reposcit, & passus repulsam armis ius suum persequitur, hoc omnium confessione honestum est. *Dionys. Halic. lib. 8.*

Animo per libidines corrupto nihil honesti inest. *Tacitus. Annal. libro 11.*

Apophthegmata.

Pythagoras, fac ea, inquit, quæ iudicaueris esse honesta, etiam si postquam feceris, inglorius futurus sis. Omnis enim honestæ rei malus iudex est vulgus: quorum igitur laudes contemptui habere, eorundem vituperia quoque sperne, *Stob. serm. 44.*

Plato. Optimum sane, inquit, hoc dictum est, eritque semper Quod vtile, simul etiam honestum est. *Stob serm. 5. de virtute.*

Socrates Equus generosus (dicebat) iudicabitur, nō quidem sumptuose ornatus, sed eximius natura: item nec vir honestus, qui opibus prædiues, sed, qui anima egregius erit. *Eodem serm.*

Antisthenes dicere solebat, ea demum honesta, & pulchra esse, quæ bona sunt: turpia verò, quæ mala. *Laert. l. 6. c. 1.*

Lacones, si quando suos inuocarent Deos, nihil petebant aliud, quam, vt adderent dij cæteris bonis etiam ea, quæ honestissima essent. Tantum valebat apud homines gentiles rerum honestas. *Huius rei testis est Plut. in apoph. Lacon.*

Similitvdines.

Socratis. Quemadmodum in simulachro: sic in vita hominis omnes partes pulchras esse conuenit *Apud Stob in serm. de virtute, qui est in ordine primus.*

Vt statua basi: ita vir bonus instituto innixus honesto nullatenus dimoueri debet. *apud Stob. serm. 1. de Prudent.*

P. M. Sicut Mercurius, quam minimo spatio discedit à sole, licet alioqui vagus, & errabundus: Ita non oportet longius ab honesto discedere sapientem *In Simil.*

Vt mare grauida, minus laborat, & in gestatione, & in partu: Ita si rem honestissimam animo conceperimus, minore negotio consequemur, quam stulta, quædam oblectamenta. Et, qui mundi premia sequuntur, minore dolore margaritam illud Euangelicum sibi parare poterant. *In Simil.*

Vide Virtus.

H O N O R.

Definitio, et Etymol.

Honor, Græce τιμὴ ..., & τίμιος, ... honorabilis dicitur, & τιμάω honoro. Est autem honor propria reuerentia, & dignitas, quæ quauis ex causa alicui exhibetur. *Virgilius: Haud equidem tali me dignor honore.* Et quoniam multa sunt, propter quæ honorem exhibere solemus, factum est, vt pro diuersitate subiectæ materiæ, hoc vocabulum diuersa significet. Hinc aliquando honorē pro pulchritudine ponimus. *Virgilius. Frigidus, & syluis Aquilo decussit honorem.* Aliquando pro obseruantia, & cultu. *Virgilius. Semper honore meo, semper celebrabere donis.* Interdum pro pudicitia, nonnunquā pro præmio: *Virgilius. ipsis præcipue ductoribus addit honores.* Quandoque pro sepultura. *Virgilius. Cernit ibi mæstos, & mortis honore carentes.*

Honor municipalis est Reipubl. administratio, cum dignitatis gradu, siue cum sumptu, siue sine erogatione contingens. *secund. Calistratum Iurisconsultum.*

Ab honor fit honoro verbum, quod est colo, & veneror: & honorificum, quod est plenum honoris: & honestum, & honestas. *De quibus infra.*

Honor est maximum bonorum exteriorum. *secund. Arist. lib. 4. Ethic.*

Honor est benefactiuæ gloriæ indicium, *secundum Arist. lib. 1. Rhetor.*

Honor est cuiuslibet virtutis præmium, *secund. B. Thom secunda Secundæ, q. 129. art. 4.*

Loci Biblici.

Honor, & eius diuersæ significationes: pro precio, & æstimatione, *Coloss. 2. v. 23.* pro subsidio, & quouis officij genere, *Matth. 15. 4. 5. Rom. 12. 10. Ephes. 6. 2. 1. Tim. 5. v. 3. 17. 1. Pet. 2. 17.* pro reuerentia Magistratui debita, *Rom. 13. v. 7.* pro honesta cura, ac solicitudine. *1. Pet. 3. v. 7.* Honor habendus est corpori, *1. Thess. 4. 4* Honos Deo debitus, *Malach. 1. 6* Regi, *1. Pet. 2. 17.* Parentibus, *Deut. 5. 16. Matt. 15. 4. Luc. 18. 20. Ephes. 6. v. 1. 2.* Proximis, *Rom. 12. 10. Philip. 2. 3. 1. Pet. 2. 17.* Vxori impertiendus, *v. 37.*

Hono-

Honor credentibus in Christum, *1.Petr.2.7.* Honor tribuendus cui debetur, *Rom.13.7.* Honor, qui ab hominibus proficiscitur, non magnifaciendus, *Num.16.1.Iud.9.1.1.Sam* 10.27.2. *Sam.15.v.1.2. Reg.1 5 Esth* 3.1.& *c.6.v 6.Eccles.9.16.&* 10.v 29.30.*Ier.9.23.Mat th.6.1.&* 8.4.& 9.30.& 17.9.& 20.v.21 26.*Marc.1.44.&* 5.43.& 7.36.& 8.26.& 9.v.9 & 10.35.43 *Luc.22.14.Ioan.6.15.Rom.* 8.50. & 12.43.*Act* 10.16.& 14.v.14.*Galat.6.2.Philip.2.* 3.1.*Thess.2.6.1. Petr.5* 33.*Ioan.1.v.9.Apocal.19.10.&* 22.9.

Honorat Patrem Christus, *Ioan.8.49.* Honorans Deum, fidens ei, honoratur, *1.Sam.2.30.* Non honorans Filium, nō honorat Patrem, *Ioan.5.v 13.*

Honorare, pro quibuslibet charitatis officijs prosequi. *1.Pet.2.17.*

PATRVM SENTENTIAE.

Remotis obstaculis insanæ opinionis scelera nuda pensentur, nuda inspiciantur, fallacia tegmina, & vanæ laudes, & gloriæ auferantur: & apparebunt miseriæ peccatorum. *Aug.l.3.de Ciuit.Dei.*

Gloriam, & honorem non debet sequi virtus, sed ipsa virtutem: Vnde honorem quos expetunt multi, Cato petere non debuit, sed eos ciuitas ob eius virtutem non petenti dare. *Ibid.lib.5.*

Rerum, gentium, nationumq; imperium penes reges erat, quos ad fastigium honoris non ambitio popularis, sed spectata inter bonos moderatio prouehebat. *Ibid.lib.4.*

Vbi honor non est, ibi contemptus est: vbi contemptus, ibi frequēs iniuria, ibi, & indignatio: vbi indignatio, ibi qes nulla: vbi quies non est, ibi mens a proposito sæpe deijcitur. Vbi autem per inquietudinem aliquid aufertur studio minus fit ab eo, quod tollitur, & quod minus est, perfectum dici non potest. Ex hac supputatione illa sententia nascitur, Monachum in patria sua perfectum esse non posse, perfectum esse nolle, delinquere est. *Hier.in epist.*

Non est dignum, vt inde exigas honorem, vnde refugis laborem. *ibidem.*

Deiecisti eos, dum alleuarentur, quum alleuatur, deijcitur, qui honoribus proficit, & moribus cadit. *Greg.in regist.*

Dum mali præpositi suum contra veritatem honorem exigunt, ab omni rectitudine sequentium corda subuertunt. *In Moral.*

Prædicatores boni, & honorem propter elationem fugiunt: & honorari tamen propter imitationem volunt. *ibid.*

Honor malis exhibitus in eorum commutatur ruinam. *In 7.Mor.*

Differentia dignitatis facta est inter sanctos, vt vnus sit Episcopus, alius minister: contumacia carnis coegit, & peruersitas mundi, & operatio inimici, honores, vt videantur esse, sed re vera non sunt: imò ministeria. *Chrysost.sup.Matth.*

Quicumque desiderat primatum cœlestem, sequatur humilitatem terrestrem: non enim qui maior fuit in honore, ille maior: sed qui iustior, ille maior. *ibid.*

Honor verus virtus animi est, hic honor, nec à Cæsaribus præstatur: neque adulatione conquiritur, neque pecunia præparatur, nihil fucati in se habet, nihil simulati, nihil occulti huius honoris successor est: nullus est accusator: nullus ingratus. *De reparatione lapsi.*

Honoris magnitudo his, qui pro digno viuunt honore, stimulus incipit esse pœnarum. *idem super Matth.*

Episcopus si debitum honorem non acceperit à presbytero, aut presbyter si non acceperit à diacono, aut diaconus à lectore, irascitur, & turbatur: si autem viderit Episcopus presbyterum, aut presbyter diaconum circa obsequium Ecclesiæ non permanentem, aut alias peccantem in Deum, neque irascitur ei, neque curat, quia omnes quidem de suo honore soliciti sunt, de honore autem Dei nullus. *ibidem.*

Qui de amore non venit honor, non honor, sed adulatio est. *Bernard.in Cant.*

Christus ad sanandum filium reguli ire noluit, ne diuitias honorare videretur: ad seruum vadit, ne seruilem conditionem spreuisse putaretur. In hoc superbia nostra retunditur: qui in hominibus non naturam, qua ad imaginem Dei facti sunt, sed honores, & diuitias veneramur. *Beda.*

Qui priuatus sui authoritatem perdit, in despectionem, & angustiā se mittit: qui autem locum suum sapienter custodit, se ac suos ad profectum dirigit. *Glo.sup Eccl.23.*

Quidam honores fugiunt, vt honoribus obuient, subesse fugiunt, vt possint præesse. Sæpè enim gloria, vt acquiratur, cōtemnitur, & mundus, vt obtineatur, relinquitur. *Hugo.*

Parui filij hominum ad honores Angelicis humeris formidandos; non tamen virgula debet esse, cui domus innititur, nec vitulus, sed bos ad aratrum ponitur. *ibid.*

Decet quidem cunctos patriæ suæ augmenta cogitare, sed eos maximè quos Respublica sibi summis honoribus obligauit: quia rectum est, vt eum necesse sit plus debere, qui visus est maiora suscipere. *Cassiod.lib.4.epist.*

Dignum enim videtur, vt qui est scientia præditus, reddatur honore reuerendus. *ibid.*

SENTENTIÆ POETARVM.

Ouid.lib.1.Trist.Eleg.

Donec eram sospes, tituli tangebar amore,
Quærendiq; mihi nominis ardor erat.

Horat.serm.lib.1.Satyr.6.

Sed fulgente trahit constrictos gloria curru,
Non minus ignotos generosis.

Persius Satyr.1.

At pulchrum est digito monstrari, & dicier, hic est —
An erit, qui velle recuset
Os populi meruisse.

Virgil.Eclog.5.

Dum iuga montis aper, fluuios dum piscis amabit,
Dum thymo pascentur apes, dum rore cicadæ,
Semper honos, nomenq; tuum laudesq; manebunt.

1.Aeneid.

In freta dum fluuij current, dum montibus vmbræ
Lustrabunt, conuexa polus dum sidera pascet,
Semper honos, nomenq; tuum, laudesq; manebunt.

Solon.per Auson.

Non erunt honores vnquam fortuiti muneris.

Ouid.1.Fast.

In pretio pretium nunc est: dat census honores,
Census amicitias: pauper vbiq; iacet.

Idem 3.Amor.2.

Cur in pauperibus clausa est: dat census honores:
Inde grauis iudex, inde seuerus eques.

Boeth.38.

Quid dignum stolidis mentibus imprecer?
Opes, honores ambiant.
Et cum falsa graui mole parauerint,
Tum vera cognoscant bona.

Nemesianus Eclog.1.

Namq; fuit dignus senior, quem carmine Phœbus
Pan calamis, fidibusq; Linus modulantibus Orpheus
Concinerent, atque acta viri, laudesq; sonarent.

PHILOSOPHORVM SENTENTIÆ.

Qua in ciuitate non maximus virtuti honos tribuitur: in ea optimus ciuitatis status stabilis, & firmus esse nullo modo potest. *Arist.lib.2.de Repub.c 9.*

Est bonorum externorum maximum gloria. *lib.4.Ethic.c.3.*

Honor, & gloria suapte natura grata iucundaq; sunt, & ad vtilitatem quoque maxime valent. *lib.1.Rhet.c.6.*

Si verum iudicare volumus, solis bonis honos debetur. *libro 4.Ethic.cap.3.*

Imperia, & opes, gloriæ caussa expetendæ sunt. *ibid.*

Licet, & vt decet honorem gloriamque expetere, & nimium, & parum. *lib.2.Ethic.c.7.*

Excitantur ad subeunda pericula ciues, & pœnis, & probris, & honoribus, qui decreti sunt legibus. *lib.3.Ethic c.8.*

Honoris studio, probriq; fuga, quod est turpe, comparatur. *ibid.*

Laus solis vltroneis locum habet. *lib.1.Mag.Moral.c.3.*

Omni seni honos tribuendus est is, qui ætati meritò iam decet, assurgēdo, decedendo de via, alijsque generis eiusdem. *lib.9.Ethic.cap.2.*

Vt Dijs, sic suus honor tribuendus est parentibus non omnis tamē, sed patri is, qui patrem: matri is, qui matrem decet. *ibid.*

Cognatis, atque tribulibus, ciuibus item reliquisq; omnibus, semper enitendum est, vt suus cuique honos tribuatur. *ibid.*

Quorum præmium honor est, atque laus: longe præstantiora sunt, quam ea quorum præmium est pecunia. *lib.1.Rhet.c.9.*

Communis conseruandæ omnis Reipub. ratio est neminem ornare supra modum: sed exiguos potius, & diuturnos honores tribuere, quam celeriter magnos. His enim talibus deteriores fiunt, & ferre secundam fortunam non omnes possunt. *lib 5.de Repub.l.caput.8.*

Vt ij, qui pecunias amant, pecuniarum imminutionem; sic ambitiosi, ac boni viri, gloriæ iacturam moleste ferunt. *libr.5.de Repub cap.11.*

Est virtutis merces gloria, quæ eadem bonis viris tribuitur. *Ethicor lib.4 cap.3.*

Honorem, & gloriam bona esse necesse est: iucunda enim sunt, & effectiua multorum: ac vt plurimum ea vere inesse ostendunt, propter quæ fiunt. *lib.1.Rhetor.ad Theodect.c.6.*

Dignitas ad externa bona refertur: quorum maximum ponimus id, quod & Dijs tribuimus, & quod maxime expetunt omnes ij, qui sunt in magistratu, & quod rerum gestarum, vel præclarissimarum mercedem omnes desiderant, qualis gloria est. *lib.4.Ethic cap.3.*

Gloria est, cum virtuosus à cunctis existimatur, aut id habere putatur, quod omnes, vel plures, vel probi, vel prudentes expetunt. Honor autem est existimationis beneficæ iudicium. Honorantur ergo maxime, atque merito, qui beneficia contulerunt: deinde, qui conferre queant. *lib.1 Rhetor.ad Theodect.c.5.*

Honoris partes sunt sacra, memorationes, decantationes carminis, aut solutæ orationis ad laudem recitatio: loci, vel primi consessus, sepulchra, imagines, publici victus. Ad hæc etiam barbara, ve

vt inclinati, loco cedere: munera quoque, sed alia apud alios honoratiora. *Ibid.*

Est in eorum potius potestate, qui colunt honos, quam qui coluntur. *Ethic. lib. 1. c. 5.*

Nulla voluptas humana videtur ad diuinam accedere propius, quàm ea delectatio, quæ ex honoribus percipitur. *Xenoph. in Hierone.*

Gratia, atque honos opportuniora interdum non cupientibus sunt. *Liuius Dec. 1. lib. 4.*

Magni fiunt animi magnis honoribus. *Idem, ibid.*

Virtutis vberrimum alimentum est honos. *Max lib. 2. c. 5.*

Candidis animis voluptatem præbêt in conspicuo posita, quæ cuique magnifica merito contigerunt. Quia æque præmiorum virtus, atque honorum contemplatio iudicanda est, ipsa natura nobis alacritatem subministrante, cum honorem industriæ appeti, & exolui grate videmus. *Idem lib. 8. c. 15.*

Sapientes principes non ad statuas, picturas, diuinosue honores, sed ad sua ipsorum actiones respicientes, illis, aut vt honoris caussa delatis fidunt, aut vt necessitate extortis diffidunt. Intelligentes populum sæpe tum maxime, cum honores decernit, odio habere eos, qui immodicos honores, idque ab inuitis accipiunt. *Plut. in Demetrio.*

Magni honores immodicæq; potestates etiam hominum animos ad fastum extollunt, atque corrumpunt. *Dionys. lib. 36.*

Pecunia ex quo in honore esse cœpit, verus rerum honor cecidit. *Seneca in Epistolis.*

Nemo eorum, quos diuitiæ honoresque in altiori fastigio ponunt, magnus est. Quare ergo magnus videtur, cum basi sua illum metiris? Magnus pumilio, licet in monte constiterit. Colossus magnitudinem seruabit, etiamsi steterit in puteo. Hoc laboramus errore, quod neminem æstimamus ex æquo. Cum verò velis æstimationem hominis inire, & scire qualis sit, nudum respice, ponat patrimonium, honores, & alia fortunæ mendacia, corpus suum exuat, & animum intuere qualis sit, quantusque, alieno, an suo magnus. *Idem.*

Abstrahuntur nos à recto diuitiæ, honores, potentia, & cætera, quæ opinione nostra chara sunt, precio suo vilia, nihil habent ista magnificum, quo mentes nostras in se trahant, præter hoc, quod mirari illa consueuimus. *Seneca ad Lucilium, Epist. 82.*

Honor maior est in honorante, quam in honorato. *Arist. l. 1. Ethic.*

Paruus honore non est dignus. *Arist. lib. 4. Ethic.*

Vbi enim illum inuenies, qui honorem amici anteponat suo? *Cic. lib. de Amicit.*

Contempto igitur honore, contempta etiam pecunia, quid relinquitur, quod extimescendum sit? *Cic. lib. vlt. Tuscul. quæst.*

Gloriam, & honorem, & imperium, bonus, & ignauus æque sibi exoptant. Sibonus, vera via nititur: sed ignauus, quia bonæ artes desunt, dolis, atque fallacijs contendit. *Salustius in Catilinaria.*

Nam, & virtutis vberrimum alimentum est honos. *Valer. Maxim. libro 2. Tit. de Institutis antiquis.*

Apophthegmata.

Diogenes. Athenienses per adulationem decreuerant, vt Alexander pro sacro patre haberetur, & coleretur. Hunc honorem irridens Diogenes: Et me, inquit, Serapin facite. Vt enim Bacchus inter Satyros est, ita Serapis ab Aegyptijs specie bouis colitur. *Laert. lib. 6.*

Aristoteles præcipuam dignitatem esse dicebat, non fungi honoribus, sed ab alijs dignum honore iudicari. *Stob.*

Alexander. Capta Petra, arce inexpugnabili in India, Alexandrum amici eius iactabant supergressum rebus gestis Herculem: At ego, inquit, res gestas meas cum imperio non existimo esse vel Herculis verbo æquiparandas. *Plut. in apoph.*

Pythonem, quod interfecisset regem Cotyn, magni faciebant Athenienses, & honorabant: Sed ille, Deus hoc (inquit) manu vsus mea perpetrauit. *Plutarchus in præceptis politicis.*

Phauor. philosophus. Athenienses Phauorini æneã statuam deiecerant, vt hominis Cæsaris inimicissimi. Erant enim Athenienses vectigales Adriano Cæsari. Id postea quam philosopho denunciatum est, nihil commotus dixit: Vtilius erat Socrati ab Atheniensibus ærea priuari statua, quam bibere cicutam. *Philostratus.*

Demetrius Antigoni filius, cum Rhodum obsideret, vrbemque iam cepisset, tabulam quandam Protogenis manu depictam studiose seruari sibi præcepit, dicens se citius parentis imagines, quã eam picturam aboliturum. *Plut. in Demetrij vita.*

Neocles. Arato destinanti tyrannorum communi odio abolere tabulam insignis artifici, quæ Aristratum in curru victorem habebat: Neocles supplex intercessit, vt opus incolume seruaretur, dicẽs: Cum tyrannis non cum tyrannorum imaginibus belligerandum esse. *P. M. lib. 6. Apoph.*

Scipio minor vbi ciuitatem comperit statuis Deorum Græcanis, ac monimentis, è Sicilia deportatis, distertam, per præconem pronunciari publice iussit, vt qui illatum essent vrbium agnoscerent illa, ac referrent domum. *Plut. in Rom. apoph.*

Iulius Cæsar cum triumphans subsellia tribunitia præteriret, Pontius Aquila non assurrexit vnus omnium: id adeo indigne tulit, vt proclamarit, Repete ergo Aquila à me Rempublic. tribunus. Nec deinde per continuos aliquot dies cuiquam pollicitus est, nisi sub hac exceptione: Si tamen per Pontium Aquilam licuerit. *P. M. lib. 4. apoph.*

Ioannes Picus sæpe oblatas, & sacras, & profanas dignitates magno animo reiecit. Deo, & studijs se addictum respondens. Cum esset vir quidam magni nominis amicorum suasu eũ ad Cardinalatus dignitatem petendam, vel certe si offerretur amplectendam subtimide hortaretur, respondit: Non sunt cogitationes meæ cogitationes vestræ: Bona Ecclesiæ, pauperum bona sunt. *Io. Franc. Picus in eius vita.*

Paulus Æmilius iterum petens consulatum, repulsam tulit: cæterũ cum bellum aduersus Perseũ, ac Macedones, imperitia segnitieque ducum tam in longũ duceretur, eidemque consulatum detulissent, negauit se illis habere gratiam, non enim se ob id eum desiderasse imperatorem, quod ipse desideraret imperiũ, sed quod ipsi imperatorem. *Plut. in Rom. apoph.*

Cicero in Vatinium, qui paucis diebus consul fuit, ita iocatus est: Vatinij anno magnum ostentum fuit, quod eo consule, nec bruma, nec ver, nec æstas, nec autumnus fuisset. Nam his horis annus totus distinguitur, quarum vnaquæque tres menses occupat. Nescio, an hoc ipsum sit, quod aliter refert Pollio in Marino tyranno Consule, qui sex meridiaris horis consul fuerat, ioco Ciceronis aspersus est: Consulem habuimus tam seuerum, tamque censorium, vt in eius magistratu nemo pransus sit, nemo cœnauerit, nemo dormierit: nisi forte videtur hoc magis ad Caninium Reuilium pertinere. *Macrob.*

M. Voltacilius, cum audiret Caium Seruilium per vnum tãtum diem consulem fuisse, in Flaminum præsentia dixisse fertur: Antea Flamines, nunc verò consules diales creatos esse. Alludit autem ad Flamines Diales, a Romulo, vel vt alij volunt, à Numa Pompilio creatos, qui à gestatione filorum Filamines dicti sunt. Flamini autem Diali iurare non licebat, & iniurato credebatur, &c. *Macrob. lib. 2. Saturn. c. 2.*

Alphonsus interrogatus, quid sibi sine vtilitate honor esse videretur: Consimile id sibi videri respondit, vt si peracutum, & perspicaces, quia cernat, sed offensus caligine oberret in tenebris. Notabat autem eos, qui ad magnos honores aspirant: quibus impetratis, non habent quo honoris titulo satisfaciant. Tales sunt hodie equites etiam aurati, qui post profectionem ad Diuum Iacobum, aut Dominicum sepulchrum, se auratos equites nominant, ac insignia picta ostendunt, cum vix habeãt viaticum ad victum, atque alterum nutriate, pedes ire solit. *Panor. libro secundo, de rebus gestis Alphonsi.*

Aristoteles, cum quidam ei decretum Delphis honorem eripuisset scribens de his ad Antipatrum, inquit, Ea quæ Delphis mihi decreto sunt assignata, quibusque nunc priuatus sum, animum meum afficiunt: vt neque magnopere mihi cordi sint, neque tamen omnium non cordi sint. Sapientissime autem putauit, non esse simile dignitatem aliquam suscipere: & cum iam acceperis, ea spoliari. Non enim graue est, non adipisci: at cum adeptus sis, rursum amittere, id satis quidem molestum est. *Ælian. libro 14. de varia historia.*

Antisthenes sciscitatus, quæ res portenderet ciuitatib. exilium? Quãdo in his, inquit, nullum esse potest bonorum, ac malorum discrimen. Sentiens, eam Rempublicam non posse consistere, vbi nec esset honos virtuti, nec pœna scelerosis. *Laert. l. 6.*

Theophrastus percontatus, quanam re communis hominum societas conseruari possit? respondit, Si pœna mali coerceantur à Republica, boni inuitentur honorum præmijs. *Stob. ser. 41.*

Anaximenes dicere solebat, Qui zelo affecti, recte facta dictaq; nullo neq; præconio, nec honore dignantur, quem oro fructum ipsi ex suis benefactis sperare audebunt? *Stob.*

Q. Fab. Fabio iam sene, filius illius consul factus est: qui quum publicitus multis audientibus habuisset orationem, Fabius conscenso equo præcedebat. Quum autem iuuenis lictorem misisset, qui patrem iuberet equo descendere, alij quidem factum hoc auersati sunt, vt Fabius ab equo desiliens, non habita ætatis ratione accurrit, ac filium complexus, Euge, inquit, fili sapis, qui intelligas, quibus imperes, & quam magnum magistratum susceperis. *Plut. in apoph.*

Anonymus. Titius Labienus equiti strenuo de præda Gallica aurum donauit. Id videns Scipio, dixit equiti: Habebis donum viri diuitis. Hac voce audita, eques aurum ad pedes Labieni abiecit. Idem quum audisset Scipionem dicentem, Imperator te armillis argenteis donat: alacer gaudio abijt. Miles aurum contempsit, honorem ampleaus est. *P. M. 6. apoph.*

M. Cato Aiebat populum Romanum non tantum purpuræ, verum etiam virtuti plurimum conducere. Quemadmodum enim tinctores cum potissimum colorem inducunt, quo vident homines maxime delectari: ita iuuentus ad ea studia potissimum incumbit, quibus populus defert honores. Honos enim

non

non solum aliè artes, verum etiam virtutem. Hoc pacto monebat populum, vt magistratus his demum committerent, qui de se virtutis speciem dedissent: ita fieri, vt quam plurimi sese ad egregia studia conferrent. *P. M. lib. 5. apoph.*

Idem. Qui virtutem honore suo fraudarent, eos dicebat ipsam virtutem à iuuentute auferre. Sentiebat, præmijs animos iuuenum ad virtutem accendi: quæ si detrahas, ipsa virtus elanguescit. *Plut. in apoph.*

Scipio Africanus. Socrati cum Xenophontem in manibus semper habebat, cuius in primis laudabat illud, quod diceret: Eosdem labores non esse æquè grandes Imperatori, ac militi, quod ipse honos laborem leuiorem faceret Imperatori. *Cic. l. 2. Tusc. quæst.*

Cicero sibi propriè, & solum honorem æstimari dicebat, quem quis neque maiorum commendatione, neque per alterius calamitatem assecutus sit. *Cicero in Philippicis.*

Alphonsus amico, ac familiari cuidam suadenti, vt tranquille, & voluptuosè, dum posset, vitam ageret, nec corpus tot tantisq; periculis obiectaret, respondisse dicitur: Non temere à Romanis, illis quidem sapientioribus: Honoris templo Virtutis templum coniunctum esse, in quod nisi per virtutis templum introire nemini liceret. Vt intelligerent mortales, ad honoris fastigium nō voluptatum via (quæ delicijs, atque illecebris affluens esset) sed virtutis, illa quidem aspera, & salebrosa, enitendum esse. *Panorm. lib. 1. de reb. gest. Alphonsi.*

Agesilao, quum nationes, quæ id temporis Græciam incolebant, decreuissent, in clarissimis quibusque ciuitatibus honoris caussa statuas erigi, rescripsit illis hunc in modum. Mei nulla sit imago, neque picta, neque ficta, neque vllo alio artificio parata. At principum vulgus hoc honoris genere se Dijs æquiparari credebat, summumque rerum bene gestarum præmium arbitrabatur. Agesilaus ipso honesto contentus, negligebat eiusmodi adulationes, malens in culpi prudentium, ac bonorum hominum pectoribus, quam in foro æreus aureusve stare. Eximiam virtutem sponte suum consequitur decus. Nec vlla speciosior statua, quam honorifica bene actæ vitæ memoria. *Plutarch. in apoph. Lacon.*

Idem. Quum moraretur in portu qui Menelai dicitur, mandauit ijs qui aderant, ne quam statuam, aut imaginem in eius honorem erigerent. Si quod, inquit, præclarum facinus gessi, hoc erit monumentum mei: sin minus, ne omnes quidem statuæ, quum sint vilium, ac nullius rei opificum opera. *Plutarc. in apoph. Lacon.*

Idem. Thasij quoniam intelligebant Agesilaum de ipsis optimè meritum, templis, ac diuinis honoribus illum dignati sunt: atq; hac de re legatos ad illum miserunt. Is vbi legisset honores, quos legati ad illum detulerant, percontatus est, num illorum patria potestatem haberet ea hominibus faciendi Deos? Quum illi respondissent, habere: Agedum, inquit, primum vos ipsos Deos facite, id si præstiteritis, tum vobis credam, quod me quoque Deum facere poteritis. Verum hic prius admirari conuenit animi celsitudinem, adeo contemnentis oblatum, ob quod Empedocles Philosophus semet in Aetnam conieceit, quodque tot eruditi Principes tot artibus, & impendijs ambierunt: an ingenij solertiam, qua Thrasijs, vel summam stultitiam, vel abiectam adulationem suam in oculos ingessit? *Plut. in apoph. Lacon.*

Anonymus. Quidam quum in peregrinatione vidisset homines in sellis curulibus sedētes: Absit, inquit, vt in talibus sedeam sellis, vnde non liceat assurgere seniori. In his enim sedebant delicati porrectis cruribus, ac cœlum imminens capiti prohibebat exurgere. Apud Lacedæmonios verò scelus erat, iuuenem non assurrexisse seni. *Plut. in Lacon.*

Theopompo Pilij cum decreto statuissent summos honores, ipse renuit: Mediocres honores ipsum tempus augere, immodicos verò abolere, dicens: Quo apophthegmate, id quod alij sibi, aut vēdicant arroganter, aut ambiunt ineptè, ipse vltro delatum reiecit. *Plut. in Lacon.*

Pyrrhus, quum rebus feliciter gestis domum redisset, & à suis aquila diceretur: Per vos, inquit, aquila sum. Qui enim non essem, quum vestris armis veluti pennis subleuer? Modestissimè gloriosi cognominis laudem in suos milites transferens, vitauit inuidiam. *Plut. in Regum. & Imp. apoph.*

Alexander, quum in bello eius ei esset sagitta vulneratum, multiq; accurrerent, qui ipsum frequenter Deum appellare consueuerant, exporrecta hilariq; fronte ad Homeri carmen alludens dixit: Hic sanguis est quem videtis, liquorque, qualis diuis solet emanare beatis. Nimirum irridens adulatorum vanitatem, cum ipsa res declaret ipsum nihil aliud esse, quam hominem. *Plut. in apoph. Regum. & Imp.*

M. Varro Pauli collega, quoniam ea Cannensi pugna, quæ Romanis fuerat infelicissima, superfuit, honores à populo delatos recusauit: dicens, felicioribus magistratibus opus esse Reip. Quum animum gereret inculpatum, fortunæ suæ Reipub. vltro pœnas dare voluit, vir ob hoc ipsum summis dignus honoribus. *P. M. lib. 6. apoph. ex Plut.*

Pompeius, quum in Libyam aduersus Domitium transisset, cumque ingenti prælio superasset, militibus ipsum Imperatoris titulo consalutantibus, negauit se eum honorem admissurum, quamdiu hostium vallum staret erectum. Hoc audito, milites, licet ingens obstaret pluuia, impetu facto hostium castra adorti expugnarunt. Recusauit honorem, nondum factis emeritum. *Plutarch. in apoph.*

Iulius Cæsar, populo per adulationem Regem ipsum salutante: Cæsar, inquit, sum, non rex. Maluit priuatum nomen, quam regium inuidiæ obnoxium. *P. M. libro 4. apophth. Plutarchus in vita Cæsaris.*

M. Antonius, quum Rhodum insulam vi cepisset, & in ingressu salutaretur rex, atque dominus: Nec rex sum, inquit, nec Dominus, sed regis, ac Domini interfector. *Plutarch. in Antonio.*

Tiberius cuidam, à quo fuerat dominus appellatus, denunciauit, ne se amplius contumeliæ causa nominaret. Quanta modestia in tanto Principe? Nunc quidam nihil audire possunt, nisi sacras maiestates, gratiosas celsitudines, & reuerendissimas dominationes. *P. M. lib. 6. apoph.*

Maximus Senior Cæsar, numquam ad oscula pedum quemquam admisit, dicens: Dij prohibeant, vt quisquam ingenuorum pedibus meis oscula figat. *Capitolinus.*

Alexander Seuerus imperator creatus, quum vix annos 16. natus esset, ob virtutes eximias, titulis magnificis à senatu decoratus nūquam in animum induxit, vt se Magnum, & Patrem patriæ cognominari pateretur: Oportere enim aiebat, vt res gestæ maturiorq; ætas ea nomina pararent. *Lampridius.*

Gregor. Nazianzenus. Cum successus Gregorij in Ecclesia inuidia subsequeretur, adeo vt iniquis, & minus sanis proscriptionibus ei abeundum esset, iamq; alius ordinaretur Episcopus, quod nemo illi palam dicere audebat, ipse verò sentiens quid fieret, dixit: Absit, vt mei caussa aliqua simultas in Dei sacerdotibus oriatur. Si propter me est ista tempestas, tollite, & mittite me in mare, & desinet a vobis quassatio. *In eius vita.*

Alphonsus. Neapolitani ciues, cum ob virtutem, & clementiam Alphonsi regis decreuissent, vno consensu omnes arcum regi triūphalem ad memoriam honorificè struere, elegerunt locum super gradus marmoreos maioris Ecclesiæ. Id verò quandoquidem fieri non poterat, ni magna ex parte diruetur Nicolai Mariæ Buxuti, magnanimi, & strenui militis, domus, rex fieri omnino hoc prohibuit: Haud tanti se facere, inquiens, huiusmodi saxorum struem ventis imbriq; obnoxiam, vt amici domum ideo euerti pateretur. Contempsit rex honorem, & laudem saxorum testimonio posteris memorandam: cum secus hodie faciant ij, qui nullis virtutibus conspicui, omnibus ædificijs, & parietibus nomen suum posteris celebrandum inscribunt, atque insculpūt. *Panor. lib. 1. de reb. gest. Alphons.*

SIMILITVDINES.

D. Anselmi. Sic agunt illi qui mundi huius honores appetunt, quomodo pueri, qui sequuntur papiliones. Papiliones enim cum volant, tramitem rectum numquam tenent, sed huc illucque se agitant. Cumque alicubi residere videantur, nec ibi diu morantur. Hos autem cum pueri capere volunt, cito post eos currere satagunt, sed qui non ad pedes suos, sed ad papiliones, intendunt, aliquando in foueam cadunt, seque immaniter lædunt: plerumque vero cum eos vident alicubi resedisse, incedunt suauiter, & cautè, vt eos valeant comprehendere: quod dum faciunt, manibus quoque plaudunt, & ad inuicem leui voce dicunt: Ecce iam eos habebimus, sed cum propius accedentes, eos apprehendere tentant, papiliones auolant: si quando verò eos apprehenderint, exultant de nihilo, quasi magnum quid fuerint adepti: Similiter faciunt, qui huius mundi honores appetunt. Honores enim huius mundi numquam certam tenent viam, sed incertis diuerticulis de vno ad alium transuolant: eumq; sub alicuius subsistere potestate, nec ibi diu possunt remanere. Hos ergo cum stulti homines assequi cupiunt, festinant post eos quibuscumque modis possunt: & quia non considerant, quo eos modo assequantur, sed vt quoquo modo adipiscantur, sæpius in grauia crimina decidunt, quibus suas animas vehementer lædunt, aliquando verò cum viderint eos alicubi quasi paratos sibi esse, accedunt illuc latenter, & multum callidè, vt quasi nullo sciente valeant eos obtinere: quo dum appropiant, vehementer gaudent, & exultant: sed cum propius accesserint, eosque se posse iam apprehendere putauerint, honores de manibus eorum se excutiunt, & aliqua de caussa ad alios aliquos se transferunt. Quos si quando adepti fuerint, gratulantur quasi aliquem verum honorem fuerint assecuti: cum ad veri honoris culmen peruenire non possint, si non hoc cum suorum satisfactione commissorum reliquerint. *In Simulitud. cap. 71.*

Plutarchi. Qui viro malo addit opes, & gloriam, is febricitanti ministrat vinum, bilioso mel, cœliacis obsonia: quæ morbum animi, hoc est, stultitiam augeant. *In Moral.*

Vt non quæuis corona quemuis decet victorem: Ita non quiuis honos quemcumque hominem. *In Moral.*

Vt Colossi seu statuæ male libratæ, sæpius subuertuntur: Ita nimius honor per inuidiam euertit multus. *In Moral.*

Vt decidua stellæ subito extinguuntur: Ita quos fortuna subito in summa prouexit repente solent corruere. *In Moral.*

P.M. Apud Thessalos capitale est occidere ciconiam, non ob aliud, nisi quod serpentes interficiat: parcitur & apud Britannos miluis, quod vrbem raptis extis pecudum repurgent: Ita quibusdã honos habendus, non quod ipsi digni sint, sed quod illorum opera nobis sit vsui. *In Stmel.*

Vt stellæ subito natæ, subito item euanescunt: Ita qui repente subuehuntur ad summos honores, cito præcipitari solent. *In simili-bus.*

Tiberius. Honores quid simile cum fungis, sed peius obtinẽt. Etenim ij tantum ventrem inflant, & aliquando leuiter mentis particulam vexant. Honores verò vniuersum hominem reddunt tumidum: nec intellectus partem, sed totam vitiant animam. *In apoph.45.*

Quemadmodum si quis cephalea laboret, aut capite doleat, coronarijs sertis non afficitur, sed grauatur magis: atque eo fere amplius, quo odorem ipsa spirant maiorem: ita neque honores vitæ commoditati quicquam conducunt: sed insigniter officiunt. *In apoph.154.*

Quemadmodum coquinæ nidor nequaquam hominem nutrit, sed olfactu tantum hominem prouocat: Ita nec honores quẽquam beant, sed infamem tantum pruritum excitant. *In apoph.165.*

Quod sunt flores coronarij sine odore, hoc mihi videntur honores quæsiti ex stemmate, ambitione, aut opum multitudine. *In apophth.156.*

Præcocibus fructibus semper aliqua tempestas, & periculum imminet: Ita eos qui præmaturè ad honores promouentur, fere tumultus vulgi excipit. *In apoph.118.*

Multo difficilius est tolerare pruritum, quam dolorem: At maioris virtutis est, modestè gerere honores, quam patienter ferre contemptum. *In apoph.122.*

Venter nimio sæpè cibo granatur: Et animus multis honoribus, ac diuitijs inflatur. *In apoph.88.*

ADAGIA.

Bos in quadra argentea. βοῦς ἐπὶ πίνακος ἀργυροῦ.

In eos qui personam sustinent, officium aliquod egregium pollicentem. nec vbi tamen sunt vsui, nisi ad voluptatem, aut fastum. Der Koenig im Kartenspiel.

Fato Metelli.

Dictum facetè & contumeliosè in Metellos. Torqueri poterit in eos, qui præter meritum suum ad opes, ac dignitates prouehuntur.

Malus Choraules, bonus symphoniacus.

D. Augustinus in Epistola ad Aurelianum commemorat vulgo illud in Italiam, vbi quis in suo genere contemptus in præstantiore habetur precio: veluti si quis Poeta ineptus profiteatur medicinam, & inter præclaros Medicos habeatur.

Strumam dibapho tegere.

Pro eo, quod est infamiam aliqua dignitate obliterare.

Asinus in pelle leonis.

Ait nobis quidem Philosophus, cæterum asinus leonis tectus pelle.

EXEMPLA BIBLICA.

Honoris parentibus exhibiti exempla: in Sem & Iaphet, *Gen.9.23.* Iod.43.8.9. Iosepho, 46.29. & 50.1.2. Dauide, 1.*Sam.*22.3. Salomone, 1.*Reg.*2.19. Christo, *Luc.*2.51. *Ioan.*8.49. & 9.26.27.

HIEROGLYPHICA.

Sciendum, *hasta gestamen* haud quaquam inter vulgares honores habitum, tantæq; apud veteres venerationis fuisse, vt loco diadematis, pro insigni regio haberetur. *Pier. Val. lib.42.*

Clypeis, quibus nomen incidi describive facta pulcra moris fuit: (vnde qui nihil adhuc strenue in bello gessissent, *alba* vtebantur *Parma*, de qua Virgil. *Parmaque inglorius alba*) donabantur ab Imperatoribus honoris ergo milites, atque etiam Dij, quare sæpius apud Liuium legas, argentea clypea templis illata, ac Dijs dicata. *Pier. Val. lib 42.*

Vide etiam titulum Gloria.

HOSPITALITAS.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

Hospitalitas, Græcè φιλοξενία, &c. ξενοδοχεῖον, τό. hospitium dicitur, & ξενίζειν hospitor, & ξένος, ὁ. hospes. Est autem hospes, qui est extraneus à domo, sicut aduena in ciuitate, *secundum B. Thom. super epistolam Pauli ad Ephes.2. lect.6. col.1. final.*

Hospes propriè dicitur, qui priuatim, & amicitiæ caussa, vel recipit, vel recipitur. Vnde & pro amico externo capitur, & hospitium pro amicitia. hospitium etiam diuersorium significat. Cicero: *Ex hac vita discedo tamquam ex hospitio, non tamquam ex domo. Commorandi enim natura diuersorium, non habitandi locum dedit.* Hinc hospitalitas, facilitas, vel benignitas in recipiendo, & hospitaliter aduerbium, benignè, & faciliter.

LOCI BIBLICI.

Hospes esse in aliqua ciuitate translatiuè, qui ignorat, quod cætera illhic orint. *Luc.24.18.*

Hospitalitas commendatur, *Deuter.10.19. Esa.58.2. Matthæi 25.35.36.37. Luc.14.13. Rom.12.13.1. Tim.3.2. Tit.1.8. Hebr.13.2.1. Petr.4.9. Iacob.1.27.*

SENTENTIÆ BIBLICAE.

Vita nequam hospitari de domo in domum. *Eccl.29.*

Hospitabitur, & pascet, & potabit ingratos, & ad hæc amara audiet. *ibid.*

Transi hospes, & orna mensam, & quæ in manu habes, ciba cæteros. *ibid.*

Egenos vagosq; induc in domum tuam. *Esa.58.*

Ego veni in nomine patris mei, & non accepistis me: Si venerit alius in nomine suo (Dominus talia, vel talis) illum accipietis. (sic qui iam pauperes bonos excludunt, magnos autem raptores, & diuites recipiunt sumptuosè.) *Ioan.5.*

Qui accipit si quem misero (dicit Dominus) me accipit: qui autem me accipit, accipit eum qui me misit. 13.

Necessitatibus Sanctorum communicantes, hospitalitatem sectantes. *Rom.12.*

Hospitalitatem nolite obliuisci. Per hanc enim quidam placuerunt Angelis hospitio receptis. *Hebr.13.*

SENTENTIAE PATRUM.

Disce Christiane, sine discretione exhibere hospitalitatem, ne forte cui domum clauseris, cui humanitatem negaueris, ipse sit Deus. *Aug. contra hæreses.*

Obsecutus Loth Angelis, tamquam peregrinis, consuetudine hospitalitatis, liberatus à periculo ciuitatis, & temporale euasit incendium, & æternum consecutus est præmium. *ibid.*

Hospitalitatis officio ad Christi cognitionem venimus. *Idem 2. Quæst. Euangel.*

Tanta est apud Deum hospitalitatis gratia, vt ne potus quidem aquæ frigidæ à præmijs remunerationis immunis sit. Vides, quia Abraham Deum recepit hospitio, dum hospites quærit: vides quia Loth Angelos recepit: vnde scis an tu quum suscipis hominem, suscipias Christum, licet in hospite Christus sit, quia Christus in paupere est, sicut ipse ait. Hospes fui, &c. *Ambros. de Offic.*

Est publica species humanitatis, vt peregrinus in hospitio non egeat: suscipiatur officiosè, vt pateat aduenienti ianua. *Ibidem.*

Vt humanitatis intoitu hospitio recipiat non habentes hospitium, & egenum sine tecto inducat in domum suam: nec solus deuoret bona Christi, quæ ei largita sunt bonitate Christi, vt eum hilarem datorem diligat Christus, sine murmure tribuat pauperibus Christi *in suo past.*

Hospes per famam eligendus est populi, & indicio vicinorum: ne prædicationis dignitas suscipientis infamia deturpetur. *Hier. super Matth.10.*

Mos est Apostolicæ Sedis, ordinato Episcopo præcepta tradere, vt de omni stipendio, quod accedit, quatuor debeant fieri portiones. Vna videlicet Episcopo, ac familiæ eius propter hospitalitatem, atque susceptionem: altera clero: tertia verò pauperibus: quarta Ecclesijs reparandis. *Greg. Aug. Angelorum episc. & habetur, 12. q. 2. Mos est.*

Qualem mercedem habet, qui propter Deum peregrinatur, talem habet, qui suscipit peregrinantem, & fiunt ambo æquales: & qui propter Deum refrigerat, & qui propter Deum laborat. *Ioan. Chrysost. sup. Matth.*

Præferebat Sanctus Loth domus suæ verecundiæ hospitalem gratiam, etiam apud barbaras gentes inuiolabilem. *Ambros. de Patriarch.*

Ille homo dicitur esse humanus, qui se exhibet esse hominem, & maximè hospitio suscipit hominem. *Augustin. de verbis Apostolic.*

Quoniam quicquid habent Clerici pauperum est: & domus illorum omnibus debent esse communes, susceptioni peregrinorũ, & hospitum inuigilare debent. *idem.*

Poi-

Poeticæ Sententiæ.

Virg. in 1. Aeneid.

Iupiter: hospitibus nam te dare iura loquuntur.

Hom. in θ Odysseæ.

Ἀντὶ κασιγνήτου ξεῖνός θ' ἱκέτης τε τέτυκται
Ἀνέρ' ὅς τ' ὀλίγον περ ἐπιψαύει πραπίδεσσι.
Loco fratris hospes & supplicator est
Viro illi, qui etiam mediocriter sit prudens.

Idem in ι. Odysseæ.

Ζεὺς δ' ἐπιτιμήτωρ ἱκετάων τε ξείνων τε
Ξείνιος ὃς ξείνοισιν ἅμ' αἰδοίοισιν ὀπηδεῖ.
Iupiter est honorator supplicatorumque, hospitumque
Hospitalis, qui hospites venerabiles simul comitatur.

Idem in ξ. Odysseæ.

Ζεύς τοι δοίη ξεῖνε καὶ ἀθάνατοι θεοὶ ἄλλοι
Ὅττι μάλιστ' ἐθέλεις, ὅτι με πρόφρων ὑπέδεξο.
Iupiter tibi det hospes, & immortales Dei alij
Quodcumque maximè vis, quoniam me promptus hospitatus es.
Ξεῖν' οὔ μοι θέμις ἔστ', οὐδ' εἰ κακίων σέθεν ἔλθοι,
Ξεῖνον ἀτιμῆσαι· πρὸς γὰρ Διός εἰσιν ἅπαντες,
Ξεῖνοί τε πτωχοί τε· δόσις δ' ὀλίγη τε φίλη τε
Γίγνεται ἡμετέρη.
Hospes non mihi fas est, neque si vilior te veniat,
Hospitem inhonorare, à Ioue enim sunt omnes,
Hospitesque pauperesque: donum quidem paruum, sed gratum
Est nostrum.

Idem in ο. Odysseæ.

Χρὴ ξεῖνον παρεόντα φιλεῖν, ἐθέλοντα δὲ πέμπειν.
Oportet hospitem præsentem in honorare, sed volentem discedere, dimittere.

Hesiodus.

Μηδὲ πολύξεινον μηδ' ἄξεινον καλέεσθαι.
Non habeas multos hospites, neque sis sine hospitibus.

Menander.

Ξένους πένητας μὴ παραδράμῃς ἰδών.
Hospites pauperes ne subterfugias cum videris.
Ξένοις ἐπαρκῶν τῶν ἴσων τεύξῃ ποτέ.
Hospitibus succurrens æqualia consequeris quandoque.
Ξενίας ἀεὶ φρόντιζε μὴ καθυστέρει.
Hospitalitatem semper cura ne posthabeas.
Ξένοισι πιστοῖς πιστὸς ὢν γίγνου φίλος.
Hospitibus fidis fidus existens sis amicus.
Ξένον ἀδικήσῃς μηδέποτε καιρὸν λαβών.
Hospitium iniuria afficies nunquam.
Ξένῳ μάλιστα συμφέρει τὸ σωφρονεῖν.
Hospiti maximè conducit modestum esse.
Ξένος ὢν ἀπράγμων ἴσθι καὶ πράξεις καλῶς.
Hospes existens incuriosus sis, & facies bene.
Ξένον δὲ σιγᾶν κρεῖττον ἢ κεκραγέναι.
Hospitis autem tacere melius, quam clamare.
Ξένος πεφυκὼς τοὺς ξενοδόχους σέβου.
Hospes natus, hospites cole.
Ξένους ξένιζε· καὶ σὺ γὰρ ξένος γ' ἔσῃ.
Hospites hospitare, & tu enim hospes eris.
Πλάνη βίον τίθησι σωφρονέστερον.
Peregrinatio vitam facit sapientiorem.

Plaut. Mil.

In bono hospite, atque amico quæstus est, quod sumitur.

Ouid. 5. Trist. 7.

Turpius eijcitur quam non admittitur hospes.

Ouid.

Viuitur ex rapto non hospes ab hospite tutus.

Philosophorum Sententiæ.

Rectè etiam à Theophrasto est laudata hospitalitas. Est enim (ut mihi quidem videtur) valde decorum patere domos hominum illustrium illustribus hospitibus. Idque etiam Reipub. est ornamento, homines externos, hoc liberalitatis genere in vrbe nostra non egere. Est autem etiam vehementer vtile ijs, qui honeste multum posse volunt per hospites, apud externos populos valere opibus, & gratia. Theophrastus scribit quidem Cimonem Athenis etiam in suos curiales Laciadas hospitalem fuisse. Ita enim instituisse, & villicis imperauisse, vt omnia præberentur quicumque Laciades in villam suam diuertisset. *Cicero libro 2. de Offic.*

Apophthegmata.

Socrates cum hospites suos satis tenui cœna susciperet, & amicus eius hoc ei improperaret, respondit: Si boni viri sunt, æquanimiter ferent, si mali, non curabunt. Si res tua tibi non sufficit, tu parcendo fac, vt rei sufficias tuæ. *Polyanthea Noua.*

Cleomenes. Cum amicus quidam hospiti in Phiditijs nihil apposuisset nisi vinum nigrum, & panem igni duratum, succensuit homini Cleomenes, dicens: Erga peregrinos non oportere nimium λακωνίζειν. Seueritas est, si quis a seipso exigat victum durum: at inhumanitatis est, hospitem eodem compellere. *Plut. in Lacon.*

Socrates rogatus, cuius hospitium nos quærere oportet? Illorum, inquit, qui bene sapiunt. *Stob. serm. 3.*

Stratonicus. quum perhumaniter quidam cum excepisset, multum recreatus est. Videns verò mox alium introire, iterumque alium: facessamus hinc, ò puer, inquit ad suum comitem. Etenim pro columba palumbum, pro hospite pandocheum inuenimus. *Ælian. de var. histor. lib. 14.*

Anonyma. Impetrauit ab Athanasio Episcopo Alexandrina mulier nobilis, & diues, vt ex viduis, quæ Ecclesiæ sumptu alebantur, daretur sibi vna aliqua alenda. Data est illi quædam miti, & suaui ingenio, cuius facilitate est auctum matronæ studium in pauperes. Poposcit sibi alteram dari: forte data est illi peruicax, & mulier, cum qua cum ex pio hospitio properaret: ago tibi gratias (dixit Athanasius) quod talem dedisti, per quam patientiæ cultus a me exercebitur. *Sabell. lib. 9. c. 1.*

Lucullus, quum Græcus quosdam per dies aliquot magnifice tractasset, atque illi dicerent, se mirari, quod tantum impendiorum sua causa faceret: Nonnihil, ò hospites, vestri a caussa, inquit, sed maxima pars Luculli gratia. *Plut. in Rom. apoph.*

Similitudines.

Chrysostomi. Quemadmodum piscator iacto in mare reti, piscem quidem attrahit, retrahit autem frequenter, & aurum, & margaritas: Itidem & hic reti captans homines, piscatus est tandem, & Angelos, quodque mireris, etiam inscius. Id quod & Paulus in huius laudibus dixit: Sectare hospitalitatem, per hanc enim quidā inscientes hospitio exceperunt Angelos. *Serm. ad Lazaro.*

P. M. Angues in Syria erga indigenas venenum non habent, nec eos petunt, exteros cum cruciatu exanimant: Ita insulares in suos satis humani, in alienigenas immanissimi sunt. *In Simil.*

Adagia.

Haud vmquam arcet ostium. οὐδέποτ' ἴχει θύρα.
Interpres Aristophanis paræmiam admonet esse de ijs, qui impendio sunt hospitales, quorum fores semper patent, neminem excludunt. Er helt offen Hoff. Er schlecht keinen auss. Es gehet zu, wie in Kœnig Artus hoff.

Semper aliquis in Cydonis dumo. ἀεί τις ἐν Κύδωνος. *Suid.*
Cydon Corinthius quispiam erat, adeo insignis hospitalitate, vt etiam prouerbio locum fecerit.

Scindere penulam.
Pro eo, quod est, impensius retinere hospitem, aut inuitare prolixius, quod qui faciunt manum in penulam iniecta, quasi vi conantur remorari. Id adagiū ex antiquitate fluxit, & Germanis quoque etiamnum hodie vsitatum. Das Rœcklein, oder den Rock zerreissen.

Fores habet tritas, vt pastorum casæ. τὴν θύραν ἔχει τετριμμένην, ὥσπερ ἀγροίκων.
Ironia prouerbialis in homines inhospitales, aditu que difficiles sibi viuentes semper occlusis foribus, quod pastores procul ab hominum commercio semotos, vix vmquam quisquam inuenisset.

Exempla biblica.

Hospitalitatis *exempla*: Abraham, *Genes.* 18. 3. 4. 5. *Loth* 19. 2. Laban, 24. 31. Raguel, *Exodi* 2. 20. Rahab, *Iosue* 2. 1. Iacob, 2. 25. Senex Ephratæus in Gabaa, *Iudic.* 19. 20. Vidua Sarepiana, 1. *Regum* 17. 10. 15. Vidua Sunamitis, 2. *Regum* 4. 8. Iob, *Iob* 31. 32. Martha, *Luca* 10. 38. Zachæus, 19. 6. Simon Coriarius, *Actorum* 10. 6. Lydia, 16. 15. & 18. 3. Philippus Euangelista, 21. 8. Mnason, 16. Publius, 28. 7. Caius, *Rom.* 16. 23. Caius, *Ioan* 3. 6. Aquila, & Priscilla: *Actor.* 18. 3. Hospitalitatis fructus, *Matth.* 10. 40. 41. *Hebr.* 13. 2. Exempla, in Abrahamo, *Genes.* 18. 2. 3. 5. 8. 10. Vidua paupercula, 1. *Reg.* 17. 10. Sunamitidis filio, 2. *Reg.* 4. 13. 16. Inhospitalitas, *Iud.* 8. 5. & 19. 18. 1. *Sam.* 25. 9. 14. *Sap.* 19. 13.

Historica Exempla.

Abydeni olim cum hospitem, aut ciuem conuiuio exciperent, post vnguentum, & coronas pueros osculandos circumferebant: quorum clamores, & nutricum strepitus conuiuas turbabant. *Suidas*: Hinc Prouer. Ἀβυδηνὸν ἐπιφόρημα. Abydenum Auctarium.

Camul prouinciæ Tartarorum subiectæ imperio, incolæ ad prodigium vsque hospitales, peregrinos quoscumque vel inuitus suscipiūt. Domo cedit hospiti paterfamilias, vxorē, & liberos ille cō-

mercat, nec ante hospitis discessum redit. *M. Paulus Venet. lib. 1. c. 46. orientalium regionum.*

Loppi Russiæ gens mercatores ad se ex varijs regionibus quæstua gratia venientes libenter excipiunt, quos in tuguriolis suis cum vxoribus relinquunt: ipsi verò interim venatum abeunt. Reuersi, si vxores hospitum concubitu consuetudineque lætiores hilarioresque inuenerint, munere aliquo hospitem donant: sin minus, turpiter conuitijs lacessitum expellunt. *Guagninus in descript. Moscouiæ.*

Veneti Herculem Ferrariensem Ducem, à quo grauissimo bello petiti fuerant, pace facta Venetias venientem publico hospitio in ijs ædibus, quas dono à Venetis maiores eius acceperant, exceperunt: publicoq. ære tota eius familia, ipsoq; ad alendum donatus est. *Egnat. lib. 4. c. 2.*

Cum *Mardonius à Xerxe* Persarum rege in Græcia relictus, cum exercitu Thebis ageret, Artaginus Phrynonis filius Thebanus, cœnam magnifice apparato, Medonium ipsum, & Persarum honoratissimos quinquaginta inuitauit, cum quinquaginta Thebanis, & in singulis lectis alternos, Persam & Thebanum discumbere fecit. *Herodot lib. 9.*

Licham scimus Laconem nulla re celebrem alia in Græcia euasisse, quam quod in ludis Gymnicis esset solitus cœna excipere peregrinos. *Plut. in Cimone.*

Apud *Locrenses* lege cautum erat, vt si quis sole occidente diuertentes hospites, notos ignotosve domo arceret, *κακοξενίας* teneretur, mulctamq; eo nomine pendere cogeretur. *Alex. ab Alexand. lib. 4. c. 10. Ælian. lib. 4. var. hist. & Heraclid Pont.*

Carolus Gothorum, & Suedorum antiquus Rex, inter maximas leges constituit, vt Gothi, ac Sueci inter se, & maximè in omnes aduenas, & peregrinos hospitalitatem obseruarent, summumq; nefas ducerent, quicumque viatorem tecto arceret: quod si quis facere tentasset, & idoneis testibus ter negasse hospitium conuictus fuisset, immisso igne ædes eius comburi iussit: vt domibus proprijs iustè priuaretur, qui earum vsum inhumaniter denegasset. Hinc ergo deductum puto, quod vix alibi in tota Europa promptior liberaliorq; hospitalitas, quam apud Suedones, & Gothos hodie inueniatur. *Ioan. Magnus lib. 4. c. 5.*

HOSTIS. HOSTES.

Loci Biblici.

Hostis, Græc. *πόλεμος*. Hebr. *Tsar.* Angustator, oppressor; à verbo *Tsarar*. Angustauit, afflixit, tribulauit, constrinxit, compressit. Hostes hominis, domestici eius, *Matth. 10. 36.* Hostes Præconum verbi Dei puniuntur, *Ier. 20. 11.* Hostes veritatis nihil proficiunt, *Ioan. 12. 19.* Hostibus suis vindictam retribuit Deus, *Deut. 32. 43.* Hostibus tradit Deus inobedientes. 28. 25.

Philosophicæ et Histor. Sententiæ.

Qui calumniatorem tuetur, bonorum hostis est natura, & genere: nisi quis sycophantæ, & improbi semen, & radicem velut agricola putat oportere relinquendam esse in vrbe. *Ex orat. 5. contra Aristogit.*

Qui ea quibus ego capiar agit, & parat, hic mihi hostis est, etsi nondum ferit, neque iaculetur. *Ex orat. 3. contra Philip.*

Armis hostes vincendi sunt, & in his est salus Reipub. *Ex orat. de ordin. ciuit.*

Fieri non potest, vt externos hostes vincatis, nisi animaduerteritis in domesticos hostes, & intestinos, illius ministros: verum necesse est incurrentes in hos, vt scopulus, serius occurrere illis. *Ex orat. de rebus Cher.*

Hostes non diuitijs, sed virtute vincuntur, quæ virtutes debilitari potius, quam augeri diuitijs solent: non aureo, argenteoue mucrone opus est, sed ferreo. *Ref. Cond. in calum. Plat. l. 4. c. 14.*

Hostes si ex mente, & ore expellemus, naturam imitabimur, quæ contrarium suum à se expellit: Sic Plato de inimicis, nec obloquebatur, nec etiam cogitabat. *Fic. Plat. lib. 6.*

Hostem nullum qui interfecisset, apud Macedones capistro cingebatur, & apud Scythas non licebat paternam vittam latam accipere. *Arist. Polit. 7. c. 6.*

Hostes.

Bona, malaq: hostium ex propinquo ingressus fines aspicias. *Liuius Decad. 3. lib. 8.*

Nihil in hostibus, præsertim barbaris, tam cauendum, quam dolos, perfidiam, & deceptionem. Itaque nihil est quo facilius, aut melius se tueri, ac defendere ab ijs duces, & milites possint, quam diffidentia, & incredulitas. *Polyænus, Strateg. lib. 7.*

Qui vnum hostem sponte suscipit, multos inuitus habet. Amici singuli in periculis, hostes gregatim occurrunt. *P. Æmil. l. 5.*

Non est difficile contundere ferociam hostis, qui abiecta iusti prælij spe latebras captat, & furtis insidiarum nititur. *Idem, lib. 8.*

Nec temere contemnere hostes, nec eos demisse nimis, ac perditè timere oportet. *P. Iouius, in hist. lib. 3.*

Quæ plerumque ardua videntur, opinione omnium faciliora euadunt: conatusque hostium maiore aliquanto cum voluptate, quam periculo militum nostrorum penitus eluduntur. *P. Iouius hist. lib. 3.*

Hostes qui nostræ tantum externæ inordinationi confisi contra nos veniunt, vbi se spe frustratos esse senserint, facile pugnant detrectent. Multitudo verò, qua se illi timeri putant, omnino est despicienda. *Procop. de bel. Pers. lib. 5.*

Nemo hostes contemnendos idcirco ducat, quia multitudine sint inferiores, vel quia cum deuictis sit decertandum, & in eos eundum, qui fracti iam animo sint. Multi namque falsa opinione decepti, seipsos sæpius fefellerunt, & dum importune alios paruifaciunt, partas iam vires dissoluere potuerunt. Nam alias antehac res male gestæ viros solent ad egregium aliquod facinus factitandum hortari, nimirum cum fortuna ipsa, vel desperatis iam rebus ad optima quæque, & maxima audendum compellit. *Procop. de bel. Goth. l. 3.*

Aestus, frigus, cibi, potus, somnus, & labores communes nobis esse cum seruis debent: sed ita tamen hæc cum ipsis communicabimus, vt enitamur in his primum potiores ipsis conspici. Militaria verò scientiæ, atque exercitationis nihil omnino communicare cum his debemus, quos & operarios nostros, & vectigales efficere volumus: sed hisce exercitijs nos superiores ipsis esse debemus, atque adeo scire Deum hominibus hæc libertatis, beatitatisq. instrumenta demonstrasse. Et quemadmodum ipsis ademimus arma, sic nos ipsos numquam ab armis destitui oportet: adeoq; scieodum, eis omnia quæcumque velint maximè propria esse, quæ quàm proximè ab armis absint. *Xenoph. de instit. Cyri l. 7.*

Iniquo, atque infelici loco hostem adoriri, nihil aliud est quam feras exagitare, atque ipsa vltimo salutis discrimine efferatas, irritare: vltima siquidem necessitas in rabiem vertit, atque eos plerumque, qui penitus de vita desperent, ex timidis longè fortissimos facit. *P. Iouius l. 8. hist.*

Tunc aliquis maximè nocet hostibus, quando ea damna, quæ maximè intelligit eos metuere infert. Credibile est enim quemlibet sua pericula, & maximè intelligere, & metuere. *Thucyd. l. 6.*

Hostes non modo decipi iustè posse Agesilaus dicebat, sed & gloriam ei rei, & cum voluptate lucrum comitari. *Plutar. in Agesilao.*

Magis metuunt homines illos hostes, qui priores audent inuadere, aut certè qui ostendunt, si lacessiti fuerint, se ad bellum propugnandum paratissimos, quia illi se pari periculum incurrere vident. *Thucyd. lib. 6.*

Quũ Cyrus de Assyrijs fusis, & fugatis persequendis daret consiliũ Cyaxares in hunc modum respondit. Inter homines cæteros, mi Cyre, vos Persas maximè hoc meditari, vt nulli prorsus voluptati addicti sitis, equidem & videndo, & audiendo cognoui. Mihi verò multo magis conducere videtur, vt maxime quis voluptati non succumbat. Quid verò voluptatem hominibus maiorẽ conciliauerit, quam fortuna prospera, quæ hoc tempore nobis obtigit? Si ergo, cum res nobis secundæ sint, temperanter hanc conseruemus, fortasse possimus ad senectutem vsque nullis obnoxij periculis feliciter agere. Sin eius nulla nos capiet satietas, sed aliam ex alia persequi conabimur: videre ne idem nobis accidat, quod accidisse multis in mari dicitur, vt elati fortuna prospera finem nauigandi facere nollent, donec interirent. Multos itidem aiunt victoriam adeptos, dum alteram expeterent, priorẽ quoq; amisisse. Nam si hostes fugientes nobis pauciores forent, fortasse tutum esset pauciores persequi. Nunc verò consideres velim, cum quantula ipsorum parte nos omnes prælio congressi vicerimus. Cæteri pugnæ non adfuerunt, quos si ad pugnandum non cogemus, & nostrum, & suiipsorum ignari, propter imperitiã, & animi mollitiem, discedent. Sin animaduerterent, nihilo se minus in periculo fore si abeant, quam si subsistãt: vide ne cogamus eos, vt præter animi sententiam fortiter se gerant. Nam scire debes, non tam illorum vxores, ac liberos esse, quam ipsi seruandi sunt cupidi. Etiam sues siluestres cogitato, posteaquam visæ sunt cum natis fugere, tametsi multæ sint numero. Sin quis natos venetur, non iam amplius, ne si vna quidem sit, fugit: sed eum qui capere conatur, inuadit. Nunc quidem intra munitionem occlusi, potestatem nobis concesserunt pugnandi cum tanto ipsorum numero, quanto nobis visum esset. At si lati in planitie cum ipsis congrediemur separatimque, discent partim nobis à fronte obsistere, partim ab latere vno, partim ab altero, partim denique à tergo: vide ne cuique nostrum multis, & oculis, & manibus sit opus. Præterea nolim nostros milites, quos nunc hilaritati se dedisse video, abductos ad periculosum iter cogere. *Xen. de instit. Cyri l. 4.*

Barbaros haud nimium metuite, cogitantes (*inquiebat Brasidas*) quod prius cum Macedonibus qui pars eorum sunt dimicastis: & sicut ego coniecturam facio, atque aliorum de illis sermones audiui,

audiui, non vsque adeo formidabiles fore confido, quæ enim re ipsa infirma sunt apud nostros, & tamen opinionem habent robo ris, atque formidanda esse videntur: cum accedit vera de his exploratio, & experientia, animi eorum, quibus cum his dimicandum est, magis confirmantur. Quibus verò inest vera virtus, cum his forsasse hostes ignari audacius congrediuntur. Sed hi expectatione futuri impetus terrent imperitos: sunt enim multitudinis raspectu terribiles, & clamoris magnitudine intolerabiles, illa etiam inanis armorum vibratio, atque inter se concussio præbet speciem quamdam comminationis: sed ad cominus præliandum cum resistentibus non pari animo præditi sunt. Neque enim ordines seruant, nec verentur locum suum in acie cum vi premuntur relinquere: & fuga, atque congressio cum hoste eamdem virtutis opinionem, atque gloriam sortitur: ita fit, vt non spectetur vera virtus, sed inexplorata maneat. Pugna verò, penes quā sunt omnia, præcipuè præbere potest occasionem honestæ defendendæ salutis cuique. At isti inani strepitu sine periculo suo hostem terrere tutius existimant, quam conferre manum: nisi enim ita putarent, potius omissis terroribus istis manu rem gererent. Manifestè quicquid est ab ipsis periculi, vel terroris, id ante pugnā effunditur, quod si ad rem conferas, non magni momenti est, visu verò, atque auditu hostem terret, atque perturbat. Hanc primam contionem, & impetum in concursu si sustinebitis, & seruatis ordinibus (cum erit occasio) rursum vos subducetis, facilè in locum tutum poteritis vos recipere, & postea intelligetis, quod talis hominum turba primum cor. in impetū excipientibus, tantummodo procul expectationem virium, & virtutis suæ minacibus terroribus ostentare solet: Si quis verò eis cedit, ac fugit, tunc ex tuto celeritate pedum in insequendo vires ostendunt. *Thucyd. lib. 4.*

Nil tuto in hoste despicitur: quem spreueris valentiorem negligentia facies. *Curt. l. 6.*

Non graui, nec vno incursu consectandus hostis vagus. *Tacit. Ann. lib. 4.*

Non ille hostis vincitur solus, qui cadit in acie, pondere armorum oppressus, & virium: sed multo tutius, etiam turba tacente, sub iugo mittitur voluntarius qui sentit expertus, nec fortitudinem in rebelles, nec leuitatem in supplices animos deesse. *Amm. Marcel. l. 14.*

Qui quæ hostibus placent promptius exequitur, iure pro hoste habendus est: siue præsens is sit, siue vna militiam faciat, siue suæ genti fuerit quam proximus. *Agat. hist. l. 4.*

Publicus hostis salubria tutaque consilia aduersarijs aliquando tulit. *P. Iouius hist. l. 4.*

Sæpe contemptus hostis cruentum certamen edidit, & inclyti populi regesq; perleui momento victi sunt. *Liu. Decad. 3. l. 1.*

Turcarum princeps audito Theodori Lascaris ad bellum apparatu, anceps animi huius expeditionis famam nunc pro somnio habebat, nunc audaciæ simul, & impetus celeritatem leuitati, ac dementiæ tribuebat. Tamen res non negligenda visa est: quod exiguum malum neglectum ingens periculum interdum peperisset: & paruæ copiæ celeritate, & festinatione sæpè magnos exercitus ob socordiam, officijq; neglectum, superasset. *Niceph. Gregoras hist. lib. 1.*

Apophthegmata.

Diogenes ad salutem hominibus opus esse dicebat, aut fidis amicis, aut acribus inimicis: eo quod illi monent, hi redarguunt. *Laert. lib. 6. Plut.*

Antisthenes Philosophus Atheniensis, frequenter dicere solebat, hostes in bello semper obseruandos esse, quod hi primum omnium sentiant, si quid delinquas. In hoc igitur vtiliores sunt nobis, quam amici, vt errata nostra cognoscamus, & cognita corrigamus. *Laert. lib. 6. c. 1.*

Ariston cuidam laudibus veheunti dictum Cleomenis, qui interrogatus quid oporteret bonum regem facere? respondit, amicis benefacere, inimicis verò male. At quanto præstantius, ait, amicis benefacere, & ex inimicis reddere amicos? *Plut.*

Onomademus, postquam aduersam factionem superasset, quibusdam censentibus, omnes diuersæ factionis vrbe pellendos, negauit expedire, dicens, se vereri, ne omnibus inimicis ad vnum eiectis, inter amicos existerent dissidia. Sentiens, sic esse multorum ingenium, vt si desint inimici, in quos naturæ malitiam exerceant, amicos impetant. *P. M. l. 6. apoph.*

Xenophon dicebat esse prudentis cordatique viri, etiam ab inimicis vtilitatem capere. Vulgatum est, neque solem, neque aquam, neque ignem magis vtilem esse hominibus, quam amicos. Sed ingenij Philosophici est, quemadmodum periti Medici ex bestijs, ac serpentibus noxijs vtilia quædam remedia colligunt, ita ex inimicorum odio decerpere aliquid, quod vertat in suum bonum. *P. M. l. 7. apoph.*

Chabrias optimos Imperatores esse dicebat, qui res hostium notissimas haberent. *Stob. ferm. 52.*

Polyænus Nouus.

Antigonus interrogatus, quomodo oporteret hostes aggredi? dixit: Aut dolo, aut vi, aut aperte, aut per insidias. *Stobæus sermone 52.*

Xenophon. Neque vel amicis (inquit) beneficium maius præstiteris in bello, quam si inimicus ipsis esse videaris: vel magis hostibus vllo pacto nocueris, quam si amicitiam ipsorum simules. *Stob. sermone 52.*

Herennius Pontius. Samnitibus consultantibus quid de legionibus Romanis apud furcas Caudinas inclusis fieri deberet: Herennius Pōtius suasit, vt inuiolatæ dimitterentur. Postero die eadem de re consultus, respondit, ad vnum vsque delendas. Sentiens, aut clementer magno beneficio demerendos hostes, aut irreparabili iactura illorum vires comminuendas. Neutrum sequutus est exercitus, sed sub iugum missos, contumelijs magis illos in se prouocauit. *P. M. l. 6. apoph.*

Agesilaus Rex, cum edixisset, vt captiui nudi venderentur, Laphyropolæ, quorum munus erat res prædatitias diuendere, quod erant iussi faciebant, ac vestium quidem, quoniam iuxta barbaricum morem erant splendidæ, multique precij, complures extiterunt emptores: cæterum ipsa corpora candida, prorsusque tenera, ac delicata, nec quicquā virile præ se ferētia (quippe in vmbra, ocio, ac voluptatibus educata) adeo nemo cōcupiuit emere, vt deriderent etiam hoc mercium genus, velut inutilium, nec vllius omnino precij. Id animaduertens Agesilaus, qui auctioni præsidebat, & hunc casum torsit ad animandos ad fortitudinem milites: Hæc, inquit, sunt pro quibus pugnatis (ornamenta captiuorum ostendens) hi quibus cum pugnatis: nuda captiuorum corpora demonstrans. Duplici nimirum argumento addidit suis animos, amplissima spe præmiorum, & hostium imbellium extremo contemptu. *Plut. in Lacon.*

Anonymus Spartanus interrogatus, cum tutum esset ad Spartā iter? Reses, inquit, qualis eo descendas. Nam leones illuc euntes vorant, lepores autem in vmbraculis venamur, significauit, ferocibus, ac violentis esse tutum proficisci Spartam, nec mollibus, & effœminatis: quod hostili animo illuc proficiscentes male acciperentur à fortibus, delicatos homines illic non sinerent latitare in tenebris. *Plut. in Lacon.*

Antigonus, quum in paruulo quodam castello Græci obsiderentur, ac fiducia loci contemnentes hostes, multa in deformitatem Antigoni iocarentur, & nunc staturam humilem, nunc collisum nasum deriderent: Gaudeo, inquit, & aliquid boni spero quando in castris meis Silenum habeo. Cum hos dicaces fame domuisset, quod captis facere mos est, videlicet, vt qui bello sunt vtiles in cohortes describantur, cæteri præconio subijciantur: negauit se vel id facturum fuisse, nisi expediret his dominum habere, qui tam malam haberent linguam. *Plutarch. & Seneca.*

Cicero post Pharsalicum conflictum, cum fugisset Pompeius, Nonius quidam dicebat septem adhuc aquilas superesse, proinde bono animo essent hortabatur: Rectè, inquit Cicero, hortareris, si nobis cum graculis bellum esset. At ille aquilas dixit, vela Romana aquilis insignita. *Plutarch. in Rom. apophthegmat.*

Romani cum in pugna cōtra Tigranem, hostiū peditum centum millia trucidassent, paucis equitum fuga seruatis, & ex ipsis non amplius centum esse vulnerati, interfecti quinque: dicebant, sese erubescere, quod in tam vilia mancipia strinxissent ferrum. *Plut. in Rom. apoph.*

Socrates cum Crœsum interrogasset, quid esset maximum, & preciosissimum ex regno consecutus? illeq; respondisset: Vt hostes vlcisceretur, & amicos beneficio afficeret: Multo, inquit, melius fecisse, & illos tibi amicos asciuisses. *Max. ferm. 6.*

Agesilaus solebat admonere milites suos, ne captiuos, vt facinorosos cruciarent, sed vt homines seruarent. Infantibus etiam in bello captis prouidit, vt in vnum locum comportarentur, ne mutatis castris relicti perirent. Eamdem curam impendit senibus captiuis, ne, quoniam sequi non possent, à canibus lupisve discerperentur. Hæc autem humanitas illi non solum aliorum, verum etiam captiuorum miram beneuolentiam conciliauit. At nunc homines sibi videntur, qui trucidant infantibus, ac senibus, eam ætatem abducunt, quæ vel libidini apta est, vel labori, vel vtrique. Quo progressa est immanis illa feritas? *Plut. in Lacon. apoph.*

Ariston, cum ex quodam audiuisset, amicis benefaciendum, inimicis autem malefaciendum esse: imo, inquit, præstantius est amicis benefacere, & ex inimicis reddere amicos. *Plut.*

Xerxes cum Græcorum exploratores in exercitu suo deprehendisset, nullo malo affecit, sed circumduci, vt omnem viderent exercitum, & illæsos dimisit. Noluit vir bellicosissimus crudeliter grassari in hostes perniciosissimos, quos non tam manu, quam beneuolentia, & clementia vincere cupiebat. *Plutarch. in Reg. & Imper. apoph.*

Paulus Æmilius, Perseo sese ad victoris pedes abijcienti, vocesque degeneres emittenti: Cur, inquit, fortunam crimine liberas, sic te gerens, vt superiore etiam fortuna videaris indignus?

Cur meam dedecoras victoriam, ac rerum à me geſtarum gloriam obſcuras, tam abiectum te demonſtrans, vt indignus appareas, quem populus Romanorum haberet hoſtem? *Plutarc. in eius vita.*

Fabius Maximus dicebat abſurdum videri, ſi cum equos, & canes venaticos familiaritate ciboque cicuremus, potius quam catenis, ac verberibus, homines feroces animo non humanitate, ac beneficijs bonis conciliemus, ſed aſperiores in illos ſimus, quam agricolæ ſunt in caprificus, ac malos ſiluestres, & oleaſtros, qui has non protinus excidunt, ſed inſitione docent miteſcere. *Plutarch. in Rom apoph.*

Fabricio iam Conſuli miſit epiſtolam Pyrrhi Medicus, qua promittebat ſe regem veneno necaturum ſi iuberet. At eam epiſtolam, authore non prodito, ad Pyrrhum remiſit: iubens illum ſibi cauere, qui peſſimus eſſet iudex cum amicorum, tum hoſtium. Sentiens, cum habere pro hoſtibus eos quos amplecti debebat, ſi ſatis noſſet: & hos pro amicis ducere, qui peius illi vellent quam hoſtes. *Plut. in Rom. apoph.*

Sigiſmundus Imper. Laurentius Hungariæ Palatinus, cum diceret, imprudenter agere Sigiſmundum Imperatorem, qui victis hoſtibus non ſolum vitam, & opes relinqueret, ſed etiã eos inter amicos reciperet, extolleretq; Tibi, inquit Sigiſmundus, videtur vile inimicum occidere, neque enim mortuus bellum excitat: At ego inimicum occido, dum parco: & amicum facio dum extollo. Oſtendit autem, pulchrius eſſe benefaciendo, quam potentia inimicos vincere. *Æn. Sil. lib. 3. commentar. de reb. geſt. Alphonſi.*

Alphonſus Aragonum Rex eum expugnatis vrbibus, humaniter hoſtes omnes dimittendos mandaſſet, reprehenſus a ſuis ducibus qui omnes interficiendos putabant, reſpondit: Nihil magis aduerſariorum animos flectere, atque conciliare, quam placabilitatis, & manſuetudinis nomen. *Panor. lib. 3. de reb. geſt. Alphonſi.*

Idem cum Caietam vrbem obſideret, coacti ſunt oppidani ob famem, qua grauiter vexabantur, ad bellum inutiles è ciuitate expellere, in quos cum incidiſſet rex, adhortatus, vt ferro trucidaret omnes. Nequaquam, inquit, bellum contra puellas, fœminas, ſenes, ac innocentem iuuentutem ſuſcepimus: ſed contra viros armatos, de victoria manu nobiſcum concertantes. Et ſic pepercit imbelli ætati, ab hoſtibus ciuitate pulſæ ob famem: Alphonſum ſane, & Ageſilaum, qui ſimilem pietatem hoſti præſtitit, noſtra tempora deſiderarent. Siquidem nunc de magna gloria, ac animi fortitudine, qui trucidatis infantibus, ac ſenibus, eam ætatem abducunt, quæ vel libidini apta eſt, vel labori, vel vtrique. *Alphonſi dictum recit. et Panor. lib. 1. de reb. geſt. Alphonſi.*

Ageſilaus. Cum aduerſus Tiſſaphernem hominem fœdifragum belligeraret, eiuſq; vrbes quam plurimas varijs inſidijs, ac dolis cepiſſet, amicis dixit: Fœdera quidem violare, præter cauſſam impium eſt: cæterum hoſtibus imponere, non modo iuſtum eſt, ac laude dignum, verum etiam, & iucũdum, & lucroſum. Nec enim turpe putauit, dolis in illum vti qui violato fœdere, periurio feſelliſſet & Deos, & homines. *Plut. in Lacon.*

Anonymus. Apud Spartanos eum in luctandi genere, quod chirapſiã appellant, is qui collum alterius vrgebat, fruſtra præterq; legem palæſtræ pulſaret vndique, & in terram detraheret poſtea quam corporis viribus deſtitueretur, qui inhærenti cedere cogebatur, brachium vrgentis momordit, cumque alter diceret: Mordes, ò Lacon, fœminarum more? Non, inquit, ſed more leonum. Vt ſolerter obiectam ignauiam detorſit in laudem fortitudinis. Nullum enim probrum apud illos deteſtabilius, quam muliebris imbecillitas. Iure autem morſu liberauit, qui præter ius certaminis vrgebatur à victo. *Plut. in Lacon.*

Agis. Cuidam conſulenti Agidem regem, vt hoſtibus fugientibus daret tranſitum: Et quomodo, inquit, pugnabimus cum his, qui ob fortitudinem manent, ſi non pugnamus cum fugientibus? Exiſtimabat vir animoſus, aduerſus hoſtes nullam prætereũdam occaſionem. *Plut. in apoph.*

Vide Bellum.

HVMANITAS.

DEFINITIO, ET ETYMOL.

HVmanitas Græcè φιλανθρωπία, ας, ἡ, & φιλάνθρωπος, ὁ. humanus dicitur. Hebr. *Hananah*, ab *Hanan*, id eſt, manſuetus, lenis, modeſtus, mitis. Sumitur autẽ humanitas tripliciter, ſcilicet, pro natura hominis, & pro virtute, quæ conſiſtit in exteriori ſubuentione condeſcendendo defectibus aliorum. *ſecund. B. Th. ſup. epist. Paul. ad Tit. 3. col. 3. in fi.* Humanitas præterea ſignificat eruditionem, atque inſtitutionem in bonas artes, quas qui ſinceriter cupiunt, & aſſequuntur, hi ſunt maxime humani, quare & artes ipſæ liberales humanitatis ſtudia appellata ſunt: Nam huius ſcientiæ diſciplina, ex vniuerſis animalibus ſoli homini data eſt. Ab homo veniunt humanus, & humanitas.

Humanum propoè dicitur, quod hominis eſt, & ad hominem ſpectat. Et quia homo inter omnia animalia morti obnoxia maximè mitis eſt, idcirco humanus pro facili, miti, & tractabili ſumitur: vnde humanitas dicitur, quam Græci φιλανθρωπίαν vocant, quaſi amorem in homines.

Humanitas Græcis φιλανθρωπία eſt, qua animi humana id natura poſtulante, erga omnes iuuandos, aliqua in re commouentur, præſertim, ſi quos videant calamitoſos: Contra autem inhumanitas, ſeu inſolentia.

Humanitas eſt affectio amicitiæ hominum conciliatrix, habitus hominis beneficus, gratiarum redditio, gratitudo benefica. *Speuſip. de Plat. de fin.*

Humanitas non ſolum eſt qualitas, ſed tantum qualitate perficitur. *Boet. in prædicam.*

Humanum genus ſolum extitit, quod rebus nomina poſſet imponere. *idem ibid.*

Humanitas ea ſingulorum hominum collecta naturis in vnam quodammodo redigitur intelligentiam, atque naturam. *Idem in Porph.*

LOCI BIBLICI.

Humanitas commendatur, *Deuter. 25. 3. Prou. 12. verſ. 10. Gal. 6. 2. Iacob. 2. 13.*

PHILOSOPHORVM SENTENTIÆ.

Homines ad Deos nulla re propius accedunt, quam ſalutem hominibus dando *pro Ligario.*

Nihil eſt tam regium, tam liberale, tamque munificum, quam opem ferre ſupplicibus, excitare afflictos, dare ſalutem, liberare periculis homines. *1. de Orat.*

Nihil eſt tam deforme, quam ad ſummum Imperium, acerbitatem naturæ adiungere. *Ad Q. Fr. Epiſt. 1.*

Rectè præcipere videntur qui monent, quanto ſuperiores ſimus, tanto nos ſummiſſius geramus. *1. Offic.*

Qui plus propter virtutem, nobilitatemq; poſſunt, eo minus quantum poſſint, debent oſtendere. *pro Quint.*

In bonis fortunæ ſumma laus eſt, non extuliſſe ſe in poteſtate, non fuiſſe inſolentem in pecunia, non ſe prætuliſſe alijs propter abũdantiam fortunæ, vt opes, & copiæ, non ſuperbiæ videantur, ac libidini, ſed bonitati, ac moderationi facultatem, ac materiam dediſſe. *2. de Orat.*

Nihil eſt laudabilius, nihil magno, & præclaro viro dignius placabilitate, & clementia, quæ ita probanda eſt, vt adhibeatur Reipubl. cauſſa ſeueritas, ſine qua adminiſtrari ciuitas non poteſt. *1. Offic.*

In rebus proſperis, & ad voluptatem noſtram fluentibus, ſuperbiã magnopere, faſtidium, arrogantiamq; fugiamus. Nam vt aduerſas, ſic ſecundas res immoderatè ferre, leuitatis eſt: præclaraq; eſt æquabilitas in omni vita, & idem ſemper vultus, eademq; frons. *1. Offic.*

Omnibus eſt odio crudelitas, & amori pietas, & clementia. *Cic. C. Caſſio Famil. lib. 5.*

Eſt hominum naturæ maximè inimica crudelitas. *1. Offic.*

Satis eſt homines imprudentia lapſos non erigere: vrgere verò iacentes, aut præcipitantes impellere, certe eſt inhumanum. *pro Rabir. Poſthum.*

APOPHTHEGMATA.

Ageſilaus Hydrieus cum quemdam conieciſſet in carcerem, Ageſilaus humaniter veniam pro captiuo deprecatus eſt, hunc in modum ſcribens: Si nihil peccauit, oro vt hominem dimittas: ſi peccauit, mihi dimitte: ſed omnino dimitte. Innocentem protegere, ſalus eſt: culpam interdum condonare in gratiam honeſti deprecatoris, humanitas eſt. *Plut. in apoph. Lacon.*

Xerxes, & Arimanes. Inter Xerxem Darij filium, & Arimanem fratrem, de regno erat contentio. Itaque quum Xerxes intellexiſſet, fratrem ex Bactrianorum regione deſcendere, miſit illi munera, & ijs, quibus ea mandarat perferenda, iuſſit, vt ipſius verbis illi dicerent. His te præſentia te honorat frater tuus Xerxes: quod ſi rex fuerit declaratus, eris apud ipſum omnium primus. Hac humanitate delinitus Arimanes contentionem remiſit, ac fratri regnum adepto protinus adorationis honorem exhibuit, eique diadema impoſuit. Xerxes autem illi proximum à ſe locum dedit. *P. M. lib. 5 apoph.*

Philippus filium Alexandrum admonere ſolebat, vt eum Macedonibus comiter haberet conſuetudinem, vulgi conciliata beneuolentia vires, ac robur ſibi parans, dum liceret alio regnante eſſe humanum: prudenter colligens, vt nulla re melius conſtabilitur Imperium, quam ciuium beneuolentia, ita difficillimum eſſe iam regnum adminiſtranti, erga quoslibet eſſe humanum, non ſolum, quod regia poteſtas expoſita ſit inuidiæ, verum etiam quod Reſpublica non poſſit eſſe incolumis, niſi ſcelera

ſuppl-

supplicijs coerceantur, Regibus enim hactenus temperanda est humanitas erga ciues, vt interim regiam tueantur authoritatem. Nam immodica bonitas sæpe contemptum patit. *Plutarch. in apoph.*

Turbo. quum adhuc nihil aliud esset, quam centurio, & ante præfectos à Cæsare vocaretur in consilium: Turpe est, inquit, ò Cæsar, exclusis præfectis cum centurione agere. *P.M. libro sexto apophth.*

Anonymus. Quidam videns Fauonium, quum nulli adessent famuli, Pompeio per omnia inseruientem, vsque ad pedum lotionem, pronunciauit Græcum versiculum.

Ὦ θεοί, γενναίοισιν ὡς ἅπαν καλόν.

Id est.

Claris viris vt est decorum quidlibet:

P.M. lib. 6 apoph. ex Plut.

Plotina Traiani Imperatoris vxor, cum post Traiani electionem primum in Capitolium iret, multique essent qui Imperij felicitatem omnibus modis precarentur: adhuc in gradibus, conuersa ad multitudinem: Talis, inquit, huc ingredior, qualem me exire cupio. Quo dicto innuere voluit, se non minus in Imperio, quam cum extra Imperium esset, omnibus optimè velle. Vnde sic se in principatu gessit, vt omnino iustæ reprehensione caruerit. *Xiphilinus in vita Traiani.*

Diogenes. Platone laudante quemdam hoc nomine, quod erga omnes humanissimus esset: Quid, inquit, Diogenes, illi tribuendum est, qui nullum vnquam afficit dolore? Quo dicto docere voluit nimiam humanitatem obesse Reipublicæ. *Laert. lib. 6.*

Agesistrata, quum Agidem filium exanimem iacentem videret, exosculata facie dixit: Nimia tua, ò fili, bonitas, nimia mansuetudo, & humanitas, te simul, & nos perdidit. Moliebatur enim Agis facinus sane præclarum, sed inuidiosum, nimirum, vt degenerantes Lacedæmoniorum mores ad priscam illam seueritatem reuocaret. Interim dum studet offendere neminem, & gratificari omnibus, semetipsum in exitium coniecit. *Plutarch. in Lacon. apoph.*

SIMILITVDINES.

Chrysostom. Quemadmodum nescio quo pacto fit, vt quem contumelia afficeris, is non sentiat pecuniarum acceptarum subsidiū, ob inflictam contumeliæ plagam: Sic quem blandè, atque humaniter appellaueris, quique idem donum aliquod vna cum sui consolatione a te acceperit, exultat magnopere, ac lætatur, tum verò donum ipsum donantis vultus gestusq; conduplicat. *lib. 3. de Sacerdotio.*

Quemadmodum si insles in scintillam ignis, excitas incendium, contra verò si inspuas, extinguis illam: Sic in rebus humanis amicis verbis odium extinguere, atque iram poteris, amaris autem verbis excitabis totum incendium. *Hom. 3. Periculosum esse adire spectaculum.*

Nazianzen. Omnis qui nauigat naufragio est proximus, & tanto plus, quanto nauigat audacius, ac omnis qui corpore est circumdatus, proximus est corporis malis, quanto elatius pertransit, & ante se iacentem non respicit. Quamdiu vento nauigas secundo, manum naufragio præbe. Quamdiu rectè vales, & diues es, afflicto succurre: ne expecta donec ex te ipso discas, quantum malū sit inhumanitas, & quantum bonum viscera aperire indigentibus. *In orat. de paupertate.*

Plutarch. Vt aqua tepida inflammationes: Sic oratio humanitatis plena, iram restinguit. *In Moral. Meminit etiam Antonius par. 2. serm. 53. Meliss. & Maximus serm. 19.*

Qui equos domant, primum blandiuntur, ac mollissimè tractant, vt assuescant freno: Sic populus lenitate subeundus. *In Moralibus.*

Quemadmodum equi, & canes venatici familiaritate cibоque cicurantur potius, quam catenis, & verberibus: Ita homines feroces animo humanitate, ac beneficijs potius, quam aspernare, & crudelitate nobis concilientur. *Est dictum Fabij Maximi, in Romanorum apoph.*

Lactant. Cum natura hominis imbecillior sit, quam cæterorum animalium, quæ ad perferendam vim temporum, vel ad incursiones à suis corporibus arcendas naturalibus munimentis prouidentia naturalis armauit. Homini autem, cui nihil istorum datum est, accepit pro istis omnibus miserationis affectum: qui planè vocatur humanitas, qua nosmet inuicem tuemur. *lib. 3. ca. 10. de Sapient. falsa.*

Si homo ad conspectum alterius hominis efferaretur, quod facere videmus animantes, quorum natura solifuga est, nulla esset hominum societas, nulla vrbium condendarum vel cura, vel ratio: Sic neque vita quidem satis tuta, cum cæteris animalibus exposita esset imbecillitas hominum, & ipsi inter semetipsos beluarum more sæuirent. *lib. 3. c. 20. de Sap. falsa.*

Senec. Quemadmodum reus sententijs paribus absoluitur, & semper quicquid dubium est, humanitas inclinat in melius: Sic animus sapientis, vbi paria maleficijs merita sunt, desinit quidē debere, sed non desinet velle debere: & hoc facit, quod qui post tabulas, accepto quidem præstiterant vsuram, vel hi remittunt, vel tabulas soluunt. *lib. Epistolar. epist. 81.*

Polyanthea Noua.

P.M. Vt impendio malignus sit, qui fontem patentem abneget, aut solem obradiantem prohibeat, aut lumen recuset de suo lumine accendere, aut viam monstrare grauetur: Ita vehementer sit inhumanus, qui prodesse nolit citra vllum sui incommodum. *In Simil.*

Themist. Vt carbo oleo non extinguitur, sed accenditur potius: Sic humanitas, ac benignitas iram frangit, inuidia autem nulli cedit. *In apopn. 217.*

EXEMPLA BIBLICA.

Humanitatis *Exempla.* Hethæi, *Genes. 23. versic. 4. 6.* Rebecca, *24. versic. 19.* Obstetrices, *Exod. 1. versic. 17.* Booz, *Ruth 2. versicul. 8.* Dauid, *1. Samuel. 30. versic. 11. 12.* Sobi, Machir, & Berzellai, *2. Samuel. 17. versic. 29.* Abdias, *1. Regum 18. versicul. 4.* Iosabeth, *2. Paralipom. 22. versicul. 11.* Principes Ephraim, *28. versicul. 15.* Abimelech, *Ieremiæ 38. versiculo 9.* Eunuchus Reginæ Candacet, *Actorum 8. versic. 31.* Custos carceris, *16. versic. 33. 34.* Felix, *24. versic. 23.* Iulius, *27. versic. 3.* Melitenses Barbari, *28. versicul. 2.* Rahab, *Hebræor. 11. versic. 1.*

EXEMPLA PROFANA.

Homines agrestes, & saxis, stipitibus, atque feris potius, quam hominibus similes, poetarum fabulis occasionem dederunt: vt Deucalion ex saxis homines formasse: Orpheus cantu siluas, saxa, ferasque traxisse dicatur: Amphion cythara Thebanos muros struxisse fingatur: quoniam homines ad mitiorem viuendi cultum sua sapientia pertraxerunt.

Alcibiades cum antea fuisset ferox, & insolens, ex Socratis familiaritate, cuius singularem integritatem suscipiebat, cœpit esse mansuetus, ac modestus. *P.M. in Adagijs.*

Plutarchus in Numa auctor est, Aemyliorum familiam Romæ, *ἀπὸ τῆς αἱμυλίας,* hoc est, ab humana vrbanitate, quam ex consuetudine Pythagoræ hauserant, ab ipso rege pacis amante fuisse nuncupatam. *Idem.*

Mithridatis Regis Ponti factum humanum, & generosum, quo vsus est cum Thoridoracem Galatam, qui in ipsum conspirauerat, occidi iussisset. Nam vetantibus omnibus eum sepelire, adolescentula insignis, quæ eum deperibat, vt sepeliret corpus exorauit. Cum autem ab ea Mithridates intellexisset, amore captam illud egisse, non modo eius quem amauerat corpus illi ad sepulturam concessit, verum vt funus quoque exornaret, pecuniam impendit. *Bapt. Fulg. lib. 5.*

FABVLA.

Trabs, & Boues.

Qui trabem boues trahebant, vnde lignum fieret, increpabantur ab illa, quod anhelantes in pigritia lento gradu incederent. Cui vnus de bobus: Nos tamen, inquit, hoc mox onere liberati acquiescemus, cum tibi paulo post imponendum vsque ad cariem sit sustinendum.

Subijcit fabula præceptum humanitatis, vt vereamur insultare miseris, cum fieri possit, vt nos multo maior calamitas maneat.

Vide Clementia.

HVMILITAS.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

Humilitas, Græcè *ταπεινότης, ητος, ἡ.* & *ταπεινός, ὁ, ἡ,* humilis dicitur.

Hebr. *Scheppel,* à verbo *Scheppel,* humilis fuit, humiliatus est, quod cognationem habet cum verbo *Palasch.* volutatus est in luto, vt deiectis, & veluti humo adfixis accidit, nempe humilibus. Christus, *Matth. 11.* vocat se *ταπεινὸν τῇ καρδίᾳ.* humilem corde, id est, modestè de se suoque officio sentientem, & 1. *Pet. 5.* Deus dicitur dare gratiam humilibus, *τοῖς ταπεινοῖς* id est, modestè, ac in timore domini de se iudicantibus. Quibus locis humilitas idem est, quod *ταπεινοφρονεῖν,* quæ *τὰ ταπεινὰ φρονεῖ,* humilia sapit. Huic opponitur *ὑψηλοφρονεῖν* altum sapere, efferri animo, superbè agere, *ταπεινά.* Græc. sunt protrita, humi strata, pedibus calcata, à verbo *τάπτεσθαι.* Hinc *ταπεινός* idem quod *χαμαίζηλος,* humi repens: Gall. *qui se tapit, qui marche en tapinois.* Alij deducunt à verbo *θάπτω,* sepelio: quod homo deiectus, & humilis videatur tamiam sepeliendus.

Est autem humilitas, *secund. Bernardum de gradibus humilitatis.* Virtus

quæ verissima sui cognitione sibiipsi quilibet vilescit. Humilitas, *vt ibidem*, est contemptus propriæ excellentiæ.

Humilitas est ex intuitu propriæ conditionis, & sui conditoris voluntaria mentis inclinatio, suo uno ordinabili ad suum conditorem, *secundum August.*

Humilitas est, si minora hæc esse videris, quam quæ æstimationem, aut æmulationem alienam mereantur, ea dissimulare, celare, occultare.

Humilitas est mons magnus, in cuius summitate lux est non modica, & honestarum personarum, id est, sanctarum virtutum pulcherrima turba: sed qui ad hunc peruenire desiderat, necesse est, vt per gradus quosdam ascendat, si hunc montem agnoscere, & inhabitare affectat. *Anselm. de similitudinib. 99.*

Humilitas, *ταπεινοφροσύνη*, est virtus, qua in timore Domini, agnoscentes propriam infirmitatem, non superbimus, sed sincero corde nos Deo, & in officijs nostræ vocationis fiducia auxilij diuini obeundis, & præstanda in pœnis, & ærumnis obedientia, & exhibendo alijs honore debito subijcimur.

DIVISIO.

Humilitatis gradus, quibus opponuntur duodecim gradus superbiæ secundum Beatum Bernardum.

HUMILITATIS gradus secundum

- *B. Benedictum in regula, sunt duodecim: quorum alia, quæ pertinent*
  - *Ad exteriora signa, quorum aliqua consistunt in*
    - *Gestibus exterioribus*
    - *Verbis.*
    - *Factis.*
  - *Ad æstimationem hominis suum defectum cognoscentis. & secundum hoc habentur tres gradus.*
  - *Ad appetitum qui refrenari debet ne immoderate tendat ad alta, scilicet in propriam excellentiam. & secundum hoc est triplex gradus.*
  - *Ad radicem, quæ est reuerentia Deo debita.*

  1. *Corde & corpore semper humilitatem ostendere defixis in terram, aspectibus.*
  2. *Vt non sit facilis, aut promptus in risum.*
  3. *Vt pauca verba etiam rationabilia loquatur, non clamosa voce.*
  4. *Taciturnitas vsque ad interrogationem.*
  5. *Tenere, scilicet in suis operibus, quod habet communis monasterij regula.*
  6. *Credere & pronunciare se omnibus viliorem.*
  7. *Ad omnia indignum, & inutilem se confiteri, & credere.*
  8. *Confessio peccatorum suorum.*
  9. *Vt pro obedientia in duris, & asperis patientiam amplectatur.*
  10. *Vt cum obedientia subdat se maiori.*
  11. *Vt voluntatem propriam non delectetur implere.*
  12. *Vt Deum timeat. & memor sit omnium, quæ præcepit.*

  Quibus opponuntur.

  1. *Curiositas, per quam aliquis curiose vbique inordinate circumspicit.*
  2. *Inepta lætitia.*
  3. *Leuitas mentis, per quam homo superbe se habet in verbo.*
  4. *Iactantia.*
  5. *Singularitas, per quam aliquis vult sanctior haberi.*
  6. *Arrogantia, per quam homo se alijs præfert.*
  7. *Præsumptio, scilicet per quam aliquis reputat se sufficientem ad maiora.*
  8. *Defensio peccatorum.*
  9. *Simulata confessio, per quam quis non vult subire pœnam pro peccatis, quæ simulate confitetur.*
  10. *Rebellio.*
  11. *Libertas, per quam homo delectatur libere facere, quod vult.*
  12. *Consuetudo peccandi, quæ inducit Dei contemptum.*

- *Beatum Anselmum libro de Similitudinibus sunt septem, quorum aliqui pertinent ad propria abiectionis*
  - *Opinionem.*
  - *Manifestationem.*
  - *Voluntatem.*

  - *Hominem se contemptibilem cognoscere.*
  - *Hoc non dolere.*
  - *Hoc confiteri.*
  - *Hoc persuadere.*
  - *Patienter sustinere hoc dici.*
  - *Pati contemptibiliter se tractari.*
  - *Hoc idem amare.*

- *Glossam super Matth. cap. 3. Sic enim decet omnem iustitiam.*
  - *Sufficiens. scilicet subdere se maiori, & non præferre se æquali.*
  - *Abundans, scilicet subdere se æquali, nec præferre se minori.*
  - *Perfecta, scilicet subdere se maiori, in quo est omnis iustitia.*

LOCA BIBLICI.

Humilitas Deo grata est, *Genes.* 18.27. & 29.32. & 41.40. *Iudic.* 6.15. 2. *Sam.* 1.11. & 2.1.8. & 7.9.10. 2. *Sam.* 6.16.22. 2. *Paral.* 12.6.8. & 32.26. & 33.12. & 34.26. *Iudic.* 4.7.11. & 9.16. *Psal.* 33.19. *Prouerb.* 11.2. & 16.19. & 18.12. & 22.22. & 25.7. & 29.32. *Eccles.* 3.19. & 17.9. *Esa.* 3.7.1. & 57.15. & 66.2. *Ierem.* 1.6. *Iona* 3.5. *Matth.* 3.11. & 5.3. & 6.8. & 11.29. & 15.27. & 18.4. & 20.26. & 21.5. & 23.7.11. *Marc.* 6.34. & 10.43. *Luc.* 1.48. & 9.47. & 14.9.11. & 15.19. & 18.13. & 22.26. *Ioan.* 13.4. *Act.* 10.26. *Rom.* 11.20. & 12.16. 1. *Cor.* 4.6. & 15.8. *Ephes.* 4.2. *Philip.* 2.3. *Colos.* 3.12. *Heb.* 11.24. *Iacob.* 1.9. & 4.10. 1. *Pet.* 5.5. *Apoc.* 4.10. & 19.10. Humilitas commendatur, 2. *Sam.* 22.28. *Prou.* 11.2.16.19. & 25.7. *Esa.* 66.2. *Soph.* 2.3. *Matth.* 11.25.29. & 18.3.4. & 19.14. & 20.26. & 23.8.11. *Mar.* 9.35. & 10.14.8. & 18.17. *Luc.* 9.48. *Rom.* 12.16. 1. *Cor.* 14.20. *Ephes.* 4.1. *Philip.* 4.5. *Colos.* 3.12. 1. *Tim.* 6.11. *Iac.* 1.9.10. & 4.6.7.10. 1. *Pet.* 3.8. & 5.5.6.

Humilitas ancillæ, Hebræorum more, pro Ancilla humilis, *Luca* 1.48. seu abiecta ancillæ conditio.

SENTENTIÆ BIBLICÆ.

Respicit Dominus in orationem humilium, & non spreuit preces eorum. *Psalm.* 101.

Domine non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei: neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus super me. 130.

In humilitate nostra memor fuit nostri. 135.

Melius est humiliari cum mitibus, quam diuidere spolia cum superbis. *Prou.* 16.

Superbum sequitur humilitas, & humilem spiritu suscipiet gloria. 29.

Nardus mea dedit odorem suum. *Cant.* 1.

Humilia valde spiritum tuum, quoniam vindicta carnis impij ignis, & vermis. *Eccl.* 7.

Iustus

Iustus est qui se nimium submittit à multa humilitate: & est iustus qui inclinat faciem suam, & fingit se videre, quod ignoratum est. 19.

Spiritum nobis iterum cum misericordia reddet, & vitam sic, vt nunc vosmetipsos despicitis propter leges eius. *Machabaeorum septimo.*

Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum coelorum. *Matth.5.*

Qui se humiliauerit, exaltabitur. *Matth.23.*

Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. 11.

Sinite paruulos venire ad me, & nolite eos prohibere, talium est enim regnum coelorum. Quicumque ergo humiliauerit se sicut paruulus iste, hic maior vocabitur in regno coelorum. 18. & 19.

Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles. *Luc.1.*

In facie quidem humilis sum inter vos. *2.Cor.10.*

Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, sed per humilitatem, superiores sibi inuicem arbitrantes. *Philip.2.*

Quicunque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister: & qui voluerit inter vos primus esse, sit vester seruus. Sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare: & dare animam suam redemptionem pro multis. *Matth.20.*

Vos vocatis me Magister, & Domine, & bene dicitis: sum etenim. Si ergo laui pedes vestros, Dominus, & Magister: & vos debetis alter alterius lauare pedes. Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis. *Ioan.13.*

Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Iesu: qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus, vt homo, humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen: vt in nomine Iesu omne genu flectatur, coelestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris. *Phil.2.*

Homines magnifice apud Deum.

Humilium & mansuetorum semper tibi placuit deprecatio. *Iud.5.*

Qui ponit humiles in sublime, & moerentes erigit sospitate. *Iob 5.*

Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in coelo, & in terra? Suscitans de terra inopem, & de stercore erigens pauperem: vt collocet eum cum principibus. *Psalm 112.*

Custodiens paruulos Dominus: & humiliatus sum, & liberauit me. 114.

Gloriam praecedit humilitas. *Prou.15.*

Antequam conteratur, exaltatur cor hominis: & antequam glorificetur, humiliatur.

Humilem spiritu suscipiet gloria. 29.

In humilitate tua patientiam habe: quoniam igne probatur aurum, & argentum, homines verò receptibiles in camino humiliationis. *Eccl.2.*

Quando magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam, quoniam magna potentia Dei solius, & ab humilibus honoratur. 3.

Oratio humiliantis se nubes penetrabit, & donec propinquet, non consolabitur, & non discedet, donec Altissimus aspiciat. *Eccl 35.*

Humiliamini in conspectu Domini, & exaltabit vos. *Iacob.4.*

Humiliamini sub potenti manu Dei, vt vos exaltet in tempore visitationis. *1.Pet.5.*

Haec dicit excelsus, & sublimis habitans aeternitatem, & sanctum nomen eius in excelso, & in sancto habitans, & cum contrito, & humili spiritu: vt viuificet spiritum humilium, & viuificet cor contritorum. *Esa.7.*

Ad quem respiciam nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos. 66.

PATRVM SANTENTIAE.

Sedulo monendi scholastici, vt humilitate induti Christiana, discant non contemnere, quos cognouerint morum vitia magis quam verborum deuitare, sed cordi casto linguam exercitatam non conferre audeant: quam etiam praeferre consueuerunt. *Augustinus in libro de catechizandis rudibus, & habetur distinct. 38. Sedulo.*

Senex enim à iuuene, & Episcopus tot annorum à collega, nec dum anniculo paratus sum doceri, quomodo possim, vel Deo, vel hominibus iustam reddere rationem. *Augustinus ad Auxentium Episcopum, & habetur 24. quaest. 3. Si habes de hac. ¶ Senex à iuuene.*

Cum humilitatis caussa mentiris, si non eras peccator antequam mentireris, mentiendo efficeris, quod euitaras. *Augustinus de verbis Apostoli, & habetur vigesimaseptima, quaestione secunda, Cum humilitatis.*

Quomodo est humilitas, vbi regnat falsitas? *Idem.*

Discite à me non mundum fabricare, non cuncta visibilia, & inuisibilia creare, non ipso mundo miracula facere, & mortuos suscitare, sed quoniam mitis sum, & humilis corde. Cogitas magnam constituere fabricam celsitudinis, de fundamento prius cogita humilitatis. *Augustinus de verbis Domini.*

Omnes delectat celsitudo, sed humilitas gradus est. Quid tendis pedem vltra te? Cadere vis, non ascendere. A gradu incipe, & ascendisti. *Idem.*

O medicinam omnibus consulentem, omnia tumentia comprimentem, omnia tabescentia reficientem, omnia superflua resecantem, omnia deprauata corrigentem: Quae superbia sanari potest, si humilitate filij Dei non sanatur? Quae auaritia sanari potest, si paupertate filij Dei non sanatur? Quae iracundia sanari potest, si sapientia filij Dei non sanatur? *Idem.*

Excelsa est patria, humilis est via. Ergo, qui quaerit patriam, quid recusat viam? *Augustinus ad Dioscorum.*

O sancta venerabilisque humilitas, tu Dei filium descendere fecisti in vterum sanctae Mariae Virginis: Tu eum fecisti inuolui vilibus pannis, vt nos indueret virtutum ornamentis. Tu eum circumcidisti in carne, vt nos circumcideret in mente. Tu eum corporaliter flagellasti, vt nos a flagello peccati liberaret. Tu eum coronasti spinis, vt nos coronaret suis aeternis rosis. Tu eum infirmare fecisti, qui medicus cunctorum erat, solo verbo sanans omnia, & vniuersa, vt infirmos sanaret. *Augustinus in sermone de superbia.*

Cum omnis creatura, aut par, aut inferior sit nobis: inferiori vtendum est propter Deum, pari autem fruendum est, in Deo. *Augustinus de Trinitate. lib. 10.*

Magis cogitare debetis, quid vobis desit, quam quid vobis adsit. Quod habes, caue ne perdas. Quod nondum habes, supplica, vt habeas. In quantis sis minor, est considerandum, non in quantis sis maior. Si enim cogitas quantum praecessisti alterum, time tumorem. Si verò cogitas quantum tibi desit, ingemisce, curatus, humilis si eris, tutior ambulabis, non praecipitaberis. *Augustinus super Matthaeum sermone 59.*

Supra te Deus, infra te pecora. Agnosce eum, qui supra te est, vt agnoscant te, quae infra te sunt. Ideoque dum Daniel agnouit esse supra se Deum, agnouerunt eum infra se leones. *Augustinus super epist. Ioan. cap 8.*

Laudabilior est animus, cui nota est infirmitas propria, quam qui ea non respecta, moenia mundi, vias siderum, fundamenta terrarum, & fastigia coelorum scrutatur. *Augustinus in prooemio nono lib. de Trinit.*

Cogitas magnam constituere fabricam celsitudinis? de fundamento prius cogita humilitatis. *Aug. de verbis Domini.*

Humilitatem sequere, non quae ostenditur, aut simulatur gestu corporis, aut fracta voce verborum, sed quae puro cordis affectu exprimitur. Aliud est enim virtutem habere, aliud virtutis similitudinem. *Hieronymus ad Celantiam.*

Haec in omnibus sola perfectio, suae imperfectionis cognitio. *Hiero. epistola ad Ctesiphontem.*

Vilis tunica contemptum saeculi probat, ita dumtaxat, vt animus non tumeat, nec habitus sermoque dissentiant. *Hieronym. epistola ad Rusticum.*

Immundus est autem apud Deum omnis, qui exaltat cor suum, & qui paululum fugerant à peccatis, ad suum reuertuntur errorem. *Idem.*

Multi humilitatis vmbram, veritatem pauci sectantur. *Hieronymus epist. 27.*

Auferantur omnia figmenta verborum, cessent simulati gestus, virum humilem patientia ostendit. *Idem.*

Plus est animum deposuisse, quam cultum, difficilius arrogantia, quam auro caremus, aut gemmis. *Hieronymus. Epistola nonagesima.*

Qui paupertate contentus est, non est contentus iniuria. Et qui potest ferre verberum poenas, exagitatur verbo contumeliae. Et qui potest administrationes contemnere, dolet sibi aliquem honorificentiae esse praelatum. Grande est in hominibus, tenere humilitatis mensuram. *Ambrosius super Lucam libro septimo.*

Bona humilitas nihil appetendo, totum quod contemnit adipiscitur. *Idem.*

Nihil excelsius humilitate, quae quasi semper superior nescit extolli, quia nemo id affectat, quod infra se iudicat. *Idem.*

Tanto quisque debet esse humilior, atque ad seruiendum promptior ex munere, quanto se obligatiorem conspicit in reddenda ratione. *Gregorius homilia nona super Euangel. Matthae. 25. Dedit quinque talenta.*

Tunc nosmetipsos abnegamus, cum mutamus, quod per vetustatem fuimus, & ad hoc nitimur, quo per nouitatem vocamur.

Nisi

Nisi a semetipso quis deficiat, ad eum, qui supra se est, non appropinquat. *Gregorius super Euang. homil. 3 super illud Matth. 16. Qui vult venire post me.*

Semetipsum abnegat, qui mutatus in meliora, incipit esse, quod non erat, & desinit esse, quod erat. *Gregorius super Ezechielem homilia 10.*

Admonendi sunt subditi, ne plus quam expedit sint subiecti, ne cum student plus, quam necesse est, hominibus subijci, compellantur & vitia eorum venerari. *Gregorius, & habes. secund. quæstione 7. Admonendi.*

Intuendū vero est, quia hostis noster tot nos iaculis percutit, quot tentationibus affligit. Quotidie namque in acie stamus, quotidie tela tentationum eius excipimus. Sed nos contra illum iacula mittimus, & cōfossum tribulationibus, humiliare spondemus. *Greg. lib. 1. Moral.*

Quia origo virtutum in nobis est humilitas, illa veraciter pullulat, quæ in radice propria, id est, in charitate perdurat, à qua nimirū si abscinditur, arescit: quia viuificantes se intimis, humorē charitatis perdit. *Greg. 27. Moral.*

Qui humilitatem, quę est mater virtutum, nesciunt, vsum sui perdunt laboris. Et si quæ bona sunt, quæ operari videantur, quia super genus fabricæ robusta celsitudo non figitur, quæ nequaquam per fundamenti fortitudinem in petra solidatur. Soli igitur ruinę ereficit, quod ædificant, quia ante molem fabricæ humilitatis fundamenta non procurant. *Idem.*

Tanto quis sit vilior Deo, quanto preciosior sibi. Tanto preciosior Deo, quanto propter eum vilior est sibi. *Gregorius 18. Moralium.*

Quatuor sunt qualitates, quibus iusti viri anima in compunctione vehementer afficitur. Cum aut malorum suorum reminiscitur, considerans vbi fuit: aut iudiciorum Dei sententiam metuens, & secum quærens considerat, vbi erit: aut cum mala vitæ præsentis attendens, solerter mœrens, considerat vbi est: aut cum bona supernæ patriæ contemplatur, quæ quia nec dum adipiscitur, lugens conspicit vbi non est. *Idem lib. 25. moralium.*

Quanto quis minus se videt, tanto minus sibi displicet. Et quanto maioris gratiæ lumen percipit, tanto amplius reprehensibilem esse cognoscit. *Idem l. 25. moral.*

Cum per tentationē humilitas proficit, prospera est aduersitas, quæ mentem ab elatione custodit. *Idem lib. 26. Moral.*

Cordis sui oculum per elationis tenebras extinguit, qui cum recta agit, considerare meliorum merita negligit. At contra magno humilitatis radio sua opera illustrat, qui aliorū bona subtiliter pensat, quia dum ea, quæ ipse feliciter facta foris ab alijs conspicit, eum, qui de singularitate intus erumpere nititur, superbiæ tumorem premit. *Idem 31 Moral.*

Hoc solum solet esse specificum electorum, quod se semper sentiūt infra, quam sunt. Qui enim nondum se despicit humilem, Dei sapientiam non apprehendit. *Idem lib 34 Moral.*

Qui sine humilitate virtutes congregat, quasi in ventum puluerem portat. *Idem in explicat. 3 Psal. pœnitent.*

Sic seruanda est virtus humilitatis, vt non soluantur iura regiminis: Ne dum prælatus plus se, quam decet, deijcit, subditorum vitam restringere sub disciplinæ vinculo non possit. Et sic seruanda est disciplinæ seueritas, ne, dum plus quam necesse est, zelus accenditur, mansuetudo funditus amittatur. *Idem in Registro.*

Velle esse super omnes, vituperabile est. Sustinere autem alterum super se, nimis gloriosum. *Ioannes Chrysostom. super Matthæum, homilia 3.*

Quisquis gradus propriæ celsitudinis amat, humilitatis cultum in minoribus diligentissime teneat. Nam qui ab humilitatis operibus recedit, à dignitatis fastigio tumoris pondere cadit. *Ioannes Sarisburiensis Policratico, lib. 3.*

Est primum hominis sapientiam affectantis contemplari quid ipse sit, quid intra se, quid extra, quid supra, quid infra, quid contra, quid ante, quid postea sit. Hæc consideratio qua ipse sit parit fructum, vtilitatem sui, charitatem proximi, contemptum mundi, amorem Dei. *Idem in tractatu de Symbolo.*

Esto paruus in oculis tuis, vt sis magnus in oculis Dei. Tanto enim eris apud Deum preciosior, quanto fueris in oculis tuis despectior. *Isidorus in Synonymis.*

Semper esse tristem seru Dei humilis debet esse, & tristis, vt per humilitatem non superbiat, & per vtilem mœrorem cor ad lasciuiam non dissoluat. *Isidorus de summo bono, lib. 3.*

Humilitas meretur, vt homo virtutes occupet, quia humilibus Deus dat gratiam. Seruat accepta, quia non requiescit Spiritus Sanctus, nisi super quietum & humilem. Seruata consummat nam virtus in humilitate & infirmitate perficitur. Inimicum omnis gratiæ, omnisque peccati initium superbiam debellat. *Bernardus in epistola ad Sorrum.*

Recta facere, & inutilem se reputare, apud paucos inuenitur. *Idem in epist. ad Eugenium.*

Virtutum stabile fundamentum est humanitas, quæ si omittitur, virtutum congregatio non nisi ruina est. *Idem de consider. lib. 5.*

Nec humilitas præter veritatem laudabilis est. *Idem sup. Cantica.*

Scio neminem absque sui cognitione saluari: de qua nimirum mater salutis humilitas oritur, & timor Domini, qui & ipse sicut initium sapientiæ, ita & salutis est. *Idem super Cantica sermone 37.*

Si quis innocentiam retinet, & nihilominus humilitatem tangit: nonne is tibi videtur geminū animæ possidere decorum? Rara avis in terris, aut sanctitatem non perdere, aut humilitatem sanctimonia non excludere. *Idem super Cantica serm. 45.*

Nos verò fratres quantum possumus elaboremus, vt quod superbia tumidum elatumque reddiderat, humilitate & mansuetudine complanetur. *Leo Papa in sermone Ioannis Baptistæ.*

Frustra appellamur Christiani, si imitatores non fuerimos Christi, qui ideo viam se esse dixit, vt conuersatio magistri fieret forma discipuli. Et illam humilitatem eligat seruus, quam sequutus est Dominus eius, qui fuit Christus. *Leo in sermone natiuitatis Domini.*

Melior es, si teipsum cognoscas: quam si te neglecto, cursus siderū, vires herbarum, complexiones hominum, naturas animalium, cœlestium omnium & terrestrium scientiam haberes. Multi enim multa sciunt, & seipsos nesciunt, cum summa Philosophia sit cognitio sui. *Hug. lib. 1 de anima.*

In spirituali ædificio fundamenti locus in imo, id est, humilitate, quæritur. In latitudine, in charitate disponitur. In altitudine verò bonorum operum paries erigitur, & diuinæ protectionis tectum desuper ponitur. In longitudine autem patientiæ perficitur. *Idem de claustro animæ lib. 3.*

Discite a me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Ecce mel humilitatis cum dulcedine mansuetudinis. Sicut enim concordat in confectionibus medicinæ cum omnibus diuersitatibus specierum, sic humilitatis dulcedine condiuntur omnia genera virtutum. *Idem.*

Magnus ascensus ad Deum est cognitio infirmitatis suæ. *Cassiod. super illud Psal. Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum.*

Erubescant elati vbi credunt locum habere superbiam, cum cœlū & terram ab humilitate videant occupatam. *Cassiod. super illud. Humilia respicit.*

Per humilitatem membra Christi sciunt diaboli vicisse superbiā. Per hanc fideles supra regna proficiunt. Per hanc tyrannica superbia superatur. Per hanc in æternum martyres coronātur: nec potest dici perfectus, qui hac virtute est priuatus. *Cassiodorus super illud Psal. Humiliatus sum vsquequaq.*

Tria sunt, quæ radicata nutriunt humilitatem, scilicet assiduitas subiectionis, consideratio propriæ fragilitatis, & consideratio rei melioris. *Basilius in Hexaem.*

Humilitas cum honesta fama habet & securitatem. *Idem.*

Optimam dignitatis viam ostendit Dominus, nempe humilitatem. *Idem.*

Armatura tutissima, animi modestia. *Euagrius.*

Beatus, cuius vita excelsa, spiritus humilis. *Nilus.*

Humilitas ταπεινοφροσύνη dicitur, quod φρονήματος, id est, spiritus est ταπείνωσις, i. abiectio. *Ioan. Sarisbur. in polyc. lib. 4.*

POETICAE SENTENTIAE.

Ex Maphæo Vegio lib. 13. Aeneidos.

Heu mortem inuisam, quæ sola vltricibus armis
Elatas frenas animos, communia tots
Gentes sceptra tenens æternaq; fœdera seruans.
Quæ magnas paruosq; teris, quæ fortibus aquas
Imbelles, populisq; duces, seruumq; inuenta, &c.

Tyeste Senecæ.

Quos cogit metus
Laudare, eosdem reddit inimicos metus:
At qui fauoris gloriam veri petit,
Animo magis, quam voce laudari volet,
Laus vera & humili sæpe contingit viro.

Ouidius Trist. lib. 3. elegia 4.

Vsibus edocto si quicquam credis amico,
Viue tibi & longè nomina magna fuge.
Viue tibi quantumq; potes prælustria vita,
Sæuum prælustri fulmen ab arce venit.
Effugit hibernas demissa antenna procellas,
Lataq; plus paruis vela timoris habent.
Aspicis, vt summa cortex leuis innatat vnda,
Cum graue nexa simul retia mergat onus?

Ibidem.

Qui cadit in plano, vix hoc tamen euenit ipsum.

Sic

Sic cadit, vt tacta surgere posse humo.

Ibidem.

Quid fuit, vt tutas agitaret Dædalus alas?
Icarus immensas nomine signat aquas?
Nempe quod hic alte, demissus ille volabat.
Nam pennas ambo non habuere suas.
Crede mihi bene qui latuit, bene vixit, & intra
Fortunam debet quisque manere suam.

Ibidem.

Tu quoque formida nimium sublimia semper,
Propositiq; precor contrahe vela tui.

Propert. lib. 3. eleg. 3.

Alter remus aquas, alter tibi radat arenas.
Tutus eris, medio maxima turba mari est.

Hor. 2. Carm. 34.

Valet ima summis
Mutare: & insignem attenuat Deus,
Obscura promens.

Idem 3. Carm. 4.

Vim temperatam Dij quoque prouehunt
In maius: ijdem odere vires
Omne nefas animo mouentes.
Testis mearum centimanus Gyges
Sententiarum notus, & integræ
Tentator Orion Dianæ,
Virginea domitus sagitta
Iniecta monstris terra dolet suis
Mæretq; partus fulmine luridum
Missos ad Orcum.

Claud.

Magna repente ruunt, summa cadunt subito.

Ouid. Trist. 3. lib. eleg. 4.

Dum petit infirmis nimium sublimia pennis
Icarus, Icarijs nomina fecit aquis.

Seneca tragœd. 6.

Quæ fortuna altius
Euexit ac leuauit humanas opes,
Hoc se supprimere magis se sciens decet.

De vi humilitatis. Iacob. Bill. Antholog. Sacr.

O Deus! ô quantis vita est humana periclis
Subdita? quis tali viuet ab hoste necem?
Quoquo oculos vertam ipse meos, discrimina mille,
Terse anima ... mille mea.
Siue cibos capiam seu dem mea membra sopori,
Seu quæ agam, laqueos subdolus hostis habet.
O Deus ô quisquam fuget tot retia? Vana
Mens ea, quæ fastu libera semper erit.

SIMILITVDINES.

Chrysostomi. Sicut cacumen arborum in excelso positarum, etiamsi leuis aura flauerit, mouetur: Sic & sublimes homines in culmine dignitatis existentes, etiam leuis nuncij fama conturbat. Humiles autem sicut in conualle plerumque in tranquillitate consistunt. *In c. 5. Math.*

In alijs certaminibus laureas referunt, qui victores redeunt: At in disputationibus diuinis istis debetur corona, qui se rei magnitudine victos ingenuè fatentur.

Thalas. Sicut concupiscentiæ, & iræ peccata multiplicant: Ita continentia, & humilitas eadem exinaniunt. *Ad Paulinum presbyterum.*

Marci eremitæ. Quemadmodum à pœnitentiam agente alienum est elato animo superbire: Sic sua sponte peccantem, humilem esse impossibile est. *De lege Spirituali.*

Quemadmodum aquæ, & ignis contraria est societas: Sic quoque contraria sunt inter se cautæ dictio, & humilitas. *De lege Spirituali.*

Cyprian. Acrius diuitibus, quam pauperibus insidiatur: & non inopes, sed locupletes inquietat infestatio sæua latronum. Plus duces, & principes, quam milites ab hostibus appetuntur in pugna: & violentius propulsantur ventis, & turbinibus culmina quæcunque sunt altiora: Ita magis magisq; quo plus cæteris vnusquisque potest, sciat esse sibi metuendum, ne in aliquo minoretur. *De singularitate clericorum.*

Hieronymi. Hæc sicut inter multas gemmas preciosissima micat: & iubar solis, paruos igniculos stellarum obruit, & obscurat: Ita cunctorum virtutes, & potentias, sua humilitate superauit, atque ideo minima fuit inter omnes, vt omnium maior esset. Et quanto se plus deijciebat: tanto magis à Christo subleuabatur. Latebat, & non latebat. Fugiendo gloriam, gloriam merebatur: quæ virtutem quasi vmbra sequitur, & appetitores sui deserens, appetit contemptores. *In epistola ad Eustochium.*

Germanus Episcop. Sicut impossibile est, extra ordinem secundo sistere gradui, nisi ascenderis primum: Sic homo mitis esse non poterit, nisi prius pauper spiritu fuerit factus. *De octo beatitudinibus fo. 413.*

Laurentij Iustiniani Patriarchæ: Quemadmodum ignorantia præsumptionẽ, ac præsumptio inducit casum: Ita scientia humilitatem, ac humilitas augmentum parit gratiæ, additamẽtum luminis, perseuerantiam bonæ spei delectabile gaudium, desiderium proficiẽdi, gustum sapientiæ, fidei constantiam, amorem patiendi, exultationem spiritus, mentis rectitudinem, iustitiæ zelum, sitimq; virtutum. *De institutione & regimine prælatorum, c. 9.*

Quemadmodum multis terrenis curis, ac carnis voluptatibus intendentes, per internam vocationem, mediante flagello, de mortis faucibus Dominus reducit ad vitam: ita quam plurimos, qui cor non habent elatum, veritatis suæ splendore irradians, ex gehennæ filijs, regni sui gratia cooperante, facit esse hęredes. *De spirituali animæ resurrectione.*

Bernardi Iustiniani: Humilitas torrenti similis est, quemadmodum enim is æstate tenuior, quasi serpit, hieme verò atque vere inundat: Sic etiam humilitas in prosperis quidem exigua est, in aduersis verò magnanima est. *In vita Laurentij Iustiniani.*

Gulielmi Paral. Sicut species aromaticæ cum in puluerem rediguntur, vehementer redolent: Ita hominis bona cum per humilitatem quasi comminuta fuerint, Deo sunt gratiora. *In summa vitiorum, lib. 1.*

P. M. Sol cum est altissime prouectus in zodiaco, tum tardissimi motus est: Ita quo fortuna te subuexerit altius, hoc oportet animo leniori, minorisq; feroci esse. *De institutione Principis.*

Themisti. Vt quo vas aliquod profundius, eo plura recipit: Ita tantum vnusquisque accipit gratiæ, quantum pollet subiecta animi humilitate. *In apoph. 200.*

EXEMPLA BIBLICA.

Humilitatis *exempla:* Agar, *Genes. 16. versicul.* 8. 9. Abraham, 18. 27. & 22. 9. Iacob, 50. 19. & 33. 8. Rachel, Lea, & *c. ver.* 7. Fratres Ioseph, 50. 18 Moses, *Exod.* 3. 11 & 4. 10. *Num.* 12. 3 Gabaonitæ, *Iosue* 9. 11. Rubenitæ, 22. *versic.* 21. 22. Israelitæ, *Iudic.* 6. 6. Gedeon, *ver.* 15. & 8. 2. Ruth, *Ruth* 2. 13. Anna, 1. *Samuel* 1. 16. Saul, 9. 3. & 10. *versic.* 22. 23. 27. Dauid in Regem alioqui vnctus, 18. 18. 23. & 24. 15 Abigail, 25. 41. Dauid, 26. 20. 2. *Sam.* 7. 18. & 15. 30. & 16. 9. 10. 1. *Paral.* 17. 16. 2. *Paral.* 29. 14. *Psal.* 131 1. Mephiboseth 2 *Sam.* 9. *ver.* 10. 11. 13. & 19. 27. 28 Salom. 3. *Reg.* 3. 7. Achab, 21. 27. Quinquagenarius tertius, 2. *Reg.* 1. 13. Naaman, 5 9. Hazael, 8. 13. Ezechias, 20. 19. 2. *Paral.* 32. 26. Iosias 2. *Reg.* 22. 19 Roboam & sius Princeps, 2. *Paral.* 12. *vers.* 7. 12. Iosaphat, 20 9. Manasses 33. 12. Iob, *Iob.* 1. 20 & 9. 15. Esaias, *Esa.* 20. *versic.* 2. Ieremias, *Ierem.* 1. & 11. 19. Ezechiel, *Ezech.* 2. 1. Filij Israel, *Iudith.* 4. 8. Esther, *Esth.* 14. *versi.* 1. 2. Nabuchodonosor, *Dan.* 4. *versic.* 13. 32. Daniel 9. *versic.* 7. 17. Antiochus, 2. *Machab.* 9. 12. Magi, *Matthæi* 2. 11. Ioannes Baptista, 3. *versic.* 11. 19. *Mar.* 1. 7. *Lucæ* 3. 16. *Ioannis* 1. 27. *Act.* 13. 25. Christus, *Esa.* 53. 7. *Matthæi* 3. 13. & 8. 20. & 11. 29. & 20. 18. *Marci* 10. 45 *Lucæ* 2. 51. & 22. 27 *Ioannis* 6. 15. & 13. 5. Centurio, *Matt.* 8. 8. *Lucæ* 7. *vers* 6. Chananæa, *Matthæi* 15. 25. *Marci* 7. 28. Apostoli, *Matthæi* 2. *versic.* 7. Deipara Virgo, *Luc.* 1. 38. Elizabeth. *ver.* 42. 43. Petrus. 5. 8. *Act.* 3. 12. & 10. 26. Publicanus, *Lucæ* 18. *ver.* 13. Paulus, *Actorum* 9. 6. & 14. 14. & 22. 10. *Romanor.* 15. 30. 1. *Corinth.* 15. *ver.* 8. 9. 2. *Corinth.* 1. 11 & 11. 7. & 12. 11. *Ephes.* 3. 8. *Philip.* 4. 12. 1. *Thessal.* 2. 7. 2. *Thessal.* 3. 1. 1. *Timoth.* 1. 15. Humilitas sæuitiam mitigat. *Exempla,* Iacob. *Genes.* 33. 4. Fratres Ioseph, 50. *ver.* 17. 18. 19. Tribus quæ Altare extruxerant, *Iosue* 22. *v.* 21. 22. Gedeon, *Iud.* 8. 2. Abigail. 1. *Samuel* 25. 24. Dauid. 26. *v.* 18. 21. Mulier sapiens ex Abela, 2. *Samuel* 20. 18. Quinquagenarius tertius. 2. *Reg.* 1. *v.* 13. 14. Esther, *Esth.* 7. 2. Humiles tandem exaltabuntur, *Exempla.* Moses pastor ouium soceri, *Exod.* 3. 1. 1. *Samuel* 16. 11. *Psal.* 78. 70. Esther, *Esth.* 2. 15. Publicanus, *Lucæ* 18 14. Christus. *Philip.* 2. 9.

HIEROGLYPHICVM.

Depositum genu humilitatis & superiorem agnoscentia indicium esse, nulli non innotuit Hinc apud Horat.

Ius imperiumq; Phraates,
Cæsaris accepit genibus minor.
Pier. Val. lib. 35.

FABVLA.

Musca & Formica.

Præferens se formicæ musca, illam abijcere verbis, & se extollere. Vide enim, inquit, quanta sit humilitas tua. Caua loca terrarũ incolis, & perpetuo humi reptas, magno cum labore tenuem victum quærens. At me alæ in sublime ferunt, & accipiunt mensæ regiæ auro & argento, ego eadem bibo, delicatissimis cibis vescor, purpuræ incubo. Quo etiam mollissimas sæpe genas formosarum deoscolor. Fastidiosè inflatæ opinione fœlicitatis respõdit formica: Etiam hoc adde, importunitatem tuam inuisam & odiosam esse omnibus: contra te flabella & venena parari. Itemque hoc, modica anni parte durare hanc beatam vitam tuam, dum sol

soi feruet, hieme, & frigoribus statim occidere. At ego æstate mediocri labore exerceor, vt hieme quietem & securam vitam degere possim.

Fabula hoc ait: Qui, quæ vult dicit, ea, quæ non vult, audit. Et hoc: Non esse in paruis commodis, sed sine magnis incommodis vitam beatam.

Arbores grandes & pusill[illegible]

Inter proceras & grandes & aspectu pulchras aliquot arbores, vna enata fuerat humilis & contorta, deformisq; quibusdam quasi gibbis. Ergo hanc illæ despicere atque deridere, nox cum ad ædificium quoddam materia quæreretur, cæsis alijs omnibus, hæc pusilla & deformis arbuscula sola relicta fuit: Tum illa quidem statura atque facie sua admodum gaudens, quæ sæpe dolori inter aliarum contemptum ipsi fuerat, intelligebat enim se beneficio huius retinere incolumitatem suam.

Monet fabula, ne nimis iniquo animo feramus, deesse nobis bona illa corporis atque fortunæ, quorum, si quis omnia colligat, sæpius nocuisse affluentiam, quam profuisse comperietur. *Camp. pag. 234.*

Talpa.

Talpa animal est oculis captum: Hoc ad matrem aliquando fam, motum video, dixit. Atque iterum, thuris odor complevit nares meas. Tertio, sonitus æris attingit aures, inquit, meas. Cui mater respondit, se intelligere de dictis non modo ipsum lumine, sed odoratu etiam atque auditu priuatum esse.

Fabula notat gloriosos & Thrasones istos, qui dum se mirifice ostendunt & iactitant, in minimis sæpe deprehensi redarguuntur.

HYPOCRISIS.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

Hypocrisis Græca dictio est, ὑπόκρισις, ὑποκρίνω & ὑποκρίνομαι simulo dicitur. Et est simulatio alienæ personæ, ideo semper est peccatū, & est vitium iactantiæ *secundum S. Thom. 2. 2. q. 3. art. 5.*

Hypocrisis potest à nobis dici dissimulatio, nam ab ὑπὸ, quod est sub, & κρίσις, iudicium, quasi sit iudicij subiectio, nam aliud in re, aliud in iudicio hominum se ostendit, qui hypocrisi laborat. Hebr. *Caneph*, à verbo *Canaph*, velatus est, nubilus est, obscurus fuit. Hinc Græc. νέφος, nubes, νεφώδης, nebulosus, νεφέλιον, nebula. Lat. Nebulo. hypocrita sane inter omnes nebulones, insignis nebulo, primatum tenet.

Est autem hypocrisis simulatio alienæ personæ, ὑποκρίνομαι, simulo, ago personam, Pausanias, τοὺς ὑποκριτὰς dicit histriones mimi, imitatores: Plutarchus, Budæus, in Græcis commentarijs: simulatores, qui cum intus sint mali, bonos se palam ostendunt. Nomen hypocritæ translatum est à specie eorum, qui spectaculis tecta facie incedunt, distinguentes vultum cæruleo niueoq; colore, & cæteris pigmentis, habentes simulachra oris lutea, gypsata, & vario colore distincta: nonnunquam colla & manus creta perungentes, vt ad personæ colorem peruenirent, & dum populum in ludis agerent, fallerent, modo in specie viri, modo in forma fœminæ, & præstigijs reliquis.

Loci Biblici.

Hypocrita: Vox hec proprie de Histrionibus personam aliquam in fabula sustinentibus dicitur: postea cœpta est vsurpari etiam in Theologia, pro simulatoribus, qui histrionice alij haberi volunt, quam sunt, *Matth. 6. 1. 5.* Hypocrita certo Dei consilio regnat, *Iob 34. 30.* Hypocritæ Deo detestabiles 13. *Matth. 6. 2.* Hypocritę quibus similes, *Matth. 23. 27. 33. Luca 11. 44.* bonis permixti, *1. Ioan. 2. 19.* quomodo tractandi, *Matth. 3. 5. & 12. 34. 39. & 5. 7. 8. & 16. 4. & 21. 18. & 23. 13. Luca 3. 7.* non exaudiuntur a Deo, *Ioan. 9. 31.* clam nocere student, *Psalm. 15. 3.* iram Dei prouocant, *Iob 36. 13.* Hypocritæ vocantur adulteri, *Matth. 2. 39. vbi alluditur ad locum Esaiæ 57. 3.* Vsitatum enim est Scripturæ, adulteros vocare omnes eos, qui à vero Dei cultu deficiunt, inter quos pręcipui numerandi sunt hypocritæ.

Hypocritarum conditio misera, *Iob. 15. 34. & 27. 8.* eorum fiducia inanis, *Ieremia 7. 4.* ieiunium quale, & quam abominabile Deo, *Esaia 58. 3. Zacharia 7. 5. Matthæi 6. 16.* interitus, 24. 51. mos suis impijs factis pietatem prætexere: & leuiculas obseruationes rebus serijs præferre, *Gen. 37. 35. 1. Regum 21. 12. Matth. 15. ver. 2. 8. & 16. 3. & 21. 27. 23. ver. 4. 23. 25. & 27. 6. Marci 3. 4. & 6. 26. & 7. 3. & 14. 63. Luca 6. [illegible] & 7. ver. 39. 42. & 12. 56. & 13. ver. 15. 16. & 14. ver. 34. & 8. 11. & 20. 7. Io. 5. 10. & 12. 5. & 18. 28.* eorum natura describitur, *Psal. 5. 10.* orationes eorum, *Esaia 1. 15. Matth. 6. 5. & 23. 14. Marci 2. 13. 40. Luca 20. 47. Io. 9. 31.* Timor, *Esaia 33. 14.* voces, 66. 5. *Ieremia 8. 8. Ezech. 33. 30. Luc. 13. vers. 26. 27.*

Hypocrisis fugienda est, *Ioan. 15. 34. Psal. 22. 2. & 34. 14. Prouerb. 11. 9. & 16. vers. 6. 59. 30. & 53. 5. & 56. 25. & 27. 6. Eccles. 1. 36. Esaia 29. 13. & 32. 6. & 48. 1. & 58. versic. 2. 5. Ieremia 5. 2. & 9. versic. 4. 8. & 12. 6. Abac. 2. 15. 2. Machab. 6. 24. Matth. 6. versic. 2. 16. & 7. versic. 3. 5. 21. & 15. versic. 7. 8. & 16. 3. & 22. 18. & 23. 5. Marci 9. versic. 6. Luca 6. versic. 41. 46. & 11. versic. 39. 40. & 12. vers. 1. 56. & 13. 15. & 16. 15. Ioan. 9. 41. Rom. 2. 1. & 12. 9. 2. Corinth. 4. 2. & 11. 13. Galat. 5. 25. Colossens. 2. 18. 1. Timoth. 1. 5. & 4. 2. Timoth. 3. 5. Iacobi 1. 21. & 3. vers. 13. 17. & 4. 8. 1. Petri 1. 21. 1. Ioannis 3. 18. Apocal. 3. 1.* Hypocrisis omnibus fere communis. *Psal. 12. 3.*

Sententiæ Biblicae.

Innocens contra hypocritam suscitabitur in iudicio. *Iob 17.*

Excoquam ad purum scoriam tuam, & auferam omne stannum tuū. *Esa. 1.*

Cum facis eleemosynam, noli ante te tuba canere, sicut hypocritæ faciunt, in synagogis & vicis, vt honorificentur ab hominibus. *Matth. 6.*

Cum oratis, non eritis sicut hypocritę, Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. *ibid.*

Cum ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritę tristes, exterminant enim facies suas, vt appareant hominibus ieiunantes. *ibid.*

Hypocrita eijce primum trabem de oculo tuo. 7.

An quæro hominibus placere? Si hominibus placerem, seruus Christi non essem. *Galat. 1.*

Hypocrisis prohibitio.

Ne fueris hypocrita in conspectu hominum, & non scandalizeris in labijs tuis. *Eccl. 1.*

Attendite a fermento Pharisæorum, in quo est hypocrisis. *Luca 12.*

Conditio.

Omnis hypocrita est & nequam. *Esaia 9.*

Qui dicunt: recede à me, non appropinques mihi, quis immundus es: isti fumus erunt in furore meo, ignis ardens tota die. *Esaia 65.*

Omnia verò opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus. *Matthæi 23.*

Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ à foris parent hominibus speciosa, intus verò plena ossibus mortuorum, & omni spurcitia. Sic & vos à foris quidem apparetis hominibus iusti, intus autem pleni estis hypocrisi & iniquitate. *ibid.*

Vos estis qui iustificatis vos coram hominibus: Deus autem nouit corda vestra. *Luc. 16.*

Satanas transfigurat se in angelum lucis. Non est ergo mirum, si ministri eius transfigurentur, velut ministri iustitiæ; quorum finis erit secundum opera ipsorum. *2. Cor. 11.*

Punitio.

Spes hypocritæ peribit. Non ei placebit vecordia sua, & sicut tela aranearum fiducia eius. *Iob 8.*

Non enim veniet in conspectu eius omnis hypocrita. 13.

Congregatio enim hypocritæ sterilis, & ignis deuorabit tabernacula eorum. 15.

Gaudium hypocritæ ad instar puncti. Si ascenderit vsque ad cœlum superbia eius, & caput eius nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur, & qui eum viderant dicent: Vbi est? velut somnium auolans non inuenietur. 20.

Filij eius atterentur egestate, & manus illius reddent ei dolorem suum. *ibid.*

Quæ est enim spes hypocritæ, si auare rapiat, & si liberet Deus animam eius? Nunquid audiet Deus clamorem eius, cum venerit super eum angustia. 27.

Ingrediens duas vias, non habebit successus. *Eccl. 3.*

Vidi impios sepultos: qui etiam cum adhuc viuerent, in loco sancto erant: & laudabantur in ciuitate quasi iustorum operum, sed & hoc vanitas est. 8.

Væ illis, qui deuorant domos viduarum sub obtentu prolixæ orationis, hi accipient prolixius iudicium. *Matthæi 23. & Marci 1.*

Partemque eius ponet cum hypocritis, illic erit fletus, & stridor dentium. *Matth. 24.*

Patrum Sententiae.

Simulata æquitas non est æquitas, sed duplex iniquitas, quia iniquitas est simulatio. *Aug. in Psal. 23.*

Quisquis appetit videri, quod non est, hypocrita est, simulat enim iustitiam, nec exhibet, quia totum fructum in laude hominum ponit. *Tractat. de ser. Domini in monte.*

Quam multos hypocritas sub habitu Monachorum vsquequaque dispersit callidissimus hostis, circumeuntes prouincias omnes petunt, omnes exigunt, aut sumptus lucrosæ egestatis, aut simulatæ precium sanctitatis. *Aug. de oper. Monachor.*

Cum

Cum conueniet aliquibus tentationibus ea ipsa, vel subtrahi, vel negari, quæ illo relamine consecuti sunt, vel consequi cupierunt, tunc necesse, vt appareat: vtrum lupus sit in pelle ouina, an ouis in sua. *Super Matt. 7.*

Interpleumque subertiti amictu lasciuia, & deformis horror vili veste obtegitur, vt secreta petulantium tegantur animorum. *Ambros. in quodam serm.*

Si castum me simulo, & aliud est in conscientia, habeo gloriam mercenariam, sed supplicia peccatoris, & in ea comparatione duorum malorum: leuius est in alium aperte peccare, quam simulare, & fingere sanctitatem. *Hier. super Esa. lib. 6.*

Qui strepitu labiorum benedicunt Dominum, immunda mente veritati interius contradicunt. *Matth. 9.*

Intus Nero, foris Cato, totus ambiguus, monstrum est, velut quædam bestia compacta, secundum illud Poeticum:

Leo pars prima, draco media, ipsa chimæra. In quadam ep.

Quia multi simulantes, & ficti, ideo difficile inuenitur in quo cor, & facies, id est, operatio, atque doctrina in vno conueniant, quum autem hoc inuenies, da gloriam Deo: quia hoc eius donum est. *Gloss. sup. 13.*

Væ peccatori terram ingredienti duabus vijs! Duabus quippe vijs terram peccator ingreditur, quando & Dei est, quod opere exhibet & mundi, quod per cognitionem quærit. *Greg. l. . Moral.*

Si non crucem portans nequaquam moritur: quia omnis hypocrita corpus quidem per abstinentiam afficit, sed tamen per amorem gloriæ mundo viuit. *lib. 8. Moral.*

Non indues vestem ex lana linoq; contextam, per lanam simplicitas, per linum subtilitas designatur. Et nimirum vestis, quæ ex lana linoq; contexitur, linum interius celat, lanamq; exterius demonstrat. Vestem ergo ex lino lanaq; contextam induit, qui in locutione, vel actione, qua vtitur, intus subtilitatem malitiæ cooperit, & simplicitatem foris innocentiæ ostendit. *ibid.*

Quid in cunctis suis operibus hypocrita sperat, nisi reuerentiam honoris, gloriam laudis, à melioribus metui, sanctus ab omnibus vocari? *ibid.*

Hypocrita per arrogantiam deprauatur, quum paratior est mori, quam corripi. *ibid.*

Hypocritæ, qui etiam in peccatis grauissimis moriuntur, sanctos se esse reputant: quia sanctos se reputari æstimant. Student enim non virtutes colere, sed vitia tolerare. *ibid.*

Qualis hypocrita imperitis innotescit, talis vult ab omnibus æstimari, & paratior est mori, quam corripi. Hypocrita quot vitijs est plenus, quasi tot stercoribus in conspectu æterni iudicis illius pectus fœtet. Hypocritarum corda Diabolus tacitus tenet, & quasi ipse quietus ibi dormit, vbi eos quos possidet, quiescere non permittit. *In Moral.*

Quid est vita hypocritæ, nisi quædam visio phantasmatis, quæ hic ostendit in imagine, quod non habet in veritate? *ibid.*

Hypocrisis, est virtutum simulatione clausum vitium abscondere, & arte palliare. *ibid.*

Hypocrita in laude positus, si hunc quisquam corripere audeat, asperitate sua protinus vitam corripientis cæcat, reprehensum se in prauitate irascitur, loqui sibi redarguentem deterior efficitur, exasperatur, in contumeliam surgit, bona opera sua in vsum propriæ laudis assumit, quod solius proprium est Dei, sumit in laudem sui, scilicet gloriam. *ibid.*

Hypocritæ, quo exterius hominibus placeant, eo se interius aspicere negligunt, totosque se in verbis proximorum fundant, & sanctos se esse æstimant, quia sic se haberi ab hominibus pensant. *lib. 11. Moral.*

Vult hypocrita scire diuina eloquia, nec tamen facere: vult doctè loqui, nec tamen viuere. *lib. 15. Moral.*

Hypocritæ ante districtum iudicem excusationem de ignorantia habere non possunt, quia dum ante oculos hominum omnem modum sanctitatis ostentant, ipsi sibi sunt testimonium, quia bene viuere non ignorant. *lib. 16. Moral.*

Omnis hypocrita corpus per abstinentiam afficit, sed tamen per amorem gloriæ mundo viuit. *lib. 4. Moral.*

Hypocritæ per causas Dei intentioni deseruiunt sæculi, quia per ipsa quoque, quæ se agere sancta ostendunt, non conuersationem quærunt hominum, sed auras fauorum. *L. 23. Moral.*

Hypocrita, vt sine fine crucietur, viuere sine fine compellitur, vt cuius vita hic mortua fuit in culpa, illic eius mors viuit in pœna. Dicat ergo: lucent, quæ facta omnia, nec tamen consumentur, quia cruciatur, & non extinguitur, moritur, & viuit, deficit, & subsistit, finitur, & sine fine est. *lib. 2. Moral.*

Quid dicturi sumus, qui iniqua operibus docemus: & sola voce ea, quæ sunt iusta, prætendimus? ossa ieiunijs atteruntur, & mente turgemus: corpus despecta vestibus tegitur, & elatione cordis purpuram superamus, iacemus in cinere, & excelsa non aspicimus, Doctores humilium, duces superbiæ, ouina facie lupinos dentes abscondimus. *In reg.*

Hypocritæ volunt esse humiles sine despectu, bene vestiti sine sollicitudine, delicatæ pacis possessores sine labore, alijs detrahentes, mordaces vt canes, dolosi vt vulpes, superbi vt leones intrinsecus autem lupi rapaces, mellis dulcedinem, id est, inanis gloriæ & latentis lasciuiæ, vt vrsi quærentes. Volunt esse sine auctoritate iudices, sine visu testes, postremo falsi accusatores, & omni veritate carentes. *Bern.*

Serpit hodie putrida tabes hypocrisis per omne corpus Ecclesiæ, & quo tolerantius, eo desperatius, eoque periculosius quo communius. *ibidem.*

Herodes deuotionem promittit, sed gladium acuit. & malitiã cordis depingit colore humilitatis: huius personam repræsentant hypocritæ, qui dum ficte Deum quærunt, illum nunquam merentur inuenire. *Chrys. super Matth. 2.*

Nulla res sic exterminat bonum, sicut simulatio, nam malum sub specie boni celatum, dum non cognoscitur, non cauetur. *super Matth. 7.*

Lupus tectus pelle ouina per vocem cognoscitur, & per actum ouis balat inclinata deorsum, lupus vlulat contra cœlum, hoc superbiæ, illud humilitatis signum, ouis herbam manducat, lupus carnem. *ibidem.*

SENTENTIAE POETICAE.

Antholog. Iacob. Billij.

Aduersus hypocritas.

Bel erat externè pulcherrimus, vndiq; & aro
Tectus: at intus erat nil nisi vile lutum.
Qui Curium simulas, cum sis nequissimus, illum
Cur ego non Belem iure vocare queam?
Bel mihi semper eris, qui totum callidus agnum
Finxeris, & portet cum feritate lupus.
Bel eris, externè tumulo qui candidus instar,
Interius tantum vile cadauer habet.

Aduersus hypocrisin.

Quid magis est vanum, quam iusti nomen habere,
Cum procul à placitis sit tibi vita Dei?
Cumq; lupus, cum sis Belial, turgescere mente?
Quod tegat immanem pelles ouina lupum?
Nam licet extima, quod non sua pectora cernat
Infesta turba, virum te probitate putet
Quem capis hinc fructum qualem, cum simia turpis
Nobilis esse leo dicitur inde capis.

Seb. Hipp.

Vbi vultus ille, & fictæ maiestas viri
Atque habitus horrens, prisca, & antiqua appetens,
Morumq; senium triste, & adspectu grauis?
O vita fallax, abditos sensus geris.
Animisq; pulchram turbidis faciem induis.
Pudor impudentem celat, audacem quies,
Pietas nefandum, vera fallaces probant,
Simulanq; molles dura. Ouid. 11. Met.
Nascitur Autolicus furtum ingeniosus ad omne
Qui facere assuerat patriæ non degener artis,
Candida de nigris, & de candentibus atra.

Iuuenalis. 3.

Cedamus patria, viuat Artorius istic,
Et Catulus, maneant qui nigrum in candida vertunt.

Iuuen Sat. 2.

Vltra Sauromatas fugere hinc libet & glacialem
Oceanum, quoties aliquid de moribus audent,
Qui Curios simulant, & Bacchanalia viuunt.
Loripedem rectus derideat Æthiopem albus.
Quis tulerit Gracchos de seditione querentes?
Quis cælum terris non misceat, & mare cælo,
Si fur displiceat Verri, homicida Miloni?
Clodius accuset mœchos? Catilina Cethegum?
In tabulam Syllæ si dicant discipuli tres?

Pers. Sat. 5.

Pelliculam veterem retinas, & fronte politus
Astutam rapido gestas sub pectore vulpem.

Ex 1. Epigram.

Μισῶ τὸν ἄνδρα τὸν διπλοῦν πεφυκότα
Χρηστὸν λόγοισι, πολέμιον δὲ τοῖς τρόποις.
Odi virum duplicem natum,
Bonum sermonibus, inimicum moribus.

Iuuenalis Satyra 2.

Fronti nulla fides, quis enim non vicus abundat
Tristibus obscœnis? castigas turpia, cum sis
Inter Socraticos notissima fossa Cynædos.

Ibidem.

Hunc ego fatis
Imputo, qui morbum vultu incessuq; fatetur.
Horum simplicitas miserabilis: his furor ipse
Dat veniam, sed peiores qui talia verbis
Herculis inuadunt, & de virtute locuti
Clunem agitant.

Achilles

Achilles apud Homerum 1. Iliad.

Ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς Ἀΐδαο πύλῃσιν,
Ὅς χ' ἕτερον μὲν κεύθει ἐνὶ φρεσὶν, ἄλλο δὲ εἴπῃ.

Latine vertebat Amantius.

Is mihi iuxta inuisus vt atri limina ditis,
Qui verbis aliud promit, quam mente volutat.

SENTENTIÆ PHILOSOPHORVM.

Qui fingit se amicum, & non est, peior est eo qui facit falsam monetam. *Ari. l. lib. 9. Ethicorum.*

Compendiaria est via ad gloriam, vt qualis quisque haberi vult, talis sit. *Cicero lib. 2. de officijs.*

Aperte enim odisse vel amare, est magis ingenui, quam fronte occultare sententiam. *Cicer. o lib. de Amicitia.*

Simulatio in omni re vitiosa, tollit enim iudicium veri, idque adulterat, tum amicitiæ repugnat. *Idem.*

Nullæ sunt occultiores insidiæ, quam hæ, quæ latent in simulatione officij, aut in aliquo necessitudinis nomine. Nã eum qui palam est aduersarius, facile cauendo vitare potes. Et Troianus equus idcirco fefellit, quia formam Mineruæ mentitus est, dicebat Diogenes Philosophis. *Diogenes Laert. de vita & moribus Philosoph.*

Illud te admoneo, ne eorum more, qui non proficere, sed conspici cupiunt, facias aliqua, quæ in habitu tuo, aut genere vitæ notabilia sint. Asperum cultum & vitiosum caput, & negligentiorem barbam & indictum argento odium, & cubile humi positum, & quidquid ad laudem peruersa vita sequitur: euita. *Senec. 13 epist.*

Quod si nos hominum consuetudini cœperimus excerpere, intus omnia dissimilia sint, frons populo nostra conueniat, non splendeat toga, nec sordeat quidem, non habeamus argentum, in quo solius auri cælatura descendit, sed non putemus fragilitatis iudicium auro argentoq; caruisse. *Ibidem.*

Nempe propositum est secundum naturam viuere: hoc autem contra naturam est, torquere corpus suum, & faciles odisse munditias, & squalorem appetere, cibis non tantum vilibus vti, sed horridis. *Ibidem.*

Non habemus ista odorifera, nec emptorem decipimus, nihil inuenturum quum intrauerit, præter illa quæ in fronte suspensa sunt. *epistol. 33.*

Multorum, quæ imbecillia sunt, latent vitia, instrumenta illis explicandæ nequitiæ desunt. Sic tuto serpens pestifer tractatur, dum riget frigore, non desunt tamen illi venena, sed torpent: ita multorum crudelitas, luxuria & ambitio, vt paria pessimus audeat, fauor fortunæ desuit.

Virtutem bona sequitur fide, qui se non exornat, & pingit, sed idem siue ex denunciato videatur, siue imparatus, ac subito nihil simulatio proficit. Veritas in omnem partem sui semper eadem est. *epistola 10.*

Vis videri ab hominibus, an non? nũquam bonę honestatis est longa simulatio. Quid de alienis moribus & tuis iudices, multi sunt obligandi, pauci sunt offerendi. *Ibidem.*

Multo magis ad rem pertinet, qualis tibi, quam qualis alijs videaris. *epist. 87.*

Numquam bona fide vitia mansuescunt: tigres & leones numquam feritatem exuunt, aliquando submittunt, & quum minime expectaueris, exasperatur torditas mitigata. *ibidem.*

Nemo potest personam fictam diu ferre, ficta in naturam suam cito recidunt, quibus autem veritas subest, vt ita dicam, quæcumque ex solido enascuntur in maius meliusque procedunt. *ad Neronem.*

Malus vbi se bonum simulat, tunc est pessimus. *in Prouer.*

APOPHTHEGMATA.

Diogenes, cuidam sibi placenti, quod leonis exuuio tectus ingrederetur. Non tu desines, inquit, virtutis stragulas pudefacere? indecorum esse censuit, quod homo mollis, Herculis amictum sibi vindicaret. Idem dici potest ijs, qui prodigioso amictu profitentur vitę sanctimoniam, vita non respondente. *Diogenis dictum extat apud Laert. l. 6 cap. 2.*

Alexander, nonnullis Antipatri frugalitatem laudantibus, quod alienam ab omnibus delicijs austeramq; vitam ageret: Foris, inquit, Antipater albo vtitur pallio, intus vero totus est purpureus: Notans fictam illius parsimoniam, quum esset alioqui ambitiosissimus. *Plut. in reg. & imp. apoph.*

Fridericus tertius Imperator, quum audiret quendam dicentem, abiturum se aliquando in ea loca, in quibus nulli plane hypocritæ essent, respondit: Vltra Sauromatas ergo, & glacialem oceanũ tibi eundum est. Sed cum eo veneris, non omnino carebit hypocrisi locus, si modo & tu homo non Deus es. Inter mortales enim nemo est, qui non ex aliqua parte fictus fucatusq; sit.

Alphonsus, cum post Africanam victoriam in Aenariam insulam venisset, audiens Antonium Picenem, ordinis eremitarum, magnum hypocritam, iactando plurima in Christum & Virginem eius matrem, vermiculis acerbissimo morbi genere absumptum, animam expuisse, dixisse fertur: propterea Deũ tantopere in hypocritas sæuire, quod dum homines decipiunt, interponant Deum ipsum tanquam sceleris mediatorem. Ideoque, vt plurimum viuentes adhuc plecti in oculis hominum, quos Dei nomine fefellissent, vt intelligãt mortales a talibus maxime cauendum esse, quod Deum ipsum non tantum post morte, sed etiam in ipsa vita haberent indubitatum vltorem. *Antonius Pan. de reb. gest. Alphonsi, & Æneas Siluius de eius dictis.*

SIMILITVDINES.

Christi Saluatoris: Væ vobis Scribæ & Pharisæi, hypocritæ, quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ foris quidem apparent speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum, omniq; spurcitia. Sic & vos foris quidem apparetis hominibus iusti, intus autẽ pleni estis fictione & iniquitate. *Matth. 23.*

Chrysostom: Sicut sepulchrum quamdiu clausum est pulchrum videtur a foris: si autem apertum fuerit, horribile est: Sic sunt simulatores bonorum, quamdiu non cognoscuntur, laudabiles sunt, cum autem cogniti fuerint, abominabiles. *homil. 46. in Matthæ.*

Quid prodest meretrici, si nomen habeat castum? Sic nihil prodest peccatori, si seruus Dei dicatur. *in 23. Matth. hom. 45.*

Sicut non omnes qui Dominum vocant Domini sunt, sed qui faciunt Domini voluntatem. Sic non omnes qui in locis suis prædicant Apostolos, & Prophetas, & Martyres, iam per hoc sunt cultores eorum, sed qui opera eorum imitantur, & fidem sequuntur. *in 23. Matth. hom. 45.*

Numquam in rebus suis iucunde vtitur fœnerator, vel lætatur quando habet, sed quando sibi fœnus collocatum est, nõ tam gaudet, quod additio facta sit, quam mœret, quod nondum vsuræ sortem adæquarunt: ac ideo antequam perniciosus ille fœtus perfectior edatur, cogitat alium fœtum producere. Ita fœnora in sortẽ redire compelluntur, & immaturum ac abortiuum partum parere viperarum. Tales certe isti fœtus pecuniarum sunt, vt magis miserorum animas corrodant, quam illæ feræ aluos parentum soleant lacerare. *Hom. 57. in Matth.*

Hypocrita, id est, histrio vocatur is, qui in theatro alienam faciem suscipit: vt seruus existens, in persona tamen domini, & priuatus regis: Sic & in hac vita ad suos mores orchestras atque theatrum exercent ij, qui alia corde gerentes, alia extrinsecus hominibus præferunt. *in sermone de ieiunio.*

Homo vere iustus similis est pulchræ mulieri, nihil externorum indigenti, sed naturalem habenti pulchritudinem: homo ficte iustus, hypocrita, similis est meretrici cuidam turpi atque deformi, multos tamen habenti fucos, nec tamen turpitudinem obumbrare valenti, sed quando quis propius accesserit, magis redargutioni obnoxiæ. *Hom. 57 de diuersis.*

Sicut plerumq; meretricis vultus cum turpis & fœdus est per naturã, fucis & coloribus pigmentatus prostituitur ad decipiendos eos qui ignorant, quæ fœditas sub velamine fuci illius contegatur: Ita hypocrita. *Hom. 30 Quod nemo læditur à seipso.*

Theophylacti: Smilaci æquiparantur, qui charitatem simulantes, & complectentes per blanditias proximum, ac interim quæ ad perniciem eorum faciant, meditantes. Absumetur tandem talis smilax ipsa a sese: alter enim impostor ab altero fraudulẽtiore capitur. *in cap. Naum.*

Nazianzen: Turpe est, vt quia vestem & victum eligat, non splendidiorem, sed viliorem genuumq; callis, ac oculorum fontibus, ieiunijs insuper & vigilijs, in humo preterea dormitatione, labore, ac cunctis in rebus humilitatem & proprię imbecillitatis cõscientiam ostendat: in sermonibus vero de Deo, se cunctis prefe- rat hominibus, & plane Imperatorem & tyrannum agat, nullique omnino cedat, sed supercilia vltra omnes legis Doctores attollat: quum interim humilitas cum gloria securitatem etiã habeat. *De modestia in disputationibus.*

Quis magis superbiam castigauit, aut humilitatem dilexit? nequaquã ficte, aut superficialiter, quemadmodum nunc multi se philosophari simulant, ac præstantes videntur: non secus ac mulierculæ insipientissimæ, quæ cum pulchritudine careant naturali, ad colorum fucos confugere solent, suntq; (quoniam modo dicere debeo) theatrales ornatissimæ, propter verecundiam inuerecundissimæ, & propter turpitudinem turpissimæ. Humilitas enim nequaquam illi in vestimento sita erat, sed in penetralibus animę: quin nec ceruicis inflexionem mollem, aut vocis infractionem, seu vultus compositionem fictam, vel barbæ dẽsitatem promissam, siue capitis colorationem adulterinam, aut incessus modũ compositum, humilitatem esse iudicabat: talia enim facile effinguntur, cito tamen redarguuntur: nil enim simulatum durabile esse potest. In orat. *De morte patris sui.*

D. Augustinus: Inde ergo lædit, vnde mala facit, non vnde bona dicit. Qui malefacit, non prædicat de cathedra Christi: inde lędit vnde malefacit, nõ vnde benedicit. Botrum carpe, spinam caue. Numquid colligunt de spinis vuam, aut de tribulis ficus: botrum carpe, spinam caue, quia botrus aliquando de radice vitis exortus pendet in sepe, crescit palmea, inseritur spinis, & portat fructum spinam non suum. Non enim spinam vitis attulit, sed

spi..is

spinis palmes incubuit. Noli interrogare nisi radices. Quære radicem spinæ, extra inuenies à vite. Quære originem vuæ, vitis hanc protulit ex radice. Cathedra ergo Moysi vitis erat, Pharisæorum mores spinæ erant. Doctrina verò per malos, palmes in sepe. Botrum inter spinas caute lege, ne dum quæris fructum, laceres manum. Et cum audis bona dicentem, ne imiteris mala facientem. Quæ dicunt, facite: legite vuas: quæ autem faciunt, facere nolite: cauete spinas. *in Ioan. tract. 45.*

Sunt hypocritæ, simulatores, tamquam prænunciatores alienarū personarum: sicut in theatricis fabulis. Non enim, qui agit partes Agamemnonis in Tragœdia (verbi gratia) siue alicuius alterius ad historiam, vel fabulam, quæ agitur, pertinentis, vere ipse est, sed simulat eum, & hypocrita dicitur: Sic in Ecclesijs, vel in omni vita humana, quisquis se vult, quod est, non esse, hypocrita dicitur: simulat enim iustum se, & non exhibet, qui totum fructum in laude hominum ponit. *lib. 2. de serm. Domini in monte.*

Cyprian. Hæc est verè dementia, non cogitare, nec scire, quod mendacia non diu fallunt: noctem tamdiu esse, quamdiu illucescat dies: clarificato autem die, & sole oborto luci tenebras, & caliginem cedere, & quæ grassabantur per noctem, latrocinia cessare. *lib. 3. epist. 7. ad Cæcilium.*

Gregor. Struthio volandi speciem habet, sed vsum volandi non habet: Ita hypocrisis cunctis intuentibus imaginem de re sanctitatis insinuat, sed tenere vitam sanctitatis ignorat. *lib. 7. c. 1.*

Stirpus & carecthum, speciem vindictæ habent, sed ad humanos vsus, fructum vtilitatis non habent: ita hypocritarum vita. *In Iobum lib. 8. cap. 27.*

Testes ad rapinam prouocat, qui suas eorum notitia diuitias denudat. Quousque enim ab æternæ patriæ securitate disiungimur, per latronum insidiantium iter ambulamus. Qui ergo in itinere deprædari formidat, abscondat necesse est bona, quæ portat. *In Iobum lib. 8. c. 37.*

D. *Bernarde.* Vt Simon Cyrenæus Christi crucem tulit, angariatus, non volens: Ita hypocritæ alienum onus pro Christo nolentes portant, opere exequentes foris, quod intus non amant. *In serm. de Bened.*

Aliter. & frequentius mendici, quam nos, misericordiam implorant. Nam eleemosynam petentes, non preciosas vestes ostendunt, seminuda membra, aut vlcera si habuerint, hominum aspectibus exhibent. Nos verò exemplo Pharisæi si quid boni fecerimus, aut minus malum quam alij, Deo veluti exprobramus. *Serm. 4. de aduentu Domini.*

Carbunculi ignis, & nomen, & speciem habent, cum ignem non sentiat, vnde & Apyrausta: Ita quidem pietatis opinionem, & imaginem obtinent, cum à re sint alienissimi. *Plin. lib. 37. c. 5.*

Opalum gemmam indiscreta similitudine adulterant Indi, experimentum in sole tantum: Ita virtutes quædam vitia sic imitātur, vt difficillimum sit dignoscere, nisi ad summam lucem proferantur. *lib. 37. c. 6.*

P. M. Vt vinum dilutius magis prouocat vomitum, quam vel aqua simplex, vel etiam vinum merum: Ita intolerabilior est nequitia pietatis simulatione condita, quam simplex, aut aperta malitia. *In Simileb.*

Vt camelopardalis, siue nabis, collo refert equum, pedibus, & cruribus bouem, capite camelum, maculis tigrim, aut pardum: Ita quidam inæquales sibi varias hominum formas exprimunt: si cultū inspicias, sanctum aliquem esse existimes: si orationem audias, satrapam loqui putes, si vitam expendas, nebulonem inuenies, si scripta, bubulcum. *In Simil.*

Argentum cum sit candidum, nigras tamen ducit lineas, vt stānum: Ita quorumdam alia species est, alia facta. *In Simil.*

Vt pharmacopolæ bracteis aureis tegunt remedia quædam, quo pluris vendant: Ita quidam lenocinio verborum, nihil ad rem pertinentium rem commendari putant. *In Simil.*

Tiresias. Vt breuis admodum mulieris fucatæ gratia est: nam habitu populari fucus inæqualiter diffluit, & ipsa facies maculosior redditur: Sic quidam, quibus iam temporibus meliorem mentiuntur vitæ phantasiam, continuo in proximis concessiculis eam speciem amittunt, ac (quod minus expectabatur) magis vitiosi euadunt. *In apoph. 186.*

Qui moscho indulgent: ferè ijs anima fœtet. Et hypocritæ qui plurimam pietatis speciem exhibent, fere intus fœdissime sordent. *In apoph. 97.*

Qui infeliciore forma prædiri sunt, fucum sibi magis indulgent. Et multi sunt, qui turpitudinem aut infamiam suorum peccatorum sola cæremoniarum obseruatione occultant, ac dissimulāt. *In apoph. 53.*

Qui in amico nusquam omittit officia necessaria, dumtaxat præterit leuiora, magis accusatur negligentiæ: Sic pius aliquando minoribus legis operibus excidit: e cōtrario vero hypocrita leuiorum tantum satagit. *In apoph. 65.*

Adagia.

Durcus equus. Δούρειος ἵππος. *Dicitur de clandestinis insidijs, aut vbi repente complures apparent, qui latebant antea. Sumptum ab equo Homerico, in quo Græcorum proceres abditi, repente prosilientes Troiam ceperūt. P. M. Chiliad. 4. Cent. 2.*

Salem & fabam, ἅλα καὶ κύαμον, *Subaudiendum proposuerunt.*

Diogenianus admonet dici solitum de his, qui fingerent se scire quippiam quod nescirent.

Flere ad Nouercæ tumulum, πρὸς τὸν μητρυιᾶς τάφον δακρύειν. *Est simulare gestu dolorem, quum sis gaudens.*

Simia in purpura πίθηκος ἐν πορφύρᾳ. *Lepide transfertur in eos, qui barba palliōque simulant sanctimoniam. Vide infra simulatio.*

Exempla Biblica.

Hypocrisis & simulationis *exempla*, Ioseph. *Gen.* 42. 7. Iosuab, & omnis Israel. *Ios.* 8. *ver.* 15. 16. Israelitæ, *Iudic.* 20. 32. Saul, *Samuel* 9. 21. Ammon, 2. *Samuel.* 13. 6. Mulier Thecuites, 14. 6. *&c.* Absalo 15. 6. 8. Vxor Ieroboam, 1. *Reg* 14. 4. Iezabel, 21. 9. Giezi, 2. *Reg.* 5. 22. Hostes Ecclesiæ Israelitarum. *Esd.* 4. 2. Sanabal at & Gossem Arabs, *Nehem.* 6. 2. Patres Israel, *Psal.* 78. 36. Achaz *Esa.* 7. 12. Amasias. *Amos*, 7. 12. Herodes Ascalonita, *Matth.* 2. 8. Scriba, 8. 19. *Luc.* 9. 57. Scribæ & Pharisæi, 38. *&* 14. 9. *&* 15. 2. Pharisæi & Saducæi, 16. 1. *Marc.* 8. 11. Pharisæi, *Matt.* 12. 16. *&* 22 *v.* 16. Scribæ, & Pharisæi, 23. 24. Principes Sacerdotum, 26. *v.* 65. *Marci* 14. 63. Iudas Iscariotes, 63. 94. Principes Sacerdotū & Pharisæi, *Matth.* 27. 6. *Marci* 7. 3. *Luc.* 6. 2. Legisperitus, 10. 25. Archisynagogus, 13. 14. 15. Scribæ, 20. 47. Iudas proditor, 12. 5. 6. Iudas cum militibus, *Ioan* 18. 28. Ananias, *Act.* 5. *v.* 2. Simon Magus, 8. 23. 21. Elymas, 13. 10. Demetrius, 19. 27. Ananias Pontifex. 23. 2. 3. qui in Paulum conspirant, 15. Felix, 24. 26. Synagoga Iudaica, *Apocal* 3. 9.

Hieroglyphica.

Eucherius *Struthionem* Hypocritæ facit hieroglyphicum, & dictum de Hypocritis ab Esaia: *Erit cubile draconum, & pascua struthionum:* parit, siquidem oua struthio, verum alibi diximus, neque illa incubatu fouet, neque pullos nutrit. Ita hypocrita, quamuis recte alios admoneat, & recte faciendi viam addoceat: nullos tamen filios per vllum bene actæ vitæ exemplum generat. *Pier. Valer. lib.* 25.

Noctuam diuinæ literæ mensis inferre non permittunt, quoddam hominum genus hieroglyphice innuentes, qui palam strepitum nullum, tumultum nullum, insidias nullas mouent: sic hypocritæ tristes omnem mansuetudinis, modestiæ benignitatisque colorem præseferunt, clam vero fornicationes, immunditias, crapulas, ebrietates, & multa humani generis opprobria consectantur. *Pier. Val. lib.* 20.

FINIS LIBRI OCTAVI.

POLYANTHEAE NOVISSIMAE LIBER IX.

I

IACTANTIA.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

IActantia, Græc. μεγαληγορία, μεγαλαυχία, ἀλαζονεία, & ἀλαζὼν, *iactator dicitur*. Est autem iactantia, inanis de se & stulta prædicatio. *Vel sic:* Iactantia est, per quam quis se extollit supra id, quod in se est. Secundario autem supra id, quod de eo alij opinantur. *secundum B. Thom. 2, 2. q. 110. art. 3.*

Iactatio est voluptas gestiens, & se efferens insolentius. *secund. Cic. lib. 4. Tuscul. quæst.*

Iactator est, qui plus eis, quæ scit, fingens, aut scire, quæ non scit. *secund. Arist. lib. Magnorum moral.*

Iactare, vnde iactantia & iactator veniunt, proprie est frequenter iacere. *Seneca: Dum lapillos iactaret in puteum.* Aliquando voluere. *Virgil. Atq; illum tales iactantem pectore curas.* Nonnumquam pro fatigare, concurrere, vexare, affligere. *Virgil. Iactatos æquore toto Troas reliquias Danaum atque immitis Achilli.* Et licet Seruius dicat, hoc interesse inter iactari & fatigari, quod iactamur mari, fatigamur terris: Virgiliano tamen exemplo satis apparet ridiculã esse huiusmodi differentiam, cum dicat *Virg. Terris iactatus, & alto.* A iacto fit iactura, quæ significat damnum, quo afficiuntur nautæ, cũ maxima laborantes tempestate merces in mare eijciunt, vt nauis minori pondere prematur. A iacto item fit iactanter aduerbiũ, hoc est, cum iactantia: iactabundus, hoc est, gloriabundus, & inaniter se iactans.

Iactantia, Hebr. *Gaon*, & *Gaauah*, elatio, arrogantia, superbia, excellentia, quum quis excellit in oculis suis, & eximius coram alijs vult videri, quemadmodum quę iactat & effundit verba testãtur, sibi plus quam par est tribuens, à verbo *Gaah*, gloriatus est, elatus est, eminuit, excelluit. De Deo dictum semper in optimã partem sumitur. De homine, distinctio est adhibenda. Pij in Deo gloriantur, & eiusdem beneficentiam abunde prędicãt: impij vano gaudio tumidi seipsos tollunt in altum, vt lapsu grauiore ruant.

LOCI BIBLICI.

Iactantia fugienda. *Prouerbior. 25. 6. & 27. 1. & 28. 25. Ieremiæ 9. 23. 1. Corinth. 3. versicul. 31. & 4. versi. 7. & 5. versic. 6. & 8. vers. 2. Iacobi 3. versic. 14. & 4. versic. 16.*

SENTENTIÆ BIBLICÆ.

Nolite multiplicare loqui sublimia gloriantes, *1. Sam. 2.*

Superbiam in tuo sermone numquam dominari permittas. Nam superbiæ coniunctus est interitus, multaq; perturbatio. *Tob. 4.*

Disperdat Dominus vniuersa labia dolosa, & linguam magniloquam. *Psal. 11.*

Laudet te alienus, non os tuum: extraneus, & non labia tua. *Prouerbior. 27.*

Auferam de medio tui magniloquos superbiæ tuæ, & non adijcies exaltari amplius in monte sancto tuo. *Soph. 3.*

Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt. *Rom. 1.*

Non audemus inserere aut comparare nos quibusdam, qui seipsos commendant, sed ipsi in nobis nosmetipsos metientes, & comparantes nosmetipsos nobis, *2. Corin. 10.*

Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quẽ Deus commendat. *ibidem.*

Lingua modicũ quidem membrum est, & magna exaltat (& etiam parua.) *Iacob. 2.*

PATRUM SENTENTIAE.

Hostes ad rapinam prouocat, qui suas eorum notitiæ diuitias denudat. *Greg. in moral.*

Si vis sublime ostendere virtutis, noli sapere sublime, & tunc illud, quod egeris, esse monstrabis excelsius. Noli te putare quidquam fecisse quum feceris, & plenissime cuncta fecisti. *Chrysost. super Matth.*

Dum causa iactantiæ pauper pascitur: etiam ipsum misericordiæ opus in peccatum conuertitur. *Id. de summo bono, lib. 3.*

Occulta, quod agis, in quantum vales. quod si ex toto non vales, sic in animo occultandi voluntas, & non erit de ostentatione vlla temeritas. *De conflict. vitiorum.*

Mirabile iactantiæ genus, vt non possis putari sanctus, nisi sceleratus appareas. *Bern. super Cant. serm. 1.*

Animaduertendum est, non solum rerum corporearum nitore atque pompa: sed etiam in ipsis sordibus esse posse iactantiam. & eo periculosiorem, quo sub specie seruitutis Dei decipit. *Aug. serm. Domini in monte.*

Iactantia non est vitium laudis humanæ, sed vitium animæ peruersæ amantis humanam laudem, spreto testimonio conscientiæ. *Aug. lib. 10. de Ciuit. Dei.*

Qui laudari vult ab hominibus vituperante te, non defenditur ab hominibus iudicante te, non eripietur damnante te. *Aug. lib. 10. Confessionum.*

Video me non laudibus meis propter me, sed propter proximi vtilitatem moueri oportere, & verum ita sit, nescio. *Idem.*

Sciamus neminem iactare se debere, nam si Petrus lapsus est, qui dixit: Et si alij scãdalizati fuerint in te, sed non ego: quis alius iure de se præsumat? denique & Dauid, quia dixerat: Ego dixi in abundantia mea, non mouebor in æternum, eam sibi iactantiam obfuisse confitetur dicens: Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus. *Ambros. & habetur 6. quæst. 1. can. Imitere, §. Sciamus.*

Laus sua iustos cruciat, iniquos exaltat. Sed iustos dum cruciat, purgat: iniquos dum lætificat, reprobos monstrat. Isti enim laude sua pascuntur, quia auctoris sui gloriam quærunt; sua laude cruciantur, ne non sit intus quod foris dicitur, vel, si est etiam quod dicit, ante Dei oculos ipsis fauoribus vacuetur, ne humana laus robur mentis emolliat, eamq; in sui delectatione prosternat, & quæ adiumenti debet esse augendi operis, iam retributio sit laboris. *Greg. Moral. lib. 26.*

SENTENTIAE POETICAE.

Pers. Sat. 1.

O mores! vsque adeone
Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter.

Idem Sat. 4.

Ad populum phaleras, ego te intus & in cute noui.

Plautus in Epidico.

Nam strenuiori deterior si prædicat suas pugnas de illius illæ sunt sordidæ.

Idem.

Stultus est, qui facta infecta facere verbis postulat.

Ouid. lib. 1. de Arte amandi.

Heu mihi non tutum est quod ames laudare sodali.
Cum tibi laudanti credidit, ille subit.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Minuit quodammodo se probantis conscientiæ secretum, quoties ostentando quis factum recipit famæ precium. *Boetius libro primo, de Consolatione.*

Iactator iustissime & maxime vituperandus est. *Aristotel. libro 4. Ethicorum.*

Quid duces & milites, qui fortiter à se facta semper dictitant, & tamen tacent arrogantiæ metu? nonne si vt hæc referant inuitentur, mercedem laboris sibi existimant persolutam, remunerationem putantes, inter volentes narrare quæ fecerint? Adeo autem id genus narrationum habet gloriæ quendam saporem, vt si inuidi vel æmuli forte præsentes sint, tales interrogationes obstrependo disentiant, & alias inferendo fabulas, prohibeant illa narrari, quæ solent narranti laudem creare. *Macrobius libro 7. Saturnaliorum, cap. 2.*

Nihil est, quod magis minuat laudis præconium, quam sues assidue iactare successus, & singulis diebus annũ vendere diem vnum. *Valerius Maximus. lib. 2.*

Deforma etiam est, de seipsis prædicare, falsa præsertim, & cum irrisione audientium imitari militem gloriosum. *Cic. lib. de offic.*

Neque

Neque facundiæ ostentatio rudi, & indocto, neque gloriæ cupido rustico, & barbaro, neque incepti patrociniorum seni cōgruit. *Lucius Apuleius lib. 2. de Magia.*

Potest autem quis falso gloriari. *Idem lib. 3. Floridorum.*

Dc sua homines laudibus libenter prædicant. *Iul. Cæs. lib. 9.*

APOPHTHEGMATA.

Diogenes puero cuidam, qui vellet se recipi in numerum discipulorum Diogenis, ac diceret se excellere ingenio, respondit: Si adeo excellis ingenio, optimiq. moribus præditus tam es, quo tibi, qd me præceptore ad vitam necessaria discas. Notauit autem inanē adolescentis iactantiam, & indignum putauit, vt in Philosophiæ studium educeretur. *Brus. l. 3. ex Laertio.*

Aristoteles admonebat suos, ne nimium se laudarent ipsos, nec vituperarent etiam. Laudare enim seipsum, vani: vituperare, stulti est. *Brus. l. 3. ex Stob.*

Phocion. Laosthenes, quom Athenienses ad inferendum reliquæ Græciæ bellum assiduis stimulis concitaret, ac de se multa, variaq iactaret, Phocion ait: Cupressi sunt planè similes sermones tui, illi enim magni sunt, nec tamen vllos ferunt fructus. *Plut. in Pho.*

Anonymus. Peregrinus quidam Spartæ crepidatus altero pede stans rectè, ad Laconem dixit: Nequaquam puto te, ô Lacon, tantum temporis, quantum ego, in pede perstare posse: Vrbanè excipiēs Lacon: Minimè (inquit) sed ex anseribus nullus est, qui hoc non possit. *Plut in Lacon.*

Lacones. Philippus cum minaretur Lacedæmonijs per literas, diceretq; se omnia, quæ conarentur prohibiturum: Lacedæmonij iactantiam eius irridentes, interrogarunt Philippum, num illud etiam eos esset prohibiturus. *Plut.*

Fabius Max. Quum M. Liuius sibi postularet acceptum ferri, quod Fabius cepisset Tarentum, videlicet, quod in arce præsidio habuisset: cæteris iactantiam hominis deridentibus. Vera (inquit Fabius) narras: nam nisi tu ciuitatem amisisses, nequaquam ego recepissem. *Plut. in apoph.*

Vatinius. Ciceroni iactanti apud Vatinium, quod humeris Reip. de exilio adductus fit, vrbanè, inquit: Vnde tibi varices? *Brus. l. 3.*

Iul. Cæsar. Sylla factus prætor, quum indignabundus Cæsari sua in se illum potestate vsurum esse dictitaret, ridens Cæsar, Rectè, inquit, tuum putas esse magistratum, quem tuis habes pecunijs comparatum. *Plut.*

Augus. Cæsar. Quempiam faxo in expeditione percussum, ac notabili cicatrice in fronte deformem, nimium tamen sua opera iactātem, sic leuiter vrbanèq; castigauit: At quum fugeres, inquit, numquam respexisti. *Brus. lib. 3.*

SIMILITVDINES.

Plutarchi. Stoici qui se dicunt inuictos, improhibitos, & cetera, cum omnia leuiter patiantur, similes sunt nauibus quibus inscriptū est εὔπλοια καὶ πρόνοια σώζουσα καὶ ἐπιφάνεια: hoc est, splendidi, ac magnifici tituli: at nihilo secius interim iactantur fluctibus, commi nuuntur, ac subuertuntur. *In Moral.*

P. M. Gallos victor illico cauto superiorem sese iactitat. Ita quidam sua facinora iactant ipsi, & suarum laudum ridiculi sunt tibicines. *In Simil.*

Themist. Ligna, quæ plurimum fumi exigunt, fere minimum caloris exhibent: ac ferme minima possunt, qui plurima iactant. *In apoph. 55.*

EXEMPLA BIBLICA.

Iactantiæ *exempla*: Pharao, *Exod. 5. 2.* Gaal filius Obed, *Iudic. 9. 28.* Goliath, *1. Sam. 17. 8.* Absalom, *2. Sam. 15. 4.* Adonias, *1. Reg. 1. v. 9.* Roboam, *2. c. v. 10-14.* Iezabel, *19. v. 2.* Benadad, *20. v. 10.* Rabsaces, *2. Reg. 18. v. 23. 2. Paral. 32. 13. Esa. 36. 18.* Holofernes, *Iud. 6. ver. 1. 2. 3.* Aman, *Esth. 5. 11.* Rex Assyriorum. *Esa. 10. 13.* Babylon, *14. 13. & 47. v. 7. 8.* Moab, *Ier. 48. v. 29. 30.* Tyrus, & Rex Tyri, *Ezech. 27. 3. & 28. v. 2.* Pharao Rex Aegypti, *29. v. 3. 9.* Chaldæi, *Dan. 2. 4.* Nabuchodonosor, *3. 15. & 4. 27.* Israelitæ, *Amos 6. 13.* Edom, *Abd. v. 3.* Niniuitæ, *Soph. 2. 15.* Seron, *1. Mach. 3. v. 13. 14.* Demetrius, *10. 70.* Nicanor, *2. Machab. 8. 8. 11.* Antiochus, *9. 4.* Pharisæi, & Sadducæi, *Mat. 3. 9. Luc. 3. 8. Ioan. 8. 39.* Diabolus, *Matth. 4. 9. Luc. 4. 10.* Pseudo prophetæ, *Matth. 7. 22.* Diues Adolescens, *19. 20. Marc. 10. 20.* Filij Zebedæi, *20. 22. Mar. 10. 39.* Petrus, & reliqui Discipuli, *Matt. 26. v. 33. 35. Mar. 14. v. 29. 31. Luc. 22. v. 33. Ioan. 13. 37.* Legisperitus, *Luc. 10. 29.* Pharisæus, *18. v. 10. 12.* Principes, v. Iudæi, *Ioan. 7. v. 27. & 8. ver. 33. 39. 41. & 9. 28. Act. 23. 12.* Pilatus, *Ioan. 19. 10.* Simon Magus, *Act. 8. 9.* Pseudoapostoli, *Gal. 6. ver. 13.* Iactantiæ pœna, *2. Sam. v. 10. 4. 15.* Iactantia bona, *Ier. 9. 24.*

EXEMPLA PROFANA.

Alectryonem, ducem Philippi Regis, Chares Atheniensis confecerat: cuius facti, cum nimium crebro, nimisq insolenter apud populum Atheniensem meminisset, vulgo vsurpari cœpit prouerbio in iactabundos, ἐπὶ τῷ ἀλεκτρυόνι. *P. M. in adag.*

Adolescenti cuidam iactanti, sese dum Rhodi esset ad mirabiles fecisse saltus, quidam ex auditoribus, interpellato sermone, Ἰδοὺ ἡ Ῥόδος, inquit, ἰδοὺ καὶ τὸ πήδημα, id est, Ecce Rhodus, ecce saltus. *P. M. in adagijs.*

Polyanthea Noviss.

Phocion quidam Peripateticus libro suo titulum fecit κέρας ἀμαλθείας, *te te Gellio*. Plinius idem ostendit, Græcos aliquot hanc inscriptionem, nimis arroganter suis commentarijs imposuisse, tanquam nihil in eis non contineretur, & quiduis inde peti, atque accipi posset. *Idem.*

Myxus Sacerdos quidam fuit Dianæ gloriosus, & magniloquens, qui se fingebat omnia mirari: hinc in superbos, & gloriabundos dici consueuit, Pape Myxus. *P. M. in Adag.*

Simonides cantilenarum conditor, cum Lacedæmoniorum rex Pausanias, qui perpetuo res suas gestas iactabat, iuberet ioculariter, vt sibi præceptum aliquod sapiens daret: postulasset iam hominis iusto sentiam aduertit: Vt meminisset consulebat, hominem se esse. *Plut. moratione consol. ad Apollonium.*

Socrates Alcibiadem intumentum, ob diuitias inflatum, & superbientem opibus prædijsque, in quemdam locum duxit, in quo suspensa erat Cosmographica tabula, terræ circuitum complexa: iussitque Alcibiadem, Atticam in ea inquirere: quam vt inuenit: sua etiam prædia inspicere præcepit. Quæ cum Alcibiades nusquam esse picta diceret: cur igitur, Socrates inquit, ob illa superbis, quæ ne ca nullam terræ partem existunt? *P. M. in apoph. ex Ælian. lib. 3.*

FABVLÆ.

Talpa.

Talpa animal est oculis captum: Hoc ad matrem aliquando suam, morum video, dixit: Atque iterum, thuris odor complevit nares meas. Tertio, sonitus æris attingit aures, inquit, meas. Cui mater, respondit, te intelligere dedictis non modo ipsum lumine, sed odoratu etiam, atque auditu priuatum esse.

Fabula notat gloriosos, & Thrasones istos, qui dum se mirificè ostētant, & iactitant, in minimis sæpe deprehensi redarguuntur.

Gloriator.

Reuersus in patriam quidam suam, vnde aliquot annis abfuerat, in omnibus cœtibus gloriabatur præclara facinora sua: atque se in insula Rhodo saltando signum fixisse, quod nemo omnium, qui adessent assequi potuisset. Huius se habere testes vociferos Rhodienses aiebat. Tum vnus de circulo: Heus tu, inquit, si vera prædicas, hunc esse loco Rhodum puta, & sic saltum illum edito.

Fabula hæc subijcit, quod & Demosthenes dicit, vanam esse orationem omnem, quæ rebus deficiatur. Prouerbium autem hoc vsurparunt veteres, in ostentationibus gloriosorum retundendis, vt sic illos increparent. Hic Rhodus, hic saltatu.

Saga.

Saga quædam, & mulier diuinatrix, auertere se Deorum iras, & placare ipsorum omnia posse profitebatur. Quam rem quidam fecere, postulantes impietatis, causaq; iudicibus probata, cum ad supplicium illa damnata abduceretur, de turba quidam irridens: Heus tu, inquit, quæ pollicebare alijs diuinæ iræ procurationem, non potuisti humanam sente tiam mitigare?

Fabula narratur in magnarum rerum professores, qui minimarum sunt imperiti.

IDEA.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

Idea dicitur ἀπὸ τοῦ εἴδους. quod est species, & forma. Et est forma exemplaris, qua res fiunt, & cognoscuntur, quæ est in mente artificis, *secund. S. Thom. 1. p. q. 15.* Hinc idolum cum accentu in penultima, cuius diminutiuum est idolum, similiter cum accentu in penultima, & idololatria, *de quibus infra*, & idolothysia, hoc est, immolatio, quæ fit simulachris, Idiota *verò dicitur proprius*, a quo idiotes, siue idiota, dicitur indoctus, & imperitus, quasi tantum modo sibi, & nulli alij vtilis. *Lucillus: Quid mi ego tandem illiteratum me, atque idiotam diceret.*

PHILOSOPHORVM SENTENTIÆ.

Nobis etsi difficilis existit quæstio, quod nobis amici sint Ij, qui Ideas induxerunt: tamen æquum est veritatis retinendæ causa sua etiam decreta tollere, Philosophos præsertim. Etsi enim vtrique chari sunt: tamen præclarum est pluris æstimare veritatem. *Ethic. lib. 1. c. 6.*

Ideas quidem esse, aut communem aliquam naturam a rebus singulis separatam, vt demonstratio sit, non est necesse: sed illud tantū verum est, necessitatem esse, vt communis aliqua ratio sit, quæ in rebus singulis cohæreat, *lib. 1. de Demon. l. c. 8. T. 25.*

Neque idea est vlla in re, quæ esse videatur, & appareat, & species ad speciem referri videatur. *Top. lib. 6. c. 3.*

In hoc occulte peccant ij, qui Ideas inducunt. Nam naturales formas secernunt a materia, cum minus quam Mathematica separari possint. *lib. 2. de Nat. c. 2. T. 19.*

Ij qui species inducunt, partim rectè dicunt, dum eas à rebus singulis seiungunt, si modo essentiæ sint: partim non rectè, quod

speciem vnam in multis dicunt: In caussa est, quod explicare non possunt, quænam sint essentiæ eiusmodi, quæ non intereunt præter singulas, quæ sub sensum cadunt. *lib. Metaph. c. 16. T. 58.*

Perspicuum est species sicuti species quidam soliti sunt dicere, si sint aliquæ res præter singulas, nihil ad ortus rerum, & essentias conducere: nec his quidem de causis per se, atque seiunctas esse naturas, & essentias. *lib. Metaph. c. 8. T. 28.*

Pari numero earum, quæ sensibus subiectæ sunt, & intereunt, alias naturas fabricari, absurdum, atque alienum prorsus esse videatur. *lib. 10. Metaph. c. 2.*

Si quis ideas in nobis esse dixerit, & moueri eas, & stare concludetur, sub sensum cadere, ac ratione, & intelligentia contineri. Nã & quiescere eas, & immobiles esse, & sub intelligentiam cadere placet ijs, qui eas ponunt. Quæ si in nobis sitæ sunt, profectò non poterunt esse immobiles; cum præscitum si ipsi moueamur, necesse sit ea omnia, quæ in nobis sunt, vna moueri. Atque etiam sensu eas percipi, si modo in nobis sint: ex hoc intelligi potest, quod sensu oculorum formam vniuscuiusque cognoscimus. *lib. a T. c. 3.*

Idea boni maxima est disciplina, quasi circa iusta, & alia vtilia sũt, sed si eam non satis nouimus, absque hac quam maxime alia sciuerimus. Eorum nulla nobis est vtilitas, vt si quid possideremus absque bono. *Plat. de Rep. dial. 6.*

Idea boni est id, quod veritatem exhibet his, quæ cognoscuntur, & ei qui cognoscit vitam tribuit, & causa est scientiæ, & veritatis, vt quæ per intelligentiam cognoscetur. *Plat. de Repub. dial. 6.*

Ideas nec habemus, nec apud nos sunt, nec ipsarum cognitionem habemus. *Plat. in Parme.*

Ideæ omnes tamquam species quædam intellectuales sunt, atque diuinæ, nec malorum causæ sunt. *Plat. de Repub. dial. 6.*

Ideæ sunt vniuersalium, & perfectarum substantiarum, & eorum quæ conferunt ad naturalem harum substantiarum dispositionem, vt hominis, & eius quod hominem perficere potest, vt sapientiæ, & virtutis. *Iac. Cap. in Alc. dial. 2.*

Ideam non esse artificiosorum, nec eorum, quæ præter naturam sunt, nec particularium, nec eorum, quæ sunt imperfecta, vt sordium, & festucæ, nec relatiuorum, pluribus ex his, qui Platonem secuti sunt non placuit, sed esse voluerunt intellectiones Dei æternas, ac seipsis perfectas. *Alc. c. 9.*

IDOLOLATRIA.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

IDololatria Græca dictio est, εἰδωλολατρεία, ας, ἡ, & εἴδωλον enim, τὸ, simulachrum dicitur. Et est cultus Deo debitus creaturæ exhibitus. Et dicitur idololatria ab εἴδωλον, & λατρεία, cultus. Nam λατρεύω, colo dicitur.

Idololatria est exhibere latriam, id est, cultum Dei, creaturæ, *secundum S. Thom. 2. 2. q. 94. art. 1.*

Idololatra est idolorum cultor, licet consuetudo per errorem proferat idolatra. A Græcis enim scribitur εἰδωλολάτρης, ου, ὁ.

Idola sunt inanes imagines, *secundum Cic. lib. 1. de Finibus bonorum, & malorum.*

Idololatria est falsa religio, quum cultus soli Deo debitus idolo exhibetur. Idolum autem intelligitur, tum simulachrum quo numen, vel aliud quid numinis, patroni, protectoris, seruatoris loco, repræsentatur, & colitur, cuiusmodi fuit vitulus aureus, *Exod. 32. 4. Act. 7. 41.* Idolorum aureorum, argenteorum, lapideorum, ligneorum, quæ nec videre, nec audire, nec loqui, nec ambulare possunt, meminit *Psal. 115. 135. & Apoc. 9. 20.*

Loci Biblici.

Idololatria fugienda, *Exod. 18. v. 3. 4. 23. & 23. 13. & 34. v. 14. 17. Leuit. 19. 4. & 26. 1. Deut. 4. 16. & 5. v. 7. 8. & 6. 14. & 11. 16. & 12. 2. & 27. 15. & 29. 18. Ios. 23. 7. & 24. v. 14. 23. 1. Sam. 7. 3. 1. Reg. 3. 3. & 14. 9. & 18. 21. 2. Reg. 5. 17. & 10. 30. & 17. 10. Ierem. 7. 6. & 11. 17. Ezechiel. 18. v. 12. 15. Dan. 3. 18. Osea 2. 17. Act. v. 14. 15. & 15. 28. 1. Cor. 10. 14. Galat. 5. 20.* Idololatria est scortatio spiritualis, *Esa. 57. v. 7. 8. Ierem. 2. 20. & 3. v. 6. 9. & 13. v. 27. & 23. 14. Ezech. 16. 15. 25. & 23. v. 3. Osea 2. 2. & 4. v. 12. & 5. 5. & 6. v. 10. Apoc. 2. 22. & 14. 8. & 17. 2. & 18. 3.*

Idololatriæ pœna capitalis, *Exod. 22. v. 20. Deut. 17. v. 5. 6. 7.*

Idololatria externa, id est, quæ gestu tantum externo, reclamante animo committitur cauenda, *1. Reg. 19. 18. Psalm. 16. 4. Rom. 11. 4. 1. Corinth. 3. 4. & 8. 6. & 10. 20. 21. 2. Corinth. 6. vers. 14. 16. & 7. 1. 1. Ioan. 5. 21. Apoc. 14. 9. 10. & 18. 4.* Homines ad idololatriam natura sunt propensissimi, *Exod. 32. versic. 1. 2. 3. 4. 6. Num. 25. v. 2. Iudic. 2. 11. & 8. 27. 1. Reg. 11. 4. & 12. 28. & 16. 31. & 22. 54. 2. Reg. 16. 3. & 17. vers. 10. 16. 29. & 19. 37. & 21. 3. 2. Paralipom. 25. 14. & 29. 23. Nehem. 9. 18. Psalm. 106. ver. 20. 21. 28. 35. Sap. 14. 15. Esaia 57. 5. & 65. 3. Daniel. 3. versic. 1. 5. & 6. 7. Act. 7. versic. 40. 42. & 14. v. 12. 13. 14. & 17. 16.*

Idololatræ abominabiles, *Esa. 41. 24.* excludendi à regno Dei, *1. Corinth. 6. 9.* fugiendi, *Apocal. 18. 4.* Idololatræ maledicunt Dijs suis, *Esaia 8. 21.* eorum miseria, *Psalm. 115. & 135. 18.* Satanæ seruiunt, *1. Corinth. 10. 20.* testes aduersus seipsos sunt, *Esaia 44. versicul. 9.*

Idololatrarum confusio, *Psal. 97. 7. Esa. 1. 29. & 14. 17. & 44. 11. Ier. 1. 16.* interitus, *Amos 8. 14. Apoc. 14. 8.* obstinatio, *Ier. 3. 3.* prodigalitas, *Ose 8. & 4.* stultitia, & stupor, *2. Paral. 25. 15. & 28. 23. Psalm. 115. 8. & 135. 8. Esa. 44. 18. & 45. 20. Ierem. 51. 7. Ose. 8. v. 6. 7.* voces, *Esa. 42. 17. & 44. 17.*

Idolorum catalogus, quorum mentio fit in sacris literis: I. *Adonis.* II. *Adramelech*, idolum Sepharuim, speciem habens Pauonis, aut Muli, *2. Reg. 17. 31.* III. *Asded*, idolum Philistinorum, quod alias Dagon dicitur, *1. Machab. 10. 83.* IV. *Anamelech*, equus aut phasianus, idolum incolarum Sepharuim, *2. Reg. 17. 31.* V. *Arza*, idolum quod coluit Rex Ela domi suæ, *1. Reg. 16. 9.* VI. *Asima*, hircus siluestris, idolum Hemathæorum, *2. Reg. 17. 30.* VII. *Astharot*, idolum, seu Dea Sidoniorum, effigiem habens ouis, *1. Sam. 31. 10. 1. Reg. 11. 5.* VIII. *Baal*, idolum commune, *Iudic. 6. v. 25. 1. Reg. 16. v. 31. 32. & 18. 21. &c.* IX. *Baal Berith*, idolum Sichimitarum, *Iud. 9. 4.* X. *Baalpeor*, vel *Baalphegor*, idolum Moabitarum, in quo præuaricati sunt Israelitæ, *Num. 25. vers. 3. 5.* Hieronymus ait Priapum fuisse. XI. *Baalzebub*, idolum Accaronitarum, vel Ecronitarum, *2. Reg. 1. 2.* XII. *Baalzephon*, idolum Aegyptiorum: cui hanc vim attribuerant, quod seruos fugitiuos obseruaret, & retineret, *Exod. 14. vers. 29. 33.* XIII. *Bacchus*, seu *Liber*, idolum, *1. Machab. 6. 7.* XIV. *Bel*, idolum Babyloniæ, quod comminutum est à Daniel, *Dan. 14. 2.* XV. *Chamos*, vel *Chemosch*, idolum Amorrhæorum, Ammonitarum, alias *Baalpeor* dictum. *Numer. 21. 29. Iudic. 11. 24. 1. Reg. 11. v. 5. 7. 33. 2. Reg. 23. 13. Ierem. 48. vers. 7. 13.* XVI. *Canopus*, idolum Aegyptiorum. *Vide Historiam Ecclesiasticam, lib. 11. c. 26.* XVII. *Chium*, idolum Israelitarum, quod alij Sydus, alij Saturnum interpretantur, *Amos 5. 26.* XVIII. *Dagon*, idolum Philistinorum, piscis formam inferius, supernè autem formosæ mulieris referens, *Iudicum 16. 23. 1. Samuel. 5. 3.* XIX. *Diana* Templi, & cultus mentio fit, *2. Machab. 1. v. 13. 15.* & vocatur ibidem *Nanea*. XX. *Draco*, idolum Babyloniorum, *Dan. 13. v. 23. 25.* XXI. *Ephod*, Gedeonis, fuit idololatria a Gedeone instituta, contra Dei verbum, in patria sua Ophra, bona quidem intentione, sed quæ toti populo Israel offendiculum præbuit, *Iudic. 8. v. 27.* XXII. *Esch*, idolum in [illegible] id est, Templo ignis, quod a Persis colebatur. *Vide Tripartitam Historiam lib. 10. c. 30.* XXIII. *Fortuna*, *Vide Gad.* XXIV. *Gad*, idolum nuliare, quod alij Martem, alij Iouem, alij Fortunam, alij exercitum cœli, aut numeros interpretabantur, *Esa. 65. 11.* XXV. *Herculi* sacrificatum est à Tyrijs, *2. Machab. 4. 19.* XXVI. *Iupiter Olympius 6. 2.* Vide *Gad.* XXVII. *Iupiter Xenius*, Deus gentilium, *2. Machab. 6. 2.* XXVIII. *Malchom*. *Amos 5. 26.* qui & *Moloch*, *Leuit. 18. v. 21. & 20. v. 2. 3. 2. Reg. 23. v. 10.* & *Melchom*, *1. Reg. 11. v. 5. 33. 2. Reg. 23. v. 13.* idolum Ammonitarum. XXIX. *Mani*, idolum fuit Mercatorum, quod alij Mercurium, alij Fatum, alij Planetas, aut numerum stellarum interpretantur, *Esa. 65. ver. 11.* XXX. *Micha*, idolum in domo Micha, in monte Ephraim, in quod etiam multi ex Israel impegerunt, *Iudic. 17. ver. 5.* XXXI. *Miplezeth* (quod alij in genere idolum, alij terriculamentum, alij Priapum, alij horrendam statuam interpretantur) erat idolum Maacha matris *Asa*, *1. Reg. 15. v. 13.* XXXII. *Naiam*, idem quod Nibchaz, idolum Heuæorum, *2. Reg. 17. 3.* XXXIII. *Nanea*. Templi, & cultus mentio fit, *2. Machab. 1. v. 13. 15.* quæ putatur esse Diana. XXXIV. *Nabo*, idolum Babylonicum, *Ierem. 46. v. 1. 21.* XXXV. *Nechustan* (id est, Aenulum in diminutiua forma, a *Nechusta* ærea à materia) idolum serpentis ærei, comminutum ab *Ezechia*, *2. Reg. 18. versic. 4.* XXXVI. *Nergal*, gallina siluestris, idolum Cuthæorum, *2. Reg. 17. v. 39.* XXXVII. *Ormasda*, idem quod infra *Vrchasdim*, id est, ignis facer. *Vide Plutarchum in vita Alexandri.* XXXVIII. *Rimmon*, idolum Syriacum, *2. Reg. 5. vers. 18.* XXXIX. *Remphan*, idolum sideris cuiusdam, cuius Stephanus mentionem facit, *Act. 7. v. 43.* XL. *Suchot Benoth*, idolum Babylonicum, *2. Reg. 17. vers. 30.* XLI. *Siohuth*, idolum Israelitarum, *Amos 5. vers. 26.* XLII. *Tharsak*, idolum Heuæorum, *2. Reg. 17. v. 31.* XLIII. *Thammuz*, idolum populi Israelitici, quod alij Adonidem, alij Bacchum interpretantur, *Ezech. 8. v. 14.* XLIV. *Theraphim*, idola quæ solebant sciscitantibus responsa dare, *Genes. 31. v. 34. Ezech. 21. v. 21. Osea 3. v. 4.* XLV. *Vitulus aureus* in deserto, idolum Israelitarum, *Exods 32. 4.* XLVI. *Vitulus aureus* in Dan, idolum Israelitarum à Ieroboamo institutum, *1. Regum 12. v. 28. 29.* XLVII. *Vitulus aureus* in Bethel, idolum Israelitarum à Ieroboamo institutum, *1. Reg. 12. v. 29.* XLVIII. *Vrchasdim*, ignis dæmonum, seu ignis facer, quem Chaldæi colebant, *passim apud Historicos.*

Sententiæ Biblicæ.

Non facietis Deos argenteos, nec Deos aureos facietis vobis. *Exod. 20.*

Non

Non adorabis Deos eorum, nec coles eos, nec facies opera eorum. 21.

Deos conflatiles non facies ubi 34.

Nolite conuerti ad idola, nec Deos conflatiles faciatis vobis, Ego Dominus Deus vester. *Leuit.* 19.

Non vidistis aliquam similitudinem in die, qua locutus est vobis Dominus in Oreb de medio ignis: Ne forte decepti faciatis vobis sculptam similitudinem, aut imaginem, masculi, vel fœminæ, similitudinem omnium iumentorum, quæ sunt super terram, vel auium sub cœlo volatilium, atque reptilium, quæ mouentur in terra, siue piscium, qui sub terra morantur in aquis: ne forte eleuatis oculis ad cœlum, videas Solem, & Lunam, & omnia astra cœli, & errore deceptus adores ea, & colas. *Deut.* 4.

Non plantabis lucum, & omnem arborem, iuxta altare Domini Dei tui, nec facies tibi, atque constitues statuam, quæ odit Dominus Deus tuus. 16.

Non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum. *Psalm.* 80.

Quoniam omnes Dij Gentium dæmonia. 95.

Cui ergo similem fecistis Deum? aut quam imaginem ponetis ei? Numquid sculptile conflabit faber? aut artifex auro figurabit illud, & laminis argenteis argentarius? *Esa.* 40.

Conditio vana.

Numquid vltores estis Baal, vt pugnetis pro eo? Si Deus est, vindicet se de eo, qui suffodit aram eius. *Iud.* 6.

Simulachra gentium, argentum, & aurum, opera manuum hominum. Os habent, & non loquentur: Aures habent, & non audiẽt: Manus habent, & non palpabunt: Pedes habent, & non ambulabunt. *Psal.* 113.

Numquid est Deus absque me, & formator, quem ego non nouerim? Plastæ idoli omnes nihil sunt, & amantissima eorũ non proderunt eis: ipsi sunt testes eorum, qui non vident, neque intelligunt, vt confundantur. *Esa.* 44.

Cui assimilastis me, & adæquastis, & comparastis me, & fecistis similem? Qui confertis aurum de sacculo, & argentum statera ponderatis, conducentes artificem, vt faciat Deum, & procidunt, & adorant. Portant illum in humeris gestantes, & ponentes in loco suo, & stabit, ac de loco suo non mouebitur. 46.

Sed & cum clamauerint ad eum, non audiet: de tribulatione non saluabit vos. Mementote illud, & confundamini: redite præuaricatores ad cor. *ibid.*

Filioli, custodite vos à simulachris. 1. *Ioan.* 5.

Punitio.

Si genueritis filios, ac nepotes, & morati fueritis in terra, deceptiq; feceritis vobis aliquam similitudinem, patrantes malum coram Domino Deo vestro, vt eum ad iracundiam prouocetis: testes inuoco hodie cœlum, & terram, cito perituros vos esse de terra, quam transito Iordane possessuri estis. *Deut.* 4.

Si tibi voluerit persuadere frater tuus, filius matris tuæ, aut filius tuus, siue vxor, quæ est in sinu tuo, aut amicus, quem diligis vt animam tuam, clam dicens: Eamus, & seruiamus Dijs alienis, quos ignoras tu, & patres tui, cunctarum in circuitu Gentium, quæ iuxta vel procul sunt ab initio vsque ad finem terræ, non acquiescas ei, nec audias: neque parcat ei oculus tuus, vt miserearis, & occultes eum: sed statim interficies. Sit primum manus tua super eum: & post te omnis populus mittat manum: lapidibus obrutus necabitur: quia voluit te abstrahere à Domino Deo tuo. 13.

Maledictus homo qui facit sculptile, & conflatile, abominationem Domini, opus manuum artificum, ponetque illud in abscondito. 27.

Confundantur omnes, qui adorant sculptilia, & qui gloriantur in simulachris suis. *Psal.* 96.

Gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam sculptilibus. *Esa.* 42.

Confundantur confusione qui confidunt in sculptili: qui dicunt cõflatili, Vos Dij nostri. *ibid.*

Initium enim fornicationis est exquisitio idolorum, & adinuentio illorum, corruptio vitæ eius. *Sap.* 14.

PATRUM SENTENTIAE.

Idolum aliquamdiu retro non erat. Prius quam huius monstri artifices ebulissent, sola templa, & vacuæ ædes erant, sicut in hodiernum quibusdam locis vetustatis vestigia permanent. Tamen idololatria agebatur non in isto nomine, sed in isto opere. Nam & hodie extra templum, & sine idolo agi potest. At vbi artifices statuarum, & imaginum, & omnis generis simulachrorum, Diabolus sæculo intulit, rude illud negocium humanæ calamitatis, & nomen de idolis consequutum est, & profectum. Exinde iam caput facta est idololatria ara omnis, quæ idolum quoquomodo colit. Neque enim interest an plastes effingat, an cælator exculpat, an Phrygius detexat: quia nec de materia refert, an gypso, an coloribus, an lapide, an ære, an argento, an filo formetur idolũ. Quando enim, & sine idolo idololatria fiat, vtique cum adest idolum, nihil interest quale sit, qua de materia, qua de effigie sit consecratum. *Tertull. de idololatria, c.* 3.

Quid magis ridiculum, quam cum homo est opifex Dei? *Basil. in* 3. *Esa.*

Idololatria est extremum malorum. *Idem in* 2. *c.* 3.

Homines, & nominis sui, & rationis obliti, oculos suos ab alto deijciunt, in hoq; defigunt, atque timent opera digitorum suorũ quasi verò quicquam esse possit artifice suo melius. *Lactant. l.* 2. *c.* 1.

Non ipsa, inquiunt, timemus, sed eos ad quorum imaginem ficta, & quorum nominibus cõsecrata sunt. Nempe ideo timetis, quod eos in cœlo esse arbitramini. Cur igitur in cœlum oculos non tollitis? Imago superuacua est, quum præsto est Deus. Imago. n. est, aut absentis, aut mortui: Sed verentur ne omnis eorum religio inanis sit, & vana, si nihil in præsenti videant, quod adorent: & ideo simulachra constituunt, quæ quia mortuorum sunt imagines, similia mortuis sunt: omni enim sensu carent. Dei autem in æternum viuentis viuum, & sensibile debet esse simulachrum. Itaque simulachrum Dei non illud est, quod digitis hominis ex aliqua materia fabricatur: sed ipse homo. *Idem, ibid. c.* 2.

Sciendum, hanc esse naturam dæmonum, vt aerei corporis sensu terrenorum corporum sensum facilè præcedant, celeritate etiam propter aerei corporis superiorem mobilitatem, non solum cursus quarumlibet rerum, vt hominum, vel ferarum, verum etiam volatus auium incomparabiliter vincant: quibus duabus rebus, quantum ad aereum corpus attinet, præditi, hoc est, acumine sensus, & celeritate motus, multo ante cognita nunciant, quæ homines pro sensus terreni tarditate mirentur. Accessit etiam dæmonibus per tam longum tempus, quo eorum vita protenditur, rerum longe maior experientia, quam potest hominibus propter breuitatem vitæ prouenire. Per has efficacias quas aerei corporis natura sortita est, non solum multa futura prædicunt dæmones, verum etiam multa faciunt: quæ quoniam homines dicere non possunt, aut facere, eos dignos quidam quibus seruiant, & quibus honores diuinos deferant, arbitrantur: instigante maximè vitio curiositatis, propter amorem felicitatis falsæ, atque terrenæ, & excellentiæ temporalis. *August. de natura dæmonum, & habet.* 26. *q.* 4. *can. Sciendum.*

Si de area, vel torculari tollitur aliquid ad sacrificia dæmoniorum sciente Christiano, ideo peccat, quia permittit fieri, vbi prohibendi potestas est, quod si factum non comperit, aut prohibendi potestatem non habet, vtitur mundus reliquis fructibus vnde illa sublata sunt. *Idem ad Publicolam. & habet.* 26. *q.* 2. *can. Si de area.*

Satius est fame mori, quam idolothytis vesci. *Idem de bono coniugali, & hab.* 32. *q.* 4. *can. Steue.*

Est & illud opprobrium Aegypti, quod si neglexeris, & post Iordanis transitum, & post Baptismi secundam circumcisionem, vetustæ consuetudinis instinctione suggeritur obseruare auguria, requirere stellarum cursus, & euentus ex his futurorum rimari, cæterisq; huiusmodi superstitionibus implicari, Idololatriæ namq; mater est Aegyptus: ex qua certum est opprobria huiusmodi pullulasse, quæ si transito Iordane susceperis, & his te laqueis rursus illigaueris, tecum sine dubio opprobria Aegypti trahis. *Hier. & hab.* 26. *q.* 2. *can. Sed & illud, §. Est & illud.*

Aptandus est omnis sermo ad destructionem idololatriæ. *Idem in Damasum.*

Accepimus primum litteris tuis, non respondere, superbiæ est: respondere, temeritatis. De his enim rebus interrogas, quas & proferre, & audire sacrilegium est. Ais Vigilantium, qui κατὰ ἀντίφρασιν hoc vocatur nomine: nam Dormitantius rectius diceretur: os fœtidum rursus aperire, & pudorem spurcissimum contra sanctorum martyrum proferre reliquias; & nos, qui eas suscipimus, appellare cinerarios, & idololatras, qui mortuorum hominum ossa veneremur. O infelicem hominem, & omni lachrimarum fonte plangendum, qui hæc dicens non se intelligit esse Samaritanum, & Iudæum, qui corpora mortuorum pro immundis habent, & etiam vasa, quæ in eadem domo fuerint, pollui suspicantur, sequentes occidentem litteram, & non potius viuificantem spiritum. Nos autem non dico martyrum reliquias, sed ne quidem Solem, & Lunam, non Angelos, non Archangelos, non Cherubin, non Seraphin, & omne nomen, quod nominatur, & in præsenti sæculo, & in futuro colimus, & adoramus, ne seruiamus creaturæ potius quam creatori, qui est benedictus in sæcula. Honoramus autem reliquias martyrum, vt eum cuius sunt martyres adoremus. Honoramus seruos, vt honor seruorum redundet ad Dominum, qui ait: Qui vos suscipit, me suscipit. Ergo Petri, & Pauli immundæ sunt reliquiæ? Ergo Moysi corpusculum immundum erit? quod iuxta Hebraicam veritatem ab ipso sepultum est Domino. Et quotiescumque Apostolorum, & Prophetarum, & omnium martyrũ basilicas ingredimur, toties idolorum templa veneramur? Accensique ante tumulos eorum cerei, idololatriæ insignia sunt? Plus aliquid dicam, quod redundat in authoris caput, & insanum cerebrum, vel sanet aliquãdo, vel deleat, ne tantis sacrilegijs simplicium animæ subuertantur

Ergo & Domini corpus in sepulchro positum immundum fuit? Et Angeli, qui candidis vestibus vtebatur, mortuo cadaueri, atque polluto præbebant excubias, vt post multa secula Dormitantius somniaret, imò eructaret immundissimam crapulam, & cum Iuliano persecutente, Sanctorum basilicas, aut destrueret, aut in templa conuerteret? *Idem ad Riparium.*

Salomon quippe immoderato vsu, atque assiduitate mulierum ad hoc vsque perductus est, vt templum idolis fabricaret: & qui prius templum construxerat Deo, assiduitate libidinis, & perfidiæ subtractus, idolis templa construere non timuit. *Gregor. lib. 12. Moral. & hab. 32. q. 4. c. Salomon.*

Nemo est quidem, qui sapiat, rationemq; secum putet, qui non vnũ Deum esse intelligat, qui & condiderit omnia, & eadem qua condidit, virtute moderetur. Quid enim opus multis est ad mundi regimen sustinendum? nisi forte arbitremur, si plures sint, minus habere singulos neruorum, atque virium. Quod quidem faciunt hi, qui esse multos volunt; quia necesse est imbecilles esse; siquidem singuli sine auxilio reliquorum, tantæ molis gubernaculum sustinere non possent. Deus autem, qui est æterna mens, ex omni vtrique parte perfectæ consummatæq; virtutis est. Quod si verũ est, vnus sit necesse est. Potestas enim, vel virtus absoluta retinet suam propriam firmitatem. Id autem solidum existimandum est, cui nihil decedere: id perfectum, cui nihil possit accedere. Quis dubitet potentissimum regem esse, qui totius orbis habet Imperium? neque immerito, cum illius sint, quæ vbique sunt omnia, cum ad eum solum omnes vndique copiæ congregentur. At si plures partiantur orbem, minus certè opum, minus virium singuli habebunt, cum intra præscriptam portionem se quisque cõtineat. Eodem etiam modo, si Dij plures sint, minus valebunt, alijs tantundem in se habentibus. Virtutis autem perfecta natura non in eo, in quo pars exigua de toto est. Deus verò, si perfectus est (quia perfectus est) vt esse debet, non potest esse nisi vnus, vt in eo sint omnia. Deorum igitur virtutes, ac potestates infirmiores fiat necesse est, quia tantum singulis deerit, quãtum in cæteris fuerit, ita quanto plures, tanto minores erunt. *Lactant. Firmian. lib. 1. cap. 3.*

Cum constet Saturnum, Iouem, cæterosq; Deos homines fuisse, nõ est obscurum, qua ratione Dij cœperint nominari. Si enim nulli reges ante Saturnum, vel Vranum fuerint propter hominum raritatem, qui agrestem vitam sine vllo rectore viuebant: non est dubium, dum illis temporibus homines, regem ipsum, totamque gentem summis laudibus, ac nouis honoribus iactare cœperint, vt etiam Deos appellarent, siue ob miraculum virtutis, (hoc iure putabant rudes adhuc, & simplices) siue, (vt fieri solet) in adulationem præsentis potentiæ, siue ob beneficia, quibus erant ad humanitatem compositi. Deinde ipsi reges, cum chari fuissent his, quorum vitam composuerant, magnum sui desiderium mortui reliquerunt. Itaque homines eorum simulachra finxerunt, vt haberent aliquod ex imaginum contemplatione solatium, progressique longius per amorem meriti, defunctorum memoriam colere cœperunt, vt & gratiam referre benemeritis viderentur, & successores eorum allicerent ad bene imperandi cupiditatẽ, quod Cicero de natura Deorum docet, dicens: Suscepit autem vita hominum consuetudoq; communis, vt beneficijs excellentes viros in cœlum fama, ac voluntate tolleret. Hinc Hercules, hinc Castor, hinc Pollux, hinc Aesculapius, hinc Liber. Et alio loco, atque alio in plerisque ciuitatibus intelligi potest, acuendæ virtutis gratia: aut quo libentius Reip. causa periculum adiret optimus quisque virorum fortium memoriam honore Deorum immortalium consecratam. Accesserunt etiam Poetæ, & compositis ad voluptatem carminibus in cœlum eos sustulerunt, sicut faciunt, qui apud reges etiam malos, panegyricis mendacibus adulantur. Quod malum à Græcis ortum est, quorum leuitas instructa dicendi facultate, & copia incredibile est quantas mendaciorum nebulas excitauerit. Itaque admirati eos, & susceperunt primi sacra eorum, & vniuersis gentibus tradiderunt. Ob hanc vanitatem Sibylla sic eos increpat:

> *Ἑλλὰς δὲ τί πέποιθας ἐπ' ἀνδράσιν ἡγεμόνεσσι;*
> *Πρὸς τί δὲ, δῶρα μάταια καταφθιμένοισιν ἀνατίθης,*
> *Θύεις εἰδώλοις τίς τοι πλάνον ἔμβαλεν ἐν φρεσὶ,*
> *Ὥστε τί σὺ τὰ δὲ ποιεῖν μεγάλοιο Θεοῖο προσώπου*
> *Λειπομένου;*
> *Græcia quid confidis in viros principes?*
> *Ad quid dona inania mortuis ponis?*
> *Immolas idolis, quis tibi in mentem dolorem*
> *Imposuit, vt hæc perficias magni Dei ore*
> *Relicto?*

Idem lib. 1. c. 15. Diuinorum Institutionum.

At isti qui Deos asserunt, videant, quomodo respondeant huic argumento, quod inferemus: Si duo sunt sexus Deorum, sequitur concubitus: si coeunt, & domos habeant necesse est. Nec enim carẽt virtute, ac pudore, vt hoc promiscue, aut in propatulo faciãt, sicut bruta videmus facere animalia. Si domos habent, consequẽs est, vt & vrbes habeant, & quidem authore Nasone, qui ait:

> *Plebs habitat diuersa locis, à fronte potentes*
> *Cœlicolæ clari, suos posuere penates.*

Si habẽt vrbes, & agros igitur habebunt. Iam quis nõ videat, quæ sequantur? arare illos, & colere, quod quidem victus causa fit: ergo mortales sunt, quod argumentum retro versum idem valet. Si enim agros non habent, ne vrbes quidem: si vrbes nõ habent, ne domos quidem. Si domibus carent, ergo & concubitu: si concubitus ab his abest, & sexus igitur fœmineus: In Dijs autem videmus, & fœminas esse: ergo Dij non sunt. Dissoluat hoc argumentum, si quis potest. Ita enim res rem sequitur, vt hæc vltima necesse sit confiteri. Sed ne quidem illud dissoluet aliquis: Ex duobus sexibus alter fortior est, alter est infirmior, robustiores enim mares sunt, fœminæ imbecilliores. Imbecillitas autem non cadit in Deum: ergo nec fœmineus sexus. Huic additur superioris argumenti extrema illa conclusio, vt Dij non sint, quoniam in Dijs & fœminæ sunt. *Idem lib. 1. c. 16. Diuinarum Instit.*

Merito igitur cum hæc à viris non imperitis, ac rudibus fiant, Lucretius exclamat:

> *O stultas hominum mentes! ô pectora cæca!*
> *Qualibus in tenebris vita, quantisque periclis*
> *Degitur hoc æui, quodcunque est!*

Quis ludibria non derideat, qui habet aliquid sanitatis, cum videat homines velut mente captos, ea serio facere, quæ si quis faciat in lusu, nimis lasciuus, & ineptus esse videatur? *Ibid. c. 2.*

Harum vanitatum apud Romanos author, & constitutor Sabinus ille rex fuit, qui maximè animos hominum rudes, atque imperitos, nouis superstitionibus implicauit, quod vt faceret aliqua cũ authoritate, simulauit cum Dea Aegeria nocturnos se habere cõgressus. *Idem lib. 1. c. 22.*

Auaritia secundum Apostolum est idolorum seruitus, quia sicut idololatra seruit simulachro, sic auarus seruit thesauro. Nam ille cultum idololatriæ diligenter ampliat, & iste cumulum pecuniæ libenter augmentat. Ille enim omni diligentia colit simulachrum, & iste cum omni cura custodit thesaurum: ille spem ponit in idololatris, & iste spem constituit in pecunia: ille timet mutilare simulachrum, & iste timet minuere thesaurum. *Innocent. de vtilitate conditionis humanæ.*

SENTENTIAE POETICAE.

Sedulius.

> *Heu miseri! qui vana colunt, qui corde sinistro*
> *Religiosa sibi sculpunt simulacra, suumque*
> *Factorem fugiunt, & quæ fecere verentur.*
> *Quis furor est, quæ tanta animos dementia ludit?*
> *Vt volucrem, turpemq; bouem, toruumq; draconem,*
> *Semihominemq; canem supplex homo pronus adoret?*
> *Ast alij Solem excæcatis mentibus aiũt*
> *Affirmant rerum esse patrem, quia rite videtur*
> *Clara serenatis infundere lumina terris.*
> *Et totum lustrare polum, cum constet ab ipso*
> *Motibus instabilem rapidis decursibus ignem*
> *Officium non esse Dei.*

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Inuentores artium quarumdam post mortem diuinitatis honore cultos audiuimus, gratè quidem potius, quã piè. Nulla est enim pietas hominis, qua Deus offenditur, sed ergo memoriam de humano genere benemeritorum inconsulta gratitudo mortalium, humanis honoribus non contenta, vsque ad sacrilegas processit ineptias. Hinc Apollinem cythara, hinc eumdem ipsum, atque Aesculapium medicina, Saturnum, Liberumq, & Cererem agricultura, Vulcanum fabrica, Deos facit. Hinc Aegyptus Osyrim, Athenæ docta vrbs Mineruam coluere, quod illa lini, hæc olei vsum, artemq lanificij reperisse fertur. Longum est singula prosequi, quod apud veteres huiusmodi vanitatum nullus est modus. Quas palam damnare non ausus ille Poetarum maximus, atque cautissimus, vt qui verò paratum fore supplicium verebatur, latenter vtique, nec minus eleganter irridere non metuit, quandoquidem animas eorum inuentas, qui vitam excoluere per artes, quorum nomina vulgus mendat, & omnium fons errorum in cœlum cœli Domino indignante locauerat, apud inferos ponit. Nominatim insuper ipsum medicinæ repertorem, omnipotentis Dei fulmine detractum ad Stygias vndas canit. Verum hæc quæstio inter eos maneat: Apud nos enim nulla est de Dijs quæstio. Nec verò mirari vnquam satis possum, viros in cæteris omnibus tam perfectos, in solis superstitionibus tam deditos, & quasi velocissimos cursores euntes in diuersum, & ante oculos metam positam non videntes, vt quorum pernicitatem miror, miserear cœcitatis. Sanè vt talium rerum primis authoribus honor aliquis debetur, quem deberi magnum modo humanum, modestumq; sit, non inficior. *Franciscus Petrarcha lib. de Vita solitaria 1. c. 16.*

SIMILITVDINES.

Dionis Chrysostomi. Sicut qui viuunt in agnitione Dei, & Christi, quãuis agnitio ipsa sit vita, tamen donec sunt in sæculo isto, non sunt in vera vita, sed in vmbra vitæ, quoniam per fidem ambulant, & non per speciem: & per speculum ænigmate vident, non facie ad faciem: Sic qui in erroribus idolorum viuunt, licet ipse error sit mors, tamen nondum sunt in vera morte, sed in vmbra mortis, donec in isto sæculo sunt. *in c.4. Matth. homil.6.*

Philonis. Sicut sunt quidam, qui animæ præferunt corpus, seruum dominæ: Eodem modo sunt, qui creaturam magis honorant, quam creatorem. *lib. de sacrificio Abelis, & Caini, fol.93.*

Quemadmodum Cain Abelis frater de fructibus, & non de primitijs Deo sacrificium obtulit. Sic sunt multi qui dant primatum creaturæ, secundarium honorem numini. *lib. de sacrificijs Abelis, & Caini.*

Quemadmodum si quis magni regis honores satrapis eius præfectisque exhiberet, non stultitiæ solum argueretur, sed & periculosæ audaciæ, tribuens seruis, quod dominis debetur: Ita quicumque sic creaturas colit, vt creatorem, sciat se impudentissimum, atque iniustissimum, qui paria largiatur imparibus, & tam in honorem inferiorum, quam in potioris contumeliam. *lib. de Decalogo.*

Thrimeri. Qui idolum colunt, & spiritum cogitant, similes stupidis sunt, qui viam quærunt, & in indicem impingunt. *In apoph.77.*

EXEMPLA BIBLICA.

Idololatrarum, & idololatriæ *exempla:* Laban, *Genes.*1.30.34. Aegyptij, *Exod.*12.12. *Ierem.*43.13. Aaron, & Israelitæ, *Exod.*32.1.2. *&c.* Israelitæ, *ibid. Psal.*106.19.28. *Num.*25.1.2. *Iudic.*2.11.11. *&* 3.5.6. *&* 8.33. *&* 10.6. *Tob.*1.5. *Esa.*57.5.6. *Ierem.*2.20.18. *&* 7.18.31. *&* 19.5. *&* 44.15.16. *&* 65.11.12. *Amos* 2.8. *&* 5.26. *Soph.*1.7. *Ose.* 4.13. *&* 12.11. Gedeon, & Israelitæ, *Iudic.* 8.27. Philistæi, 16.23.24. 1. *Samuel.*5.1.2. Michas, *Iudic.*17.3.4. Saul, 1. *Sam.*28.7. Salomon, 1. *Reg.* 11.4. Ieroboam, 12, 28 Micha mater Asa, 15.13. Omri, 16.25.26. Achab, 30. Iezabel, 21.25.26. Ochozias, 2. *Reg.*1.2.3. 2. *Paral.*22.3.4. Iehu, 2. *Reg.*10.28.29. Ioachas, 13.2. Achaz, 16.3.4. 2. *Paral.*28.3.4.24.25. Filij Israel, 2. *Reg.*17.7.8.9. Sennacherib, 19.37. Manasses, 21.2.3. 2. *Paral.*33.2.3. Amasias, 25.27.28. Roboam, 11.15. Nabuchodonosor, *Iudith* 3.12.13. *Dan* 3.1.2.3. *&c.* Holofernes, *Iudith* 3.3. *&* 2. Darius eiusque Satrapæ, *Dan.*6.6.7. Babylonij, eorumque Rex, 4.2.3.23. Antiochus, 1. *Machab.*1.57.58. Multi ex filijs Israel, v.43.44. Iudæus quidam, 2. *vers.*23. Lystrenses, *Actor.*14.11.12.13. Athenienses, 17. *v.*16. Ephesij, 19. *v.*25.

Idololatriæ punitæ *exempla:* Israelitæ, *Exod.*32.27.28. *Num.*25.6.7.8.9. *Iudic.*2.13.14. *&* 3.7.8. *&* 10. *v.*6.7. 1. *Reg.*14.15. 2. *Reg.*17.16.17.18. *&* 22.17. 1. *Paral.*5.25.26. 2. *Paral.*34.24. *Esa* 29. *&* 65.7. *Ierem.* 9.23.24.25. *&* 16. *v.*11. *&* 22.9. *&* 44.23. *&* 50. *v.*2. *Ezech.*20. *v.*24. *&* 36. *v.*19. *Osea* 13. *v.*3. *Amos* 3.14.15. *Iudith* 5.18. Israel, & Iuda, *Osea* 8. *v.*13.14. Nadab, & Abihu, *Leu.*10. *v.*12. Domus Ieroboam, 1. *Reg.* 12.31.32. *&* 14. *ver.*15. *&* 15. *v.*29. Baasa, 16.2.3.4. Achab, 17.1. *&* 21.20.21.22. Sacerdotes Baal, 18.40. Ochozias, 2. *Reg.*1. *ver.*3.4. Iezabel, 9.33. Mathon Sacerdos, Baal, 11.18. Sennacherib, 19. *v.*37. Manasses, 21. *v.*11.12. 2. *Paral.*33.11. Ruben cum fratribus, 1. *Paralip.*5. *v.*26. Ecclesia Iudaica, 2. *Paral.*7.19.22. Maacha, 15. *v.*16. Amasia, 25. *v.*10.27. Achaz, & centum viginti millia bellatorum, 2. *Paralip.*28. *vers.*5.6. Samaria, & Ierusalem, *Ezech.*23. *ver.*9. *Osea* 10. *v.*5. Ephraim, 9. *v.*16. *&* 12.14. Sacerdotes Bel, eorumq; vxores, & liberi, *Dan.*14. *ver.*20. Antiochus idololatra, 2. *Machab.* 9.28. Elymas, *Act.*13.11. Magnæ meretricis sectatores, *Apoc.*14. *v.*10. *&* 16. *v.*2. *&* 21. *v.*8. *&* 22. *v.*15. De Asa etiam legitur, quod Micham matrem remouerit à principatu ob idololatriam, *Reg.* 15. *vers.*13.

Vide Religio.

IEIVNIVM.

DEFINITIO.

IEiunium, Græcè *νηστεία, ας, ἡ. & νῆστις, ιος, ὁ, ἡ.* ieiunus, *νηστεύω* ieiuno dicitur: ieiunium corporale, abstinentia à cibo, & potus intuitu satisfaciendi, vel vitandi peccatum, vel acquirendi vitam æternam, *secundum Theologos in 4. Sentent. dist.*15.

Ieiunium est abstinentia à cibis, secundum ordinationem Ecclesiæ, *secund. Godefredum in Summa, Panor. super Rubricam extra eod.*

Verbum, Hebr. *Tsum* in 1. Coniugatione, signif. Ieiunauit, abstinuit a cibo, & potu. Inde *Tsom,* Ieiunium, inedia, *Psal.*109.24. *Esa.*58.3. *Ioel.*1.14. *&* 2.15. Vocem Latinam ieiunium, & Gall. *ieusne,* putamus fluxisse à verbo Hebræo *Iana,* id est, afflixit. Nam ieiuniũ est afflictio animæ, & corporis.

Ieiunare est præcipuis commodis corporis abstinere, & incommodis insuper se afflictare: vt abstinere à cibo, potu, somno, lotione, vnctione, mutatione vestium, musica, omni denique gaudio, & hilaritate: præterea induere se sordidis, & laceris pannis, *Polyanthea Noua.* quos Hebræi saccos appellabant, iacere humi, in cinere, in puluere, & simili loco, vt ex cap.3. Ionæ colligere licet, in ieiunio Niniuitarum, & 1. Sam.12. in ieiunio Dauidis propter filium ægrotantem.

Iudæis fuit varia ieiunandi forma, ciborum, temporis, & ducum respectu, sicut cap.23. Leuit.20. Iud.31. Samuel.1. cap.12. Sam.2. testantur.

Modus vt Iudæis, ita & Orientalibus, & Occidentalibus alijs populis vsitatus, sicut facilè conijcitur ex ieiunio Priami, atque Latini regis apud Homerum, & Virgilium.

Causas ieiunij efficientem, & finalem Theologorum scriptis relinquimus. Species item diuersæ. Aliud enim ieiunium est prophanum, vel hypocriticum, & superstitiosum, vel religiosum, & piũ. Sanctiones variæ de ieiunijs in veterum scriptis occurrunt. Obseruationes item pro ratione temporum, locorum, rerum, personarum admodum diuersæ fuerunt.

LOCI BIBLICI.

Ieiunium verum publicum quale, *Esa.*58. *v.*5. solemne in autumno, *Leu.*19. *v.*29. *Act.*27. *v.*9.

Ieiuni, pro impastis, & famelicis, *Matth.*15. *v.*32.

SENTENTIÆ BIBLICÆ.

Bona est oratio cum ieiunio, & eleemosyna, magis quam thesauros auri recondere. *Tob.*12.

Scitote quoniam exaudiet Dominus preces vestras, si manentes permanseritis in ieiunijs, & orationibus in conspectu Domini. *Iudith* 4.

Sanctificate ieiunium, vocate cœtum. *Ioel.*2.

Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, planctu, & fletu. 2.

Numquid ieiunium ieiunastis mihi? *Zach.*7.

Beati qui nunc esuritis, quia saturabimini. *Luc.*6.

In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in vigilijs, in ieiunijs. 2. *Cor.*6.

Ieiunij boni modus quo ad intentionem.

Tu autem cum ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua: ne videaris hominibus ieiunans, sed patri tuo qui est in abscondito, & pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi. *Matth.*6.

Prædicaui ieiunium, vt affligeremur coram Domino Deo nostro, & peteremus ab eo viam rectam nobis, & filijs nostris, vniuersæq; substantiæ nostræ. 2. *Esd.*8.

Prosecutionem.

Si vouerit, & iuramento se constrinxerit, vt per ieiunium, vel cæterarum rerum abstinentiam affligat animam suam, in arbitrio viri erit, siue non faciat (vxor scilicet) siue vt faciat. Quod si audiẽs vir tacuerit, & in alteram diem distulerit sententiam: quicquid vouerat, atque promiserat, reddet: quia statim, vt audiuit, tacuit: sin autem contradixerit postquam resciuit, portabit ipse iniquitatem eius. *Num.*30.

Nonne hoc est magis ieiunium, quod elegi? Dissolue colligationes impietatis, solue fasciculos deprimentes, dimitte eos qui confracti sunt, libera eos, & omne onus dirumpe. Frange esurienti panem tuum, & egenos vagosque induc in domum tuam. Cum videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris. *Esa.*58.

Carnem refrenat.

Humiliabam in ieiunio animam meam. *Psal.*35.

Operui in ieiunio animam meam, & factum est in opprobrium mihi. 69.

Genua mea infirmata sunt à ieiunio: & caro mea immutata est propter oleum. 109.

Ieiunij mali qualitas.

Quare ieiunauimus, & non aspexisti? humiliauimus animas nostras, & nescisti? (approbando.) Ecce in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra, & omnes debitores vestros repetitis. Ecce ad lites, & contentiones ieiunatis, & percutitis pugno impiè, nolite ieiunare sicut vsque ad hanc diem, vt audiatur in excelso clamor vester. Numquid tale est ieiunium, quod elegi per diem affligere hominem animam suam? Numquid contorquere, quasi circulum, caput suum, & saccum, & cinerem sternere? Numquid istud vocamus ieiunium, & diem acceptabilem Domino? *Esa.*58.

Cũ ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes. Exterminant enim facies suas, vt videantur ab hominibus ieiunantes. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. *Matth.*6.

Vanitas.

Cum ieiunauerint, non audiam preces eorum. *Ierem.*14.

Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit mortuum, quid prodest lauatio illius? sic homo, qui ieiunat in peccatis suis, & iterum eadem faciens, quid proficit humiliando se? orationem eius quis exaudiet? *Eccles.*34.

PATRVM SENTENTIAS.

Ieiunium magnum, & generale est, abstinere ab iniquitatibus, & ab illicitis voluptatibus sæculi, vide in Abstinentia. *August. super Ioan. & hab. in Decretis de consec. dist. 5. can. Ieiunium.*

Alia vero, quæ per loca terrarum, regionesque variantur, sicut est, quod alij ieiunant sabbatum, alij non: alij verò communicant quotidie corpori, & sanguini Domini, alij certis diebus accipiunt: & si quid aliud huiusmodi animaduerti potest: totum hoc genus rerum liberas habet obseruationes, quod enim, neque cõtra fidem catholicam, neque contra bonos mores esse conuincitur, indifferenter est habendum: & pro eorum inter quos viuitur, societate seruandum est. *Idem ad Ianuar. & hab. in Decretis, dist. 12. can. Illa autem. §. Alia verò.*

Mater mea Mediolanum me secuta inuenit Ecclesiam sabbato non ieiunantem, cœperat fluctuare quid ageret: Tunc ego consului de hac re beatissimæ memoriæ Ambrosium Episcopum. At ille ait: Cum Romam venio, sabbatum ieiuno, cum Mediolani sum, non ieiuno. Sic & tu ad quamcumque Ecclesiam forte veneris, eius morem serua, si cuiquam non vis esse scandalum, nec quenquam tibi: hoc cum matri renunciassem, libenter amplexa est. *ibid. & hab. eodem can. §. Mater.*

Ieiunium purgat mentem, subleuat sensum, carnem spiritui subijcit, cor facit contritum, & humiliatum, concupiscentiæ nebulas disperdit, libidinum ardores extinguit, castitatis verò lumen accendit. *Aug. in serm. de ieiunio.*

Ieiunium verbositatem non amat, diuitias superfluitatem iudicat, superbiam spernit, humilitatem commendat, præstat homini seipsum intelligere, quod est firmum, & fragile. *Idem.*

Si volumus Deo placida exhibere ieiunia, simus in oratione continui, in iudicijs iusti, in amicitia fideles, in iniurijs patientes, in cõtentionibus temperati, turpilo quia fugientes, aduersus iniqua constantes, in conuiuijs continentes, in charitate simplices, inter subdolos cauti, condolentes tristibus, contumacibus resistentes, in suspicionibus parci, inter maliloquos taciti, inter humiles coæquales. *Idem lib. de Spiritu, & anima.*

Sint tibi quotidiana ieiunia, & refectio satietatem fugiens, nihil enim prodest tibi biduo, vel triduo transmisso, vacuum portare ventrem, si post pariter obstruatur. *Hier. & hab. in Decretis de consec. dist. 5. Non dico.*

Sint tibi ieiunia pura, continua, moderataque, id est, quotidie esurire, & quotidie prandere. Apostolus, inquit, Noli adhuc aquam bibere, sed modico vtere vino, propter infirmitates tuas: curat enim vulnera delinquentia, curatnique sanctificat ieiunium. *Idem.*

Sic debes ieiunare, vt non palpites, vt respirare vix possis, & comitum tuorum, vel porteria, vel traharis manibus, sed vt fracto corporis appetitu, nec in lectione, nec in Psalmis, nec in vigilijs, solito quid minus facias. *Idem in epist. ad Demetriadem, & hab. de consecr. dist. 5. Abstinentia.*

Ieiunium non solum perfecta virtus, sed cæterarum virtutum fundamentum est, & sanctificatio, & pudicitia, atque prudentia, sine qua nemo videbit Deum. *Idem ad Demetriadem.*

Non sanat oculum, quod calcaneo adhibetur ieiunio passiones corporis, oratione pestes sanandæ sunt mentis. *Idem super Marcum.*

Tantum tibi ieiuniorum impone modum, quantum ferre potes, sint tibi pura, simplicia, casta, moderata ieiunia, & non superstitiosa. Quid prodest oleo, non vesci, & molestias quasdam, & difficultates ciborum quærere? *Idem ad Nepotianum.*

Ardentes Diaboli sagittæ ieiuniorum, & vigiliarum frigore restinguendæ sunt. *Idem ad Cancel.*

Sint moderata, & sancta in omni mentis humilitate ieiunia, quæ ita attenuent corpus, non mentem eleuent, ne rea humilitatis gignat superbiam, & vitia de virtute nascantur. *Idem in epist.*

Quale est illud ieiunium, qualis refectio post ieiunium, cum præclaris epulis distendimur, & guttur nostrum mediator efficitur lachrimarum? *Idem c. 2. cont. Iouinianum.*

Ieiunia, & eleemosyna orationem iuuant. *Aug. epist. 121.*

Non in abstinentia tantummodo ciborum ieiunij bonum circumscribas: Sed etiam ieiunium est malorum alienatio. *Item,* Carnem non comedis: sed comedis fratrem. Abstines vino: sed ab iniurijs tibi non temperas. Vesperam expectas ad sumendum cibum: sed insumis diem causis forensibus. Quid iuuat ieiunare corpore, anima verò innumeris malis repleri? *Basil. apud Anton. serm. de ieiunio.*

Ieiunium non ciborum, sed peccatorum abstinentiam efficit. *Chrysost. ibid.*

Illud ieiunium Deus approbat, vt hoc quod tibi subtrahit alteri largiaris: vt vnde tua caro affligitur, inde egentis proximi caro reparetur. *Greg. in homil.*

Bene ieiunat, qui alimenta corporis, quæ sunt communia dona conditoris cum indigentibus percipit, & qui ea, quæ sibi ad tempus subtrahit, nequaquam ventri offerenda custodit. *Idem, ibid.*

Decet eos qui ieiunant, ex pia mente id facere, & non tamquam histriones in fabula tetricam, & deformem veluti personam sibi inducentes, ipso habitu exclamare, quod mediæ labores ferant. *Cyrillus apud Anton. serm. 66.*

Ieiunij hic est adhibenda temperies, vt corpus nostrum, nec saturitas extollat, nec media immoderata debilitet. *Fulgent. ad Prob.*

Non modo tarditas cibi sumendi ieiunium est, seu etiam paucitas, neque in hoc sita est religionis exercitatio, vt duo sint commixta, sed ne varia comedant. Est autem hæc exercitatio mensa simplici cibo contenta, & dissolutum voracitatis morem ceu minimè gratum abominans. *Athanas. apud Ant. serm. 66.*

Ne dixeris, hodie non comedam: quoniam non prudenter id facis. Noxam enim corpori, & dolorem stomacho tuo contrahes. *Euagr. eod. serm.*

Si ob corporis imbecillitatem non potes ieiunus diem producere, nullus qui sapit propter hoc redarguere te poterit. Dominum enim habemus mansuetum, misericordem, & nihil supra vires nostras à nobis exigentem. *Chrysost. hom. 10. in Gen.*

Nihil à quoquam arduum, nihil asperum quæritur, nec nobis aliquid quod vires nostras excedat, inducitur: siue in abstinentiæ castigatione, siue in eleemosynæ largitione. *Leo Episcop. serm. 3. de ieiunio.*

Eo vsque nemo præuaricari nouerat, cum adhuc orta non esset, quæ prima est præuaricatio. Indictum est ieiunium abstinentiæ, lex à Deo, præuaricatio legis à Diabolo, culpa per cibum, latebra post cibum, cognitio infirmitatis in cibo, virtus in ieiunio. *Paulo post:* Serpens suasit gulæ, Dominus ieiunare decreuit. Itaque gula de paradiso regnantem expulit, abstinentia ad paradisum reuocauit errantem. *Ambr. in serm. de ieiunio c. 4.*

Ieiunium mors culpæ, excidium delictorum, remedium salutis, radix gratiæ, fundamentum est castitatis. Hoc gradu ad Deum citius peruenit, hoc gradu antequam moreretur curru Helias ascẽdit. *Ambr. de Helia, & ieiunio.*

Contraria diuinæ conditioni præcepta medicinæ sunt, quæ à ieiunio reuocant, lucubrare non sinunt, ab omni intentione meditationis abducunt: ita qui se medicinis dederit, seipsum sibi abnegat. *Ambr. Psal. 22. & hab. de consec. dist. 5. Contraria.*

Quadragesima sex septimanas habet: cui addit Telesphorus Pontifex septimam hebdomadam: & vocatum est hoc tempus quinquagesima. *Idem lib. serm. & hab. dist. 4. Quadragesima.*

Fames amica virginitati est, inimica lasciuiæ. Saturitas verò prodigit castitatem, nutrit illecebram. *Idem in serm. Quadragesima.*

Ille quadragesimam facit, qui ieiunando, & vigilando accedit ad Pascha. Nam sicut reliquo anno ieiunare præmium est, ita in quadragesima non ieiunare peccatum est: Illa enim voluntaria sunt ieiunia, & illa necessaria: illa de arbitrio veniunt, illa de lege: ad illa inuitamur, ad illa compellimur. *Idem.*

Quid prodest ieiunare visceribus, & luxuriari venationibus? Abstinere à cibis, & errare peccatis? An putatis illum ieiunare, fratres, qui primo diluculo, non ad Ecclesiam vigilat, non beatorũ martyrum sancta loca perquirit: sed surgens congregat seruulos, disponit retia, canes producit, saltus siluasque perlustrat? seruos inquam secum protrahit, fortasse magis ad Ecclesiam festinantes, & voluptatibus suis peccata accumulat aliena, nesciens reum se futurum tam de suo delicto, quam de perditione seruorum. *Ambr. in hom. de Quadragesima. & hab. dist. 8. c. Quid prodest.*

Denique sacerdotes, & diaconi, & reliqui omnes, quos dignitas ecclesiastici gradus exornat; à Quinquagesima propositum suscipiant ieiunandi; quo & aliquid ad peculium sanctæ institutionis adijciant: & eorum qui in laicali ordine consistunt, obseruãtiam sicut loco, ita & religione præcellant. De ipsa verò die Dominica hæsitamus, quidnam dicendum sit; cum omnes laici, & sæculares, illa die plus solito cæteris diebus accuratius cibos carniũ appetant: & nisi noua quadam auiditate vsque ad medias noctes se ingurgitent, non aliter se huius sancti sacri temporis obseruationem suscipere putant, quod vtique non rationi, sed voluptati, imò cuidam mentis cœcitati adscribendum est: vnde nec à tali consuetudine auerti possunt: & ideo cum venia suo ingenio relinquendi sunt, ne forte peiores existant, si à tali consuetudine prohibeantur. Vt enim ait Salomon: Qui multum emungit, elicit sanguinem. *Et post pauca.*

Par autem est, vt nos, qui his diebus à carnibus animalium abstinemus, ab omnibus quoque quæ sementinam trahunt originẽ carnis, ieiunemus: à lacte videlicet, caseo, & ouis. *Greg. Aug. Anglor. episc. & hab. dist. 4. Denique.*

Quadragesima summa obseruatione est obseruanda, vt ieiunium in ea præter dies Dominicos, qui de abstinentia subtracti sunt, nisi quem infirmitas impedierit, nullatenus soluatur, quia ipsi dies decimæ sunt anni. *Greg. in homil. & hab. de consecr. dist. 5. c. Quadragesima.*

Non Deo, sed sibi ieiunat, qui quæ ventri ad tempus subtrahit, non inopibus tribuit, sed ventri postmodum offerenda custodit. *Greg. in Pastor. l.*

Qui peccat, & ieiunat, non ad gloriam Dei ieiunat, nec se humiliat,

militat, sed substantiæ suæ parcit. *Iom. Chrysost. sup. Matth.*

Si sola gula peccauit, sola ieiunet, & sufficit. Si verò peccauerunt, & membra cætera, cur non ieiunent & ipsa? Ieiunet igitur oculus, & à curiosis aspectibus, & omni petulantia, vt bene humiliatus coerceatur in pœnitentia, qui male liber vagabatur in culpa: Ieiunet auris, nequiter pruriens à fabulis, & rumoribus, & quæcumque otiosa sunt, ad salutem minimè pertinentia. Ieiunet lingua à detractione, & murmuratione, ab inutilibus, vanis, atque scurrilibus verbis. Interdum quoque ob grauitatem silentij, & ab ipsis, quæ videri poterant necessaria. Ieiunent manus ab operibus omnibus quæcumque non sunt imperata: sed & multo magis anima ipsa ieiunet à vitijs, & à propria voluntate sua. Etenim sine ieiunio hoc cætera a Domino reprobantur, sicut scriptū est: Quia in diebus ieiunio um vestrorum voluntates vestræ inueniuntur. *Bernardus serm. 3. de Quadragesima.*

SIMILITVDINES.

Chryso Tomi. Sicut nec milea sine armis est aliquid, nec arma sine milite: Sic nec oratio sine ieiunio, nec ieiunium sine oratione. *In c. 6. Matth.*

Vt si quis ægrorum, quem ad sanitatem reduxit, iubeat illa non facere, ex quibus morbus ille contigerat: Ita etiam post Baptismum ieiunium contra vitium edacitatis induxit Dominus. Nam Adam de paradiso intemperantia ventris eiecit. *Homil. 10. in Matth.*

Si crapulam ebrietatemq; timeri oportuit, non ieiunium timeri debet. Illa siquidem nostras post terga manus, vitiorum tyrannidi veluti prauæ cuidam dominæ, seruos nos captiuosque reddit: Ieiunium verò seruos, atque ligatos inueniens, vincula remittit, ac tyrannide liberat, pristinamque in libertatem reducit. *De pœnit. serm. 1.*

Qui male se cibis insuime, cum asperas sunt medicinas accepturi, si nimia sese esca sepeliunt, atque sic medicinam accipiunt, asperitatem quidem illam pertulerunt, vtilitate verò exciderunt, ægram medicinæ facientes dimicationem ad corrupti humoris malitiā, quamobrem Medici eos incœnatos dormire mandant, quo virtus totius medicinæ, quam primum, atque illico morbosis occurrat humoribus: Sic & ieiunio contingit. Si temetipsum hodie multa obrueris ebrietate, crastina vero eam acceperis, quæ ab illo est, medicinam, hanc tibi profectò vanam inutilemq; effeceris: & laborem quidem pertuleris, quod verò ab illo fuerit, nequaquam assequens, re ipsa in recentem ebrietatis malitiam eius omnem consumētem virtutem. Si verò leue tibi præparabis corpus, sobrieque & vigilanti cogitatu susceperis ex delictis veteribus medicinam, multa poteris expurgare. *Serm. 1. de Pœnitentia.*

Quemadmodum pudicam quamdam, ornatamq; & liberam ducturi, maritalem vndique thurum exornantes, domumq; purgantes crimine à quacumque pellice se abstinent, hancq; sic in cubiculum introducunt: Pari vos volo modo purgantes vestram cogitationem, delicatisq; cibis, atque omni ingluuiei valefacientes, sie matrem bonorum omnium pudicitiæ, atque totius virtutis magistrum, ieiunium dico apertis foribus suscipere, quo & vos maiori reficiamini voluptate, atque id propriam, atque præcipuam vobis conferat medicinam. *Ibid.*

Iucundum quidem nautis est ver, iucundum quoque agricolis: sed neque nautis, neque agricolis ita iucundum est veris tempus, vt his qui philosophari volunt, iucundi sunt ieiuniorum dies, spiritale animarum ver, & fidissima tranquillitas animorum. Nam agricolis ver ideo iucundum est, quod delectat aspicere tunc depictam floribus terram, & varijs frondibus virgulta comantia: nautis verò acceptum est ver, quod dorsum maris deductis nauibus, tuto licebit ascendere, nec vndarum pericula formidare. Nobis autem iucundum est ieiuniorum ver, quod tunc non vndarum, sed cogitationum, & concupiscentiarum carnis fluctus, ac turbines mitigantur, & coronæ nobis florum, sed spiritalium gratiarum parantur. *Serm. 30. de Ieiunijs.*

Sicut miles, si gestarit arma sese grauantia, non est terrori hostibus, qui sciunt armaturæ grauitatem pedum velocitati, & bellandi vsui obesse: sin leuia acceperit, & tractabilia, sicut auis aliqua obuium se feret hostibus. Sic & qui carnem suam non ebrietate, neque indulgentia, neque delicijs incrassarit, sed ieiunijs, & precibus diuturnaq; afflictio num sustinentia leuiorem, & tenuiorem effecerit: sicut volucris aliqua supernè deuolans, ita valido impetu in phalanges dæmonum irruit, & occurrentes virtutes facilè inuadit, sibique subijcit. *Homil. de Resurrect.*

Neque vulnerato sufficit ad salutem, tantummodo spicula de corpore euellere, sed etiam remedia adhibere vulneribus: delicijs ante temulentia diffluebas, ieiunio, & aquæ potu vtrumqua compensa, &c. *Hom. 16. de diuersis.*

Quemadmodum hieme præterita, & æstate apparente, nauta quidem nauigium deducit, miles arma detergit, equumque ad bellum parat: agricola acuit falcem: viator fiduciæ plenus longum iter aggreditur, & ad certamina pugil expoliatur, & nudatur: Sic & nos ieiunio tamquam æstate quadam spirituali apparente, & arma tamquam milites abstergamus, falcem acuamus tamquam agricolæ, & tamquam nautæ contra vndas, contra absurdarum cupiditatum cogitationes opponamur, & tamquam viatores rectum iter apprehendamus, tamquam pugiles ad certamina spoliemur. Exue vitæ negocia, & athleta factus es. Indue arma spiritualia, & factus es miles. Sis agricola, excole animam tuam, & spinas excinde, semina verbum pietatis, pulchras disciplinæ plantas infere, & cum multa diligentia repastina. Acue falcem tuam, quam per crapulam hebetasti, acue per ieiunium. Sis viator, aggredere iter in cœlum, ferens asperam, & angustam viam, attinge & ambula. Vbi enim via angusta, magnum impedimentum est carnis ex crapula obesitas. Absurdarum vndas concupiscentiarum reprime, repelle improbarum hiemem cogitationum, salua scapham, multam ostende peritiam, & factus es gubernator. Horum omnium nobis magister ieiunium est. Medicina est ieiunium. Sed medicina licet millies volis, per vtentis imperitiam inutilis sæpè fit. Etenim nosse oportet, & tempus quo ipsam imponere opus sit, & ipsius medicamenti qualitatem, & corporis temperiem suscipientem, regionis naturam, anni tempus, & congruum victum: & multa alia: quorum si quodlibet prætermissum fuerit, reliquis omnibus nocebit. Si autem, vbi corpori mederi oportet, tanta nobis opus est diligentia: multo magis cum animam curemus, & cogitationibus medeamur, omnia scrutari, & cum omni sedulitate considerare necesse est. *In profect. Flau. episc. Homil. 3.*

Sicut nulla mercatoribus vtilitas si magnam maris longitudinem percurrerint, sed si cum rerum copia, & multo mercimonio nauigauerint: Ita nulla nobis ieiunij vtilitas, si infructuosè ipsum nequequam, & temere præterea mus, si ieiunium ciborum ieiunemus, præteritis quadraginta diebus præterit, & ieiunium. Si verò peccatis abstineamus, & hoc transacto ieiunio, rursum illud remanet, & continuum erit. Sicut enim in nequitia viuens, & ante gehennam vritur conscientia stimulatus: sic meritis abundans, & ante regnum, magna fruetur lætitia, si bona spe pascitur. Si alius dicat: Totam ieiunaui quadragesimam: tu dic, inimicum habebam, & reconciliatus sum: habebam detrahendi consuetudinem, & destiti: iurandi tenebar vsu, & mos improbus mihi resolutus est. *In profect. F. amani episc. homil. 16.*

Lætemur quando etiam profectibus ieiunium egerimus, vt ipso transacto, fructus ipsius effulgeat, etenim hiemis lucrum tunc maximè demonstratur, cum illa præterierit. Namque venantes segetes, & solum, ac fructu affluentes arbores, per ipsum aspectum clamant vtilitatem sibi ex hieme factam. Hoc & in nobis pariter fiat, etenim pluuijs continuis, & crebris in hieme per ieiunij tempus potiti sumus, continuam haurientes doctrinam: & semina suscepimus spiritualia, & deliciarum spinas abscidimus. *In profect. Flamani episc. homil. 18.*

D. Basily. Est lapis eius naturæ (quem hic Amianton Græci vocant) vt inquinari non possit, hic abigne non vincitur, sed impositus igni videtur ignescere, & in prunam verti, rursum exceptus igni, perinde quasi fuisset aqua candidatus, apparet purior: Huiusmodi erant illorum puerorum corpora apud Babylonios, illud ieiunio consequuta, vt nulla possent vi inquinari. Siquidem vehementi fornacis flamma, quasi natura fuissent aurei, ita apparuerunt innoxia, vt igni superiores, quoniam potius auro potentiores declarati sunt. Neque enim illos liquefecit ignis, sed integros illæsa seruat. *De ieiunio.*

An non vides solem esse lætiorem post noctem? ac vigiliam esse iucundiorem post somnum, & sanitatem desiderabiliorem diuersa expertis? Itidem, & cibus gratior post ieiunium. *De ieiunio.*

Quemadmodum luxus cogit illos onustos incedere, nimirum ea quibus se ingurgitarint circumferentes: Sic ieiunium eos, & leues reddit, & expeditos. *De ieiunio.*

Quemadmodum, qui longinquam profectionem adornant, componunt sarcinas, & commeatum parant: Ita nonnulli vecordes hodie aduersus quinque dierum ieiunium vino indulgēt. *De ieiunio.*

Quemadmodum vermes qui in puerorum intestinis germinant, pharmacis quibusdam vehementer acribus, & amaris excutiuntur: Ita peccatum in intimis secessibus habitans, extinguit, enecatque, simulatque in animam superuenerit ieiunium, ob hoc ipsum suo dignum nomine, quod inedia purget ima viscera. *Ibidem.*

Gregory Nissæ Episcopi. Quid confert ieiunium corporis nisi mens pura mundaq; fit? Nihil enim prosit currum validum, ac strenuis quadrigis instructum esse, si auriga insaniat. Nulla erit bene fabricatæ nauis vtilitas, si ebrius sit ipse gubernator. Ieiunium virtutis fundamentum. Quemadmodum autem nauium carinæ, & fundamenta domus, licet ingentia subijcias, inutilia vanaq; sint, nisi reliquas item partes peritè, & scienter exædificaueris. Sic istius abstinentiæ nullum erit emolumentum, nisi aliæ iustitiæ partes accesserint: Timor Dei erudiat linguam ea, quæ decet loqui, tacere contraria: temporis occasionem animaduertere, modum obseruare, fari necessaria, aptè respondere, modestè dicere: ne verborum vi, veluti grandine colloquentes obruat. *In orat. De pauperibus amandis, & benignitate complectendis fol. 32.*

D. *Hieronymi.* Quicquid facit seminarium voluptatum, venenum puta. Parcus cibus, & venter semper esuriens, triduanis ieiunijs præfertur. Et multo melius est, quotidie parum, quam raro satis sumere. Pluuia illa optima est, quæ sensim descendit in terram. Subitus & nimius imber in præceps, arua subuertit. *Ad Seruan.*

D. *Augustini.* Sicut equis frena sunt imponenda: ita corpora nostra ieiunijs, vigilijs, & orationibus, sunt infrenanda. Nam quemadmodum aurigæ si frena laxauerint, per præcipitia ducuntur: Ita & anima nostra cum ipso corpore, si ei frenum non imposueris, ad inferni præcipitia dilabitur. *De salutaribus documentis ca. 35.*

D. *Ambrosij.* Sicut cum in intimis puerorum visceribus vermes ea cibi indigestione nascuntur, extingui non queunt, nisi cum amarior cibus infunditur, aut medicamentorum vis insolescit asperior, quorum odore moriantur: Ita profundum animæ virtus ingressa ieiunij, culpam latentem inficit. *De Helia, & ieiunio, cap. 11.*

D. *Bernardi.* Nonne Medici corporum medicinæ portionem definiunt eligere in sumendis cibis quid prius, quid posterius, & quemadmodum quidque sumi oporteat? Nam etsi bonos constat esse cibos quos Deus creauit, tu tamen ipsos tibi, si in sumendo modum, & ordinem non obferues, reddis bonos non planè bonos. Ergo quod dico de cibis, hoc sentite de sententijs. *Serm. 17.*

Exempla Biblica.

Ieiunij veri publici *exempla:* Israelitæ, *Iudic.* 20.26. *Ioel* 2.12.1. *Machab.* 3.46.47.2. *Machab.* 13.12 Niniuitæ, *Ion.* 3.57. Israelitæ, 1. *Sam.* 7.6. Dauid cum suo exercitu, 2. *Sam.* 1.11.12.1. *Paral.* 10.13. Iosaphat cum suis, 2. *Paral* 2.3. Populus redux e captiuitate Babylonica, 1. *Esd.* 8.23. *Nehem.* 9.1 Iudæi, *Esth.* 4.3. Iudæi sub Iosia, 16. sub Ioachim, *Ier.* 36 9. Baruch, 1.3.4.5 Bethulani, *Iudith* 4.7. Ecclesia Antiochena, *Act.* 13 2.3. Ecclesia gentium, 14.23. Ieiunij priuati *exempla:* Moses, *Exod.* 34 18. Dauid, 2. *Sam.* 3.35. & 12.16. *Psal.* 35.13. & 69.11. & 109.24. Elias, 1. *Reg.* 19.8. Achab, 21.27. Nehemias, *Nehem.* 1 v. 4. Iudith, *Iudith* 8.6. Esther, *Esth.* 14.2. Tobias, *Tob.* 2 4. Daniel, *Dan.* 9.3. Christus, *Matt.* 4.1, *Luc* 4.1 Discipuli Ioannis, *Matth.* 9.14. *Marc.* 2.18. Anna Prophetissa, *Luc.* 2.37. Paulus, *Act.* 14.23.2. *Cor.* 6.4.5.

Ieiunij hypocritici, & plane detestandi *exempla.* Iezabel, 3. *Reg* 21. 9.12. Achab, 27. Ieiuniorum indictorum *exempla:* à Saule, 1. *Sam.* 14.24. à Iosaphat, 1. *Paral.* 20.3. à Niniuitis, & eorum Rege, *Iona* 3.5.7. ab Esdra, 1. *Esdr.* 8.21. ab Esther, & Mardocheo, *Esth.* 4.16. Ieiunij miraculosi *exempla:* Moses, *Exodi* 24. v. 18. & 34.28. *Deut.* 9. v. 9.18. Elias, 1. *Reg* 19.8. Christus, *Matth.* 4.1. *Marc.* 1. *versic.* 12. 13.4.1.

Ieiunia nulla absque operibus misericordiæ, *Zachar.* 7.5. quod non ieiunent reprehenduntur discipuli Christi, *Matth.* 9.14. Ieiunium priuatum quomodo instituendum, *Matth.* 6.17. Ieiunium nostrum non est exprobrandum Deo, *Esa.* 58.3. quale ieiunium requirat, *ibid. v.* 6. Ieiunio humiliat se Dauid, *Psalm.* 35.13. Ieiunio, & oratione dæmonium eijcitur, *Matth.* 17.21. Ieiunium orationi coniunctum, *Marc.* 9.29. *Luc.* 2.37. *Act.* 13 3. & 14.23 Ieiunium superstitiosum, & sinceræ Christianismi professioni oppositum damnatur, *Coloss.* 2. v. 20.21.22.23.

Exempla Prophana.

Carolus Magnus expeditione in Auares suscepta, ad Anisum flouium triduanum ieiunium, & Litanias celebrauit cum exercitu. *Rhegino. lib.* 2.

Ludouici pij Imp. ægrotantis cibus erat solummodo per quadraginta dies Dominicum corpus. *Aymon. l.* 5. c. 29.

Zenon Imperator. in electione Episcopi Constantinopolitani, edixit quadraginta dierum ieiunium. *Niceph. lib.* 16. c. 18.

Qui de sacra Domini mensa communicabāt olim, ante & post sumptionem sacræ cœnæ ieiunijs, & abstinentijs sese exercebant, *teste Chrys. c.* 11 *prioris ad Cor.*

Qui volebant sacris Isidis initiari, illis ieiunium decem dierum indicebatur, *teste Apuleio l.* 11.

Amphiaraus summus vates, iussit sacerdotes, qui responsa clara accipere, & sincerè reddere vellent, integrum diem à cibo, à vino autem triduo abstinere. *Volater.* 13 c 4. *Anth rop.*

Apud Troezenios, qui ad Aridalicarum rem diuinam facerent, & Deorum responsa expeterent, per integrum diem cibo: à vino autē per triduum abstinebant. *Alex ab Alex lib.* 6. c. 5.

Hieroglyphicum.

Sunt qui ieiunum hominem ostendere volentes, *Cephalum* ex Mugilum genere translittoranum pingant: it enim non nisi mucore vescitur suo, quamobrem ipse semper ieiunus: atque hinc illa intestini ganeæ adeo expetita suauitas κεφαλὶς à Græcis appellatur, à nomine illius. *Pierius.*

Vide Abstinentia.

I G N A V I A.

Definitio, et Etymol.

IGnauia, inertia, formido, timiditas, fortitudinis, & industriæ inimica, Græcè ἀδυναμία, ἀργία pigritia, negligentia, desidia: Hebr. *Hatslah*, & *Hatsluth*, pigritia, *Prou.* 19.15. & 31.24. a verbo *Hatsal*, Piger fuit: quod contrariam habet significationem verbo *Halats*, exultauit, exilijt: ignauum enim, & pigri sunt deliciosi, & in ocio torpent complicatis manibus, & pedibus, *Hetsel*, Ignauus, Piger, a quo fortasse Asellus; ignauum, & tardum animal.

Ignauia damnatur, *Prou.* 6.6.9. & 13.4. & 15.19. & 19. v. 15.24. *Eccl.* 10.18. Vide Desidia, Inertia, Pigritia.

Sententiae Poeticae.

Ouid. 1 Pont 6.

Cernis, vt ignauum corrumpant ocia corpus,
Vt capiant vitium, ni moueantur aquæ?
Et mihi si quis erat ducendi carminis vsus,
Deficit, estque minor factus inerte situ.

Sen. Med.

Fortuna fortes metuit, ignauos premit.

Ouid. Epist. 16.

Ad possessa venis præceptaque gaudia serus,
Spes tua lenta fuit quod petis alter habet.

Boet. 4.7.

Ite nunc fortes, vbi celsa magni
Ducit exempli via, cur inertes
Terga nudatis? superata tellus
Sidera donat.

Plaut. Bacc.

Sibi ne mudeatur, ipsi ignaui recte cauent.

Antholog. Sact. Iacob Billij.

Nullum tam leue præceptum esse, quod ignauo, ac non amanti asperum non sit.

Pectoribus duris dura est doctrina salutis,
Et Patris etherei quidquid ab ore fluit.
Ignauis durus labor est, vigilare molestum
His, quibus est alto dulce sopore frui.
Verba humiles animos reddentia dura superbi,
Durus, lasciui verba pudica putant.
Denique quicquid id est quod Cœlesti lege iubetur,
Æternum ignauis esse videtur onus.

Philosophicæ et Histor. Sententiæ.

Rerum occasiones tarditatem nostram, & ignauiam non expectāt, *Ex orat.* 1. *contra Philip.*

Si quod quisque vult quærens desidebit, & vt ipse nihil faciat secū reuoluent, primum sane nullos vnquam inueniat qui facturi sint. *Ex orat.* 1. *contra Philip.*

Cum non pauca Reipub. sint errata, neque ex paruo tempore collecta, quibus hæc Reipubl. negotia male se habent, nihil est omnium, Athenienses, in præsentia nocentius, quam quod vos animis alienari à rebus, & tantisper operam datis, dum auscultatis sedētis, si quid noui nunciatum fuerit. *Ex orat.* 4. *cont Philip.*

Turpe quidem est, proh supreme Iupiter, omnesque cœlites, & indignum vobis, & ciuitatis amplitudine, & rebus gestis maiorum vestræ ignauiæ causa reliquos omnes Græcos in seruitutem proijcere. *Ex orat. de reb. Chersonensibus.*

Quod multa bello perdidimus, ignauiæ nostræ iure adscribi conuenit. *Olynth.* 1.

Eodem modo quo qui tempestatem expectant, mihi videntur contemplari, tum singuli precantur, ne ad se perueniat: prohibere verò nemo conatur. *Ex orat.* 3. *cont. Philip.*

Quo magis securo eunt animo, eo citius peccabunt. *Exod.* 49. *Troxm.*

Quoniam nos neque paruum, neque magnum quicquam eorum, quæ oportebat, fecistis, res nostræ male se habent: quod si omnia, quæ decebat fecissetis, rebus ita affectis, ne spes quidem erat ipsas meliores fore: nunc autem ignauiam vestram, & negligentiam vicit Philippus, ciuitatem verò non vicit; neque vos estis victi, imò ne moti quidem. *Ex orat.* 5. *contra Philip.*

Quænam est causa, cur ille plures res quam nos superiori bello ex animi sententia gessit: hic ipse militat, labores perfert, periculis adest, neque occasionem rei bene gerendæ prætermittens, neque vllam anni partem omittens: nos verò (dicetur verum) nihil facientes hic perpetuo sedemus cunctabundi, tum decernentes, tum interrogantes, si quid noui in foro dicatur. *Ex orat. ad Philip. Epist.*

Sæpè contingit, vt multarum magnarumque rerum occasio breui tempore suboriatur, quam si quis sua voluntate hostibus condonarit, & prodiderit, nequicquam facere poterit, vt eam

postea

postea recuperet. *Ex or. II. de falsa legat.*

Turpe est, vel potius turpissimum, non solum vrbes, & loca, quorum aliquando fuimus domini, proijcere videri, verum etiam comparatos a fortuna socios, & occasionem. *Olynt. 5.*

Fort. no volubiles habet mutationes, & in vtramque partem, vel secundas ad res, vel aduersas: quæ verò per ignauiam hominum fiunt, ea certas clades afferunt. *Ex 39. Proœm.*

Ignauia non æque voluntaria, ac res singulæ esse videatur: quod illa dolore vacat: hæc adeo homines de suo statu sensu doloris dimouet, vt & arma abijcere, & alia permulta contra decorum homines facere cogantur: ob eamque causam violentæ videtur. *lib. 3. Ethic. c. 12. Arist.*

Qui omnia timet, parumq; confidit: ignauus dicitur. *li. 2. Ethic. c. 7.*

Desperauit, ac diffidit ignauus omnis: quoniam omnia pertimescit: at fortis contra: est enim fidentis animi audere. *lib. 3. Ethicor. cap 7.*

Perferre vim, neque tueri se posse, imbellis, & præpauidi hominis est. *lib. 2. Rhetor. c. 6.*

Mortem sibi ipsi consciscere fugiendo, vel inopiam, vel amorem, vel molestiam, fortis animi magniq; non est: sed angusti potius, & timidi. *lib 3. Ethic. c. 7.*

Milites tum ignaui demum timidique existunt, cum periculum impendet: inferioresque sunt, & copijs, & apparatu. *lib. 3. Ethicor. c. 8.*

Qui fugit timetq; pericula omnia, quique nullum perfert: is timidus, & ignauus euadit. *lib 2. Ethic. c. 2.*

Qui molesta quæ sunt ægrè fert: is habendus ignauus. *lib 2. Ethicor. cap. 3.*

Ignauiæ timiditatisq; est sufferre, ac perpeti, & non se defendere. *lib. 5. Rhet. ad Theodect. c. 6.*

Nec si quis vim liberis, & vxori timeat, vel inuidiam, aut si quid est eiusdem generis, ignauus, ac timidus putandus est. *lib. 3. Ethic. cap. 6.*

Eorum qui in metu modum transcunt, qui timoris vacuitate caruerat, vacat nomine. *lib. 3. Ethic c. 7.*

Ignaui sunt, qui in timore nimio educantur, & seruilem, & abiectum semper animum habent. *Francisc. Patricius de reg. l. 4. c. 1.*

Ignaui hominis est mentiri, & eius qui alios decipere vult, vel opinionem potius sequitur quam veritatem. *Idem ibidem, lib. 4. cap. 1.*

Ignauus est, qui timendo excedit, nam & quæ non oportet, & sicut non oportet, timet, sed in doloribus excedens magis est manifestus: quippe cum desperabundus sit ignauus, omnia enim timet. *Ari l. 3. Ethic. c. 15.*

Ignauia est vitium animi, per quod periculis, & maximè mortis consternitur. *Idem de vi xut.*

Nobilis equus vmbra quoque regitur: ignauus ne calcari quidem concitari potest. *Curt. l. 5.*

Non est prudentum, neque generosorum hominum, res alienas fortitudine quærere, & patr suas per ignauiam amitti. *Dion. Halic. lib. 11.*

Nemo ignauia immortalis factus est: neque quisquam parens liberis, vti æterni forent, optauit: magis vti boni honestiq; vitam exigerent. *Salust. de bel. Iugurth.*

Enerues animos odisse virtus solet. *Val. Max. l. 2. c. 7.*

Stultorum arbitror esse hominum à Deo petere, vt det euenire meliora, ipsis aduersus ire omnentibus, ac in causa existentibus vt contraueniat. *Procop. de bel. Vandalic. lib. 1.*

Ignauiam etiam secundis in rebus extremo contemptu Romani dignam iudicant. *Zonar. Annal. tom. 2.*

Victoria de hoste parta, de eo quod deinceps agendum est, equidem sic statuo: si socordiæ ignauorumque hominum voluptati nosmet dederimus (qui laborare arbitrantur ærumnosissimum esse, ac vitam laboris expertem agere pro voluptate ducunt,) citò nos aio nobis ipsis etiam nullius hominis precij futuros, & celeriter adeo bona hæc vniuersa amissuros. Non enim satis est strenuos fuisse viros, ad hoc vt strenuitas ea perpetua sit, nisi quis in hoc assiduè elaboret: sed vt artes etiam reliquæ neglectæ minoris æstimantur, & corpora ipsa rectè affecta, si ad desidiam relaxentur, rursum male afficiuntur, sic & temperantia, & continentia in rebus, quum quis horum exercitationem remittit, ad prauitatem vicissim conuertuntur. Non igitur cessare debemus, neque ad voluptates præsentes nosmet proijcere. *Xenoph. de instit. Cyri lib. 7.*

Ego statuo, inquiebat Cyrus, ignauos, siquidem nauum, & dicto audientem habere exercitum velimus, exauctorandos esse. Nam militum vulgus mihi sic comparatum esse videtur, vt sequatur quacumque quis duxerit. Ducere verò, mea quidem sententia, viri fortes, ac præclari conantur ad res præclaras, ac magnas: ad improbas, improbi. Atque adeo frequenter accidit, vt inertes suam in sententiam plures pertrahant, quam industrij. Nam improbitas per voluptates illico se offerentes incedendo, multis horum opera persuadet, vti secum sentiant. Virtus autem in arduum ducens, non admodum efficax est in hominibus illico temereq; sibi adiungendis: maxime si sint alij, qui è diuerso ad decliuem mollemq; viam cohortentur, idcirco ij qui ex ignauia laborumq; detractatione solum improbi sunt, eos equidem arbitror quasi fucos sumptu modo socios defraudare. Qui vero communes sibi cum alijs labores esse nolunt, & ad capiendum commoda sua strenui sunt atque impudentes, hi etiam ad res improbas se duces præstant: quippe qui demonstrare sæpenumero possint improbitatem præcipua cómodo cedere. Quapropter omnino sunt homines eiusmodi nobis exauctorandi.

Neque sane considerandum vobis est, qui de ciuibus ordines suppleatis: sed quemadmodum equos optimos quæritis, non vestra in patria natos: sic homines ex omnibus sumite, quoscunque vobis & roboris & ornamenti plurimũ allaturos existimabitis. Mihi quidem hoc quoque testimonio est, rectè nobis id cessurum, quod nequit esse currus celer, in quo equitandi sunt. Neque domus rectè administratur, quæ famulis improbis vtitur. Imo etiã minus detrimenti accidit, si seruis egeat, quam si ab iniustis perturbetur. Hoc quidem certe scire vos volo, milites malos exauctoratos non eam modo nobis vtilitatem allaturos, quod mali aberunt: sed illorum etiam qui nobiscum manebunt, quotquot sane plenam iam improbitatis esse cœperunt, rursum ab ea repurgabuntur, & boni malos ignominia notatos quum viderint, multo alacrius virtutem colent. *Xenoph. de Cyriped. l. 5.*

Ignauis omnia aduersa subeunda veniunt, Atque hoc ipsum Dei quodammodo voluntate accidit. Is enim illis, qui sibi labores ad optima quæq; consequenda volunt imperare, tribuit, alios qui imperent. *Eod. l.*

Aliæ ciuitates in eos duntaxat animaduerterunt, qui proxime iniuriam intulerint: at Lycurgus eum non minus plectendum voluit, qui manifesto neglexisset rationem, qua præstantissimus euaderet. Existimabat enim, vt videtur, ab ijs, qui captiuos quosdam rapuissent, aut quicquam furto vel alia illegitima ratione abstulissent, in eos qui læderentur solum perpetrari iniuriam: ab ociosis vero ignauisque hominibus respublicas prodi. *Xenoph. de republ. & leg. Laced.*

Sæpe radio laboris ad vtilitatem sui compelluntur ignaui, at virtus nihil inexpertum omittit. *Curt. lib. 5.*

Timidi ac ignaui ad desperationem formidine properant. *Tacit. histor. lib. 5.*

Deus ignauorum & meticulosorum sacra votaq; non accipit, neq; fas est vel eũ qui non iaculetur scopum tangere, vel eum qui fugiat victoriam potiri, & omnino neque bene agere qui nihil agit, neque malus homo felix esse potest. *Plut. in Æmyl. Paulo.*

Apophthegmata.

Diogenes, quibusdam admirantibus, carmen illud Hesiodi.

> οὐδ' ἂν βοῦς ἀπόλοιτ' εἰ μὴ γείτων κακὸς εἴη.
>
> *Ne bos quidem pereat etiam si vicinus sit malus.*

Atqui Messenij, inquit, simul cum bobus periere, vobis vicinis. Exprobrauit Atheniensibus ignauiam, qui Messenijs vicinis aduersus Lacedæmoniorum vim non fuerint opitulati. *P. M. l. 8. apoph.*

Democritus interrogatus, quare industrij ab inertibus differrent, respondit, Qua impij à pijs: spe nimirum bona. Laboriosus quippe incumbens, suæ industriæ sperat præmium amplissimum, ignauus autem desperans, nullam habet bonorum futurorum spem qua fulciatur. *Max. serm 31.*

Lysander. Lacedæmonijs segniter Corinthiorum murum oppugnantibus, quum leporem fossa vidisset exilientem. Eos, inquit, timetis hostes, quorum ignauia lepores in muris dormiunt? *Plut. in apoph.*

Themistocles. Hieronem cum equitatu venientem ad ludos Olympicos, vetuit certamen spectare. Interrogatus autem, cur hominem excluderet? Non æquum esse respondit, vt is qui maximi periculi se socium non præbuisset, ad communem conuentum ludicraque spectacula admitteretur. Notauit autem hominis in rebus præclare gerendis ignauiam & oscitantiam. *Ælian. l. de var. histor.*

Scipio. Cum in Alexandriam venisset, pedesque vrbem accederet: Rex autem cum alijs propter ignauiam corporisque molliciem vix incederet: Scipio ad Panarium ait, Iam Alexandrini aliquid voluptatis & fructus ex nostra peregrinatione perceperunt, propter nos enim regem suum ambulantem viderunt. *Brus. lib. 3.*

Idem. Nęuius quidam, cum iners socorsq; esset, festiue per agnominationem Scipio in illum iocatus est, Quid, inquit, hoc Nęuio est ignauius? *Brus. l. 3. c. 12.*

Q. Metellus dicere solebat, nescire se, an sua victoria plus boni an mali Reipublicæ attulisset. Notauit autem Romanorum post partam victoriam ignauiam, quæ multis malis ianuam aperuit. *Brus. lib 4.*

M. Catonis perfrequens fuit sententia, Nihil agendo homines malè agere perdiscere. Quo dicto exectratur omnem ignauiam, quæ multorum malorum sæpenumero causa est. *Columel. lib. 12.*

Sigismun.

Sigismundus Imp. cum ignauus ac ociosus homo fœneratores eo nomine plurimum laudasset, quod dormientes etiam pararent ex rebus luctum. At tu, inquit Imperator, vigilando omnia consumis. *Æn. Sil. l. 4. comment. in res gest. Alph. regis.*

ADAGIA.

Neque compluitur, neque Sole aduritur. οὔτ' ὕεται, οὔτε ἡλιοῦται.
De eo dici solitum, qui procul ab omni incommoditate semotus, vitam ageret.

Neque natare, neque literas. μήτε νεῖν, μήτε γράμματα.
Subaudiendum, nouit. In eos qui supra modum indocti sunt, ubi q. prorsus bonarum artium imperitia didicerunt. Er kan weder gaglen, noch Eyer legen.

Ne tria quidem Stesichori nosti. οὔτε τὰ τρία Στησιχόρου γινώσκεις.
De vehementer indocto & imperito dici solitum.

Inelegantior Libethrijs. ἀμουσότερος Λειβηθρίων.
In hominem admodum Idiotam, & ab omni Musarum commercio prorsus alienum.

Barbarus ex triuio. Βάρβαρος ἐκ τριόδου.
In hominem dicebatur extremæ humilitatis ac prorsum nullius precij.

Haustim bibere. Ἀμυστὶ πίνειν.
Ἀμυστὶ πίνειν dicuntur, qui haustim auideq; bibunt, nec inter bibendum spiritum reciprocant, sed potum in aluum non secus, atque in dolium effundunt. Traduci poterit ad eos, qui sermonem nullo delectu, nimis auide accipiunt. Aut, qui immodica lectione obruunt ingenium, quum magis expediat subinde cogitationem admiscere lectioni.

Nec sibi nec alijs vtilis.
Qui prorsus inutiles sunt, & fruges consumere nati, schemate prouerbiali: Nec sibi, nec alijs vtiles dicuntur. Cic.

Claudi more tenere pilam.
Prouerbium in eos dici solitum, qui praeclare rebus gestis in iuuenta, postea quam consenuerint, ad sordidas curas semet abijciunt.

Anus, velut equus, profundam habebis fossam. γραῦς ὥσπερ ἵππος, τὸν χαράδραιον τόπον ἕξεις.
De ijs, qui penitus abijciuntur tanquam prorsus inutiles. Plut.

Ab asino delapsus. ἀπ' ὄνου καταπεσών.
In eos dicitur, qui inconsulte quippiam agunt, & imperite: aut in eos, qui à præsentibus commodis, quibus ob inscitiam uti nesciunt, excidunt. Vtitur hoc adagio. Plato lib. 3. de Legibus.

Ἄμουσοι.
Inelegantes & indoctos Græci vocant ἀμούσους, hoc est, à Musis alienos.

Liberæ capræ ab aratro. ἀπέλυσας αἶγας ἀπ' ἀρότρου.
Dictum olim ab ijs, qui se ab onere quopiam, aut molestia liberatos gloriarentur.

Ne Aesopum quidem triuisti. οὐδὲ τὸν Αἴσωπον πεπάτηκας.
De vehementer stupido & imperito.

Nullam hodie lineam duxi. τήμερον οὐδὲ μίαν γραμμὴν ἤγαγον.
In eos quadrat, quibus cessatum ab exercitio studij, artisq; suæ. Id refertur à Plinio lib. 35. c. 10.

Neglectis vrenda filix innascitur agris.
Horatius Satyra 3. mira admonuit allegoria animum honeste excolendum disciplinis: alioqui futurum, vt inutilis silua vitiorum occupetur.

Ameles angulus. ἀμελὴς γωνία.
Dicebatur, qui supinus, & oscitabundus desideret, nihil bonarum rerum tentans. Zenodot.

Ignauis semper feriæ sunt. ἀεργοῖς αἰὲν ἑορτά. *Theocrit.*
Qui vacant otio feriati dicuntur & otiosi, feriatis & otium, feria: qua metaphora tanquam in prouerbium recepta sunt. Faule Leute haben gern viel feyertage.

Mulieris podex. γυναικὸς πυγή.
In ignauum ac desidiosum dicebatur.

Qui domi compluitur, huius neque Deum miseret. τὸν οἴκοθεν βρεχόμενον οὐδ' ὁ Θεὸς οἰκτείρει.
Vulgo Græcis iactatum. Sensus est. eum modis omnibus suo malo videri dignum, qui sit vsque adeo ignauus, vt nec domi suæ possit à pluuia tutus esse.

Ne vidit quidem oleum.
Conueniet in eos, qui sint artis alicuius prorsus rudes & imperiti. Theocritus.

> *Καὶ πόκα τήνος ἔλαιον ἐν ὀφθαλμοῖσιν ὄπωπε.*
> *Et quando ille oculis oleum conspexerat vnquam?*

Vide locum. De scientia.

EXEMPLA PROFANA.

Archilochum Poetam Lacedæmonij, quamquam genere Spartanus esset, vrbe expulerunt, quod carmen scripserat, in quo ostendi videbatur: Satius esse in prælio arma, quam vitam amittere, nam eo doctrinæ genere arbitrati sunt, homines ignauiæ atque timiditatis plus habituros. *Fulgo. l. 6. c. 3.*

Nabathæis seruatum legimus, vt negligens, remissus & otiosus, qui opes paternas ignauia minuisset, pœna multaretur. *Alex. ab Alexan. lib. 3. c. 13.*

Sardois lex in otiosos constituta est, quæ pœnas ignauiæ & socordiæ infligebat: & vnumquemque laborum, victus totiusque vitæ rationem reddere cogebat. *Ælian. l. 4.*

Apud *Argos* si quis in re quærenda negligens foret & remissus: aut si desidiosum & segnem viderent: rationem vnde victum quæreret, apud magistrum, qui loco censoris erat, reddere cogebatur. *Alex. lib. 3. c. 3.*

Cleopatra regina M. Antonium magnum illum Imperatorem dubio adhuc Marte cum Augusto ad Actium pugnantem, suo exemplo ad turpissimam fugam incitauit. Conspecta enim fuga Cleopatræ, desertis illis, qui pro ipso certabant, quinqueremem conscendens, insecutus est eam. *Plut. in Ant. vita.*

Ferdinandus IV. Castellæ rex. Alphonsum filium hæredem & successorem instituit: Iacobo primogenito abdicato, quod contra Sardos rebellantes in Sardiniam a patre missus expeditionem Sardiniæ, simul & regnorum successionem recusasset *Tarapha de regibus Hispan.*

HIEROGLYPHICA.

Apud multos *Asini* significatum est, *Ignauia*, quæ quidem cum omnibus sit nota, superfluum est eam latius explicare. *Pier. Vall. 12.*

Expeditas autem manus, & in propatulum prolatas ita opus, auctoritatem atque potestatem indicabat: contra vero nihili hominem ignauium & otio desidiaque torpescentem significare si vellent, *manus eius in sinum consertas effingebant*: qui porro status ignauissimi nebulonis est, cum præsertim Anaxagoras ideo sapientissimum omnium animantium videri hominem dixerit, quia manibus instructus foret. *Pier. Val. l. 35.*

EMBLEMA.

Andr. Alciati Emblema LXXXIII.

> *Ignaui ardeolam stellarem effingere serui*
> *Et studia, & mores, fabula prisca fuit:*
> *Quæ famulum Asteriam volucris sumpsisse figuram*
> *Est commenta, fides sit penes historicos.*
> *Degener hic veluti qui sauit in aere falco est,*
> *Dictus ab antiquis vatibus ardelio.*

FABVLA.

Asinus & Ranæ.

Asinus ligna portans lacumque transiens, & in lubrico titubans collabitur: cumque onere grauaretur, neque resurgere posset eiulare & lamentari cœpit. Cuius querimoniam audientes incolæ lacus illius ranæ, Heus tu, inquiunt, quid faceres si tanto tempore in his aquis iacuisses, quanto nos in ipsis versamur, cum vix his concidens & omnia miserabili questu compleas?

Hanc possis fabulam vir fortis & patiens laborum narrare ignauo & otioso, qui in minimis defatigetur, & doleat.

IGNIS.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

IGnis, Græce, πῦρ, φῶς, τὸ ὃ πυρακτοῦμαι, ignesco dicitur. Est autem vnum de quatuor elementis, leuis, & sursum ferri habilior reliquis, combustiuus & illuminatiuus, *secundum Io. Damasc. lib. 2 c. 7.* Diciturq; , vt aliqui volunt, quod ex eo nihil gignatur. *Ouid. Nataq; de flãma corpora nulla vides.* Ab ignis igneus fit, hoc est, quod ex igne est, vt calor igneus, & ignitus, candens vt ferrum ignitum, & igneo, & ignesco, & ignio, eiusdem significationis. Ignatius lapis, ex quo excutitur ignis. Ignefacio, ignem accẽdo. Ignipotens, id est, Vulcanus, ignis Deus.

Ignis Hebr. *Esch.* secundum nonnullos à verbo *Anasch*, deriuatur, quod res immedicabiliter & sine remedio infirmet atque consumat. Ignis ab In præpositione priuatiua, & *gigno*, dicitur, vt nonnulli sentiunt, quod in eo nihil generetur: quod de igne artificiali intelligendum, non autem de igne naturali & omnia animantia viuificante intelligendum videtur. Eo sensu, ignem à gignendo & nascendo Varro dictum putat, quod ab igne omnia nascatur, & ignis animantibus vim indat mirificam.

LOCI BIBLICI.

Ignis pro spiritu Domini, *Luc. 3. 16. 1. Cor. 3. 13.* Ignis in Altari perpetuus, *Leuit. 6. 12.* Ignis in sabbato accendendus, *Exod. 35. 3.* Ignis insatiabilis, *Prouer. 30. 16.* cœlitus miraculo demissus, *1. Reg. 18. 38. 2. Para. 7. 1. 2. Reg. 14.* exit è petra, *Iudic. 6. 21.* æternus, *Matth. 25. 41. Esai. 66. 24.* Ignis consumens Deus, *Deut. 4. 24. & 9. 3. Hebr. 12. 24. 16.* columna deducens Israelem. *Exod. 40. 38. Num. 9. 15.* Ignem prædicationem Euangelij optat Christus accendi, *Luc. 12. 49.* Igne tribulationum probamur, *1. Cor. 3. 13.* Igne salietur victima, *Marc. 9. 49.* Ignea lex, *Deut. 33. 2.* Igneo curru tollitur Elias, *2. Reg. 2. 11.* Igneis serpentibus percussi Israelitę, *Num. 21. 6.* Multæ aliæ Ignis significationes tum propriæ tum figuratæ in scripturis Sacris occurrunt. Vide magnas Bibliorum Concordantias.

PHILOSOPHORUM SENTENTIÆ.

Fertur eo motu qui ad superiora pellit ignis natura sua. *lib. 5. de Na. tura. c. 6. T. 59. Arist.*

Ignis calidus, & siccus est. *lib. 2. de Ort. c. 3. T. 16.*

Ignis facilè moueri potest, calefaciendiq; atque accendendi vim habet. *lib. 3. de Cælo c. 8. T. 69.*

Ignis calor proprius est. *lib. de Sensu c. 4.*

Cum aeris humor, & terræ fr qua tollitur, ignis existit, quod illius calor relinquitur, & huius siccitas. *lib. 2. de Ortu. c. 4. T. 27.*

Igni aqua pastum præbet: aquam autem ignis alere non videtur, *lib. 2. de Anima c. 4. T. 43.*

Ignis vnus ex corporibus, aut elementis ali, & augescere videtur. *ibid. T. 40.*

Ignis augescere in infinitum potest, quamdiu subest, quod comburatur. *ibid. T. 41.*

Terra putrescit, & aqua, & aer, quando quidem pastus ignis hæc sunt omnia *lib. 4. Meteor. c. 1. T. 5.*

Ignis nullo est pondere præditus. *lib. 4. de Cælo, c. 4. T. 32.*

Maior ignis maiore celeritate, quam minor ad superiora euolat. *lib. 4. de Cælo, c. 2. T. 16.*

Ignis generatur semper, atque instar fluminis fluit, sed obtutum oculorum effugit propter celeritatem. *lib. de Adolesc. c. 5.*

Ignis pro omnibus generibus ex minimis partibus constat, vnde per aquam, terram, & aerem, & ea, quæ ex his constituuntur, secedit, & nihil ipsum continere potest. *In Timæo.*

Ignis cum aere, vel aqua, aut terra aliqua comprehenditur, & in multis modis mouetur, & in ipsis dū feruntur reluctatus, & si superatus fractus fuerit, duo ignis corpora in vnam aeris speciem constabunt. *Plat. in Timæo.*

Ignis radius duas habet vires, vna vrit, illuminat altera, sic Dei radius calore purgat mentes, & animas, ab interioribusque secernit, luce illustrat, caloris feruore in se omnium inflammat, & incitat appetitum, lucet fulgore appetentibus omnibus veritatis exhibet claritatem. *Idem in Plat. Phil. l. 1. c. 16.*

Ignis, & terra, quia per solidum, id est, trinam, & absolutam distantiam, inter se discrepant, duobus saltem medijs elementis quibus conciliantur indiguerunt. *ibid. c. 26.*

EXEMPLA BIBLICA.

Combustorum, & igne deuoratorum *exempla*: Sodomitę, & Gomorrhitę, *Gen. 19. 24. 25.* Nadab, & Abihu, *Leuit. 10. 1. 5.* Ducenti quinquaginta viri, *Num. 16. 33. 34. 35.* Thamnathæus, & vxor eius, *Iudic. 15. 6.* Saul, & filij eius, *1. Sam. 31. 12.* Quinquagenarij duo cū quinquaginta viris, *2. Reg. 1. 10. 11. 12.* Filij, & filiæ Israelitarum, *2. Reg. 17. 17.* Filij Sepharuaim, *vers. 31.*

HISTORICA EXEMPLA.

Empedocles se in ardentia Aetnæ specum intempesta nocte coniecit, vicum repente non apparuisset, abijsse ad Deos crederetur. *Ravisius in arte.*

Plinius secundus Veronensis, Vespasiani Imperatoris tempore com opus de naturæ successibus temporibus conscriberet, in montis Vesuuij incendio, dum eius caussam indagare cupit perijt. *Volat. lib. 18. Anthrop.*

Fama est *Cæsium Bassum poetam Lyricum*, in suis prædijs ardente Vesuuio, lateque vagantibus flammis, cum villa sua conflagrasse. *Saxo lib. 7. historiæ Danicæ ait, Frotonem regem* antro, quo confugerat, flamma, & fumo fuisse suffocatum.

Sarny Galli, Alpium accolæ a Q. Martio rege obsessi: cum nullam libertatis spem superesse viderent, interfectis liberis, & coniugibus se cum omni præda igni absumendos obiecerunt. *Eutropius lib. 4. Orosius lib. 5.*

Capta à Carolo V. Classe anno 1532. Naupacto, Turcæ quidem crudelitate Christianorum territi, media inclusi turre, seipsos, & totam totumq; pene Castellum succenso tormentario puluere concremarunt. *Iouius lib. 31. hist.*

IGNOBILITAS.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

IGnobilitas, Generis obscuritas: Hebræi appellant. *Zulleth*, humilitas ignobilitas, id est, Sordes, vilitates, homines nihili, *Psal. 12. 9.* & *Zalalim*, palmites erectos, & luxuriantes, sed sine fructu, *Esa. 18. 5.* à verbo *Zalal*, in luxu vixit: vnde *Zolel. Prou. 23. 21.* Comessator, & potator. Nam quid aliud sunt, quam sordes, & planè ignobiles, qui crapula, ebrietate, & omnis generis intemperie delectantur? *Gal. Sedunus.*

LOCI BIBLICI.

Ignobiles, qui Deum contemnunt. *Sam. 2. 30.*

Ignobilia mundi elegit Deus. *1. Cor. 1. 28.*

POETICAE SENTENTIAE.

Epicharmi.

Πολλοὶ τοι ... εὐγενεῖς ... κακοὶ

Αἰσχρὸν ... αὐτὸν δυσγενῆ ... πέλει

Τίς γὰρ ... κοινωνία.

Tamen non sufficere tum nobilitatem aliquis nomo nihili & malus

Nominat, qui meritus ignobilis est

Quod enim commercij speculo cum cæco?

Euripides.

Οὐκ ἂν γένοιτο ... ἐν ἐσθλοῦ πατρὸς κακός

Φ... ἐκ κακῶν ... ἐσθλός.

Vulnus infugi non potest, si quis ferias

Iuuen palustribus, nec ex matre mala

Filij nascuntur qui fortiter hastam tractent.

APOPHTHEGMATA.

Bion, percontanti Antigono Homerico versu,

Τίς πόθεν εἰς ἀνδρῶν; πόθι τοι πόλις ἠδὲ τοκῆες.

Sentiens, se traductum de generis ac gentis ignobilitate, respondit ingenue. Pater meus libertus erat, cubito sese emungēs: significans, eum fuisse salsamētarium, addebat, illum Borysthenitem fuisse genere, non facie, sed in fronte gestare scriptum domini amari matrem fuisse è Lupanari, cum cætera item vnde commemorasset, adiecit versum Homericum.

Ταύτης τοι γενεῆς τε καὶ αἵματος εὔχομαι εἶναι. *Laert. l. 4. c. 7.*

Antisthenes dicebat, generis obscuritatem esse bonum par labori. Aduersus illud Epicuri, *Λάθε βιώσας*. Multi student ignoti esse, quo viuant in otio: At ignobilitas quoniam patet quorumlibet contemptui, non minus adfert negotiorum, quam famæ claritas, *Diogen. Laert. lib. 6. 1.*

Idem, Cuidam opprobranti quod esset hybrida, hoc est, non è duobus ingenuis natus, sed ex patre Atheniensi, matre Phrygia: Nec è duobus, inquit, luctatoribus natus, & tamen luctator sum. Sentiens non tam referre vnde natus sis, quam sis. Is vere liber est, quem Philosophia liberum facit: & is vere Græcus est, qui Græcorum disciplinis institutus est. *Laert. l. 6. c. 1.*

Socrates male audiens à quodam Atheniensi, quod ex matre obscura natus esset, respondit: An putas virum præclarum non ex obscuris parentibus procreari posse? Innuit autem, non ex parentib. sed ex rebus gestis veram nobilitatem iudicandam. *Ibidem.*

Anonymus, Menedemus Eretriensis, eum aliquando decretum tulisset ad populum, quidam ita tetigit illum, vt diceret, non esse sapientia neque tabernaculum conscribere, neque decreta scribere. Subnotans, quod ex patre coriario natus esset ipse quondam eiusdem opificij. Nam olim tabernacula è pellibus rapra sum consuebantur. *Laert. l. 1.*

Iphicrates, cuidam obiectanti, quod ex ignobilibus prognatus esset parentibus? Atqui, inquit, ob id ij sum debui magis laudari: & in admiratione esse, quod à me genus initium cœpit. *Anton. in Melissa par. 3 serm. 79.*

IGNOMINIA.

DEFINITIO, ET ETYMOL.

IGnominia, Græce, ἀτιμία ... ἄτιμος, ignominiosus dicitur. Est autem ignominia nota nominis, veniq; à nomeo. Nam sicut a nomen cognomines dicuntur. qui eiusdem sunt nominis, sic ig omines, qui laude & gloria carent, quasi inglorij, & illaudati. Inde deducitur ignominia. *Cicero Censoris iudicium nihil fere damnato, nisi ruborem.* Ab ignominia sit ignominiosus, hoc est, dedecoris & ignominiæ plenus, & ignominiose aduerbium, hoc est, turpiter. Hebr. *Kalon, Psal. 83. antepen. v. Prou. 11. 2.* à verbo *Kalah*, quod in 3. coniug. *Mikkel*, sign. fecit esse leuem, spreuit, ignominia affecit, *Deut. 27. 16.*

SIMILITVDINES.

Tiberius, Vulnus quidem curare, sed nunquam potes eius cicatricem omnino extergere: Multo est operosius ignominiæ semel acceptæ omnem notam delere. *In apoph. 61.*

EXEMPLA PROPHANA.

Scribit *Plutarchus*, Anchoram ferream solitum fuisse Pausaniam cervicibus eorum, quos crudelius castigaret, subnectere, ac totum diem ludibrio stare coegisse.

Insigniores notæ censetur, si quis *Camelo* insidens, ac per vrbem circumductus, visendum se omnibus præbet, quod contumeliæ genus Byzantij in Arsacem Armenium proditionis conuictum, permisit quandoque Imp. Iustinianus. *Cælius l. 7. c. 18.*

Plato de legibus libet, τὸν καταλύοντα τὰς ἀρχάς id est, qui excubias deseruisset, in foro propalam describi, infamiæ notæque causa, tanquam is, quod in ipso erat, Rempubl. omnem prodidisset loco relicto. *P. M. in adag. e.*

Viro

Viro forti ignominia tristior est morte, quæ cum gloria & spe publica salutia sine longo cruciatu aditur. *Thucyd. lib. 2.*

Turpitudinem quidem fugiendam esse ac cauendam verum est: omnem verò ignominiam vereri, modesti quidem id & simplicis, pusilli tamen animi est. *Plutarch. in Comp. Timoleontis & Pauli Æmyl.*

Vide Nobilitas.

IGNORANTIA.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

IGnorantia, Græce ἀγνοια, ας, ἡ, & ἀγνοέω ignoro dicitur. Ignorantia quandoque significat scientiæ priuationem, & tunc ignorantia est carentia scientiæ, quam quis natus est habere: quandoque est aliquid scientiæ contrarium, quæ dicitur ignorantia peruersæ dispositionis, puta cum quis habet habitum falsorum principiorum, & falsarum opinionum, ex quibus impeditur à scientia veritatis, *secundum S. Thom. in q. de malo, q. 3. art. 3.* Quomodo autem differant ignorantia, nescientia, & error, vide supra in Errare.

Ignorantia à gnoro venit (vt quidam volūt) quod veteres pro scio vsurparūt, vel à Greco γνωρίζω quod est notifico, vnde & γνωστός, notus, & γνῶσις notitia dicitur.

Hebr. *Scheghagah*, a *Schaghaghah*, incogitanter egit, inconsideratè fecit. Et *Schiggaion*, a verbo *Schaghah*, errauit, ignoranter peccauit. Affine huic est nomen *Schiggahon*. Deut. 28. 28. i. insania, dementia, vecordia. Nam qui ignorantia nimium delectantur, tandem fiunt vecordes & insani.

SENTENTIÆ BIBLICAE.

Vsquequo imprudentes odibunt scientiam? *Prouerb.* 8.

Vbi non est scientia animæ, non est bonum. 19.

Stultus in via ambulans, cum ipse insipiens sit, omnes stultos æstimat. *Eccl.* 10.

Rex insipiens perdet populum suum, & ciuitates inhabitabuntur per sensum prudentium. *Eccl.* 10.

Neminem diligit Deus, nisi eum, qui cum sapientia inhabitat. *Sapient.* 7.

Non erudietur qui non est sapiens in bono. *Eccl.* 21.

Cor fatui quasi vas confractum, & omnem sapientiam non tenebit. *ibidem.*

Verbum Domini proiecerunt, & sapientia nulla est in eis. *Ier.* 8.

Si quis autem se existimat scire aliquid, nondum agnouit quomodo oporteat eum scire. 1. *Cor.* 8.

Ignorantia turpiter admittitur.

Vani autem sunt omnes homines, in quibus non subest sciētia Dei. *Sap.* 13.

Ignorantiam enim Dei quidam habent. 1. *Cor.* 15.

Hoc igitur dico & testificor in Domino, vt iam non ambuletis sicut & Gentes ambulant. *Eph.* 4.

Grauiter punitur.

Leones interficiunt eos, qui ignorant ritum Dei terræ. 4. *Reg.* 17.

Quia nullus intelligit in æternum peribunt. *Iob* 4.

Omnes, qui me oderunt, diligunt mortem. *Prouerb.* 8.

Qui euitat discere, incidet in mala. 17.

Propterea captiuus ductus est populus meus, quia non habuit sciētiam. *Esa.* 5.

Non enim est populus sapiens, propterea non miserebitur eius qui fecit eum, & qui formauit eum non parcet ei. 27.

Et quoniam non habuerunt sapientiam, interierunt propter suam insipientiam. *Baruch.* 3.

Quia tu scientiam repulisti repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi, & oblita es legis Dei tui, obliuiscar filiorum tuorum & ego. *Osea* 4.

Et populus non intelligens vapulabit. *ibid.*

Si quis ignorat, ignorabitur. 1. *Cor.* 14.

PATRVM SENTENTIAE.

Melius est nescire, quam errare: melior est fidelis ignorantia, quam temeraria scientia. *August.*

Pessimę matris ignorantiæ, pessimæ itidem duæ filiæ sunt, scilicet falsitas & dubietas, illa miserior, ista miserabilior: illa perniciosior, ista molestior. *ibid.*

Ordinis ignorantia conturbat negotiorum naturam, formamq; meritorum. Statutis facere contraria, non est intelligere, sed ignorare. *Ambr. in Psal.* 118.

Tolerabilius est Deo quempiam cum ignorantia in humilitate iacere, quam cum elatione alta sapere. *Greg. in mor. li. 7. mor.*

Quum ignorantiam nostram cognoscimus, leuius aliena onera toleramus: nunquam Deus meorem deserit, qui in peccatis se veraciter cognoscit. *Lib. 1. Mor.*

Non est parum scire, quod nescias, frustra sibi de infirmitate vel ignorantia blandiuntur, qui, vt liberius peccent, libenter ignorāt, vel infirmantur. *Bern. sup. 11. gra. hum.*

Multa scienda nesciuntur, aut sciendi incuria, aut discendi desidia, aut inquirendi verecundia, & quidem huiusmodi ignorantia non habet excusationem. *In epist.*

Vtraque cognitio, Dei scilicet & tui, tibi est necessaria ad salutem, quia sicut ex notitia tui venit in te timor Dei, atque ex Dei notitia itidem amor: sic e contra, de ignorantia tui superbia: ac de Dei ignorantia venit desperatio. *Super Cant.*

Ignorantia Dei plerumque desperationem parturit. *ibid.*

Ignorantia sui initium omnis peccati: ignorantia Dei consummatio omnis peccati. *ibid.*

Hebetudo mentis est acutæ rationis obtusio, carnalia intemperantiæ crassis sensibus inducta. *Hugo.*

Non tibi deputabitur ad culpam, quod inuitus ignoras. *Aug. l. de Natura & gratia.*

Non omnis ignorans immunis est à pœna. Ille enim ignorans potest excusari à pœna, qui, quod disceret, non inuenit. Illis autem hoc ignosci non poterit, qui, à quo discerent habentes, operam non dederunt. *Idem li. q. hab. dist. 37. can. vlt.*

Quamuis errare, quanta possumus cura cauendum sit, non solum in maioribus, verum etiam in minoribus rebus, nec nisi rerum ignorantia possit errari: non est tamen consequens, vt continuo erret quisquis aliquid nescit, sed si quis existimet se scire, quod nescit: pro vero quippe approbat falsum, quod erroris est proprium. Verumtamen in qua re quisquis erret, interest plurimum, nam in vna eademque re & nescienti sciens, & erranti non errās recta ratione præponitur. In aduersis autē rebus, id est, cum iste scit alia, & ille alia, & iste vtiliora, & ille minus vtilia, vel etiam noxia: quis non in eis, quæ ille scit, ei præferat nescientem? sunt enim quędam quę nescire melius est quam scire. *Idem, & hab. dist. 38. Quamuis errare.*

Quemadmodum non rectè dici potest, si nescit homo non peccat: sunt. n. peccata ignorantium, quamuis minora quam scientium. *Idem de adulterinis coniugijs, & hab. 32. q. 7. Quemadmodum.*

Peccata scientium, peccatis ignorantium præponuntur. *Idem & hab. 6. q. 1. Quaro ergo.*

Ignosci potest simpliciter erranti, sicut de seipso Paulus dicit: Qui primo fuit blasphemus & persecutor, & iniuriosus: sed misericordiam merui, quia ignorans feci. Post inspirationē vero & reuelationem veritatis factam, qui in eo, quod errauerat, perseuerat prudens & sciens: iam non in uenia ignorantiæ peccat, præsumptione enim atque obstinatione quadam nititur, cum ratione superetur. *Cyprianus. & habet. dist. 8. Consuetudo. §. Ignosci.*

SENTENTIAE POETICAE.

Ouid. Epist. 19.

Præterita veniam dabit ignorantia culpa.

Boet. 3. 8.

Eheu, quam miseros tramite deuio
Abducit ignorantia?
Non aurum in viridi quæritis arbore
Nec vite gemmas carpitis.
Non altis laqueos montibus abditis,
Vt pisce ditetis dapes.
Nec vobis capreas si libeat sequi,
Tyrrhena captatis vada.
Ipsos quin etiam fluctibus abditos
Norunt recessus æquoris.
Quæ gemmis niueis vnda feracior,
Vel quæ rubentis purpuræ,
Nec non quæ tenero pisce, vel asperis
Præstent echinis litora.
Sed quonam lateat, quod cupiunt bonum,
Nescire cæci sustinent:
Et quod stelliferum trans abijt polum,
Tellure demersi petunt.

Horat. 1. Serm. 6.

Sed, quod magis ad nos
Pertinet, & nescire malum est, agitamus: vtrumne
Diuitijs homines, an sint virtute beati:
Quidve ad amicitias, vsus, rectumne trahat nos:
Et quæ sit natura boni, summumq; quid eius.

Sen. Oct.

Inertis est nescire quid liceat sibi.

Sen. Aedip.

Iners malorum remedium ignorantia est.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Tolerabilior est pœna, viuere non posse, quam scire. *Senec. in Prouerbior.*

Non est leuius omnino nescire, quod liceat, quam facere aliquid, quod scias non licere. *ibid.*

Optimus ac grauissimus quisque confitetur se multa ignorare, & multa sibi etiam atque etiam esse discenda. *Cic. 3. Tusc.*

Tan-

Tantum apud homines ignorantia, & segnities à prudentia, atque industria differt, non solum in priuata vita, verum etiam in publicis rebus, vt in his secundæ res detrimentum, in illis aduersæ emẽdationem quamdam errorum adferre videantur. *Polyb. lib. 5.*

SIMILITVDINES.

Vt morbus non celandus est, sed in publicum afferendus, quo sanari possit, vt dixit Heraclitus, sic inscitia non est tegenda. *Plut.*

Sicuti vinum alios hebetiores reddit, alios acutiores, alios elingues facit, alios loquaculos pro corporum habitu: ita eadem stultitia, & ignorantia veri quosdam incitat ad studium pecuniæ, quosdam ad voluptates. *Arist.*

ADAGIA.

Prorsus ignotus.

In hominem, quem nobis mirum in modum ignotum videri volumus, per iocum torquebitur illud ex Odyss. α. & ξ.

Τίς πόθεν εἰς ἀνδρῶν; πόθι τοι πόλις ἠδὲ τοκῆες.

Dic quis, & vnde venis? tibi vbi patria, atque parentes?

Cognatum est illi: Albus an ater sis nescio, poterit, & ad rem applicari, veluti si dicamus aliquem omnis Philosophiæ imperitum, in librum Philosophicum incidisse.

Nullius coloris.

Alibi commemorauimus de modis omnibus ignoto solere dici, Albus an ater sis, nescio. Huic simillimum est, quod ait Harpax apud Plautum: Quem Pseudolum? quas tu prædicas mihi fallacias? Quem ego hominem nullius coloris noui.

Vehementius est quam si dixisset: Albus an ater.

Iuxta cum ignarissimis.

Non sine prouerbij specie Simo senex apud Plautum in Pseudolo rogatus à Ballione: iam nescis quæ sit hæc res, respondet, iuxta cum ignarissimis. Sentiens se nihil omnino scire, nihiloque plus, quam sciunt ignari.

In alio mundo. ἐν ἄλλῳ κόσμῳ.

In iis, qui longè lateque dissident à moribus aliorum, aut quibus omnia non videntur, aut qui longè dissiti sunt à patria. Er ist auss einer andern Welt. Er ist der alten Welt.

In alieno foro litigare.

Pro eo, quod est: In re noua, cuique nondum assueuerimus, versari.

In sua ipsius arena.

Id est, Intra ipsius artem. Sumptum à gladiatoribus solitis in arena digladiari. Neque verò parui referebat horum, nota an ignota dimicarent arena.

Albus an ater sis, nescio. *Tullius.*

Solet dici de homine vehementer ignoto. Horatius in extrema epistola, vultu mutabilis albus & ater, pro eo quod est bonus, & malus.

Non nouit natos.

Simillima huic figura est. Natum non noui, pro eo quod est, prorsus ac modis omnibus ignoto. Cicero.

Ne pictum quidem vidit.

De vehementer ignoto dicimus. Idem Cicero.

Nomine tantum notus.

De homine nobis mirum in modum ignoto.

Late viuens. λάθε βιώσας.

Admonet adagium in humili fortuna vitam esse feliciorem iis, qui obscure viuunt à publicis negotijs ita summoti, vt cum vita discessissent, nemo illos vixisse sentiret.

Arrepta candela, candelabrum quærere.

Dicimus quum res improuidè geritur.

LOCI BIBLICI.

Ignorantia, pro quouis peccato, *Hebr. 9. 7.* pijs fugienda, *1. Cor. 14. 20. & 15. 34. Eph. 4. 18. 2. Thess. 1. 8. Hebr. 5. 14. & 8. 11. & 13. 9.* Ignorantia mors est, *Eph. 4. 18.* Ignorantia quomodo compescenda, *1. Pet. 4. 15.* Ignorantia, captiuitatis Israelitarum causa, *Esa. 5. 13.* Ignorantia, quæ remissibilis, *Luc. 23. 34. Act. 3. 17. 1. Tim. 1. 13.* & quæ irremissibilis, *Luc. 12. 48. Rom. 1. 20.* Ignorantia in fratribus infirmis toleranda, *Philip. 3. 15.* Vide *Leuit. c. 4.*

Ignorantiæ vocabulo designatur cæcitas Iudæorum, *1. Pet. 1. 14.* cuius fit mentio, *Ioan. 9. 39.* Ignorantia voluntaria, *2. Petr. 3. 5.* Ignorantia contentiosorum spernenda, *1. Cor. 14. 38.*

EXEMPLA BIBLICA.

Ignorantiæ *exempla:* in Abimelech, *Gen. 20. 4. 5.* Patre, & matre Samsonis, *Iudic. 14. v. 4.* Ionatha, *1. Sam. 14. v. 27.* Saule, *26. v. 21.* ducentis Viris sequentibus Absalonem in seditione, *2. Sam. 15. v. 11.* Pharisæis, *Matth. 12. v. 6. 7. & 15. v. 14. Luc. 6. v. 39.* Discipulis, *Luc. 9. v. 45. & 18. v. 34. Ioan. 16. v. 17. & 20. v. 9.* Iudæis, *Ioan. 8. ver. 27. Rom. 10. v. 1. 3.* Nicodemo, *Ioan. 3. v. 9. 10.* Saducæis, *Matt. 22. v. 29.* Ciuibus, & Principibus Ierosolymitanis, *Act. 3. v. 17. & 13. v. 27.* Atheniensibus, *17. v. 23.* Gentibus, *Rom. 1. v. 21.* Principibus huius sæculi, *1. Cor. 2. v. 8.* Mundi sapientibus, *15. v. 34.* Apostatis, *1. Tim. 1. ver. 7.* Paulo, *v. 13.* falsis Doctoribus, *2. Tim 3. v. 7.*

HIEROGLYPHICVM.

Illud addendum ex Hesychio *squamas* ignorantiæ hieroglyphicum esse, quæ quidem opera beneficioq; scientiæ excuti amouerique possunt. Confirmat hoc *D. Pauli historia Actor. Apost. c. 9.*

EMBLEMA.

Submouendam ignorantiam.

Emblema CLXXXVII.

Quod monstrum id? Sphinx est. Cur candida virginis ora,
Et volucrum pennas, crura leonis habet?
Hanc faciem assumpsit rerum ignorantia, tantis
Scilicet est triplex causa & origo mali.

Vide Scientia.

ILLIBERALIS.

Illiberalitas.

DEFINITIO, ET ETYMOL.

Illiberalis, parcus, tenax, sordidus, auarus, Græc. *ἀνελεύθερος.* Heb. *Kilai*, qui aliquid totum appetit solus possidere, & vorare optat: à verbo *killah*, i; consummauit ex toto.

Illiberalitas: Parsimonia, tenacitas, sordities, *ἀνελευθερία.* Heb. *Nablah & Nabluth*, à nomine *Nabal*, quod idem est ac nebulo, vilis, abiectus, parcus, illiberalis, fatuus, &c.

De Illiberali extat egregium dictum, apud Esaiam, qui picturam nebulonum istorum ad viuum expressam nobis proponit his verbis, *c. 35.*

v. 5. Sordidus nõ dicetur amplius liberalis, neq; parcus magnificus.

6. Quia sordidus sordida loquitur, & cor eius vanitatem concionatur, vt simulate agat & vt loquatur contra Dominum fraudulenter, animam esurientem exhauriendo, & potum sitienti subtrahẽdo.

7. Equidem parci arma pessima sunt: scelerata iniit consilia, vt circumueniat simplices verbis mendacibus, tum etiam quum pauperibus ius dicit.

8. Liberalis autem liberalia consultat, perq; liberalia facta clarus surgit.

EXEMPLA.

Labam socer Iacobi Patriarchæ, *Gen. 30. & c. 31. c.*

Nabal Abigailæ maritus. *1. Sam. 25.*

Vide Auaritia, & Auarinæ Exempla.

SENTENTIAE PHILOSOPHICAE.

Illiberalitas vitium est animi, quo imbuti turpe lucrum sectantur. Illiberales, expendunt quidem, minutatim autem & male, atque plus iacturæ facientes, nullo scilicet habito temporis delectu. *Arist. de virtutib.*

Est autem illiberalitatis proprium pluris facere pecunias, nec id probrum putare quod quæstuosum sit: vita est item mercenaria, seruilis, sordida, à munificentia & liberalitate aliena. Consequuntur autem illiberalitatem sordes, ægritudo animi, pusillanimitas, pudor agrestis, indecentia, ignobilitas, hominum odium. *Idem, ibid.*

Illiberalitas est nimius quidam præ studio parcendi sumptibus gloriæ contemptus. Illiberalis autem is, qui si è tragico certamine victoriam reportat, tæniam libero patri ligneam consecret, in qua nomen ipsius sit inscriptum qui etiam cum necessario, Reip. tempore pecuniæ à ciuibus extra ordinem conferuntur, in concione surgens silentio vtatur, aut è medio se proripiat, filiã suam nuptum collocans. mactatæ victimæ carnes omnes, iis exceptis, quæ ad sacrificulos pertinent, vendit: & ad ministrandum in nuptijs mercede conductos adhibet, qui suo quisque cibo vescãtur. Triremi præfectus quam instruxit, gubernatoris aulæis tabulata sternet, suis interea vti parcens. E foro, postquam obsonarit, est, rediens, carnes ipse gestat, atque olera etiam in sinu. Vestem quando à sordibus purgandam locauit, domi tantisper se continet. Quod si quis amicorum eius fortuna vsus aduersa granum à suis familiaribus exigat, idque ipse sciat, deflectens ex itinere domum tendit. Vxori ancillas emit ille quidem nullas: sed quæ in publicum prodeuntem comitentur, conducit. Mane, vbi surrexit, domum ipse mundare, lectosq; purgare solet: & sedens obsoletum ac tritum quod gestat pallium inuertere. *Theophrast. in Characterib. Ethicis.*

APOPHTHEGMATA.

Pythea, vir locupletissimus, sed illiberalis admodum, quum Xerxis tempore subditos suos in auri fodinis misere necaret, à proposito sordido & illiberali ingeniose reuocatus est, & meliori menti restitutus, vxoris suæ opera, quæ quum ei in prandio nihil præter aurum affabre factum, quod cibos repræsentaret, apponi curauisset: merito idoneas dapes ad victũ poscenti respondit, Tu messem & vindemiam tuis abstulisti, vt auri talenta cumulares: aurũ comede: vel in posterum prouide tuis. Quod ille postea præstitit. *Plut. de virt. mulier.*

Aristippus Platoni luxum exprobranti, respondit ita, vt Platonem illiberalem & sordide parcum ostenderet. Quum enim Plato obolum diceret homini temperanti sufficere ad victum quotidianum comparandum, Tibi (inquit) obolus satis est, & mihi tanti sunt quinquaginta drachmæ. *Laertius.*

Aoij

Antigonus Cynico talentum petenti respondit, doni precium vili, & pauperi non conuenire praetexens; Cynicus autem, Da ergo obolum: nec conuenit regi, subiecit Antigonus, obolum numerare. Vtrumque dictum illiberaliter, & Cynicus obolum accipere, & rex talentum largiri debuit. *Plut in apoph.*

Maximilianus I. Imperator, cum vitrea vasa exquisito artificio conflata & deaurata, sed illiberaliter, alio praetio, a Caesare nō satis digna, dono accepisset, vt illiberalitatem ista iocose carperet, vasa omnia supra mensam quandam reposita, vno momento, mensa dextre euersa, confringi curauit. *Conrad. Lycosthenes l. ... Legatorib.*

Augusti Caesaris illiberalitatem poeta Graecus festiue vicit. Qui cum saepe versus Graecos elegantes Augusto frustra obtulisset, tandem etiam versus a Caesare conscriptos accepisset, accedens ad eius lecticam dimissa in pauperem crumenam manu denarios pauculos protulit. Caesariq. oblatos subiecit: Non iuxta fortunam tuam Auguste: Si plus haberem, plus darem. Augustus illiberalitatis veterno excusso poetam liberali & vere Caesareo dono locupletauit. *Suetonius in Augusto.*

I L L V S I O.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

ILlusio, irrisio, subsannatio, sanna. Graec. *ἐμπαιγμός*. Hebr. *Kelas*, a verbo *Killes*, subsannauit, spreuit, vilipendit subsannando. Cognationē habet cū *Kalal*, leuis fuit, vilis fuit. Irrisores n. & illusores sunt homines nihili, leues. Hinc Graec. *χλευάζειν* subsanno, *χλευασμὸς* irrisio, illusio, subsannatio.

Loci Biblici.

Illudi est res grauis & valde molesta. *Psal. 22. v. 7. 8. & 15. ver. 5. & 35. v. 19. & 58. v. 17. & 46. v. 16. & 41. 2. & 70. v. 4. 5.* Illuditur Christus, *Matth. 27. v. 29.*

Illusores Deo abominabiles, *Prou. 3. v. 32.* seuere arguuntur, *Esa. 57. v. 4.* frustra erudiuntur. *Prou 9. 7.* nunquam sapiunt. *14. v. 6* Illusores verbi Dei, *Act. 2. v 13. 2 Pet. 3. v. 3. Iud. v. 18.*

Illusores illudendi, *Prouerb 3. ver. 34.* perdendi, *Esa. 28. versic. 14. Ezech. 25. ver. 3. 4.*

EXEMPLA BIBLICA.

Illusionis *exempla* Noe, *Gen. 9. 22.* Isaac, *21. 9.* Israelitae, *Exod. 32. 25. 33. 14.* Balaā. *Num. 22. v. 28. 29* Gedeon. *Iudic. 8. v. 6.* Abimelech. *9. v. 54.* Saul, *1. Sam 10. v. 27. & 31. v. 4. 1. Paral. 10. ver. 3.* Dauid, *1. Sam. 25. v 10. 2. Sam 5. v. 6. & 6. v. 20. & 16. v. 7. 1. Paral. 15. ver. 28.* Amici Iudae, *1. Mach. 9. v. 26.* Duo fratres, *2. Mach 7. v. 10.* Illusionis toleratu difficilis *exempla* Achab, *1. Reg. 21 v. 7.* Elisaeus, *2. Reg. 2. v. 23. 24* Sanaballat. *2. Paral. 30. v. 10. Nehem. 4. v. 1.* Tobias senior, *Tob 2. v. 22.* Iob, *Iob, 2. v. 9.* Ieremias, *Ier 20. v. 7.* Sedechias. *38 v. 19.* Christus, *Matth. 26 v. 68. & 27. v. 29. Marc. 15. v. 29. 30. 31. 35.* Apostoli, *Act. v. 13* Paulus, *17 v 32.*

Vide Derisio & Irrisio. Item Contemptus.

IMBECILLITAS.

PHILOSOPHORVM SENTENTIAE.

IMbecillum esse maxime constat, quod contra naturam est. *Arist. probl. sec. 10. n. 30.*

Imbecillitas est virium priuatio, principijq. detractio quędam motus vel mutationis in alio, vel quatenus aliud est: vel omnino, vel ab eo quod naturam aptam ad illud habendum, habeat, vel etiam tum, cum iam illud naturae vi habere possit, *lib. δ. 4. Metaph. c. 12. T. 17.*

Vniuscuiusque rei remissio ex imbecillitate nascitur: imbecillitas autem naturae aduersatur. *l. 2. de Caelo. c. 6. T. 37.*

Imbecillitas, debilitas, infirmitas, defatigatio, tam ad animū, quā ad corpus refertur. Graec. *ἀδυναμία, ἀσθένεια*. impotentia, infirmitas. Heb. *Chalaschah*, a verbo *Chalasch*, Lassus fuit. 2. *Deuai*. Languor, a verbo *Dauah*, Languidus fuit, quemadmodum sunt mulieres paulo post partum, nempe imbecilles, bacillis & fulcris opus habentes, quibus sustentari & lento gradu incedere possint. Ab eodem verbo *Dauah*, deriuatur *Madhueh*, imbecillitas, languor, *Deuter. 28. 60.*

De imbecillitate.

DIAL. II. *Fran. Petrarcha.*

DOL.

Natura me genuit imbecillem. R. Vt in putri vagina ensis ferreus, sic in fragili corpore fortis saepe animus latet. D. Imbecillis natus sum. R. Non eris idoneus vectandis oneribus, aut auro fodiēdo, sed honestis studijs, sed iustis imperijs. Sic in naui robustior quisque remum agit, at prudentior clauum regit. Vita quasi nauis rerum fluctibus & mundi pelago iactata suos remos habet, suumque gubernaculum: a vilioribus repulsus officijs ad nobiliora convertere. D. Imbecillem genuit natura. R. Quid si robustissimum genuisset? an perpetuum robur erat? nō robustior senectus & robustior aegritudo? Vt sileam casus innumeros, qui repente totum hominem debilitant, atque eneruant. Animi robur optabile est, qd̃ nec aetas minuit, nec fortuna. D. Corpore imbecillis sum. R. Animum fouens atque exerce suis artibus, quas meliores esse, diuturnioresq́ non ambigis. Laborem corporis linque ruricolis, nautis, fabris. D. Nullae mihi ab origine fuere vires. R. Ad id ipsum non habuisse, quam perdidisse tolerabilius est. Nē posthabuissent, non manifestent. Nam & Milonis senuerunt vires, & Herculis senuissent. Non sic Socratis, non Solonis, non Nestoris, non Catonis, melioribus vtere. Nil potest delectare magnum animum, quod nondum est. D. Corpusculum imbecille est. R. Si organum inhabitanti animo sufficiens fuerit, satis est vitium. Corpus namq; propter animi seruitium fecisse naturam, nemo tam corporis seruus est, qui nesciat id, si proprio munere fungitur. Quid accusas, sed quid amplius requiris? Nam qui ingenio fragiles, corpore praeualent, hi beluis proxime accedunt, & saepe (quod miserum est) alijs seruiunt. Saepe verò quod miserrimum, atque vbi humanae miseriae summa est, animum ipsi suum seruire corpori suo cogūt seruitute foedissima. D. Corpus inualidum est mihi. R. Vera & generosa vis hominis in animo est. Corpus est quasi quaedam domus animi, quam robusta, quam fragilis, nihil ad hospitem parcetum praecipue dierum. modo ne corruat, tunc migrandi necessitas in aliud, idq; perpetuum domicilium hunc exclusos transferre. Plus dicerem, si plus capere posses, nec vulgari strepitu prorsus obsurduisses. Corpus ipsum non animi domum esse, sed carcerē, nec amicum certe sed domesticum hostem; cuius tibi fragilitas sit optanda, quo tu liber maturius sis ac victor. D. Nullae sunt mihi vires. R. Nullae penitus dum vales, non sunt. Quod si non vales, alia est querela. Non ergo nullas vis dicere, sed paruas vires. Non es robustus vt ille contarius tuus, nequeis vt ille alius, neque ille vt bos & elephas. Suus cuiq; virium modus est, cuique quod sat esset indulgentior natura distribuit parens optima & suorum foetuum amantior, quam quisque sui. Non potestis de defectu queri, de imparitate querimini turbidum genus & querulum, qua sublata mundi decor intereat necesse est. Sic quod optimum est in rebus, id fertis aegerrime.

Est hoc in hominibus acerbissimum: quod is qui multum sapit, nihil in sua potestate habeat. *Herodot l. 9.*

Nihil peccare in magnis rebus humana conditione altius est: qui peccauerit, cum errore suo in posterum doctrinae loco vti, viri boni & cordati est officium, *Plut in Fabio Max.*

Humana imbecillitas in eo maxime deploranda est, quod in nobilissimis & insigniter ad virtutem aptis ingenijs bonum absque illo naeuo existere non potest. *Idem in Cleomene.*

Vetus illud rectissime dictum est, facilius esse alios adhortari, quam seipsum contra res aduersas obfirmare. *Dion. l. 38.*

Nullae sunt hominum aduersus Deum vires, *Iustin lib. 2.*

Nihil rerum mortalium tam instabile & fluxum est, quam fama potentiae non sua vi nixae. *Tacit. Annal. l. 13.*

Desperatis rebus consilium ab omnibus datur, periculum pauci sumunt. *Idem, hist l. 3.*

Humillimi quique, maxime vbi alta accesserunt superbia atque ambitione sunt immodici. *Sex. Aurel. Vict. in Diocletiano.*

Sine crimine certe & deteriorum affectuum amictu prorsus expers nemo reperitur. Id enim diuinae felicitatis proprium fuit, nec vnquam in hominis naturam cadet. *Zonar. in Alex. Comnen.*

In humana natura nihil est, quod omnino sit labis expers, & ab omni absurditate alienum. *Const. Manasses Annal.*

Illud profecto verissimum est, Non semper homines sapientes videre perfecte aut iudicare: signa enim imbecillae mentis humanae frequenter apparere necesse est. *Fr. Guicciard. hist. lib. 1.*

Vide, Aegritudo, Morbus.

IMITATIO.

Loci Biblici.

IMitemur Deum, vt filij charissimi, *Ephes 5. v. 1.* Imitemur non malum, sed bonum, *3. Io v. 11.* Imitari Paulum quomodo oporteat, *Thess. 3. v. 7.* imitator Christi Paulus, *1. Cor 4. v. 6.*

Imitatio, Exemplum, *μίμησις* Imitor, *μιμοῦμαι*. Sequor, aliquem mihi imitandum propono. *Male* verbum, sign. plenus fuit. *Achar*. ad uerb. temporis & postea & post. Ex his duabus vocibus Hebraei componunt verbum *Male achar*. id est, sequutus est, abijt post aliquem, imitatus est.

APOPHTHEGMATA.

Pylades Hylam, negligenter saltantem Oedipodem, hac voce castigauit, *σὺ βλέπεις*, id est, tu vides: cum ille Oedipodem iam caecum exprimere debuerit. *P. M. l. 6 apoph.*

Apelles. Alexander cum apud Ephesum conspectam effigiem sui corporis ad viuum magna arte expressam admiraretur, atque interim forte equus inductus picto in eadem tabula equo hinniret, deceptus imitatione: Apelles, Equus (inquit) ò rex multo melius

melius expressus est, quam tu. *Man.lib.8.apoph.*

Cicero Pompeio vitio dabat, quod ciuitate deserta Temistoclem potius quam Periclem fuisset imitatus: cum illia rea nequaquam pares essent. Themistocles enim fugit ad Persas, Pericles mansit Athenis. *Plut.in Rom. apoph.*

Hadrianus sophista. in conuiuio sophistarum, ad quos adhibitus erat tamquam egregij cuiuspiam arcani consors futurus, quum sermo fuisset ortus de characteribus dictionum, & in quo quisque præcelleret, & quid in quoque potissimum imitandum esset: At ego, inquit, describam characteres, haud quaquam recensens inciliunculas, intellectulos, mébra, aut rhythmos: sed me ipsum mihi imitandum proponens; omniumq; inuenta ex tempore proferens, flexu quodam orationis, ac linguæ permittam hæc omnia. Quid de hoc Hadriani dicto iudicandum sit, viderint Critici, illud scio, Horatium, non temere exclamasse: O imitatores seruum pecus. Et hodie videmus quosdam, qui se totos addixerunt exprimendo Ciceroni, frigidos, & elumbes euadere. Quod si quos delectat illud orationis genus leue, & γλαφυρὸν equidem, nec obsto cuiquam, nec inuideo. At ipse malim Epitecti rudem, & indolatam phrasin, sed naturalem, quam Isocratis omni flosculorum genere picturatam. Huius Hadriani dictionem Herodes sophista solebat appellare κολοσσοῦ μεγάλου σπαράγματα, id est, colossi magni fragmenta simul in iuuene notans orationem nondum satis compositam, simul laudans, & vocis, & animi magnitudinem. *Verba sunt P.M.lib.8 apoph.ex Philostrati sophistis.*

SIMILITVDINES.

D. *August.* Cum ex infantibus loquentes non fiant, nisi locutiones discendo loquentium; cur eloquentes fieri non possunt, nulla eloquendi arte tradita, sed elocutiones eloquentium legendo, & audiendo, & quantum assequi conceditur, imitando? *lib.8.c.3. De doctrina Christiana.*

Plutarch. Qui omnia student exprimere, multa praua imitantur imprudentes: quemadmodum Aristotelis balbutiem, & Platonis incuruos humeros familiares exprimebant. *in Moral.*

Seneca. Qui imitatur auctores, dabit operam vt similis illis sit, quemadmodum filius similis est patri, non quemadmodum imago picta. *Apud P.M.*

P.M. Vt oscitant permulti, quod oscitantem conspiciant, & mictuiunt, quod meientem viderint: ita quidam nullo certo iudicio ad suscipienda negocia permouentur, sed quiduis in alijs imitantur, ac referunt. *in Similib.*

Thriueri. Veluti semen non vbique locorum æquè alacre est, aut æquè fructum profert, sed pro natura cœli, terræ, atque aeris sæpè variat: Ita pueri frequentius imitantur parentum, magistrorum, ac sodalium mores, quam ipsas præceptiones, naturam, aut leges. *in apophth.*

Quemadmodum citius ea, quæ amara sunt, mutant dulcia, quam quæ dulcia amara: Ita frequentius boni imitantur malos, quam mali bonos. *in apoph.* 210.

Facile est protractis lineis colorem appingere, sed arduum ipsa mébra effigiare: Ita multis promptum est decorum verborum imitari, sed operosum est, ac paucis datum, membra orationis inuenire, effingere, ac digerere. *in apoph.*

EXEMPLA BIBLICA.

Imitationis præposteræ *exempla:* Iudas, 1. *Reg.* 14. 22, 23. Abias, 15.3. Nadab, 25 26 Baasa, 33. 34. Zambri, 16. *v.* 18. 19. Achab, *v.* 30. Ioram, 2 *Reg* 8. *v.*16. 17. 18. Ochozias, *v.* 27. Iehu, 10. 31. Ioachaz, 13. *v.* 10. 11. Zacharias, 15. 9. Amon, 21. 20, 21. Achaz, 2. *Paral.* 28, *v.* 1. 2. Infideles, *Psalm.* 49. 15. & 78. 57. Iudæi, *Matth.* 23 *v.* 33. 34. *Luc.* 3. 7. *Act.* 7. 51. & 17 *v.* 13. Iudæ, 11. Imitationis bonæ *exempla:* Iosaphat, 1. *Reg.* 22. 43. Ezechias, 4. *Reg.* 18. 5. 6. Iosias, 22. 12. Dauid, *Psalm.* 119. 14. 15 29. 30. 31. 32. 33. 34. Niniuitæ, *Ionæ* 3. *v.* 10. Thessalonicenses, 1 *Thessal.* 1. *v.* 6. & 2. *versic.* 14.

EXEMPLA PROFANA.

P. Scipio Africanus Cyrum Xenophontis: C. Iul. Cæsar Alexandrum Magnum: Selimus Turcarum Princeps Cæsarem imitatur.

Alexander Magnus scorti Thaidis infamiam in Persepoli arce incendenda imitatur.

Hipparchum Pisistrati F. doctissimum Principem Atheniensem secuti sunt in doctis hominibus obseruandis, atque colendis. *Ælian.l.8.*

Syracusani plerique Dionysium tyrannum, Platonis discipulum factum, incredibili studio imitati sunt: ita vt tyrannidis sedem pulueris occuparet, pro ijs qui Geometriæ operā dabant. *Plut. in Dione.*

Antiochum Syriæ regem luxuriosissimum milites imitati sunt: aureis clauis crepidas subnectentes, argenteaq; vasa ad vsum culinæ comparantes, & tabernacula textilibus sigillis adornantes. *Val. Max.lib.9.c.1.*

Antisthenes Atheniensis à Socrate præceptore tolerantiam edoctus, Cynicam sectam condidit. *Laert.lib.5.*

Plato Socratem vsque adeo suis scriptis imitatus est: vt iunior Socrates passim, etiam ab Aristotele, appellatus fuerit.

Plerique magis actiones aliorum, quamlibet prauas, imitantur, quam infortunia eorum cauent. *Dion.lib.53.*

IMMANITAS.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

IMmanitas, atrocitas, immisericordia, sæuitia, crudelitas, ira crudelis, audax asperitas, ferocitas beluina. ira vt immanes. non homines, sed beluæ efferæ appareant. Heb. *Aczar.* & *Aczariyuth: Deuter.* 32. 33. *Prou.* 17. 4. a verbo *Gazar*, Immanis fuit, atrox fuit. ausus est atrociter. Cognationem habet cum *Gazar*, dissecuit immanes enim & crudeles nihil aliud quam cædes & hominum lanienas somniant. Hinc ξυρεῖν & κειρίζειν. Immanitas autem Græc. dicta est ἀγριότης, ἀγροικία, rusticitas effeta, quæ nullo modo cicurari potest. & humanitati plane contraria.

Qui discordias serunt ira stimulante inter crudelitatis & immanitatis magistros censentur: qui verò libidine sola aliorum rixas, & contentiones spectandi ducuntur, morosi & inhumani dicuntur.

Naturæ iniuria fit, & humanitatis ius ab eo violatur, qui iracundiæ vltra victoriam indulget, *Nicetas Acom, in Balduino Flandro.*

Solet humanum ingenium in magna fortuna & insperata victoria humanitatis obliuisci, nisi incerta fortunæ momenta singulari prudentia moderetur. In pugna quidem & acie quidquid excusationem habet, cum ratio oppressa iacet, & manus (velut ebriæ) mente non reguntur. Verum periculis iam propulsatis, & animorum æstu sedato, ac tranquillitate menti restituta, sæuire, & ab officio decedere, improbi animi est argumentum. *Niceph, Gregoras, hist. lib.6.*

Immane, Immanis, pro aspero, nocente, fere sumitur, Virg. Georg. 4. Immanem ante pedes hydrum moritura puella Seruantem ripas alta non vidit in herba. Et Aeneid. 1. Pygmalion cognominatur immanis. Immania Saxa, id est, aspera, horrenda. Immane nónumquam quid ingens, magnum, fœdum denotat. Precij immanitas apud Plinium, *lib.35. cap.11.*

Vide Tit. Crudelitas, Inhumanitas, Morositas.

IMMOBILITAS.

DEFINITIO, ET ETYMOL.

IMmobilis. Græce ἀκίνητος, dicitur. Immobile dupliciter dicitur, scilicet immota bilitate rei, vt Deus, & necessitate veritatis, vt propositiones necessariæ. *S. Thom. in quæst. de veritate, quæst.16. artic.1.*

SENTENTIAE PHILOSOPHICÆ.

Quod ita motum affert, vt id non sit quo mouet, ab omni motu est liberum. *l.8. de Natura c.5. Tex.37. Arist.*

Id quod primo loco mouet in omnibus quæ motu cientur, ab omni motu est liberum. *lib.8. de Nat Tex.44. Idem.*

Immobile est, & quod omnino moueri non potest, & quod longo tempore vix mouetur, & quod serio incipit: & quod per se quidam naturæque vi moueri potest, sed non mouetur, quando, quo & quomodo eius natura fert, quod quidem vnum eorum quæ immobilia sunt dico quiescere, *lib.* 2. 10. *Metaph.c.10.* & *lib.5. de Nat. 2.c. Tex.20.*

Fortunæ affectiones, & locus, ad quæ mouentur aut mutantur, quæ mutantur, immobilia sunt omnia. *lib.10. Metaph c.10.*

Immobile non omne quiescit, sed quod motu priuatum est, aptum autem natura moueri. *Idem phys.4.c.6. Tex.118.*

Immobilia mouentia per accidens continue mouere nequeunt, ergo primum mouens erit immobile, & non mouebitur per accidens. *Idem phys 8 sep. 2, c.5. Text.52.*

Immobile mouens semper vno mouet motu, quia nihil ipsum mutatur ad id, quod mouetur. *Idem.ibid Text.53.*

Immobilis ac sempiterni consideratio nec ad Physicam, nec ad Mathematicam pertinet. Non ad Physicam, quia non conuenit considerantem mobilia & inseparabilia immota & separata contemplari. Non ad Mathematicam, quia licet hæc de immobilibus disserat, non tamen de inseparabilibus, sed quæ in subiecto sunt atque materia. *Alex. Aphrod. in 5. metaph.c.4.*

Aures homini tantum immobiles. *Plin.l.11.c.37.*

ADAGIVM.

Scopulis immobilior. Ouid.

Soloq; immobilis hæret. Intentos voluens oculos. Virgil. Aeneid. 7.

IMPATIENTIA.

LOCI BIBLICI.

IMpatientia arguitur, *Exod.* 14.*v.*11.& 15.24.& 17.*v.*2.7 & 17.2. *Sam.* 11.2.1.1c.& 14.*v.*1.26.& 1.*v.*5. *Iob* 3.*v.*1. *Prou.* 12.16. *Eccl.* 2.16. damnatur. *Prou.* 14.29.& 19.19. frenanda est, *Rom.* 12.10.1. *Cor.* 10.19. *Phil.* 4.5 *Thess.* 5.14. 2.2.1. *Tim.* 2.8.2. *Tim.* 4.2. *Heb.* 10. *ver.* 17.& 12.1. *Iac.* 1. *ver.* 4.& 5. *ver.* 8.1. *Pet.* 1.*v.*5.& 3.14.& 5.6. 2.*Pet.* 1.9.& 3.*v.*9 10.

Natales impatientiæ in ipso diabolo deprehendo, iam tunc cum dominum Deum vniuersa opera quæ fecisset, imagini suæ, i. homini subiecisse, impatienter tulit. Nec enim doluisset si sustinuisset: nec inuidisset homini si non doluisset. Adeo decepit eum, qui inuiderat. Inuiderat autem, quia doluerat. Doluerat, quia patienter vtique non tulerat, &c. *Tertullian. l. de patientia.*

PHILOSOPH. SENTENT.

Impatientia turbat animum, præterita bona delet, præsentia inficit futura impedit. *Facet. epist. l.* 1.

Impatientia sola facit, vt aduersa, quæ ad externa & corpus tantum pertinere possunt in animum quoque pertranseant. *Ibid. l.* 5.

Impatientia *ἀτλησία* est tanta animi mollities & teneritudo, vt nihil omnino duri, & acerbi tenuius pati possit, ac ne ea quidem quæ vulgo cæteri homines patiuntur, ac ferunt.

Est ita natura comparatum, vt homines moleste, supra quam dici possit, ferant, si videant rerum euenta virtuti non respondere. *Pausan. lib.* 4.

SIMILITVDINES.

Chrysostom: Quemadmodum si quis apostematis morbo circumuentus, ferro recidatur a medico, non habens quomodo recidenti aduersetur, circumstantia tangit, atque astantes mordet, illis quidem inferre nihil habens, ad medicum autem manum extendere non valens: Sic & Iob blasphemiæ magnitudinem timens, facit in animis iniuriam, atque fiduciam animi passione adauget, non contra Deum audens, sed se diemque accusans. Maledicit autem non creaturam, sed sui ipsius diem: Pereat, inquiens, dies in qua natus sum, &c. *Serm. 4. in Iobum*

Seneca: Vadis huc & illuc, vt excutias insidens pondus, quod ipsa iactatione incommodius fit. Sicut in naui onera immota minus vrgent, inæqualiter conuoluta citius eam partem in quam incubuere demergunt. *lib. 2. Epist.* 28.

EXEMPLA BIBLICA.

Impatientiæ, & murmuris *exempla:* Sara. *Gen.* 16.*v.*5. Israelitæ *Exod.* 5.*v.* 21.& 14.*v.*11.& 16.*v.*3.& 17.*v.*2 3.& 32.*v.*1. *Nu.* 11.*v.*1.& 13.*v.*31.& 14.*v.*1.2.& 16.*v.*41.& 20.*v.*3. *Ios.* 9.*v.*18.1. *Cor.* 10.*v.*10. Iudæ, *v.*16. Achitophel, 1.*Sa.* 17.*v.*23. Seba, 20.*v.*1.2. Aman. *Esth.* 3.*v.*5. Eliu, *Iob.* 32.*v.*2. Nabuchodonosor. *Dan.* 3.*v.* 13. Exercitus, 1. *Mach.* 11.*v.*39. Herodes, *Matth.* 2.*v.*3. Operarij. 20.*v.*11. Principes Sacerdotum. & Scribæ, 21.*v.* 15. Pharisæi & Scribæ, *Luc.* 5.*v.*30.& 15.*v.*2.& 19.*v.*7. *Ioan.* 6.*v.*41.& 7.*v.*32.& 9.*v.* 28. Prodigi frater, *Luc.* 15.*v.* 28. Græci. *Act.* 6 *v.*1.

Vide Murmuratio & Patientia.

IMPERATOR, IMPERIVM.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

IMperium Græce *ἡγεμονία. ας. ἡ.* & *ἐπιτάσσω.* impero dicitur. Est autem imperium actus rationis ordinantis, cum quadam motione ad aliquid agendum. *S. Tho.* 1.2. *q.* 17. *art.* 5. *Dicitur autem ab impero, as.*

Imperium varia significat, I. Auctoritas cum præcepto & Dei iussu coniuncta, 1.*Cor.* 7.6 *Tit.* 2.15. II. Dominatus, 1.*Reg.* 12.4. *Esa.* 9.6. III. Dominium, possessio, *Gen.* 36.43. IV. fortitudo, robur, 1.*Sam.* 2.10. *Psal.* 86.16. *Esa.* 45.14.1. *Pet.* 5.1. *Apoc.* 1. 6. V. Dignitas, *Genes.* 49.3. VI. Mandatum, *Genes.* 41.14.1. *Tim.* 11. VII. Regnum seu regio, in qua quis regnat, 1.*Chro.* 28 5 *Dan.* 6.26. VIII. Regni duratio, & tempus, *Esther.* 1 3. IX. Regni limites, 1.*Chron.* 18.3.

Imperator, Dux exercitus, ad quem rei militaris summa refertur: ab imperando dictus, propterea quod exercitui, quæ factoop. s sunt, imperet. Gr. *πολέμαρχος, αὐτοκράτωρ, στρατηγός.* Hebr. *Melec,* Rex, qui regioni alicui præest, it. qui vnius vrbis seu ditionis imperium & dominiū obtinet, à verbo *Malac.* regnauit, imperauit. Et *Moschol.* Dominium, imperium à verbo *Maschal.* imperauit, dominatus est, graues sententias protulit, nihil dixit, quod nō esset obseruatu dignissimum. Vocatur etiā Imperator, *Naghidh.* dux, princeps, eximius, primarius, qui coram populo adstat, cæterisq; omnibus indicat quid fit faciendum, Græc. *ἡγούμενος ἄρχων.*

Imperare est iubere, dictum ab in particula intentiua. & paro, quasi statim paro, vel prorsus paro.

Imperium nunc iussum significat. *Virg. Luctantes ventos, tempestatesq; sonoras Imperio premit.* Aliquādo dominium. *Idem: Imperium Oceano famam qui terminet astris.* Nonnunquam potestatem. Vnde Vlpianus Imperium scribit, aut merum dici, aut mixtum. Merum imperium est habere gladij potestatem ad animaduertendum in facinorosos homines, quod etiam potestas appellatur. Mixtum est, cui etiam iurisdictio inest, quod præcipue in danda bonorum possessione consistit.

SENTENTIAE POETICAE.

Hom. Iliad. 2.

Multos imperitare malum est, rex vnicus esto.

Plaut. in Mil.

Facile est imperium in bonis.

Terent. in Adelph.

Nimium ipse est durus est præter æquum & bonum.
Et errat longe mea quidem sententia,
Qui imperium credat grauius esse, aut stabilius,
Vi quod fit, quam illud quod amicitia adiungitur.
Mea est sic ratio, & sic animum induco meum,
Malo coactus qui suum officium facit.
Dum id rescitum iri credit, tantisper cauet.
Si sperat fore clam, rursum ad ingenium redit.
Ille, quem beneficio adiungas, ex animo facit,
Studet par referre, præsens absensque idem erit.

Senec. in Thy.

Nec abnuendum, si dat imperium Deus.
Nec appetendum.

Idem in Tro.

Violenta nemo imperia continuit diu.

Claudian. in Eutro.

Asperius nihil est humili, cum surgit in altum.
Cuncta ferit, dum cuncta timet, desæuit in omnes,
Vt se posse putent, nec belua tetrior vlla est,
Quam serui rabies in libera colla furentis,
Agnoscit gemitus, & parcere nescit.
Quam subijt dominique memor quem verberat, odit.

PHILOSOPHICÆ ET HISTORICÆ SENTENTIAE.

Imperatores appellandi sunt, quorū virtute & consilij felicitate, maxime periculis seruitutis atque interitus liberati sumus. 14. *Philip.*

In summo Imperatore quatuor hæ virtutes inesse debent. Scientia rei militaris, Virtus, Authoritas, Felicitas. *Pro leg. Man.*

Hæ sunt virtutes imperatoriæ, labor in negocijs, fortitudo in periculis, industria in agendo, celeritas in conficiendo, consilium in prouidendo *Pro leg. Man.*

Non solum bellandi virtus in summo atque perfecto Imperatore quærenda est, sed multæ sunt artes eximiæ, huius administræ, comitesq; virtutis. Primum quanta innocentia, quanta deinde omnibus in rebus temperantia, fide, felicitate, ingenio, & humanitate. Imperatores esse debent. *Pro lege Manil.*

Refrenet primum libidines, iracūdiam teneat, spernat voluptates, coerceat auaritiam, cæteras animi labes repellat: tum incipiat alijs imperare, cum dedecori & turpitudini parere desierit. *Parad.* 5.

Non potest exercitum is continere Imperator, qui seipsum non continet: frugi hominem dici non multum laudis habet in Rege: fortem, iustum, seuerum, grauem, & magnanimum, largum, beneficum, liberalem, & mansuetum, hę sunt regiæ laudes, *Pro lege Man. Pro Rege Deot.*

Quotidianis reb. præesse, & ex tempore subitis casib. recte vti: & quamq. occasionem nosse, ac iudicare, quas res ex familiari colloquio conciliare possibile sit, quas porro vi extorquere liceat, imperatorum siue præfectorum est officium. *Ex 1. epistol. Demosth.*

Quapropter illud etiam recte dicitur, neminem bene imperium gerere, qui non ipse prius sub imperio fuerit. *Arist. Polit.* 3.

Iam illud oportet vnumquemque mortalium cogitare, qui non seruierit, eum haudquaquam dominum fore laude dignum. *Plat. de lege* 6.

Qui vult homini imperare, is etiam beluam adiungit cum præsertim tale quid sit cupiditas, & iracundia, & magistratus, & optimus quisque à recta via detorqueatur. *lib. 3. de Repub. c.* 12.

Quo minor potestas eorum qui imperant, eo diuturnius stabiliusve omne stat imperium. *lib. 5 de Repub. c.* 11.

Viuunt in magna opum honorumq; abundantia ij, qui soli imperāt, quarum omnes rerum cupiditate ducuntur. *lib. 5. de Rep. c.* 10.

Moleste & acerbe nemo fere imperium, quem parere ætas patitur, neque se superiorem putat: præsertim cum eundem honorem sit adepturus, cum id ætatis fuerit. *lib. 7. de Repub. c.* 14.

Imperium aliud ad Principis, aliud ad eorum qui parent commoda refertur: quorum illud seruile imperium appellamus: hoc liberorum hominum *Ibid.*

Absurdum est non esse tributum à natura, alijs vt imperent, alij, vt pareant. Quod ita sit: danda est opera, non vi omnibus

bes imperes, sed ijs tantum modo, qui nati sunt ad ferendum Imperium. *lib. 7. de Repub. c. 2.*

Imperare, & parere non solum necesse est, sed etiam vtile. *lib. 1. de Repub. c. 3.*

Semper vt quisque eorum, qui præsunt, & qui parent præstantissima virture est: ita Imperium est præstantissimum. *ibid.*

Non est ciuitas ob eam causam dicenda beata, nec legis scriptor ornandus laudibus, quod exercitatione docuerit eos finitimis imperare. *lib. 7. de Repub. c. 14.*

Est & propensus ad imperandum animus, & inuictus. *lib. 7. de Repub. c. 7.*

Assuescat Imperator cum Imperio calculum ponere; sic exeat, sic redeat, tamquam rationem redditurus: edicat quid absumpserit. Ita fiet, vt nō absumat, quod pudeat dicere, præterea futuri principes, velint, nolint, sciant. *Plin. panegyr. ad Traianum.*

Natura mortalium auida Imperij est. *Salust. Iugurt.*

Vetus, ac pridem mortalibus insita potentiæ cupido. *Tacit. l. 2. hist.*

Ea cunctis affectibus flagrantior. *Idem, Annal. l. 15.*

Cunctas nationes, & vrbes, populus, aut primores, aut singuli regunt. *Idem, Annal. l. 12.*

Delecta ex his, & constituta Reipub. forma facilius laudari, quam euenire, aut si euenit, haud diuturna esse potest. *ibid.*

Non ignauia magna imperia continentur, sed virorum armorumq; faciendum certamen. *Tacit. Annal. l. 15.*

Firmissimum id Imperium quo obedientes gaudent. *Liuius, Decad. 1. lib. 8.*

In terris nomen Imperij primum fuit. *Salust. Catilin.*

Qui benignitate, ac clementia Imperium temperauere, his candida omnia, & læta fuerunt: etiam hostes æquiores, quam alijs ciues. *Idem, orat. ad Cæsarem.*

Principio rerum, gentium, nationumque Imperium penes reges erat. *Iustin. lib. 1.*

Vnum Imperij corpus vnius animo regendum videtur. *Tacit. Annal. lib. 1.*

Imperium, si in paruo contemnitur, in omni parte violatur. *Cassiodor. l. 2. epist. 12.*

In bono Imperatore inter cæteras artes hæc requiritur, vt seuerè imperare sciat, & molliter contumacibus credere. *Dionys. Halicar. lib. 5.*

Prudentium est Imperatorum non solum res suas corroborare, sed etiam res hostium debilitare, præcipuè verò sine vllo prælio, & labore bella conficere: sin minus, saltem cum minimo militaria multitudinis detrimento. *Idem, lib. eod.*

Non decet Imperatorem propere quicquam agere. *Dion in M. Anton. Phil.*

Malum est Imperatorem habere, sub quo nemini liceat quicquam facere: sed multo peius est, quum omnia liceant omnibus. *Dion in Nerua.*

Misera est conditio Imperatorum, quibus de affectata tyrannide nisi occisis non potest credi. *Vul. Gallic. in A. Cassio.*

In Imperatore auaritia est acerbissimum malum. *Idem, ibid.*

Nihil quicquam est, quod Imperatorem melius commendat gentibus, quam clementia. *ibid.*

Imperatorem esse fortunæ est. *Ælian. Lamprid. in Heliogab.*

Sunt Imperio digni, quos ad regendi necessitatem vis fatalis adduxerit. *ibid.*

Miser est Imperator, inquit iunior Gordianus, apud quem vera reticentur: cui quum ipse publicè ambulare non possit, necesse est vt audiat, & vel audita, vel à plurimis roborata confirmet. *Iul. Capitol. in Gord.*

Imperatur dum æquus omnibus alienæ custos salutis, nihil non ad sui spectare tutelam rationes populorum cognoscit, & remedia cuncta, quæ status negociorum admittit arripere debet alacriter, secunda numinis voluntate delata. *Amm. Marcell. l. 14.*

Regenti Imperium, omnia nimia, velut prærupti scopuli, sunt deuitanda. *Amm. Marcell. lib. 30.*

Delicta corrigere, Imperatorem admodum decet, vt charos præterea, & amicos soletur, eius & dignitatis est, & prudentiæ: quæ fiet, vt non solum nunc ipsi à molestijs quondam illatis, & grauibus subditi vindicentur, sed statim, vt liceat Imperatoris beneuolentia frui, quare nil dignius afferri potest mortalibus. *Procop. de bello Goth. lib. 3.*

Sine administris non potest fieri in bellicis rebus Imperator. *Idem, ibid.*

Sine dubio Deus terrenus est Imperator, contra quem quicumque leuare manum ausus fuerit, ipse sui sanguinis reus erit. *P. Diacon. in Grat. &c.*

Qui seuerius in Imperatores inquisierit, equidem non arbitror vllum Romanorum principatu antiquitus potitum inuenturum esse, in quo nihil ad consummatam laudem desideretur. Ex quo fit, vt vniuscuiuscumque gubernatio ex morum, & actionum eius maiori parte iudicetur. *Zonar. in Alex. Comm. l. 3.*

Homini priuato satis est moderatio, æquitas, placabilitas, & in omni cultu, & victu modus, Imperatori verò præter hæc est iustitia & colenda, & ratio ciuium habenda, & vetera instituta sunt tuenda. *Idem, ibid.*

Nihil est quin ab Imperatoribus emendari queat: nec vllum peccatum est, quod vires eorum superet. *Nicet. Alex. Angel. l. 3.*

Vide Dux, & Princeps, vbi plura de Imperatoris, seu Ducis exercitus officio.

Egregij Imperatores quamuis exiguas habeant copias, tamen celeriter eas augent. *Dionys. Halic. lib. 6.*

Imperatorum impetus, & potentia non quiescere solet, nisi diuina humanaq; pro suo lubitu mutarint. *Nicet. Isac. Angel. lib. 2.*

Obsequio mitigantur imperia. Vbi verò reuerentia excessit animis, & summa imis confundimus, ibi opus est, vt vim repellamus. *Curtius, lib. 8.*

Magna imperia ignauia non continentur. Id in summa fortuna æquius, quod validius. Sua retinere, priuatæ domus: de alienis certare, regia laus. *Tacit. Annal. lib. 15.*

Magna imperia nisi armis vltro illatis lacessantur, nisi primo quoque tempore, aut euertantur, aut ita afficiantur, vt tollere vltra caput subleuariq; non possint, exitium ijs adferunt qui exitium spe illis destinauerant. *P. Æmil. lib. 6.*

Vbi pro labore desidia, pro continentia, & æquitate libido, atque superbia inuasere, fortuna simul cum moribus immutatur. *Salust. de coniurat. Catil.*

Semper ita iudicant homines præsens Imperium esse graue. *Thucyd. lib. 1.*

Periculosum est prægraue Imperium, & difficile est cōtinere, quod capere non possis. *Curt. lib. 4.*

In nouo, & precario Imperio, adhuc iugum eius rigida ceruice subeuntibus barbaris, tempore opus est, dum mitioribus ingenijs imbuuntur, & efferatos mollior consuetudo permulcet. *lib. 6.*

Spernitur ducis Imperium, vbi turbatis acrius metus quā dux imperare cœpit, & totidem sunt Imperatores quot agmina errant. *libro 8.*

Ijs qui in alios Imperium sunt habituri, hæc duo adesse oportet, in bello vires, & in consilio prudentia. *Dionys. Halic. lib. 3.*

Nulla alia re æquè, ac hominum frequentia opus esse illi ciuitati, quæ ad Imperium aspirat, & quæ res magnas affectat. *idem, l. 4.*

Longè optimum, ac firmissimum id est Imperium, quod beneficijs non supplicijs subditos in officio continere solet. Illorum enim beneuolentia, horum verò timor est acceptus apud omnes. Quicquid autem est formidabile, id necessitate naturali omnibus est maximè exosum. *idem, lib. 6.*

Imperij vis omnis in consensu obedientium est. *Liu. Decad. 1. l. 2.*

Id firmissimum longè Imperium est, quo obedientes gaudent. Sed maturato opus est quicquid statuere placet. *Liu. Dec. 1. l. 8.*

Quo plus potestis, eo moderatius vti Imperio debetis. *Decad. 4. l. 4.*

Quæ vrbs voluptati plurimum tribuit, Imperium amittit, quæ labore delectatur, occupat. *Valer. Max. lib. 4. c. 3.*

Non multorum supplicijs, sed fida, & diligenti custodia Imperium est tuendum. *Xiphilin. Cæs. August.*

Summum Imperium inuidiam habet, nec tutum vmquam ab insidijs est. *ibid.*

Imperium facilè ijs artibus retinetur, quibus initio partum est. *Salust. de coniurat. Catil.*

Impatiens consortij est Imperium, infidelitatisque, & maleuolentiæ plenum. *Plut. in Demetrio.*

Nullum est Imperium tutum, nisi beneuolentia munitum. *Æmil. Probus in Dione.*

Ea conditio est imperandi, vt non aliter ratio constet, quam si vni ratio reddatur. *Tacit. Annal. lib. 1.*

Nemo vmquam Imperium flagitio quæsitum bonis artibus exercuit. *idem hist. lib. 1.*

Arduum, & subiectum fortunæ regendi cuncta onus. *Eod. lib.*

Imperium cupientibus, nihil medium inter summa, aut præcipitia. *Tacit. hist. lib. 2.*

Bonum (id est mite, & clemens) Imperium nulla vis lædit. *Vulc. Gallic. in Auid. Cassio.*

Seuerus moriens dicebat, firmum Imperium Antoninis meis relinquo, si boni sunt: imbecillum, si mali. *Æl. Spartian. in Seuero.*

Imperium est in virtute, non in decore. *Lamprid. in Al. Seuero.*

Quis melius, quam grauis imperat? quis melius quam literatus imperat? scit quemadmodum imperare debeat, qui alios principes pertulit, & qui de alijs principibus iudicauit. *Fl. Vopisc. in Tacito.*

Nihil est difficilius, quam bene imperare: nam quisque pro voto de principe loquitur. *Pomp. Lat. in Dioclet.*

Saturninus suis dicebat: Nescitis, amici, quid mali sit imperare, Gladij, & tela nostris ceruicibus impendent, imminent hastæ vndique, vndique spicula, ipsi custodes timentur, ipsi comites formidantur, non cibus pro voluptate, non iter pro authoritate, non bella pro iudicio, non arma pro studio. Adde, quod omnis ætas in Imperio reprehenditur. Senex est quispiam? inhabilis videtur: sin minus, inest furor. Nam quod Imperatorem me cupitis, in necessitatem mortis me trahitis: Sed habeo solatium mortis, solus perire non potero. *Fl. Vopiscus in Saturnino.*

Diocletianus princeps, iam priuatus dicebat, nihil difficilius esse, quam bene imperare. Colligunt se quatuor vel quinque, atque vnum concilium ad decipiendum Imperatorem capiunt, dicunt quod probandum sit: Imperator, qui domi clausus est, vera non nouit: cogitur hoc tantum scire, quod illi loquuntur: facit iudices quos fieri non oportet, amouet à Republica quos debeat retinere. Quid multa? bonus, cautus, optimus venditur Imperator. *Fl. Vopiscus in Aureliano.*

Magna moles molestiaque Imperio inest. *Aurel. Vict. lib. de Cæsaribus.*

Imperij adeo cupidi mortales sunt, vt id vel vltima senectus auidè petat. *idem ibid.*

Potestates fato dantur, frustraque tentatur facinus potiundi spe, vel amittendi metu. *idem ibid.*

Iusti finis imperij est obedientium commodum, & salus. *Amm. Marcell. lib. 25.*

Nihil aliud est Imperium, vt sapientes definiunt, nisi cura salutis alienæ. *lib. 29.*

Finis iusti imperij vtilitas obedientium æstimatur, & salus. *lib. 3.*

Spretum Imperium deficiente quotidie robore continuo fluit, atque deficit. *Procop. de bello Pers. lib. 1.*

Nullo modo fieri potest, quin homo, & is longo tempore rerum potitus, fastidio sit ijs, qui parent, & capitalia eorum odia suscipiat. Nihil enim Deus in vita immutabile, & stabile fecit. Vnde fit, vt omnia terrena mutationibus gaudere, ac delectari videamus. Si quis verò fortunam in sua vota cogere, & certa quadam ratione vitæ vti voluerit, is eo rem deducere conatur, quo natura non finit. Quicquid autem cum natura pugnat, & iustos limites excedit, nihil hilaritatis, & voluptatis habet. Eodem pertinent sapientes veterum sententiæ, præcipientes: Ne quid nimis: & Modum esse pulcherrimam virtutum pronunciantes. *Niceph. Gregor. Hist. lib. 5.*

Apophthegmata.

Pericles. Quotiescumque belli dux creatus esset, chlamydem induens apud se dicere consueuit: Attende, Pericles, quod gestaturus es Imperium in liberos, in Græcos, & in Athenienses. His dictis se vir cordatissimus hortabatur, vt moderatè gereret principatum. Magni ingenij est, imperare liberis: at Græci plus quam liberi tum erant: postremò inter Græcos liberrimi Athenienses. *Plutarc. in apoph.*

Plato Remp. fælicem esse putabat, in qua aut Philosophi imperarent, aut principes sapientiæ studio incumberent. *lib. de Repub.*

Timotheus, quærenti, quid inter imperatoriam artem, & oratoriam discriminis esset? Idem respondit, quod inter bellum, & pacem. *Stob. serm. 52.*

Plistarchus Leonidæ filius cuidam roganti, quam ob causam reges Lacedæmoniorum non à priscis regibus cognomen sortirentur? Quoniam, inquit, illi ducere quam regnare maluerunt. Posteriores illi nequaquam. Primus omnium regum Lacedæmoniorum Agis dictus est, & hoc nomen in aliquot posteriores demanauit. Agidis autem nomen dictum est à ducendo, quoniam clementer imperabat: & regum est persuadere potius, quam imperare. Plistarchus autem sonat, plurimis imperantem. *Plutarch.*

Apollonius rogatus à Babyloniæ rege, quomodo tuto regnare posset? Si multos, inquit, honoraueris, paucis verò credideris. *Eus. lib. 3.*

Alcamenes Telecri filius, cuidam percontanti, quo pacto quis optimè regnum seruare posset? Si lucrum, inquit, non magnifecerit. Longè lateque dissentiens a vulgo principum, qui non alia magis ratione principatum constabilire student, quam attenuandis ciuiũ suisq; augendis opibus: quum iustitia, & æquitas maximè reddãt diuturnum imperium. *Plut. in Lacon.*

Agis à quodam interrogatus, quod disciplinæ genus tutissimum exercitaretur apud Spartanos? Scire, inquit, imperare, & ferre imperium. *ibidem.*

Idem. Apud Mantinæam quibusdam dissuadentibus, ne cum aduersarijs, quod numero plures essent, confligeret Agis senior: Cum multis, inquit, pugnet oportet, qui multis vult imperare. *ibidem.*

Agesilaus interrogatus, quas res Imperatorem habere oporteat? dixit: Aduersus hostes audaciam, erga subditos beneuolentiam, in opportunitate verò rationem, & consilium. *Stobæus sermone 52.*

Cyrus dicebat, neminem debere suscipere principatum, nisi esset melior his in quos susciperet imperium: Sensit vir prudentissimus, hoc esse principis munus, vt alijs prospiciat, & publicis cõmodis consulat. Id autem fieri nequaquam potest, nisi ab eo qui sapientia, vigilantia, animiq; integritate cæteris antecellit. *Plutarch. in apoph.*

Idem dicere solebat, principem non debere inferiorem esse intelligendo, quæ opus sunt cæteris. *Xenophon, in lib. 7. Pædiæ Cyri.*

Cato, quum Eumenes Rex Romam venisset, & à senatu honorificè exceptus, clarissimorum ciuium frequentia stiparetur: Cato non dissimulabat, tantum Romanorum erga illum studium sibi suspectum esse, ipse vitans regis consuetudinem. Hoc quibusdam admirantibus, ac dicentibus, Eumenem esse virum probum, ac amico in populum Romanum animo: Sint ista vera, inquit; attamen illa belua natura ferox canis est. *P. M. l. 5. apoph.*

Antiochus, quum a L. Scipione vltra Taurum montem, submotis Imperij finibus, Asiam prouinciam, vicinasque ei gentes amisisset, gratias egit populo Romano, quod magna parte curarum peccos liberatus esset. Intellexit vir prudens, vnius hominis animum, quamuis vigilantem, non posse tot negocijs parem esse. *P. M. l. 5. apoph.*

Antigonus videns filium suum violentius, & immodestius se gerere erga subditos: An non, inquit, nouisti fili, nostrum regnum esse nobilem seruitutem? Atque hæc Antigoni verba, quibus filium alloquutus est, maximam mansuetudinem, & humanitatem præ se ferunt: qui id non approbat, is verè mihi videtur, neque regẽ, neque ciuem nosse, sed tyrannicam vitam potius agere. *Ælian. l. 1. de var. hist. ex Plutarch.*

Scipio Africanus, quibusdam calumniantibus, quod parum strenuus bellator esset: Imperatorem, inquit, me mater, non bellatorem genuit. Significans in Imperatore plus habere momenti solertiam, ac prudentiam in consilijs, quam vires in prælijs. *Plut.*

M. Cato Seniorem Imperatorem laude dignum, & ab omnibus extollendum putauit, qui sibi ipsi imperare posset. *Plut. in apoph.*

Cicero, in summo Imperatore belliq; duce quatuor res debere inesse dicebat: Scientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem, & felicitatem. *Cic. in orat. pro Pompeio.*

Alexander Seuerus. Ouinius Camillus, antiquæ familiæ senator, homo delicatissimus, rebellionem moliebatur, tyrannidem affectans. Id quum Alexandro renunciatum esset, statimque probatum, ad palatium vocato gratias egit, quod Reipublicæ curam, quæ bonis viris recusantibus imponi solet, sponte reciperet. Mox ad senatum processit, ac tanti sceleris conscientia trepidum, consortem Imperij appellauit, in palatium recipit, ornamentis imperialibus, & melioribus, quam vtebatur ipse, decorauit, profectionis comitem adhibuit. Cumque Imperator ipse pedibus iter faceret, inuitauit, & Ouinium delicijs assuetum ad laborem, quem post quinque millia passuum cunctantem equo sedere iussit. Quumque post duas mansiones equo etiam fatigatus esset, carpento imposuit. Hoc quoque respuentem, ac Imperium tædio laborum recusantem, denique & mori paratum dimisit, ac militibus à quibus Cæsar præcipuè diligebatur, commendatum, ad villas suas tuto abire iussit. Sic illi commonstrauit quid esset gerere Imperium. *Lampridius.*

Saturninus, hortantibus militibus, vt Imperium susciperet, ait: Nescitis, ò milites, quantum mali sit imperare: gladij vi ceruicibus immineant, hastæ vndique, specula, ipsi custodes timentur, ipsi comites formidantur: non ciues pro voluntate, non iter pro auctoritate, non bella pro iudicio, non arma pro studio. *Eraſm. lib. 3. c. 13.*

Augustus Cæsar, postquam Iulio auunculo crudeliter in senatu interfecto successisset in administratione Imperij, ac nequaquam placeret Acciæ matri Philippoque vitrico, adiri nomen inuidiosæ fortunæ Cæsaris, respondit: Nefas esse, quo nomine Cæsari dignus esset visus, semetipsum videri indignum. Contemnens humana consilia, & cum periculo potius summa, quam tuto humilia sequi proposuit. *Velleius Paterculus, & Cuspin. in Consulibus.*

Mecænas. Augusti temporibus, quum esset consultatio de Imperio iterum abrogando, in ea deliberatione interrogatus Mecœnas: quid sibi videretur? respondebat: Regnum iustum, & legitimè recuperatum in primis conducere rerum magnitudini. Quo dicto consulebat, iustius esse vt Imperium deponeret Augustus, ac Rempublicam restitueret in statum pristinum. *Dion Nicæus in Augusto.*

Augustus Cæs. admonebat Romanos, vt Rempubl. committerent ijs, qui vsu, & experientia rerum plurimum possent: nec eam sinerent vllo tempore pendere ex cuiusquam voluntate: ne forte is in regni cupiditatem veniret, aut mortuo eo Respubl. periclitaretur. *idem.*

Idem consulebat præterea, vt contenti rebus præsentibus, augere, & dilatare Imperium nollent: quod futurum esset, vt id tuerentur difficilius, immineretq; periculum, ne ea, quæ iam parta essent, amitterentur. *idem.*

Fronto. Cum sub Nerua Cocceio, Romæ impromiscuè omnes ab omnibus leuissimas ob causas accusarentur, atque inde magnus tumultus exortus esset, Frontonem consulem dixisse ferunt, malum quidem esse Imperatorem habere, sub quo nemini liceat quicquam facere: sed multo peius esse, cum omnia liceant omnibus. *Xiphilinus in vita Neruæ, & Fulgos. lib. 2. c. 2.*

Domitianus, paucis notum esse dicere solebat, quam misera, & ærumnosa sit imperantium conditio, qui a tyrannidis falsa suspi-

ctione tum demum liberantur, cum diem iam extremū claudunt. *Suet. in Domitiano.*

Diocletianus adhuc priuatus dicere solebat, nihil esse difficilius quā bene imperare: id Flauius Vopiscus in Aureliano tradit se audiuisse à patre suo, & dedit caussam: Colligunt, inquit, se quatuor, aut quinque, simul consilium ad decipiendum Imperatorem capiunt: dicunt, quid probandum sit. Imperator qui domi clausus est, vera non nouit: cogitur hoc tantum scire, quod illi loquuntur: facit iudices, quos fieri non oportet: amouet à Republica, quos debebat retinere. Ita bonus, cautus, optimus venditur Imperator. At vulgus ad Imperatoris titulum satis esse putat nasci, aut eligi: nasci vtcumque, eligi emptis suffragijs, ac solemnibus cæremonijs confirmari. *Vopiscus.*

Pertinax, cum possessionibus Imperatorijs nomen suum inscribi prohibuisset, dicere solebat, illas nequaquam imperantium proprias, sed communes Romanorum, & publicas esse. *Herodianus.*

Traianus iustitiæ, & æquitatis amantissimus, talem Imperatorem priuatis, & ciuibus se esse dicebat, qualem sibi ipse Imperatorem priuatus optasset. *Ioan. Langius in Nicephori annotationib.*

Idem aliquando in conuiuio proposuit amicis, vt decem nominarent, quibus crederent rerum summam rectè delegari posse. Cum illi silerent: Decem, inquit, à vobis posco, ego vnicum habeo Seruianum, Solum illum Imperio dignum iudicans. *Dion. Cassius.*

Idem. Licinio Suræ (quem quidam, vt Cæsaris insidiatorem indicarant) gladium nudum porrexit, atque, Accipe, dixit, gladium, quem pro me, si bene, atque cū ratione imperauero, distringes: sin minus, eo ad interitum vtere. *Dion Nicæus, atque Xiphilinus in Traia[n] vita Plin. in Paneg. & Nicephor lib. 3. c. 23.*

Valentinianus sollicitatus à militibus, vt sibi Imperij socium deligeret: Vestrum quidem (inquit) fuit, vt priuatum me ad Imperialē extolleretis dignitatem: res autem administrare, non tam vestri, sed principis ipsius arbitrij esse, vos ipsi quoque dixeritis. Itaque vos deinceps imperata facere, & quietos esse: me autem, quid factoopus sit, curare decet. *Niceph Calist. 11. c. 1. Eccles hist.*

Antoninus Pius reprehensus, quod nonnullos accusatos absolueret, respondit: Principatum non à pœnis, aut supplicijs, sed à mansuetudine potius auspicandum esse. *Dion. Nicæus, & Xiphilinus in Antonini vita.*

M. Antoninus Verus dicere solitus erat: Neque pecuniæ vim tyrannidis luxuriam explere posse: aut stipantia satellitum agmina tueri principem, nisi ipsi quos regit, animum imperanti beneuolentiāque accommodent. Quippe ij demum diu tutoque imperant, qui non metum ex crudelitate, sed amorem ex bonitate ciuium suorum animis instillant. Neque enim quos sæuire necessitas coegit, sed quos obtemperare sua quæque voluntas adegit, ij sunt in agēdo, patiendoque à suspicione omni assentationeque vacui: numquamque imperia detrectant, nisi violenter contumelioseq; sint habiti. *Herod. lib. 1.*

Faustus Quintillus. Iulianus cum senatum Romanorum rogaret, vt virgines Vestales, & cæteri sacerdotes cum senatu obuiam exercitui Seueri prodirent, prætentis infulis Faustus Quintillus consularis augur contradixit asserens, non debere imperare eū, qui armis aduersario non posset resistere. *Spartianus in Iuliano, & Cuspinianus in Consulibus.*

Iouianus, cum post Iulianum apostatam, qui aliquot Christianorum millia interfecerat, ad Imperium raperetur, clamabat: Nolle se infidelibus imperare, cum ipse esset Christianus. Cui responsum est à militibus omnibus, sese quoque Christi fidei esse obnoxios. *Cuspin. in Coss.*

Pescennius Niger, rogatus, quid sentiret de Scipionibus? Respondit: Illos sibi videri felices magis quam fortes: quod vterque domi Iuuentutem parum sanctè transegerat. Sentiens, Imperatorem per omnem vitam in Reipublicæ negocijs versari debere, nec à domesticis ad Imperium accersiri. *Spartianus.*

Otho sæpenumero dicere solebat ad suos: Nescitis amici, quid sit, Romanorum gubernare Imperium: mihi credite iam experto, qui iam mori malo, quam imperare. *Suet.*

Sigismundus rogatus, quem virum regno dignum aptumque existimaret? Eum, inquit, quem neque secundæ res extollerent, neque aduersæ deprimarent. *Æneas Silu. lib. 4. comment. de reb. gest. Alphons. Regis.*

Idem. Regnandi artis Imperium esse dicebat, qui simulare nesciret: Innuit autem multa regibus simulanda, multa dissimulanda esse, quo suos in debito officio retineant, extra omne vitæ periculum. *Æneas Silu. lib. 1. comment. de reb. gest. Alphonsi.*

Æneas Siluius Principes priuatis hominibus multo meliores fore dicere solebat, si reges electione, & non successione fierent. Improbauit vir clarissimus successionem regum, quam vsus, haud vbique meliora secutus, recepit. Regem enim nasci nihil magni est. At regno dignum se præstitisse, maximum est. *Æneas Silu. lib. 4. comment. in res gestas Alphonsi.*

Alphonsus sæpenumero peroptare solebat, vt popularium suorum

Polyanthea Noua.

vnusquisque rex extitisset, quo demum illi, vtpote experti, cognoscerent principum occupationes, & curas. Hoc vnico forsan modo fieri posse, vt desinerent molesti, & importuni esse. Notabat autem, quam difficile esset imperare, cum tam diuersa sint hominum ingenia, diuersi mores, quibus principes se accommodare necesse habent. *Pan. lib. 3. de reb. gest. Alphons.*

Idem. Magnum quidem esse dicebat, aduersus hostem ducem esse: sed illud maximum, ad omnem virtutem ciuibus ducem esse. *Panor. lib. 4. de reb. gest. Alphons.*

Eundem affirmare solitum accepimus, si nullum omnino aliud regnum, nullam prouinciam præter Calabriam, aut haberet, aut habiturus esset, illam protinus se relicturum priuatumque, & ciuem viuere potius velle quam illorum, qui nihil hominis habent præter figuram, ineptias tolerare, quamuis dominum, aut regem. Hoc autem dicto ostendere voluit, quam graue sit imperare ijs, qui omni humano ingenio exuti, nil norunt aliud, quam luxuriātes ferarum more, in omni vitiorum sorde se inuoluere. *Panor. lib. 3. de reb. gest. Alphons.*

S I M I L I T V D I N E S.

Philonis Iudæi. Quemadmodū capris, bobus, ouibus, præesse possunt caprarij, bubulci, pastoresq́; greges autem non possunt præesse opilionibus: Sic & vulgus pecori haud absimile, opus habet curatore principe, qui ordo est bonorum virorum, præfectorum suis gregibus. *lib. quod omnis probus sit liber.*

Plutarchi. Vt ex igne, & terra veluti necessarijs, compositus est mundus, iuxta Platonem, terra soliditatem conferente, igne calorem, ac formam: Ita magna imperia non parantur, nisi misceatur cum fortuna virtus, & altera alteri sit auxilio. *In Moral.*

Vt non queas cognoscere, vas integrum sit, necne, nisi liquorem infuderis: Sic nec hominem, nisi Imperium commiseris. *In Moralibus.*

Qui venantur bestias, induunt exuuium cerui: qui aucupantur aues, plumatis vtuntur tunicis: cauentque ne tauris appareant in veste purpurea, rubra: aut alba elephantis, quod hoc colore irritentur: Sic qui velit feram nationem cicurare, domareque, moribus, ac vestitu semet illi ad tempus accommodet, necessum est. *In Moral.*

Vt mundus non erat mundus, minutioribus corporibus adhuc sparsim volantibus, & elabentibus: solidioribus vero inter se depugnantibus: sed tempestatis, errons, tumultus plena erant omnia: donec terra ex his accepta magnitudine, seipsam figeret, alijsque stabilem præberet sedem: Sic magna imperia, plena tumultu, donec auctа potentia, etiam finitimis regibus stabilitatem præstat, vt terra cæteris elementis circumferentibus sese. *In Moralibus.*

Ciceronis. Non quemadmodum in palæstra, qui tædas ardentes accipit, celerior est in cursu continuo, quam illa qui tradit: Ita melior Imperator nouus qui accipit exercitum, quam ille qui decedit: propterea quod defatigatus cursus integro facem, hic Imperator imperite exercitum tradit. *lib. 4. ad Heren.*

Lactantij. Si sunt multi dum habent singuli potestatis aliquid, ac numinis, summa ipsa decrescit: nec poterunt singuli habere totum, quod est commune cum pluribus: vnicuique tantum deerit, quantum cæteri possidebunt. Non possunt igitur in hoc mundo multi esse rectores: nec in vna domo multi domini: nec in vna naui multi gubernatores: nec in armento, aut grege duces multi: nec in vno regimine multi reges. Sed nec in cœlo quidam multi soles esse poterunt: sicut nec animæ plures in vno corpore: adeo in vnitate natura vniuersa consentit. *De ira Dei. c. 11.*

P. M. Agrippæ qui vocantur, quoniam præpostere nascuntur, hoc est, pedibus primum emergentibus, malis auspicijs in vitam ingredi creduntur, magnoque humani generis malo: vt Marcus Agrippa, & Nero: Ita qui per nefas, ac simoniam irrumpunt in Imperium, aut Episcopatum (vt vocant) magnam pestem adducunt sibi suisque. *In Simil.*

Vt non debet sumere cytharam, qui canendi sit imperitus: Ita non debet Imperium sumere, qui non sit prudentia præditus. *ibid.*

Vt magnes ad se trahit omne ferrum, sed Aethyopicus magnetē quoque altum ad se rapit. Ita rex populum quo lubet, cogit: At ingēs aliquis rex etiam regibus cæteris vim facit. *In Simil.*

H I E R O G L Y P H I C A.

Aegyptij sacerdotes, si vellent Imperatorem, aut potentissimum quempiā Regem per institutas ab eis imagines indicare; *Anguem in spiram collectum* faciebant, palatij cuiusdam specie in voluminum medio statuta. Siquidem domus regia in Imperij totius centro sita esse debet: vt omnium æquè commodis consulatur.

Quidam hominem regni potitum hieroglyphicè ita describunt, vt eum *manu serpentem comprimere indicent*, cuiusmodi simulachrum est in nummo Aurelij Cæl. August. Pij filij. *Pier. Valer. libro 15.*

Nequiam Imperatoriæ quoque maiestatis hieroglyphicam esse, pluribus ostendit, *idem lib. 19.*

Vide Princeps, Rex, Regnum.

IMPERITIA.

SENTENTIAE POETICAE.

Terent. in Adel.

Homine imperito nunquam quicquam iniustius,
Qui nisi quod ipse facit, nihil rectum putat.

Heraclitus.

Imperitiam celare melius est, quam in medium proferre.

Faustus.

Iterum nullum aeterno verbere legem
Non legum est Doctor, vane quod ergo dolor.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Imperitia ignorantia est, quæ nescit id, quod scire putat. *Plut. in sophista.* Imperitia est falli rebus. *in Euthydem.* Imperitiæ sigoum maius est diffidere à sapientibus. *De mendacio.*

Imperitia est habere falsam opinionem, & de rebus quantiuis pretij falsum esse. *In Protag.*

Imperitia nil aliud est, quam cum homo sciat iucundum bonum esse, & sciens alia meliora non esse, illa facit, cum meliora facere possit, neque inferiorem seipso esse, & si superiorem seipso nil aliud quam sapientis. *ibid.*

Imperitiam suam vnusquisque sapientiam putat: vnde cum nihil, vt ita dicam, sciamus, omnia nos scire putamus: quum autem alijs facere non permittamus, quæ ipsi nescimus, ipsi facientes peccare cogimur: quapropter nimium sui amorem quemuis hominem fugere oportet. *idem.*

Solent homines imperiti erga hos quorum opera indigent mansuetudine vti, vel si longo sint intervallo inferiores: alijs verò aditu se difficiles præbere, quorum ministerio non opus habeat. *Procop. de bello Goth. lib. 1.*

APOPHTHEGMATA.

Socrates, intuitus adolescentulum diuitem, ac imperitum: En, inquit, aureum mancipium. *Stob. serm. 4.*

Idem. Vt Proteus formam, ita imperitas (inquit) animum vbique mutat, & variat. *Ead. serm.*

Idem dicebat imperitos in rebus errare, quemadmodum peregrini in vijs. *Ead. serm.*

ADAGIA.

Dulce bellum inexpertis. γλυκὺς ἀπείροισι πόλεμος.

Vegetius de re militari lib. 3. c. 12. Nec confidas, inquit, satis si tyro prælium concupiscat: inexperto enim dulcis est pugna. Docet Adagium multa esse, quæ quantum displiceant, ac malorum habeant, non intelligas, nisi facto periculo.

Pedum visa est via. Π. ποδῶν ἰδοῦσα τοῦ ὁδός.

De negocio, cuius aliquando periculum fecerit.

Operarij.

M. Tullius lib. 1. de Oratore 1. non ablique prouerbij specie operarios appellat, qui citra Philosophiæ cognitionem causas agunt. Transferre poterit ad contionatores qui quod parum exercitati sunt in sacris litteris, à collectaneis discunt quod apud populum multo clamore, multaq; corporis iactatione detonent. Aut qui in templis ingentes boatus canunt non intellecta. non contionatores, sed operarij, non cantores sed operarij.

FABULA.

Mus.

Mus natus, & educatus intra cistam refertam nucibus, forte delatus in pauimentum, dum in suam domunculam redire properat, & circumfillam assultat, attingit hunc odor suauissimus ciborū, qui essent in propinquo de reliquijs agitati conuiuij repositi, qui bus gustatis: Hæc, inquit, vt video, iucundior vita futura est illa, quam intra cistam vixi.

Fabula imperitos notat, qui numquam suum oppidulum egressi, illius vitam, & mores optimos, & laudatissimos esse statuunt.

Vide Ars, Scientia.

IMPETVS.

SENTENT. PHILOSOPH.

IMpetus alius in corpus fit, eorum qui præsunt: alius in Imperiū. *lib. 5. de Repub. c. 16.*

Alij impetus contemptione fiunt, quemadmodum fecit in Sardaua palum quidam, cum eum inter mulieres incotem animaduertisset, si modo fabulis credendum est. *ibid.*

Contemptio eos potissimum ad impetus faciendos impellit, qui natura audaces, gaude, & gloria rerum bellicarum valent apud eos, qui soli imperant. Fortitudo enim vi freta, audacia est: quarum vtraque sperantes se facilè superiores fore, impetum faciunt. *l. 5. de Repub. c. 10.*

Cum causæ duæ sint, quæ homines ad impetus faciendos in tyrannos impellant, odium, & contemptio: alterum quidem in tyrannis inesse debet, odium: ex contemptu autem multæ eueniunt euersiones. *ibid.*

Acres impetus cunctatione languescunt, aut in perfidiam mutantur. *Tacit. Annal. l. 12.*

Grauissima bella, quæ initio vehementes repentinosq; impetus habent, prudenti aduersariorum cunctatione interposito moræ spacio elanguescunt. *P. Iouius hist. l. 17.*

EXEMPLA BIBLICA.

Impetus Heroici *exempla*: In Samsone, *Iudic. 15. 15. 16.* Saule, *1. Sam. 11. v. 6. 7 &c.* Ionatha, & armigero eius, *15 ver. 13. 14. 15.* Dauide, *17. 50.* Amasia, *2. Paral. 12. 18.* Zacharia, *2. Paral. 24. 20.*

EMBLEMA.

Inania impetus.

Emblema CLXIV. Andr. Alciati.

Lunarem noctu, vt speculum canis inspicit orbem:
Seq; videns alium credit inesse canem,
Et latrat: sed frustra agitur vox irrita ventis,
Et peragit cursus surda Diana suos.

IMPIETAS, IMPII.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

IMpietas, scelus, iniustitia aduersus Deum, parentes, patriam, & amicos. Græcè ἀσέβεια, ἀνοσιότης, ἀνοσιουργία. Hebr. *Reschahh.* impietas, improbitas, *Psalm. 48. 2c. 2. Sam. 24. 14. Ezech. 3. 19. & Reschaah, Prou. 11. 5. & 13. 6. & Reschahah, 2. Chron. 24. 7.* a verbo *Raschaah*, impius fuit, improbus fuit. Cognationem habet cum *Raahasch*, commotus est. Nam impij subito commouentur, & fiunt inconstantes, atque illorum animi semper trepidi sunt, iuxta illud *Esa. 48.* Non est pax impijs. Et cum *Haschar*, diues fuit. Impij enim comparant sibi opes, quibus confidunt.

Impietas verò alia est in Deum, nempe Atheismos, profanitas, impuritas: Alia in patriam, & parentes, quæ ingratitudo, proditio, desertio, irreuerentia dicitur: alia in amicos, cuius etiam alia nomina varia sunt, ad ingratitudinem, & iniustitiam in genere, ad ea in specie vitia, quæ sanctiones posterioris tabulæ Decalogi respiciunt, referenda.

LOCI BIBLICI.

Impietas ablegenda est, *Tit. 2. 12.* omnes homines in se, & sua natura sunt impij, & filij iræ, *Ephes. 2. 3.* tuoc impium iustificare dicitur Deus, cum homines Christi sui cognitione regenerat, *Rom. 4. 5. &* Christus pro impijs mortuus, *5. 6.*

Impij ino anu Dei sunt, *2. Reg. 19. v. 28.* Impij malorum caussa, *Prou. 29. v. 8.* Impij Satanæ instrumenta, *2. Cor. 1. 15. Ephes. 2. 2. 1. Thes. 2. 18.* quo pane vescantur, *Prou. 4. v. 17.* scandala dicuntur, *Matth. 13. vers. 41.*

Impij conferuntur adulterino argento, *Ierem. 6. v. 30.* Canibus, *Ps. 22. v. 13. 17. Esa 56. v. 10. Matth. 7. v. 6.* Ceræ fluenti, *Psal. 68. v. 3.* Flammæ montes comburenti, *Psal. 83. v. 15.* freno, *32. v. 9.* fumo, *37. v. 20 & 68. 2. Esa. 14. vers. 31. & 65. 5.* furno, *2. Reg. 19. 26. Psalm. 37. 2. & 92. 8. Esa. 37. 27.* Leonibus, & leænis, *Iob 4. v. 10. 11. Psalm. 10. v. 8. 9 & 17. 12. & 58. 7. 2. Timot. 4. 17.* Lupis, *4. Esdr. 5. 18. Ier. 5. 6. Ezech. 22. 27. Matth. 7. 15. & 10. 19.* Mari feruenti, *Esa 57. vers. 20.* myricæ sterili, *Ier. 17. v. 6.* Paleis, *Matth. 3. 12. Luc. 3. 17. Psalm. 1. 4.* Porcis, *Matth. 7. 6.* pulueri, & luto, *Psalm. 1. v. 4. & 18. v. 43. & 35. v. 5. Esa. 47. v. 14. Ierem. 13. 24. Abd. v. 18. Nah 1. v. 10.* Roræ, *Psalm. 83. v. 14.* Spinis, *2 Sam 23. 6.* Stipulæ, *ibidem.* Terræ malæ, *Heb. 6. v. 8.* Tauris, *Psalm. 22. ver. 13. Esa. 34. 7. Ier. 50. v. 11.* Zizanijs, *Matt. 13. versic. 38.*

Impij Deo abominabiles, *Exod. 23. v. 7. Psal. 1. v. 6 & 5. v. 5. 6. & 31. 7 & 34. 17. & 94. 20. & 119. 118. Prouer. 17. 15.* a salute alieni, *Iob 8. 20. Psal. 119. 155. Esa. 3. 10.* ad morendi, & serio arguendi, *Prou. 24. 25. & 28. v 4. Ier. 20. v. 4. Ezech. 3. 17. & 33. v. 9. &c Osea 8. v. 1. Tit. 1. 10.* Exitio destinati, *Iob 21. v. 30. 2. Sam. 23. 6. Prou. 16. v. 4. & 24. v. 20. Zach. 11. 6 Roman. 9. v. 22.* a Satana excæcati, *1. Cor. 4. 4.* pijs exosi, *Psal. 101. 3. & 139. v. 21. 22. Prouerb. 29 27.* appellantur filij Diaboli, *Ioan. 8. 44. 1. Ioan. 3. 44. 1. Ioan. 38.* filij diffidentiæ, & contumaces, *Ephes. 2. 2. & 5. 6. Col. 3. 6.* in speciem felices, & beati, *Psalm. 73. 3.* Hostes Dei, *Iob 15. 25. Ps. 47. 10. & 83. 3. & 89. 52.* Christo ignoti, *Matth. 7. 23. & 25. 12.*

Impij illaqueati à Satana, 2.Tim.2.26. non imitandi, Prouer.23.17.& 24.1.Esa.8.11. Immisericordes, Prou.21.10.Rom.1.31. Inexcusabiles, 2.Chr.24.19.& 36.15.16.Ps.36.4.& 78.14.& 78.17. Exec.2.5. Osea 8.4. Matth.10.18.& 21.39.& 24.14. & 25.45.& 27.25. Luc.9.5.& 10.v.6.11. Ioan.9.41.& 15.21.24. Act 4.14.16. Rom.1.20.& 10.18.1. Thess.2.10.2.Tim.2.25. Heb.11.7.1.Petr.2.8.& 2.Pet.3.5. Insatiabiles, Prou.13.v.25. infructuosi, & inutiles, Esa.49.5. Ioan.15.4. Heb. 6.8. Iustificandi minimè, Prou.17.15.& 24.24.& 28.4. Esa.5.23.

Impij metuendi non sunt, Exec.2.6.& 3.8.9.1.Pet.3.14. Miseri, Prou. 3.33.& 12.21. Eccl.8.13.1.Ioan.4.8. mortui, Col.2.13. Nescij rerum diuinarum. Psal.92.7. Ioan.15.21.& 18.25.1.Ioan.4.8. Ridendi merito, Psal.52.7.8. Prou.1.26. Rixosi semper. Prouer.16.28 & 17.11. Securi numquam, Iob 15.20.11.& 17.11. Psal.6.11.& 14.5.& 140. 4. Prou.28.3. Matth.2.3. Securitate torpent, Prou.21.29. Stulti, Prou. 23.8.9.

Impij, & peccatores quomodo tractati Exempla: Adam, & Eua, Gen. 3.11.&c. Cain, Gen 4.6. Sodomæ, Gen.19.11.24. Israelitæ, Exo.32. 20.28. Num.14.45. & 32.13. Heli, 1.Sam.2.27.&c. Israelitæ, 1.Sam. 12.12. Dauid, 2.Sam.12.9.& 24.12.13 &c. Salomon, 1.Reg.11.9 11. Ieroboam, 1.Reg.14.10. Baasa, 1.Reg.16.2.3. Israelitæ, 1.Reg.18 21. Achab, 1.Reg.21.19. Ochozias, 2.Reg.1.16. Ioram, 2.Reg.3.13. Manasse, 2.Reg.21.11. Asa, 2.Chro.16.7.8. Iosaphat, 2.Chro.19.2.& 20. 37. Iudæi, 2.Chron 24.30 Ozias, 2.Chron 26.18. Impij variæ conditionis, Psal 75.5. Esa.1.4.&c. Ier.1.2.4.7.& seq capitib. Ose.1.2.4. &c. Iudæi frequenter apud Euangelistas, & in historia sacra Act. Apostol.

Impij traditi in reprobum sensum, Rom.1.24 28. vacant peccatis indesinenter, Prouer.4.16. Esa.29.10.& 30.1.& 57.20. Matth.23 32. Rom.2.5. Ephes 4.19.1.Thess.2.16.2.Tim.3.13 2.Petr.2 14. Vacui sunt timore Dei, Psal.10.4.& 36.2.3.& 55.20 & 74.23.& 86.14. Rom. 3.18.

Impij verbum Dei ferre non possunt Exempla, Achab, 1.Reg.22.26. 27. Principes Iudæ, 2.Chro.24.20. 21. Phassur, Ier.38.4. Amasias Sacerdos, Amos 7.10. Iudæi variorum ordinum, 2.Chron 36.15. Ioan. 8.43. Act.4.2.17.18 & 5.17.33.& 7.54.& 13.45.50.& 17.13. Elymas, Act.13.8. Felix, Act.24.26. Pseudoprophetæ, 2 Tim.4.3. Verbo potentissimo Dei veri indurantur impij, teste Pharaone, Exo. 8 vers.15.19.32. Saule, 1.Sam.19.11. Populo Iudaico, Esa.6.9.10. Ioan.8.48.52.

Impij pro virili, non pro libidine nocent, Gen. 27.41.& 31.27.29.& 35.5.& 37.22.1.Sam.19.10.1.Reg.19.2. Neh.6.16. Ps.35.15.& 124. 1.2.& 129.2. Esa.37.7.29.& 54.16.17. Dan.8.13. Mat.26.53. Marc. 6.19.20.& 14 49. Luc.13.32.& 19.48.& 20.19.& 22.53. Ioan.7.30. & 8.20.& 10.39. Act.4.5.9.32.14.17.18.19.20.21.23.24.& 27. capitib. 2.Cor.13.13. Vitijs proprijs, & sceleribus irretiti pereunt, Iob 12.17. Psal.7.16.& 9.16.17.& 57.7. Prouer.5.22.& 11.5.27. & 12.26.& 22.8.& 26.27.& 29.6. Eccles.10.8. Esa.33.11.

Impij vitia, & scelera vitijs, & peccatis nouis tegere student Exempla, fratres Ioseph, Gen.37.32. Herodes, Act.12.3. Felix, Act.24.28. Impij vltorem Deum sentient, Ier.12.3.& 48.44. Ezech.6.12 & 7. 35. Amos 5.19.& 9.1.2. Mich.6. 14.15. Voluntatem Dei nescij implent, Act 4.28.& 13.27.26.

Impiorum cæcitas, Esa 5.26. calamitates variæ, Ier.19.3. certamen cum Christo, Apoc.17.14. conatus irriti, & inanes, Esa.8.10.& 14. 27. Impiorum in perpetrando scelere concordiæ Exempla: Filij Noe, Gen.11. 2. Sedechias, & Pseudoprophetæ Achab, 1.Reg.22. v.11.12.13. Iudæi, Mat.27.v.21.22. Ioan.8.59. Actor.7.57.& 18.v. 12.13. Impiorum conditio misera, Iob 6.v.17.17.& 8. v.11.12.& 81.20.& 15.v.21.22.& 18 5. Psal.1.v.5.6.& 23.10. Esa.65.14. Ier. 22.30. Osea 10.8. Amos 5.9. Mich.6.14 Soph.1 13. Agg 1.6. Malach.1. 4. Eph 2.v.2.3.2.Tim.2.25.1.Pet.3.12. Apoc 9.v.6.

Impiorum consilia, Prou.22.1. euertuntur, Iob 5.12.& 18.7. Ps.2.1.4. & 21.12.13. Esa.8.10.& 29.7.& 33.11. Ier.19.7.2.Cor.10.4. Exempla: Saulis, 1.Sam.19.1.&c. Achitophelis, 2.Sam.17.14.23. Adoniæ, 2.Reg.1.49. Inimicorum populi reducis, Nehem.4. 15. Amanis, Esth.5.14.& 7.10. Iudæorum, Ier.19.7. Herodis, Mat.2.16. Iudæorum, Act.9.23.&c. Impiorum consortia fugienda, Exe.23.33. Deu. 7.2. Psal.1.1.& 25 4 & 26.4.& 119.115.& 141. Prou.1. ver.10.15.& 3.31.& 13.20.& 16.19. & 22.24. Ier.15.17 Act.2.40. 1. Cor. 5. v.6. 9.13.2.Cor.6.v 14.17. Ephes.5.v.7.11.2.Thess.3.v.5.14. Apoc.18.4.

Impiorum dolores, Ier.13.21.& 49 24.& 50.43. Ezech.30.16. Ose.13. 13.1.Thess.5.3. domus maledicta, Iob 8.22.& 15.34. & 18.15. Prou. 14.11.& 15.25. feruoris ad malum patrandum, Exempla: Esau, Genes.27.41. Rex Aegypti, Exod. à cap.1 ad 14. Saul, 1.Sam.9.9.10.& 20.32.33. Ioab, 1.Reg.2. Baasa, 1 Reg.15.29. Zimri, 1.Reg.16.5. Achab, 2.Reg.9.8. Samaria, & alij, Esa.4.23. Principes Sacerdotum, & Scribæ, Marc.15.1. Ioan 11.47. aduersarij Pauli, Act.23.10. Impiorum fœdera fugienda, Exod.34.12 Iudic.2 2. 2.Chron.16.7.& 18.31 & 20.37. Nehem.13.23.25.

Impiorum gaudium, Prou.2 14.& 14.14.& 17.5.& 24.17. Es.16.10. & 22.13 Ier.7.32.& 16.9.& 25.10.& 26 23. Dan 5 4.&c. Osea 2. 11. Amos 6.13.& 8.10. Luc.6.25. Gaudij impiorum, Exempla: Israelitæ, Exod.32.6. Idumæi, Psal.137.7. Ammonitæ, Ezech.25.1. Tyrij, Ezech.26.1. Sacerdotes, & Magistratus templi, Marc.14.11. Luca 22.5. Herodes, Luc.23.8. peccatores, Iacob.4.16. Terræ incolæ, Apoc.11.10. Impiorum gloria vana, Psal.49.15. Es.19.11. Ier.50.38. Rom.1.21. Iac.4.16.

Impiorum ignominia, Ier.13.26. & 23.40. iniquitas detegenda, & speciatim enumerata, Iob 20.27.& 64.2.3. vsque ad 18.v.

Impiorum interitus, innumeris fere sacrorum Bibliorum locis descriptus, ex quibus aliquot sequuntur, Deuter.32.35. Iob 18.14.& 21.30. Psal.1.11.21.28.34.36.37.83.91.92 94.140.141.145. Prou. 1.2.5.6.10.11.22.29. capitib. Esa.1.3.5.10.11.13.16.17.22.24.26. 27.30.34.35.41.47.50.51.63.65.& 66 capit. Ier.5 12.17.19.24.25. 51 capitul. Ezech 22.20.& 23.34. Ose.5.14.& 14 8. Ioel.3.4. Amos 8. 14. Soph.1.3.18. Zachar.1.21. Matth.3.7.13.21.22.23.24. capit Mar. 12.36. Luc.3.13.17.18 19.20.21. capit Ioan.3.18.& 15.6. Actor.2.2. 35.& 7.7. Rom 12.1.Cor.15.25 Philip.1.1.28.1.1.Thess.5.3.2.Thessal.1.6.8.9. Hebr 1.13.& 10.13 27.1.Pet.3.12 & 4.5.17.2.Pet.2.1. 3.12.17.& 3.7. Apoc.2.11.18 20.21. cap. Impiorum interitus consertur conuiuio. Apoc.19.17. partui, 1.Thessal.5 3. Sacrificio, Esaia 34.6 Ier.12.3 & 51.40 Spinarum abscissioni, 2.Sam 43.6.7 Vberrimæ messi, Apocalyp.14.16 Vide circa finem huius tituli Impiorum interitum, & pœnæ Exempla. Impiorum de Deo iudicium, Psalm. 50 21. iudicium nihil æstimandum, 1.Pet.4.4.

Impiorum laus breuis, Iob 20.5 Licentiæ immanis aduersus pios Exempla: Aegyptij Exod 1.13. Sedechias, 1.Reg.22.24. Achab, ibid. v.27. Ioas, 2.Chr.24.21.22. Principes, & Ieremias, Ier.14.15.& 38. 4.3. Pontificis seruulus, Ioann.18.22. Pontifices, & Pharisæi, Actor. 5.40 Ananias, 23.2. Lingua, Psal 52 4.& 57.5.& 64.4 & 120.4.& 140.4.

Impiorum maledictiones, benedictiones, Exempla: Balac, & Balaam, Num.23.11 Ios.24 10. Dauidis hostes Psal 109.18. Apostolorum aduersarij, Matt.5.11. Memoria aboletur, Deuter.29 20.& 32. 36 Iob 18.17.& 24.20. Psal.9.6.& 34.17 & 109.15. Prou.10.& 12. 7. Esa.26.14.& 41.12. Apocal 18 21. Merces, Esa.45 24. Ose.10.13. Apoc.16.6. Mors pessima, Psal.34.12. Mos, Prou 6.12 .& passim toto ille libro. Matt.27.23.24. Ioan.7.52. Act.21.27.34.36.& 22.22. Multitudo, Genes 6.17.& 18.31.& 37.11.26. Num.13 29.31.32.& 14. 29.30.2.Samuel.15.12.2.Regum 12 30.& 20.10. Ierem.44 15. Mich 7.2. Matth.7.13.& 25.41. Ioan.18.40. Actor.28 22. Philip.3.17.2. Thren.12.

Impiorum nomen execrabile, Esa.65.15. Impiorum nota, Ioann.8. 47. Opera coram Deo sunt abominabilia, Agg.2.15. corrupta, Esa. 59.6. Prouerb.11. 18. peccata impiorum coram Deo ascendunt, Genes 4.20.& 6.13.& 17.20. Ion.1.2. Preces impiorum Deo abominabiles, 1.Sam.8.18. Iob 27.9. Psal.18.42.& 109.7. Prou.1. 28.& 15.29.& 28.9. Esa.1.15. Ierem.11.11. Ezechiel.8.18. Mich.3.4. Zachar.7.13. Matth.6.5. & 23.14. Luca 18.11.14. Ioann.9.31. Iacob. 4.2 3.

Impiorum prosperitas, Iob 10.3.& 21.7.20. Psalm.73.2.3.8. & 92.8. Ierem.12.1 Abac.1.13. bonos rapit in admirationem, Iob 21.7.13. Psal.73.2. Eccl 7.16. Malac.3.15. floxa est, & momentanea, 2.Sam. 30.16.17. Iob 15.17. Iob 15.27.28.& 21.7.& 24.25. Psalm.37.2 & 49.7.& 73.17 18.20. fluxæ istius prosperitatis exempla: ciues Lais, Iudic.18.7. Amalechitæ, 1 Sam. 30.16. Aman, Esth.5.11.& 7.10. Dan.4.28. Optimates Israelis, Amos 6.1.&c. Diues epulo, Luc.16. 22. Impiorum prosperitas pios tentat, Psal.73.ver.2.3.11. 12.13. huic non inuidendum, Psal.37.1. Impiorum prudentia, Luc.16.8.

Impiorum punitio, dispersio, & euersio subita, improuisa, terribilis, Genes.7.21.22.& 11 8.& 19.24.& 34.25. Exod. 14.24. Leuit.10. 2. Num.11.33.& 16 31. Ios.9.10.& 11.7. Iudic.4.20 & 7.12.& 8.11. & 15.15.& 16.28.& 20.35.44.45 2.Samuel.30.16.2.Sam.13.28.1. Reg.16.2.3 & 18 4 & 20.13.19. Iob 4.5.8.16.18.20.27.36. capitib. Psal.1.5.& 37.1.&c Prouerb.1.27.& 6.15.& 10 25.& 12.7. Esa.5. 24.& 47 9. Ierem.15 8. Daniel.5.30. Matth.24.38. Luc.12.20.46.& 16.23 35.& 17 27.1.Thessal.5.3 Impiorum punitio pijs est ad timorem, & cautionem, Deuteronomio 13.11.& 17.18.& 19.20 & 21.21. Prouerbiorum 19 25.& 21.11. Actorum 5.11.1. ad Timotheum 5.20.

Impiorum Sacrificia Deus respuit, & abominatur, Genes.4. 5. Num. 16.15.1.Samuel.15.22 Esa.59.9. Prouerb.15.8. & 21.28. Esa.1.11. & 43.23.& 61.8.& 66.3. Ieremiæ 6.20.& 7.20.& 14.12. Ose.5.6 & 8.13.& 9 4. Amos 5.21.22. Mich.7. Malach.1.7.8.&c.2.13. Matth. 5.23.& 9.13 & 12.7 Hebr.10.5. Securitas vana, Ier.5.12.& 21.13. Mich.3.11. Matth.24.38.& 18.14. Luc.12.19.& 17.27.28. Ephes.4. 19.1.Thessal.5.3.4. Hebr.13.16.17.1 Petr.4.18. Apocal 18 7. Semen maledictum, 2.Reg.5.27. Iob 5.4 & 18.19.& 20.10. & 24.14. Osea 37.28.& 109.8.&c.

Impiorum feminis maledicti, Exempla: Ieroboam, 1.Reg.15.29. Giezi, 2 Reg.5.27. Amanis, Esth.9.7.&c Domus Achabi, 2.Chron.18. 34.1.Reg.21.22.2.Reg.10.11.17. Nebucadnezaris, Esa.14.19. 20.2. Iohoiakim, Ierem.22.28. Semaiæ, Ierem.29.32. Accusatorum Danielis, Dan 6.24. Israelitarum, Ose.2 4.&c. Impiorum species variæ, Esa.66.17. Spes fallax, & vana, Iob 8.13.14.& 21.20.& 18.14. Psal.112.10. Prouerb.10.28. Esa.28.18.& 30.5. Ierem.2.37.& 7.4.8.

*Ose.*12.1. *Amos* 6.1. *Zach.*9.5. *Iac.*4.2. Impiorum superbia, *Psal.*73.6.& 74.22.& 83.18. Supplicium æternum, *Matth.*3.12.& 8.12.& 13.42.& 24.51.& 25.30.41. 2. *Th.*1.9. Iudæ, *v.*7. *Apoc.*14.10.

Impiorum thesaurus inutilis, *Prou.*10.2. *Matth.*16.26 *Luc.*9.25. *Iac.*5.3. Vanitas, *Esa.*37.27.& 50.9. Vitæ fugienoæ, *Prou.*3.31 & 4.14. Tenebrosæ, *v.*19. Violentia, *Psalm.*94.5.& c. Vita breues, 25.32. *Iob. Psal.*55.24.& 109.8. *Eccl.*8.13.

Impiorum voces blasphemæ, *Iob* 21.14.& 22.13. *Ps.*2.12.22.42.64.73.78.79.83.94.115. *Prou.*30.20. *Esa.*5.10.14.22.28.29.30.36.37.41.47.51.56.66. *capitib. Ierem.*2.5.6.8.11.12.14.17.18.20.21.22.23.44.48.50. *capitib. Thren.*2.16. *Ezech.*8.9.11.12.18.25.28.29.35.36. *cap. Ose.*12.8. *Ioel.*12.17. *Amos* 2.12 & 4.1.& 6.13.& 7.16.& 8.14.& 9.10. *Mich.*2.11.& 4.11.& 7.10. *Soph.*1.12.& 2.15. *Malac.*2.17.& 3.14. *Matth.*3.9.& 15.5. 1. *Cor.*15.32. *Apoc.*13.17. Qui plura de Impietate, & impijs cupit, magnas SS. Bibliorū Cōcordias percurrat.

SENTENTIÆ BIBLICÆ.

Impij Deum contemnunt.

Qui dixerunt Deo, recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. Quid omnipotens, vt seruiamus ei? &, quid nobis proderit, si orauerimus illum? *Iob* 21.

In circuitu impij ambulant. *Psal.*11.

Impius facit opus instabile: seminanti autem iustitiam merces fidelis. *Prou.*11.

Abominatio est Domino via impij. 15.

Longè est Dominus ab impijs. *ibid.*

Impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit, sed sequitur eum ignominia, & opprobrium. 18.

Est & alia vanitas, quæ fit super terram. Sunt iusti, quibus mala proueniunt, quasi opera egerint impiorum: & sunt impij, qui ita securi sunt, quasi opera iustorum habeant: sed & hoc vanissimum iudico. *Eccl.*8.

Similiter autem odio sunt Deo impius, & impietas eius. *Sap.*14.

Ecce vos confiditis vobis in sermonibus mendacij, qui non proderunt vobis, furari, occidere, adulterari, iurare mendaciter, libare Baalim, ire post Deos alienos quos ignoratis. Et venistis, & stetistis coram me in domo hac, in qua inuocatum est nomen meum, & dixistis: Liberati sumus, eo quod fecerimus omnes abominationes istas. *Iere.*7.

Proximum opprimunt.

Cunctis diebus suis superbit impius, & numerus annorum incertus est tyrannidis eius. *Iob* 15.

Os impiorum operit iniquitas. *Prou.*10.

Verba impiorū insidiantur sanguini: os iustorum liberabit eos. 12.

Anima viri impij desiderat malū, nō miserebitur proximo suo. 21.

Fons turbatus pede, & vena corrupta, iustus cadēs corā impio. 25.

Cor iniqui inquirit mala: cor autem rectum inquirit scientiam. 27.

Viri mali non cogitent iudicium: qui autem inquirunt Dominum, animaduertunt omnia. 28.

In exultatione iustorum, multa gloria: regnantibus impijs ruinæ hominum. *ibid.*

Cum surrexerint impij, abscondentur homines: cum illi perierint, multiplicabuntur iusti. *ibid.*

In multiplicatione iustorum lætabitur vulgus: cum impij sumpserint principatum, gemet populus. 29.

In multiplicatione impiorum multiplicabuntur scelera, & iusti ruinas eorum videbunt. *ibid.*

Impij autem quasi mare feruens, quod quiescere non potest. *Es.*57.

Non est pax impijs, dicit Dominus omnipotens. *ibid.*

Opera eorum inutilia, & opus iniquitatis in manibus eorum, pedes eorum ad malum currunt, & festinant, vt effundant sanguinem innocentem. 59.

Seipsos perdunt.

Et si impius fuero, væ mihi est: & si iustus, non leuabo caput, saturatus afflictione, & miseria. *Iob* 10.

Quia in diem perditionis seruatur impius, & ad diem furoris ducetur. 21.

Iniquitates suæ capient impium, & funibus peccatorum suorū constringetur. Ipse morietur, quia non habuit disciplinam, & in multitudine stultitiæ suæ decipietur. *Prou.*5.

Anni impiorum breuiabuntur.

In impietate sua corruet impius. 11.

In malitia sua repelletur impius: sperat autē iustus in morte sua. 14.

Ne impiè agas multum, & noli esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo. *Eccl.*7.

Impij secundum, quæ cogitauerunt, correptionem habebunt, quia neglexerunt iustum, & à Domino recesserunt. *Sap.*3.

Talia dixerunt in inferno hi, qui peccauerunt: quoniam spes impij tamquam lanugo est, quæ à vento tollitur: & tamquam spuma gracilis, quæ à procella dispergitur: & tamquam fumus, qui à vento diffusus est: & tamquam memoria hospitis vnius diei prætereuntis. 5.

Impietas liberorum erga parentes, *ἀσεβεία*, habet in historijs multa exēpla. Cain interficit fratrem Abel, sanctū regē Dauidem, domo & regno eijcit ingratus filius Absalon: Tullia coniux Tarquinij per cadauer interfecti patris carpentū agit. Imperatores nōnulli, præsertim Romani, erga matres, fratres, vxores, liberos impij apparent. Est & irreligiosa, impiaq; obedientia, seu impietas erga Deum, de qua Christus, *Matth.*10.37. Qui amat patrem, aut matrem, filium, aut filiam plus quam me, non est me dignus.

POETICÆ SENTENTIÆ.

Antholog. Sacr. Iacob. Billij.

Quam vana sit omnis impij Prosperitas.

Vidi ego, qui latis rerum successibus vtens,
Tollebat tumidum fulens ad astra caput.
Immemor atque Dei prorsus, cobusq; secundis
Ebrius, æthereas despiciebat opes.
O latas hominum mentes! ò pectora cæca!
Quam nihil est, magni quicquid hic orbis habet!
Vix ego transieram cum protinus ora retorquens,
Cum factus vidi hunc iam perijsse fuit.

Quid de ijs sentiendum sit, qui impie, ac scelerate viuunt.

In vitijs animum quisquis sine fronte volutat
Omnibus & latum carpere gaudet iter:
Hic si iudicium extremum se credere dicat,
Credere tu fugias, verba dat ille tibi.
Quisquis enim credit, metuit. quis namq; tribunal
Iudicis æthærei cogitet absque metu?
Quod si se rursum dicat, vtrumq; timere,
Verba dat hic iterum: qui timet, ille cauet.

In eos qui animæ studium negligunt.

Vt sit ager melior, melior domus, optima vestis,
Vt pecus, & melior bos sit, equusq; tibi:
Quid non arimne, quid non capis ipse laboris?
Quantus in his studijs sudor ab ore fluit?
O miser, ò Phrygio dementior, atque homine,
Quæ tibi supplicij crux satis vlla foret?
Qui cum nil studij, vt tua sint meliora, recusas,
Vt melior fias, nil tamen ipse facis.

Impios antequam pœnas luant, nullis minis fidem adhibere.

Sæpè parente satum Lamecho, dum conderet arcam,
Pestiferos homines admonuisse reor.
Attamen id frustra: namq; omnia verba monentis
Ridebat, grauis gens scelerata minas.
Quin Sodomis cum Loth generos exire iuberet,
Instar erat ludi verba iubentis erant.
Scilicet hic mundi mos est, nil credere, donec
Admissum æterno crimen in igne luat.

Impium, cum à Deo plectitur, pœnam tantum, non autem peccatum suum flere.

Cum grauis exercet iniustum fortuna, tonantem
Prædicat, atque procul murmur ab ore fugat:
Impius at contra scelerum iustissima pendens
Supplicia, in pœnis non nisi damna gemit.
Qui me conuertet (Cain sunt verba trementis)
Confestim certè me dabit ille neci.
O vecordem hominem mentem! qui cæde necarat
Fraterna, tantum carne perire timet.

De impiorum cœcitate in agnoscendis peccatis.

Exiguas liquido volitantes æthere muscas
Eminus haud ægre lumina sana vident.
Infirmi at nequeunt oculi spectare minuta
Corpora, quin ægrè maxima quæque notant.
Sic quoque, cum sana est, etiam tenuissima quæque,
Mens humana, sedum crimina fœda vides,
Debilis, ac lumisq; grauis, vitijsq; laborans,
Cernere vix etiam crimina magna potest.

Iuuen. Sat 3.

Sunt qui in fortuna iam casibus omnia ponunt,
Et nullo credunt mundum rectore moueri,
Natura voluente vices, & lucis, & anni,
Atque ideo intrepidi quæcumque altaria tangunt.
Est alius metuens ne crimen pœna sequatur:
Hic putat esse Deos, & peierat, atque ita secum
Decernat quodcumque volet de corpore nostro
Isis, & irato feriat mea lumina sistro.

Virg. lib. 6.

Nec partem posuere suis, quæ maxima turba est:
Quique ob adulterium cæsi, quique arma secuti
Impia, nec veriti dominorum fallere dextras,
Inclusi pœnam expectant; ne quære doceri
Quam pœnam, aut quæ forma viros fortunaue mersit.
Saxum ingens voluunt alij, radijsq; rotarum
Districti pendent: sedet æternumq; sedebit
Infelix Theseus.

Vendidit

Vendidit hic auro patriam dominumq; potentem
Imposuit: fixit leges precio, atque refixit.
Hic thalamum inuasit natæ, vetitosq; hymenæos,
Ausi omnes immane nefas ausoq; potiti.
Non mihi si linguæ centum sint oraq; centum,
Ferrea vox, omnes scelerum comprendere formas.

Ouid 1. Metam.

Viuitur ex rapto: non hospes ab hospite tutus,
Non socer à genero. fratrum quoque gratia rara est:
Imminet exitio vir coniugis, illa mariti.
Lurida terribiles miscent aconita nouercæ.
Filius ante diem patrios inquirit in annos:
Victa iacet pietas.

Ibidem.

Mobilis, & varia est ferme natura malorum.
Cum scelus admittunt superest constantia, quid fas,
Atque nefas tandem incipiunt sentire peractis
Criminibus, tamen ad mores natura recurrit
Damnatos fixa, & mutari nescia, nam quis
Peccandi finem posuit sibi quando recepit
Eiectum semel attrita de fronte ruborem.
Quisnam hominum est, quem tu contentum videris vno
Flagitio?

Ex Græcis Comicis.

Ἀνὴρ πονηρὸς δυστυχεῖ κἂν εὐτυχῇ.
Miser est vir improbus, felix licet.
Θεῷ δ' ὄνειδος τοὺς κακοὺς εὐδαιμονεῖν.
Deus male audit ob beatos improbos.
Καὶ ζῶν ὁ φαῦλος καὶ θανὼν κολάζεται.
Viuusq; mortuusq; plectitur improbus.
Ἀνδρὸς πονηροῦ σπλάγχνον οὐ μαλάσσεται.
Haud molliuntur viscera improbi viri.
Ἀνουθέτητόν ἐστιν ἡ πονηρία.
Audire monita non solent ulla improbi.
Αὑτὸν οὐδεὶς ὁμολογεῖ κακοῦργος ὤν.
Haud esse quisquam se fatetur improbum.
Φασὶν κακίστους οἱ πονηροὶ τοὺς καλούς.
Ab improbis probi vocantur pessimi.
Ὡς ἔργον ἐστὶ ζῆν ἐν πονηροῖς ἤθεσιν.
Quis moribus bene viuere queat malis?
Πονηρὸν ἄνδρα μηδέποτε ποιοῦ φίλον.
Adiunge amicum ne tibi virum improbum.
Ἀνδρὸς πονηροῦ φεῦγε συνουσίαν ἀεί.
Improbi viri semper fuge commercium.
Κακῷ σὺν ἀνδρὶ μηδ' ὅλως ὁδοιπόρει.
Ne cum viro vnquam carpito viam improbo.
Τὸν δόλιον ἄνδρα φεῦγε παρ' ὅλον τὸν βίον.
Vitam per omnem, qui dolosus est, fuge.
Κακοῖς ὁμιλῶν κ' αὐτὸς ἐκβήσῃ κακός.
Consortium te reddet improbi improbum.
Φθείρουσιν ἤθη χρησθ' ὁμιλίαι κακαί.
Mores bonos congressus inquinat malus.
Ἤθη πονηρὰ τὴν φύσιν διαστρέφει.
Peruertitur natura prauis moribus.
Χρηστὸς πονηροῖς οὐ τιτρώσκεται λόγοις.
Non vulneratur improbis verbis probus.
Δύσμορφον εἶναι μᾶλλον ἢ καλὸν κακόν.
Deformes esse malo, quam pulcher, malus.

PHILOSOPHORVM SENTENTIÆ.

Sua quemque fraus, & suus error maximè vexat, suum quemque scelus agitat, amentiaq; afficit, suæ malæ cogitationes conscientiæq; animi terrent. Hæ sunt impijs assiduæ, domesticæq; furiæ, quæ dies, noctesq; pœnas à sceleratissimis repetunt. *Pro Rosc. Amer.*

Sua quemque fraus, suum facinus, suum scelus, sua audacia de sanitate, ac mente deturbat. *In Pison.*

Non ob ea solum incommoda, quæ eueniunt improbis, fugienda improbitas est: sed multo etiam magis, quod cuius in animo versatur, numquã sinit eũ respirare, numquam acquiescere. *1. de Fin.*

Si quis satis opibus hominum contra conscientiam septi esse, & muniti videntur, Deorum tamen numen horrent, easq; ipsas sollicitudines, quibus eorum animi noctesq;, diesq; exeduntur, à Dijs immortalibus supplicij caussa importari putant. *1. de Finib.*

Morte dolor corporis, aut luctu animi, aut offensione iudicij, hominum miserias ponderamus, quæ fateor humana esse, & multis bonis viris accidisse. Sceleris etiam pœna tristis, & præter eos euẽtus, qui sequuntur, per se ipsa maxima est. *2. de Legib.*

Animi conscientia improbi cruciantur, tum etiam pœnæ timore, qua aut afficiuntur, aut semper sunt in metu, ne afficiantur aliquando. *2. de Finib.*

Si impietas improbe molita quidpiam est, quamuis occultè fecerit, numquam tamen confidet id semper fore occultum. Plerumque enim improborum facta primo suspicio insequitur: deinde sermo, atque fama: tum accusator: tum iudex: multi etiam ipsi se iudicant. *1. de Finib.*

Omnibus, quorum mens abhorret à ratione, semper aliquis talis terror impendet. *4. Tusc.*

Impij pœnas luunt, non tam iudicijs (quæ quondam nusquã erant, hodie multifariam nulla sunt) quam angore conscientiæ, fraudisque cruciatu. *1. de Legib.*

Impijs apud inferos sunt pœnæ præparatæ. *1. de Legib.*

Impij apud inferos pœnas luunt. *Philip. 14. In pyt. sene. 76.*

Ignorant quidem improbi, quæ facienda sunt: quæque fugienda: iniustique, & omnino mali, ex eo errore nascuntur. *lib. 3. Ethic. c. 1. & l. 2. Mag. Mor. c. 3.*

Sceleratissimus quidem est habendus is, qui malitiam, & ad suã, & ad amicorum perniciem exitiumq; conuertit. *lib. 5. Ethic. c. 1.*

Cuius à voluptate, aut dolore corruptus est animus, & deprauatus: ei statim principium non apparet: neque ei videtur huius caussa, & propter hoc expetenda, gerendaq; omnia. *lib. 6. Ethic. c. 5.*

Homo si prauus sit, plura infinitis partibus detrimenta, & incommoda quam fera inferre potest. *lib. 7. Ethic. c. 6.*

Mali malis nisi quid emolumenti consequatur, non oblectantur. *lib. 8. Ethic. c. 4.*

Qui multa, & grauia scelera admiserunt improbitate victi: & se oderunt ipsi, & vitam fugiunt, mortemq; sibi ipsi consciscunt. *lib. 9. Ethic. c. 4.*

Mali, nec secum ipsi vna lætari possunt, nec dolere. Eorum enim animus à seipso dissidet, secumq; discordat: aliasq; propter improbitatem, sed dolet quibusdam rebus abstinuisse, alias gaudet. Atque pars altera huc trahit, illuc altera: vt solent partes dissoluti corporis. *ibid.*

Improbi alios quibuscum versentur, requirunt: se fugiunt ipsi. Multa enim & grauiora facinora recordantur: & alia eiusdem generis, cum soli sunt, expectant, cum sunt cum alijs, obliuione ruunt. *ibidem.*

Prauam habenti animam, ne quippiam mali exerceat, opulentia, imperium, & dominatus, ac omnino id genus reliqua adimenda sunt: quanto mobilior, mutabiliorq; est anima, quam corpus. *lib. 2. Mag. Moral. c. 3.*

Non in se amore animati sunt improbi, quod in eis dignum nil sit amicitia. *ibid. c. 3.*

Fugienda est improbitas magna animi contentione, dandaque opera, vt boni simus. *ibid.*

Improbi nisi ad breue, & exiguum tempus, concordes esse non possunt. *lib. 9. Ethic. c. 6.*

Improborum mala est amicitia: qui cum instabiles inconstantesque sint, rerum malarum ineunt societatem: similesque, ac pares inter se facilè corrumpuntur. *lib. 9. Ethic. c. 12.*

Deprauatorum, & vitiose affectorum hominum, sæpè videre licet corpus imperare animo: propterea quod male, & contra naturã affecti sunt. *lib. 1. de Rep. c. 3.*

Improbus est similis ei ciuitati, quæ seruat illa quidem leges, sed malas, & perniciosas. *Ethic. lib. 7. c. 10.*

Facilè ij debellantur, apud quos, nec diuina quidem, nec humana iura sat valent. *Procop. de bello Goth. lib. 3.*

Cum impiorum castigatione piorum consolatio, & restitutio in integrum coniuncta est. *Nice. Alex. Mura. sio.*

Cum Deo inimicitias quicumque suscipit, cum sit homo, fastu animi conditionis humanæ modum excedit, suorumq; consiliorum, & actionum exitum, atque successum ad Deum non refert. *Niceph. Gregoras. hist. lib. 7.*

Prouocat pœnam suam obliuiosa malitia. Impietas enim flagella quidem excruciata sentit, sed à quo flagellatur, obdurata non sentit. Vnde superioribus taceam, facta à Decio Christianorum persecutione, totum Romanum Imperium pestilentia magna vexauit. Mentita est iniquitas sibi, prauo in perniciem suam circũuenta iudicio, pestilentiam communis casus esse, accidentemque ex morbis mortem, naturæ finem esse, non pœnam existimans. Rursus igitur, atque in breui iram Dei sceleratis actionibus prouocat, exceptura plagam, cuius aliquando meminisse cogatur. *P. Orosius hist. lib. 7. c. 22.*

Difficile est, vt parcat suis, qui cum religionis contemptu, etiam aduersus Deos grassatus est. *Iustin hist. lib. 1.*

Facinorum recordatione numquam timore vacuus est. *Tacit. Annal. lib. 15.*

Qui amicissimo, atque charissimo insidias tendit, consanguinitatis, ac necessitudinis iura violando, quamquam victoriæ superstes, non fatum vitare, sed facinoris conscientia pœnam prorogare videtur. *Procop. de bello Vandalico lib. 2.*

Non est cum Dei hoste societas belli coeunda. *Zonar. in Gratiano.*

Pessima impostura est, qua quis ipse sese decipit. *G. Pachymer. histor. lib. 12.*

APOPHTHEGMATA.

Bion impietatem dicebat malam esse contubernalem fiduciæ, & adiecit versiculum Euripidis.

Δουλοῖ γὰρ ἄνδρα, κἂν θρασύσπλαγχνός τις ᾖ.

Sermo in fatis agit omnis ferendus vitam.

Sensit, iis non esse libertatē, vbi est malae conscientia: necesse posse libere loqui cui crimen impietatis verè potest obijci, nec frui tranquillitate animi, qui numen habet iratum. *Lamb. lib. ... c. 7.*

Agesilaus Ephorus. Cum ipsius iussu actum esset, vt fieret omnium debitorum solutio, tamque tabulis in forum Clarium comportatis, ignis esset iniectus, ac flamma exurgeret, caeteris creditoribus moestis improbe insultabat, dicens se numquam clarius lumen, aut ignem vidisse puriorem. Extrema impietatis est linea, etiam illudere ijs quos afflixeris. *Plut. in Lacon.*

Iulianus Apostata. Contra Persas exercitum ducens, grandem mulctam Christianis intulit, qui grauius à Paganis tractati, saepius pro auxilio ad Imperatorem accesserant. Quibus impiè respondit: Aequum est, vt mala sustineatis, cum hoc sit praeceptum vestri Dei. *Tripartita hist. l. 6. c. 19.*

S I M I L I T V D I N E S.

Chrysostomi. Quantumuis biberint febricitantes, calore tantum consumente, quod biberint, semper adhuc sitiunt: Ita & maligni homines, quicquid boni viderint, aut audierint, infidelitate totum consumente, quod vident, & audiunt, semper vacui sunt, tamquam qui nihil viderint, aut audierint. *In Matth. cap. 12. homil. 30.*

Sicut melius est, vt non sit arbor, quam vt sit quidem, & fructum non faciat: Sic melius vt nec sit homo Dei, quam vt sit quidem, & conuersationem non habeat secundum Deum. *In 21. Matth. homil. 39.*

Amicum cum peregrè proficisci cernimus, lugemus, ingemiscimus, si mortuum videre contigerit, plangimus: cum nouerimus eum non perpetuo à nobis separandum propter resurrectionis Sacramentum. Enimuero forte cum Christus quotidie separetur à nobis, imò cum ipsum singulis horis à nostro arceamus congressu: Neque dolemus, neque durum aliquid, & acerbum nos pati arbitramur. Caeterum cum illum afficiamus iniurijs, cum eum contristemus iugiter, atque irritemus, neque quae ille iusserit faciamus omnia, neque ingemiscimus, sed insensibiles, non secus, ac lapides, manemus. *In 1. ad Timoth. hom. 3.*

D. Augustini. Sicut vua acerba dentibus vexatio est, & fumus oculis: Ita iniquitas vtentibus ea. Quomodo qui manducat ore corporis vuas acerbas, obstupescunt dētes eius, & minus idoneus fit ad manducandum panem, & remanet illi laudare, quod videt, & mãducare non posse: Sic & qui iniquitate vsus est, & passus peccatis in corde, incipit non posse manducare panem, laudat verbum Dei, & non facit: vnde hoc facit? quia cum coeperit facere, laborat, quomodo sentimus laborare dentes post vuas acerbas, cum coeperimus panem manducare. Sed quid faciunt illi quibus obstupuerunt dentes? Temperant se aliquantulum ab vuis acerbis, & redeunt dentes ad stabilitatem suam, & incumbunt pani: Sic & nos laudemus iustitiam: sed si volumus manducare iustitiam, temperemus nos ab iniquitatibus, & nascitur in corde non solum delectatio laudandi iustitiam, sed etiam facultas manducandi. *In Psal. 48.*

D. Hilarij. Fumus cum emerserit, licet globosus, & crassus, tamē paulatim ita deficit, aboleturq; ne extet. Sicut in conspectu ignis cera sic liquescit, at non sit, fumo quidem in igne per leuitatem sui tenuitatemq; dilapso, cera autem vi, & calore ignis absumpta, quia infirma ipsa per sese naturae potioris diripiatur ardore: quē in modum omnis iniquorum potestas à facie Dei, id est, Dei iudicio liquescit. *In Psal. 67.*

Plutarchi. Quemadmodum Caecias ventus contra aliorum ventorum Septentrionalium naturam, nubes non à se pellit, sed potius attrahit: Ita quoque improba aiunt, probra ad se attrahit. *In libello cui titulus. Quo pacto quis possit ab amicis iuuari.*

Plinij. Vt pulegium ipso brumae die floret, cum marcent omnia: Ita rebus pessimè vexatis, regnant mali, quorum in pace nullus est respectus. *lib. 18. c. 25. & l. 3. c. 42.*

Tolongij. Quemadmodum vestis, ac zona totum adeo cingunt hominem, vt omnem in se quasi contineant hominem, ita etiam impietas, si quem semel adorta fuerit, eum totum conuoluit, atque adeo obstrictum coarctat, vt vix illū respirare sinat. *In Psal. 109.*

Thirmeri. Frigidus neminem potest incalfacere: Nec iniquus quemquam suo sermone ad virtutem accendere. *In apoph. 87.*

Samuelis. Sicut lux aurorae, oriente Sole, mane absque nubibus rutilat, & sicut pluuijs germinat herba de terra: Praeuaricatores autem quasi spinae euellentur vniuersi. *2. Reg. 23.*

Esdrae. Vae tibi Assur, qui abscondis iniquos penes te, Gens mala memorare quid fecerim Sodomae, & Gomorrhae, quorum terra iacet in piceis glebis, & aggeribus cinerum. Sic dabo eos qui me non audierunt, dicit Dominus omnipotens. *4. Esdrae 2.*

Dauidis. Sicut sine negotio dispergitur à vento fumus, ita disperges illos tu: Sic sicut liquescit cera, igni adhibita, sic peribunt impij aduentante Deo. *Psal. 68.*

Sicut ignis in siluam immissus, & flamma in cacumen montium, quae per obuia dumeta volitans vastat cuncta absque vllo impedimento: Sic tu persequare eos tempestate missa abs te, & excitato turbine perturba eos. *Psal. 83.*

D. Augustini. Sanè exteriores tenebrae intelligi possunt quaedam malignitas odij, & voluntatis, quae tunc exercescit in mentibus reproborum, & quaedam obliuio Dei: Quia tormentorum interiorum, & exteriorum doloribus adeo afficientur, & turbabuntur, vt ab illis ad cogitandum aliquid de Deo vix, vel raro, vel numquam mentem reuocent. Vt qui nimio premuntur pondere, vehementer stupescunt, & turbantur, neque animo in aliam cogitationem se extendunt: sed illuc tendit impetus cogitationis, vbi sentitur vis doloris. *In Psalm. 6.*

Fumus à loco ignis erumpens, in altum extollitur, & ipsa elatione in globum magnum intumescit: sed quanto fuerit globus ille grandior, tanto fit vanior: Sic impius quo magis exaltatur, tanto citius deficit. *In Psal. 36.*

Martialis Episcopi. Ne ergo timueritis, neque formideritis, sed neque admiremini eos, Vapor enim est nebulae malitia eorum: quae cito pertransibit, sicut fumus noxius oculis. Deus autem, & veritas in sempiternum permanent. *In Epist. ad Tholosanos. 242.*

A D A G I A.

Lydi Mali, post Aegyptij, &c.

Λυδοὶ πονηροί, δεύτεροι δ' Αἰγύπτιοι.
Τρίτοι δὲ πάντων Κᾶρες ἐξωλέστατοι.
Lydi improbi post hos secundi Aegypty.
Tertijque Cares perditissimi omnium:

Tempestiuiter vtemur si quando mali cum malis conferuntur: & collatus cū sceleratioribus, ita demum minus illaudatus aliquis videtur.

Lerij mali. *Λέριοι κακοί.*

In eos rectè dicetur, qui pariter omnis gentis vitia sunt improbi.

Mali commatis. *πονηροῦ κόμματος.*

Dicebatur improbus, contemptus, & vilis homo quispiam.

Adulterinus. *κίβδηλος.*

Quod simplex non est, neque sincerum ad vulgato verbo Graeci κίβδηλον vocant.

Bipedum nequissimus.

De homine vehementer improbato. quique vel pecudes nequitia superet. Cic. refert in Clodium in orat. pro domo sua.

Tenedius tibicen. *Τενέδιος αὐλητής.*

Dicebatur testis falsus, & calumniator. Stephan.

Phrynondas alter. *Φρυνώνδας ἄλλος.*

De improbo. Quoties insigniter malum, & sceleratum accipi volebant, Phrynondam appellabant.

Noui Simonem, & Simon me.

Vide similitudines.

Bestia bestiam nouit. *ibidem.*

Ambrones.

Ambrones vulgo dicebātur, qui rapinis alijsq; artibus viuerent. Es muess ein kalter Vuinter sein, das ein Vuolff den andern frisst. Item, Es ist boess stehlen, vvo der Vuirth selbst ein Dieb ist.

Ballio.

Nomina quaedam ob insignem improbitatem abierunt in prouerbium. quod interdum à veris, interdum à fictis in Comoedia personis sumitur. Ballionem inducit Plautus in Pseudolo, lenonem impurissimum, rapacissimum, improbissimum.

Βρυγίζειν.

Stephanus scribit Βρυγίαν esse ciuitatem Thraciae siue vt Strabo refert, ... Eius gentis improbi mores in prouerbium abierunt, vt dicerentur βρυγίζειν qui nihil sani loquerentur.

Eurybatizare. *Εὐρυβατίζειν.*

Est improbis vti moribus.

Tria Cappa pessima. *τρία κάππα κάκιστα.*

Iactatum, & hoc olim aenigmatis vice, quo trium gentium mores notati sunt, Cappadocum, Cretensium, & Cilicum.

Duplex Cappa. *διπλοῦν κάππα.*

Veluti aenigma, quo malum aliquod significabant, siquidem gemino κ. scribuntur κακοί. simili figura Plautus furem trium literarum hominem appellauit.

Βωμολόχος Βωμολοχεύεσθαι. *Aristoph.*

Bomolochi prouerbiali conuitio dicebantur scelerati, & improbi. Dicuntur autem Βωμολόχοι qui cum rei diuinae peragunt, non faciunt rem Diis, sed nugas inanes blaterant. Qui mos hodie magnatibus magnopere placet.

Inexploratus homo. *ἀβασάνιστος ἄνθρωπος.*

Inexpertus, inexercitatus, non probatus.

Diagoras Melius. *Διαγόρας ὁ Μήλιος.*

In sceleratum, ac foedifragum, & impium.

Lupi decas. *Λύκου δεκάς.*

Dictum apparet in eos, in quos inhonesti lucri pars aliqua, tametsi pusilla, rediret. Aut in eos, qui largitionibus essent corrupti, aliove corrumperent.

Cum sacco adire.

Non dubium est, quin hic sermo fuerit vulgo in Totum de quouis qui postulat, vt sibi exhibeatur quod deest. Germani quoque importunius quippiam petentem, olim dicere; Vvarumb hastu nicht ein Sack mit dir gebracht.

Onobatis.

Quadrabit in quemuis prostitutae famae.

Cercopum coetus.

De conciliabulo, conuentuque versutorum, & improborum hominum dicebatur.

Cercopissare.

Cercopissare dicuntur, vel qui lasciuiunt, aut qui adulantur.

Vulgo dicitur, qui per vim raperet aliena.

Plautus in Curcul. Iam vero fere inguinis De puella percontatur quispiam, num iam per aetatem virum acciperet.

Magia impia Hippomene.

Hic Atheniensium princeps filiam à ciue quopiam vitiatam, vna cum equo feroce conclusit in domicilio incluso, nec illi cibum praebens. Equus igitur fame in rabiem actus, puellam aduersus comedit: deinde per iussit quoque pabulo, videlicet inopia. Post hac pater domum est demolitus: loco nomen inditum equi, & puellae Recenset adagium Diogenianus.

Mater prolis est omnia mortalium mala.

Id est: Hominum vniuersa prolixe pelagus mala. Natum est ab euentu huiusmodi. Refert Diogenes Laertius, Euripidem Platonis comitem fuisse peregrinationis, quum Aegyptum adiret. ibi autem morbo suo correptus est, cominalis, ni fallor, sacerdotes Aegypti mersione marina sanauerunt hominem.

Qui omni in re, & in omni tempore. *Gellius*

Admonet paroemia, fere neminem esse tam deploratis ingenij, qui non aliquando dicat faciatve quod laudem promereatur.

Scrutilia capillus.

Scrutilem capillum prae se ferre dicuntur, qui agresti bus, & inelegantibus sunt moribus.

Vlyssis remigium.

Homines nequam, & voluptatibus addictos, Horat. in epist. Vlyssis remigium appellans, prouerbiali numerum figura.

Remigium vitiosum Ithacensis Vlyssis.

Dij tibi dent tuam mentem.

In insanum congruit, & sua dignum mente. Marnulus.

Dij mentem tibi dent tuam Poscis.

Non es laudandus, ne in coenu quidē.

In hominem dicebatur vehementer illaudatum.

Compendiaria res improbitas.

Quae semel addixit animum vitiis, is quiduis flagitij facile patrabit. At singula virtute magno sudore paranda.

Insania non omnibus eadem.

Sensus est, nullum esse mortalem, qui non in aliqua re desipiat.

Exempla Biblica.

Impiorum interitus, & poenae exempla Cain, *Gen.* 4. v. 11. Antiquior mundus diluuio deletus, 7. v. 17. 21. Cham, 9. 25. Pharao, *Gen.* 12. 17. Gomorrhitae, & Sodomitae, 19. 24. *Deut.* 29. 23. Esau, *Gen.* 25. 33. *Heb.* 12. 16. Hemor, & Sichem, 34. 25. Her, *Gen.* 38. 7. Onam, v. 10. Pharao, & Aegyptij, *Exod.* 14. v. 27. 28. Nadab, & Abihu, *Leu.* 10. v. 1. 2. Core, Dathan, & Abiron, *Num.* 16. v. 31. 32. Achā, *Ios.* 7. 24. quinque Reges, 10. 26. Adonibezec, *Iudic.* 1. 6. Sisara, 4. 21. Abimelech, 9. 53. Beniamitae, 20. 46. Ophni, & Phinees, 1. *Sam.* 4. 17. Agag, 15. v. 32. 33. Goliath, 17. 50. Nabal, 25. 38. Saul, 31. 4. Oza, 2. *Sam.* 6. 7. Ammon, 13. 28. Achitophel, 17. 23. Absalom, 18. 14. Seba, 20. 22. Ioab, 1. *Reg.* 2. 34. Semei, v. 46. Aduram, 12. 18. Ieroboā, 13. v. 4. Achab, 22. v. 34. Ochosias, 2. *Reg.* 1. v. 2. 3. 4. quadraginta duo pueri, 2. v. 24. Giezi, 5. v. 27. Ioram, 9. v. 24. Iezabel, v. 33. Mathan Baalita, 11. v. 18. Azarias, 15. v. 5. Sennacherib, 19. v. 37. Sedechias, 25. v. 7. Holofernes, *Iudith* 13. v. 8. 9. Aman, *Esth.* 7. v. 10. Iudas Iscariothes, *Matt.* 27. v. 5. *Act.* 5. v. 18. Iudas Galilaeus Pseudopropheta, seditionis author, *Act.* 5. v. 37. Herodes, 12. 23. Antiochus, 2. *Mach.* 9. v. 8. 9. Vide homicidij & occasionis exempla, ex quibus patebit verum esse illud:

Ad generum Cereris sine caede & sanguine pauci
Descendunt Reges & sicca morte tyranni.

Exempla Profana.

Cheops Aegypti Rex templa omnia obseruauit, ne populus sacrificaret Dijs. *Herod. lib.* 2.

Diagoras Melius Philosophus, & Poeta, qui Olymp. 88. emicuit, vocatus Atheos, à Mysterijs homines auocabat. Quare ab Atheniensibus pulsus est, qui talentum polliciti sunt interficientibus eum. *Suidas.*

Iulianus Imp. non modo ipse ad gentilium vanitatem à vera religione defecit: sed etiam subditis, vt idem facerent, suasit. Obtemperantes honoribus & dignitatibus, & beneficijs cumulauit, ijsque permisit, quicquid vellent contra Christianos agere. *Sozom. lib.* 5. *c.* 17. *Socrat. l.* 3. *c.* 13.

Phanias, iuuenis Hierosolymitanus daemoni sese mancipat dato chirographo, idque consilio magorum: vt saltem heri sui filia potiretur. At tandem precibus Basilij, & conuersus est, & chirographum datum daemonibus recepit, in publico Ecclesiae consensu. *Marul. l.* 2. *c.* 12.

Iulianus Imp. Thesaurarius, cum in gratiam Imp. à fide defecisset, sanguine ex toto corpore per os emisso, conspicatus enim vasa in templo: En qualibus vasis, dixit, ministratur Mariae filio, miserrime perijt. *Theodoretus, l.* 3. *Sozom. l.* 5. *c.* 8. *Niceph. lib.* 10. *c.* 29.

Hieroglyphica.

Memorabile est illud Aegyptiorum documentum, quo illi *sceptra regia in summa parte Ciconiae capitibus insignita faciebant, simulatis equi vngulis in imum appensis*, ex eo innuentes volentes, amplexandam, colendam, suscipiendamque esse pietatem, gratumque animum ingrato praeferendum. Impietatem vero cuius hieroglyphicum est *Hippopotamus*, pessundandam. Amphibium enim animal hoc, patrem solet de matris coitu, quem affectat, male mulctare. *Pierius Valer. l.* 7. & *l.* 29.

Sepia piscis etiam improbitatis est hieroglyphicū, quod tamen symbolum Plutarchus libro de educatione, ita interpretatur, vt sub ostendere dicat, commercium cum improbis non habēdum: eos scilicet, quia virtute ad turpitudinem se recipiant fugiendos. Nam & apud Romanos *nigrum* vel *atrum* pro moribus perniciosis ac infamibus accipitur, hinc illud vulgatum: *Hic niger est, hunc tu Romane caueto. Idem l.* 28.

Anser in varietatis & rerum aliarum elogijs improbitatem quandā praeseferre videtur. Hinc Homerus in somnij praesagitione, procos per *Anseres* innuit, cuiusque inauspicata garrulitas, & à Virgilio & à Propertio quibusdam vitio data est. *Pier. lib.* 24.

Fabulae.

De Apollinis tentatore.

Tentaturus Apollinem, Deorum quidam contemptor & callidus, per Sacerdotem fatidicum illius, in templum venit Dei, vbi omnia pro ritu superstitionis illius apparata essent, occultatum manu sua passerculum continens, cumque ante cortinam, quem *Tripoda* Graeci vocarunt, stitisset, sciscitatus est, viueret ne an mortuum esset, quidquid in manu teneret, ratus se facile in vtramque partem datum responsum refutaturum esse. Tum vates de numinis instinctu haec fertur cecinisse.

Quidquid id est, solum sua quod nunc dextera celas,
Vel viuus vel iam mortuus, nostrum videbunt,
Alterutrum in prolato oculi, sed te penes huius
Arbitrium facile est, & ad hoc mens nostra recurrit.

Discendum hoc est: In rebus diuinis maxime, sed & erga sapientes non fere quidquam valere fraudes & astutias improborum.

Vide, Tit. Probitas, Malitia.

IMPORTVNITAS.

DEFINITIO, ET ETYMOL.

Importunitas siue intempestiuitas, Graec. ἀκαιρία & ἄκαιρος importunus dicitur. Est autem importunitas euagatio mentis ad illicita, secundum quod in arce mentis residet, volentis ad diuersa se diffundere. *D. Thom.* 2. 2. *quaest.* 43. *art.* 4.

Importunus qui portu, i. quiete caret, semper fluctuans, cui nulla inest pax, & qui alios inquietat.

Eruditi viri ἀκαιρίαν temporis inscientiam appellant. Si quis ad importunitatem referat, intelliget importunum hominem tempus opportunum ignorare, adeoque extra tempus omnia dicere & facere.

Importunitas, seu intempestiuitas est cōgressio molesta ijs quibuscum congrediaris. Homo autem ἄκαιρος is est, qui ad amicum occupatum accedens, velit re communicata cū illo deliberare, quique ad amicam suam febri laborātem veniat comessatum. Solet etiam eum, qui iam ante fuerit ex sponsu condemnatus adire, rogans vt pro se quoque intercedere velit, & ad dicendum testimonium tunc venit quū res est iudicata: ad nuptias autem vocatus, in mulierum genus inuehitur. Eos qui è longinquo itinere modo aduenerint, ad deambulandum secum inuitat: re iam vēdita emptorem secum adducit, qui plura sit empturus. Saepe etiam è medio hominum sibi assidentiū surgit, vt rem illis orsus à capite exponat, quam omnes iam audierint ac pernorint: & quae nollet quidem aliquis, sed denegare tamen erubescit, ad illa curanda promptus est. Ad eos qui sacra faciunt & illa concelebrant, accedit, vt aliquam inde partē auferat. Quod si praesente eo famulus caedatur, sibi quoque puerum aliquando fuisse narrabit, qui similiter virgis caesus se suspenderit. Idē captus arbiter, duos litigantes, quorum vterque rem transigi optat, inter se committet. Denique saltaturus socium manu prehendit, qui nondum sit vino madidus. *Theoph. in characteribus ethicis, c.* περὶ ἀκαιρίας.

Impor-

Importunitatis hieroglyphicon *muſca*, apud Pierium, Lib. 26. vbi multa obſeruatu digna.

Importunum eſſe, & importune fieri, quæ ſunt fiuntve præter rationem loci ſeu temporis, ſeu perſonarum. *Virg. Importunæque volucres Signa dabant*: Præterea importunum hominem dicimus, procaceto moleſtumq́; à quo importunitas dicta eſt: Sic opportunū e contra dicimus, ſiue opportune accidere, quod pro deſiderio noſtro accidit, à quo fit opportunitas, quod commoditatē ſignificat Scribiturq́; per duplex pp. Nec venit ab opus, ſed ob & portus, quod nauigantibus maxime vtiles optabilesq́; portus ſint.

LOCI BIBLICI.

Importunitas ſæpe obtinet quod amicitia extorquere non poteſt, *Luc.* 11. 8. Importunitatis *Exempla*. ſiuę prophetarum, 2. *Reg.* 2. 16. 17. vicinus. *Luc.* 11. 8. Vidua, 18. 5.

IMPOSSIBILITAS.

POETICÆ SENTENTIÆ.

Plaut. Moſt.

Vna opera ebur atramento candefacere poſtulas.

Virg. Eclog. 1.

Ante leues ergo paſcentur in æthere cerui,
Et freta deſtituent nudos in littore piſces:
Ante pererratis amborum finibus exul
Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim,
Quam noſtro illius labatur pectore vultus.

Ouid. in Ibin.

Deſinet eſſe prius contrarius ignibus humor,
Iunctaq́; cum luna lumina Solis erunt.
Parsq́; eadem cœli Zephyros emittet, & Euros,
Et tepidus gelido flabit ab axe notus.

Ibidem.

Et ver autumno, brumæ miſcebitur æſtas,
Atque eadem regio, veſper & ortus erit:
Quam mihi ſit tecum poſitis, quæ ſumpſimus, armis
Gratia commiſſis improbe rupta tuis:
Quam dolor hic unquam ſpacio euaneſcere poſſit,
Leniat aut odium tempus, & hora meum.
Pax erit hæc nobis, donec mihi vita manebit,
Cum pecore infirmo quæ ſolet eſſe lupis.

Sen. Tyeſt. Act. 3.

Amat Thyeſten frater? æthereos prius
Perfundet Arctos pontus, & Siculi rapax
Conſiſtet æſtus vnda, & Ionio ſeges
Matura pelago ſurget, & lucem dabit
Nox atra terris: ante cum flammis aquæ,
Cum morte vita, cum mari ventus fidem,
Fœduſq́; iungent.

Ouid. 2. Pont. 4.

Longa dies citior brumali tempore, noxq́;
Tardior hyberna ſolſtitialis erit:
Nec Babylon æſtus, nec frigora pontus habebit,
Caltháq́; Pæſtanas vincet odore roſas.
Quam tibi noſtrarum veniant obliuia rerum.

Ouid. 2. Pont. 7.

Nam prius incipient turres vitare columbæ,
Antra feræ, pecudes gramina, mergus aquas,
Quam male ſe præſtet veteri Græcinus amico.

Ouidius 2. Pont. 7.

Cyniphiæ ſegetis citius numerabis ariſtas,
Altaq́; quam multis floreat Hybla thymis.
Et quot aues motis nitantur in aëra pennis,
Quotq́; natent piſces æquore, certus eris:
Quam tibi noſtrorum ſtatuatur ſumma laborum,
Quos ego ſum terra, quos ego paſſus aqua.

2. Pont. 11.

Nominis ante mei venient obliuia nobis,
Pectore quam pietas ſit tua pulſa meo.
Et prius hanc animam vacuas reddemus in auras,
Quam fiat meriti gratia vana tui.

Perſius 5.

Sambucam citius caloni aptaueris alto:

Olymp. Nemeſ. Ecl. 1

Namq́; prius ſiccis phocæ naſcentur in aruis,
Hirſutuſq́; freto viuet leo, dulcia mella
Sudabunt taxi, confuſis legibus anni,
Ante dabit flores autumnus, ver dabit vuas,
Meſſem triſtis hiems, æſtas tractabit oliuas,
Quam taceat Melibœe tuas mea fiſtula laudes.

Claud. Paneg. in Probum.

Ante dabunt hiemes Nilum, per flumina dama
Errabunt, glacieq́; niger damnabitur Indus.
Ante Thyeſtæis iterum conuerſa menſis
Intercisa dies refugos vertetur in ortus,
Quam Probus à noſtro poſſit diſcedere ſenſu.

Idem 1. Eutrop.

Iam te Iudæo volat, profert iam cornua vultur.
Prona eunt retro fluuij vada. Gadibus ortum
Armeni texere diem, iam ſingibus apertum
Æquor, & aſſuetum ſiluis delphina videbo.
Iam cochleas homines iunctos, & quidquid inane
Nutrit, Iudaicis quæ pingitur India velis.

PHILOSOPHICÆ SENTENTIÆ.

Impoſſibile ex impoſſibili ſequi non poteſt. *Alexan. Aphro in 1. Prior. cap. 14.*

Impoſſibile eſt id quod in omni neceſſaria conſecutione ex impoſſibili ſequitur. *idem ibid.* Impoſſibili antecedente, impoſſibile quoque conſequens eſſe neceſſe eſt. *idem ibid.*

Impoſſibile non accidit niſi cum aliquid dicitur contraria habere ſimul ſecundum totum: ſecūdum particulas vero non eſt impoſſibile. *Auerro. Phyſ. 6. tex. 82.*

Impoſſibile non ſequitur ex impoſſibili ſed neceſſario: poſitio, ex qua ſequitur impoſſibile, eſt impoſſibilis. *Id. 1. de cœlo, tex. 59.*

Impoſſibile eſt imaginari aliquid eſſe poſſibile in reſpectu patientis, & impoſſibile in reſpectu agētis: quoniam contingeret, vt ſit patiens impoſſibile, poſſibile impoſſibile. *idem ibid. tex. 124.*

Impoſſibilitas ad rem omnino fugit aſpectum rei: poſſibilitas vero ad rem multum accidit ad eſſe rei. *idem 7. Metaph. tex. 29.*

ADAGIA.

Prius ouem lupus ducat vxorem. πρὶν μὲν λύκος οἶν ὑμεναιοῖ. *Ariſtoph.*

De iis, inter quos inſanabile diſſidium eſt. Conſimili figura dixit Horat:
Sed prius Apulis
Iungentur capreæ lupis.

Prius duo Echini amicitiam ineunt, πρὶν δὲ δύο ἐχῖνοι εἰς φιλίαν ἀφικνοῦνται, ὁ μὲν ἐκ πελάγους, ὁ δ᾽ ἐκ χέρσου

De iis qui moribus & ſtudiis ſunt inter ſe diſcrepantiores, quam vt ſpes ſit aliquando inter eos neceſſitudinem coituram.

Prius locuſta bouem pariet.

M. Varro de lingua Latina lib. 3. refert Ex Ennio verſum hunc.
Atque prius pariet locuſta lucam.
Nam lucas antiqui boues appellabant, ob magnitudinem.

Mare prius vitem tulerit. τὸ πέλαγος πρότερον οἴσει ἄμπελον.

De iis quæ nullo pacto fieri poſſunt. Nam ſalſitudo vitibus inimiciſſima. Diogen.

Prius teſtudo leporem præuerterit. πρότερον χελώνη παραδραμεῖται λαγωόν.

De re neutiquam veriſimili. Diogen.

Surſum verſus ſacrorum fluminum feruntur fontes. ἄνω ποταμῶν ἱερῶν χωροῦσι παγαί. *Eurip.*

Prouerbialis allegoria, qua quippiā præpoſtere fieri ſignificamus, legitimaq́; rerum vices inuerti.

Fontes ipſi ſitiunt.

Ironia prouerbialis in eos, qui petunt ab aliis, quod ipſis affatim abundat domi. Cic.

Citius in naui cadens à ligno exciderit. θᾶττον ἂν τις ἐν πλοίῳ πεσὼν διαμάρτοι ξύλου.

Hyperbole prouerbialis qua tantam vbiq́; copiam ſignificamus, vt quocunque te vertas occurrat, quod quæris.

Aquilam teſtudo vincit. ἐνίκησε τοὺς χελώνης ἀετούς.

Accipi poteſt per Ironiam, aut ſimpliciter, vbi quis potentiorem arte vicit, & quod viribus non poteſt, aſſiduitate conſicit.

Terra volat. ἡ γῆ πέταται.

De re vehementer abſona, quæque nullo pacto fieri queat. Suidas.

Citius elephantem ſub ala celes. θᾶττον ἂν ἐλέφαντα ὑπὸ μάλης κρύψειας.

De iis, quæ diſſimulari nullo pacto poſſunt, quin notis aliquibus prodant animi morbum.

Ab Aſino lanam.

De iis, qui ſtulte quærunt ea, quæ nuſquam ſunt.

Simul ſorbere & flare difficile. *Plaut.*

Huic affinia videntur: Nemo poteſt duobus dominis ſeruire. Nemo poteſt Deo ſeruire & Mammonæ. Item, illud Phocionis: Adulatore & amico non poteſt eodem vti.

Sine pennis volare haud facile eſt.

Locum habet, cum deeſſe ſignificamus adminicula, ſine quibus negotium peragi non poſſit. Plaut. in Pœnulo.

Impoſſibilia captas. ἀδύνατα θηρᾷς.

In eum, qui molitur, quod efficere non queat. Interpres indicat, hunc eſſe ſenſum: ne quis tentet maiora ſuis viribus.

Scarabeus citius faciet mel.

Ad τῶν ἀδυνάτων claſſem pertinent, quæ referuntur in Epigram. Pallada.
θᾶττον κάνθαρος μέλι ποιήσει, ἢ γάλα κώνωψ.
Mel citius faciet Scarabeus, & ante culex lac.

Statuam

Statuam faucibus colas. ἀνδριάντα γαργαλίζεις
De re maiorem in modum absurda, quaque fieri nullo pacto possit.

Nunquam efficies, vt rectè ingrediantur cancri. οὔποτε ποιήσεις τὸν καρκίνον ὀρθὰ βαδίζειν.
Quod à natura sit iniustum, vllo non corriges negocio.

Sambucam citius.
Adagij speciem præ se gerit Persianum illud carmen.
Sambucam citius caloni aptaveris alto.
Cuius vsus incidet: Si quando significabimus aliquem à disciplina percipienda, siue munere gerendo nimis alienum esse.

Lenticulam angulo tenes. φακῆ γωνίαν κρατεῖς.
De negocio, quod fieri nullo pacto queat, propterea quod hoc leguminis genus angulis careat. Refertur à Suida.

Ex arena funiculum nectis. ἐξ ἄμμου σχοινίον πλέκεις.
Ex arena funiculū nectere, est frustra conari, quod nulla ratione possit effici.

Asini cauda. ὄνου οὐρὰ πνλιαν ὑ ποιεῖ
Id est: Asini cauda non facit cribrum: vbi quis ad hoc, aut illud dicitur inutilis.

Augiæ stabulum repurgare. Αὐγείου κόπρον.
Allegoria prouerbialis in hominem, aut rerum maiorem in modum inquinatam.

Vesta circumfers ignem. ἑστίας τὸ πῦρ περιελαύνεις.
Vbi quid ridiculi fit, aut vbi quis suam ipsius malum fenatervel vbi scortum, aut adulatorem, aut filium amicum.

Lupo agnum eripere postulat.
Vbi quis frustra conatur prædam recipere, cui semel manus iniecit rapax aliquis. Plaut.

Luciniæ deest cantio.
Perinde quasi dicas. Mulieri desunt verba: Poetæ versus: Oratori color, sibi sit cautum Plautae in Baccch. Ego quoque pol metuo ne lusciniola defuerit cantio Die Nachtigall koennen nicht singen. Item, Die Krueppel koennen nicht hincken.

Quid si cœlum ruat. τί δ' εἰ οὐρανὸς ἐμπέσοι.
Ironia in eos, qui tutissimis etiam in rebus ridiculè timent. Terent. in Heautontimorumenos Quid si nunc cœlum ruat?

Bos porrecto vltra Taygetum capite. ταῦρος ὑπερκύψας τὸν Ταΰγετον ἀπὸ τοῦ Σπαρτιάτου.
De re vehementer absurda.

EMBLEMA.

Impossibile.

Emblema LIX.

Abluis Æthiopem quid frustra: ah desine! noctis
Illustrare nigras nemo potest tenebras.

IMPOSTOR.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

IMpostores dicuntur deceptores, & qui fallunt præstigijs quibusdam, ab imponendo, seu decipiendo dicti. Græc. φέναξ, φενάκη, coma adulterina; φενακίζω, decipio, illudo, manibus rerum simulachris & præstigijs ludicris insipientium sensus perstringo, φέναξ, deceptor, fuci artifex, impostor. Hebr. *Hakob.* impostor, supplantator, à verbo *Hakab*, supplantauit calcaneo, pessumdedit, calcauit pedibus, & per translationem decepit. Hinc Græcis per aphæresin κύβος cubus, talus, os prope calcaneum.

Impostura ab eo dicta, quod adulterinas merces pro veris supponat. *Vlpian. de crim. stel.*

LOCI BIBLICI.

Impostores describuntur, *Ephes. 4. 14. Col. 2. 22. 23. 2. Pet. 2. 1. Iud. v. 8.*

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Impostores corrumpunt auditorum animos. *Isocrates.*

Mores hominum non simplicium, sed insidiosorum, magis quàm viperas fugere debemus. *Theophrastus.*

Speciosa verbis, re inania, aut subdola, quanto maiore libertatis imagine teguntur, tanto erumpunt ad infensius seruitium. *Tacitus. Annal. lib. 1.*

ADAGIA.

Dare verba.
Passim obuium est apud omnes authores, pro eo, quod est fallere. Persius Satyra 4.
Vt mauis, da verba, & decipe neruos.
Terentius.
Cui verba dare difficile est.
Ouidius.
Verba dat omnis amans. Glatte vvort schleiffen, Hoff vveyhrauch verkauffen.

Adducere manum.
Pro eo, quod est ludibrio habere.

Os sublinere. *Plaut.*
Pro eo quod est, dare verba, & arte quadam illudere, reperitur aliquoties apud authores Das helmlein durchs maul ziehen Einē Affen drehē.

Obtrudere palpum. *Cic.*
Est enim fuco quo decipere, vnde & palpari pro adulari, & palpones, adulatores vocamus. Et similis metaphora tracta ab equisonibus qui ferocientibus equis plausu manus ablandiuntur. Den Kutzel strelchen.

Facere fucum. *Terent.*
Imposturam facere, artificiosa dissimulatione deludere Tauscher.

Circumtondere comam. περικείρειν τὴν κόμην. *Lucian.*
Gratis in prouerbio est, pro eo, quod est ludibrio habere.

Noua hirundo. νέα χελιδών.
Suidas dici ait solere, quoties verba darentur alicui. Quadrabit in eos qui falsa spe quapiam inescati, falluntur ac nocent.

In laqueum inducere. εἰς βρόχον ἄγειν.
Eam esse inducere, est arte sic intricare quempiam, vt iam nullum sit effugium. Zum Baaren bringen. Auff das Eyss fuehren. In das Garn bringen.

Ephesiæ literæ. ἐφέσια γράμματα. *Brug.*
Dictum videtur de ijs, qui mira felicitate tanquam diuina virgula quidquid optarent, assequerentur.

IMPOTENTIA.

SENTENT. PHILOSOPH.

IMpotens quæ mala sunt mala ille quidem esse nouit: sed agit ea, victus & debilitatus obiecta specie voluptatis. *lib. 7. Eth. c. 1.*

Hoc quidem perspicuum est, hominem impotentem non putare ea quæ agat, esse facienda, priusquam sit in perturbatione. *lib. 7. Ethic. c. 2.*

Fit nescio quo pacto, vt imprudentia, impotentiæ coniuncta sit virtus: contra enim facit ac sentit, propter impotentiam. *ibid.*

Non cernitur in omnibus qui vndiq; & absolute est impotens, sed in quibus intemperantes: nec ex eo quod absolute in his affectus est (idem enim esset quod impotentia) sed quod certo quodā genere & modo sit affectus, iudicandus est. *lib. 7. Ethic. c. 3.*

Qualis est histrionum, talis iudicanda impotentium oratio. *ibid.*

Impotentia vituperatur, non solum quia peccatum sit: sed etiam, quia aut omnino aut absolute vitiositas quædam sit, aut aliqua ex parte. *lib. 7. Ethic. c. 4.*

Eorum qui in corporis voluptatibus versantur ijs, in quibus temperantem & intemperantem esse dicimus, qui non consulto & cogitato, sed inconsulto & sine indicio immoderatas voluptates sequitur doloresq; nimius fugit, vt fames, vt sitis, eorumq; omnium, quæ in tactu, gustuq. consistunt: is non cum adiunctione, sed absolute impotens dicitur. *Ibid.*

Similis est impotens ciuitati, quæ statuit illa quidem quæ sunt præclara omnia, legesq; habet & bonas, & salutares, sed nulli paret. *lib. 7. Ethic. c. 10.*

Facilius impotentiā sanari eorum potest, qui atra bile tenentur, quā eorum qui statuunt, nec stant in eo quod sit iudicatum. Et ij qui consuetudine, quam qui natura impotentiam compararūt. *lib. 8. Ethic. c. 10. & Mag. Mor. l. 6.*

Est aliquis qui propter perturbationem à recta ratione decidit, quem vt neagat ex rationis præscriptione, impellit perturbatio; eadem tamen, vt ei certum sit & destinatum eius generis voluptates persequi oportere, non vincit. Hic impotēs nominatur, qui & melior intemperante est, nec plane improbus. Saluū enim in eo & integrum est principium quo nihil in nobis est præstantius. *lib. 7. Ethicor. c. 8.*

Impotentia alia ex temeritate, alia ex imbecillitate gignitur. Alij enim consilio capto, non seruant, neque tenent id quod statuerunt victi & debilitati obiecta specie voluptates. quia nihil se neque rationem consuluerunt, à perturbatione rapiuntur. *Lib. 7. Ethicor. cap. 7.*

IMPRECATIO.

LOCI BIBLICI.

IMprecatio, Deuotio, Diræ. Græc. ἀρά, κατάρα. Imprecor est mali quippiam in alicuius caput precari. Hebr. *Arar.* maledixit, execratus. Vnde Græcæ voces. *Meerah.* maledictio, execratio, *Kabah.* execratus est, maledictis & imprecationibus perfodit aliquem. Imprecatio autem, in S. Scripturis est visitata Spiritui Sancto in ore seruorum Dei aduersus peccatores: sed timenda potius, quā imitanda, *Exempla*, in adulatores, *Psal. 28. 4. & 12. 4.* calumniatores, *76. v. 6.* fœneratores, *v. 11.* derisores. *Nehē. 5. 13.* hostes Christi, *Psalm. 69. 24. & 70. 9.* hostes regni Dauidis. *70. 3. 71. 13.* hostes Ecclesiæ. *Iudic. 5. 31. Psal. 74. 3. & 83. v. 10. 18. & 137. 7. Ierem. 17. 18.* Hypocritas, *Psal. 5. 11. & 28. 4. & 31. 12.* Idololatras, *135. 18. Ier. 10. 11. Osea 9. 15.* impios & Dei ignaros, *Psal. 9. 18. & 13. 10. & 59. 14. & 68. 2. & 69. 23. & 79. 7. & 83. 16. Neh. 4. 4. Ier. 10. 15.* Ingratos, *Psal. 69. 18. Rom. 11. 19. Ier. 18. v. 21. 22.* persecutores, *Psal. 35. 26. & 37. 15. & 6. 9. 23. & 79. 11. & 119. 78. Ier. 20. v. 12. Thren. 2. v. 21. 45.* proditores, *Psal. 55. 16. & 109. 6. Nehem. 6. ver. 14. Gal. 5. 12.*

Sic

Viro forti ignominia tristior est morte, quæ cum gloria & pro publica salutis fine longo cruciatu aditur. *Thucyd. lib. 2.*

Turpitudinem quidem fugiendam esse ac cauendam verum est: omnem verò ignominiam vereri, modestiæ quidem id & simplicis, pusilli tamen animi est. *Plutarchus Comp. Timoleontis & Pauli Æmyl.*

Vide Nobilitas.

IGNORANTIA.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

IGnorantia, Græce ἀγνοια, ab ἀ & ἀγνοέω, ignoro dicitur. Ignorantia quandoque significat scientiæ priuationem, & tunc ignorantia est carentia scientiæ, quam quis natus est habere: quandoque est aliquid scientiæ contrarium, quæ dicitur ignorantia peruersæ dispositionis, puta eum quis habet habitum falsorum principiorum, & falsarum opinionum, ex quibus impeditur à scientia veritatis, *secundum S. Thom. in q. de malo, q. 3. art. 3.* Quomodo autem differant ignorantia, nescientia, & error, vide supra in Errare.

Ignorantia à gnoro venit (vt quidam volūt) quod veteres pro scio vsurparūt, vel à Græco γνώριζω quod est notifico, vnde & γνωτός, notus, & γνῶσις notitia dicitur.

Hebr. *Schegbagah*, à *Schagbagbab*, incogitanter egit, inconsideratè fecit. Et *Scitgaton*, à verbo *Schagbah*, errauit, ignoranter peccauit. Affine huic est nomen *Schiggabbon*, Deut. 28. 28. i. insania, dementia, vecordia. Nam qui ignorantia nimium delectantur, tandem fiunt vecordes & insani.

SENTENTIÆ BIBLICAE.

Vsquequo imprudentes odibunt scientiam? *Prouerb. 8.*

Vbi non est scientia animæ, non est bonum. *19.*

Stultus in via ambulans, cum ipse insipiens sit, omnes stultos æstimat. *Eccl. 10.*

Rex insipiens perdet populum suum, & ciuitates inhabitabuntur per sensum prudentum. *Eccl. 10.*

Neminem diligit Deus, nisi eum, qui cum sapientia inhabitat. *Sapient. 7.*

Non erudietur qui non est sapiens in bono. *Eccl. 21.*

Cor fatui quasi vas confractum, & omnem sapientiam non tenebit. *ibidem.*

Verbum Domini proiecerunt, & sapientia nulla est in eis. *Ier. 8.*

Si quis autem se existimat scire aliquid, nondum agnouit quomodo oporteat eum scire. *1. Cor. 8.*

Ignorantia turpiter admittitur.

Vani autem sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei. *Sap. 13.*

Ignorantiam enim Dei quidam habent. *1. Cor. 15.*

Hoc igitur dico & testificor in Domino, vt iam non ambuletis sicut & Gentes ambulant. *Eph. 4.*

Grauiter punitur.

Leones interficiunt eos, qui ignorant ritum Dei terræ. *4. Reg. 17.*

Quia nullus intelligit in æternum peribunt. *Iob 4.*

Omnes, qui me oderunt, diligunt mortem. *Prouerb. 8.*

Qui euitat discere, incidet in mala. *17.*

Propterea captiuus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam. *Esa. 5.*

Non enim est populus sapiens, propterea non miserebitur eius qui fecit eum, & qui formauit eum non parcet ei. *27.*

Et quoniam non habuerunt sapientiam, interierunt propter suam insipientiam. *Baruch. 3.*

Quia tu scientiam repulisti repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi, & oblita es legis Dei tui, obliuiscar filiorum tuorum & ego. *Osea 4.*

Et populus non intelligens vapulabit. *ibid.*

Si quis ignorat, ignorabitur. *1. Cor. 14.*

PATRVM SENTENTIAE.

Melius est nescire, quam errare: melior est fidelis ignorantia, quam temeraria scientia. *August.*

Pessimæ matris ignorantiæ, pessimæ itidem duæ filiæ sunt, scilicet falsitas & dubietas, illa miserior, ista miserabilior: illa perniciosior, ista molestior. *ibid.*

Ordinis ignorantia conturbat negotiorum naturam, formamq; meritorum. Statutis facere contraria, non est intelligere, sed ignorare. *Ambr. in Psal. 118.*

Tolerabilius est Deo quempiam cum ignorantia in humilitate iacere, quam cum elatione alta sapere. *Greg. in mor. li. 7. mor.*

Quum ignorantiam nostram cognoscimus, leuius aliena onera toleramus: numquam Deus meorem desetit, qui in peccatis se veraciter cognoscit. *Lib. 1. Mor.*

Non est parum scire, quod nescias, frustra sibi de infirmitate vel ignorantia blandiuntur, qui, vt liberius peccent, libenter ignorant, vel infirmantur. *Bern. sup. 11. gra. hum.*

Multa scienda nesciuntur, aut sciendi incuria, aut discendi desidia, aut inquirendi verecundia, & quidem huiusmodi ignorantia non habet excusationem. *In epist.*

Vtraque cognitio, Dei scilicet & tui, tibi est necessaria ad salutem, quia sicut ex notitia tui venit in te timor Dei, atque ex Dei notitia itidem amor: sic è contra, de ignorantia tui superbia: ac de Dei ignorantia venit desperatio. *Super Cant.*

Ignorantia Dei plerumque desperationem parturit. *ibid.*

Ignorantia sui initium omnis peccati: ignorantia Dei consummatio omnis peccati. *ibid.*

Hebetudo mentis est acutæ rationis obtusio, carnalis intemperantiæ crassis sensibus inducta. *Hugo.*

Non tibi deputabitur ad culpam, quod inuitus ignoras. *Aug. l. de Natura & gratia.*

Non omnis ignorans immunis est à pœna. Ille enim ignorans potest excusari a pœna, qui, quod disceret, non inuenit. Illis autem hoc ignosci non poterit, qui, à quo discerent non habentes, operam non dederunt. *Idem li. q. hab. dist. 37. can. vlt.*

Quamuis errare, quanta possumus cura cauendum sit, non solum in maioribus, verum etiam in minoribus rebus, nec nisi rerum ignorantia possit errari: non est tamen consequens, vt continuo erret quisquis aliquid nescit, sed si quis existimet se scire, quod nescit: pro vero quippe approbat falsum, quod erroris est proprium. Verumtamen in qua re quisquis erret, interest plurimum, nam in vna eademque re & nescienti sciens, & erranti non errans rectâ ratione præponitur. In aduersis autē rebus, id est, cum ille scit alia, & ille alia, & iste vtiliora, & ille minus vtilia, vel etiam noxia: quis non in eis, quæ ille scit, ei præferat nescientem? sunt enim quædam quæ nescire melius est quam scire. *Idem, & hab. dist. 38. Quamuis errare.*

Quemadmodum non rectè dici potest, si nescit homo non peccat: sunt. n. peccata ignorantium, quamuis minora quam scientium. *Idem de adulterinis coniugijs, & hab. 32. q. 7. Quemadmodum.*

Peccata scientium, peccatis ignorantium præponuntur. *Idem & hab. 6. q. 1. Quare ergo.*

Ignosci potest simpliciter erranti, sicut de seipso Paulus dicit: Qui primo fuit blasphemus & persecutor, & iniuriosus: sed misericordiam merui, quia ignorans feci. Post inspirationem vero & reuelationem veritatis factam, qui in eo, quod errauerat, perseuerat prudens & sciens: iam non in uenia ignorantiæ peccat, præsumptione enim atque obstinatione quadam nititur, cum ratione superetur. *Cyprianus, & habet. dist. 8. Consuetudo. §. Ignosci.*

SENTENTIAE POETICAE.

Ouid. Epist. 19.

Præteritæ veniam dabit ignorantia culpæ.

Boet. 3. 8.

Eheu, quam miseros tramite deuio
Abducit ignorantia?
Non aurum in viridi quæritis arbore
Nec vite gemmas carpitis,
Non altis laqueos montibus abditis,
Vt pisce ditetis dapes.
Nec vobis capreas si libeat sequi,
Tyrrhena captatis vada.
Ipsos quin etiam fluctibus abditos
Norunt recessus æquoris,
Quæ gemmis niueis vnda feracior,
Vel quæ rubentis purpuræ,
Nec non quæ tenero pisce, vel asperis
Præstent echinis litora.
Sed quonam lateat, quod cupiunt bonum,
Nescire cæci sustinent:
Et quod stelliferum trans abijt polum,
Tellure demersi petunt.

Horat. 1. Serm. 6.

Sed, quod magis ad nos
Pertinet, & nescire malum est, agitamus vtrumne
Diuitijs homines, an sint virtute beati:
Quid ve ad amicitias, vsus, rectum ne trahat nos:
Et quæ sit natura boni, summumq; quid eius.

Sen. Oct.

Inertis est nescire quid liceat sibi.

Sen. Aedip.

Iners malorum remedium ignorantia est.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Tolerabilior est pœna, viuere non posse, quam scire. *Seneca in Prouerbijs.*

Non est leuius omnino nescire, quod liceat, quam facere aliquid, quod scias non licere. *ibid.*

Optimus ac grauissimus quisque confitetur se multa ignorare, & multa sibi etiam atque etiam esse discenda. *Cic. 3. Tusc.*

Tan-

Tantum apud homines ignorantia, & segnities à prudentia, atque industria differt, non solum in priuata vita, verum etiam in publicis rebus, vt in his secundæ res detrimentum, in illis aduersæ emẽdationem quamdam errorum adferre videantur. *Polyb. lib. 5.*

SIMILITVDINES.

Vt morbus non celandus est, sed in publicum afferendus, quo sanari possit, vt dixit Heraclitus, sic inscitia non est tegenda. *Plut.*

Sicuti vinum alios hebetiores reddit, alios acutiores, alios elingues facit, alios loquaculos pro corporum habitu: ita eadem stultitia, & ignorantia veri quosdam incitat ad studium pecuniæ, quosdam ad voluptates. *Arist.*

ADAGIA.

Prorsus ignotus.

In hominem, quem nobis mirum in modum ignotum videri volumus, per iocum torquebitur illud ex Odyss. α. & ξ.

Τίς πόθεν εἰς ἀνδρῶν; πόθι τοι πόλις ἠδὲ τοκῆες;

Dic quis, & vnde venis? tibi vbi patria, atque parentes?

Cognatum est illi: Albus an ater sis nescio. poterit, & ad rem applicari, velut si dicamus aliquem omnis Philosophiæ imperitum, in librum Philosophicum incidisse.

Nullius coloris.

Alibi commemorauimus de modis omnibus ignoto solere dici, Albus an ater sit, nescio. Huic simillimum est, quod ait Harpax apud Plautum: Quem Pseudolum? quas tu prædicas mihi fallacias? Quem ego hominem nullius coloris noui.

Vehementius est quam si dixisset: Albus an ater.

Iuxta cum ignarissimis.

Non sine prouerbij specie Simo senex apud Plautum in Pseudolo rogatus à Ballione, num nesciat quæ sit hæc res, respondet, iuxta cum ignarissimis. Sentiens se nihil omnino scire, nihiloque plus, quam summe ignari.

In alio mundo. ἐν ἄλλῳ κόσμῳ.

De ijs, qui longè lateque dissident à moribus aliorum, aut quibus omnia non videntur, aut qui longè dissiti sunt à patria. Er ist auss einer andern Welt. Er ist der alten Welt.

In alieno foro litigare.

Pro eo, quod est: In re noua, cuique nondum assueuerimus, versari.

Intra ipsius arena.

Id est. Intra ipsius artē. Sumptum à gladiatoribus solitis in arena digladiari. Neque verò parui referebat horum, notu an ignota dimicarent arena.

Albus an ater sit, nescio. *Tullius.*

Solet dici de homine vehementer ignoto. Horatius in extrema epistola, vultu mutabilis albus, & ater, pro eo quod est bonus, & malus.

Non nouimus.

Simillima huic figura est. Natum non noui, pro eo quod est, penitus ac modis omnibus ignoro. Cicero.

Ne pictum quidem vidit.

De vehementer ignoto dicimus. Idem Cicero.

Nomine tantum notus.

De homine nobis mirum in modum ignoto.

Late viuens. λάθε βιώσας.

Admonet adagium in humili fortuna vitam esse feliciorem ijs, qui obscure viuunt à publicis negotijs ita remoti, vt cum vita discessissent, nemo illos vixisse sentiret.

Arrepta candela, candelabrum quærere.

Dicimus quum res improuidè geritur.

LOCI BIBLICI.

Ignorantia, pro quouis peccato, *Hebr. 9. 7.* pijs fugienda, *1. Cor. 14. 20. & 15. 34. Eph. 4. 18. 2. Thess. 1. 8. Hebr. 5. 14. & 8. 11. & 13. 9.* Ignorantia mors est, *Eph. 4. 18.* Ignorantia quomodo compescenda, *1. Pet. 4. 15.* Ignorantia, captiuitatis Israelitarum causa, *Esa. 5. 13.* Ignorantia, quæ remissibilis, *Luc. 23. 34. Act. 3. 17. 1. Tim. 1. 13.* & quæ irremissibilis, *Luc. 12. 48. Rom. 1. 20.* Ignorantia in fratribus infirmis tolerunda, *Philip. 3. 15.* Vide *Leuit. c. 4.*

Ignorantiæ vocabulo designatur cæcitas Iudæorum, *1. Pet. 1. 14.* cuius fit mentio, *Ioan. 9. 39.* Ignorantia voluntaria, *2. Petr. 3. 5.* Ignorantia contentiosorum spernenda, *1. Cor. 14. 38.*

EXEMPLA BIBLICA.

Ignorantiæ *exempla:* in Abimelech, *Gen. 20. 4. 5.* Patre, & matre Samsonis, *Iudic. 14. v. 4.* Ionatha, *1. Sam. 14. v. 27.* Saule, *26 v. 21.* ducentis Viris sequentibus Absalonem in seditione, *2. Sam. 15. v. 11.* Pharisæis, *Matth. 12. v. 6. 7. & 15. v. 14. Luc. 6. v. 39* Discipulis, *Luc. 9. v. 45. & 18. v. 34. Ioan. 16. v. 17 & 20. v. 9.* Iudæis, *Ioan. 8 ver. 27. Rom. 10. v. 2. 3.* Nicodemo, *Ioan. 3. v. 9. 10.* Saducæis, *Matt. 22. v. 29.* Ciuibus, & Principibus Ierosolymitanis, *Act. 3. v. 17. & 13. v. 27.* Atheniensibus, *17. v. 23.* Gentibus, *Rom. 1. v. 21.* Principibus huius sæculi, *1. Cor. 2. v. 8.* Mundi sapientibus, *15. v. 34.* Apostatis, *1. Tim. 1. ver. 7.* Paulo, *v. 13.* falsis Doctoribus, *2. Tim 3. v. 7.*

HIEROGLYPHICVM.

Illud addendum ex Hesychio *squamas* ignorantiæ hieroglyphicum esse, quæ quidem ope, ac beneficio scientiæ excuti amouerique possunt. Confirmat hoc *D. Paul. historia Actor. Apost. c. 9.*

EMBLEMA.

Submouendam ignorantiam.

Emblema CLXXXVII.

Quod monstrum id? Sphinx est. Cur candida virginis ora,
Et volucrum pennas, crura leonis habet?
Hanc faciem assumpsit rerum ignorantia: tanti
Scilicet est triplex causa & origo mali.

Vide Scientia.

ILLIBERALIS.

Illiberalitas.

DEFINITIO, ET ETYMOL.

Illiberalis, parcus, tenax, sordidus, auarus. Græc. *ἀνελεύθερος.* Heb. *Kilai*, qui aliquid totum appetit solus possidere, & vorare optat: à verbo *killah*, i. consummauit ex toto.

Illiberalitas: Parsimonia, tenacitas, sordities, *ἀνελευθερία.* Heb. *Nobhlah & Nablutb*, à nomine *Nabal*, quod idem est ac nebulo, vilis, abiectus, parcus, illiberalis, fatuus, &c.

De Illiberali extat egregium dictum, apud Esaiam, qui picturam nebulonum istorum ad viuum expressam nobis proponit his verbis, *c. 32.*

v. 5. Sordidus nō dicetur amplius liberalis, neq; parcus magnificus.

6. Quia sordidus sordida loquitur, & cor eius vanitatem concinnat, vt simulate agat & vt loquatur contra Dominum fraudulenter, animam esurientem exhauriendo, & potum sitienti subtrahēdo.

7. Equidem parci arma pessima *sunt:* scelerata init consilia, vt circumueniat simplices verbis mendacibus, tum etiam quum pauperibus ius dicit.

8. Liberalis autem liberalia consultat, perq; liberalia facta clarus surgit.

EXEMPLA.

Laban socer Iacobi Patriarchæ, *Gen. 30. & c. 31. v.*

Nabal Abigailæ maritus. *1. Sam. 25.*

Vide Auaritia, & Auarinæ Exempla.

SENTENTIAE PHILOSOPHICAE.

Illiberalitas vitium est animi, quo imbuti turpe lucrum sectantur. Illiberales, expendunt quidem, minutatim autem & male, atque plus iacturæ facientes, nullo scilicet habito temporis delectu. *Arist. de virtutib.*

Est autem illiberalitatis proprium pluris facere pecunias, nec id probrum putare quod quæstuosum sit: vita est item mercenaria, seruilis, sordida, à munificentia & liberalitate aliena. Consequuntur autem illiberalitatem sordes, ægritudo animi, pusillanimitas, pudor agrestis, indecentia, ignobilitas, hominum odium. *Idem, ibid.*

Illiberalitas est nimius quidam præ studio parcendi sumptibus gloriæ contemptus. Illiberalis autem is, qui si è tragica certamine victoriam reportat, tæniam libero patri ligneam consecret, in qua nomen ipsius sit inscriptum qui etiam cum necessario, Reip. tempore pecuniæ à ciuibus extra ordinem conferuntur, in concione surgens silentio vtatur, aut è medio se proripiat, filiā suam nuptum collocans. mactatæ victimæ carnes omnes. ijs exceptis, quæ ad sacrificulos pertinent, vendit: & ad ministrandum in nuptijs mercede conductos adhibet, qui suo quisque cibo vescatur. Triremi præfectus quam instruxit, gubernatoris aulæis tabulata sternet, suis interea vti parcens. E foro, postquam obsonatus est, rediens, carnes ipse gestat, atque olera etiam in sinu. Vestem quando à sordibus purgandam locauit, domi tantisper se continet. Quod si quis amicorum eius fortuna vsus aduersa granum à suis familiaribus exigat, idque ipse sciat, deflectens ex itinere domum tendit. Vxori ancillas emit ille quidem nullas: sed quæ in publicum prodeuntem comitentur, conducit. Mane, vbi surrexit, domum ipse mundare, lectosq; purgare solet: & sedens obsoletum ac tritum quod gestat pallium inuertere. *Theophrast. in Characterib. Ethicis.*

APOPHTHEGMATA.

Pythes, vir locupletissimus, sed illiberalis admodum, quum Xerxis tempore subditos suos in auri fodinis misere necaret, à proposito sordido & illiberali ingenio se reuocatus est, & meliori menti restitutus, vxoris suæ opera, quæ quum ei in prandio nihil præter aurum affabre factum, qđ cibos repræsentaret, apponi curauisset: merito idoneas dapes ad victū poscenti respondit, Tu messem & vindemiam tuis abstulisti, vt auri talenta cumulares: surge comede: vel in posterum prouide tuis. Quod ille postea præstitit. *Plut. de virt. mulier.*

Aristippus Platoni luxum exprobranti, respondit ita, vt Platonem illiberalem & sordide parcum ostenderet. Quum enim Plato obolum diceret homini temperanti sufficere ad victum quotidianum comparandum, Tibi (inquit) obolus satis est, & mihi tanti sunt quinquaginta drachmæ. *Laertius.*

Aut-

Antigonus Cynico talentum petenti respondit, doni precium vili, & pauperi non conuenire prætexens; Cynicus autem, Da ergo obolum: nec conuenit regi, subiecit Antigonus, obolum numerare. Vtcumque dictum illiberaliter; & Cynicus obolum accipere, & rex talentum largiri debuit. *Plut. in apopht.*

Maximilianus I. Imperator, cum vitrea vasa exquisito artificio conflata & deaurata, sed illa, alia parte, à Cæsare nõ satis digna dono accepisset, vt illiberalitatem istã iocose carperet, vas omnia supra mensam quadam reposita, vno momento, mensa dextre euersa, confringi curauit. *Cont. Æneas Syluio l. 5 c. 21. de Legationib.*

Augusti Cæsaris illiberalitatem poeta Græcus festiue vicit. Qui cum sæpe versus Græcos elegantes Augusto frustra obtulisset, tandem etiam versus à Cæsare conscriptos accepisset, accedens ad eius lecticam dimissa in pauperem crumenam manu denarios paucculos protulit. Cæsari oblatos subiecit: Non iuxta fortunam tuam Auguste: Si plus haberem, plus darem. Augustus illiberalitatis veterno excusso poetam liberali & vere Cæsareo dono locupletauit. *Suetonius in Augusto.*

I L L V S I O.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

Illusio, irrisio, subsannatio, sanna. Græc. *ἐμπαιγμός*. Hebr. *Kalas*, à verbo *Kalas*, subsannauit, spreuit, vilipendit subsannando. Cognationẽ habet cũ *Kalal*, leuis fuit nihil fuit. Irrisores n. & illusores sunt homines nihili, leues. Hinc Græc. *χλευάζειν* subsanno, *χλεύασμος* irrisio, illusio, subsannatio.

Loci Biblici.

Illudi est res grauis & valde molesta. *Psal. 22. v. 7. 8. & 15. ver. 2. & 35. v. 9. & 58. v. 17. & 46. v. 16. & 41. 2. & 70. v. 4. 5.* Illuditur Christus, *Matth. 27. v. 29.*

Illusores Deo abominabiles, *Prou. 3. v. 32.* seuere arguuntur, *Esa. 57. v. 4.* frustra erudiuntur, *Prou. 9. 7.* numquam sapiunt. *14. v. 6* Illusores verbi Dei, *Act. 2. v. 13. 2 Pet. 3. v. 3. Iud. v. 18.*

Illusores illudendi, *Prouerb. 3. ver. 34.* perdendi, *Esa. 28. versic. 14. Ezech. 25. ver. 3. 4.*

EXEMPLA BIBLICA.

Illusionis exempla Noe, *Gen. 9. 22.* Isaac, *21. 9.* Israelitæ, *Exod. 12. 13. 14.* Balaã. *Num. 22. v. 28. 29.* Gedeon. *Iudic. 8. v. 6.* Abimelech. *9. v. 54.* Saul, *1. Sam. 10. v. 27. & 31. v. 4. 1. Paral. 10. ver. 3.* Dauid, *1. Sam. 25. v. 10. 2. Sam. 5. v. 6. & 6. v. 20. & 16. v. 7. 1. Paral. 15. ver. 28.* Amici Iudæ, *1. Mach. 9. v. 26.* Duo fratres, *2. Mach. 7. v. 10.* Illusionis toleratu difficilis, exempla: Achab, *1. Reg. 21. v. 7.* Elisæus, *2. Reg. 2. v. 23. 24* Sanaballat. *2. Paral. 30. v. 10. Nehem. 4. v. 1.* Tobias senior, *Tob. 2. v. 22.* Iob, *Iob, 2. v. 9.* Ieremias, *Ier. 20. v. 7.* Sedechias. *38 v. 19.* Christus, *Matth. 26. v. 68. & 27. v. 29. Marc. 15. v. 29. 30. 31. 35.* Apostoli, *Act. 2. 13.* Paulus, *17. v. 32.*

Vide Derisio & Irrisio. Item Contemptus.

IMBECILLITAS.

Philosophorum Sententiæ.

Imbecillum esse maxime constat, quod contra naturam est. *Arist. probl. sec. 10. n. 30.*

Imbecillitas est virium priuatio, principijq. detractio quędam motus vel mutationis in alio, vel quatenus aliud est: vel omnino, vel ab eo quod naturam aptam ad illud habendum, habeat, vel etiam tum, cum iam illud naturæ vi habere possit, *lib. δ. 4. Metaph. c. 12. T. 17.*

Vniuscuiusque rei remissio ex imbecillitate nascitur: imbecillitas autem naturæ aduersatur. *l. 2. de Cœlo. c. 6. T. 37.*

Imbecillitas, debilitas, infirmitas, defatigatio, tam ad animũ, quã ad corpus refertur. Græc. *ἀδυναμία, ἀσθένεια*. impotentia, infirmitas. Heb. *Chalu Schah*, à verbo *Chalsch*, Lassus fuit. 2. *Deuai*. Languor, à verbo *Dauah*. Languidus fuit, quemadmodum sunt mulieres paulo post partum, nempe imbecilles, bacillis & fulcris opus habentes, quibus sustentari & lento gradu incedere possint. Ab eodem verbo *Dauah*, deriuatur *Madhveh*, imbecillitas, languor, *Deuter. 28. 60.*

De imbecillitate.

Dial. II. *Fran. Petrarcha.*

D o l.

Natura me genuit imbecillem. R. Vt in puteri vagina ensis ferreus, sic in fragili corpore fortis sæpe animus latet. D. Imbecillis natus sum. R. Non eris idoneus vectandis oneribus, aut auro fodiẽdo, sed honestis studijs, sed iustis imperijs. Sic in naui robustior quisque remum agit, at prudentior clauum regit. Vita quasi nauis rerum fluctibus & mundi pelago iactata suos remos habet, suumque gubernaculum: à vilioribus repulsus officijs ad nobiliora conuertere. D. Imbecillem genuit natura. R. Quid si robustissimum genuisset? an perpetuum robur erat? nõ robustior senectus & robustior ægritudo? Vt sileam casus innumeros, qui repente totum hominem debilitant, atque eneruant. Animi robur optabile est, quod nec dies minuit, nec fortuna. D. Corpore imbecillis sum. R. Animum foue, atque exerce suis artibus, quas meliores esse, diuturnioresq; non ambigis. Laborem corporis linque rusticis, nautis, fabris. D. Nullæ mihi ab origine fuere vires. R. Ad id ipsum non habuisse, quam perdidisse tolerabilius est. Ne perdi fuisset, non manfisset. Nam & Milonis senuerunt vires, & Herculis senuissent. Non sic Socratis, non Solonis, non Nestoris, non Catonis, melioribus vtere. Nil potest delectare magnum animum, quod non surget. D. Corpusculum imbecille est. R. Si organum inhabitanti animo sufficiens fuerit, satis est virium. Corpus namq; propter animi seruitium fecisse naturam, nemo tam corporis seruus est, qui nesciat id, si proprio munere fungitur. Quid accusas, sed quid amplius requiris? Nam qui ingenio fragiles, corpore præualent, hi beluis proxime accedunt, & sæpè (quod miserum est) alijs seruiunt. Sæpe verò quod miserrimum, atque vbi humanæ miseriæ summa est, animum ipsi suum seruire corpori suo cogũt seruitute fœdissima. D. Corpus inualidum est mihi. R. Vera & generosa vis hominis in animo est. Corpus est quasi quædam domus animi, quam robusta, quam fragilis, nihil ad hospitem paucorum præcipue dierum, modo ne corruat, tunc migrandi necessitas, & aliud, idq; perpetuum domicilium hinc exclusos transfert. Plus dicerem, si plus capere posses, nec vulgari strepitu prorsus obsurduisses. Corpus ipsum non animi domum esse, sed carcerẽ, nec amicum, sed domesticum hostem, cuius tibi hospitas sit optanda, quo tu liber maturius sis ac victor. D. Nullæ sunt mihi vires. R. Nullæ penitus dum vales, non sunt. Quod si non vales, alia est querela. Non ergo nullas via dicere, sed paruas vires. Non es robustus vt ille contemporaneus tuus, neque is vt ille alius, neque ille vt bos & elephas. Suus enim virium modus est, cuique quod sat esset indulgentior natura distribuit parens optima & suorum fœtuum amantior, quam quisque sui. Non potestis de defectu queri, de imparitate queruntur turbidum genus & querulum, qua sublata mundi decor intereat necesse est. Sic quod optimum est in rebus, id fertis ægerrimo.

Est hoc in hominibus acerbissimum: quod is qui multum sapit, nihil in sua potestate habeat. *Herodot. l. 9.*

Nihil peccare in magnis rebus humana conditione altius est: qui peccauerit, eum errore suo in posterum doctrinæ loco vti, viri boni & cordati est officium. *Plut. in Fabio Max.*

Humana imbecillitas in eo maxime deploranda est, quod in nobilissimis & insigniter ad virtutem aptis ingenijs bonum absque illo næuo existere non potest. *Idem in Cleomene.*

Vetus illud rectissime dictum est, facilius esse alios adhortari, quam seipsum contra res aduersas obfirmare. *Dion. l. 38.*

Nullæ sunt hominum aduersus Deum vires. *Iustin. lib. 2.*

Nihil rerum mortalium tam instabile & fluxum est, quam fama potentiæ non sua vi nixæ. *Tacit. Annal. l. 13.*

Desperatis rebus consilium ab omnibus datur, periculum pauci sumunt. *Idem. hist. l. 3.*

Humillimi quique, maxime vbi alta accesserunt superbia atque ambitione sunt immodici. *Sex. Aurel. Vict. in Diocletiano.*

Sine crimine certe & ceterorum affectuum afflictu prorsus expers a nemo reperitur. Id enim diuinæ felicitatis proprium fuit, nec vnquam in hominis naturam cadet. *Zonar. in Alex. Comn.*

In humana natura nihil est, quod omnino sit labis expers, & ab omni absurditate alienum. *Const. Manasses Annal.*

Illud profecto verissimum est, Non semper homines sapientes videre perfecte aut iudicare: signa enim imbecillæ mentis humanæ frequenter apparere necesse est. *Fr. Guicciard. hist. lib. 1.*

Vide, Ægritudo, Morbus.

IMITATIO.

Loci Biblici.

Imitemur Deum, vt filij charissimi, *Ephes. 5. v. 1.* Imitemur non malum, sed bonum, *3. Io v. 11.* Imitari Paulum quomodo oporteat, *Thess. 3. v. 7.* imitator Christi Paulus, *1. Cor. 4. v. 6.*

Imitatio. Exemplum, *μίμησις*. Imitor, *μιμοῦμαι*. Sequor, alium mihi imitandum propono. *Male* verbum, signif. plenus fuit. *Achar.* aduerb. temporis & postea & post. Ex his duabus vocibus Hebræi componunt verbum *Male achar.* id est, sequutus est, abijt post aliquem, imitatus est.

Apophthegmata.

Pylades Hylam, negligenter saltantem Oedipodem, hac voce castigauit, *σὺ βλέπεις*. id est, tu vides: cum ille Oedipodem iam cœcum exprimere debuerit. *P. M. l. 6 apoph.*

Apelles. Alexander quum apud Ephesum conspectam effigiem sui corporis ad viuum magna arte expressam admiraretur, atque interim forte equus inductus picto in eadem tabula equo hinniret, deceptus imitatione: Apelles, Equus (inquit) ò rex multo melius

melius expressus est, quam tu. *Man. lib. 8. apoph.*

Cicero Pompeio vitio dabat, quod ciuitate deserta Temistoclem potius quam Periclem fuisset imitatus: cum illis res nequaquam pares essent. Themistocles enim fugit ad Persas, Pericles mansit Athenis. *Plut. in Rom. apoph.*

Hadrianus sophista, in conuiuio sophistarum, ad quos adhibitus erat tamquam egregij cuiuspiam arcani consors futurus, quum sermo fuisset ortus de characteribus dictionis, & in quo quisque præcelleret, & quid in quoque potissimum imitandum esset: At ego, inquit, describam characteres, haud quaquam recensens incisiunculas, intellectulos, mêbra, aut rhythmos: sed me ipsum mihi imitandum proponens; omniumq; inuenta ex tempore proferens, flexu quodam orationis, ac linguæ permittam hæc omnia. Quid de hoc Hadriani dicto iudicandum sit, viderint Critici, illud scio, Horatium, non temere exclamasse: O imitatores seruum pecus. Et hodie videmus quosdam, qui se totos addixerunt exprimendo Ciceroni, frigidos, & elumbes euadere. Quod si quos delectat illud orationis genus leue, & γλαφυρὸν equidem, nec obsto cuiquam, nec inuideo. At ipse malim Epitecti rudem, & indolatam phrasin, sed naturalem, quam Isocratis omni flosculorum genere picturatam. Huius Hadriani dictionem Herodes sophista solebat appellare κολοσσοῦ μεγάλου σπαράγματα, id est, colossi magni fragmenta simul in iuuene notans orationem nondum satis compositam, simul laudans, & vocis, & animi magnitudinem. *Verba sunt P. M. lib. 8 apoph. ex Philostrati sophistis.*

SIMILITVDINES.

D. August. Cum ex infantibus loquentes non fiant, nisi locutiones discendo loquentium: cur eloquentes fieri non possunt, nulla eloquendi arte tradita, sed elocutiones eloquentium legendo, & audiendo, & quantum assequi conceditur, imitando? *lib. 8 c. 3. De doctrina Christiana.*

Plutarchus. Qui omnia student exprimere, multa praua imitantur imprudentes: quemadmodum Aristotelis balbutiem, & Platonis incuruos humeros familiares exprimebant. *in Moral.*

Seneca. Qui imitatur auctores, dabit operam vt similis illis sit, quemadmodum filius similis est patri, non quemadmodum imago picta. *Apud P. M.*

P. M. Vt oscitant permulti, quod oscitantem conspiciant, & mictiunt, quod meientem viderint: ita quidam nullo certo iudicio ad suscipienda negocia permouentur, sed quiduis in alijs imitantur, ac referunt. *in Simil.*

Theriaci. Veluti semen non vbique locorum æquè alacre est, aut æquè fructum profert, sed pro natura cœli, terræ, atque aeris sæpe variat: Ita poeri frequentius imitantur parentum, magistrorum, ac sodalium mores, quam ipsas præceptiones, naturam, aut leges. *in apophth.*

Quemadmodum citius ea, quæ amara sunt, mutant dulcia, quam quæ dulcia amara: Ita frequentius boni imitantur malos, quam mali bonos. *in apoph. 210.*

Facile est protractis lineis colorem appingere, sed arduum ipsa mêbra effigiare: Ita multis promptum est decorum verborum imitari, sed operosum est, ac paucis datum, membra orationis inuenire, effingere, ac digerere. *in apoph.*

EXEMPLA BIBLICA.

Imitationis præposteræ *exempla*: Iudas, 1. *Reg.* 14. 22. 23. Abias, 15. 3. Nadab, 25. 26 Baasa, 33. 34. Zambri, 16 *v.* 18. 19. Achab, *v.* 30. Ioram, 2 *Reg* 8. *v.* 16. 17. 18. Ochozias, *v.* 27. Ichu, 10. 31. Ioachaz, 13. *v.* 10. 11. Zacharias, 15. 9. Amon, 21. 20. 21. Achaz, 2. *Paral.* 28. *v.* 1. 2. Infideles, *Psalm.* 49. 15. *&* 78. 57. Iudæi, *Matth.* 23 *v.* 33. 34. *Luc.* 3. 7. *Act.* 7. 51. *&* 17 *v.* 13. Iudæ, 11. Imitationis bonæ *exempla*: Iosaphat, 1. *Reg.* 22. 43. Ezechias, 2. *Reg.* 18. 5. 6. Iosias, 22. 12. Dauid, *Psalm.* 119. 14. 15 29. 30. 31. 32. 33. 34. Niniuitæ, *Ionæ* 3. *v.* 10. Thessalonicenses, 1 *Thessal.* 1. *v.* 6. *&* 2. *versic.* 14.

EXEMPLA PROFANA.

P. Scipio Africanus Cyrum Xenophontis: C. Iul. Cæsar Alexandrum Magnum: Selimus Turcarum Princeps Cæsarem imitatur.

Alexander Magnus scorti Thaidis infamiam in Persepoli arce incendenda imitatur.

Hipparchum Pisistrati F. doctissimum Principem Atheniensem secuti sunt in doctis hominibus obseruandis, atque colendis. *Ælian. l. 8.*

Syracusani plerique Dionysium tyrannum, Platonis discipulum factum, incredibili studio imitati sunt: ita vt tyrannidis sedem potius occuparet, præ ijs qui Geometriæ operã dabant. *Plut. in Dione.*

Antiochum Syriæ regem luxuriosissimum milites imitati sunt: aureis clauis crepidas subnectentes, argenteaq; vasa ad vsum culinæ comparantes, & tabernacula textilibus sigillis adornantes. *Val. Max. lib. 9 c. 1.*

Antisthenes Atheniensis à Socrate præceptore tolerantiam edoctus, Cynicam sectam condidit. *Laert. lib. 5.*

Plato Socratem vsque adeo suis scriptis imitatus est: vt minor Socrates passim, etiam ab Aristotele, appellatus fuerit.

Plerique magis actiones aliorum, quamlibet prauas, imitantur, quam infortunia eorum cauent. *Dion lib. 53.*

IMMANITAS.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

Immanitas, atrocitas, immisericordia, sæuitia, crudelitas, ira crudelis, audax asperitas, ferocitas beluina, ita vt immanes, non homines, sed beluæ efferæ appareant. Heb. *Aczar, & Aczaryuth: Deuter.* 32. 33. *Prou.* 27. 4. a verbo *Gazar*, Immanis fuit, atrox fuit, ausus est atrociter. Cognationem habet cum *Gazar*, dissecuit: immanes enim & crudeles nihil aliud quam cædes & hominum lanienas somniant. Hinc ἐυρύνω & κερκίζω. Immanitas autem Græc. dicta est ἀπαιδευσία ἀγριότης, rusticitas effera, quæ nullo modo curari potest, & humanitati plane contraria.

Qui discordias serunt ira stimulante inter crudelitatis & immanitatis magistros censentur: qui verò libidine sola aliorum rixas, & contentiones spectandi ducuntur, morosi & inhumani dicuntur.

Naturæ iniuria fit, & humanitatis ius ab eo violatur, qui iracundiæ vltra victoriam indulget. *Nicetas Acom. in Balduino Flandro.*

Solet humanum ingenium in magna fortuna & insperata victoria humanitatis obliuisci, nisi incerta fortunæ momenta singulari prudentia moderetur. In pugna quidem & acie quidquid excusationem habet, cum ratio oppressa iacet, & manus (velut ebrie) mente non reguntur. Verum periculis iam propulsatis, & animorum æstu sedato, ac tranquillitate menti restituta, sæuire, & ab officio decedere, improbi animi est argumentum. *Niceph. Gregoras, hist. lib. 6.*

Immane, Immanis, pro aspero, nocente, fere sumitur, Virg. Georg. 4. Immanem ante pedes hydrum moritura puella Seruantem ripas alta non vidit in herba. Et Aeneid. 1. Pygmalion cognominatur immanis. Immania Saxa, id est, aspera, horrenda. Immane nonnumquam quid ingens, magnum, fœdum denotat. Precij immanitas apud Plinium, *lib. 35. cap. 11.*

Vide Tit. Crudelitas, Inhumanitas, Morositas.

IMMOBILITAS.

DEFINITIO, ET ETYMOL.

Immobilis. Græce ἀκίνητος, ἡ, ὁν, dicitur. Immobile dupliciter dicitur, scilicet immutabilitate rei, vt Deus, & necessitate veritatis, vt propositiones necessariæ. *S. Thom. in quæst. de veritate, quæst. 16. artic. 1.*

SENTENTIAE PHILOSOPHICÆ.

Quod ita motum affert, vt id non sit quo mouet, ac omni motu est liberum. *l. 8. de Natura c. 5. Tex. 37. Arist.*

Id quod primo loco mouet in omnibus quæ motu cientur, ab omni motu est liberum. *lib. 8. de Nat. Tex. 44. Idem.*

Immobile est, & quod omnino moueri non potest, & quod longo tempore vix mouetur, & quod serio incipit: & quod per se quidam naturæque vi moueri potest, sed non mouetur, quando, quo & quomodo eius natura fert. quod quidem vnum eorum quæ immobilia sunt dico quiescere. *lib. x. 10. Metaph. c. 10. & lib. 5. de Nat. 2. c. Tex. 20.*

Fortunæ affectiones, & locus, ad quæ mouentur aut mutantur, quæ mutantur, immobilia sunt omnia. *lib. 10. Metaph c. 12.*

Immobile non omne quiescit, sed quod motu priuatum est, aptum autem natura moueri. *Idem phys. 4. c. 6. Tex. 112.*

Immobilia mouentia per accidens continue mouere nequeunt, ergo primum mouens erit immobile, & non mouebitur per accidens. *Idem phys. 8. sup. 2. c. 5. Text. 52.*

Immobile mouens semper vno mouet motu, quia nihil ipsum mutatur ad id, quod mouetur. *Idem, ibid. Text. 53.*

Immobilis ac sempiterni consideratio nec ad Physicam, nec ad Mathematicam pertinet. Non ad Physicam, quia non conuenit considerantem mobilia & inseparabilia immota & separata contemplari. Non ad Mathematicam, quia licet hæc de immobilibus disserat, non tamen de inseparabilibus, sed quæ in subiecto sunt atque materia. *Alex. Aphrod. in 5. metaph. c. 4.*

Aures homini tantum immobiles. *Plin. l. 11. c. 37.*

ADAGIVM.

Scopulis immobilior. Ouid.

Soloq; immobilis hæret, Intentos voluens oculos. Virgil. Aeneid. 7.

IMPA-

IMPATIENTIA.

LOCI BIBLICI.

IMpatientia arguitur, *Exod.* 14. *v.* 11. & 15. 24. & 17. *v.* 2. 7 & 17. 2. *Num.* 11. *v.* 1. 1c. & 14. *v.* 1. 36. & 1. *v.* 5. *Iob* 3. *v.* 1. *Prou.* 12. 16. *Eccl.* 2. 16. damnatur. *Prou.* 14. 29. & 19. 19. fernanda est. *Rom.* 12 10. 1. *Cor.* 10. 19. *Phil.* 4. 5 *Thessal.* 5. 14. 2. 2. 1. *Tim.* 2. 8. 2. *Tim.* 4. 2. *Heb.* 10. *ver.* 17. & 12. 1. *Iac.* 1. *ver.* 4. & 5. *ver.* 8. 1. *Pet.* 1. *v.* 5. & 3. 14. & 5. 6. 2. *Pet.* 2. 9 & 3. *v.* 9. 10.

Natales impatientiæ in ipso diabolo deprehendo, iam tunc cum dominum Deum vniuersa opera quæ fecisset, imagini suæ, i. homini subiecisse, impatienter tulit. Nec enim doluisset si fasti inuisset: nec inuidisset homini si non doluisset. Adeo decepit eum, qui inuiderat. Inuiderat autem, quia doluerat. Doluerat, quia patienter vtique non tulerat, &c. *Tertullian. l. de patientia.*

PHILOSOPH. SENTENT.

Impatientia turbat animum, præterita bona delet, præsentia inficit futura impedit. *Facin. epist. l.* 1.

Impatientia sola facit, vt aduersa, quæ ad externa & corpus tantum pertinere possunt in animum quoque pertranseant. *Ibid. l.* 5.

Impatientia ἀταλεία est tanta animi teneritas & teneritudo, vt nihil omnino duri, & acerbi sensus pati possit, ac ne ea quidem quæ vulgo exteri homines patiuntur ac ferunt.

Est ita natura comparatum, vt homines moleste, supra quam dici possit, ferant, si videant rerum euenta virtuti non respondere. *Pausan. lib.* 4.

SIMILITVDINES.

Chrysostom: Quemadmodum si quis apostematis morbo circumuentus, ferro recidatur a medico, non habens quomodo reciden ti aduersetur, circumstantia tangit, atque astantes mordet, illis quidem inferre nihil habens, ad medicum autem manum extendere non valens: Sic & Iob blasphemiæ magnitudinem timens, facit in animis iniuriam, atque fiduciam animi passione adauget, non contra Deum audens, sed se diemque accusans. Maledicit autem non creaturam, sed sui ipsius diem: Pereat, inquiens, dies in qua natus sum, &c. *Serm.* 4. *in Iobum*

Seneca: Vadis huc & illuc, vt excutias insidens pondus, quod ipsa iactatione incommodius fit. Sicut in naui onera immota minus vrgent, inæqualiter conuoluta citius eam partem in quam incubuere demergunt. *lib.* 2. *Epist.* 28.

EXEMPLA BIBLICA.

Impatientiæ, & murmuris *exempla:* Sara, *Gen.* 16. *v.* 5. Israelitæ *Exod.* 5. *v.* 21. & 14. *u.* 11. & 16. *u.* 3. & 17. *u.* 2 3. & 32. *u.* 1. *Nu.* 15. *u.* 1. & 13. *u.* 31. & 14. *u.* 1. 2. & 16 *u.* 41. & 20. *u.* 3. *Iof.* 9. *u.* 18. 1. *Cor.* 10 *u.* 10. Iudæ, *u.* 16. Achitophel, 1. *Sa.* 17. *u.* 23. Seba, 20. *u.* 1. 2. Aman, *Esth.* 3. *u.* 5. Eliu, *Iob.* 32. *u.* 2. Nabuchodonosor, *Dan.* 3. *u.* 13. Exercitus, 1. *Mach.* 11. *u.* 39. Herodes, *Matth* 2. *u.* 3. Operarij, 20. *u.* 11. Principes Sacerdotum, & Scribæ, 21. *u* 15. Pharisæi & Scribæ, *Luc.* 5. *u.* 30. & 15. *u.* 2. & 19. *u.* 7. *Ioan.* 6. *u.* 41. & 7. *u.* 32. & 9. *u.* 28. Prodigi frater, *Luc.* 15. *u* 28. Græci. *Act.* 6 *u.* 1.

Vide Murmuratio & Patientia.

IMPERATOR, IMPERIVM.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

IMperium Græce ἡγεμονία. ας. ἡ. & ἐπιτάσσω, impero dicitur. Est autem imperium actus rationis ordinantis, cum quadam motione ad aliquid agendum. *S. Tho.* 1. 2. *q.* 17. *art.* 5. *Dicitur autem ab impero, as.*

Imperium varia significat, I. Auctoritas cum præcepto & Dei iussu coniuncta, 1. *Cor.* 7. 6 *Tit.* 2. 15. II. Dominatus, 1. *Reg* 12. 4. *Esai* 9. 6. III. Dominium, possessio, *Gen* 36. 43. IV. fortitudo, robur, 1. *Sam.* 2. 10. *Psal.* 86. 16. *Esa.* 45. 14. 1. *Pet.* 5. 1. *Apoc.* 1. 6. V. Dignitas, *Genes.* 49. 3. VI. Mandatum, *Genes.* 41. 14. 1 *Tim.* 11. VII. Regnum seu regio, in qua quis regnat, 1. *Chro.* 28 5 *Dan.* 6. 26. VIII. Regni duratio, & tempus. *Esther.* 1 3. IX. Regni limites, 1. *Chron.* 18. 3.

Imperator, Dux exercitus, ad quem rei militaris summa refertur: ab imperando dictus, propterea quod exercitui, quæ facto opus, a fint, imperet. Gr. πολέμαρχος, αὐτοκράτωρ, στρατηγός. Hebr. *Melec,* Rex, qui regioni alicui præest, itē qui vnius vrbis seu ditionis imperium & dominiū obtinet, à verbo *Malac,* regnauit, imperauit. Et *Mosçhel,* Dominium, imperium à verbo *Masçhal,* imperauit, dominatus est, graues sententias protulit, nihil dixit, quod nō esset obseruatu dignissimum. Vocatur etiā Imperator, *Naghdh,* dux, princeps, eximius, primarius, qui coram populo adstat, cæterisq; omnibus indicat quid sit faciendum, Græcè ἡγούμενος ἄρχων.

Imperare est iubere, dictum ab in particula intentiua, & paro, quasi statim paro, vel prorsus paro.

Imperium nunc iussum significat. *Virg. Luctantes ventos, tempestatesq;* *sonoras Imperio premit.* Aliquādo dominium. *Idem: Imperium Oceano famam qui terminet astris.* Nonnumquam potestatem. Vnde Vlpianus Imperium scribit, aut merum dici, aut mixtum. Merum imperium est habere gladij potestatem ad animaduertendum in facinorosos homines, quod etiam potestas appellatur. Mixtum est, cui etiam iurisdictio inest, quod præcipue in danda bonorum possessione consistit.

SENTENTIAE POETICAE.

Hom. Iliad. 2.

Multos imperitare malum est, rex vnicus esto.

Plaut. in Mil.

Facile est imperium in bonis.

Terent. in Adelph.

Nimium ipse est durus præter æquum & bonum.
Et errat longe, mea quidem sententia,
Qui imperium credat grauius esse, aut stabilius,
Vi quod fit, quam illud quod amicitia adiungitur.
Mea est sic ratio, & sic animum induco meum,
Malo coactus qui suum officium facit,
Dum id rescitum iri credit, tantisper cauet.
Si sperat fore clam, rursum ad ingenium redit.
Ille, quem beneficio adiungas, ex animo facit,
Studet par referre, præsens, absensq; idem erit.

Senec. in Thy.

Nec abnuendum, si dat imperium Deus.
Nec appetendum.

Idem in Tro.

Violenta nemo imperia continuit diu.

Claudian. in Eutro.

Asperius nihil est humili, cum surgit in altum.
Cuncta ferit, dum cuncta timet, desæuit in omnes,
Vt se posse putent, nec bellua tetrior vlla est,
Quam serui rabies in libera colla furentis.
Agnoscit gemitus, & pœnas parcere nescit.
Quam subijt dominus, memor quæ verberat, odit.

PHILOSOPHICÆ ET HISTORICÆ SENTENTIAE.

Imperatores appellandi sunt, quorū virtute & consilij felicitate, maxime periculis seruitutis atque interitus liberati sumus. 24. *Polib.*

In summo Imperatore quattuor hæ virtutes inesse debent. Scientia rei militaris, Virtus, Authoritas, Felicitas. *Pro leg. Man.*

Hæ sunt virtutes imperatoriæ, labor in negocijs, fortitudo in periculis, industria in agendo, celeritas in conficiendo, consilium in prouidendo *Pro leg. Man.*

Non solum bellandi virtus in summo atque perfecto Imperatore quærenda est, sed multæ sunt artes eximiæ, huius administræ, comitesq. virtutis. Primum quanta innocentia, quanta deinde omnibus in rebus temperantia, fide, felicitate, ingenio, & humanitate. Imperatores esse debent. *Pro lege Mani.*

Refrenet primum libidines, iracūdiam teneat, frenat voluptates, coerceat auaritiam, cæteras animi labes repellat, tum incipiat alijs imperare, cum dedecori & turpitudini parere desierit. *Parad.* 5.

Non potest exercitum is continere Imperator, qui seipsum non continet: frugi hominem dici non multum laudis habet in Rege fortem, iustum, seuerum, grauem, & magnanimum, largum, beneficum, liberalem, & mansuetum, hę sunt regiæ laudes, *Pro lege Man. Pro Rege Deot.*

Quotidianis reb. præesse, & ex tempore subitis casib. recte vti: & quamq. occasionem nosse, ac indicare, quas res ex familiari colloquio conciliare possibile sit, quas porro vi extorquere liceat, imperatorum siue præfectorum est officium. *Ex* 1. *epistol. Demosth.*

Quapropter illud etiam recte dicitur, neminem bene imperium gerere, qui non ipse prius sub imperio fuerit. *Arist. Polit.* 3.

Iam illud oportet vnumquemque mortalium cogitare, qui non seruierit, eum haudquaquam dominum fore laude dignum. *Plat. de lege* 6.

Qui vult homini imperare, is etiam beluam adiungit cum præsertim tale quid sit cupiditas, & iracundia, & magistratus, & optimus quisque à recta via detorqueatur. *lib.* 3. *de Repub. c.* 12.

Quo minor potestas eorum qui imperant, eo diuturnius stabiliusve omne stat imperium. *lib.* 5 *de Repub. c.* 11.

Viuunt in magna opum honorumq; abundantia ij, qui soli imperāt, quarum omnes rerum cupiditate ducuntur. *lib.* 5. *de Rep. c.* 10.

Moleste & acerbe nemo fert imperium, quem parere ætas patitur, neque se superiorem putat: præsertim cum eundem honorem sit adepturus, cum iustæ ætatis fuerit. *lib.* 7. *de Repub. c.* 14.

Imperium aliud ad Principis, aliud ad eorum qui parent commoda refertur: quorum illud seruile imperium appellamus: hoc liberorum hominum *Ibid.*

Absurdum est non esse tributum à natura, alijs vt imperent, alij, vt pareant. Quod ita sit: danda est opera, non vt omnibus

bes imperes, sed ijs tantum modo, qui nati sunt ad ferendum Imperinm. *lib. 7. de Repub. c. 2.*

Imperare, & parere non solum necesse est, sed etiam vtile. *lib. 1. de Repub. c. 3.*

Semper vt quisque eorum, qui præsunt, & qui parent præstantissima virtute est: ita Imperium est præstantissimum. *ibid.*

Non est ciuitar ob eam causam dicenda beata, nec legir sctiptor ornandua laudibus, quod exercitatione docuerit eos finitimis imperate. *lib. 7. de Repub. c. 14.*

Est & propensus ad imperandum animus, & inuictus. *lib. 7. de Repub. c. 7.*

Assuescat Imperator cum Imperio calculum ponere: sic exeat, sic redeat, tamquam rationem redditurus: edicat quid absumpserit. Ita fiet, vt nō absumat, quod pudeat dicere, præterea futuri principes, velint, nolint, sciant. *Plin. panegyr. ad Traianum.*

Natura mortalium auida Imperij est. *Salust. Iugurt.*

Vetua, ac pridem mortalibua insita potentiæ cupido. *Tacit. l. 2. hist.*

Ea cunctis affectibus flagrantior. *Idem, Annal. l. 15.*

Cunctar nationes, & vrbes, popnlus, aut primores, aut singuli regunt. *Idem, Annal. l. 12.*

Delecta ex his, & constituta Reipub. forma facilius laudari, quam euenire, aut si euenit, haud diuturna esse potest. *ibid.*

Non ignauia magna imperia continentur, sed virorum armorumq; faciendum certamen. *Tacit. Annal. l. 15.*

Firmissimum id Imperium quo obedientes gaudent. *Liuius, Decad. 1. lib. 8.*

Interrir nomen Imperij primum fuit. *Salust. Catilin.*

Qui benignitate, ac clementia Imprrium temperauere, hia candida omnia, & læta fuerunt: etiam hostes æquiorea, quam alijs ciues. *Idem, orat. ad Cæsarem.*

Principio rerum, gentium, nationumque Imperium penea regea erat. *Iustin. lib. 1.*

Vnum Imperij corpus vnius animo regendum videtur. *Tacit. Annal. lib. 1.*

Imperium, si in paruo contemnitur, in omni parte violatur. *Cassiodor. l. 2. epist. 12.*

In bono Imperatore inter cæteras artes hæc requiritur, vt seuerè imperare sciat, & molliter contumacibus credere. *Dionys. Halicar lib. 5.*

Prudentium est Imperatorum non solum res suas corroborare, sed etiam rer hostium debilitare, præcipuè verò sine vllo prælio, & labore bella conficere: sin minus, saltem cum minimo militaris multitudinia detrimento. *Idem, lib. eod.*

Non decet Imperatorem propere quicquam agere. *Dion in M. Anton Phil.*

Malum est Imperatorem habere, sub quo nemini liceat quicquam facere: sed multo pelua est, quum omnia licent omnibus. *Dion in Nerua*

Misera est conditio Imperatorum, quibus de affectata tyrannide nisi occisis non potest credi. *Vul. Gallic in A. Cassio.*

In Imperatore auaritia est acerbissimum malum. *Idem. ibid.*

Nihil quicquam est, quod Imperatorem melius commendet gentibus, quam clementia. *ibid.*

Imperatorem esse fortunæ est. *Ælian. Lamprid. in Heliogab.*

Sint Imperio digni, quos ad regendi necessitatem vis fatalis adduxerit. *ibid.*

Miser est Imperator, inquit iunior Gordianua, apud quem vera reticentur: cui quum ipse publicè ambulare non possit, necesse est vt audiat, & vel audita, vel à plurimia roborata confirmet. *Iul. Capitol. in Gord.*

Imperator dum æquua omnibus alienæ custos salutis, nihil non ad sui spectare tutelam rationes populorum cognoscit, & remedia cuncta, quæ status negociorum admittit arripere debet alacriter, secunda numinis voluntate delcta. *Amm. Marcell. l. 14.*

Regenti Imperium, omnia nimia, velut prærupti scopuli, sunt deuitanda *Amm. Marcell. lib. 30.*

Delicta corrigere, Imperatorem admodum decet, vt charos præterea, & amicos soletur, eius & dignitatis est, & prudentiæ: quæ fiet, vt non solum nunc ipsi à molestijs quondam illatis, & grauibus subditi vindicentur, sed statim, vt liceat Imperatoris beneuolentia frui, quare nil dignius afferri potest mortalibus. *Procop. de bello Goth. lib. 3.*

Sine administria non potest fieri in bellicis rebus Imperator. *Idem. ibid.*

Sine dubio Deus terrenus est Imperator, contra quem quicumque leuare manum ausus fuerit, ipse sui sanguinia reua erit. *P. Diacon. in Grat. &c.*

Qui seuerius in Imperatores inquisierit, equidem non arbitror vllum Romanorum principatu antiquitua potitum inuenturum esse, in quo nihil ad consummatam laudem desideretur. Ex quo fit, vt vniuscuiuscumque gubernatio ex morum, & actionum eius maiori parte iudicetur. *Zonar. in Alex Comm. l. 3.*

Homini priuato satis est moderatio, æquitas, placabilitas, & in omni cultu, & victu modus, Imperatori verò præter hæc est iustitia & colenda, & ratio ciuium habenda, & vetera instituta sunt tuenda. *Idem, ibid.*

Nihil est quin ab Imperatoribus emendari queat: nec vllum peccatum est, quod vires eorum superet. *Nicet. Alex. Angel. l. 3.*

Vide Dux, & Princeps, vbi plura de Imperatoris, seu Ducis exercitus officio.

Egregij Imperatores quamuis exigua habeant copias, tamen celeriter eas augent. *Dionys. Halic. lib. 6.*

Imperatorum impetus, & potentia non quiescere solet, nisi diuina humanaq; pro suo lubito mutarint. *Nicet. Isac. Angel. lib. 2.*

Obsequio mitigamur imperia. Vbi verò reuerentia excessit animis, & summa imis confundimus, ibi opus est, vt vim repellamus. *Curtius. lib. 8.*

Magna imperia ignauia non continentur. Id in summa fortuna æquius, quod validius. Sua retinere, priuatæ domus: de alienis certare, regia laus. *Tacit. Annal. lib. 15.*

Magna imperia nisi armis vltro illatis lacessantur, nisi primo quoque tempore, aut euertantur, aut ita afficiantur, vt tollere vltra caput sublenariq; non possint, exitium ijs adferunt qui exitium spe illis destinauerant. *P. Æmil. lib. 6.*

Vbi pro labore desidia, pro continentia, & æquitate libido, atque superbia inuasere, fortuna simul cum moribus immutatur. *Salust. de coniurat. Catil.*

Semper ita iudicant homines præsens Imperium esse graue. *Thucyd. lib. 1.*

Periculosum est prægraue Imperium, & difficile est cōtinere, quod capere non possis. *Curt. lib. 4.*

In nouo, & precario Imperio, adhue iugum eius rigida ceruice subeuntibus barbaris, tempore opus est, dum mitioribus ingenija imbuuntur, & efferatos mollior consuetudo permulcet. *lib. 6.*

Spernitur dutir Imperium, vbi turbatis acriua metus quā dux imperare cœpit, & totidem sunt Imperatores quot agmina errant. *libro 8.*

Ijs qui in alios Imperium sunt habituri, hæc duo adesse oportet, in bello vires, & in consilio prudentia. *Dionys. Halic lib. 3.*

Nulla alia re æquè, ac hominum frequentia opus esse illi ciuitati, quæ ad Imperium aspirat, & quæ res magnas affectat. *idem, l. 4.*

Longè optimum, ac firmissimum id est Imperium, quod beneficijs non supplicija subditos in officio continere solet. Illorum enim beneuolentia, horum verò timor est acceptus apud omnes. Quicquid autem est formidabile, id necessitate naturali omnibua est maximè exosum. *idem, lib. 6.*

Imperij via omnis in consensu obedientium est. *Liu. Decad. 5. l. 2.*

Id firmissimum longè Imperium est, quo obedientes gaudent. Sed maturato opus est quicquid statuere placet. *Liu. Dec. 1. l. 8.*

Quo plua potestis, eo moderatius vti Imperio debetis. *Decad. 4. l. 4.*

Quæ vrbs voluptati plurimum tribuit, imperium amittit, quæ labore delectatur, occupat. *Valer. Max. lib. 4. c. 3.*

Non multorum supplicijs, sed fida, & diligenti custodia Imperium est tenendum. *Xiphilin. Cæs. August.*

Summum Imperium inuidiam habet, nec tutum vmquam ab insidijs est. *ibid.*

Imperium facilè ijs artibus retinetur, quibus initio partum est. *Salust. de coniurat. Catil.*

Impatiens consortis est Imperium, insidelitatisque, & maleuolentiæ plenum. *Plut. in Demetrio.*

Nullum est Imperium tutum, nisi beneuolentia munitum. *Æmil. Probus in Dione.*

Ea conditio est imperandi, vt non aliter ratio constet, quam si vni ratio reddatur. *Tacit. Annal. lib. 1.*

Nemo vmquam Imperium flagitio quæsitum bonis artibua exercuit. *idem hist. lib. 1.*

Arduum, & subiectum fortunæ regendi cuncta onus. *Eod. lib.*

Imperium cupientibua, nihil medium inter summa, aut præcipitia. *Tacit. hist. lib. 2.*

Bonum (id est mite, & clemens) Imperium nulla vis lædit. *Vulc. Gallic in Auid. Cassio.*

Seuerua moriens dicebat, firmum Imperium Antoninis meis relinquo, si boni sunt: imbecillum, si mali. *Æl. Spartian. in Seuero.*

Imperium est in virtute, non in decore. *Lamprid. in Al. Seuero.*

Quis melius, quam grauis imperat? quis melius quam literatus imperat? scit quemadmodum imperare debeat, qui alios principes pertulit, & qui de alijs principibus iudicauit. *Fl. Vopisc. in Tacito.*

Nihil est difficilius, quam bene imperare: nam quisque pro voto de principe loquitur. *Pomp. Lat. in Dioclet.*

Saturninus suis dicebat: Nescitis, amici, quid mali sit imperare, Gladij, & tela nostris ceruicibus impendent, imminent hastæ vndique, vndique spicula, ipsi custodes timentur, ipsi comites formidantur, non cibus pro voluptate, non iter pro authoritate, non bella pro iudicio, non arma pro studio. Adde, quod omnis ætas in Imperio reprehenditur. Senex est quispiam? inhabilis videtur: sin minus, inest furor. Nam quod Imperatorem me cupitis, in necessitatem mortis me trahitis: Sed habeo solatium mortis, solus perire non potero. *Fl. Vopiscus in Saturnino.*

Diocletianus princeps, iam priuatus dicebat, nihil difficilius esse, quam bene imperare. Colligunt se quatuor vel quinque, atque vnum concilium ad decipiendum Imperatorem capiunt, dicunt quod probandum sit: Imperator, qui domi clausus est, vera non nouit: cogitur hoc tantum scire, quod illi loquuntur: facit iudices quos fieri non oportet, amouet a Republica quos debeat retinere. Quid multa? bonus, cautus, optimus venditur Imperator. *Fl. Vopiscus in Aureliano.*

Magna moles molestiaque Imperij est. *Aurel. Vict. lib. de Cæsaribus.*

Imperij adeo cupidi mortales sunt, vt id vel vltima senectus auidè petat. *idem. ibid.*

Potestates fato dantur, frustraque tentatur facinus potiundi spe, vel amittendi metu. *idem. ibid.*

Iusti finis Imperij est obedientium commodum, & salus. *Amm. Marcell. lib. 25.*

Nihil aliud est Imperium, vt sapientes definiunt, nisi cura salutis alienæ. *lib. 29.*

Finis iusti Imperij vtilitas obedientium æstimatur, & salus. *lib. 3.*

Spretum Imperium deficiente quotidie robore continuo fluit, atque deficit. *Procop. de bello Pers. lib. 1.*

Nullo modo fieri potest, quin homo, & is longo tempore rerum potitus, fastidio sit ijs, qui parent, & capitalia eorum odia suscipiat. Nihil enim Deus in vita immutabile, & stabile fecit. Vnde fit, vt omnia terrena mutationibus gaudere, ac delectari videamus. Si quis verò fortunam in sua vota cogere, & certa quadam ratione vitæ vti voluerit, is eo rem deducere conatur, quo natura non finit. Quicquid autem cum natura pugnat, & iustos limites excedit, nihil hilaritatis, & voluptatis habet. Eodem pertinent sapientes veterum sententiæ, præcipientes: Ne quid nimis: & Modum esse pulcherrimam virtutum pronunciantes. *Niceph. Gregor. Hist. lib. 9.*

Apophthegmata.

Pericles. Quotiescumque belli dux creatus esset, chlamydem induens apud se dicere consueuit: Attende, Pericles, quod gestaturus es Imperium in liberos, in Græcos, & in Athenienses. His dictis se vir cordatissimus hortabatur, vt moderatè gereret principatum. Magni ingenij est, imperare liberis: at Græci plus quam liberi tum erant: postremò inter Græcos liberrimi Athenienses. *Plutarc. in apoph.*

Plato Remp. saluam esse putabat, in qua aut Philosophi imperarent, aut principes sapientiæ studio incumberent. *lib. de Repub.*

Timotheus, quærenti, quid inter imperatoriam artem, & oratoriam discriminis esset? Idem respondit, quod inter bellum, & pacem. *Stob. serm. 52.*

Plistarchus Leonidæ filius cuidam roganti, quam ob causam reges Lacedæmoniorum non à priscis regibus cognomen sortirentur? Quoniam, inquit, illi ducere quam regnare maluerunt. Posteriores illi nequaquam. Primus omnium regum Lacedæmoniorum Agis dictus est, & hoc nomen in aliquot posteriores demanauit. Agidis autem nomen dictum est à ducendo, quoniam clementer imperabat: & regum est persuadere potius, quam imperare. Plistarchus autem sonat, plurimis imperantem. *Plutarch.*

Apollonius rogatus à Babyloniæ rege, quomodo tuto regnare posset? Si multos, inquit, honoraueris, paucis verò credideris. *Brus. lib. 3.*

Alcamenes Telecri filius, cuidam percontanti, quo pacto quis optimè regnum seruare posset? Si lucrum, inquit, non magnifecerit. Longè lateque dissentiens a vulgo principum, qui non alia magis ratione principatum constabilire student, quam attenuandis ciuiū suisq. augendis opibus: quum iustitia, & æquitas maximè reddāt diuturnum imperium. *Plut. in Lacon.*

Agis à quodam interrogatus, quod disciplinæ genus potissimum exercitaretur apud Spartanos? Scire, inquit, imperare, & ferre imperium. *ibidem.*

Idem. Apud Mantinæam quibusdam dissuadentibus, ne cum aduersarijs, quod numero plures essent, confligeret Agis senior: Cum multis, inquit, pugnet oportet, qui multis vult imperare. *ibidem.*

Agesilaus interrogatus, quas res Imperatorem habere oporteat? dixit: Aduersus hostes audaciam, erga subditos beneuolentiam, in opportunitate verò rationem, & consilium. *Stobæus sermone 52.*

Cyrus dicebat, neminem debere suscipere principatum, nisi esset melior his in quos susciperet imperium: Sensit vir prudentissimus, hoc esse principis munus, vt alijs prospiciat, & publicis cōmodis consulat. Id autem fieri nequaquam potest, nisi ab eo qui sapientia, vigilantia, animiq. integritate cæteris antecellit. *Plutarch. in apoph.*

Idem dicere solebat, principem non debere inferiorem esse intelligendo, quæ opus sunt cæteris. *Xenophon in lib. 7. Pædia Cyri.*

Cato, quum Eumenes Rex Romam venisset, & à senatu honorificè exceptus, clarissimorum ciuium frequentia stiparetur: Cato non dissimulabat, tantum Romanorum erga illum studium sibi suspectum esse, ipse vitans regis consuetudinem. Hoc quibusdam admirantibus, ac dicentibus, Eumenem esse virum probum, ac amico in populum Romanum animo: Sint ista vera, inquit: attamen illa belua natura sera canis est. *P. M. l. 5. apoph.*

Antiochus, quum a L. Scipione vltra Taurum montem, submotis Imperij finibus, Asiam prouinciam, vicinasque ei gentes amisisset, gratias egit populo Romano, quod magna parte curarum per eos liberatus esset. Intellexit vir prudens, vnius hominis animum, quamuis vigilantem, non posse tot negocijs parem esse. *P. M. l. 5. apoph.*

Antigonus videns filium suum violentius, & immodestius se gerere erga subditos: An non, inquit, nouisti fili, nostrum regnum esse nobilem seruitutem? Atque hæc Antigoni verba, quibus filium alloquutus est, maximam mansuetudinem, & humanitatem præ se ferunt: qui id non approbat, is verè mihi videtur, neque regē, neque ciuem nosse, sed tyrannicam vitam potius agere. *Ælian. l. 1. de var. hist. ex Plutarch.*

Scipio Africanus, quibusdam calumniantibus, quod parum strenuus bellator esset: Imperatorem, inquit, me mater, non bellatorem genuit. Significans in Imperatore plus habere momenti solertiam, ac prudentiam in consilijs, quam vires in prælijs. *Plut.*

M. Cato Seniorem Imperatorem laude dignum, & ab omnibus extollendum putauit, qui sibi ipsi imperare posset. *Plut. in apoph.*

Cicero, in summo Imperatore belliq. duce quatuor res debere inesse dicebat: Scientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem, & felicitatem. *Cic. in orat. pro Pompeio.*

Alexander Seuerus. Ouinius Camillus, antiquæ familiæ senator, homo delicatissimus, rebellionem moliebatur, tyrannidem affectans. Id quum Alexandro renunciatum esset, statimque probatum, ad palatium vocato gratias egit, quod Reipublicæ curam, quæ bonis viris recusantibus imponi solet, sponte reciperet. Mox ad senatum processit, ac tanti sceleris conscientia trepidum, consortem Imperij appellauit, in palatium recepit, ornamentis imperialibus, & melioribus, quam vtebatur ipse, decorauit, profectionis comitem adhibuit. Cumque Imperator ipse pedibus iter faceret, inuitauit, & Ouinium delicijs assuetum ad laborem, quem post quinque millia passuum cunctantem equo sedere iussit. Quumque post duas mansiones equo etiam fatigatus esset, carpento imposuit. Hoc quoque respuentem, ac Imperium tædio laborum recusantem, denique & mori paratum dimisit, ac militibus à quibus Cæsar præcipuè diligebatur, commendatum, ad villas suas tuto abire iussit. Sic illi commonstrauit quid esset gerere Imperium. *Lampridius.*

Saturninus. hortantibus militibus, vt Imperium susciperet, ait: Nescitis, ò milites, quantum mali sit imperare: gladij vi ceruicibus immineant, hastæ vndique, spicula, ipsi custodes timentur, ipsi comites formidantur: non ciues pro voluntate, non iter pro auctoritate, non bella pro iudicio, non arma pro studio. *Bruson. lib. 3. c. 13.*

Augustus Cæsar, postquam Iulio auunculo crudeliter in senatu interfecto successisset in administratione Imperij, ac nequaquam placeret Acciæ matri Philippoque vitrico, adire nomen inuidiosæ fortunæ Cæsaris, respondit: Nefas esse, quo nomine Cæsari dignus esset visus, semetipsum videri indignum. Contemnens humana consilia, & cum periculo potius summa, quam tuto humilia sequi proposuit. *Velleius Paterculus, & Cuspin. in Consulibus.*

Mecænas. Augusti temporibus, quum esset consultatio de Imperio iterum abrogando, in ea deliberatione interrogatus Mecœnas; quid sibi videretur? respondebat: Regnum iustum, & legitimè recuperatum in primis conducere rerum magnitudini. Quo dicto consulebat, iustius esse vt Imperium deponeret Augustus, ac Rempublicam restitueret in statum pristinum. *Dion Nicæus in Augusto.*

Augustus Cæs. admonebat Romanos, vt Rempubl. committerent ijs, qui vsu, & experientia rerum plurimum possent: nec eam finerent vllo tempore pendere ex cuiusquam voluntate: ne forte is in regni cupiditatem veniret, aut mortuo eo Respubl. periclitaretur. *idem.*

Idem consulebat præterea, vt contenti rebus præsentibus, augere, & dilatare Imperium nollent: quod futurum esset, vt id tuerentur difficilius, immineretq; periculum, ne ea, quæ iam parta essent, amitterentur. *idem.*

Fronto. Cum sub Nerua Cocceio, Romæ impromiscuè omnes ab omnibus leuissimas ob causas accusarentur, atque inde magnus tumultus ea ortus esset, Frontonem consulem dixisse ferunt, malum quidem esse Imperatorem habere, sub quo nemini liceat quicquam facere: sed multo peius esse, cum omnia liceant omnibus. *Xiphilinus in vita Neruæ, & Fulgos. lib. 2. c. 2.*

Domitianus, paucis notum esse dicere solebat, quam misera, & ærumnosa sit imperantium conditio, qui a tyrannidis falsa suspicione

tione tum demum liberantur, eum diem iam extremū claudunt. *Suet. in Domitiano.*

Diocletianus adhuc priuatus dicere solebat, nihil esse difficilius quā bene imperare: Id Flauius Vopiscus in Aureliano tradit se audiuisse à patre suo, & dedit caussam: Colligunt, inquit, se quatuor, aut quinque, simul consilium ad decipiendum Imperatorem capiunt: dicunt, quid probandum sit. Imperator qui domi clausus est, vera non nouit: cogitur hoc tantum scire, quod illi loquuntur: facit iudices, quos fieri non oportet: amouet à Republica, quos debebat retinere. Ita bonus, cautus, optimus venditur Imperator. At vulgus ad Imperatoris titulum satis esse putat nasci, aut eligi: nasci vtcumque, eligi emptis suffragijs, ac solemnibus cæremonijs confirmari. *Vopiscus.*

Pertinax, cum possessionibus Imperatorijs nomen suum inscribi prohibuisset, dicere solebat, illas nequaquam imperantium proprias, sed communes Romanorum, & publicas esse. *Herodianus.*

Traianus iustitiæ, & æquitatis amantissimus, talem Imperatorem priuatis, & ciuibus se esse dicebat, qualem sibi ipse Imperatorem priuatus optasset. *Ioan. Langius in Nicephori annotationib.*

Idem aliquando in conuiuio proposuit amicis, vt decem nominarent, quibus crederent rerum summam rectè delegari posse. Cum illi silerent: Decem, inquit, à vobis posco, ego vnicum habeo Seruianum. Solum illum Imperio dignum iudicans. *Dion. Cassius.*

Idem. Licinio Suræ (quem quidam, vt Cæsaris insidiatorem indicauerant) gladium nudum porrexit, atque, Accipe, dixit, gladium, quem pro me, si bene, atque cū ratione imperauero, distringes: sin minus, eo ad interitum vtere. *Dion. Nicæus, atque Xiphilinus in Traia. & vita Plin. in Paneg. & Nicephor. lib. 3. c. 23.*

Valentinianus solicitatus à militibus, vt sibi Imperij socium deligeret: Vestrum quidem (inquit) fuit, vt priuatum me ad Imperialē extolleretis dignitatem: res autem administrare, non iam vestri, sed principis ipsius arbitrij esse, vos ipsi quoque dixeritis. Itaque vos deinceps imperata facere, & quietos esse: me autem, quid facto opus sit, curare decet. *Niceph. Calist. 11. c. 1. Eccles. hist.*

Antoninus Pius reprehensus, quod nonnullos accusatos absolueret, respondit: Principatum non à pœnis, aut supplicijs, sed à mansuetudine potius auspicandum esse. *Dion. Nicæus, & Xiphilinus in Antonini vita.*

M. Antoninus Verus dicere solitus erat: Neque pecuniæ vim tyrannidis luxuriam explere posse: aut stipantia satellitum agmina tueri principem, nisi ipsi quos regit, animum imperanti beneuolentiāque accommodent. Quippe ij demum diu tutoque imperant, qui non metum ex crudelitate, sed amorem ex bonitate ciuium suorum animis instillant. Neque enim quos sæuire necessitas coegit, sed quos obtemperare sua quæque voluntas adegit, ij sunt in agēdo, patiendoque à suspicione omni assentationeque vacui: numquamque imperia detrectant, nisi violenter contumeliosèq; sint habiti. *Herod. lib. 1.*

Faustus Quintillus. Iulianus cum senatum Romanorum rogaret, vt virgines Vestales, & cæteri sacerdotes cum senatu obuiam exercitui Seueri prodirent, prætentis infulis Faustus Quintillus consularis augur contradixit asserens, non debere imperare eū, qui armis aduersario non posset resistere. *Spartianus in Iuliano, & Cuspinianus in Consulibus.*

Iouianus, cum post Iulianum apostatam, qui aliquot Christianorum millia interfecerat, ad Imperium raperetur, clamabat: Nolle se infidelibus imperare, cum ipse esset Christianus. Cui responsum est à militibus omnibus, sese quoque Christi fidei esse obnoxios. *Cuspin. in Coss.*

Pescennius Niger, rogatus, quid sentiret de Scipionibus? Respondit: Illos sibi videri felices magis quam fortes: quod vterque domi Iuuentutem parum sanctè transegerat. Sentiens, Imperatorem per omnem vitam in Reipublicæ negocijs versari debere, nec à domesticis ad Imperium accersiri. *Spartianus.*

Otho sæpenumero dicere solebat ad suos: Nescitis amici, quid sit, Romanorum gubernare Imperium: mihi credite iam experto, qui iam mori malo, quam imperare. *Suet.*

Sigismundus rogatus, quem virum regno dignum aptumque existimaret? Eum, inquit, quem neque secundæ res extollerent, neque aduersæ deprimerent. *Æneas Silu. lib. 4. commens. de reb. gest. Alphonsi Regis.*

Idem. Regnandi artis Imperium esse dicebat, qui simulare nesciret: Innuit autem multa regibus simulanda, multa dissimulanda esse, quo suos in debito officio retineant, extra omne vitæ periculum. *Æneas Silu. lib. 1. comment. de reb. gest. Alphonsi.*

Æneas Siluius Principes priuatis hominibus multo meliores fore dicere solebat, si reges electione, & non successione fierent. Improbauit vir clarissimus successionem regum, quam vsus, haud vbique meliora secutus, recepit. Regem enim nasci nihil magni est. At regno dignum se præstitisse, maximum est. *Æneas Silu. lib. 4. comment. in res gestas Alphonsi.*

Alphonsus sæpenumero probare solebat, vt popularium suorum vnusquisque rex extitisset, quo demum illi, vtpote experti, cognoscerent principum occupationes, & curas. Hoc vnico forsan modo fieri posse, vt desinerent molesti, & importuni esse. Notabat autem, quam difficile esset imperare, cum tam diuersa sint hominum ingenia, diuersi mores, quibus principes se accommodare necesse habent. *Pan. lib. 3. de reb. gest. Alphons.*

Polyanthea Noviss.

Idem. Magnum quidem esse dicebat, aduersus hostem ducem esse: sed illud maximum, ad omnem virtutem ciuibus ducem esse. *Panor. lib. 4. de reb. gest. Alphons.*

Eumdem affirmare solitum accepimus, si nullum omnino aliud regnum, nullam prouinciam præter Calabriam, aut haberet, aut habiturus esset, illam protinus se relicturum priuatumque, & ciuem viuere potius velle quam illorum, qui nihil hominis habent præter figuram, ineptias tolerare, quamuis dominum, aut regem. Hoc autem dicto ostendere voluit, quam graue sit imperare ijs, qui omni humano ingenio exuti, nil norunt aliud, quam luxuriātes ferarum more, in omni vitiorum sorde se inuoluere. *Panor. lib. 1. de reb. gest. Alphons.*

Similitudines.

Philonis Iudæi. Quemadmodū capris, bubus, ouibus, præesse possunt caprarij, bubulci, pastoresq;, greges autem non possunt præesse opilionibus: Sic & vulgus pecori haud absimile, optima habet curatore principe, qui ordo est bonorum virorum, præfectorum suis gregibus. *lib. quod omnis probus sit liber.*

Plutarchi. Vt ex igne, & terra veluti necessarijs, compositus est mundus, iuxta Platonem, terra soliditatem conferente, igne calorem, ac formam: Ita magna imperia non parantur, nisi misceatur cum fortuna virtus, & altera alteri sit auxilio. *In Moral.*

Vt non queas cognoscere, vas integrum sit, necne, nisi liquorem infuderis: Sic nec hominem, nisi Imperium commiseris. *In Moralibus.*

Qui venantur bestias, induunt exuuium cerui: qui aucupantur aues, plumatis vtuntur tunicis: cauentque ne tauris appareant in veste purpurea, rubra: aut alba elephantis, quod hoc colore irritentur: Sic qui velit feram nationem ricurare, domareque, moribus, ac vestitu semet illi ad tempus accommodet, necessum est. *In Moral.*

Vt mundus non erat mundus, minutioribus corporibus adhuc sparsim volantibus, & elabentibus: solidioribus vero inter se depugnantibus: sed tempestatis, et ruis, tumultus plena erant omnia: donec terra ex his accepta magnitudine, seipsam figeret, alijsque stabilem præberet sedem: Sic magna imperia, plena tumultu, donec, aucta potentia, etiam finitimis regibus stabilitatem præstat, vt terra cæteris elementis circumferentibus sese. *In Moralibus.*

Ciceronis. Non quemadmodum in palæstra, qui tædas ardentes accipit, celerior est in cursu continuo, quam ille qui tradit: Ita melior Imperator nouus qui accipit exercitum, quam ille qui decedit: propterea quod defatigatus cursor integro facem, hic Imperator imperite exercitum tradit. *lib. 4. ad Heren.*

Lactantij. Si sunt multi dum habent singuli potestatis aliquid, ac numinis, summa ipsa decrescit: nec poterunt singuli habere totum, quod est commune cum pluribus: vnicuique tantum deerit, quantum cæteri possidebunt. Non possunt igitur in hoc mundo multi esse rectores: nec in vna domo multi domini: nec in vna naui multi gubernatores: nec in armento, aut grege duces multi: nec in vno regimine multi reges. Sed nec in cœlo quidem multi soles esse poterunt: sicut nec animæ plures in vno corpore: adeo in vnitate natura vniuersa consentit. *De ira Dei. c. 11.*

P. M. Agrippæ qui vocantur, quoniam præpostere nascuntur, hoc est, pedibus primum emergentibus, malis auspicijs in vitam ingredi creduntur, magnoque humani generis malo: vt Marcus Agrippa, & Nero: Ita qui per nefas, ac simoniam irrumpunt in Imperium, aut Episcopatum (vt vocant) magnam pestem adducunt sibi suisque. *In Simil.*

Vt non debet sumere cytharam, qui canendi sit imperitus: Ita non debet Imperium sumere, qui non sit prudentia præditus. *Ibid.*

Vt magnes ad se trahit omne ferrum, sed Aethyopicus magnetē quoque alium ad se rapit. Ita rex populum quo lubet, cogit: At ingēs aliquis rex etiam regibus cæteris vim facit. *In simil.*

Hieroglyphica.

Aegyptij sacerdotes, si vellent Imperatorem, aut potentissimum quempiā Regem per insitutas ab eis imagine innuere; *Anguem in spiram collectum* faciebant, palatij cuiuslibet specie in voluminum medio statuta. Siquidem domus regia in Imperij totius centro sita esse debet: vt omnium æquè commodis consulatur.

Quidam hominem regni potitum hieroglyphicè ita describunt, vt eum *manu serpentem comprimere indicent*, cuiusmodi simulachrum est in nummo Aurelij Cæs. Aug. Pij filij *Pier. Valer. libro 15.*

Nquam Imperatoriæ quoque maiestatis hieroglyphicum esse, pluribus ostendit. *idem lib 19.*

Vide Princeps, Rex, Regnum.

IMPERITIA.

SENTENTIAE POETICAE.

Terent. in Adel.

Homine imperito numquam quicquam iniustius,
Qui nisi quod ipse facit, nihil rectum putat.

Heraclitus.

Imperitiam celare melius est, quam in medium proferre.

Faustus.

Iðurus nullum ceterno verbere legem
Non legum est Doctor, vane, quid urget dolor.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Imperitia ignorantia est, quæ nescit id, quod scire putat. *Plut. in sophista.* Imperitia est falli rebus. *in Euthydem.* Imperitiæ signum maius est dissentire à sapientibus. *De mendacio.*

Imperitia est habere falsam opinionem, & de rebus quantiuis precij falsum esse. *In Protag.*

Imperitia nil aliud est, quam cum homo sciat iucundum bonum esse, & sciens alia meliora non esse, illa facit, cum meliora facere possit, neque inferiorem seipso esse, & si superiorem seipso nil aliud quam sapientia. *ibid.*

Imperitiam suam vnusquisque sapientiam putat: unde cum nihil, vt ita dicam, sciamus, omnia nos scire putamus: quum autem alijs facere non permittamus, quæ ipsi nescimus, ipsi facientes peccare cogimur: quapropter nimium sui amorem quemuis hominem fugere oporret. *idem.*

Solent homines imperiti erga hos quorum opera indigent mansuetudine vti, vel si longo sint interuallo inferiores: alijs verò aditu se difficiles præbere, quorum ministerio non opus habent. *Procop. de bello Goth. lib. 1.*

APOPHTHEGMATA.

Socrates, intuitus adolescentulum diuitem, ac imperitum: Eo, inquit, aureum mancipium. *Stob. serm 4.*

Idem. Vt Proteus formam, ita imperitus (inquit) animum vbique mutat & variat. *Eod. serm.*

Idem dicebat imperitos in rebus errare, quemadmodum peregrini in vijs. *Eod. serm.*

ADAGIA.

Dulce bellum inexpertis. γλυκὺς ἀπείρῳ πόλεμος.

Vegetius de re militari lib. 3. c. 12. Nec confidas, inquit, satis si tyro prælium concupiscat: inexperto enim dulcis est pugna. Docet adagium, multa esse, quæ quantum discriminis, ac malorum habeant, non intelligas, nisi facto periculo.

Peditum visa est via. τῶν ποδῶν ἰδόντες ὁδόν.

De negotio, cuius aliquando periculum feceris.

Operarij

M. Tullius lib. 2. de Oratore s. non absque prouerbij specie operarios appellat, qui extra Philosophiæ cognitionem causas agunt. Transferri poterit ad concionatores qui quod parum exercitati sunt in sacris literis, collatione di cant quod apud populum multo clamore, multaq; corporis iactatione decorent. Aut qui in templis ingratis barum canunt non intellecta. non concionatores, sed operarij, non cantores sed operarij.

FABULA.

Mus.

Mus natus, & educatus intra cistam refertam nucibus, forte delatus in pauimentum, dum in suam domunculam redire properat, & circum illam assultat, attingit hunc odor suauissimus ciborū, qui essent in propinquo de reliquijs agitati conuiuij repositi, quibus gustatis: Hæc, inquit, vt video, iucundior vita futura est illa, quam intra cistam vixi.

Fabula imperitos notat, qui numquam suum oppidulum egressi, illius vitam, & mores optimos, & laudatissimos esse statuunt.

Vide Ars, Scientia.

IMPETVS.

SENTENT. PHILOSOPH.

IMpetus alius in corpus fit, eorum qui præsunt: alius in Imperiū. *lib. 5. de Repub. c. 16.*

Alij impetus cum contemptione fiunt, quemadmodum fecit in Sardanapalum quidam, cum eum inter mulieres nentem animaduertisset, si modo fabulis credendum est. *ibid.*

Contemptio eos potissimum ad impetus faciendos impellit, qui natura audaces, & aude, & gloria rerum bellicarum valent apud eos, qui soli imperant. Fortitudo enim vi freta, audacia est: quarum vtraque sperantes se facilè superiores fore, impetum faciunt. *l. 5. de Repub. c. 10.*

Cum caussæ duæ sint, quæ homines ad impetus faciendos in tyrannos impellant, odium, & contemptio: alterum quidem in tyrannis inesse debet, odium: ex contemptu autem multæ eueniunt euersiones. *ibid.*

Acres impetus cunctatione languescunt, aut in perfidiam mutantur. *Tacit. Annal. l. 12.*

Grauissima bella, quæ initio vehementes repentinosq; impetus habent, prudenti aduersariorum cunctatione interposito moræ spacio elanguescunt. *P. Iouius hist. l. 17.*

EXEMPLA BIBLICA.

Impetus Heroici *exempla*: In Samsone, *Iudic.* 15. 15. 16. Saule, 1. *Sam.* 11. v. 6. 7 *&c.* Ionatha, & armigero eius, 15 *ver.* 13. 14. 15. Dauide, 17. 50. Amasia, 2. *Paral.* 12. 18. Zacharia, 2. *Paral.* 24. 20.

EMBLEMA.

Inanis impetus.

Emblema CLXXV. Andr. Alciati.

Lunarem noctu, vt speculum, canis inspicit orbem:
Seq; videns alium credit inesse canem,
Et latrat: sed frustra agitur vox irrita ventis,
Et peragit cursus surda Diana suos.

IMPIETAS, IMPII.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

IMpietas, scelus, iniustitia aduersus Deum, parentes, patriam, & amicos. Græcè ἀσέβεια, ἀσέβημα, δυσσέβεια, Hebr. *Rescahab*, impietas, improbitas, *Psalm.* 48. 20. *Sam.* 24. 14. *Ezech.* 3. 19. & *Risehah*, *Prou.* 11. 5. & 13. 6. & *Reschabbath*, 2. *Chron.* 24. 7. a verbo *Raschahh*, Impius fuit, improbus fuit. Cognatiunem habet eum *Rabbasch*, commotus est. Nam impij subito commouentur, & sunt inconstantes, atque illorum animi semper trepidât, iuxta illud *Esa.* 48. Non est pax impijs. Et cum *Haschar*, diues fuit. Impij enim comparant sibi opes, quibus confidunt.

Impietas verò alia est in Deum, nempe Atheismus, profanitas, impuritas: Alia in patriam, & parentes, quæ ingratitudo, proditio, desertio, irreuerentia dicitur: alia in amicos, cuius etiam alia nomina varia sunt, ad ingratitudinem, & iniustitiam in genere, ad ea in specie vitia, quæ sanctiones posterioris tabulæ Decalogi respiciunt, referenda.

LOCI BIBLICI.

Impietas ableganda est, *Tit.* 2. 12. omnes homines in se, & sua natura sunt impij, & filij iræ, *Ephes.* 2. 3. 13. tunc impium iustificare dicitur Deus, cum homines Christi sui cognitione regenerat, *Rom.* 4. 5. & Christus pro impijs mortuus, 5. 6.

Impij in manu Dei sunt, 2. *Reg.* 19. v. 28. Impij malorum caussa, *Prou.* 29. v. 8. Impij Satanæ instrumenta, 2. *Cor.* 1. 15. *Ephes.* 2. 2. 2. *Thes.* 2. 18. quo pane vescantur, *Prou.* 4. v. 17. scandala dicuntur, *Matth.* 23. *vers.* 41.

Impij conferuntur adulterino argento, *Ierem.* 6. v. 30. Canibus, *Ps.* 22. v. 13. 17. *Esa* 56. v 10. *Matth.* 7. v 6. Ceræ fluenti, *Psal.* 68. v. 3. Flammæ montes comburenti, *Psal.* 83. v. 15. freno, 32. v. 9. fumo, 37. v. 20 & 68. 2. *Esa.* 14 *vers.* 31. & 65. 5. fœno, 2. *Reg.* 19. 26. *Psalm.* 37. 2. & 92. 8. *Esa.* 37. 27. Leonibus & leænis, *Iob* 4. v. 10. 11. *Psalm.* 10. v. 8 9. & 17. 12. & 58. 7. 2. *Timot.* 4. 17. Lupis, 4. *Esdr.* 5. 18. *Ier.* 5. 6. *Ezech.* 22. 27. *Matth.* 7. 15. & 10. 19. Mari feruenti, *Esa* 57. *vers.* 20. myricæ sterili, *Ier.* 17. v. 6. Paleis, *Matth.* 3. 12. *Luc.* 3. 17. *Psalm* 1. 4. Porcis, *Matth.* 7. 6. pulueri, & luto, *Psalm.* 1. v. 4. & 18. v. 43. & 35. v. 5. *Esa.* 47. v. 14. *Ierem.* 13. 24. *Abd.* v. 18. *Nah* 1. v. 10. Rotæ, *Psalm.* 83. v. 14. Spinis, 2 *Sam* 23. 6. Stipulæ, *ibidem.* Terræ malæ, *Hebr.* 6. v. 8. Tauris, *Psalm.* 22. v. 13. *Esa.* 34. 7. *Ier.* 50. v. 11. Zizanijs, *Matt.* 13. *versic.* 38.

Impij Deo abominabiles, *Exod.* 23. v. 7. *Psal.* 1. v. 6 & 5. v. 5. 6. & 35. 7 & 34. 17. & 94. 20. & 119. 118. *Prouer.* 17. 15. à salute alieni, *Iob* 8. 20. *Psal.* 119. 155. *Esa.* 3. 10. admonendi, & serio arguendi, *Prou.* 24. 25. & 28. v 4. *Ier.* 20. v. 4. *Ezech.* 3. 17. & 33. v. 9. &c. *Osea* 8. v. 1. *Tit.* 1. 10. Exitio destinati, *Iob* 21. v. 30. 2. *Sam.* 23. 6. *Prou.* 16. v. 4. & 24. v. 20. *Zach.* 11. 6 *Roman.* 9. v. 22. a Satana excæcati, 2. *Cor.* 4. 4. pijs exosi, *Psal.* 101. 3. & 139. v. 21. 22. *Prouerb.* 29. 27. appellantur filij Diaboli, *Ioan.* 8. 44. 1. *Ioan.* 3. 8. filij diffidentiæ, & contumaces, *Ephes.* 2. 2. & 5. 6. *Col.* 3. 6. in speciem felices, & beati, *Psalm.* 73. 3. Hostes Dei, *Iob* 15. 25. *Ps.* 47. 10. & 83. & 89. 52. Christo ignoti, *Matth.* 7. 23. & 25. 12.

Impij illaqueati à Satana, 2.Tim.2.26. non imitandi, Prouer.23.17.&c 24.1. Es.8.11. Immisericordes, Prou.21.10. Rom.1.31. Inexcusabiles, 2.Chr.24.19.&c 36.15.16. Ps.36.4.&c 78.14.&c 78.17. Exec.2.5. Osea 8.4. Matth.10.18.&c 21.39.&c 24.14.&c 25.45.&c 27.25. Luc.9.5.&c 10.v.6.11. Ioan.9.41.&c 15.21.24. Act 4.14.16. Rom.1.20.&c 10.18.1. Thess.2.10.2. Tim.2.25. Heb.11.7.1. Petr.2.8.&c 2. Pet.3.5. Insatiabiles, Prou.13.v.25. infructuosi, & inutiles, Esa.49.5. Ioan.15.4. Heb. 6.8. Iustificandi minimè, Prou.17.15.&c 24.24.&c 28.4. Esa.5 23.

Impij metuendi non sunt, Exec.2.6.&c 3.8.9.1. Pet.3.14. Miseri, Prou. 3.33.&c 12.21. Eccl.8.13.1. Ioan.4.8. mortui, Col.2.13. Nescij rerum diuinarum, Psal.92.7. Ioan.15.21.&c 18.25.1. Ioan.4.8. Ridendi merito, Psal.52.7.8. Prou.1.26. Rixosi semper, Prouer.16.28.&c 17.11. Securi numquam, Iob 15.20.21.&c 17.11. Psal.6.11.&c 14.5.&c 140. 4. Prou.28.3. Matth.2.3. Securitate torpent, Prou.21.29. Stulti, Prou. 23.8.9.

Impij, & peccatores quomodo tractati Exempla: Adam, & Eua, Gen. 3.11.&c. Cain, Gen 4.6. Sodomæi, Gen.19.11.24. Israelitæ, Exo.32. 20.28. Num.14.45. & 32.13. Heli, 1.Sam.2.27.&c. Israelitç, 1.Sam. 12.12. Dauid, 2.Sam.12.9.&c 24.12.13 &c. Salomon, 1.Reg.11.9 11. Ieroboam, 1 Reg.14.10. Baasa, 1 Reg.16.2.3. Israelitæ, 1.Reg.18.21. Achab, 1.Reg.21.19. Ochozias, 2.Reg.1.16. Ioram, 2.Reg.3.13. Manasse, 2.Reg.21.11. Asa, 2.Chro.16.7.8. Iosaphat, 2.Chro.19.2.&c 10. 37. Iudæi, 2.Chron 24.30. Ozias, 2.Chron 26.18. Impij variæ conditionis, Psal 75.5. Esa.1.4.&c. Ier.1.2.4.7. &c seq. capitib. Ose.1.2.4. &c. Iudæi frequenter apud Euangelistas, & in historia sacra Act. Apostol.

Impij traditi in reprobum sensum, Rom.1.24 28. vacant peccatis indesinenter, Prouer.4.16. Esa.29.10.&c 30.1.&c 57.20. Matth.23 32. Rom.2.5. Ephes 4.19.1. Thess.2.16.2. Tim.3.13 2. Petr.2 14. Vacui sunt timore Dei, Psal.10.4.&c 36.2.3.&c 45.20.&c 74.23.&c 86.14. Rom. 3.18.

Impij verbum Dei ferre non possunt Exempla, Achab, 1.Reg.22.26. 27. Principes Iuda, 2.Chro.24.20.21. Phassur, Ier.38.4. Amasias Sacerdos, Amos 7.10. Iudæi variorum ordinum, 2.Chron 36.15. Ioan. 8.43. Act.4.2.17.18.&c 5.17.33.&c 7.54.&c 13.45.50.&c 17.13. Elymas, Act.13.8. Felix, Act.24.26. Pseudoprophetæ, 2 Tim.4.3. Verbo potentissimo Dei veri indurantur impij, teste Pharaone, Exo. 8 vers.15.19.32. Saule, 1.Sam.19.11. Populo Iudaico, Esa.6.9.10. Ioan.8.48.52.

Impij pro virili, non pro libidine nocent, Gen.27.41.&c 31.27.29.&c 35.5.&c 37.22.1. Sam.19.10.1. Reg.19.2. Neh.6.16. Ps.35.15.&c 124. 1.2.&c 129.2. Esa.37.7.29.&c 54.16.17. Dan.8.13. Mat.26.53. Marc. 6.19.20.&c 14.49. Luc.13.32.&c 19.48.&c 20.19.&c 22.53. Ioan.7.30. &c 8.20.&c 10.39. Act.4.5.9.12.14.17.18.19.20.21.23.24.&c 27. capitib. 2.Cor.11.13. Vitijs proprijs, & sceleribus irretiti pereunt, Iob 12.17. Psal.7.16.&c 9.16.17.&c 57.7. Prouer.5.22.&c 11.5.27.&c 12.16.&c 22.8.&c 26.27.&c 29.6. Eccles.10.8. Esa.33.11.

Impij vitia, & scelera vitijs, & peccata nouis tegere student Exempla, fratres Ioseph, Gen.37.32. Herodes, Act.12.3. Felix, Act.24.28. Impij vltorem Deum sentient, Ier.12.3.&c 48.44. Ezech.6.12.&c 7. 15. Amos 5.19.&c 9.1.2. Mich.6.14.15. Voluntatem Dei nescij implent, Act 4.28.&c 13.27.26.

Impiorum cæcitas, Esa 5.26. calamitates variæ, Ier.19.3. certamen cum Christo, Apoc.17.14. conatus irriti, & inanes, Esa.8.10.&c 14. 27. Impiorum in perpetrando scelere concordiæ Exempla: Filij Noe, Gen 11.2. Sedechias, & Pseudoprophetæ Achab, 1.Reg.22. v.11.12.13. Iudæi, Mat.27.v.21.22. Ioan.8.59. Actor.7.57.&c 18.v. 12.13. Impiorum conditio misera, Iob 6.v.17.17.&c 8.v.11.12.&c 11.20.&c 15.v.21.21.&c 18 5. Psal.1.v.5.6.&c 23.10. Esa.65.14. Ier. 22.30. Osea 10.8. Amos 5.9. Mich.6.14. Soph.1 13. Agg 1.6. Malach.1. 4. Eph 2.v.2.3.2. Tim.2.25.1. Pet.3.12. Apoc 9.v.6.

Impiorum consilia, Prou.12.1. euertuntur, Iob 5.12.&c 18.7. Ps 2.1.4. &c 21.12.13. Esa.8.10.&c 19.7.&c 33.11. Ier.19.7.2. Cor.10.4. Exempla: Saulis, 1.Sam.19.1.&c. Achitophelis, 2.Sam.17.14.23. Adoniæ, 1.Reg.1.49. Inimicorum populi reducis, Nehem.4.15. Amanis, Esth.5.14.&c 7.10. Iudæorum, Ier.19.7. Herodis, Mat.2.16. Iudæorum, Act.9.23.&c. Impiorum consortia fugienda, Exo.23.33. Deu. 7.2. Psal.1.1.&c 26.4.&c 26.4.&c 119.115.&c 141. Prou.1.1, ver.10.15.&c 3.31.&c 13.20.&c 16.19.&c 21.24. Ier.15.17 Act.2.40. 1. Cor.5.v.6. 9.13.2. Cor.6.v 14.17. Ephes.5.v.7.11.2. Thess.3.v.5.14. Apo.18.4.

Impiorum dolores, Ier.13.21.&c 49 24.&c 50.43. Ezech.30.16. Ose.13. 13.1. Thess.5.3. domus maledicta, Iob 8.21.&c 15.34.&c 18.15. Prou. 14.11.&c 15.25. feruor in ad malum patrandum, Exempla: Esau, Genes.27.41. Rex Aegypti, Exod.à cap.1 ad 14. Saul, 1.Sam.9.9.10.&c 20.32.33. Ioab, 1.Reg.2. Baasa, 1 Reg.15.29. Zimri, 1.Reg.16.5. Achab, 2.Reg.9.8. Samia, & alij, Esd.4.23. Principes Sacerdotum, & Scribæ, Marc.15.1. Ioan.11.47. aduersarij Pauli, Act.23.10. Impiorum fœdera fugienda, Exod.34.12 Iudic.2 2.2. Chron.16.7.&c 18.31.&c 20.37. Nehem.13.23.25.

Impiorum gaudium, Prou.2 14.&c 14.14.&c 17.5.&c 24.17. Es 16.10. &c 22.13 Ier.7.32.&c 16.9.&c 25.10 &c 26 23. Dan 5 4.&c. Osea 2. 11. Amos 6.13.&c 8,10. Luc.6.25. Gaudij impiorum, Exempla: Israelitæ, Exod.32.6. Idumæi, Psal.137.7. Ammonitæ, Ezech.25.3. Tyrij,

Ezech.26.1. Sacerdotes, & Magistratus templi, Marc.14.11. Luca 22.5. Herodes, Luc.13.8. peccatores, Iacob.4.16. Terræ incolæ, Apoc.11.10. Impiorum gloria vana, Psal.49.15. Es.19.11. Ier.50.38. Rom.1.21. Iac.4.16.

Impiorum ignominia, Ier.13.26.&c 23.40. iniquitas detegenda, & speciatim enumerata, Iob 20.27.&c 64.2.3. vsque ad 18.v.

Impiorum interitus, innumeris fere sacrorum Bibliorum locis descriptus, ex quibus aliquot sequuntur, Deuter.32.35. Iob 18.14.&c 21.30. Psal.1.11.21.28.34.36.37.83.91 92 94.140.141.145. Prou. 1.2.5.6.10.11.22.29. capitib. Esa.1.3.5.10.11.13.16.17.22.24.26. 27.30.34.35.41.47 50.51.63.65.&c 66 capit. Ier.5 12.17.19.24.25. 51. capitul. Ezech 22.20.&c 23 34. Ose.5.14.&c 14 8. Ioel.3.4. Amos 8. 14. Soph.1.3.18. Zachar.1.21. Matth.3.7.13.21.22.23.24. capit. Mar. 12.36. Luc.3.13.17.18 19.20.21 capit Ioan.3.18.&c 15.6. Actor.2.2. 35.&c 7.7. Rom 12.1. Cor.15.25 Philip 1.1.28.1.1. Thess.5.3.2. Thessal.1.6.8.9. Hebr 1.13.&c 10.13.27.1. Pet.3.12 &c 4.5.17.2. Pet.2.1. 3.12.17.&c 3.7. Apoc.2.11.18 20.21. cap. Impiorum interitus confertur cum ... Apoc.19.17. partui, 1. Thessal.5 3. Sacrificio, Esaia 34.6. Ier.12.3 &c 51.40 Spinarum ... 2. Sam 43.6.7 Vbertim e messi, Apocalip.14.16 Vide circa finem huius tituli Impiorum interitus, & primo Exempla. Impiorum de Deo iudicium, Psalm. 50 21. iudicium nihil æstimandum, 1.Pet 4.4.

Impiorum laus breuis, Iob 10.5 Licentia immanis aduersus pios Exempla: Aegyptij Exod 1.13. Sedechias, 1.Reg.22.24. Achab, ibid. v.27. Ioas, 2.Chr.24.21.22. Principes, & Ieremias. Ier.14.15.&c 38. 4.3. Pontificis seruulus, Ioann.18.22. Pontifices, & Pharisæi, Actor. 5.40 Ananias, 23.2. Lingua, Psal 52 4.&c 57.5.&c 64 4.&c 120.4.&c 140.4.

Impiorum maledictiones, benedictiones. Exempla: Balac, & Balaam, Num.23.11 Ios.24 10. Dauidis hostes, Psal 109.18. Apostolorum aduersarij, Matt.5.11. Memoria abolebitur, Deuter.29 10.&c 32. 36 Iob 18.17.&c 14.20. Psal.9.6.&c 34.17 &c 109.15. Prou.10.&c 12. 7. Esa 26.14.&c 41.12. Apocal 18 21. Merces, Esa.45 24. Ose.10.13. Apoc.16.6. Mors pessima, Psal.34.12. Mos, Prou 6.12 .&c passim toto illo libro, Matt.27.23.24. Ioan.7.52. Act.21.27.34.36.&c 22.22. Multitudo, Genes 6.17.&c 18.31.&c 37.11.26. Num.13 29.31.32.&c 14. 29.30.2. Samuel.15.12.2. Regum 12 30.&c 20.10. Ierem.44.15. Mich 7.2. Matth.7.13.&c 25.41 Ioan.18.40. Actor.28 22. Philip.3.17.2. Thren.12.

Impiorum nomen execrabile, Esa.65.15. Impiorum nota, Ioann.8. 47. Opera coram Deo sunt abominabilia, Agg.2.15. corrupta, Esa.59.6. Prouerb.11.18. peccata impiorum coram Deo ascendunt, Genes 4.10.&c 6.11.&c 17.20. Ion.1.2. Preces impiorum Deo abominabiles, 1.Sam.8.18. Iob 27.9. Psal.18.42.&c 109.7. Prou.1. 28.&c 15.29.&c 28.9. Esa.1.15. Ierem.11.11. Ezechiel.8.18. Mich.3.4. Zachar.7.13. Matth.6.5.&c 23.14. Luca 18.11.14. Ioann.9.31. Iacob. 4.2 3.

Impiorum prosperitas, Iob 10.3.&c 21.7.20. Psalm.73.2.3.8.&c 92.8. Ierem.12.1. Abac.1.13. bonos rapit in admirationem, Iob 21.7.13. Psal.73.2. Eccl 7.16. Malac.3.15. fluxa est, & momentanea, 2.Sam. 30.16.17. Iob 15.17. Iob 15.27.28.&c 21.7.&c 24.25. Psalm.37.1.&c 49.7.&c 73.17 18.20. fluxæ istius prosperitatis exempla: ciues Lais, Iudic.18.7. Amalecbitæ, 1.Sam.30.16. Aman, Esth.5.11.&c 7.10. Dan.4.28. Optimates Israelis, Amos 6.1.&c. Diues epulo, Luc.16. 22. Impiorum prosperitas pios tentat, Psal 73.ver.2.3.11.12.13. huic non inuidendum, Psal.37.1. Impiorum prudentia, Luc.16.8.

Impiorum punitio, dispersio, & euersio subita, improuisa, terribilis, Genes.7.21.22.&c 11 8.&c 19.24.&c 34.25. Exod.14.24. Leuit.10. 2. Num.11.33.&c 16 31. Ios.9.10.&c 11.7. Iudic.4.20.&c 7.12.&c 8.11. &c 15.15.&c 16.18.&c 22.35.44.45 2. Samuel.30.16.2. Sam.13.28.1. Reg.16.2.3 &c 18 4 &c 20.13.19. Iob 4.5.8.16.18.20.27.36. capitib. Psal.1.5.&c 37.1.&c Prouerb.1.27.&c 6.15.&c 10 25.&c 12.7. Esa.5. 24.&c 47 9. Ierem.15 8. Daniel.5.30. Matth.24.38. Luc.12.20.46.&c 16 23 35 &c 17 27.1. Thessal.5.3 Impiorum punitio pijs est ad timorem, & cautionem, Deuteronomio 13.11.&c 17.18.&c 19.20 &c 21.21. Prouerbiorum 19 25.&c 21.11. Actorum 5.11.1. ad Timotheum 5.20.

Impiorum Sacrificia Deus respuit, & abominatur, Genes.4.5. Num. 16.15.1. Samuel.15.22 Esa.59.9. Prouerb.15.8.&c 21.28. Esa.1.11. &c 43.23.&c 61.8.&c 66.3. Ieremie 6.20.&c 7.20.&c 14.12. Ose.5.6 &c 8.13.&c 9 4. Amos 5.21.22. Mich.7. Malach.1.7.8.&c. 2.13. Matth. 5.23.&c 9.13 &c 12.7. Hebr.10.5. Securitas vana, Ier.5.12.&c 21.13. Mich.3.11. Matth.24.38.&c 18.14. Luc.12.19.&c 17.27.28. Ephes.4. 19.1. Thessal.5.3.4. Hebr.13.16.17.1 Petr.4.18. Apocal 18 7. Semen maledictum, 2.Reg.5.27. Iob 5.4 &c 18.19.&c 20.10.&c 24.14. Osea 37.28.&c 109.8.&c.

Impiorum seminis maledicti, Exempla: Ieroboam, 1.Reg.15.29. Giezi, 2 Reg.5.27. Amanis, Esth.9.7.&c Domus Achabi, 2.Chron.18. 34.1. Reg.21.22.2. Reg.10.11.17. Nebucadnezaris, Esa.14.19.20.2. Iohoiakim, Ierem.22.28. Semaiæ, Ierem.29.32. Accusatorum Danielis, Dan 6.24. Israelitarum, Ose.2 4.&c. Impiorum species variæ, Esa.66.17. Spes fallax, & vana, Iob 8.13.14.&c 11.20.&c 18.14. Psal.112.10. Prouerb.10.28. Esa.28.18.&c 30 5. Ierem.2.37.&c 7.4.8.

*Ose.*12.5. *Amos* 6.5. *Zach.*9.5. *Iac.*4.2. Impiorum superbia, *Psal.*73.6. & 74.22. & 83.18. Supplicium æternum, *Matth.*3.12. & 8.12. & 13.41. & 24.51. & 25.30.41. 2.*Th.*1.9. Iudæ, *v.*7. *Apoc.*14.10.

Impiorum thesaurus inutilis, *Prou.*10.2. *Matth.*16.26. *Luc.*9.25. *Iac.*5.3. Vanitas, *Esa.*37.27. & 50.9. Viæ fugiendæ, *Prou.*3.31. & 4.14. Tenebrosæ, *v.*19. Violentia, *Psalm.*94.5. &c. Vita breues, 15.32. *Iob.* *Psal.*55.24. & 109.8. *Eccl.*8.13.

Impiorum voces blasphemæ, *Iob* 21.14. & 22.13. *Ps.*2.12.22.42.64.73.78.79.83.94.115. *Prou.*30.20. *Esa.*5.10.14.22.28.29.30.36.37.41.47.51.56.66. *capitib. Ierem.*2.5.6.8.11.12.14.17.18.20.21.22.23.44.48.50. *capitib. Thren.*2.16. *Ezech.*8.9.11.12.18.25.28.29.35.36. *cap.* *Ose.*12.8. *Ioel.*1.2.17. *Amos* 2.12. & 4.1. & 6.13. & 7.16. & 8.14. & 9.10. *Mich.*2.11. & 4.11. & 7.10. *Soph.*1.12. & 2.15. *Malac.*2.17. & 3.14. *Matt.*3.9. & 15.5. 1.*Cor.*15.32. *Apoc.*13.17. Qui plura de impietate, & impijs cupit, magnas SS. Bibliorũ Cõcordias percurrat.

SENTENTIÆ BIBLICÆ.

Impij Deum contemnunt.

Qui dixerunt Deo, recede a nobis, scientiam viarum tuarum noluimus. Quid omnipotens, vt seruiamus ei? &, quid nobis proderit, si orauerimus illum? *Iob* 21.

In circuitu impij ambulant. *Psal.*11.

Impius facit opus instabile: seminanti autem iustitiam merces fidelis. *Prou.*11.

Abominatio est Domino via impij. 15.

Longè est Dominus ab impijs. *ibid.*

Impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit, sed sequitur eum ignominia, & opprobrium. 18.

Est & alia vanitas, quæ fit super terram: Sunt iusti, quibus mala proueniunt, quasi opera egerint impiorum: & sunt impij, qui ita securi sunt, quasi opera iustorum habeant: sed & hoc vanissimum iudico. *Eccl.*8.

Similiter autem odio sunt Deo impius, & impietas eius. *Sap.*14.

Ecce vos confiditis vobis in sermonibus mendacij, qui non proderunt vobis, furari, occidere, adulterari, iurare mendaciter, libare Baalim, ire post Deos alienos quos ignoratis. Et venistis, & stetistis coram me in domo hac, in qua inuocatum est nomen meum, & dixistis: Liberati sumus, eo quod fecerimus omnes abominationes istas. *Ier.*7.

Proximum opprimunt.

Cunctis diebus suis superbit impius, & numerus annorum incertus est tyrannidis eius. *Iob* 15.

Os impiorum operit iniquitas. *Prou.*10.

Verba impiorũ insidiantur sanguini: os iustorum liberabit eos. 12.

Anima viri impij desiderat malũ, nõ miserebitur proximo suo. 21.

Fons turbatus pede, & vena corrupta, iustus cadẽs corã impio. 25.

Cor iniqui inquirit mala: cor autem rectum inquirit scientiam. 27.

Viri mali non cogitant iudicium: qui autem inquirunt Dominum, animaduertunt omnia. 28.

In exultatione iustorum, multa gloria: regnantibus impijs ruinæ hominum. *ibid.*

Cum surrexerint impij, abscondentur homines: cum illi perierint, multiplicabuntur iusti. *ibid.*

In multiplicatione iustorum lætabitur vulgus: cum impij sumpserint principatum, gemet populus. 29.

In multiplicatione impiorum multiplicabuntur scelera, & iusti ruinas eorum videbunt. *ibid.*

Impij autem quasi mare feruens, quod quiescere non potest. *Ps.*57.

Non est pax impijs, dicit Dominus omnipotens. *ibid.*

Opera eorum inutilia, & opus iniquitatis in manibus eorum, pedes eorum ad malum currunt, & festinant, vt effundant sanguinem innocentem. 59.

Seipsos perdunt.

Et si impius fuero, væ mihi est: & si iustus, non leuabo caput, saturatus afflictione, & miseria. *Iob* 10.

Quia in diem perditionis seruatur impius, & ad diem furoris ducetur. 52.

Iniquitates suæ capient impium, & funibus peccatorum suorũ constringetur. Ipse morietur, quia non habuit disciplinam, & in multitudine stultitiæ suæ decipietur. *Prou.*5.

Anni impiorum breuiabuntur.

In impietate sua corruet impius. 11.

In malitia sua repelletur impius: sperat autẽ iustus in morte sua. 14.

Ne impiè agas multum, & noli esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo. *Eccl.*7.

Impij secundum, quæ cogitauerunt, correptionem habebunt, qui neglexerunt iustum, & à Domino recesserunt. *Sap.*3.

Talia dixerunt in inferno hi, qui peccauerunt: quoniam spes impij tamquam lanugo est, quæ à vento tollitur: & tamquam spuma gracilis, quæ à procella dispergitur: & tamquam fumus, qui à vento diffusus est: & tamquam memoria hospitis vnius diei prætereuntis. 5.

Impietas liberorum erga parentes, *ἀστοργία*, habet in historijs multa exẽpla. Cain interficit fratrem Abel, sanctũ regẽ Dauidem, domo & regno eijcit ingratus filius Absalon. Tullia coniux Tarquinij per cadauer interfecti patris carpentũ agit. Imperatores nõnulli, præsertim Romani, erga matres, fratres, vxores, liberos impij apparent. Est & irreligiosa, impiaq; obedientia, seu impietas erga Deum, de qua Christus, *Matth.*10.37. Qui amat patrem, aut matrem, filium, aut filiam plus quam me, non est me dignus.

POETICÆ SENTENTIÆ.

Antholog. Sacr. Iacob. Billij.

Quam vana sit omnis impij prosperitas.

Vidi ego, qui lætis rerum successibus vtens,
Tollebat tumidum stultus ad astra caput.
Immemor atque Dei prorsus, rebusq; secundis
Ebrius, æthereas despicit ac opes.
O lassas hominum mentes! ô pectora cæca!
Quam nihil est, magni quicquid hic orbis habet!
Vix ego transieram cum protinus ora retorquens,
Cum factis vidi hunc iam periisse suis.

Quid de ijs sentiendum sit, qui impie, ac scelerate viuunt.

In vitijs animum quisquis sine fronte volutat
Omnibus & laxum carpere gaudet iter:
Hic si iudicium extremum se credere dicat,
Credere ne fugias, verba dat ille tibi.
Quisquis enim credit, metuit. quis namq; tribunal
Iudicis ætherei cogitet absque metu?
Quod si se rursum dicat, iureq; timere,
Verba dat hic iterum: qui timet, ille cauet.

In eos qui animæ studium negligunt.

Vt sit ager melior, melior domus, optima vestis,
Vt pecus, vt melior bos sit, equusq; tibi:
Quid non artium, quid non capis ipse laboris?
Quantus in his studijs sudor ab ore fluit?
O miser, ô Phrygio dementior, atque [illegible]
Quæ tibi supplicium trux satis vlla foret?
Qui cum nil studij, vt tua sint meliora, remittis,
Vt melior fias, nil tamen ipse facis.

Impios antequam pœnas luant, nullis minis fidem adhibere.

Sæpè parente satum Lamecho, dum conderet arcam,
Peristeros homines admonuisse reor.
Attamen ad frustra. namq; omnia verba monentis
Ridebatq; graues gens scelerata minas.
Quum Sodomis cum Loth generos exire iuberet,
Instar ei ludi verba iubentis erant.
Scilicet hic mundi mos est, nil credere, donec
Admissum æterno crimen ab igne luat.

Impium, cum à Deo punitur, pœnam tantum, non autem peccatum suum flere.

Cum grauis exercet inuisum fortuna, tonantem
Prædicat, atque procul murmur ab ore fugat:
Impius at contra scelerum iustissima pendens
Supplicia, in pœnis non nisi damna gemit.
Qui me reperies (Cam sunt verba trementis)
Confestim certè me dabit ille neci.
O vecordem hominem mentem! qui cæde necarat
Fraterna, tantum caret perire timet.

De impiorum cæcitate in agnoscendis peccatis.

Exiguas liquido volitantes æthere muscas
Eminus haud ægri lumina sana vident.
Infirmi at nequeunt oculi spectare minuta
Corpora, quin ægrè maxima quæque notant.
Sic quoque, cum sana est, etiam tenuissima quæque.
Mens hominis, nedum crimina fœda videt.
Debilis at lemisq; grauis, vitijsq; laborans,
Cernere vix etiam crimina magna potest.

Iuuen. Sat. 3.

Sunt qui in fortunæ iam casibus omnia ponunt,
Et nullo credunt mundum rectore moueri,
Natura voluente vices, & lucis, & anni,
Atque ideo intrepidi quæcumque altaria tangunt.
Est alius metuens ne crimen pœna sequatur:
Hic putat esse Deos, & peierat. Atque etiam eum
Decernat quodcumque volet de corpore nostro
Isis, & irato feriat mea lumina sistro.

Virg. lib. 6.

Nec partem posuere suis, quæ maxima turba est,
Quique ob adulterium cæsi, quique arma secuti
Impia, nec veriti dominorum fallere dextras,
Inclusi pœnam expectant; ne quære doceri
Quam pœnam, aut quæ forma viros fortunaue mersit.
Saxum ingens voluunt alij, radijsq; rotarum
Districti pendent: sedet, æternumq; sedebit
Infelix Theseus.

Vendidit

Vendidit hic auro patriam, dominumque potentem
Imposuit: fixit leges pretio, atque refixit.
Hic thalamum inuasit natæ, vetitosque hymenæos,
Ausi omnes immane nefas, ausoque potiti.
Non mihi si linguæ centum sint, oraque centum,
Ferrea vox, omnes scelerum comprendere formas.

Ouid 1. Metam.

Viuitur ex rapto: non hospes ab hospite tutus,
Non socer à genero, fratrum quoque gratia rara est:
Imminet exitio vir coniugis, illa mariti.
Lurida terribiles miscent aconita nouercæ.
Filius ante diem patrios inquirit in annos:
Victa iacet pietas.

Ibidem.

Mobilis, & varia est ferme natura malorum.
Cum scelus admittunt superest constantia, quid fas,
Atque nefas tandem incipiunt sentire peractis
Criminibus, tamen ad mores natura recurrit
Damnatos fixa, & mutari nescia, nam quis
Peccandi finem posuit sibi quando recepit
Eiectum semel attrita de fronte ruborem.
Quisnam hominum est, quem tu contentum videris vno
Flagitio?

Ex Græcis Comicis.

Ἀνὴρ πονηρὸς δυστυχεῖ, κἂν εὐτυχῇ.
Miser est vir improbus, felix licet.
Θεῶν δ' ὀνειδος τοὺς κακοὺς εὐδαιμονεῖν.
Deus male audit ob beatos improbos.
Καὶ ζῶν ὁ φαῦλος καὶ θανὼν κολάζεται.
Viuusque, mortuusque plectitur improbus.
Ἀνδρὸς πονηροῦ σπλάγχνον οὐ μαλάσσεται.
Haud molliuntur viscera improbi viri.
Ἀνουθέτητον ἐστιν ἡ πονηρία.
Audire monita non solent ulla improbi.
Ἑαυτὸν οὐδεὶς ὁμολογεῖ κακοῦργον ὤν.
Haud esse quisquam se fatetur improbum.
Φασὶν κάκιστοι οἱ πονηροὶ τοὺς καλούς.
Ab improbis probi vocantur pessimi.
Ὡς ἔργον ἐστὶ ζῆν ἐν πονηροῖς ἤθεσιν.
Quis moribus bene viuere queat in malis?
Πονηρὸν ἄνδρα μηδέποτε ποιοῦ φίλον.
Adiunge amicum ne tibi virum improbum.
Ἀνδρὸς πονηροῦ φεῦγε συναλλάγματα.
Improbi viri semper fuge commercium.
Κακῷ σὺν ἀνδρὶ μηδ' ὅλως ὁδοιπόρει.
Ne cum viro vmquam carpito viam improbo.
Τὸν δόλιον ἄνδρα φεῦγε παρ' ὅλον τὸν βίον.
Vitam per omnem, qui dolosus est, fuge.
Κακοῖς ὁμιλῶν καὐτὸς ἐκβήσῃ κακός.
Consortium te reddet improbi improbum.
Φθείρουσιν ἤθη χρηστὰ ὁμιλίαι κακαί.
Mores bonos congressus inquinat malus.
Ἤθη πονηρὰ τὴν φύσιν διαστρέφει.
Peruertitur natura prauis moribus.
Χρηστὸς πονηροῖς οὐ τιτρώσκεται λόγοις.
Non vulneratur improbis verbis probus.
Δύσμορφον εἶναι μᾶλλον ἢ καλὸν κακόν.
Deformis esse malo, quam pulcher, malus.

Philosophorum Sententiæ.

Sua quemque fraus, & suus error maximè vexat, suum quemque scelus agitat, amentiaque afficit, suæ malæ cogitationes conscientiæque animi terrent. Hæ sunt impijs assiduæ, domesticæque furiæ, quæ dies, noctesque pœnas à sceleratissimis repetunt. *Pro Rosc. Amer.*

Sua quemque fraus, suum facinus, suum scelus, sua audacia de sanitate, ac mente deturbat. *In Pison.*

Non ob ea solum incommoda, quæ eueniunt improbis, fugienda improbitas est: sed multo etiam magis, quod cuius in animo versatur, numquam sinit eum respirare, numquam acquiescere. *1. de Fin.*

Si quis satis opibus hominum contra conscientiam septi esse, & muniti videntur, Deorum tamen numen horrent, easque ipsas sollicitudines, quibus eorum animi noctesque, diesque exeduntur, à Dijs immortalibus supplicij caussa importari putant. *1. de Finib.*

Morte dolor corporis, aut luctu animi, aut offensione iudicij, hominum miserias ponderamus, quæ fateor humana esse, & multis bonis viris accidisse. Sceleris etiam pœna tristis, & præter eos euentus, qui sequuntur, per se ipsa maxima est. *2. de Legib.*

Animi conscientia improbi cruciantur, tum etiam pœnæ timore, qua aut afficiuntur, aut semper sunt in metu, ne afficiantur aliquando. *1. de Finib.*

Si impietas improbe molita quidpiam est, quamuis occultè fecerit, numquam tamen confidet id semper fore occultum. Plerumque enim improborum facta primo suspicio insequitur: deinde sermo, atque fama: tum accusator: tum iudex: multi etiam ipsi se iudicarunt. *1. de Finib.*

Omnibus, quorum mens abhorret à ratione, semper aliquis talis terror impendet. *4. Tusc.*

Impij pœnas luunt, non tam iudicijs (quæ quondam nusquam erant, hodie multifariam nulla sunt) quam angore conscientiæ, fraudisque cruciatu. *1. de Legib.*

Impijs apud inferos sunt pœnæ præparatæ. *2. de Legib.*

Impij apud inferos pœnas luunt. *Philip. 14. In pijs sene. 76.*

Ignorant quidem improbi, quæ facienda sunt: quæque fugienda: iniustique, & omnino mali, ex eo errore nascuntur. *lib. 3. Ethic. c. 1. & l. 2. Mag. Mor. c. 3.*

Sceleratissimus quidem est habendus is, qui malitiam, & ad suam, & ad amicorum perniciem exitiumque conuertit. *lib. 5. Ethic. c. 1.*

Cuius à voluptate, aut dolore corruptus est animus, & deprauatus: ei statim principium non apparet: neque ei videtur huius caussa, & propter hoc expetenda, gerendaque omnia. *lib. 6. Ethic. c. 5.*

Homo si paruus sit, plura infinitis partibus detrimenta, & incommoda quam fera inferre potest. *lib. 7. Ethic. c. 6.*

Mali malis nisi quid emolumenti consequatur, non oblectantur. *lib. 8. Ethic. c. 4.*

Qui multa, & grauia scelera admiserunt improbitate victi: & se oderunt ipsi, & vitam fugiunt, mortemque sibi ipsi consciscunt. *lib. 7. Ethic. c. 4.*

Mali, nec secum ipsi vna lætari possunt, nec dolere. Eorum enim animus à se ipso dissidet, secumque discordat: aliasque propter improbitatem, sed dolet quibusdam rebus abstinuisse, alias gaudet. Atque pars altera huc trahit, illuc altera: vt solent partes dissoluti corporis. *ibid.*

Improbi alios quibuscum versentur, requirunt: se fugiunt ipsi. Multa enim & grauiora facinora recordantur: & alia eiusdem generis, cum soli sunt, expectant, cum sunt cum alijs, obliuione tuentur. *ibidem.*

Prauam habenti animam, ne quippiam mali exerceat, opulentia, imperium, & dominatus, ac omnino id genus reliqua adimenda sunt: quanto mobilior, mutabiliorque est anima, quam corpus. *lib. 2. Mag. Moral. c. 3.*

Non in se amore animati sunt improbi, quod in eis dignum nil sit amicitia. *ibid. c. 3.*

Fugienda est improbitas magna animi contentione, dandaque opera, vt boni simus. *ibid.*

Improbi nisi ad breue, & exiguum tempus, concordes esse non possunt. *lib. 9. Ethic. c. 6.*

Improborum mala est amicitia: qui cum instabiles inconstantesque sint, rerum malarum ineunt societatem: similesque, ac pares inter se facilè corrumpuntur. *lib. 9. Ethic. c. 12.*

Deprauatorum, & vitiose affectorum hominum, sæpè videre licet corpus imperare animo: propterea quod male, & contra naturam affecti sunt. *lib. 1. de Rep. c. 3.*

Improbus est similis ei ciuitati, quæ seruat illa quidem leges, sed malas, & perniciosas. *Ethic. lib. 7. c. 10.*

Facilè ij debellantur, apud quos, nec diuina quidem, nec humana iura sat valent. *Procop. de bello Goth. lib. 3.*

Cum impiorum castigatione piorum consolatio, & restitutio in integrum coniuncta est. *Nice. Alex. Murtz. flo.*

Cum Deo inimicitias quicumque suscipit, cum sit homo, fastu animi conditionis humanæ modum excedit, suorumque consiliorum, & actionum exitum, atque successum ad Deum non refert. *Niceph. Gregoras, hist. lib. 7.*

Prouocat pœnam suam obliuiosa malitia. Impietas enim flagella quidem excruciata sentit, sed à quo flagellatur, obdurata non sentit. Vnde superioribus taceam, facta à Decio Christianorum persecutione, totum Romanum Imperium pestilentia magna vexauit. Mentita est iniquitas sibi, prauo in perniciem suam circumuenta iudicio, pestilentiam communis casus esse, accidentemque ex morbis mortem, naturæ finem esse, non pœnam existimans. Rursus igitur, atque in breui iram Dei sceleratis actionibus prouocat, excepturа plagam, cuius aliquando meminisse cogatur. *P. Orosius, hist. lib. 7. c. 22.*

Difficile est, vt parcat suis, qui cum religionis contemptu, etiam aduersus Deos grassatus est. *Iustin. hist. lib. 5.*

Facinorum recordatione numquam timore vacuus est. *Tacit. Annal. lib. 15.*

Qui amicissimo, atque charissimo insidias tendit, consanguinitatis, ac necessitudinis iura violando, quamquam victoriæ superstes, non fatum vitare, sed facinoris conscientia pœnam prorogare videtur. *Procop. de bello Vandalico lib. 2.*

Non est cum Dei hoste societas belli coeunda. *Zonar. in Gratiano.*

Pessima impostura est, qua quis ipse sese decipit. *G. Pachymer. histor. lib. 12.*

Apophthegmata.

Bion impietatem dicebat malam esse contubernalem fiduciæ, & adiecit versiculum Euripidis.

Δεινὸν γὰρ ἄνδρα καὶ θρασὺν ἐμπλεῖ τις …

Sermon factis, qui omnis sermonibus virum.

Sensit, ibi non esse libertatē, vbi est malae conscientia: nec eū posse libere loqui cui crimen impietatis verè potest obijci, nec frui tranquillitate animi, qui numen habet iratum. *Laert. lib. ... c. 7.*

Agesilaus Ephorus. Cum ipsius iussu actum esset, vt fieret omnium debitorum solutio: ainque tabulis in forum Clarium comportatis, ignis esset iniectus, ac flamma exurgeret, cæteris creditoribus mœstis improbe insultabat, dicens se nunquam clarius lumen, aut ignem vidisse puriorem. Extrema impietatis est linea, etiam illudere ijs quos afflixeris. *Plut. in Lacon.*

Iulianus Apostata. Contra Persas exercitum ducens, grandem mulctam Christianis intulit, qui grauius à Paganis tractati, sæpius pro auxilio ad Imperatorem accelerarunt. Quibus impiè respondit: Aequum est, vt mala sustineatis, cum hoc sit præceptum vestri Dei. *Tripartita hist. l. 6. c. 19.*

SIMILITVDINES.

Chrysostomi. Quantumuis biberint febricitantes, calore tamen consumente, quod biberint, semper adhuc sitiunt: Ita & maligni homines, quicquid boni viderint, aut audierint, infidelitate totum consumente, quod vident, & audiunt, semper vacui sunt, tamquam qui nihil viderint, aut audierint. *In Matth. cap. 12. homil. 30.*

Sicut melius est, vt non sit arbor, quam vt sit quidem, & fructum non faciat: Sic melius vt nec sit homo Dei, quam vt sit quidem, & conuersationem non habeat secundum Deum. *In 21. Matth. homil. 39.*

Amicum cum peregrè proficisci cernimus, lugemus, ingemiscimus, si mortuum videre contigerit, plangimus: cum nouerimus eum non perpetuo à nobis separandum propter resurrectionis Sacramentum. Enimuero forte cum Christus quotidie separetur à nobis, imò cum ipsum singulis horis à nostro arceamus congressu: Neque dolemus, neque dirum aliquid, & acerbum nos pati arbitramur. Cæterum cum illum afficiamus iniurijs, cum eum contristemus iugiter, atque irritemus, neque quæ ille iusserit faciamus omnia, neque ingemiscimus, sed insensibiles, non secus, ac lapides, manemus. *In 1. ad Timoth. hom. 3.*

D. Augustini. Sicut vua acerba dentibus vexatio est, & fumus oculis: Ita iniquitas vtentibus ea. Quomodo qui manducat ore corporis vuas acerbas, obstupescunt dētes eius, & minus idoneus fit ad manducandum panem, & remanet illi laudare, quod videt, & mãducare non posse: Sic & qui iniquitate vsus est, & passus peccatus in corde, incipit non posse manducare panem, laudat verbum Dei, & non facit: vnde hoc facit quia cum ceperit facere, laborat, quomodo sentimus laborare dentes post vuas acerbas, cum cœperimus panem manducare. Sed quid faciunt illi quibus obstupuerunt dentes? Temperant se aliquantulum ab vuis acerbis, & redeunt dentes ad stabilitatem suam, & incumbunt pani: Sic & nos laudemus iustitiam: sed si volumus manducare iustitiam, temperemus nos ab iniquitatibus, & nascitur in corde non solum delectatio laudandi iustitiam, sed etiam facultas manducandi. *In Psal. 48.*

D. Hilary. Fumus cum emerserit, licet globosus, & crassus, tamē paulatim ita deficit, aboleturq; ne extet. Sicut in conspectu ignis cera sic liquefit, vt non sit, fumo quidem in igne per leuitatem sui tenuitatemq; dilapso, cera autem vi, & calore ignis absumpta, quia infirma ipsa per sese naturæ potioris diripiatur ardore: quē in modum omnis iniquorum potestas à facie Dei, id est, Dei iudicio liquescit. *In Psal. 67.*

Plutarchi. Quemadmodum Cæcias ventus contra aliorum ventorum Septentrionalium naturam, nubes non à se pellit, sed potius attrahit: Ita quoque improba aura, probra ad se attrahit. *In libello cui titulus. Quo pacto quis possit ab amicis iuuari.*

Plinij. Vt pulegium ipso brumæ die floret, cum marcent omnia: Ita rebus pessimè vexatis, regnant mali, quorum in pace nullus est respectus. *lib. 18. c. 25. & l. 3. c. 42.*

Tolengi. Quemadmodum vestis, ac zona totum adeo cingunt hominem, vt omnem in se quasi contineant hominem, ita etiam impietas, si quem semel adorta fuerit, eum totum conuoluit, atque adeo obstrictum coarctat, vt vix illū respirare sinat. *In Psal. 109.*

Theinari. Frigidus neminem potest incalfacere: Nec iniquus quemquam suo sermone ad virtutem accenderet. *In apoph. 87.*

Samuelis. Sicut lux auroræ, oriente Sole, mane absque nubibus rutilat, & sicut pluuijs germinat herba de terra: Præuaricatores autem quasi spinæ euellentur vniuersi. *2. Reg. 23.*

Esdræ. Væ tibi Assur, qui abscondis iniquos penes te, Gens mala memorare quid fecerim Sodomæ, & Gomorrhæ, quorum terra iacet in piceis glebis, & aggeribus cinerum. Sic dabo eos qui me non audierunt, dicit Dominus omnipotens. *4. Esdræ 2.*

Dauidis. Sicut sine negocio dispergitur à vento fumus, ita disperges illos tu: & sicut liquefit cera, igni adhibita, sic peribunt impij aduentante Deo. *Psal. 68.*

Sicut ignis in siluam immissus, & flamma in cacumen montium, quæ per obuis dumeta volitans vastat cuncta absque vllo impedimēto: Sic tu persequare eos tempestate missa abs te, & excitato turbine perturba eos. *Psal. 83.*

D. Augustini. Sanè exteriores tenebræ intelligi possunt quædam malignitas odij, & voluntatis, quæ tunc excrescit in mentibus reproborum, & quædam oblinio Dei: Quia tormentorum interiorum, & exteriorum doloribus adeo afficientur, & turbabuntur, vt ab illis ad cogitandum aliquid de Deo via, vel raro, vel numquam mentem reuocent. Vt qui nimio premuntur pondere, vehementer stupescunt, & turbantur, neque animo in aliam cogitationem se extendunt: sed illuc tendit impetus cogitationis, vbi sentitur vis doloris. *In Psalm. 6.*

Fumus à loco ignis erumpens, in altum extollitur, & ipsa elatione in globum magnum intumescit: sed quanto fieret globus ille grandior, tanto fit vanior: Sic impius quo magis exaltatur, tanto citius deficit. *In Psal. 36.*

Martialis Episcopi. Ne ergo timueritis, neque formideritis, sed neque admiremini eos. Vapor enim est nebulæ malitia eorum: quæ citò pertransibit, sicut fumus ab oculis. Deus autem, & veritas in sempiternum permanent. *In Epist. ad Tholosanos, 421.*

ADAGIA.

Lydi Mali, post Aegyptij, &c.

> *Λυδοὶ πονηροὶ, δεύτεροι δ' Αἰγύπτιοι.*
> *Τρίτοι δὲ πάντων Κᾶρες ἐξωλέστατοι.*
> *Lydi improbi post hos secundi Ægypty,*
> *Tertijque Cares perdidissimi omnium:*

Tempestiuiter vtemur si quando mali cum malis conferuntur: & collatus cū sceleratioribus ita demum minus illaudatus aliquis videtur.

Lerij mali. Λέριοι κακοί.

In eos rectè dicetur, qui pariter omnis gentis visi sunt improbi.

Mali commentis. πονηρῶν ἀδιμάντων.

Dicebatur improbus. contemptus & ridiculus quispiam.

Adulterinus. κίβδηλος.

Quod simplex non est, neque sincerum ad vulgato verbo Græci κίβδηλον vocant.

Bipedum nequissimus.

De homine vehementer improbato, quique vel pecudes nequitia superet. Cicero fecerat in Clodium in oratione pro domo sua.

Tenedius tibicen. Τενέδιος αὐλητής.

Dicebatur testis falsus & calumniator. Stephan.

Phrynondas alter. Φρυνώνδας ἄλλος.

De improbo. Quoties insigniter malum, & sceleratum accipi volebant, Phrynondam appellabant.

Noui Simonem, & Simon me.

Vide similitudines.

Bestia bestiam nouit. *ibidem.*

Ambrones.

Ambrones vulgo dicebantur, qui rapinam alijs; artibus vinerent. Es muess ein kalter Vvinter sein, das ein Vvolff den andern friss. Item, Es ist boess stehlen, vvo der Vvirth selbst ein Dieb ist.

Ballio.

Nomina quædam ob insignem improbitatem abierunt in prouerbium, quod interdum à veris, interdum à fictis in Comœdia personis sumitur. Ballionem inducit Plautus in Pseudolo, lenonem impurissimum, rapacissimum, improbissimum.

Βεσβικίζειν.

Stephanus scribit Besbicon esse ciuitatem Thraciæ siue vt Strabo refert ... Eius gentis improbi mores in prouerbium abierunt, vt dicerentur βεσβικίζειν qui nihil sani loquerentur.

Eurybatizare. Εὐρυβατίζειν.

Est improbis vti moribus.

Tria Cappa pessima. τρία κάππα κάκιστα.

Iactatum, & hoc olim ænigmatis vice, quo trium gentium mores notati sunt, Cappadocum, Cretensium, & Cilicum.

Duplex Cappa. διπλοῦν κάππα.

Velut ænigma, quo malum aliquod significabant, siquidem gemino κ. scribebatur κακά. simili figura Persius furem triumliterarum hominem appellauit.

Βωμολόχος Βωμολοχεύεσθαι. *Aristoph.*

Bomolochi prouerbiali conuitio dicebantur scelerati, & improbi. Dicuntur autem Βωμολόχοι qui cum res diuina peragitur, non faciunt vota Dijs, sed nugas inanes blatterant. Qui mos hodie magnatibus magnopere placet.

Inexploratus homo. ἀβασάνιστος ἄνθρωπος.

Inexpertus, inexercitatus, non probatus.

Diagoras Melius. Διαγόρας ὁ Μήλιος.

In sceleratum, ac fœdifragum, & impium.

Lupi decas. Λύκου δεκάς.

Dictum apparet in eos, in quos inesset si lucri spes aliqua, tametsi pusilla, rediret. Aut in eos, qui largitionibus essent corrupti, aliosve corrumperent.

Cum sacco adire.

Non dubito me, quin hic sermo fuerit vulgo in Rom. de quouis qui postulat vt stato a exuberetur quod vetit. Germani quoque impertinenti cuipiam petenti, olim dicere; Vvarumb hastu nicht ein Sack mit dir gebracht.

Onobatis.
Quadrabit in quemuis prostitutæ famæ.

Cercopum coetus. ἀγορὰ Κερκώπων.
De conciliabulo, conuentu, versutorum, & improborum hominū dicebatur.

Cercopissare. Κερκωπίζειν.
Cercopissare dicuntur, vel qui lasciuiunt, aut qui adulantur.

Ἀλιτήριος
Vulgo dicitur, qui per vim raperet aliena.

Vide lupus.
Plaut. in Curcul. Lamium fert ingenti De puella perchenter quispiam, non iam per ætatem vitam reciperet.

Magis impius Hippomene. ἀσεβέστερος Ἱππομένους.
Hic Atheniensium princeps filiam à ciue quopiam vitiatam, vna cum equo feroci conclusit in domicilio vno latie, nec illi cibum præbens. Equus igitur fame in rabiem actus, puellam aduersus comedit: deinde periit ipse quoque pabulis, videlicet inopia. Post hæc pater domum est demolitus: loco nomen inditum equi, & puellæ Recenset adagium Diogenianus.

Mare proluit omnia mortalium mala. θάλασσα κλύζει πάντα τἀνθρώπων κακά.
Id est, Hominum vniuersa proluit voluptas mala. Natum est ab euentu huiusmodi. Refert Diogenes Laertius, Euripidem Platonis comitem fuisse peregrinationis, quum Ægyptum adiret, ibi enim morbo sue corriperetur commisso, ni fallor, sacerdotes Ægypti morsione marina sanauerunt hominem.

Qui omni in re, & in omni tempore. Gellius
Admonet paremia, fore nominum esse tam deploratis ingenij, qui non aliquando dicat faciatve quod laudem promereatur.

Seruilis capillus. ἀνδραποδώδης θρίξ ἀνδρασι ἐπιγίνεται.
Seruilem capillum præ se ferre dicuntur, qui agresti, libus, & inelegantibus sunt moribus.

Vlyssis remigium.
Homines nequam, & voluptatibus addictos, Horat. in epist. Vlyssis remigium appellant, prouerbialis nominum figura.

Remigium vitiosum Ithacensis Vlyssis.

Dij tibi dent tuam mentem.
In insanum congruit, & sua dignum mente. Martialis.

Dij mentem tibi dent tuam Philene.

Non est laudandus, ne in cœna quidē. οὐκ ἐπαινετός ἐστιν οὐδ᾽ ἐν δείπνῳ.
In hominem dicebatur vehementer illaudatum.

Compendiaria res improbitas. σύντομος ἡ πονηρία, βραδεῖα ἡ ἀρετή.
Quo semel addixit animum vitijs, quiduis flagitiosa facile patrabis. At singula virtutes magno sudore paranda.

Insania non omnibus eadem. μανία γ᾽ οὐ πᾶσιν ὁμοία.
Sensus est, nullum esse mortalem, qui non in aliqua re desipiat.

EXEMPLA BIBLICA.

Impiorum interitus, & pœnæ *exempla* Cain, *Gen.* 4. *v.* 11. Antiquus orbis mundus diluuio deletus, 7. *v.* 17. 21. Cham, 9. 25. Pharao, *Gen.* 12. 17. Gomorrhæi, & Sodomitæ, 19. 24. *Deut.* 29. 23. Esau, *Gen.* 25. 33. *Heb.* 12. 16. Hemor, & Sichem, 34. 25. Her, *Gen.* 38. 7. Onam, *v.* 10. Pharao, & Aegyptij, *Exod.* 14. *v.* 27. 28 Nadab, & Abihu, *Leu.* 10. *v.* 1. 2. Core, Dathan, & Abiron, *Num.* 16. *v.* 31. 32. Achā, *Ios.* 7. 24. quinque Reges, 10. 26. Adonibezec, *Iudic.* 1. 6 Sisara, 4. 21. Abimelech, 9. 53. Beniamitæ, 20. 46, Ophni, & Phinees, 1. *Sam.* 4. 17. Agag, 15. *v* 32. 33. Goliath, 17. 50. Nabal, 25. 38. Saul, 31. 4 Oza, 2. *Sam.* 6. 7. Ammon, 13. 28. Achitophel, 17. 23. Absalom, 18. 14. Seba, 20. 22. Ioab, 1. *Reg* 2. 34. Semei, *v.* 45 Aduram, 12. 18. Ieroboā, 13. *v.* 4. Achab, 22. *v.* 34. Ochosias, 2. *Reg.* 1. *v.* 2. 3. 4. quadraginta duo pueri, 2. *v.* 24. Giezi, 5. *v.* 27. Ioram, 9. *v.* 24. Iezabel, *v.* 33. Mathan Baalita, 11. *v.* 18. Azarias, 15. *v* 5. Sennacherib, 19. *v.* 37. Sedechias, 25. *v.* 7. Holofernes, *Iudith* 13. *v.* 8. 9 Aman, *Esth.* 7. *v.* 10. Iudas Iscariotes, *Matt* 27. *v.* 5. *Act.* 5. *v.* 18. Iudas Galilæus Pseudopropheta, seditionis author, *Act.* 5. *v.* 37. Herodes, 12. 23. Antiochus, 2. *Mach.* 9. *v.* 8. 9. Vide homicidij, & occasionis exempla, ex quibus patebit verum esse illud:

Ad generum Cereris sine cæde & sanguine pauci
Descendunt Reges & sicca morte tyranni.

EXEMPLA PROFANA.

Cheops Aegypti Rex templa omnia obseruauit, ne populus sacrificaret Dij. *Herod lib.* 2.

Diagoras Melius Philosophus, & Poeta, qui Olymp. 88. emicuit, vocatus Atheos, à Mysterijs homines auocabat. Quare ab Atheniensibus pulsus est, qui talentum polliciti sunt interficientibus eum. *Suidas.*

Iulianus Imp. non modo ipse ad gentilium vanitates à vera religione defecit: sed etiam subditis, vt idem facerent, suasit. Obtemperantes honoribus & dignitatibus, & beneficijs cumulauit: vtrisque permisit, quicquid vellent contra Christianos agere. *Sozom. lib.* 5. *c.* 17. *Socrat. l.* 3 *c* 13.

Phocas. tarcus Hierosolymitanus dæmoni sese mancipārat dato chirographo, idque consilio magorum: vt saltem heri sui filia potiretur. At tandem precibus Basilij, & conuersus est, & chirographum datum dæmonibus recepit, in publico Ecclesiæ consensu. *Marul l.* 2. *c.* 12.

Iuliani Imp. Thesaurarius, cum in gratiam Imp. à fide defecisset, sanguine e toto corpore per os emisso (conspicatus enim vasa templi: En qualibus vasis, dixit, ministratur Mariæ filio) miserrime perij *Theodoretus, l.* 3 *Sozom. l.* 5. *c.* 8. *Niceph. lib.* 10. *c.* 29.

HIEROGLYPHICA.

Memorabile est illud Aegyptiorum documentum, quo illi *sceptra regia in summa parte Ciconia capitibus insignita faciebant, sinmalis equi vngulis in imum appensis.*, ex eo innuere volentes, amplexandam, colendam, suscipiendamque esse pietatem, gratumque animum ingrato præferendum. Impietatem vero cuius hieroglyphicum est *Hippopotamus*, pessundandam. Amphibium enim animal hoc, patrem solet de matris coitu, quem affectat, male mulctare. *Pierius Valer. l.* 7. *& l.* 29.

Sepia piscis etiam improbitatis est hieroglyphicū, quod tamen symbolum Plutarchus libro de educatione, ita interpretatur, vt sub ostendere dicat, commercium cum improbis non habēdum: eos scilicet, quia virtute ad turpitudinem se recipiant fugiendos. Nam & apud Romanos *nigrum* vel *atrum* pro moribus perniciosis ac infamibus accipitur, hinc illud vulgatum: *Hic niger est: hunc tu Romane caueto. Idem l.* 28.

Anser in vaticinijs & rerum aliarum elogijs improbitatem quandā præseferre videtur. Hinc Homerus in somnij præsagitione, procos per *Anseres* innuit. eiusque inauspicata garrulitas, & à Virgilio & à Propertio quibusdam vitio data est. *Pier. lib.* 24.

FABVLÆ.

De Apollinis tentatore.

Tentaturus Apollinem, Deorum quidam contemptor & callidus, per Sacerdotem fatidicum illius, in templum venit Dei, vbi omnia pro ritu superstitionis illius apparata essent, occultatum manu sua passerculum continens, cumque ante cortinam, quem τρίποδα Græci vocarunt, astitisset, sciscitatus est, viueret ne an mortuum esset, quidquid in manu teneret, tanus se facile in vtranque partem datum responsum refutaturum esse. Tum vates de numinis instinctu hæc fertur cecinisse.

Quidquid id est, tollum tua quod nunc dextera celat,
Vsi viuit vel iam mortuum nostri vidabunt,
Alterutrum in prolato oculi, sed te penes huius
Arbitrium facti est. & ad hoc mens nostra recurrit.

Discendum hoc est: In rebus diuinis maxime, sed & erga sapientes non fere quidquam valere fraudes & astutias improborum.

Vide, Tit. Probitas, Malitia.

IMPORTVNITAS.

DEFINITIO, ET ETYMOL.

Importunitas siue intempestiuitas, Græc. ἀκαιρολογία & ἄκαιρος unde importunus dicitur. Est autem importunitas euagatio mentis ad illicita, secundum quod in arce mentis residet, volentis ad diuersa se diffundere. *B. Thom.* 2. 2. *quæst.* 45. *art.* 4.

Importunus qui portu, i. quiete caret, semper fluctuans, cui nulla in re pax, & qui alios inquietat.

Eruditi viri ἀκαιρίαν, temporis inscientiam appellant. Si quis ad importunitatem referat, intelliget importunum hominem tempus opportunum ignorare, adeoque extra tempus omnia dicere & facere.

Importunitas, seu intempestiuitas est cōgressio molesta ijs quibuscum congrediaris. Homo autem ἄκαιρος is est, qui ad amicum occupatum accedens, velit re communicata cū illo deliberare, quique ad amicam suam febri laborātem veniat comessatum. Solet etiam eum, qui iam ante fuerit ex sponso condemnatus adire, rogans vt pro se quoq. intercedere velit, & ad dicendum testimonium tunc venit quū res est iudicata: ad nuptias autem vocatus, in mulierum genus inuehitur. Eos qui è longinquo itinere modo aduenerint, ad deambulandum secum inuitat: re iam vēdita emptorem secum adducit, qui plures sit empturus. Sæpe etiam è medio hominum sibi assidentiū surgit, vt rem illis orsus à capite exponat, quam omnes iam audierint ac pernorint: & quā nollet quidēm aliquis, sed denegare tamen erubescit, ad illa curanda promptus est. Ad eos qui sacra faciunt & illa concelebrant, accedit, vt aliquam inde partē auferat. Quod si præsente eo famulus cæditur, sibi quoq; puerum aliquando fuisse narrabit, qui similiter virgis cæsus se suspenderit. Idē captus arbiter, duos litigantes, quorum vterq; rem transigi optat, inter se committet. Denique saltaturus socium manu prehendit, qui nondum sic vino madidus, *Theoph. in characteribus ethicis, c. περὶ ἀκαιρίας.*

Impor-

Statuam faucibus colas. ἀνδριάντα γαργαλίζεις

I. e. rem maiorem in modum abſurda, quæque fieri nullo pacto poſſit.

Nunquam efficies, vt rectè ingrediantur cancri. οὔποτε ποιήσεις τὸν καρκίνον ὀρθὰ βαδίζειν.

Quod à natura fit in ſitum, vlle non corriges negocio.

Sambucam citius.

Adagij ſpeciem præ ſe gerit Perſianum illud carmen.

Sambucam citius caloni aptaueris alto.

Cuius vſus incidet: Si quando ſignificabimus aliquem à diſciplina percipienda ſiue munere gerendo nimis alienum eſſe.

Lenticulam angulo tenes. φακῆ γωνίας κρατεῖν.

De negocio, quod fieri nullo pacto queat, propterea quod hoc leguminis genus anguli careat. Refertur à Suida.

Ex arena funiculum nectis. ἐξ ἄμμου σχοινίον πλέκεις.

Ex arena funiculū nectere, eſt fruſtra conari, quod nulla ratione poſſit effici.

Aſini cauda. ὄνου οὐρὰ ... οὐ ποιεῖ

Id eſt: Aſini cauda non facit cribrum: vbi quis ad hoc, aut illud dicitur inutilis.

Augiæ ſtabulum repurgare. Αὐγείου κόπρον.

Allegoria prouerbialis in hominem, aut in rem maiorem in modum inquinatam.

Veſtà circumfers ignem. ἱματίῳ τὸ πῦρ περιστέλλειν.

Vbi quid ridiculè fit, aut vbi quis ſuum ipſius malum fouet: vel vbi ſcortum, aut adulatorem, aut fictum amicum.

Lupo agnum eripere poſtulat.

Vbi quis fruſtra conatur prædam recipere, cui ſemel manus iniecit rapax aliquis. Plaut.

Luſciniæ deeſt cantio.

Perinde quaſi dicas. Mulieri deſunt verba: Poetæ verſus: Oratori color, Sophiſtæ cauillum Plautus in Cas. Ego quoq; te pol metuo ne luſciniola defuerit cantio Die Nachtigall kœnnen nicht ſingen. Item, Die Krueppel kœnnen nicht hincken.

Quid ſi cœlum ruat. τί εἰ οὐρανὸς ἐμπέσοι.

Ironia in eos, qui tutiſſimis etiam in rebus ridiculè timent. Terent. in Heauton timorumeno: Quid ſi nunc cœlum ruat?

Bos porrectus vltra Taygetum capite. ταῦρος ὑπερκύψας τὸν Ταΰγετον ἀπὸ τοῦ Κράγου ἔπιεν.

De re vehementer abſurda.

EMBLEMA.

Impoſſibile.

Emblema LIX.

Abluis Æthiopem quid fruſtra: ah deſine! noctis
Illuſtrare nigras nemo poteſt tenebras.

IMPOSTOR.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

IMpoſtores dicuntur deceptores, & qui fallunt præſtigijs quibuſdam, ab imponendo, ſeu decipiendo dicti. Græc. *φέναξ, φενάκη*, coma adulterina; *φενακίζω*, decipio, illudo, manibus rerum ſimulachris, & præſtigijs ludicris inſipientium ſenſus perſtringo, *φέναξ*, dentor, fuci artifex, impoſtor. Hebr. *Hakeb*, impoſtor, ſupplantator, à verbo *Hakab*, ſupplantauit calcaneo, peſſundedit, calcauit pedibus, & per tranſlationem decepit. Hinc Græcis per aphæreſin *κύβος* cubus, talus, os prope calcaneum.

Impoſtura ab eo dicta, quod adulterinas merces pro veris ſupponat. *Vlpian. de crim. ſtel.*

LOCI BIBLICI.

Impoſtores deſcribuntur, *Epheſ. 4. 14. Col. 2. 22. 23. 2. Pet. 2. 2. Iud. v. 8.*

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Impoſtores corrumpunt auditorum animos. *Iſocrates.*

Mores hominum non ſimplicium, ſed inſidioſorum, magis quàm viperas fugere debemus. *Theophraſtus.*

Specioſa verbis, re inania, aut ſubdola, quanto maiore libertatis imagine teguntur, tanto erumpunt ad infenſius ſeruitium. *Tacitus, Annal. lib. 1.*

ADAGIA.

Dare verba.

Paſſim obuium eſt apud omnes autores, pro eo, quod eſt fallere. Perſius Satyra 4.

Vt mauis, da verba, & decipe neruos.

Terentius.

Cui verba dare difficile eſt.

Ouidius.

Verba das omnis amans. Glatte vvort ſchleiffen, Hoff vveyhrauch verkauffen.

Addere manum.

Pro eo, quod eſt, ludibrio habere.

Os ſublinere. *Plaut.*

Pro eo quod eſt, dare verba, & arte quadam illudere, reperitur aliquoties apud autores Das helmlein durchs maul ziehen Einē Affen drehē.

Obtrudere palpum. *Cic.*

Eſt arte fucoque decipere, vnde & palpari pro adulari, & palpones, adulatores vocamus. Et ſimilis metaphora tracta ab equiſonibus qui ferocientibus equis plauſu manus adblandiuntur. Den Katzen ſtreichen.

Facere fucum. *Terent.*

Impoſturam facere, artificioſa diſſimulatione deludere Tauſcher.

Circumtondere comam. *περικείρειν τὴν κόμην. Lucian.*

Græcis in prouerbio eſt, pro eo, quod eſt ludibrio habere.

Noua hirundo. νέα χελιδών.

Suidas à tractes ſolere, quoties verba darentur alicui. Quadrabit in eos qui falſo ſibi quippiam iniecta, falſum ac metum.

In laqueum inducere. εἰς βρόχους ἄγειν.

Eo vt aſſes inducere, eſt arte ſic inſidiare quempiam, vt iam nullum ſit effugium. Zum Baaren bringen. Auff das Eyß fuehren. In das Garn bringen.

Epheſiæ literæ. *Ἐφέσια γράμματα. Diog.*

Dictum videtur de ijs, qui mira felicitate tanquam diuina virgula quidquid optarent, aſſequerentur.

IMPOTENTIA.

SENTENT. PHILOSOPH.

IMpotens quæ mala ſunt mala ille quidem eſſe nouit: ſed agit ea, victus & debilitatus obiecta ſpecie voluptatis. *lib. 7. Eth. c. 1.*

Hoc quidem perſpicuum eſt, hominem impotentem non putare ea quæ agat, eſſe facienda, priuſquam ſit in perturbatione. *lib. 7. Ethic. c. 2.*

Fit neſcio quo pacto, vt imprudētia, impotentiæ coniuncta ſit virtus: contra enim facit ac ſentit, propter impotentiam. *ibid.*

Non cernitur in omnibus qui vnde, ; & abſolute eſt impotens, ſed in quibus intemperantes: nec ex eo quod abſolute in his affectus eſt (idem enim eſſet quod impotentia) ſed quod certo quodā genere & modo ſit affectus, iudicandus eſt. *lib. 7. Ethic. c. 3.*

Qualis eſt hiſtrionum, talis iudicanda impotentium oratio. *ibid.*

Impotentia vituperatur, non ſolum quia peccatum ſit: ſed etiam quia aut omnino aut abſolute vitioſitas quædam ſit, aut aliqua ex parte. *lib. 7. Ethic. c. 4.*

Eorum qui in corporis voluptatibus verſantur ijs, in quibus temperantem & intemperantem eſſe dicimus, qui non conſulto & cogitato, ſed inconſulto & ſine iudicio immoderatas voluptates ſequitur doloresq; nimios fugit, vt famem, vt ſitis, eorumq; omnium, quæ in tactu, guſtuq; conſiſtunt: is non cum adiunctione, ſed abſolute impotens dicitur. *Ibid.*

Similis eſt impotens ciuitati, quæ ſtatuit illa quidem quæ ſunt præclara omnia, legeſq; habet & bonas, & ſalutares, ſed nulli paret. *lib. 7. Ethic. c. 10.*

Facilius impotentia ſanari eorum poteſt, qui atra bile tenentur, quā eorum qui ſtatuunt, nec ſtant in eo quod ſit iudicatum. Et ij qui conſuetudine, quam qui natura impotentiam comparatūt. *lib. 8. Ethic. c. 10. & Mag. Mor. l. 6.*

Eſt aliquis qui propter perturbationem à recta ratione decidit, quem vt ne agat ex rationis præſcriptione, impellit perturbatio; eadem tamen, vt ei certum ſit & deſtinatum eius generis voluptates perſequi oportere, non vincit. Hic impotēs nominatur, qui & melior intemperante eſt, nec plane improbus. Saluū enim in eo & integrum eſt principium quo nihil in nobis eſt præſtantius. *lib. 7. Ethicor. c. 8.*

Impotentia alia ex temeritate, alia ex imbecillitate gignitur. Alij enim conſilio capto, non ſeruant, neque tenent id quod ſtatuerunt victi & debilitati obiecta ſpecie voluptates, quia nihil ſe neque rationem conſuluerunt, à perturbatione rapiuntur. *Lib. 7. Ethicor. cap. 7.*

IMPRECATIO.

LOCI BIBLICI.

IMprecatio, Deuotio, Diræ. Græc. *ἀρὰ, κατάρα.* Imprecor eſt mali quippiam in alicuius caput precari. Hebr. *Arar*, maledixit, execratus. Vnde Græcæ voces. *Meerah*, maledictio, execratio, *Kabah*, execratus eſt, maledictis & imprecationibus perfodit aliquem. Imprecatio autem, in S. Scripturis eſt viſitata Spiritui Sancto in ore ſeruorum Dei aduerſus peccatores: ſed timenda potius, quā imiranda. *Exempla*, in adulatores, *Pſal. 28. 4. & 12. 4.* calumniatores, *76. v. 6.* fœneratores, *v. 11.* deriſores. *Nehē. 5. 13.* hoſtes Chriſti, *Pſalm. 69. 24. & 70. 7.* hoſtes regni Dauidis. *70. 3. 71. 13.* hoſtes Eccleſiæ, *Iudic. 5. 31. Pſal. 74. 3. & 83. v. 10. 12. & 137. 7. Ierem. 17. 18.* Hypocritas, *Pſal. 5. 11. & 28. 4. & 31. 22.* Idololatras, *135. 18. Ier. 10. 11. Oſee 9. 15.* impios & Dei ignaros, *Pſal. 9. 18. & 13. 10. & 59. 14. & 68. 2. & 69. 23. & 79. 7. & 83. 16. Neh. 4. 4. Ier. 10. 25.* Ingratos, *Pſal. 69. 12. Rom. 11. 19. Ier. 18. v. 21. 22.* perſecutores, *Pſal. 35. 26. & 37. 15. & 6. 9. 23. & 79. 11. & 119. 78. Ier. 20. v. 12. Thren. 2. v. 21. 45.* proditores, *Pſal. 55. 16. & 109. 6. Nehem. 6. ver. 14. Gal. 5. 12.*

Sic

Sic imprecantur mala Noe, *Gen.* 9. *v.* 24. 25. Sacerdotes, *Num.* 5. *v.* 20. 21. 22. Moses, 16. 15. Angelus, 5. 23. Debora & Barac, *v.* 3 Samson, 16. 28. Dauid, 1. *Sam.* 24. *v.* 12. 13. Ieremias, *Ier.* 10 *v.* 11. 25. 17. & *v.* 18 & 18. *v.* 19. 20. 21. & 50. *v.* 20. 45. Christus etiam imprecatur mala Iudæ proditori & synagogæ Iudaicæ, *Psal.* 107. *v.* 6. 7. 8. 9. 10. 11. &c. Paulus, *Gal.* 5. 12. 2. *Tim.* 4. *v.* 14. 15. Petrus. *Actor.* 8. 20. Angelus, *Apoc.* 18. 6. Qui etiam sibijpsis imprecati sunt mala, Prophetæ, & nonnulli alij, sed cum conditione *Exempla* Moses, *Exod.* 32. 31. 32. *Num.* 11. *v.* 13. 14. 15. Elias, 1. *Reg.* 19. 4. Daniel, 1. *Par.* 21. 17. *Psal.* 7. *v.* 4. 5. 6. Iob. *Iob.* 6. *v.* 8. 9. 10. Ieremias, *Ier.* 20. *v.* 14. 15. 16. 17. 18. Ionas, *Io.* 4. *v.* 9. Tobias senior, *Tob.* 3. *v.* 6. Paul. *Rom.* 9. 3. Imprecationes pijs vitandæ, 2. *Tim* 4. *v.* 14.

IMPROBITAS. IMPROBVS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

IMprobitas, Scelus, impietas, malitia, peruersitas, prauitas. Græc. μοχθηρία φαυλότης Heb. *Hauel*, Improbitas, iniustitia: *Haual*: *hauel*, improbus, iniustus, à verbo *Hiuel*. perdite egit, improbe fecit. vide *Psal.* 71. 4. *Iob* 16. 11. & 18. 21. *Esa.* 26. 10. Præterea improbitas alia voce designatur, nempe *Kol*, id est, leuitas: *Ierem.* 3 9. à verbo *Kalal*. Leuis fit: Nihil enim solidum & firmum in improbitate, 3. *Reschahh*, & *Rishhah*. improbitas. & *Raschahh*, improbus. à verbo *Hereschi hahh*, improbe fecit, in 3. coniugatione. Passim damnantur improbi. *Vide supra tit. Impy.*

PHILOSOPHICÆ ET HISTORICÆ SENTENTIAE.

Improbus eos perdit ad quoscunque accesserit, illorumque facultates sibi applicare studet. *Isocrat.*

Improbi fidem seruant non quod libeat, sed quia fidem frangere sine clade non licet. *Idem.*

Improbi cognatos negligunt, hæreditatem eorũ desiderant. *Idem.*

Improbi non quem volunt, sed quem possunt defraudant. *Idem.*

Sub tyrannis improbi honorantur ob scelera. *Idem.*

Optabile esset frontibus improborum notas quasdam esse impressas, vt caueri possent. *Idem.*

Si improbitatem animi seditionem & morbum appellauerimus, recte dicemus. *Plato in Sophista.*

Ad improbitatem profligandam ea iustitiæ pars. quæ in castigando versatur, apte est instituta. *Idem, Ibid.*

Si amici desint, nullum maius est improbitatis argumentum. *Idem, epist.* 7.

Falsis voluptatibus improbi homines sæpe numero exultant: probi vero, veris. *Idem in Philebo.*

Improbitas insignis non ridetur, sed maiore quadam vi, quam risu, vulnerari vult. *Cicero de Oratore, lib.* 2.

Improbi sunt, qui pecunias contra leges cogunt: stulti, qui quod licere iudicatum est, prætermittunt. *Idem, act.* 3. *in Verrem.*

Plerumque improborum facta primo suspicio insequitur, deinde sermo atque fama, tum accusator, tum iudex. *Idem finib. bon. & malor.*

Hominis improbitas, quamuis aspera sit, nõ vsque adeo fera tamen omnino est & morosa, quin frequentibus beneficijs superata sese inuertat. *Dionis Siracusani dictum apud Plut.*

Improbum risus, insanum vultus habitusque demonstrat. *Senec. epistol.* 52.

Improbi ad honores promoti, quo fuerint indigniores, hoc & negligentiores fiunt, imprudentiaque magis & audacia pleni. *Stob. ser.* 41.

Facile conciliat improbos morum similitudo. *Appian. l.* 5. *de bello ciuili.*

Coaspernantes veterem disciplinam, haud minus principum vitia amant, quam olim virtutes verebantur. *Tacit. historiarum. l.* 1.

Pessimus quisque diffidentia præsentium mutationum pauens, aduersus publicum odium priuatam gratiam præparat: vnde nulla innocentiæ cura, sed vitæ impunitas. *Idem, eod. lib.*

Qui priuatim iudicia & leges metuunt, publico terrore timorem suum obumbrare conantur. *Thucyd. lib.* 6.

Hominem improbum non accusari tutius est quam absolui. *Liuius lib.* 4. *decad.* 4.

Nihil agunt improbi contra innocentes. *Lamprid. in Heliogabal.*

Ad ea se cogi dicunt. quæ vel sceleribus comparant. *Capitolin in Maximo.*

Improbitas proficiscens per præsentes voluptates, harum persuasionibus vtitur, vt nulli secum sentiant. At virtus ad arduum ducens, non est admodum potens ad subito inconsultoq; attrahendum ad se, præsertim si alij sint qui contra ad decliue molleque adhortentur. Quare si qui ex inertia atque laborum fuga improbiores sint, hos ego arbitror veluti fucos, solum impensa socijs esse detrimento: Quicunque vero laborum mali socij sunt, ad habendum autem plus alijs vehementes impudentesque, hi sese ad res improbas duces præstant. *Xenoph. lib.* 2. *Cyropædiæ.*

Improuisa & ineuitabilis res est improbitas. *Nicetas Acom. Man. Commen. lib.* 3.

Timenda res est improbitas, ac suomet testimonio conuincitur, & arguente conscientia nihil boni expectat. *Idem, Isa. Ang. lib.* 1.

Improborum vitam breuem fore dicimus, Prophetę authoritatem secuti, qui viros sanguinarios & dolosos ad dimidium dierum suorum peruenturos esse negat. *Idem, ibid. lib.* 3.

Improbi homines nec in prospera quidem, nec in aduersa fortuna suos immutare mores sat possunt: quos tamen dum aduersi aliquid patiuntur occulere solent, &c. *Procop. de bello Goth. lib.* 3.

SENTENTIAE POETICAE

Seu Poetarum Græcorum & Latinorum dicta, de Improbitate, improbis, Monosticha.

Hesiod.

Opum maiorem quam vitæ rationem habent improbi.

Publius.

Malus est vocandus qui sua caussa est bonus.

Plautus.

Improbus qui beneficium scit sumere, & reddere nescit.

Publius.

Felix improbitas optimorum est calamitas.

Sophocl.

Cum tibi sis iniurius, cur fortunam accusas?

Ennius.

Pellitur è medio sapientia, vi geritur res.

Terent.

His nunc precium est, qui recta praua faciunt.

Publius.

Quotidie est deterior posterior dies.

Simonides.

Nec vllus expers criminis, nec mortis est.

Plautus.

Sine virtute argutum ciuem habeo pro præfica,

Menand.

Odi improbum, qui frugi sermonem profert.

Idem.

Deformis esse malo, quam pulcher improbus.

Plaut.

Pulchrum ornatum turpes mores peius cœno collinunt.

Aschylus.

Improbi fortunati intolerabiles sunt.

Petronius Arb.

Quisquis inops peccat, minor est reus.

Horatius.

Vitijs nemo sine nascitur.

Persius.

Auriculas asini quis non habet?

Propertius.

Vnicuique dedit vitium natura creato.

Menand.

Quicunque nihil scit, ille vir peccat nihil.

Seneca.

Haud est nocens, quicunque non sponte est nocens.

Idem.

Mens impudicam facere, haud casus solet.

Menander.

Peruertitur natura prauis moribus.

Idem.

Improbi fuge congressum.

Idem.

Consortium improbi te reddet improbum.

Idem.

Quis moribus bene viuere queat in malis?

Ouid.

Ars fit, vbi à teneris crimen condiscitur annis.

Publ.

Male facere qui vult, nusquam non caussam inuenit.

Menand.

Improbitas varias cogitationes voluit.

Pythagor.

Improbi viri est imprudenter agere & loqui.

Menand.

Inconsiderata res est improbitas.

Ausonius.

Turpe quod ausurus, te sine teste time.

Publius.

Legem nocens veretur, fortunam innocens.

Menand.

Non molliuntur viscera improbi viri.

Seneca.

Dat ille veniam facile, cui venia est opus.

Publius.

Publius.

Malus semper sua natura vescitur.

Idem.

Grauius animi pœna est, quem post facta pœnitet.

Menand.

Audire monita non solent vlla improbi.

Publ.

Malus vbi bonum se simulat, tunc est pessimus.

Theognis.

Improbus animus ad extremum deligitur.

Sophocl.

Diuina pœna improbos celeriter opprimunt.

Menand.

Viuusque, mortuusque plectitur improbus.

Ausonius.

Felix criminibus nullus erit diu.

Diogenian.

Mordebit, vel capra nocentem.

Horat.

Culpam pœna premit comes.

Publius.

Cito improborum læta in perniciem cadunt.

Idem.

Ille nocens se damnat quo peccat die.

Incert.

Refert bonorum exemplis puniri improbos.

Seneca.

Sæpè in magistrum scelera redierunt sua.

Menander.

Miser est improbus, felix licet.

Idem.

Æternum malum malo est, fugias improbos.

Theognis.

Improbum, vt portum periculosum fugito.

Prolixiores poetarum sententias vide tit. *Malitia, Vitium, Vitiositas.*

ADAGIA.

Lydi mali, post hos Aegyptij, &c.

Inter improbos, scelestiores quosdam deprehenduntur, qui socios minus illaudatos efficiunt.

Lorij mali.

De gente improba dictum, Strabo lib. 10.

Mali commatis.

Genus vilissimi numismatis comma. In improbum, & sycophantem ad penuriam redactum.

Adulterinus.

Improbus est κίβδηλος duplex, corruptus, qui aliud præ se fert, aliud tegit.

Bipedum nequissimus.

De improbissimo cæteros malis artibus superante dictum, Cicero orat. pro domo sua.

Tenedius tibicen.

De insigni sycophanta, & improbo calumniatore dictum.

Multa extant alia in improbos adagia, quæ inter Manutiana referuntur, vt Phrynondas alter, Ambrones, Ballio, Bergêses, Eurybatus, duplex cappa, Bomolochos, Inexploratus, Diogoras, Lupidecas, Onobatis, Cercopum cœtus, Alitcrius, compendiaris res improbitas, &c. Et inter Adagia sacra Muscæ morientes fœtidã reddunt vnguenti suauitatem, ferrum ferro conteritur, Achirophel alter, Filij sæculi prudentiores filijs lucis, Iudas non dormit.

SIMILITVDINES.

Sicut Sodoma peccatum suum enunciant, non celant. *Esa. 3. 9.*

Sunt mihi omnes isti, vt Sodomitæ, & habitatores Ierusalem, vt Gomorrhæ. *Ier. 23. 14.*

Vt Thebanus Ismenias discipulis suis ostendens iam eos, qui bene quam qui secus tibia canerent, solitus erat dicere: Ita canendum, ac contra, non est ita canendum: Antigenidas vero etiam oblectamento maiore iuuenes arbitrabatur bonos tibicines audituros, si aliquando malorum quoque experimenta egissent: ita mihi videmur nos quoque impigriores fore vitarum spectatores, & æmulos meliorum, si nec peruersarum, & improbatarum simus rudes. *Plut. in Demetrio.*

Vt nulli amores, ex vulgi sententia, sunt deformes: ita turpia decipiunt improbum vitia. *Anonym.*

Nox cæcis perinde est, ac dies, & improbis idem est vanitas, atque veritas. *idem.*

Vide tit. Impietas, Malignitas, Malitia, Vitium, Vitiositas.

IMPRVDENTIA.

DEFINITIO, ET ETYMOL.

IMprudentia, Græcè ἀβελτερία, αἰ. ἄγνοια, & ἀφροσύνη. Hebraicè *Schegaghah*, ignorantia, incogitantia, error, inscitia peccatum per ignorantiam admissum: a verbo *Schagagh*, incogitanter egit, imprudens fecit. Vide *Leuit. 4. 2. & 5. 18. Num. 15. 28.* Imprudentia cauenda, *Ephes. 5. 17. ἄφρονες ἐν ταῖς ἐντολαῖς* imprudẽs dicitur

Imprudentia autem sumitur tripliciter, scilicet negatiue, priuatiue & contrarie. Prima non est peccatum, sed secunda est peccatum ratione negligentiæ: tertia vero secundum se est peccatum mortale, si sit contra præceptum Dei, aliter est peccatum veniale. *Ex D. Tho. 2. 2. q. . art. 1.*

Imprudentia est generale peccatum participatiue non autem essentiale. Cuius sunt triplices partes, scilicet subiectiuæ, id est, monastica, politica, & œconomica: Potentiales, id est, præcipitatio seu temeritas, inconsideratio, inconstantia & negligentia: Et integrales, quæ reducuntur ad potentiales. *Ex D. Tho. 2. 2. q. 53. art. 2.*

Imprudentia, rationis est vitium, male viuendi caussa. *Arist. libel. de virtutibus.*

Imprudentia est, iudicare peruerse de rebus, deliberare perperam, congredi inepte, vti nescire præsentibus bonis, in falsam adduci opinionem, de ijs, quæ ad vitam sunt bona & honesta. Sectatur autem Imprudentiam, inscitia, incontinentia, rusticitas, obliuio

PHILOSOPHICÆ ET HISTOR. SENTENTIÆ.

Multi homines disputando de rebus haud secus quam animantes brutæ pugnando, solam sibi victoriam proponunt. Vt autem nihil præter voluntatem suam & astantium agatur, ac ne rerum veritas offendatur, eius veritas offendatur, eius rationem nullam habent. *Euseb. apud Stob. serm. 4.*

Imprudentia res omnino grauis est, vt quæ res etiam per se faciles onerosas efficiat, & inter alias vxorem quoque. Non paucis, o. intolerabiles fuerunt nuptiæ: non quod sua culpa aut suapte natura talia sit cum vxore societas: sed quando ducimus quas non oportebat, & ipsi quoque plane imprudentes sumus in vita, neque instructi ad ducendum ingenuã vxorem, tum vsu venit vt difficilis ac intolerabilis societas sit. *Hierocles de nuptijs apud Stob. ser. 65.*

Cauendum id in primis est, ne rationum osores euadamus, quemadmodum nõnulli hominum osores fiunt. Nullũ enim maius quam hoc malum nobis accidere posset, videlicet si rationes odio habuerimus. *Plato in Phædone.*

E bonis mala nascuntur hominibus, si qui bona non recta ratione regere, neque facile ferre nouerunt. *Democritus.*

Qui corpus exercent & negligunt animam, imprudenter agunt, principem partem negligentes, vt subiectam & infimã excolant. *Plato in Clitophonte.*

Ad conuiuium inuitati præsentibus vtimur, quod si quis iuberet hospitem apponere sibi pisces aut placentas, imprudens videretur. At nos in mundo petimus à dijs, quæ non dant, cum multa interim sint quæ exhibuerunt. *Epictetus.*

Egregij vero scilicet sunt, qui sibi valde placent in rebus externis, neque nostri arbitrij Vt si cui quispiam dicat, Ego te melior sum: possideo enim prædia, tu fame cruciaris, &c. Atqui equus equo non dicit, melior te sum, multum enim pabuli habeo: aureumque frenum & sellam pictam: sed quis te velocior sum. Si quidem omne animal ex virtute & vitio sibi proprijs melius deteriusue iudicatur. *Idem.*

Eos ne prudentes putas, qui facienda dicendaque cognoscunt? Hos ipsos. Quos vero imprudentes arbitraris? Nonne qui neutrũ istorum sciunt? Ita sane. Igitur qui vtrumque illorum ignorant, imprudentes sese produnt, dicendo faciendoque ea quæ non conuenit. Sic videtur. *Plat. in Alcibiade.*

Homines imprudentes tutissimum putant omnia metuere, ac nemini confidere. *Plut. in Cleomene.*

Virorum qui superati sunt mentes nesciunt in ijsdem periculis sibi constare. *Thucyd. lib. 2.*

Non est prudentum neque generosorum hominum res alienas fortitudine quærere, & pati suas per ignauiam amitti. *Dion Nicæ. libro 11.*

Imprudentia solet plerumque calamitatem antecedere. *Appian. de bello Mithr.*

Qui nihil ante præuidit, imminente periculo trepidat, concursat, cohortes disponit: hęc tamen ipsa timide, adeo vt omnia cum deficere videantur, vt qui in ipso negotio cogatur capere consilium. *Cæsar l. 5. de bello Gall.*

Sępe honesta rerum caussas ni adhibeas in iudicium, perniciosi exitus consequuntur. *Tacit. hist. l. 1.*

Quibus de rei summa periculum imminet, stultum est alia curare. *Procop. de bello Vand. lib. 1.*

APOPHTHEGMATA, ET SIMILITVDINES.

Demosthenes, cum vidisset ineptum quendam dæmagogum, magna voce concionantem, dixit, Non magna res statim bona est, sed bona statim est magna. *Stob. serm. 4.*

Socrates, fugitiuos nullo persequente trepidare dicebat, & imprudentes, licet nihil aduersetur ipsi fortuna, perturbari. *ibid.*

Idem. Fauente fortuna imprudentes bacchantur, aduersante insaniunt. *ibidem.*

Idem

Idem Imprudentum vita, tanquam histrio, multa fastus, & arrogantiæ gerit indumenta. *ibid.*

Idem Imprudentibus, sicut infantibus, vtcumque leuis occasio satis est ad luctum. *ibid.*

Idem Errant peregrini in vijs, in rebus imperiti & rudes. *ibid.*

Rheginus. Solare lumen imbecillus & impotens visus aspicere nequit: ita veritatem infirma mens conspectare non potest. *Serm. de amicitia.*

Crates imprudentes homines tenebris comparabat: quod nisi carceribus & vi coacti officium suum non faciunt. *Seb. serm. 4.*

Bion Grammaticos aiebat errores Vlyssis inquirentes, non animaduertere suos, neque videre, quod eodem (vt ille) modo errent, dum labores multos exhauriunt. *Eod. serm.*

Heraclitus. Mali sunt etiam oculi & aures stultorum hominum, qui barbaros habent animos. *ibid.*

Socrates. Neque musices ignari instrumenta concinnare, neque imprudentes infortunia sibi accommodare possunt. *ibid.*

Idem. Langucoti onus imposuisse idem est, ac imprudenti bonam fortunam. *ibid.*

Neque nauigantes præter loci commoditatem appellere tutum est, neque imprudentes vitam agere periculo vacat. *idem. ibid.*

Proteus quidem formam, imprudens vero animam vbique mutat. *idem. ibid.*

Philippus Macedo. imprudentes comparabat statuis quibusdam, quæ nihil aliud habent quam os apertum, & magna pudenda. *ibid.*

Demades tibijs similes esse dicebat Athenienses, quod adempta lingua nihil residui rationis haberent. *ibid.*

Diogenes cum in Stoa retrorsum incederet, ridentibus nonnullis, nõ vos, inquit, pudet, viuendi facere iter retrogradum, mihi vero deambulando tantum id facienti vitio dare? *ibid.*

Socrates Luxuriosi, cum ægrotant, & imprudentes, quando sinistram experiuntur fortunam, vix curari queunt. *Eod. serm.*

Ariston Chius hominum vulgus Laerti comparabat, qui cum reliqua suri diligenter curaret, seipsum negligebat: sic & illos studiosissimos quidem esse circa possessiones, animum autem feris obrutum affectibus non excolere aiebat. *ibid.*

Diogenes se multos quidem videre colludentes, colluctantes, & discursantes, dicebat: nullos autem qui virtuti operam darent. *ibid.*

Neque Achillis arma Thersiti, neque animi bona homini imprudenti conueniunt. *Socrates eod. serm.*

Victus ægrotantis & bona insipientis fortuna multum continet molestiæ. *idem, ibid.*

Tonitrua pueros in primis & minæ stultos territant. *Idem, ibid.*

Neque vox in piscibus, neque virtus in hominibus imperitis quærenda. *Sextus, apud Ant. & Maximum. ser. 28.*

SENTENTIÆ BIBLICÆ.

Thesaurus desiderabilis & oleum in habitaculo iusti: at imprudens homo dissipabit illud, *Prou. 21. 20.*

Flagellũ equo, camus asino, & virga in dorso, imprudentiũ, *c. 26. 3. v.*

Sicut canis qui reuertitur ad vomitum suum: sic imprudens qui iterat stultitiam suam, *eod. c. v. 11.*

Corona sapientum diuitiæ eorum, fatuitas stultorum imprudentia, *Prou. 14. 24.*

Vide Ecclesiastici, *c. 20. 24. & 21. 28. & 22. 18. & 31. 7. 40. & 34. 1. & 40. 32.*

POETARVM DICTA.

Menander.

Imprudentia nihil quicquam est audacius.
Imprudentia hominibus spontaneum est infortunium.
Res mihi cæca videtur imprudentia.

Hesiodus.

Miser, nimirum valde deplorat postmodum
Calamitatem suam lugens quæ non reuocabilis est.

Menander.

Nullus peccandi satis est magnus prætextus.

Theognis.

Multos viros satietas perdidit insipientes.

Sophocles in Aiace.

Οἱ γὰρ κακοὶ γνώμαισι τἀγαθὸν χεροῖν
Ἔχοντες οὐκ ἴσασι πρίν τις ἐκβάλῃ.
Homines enim malo mentis bonum præ manibus
Habentes, non cognoscunt antequam amittatur.

Idem in Electra.

Βουλῆς γὰρ οὐδὲν ἐστιν ἔχθιον κακῆς.
Consilio enim nihil est peius malo.

Hesiodus.

Imprudens est, quisquis præstantioribus certare vult:
Et victoria priuatur, & dedecore supra dolorem afficitur.

Sophocles.

Quam intractabile malum est amentia. Menander.
Nemo rem dum peccat cognoscit: sed quanta sit Idem.
Peccati magnitudo postmodum videt.
Graue est peccata eiusmodi committere,
Quæ qui admiserunt, vel nominare verentur.

Euripides.

Non sapit ille, quem metu quidem infirmus est,
Animo autem paululum collecto, nimium est arrogans.
Non decet mores nimium esse leues.
Nullus vbi se iam videt lapsum, bene sibi consuluisse videt.

Aeschylus.

Non homo fortunatus, sed imprudens, onus est graue:
Porro stultitia
Maxime soror malitiæ. Euripides.
Qui cum imperito sapienter loquitur, non bene loqui videbitur.

SIMILITVDO.

Laurentij Iustiniani Patriarchæ. Quemadmodum prudens virtutibus modum imponit, ne fiant vitia: Ita è contrario imprudenti si adsit timor, transit in desperationem: si dolor, in amaritudinem, si amor, in adulationem: si spes, in præsumptionem: si lætitia, in dissolutionem; si scelus in furorem. *Lib. de ligno vitæ, c. 4.*

FABVLA. Fures.

Fures, qui se per ruinosum parietem in ædes quasdam insinuassent, cum quod auferre possent nihil reperirent, gallum forte strepentem & cantantem comprehendunt, & secum asportant. Quem iugulaturi orantur ab eo, sibi vt parcant, suum enim cantum vtilem hominibus esse, quos excitet è somno ad opera & laborem. Tum fures eo libentius, inquiunt, te occiderimus, qui eos suscites, quorum vigilantia obstet conatibus nostris.

Fabula significat, malis ea maxime aduersari, quæ bonis prosunt. Monet, & hoc, imprudentes ea sæpe defensione vti, qua magis aduersariorum adiuuetur caussa, quam sua.

Vide Stultitia. Stupiditas, Rusticitas, Importunitas.

IMPVDENTIA.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

Impudentia est (*vt inquit Arist. 3. Rhetor.*) contemptio indulentiaq; earum rerum, quas verecundi reformidant.

Impudentia gloriæ contemptio est, sordidi quæstus caussa inducta. Impudens autem ille, qui quẽ frustraturus sit, ab eo aliquid mutuatur: quippe vbi Dijs immortalibus sacra mactauerit, apud aliũ cœnat, ipse carnes suas sale conditas recondit, & ministro accersito, panem, & carnem largitur è mensa, ac audientibus cunctis, vescere, ait, honoratissime.

Impudentia contemnit Dei, & omnium hominum iudicia, & sine respectu sensus conscientiæ propriæ omnibus cupiditatibus laxat habenas.

Impudẽtia est famæ neglectus turpis lucri gratia. Theophr. in ethicis charact. vbi luculenter impudentiam & impudentem depingit. Ἀναισχυντία, ἀναίδεια. Græc. Varijs nominibus Impudentiam Hebræi designant. 1. *Haccarah*, dicitur. i. asperitas, *Esa. 3. 9.* 1. à verbo *Hacar*, asper fuit, rustice & parum ciuiliter se opposuit alicui, vrgendo eum, 2. Quoniam robusti & diuites alios homines contemnunt, & superciliose intuentur, nomen adiectũ, *Cason.*, à verbo *Cason.*, corroborauit, pro robusto, & audace accipiunt. 3. Idẽ sentiunt de voce *Hezan*. robur, à verbo *Hazan*. Obfirmauit, quoniam intrepido vultu fortes homines apparent.

LOCI BIBLICI.

Impudentia cauenda, *Rom. 14. 12.*

Impudentia damnatur, *Rom. 13. 13. 2. Cor. 12. 21. Ephes. 5. 12.*

POETICÆ SENTENTIÆ.

Theodectus.

Ἅπαντ᾽ ἐν ἀνθρώποισι γηράσκει, ξένε,
Καὶ πρὸς τελευτὴν ἔρχεται τῷ τοῦ χρόνου.
Πλὴν (ὡς ἔοικε) τῆς ἀναιδείας μόνον
Αὕτη δ᾽ ὅσῳ περ αὔξεται θνητῶν γένος,
Τοσῷδε μείζων γίγνεται καθ᾽ ἡμέραν.
Omnes humanæ res natura consenescunt,
Et ad finem temporis veniunt,
Præter solam (vt videtur) impudentiam.
Hæc enim quanto magis genus augetur mortalium,
Tanto fit maior quotidie. Menander.
Ὦ μεγίστη τῶν θεῶν
Νῦν οὖσ᾽ ἀναίδει᾽, εἰ θεὸν καλεῖν σε δεῖ.
Δεῖ δ᾽· τὸ κρατοῦν γὰρ νῦν νομίζεται θεός.
Ἐφ᾽ ὅσον βαδίζεις, ἐφ᾽ ὅσον ἥξειν μοι δοκεῖς.
O maxima Deorum
Hoc temporis impudentia, si modo te Deam vocare oportet.
Sed oportet: nam quod imperat pro Deo nunc habetur:
Quantum progrederis, quousq; peruentura mihi videris?

Diphilus.

Οὐκ ἔστιν ἀναιδοῦς ζῷον εὐθαρσέστερον
Κακὴ γὰρ αἰδὼς οὐδαμοῦ ἀναίδειαν κρατεῖ.
Homine impudente nullum animal est confidentius.
Malus enim est pudor, vbi viget impudentia. Theogn.
Ἤδη νῦν αἰδὼς μὲν ἐν ἀνθρώποισιν ὄλωλεν,
Αὐτὰρ ἀναίδειη γαῖαν ἐπιστρέφεθ᾽ ὁμῶς.
Nunc verecundia quidem inter homines periit.
At impudentia terram peragrat vndiq;.

Euripid.

Euripid. in Medea.

Οὔτοι θράσος τόδ' ἐστὶν οὐδ' εὐτολμία,
Φίλους κακῶς δράσαντ' ἐναντίον βλέπειν.
Ἀλλ' ἡ μεγίστη τῶν ἐν ἀνθρώποις νόσων
Πασῶν ἀναίδει'. εὖ δ' ἐποίησας μολών.
Hac non est animositas neque fortitudo,
In faciem intueri amicos male à se affectos,
Sed maximus morborum inter homines
Omnium impudentia bene autem fecisti, quod aduenoris.

Menander.

Ἀπηρυθρίακε πᾶς, ἐρυθριᾷ δ' οὐδεὶς ἔτι.
Omnes perfricta sunt fronte, nec vllus amplius erubescit.
Ὁ δ' οὐκ ἐρυθριῶν οὐδ' ἑαυτὸν δεδιώς
Τὰ πρῶτα πάσης τῆς ἀναιδείας ἔχει.
Qui verò nec erubescere scit, neque metuere,
Ille primas vniuersæ tenet impudentiæ.

SENTENTIÆ PHILOSOPHORVM.

Ἅμα δὲ κιθῶνι ἐκδυομένῳ ἐκδύεται καὶ τὴν αἰδῶ γυνή. Mulier simul cum veste pudorem etiam exuit. *Herodot. lib. 1. hist.*

Qua re re impudens appellatus est, nisi quia ista, quæ neque sunt, neque facta sunt, propter impudentiam palam dicere nihil pudet? *Demosth. orat. 1. cont. Aristog.*

Sed tamen, qui semel verecundiæ fines transierit, eum bene, & nauiter oportet esse impudentem. *Cic. in epist. fam. l. 5. ad L. Luceium.*

Ἔγνωκα δὲ δοκεῖ μάλιστα τῇ ἀχαριστίᾳ ἀναισχυντία, καὶ γὰρ αὕτη δοκεῖ εἶναι μεγίστη ἐπὶ πάντα αἰσχρὰ ἡγεμών.

Ingratitudini verò potissimum impudentia videtur esse comes, quæ ad omnem turpitudinem maxima dux est. *Xenoph. in lib. 1. de Pædia Cyri.*

Impudentia est habitus animæ infamiam lucri causa subiens. *Speus. in Plat. definitionib.*

Impudentia est parui factio, & contemptio. *Arist. Rhet. 2.*

Impudentia malum est, cum turpia agere non verecundatur. *Aristot. Eth. c. 6.*

Impudens est, qui vbique, & in omnes loquitur, & omnia vteumque venerint. *idem Mag. Moral. 1. c. 27.*

Ingratitudini potissimum impudentia videtur esse comes, quæ ad omnem turpitudinem maxima dux est. *Xenoph. Cyropæd. l. 2.*

APOPHTHEGMATA.

Caligula dicebat, se nihil magis in sua natura probare, quam *ἀδιατρεψίαν* hoc est, inuerecundiam. Pudor enim, vt multis ad honestas actiones obstat, ita nonnumquam improbæ mentis homines a turpibus reuocat. Vox carnifice, quam Imperatore dignior. *P. M. l. 6. apoph.*

Anonymus. Quum testis, qui se dicebat à reo vulneratum, interrogaretur, an cicatrices haberet: ingentem in femore cicatricem ostendit, tum aduersarius: Latus, inquit, erat opportunius, significans, illum vulnere lethaliore dignum. *idem.*

SIMILITVDO.

Marci Eremitæ. Sicut lagena inueneam amico non accedit animo: Ita neque prudentia tristitiam secundum Deum beneuolè, & libenter accipit. *De lege spirituali.*

ADAGIA.

Lingua non redarguta. *ἡ μὲν γλῶττα ἀνέλεγκτος ἡμῖν ἐστιν. ἡ δὲ ὀφρὺς ἀνέλεγκτος.*

In eos quadrat, qui rationibus conuicti, non cedunt tamen, sed tergiuersantur reclamantes aduersus suam ipsorum conscientiam.

Faciem, os perfricare. Frontis perfrictæ. *Plinius.*

Dicuntur, qui pudorem omnem dedidicerunt, velut abterso manu à vultu pudore.

Dea impudentia. *Θεὸς ἡ ἀναίδεια.* *Zenodot.*

Dici solitum: Vbi quis ex audacia, inuerecundiaq; sua lucrum, atque emolumentum ferret.

Nudo capite. *γυμνῇ κεφαλῇ.*

Nudo capite facere quippiam dicuntur, qui palam, ac citra pudorem omnem faciunt. Qui rem pudendam faciebant, ijs mos erat contentibus caput operire.

Atticus aspectus. *Ἀττικὸν βλέπει.* *Aristophan.*

Perinde est, quasi dicant Os impudens. Nam hoc vitio notati sunt Atticorum mores.

EXEMPLA BIBLICA.

Impudentiæ exempla: Rachel, *Gen.* 30. 1. Nabal, 1. *Sam.* 25. 10. Iuda, *Esa.* 3. 8. Pseudoprophetæ, *Ierem.* 8. 12. Antichristi, *Dan.* 8. 23. Iudas, *Matth.* 26. 49. *Ioan.* 18. 5.

EXEMPLA PROFANA.

Homericus Achilles Agamemnonem κυνῶπα appellat, id est, canino aspectu, & apud eumdem.

Κυνὸς ὄμματ' ἔχων, κραδίην δ' ἐλάφοιο.
Canis habens oculos cor cerui.

Impudentiam significans cum timiditate coniunctam. *P. M. in Adag.*

Aristogiton, orator Atheniensis, ob impudentiam canis vocatus est. *Volat. lib. 13. c. 4. Anthrop.*

Vatinius, qui vis a Cæsare sibi reconciliato in iudicijs publicis defensus est, impudentissimus fuit. Assiduo enim, vt Seneca ait, conuitio depudere didicerat.

C. Cæsar. Caligula immanissima facta augebat atrocitate verborum. Nihil magis in natura sua laudare se ac probare dicebat, quā (vt ipsius verbo vtar) *ἀδιατρεψίαν*, hoc est, inuerecundiam. *Sueton.*

Mosyni in Ponto in propatulo cum mulieribus concumbebant viri, spectantibus quibuscumque. *Diod. lib.* 14.

Alexander VI. PP. spurios suos non dissimulato nomine Nepotes, vt reliqui: sed filios appellare consueuerat. *Guicciardinus lib. 1.*

Penelopes Procos Odyss. φ. pudebat, quod ab Vlysse mendici habitu in arcu extendendo superarentur: non pudebat autē (quod illis Penelope obijcit) Vlyssis absentis bona absumere.

Fuit C. *Fimbria* perditissimæ audaciæ homo, & ad quoduis facinus designandum accommodatissimus, qui Crassum interemit, quique in funere C. Marij Q. Scæuolam virum probissimum & sanctissimum vulnerandum curauit: & vbi ferrum non alte in corpus descendisse accepisset, diem illi dixit. Admirantibus cunctis, quod Pontifex Maximus optimum totius ciuitatis ciuem accusaret, crimen expectantibus, dixit se illum accusare, quod non totū telum corpore excepisset. *Cicero pro Roscio.*

HIEROGLYPHICA.

Canis hieroglyphice *impudentia* significatum est. Nam, vt apud Pollucem legimus, canis oculum habere dicitur is, qui nimio plus impudens est. *Pier. Valer. lib. 6.*

Simia quoque *impudentiæ* est hieroglyphicum. Ea siquidem partibus ijs, quas verecundia occultari iubet, assidua sessione depilatis, naribusque ita turpiter denudatis, improbum exhibet spectaculum. *Pier. lib. 6.*

EMBLEMA.

Impudentia.

Emblema XXVIII. And. Alciati.

Pube tenus mulier, succincta latrantibus infra
Monstrorum catulis Scylla biformis erat.
Monstra putantur auaritiæ, audacia raptus:
At Scylla est, nullus cui sit in ore pudor.

FABVLA.

Lupus & Agnus.

Stabat supra agnum in ripa fluminis lupus, qui cum vellet, si deuorasset illum, hoc iure fecisse videri. Cur tu, inquit, toruo vultu & minacib. verbis, scelestè, puras vndas inquinas, vt ad me defluant turbidæ? Egone, inquit, timens & trepidans agnus, quia infra te assisto, & à quo ad me illæ deferuntur. At enim maledicis, inquit lupus, neque recordare, quam pœnam ob petulantiam linguę pater tuus persoluerit ante menses septem. Non ego tum, inquit agnus, procreatus fui. Scio vero, lupus inquit, quam vastum reliqueris nuper campum omnibus herbis nudatum. Nunquā hoc, inquit agnus, factum reperies, neque ego omnino, cum dentibus caream, facere potui. Tandem lupus: Tu quidem, inquit, satis dicaculus es & disertus, ego tamen laute cœnare decreui, atque ita correptum agnum deuorauit.

Fabula narratur de impudentia facinorosorum.

IMPVDICITIA.

DEFINITIO.

Impudicitia. Græce *ἀσέλγεια, ἀσελγὴς ἀσελγαίνειν*, impudicus dicitur. Est autem impudicitia circa oscula & tactus, & alios actus circumstantes actum Venereum. *S. Thom.* 2. 2. q. 154. *art.* 1.

LOCI BIBLICI.

Impudicitiæ pœnæ, *Apocal.* 25. Impudicitia contra naturam, *Genes.* 19. 5. & 38. 7. *Leuit.* 13. 22. & 20. 13. *Iud.* 19. v. 22. 30. *Rom.* 1. 25. 27. 1. *Cor.* 6. 10. *Ephes.* 5. 12. 1. *Timoth.* 1. 10. 2. *Pet.* 2. *ver.* 7. 8.

APOPHTHEGMATA.

Milites Cæsaris in Gallico triumpho hos versiculos iactabant in Cæsarem:

Vrbani seruate vxores, mœchum caluum adducimus.
Aurum in Gallia stuprum emisti, hic sumpsisti mutuum.

Notabant, quod in prouincia agēs, alienas vxores auro corruperit: Romæ non emerit, sed mutuum sumpserit, quod vxor ipsius male audiret de Claudio. Nisi forte quiddam obscœnius intelligi voluerint. Nam Suetonius aliquanto post commemorat, quod Curio Pater in oratione quadam appellat illum omnium mulierum virum, & omnium virorum mulierem. *P. M. lib. 6. apoph.*

SIMILITVDINES.

D. Cypriani. Si quis pingendi artifex vultum alicuius & speciem, & corporis

corporis qualitatem æmulo colore signasset. & signato iam consummatoque simulachro manus alius afferret, vt iam formata iam picta quasi peritior refotmaret, grauis prioris artificis iniuria, & iusta indignatio videretur. Tūc existimas impune laturam improbæ temeritatis audaciam, Dei artificis offensam? Vt enim impudica circa homines & incesta fucis lenocinantib. non sis, corruptis violatisque quæ Dei sunt, peior adultera detineris. *Tract. de habitu virginum.*

Impudicitia. Panthera sic auida est excrementorum hominis, vt si in vase suspendantur altius, quam possit attingere, enecet sese, defatigati porrectu corporis: Ita nonnullis, quod est fœdissimum, id dulcissimum est. *P. M.*

ADAGIA.

Orsobatis. *ὀρσοβάτης.*

Quadrabis in quamuis prostituta famā.

Oice loqui.

Osce loqui vetusto prouerbio dicebantur, qui turpiter parumque pudice loquerentur.

Aegis venit. *αἰγὶς ἔρχεται.*

Suidas indicat, prouerbium dici solitum de ijs, qui petulanter & impudenter agerent.

FABVLA.

Iupiter.

Fuerat Iupiter creatis hominibus oblitus verecundiam quoque attribuere, cum reliquos omnes affectus attribuisset. Ergo dubius animi non inueniens viam, qua & hanc illis insereret, iubet, vt ipsa in turbam & multitudinem sese inferat. Quod eum facere admodum grauaretur, Iupiter autem vt faceret, valde instaret, consensisse tandem hac conditione dicitur, ne libido eodem quo ipsa accederet. Huius enim coniunctionem vel potius conspectum se tolerare non posse. Ex eo fit, vt omnes impuri & libidinosi etiam sint inuerecundi.

Narratur fabula contra impudicos, & seruientes turpitudini cupiditatum.

Vide Fornicatio, Meretrix, Scortatio.

IMPVNITAS.

LOCI BIBLICI.

Impunitas multis noxia. *Eccl. 8. 15.* Impunitas, venia peccati, licentia, *ἀτιμωρησία* Heb. *Chen.* i. gratia, quæ aliquoties in bonam partem sumitur, præsertim respectu Dei, facientis misericordiam.

APOPHTHEGMATA.

M. Cato, dicere solebat, Iniuriam, etiamsi facienti nihil adferat periculi, vniuersis tamen periculosam esse. Sentiens impunitæ iniuriæ exemplum omnibus minari iniuriam. Etenim si liceat impune lædere, nullus erit tutus ab improborum violentia. *Plut. in Rom. apoph.*

Idem, exhortans magistratus ad sumendas pœnas de his, qui delinquerent, dicebat: eos, qui maleficos prohibere possent, & tamen impunitate donarēt, lapidibus obruendos esse. Sentiens, eos Reipublicæ perniciosissimos esse, qui permitterent impune contra iustitiam, æquitatem, & vrbis leges agere. *Plut.*

Idem addebat, se malle pro collato beneficio nullam reportare gratiam, quam pro maleficio perpetrato non dare pœnam. Significans, nihil esse periculosius impunitate, quæ semper ad deteriora inuitat. *Ibidem.*

FABVLA.

Puer & Mater.

Itabat in ludum literarium puer paruulus, atque illic condiscipulis suis tabellas negligentius asseruantibus, suffurari eas, & afferre matri solebat. Ea pueri furtis delectabatur, tantū aberat, vt ob delicta filium suū castigaret. Itaque ille, quod pueritia facere assueuerat in paruis, grādior in magnis etiam exercere cœpit. Deprehensus autem quodam tempore in manifesto furto, & capite damnatus, cum ad suppliciū duceretur, valde obsecrauit carnificem, vt sibi matris, quam sequi cum lachrimis & eiulatu animaduerterat, compellendæ potestatē faceret: Qua re facile impetrata, os ille, tanquam arcanam quādam orationem habiturus cum matre, ad aurem ipsius applicat, & mordicus hanc arripit. Quod factum non solum matre, sed etiam multitudine male ferente, neque vt furi faciente conuitia, sed etiam vt impio, docuit ille matrem se vltū vt posset, quæ causa esset illius exitij & ignominiosę mortis. Si enim, eam quōdam, inquit, ad eā pueriles afferebam tabellas, me castigasset, non processissem eo vsque audaciæ, qua nunc ad crucem adigor.

Fabula monet, neglacta delictorum supplicia causam esse solere, vt illa maiora fiant & cumulatiora.

Vide Correptio, Correctio, Disciplina, Pœna.

INCANTATIO.

DEFINITIO, ET ETYMOL.

Incantatio, Grece *ἐπαοιδὴ, ἐπῳδή*, & *ἐπῳδός*, incantator dicitur. Est autem incantatio superstitiosa & illicita, si continet aliquid ad dæmones pertinens, vel nomina ignota, vel aliqua falsa vel vana, vel aliqua signa præter crucem. *secund. S. Tho. 2 2 q 96 art 2.*

Incantatio Hebr. *Chaschaph*, à verbo *Chischeph*, fascinauit, fucosus perstrinxit.

Incantare proprie est, verbis solis, vel etiam rebus quibusdam adiunctis, aliquid supra naturam moliri, vnde incantatio & incantamentum. Plinius: Quæstionis semper fuit, valeátne aliquid verba & incantamenta carminum. Carmen etiam nonnunquam incantationem significat. *Virg.*

Carmina vel cœlo possunt deducere lunam.

LOCI BIBLICI.

Incantationes & maleficia. *Exod. 7. 11. & 8. 18 & 22. 18. Leu. 19. 35. & 20. v. 6. 27. Nu. 23. 23. Deut. 18. 10. 1. Sam. 28. v. 7. &c. 2. Reg. 17. v. 17. & 21. 6. Esa. 2. 6. & 44. 25 & 47. 53. Iere. 10. 2. Da. 2. v. 2. 10. Mich. 5. 11. Act. 8. v. 8. & 13. 6. & 19. 19. Gal. 5. 20. Apoc. 18. 23. & 21. 8.*

SENTENTIÆ BIBLICÆ.

Non augurabimini, nec obseruabitis somnia. *Leuit. 19.*

Non declinetis ad magos, nec ab ariolis aliquid sciscitemini, vt polluamini per eos. *ibid.*

Anima, quæ declinauerit ad magos & ariolos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, & interficiam eam de medio populi sui. *ibid. 20.*

Quando ingressus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, caue ne imitari velis abominationes illarum gentium: nec inueniatur in te, qui lustret filium suum, aut filiam ducens per ignē: aut qui ariolos sciscitetur, & obseruet somnia atque auguria ne sit maleficus, nec incantator, nec qui Pythones consulat, nec diuinos, & quærat à mortuis veritatem. Omnia enim hæc abominatur Dominus, & propter istiusmodi scelera delebit eos in introitu tuo. Perfectus eris & absque macula cum Domino Deo tuo. Gentes istæ, quarum possidebis terram, augures & diuinos audiunt: tu autem à Domino Deo tuo aliter institutus es. *Deut. 18.*

PATRVM SENTENTIÆ.

Illud quod est secundum institutiones hominum, partim superstitiosum est, partim nō est superstitiosum. Superstitiosum est, quicquid institutum est ab hominibus ad facienda idola & colenda personas, vel ad colendam, sicut Deum, creaturam, partemve vllam creaturæ, vel ad consultationes, & pacta quædam significationum cum Dæmonibus placita atque fœderata: qualia sunt volumina magicarum artium: quæ quidem commemorare potius quam docere solent poetæ: ex quo genere sunt (sed quasi licentiori vanitate) aruspicum & augurum libri. Ad hoc etiam genus pertinent omnes ligaturæ atque remedia, quæ medicorum quoque disciplina condemnat, siue in præcantationibus, siue in quibusdam notis, quas characteres vocant, siue in quibuscumque rebus suspendendis atque ligandis, vel etiam saltandis quodammodo, non ad temperationem corporum, sed ad quasdam significationes aut occultas aut manifestas, quæ eminentiori nomine physicam vocans: vt quasi non superstitionem implicare, sed naturæ prodesse videantur: sicut sunt inaures in summo singularum aurium: aut de struthionum ossibus ansulæ in digitis: aut cum dicitur tibi singultienti, vt dextera manu pollicem sinistrum teneas.

Omnes igitur artes huiusmodi vel nugatoriæ, vel noxiæ superstitiones ex quadam pestifera societate hominum, & dæmonum, quasi pacta infidelis & dolosæ amicitiæ constituta, penitus sunt repudiandę & fugiendę Christiano. *Aug. l. 2. de doctrina Christiana, & hab. 20. q. 2. Illud.*

Admoneant fideles sacerdotes populos suos, vt nouerint, magicas artes incantationesq; quibuslibet infirmitatib. hominum nihil remedij posse conferre, non animalibus languentibus claudicantibusve, vel etiam moribundis quicquam mederi: sed hęc sunt laqueus & insidiæ antiqui hostis, quibus ille perfidus genus humanum decipere nititur. & si quis hoc exercuerit clericus degradetur, laicus anathematizetur. *August. & hab. 26. q. vlt. Admoneant.*

Nec mirum de magorum præstigijs, quorum in tantum prodiere maleficorum artes, vt etiam Moysi in illis signis resistere, vertentes virgas in dracones, & aquam in sanguinem, dicantur. In gentilium etiam libris legitur, quod quadam magia Circe socios Vlyssis mutauerit in bestias. Legitur etiam de sacrificio, quod Arcades Deo suo Lyceo immolabant: ex quo quicunque sumeret, in bestiarum formas conuerterentur. Sed hæc omnia magicis præstigijs potius fingebantur, quam rerum veritate complerentur. Vt ergo ipsi errores ignorantibus manifesti fiant,

fiant, de eorum proprietate, atque inuentoribus, iuxta traditionem maiorum patrum dicere, congruum arbitramur. Magi sunt, qui vulgo malefici ob facinorum multitudinem nuncupantur. Hi sunt qui permissu Dei elementa concutiunt: conturbant mentes hominum, minus confidentium in Deo, ac sine vllo veneni haustu, violentia tantum carminis interimunt. Vnde Lucanus:

Mens hausti nulla sanie polluta veneni
Incantata perit.

Dæmonibus enim accitis audent ventilare, vt quoscumque suos perimant malis artibus inimicos. *August. lib. de ciuit. Dei, & habetur 26. q. 5. Nec.*

Incantatores dicuntur, qui artem verbis peragunt. Arioli, qui circa aras idolorum nefarias preces emittunt, & funesta sacrificia offerunt. Haruspices dicuntur horarum inspectores, dies enim & horas in agẽdis negocijs, & operibus custodiunt: & quid per singula tempora obseruare debeat homo, intendunt, hi etiam exta pecudum inspiciunt, & ex eis futura prædicũt. Augures sunt, qui volatus auium, & voces intendunt, dicitur enim augurium, quasi auigerium, quod aues gerunt. Pythonissæ à Pythonio, i. Apolline dictæ: quæ dicunt, se habere spiritum, per quem possunt futura prædicere. Genesiani, qui geneses, id est, natiuitates hominũ per duodecim signa cœli describunt, ac per hoc mores, actus, euentus prædicere conantur. Salitores, qui dum eis membrorum partes quæcumque saliarint, aliquid exinde prosperum sibi, siue triste significari præsumunt. Sortilegi verò communi nomine à sorte dicuntur. *Aug. lib. de natura dæmonum, & hab. 26. q. 4. Igitur.*

Qui sine Saluatore salutem vult habere, & sine vera sapientia æstimat se prudentem fieri posse, non sanus, sed æger: non prudens, sed stultus in ægritudine assidua laborabit, & in cæcitate noxia, stultus, & demẽs permanebit: ac proinde omnis inquisitio, & omnis curatio, quæ à diuinis, & magicis artibus, vel ab ipsis dæmonibus in idolorum cultura expetitur, mors potius est dicẽda, quã vita. *Aug. de ciuitate Dei, & habetur 26. q. 2. Qui sine.*

Illos planetarios, quos Mathematicos vocant, planè consulere non desistebam, quod quasi nullum eis sacrificium, & nullæ preces ad aliquem spiritum ob diuinationem dirigerentur, quod tamen Christiana, & vera pietas consequenter expellit, & damnat. *August. lib. 3. Confessionum.*

Non obseruetis dies qui dicuntur Aegyptiaci, aut Kalendas Ianuarij, in quibus cantilenæ quædam, & comessationes, & ad inuicem dona donantur, quasi in principio anni boni fati augurio: aut aliquos menses, aut tempora, aut dies, & annus: aut lunæ solisque cursum, quia qui & has, & quascumque diuinationes, aut fata, aut auguria obseruat, aut attendit, aut consentit obseruantibus, inutiliter, & sine causa, magis ad sui damnationem, quam ad salutẽ tendit: siue qui per quosdam numeros literarum, & lunæ, & per Pythagoricam necromantiam ægrotantium vitam, vel mortem, vel prospera, vel aduersa futura inquirunt: siue qui attendũt somnialia scripta, & falso Danielis nomine intitulata: & sortes, quæ dicuntur sanctorum Apostolorum, & auguria auium; aut aliqua pro domo facienda, aut propter coniugia copulanda: aut in collectionibus herbarum carmina dicunt: aut pyctaciolas, pro quauis infirmitate scriptas, super homines, & animalia ponunt, præter Symbolum, & Orationem Dominicam: aut magicis falsitatibus in grandinarijs tempestatibus credunt. Qui aut talibus credunt, ad eorum domum euntes, aut suis domibus introducunt, & interrogant, sciant se fidem Christianam, & Baptismum præuaricasse, & vt paganum, & apostatam, id est, retro abeuntem, & Dei inimicum, iram Dei grauiter in æternum incurrisse, nisi ecclesiastica pœnitentia emendatus, Deo reconcilietur. Dicit enim Apostolus: Siue manducatis, siue bibitis, siue aliquid aliud facitis, in nomine Domini nostri Iesu Christi facite, in quo viuimus, mouemur, & sumus. *Aug. & habetur 26. q. 7. Non ob.*

Non est absurdum credere, aliqua dispensatione permissum fuisse, vt non dominante arte magica, sed dispensatione occulta, quæ Pythonissam, & Samuelem latebat, se ostenderet spiritus iusti aspectibus regis, diuina sententia percussus: vel non verè spiritus Samuelis a requie sua excitatus est, sed aliquod phantasma, & illusio imaginaria, Diaboli machinationibus facta, quam scriptura Samuelem appellat: sicut solent imagines rerum suarum nominibus appellari. *Aug. in epist. ad Simplic.*

Dæmonium sustinentibus, licet petras, vel herbas habere sine incãtatione. *Hieron. & habetur 26. q. vlt. Dæmonium.*

Si quis ariolos, aruspices, vel incantatores obseruauerit, aut Phylacterijs eorum vsus fuerit: anathema sit. *Gregor. & habetur 26. q. 5. Si quis.*

Contra idolorum cultores, vel aruspices, atque sortilegos, fraternitatem tuam vehementius pastorali hortamur inuigilare custodia, quod si emẽdare se à talibus nolle repereris: si serui sunt, verberibus volumus castigari: si verò liberi, inclusione digni, districtamq; sunt in pœnam dirigendi. *Greg. & hab. 26. q. 5. Contra.*

Sortilegi sunt, qui sub nomine fictæ religionis per quasdam (quas sanctorum, seu Apostolorum vocant) sortes, diuinationis scientiam profitentur: aut quarumcumque scripturarum inspectione futura promittunt. *Isidor. Etymolog. lib. 8. & habetur 26. quæst. 2. Sortilegi.*

Non exemplo Matthiæ, vel quod Ionas Propheta sorte deprehensus sit, indifferenter sortibus est credendum, cum priuilegia singulorum communem legem omnino facere non possint. Si qui tamen necessitate aliqua compulsi, Deum putant sortibus, Apostolorum exemplo esse consulendum, videant hoc ipsos Apostolos, non nisi collecto fratrum cœtu, & precibus ad Deum fusis, egisse. *Beda super Acta Apostolorum.*

SENTENTIAE POETICAE.

Incantatio frugum, Medea apud Ouid.

Carmine læsa Ceres sterilem vanescit in herbam,
Deficiunt læsi carmine fontis aquæ.
Ilicibus glandes, cantataq; vitibus vua
Decidit, & nullo poma mouente cadunt.

Virg. in Bucolicis.

Carmina, vel cœlo possunt deducere lunam.
Carminibus Circe socios mutauit Vlyssis.
Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.

Virgiliana Dido in 4. Aeneid.

Testor, chara, Deos, & te germana, tuumque
Dulce caput magicas inuitam accingier artes.

Ouid. lib. 1. de remed. amor.

Deme veneficijs carminibusque fidem.

G. Manlius Astronomiæ suæ lib. 1.

Linguas dixere volucrum.
Consultare fibras, & rumpere vocibus angues:
Sollicitare vmbras imumque Acheronta mouere.
In noctemq; dies, in lucem vertere noctes.
Omnia conando docilis solertia vincit.

Vide Tit. Diuinatio, Sortilegium.

INCARNATIO CHRISTI.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

INcarnatio, ἐνσάρκωσις, Domini nostri Iesu Christi, breuiter, & prolixè describitur à Theologis: vt sequitur.

Incarnatio Christi est perfecta naturæ humanæ assumptio, à filio Dei, in vnitatem suæ personæ, ἀτρέπτως, ἀσυγχύτως, ἀδιαιρέτως, ἀχωρίστως, facta. *Vel,*

Incarnatio, est humanæ naturæ assumptio à filio Dei facta in vnitatem personæ suæ ad humani generis redemptionem. *Vel,*

Incarnatio Christi est pars humiliationis filij Dei, dum verus Deus existens, Caro, id est, verus homo factus est, ad homines perditos instaurandos. *Plenior autem hæc est.*

Ἐνσάρκωσις, seu incarnatio domini nostri Iesu Christi, est arcana diuinaq; humanæ carnis, seu naturæ assumptio: qua vbi venit plenitudo temporis, æternus λόγος existens in forma Dei, Deo Patri ὁμοούσιος ac coæqualis, formam serui ex semine Dauidis, in vtero beatæ Virginis Mariæ, cooperante Patre, & Spiritu sancto, sibi in vnitatem personæ ἀτρέπτως immutabiliter ἀσυγχύτως inconfusè, ἀδιαιρέτως indiuisè, ἀχωρίστως inseparabiliter, saluis nimirũ, & inconfusis manentibus cum formis, seu naturis, vtriusque formæ, seu naturæ essentialibus proprietatibus, iuxta vaticinia Prophetarum, assumpsit: atque ita assumpsit, vt qui ante tantum erat Deus, postmodum in similitudine hominum, verus etiam factus sit homo, in vtraque forma viuus, & idem Christus subsistẽs: idẽque Deus simul & homo verus, ex virgine natus: vsque adeo vt propter hanc formarum, seu naturarum vnitionem, primũ quicquid singularum est formarum, illud totum de Christo ipso, siue per propriæ personæ nomina, siue per nomina naturarum in concreto expressarum, significato, ac denominato, verissimè, ac realissimè prædicetur: Deinde innumerabilia, & excellentissima dona, à forma Dei in formã serui collata fuerit: Denique vt mediatoris, ac redemptoris, & nomen, & officium, & honor, secundum vtramque naturã eidem Christo conueniat: hancq; serui formam hoc modo ideo accepit æternus λόγος, vt in ea seipsum humiliãs, & Patri factus obediens vsque ad mortem, mortẽ autem crucis, peccata nostra suo sanguine expiaret, nosque Patri recõciliatos, per fidem iustificatos, & per Spiritum suum sanctum sanctificatos, ipse à Patre exaltatus, secum ad gloriosam resurrectionem æternamq; vitam exaltaret.

TESTIMONIA SACRA.

Sermo ille factus est caro, & commoratus est inter nos (& spectauimus gloriam eius, gloriam inquam, vt vnigeniti à Patre) plenus gratiæ, ac veritatis *Ioan 1. 14.*

Sine controuersia magnum est pietatis mysterium: Deus conspicuus factus est in carne, &c. *1. Tim. 3. 16.*

Incarnatio illa (quæ & aduentus Christi in carnem, incorporatio, œconomia, dispensatio, &c. appellatur) prædicta fuit in veteri testamento tum Oraculis, tum typis, 1. *Oraculis, Genes. 3. 15. & 22.*

18.& 49.10.*Deut.*18.18.2.*Sam.*7.12.2.1.*Typis.* figura humana, quæ præludium quoddam fuit, & symbolũ futuræ incarnationis eius, *Gen.*18.2.& 32.24.*Ios.*6.1.2.*Iudic.*13.6.*Dan.*17.3.*Os.*12.4.5.2. Tabernaculum Mosis io delect io, *Ioan.*1.14.*Luc.*1.68.78.79.

Quum nos ob corruptionem carnis nostræ legem Dei implere salutem æternam consequi, nosque ab æterna morte in quam per peccatũ coniecti fueramus, eripere non possemus, filius Dei caro factus est, vt ipse legẽ loco nostro impleret, nosq; obediẽtia sua, passione, & morte redimeret, & in integrũ restitueret, atque vt salutẽ ita & media salutis nobis præstaret omnia, vt officium mediatoris nostri bono perfungeretur. Huc referenda scripturæ varia testimonia, *Psal.*40.8.9.& 96.13.& 98.9.1.*Chron.*16.33.*Esa.*7.14 & 9.5.6.& 35.4.& 56.1.& 59.20.& 65.13.*Ier* 23.5.6.*Matt.*5.17.& 9.13.& 18.11.& 20.58.*Luc.*4.43.& 19.10.*Ioan.*10.10.& 12.46.47.& 18.37.*Rom.*8.3.4.1.*Cor.*1.30.2.*Cor.*5.21.*Gal.*2.20.& 3.10.11.12.13.14.*Philip.*2.8.1.*Tim.*1.15.*Hebr.*10.9.1.*Ioan.*3.5.20.

Patrum Santentiaa.

Christus mediator, &c. vt quia per ima nostra longè distabamus à summis, in seipso vno iungeret ima summis, atque ex eo nobis via redeundi fieret, in qua summis sua ima nostra copularet. *Greg. lib.*20.*Moral.*

Nemo hominum nouit, nec noscere potest ad plenum, quid boni ad gratiam, quid congruentiæ ad sapientiam, quid decoris ad gloriam, quid commodi ad salutem, penes seipsam contineat, huius venerandi mysterij, scilicet humanæ redemptionis, inscrutabilis altitudo. *In quadam epist.*

Salua proprietate vtriusque substantiæ, & in vnam coeunte personam, suscipitur a maiestate humilitas, à virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas, & ad rependendum conditionis nostræ debitum. Nam inuiolabilis natura est vnita passibili, Deusque verus homo, verus in vnitate Domini temperatur, vt quod nostris remedijs congruebat, vnus atque idem Dei, & hominum mediator mori posset ex vno, & resurgere posset ex altero. *Leo Papa in ser.*

Vbi incarnatio hoc facienda contulit, quod facta, & sacramentum salutis humanæ in nulla vnquam antiquitate cessauit, quod prædicauerunt Apostoli, hoc annunciauerunt Prophetæ, nec sero est impletum, quod semper est creditum: nec minus adepti sunt, qui in illud crediderunt promissum, quam qui susceperunt donatum. *idem.*

Tempus restaurationis, est incarnatio Verbi, cum omnibus sacramẽtis suis ab initio sæculi. *Hugo in l. de Sacramentis.*

Vide Tit. Christi Incarnatio.

INCENDIARIVS,

Incendium.

Definitio, et etymolog.

INcendiarius, Græcè ἐμπρηστής, & ἔμπρησις [illegible] incendium dicitur. Incendiarius, πυρπολητής. Hebr. *Bohera*, incendium, & incendiarius, *Exod.*22.6. a verbo *Baar*, in 2. coniugatione, incendit. In 1. coniugatione *Babar*, Arsit, exarsit, furẽter egit, vt solet ignis ardens: & homo furiosus, [illegible] instar pecoris, *Babar* appellatur, *Psalm.*73.22. Est autem incendiarius, siue incensor, qui authoritate propria ciuitatem, villam, segetem, domum, vel arbores incendit, vel similia igne apposito, ex odio, vel vindicta, *vt habet.* 23.*q.vlt.can. Pessimam,* & 12.*q.*2. *Cum deuotissimã.*

Philosophicæ Sententiæ.

De incendio. Dial. LV.

Francisci Petrarchæ.

Dol.

Ex incendio vix abij. R. Anne igitur euasisse, fortunæ trahis ad iniuriam? sine quæri Alcibiadem, qui hostili ex incendio non euasit, quanquam vt terrestre præuideris, cœlestibus quis iam obstet incendijs? Romanus mihi rex Tullius Hostilius, & Romanus respondeat Imperator Carus, quorum primus Romæ in regia, alter in castris ad Tygrim amnem, si communibus historijs est fides, igne arsit æthereo. D. Bonis meis omnibus amissis nudus ex incẽdio euasi. R. Quando prior hoc diceret, seu Bias (vt omnes volunt) seu Stilpon, vt vult Seneca, qui incensa patria admonitus, seu increpitus, quod nihil suorum bonorum ex incẽdio efferret, vt cæteri. Bona, inquit, mea omnia mecum porto. Præclarè, siue horum alter id dixerit, siue vterque, quãuis hæ voces ex ore primi semper authoris clarius sonent, sed omisso authore, dicti veritas vtique nota est. Habent nempe præcordijs vera bona, vivoq; nihil eripitur possessori, sed ne mortuo quidem. In anima enim sunt, quo nec fortunæ, nec mortis dextra se porrigit, tu saluus, & incolumis perijsse tibi aliquid eorum doles, quæ si tua fuissent, procul dubio tecum hodie salua essent. Mihi etenim crede, Vera bona non pereunt. Non est autem virtute nobilius, nec par quidem, quod non igne consumitur, sed purgatur. D. Magnum me afflauit incendium. R. Cæculus nescio quis famam diuinitans igne quæsiuit apud Vergilium, Iulij comas flamma corripiens primã dubiæ spem salutis attulit. Seruio capite arsisse, non poeticum, sed historicũ regni omen fuit. Constat ex flãmis Iliacis prodijsse Romani imperij fundatores. Denique ad cęlũ Heliã incendio abijsse, Deumque ipsum in flamma ignis apparuisse, sacræ loquuntur historiæ, vt non immerito vestris in vrbibus index hic soleat esse lætitiæ, qui tibi materia est doloris. D. Domus igne subito conflagrauit mea. R. Et templum Dianæ olim arsit Ephesiæ, quo nil sæcula illa formosius viderunt. Arsit & templum cœli Deo sacrum Hierosolymis, ipsis etiam qui illum incenderant miserandum hostibus. Et ætate hac Lateranensis arx illa religionis, ac decus eximium orbis terræ bis flammis exusta est, euidens, & apertum, vt mihi videtur, iræ cœlestis indicium, non mirabile fateor, sed tremendum ad extremum, vt minores taceam Saguntũ, Numantiam, & Corinthum, innumerasq; alias, & sæpè teotauit Romam, & nonnunquam pene ad vltimum, & Carthaginem semel, & bis Troiam flamma combussit, arsere vrbes, arsurumque mundum ipsum credimus. Tu in tuam domum ausum ignem, qui in cœlum, ac terras arsurus est, quereris? D. Ex incendio vix euasi. R. Euasisti igitur, an id dulce? nisi euasisses, fuisses. Nunc autẽ viuus cinis cinerem fles extinctum.

INCESTVS.

Definitio, et etymol.

INcestus, dicitur à cingulo Veneris, quod *κεστὸς* [illegible] Est autem incestus consanguineorum, vel affinium abusus. Vnde incestuosi dicuntur, qui consanguineis, vel affinibus abutuntur, *vt habetur* 36. *q.*1 *c. Lex illa.* § *Cum ergo.*

Incestus est, cum persona consanguinea, vel affini coitus prohibitus quadruplici ratione. *Primo,* quia naturaliter homo debet quãdam honorificentiam parentibus, & per consequens alijs consanguineis. *Secundo,* quia personas sanguine coniunctas necesse est adinuicem simul conuersari. *Tertio,* quia per hoc impediretur multiplicatio amicorum. *Quarto,* quia cum naturaliter homo consanguineam diligat, si adderetur amor, qui est ex commistione Venerea, fieret nimius ardor amoris, & maximum libidinis incẽdium, quod castitati repugnat. *ex B. Tho.* 2.2.*q.*154.*art.*1.

Dicimus autem incestum, & incestus. vtroque enim modo dicitur, quasi non castus. Hinc incesto verbum, quod significat fœdo, polluo. Virg. *Totamque incestat funere classem.* Ab incesto dicitur incestuosus, qui incestum commisit. Sunt, qui velint incestum dici à Veneris cingulo, quod cestum dicunt, quo vxor, cum maritalis illi fides dabatur à marito, cingebatur, *dicente Phyllide apud Ouid. in epist. ad Demophoontem:*

Cui mea virginitas auibus libata sinistris,
Castaq; fallaci zona recincta manu.

Loci Biblici.

Incestus quam execrandus, *Leu.*18.*v.*6.7.& 20.*v.*15.14. *Deut.*25.30. & 27.20.1.*Cor.*5.*v.*1.5.

Sententiæ Biblicæ.

Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedat, vt reuelet turpitudinem eius, ego Dominus Deus vester. *Leuit.*18.

Turpitudinem patris tui, & matris tuæ, vxoris patris tui, sororis tuæ, filiæ filij tui, & filiæ tuæ, nurus tuæ, vxoris fratris tui non discouperies. *ibid.*

Qui supra vxorem filiam duxerit matrem eius: scelus operatus est. Viuus ardebit cum eis, nec permanebit tantum nefas in medio vestri. 20.

Qui dormierit cum nouerca, & reuelauerit ignominiam patris sui, morte moriantur ambo, (& ita de alijs) *ibid.*

Non accipiet homo vxorem patris sui, nec reuelabit operimentum eius. *Deut.*52.

Patrum Sententiæ.

Adulterij malum vincit fornicationem: vincitur autem ab incestu. Peius est enim cum matre, quam cum aliena vxore concumbere. *Aug. lib. de Adulterinis coniugijs, & habet.* 32.*q.*7. *Adultery.*

Sunt enim in fornicatione gradus, vt sicut grauius peccat adulter, quam fornicator, sic grauius delinquit, qui nec sua dimissa aliam ducit, eo quod suam vxorem habens, ad coniugem proximi sui accedit, quam qui non habens vxorem, thorum alterius viduat: vel vxoratus ad solutam accedens, sed hos omnes incestuosi transcendunt: quos vincunt contra naturam delinquentes. *Idem ibidem, & habetur* 32.*q.*7.*Quemadmodum,* § *Sunt enim.*

Com-

Commistio sororum, & fratrum, quanto fit antiquior compellente necessitate, tanto postea facta est damnabilior, religione prohibente. *Idem l. 17. de ciuitate Dei.*

Nec eam, quam aliquis ex propria consanguinitate coniugem habuit, vel aliqua illicita pollutione maculauit, in coniugium ducere vlli Christianorum licebit: quia incestuosus est talis coitus abominabilis Deo, cunctis bonis hominibus. Incestuosos verò nullo coniugij nomine deputandos à sanctis patribus statutum esse legimus. *Greg. ad Felicem Messanæ ciuitatis Episcopum, & habetur 35. q. 3. Nec eam.*

Poeticae Sententiae.

Seneca Tragœd. 9.

Incesta genitrix detrahit generi fidem.

Virg. lib. 6. Aeneid. de inferno loquens.

Hic thalamum inuasit natæ, vetitosq; Hymenæos,
Ausi omnes immane nefas, ausoq; potiti.

Exempla Biblica.

Incestus *exempla:* Loth cum filiabus, *Genes. 19. vers. 36.* Ruben cum concubina patris, 35. 22. Iudas cum nuru sua Thamar, 38. 16. Ammon cum Thamar sorore Absalonis, *2. Sam. 13. 14.* Absalon cũ concubinis patris sui, 16. v. 21. 22. Populus Israel, *Ezech. 22. v. 9. 10. 11.* Amos, 2. 7. Herodes cum Herodiade, *Matt. 4. 4. Marc. 6. 18. Luc. 3. 38.* Corinthius cum nouerca, *1. Cor. 5. v. 1. 2. 3.* Incestuum pœnæ *exempla:* Ruben, *Genes. 49. v. 3. 4.* Ammon, *2. Sam. 13. 32.* Absalon, 18. 14. *Vide Leu. 26. v. 11. 12. 13. 14. &c.*

Exempla Profana.

Babyloniorum institutum fuit, vt cum parentibus filij, cum sororibus fratres coirent, atque ex eis sobolem gignerent. In qua etiam sententia Chrysippum fuisse Plutarchus asserit. *Alexand. ab Alex. lib. 1. cap. 24.*

Persarum Magi censuere, *Sotione lib. 23. teste*, iustum videri cum filia, & matre congressum. *Attigit Catullus de Gellij incestu agens.*

Nam magus ex matre, & gnato gignatur oportet:
Si vera est Persarum impia religio.

Parthenius, Parthorum reges non nisi ex matre, & filio natos pro legitimis haberi asserit.

Indos, Æthyopes, ac Medos. Hieronymus librorum postremo: quos aduersus Iouinianum edidit, non cum matribus solum, verum cum auis quoque, ac filiabus concumbere scribit. *ibid.*

Arabibus alterius sanguinis congressus pro adulterio olim fuit. Sic humani iuris obliti, præter incestum, omnem Venerem pro flagitio repudiarunt. *Sab. lib. 6. c. 1.*

Assaon, cum filiam Nioben stuprare vellet, illa filios eius in conuiuium adductos exussit: mox sese ex alta rupe præcipitauit, Assaon sua manu concidit. *Parthen. in Eroticis c. 33.*

INCONSTANTIA.

Definitio, et Etymolog.

Inconstantia, Græcè *ἀστασία, ας, ἡ, & ἀκαταστασία, ἡ.* Inconstans dicitur. Est autem inconstantia speciale peccatum imprudentiæ, deficiens à perficiendo bonum propositum: cuius principium est in appetitu, finis autem in intellectu. *ex B. Thom. 2. 2. q. 55. art. 2.*

Inconstantia circa abstinentiam à delectabilibus, est filia luxuriæ: licet etiam, quæ est in terribilibus, oriatur ex luxuria. *B. Tho. ibid. art. 5.*

Inconstantia est filia luxuriæ, quæ est, quando quis non stat constãs in bono proposito, sed sine causa rationabili ex aliqua passione, præcipuè ex amore concupiscentiæ facit contrarium illius, quod deliberauerat. *B. Thom. 2. 2. q. 53.*

Inconstantia quid differat a negligentia, *vide infra in Negligentia.* Vnde autem dicatur *vide supra in Constantia.*

Incõstãtia, seu leuitas est animi corruptus affectus, quo fit, vt homo non perseueret in recto proposito, aut officijs rectè susceptis, sed nulla pietatis, & virtutis ratione habita, subinde mutet sententiam, consilia, & actiones ad aliorum voluntatem, à quibus commoda, vel incommoda sibi proposita esse iudicat. Heb. *Parhazuh*, Ierem. 23. 32. à verbo *Pachaz*, leuis animo fuit, inconstans fuit ex temeritate, & leuitate agendi. Cognationem habet cũ *Chaphaz*, festinauit, præceps fuit.

Loci Biblici.

Inconstantia damnatur, *1. Cor. 15. v. 58. 2. 11. 2. Cor. 1. 17. Galat. 1. 6. & 3. 3. Ephes. 4. 14. Hebr. 13. 9. Iacob. 1. 8. & 3. 10. 1. Pet. 5. 2.*

Sententiae Philosophicae.

Maximum indicium malæ mentis est fluctuatio, & inter simulationem virtutum, & amorem vitiorum assidua iactatio. *Seneca in prouerb.*

Polyanthea Noviss.

Diuersitas est vitium, & signum vacillantis animi, ac nondum habẽtis vigorem suum. Nemo proponit sibi, quod velit: nec si proposuit, perseuerat in eo, sed transilit: nec tantum mutat, sed redit: & in ea, quæ deseruit, ac damnauit, reuoluitur. Quid est sapientia? semper idem velle, atque idem nolle, non potest idem semper placere, nisi rectum. Variatur quotidie iudicium, & in contrarium vertitur: ac plerisque agitur vita per vsum. *Idem in epist.*

Nec peregrinatione longa, nec locorum varietatibus, tristitiã mentis grauitatemq. discuties, animum debes mutare, non cœlum: licet vastum traieceris mare: sequuntur enim te, quocumque perueneris, vitia. Quid miraris tibi peregrinationes nõ prodesse, cũ te circumferas? premit te eadem causa, quæ expulit. Quid terrarum iuuare nouitas potest? quid cognitio vrbium, aut locorũ? in irritum cedit ista iactatio. Onus animi deponendum est: nõ ante tibi vllus placebit locus. Vadis huc, & illuc: vt excutias insidẽs pondus, quod ipsa iactatione incommodius fit: sicut in naui onera immota minus vrgent; inæqualiter conuoluta citius eam partem, in quam incumbunt, demergunt. Quicquid facis, contra te facis, & motu ipso noces tibi: ægrum enim concutis. At cũ illud exemeris malum, omnis mutatio loci iucunda fiet: in vltimas expellaris terras licet, in quolibet barbariæ angulo colloceris, hospitalis tibi illa qualiscumque sedes erit. Magis quis veneris, quã quo interest. Bene viuere enim non loco positum est. *Idem in epist.*

Mutare loca, & in alium de alio transire nolo. Frequens migratio, instabilis est animi. Vt animum possis continere, primum corporis fugam siste: deinde plurimum remedia continuata proficiũt, sine desistere oculos tuos; sine aures assuescere sanioribus verbis: quoties processeris aliquo, quæ remanent, cupiditatea occurrent. *Idem ibidem.*

Apophthegmata.

Cleanthes cuidam reprehendenti Arcesilaum, quod officia vitæ tolleret: Desine, inquit, hominem vituperare. Nam ille, licet dictis tollat officia, tamen factis commendat. Id audiens Arcesilaus: Non moueor, inquit, adulatione. Hic Cleanthes, Scilicet, inquit, adulor tibi: dicẽs te aliud loqui aliud facere. Cleanthes mitigauit dictũ obtrectatoris, sed ita, vt à crimine incõstantiæ non liberaret Arcesilaum. Turpissimum enim est Philosopho, secus docere, quã viuit. Si vita proba est, cur docet diuersa? Si doctrina sana est, cur eam secus viuendo refellit? *Laert. lib. 7. c. 2.*

Leotychidas à quodam, quasi minus constans esse notatus. Mutor, inquit, sed prò temporum ratione, non vt vos. Prudentis enim est, pro re nata mutare consilia: sine causa autem subinde alium fieri, inconstantiæ vitium est. *Plut. in Lacon.*

Cicero. Metellus Diodoro, quo Rhetorices magistro fuerat vsus, defuncto, sepulchro eius cornum lapideum imposuit: Iustum, inquit Cicero, præmium retulit, nam volare ipsum docuit, non dicere, notans Metelli leuitatem, & inconstantiam. *Plut. in Rom. apoph.*

Scipio Maior, cum traiecisset in Africam, ac terra potitus hostium castra concremasset, Carthaginenses missis legatis fœdus cum Scipione pepigere, pollicentes se elephantos, camelosq; & naues, ac pecunias daturos. Cæterum postquam Annibal abnauigasset ex Italia Carthaginem, cepit illos conuentorum pœnitere, eo quod iam animum recepissent. Id audiens Scipio, negauit se etiamsi ipsi vellent, pacta seruaturum, nisi prius imperatis adderẽt talentorum quinque millia, hoc nomine, quod Annibalem accersissent. *Plut. in Rom. apoph.*

Similitudines.

Nazianzeni. Quemadmodum chamæleontem facilè ferunt variari, omnesq. assumere colores præter candidum, vel ne etiam fabulosum illum Proteum Ægyptium sophistam omittam: ita & ille omnia præterquam mansuetus erat, & factus est Christianus, eratque illi humanitas res admodum inhumana, suadelaque nil aliud, quam violentia, & immanitatis excusatione probitas: quo iure videretur ad violentiam confugere, quum persuadendo nil proficere posset. *In Iulian.*

Tertulliani. Luna mutationibus menstruis varias, siderum distincta confusio interdum reijcit quid, interdum res vitiat: cœli ambitus nunc sub sudo splendidus, nũc nubilo sordidus, aut imbres ruunt, & si qua missilia cum imbribus, dehinc subtilillum, & denuo sudum: Sic & mari fides infamis, dum & flabris æquè mutantibus de tranquillo probum, de lustris temperatum, & extemplo de decumanis inquietat: Sic & terram recenseas temporatim vestiri, amantem propessis eadem negare, mentor viridem cõspicis, flauam mox visurus, & ranam. *De pallio.*

Plutarchi. Vt amphoræ facilè circumaguntur auribus: Ita quidam quouis sermone huc aut illuc impelluntur. *In Moral.*

Cassian. Mens veri iusti non debet esse similis ceræ, vel alterius cuiusquam materiæ mollioris, quæ semper characteri signantium cedens pro eius forma, atque imagine figuratur, quamquam in se tamdiu retinet, donec alio rursus super impresso signaculo reformetur, atque ita fiet, vt numquam in sua qualitate persistens, ad formam eorum, quæ imprimunt, semper conuertatur, ac

transeat: quin potius debet velut quoddam esse adamantinum, signatorium, vt inuiolabilem mens nostra figuram sui semper custodiens characteris, vniuersa, quæ incurrerint, sibi qualitatē sui status signet, atque transformet, ipsa verò insigniri nullis incursibus possit. *Cassiod. l.6. c.12.*

Seneca. Vt in orbe, ac pila nihil est imum, nihil summum, nihil extremum, nihil primum: quia motu ordo mutatur, & quæ sequebantur, præcedunt; & quæ occidebant, oriuntur; omnia quomodocumque ierint, in idem reuertuntur; Ita in homine existima fieri: cum illum in multa mutaueris, vnus est. *lib. 5. de benefic. c. 8.*

Plin. Vt conchylia crescente luna augescunt, decrescente marcescunt: Ita stultus à fortuna pendens, nunc magnus est, nunc pusillus, nunc elatus, nunc supplex, vtcumque Rhamnusia mutauerit sese. *lib. 2. c. 100.*

Vt Chamelopardalis, siue Nabis collo refert equum, pedibus, & cruribus bouem, capite camelum, malis tigrim, aut pardum: Ita quidam inæquales sibi varias hominum formas exprimunt: si cultū inspicias, sanctum aliquem existimes: si orationem audias, satrapam loqui putes: si vitam expendas, nebulonem inuenias: si scripta, bubulcum. *lib. 8. cap. 18.*

Hypanis Scythicorum amnium princeps, per se purus, & dulcis, circa Callipodas Exampeo fonte amaro inficitur, atque ita dissimilis sui, in mare conditur, de quo quidem est illud Solini elogium: Qui in principijs eum nouerunt, prædicant: qui in fine experti sunt, non iniuria execrantur: Ita quidam initio blandi, & amici, postea longè dissimiles sibi reperiuntur. *lib. 2. c. 100. Solin. c. 13. Strab. lib. 9. & Pompon. Mel. lib. 2.*

Hyæna, sicut & ichneumon, nunc mas est, nunc fœmina: Ita quidam sui dissimiles nunc fortia loquuntur, nunc mollia, nunc Philosophi sunt, nunc nepotes, nunc amici, nunc inimici. *l. 8. c. 3. & c. 23.*

Apud Troglodytas lacus est, qui ter in die fit amarus, & salsus, ac rursum dulcis, totiesque etiam nocte, vnde & insanus dictus: Sic quidam inæquales, nunc asperi, nunc sunt blandi: aliquando profusi, mox sordidi: iam vehementer amant, iam supra modum oderūt. *lib. 31. c. 2. & lib. 2. c. 100. & Herod. lib. 4.*

Mulus ex equo. & asina conflatus, nec equus est, nec asinus: Ita quidam dum aulici esse volunt, & Ecclesiastici, neutrum sunt. *lib. 8. c. 44. & Mela lib. 1.*

P. M. Vt Euripus in Eubœa septies in die defluit, ac toties refluit, mira celeritate: at idem tribus diebus vnoquoque mense statim motus, septima, octaua, nonaque luna; Ita quidam inæquales sibi, aut nimium præcipites sunt, aut nimium lenti, in vtramque partem plus satis vehementes. *In Simil.*

Vt æstum maris, aut detrimenta lunæ magis sentiunt imbecilliora corpora: Ita rebus contrarijs vehementius commouetur animus minus sibi constans, & affectibus vitiatus. *ibid.*

Amphisbena serpens vtrinque caput habet, & vtralibet corporis parte pro cauda vtitur: Ita quidam ancipites nunc hac, nunc diuersa ratione feruntur: & cum est commodum, ad Ecclesiasticam libertatem confugiunt: cum visum est, principum præceptu rem gerunt, canonum obliti. *ibid.*

ADAGIA.

Chimæra. *Χίμαιρα.*

Hominem inconstantem, ac varijs moribus, aut opus sibi non cohærens, Marcus Tull. designat festiuiter illo versu Homerico.

Πρόσθε λέων, ὄπιθεν δὲ δράκων, μέσση δὲ χίμαιρα.

De statu demigrare.

Quemadmodum de gradu deijci dicuntur, qui depelluntur à proposito, ita M. Tullius ad Atticum lib. 4. dixit, De statu demigro, pro eo, quod erat, recedo à vitæ instituto.

Modo palliatus, modo togatus.

In hominem inconstantem, ad lubricæ fidei, diuersarumq́ partium eleganter torquebitur.

Trochi in morem. *Κέμβικος δίκην. Aristoph.*

Id est: Trochi in morem, de versatilibus, & inconstantibus dicere solitum.

Vespertilio. *Vitianus.*

Vespertiliones videntur appellari, qui grauati ære alieno, luce domi se continent, ne à creditoribus appellentur noctu prodeunt.

Venti campus. *ἀνέμου πεδίον. Diogen.*

In hominem instabilem, leuem, & inconstantem decebatur.

Panagæa Diana. *ἡ Παναγαία Ἄρτεμις.*

Dicebatur olim peregrinationem impensius amans, errabundus, instabilis, nulla certa sede consistens.

Lachryma nihil citius arescit. *οὐδὲν θᾶσσον ξηραίνεται δακρύου.*

Id est: Lachryma nihil citius arescere, quod vehementes affectus facilè vertitur in tædium.

Mutabilior Metra Erisichthonis. *μεταβλητότερος Μήτρας τοῦ Ἐρυσίχθονος. Athen.*

Iaonum congruit, qui secum non constat, sed subinde aliam, atque aliam personam sumit.

Chamæleonte mutabilior. *Χαμαιλέοντος μεταβλητότερος.*

Competit adagium in hominem versipellem, siue inconstantem.

Proteo mutabilior. *Πρωτέως ποικιλώτερος.*

In vafrum, ac versipellem competit, fabula Protei, extat apud Homerum Odys. δ. & apud Maronem 4. Georg. Simili figura dicetur etiam: Vertumno inconstantior.

Polypi mentem obtinet. *Πολύποδος νόον ἔχε. Plutarch.*

Quo iubemur pro tempore alios, atque alios mores, alium atque alium vultū sumere. Du must Fuchs vnd Hase seyn.

Mulieris animus. *γυναικὸς νόος.*

Quadrat in imbelles, & inconstantes. Terent. Noui mulierum ingenium: Nolunt, vbi velis: vbi nolis cupiunt vltro.

Euripus homo. *Εὔριπος ἄνθρωπος.*

In inconstantes, ac moribus inæqualibus homines dicetur. Quadrabit, & in fortunæ vices, quæ res mortaliū velut æstu quodā sursum, ac deorsum iactat.

Crus in loco. *ὁ κνίψ ἐν χώρᾳ.*

Dictum in eos, qui subinde sedem mutarent, & aliunde alio migrarent.

Cothurno versatilior. *ἀμεταβολώτερος κοθόρνου.*

Dictum in hominem parum constantem, lubricaq́ fide, quæue incerta, & ancipitis esset factionis. Vnstaether dann ein Vvetterhan.

Aliud stans, aliud sedens. *Salust.*

Quo licebit vti, quoties summam inconstantiam significamus, quasi temporis momentum, atque interuallum commutet hominis sententiam. Er bleibe bey seinen vvorten, vvie ein Hase bey seinen iungen. Er stehet auff seinen vvorten, vvie ein Beltz auff seinem Ermeln.

Duabus sedere sellis.

Est incertarum esse partium, & ancipiti fide, ambabus satisfacere velle. Auff beiden Achseln tragen.

Duos parietes de eadem dealbare fidelia.

Pro eo, quod est, eadem re duplicem velle inire gratiam: eademq́ opera duos pariter demereri. Zvven Fuechs in einer hœlen fahen. Zvven Brey in einer Pfannen kochen.

Duplices viros. *διπλοῦς ἄνδρας. Zenodot.*

Vocabant, qui essent lubrica, & insincera fide, quos nunc vulgo etiam bilingues appellant. Du redest mit zvveyen Zungen.

De toga ad pallium.

Cuius duplex erit vsus, vel quum ad diuersum vitæ genus sese contulerit aliquis, vel quum de fortuna bona itur ad humiliorem.

Duodecim artium. *δωδεκαμήχανον.*

Appellabant callidum, versutum, versipellem, vafrum, varijsq́ue instructum dolis.

Thessalorum commentum. *Θετταλῶν σόφισμα.*

Varias ad res accommodari scribit Suidas, tum ad eos, qui in aliis locum deferunt, tum ad illos, qui cum delicatiore viuunt, tum ad hos, qui dolo quempiam circumueniunt.

Phœnicum pacta. *Φοινίκων συνθῆκαι.*

De pactis insidiosis, & astutis dicitur. An der Hunde hincken, Hueren vvincken, Frauvven vveynen, vnd der Kraemer schvveren, soll sich niemandt ankehren.

Locrensium pactum. *Λοκρῶν σύνθημα.*

De fœdifragis dictum, cuiusmodi quondam habiti Locrenses, quod fœdere prodito, quod cum Peloponnesijs inierant, ad Heraclidarum partes defecerint.

Thracium commentum. *Θρᾴκιον παρεύρημα.*

Torquendum in eos, qui pacta cludunt callide vafreq́, aliquo commento.

Thraces fœdera nesciunt. *Θρᾷκες ὅρκια οὐκ ἐπίστανται.*

Thracum barbariem, & immanitatem, perfidiamq́, satis arguit interemptus à Polymnestore Polydorus hospitij iure violato.

Hoc calceamentum consuit Histiæus, Aristagoras induit. *τοῦτο ὑπόδημα ἔρραψε μὲν Ἱστιαῖος, ὑπεδήσατο δὲ Ἀρισταγόρας.*

Diogenianus admonet, dici solitum in eos, qui callidè sua malefacta in alios reijciunt.

Reparatarare. *ἀνεπαρίεσαν*

Deijs dicebatur, quos pœnitebat instituti, quique de conuentis discederent. Natum ex Pariorum perfidia, qui pactum irritarunt cum Thebanis bellum integrantes.

Quibus nec ara, neq; fides. *οἷσιν οὔτε βωμὸς οὔτε πίστις οὔθ' ὅρκος μένει.*

De vehementer perfidis.

Altera manu fert lapidem, altera panem ostentat.

Dictum in eos, qui coram blandiuntur, clam obtrectantes: palam amicos agunt clanculum nocent: aut qui hic prosunt, illic lædunt. Es seindt gar boese Katzen, die vornen lecken vnd hinden kratzen.

Mariti mimi mores.

Pro varijs, & inconstantibus qualos ferè sunt amantium.

Lingua iurauit. *ἡ γλῶσσ' ὀμώμοκεν.*

Vbi quis non præstat fidem promissi, aut vbi non ex animo pollicetur.

Punica fides.

Pœnorum perfidia in prouerbium abijt, quod ea gens peculiariter periurijs vanitatisq́ue notata sit.

Non idem Scriptura, & Leucæus. *γραφὰ τε καὶ Λεύκαλος οὐ ταυτόν.*

Vbi quis aliud scribit, aliud facit, aut dicit. Recte torsitur in eos, qui stare pactis nolunt.

Dædali opera. *Δαιδάλεια ποιήματα.*

Dicuntur, quæ nouo artificio fabricata sunt, & admiranda.

Admirabiles in flectendis machinis Aegyptij. *δεινοὶ πλέκειν τὰς μηχανὰς Αἰγύπτιοι.*

De ver-

De versutis, & (vt ait Plautus) consutis dolis dictitatum. Torqueri potest, & in perplexas sophistarum argutias, ac syllogismorum inexplicabiles labyrinthos.

Multa nouit vulpes, verum echinus vnum magnum. πολλ' οἶδ' ἀλώπηξ ἀλλ' ἐχῖνος ἓν μέγα.

Dicitur in astutos, & varijs consutos dolis. vel potius vbi significamus quosdam vnica astutia plus efficere, quam alios diuersis technis. Zenodot.

Magnus versator in re pusilla. μέγας κυλιστὴς ἐν μικροῖς πράγμασι.

Quadrat in eos qui arte paruis bona sibi diuitias parant.

Simia non capitur laqueo. ὁ πίθηκος οὐχ ἁλίσκεται βρόχῳ.

In callidos tergiuersatores dici solicum. qui coargui non queunt.

Volaticum iusiurandum. ταχυβάμονες ὅρκοι.

Ad eum modum appellabant iusiurandum irritum, quod euanesceret, euolaretque simulatque pronunciatum esset, cuius modi sunt amantium.

Semper affert Libya mali quippiam. ἀεὶ φέρει τι Λιβύη κακόν.

Peculiariter conuenit in fœdifragos.

Semper Africa noui aliquid apportat. *Plinius.*

Quadrabit in homines lubrica fide, semper nouarum rerum auidos.

Magis varius quam hydra. ποικιλώτερος ὕδρας.

De callidis, ac dolosis, quod hydra serpens sit versicoloribus notulis distincta.

Sisyphi artes. Σισύφου μηχαναί *Aristoph.*

Dicebantur vafra versutaque consilia. Homer.

Σίσυφος, ὃς κέρδιστος ἔην χθονίων γένετ' ἀνδρῶν.

Sisyphus, in terris quo non astutior alter.

Pyrrhandri commentum. Πυῤῥάνδρου μηχάνημα.

De callido inuento.

Meganicum machinamentum. Μεγαρικὴ μηχανή.

Dicitur. quum dolo, & astu res agitur. non sincera fide. Aristophanes in Pluto.

Ὡς ἀγαθὸν ἐστ' ἐπωνυμίας πολλὰς ἔχειν.

Vt expedit si plura habeas cognomina.

Conuenit in eos, qui multa simul profitentur, quo quaestum faciant vberiorem: aut qui diuersarum sunt partium.

Vlyssicum commentum. Ὀδύσσειος μηχανή.

Vlyssem inuentum, callidum astutum, & vafrum dicebatur.

Nouit vias, quibus effugit Eucrates. οἶδε τὰς ὁδούς, ᾗπερ ἔφυγεν Εὐκράτης.

In eum quadrat, qui semper aliquam inuenit rimam, per quam elabatur, vt officium subterfugiat praetextu aliquo, si quando fides esset praestanda.

Exempla Biblica.

Inconstantiæ *exempla*: Laban, *Gen.* 31.2. Populus Israeliticus, *Exod.* 9. 21. & 14. *versic.* 11.31. & 15.14. & 16.1. & 19.8. & 24.3. & 32. *versic.* 2.8. *Num.* 11.1. & 13.31. & 14. *versicul.* 4.40. Core, Dathan, & Abiron, *Num.* 16.1. Israelitæ, *versic.* 41. & 17.12. & 25.2. *Iudic.* 2.17. & 4.1. & 8.22. 1. *Sam.* 8.5. 2. *Sam.* 15.13. 1. *Regum* 12.16. Moyses, & Aaron, *Num.* 20.12. Sichimitæ, *Iudic.* 9.23. Viri Dauidis, 2. *Samuelis* 20. 2. Ioab, & Abiathar, 1. *Regum* 1.7. Principes Iuda, 2. *Paralipom.* 24. 21. Iudæi, *Ierem.* 26. *versic.* 8.16. & 42. *versicul.* 5. Azariasicum reliquis superbis viris, 43.2. multitudo, *Ioann.* 6. *versic.* 15.30. & 12.17. Pharisæi, & Herodiani, *Matth.* 22. *versic.* 15.16. Nazareni, *Luc.* 4. *v.* 22.28.29. Iudæi, *Actor.* 2. *versic.* 6.7. 12.13. & 6.12. & 23. *versicul.* 43. 44.45.50. Lycaonij, 14. *versicul.* 18.19. Vulgus, & magistratus Philippis, 16. *versic.* 22.39. Demetrius, 19. *versic.* 24.32. Populus Ephesinus, *versic.* 34.35. Ciues Ierosolymitani, 21.30. Pharisæi, & Sadducæi, 23.7. Meliteoses Barbari, 28. *versic.* 4.6. Galatæ, *Gal.* 3. *v.* 1.2. 3. & 4. *v.* 24.15.

Exempla Prophana.

Lucius Lucullus, de Mithridate acto triumpho, deseruit abdicauitque Rempublicam, cum senatus eum aduersus Pompeij dominationem propugnaculum se habiturum sperasset. *Plut. in Lucullo.*

Horatius expostulat cum Iccio familiari suo, qui omisso Philosophiæ studio, prædæ, & pecuniæ inhians, militiæ se addixerit, præter omnium opinionem: quippe qui pulchrè iam instructus esset ad Stoicam disciplinam. *Ode* 21. *l.* 1.

Lotharius Imp. Ludouici Pij F. eam vitæ varietatem attulit, vt meliorne an deterior fuerit, diiudicari non possit. Contra patrem optimum factiosus, tandem monachum in Prumiensi cœnobio induit. *Sigon lib.* 1. *regn. Ital.*

Eruditionem in *Baldo I.C.* nobilissimo nemo, constantiam multi desiderant: quod sibi ipsi multis in locis pugnantia scribat, iuris tam ciuilis, quam canonici peritissimus fuit.

Lacon voto concepto, vt præcipitaret se ab Leucate: postquam conscendit, conspecta altitudine, recepit se. Quod cum ei improperaretur: non arbitrabar, inquit, votum illud voto indiguisse alio maiore. *Idem.*

Nulli arbitror plures statuas dicatas, quam Phalereo Demetrio Athenis, quibus per decem annos præfuit. Siquidem 360. statuere: quos mox lacerauerunt, nondum anno hunc numerum dierum excedente. *Plin l.* 34. *c.* 6. *Plut. in Politicis.*

Objicit *Æschines Demosthem*. quod subinde commutata factione, *Polyanthea Nouiss.* Euripum ipsum inconstantia sua vicisset. Vnde Græci Euripisten, hominem incerta fide vocant.

Exemplis sequentes gnomas ex historicis excerptas subnectimus.

Caducæ, & finitæ res humanæ sunt: neque est quicquam stabile perpetuo, & firmum. *Pausan lib.* 8.

Quum nihil in rebus humanis stabile, & ideo conueniens est, vt quocumque modo vitam nostram Deus torqueat, atque reuoluat, boni consulamus. *Plut. in Numa.*

Res omnes sunt mutabiles, & nihil vnquam in eodem statu permanere solet: quicquid enim excellit, quando ad summum claritatis fastigium euasit, indignationem Deorum effugere nequit, & rursus ad nihilum redigitur. Hoc autem potissimum accidit sæuis, ac superbis ingenijs, quæ humanæ naturæ terminos transgrediuntur. *Dionys. Halic. lib.* 8.

Nihil est in rebus humanis perpetuum. *Dion. lib.* 48.

Qui aduersa expertus est, ne secunda quidem minus discriminis habere cum maximè ducit. *Tacit. hist. lib.* 4.

Nihil est in rebus humanis fixum, & perpetuum, sed & ij qui florent maximè, & ij qui humiles, & abiecti sunt, exitus incertos habent, ac pariter pro fortuna ipsorum, laude, vituperio, honore, & ignominia afficiuntur. *Xiphilin. Vitell.*

Qui fortissimi esse videntur, & firmas vires habere, ornati amplissimis fortunæ muneribus, pariter cum cæteris suspensi, & incerti sunt. *Idem, Macrin.*

Rerum humanarum nihil stabile, & firmum est, sed infida omnia, & tessera mutabiliora. *Zonar. in Alex. Comn. to.* 3.

Nihil humani firmum, ac certum est, sed omnia incerto euentu velut in mari æstuant, & agitantur. Abstrusus quidam error humanæ peritiæ, & cognitioni insultat, sursum, deorsumque trahens, ac permiscens omne consiliorum studium, & velut tesseras euertens firmis decretis nixas deliberationes. *Niceph. Gregor. hist. l.* 4.

Alexius Cæsar maximis rebus heri gestis, hodie obscurioribus certaminibus oppressus iacet, Deo huiusmodi exemplis arcanam doctrinam explicante, vt nostris viribus, cum à deterioribus superamur, agnitis, magnorum, atque admirabilium successuum causas vni plane Deo acceptas referamus. *Nicephorus Gregoras. histor. lib.* 4.

Nihil in mondo firmum, & tutum est: sed res humanæ (vt ait Plato) sunt Dei ludibrium, sursumque ac deorsum temere omnia sub cœlo feruntur, incertoque cursu huc, & illuc vagantur. *Idem hist. lib.* 7.

Inconstantia, & incerta sunt omnia: fortunæ insultus nihil diuturnum esse sinit: alij serius, ocius alij rebus omnibus relictis, præter expectationem, in noctem, in tenebras, in mortem præcipites ruunt. *Idem hist. lib.* 8.

Vmbris tutius, quam rebus humanis creditur. *G. Pachymer. histor. lib.* 6.

Rerum humanarum euentus incertos esse certum est, solentque plerumque mortales futurarum rerum ignoratione falso lætari, atque angi. *B. Facius. hist. lib.* 4.

Summa est humanæ sortis varietas, ac miseria, atque adeo incertum omnibus, quæ sit in posterum futura sua cuiusque conditio. *Franc. Guicciard. hist. lib.* 4.

Mobilis admodum est fortunæ blandientis aura. *Idem, lib.* 5.

Hieroglyphica.

Scitè admodum Ioannes ille, cognomento Scholasticus, *scalarum anacephalæosi*, hominem, qui modo risui indulgeat, modo luctui, modo austeritati, atque temperantiæ se reddat, modo delicijs diffluat, & voluptatibus implicetur, *Cancro* æquiparauit, nunc ante, nunc retro, nunc in transuersum gradienti, miraque vitam suam inconstantia traducenti: vir que is sapientissimus, de ingenij eiusmodi profectu nihil sibi quicquam pollicetur, quod ad vllam sit vmquam frugem peruenturum. *Pier. Val. lib.* 28.

Aliqui Mathematici *bicipitium inconstantia* hieroglyphicum posuere. Nam tertio supra vigesimum Leonis gradu bicipitis hominis simulachrum oriri confinxere, quod eo ascendente gradu natos, inconstantis, ac leuiter mutabilis voluntatis, atque sententiæ fore præsagiunt. *Pier. Val. lib.* 32.

Emblema.

In desciscentes.

Andreæ Alciati. Emblema CXL.

Quod sine egregios turpi maculaueris orsus,
In noxamque tuum verteris officium:
Fecisti, quod capra suo mulctralia lacte
Dum ferit, & proprias calce profundit opes.

Fabula.

Canis domicilium.

Hieme contractus, & implicitis membris cubans canis, quo mi-

nus frigori expositum esset corpus, spatium illud ad domum faciendam, in qua viueret, designauit, Postea in æstate membra expendens, & corpus extendens, animaduertit, notatum spatium non magis conuenire, neque se capere posse, itaque nec necesse, nec facilè sibi esse tantas ædes extruere.

Contra mutabilitatem, & inconstantiam fabula narratur.

Canis, & Lectulus.

Iusserat cani iusserat lectulum sterni paterfamilias: hoc cum factum fuisse non cerneret, cum indignatione quærit de ancilla, cui hoc mandarat, cur non audiens dicto fuisset? Illa, enimuero, inquit, here, conanti aliquoties hoc non successit, cum non possem constituere post incertas conuersiones, quemnam in locum canis caput, aut in quem clunes reposituræ esse videretur.

Narratur fabula in leues, & inconstantes.

INCONTINENTIA.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

INcontinentia, Intemperantia, immoderatus voluptatum vsus Græcè *ἀκρασία, ας, ἡ, & ἀκρατὴς, ἐος, ὁ, ἡ.* incontinens dicitur. Est autem incontinentia, cum à quibus rebus voluptatibusq; nos tenere debemus, non tenemus, *secund. Aulum Gellium.*

Incontinentia propriè est circa concupiscentias tactus. Secundum quid est circa honores, diuitias, & huiusmodi. Impropriè verò est circa virtutes, *Prima* est peccatum dupliciter, scilicet recedendo a ratione, & immergendo se turpibus. *Secunda* tantum primo modo. *Tertia* verò non est peccatum, sed est perfectio virtutum. *B. Thom. 2. 2. q. 155. art. 2.*

Incontinentiæ species sunt duæ, scilicet præuolutio consilij, & debilitas in præconciliatis. *B. Th. 2. 2. q. 156. art. 1.* Quid incontinens differt ab intemperante, *vide supra in Continentia.*

POETICAE SENTENTIAE.

Propert. 3. 17.

Obicitur totiens à te mihi nostra libido,
Crede mihi, vobis imperat illa magis.
Vos vbi contempti rupistis frena pudoris,
Nescitis captæ mentis habere modum.
Flamma per incensas citius sedetur aristas,
Fluminaque ad fontis sint reditura caput.
Et placidum Syrtes portum, & bona littora nautis
Præbeat hospitio sæua Malea suo:
Quam possit vestros quisquam reprendere cursus,
Et rapidæ stimulos frangere nequitiæ.
Testis, Cretæi fastus quæ passa iuuenci
Induit abiegnæ cornua falsa bouis:
Testis Thessalico flagrans Salmonis Enipeo,
Quæ voluit liquido tota subire Deo.
Crimen & illa fuit patria succensa senecta,
Arboris in frondes condita Myrrha nouæ.
Nam quid Medeæ referam, quo tempore matris
Iram natorum cæde piauit amor?
Quidue Clytemnestræ, propter quam tota Mycenis
Infamis stupro stat Pelopea domus?
Tuque o Minoa venundata Scylla figura,
Tondens purpuream regna paterna comam.
Hanc igitur dotem virgo desponderat hosti:
Nise tuas portas fraude reclusit amor.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Incontinentia est affectio trahens ad ea, quæ iucunda videntur, præter rectæ rationis iudicium. *Speusippus de Plat. definitionib.*

Incontinens aliquando emendatur, intemperans vix vnquam ad rationis viam reducitur, *Franc. Patric. de regno l. 6. c. 21.*

Incontinentia quod sit, vt vitium patet, quia aut absolutè, aut in parte continens vituperatur, *Arist. Ethic. l. 7. c. 4.*

Incontinens absolutè dicitur, qui circa corporales fruitiones versatur, circa quas temperans: & intemperans existit, qui non electione, sed præter electionem, & consilium excessus & iucundorum sectatur, & molestorum fugit, vt famis, sitis, caloris, & frigoris, *Idem ibid.*

Incontinentia iræ minus turpis est, quam voluptatum. *ibid.*

Incontinentia alia temeritas, alia imbecillitas est. Nam alij, vbi consultarunt in ijs, quæ decreuerunt, ob affectum postea non persistunt: alij, quia non consultarunt, ab affectu ducuntur: nonnulli enim, qui se prius titillarint, non titillantur; ita quoque ipsi, cum præsenserint, ac præuiderint, seque ipsos, & rationem præexcitarint, siue iucundum, siue molestum quippiam fuerit, ab affectu non superantur. *Arist. l. 7. c. 7.*

Incontinentia est vitium cupidæ, per quod stoliditate huc illucque cupiditatem circumagunt, impellentem ad malarum voluptatum delectationes. *Arist. de virtut.*

Incontinens non potest esse prudens, & astutus quidem esse potest. *Idem ibid.*

APOPHTHEGMATA.

Xanthus adulterum quemdam videns præ foribus formosæ mulieris: Iste, inquit, breuem voluptatem magno emit periculo, *Max. serm. 3. de Castit. etc.*

Menedemus, cum adolescens quidam dixisset, magnum esse, si quis, quæ concupisset, assequeretur: Multo, inquit, maius est, nihil eorum, quæ non decet, concupiscere. *Max. eod. serm.*

SIMILITVDO.

Socratis. Quemadmodum incontinentia non famem, non sitim aduentare permittens, neque Veneris desiderium, neque vigilias, per quæ sola voluptuosè edere, bibere, Venere vti, quiescere, atque dormire possis, prohibet, necessarijs, & continuis voluptatibus perfrui facit: Sic contra cum sola continentia desiderari ista faciat, sola etiam perfrui rectè voluptatibus facit. *Apud Xenophontem lib. 4. de dictis, & factis Socratis.*

INCREDVLITAS.

LOCI BIBLICI.

INcredulitas damnatur, *Abac. 2. 4. Matth. 8. v. 55. 12. & 14. 31. Mar. 9. 19. & 16. 14. Luc. 9. 41. & 24. 25. Ioan. 16. 9. & 20. 27. Rom. 2. 8. Heb. 3. v. 12. 19. & 4. 11. & 10. 38. Iuda versic. 5.* Incredulitas cæca est, *2. Thess. 1. 8. 1. Tim. 1. 13.* Incredulitas summum in Iudæis crimen, *Roman. 10. 21. & 11. 31.* Incredulitas mala, *Matth. 13. 58. Matth. 16. v. 16. Ioan. 3. v. 18. 39. & 5. 38. & 8. 24. Rom. 2. 8. & 11. 20. 2. Thess. 2. ver. 12. 18. 19. 1. Pet. 4. 17. Iuda vers. 5. Apoc. 21. 8.* Incredulitatem discipulorum increpat Christus, *Matth. 17. 20. Marc. 9. 19. Luc. 9. 41.* Incredulitatem suam vt adiuuet, orat Christum pater Dæmoniaci, *Matth. 9. 24.* Incredulitate abiecti Iudæi, *Rom. 11. 20.*

Increduli Nazareni, *Matth. 13. 54.* Increduli stulti, *Tit. 3. 3. 1. Pet. 2. 15.* Increduli non ingredientur in requiem, *Heb. 3. 18.*

SENTENTIAE BIBLICAE.

Quia non credidistis mihi, vt sanctificaretis me coram filijs Israel, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis. *Num. 2.*

Non intrabit terram, quam dabo filijs Israel (Aaron) eo quod incredulus fuerit ori meo ad aquas contradictionis. *ibid.*

Quousque non credent mihi in omnibus signis, quæ feci coram eis? Feriam igitur eos pestilentia, atque consumam. 14.

Omnis incredulus incredulitate sua morietur. *4. Esd. 15.*

Contumax non sis, & incredibilis timori Domini, & ne accesseris ad illum duplici corde. *Eccl. 1.*

Væ dissolutis corde! qui non credunt Deo, & ideo non protegentur ab eo. 2.

In gente incredibili exardescat ira. 16.

Ne sis incredulus verbo illius *ibid.*

Si non credideritis, non permanebitis. *Esa. 7.*

Qui incredulus est, infideliter agit. 21. & 65.

Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona post cogitationes suas, & contradicentem mihi, *Rom. 10.*

Populo huic factum est cor incredulum, & exasperans. *Ier. 5.*

Eramus incredibiles ad Dominum Deum nostrum, & dissipati recessimus, ne audiremus legem (vel vocem) ipsius. Et adhæserunt nobis multa mala, & maledictiones, quæ constituit Dominus Moysi seruo suo. *Baruch 1.*

Qui incredulus est, non erit anima eius recta in semetipso. *Abac. 2.*

Quid timidi estis modicæ fidei? *Matth. 8.*

Quare nos non potuimus eijcere illum? dicit illis Iesus, propter incredulitatem vestram. 17.

Qui verò non crediderit, condemnabitur. *Marc. 16.*

Qui non credit, iam iudicatus est. *Ioan. 3.*

Qui incredulus est Filio, non videbit vitam æternam: sed ira Dei manet super eum. *ibid.*

Si non credideritis, quia ego sum, moriemini in peccato vestro. 8.

Noli esse incredulus, sed fidelis. 20.

Quid, si quidam illorum non crediderint? numquid incredulitas illorum, fidem Dei euacuauit? absit. *Rom. 3.*

Propter incredulitatem fracti sunt rami. 11.

Conclusit Deus omnia in incredulitate, vt omnium misereatur. *ibidem.*

Videte fratres ne forte sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis discedendi à Deo viuo, *Heb. 3.*

Quibus autem iurauit non introire in requiem ipsius, nisi illis, qui increduli fuerunt? & videmus, quia non potuerunt introire in requiem ipsius, propter incredulitatem. *ibid.*

Vobis

Vobis honos credentibus: non credentibus autem, lapis, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli, & lapis offensionis, & petra scandali his, qui offendunt verbo, nec credunt, in quo & positi sunt. *2. Pet. 2.*

Timidis, & incredulis pars illorum erit in stagno ardenti igne, & sulphure, quod est mors secunda. *Apoc. 21.*

SENTENTIAE PHILOSOPHICÆ.

Incredulitatis robur noe et legibus. *Plato de leg. dial. 8.*

Vt pleraque rerum diuinarum nostram cognitionem effugiunt, efficit incredulitas. *Plut. in Coriolano.*

SIMILITVDINES.

Chrysostomi. Vt agonem nemo suscipit sic periculosum, vnde nullam sperat palmam: Ita nec infidelis facit bonum, nullam spem retributionis præ oculis habens. *In c. 7. Matth. hom. 19.*

D. Augustini. Reuera fratres nullum mare iam profundum est, quam est cogitatio Dei, vt mali floreant, & boni laborent, Nihil tam altum, vbi naufragat omnis infidelis: in isto vis transire profundū hoc? A ligno Christi noli resilire, non mergeris: tene te ad Christum, nam ipse laborare voluit ideo in terra. *In Psal. 91.*

D. Ambrosij. Infidelitas non potest claram resurrectionem habere, sicut carbo cinere suo coopertus obcæcatur: Ita & hi perfidia sua erroris tenebris circumdati, luce carebunt. *In 1. ad Cor. c. 16.*

Cyprian. Quemadmodum viuam energiam, nempe fidem, cordi indere nemo potest, nisi solus Deus: Ita & malitiam, seu incredulitatem cordis nemo à se depellere potest, nisi per gratiam, & spiritum Dei. *De sing. cleric.*

Si tibi vir grauis, & laudabilis aliquid polliceretur, haberes vtique pollicenti fidem: nec te falli, ac decipi ab eo crederes, quem stare in sermonibus, atque actibus scires: nunc Deus tecum loquitur, & tu mente incredula perfidus fluctuas? Deus tibi de hoc mūdo recedenti, immortalitatem pollicetur, atque æternitatem: & tu dubitas? hoc est Deum omnino non nosse, hoc est Christum credentium magistrum peccato incredulitatis offendere: hoc est in Ecclesia constitutum fidem in domo fidei non habere. *Serm. 4 de immortalitate.*

EXEMPLA BIBLICA.

Incredulitatis *exempla.* Hebræa gens, *Deut. 1. 32.* Dux quidam, *4. Reg. 7. 2.* Israelitæ, *Exod. 6. 9. Num. 14. v. 11. 12. & 20. 10. Deut. 1. 32. & 9. v. 23. 24. Psal. 106. 24.* Holofernes, *Iudith 13. 27.* Iudæi, *Esa. 65. 2. Roman. 10. 21. Ier. 5. 23. Ezech. 2. 6.* Nazaræni, *Matth. 13. 57. Marc. 6. v. 6.* Petrus, *Matth. 14. 31.* Discipuli Christi, *17. v. 17. Marc. 9. 19. Luc. 9. v. 40.* Discipuli quidam, *Matth. 28. 17. Marc. 16. v. 11. 14.* Zacharias, *Luc. 1. 20.* Apostoli, *24. v. 11.* Cleophas cum socio, *v. 25.* Nathanael, *Ioan. 1. v. 46. 47.* Fratres Christi, *7. 5.* Iudæi, *10. v. 25. 26. Actor. 13. 45. & 28. 24. 1. Thess. 2. 15.* Turba, *Ioann. 12. 37.* Thomas, *20. 33.* quidam Ephesij, *Act. 19. 9.* Paulus ante conuersionem, *1. Timot. 1. 13.* Hebræa gens, *Hebr. 2. v. 18. 19.* Incredulitatis pœna in Moyse, & Aarone. *Num. 20. v. 12. 24. 25.*

Vide Fides.

INDECORVM.

ADAGIA.

CApram portare non possum, & imponitis bouem. οὐ δύναμαι τὴν αἶγα φέρειν· ἐπιτίθετέ μοι βοῦν.

In eos, qui quod leuius est, recusant, & quod multo sit intolerabilius, imponi sibi præpostere expetunt.

Veste circumfers ignem. ἱματίῳ τὸ πῦρ περιστέλλεις.

Conuenies, quoties aliquid ridiculè, aut prauo tecte fit. Vel quoties significabimus aliquem in præsentaneo versari periculo, cuius ipse causam, ac materiam intra suos parietes foueat. Germani dicunt: Fevver im Schoss vmbher tragen. Item: Die vveyben vber die Hennen ziehen.

Sus Mineruam. ὗς τὴν Ἀθηνᾶν.

Tritissimum apud Latinos authores prouerbium. Sus Mineruam: subaudiendum, docet, aut monet. Dici solitum, quoties indoctus, atque insulsus docere conatur eum, à quo ipse magis docendus est. Das Eye vvil klüeger seyn dann die Henne. Item: Er vvil seinen Vatter lehren kinder ziehen.

Vespa cicadæ obstrepens. Σφὴξ βομβεῖ τέττιγος ἐναντίον.

Quadrabit in eum, qui certat longè impar cum superiore: qui negotium facessat longè se præstantioribus.

Currus bouem trahit. ἡ ἅμαξα τὸν βοῦν ἑλαύνει.

De quanis re dicitur, quæ geritur præpostere. Die Pferde hinder den vvagen spannen. Item: Den vvagen fuer die Pferde spannen.

Cancer leporem capit. Καρκῖνος λαγὸν αἱρεῖ.

Dicitur de re neququaquam verisimili, dictuque absurda. In hunc sensum dicunt Germani: Einen Hasen mit der Trummel fangen.

Iungere vulpes. ζευγνύειν τὰς ἀλώπεκας.

Dicitur de re palam absurda.

Omissis fontibus consectari riuulos.

Cicero dixit, pro eo quod est, Omisso negocij capite, aliena, & minus ad rem pertinentia dicere.

Tuum tibi narro somnium. τεὸν ὄναρ σοι διηγοῦμαι.

Polyænus Nouusi.

Hoc est: Id tibi narro, quod ipse met optimè nosti. Horat.

Mortuum vnguento perungis. Νεκρὸν μυρίζεις.

De sumptu superuacaneo, sine cum in re aliquid adhibetur.

Lanam in officina fullonis. πόκας εἰς γναφεῖον φέρει.

In eos, qui præpostere rem gerunt, vt si quis Theologo committat puerum in Grammaticis rudimentis instituendum.

Iuxta fluuium puteum fodit. παρὰ ποταμὸν φρέαρ ὀρύττει.

De eo, qui stultam, & inanem insumit operam: A sine istis, in siluam importas ligna.

Priusquam mactaris, excorias. πρὶν ἢ σφάξαι, δέρεις.

Dicendum, vbi quid præpostere fieri videtur.

In mari aquam quæris. ἐν θαλάσσῃ ζητεῖς ὕδωρ.

In eum, qui aliquid quærit quasi difficile inuentu, vbi tamen aliud nihil occurrat.

Piscem natare doces. ἰχθὺν νήχεσθαι διδάσκεις.

Perinde est, ac si dicas, doctum doces.

Lupi alas quæris. λύκου πτερὰ ζητεῖς.

De ijs, qui quærunt, quæ nusquam sunt. Suidas.

Ceruus canes trahit. τοὺς κύνας ὁ ἔλαφος ἕλκει.

Vtemur, quoties præposterum quiddam significabimus. Theocritus.

Aquam igni miscere. πῦρ ὕδατι μιγνύειν.

Est contra rerum naturam agere. Plut.

Elephantum ex musca facis. ἐλέφαντα ἐκ μυίας ποιεῖς.

Id est: Res exiguas verbis attollis, & amplificas. Lucian.

Aliorum Medicus, ipse vlceribus scates. ἄλλων ἰατρὸς, αὐτὸς ἕλκεσι βρύων. *Plut.*

Torquendum in eos, qui aliorum errata castigant, incessantque, interuentibus ipsi madentes vitijs.

Camelus saltat. *Diog. Laert.*

Dicitur, qui cum seueri sint ac tetrici, elegantes tamen, & festiui affectant videri. Die Kuhe gehet auff Steltzen.

Cani das paleas, asino ossa. κυνὶ δίδως ἄχυρα, ὄνῳ δ' ὀστέα.

In eos, qui res præpostere distribuunt. Si quis militi donet librum, Episcopo arma, aut canes venaticos.

Vulpes bouem agit. ἀλώπηξ τὸν βοῦν ἐλαύνει.

Vtemur quoties absurdè res agitur. Suidas.

Herculis Cothurnos aptare infanti.

De eo, qui minimis applicant maxima, quæ nequaquam, vel congruant, vel deceant. Quintil. lib. 6.

Meretrix pudicitiam. Ἑταίρα σωφρονεῖ.

In eum, qui fingit se rudem eius artis, cuius est callentissimus.

Silurus puteris in quadra argentea. σαπρὸν σίλουρον ἀργυρεῦς πίναξ ἔχει.

Dicitur de re valdè absurda. Est apud Athen. lib. 6. Cæterum Silurus piscis est, quem nunc vulgo Sturionem appellant.

Quum aqua fauces strangulet, quid iam opus est bibere? ὅταν τὸ ὕδωρ τὸν φάρυγγα πνίγῃ, τί δεῖ ἐπιπίνειν;

Quadrat in eos, qui in absurdissima sententia pertinaciter manent, vel in eos, qui manifesta negant quibus cum frustra disceptes. In hos eosdem quadrat, & versus ille prouerbialis:

Nil intra est oleam, nil extra est in nuce duri.

Iupiter orbus. Ζεὺς ἄγονος.

Vtemur, vbi quis palam falsa afferat.

Balba non credit. ἡ ψελλὴ οὐ πιστεύει.

Iocus est prouerbialis, vbi quis sua mala conatur dissimulare, illa tamen præ se ferat, & prodat, etiam cum dissimulat.

Aduersus Solem ne loquitor. πρὸς τὸν ἥλιον τετραμμένον μὴ λαλεῖν.

Hoc est: manifestissime repugnes. Pythag.

Nec aurea habeo, nec tango.

Dicebatur in eum, cui in manifestis reclamabatur ab omnibus. Hieronymus.

Per parietem loqui. διὰ τοίχου.

In eum qui ridiculo, aut inepte aliquid agit. Ouid.

Priusquam assa sit farina. πρὶν ὀπτᾶσθαι ἄλφιτα.

Subaudiendum, aspergitur, aut simile quiddam. Solebant enim quidam assis carnibus inspergere farinam. Vtemur, quoties absurde, & præpostere res agi videbitur. Ex Iatto.

Prius antidotum, quam venenum.

Conueniet vti, quoties aliquis se purgat, antequam accusatur. Hieronymus.

Capra nondum peperit, hœdus autem ludit in tectis. αἶξ οὔπω τέτοκεν, ἔριφος δ' ἐπὶ δώματα παίζει. id est,

Nondum enixa capra, at iam ludit in ædibus hœdus.

Torquebitur in eos, qui gloriantur iam assecutos sese, quorum ne fundamenta quidem iecerunt. Aut qui postrema aggrediuntur, præteritis ijs, quæ præcessisse oportuit.

Caput artis, decere quod facias.

Vsurpandum, vbi quid parum conuenienter, aut decore fit.

Gallos quid exsecas? Γάλλους τί τέμνεις;

Hoc est: Quid actum agis? Sumptum à Gallis Cybeles sacerdotibus, qui sua sponte exsecti erant testiculis.

Leonis exuuium super Crocoton. Λεοντῆ ἐπὶ κροκωτῷ.

Vsurpandum, cum duæ res copulantur, seu coniunguntur, quarum altera cum altera nequaquam congruit. Aristoph.

Ex natali mortualem facere.
Ex re lata tristem efficere. Plaut. in Pseud.
Iocandum, vt seria agas. Δεῖ παίζειν ἵνα σπουδάζῃς.
Aristoteles Moral. Nicomach. lib. 10. Studere, inquit, ac laborare ludendi gratia, stolidum videtur, & admodum puerile. At ludere, vt agas seria, iuxta Anacharsidis sententiam, recte videtur habere.
Mus non ingrediens antrum, cucurbitam ferebat. Μῦς εἰς τρώγλην οὐ χωρῶν κολοκύνθην ἔφερε.
In eum congruit, qui cum ipse sibi consulere non possit, alijs conatur opitulari.
In toga saltantis personam inducere.
Hoc est: quippiam facere nequiquam decorum. Martial. Pers. libro 2. Epigram.
Dasypus carnes desiderat. Δασύπους κρεῶν ἐπιθυμεῖ.
Dicitur in eos, qui ea requirunt ab alijs, quæ ipsis affatim sunt domi.
Virgultea scaphula Aegæum transmittere. ἐπὶ ῥιπὸς τὸ Αἰγαῖον διαπλεῖν.
In eos dicitur, qui rem super modum arduam leui opera conficere tentant. Lucian.
Archilochi melos. Ἀρχιλόχου μέλος. *Pindarus.*
Quadrabit in eum, qui rem priscam notissimamque præter rationem accommodat.
More Carico. Καρικῷ τρόπῳ.
Carico more fieri dicebatur, quicquid sordidè incompositeque fiebat. Accommodabitur ergo prouerbium ad mores indecoros, atque inciuiles. Item ad orationem inconditam, & agrestem. Legimus etiam in eundem sensum: Πλείω καρικῶν. Nauc carica.
Qui sese non habet, Samum habere postulat. ὃς αὑτὸν οὐκ ἔχει, Σάμον θέλει.
In eos conuenit, qui imprudenter quippiam postulant: aut qui minora curant, maiorum negligentes.
Ante barbam doces senes. πρὸ τοῦ γενειάσαι διδάσκεις τοὺς γέροντας.
Vsus eius erit, quoties natu maiorem imberbis docet. Huc illud pertinet: Ante pilos sapis. Das Eye vvil kluger seyn, dann die Henne.
Smaragdus in luce obscurus. Ἀφέγγης σμάραγδος ἐν μέσῳ τῷ φωτὶ σκοτεινός.
In eos dici solitum, qui præpostere ibi famas occultarent, vbi maximè conueniebat edere virtutis specimen.
Asinus auis. Ὄνος ὄρνις. *Aristoph.*
Quoties non intempestiuè, quum ex indicio quopiam ridiculo quippiam præposterè holideq; colligimus.
Lumen soli mutuas. τὸ φῶς ἡλίῳ δανείζεις.
In eos, qui docent doctissimos: monent prudentissimos: conantur exponere, quæ per se sunt clarissima: sermone celebrare instituunt, quæ per se sunt celebratissima. In eundem sensum Quintil. ait: Soli lumen inferre.
Ranæ aquam. Βατράχῳ ὕδωρ.
Subaudiendum ministras. Non inepte accommodabitur, vbi datur abundanti. Den Froeschen zutrincken geben.
Pica cum luscinia certat. πρὸς ἀηδόνα κίσσα ἐρίζει.
Quadrabit in eum, qui certat longè impar cum superiore: aut negocium facessit longè se præstantioribus. In eamdem sententiam dicetur, & illud Theocr. Σὺν ξουθαῖσι πέλαγος ἐναντίον.
Scilicet ob strepitans arguta vespa cicada.
Velocem tardus assequitur. κιχάνει καὶ βραδὺς ὠκύν.
In eum qui viribus imbecillior, arte atque ingenio vincit potentiorem.

A P O P H T H E G M A T A.

Antisthenes à quodam rogatus in conuiuio, vt caneret tibijs: Tu eas mihi infla, inquit. Non recusauit obsequium, si ille vicissim obsequeretur: Indicans, non esse Philosopho decorum tibijs canere.
Theages. Indecorum est, quod factu importunum est, cuius duo sunt discrimina, vnum excessus, alterum defectus. Ille plus est, quam deceat, hic minus.
Epictetus. Indecorum est, vbique litigare, & contendere, tum inter pocula maximè. Neque ebrius aliquis docere sobrium potest: neque sobrius ab ebrio persuaderi.

I N D I G N A T I O.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

INdignatio, Græcè ἀγανάκτησις, νέμεσις, & ἀγανακτέω, indignor dicitur. Est autem indignatio dolor perturbans, propter res secundas indigno collatas. *secund. Arist. lib. 2. Rhet.*
Indignatio etiam pro filia iræ sumitur, qua quis non valet videre, vel audire eum, cui irascitur, *secund. S. Th. 2. 2. q. 57. art. 2.*
Indignatio venit ab indignus, ita & indignor, irascor, & indignabundus, irascens: & indignè, hoc est, præter merita: & indignanter, per indignationem.
Indignatio, Hebr. *Zahham*, à verbo eiusdem prolationis, cognationem habente cum verbo *Zahhaph*, iratus. Hinc *Zenaim* damnum infero. Significat item verbum *Zahham*, detestatus est, execratus est; ex indignatione enim oriuntur maledictiones, & iniuriæ.

L O C I B I B L I C I.

Indignatio tollenda à nobis, *Ephes. 4. 31. Coloss. 3. 8.* Indignatio pro excandescentia, *vide Ira.*

P H I L O S O P H I C A E S E N T E N T I A E.

Indignatio est quædam ægrimonia de bonis, quæ indigno alicui aliquo pacto eueniunt, & si quem viderint malis indignè afflictatum, *Arist. Magn. Mor. 1. c. 25.*
Indignatio est mediocritas inuidiæ, & maleuolentiæ, qui habitus circa illam ægritudinem, & voluptatem versantur, quæ suscipitur ex his, quæ alijs contingunt; indignabundus enim dolore afficitur, cum reliquos prospera fortuna indignè vti videt, inuidus verò hunc excedens, ex omnibus dolorem percipit, ac maleuolus tantum à dolendo deficit, vt etiam gaudeat. *Idem 2. Ethic. cap. 7.*
Indignatio mediocritas est inuidiæ, & maleuolentiæ. Cernuntur autem in ijs ægritudinibus, & voluptatibus omnibus, quæ ob ea res suscipiuntur, quæ proximis eueniunt. Qui enim indignatur, is dolet eorum rebus secundis, qui iniuria ijs fruuntur. Inuidus nunc vincens dolet rebus omnibus. At maleuolus tantum abest eo, vt doleat, vt etiam capiat voluptatem. *lib. 4. Ethicor. c. 7.*
Si indignari est dolere, quod cuidam secunda indignè contingant: primo perspicuum est non esse possibile de bonis omnibus indignari. Nemo enim indignatur, si iusti, si fortes, vel si omnino virtutem aliqui habeant, *lib. 2. Rhet. ad Theod. c. 9.*
Inuidia dolor perturbatus est propter res secundas, sed non indigni, verum æqualis, atque similis. *ibid.*
Probum quiddam æmulatio est, & proborum: inuidia verò improbum, & improborum. Alteri enim vt ad consequenda bona se præparent, æmulatione concitantur: alteri propter inuidiam proximis impedimento sunt. *l. 2. Rhet. ad Theod. c. 11.*
Cum inuidia ægritudo sit ex rebus secundis alicuius boni viri, certè sapiens non inuidebit, esset enim improbus. *Topicorum lib. 2. c. 2. loc. 3.*
Si inuidere is dicitur, qui bonorum dolet rebus secundis, & indignari is, qui dolet improborum secundis rebus: perspicuum est non inuidere eum, qui indignetur. *ibid.*

E X E M P L A B I B L I C A.

Indignationis sanctæ *exempla*: Iacob, 30. 2. Filij Israel, 34. *vers. 7. 29.* Iosue, & Caleb. *Num. 14. v. 6. 7.* Christus, *Matth. 16. 23. & 17. vers. 17.*
Vide Ira.

I N D O L E S.

A P O P H T H E G M A T A.

ALexander, puer etiamnum, quum vidisset, quam feliciter parens bella gereret, nequaquam gaudebat, sed ad pueros æquales dicebat: Pater nihil mihi relicturus est. Illis contra dicentibus: Imò ea omnia, quæ bello iam subegit. Quid profuerit, inquit Alexander, si multa hæreditario iure possideo, ego autem nihil habeam, quod agam, & militem patris similem me esse ostendam? Vides indolem in puero ad Imperium planè propensam? *Plut. in apoph.*
Scipio super cœnam interrogatus, quem egregium Imperatorem habitura esset Respubl. si quid ipsi humanitus accidisset? Vel hunc, inquit, Marium intuens, iam tum in illo perspiciens ingenium maximis rebus natum. *Eutrop. lib. . Plut. in Mario.*
Cassius, etiamnum puer, Faustum Syllæ filium inter æquales de patris monarchia gloriantem non tulit, sed ei colaphos impegit. Eius rei cognitor.. cum, quum Pompeius ad se recepisset, accitis ambobus pueris, Cassius ausus est dicere: Eia, Fauste! aude rursum coram hoc ea verba proferre, quibus irritatus a me fui, vt rursus percellam os. Inerat Cassio natiuum quoddam odium tyrannidis, vt iam tum appareret, illi non defuturum animum ad interficiendum Cæsarem. *Plut.*
Pompeius tam charus fuit populo Romano, quam pater fuerat inuisus. Is etiamnum adolescens, totum se Syllanæ factioni addixit: cumque nec magistratus esset, nec senator, magnum tamé ex Italia contraxit exercitum. Hunc cum Sylla ad se venire iussisset: Non absque spolijs, inquit, nec incruentas Imperatori copias exhibebo. Nec prius ad illum venit, quam multis conflictibus hostium duces superasset. Iam tum egregij principis, & ad res magnas nati, specimen dedit. Noluit adducere numerum, sed militem virtute spectatum. *Plut. in Rom. apoph.*
Iulius Cæsar, quum Syllam fugeret, etiamnum adolescens, incidit in piratas Cilices: ac primum, vbi pro redemptione summam,

mam, quam ab eo peterent, pronunciassent, dersisit prædones, velut ignaros quem cepissent, seque duplum daturû pollicitus est. Deinde, quum asseueraretur, donec asserretur pecunia, imperauit illis, vt silerent, nec sibi dormienti obstreperent. Eisdem orationes, & carmina, quæ scriberet, recitare solebat, quæ quum illi non satis probarent, stupidos, ac barbaros appellabat: cumque ri su minitabatur, se illos acturum in crucem, quod & patrauit. Apportatis enim pecunijs, quas parare pro redemptione pacti fuerant, dimissus, contractis ea Asia nauibus, comprehendit eosdem prædones, ac suspendit: sed prius iugulatos, ne seueritas careret clementia. An non hic statim agnoscis indolem Alexandri Magni, cui nihil mediocre satis esse posset? *P. M. ex Plut. in Rom. apoph.*

Tiberius, perspecto Caligulæ ingenio, fero ac malefico, subinde prædicabat, se nutricem Reipub. & Phacthontem orbi terrarum educare. Natura serpentis genus est. *P. M. l. 6. apoph.*

S I M I L I T V D O.

P. Dij immortales nullam didicere virtutem cum omni edisi, & para naturæ eorum est esse bonos: ita quidam ex hominibus egregiam fortiti indolem, in ea quæ tradi solent, peruenirunt sine longo magisterio, & honesta complectuntur, cum primum audierunt. *Seneca epist. 96.*

Vide locum de Ingenio.

I N D V L G E N T I A.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

Indulgentia, Græcè συγχώρησις ὅ. & συγχωρέω, indulgeo dicitur. Est autem indulgentia pœnæ relaxatio, quam quis iuste pro culpis proprijs facere debuisset, de thesauro Ecclesiæ ad diuinã iustitiam persoluendam sumpta.

Indulgentia propriè est mollis, & delicata permissio. *Quintil. Mollis illa educatio quam indulgentiam vocamus, neruos omnes, & mentis, & corporis frangit.* Est enim indulgere obsequi, & aliquid delicatè cõcedere. Indulgentiam nonnulli malè pro venia capiunt, & pro ignoscere indulgere vtuntur, in quo Theologi nostri frequentissime labuntur. Non negamus tamen, quin venia pro indulgentia aliquando capiatur. *Cic. Dabitis mihi hanc veniam, hoc est, indulgebitis concedetisque mihi.*

Indulgentia, Hebr. *Chemlah*, & *Nahmal*. Commiseratio, commotio viscerum, compassio, cordis mollities, misericordia, à verbo *Chamal*, mollis fuit animo, emollitus est erga aliquem, commotus est miseratione. Conuenit per metathesin cum verbo *Machal*, ignouit culpam. Hinc μαλάσσω & Lat. mollesco, emollio.

L O C I B I B L I C I.

Indulgentia parentum corrumpit liberos, *Prou. 13. v. 24. 1. Sam. 29.* *Vide Dei indulgentia.*

S E N T E N T I Æ B I B L I C Æ.

Ne dicas, reddam malum pro malo: expecta Deum, & liberabit te. *Prou. 20.*

Relinque proximo tuo nocenti te: & tunc deprecanti tibi peccata dissoluentur. *Eccles. 28.*

Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te: relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo: & tunc veniens offeres munus tuum. *Matth. 5.*

Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester cœlestis peccata vestra. *6.*

Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra. *ibid.*

Cum patientia supportantes inuicem in charitate, & donantes vobismetipsis, si quis aduersus aliquem habet querelam. *Ephes. 4.*

Sicut Deus (in Christo) donauit vobis: ita & vos facite. *Col. 3.*

Non reddentes malum pro malo, vel maledictum pro maledicto: sed de contrario benedicentes, quia in hoc vocati estis vt vna spe, vt benedictionem hæreditate possideatis. *1. Pet. 3. & Roman. 12.*

P A T R V M S E N T E N T I Æ.

Non vsque septies, sed vsque septuagies septies: id est, quadringenta, & nonaginta vicibus, vt toties peccanti fratri dimitteret in die, quoties ipse peccare non posset. *Hier. super Matth. lib. 3.*

Si peccauerit in nos frater noster, & in quolibet causa nos læserit, dimittendi habemus potestatem, imò necessitatem: quia Dominus præcepit, vt debitoribus nostris debita dimittamus. Si autem in Deum quis peccauerit, non est nostri arbitrij, vt dicit Scriptura. Si autem peccauerit homo in hominem, rogabit pro eo sacerdos, si autem peccauerit in Deum, quis rogabit pro eo? & nos è contrario in Dei iniuria benigni sumus, & in nostris contumelijs odia exercemus. *Idem in 24.*

O formidolosa sententia, si parua fratribus non dimittimus, magna nobis à Deo non dimittuntur. *ibid.*

Apud misericordem iudicem nequaquam sine venia culpa relinquitur, quum per feruorem zeli ex eius amore peccatur. Sæpe namque magnis hoc doctoribus mirandisque contingit, quod vel ira charitate feruent, modum correctionis exaggerent, & lingua aliquid, quod non debet dicat: quia mentem dilectio, quantum debet inflammat, sed verbum prolatæ contumeliæ tanto citius par titur, quanto, & ex qua radice prodeat, pensitur. *Greg. in moral.*

P H I L O S O P H I C Æ S E N T E N T I Æ.

Indulgentia homines ad vitia promptiores facit. *Franc. Petrarcha de Rep. lib. 9. c. 2.*

Indulgentia est amor in liberos, ac descendentes nostros, & in eos, qui imperio nostro subiecti sunt. *Idem de regno. lib. 8. c. 6.*

S I M I L I T V D I N E S.

Tertulli ni. Nonne sapientes patresfamilias de industria quædam seruis suis offerunt, atque permittunt, vt experiantur, an æqualiter permissis vtatur, si probè, si modestè? Quanto autem laudabi lior, qui abstinuerit in totum, qui timuerit etiam indulgentiam Domini. Sic igitur & Apostolus: Omnia, inquit, licent, sed non omnia ædificant. Quanto facilius illicita timebit, qui licita verebitur? *Lib. de cultu fœmin.*

Plin. Simia catulos fere complexu necat: Ita nonnulli parentes immodico erga liberos affectu & indulgentia corrumpunt illos. *lib. 9. c. 54.*

Coccygis pullus, vbi adoleuerit, cum sit nothus, tamen legitimos deuorat, vnaque matrem ipsam: Ita quidam magna indulgentia, stultoque amore quosu idam educati, subuerterunt eos. *lib. 10. c. 9.*

P. M. Fœnum Græcum quo tractatur peius, hoc prouenit melius: Ita liberi quidam, quanto habuerit indulgentius, tanto minus valent: neglecti vero & vexati euadunt in viros. *In simil.*

Auriga non semper adducit habenas, sed aliquando remittit: Ita pue ris nonnullis indulgendum. *In simil. ex Plut.*

Themerti. Sicuti est illiberalis patris, supplici filio recusare quod vti le est: Ita admodum imprudentis, concedere, quod cum discrimine est. *In apoph. 86.*

Vestes, quæ raro induuntur, ferè à tineis eroduntur: & pueri, qui nimis indulgenter habentur, fermè à morbis, & in arma animi vi ojs corrumpuntur. *In apoph. 120.*

H I S T O R I C A E X E M P L A.

Nerua princeps alioqui optimus, populo in Domitiani ministris, & amicis puniendis plus satis indulsit: vt non immerito Fronto cõsul ad populum dixit malum esse sub principe viuere, qui nihil peius sub eo, qui omnia permitteret, nihil prohiberet. *S. Aurel. Vict.*

Pisistratus cum dissidium inter ipsum & filios extitisset, eoque lætari aduersissent inimicos, aduocata concione, cupisse ait filios se in suam adducere sententiam: cæterum quia contumaces sint illis velle obsecundare, & obtemperare. *Plut. l. 1. q. conuiu q. 1.*

Antigonus Rex Asiæ Demetrij Poliorcetis F. delicias, luxum, potationes non molestè ferebat. *Plut. in Demetrio.*

Phineus rex Thraciæ idcirco nimium contra priuignos indulsit. Hi enim calumnijs suis, cum se à priuignis violatam esse diceret, effecerat, vt hos pater verberibus cæsos, in terram viuos defodi imperauerit: qui tamen ab Argonautis à tam crudeli morte liberati fuere. *P. Orosius ex Diod. lib. 4.*

Alexander, de laude cum, aliquid sorori cum formoso iuuene intercedere dissit. tantum ex illa id sit, sed ait, permittendum illi quoque non nihil fruì regno. *Plut. in polit.*

Dionysius maior attoniter in alios fontes animaduertens, furibus vestram parcebat: vt desinerent ay excitant vna cœnare & conuersa... *Plut. in Reg. apoph.*

Consule locum de Venia.

I N D V R A T I O.

LOCI BIBLICI.

Induratio Dei opus est, quatenus ea vtitur ad puniendã in reprobis voluntariam corruptionem, in qua indurantur. *Exod. 7. v. 3. 22. & 8. v. 19. 32. & 9. 12. Deut. 2. 30. Ios. 11. 20. Rom. 9. v. 8.* Induratio reprobis, spontanea est, quia eorum corruptione infensis Dominus eos sic indurat, vt eorum voluntate ad exercendum suum iudicium vtatur. *Exod. 8. 15. & 9. 34. 2. Paral. 36. 13. Act. 13. 46.*

S E N T E N T I Æ B I B L I C Æ.

Induratio oritur ex gratia subtractione in 7a.

Vide vt omnia ostenta, quæ posui in manu tua, facias coram Pharaone. Ego indurabo cor eius. & non dimittet populum meum. *Exod. 4.*

Ego enim induraui cor eius, & seruorum illius. *10.*

Et in-

Et indurabo cor eius, ac persequetur vos: & glorificabor in Pharaone, & in omni exercitu eius. 14.

Igitur non est volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. Dicit enim Scriptura Pharaoni: Quia in hoc ipsum excitaui te, vt ostendam in te virtutem meam, & vt annuncietur nomen meũ in vniuersa terra. Ergo cuius vult, miseretur: & quem vult indurat. *Rom. 9.*

Numquid Israel non cognouit? Primus Moses dicit: Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem, in gentem insipientem in iram vos mittam. Esaias autem audet & dicit: Inuentus sum à nõ quærentibus, palam apparui his, qui me non interrogabant. Ad Israel autem dicit: Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem mihi. 10.

Ex gratiæ repulsione iniqua.

Et testificatus est in Israel & Iuda, per manum omnium Prophetarum & videntium dicens: Reuertimini à vijs vestris pessimis, & custodite præcepta mea. Qui non audierunt, sed indurauerunt ceruicem suam, iuxta ceruicem patrum suorum, qui noluerunt obedire Domino Deo suo. 4. *Reg.* 17.

Audite me duro corde, qui longe estis à iustitia. Prope feci iustitiam meam, non elongabitur, & salus mea non morabitur. *Esa.* 46.

Sciui enim, quia durus es tu, & neruus ferreus ceruix tua, & frons tua ærea. 48.

Quare dixit populus meus: Recessimus, non veniemus vltra ad te. *Ierem* 2.

Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere. Ergo saltem amodo voca me. Pater meus, dux virginitatis meæ es tu. Ecce locuta es, & fecisti mala, & potuisti. Et pro verbis pœnitentiæ, verba superbiæ blasphemasti. 3.

Percussisti eos, & non doluerunt: attriuisti eos, & renuerunt accipere disciplinam: indurauerunt facies suas supra petram, & noluerunt reuerti. Ego autem dixi: Forsitan pauperes sunt, & stulti, ignorantes viam Domini, & iudicium Dei sui. Ibo igitur ad optimates, & loquar eis: Ipsi enim cognouerunt viam Domini & iudicium Dei sui: & ecce magis hi simul confregerunt iugum, & ruperunt vincula. 5.

Quapropter sicut dicit Spiritus Sanctus: Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra, &c. *Hebr.* 3.

Induratio diræ punitur.

Væ qui contradicit factori suo. *Esa.* 45.

Ecce ego inducam super ciuitatem hanc, & super omnes vrbes eius vniuersa mala, quæ locutus sum aduersus eam: quoniam indurauerunt ceruicem suam, & non audierunt sermones meos. *Ier.* 29.

EXEMPLA BIBLICA.

Indurationis exempla in Pharaone, *Exod.* 7. v. 22. 23. & 8. 15. Pharaone & seruis eius. *Rom.* 9. v. 34 & 34. Sihon Rege, *Deut.* 2. 30. Hiuæis, *Ios.* 11. v. 19. 20. Israelitis, *Deut.* 10. 16. 2. *Reg.* 17. v. 14. 15. 16. 2. *Paralip.* 30. v. 7. 8. Filijs Heli, 1. *Samuel.* 2. 25. Sedechia & vniuersis principibus Sacerdotum, &c. 2. *Paral.* 36. v. 12. 13. Iudæis, *Nehem.* 9. v. 16. 17. 29. 30. *Ier.* 5. 3. & 7. 25. & 36. 32. & 17. 23. & 19. 15. *Ezec.* 12. 2. *Act.* 13. 46. In quibusdam Ephesijs, *Act.* 19. 8. Indurat Deus quem vult, *Rom.* 9. 18. ne induremus ceruices nostras, *Deut.* 10. 16. corda nostra, *Psal.* 95. 8. *Hebr.* 3. 15.

INDVSTRIA.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Industria, Græce ἀγχίνοια, ας, ἡ, & ἀγχίνοος, ου, ὁ, industrius dicitur. Est autem industria frequens exercitium circa rem honestam, vnde industrius dicitur, hoc est, studiosus, vigilans, cupidus.

PHILOSOPHICÆ SENTENTIÆ.

Industria & ingenium animæ, quo quis munitus est, in singulis, quod decet, facile conijcit mentis acumen. *Speusipp. de Platon. definit.*

Industria est prudentiæ pars, *Arist. magn. mor. 1. c. 33.*

APOPHTHEGMATA.

Cleanthes collectam pecuniolam aliquando proiecit coram familiaribus, dicens: Cleanthes alterum Cleanthem alere posset, si vellet. *Laert. lib. 7. c. 2.*

Nicostratus, quum ob artem musicam dissideret à Laodoco cytharœdo, dixit, illum in magna arte exiguum esse, se vero in exigua magnum. Non igitur solum laudabile est, rem familiarem & opes amplificare; sed etiam artem studio & industria. *Ælian. lib. 4. de var. hist.*

Lacones commune hoc prouerbium semper in ore habuerunt: Admota manu fortunam esse implorandã. Quo innuere voluerunt, frustra inuocari Deos, nisi addens industriam, manum rotæ admoueris etiam. *Plut. in Lacon.*

ADAGIA.

Dij facientes adiuuant.

Significat, diuinam opem non cessantibus, sed industrijs, & pro sua virili conantibus auxilio esse solere.

Cum Minerua manum quoque moue.

Hinc finitimum est, Σὺν Ἀθηνᾷ καὶ χεῖρα κίνει, id est, Auxiliante Minerua manum interim moue. Monet adagium, ne fiducia diuinæ opis industriam remittamus. man muss mit Gott in die Haend speyen. Item. S. Niclaus bescheret vvol die Kuhe, liefert sie aber keinem an das Seyl.

Manum admouenti fortuna est imploranda. Τὴν χεῖρα προσφέροντα δεῖ τὴν τύχην ἐπικαλεῖν.

Admonet adagium, ita fidendum esse diuino auxilio, vt nihilo segnius nostra admittatur industria.

Ni purges & molas, non comedes. Ἂν μὴ καθάρῃς καὶ ἀλέσῃς, οὐ μὴ φάγῃς.

Non contingit tibi victus, nisi etiam item industriam adiunxeris.

Neque mel, neque apes. Μήτε μέλι, μήτε μελίσσας.

In eos dici solitum, qui recusant incommodum ferre, quod sit cum commodo quopiam coniunctum.

Qui vitat molam, vitat farinam. Ὁ φεύγων μύλον, ἄλφιτα φεύγει.

Qui refugit industriam, non fruetur emolumentis.

Industriam adiuuat Deus.

In aggrediendo negocio quædam humana ratione prouidentur: quædam fortuna commodum, ipsaque res suppeditat: id est apud Homerum Odyss. λ.

Τηλέμαχ', ἄλλα μὲν αὐτὸς ἐνὶ φρεσὶ σῇσι νοήσεις,
Ἄλλα δὲ καὶ δαίμων ὑποθήσεται.

Hæc partim ipse tuo versando pectore versum,
Partim diuum aliquis tibi suggeret.

Manum admouere τὴν χεῖρα ἐπιβάλλειν.

Dicebatur, qui sese insinuaret in rei cuiuspiam egregiæ communionem.

Optimum obsonium labor senectuti. Ὄψον ἄριστον πόνος τῷ γήρᾳ.

Laborandum in iuuenta, quo sint suppetat commodius viuendi facultas.

Lutum nisi tundatur, non fit vrceus. Ὁ πηλὸς ἐὰν μὴ δαρῇ, κέραμος οὐ γίνεται.

Citra laborem nullus euadit in virum absolutum.

Manu fingere.

Est arte curaque formare. Metaphora sumpta ab ijs, qui è cera siue argilla fingunt imagines. Senec.

Serere ne dubites.

Quo monemur, ne quando pigeat eiusmodi rerum aliquid moliri, è quibus nihil omnino dispendij, sed plurimum emolumenti possit proficisci: si non in præsens, certe in posterum: si non nobis, at saltem posteris.

Qui arat oliuetum.

Huic adagio locus fuerit, vbi significabimus, fieri non posse, quin voto potiatur is, qui curam extremam impenderit. Columel. libro octauo, de re rustica.

Quid tandem non efficiant manus? Τί δῆτα χεῖρες οὐκ ἂν ἐργασαίατο;

Admonet, nihil esse rerum omnium, quod arte, quod industria, non efficiatur. Aristoph.

Proba est materia, si probum adhibeas artificem.

Id est: Egregia quidem indoles si recte instituatur. Felix ingenium, si præceptor contingat idoneus. Plaut.

Artem quæuis alit terra. Τὸ τέχνιον πᾶσα γαῖα τρέφει.

Prouerbialis sententia qua significatum est, certissimum viaticum esse eruditionem aut artificium aliquod. Gelehrte leute kommen allent halben aufs. Item. Kunst ist ein gutter Zehrpfennig, man trage nicht schwer daran. Item. Ein Handtwerck hat ein gulden Boden.

Ex vmbra in solem.

Ex vmbra in solem educere, est rem prius abditam & otiosam in publicum & in communem vitæ vsum educere.

Manus pretium.

Manus pretium Cicero appellare videtur mercedem, non quæ datur pro materia, sed quæ artis nomine debetur architecto.

Muli Mariani.

Muli Mariani castrensi prouerbio dicti sunt varicosi milites qui ex C. Marij Ducis instituto, in furca sabellã interposita, sua onera portare consueuerunt. Festiuius erit, si detorqueatur in hominem immenso studio aut perpetuis negocijs vehementer districtum.

INFAMIA.

DEFINITIO, ET ETYMOL.

INFAMIA, Græce δυσφημία, ας & δύσφημος, ου, ὁ, infamis dicitur. Est autem infamia læsæ dignitatis qualitas reprobata, quantum ad vitam & mores, per argumentum à contrario sensu,

sensu. Sicut fama est illæsæ dignitatis status, vita & moribus comprobatus, & nullo diminutus. Eamdem infamiam Apuleius infamationem vocat.

POETICÆ SENTENTIÆ.

Plaut. Pers.

Pater, hominum immortalis est infamia,
Etiam tum vivit, cum esse credas mortuam.

Ibidem.

Quamquam res nostra sunt, pater, pauperculæ,
Modicè, & modestè meliùs est vitam vivere.
Nam si ad paupertatem admigrant infamia,
Grauior paupertas fit, fides sublestior.

Horat. 1. serm. 4.

Auidos vicinum funus vt ægros
Exanimat, mortisq; metu sibi parcere cogit:
Sic teneros animos aliena opprobria sæpè
Absterrent vitijs.

PHILOSOPHICÆ SENTENTIÆ.

De Infamia. DIAL. XXV.
Francisci Petrarchæ.

DOL.

Mea premor infamia. R. Timui tua ne conscientia premereris. D. Infamia premor graui. R. Si iustam, non infamiam, sed infamiæ causam desle: sin iniustam, errorem hominum alto animo proculcas, tua te conscientia solare. D. Graui infamia laboro. R. Ventoso sa fee suspiras, sic suapte natura leuem sarcinam ferentis imbecillitas grauem facit. D. Grauis in meum nomen surgit infamia. R. Refert quibus orta radicibus si veri, viuet, augebitur, alioqui mox arescet, ac desiuet. D. Magna mihi infamia côflata est. R. Bene ais: Flatus est enim fama. Sæpè etiâ impuri oris, qui vos adeo quatit, ac terrificat. Atqui magna infamia magnæ famæ principiû multis fuit. Puduit vulgus, & ve iure suo erroi addere et errorem, rebusque modû enectis excluderet, modicâ infamiam immodicis laudibus tandem vicit. D. Multa vndique pulsor infamia. R. Circûflantibus ventis in portum redi, & ab aurium procellis in cubiculû cordis ingredere, cui si tranquillitas sua est, habes, vbi iurgiorum fessus requiescas, & (vt dici solet) in sinu gaudeas. D. Fusca fama, conscientia clara sum. R. Tune igitur famâ esse clarissima, côscientia turpi cuperes, atq; obscura? sane penitus verû est illud Flacci: *Falsus honor iuuat, & mendax infamia terret.* O rem vanam! vera quidem, & iuuare possunt, & terrere, vmbras metuere non est viri. D. Infamiæ sarcina ingens est. R. Si flagitio collecta, grauis fateor: si casu, facilis: si honesti studio, gloriosa, siquidem bonis artibus quæsita infamia laus est. Insultet fatui, & tu exulta lucro nobili virtutem nempe rarissimam mercem, magnum licet, & quo nullum maius famæ precio comparasti. Is virtutis cultor verus est, qui in illa nihil penitus, præter illam cogitat, sed cû reliquorû clarus, cum clarissimus est contemptus famæ virtutis studio suscep tus, cum profecto fama viris fortibus, non auro tantum, sed vita etiam sit charior. Qui amore virtutis hanc spreuerit, is spreturus omnia credi debet, quod præclarum, sed perrarum scito, quandoquidê magna pars eorum, qui videri volunt virtuti operâ dare, fama eius apprehensa sic confestim in actione lentescant, vt intelligi det vnum hoc illos, quod apparuerint, intendisse. D. Multi grauiter me infamant. R. Plures olim Fabium, & grauius, plures etiam Africanum, quæ res illis eximiam in gloriam versa est. Cômunem cum talibus sortem queri desine. Paucissimis accidit omni semper infamia caruisse. Delicatissima res est fama homini, & quæ sæpè rubiginem leuibus contrahit ex causis. Et ad summam, vt nil clarius fama est, sic nil obscurari pronius, Nilq; peregrinarum (vt sic dixerim) capacius impressionum. D. Graui vror infamia. R. Pestis hæc verecundis maximè infesta nominibus, viris quoque sanctissimis nô pepercit, quorum princeps omnis expers culpæ, & ipse tamen ab impijs infamatus ostendit mali huius immunitatem, quæ nec Deo obtigisset, hominibus non sperandam. D. Dura atteror infamia. R. Virtutem inuidia non tentari vix possibile dixerim, sufficiat non conuelli, sine gloriâ cû obtrectatione colligi, si pura, si solida est, splendescet attritu. D. Acri vexor infamia. R. Vulgaris aura cæcis ignorantiæ pulsa turbinibus summa rerum cacumina verberat, sed non quatit, vel si quatiat nô euertit. Excellentiæ tibi cuiuspiam signum sit, in vulgi linguas quasi scopulos incidisse. Humilia enim, & circa terrâ depressa nomina, nec præclaræ laudis lumen excipiunt, nec magnæ infamiæ têpestatê. Sæpè quod spernitur, & quiescit. D. Male de me vulgus loquitur. R. Bene quòd in linguas, non in calamos incurristi. Vehemês sermo vulgi est, at minimè diuturnus. Leuibus aut falsis orta causis, breuia sint oportet, tacebunt cû multa latrauerint. Fatigari citius solent, qui cœpere feruentius. D. Vulgi linguis exagitor, R. Quid si in oratoris, aut poetæ insignis stylû impegisses? vt multi olim, quos infames posteritati traditos inimici eloquêtia videmus, vt sicut nobile mihi suspiriû Alexâdri Regia Homerû Aeacidæ inuidêtis, sic metus nobiles Alexâdri principis videatur literatos, disertosq. viros ne quid de se asperû scriberêt formidâtis, quâquâ nec literatis obtrectatoribus succumbêdû, sed vel pari stylo refellenda calumnia, quod Tullius Crispo, quod Demosthenes Aeschini, quod innumerabilib. fecit Cato vel insigni fiducia, & omne theatrum superante animi testimonio resistendum esse, dicendumq; quod Caluo Vatinius perorauit. Non quia iste disertus, idcirco ego damnandus fui. At nunc periculi nihil est. Siquidem vulgus, vt multum strepat, quamdiu tamen id faciet, cito vel volês, vel coactum desinet. Veniet dies quæ strepidulis his cicadis, loquacibusq; silentium picis ponat. D. Malam famam apud vulgus habeo. R. Vt apud teipsum vtq; apud bonos bonam ac perpetuam, veramq; habeas enitere. Nempe ista quâ quæris euanescet. Inane genus ac trepidum mortales, qui ad vos, vel adulantium, vel detrahentium breue illud, & obscurû murmur? Venient qui liberius iudicent, atque æquius. Et qui sunt inquies hi iudices? Nosse illos non potestis, sed ab illis nosci. Illos dico qui post vos nascentur: quos nec vestri odium nec liuor, sed nec amor, nec spes torserit aut metus. Si vestrarum æstimationem rerum, ac sententiam incorruptam vultis, hos iudices expectate, breuis est mora. Properant, ecce moxq; aderunt. D. Infamiam factis egregijs & virtute contraxi. R. Est vbi amor damnis alitur, crescitq; laborib. inq; amaro (dictu mirum) & maligno solo radices agit altius, vnde fit vt factionum amantissimos sæpe illos videas, qui multa & grauia pro factionibus passi sunt. Nota quidem & nimium trita res, vestris in vrbibus. Proinde nemo, vel iustitiæ, vel veritatis amantior, quâ qui pro hac flagellis sese obtulit ac morti. Et tu igitur virtutem ama, magisq; ac magis illam cole. pro qua famam, rem pul. herrimam atque clarissimam amisisti, pro qua non leue supplicium fers infamiam, perdulisque & spretis omnibus eam ipsam quam tibi nemo vnquam eripiet, virtutem solam solus amplectere, atque illi dicito. Hæc quidem, ô regina! Pro te volens patior, tu me in integrû restitues, aut certe vna mihi pro omnibus satis es. Tu me sola sinu pio refoue, sic non famæ tantum, sed vitæ quoque damna non sentiam. D. Vulgo passim in triuijs laceror. R. Boni consule: Notum te vulgus faciet, clarum virtus, conscientia securum.

APOPHTHEGMATA.

Pericles. Atiphroni volenti publico præconio quæri Alcibiadem, qui adolescens clam domo egressus ad amicum Democratem se contulerat, obstitit dicens: Si forte nobis inscijs perijt, præconio nihil aliud agetur, quam vt vno tantum die citius manifestum fiat illum interijsse: sin saluus, ne per omnem quidem vitam saluus esse poterit. Ciuiliter exclusit Pericles adolescêtis infamiam quam numquam potuisset educere. *Plut.*

SIMILITVDO.

P. M. Adyanton herbam etiamsi perfundas aqua, aut immergas, tamen siccæ similis est: Ita in viro bono non hæret contumelia, aut infamia, etiamsi quis infamare conetur. *In simil.*

HISTORICA EXEMPLA.

M. Horat. Interfectæ sororis crimine à Tullo Rege damnatus, ad populum prouocato iudicio est absolutus: quorum alterum atrocitas necis monuit, alterum causa flexit, quia immaturum virginis amorem seuere magis quam impie punitum existimabat: itaque tantum gloriæ consanguineo, quantum hostili cruore retulit.

Sergius Galba à Libone tribuno plebis pro rostris cum accusaretur, quod Lusitanorum magnam manum interposita fide, in Hispania Prætor, interemisset, reus pro se nihil recusans, paruulos liberos suos, & Galli sanguine coniunctum filium, flens commendare cœpit, sic mitigata concione, qui omnium consensu periturus erat, nullum pene triste suffragium habuit.

A. Gabinius maxima infamiæ labe à Memmio accusatore conspurcatus, cum præsentissimum capitis impendere videret periculû: Sisennam filium adhibuit, qui se ad Memmij pedes prostrauit supplex, quem truci vultu Memmius repulsum humi iacere aliquamdiu passus est. Quo spectaculo commotus Lælius Tribun. pleb. approbantibus cunctis, Gabinium dimitti iussit vt ostenderet neque secundarum rerum prouentu insolenter abutendum, neque aduersis propere animum abijciendum esse.

Tutia virgo Deæ Vestæ incesti criminis rea, sinceritatisque suæ conscia, arrepto cribro dixit: Vesta si sacris tuis castas semper admoui manus, effice, vt hoc cribro hauriam ex Tyberi aquam & in ædem tuam perferam: Audacter votis sacerdotis, rerum ipsa natura cessit.

L. Piso à L. Claudio Pulchro accusatus, quod graues socijs iniurias intulisset, certi periculi metum fortuito auxilio vitauit. Nam cum de eo tristes ferrentur sententiæ, repentina vis nimbi incidit, cumque prostratus humi iudicum pedes oscularetur, os suum cœno repleuit, quo conspecto à seueritate ad clementiam cuncti conuersi sunt.

Q. Flaminius à Valerio ædile apud populum reus, & quatuordecim tribuum suffragijs damnatus se innocentem opprimi proclamauit, cui Valerius clara voce respondit, nihil sua interesse, dummodo periret: Qua violentia dicti commotæ tribus à reo peperceruit. Et sic insolentia accusator victoriam in ipsa victoria perdidit.

Quam

Quum cuidam notam appositam deprecantibus familiaribus ademisset Claudius Cæsar, dixit, Litura tamen extat. Sentiens etiam remissa culpa, manere tamen infamiæ prioris vestigium. Alludēs ad scripturam, quæ licet spongia deleatur, relinquitur tamen ra furæ vestigium.

Appius Claudius pulcherrima classe amissa infesto populo obiectus, cum debitam pœnam effugere nullo modo posset, subita cœli tempestate suborta, tutus fuit à damnatione. Itaque cui maritima tempestas perniciem, cœlestis salutem attulit.

Vide, Contumelia.

I N F A N S.

Loci Biblici.

INfantes, in vrbium expugnatione reseruandi. *Deut.* 20. 14. Christo oblati, *Matth.* 19. 13. (*vide & Marc.* 9. *v.* 36. 37. *Luc.* 18. 15. Infantibus similes nos esse oportet, *Matth.* 19. 14. sicut infantes modo geniti simus, 1. *Pet.* 2. *v.* 2.

Infantia quæ laudanda, *Matt.* 18. *v.* 3. 4. *Luc.* 18. 19. 1. *Cor.* 14. 20. *Ephes.* 4. 14. 1. *Pet.* 2. *v.* 1. Infantia spiritualis, 1. *Cor.* 3. 1. vbi infantiam opponit Paulus adultæ ætati, ideoque lactis nomine prima Christianæ religionis tyrocinia significat. Petrus vero, 1. *Pet.* 2. 2. infantiam priori illi corruptissimæ vitæ opponit. & perpetuum lactis, (id est, veræ, & sinceræ doctrinæ Euangelicæ) vsum commendat: vnde patet infantiæ nomen diuerso respectu & sensu à Paulo quam à Petro vsurpari.

Ouid. 15. Met.

Editus in lucem iacuit sine viribus infans.

Lucret. 5.

Tum porro puer, vt sæuis proiectus ab vndis
Nauita, nudus humi iacet infans indigus omni
Vitai auxilio. cum primum in luminis oras
Nixibus ex aluo matris natura profudit,
Vagituq; locum lugubri complet vt æquum'st
Cui tantum in vita restet transire malorum.

Ouid. 13 Met.

Nam tener & lactans, pueriq; simillimus æuo
Vere nouo est: tunc herba recens & roboris expers
Turget & insolida est, & spe delectat agrestes, &c.

De infantis filij casu misero. Dial. XLIX.

Francisc. Petrarch.

D o l.

Infantis filij miserabilem casum fleo. R. Humanum nihil flendum, homini præmeditata omnia esse debent, si non sunt. Non casum filij, sed inscitiam tuam defle, & conditionis obliuionem. D. Filij infantis miseram mortem queror. R. Nulla mors misera, quum mors animæ non sequitur, à quo periculo infans tuus immunis est. D. Infans meus præcipitio perijt. R. Qualiter quis pereat, quid refert? modo ne turpiter pereat. & perire turpiter non potest qui sine peccatis perijt. D. Præcipitio, perijt infans meus. R. At Archemorus serpente, alij grauidæ lacte nutricis, alij morbis, qui pene plures illam in ætatem, quam in senectutem incidunt. D. Perijt infans meus præcipitio. R. Repentina mors innocentibus optanda, nocentibus metuenda est. D. Infans meus ex alto præceps perijt. A. Languide pereuntibus mors durior sæpe, & angustiæ longiores, dolor omnis, eo tolerabilior, quo breuior. D. Perijt præcipitio infans meus. R. Præcipitari, & ruere illius ætatis est proprium, fecit infans tuus, quod faciunt omnes, & si nō omnes casu pereant. At tu sine illum perijsse, pereundum erat, & feliciter secum agitur prius pereundo, quam vitæ malis impli caretur, quæ quam multa sint, sciunt experti, & intenti. Nemo enim non expertus est, non intenti autem multi, qui quasi somnum vitam agunt, cuius reminisci nequeant experrecti. Perijt innocens infans tuus, qui fortasse, si viueret, nocentissimus perijsset. Noli illum in tuto positum deflere, fortunæ minas omnes euasit, & præoccupauit mortem, quæ illum dilata præoccupasset. D. Lupus meum deuorauit infantem. R. Ista iam vermium est querela. D. Infantis miseri corpusculum lupus rapuit in cauernā suam. R. Felicis animam infantis in cœlum angeli rapuere.

Infantes primis 40. diebus neque rident, cum vigilant, nec lachrimantur, sed noctu, & per quietem vtrumque interdum faciunt, nec sentiunt magna ex parte, cum scalpuntur, & plurimam huius temporis partem dormiūt, in die autem ad vigilandum immutantur, somniantque, sed sero possunt meminisse imaginum. *Arist. hist. anim.* 7. *c.* 10.

Infantibus curandis motu perpetuo vti iubet Plato. Primo, quia motu geniti seruātur. Secundo, quia eiusmodi motione vitæ moderata immoderatæ agitationi tū intrinsecus à natura, tum extrinsecus ab aere factæ resistimus. Tertio, quoniam motus calorem excitat naturalem, corpusque totum æque viuificat. Quarto nutrimentum concoquit, & digerit per membra. Quinto, superuacanea excrementa secernit. Sexto, obstructa aperit, & adæquat humores. Septimo conducit ad augmentū. Octauo, membra apta simul reddit, & solida, non solum moderatione quadam æqualitatis, verum etiam numeri cuiusdam proportione, motum nobis oportet congruere. *Fic. in Plat. de leg. dial.* 7.

INFELICITAS.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

INfelicitas, Græce δυστυχία, ας, ἡ. & δυστυχής, ὁ, ἡ, infelix dicitur. Felicitas & infelicitas descendunt à felix, quod est, quod recipit felicitatem. *Virgil. Viuite felices quibus est fortuna peracta Iam sua.* Aliquādo significat, quod dat felicitatem. *Virg. Sis bonus ô felixq; tuis.* Felix quandoque fœcundum significat, quare felices arbores dicimus: & infelices, fructum non ferentes. Hinc etiam felicito verbum quod est felicem facio. Cuius oppositum infelicito, hoc est, infelicem facio.

Poeticae Sententiae.

Menander in Heroc.

Ὡς ἀλυσιτελές ἐστι τὰ τοιαῦτα δυστυχεῖν,
Ἃ μηδὲ πιθανὰς τὰς ὑπερβολὰς ἔχει.
Me miseram, quæ sola calamitates tales experior,
Quas præ immanitate nemo facile crediderit.

Ouid. lib. 2. de Pont. ad Maximum.

Diligitur nemo, nisi cui fortuna secunda est:
Quæ simul intonuit, proxima quæq; fugat.
En ego non paucis quondam munitus amicis,
Dum flauit velis aura secunda meis.
Vt fera nimboso tumuerunt æquora vento,
In medijs lacera puppe relinquor aquis.

Menand. in Enchirid.

Οὐδὲν ἂν ὦ μειράκιον τύχη κακὸν ποιήσειε
Τὰ μηδὲ προσδοκώμεν' ἐκστασιν φέρει.
Ὤμοι δέχεται κακὸν ἐκ κακοῦ ἀεί.
Nunquam pus aliu: Verum fortuna, & omnia
Inexpectata animum suo statu deijciunt.
Quam semper aliud malum post aliud mihi nascitur?

Euripides Tragicus.

Κεκλημένῳ δέ ποτε μακαρίῳ ποτέ
Αἱ μεταβολαὶ λυπηραί· ᾧ δ' ἀεὶ κακῶς
Ἔστ' οὐδὲν ἀλγεῖ συγγενῶς δυστυχὴς ὤν.
Viro, qui felix aliquando vocatus fuit,
Molesta est mutatio, cui vero semper sinistra
Fortuna fuerit, nihil dolet, vt cui familiaris sit calamitas.

Eurip in Antigone.

Ἐπ' ἄκρον ἥκομεν κακῶν γραμμήν.
Malorum vltimam lineam attingimus.

Item in Aeolo.

Ἀεὶ τὸ μέν γε ζῇ, τὸ δ' ἐκποδὼν κακόν,
Τοδ' ἐκ βάθρων αὖθις ἐξ ἀρχῆς νέον.
Νῦν δ' ἀεὶ πέσσω, τὸ δ' ἀεὶ ἐξ ἄλλου τρέφει
Πῆμα, κακοῦ δ' οὔπω γίνεται ἡσυχία.
Semper malum aliquod viget, alterum vero præterit.
Et quod nouum futurum est deinceps nondum apparet.
Nunc vero semper concoquo, interim aliud nouum mihi crescit
Damnum, cum à priori malo nondum me expediuerim.

Sophocles in Nauplio.

Τῶν γὰρ κακῶν πράσσοντι μυρία μία
Νὺξ ἐστιν ἡ πεθεῖσαν ἦν τὴν περᾶσαι.
Infinitis oppresso malis, vna
Nox adueniens, quæ dum melior fortuna aspirat, mori iubet.

Menand. in Paracatathecs.

Εὐπιστος ἀτυχῶν ἐστιν ἄνθρωπος φύσει,
Τὸν πλησίον γὰρ οἴεται μᾶλλον φρονεῖν
Ὁ τοῖς λογισμοῖς τοῖς ἰδίοις πταίων ἀεί.
Homo infelix semper natura credulus est.
Proximum enim semper plus se sapere putat
Ille, quem sua rationes semper falliunt.

Amphis in Ampelurgo.

Ἐν οἷς ἂν ἀτυχήσῃ τις ἄνθρωπος τόποις,
Ἥκιστα τούτοις ἐμπλησιάζων ἥδεται.
Quibus in locis calamitosus aliquis fuit,
Ad ipsos accedere nequaquam gaudet.

Phileas in Cerere.

Ἡ μὲν δὴ πολέεσσι πεφύκασιν χαλεποῖσι
Θυμοί, γαλήνην δ' ἐπιμίσγουσιν ὁδὸν ἴσον ὥστε
Ἀμεὶ δέ τοι νέας αἰὲν ἀνίας συγκίγνουσιν.
Peruenimus equidem semper immersi sumus malis

Animae mi. tranquillitatem verò ne tantillam quidem experitis.
Semper autem noui dolores circa exasperantur.
Τοῦ μοι πολλῶν γαίης ὕδωρ ἠδὲ θαλάσσης
Εἰκ δίος ἀνέλων ἴσχεμεν ὧν ἐτέων.
Οὐδ' ἔτι μοῖρα κακῶν κακῶν τέρμα. ἀλλὰ μένουσιν
Ἔμπεδ' ἀεὶ τοῖσιν ἄλλα προσαυξάνεται.
Hinc est, quod semper oberra terra, marique,
Dum fecundi à Ioue restringuntur anni:
Nec mihi Parca malorum finem afferet: sed manent
Constanter, & praesentibus accrescunt alia.

Menander.

Ἔξωθεν εἰσὶν οἱ δοκοῦντες εὐτυχεῖν.
Τὰ δ' ἔνδον εἰσὶ πᾶσιν ἀνθρώποις ἴσοι.
Qui felices videntur, externam solam personam habent,
Intus autem caeteris hominibus similes sunt.

Diphilus.

Ὥσπερ κυαθίζουσ' ἡμῖν ἡ τύχη.
Ἓν τἀγαθὸν ἐπιχέασα, τρία ἐπιχεῖ κακά.
Fortuna nobis tanquam cyathos exsiccantibus.
Si vnum bonum infundas, tria mala affundis.

PHILOSOPHORVM SENTENTIAE.

Infelicibus nulla tam familiaris patris, quam solitudo. *Franc. Patric. de Regno lib. 5. c. 6.*

Si cui Deus bona non perfecte largiri voluerit, illum pecuniarum copia exhibita, mentis & prudentiae inopem facit. & sic altero ademto, vtriusque prior. *Antiph.*

Ἀπορία κοινὴ τῆς ἑκάστου χαλεπωτέρα ... ἀπορία ἐλπίς ...

Inopia publica grauior est, quam singulorum: Nulla cum subsidij spes relinquitur. *Democr.*

Νόσος οἴκῳ καθάπερ σώματι γίνεται ...

Quemadmodum corpori, sic & familiae, vtraeque morbus accidit. *Idem.*

Ἔοικε δ' ὁ βάσκανος δαίμων φιλοτιμότατος εἶναι πρὸς τὰς παραδόξους συμφοράς.

Inuidus daemon maximè hoc videtur studere, vt inopinatas calamitates inducat. *Gaius.*

Atqui, ò Socrates! nihil, opus est antiquis exemplis ad te confutandum, siquidem recentibus, atque adeo hesternis manifestè plerosque iniustos esse felices, comprobari possit. Quaenam ista? Archelaum Perdiccae filium Macedoniae imperare vides? Et si non video, saltem audio. Felixne igitur tibi, an infelix videtur? Nescio equidem Pole: numquam enim ei conuersatus sum. Quid autem? si eius consuetudinem habuisses, iam cognosceres? Aliunde verò eius felicitatem non deprehendis? Non per Iouem. Constat igitur, ò Socrates, similiter te dicturum ignorare, vtrum Magnus Persarum Rex sit felix. Et vera quidem dicam. Ignoro enim, quo pacto, vel eruditione, vel iustitia sit instructus. Numquid in hoc tota beatitudo consistit? Certè meo iudicio. Assero enim, honestum bonumque virum, & mulierem esse felicem: iniustum verò, & turpem esse miserum. Miser ergo iuxta tuum sermonem est Archelaus: nimirum, si iniustus. *Plato in Gorgia.*

APOPHTHEGMATA.

Bias, eum demum infelicem esse dictitabat, qui infelicitatem suam aequo animo ferre non posset. Sensit vir prudentissimus, eam infelicitatem hominibus nocumento esse, quae ratione gubernari non ita possit, vt vtilitatem aliquam patientia inde capiat. *Laert.*

Chilon Lacedaemonius admonebat secundis rebus elato non applaudendum, nec arridendum. Infelix felicitas est, quae hominem reddit insolentiorem: eoque non plausum meretur, sed lachrimas. Grauiusque peccant, qui docent insolentiam, quam qui ea vtuntur. Saepè populus clamat in auaritiam, ac tyrannidem principum: cum ipse doceat illos haec vitia. *Laert. lib. 1. c. 4.*

Epictetus Non omnino Dijs exosos esse dicebat, qui in hac vita cum aerumnarum varietate luctantur. Sensit Philosophus, infelicitatem prodesse hominibus, quibus si pro votis animi res procedant, adeo furijs agitantur, vt ex rebus prosperis iratos sibi Deos faciant. *In Enchirid.*

Diogen. Alexander Macedo ad Antipatrum literas Athenas deferendas Athlio cuidam tabellario dederat. Diogenes autem eum adesset, ad vocabulum alludens (Athlios enim infelix dicitur) Athlius, inquit, ad Athlium, per Athlium. Intelligit autem omnia in hac legatione esse infelicis. *Brus. lib. 6.*

Demetrius Stoicus dicere solebat, nihil sibi videri infelicius eo, cui nihil in vita accidisset aduersi: quod oporteat talem hominem, aut sibi ignotum esse, aut qui numquam sui periculum fecerit: aut Dijs inuisum, vt quem praeterierint veluti ignauum, nec idoneum ad fortunae conflictum. *P. M. lib. 8. apoph. ex Senec.*

SIMILITVDINES.

Maximi monachi. Quemadmodum fuga fortem virum attendit; Sic calamitas vere prudentem. *Sermone 18. Est autem dictum Demonactis.*

Archytae Pythagorici. Quemadmodum caecus siue lumen habeat, & claritatem visibilem: siue in tenebris degat, semper miser est: Sic infelix semper malus habetur, siue adsit materia, siue desit: male enim omnibus rebus vtitur. *In lib. de doctrina morali. Meminit & Stobaeus in sermone de virtute, qua est in ordine prima.*

EXEMPLA PROFANA.

Fuit Troiae *equus* semper exitialis. Ob Laomedontis equos primum vrbs capta est ab Hercule & excisa: dein lignea effigie, pari euentu, venit in hostium potestatem: postremo Charidemi ductu, cum equus ferro confossus concidisset, fuit iacens Iliensibus, quo minus fores irruentibus obijcerent hostibus, impedimento. *Sabellic. lib. 9. c. 4. ex Plut. Sertorio.*

Cn. Seius, Dolobella, Cassius, & Marcus Anton. omnes infeliciter periere, cum equum Seianum possiderent. *Gell. lib. 3. c. 9.*

Zenodotus Aristotelem auctorem citat, Cythnios vsque adeo diuexatos afflictosque fuisse ab Amphitryone: vt in prouerbium abierint, κυθνώδεις συμφοραί pro maximis cladibus & immensis calamitatib. Est autem Cythnus ex Insulis Cycladibus vna, contra Dryopidem sita, teste Stephano. *P. M. in Adagijs.*

Glaucus Hephaestionis Medicus, eo mortuo, ab Alexandro Magno cruci affixus est. *Plutarchus in Alexandro.* Sed vt infelix Glaucus, ita crudelis Alexander, qui quod per inobedientiam peccasset Hephaestion, Glaucum ignorantiae nomine luere voluerit. *Idem.*

Deianira apud Sophoclem Trachinijs suam infelicitatem coniugalem deplorat: quae à monstroso primum Acheloo fluuio expetites, multo certamine ab Hercule liberata fuerit. Subinde Herculis vxor, propter assiduas illius peregrinationes atque pugnas, nouos semper timores conciperat. *Soph.*

Ioan. Baliolus Scotorum Rex infelix, regno exutus, ab Eduardo Secundo, Anglo in Gallia senex atque caecus obijt. *Hector Boeth. libro decimoquarto.*

Xerxis felicissimi Persarum Regis infelix expeditio contra Graecos, historiarum monumentis contestata. *De ea Iuuenalis Satyr. 10.*

Dionysius iunior, Syracusis expulsis exulauit Corinthi, ibique ludi magistrum egit. *Testis Cicero lib. Epistolar. Famil. 9. ad Papirium.*

Ouid. 4. de Ponto eleg. 3.

Ille Syracusia modo formidatus in vrbe.
Vix humili duram repulit arte famem.

Baiazetes Rex Turcarum, Tamberlano victori equum inscensuro sub inclinauit humeros & scabelli vsum praebuit. Vt etiam Valerianus Imperator optimus, Sapori Regi Persarum fecit.

Bellisarius Dux exercitus Iustiniani, post tot tantasque victorias, excoculati mandato Iustiniani iussus: victu in via publica à transeuntibus emendicauit.

Cassius toties triumphator, tertio consul, capitali supplicio afflictus, vitam finiuit.

Polycrates Samiorum Tyrannus, post multos ridentis fortunae zephyros, ab Oraete Cypri praefecto superatus & suspendio affectus est.

Xerxes qui Aegyptum subegerat, à Themistocle victus ab Artabano interfectus est: Artabanus autem ab Artaxerxe occisus.

Mithridates Rex Ponti, qui Annis 40. Romanos varijs cladibus affecerat, Asiam occupauerat, Q. Oppium proconsulem. & Aquilium legatum in vincula coniecerat: à Lucullo primum, deinde à Pompeio superatus, mortem sibi intulit.

Pompeius Magnus tot egregijs victorijs habitis à Caesare victus in Thessalia, iussu Ptolomaei, ad quem in extrema rerum desperatione confugerat, interfectus est crudelissime.

Iulius Caesar Victor Maximus C. Cassij, & Decij Bruti 23. vulneribus, in senatu confossus est. *Reliqua lege apud Valer. & Fulg. lib 6. c. 11. de varietate casuum.*

Vide, Beatitudo, Felicitas, Fortuna.

INFERNVS.

DEFINITIO, ET ETYMOL.

Infernus, Graecè ᾅδης dicitur. Et est horridus, tenebrosus & poenalis locus daemonum. *B. Tho. 2. Sent. dist. 6. q. 3.*

Infernus est in centro terrae, id est, in medio terrae. *Secundum eundem 2. Sent. dist. 6. q. 3. art. 2. & 4. Sent. dist. 44. q. 3. art. 2.*

Infernus

Infernus aliquando adiectiuum est: sicut infra est: sicut supremus qui supra est: vnde inferne aduerbium, & inferiç sacrç mortuorũ, quæ inferis soluuntur, & furiæ infernæ & infernales.

Loci Biblici.

Inferi, vel infernus, pro sepulchro *Schol. Genes. 42. 38. & 44. 29. Iob 14. 13. & 17. 13. Psal. 6. 6. & 16. 10. & 18. 6. & 30. 4. & 49. 15. & 94. 17. & 115. 17. & 141. 9. Esaia 38. 18. Ezech. 31. 16. Actor. 2. 31. & 31. 25.* Inferi vel infernus, pro loco, eoq; horribili puniendis reprobis destinato. *Num. 16. 30. 33. Deuter. 32. 22. Prouerb. 2. 18. & 7. 27. Psal. 11. 6. & 21. 11. & 14. 15. Esa. 14. 9. &c. 28. 15. 18. Sapient. 11. 17. Eccl. 21. 10. Esa. 30. 33. & 33. 11. & 24. 9. Amos 9. 2. Abac. 2. 5. Matth. 8. 12. & 11. 23. & 16. 18. Ierem. 9. 15. Malach. 4. 1. Luc. 10. 13. Apocal. 2. 18. & 6. 8. & 20. versu ul. 13. 14.* Infernus etiam sumitur, pro summis cruciatibus & angustijs, puta quales reprobi sentiunt, tum in præsenti vita, tum post illam, *1. Sam. 2. 6. Psalm. 116. &c.* Pœna in inferno numquã terminanda, *Esaia 66. 14. Matth. 25. 4. 46. Marc. 9. 47. 2. Thess. 1. 9.* Quare falsa est eorum opinio, qui Diabolos & damnatos aliquando saluatum iri contendunt. Infernus describitur, *Esa. 30. 38.* Infernus cum morte à Christo deuictus, *Ose. 13. 14.*

Sententiæ Biblicæ.

Infernus & perditio numquam replentur, similiter & oculi hominum insatiabiles. *Prouerb. 3. 7.*

Tria sunt insaturabilia, & quartum quod numquã dicit, sufficit. Infernus, & os vuluæ, & terra, quæ numquam satiatur aqua. Ignis vero numquam dicit, Sufficit: *Ibid. 30.*

Sicut ergo colliguntur zizania, & igni comburuntur, sic erit in cõsummatione sęculi. Mittet filius hominis Angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatẽ, & mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus & stridor dentiũ. Tunc iusti fulgebunt sicut Sol in regno Patris eorum, *Matth. 13.*

Patrum Sententiæ.

In inferno nulla est redemptio: quoniam qui illic damnatus & demersus fuerit, vlterius nõ exibit. In inferno nulla est redemptio: quoniam nec pater ibi potest adiuuare filium, nec filius patrem, Ibi non inuenitur amicus, vel propinquus, qui valeat & argentũ & diuitias dare, quas nunc congregant auari videntes pauperes inopia tabescere, & præ nimia fame & siti nuditatem & mortẽ incurrere, non poterunt sibi præstare aliquod refugiũ: vnde miseri præ nimia doloris amaritudine amarissime flentes, & præ angustia spiritus gementes, dicent in inferno: Quid profuit nobis superbia nostra, diuitiæ, honores, dignitates, luxuria, gulositas, & omnes delectationes carnales quid profuerunt nobis? Ecce omnia transierunt quasi somnia, quasi fumus & vmbra, & quasi non fuerint, & nos cruciatibus deputati sumus & supplicijs æternis. In inferno nulla est redemptio: quoniam ibi gemitus sunt & suspiria, & non est qui misereatur. Ibi est dolor & planctus, & clamor, & non est qui audiat. *Aug. in serm. ad Eremitas.*

Melius est dubitare de occultis, quam litigare de incertis. Illum quippe diuitem in ardore pœnarum, & illum pauperem in refrigerio gaudiorum esse, intelligendos non dubito: sed quomodo intelligenda illa flamma in inferno, ille sinus Abrahæ, illa diuitis lingua, ille digitus pauperis, illa sitis tormenti, illa stilla refrigerij, vix fortasse à mansuete quærentibus, contentiose autem certantibus, vnquam inuenitur. *Idem de Genesi libro octauo.*

In inferno etsi erit stimulus pœnitudinis, nulla ibi erit correctio voluntatis, à quibus ita culpabitur iniquitas, vt nullatenus ab eis possit diligi, vel desiderari iustitia. *Idem de fide ad Petrum.*

Ita diuiti illi, qui apud inferos torquebatur, fuit cura de suis, quãuis quid agerent omnino nesciret, quemadmodum est nobis cura de mortuis, quamuis quid agant omnino nescimus. *Idem lib. de agenda cura pro mortuis.*

Anima illic posita bene esse perdidit, & esse non perdidit. Ex qua re semper cogitur, & vt mortem sine morte, & defectum sine defectu, & finem sine fine patiatur: quatenus ei & mors immortalis sit, & defectus indeficiens, & finis infinitus. *Grego. lib. quarto, Dialogorum.*

Horrendo modo fit miseris mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu: quia & mors semper viuit, & finis semper incipit, & defectus deficere nescit. Mors perimit, & non extinguit, dolor cruciat, sed nullatenus pauorem fugat: flamma comburit, sed nequaquam tenebras excutit. *Gregor. libro nono, Moralium.*

Sicut vno sole omnes tangimur, nec tamen sub eo vno ordine omnes æstuamus, quia iuxta qualitatem corporis, sentitur etiã pondus caloris: sic damnatis vna est gehenna, quæ affligit, & tamen non omnes vno calore comburit, quia quod hic agit dispar valetudo corporum, hoc illic exhibet dispar causa meritorũ. *Greg. lib. 9. Moral. & 4. Dialog.*

Sicut in domo Patris mansiones multæ sunt pro diuersitate virtutum, sic damnatos diuersis supplicijs gehennæ ignibus subijcit disparitas criminis. Quæ scilicet gehenna, quamuis vna sit cunctis, non tamen cunctos vna eademque qualitate succendit. *Greg. 9. Mora.*

Illa vltrix flamma transactorum vitiorum concremationem habet, & lumen non habet: quia illos, quos gehennæ flamma deuorat, à visione veri luminis cæcat, vt foris eos dolor combustionis cruciet, & intus pœna cæcitatis obscuret: quatenus qui authori suo corpore & corde deliquerunt: simul corde & corpore puniantur, & vtrobique pœnas sentiant: qui dum hic viuerent, prauis suis delectationibus ex vtroque seruiebant. *Idem 9. Mor.*

Quisquis ad toleranda inferni mala descendit, nequaquam ad lucem vlterius redibit: quia nequaquam vltra misericordia parcentis liberat, quos semel in locis pœnalibus iustitia iudicantis damnat. *Idem.*

Tunc edax flamma comburit, quos nunc carnalis delectatio polluit. Tunc infinite patens inferni barathrum deuorat, quos inanis elatio nunc exaltat, atque qui olim ex vitio voluntatem hinc callidi persuasoris expleuerunt, tunc cum duce suo reprobi ad tormenta perueniunt. *Idem.*

Gehennæ ignis cum sit incorporeus, & in se missos reprobos corporaliter exurat, nec studio humano succenditur, nec lignis nutritur: sed creatus semel durat inextinguibilis, & successione nõ indiget, & ardore non caret.

Iuxta modum culpæ pœna distinguitur, & secundum modum criminis, vnusquisque damnatus, in inferni igne cruciabitur. *Greg. li. 15. Moral.*

Vnus gehennæ ignis credendus est, sed non vno modo omnes cruciat peccatores. Vnusquisque enim quantum exigit culpa, tãtam illic sentiet pœnam, *Greg. lib. 4. Dialogorum.*

Ejicientur in tenebras exteriores, vt illic dentes strideant, qui hic de edacitate gaudebant. nam fletus de ardore, stridor solet excitari de frigore. Ibi duplex ostenditur esse gehenna, scilicet nimij frigoris, & intolerabilis feruoris. *Greg. super illud Matth. 8. Ejicientur in tenebras exteriores.*

In inferno erit frigus intolerabile, ignis inextinguibilis, vermis immortalis, fœtor intolerabilis, tenebræ palpabiles, flagella cædentium, horrida visio dæmonum, confusio peccatorum, desperatio omnium bonorum. Erit enim miseris mors sine morte, defectus sine defectu, quia mors ibi semper incipit, & deficere nescit. *Idem.*

Multi gehennam abhorrent, ego autem casum illius gloriæ multo amariorem gehennæ pœna aio.

Decem millia quis ponat gehennas, nihil tale dicet, quale est à beata gloria excidere, à Christo audire, quod non noui vos. Inculpari, quod esurientem vidimus, nec cibauimus. *Ioan. Chrysost. super Matth. hom. 33.*

Gehennam enim meruimus, vbi nullus vnquam cibus est, nulla cõsolatio, nullus terminus, vbi guttam aquæ diues postulat, & accipere non meretur! *Bern. ser. 4. de Quadrag.*

Ignis gehennæ lucebit miseris ad augmentum, vt videant vnde doleant, & non ad consolationem, ne videant vnde gaudeant. *Isidor lib. 1. de summo bono.*

Intende nunc quascunque sęculi pœnas, quoscunque tormentorũ dolores, qualescunque dolorum acerbitates, & compara totum huic gehennæ, & leue est omne quod pateris. Duplex damnatorum pœna est in gehenna, nam & mentem vrit tristitia, & corpus flamma. *Idem de meditatione gehennalis supplicij.*

Infernus lacus est sine mensura, profundus sine fundo, plenus ardore incomparabili, plenus fœtore intolerabili, plenus dolore innumerabili, ibi miseria, ibi tenebræ, ibi ordo nullus, ibi horror æternus, ibi nulla spes boni, nulla desperatio mali. *Hugo lib. 4. de anima.*

Primum igitur dicimus, tantam Dei esse potestatem, vt etiam incorporalia comprehendat, & quemadmodum voluerit, afficiat. Nam & Angeli Deum metuunt, quia castigari ab eo possunt inenarrabili quodã modo. & dæmones reformidant, quia torquentur ab eo, & puniuntur. Quid ergo mirum, si, cum sint immortales animæ, tamen passibiles sint Deo? Nam cum in se nihil habeant solidum & contrectabile, à solidis & corporalibus nullam vim pati possunt, sed quia in solis spiritibus viuunt, à solo Deo tractabiles sunt, cui virtus & substantia spiritualis est. Sed tamen docent nos sanctæ literæ, quemadmodum pœnas impij sint laturi. Nam quia peccata in corporibus contraxerunt, rursus carne induentur, vt in corporibus piaculum soluant: & tamen non erit caro illa, quam Deus homini superiecerit, huic terrenæ similis, sed insolubilis ac permanens in æternum, vt sufficere possit cruciatibus, & igni sempiterno: cuius natura diuersa est ab hoc nostro, quo ad vitæ necessaria vtimur: qui nisi alicuius materiæ fomite alatur, extinguitur. At ille diui-

nus

nus per seipsum semper viuit, ac viget sine vllis alimentis, nec admistum habet fumum, sed est purus, ac liquidus, & in aquæ modum fluidus. Non enim vi aliqua sursum versus vrgetur, sicut noster, quem labes terreni corporis, & fumus intermistus ex lire cogit, & ad cœlestem naturam cum trepidatione mobili subuolare. Idem igitur diuinus ignis, vna eademque vi, atque potentia, & cremabit impios, & recreabit: & quantum è corporibus absumet, tantum reponet, ac sibi æternum pabulum subministrabit, quod poetæ in vulturem Titij transtulerunt. Ita sine vllo renascentium corporum detrimento adurec tantum, ac sensu doloris afficiet. Sed & iustos cum iudicauerit Deus, etiam igni eos examinabit. Tum, quorum peccata, vel pondere, vel numero præualuerint, perstringentur igni, atque amburentur. Quos autem plena iustitia, & maturitas virtutis incoxerit, illum ignem non sentient. Habent enim aliquid in se Dei, quod vim flammæ repellat, ac reijciat. Tanta est enim virtus innocentiæ, vt ab ea ignis ille refugiat, innoxius, qui accepit à Deo hanc potestatem, vt impios vrat, iustis obtemperet. Nec tamen quisquam putet, animas post mortem protinus iudicari. Nam omnes in vna communique custodia detinentur, donec tempus adueniat, quo maximus iudex meritorum faciat examen. Tum quorum fuerit probata iustitia, hi præmium immortalitatis accipient: quorum autem peccata, & scelera detecta, non surgent, sed cum impijs in easdem tenebras recondentur, ad certa supplicia destinati. *Lactant. Firmian. lib. 7. c. 21. diuin. inst.*

POETICAE SENTENTIAE.

Lucret. 3.

Cerberus, & furiæ iam vero, & lucis egenus
Tartarus, horriferos eructans faucibus æstus.
Qui neque sunt vsquam, nec possunt esse profecto,
Sed metus in vita pœnarum pro malefactis
Est insignibus insignis, scelerisque luella.
Carcer, & horribilis de saxo iactu' deorsum,
Verbera, carnifices, robur, pix, lamina, tedæ,
Quæ tamen & si absunt, at mens sibi conscia factis,
Præmetuens, adhibet stimulos, torretque flagellis:
Nec videt interea qui terminus esse malorum
Possit, nec quæ sit pœnarum denique finis,
Atque ea iam metuit magis hæc ne in morte grauescant
Hinc Acherusia fit stultorum denique vita.

[illegible]

Sedibus Elysiis campoque expulsa piorum
At Stygias inquit, tenebras. Manesque nocentes
Post vidi [illegible].

C[illegible] 2 Ruf.

[illegible] iacet in alta
Consilio [illegible] Mines,
Et [illegible] quos nolle fat.
Viderit, ac mala [illegible] fratris:
[illegible] Rhadamantus agit [illegible],
Correctus [illegible] actus,
Exequat [illegible] meritis

S[illegible] Herc. fur.

Atque auidum Chao .
Grauemq, retro flectere haud vnquam sinunt
Vmbræ tenaces.

Ibidem.

Sed nemo ad id sero venit, vnde nunquam
Cum semel venit, potuit reuerti.
Non vnquam amplius.

Idem Hip.

Conuexa tetigit supra, qui mersus semel,
Adyt silentem nocte perpetua domum.

Horat. 2. Carm. 13.

Quam pene furuæ regna Proserpinæ,
Et iudicantem vidimus Æacum,
Sedesque discretas piorum, &
Æolijs fidibus quærentem
Sappho puellis de popularibus,
Et te sonantem plenius aureo
Alcæe plectro dura nauis
Dura fugæ mala, dura belli!

Horat. 2. Carm. 14.

Visendus ater flumine languido
Cocytus errans, & Danai genus
Infame, damnatusque longi
Sisyphus Æolides laboris.

Sen. Herc. fur.

Quod quisque fecit patitur, authorem scelus
Repetit, suoque premitur exemplo nocens.

Silius 13.

Has inter formas coniux Iunonis Auerna
Suggestu residens cognoscit crimina Regum.
Stant vincti, fletq; piget sub iudice culpa.
Circum errant Furiæ, pœnarumq; omnis imago,
Quam vellent nunquam sceptris fulsisse superis.
Insultant duro imperio, non digna nec æqua.
Non licitum viuis, tandem permissa queruntur.
Tunc alius saeuo religatur rupe catenis.
Ast alius subigit saxum, perq; ardua montis
Vi tergo domat hunc æterna Megæra flagello.
Tanta etenim seris restant patienda Tyrannis.

Stat. 2. Theb.

Forte sedens media regni infelicis in arce
Dux Erebi, populos poscebat crimina vitæ
Nil hominum miserans, iratusq; omnibus vmbris
Stant Furiæ circum, variæq; ex ordine Mortes,
Sæuaq; multisonas exercet Pœna catenas.
Fata ferunt animas, & eodem pollice damnant.

Val. Flac. 3.

Quisq; nec in ventos, nec in vltima soluimur ossa,
Ira manet, duratq; dolor.

Ibidem.

Quisq; suos sontes, inimicaq; pectora pœnis
Implicat, & varia mortem formidine pulsat.
At quibus in vita maduerunt sanguine dextræ,
Si fors saua solet miseros, vel proxima culpa,
Hos varijs mens ipsa modis agit, & sua carpunt
Facta viros, vel ideo, etiam nil non leas aufs
In lachrimas vmbilesq; motus ægramq; fatiscunt
Segnitiem.

Senec. Herc. fur.

Spartana tellus nobile attollit iugum,
Densus vbi æquor Tænarus siluis premit:
Hic ora soluit Ditis inuisi domus,
Hiatq; rupes alta, & immenso specu
Ingens vorago faucibus vastis patet,
Latumq; pandit omnibus populis iter.
Hinc ampla vacuis spacia laxantur locis.
In quæ omne mersum pergit immensum genus.
Nec ire labor ipsa deducit via:
Vt sæpe puppes æstus inuitas rapit,
Sic pronus aer vrget.

Silius 12.

Hic vicina palus fama est Acherontis ad vndas
Pandere iter, cæcas stagnante voragine fauces
Laxat, & horrendos aperit telluris hiatus.
Interdumq; nouo perturbat lumine manes.

Stat. 2. Theb.

Non, vt fama, loco pallentes deuius vmbras
Trames agit, nigroq; Iouis, vacua atria ditat
Mortibus. Arcady perhibent si vera coloni.
Stridor ibi, & gemitus pœnarum, atroq; tumultu
Feruet ager: sæpe Eumenidum vocesq; manusq;
In medium sonuere diem, letoq; triformis
Ianitor agricolas campis auditus abegit.

Val. Flac. 1.

Ingenti iacet ore Chaos, quod pondere fessam
Materiam lapsumq; queat consumere mundum.
Hic gemina æternum portæ, quarum altera dura
Semper lege patens, populos Regesq; receptat.

Claud. 1. Ruf.

Est locus extremum pandit qua Gallia littus
Oceani prætentus aquis, quo fertur Vlysses
Sanguine libato populum mouisse silentum,
Illic vmbrarum tenui stridore volantum
Flebilis auditur questus: simulacra coloni
Pallida, defunctasq; vident migrare figuras.

Idem 2. Ruf.

Est locus infaustis, quo conciliantur in vnum
Cocytus, Phlegetonq; vadis, inamœnus vterq;
Alueus: hic volucri lachrimas, hic igne redundat:
Turris per geminos flammis vicinior amnes
Porrigitur solidoq; rigens adamante sinistrum
Prohibet igne latus, dextra Cocytia fundit
Æquora, triste gemens, & fletu concita plangit.
Huc post emeritam mortalia sæcula vitam
Deueniunt: vbi nil animæ discrimina fati.
Nullus honor: vanoq; exutum nomine Regem
Perturbat plebeius egens.

Sen. Herc. fur.

Vera ne est fama inferis
Tam sera reddi iura, & oblitos sui
Sceleris nocentes debitas pœnas dare?
Quis iste veri rector, atque æqui arbiter?

Idem

Idem Troad.

Tenera & aspera
Regnum sub domino, limen & obsident
Custos, non facilis Cerberus ostia.
Rumores vacui, verbaq; inania,
Et par sollicito fabula somnio.

Lucret. 3.

Post mortem denique nostram
Numquid ibi horribile apparet? num triste videtur
Quidquam? Nonne omni somno securius exstat?
Atque ea nimirum, quaecunque Acheronte profundo
Prodita sunt esse, in vita sunt omnia nobis:
Nec miser impendens magnum timet aere saxum
Tantalus, vt fama est, cassa formidine torpens;
Sed magis in vita Diuum metus vrget inanis
Mortales, casumq; timet quem cuiq; ferat sors.
Nec Tityon volucres ineunt Acheronte iacentem,
Sed Tityus nobis hic est in amore iacentem
Quem volucres lacerant, atque exest anxius angor,
Aut alia quauis scindunt torpedine curae, &c.

Silius 2.

Tum demum ad Manes perfecto munere Erinnys
Iunonis laudata redit, magnamq; superba
Exsultat rapiens secum sub tartara turbam.

Virg. 6. Aeneid.

Vestibulum ante ipsum, primisq; in faucibus orci
Luctus, & vltrices posuere cubilia curae,
Pallentesq; habitant morbi, tristisq; senectus,
Et metus, & malesuada fames, & turpis egestas,
Terribiles visu formae, letumq; laborq;:
Tum consanguineus lethi sopor, & mala mentis
Gaudia, mortiferumq; aduerso in limine bellum,
Ferreiq; Eumenidum thalami, & discordia demens,
Vipereum crinem vittis innexa cruentis.
In medio ramos, annosaq; brachia pandit
Vlmus opaca ingens, quam sedem somnia vulgo
Vana tenere ferunt, foliisq; sub omnibus haerent.
Multaq; praeterea variarum monstra ferarum,
Centauri in foribus stabulant, Scyllaeq; biformes,
Et centumgeminus Briareus, ac bellua Lernae,
Horrendum stridens, flammisq; armata Chimaera,
Gorgones, Harpyiaeq; & forma tricorporis vmbrae:
Hinc via tartarei quae fert Acherontis ad vndas,
Turbidus hic caeno vastaq; voragine gurges
Aestuat, atque omnem Cocyto eructat arenam.

Inferorum decem portae.

Cingunt regna decem portae, quarum vna receptat
Belligeros dura gradiuus sorte creatos.
Altera qui leges posuere, atque inclyta iura
Gentibus, & primas fundarunt moenibus vrbes.
Tertia turricolas, Cereris mitissima turba,
Qua venit ad manes & fraudum illaesa veneno.
Exin qui latus artes vitaq; colenda
Inuenere viam, nec dedecoranda parenti
Carmina supersunt Phoebo, sua limina seruant.
Proxima quos venti saeuiq; hausere procella,
Naufraga porta rapit, sic illam nomine dicunt.
Finitima hinc noxa grando, & peccasse fatenti
Vasta patet populo poenas Rhadamanthus in ipso
Expetit interitu, mortemq; exercet inanem
Septima feminis reseratur porta cateruis,
Lucentes vbi casta foues Proserpina lucos.
Infantum hinc gregibus versas ad funera tedas
Passim virginibus turbaeq; in lumine lucet
Est iter extincta & vagitu cuncta notat,
Tam seducta loco, & laxata lucida nocte
Claustra meant, quae secreti per laminis vmbram
Elysios ducunt campos, hic turba piorum
Nec Stygio in regno, caeli nec posta sub axe.
Verum vltra Oceanum sacro certamina fonti,
Lethaei potat latices obliuia mentis.
Extrema hinc auro fulgens iam lucis honorem
Sentit & admotae splendet ceu sydere luna,
Hac animae caelum repetunt, ac mille peractis
Oblitae Ditem redeunt in corpora lustris.
Has passim nigrum pandens mors lurida victum,
Itq; reditq; vias, & portis omnibus errat.

APOPHTHEGMATA.

Bion dicere solebat, facilem esse ad inferos viam: nam illuc homines abire clausis oculis. Morientibus enim clauduntur oculi. *Laert. l. 4. c. 7.* Vnde Virgil.

Facilis descensus Auerni.
Noctes atque dies patet atri ianua Ditis, &c.

Demonax interrogatus olim, qualisnam esset inferorum conditio? Expecta, inquit, & simul atque illuc venero per literas tibi significabo omnia. Sentiebat autem nullos esse inferos. *P. M. libro 8. Apophtheg.*

Bion. In fabulis est, Danaidas puellas apud inferos huic addictas esse supplicio, vt pertusis vasis deferant aquam in dolium pertusum: Bion dicebat, grauius fore supplicium, si integris vasis, ac non pertusis idem facerent, tum enim irent onustiores. *Laert. lib. 4. c. 7.*

SIMILITVDINES.

Chrysostomi. Quantum malum sit aeternorum bonorū portione priuari, accipe simile. Ponamus adolescentem aliquem esse mirabilem eundemq; & cunctis florere virtutibus, & totius tenere orbis imperium, tamq; in omnibus esse perfectum, vt vniuersos erga se homines patrio ardere faciat affectu. Quid non ergo istius patrem pati existimatis libenti animo, ne talis filij priuetur alloquio: quod vero vel exiguum, vel grande malum non esse subiturum modo, vt illum etiam videat, atque illius praesentia perfruatur? etiam si virtutibus mille decoretur, desiderabilis est, atq; mirabilis, vt caelestium fructus bonorum, ac resolui & esse cū Christo. intolerabilis quidem res est etiam gehenna, quis nesciat supplicium illud horribile? Tamen si mille aliquis ponat gehennas, nihil tale dicturus est, quale est à beatae illius gloriae honore propelli, exosumq; esse Christo, & audire ab illo: Non noui vos, &c. Est enim satius, mille fulmina sustinere, quam vultum illū mansuetudinis, pietatisque plenum, nos tamen auersantem videre, & illos totius tranquillitatis oculos nequaquam nos aspicere sustinentes. *Hom. 24. in Matth.*

Nidus est praesens vita ex festucis & luto coagmentatus: licet mihi magnas aedes ostentes, siue regias ipsas auro multo fulgentes & gemmis, nihil ab hirundinum nido differre censebo. Hieme siquidem instante, omnia sponte corruent. Hiemem vero voco diem iudicij, non omnibus hiemem: quoniam & Deus noctem simul & diem vocat, illud quidem ad peccatores, hoc autem quantum ad iustos. Eodem & ego nunc, hiemem ipsam voco si non bene in aestate alamur, vt possimus volare instante hieme. Non nos matres suscipient, sed esurire sinēt, perire, vel nido ruente perdi. Tanquam enim nidum, quinimo & facilius quam nidum, omnia Deus tunc destruet, delens & transmutans omnia, volatu vero carentes, & illi non valentes occurrere in aere, sed ita vulgariter enutriti, ne leues habeant pennas, ea quae pati tales est verisimile, patientur. Hirundinum itaque pulli cum conciderint, statim pereunt. Nos vero non morimur, sed continuo punimur. Hiems erit illud tempus, quinimo hieme difficilius: non enim aquae torrentes profluunt, sed ignis flumina, non ex nubibus tenebrae cōflantur, sed insolubiles, & omni luce carentes tenebrae, vt neque caelum videatur, nec aer, sed plus quam terra obruti cōprimantur. *Hom. 50. in Matth.*

Si quis rex, vel Regis filius profectus, & bellis innumerabilibus expeditis, admirationi habitus, & vniuersum habens exercitum, aliquam ostenderet ciuitatem curru cum trophaeis, cum innumeris ordinibus, cum aureis clypeis, circa se ministris occurrentibus, & coronata tota ciuitas esset, & omnes orbis principes cum eo: & ipsum autem omnis alienigenarum gentium captiuorum aetas sequeretur: mox duces, satrapas & ciues, praesentibus cunctis magistratibus, cum illo splendore occurrentes susciperet & oscularetur, manum porrigeret, & omnem exhiberet fiduciam, & omnibus astantibus, tanquam ad amicos loqueretur, & diceret, & omnem viam illam se propter eos fecisse, & in regias deduceret, & cum eis communicaret: licet alij non punirentur, quantum poenae esset horum priuatio comparanda? Si vero coram hominibus tam amarum est, ab hac excidere gloria, multo magis corā Deo, cum supernae virtutes aderunt cum Rege, cum victi daemones, & deorsum inclinati, & ipse Diabolus agetur captiuus, & omnis contraria multitudo, cum virtute caelorum, cum ipso venerint in nubibus. *Hom. 48. De ira.*

Non velim existimes, vt hic fieri solet, ita & in futura vita contingere, vt scilicet solatium aliquod ferat, socios habere miseriae, vnde id constat? Ex subiecto scilicet exemplo. Dic enim quaeso si quis damnatus ignibus filium quoque suum vna intueatur nidoremque ex ipsius carne ascendentem hauriat naribus, nonne morietur? Nam si hi quoque qui sani sunt, dum haec fieri vident, pene resoluuntur: multo magis id passuri sunt, qui ea clade vexantur. Est ad passionem pronum humanum genus, aliorumq; calamitatib. facile commouemur. Quo pacto pater filium in eadem damnatione positum videns, solatium capiat? Contra poena illi ex societate auctior. Eadem ratione, & vir vxorem, frater fratrem, &cęt. *Ibid. Hom. 48. De ira.*

Origenis. Sicuti ciuitatum portae proprium quaeque nomen habent: eodem modo portae inferorum nominari possunt iuxta speciem peccatorum: vt vna quidem inferorum porta vocetur scortatio, per quam ambulant scortatores: altera vero negatio,

per

per quam, qui Deum abnegant, descendunt ad inferos. *in cap. 16. Matth.*

Hilar. Quod nullus labor est vento, puluerem dissipare, & quam lutum in plateis ingredientes propriè calcasse non sentiunt: Ita pœnæ illi inferni facilè est impios delere, atque dispergere, quos peccatorum ratio, & in lutum soluerit, & posuerit in puluerem non relicta, neque substantia firmitatis, cum puluis, & lutū sint, & per id quod puluis, & lutum sunt, in natura tamen pœnalis substantiæ reseruati. *In Psal. 2.*

Gregor. Sicut in hoc mundo sub vno sole multi consistunt, nec tamen eiusdem solis ardorem æqualiter sentiunt, quia alius plus æstuat, & alius minus: Ita illic in vno igne non vnus est modus incendij: quia, quod hic diuersitas corporum, hoc illic agit diuersitas peccatorum, vt ignem non dissimilem habeant, & tamen eosdem singulos dissimiliter exurat. *lib. 4. Dialog.*

Ruperti Abbatis Tuitiensis. Aegyptus terra fuit exemplum inferni. Illic detinebatur populus captiuus fratrum Christi, id est, sanctorum populus: quod omnes statim transduxit per mare rubrum, id est, per sanguinem, & aquæ decurrentis ex latere suo Sacramentum: & inimicos eorum, id est, peccata eorum operuit mare illud, & vsque nunc operit inimicos nostros, qui eodem Sacramento baptizati sumus. Ad istam Aegyptum Christus per omnia fratribus assimilatus descendit, vt eos faceret cohæredes sui: *Ex Ægypto ista vocaui ad filium meum. In Matthæum lib. 2.*

INFINITVS.

DEFINITIO, ET ETYMOL.

INfinitus, Græcè ἀπεράσμενος, ἄ. ὁ. & ἀπέραντος, ἀδιέξιτος, ἀπέρατος, ἄπειρος, dicitur. Est autem infinitum, cuius semper secundum quantitatem accipientibus est aliquid accipere, *secundum Arist. l. 3. Physic.*

Infinitum est, quod non habet finem, vnde infinitio, & infinitas deducuntur. Hinc etiam, & infinitiuus modus, quo Grammatici vtuntur, qui nec a personis aliquibus, nec numeris finitur. Hæc omnia à finio descendunt, à quo pariter præfinio, hoc est, præscribo, & quasi finem, quem non transgrediaris, ostendo. Vnde præfinitum, præscriptum: Infinitè, & infinitum aduerbia, significant, sine fine. A finio veniunt etiam definio, & diffinio.

SENTENTIAE PHILOSOPHICÆ.

Omne quod infinitum est, aut ex adiunctione, aut ex diuisione, aut vtroque modo dicitur. *lib. 3. de Nat. c. 4. T. 34.*

Infinitatis ratio, & definitio, quantitatem adhibet, non essentiam, aut qualitatem. *lib. 1. de Nat. c. 2. T. 15.*

Omnes Philosophi rem infinitam principium esse ponunt, nec inturia. *lib. 3. de Nat. c. 4. T. 30.*

Rei infinitæ nullum principium est: eius enim finis esset. *ibid.*

Infinitum quidem à rebus ijs, quæ sensibus percipiuntur, seiungi separatique non potest, ita vt sit quoddam αὐτὸ ἄπειρον *lib. 3. de Natura, c. 4. T. 35.*

Infinitum esse non potest in ijs, quæ re ipsa sunt, & in effectis, vt etiam principij vim locumq; obtineat. *l. 3. de Nat. c. 5. T. 37.*

Si planè non sit res infinita, fiet vt multa incommoda consequantur. Nam & temporis principium quoddam erit, ac finis: & magnitudines in magnitudinem diuidi non poterunt: & numerus infinitus non erit. *l. 3. de Nat. c. 6. T. 56.*

Infinitum, id est, cuius semper aliquid extra ij qui ratione quantitatis sumpserint, accipere possunt. *l. 3. de Nat. c. 7. T. 63.*

Instar materiæ causa est id, quod infinitum est: & vis eius, atque ratio est in priuatione. *l. 3. de Nat. c. 8. T. 72.*

Eorum, quæ infinita innumerabiliaq; sunt, nihil est primum. *lib. 5. de Nat. c. 2. T. 13.*

Id quod immensum est, motu cieri, & quiescere totum potest. *l. 8. de Nat. c. 2. T. 17.*

Id quod infinitum est, ferri non potest. *l. 1. de Cœlo, c. 5. T. 37.*

Infiniti natura nulla est, alioqui rei infinitæ, & immensæ natura immensa non est. *lib. 1. Breuis Metaph. c. 2. T. 12.*

Quod infinitum est, non ita vi, & potestate, quasi futurum sit, vt re ipsa sit paratum, atque diuisum, sed vt animi cogitatione. *lib. 7. Metaph. c. 6. T. 11.*

Quod aliqua ex parte infinitum est, id neque indefinitum est, neque finatum. *lib. 1. de ... c. 12. T. 130.*

Infinitum esse actu non est intelligibile. *Ex S. Th. quod lib. 9. c. 2.*

INFIRMITAS.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

INfirmitas, Græcè ἀσθένεια, ας ἡ & ἀσθενής, infirmo, & ἀσθενής, ὁ, infirmus. Est autem infirmitas, debilitas, & imbecillitas, & infirmus debilis: ab infirmoq; deducuntur, quod est debilito. A firmus omnia hæc veniunt: firmus verò à ferendo, quod omnia cõstanter ferat, vnde firmitas: de qua supra in dictione Firmitas: & Firmitudo eiusdem significationis.

Polyanthea Noua.

LOCI BIBLICI.

Infirmitas, pro humiliatorum abiectione, *Gal. 4. 13.* pro imbecillitate, quæ in hominibus maxima est, *Matth. 26. 41.* Infirmitas corporalis, *vide Ægritudo.*

Infirmi, pro absolutè, & omnino ad opus bonum ineptis, *Rom. 5. 6.* pro imbecillit in fide, & horum habenda est ratio, *Luc. 22. 32. Act. 20. 35. Roman. 14. 1. & 15. 1. 1. Cor. 8. 7. 9. & 10. 28. 29. 1 Thess. 5. 14.* eorumq; ignorantia toleranda, non fouenda, *Roman. 14. 1.* Infirmitatis in fide *exempla:* Moses, *Num. 11. v. 21. 22.* Gedeon, *Iudic. 6. v. 13. 14. 15.* Petrus, *Matth 14. v. 30. 31.* Discipuli, *8. 26. & 20. 56. Marc. 14. 50. Ioann. 11. 8.* Nicodemus, *Ioann 3. 2.* Pater Dæmoniaci, *Matth. 9. 24.* multi Principes, *Ioann. 12. 42.* Ioseph Arimathæus, *19. 38.*

SENTENTIÆ BIBLICÆ.

Infirmitas grauis sobriam facit animam. *Eccl. 31.*

Virtus in infirmitate perficitur. Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi. *2. Cor. 12.*

Fili, in tua infirmitate ne despicias teipsum, sed ora Dominum, & ipse curabit te. *Eccl 38.*

Liuor vulneris absterget mala. *Prouerb. 20.*

Ante languorem adhibe medicinam: & ante iudicium interroga teipsum, & in conspectu Dei inuenies propitiationem. *Eccl. 18.*

Melior est mors, quam vita amara, & requies æterna, quam languor perseuerans. 30.

Infirmantium consolatio.

In requie mortui requiescere fac memoriam eius, & consolabere illum in exitu spiritus sui. *Eccl. 38.*

Infirmus eram, & visitastis me. *Matth. 25.*

Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vnguentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei. *Iacob. 5.*

Modus vitandi causa.

In multis escis erit infirmitas, & auiditas appropinquabit vsque ad choleram. Qui autem abstinens est, adijciet sibi vitam. *Eccl. 37.*

PATRVM SENTENTIÆ.

Qui veram ostendit corporis infirmitatem, humanè tractandus est: Qui autem falsam prætendit, & conuinci non potest, Deo dimittendus est. *August. de opere monachorum.*

Corporis debilitas nimia etiam vires animæ frangit, mentis quoq; ingenium marcescere facit: Quicquid eum modo, & temperamento fit, salutare est. *Hieron. in quadam epist.*

Corporales infirmitates populi fidelis suscipere in se debet Euangelij prædicator, iuxta quod scriptum est: Quis infirmatur, & ego non infirmor? *Ambrosius, & habetur 24. quæst. 1. can. Quia digne.*

Venit Dominus, quum ad iudicandum properat. Pulsat verò quum per ægritudinis molestias mortem vicinam denunciat, cui confestim aperimus, si hunc cum amore suscipimus. *Greg. super illud Lucæ 12. Beatus seruus, quem cum venerit Dominus.*

Qui dolorem capitis non patimur benignè, quomodo pro Christo capitis abscissionem pateremur? Qui flagellum timent, quomodo tormenta sustinerent? *Hugo lib. 2. de claustro animæ.*

Quosdam præsciens Deus multa peccare posse, flagellat cor infirmitate corporis, ne peccent, vt eis vtilius sit frangi languoribus ad salutem, quam remanere incolumes ad damnationem. *Hugo lib. 1. de anima.*

Quidam pro libito suo viuunt, & semper sunt vegeti, quidam à regulis Hippocraticis non deuiant, & assiduè sunt infirmi. *Petr. Rau. in quadam epist.*

POETICÆ SENTENTIÆ.

Ouid. 3. Trist. 8.

Nec cœlum, nec aqua faciunt, nec terra, nec auræ,
Nil nisi perpetuus corpora languor habet!
Seu vitiant artus ægra contagia mentis,
Siue mei causa est in regione mali:
Vt tetigi Pontum, vexant insomnia, vixq;
Ossa tegit macies, nec iuuat ora cibus
Quique per autumnum percussis frigore primo
Est color in folijs, quæ noua læsit hiems:
In mea membra tenet, nec viribus alleuor vllis,
Et nunquam queruli causa doloris abest.

Idem

Idem 4. Trist. 6.

Nam neque sunt vires, nec qui color esse solebat.
Vix habeo tenuem, quæ tegat ossa, cutem.

Sen. Oed.

Vbi turpis est medicina, sanari pudet.

Ouid. 2. Remed.

Admonitu refricatur amor, vulnusq; nouatum
Scinditur: infirmis causa pusilla nocet.

PHILOSOPHICÆ SENTENTIÆ.

Non videmus, quam multa nos incommoda exagitent, quam male nobis conueniat hoc corpus: nunc de capite, nunc de vêtre, aut de pectore, aut de faucibus querimur; Alias nerui nos, alias pedes vexant, nunc deiectio, nunc distillatio: aliquando superest, aliquando deest sanguis: hinc atque illinc tentamur, & expellimur. *Senec. in epist.*

In omni morbo tria grauia sunt: metus mortis, dolor corporis, intermissio voluptatis. *Sen. epist. 72.*

Morieris non quia ægrotas, sed quia viuis. Quum conualueris, non mortem, sed valetudinem effugies. *ibid.*

Nihil æquè sanitatem impedit, sicut remediorum crebra mutatio: non conualescit planta, quæ sæpè transfertur. Nihil magis ægris prodest, quam ab eo curari, à quo voluerint. *Ep. l. 2.*

Bona valetudo iucundior est eis, qui de graui morbo curati sunt, quam qui numquam ægro corpore fuerunt. *In epist.*

Bene dormit, qui non sentit, quam male dormit. *In Prou.*

EMBLEMA.

Obnoxia infirmitas.

Andr. Alciat. Emblema CLXIX.

Pisciculos Auratæ rapit medio æquore sardas,
Ni fugiat pauida, summa marisq; petens.
Ast ibi sunt mergis fulicisq; voracibus esca:
Eheu intuta manens vndique debilitas!

INFORTVNIVM.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

INfortunium, Græcè συμφορὰ, ἀτυχία dicitur. Et est, cum aliquid magnum malorum euenit. *Secundum Arist. lib. 2. Physic.*

SENTENTIÆ POETICÆ.

Menander.

Δρυὸς πεσούσης πᾶς ἀνὴρ ξυλεύεται.
Quercu cadente omnis vir ligna colligit.
Δεῖ τοὺς μὲν εἶναι δυστυχεῖς, τοὺς δ' εὐτυχεῖς.
Oportet hos quidem esse infelices, hos verò felices.
Ἐπ' ἀνδρὶ δυστυχοῦντι μὴ πλάττου κακόν.
In virum infelicem ne obijcias malum.
Ῥᾷον φέρειν γάρ ἐστι τὸ δυστυχεῖν.
Ex voluptate enim auferetur infeliciter agere.
Μὴ 'πεμβαίνειν δυστυχοῦντι κοινὴ ἡ τύχη.
Ne insultes infelici: communis enim fortuna.
Μηδέποτε σαυτὸν δυστυχῶν ἀπελπίσῃς.
Numquam de te ipso infeliciter agens desperabis.
Νόμιζε κοινὰ πάντα δυστυχήματα.
Existima communes omnes infelicitates.
Οἴμοι, τὸ γὰρ αἰεὶ δυστυχεῖν μανίαν ποιεῖ.
Heu mihi. Nam perpetuò infeliciter agere insaniam gignit.
Τῶν δυστυχούντων δ' εὐτυχὴς οὐδεὶς φίλος.
Infelicium fortunatus nullus amicus.

PHILOSOPHICÆ SENTENTIÆ.

Nemini calamitatem obieceris. Communis enim fortuna est, & quid futurum sit, non liquet. *Isocr.*

Ego illum planè stolidum iudico qui cum homo sit: & homini fortunam exprobrat. Quomodo enim conuenit de fortuna gloriari, vel eam obijcere alteri, illum, qui ipse nesciat, an sibi constans, vel ad vesperum permansura sit, quamuis in præsentia se quam optimi, & felicissimi vitam agere putet? *Demost.*

ADAGIA.

Asinus inter simias. ὄνος ἐν πιθήκοις.

Vbi quis incidit in homines nasutos, & contumeliosos ipse ille boduus, à quibus impune irrideatur. Quin & hodie simile quiddam dicunt: Noctua inter cornices, vbi stupidior aliquis in homines petulantes, ac dicaces incidit. Ein Eul vnter die Affen.

Nouacula in cotem. ξυρὸς εἰς ἀκόνην.

Dici solitum in hos, qui forte in eas res inciderunt, in quas minimè volebant.

Victus spinosus. βίος ἀκανθώδης.

Potest de nummis intelligi, & arctis facultatibus.

Hodie nihil succedit.

Plautus in Amphytrione allusit ad vulgi superstitionem, cui quidam dies credebantur rebus gerendis auspicati, quidam infelices. Quod si vnum, atque alterum parum successit ex sententia, hanc ad omnes totum diem, dicunt: Hodie nihil succedet, & ab omnibus negotijs abstinent.

Tempestas rerum.

Quum significabimus magnam rerum confusionem, vti licebit illis versibus Homericis, quos vsurpat Marc. Tullius lib. 3. Epist. ad Q. Fratrem:

> Ἤματ' ὀπωρινῷ, ὅτε λαβρότατον χέει ὕδωρ
> Ζεύς, ὅτε δή ῥ' ἄνδρεσσι κοτεσσάμενος χαλεπήνῃ.
> *Mensibus autumni vehementer Iupiter imbrem*
> *Effundit, cum succensens mortalibus instat.*

Aqua, & terra reddamini. ὕδωρ καὶ γαῖα γένοισθε.

Pro eo, quod est: Redigamini in nihilum, ne pereatis. Hemistichium est Homericum.

Asinus inter apes. ὄνος ἐν μελίτταις.

Dici solitum, vbi quis infeliciter incidit in homines improbos, atque importunos. Suidas.

In apes induxisti. εἰς μελίττας ἐκάθισας.

Vbi quis præter opinionem in ingens agmen velut examen malorum immergitur.

Dicas tria ea circa. εἴποις τὰ τρία περὶ τῆς αὐλῆς. *Zenodot.*

Antiquitus qui iudicum sententijs fuissent ad capitale supplicium condemnati, priusquam ad mortem ducerentur, ea facultas concedebatur, vt vino ciboque expleti, tria quædam, quæcunque libitum esset dicerent. Quæ simul atque dixissent, promulgata damnatione producebantur ad supplicium.

Ad aquam malus. ἐφ' ὕδωρ κακός.

Infimæ sortis homines dicebantur, ac sordidissimis quæstibus addictos, propterea quod antiquitus litigantibus aquam per clepsydras seruus quidam, ac nullius frugi homines infundebant, dispensabantque.

Canis in vincula. κύων ἐπὶ δεσμά. *Zenodot.*

Dicebatur, vbi quis seipsum in seruitutem, aut in malum aliquod iniceret.

Mitte in aquam. βάλλ' εἰς ὕδωρ. *Plut.*

Hoc est: Aufer è medio. Dicitur in hominem, vel in rem exitio dignam.

Ad Cynosarges. εἰς Κυνόσαργες.

Erat Cynosarges locus in Attica quispiam, in quo nothi spurij que exercebantur: vnde vel contumeliæ causa dicebatur, εἰς Κυνόσαργες, veluti in forum, vel imprecando quasi dicas. In malam crucem.

Ad coruos. βάλλ' ἐς κόρακας.

Perinde valet, quasi dicas: Abi in malam crucem, in malam rem, atque in exitium, Aristophanes. Ocius hinc ad coruos abeas. Das dich die Rappen fressen.

In lapidicinas. εἰς λατομίας. *Lucian.*

Cum significamus quempiam è medio tollendum, & in rem malam aliquo auferendum,

In puteo cum canibus pugnare. ἐν φρέατι κυσὶ μάχεσθαι.

Dici solitum, vbi cuipiam negotium incidit cum homine rixoso, & contentioso, à quo se nequeat extricare.

In beatam. βάλλ' εἰς μακαρίαν. *Aristoph.*

Aufer te in beatam, pro eo quod est: In malam rem.

In Orciculum incidas. εἰς ἀπρόκτον ἐμπέσοις.

Sermo perniciem, & extremum exitium imprecantis.

Charonia ianua. Χαρώνειος θύρα.

De imminente capitis periculo, siue de re magnopere tristi.

Aurum habet Tolosanum. *Gellius.*

In eum, qui magnis, ac fatalibus afficitur malis, nouoque ac miseranda exitio perit.

Equum habet Seianum.

Olim prouerbio dicebatur in calamitosum, & ad extremam inopiam redactum.

Tragicum malum. Τραγικὸν κακόν.

Tragicum malum dicitur ingens, cuiusmodi finguntur in Tragœdijs.

Mustelam habet. γαλῆν ἔχει. *Diogen.*

In eum quadrat, cui omnia sunt inauspicata, tanquam fatis à Dijs iratis, vt nimis?

Cadmea victoria. Καδμεία νίκη.

Sunt qui Cadmeam victoriam appellabant infelicem et ipsis victoribus.

Fortunatior Strobilis Carcini. εὐδαιμονέστερος Καρκίνου Στροβίλων. *Suidas.*

Ironia prouerbialis in infelicem, & improbum.

Ista. Ζῆτα *Suidas.*

Prouerbialis erat acclamatio in eos, qui, vt Ζ littera forte cecidisset, quique modis omnibus essent infortunati.

Genius malus.

Adagium apparet è priscorum opinione profectum, qui singulis binos genios attribuunt, quos dæmones vocant, quorum alter perniciem nobis moliatur, alter iuuare studeat.

Vel hoſt. miſerandus.
Eſt hyperbole. Nam hoſtis non facile commouetur miſericordia. Conſine illi.
Quod vel ipſe probet Momus.
Mala vltrò adſunt.
Idem & vulgo dicitur: Mala vltro adeſſe, non inuocata.
Per medium anulum traharis oportet. διὰ δακτυλίου δεῖ σε ἑλκυσθῆναι.
Id eſt, per anulum trahendus es. In eum quadrabit, qui ſit vehementer extenuato gracilique corpore, ſeu morbo, ſeu cura, ſeu ſtudio, ſeu qua alia re. Ariſtoph.
E tribus malis vnum. ἓν τῶν τριῶν κακῶν ἕν.
Sunt qui dicant ijs qui ſententia capitali damnati fuiſſent, tria ſolere deferri, gladium, laqueum, & aconitum.
Extrema extremorum mala. ἔσχατα τῶν ἐσχάτων κακὰ διαπέπρακται.
Vtemur, quoties ingens infortunium ſignificare volumus.
Ogygia mala. Ὠγύγια κακά.
Recte dicuntur vel ingentia mala, vel antiqua.
Diolygium malum. Διολύγιον κακόν. Plato.
Id eſt: Ingens malum. Dicitur de eo, qui malo quopiam ingenti, ac diuturno tenetur.
Labore laborioſius. πόνου πονηρότ.
Ipſa figura hyperbolen habet laboris immodici. Eſt autem iocus ob amphibologiam vocis. πονηρὸς enim Græcis, vt laborioſum, ac miſerum, ita ſignificat & malum aliquemque.
Lemnium malum. Λήμνιον κακόν.
De malis immenſis, ac miſerandis.
Magnetum mala. Μαγνήτων κακά.
De malis ingentibus dictum videtur, aut ijs, quæ in authores ſuos recidunt.
Malis mala ſuccedunt.
In eum, qui varijs exercetur fortunæ incommoditatibus, nunc morbo, nunc rapinis, nunc alijs, atque alijs malis, conuenit illud Homeri:

> Ἄλλοτε μέν τε Νότος Βορέῃ προβάλεσκε φέρεσθαι,
> Ἄλλοτε δ' αὖτ' Εὖρος Ζεφύρῳ εἴξασκε διώκειν.
> *Tradebat Notus hunc Boreæ quandoque vehendum,*
> *Nunc rurſum Zephyro tractandum tradidit Eurus.*

Tænarium malum. Ταινάριον κακόν.
Si quid crudelius ſæuitum eſſet in famulos, Tænarium malum vocabant, propterea quod olim Lacedæmonij captiuos, qui in Tænarum confugerant, reductos, capitis affecerunt ſupplicio.
Tam perit, quam extrema faba. Pomp.
Quadrabit in hominem, ſeu rem, omnibus omnium iniurijs expoſitam. Da der Zaun am nidrigſten iſt, da vvil jederman hinueber ſteigen.
Viuens videnſque.
Quod in Eunucho dixit Terent. Viuus vidensque pereo: id M. Tull. indicat prouerbiali figura dictum eſſe in Orat. pro P. Seſt. Vſurpat & aliquot locis D. Hieronym.
Ilias malorum. Ἰλιὰς κακῶν.
De calamitatibus maximis ſimul, & plurimis: propterea quod in Iliade Homerica nullum mali genus non recenſetur.
Lerna malorum. Λέρνη κακῶν. Cic.
De malis plurimis ſimul in vnum congeſtis, & accumulatis.
Semper Ilio mala. ἀεὶ Ἰλίῳ κακά. Athen.
De vehementer calamitoſis, & afflictis.
Sybaritica mala. Συβαριτικὰ κακά. Idem.
Quadrabit adagium in eos, qui neglectis Deorum, aut ob intemperantem luxum ſubuertuntur.
Mare malorum. κακῶν θάλασσα. Plaut.
Dici ſolitum de calamitatibus immenſis, & omnigenis.
Alio relinquente fluctus, alius excepit. Ariſt.
Non inconcinne deflectetur ad incurſus malorum, cum, vt verè fit, calamitas calamitati ſuccedit iuxta illum prouerbialem verſiculum:

> *Fortuna obeſſe nulli contenta eſt ſemel.*

Cyrbes malorum. Κύρβεις κακῶν.
De vehementer improbis, & omnium facinorum genere contaminatis.
Malorum Panegyris. Κακῶν Πανήγυρις.
De malis agminatim ingruentibus, & mutuo ſibi ſuccedentibus. Aſcribitur Platoni.
Per tenebras, quæ apud quercum. τὸ παρὰ δρυῒ σκότος.
De ingenti, ac fatali calamitate dicebatur. Ariſtoph.
Grauiora Sambico patitur. δεινότερα Σαμβίκου πάσχει.
In eos, qui cruciatibus exquiſitis torquentur, aut quibus inſignia mala acciderunt. Plut.
Malo aſino vehitur. ἐπ' ὄνου πονηροῦ ὀχούμενος.
Mala aſella vehi dicuntur, quibus res ſunt parum ſecundæ. Felices enim egregijs equis inſidere gaudent.
Quæ ex antiqua. τὰ ἐκ παλαιᾶς.
Id eſt: Quæ ex antiqua ſubaudiendum Tyro. Perinde valet, quaſi dicas, ſummam moleſtiam, extremumque malum Plut.
Miſerior monomachis. τῶν μονομαχούντων ἀθλιώτερος.
Id eſt: Miſerior his, qui monomachiam exercent. Nam hi duriſſima lege committuntur, vt aut alter, aut vterque pereat.
Cuiuſmodi portento me inuoluit fortuna? οἵῳ μ' ὁ δαίμων τέρατι συγκαθεῖρξεν.

Polyanthea Nouiſ.

Dici conuenit, vbi negocium incidit cum homine moroſo difficilique, cum quo non queas viuere, nec à quo te poſſis extricare.
My ſortitus es. ἔλαχες τὸ μῦ.
Id eſt: M litera tibi ſorte obtigit. Ænigma in ſtultos.
Nefaſti dies. ἀποφράδες ἡμέραι.
Olim vocabantur nefaſti, & quibus publica non licebat agere. Vnde receptum, vt homines inuiſos, ac deteſtandos ἀποφράδας appellarent.
Seruabis bouem. βουκολήσεις.
Id eſt: Bubulcus eris. Hoc velut ænigmate ſignificabant exilium.
Inus dolores. Ἰνοῦς ἄχη.
Intolerandum, & exanimantem dolorem ſignificantes dicunt Ἰνοῦς ἄχη. Nam ἄχος propriè dolor dicitur apud Græcos, qui prorſus obſtupefacit ſuique ſenſum adimit homini.
Niobes mala. Νιόβης πάθη.
De maximis, & acerbiſſimis malis dicebatur.
Antiopæ luctus. Ἀντιόπης θρῆνος.
Dici conſueuit, vbi quis innumeris calamitatibus affligitur, deinde malis eximitur.
Cythnicæ calamitates. Κυθνῶδεις συμφοραί.
Ariſtoteles citat, Cythnios vſque adeo diuexatos afflictoſque fuiſſe ab Amphytrione, vt in prouerbium abierint.
Cyrnia iactura. Κυρνία ἄτη.
De magnis diſpendijs, & expilationibus dicebatur.
Argi collis. Ἄργου λόφος
Vbi quis ingentibus malis eſſet implicitus: Poteſt accommodari, vel ad locum, vel ad negocium varijs obnoxium calamitatibus.
Militauit cum Eraſinade. ἐστρατήγησε μετ' Ἐρασινάδου.
Vulgo per iocum dicebatur de his, quibus res vndequaque male procedunt. Suidas.
Excubias agere in Naupacto. φρουρήσεις ἐν Ναυπάκτῳ.
Aduerſus eos, qui pereunt ignauia ſua, aut qui munus odioſum, ac plenum diſcriminis adminiſtrant. Zenodot.
Lemniata manu. Λημνία χειρί. Herod.
Dictum pro eo, quod eſt nefaria, impia, crudeli manu.
Lepus apparens infortunarum facit iter. φανεὶς ὁ λαγὼς δυστυχεῖν ποιεῖ τρίβον.
Id eſt: Inauſpicatum iter obuius facit lepus. Torqueri poteſt ad interuentum cuiuſpiam, qui videatur incommodum aliquod allaturus. Suid.
Minxit in patrios cineres. Horat.
Qui à furijs agerentur, cuique cuncta cederent infeliciter, in patrios cineres minxiſſe dicebatur. Antiquitus enim paterni ſepulchri ſumma fuit religio.
Rupta crada. κράδη ῥαγεῖσα.
Dicebatur de his, qui repente tamquam quiddam facturi prodijſſent, deinde falſa omnium expectatione turpiter, & indecore ſeſe geſſiſſent in negocio.
Commune naufragium. κοινὸν ναυάγιον τοῖς πᾶσι παραμύθιον.
Id eſt: Commune naufragium omnibus ſolatium. Multo facilius fertur malum, quod nobis eſt cum omnibus, aut cum multis commune.
Obedientia felicitatis mater. πειθαρχία γάρ ἐστι τῆς εὐπραξίας μήτηρ.
Principis eſt, conſulere ſaluti ciuium. Id conatur bonis, & æquis legibus. Populi eſt his obtemperare, ſi velit eſſe felix. Sed vtinam non eſſent Iones ὁ Λεωπρεπής quibus vxor ἀπειθία & filia δυστυχία.

E M B L E M A.

Semper præſto eſſe infortunia.

Emblema CXXIX. Andreæ Alciati.

> *Ludebant parili tres olim ætate puellæ*
> *Sortibus, ad Stygias, quæ prior iret aquas.*
> *At cui iactato male ceſſerat alea talo,*
> *Ridebat ſortis cæca puella ſuæ:*
> *Cum ſubito icta caput labente eſt mortua tecto,*
> *Soluit, & audacis debita fata ioci.*
> *Rebus in aduerſis mala ſors non fallitur: at in*
> *Faustis, nec precibus, nec locus eſt manus.*

F A B V L A.

Aſini pellis.

Aufer me mors, inquit afflictus oneribus, & verberibus aſinus, & eripe miſerijs. Exaudijt inuocantem illa ſe, & præſto fuit. Moritur aſinus, at pellis ipſius in tympana intenditur, & exanimus etiam tunditur.
Dicitur fabula de pertinacia, & aſſiduitate infortunij.
Vide Infelicitas.

I N G E N I V M.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

Ingenium, Græcè εὐφυΐα, ας, ἡ, & εὐφυής, ἔος, ὁ, ἡ, induſtrius, & ingenioſus dicitur. Eſt autem ingenium extenſio intellectus ad intellectorum cognitionem. Ingenium ſignificat propriè na-

Rr 2 turam

turam cuique ingenitam. *Terent. Nam qui cum ingenijs conflictatur eiusmodi, id est, cum hominibus eiusmodi natura.* Huius diminutiuum est ingeniolum, item ingenuus, qui libera matre natus, nec postea seruus factus est, & relatiuum libertini. Hinc etiam ingenuitas, quæ est contraria libertinitati.

Ingenium est animi vis, qua se extendit, & exercet ad incognitorum cognitionem. Græcis dicta ἀ'φυΐα. & significat alias naturam vnicuique ingenitam.

SENTENTIÆ BIBLICÆ.

Quam speciosa veteranis sapientia, & gloriosus intellectus, & consilium. *Eccles. 25.*

PATRUM SENTENTIÆ.

Nihil per aliquod ingenium ita astruitur, quin ita acre ingenium e contra inueniat. *Aug. in serm.*

Ingenij acumen, vel tarditas præmium, vel pœnam in futuro collocat. *Hier. in app.*

Non semper ingenij vena respondet ad votum, & quandoque dicta laudabiliora casu aliter scribenti se offerunt, quæ per studij vehementiam, & indaginem laboriosæ meditationis inueniri nõ possunt. *Petr. Rau. in quadam epist.*

Sicut qui tardus est ad capiendum, pro intentione tamen boni studij præmium percipit: ita qui præstitum ex Deo sibi ingenium negligit, condemnationis reus existit: quia donum, quod acceperat, despicit, & per desidiam derelinquit. *Isid. lib. 3. de summo bono.*

Quidam Dei iudicio donum scientiæ, quod negligunt, accipiunt, vt diutius de rebus creditis puniantur: tardiores autem, id eo quod scire cupiunt, difficulter inueniunt, vt pro maximo exercitio laboris maximum præmium habeant retributionis. *ibid.*

Non ego meo ingenio, vel merito, sed eius donu sum, si quid laudabile sum. Nam quædam acutissima, & excellentissima ingenia tãto in maiori errant, quanto confidentius tamquam suis viribus cucurrerint, nec suppliciter, ac veraciter Deum, vt viam sibi ostenderet, petiuerunt. *Aug. ad Maced. epist. 1.*

Apis acriter pungit, & mel conficit: sic paruo corpore anima ingeniosa, & acerrima viget, & doctrinæ suauitatem profert. *Hieron. super illud Eccl. 11. Breuis in volatilibus apis, & initium dulcoris habet fructus eius.*

Dum ingeniosi negligentia torpent, in prauis actionibus remanẽt, & simplices, quos ingenij penna adiuuat, ad obtinenda regni æterni mœnia, virtus operationis leuat. *Greg. super illud Prouer. 30. Stellio manibus nititur.*

Abscondere talentum in terra, est acceptum ingenium in terrenis actibus implicare, & non lucrum spirituale acquirere. *Ioan. Chrysost. super illud Matth. 25. Abiens fodit in terram.*

Semper in robusto, & vegetato corpore animus mollior iacet, atque tepidum cor: & rursum in corpore debili, & infirmo fortior viget, & promptior spiritus. *Bern. in Apolog.*

SENTENTIÆ POETICÆ.

Horat. in Epist.

Quo semel est imbuta recens seruabit odorem
Testa diu.

Plaut. in Pœn.

Bono ingenio me esse ornatam, quam auro multo mauolo.
Aurum in fortuna inuenitur. natura ingenium bonum.
Bonam ego quam beatam me esse dici mauolo.
Meretricem pudorem gerere magis decet, quam purpuram.
Pulchrum ornatum turpes mores peius cœno collinunt.
Lepidi mores turpem ornatum facilè factis comprobant.
Magno cum periculo custoditur, quod multis placet.

Ouid. 5. de Trist.

Adde quod ingenium longa rubigine læsum
Torpet, & est multo quam fuit ante minus.
Fertilis assiduo si non renouetur aratro,
Nil nisi cum spinis gramen habebit ager.

Ouid. lib. 15. Metam.

Carne feræ sedant iciunia, nec tamen omnes,
Quippe equus, & pecudes, armentaque gramine viuunt.
At quibus ingenium est immansuetumque, ferumque,
Armeniæ Tigres iracundique leones,
Cumque lupis vrsi dapibus cum sanguine gaudent.

Idem lib. 3. Amor. eleg. 7.

An quisquam ingenuas etiam nunc suscipit artes?
Aut tenerum dotes carmen habere putat?
Ingenium quondam fuerat pretiosius auro:
At nunc barbaries grandis, habere nihil.

Ouid. epist. Hero. ad Leandrum.

Fortius ingenium suspicor esse viris.
Vt corpus teneris sic mens infirma puellis.

Ouid. Trist. 3. Eleg. 7.

Singula quid referam? nil non mortale tenemus,
Pectoris exceptis, ingenijque bonis.
En ego cum patria caream vobisque domoque,
Raptaque sint, adimi quæ potuere mihi,
Ingenio tamen ipse meo comitorque, fruorque,
Cæsar in hoc potuit iuris habere nihil.

Idem 3. Trist. eleg. vlt.

Ingenium fregere meum mala, cuius & ante
Fons infœcundus, paruaque vena fuit.
Sed quæcumque fuit, nullo exercente refugit;
Et longo perijt arida facta situ.

Propert. 3.

Nam neque Pyramidum sumptus ad sidera ducti,
Nec Iouis Elei cœlum imitata domus,
Nec Mausolei diues fortuna sepulchri,
Mortis ab extrema conditione vacat.
Aut illis flamma, aut imber subducit honores,
Annorum, aut ictu pondera victa ruent.
At non ingenio quæsitum nomen ab æuo,
Excidet, ingenio stat sine morte decus.

Plaut. Capt.

Sæpè summa ingenia in occulto latent.

Mart. 1.

O quantum est subitis casibus ingenium!

SENTENTIÆ PHILOSOPHICÆ.

De ingenio. DIAL. VII.

Francisci Petrarchæ.

GAUD.

At ingenium est velox. R. Ad virtutes vtinam. Alioqui quo velocius eo propius ruinæ. G. Ingenium expeditum est. R. Si & bonis artibus applicabile preciosa animi supellex. Si minus, onerosa, periculosa, laboriosa. G. Ingenium peracutum est. R. Ingenij nõ acumen, sed æquabilitas, atque constantia, veram laudem, & perpetuam merentur, quorumdam acumen tenui cuspide frãgitur, primoq; molimine deficiet, validissima etiamsi ad vltimum extenuentur, infirma sunt, sic robur omne tenuitas atterit. G. Acutissimum ingenium est mihi. R. Nihil sapientiæ odiosius acumine nimio. Nihil verò Philosophanti molestius, quam sophista, ideo inuitam Palladi finxere veteres araneam, cuius subtile opus, ac tenues telæ sunt, sed fragiles, nulliq; vsui. Vt mucronis ergo, sic ingenij acies sit, non penetret modo, sed subsistat. G. Promptum, & versatile ingenium est. R. Hoc Mar. Catoni Censorio tributum est, quod literis simul, atque armis bellicisq; omnibus, & vrbanis, ac rusticis artibus æquè foret idoneus, quod ex parte Græci suo tribuunt Epaminondæ, Persæ autem Cyro. Tum hoc versatile, quonam vergat, neu versutum sit, neve aliquid non agile, sed leue potius, & inconstans habeat caueto. Aliud est enim non posse cõsistere, aliud facilè ire posse quo velis. G. Ingenium est excellẽs. R. Multum refert, quo in genere excellas, huius enim quoque verbi significatio vaga est, verumq; est, vbi intenderis ingenium valere. Malo igitur ingenium bonum, quam excellens, quod illud in malum flecti nequit, hoc in diuersa volubile est. Nam & Crispus Lucium Catilinam magna vi animi fuisse ait, sed ingenio malo prauoque. G. Ingenium magnum est. R. Bonum cupio, & modestum, magnitudo sola suspecta est. Sæpè magnum ingenium magnorum initium malorum fuit. Raro autem magni errores, nisi ex magnis ingenijs prodiere.

Est vis certè quædam, quam ingenium vocant, quæ eiusmodi est, ea vt efficere possit, & adipisci, quæ ad propositum finem pertinẽt. Ac si finis quidem honestus sit, laudanda: sin malus, calliditas est nominanda. *lib. 6. Ethic. c. 12. & lib. 1. Mag. Moral. c. 34.*

Est hoc maximum, & præstantissimum, quodque nemo nec accipere ab alio possit, nec discere: sed qualecumque à natura cuique tribuatur, tale obtinebit. Cuius si summa, & excellens quædam à natura concessa sit facultas, ea demum perfecta, veraq; sit indoles necesse est. *lib. 3. Ethic. c. 5.*

Verum ingenium, & indoles in eo est, vt possis verum rectè sequi, & declinare falsum: quod quidem ij, quibus acumen ingenij, & indolem natura largita est, præclarè efficere possunt. Cum enim amant, & oderunt, & proponitur, verè de eo, quod præstantissimum est, iudicant. *lib. 8. Top. c. 5.*

Ingenium non idem valet, quod prudentia, etsi sine illa vi esse nullo modo possit. *lib. 6. Ethic. c. 12.*

Is demum bene natus, & bene animo constitutus, cui hoc munus à natura datum est, vt quasi aspectum quemdam habeat, quo verè iudicabit, atque id, quod verè bonum est, sequitur. *l. 3. Eth. c. 5.*

Vis duplex est eius, in qua sedes est opinionis, ingenium, & prudentia. *lib. 6. Ethic. c. 13.*

Potest ingenium fortissimum, ac beatissimum sub qualibet cute latere, potest ex deformi, humiliq; corpusculo formosus animus, & magnus exire. Non enim deformitate corporis fœdatur animus, sed pulchritudine animi corpus ornatur. *Senec. epistol. 97. ad Claranum.*

Nullum ingenium potest esse magnum, antequam habeat aliquid admixtum de furia. *Senec. de tranquillit. animæ.*

Tria sunt, quæ in tota rerum varietate, excellentissimum diuinæ

uinæ munificentiæ donum (scilicet Philosophiam) extollant: Nobilis affluentiæ conceptus: futuræ felicitatis appetitus: mentis illustratio. Quorum primo nihil honestius, secundo nihil facilius, tertio, nihil ad amborum compendiosam adeptionem efficacius. *Ex lib. Empedoclis.*

Igitur præclara facies, diuitiæ, ad hæc vis corporis, & alia huiusce modi omnia breui dilabuntur: at ingenij egregia faci. ora, sicut anima, immortalia sunt: postremò corporis, & fortunæ bonorū, vt initium, sic finis. *Salust. in Iugurth.*

Inter bonas artes ingenium breui adolet. *Idem.*

Ingenium vbi intenderis valet. *Idem.*

Punitis ingenijs gliscit authoritas. *Corn. Tacit.*

Ingeniorum velut præcox genus non temere vnquam peruenit ad frugem. *Quintil. instit. orat. lib. 1.*

Acutiora ingenia, & ad intelligendum apertiora eorum, qui terras incolunt eas, in quibus aer sit purus, ac tenuis, quam eorum, qui vtuntur crasso cœlo, atque concreto, quin etiam quo vraris cibo, interesse ad mentis aciem. *Cic. 2. de nat. Deor.*

A magnis ingenijs, vt magnæ virtutes, ita vitia etiam magna proficiscuntur. *Plut. in Demetrio.*

Decora ingenia, gliscente adulatione deteruntur. *Tacit. Annal. lib. 1.*

Credunt plerique militaribus ingenijs subtilitatem deesse: quia castrensis iurisdictio secura, & obtusior, ac plura manu agens calliditatem fori non exercet. *Tac. in vita Agric.*

Augescente corpore ingenium pariter augescit, & consenescente consenescit, atque ad res omnes elanguescit. *Herod. l. 3.*

Assueti sunt homines, quod maximè affectant, id spei inconsideratæ permittere: quod non affectant, id principi rationi committere. *Thucyd. lib. 4.*

Verum omnino, & vbique est illud Sophocleum, Monitis malis præsto est obedientia. Etenim leuis, & proclivis est via ad id, quod volumus: plerique autem ob ignorationem, & imperitiam rerum bonarum pessima volunt. *Plut. in Artaxerxe.*

Quo plura habet ingenium humanum, eo ampliora cupit. *Iustin. hist. lib. 6.*

Suum cuique ingenium audaciam, aut pauorem facit. *Liuius. Decad. 3. lib. 6.*

Naturaliter audita visis laudamus libentius: & præsentia, inuidia præteritis, veneratione prosequimur: & his nos obrui, illis instrui credimus. *Velleius Paterc. lib. 2.*

Communi fit vitio naturæ, vt inuisis, latitantibus, atque incognitis rebus magis confidamus, vehementiusq́; exterreamur. *Cæsar, lib. 2. de bello ciuili.*

Cupidine ingenij humani libentius obscura creduntur. *Tacit. histor. lib. 1.*

Insita mortalibus ea natura est, propterè sequi, quæ piget inchoare. *Idem, eod. lib.*

Proprium est ingenij humani odisse quem læseris. *Tacitus. in vita Agric.*

Quantum præterita odimus, tantum de futuris bene speramus. *Herod. in Pertinace.*

Cohibendæ cupidini ingenium ni iuuet, eruditio imbecillis est. *Aurel. Vict. lib. de Cæsarib.*

Mos est hominum, res nouas alienis periculis spectare, & experiri velle. *Procop. de bello Vandal. lib. 1.*

Assolent humanæ mutabilitati omnia fordere præsentia. *P. Orosius, hist. lib. 3. c. 2.*

Plus potest ingenium administrando bello, quam vires corporis: fortunaq́; tum demum omnia sibi vendicat, cum prudentiæ locus nullus fuerit etiam inter maximas opes potentiamque relictus. *Io. Iouia. Pontan. hist. lib. 2.*

Ingenium hominis omnia domat. *P. Æmil. lib. 1.*

Natura ita comparatum est, vt sua quemque damna magis, quam publicus dolor moueat: nec vllum acrius, quam rei nummariæ telum inueniri possit. *Idem. lib. 6.*

Mens ieiuna, infirmumq́ per se pectus, sue sibi imbecillitatis conscium, auxilia aliunde quærit, se dolo instruit, fraude armat, insidijs hostem petit. hæc cum primum vanæ euadunt, to abiectiore animo trepidat, quo & plus præsidij in illis, & in cæteris minus spei sibi statuerit. *Idem. lib. 7.*

Apophthegmata.

Isocrates pueros candidos, ac felici ingenio natos appellare solebat Θεῶν παῖδας, id est, Deorum filios: eo quod hominis mens diuinæ sit originis, qua qui præcellit, Deos parentes referre videtur. Prisci dæmonibus attribuebant corpora, eosque Deorum filios appellabant. Dæmones autem à scientia dicti sunt, quasi δαήμονες. Idem de duobus auditoribus suis Theopompo, & Ephoro, quorum prior erat acerrimo ingenio, alter lētior, dicere solebat, se alteri adhibere calcaria, alteri frenos. Præcipuum est, vt Doctor animaduertat ingenium ac naturam discipulorum. *Meminit M. Tullius lib. de claris Oratoribus.*

Demetrius Phalereus hominum fastuosorum sublimitatem dicebat amputandam, sed relinquendam sobrietatem. Talia enim ingenia non sunt desperanda, sed quod redundat, recidendum est. *Laert. lib. 5. c. 5.*

Cicero de C. Cæsare dicere solebat: Quoties huius astutiam, & ambitionem video sub humanitatis specie latitantem, merito Reip. tyrannum: rursum quum comas molliter fluentes, & ipsum vno digito scalpentem caput intueor, vix animum inducere possum, vt tantum facinus animo concipiat. *P. M. lib. 4. apoph.*

Similitudines.

Hieronymi. Quomodo lætæ segetes, & vberes agri interdum culmis aristisque luxuriant: Ita præclara ingenia, & mens plena virtutibus, in variarum artium redundat elegantiam. Vnde & apud Græcos Philosophus ille laudatur, qui omne, quo vteretur, vsque ad pallium, & anulum, manu sua factum gloriatus est. Hoc idem possumus, & de illo dicere, qui basilicas Ecclesiæ, & martyrum conciliabula diuersis floribus, & arborum comis, vitiumq; pampinis adumbrarit, vt quicquid placebat in Ecclesia, tam dispositione, quam visu, presbyteri laborem, & studium testaretur. *Ad Heliodor.*

Plutarchi. Vt multa agrestia subnascentia in agro, mala quidem ipsa sunt, sed tamen signa felicis, atque vberis soli, si quis excolat: Sic animi affectus per se mali arguunt ingenium non malum, si accedat recta institutio. *In Moral.*

Ciceronis. Vt multo maiora sunt opera animi, quam corporis: Sic hæ res, quas prosequimur ingenio, gratiores sunt, quam illæ quas viribus. *lib. 2. Offic.*

Quintilian. Vt vasa angusto ore difficilius recipiunt, sed retinent certius liquorem: Ita ingenia, quæ tardius percipiunt, ferè meminerunt tenacius. *lib. 1. Orator instit.*

P. M. Adamas vna re mollescit, ad ictus ferri alias indomitus: Ita nullum est ingenium tam ferum, quod non aliqua ratione queat expugnari. *In simil.*

Minor vis inest in radicibus herbarum salubrium, cum semen maturescit: Ita deterior fit ingenij naturæq; vis, quoties liberis gignendis datur opera. *In simil.*

Seneca. Vt qui spinas habet in pedibus, vbique spinas calcat: ita sterili ingenio omnis materia sterilis est. *Apud P. M.*

Vt horologij vmbram progressam sentis, progredientem non sentis, & fruticem, aut herbam creuisse apparet, crescere non videtur: Ita & ingeniorum profectus, quoniam minutis constat auctibus, ex interuallo sentitur. *In simil.*

Plin. Rhombus, & squatina, & rheia, & pastinaca, cum tardissimi sint piscium, tamen sæpè reperiuntur habentes in ventre mugilem omnium velocissimum, solertia, & ingenio capientes: Ita quidam arte superant longè potentiores opibus, aut viribus. *lib. 9. cap 42.*

P. M. Plutarchus testatur, se vidisse in Africa coruos, qui lapillos in aquam aggesserint, donec aqua eo surgeret, vt contingi posset: idem narrat de cane coniiciente lapillos in amphoram oleariā: Ita nobis, quod viribus diminutum erit, ingenio supplendum est. *In simil.*

Vt ingenio pondera, quæ nullis hominum viribus tolli possunt, machinis facilè tolluntur: Ita quod vi nequeas efficere, ratione, & arte facilè efficias. *In simil.*

Chamæleon, quia pauidissimum animal, subinde colorem mutat: Ita qui viribus non pollent, ad varias artes confugiunt oportet est. *In simili.*

Seneca. Quemadmodum lana quosdam colores semel ducit, quosdā, nisi sæpius macerata, & recocta, non perbibit: Sic alias disciplinas ingenia cum accepere, protinus præstant: hæc nisi altè descēdit, & diu sedit, animum non colorauit, sed infecit, nihil ex his, quæ promiserat, præstat. *lib. 2. epist. 72.*

T. M. Vt inter tot hominum millia nullæ facies per omnia similes, nec vllæ voces: Ita suum cuique ingenium est, suus cuique mos. *In simil.*

Sicuti vinum alios hebetiores reddit, alios acutiores, alios elingues facit, alios loquaculos, pro corporum habitu: Ita eadem stultitia, & ignorantia veri quosdam incitat ad studium pecuniæ, quosdam ad voluptates. *In simil.*

Anthracitis carbunculorum generi peculiare est, vt coniectus in ignem velut intermortuus extinguatur contra aqua perfusus exardescat: Ita quosdam contraria mouent si exhorteris, magis languescunt, si dehortaris, magis accenduntur, si bene merearis, redduntur inimici, sin male, pluris te faciunt. *In simil.*

Quemadmodum adamas aduersus omnia inuictus, hircino sanguine, eoque calido, ac recenti, maceratus, malleo frangitur: Ita quædam ingenia nulla vi peruincas, blanditia emolliendā sunt. *In simili.*

Vt nonnullæ mulieres ex viris quibusdam non concipiunt, alijs adiunctæ fœcundæ fiunt: Ita sunt, qui apud quosdam præceptores indociles, alijs traditi Doctoribus proficiunt: quod sint vt corporum, ita & ingeniorum cognationes, ac dissidia. *In simil.*

Vt sol lutum indurat, ceram liquefacit: Ita eadem oratio ab eodem

dem dicta hunc emolliet ad pœnitudinem erratorum, hunc irritabit ad contumaciam. *In simil.*

Ex maioribus cedris, quæ florent, non ferunt fructum, quæ frugiferæ sunt, non florent: Ita nonnumquam quibus adest dicendi lepos, non adest sapientia: quibus suppetit rerum vtilium cognitio, deest eloquij venustas. *In simil.*

Plutarch. Vt terra, quo melior est natura, hoc magis corrumpitur, si negligatur: Ita ingenia, nisi rectè excolantur, quo sunt feliciora, hoc pluribus vitijs obducuntur. *In Moral.*

Si qua terra referta sit saltubus feris, & herbis siluestribus multoq; limo, protinus displicet imperito colono; at peritus agricola ex ipsis coniectat soli mollitiem, ac feracitatem, tantoq; impensius dat operam, vt eam repurget: Sic magnis ingenijs magna vitia solent innasci, quæ non conuenit statim tollere, sed potius mederi; expectanda ætas, donec ad frugem bonam reducatur. *In Moral.*

Seneca. Ignis quo clarior fulsit, citius extinguitur; Viuacior est, qui cum lenta difficiliq; materia commissus, fumoq; demersus ex sordido lucet: eadem enim detinet causa, quæ malignè alit: Sic ingenia, quæ illustriora, breuiora sunt. Nam vbi incremento locus nō est, vicinus occasus est. *De consolat. c. 23.*

Controsus equus melius gestabit sarcinam, quam ignauum iumētum, nemo tamen imponit: Ita magna ingenia sunt quidem, & ipsa idonea functioni munium, sed indigna, quæ tam sordidis occupationibus onerentur. *Apud P.M.*

Plini. Oliua sero prouenit, sed fructum habet egregium: salix statim adolescit, sed sterilis est: Ita præcox ingenium. *lib. 16. c. 26. in fin. & lib. eod. c. 27.*

Tradunt, in Albania nasci homines glauca oculorum acie, qui noctuarum ritu plus noctu, quam interdiu cernant; Ita quidā plus sapiunt in rebus facinorosis, quam in bonis, ac præclaris, aut in sordidis potius, quam in egregijs. *lib. 7. c. 2.*

Trochus piscis ipse se init, & casti concipit: Ita quidam ingenij felicitate ipsi literarum semina infundunt sibi, quos αὐτοδιδάκτους vocant Græci. *lib. 9. c. 52.*

Vt arbores quædam belle florent, verum nullum adferunt fructum; Ita quorumdam puerorum indoles magnam vitæ frugem pollicetur, qui simul, atque adoleuerint, ad ineptissimas mersi voluptates, fallunt expectationem omnium. *lib. 16. c. 26. & 27.*

Vt ad Naphtham (id est bituminis genus) etiam procul visam ignes transiliunt, ob naturæ cognationem; Ita ingenia literis nata statim eas arripiunt. *lib. 2. c. 108.*

P.M. Sicuti vina languidiora vappescunt ætate: Ita desipiscunt ingenia vulgaria, eximia etiam ad extremam durant ætatem. *In simil.*

Terra, quæ gignit salem, nihil aliud gignit: Sic ingenia fœcunda in literis, in cæteris ferè rebus non perinde valent. *In simil.*

Ex arboribus, quæ vehementer fœcundæ sunt, eo celerius senescunt: Ita raro sunt viuaces egregio præditi ingenio, & optima quæque mortalium fugacissima sunt. *In simil.*

Salix ante maturitatem abijcit semen, vnde & Homerus frugiperdam vocat: Ita quædam ingenia præcocia citius prosiliunt ad docendum, aut scribendum, quam oportet. *In simil.*

Vt quadam terræ mergam (ea est candida medulla) in se continent, qua stercorentur, ac pinguescant; Ita ingenium probum secum habet, vnde fiat melius. *In simil.*

Plutarchi. Vt culmus primus in altum surgit impetu, deinde crebris geniculis intersecatur, postremo in summo venti flatibus laborat: Sic quidam initio feruent, deinde subsistunt, & offenduntur, in extremo deficiunt defatigati. *In Moral.*

ADAGIA.

Lupus pilum mutat, non mentem, ὁ λύκος τὴν τρίχα, οὐ τὴν γνώμην ἀλλάττει.

Hoc est: Senecta canitiem affert improbis, non item aufert malitiam. Der Wolff mag greissen, er laest aber seine Tuecke nicht.

Naturam expellas furca, tamen vsque recurret.

Sensus est: Haud facilè dediscit, quæ modis natura penitus indidit, atque insevit. Art laest von Art nicht. Das Vnkraut vvil auss dem Garten nicht, Item; Die Katz laest jr mausen nicht, Item: vvo vvasser gevvesen ist, da kompt vvasser vvider hin.

Lignum tortum haud vnquam rectū, ξύλον ἀγκύλον οὐδέποτ' ὀρθόν.

Hoc est: Distorta prauaq; ingenia vix vnquam ad bonam frugem traducuntur.

Aethiops non albescit, Αἰθίοψ οὐ λευκαίνεται.

De ijs dicitur, qui numquam mutaturi sunt ingenium. Die Kraeh laest jr hupffen nicht.

Qui semel scurra, numquam pater familias.

Sensus est, eum quem semel depuduerit quoque contempta fama seueram agere cœperit, vix vnquam ad bonam frugem redire.

Occasione duntaxat opus improbitati, vel malitiæ. προφάσεως δεῖται μόνον ἡ πονηρία.

Quadrabit in nocendi cupidos, qui, ne temere lœsisse videantur, causas praetexunt, Man find bald ein Bengel, vvann man den Hund schlagen vvil. Item; Einem Dieb darffest du nur die Thuer auffthun.

Quo semel est imbuta recens seruabit odorem testa diu.

De institutione prima dicitur adagium, monetq;, tenaciter hærere id, quod rudibus annis perceperimus, proinde optima quæque in primis statim annis addiscenda esse, vvas man in vnsaubere Gefæss thut, das sauret bald.

Saliuam imbibere.

Itidem de institutione. Sumpta autem est metaphora ab infantibus, quibus premansum cibum in os inferunt, non sine saliua: cui quum assueuerint, nihil tam illis sapit, quod ab illius prima saliuæ gustu diuersum sit.

HISTORICA EXEMPLA.

Apud Indos Cathæos, & Brachmanes editum infantem post duos menses in publico concilio spectandum exhibebant. Si cuius indoles probaretur, bonis ille formabatur disciplinis; si improbaretur, vel exponebatur in siluas, vel statim in conspectu hominū occidebatur. *Sabel. lib. 9. Ennead. 4.*

Spartanos pueros ludentes spectabant maiores natu; plerumque cōtentiones inter eos, & certamina ferentes, non defunctoriè, quæ cuiusque ad audendum, & non cedendum in pugnis esset indoles, aduertebant. *Plut. in Lycurg.*

Themistocles indolem præceptor eius planè perspectam habuit, cum diceret: nihil, fili, mediocre eris, sed omnino, vel magnum patriæ lumen, vel magna pestis. *Plut. in eius vita.*

Aristotelem Stagiritam in disciplinarum proœmijs difficultati, & obscuritati rerum simul, ac verborum studuisse, constat: vt hac ratione ingenuorum animos acrioribus stimulis excitaret: ignauos verò a pulcherrimarum rerum cognitione deterreret. *Idem.*

Origenes puer parentem suum Leonidem (qui Episcopus fuit) sæpè de abditis Scripturæ sensibus interrogabat, ita vt pater ab eiusmodi præcoci sapientia retrahere illum cogeretur: sedulo monens, ne supra ætatem saperet. Verum noctua accedens, & pectus intuens, quasi sancti Spiritus templum deosculabatur, seque tali filio beatum iudicabat. *Euseb. lib. 6. c. 3. & Suidas.*

P. Virgilius Maro, qui primum in lucem editus, vagitum nullum emisit, poeticam puer exercere cœpit: & in Balistam ludimagistrū, ob infamiam latrocintorum lapidibus coopertum distichon fecit:

> *Monte sub hoc lapidum tegitur Balista sepultus:*
> *Nocte die que tutum carpe viator iter.*

Donatus in eius vita.

D. August. semetipsum in secunda pueritia (anno scilicet ætatis duodecimo) legisse, & intellexisse Logicos, & Rhetoricos Aristotelis libros, fatetur *lib. 4. confess.*

Commodus, Antonini Philosophi Imper. & Faustinæ F. statim à pueritia turpis, improbus, crudelis, libidinosus, scurram se, & gladiatorem magis, quam Imperatorem ostendit, crudelitatisq; exempla multa præbuit. *Cuspin. ex Herodiano.*

Otho Magnus Imp. Henrici Aucupis F. tam lætæ fuit indolis, vt ab omnibus Amor mundi diceretur; & re ipsa postea se rerum amorem mundi esse, in Imperio euidenter demonstrauit. *Hedio. in Chron. Germ.*

Nero tener adhuc, Circensibus ludis Troiam constantissimè fauorabiliterq lusit. *Sueton.*

HIEROGLYPHICA.

Pindarus cum alijs plerisque locis, tum præcipuè Nemeis, ingenij promptitudinem, & velocitatem per *Aquilam* ostendit, sumpta ab eo comparatione, quod prædam etiam valdè procul distantē mira pernicitate nanciscatur: visuq; ita pollet, vt profundissima quæque prospectet; quæ omnia ingeniorum acumini sunt accommodata. *Pier. Valer. lib. 19.*

Sphynx hastæ Palladiæ cuspidi subiecta, vt in ea Mineruæ statua, quā Athenis olim fuisse erectam ait Plinius, ostendit nihil tam abditum, & reconditum esse, quod ingenij acumine exeri, & palam proferri non possit. *Idem lib. 6.*

FABVLA.

Vulpes, & Testudo.

Suscepto cursus certamine inter vulpem, & testudinem, dicitur testudo se caudæ vulpinæ implicuisse, & ita hanc à currente vulpe raptatam fuisse ad locum præfinitum, à quo cum proximè abesset vulpes, respexisse fertur, & per iocum dixisse, non se putasse tam celerem esse testudinem, cum illa de cauda ad signum conuersa arrepere perrexit, & non animaduertente vulpecula, illud tenuit.

Docet fabula, ingenium viribus præstare.

INGRATITVDO.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

INgratitudo, Græcè ἀχαριστία, ἀχαριστεῖν, & ἀχάριστος ingratus dicitur. Est autem ingratitudo qualibet peccatum, quia tollit debitum gratitudinis, quod est debitum honestatis. *Ex B. Thom. 2. 2. q. 107. art. 1.*

Veniunt

Veniunt autem ingratitudo, & ingratus à gratus, qui est memor beneficij accepti. Cuius contrarium est ingratus, & gratuitum, quod gratis datur. Et gratificor, quod est aliud quam gratum facio, licet vtrumque à gratum deducatur. Etenim gratum facere est quiddam minus, & prope idem quod obsequi, & inseruire. Gratificari verò est quiddam maius, & quasi idem quod beneficum esse, & beneficia conferre. Quapropter Deos non gratum facere, sed gratificari hominibus dicimus. Ab hoc gratificatus, & gratificatio deducuntur.

Loci Biblici.

Ingratitudo, & eius punitio, *Gen.* 31.1. *&* 40.23. *Exod.* 1.8. *Deut.* 23.3. *&c. Iudic.* 2.1. *&* 6.8.33. *&* 12.1. 1. *Sam.* 10.18 *&* 12.8. *&* 25. *v.* 3.10. 2. *Sam.* 14.30. 2. *Paralip.* 24. 22. *Prou.* 17.13. *Sap.* 16.29. *Esa.* 1.2. *&* 5.4. *Ierem.* 2. *v.* 5.6. *Ezech.* 16.1. *&c. Osea* 10.1. *&* 13. *ver.* 2.6. *Mich.* 6.3. 1. *Machab.* 16. *v.* 16.19. *Matth.* 11.20. *Luc.* 17.18. *Ioan.* 11.46. *Roman.* 1.21. 2. *Tim.* 3.2.

Ingratitudo damnatur, *Eccles.* 5.15. *Rom.* 1.18. *Coloss.* 2. 7.1. *Tim.* 6.4.2. *Tim.* 3.2. 2. *Pet.* 19. *&* 2.20. Ingratitudinis pœna, *Iud.* 8.16. 2. *Paral.* 24. *v.* 25. *Prou.* 17. *v.* 13. *Ezech.* 16.43. *Luc.* 9. *v.* 5. *&* 13.35. *&* 14.24.

Sententiæ Biblicæ.

Ingratitudo diligenter vitanda.

Benedic anima mea Domino, & noli obliuisci omnes retributiones eius. *Psal.* 102.

Super his omnibus benedicito Dominum, qui fecit te, & inebriantem te in omnibus bonis suis. *Eccl.* 3.2.

Gratias agentes semper pro omnibus in nomine Domini nostri Iesu Christi Deo, & Patri, subiecti inuicem, in timore Christi. *Eph.* 5.

Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi, gratias agentes Deo, & Patri per ipsum. *Coloss.* 3.

In omnibus gratias agite. 1. *Thess.* 5.

Potenter punienda.

Qui reddit mala pro bonis, non recedet malum de domo eius. *Prouerb.* 17.

Ingrati enim spes tamquam hibernalis glacies tabescet, & disperiet tamquam aqua superuacua. *Sap.* 1.6.

Filios enutriui, & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me. *Esa.* 1.

Numquid redditur pro bono malum, quia foderunt foueam animæ meæ? *Ierem.* 28.

Qui enim habet, dabitur ei, & abundabit: qui autem non habet, & quod habet, auferetur ab eo. *Matth.* 13.

Omni habenti dabitur, & abundabit: ei autem, qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo. 25.

Patrum Sententiæ.

Sex differentiæ sunt: Reddere bona pro malis, non reddere mala pro malis; hæc bonorum sunt: & prius melius. Non reddere bona pro bonis, & reddere mala pro bonis; hæc duo malorum sunt, sed posterius deterius. Reddere bona pro bonis, & pro malis mala: hæc duo mediocrium sunt: prius propinquum bonis, conuenit etiam malis, quod Christus non arguit, sed plus oportere dicit, quia & Ethnici hoc faciunt. Posterius propinquum malis, conuenit tamen etiam bonis. Vnde & lex modum vltionis statuit, Oculum pro oculo, quæ (si dici potest) iniustorum iustitia est: non quia iniqua est vltio, quam lex statuit, sed quia vitiosa libido vlciscendi, magisq. ad iudicem pertinet, hoc inter homines discernere, quam bonum hominem sibi expetere. Hic enim malum pro malo redderet, iudex verò punit, non delectatione alienæ miseriæ, quod est malum pro malo, sed dilectione iustitiæ (iustum pro iniusto) quod est bonum pro malo, quod etiam Deus iudex facit. *Aug. in expositione Ps.* 108. *& hab.* 23. *q.* 3. *c. Sex differentia.*

Ingratus enim existit, qui plenus virtutibus Deum non omnino timuit. In hoc enim quisque peccator fit culpabilior, quo est Deo acceptior. Ideo enim Adam plus peccauit, quia omni bono abundauit. *Idem lib. de pœnitentia, & habet, de pæn dist.* 5. *c. Consideret.* §. *Ingratus.*

Quanto maiora beneficia sunt hominibus constituta, tanto grauiora peccantibus iudicia. *Ioan. Chrysost. super Matth.*

Ingratitudo est hostis gratiæ, inimica salutis: quoniam nihil ita displicet Deo, quemadmodum ingratitudo. *Bernard. ser.* 1. *de septem Misericordijs.*

Quantu facit te Deus, ex his, quæ pro te factus est, agnosce, vt appareat ubi benignitas eius in humanitate. Quanto enim minorem se fecit in humanitate, tanto maiorem exhibuit in bonitate: & quanto pro me vilior, tanto mihi charior est. Aduerte homo! quia limus es, & non sis superbus: & quia Deo iunctus es, non sis ingratus. *Bern. serm.* 1. *in Epiphan. Domini.*

Gratiarum cessat discursus, vbi recursus non fuerit. Nec modo nil augetur ingrato, sed & quod accipit, vertitur ei in perniciem. Fidelis autem in modico censetur dignus munere ampliori. *Bern. serm.* 1. *in c. Ieiunij.*

Polyanthea Noua.

Peruersi cordis est occasiones ingratitudinis inuestigare. Nemo id facit, nisi qui etiam gratis est ingratus. *Idem serm.* 52.

Nutriunt præmiorum exempla virtutes. Non est quisquam, qui ad morum summam nitatur ascendere, quando irremuneratum relinquitur, quod conscientia teste laudatur. *Cassiod. l.* 2. *epist.* 16.

Graue nimis, vt fructu laboris sui fraudetur industrius, & cui debet pro sedulitate conferri præmium, dispendium patiatur iniustum. Et malorum omnium probatur extremum, vt inde quis cogatur detrimenta suscipere, vnde credebat auxilia prouenire, molestiam pati sine causa, pœnam sine culpa, damna sine delictis. *Idem lib.* 4. *epist.* 11.

At verò, si qua grauis necessitas presserit, tunc Dei recordantur: si belli terror infremuerit, si morborum pestifera vis incubuerit, si alimenta frugibus longa siccitas denegauerit, si tempestas, si grando ingruerit, ad Deum confugitur, à Deo petitur auxiliũ, Deus, vt subueniat, oratur. Si quis in mari vento sæuiente iactatur, hũc inuocat. Si quis aliqua vi affligitur, hunc potius implorat. Si quis ad extremam mendicandi necessitatem deductus, victum precibus exposcit, Deum solum obtestatur, & per eius vnicum, atque diuinum nomen hominum sibi misericordiam quærit. Numquam igitur Dei meminerunt, nisi dum in malis sunt. Postquam metus deferuit, & pericula recesserunt, Deo quem ante in sua ipsa necessitate implorauerant, ne verbo quidem gratias agunt. Nam tum Deus memoria hominum maximè elabitur, cum beneficijs eius fruentes, honorem dare diuinæ intelligentiæ debêt. *Lactant. Firm. l.* 2. *c.* 1. *diuin. instit. aduersus Gentes.*

Nam si Diuinitas, quæ gubernat hunc mundum, incredibili beneficio genus humanum sustentat, & quasi paterna indulgentia souet: vult profectò gratiam sibi referri, & honorem dari. Nec constare homini ratio pietatis potest, si cœlestibus beneficijs extiterit ingratus, quod non est vtique sapientis. *Idem lib.* 4. *Diuin. instit. c.* 3.

Sententiae poeticæ.

Menander ex 1. Epigram.

Τὸν λύκον ἐξ ἰδίων μαζῶν τρέφω οὐκ ἐθέλουσα,
Ἀλλά μ' ἀναγκάζει ποιμένος ἀφροσύνη.
Αὐξηθεὶς δ' ὑπ' ἐμοῦ κατ' ἐμοῦ πάλι θηρίον ἔσται,
Ἡ χάρις ἀλλάξαι τὴν φύσιν οὐ δύναται.

Lupum ex proprijs mammis nutrio inuita,
Sed me cogit pastoris stultitia.
Auctus enim à me, contra me rursus fera erit.
Beneficium mutare naturam non potest.

Sophocl. in Aiace flagell.

Ὅτου δ' ἀποῤῥεῖ μνῆστις εὖ πεπονθότος,
Οὐκ ἂν γένοιτο οὗτος εὐγενὴς ἀνήρ.

Qui autem obliuiscitur, beneficijs affectus,
Numquam vtique esset hic generosus vir.

Idem in eodem.

Ὡς ταχεῖ' τοῖς βροτοῖς
Χάρις διαῤῥεῖ καὶ προδοῦσ' ἁλίσκεται.

Quam cito mortalibus
Beneficium perit, & amissum deprehenditur.

Plautus in Persa.

Nam improbus est homo,
Qui beneficium scit sumere, & reddere nescit.
Nihil amas: si ingratum amas.

Terent. in Phorm.

Ad hoc res redijt, si quis quid reddit, magna habenda est gratia.

Lucian. lib. 1. Græc. Epigram.

Ὠκεῖαι χάριτες γλυκερώτεραι· ἢν δὲ βραδύνῃ,
Πᾶσα χάρις κενεή, μηδὲ λέγοιτο χάρις.

Ausonius sic vertit.

Gratia quæ tarda est ingrata est gratia: namque
Quum fieri properat gratia grata magis.

Idem.

Si bene quid facies, facias cito: nam cito factum
Gratum erit, ingratum gratia grata magis.

Lucianus.

Φαῦλος ἀνὴρ πίθος ἐστὶ τετρημένος, εἰς ὃν ἁπάσας
Ἀντλῶν τὰς χάριτας, εἰς κενὸν ἐξέχεας.

Malus vir dolium est perforatum, in quod omnes
Immittens gratias in vanum effudisti.

Cornarius.

Pertusum vas est ingratus homuncio: semper
Omne quod infundes, perfluet in nihilum.

Luscinius.

Rimarum plenus perdit tua dona scelestus,
Si sapis, integro vina recondo cado.

Petrus Crinitus lib. 2. poematum, de fugiendis ingratis.

Ingratus est vitandus, vt dirum scelus:
Nil cogitari pestilentius potest.
Nec esse portentosius quicquam puto.

Ingratus, aut male facit, aut male cogitat,
Sibiq; tantum paret, alijs detrahit:
Et odit omneis, qui bonis benefaciunt.
Ingratus est audacior, quo nequior:
Et impudens ad omnia scelera trahitur:
Audaxq; cuncta semper in peius mouet.
Ingratus est seminarium scelerum omnium.
Hinc est auara mens, & animus perditus:
Hinc fastus impatiens, & ambitus grauis:
Ingratus hoc vnum benefacit, cum perit.
Nam tellus ipsa fœdius nihil creat.
Portentum id omnium est habendum maximum.

Homer. Odyss. 5.

Μή τις ἔτι πρόφρων ἀγανὸς καὶ ἤπιος ἔστω
Σκηπτοῦχος βασιλεύς, μηδὲ φρεσὶν αἴσιμα εἰδώς.
Ἀλλ' αἰεὶ χαλεπός τ' εἴη καὶ αἴσυλα ῥέζοι.
Post hac ne placidus sit quisquam, neve benignus,
Nec mitis, iustiq; tenax rex sceptriger vnquam:
Sed semper ferus esto, & semper iniqua patrato.

Ex Græcis Comicis.

Μετὰ τὴν δόσιν τάχιστα γηράσκει χάρις.
Post munera cito consenescit gratia.
Ἐπιλελήθασιν πάντες οἱ παθόντες εὖ.
Beneficij memor esse non quisquam solet.
Χάριν λαβὼν μέμνησο, καὶ δοὺς ἐπιλαθοῦ.
Accepta meminisse, data obliuiscere.
Καλὸς θησαυρὸς κειμένη χάρις.
Thesaurus est pulcher locata gratia.
Χάριτας ἀληθεῖς καὶ δίδου καὶ λάμβανε.
Iusta beneficia confer, & iusta accipe.
Χάριν λαβὼν ἐς καιρὸν ἀντιδίδου
Dato tempore, & loco, vt datum tibi fuit.
Ἀχάριστος ὅστις εὖ παθὼν ἀμνημονεῖ.
Ingratus ille, qui beneficij immemor.
Ἅμ' ἠλέησας καὶ τέθνηκεν ἡ χάρις.
Simul vt misertum est, interijt gratia.
Ἀεὶ δ' ὁ σωθεὶς ἐστὶν ἀχάριστος φύσει
Seruatus vsque ingratus est immemor.

PHILOSOPHICÆ SENTENTIÆ.

De ingratis. DIAL. XXVIII.

Francisci Petrarchæ,

DOL.

Multos experior ingratos, graue vitium. R. Ingratitudinem vituperare superuacuum, omnium nempe mortalium, hanc sermo condemnat. Non est laborandum, vt suadeas, quod omnibus persuasum est, & inextirpabiliter insitum. Est qui summum, est qui solū in virtute bonum locet. Est qui neutrum, sed in voluptate virtutis hoste ponat omnia. Sunt qui castitatem pulcherrimum ornamentum vitæ dicant. Sunt qui hanc ipsam in se spernant: in alijs verò vel ridiculum, vel difficilem, certè, longèq; laboriosam putent, quod Augustinus tantus vir fateatur in se sensit, vbi Ambrosij cœlibatum laboriosum sibi visum ait, qui alijs non laboriosus modo, sed damnabilis vitæ status visus erat. Vnde illud Platonis: Qui quum cœlibem castamq; vitam diu tenuisset, ad extremum sacrificasse legitur naturæ, vt sibi illam placaret, quam sic viuēdo violasset, & in quam grauiter peccasse videretur. Mirum id iam docto homini videri potuisset, sed visum esse non est dubium. Erunt quoque, qui Fortitudinem eminentissimam, clarissimamq; virtutem ducant: vulnera aduersis excepisse pectoribus, campum rutilo sanguine cruentasse, intrepidisq; demum animis mortem oppetijsse. Erunt, qui hæc omnia summæ tribuant insaniæ. Et nil melius securo, atque imbecilli ducant ocio. Venient denique, qui iustitiam gubernatricem rerum humanarum, & virtutum matrem censeant. Qui religionem iter ad æternam vitam credant, & ad cœlum scalam. Venient contra, qui Iustitiam ignauiæ: Religionem amentiæ, ac superstitioni adscribant. Hi sunt, de quibus scriptum est, quibus habent in viribus, qui omnia virorū fortium esse confirment, neque solum ex hoc genere violentorum hominum, raptatorumque, sed ex ipsa Doctorum acie, quantos oppugnatores habeat iustitia, facile est in libris Reipublicæ Ciceronis aduertere. Sunt qui fidem, & promissorum obseruantiam magnis, & meritis laudibus efferant. Sunt qui fidem frangere, non fallere dicant esse, sed plus scire, & esse ingenij melioris. Quæ, licet vulgo multorum hodie sit opinio, & multorum vox, apud Lactantium nominatim Mercurio tribuitur, dicenti: (sicut ille ait) Non fraudis esse decipere, sed astutiæ. Pulcher enim ingenij Deus, & eloquij. Et ad summam: Nulla virtus tam laudata est, quin vituperatores inueniat. Gratitudinem nulla barbaries gentium, nulla morum immanitas non laudabit, nemo vsquam non vituperabit ingratitudinem, sit fur, sit sicarius, sit proditor, sit ingratus, vitium suum excusare non audebit, sed negare. Quæ, quamuis ita sint, nihilominus tamen innumerabiles sunt ingrati. Nec est verè vitium aliud, quod tam multis verbo damnatum, tam multi rebus ipsis amplectantur, ac teneant. Quid concludam? damnandum vtique non solum verbo, sed animo maximè, atque iudicio, & in se cuique bono fugiendum, ac vitandum: In altero tolerandum, sicut cætera, quibus humanum scatet genus, quibus mali abundant, boni exercentur. Perfer igitur, & gaude potius ingratum ferre, quam ingratus fieri. D. Ingratos multos inuenio. R. Vide, ne quid in te culpæ sit. Multi enim, dum benefici dici volunt, iactatores sunt, atque exprobratores. Onerosum genus, quorum beneficia plus offensæ præferunt, quam gratiæ. Idque nihil est aliud, quam precio odium parere. Mercimonium infinum. D. Bene meritus, multos male memores, & ingratos patior. R. Tunc hoc illis inuides, tuamq; cum illorum sorte commutatam cupis? Noli obsecro, cuiuscumque sit vitium, virtus tua veniat in partem. D. Multos habeo ingratos. R. Quid expectas audire, benefacere vt desinas, deque alterius culpa tuum ipse damnum facias. Quin tu potius contrarium fac, & qui multos habes, cura nunc etiam, vt habeas plures. Habebis autem, si multis benefeceris. Multi enim semper ingrati. Sed plures hodie, verèorq; ne confestim gratum esse portentum sit. Ita indica terio omnia. Ea petentium improbitas, & ea debentium obliuio, atque superbia est, neque ideo desistendum, neque cæcorum æmulatione eruendi oculi, quos potius facere debet aliena cæcitas cariores. D. Mihi multi sunt ingrati. R. An tu multis idem fueris recordare. Vna enim ingratitudo aliam punit, sicut in reliquis, Vnum sæpè peccatum alterius pœna est. D. Multis ingratis profui. R. Multis indignis profuisse satius, quam vni digno defuisse. Proinde perge, nec malorum odio bonos mores exuas, nec prodesse alijs cesses, quod ab alijs male sit cognitum. Cognoscent hi, fortasse melius, si ne id quidem, Nouit Deum. Nosce te satis est. Non est vera virtus, cui conscientiæ præmium non sufficit. D. Profuisse multis infeliciter cessit. R. Caue ne vnius crimen obsit alteri, quodque est grauius tibi, Experire alios, cedet forte feliciùs. Quidam præterea diu ingrati vrgente animum pudore, tandem fuere gratissimi, magnoq; cum fœnore spes amissa redijt. Ad hæc sæpè, quod requisitos debitor negauit, vltro non debitor obtulit. Nullum bonum opus vnquam perijt. Qui bene agit ante alios se cogitet. Vna quidem virtus multis prodest, sed prima, & maxima pars virtutis in agentem redit. Itaque vt mali omnes, & ingrati sint, non idcirco vir bonus beneficio cessabit. Nam quæ in multos spargit, in se cumulat, sibi ipse beneficus, vel taltē non ingratus. D. Proieci beneficia in ingratos. R. Atqui gratis dare, nec auatus metuat. Eo autem liberalitas maior, quo spes præmij minor est.

Nemo gratiarum immemor est gratus inuentus. *Post reditum ad Senat. Cic.*

Omnes immemores beneficij oderunt. 2. *Offic.*

In ingratitudine nihil mali non inest. *Ad Attic.* 8.

Nihil est tam inhumanum, tam immane, tam ferum, quam committere, vt beneficio, non dicam indignus, sed victus esse videare. *Pro Planc.*

Non solum gratus debet esse, qui accepit beneficium, verum etiam is, cui potestas accipiendi fuit. *De prouin. consul.*

Cui gratia referri non potest, quanta debetur, habenda tamen est quantam maximam animi nostri capere possunt. *Philip.* 3.

Officium liberalitatis, *vide in Liberalitas, Senec. lib. de benefic.*

Quidam quo plus debent, magis oderunt: Leue æs alienum debitorem facit, grauem inimicum.

Quereris incidisse te in hominem ingratum. Si hoc periculum vitare volueris, non dabis beneficia. Ita ne apud alium pereant, & apud te peribunt.

Ingrati esse vitemus non aliena causa, sed nostra.

Venenum, quod serpentes in alienam perniciem proferunt, sine sua læsione continent: non ita vitium ingratitudinis continetur. Torquet se ingratus, & macerat oditq; accepta (quia redditurus est) & extenuat, iniurias verò dilatat, atque auget.

Quid autem est eo miserius, cui beneficia excidunt, hærent iniuriæ?

Quæris, quid sit, quod obliuionem nobis acceptorum faciat? cupiditas accipiendorum. Cogitamus, non quid impetratum, sed quid petendum sit: nescimus æstimare res, de quibus non cum fama, sed cum rerum natura deliberandum est.

Eo producturus est furor, vt periculosissima res sit beneficia in aliquem magna conferre. Nam quia putat turpe non reddere, non vult esse, cui reddat: habe quod accepisti, non repeto, non exigo, profuisse tutum est. *Seneca in epist.*

Non referre gratiam de beneficio, turpe est.

Per se fugienda est res, ingratum esse: quoniam nil æquè concordiā humani generis dissociat, ac distrahit, quam hoc vitium. *Idem lib. de benefic.* 4.

Vir bonus omnia rectè facit. Si omnia rectè faciat, ingratus esse non potest.

Gratum hominem semper beneficium delectat, ingratum semel.

Nec mirum est, inter plura maximaque vitia nullum esse frequentius, quam ingrati animi. Id euenire ex causis plurimis video.

Prima, quia non eligimus dignos, quibus tribuamus, sed nu[illegible] facturi, diligenter patrimonium, & vitam debitoris inquirimus.

Quisquis de accipiendo cogitat, oblitus accepti est, nec vllum habet malum maius cupiditas, quam quod ingrata est.

Sapiens non cupit habere gratiam, sed cupit referre. Errat, si quis leuius beneficium accipit, quam reddit.

Quanto hilarior est, qui soluit, quod mutuat, tanto debet lætior esse, qui se maximo ære alieno accepto, exonerat, quam cum maximè astringatur: tanto autem plus soluendum est, quanto tardius soluitur: Ingratus est, qui beneficium soluit sine vsura.

Nihil charius æstimamus, quam beneficium, quod diu petimus: nihil vilius, cum accepimus.

APOPHTHEGMATA.

Antisthenes, audiens Platonem de ipso male loqui: Regium est, inquit, cum benefeceris, audire male. Excelsi profectò animi est, ingratitudine hominum non deterreri à studio bene merendi de omnibus. *Laert. lib. 6. c. 1.*

Diogenes, quærenti, quid apud homines celerius senesceret? Beneficium, inquit: Dici enim vix potest, quanta accepti beneficij apud plerosque sit obliuio. *Stob.*

Themistocles. Atheniensibus ipsum contumelia afficientibus: Quid tumultuamini, inquit, aduersus eos, à quibus sæpenumero fuistis affecti commodis? Aiebat autem, se similem platano, sub qua rum vmbra accurrunt homines afflicti tempestate, & eisdem simul, vt rediit serenitas, vellunt, conuitijsque petunt: Sentiens, hunc esse populi morem, vt in bellis periculis implorent opem fortium virorum, in pace contemnant, ac vexent eosdem. *Plut. in apoph.*

Plato nominare solebat Aristotelem, mulum. Quid autem hoc sibi nomen voluerit, ex eo liquet: Quod mulus, cum saturatus est lacte materno, calcibus petit matrem. Significabat igitur Plato, inuoluto quodam sermone, ingratitudinem Aristotelis. Etenim is, cum maxima Philosophiæ semina, & accessus à Platone accepisset, suffartos optimis quibusq; aduersatus, scholam contra Platonem aperuit, & in Peripato cum suis familiaribus, & discipulis aduersus eum pugnauit, Platonis perpetuus aduersarius esse cupiens. *Ælian lib. 4. de var. hist.*

Idem, cum accepisset, Xenocratem discipulum multa in eum impiè dixisse: Non esse credibile, circumstantibus dixit, vt quem tantopere amaret, ab eo inuicem non diligeretur, sed suggillaretur etiam. Sensit ingratitudinem nequaquam locum habere apud eos, qui sapientiæ studijs se dederunt. *Bruson. lib. 3. c. 11.*

Aristoteles, cuidam interroganti, cur reliquisset Athenas? respondit, quoniam noluisset committere, vt Athenienses bis peccarent in Philosophiam. Notauit autem magnam Atheniensium ingratitudinem, qui Philosophos de patriæ salute plurimum sollicitos, ac de Atheniensium Republica bene meritos, non accusarunt tantum, sed damnarunt etiam. Subobscurè taxans Socratis mortem, & suum quoque periculum. *Ælian. l. 6. de var. hist.*

Idem, cum iudicium metu Athenis profugisset, interroganti cuidam, qualis esset ciuitas Atheniensium? respondit, pulcherrima quidē est, sed in ea pyrus super pyrum, & ficus super ficum consenescit. Notans Atheniensium contra benemeritos ciues calumnias, ac crudelitatem. *Ælian lib. 3. de var. hist.*

Demosthenes inter fugiendum fertur subinde respiciens ad arcem Palladis, sublatis manibus dixisse: O Pallas vrbium domina cur tribus infaustissimis bellijs delectaris, noctua, dracone, & populo? Noctua quum sit auium inauspicatissima, tamen Palladi sacra est: quemadmodum, & draconem habet pro gestamine: populus autem bellua est multorum capitum, pessimam gratiam referre solita optimè de se meritis: velut Socrati, Phocioni, Scipioni, & alijs compluribus. *Plut.*

Hippocratidas, acceptis literis à Cariæ satrapa, in quibus continebatur, Lacedæmonium quemdam, quum fuisset conscius insidiarum, quas quidam ipsi struxerant, non indicasse tem, sed silentio texisse: simulque rogabat, quid de illo facturus esset? respondit hunc in modum: Si quo magno beneficio illum affecisti, interfice: sin minus, eijce è regione, vt ad virtutem formidolosum. Ingratitudinem erga benemeritum censuit morte plectendam. Cæterum quod esset non per malitiam, sed per formidolositatem commissum, ei satis supplicij iudicabat exilium. Non enim ipse struxerat insidias, sed sibi metuens non prodidit. *Plut. in Lacon.*

Epaminondas reuersus è Laconia, accusabatur, quod Bœotarcham quatuor integros menses contra leges gessisset. Collegas igitur iussit, vt in ipsum culpam deriuarent, quod se inuitos coegisset. Ipse verò in curiam ingressus, non meliores rebus gestis rationes se habere dicebat. Sin minus, se quidem interfici postulabat, verum inscribi columnæ, quod nolentes repugnantesque Thebanos Epaminondas coegisset, vt Laconiam quingentis ante annis intactam ab hostibus incendio ferroque vastarent, & vt ædificarent iterum Messanam, 330. annis desolatam, quod Arcades bello in societatem pertraxisset, & Græcis libertatem restituere coegisset. His auditis, pudore affecti iudices, liberum pronunciarunt. Cumque egrederetur è curia, & Melitensis catellus blandiretur cauda, dixisse fertur ad præsentes. Hic mihi pro beneficio gratiam reponit: at Thebani, de quibus sæpe multumque sum præclarè meritus, mortem mihi iudicio pœnam constituerunt. *Ælian. lib. 13. de var. hist.*

Philippus, cum Athenienses, quotquot apud Chæroniam capti fuerant, gratis dimisisset, illi vero etiam vestes stragulasque reposcerent, atque hac de causa Macedones in ius vocarent, risit Philippus, dicens. Quid? nonne videntur Athenienses arbitrari, se à nobis in talorum ludo victos esse? Tam ciuiliter tulit victor victorum ingratitudinem, qui non solum gratias non agerent, quod ipsi & incolumes & gratis fuissent dimissi: verum etiam criminarentur, quod non solū & amictos & stragulas redderent, quasi nescirent, quale esset ius belli, quasique nihil aliud esset certare armis, quam certare talis, qui ludus est puerorum. *Plutarch. in apoph.*

Cato, Multis Publij Sulpitij ingratitudinē incusantibus, quod se Catoni de se optime merito opposuisset competitorem: Cato sic excusauit, dicens: Minime mirandum, si quod quis maximum bonum duceret, id alteri nollet concedere. *P. M. l. 5. apoph.*

Domitius Afer, quum haberet ingratum litigatorem, ipsius conspectum vitantem, ne cogeretur agnoscere patroni beneficium, in foro per nomenclatorem illi dixit: Amasne me quod te nō vidi? Tectè exprobrās ingratitudinem, cui gratum esse non videri à benemerito, ne cogeretur illi gratias agere. *P. M. l. 7. apoph.*

Anonymus. Cæsar Augustus æs alienum cuiusdam Senatoris, quem charum habebat, non rogatus dissoluerat, ac pro eo numerarat quadragies nummum. Senator autem ea re cognita, pro gratiarum actione nihil aliud adscripsit Cæsari, quam mihi nihil. Ideo velut expostulans etiam, quod cum numerasset omnibus creditoribus, ipsi nihil numerasset. *Stob.*

Pompeius. Quum iam detecta esset Pompeij cum Cæsare simultas, ac Marcellinus (vt Plutarchus aliorum iudicio Marcellus) vnus ex eorum numero, quos Pompeius euexisse putabatur, à Pompeio ad Cæsarem transtulisset animum, adeo vt non veritus sit in Senatu multa in Pompeium dicere: hunc ita compescuit Pompeius: Non te pudet, inquit, Marcelline, ei maledicere, cuius beneficio ex muto factus es facundus, ex famelico eo productus, vt vomitum non teneas? Grauiter obiecit ingratitudinem homini, qui hoc ipso, quod habebat dignitatis, authoritatis & eloquentiæ, abutebatur in eum, cui debebat acceptum ferre. Nam hoc ingratitudinis genus est, sed tamē heu nimium vulgare? *Plut. in apoph.*

Alphonsus, quum obiurgaretur, quod in Aluarum Lunam, hominem sibi plane ingratum, tanta contulisset beneficia, quorum ne memor quidem iam esse: An ignoratis, inquit Rex, ingenti beneficio non nisi ingenti ingratitudine satis semper fieri? *Panor. lib. de reb. gest. Alphonsi.*

SIMILITVDINES.

Chrysostomi. Si quis seruum nactus, qui in multis offenderit illum, & non singulis ceciderit, verum peccatis indulserit, futura vitare monuerit in posterum, ne in eadem decidat, magnis quoque muneribus præterea illustrauerit, ac beneficijs fouerit: quænam obsecro futura est tam perfida mens, tam ingrata anima, quæ huiusmodi gratia non ad meliora sectanda prouocari sufficeret? *In 21. ad Timoth. hom. 5.*

Clementis. Tale est hoc, quale si quis æger ad medelam sui medicum pariter & venenarios inuitet, cum illi nocere quidem possint, curare non possint: verus autem medicus venenis illorum recuset sua medicamenta miscere, ne aut pernicies bono, aut bonitas nocentibus adscribatur. Dicis ergo: Indignatur aut inuidet Deus, si cum non ipse benefaciat, alijs gratiæ referantur. Etiamsi indignetur, non vult tamen vero erroris author existere, vt sui operis beneficio insensato solo fieret deitas. Quid certe tam impium tam ingratum, quam a Deo beneficium consequi, & reddere lignis ac lapidibus gratiam? *Lib. 5. Recognitionum.*

Salomonis. Ingrati spes tanquam hiemalis glacies tabescet, & fluet tanquam inutilis. *Sapient. 16.*

Basilij. Quemadmodum oculis, quæ nimium prope admota sunt, non cernunt, sed iustam requirunt distantiam: ita & ingratorum animi præteritam gratiam sentire videntur, quum boni ab eis alienantur. *Apud Ant. Monach.*

Maximi Monachi. Perinde facit, qui in ingratum beneficium confert, ac si cadauer pretioso oblinat vnguento. *Serm. 8.*

Plutarchi. Vt hedera adhærens arborū ramis, ope aliena in altum erigitur: Sic obscuri consuetudine potentium crescunt, deinde præfocant eos, à quibus sunt euecti in altum. *In Moral.*

Senecæ. Quomodo malè filiæ consulit, qui illam contumelioso, & sæpe repudiato collocauit: quomodo malus paterfamilias habebitur, qui negociorum gestorum damnato, patrimonij sui curam mandauerit: quomodo dementissime testabitur, qui tutorem filio reliquerit, pupillorū spoliatorem: Sic pessime beneficia dare di-

cet[illegible]

cetur. quicumque ingratos eligit, in quos peritura conferat. *Lib. 4. de benefic. c. 17.*

Quomodo fœnerator quosdam debitores non appellat, quos scit decoxisse, & in quorum pudorem nihil superest, nisi quod pereat: Sic ego quosdam ingratos palam ac pertinaciter præteribo, nec ab vllo beneficium repetam, nisi à quo non ablaturus ero, sed recepturus. *lib. 5. de benefic. c. 21.*

Quemadmodum, qui optat diuitias alicui in hoc, vt illarum partem ipse ferat, quamuis pro illo videatur optare, sibi prospicit: Sic qui optat amico aliquam necessitatem, quam adiutorio suo fideque discutiat, quod est ingrati, se illi præfert, & tanti existimat illum miserum esse, vt ipse gratus sit, & ob hoc ipsum ingratus est. *Lib. 6. de benefic. c. 34.*

P. M. Siphnius lapis oleo excalfactus durescit, alioqui mollissimus: Ita quosdam benefactis reddas deteriores. *In simil.*

A D A G I A.

Ingratitudo vulgi.

Qui significabit sibi molestam ingratitudinem. quod intelligat superiorum officiorum nullam haberi rationem. non inconcinniter vsurpauerit illud ex Odyss. 1. quod idem est & alias lo ss.

> Μήτις ἔτι πρόφρων ἀγανὸς καὶ ἤπιος ἔστω
> Σκηπτοῦχος βασιλεὺς μηδὲ φρεσὶν αἴσιμα εἰδώς,
> Ἀλλ' αἰεὶ χαλεπός τ' εἴη καὶ αἴσυλα ῥέζοι.
> *Posthac ne placidus sit quisquam neue benignus.*
> *Nec mitis mitisq; tenax rex, sceptriger vnquam.*
> *Sed semper ferus esto, & semper iniqua patrato.*

Vinum noueris.

Antea vetulimus vinorum meminisse oportere. Id meretricula in Truculento detorquet in alium sensum, amatorem pro mortuo ducens, qui desierat esse dando. Pecunia, iuxta Hesiodum, anima est mortalium, ea amissa, exanimis est homo.

Ale luporum catulos.

Theocritus in Hodæpor.

> Θρέψασθαι καὶ λύκιδεῖς, θρέψαι κύνας ὥς τυ φάγωντι.
> *Pasce canes qui te lanient, catulosq; luporum.*

In eos, qui læduntur ab ijs, de quibus benemeriti sunt, aut in ingratos. Iunge Wœlffe auffcratehen.

Aries nutricationis mercedem persoluit, κριὸς τροφεῖα ἀπέτισεν.

Quadrat, vbi quis pro benefactis maleficium reponit. Wereinen andern vom Galgen erloeset, der bracchte in gern hinan.

Qui canem alit externum, huic præter funiculum nihil sit reliqui. ὅς κύνα τρέφει ξένον, τούτῳ μόνον λίνος μένει.

Qui beneficium collocat in ingratum, perdit operam. An ander leute Kindern, vnnd an frembde Hunden, hat man das Brodt verlohren.

Hirundines sub eodem tecto ne habeas. ὁμωροφίους χελιδόνας μὴ ἔχειν.

Recte Pythagoras conuictorem ingratum, parumq; firmum hirundinis symbolo monuit ablegandum.

Pro beneficentia Agamemnonē vlti sunt Achiui. ἀντ' εὐεργεσίας Ἀγαμέμνονα τίσαν Ἀχαιοί

Dicebatur in ingratos, qui pro summo beneficio summum remetiuntur maleficium.

Pro Perca scorpium. ἀντὶ πέρκης σκορπίον.

Vbi quis optimum expectans, pessima capit.

Nemo benemerito bouem immolauit præter Pyrrhiam. οὐδεὶς εὐεργέτῃ βοῦν ἔθυσεν, ἀλλ' ἢ Πυῤῥίας.

Accommodabitur & in vulgatam mortalium ingratitudinem, adeo vt vix vnum reperias, qui meminerit officiorum abludit hinc exemplum Euangelicum, quo è decem lepris Christi beneficio liberatis, vnus dumtaxat reuersus est, qui gratias egerit. Wer auff Gnade dienet, dem lohnet man mit Barmhertzigkeit.

Simul & misertum est, & interijt gratia. ἅμα τ' ἠλέησας καὶ τέθνηκεν ἡ χάρις

Senarius dici solitus in ingratum, qui simul atque leuatus est malis desinit meminisse beneficiorum eius, cuius opera restitutus est. Er hat den Danck schon gessen.

In senem ne quod collocaris beneficium. γέροντι μηδέποτε μηδὲν χρηστὸν ποιεῖν.

Dicitur hodie, vulgo. Neque in senem neque in puerum collocandum esse beneficium propterea quod alter non refert, alter non meminit. Es ist alles verlohren, wuas mann in alte Saecke schuettet.

Hostis non hostis. ἀπόλεμος πόλεμος.

Id est: Citra bellum hostis. Dicitur, qui nulla lacessitus iniuria, tamen qua sunt hostium facit. Aut qui pacis obtextu facit hostilia.

Arietis ministerium. κριοῦ διακονία.

Dici solitum de officio in ingratum collocato siquidem aries cornibus ferit pascentem.

E X E M P L A   B I B L I C A.

Ingratitudinis exempla. Laban. *Gen.* 31. 1. Præfectus pincernarum, 40. 23. Pharaon nouus, *Exod.* 1. 8. *Act.* 7. 18. Israelitæ, *Exod.* 17. 3. & 32. 1. *Nu.* 11. 1. 4. *Iud.* 2. 2. & 8. 35. 1. *Sam.* 30 6. *Ierem.* 2. 5. & 18. 20. *Ezech.* 16. 22. & 20, *Osea* 2. 8 & 8. 14. & 11. 3 & 13. 6. Ammonitæ & Moabitæ. *Deut* 23. 4. Saul, 1. *Sam.* 18. 8. & 19. 10. Viri Ceilæ, 23. 11. Nabal. 25. 10. Hanon, 2. *Sam.* 10. 4. Dauid. 11. 5. Absalon. 14. 30. & 15. 13. Ieroboā, 1. *Reg.* 12. 28. Rex Israel, 2. *Reg.* 6. 13. 31. Ammonitæ, Moabitæ & Idumæi, 2. *Paral.* 20. 10. Ioas Rex Iuda, 24. 21. 22. Amasias Rex *Syriæ*, 25. 14. Ozias, 26. 16. Ezechias, 32. 35. Israel, *Nehem.* 9. 17. Inimici Dauidis, *Psal.* 35. 12. & 109. 4. Hebræa gens, 38. 21. & 78. 11. & 106. 7. Iudæi, *Esa.* 1. *v. c.* 2. 3. & 5. *v.* 4. *Ioan.* 1. 11. & 5. 43. Tyrij, *Amos* 1. 9. Corazim & Bethsaida, *Matth.* 11. 21. *Luc.* 10. 13. Capharnaum, 10. *v.* 15. Inuitati ad nuptias, *Matt.* 22. *v.* 3. Nazareni, *Luc.* 4. 29. Samaritani, 9. *v.* 53. nouem leprosi, *Luc.* 17. *v.* 18. Cultores vineæ, 20. *v.* 11. 14. Domini Pythonissæ, *Act.* 16. *v.* 19. 20. Milites, 27. *v.* 42. Patres in deserto, *Heb.* 3. *v.* 10.

E X E M P L A   P R O F A N A.

Ingratæ in Socratem Athenæ, virum Apollinis iudicio omniū sapientissimum iudicatum, cui pro Attica iuuentute sancte & sapienter instituta, venenum rependerunt. *Sabel. lib 7. c. 2.*

Apollonius Rhodius, poeta clarissimus, erga Callimachum præceptorem suum ingratus. quum contumelia quadam cum affecisset, occasionem dedit Callimacho, vt contra eum ibidem carmen virulentissimum componeret. Quod postea contra vxoris sollicitatorem imitatus est exul Ouid. *Gyraldus dialogo 3. historia poetica.*

Alexander Magnus immemor primæ nutricationis & lactis, quod ab Hellanice nutrice infans biberat, eius filium Clitum interfecit.

Antonius Caracalla Romanorum Imper. factus multos viros innocentissime vexari atque occidi iussit, & inter alios Cilonem etiā, qui ipsum educauerat, a quo multa acceperat beneficia, quique præfectus vrbis patris temporibus fuerat, quem sæpenumero patrem appellauerat. *Dion. Nica.*

Ptolemæus Ceraunus Syriæ regem Seleucum manu sua occidit, cum ipse à patre pulsus (minorem enim natu filium, vt magis gubernando idoneum, in regno sufficerat) in Syria à Seleuco exceptus diu non sine magna impensa, magno in honore habitus esset. *Fulg. lib. 5 c. 3.*

L. Cornelius Sulla fugiens Sulpitium Tribunum, in Marij domum præter omnem expectationem se coniecit. A quo per posticum emissus dicitur, vt incolumis euaserit. Verum non parem gratiā Mario retribuit. Nam occupata vrbe, in Marij caput pecuniam pronunciauit. *Plut. in Mario & Sulla.*

L. Cinna, licet ab Octauio ex inimico amicus factus, & vsque ad iudicum dignitatē euectus esset, nihilominus tanti beneficij immemor, aduersus Octauium insidias molitus est, Octauius sero recognita, cum eum separatim in cubiculum vocasset, ingratitudinem exprobrauit. *Seneca de Clementia.*

Ceruus ramo vno cornuū zonæ *Basilij Macedonis Imperatoris* infixo, eum cornibus suspensum sublimem ferebat. Ibi quidē accurrēs, ense dissecta zona Imp. eripuit: cui mercedem salutis suæ præclaram reddidit ille, capitis truncationem: speciosa causa quæsita, quod ensem contra Imp. strinxisset. *Zonaras & Cedrenus.*

Romani Scipionem illum Africanum, cuius auspicio æmulam sui imperij Carthaginem sub iugum redegerant, & Hasdrubalem superauerant, accusatum a Petilio, in ius vocauerunt, atque proscripserunt, quod pecuniam Asiaticam non totam in ærarium retulisset. *Valer. de ingratitu. lib. 5. c. 3.*

Ludouicus Pius, Caroli Magni filius, à filijs in carcerem cōiectus est. *Io. Nauel. v. 2 Volu. 1. Chronograph. Gen. 18.*

Beatrix Pannonia regina, mortuo marito Matthia, Vladislaum Casimiri Poloniæ regis filium in matrimonium & regnum adsciuit, à quo tamen breui post tempore abdicata est.

Iustinianus Imperator Belisarium ducem exoculauit: cuius tamen ductu Persas in Oriente, Vandalos in Africa, & Gothos in Italia superauerat, vnde vox mendicantis, nummum pusillum Belisario date, quem virtus extulit, atque inimicum inuidia coniecit. *Fulg. lib. 5. c. 3 de ingratis.*

Sanctius Quartus Rex Hispaniæ Alphonsum patrem è Germania redeuntem, regno occupato non admisit. *Idem.*

Frissus filius Actij Ferrariæ principis, patrem in carcerem coniectū, ibidem mori coegit ob inductam nouercam. *Ibid.*

Cicero iussu M. Antonij Triumuiri, interfectus est à Popilio Lenate, quem tamen capitis reum defenderat. *Valerius lib. 5. c. 3. de ingratis.*

Lucius Oslius, tempore bellorum ciuilium, patrem suum Armalium proscriptum, quem Triumuiri ad supplicium perquirebant, latentem prodidit, vt eius bona acciperet. *Idem.*

Darius consilium cepit de interficiendo patre Artaxerxe, à quo tamen rex per indulgentiam creatus fuerat. *Idem.*

Imperator Henricus Quintus Henricum patrem carcere macerauit. *Idem.*

Alphonsus Primus, Rex Lusitaniæ Tiresiam matrem in vincula coniecit, quod post mariti mortem secundas tentasset nuptias. *Idem.*

Phraates patrem suum Orodem regem Parthorum interfecit. *Idem.*

Romanus iunior matrem à se reiecit, & animi dolore, quem illa de filij ingratitudine conceperat, ad mortem compulit. *Idem.*

Ioannes Scotus, cum bonas literas profiteretur in Anglia, discipulorum coniuratione graphijs interfectus est. *Idem.*

Mi-

Michael Traulus Leonem Imperatorem de medio sustul t, cuius tamen beneficio multas fuerat assecutus dignitates. *Idem.*

F A B V L A.

Cerua, & Vitis.

Cum fugeret cerua insequentes venatores, occuluit se sub vite. Venatoribus autem paululum prætergressis, quod putaret se cerua iam esse in tuto, secura animi carpere pampinus, & mandere cœpit. Quorum motus, atque strepitus venatores conuertit, atque illi, quod res erat, arbitrati sub vite bestiam aliquam latere, accurrunt, & visam ceruam iaculis configunt. Quæ moriens: Merito, inquit, hoc mihi euenit, quæ violare non dubitarim seruatricem meam.

Docet fabula, vltionem numinis non effugere eos, qui pro beneficijs male facta rependant.

Vide Beneficentia, Gratia, Gratitudo.

INHVMANITAS.

DEFINITIO, ET ETYMOL.

INhumanitas, Græcè ἀπανθρωπία, et ἡ ἀνθρωπότης, inhumanitas dicitur. Est autem inhumanitas obduratio contra misericordiam, *ex S. Thom. 2.2. q. 136 art. 8.*

L o c i   B i b l i c i.

Inhumanitas damnatur, *Prouerb. 21, 13. & 28. 27.* Abd. *versic.* 10 *Roman. 1. 31.*

S i m i l i t v d i n e s.

P. M. Angues in Syria erga indigenas venenum non habent, nec eos petunt, at ex tos cum cruciatu enecant: Ita insulares in suos satis humani, in alienigenas immitissimi. *In simil.*

Vt impendio malignus sit, qui fontem scatentem obtegat, aut solem obradiantem prohibeat, aut lumen recuset de suo lumine accendere, aut viam monstrare grauetur: Ita vehementer sit inhumanus, qui prodesse nolit citra vllum suum incommodum. *In similibus.*

E x e m p l a   b i b l i c a.

Inhumanitatis *exempla*: Ciues Gabaon, *Iudic 19 v. 15.* Saul, *1. Sam 29. 15.* Edom, *Amos 1. 11.* Principes Sion, *6. v. 6.* Samaria, *Luc 9. v. 53.* Sacerdos quidam, *10. 31.* Leuita quidam, *ver. 32.* F. lius senior, *15. v. 25.*

E x e m p l a   P r o f a n a.

Andronicus Ducas, homo sordidus, & perfidiæ fontis, & Andronicus Comnenus Imperator aliquem excæcare vellet, ... iam manus ei amputandas, aut in crucem agendum esse decernebat; obiurgato Andronico, quod in supplicijs sumendis inst. ... rum atrocitatem sibi sisteret: tamdem & ipse crudeliter necatus est. *Nicetas l. 1. de Imperio Andronici.*

In Hybernia, quæ in penultimo Oceano extra terras Insula sita est, cultu indomito, & fero, pueri ita alti educatiq. sunt, vt inter arma, & cædes assiduè versentur: matres q. natura immites, ingenio barbaro, primos cibos edito infanti gladio admouere ferantur. *Alex. ab Alex. lib. 2. c. 25.*

Dions Syracusanu datum fuit vitio, etiam ab amicis cordatis, quod morosius, & difficilius, quam pro ciuili vsu, ageret cum adeuntibus. Itaque Plato ad eum scripsit, vt perniciem tamquam solitudinis comitem declinaret. *Plut. de Dione.*

Procopius Imp. per noctem tristium latebras, ac similem habitu Crassi illius, quem in vita semel risisse affirmat Lucilius, vixit, humum semper intuendo. *Cælius l. 3. c. 28. A. L.*

M. Cato Ptolomæo Aegypti regi domi suæ excipiendo inhumanus fuit, dum in aluo leuanda occupatus, neque regem adierit, neque ad se venienti ipse, vel obuiam processerit, vel assurrexerit. *Plut. in Catone.*

Nero Cæsar tam difficilis, atque morosus erat: vt neque cum seruis, neque cum liberis sermones conferret: sed omnia, quæ vellet, ma daret vt e, io libellis scribere consueuerat. *Xiphilinus in Nerone.*

C. Marius, vt moribus fuit asper, ita quoque truci aspectu. Cuius rei testimonium fert statua marmorea Rauennæ illi posita. *Plut. in Mario.*

Vide Crudelitas.

INIMICITIA.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

INimicitia, Græcè ἔχθρα, & ὁ ἐχθρός, inimicus dicitur. Est autem inimicitia ira vlciscendi tempus obseruans, *secund. Cic. lib. 4. Tusc quæst.*

Ab amico autem ita dernatur, quæ quid sit, vide supra in Amicitia. Huius oppositum est inimicitiæ plurali numero, quanquam vetere etiam singulari nonnunquam protulerunt.

L o c i   B i b l i c i.

Inimicitiæ damnantur, *Gal. 5. v. 19. 20.* inimicitiæ æternæ inter serpentem & mulierem. *Gen. 3. 15.*

Inimici hominis, domestici eius, *Matth. 10. 36.* Inimici non passim contemnendi, *1. Sam. 14. v. 14. & 17. 43. 2. Sam. 21. 20. 1. Reg. 20 v. 1. & c. 2. Reg. 14. 8.* sed diligendi, & beneficijs superandi, ac deuinciendi. *Exod 23. 4. Matth. 5. 44. Luc. 6. 27.*

S e n t e n t i æ   B i b l i c æ.

Inimicus diligenter probandus.

Labijs intelligitur inimicus, cum in corde tractauerit dolos. Quando submiserit vocem suam, nec credideris ei quoniam septem nequitiæ sunt in corde illius. *Prouerb 26.*

Prudenter vitandus.

Ab inimicis tuis separare. *Eccl. 4.*

Non credas inimico tuo in æternum. Sicut enim æramentum æruginat nequitia illius. Etsi humanatus vadat curuus, adijce animum tuum, & custodi te ab illo. Non statuas illum penes te, nec sedeat ad dextram tuam. *12.*

In labijs suis indulcat inimicus, & in corde suo insidiatus, vt subuertat te in foueam. *Ibid.*

In oculis suis lachrimatur inimicus, & si inuenerit tempus, non satiabitur sanguine, & si incurrerint tibi mala, inuenies eum illic priorem, & quasi adiuuans suffodiet plantas tuas. Caput suum mouebit, & plaudet manu, & susurrans commutabit vultum suum. *Ibid.*

Decent reconciliandus.

Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos. *Eccl 6.*

Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum. *Matth. 5.*

S e n t e n t i æ   P a t r v m.

Ea eleemosyna nihil est maius, quam quod ex corde dimittimus, quod in nos quisque peccauit. Minus igitur bonum est erga eum esse beneuolum qui tibi nihil mali fecit. Illud multo grandius, & munificentissimæ bonitatis est, vt tuum quoque inimicum diligas, & qui tibi malum vult, & si potest, facit: vt tu semper ei bonum velis, faciasq; quod possis. *Aug. in Enchir.*

Quamdiu tibi inimicus es, inimicum habes sermonem Dei. Esto mihi amicus, & concordas cum ipso: sicque non solum nihil perdidisti, sed & teipsum, qui perieras, inuenisti. *De verb. Dom. sermone 1.*

Si is, qui non relinquit parentes propter nomen Dei, non est Deo dignus, quanto magis qui diligit eius inimicos, acceptus Deo esse poterit. Ipsi enim grauiores inimici facti sunt. *Ambros. in Psal. 118.*

Virtus est, coram hominibus tolerare inimicos, sed virtus coram Deo diligere, quia hoc solum Deus sacrificium accipit, quod ante oculos eius in altari boni operis charitatis flamma incendit. *Greg. in Pastoral.*

Inimicos Dei perfecto odio odisse est, quod facti sunt diligere, & quod faciunt increpare, mores prauorum premere, vitæ prodesse. *Ibid.*

Humana mens omnem, quem inimicum tolerat, etiam iniquum, & impium putat. *In Moral.*

Frustra exteriores inimicos vincimus, si interioribus parcimus. *Ibid.*

Vbi inimicitia permanet, nihil facile creditur, nihil facile recipitur, quod dissidium possit operari. Si vero inimicitiæ semel occupauerint animos, omnia quæ fiunt, quæ dicuntur, ita accipiuntur, & intelliguntur, vt ad maiores & longiores proficiant inimicitias. Si quid n. boni dicat, re e inimico, non creditur: si quid autem mali, hoc solum creditur & confirmatur. *Lib. 30. Mor.*

Gratissimum inimicitiæ genus, esse corde aduersarios, & lingua simulare deuotos. *Cass. in Psal. 54.*

P h i l o s o p h i c æ   S e n t e n t i æ.

De inimicitijs. D i a l. xxxii.

Francisc. Petrarcha.

D o l.

Inimicitias habeo. R. Fac vt iustitiæ sis amicus, nullum certius præsidium. Vera virtus fortunæ minas calcat ac despicit. D. Inimicitiæ mihi sunt. R. Et cautior eris, & notior. Multos inimicitiæ illustrarunt, qui obscuri mansissent, si hostibus caruissent. D. Hostes vndique mihi sunt. R. Obsiabunt, ne insensibiles animorum hostes subeant voluptates. Non tam hostes tibi fors obtulit, quam custodes, malo malum maius arcetur. D. Hinc illinc hostibus premor. R. Illi quoque sunt premuntur affectibus, esto apud illos vltor tuus, itaque non vous, pro ie attes faciunt ira, metus, odium, inquietudo, nec dum peracti pœnam criminis exigunt, sic interdum vltio præit offensum, & fortasse non s. qui iurant. Armabuntur,

mabuntur, laborabunt, sudabunt, estuabunt, anhelabunt, trepidabunt, & fortassis horum nihil ad te. Multi sæpe grauib. odijs sibi, non alijs nocuere. D. Est mihi pugna cum hostib. R. Et illis secum, & tutius aliquando cum hostib. quam cum vitijs pugnatur. Quisquis alium odit, primum animæ suæ vulnus infligit, proximum nonnumquam suo corpori: Nimia nempe cupiditas feriendi nocendiq; multos incautos nudatosq; dedit hostib. sic semper prima pars malorum in suum authorem vertitur, interdumq; nouissima. Cum sæpe interim sit illæsus, in quē pernicies parabatur. D. Vndiq; mihi bella consurgunt. R. Numquam clarior sanctiorq; fuit, quam dum multis ac grauib. bellis occupabatur. Pax initium mali fuit, secum namq; subijt libido blanda hostis, ac pestilens. D. Graues inimicitiæ mihi sunt. R. Magnæ plerumq; magnarum amicitiarum fuere principiū. D. Habeo inimicos. R. Habeto fidem simul & clementiam, de reliquo quidquid euenerit, cura saltem, vt humanitate sis ac virtute superior. Sunt, & sua iura cum hostib. cum quib. ita rem gere, vt amicos fieri posse non dubites. Atque hoc sanius consilium se to, quam Biantis, qui sic amicos diligi iubet, vt inimicos fieri posse meminerit, quod dictum, quamuis ab alijs laudatum, nec mihi certe, nec Tullio probatur. Est enim verum amicitiæ venenum. In odio ergo cogitandus amor, non odium in amore, longeq; Aristotelicum illud in Rhetoricis Bianteo consilio præferendū, non oportet (vt aiunt) amare tanquam oditurum, sed magis odisse, tanquam amaturū, quod profecto scribens Aristoteles Biantem ipsum, callidamque eius & maleuolam sententiam notabat. D. Inimicitias habeo. R. Sed inuitus habe, & armato semper in pectore cor amicum pacis habitet, atq; ita bellum exerceas, vt coactus videare, neu forte odio succumbat humanitas, neu tam vindictæ studeas, quam gloriæ, aut saluti. Scis, vt Romanis inuisior est Hannibal, quam Pyrrhus, cum vterq; hostis. & prior Pyrrhus Italiam inuaserit, at non delendi animo, vt Hannibal, sed vincendi. Omnib. enitendum modis, vt in actu quolibet vera virtus emineat, sic vt nihil bello quæri aliud quam pax honesta videatur.

Nulla pestis efficacior ad nocendum, quam familiaris inimicus. *Boet. 3. de consol.*

Tacitæ inimicitiæ magis metuendæ sunt, quam indictæ & apertæ. *Cic. in Ver.*

Quid est homini inimicissimum? alter homo. Inimicitias tarde suscipe, amicitias moderate exerce. *Senec. lib. 1. de morib.*

Cum inimico nemo in gratiam cito redit, de inimico ne dixeris male, sed cogites, grauior est inimicus, qui latet in pectore, grandius malum est omne, quod sub aspectu latet. Inimicum vlcisci, vitam est accipere alteram. Inimicum quamuis humilem, docti est metuere. Inimicum cum retundas, ea tre incites. Quidam occiderunt quosdam inimicos, non quia habebant, sed quia metuebāt. *Idem in Prou.*

Nullæ sunt occultiores insidiæ, quam hæ, quę latent in simulatione officij, aut in aliquo necessitudinis nomine. Nam eum, qui palā est aduersarius, facile cauendo vitare possis, & Troianos equus idcirco fefellit, quia formam misericordiæ mentitus est. *Ibid.*

Sumere vindictam ex inimico, si te inimicum senserit, perdidisti grauius aduersarium securitate deceptum, nocere nescit, qui se velle nocere prodiderit. *Ibid.*

Inimicitiæ oriuntur, cum alioqui dissentium inuicem de iusto, iniusto, pulchro & turpi, bono & malo, ita ad idoneum ipsarum iudicium diuertere nequeunt. *Plato in dial. de sanct.* Inimicis mala debemus. *De Repub. Dial. 1.*

Inimicor. in malis gaudere nec iniusti nec inuidi est. *In phil.*

Inimicis omnia inuia facienda sunt, amicis autem peruia, & hominibus & pecoribus, & iumentis. *De reg. dial. 6.*

Inimicitiæ grauissimæ ex verbis leui admodum de re, & odia oriuntur. *Dial. 11.*

Inimicitiam ponam inter te, & ipsum dicit Scriptura, non tibi & mulieri, quia in medio tanquam confinio voluntatis & sensus bellum non nascitur. *Philo in legis alleg. l. 2.*

Inimicis non est male faciendum, nec vlciscendum iniurias. *Ficin. in Plat. Crit.*

Inimici pessimi sunt, qui sub amicorum specie nos circumueniunt. *Io. Pic. Mir. in prox. in Astrologiam.*

Inimicis ne via quidem communis esse debet. *Arist. Polit c. 11.*

Inimicitiam concitat ira, incommodatio, calumnia. *Arist. Rhet. 2.*

POETICAE SENTENTIAE.

Periander.

Ἀτυχίαν κρύπτε ἵνα μὴ τοῖς ἐχθροῖς εὐφράνῃς.

Infelicitatem occulta, ne inimicos laetitia afficias.

Pittacus.

Μηδὲ τὸν ἐχθρὸν φίλον νόμιζε.

Neque inimicum amicum tibi existima.

Ἔχθρας διάλυε. Id est: *Inimicitiam dissolue.*

Menander.

Ἀθάνατον ἔχθραν μὴ φύλαττε θνητὸς ὤν.

Immortalem inimicitiam ne retine, mortalis existens.

Ἐχθροὺς ἀμύνου, μὴ δὲ ἐπὶ τῇ σῇ βλάβῃ.

Inimicos vlciscere, non tamen cum tuo damno.

Ἐχθροῖς ἀπιστῶν, οὔποτ' ἂν λάβοις βλάβην.

Inimicis non credens, numquam vtiq; damno afficieris.

Λόγον παρ' ἐχθροῦ μή ποθ' ἡγήσῃ φίλον.

Sermonem ab inimico numquam putabis amicum.

Ouid. in Ibin.

Pax erit hæc nobis, donec mihi vita manebit,
Cum pecore infirmo quæ solet esse lupis.

Senec. Med. Act. 3.

Dum terra cœlum media librarum feret,
Nitidusq; certas mundus euoluet vices,
Numerusq; arenis deerit, & solem dies,
Noctem sequentur astra: dum siccas polus
Versabit Arctos flumina in pontum cadent:
Numquam meus cessabit in pœnas furor.

Ennius 8. Annal.

Pellitur è medio sapientia, vi geritur res,
Spernitur orator bonus, horridus miles amatur,
Haud doctis dictis certantes, sed maledictis,
Miscent inter sese inimicitias agitantes,
Non ex iure manum consertum, sed mage ferro
Rem repetunt, regnumq; petunt, vadunt solida vi.

SIMILITVDINES.

Chrysostomi. Quemadmodum si insles in scintillam ignis, excites incendium: contra si inspuas, extinguis: & vtrumque tibi in manu est, quoniam vtrumque, inquit, ex ore tuo proficiscitur. Idem fie & in inimicitia proximi: si inflatos ac vecordes ingeras sermones, excitas ignem illius, accendis carbones: sin mites ac moderatos admoneas sermones, priusquam exardescat, iram omnem extinxeris. Ne dixeris igitur, hæc aut hæc audiui, quam hæc omnia sint in tua potestate. Hoc enim pacto iram velut scintillam, vel extinguere, vel accendere, furoremque vel excitare, vel contra sedare in te situm est. *Hom. 3. de Spectaculis.*

Hoc spectat medicus, vt morbo liberet ægrotum, non vtrum merito an immerito sibi morbum contraxerit. Tu quoque igitur medicus esto ei, qui te læsit: vnum hoc quære, quo pacto illi morbum adimas. *Hom. 1. de Dauide & Saule.*

Plutarchus. Inter Agathallios & Acanthylides tantum est odium, vt si sanguis eorum immisceatur, continuo separent se rursum, & dissiliant: Sic inter patritios & plebem, etiamsi quando pro rerum vsu coniunguntur, durat tamen vsque odium naturale. *In Moral.*

Lucius per quercum videt, inimicus etiam per famulum, per amicū perspicit, quid agas. *In Moral.*

Vt cupimus cloacas quam longissime ab ædibus nostris abesse: Ita in inimicos vitiorum purgamenta reijcere profuerit. *In Moral.*

Vt Onomademus noluit omneis tolli, qui diuersarum fuissent partiū: ne sublatis inimicis omnibus, cum amicis, inquit, incipiamus digladiari: Ita consumptis in hostes huiusmodi affectibus magis comes simus erga amicos. *In Moral.*

Vt priscis satis erat, si a feris non læderentur, posteriores etiam in suum commodum vertere cœperunt, pellibus vestiri, carnibus vesci, felle mederi: Sic nobis agendum est, vt ab inimicis non solum non lædamur, verum etiam adiuuemur. *In Mor.*

Vt agricolæ iuxta allia & cepas serunt rosas, quod quidquid est in illis molesti odoris, in hæc transeat: Sic inimicus, si quid est in nobis mali aut ni, id totum in se recipiens, ac consumēs reddit nos amicis iucundiores. *In Moral.*

Vt vultures, ad extincta corpora odore feruntur, sana non sentiunt: Sic inimicus, si quid deliqueris, statim olfacit, ac eurrit ad recta facta stupidus. *In Moral.*

Dionysiaci sæpe negligenter inter se canunt in theatris, verum cum certatur, tum multo diligentius agunt omnia: Sic accuratius geritur rem, qui scit vitam suam ab aduersario obseruari. *In Moral.*

Vt hostis semper imminens muris, in causa est, vt vigilet ac sobria sit ciuitas: Sic inimicus obseruans, quid agas, facit vt nihil agas, dicasue temere. *In moral.*

P. M. Apes succis ad opus & fœtum calore confouendum vtuntur: vbi ceperint mella maturescere, iū expelluntur ac trucidantur: Ita ab inimicis quoque sumendum, si quo pacto per occasionē prodesse possit. *In simil.*

Themist. Vt ea, quæ rupta sunt, eo difficilius coalescunt, quo fuerint prius sibi inuicem coniunctiora: Ita quoque amicorum, cognatorum inimicitiæ maiores, quo fuerint prius necessitudine inter se obstrictiores. *In apoph. 179.*

Inimici similes sunt veneuis, quæ alexipharmaca constituunt: nam & ipsi licet mali, aliena mala tollunt, & corrigunt. *In apoph. 119.*

EXEMPLA PROFANA.

Iisdem tutoribus vsi sunt *Themistocles, & Aristides*, Lysimachi filius

filius. Quare simul etiam sunt educati, & ab eodem præceptore instituti. Atqui cum adhuc essent pueri, frequentibus dissidijs inter se concertarunt: quæ controuersia à primis annis vsque ad extremam senectutem inter illos perseuerauit. *Ælian. de var. hist. l. 3.*

Thessali æterni Phoceosium hostes, quos vt sacro bello grauissimè afflixerunt: ita ab ijsdem multo ante magnis affecti sunt sæpè cladibus. *Pausanias in Phocicis.*

Exercuit idem malum rem Thebanam aliquamdiu, Pelopida hinc Rempub. illinc Epaminonda, ab initio trahentibus. Tulit eos patria dissentientes, quæ mox Rempubl. concordi animo administrantes ferre non potuit. *Sab. l. 7. c. 3.*

Nec Periclis, & Cimonis æmulatio Atticæ profuit ciuitati: hinc sæuientis populi fœdæ illæ tempestates, Periclis viro summo, medio bel hardore alienis stimulis concitæ: vt vel quæ vtiliter fierent, ressentipsi Duci inuidiæ. *Sabel. lib. 2. c. 3.*

F A B V L Æ.

Inimici.

In eadem naui vehebantur duo, qui inter se capitalia odia exercebant. Atque vnus quidem in prora, alter verò in puppi cõsederat. Orta tempestate ingente, cum omnes de vita desperassent, interrogat is, qui in puppi sedebat, gubernatorem, quam partem nauis primum submersum iri, putaret? Cui gubernator, proram inquit. Tum ille: iam non magis, inquit, mors mihi grauis futura est, siquidem sum interitum aspecturus inimici mei.

Significat fabula, multos non moueri suis malis, si ijsdem inimicos, & eos, quos odere, prius circumueniri videant. Itaque Achilles Homericus non recusat mori, si prius Hectorem interfecerit, cum sciret post huius cædem sibi quoque instare, ac prope esse exitium.

Canis, & Gallus Gallinaceus.

Canis, & Gallus societate inita vna iter faciebant. Nocte in agro deprehensi, cum tenebræ viam obscurarent, sic acquiescendum statuere, vt gallus in arboris ramis insideret, inferius autẽ in cauum truncum irreperet canis. Cantante autem suo more gallo, excitata vulpecula accurrit, atque illum hortatur, vt descendat, cupere eum sese complecti auem tam grata, & suaui voce præditam. Cui respondit gallus ianitorem, qui fores pandat, prius suscitandum esse, quam ipse descendere possit. Stulta vulpecula nõ prouisa fraude ad arborem accedit propius, & ianitorem quanto potest altissimo gannitu ciet, ergo canis experrectus, subito in vulpeculam insilit, & correptam dilaniat.

Docet fabula, vim & iniurias inimicorum, quibus ipsi pares esse non valeamus, ad alios potentiores calliditate consilij auertendas esse.

Piscator.

In fluuio quidam retibus expositis captabat pisces, tum ad fustem lapide alligato aquas feriens, & limum turbans, quod pellucidum erat, illis adimebat, vt temere fugientes pisces retibus implicarentur. Hoc alius, qui propter eum fluuium habitabat, fieri, & puras aquas inquinari, moleste ferebat. Tum piscator: Nisi, inquit, aquæ commotæ turbidæ reddantur, mihi fame pereundum sit.

Fabula ostendit, principes sæpè ciuitatum, suis commodis studentes excitare seditiones consueuisse. Et turbulentos homines, cũ in pace nihil bonæ spei inueniant, ad commouendos status, & tranquillitatem publicam incumbere. Quo nomine, & Cleon apud Aristophanem reprehenditur, hoc modo:

Namq; id quod ijs, anguillas qui captant, vsu tibi venit,
Vt vnda si stabilis fiet, nil quicquam capere possint:
Sin sursũ deque concitauerint lutum in salude.
Captura præsto est, vt lucrum tibi mota ciuitate.

Alcedo.

Alcedo auis est amans solitudinis, & in alto degit, ac ferunt, insidias hominum vitantem in rupibus marinis nidificare, & excludere pullos. Hæc quodam tempore oua paritura, nidũ affixit scopulo, & fœtum in eo reliquit, ac euolauit ad pastum, interea vẽto commotum mare, & procellis elatum, fluctibus nidũ obruit, atque oua dissipauit. Reuersa mater, & cognito damno suo: Infelicem me, inquit, quæ terram vt insidiosam fugiens confugi me in mare multo infestius mihi, atque nocentius.

Hæc fabula docet, quod nonnulli mortales metuentes ab inimicis non vitent sæpè concursum amicorum opinione sua, a quibus maioribus detrimentis afficiantur, quam quæ dari ab inimicis potuissent.

Vide Hostis.

I N I Q V I T A S.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Iniquitas, Græcè ἀνομία, ας, ἡ, & ἄνομος, ου, ὁ, ἡ, iniquus dicitur. Est autem iniquitas propriè in proximum, peccatum autem in seipsum. Impropriè vero sunt idem. Ex D. *Thom. prima secundæ quæst. 33. artic. 1.*

LOCI BIBLICI.

Iniquitas pro ipsa pœna, vel punitione pro iniquitate inflicta, *Genesis. 9. 15.* Sic accipiunt nõnulli, & *Gen. 15. 43. 1 Samuel 28. in Psal. 32. 5. & 69. 28.* Iniquitas abundauit, *4 Esd. 5. 2. & 14. 16. Matth. 24. 12. 1. Ioan. 5. 16.* Iniquitas omnis peccatum, *ver. 17.* Iniquitas in Deo nulla, *Psal 92. 26. Roman. 3. 4. & 9. 14.* Iniquitas impiorum: Iniquitatem suam portabit quisque, *Deut. 24. 16. 2. Reg. 4. 6. Paral. 25. 4. Ezech. 18. 20.*

SENTENTIÆ PHILOSOPHORVM.

Iniquæ ne nobis res sint, æquo sunt animo ferendæ. *Ficin. in Plat. Menexeno.*

Iniquitas est habitus, qui leges despicit. *Speusippus in Plat. definitionibus.*

Iniquitas nulla maior, quam amicum fallere. *Io. Pic. Mir. in epist.*

SIMILITVDINES.

Chrysostomi. Meretrix ad tempus tuum guttur impinguat, postea vero amarius felle inuenies, & acutum magis ferro bipenni: Sic iniquitas est. *Hom. 74 Matth.*

Sicut fumus oculis: sic iniquitas vtentibus est. Recte iniquitas fumo comparatur, quæ velut quadam seculari caligine, aciem mentis obducit, *Lib. 2. de Cain, & Abel.*

Vide, Impietas, Malum, Malitia.

I N I V R I A.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Iniuria, Græcè ἀδικία, ας, ἡ & ἀδικῶν iniurior dicitur. Est enim iniuria, omne quod non fit iure, *vt hab. 14. q. 4. c. Quid dicam.*

Iniuriam facere, est simpliciter aliquem nolentem lædere, & scientem, quem, & quo, & quomodo præter illius voluntatem. *secun. Arist. lib. 5. Ethic.*

Iniuriam pati est, cum à volentibus iniusta inferũtur. *secund. Arist. lib. 1. Rhetor.*

Iniuriari est sponte præter leges officere. *Vt ibid.*

Iniuria venit à iure, eo, quod non fiat iure.

Iniuria propriè, *vt Vlpianus sentit,* est iniquitas atque iniustitia. Nam cum quis inique vel iniuste sententiam dixit, iniuriam dixisse manifestum est, quasi non iuriam.

Iniuria etiam aduerbialiter ponitur, hoc est, sine causa & immerito, quemadmodum iure, pro merito accipi solet. *Cicer. Neque iniuria factum est: hoc est, non sine causa, non immerito.* Quinque pro contumelia ponitur. *Plin. Tot ab eo iniurijs affectus sum, tot contumeliis lacessitus.* Quandoque pro damno ponitur. *Pacu. Patior facile iniuriam, si est vacua contumelia.* Hinc iniurior & iniurius, qui alicui iniuriam facit. Et iniuriosus, contumeliosus.

Iniuriam Hebræi nominibus varijs designant, 1. est *Auen*, molestia, iniquitas, iniuria seu iniuria dolorem afferens, a verbo *On*, molestia, seu iniuria & dolore affectus est *Iob 11. 14.* Si est iniquitas vel iniuria in manu tua, remoue eam, nec habitare sinas in tabernaculis tuis iniustitiam. Iniuria, iniquitas, iniustitia, idem inferũt, atque iniquus, & æquum peccant. 2. Arabes iniuriam *Dhol* appellat. *Psal 32.* Beatus is cuius spiritu non est dolus, qui est sincerus, *vdo Aos,* qui iniuriam in proximum non molitur. 3. Chaldæis, & Syris iniuria dicitur *Chathuph*, ad Heb. verbo *Chataph*, Rapuit celeriter, corripuit vi quadam. 4. *Chamah* violentia, iniuria, iniustitia, rapina, à verbo *Chamah*, violenter surripuit, iniuriam intulit, iniuriose tractauit. 5. *hevel.* verbum significat, iniuste egit, iniuriose fecit, perdidit iniuria. Inde nomen *heuel.* iniuria, iniustitia, & *havvel*, iniurius, vanus.

Iniuria est, vel vi, vel desertione, vel fraude, alterius corpus, vel bona lædere, sine iusta causa. Fit aliquoties dolo malo, cum videlicet quis sciens volens, re deliberata, proximi famæ, vitæ, facultatibus nocet.

LOCI BIBLICI.

Iniuria nemini facienda, *Leuit. 9. vers. 13. & 25. 17. Psal. 5. 3. Matth. 7. 12. 1. Thessal 4. 12.* Iniuria propria non vlciscenda, *Deut. 32. 35. Eccles. 28. 1. Matt. 5. 30. Rom. 12. 19. Heb. 10. 30.* Iniurias acceptas obliuisci iubemur, *Leuit. 19. 18.* Iniuria dissimulanda, *Prouerb 12. 16.*

SENTENTIÆ BIBLICÆ.

Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri suo Racha, reus erit concilio. Qui autem dixerit Fatue, reus erit gehennæ ignis. Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliare fratri tuo, & nunc veniens offeres munus tuum. *Matth. 6.*

Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester cœlestis delicta vestra. Si autem non dimiseritis hominibus,

nibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra. *Idem. 6.*

Accedens Petrus ad Iesum, dixit: Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? vsque septies? Dicit illi Iesus: Non dico tibi vsque septies, sed vsque septuagesies septies. *Idem 18.*

Dimittite, & dimittetur vobis. Date, & dabitur vobis. Mensurã bonam, & confertam, & coagitatam, & superfluentem dabunt in sinum vestrum. Eadem mensura, qua mensi fueritis, remitietur & vobis. *Luc. 6.*

Patrum Sententiae.

Qui iustus est, & iniuste maledicitur, præmiũ illi creditur. *Aug. sup. Psal. 102. & hab. 11. q. 3. Qui in ius.*

Forte aliquis cogitat, & dicit: Multi sunt Christiani diuites, auari, cupidi: non habeo peccatum, si suum illis abstulero, & pauperibus dedero, vnde enim illi nil boni agũt, ego mercedem habere potero. Sed huiusmodi cogitatio ex Diaboli calliditate suggestionem, si totum tribuat pauperibus, quod abstulerat: addit potius peccatum, quam minuat. *Idem in Homil. & habetur 14. & 5. Forte aliquis.*

Immolans ex iniquo, oblatio est maculata. Dona iniquorum non probat Altissimus: nec respicit in oblationibus iniquorum: nec in multitudine sacrificiorum eorum propitiabitur peccatis. Qui offert sacrificium de substantia pauperis quasi qui victimat filium in conspectu patris sui. Panis egentium vita pauperis est. Qui defraudat illum, homo sanguinis est. Qui effundit sanguinem, & qui fraudem facit, necessario fratres sunt. *Idem, & habetur ibid. Immolans.*

Nos in Dei iniuria benigni sumus, & in nostris contumelijs exercemus odia. *Hier. l. 3. super Matth. 5. Si peccauerit in te frater tuus.*

O formidolosa sententia! si parua fratribus non dimittimus, magna nobis a Deo non dimittentur. *Idem super illud: Si non remiseritis de cordibus vestris.*

Denique si non potest subueniri alteri, nisi alter lædatur, commodius est neutrum iuuari, quam grauari alterum. Ideoque in caussis pecuniarijs interuenire non sacerdotale, in quibus non potest fieri, quin alter lædatur frequenter, qui vincitur: quoniam intercessoris beneficio se victum arbitratur. Sacerdotis est igitur nulli nocere, prodesse velle omnibus. *Ambros. lib. de Offic. & habetur 14. quæst. 5. Denique.*

Qui non repellit à socio, si potest, iniuriam, tam est in vitio, quam ille, qui infert. *ibid.*

Nil te cogitare de cælestibus ostendis, sed terrenam te habere cõuersationem significas, dum pro vindicta propriæ iniuriæ, quod sacris regulis prohibetur, maledictionem anathematis inuexisti. *Greg. Ianuario Episcopo, & hab. 23. q. 4. Inter querelas.*

Gloriosius est iniuriam tacendo fugere quam respondendo superare: & si seruus conuitium dicat, iustus taceat: si infirmus iniuriam faciat, iustus sufferat: si pauper criminetur, iustus nõ respondeat. *idem in Moral.*

Patienter illatam iniuriam tolerat qui pie meminit, quod fortasse adhuc ex se habeat, in se habeat, in quo ipse debeat tolerari: & quasi aqua ignis extinguitur, quũ surgente furore animi sua cuique ad mentem culpa reuocatur. *idem ibid.*

Parua verba multoties homicidium perpetrauerunt, & ciuitates integras euerterunt. Nunquam paruum existimes fratrem stultũ vocare, auferens ei prudentiam & intellectum, quo homines sumus, & ab irrationalibus distamus. *Io. Chrysost. super illud Matth. 5. Qui dixerit fratri suo, Fatue.*

Quidquid à quolibet hominum passi fuerimus iniuste, aut remissionem accipiemus omniũ peccatorum, aut si tanta in nobis delicta non fuerint, clarioribus honorabimur coronis. *idem super Matth.*

Si vindicare vis, sile, & funestum inimico dedisti plagam. *idem super Matth.*

Discimus exemplo Christi nostras iniurias magnanimiter sustinere, Dei autem iniurias nec vsque ad auditum sufferre: nam si iniurijs proprijs patientiam tenere laudabile est, iniurias autem Dei sustinere nimis impium est. *idem.*

Iniuria est verbo vel facto cum aliquo iniuste agere, exprobrare est in faciem maledicere. *Isidor.*

Grauissimum genus iniuriæ est, vsque ad pedem contumeliæ peruenire. *Cassiod. super illud Psal. Conculcauerunt.*

Nescio, quis nostrum possit implere, vt laceretur opprobrijs fama nostra, & exultemur in Domino, Eleganter. n. in quodam volumine legimus quod si non quæras gloriam, tamen dolebis, cum inglorius fueris. *Rabanus super illud Matth. 5. Gaudete & exultate.*

Vltra felicitatem constat esse victoriæ, inimicum saluum fecisse, nec iniuriam vindicasse. *Valerius Episcop.*

Sententiae Poeticae.

Philemon in Pedicazomeno.

Ἥδιον οὐδὲν οὐδὲ μουσικώτερον
Ἐστ' ἢ δύνασθαι λοιδορούμενον φέρειν
Ὁ λοιδορῶν γὰρ ἂν ὁ λοιδορούμενος
Μὴ προσποιῆται, λοιδορεῖται ὁ λοιδορῶν.
Nihil est iucundius & docto viro dignius
Quam ferre posse conuitiantem me
Quoniam si ille, cui conuitium fit,
Dissimulauerit, in ipsum authorem redundat.

Iuuenal. Satyr. 3.

Curandum in primis, ne magna iniuria fiat
Fortibus, & miseris tollas licet omne, quod vsquam
Auri atque argenti, scutum, gladiumq; relinquis,
Et iacula & galeam spoliatis arma supersunt.
Quod modo proposui non est sententia, verum
Credite me vobis folium recitare Sibyllæ.

Iuuenalis Satyr. 13.

Vindicta
Nemo magis gaudet quam fœmina.

Ouid. in Epist. Helenæ ad Paridem.

Vtilis interdum est ipsis iniuria passis.

Proper. lib. 3. Eleg.

Non certa fides, quam non iniuria versat.

Ouid. lib. 3. de arte amandi.

Qualibet extinctos iniuria suscitat ignes.

Terent. in Hecyra.

Inferre iniuriam alicui immerenti, iniquum est.
Iniuria impunitas periculosa.

Sophocles in Oedipo tyranno.

Ὕβρις φυτεύει τύραννον· ὕβρις εἰ
Πολλῶν ὑπερπλησθῇ μάταν.
Iniuria & contumelia creat tyrannum, iniuria, inquam, cum
Multis temere malis satiata fuerit.

Solon Sapiens.

Οὐ γὰρ δὴ θνητοῖς ὕβριος ἔργα πέλει.
Ἀλλὰ Ζεὺς πάντων ἐφορᾷ τέλος, ἐξαπίνης δέ,
Ὥστ' ἄνεμος νεφέλας, αἶψα διεσκέδασεν
Non enim diu mortalibus iniuria opera permanent,
Sed Iupiter finem inspicit omnium, atque repente,
Vt ventus nubes, illico dissipat.

Antholog. Sacr. Iacob. Bill.

Maximæ laudis esse, acceptas iniurias læto animo ferre.

Qui læsus ruit in furias atque æstuat ira,
Vindictæq; grauis quem ferus vrget amor,
Paruulus est, paruos animos namq; vltio prodit:
Ira quæ comitem se dare læsa solet.
Atqui vindicta studium premit omne, sitimq;
Magnus hic & magnum dignus habere decus.
Qui vero læsus gaudet lucroq; dolores
Deputat, huic tribuê laus satis ampla nequit.

Ex Græcis Comicis.

Οὗτος κράτιστός ἐστ' ἀνήρ, ὦ Γοργία,
Ὅστις ἀδικεῖσθαι πλεῖστ' ἐπίσταται βροτῶν.
Existimandus ille præstantissimus,
Iniurias qui ferre nouit plurimas.
Οὐδὲν πέπονθας δεινὸν ἂν μὴ προσποιῇ.
Nil graue accedit ni si tibi vendicas.
Δυστυχέστερος ἴσθι μᾶλλον ἢ κακήγορος.
Sic calamitosus, esse maledicus caue.
Ξίφος τιτρώσκει σῶμα, τὸν δὲ νοῦν λόγος.
Vt corpus ensis, verba mentem sauciant.

Sententiæ Philosophorum.

In omni iniuria permultum interest, vtrum perturbatione aliqua animi, quæ plerumque breuis est, & ad tempus, an consulto & cogitato fiat iniuria: leuiora enim sunt ea, quæ repentino aliquo motu accidunt, quam ea, quæ præmeditata & præparata inferuntur. *M. T. Cic. lib. 3. Offic.*

Qui non defendit, nec obsistit iniuriæ, si potest, tam est in vitio, quã si parentes, aut amicos, aut patriam deserat. *Idem de Offic.*

Nec vero rei familiaris amplificatio nemini nocens vituperanda, sed fugienda iniuria semper est. *Idem de Offic.*

Cum autẽ duobus modis, id est, aut vi aut fraude fiat iniuria, fraus quasi vulpeculæ, vis leonis videtur, vtrumque ab homine alienissimum est. Sed fraus odio digna maiore: Totius autem iniustitiæ nulla capitalior est, quam eorum, qui cum maxime fallunt, id agunt, vti boni viri videantur. *Idem de Offic.*

Nihil mortalium iniuriæ suæ paruæ videntur: multi eas grauius æquo habuere. *Sallust. in Catilin.*

In omni certamine qui opulentior est, etiamsi accipit iniuriam, tamen quia plus potest, facere videtur. *Idem in Iugurth.*

Speciosius aliquanto iniuriæ beneficijs vincuntur, quã mutui odij pertinacia pensantur. *Valer. Max lib. 4.*

Veterem ferẽdo iniuriam, inuitas nouam. *Aul. Gell. Noctium Atticar. lib. 18.*

Iniu-

Iniuriam pati melius est, quam alteri nocere. *Arist.l.1.Ethic.*

Sapientem perfectum esse non posse, dicit Plato, nisi cæteris ingenio præstet, & artibus, & potentiæ partibus imbutus sit. Deniq; sapiens, nec in secundis rebus effertur, nec contrahitur in aduersis, cum se ornamentis suis ita instructum sciat, vt ab his nulla vi segregetur, hunc talem non solum inferre, sed nec quidem referre oportet iniuriam. *Arist.l.1.Ethic.*

Iniuria iniustè irrogata, eius est infamia, qui facit, vtrumque ab homine alienissimum est. Sed fraus odio digna maiore, totius autē iniustitiæ nulla capitalior est, quam eorum, qui cum maximè fallunt, id agunt, vt viri boni videantur. *Laert.Diog.de vita, & moribus Philosophorum.*

Ita habet aliquam voluptatem, & dulce est dolorem reddere? minime. Non enim vt in beneficijs honestum est, merita meritis repensare, ita iniurias iniurijs: illinc vinci turpe est, hic vincere inhumanum verbum est, & quidem pro iusto receptum, vltio, & talio non multum differunt, nisi ordine: qui dolorem regerit, tantum excusatius peccat. *Sen.c.33.de Ira.*

Sæpius autem satius fuit dissimulare, quam vlcisci. Potentiorum iniuriæ hilari vultu, non patienter tantum ferendæ sunt, verum etiam faciendo iterum, si se fecisse crediderint, hoc habent pessimum animi magna fortuna insolentes, quos læserunt, & oderunt: nouissima vox est eius, qui in cultu regum consenuerat: Cum illum quidam interrogaret, quomodo rarissimam rem in aula consequutus esset senectutem? Iniurias, inquit, accipiendo, & gratias agendo de ipsis. Sæpe adeo iniuriam vindicare non expedit, vt ne fateri quidem expediat. *De dissimulanda iniuria, eodem capit.*

Seneca lib.2.cap.5. in sapientem non cadere ait iniuriam: iniuria ad sapientem non peruenit: nam si iniuria alicuius mali patientia est, sapiens autem nullius mali non est patiens, nulla ad sapientem iniuria pertinet.

Sapiens autem nihil potest perdere, omnia in se reposuit, nihil fortunæ credit, bona sua in solidum habet, contentus virtute, quæ fortunis non indiget: ideoq; nec augeri, nec minui potest, nam in summum producta, incrementi non habet locum. *Idem.*

Quod si iniuria nihil lædere potest, ex ijs, quæ propria sapientia sunt, quia virtute sua salua sunt: Inuidia sapienti fieri non potest. *Idem.*

Non est fortior nequitia virtute: Non potest ergo lædi sapiens: Iniuria in bonos non tētatur, nisi à malis. Bonis inter se pax est: mali, tam bonis perniciosi, quam mali inter se. Quod si lædi nisi infirmior non potest, nec iniuria bonis, nisi à dispari, verēda est: iniuria in sapientem virum non cadit. Illud enim iam non es admonendus, neminem bonum esse, nisi sapientem. Sed iniustè, inquit, Socrates damnatus est, iniuriam accepit. Hoc loco nos iniuriam intelligere oportet, posse euenire, vt faciat aliquis mihi iniuriam, & ego nō accipiam, tamquam si quis rem, cum in villa mea surripuit, in domo mea ponat, ille furtum fecerit, ego nihil perdiderim. Potest aliquis nocens fieri, quamuis non nocuerit: si quis cum vxore tamquam aliena concumbat, adulter erit, quamuis illa adultera non sit. Aliquis mihi venenum dedit, sed vim suam remixto in cibo perdidit: venenum illud dando, scelere se obligauit, etiamsi non nocuit. Non minus latro est, cuius telum opposita veste elusum est. Omnia scelera, & ante effectum operis, quantum culpæ satis est, perfecta sunt: quædam eius conditionis sunt, & hac vice copulantur, vt alterum sine altero esse non possit. Quod dico, conabor manifestum facere. Possum pedes mouere, vt non curram, currere non possum, vt non moueam pedem. Possum, quamuis in aqua sum, non natare: Si nato, non possum non in aqua esse. Ex hac sorte, & hoc est, de quo agitur. Si iniuriam accepi, necesse est factam esse: si est facta, non est necesse accepisse me. *Lib.2.c.7.ex eodem Seneca.*

Authoe iniuriæ ignorat seipsum lædi pro alijs, quibus nocere studens intelligat, quod duplex est iniustitia: a qua primum ipsemet læditur, deinde illa pars, quæ iniuria afficitur. Quod si non eos passionibus, etsi fieri posset, nullis malis obrueretur anima, haud tantum in iudicando hallucinaretur. Quare optandum est, ne propter stupiditatem eos, qui iniuriam patiuntur, magis quā ipsos authores lædi existimet. Vna sane pars est nostri, quæ semper ab omnibus sic affectis iniuriam accipit: nempe ipsa anima. Id autem, quod iniuriam facit, insidiasq; molitur, est malitia, quæ ab authore incipiens, in illum, qui afficitur, redundat. Sed ipsum authorem iniuriæ illatæ, aut inferre cogitantem, plurimum lædit: minus verò eum, qui iniuriam accipit: ab authore enim principium fit motus, & excitatio. Intus verò concitata semel iniuria, parturientem primum incendit, ac antequam pepererit, inflammat prurigine, transiensque lædit, & veneno suo pertinaci infectura imbuit. Quemadmodum enim ignis non potest præterita sine damno materia, in qua primum concepta est, priusquam prorsus ipsam consumat, ad aliorum noxam conuerti. Neque murena prius aquaticos angues in aliorum perniciem parere potest, quam proprium eius ventrem, in quo concepti fuerunt, erodserint: vt Nicander Colophonicus, & Archelaus Physicus testantur. Ita qui vis iniustus malitiam suam primus experitur, antequam in alios emittat. Vnde multi contractā sibi bilem excitantes, ex iracundia multa prius obiere, quam hostes suos vlti sint. Hæc ignorantes plurimi imbecillioribus iniurias imprudenter intulerunt, nihil opinantes incōmodi in seipsos redundare. Proinde si hoc concenatur, non minus iniuriam inferre, quam pati cauendum est. *Ierax in opere de iustitia.*

Actione iniuriarum neque contra alium se acturum aiebat, neque id vlli, philosophiæ vacantium consulere rum. Siquidem quæ nulli iniurias interpretantur, eorum nihil iniuriam esse, neque contumeliam affectam eis: vt maledici, cōspui, verberari, quod postremum indignissimum videtur. Quod vero nihil graue aut iniuriosum contineat, argumento sunt Lacedæmoniorū pueri, qui publice flagellis cęduntur, & id ipsum gaudent. Philosophi autem si verbera aut contumelias contemnere nequeant: quinā visus erit, qui & mortem palam spernere deberent? Opus est per Iouem, re ipsa se talem præstare, non irridentem iniuriam, iudicatum verberibus aut verbis contumeliæ plenis, aliove modo vlcisci velle Demosthenes etiam oculis quosdam iniurios esse putabat, eamq; rem intolerabilem esse, & homines inde plurimum affici. Ita qui, quid honestum, quid reuera turpe sit, ignorant, iniuriam se pati credunt, si quis aut tortuum ipsos intueatur, aut irrideant, aut percutiat, aut conuitia iactet. At vir sapiens & cordatus, qualis philosophus esse debet, nullo horum perturbatur, nō tam ipsa pati, quam inferre, turpe ducens. Nam qui peccat, is turpitudini obnoxius est: qui vero patitur, quatenus ipse peccatum non admittit, eatenus neq; turpis alicuius indignitatis particeps dicendus est. Quapropter non ad fatum & actiones vllus mente præditus conuertetur, vtpote qui nullam sibi videatur iniuriā accepisse. Pusillanimitas enim est, has ob res indignari, & cōmoueri intensius: sed leniter & tranquille tolerabit quidquid acciderit. Hoc decorum eius est, qui se magnanimum profitetur. *Musonius apud Stob.*

Mitia & humana ingenia non efferata nec dura sunt in eos, qui peccarunt, vt quę melius sperent. Quanto satius igitur fuerit, ita se præstantem videri Philosophum, vt venia dignetur eos, qui aliquid aduersum ipsum admiterint? quam causas agendo, & accusando, ita quidem se vlcisci putare, re autem ipsa præter omne decorum, sibi verbisq; suis pugnare, id quod facit, qui docet bonum virum ab improbo haudquaquam posse iniuria affici: ipso enim malos accusat, inquam iniuriarum sibi authores, cum ipse bonus haberi velit. *Ibid.*

Honorandus certe est, qui nihil iniuriatur, qui vero nec alios id facere patitur, duplici ratione, imo etiam magis est honorandus. Ille.n. vni, hic multis hominib. comparatur, cum principib. cæterorum iniuriam nunciet. Qui autem vna etiam cum magistratib. iniuriam quoad potest, vlciscitur, is magnus perfectusq; in ciuitate vir præconio prædicetur. *Plato.5.l.leg.*

Graue est iniuriam pati: mentiris. Quā enim iniuriam non posset ferre qui potest iram? Adijce nunc, quod id agis, vt iram feras & iniuriam, quare feras ægri rabiem, & phrenetici verba? puerorum proteruas manus? Nempe quia videntur nescire, quid faciunt, quid interest, quo quisque vitio fiat imprudens? Imprudentia par in omnibus patrocinium est. Quid ergo, inquis, impune illi erit? puta te velle, tamen non erit. Maxima est enim factæ iniuriæ pœna, fecisse: nec quisquam grauius afficitur, quam qui ad supplicium pœnitentiæ traditur. *Seneca lib.3.cap.26.de ira.*

Vicorum prudentium est, si non lacessantur iniuria, quiescere: Bonorum autē, si iniuria afficiantur, pacem bello mutare: ac si bene cesserit, iterum pro bello pacem mutare: & neque belli successu efferri, neque pacis tranquillitate captos, iniuriam pati conuenire decet. Nam tum ille, qui voluptatis causa cūctatur, illico priuari potest oblectatione tranquillitatis, cuius gratia segnis est, si quieuerit: tum qui in bello prosperitate abutitur, non cogitat se incerta temeritate efferri. Multa enim male consultata, eo quod hostes in eo. stolidiores fuerint, feliciter euenerunt: & plura, quæ rectè instituta videbantur, turpiter in contrarium euentum relapsa sunt. Nullus enim eadem factis præstat, quæ inter deliberandum sibi promittit. Nam consultamus securi, in opere autem cum timore deficimus. *Thucyd.l.1.concion.Corinth.3.*

Differt ab eo, quod iniustum est, iniuria, & rectè facta ab eo, quod iustum est. Quod n. iniustum est, omne est vel natura, vel instituto: quod ipsum, postea quam factum est, iniuria dicitur. priusq. à gestum sit, nondum iniuria est, sed iniustum, quod cum factum est, iam iniuria nominatur. *Ethic.l.5.c.7.Arist.*

Tum quisque facit iniuriam, æquumq; facit, cum voluntate sua facit: cum inuitus, nec iniuriam cuiquam infert, nec æquum facit, nisi fortuito, quod ea gerat, & quibus vt iusta sint, & iniusta accidat. Atqui voluntaria iniuria, & rectè facta definita sunt. Cum enim à voluntate proficiscitur, tum & in vitio est. & simul iniuria est. Ergo aliquid iniustum est, quod non item iniuria est: nisi voluntas accesserit. *Ethic.l.5.c.8.Arist.*

Quibus inter eos iniuriæ faciendæ communis ratio est: non etiam

inter

inter eos omnes communio iniustitiæ. *Ethic. Arist. l.5.c.6.*

Iniuria, quod minus est, accipere iniuriam: quod autem maius facere dicitur. *Ethic. lib.5.c.5.*

Qui non animi iudicio vel ratione, verum animi perturbatione ducatur ad contrectandum mulierem, sciens quam contrectet: faciat ille quidem iniuriam, sed tamen nondum fit iniustus: quemadmodum nec fur, qui furatus est: adulter, qui adulteratus, itemque in cæteris. *Ethic. lib. 5.c.6.*

Vt quisque contra leges nocet cuipiam, non lacessitus, ita sponte inferre iniuriam dicitur. Sed ita demum sponte ac voluntate sua quisque facere intelligitur, si sciat, & cui iniuriam faciat, & quo modo. Qui autem ira incitatus seipsum interimit, is sponte cōtra leges facit, quod leges non sinunt. Infert igitur iniuriam. Sed cui tandem? ac Reipublicæ, non sibi? quandoquidem sua voluntate fert mortem: ne quisquam sponte iniuriam accipiat. *ibid.*

Illud apparet, vtrumque facere, & accipere iniuriam, esse in malis: quoniam hoc est minus, illud plus obtinere, quam quod medio continetur: sicut malum est in medicina quod à salubri discedit: in gymnastica, quod à bona corporis habitudine est alienū: sed tamen grauius est facere iniuriam. Violare enim alterum, cum scelere coniunctum est, & vitio dandum, ac cum scelere vel summo, vel ei proximo. *Lib.5. Ethic.c.11.*

Dicitur iniuriam inferre, malorum esse hominum proprium: imprudenter vero delinquere, & circa rem gerendam aduersam fortunam pati, non esse sibi priuatum modo: sed commune, & ipsorum iudicum, & aliorum quorumque hominum. *Lib.1. Ethic. Alexand. c.5.*

Omnes homines, quibus vsitatissimæ iniuriæ sunt, ab eis cauent: velut etiam à moribus, qui solent inuadere. Quo autem nondum aliquis laborauit, ab eo nemo cauet. *Lib.1. Rhetor. ad Theodect. c.12.*

Neque in quo inest, quod iniustum est, is iniuriam facit: sed is, qui hoc efficit sua voluntate. Hoc autem in eo est, vnde sumit initiū actio. Quod in eo est, quod diuidit: non in eo, quod accipit. *Lib. 5. Ethic. c.9.*

Nec vero qui sua dedit, iniuriam accipit: quandoquidem vt det, in ipsius situ est potestate. At nō est, in cuiusquam situm potestate, vt iniuriam accipit, sed alter sit oportet, qui inferat. Illud ergo iam apparet de accipienda iniuria, eam non esse voluntate. *ibid.*

Dara iniuria vexatis opitulari creditur. *Lib. 2. Rhet. c.5.*

Iniuria maior est, quæ à maiore proficiscitur iniquitate. Quocirca quæ minima sunt crimina, maxima interdum videntur. *lib.5. Rhet. ad Theod. c.54.*

Qui iniuriam accepit, remissius iram exercet quam ille qui fecit. In vlciscendo enim, quam recentissima offensa est, tum maxime par supplicium sumimus. *Thucyd. lib.2.*

Nihil priuata iniuria a publica differt, nisi multitudine & magnitudine eorum quæ contingunt. Est enim ita comparatum, vt etiam malorum societas, nisi æquitas atque iustitia seruata fuerit, facillime infringatur. *Polyb. lib.4.*

Accendit animos & stimulat dolor, iniuria, indignitas. *Liu. Decad.3. lib.1.*

Vehemens est omnis homo, quum vel affectus est iniuria, vel affectum se esse putat. *Dion, l.44.*

In omni certamine qui opulentior est, etiam si accipit iniuriam, tamen, quia plus potest, facere videtur. *Sallust. de bel. Iugurt.*

Quo plura bene atque strenue quis fecerit: eo animus tuus iniuriā minus tolerat. *Idem ibid.*

Vt is qui prior lacessit ipse sibi iniurius videtur: ita qui propulsat iniuriam confidentior ex conscientia fit, atque ex iustitia spem bonam mutuatur. *Herodian. in Alex.*

Atrocitas rerum magis quam nominum officit. *Sex. Aurel Vict. Diocletian.*

Qui iniuriam facere volentibus vires tribuerit, in causa putandus est. *Procop. de bel. Pers. l.2.*

Quicunque finitimis iniuriam inferunt, siue id ignorantia egerint, siue obliuione, merito debent in eos se clementiores præstare, qui ab se sunt mala perpessi, nam peccandi quæ inciderit fortuito causa, maximam delicti his adimit partem, & deprecatur. Si qui vero præmeditatus iniuriam infert, huic certe nihil reliqui fiet, quod eius facta excuset: quippe quem non solum rei patratæ crimen, sed voluntatis etiam culpam vt ferat, par erit. *Idem de bel. Goth l.3.*

Sciunt victum iustum esse cedere victoribus, ac magis irascuntur homines, cum iniuria infertur, quam cum vi domantur. Nam cum æquales inferunt iniuriam, videntur homines ius repugnādi habere, violentiam vero potentiorum ferendum esse sciunt. *Thucyd. l.1.*

Interdum inueteratæ ac continuæ iniuriæ potius quam nouæ & insolitæ veniam consequuntur. *Polyb. l.4.*

Diuerso modo à plerisque mortalium, iniuriæ atque beneficia accipiuntur: nam iniuriæ quidem vel inuiti memoriam retinent, memoriam autem beneficiorum vltro proijciunt: hoc, quod ij videri nolunt, qui tanquam imbecilliores, ab alijs sunt adiuti: illud, quia nolunt suspicionem timiditatis de se præbere, si quidem iniurias sibi illatas non vlciscantur. *Dion, l.46.*

Nemini mortalium iniuriæ suæ paruæ videntur: eas grauius æquo habuere. *Sallust. de coniurat. Catil.*

Per iniquum est propter priuatas simultates rempublic. in discrimen adducere, nec abutendum est occasione ad explenda odia, sed potius Reipubl. priuatæ iniuriæ domandæ sunt. *Appian. lib.2. de bell. ciuili.*

Speciosius aliquanto iniuriæ beneficijs vincūtur, quam mutui odij pertinacia pensantur. *Val. Max l.4.c.2.*

Iniuriarum memoria procul dubio eo qui facit, quam in eo qui patitur, maior atque ad placādum difficilior. *Fr. Guicciard. hist. l.16.*

Apophthegmata.

Solon interrogatus, qui fieri posset, vt quam minimum iniuriarum existeret inter homines? Si inquit, qui iniuria affecti non sunt, æque doleant atque hi, qui affecti sunt. Quisquis enim violat leges, non vnum ciuem lædit, sed totam Rempublicam, quod quidem in ipso est. At nunc dum alijs læsis, aut quiescimus, aut gaudemus etiam, impunitas improborum audaciam in plurimo nutriat. *Laert. lib.1.c.3.*

Socrates frequenter dicere solebat, peius esse iniuriam facere, quam accipere. *Erasm. lib.3.c.4. ex Xen.*

Aristot. interrogatus, quid cito senesceret, quid item tarde? respondit, Gratia, & iniuria. Sensit philosophus sapientissimus, iniuriæ memoriam esse tenacissimam, beneficij vero lōge breuissimam. *Laert. lib.5.c.1.*

Theopompus. Cuidam sciscitanti, qua via quis regnum tuto tueri posset? Si (inquit) amicis tribuat iustam libertatem, pro viribus interim vigilans, ne subditi afficiantur iniuria. *Plut. in Lacon.*

M. Cato. Iniuriam, etiamsi faciens nihil adferat periculi, vniuersis tamen periculosam esse dicebat, sentiens impunitate iniuriæ exemplum omnibus minari iniuriam. Etenim si liceat impune lædere, nullus erit tutus ab improborum violentia. *Plut. in apoph.*

Similitudines.

Tyrij Platonici. Vt inter corporis morbos, qui serpunt, contumaciter resistunt sanitati: ac præterea oportet, firmum curationis genus adhibere, vt, quod superest tibi, saluum fiat: Ita quoque si vel domum, vel ciuitatem lædere iniuria cœperis, inhibere malū oportet: siquidem salutis eius, quod adhuc intactum ab iniuria est, rationem volueris habere. *Serm.1.*

Vt qui fuliginosum complexus, non potest non immundus abire à cōplexu: Ita & eum, qui iniurio homini congreditur, cumque eo pariter volutatur, iniuria, necesse est flagitij partem accipere, deque eiusdem fuligine abire inquinatum. *ibid.*

Senec. Quemadmodum domini crudeles tota ciuitate cōmonstrantur, inuisiq; & detestabiles sunt; Ita regum infamia & iniuria latius patet, atque odium seculis traditur. *De clem l.1.c.18.*

Vt tela à duro resiliunt, cum dolore cędentis solida feriuntur: ita nulla magnum animum iniuria ad sensum sui adducit, fragilior eo, quod petit. *Lib.3. de ira. c.5.*

Vt intentam manum deijcere aliquis casus potest, & emissa tela declinare: Ita iniurias qualescunque potest aliqua res depellere, & in medio intercipere. *Lib 2. ad Seren. c.7.*

P. M. Quædam remedia tristiora sunt ipso morbo, vt satius sit oppetere mortem, quam his aucupari salutem, velut sugere sanguinem è vulnere recenti gladiatorum morientium. Ita quandoque satius est ferre iniuriam, quam maiore incommodo vlcisci: ferre pacem etiamsi parum commodam aut æquam: quam bellū cum immensis malis suscipere. *In simil.*

Themist. Qui initia ac semina morbi tolerat, ac negligit, grauem statum expectat: & qui ab homine natura illiberali primam iniuriam illatam dissimulat, secundam inuitat. *In apoph 82.*

D. Chrysostomi. Quemadmodum cū iuste quispiam torquetur, si magno animo patitur, iniuste cruciari multis videtur. Sic qui cum iniuria vexatur, si non perfert, iure puniri putabitur: ac deridebitur, quasi mancipium ab ira distractus, & animi nobilitatem furori subijciens. *Hom.88. in Matth.*

Exempla Biblica.

Iniuriæ illatæ & passæ exempla: Ioseph à fratribus, *Gen. 30. v.19.* duo Hebræi *Exod. 2. v 11.* Dauid ab Ammonitis, Syris & Semei, *2. Sam. 10 v.6. & 19. v.16. 1. Paral. 19. v.6.* Hebræus ab Aegyptio, *Act. 7. v.24.* à Corinthijs fratribus quibusdam. *1. Corint. 6. v.8. 2. Cor. 7. v. 12.*

Exempla Profana.

Ex Ethnicis Socrates mortalium sapientissimus, calce à quodam percussus in publico, monitus ab vno assectatorum, vt hominem repercuteret: An, inquit, si asinus mihi calcem impegisset, eum recalcitrarem?

Nulli hominum prudentius sedatiusque iniuriam tulere, quam Romani, quorum proprium fuit fortia facere & pati: nam quis hominum minus moleste tulit ignominiam sibi publice iniustam, quam Fabius ille Maximus, qui vnus (vt Ennius scripsit) cunctando restituit rem? Cæterum Minutius, qui illi æquatus est,

mox

moxpaulo cum suo exercitu ab eo seruatus patrem appellauit, & militum patronum.

Quidam petulantioris linguæ maledicta conijcere solebat in Philippum: hunc amici hortabantur, vt eijceret in exilium. At ille negauit se hoc facturum: demirantibus quid ita? Ne, inquit, oberrans inter plures male de me loquatur. Quod maledicum non agit in crucem, vel clementiæ erat, quod ignouit, vel magnanimitatis, quod contempsit, quod noluit expellere, prudentiæ. Plus enim nocuisset. *P. M. lib. 4. apoph. de Philippo Macedonum rege.*

Smicythus Nicanorem deferebat apud Regem, quod sine fine de ipso male loqueretur, cumque suaderent amici, vt hominem accersiri iuberet, deque eo supplicium sumeret, Philippus ita respondit, Nicanor non est Macedonum pessimus, videndum est igitur, necubi nos cessemus in officio. Vt igitur cognouit vehementer afflictum inopia, & tamen à rege neglectum fuisse, iussit donum aliquod ad illum deferri. Hoc facto, cū rursus Smicythus diceret regi, Nicanorē apud omnes sine fine prædicare laudes ipsius: Videtis igitur, inquit, in oobis esse situm, vt bene aut male audiamus. Immane, quantum absunt ab huius principis ingenio, qui numquam sibi videntur satis laudari, eū nihil faciant laudandum: nec student beneficijs sibi conciliare beneuolentiam hominum, sed metui malunt, quam amari, cumque sæpenumero faciant detestāda, idque palam, tamen perijt, quisquis ausus est contra hiscere.

Fabius Maximus, quondam cum Hannibali confligere detrectabat, sed mora copias illius, & pecuniarum, & commeatus egentes atterebat, sequens illum per aspera montosaque ac subinde obiter sese opponens, à nonnullis per ludibrium dicebatur, Hannibalis pædagogus: hoc conuitio nihil commotus, pergebat suum institutum sequi, dicens apud amicos. Qui dicteria conuitiaque metuat, eum sibi videri timidiorem his, qui fugiunt hostes. Sensit turpius esse timiditatis vitium, quo leuius est periculum. Nihil autem huius dictis, quæ qui formidat, quomodo sustinebit impetum hostium? *Lib. 5.*

Ita palam Socrates erat animatus, qui publica conuitia ab Aristophā te passus, non modo non ægrè tulit, sed obuium etiam interrogauit, num se rursus ad similem rem aliam opus haberet. Quam facilè putas inter paucos maledicta sustinuisset ille, quem ne publicè quidem in frequenti theatro iactata commouere potuerunt? Cæterum bonus ille Phocion, iniuria vxori suæ facta, tantum ab authoris accusatione abfuit, vt eum ille sponte metu perculsus Phocionem accederet, & veniam postularet, inquiens ignorasse, quod eius vxor fuisset, in quam iniuriosus fuerat, hoc sermone sit vsus: Mea quidem vxor nihil abs te affecta est, sed fortassis alia quæpiam; proinde non est, cur excusationem apud me dicas.

Dionem Academicum à conuiuio redeuntem, quidam maledicus insectabatur nullas non blasphemias eructans. tacebat Dion; Ingressuro autem iam domum, conuitiator ille dicebat: nihil vero respondes? cui Dion, Ne gry quidem.

HIEROGLYPHICVM.

Iniuriam nemini inferendam esse docet Hieroglyphicon Acanthidis auiculæ, de asello vindictam sumentis. Antipathian affingit *Plin. lib. 10. c. 74.* Inde distichon.

Paruula, quæ de asino vindictam sumit acanthis,
Vim magnam & paruis rebus inesse monet.

FABVLA.

Olitor & Canis.

Delapsum in puteum canem olitor seruare, & retrahere cupiens, demisit & eodem se ipse. Canis veritus ne descendisset sibi nocendi gratia, & vt suffocaret demersum, dentibus illum petere, & morsu lacerare. Tum saucius olitor cum dolore: Iure mihi, inquit, hoc accidisse fateor. Cur enim authorem ipsum sibi interitus ego seruare volui?

Hæc narratur fabula contra stultitiam, & iniustitiam. Narratur & talis fabula: egisse quendam asellum iuxta præcipitium quoddam, & asellum semitam angustam, atque lubricam, quantumque ille, qui ageret, conaretur retrahere, voluisse ingredi: Tum iratum hunc, tandem detrusisse asinum in rupes, cum diceret, vt Horat. fecit,

Quis enim inuitum seruare laboret?

INIVSTITIA.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Iniustitia, Græcè ἀδικία, ab ἄδικος, iniustus dicitur. Est autē iniustitia, per quam aliena singuli contra leges retinent, *secund. Arist. lib. 1. Rhet.*

Iniustitia est duplex, scilicet illegalis, opposita iustitiæ legali, alia secundum inæqualitatem ad alterum. Prima est generalis intensione, & specialis obiectione, aut obiecto. Secunda verò est specialis vtroque modo. *Ex S. Thom. 2. 2. q. 3. art. 5.*

Polyanthea Nouiss.

Iniustitia contraria est iustitiæ, quam aliqui dicunt esse habitum animi communi vtilitate conseruata, dignitatem suam cuique tribuentem.

Iniustitia, Hebr. *Auen*, ab *On*. verbo, quod inter alia significat doluit, ægrè tulit, vt solet iniustè acceptus. *Resehahh*, impietas, improbitas, à nonnullis etiam ἀδικία iniustitia dicitur.

LOCVS BIBLICVS.

Iniustitia pro falsa doctrina, 2. *Thess.* 2. 12.

SENTENTIÆ BIBLICÆ.

Dominus auersatur omnem iniustitiam. *Deut.* 25.

Si non permanserit in tabernaculo tuo iniustitia, tunc leuare poteris faciem tuam absque macula, & eris stabilis, & non timebis. *Iob* 11.

Non permanebunt iniusti ante oculos tuos. *Psal.* 5.

Dixit iniustus, vt delinquat in semetipso. 35.

Iniusti autem disperibunt: simul reliquiæ impiorum interibūt. 36.

Vsquequo loquentur iniquitates, qui operantur iniustitiam. 93.

Non proponebam ante oculos meos rem iniustam, facientes præuaricationes odiui. 100.

Propter iniustitias enim suas humiliati sunt. 106.

Creatura tibi factori deseruiens exardescit in tormentum aduersus iniustos, & lenior fit ad benefaciendum pro his, qui in te confidunt. *Sap.* 16.

Non tibi placeat iniuria iniustorum. *Eccl.* 9.

Regnum a gente in gentem transfertur propter iniustitias, & iniurias, & contumelias, & diuersos dolos, 10.

Reuertere ad Dominum, & auertere ab iniustitia tua. 17.

Erubescite à socio, & amico de iniustitia (& ideo vana opera eorum.) 41.

In corruptione sua peribunt percipientes mercedem iniustitiæ. 2. *Pet.* 2.

POETICAE SENTENTIAE.

Verinus.

Nihil iniustitia misera est infestius vrbis:
Funditus hæc muros vertit, & ipsa domos.

Euripid. in Heraclid.

Πάλαι ποτ' ἐστὶ τοῦτ' ἐμοὶ δεδογμένον,
Ὁ μὲν δίκαιος τοῖς πέλας πέφυκ' ἀνήρ.
Ὁ δ' εἰς τὸ κέρδος λῆμ' ἔχων ἀνειμένον,
Πόλει τ' ἄχρηστος, καὶ συναλλάξαι βαρύς.

Equidem hanc sententiam iam olim approbaui,
Quod vir iustus natus sit in proximi commodum,
Contra, cuius animus inclinatus est in lucrum,
Et amicis inutilis est, & difficilis in commercijs.

Euripid. in Iasone.

Ὅστις γὰρ ἐστὶ τὸ πλέον ζητεῖν πεφυκὼς ἀνήρ,
Οὐδ' ὀρθοῦ δίκαιος οὐδ' ἐθέλει...
Φίλοις τ' ἄμικτος ἐστὶ πάσῃ τε πόλει.

Quisquis ambitiosum, & auarum ingenium habet,
Nihil ille iustum sapit neque cupit,
Difficilisque est amicis, & toti ciuitati.

Euripides in Ion.

Ἴτ' ὦ κακοὶ βροτοί, τιμὰς κτᾶσθε
Καὶ κτᾶσθε πλοῦτον πάντοθεν θηρώμενοι,
Σύμμικτα μὴ δίκαια καὶ δίκαια ὁμοῦ,
Ἔπειτ' ἀμᾶσθε τῶνδε δύστηνον θέρος.

Ite nunc ò mali homines parate vobis honorem per vim,
Et comparate diuitias vndecunque venantes,
Per fas simul atque nefas:
Deinde messem ipsarum infelicem metite.

SENTENTIÆ PHILOSOPHORVM.

Iniustitia iniuriam faciunt, & ad res iniquas iniustasque vltro depelluntur. *Ethic. lib. 5. c. 1.*

Hoc intelligendum est, multis modis iniustum hominem vocari, videtur quæ iniustus esse, & is, qui leges violat: & is, qui semper maiorem sibi partem aufert: & qui iniquus est. *ibid.*

Quoniam qui iniustus est, πλεονέκτης etiam semper, id est, qui meliorem semper ad se partem transfert, versabitur in bonis, non omnibus equidem, sed ijs tantummodo, in quibus res aduersæ prosperæque consistunt. *ibid.*

Iniusti non semper vt in duobus per se malis, maius, sed etiam leuius eligunt. Sed quia minus malum etiam boni speciem quodammodo, ipsaque πλεονεξία in bonis versatur, idcirco πλεονέκται omnino esse videntur, id est, omnia sibi præcipua semper auferentes. Quin etiam iniqui sunt, (hoc enim continet, lateque patet: continet enim quod iniquum est, & plus & minus) & legum violatores: quoniam hoc ipsum violare leges, ac iniquum esse iniustitiam omnem complectitur, fusumque est per omnem iniustitiam. *ibid.*

Hoc alienum absurdumque sit, eum qui facit iniuriam, nolle iniustum effici: & qui intemperate viuat, intemperantem. Atqui si quis impudens gerit ea, ex quibus iniustus necessario fiet: profecto voluntate sua efficitur iniustus. Nec tamen si velit quidem, cohibere se possit, aut iniustus esse desinat, fiatque iustus: quoniã ne ægrotus quidem, valens & incolumis, cum velit, etiamsi ita acciderit, vt sponte à voluntate sua ægrotaret: quia & libidinosè viueret, nec medicis crederet. *Ethic. lib. 3. c. 5.*

Iniustis ac libidinosis initio ab his vitijs declinare licuit, propterea, quod in eorum erant potestate, & posteaquam eiusmodi extiterunt iam non licet. *ibid.*

Iniustitia in vtroque extremo posita est. *Ethic. lib. 5. c. 5.*

Iniustitia in iniuria versatur, quæ eadem emolumenti, ac detrimenti amplificatio, & imminutio est præter iustam proportionem. Itaque nimium, & parum iniustitia est, propterea quod in exuperantia, & defectione consistat. Ac in sua quidem causa si agatur, vtilitas modum egreditur, sin detrimentum, deest moderationi. At si res aliorum agatur, in vniuersum quidem similiter facit. Quod verò attinet ad extrema, quæ sunt ad proportionem, citra vllam rationem temere in vtrumque declinat: ita vt modo plus, modo minus tribuat. *Ibid.*

In quo quisque iniustè faciens, iniustè modo habetur, non omnino improbus, in eo fieri non potest, vt de se quisque male mereatur. Hoe enim aliud est, atque aliud. Est enim quodammodo iniustus vir sic improbus, vt ignauus: non vt is, qui omni scelere sit contaminatus. Quapropter hac iniustitia nemo sibi faciat iniuriam, quoniam simul eidem, & adimeretur idem, & adderetur, quod fieri non potest: sed inter plures iuris, & iniuriæ necesse est semper esse communionem. Iam quisque alterum violat, cum & sponte violat, & consulto & prior. *Ethic. l. 5. c. 11.*

Iniustitia vniuersæ iustitiæ opposita non pars vitij est, sed vniuersum vitium *Ethic. lib. 5. c. 1.*

Qui agit eorum aliquid, quæ cæterorum vitiorum sunt propria, is facit quidem iniuriam: attamen non plus æquo sibi auferre dicitur. Velut si quis abijciat clypeum propter ignauiam: aut maledixerit per iram: aut pecunijs non iuuerit, propter iniuriam. Cum autem plus sibi sumit quis sæpe ad nullum eiusmodi vitium illud, nec ad diuersa, sed ad certum iam aliud pertinet: vituperamus enim tamquam iniustitiam. Est igitur quidẽ aliud genus iniustitiæ, quæ vt pars subiecta est generali, itemque aliud quoddam iniustum subiectum iniusto, quod est contra leges. *Ethic. l. 5. c 3.*

Si quis quæstum fecerit, ad nullum vitium refertur, nisi ad iniustitiam. Quare perspicuum est esse præter generalem certam quãdam iniustitiam, quæ illi subiecta sit, eodem nomine appellata: quoniam in eodem genere posita est definitio. In rebus enim aliemis vtraque vim suam obtinet: sed hæc in honore, aut in pecunijs, aut in salute, aut si quo vno nomine hæc complecti omnia possumus: & in voluptate ea, quæ ex quæstu percipitur. Illa in ijs spectatur rebus, in quibus vir bonus. *Ethic. lib. 5. c. 2.*

Inter quos iniustitia est, inter eos iniuriæ faciendæ communio est. Quibus autem inter eos iniuriæ faciendæ communis ratio est, non est etiam inter eos omnes communio iniustitiæ, quæ quidẽ enim est, cum sibiipsis plus eorum, quæ bona sunt, tribuit, & quæ mala sunt, minus. *Ethic. lib. 5. c. 6.*

Necesse est eum, qui iniustè patitur, lædi, neque sponte lædi. *lib. 1. Rethor. c. 13.*

Quod iniustum est, id contra proportionem est. Existit ergo hic plus & minus: quod quidem etiam in actionibus accidit. Qui enim alterum violat, boni plus adipiscitur: qui violatur, minus. *Ethic. lib 5. c. 3.*

Cum cogitato, & consulto fit iniuria, tum quisque iniustus, & improbus habetur. *Ethic lib. 5 c. 8.*

Quo quisque maiore fraude, & ex insidijs agit, eo iniustior est. *Ethic. lib. 7. c. 6.*

Si vitium habeant vnum, aut plura: in quo improbi sunt in eo etiã iniusti, veluti prodigus in pecunijs: intemperatus in voluptatibus corporis: mollis in desidia: timidus in periculis. Deserit enim periculo tum socius propter timorem. Ambitiosus etiam propter honorem iniustus est: iracundus propter iram: contẽtiosus cupiditate victoriæ acerbus propter vltionem: stultus, quoniam circa iustum, ac bonum decipitur. *lib. 1. Rhet. ad Theodect. c. 10.*

Illegitimum est, eos qui ad iudicium se offerunt inuadere tanquam iniustè facientes, ac simul interea omnia ad bellum parare. *Thucyd. lib. 1.*

Hoc multo vtilius esse iudico ad retinendum Imperium, præstare iniurijs affici, quam alios iniustè interficere. *Idem lib. 3.*

Leuitas, & iniustitia, tyrannica sunt, & aliena a liberis hominibus viti.. *Plut. in Alcibiade.*

Turpe in locum honesti à potentia sapientiæ experte suppositum, iniustitiæ etiam opinionem honestis rebus conciliat. *Idem in Demetrio.*

Graue atque multum ab æquitate remotum est, nulla accepta iniuria, nulla causa, bellũ inferre alienigenis, & amicis. *Diod. Sicul. l. 13.*

Apud quos pœna non sequitur iniustitiam, ibi modestia quoq; suo honore spoliatur. *Dion lib. 41.*

Nec visum hominem, nec auditum damnare, nefas vltimum est. *Amm. Marcell. lib. 15.*

Nulla est sententia crudelior ea, quæ quum parcere videtur, est asperior. *Idem lib. 29.*

Non, quod ipse nihil iniustè facias, iustus eris propterea, si eos qui ab alijs iniuriam patiuntur, vbi tibi potestas erit, non defendas. *Procop. de bello Pers. lib. 2.*

Vim afferre, & alienis pasci, turpe semper ac probrosum videtur, quod iniustum in ipso insit. *Idem de bello Vandal. lib. 1.*

Delinquere, & in delinquentes inferenda supplicia intercipere, æquè se habent. *Idem de bello Goth. lib 3.*

Violentiam inferre, alienisque pasci, iniustitia est in omni tempore, maximeque exercitui in periculis constituto. *P. Diacon. in Iustiniano.*

APOPHTHEGMATA.

Aristoteles dicebat, iniustitiam esse vitium animi, quo amplius quam par est homines sibi sumunt. *Stob. serm. 10.*

Idem. Iniustitiæ effecta dicebat esse, patriam violare, & instituta, & iura, nec parere legibus, nec magistratibus, mentiri, peierare, transgredi conuentiones, & fidem fallere. Comites autem iniustitiæ sunt calumnia, iactantia, inhumanitas, simulatio, malignitas, calliditas.

Plato. summam esse iniustitiam dicebat, iustum velle videri, si sis iniustus. *Eod. serm.*

Socrates, omnium morborum turpissimum iniustitiam esse dicebat, & ideo quoque pessimum, quod incommodum, & dolorem maximum homini iniusto inferret. *Stob. serm. 41.*

Ægyptiorum reges legem suam quamdam seruant, qua iuramento obstringunt iudices, vt rege ipso iniustam flagitante sententiam, ei morem non gerant. *Plut. in apoph.*

Antigonus scribebat ciuitatibus, si quid iniustum, & legibus contrarium per epistolã mandaturus esset, ne parerent: sed ipsum ignoratione lapsum censerent. *Plut. ibid.*

Themistocles, postulanti à se Simonidi, vt sententiam quamdam iniustam ferret: Neque tu, inquit, Poeta bonus esses, si præter numerum caneres, neque ego princeps probus, si contra leges iudicarem. *Plut.*

Lysander, culpantibus ipsum, quod multa per dolum agendo indignum Hercule se gereret, dixit, vbi leonina pellis non sufficit, ei assuenda est vulpina. *Plut. in Lysandro.*

Idem de agro controuersia, cum viderentur Argiui iustiora, quam Spartani afferre argumenta, stringens gladium, hunc (ait) qui tenet, is optimè de agrorum finibus disputat. *Plut. in apoph.*

Demaratus. Defecerat quidam Persa à rege suo, eumque Demaratus persuaserat, vt ad regem rediret, quem cum deinde rex necare intenderet, Demaratus, turpe, inquit, est ô rex à quo cum inimicus esset, pœnas sumere defectionis non potuisti, eum nunc amicum factum abs te occidi. *Plut.*

ADAGIA.

Stateram ne transgrediaris. *ζυγὸν μὴ ὑπερβαίνειν.*

Hoc est: Ne q. id facias præter ius & æquum.

Malum lucrum æquabile dispendio. *τὰ κακὰ κέρδεα ἴσα ταῖς ἄταις.*

Non est lucrum, quod iactura bonæ mentis comparatur. Vnrecht gevvunnen Gutt gedehet nicht. Vbel gevvunnen, vbel zerrunnen. Es ist ein boeser Heller, der ein Gulden schadet.

INNOCENTIA.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

INnocentia, Græcè *ἀκακία, ἀθῳότης* & *ἄκακος, ἀθῷος,* innocens dicitur. Est autem innocentia puritas animi, omnem iniuriæ illationem abhorrens, secundum Ciceronem. *lib. de Offic. & in Tusc. q.* vocat *ἀβλάβειαν,* talem animi affectionem, quæ nemini noceat.

Innocentia integritas est. Sicut nocentes propriè dicuntur, qui iniuriam, aut maleficium commiserunt, à noceo verbo, quod est, obsum, & à maleficio non abstineo. Ita innocentes dicuntur, qui ab omni iniuria, & maleficio abstinent. Inde fit innocenter aduerbium, & innocuum, quod modo actiuè capitur. *Virg. Littusque rogamus Innocuum* · aliquando passiuè, pro eo, cui non nocetur. *Virg. Sedere carinæ Omnes innocuæ.*

Innocentia, Hebr. Nikkaion, vacatio culpæ, *Ps. 26. 6.* à verbo *Nakah,* vacauit culpa, vacuus fuit crimine, innocens fuit Naki, innocẽs, inculpatus. Innocentem, atque iustum non occides. *Exod. 23. 7.*

Innocentia, malitiæ opposita, talis est animæ affectio, qua nemini noceat, ac ne nocere quidem velit. *Rom. 16 18.*

Loci Biblici.

Innocens nullos apud Deum, *Exod.* 34.7. vide iustus. Innocentia Samuelis, 1. *Samuel.* 12.3. Dauidis, 24. *verſ.* 10.12. *&c.* Innocentia ſua cuique tuenda, & malæ ſuſpiciones amouendæ, *Ioſue* 22.22. 1. *Samuel.* 1.14. 1. *Regum* 18.17. *Ierem.* 37.12. *Actor.* 2.14. *&* 6.24. *&* 7.2. *&* 28.17.

Sententiæ Biblicæ.

Innocens manibus, & mundo corde: qui non accepit in vano animam ſuam, nec iurauit in dolo proximo ſuo: hic accipiet benedictionem à Domino, & miſericordiã à Deo ſalutari ſuo. *Pſal.* 24.

Sententiæ Patrum.

Illa vera eſt Innocentia, quæ nec inimico nocet. *Auguſt. in Pſalm.* 38.

Vera innocentia eſt, vbi integritas ſine peccato, venditio ſine debito, flagellum ſine merito. *Idem ibid.*

Quis eſt innocens? qui cum alijs non nocet, nec ſibi nocet. *Ibidem.*

Innocentia, & integritas leui ſorde violatur aſperſa, & gratiæ ſuæ munus amittit. *Ambr. in hexam.*

Innocentia inter ipſa tormenta fruitur conſcientiæ bono, & inter malignitates, quum de pœna metuit, de innocentia gloriatur. *Hier. ad Demetr.*

Qui mala pro bonis rependit, ex eius domo non eijcientur mala. *Nilus apud Ant. & Maxim ſerm de innoc.*

Qui ad malum ſuſcipiendum paratus non eſt, is ne ad mali quidem ſuſpicionem eſt facilis. *Idem ibid.*

Immediocris eſt titulus virtutis, inter prauos viuere bene, & inter malignantes retinere innocentiæ candorem, & morum lenitatem. *Bernard. in Cant.*

Nihil ſancta, & ſingularis illa maieſtas aliud ab homine deſiderat, quam ſolam innocentiam, quam ſi quis obtulerit Deo ſatis piè religioſeq; litauit. *Lactant. Firmian. lib. 6. diuin. Inſtit.*

Nam Deus innocentiam probat, qua homo non metu pœnę fit innocens, ſed amore iuſtitiæ. Nam qui timore non peccat, quamuis nõ noceat, cui vult nocere, & abſtineat ab iniquo opere, reus tamen fit ſola voluntate. *Aug. de vera Innocen.*

Non eſt innocentiæ parcendo ſinere, vt in malum grauius incidatur. Pertinet ergo ad innocentis officium, non ſolum nemini malum inferre, verum etiam cohibere à peccato, vel punire peccatum, vt aut ipſe, qui prius odio habetur, corrigatur experimento, aut alij terreantur exemplo. *Idem de ciuitate Dei, & habetur* 13. *quæſt.* 5. *Non eſt.*

Sicut paruulus non perſeuerat in iracundia, non læſus meminit: nõ, videns pulchram mulierem, delectatur: non aliud cogitat, & aliud loquitur: ſic & nos, niſi talem habuerimus Innocentiam, & animi puritatem, regna cœlorum non poterimus intrare. *Hieron. ſuper illud Matth. Quicumque humiliauerit ſe ſicut paruulus.*

Innocens credit omni verbo. Non vituperanda facilitas, ſed laudanda bonitas, hoc eſt, innocentem eſſe, ignorare, quod noceat, & circumſcribitur ab aliquo de omnibus tamen bene iudicat, qui fidem eſſe in omnibus arbitratur. *Ambroſ. lib. de Offic. & habetur* 4. *q.* 5. *Denique.*

Sic vixi, vt accuſatorem exterius non timerem: Vtinam ſic vixiſſem, vt intra meipſum accuſatorem conſcientiam non haberem. *Greg. Moral. lib.* 2.

Sententiæ Poeticæ.

Plaut. in Amphitryone.

Quæ non deliquit, decet
Audacem eſſe, confidenter pro ſe & proterue loqui.

Hor. Ode 22. lib. 1.

Integer vitæ ſceleriſq; purus
Non eget Mauri iaculis, nec arcu,
Nec venenatis grauida ſagittis,
Fuſce, pharetra,
Siue per Syrtes iter æſtuoſas,
Siue facturus per inhoſpitalem
Caucaſum, vel quæ loca fabuloſus
Lambit Hydaſpes.

Ouid. 5. Triſt.

Nec fore perpetuam ſperat ſibi numinis iram
Conſcius in culpa non ſcelus eſſe ſua.

Idem 4. Faſtor.

Conſcia mens recti famæ mendacia ridet:
Sed nos in vitium credula turba ſumus.

Antholog. 5 Iac. Bulj.

Diuina innocentia.

Perfectè bonus eſt, & verè dicitur inſons,
Nec ſibi, nec cuiquam, quod noceat, faciens.

Polyanthea Noniſſ.

Nam quicumque alium molitur lædere, primum
Ipſum ſe iaculo percutiet proprio.
Et cum ſorte animum non ipſe ſequitur facultas,
Non dubium in cordis viſcere vulnus habet.
Nec fugit infecti ſceleris mens praua reatum,
Cui nimis hoc ſolum, quod voluit, nocuit.

Quod quo rectius quiſpiam viuit, eo ſe omni bono indigniorem eſſe cenſeat.

Quæ magis à Chriſto mens conſcelerata recedit,
Hæc ſua damna minus proſpicit, atque gemit.
Quæ propior Chriſto mens eſt hæc crimina cernit
Ipſa magis, viſis ingemit, atque magis
Nam velut ardenti corpus cum febre laborat,
Quanam ſit cunctis debilitate liquet:
Sic Deus inuiſens animas, & corda piorum,
Vel nimia his, vt ſint crimina nota facit.

Philosophica Placita.

Hoc præceptum officij diligenter obtinendum eſt, ne vmquam innocentem iudicio capitis arceſſas. Id enim ſine ſcelere nullo pacto fieri poteſt. *Cic. lib. de Offic.*

Innocentia eſt puritas animi, omnem iniuriæ illationem abhorrẽs. *Cic. de Offic.*

Triumphus innocentiæ eſt, non peccare, vbi liceat: in quem plus potes peccare deſine. *Sen in Prou.*

In malis ſperare bonum, niſi innocens, nemo ſolet. *ibid.*

Nemo inuenitur, qui ſe poſſit abſoluere, & innocentem quiſque ſe dicit, reſpiciens teſtem, non conſcientiam. *lib. 1. de Ira.*

Innocentia per gradus certos ab homine diſcedit, & ne in maxima trepidet audacia, diu vites in moribus colligit. *Quint. Declam.*

Vide *Conſcientia. Conuerſatio, Honeſtas, Solicitudo.*

Verba innocenti reperire facilè eſt. *Curt. lib. 6.*

Securitatem adfert innocentia. *Idem ibid.*

Parum tuto loco ſtat innocentia. *Amm. Marcell. lib.* 15.

Plerumque innocentes recenti inuidiæ ſunt impares. *Tacit. Annal. lib.* 2.

Perturbatione temporum eos etiam qui vetò iudicio nullius criminis conuinci queunt, maximis inuolui criminibus haud eſt veri diſſimile. *G. Pachymer, hiſt. lib.* 1.

Apophthegmata.

Bion olim cum ſceleroſis nauigans, incidit in prædones. Illis dicentibus: Actum eſt de nobis, ſi agnoſcamur: Et de me, inquit, niſi agnoſcamur. Bonis innotuiſſe, ſalus eſt. *Laert. lib. 6. c. 7.*

Socrates mori deſtinatus, de cunctis rebus magis, quam de ſe defendendo, cogitare videbatur. Quare Hermogenes Hipponici filius, Socrati familiaris: Atqui, ait, par erat, ò Socrates, de tua defenſione curam habere: Nonne, ait Socrates, tibi videor, ò Hermogenes, hoc ipſum facere, dum quemadmodum vixerim, meditor? Putabat autem Socrates ſapientiſſimus, omnem defenſionem ſuperuacaneam eſſe apud eos, qui ex vita bene tranſacta ſuam innocentiam non agnoſcerent. *Bruſon. lib. 2. cap. 1. ex Xenoph. Apologia.*

Idem, iam ad mortem damnatus Apollodoro comploranti, dicentique: Innocens morieris? Quid, inquit, num me nocentem mori malles? Ea igitur mors libenter ſubeunda eſt, in qua criminis innocentia homo excuſatur. *Xenophon in Apologia pro Socrate.*

Idem, cum iudices inter ſe diſceptarent, qua pœna dignus eſſet Socrates: Ego, inquit, ob ea, quæ feci, dignum me cenſeo, qui publicitus alar in Prytaneo. Nam hoc honoris haberi ſolebat ijs, qui præclarè de Republ. fuiſſent meriti, M. Tullius hoc refert *lib. de oratore* 1. Erat, inquit, Athenis reo damnato: ſi fraus capitalis non eſſet, quaſi pœnæ æſtimatio, hæc ſententia: quum iudicibus daretur, interrogabatur reus, quam quaſi æſtimationem cõmeruiſſe ſe maximè confiteretur? quod quum interrogatus Socrates eſſet, reſpondit, ſe meruiſſe, vt ampliſſimis honoribus, & præmijs decoraretur, & vt ei victus quotidianus publicè in Prytaneo præberetur, qui honos apud Græcos maximus habebatur. Cuius reſponſo iudices ſic exarſerunt, vt capitis hominem innocentiſſimum condemnarent. *P. M. l. 3. apoph.*

Xenocrates paſſerem, qui fugiens imminentem accipitrem, ſe in ſinum ſuum conieciſſet, texit, fouitque, ac demulcens dimiſit, dicens: Innocentem & ſupplicem non eſſe prodendum. *Laert. libro* 4. *cap.* 2.

Plato. Quum quidam Platoni narraret, nonnullos eſſe qui ipſum maledictis inſectarentur: At ego, inquit, ſic viuam, vt illis non habeatur fides. *Ant. Meliſſ. par. 2. ſerm. 69.*

Teleclus innocenter ab Ephoris damnatus abijt ridens. Rogantibus autem ijs, qui aderant, an contemneret Lacedæmoniorum leges? Nequaquam, inquit, quin gaudeo potius, quod

hæc mihi mulcta soluenda est cum eam nec indixerim cuipiam, nec à quopiam mutuo acceperim. Quo dicterio felicitatis esse putabat, quod mori iubetetur: cum neminem vnquam offendisset sua innocentia. *Plut. in Lacon. apoph.*

Ages in carcerem detrusus (qui Dechas dicebatur, in quo morti addictis strangulari fuit consuetudo) quum lictorem plorantem, & circa opus titubantem animaduertisset: Omitte, inquit, pro me has lachrimas amice: sic enim iniustè, contraque ciuitatis leges moriens, longe melior sum, quam qui nuper me morte damnarunt. *Plut. 3.*

Aristophontem Æschines tradit apud Athenienses gloriari solitum, quod quum nonagies quinquies esset vocatus in ius, semper fuisset absolutus. At Cephalus homo popularis, iustius gloriabatur, quod cum plura decreta scripsisset, quam alius suorum temporũ quisquam orator, tamen nunquam coactus esset caussam dicere. Certius innocentiæ signum est, ita rem gerere, vt nemo velit accusare, quam si postulatus elabaris è iudicio. Elabuntur interdum & nocentes. At qui absoluitur, licet pœnam effugiat, cicatricem tamen criminis circumfert. *P. M. lib. 8. apoph.*

Phocion. Ex his, qui cum Phocione erant morituri, quidam indignabundus deplorabat sortem suam. Quem ita consulatus est Phocion: Non tibi, inquit, Euippe (siue, vt quidam legunt, Thudippe) satis est, cum Phocione mori? Phocion non tantum innocens, verum etiam præclarè de Repub. meritus, ducebatur ad mortẽ. Magnum itaque solatium oportebat esse cum Phocione innocente mori innocentem. *Plut. in apoph.*

Anonymus. Quum censoris munus gereret Augustus, eques quidam Romanus apud illum delatus est, quasi facultates suas imminuisset. At ille citatus probauit sese auxisse. Mox eidem obiectum est, quod legibus contrahere matrimonium iubentibus non paruisset. Ille docuit se ex vxore trium liberorum esse patrem. Nec satis erat equiti dimitti, sed Cæsari crudelitatem exprobrans addebat: Posthac Cæsar in honestos viros, inquiens, honestis viris hoc munus mandato: Satis apertè pronuncians, eos non fuisse viros bonos, qui manifesto falsa ad ipsum detulissent: obiter & ipsum criminans, qui vices suas mandaret sycophantis. Et hanc libertatem innocentiæ condonauit Cæsar. *P. M. lib. 4. apoph. ex Suet.*

Titus Vespasianus audiens, suos antecessores in Imperio multis iniurijs a subditis affectos. Nemo, inquit, me iniuria afficere, aut contumelia potest, quia nihil ago, quod alios lædere possit. Quo dicto ostendere voluit, vitæ innocentiam esse certissimum corporis præsidium. *Xiphil. in vita Vespas.*

Idem, quum febre correptus, lectica à loco, in quo tumerat, transferretur, dimotis plagulis cœlum suspexit, questusque est, sibi immerenti vitam eripi, quum nullum per omnem vitam extaret factum, cuius pœniteret, vno duntaxat excepto. Id cuiusmodi fuerit, nec ipse prodidit, nec quisquam conijcere potuit. *Suet.*

Alphonsus percontatus a suis, cur sine satellitibus sæpenumero incederet? Se innocentia comitatum incedere, respondit. Innuit autẽ rex prudentissimus, eum demum bene munitum esse ab iniuria, qui propriam innocentiam habet comitem: eos verò nullibi esse tutos, qui male sibi conscij, etiam pericula sibi fingant, vbi plane nulla sunt. *Panor. lib. 2. de Alphons. reb. gest.*

SIMILITVDINES.

Chrysostomi. Sicut in conspectu hominum gratiosa facta est facies pulchra: Sic in oculis Dei speciosa est conscientia munda. *In 6. Matth.*

Sicut, qui corporaliter oculos habet acutos, de longe prospicit venientem, an amicus eius sit, an aduersarius: Sic qui mentem à peccatis habet mundam, de longè considerat, homo Dei est ille, qui venit, aut homo Diaboli. *In Matthæum 24. Homilia 48.*

Maximi. Quemadmodum sol exoriens, & mundum illuminãs, eum seipsum, tum res a se illuminatas demonstrat: Ita quoque sol iustitiæ purgato animo exoriens, & seipsum videndum exhibet, & rerum, quæ a se factæ sunt, & deinceps fiunt, rationes demõstrat. *lib. 1. de charitate.*

Quemadmodum rerum visibilium pulchritudo sensibilem oculum: Sic mentem quoque puram rerum inuisibilium cognitio ad se pertrahit. Inuisibilia dico ea, quæ sunt incorporea. *lib. 1. de charitate.*

Xysti Pytagorici. Templum sanctum est Deo mens pij, & altare est optimum ei cor mundum, & sine peccato. *In Enchirid.*

Laurentij Iustiniani Patriarchæ. Mortalium regum ministri, & terrenis Imperatoribus famulantes, quotiescumque suorum se præbent aspectibus dominorum, cunctas, quas vel in vestibus, vel in facie gerunt sordes, diluere studiosè conantur, ne quid in ipsis incompositum, aut indecorum appareat, quod oculis Principis despicabile videatur. Dignũ quippe est, vt quicquid sordescit, quicquid deforme est, amoueant a se quatenus aspectus illorum alliciant, quibus placere concupiscunt. Capitur etenim animus plerumque ex ornatu, & speciositate creaturarum. Hanc regulam, hunc quoque morem solerter custodire debẽt omnes æterno regi militantes. Illis namque congruis ita exteriorem habitum corporis, gressus, morum actus, animæ cogitatus, animorumque affectus componere: vt nil in eis reprehensibile cognoscatur, pro quo rationabiliter repellantur à præsentia redemptoris. Delectatur prorsus Dominus Iesus in grauitate vitæ, in cordium puritate, & in perfectione virtutum seruorum suorum. Sic enim cum tanto studio, & tanta sedulitate temporales homines ministros cupiunt habere formosos, morigeratos, prudentes, & nobiles: quanto magis sæculorum Regi immortali, & inuisibili, cui soli honor, & gloria exhibenda est, conuenit sibi astantes habere ornatos virtutibus, & omnium morum elegantia? *De disciplina, & perfectione monastica, c. 17.*

Nuptiales conuiuij delicias degustare cupientibus opus est, vt illis aperta sit ianua, qua intratur. Nam aliunde quisquis ingreditur, fur ac latro esse cognoscitur. Est quippe cõuiuium æternæ refectionis omnium deliciarum affluentissimum, quod paratum est ijs, qui in hac peregrinatione laudabiliter cõuersantes in bonis operibus ac Deo gratis, vitæ suæ terminum compleuerunt. In hoc, inquam, conuiuium nullus immundus, nullus ingreditur vitiorũ sorde pollutus. Nam sicut in illo omnia lucent, omnia placẽt, omnia conditorem suum laudant, venerantur, ac colunt: Ita vniuersi, qui recipiuntur in illud, oportet vt sint sancti, ab omnique delictorum macula mundi, quatenus conformes efficiantur conuiuantibus cæteris, Angelicis videlicet spiritibus, qui nullo vnquã se peccati coinquinauere contagio. *De obedientia, c. 14.*

Ciceronis. Vt ignis in aquam coniectus continuo restinguitur, & refrigeratur: Sic referens falsum crimen in purissimam, & castissimam vitam collatum statim concidit, & extinguitur. *Pro Roscio Comœdo.*

P. M. Vt nepenthes herba ab Homero prædicata, addita poculis, omnem conuiuij tristitiam excutit: Ita bona mens insita nobis, omnem vitæ solicitudinem abolet. *In simil.*

HIEROGLYPHICA.

Ante alia tam *Ouis*, quam *Agnus* hieroglyphicũ est *Innocentiæ*. Hinc illud apud Cyprianum sapientissime scriptum *libro de zelo et liuore*, Meminisse debemus, quo vocabulo Christus plebem suam appellet, quo titulo gregem suum nuncupet? Oues nominat, vt innocentia Christiana ouibus æquetur: Agnos vocat, vt Agnorum naturam simplicem, simplicitas mentis imitetur. *Pier. Val. lib. 10.*

Neque desunt, qui *Piscem* hieroglyphicum *Innocentiæ* esse contendant: cum omnino sint innocui, neque elementum suum ad insidias alijs inferendas transgrediantur. Eoque spectare dicunt Pythagoræ præceptum, qui abstinendum esse piscibus edicto cauerit, ne persequerentur insontes. *Pier. Val. lib. 31.*

Abluendarum manuum gestus signum quoque hieroglyphicum est *Innocentiæ*, quasi illas non contaminatas habere profiteamur. Vnde antiqui contestari volentes, se alicuius sceleris innoxios esse, nec assensum præbuisse, in conspectu multitudinis manus abluebant. *Pier. Valer. lib. 35.*

Vide Probitas, Virtus.

INOBEDIENTIA.

LOCI BIBLICI.

INobedientia eiusque punitio, *Gen. 2. v. 19. 17. & 19. 17. 26. Leu. 10. 1. & 26. 16. &c. Num. 14. v. 28. 41. & 16. 31. & 20. 24. Deut. 11. v. 16. 28. & 17. 12. & 18. v. 19. 20. & 27. 16. & 28. 15. &c. 1. Sam. 12. 15. & 13. 11. & 15. 24. & 28. 16. 2. Sam. 6. 6. 1. Reg. 11. 9. & 13. 15. & 14. 17. & 20. 35. &c. 2. Paral. 7. 19. & 26. v. 16. 19. Esa. 24. 5. Ier. 1. v. 3. 8. & 13. 8. 17. 27. & 26. 4. & 35. 1. &c. Ioan. 1. 3. Matt. 17. 17. Act. 7. 39. Roman. 2. 8. Gal. 3. 10. 2. Thess. 1. 8.* Inobedientia quam grande scelus, *1. Sam. 15. 23.* Inobedientiæ filij infidelitatis omnes, *Ephes. 2. 2.* eius pœna, *Deut. 30. v. 17. 18. 2. Thess. 3. 14. Hebr. 2. v. 2. 5.*

Inobedientia, vel omnino negligit, vel ex parte tantum, vel perfunctoriè, non autem ex animo legitimum superioris iussum exequitur.

SENTENTIÆ BIBLICÆ.

En propono in conspectu vestro hodie maledictionem, si non audieritis mandata Domini. *Deut. 12.*

Qui superbierit nolens obedire sacerdotis Imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille. *17.*

Si genuerit homo filium contumacem, qui non audiat patris, ac matris Imperium, & coercitus obedire contempserit, lapidibus eum obruet populus ciuitatis, & morietur.

Qui contradixerit ori tuo, & non obedierit cunctis sermonibus tuis, quos præceperis ei, moriatur. *Ios. 1.*

Non te abiecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos. 1. *Reg.* 8.
Quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ, nolle acquieſcere. 15.
Vir vanus in ſuperbiam erigitur, & tamquam pullum onagri ſe liberum natum putat. *Iob* 11.
Quid autem vocatis me Domine Domine, & non facitis quæ dico? *Luc.* 6.
Per inobedientiam vnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi. *Rom.* 5.
Qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. 13.
In promptu habentes vlciſci omnem inobedientiam, cum impleta fuerit veſtra inobedientia. 2. *Cor.* 10.
Fratres, ſi quis non obedit verbo noſtro, per epiſtolam hunc notate, & ne commiſceamini cum illo, vt confundatur. 2. *Theſſ.* 3.
Omnis præuaricatio, & inobedientia accipit iuſtam retributionem mercedis. *Hebr.* 2.
Væ illis, qui in contradictione Core abierunt (& ſequacibus ſuis) *Iud.* 1.

SIMILITVDO.

Theodoreti Epiſcopi. Non immerito reluctantur beſtiæ hominibus, quum ipſi Deo ſuo rebelles ſint, cui ſol, luna, ſtellæ obediunt: Mare non tranſit fines ſuos, cum tamen habeat legem, vt homines, in tabulis ſcriptam. Sed ſicut equus freno retrahitur: Ita mare ne abundet. *Serm.* 3.

EXEMPLA BIBLICA.

Inobedientiæ, & eius pœnæ *exempla:* Adam & Eua, *Gen.* 3. *ver.* 6. 56. 17. *Rom.* 5. 59. Lothi vxor, *Gen.* 19. 26. Pharao, *Exo.* 7. 14. *&* 8. 32. *&* 9. 33. *&* 10. 20. *&* 14. *v.* 27. 28. Iſraelitæ, 17. 4. *Num.* 14. *verſ.* 41. 44. *Deut.* 9. *v.* 23. 24. 1. *Reg.* 20. 36. 2. *Reg.* 17. 14. Chore, Dathan & Abiron, *Num.* 16. 22. Achan, *Ioſ.* 2. 5. Saul, 1. *Sam.* 13. 13. *&* 15. 19. 23. Vir Dei, 1. *Reg.* 13. *v.* 25. 26. *&* 20. 26. Rex Iſrael, 20. 42. Naamã, 2. *Reg.* 5. 23. Ioas Rex, 13. 19. Ioſias, 2. *Paral.* 15. 22. Ionas, *Ion.* 1. 3. *&* 2. 5. Iudæi, *Ier.* 34. 18. Cæci illuminati, *Matt.* 9. 31. quidam Iudæi, *Tit.* 1. 10. Inobedientia erga parentes damnatur, 2. *Tim.* 3. *v.* 2.

EXEMPLA PROFANA.

Lacedæmonij Iſadam puerum adhuc, quem lex nondum ad pugnam vocabat, quoniam exiliens gymnaſio ſtrenuum ſe præſtiterat, corona donauerunt. Quoniam verò nondum ætate poſtulante, & inſolitis etiam armis in hoſtes irruerat, pœna affecerunt. *Ælianus lib.* 6.
Athenienſes olim damnabant reos, non quidem ſi totam tantum legem, ſed ſi vnicam ſyllabam tranſgreſſi fuiſſent. *Alex lib.* 3. *c.* 5.
Caſſius Mutianus architectum ob Imperium licet cum ratione ſpretum, virgis cædit.
Apud *Thracios* lex erat militaris: vt contumax miles, deſertor vel transfuga, muliebri veſte amictus, ob ignominiam vinctus teneretur. *Alex. lib.* 2. *c.* 23.
Apud *Macedones* iniuſſu Ducis, vel Imperatoris arma capere, in ordines ire, aut hoſtes demum inuadere lege militari cauebatur. *Alexan. ab Alex. lib.* 3. *c.* 20.
Philippus Rex Archidamum morte mulctauit, quod cum eum perſeuerare cum armis iuſſiſſet, ille depoſuiſſet. *Ælian. lib.* 14.
Sub *Lyſandro* claſſis Lacedæmoniorũ præfecto, Bercyllides à Pharnabazo accuſatus, quod ordines non ſeruaſſet: ignominiæ cauſſa ſtare iuſſus eſt, ſcutum præ ſe ferens: hæc enim non ſeruati ordinis pœna eſt. *Xenophon.*

INSCITIA.

APOPHTHEGMATA.

Diogenes percontanti, quæ tellus grauiorem geſtaret molem: Quæ hominem, ait, rudem, & à bonarum artium ſtudio alienum. *Stob.*
Plato. Eo differre doctum ab indocto dicebat, quo bene ualẽtem ab ægroto videmus. Mentis enim ſanitatem, ac lumen à doctrina perſæpè, ab ignorantia autem ægritudinem manifeſtis rationibus proficiſci. *Fulg. lib.* 7. *c.* 8.
Si quid aliarum rerum, inſcitia vtique omnium efficaciſſima eſt ad quiduis perſuadendum hominibus leuibus, & ſuperciloſis, quæ ad inconſultam temeritatem eos impellit, & ad quiduis ſine conſilio ſuſcipiendum inuitat, ſi forte leuibus eorum cogitationibus inſedit. *Niceph. Greg. lib.* 9.

SIMILITVDINES.

Fulgentij epiſcopi. Sicut virtutis Dei ſcientia tenax eſt cœleſtis itineris: Sic eſt inſcitia mater erroris: quod etiam beatus Dauid oſtendit, dicens quibuſdam: Neſcierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant. *lib.* 1. *fol.* 29.

Polyanthea Noua.

Maximi Monachi. Somno ſimilis eſt indoctorum vita, inanes habens opiniones. *Ser.* 17. *& Iſidor. apud Anton. in Meliſſa, par.* 5. *ſerm.* 10.
Sexti. Quemadmodum neque vox, in piſcibus: Sic neque virtus in hominibus imperitis quærenda eſt. *Apud Anton. in Meliſſa ſerm.* 9. *par.* 1.
Demonactis. Vt muſicæ rudes organis: Sic indocti fortunis ſe accommodare neſciunt. *Apud Ant. in Meliſſ. p.* 1. *ſerm.* 70. *& Stob. ſerm.* 2.
Vt peregrini in vijs: Sic indocti in rebus ipſis aberrant. *Apud Maxim. ſerm.* 7.
Quemadmodum hiſtriones multa faſtus, & arrogantiæ gerunt indumenta: Sic indocti homines in re nullius momenti ſibi ipſis placent. *Apud Stob. eod. ſerm.*
Procli. Sicut materia omnia videtur habere, cum nihil reuera poſſideat: Sic & duplici ignoratione laborans, videtur ſibi quæ non habet, habere. *De anima. & Dæmone.*
Plutarchi. Vt Tygrides, ſi quis tympanis circumſonet, in rabiem agi dicuntur: adeo vt ſeipſas denique diſcerpant: ita quoſdam offendit, quod alijs reddit animum, puta Muſica, Eloquentia, &c. *In Moral.*
Vt morbus non celandus eſt, ſed in publicum efferendus, quo ſanari poſſit, vt dixit Heraclitus: Sic inſcitia non eſt tegenda. *In Moral.*
Plinij. Vt ſalicis ſemen ante maturitatem abiectum non ſolum ipſum nihil gignit, verum etiam fœminis ſterilitatis eſt medicamẽtum, hoc eſt, efficit vt non concipiant: Ita ſermones iſtorum, qui prius docent, quam vere ſapiunt, non ſolum ipſos non reddunt non meliores, verum etiam auditores ſuos inficiunt, & reddunt indociles. *lib.* 10. *c.* 27.
Nullum eſt animal, quod impenſius amet ſuos fœtus, quam aſinus, & ſimia: Ita indocti ſuas commentatiunculas præter alios amplectuntur. *lib.* 18. *c.* 43. *& c.* 54. *eod. lib.*
P. M. Vt in magicis artibus vulgus hoc magis admiratur, quo minus percipiunt rationem, cur illa aut illa tam abſurda præſcribãtur: Ita quidam magis admirantur ſtylum, aut carmen, quod non intelligunt. *In ſimil.*

Vide Ignorantia.

INSIDIÆ.

DEFINITIO, ET ETYMOL.

Inſidiæ, fallaciæ ab inſidendis, & occupandis locis, atque ſedibus certis, vt nihil tale cogitantẽ intercipias, & opprimas. Gr. ἐνέδρα, ἐνεδρεύειν, Hebr. *Ereb,* Latibulum (vnde quidam putant Erebi nomẽ fluxiſſe, propter tenebras) à verbo *Arab.* Clã inſidiatus eſt, latuit ſub tectis, abſconditus eſt ſub latibulis tenebroſis, & in ſpelũcis.

PHILOSOPHICÆ SENTENTIÆ.

Inſidioſi iniuſtiores ſunt. *Ariſt.* 7. *Eth. c.* 9.
Plurimi ſunt qui potentiorum inimicitijs gaudent, quorum animi quum ſint etiam ante ſimultatibus inuicem correpti, facilè eorum in hoc ipſum paratis ſermonibus decipiuntur: qui odio ipſorum delectati, inſidias ipſis ſub amicitiæ, nullius doli ſuſpectæ, ſpecie ſtruunt. *Dion. lib.* 45.
Nec irritæ, nec degeneres ſunt inſidiæ aduerſus transfugam, & violatorem fidei. *Tacit. Annal. l.* 51.
Omnium inſidiatorum animus, vbi fallere ſe cognoſcit, ferox eſt: vbi deprehenſum ſe intelligit, timidus & imbellis. *P. Æmil. lib.* 7.

ADAGIA.

Βυσσοδομεύειν.
Frequenter eſt apud Homerum pro eo, quod eſt, alto pectore moliri quippiã, & clanculum in animo ſtruere inſidias.
Canis ad cibum. κύων ἐπὶ σῖτον.
De ijs, qui in ſuum properant exitium. Quos canem volunt occidere, cibo oſtenſo alliciunt.
Δούρειος ἵππος.
Id eſt: Dureus equus. De clandeſtinis inſidijs dicebatur, aut vbi repente complures apparerent, qui latebant antea.
Ineſcare homines.
Terent. in Adelph. Neſcis ineſcare homines. Ducta eſt ab ijs, qui prefixo ari cibo piſces alliciunt. Ein ſpeckin auff die Falleo binden.
Oportet omnibus corydalis criſtam ineſſe. πάσαις κορυδαλλοῖς χρὴ λόφον ἐγγίνεσθαι.
Nullum eſſe mortale ingenium, cui non ſit aliquod vitium admixtum, eum perinde ſecundum hominis naturam ſit, non carere vitio, & galeritæ naturale eſt habere criſtam.
Tragulam inijcere.
Plaut. in Epid. Tragulam in te inijcere adornant. id eſt: Dolum aliquem in te ſtruunt. Et ibidem: Neſcio quam fabricam facit. Huic ſimillimum in Moſtell.
Pilum iniecisti. Einem die Beuellen verkauffen.
A tranſenna cibum petere.

In fenem dicitur, legimus epistolam, per quam erat fallendus.
Cuniculis oppugnare. ὑπονόμοις πολιορκεῖν.
Cuniculis bellare dicitur, qui non aperte vi, sed dissimulanter, ac dolis rem gerit. Contra qui palam agit, quod agit, machinis agere dicitur.
In transennam inducere.
Est dolo fallere, unde & hodie qui captus est, intra transennā esse dicitur.
Ius Garn brioger.
Pulchre fallit vulpem. παλάσκει τὴν ἀλώπεκα.
Apparet dictum in eum, qui dolis captaret astutum, cuique frustra tenduntur insidiæ. Suidas.

Exempla Biblica.

Insidiarum structarum *exempla*: Esau Iacobo, *Gen.* 24.42. Iosua Hai, &c. *Ios.* 8.12. Abimelech Sichemitis & Baalitis, *Iudic.* 9.v. 25.34. 33. Dalila Sāsoni, 16.12. Israelitæ Beniamitis, 20.v.29.36. 37.38. 39. Saul Amalech, 1. *Sam* 15.6. Dauidi, 18.v.15.16.17. & 24. *ver.* 12. 13. Baasa Nadab. 1. *Reg.* 15.27. Iezabel Eliæ, 19.14. Benadad rex Israel, 1. *Reg.* 6.8. Ozias Phaceeis 15.30. Serui Amon, 21.22.23. Ieroboam Abiæ, 2. *Paralip.* 13.13. Ammonitæ & Moabitæ Iosaphato, 20.22. Zadab Ioas, 24.26. Ierusalem Amasiæ, 25.27. Bagathan & Thares Assuero, *Esth.* 6.2. Impius pio, *Psal.* 10.8.9. Iudæi Christo, *Matth.* 26.4. *Marc.* 14.1. *Luc.* 6.7. & 11.53.54. & 19.47. Herodias Ioanni, *Marc.* 6.19. Iudæi Paulo, *Actor.* 9.24.25.29. & 20.3.19. & 23.15. 2. *Cor.* 11.26.

Historica Exempla.

Cum Darius Rex Oroetem præfectum Sardium ob tyrannicam crudelitatem clam interficiendum curare vellet: triginta Persæ sese obtulerunt, singuli promittentes, vel viuum, vel mortuum Oroete in sese adducturos: sors tamen Bagæo Artontis F. obtigit, qui Sardes profectus, curauit à satellitibus Oroetem necandum. *Herod. lib.* 3.

Porsenna Rege Hetruscorum Romam obsidente, C. Mutius Scæuola, quum constituisset regem opprimere incautum, veste indutus Hetrusca, & affinili lingua vtens, in castra penetrauit: cum ambisset tribunal, vbi rex considebat: ignorarer autem regem & timeret sciscitari, qui esset: quem maximè ex consensu arbitratus est regem esse, eum stricto gladio obtruncauit. *Plut. in Publicola, & in Parel. ex Aristidis Milesij lib.* 3.

Quum *Diomedes & Vlysses* communi opera sublato Palladio redirēt noctu: Vlysses, quo facti gloriam in se vnum transferret, destinabat occidere Diomedem præcedentem, ac Palladium secum portantem. Itaque cum ensem in caput illius a tergo vibrasset: Diomedes, animaduersa ad lumen lunæ gladij vmbra, subtraxit se plagæ: correptumq; Vlyssem vinctis manibus præcedere compulit, gladio lato subinde cædens illius tergum. Hinc Diomedea necessitas. *Suid. Zenodot. & P. M. in Adag.*

Thorismundus Rex Visigothorum, Tolosæ, à anno regni sui secundo, cum de vena sanguinem minuisset, tum à suo cliente consilio fratrum interfectus, sed parno cultello, quem manu te ebat, ioscia tium aliquot interfecit. *Roderic. Toletan. l.* 2. *Paralip. Hispan c.* 8.

Hungari conspirauerant aduersus Sigismundum Imp. armatique regiam intrauerant: aut capturi Regem, aut si id non succederet, occisuri: quos vt ad se irrumpentes Imperator cognouit, accepto pugione in medium progressus, Ecquis, inquit, vestrum manus in me inijcit, aut quidnam feci, quod me regem vestrum occidere vultis: prodeat e vobis, si quis audet, & mecum solus congrediatur. Ea voce & audacia obstupuere coniurati, & sibi quisque timens abiere. *Æneas Silu. lib.* 3.

Fabvla.

Leo & Lupus.

Decumbebat in antro suo senio confectus leo, & insuper morbo correptus. Ad quem visendum omnes animantes conuenerant, præter vulpem. Hac occasione captata, lupus vulpem grauissime accusare, quæ tam superbè despiceret Regem suum, neque adiisset ægrotantem visere. Hæc illo declamitante aduenit vulpes, & de clausula orationis, quam vehementer accusata esset, intelligens, & cernens leonem fremere ira, consilium cepit callidum, & sui defendendi, & vlciscendi inimici, ac dicendi copia impetrata: Quænam igitur de cunctis animantibus, inquit, tanta cura solicitudineq; afficitur de salute, & vita Regis, quanta ego? Quæ omnia loca peragro, vestigans medicinam, quâ sanari posse videaris, ac nuper tandem inueni, qui remedium dem instrarce, præsens quidem, atque efficacissimum, vt videtur. Quodnam illæ, tus nuncio, inquit leo. Lupi, inquit vulpes, pellem modo detractam, & adhuc calentem oportebit te circumdare ventri, & costis. Hoc audito, ita leone imperante, lupo misero pellis detrahitur, & leoni applicatur. Cui iacenti insultans verbis vulpecula: Non irritare, inquit, te principis animum: sed mollire potius, & flectere oportebat.

Fabula docet, qui alteri struit malum, eum sibi laqueos, quibus capiatur, nectere.

INSTABILITAS.

Definitio et Etymolog.

Instabilitas, Græcè ἀκαταστασία, & τὸ ἀεὶ ἀστατεῖν & ἄστατος, instabilis dicitur. Est autem instabilitas, mutabilitas loci, vel propositi. *B. Tho.* 2. 2. q. 35 *art.* 5. Hebræi hominem varium, vagum, volubilem, instabilem, & qui facilè loco mouetur *Nadh* appellant, à verbo *Nad hadh*, motus est, dimotus est à seipso, amotus est fugiendo.

Sententiæ Biblicæ.

Vagus & profugus eris super terram (maledictio Cain.) *Gen.* 4.
Ecce qui seruiunt ei, non sunt stabiles. *Iob* 4.
Erit stabilis, & non timebis. *Iob* 11.
Non dabit in æternum fluctuationem iusto. *Psal.* 54.
Sicut auis transmigrans de nido suo: sic vir, qui derelinquit locum suum. *Prou.* 27.
Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris. *Eccles.* 10.
Non ventiles te in omnem ventum, & non eas in omnem viam. *Eccles.* 5.
Commde in Deo, & mane in loco tuo. 11.
Stultus sicut luna mutatur. 27.
Qui implantatus (non radicatus) est, abundabit nequitia. 34.
Impij quasi mare feruens, quod quiescere non potest, & redundāt fluctus eius in conculcationem, & lutum. *Esa.* 57.
Dilexit mouere pedes suos, & non quieuit, & Domino non placuit. *Ier.* 14.
Peccatum peccauit Ierusalem, propterea instabilis facta est. *Thren.* 1.
Quid exiitis in desertum videre? arundinem vento agitatam? *Matth.* 11.
Fratres mei dilecti, stabiles estote, & immobiles: abundantes in omni opere Domini semper, scientes, quod labor vester non est inanis in Domino. 1. *Cor.* 15.
Numquid leuitate vsus sum? 2. *Cor.* 1.
Non est in illo, Est & Non, sed est in illo, Est. *ibid.*
Non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ. *Ephes.* 4.
Rogamus vos fratres, vt operam detis, vt quieti sitis, & vt vestrum negocium agatis. 1. *Thess.* 4.
Scitis quemadmodum oporteat imitari nos, quoniam non inquieti fuimus inter vos. 2. *Thess.* 3.
Ociosæ discunt circuire domos: Non autem solum ociosæ, sed & verbosæ, & curiosæ, loquentes quæ non oportet. 1. *Tim.* 5.
Vir duplex animo inconstans est in omnibus vijs suis. *Iacob.* 1.
Sidera errantia, quibus caligo tenebrarum seruata est in æternum. *Iuda.*

Sententiæ Patrum.

Tria sunt, quæ vagam mentem stabilem faciunt, vigiliæ, meditatio, & oratio: quarum assiduitas, & iugis intentio confert animæ stabilem firmitatem. *Ioann. Cass.*
Stabilitas est mentem fixam continere, nullâ locorum, vel tēporum varietate, in diuersa iactare. *Hugo.*

Philosophicæ Sententiæ.

Vir est, qui contra biformes fortunæ euentus, vniformi mentis constantia nullæ præmunitus. *Cic.*
Maximum iudicium malæ mentis est fluctuatio, & inter simulationem virtutum, & amorem vitiorum assidua iactatio. *Se. in Pro.*
Diuersitas est vitium, & signum vacillantis animi, ac nondum habentis vigorem suum. Nemo proponit sibi, quod velit: nec si proposuit, perseuerat in eo, sed transilit: nec tātum mutat, sed redit: & in ea, quæ deseruit, ac damnauit, inuoluitur. Quid est sapientia? Semper idem velle, atque idem nolle, non potest idem semper placere, nisi rectum. Variatur quotidie iudicium, & in cōtrarium vertitur, ac plerisque agitur vita per visum. *Idem.*
Nec peregrinatione longa, nec locorum varietatibus, tristitiam mentis grauitatemq; discuties, animum debes mutare, non cœlum, nisi vastum traieceris mare, sequuntur enim te, quocumque perueneris, vitia. Quid miraris tibi peregrinationes non prodesse, cum te circumferas? Premit te eadem caussa, quæ expulit. Quid terrarum mutare nouitas potest? Quid cognitio vrbium, aut locorum? In irritum cedit ista iactatio. Onus animi deponendum est: non ante tibi vllus placebit locus. Vadis huc & illuc, vt excutias incidens pondus, quod ipsa iactatione incommodius fit: Sicut in naui onera immota minus vrgent: inæqualiter conuoluta citius eam partem, in quam incumbunt demergunt. Quicquid facies, contra te facis, & motu ipso noces tibi. Ægrū enim concutis. At cum istud exemeris malum, omnis mutatio loci

loci iucunda fiet. In vltimas expellaris terras licet, in quolibet Barbariæ angulo colloceris, hospitalis tibi illa qualiscumque sedes erit. Magis quis veneris, quam quo, interest: bene viuere omni loco positum est. *Inepist.*

Mutare loca, & in alium de alio transire nolo. Frequens migratio instabilis est animi. Vt animum possis continere, primum corporis fugam siste, deinde plurimum remedia continuata proficiūt: fine desistere oculos tuos, fine aures assuescere sæuloribus verbis: quoties processeris aliquo, quæ remanent cupiditates occurrent. *ibid.*

Vide Inconstantia.

INSTITVTIO.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

INstitutio, Instructio, Doctrina, παιδεία. Hebr. Chokkak. & Chok, i. Statutum, constitutio, legislatio, ritus præscriptus, regula, norma: a verbo *Chakak*, Effigiauit, Delineauit, exsculpsit, depinxit, descripsit, constituit. Hinc, Icon, effigies: & εἰκάζω effigio.

PATRVM SENTENTIÆ.

Ad discendum, quod opus est, nulla ætas sera videri potest: quod & si senes magis decet docere, quam discere: magis tamen decet discere, quam ignorare. *August. in epist. ad Hier.*

Ego ex eorum numero me esse profiteor, qui scribunt proficiendo, & scribendo proficiunt. *Idem epist. 7.*

Ab omnibus libenter disce, quod nescis, quia humilitas tibi cōmune facere potest, quod natura facit commune. *Idem in Epist.*

Naturæ ordo sic se habet: vt cum aliquid discimus, rationem præcedat authoritas. *Idem de morib. eccles.*

Nihil prodest facienda didicisse, & non facere. Melius est nescire aliquid quam cum periculo discere. *Hier. in epist.*

Vera hominis scientia est imperfectum se nosse. *Idem ad Luciferum.*

Oprabile est, & mihi præclarum vsque ad vltimam ducere senectutem: quoniam nulla ætas ad perdiscendum sufficere potest. Docere verò alios, affectare eum, qui non sufficienter instructos est: res mihi videtur antiqui prouerbij: in dolio discere artem figuli, hoc est, in periculo. *Greg. Nazian. in Ato oget.*

Sunt qui scire volunt, eo fine tantum, vt sciant, & turpis curiositas est: & sunt, qui scire volunt, vt sciētiam suam vendant, & turpis quæstus est: & sunt, qui scire volunt, vt sciantur ipsi, & turpis vanitas est. Sed sunt quoque, qui scire volunt, vt ædificent, & charitas est: & sunt, qui scire volunt, vt ædificentur, & prudentia est. *Bern. in cant serm. 20.*

SENTENTIAE PHILOSOPHICÆ.

Lectio certa prodest, delectat. Qui quo destinauit, peruenire volt, vnam sequatur viam, non per multas vagetur: non ire istud, sed errare est. *Sen. epist 43.*

Mutuo ista fiunt: & homines dum docent, discunt: non est, quod gloria publicandi ingenij producat in medium: vt recitare istis velis, aut disputare. Si haberes isti populo idoneam mercedem, nemo est, qui intelligere te possit. Cui ergo, inquis, ista didici? nō est quod timeas, ne operā perdideris, si tibi didicisti. *Senec. epist. 7.*

Quid est stultius, quam quia diu non didicens, non discere? omnis ætatis homines schola admittit. Tamdiu discendum est, quamdiu nescias? Si prouerbio credis quamdiu viuas, etiam seni discendum est. *Idem epist 76.*

Mores primum, mox sapientiam disce, quæ fine moribus male discitur. *Idem ibid.*

Debent homines viaticum senectutis literarum eruditione parare disce odo, ne defecerint iosipienti animo: literas tanquam baculum infirmo corpori, re certas esse: eundem finem esse discendi, qui & viuendi. *Idem in Prouerb. philosoph.*

SANALATVDANES.

Nazianzeni. Qui vel vitam solum rectè instituunt, aut eloquentiæ tantummodo student, ita vt alterum omittant: nihil mihi a monoculis distare videntur, quibus magnum est nocumentum; major verò turpitudo, quum quempiam inspiciunt, len inspiciutur: quibus verò contingit, vt in vtrisque excellant, & fint idonei, ij illud etiam assequuntur, vt perfecti euadant, & cum beatitudine viuant futura. *In orat. de laudib. Basilij.*

Plutarchi. Vt terra quo melior est natura, hoc magis corrompitur, si negligatur: Ita ingenia, nisi rectè excolantur, quo sunt feliciora, hoe pluribus vitijs obducuntur. *In Moral.*

Est terra quædam asperior, duriorq; quæ tamen culta protinus feraz redditur: Sic ingenia duriora natura institutione mansuescunt. *In Moral.*

Vt currunm rotæ vi inflexæ numquam ad pristinam rectitudinem queunt reuocari, itidem histrionum baculi; Ita quædam ingenia sic consuetudine, & institutione depraoantur, vt corrigi non queant. *In Moral.*

Isocratis. Quemadmodum cotes, quum ipsæ secare non possint, ferrum tamen reddunt acutum: Ita quidam ad dicendum quum pla ne inuules sint, alios tamen reddere idoneos possunt. *Apud P. M. lib. 8 apoph.*

Tirruani. Veluti ager non statim, vbi terra eruderata est, ac horrorē deposuit, vltro florem edit, aut fructum exigit, sed semen requirit: Ita neque indoles nostra, euulsis vitiorum radicibus, statim ad virtutem insurgit, sed iustis præceptis, quibus imbuatur, opus habet. *In apoph. 5.*

Vt neque terra, quæ media æstate obduruit, semen vtiliter excipit, neque quæ hiemis rigorem sensit, sed quę ineunte vere aperitur, & adhuc dum mollescit: Ita prima pueritia ad præceptiones imbibendas maximè est idonea. *In apoph. 6.*

Vt terra, licet semel exulta sit, iterum tamen suapte natura exhorrescit, nisi subinde aratrum admoueas, ac semen immittas: Ita pueri licet à teneris vnguiculis probe instituti sint, vitia tamen mox repullula[illegible], nisi erebra ad virtutem admonitio, & adhortatio adsit. *In apoph.*

Quemadmodum nullus ager est tam prægnans, nulla planta tam integra, quę cultura non habeat opus: Ita nullus homo tam felix est, qui negligenter institutus non sordeat, sereque eo sordidior fit, quo est felicior. *In apoph. 11.*

Quemadmodum terræ non quæuis semina inijcimus: sed quæ vtilem potius fructum promitrunt, quam quæ pulchrum, quæ agrum fecundant potius, quam quæ exornant: Ita neque pueros disciplinis licet fallere, quæ tantum decorum afferunt, sed quæ conducunt, quæ vitam potius quam linguā formant, & erudiunt. *In apoph. 12.*

Quemadmodum pictor lineamenta ducit prius quam coloribus rem illustret: Sic pueritiam quoque prius virtute decet formare, quā ornare literis. *In apoph. 17.*

Perinde ac terra licet bene culta, rigata, vberrimoque semine obruta, non statim fruges profert, nisi cœli ac aeris clementia accedat: Sic scientia nequaquam nudis præceptis ingenitur, sed cœlestis irrigatione, ac incremento perficitur. *In apoph. 14.*

Quemadmodum rudimentum anteit experimentum, & vbiuis alibi exercitatio methodum sequitur: Ita virtutibus quoque præceptiones vita priores sunt. *In apoph. 18.*

Quemadmodum nemo, qui lactucis eget, vrticis hortum conserit, aut saburra nauim implet, qui sat mercium habet: Tanto imprudentius pueris, qui legere, loqui discunt, aut pingere, inanes obtrudunt ur fabulæ, omissis, qui ad virtutem faciunt, canonibus. *In apoph. 15.*

HISTORICA EXEMPLA.

Philosophiam *Chaldæorum & Ægyptiorum*, pueri à patribus discunt. *Diod. lib. 2. c. 8. & lib. 1. c. 6.*

Indi & Brachmanes edito infanti curatorem, & viræ magistrum custodemq; adhibebant, vt sub legibus, & magistratibus, bonis disciplinis formatus, salutaribus exemplis erudiretur. *Alexand. ab Alex. lib 2. c. 25.*

Persæ tria præcipuè liberos suos docebant: equitare, iaculati, & vera dicere. Vicissim tria vehementer damnabant: mentiri, inter æ rarios esse, & in amæ em rem immundam edere. *Fulg. li. a. c. 1. ex Xenophonte, & Plat.*

Romani quotannis sex optimatum filios ad sex Hetrutiæ populos mittebant: vt auguralem scientiam discerent. *Alex. l. 5. c. 19.*

Augustus Cæsar rectorem solitus est apponere ætate paruis, ac mentes lapsis, donec adolescerent, aut resipiscerent: ac plurimorum liberos, & aluerat simul cum suis, & instituit. *Suetan.*

Carolus Magnus Burchardo Herbipolensi Episcopo duodecim adolescentes ex illustribus parentibus Saxonum natos, quos obsides acceperat, seruandos & erudiendos in doctrina pietatis commisit, *teste Balæo Centuria 13. c. 57.*

HIEROGLYPHICVM.

Sunt qui *Calathum cum pullis hirundineis* in aliquot veterum monumentis obseruatum, hieroglyphicum *Institutionis* esse contēdant argumētumq; eiusmodi ad Osiridis, & Cereris beneficia in mortales collata, referant: quod scilicet ab ijs, & viuendi leges, & agri colendi præcepta receperimus, & æquo cum reliquis iure vitam degere didicerimus. *Pier. Val. lib. 22.*

Vide Disciplina, Doctrina.

INTELLECTVS.

DEFINITIO, ET ETYMOL.

INtellectus, Græcè νοῦς & νοῦς, intelligo dicitur. Est autem intellectus vis animæ, quæ insensibilia percipit, *secundum August. de spiritu, & anima.*

Hebr. *Sechel*, à verbo *Sachal*, calluit, callidus fuit, industrius, & prudens fuit, considerate egit.

Intellectus est habitus principiorum, *secundum Arist. lib. 6. Ethic.*

Intellectus est habitus circa principia intelligibilia, *secundum eundem lib. Magnor. Moral.*

Intelligentia est, per quam animus ea prospicit, quæ sunt, *secundum Cic. lib. 2. Rhetor.*

Intelligentia propriè significabat actum intellectus, & aliquando significabat substantias separatas, scilicet Angelos, *secund. S. Tho. 1. parte q. 79. art. 4.*

Intellectus est vis animi, quæ sub visum non cadentia percipit, quemadmodum ipsa quoque anima sensus adminiculo corporatas formas intuetur. Vel: Intellectus est habitus principiorum. *Arist. in lib. Moral. magnor. & in 6. Ethic. August. de spiritu & anima.*

Intelligentia est, per quam ea perspiciuntur, quæ sunt, à quasunt. Qui id seiungunt, calliditatem, per quam mentes, quid cuique tractandum conueniat, callent. Cuius contrarium Ignorantia, vel Socordia.

Loci Biblici.

Intellectus à Deo est, *Ps. 119. 18. 34. 73. 125. 144. 169. 2. Timot. 2. 8.*

Intelligere Iudæos Deus optat, *Deut. 32. 29.*

Intelligens cor, *19. 4.*

Intelligentia nostra est verbum Dei, *Deuter. 4. 6.* Intelligentia vera quæ, *ibid. Iob 28. 28. Ose. 14. 10.*

Intelligentia replentur artifices, *Exod. 31. 3. & 35. 31.*

Sententiæ Patrum.

Quædam sunt, inquit Augustinus, supra intellectum humanũ, quædam iuxta, quædam infra; Siquidem cognoscit Deum animam supra se, Angelos iuxta se, ai verò se in se. Quicquid cœli continetur ambitu, infra se. Igitur ad ea percipienda, quæ sunt supra ipsam, indigere videtur omnino anima irradiatione ab ipsa luce veritatis primæ, quæ dicitur mens, vel intelligentia, quã prodit Augustinus idem nulla interposita natura, formari ab ipsa veritate. Proinde respectu veritatis summæ, & eorum respectu intelligibilium, quæ humanum excedunt intellectum, est intellectus agens Deus, & huiusmodi illuminatio est gratiæ infusio ad diuina contemplanda. Ad ea verò pernoscenda, quæ prope nos sunt, vt sũt angelicæ essentiæ, indiget item anima reuelatione angelica, siue instructione. Qua in re dicitur item Angelus intellectus agens. Ad eorum verò perceptionem, quæ intra animam sunt, vt est ipsa anima, & potentiæ ipsius habitus, scientiæ, ac virtutes, non indiget anima lumine extrinseco, sed innato, &c. *Ludouicus Rhodig. lib. antiq. lib. 3. c. 2. de intellectu agente, & possibili.*

Sententiæ Poeticæ.

Anthol. Sacr. Iacob. Bill.

Scripturam Domini plene videt omne profundum,
Implet qui factis cognita verba pijs.
Nam nimis à sensu doctrinæ deuius errat,
Si qua cum uoit scire fugit facere.

Sententiæ Philosophorum.

Est profecto intelligentia veluti quoddam principium omnis scientiæ, *lib. 1. de Demonstr. c. 18. Tex. 27. Aristot.*

Intellectus circa intelligibilium, ac entium principia versatur. *lib. 1. Mag. Moral. c. 34.*

Intelligentiam appello primam omnis scientiæ originem, *l. 1. de demon. t. c. 26. T. 44.*

Et principium est intelligentia, & finis. *lib. 6. Eth. c. 11.*

Et pueris, & beluis à natura tributi sunt habitus, qui sine intelligẽtia, & ratione obesse videntur. *lib. 6. Ethic. c. 13.*

Intelligentia vna non in essentijs, ac naturis tantum, verum etiam in exteris rebus, quæ sunt, versatur: & artes, ac scientiæ non solum in essentia, sed in alijs quoque cernuntur. *lib. 1. Maior. Metaph. c. 7. T. 29.*

Intelligentia, quæ per se est, in eo versatur, quod est optimum: & vt quæque per se maximè, ita maxime eius est, quod est præstantissimum. *lib. 11. Metap. c. 7. T. 39.*

Intelligentia vtrorumq; extremorum est. Etenim principiorum, & extremorum non ratio est, sed intelligentia. *lib. 6. Ethic. c. 11.*

A rerum singularum cognitione vniuersarum cognitio ducitur. Illorum igitur sensus est haurẽndus, & adhibendus, qui idem intelligentia nominatur. *ibid.*

Vna intelligentia non in essentijs modo, verum etiam in ijs, quæ essentiæ non sunt, versatur. *lib. 1. Metaph. c. 4.*

In extremis, quæ ratione, & demonstratione non colliguntur, intelligentia versatur. *lib. 6. Ethic. c. 8.*

Intellectus proprium est cognoscere entia, & in intellectionibus habere perfectionem. *Proclus element. proposit. 134.*

Intellectus omnis secundum sui essentiam desin. it omnia, & quæ secundum caussam sunt in alio, & quæ secundũ m participationẽ. *Idem ibid. prop. 173.*

Intellectus omnis in sempiternitate essentiam habet, & potẽtiam, & actum. *ibid. propos. 169.*

Intellectus anima melior est eo intellectu, qui in potentia est. Melior est ille, qui actu semper omnia simul intelligit: & hoc pulchrius, quod eius caussa est, quodque omnibus superea est. Is est Deus ipse primus, & caussa, vt mundi mens semper agat, in quã immobilis ipse haud secus quam in oculum obiectum sol agit, ac ea ratione mouet, qua id, quod appetitur immobile ipsum appetentem agitat, hoc pacto mens suprema totius cœli vtentem ducit. *Al. c. 10.*

Intellectus passionis est expers. *Priscian. in Theo. de phantasia, & intellectu c. 5.*

Intellectus infinitam virtutem in se habet, cum nec humana, nec diuina respiciens satiatur, nisi infinitum Deum capiat, qui capacitatem eius ab ipso manantem impleat infinitã. *Plat. c. 16. dialog. 8.*

Intellectus omnes tamquam lumina ad vnam mentem tamquam lumen, animarum idola, & simulachra, ad vnum vniuersalis animæ idolum, omnes naturæ corporum, quasi animarum vmbræ propriè ad communem naturam vnius corporis, quasi vmbram vnius corporis reducuntur. *Fic. Plat. Theol. lib. 17. c. 2.*

Similitudines.

Dionis Chrysostomi. Sicut homo, cuius oculi iniquitatem vident, non æquitatem, quantum ad Deum, videns cæcus dicitur esse, & sicut peccatis viuens, mortuus dicitur, qua ille non Deo, sed Diabolo viuit: Sic qui habet intellectum, & bonum non operatur cũ eo, quantum ad Deum, nec habet. *in cap. 13. Matth. homil. 31.*

Quod oculus corpori, hoc est intellectus animæ. Si enim nequaquam prorsus eligeres ornari auro, & serica veste circumdari, oculisq; fœdari: sed horum proculdubio sanitatem desiderabiliorem rebus omnibus iudicares, quæ si tibi certè deperear, nihil te iam tota vita delectat: quanto hoc magis pro oculis mentis debes efficere? Sicut enim postquam corporalium oculorum lumen extinctum est, omnia iam membra in miseria versantur: Sic etiam in anima intellectus conseruemus salutem. Si verò cæcamus illum, quo alijs quoque debemus lumen inferre: vnde iam ipsi poterimus aspicere? Sicut enim, qui caput ipsum tontis obstruxit, totũ simul exiccauit & flumen: Sic etiam qui oculum mẽtis tenebris obduxit, omnes quoque vitæ istius actus vna confusione cæcauit, Si enim lumen tenebræ, ipsæ tenebræ quantæ erunt? Quando enim lucerna extinguitur, quando gubernator mergitur, quãdo dux ipse capitur: quæ tamdem obedientibus superest spes salutis? Intellectum dedit nobis Deus, vt ignorantiam fugeimus è mẽtibus, vt rectum teneamus iustumq; iudicium, atque ad alia huiusmodi dirigamur, & contra diuersarum impugnationũ varios incursus hoc quasi scuto vsi ac lumine, maneamus innocui, atque muniti. Nos verò tantum hoc Dei donum temere prodimus, propter superflua, ac vana prorsus. *Homil. 21. in Matth.*

Quod lucidius sole? attamen & lux eius deficit. Et profecto sicut fulgidam illam lucem, & fulgurosum iubar sæpenumero superuenientes tenebræ obtegunt: ita & intellectum nostrum, quasi meridie fulgentem, & perspicuum, inconsiderantia obrepens tenebrosum reddit. *Serm. de conuers. Pauli.*

Philonis Iudæi. Sicut auriga regente, & iumenta habenis, qua placet, flectente, currus procedit, illis verò contumaciter frenum mordentibus, & auriga transuersus fertur, & iumenta interdum impetu suo rapiuntur in cœnum, cursu prorsus aberrante: & sicut nauis rectè nauigat, donec gubernator clauum tenens eam dirigit: periclitatur verò, quando vento reflante mare totum occupatur à fluctibus; Ad eundem modum, quando animæ auriga, gubernatorq; intellectus Imperium totius animalis tenet, tamquam magistratus in ciuitate, vita prosperatur: Quando verò brutus sensus primatum occupat, confusio vehemens sequitur. *lib. 2. Allegoriarum legis. fol. 67.*

Procli. Quemadmodum inter principia ipsum ens præcedit vitam, vita mentem: Similiter etiam in effectibus, vbi non omne compos entis, compos est & vitæ, neque viuens omne statim est mẽte præditum, sed vicissim intelligentia omnia viuunt, atque sunt, viuentia verò sunt quoque viuendo. *De anima, & Dæmone.*

Thineri. Sicuti intellectus cum malitia intolerabilis; Ita cum simplicitate admodum delectabilis. *In apoph. 19.*

INTEMPERANTIA.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

INtemperantia, Græcè ἀκολασία, ἀκόλαστος, ὁ, ἡ, intemperatus dicitur. Est autem intemperans ille, qui omni volupta-

ptate potitur, nec vlla se abstinet. Insensibilis verò est, qui omnes fugit instar agrestium, *secund. Arist. lib. 2. Ethic.*

Locvs Biblicvs.

Intemperantia pro dapibus ex alienis intercuersis facultatibus ad luxum comparatis. *Matth. 23. 25.* vide Gul.

Sententia Poetica.

Quam turpe sit gulæ deditum esse.

Qui ventrem tantum curat, pro numine ventrem
Censet, datq; animæ pabula nulla suæ.
Pythonici ritu, qui verba ex ventre profundit,
Susq; velut viuit, sus moriturq; velut.
Truncus is, horrendumq; humano in corpore monstrum est,
Prorsus ad immanes dignus abire feras.
Vtq; breui dicam (quale inter sidera quoddam
Nomen habet) dici debet ine Acephalus.

Sententiæ Philosophorvm.

Qui omnibus voluptatibus perfruitur, nullamq; prætermittit: Is intemperans iudicandus est. *lib. 2. Ethic. c. 2.*

Tactus vnus ex sensibus patet latissimè, in quo sita intemperantia est, quæ iure vt probrum maximè obiectatur: propterea quod inest in nobis, non quatenus homines sumus, sed quatenus animalia. *lib. 3 Ethic. c. 10.*

Edere quæcumque adsunt, & potare dum supra modum complexare, id est, extra modum in eo prodire, quod secundum naturam est. Expletio enim eius, quod deest, eius est cupiditatis, quæ à natura proficiscitur. *lib. 3. Ethic. c. 11.*

Intemperantes sanè omnibus in rebus modum transeunt. *ibid.*

Intemperantia exuperantia quædam est voluptatum, eoque vituperanda. *ibid.*

Intemperans quis appellatur, quod nulla se voluptate perfrui ferat molestius, quam decet. *lib. 3. Ethic. c. 11.*

Intemperantis res singulæ voluntate, ac sponte suscipiuntur. Quippe qui eas appetat, & concupiscat. *lib. 3. Ethic. c. 12.*

Potius intemperantem appellari licet eum, qui nulla, aut leui cupiditate incitatus, magnas & immodicas voluptates sequatur, vel mediocres dolores fugiat: quam eum, qui idem faciat magnis firmisq; cupiditatibus impulsus. *lib. 7. Ethic. c. 4.*

Qui immoderatas voluptates persequitur, aut quia magnæ sunt, aut id facit de industria propter se, non propter aliud aliquid ex eis consequens, is intemperans habendus est. Quem quoniam necesse est nullius facti pœnitere, est insanabilis. *lib. 7 Ethic. c. 7.*

Intemperantes ex quibusdam rebus percipiunt voluptatem, ex quibus, quoniam odio dignæ sunt non decet percipere, & si quibus ex rebus voluptas capienda est, ex ijs capiunt maiorem, quam debeant, velut vulgus. *lib. 3. Ethic. c. 11.*

Intemperantia magis nostra voluntate suscipitur, quam timiditas, & ignauia. Illa enim ex voluptate, hæc ex dolore nascitur, quorū voluptas expetenda est, dolorq; fugiendus. *lib. 3. Ethic. c. 6.*

Quia propensiores sumus ad voluptates natura: idcirco ad intemperantiam sumus, quam ad modestiam procliuiores. *libro 2 Ethic. cap. 8.*

Intemperans omnes voluptates concupiscit, aut certè maximas, sicque voluptatibus capitur, eas vt rebus omnibus ant ponat. Itaque & non fruendo angitur, & concupiscendo. *l. 3. Ethic. c. 11.*

Quædam intemperantes etiam agunt vtilia: verum non propter vtilitatem, sed propter voluptatem. *lib. 1. Rhet. ad Theodect. c. 18.*

Si quis quæstus caussa stuprum inferat, quæstumq; inde faciat, alter cupiditate incensus idem de suo largiens, & cum damno rerum suarum faciat: Is intemperans potius, quam auidus esse videatur: ille iniustus, intemperans non item. *lib. 5. Ethic. c. 2.*

Apophthegmata.

Diogenes. Quum adolescentem quemdam insigni forma plurimi intuerentur, Diogenes incuruato corpore sinum lupinis implebat. Ad hoc spectaculum conuersis omnium oculis aiebat; Mirari se, cur adolescentulo dimisso sese intuerentur, obiter notans illorū intemperantiam. *Laert. lib. 6.*

Idem dicebat, plerosque viuos quidem seipsos putrefacere balneis humectantes, & re venerea tabefacientes. Morientes autem demum mandare corpus in suffimentis aromaticis recondi, alios etiam in melle, ne cito computrescerent. *Stob. serm. de Intemperantia.*

Idem, earum ædium, in quibus copia est alimentorum, dicebat multos esse mures, & feles: sic etiam corpora intemperantium hominum morbos quoque multos asciscere. *Eod. serm.*

Idem ridebat eos, qui cellas promptuarias obserant vectibus, seris & signaculis: corpus autem suum multis fenestris, & ianuis aperiunt, per os, pudenda, aures, & oculos *ibid.*

Plato dicebat, difficile esse inuenire intemperantibus quidem bonam voluptatem, ægrotantibus autem salubrem. *ibid.*

Demetrius Phalereus conspicatus iuuenem intemperantiæ deditum: Ecce, inquit, quadratus Mercurius, habens syrma, ventrem, pudenda, & barbam. Sensit, illum non esse hominem, sed statuam, qualis in vijs solet poni Mercurio: hoc illi dissimilem, quod effeminatorum more traheret vestem, quod deditus esset ventri ac libidini: quodque barbatus esset, cum nihil horum habeat Mercurius. *Laert. lib. 5. c. 5.*

Anonymus, Chrysippi discipulus medicus non ignobilis, hominem quendam ex nimia intemperantia grauiter decumbentem, non sanari posse putauit. Verum alius medicus cum eundem accessisset, se sanaturum pollicitus est, respondirque, Chrysippi discipulos respicere morbum: se vero animum. Voluit autem significare, tum demum hominem morbo liberari commode posse, si intemperantiæ studio penitus vale dixisset, & eius radices ex animo abiecisset. *Ex Celsi lib. 3.*

Aristocles dicebat, intemperantiam esse vitium partis concupiscibilis, quo homines frui voluptatibus illicitis appetunt. *Stob.*

Similitvdines.

Ciceronis. Quemadmodum temperantia sedat omnes appetitiones, & efficit, vt hæ rectæ rationi pareant, conseruatque considerata iudicia mentis: Sic huic inimica intemperantia omnem animi statum inflammat, conturbat, incitat. *lib. 4. Tusc. quæst.*

Diogenes Phryne scortum cum Venerem auream Delphis obtulisset, eam Diogenes Cynicus ita inscripsit, Ex Græcorum intemperantia. *Brus. recitat. lib. 3. c. 23.*

Eusebius Philosophus, Sicut, *inquit*, venti nauem correptam huc illuc ferentes quassant, & inobedientem efficiunt gubernatori: itidem animam agitans, & menti immorigeram esse cogens intemperantia, tranquillam esse, & in portu quiescere non permittit. *Stob. sermon. 6.*

Adagia.

Myconius vicinus. Μυκώνιος γείτων.

In eum, qui non vocatus ad conuiuium accedit. Nam Myconij liguriones erant, & alienæ appetentes mensæ.

Vnico digitulo scalpit caput.

Molles atque effœminati vno digito caput scalpere dicuntur, nimirum solliciti, ne comam studiose compositam perturbent.

Bacchi sim hic (Βακχ' Λακχαβδακλος εἶ).

In Cynædos ac parum viros dictum, aut in magnos quidem corpore, sed animo stupidos.

Hermosus vsque ad gulam. Ψωλὸς μέχρι τοῦ μυῤῥίνου.

Quadrat in vehementer hermosum. Carmen est apud Aristophanem in Equitibus.

Ψωλὸν γενέσθαι δεῖ σε μέχρι τοῦ μυῤῥίνου.
Sis hermosus oportet ipsam vsque ad gulam.

Batalus. Βάταλος εἶ.

Id est: Batalus es, olim in effœminatos per contumeliam dicebatur.

Βαταλίζειν

Dicuntur qui turpiter atque effœminate viuunt.

Tibicinis vitam viuis. Αὐλητοῦ βίον ζῇς.

In eum dicebatur qui laute quidem sed alieno viueret sumptu. Du lebest wie ein Pfeiffer in der GartKuchen.

Vt Corinthia videris. Ὡς Κορινθία δ' οὖσα χοιροπωλεῖν Plut.

Id est: Corinthia videris corpore quæstum factura. In mulierem intempestiuus libidinantem.

Agathonea cantio. Ἀγαθώνειος αὔλησις. Zenodot.

Recte dicetur de oratione blanda magis quam frugifera.

Chalcidissare χαλκιδίζειν χαλκιδίζουσα.

Dicebantur qui rapaciores & plus satis ad rem attenti viderentur.

Phicidissare. Φικιδίζειν.

Dicebantur vulgo puerorum obscœnis amoribus dediti.

Κλειτοριάζειν.

Vulgato conuitio dicebantur ij, qui puerorum amoribus oblectarentur (vt Diogenianus ait) aut mulieres immodice libidinosæ.

Chlisthenem video. Κλεισθένη ὁρῶ.

Chlisthenes hic male audijt, & comicorum comitijs laceratus est quod parum vir haberetur seseque cultu indecoro, velut in mulierem transfiguraret.

Cleocritus. Κλεόκριτος.

Id nominis contumeliæ caussa iaciebatur in cinædos ac molles, ac parum viros.

Sinopissas Σινωπίζειν.

Id est: Lasciuis A Sinope scorto quodā celebrata lasciuia, cui cognomen hinc inditum videtur, quod noxia esset oculis.

Sus per rosas. Ὗς διὰ ῥόδων.

Dici-

Dicitur de agrestibus & intractabilibus.

Aries cornibus lasciuiens. κριὸς αἰγιαλώσας.

Diogenianus ostendit conuenire in magnos & lasciuos. Pruriunt cornua arietibus bene pastis, quod idem accidit bubus.

Ἱππομανεῖν.

Dicebantur prouerbiali conuitio fœminæ virosæ, ac libidine præter modum prurientes.

Caprarius in æstu. αἰπόλος ἐν καύματι

Confine illi: Lydus in meridie. Potest ad quamuis voluptatem accommodari non in tempore adhibitam.

Quæ sub alis fiunt. αἱ ὑπὸ μάλης πράξεις.

Ad laborem ad res honestas segnis, in his rebus quæ sub alis fiunt, nihil recusat. De adulatore loquitur, ad honesta officia tum pigro, tum tumido ad voluptuaria ministeria prompto.

E Massilia venisti. ἐκ Μασσαλίας ἥκεις.

Suidas ait, dici solitum de ijs, qui cultu parum viris decoro vterentur, quod Massilienses luxu perditi, muliebrem ferme in modum ornarentur, comis vnguento delibutis.

Complura masculi canis cubilia. πολλαὶ κυνὸς ἄρρενος εὐναί.

Recte dicetur in hominem malitiosum, peculiariter in eum, qui non contentus certo toro, passim per aliena cubilia voluitari gaudeat.

Lentiscum mandere. Σχῖνον διατρώγειν.

Lentiscum mandere vel arrodere dicuntur ij qui nimio comedendi corporis studio superfluunt.

Penicissare. Πηνικίζειν μοι δοκεῖς.

Perinde valeas, quasi dicas, fucum facere.

Πτερυγίζειν.

Dicitur, qui conatur & gestit quippiam efficere. Lucianus vsurpat pro indecore, & scurriliter gesticulari.

Voluptas fœda.

In voluptatem inhonestam, aut scortum ad perniciem iuuenum omnibus instructum artibus, quadrabit illud ex Odyss. κ. dictum de Circe:

Ἠιεν ἅπαντας.

Ἡσῦχοι λύκοι πᾶσιν τοῖσιν λέοντας.

Siquidem omnes

Fecerit illa sues sue, lupos sue, leones.

Ἀλλότριον τάγος. *Athenæus.*

Vocantur, quibus dulce est aliena viuere quadra. Huius farinæ est, quod sequitur illud Diogeniani: Melle teipsum perungis. Schmorotzer.

Samiorum flores. Σαμίων ἄνθη.

Vbi quis extremam voluptatem decerperet.

Sponsi vita. Νυμφίου βίος.

Pro molli ac delicata. Consimile illi, quod alibi relatum est: Musica vita.

Melle teipsum perungis. ἐν μέλιτι σεαυτὸν καταπάττεις Diogen.

Id est: in melle teipsum obuoluis, oblinisque. h. e. molliter suauiterque vitam agis, quasi parum sit vesci melle, nisi totus sis melleus.

Samiorum laurea. Σαμίων λαύρα. *Plut.*

Dilectabatur in turpibus addicto voluptatibus.

Sardanapalus. Σαρδανάπαλος. *Aristoph.*

Huius cognomen ob insignem hominis mollitiem abijt in prouerbium.

Lesbijs digna. Λεσβίων ἄξια.

De rebus tritis dicebatur, ob id, vt conijcio, quod Lesbij ob vanitatem vulgo male audirent.

Lesbiari. Λεσβιάζειν.

Antiquitus polluere dicebatur.

Corinthiari. Κορινθιάζεσθαι *Stephan.*

Veteres vulgato ioco dicebant eos, qui scortationibus ac lustris indulgerent, vel qui lenocinium exercerent.

Lydus in meridie. Λυδὸς ἐν μεσημβρίᾳ.

In hominem insatiatæ aut etiam intempestiuæ libidinis dictitabitur.

Lydus cauponatur. Λυδὸς καπηλεύει. *Suidas.*

In effœminatos & voluptatibus addictos.

Pepones. Πέπονες.

Prouerbiale conuitio dicuntur homines molles, parumque viri. Homerus.

ὦ πέπονες, κάκ' ἐλέγχε' *o Pepo, o Menelae.*

Lydio more. Λυδίῳ νόμῳ *Hesych.*

Lydia lege siue Lydia cantione. Conuenit, quoties ariolatur aliquis, & auguriis, diuinationibusque seruit. Hac enim superstitione Lydi laborasse feruntur.

Vide Titul. de Libidine, Scortatione, Luxuria, Gula, Voluptate.

INTENTIO.

LOCI BIBLICI.

Intentio nostra in Dei cultu constituendo, sequenda non est, *Deut.* 12.8. *Prouerb.* 14.12 & 16.25. *Esa.* 3.8 & 65.14. & 66.3.4. *Iorn.* 16.2. 1. *Timoth.* 4.1.3. *Coloss.* 2.8.23. Eorum qui suam intentionem secuti, lapsi sunt, *exempla:* Ioseph. *Gen.* 48. *v.* 18.19. Iosaphat, *Num.* 11.28.29. Mater Michæ, *Iud.* 17.3. Saul, 1. *Sam.* 15.15. ducenti Viri, seu populus Absolonem secutus, 2. *Sam* 15. 11. Rex Israel, 1. *Reg.* 20.41. Giezi. 2. *Reg.* 4.27. Ozias, 2. *Paralip.* 26.16. Petrus, *Matt.* 16.21. *Ioan.* 13.8. Discipuli, *Marc.* 10.13. *Luc.* 16. 18.10. *Marc.* 9.38.39. Iacob & Io. *Luc.* 9 49.50.54.55. Iudæi, *Roman.* 10.2. Paul. *Galat.* 1. 13. Intentiones quas vocant, vel ex eo satis euertuntur, quod ὑπακούειν, id est, obedire, *Roman.* 1.5. 1. *Pet.* 1.22. & κηρύσσειν id est, prædicare (vt ex locis citatis, & ipsa verbi notatione apparet) se mutuo respiciunt. Intentiones damnantur, *Deuter.* 12.8. *Roman.* 14.7. *Coloss.* 2.23. 1. *Timoth.* 4.1.3.

SENTENTIAE PATRVM.

Quod non bona intentione facis, non tibi proderit, quia, quomodo feceris, non quomodo illi euenerit, tibi imputabitur. *Augustin. in Matth.*

Si semel cor intentione corrumpitur, sequentis actionis medietas & terminus ab hoste callido secure possidetur: quoniam totam arborem sibi fructus ferre conspicit, quam veneni dente in radice vulnerauit. Summa cura vigilandum est, ne vel bonis operibus feruiens mens reproba intentione polluatur. *Greg. in Mor.*

Humanæ aures talia verba nostra iudicant, qualia foris sonant: diuina vero iudicia talia audiuntur, qualia ex intimis proferuntur. *lib.* 28. *Mor.*

Valde laboriosum est custodire, ne mala homo facere audeat: ne in bonis actibus per intentionem titubet: & inter recta opera sinistra cogitatio illudat. *lib.* 11. *Mor.*

Sicut fabrica columnis, columnæ autem basibus innituntur: ita vita nostra in virtutibus, virtutes autem in intentione intima subsistunt. *in Mor.*

Vt interior oculus vere simplex sit, duo illi arbitror esse necessaria: charitatem in intentione, & veritatem in electione, quo modo deinque simplex erit oculus, cum ignorantia veritatis eius qui bonum diligit, & malum nescius agit? Huius bonus est quidē oculus, quia pius: non tamen simplex quia cœcus. Et est qui bonum & libenter agit, & prudenter intelligit. Illius vero oculum non immerito simplicē dixerim, vt pote cui neutrum bonum desijt: nec zelus scilicet bonus, nec scientia: is vero oculus nequam est, qui peruersus pariter cœcus bonum agit, & malum credit. *Bern. de præcepto & dispensatione.*

Bonum prorsus condemnat intentio praua, & non penitus excusat recta. *ibid.*

Causa actum poterit decorare, si aut necessitate subsistat, aut vtilitate vigeat, aut honestate splendescat, aut cum affectu mentis tota valeat substantia operis tolerari, opus non ex se, sed ex caussa, fit crimē: nec aliqua virtutis ostentatione clarescit, cui voluptas originem præbet. *Chrys. In tract. de Symb.*

SENTENT. PHILOSOPH.

Intentio requiritur ad actum cuiuslibet cognoscentis potētiæ, quæ ad multa referri non potest, nisi hæc inuicem ita sint ordinata, vt quasi vnum accipiat. *Steph. Comb. de transitu mentis in Deum, l.* 6.

Intentio vniuersalis alia est ab intentione imaginaria. *Auer.* 1. *de animis, tex.* 6.

Intentiones, quas recipit sensus, sunt particulares, quas vero recipit intellectus, sunt vniuersales. *idem* 2 *de animis, tex.* 12.

Intentiones cum sint diuersæ, & virtutes sunt diuersæ. *idem* 3. *de animis* t 2.

INVIDIA, INVIDENTIA.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Inuidentia, Græce φθόνος, & φθονερός, inuidus dicitur. Est autem inuidia, tristitia de bonis alienis. *secund. Io. Damasc.*

Inuidia est odium felicitatis alienæ. *secund. Hug. lib.* 2. *de Sacramentis & Augustinus super Psal. Conuerteret cor eorum.*

Inuidia est tristitia in apparenti felicitate alienius. *secundum Arist. lib.* 2 *Topicorum.*

Inuidia est tristitia de bono alterius, in quantum æstimatur diminuere gloriam propriam. *secundum S. Thomam secund a secundæ q.* 36. *artic.* 1.

Inuidia dolor est de bonorum prosperitatibus, qui torquet, siccat, afflat, exsiccatque inuidentes quasi tortor quidam ex tartareis vltoribus ad mortalium exterminia missus.

Inuidentia est ægritudo suscepta propter alterius res secundas, quæ nihil noceant inuidenti. Nam si quis doleat eius rebus secundis, a quo ipse lædatur, non recte dicitur inuidere: vt si Hectori Agamemnon. *Ex Cic. l.* 4. *Tusc. quæst.*

Inuidia ab inuidentia sic differt, quod inuidia non solum ad eum, qui inuidet, sed etiam ad eum, cui inuidetur, referri potest. Inuidentia vero in eum demum cadit, qui inuidet. Vel inuidia est actus inuidendi, inuidentia ipsa ægritudo.

Inui-

Inuidia, dolor cõceptus ex aliena prosperitate, Gr. *φθόνος* q. d. *τόνος*. Inuidus enim in corde suo proximi felicitatem interficit, & coram Deo est homicida. Heb. *Kinaah*, Aemulatio, Zelus, Zelotypia, Inuidia. *Kanno*, Zelotes, qui ægre fert iniurias. *Kanna* idem significat. *Kinaah*, igitur est vox media, a verbo *Kinne*, æmulatus est, prouocauit, zelum habuit vel ex inuidia, vel fauore, indignatus est, ægre tulit: vt autem aliquoties boni viri indigne ferunt impiorum profanam & infelicem felicitatẽ: contra Inuidus (vt inquit poeta) alterius macrescit rebus opimis.

Divisio.

INVIDIA *est tristitia de bono alieno, quæ tristamur quadrupliciter.*

1. *Cum quis dolet de bono alterius, in quantum ex eo timetur nocumentum, vel sibipsi vel alijs, de qua Gregorius 22. Moralium ait: euenire plerumq; solet & reliqua. Vide infra in tractatu de inuidia.*
2. *Cum tristamur de bono alterius ex eo, quod nobis deest bonum, quod alius habet. Et hoc est proprie Zelus, vt dicit Philosophus 2. Rhetoricorum. & est laudabilis si sit circa honesta, si autem sit de bonis temporalibus, potest esse cum peccato, & sine peccato. q. 36. art. 3.*
3. *Cum quis tristatur de bono alterius, in quantum ille, cui accidit, est eo indignus. Et talis tristitia quia est de diuitijs, & alijs quæ dignis & indignis euenire possunt, vocatur à Philosopho νέμεσις. licet apud Aristotelem approbata, prohibita tamen Christiana religione.*
4. *Cum quis tristatur de bono alterius in quantum eum excedit in bonis, & hoc proprie est inuidia, & semper mala quia dolet de quo est gaudendum, et est peccatũ. Ex S. Thoma secunda secundæ.*
   - *Mortale semper, & ex genere suo, quando adest consensus rationis, quia directe opponitur charitati proximi, q. 36 art. 3.*
   - *Veniale, quando est in sola sensualitate non accedente consensu rationis, vt sunt primi motus, qui etiam sunt imperfecti, q. 36 art. 3.*
   - *Capitale, quia ex ea oriuntur, q. 34 art. 6.*
     - *Susurratio, quando quis quærit minuere gloriam alterius in occulto.*
     - *Detractio, quando quis quærit aperte gloriam alterius minuere.*
     - *Exultatio in aduersis proximi.*
     - *Afflictio in prosperis proximi.*
     - *Odium quo non solum quis tristatur de superexcellentia alterius, sed vlterius vult simpliciter eius mala.*

Loca Biblica.

Inuidia & odium. *Gene. 4. 5. & 26. 14. & 27. 41. & 30. 1. & 37. v. 4. 11. Exod 1. 8. & 20. 13. Leu. 19. v. 17. Num. 12. 1. & 35. v. 20. 23. Deuter. 19. 11. 1. Sam 18. v. 7. 11. Sap. 2. 24. Prou. 10. v. 12. 18. Eze ch. 35. v. 15. Dan 6. 3. Luc. 15. 28 Io. 12. 4. Rom. 1. 29 & 13. v. 13. Gal. 5. v. 15. 20. Iaco 3 v. 14. & 4. 2. 1 Pet. 2. 1. 1. Io. 3. 13. & 4. v 20.* Inuidia damnatur, *Iob. 5. 2. Psal 37. 1. & 73. 3. Prou. 14. 30. Rom. 1. 29. Cor. 13. 4. 2. Corin. 12. v. 20. Gal. 5. v. 21. Tit. 3. v. 3. Iac. 3. 14. & 4. v. 2. 5. 1. Pet. 1. ver. 1. 2.* Inuidia communis omnium morbus, *Eccl. 4. v. 4.* ex quæstionibus & pugnis nascitur, *1. Tim. 6 4.* Inuidiæ merces. *Prou 28. 22.*

Sententiæ Biblicæ.

Si gauisus sum ad ruinam eius, qui me oderat: & exultaui, quia inuenisset eum malum *Iob 31.*

Nec comedas cum homine inuido, & ne desideres cibos eius: quoniam in similitudine arioli & coniectoris æstimat, quod ignorat. Comede & bibe, dicet tibi, & mens eius non est tecum. *Prou. 23.*

Alius alium per inuidiam occidit. *Sap. 14.*

Omnes obediunt ei, & non est inuidia, neque zelus inter eos (tonantes vel sublimes.) *Mach. 8.*

An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? *Matth. 20.*

Non in contentione & æmulatione, *Rom. 13.*

Cum sit inter vos zelus & contentio, nonne carnales estis & secundum hominem ambulatis? Propter quid Cain occidit Abel? quia opera eius erant maligna, fratris autem eius iusta, *2. Io. 3.*

Quidam quidem & propter inuidiam & contentionem Christum prædicant: quidam autem, & propter bonam voluntatem. *Phil. 1.*

Væ illis, qui in viam Cain abierunt. *Iuda epist.*

Inuidia Deum prouocat ad iram.

Qui in ruina lætatur alterius, non erit impunitus. *Prou. 17.*

Vir qui festinat ditari & alijs inuidet, ignorat, quod egestas superueniet ei. 28.

Neque cum inuidia tabescente iter habebo, quoniam talis homo non erit particeps sapientiæ. *Sap. 1.*

Non enim efficiamini inanis gloriæ cupidi, inuicem prouocãtes, inuicem inuidentes. *Gal 5.*

Vbi zelus & contentio, ibi inconstantia & omne opus prauum. *Iacob. 5.*

Deponentes igitur omnem malitiam, & inuidias, & omnes detractationes, sicut modo geniti infantes, rationabiles, & sine dolo lac concupiscite, vt in eo crescatis in salutem, *1. Pet. 2.*

Proximum supplantat.

Rursum contemplatus sum omnes labores hominum, & industrias animaduerti patere inuidiæ proximi: & in hoc ergo vanitas, & cura superflua est, *Eccl. 4.*

Inuidia autem diaboli mors introiuit in orbem terrarum, imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius. *Sap. 2.*

Seipsum cruciat.

Paruulum occidit inuidia. *Iob 5.*

Vita carnium, sanitas cordis, putredo ossium, inuidia. *Prouerbior. 14.*

Qui sibi inuidet, nihil est illo nequius, & hæc redditio est malitiæ illius. *Eccl. 4.*

Sententiæ Patrum.

Inuide, quid suspiras? Propriumne malum, an alienum bonum? *D. Basil*

Vultures ad male olentia corpora præteritis amœnis & odoriferis locis feruntur, & muscæ sana præteruolantes ad vlcera festinant: sic inuidi splendida & magna & præclare facta ne intuentur quidem, sed putria inuadunt. *Idem.*

Vt ærugo ferrum, sic inuidia quem infecit, animum consumit. *Idem.*

Rubigo peculiare est vitium frumenti, & inuidia morbus est amicitiæ. *idem.*

Canes nutricatione cicurantur, & cultu mansuescunt leones: inuidi vero ad obsequiũ magis efferantur. *Basil ser. de inuidia, & alijs locis.*

Inuidia probum virum sequitur, œstrum existens impuri spiritus. Qui hũc suscepit ac velut pectore complexus est, nihil aliud habet quam quod animam suam exedit & dissecat, simulq; cum corpore absumit ægrorem acerbissimum ac solatio omni carentem aliorum prosperitatem existimans. *Greg. Nazian in Eccl.*

Inuidia, pestiferum malum, hominem in diaboli conditionem ac in dæmonem immitissimum conuertit. Per eam mors venit in mundum, propter ipsam Abel est interemptus, Dauid cædis periculum subijt, & Iudæi Christum interfecerunt. Inuidi aduersa aliorum fortuna, vt Scarabei alieno stercore, nutriuntur. *Chrys. in hom.*

Iudæi inde perierunt, quod Christo maluerunt inuidere quam credere. *Cypr. in ser. de liuore.*

Inuidia radix est malorum omnium, fons cladium, seminarium delictorum, materia culparum, &c. Mala cætera habent terminum: inuidia autem est malum iugiter permanens, & sine fine peccatum: quantoq; ille cui inuidetur, successu meliore profecerit, tanto inuidus in maius incendium liuoris igribus inardescit. Hinc vultus minax, toruus aspectus, pallor in facie, in labijs tremor, stridor in dentibus, verba rabida, effrenata conuitia, manus ad cædis violentiam prompta, etiam si à gladio interim vacua, odio tamen furiatæ mentis armata. *ibid.*

Fuge inuidiam quæ non solum alienos, verum multo magis eum quem possidens, lacerare consueuit. *Ambr. li de fuga sæculi.*

Inuidia est filia superbiæ: sed ista mater superbia nescit esse sterilis: vbi fuerit, continuo parit: suffoca matrem, & non erit filia. *Aug. de verb. Domin.*

Inuidia vitium diabolicum, quo solo diabolus reus est & inexpiabiliter reus. Non enim diabolo dicitur, vt damnetur, adulterium commisisti: furtum fecisti: villã alienam rapuisti: sed homini stanti inuidisti. *idem in l. t. de doctr. Christian.*

Tolle inuidiam, & tuum est quod habeo: tollam inuidiam, & meum est quod habes *idem in Ioan.*

Inuidia est odium alienæ felicitatis, respectu superiorũ, qui eis non æquatur: respectu inferiorum, ne sibi æquentur: respectu parium, quia sibi æquantur. Vnde Cain inuidet Abel prosperitati, Rachel Liæ fecunditati, Saul Dauid felicitati. Per inuidiam procuratus est lapsus mundi, & mors Christi. *in quad. ser.*

Oro te, quid inuido delectationis præstat inuidia? quem secretis quibusdam conscientiæ vngulis liuor ipse discerpit: & alienam felicitatem tormentum facit? *Hier. epist. ad Demet.*

Inuidi color pallore afficitur, oculi deprimuntur, mens accenditur membra frigescunt, fit in cogitatione rabies, in dentibus stridor. Nam quum inuidi mentem liuor excruciat, bonum quod appetit, sibi ab alio adimi aut restringi metuit: qui ergo liuoris peste plene carere desiderat, illam hæreditatem diligat, quam cohæredum numerus non angustat. *Greg. 2. a. hom.*

Inuidus nihil lætum de proprijs libat, quia tabescentem mentem sua pœna sauciat, quam felicitas torquet aliena: & quanto operis in altum fabrica ducitur, tanto fundamentum mentis liuore profundius suffoditur, vt quo alij ad meliora properant, eo ipso deterius ruat. *idem in mor.*

Tanto quisquis plus inuidet alijs præsentia bona, quanto minus ea ipse contempserit. *ibid.*

Dum electi proficiunt, reprobi ad rabiem furoris excitantur, & bona nascentia quæ nolunt imitari persequuntur. *ibid.*

O inuidia, quæ semper sibi est inimica: nam qui inuidet, sibi quidem ignominiam facit: illi autem cui inuidet, gloriam parit. *Chrys. sup. Matth.*

Tantos inuidus habet iustæ pœnæ tortores, quantos inuidiosus habuit laudatores. *Pros. lib. 3. de vitijs & virtutib.*

Inuidia in suum authorem reciproca, est de bono alterius tabescentis animi cruciatus. *ibid.*

Inuidia iustius nihil est, quæ protinus ipsum auctorem perimit excruciatque suum. *ibid.*

Inuido vultus minax, toruus aspectus, pallor in facie, in labijs tremor, in dentibus stridor, verba rabida, & effrenata conuitia & manus ad violentiam prompta. *Pet. Rau.*

Virum fortem excitat ad virtutis exercitium alieni liuoris aculeus, nec mentis oculus torquere permittit. Inuidia detractus Iacob, qui in baculo suo Iordanem transierat, non redisset cum duabus turmis, nisi eum inuidia Esau agitasset. Ioseph non imperasset Aegypto, nisi fratrum inuidia ipsum vendidisset: Scriptum quippe est: Abel esse non potest, quem Cain malitia non exercet. *ibidem.*

Inuidis aliena prosperitas aduersa, aliena aduersitas prospera iudicatur: hi in aliena gratulatione tristantur, in aliena tristitia gratulantur. Isti suas in aliena paupertate diuitias, suam paupertatem in alienis diuitijs metiuntur. Isti autem alienæ famæ serenitatem detractionis nubilo nubilare conantur, aut eiusdem gloriam sola taciturnitate furari. Isti autem puram alienæ probitatis synceritatem fermentant, aut veris falsitatis fermenta maritant. Sapientiæ gloriam degloriat liuor inglorius. *Alanus, de com planctu naturæ.*

Inuidia quod monstrosius monstrum? aut quod damno suo damnum? quæ culpabilior culpa? quæ pœnalior pœna? hæc est erroneæ cæcitatis abyssus, humanæ mentis infernus, contentionis stimulus, corruptionis aculeus. Qui sunt inuidiæ motus, nisi humanæ tranquillitatis hostes, mundanæ tentationis satellites, animi laboratoris vigiles hostes, alienæ felicitatis excubiæ? *ibidem.*

SENTENTIAE POETICÆ.

Virgil. de Liuo.

Liuor tabificum malis venenum
Intactis vorat ossibus medullas,
Et totum bibit artubus cruorem.
Quod quisquis furit inuidetque forti,
Vt debet sibi pœna semper ipse est,
Testatur gemitu graues dolores,
Suspirat gemit incutitque dentes.
Sudat frigidus, intuens quod odit
Effundit mala lingua virus atrum:
Pallor terribilis genas colorat,
Infelix macies renudat ossa.
Non lux, non cibus est suauis illi,
Nec potus iuuat aut sapor Lyæi,
Nec si pocula Iupiter propinet,
Atque hæc porrigat & ministret Hebe,
Aut tradat Ganymedes ipse nectar,
Non somnum capit, aut quiescit vnquam.
Torquet viscera carnifex cruentus,
Vesano tacitos mouet furores.
Intentans animo faces Erinnys
Letalis, Tityique vultur intus.
Qui semper lacerat comestque mentem,
Viuit pectore sub dolente vulnus,
Quod Chironia nec manus leuaret,
Nec Phœbus soboles ve chara Phœbi.

Ouid. 1. de Arte.

Fertilior seges est alienis semper in agris
Vicinumque pecus grandius vber habet.

Lucan. lib. 1.

Stimulos dedit æmula virtus,
Nec quemquam iam ferre potest Cæsarue priorem,
Pompeiusue parem.

Horat. 1. Epist. ad Lol. 2.

Inuidus alterius rebus marcescit opimis,
Inuidia Siculi non inuenere tyranni
Maius tormentum.

Ouid. 3. de Pont.

Scripta placent à morte quidem quia lædere viuos
Liuor, & iniusto carpere dente solet.
Pascitur in viuis liuor post fata quiescit:
Tunc suus ex merito quemque tuetur honor.

Horat. Od. 14. lib. 3.

Clarus post genitis, quatenus heu nefas!
Virtutem incolumem odimus:
Sublatam ex oculis quærimus inuidi.

Idem lib. 2. Epist. ad August.

—— diram qui contudit hydram,
Notaque fatali portenta labore subegit:
Comperit inuidiam supremo fine domari.
Vrit enim fulgore suo, qui prægrauat artes
Infra se positas extinctus amabitur idem.

Martialis.

Qui ducis vultus, & non legis ista libenter,
Omnibus inuideas liuide, nemo tibi.

Hesiod. in Oper. & Dieb.

Semper vicinus vicino est æmulus, hunc vt
Condere cernit opes properantem grauiter: atqui
Concertatio conducit mortalibus ista.
Odit fabrum faber, figuloque molestus
Est figulus: mendico si forte inuidet alter
Mendicus, cantor cantorem liuidus odit.
Inuidiosum præstat esse quam miserabilem.

Anthol. Sacr. Iacobi Bellij.

Aduersus Inuidiam.

Ob tua quam grauiter plecteris crimina tandem
Inuide, cum bona te nunc aliena premant?
O miserum! cuius dolor est aliena voluptas:
Quoque alius gaudet ringeris ipse bono.
Vulneribus quænam arte tuis afferre medelam
Quis valeat, cum tu vulnera tecta geras?
Sit licet iniustus liuor, tamen iustus ille est
Namque premens alios opprimit ante patrem.

Stat. 5. Sil. 1.

Quisnam impacata consanguinitate ligatos
Fortunam, inuidiamque Deus? quis iussit iniquas
Æternum bellare Deas? nullamne notauit
Illa domum torto quam non hæc lumine figat,
Protinus, & sæua perturbet gaudia dextra?
Florebant illæsi, meminere ipsique Penates.
Nil mœstum, quid enim, quamuis infida leuisque
Cæsare tam dextro posset fortuna timeri?

Silius 13.

Magnanima inuidia virtus caret.

Stat. 2. Theb.

Nec liuida tabes
Inuidiæ quamquam functis, & lumine cassis
Defuit vnus ibi ante alios, cui læua voluntas
Semper, & ad superos hinc, in grauius exitus aui
Insultare malis, rebusque ægrescere lætis.

Pallad.

Peior liuore est miseratio, Pindarus inquit.
Nam sunt felices quos petit inuidia.
Horum nos contra miseret, quorum aspera sors est:
At mihi donari non cupio alterutrum:
Vt nimium felix, vel sim miserabilis & vilis.
Nam præstat cunctis rebus adesse modum.
Quandoquidem celsa vicina pericula sorti,
Imaque deprimitur non toleranda ferent.

Silius 11.

Dum malus obrectat facta immortalia liuor,
Nec sinit aduersas ductoris crescere laudes.

Idem 17.

O dirum exitium! ô nihil vnquam
Crescere nec magnas patiens exurgere laudes
Inuidia.

Phocylides.

Μὴ φθονέοις ἀγαθῶν ἑτάροις, μὴ μῶμον ἀνάψῃς.
Ἄφθονοι οὐρανίδαι καὶ ἐν ἀλλήλοις τελέθουσιν.
Οὐ φθονέει μήνη πολὺ κρείσσοσιν ἡλίου αὐγαῖς.
Οὐ χθὼν οὐρανίοις ὑψώμασι, νέρθεν ἐοῦσα.
Οὐ ποταμοὶ πελάγεσσιν, ἀεὶ δ' ὁμόνοιαν ἔχουσιν.
Ne inuideas bona socijs, ne maculam contrahat;
Sine inuidia cælestes etiam inter se sunt.

Non

Non inuides luna multo præstantioribus solis radijs.
Non tellus cœlestibus altitudinibus, cum subter ipsa sit:
Non flumina pelagis, sed semper concordiam habent.

Periander.

Μηδενὶ φθόνει.
Nemini inuideas.

Ὥσπερ ἡ ἐρυσίβη ἴδιόν ἐστι τοῦ σίτου νόσημα, οὕτως φθόνος φιλίας ἐστὶν ἀῤῥώστημα.
Quemadmodum rubigo propria est frumenti ægritudo, sic inuidia amicitiæ est infirmitas.

Ὥσπερ ὁ ἰὸς σίδηρον, οὕτως ὁ φθόνος τὴν ἔχουσαν αὐτὸν ψυχὴν ἐξαναλίσκει.
Quemadmodum ærugo ferrum, sic inuidia animam illius in quo inest consumit.

Ὅσῳ γὰρ ἂν φθονῇς, τοσούτῳ μείζονος γίνῃ πρόξενος ἀγαθῶν τῷ φθονουμένῳ.
Quo magis vtique inuidebis, tanto maiorum fies caussa bonorum inuiso.

Hesiodus.

Καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ κοτέει, καὶ τέκτονι τέκτων.
Καὶ πτωχὸς πτωχῷ φθονέει, καὶ ἀοιδὸς ἀοιδῷ.
Et figulus figulo irascitur, & lignario lignarius,
Et pauper pauperi inuidet, & poeta poetæ.

Ex primo Epigrammatum.

Ὁ φθόνος ἐστὶ κάκιστον, ἔχει δέ τι καλὸν ἐν αὐτῷ.
Τήκει γὰρ φθονερῶν ὄμματα καὶ κραδίην.
Inuidia est pessimum quid, sed habet quoddam pulchrum in se.
Consumit enim inuidentium oculos & cor.

Plautus in duobus captiuis.

Est miserorum, vt maleuolentes sint, atque inuideant bonis.

Idem in Truculento.

Inuidere alijs bene esse, tibi male est miseria est.
Qui inuident, egent: illi, quibus inuidetur, rem habent.

Lucanus lib. 4.

Abscidit nostræ multum sors inuida laudi.

Ouid. Met. lib. 2. fab. 55. Inuidiam describens.

Pallor in ore sedet, macies in corpore toto,
Nusquam recta acies, liuent rubigine dentes:
Pectora felle virent, lingua est suffusa veneno.
Risus abest, nisi quem visi fecere dolores.
Nec fruitur somno vigilantibus excita curis:
Sed videt ingratos, intabescitque videndo.
Successus hominum carpitque & carpitur vna
Suppliciumque suum est.

Idem lib. 1. Fastorum.

Ecce vacent aures, insanaque protinus absint
Iurgia, differ opus liuida turba tuum.

Idem lib. 1. de arte.

Pascitur in viuis liuor, post fata quiescit.
Tunc suus ex merito quemque tuetur honos.

Tibullus lib. 4.

Nil opus inuidia est, procul absit gloria vulgi,
Qui sapit, in tacito gaudeat ille sinu.

Mart. lib. 5. Epigram. ad Regulum.

Esse quid hoc dicam, viuis quod fama negatur?
Et sua quod rarus tempora lector amat?
Hi sunt inuidiæ nimirum, Regule, mores,
Præferat antiquos semper vt illa nouis.
Sic veterem ingrati Pompei quærimus vmbram,
Et laudant Catuli vilia templa senes.
Ennius est lectus saluo tibi Roma Marone:
Et sua riserunt secula Mæoniden.
Rara coronato plausere theatra Menandro:
Norat Nasonem sola Corynna suum.
Vos tamen o nostri ne festinate libelli:
Si post fata venit gloria, non propero.

Horat. lib. 2. Serm. satyr. 3.

Inuidiam placare paras virtute relicta?
Contemnere miser: vitanda est improba Syren
Desidia, aut quicquid vita meliore parasti,
Ponendum æquo animo.

PHILOSOPHICÆ ET HISTORICÆ SENTENTIAE.

De Inuidia, & Liuore. DIAL. CVI.

Francisci Petrarchæ.

DOL.

Inuideo. R. Superior affectus vt bene tibi esset optabat: hic vt male sit alijs, tanto hic illo, & auaritia peior liuor. Bene ergo Sapiens idem de quo modo dicebã. Neque enim, inquit, est oculus inuidi, insatiabilis oculus cupidi. D. Inuidia torqueor. R. *Inuidia Siculi non inuenere tyranni Maius tormentum.* Flaccus ait. Idque ad vestros tyrannos pestilenti austro impellente, translatũ est. D. Inuidia crucior. R. Simul & peccas, & plecteris, expedita iustitia. D. Felicitas vicini mihi parit inuidiã. R. Credo hercule, nemo vestrum Regi Parthorum, aut Persarum inuidet, ne illi quidem vobis. fuit quando vicissim inuidebatis, quia vicinitatem faciebat Imperij magnitudo. Sed an nõ satis est proprijs malis angi, quæ tam multa sunt, nisi & aliena bona nos crucient vndique miseri & insani? D. Vicinis inuideo. R. Tritus mos, Inuidia lippa est, longinqua non videt, vicinitas atque prosperitas inuidiæ sunt parentes. D. Inuideo alienis bonis. R. Si es inuidus, & pusillanimis sis, oportet: omnibus ex vitijs, nullum pigrius inuidia, altos in animos non ascendit. Nullum quoque miserius. Itaque reliqua omnia bonum aliquod, licet falsum, præsupponunt. Hæc solis malis pascitur, & torquetur bonis, & quod alijs optat, iam sibi habet malum. Alexandri ergo Macedonis dictum placet, Inuidos homines nil esse aliud quam tormenta, seu tortores suos proprios: leuis adolescentis verbum graue.

De inuidia. DIAL. XXXV.

DOL.

Inuidetur mihi à multis. R. Præstat inuidiosum esse quam miserabilem. D. Inuidia exercet cor æmulorum. R. Et quis vnquam virtutis amicus, exercitio hoc caruit? Percurre animo omnes terras, omnia secula, cunctas historias euolue, vix insignem virum hac immunem peste reperies. Nolo nunc narrationem ingredi, quæ non longe nimis à proposito distrahat, sed si aliquid meministi, omnium quæ legisti non possunt ignoti tibi esse quam plurimi, quorum comitatu, non tantum consoleris, sed etiam glorieris. D. Inuidetur mihi. R. Linque honores & officia publica, desine incessu elato, & superbo comitatu per ora ciuium volitare. Sequestra te ipsum quãtum potes ab oculis multorum inuidorum, nec vultu, nec verbo, nec habitu, digito te notandum præbeas. Vulgus & liuor in plateis habitant, sic & mala ferme omnia. Quidã hostes nullo melius modo quam fuga vincũtur, ac latebris. D. Et profugum & latentem liuor insequitur. R. Tolle mali materiã, malum omne sustuleris. Nimijs opibus modum pone. quidquid eximia specie inflammare animos potest. vel abijce, vel absconde. Siquid est, quo carere nolis, aut nequeas, modeste vtere, inuidiam quam insolentia exasperat, humilitas lenit. Sunt quæ illam extinguant efficacia quidem, sed morbo ipso peiora remedia, miseria scilicet & infamis vita, de quorum altero dictum est, miseriam solam inuidia carere, de altero Socraticũ illud, interroganti n. Alcibiadi, quibus modis inuidiam declinaret, respondit Socrates. Et viue, inquit, vt Thersites, cuius vitam si nescires in Homerica leges Iliade, ironicum planeque Socraticum respõsum. Nõ enim est consilium vt inuidiam vites, vitare virtutem, satiusque est Achillem esse cum inuidia, quam Thersitem, sine: quamuis illud constet, magnos interdum viros, vt securi viuerent, & virtutem ad tempus & ingenium occultasse. D. Inuident mihi multi. R. Inuidiam nisi vel ignauia vel miseria vix euades, quam si sic euaseris in contemptum incides, vtroque caruisse difficillimum. D. Inuidia multorum premor. R. Est vt perhibent ealcandæ aliuditer inuidiæ, per excellentem gloriam, sed perraro vestigio signatum, ita vt plures hoc calle gradientium in id quod fugiũt relabantur.

Inuidia est ægritudo, ex alterius rebus secundis. *Cicero tertio Tuscul.*

Virtutis comes inuidia, plerunque bonos insectatur. *4. ad Heren.*

Late patet hoc vitium, & est in multis inuidere scilicet. *Cicer. Appio Pulch. Fam. 3.*

Mos est hominum, vt nolint eundem pluribus rebus excellere. *De Clar. Orat.*

Plerique sunt inuidi, maximeque est hoc commune vitium & peruagatum: Inuidetur autem præstanti florentique fortunæ. *2. de Orat.*

Inuidẽt homines maxime paribus aut inferioribus cum se relictos sentiunt, illos autem dolent euolasse: sed etiam superioribus inuident sæpe vehementer, & eo magis, si intolerantius se iactant, & æquabilitatẽ communis iuris, præstantia dignitatis, aut fortunæ suæ transeunt. *Cic. 2. de Orat.*

In iudicijs inuidia imbecillis esse debet: nihilque homini est tam timendum, quam inuidia: nihil innocenti suscepta inuidia tam optandum, quam æquum iudicium. *Cicero pro Cluen.*

Inuidia virtute parta gloria, non inuidia, putanda est. *1. inuect. in Catil.*

Inuidiam effugies, si te non ingesseris oculis, si bona tua non iactaueris, si scieris in sinu gaudere. *Sen. 17. epist.*

Etsi multos inimicos tibi faciat iniuria, multos tamen faciet inuidia. *De mor.*

Homo sum, quomodo deuitabo secularium rerum inuidiam? Facilius est pauperi contemptum effugere, quam diuiti inuidiam. *ibidem.*

Vtinam inuidi oculos haberent in omnibus ciuitatibus, vt de omnium felicitatibus torquerentur: nam quanta felicium sunt gaudia, tanti inuidorum sunt gemitus. *idem.*

Vte-

Venenum quod serpentes in alienam perniciem effundunt, sine sua contione: non ita vitium inuidiæ continetur; nam inuidum torquet & macerat, bona odit & extenuat, iniurias vero dilatat atque auget. *in epist.*

Nunquam melius torquebis inuidos, quam virtuti & gloriæ seruiendo. *ibid.*

Inuidia tacite, sed inimice irascitur. Inuidiam ferre aut fortis, aut felix potest. *ibid.*

Si non inuideris, maior eris: nam qui inuidet, minor est. Scito quod est inuidia, Dolor animi ea alienis commodis. Scito etiam & illud, quod nulli inuidet vir bonitate prædittus. *In Prouerbijs.*

Nulla tā modesta felicitas est, quæ malignitatis dentes vitare possit: diuites enim sunt alienis iacturis locupletes, calamitatibus, immortales funeribus. Vnde quidam interrogatus, quomodo inuidos non haberet? respondit. Si nihil, inquit, ex magnis rebus habueris, aut nihil feliciter gesseris: nam sola miseria caret inuidia. *Valer. Max. lib. 4.*

Bono viro nunquam vlla de re inoascitur inuidia. *Plato in Timæo.*

Iter facientes per solem necessario comitatur vmbra, incedentibus vero per gloriam, comes inuidia. *ibid.*

Leges non prohibuissent singulos pro arbitrio suo viuere, nisi alter alteri fuisset iniurius. Etenim inuidia seditionis parit initium. *Democrit.*

Vir multis quidem scientijs eruditus, sed ob animi molestiam inuidiamq; nolens alijs desiderantibus communicare, similis est malo vasi, quod in se multa bona recondit, sed antequam vsum sui præbeat corrumpit. *Apollon. fratri.*

Inuidia prorsus indicium est malitiæ & vitij naturæ, nec excusationem habet, propter quam consequatur veniam hoc malo affectus. *Demosth.*

Quando æquitas & publica vtilitas superantur inuidia, tum omnia sursum ac deorsum versa existimandum est. *Contra Aristogetonem.*

Scio nonnullos liuore ductos morbo animi obtemperaturos. Tamen memor nullam vnquam virtutem caruisse inuidia (male etenim cum eo agitur, cui nullus inuidet) æquanimiter feram eorum dicacitatem. Solent inuidi, & qui præcipue suo ingenio diffidunt, aut qui præstant impudentia, alios detrahendo obloquendoque lacessere, verum vtantur suo instituto ac moribus, modo id sciat, malitiam magnam partem veneni sui bibere. *Xenoph. in PædiaCyri lib. 1.*

Neque enim pericula præbent inuidiæ locum vllum aduersos eos, qui aut excellunt armis, aut laudem appetunt, sed diligūt potius, laudantq; tanquam socios laborum, & communis vtilitatis propugnatores. *Idem lib. de vita Cyri.*

Quia inuidi atque maligni vitioso oculo vident, quæ vident, & confusi caligine nequitiæ in id cadunt, vt minus videndo plus videant: cum tamen id, quod est ita, vt est, videre non possint, in tātum enim captum cor obliquis inuidia, vt rectum natura non videat. *Paul. Oros. de Ormesta, l. 4.*

Inuidia, si secundum quid aduenerit, vt in discendo grauitēs est. Simplex vero est proprij auctoris consumptiua. *Boet. de Scholast. disciplina.*

Inuidia tanquam ignis summa petit. *Liuius.*

Nulla ingenia tam prona ad inuidiam sunt, quam eorum, qui genus ac fortunas suas animis non æquant: quia virtutem, ac aliorum bonum oderunt. *Idem Decad. 4. lib. 5.*

Si quis inuidet bono viro fortunato, is etiam patriæ ac toti Reip. denique sibi ipsi inuidet. Nam vir bonus feliciter agens, communis est prosperitas, & ciuitatis, & vniuscuiusque, qui felicitatis eius particeps fieri potest. *Euseb.*

Inuidus seipsum tanquam hostem offendit. *Democrit.*

Similis inuidet simili. Si in hoc quod similis vnus excedit alium, vnde vulgus odit vulgum, & figulus figulum. *Arist. libro secundo Rhetoricor.*

Felicitas semper subiecta est inuidiæ, sola ergo miseris inuidia caret. *Diog. Laert.*

Aduersus inuidiam nihil prodest vera dicere. *Demosthenes 2. epist.*

Præclara facinora, & res à quopiam egregie gestæ magnam plerūque inuidiam & graues calumnias conflare solent, quibus ciues quidem affinium & amicorum multitudine freti facile resistunt, peregrini vero omnis præsidij expertes, vtroque malo quā celerrime conteruntur. *Polib. l. 1.*

Præclare facit, qui inuidiam propter res honestas & magnas præfert. Odia enim non sunt perpetua: sed præsentem splendorē gloria æterna sequitur. *Thucyd. lib. 2.*

Inuidia viuentes exercet: sed mortua beneuolentia sine obtrectatione præstatur. *idem, eod. lib.*

In ciuium inuidiam plerique duces nimia honorem & potentiæ cupiditate prouecti impingunt. *Plut. in Timoleonte.*

A rebus publicis inuidia numquam abesse potest. *Idem in Pelopida.*

Diuitijs grauis & perniciax innascitur inuidia. *ibid.*

Cœca inuidia est, nec quicquam aliud scit, quam detrectare virtutes, corrum pere honores ac præmia earum. *Liuius, Decad. 4. lib. 8.*

Procliuius est impedire aliquem, eiusq; incrementis obstare, quam eundem velle ad magnum fastigium promouere: idq; cum alias ob caussas, tum eo præsertim nomine, quod is qui obstat alicuius incrementis, & ab alijs gratiam init & sibi prospicit: contra qui alium extollit, is tum & sibi & cæteris molestū efficit. *Dion. l. 37.*

Vnum est doloris, quē homines ex aliorum bonis capiunt, remediū, si nimirum qui inuident aliorum bonis, non putent ea esse amplius aliena. *Dionys. Halic. lib. 3.*

Eos quos in sua potestate tenet inuidia sapere non sinit. *Idem libro 11.*

Sicuti pleraque mortalium habentur, inuidia ex opulentia orta est. *Sallust. de coniurat. Catil.*

Viuos interdum fortuna, sæpe inuidia fatigat: vbi anima naturæ cessit, dēptis obtrectatoribus ipsa se virtus magis magisq; extollit. *Idem in fragmen.*

Assidua est eminentis fortunæ comes inuidia, altissimisque adhæret. *Velleius Paterc. lib. 1.*

Nunquam eminentia inuidia carent. *Vell. Pater. eod. lib.*

Sequitur inuidia inertiam. *ibid.*

Raro inuidetur eorum hominibus, quorum vis non timetur: contra in ijs homines extraordinariæ reformidant, qui ea suo arbitrio aut depositari aut retentori videntur, & modum in voluntate habent. *Idem, lib. 2.*

Insitum est mortalibus natura, recentem aliorum felicitatem ęgris oculis introspicere, modumque fortunæ à nullis magis exigere, quam quos in æquo viderunt. *Tacit. hist. lib. 2.*

Est hoc commune vitium in magnis liberisq; ciuitatib. vt inuidia glorię comes sit, & libēter de ijs homines detrahunt, quos emergere videant altius: neque animo æquo pauperes alienam opulentam intuentur fortunam. *Æmyl. Probus, in Chabria.*

Solet amplissima gloria obiecta esse semper inuidiæ. *Am. Marc. l. 17.*

Inuidia, turbarum acerrima concitatrix, *lib. 21.*

Rectæ potestatis inuidia est socia. *lib. 30.*

In magna felicitate coenire solet inuidia. *Procop. de bello Vandalico, lib. 2.*

Inuidia non tantum prouinciarum & vrbium dominos subinde obliquo intuetur oculo, sed & insidiatores in proximo alit, mediocres etiam insectatur. *Nicet. Man. Commen. lib. 3.*

Inuidię authori est in more positū, vt acerbas aliquas calamitates atque infestas prosperis successibus admisceat, tanquam segetis lolium, nec vllum fęre humanæ vitæ gaudium inuidum ac perpetuum esse patiatur. *Niceph. Gregoras, hist. lib. 4.*

Honestissimam Belisarij fortissimi & sapientissimi ducis famam scelaratissima inuidia parum æquis oculis intuebatur, & toto impetu gloriam eius impugnabat. Nam vulgo quod dicitur, quid vtile sit ignorat ambitio. *Constant. Manass. Annal. pag. 86.*

Inuidia, vt in magna felicitate contingit fieri, etiam in Belisarium cecidit. *P. Diacon in Iustin.*

In magnorum principum familijs regnare solet inuidia. *Ph. Cominaus. lib. 4. de bello Neapol.*

Communis regnorum pestis atque pernicies, inuidia. *B. Fabius histo. lib. 2. & 3.*

Commune hoc inuidiæ suę solatium habent maleuoli, quibus ipsi meliores vt habeantur, præstare non possunt, vt eos tamen alijs deteriores esse ostendere conentur. *Plut. in Pelopida.*

Quibusdam absentem carpere imperatorem, quam præsentem monere, melius videtur. *Liuius, Decad. 5. lib. 4.*

Homines inuidi nihil aliud sunt quam ipsorum tormenta. *Curtius lib. 8.*

APOPHTHEGMATA.

Cleobulus interrogatus quænam præcipue cauenda sint? respondit: Amicorum quidem inuidiam, inimicorum autem insidias. *Ant. in Meliss. par. 1 serm. 62. Max serm 54.*

Periander dicebat, Nemini esse inuidendum. Et quemadmodum rubigo propria est frumenti ægritudo, sic inuidia amicitiæ esse morbum. Item, sicut ærugo ferrum, sic inuidiam inuidi animam conterere. Et, quo magis vtique inuidebis, tanto maiorum fies caussa bonorum illi, cui inuidies. *Stob serm. de inuidia.*

Thales sciscitatus, quo pacto aduersæ fortunæ ictus quispiam ferat facillime? si inimicos, ait, videat deterius affectos. Tanta enim est inuidiæ vis, vt omne nobis malum exonguat, si inimicum peius habere intelligimus. *Brus. lib. 3. c. 7.*

Antisthenes absurdum esse dicebat, triticum repurgare à lolio, bellū ab inutili milite, & à Repub. non secernere inuidos. Significans, inuidos tam esse inutiles ciuitati, quam loliū est tritico, & ignauus bello. *Laert. lib. 6 c. 1.*

Idem dicere solitus est, non aliter ac ferrum absumitur rubigine, ita inuidos suo ipsorum vitio contabescere. Ferrum. n. etiamsi nemo lędat, ex se gignit vnde corrumpatur. *ibid.*

Democritus dicebat, leges non prohibuisse singulos pro arbitrio suo viuere, nisi alter alteri fuisset inuidus & iniurius: Etenim inuidia seditionis parit initium. *Stob. serm. 36. Maxim. serm. 54.*

Ana-

Anacharsis. Bonum esse, dicebat, si penitus à rebus humanis inuidia exularet, quo liberius quisque ad honesti studium accingeretur. *Stob.*

Idem percontatus, cur homines subinde tristarētur? respōdit: Quia non solum propria mala eis molesta sunt, sed etiam aliena bona. *Ant. serm. 62 par. 1. Meliss. Max. serm. 54.*

Socrates cum inuidiæ naturam exprimere conaretur, animæ vlcus & serram appellauit. *Anton. in Melissa. parte 1. serm. 62. Stob. sermone 36.*

Idem considerans quid inuidia esset, dolorem quemdam reperiebat eam esse: non tamen nec in aduersa amicorum, nec in secunda fortuna inimicorum: sed illos inuidere aiebat qui in amicorum prosperitate doleant. *Xenophon. lib. 2. de dictis & factis Socratis. Stob. serm. 36.*

Idem interrogatus, quid bonis viris molestum esset? dixit: Malorum felicitas, Quid malis? bonorum prosperitas. *Anton. in Meliss. par. 1. serm. 70.*

Aristoteles ostendere volens quid esset inuidia, Antagonistam fortunatorum esse dixit. *Ant. in Meliss. par. 1. serm. 62.*

Idem dicebat, inuidiam collactatorem esse ex aduerso bonorum virorum. Aemulatio enim bona est, & bonos potissimum decet: Inuidia contra turpis est, & a fœdo hominum genere occupata. Atqui videas bonos ita se comparare, vt æmulatione, honestique studio, quæ sunt optima sectentur. Inuidos autem contra, per liuorem bonos, quatenus possunt, ab instituto suo arcere. *Stob.*

Theophrastus dicebat, inuidos celiquis hominibus infeliciores esse, in eo quod alij suis solum calamitatibus dolent: Inuidi verò præter sua mala, bonis etiam alienis contristari pergunt. *Stob. serm. de inuidia.*

Idem improbos homines dicebat, non tam proprijs bonis gaudere, quam alienis malis. *Stob. eod. serm.*

Philo. Honesti, inquit, etiamsi per inuidiam ad tempus obscurentur, tamen suo tempore soluta iterum splendent. *Anton. & Max. serm. de inuidia.*

Hippias dicebat, duplicem inuidiam esse: Iustam quidem, cum quis inuidet improbis honoratis: iniustam verò, cum bonis. Et inuidos duplo magis, quam cæteros esse calamitosos. Non enim solum proprijs malis grauantur, vt alij, sed alienis quoque. *Stob. sermone 36.*

Apollonius. prorsus hominibus non inuidendum dicebat. Boni enim, quibus bona eueniunt, digni sunt vt his fruantur feliciter: flagitiosi autem, in quantauis prosperitate, sunt infelices. *Stobæus.*

Agathon. malos homines non tam lætari proprijs bonis dicebat, quam alienis malis. *Ant. in Melissa, par. 1. serm. 62.* Theophrasto autem hoc adscribit. *Max. serm. 14.*

Themistocles adhuc adolescens, nihil dum præclari se fecisse dixit. Nondum enim inuideri sibi. Nam sicut cantharides vegeto maximè tritico innascuntur, & rosis pulchre florentibus: sic inuidia maximè inuadit bonos viros, & in virtute proficientes, ac ingenij perfo... æque gloriam sustinentes. *Anton. in Melissa parte 1. sermone 62.*

Idem, ob honores Miltiadi collatos, quod barbaros in Marathone superasset, tanta inuidia correptus est, vt noctes insomnes consumeret: rogatusque, quam ob rem tam sæpe excitaretur? Miltiadis, inquit, trophæis subinde excitor. *Plutarchus. Æmil. Probus.*

Idem. Quum quidam apud Agidem dicerent, esse nonnullos alienæ familiæ, qui ipsi inuiderent: Geminam igitur, inquit, habebunt molestiam, quos & sua ipsorum mala discruciabunt, atque insuper tum meis, tum amicorum meorum bonis torquebuntur. Magnifica vox, declarans, eos quos habet inuidia, magis esse misericordia dignos quam ira: propterea quod inuidus abunde dat pœnarum, etiam si nemo vlciscatur. *Plutarch. in Lacon.*

M. Cato eos qui fortuna moderatè sobrièque vterentur, dicebat minimè pati inuidia. Non enim, inquit, nobis, sed bonis quæ nos circumstant, inuident homines. Externa bona extra hominem sunt, ac insolenter vtenti vitium intra hominem est: in eo sibi conflant inuidiam, vere sunt inuidiosi. *Plutarch. in apoph. Stob. sermone 36.*

Publius Mutium hominem inuidum, & in primis maleuolum, solito tristiorem videns: Aut Mutio, inquit, nescio quid incommodi accessit, aut nescio cui aliquid boni. *Macrob. lib. 2. c. 2. Satur.*

Asinius Pollio Ciceronis gloriæ vehementissimè inuidebat. Quum ergo Sextilius poeta Cordubensis in domo Messalæ Coruini recitaturus, Pollionem aduocasset, & principio poematis cœpisset.

Deflendus Cicero est Latiæque silentia linguæ.

Statim consurrexit Pollio, atque ait, Messala, tu quid tibi liberum sit, in domo tua videris: ego istum auditurus non sum cui ego mutus videor, atque sic abijt. Offensus est autem his verbis,

Latiæque silentia linguæ, &c. Æmil. libro tertio, capit. septimo.

Furius è seruitute liberatus, quum in paruo admodum agello largiores multo fructus acciperet quam ex amplissimis agris vicini, in inuidiam incidit hominum accolarum, ceu veneficijs fruges pelliceret alienas. Quamobrem à Spurio Albino Curuli die dicta, metuens damnationem, quum in suffragium tribus oporteret ire, instrumentum rusticum omne in forum attulit: adduxitque etiam filiam robustam, bene curatam & vestitam, ferramenta egregie facta, graues ligones, vomeres ponderosos, & boues saturos, & dixit. Hæc sunt, o Quirites, mea veneficia, nec possum præterea vobis ostendere labores manuum mearū, multasq; meas vigilias & sudores. Quod vbi ad diutissime iudices intellexerunt ex solis inuidia Furium accusatum esse, quem dimiserunt absolutum, *Meminit huius & Plin. libro 18. cap. 6.*

Chrysostomus, Inuidet quidem dæmon, inquit, sed hominibus: tu vero cū sis homo, hominibus inuides, & quomodo consequeris veniam? *Eodem serm.*

Actius Sincerus, rara vir ingenij magnæque nobilitatis, cum in conspectu Friderici regis esset inter physices quæstio, quid præcipue conferret oculorum perspicuitati: aliquique fœniculi afflatum dicerent, alij vitri vsum, alijque aliud: At ego, inquit, inuidiam aio. Obstupuerunt hoc dicto adeo medici, vt ab auditoribus derisui haberentur. Tum ipse: An non inuidia maiora & pleniora omnia videre facit? Quid autē oculis magis præfe ...taneum, quā vt vis ipsa aspiciendi maior reddatur, atque vegetior? protulitq; statim Ouidianos illos versus:

Fertilior seges est alienis semper in agris.
Vicinumque pecus grandius vber habet.

Pontanus.

S I M I L I T V D I N E S.

Plutarchi. Flammam primum emicantem multus comitatur fumus, qui quidem euanescit, iam conualescente & explicante se flamma: Sic res egregias aggredientem initio multa premit inuidia, donec aucta gloria inuidię fumum discutiat: nam fumus gloriæ inuidia est. *In Moralib.*

Quemadmodum amicorum felicitati, nolunt eos prorsus subuerti, sed tamen grauantur illorum excellentia: vt qui vicini domum nolunt omnino demoliri, sed satis habent, si detrahatur, quod obscurat proximas. *ibid.*

Vbi nullum lumen, ibi nulla vmbra: Ita vbi nulla felicitas ibi nulla inuidia. *ibid.*

Licet inuenire regionem, vbi venena non sint, quemadmodum affirmant de Creta: At non licet inuenire Remp. quæ non alat inuidiam, contentionemque. *In Moral.*

Malus consiliarius omnia deprauat assidens: Sic inuidia nulla magis damnat, quam quæ sunt optime dicta. *ibid.*

Quemadmodum iter facientes per solem, necessario comitatur vmbra: Sic quoque incedentibus per gloriam comes est inuidia. *apud Stob. serm. 36. & Maxim. serm. 54.*

Sunt qui aspectu effascinant hominem: Ita inuidus oculus perniciem adfert rebus lętis: Nec satis tutus regum oculus, si quid habeas egregie pulchrum. *lib. 7. c. 2.*

Dionis Chrysostomi: Vt corpus sanū aliquoties percutitur, & non facile vulneratur: corpus autem debile ab intus tacitam habet læsuram, etiamsi modice tactum fuerit, citius dissipatur: Sic animal liberum & integrum non facile offenditur: animal vero inuidia vulneratum, non solum causa idonea, sed etiam leuis occasio excitat in dolorem. *In Matth. 21. hom. 9.*

Vt scarabei alieno stercore: Sic inuidia aliorum aduersa fortuna nutriuntur. *Hom. 41. in Matth.*

Si quem videremus ignem manibus ac ligonem gestantem: hunc quidem vna cum altari demoliri, euertere, incendere, nonne fieret, vt ab omnibus ijs qui rem forte spectarent, lapidibus obrueretur, tanquam impius, & exlex? quid igitur? si quis flammam gestet, hoc quo vtuntur igne efficaciorem, inuidentiam dico, non lapidum ædificia demolientem, neque aureum altare euertentem, sed quod longe & lapidibus & altari preciosius est, præceptorum ædificiū subuertentem, & deuastantem: hic qua tandem venia dignus esse queat? *Hom. 7. ad Roman.*

Sicut furentes sæpenumero gladios in se conuertunt: Ita idem & inuidi, solum inuisi perniciem intuentes, propriam negligunt salutem. Hi feris quoque peiores. Nam illæ quidem escæ indigentes, vel prius quam a nobis irritentur, aduersum nos armantur: hi verbo beneficij frequenter allecti, benemeritos maleficijs prosecuti sunt. Hi quidem peiores feris, dæmonibus autem pares, forte vero peiores istis. Hi namque contra nos bellum exercent impacatum, consortibus autem generis non insidiantur: hi vero neque naturæ communionem reueriti sunt, neque sibi pepercerunt: nam neque inuisas animas suas pęnis afficiunt. *Homil. 44. De liuore & inuidia.*

Nazianzeni. Quemadmodum muscæ vulneribus: Ita hi nostris insident fatis aduersis, aut si ita mauis erratis, *libro 1. de Theologia.*

D. Basilij. Quemadmodum sagittæ magna vi emissæ, si in durum aliquid ac respuens inciderint, in emittentem facile redeunt: Sic inuidia proximis tristitiam, nequaquam adfert, inuidenti tantum officit. *De inuidia.*

Quemadmodum venenum, ferrum: Sic inuidia hos qui eam possidēt, absumit atque vastat. Magis autem sicuti viperas dicunt abrupto magis ventre nasci, sic & inuidia concipientem eam animam corrodere simul ac tabefacere apta est, nec mirum, cum hominem malignum & inuidum continuo dolor atque tristitia comitentur. *De inuidia.*

Vulturus ad maleolentia corpora præteritis amœnis & odoriferis locis feruntur: & muscæ sana præteruolantes ad vlcera festināt: sic inuidi splendida & magna præclare facta intuentur quidē, sed putria inuadunt. *idem, ibid.*

Vt ærugo ferrum, sic inuidia quem infecit, animum consumit. *ibid.*

Rubigo peculiare est vitium frumenti: & inuidia morbus est amicitiæ *ibid.*

Canes nutricatione cicurantur, & cultu mansuescunt Leones, inuidi vero ad obsequium magis efferantur. *ibid.*

Quemadmodum columna, si recta fuerit, accepto pondere amplius confirmatur: si autem modice obliquata fuerit, nō solum non cōfirmatur, sed amplius vadit ad latus: Sic & cor hominis, si fuerit rectum, videns opera viri iusti, audiens doctrinam sapiētiæ eius, amplius confirmatur. Sed si cor prauum fuerit, non solum non confirmatur, sed magis ad inuidiam excitatur, & magis peruertitur. *Chrys. in Matth. c. 21.*

D. Augustinus. Inuidus vir similis est naui, quæ iactatur in fluctibus maris in perturbatione semper est: vt lupus rapax insanit maniter: in miseria detinetur & tabescens ad nihilum redigitur: semper furore plenus, particeps dæmoniorum efficitur. *ad Iulianam epist. 111.*

Plutarch. Vt ferrum ærugine cōsumitur: Sic inuidi suopte ingenio: *apud Ant par. 1 serm. 62.*

Non quæuis arbor patitur complectentem se vitem, sed quædam præfocant eam, & extinguunt. Ita ambitiosi quidam iuuenes ob inuidiam premunt, ne quando emergant. *In Mor.*

Vt ij quos dolentes sopor occuparit, tristia somniant: Ita qui inuidia, superstitione, auaritia laborant. *In Moral.*

Vt illi eos qui aduersis ventis & vndis nauigat, orta tranquillitate portum petit: Sic qui tum negotium relinquit, cum diu iam cum inuidia luctatus, deinceps citra inuidiam viuere possit. *ibid.*

Qui diuersam ingrediuntur viam non possunt sibi mutuo prodesse: at qui diuersa vitæ ratione vtuntur, adimunt inuidiam, ac magis sibi inuicem sunt auxilio. *ibid.*

Vt feris bellum est cum ijs, quæ ijsdem aluntur, cum cæteris pacem agunt: Sic inuidia & æmulatio inter eiusdē artis professores. nam pugili cum cursore conuenit. *In Moral.*

Canis ignotos allatrat, erga notos mitior, secundum Heraclitum: Sic inuidia nouos homines, & nuper euectos potissimum infestat, in notos iam mitior. *ibid.*

Vt inueterata consuetudo etiam si lædat, tamen haud facile propellitur: ita simultas inuidiam, zelotypia mali memoriam in animo relinquit. *ibid.*

Vt sol, si immineat hominis vertici, aut prorsum tollit vmbram, aut minimam reddit: Sie ingens gloria extinguit inuidiam.

P. M. Creta nullum habet venenum, præter phalangium, id est, aranei genus: ita non est monasterium tam sanctum, quod immune sit ab obtrectationis & inuidentiæ malo. *In simil.*

Thrinuri. Quibusdam animantibus nulla lis est, præterquam in aculeo. Sic male nati homines nil aliud possunt quam perpetuo inuidiæ aculeum infigere. *in apoph. 131.*

Apes possunt quidem dolose infigere aculeum, sed tandem relicto vel ipsæ etiam pereunt: Ita & inuidi dum alios lingua dolosa lędūt, malignitate ipsi tandem contabescunt, postquam proximo malum inflixerunt. *In apoph. 132.*

Carbones oleo accendes: Sed inuidiam haud facile beneficijs exnogues. *In apoph. 161.*

Calcem accensam vt oleo extingues, ignem vero magis accendes: Ita hominem maleuolum tibi humanitatis beneficijs placabis, inuidum vero magis excitabis. *In apoph. 216.*

Qui nequeunt ferre alterius fortunam, similes sunt illis, qui ob vitium corporis nequeunt ferre bonum aerem. *In apophthegma. 60. & 128.*

P. M. Qui effascinant, In oculis geminam habere pupillam dicūtur: Ita qui vtuntur inuidia alienæ felicitatis non eam intuentur oculo simplici, sed quidquid vident, sinistre interpretantur.

Thrinuri. Semper ignis summa petit, sed fastigium aliquando tam est excelsum, vt vix possit carpere media. Talis est inuidorum astutia, minima quærūt in magnis viris vitia, vt illhoc possint paulatim violare postrema. *In apoph. 125.*

ADAGIA.

Cognatio mouet inuidiam. τὸ συγγενὲς καὶ φθονεῖν ἐπίσταται.

Innuit adagium: Inuidiam oriri erga vicina & cognata. Arist. 2. Rhetor.

Figulus figulo inuidet, faber fabro, καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ κοτέει, καὶ τέκτονι τέκτων *Hesiodus.*

Ostendens inter eiusdem conditionis aut artificij homines facile inuidiam & æmulationem oriri. Es neidet ein Bettler den andern: *item.* Es ist einē Hencker leydt, dass der ander in die Kuchen gehet. *item.* Es ist dem einen Bettler leydt, dass der ander fuer der Thuer stehet.

Inimicus & inuidus vicinorū oculus. δυσμενὴς καὶ βάσκανος ὁ τῶν γειτόνων ὀφθαλμός. *Idem quod prouerbium.* Vicinus vicino inuidet.

Vnicum arbustum haud alit duos Erithacos. μία λόχμη οὐ τρέφει δύο ἐριθάκους.

Non intempestiue dicetur in eos, quibus parum conuenit, nec in eodem munere concorditer versari queunt.

Vna domus non alit duos canes. εἰς οἶκος οὐ δύναται τρέφειν τοὺς δύο κύνας.

In eos quadrat, inter quos parum conuenit, propter idem lucrum quod communiter expectant.

Zoili.

Zoili prouerbiali more vocantur alienarum laudum obtrectatores, & alienorum laborum reprehensores. Germani tales vocant, Neidige Gallen-Kraemer *Vtuntur & hac formula:* Er mag nicht leiden, dass die Sōn ins Vvasser scheinet.

Edentulus vescentium dentibus inuidet. *D. Hieron.*

Dicetur in eos, qui alijs inuident, quod ipsis non contingit.

Expertes inuidentiæ Musarum fores. ἄφθονοι Μουσῶν θύραι.

Candidæ Musarum ianuæ.

De his dictum, qui literaturam suam candide libenterque impertiunt alijs, & ad docendum prompti sunt atque propensi.

Lætitiæ comes inuidia.

Qui monebit, ne quis insolentius iactitet vel fortunæ munera, vel naturæ dotes, ne quando Nemesis exaudiat auferatque. non incommode vsurpabit illud Homeri.

> Ἀλλ' ἔχε σιγῇ δῶρα θεῶν ἔχειν ὅττι διδοῖεν.
> *Possideas tacitus, si quæ adsunt munera Diuum.*

Optat ephippia bos piger: optat arare caballus.

Significat vitium illud humanis ingenijs insitum, vt semper alienam sortem magis mirentur, suā contemnant, ac fastidiant: Optent inexperta, experta damnent. Horat.

Fertilior seges est alieno semper in agro. *Explicat hoc A. Gellius, l. G. Aliena nobis, inquiens, nostra plus alijs placent.*

Ouid.

> *Fertilior seges est alieno semper in agro,*
> *Vicinumque pecus grandius vber habet.*

Quos duos versiculos Germanis sua prouerbia dederunt: Auff ander Leuth ecKern stehet die Saat immerdar am dicKesten *item.* Ander Leuth Kuche haben immerdar groesser Eiter.

Præstat inuidiosum esse. *Herod.*

Præstat inuidiosum esse, quam miserabilem. Nam inuidia fere comes est felicitatis, miseratio calamitatis.

EXEMPLA BIBLICA.

Inuidiæ *Exempla.* Satan. *Gen. 3. v. 1. Sap. 2. v. 24.* Cain. *Gen. 4. v. 4.* Palæstini, 26. 14. Rachel, 30. 1. Fratres Ioseph, 37. 4. 8. *Act. 7. v. 9.* Aegyptij, *Exod. 1. v. 13.* Iosue, *Num. 11.* 28. 29. Aron & Maria, 12. 12. Ephraimitæ, *Iud. 8. v. 1.* 2. Eliab frater Dauidis 1. *Sa. 17. 9.* Saul 18. 8. Philistæi, 29. 9. Achitophel, 2. *Samuel, 17. v. 23.* Sanaballat & Tobias, *Nehem. 2.* 10. Aman, *Esth. 5. ver. 13.* Principes & Satrapæ Darij, *Dan 6. 4.* Pharisæi, *Matth. 9.* 11. *Io* 12. 10. Discipuli Ioannis, *Matth 9. 14. Io. 3. 26.* Princeps Sacerdotum & Scribæ. *Matth. 21.* 15. Iudæi, 27. 18. *Act. 13. v. 45. & 17. v. 5.* Frater prodigi Filij, *Luc.* 15. 18. quidam Pharisæi, 19. *versicul.* 39. Pontifices & Pharisæi, *Io. 11. v. 47.* Sacerdotes, Magistratus templi, & Sadducæi, *Act. 4. ver. 1. 2. & 5. 17.* Auditores Stephani. *v. 54.* Corinthij, 3. *v.* 3. Pseudoapostoli, *Philip. 1. v. 15.*

EXEMPLA PROFANA.

Alexander Macedonum rex potentissimus Perdicam oderat, eo quod esset bellicosus: Lysimachum, quod militandi peritus: Seleucum, quod magni animi: Attalum, quod imperatoria dignitate polleret: Ptolemæum, quod ei prospere omnia succederent. *Ælian. lib. 12. de var. histor.*

Viros bonos, qui per virtutem primum locum tenebant, inuidi oppugnauere: Periclem Simmias: Alcmæon Themistoclem: Pompeium Clodius: Epaminondam Menecides Orator. *Plut. in præcep. politicis.*

Græcorum duces ad Salaminem re bene gesta quamuis consilio Themistoclis omnia gesta essent. eius tamen gloriæ inuidentes, ne secundas quidem rei bene gestæ partes tribuere voluerunt. *Herodotus.*

Caligula

Caligula Cæsar pulchros & comatos, si quos obuios haberet, occipitio raso eos præ inuidia deturpabat. *Suet.*

Agathocles Syracusiorum tyrannus, Gelonis regis sepulchrum, quod ei ob res præclarè gestas populus extruxerat, diruit. *Diodor. libro 11.*

C. Caligula inuidia motus, Torquato torquem, Cincinnato crinem, & Cn. Pompeio stirpis antiquæ Magni cognomentum abstulit. Esium quoque Proculum, formosissimum adolescentem iugulari fecit. *Suet.*

Sempronius Gracchus & Rutilius tribuni plebis Marco Attilio Glabrioni diem dixere, nullam aliam ob causam, quam quod homo nouus tam cito creuisset. *Liuius de bello Macedonico, & Volat. lib. 13. c. 3. Anthrop.*

HIEROGLYPHICA.

Nonnulli ex petitioribus *Inuidiam* per *Hydræ* speciem significari tradunt: ideoque in nullo alio monstro domitando Herculem ma gis laborasse. *Pier. Valer. lib 6.*

Per *Lolium* etiam cum praui moribus tum *Inuidia* hieroglyphicè significatur. Quare Antisthenes non temere dicere solebat, absurdum esse *triticum à lolio* non repurgare, qui sentiret ex hoc *inuidos* à Republica submouendos, vt Plutarchus interpretatur: tam enim inutiles inuidi sunt ciuitati, quam *Lolium* est tritico: qui verò inuidus est, suam ipse sibi fouet infelicitatem. *Pier. Valer. libro 56.*

EMBLEMA.

Emblema LXXI. Andr. Alciati.

Squalida vipereas manducans fœmina carnes,
Cuique dolent oculi, quæque suum cor edit.
Quam macies, & pallor habent, spinosaq; tegit stat.

FABVLÆ.

Canis in præsepi.

Frendens canis dentibus, & allatrans nonnumquam in præsepi iacebat, à quo boues terrebantur, neque admittebantur ad pabula. Cui vnus: Quanta ista, inquit, inuidia est: non pati te, vt eo cibo vescamur, quem tu capere, nec velis, nec possis?

Fabula de prouerbio composita est, quo notatur inuidentiæ malignitas.

Inuidus.

Volens explorare sensus hominum Iupiter, misit Apollinem in terras, qui voluntates humanas cognosceret. Hic primum incidit in auarum vnum, & alterum inuidum. Quibuscum collocutus, copiam illis fecit petendi quod vellent. Id enim quod vterque petijsset, ratum se habiturum ea lege, quod sibi alter perijsset, alteri præstaretur duplum. Nullo igitur pacto induci potuit auarus quicquam sibi vt peteret, at inuidus erui vnum oculum sibi petijt, vt auarus ambos amitteret.

Describitur hac fabula auaritiæ, & inuidiæ pessimum, & deterrimum vitium.

Lupus & Vulpes.

Videbat Lupus ad supplicium capitis Vulpem quemdam rapi, eximia forma, & magnitudine: itaque misertus illius, statuit Leonem regem, apud quem se sciret singulari in gratia esse, deprecari pro vita illius, sciscitari igitur causam propter quam Vulpes damnata esset. Cui responderunt, qui illam ducebant: Quod frera vitibus suis, non contenta rapinis auium de cohorte, pinguissimum etiam anserem, de numero eorum, qui regi ad delicatiores cibos afferuntur, fuisse ausa aggredi. Tum Lupus mutata Vulpis liberandæ voluntate discessit, & fracta ceruice illa perijt.

Omnes facinorosi inuidi sunt: estque hoc prauitatis vitium insitum pene omnibus, vt eos cum quibus communicari videant commoditates suas, è medio sublatos cupiant, illis vt indiminutis ipsi soli fruantur.

INVOCATIO.

DEFINITIO, ET ETYMOL.

INuocatio, Græcè ἐπικαλεῖσθαι, & ἐπίκλησις inuoco dicitur. Est autem inuocare, in se vocare per affectum, & deuotum cultum, *secundum B. Th. super epist. ad Roman. 10. lect. 2. fol. 2.*

LOCI BIBLICI.

Inuocari nomen alicuius super aliquem, est de nomine illius vocari, *Genes. 48. v. 16. Deuter. 28. 10. 4. Esd. 25. Dan. 9. 18. 19. Esa. 3. 28. Ierem. 7. 10.* Inuocare nomen Dei super aliquem, *Num. 6. 27. Inuo-* cantibus Deum salus, *Roman. 10. 13.* Inuocandus Deus corde puro, *2. Timoth. 2. 22.* Inuocatus Deus in tribulatione exaudit, *2. Samuel. 22. 7.*

Inuocatio nominis Christi, pro Christi Deitatis agnitione, *1. Cor. 1. 2. 2. Tim. 2. 19.* Inuocatio συνεκδοχικῶς pro toto Dei cultu, *2. Tim. 2. 22.* Inuocatio nominis Dei præcipitur, *Psal. 50. 15.* salutaris est, *20. 8. Prou. 18. 10. Ioel. 2. 32. Actor. 2. 21. Rom. 10. 13.* Inuocatio nominis Dei, sacrificium Deo gratum, *Psal. 116. 13.* Inuocatio ex fide, *Rom. 10. 14.* Inuocatio & fides inter se coniunctissimæ, *Matth. 21. v. 22. Mar. 24. Iac. 5. 6. 1. Ioan. 3. 22.* Inuocationis fructus, *Phil. 4. 7.*

SIMILITVDO.

Athanasij. Si in paganorum iudicijs regem terrestrem testem citare fas non est, vtpote maiorem & ijs qui citant, & ijs qui iudicant: Quur Deum increatum ad res creatas inuocamus, facientes vt Deus ab hominibus contemnatur? *De Christi passione.*

EXEMPLA BIBLICA.

Inuocationis Dei *exempla* Seth, *Gen. 4. 26.* Abraham, *12. 8. & 13. 4. & 21. 33.* Isaac, *25. 21. & 26. v. 25.* Iacob, *32. 9.* Moyses, *Exod. 34. v. 9. Deut. 32. 1.* Samson, *Iudic. 15. 18.* Samuel, *1 Sam. 12. 17. Eccl. 40. 19.* Dauid, *2. Sam. 22. 4. 7. 1. Paral. 21. 26. Psalm. 17. 6. & 18. 4. & 31. v. 2. & 116. 13.* Elias, *1. Reg. 17. 36. 37.* Elisæus, *2. Reg. 20. 11.* Ruben, Gad, & dimidia Tribus Manasses *1. Paral. 5. 19. 20.* Asa, *2. Paral. 14. 11.* Iosua, *Eccles. 46. 6.* Ezechias, *48. 20. 21. 22.* Ieremias, *Thren. 3. 55.* Sacerdotes, *2. Mach. 3. 15. & 14. v. 34. 35.* Iunior ex septem fratribus, *7. 37.* Machabæus, & reliqui Iudæi, *8. 2.* Razias, *v. 46.* Iudas Machabæus, *15. v. 21. 26.* Stephanus, *Actor. 7. v. 62.*

Vide Deus, Oratio, Precatio.

IOCVS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

IOcum vocamus, quod est contrarium serio. Hinc ioci gratia facta obligatio, non valet, *l. obligationum substantia. ff. de act. & obligat.*

PHILOSOPHICÆ SENTENTIÆ.

Iocos & Dij amant, *Plat. in Cratylo.*

Iocosus mollis est, nam iocus, & requies, & relaxatio, & iocosus in hac excedit. *Arist. 7. Ethic. c. 7.*

Iocus ideo inuentus est, vt qui laborat, habeat recreationem. *Idem 8. Polit. c. 3.*

Iocum fecerunt homines finem, cum & habeat fortasse finis voluptatem quamdam, sed non quamcumque, & quærentes vitã accipiunt hanc pro illa, quia cum fine habendi similitudinem habet. *Idem ibid. cap. 4.*

APOPHTHEGMATA.

Diogenem à lethali somno experrectum Medicus interrogauit, quomodo se haberet: Rectè, inquit, nam frater fratrem amplectitur. Alludens ad Homerum, qui Ὕπνον & Θάνατον germanos facit, quod somnus mortis sit imago. *Laert. lib. 6.*

Idem mulierem anticulam se curiosius exornantem intuitus: Si viuos, ait, lenocinio allicere voles, plurimum falleris: sed si defunctorum vmbras, orone dio cuncteris. *Stob.*

Idem. Didymus, qui vulgo audiebat adulter, curabat oculum virginis. Et Diogenes dixit: Vide ne corrumpas pupillam. Hoc dictum apud nos non est adeo incosum, vt apud Græcos, apud quos κόρη, & virginem sonat, & oculi pupillam. *Laert. lib. c. 2.*

Anonymus. Apud Aeginetas lex erat, vt si quis Atheniensis Aeginam venisset, capitale esset. Huc quum esset deductus Plato vt venundaretur, capitis postulatus est à Carmenio, qui legem eam tulerat: sed tempestiuo cuiusdam ioco liberatus est. Ait enim, legem habere, si quis homo, at hunc esse Philosophum. *Laert. lib. 3.*

Stratonicus, quodam imperitè iaculante, abiens ad ipsum scopum, constitit. Et cum quidam interrogaret causam, respondit: Ne feriar. *Anton. in Meliss.*

Anonymus. Lacon quidam gymnasiarcham ligna ἄκαπνα exhibentem facetissimo ioco incusauit, dicens: Quod per eum oe lachrimas quidem illic effundere daretur. Fumus enim excutit lachrimas oculis, Acapna ligna inde dicta sunt, quod fumo careant. *P. M. lib. 8. apoph.*

Polemon. Quum articuli morbo lapidescerent, Medicos admonuit, vt effoderent, inciderentque Polemonis lapicidinas. Dicebatque: Comedendum est, manus non habeo: ambulandum est, pedes non habeo: dolendum est, & manus & pedes habeo. *Ex Philostrato.*

Præsidas cuidam percontanti, quomodo vulnus accepisset, iocosè respondit. Prodente me scuto: Ita crebro malum per illos venit, quorum præsidio credimus nos esse tutos. *Plut. in Lacon.*

Iuba rex cuidam quærenti, quod ab ipsius equo esset aspersus: Quid tu, inquit, an me Hippocentaurum esse putas? Iocose deridens eum, qui equi morositatem inscribebat ei, qui equo insidebat. *Brus. l. 3.*

Philippus. Quum esset Philippo Macedoni clauicula in bello fracta, ac Medicus à quo curabatur, in singulos omnino dies aliquid posceret: Sume, inquit, quantum voles, nam clauem habes, ludēs ancipiti voce, κλεῖν enim Græcè & clauem sonat, qua aperitur scriniolum, aut ostium, & commissuram humeri cū pectore. Quid hoc animo ciuilius, cui & in dolore, & erga auarum Medicum iocari libuit? nec ob cruciatum morosior, nec improbitate postulantis offensior. *Plut. in apoph.*

Scipio Nasica cum ædilitatem curulem adolescens peteret: ac (vt candidati solent) manum cuiusdam opere duratam prehensaret, rogauit hominem, Num manibus ambularet: Hoc dicto rusticanæ tribus suspicantes sibi exprobratam paupertatem, effecerunt vt repulsam ferret. Adeo obfuit iocus intempestiuus. *P. M. lib. 6. apoph.*

P. Pertius Nasica, quum ex more conceptis verbis à Catone Censore rogaretur: Habesne vxorem ex animi tui sententia? Habeo, inquit, at hercle non ex animi mei sententia. Verum ob eum iocum intempestiuum mulcta illi dicta est. *P. M. lib. 6. apoph.*

Domitius Afer, Didio Gallo, qui prouinciam ambitiosissimè petierat, mox impetrata ea quærebatur, quasi coactus esset: Age, inquit, aliquid, & pro Republ. elabora. Iocus est ab ironia: simulque illud est, quod magistratum magno studio ambisset. *P. M. lib. 6. apoph.*

Idem. Cuidam oratori malo, qui in epilogo misericordiam se mouisse putaret, postquam assedit roganti videretur ne satis misericordiam mouisse? At magnam quidem, inquit, neminem enim puto tam durum, cui non oratio tua miseranda visa sit. *Cic. lib. 2. de Oratore.*

Anonymus. Cum Siculo cuidam familiaris alius gemebundus diceret, vxorem suam suspendisse se de fico: Amabo te (inquit) da mihi ex ista arbore, quos seram, surculos. *Cicero libro 2. de Oratore.*

Cicero obiurgantibus, quod homo sexagenarius puellam virginem duxisset: Cras, inquit, mulier erit: iocatus, hoc probrum mox eluendum, nam postridie non poterat obijci, quod virginis esset sponsus. *P. M. lib. 4. apoph.*

Idem. Quidam candidatus, qui coco patre natus credebatur, coram Cicerone suffragium ab alio petebat: Ego quoque, inquit, tibi fauebo, Ex quo colligitur, coce à coco, & quoque coniunctionem, aut eodem, aut similem fuisse sono. *P. M. libro 4. apophtheg.*

Augustus Cæsar. Herennium adolescentem moribus corruptissimis vitiatum, castris excedere iussit, quumque ille dimissus, ignominiam reditus sui apud Augustum deploraret his verbis: Quo ore redibo ad meos, quid dicam parentibus me incusantibus? Dic (inquit Cæsar) me tibi displicuisse. Et sic iocosè docuit qua ratione reditus sui ignominiam diluere posset. *Suetonius in Augusto.*

Anonymus. Quemadmodum Augustus gaudebat iocis liberalibus in alios ludere, ita in se iactos, aut retortos interdum liberius, patientissimè tulit. Adolescens quidam prouincialis Romam venerat, oris similitudine tam mirificè referens Augustum, vt in se populi totius oculos conuerteret. Cæsar hoc audito, iussit ad se perduci; eumque contemplatus, hunc in modum percōtatus est: Dic mihi adolescens, fuit ne aliquando mater tua Romæ? Negauit ille; ac sentiens iocum, retorsit adijciens: sed pater meus sæpè. Augustus ludens suspicionem intendebat ad matrem adolescentis, veluti ab ipso stupratam: adolescens protinus eam suspicionem retorsit in matrem Cæsaris, aut in sororem. Nam oris similitudo non magis sequebat illum esse Cæsaris filium, quam fratrem, aut nepotem. *Suet.*

Aug. Cæsar. Augustus Cæsar plurimum affectauit iocos, saluo tamē maiestatis pudorisq. respectu, nec vt caderet in scurram. Scripserat autem Aiacem tragœdiam, eamdemque, quod sibi displicuisset, deleuerat. Postea vero cum Lucius grauis Tragœdiarum scriptor eum interrogaret, quid ageret Aiax suus? respondit, in spongiam incubuit. *Macrob. lib. 2. Saturn. c. 4.*

Idem. Alium præfecturam equitum summotum, & insuper salarium postulantem, dicentemque: Non lucri causa dari hoc mihi rogo, sed vt iudicio tuo munus videar impetrasse, & ita officium deposuisse: hoc dicto repercussit, Tu te accepisse apud omnes affirma, & ego me dedisse non negabo. *ibid.*

Idem. Galbæ, cuius informe gibbo erat corpus, agenti apud se causam, & frequenter dicenti; Corrige in me si quid reprehendis, respondit: Ego te monere quidem possum, corrigere nō possum: ad gibbum alludens. *Macrob.*

Apud L. Manlium, qui optimus Romæ pictor habebatur, Geminius Seruilius forte cœnabat, qui cum filios eius deformissimos vidisset: Non similiter, inquit, Manli fingis & pingis. Cui Manlius: Non mirum est, respondit, in tenebris enim & luce subobscura fingo, luce autem ac sole splendente pingo. *Macrob. lib. 2. Saturn. cap. 2.*

Moro in Claudij stultitiam subinde iocabatur productione syllabæ, quum diceret: Posteaquam desijt inter viuos morari, prima syllaba producta. Moros enim Græcè fatuum sonat: inde finxit morari, pro stultum agere, quemadmodum nos à poeta poetari: à iuuene iuuenari. *Suetonius.*

Anonymus. De Vespasiano patre narrat Suetonius, quum scurram multa in alios iacientem prouocasset, vt in se quoque diceret aliquid: Dicam, inquit, vbi ventrem exonerare desieris: alludens ad formam Cæsaris, qui faciem habebat cacaturientis. In cuiusmodi hominem iocus extat Martialis.

Vtere lactucis, ac mollibus vtere maluis:
Nam faciem duram, Phœbe, cacantis habes.

Piso Galliam prouinciam obtinuerat exactu prouinciæ tempore, a Gallis repetundarum accusatus fuerat: dum Gallus quidam productus testis magnam vim pecuniæ Pisonis præfecto Magio datam dixerat, quod cum refutare niteretur Scaurus Pisonis patronus, tenuitate Magij: Gallus omne quod quæsierat Magius prædijs, & rapinis eum abligurisse, & in ventrem condidisse dixit, non aliter quam si nudus nuces legeret. *And. Turneb. in Cicer. iocos.*

SIMILITVDINES.

Rhinoceros cornu gerit in naribus: ita quorumdam sales dētati sunt, & aculeati. *Plin. lib. 8. c. 50. & 25.*

Sicuti sal modicè cibis aspersus condit, & gratiam saporis addit: Ita si paulum antiquitatis, aut ioci admiscueris, oratio fiet venustior, si plus satis, nihil insuauius. *P. M.*

Histrix non iaculatur spinas suas, nisi cum prouocatur, aut vrgetur: at scurra in quemuis sua dicta conijcit. *Plin. libro 8. cap. 20. & lib. eod. cap. 35.*

Iulius Cardinalis, cum amicos ad cœnam vocasset, interque conuiuandum, vbi in Basiliensis concilij mentionem incidisset, terra commoueretur: Bono animo estote, inquit, de synodo Basiliensi loquuti sumus, quæ omnem Ecclesiam tremefecit, non tamē illisit. *Æneas Silu. lib. commentar. de Alphonsi reb. gest.*

Fridericus Imperator, eos qui iocos moderatè ferrent, sapientes, qui autem promptissimè iocarentur, ingeniosos esse dicebat: Habet autem iocus inter seria suum etiam locum: qui vbi erumpit, vtriusque ingenium facilè declarat. *Æn. Silu. lib. 4. commentariorum in Alphonsi res gestas.*

Ludouicus XII, Gall. rex. Vnus ex stipatoribus eius cum aulico magnæ nobilisque familiæ primario exarserat iracundia, cum stipator nobilitate generis non se esse inferiorem aulico iactitaret: erantque eo nomine in certamen venturi. Hos ante se iubet sisti Ludouicus, rogatq; stipatorem vnde ei genus, qui ita se conferret nobilissimo homini. Tum ille eo se genere natum ait, quo nullum sit nobilius. Id quidem fateri, ortum se gem ex stirpe Noæ: sibi verò genus esse, ac gentilitatem ex quopiam illorum qui cū Noa fuissent tempore diluuij. Cachinno sublato rex conuersus ad aulicum, despicisne eum, inquit, cui genus regium, & tibi æquale est? Eoque ioco vtrumque placauit, & ambobus porrexit dexteram. *Ex Annal. Franciæ.*

Idem Baionensem Centurionem, & Lemonicensem superbius de cultu, & ordine cuiusdā prælij differentes hactenus tulit, vt Baionensi diceret: Cum te rogabo pernas quomodo salire oporteat: Lemouicēsi autem, cum te rogabo, Castanea qua in terra, & quo pacto repastinata serenda, & quibus campis rapa, & napus lætentur: tum demum respondeto. Silente vtroque, conuersus ad Lemouicensem, Nostin, inquam, in alio solo rapam biennio satam conuerti in napum, in alio napum raporum accipere speciem? ita & tu hausisti à Baionensi superbiam, ille verò à te ignorantiā, quæ te adeo turgidum reddit. *Ex ijsdem Annalibus.*

Carolus Quintus admonitus aliquando in castris, vt leges Germanis militibus de vitanda ebrietate ferret: respondit id perinde fore, ac si Hispanis interdiceret ne furarentur. *Chytræus, orat. de Carolo V. Imperat.*

Horatius nihil putat vetare iocantem vera proloqui, cum lepos, & venustas ioci pro inuitamento, & illecebra plerumque sit, & sermonem verum condiat, ac perfundat iucunditate sui, vt dulciario opere pueri, & crustulis ad literas discendas quodam blandimento inducuntur. Vnde ait.

Vt pueris olim dant crustula blandi
Doctores, elementa velint vt discere prima.

Est enim plerumque iocus poetis pro crustulo, & bellario, verique condimento. *Andr. Turneb. in Hora.*

Vide tit. De facete dictis.

IRA,

IRA, IRACVNDIA.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

IRa, Græcè ὀργίζεσθαι, & ὀργίζομαι, irascor dicitur. Est autem ira, accensio sanguinis circa cor, *secund. Aristotelem lib. 1. de Anima.*

Ira est feruor eius, qui circa cor est, sanguinis, vaporatione fellis, vel perturbatione fiens, *secund. Ioannem Damascenum lib. 2. c. 16.*

Ira est irrationabilis perturbatio mentis, *secundum Hugonem lib. 2. de Sacramentis.*

Ira est libido puniendi eius, qui videtur læsisse iniuria, *secundum Cic. lib. 4. Tusc. quæst.*

Ira est cupiditas puniendi eius, à quo te iniquè putas læsum, *secundum Possidonium.*

Iracundia est excessus iræ: idem est vitium oppositum mansuetudini, *secund. S. Tho. 2. 2. q. 152. art. 1.* Differtque ab ira (vt placet Donato) quod ira est ex causa, iracundia ex vitio multum irascētis. Ab ira veniunt irascor, & iratus, ac iracundus, quæ ita differunt, quod iratus est, qui ex aliqua re lacessitus excanduit: iracundus, qui ex quacumque etiam parua causa mouetur ad iram semper. Alterum ex causa est, alterum ex moribus.

Ira, Iracundia, furor, animi excandescentia in corde sedem habēs: ita dicta, vt quidam credunt, à verbo Ire: quod Irati, & Iracundi quamdiu furor ille durat, non apud se sint, sed extra fuerint, & pacati redierint ad se. Hebr. *Aph*, pro *Enaph*, à verbo *Anaph*, spirauit, & metonymicè, animo commotus, iratus fuit. *Aph*, nasus, in naso, & naribus ira sedem multam habet. *Psalm. 6. 1. Iob 40. 6. 2. Zahham* verbum & nomen, indignatus est, commotus fuit ad indignationem, indignatio, immanitas. Inde Græcè ζημία, damnum. Conuenit verbum illud cum *Zahhaph*, sæuijt: ira enim nihil moderabile suadet, sed est crudelis. 3. *Iacham*, incaluit, vnde *Chema*, calor, ira: & metonymice venenum, *Iob 6. 4.* nempe quod serpentes irati emittunt. Iratus enim videtur quasi venenum spuere ex ore, & facie. 4. *Chabbas* verbum & nomen, irritatus est, irritatio, prouocatio ad iram. 5. *Nachar*, significat iram: *Nachrah*, Rhonchus, quem per nares irati equi emittunt: *Nechiraim*, nares. Irati rhonchos edunt terribiles. 6. *Hebrah*, efferuescens bilis, ira, furor, *Prouerb. 11. 4.* à verbo *Habar*, transijt, præterijt, vt enim fluctus alijs succedunt, ira etiam efferuescit, intumescit, & miros habet successus, ac progressus: donec transierit. Alia prætermittimus, quæ fere omnia impetum illum, & feruorem iræ exprimūt, & graphicè depingunt, primariumque huius affectus signum, ac effectum.

DIVISIO.

IRA

- *Passio, quæ & appetitus sensitiuus dicitur, cuius*
  - *Causa*
    - *Paruipensio quatriplex est, scilicet:*
      - *Despectus, quem maximè significat,*
        - *Obliuio; quæ est euidens signum paruipensionis: nam quæ magni pendimus, memoria commendamus.*
        - *Denunciatio tristium, quæ est signum, quod non veretur quis contristari.*
        - *Hilaritas in infortunio alterius, quia signum est, quod parui facit bonum, vel malum passi.*
      - *Epirrheasmus, id est,*
        - *Impedimentum propositi, vel voluntatis implendæ, cum impedimenti nulla inde prouenit vtilitas.*
      - *Contumelia.*
        - *Quia ea maximè derogat excellentia contumeliam passi.*
        - *Qui minus parui penditur, vt diues in pecunia, & Rhetor in loquendo.*
    - *Excellentia irascentis.*
    - *Defectus.*
      - *Irascentis, vt infirmitas, & alia contristantia, quia defectibus subiacentes, facilius læduntur: vt infirmi.*
      - *Eius contra quem irascimur, vilis & despecti.*
  - *Partes secundū Ioannem Damascenum, & Gregorium Nyssenū.*
    - *Fellea, quæ cito accenditur, & cito desistit, & hæc à Cicerone dicitur, Excandescentia.*
    - *Mania, quæ diu in memoria manet.*
    - *Cottus, id est, furor, qui non quiescit donec puniat.*
  - *Effectus.*
    - *Delectatio*
      - *In spe vindicandi in futurum.*
      - *In vindictam de præsenti inferendo, quia sic quiescat motus iræ.*
      - *In continua vindictæ cogitatione, in qua immorando delectatur.*
    - *Feruor sanguinis, & spiritus circa cor, ex quo apparere solent, secundum Gregorium hæc.*
      - *Cor palpitans.*
      - *Corpus tremens.*
      - *Lingua præpedita.*
      - *Facies ignescens.*
      - *Oculi exasperati.*
      - *Notorum ignorantia.*
      - *Clamor irrationabilis.*
      - *Verborum ignorantia.*
    - *Perturbatio vsus rationis. Virgilius: Furor iraque mentem Præcipitant.*
    - *Taciturnitas. Quia in lingua sicut in facie, & in oculis expressius relucet vestigium cordis irati.*
- *Virtus. Et dicitur ira per zelum, secundum quam appetitur vindicta, secundum ordinem rationis. De quo Hieronymus ad Riparium, & habet. 23. q. 8. cap. Legi Syr. masten.*
- *Peccatum.*
  - *Mortale,*
    - *Cum appetit puniri [illegible], qui non meruit.*
    - *Cum appetit puniri vltra quam meruit.*
    - *Cum appetit puniri non secundum legitimum ordinem, vt à se, vel ab alio, quam à suo iudice.*
    - *Cum appetit puniri, sed non propter debitum finem, qui est conseruatio iustitiæ, vel correctio culpæ.*
    - *Cum ex iræ vehementia quis excedit à dilectione Dei, & proximi.*
  - *Veniale,*
    - *Cum appetitur vindicta in re parua, quæ si etiam actu inferretur non esset mortale.*
    - *Cum motus iræ præuenit iudicium rationis, & consensus non subsequitur.*
    - *Cum nimis ardenter irascitur interius.*
    - *Cum nimis manifestat signa iræ exterius.*
  - *Capitale, quia est caput vitiorum secundum Greg. 31 Moral. secundum quod ira est.*
    - *In corde oritur.*
      - *Indignatio, quæ irascens indignum putat iniuriantem, quod contra eum tale quid fecerit.*
      - *Tumor mentis, quo irascens varias vindictæ vias excogitans, animum suum huiusmodi cogitationibus replet.*
    - *In ore oritur.*
      - *Clamor, quo inordinatè, & confusè quis loquens vehementem iram demonstrat.*
      - *Blasphemia, quæ iratus in verba iniuriosa contra Deum prorumpit.*
      - *Contumelia, quæ in verba iniuriosa contra proximum prorumpit.*
    - *In opere oritur.*
      - *Rixa, quæ intelliguntur omnia nocumenta facto proximis illata ex ira.*
  - *Generale, quia eius species sunt tres secundum Philos. 14. Ethic.*
    - *Acuta, quæ nimis cito ex leui causa insurgit.*
    - *Amara, quæ iniuria illata diu in memoria permanente diuturnam tristitiam concipit.*
    - *Grauis vel difficilis, quæ non remittit iram quousque puniat.*

Loci Biblici.

Ira, pro irati Dei iudicio, & iræ diuinę effectis; hoc est, pœnis & calamitatibus, quæ ab irato Deo peccatoribus irrogantur, seu pro ijs effectis, ex quibus iratus esse Deus intelligitur, vt solet Scriptura ἀνθρωποπαθῶς de Deo loqui, *Matth.3.7. Luc.21.23. Rom.3.5. & 4.15. & 5.9. Ephes.5.v.6. 1.Thess.1.10. & 5.9.* pro vltione, seu vindicatione, qua Dominus terribiliter iratus, tandem mundum vlciscetur, *Coloss.1.10.*

Latiori significatione iræ nomen potest referri ad omnes animi offensiones, *1.Tim.2.8.* quæ prohibeant, quo minus bona conscientia Deum possimus inuocare, *vt Matth.5.23.* sub qua specie comprehendi etiam possunt reliquæ iniuriæ, quibus affici potest proximus, de quibus *Esa.1.15.16.*

Cum iracundo amicitia non ineunda, *Prou.22.24.* Iræ locum dare, *Rom.12.19.* est non irasci, cedere occasionibus litigandi, subterfugere materiam irascendi. Irasci dicitur Christus, *Mar.3.5.* sed nō hominum iratorum more, in quibus ira nihil aliud est, quam summa vindicandæ iniuriæ appetitio, ideoque cum maleuolentia semper coniuncta est, & cum dolore quidem, sed quem ex iniuria ipsis facta concipiunt, non autem ex eius vel improbitate, vel imprudentia, à quo læduntur. At Christus contra ita iratus dicitur Pharisæis, vt nihil prætermitteret, quo illos reuocaret ad officium, tantum aberat, vt vlciscendi rabie ferretur. Irascendū, sed non peccandum, *Ephes.4.26.* quo in loco agit Paulus de compescendis vitiosis affectibus.

Ira, seu iracundia in homine damnatur *Job 36.18. Prou.18.14. Eccl.7.10. Matth.5.22. Ephes.4.v.26.31. Colos.3.8. 1.Timot.2.8. Tit.1.7. Iac.1.19.* non omnis tamen ira, vtpote quæ zeli nomine commēdatur, (vide Zelus bonus) & quam Peripatetici fortitudinis cotem non temere vocarunt: sed quæ vel iniusta est, vel immoderata, *Ephes.4 v.26.* Ira stulti quam noxia, *Prou.27.3.* Ira seu iracundia quantum mali pariat, *Gen.4.5. Iob 5.2. Prou.12.16. & 14.30. & 15.18. & 17.19. & 19.19. & 27.3. & 29.22. Eccles.7.10. Eccles.25.22. & 28.v.6.14. & 30.26. Matth.5.22. Luc.4.28. Gal.5.20. Ephes.4.26. Col.3.8. Tit.1.7. Iac.1.19.* Iræ alterius cedendum potius, quam resistendum, & repugnandum, *Gen.27.42. Prou.22.24. & 29.22. Eccl.8.19. Matth.2.13.* Iræ malæ mala, *Prouer.15.18. & 26.21. & 29.22. Iac.1.20.*

Sententiæ Biblicæ.

Virum stultum interficit iracundia. *Iob 5.*

Fatuus statim indicat iram suam; Qui autem dissimulat iniuriam, callidus est. *Prou.12.*

Vir iracundus prouocat rixas, & qui ad indignationem facilis est, erit ad peccandum procliuior. *15. & 29.*

Ira, & furor vtraque execrabilia sunt, & vir peccator continens erit illorum. *Eccl.27.*

Zelus & iracundia minuunt dies, & ante tempus senectutem adducunt cogitatus. *30.*

Si autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, & tardus ad iram. Ira enim viri iustitiam Dei non operatur. *Iacob.1.*

Proximum lædit.

Spiritus viri sustentat imbecillitatem suam, spiritum verò ad irascēdum facilem quis poterit sustinere? *Prou.18.*

Sicut fremitus leonis, ita & regis ira, & sicut ros super herbam, ita & hilaritas eius. *19.*

Sicut carbones ad prunas, & ligna ad ignem; sic homo iracundus suscitat rixas. *26.*

Graue est saxum, & onerosa arena, sed ira stulti vtroque grauior. *27.*

Ira non habet misericordiam, nec erumpens furor, & impetum concitati spiritus ferre quis poterit? *ibid.*

Non est caput nequius super caput colubri: & non est ira super irā inimici. *Eccl.25.*

Homo iracundus incendit litem, & vir peccator turbabit amicos, & in medio pacem habentium immittit inimicitiam. *28.*

Gratiosè sedatur.

Responsio mollis frangit iram, sermo durus suscitat furorem. *Prouerb.15.*

Qui imponit stulto silentium, iras mitigat. *26.*

Fructuosè deuitatur.

Non te ergo superet ira, vt aliquem opprimas: nec multitudo donorum inclinet te. *Iob 36.*

Noli esse amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioso, ne forte discas semitas eius, & sumas scandalum animæ tuæ. *Prou.22.*

Qui autem forte premit vbera ad eliciendum lac, exprimit butyrum, & qui vehementer emungit, elicit sanguinem: & qui prouocat iras, producit discordias. *30.*

Ne sis velox ad irascendum, quia ira in sinu stulti requiescit. *Eccl.7.*

Aufer iram à corde tuo, & amoue malitiam à carne tua. *Eccl.11.*

Quam bonum est arguere, quam irasci. *Eccl.20.*

Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. *Matth.5.*

Non vosmetipsos defendētes charissimi, sed date locū iræ. *Roma 12.*

Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à vobis cum omni malitia. *Ephes.4.*

Patrum Sententiæ.

Ira inueterata odium est: ira turbat oculum, odium extinguit: ira festuca est, odium trabs: homines quotidie irascuntur filijs, non tamen oderunt filios. *August. super Psal.*

Diuina bonitas ideo irascitur in hoc sæculo, ne irascatur in futuro, & misericorditer temporalem exhibet seueritatem, ne æternam vltionem inferat. *Idem de vera innocentia.*

Non est quærendum vtrum quis irascatur, sed quare irascatur? nec vtrum sit tristis, sed quare? nec vtrum timeat, sed quid timeat? Irasci enim peccanti, vt corripiatur: contristari pro afflicto, vt liberetur: timere periclitanti ne pereat, nullus sanæ mentis, vel cōsiderationis reprehendat. *Idem de Ciuit. Dei, c.14.*

Ira dicit: Quæ æquanimiter erga te fieri non possunt: hæc omnino patienter tolerare peccatum est, quia nisi eis cum magna exasperatione resistatur, contra te deinceps sine mensura cumulantur. Patientia respondet. Si passio redemptoris ad mentem reducitur, nihil tam durum, quod non æquè toleretur. Quanta enim sunt hæc quę patimur comparatione illius? Ille opprobria, irrisiones, contumelias, alapas, sputa, flagella, spineam coronam, crucemq; sustinuit, & nos miseri vno sermone fatigamur? vno verbo deijcimur? *Idem de conflictu virtutum, & vitiorum.*

Iram fratris tunc portabis, cum tu aduersus eum non irasceris, vt rursum eo tempore, quo te ira præoccupauerit, ille te lenitate, & tranquillitate supportet. *Idem de verbis Apostoli.*

Nulli irascenti ira sua videtur esse iniusta. Ira enim inueterascens, ita fit odium, quum quasi iusti doloris admixta dulcedo diutius eam in vase detinet, donec totum acescat, vasque corrumpatur. *Idem ad Dioscorum.*

Est ira quæ iustitiam non operatur, & furori proxima, menti suæ vim potestate facit, in tantum vt labia tremant, dentes concrepent, vultus pallore mutetur. Rectè illud laudatur Architæ Tarentini, qui cum villico iratus. Iam te, inquit, occiderem, nisi iratus essem. *Hieron super Ioel. Prophetam.*

Quid iracundo furor suus confert quem sæuissimis exagitatum stimulis conscientiæ, ira ab omni consilio, ac mente deturbat, vt dum irascitur insanire credatur? *idem ad Demetriadem.*

Ira sæpè etiam innocentes ad crimen adducit: quia dum iusto amplius irascimur, & volumus aliena coercere peccata: grauiora committimus, ideo Apostolus ait: Non vos vindicantes, charissimi, sed date locum iræ, hoc est, declinemus eam, ne nos illa corripiat: Vnde Dominus Iesus mittens ad euangelizandum discipulos, misit eos sine auro, sine argento, sine pecunia, sine virga: vt incentiua litis, & instrumenta eriperet vltionis. *Ambros. de sancto Ioseph. & hab. 11.q.3. Ira sæpè.*

Resiste iræ si potes, cede si non potes, si præuenerit, & præoccupauerit mentem tuam iracundia, & ascenderit in te, non relinquas locum tuum. Locus tuus patientia est.

Non mediocre est mitigare iracundiam, non inferius quam animo commoueri, hoc nostrum est, illud est naturæ.

Irascimini vbi est culpa, cui irasci debeatis: Non potest enim fieri, vt non rerum indignitate moueamur. Alioquin non virtus, sed lenitudo, & remissio iudicatur.

Qui sibi irascitur, quia cito motus est, desinit irasci alteri: Qui autem vult iram suam probare iustam, plus inflammatur, & cito in iram cadit. *idem l.1. de Offic.*

Est & passio grauissima culpa conscientiæ, quam ratio emollit, & comprimit. Emolliri enim potest, eradicari non potest, quoniam animus qui est rationis capax, non est suarum passionū dominus, sed reprehensor. Neque enim fieri potest, vt facilis ad iracundiā nō irascatur, sed vt ratione se temperet, indignationem cohibeat, à puniendo se reuocet: sicut & Propheta docet nos, dicens: Irascimini, & nolite peccare, cōcessit quod naturæ est, negauit quod culpæ est. *idem, de Iacob & vita beata, l.1.*

Præclarum est motum temperare consilio, nec minoris virtutis dicitur cohibere iracundiam, indignationemq; compescere, quam omnino non irasci: cum plerumque illud lenius, istud fortius æstimetur. *idem super Lucam l.5.*

Qui irascitur fratri suo reus erit iudicio, &c. Racha in Hebræo vox est indignantis, quæ animum irascentis ostendit, nec tamen plenum verbum iracundiæ exprimit. Prius ergo ira reprehenditur sine voce, postea verò ira cum voce, sed necdum pleno verbo formato, ad extremum ira cum verbo. Et notandum, quod in ira perhibet reum esse iudicio in voce iræ, quæ est Racha reum consilio, in verbo vocis, reum gehennæ. Per gradus enim culpæ, crescit ordo sententiæ, quia in iudicio adhuc causa discutitur, in consilio autem sententia definitur: in gehenna verò ea, quæ de consilio egreditur, sententia explicatur. *idem l.21. Moral.*

Aliquando ira perturbato animo, quasi ex iudicio silentium indicit, vt qui se foris per linguam non exprimit, intus deterius ignescat: vt iratus quisque collocutionem suam proximo subtrahat, & nihil dicendo, quod sit aduersus eum, dicat.

Plerum-

Plerumque prementium clausa ira intra mentem vehementius æstuat, & clamosas voces tacita format, verba sibi quibus exasperetur obijcit, & quasi in causæ examine posita durius exasperata respondet.

Quanta sit iracundiæ culpa, pensare possumus, per quam dum mansuetudo amittitur, supernæ imaginis similitudo vitiatur.

Per iram sapientia perditur, vt quid, quo ordine sit agendum nesciatur omnino: quia nimirum intelligentiæ lucem ira subtrahit, cum mentem permouendo confundit. *Idem lib. 5. Moral.*

Per iram iustitia relinquitur. Quia dum perturbata mens iudicium sine ratione exasperat, omne quod furor suggerit, rectum putat. Per iram gratia vitæ socialis amittitur, quia qui se ex humana ratione non temperat, necesse est vt bestialiter solus viuat. Per iram concordia rumpitur. Per iram lux veritatis amittitur, quia cum menti iracundia confusionis tenebras incutit, huic Deus radium suæ cognitionis abscondit. Per iram Spiritus sancti splendor excutitur, qui super humilem, & quietum requiescere dicitur: quia cum ira subtrahit quietem mentis, suam Spiritui sancto habitationem claudit, cuius recessione animus vacuus ad apertam mox insaniam ducitur, & vsque ad superficiem ab intimo cogitationum fundamento dissipatur. Nam iræ suæ stimulis accensum cor palpitat, corpus tremit, lingua se præpedit, facies ignescit, exasperantur oculi, & nequaquam recognoscuntur noti. Ore quidem clamorem format, sed intus quid loquatur, ignorat. In quo itaque iste ab arreptitijs longè est, qui actionis suæ conscius non est? vnde fit plerumque, vt vsque ad manus ira prosiliat, & quo ratio longius recedit, audacior exsurgat: seque ipsum animus retinere non valet, quia factus est potestatis alienæ: & eo furor membra foris in ictibus exercet, quo intus ipsam membrorum dominam mentem captiuam tenet.

Aliquando iracundus manus non erigit, sed in maledictionis iaculum linguam vertit. Fratris namque interitum precibus exposcit, & hoc Deum perpetrare expetit, quod ipse peruersus homo facere, vel metuit, vel erubescit.

Alia est ira, quam impatientia excitat, alia quam zelus iustitiæ format. Illa ex vitio, hæc ex virtute generatur. Ira per vitium oculos mentis excæcat, ira autem per zelum turbat. Si nobis & proximis delinquentibus irascimur, non peccamus. Si enim sic proximos, vt nos, amare præcipimur, restat, vt sic eorum erroribus, sicut nostris vitijs irascamur. *idem ibid.*

Si is, qui corrigere nititur, ira superatur, opprimit antequam corrigat. Nam dum plusquam debet accenditur, sub iustæ vltionis obtentu ad immanitatem crudelitatis effrenatur. *idem 16. Moral.*

Nam si ira non fuerit, nec doctrina proficit, nec iudicia stant, nec crimina compescuntur. Itaque qui cum causa non irascitur, peccat. Patientia enim irrationabilis vitia seminat, negligentia nutrit, & non solum malos, sed etiam bonos ad malum inuitat. *Chrysost. sup. illud Matth. 5. Qui irascitur fratri.*

Melior est qui vincit iram, quam qui capit ciuitatem. *Cassiodor. super illud Psal. Irascimini, & nolite peccare.*

Motum siquidem animi feruidum propter humanam fragilitatem in potestate habere non possumus, suffragantem tamen gratia Dei ratione disciplinam continemus. Nam si irascamur, nec Dei consideratione refrenamur, sed à voto nostro impedimur aliquo necessitatis obiectu, tunc vtrque constat nos facti crimen portare, etiamsi non possumus, quod volebamus efficere. *Idem sup. Matt.*

Deus itaque qui irascitur non in totum prohibet iram, quia is affectus necessario datus est. *Lactant. Firm. de ira Dei.*

Ira enim viri iustitiam Dei non operatur. Quia, qui iratus, in aliquem sententiam profert, & si ille quantum ad se iustam reportet sententiam, iste tamen qui non amore iustitiæ, sed liuore odij in eam sententiam dedit, iustitiam Dei, in quem perturbatio non cadit, non mutat. *Beda sup. epist. Iacobi, & hab. 11. q. 3. Episcopus.*

Hæc est natura iræ, vt dilata languescat, & pereat: prolata verò magis ac magis conflagret. *idem super Parabolas, lib. 2.*

SENTENTIAE POETICAE.

Anthol. Sac. Anton. Bill.

Nemo sua mentis motus non æstimat æquos,
Quodque volunt homines se bene velle putant.
Vnde animus celeri pace est reuocandus ab ira.
Ne robur facilis tempora dent odijs.
Offensas iuuenes parcentia corda remittant,
Nam nemo est qui non indigeat venia.
Quam nostri memores mundi mare vana, vicissim
Omnibus in causis & damus, & petimus.

Ouid. epist. 3. Heroid.

Vince animos, iramque tuam: qui cætera vincis.

Seneca in Thebaide.

Pone vesanos, precor.
Animi tumores, teque patiatur refer.

Statius 8. Thebaid.

Ille monet ne frena animo permitte calenti,
Polyamhea Nouis,
Da spacium tenuemque moram: male cuncta ministrat
Impetus: hoc ore omnes concede parenti.

Horat. epist. 19. lib. 1. Lollium.

Arcanum neque tu scrutaberis vllius vnquam,
Commissumque teges, & vino tortus, & ira.
Nec tua laudabis studia, aut aliena reprendes.

Claud. 4. de Honor. Aug. consulatu.

Quippe opifex veras confundere sacra prophanus,
Distribuit partes animo sedesque remouit,
Iram sanguineus regio sub pectore cordis
Protegit imbutam flammis, auidamque nocendi,
Præcipitemque, sui rabie succensa tumescit,
Contrahitur stupefacta metu, quumque omnia secum
Duceret, & requiem membris vesana negaret,
Inuenit pulmonis opem, madidumque fluentis
Præbuit, vt tumidæ ruerent in mollia fibræ.

Hor. 1. epist. l. 3. epist. 7.

Qui non moderabitur iræ,
Infectum volet esse, dolor quod suaserit, & mens,
Dum pœnas odio per vim festinat inulto.
Ira furor breuis est, animum rege, qui nisi paret,
Imperat. Hunc frenis, hunc tu compesce catena.

Virg. lib. 5. Aeneid.

At non tardatus casu, neque territus heros,
Acrior ad pugnam redit, & vim suscitat ira.

Statius lib. 2. Theb.

Excedere animum dolor, iraque demens:
Et qua non grauior, mortalibus addita cura.
Spes vbi longa venit.

Seneca in Thyeste tragœd. 2.

Cum spirat ira sanguinem, nescit regi.
Iratus nihil nisi crimina loquitur.

Ibidem.

Quos amor verus tenuit, tenebit
Ira, cum magnis agitata causis
Gratiam rupit, cecinitque bellum.

Idem trag. 6. actu 2.

Sed regi frenis nequit.
Et ira, & ardens hostis, & victoria.
Commissa nobis quidquid indignum, aut ferum,
Cuiquam videri potuit, hoc fecit dolor.
Tenebraque per quas ipse, irritat furor.

Terent. in Andria.

Amantium ira amoris redintegratio est.

Idem in Hecyra.

Non maximas, quæ maximæ sunt interdum ira, inimicitias
faciunt.
Pueri inter se quam pro leuibus noxijs iras gerunt.

Virg. lib. 2. Aeneid.

Furor iraque mentem.
Præcipitant.

Ouid. 1. Amor. eleg. 2.

Qualibet infirmas adiuuat ira manus.

Idem Elegia 8.

Sed nunquam dederis spaciosum tempus in iram,
Sæpè simultates ira morata facit.

Idem lib. 3. de Arte amandi.

Pertinet ad faciem rabidos componere mores:
Candida pax homines, trux decet ira feras.
Ora tument ira, nigrescunt sanguine venæ.
Lumina Gorgoneo sæpius angue micant.

Idem epist. Hypsipyles ad Iasonem.

Qualibet iratis ipse dat arma dolor.

Idem lib. 1. de remedio amoris.

Dum furor in cursu est, currenti cede furori,
Difficiles aditus impetus omnis habet.

Homer. Iliad. 1.

Σὺ δὲ μεγαλήτορα θυμὸν.
Ἴσχειν ἐν στήθεσσι. γὰρ ἀμείνων φιλοφροσύνη.
Tu verò magnum iram
Contine in pectoribus: humanitas enim melior.

Phocylides.

Μὴ προπετὴς ἐς χεῖρα, χαλίνου δὲ ἄγριον ὀργήν.
Πολλάκις γὰρ πλήξας ἄκων φόνον ἐξετέλεσσας.
Ne sis promptus ad manum, sed frena agrestem iram:
Sæpè enim cum percusseris, inuitus cædem patrasti.
Θυμὸς ὑπερχόμενος, μανίην ὀλοόφρονα τεύχει.
Ira animum subiens insaniam perniciosam gignit.

Theognis.

Οὐδὲν, Κύρν', ὀργῆς ἀδικώτερον, ἣ τὸν ἔχοντα
Πημαίνει, θυμῷ δειλὰ χαριζομένη.
Nihil tam, ô Cyrne, iniustum est, quam ira, quæ dominum
Suum lædit, & animo commoto misera gratum facit.

Menander.

Ὀργὴ παραλογισμοὺς ποτ' οὐδὲ εἶς τίθεται.
Αὕτη κρατεῖ νῦν, ἐν δὲ μικροῖς παραμυθεῖ,
Κατόψεται μᾶλλον εἰς τὸ συμφέρον.
Ira non potest vnquam falli.
Ea nunc imperat: vbi vero modicum deferbuerit,
Multo acutius quod ex vsu est, videbit.

Πολλάκις ἀνθρώποισιν ὀργὴ νοῦν ἐξεκάλυψε
Κρυπτόμενον μανίας πολὺ χείρονα.
Sæpè mentem hominum detexit ira
Latentem, quæ peior quandoque est insania.

Μαινόμεθα πάντες ὁπόταν ὀργιζόμεθα.
Τὸ γὰρ κατασχεῖν δεῖ τῆς ὀργῆς πόνος.
Insanimus omnes, cum irascimur.
Ira enim difficillimè refrenatur.

Ἅπανθ' ὅσ' ὀργιζόμενος ἄνθρωπος ποιεῖ,
Ταῦθ' ὕστερον λάβοις ἂν ἡμαρτημένα.
Omnia quæ iratus agit,
Errata postmodum intelliges.

Euripides in Aeolo.

Ὀργὴ γὰρ ὅστις εὐθέως χαρίζεται,
Κακῶς τελευτᾷ, πλεῖστα γὰρ σφάλλει βροτούς.
Quisquis iræ preceps indulget,
In malum finem exit: plurimum enim hominibus incommodat.

Epicharmi.

Μὴ ἐπὶ μικροῖς αὐτὸς αὑτὸν ὀξύθυμον δείκνυε.
Ἐπιπολάζειν οὔτε χρὴ τὸν θυμὸν, ἀλλὰ τὸν νόον.
Οὐδεὶς μετ' ὀργῆς οὐδὲν ἂν βουλεύεται.
Ne tute teipsum ob rem leuem iracundum exhibeas.
Superare non iram conuenit, sed legem.
Nemo iratus quicquam rectè deliberat.

Πολλοὺς δὲ ὁ θυμὸς ὁ μέγας ὤλεσε βροτῶν,
Ἥ τ' ἀξυνεσία, δύο κακὼ τοῖς χρωμένοις.
Multos iracundia magna perdidit mortalium,
Et imperitia: quæ gemina mala sunt vtentibus se.

Euripides in Archelao.

Ὀργὴ δὲ φαύλη πόλλ' ἔνεστ' ἀσχήμονα.
Ἔξω γὰρ ὀργῆς πᾶς ἀνὴρ σοφώτατος.
Πολλ' ἔστιν ὀργῆς ἐξ ἀπαιδίας κακά.
Ira mala multa sunt indecora,
Extra iram vnusquisque multo sapientior est:
Ex ira imperita multum generantur malorum.

Aeschilus.

Ὀργῆς ματαίας εἰσὶν αἴτιοι λόγοι.
Ira vana causa sunt verba.

Chæremon.

Ὡς οἶδ' ἐν ὀργῇ πάντα γίνεσθαι κακά.
Ex ira scio cuncta prodire mala.
Ὀργὴ δὲ πολλοὺς δρᾶν ἀναγκάζει κακά.
Ira permultos agere cogit mala.

Sophocles.

Αὐθάδεια τοι κἀπ' τῆς ἀβουλίας.
Morositas obnoxia est imperitia.

Eurip.d.

Ὥσπερ δὲ θνητὸν καὶ τὸ σῶμ' ἡμῶν ἔφυ,
Οὕτω προσήκει μηδὲ τὴν ὀργὴν ἔχειν
Ἀθάνατον, ὅστις σωφρονεῖν ἐπίσταται.
Cæterum vt mortale nostrum est corpus,
Ita conuenit iram quoque non retinere
Immortalem, quicunque sapientiam intelligit.

Menander.

Ὅσον τὸ κατέχειν δεῖ τὴν ὀργὴν πόνος.
Οὐκ ἔστιν ὀργῆς (ὡς ἔοικε) φάρμακον
Ἀλλ' ἢ λόγος σπουδαῖος ἀνθρώπου φίλου.
O quam cohibendi magnus est iram labor.
Non esse videtur aliud iræ pharmacum,
Oratio nisi grauis amici viri.

Euripides in Hypsipyle.

Ὅστις γὰρ ἐν κακοῖσι θυμωθεὶς βροτῶν,
Μεῖζον προσάπτει τῆς νόσου φάρμακον,
Ἰατρός ἐστιν οὐκ ἐπιστήμων κακῶν.
Quisquis hominum rebus iratus aduersis,
Vehementius ipso morbo remedium adhibet,
Is Medicus est non peritus natura malorum.

Archilochus.

Ὦ μωρέ· θυμὸς γὰρ κακὸς ὁ σύμφορος.
O stulte: inutilis est ira ac malus.

Menander.

Εἰ χρὴ σεαυτὸν ἀλγεῖς, μηδὲν ὀρθῶς μένος
Πράξῃς προπετῶς· ὀργῆς γὰρ ἀλογίστου κρατεῖν
Ἐν ταῖς ταραχαῖς μάλιστα τὸν φρονοῦντα δεῖ.
Et si doles vehementer, haud quicquam tamen irritatus
Agas temere: nam iram rationis inscitiam refrenare
In perturbationibus in primis sapientem oportet.

Τὸ δ' ὀξύθυμον τοῦτο καὶ λίαν πικρὸν,
Ἀθυμίας δεῖγμ' ἐστὶν ἐν πᾶσι μικροψυχίας.
Ingenium tam irritabile, & amarulentum adeo,
Indicium stationem est omnibus pusillanimitatis.

SENTENTIÆ PHILOSOPHORVM.

Est maximus ad subeunda pericula aculeus iracundia. *l.3. Ethic.c.8.*

Ira ipsa perturbatio est, quæ ex multis rebus verisque gignitur. *lib. 4. Ethic.c.5.*

Iracundi quidem celeriter commouentur, & in quos non decet, & quibus de causis, & vehementius quam sat sit: sed facilè ac cito etiam eorum ira desistit, quod in ijs est optimum. *ibid.*

Acerbi ægrè placantur, diuque irati sunt: nam iram retinent: animum autem si semel expleuerint, tum modus apponitur. Vltio enim modum finemque iræ adhibet, pro dolore voluptatem efficiens. *ibid.*

Ad mitigandam, & quasi concoquendam apud se iracundiam, tempore opus est. *ibid.*

Infensos homines appellamus eos, qui quibus de causis minus rectum est, irascuntur, & vehementius, & diutius quam ratio postulare videatur: eos etiam qui non redeunt in gratiam, nisi vltio, vel animaduersio sit consecuta. *ibid.*

Vlcisci iniuriam magis naturam attingit humanam, & infesto infensoq; animo homines minus apti sunt ad vitæ cõmunionem. *ibid.*

Ira parere illa quidem videtur quodammodo rationi: sed non attentè eam audit, ritu canum: qui priusquam considerarint, sitne is amicus qui pulsauit, allatrant. Sic ira feruore, ac repentino naturæ motu incitata, audit illa quidem rationem: sed præscriptione non intellecta, ad supplicium se vltionemque conuertit. *lib. 7. Ethic.c.6.*

Iracundia, & acerbitas à natura nobis potius tributa est, quàm cupiditates eæ, quæ semper immensæ sunt, & immoderatæ, & minus necessariæ. *ibid.*

Iracundus non agit fraude, neque insidiatrix est iracundia, sed aperta. *ibid.*

Qui per iram facit, omnia dolens facit: & qui libidini obsequitur, libenter. *ibid.*

Iracundiam voluptas insequitur: quam ipsa vlciscendi, & vindicandi spes facit. *lib. 2. Rhetor.c.2.*

Non rectè dicuntur ab inuitis fieri, ea quæ vel ira fiunt, vel cupiditate. *lib. 3. Ethic.c.1.*

Extremorum clementiæ is qui vltra modum progreditur, iracundus, & vitium iracundia appellatur. *lib. 2. Ethic.c.7.*

Iratos maxima ex parte vlciscendi libido, non dignitas ad aggrediendum permouet. *lib. 5. de Repub.c.10.*

Pars quædam odij etiam ira dicenda est, quippe quæ ad easdem res agendas quodammodo impellit: quamquam sæpenumero maiorem vim ad agendum habet, quam odium. Contentione enim maiore impellit hæc perturbatio, propterea quod rationi minimè pareat. *ibid.*

Odium magis rationi obtemperat, quam ira. Cum enim ira coniuncta sit cum ægritudine, cogitationi, & rationi vix locus vllus relinquitur: & odium separatum est à dolore. *ibid.*

Pars ea animi in qua irarum ardor consistit, est quæ amicitiam gignit. Hæc enim pars est animi, qua ad amorem impellimur. Quod ea eo ferri potest, quia magis in familiares, & amicos concitatur pars illa, si se contemptam putet. *lib. 7. de Rep c.7.*

Rectè illud de ira dictum est, quod defluente melle dulcior in virorum pectoribus glisci. *lib. 2. Rhet. ad Theodect. c.2.*

Iram immortalem, cum sis mortalis, non serua. *lib. 2. Rhetor.c.21.*

De ira. DIAL. CVII.

Francisci Petrarchæ.

DOL.

Sed irascor. R. Ego aduersus opem polliceor, non vitijs, non fortuita enim illa, sed voluntaria sunt, & in vestra potestate, quis te igitur cogit irasci? D. Irascor offensus. R. Is fortasse, qui offendisse te arguitur, se offensum abs te querietur. Nõ tãtũ est offensarum, quantum insolentiæ. D. Ira æstum. R. Furis ergo *Ira furor breuis est*, inquit Flaccus, fit autem, à plerisque mala cõsuetudine, & patientia longus furor. Ennius autem iram initium dixit insaniæ. Cum plerisque nimis illa sequentibus finis, & insaniæ fit, & vitæ. Siquidem hæc etiam pestis, vt superior & si sæpè alios semper tñ ante alios possessorem suum torquet, & cruciat, vt mirer vnde quibusdam videri potuerit, huic nescio quid melle dulcius inesse, habet fortasse vltio dulce aliquid efferum, inhumanum. Ira nihil nisi amarum habet. D. Irascor ob iniurias. R. Vix iracundus vnquam adeo quisquã fuit, vt nulla re lacessitus irasceretur, nisi forte Cælius senator, iracundissimus ille mortalium, qui clienti suo in omnibus sibi consentienti, atque omnia confitenti, irascens exclamauit. Dic aliquid contra, vt simus duo: durum caput, qualiter tulisset iniurias qui obsequium non ferebat? D. Irascor, quia offendor. R. Hac in parte vulgo plurimum erratur. Quæruntur causæ, finguntur offensæ, inque his ipsis quæ veræ sunt causæ, iræ modus exceditur. In tribus peccatis, velum aliquod excusationis obtendi-

obtenditur, & est excusatio ipsa peccatum. Tu quia non tibi vt Deo paretur irasceris, & tamen Deus ipse cotidie verbis, ac rebus offenditur, nec semper irascitur, vos omne verbulum casu elapsum ad iniuriam capitalem trahitis. Impatiens genus. D. Irascor sic meritis. R. Si de te quidem male, si de Republica, modo non ira, sed iustitia illa sit, optime. Et ad summam, mordicus, vt dici solet, Ciceronianum illud est tenendum. Ira procul absit; cum qua nihil rectè fieri, nihil considerate potest. Iure ergo laudatur Architæ Tarentini dictum, & Platonis amici sui factū, quorum primus dum se studijs dedito possessiones suas culpa villici destructas aspiceret, in eum versus. Sumerem, inquit, ex te debitas pœnas, nisi tibi iratus essem. Alter iratus seruo, nō impunem dimisit, vt Architas, sed amico commisit, vt supplicium exigeret, veritus, ne se iræ impetus, quo non deceret, impelleret, hæc horumq; similia frenare iram debent, ne sequaces suos vt solita est, in infamiam cladem q; præcipitet.

Nemo vnquam in vitio à primo ortu fuit, sed sua quisque fit culpa improbus: sunt medij quidam motus animorum, quibus si male vtaris, fiunt vitia, sin aliter, virtutes erunt. Qui enim peccanti irascitur, vt vitium corrigat, nihil inhumanè facit: qui iniuriam damnat, aut illatam vlciscitur, fortis hic & iustus: at qui iram nō frenat, sed præceps rapitur, is immani beluæ similior, quam homini. Extant varia, & atrocia huius vitij exempla, & in ijs illud Saulis Regis, qui ob Dauidem quem infense oderat, quia apud Abimelechum fugiens ille in hospitio fuisset, regiæ iræ ignarū, non solum hospitem ipsum, sed Nobeam etiam hospitalem vrbē incendit, cuibusq; omnis sexus, & ætatis ferro deditis. Fuitque miserabilis illa clades eo calamitosior, quod quinque & octoginta sapientia, & diuinatione illustres viris, Abimelechi causa, extremo sunt supplicio affecti. *Sabell. l. 9. De iracundia, c. 3.*

Ira (vt inquit Ennius) est initium insaniæ. *4. Tusc. Cic.*

Obiurgationes etiam nonnumquam incidunt necessariæ, in quibus vtendum est fortasse, & vocis contentione maiore, & verborum grauitate acriore, atque etiam illud ipsum quod acerbitatis habet obiurgatio, significandum est, ipsius id causa, qui obiurgetur, susceptum esse. Id agendum etiam est, vt ne ea facere videamur irati: sed vt ad vrendum, & secandum, sic ad hoc genus castigandi raro, inuitiq; veniemus: nec vnquam nisi necessario si nulla reperietur alia medicina: Sed tamen ira procul absit, cum qua nihil considerate fieri potest. *1. Offic.*

Semper ira procul absit, cum qua nihil rectè, nihil considerate fieri potest. Quæ enim cum aliqua perturbatione fiunt, ea nec constanter fieri possunt, neque ijs qui adsunt probari. *1. Offic.*

Proprium est irati, cupere à quo læsus videatur, ei quam maximum dolorem inurere. *1. Offic.*

Non est in nostra potestate, fodicantibus ijs rebus, quas malas esse opinamur, dissimulatio, vel opinio. *3. Tusc.*

Omnes læsi dolent, irati efferuntur. *Pro Marc. Cælio.*

Habet quemdam aculeum contumelia, quem pati prudentes, ac boni viri difficillimè possunt. *Ex act. 5. in Verr.*

Τὸ τῆς ὀργῆς πάθος μὴ καθαιρούμενον, ἀλλὰ θεραπευόμενον, φυσικὴ νόσος γίνεται.

Affectus iræ nisi curentur, & castigentur, in naturalem morbum abeunt. *Apollonius ad Aristoclem.*

Si quem cum minis, & impetu volueris aggredi, memento præmeditari, humanum esse tibi, mansuetumq. ingenium: & quod pœnitudo damnumq; te sequutura sint, si quidquam immane commiseris. *Epictetus Philosophus.*

Motus in malum præsens, ira, inuidia, indignatio: item ira est concitatio animi acerba, quod bona sua videt contemni, quæ ipse putat non esse contemnenda, in quo & semetipsum censet contemni: cuique enim precium, atque æstimatio ex suis bonis. Ira est motus, iracundia habitus, vel ingenium naturale: Ira omnis ex offensione nascitur: non est autem omnis offensio ira, differunt enim duo hæc, vt generale & speciale: sed sermone communi tamen confunduntur, adeo vt altera pro altera sumatur. Tributa est homini ira, ad appetitum rerum excellentium, vt cum videat se, ac doleat ob viles abiectasq; actiones reijci, ac contemni, det operam, vt se ab illis vindicet, ira sese atq. ad præclaras, quæ cō temni iure non possint. *Ludou. Viues lib. 2. de anima in c. de Enumeratione affectuum, & lib. 3. de ira & offensione.*

Quæcumque ira commoti faciunt homines, ea necessum est cæca sint, & imprudentia & omnino errata. Non enim fieri potest, vt concitatus ira, ratione vtatur. Omne autem quod sine ratione fit, inartificiosum, ac peruersum est. Proinde rationem oportet agendorum ducem constituere, ac ita demum actione vitæ aggredi, iram interea contingentem, semper castigando, ac euitando, vt nauclerí fluctus aduoluendos. Est enim sanè nō minor metus, ne ira nimium aduersa, ceu proræ fluctus, & sui authorem, & familiam funditus perdat, euertatque, nisi quis per industriam prætereauiget. Cæterum ad iram rectè moderandam diligentia, & studium requiruntur. *Plut.*

Οὐκ ἔστιν ὅτι ἂν ὀργιζόμενος ἄνθρωπος δ' ὑγιὲς ποιήσειεν, αὐτὸ γὰρ ὃ βούλεται, τὴν γνώμην διαφθείρει τῶν ἀνθρώπων.

Polyanthea Nouiss.

Nihil quicquam homo iratus rectè potest cognoscere: vlciscendi enim auiditas iudicium eius corrumpit. *Antiphon.*

Ira quoque & odium in pectoribus humanis, magnos fluctus excitant: procursu celerior illa, nocendi cupidine hoc pertinacius. Vterque consternationis plenus affectus, ac numquam sine tormento sui violentus: quia dolorem cum inferre vult, patitur, amara solicitudine, ne non contingat vltio, anxius, sed propterea eorum certissimæ sunt imagines, qua Dij ipsi in claris personis, aut dicto aliquo, aut facto vehementer conspici voluerunt. *Valer. Max. lib. 9. c. 3. De ira, & odio.*

Irasci in quibus non oportet, insipientis est, Non irasci in quibus oportet, insipientis est. *Aristot. lib. 3. Ethic.*

Omnis autem & animaduersio, & castigatio contumelia vacare debet. Cauendum est etiam, ne maior pœna quam culpa sit, & ne eisdem causis alij plectantur, alij ne appellentur quidem. Prohibenda est autem ira, maximè in puniendo. Numquam enim iratus qui accesserit ad pœnam, mediocritatem tenebit, quæ est inter nimium, & parum.

Non verò audiendi sunt, qui grauiter inimicis irascendum putant, idque magni animi, & fortis viri esse credunt. *M. T. Cic. libro 1. de Offic.*

Exisse ex potestate dicimus eos, qui effrenati feruntur, aut libidine, aut iracundia: quamquam ipsa iracundia libidinis est pars. Sic enim definitur, Iracundia, vlciscendi libido. Qui igitur exisse ex potestate dicuntur, idcirco dicuntur: quia non sunt in potestate mentis, cui regnum totius animi à natura tributum est. *Idem lib. 3. Tusc. quæst.*

Peripatetici multis verbis iracundiam laudant: cotem fortitudinis esse dicunt, multoque & in hostem, & in improbum ciuem vehementiores iratorum impetus esse: leuis autem iracundia eorum qui ita cogitant: Prælium rectum est hoc fieri: conuenit dimicare pro legibus, pro libertate, pro patria, hæc nullam habent vim, nisi ira excanduerit fortitudo. Nec verò de bellatoribus solum disputant, imperia sæuiora esse putant nulla sine aliqua acerbitate iracundiæ. Oratorem denique non modo accusantem, sed ne defendentem quidem probant sine aculeis iracundiæ, quæ si etiam non adsit, tamen verbis, atque motu simulandam arbitrantur, vt auditoris iram oratoris incendat actio. Virum denique videri negant, qui irasci nesciat.

An quisquam potest sine perturbatione mentis irasci? Bene igitur nostri, cum omnia essent in morbis vitia, quod nullum erat iracundia fœdius, iracundos solos morbosos nominauerunt. Oratorem verò irasci minimè decet, simulare non dedecet. An tibi irasci tum videmur, cum quid in causis acrius, & vehementius dicimus? *Idem lib. 4. Tusc. quæst.*

Ab iratis si perspicue pax, & beneuolentia petitur, non modo ea non inuenitur, sed augetur, atque inflammatur odium. *Idem Rhetoric. veterum lib. 1.*

Quæ apud alios iracundia dicitur, ea in Imperio superbia, atque crudelitas appellatur. *Sallust. in Catilin.*

Cupido, & ira pessimi consultores. *Salbullius in Iugurtin.*

Deorum spreti monitus excandescunt, & humana consilia castigantur, vbi se cœlestibus præferunt.

Lento gradu ad vindictam sui diuina procedit ira, tarditatemque supplicij grauitate pœnæ compensat. *Valer. Maxim. lib. 1. de neglecta religione.*

Ira, atque indignatio non præstant conturbato animo quid tutissimum sit consultandi locum. *Xenophon lib. 4. Cyripæd.*

Expers consilij furor, dolorem virtutum putat, quantumcumque meditatur, ira tamen promittit audaciam. *Paulus Oros. de Ormesta lib. 2.*

Considerationem furor adimit. *Idem lib. 5.*

Nihil æquè profuit iratis, quam intueri deformitatem rei, id est, iræ. Nam in ea facies turbatior, ora pulcherrima fœdat, toruos vultus, ex tranquillitate reddit, linquit decor omnis iratos. Qualem putas animum, cuius extra imago tam fœda est? Et sequitur. Qualia poetæ infernalia monstra finxere, succincta serpentibus, & igne, & flatu, &c. talem nobis iram figuremus. *Senec. lib. de Ira.*

Maximum remedium iræ est dilatio, vt primum eius feruor relanguescat, & caligo, quæ mentem premit, aut decidat, aut minus densa sit. *Idem ibid.*

Immodica ira gignit insaniam, hac ardescit affectus ex amore, qui ex odio nascitur. Non viuimus minus inter seria, quam inter lusus, & iocos: nec interest, ex quam magna causa irascatur, sed in qualem perueniat animum. Sic ignis non refert quam magnus, sed quo incidat. Ingenuus iræ exitus furor est. & ideo ira vitanda est, non immoderationis causa, sed sanitatis. *ibid.*

Nihil inter insanum, & iratum est, vt non vnus dies, alter semper insanit, alter semper irascitur. *idem lib. 3.*

Iracundia infeliciter geminatur. Iracundus cum irasci desierit, tunc irascitur sibi: respicere nihil consueuit iracundia. *Idem prou.*

Quo minus presseris iram, hoc ab ira magis premeris: tunc

eo in incipimus alijs irasci, cum nobis desinimus. Finis iræ initiũ est pœnitentiæ. *ibid.*

Apud bonum virum cito moritur iracundia. Breui mens est ipsa iracundiæ memoria. Fulmen est, vbi cum potestate habitat iracũdia, grauissima est probi hominis iracundia, grauis tamen pœna est, quem post factum pœnitet. *ibid.*

In amore semper mendax iracundia est. Iratum breuiter vites inimicum diu. Iracundiam qui vincit hostem superat maximum. Iratus etiam facinus consilium putat. Si quis irascitur ab alio, pœnas à se exigit. *ibid.*

Animo dolenti nihil oportet credere. *Idem.*

Boni viri cito moritur iracundia. *Idem.*

Senecæ alia dicta de Ira, subiungimus. Iræ est concitatio animi ad vltionem voluntate, & iudicio pergentis. *libro secundo, de Ira, capite 3.*

Opportunissima ad iracundiam feruidi animi natura est. *Eodem lib. cap 18.*

Vinum incendit iram, quia calorem auget pro cuiusque natura. *capit. 19.*

Nihil magis efficit iracundos, quam educatio mollis, & blanda. *capit. 21.*

Felicitas iracundiam nutrit, vbi aures superbas, assentatorum turba circumstetit. *ibid.*

Causa iracundiæ opinio iniuriæ est, cui non facilè credendum, nec apertis quidem manifestisque statim accedendum est, &c. Hoc humanæ naturæ vitium suspectum, notumq; nobis sit, quod quæ inuiti audimus, libenter credimus, & antequam iudicemus irascimur. *cap. 22.*

Nulla res magis iracundiam alit, quam luxuria impatiens, & intemperans. *cap. 26.*

Quid est dementius, quam bilem in homines collectam in res effundere? Atqui vt his, quæ anima carent irasci dementis est, sic & mutis animalibus: quia nulla est iniuria, nisi à consilio profecta. Nocere itaque nobis possunt, vt ferrum, aut lapis: iniuriam quidem facere non possunt. *cap. 26.*

Vt his irasci stultum est, ita & pueris, & non multum à puerorum prudentia distantibus. Omnia enim ista peccata apud æquum iudicem pro innocentia habent imprudentiam. *cap. 27.*

Aut ignorantia rerum, aut insolentia nos iracundos facit. *capit. 31.*

Magni animi est, iniurias despicere. Ille magnus, & nobilis est, qui more magnæ feræ latratus minutorum canum securus exaudit. *cap. 32.*

Cæteri affectus dilationem recipiunt, & curari tardius possunt. Iræ incitata, & se ipsa rapiens violentia, non paulatim procedit, sed dum incipit tota est. Nec aliorum more vitiorum sollicitat animos, sed abducit, & impotentes sui cupidosque, vel communis mali exagitat. Nec in ea tantum, quæ destinauit, sed in occurrentia obiter furit. Cætera vitia impellunt animos, ita præcipitat, &c. *lib. 3. cap. 1.*

Ne quem ira fallat, tamquam aliquo tempore, aliquo loco profutura, ostendenda est rabies eius effrænata, & attonita: apparatusque illi reddendus est suus: equulei, fidiculæ, ergastula, cruces, circumdati defossis corporibus ignes, & cadauera quoque trahens vncus: varia vinculorum genera, varia pœnarum, lacerationes membrorum, inscriptiones frontis, & bestiarum immanium caueæ. Inter hæc instrumenta collocetur Ira, dirum quiddam, atque horridum stridens, omnibus per quæ furit, tetrior. Vt de cæteris dubium sit, nulli certè affectui peior est vultus, quem descripsimus asperum, & acrem, nunc subito retrorsum sanguine fugato pallentem, nunc in os omni calore, ac spiritu verso subrubicundum, & similem cruento, venis tumentibus, oculis nunc trepidis, & exilientibus, nunc in vno obtutu defixis, & hærentibus. Adijce dentium inter se arietatorum, & aliquem esse cupientium, non alium sonum, quam est apris tela sua attritu acuentibus. Adijce articulorum strepitum, cum se ipsæ manus frangunt, & sæpius pulsatum pectus, anhelitus crebros, tractosque altius gemitus, instabile corpus, incerta verba subitis exclamationibus, trementia labra interdumque compressa, & dirum quiddam exsibilantia. Ferarum, siue illas fames exagitat, siue infixum visceribus ferrum, minus tetra facies est, etiam cum venatorem suum semianimes morsu vltimo petunt, quam hominis ira flagrantis. *libro 3. capite 3.*

Vide tres illos libros Senecæ de Ira, qui innumeris sententijs contra turbulentissimum istum affectum referti sunt.

Occasiones, quæ in bello ex præsentibus circumstantijs instituentur, si quis ita eas ripit, vt ne turbari se ira patiatur, tutius rem gerit. Qui autem in iram præceps est, per iracundiam multa delinquit. *Thucyd. lib. 1.*

Omnes ex conspectu subiti, atque insueti damni in iram exardescunt, & qui minimum vtuntur ratiocinatione, ij maximè ira ad aliquid agendum permouentur: ij præsertim qui imperare volũt alijs, & aliena incendere malunt in vicinis regionibus, quam pati vt sua ab alijs incendantur. *idem, lib. 2.*

Compescere iram difficile est: nam quod petit, mercatur ipsa morte. *Plutar. in Coriolano.*

Ab ira nulla speranda bona gratia est. *Idem, in comparat. Alcib. & Coriolani.*

Superbia, atque ira, mala inuicta. *Curt. lib. 3.*

Vana sine viribus ira est. *Liu. Decad. 1. l. 1.*

Ira & spes fallaces authores sunt. *idem eod. lib.*

Solet ira sedari post interitum eorum qui læserunt, molestia sublata, & per miserationem reuocata desideratæ virtutis memoria. *Appia. l. 1. de bel. ciuil.*

Ira & odium in pectoribus humanis magnos fluuios excitant: procursu celerior illa, nocendi cupidine hoc pertinacius. Vterque consternationis plenus affectus, ac numquam sine tormento sui violentus: quia dolorem cum inferre volt, patitur, amara sollicitudine, ne non contingat vltio, anxius. *Valer. Maxim. libro 9. cap. 3.*

In animo reuoluente iras, etiam si impetus offensionis languet, valet memoria. *Tacit. Annal. lib. 4.*

Celsæ potestates iras principum aliquoties molliuerunt. *Ammian. Marcell. lib. 4.*

Potentes iram tegunt, ac dissimulant, dum vlciscendi occasio detur. *Nicet. in Ioan. Comn.*

Ira nonnisi lethali ictu lenitur. *idem, Andr. Comn. lib. 2.*

Facile fore sapientibus ducerim animi iracundiam, & perturbationes frænare, continereque in obuios quosque temerarios impetus, & salua duntaxat, vt dignitatem, ita & animi magnitudine, atque constantia aduersantibus quibusque obsistere. Nam ea hisce animi motibus quicumque rerum sunt delectum aliquem nacti, his fuerit enixius inhærendum, qui puri venque ac decentiores sint. Qui verò seorsum, & in contrarium euentum deuolui feruntur, haudquaquam semper vtendum est, nisi quamdiu in commodum cesserint. Sapientiam igitur puriorem rem esse probamque, nec vlla ex parte adulteratam nemo non fatebitur: ex iracundia verò, quod strenuè fit, est quidem gloria dignum: nimia tamen audacia fugienda est, nec prorsus conducit. *Agath. hist. lib. 5.*

Numen per se potens, atque paratum stat intenta in eos ira, qui violato gentium iure belli iniustis diuina humanaque omnia confundere pergunt, quive sua metipsi opes, & fastigia rerum humanarũ ferre nesciunt, eorum plerumque audaciam vecordiamq; inopinis calamitatibus, extremisque malis, vel obruit, vel coercet. *Diodor. Sicul. hist. lib. 13.*

Diuina indignatio peccata nostra vlciscitur. *G. Pachymer. histor. libro 1 2.*

Ira numinis procul diuque abesse à nimium secundis rebus non potest. *P. Æmyl. lib. 8.*

Deus cum semel iratus fuerit, vsquequaque humana consilia mille casibus inuoluit, summa imis repente permiscet, & ante alia mẽtem quoque ipsam impotenter eripit. *P. Iouius, hist. l. 2.*

Ita natura comparatum est, vt si qua inter necessarios ira intercidat, acerbiora inde odia, grauioresque inimicitiæ exoriantur. *E. Facius, hist. l. 4.*

Mora iræ mitigatio est. *Thucyd. lib. 3.*

Egregia res est, & longè honestissima, amicitiæ sibi, & beneuolentiæ prima per officium inita, primaque iura occupare, & ignoscendo calamitosis, iras conceptas extinguere, tum miserendo submouere discordiam. Nam beneuolẽtiam inter homines oportet inuiolatam immortalemque seruari: odia verò irasque in aduersarios, quam celerrime fieri potest, tolli. Ea namque ratione sociorum semper, & eorum qui te incolumem optent, numerũ augescere: sed hostium contra necessario, inimicorumq; turbam tibi decrescere videbis. *Diodor. Sicul. hist. lib. 13.*

Qui perpetuis persequi inimicitias odijs, & implacata flagrare perrexerint iracundia, horum procul dubio res ad occasum, & ruinam properant. Pronepotibus eosdem suis, iniucundum, inconstans, infestum, ac nulla prorsus parte tutum patrimonium parare constat: quippe quorum res omnes fortunæ simul insidijs, inimicorumque odio semper obnoxiæ relinquantur. *idem, eodem lib.*

Dionem quum amici monerent, ne malis inuidisque hominibus parceret, sed & Heraclidem (periculosæ cuiusdam factionis inter Syracusanos caput) militibus dederet, & Reipublicæ popularis istam gratiæ aucupationem eximeret, morbum rabidum, & tyrannide nihilo minorem, respondit: Aliorum ducum exercitationem in armis fere, & bello consistere. Se diu in Academia meditatum esse, quomodo iræ, inuidiæ, studioque omni contentionis mederetur, eam virtutem non in eo conspici, si quis bonis & amicis se æquum præbeat: sed si quis iniuria affectus placabilẽ se, & benignum peccantibus exhibeat. Ostensurum se, non tam potentia, & armis Heraclida se, quam bonitate, & iustitia præstãtiorem esse, nam hæc re vera potiora esse: cum de prospero bellorum successu, & rerum bene gestarum gloria, si nemo hominum, ac certè fortuna disceptare possit. Quod si Heraclides infidelis, & improbus ob inuidiam sit: non conuenire tamẽ propterea

ro Dioni, vt ob iram ipse officium deserat quippe vlcisci se accepta iniuria iustius, quam iniuriam inferre videri, quod ita legibus sit constitutum: cum, si naturam spectes, ab eadem animi imbecillitate vtrumque proficiscatur. Neque vero cuiusquam hominis malitiam, quantumuis magnam, ita prorsus intractabilem esse, & indomitam, non vt mutari crebris beneficijs possit. *Plutar. in Dione.*

Qui inexorabiles iras gerunt, non tantum odio sunt ijs, à quibus timentur, sed etiam sunt reliquis omnibus permolesti: ea quo fit, vt ijs plerique parent insidias, ne prius ipsi pereant. *Xiphilin. in Cæs. August.*

Iræ properi, insidijs incauti sunt, & facilè opprimuntur. *Tacit. Annal. 11.*

Iracundus cum ira accenditur, ac quasi excandescit, omnem humilitatem exuit, & remissionem: itaque iratus qui est, eodem modo strenuus videtur, quo is qui febricitat calidus: sic animus illius pulsu, agitatione que & tumore quodam distenditur. *Plutarch. in Coriolano.*

Nec caute satis, nec prudenter is facit, qui insolentius irascitur: quasi beneficium, quod sola beneuolentia comparari potest, vi & contumelijs extorquere contendit. *P. Iouius hist. l. 14.*

Silentium obstinatum, fixi in terram oculi, surdæ ad omnia solaria aures, & pudor intuendæ lucis, ingentem molem irarum ex alto animo cientis indicia sunt. *Liu. Decad. 1. l. 9.*

A P O P H T H E G M A T A.

Plato sapienter auditores admonebat, vt iratos se in speculo cõtemplarentur. Nam cum faciem suam furibundam per omnia phrenetico similem viderent, eo dedecore territi, in posterum ab ira sibi facilè temperaturos. *Fulg. lib. 7. c. 2.*

Idem, iratus famulo gratiam cum Dijs habere iussit, quod succensferet: alioquin non euasurum esse sine flagris, si non succensuisset. *Laert. Stob. serm. 20.*

Aristoteles Alexandrum ira excandescentem placare volens, & sedare summam indignationem, hæc ad eum scripsit: Excandescentia, & ira non in pares, sed in meliores existere solet. Tibi verò nemo par est. *Ælian lib. 12. de var. hist.*

Idem dicebat ab omnibus, quæ per iram committuntur rationem recedere, quæ iracundiam fugit tanquam acerbum tyrannum. *Stob serm. 20.*

Idem iracundiam describens, est, inquit, perturbatio ferina, dura & violenta potentia, cædium causa, calamitatis socia, iacturæ dedecorisq; concitatrix, pecuniarum pernicies, & perditionis origo. *Stob.*

Epicurus. Quid ira efficeret, sciscitatus respondit: Immodica ira gignit insaniam. *Senec. epist. 18. ad Lucil.*

Herodotus dicebat, hominũ animos in auribus habitare: bonis enim auditis corpus gaudio repletur: contrarijs autem, inflatur ira. *Stob. serm. 20.*

Democritus. Iram, quemadmodum canes, cæcas criminationes parere dicebant. *Ant. & Max serm. de Ira*

Macarius interrogatus, quid ita iniuriarum erga homines memoriã tenentes, vim & animæ reminiscendi enecaremus: aduersus dæmones autem, cum acceptorum ab eis malorum reminiscimur, detrimentum nullum sentiremus? respondit: Propterea quod prior illa affectio præter naturam, posterior autem secundum naturam esset. *Niceph. Calli. lib. 11. Eccles. histor. cap. 43. ex Euagrio.*

Antiochus Sophista, cum male apud omnes audiret, veluti formidolosus: quod nec prodiret in concionem, nec capesseret munia publica: Non eos, inquit, metuo, sed meipsum: agnoscens bilem suã vehementiorem quam vt cohiberi posset. *Philostr. in Sophist.*

Plato sentiebat homines iracundioris ingenij ad disciplinas quidem esse idoneos, ad gerendam Remp. non item. *Idem Polit.*

Bias. Bono consilio duo maximè contraria esse dicebat: Festinationem scilicet, & Iracundiam: homo enim iracundus cum extra se ipsum sit, vacuus est omni consilio. *Laert. in eius vita.*

Chilon docebat vincendam iram, quod is affectus sit cæteris potentior: quam superare fortius est, quam hostem armatum deijcere: nec minus exitij mortalibus sit ab ira, quam ab hoste. *Laert.*

Aristippus. cum videret succensere quendam, ac verbis indignari: Ne verba, inquit, per iram proferamus, sed verbis iram compescamus. *Stob serm. 18. Max. serm. 19.*

Diogeni, de non irascendo accuratè differenti, adolescens quidam proteruus, veluti periculum faciens, an re præstaret ea quæ docebat, inspuit illi in faciem. Tulit hoc leniter, ac sapienter: Non quidem, inquit, irascor, sed dubito tamen an irasci oporteat. *Laer. lib 6.*

Zeno Eleates cum maledictis lacessitus incandesceret, reprehensus quod Philosophus verbis improborum commoueretur: Si conuitia, inquit, æquo animo admisero, ne laudes quidem sentiam. Lapidis est, non sentire discrimen inter laudantem, & vituperantem: sed Philosophi est, non ita commoueri, vt ab honesto recedat. *Laert lib. 9. c. 5.*

Archytas cum in agro comperisset quosdã è famulis admisisse quiddam, sentiens se commotiorem in illos nihil quidem tum fecit, tantum abiens: Fortunati, inquit, estis quod irascor vobis. *Cic. lib. 4. Tusc. quæst. Eras lib. 3. c. 19.*

Pythagoras. Prodest (aiebat) cum mulier iracunda consuetudinẽ habere exercitationis causa: vt equites decet ferocibus assuescant vti equis, quos si domuerint, alijs etiam facilius vtentur. *Ant. & Max serm. de Ira.*

Socrates iratus filio aliquid delinquenti, nihil aliud dixit, quam, Ipse te coerce. *Laert. in vita. Socrat.*

Idem seruo delinquenti, Cæderem te, ait, nisi irascerer. Admonitionem serui in sanius tempus distulit, illo tempore se admonuit. *Senec. lib. 2. de Ira.*

Democritus ad quendam flagris sæuientem in seruum, Desine, inquit, te seruo tuo similem ostendere. Seruus enim est, qui suis cupiditatibus imperare non potest. *P. M. lib. 8. apoph.*

Idem, iracundiam impugnare difficile esse dicebat: sed viri ratione bona præditi esse ipsam vincere. *Stob serm. 20.*

Idem. Impudens est, inquit, omnis cõtentio: dum enim hostem quo pacto lædat respicit, propriam negligit vtilitatem. *ibid.*

Xenocrates, ingratitudinis vitij à Platone philosopho insimulatus, nũquam iracundia, & indignatione se vinci passus est, sed animo immoto illi, qui hoc indicauerat, ac ad vltionem instigarat: Hoc, inquit, quod nũc facio, mihi bonum atque commodum est. Quo dicto indicare voluit, non minus se curare propriam salutem, dũ iræ frænum inijceret, quam Platonis maledicentiam, fortassis ab aduersario confictam. *Ælian l. 4. de var. hist.*

Plato interrogatus, per quid cognosceretur sapiens? respondit: Sapiens cum vituperatur, non irascitur: cum laudatur, non extollitur. *Laert in eius vita.*

Anonymus, Apud Platonem educatus puer, cum ad parentes reuersus vociferantem patrem audisset: nũquam, inquit, hoc apud Platonem vidi. *Senec. l. 2. de ira.*

Idem. Iratus seruo, cum eum castigare pararet, & forte interueniret Xenocrates. Flagella, inquit, hũc puerum: nam ipse sum iratus. Sibi diffisus est homo philosophus, seorsus animi commotionem. At vulgus hominum tum maximè punit, cum irascitur. *Laert lib. 3. Anton in Meliss. par. 2. ser. 53. Val. Max. lib. 4. cap. 1. Vide Senec. de Ira lib 3. capit. 11.*

Idem. Idem præterea famulo sic comminatus est, Lonis te cæderem, ni iratus essem: Nihil iræ fidendum. Sapuit Syrus ille Terentianus, qui se conijcit in angulum edormiturus, quod biberat vinum. At ira minus sui compos est, quam ebrietas. *Laert. li. 3. Val. Max. li. 4. c. 1. Plut de educandis liberis.*

Solon, Vt naues, inquit, egregiæ sunt, non quæ sereno cęlo nauigãt, sed quæ tempestati resistunt, & seruantur: sic homines resistentes iræ, magni sunt & fortes. *Ant. & Max. ser. de ira.*

Idem, Sapientibus iræ loco lachrimas & risum (vt Heraclito & Democrito) esse dicebat. *Stob. serm. 20.*

Demonax à quodam, cui imperator exercitum commiserat, interrogatus, quo pacto delegatam prouinciam quam optime gerere posset: Si, inquit, iracundia vacaris. Iram sensit vir prudẽtissimus ad omnem functionem inutilem esse. *P. M. lib. 8 apoph.*

Idem. Subinde suadebat, non facile irascendum esse hominibus, si delinquerent, sed potius corrigenda esse vitia, medicorum exemplo, qui non indignantur ægrotis, sed morbum sanat. *P. M. lib. 8 apoph.*

Apollonius. iræ affectam, ait, nisi diligentia ac verbis placidis temperetur, in genuinum quendam morbum exercescere. *Stob.*

Idem. quisquis erga leuia errata, inquit, vehementius quam par est, irascitur, delinquentem non sinit inter culpam extremam & mediocrem quid intersit dignoscere. *ibid.*

Theano, mulier ex Pythagoreorum Philosophorum cohorte, excandescens aliquando in ancillam: Vapulares iam, inquit, nisi irata essem. *Stob.*

Pylager rogatus quamobrem non delectaretur educandis pueris? Quoniam, inquit, nec meipso delector. Agnoscebat naturæ suæ vitium. Erat enim iracundus & morosus, eoque nec appositus ad teneram ætatem instituendam: cum hodie stulti parentes nullis libentius committant liberos suos, quam huiusmodi truculentis & asperis. *Philo. Pansophist.*

Pyrrhum maximum præceptorem certaminis gymnici solitum aiũt his, quos exercebat, præcipere, ne irascerentur. Ira enim perturbat artem, & qua noceat tantum, non qua caueat, aspicit. *Senec. de ira lib. 2.*

Anonymus. Quidam iratus Agasoni, volebat eum percutere, cumq; is clamaret, Atheniẽsis sum: ad asinum versus: At tu (inquit) Atheniensis non es, eique multas plagas inflixit. *Meminit Plut. in libello de Cohibenda ira.*

Melanthius negabat eam iram videri grauem, quæ mentem cogat emigrare, sed quæ prorsus excludat domo. Sentiens probis etiam ingenijs adiunctam esse iracundiam: sed hoc vitium esse tolerabile, si celeriter animus ad se redeat, & protinus rationem in consilium adhibeat. At si perturbatio penitus insideat animo, ita vt

excussa

excussa ratione feratur effreni impetu, certa pernicies est. *P.M. lib.8.apoph.*

M.Cato Iratum ab insano nulla alia re differre dicebat, quam mora temporis: sentiens, iram esse breuem insaniam. *Plut.& Stob.sermone* 18.

Catonis Vticensi causam agenti, in frontem mediam, quantum poterat attracta pingui saliua, cum inspuisset Lentulus, abstersit faciem, & affirmabo (inquit) omnibus, Lentule, falli eos qui te negant os habere. *Senec.lib.3.de Ira,c.38.*

Charilaus Seruo cuidam audacius agenti cum ipso, Ni iratus essem, inquit, occiderem te. Adeo putabat nihil recte dici, fieriue ab ira eo, vt ne in seruum quidam animaduertere voluerit commotior. *Plut.in Lacon.*

Cotys rex erat natura celer ad iram, sæuusque castigator eorum qui in ministerio deliquissent. Hospes quidam ad illum detulit vasa fragilia tenuiaq., sed scite curioseq. cęlata tornoq; elaborata. At is hospiti quidem dedit munera: cæterum vascula omnia confregit. Demirantibus & quærentibus cur id faceret? Ne, inquit, sæuirem in seruos si forte vascula frangerent. *Plut.in apoph.*

Athenodoro ob senectutem flagitanti vt sibi liceret redire domum, Augustus concessit. At cum ille Cæsari dixisset: Vale (volens aliquod philosopho dignum monumentum apud illud deponere) adiecit: Cæsar, cum fueris iratus, ne quid dixeris feceris ve, priusquam Græcarum literarum xxiv. nomina apud te recensueris. Cæsar autem philosophi dexteram amplexus: Adhuc inquit, te præsente mihi opus est, totumque etiam annum apud se detinuit, dicens illud Græcorum prouerbium, Silentij sunt tuta fidi præmia, siue approbans philosophi dictum, quod tutum esset iram premere, ne prorumpat in verba: siue sentiens, philosopho profuturum fuisse, si hoc dictum nō addidisset iam abiturus. *Plut. in apoph.Fulg.lib.7.c.2.*

Anonymus. Ægyptius quidam monachus interrogatus, cur adeo se omnibus corporis voluptatibus subtraheret? respondit, vt hac ratione omnem iræ causam & occasionem præcidam. Ira quippe vt de voluptatibus belligeratur, ita etiam voluptatum suppressione sopitur. *Niceph.Call.li.11.Eccl.hist.c.43.ex Euagrio.*

SIMILITVDINES.

Chrysostomi. Leonem quidem mitigas, reddisque tractabilem: furorem vero animi tui, omni prorsus efficis leone sæuiorem. Si seruus domum patris nequaquam ingreditur: cum bestia fueris effectus, quando poteris ipsum vel intrare vestibulum? In mitigando leone, cum duo sint impedimenta vel maxima, quod fera ipsa ratione priuatur, & longe amplius animantium alterius generis excedit furorem: tu tamen de copia donatæ tibi a Deo sapientiæ, ipsam superas arte naturam. Qui igitur naturam vincis in bestijs, cur in teipso naturæ obfuscas bonum, dum malum adamas voluptatis? Bestias feras ad mansuetudinis prouehis dignitatem, teipsum de throno deijciens, & honore regali, ad animalium irrationabilium furorem cogis. Ponamus iram quoque bestiam quandam esse. Quantum igitur ab alijs erga mitigandum leonem studium datur, tantum tu erga iracundiam impende curam, & effice huiusmodi cogitationem mitem atque mansuetam. Si quidem hæc fera & vnguibus sæuissimis armatur, vt dentibus: nisi illam solicite mansuefeceris, cuncta simul disperdet & lacerabit. Nullus leo, nulla sic vipera, viscera queant humana laniare, vt hominis iracundia, ferreis quibusdam vnguibus vniuersa confodiens. Neque solum corpori nocet, sed etiam ipsius corrūpit animæ sanitatem: cunctas siquidem eius omnino vires discerpit ac deuorat, eamque ad omnia inutilem reddit. Nonnulli hominum vermes quosdam in inferioribus corporis nutrientes, ne respirare quidem sinuntur, vexatis profecto obesisque visceribus. nos tamen venenatam in nobis alentes viperam, iram dico, quæ omnia hominis interiora depascitur, qui inquam sanum aut forte possumus cogitare? Quonam modo ab hac tam noxia peste fugiemus? Si illam vtique potionem bibamus, quæ omnes intra nos vermes serpentesque mortificet. Et quod namque est, inquis, poculum illud? pretiosus scilicet sanguis Christi, si cum fiducia vtique sumatur. Omnis enim hoc remedio morbus extinguitur. *Homil.4.in Matth.*

Quemadmodum si ignem cum igne coniūgas, maior flamma succenditur: ita iracundia per iracundiam nō compescitur, sed amplius irritatur. *Chrys.in c.5.Matth.hom.18.*

Vehemens ira affectus est, & omni flamma vehementior: qua celeritate opus est, vt hunc ignem extinguamus, neue ad summum eū euadere sinamus? Irę enim morbus nisi mox sedetur, multas generat calamitates: impetus furoris eius, ruina eius est. Quamobrem huic indomitæ beluæ nolimus habenas remittere, sed prædu ro freno, metu scilicet futuri iudicij, eā cohibeamus. *Idem Hom.3.Ioannem.*

Videbis iratos non secus ac insanos, turpiter in medium præcipites ferri: cum enim circa præcordia efferbuit ira, ignem emittit, tota inflatur facies, incompositæ manus mouentur, & cætera: cum hæc faciunt, tanquam amentes, nihil sentiunt, nihil intelligunt, sed asinorum more, calcib. morsibusque inuicem insultant. *Hom.3.in Io.*

Neque febribus laboranti, neque timido quisquam irascitur: sed his morbis affecti, sui misericordiam & lachrimas mouent. Huiusmodi est iratus animus, qui si in te prosilit, tace, & oportunam ei plagam infliges. *Hom.47.in Io.*

Sicut ferrum ignitum cum in aqua intingitur, amittit ignem: Sic iracundus in longanimem incurrens, nihil eum lædit, sed etiam iuuat, sed etiam ipse retinetur amplius. Nihil enim longanimitate simile. Nunquam iniuriatur huiusmodi homo, sed sicut adamantina corpora non vulnerantur: sic etiam animæ tales, superiores quippe iaculis inueniuntur. *Homilia 21 ad Hebraos.*

Quemadmodum si insfles in scintillam ignis, excitas incendium: contra vero si inspuas, extinguis: & vtrumque tibi in manu est: Sic si inflatos ac vecordes ingeras sermones, excitas ignem iracundię hominis: sin mites ac moderatos admoueas sermones, priusquā excandescat, iram omnem extinxeris. *Homil.tertia, non adeunda esse spectacula.*

Quemadmodum gubernator ventis in mari agitatus, statim clauo assistens, gubernandi prudentia portum maris petit, vt a periculo maris liberetur: Sic animus hominis iracundiæ impetu turbatus, ratione moderandus est, vt liber ab omni periculo ad seipsum redeat. *Hom.7.de fide Anna.*

Inter Iram & Insaniam nihil differt: sed breuis quidam dæmon est, immo quam qui vexatur dæmonio grauior. Ille enim venia dignus est, iratus nulla: sed supplicijs innumeris sponte sua in perditionis profundum defertur, & etiam ante futuram gehennam pœnas dat. Tumultu enim quodam & æstu intolerabili, die noctuque varijs cogitationibus anxius iactatur. Ira fera est vehemens & furibunda, incantemus eam diuinæ Scripturę carminibus: Terra es, &c. Impetus iræ eius casus ipse: Vir iratus immo destus est, &c. Si aspectu irati nihil turpius: quid, imo multo magis, anima? *Hom.47.*

Iratus animus est similis foro cuidam pleno tumultu, vbi multus est euntium & redeuntium clamor. Camelorum ac Asinorum, fremitus, argentariorum & ærariorum vtrinque cudentium strepitus. Ac mitis mens in solitudine montis vertici similis est, auram quidem habentis tenuem, purum vero radium, pura fontium fluenta, multasque florum amœnitates. *Homil.24.tomo 4.*

Dum tempus est, equum cohibeamus, ne sessorem subuertamus: Iræ amputemus alas, nec amplius in altum extolletur. *Homil.24.tomo 4.*

Basilij. Quemadmodum torrentes ad curua loca decurrentes secum obuia quæque trahunt: Sic & iratorum impetus violenti & instabiles omnia similiter percurrunt atque obruunt. *De ira.*

Philonis Iudæi. Quemadmodum ciuitates dominatum paucorum & tyrannidem ferentes seruiunt oppressæ molesto imperio: contra vero quæ legibus parent, degunt liberæ. Sic quoque homines qui in iræ potestatem deueniunt, omnes seruitutē grauissimam seruiunt. & liberi è diuerso sunt, qui sub legibus & ratione recta viuunt. *Lib quod omnis probus liber.*

Cyrilli. Vt subtractione lignorum ignis extinguitur: Ita cedente eo, in quem quis irascitur, temperat iracundiæ. *In Io.li.1.c.17.*

Vt fumus mordicans oculos non videre sinit, quæ pedibus adiacent: sic iracundia oboriens orationem offuscat. *Stob.serm.20.*

Naucrates Sapiens iracundis simile quid accidere dixit, quod Lucernis, quæ copioso oleo magis inflammantur. *ibid.*

Sotionis. Quemadmodum nauigia, non quæ in tranquillitate nauigant, sed quæ tempestatibus obsistunt, & euadunt: Sic & homines qui iræ & perturbationibus resistere valent, magni fortesq; habentur. *apud Stob serm.20.& Max serm.19.*

Antonij Monachi Vt aqua tepida inflammationem: Sic oratio humanitatis plena, iram restinguit. *Par.1.serm.53.Melissa.*

Quemadmodum nauis ventis agitata ponto submergitur, nisi gubernator sua industria regat: Sic iracundia hominem ad deteriora quæque rapit, nisi ratio frenum inijciat ac moderetur. *In Melissa par.2 serm.78.*

Maximi monachi. Quemadmodum corpus nostrum mortale est: Sic conuenit iram non habere immortalem eum, qui temperantia vti nouerit. *Serm.19 ex Euripide.*

Plutarchi. Vt non magno negocio flamma extinguitur in pilis leporinis, aut scyrpis, aut stipulis accendi cępta: at non item, si solida corripuerit: Sic ira primum gliscens facile vel ioco, vel risu compescitur, cum videmus fumantem adhuc, quod si processerit, vix vllo negocio possit extingui. *In Moral.*

Vt equi ferociores frenis: Sic homines iracundi ratione ducuntur & reguntur. *In Mor.apud Ant.in Meliss.ser.53.par.2.Max ser.19.*

Vt in tumultu non audimus, quid nobis dicatur: Ita irati non admittimus alienum consilium, nisi ratio loquatur intus, quæ tumultū animi compescat. *In Moral.*

Vt

Vt prima tyrannidis solutio est, si reclametur, si non pareatur: Sic iræ statim est reclamandum. *ibid.*

Quemadmodum qui expectant obsidionem, colligunt, ac deponunt pecuniam, atque omnia parant sub hostium aduentum: Ita aduersus assultum iracundiæ præceptis Philosophiæ muniendus, & instruendus est animus. *ibid.*

Vt minuta litera, si quis intendat, offendunt oculos: Sic qui res minutulas iracundè curat, morosior redditur ad maiora: *ibid.*

Vt iuxta sententiam Hippocratis morbus est periculosissimus, in quo ægrotus subinde mutat oris habitum, ac sui dissimillimus redditur: Ita nullus est animi morbus ira periculosior, quæ vultum, vocem, incessum sic immutat, vt idem alius esse videatur. *In Moral.*

Vt nautæ præsentientes tempestatem, anchoris firmant naues: Ita priusquam ingruat tempestas iracundiæ, ratione firmandus est animus, & in diuersum nitendum. *ibid. in Moral.*

Amor lenatur cantu, corollis, osculis: At ira si indulgeas, exasperat. *In Moral.*

Lotis adducunt speculum: Id multo magis adhibendum irato. *In Moralib.*

Vt in febre: Sic & in ira linguam habere leuem, ac teneram bonæ spei signum est. *ibid.*

Vt tumor potissimum accidit ex plagis carnis: Sic molles, & imbecilles animi maximè intumescunt ira, vt mulierum, ac senum. *In Moral.*

Mare commotum cum algam, & spumam eiectat, purgari dicitur, etiam si littus contaminat: Atqui commotus ira, verba effundit amara, contumeliosa: primum inquinant ipsum à quo dicuntur, & famæ labem aspergunt. *In Moral.*

Barbari quidam ferrum inficiunt veneno, vt bis noxium sit: Sic quidam dictis instigant commotos. *In Moral.*

Nauis deserta recipit gubernatorem, si quis velit in portum reducere: At animus ira percitus non admittit gubernatricem rationem aliunde, nisi intus ratio clauum arripiat. *In Moral.*

Vt canes, si iram effuderint in lapidem, aut saxum, mitiores sunt erga homines: Sic qui bilem in alieno euomuerit, placidior est erga suos. *In Moral.*

Vt equis non in ipso cursu frenum inijcimus, sed ante cursum: Sic qui propensi sunt ad iram, aut libidinem, ante rationibus, ac monitis refrenandi sunt, priusquam in periculum ventum sit. *ibidem.*

Qui se vna cum ipsis ædibus incendunt, omnia intus tumultu complent, vt nec videre possint, nec despicere quid sit vtile: Sic ira commotus animus. *In Moral.*

Vt puer se vulnerat ob imperitiam, dum alium ferro quærit lædere: Ita iracundia sibi nocet sæpenumero, cum alijs nocere studet. *In Moral.*

Vt Medicus curans eos qui dentibus cruciantur, non tam contristatur aliorum malis quam sua bona valetudine gaudet, sed placidus eis apparet: Sic qui cupit alienæ mederi iracundiæ, non debet ipse simul commoueri, sed placidè tractare animum ægrotum. *ibidem.*

Non vtimur aqua turbata, nisi constiterit: multo minus vtendum est animo commoto, priusquam ad se redierit. *Ita Socrates In Moral.*

Si pueris vnum lusum auferas, reliquis omnibus abiectis plorant: Sic quidam si quid obtigerit dispendij, protinus irati, reliqua omnia commoda sibi reddunt iniucunda. *In Moral.*

Vt per nebulam corpora: Sic per iracundiam res maiores videntur. *In Moral.*

Quemadmodum amicos dum sani sunt, si peccauerint, redarguere, & admonere optimum est: in deliquijs autem & phrenitide nõ pugnare illis, nec aduersari solemus, sed assentiri, & annuere: Ita eos qui propter iram, aut auaritiam delinquunt, libertate sermonis coercere, & inhibere oportet, amantibus verò, vtpote ægris, danda est venia. *In lib. Quod amor non sit indicium. Memimus & Stob. serm. 62.*

Quemadmodum canis cæcus parit catulos: Sic ira obcæcatas progenerat criminationes. *Apud Max. serm. 19.*

Socratis. Histriones quidem, licet iram simulent, hominis irati faciẽ repræsentant: Viri autem virtutis studiosi, etsi reuera irascantur, vultu tamen & gestibus irati abstinent. *Stob. serm. 20.*

Seneca. Non ideo vitia in vsum recipienda sunt, quia aliquando aliquid boni effecerunt. Nam & febres quædam genera valetudinis leuant, nec ideo non ex toto illis caruisse melius est. Abominandum remedij genus est, sanitatem debere morbo. Simili modo ira etiam si aliquando vt venenum, & præcipitatio, & naufragium ex inopinato profuit, non ideo salutaris iudicanda est: sæpè enim saluti fuere pestifera. *lib. de Ira.*

Vt exulcerata, & ægra corpora, quæ ad tactus leuissimos gemunt: Ita ira muliebre maximè, & puerile vitium est. *lib. 1 de Ira.*

Vt furentium certa indicia sunt, audax & minax vultus, tristis frons, torua facies, citatus gradus, inquietæ manus, color versus, crebra & vehementius acta suspiria: Ita irascentium eadem signa sunt. Flagrant & micant oculi, multus ore toto rubor, exæstuante ab imis præcordijs sanguine, labia quatiuntur, dentes comprimuntur, horrent ac subriguntur capilli, spiritus coactus ac stridens, articulorum seipsos torquentium sonus, gemitus, mugitus & parum explanatis vocibus sermo præruptus, & cõplosæ sæpius manus, & pulsata humus pedibus, & totum concitum corpus, magnasq; iræ minas agens fœda visu & horrenda facies deprauantium se, atque intumescentium. *Lib. de Ira.*

Vt in corporum cura, alia de tuenda valetudine, alia de restituenda, præcepta sunt: Ita aliter iram debemus repellere aliter compescere vt vincamus. *Lib. 2. de ira, c. 18.*

Cætera vitia impellunt animos, ira præcipitat. Cæteris etiam si resistere contra suos affectus non licet, at certe affectibus ipsis licet stare: hæc non secus, quam fulmina procellæque, & si qua alia irrationabilia sunt, quia non eunt, sed cadunt, vim suam magis ac magis tendit. *Lib. 3. de ira, c. 3.*

Quemadmodum aduersus pestilentiam nihil potest firmitas corporis, & diligens valetudinis cura: promiscue enim imbecilla robustaque inuadit: Ita ab ira tam inquietis moribus periculũ est, quam compositis & remissis: quibus eo turpior ac periculosior est, quo plus in illis mutat. *Lib. 3. de ira, c. 5.*

Immodica ira gignit insaniam. Hoc quam verum sit, necesse est sciat, cum habueris seruũ & inimicum. In omnes personas hic exardescit affectus: tam ex amore nascitur, quam ex odio, non minus inter seria, quam inter lusus & iocos. Nec interest, ex quam magna caussa nascatur, sed in qualem perueniat animum. Sic ignis nõ refert quam magnus, sed quo incidat. Nam etiam maximum solida non receperunt: rursus arida & corripi facilia, scintillam quoq; fouent vsque in incendium. *Lib. 2 epist. 76.*

Thriueri. Quemadmodum calcem accensam oleo extingues, carbonem & flammam accendes: ita iratum humanitatis officijs placabis, iniquidum magis excitabis. *In apoph. 216.*

Quemadmodum adamas nulla incude rumpitur, sed sanguine hircino soluitur: Ita quoque ira accenditur controuersijs, mollitur beneficijs. *In apoph. 160.*

Qui multo dolore vritur, fere medicamine quo dolorem sedat, indulgenter abutitur: Multo minus modum seruat qui irascitur. Ergo castigationem oportet alteri tradere, vel donec ira deferbuerit, differre. *In apoph. 66.*

ADAGIA.

Lucernam accendere possis.

Vehementem iram hac Hyperbole exaggerauit Theocritus in Theonica.

Κὰδ δ' ἐπ' ἐυμαρίαις καὶ ἀπ' αὐτῶ καὶ λύχνον ἅψαι

Iracundus ira, facile accendisse lucernam

Ex ipsa vt possis. Germani eadem metaphora dicunt: Er brennet

In inferno iacere. *ἐν τῷ ζύμῃ κεῖσθαι.*

Dicebantur, qui animo essent ægro, quique iracundia turgerent.

Fluctus murus. *κῦμα κωφὸν*

Dici potest de bili hominis quæ nondum erupit in conuitium, sed tacite inardescit.

Iracundior Adria.

De eo, qui moribus est parum commodis & irritabili ingenio. Horat.

Demissis auriculis. *τὰ ὦτα ἐπὶ τῶν ὤμων ἔχειν.*

Qui deiecto humilique sunt animo, auriculas super humeros habere dicuntur.

Mordere frenum. *δακνεῖν χαλινόν.*

Pro eo, quod est, vel leniter repugnare seruienti.

Mordere labrum. *ἐσθίειν τὰ χείλη.*

De his, qui stomachantur, animoq; vinguntur.

Tacite stomachari.

In eum, qui secum indignatur, quadrabit illud Homeri.

Ὁ δ' ἐχώσατο κηρόθι μᾶλλον

Ille cor magis atque magis succenditur ira.

Ignem gladio ne fodias.

Id est iratum animum ne lacessas.

Fratrum inter se iræ sunt acerbissimæ. *χαλεποὶ πόλεμοι ἀδελφῶν.*

Hoc est: Acerba belli fratrum. Innuit prouerbium simultatem, quæ inter fratres incidit, atrociorem esse solere quam vulgaris inimicorum. Exempla suppeditat historia cum sacra, tum prophana.

Ira omnium tardissime senescit. *ὁ θυμὸς ἔσχατον γηράσκει*

Quoties significabimus iniuriarum nos esse aut fore memores. Cicero inquit cui places oblinisceris: cui doles meminit.

EXEMPLA BIBLICA.

Iræ iniustæ, seu vituperandæ *Exempla* Cain *Gen. 4. v. 5.* Balach, *Num. 24. 10.* Eliab, *1. Sa. 17. 28.* Saul, *18. 8. & 20. 30.* Principes Philistijm, *29. 4.* Abner, *2. Sam. 3. 8.* Asa, *2. Paral. 16. 10.* Achab, *1. Reg. 21. 4* Naaman, *2 Reg. 5. 11.* Exercitus Ephraim, *2. Paral. 25. 10.* Ozias, *26. 19.* Sanaballat, &c. *Neh. 4. 1.* Nabuchodonosor, *Dan. 2, 12 & 3. 13. 19.* Holofernes, *Iudith. 5. 2.* Elihu, *Iob. 32, 2.* Aman, *Esth. 3. 5.* Principes

Sede-

5 d.chię. *Ier.* 37.14. Ionas, *Io.* 4.8.9. Antiochus, 1. *Mac.* 3.27. & 6.8. & 15.36. 2. *Mach.* 7. v. 3.39. Gentes, 1. *Mach.* 5.1. *Apoc.* 11.18 Herodes, *Mat.* 2.16. Iudæi, *Luc.* 4.28. Frater prodigi Filij, 15. v. 28. Demetrius, *Act.* 19.18. Gentes, *Apocal.* 11.18.

Ira, pro zelo, seu studio rei sanctæ & iustæ, *Exẽpla:* Moyses, *Exod.* 16. 20. & 12.19. *Leu.* 10.16. *Num.* 16.15. *Deut.* 9.20. Ionathas. 1. *Sam.* 20. 34. Phinees, *Nu.* 25.7.8. 2. *Mach.* 2.54. Dauid, 2. *Sam.* 12.5. & 13.21. Elias, 1. *Reg.* 19.14. *Rom.* 11.3. Nebemias, *Nehem.* 5.6. Assuerus, *Esth.* 7.7. Eliachim, Sobna, & Ioahe, *Esa.* 36.22. Ezechias. 37.1. Ieremias *Iere.* 6.11. Rex quidam, *Matth.* 22.7. Christus, *Mar.* 3.3. Paterfamilias, *Luc.* 14.21. *vide Zelus bonus.* Iræ filij, *vide filij ira.* Iræ vasa. *vide Vasa ira.*

Iræ Dei *exempla:* Contra antiquiorem mũdum, diluuiom, *Gen.* 7. v. 17. Contra ædificatores turris Babylonicæ, linguarum confusio, 11. 7. Sodomam, &c. sulphureus ignis & subuersio, 19. v. 24. Vxorê Loth non obedientem voci Dei, mira in statuam salis metamorphosis, v. 26. tot & tanta prodigia in Aegypto facta, sunt manifestissima iræ diuinæ testimonia, vt late describitur. *Exod.* 7.8.9. &c. cõtra Mosen, *Exo.* 4.14. *Deut.* 3.26. & 4.21. Israelitas, *Exod.* 42. v. 9.10. *Num.* 11. v. 1. & 32.13. *Iud.* 2.14.10. & 3. 8.10. v. 7. 2. *Sam.* 24.1. 2. *Reg.* 13.3. & 17.18. & 23.26. *Esa.* 5.5.25. & 47.6. *Osea* 8.5. *Zach.* 1. v. 1.12. & 10.3. Aaronem & Mariam, *Num.* 12.9. Aaronem, *Deut.* 9.20. Balaam, *Num.* 22.22. Moabitas, 25.3. Ozam, 2. *Sam.* 6. v. 7.8. Dauidem & Israelitas, 24. v. 1. 1. *Paral.* 21.24. Salomonem. 1. *Reg.* 21.9. Ierusalem & Iudam, 2. *Reg.* 24.20. 1. *Paral.* 27.24. Iosaphat, 29.2. Ierusalem, &c. propter Ioas, 2. *Paral.* 24.18. Amasiam, 25. 15. Ezechiam, 32.25. Pastores, *Zach.* 10.3. interfectores & illusores seruorum suorum, *Matth.* 22.7.

Exempla Profana.

Achillem Æaci nepotem Homerus vbique facit stomachabundum ac minabundum: veluti in primo statim Iliados libro. vbi sic incandescit in Agamemnonem, vt manum admoueat capulo, à cõuitijs ad manus venturus, nisi Pallas eum capillis reuocasset. Quin & ipsum opus ab Achillis ira habet exordium, *Μῆνιν ἄειδε θεά.* *P. M. in Adag.*

Malacho poeta Syracusano immoderata bilis plerunque vsum rationis auferebat. Eratq; tum præstantior in absoluendo carmine, dum erat alienatus mente. *Gyraldus.*

Q. Cicero erat ingenio iracundus, commotusque animo linguæ non parcebat, sed passim maledicta conuitiaque in omnes iaciebat. Eum ergo graui epistola, quæ instar libri est, dehortatur Cicero. *Victor. lib.* 2. *var. lect. c.* 12.

Horatius fatetur se natura iracundum fuisse, facile tamen placabilem, ait enim:

Irasci facilis, tamen vt placabilis essem

D. Hieronymum acrius interdum excanduisse, contentiones illæ quas cum Ruffino exercuit, satis indicant; sed & eæ, quæ adhuc leguntur, inter illum & Augustinum, epistolæ.

Fuit *Ausonius* poeta in iram propensus, quod suo ipse fatetur testimonio dicens:

Irasci promptus properaui condere motum
Atque mihi pœnas pro leuitate dedi.

Drusum Tiberij. filium adeo vincebat ira, vt scribit Dion, vt vel insigni equiti plagas impingeret; quo argumento Castor (inquit) est cognominatus. *Cæl. lib.* 23. *c.* 10. *A. L.*

Plutarchus in commentario, *περὶ τῆς ἀοργησίας* cuiusdam meminit Ctesiphontis Pancratiastæ, qui per iracundiam mulæ calcitranti recalcitrarit.

De duce Brenno & Gallis, *de Cambyse Persarum* rege, de Septimio Senero, de Tertulliano, de Alacrio rege Gothorum, de Totila, de Constantino militari tribuno, de Monte Accola, Silicei montis, de Ioanne Andatu Lampugnano, de Gualterio comite Brẽnensi, de Populo Romano in Albertum Hetruriæ Marchionem, de Stephano sexto Pontifice, de Lothario Gallorum rege & Sergio tertio Pontifice Maximo, de populo Florentino, de Henrico Hispaniarum rege, de Stephano Conth equite Pannonio, ac comitibus, de Thennensibus aduersus Pisanos. *Baptist. Fulg. li.* 9. *c.* 3. *de dict. & fact.*

Hieroglyphica.

Elephas ira excitata est hieroglyphicum, quamuis enim hoc animal natura ita mansuetum sit, vt etiam crudelitatis alienę ministerio defungi minime cogi possit: in iras tamen acriter incitatur, perturbatumque irritatione aliqua acerbiore, immaniter efferascit. *Pier. Val. lib.* 2.

Neque defuerunt qui per *Vrsi* simulacrum *iram*, immanem intelligi voluerint, quod id animal immodicis soleat animis excitari, & in omnem truculentiam efferri. *Idem lib.* 12.

Craticulam subiecto igni & corde super imposito, *furoris & indignationis* apud sacerdotes Aegyptios indiciũ fuisse, vt ex eo. s. cordis bile succensi, excandescentiam ostenderent. *Idem, li.* 34.

Quercus arbor ea insignis asperitate, quæ omnibus conspicua est, nonimmerito fertur, vsque adeo inimica oleę, vt eam iuxta se positam extinguat. Olea vero cum sit pacis, mansuetudinis ac lenitatis indiciũ. excogitatum est. *quercum Olea complicare cũ iracundiam,* atque inexorabilem animi asperitatem sese ad lenitatem dedisse significandum fuerit. *Idem Pier. Val. lib.* 51.

Iræ hieroglyphicon, *ignis* in scriptura sacra, *Psal.* 79.5. *Deut.* 32.22. *Psalm.* 89.46. *Esa.* 30.27. *Ierem.* 44. *Vrsa item.* 2. *Sam.* 17. 8. & *Leana. Os.* 13.7.8.

Emblema. And. Alciati.

Emblema LXIII.

Alcaam veteres caudam dixere leonis,
Qua stimulans iras concipit ille graues.
Lutea cum surgit bilis, crudescit & atro
Felle dolor, furias excitat indomitas.

Fabulæ.

Vrsus & Apes.

Ictus ab apicula Vrsus. ira incensus, in apiarium irruit, & aluearia populatur. Tunc apes impetu facto totis examinibus in illum irruunt, de quorum vix elapsus aculeis: Quanto, inquit, vnum apiculæ vulnus perpeti me satius fuerat, quam tantas copias harum excitare iracundia mea?

Narratur fabula contra impotentiam iracundiæ.

Malum auctum irritatione.

Quodam in oppido, solebant de certis cœtibus excludi omnes vitiati quacunque corporis parte, erantq; constituti, qui de illorũ (siqui forte ibi epsisse comperirentur) singulis vitijs singulos nũmos exigerent mulctæ nomine. Hi aliquando claudo conspecto, cum exigerent ab eo mulctã, & renitentem inuaderent atq; comprehenderent: scabiem in eo etiam deprehendunt. Ergo postulare iam nummos duos: Etiam tunc illo refragante, apparet lippitudo oculorũ. Tum isti, iam tres dabis nummos inquiunt. Ego ne, inquit ille, pugnabo potius. In lucta igitur ea apparet hernia quoque. Tum exegere tandem nummos quatuor ab eo, qui se vno liberare potuisset.

Fabula narratur contra pertinaces, & propugnatores vitiorum suorum. Narratur & contra eos, qui renitendo & resistendo malis leuibus, grauiora sibi ipsi accersunt. Initio enim medicina facilis est, secundum hoc:

Ἀρχὴν ἰᾶσθαι πολὺ λῷον, ἢ τελευτήν.

Nam & Laomedon equis traditis, quos Herculi (vt in fabulis est,) promiserat, se & suos conseruare potuisset: quibus denegatis, nõ illos postea solum, sed etiam regnum, vrbe vi capta, amisit.

IRRISIO.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

IRrisio, Gr. *ἐπιχαιρεκακία, ἀ* dicitur, & *χλευασμός.* Heb. *Misthak.* à verbo *Sachak.* irrisit, & *Sechak.* risus, cachinnus, irrisio ab eodem verbo. Vide *Prou.* 10.23. & 14.13. *Iere.* 20.7. & 48.26.27. Irrisio autem & subsannatio conueniunt in fine, sed differunt in modo, quia prima fit naso rugato, secunda vero fit ore, id est, in verbis & cachinno, *ex B. Thom.* 2. 2. *q.* 75. *art.* 1.

Sententiæ Biblicæ.

Abominatio Domini est omnis illusor, *Prou.* 3.

Ipse deludet illusores: & mansuetis dabit gratiam. *Ibid.*

Tunc stabunt iusti in magna constantia aduersus eos, qui se angustiauerunt. & qui abstulerunt labores eorum. Videntes turbabũtur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, dicentes intra se, pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes: hi sunt quos aliquando habuimus in derisum, & in similitudinem improperij. Nos insensati vitam illorum ęstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore: ecce quo computati sunt inter filios Dei. & inter sanctos sors illorum est. *Sap.* 5.

Non irrideas hominem in amaritudine animæ: est enim qui humiliat & exaltat, circumspector Deus. *Eccl.* 7.

Deridetur Iusti simplicitas. *Iob* 12.

Ambulans recto itinere & timens Deum, despicitur ab eo, qui infami graditur via. *Prouerb.* 14.

Parata sunt derisoribus iudicia, & mallei percutientes stultorum corporibus. *Prouerb.* 19.

Eijce derisorem, & exibit ab eo iurgium, cessabuntque caussæ & contumeliæ *Ibid.* 22.

Illusio & improperium superborum, & vindicta, sicut leo insidiabitur illi. *Eccl.* 27.

Et qui spernis, nonne & ipse sperneris: cum consummaueris deprædationem, deprędaberis: cum fatigatus desieris contemnere, & contemneris. *Esa.* 33.

Apophthegmata.

Agesilaus Ephorus cum Agidis suasu factum esset, vt fieret omnium debitorum solutio, iamque tabulis in forum Clarium cõportatis, ignis esset iniectus, ac flamma exurgeret, cęteris creditoribus męstis insultabat dicens: Se nunquam clariũs lumen, aut ignem vidisse puriorem. Debebat enim ipse plurimũ, & erat

agrorum

agrorum prædiues, nihil tamen cuiquam soluere habebat in animo. Extrema improbitatis est linea, etiam illudere ijs quos affixeris. *Plut. in Lacon.*

Trachalus cuidam inter argumentandum dicenti: Si hnc ita est, is in exilium: ridens subiecit. Si oon est, redis. *P. M. lib. 6. apoph.*

Argeus faciens iter per Selinuntem, cum in monumento quodam huc Elegiacum carmen vidisset scriptum.

Hoc restinguentes Mars fortes tyrannidis fastus
Pone Selinuntis moenia strauit humi.

Iure perijstis, inquit, qui tyrannidem ardentem conati fitis extinguere: contra oportuit illam finere, donec tota deflagraret. Arripuit iocum ex occasione verbi Estinguere. Extinguitur enim quod opprimitur: & extinguitur incendium. *Plut. in Lacon.*

L. Crassus apud Perpennam iudicem defendebat Aculeonem, quem accusabat Aelius Lamia, homo omnium deformissimus. Is cum interpellaret odiose: Audiamus, inquit Crassus, pulchellum puerum. Huic dicto cum esset arrisum, iterum ait: Audiamus etiam disertum. & multo arrisum est vehementius: parum enim faecundus erat. *P. M. lib. 6. apoph.*

M. Cincius quo die legem de bonis, ac muneribus tulit, C. Centoni prodeunti, ac satis contumeliosè interroganti, quid fers Cinciole? Irridens hominem: Vt emas, inquit, si vti velis. Ridiculè autē notauit hominem quod donatis, & commodatitijs rebus vti gauderet. *P. M. lib. 6. apoph.*

Cicero, quum M. Appius in procemio diceret, se magnopere rogatum ab amico, vt in caussa clientis adhiberet curam, eloquentiā & fidem: hic Cicero, Adeone ferreus homo es, inquit, vt ex tam multis, quæ rogauit amicus, nihil præstes? *Plut. in apoph.*

EXEMPLA BIBLICA.

Irrisionis eiusque pœnæ *exempla*. Michol, 2. *Sam. 6. v. 16.* quadraginta duo pueri de Bethel, 2. *Reg. 2. v. 23. 24.* Semei, 1. *Reg. 2. 44.* Milites, *Ioan. 19. 2.* Irridetur Christus, *Ioan. 19. v. 2.*

EXEMPLA PROFANA.

Quærenti, quid fecisset Deus antequam crearet cœlum & terram? Quidam respondit, ea scrutantibus gehennas parabat, quam ipsam non responsionem, sed irrisionem D. August. lib. 11. confess. reprehendit.

Cassander Antipatri filius, Barbaros, contra morem Macedonum, regem Alexandrum adorantes irrisit: propterea Alexander caput eius parieti illisit. *Plutar.*

Thales in foueam incidens, à Thracensi serua derisus fuit ea, quæ in cœlo sunt, curiosè contemplatus: ignorans quæ in terra negligens. *Plato in Theæteto.*

M. Vetacilius Pithoeus, cum Caninius Reuilius vno tantum die consul fuisset, dixit: ante Flamines, nunc Consules Diales sūt. *Macrob. lib. 2. c. 2. Saturn.*

Democritus Philosophus omnes deridebat, & aiebat homines insanire. Vnde etiam Gelasinum, id est, Risorem, eum ciues sui appellarunt. *Ælian. lib. 4. de var. hist.*

Defuncto *Alexandro Demades orator* cernere ait se Macedonum exercitum ex licentia, occæcato Cyclopi similem. *Plutarch. in Regum apoph.*

Vide Iniuria, Contumelia, Derisio, Facetè, & Iocosè dicta.

ITER.

DEFINITIO, ET ETYMOL.

Iter, iteris, secundum Priscian. & itineris, ab antiquo nominatiuo, itiner, quo veteres vsi sunt. Græci ὁδὸς, πορεία, ὁδοιπορία. Hebr. varijs nominibus designatur. 1. *Orach*, iter longum, & protritum, à verbo *Arach*, iter longum fecit, & simpliciter iter fecit, itinerauit, vt *Iud. 19. 17.* aliquoties pro itinere cœlesti, diuino, beato, spirituali sumitur, vt *Psal. 56. v. vlt. & 119. 9. & 25. 10.* Nonnunquam pro turba, & comitatu itinerantium. 2. *Derech*, via protrita pedibus calcata, a verbo *Darach*, calcauit impressione pedis, incessit. Et *Daragh*, ambulauit, gradatim incessit, ambulauit. Hinc τρέχω curro: & Lat. gradior, per metathesin. 3. *Halech, Halich, Halichah. Mahalach*, à verbo *Halach*, ambulauit, *Psal. 11.* lento gradu abijt, obambulauit. *Vide via.*

Iter dictum est, Varrone teste, lib. 4. de lingua Latina, à verbo eo, ab eundo, cuius supinum itum: siue ab ito frequentatiuo. Est autem iter idem fere quod via, vel profectio, terra & mari. *Vide Etymologicon trilingue Lugdun. pag. 599. col. 1.*

LOCI BIBLICI.

Iter Sabbathi, pro itinere duorum milliarium, *Actor. 1. 2.* Itineris filiorum Israel dux Deus fuit, interdiu & noctu, *Exod. 13. v. 21.* Itineris Iacob comes Deus, *Gen. 18. v. 15.* Tobiæ Raphael Angelus, *Tob. 5. 32. & 12. 15.*

SENTENTIÆ BIBLICÆ.

Iter salutis & perditionis.

Non sequeris turbam ad faciendum malum: nec in iudicio plurimorum acquiesces sententiæ, vt à vero deuies. *Exod. 23.*

Non delecteris semitis impiorum, nec tibi placeant viæ malorum. *Prou. 4.*

Iustorum autem semitæ, quasi lux splendens, procedunt & crescūt vsque ad perfectum diem. *Idem.*

Via impiorum tenebrosa, nesciunt vbi corruunt. *Ibid.*

Oculi tui recta videant, & palpebræ tuæ præcedant gressus tuos. *Ibid.*

Dirige semitam pedibus tuis, & omnes viæ tuæ stabilientur. *Ibid.*

Auerte pedem tuum à malo, vias enim quæ à dextris sunt, nouit Dominus: peruersæ vero sunt, quæ à sinistris sunt. *Ibid.*

Respicit Dominus vias hominis, & omnes gressus illius considerat. *Prou. 5.*

Iter autem impiorum decipiet eos. 12.

Iter impiorum quarum sepes spinarum, via iustorum absque offendiculo. 15.

Vir prudens dirigit gressus suos. *Ibidem.*

Cum placuerint Domino viæ hominis, inimicos quoque eius conuertet ad pacem. 16.

Cum audace non eas in via, ne forte grauet mala sua in te: ipse enim secundum voluntatem suam vadit, & per stultitiam eius peribis. *Eccl. 8.*

Non ventiles te in omnem ventum, & non eas in omnem viam. 5.

In via ruinæ non eas, & non offendes in lapides. 32.

Intrate per angustam portam, quia lata porta & spatiosa est via, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam. *Matth. 7.*

Quam angusta porta, & arcta est via, & difficilis, quæ ducit ad vitam: & pauci sunt, qui inueniunt eam. *Ibid.*

Videte itaque fratres, quomodo caute ambuletis, non quasi insipientes, sed vt sapientes. *Ephes. 5.*

Gressus rectos facite pedibus vestris, vt non claudicans quis erret, magis autem sanetur. *Hebr. 12.*

SENTENTIÆ PATRUM.

Duæ sunt viæ, per quas humanā vitā progredi necesse est: vna, quæ in cœlum ferat: altera, quæ ad inferos deprimat: quas & poetæ in carminib. & Philosophi in disputationib. suis induxerunt. Et quidem philosophi alteram virtutum esse voluerunt, alteram vitiorum: eamq; quæ sit assignata virtutib. primo aditu esse arduam & confragosam. In qua si quis difficultate superata in summū eius euaserit, habere eum de cætero planum iter, amœnumq; campum, & omnes laborum suorum capere fructus vberes atque iucundos. Quos autem primi aditus difficultas deterruerit, eos in eam vitiorum viam labi atque deflectere, quæ primo ingressu sit quasi amœna multoq; tritior. Deinde, cum in eam paulo vlterius processerint amœnitatis, eius speciem repente subduci. Exoriri autem viam præcipitem, nunc saxis asperam, nunc obductā sentib. nunc gurgitib. intercisam, vel torrentibus rapidam, vt laborare, hærere, labi, cadere sit necesse. Quæ omnis eo proferuntur, vt appareat, in virtutibus capiendis labores esse maximos: in perceptis aūt maximos fructus, & solidas atque incorruptas voluptates. Vitia vero quibusdam deliniamentis naturalib. allicere animos hominum, & inanium iucunditatum specie captos, ad acerbas amaritudines miseriasq; perducere. Omnis ergo hęc de duab. vijs disputatio ad frugalitatem ac luxuriam spectat. Dicunt. n. humanæ vitæ cursum Y literæ similem, quod vnusquisq; hominū, cum primum adolescentiæ limen attigerit & in eum locum venerit, vbi se partes via findit in ambas hæreat nutabundus, ac nesciat in quam se partem potius inclinet. Si ducem nactus fuerit, qui dirigat ad meliora titubantem, hoc est, aut philosophiā didicerit, aut eloquentiam, aut aliquid honestæ artis quo euadat ad bonam frugem, quod fieri sine labore maximo non pōt, honestā ac copiosam vitam disputant peracturum. Si vero doctorem frugalitatis non inuenerit, ad sinistrā viam, quæ virtutis ac melioris speciem mentiatur, incedere, desidiæ, luxuriæ, inertiæq; se tradere, quæ suauia quidē videntur ad ips, vera bona ignoranti: post autem amissa omni dignitate ac re familiari, in omnib. miserijs ignominijsq; victurum. Nos igitur melius & verius qui duas istas vias, cęli & inferorum esse dicimus: quia iustis immortalitas, iniustis pęna æterna proposita est. Nos aūt omnis sexus & generis & ętatis, in hoc cęleste iter inducimur: quia Deus, qui eius vię dux est, immortalitatem nulli homini nato negat. Forma quoque viarum ipsarum non ita est, vt illi putauerunt. Quid. n. opus est Y litera in reb. contrarijs atque diuersis? sed altera illa melior, conuersa est ad Solis ortum, altera illa deterior, ad occasum, quoniā qui veritatem ac iustitiā sequitur, is accepto immortalitatis præmio, luce potietur perenni: qui aūt ab illo malo duce illectus pręt-

tulerit

tulerit vitia virtutib. mendacium veritati, necesse est ad occasum & tenebras deferatur. *Lactan. Firm. diuin. Instit. lib. 6. c. 3.*

Vna est igitur virtutis ac bonorum via, quæ fert non in Elysios campos (vt poetæ loquuntur) sed ad ipsam mundi arcem. At læua malorum exercet pœnas, & ad impia tartara mittit. Est. n. criminatorum (?) illius, qui prauis religionibus institutis, auertit homines ab itinere cœlesti, & in viam perditionis inducit, cuius viæ species, & figura sic est composita in aspectum, vt plana & patens omni genere florum atque fructuũ delectabilis esse videatur. In ea. n. posuit Deus omnia, quæ pro bonis habentur in terra: opulentiam dico, honorem, quietem, voluptatum illecebras omnes, sed cum his pariter iniustitiam, crudelitatem, superbiam, perfidiam, libidinem, cupiditatem, discordiam, ignorantiam, mendacium, stultitiam, cæteraq; vitia. Exitus autem huius viæ talis est: cum ventum fuerit ad extremum, vnde iam regredi non licet, cum omni sua pulchritudine tam subito præciditur, vt non ante quis fraudem prospicere possit, quã præcipitatus in altitudinem profundam cadat. Quisquis. n. præsentium bonorum specie captus, & in his consequẽdis & fruendis occupatus, nõ præuiderit ea quæ post mortem secutura sunt, seq à Deo auerterit, is ad inferos deiectus, & in æternam damnabitur pœnam. Via ergo illa cœlestis difficilis & cliuosa proposita est, vel spinis horrentib. aspera, vel saxis exstantibus impedita, vt cum summo labore ac pedum tritu, cumq. magna cadendi solicitudine sit cuiq; gradiendum. In hac posuit iustitiam, temperantiam, patientiam, fidem, castitatẽ, abstinentiam, concordiam, scientiam, veritatem, sapientiam cæterasq. virtutes: sed simul cum his paupertatem, ignominiam, laborem, dolorem, amaritudines omnes. Quisquis. n. spem suã porrexerit longius, & maiora maluerit, carebit his terræ bonis, vt expeditus ac leuis difficultatem viæ superet. Nec. n. potest, qui se apparatu regio circumdederit, aut diuitijs onerauerit, angustias illas vel ingredi, vel tenere. Vnde intelligitur, idcirco malis & iniustis facilius prouenire quæ cupiant, quia prona & decliuis est eorum via: Bonis autem quæ optent difficile procedere, quia difficili & arduo itinere gradiuntur. Iustus ergo quoniam durũ, asperumq. iter ingressus est, contemptui, derisui, odio sit necesse est. Omnes. n. quos cupiditas aut voluptas præcipites trahit, inuidẽt ei qui virtutem capere potuit, & inique ferunt id habere aliquẽ quod ipsi non habent. Erit itaque pauper, humilis, ignobilis, subiectus iniuriæ, & tandem omnia quæ armata sunt perferens. Et si patientiam iugem ad summum illum gradum finemq. perduxerit, dabitur ei corona virtutis, & à Deo pro laboribus quos in vita propter iustitiam pertulit, immortalitate donabitur. Hæ sunt viæ quas Deus humanæ vitæ assignauit, in quibus singulis, & bona ostendit & mala: sed ordine præpostero atque conuerso: in vna. n. monstrauit temporalia prius mala cum æternis bonis, qui est ordo melior. In altera tẽporalia prius bona cum æternis malis, qui est ordo deterior: vt quicunque præsentia mala cum iustitia elegerit, maiora & certiora bona consequatur, quam fuerint illa quæ spreuit. Quisquis autem præsentia bona proposuerit iustitiæ, in maiora & longiora incidat mala, quam fuerint illa quæ fugit. Hæc. n. vita temporalis, quia breuis est: idcirco & bona eius & mala breuia sint, necesse est. Illa vero spiritualis, quæ huic terrenæ contraria est, quia sempiterna est: idcirco & bona eius & mala sempiterna sunt. Ita fit, vt & bonis breuibus mala æterna, & malis breuib. bona æterna succedant. Itaq. cum simul proposita sint homini bona & mala, considerare vnumquemq. secũ decet, quanto satius sit pro perpetuis bonis mala breuia pensare, quam pro breuib. & caducis bonis mala perpetua sustinere. Nã sicut in hoc sæculo, cum est propositum cum hoste certamen, prius elaborandum est, vt sis postmodum in otio, esuriendum, sitiendum, æstus, frigora perferenda, humi quiescendum, vigilandum, periclitandum est, vt saluis pignoribus & domo, ac re familiari, & omnib. pacis ac victoriæ bonis perfrui possis: sin autem præsens otium malueris quam laborem: malum tibi maximum facias, necesse est: præoccupabit. n. aduersarius non resistentem, vastabuntur agri, diripietur domus, in prædam vxor ac liberi venient, & tu ipse interficiere ac rapiere. Quæ omnia ne accidant præsens commodum differendum est, vt maius longiusq. paratur. *Lactan. Firm. diuin. Instit. lib. 6. c. 3.*

Hæc autem via, quæ est veritatis, & sapientiæ, & virtutis, & iustitiæ, quorum omnium fons vnus est, vna vis, vna sedes, & simplex est, quod paribus animis summaque concordia vnum sequamur & colamus Deum: & angusta, quoniam paucioribus virtus data est: & ardua, quoniam ad bonum, quod summum & sublime est, nisi cum summa difficultate & labore, non potest perueniri. *Idem cap. 7.*

Hæc est via, quam Philosophi quærunt, sed ideo non inueniunt, quia in terra potius, vbi apparere non potest, quærunt. Errant ergo velut in mari magno, nec quo ferantur, intelligunt, quia nec viam cernunt, nec ducem sequuntur vllum. Eadem namq ratione hanc vitæ viam quæri oportet, qua in alto iter nauibus quæritur: quæ nisi aliquod cœli lumen obseruent, incertis cursibus vagantur. Quisquis autem rectum iter vitæ tenere nititur, non terram debet adspicere, sed cœlum: & (vt apertius loquar) non hominem sequi debet, sed Deum: non his terrestribus simulachris, sed Deo seruire cœlesti: non ad corpus referre omnia, sed ad mentem: non huic vitæ dare operam, sed æternæ. Itaque si oculos in cœlum semper intendas & solem qua oritur, obserues, eumq. habeas vitæ quasi nauigij ducem: sua sponte in viam pedes dirigentur: & illud cœleste lumen, quod sanis mentibus multo clarius sole est, quam hic quem in carne mortali videmus: sic reget, sic gubernabit, vt ad summum sapientiæ virtutisque portum sine vllo errore perducat. Suscipienda igitur Dei lex est, quæ nos ad hoc iter dirigat: illa sancta, illa cœlestis, quam M. Tull. libr. de Republ. 3. pene diuina voce depinxit, cuius ego, ne plura dicerem, verba subieci. Est quidem vera lex recta ratio, naturæ congruẽs, diffusa in omnes, constans, sempiterna: quæ vocet ad officium: iubendo, vetando, à fraude deterreat: quæ tamen neque probos frustra iubet, aut vetat, nec improbos iubendo aut vetando mouet. *Idem lib. 6. c. 8.*

Lata & spatiosa itinera vitæ letalis, illic illecebræ & mortiferæ voluptates: illic diabolus blanditur, vt fallat: arridet, vt noceat: allicit, vt occidat. *Cypr. in epist. de malignitate dæmonis.*

De itinerum in bellis consideratione præcepta tradit Vegetius, his verbis: Qui rem militarem studiosius didicerunt, asserunt plura in itineribus quam in ipsa acie pericula solere contingere. Nam in conflictu armati sunt omnes & hostem cominus vident, & ad pugnandum animo veniunt præparati. In itinere minus armatus minusq. attentus est miles, & superuenientis impetu vel fraude repente turbatur. Ideoque omni cura, omnique diligentia prouidere debet dux, ne proficiscens patiatur incursum, vel facile ac sine damno repellat illatum.

Primum itineraria omnium regionum, in quib. bellum geritur, plenissime debet habere perscripta: ita vt locorum interualla non solum passuum numero, sed etiam viarum qualitates perdiscat: compendia, diuerticula, montes, flumina, ad fidem descripta cõsideret: vsq; eo vt solertiores duces, itineraria prouinciarum, in quibus necessitas geritur, non tantum adnotata, sed etiam picta habuisse firmentur, vt non solum consilio mentis, verum aspectu oculorum viam profecturis eligerent.

Ad hoc a Prudentiorib. & honoratis, ac locorum ignaris separatim debet vniuersa perquirere, & veritatem colligere de pluribus.

Præterea sub periculo eligendarum viarum duces idoneos scientesque præcipere, eosque custodiæ mancipare, addita pœnæ ostendatione vel præmij. Erunt enim vtiles cum intelligent, nec fugiendi sibi copiam superesse & fidei præmium, & perfidiæ parata supplicia.

Prouidendum quoque, vt sapientes exercitatisque quærantur, ne duorum aut trium error discrimen pariat vniuersis. Interdum autem imperita rusticitas plura promittit, & credit se scire, quæ nescit.

Sed cautelæ caput est, vt per quæ loca, vel quibus itineribus sit profecturus exercitus ignoretur. Tutissimum namque in expeditionibus creditur facienda nesciri. Ob hoc veteres Minotauri signũ in legionibus habuerunt, vt quemadmodum ille in intimo & secretissimo labyrintho additus perhibetur, ita ducis consilium semper occultum esset. Securum iter agitur, quod agendum hostes minime suspicantur.

Propter exploratores transfugas, & proditores, dux cum agmine exercitus profecturus, fidelissimos, argutissimosque cum equis probatissimis mittat, qui loca per quæ iter faciendum est, in progressu, & à tergo, dextra læuaque perlustrent, ne aliquas aduersarij moliantur insidias.

Ambulante exercitu, vt locorum varietas aduenerit, ita defensionis ratio variatur. Nam in campis patentibus equites, in locis siluestrib. montuosis, vel palustribus, pedites impugnare solent.

Illud quoque vitandum ne per negligentiam alijs festinantib. alijs tardius incedentib. interrumpatur acies, aut certe tenuetur. Cõtinuo enim hostes interpolata peruadunt. Interponendi sunt ergo exercitatissimi campi doctores, vicarij, vel tribuni, qui ala criores tardẽt, & pigrius incedentes accelerare compellant. Nã qui multum præcesserint superuentu facto, non tam redire, quã effugere cupiunt. Qui vero extremi sunt, deserti à suis, vi hostiũ & propria desperatione superantur.

Illud præcipue fetuandum est, vt ea pars ad quam hostis venturus creditur, oppositis lectissimis equitib. & leui armatura, nec non etiam peditib. sagittarijs, muniatur. Quod si vndiq. circumfunduntur inimici, vndiq. debent præparata esse subsidia. Ne vero repentinus tumultus amplius noceat, ante commonendi sunt milites, vt parati sint animo, vt arma in manib. habeant. In necessitate subita quæ terrent, prouisa non solent esse formidini.

Antiqui diligentissime præcauebant, ne à calonibus interdum vulneribus interdum timentibus, & saginarijs clamore pauefactis milites turbarentur: ne dispersi longius aut cõglobati amplius, quam expedit, impedirent suos, hostibusque prodessent. Et ideo ad exemplum militum, etiam impedimenta sub quibusda signis ordinanda duxerunt. Denique ex ipsis calonibus (quos vocabant galea-

galearios) idoneos ac peritos vsu legabant quos non amplius quam ducentis sagittarijs puerisq; præficerent: hisque vexilla dabant, vt scirent ad quæ signa deberent impedimenta colligere. Sed pugnatores ab impedimentis laxamento aliquo diuidũtur, ne constipati lædantur in prælio.

Sciendum etiam, quod aduersarij in ijs locis, quæ sibi opportuna intelligunt, subsessas occultius collocant, vel aperto Marte impetum faciunt. Sed ne secretis noceant, ducis præstat industria, quò omnia prius conuenit explorare. Deprehensa verò subsessa, si circumueniatur vtiliter, plus periculi sustinet, quam parabat inferre. Aperta autem vis si præparetur in montibus, altiora loca præmissis sunt præsidijs occupãda, vt cũ hostis aduenerit, reperiatur inferior, nec audeat obuiare, cũ tã à fronte, quã supra caput suum cernat armatos. Quod si angustæ sint viæ, sed tamen tutæ, melius est præcedere cum securibus, ac dolabris milites, & cũ labore vias aperire, quam in optimo itinere periculum sustinere.

Præterea nosse debemus hostium consuetudinem: vtrum de nocte, an incipiente die, an hora reficiendi, lassis superuenire consueuerint: & deuitare quod illos putamus ex more.

Item verò vtrum peditibus, ac equitibus, vtrum contatis, an sagittarijs, amplius valeant, vtrum numero hominum, an armorum munitione præcellant, scire nos conuenit: & ordinare quod nobis vtile, illis doceatur aduersum.

Tractare quoque per diem, an per noctem iter expediat inchoari: quanta locorum interualla sint ad quæ cupimus peruenire: ne æstate aquæ penuria obsit euntibus, ne hieme difficiles, aut inuiæ occurrant paludes, maioresq; torrentes, & impedito itinere circumueniatur exercitus, priusquã ad destinata perueniat. Vt enim nostra commoditas est, sapienter ista vitare: ita si aduersariorum imperitia, vel dissimulatio occasionẽ nobis dederit, non oportet omitti, sed explorare sollicitè, proditores, ac trãsfugas inuitare: vt quid hostis moliatur in præsenti, vel in futuro possimus agnoscere, paratisq; equitibus, ac leui armatura, ambulantes eosdem, vel pabula victumq; quærentes improuiso terrore decipere.

SENTENTIAE POETICAE.

Virgil. de litera Pythagoræ.

Littera Pythagora discrimine secta bicornis,
Humanæ vitæ speciem præferre videtur.
Nam via virtutis dextrum petit ardua callem,
Difficilemq; aditum primum spectantibus offert:
Sed requiem præbet fessis in vertice summo.
Molle ostentat iter via lata, sed vltima meta
Præcipitat captos, voluitq; per ardua saxa.
Quisquis enim duros casus virtutis amore
Vicerit, ille sibi laudemq; decusq; parabit:
At qui desidiam luxumq; sequetur inertem:
Dum fugit oppositos incauta mente labores,
Turpis inopsq; simul miserabile transiget æuum.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

De duro itinere. DIAL. LVII.

Francisci Petrarchæ.

DOL.

Durum iter pedibus meis ago. R. Quid tu igitur alienis malles? atqui neque alienis manibus operari, neque alienis oculis videre, neque alienis auribus audire, neque alieno palatio degustare, neque alienis naribus vultis olfacere, quid hoc vnũ singulare hẽt, vt tãtũ pedibus ambulare delectes alienis? D. Pedes eo. R. An verò in hunc mundũ intrasti eques, an exibis? quid per mũdum ire, nisi eques, doles? O principiũ humile! & ò finis humilior! quã superba inter vtrumq; sunt media, & in breui cursu, quanta prorsus obliuio terminorum! nec vnde certè, nec quo pergitis, meministis. D. Iter longum cogor pedes agere. R. Cogi quidem durum fateor. Cogi autẽ volẽs nequit, indignatio, & dolor necessitatis pondus exaggerant, patientia, & consensu animi fortunæ cuspis obtunditur. Vis nõ cogi? fac sponte quod cogeris. Vis vt iter longum breue fiat, volens i. D. Equitare vellẽ, pedes ambulo. R. An insaniæ ipsiũ est vnum ob quadrupedem, cuius vsum nescis, quãdiu tibi fortuna cõcesserit, naturæ munerũ obliuisci, quod multi faciunt, qui vilis, atque intractabilis, & caduci equi fiducia dediscunt pedibus suis ire, quibus quæso, quid aliud, quã diuitẽ cupias podagram, hoc est, pedes inutiles, equos mutos. D. Longum iter pedes ibo. R. Ibis pro libito, nemo te transuehet, nemo morabitur, nemo concutiet, nemo deijciet, nemo aget in præceps, vnus tibi labor viæ, vnũ opus ire, nil tibi tuo cum vectore negotij. Non cogeris enim equum frenare, non pungere, nõ adæquare, non substernere, non circumducere, non fricare, non pascere, non aut tergũ vngere, aut arentem pedis vngulam, & tractare digitis ancipites clauos, aut nocturnos sudibus arcere cõcursus, & somno excitari trepidus, semperque solicitus quid belua peruigil cum vicinis agat, saltem noctibus quiesces. Nam qui equitãt, noctu etiam laborant. D. Pedibus lõgum iter ago. R. Calceatus forsitan. Sancti autem patres nudis pedibus deserta lustrabant. Nunc ij Dei omnipotentis Apostoli mundi climata circuibant, hic ad Orientem, ille ad Occidentem, hic ad Arcton, ille ad Meridiem, nauigantes interdum, raro id quidem, neque aliter, quam cogente locorum situ, sed quem precor equitem legis, præter vnum ex omnibus Ioannem? neque id amplius quam semel, idq; perexiguo viæ spatio, dum quod Clemens scripsit, & Ecclesiastica habet historia, ad recuperandam perditi adolescentis animam pia illũ festinatio perurgeret, quonimdo autem equitarent. quorum dominus pedes ibat? Vix asellũ semel quidem ille mox in crucẽ ascensurus ascendit. Quod si sanctitate inaccessibili, hęc exempla te prægrauant. At Romanæ legiones, quæ orbem terrarum subegere, magna ex parte pedestres fuisse noscuntur, in quibus non solum arma suis pedibus quisque portabat, sed multorum pene ac vsitatum dierum, vallum quoque quo in finib. hostium castra in dies circumspecta nocturnis ab insultibus tegerentur. Vnde eleganter Cicero noster, quodam loco de militib. Romanis agens cum fortibus viris, cæterarum gentium arma non impedimentum, sed quasi vestimentum esse dixisset, hoc præcipuum illis dedit, vt diceret Romanis solis arma non vt vestẽ esse, sed vt humeros ac lacertos. At cum eas quas dicebam militares sarcinas subijssent, totum demum videri sibi esse vestitos. neu quis modernis sermonis consuetudine labi possit, militum appellatione pedites accipi, eosq; ab equitib. quamuis vterq; militet, hoc secerni nomine solitos multis Romanæ historiæ locis aduertere est. Proinde magnum tibi lenimen, ac solatium laboris horum recordatio præstare põt, non inermi tantum ac vacuo, & duro licet, suo tamen calle pergenti, sed armato et atque onusto, & periculoso transitu pedidanti. Siquidem nihil ad tolerantiam asperarum rerũ efficacius, quam cogitare eadem multos fortib. animis fuisse perpessos. Pudet. n. generosum spiritum non posse vnum, quod innumerabiles potuere, quæ cogitatio non in laborib. modo qui difficiles, sed in his quoque, qui miserrimi videntur cruciatib. in doloribus corporeis maxime, in ipsa demum morte profuerit. D. Longum ego durumq; iter pedib. mœstus ago. R. Nihil æquè durum iter lenit, mœstumq; animum serenat, vt nobiles ac suaues curæ, quæ nisi boni, ac docti viri pectus incolere, viasq; omnes comitari nesciunt. His si grata societas amici lęti, & eloquentis accesserit, non tantum leue iter sed & breue videbitur. Multos iucunda confabulatio sic affecit, vt & viæ duritiem non sentirent, & de breuitate longi licet itineris, quererentur neque iuisse, sed vectos esse crederent. Est & illud. o. inter mimos Publij notissimũ, Comes facundus in via pro vehiculo est.

Iter in Ægina qui noctu sero faciunt, damnantur. *Plat. in Cratylo.*

Itineris Deam geminam esse scito, indicatricem scilicet & seruatricem, & illam esse lucem sub nomine Lunæ, hanc vero sub Dianæ nomine fidem: & quidquid casu quodam alienum itinere repertum est, Deo esse dicandum, vt cognoscas fortunam prosperam esse ad Dei prouidentiam referendam. *Ficin. in Plat. de legibus dialog.* 10.

Iter longius esse videtur, cum ignari quantum sit ambulamus quã cum gnari, si modo cæteræ res pares adsint: quia nosse quantum sit, non nisi nosse eius numerum est, remq; non determinatã pluris quam determinatam esse necesse est. Ergo quemadmodum si nosti quantum sit, finitum id esse necesse est, sic etiam si ignoras, quasi reciprocetur, animus cauillatus oberrat, infinitumq; id esse videtur, quod finitum est. *Arist. probl. sec. 5. tex. 25.*

IVDEX, IVDICIVM.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

IVdex Græce *κριτὴς* ἀπὸ τοῦ *κρίνω* iudico, dicitur. Venitque à iudicio, quasi ius dico: & iudicatio, quæ est iusti iudicium: *sec. Arist. lib. 1. Polit.* hinc etiam iudicium, qui est actus iudicis, in quantum iudex est, id est, in quantum est ius dicens, ideo est actus iustitiæ, id est, executio iustitiæ. *secund. S. Thom. 2. 2. q. 60. art. 1.*

Iudex est vir bonus, iuris dicendi, & æquitatis peritus, ad id muneris publici auctoritate vocatus. *Claudius Cantiuncula de officio iudicis, lib. 9.* qua auctoritate nitatur iudex. *ibid. c. 8.* Quos & quæ sint iudicum species, *lib. 2. c. 2.*

Ordinarius iudex est, qui iurisdictionem iure suo, non alieno beneficio habet. Vel ex sententia Iuliani & Papiniani, is dicitur, qui natiuam, non dssiuam modo iurisdictionem habet: hoc est, qui eam iure magistratus, non mandato speciali obtinet. Vel vocatur ordinarius, apud quem legis actio est: *Ex definitione Modestini, & Vlpiani verbis.*

Ordinariorum omnium non æqualis est natura, potestas, aut iurisdictio: quidam enim maius, quidam minus imperium, aut etiam simplicem habent iurisdictionem.

Iudex delegatus est is, qui iurisdictionem non suo iure, sed alieno beneficio habet. Horum quidem alij a fortuna, seu culmine imperiali dati, simplici alij appellatione principis delegati, quidam ex sacra iussione dati, quidam pedanei. *De quibus Cantiuncula officium refert.*

Iudi-

Iudicium vis est animi, qua quod se nobis ostendit, in eo quid persequendum, quidq; declinandum ac fugiēdum, aut nos ipsos aut alios docendo definimus, verisq. falsis redarguimus.

Iudex, Cognitor controuersiæ & disceptator, quasi ius dicens, aut iure disceptans, Græc. *κριτὴς, δικαστὴς*. Heb. *Dayan*, qui componit lites, vindex, protector iuris, à verbo *Din*, dijudicauit contentiones forenses vindicauit, contendit cum aduersantibus, exequutus est Iudicium, Idem significat quod Dan. Hinc *δικάζω, δικάζω*, contendo, exprobro iniuriam. Et Latinum vindex, vindico, *Gen.* 15.14. *Ier.* 5 *v.* 4. *a fine*. 1. *Sam.* 24.16. *Psal.* 68.6. Iudicium, dijudicatio, caussa iudicialis, contentio forensis, disceptatio. *Din. Deut.* 17. 8. *Iere.* 22.16. *Psal.* 9.6. Iudicium Græc. *κρίσις, δίκη*. Heb. etiam *Mischphat*. & iudex *Schophet*. à verbo *Schaphat*, iudicauit, dijudicauit, ius dedit. Est vox generalis: & quia in iudicio duæ sunt partes litigantes, quarum alteram iustam, illamque absoluendam, alteram vero iniustam, hancque condemnandam esse necesse est: ideo accipitur verbum *Schaphat* aliquando specialiter pro defendere seu vindicare bonos, & aliquando pro punire & condemnare sontes & Iniustos. Cognationem habet cum *Schebet*, id est, virga, baculus, sceptrum, iudicis insigne & iudicij nota.

Loci Biblici.

Iudicare pro gubernare, *Iudic.* 3.10. *&* 4. *&* 10.2. *&* 12.7.8.11.13. *&* 15.20. *Hebr.* 10.30. pro damnare. *Gen.* 15.14. *Matth.* 7.1. *Rom.* 12. *v.* 3. *&* 14. 13. *in priore parte versus, in posteriore vero parte*, pro iudiciū adhibere in re quapiam constituenda. *Sic & 2. Theff.* 2. *v.* 12. *Heb.* 15.7. Familiari item loquendi formula, pro virtutis suo exēplo aliena vitia coarguere, *Matth.* 12. *v.* 27.41.42. Iudicari pro dānari, 1. *Cor.* 10.29. 1. *Pet.* 4. *v.* 6. pro iudicio experiri. 1. *Cor.* 6. *v.* 1.

Iudicabunt Sancti mundum, *Sap.* 3.8. *&* 5.1. *Matth.* 19.28. *Luc.* 22. *v.* 30. 1. *Cor.* 6.2. *Iude v.* 14. Christus quidem iudex erit viuorum & mortuorum, sed quo est erga suos amore præditus, eos sibi adiunget. Hinc dixit. *Matth.* 19. *v.* 28. *Luc.* 22. 30. Sedebitis &c. & Apostolus de electis, Obuiam ituros Christo in aerem, 1. *Theff.* 4. *v.* 17. Mūdi autem nomine cœtus malorum intelligendus est, quā electi Christo præside in nouissimo iudicio damnabunt, Angelorum vero nomine, Spiritus mali significantur.

Iudicium pro æquitate, *Luc.* 11. *v.* 42. pro reformatione & emendatione, *Io.* 12. *v.* 31. 1 *Pet.* 4. *v.* 17. pro ratione rerum administrandarum, *Rom.* 1. *v.* 33. pro eo supplicio, quo affectus est Christus, *Act.* 8. *v.* 33. pro ipsius iudicis pœnis, *Matth.* 5. *v.* 22. pro Dei vindicta, & in peccatores animaduersione, 1. *Pet.* 4. *v.* 17. pro summo imperio, & auctoritate, qua quod iustum & æquum est statuatur, & iusto eiusdem vsu, *Ioann.* 5.27. 30. *&* 9. *& v.* pro eo, quod æquum & iustum est *Luc.* 11. *v.* 42. pro statu composito, *Matth.* 12. *v.* 18. quia videlicet a Christo vera religio inter Gentes erat promulganda, eiectis superstitionibus, quod vbicumque fit, ibi regnare dicitur Dominus, & iudicare: hoc est, rebus præesse & moderari.

Iudicium æquum esse debet. *Leuit.* 19.35. *Deut.* 25. *v.* 1. *&* 27. *v. &* 27. *v.* 19. *Amos* 5. *v.* 15. *Matt.* 6. *v.* 8. *Zach.* 7. *v.* 9. *&* 8. *v.* 16. *Luc.* 7. *v.* 24. *&* 8. *v.* 15. Iudicium debet præcedere deliberatio & caussæ cognitio: *Gen.* 3. *v.* 11. *&* 11. *v.* 5. *&* 18.2. *Exod.* 3. *v.* 8. *&* 23. *v.* 21. *Deut.* 13. *v.* 6. *&* 15. *v.* 9. *&* 19. *v.* 18. *Iof.* 7. *v.* 18. *&* 22. *v.* 2.13. *Iud.* 20. *v.* 3. 12. *Prou.* 18. *v.* 13. *Eccl.* 11. *v.* 7. *Dan.* 13.51. *Matth.* 7. *v.* Iudicia præcocia & temeraria fugienda. *Psal.* 41.1. *Matth.* 7. *v.* 1. *Luc.* 6. *v.* 37. *&* 12. *v.* 57. *&* 13.2. *Io.* 7.5. *Rom.* 2. *v.* 1. *&* 11. *v.* 2.3.4. *&* 14. *v.* 3.4.10.13. 1. *Cor.* 4. *v.* 3.5. *Iac.* 4. *v.* 11.12.

Iudices quales esse oportet, *Exod.* 18. *v.* 21. *&* 23. *v.* 2.3. *Leu.* 19. *v.* 15. 16. *Deut.* 1. Dij appellantur, *Exod.* 21 *v.* 6. *Psal.* 82. *v.* 1.6. *Io.* 10. *v.* 34. 35. honorandi sunt. *Exod.* 22. *v.* 28. *Act.* 13.5. Iudices & Magistratus in singulis vrbibus constituendi, *Deut.* 16. *v.* 18.

Sententiæ Biblicæ.

Non sequeris turbam ad faciendum malum: nec in iudicio plurimorum acquiesces sententiæ, vt à veritate deuies. Pauperis quoque non misereberis in iudicio. *Exod.* 23.

Aequum iudicium fit inter vos, siue peregrinus, siue ciuis peccauerit, quia ego sum Dominus Deus vester. 24.

Quod iustum est iudicate, siue ciuis sit ille, siue peregrinus. Nulla erit distantia personarum: Ita paruum audietis, vt magnum: nec accipietis cuiusquam personam, quia Dei iudicium est. *Deuteronom.* 1.

Non peruertes iudicium aduenæ & pupilli: nec auferes pignoris loco viduæ vestimentum. 24.

Accipere personam impij non est bonum, vt declines à veritate iudicij. *Prou.* 18.

Cognoscere personam in iudicio non est bonum. 28.

Qui derelinquunt legem, laudant impium: qui custodiunt, succenduntur contra eum. 28.

Noli quærere fieri iudex, ne inique factis par esse non possis, ne extimescas faciem potentis, & integritati tuę ponas offendiculum. *Eccl.* 7.

Quare respicis contemptores, & taces conculcante impio iustiorē se? Et factum est iudicium, & contradictio potentior. Propter hoc lacerata est lex, & non peruenit vsque ad finem iudicium: quia impius præualet aduersus iustum, propterea egreditur iudicium peruersum, *Abac.* 1.

Non accipies personam, nec munera, quia munera excæcant oculos sapientum, & peruertunt caussas iustorum, *Deut.* 16.

Qui munera super innocentem non accepit, *Psal.* 14.

Munera de sinu impius accipit, vt peruertat semitas iudicij, *Prou.* 17.

Qui cognoscit in iudicio faciem, non bene facit iste, & pro buccella panis deserit veritatem. 28.

Omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. Pupillo non iudicant, & caussa viduæ non ingreditur ad eos. *Esa.* 1.

Principes eius muneribus iudicabant, & sacerdotes eius pretio docent: prophetæ eius in pecunia diuinabant. *Mich.* 3.

Princeps postulat, & iudex in reddendo est. 7.

Insontem & iustum non occides. *Exod.* 23.

Gaudium iusto est facere iudicium. *Prou.* 21.

In iudicando esto pupillis misericors, vt pater & pro viro matri illorum: & eris tu velut filius altissimi obediens, & miserebitur tui plus quam mater, *Eccl.* 4.

Iudex sapiens iudicabit populum suum, & principatus sensati stabilis erit. Secundum iudicem populi, sic & ministri eius, & qualis rector ciuitatis, tales & habitantes in ea. 10.

Et iudices singuli suo nomine, quorum non est corruptum cor, qui non sunt auersi à Domino, vt sit memoria illorum in benedictione. 46.

Quærite iudicium, subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam, & venite, & arguite me, dicit Dominus. *Esa.* 1.

Facite iudicium & iustitiam, & liberate vi oppressum de manu calumniatoris, & aduenam & pupillum & viduam nolite contristare, neque opprimatis inique, & sanguinem innocentem ne effundatis in loco isto. *Ier.* 22.

Maledictus, qui peruertit iudicium aduenæ, pupilli, & viduæ. *Deut.* 27.

Et qui iustificat impium, & qui condemnat iustum, abominabilis est vterque apud Deum. *Prou.* 17.

Audite ergo reges terræ & intelligite, discite iudices finium terræ, præbete aures vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum, quoniam data est a Domino potestas vobis, & virtus ab altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur, quoniam cum essetis ministri regni illius, nō recte iudicastis, nec custodistis legem iustitiæ, neque secundum voluntatem Dei ambulastis. *Sap.* 6.

Concupiscentia spadonis deuirginauit iuuenculam, sic qui facit per vim iudicium iniquum. *Eccl.* 20.

Vę! qui iustificatis impium pro muneribus, & iustitiam iusti aufertis ab eo. *Esa.* 5.

Vę! qui condunt leges iniquas, & scribentes iniustitiam scripserūt: vt opprimerent in iudicio pauperes, & vim facerent caussæ humilium populi mei, vt essent viduæ præda eorum, & pupillos diriperent. Quid facietis in die visitationis, & calamitatis de longe venientis? Ad cuius confugietis auxilium? 10.

Ego Dominus diligens iudicium, & odio habens rapinam in holocaustum. 61.

Caussam viduæ non iudicauerunt, caussam pupilli non direxerūt, & iudicium pauperum non iudicauerunt. Nunquid super his nō visitabo, dicit Dominus? *Ier.* 5.

Quoniam conuertistis in amaritudinem iudicium, & fructum iustitiæ in absynthium, qui lætamini in nihilo: Ecce ego suscitabo super vos domus Israel, dicit Dominus exercituum, gentem, & conterent vos. *Amos* 6.

Iuste iudica proximo tuo. *Leuit.* 19.

Iuste, quod iustum est, persequeris, vt viuas & possideas terrā, quam Dominus dederit tibi. *Deut.* 16.

Si fuerit caussa inter aliquos, & interpellauerint Iudices, quem iustum esse perspexerint illi iustitiæ palmam dabunt: quē impium, condemnabunt impietatis. Pro mensura peccatis erit & plagarum modus. 25.

Erudimini qui iudicatis terram. *Psal.* 2.

Si vere vtique iustitiam loquimini, recte iudicate filij hominum. 57.

Vsquequo iudicatis Iniquitatem, & faciem peccatoris sumitis? Iudicate egeno & pupillo, humilem & pauperem iustificate. Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate. 81.

Iudicium determinat caussas. *Prou.* 16.

Diligite iustitiam, qui iudicatis terram. *Sap.* 1.

Noli quærere fieri Iudex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates, ne forte extimescas faciem potentis, & ponas scandalum in agilitate tua. *Eccl.* 7.

Non iudices contra iudicem, quoniam secundum quod iustum est, iudicat. 8.

Iudicium verum iudicate. *Zach.* 7.
Veritatem, & iudicium pacis iudicate in portis vestris. 8.
Testor coram Deo, & Christo Iesu, & electis Angelis eius, vt hæc custodias, sine præiudicio, nihil faciens in alteram partem declinando. *Tim.* 5.

SENTENTIÆ PATRVM.

Nolite iudicare. Hoc loco nihil aliud nobis præcipi existimo, nisi vt ea facta, quæ dubium est quo animo fiant, in meliorem partē interpretemur. Quod enim scriptum est, a fructibus eorum cognoscetis eos, de manifestis dictum est, quæ non possunt bono modo fieri. Sunt quædam facta media, quæ ignoramus, quo animo fiant, quia in bono, & malo fieri possunt, de quibus temerarium iudicare, maximè vt condemnemus. *August. de sermone Domini in monte, Matth.* 7.

Duo sunt, in quibus temerarium iudicium cauere debemus: quom incertum est, quo animo quid factum sit: vel incertum est qualis futurus sit, qui nunc bonus, vel malus apparet. *Idem ibid.*

Ignorantia iudicis plerumque est calamitas innocentis. *Idem de ciuit. Dei, lib.* 16.

Mitigat iudicem pudor reorum, excitat autem pertinacia denegantium. *Ambros. de Cain & Abel.*

Feci iudicium, & iustitiam, in iudicio non contempsi pauperem, non oppressi viduam, personam diuitis non recepi, in omnibus operibus misericordiam reseruaui. *Psal.* 118.

Iudicis non est, sine accusatore damnare: quia Dominus Iudam, licet fuisset fur, cum non esset accusatus, minimè abiecit. *In* 4. *ad Cor.* 6.

Alienum te a personis omnium redde in iudicio, ac propter iustitiam in iudicio pauperem defendas, nec propter gratiam diuiti indecenter assistas, aut si non potes facere, cognitionem respuas causarum. *Hieron. in epist. ad Dan.*

Debet quisque proprias virtutes perpendere, & pro qualitate virium curam aliorum suscipere, ne dum delectatur loco gloriæ, fiat subditis auctor ruinæ, & qui grauatur pondere suarum, velit fieri Iudex alienarum culparum. Durum enim est, vt qui nescit tenere moderamina vitæ suæ, iudex fiat alienę. *Greg. in Eccl.* 7. *in Gl.*

Qui minoris meriti sunt in Ecclesia, & nullis magnorum virtutibus pollent, ipsi de terrenis negocijs iudicent: quatenus quos magna nequeunt bona, minora suppleantur, quos Apostolus contemptibiles nominat, & tamen sapientes vocat, quum dicit, sæcularia iudicia si habueritis contemptibiles illos constituite ad iudicandum. *Greg.* 19. *Mor.*

Iudicare digne de subditis nequeunt, qui in subditorum causis, vel odium, vel gratiam sequuntur. *in Mor.*

Noli quærere fieri iudex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates. *Greg. in Hom.*

Iudex peccatis veniam dare non potest, quia voluntati seruit alienæ: Deus autem potest, quia est suæ dispensator, ac iudex. *Lactant. de ira Dei.*

Quid facies de iniustis iudicijs, qui ipsas quoque iustitias iudicabit, qui cuique merita recitabit? Veniet, inquam, veniet dominus iudicij, vbi plus valebunt pura corda, quam astuta verba: conscientia bona, quam marsupia plena: ibi iudex non falletur verbis, neo flectetur donis. *Bern. in epist.*

Grauius lacerantur pauperes à prauis iudicibus, quam à cruentissimis hostibus: Nullus enim prædo tam cupidus in alienis, quam iudex iniquus in suis. *Isidor. de sum. bono. lib.* 3.

Sæpe iudices praui, cupiditatis caussa, aut differunt, aut peruertunt iudicium, non finiunt cœpta partium negocia, quousque marsupia eorum qui caussantur exhauriant. *ibid.*

Quando enim iudicant, non caussam, sed dicta considerant: & sicut negligentes sunt in discussione caussarum, sic in eorum damno solliciti sunt. *ibid.*

Qui rectè iudicat, & præmium inde remunerationis expectat, fraudem in Deo perpetrat, quia iustitiam, quam gratis impartiri debuit, acceptione pecuniæ vendit. *ibid.*

Quatuor modis iudicium humanum peruertitur: timore, cupiditate, odio, amore. A dexteris erunt peccata occurrentia, à sinistris infinita dæmonia, subtus horrendum chaos inferni, desuper iudex iratus, foris mundus ardens, intus conscientia vrens, ibi vix iustus saluabitur. Heu miser peccator sic deprehensus, quo fugies? latere erit impossibile, apparere intolerabile. *Ansel. de similitudinib. mundi.*

Statera dolosa non tantū in mensuratione tenetur. Qui enim aliter caussam pauperis, aliter potentis, aliter sodalis, aliter audit ignoti, statera vtique librat iniqua. Sed & is, qui sua bene gesta meliora, quā proximorum: & sua errata iudicat leuiora staterando, nec non & ille qui onera importabilia imponit in humeros hoīum, ipse autem digito suo non vult tangere ea: etiam ille, qui bene agit in publico, & male agit in occulto, pro iniquitate libræ dolosæ abominabitur à Domino, & qui sinceriter agit in omnibus, & caussam æqua lance discernit, is nimirum iusti iudicis voluntati, & actioni congruit. *Beda l.* 2. *sup. illud Prou. Statera dolosa, &c.*

Non silebo Zaleucum mirabilem iustitiæ rigidum custodem, qui cum ciuitati Locrensium, cui præerat, lege lata cauisset, vt qui adulterium commisisset, excocularetur omni miseratione posthabita, deprehenso in hoc crimine filio eius adolescente præcepit, vt vtroque lumine priuaretur. Cumque plebs ciuium summissis precibus rogitaret, indulta ob gratiam principis flagitij venia, ad deliberandum paululum spacij captans, sibi & filio vnum oculum districtus iudex effodit, pium patrem, & seuerum iudicem declamando. Egit itaque censura mirabili, vt sibi & filio videndi vsus superesset, & in visionem flagitij duo lumina, vt decreuerat, cœcarentur. Ita debitum supplicij modum legi reddidit, ac mirabili temperamento se inter misericordem patrem, & iustū legislatorem partitus est. *ibid.*

Tamdiu iudex dicitur, quā diu & iustus putatur: quia nomen quod ab æquitate sumitur, per superbiam non tenetur. *Cass. in epist.*

Professionem constat esse iustitiæ, legum peritos iudices ordinare, quia non facilè erroris vitio sordescit, quem doctrina purgauit. *Cass. ibid.*

Non est hæsitationis metus, nihil adeo gloriosè lucet in iudice, sicut amare, & exhibere iustitiam, sine omni acceptione personæ. Teste enim Cicerone prouerbialiter dicitur: *Exuit personam iudicis, quisquis amicum induit.* Aequitas, cui iudex obsequitur, sinistrā odij, vel amoris dextram nescit. Nam talis debet esse iuris minister, vt in eius manu nullius auctoritate personæ titubet, aut vacillet libra iustitiæ. *Pet. Rau. in quadam epist.*

Officium officialium est hodie iura confundere, lites suscitare, transactiones rescindere, dilationes innectere, supprimere veritatē, fouere mendacium, quæstum sequi, æquitatem vendere, inhiare actionibus, versutias concinnare. *Pet. Blesen.*

SENTENTIAE POETICAE.

Antholog. Sacr. Iacobi Billij.
De Dei iudicio, ac misericordia.

In geminis Christi pedibus consistere quamque
Est opus: vnus nam non satis esse queat.
Spem mihi iudicij per solus discutit omnem:
Per venia solus pectora lenta facit.
Ergo desidia ne mens secura laboret,
Vel nimis mens nimis fracta timore cadat:
Hoc mihi da, quæso genitor sanctissime cantem
Semper vt & veniam, iudiciumq; tibi.

Ibidem.

Iudicium humanum, quod falli sæpe necesse est
Non semper recipit regula iustitiæ.
At Domini in cunctis æqua est, verax q; potestas,
Aspectum cuius nulla remota latent.
Talis laudetur iudex, timeatur, ametur,
Qui verè iustus permanet, atque bonus:
Aduersos reuocans, conuersis cuncta remittens,
Atque malis veniam dando, bonos faciens.
Non ergo audacter mens veri nescia culpet,
Quod placuit summi iudicis arbitrio:
Sed subdat sese iusto ignorantia regi,
Qui nunquam, quæ sunt non bona, velle potest.

Ibidem.

Cum datur iniusto peccandi optata potestas,
Vt mala mens praue, quod cupit efficiat:
Ira Dei magna est, quæ multos sic quoque punit,
Vt quibus exultant criminibus pereant.
Crescet enim occultè cum longo pœna reatu,
Ausibus illicitis si nihil obstiterit,
Et magis errauit, ne pareant flagra, timendum
Quam, ne non fiat, quod voluisse nocet.

Sen. Med.

Qui statuerit aliquid parte inaudita altera,
Æquum licet statuerit, haud æquus fuit.

Hor. 4. Carm.

Vindex auaræ fraudis, & abstinens
Ducentis ad se cuncta pecuniæ,
Consulque non vnius anni,
Sed quoties bonus, atque fidus
Iudex honestum prætulit vtili, &
Reiecit alto dona nocentium
Vultu, & per obstantes cateruas
Explicuit sua victor arma.

Ouid. 1. Trist. 1.

Iudicis officium est, vt res, ita tempora rerum
Quærere: quæsito tempore tutus eris.

Ouid. 1. Amor. 10.

Non bene selecti iudicis arca patet.

Petronius.

Ergo iudicium nihil est, nisi publica merces,
Atque eques, in causa qui sedet, empta probat.

Hor. 2. Serm. 2.

Dicam si potero, male verum examinat omnis

Corruptus iudex.

Ter. Phor. 1. 5.

An quisquam iudex est, qui possit noscere
Tua iusta, vbi tute verbum non respondeas?

Terent. Heaut.

Tu es iudex, ne quid accusandus sis vide.

Seneca in Hercule furente.

Iudex futurus sanguine humano abstine.
Quicumque regnat scelera tantummodo
Maiore nostra.

Idem Tragœd. 7.

Si iudicas, cognosce: si regnas iube.

Phocylides.

Πάντα δίκαια νέμειν, μηδὲ κρίσιν ἐς χάριν ἕλκειν.
Omnibus iusta tribue, neque iudicium ad gratiam trahas.
Μὴ κρίνε πρόσωπον.
Noli iudicare faciem.
Ἢν σὺ κακῶς δικάσῃς, σὲ θεὸς μετέπειτα δικάσσει.
Si tu male iudicaueris, te Deus deinde iudicabit.
Μηδέποτε κρίνειν ἀδαήμονας ἄνδρας ἐάσῃς.
Numquam iudicium facere imperitos viros permittes.

Cleobulus.

Τὰ δίκαια κρῖνε.
Iuste iudica.

Menander.

Κατηγορεῖν οὐκ ἔστι καὶ κρίνειν ὁμοῦ.
Accusare non licet, & iudicare simul.
Ἀνεξέταστον μὴ κόλαζε μηδένα.
Inexaminatum ne punias vllum.

PHILOSOPHICÆ SENTENTIÆ.

Iudicium iusti, ac iniusti diiudicatio est. *lib. 5. Ethic. c. 6.*

Frustra iudicia fiunt de rebus iustis, nisi ad finem perducantur. Ita si sublatis iudicijs nulla hominum inter ipsos communio esse potest: nec erit quidem, si nemo quod iudicatum fuerit exequatur. *lib. 6. de Republ. c. 8.*

Si quis imprudens, & ignarus iudicium tulit, non facit ex iure legitimo iniuriam: nec fit illud iniquum iudicium, quamquam sit tanquam iniquum. *lib. 5. Ethic. c. 9.*

Si sciēs, & prudēs aliquis iudiciū iniquum interposuit, iniustus habēdus est, quod ad eum peruenerit plus gratiæ, vel vindictæ. *ibid.*

Litigantis nihil est nisi ostendere, quia res est, vel non est, vel quia facta est, aut quia non facta est, vtrum autem sit iusta, vel iniusta, oportet ipsum iudicem cognoscere, & non discere à litigantibus. *Arist. lib. Rhet.*

Iudex est, qui in ciuilibus concertationibus inquisita iudicat, *idem lib. 7. Ethic.*

Nemo eligit iuuenes iudices, aut duces: quia non constat eos prudētes esse, sed eligit ad fortitudinem. *idem lib. 3. Topicor.*

Amor, & odium, & proprium commodum, sæpe faciunt iudicem non cognoscere verum. *idem lib. 1. Rhet.*

Apud me tantundem valet bene sentire per se, & alteri bonam dicenti sententiam accedere. *Herod. lib. 7.*

Nisi diuersæ inter se sententiæ dicantur, non potest quis eligere meliorem, sed necesse habet ea, quæ dicta est vti: at quum plures dictæ sunt, licet tamquam purum aurum deligere: quod per se discerni quum nequeat, comparatum cum altero discerni potest. *idem, eod. lib.*

De iniusto iudicio. DIAL. LXVI.

Francisci Petrarchæ.

DOL.

Iniusto iudicio damnatus sum. R. Vnius iudicis, aut paucorum voce testium damnatus, populi vocibus, aut tacito iudicio, quodque est melius conscientia ipsa tua, quodque est optimum diuina conscientia absoluendus. Si quidem ad tribunal æternum iusti iudicis prouocatio salua est. Soletis perperam iudicata rescindere. D. Iniuste iudicor. R. Vt iustitia iniustos, sic iniustitia iustos premit. Vbi igitur iniusta damnatio, ibi iustus est reus. Nemo autem est tam demens, nisi insaniat, vt hæc peruerti seque iniusto iudicio premi velit. Nemo tam pauidus, nisi sit pessimus, vt non potius damnari eligat iniusto iudicio, quam absolui. Tanto enim id satius, quanto est melior oppressa iustitia, quam imperiosa nequitia, quantoq; est optabilior mens bona, propria fortuna, quāuis illa laboribus, hæc delicijs affluat. Plus dicam: tātō est melius iuste etiam damnari, quam iniuste absolui: Quanto est peius impunitum, quam punitum crimen, in hoc enim sceleri iuncta iustitia est, malo quidem magno, bonum ingens. In illo autem scelus, & impunitas: quæ nescio, an scelere ipso peior sit. Vna certe, & iustitiæ hostis, & multorum radix est scelerum. D. Iudicio grauor iniquissimo. R. Mens in solo fundata, & bene sibi conscia humeros habet inexpugnabiles superimpone quantumlibet damni, infamiæ, supplicij, nullo fasce curabitur, & viribus suis, & multo maximè cœlesti ope consistet. Erunt præterea, quorum sese paribus soletur euentibus, haud spernendi comites, Romæ Furius Camillus, ac Liuius, Saluator, Athenis Aristides, atq; Melciades, multiq; alij, inter quos quidem (quod mireris) Cicero & Socrates, an te horum alicui, an Publio Clodio similem fieri malis? atque horum quisque ciuis optimus, & in sua vrbe clarissimus, sed iudicio damnatus, & vel in exilium, vel in carcerem, vel in mortem actus. Ille vero scelestissimus, & inter multa flagitia notissimi quoque conuictus adulterij, violentarumq; religionum, concordibus omnium iudicum sententijs absolutus est, quisquam ne adeo falsæ metuens infamiæ est, qui non illius absolutioni Ciceronis hostis sui damnationem, atque exilium anteponat? Sed humana hæc, atque communia. Sin altius aspicis, videbis pressum falso iudicio cœli regem familiamq; eius electissimam tanti vestigijs hærentem ducis, & qui hunc postea sequuti sunt, tanta innocentia, tantisque virtutibus in hos ipsos iudiciarij turbinis incursus, ac scopulos incidisse. D. Falso iudicio offendor. R. Est qui te iudicet, is qui facit iudicium iniuriam patientibus, quique ait: Mea est vltio, & ego retribuam eis in tempore. Est & vbi nō cogitas, ipso iudicis, aut testis in pectore, magni ibi habitāt vltores. Nullius beluæ morsus est acrior, quam conscientiæ. D. Iniusto iudicio læsus sum. R. Illatis iniurijs bene vti, ars non vltima est, qua instructo sæpè profuit iniquitas aliena, cum sua cuique semper noceat, profit nunquam. D. Innocens damnatus sum. R. Quid igitur nocens malles? Sic enim Xantippæ coniugi Socrates moriens respondet muliebriter lamentanti, quod is innocens moreretur. Atqui, & si aliqui contrarium opinati sint, longe tamen est innocentem condemnari tolerabilius, quam nocētem. Hic enim solum supplicium graue est, illic, & caussa supplicij. D. Iniusto populi iudicio damnatus sum. R. Expectas vt populus in te rectum videat, quod nec in se, nec in alio vmquam vidit. Magnum tuæ innocentiæ argumentum fuerit a nocentibus condemnari. D. Populus immeritum me condemnat. R. Idem hercle non immeritum, sed multa, & magna promeritum Camillum, de quo nunc loquebar, & Liuium ipsum, denique Scipionem Africanum, aliosque Cornelios tales viros iniustis iudicijs agitatos, ad voluntarium coegit exilium. D. A rege innocens condemnor. R. Et regū plerumque sententiæ non iustitiæ, sed vindictæ sunt, quisquis liberius verbum contra licentias regias emiserit, cuicumque in interitu libertatis frons obductior fuerit, is læsæ reus erit maiestatis. D. Sed condemnor a iudicibus. R. Iniquo iudice nullum venenosius est animal, a serpente læsos se dolent quidem homines, non queruntur. Fecit enim serpens, quod suum erat, quamuis non qđ placitū patienti. Certè iudices erant, qui inter eos etiā de quibus dixi, Socratē condemnarunt, Clodium absoluerūt, quorū vtrum esset iniquius dubitari potest. Proinde in populis, aut sub regibus, atque iudicibus degenti, propositū animo esse debet aspera quælibet, & iniusta patienda, si veniant, non deflenda cum venerint.

Si spectare, & quærere velitis, qua tandem re, qui ex vobis ius dicunt, semper potentes sint, & omnium ciuium domini, siue ducenti, siue mille sint, siue quotquot ciuitas constituerit, reperietis id non eo fieri, quod soli ex cæteris ciuibus armis insignes, aut corporibus optimis, & fortissimis præditi sint iudices, aut ætate florentissimi, aut re vlla simili, sed quod legibus valeant. *Ex orat. contra Midiam.*

Oportet vos ipsa veritate ex accusatione, & defensione vere cognita, ita tum sententiam ferre, & pro Dijs, legibus, iustitia, & vobis ipsis. *Ex orat. contra Neæram.*

Leges spectandæ sunt, Iudices: nam iuxta eas vos caussas iudicaturos esse iurastis, & videte, quanto maiori supplicio dignos eos esse vulgo censent, quia sua voluntate, & per contumeliam piaculum admittunt, quam alios, qui casu, & imprudentes peccant. *Ex orat. contra Midiam.*

Quæ iusta cognouistis hæc custodite, & mementote, quoadusque decreueritis, vt iustam, & religiosam sententiam aduersus praua suadentes feratis. *Ex orat. ad Leptin.*

Illos iuuare oportet, iudices, qui legum vocem vestram esse cēsent, & vestram hanc, quæ in foro iudiciali editur, misera, & calamitate affectis, non sceleratis, ac iniurijs opem laturam esse putant. *Ex orat. contra Phænip.*

Quicumque neque inimicitia, neque beneuolentia, neque vlla alia iniqua caussa ductus, nullam aduersus ea, quæ nouit, fecit sententiam, piè, sanctèq; facit. *Ex orat. contra Aristocrat.*

Quo exactius, quæ gesta sunt intellexeritis, eo iustiorem, & sanctiorem de eis feretis sententiam. *Ex orat. contra Aphobum falsi testimonij.*

Censeo, neque legum, neque stipulationis, & cautionis vllius vtilitatem esse vllam, nisi qui pecunias accipit vir sit ad modum iustus, hocque pacto duorum alterum fit, aut vos timeat, aut eum quo cum pactus est, vereatur. *Ex orat. contra Dionysidorum.*

Magna est iniurijs, & sceleratis omnibus pars, & ad nequitiem antiamorum vestrorum lenitas, & mansuetudo. *Ex orat. contra Midiam.*

Eum qui leges, & reipubl. administrationem sibi curæ esse prædicat, velut nunc ille, & si nihil aliud, hoc certè habere oportet, ijsdem dolere, ac ijsdem de rebus lætari, quibus populus. Et non sub proposito administrandæ reipub. aduersariorum parte stare. *Ex orat. de coron.*

A vobis

A vobis omnibus ea postulo; quæ etiam non petentibus imparturi æquum est, vt nullam gratiam, nullumve hominem pluris faciatis, quam æquitatem, & iusiurandum. *Ex orat. de falsa legat.*

Iudex est is, quem non minus bene de nobis existimare, quam secūdum nos iudicare velimus. *Cic. pro Rof. Com.*

Semper iniquus est iudex, qui aut inuidet, aut fauet, debetque in iudicio imbecillis esse inuidia. *Pro Planc.*

Abducuntur nonnumquam iudices ab institutis suis magnitudine pecuniæ. *Act. 6. in Ver.*

Ingentes diuitiæ, iudiciorum religionem veritatemque solent perfringere. 2. *Act. in Verr.*

Plura iudicant homines, aut amore, aut cupiditate, aut iracundia, aut dolore, aut lætitia, aut spe, aut timore, aut errore, aut aliqua permotione mentis, quam veritate, aut præscripto, aut iuris norma aliqua, aut iudicij formula, aut legibus. 2. *de Orat.*

Est sapientis iudicis, meminisse se hominem, cogitare sibi tantum esse permissum, quantum commissum sit, & creditum. Et non solum sibi soli potestatem esse datam, verumetiam fidem habitam esse, meminisse posse quem oderit, absoluere: quem non oderit, condemnare: & semper non quæ velit ipse, sed quid lex, & religio cogat, cogitare. Animaduertere, qua lege reus citetur, de quo reo cognoscat, quæ res in quæstione versetur. Cum hæc sunt videnda: tum illud est hominis magni, iudices, atque sapientis, habere in consilio legem, fidem, religionem, æquitatem: libidinem autem, & inuidiam, metum, cupiditates omnes amouere: maximi æstimare conscientiam mentis suæ, quam à Dijs immortalibus accepimus, quæ à nobis diuelli non potest. *Pro Cluent.*

Cum iudici dicenda sententia est, meminerit se Deum habere testem, id est, mentem suam, qua nihil homini dedit ipse Deus diuinius. 3. *Offic.*

Est sapientia iudicis in hoc, vt non solum quid possit, sed etiā quid debeat, ponderet: nec quantum sibi permissum, meminerit, sed etiam quatenus commissum sit. *Pro Rabir. Posth.*

Laborare debent iudices non modo qui iudicant pro testimonio, sed etiam quibus verbis vtantur, ne quid minus moderatè positum, ne quod ab aliqua cupiditate prolapsum verbum esse videatur. Vultu autem laborare, ne qua significari possit suspicio cupiditatis, vt & cum prodeunt, existimatio sit quædam tacita de illis pudoris, ac religionis: & cum discedunt, ea diligenter conseruata, ac retenta videantur. *Pro Font.*

Neque contra Rempublicam, neque contra iusiurandum, ac fidem, amici causa vir bonus faciet, ne si iudex quidem erit de ipso amico: ponit enim personam amici, cum induit iudicis. Nam si omnia facienda sint, quæ amici velint, non amicitiæ tales, sed coniurationes putandæ sunt. 3. *Offic.*

Iudicis semper est verum sequi. 2. *Offic.*

Est boni iudicis, paruis ex rebus coniecturam facere vniuscuiusque, & cupiditatis, & incontinentiæ. 9. *in Ver.*

Iudex bonus nemo esse potest, qui suspicione certa non mouetur. 7. *act. in Verr.*

Scriptum sequi, calumniatoris est: boni verò iudicis voluntatem scriptoris auctoritatemque defendere. Quæ lex enim, quod Senatusconsultum, quod magistratus edictum, non infirmari, aut conuelli potest, si ad verba deflectere voluerimus; consilium autem eorum, qui scripserunt, & rationem, & auctoritatem relinquamus? Non enim ex verbis pendet ius, sed verba seruiunt hominum consilijs, & auctoritatibus: nec verba veniunt in iudicium, sed ea res, cuius caussa verba in leges coniecta sunt. *Pro Cecinna.*

Dubium non est quin omnes omnium pecuniæ positæ sint in eorū potestate qui iudicia dant, & eorum qui iudicant, quum nemo nostrum possit ædes suas, nemo fundum, nemo bona patria obtinere, cum ad iudicandum detur iudex nequam, & leuis, qui de ijs iudicet. 4. *act. in Verr.*

Quam porro subtiliter Anacharsis leges aranearum telis comparabat, nam vt illis infirmiora animalia retineri, valentiora transmitti, ita his humiles, & pauperes constringi, diuites & potentes non alligari, aiebat. *Val. Max. lib. 7.*

Multum me, vel vos fallit opinio iudices, si vllam caussam ita euidenter deferri in forum posse putatis, cui nulla mendacij velamenta contingant. *Quintil. declamatione* 19.

Non ad instar barbaricæ veritatis, & tyrannicæ impotentiæ, damnari debet aliquis inauditus, & in pace placida tam dirum sæculo prodi non debet exemplum. *Luc. Apul. de Asino aureo. l. 3.*

Iudicum Aegyptiorum primarius circa collum imaginem ex sapphyro gemma confectam gestabat, quæ vocabatur Veritas. Ego verò Iudicem non tam in lapide sculptam, aut expressam veritatem circumferre, quam in animo menteque insitam, & infixam habere velim. *Ælian. var. hist. lib. 14. c. 34.*

Iudex non debet dare, neque accipere. *Ælius Spartian. in Pescennio Nigro.*

Ecquis nocens poterit esse vsquam, si negare sufficerit? Ecquis innocens esse poterit, si accusasse sufficiet? *Amm. Marcell. lib. 18.*

Iudicis lenti, & considerati illud est proprium, vt quum lædere potest, ignoscendi quærat caussas, non lædendi occasiones. *Idem lib. 19.*

De via, & spiritu hominis, qui pars mundi est, & animantium numerum complet, laturum sententiam, diu multumque cunctari oportet, nec præcipiti studio, vbi irreuocabile factum est, agitari. *Idem lib. 29.*

Omnes hoc natura comparatum habent, vt ex suis rebus domesticis iudicium faciant de ijs, quæ alijs dicuntur, & quod credibile est, non credendum existiment. *Dion. Halic. lib. 5.*

Cunctator esse debet, qui iudicat de salute. Alia sententia potest corrigi, de vita transactum non pariter immutari. Signa tua abactores timeant, fures pauescant, latrones perhorreant: innocentia tantum læta respiciat, dum sibi auxilia venisse credit, quæ legum disciplina transmisit. Nemo redemptionibus gladiū tuū bello deflectat. Gladius conditur vbi aurum suscipitur. Tute inermē reddis, si à vitiis animo cupiditate recesseris. *Cassiod. lib. 7. ep. 1.*

Prorsus persuasimus, quod multi furto non erubescunt, quod multi adulterio gloriantur. Nam sacrilegia minuta puniuntur, magna in triumphis feruntur. *Seneca ad Lucilium.*

Ad pœnitendum properat, qui cito iudicat. In iudicando criminosa est celeritas. *Idem in Prouerbijs.*

Si inflammare sacras ædes voluisse, si sacerdotes impio iugulari gladio, si bonis omnibus necem struxisse diceremur: præsentem tamen sententia confessum conuictumve punisset. *Boetius de Consol. lib. 11. pros. 4.*

Fascibus obedire plerumque potestatis necessitas cogit: parere iudici priuato, sola sententiarum probitas facit. Vnde nobis plus laudis videtur habere voluntarius iudex, quando ad audientiam non cogitur, nisi qui iustus esse moribus æstimatur. *Cassiod. lib. 8. ep. 17.* Tamdiu iudex dicitur, quamdiu iustus putatur: quia nomē quod ab æquitate sumitur, per superbiam non tenetur. *Idem.*

Professionem constat esse iustitiæ legum peritos iudices ordinare: quia non facilè erroris vitio sordescit, quem doctrina purgauit. *Idem.*

APOPHTHEGMATA.

Boso rex Arelatensis, quum ob alapam Episcopo suo inter sacrificandum illatam, accusatus apud Othonem primum Romanorum Imperatorem, capitis damnaretur, Archiepiscopi verò vna cū reliquis Episcopis, Abbatibus, principibus intercederent, vt hoc sanguinis iudicium suspenderetur: Rex hoc audiens, Nō æquum est, inquit, vt rectum Imperatoris iudicium executioni non mandetur, cum non conueniat, vel vllum verbum à principis ore frustra egredi.

C. Lucilius dicere solebat, nolle se sua scripta legi, nec a doctissimis, nec ab indoctissimis: quod hi nihil intelligerent, illi plus saperēt, quam vt posset illorum iudicio satisfacere. Id exprimebat huius modi versu trochaico.

Persium non curo legere: Lælium Decimum volo.

Erat Persius illius ætatis omniū doctissimus habitus: Lælius erat vir bonus, & non illiteratus, sed nihil ad Persium. *Refert M. T. cum alijs aliquot locis, tum lib. de Orat. 2.*

Pythagoras qui de malis, inquit, pœnas non sumunt, bonos affici volunt iniurijs. *Stob. serm. de magistrat.*

Democritus. Damnandi sunt (aiebat) nec absoluendi, qui aliquid dignum exilio, aut vinculis, aliave pœna committunt. Si quis verò temere absoluerit, lucri, aut voluptatis gratia iniustè facit, & iniustam ei cordi esse necessarium est. *Stob. serm. 44.*

Iamblichus. Malum iudicium omnis mali caussam esse dicebat. *Stob. eod. serm.*

Q. Fannius apud populum reus actus, accusante C. Valerio, quum quatuordecim tribuum suffragijs damnatus esset, proclamauit: Se innocentem opprimi, cui Valerius æquè clara voce respōdit: Nihil sua referre, nocens an innocens periret. Ea vox tam violēta, reliquas tribus reo conciliauit, itaque reus, quem prostratum credebat, absolutus est. *P. M. lib. 6. apopht.*

Quintus Calidius ex prætura Hispaniensi accusatus a Gallis, quum sēsisset iudicibus pecuniam contra se datam, in eos iudices qui paruo precio corrupti eum damnauerant, exclamauit: Idoneam mercedem pro meo capite pacisci debuistis. *Bruson. lib. 3. c. 10.*

Bias dicere solebat, se malle inter inimicos, quam amicos iudicare. Nam ex amicis alterum prorsus futurum inimicum, ex inimicis autem alterum amicum fore. *Brus. lib. 3. c. 10.*

Democritus. Optimus (inquit) iudex esse iudicatur, qui cito intelligit, & lente iudicat. Alterum quidem est beneuolentiæ, alterum autem diligentiæ exquisitæ. *Ant. serm. de incorruptis iudicibus.*

Idem addebat, nihil inconsiderate agendum in iudicio, sed prius deliberandum: nec cogitatione festinandum, vt aliquid plus quam liceat dicatur: nec lente, & cunctanter appetitio accuratè exercenda est, nec ad gratiam immutanda: nam inconstans, & leuis temerario deterior est. *Eod. serm.*

Themistocles oratus à Simonide poeta, vt amicum non adeo iustam caussam habentem, quam commendatissimum haberet, respondit; Nec Simonidem fore bonum poetam, nisi mensuram

modumque in canendis carminibus, quæ scribebat, curaret: Neque se bonum prætorem habitum iri, si legibus, ac iustitiæ, alicuius gratiam præposuit. *Fulg. lib. 6. c. 4. & Plut. in apoph.*

Archytas dicebat iudicem, & aram idem esse: pariter enim ad vtrum qua confugiunt, qui iniuria afficiuntur: Sentiens tales oportere iudices esse, vt oppressis sint præsidio. *Refert Arist. Rhet. 3.*

Aristides, quum inter duos priuatos caussam cognosceret, & alter quo Aristidem irritaret in aduersarium extra caussam multa cōmemoraret, quibus ille læsisset eum: Aristides interpellans hominem, ista nonne, inquit, missa fac bone vir, & si quid te læsit eloquere; tibi enim in præsentia, non mihi iudex sedeo. *Plut. in Aristide.*

Alcamenes. Cuidam ab Alcamene sciscitanti, quamobrem seniores apud Lacedæmonios plures dies sumerent ad cognoscendum in caussis capitalibus: & si quis fuerit absolutus, nihilominus obnoxius sit legi? Ideo, inquit, pluribus diebus cognoscunt, quoniam si in capitis discrimine errauerint, non est corrigendi consilij potestas: oportet autem à caussa liberatum, obnoxium manere legibus, quod fit, vt secundum eamdem legem liceat aliquid rectius de reo statuere. Hoc temperamento prouisum est, ne vel occidatur innocens, vel effugiat nocens: qui quamuis errore iudicum sit absolutus, potest eadem lege denuo conueniri, pœnasque date legibus. *Plut. in Lacon.*

Lysias dicebat iudices eadem mente præditos esse debere, qua legislatores. *Stob. serm. de magistratu.*

Idem, interrogatus, cur munera à Messenijs oblata non accepisset? Quoniam in leges iustitiæ grauiter peccassem, inquit: Maluit vir prudentissimus bona conscientia iudicare, quam propter munusculi à iustitiæ tramite turpiter discedere. *Plut.*

Agesilaus, cum in caussa quadam iudex esset, & is qui accusabat recte dixisset: patronus verò male, qui tamen subinde repeteret, Agesilaum decere, vt legibus opitularetur, perinde ac si optimā haberet caussam: hominis improbitatem reprehendens, ait: Si quis domum tibi oppugnaret, aut vestem arriperet, num ea expectares, vt architectus, aut sartor tibi esset auxilium laturus? Quo dicto indicabat, iudici nequaquam conuenire, vt opituletur ijs qui contra leges aliquid delicti admiserunt. *Plut. in Lacon. apoph.*

Hippodromus Sophista, Clementi tragœdiarum actori longe præstātissimo, quum apud Amphictyones optimè re gesta negata esset victoria, quod Byzantius esset, atque id temporis Byzantium à Romanis obsideretur, prosiliens clamauit: Valeant applaudentes, ac perperam de re iudicantes: Ego, inquit, Clementi victoriā decerno. Quum alter histrio appellasset Cæsarem, obtinuit Hippodromi suffragium. *Philostr. in sophistis.*

Epictetus. Nihil est, inquit, quod eum qui præest magis deceat, quam vt neminem, vel superbè contemnat, vel indecore admiretur, sed ex æquo omnibus præsit. *Ant. serm. de iudicib. incorruptis.*

Sequentia dicta etiam eius sunt: Sicut vera trutina, neque à bona, & concinna corrigitur, neque per falsam examinatur: sic etiam iustus iudex, neque à iustis castigatur, neque apud iniustos iudicatur. Minimè in iudicijs delinques si ipse in vita tua delicta caueris. Melius est, sententia iustè pronunciata reprehendi ab eo, qui merito suo damnatus est: quam si iniustè iudicaueris, iure à natura vituperari. Quemadmodum Lydius lapis indicat aurum, non autem ab auro examinatur: sic & homo qui iudicandi facultate pollet. Turpe fuerit iudicem ab alijs iudicari. *Stob. serm. 9.*

Machetas. Philippus Macedo Machetæ cuiusdam pro tribunali sedens caussam cognouit, sed dormitabundus, nec satis attentus ad iuris æquitatem: itaque sententiam tulit aduersus Machetam. Verum quum is exclamasset, se ab ea sententia appellare, rex iratus, ad quem? inquit, nam appellandi verbum monarchis est inuisum. Hic Machetas: ad teipsum, ò rex, inquit, si expergiscens, & attentius audis causam. Ac tum quidem surrexit rex. Cæterum posteaquam caussam apud se melius perpendisset, intelligeretque Machetæ factam iniuriam, iudicata quidem non rescidit, sed pecuniam qua damnatus fuerat Machetes, ipse persoluit. In vno facto, quot regiæ virtutis argumenta! Non perseuerauit irasci, & prouocanti, & somnolentiam publicè obijcienti: sed per ocium rem animo accuratius considerauit, iam ab ira liber. Sit hoc ciuilitatis regiæque moderatio istud verò prudentiæ, quod ingenioso commento sic damnatum exemit damno, vt regiam tamē in iudicando auctoritatem non proderet, mulctam priuatim perinde quasi ipse damnatus esset, dissoluit. *Plut. in apoph.*

Idem. Harpalus pro Cratere propinquo, ac familiari suo, qui iniuriarum postulabatur, petijt à Philippo, vt reus mulctam quidem solueret, sed à caussa liberaretur, nec damnatus hominum maledictis exponeretur. Hic verò Philippus: Præstat, inquit, vt ipse male audiat, quam vt nos propter illum. Indulgebat amicis, sed quatenus licebat, integra iudicis opinione. *Plut.*

Idem. Duo pariter scelerosi sese inuicem accusabant, cognoscente Philippo, rex audita causa pronunciauit, vt alter exularet Macedonia, alter illum insequeretur. Hoc Græcè sonat iucūdius, quod φεύγειν, & ad fugientem pertineat, & ad exulantem, fugientem autem insequimur. Neutrum igitur absoluit Philippus, sed vtrūque damnauit exilio. *Plut.*

Alexander orante accusatore, altera manu aurem solebat occludere. Interrogatus, cur id faceret? respondit: Defensori etiam dandus est audiendi locus. *Anton. in Melissa, par. 1. serm. 53. Plut. sic recensét:* Initio quum in caussis capitalibus sederet iudex, accusatori alteram aurem occludebat: rogatus, cur id faceret? Alteram, inquit, integram seruo reo.

Antigonus. Frater Antigoni Marsias litem habebat: sed à rege postulabat, vt causa domini cognosceretur. Cui Antigonus: Si nihil, inquit, præter ius agimus, melius fiet in foro, cunctisque audientibus. Non impetrauit hoc à rege fraternus affectus, vt vel tantillum de iure concederet. Ipsum autem hoc dilemmate constrinxit. Si iniustam causam habere te scis, cur litigas? Sin iustam, cur fugis hominum conscientiam, & ad domesticas latebras rem fori pertrahis? non cariturus sinistra ciuium suspicione, etiam si ob bonam caussam viceris. *Plut. in apoph.*

Antiphon. Si peccandum sit in iudicando, præstat (inquit) accusatum absoluere iniustè, quam iniustè perdere. Illud enim quidem peccatum est, hoc verò impietas. *Stob. serm.*

Scipio minor. C. Linium prætereuntem cum vidisset: Hunc, inquit, virum scio peierasse: verum quoniam nullus illum defert, non possum simul & accusator esse, & iudex. Sit hoc in censore moderationis & iustitiæ exemplum. *Plut. in apoph.*

M. Antonius. Dicere solebat, priuatos quidem homines multos habere iudices: principi autem nullum esse alium iudicem, quam Deum. *Dion Nicæus, & Xiphilinus in eius vita.*

S I M I L I T V D I N E S.

Basilij. Quemadmodum is qui sagittam tendens, ad metam dirigit: nec vltra, nec citra, nec vtrobique errando à via proposita excidet: Ita rectus iudex factitabit, nec in iudicando personam vacillabit. *In Iulitam Martyrem.*

Epicteti. Vt iusta bilanx, seu trutina, nec à vera bilance corrigitur, nec à falsa iudicatur: Sic & iudex iustus, neque à iustis examinatur, nec ab iniustis arguitur. *Apud Maximum serm. 5. & apud Stob. serm. 5. De iustitia.*

P. M. Vt diameter, siue dimetiens sic ab angulo ad angulum, mediāque figuram diuidit, vt vtrinque spacium relinquat æquale: Ita iudex in neutram partem debet esse propensior. *In Simil.*

Vt qui acrius cupiunt perspicere, alterum oculum occludunt: Ita iudex rectius intelliget iustum, si nullius personæ respectu reuocetur. *In simil.*

Vt sol non alius est pauperi, quam diuiti, sed omnibus communis: Ita iudex personam spectare non debet, sed rem. *In Simil.*

A D A G I A.

Ex Iouis tabulis testis. Ἐκ τῶν Διὸς δέλτων ὁ μάρτυς.

Pro certo, & indubitabili teste.

Atticus testis. Ἀττικὸς μάρτυς.

Pro probatissimo, atque incorruptissimo teste. Quod si quis per Ironiā torqueat in testem vanum, non inconcinne dixerit.

Rhadamanthæum iudicium. Ῥαδαμάνθειος κρίσις.

De incorruptè iudicantibus.

Iouis suffragium. Διὸς ψῆφος.

Dicebatur sacrum, & inuiolatum.

Mineruæ suffragium. ἡ Ἀθηνᾶς ψῆφος.

De exacto iudicio. Contrarium illi Sus iudicauit.

Domesticus testis. Οἴκοθεν ὁ μάρτυς.

Vbi quis ipse laudat, quasi domi testem habeat, non aliunde adductum.

Corrupta iudicia.

In eos, qui corruptè iudicant, aut suffragium ferunt, non ad Remp. sed ad priuatum commodum respicientes, siue qui per tyrannidem leges opprimunt, competet illud Homeri,

> Οἳ βίῃ εἰν ἀγορῇ σκολιὰς κρίνωσι θέμιστας,
> Ἐκ δὲ δίκην ἐλάσωσι, θεῶν ὄπιν οὐκ ἀλέγοντες.
> *Qui per vim in populis curia communia iura*
> *Deprauant, ac iustitiam depellere tentant,*
> *Nil veriti vocem diuum.*

Heteromalia caussa. Ἑτερομάλος δίκη.

Dicitur apud Græcos, quæ ab altera duntaxat agitur parte, nullo præsente qui contradicat. Vsurpabitur non eleganter, vbi quis damnat absentem.

Deserta caussa. ἔρημος δίκη. *Lucian.*

Cum nemo repugnat. Itaque deserta caussa vincere, est vincere nullo contra pugnante.

Ne de lite pronuncies. πρὶν ἂν δίκην κρίνειν.

Admonet, non temere pronunciandum de quopiam, nisi re vtroque diligenter cognita.

E X E M P L A B I B L I C A.

Iudicum bonorū *exempla*: Moyses, *Exod* 18. v. 13. Othoniel, *Iud.* 3. v. 10. Thola, 10. v. 1. Iephthe, 12. v. 7. Samuel, 12. v. 3. 4. 5. Salomon, 1 *Reg.* 3. v. 28. Iudicum iniquorum *exempla*: Pilatus, *Matth.* 27. vers. 26. *Marc.* 15. v. 15. *Luc.* 23. v. 24. *Ioann.* 19. v. 16. Ananias Pontifex,

Abbr.

Actor.23.v.2. Iudicii rapacitas damnatur, *Amos 2.v.6.* Iudices pro gubernatoribus, *Iud.2.v.16.18.19.* Iudices rexerunt, & gubernarunt Israelem circiter annos trecentos quinquaginta, *Act.13.v.20.* Iudicij temerarij *exempla*: Heli, *1.Sam.1.v.13.* Rex Israel, *2.Reg.5.7.* quidam ex Iudæis, *Matth.27.v.47. Ioan.11.v.37.* Pharisæi, *9.v.16.* Petrus, *Act.10.v.15.16.* Barbari, *28.v.4.* Iudicium peruersum, *Eccl.11.v.9. Matth.7.v.1.& 12.v.7. Luc.6.v.37.& 7.vers.23. Ioan.7.v.24.& 9.v.16. Act.28.v.4. Rom.2.v.1.& 14.ver.4.13.1.Cor.4.v.5.1.Tim.5.v.21. Iacob.4.v.11.* Iudicium extremum, *Matt.25.v.30.31. Luc.21.v.27.28.1.Thess.4.v.15.16. Hebr.9.v.28.*

Exempla Profana.

Actionum publicarum, & priuatarum species apud Athenienses. *Sigonius lib.3. de Republ. Athen. commemorat.*

Ephetæ *Iudices* capitalium caussarum Athenis, quinquagenarijs maiores, & singulari opinione probitatis: dicti Ephetæ, quod ab eis non esset prouocatio. Dicebant autem ius, vel in Palladio, vel in Prytaneo, vel in Delphinio, vel in Phreate. *Suidas.*

Atheniensis Magistratus fuit, cui Zeteta nomen apud quem si quis integrum æs debitum non soluisset conueniri lege poterat. *Alex. ab Alex. lib.1.c.7.*

Centumuiri apud Roman. de hæreditatibus, testamentis, vsucapionibus, tutelis, gentilitatibus, agnationibus, alluuionibus, noxis, mancipijs, & stillicidijs, quam maximè ius dicebant.

Carus Imp. lectuis, si quid quærerentur de dominis, passim accusandi, & contra eos lege agendi facultatem dedit. *Alex. lib.3.c.20.*

Regnerus Danorum rex statuit, vt omnis controuersiarum lis, remotis actionibus instrumentis, nec accusantis impetitione, nec rei defensione admissa, duodecim patrum approbatorum iudicio mandaretur. *Saxon. lib.9.*

Apud *Ægyptios* iudices quondam fuerant, qui & sacerdotes. *Ælian. lib.14.*

Regij iudices Persarum ex toto populo deliguntur: suntque perpetui, nisi iniusti [illegible] rei fuerint. Hi ius dicunt, & legum sunt interpretes. *Herod. lib.3.*

Apud *Athenienses* nouem principes erant, quibus Respublica concredita erat: qui cum eligerentur, religiosè iurabant, se iustè iudicaturos esse, neque munera accepturos, aut auream statuam erecturos publicè. *Heraclides de Polit.*

Domitianus Imp. ius diligenter dixit, ac æquissimè: tantamque curam coercendis magistratibus adhibuit, vt neque modestiores vmquam, neque iustiores extiterint. *Cuspin.*

Nicodorus Mantinensium legislator iustissimus ex pugile in extrema ætate factus est. *Ælian. lib.2. var. hist.*

Hieroglyphica.

Sed & *abscissa manus* ipsæ hieroglyphicum suum habuere, quod minime fuit prætereundum. Spectari enim solitas Thebis *Iudicum* statuas absque manibus, Plutarchus ait: & eam, quæ principem referret aduersis esse oculis, vt Iustitiam, & à donis alienam esse debere, & nulla mulceri facundia oportere significarent. *Pier. Valer. lib.35.*

Lyra quoque hieroglyphicum quiddam habet, atque illud in ea præcipuum est, quod *hominem compositi iudicij*, quique aures eruditas haberet, significabat. Ea siquidem diuersas componit voces, & concordiones tono temperat, quod munus in diuersæ rationis affectibus componendis videtur homo præstare. *Pier. Valer. lib.47.*

Vide supra locum de Acceptione personarum.

IVDICIVM DIVINVM.

Sententiæ Biblicæ.

Iudicium diuinum ineuitabile, ob potentia immensitatem, quia super omnes vniuersaliter.

Ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, vsque in tertiam, & quartam generationem eorum qui oderunt me: & faciens misericordiam in millia his, qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea. *Exod.20.*

Ecce Deus excelsus in fortitudine sua, & nullus ei similis in legislatoribus. Quis poterit scrutari vias eius? aut quis audet ei dicere operatus es iniquitatem? *Deut 36.*

Quis enim dicet ubi, quid fecisti? aut quis stabit contra iudicium tuum? *Sap.12.*

Non enim est alius Deus quam tu, cui cura est de omnibus, vt ostendas quoniam non iniuste iudicas iudicium. Neque rex, neque tyrannus in conspectu tuo inquirent de his, quos perdidisti. *ibid.*

Et nolite timere eos, qui occidunt corpus: animam autem non possunt occidere: sed potius timete eum, qui potest & animam, & corpus perdere in gehennam. *Matth.10.*

Polyanthea Noua.

Data est mihi potestas, in coelo & in terra. 28.

Vnus est enim legislator, & iudex, qui potest perdere, & liberare. *Iacob.4.*

Magnus es Domine in æternum, & in omnia sæcula regnum tuum: quoniam tu flagellas, & saluas: deducis ad inferos, & reducis, & non est qui effugiat manum tuam. *Tob.13.*

Iudicium diuinum irreprehensibile ob iustitia veritatem.

Porro triumphator in Israel non parcet, & pœnitudine non flectetur: neque enim homo est, vt agat pœnitentiam. *1.Reg.15.*

Ne respicias vultum eius: quoniam abieci eum, nec iuxta intuitum hominis ego iudico. 16.

Iustus es Domine, & omnia iudicia tua iusta sunt: & omnes viæ tuæ, misericordia, & veritas, & iudicium. *Tob.3.*

Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti. *Iob 9.*

Absit à Deo impietas, ab omnipotente iniquitas. Opus enim hominis reddet ei, & iuxta vias singulorum restituet eis. 34.

Vere Deus non condemnabit frustra, nec Omnipotens subuertet iudicium. *ibid.*

Tu reddes vnicuique iuxta opera sua. *Psal.61.*

Iudicabit orbem terrarum in iustitia, & populos in æquitate. 97.

Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum. 118.

Pondus & statera iudicia Domini sunt. *Prou.16.*

Non enim subtrahet personam cuiusquam Deus, nec verebitur magnitudinem cuiusquam, quoniam pusillum, & magnum ipse fecit, & æqualiter est illi cura de omnibus. *Sap.6.*

Non secundum visionem oculorum iudicabit, neque secundum auditum aurium arguet: sed iudicabit in iustitia pauperes, & arguet in æquitate pro mansuetis terræ. *Esa.11.*

Et ponam in pondere iudicium, & iustitiam in mensura. 28.

Et reddam eis secundum opera eorum, & secundum facta manuum suarum. *Ier.15.*

Ecce omnes animæ meæ sunt. Vt anima patris, ita & anima filij mea est. Anima quæ peccauerit, ipsa morietur. *Ezech.18.*

Idcirco vnumquemque iuxta vias suas iudicabo domus Israel, ait Dominus Deus. *ibid.*

Scimus enim quoniam iudicium Dei est secundum veritatem. *Roman.2.*

Qui reddet vnicuique secundum opera sua. *ibid.*

Vnusquisque quod fecerit bonum, hoc recipiet à Domino, siue seruus, siue liber. *Eph.6.*

Et si patrem inuocatis eum, qui sine personarum acceptione iudicat secundum vniuscuiusque opus, in timore incolatus vestri tẽpore conuersamini. *1.Pet.1.*

Verbis non fallitur.

Non parcam ei, & verbis potentibus, & ad deprecandum compositis. *Iob 41.*

Propter quod irritauit impius Deum? dixit enim in corde suo, non requiret. *Psal.9.*

Non acquiescit cuiusquam precibus. *Prou.6.*

Munere non decipitur.

Frater non redimit, redimet homo: non dabit Deo placationem suam, & pretium redemptionis animæ suæ. *ibid.*

Nec suscipiet pro redemptione dona plurima. *Prou.6.*

Argentum eorum, & aurum eorum non valebit liberare eos in die furoris Domini. *Ezech 7.*

Sed & argentum eorum, & aurum eorum non poterit liberare eos in die Domini. In igne zeli eius deuorabitur omnis terra, quia consummationem faciet cum festinatione cunctis habitantibus terram. *Soph.1.*

Ego enim Dominus, & non mutor. *Malach.3.*

Filius hominis venturus est in gloria patris sui cum Angelis suis, & tunc reddet vnicuique secundum opera sua. *Matth.16.*

Fortissime, magne, & potens, Dominus exercituum nomen tibi. Magnus consilio, & incomprehensibilis cogitatu: Cuius oculi aperti sunt super omnes vias filiorum Adam: vt reddas vnicuique secundum vias suas, & secundum fructum adinuentionum eius. *Ierem.32.*

Certe vides, fili hominis, quæ seniores domus Israel faciunt in tenebris, vnusquisque in abscondito cubilis sui. Dicunt enim: Non videt Dominus nos, dereliquit Dominus terram. *Ezech.8.*

Ipse reuelat profunda, & abscondita: & nouit in tenebris constituta, & lux cum eo est. *Dan 2.*

Et erit in tempore illo, & scrutabor Ierusalem in lucernis, & visitabo super viros defixos in fæcibus suis: qui dicunt in cordibus suis: Non faciet bene Dominus, & non faciet male. *Soph.1.*

Dominus iustus in medio eius non faciet iniquitatem: Mane, mane iudicium suum dabit in luce: & non abscondetur. Nesciuit autẽ iniquus confusionem suam. 3.

Et accedam ad vos in iudicio, & ero testis velox maleficis, & adulteris, & periuris, & qui calumniantur mercedem mercenarij, & humiliant viduas, & opprimunt peregrinum: nec timuerunt me, dicit Dominus exercituum. *Malach.3.*

Viuus est enim sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionem animæ, & spiritus, compagum quoque ac medullarum, & discretor cogitationum, & intentionum cordis. Et non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius: omnia autem nuda, & aperta sunt oculis eius, ad quē nobis sermo. *Hebr.4.*

Redde vnicuique secundum vias suas, quas nosti eum habere in corde suo: (Tu enim solus nosti corda filiorum hominum) vt timeāt te, & ambulent in vijs tuis cunctis diebus quibus viuunt super faciem terræ, quam dedisti patribus nostris. *1.Par.6.*

Omnis via viri recta sibi videtur, appendit autem corda Dominus. *Prou.21.*

Qui inspector est cordis, ipse intelligit, & seruatorem animæ meæ nihil fallit, redderque homini iuxta opera sua. *24.*

Et scient omnes Ecclesiæ, quia ego sum scrutans renes, & corda: & dabo vnicuique vestrum secundum opera vestra. *Apoc.2.*

Magna & terribilia sunt opera tua Domine Deus omnipotens. Quis timebit te Domine, & magnificabit nomen tuum? Omnia iudicia tua manifesta sunt. *ibid.*

IVDICIVM EXTREMVM.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

IVdicium finale erit vniuersalis separatio bonorum à malis. *Ex B.Thom.4.sent.dist.48.q.1.art.1.*

Iudicium generale fiet circa montem Oliueti, vbi est vallis Iosaphat, & circa locum illum Christus descendet, sicut inde ascendit, vt idem esse ostendatur, qui descendit, & qui ascendit. *Ex B. Thom.4.sent.dist.48.q.5.art.4.*

SENTENTIÆ BIBLICÆ.

Iudicium extremum admirabile, ob iudicis maiestatem.

Iudicabit orbem terræ in æquitate: & populos in veritate sua. *Psal.95.*

Lætare ergo iuuenis in adolescentia, & in bono sit cor tuum in diebus iuuentutis tuæ, & ambula in vijs cordis tui: & in intuitu oculorum tuorum, & scito quod pro omnibus his adducet te Deus in iudicium. *Eccl.11.*

Dominus ad iudicium veniet cum senibus populi sui, & principibus eius: vos enim depasti estis vineam meam, & rapina pauperis in domo vestra. *Esa.3.*

Aspiciebam ergo in visione noctis, & ecce cum nubibus cœli, quasi filius hominis veniebat, & vsque ad antiquum dierum peruenit, & in conspectu eius obtulerunt eum. Et dedit ei potestatem, & honorem, & regnum, & omnes populi, tribus, linguæ seruient ei. *Dan.7.*

Et accedam ad vos in iudicio, & ero testis velox maleficis, & adulteris, & periuris, & qui calumniantur mercedem mercenarij, & humiliant viduas, & pupillos, & opprimunt peregrinum, nec timuerunt me, dicit Dominus exercituum. *Malach.3.*

Et erit dies vna, quæ nota est Domino. *Zach.14.*

Sicut enim fulgur exit ab Oriente, & paret vsque in Occidentem, sic erit & aduentus Filij hominis. *Matth.24.*

De die autem illa nemo scit, neque Angeli cœlorum, nisi pater solus. Sicut autem in diebus Noe, ita erit aduentus filij hominis. Sicut enim erant in diebus ante diluuium comedentes, & bibentes, nubentes, & nuptui tradentes vsque ad eum diem, quo intrauit Noe in arcam, & non cognouerunt donec venit diluuium, & tulit omnes: ita erit, & aduentus filij hominis (sicut habetur cap. 25.) Media autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exite obuiam ei. *Matth.24.*

De die autem illo, vel hora nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque Filius, nisi pater. *Marc.13.*

Non veniet regnum Dei cum obseruatione, neque dicent: Ecce hic, aut ecce illic. *Luc.17.*

Et sicut factum est in diebus Noe. Similiter sicut factum est in diebus Loth: ita erit in diebus Filij hominis. *ibid.*

Attendite autem vobis, ne forte grauentur corda vestra in crapula, & ebrietate, & curis huius vitæ, & superueniat in vos repentina dies illa. Tamquam laqueus enim superueniet in omnes, qui sedent super faciem omnis terræ. *21.*

De temporibus autem, & momentis, fratres, non indigetis, vt scribamus vobis. Ipsi enim diligenter scitis, quia dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet. Cum enim dixerint pax, & securitas, tūc repentinus eis superueniet interitus, sicut dolor in vtero habenti, & non effugient. Vos autem fratres non estis in tenebris, vt vos dies illa, tamquam fur, comprehendat. *1.Thess.5.*

Adhuc enim modicum aliquantulumque, qui venturus est veniet, non tardabit. *Heb.10.*

Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater in sua posuit potestate. *Act.1.*

Ecce iudex ante ianuam assistit. *Iac.5.*

Ecce venio sicut fur, Beatus qui vigilat, & custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, & videant turpitudinem eius. *Apoc.16.*

Et tunc parebit signum filij hominis in cœlo, & tunc plangent omnes tribus terræ: & videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa, & maiestate. *Matth.24.*

Amodo videbitis Filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cœli. *26.*

Neque enim pater iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio, vt omnes honorificent filium, sicut honorificant patrem, & potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est. *Ioan.5.*

Omnes enim stabimus ante tribunal Christi. Itaque vnusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo. *Rom.14.*

Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum. *2 Cor.5.*

Et præcepit nobis prædicare populo, & testificari, quia ipse est, qui constitutus est à Deo iudex viuorum, & mortuorum. *Actor.10.*

Nunc annunciat hominibus, vt omnes vbique pœnitentiam agant, eo quod statuit diem in quo iudicaturus est orbem in æquitate, in viro in quo statuit, & fidem præbens omnibus, suscitans eum a mortuis. *17.*

Eius est enim Legislator, & iudex qui potest perdere, & saluare. *Iacob 4.*

Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt. Et plangent se super eum omnes tribus terræ. *Apocal.1.*

Et de ore eius gladius vtraque parte acutus exibat. *ibid.*

Ecce venio cito, & merces mea mecum est, reddere vnicuique secundum opera sua. *22.*

Ob societatis iucunditatem.

Mane notum faciet Dominus qui ad se pertineant. & Sanctos applicabit sibi (malos igitur) & quos elegerit appropinquabunt ei. *Num.16.*

Iudicabit Dominus populum suum, & in seruis suis miserebitur. *Deut 32.*

Si arripuerit iudicium manus mea, reddam vltionem hostibus meis, & his, qui oderunt me, retribuam. *ibid.*

Veniet Dominus Deus meus, omnesque Sancti eius cum eo. *Zachar.14.*

An nescitis quoniam Sancti de hoc mundo iudicabunt? & si in vobis iudicabitur mundus, indigni estis, qui de minimis iudicetis: Nescitis quoniam Angelos iudicabimus? quanto magis sæcularia? *1.Cor 6.*

Ecce venit Dominus in Sanctis millibus suis, facere iudicium contra omnes, & arguere omnes impios, de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impiè egerunt. *Iuda.*

Ob loci grauitatem & iudicatorum numerum innumerum.

Congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Iosaphat, & disceptabo cum eis ibi. *Ioel 3.*

Consurgant, & ascendant gentes in vallem Iosaphat; quia ibi sedebo vt iudicem omnes gentes in circuitu. *ibid.*

Populi, populi in valle concisionis, quia iuxta est dies Domini in valle concisionis. *ibid.*

Mittet Angelos suos cum tuba, & voce magna, & congregabunt electos eius à quatuor ventis, à summis cœlorum vsque ad terminos eius. *Matth.24.*

Horribile propter signorum multiplicitatem in cœlestibus.

Eritque repente confestim, à Domino exercituum, visitabitur in tonitruo, & commotione terræ, & voce magna turbinis, & tempestatis, & flamma ignis deuorantis. *Esa.29.*

Quia ecce Dominus in igne veniet, & quasi turbo quadriga eius, reddere in indignatione furorem suum, & increpationem suam in flamma ignis: quia Dominus in igne iudicabit. *66.*

Ante faciem eius ignis vorans, & post eum exurens flamma: quasi hortus voluptatis coram eo, & post eum solitudo deserti: neque est, qui effugiat eum. *Ioel.3.*

Sol & Luna obtenebrati sunt, & stellæ retraxerunt lumen suum. *ibid.*

Magnus enim dies Domini, & terribilis valde, & quis sustinebit eum? *ibid.*

Iuxta est dies Domini magnus, iuxta est velox nimis: Vox diei Domini amara, turpiter eiulabit ibi fortis dies iræ, dies illa, dies tribulationis, & angustiæ, calamitatis, & miseriæ, dies tenebrarum, & caliginis, dies nebulæ, & turbinis, dies tubæ, & clangoris super ciuitates munitas, & super turres excelsas. *Soph.1.*

Ecce dies veniet succensa quasi caminus, & erunt omnes superbi,

perbi, & omnes facientes impietatem quasi stipula. Et inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus exercituum, adeo vt non relinquatur eis radix, neque ramus. *Malach. 4.*

Statim autem post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cœlo, & virtutes cœlorum commouebuntur. *Matt. 24. & Luc. 21.*

Et vidi cum aperuisset sigillum sextum, & terræmotus magnus factus est, & sol factus est niger tamquam saccus silicinus, & luna tota facta est sicut sanguis, & stellæ de cœlo ceciderunt super terram, sicut ficus mittit grossos suos, cum à vento magno mouetur. *Apoc. 6.*

In terrestribus.

Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus terribilis. *Malach. 4.*

Elias quidem venturus est, & restituet omnia. Sedente autem eo super montem Oliueti, accesserunt ad eum discipuli secreto, dicentes: Dic nobis, quando hæc erunt, & quod signum aduentus tui, & consummationis sæculi? Et respondens Iesus, dixit: Audituri estis prælia, & opiniones præliorum. Videte ne turbemini. *Matth. 17. 24.*

Vigilate itaque omni tempore orantes, vt digni habeamini fugere ista omnia, quæ futura sunt, & stare ante filium hominis. *Luc. 21.*

Adueniet autem dies Domini vt fur, in quo cœli magno impetu transient; elementa verò calore soluentur; terra autem, & quæ in ipsa sunt opera exurentur. Cum hæc igitur omnia dissoluenda sunt, quales oportet vos esse in sanctis conuersationibus, & pietatibus, expectantes, & properantes in aduentum diei Domini, per quem cœli ardentes soluentur, & elementa ignis ardore tabescent. *2. Pet. 3.*

Propter iudicandorum diuersitatem. Nam boni consolabuntur.

Dominus enim iudex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster, ipse saluabit nos. *Esa. 33.*

Et in tempore illo saluabitur populus tuus omnis, qui inuentus fuerit scriptus in libro. *Dan. 12.*

Et orietur vobis timentibus nomen Domini sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius, & egrediemini, & saltetis sicut vituli de armento. Et calcabitis impios cum fuerit cinis sub planta pedum vestrorum, in die quam ego facio, dicit Dominus exercituum. *Malach. 4.*

Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia, vt integer spiritus vester & anima, & corpus sine querela, in aduentu Domini nostri Iesu Christi seruetur. *1. Thess. 5.*

In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex: Non solum autem mihi, sed & ijs, qui diligunt aduentum eius. *2. Tim. 4.*

Mali à bonis separabuntur.

Iustum & impium iudicabit Dominus, & tempus omnis rei tunc erit. *Eccl. 3.*

Ecce nomen Domini venit de longinquo, ardens furor eius, & grauis ad portandum: labia eius repleta sunt indignatione, & lingua eius, quasi ignis deuorans. Spiritus eius, velut torrens inundans vsque ad medium colli, ad perdendas gentes. *Esa. 30.*

Cuius ventilabrum in manu sua, & permundabit aream suam, & congregabit triticum suum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili. *Matth. 3.*

Cum autem venerit Filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab inuicem, sicut pastor segregat oues ab hœdis. Et statuet quidem oues à dextris, hœdos autem à sinistris. 25.

Et si iustus quidem vix saluabitur, impius & peccator vbi comparebunt? *1. Pet. 4.*

De malitijs accusabuntur.

Reuelabunt cœli iniquitatem eius, & terra consurget aduersus eum. *Iob 2.*

Quid enim faciam cum surrexerit ad iudicandum Deus? & cũ quæsierit, quid respondebo? 10.

Cur timebo in die mala, iniquitas calcanei mei circumdabit me. *Psal. 48.*

In cogitationibus enim impij interrogatio erit. *Sap. 5.*

Et interrogatio hominum in consummatione est. *Eccl. 16.*

In fine hominis denudatio operum eius. *Eccl. 11.*

Et impijs, & peccatoribus reddet vindictam, custodiens eos in die vindictæ. 12.

Ante iudicium para iustitiam tibi, & in conspectu Dei inuenies propitiationem. 18.

Quid facietis in die visitationis, & calamitatis de longe venientis? Ad cuius confugietis auxilium, & vbi derelinquetis gloriam vestram? ne incuruemini sub vinculo, vt cum interfectis cadatis. *Esa. 10.*

PATRVM SENTENTIÆ.

De aduentu sponsi clamor in media nocte fit, quia sic dies iudicij surrepit vt præuideri non valeat quando venit. *Augustin. homil. 12.*

Tunc manifestus veniet inter iustos iudicaturus iustè, qui occultè venerat iudicandus ab iniustis iniustè. *De Ciuit. Dei.*

Ille iudex, nec gratia præuenitur, nec misericordia iam flectitur, nec pecunia corrumpitur, nec satisfactione, vel pœnitentia mitigabitur: Hic tum tempus habet: agat anima pro se pœnitentiã, quamdiu locus est misericordiæ, quia ibi erit locus iustitiæ. *Idem lib. 3. de Symbolo.*

Nec arbitrandum est in die iudicij illos tantum à Dei filio esse denegandos, qui in martyrio Christum negauerunt, sed & illos omnes, quorum opere, vel sermone, vel cogitatione Christus negatus, negat, vel confessus, confitetur. De hac pura confessione, de qua discipulis præcepit, dicens: Eritis mihi testes in Ierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vsque ad vltimum terræ. *Hier. & hab. 11. q. 3. Existimant quidam, §. Nec arb.*

Veniet dies illa, veniet, in qua corruptum hoc & mortale induat incorruptionem, & immortalitatem. Beatus ille seruus quem inuenerit Dominus vigilantem, tunc ad vocem tubæ pauebit terra, cum populis tu gaudebis. Iudicaturo Domino lugubris mundus immugiet, & tribus ad tribum pectora ferient. Potentissimi quondam reges nudo latere palpitabunt. Exhibebitur tunc cum prole sua igneus Iupiter, adducetur cum suis stultus Plato discipulis, Aristoteli argumenta non proderunt. Tunc tu rusticanus & pauper exultabis, & dices: ecce iudex qui inuolutus pannis in præsepio vagijt, hic est operarij, & quæstuariæ filius, hic qui matris gestatus sinu, Deus homo fugit in Aegyptum, hic vestitus coccino, hic pungentibus spinis coronatus, hic magus dæmoniũ habens, & Samaritanus. Cerne manus Iudæe quas fixeras: cerne latus Romane quod foderas, videte corpus an idem sit, quod dicebatis. *Idem ad Heliodorum.*

Dicimus quoque & iudicium futurum, in quo iudicio vnusquisque recipiet propria corporis prout gessit, siue bona, siue mala, quod si homines recepturi sunt pro operibus suis, quanto magis Diabolus qui omnibus extitit causa peccati? De quo sentimus illud quod scriptum est in Euangelio: Quia & ipse Diabolus, & omnes Angeli eius cum ijs, qui opera eius faciunt, & criminantur, fratres cum ipso pariter æterni ignis hæreditatem patientur. Si quis autem negat Diabolum ignibus æternis mancipandum esse, partem hæreditatis Dei cum ipso, sed eam in igne accipiat, vt sentiat verum esse, quod negauit. *Idem in epist. 34.*

Siue comedam, siue bibam, siue aliquid aliud faciam, semper vox illa videtur sonare in auribus meis: Surgite mortui, & venite ad iudicium. Quoties diem iudicij cogito, totus corde, & corpore contremisco. Si qua præsentis vitæ est lætitia, ita agenda est, vt numquam amaritudo futuri iudicij recedat à memoria. Non est nostrum nosse tempora, id est, non expedit nobis diem iudicij nosse, sed semper incerti de aduentu iudicis, sic quotidie viuamus quasi die altera iudicandi simus. In die iudicij Sol & Luna obscurabuntur, non diminutione luminis, sed comparatione veri luminis. Alioquin legimus Solem habiturum septuplum luminis, sed comparatione veræ lucis omnia tenebrosa erunt. *Idem sup. Matth.*

Nihil est quod magis proficiat ad vitam honestam, quam vt credamus eum iudicem futurum, quem & occulta non fallunt, & indecora offendunt, & honesta delectant. *Amb. l. de Offic.*

Ante retributionem extremi iudicij, iniusti quosdam iustos in requie conspiciunt, vt eos videntes in gaudio, non solum de supplicio suo, sed etiam de illorum bono crucientur: Iusti autem in tormentis semper intuentur iniustos, vt hinc eorum gaudium crescat, quia malum conspiciunt, quod misericorditer euaserunt, tantoque maiores creatori suo gratias referunt, quando vident in alijs, quod ipsi perpeti, si essent derelicti, potuerunt. *Greg. in homil. Homo quidam erat diues.*

Extremo die iudicij, cum apertis cœlis, ministrantibus Angelis, cõsedentibus Apostolis, in sede maiestatis suæ Christus apparebit, omnes hunc electi pariter, & reprobi videbunt, vt & iusti de munere retributionis sine fine gaudeant, & iniusti de vltione supplicij in perpetuum gemant. *Idem homil. 25.*

In illa districtione vltimæ increpationis omne argumentum cessat excusationis: quippe quia ille fortis increpat, qui testis conscientiæ intus animam accusat. *Idem sup. Matth.*

Sic Deus vias nostras considerat, & gressus dinumerat, vt ne minimæ quidẽ cogitationes, ac verba minutissima, quæ apud nos vsu viguerunt, eius iudicio indiscussa remaneant. *Idem lib. 21. Moral.*

In maiestate visuri sunt, quem in humilitate videre noluerunt, vt tanto districtius virtutem sentiant, quanto ceruicem cordis ad eius præsentiam non inclinant. *Idem sup. illud Matth. 24. In nubibus cœli maiestate.*

Exurgente Rege cœlesti iudicare viuos & mortuos, virtutes Angelicæ mouebuntur, terribiles ministri terribilem Dominum præcedent. Patrefamilias moriente domus turbatur, familia plangit, & nigris in vestimentis induit: sic humano genere propter quod facta sunt circa finem constituto, cœli mysteria lugent,

& candore posito tenebris induuntur. *Ioan.Chryſ.ſup.illud Matth. 24. Et virtutes cælorum mouebuntur.*

In illo die nihil eſt, quod reſpondeamus, vbi cœlum & terra, aer & aqua, & totus mundus ſtabit aduerſus nos in teſtimonium peccatorum noſtrorum, & ſi omnia taceant, ipſæ cogitationes noſtræ, & ipſa opera ſpecialiter ſtabunt ante oculos noſtros, nos ante Deum accuſantes. *Idem ſup. Matth.*

Vere vox magna, vox tubæ terribilis, cui omnia obediunt elementa, quæ petras ſcindit, inferos aperit, portas æreas frangit, vincula mortuorum dirumpit, & de profundo abyſſi animas liberatas corporibus ſuis aſſignat. Hæc autem omnia citius conſumit in opere, quam ſagitta tranſit in aere, dicente Apoſtolo: In momento, in ictu oculi. *Idem ſup. 1. ad Cor. 15.*

Veniet dies illa, in qua plus valebunt pura corda, quam aſtuta verba, conſcientia bona, quam marſupia plena: quoniam quidem iudex ille non falletur verbis, nec flectetur donis. *Bern. ſup. Cantica.*

Quid faciet de iniuſtis iudicijs, qui ipſas quoque iuſtitias iudicabit, & qui cuique merita recenſebit? Veniet, inquam, veniet. *Idem in epiſt.*

Primum igitur dicimus, tantam eſſe Dei poteſtatem, vt etiam incorporalia comprehendat, & quemadmodum voluerit, afficiat. Nam & Angeli Deum metuunt, quia caſtigari ab eo poſſunt inenarrabili quodam modo: & dæmones reformidant, quia torquentur ab eo, & puniuntur. Quid ergo mirum, ſi cum ſint immortales animæ, tamen patibiles ſint Deo? Nam cum in ſe nihil habeant ſolidum, & contrectabile, a ſolidis, & corporalibus nullam vim pati poſſunt. Sed quia in ſolis ſpiritibus viuunt, à ſolo Deo tractabiles ſunt, cui virtus & ſpiritalis ſubſtantia eſt. Sed tamen docent nos ſanctæ literæ, quemadmodum pœnas impij ſint laturi. Nam quia peccata in corporibus contraxerunt, rurſus carne induentur, vt in corporibus piaculum ſoluant: & tamen non erit caro illa, quam Deus homini ſuperiecerit, huic terrenæ ſimilis, ſed inſolubilis, & permanens in æternum, vt ſufficere poſſit cruciatibus, & igni ſempiterno; cuius natura diuerſa eſt ab hoc noſtro, quo ad vitæ neceſſaria vtimur; qui, niſi alicuius materiæ fomite alatur, extinguitur. At ille diuinus per ſeipſum ſemper viuit, ac viget ſine vllis alimentis, nec admiſtum habet fumum, ſed eſt purus, ac liquidus, & in aquæ modum fluidus. Non enim vi aliqua ſurſum verſus vrgetur, ſicut noſter, quem labes terreni corporis, quo tenetur, & fumus intermixtus exilire cogit, & ad cœleſtem naturam cum trepidatione mobili ſubuolare. Idem igitur diuinus ignis, vna eademque vi, atque potentia, & cremabit impios, & recreabit: & quantum è corporibus abſumet, tantum reponet, ac ſibi ipſe æternum pabulum ſubminiſtrabit, quod poetæ in Vulturem Titij tranſtulerunt. Ita ſine vllo reuiuiſcentium corporum detrimento aduret tantum, ac ſenſu doloris afficiet. Sed & iuſtos cum iudicauerit Deus, etiam igni eos examinabit. Tum, quorum peccata, vel pondere, vel numero præualuerint, perſtringentur igne, atque amburentur; Quos autem plena iuſtitia, & maturitas virtutis incoxerit illum ignem non ſentient. Habent enim aliquid in ſe Dei, quod vim flammæ repellat, ac reſpuat. Tanta enim virtus eſt innocentiæ, vt ab ea ignis ille refugiat innoxius, qui accepit à Deo hanc poteſtatem, vt impios vrat, iuſtis obtemperet. *Lactant. Firmi. lib. 7 diuin. Inſtit. c. 21.*

Non igitur renaſcentur, quod fieri non poteſt, ſed reſurgent, & à Deo corporibus induentur, & prioris vitæ, factorumque omnium memores erunt: in bonis cœleſtibus collocati, ac fruentes iucunditate innumerabilium copiarum, præſenti Deo gratias agent: quod malum omne deleuerit, quod eos ad regnum, vitamque perpetuam ſuſcitarit. *Idem lib. 7. c. 23.*

Completis annorum ſex millibus, mutationem iſtam fieri oportere, & iam propinquare illum ſummum concluſionis extremæ diem, de ſignis quæ prædicta ſunt à Prophetis licet noſcere. Prædixerunt enim ſigna, quibus conſummatio temporum, & expectanda ſit nobis in ſingulos dies, & timenda. Quando tamen compleatur hæc ſumma, docent ij, qui de temporibus ſcripſerunt, colligentes ea ex varijs hiſtorijs, quantus ſit numerus annorum ab exordio mundi, qui licet varient, & aliquantum numeri eorum ſumma diſſentiat, omnis tamen expectatio non amplius, quam ducentorum videtur annorum, Etiam res ipſa declarat, lapſum ruinamque breui fore; niſi quod incolumi vrbe Roma nihil iſtius videtur eſſe metuendum. At verò cum caput illud orbis occiderit, & ῥύμη eſſe cœperit, quod Sibyllæ fore aiunt: quis dubitet veniſſe iam finem rebus humanis, orbique terrarum? Illa eſt enim ciuitas, quæ adhuc ſuſtentat omnia; precandusque nobis, & adorandus eſt Deus cœli (ſi tamen ſtatuta eius, & placita differri poſſunt) ne citius, quam putemus, tyrannus ille abominandus veniat, qui tantum facinus moliatur, ac lumen illud effodiat, cuius interitu mundus ipſe lapſurus eſt. *Idem lib. 7. cap. 25.*

Cum bona, vel mala cogitamus in corde noſtro, tam bonarum quam malarum cogitationum notæ quædam, & ſigna relinquuntur, quæ in die iudicij reuelabuntur. *Orig. ſuper epiſt. ad Rom. lib. 3.*

A dextris erunt peccata accuſantia, à ſiniſtris infinita dæmonia, ſubtus horrendum chaos inferni, deſuper iudex iratus: foris mundus ardens, intus conſcientia vrens. Ibi vix iuſtus ſaluabitur, Heu miſer peccator! ſic deprehenſus quo fugies? latere enim erit impoſſibile, apparere intolerabile. *Anſelm. de ſimilitudinibus mundi.*

Poeticae Sententiae.

Lucan. in principio lib. 1. Pharſaliæ.

Sic cum compage ſoluta,
Sæcula tot mundi ſuprema coegerit hora:
Antiquum repetens iterum chaos, omnia mixtis
Sidera ſideribus concurrent, ignea pontum
Aſtra petent, tellus extendere littora nolet,
Excutietque fretum, fratri contraria Phœbe
Ibit & obliquum bigas agitare per orbem
Indignata, diem poſcet ſibi: totaque diſcors
Machina diuulſi turbabit fœdera mundi.

Ouid. Metam. lib. 1.

Eſſe quoque in fatis reminiſcitur affore tempus,
Quo mare, quo tellus, correptaque regia cœli
Ardeat, & mundi moles operoſa laboret.

Senec. Herc. Oet.

Iam iam legibus obrutis
Mundo cum veniet dies,
Auſtralis polus obruet
Quicquid per Libyam iacet,
Et ſparſus Garamas tenet.
Arctois polus obruet
Quicquid ſubiacet axibus,
Et ſiccus Boreas ferit,
Amiſſum trepidus polo
Titan excutiet diem,
Cœli regia concidet,
Certus atque obitus trahet.
Atque omnes pariter Deos
Perdet mors aliqua, & Chaos.
Et mors fata nouiſſima
In ſe conſtituet ſibi.

Manilius 4.

Quæſitor ſcelerum veniet vindexque reorum,
Qui commiſſa ſuis rimabitur argumentis.
In lucemque trahet, tacitaque licentia fraude.
Hinc etiam immitis tortor pœnæque miniſter
Et quiſquis vero fuerit culpam ſuperaddit
Proditur, atque alto qui iurgia pectore tollat.

Similitudines.

Chriſti Saluatoris. Sicut colliguntur zizania, & igni comburuntur: Sic erit in conſummatione ſæculi huius. Mittet filius hominis Angelos ſuos, & colligent è regno illius omnia offendicula, & eos qui faciunt iniquitatem, ac mittent illos in caminum ignis, vbi erit ploratus, & ſtridor dentium. *Matth. 13.*

Pauli Apoſtoli. Dies ille Domini, vt fur in nocte ita venturus eſt. Cum enim dixerint: Pax, & tuta omnia: tunc repentinus eis imminet interitus ſicut dolor partus mulieri prægnanti: nec effugient. *1. Theſſ. 5.*

Chryſoſtomi. Si palma poſita non ſit in ſtadio, athletam nolentem luctari culpare non potes quaſi infirmum: incertum enim eſt, verum ideo luctari non velit, quia infirmus eſt, aut quia non videt propoſitam palmam. Quod ſi palmam viderit, & luctari noluerit, tunc eſt manifeſtum, quia propter deſidiam ſuam noluerit luctari. Sic & Gentilis, qui reſurrectionis præmia neſcit, nec futurum eſſe iudicium credit, non poteſt cognoſci, vtrum ideo non faciat iuſtitiam, quia non amat iuſtitiam, aut quia nullam mercedem ſperet de ea. Si verò factus fuerit Chriſtianus, & cognouerit futurum eſſe iudicium, tunc peccans manifeſtum eſt ideo peccare, quia non amat, quod eſt bonum. *In c. 3. Matth.*

Numquid tu reprehenderis, quando à tritico paleas ſeparas, & ita recondis? Nec enim ratio eſt, vt cum tritico reponas, & paleas, quia nec ſunt neceſſariæ tibi ad vſum. Et quomodo Deum culpemus, qui à fidelibus ſeparat infideles, qui non proficiunt ad gloriam eius? *In c. 3. Matth.*

Si patrem qui te genuit, peccati aduerſum eum conſcius aſpicere non poſſis; quomodo ad Deum, omni certè patre mitiorem, oculos tunc eleuabimus? quomodo ſuſtinebimus, quando Chriſti terribili aſſiſtemus tribunali, cum exquiſitiſſima peccatorum omnium perſcrutatio fiet? Si verò quiſpiam futuro non credit iudicio, conſideret ea quæ hic fiunt. Videat eos qui in carceribus ſunt, qui in metallis, in ſtercore, qui dæmonio agitantur, qui inſaniunt, qui incurabili morbo laborant, qui continua paupertie premuntur, qui vexantur inedia, qui luctu intolerabili affliguntur, qui captiui degunt. Nemo enim iſtorum omnium hic pateretur, niſi cæteris omnibus, qui ſimiliter peccant, ſuppli-

cia post mortem imminerent. Nam quia nonnulli male viuentes hic non patiuntur, hoc argumentum est, quia post exitum è vita punientur. Non enim credibile, cum vnus sit Deus omnibus, alios hic puniri, alios euadere impune eorum, qui similiter deliquerunt, nisi pœna certa ibi reseruaretur. *Homil. 76. in Matt.*

Si nostrum cuiusquam occultum crimen aliquod hoc ipso die in medium delatum, huic modo consessui innotesceret: nonne sineret, vt ille interire, ac terram sibi potius dehiscere, quam tã multos peccati sui testes habere mallet? quid igitur tum nobis fiet miseris, quum omnia orbi vniuerso palam facta, in tam aperto, tamque illustri theatro denudata, hominum nobis partim incognitorum oculis subijcientur? *Homil. 5. ad Romanos.*

Siquum magistratus in medio foro reum adducit, carnifices adhibet, ac tormentis examinat accusatum, omnes magno studio concurrunt, cupientes audire quid interroget iudex, quid reus respõdeat. Multo magis hic diligenter auscultandum est, quid reus, nimirum hic diues, postulet, quid contra iustus iudex respondeat per Abraham. Non enim Patriarcha erat qui iudicabat, quamquam is pronunciabat: verum quemadmodum in mundanis illis iudicijs, quoties fuerint aliqui rei, puta latrones, aut homicidæ, his leges procul à conspectu iudicis occurrentes, non permittunt vt audiant vocem iudicantis, qui præter alia hoc quoque honore iudicat illos indignos, sed medius quispiam interpres, & iudicis interrogationes, & rei responsiones perfert. Hoc sanè pacto & tunc factum est. Non Deum pronunciantem, non Deum ipsũ loquentem audiuit reus: sed medius erat Abraham, qui iudicis vocem ei, qui iudicabatur, retulit. *Serm. 4. de Lazar.*

Quamdiu hic sumus, anima voluptatum illecebris delinita, tristia ægrè admittit animo: cum verò migratura est corpore, tunc iam maiore metu continetur, quippe quæ ad ipsa iudicij peruenerit limina: Ita fermè & latrones, quamdiu quidem in carcere viuunt, absque metu degunt, vbi verò ad velum stili cœperint, soluuntur metu. Cum enim pulsare animam metus mortis incipit, ignis instar præsentis vitæ omnia succidens, Philosophari eam cogit, & futura solicita mente versari. *In 2. ad Timoth. homil. 5.*

Si forte rex quempiam de populo compellauerit, atque ad seruos dixerit: Reddite gratias huic meo nomine quam plures, qui me inopia laborantem nutriuit, qui mihi beneficia in tempore permulta contulit: non certatim quisque pecunias eius omnes appendegit, cui rex gratias egit? Si ergo in hominem regem tantum honoris res ipsa tribuit: cogita Christum in illa die ad Angelos conuersum, & dicentem: Hic me in terra suscepit hospitio, hic mihi innumera contulit beneficia, hic peregrinum existentem consocijt inducens. Cogita de cætero fiduciam, inter Angelorum populos gaudium. *De pœnit. serm. 9.*

Criminosas personas iudex auditurus in publico, tribunal suum collocat in excelso, circa se collocat vexilla regalia, ante conspectũ suum ponit super mensam tabellam, vnde suis digitis mortẽ hominum scribat, aut vitam: huic inde officiales ordinatè consistunt, in medio secretarius, ponuntur genera horrenda pœnarũ, quæ non solum pati, sed & videre tormentum est. Stant iuxta parati tortores, crudeliores aspectu quam manibus. Tanta iudicij facies, cuiusdam schematis terrore vestitur. Et cum ad medium productæ fuerunt criminosæ personæ, ante interrogationem iudicum, ipsius iudicij terribili discutiuntur aspectu. Similiter & Dominus se ad iudicium venturum promisit, similiter cum terrore, non cum simili terrore. Pœnæ enim quæ hic sunt, non comparandæ ad æternas pœnas. Sic nec gloria ista. *Homil. 55.*

Sicut in tempore hiemis inter virides, & aridas arbores discretio non est, cum autem venit tempus beatum vernale, discernuntur: Ita nunc vnusquisque secundum fidem suam, & opera sua manifestabitur, impijs quidem nulla proferentibus folia, nec fructum: sancti autem & fructu gloriæ ornabuntur, & folijs vestientur æternæ vitæ. *Hom. 34. de diuersis.*

Cogemis. Tantum si causa dicenda sit apud iudicem terrenum, quæ aliquem metum ex legibus habere videatur: non ex omnibus vigilijs excubatur, aduocatu patrono munera præparantur, etiam si anceps periculum sit, aut etiam iustius notæ metus, vel damni ratio? Nos quare non credimus, quod omnes astabimus ante tribunal Christi, vt reportet vnusquisque propria opera prout gessit, siue bona, siue mala? *Hom. 5. Leuit.*

IVDICIVM TEMERARIVM.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

IVdicium Temerarium, seu suspiciosum est, cum aliquis iudicat de his, quæ sunt dubia, vel occulta, propter aliquas leues coniecturas, *secundum B. Thom. 2. 2. q. 60. art. 2.*

SENTENTIÆ BIBLICÆ.

Iudicium temerarium prohibetur.

Nolite iudicare, & non iudicabimini. *Matth. 7.*

Nolite ante tempus iudicare. *1. Cor. 4.*

Quid mihi de his, qui foris sunt, iudicare? *Ibid. 5.*

Numquid Deus vestro indiget mendacio, vt pro illo loquamini dolos? Numquid faciem eius accipitis, & pro Deo iudicare nitimini? *Iob. 13.*

Si vere vtique iustitiam loquimini, recte iudicate filij hominum. Etenim in corde iniquitatem operamini in terra, iniustitias manus vestræ concinnant. *Psal. 58.*

Venit enim Ioannes neque manducans, neque bibens, & dicunt: Dæmonium habet. Venit filius hominis manducans, & bibens, & dicunt: Ecce homo vorax & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus. *Matth. 11.*

Si autem sciretis quid est, misericordiam volo, & non sacrificium, numquam condemnassetis innocentes. *12.*

Nolite iudicare secundum faciem: sed iustum iudicium iudicate. *Ioan. 7.*

Fortiter contemnitur.

Mihi autem pro minimo est, vt a vobis iudicer, aut ab humano die, sed neque me ipsum iudico. *1. Cor. 4.*

Qui me iudicat Dominus est. Itaque nolite ante tempus iudicare, quoad vsque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium: & tunc laus erit vnicuique a Deo. *ibid.*

Serio punitur.

Væ: qui dicitis bonum malum, & malum bonum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum. *Esa. 5.*

Nolite iudicare, & non iudicabimini. In quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini. *Matth. 7.*

Propter quod inexcusabilis es, ò homo omnis qui iudicas. In quo enim iudicas alterum, teipsum condemnas: eadem enim agis quæ iudicas. Existimas autem hoc, ò homo omnis qui iudicas eos, qui talia agunt, & facis ea, quia tu effugies iudicium Dei? *Roman. 2.*

Tu quis es? qui iudicas alienum seruum, Domino suo stat, an cadit. *14.*

Tu autem quid iudicas seruum tuum, aut in qua re spernis fratrem tuum? Omnes enim stabimus ante tribunal Christi. *ibid.*

Non ergo amplius inuicem iudicemus, sed hoc iudicate magis, ne ponatis offendiculum, vel scandalum fratri. *ibid.*

Tu autem quis es, qui iudicas proximum tuum. *Iac. 4.*

SENTENTIÆ PATRVM.

Temerarium iudicium plerumque nihil nocet ei, de quo temere iudicatur. Ei autem qui temere iudicat, ipsa temeritas necesse est vt noceat. *Aug. de serm. Domini in monte: & hab. 11. q. 3. can. Temerarium.*

Iniquum est, vt quis de alio iudicare velit, & iudicare de se nolit. *Idem in epist. ad Parentum comitem Arrian. & hab. 32. q. 6. Iniquum.*

Nolite iudicare. Hoc loco nihil aliud nobis præcipi existimo, nisi vt ea facta, quæ dubium est, quo animo fiant, in meliorem partẽ interpretemur. Quod enim scriptum est: A fructibus eorum cognoscetis eos, de manifestis dictum est, quæ non possunt bono animo fieri. Sunt quædam facta media, quæ ignoramus, quo animo fiant, quia in malo & bono fieri possunt: de quibus temerarium iudicare, maxime est, vt condemnemus.

Duo sunt in quibus temerarium iudicium cauere debemus, cum incertum est quo animo quid factum sit, vel incertum est qualis futurus sit, qui nunc vel bonus, vel malus apparet. *Idem con. Manichæos lib. 2.*

Ignorantia iudicis plerumque est calamitas innocentis. *Idem lib. 19. de ciuitate Dei.*

Temerarijs iudicijs plena sunt omnia. De quo desperamus, subito conuertitur, & fit optimus. De quo multum præsumpseramus, deficit & fit pessimus. Nec timor noster certus est, nec amor. Quid sit hodie quisquam homo vix nouit. Ipse homo tamen vtrumque ipse nouit, quid hodie, quid autem cras nec ipse. *Idem de pasto.*

Maxime hi temere iudicant, qui de meritis aliorum & facile reprehendunt, qui magis amant vituperare & damnare, quam emendare, & corrigere: quod vitium vel superbiæ est, vel inuidiæ. *Idem serm. Domini in monte.*

Non enim conscientiæ latebras hominibus scire aut iudicare permissum est, dicente scriptura. Homo in facie videt, Deus autem in corde, Deus solus intima & secreta circumspicit: sed manifesta est vox Domini monentis. A fructibus eorum cognoscetis eos. *Hieron. in epist. 5.*

Iudicet ille de alterius errore, qui non habet in se ipso quod condemnet: iudicet ille qui non agit eadem, quæ in alio putauerit esse punienda, ne cum de alio iudicat, in seipsum sententiam ferat. Iudicet ille qui ad pronunciandum nullo odio, nulla leuitate ducitur. *Amb. sup. illud. Beati immaculati.*

Debet quisque proprias virtutes perpendere, & pro qualitate virium curam aliorum suscipere, ne dum delectatur loco gloriæ, fiat subditis author ruinæ, & qui grauatur pondere suarum, velit

fieri

fieri iudex alienarum culparum, durum enim est, ut qui nescit tenere moderamina vitæ suæ, iudex fiat vitæ alienæ. *Greg. sup. illud Eccl. 7. Noli quærere fieri iudex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates.*

Hoc solet esse proprium infirmantium iudicium, vt tanto quempiam existiment iustum, quanto adipisci conspiciunt omne quod appetit, cum videlicet nouerimus nonnumquam bona terrena iustis subtrahi, quæ largo munere tribuuntur iniustis: & desperatis ægris medici quidquid poposcerint dari præcipiunt, & eos quos ad salutem reduci præuident, quod appetunt dari contradicunt. *Idem Mor. l. 26.*

Sunt aliqui qui de omnibus male iudicant, dicunt enim si quis studet & vacat humilitati, hypocrita est: si recreationi, gulosus est: si patientiæ, timidus est: si iustitiæ, impatiens est: si simplicitati, fatuus est: si prudentiæ, malitiosus est: si maturitati, phlegmaticus est: si iucunditati, dissolutus est: si religioni, singularis est: si societati, sęcularis est: si silentio & paci, dissimulator est: si aliorum correptioni, præsumptuosus est: si instat vigilijs & orationibus, indiscretus est: si dormitioni, somnolentus est: si prædicationi & aliorum saluti, appetitor laudis est: si desistat, negligens est: si haber gratiam hominum, adulator est: si adulari tenuit, dicitur quod superbus est.

In ambiguis Deo serua sententiam. *Idem, c. 15.*

POETICAE SENTENTIAE.

Terent. comœd. 3.

Ita comparatum esse natura omnium hominum.
Vt aliena melius iudicent quam sua.
Idque eo fit quod in re nostra sumus aut gaudio præpediti nimio aut ægritudine.

Martial. Epigram. lib. 12. ad Priscum.

Sæpe rogare soles qualis sim, Prisce, futurus,
Si fiam locuples simq; repente potens.
Quemquam posse putas mores narrare futuros?
Dic mihi, si fias tu leo, qualis eris?

Idem Epig. lib. 12. ad Zelotypam.

Cum tibi nota tui sit vita fidesq; mariti:
Nec premat vlla tuos sollicitetq; thoros:
Quid quasi pellicibus torqueris inepta ministris,
In quibus & breuis est, & fugitiua Venus?

Horat. serm. 1. lib. Satyr. 3.

Stultus, & improbus hic amor est dignusq; notari,
Cum tua peruideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitijs tam cernis acutum,
Quam aut aquila, aut serpens Epidaurius?

Ibidem.

Parcius hic viuit: frugi dicatur ineptus,
Et iactantior hic paulo est, concinnus amicis
Postulat vt videatur. at est truculentior atque
Plus æquo liber: simplex fortisq; habeatur:
Caldior est, acres inter numeretur opinor
Hæc res & iungit iunctos & seruat amicos.
At nos virtutes ipsas inuertimus, atque
Syncerum cupimus vas incrustare: probus quis
Nobiscum viuit, multum demissus homo illi
Tardo cognomen pingui damus: hic fugit omnes
Insidias nulliq; malo latus obdit apertum.
Cum genus hoc inter vitæ versetur, vbi acris
Inuidia, atque vigent vbi crimina, pro bene sano,
Ac non incauto fictum astutumque vocamus,
Simplicior si quis, qualem me sæpe libenter
Obtulerim tibi Mecœnas vt forte legentem,
Aut tacitum impellat quouis sermone molestus,
Communi sensu plane caret, inquimus eheu:
Quam temere in nosmet legem sancimus iniquam.
Nam vitijs nemo sine nascitur: optimus ille est,
Qui minimis vrgetur.

SENTENT. PHILOSOPH.

Vnusquisque bene iudicat, quæ cognoscit, & horum est bonus iudex. *Arist. 5. Ethic.*

Melius est iudicare secundum leges & literas, quam ex propria sciētia vel sententia. *Idem l. 2. Politic.*

Turba multa melius iudicat, quam vnus tantum. *Idem lib. 2. Politic.*

Dubitare de singulis, non est inutile. *Idem lib. Prædicamentorum.*

Ex victu multæ trahuntur suspiciones. cum quemadmodum, apud quos & a quibus educatus & eruditus sit, quæritur, & quib. cum viuat, qua ratione vitæ, quo more domestico viuat. *Cic. Rhet. veterum lib. 2.*

Imago animi est vultus, iudices oculi. Nam hæc sunt vna pars corporis, quæ quot animi motus sunt, tot significationes possunt efficere. *Idem de Orat. lib. 2.*

Esse autem occultissimæ profundissimæque rei humanæ conscientiæ iudex nolim, & possunt omnes Deo largiente bene viuere. *Franc. Petrar. l. 1. de Vita solitaria.*

De Iudice, Iudicijs diuinis & humanis.

SENTENTIAE quædam HISTORICAE.

Nihil ad animum libertatis studiosum comparari potest: sic homo alienus ab auaritia, nec vlli rei mancipatus, sed ingenuus nemini personam acceptat, non excelso loco conspicuus metuit, neminem formidat: dixeris eum esse volucrem aquilam, celerem, sublimia petentem, nullis terrenis rebus addictam. Si puram habeas mentem, & literis superiorem, si donorum captione animū non sordidaueris, reges non formidabis, plebem non reuereberis, non eximios, & magna potentia præditos metues. *Constant. Manass. in Annal.*

Nemo credit eos, qui vim inferre possunt, si iudicum munere funguntur, ex iustitia agere: verum hæc omnium est opinio, speciem eos, ac quasi adumbratum quoddam exemplar Reipub. propter verecundiam veritati actionum suarum prætendere, ac sub iudicij nomine cupiditatem suam explere. *Dion. lib. 52.*

Hoc plerumque facimus, vt consilia euentis ponderemus, & cui quid bene processerit, multum illum prouidisse, cui secus, eum nihil sensisse dicamus. Sic fit, vt sæpenumero quæ à consilio profecta sunt fortunæ, & quæ à fortuna consilio tribuamus. *Fr. Guicciard. hist. lib. 14.*

Acerbis iudicijs ciuitas vastatur magis quam corrigitur. *Sallust. in Fragm.*

De Præfectorum, Consulum, & Senatorum capitibus, mancipia ære empta iudicare non debent. *Lamprid. in Alex. Seuero.*

Quis Dei iudicia, vel addendo, vel detrahendo immutabit. *Nicet. in Ioan. Comn.*

Quia ineffabilia sunt Dei iudicia, quæ nec scire omnia, nec explicare, quæ scimus possemus, breuiter expresserim, correptionem iudicis Dei, quoquo pacto accidat, iuste sustinere qui sciunt, iustè sustinere qui nesciunt. *P. Oros. hist. l. 7. c. 45.*

Quemadmodum clades populis à Deo immittuntur: ita etiam nō nisi placato Numine eædem propulsari queunt. *G. Pachim. histor. lib. 10.*

Ad defuncti Alexandri VI. Pontificis Rom. veneno suis ipsius artibus extincti, spectandum corpus, in D. Petri templum vrbs tota incredibili cum gaudio accurrit, nec cuiusquam oculi dracone illum, qui immoderata ambitione, & pestifera perfidia, omnibusque horrendæ crudelitatis, monstrosæ libidinis, & inauditæ auaritiæ exemplis, sacris, atque profanis rebus absque discrimine vēditis, vniuersum orbem venenis infecerat, extinctum spectando expleri poterant, qui nihilominus ab ineunte ætate, ad extremū vsque vitæ suæ diem singulari, ac pene perpetua felicitate, maximaque semper appetens, & plura quam optaret perpetuo adipiscens elatus fuerat, quod exemplum, ad illorum, qui humanorū oculorum imbecillitate diuinorum iudiciorum arcana se videre arbitrantes, quicquid mortalibus, vel fausti, vel aduersi accidit, ex bene maleve factorum causis manare aiunt, arrogantiam retundendam potentissimum est: quasi non quotidie multos bonos iniustè vexari, & contra, plerosque improbos ad non meritos honores euehi cerneremus: quasi secus interpretādo, de Dei iustitia potentiave detraheretur, cuius amplitudo breuibus, ac præsentibus terminis minimè inclusa, alio tempore, & loco, larga manu, æternis præmijs, atque supplicijs, iustos ab iniustis discernit. *Fr. Guicciard. l. 6.*

Siue timidum pro cauto, tardum pro considerato, imbellem pro perito belli vocent; malo te sapiens hostis metuat, quam stulti ciues laudent. *Liu. Decad. 3. l. 2.*

Quum post fabricam ornatumque mundi huius, homo, quem rectum, atque Immaculatum fecerat Deus: ac perinde humanū genus, libidinibus deprauatum peccatis absorbuisset, continuo iniustam licentiam iusta punitio consecuta est. Sententiam creatoris Dei, & iudicis peccanti homini, ac terræ propter hominem destinatam, semperq; (dum homines terram habitauerint) duraturam, omnes inuiti licet, aut probamus negando, aut confitendo toleramus: obstinatisq; mentibus tellis sibi infirmitas sua inuerit, quibus fidelis scriptura non suaserit. *P. Oros. inst. l. 1. c. 3.*

Homines ea euentu fortunæ: quæ prius consulta sunt, iudicant. *Procop. de bel. Vandalic. lib. 1.*

Mali oculis iustitiæ diuinæ sunt expositi, & quamuis aliquamdiu pœnas effugiant, tamdem tamen supplicia maiora luunt. *Constant. Manass. Annal.*

Oculus ille, qui occulta perspicit, omnia intelligit, corda indicat, ad Irenam imperatricem, quæ Constantinum filium cæcauerat, se conuertit, eam adspexit, feruore quodam accensus est, grauiter molestèq; facinus eius tulit. quumque perexiguum ad tēpus Imperij voluptatem illa degustasset, amarum flagitio pollutæ craterem, suæ iræ fæces miscuit. Quippe concitata seditione Imperio deiecta est, pro voluptate molestias cot exedentes consequuta, molestias inquam non tam appellandas molestias, quam calamitatum filij stimulus. Quare deinceps mare afflictionum hauriebat, tamquam paupercula mulier, & nendo victum quærens. Eiusmodi efficere vitæ mortalis inconstantia consueuit, & hoc modo Deus iniuriarum aucturibus mercedem tribuit. *Idem.*

Nihil

Nihil omnino diuinos oculos fugit: & Deus superbis mercedem suam tribuit. *idem.*

Oportet eum qui rectè iudicaturus sit de scriptoribus, non secundum omissa, sed secundum dicta iudicare. Et si quid in istis mendacij deprehenderit, scire, quod illa propter ignorantiam omiserint, si verò quicquid dixere verum extiterit, id illis concedere, quod ea, quæ tacuerunt, non per ignorantiam, sed iudicio tacuerint. *Polyb. hist. lib. 6.*

Est receptum vsu, vt ij qui perierunt, in reprehensionibus omnium sint: qui vicerunt, honoribus afficiantur. *Dion. l. 48.*

Nec visum hominem, nec auditum, damnare, nefas vltimum est. *Amm. Marcel. lib. 15.*

APOPHTHEGMATA.

Diogenes cuidam ad ostentationem ingenij multa de rebus cœlestibus differenti. Quam nuper, inquit, de cœlo venisti? Socratem in hoc retulit, cuius est illud: Quæ supra nos, nihil ad nos. *Laert. lib. 6.*

Anacharsis admirabatur, qui conueniret, vt artifices apud Græcos certarent, sed de his iudicarent, artis expertes? Sentiens, de arte quacumque neminem melius ferre iudicium posse, quam ipsum artificem. Certabant in theatro histriones, cantores, & gladiatores, quorum artes populus nequaquam intelligebat: nihilominus tamen alijs applaudebant, alios explodebant. *Laert. lib. 1. cap. 9.*

Stratonicus. Ptolemæo rege de musica cum ipso differente: Aliud est, inquit, ò rex sceptrum, aliud plectrum. Significans non esse regium de musica cum musico disputare. *P. M lib. 6. apoph.*

Idem Minacco fabro secum de musica disceptanti: Non animaduertis, inquit, te supra malleum loqui? Castigauit hominem de rebus sibi ignotis, & incognitis loquentem. *idem.*

Idem in eum, qui quum prius fuisset olitor, postea factus musicus, de arte secum contenderet, pronunciauit senarium Græcum vulgo celebrem.

> A δοιτο [...] ἕκαστος εἰδείη τέχνην.
> *Quam quisque nouit artem, eam exerceat licet.*

Idem. Zetho de musica differenti: Te vnum, inquit, nequaquam oportet de musica loqui, qui tibi nomen omnium a Musis alienissimum elegeris, teipsum pro Amphione appellans Zethum. Amphion, vt est in fabulis, cantu cytharæ condidit Thebas, at Zethus frater rusticus fuit. Apparet illum sibi mutasse nomen. *P. M. l. 6. apoph.*

Anonymus. Psaltes quidam apud Antigonum artis suæ specimen edebat. Quum vero sæpius Antigonus diceret: Constringe nethen, & rursus mediam: indignatione commotus, respondit: Auertant, ò rex, à te Dij malum hoc, vt me melius, atque exquisitius hanc artem teneas. Iniquè tulit musicus eius reprehensionem, qui à musices studio planè alienus erat, indignum esse putans, artificem reprehendi ab eo, qui manus fidibus numquam admouisset. *Ælian. lib. 9 de var. histor. & Plut. in apoph. de Philip. rege idem recenset.*

Hippomachus pugillandi magister, quum athleta quidam ex eius discipulis specimen exhiberet artis, & circumstans multitudo vniuersa acclamaret, percussit eum virga Hippomachus, his inquiens. Sed tu perperam, neque sicut oportebat fecisti, quod melius fieri debebat. Nam si quid artificiosum præstitisses, non hi te collaudarent. Innuens, eos qui vnumquodque ritè gerunt, ac administrant, non multitudini, sed ijs tantum, qui rei notitiam aliquã haberent, placere oportere. Videtur & Socrates populi iudicium repudiare in colloquio ad Critonem, cum Crito, veniens ad eũ in carcerem, suaderet vt effugeret, & Atheniensium contra se iudicium corrumperet. *Ælian. lib. 2. de var. hist.*

Apelles tabulas in pergula proponere solebat, postque eas latitans, quid prætereuntes reprehenderent auscultabat: Sutor quidam reprehendit, quod in crepidis pauciores vna intus fecisset ansas, tulit hoc tacitus Apelles, postridie quum idem circa crus aliquid notaret, Apelles indignatus prospexit, denuncians illi. Ne sutor vltra crepidam iudicaret. Quod & ipsum in prouerbium abijt. *Brus. l. 10. c. 10.*

Zeuxis. Megabyzus quum aliquando picturas temuiter, & rudíter confectas laudibus extolleret: alias verò cum summa industria elaboratas reprehenderet: pueri Zeuxidis eum deridebant. Zeuxis itaque: Cum taces, inquit, Megabyze, nescio quid magni de te sibi pueri hi pollicentur, respiciunt enim ad vestem, & cultũ tuum: Simul ac verò artificiosum vis dicere, te contemnunt. Parcior igitur, & consideratior sis in laudandis compescens linguã, neque cuiusquam, quæ nihil ad te attinent, opera vel artem collaudes. *Ælian. lib. 2. de var. histor.* Sed hoc ipsum *Brujon. lib. 3. c. 16 & P. M. lib. 6. apoph.* Apelli adscribunt: Plinius autem pro Megabyzo ponit Alexandrum Magnum.

Polycletus insignis statuarius, eodem tempore duo simulachra fecit: alterum ad arbitrium plebis, alterum iuxta peritiæ artisque normam. Gratificatus verò plebi hoc modo est. Ad singulorum accessum transposuit & commutauit aliquid morem gerens vniuscuiusque voluntati & correctioni. Itaque proposuit vtrumque. Et alterum quidem omnes admirationi, alterum ludibrio ac risui habuerunt. Respondens autem Polycletus: At hoc, inquit, quod vituperatis & reprehenditis, à vestra arte profectum est: quod vero suspicitis, ego mea facultate sum fabricatus. *Ælian. l. 14. de var. hist.*

Anonymus. Romæ in foro pendebat tabula quædam, habens imaginem pastoris vetuli cum pedo: de hac Teutonum orator rogatus, quanti eam æstimaret? satis Germanicè respondit: Se malle sibi viuum dari talem viuum, aut verum. Non spectauit artificium pictoris, sed formam tantum, nec potuit etiam iudicare de re sibi ignota melius. *P. M. l. 8. apoph.*

SIMILITVDINES.

P. M. Sicut pyramis, quam Rhodope meretricula Aesopi conserua construxit pecunia corporis quæstu collecta, maiori miraculo, famaque fuit quam cæteræ regum pyramides: Ita vehementius miramur, si quid rectè faciunt, a quibus tale nihil expectabatur: velut si quis Hollandum videat peritum equitem, aut frugalem Anglum. *In Simil.*

In pantheris, quod speciosissimum esse oportuit, id celandum est, vt placeat, reliquo corpore maculis picturato: Ita in quibusdem omnia placent, præter vitam quod est totius negocij caput. *In simil.*

Chrysostomi. Si quis solem authorem tenebrarum existimat, soli an sibi detrahit? Sibi videlicet: Ita qui bonos prauos arbitratur. *Homil. 88.*

Velut qui assidue inebriatur, haud facilè credere posset, esse quempiã hominem sobrie frugaliterq; viuẽtem. Qui scortis indulget, etiã pudicè viuentes habet pro incontinentibus. Rursus qui res rapit alienas, non facile persuadebitur, esse homines qui sua quoque profundant. Similiter & hic semel occupatus ira, haud quaquam facile crediderit esse hominem vsque adeo suis affectibus superiorem, vt non modo nihil læderet, verum & eum qui læserat, seruaret. *Hom. 2. Magnum esse bonum, &c.*

Herodoti. Vt aurum homines arte Lydio lapidi affricantes, quod præstantius est, cognoscunt: Hominem autem probum nemo potest sic secum animo perpendens discernere. *Apud Stob. ser. 26.*

Plutarchi. Vt pueri quidam admirantur ac felices iudicant nebulones miseros cum in scena saltant, aureis induti: Sic stulti felices existimant diuitijs onustos. *In Moral.*

Scarabei fugiunt vnguenta, delectantur fœtoribus: Sic nonnullis pessima pro optimis placent. *In Moral.*

Plinij. Quemadmodum de Carthaginensibus dictum est quod ad tecta pice, ad vina calce vterentur: Ita quidam præpollere rebus vtuntur, amicis asperi, supplices inimicis. Carthaginenses pice linebant parietes, cum vasa picari soleant, & multa calce condiebant. *Apud P. M.*

ADAGIA.

Mali principij malus finis. ἀρχῆς κακῆς τέλος κακόν.
Hoc est: Quale consilium talis euentus siue exitus negocij.

Moa scietemus melius vate. Τάχ' εἴσεσθα [...] ὡς ἡμεῖς ἀμείνον.
Ad eum modum dicebant, qui rem non coniectura diuinabant, sed experimento deprehendere tentarent.

Cocta numerabimus exta.
Hoc est: Ex euentu sciemus.

Res indicabit. αὐτὸ δείξει.
Subaudi, τοὔργον. Cum significabimus experimento exituq; perspici sermonis veritatem Ouid.

Exitus acta probat. Das vverck zeigt seinen Meister. *item.* das Endt muss den Last tragen.

Magistratus virum indicat. ἀρχὴ τὸν ἄνδρα δείκνυσιν.
Sensus est: In vita priuata vix satis perspici, posse mores & ingenium hominis. Vvas der Mann Kan, zeiget das Ampt an.

Rem factam stultus cognouit.

Piscator ictus sapiet.

Post acerba prudentior.

Et aliud id genus. mit schaden vvird man vveyss. *item,* vvas verschrt, das lerht.

Pandis suffragium. Πανδὲς ψῆφος.
In eos torquebatur, qui stultè atque inerudite iudicarent. In genere autẽ conueniet in iudicia vulgi, cui fere semper pessima pro optimis placent.

In quinque iudicum genibus situm est. Ἐν πέντε κριτῶν γούνασι κεῖται.
Quum significabimus, non esse nostra facultatis præstare rei exitum, verum hunc superis & fortunæ in manu esse.

Sus tubam audiuit. σάλπιγγος ὗς ἀκούει.
In eos quadrabit, qui res quidem egregias audiunt, verum eas neque intelligunt neque mirantur. Aut in eos qui ijs quæ audiunt, neque gaudent, neque commouentur.

Quod iudex auro, id aurum homini.
In saxeis coticulis aurum exploratur, euidens præbens specimen, in auro vero proborum pariter & improborum deprehenditur ingenium.

Lydius

Lydius lapis, *siue*, Heraclius lapis. Λίθος Ἡρακλεώτης λίθος λυδή.
In eos dicitur qui vehementer acri, exactoque iudicio sunt. Adagium accommodari potest, vel ad personam, vel ad rem.

Gnomon, & regula.
De eo, quod in re quapiam est pracipuum, & ad quod vnum reliqua omnia conferuntur.

Emunctæ naris.
De eo, qui acri exactoque est iudicio, quasi purgatis naribus mucoq; emunctis. Contrarium designat adagium. Obesę naris.

Tenedius homo. Τενέδιος ἄνθρωπος.
Dici solitum de homine terrico formidabiliq; aspectu. Plut.

Tenedius patronus. Τενέδιος συνήγορος.
Dici solitum de eo, qui compendio causam expedit, litisq; nodum ceu ius disse-cat. Dictum a Tenedia securi.

Manum ferulæ subduximus.
Subduxisse manum ferula dicuntur, qui desierunt in ludo literario versari, neque iam vt pueri docendi, sed vtcunque docti sunt.

Nouit quid album quid nigrum.
Duplicem in sententiam accipi potest. Aut nouit discrimen recti prauique: aut nouit id quod nemo, vel indoctus ignorat. Er Kan vveiss vnnd schvvarz entscheiden.

Nouit mala & bona.
In eum, qui per ætatem verumque vsum, delectum iam habere potest fugiendorum atque expetendorum. Illud Homericum, congruet

Αἰ γὰρ νῦν χαίοι δ᾽ἄ ἕκαστα
Ε᾽σθλά τε καὶ τὰ χέρεια. Er Kennet savvres vnd suesses.

Purpura iuxta purpuram dijudicanda. ἡ πορφύρα πρὸς τὴν πορφύραν διακριτέα.
Significatur, certissimum iudicium ex collatione nasci.

Alba amussis. λευκὴ στάθμη.
Dicitur in eos qui nullo sunt iudicio, vel in stupidos, vel in eos, qui incertis probant aut significant incerta.

Lesbia regula. ὁ Μολύβδινος κανών.
Dicitur, quoties prapostere non ad rationem factum, sed ratio ad factum accommodatur, & cum lex moribus accommodatur, non mores ad legem emendantur.

Nasus, nasutus.
Ipse denique, nasus in prouerbium abijt, pro iudicio. Horat.

Non quia nullus
Illis nasus erat.

Faciunt huc etiam alia nonnulla adagia, qua partim citamus, partim alibi citabimus, qualia sunt,

Auris Batauа.
Coruus albus.
Cœci præscriptio.
Censoria virgula, &c.

IVRAMENTVM.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

IVramentum, siue iusiurandum, Græce ὅρκος, ὀμνύω, ὀρκίζω, iuro dicitur. Est autem assertio vel negatio de aliquo licito possibili, & honesto, sacræ rei attestatione firmata, *secundum Goffred. Host. & Archidiac.*

Iuramentum est duplex, scilicet assertorium, quod est de præsenti: & promissorium, quod est de futuro. *secund. B. Thom. secun. secunda, quæst. 89. art. 4.*

Iurare est Deum in testem vocare, & est actus latriæ. *Vnde Hieronym. super Matth.* Qui iurat, aut veneratur, aut diligit eum per quem iurat. *Ex B. Thom. ibid.*

Iuramentum, iusiurandum, affirmatio vel negatio rei alicuius sacra attestatione firmata, sancta & religiosa affirmatio. Heb. *Schebuhhah*, à verbo *Schabahh*. Iurauit, repetendo septies verba iuramenti, vel quod initio in iuramentis adhibebantur septem testes, vnde Abraham cum iuraret regi Abimelecho in *Berscheba*, statuit septem agnas quas eidem dedit propter confirmationem iuramenti & fœderis initi. *Genes.* 21. Alij, deducunt ab eodem verbo, sed in prima coniugatione passiua, *Nischbbahh*. i. iurauit cum affectu vehementi: nam iurare non est res leuis, sed dura, & fit cum passione quadam, vel quod nemo debeat temere iurare, nisi à magistratu coactus, aut propter vtilitatē proximi, aut ad tuendam veritatem.

Iusiurandum quidam volunt dictum, quasi Iouis iurandum. Per summum enim Deum concipiendum est illud. Exstat apud Ciceronem conueniens huic proposito versus Ennij, fides alma apta pennis, iurandum Iouis. De Iuramento alij ita: Iuramentum à iuro: iuro autem à iure. Quid enim aliud iurare quam promittere, adhibitis reibus, nos rem promissam obseruaturos, ac si ius esset? *Hæc etymologicon trilingue Lugduno editum anno 1607.*

Iuramentum vel iusiurandum est religiosa asseueratio ab ipso Deo instituta, facta cum inuocatione nominis Diuini, ob res licitas legitime concepta, qua petimus vt Deus, tanquam testis dictorum puniat fallentes: qua quidem asseueratione vti licet, tum etiam cum aut Dei gloriç, aut proximi dilectio id exigit, quo veritas ita patefiat, & controuersiæ inter homines tollantur.

Institutum Dei legitur. *Exod.* 21. 11. *Deut.* 6. 13. & 10. 20.

Nominis eius inuocatio, *Ierem* 4. 2. & 12. 16. 1. *Reg.* 17. 1. & 2. *Reg.* 5. 16. & 2. *Cor.* 1. 22.

Eleuatio manuum in iuramento. *Genes.* 14. 22. *Daniel.* 12. 7. *Apocalyp.* 10. 5. 6.

Ob res licitas legitime concipiendum est. *Ierem.* 4. 2.

Continet imprecationem aduersus fallentes. 1. *Regum* 8. 31. 32. 2. *Corinth.* 1. 22.

Licitum quale. *Deut.* 6. 13. & 10.

Finis iuramenti. *Exod.* 22. 10. 11. *Hebr.* 6. 16.

Loca Biblica.

Iusiurandum, *Ios.* 6. v. 22. & 9. 18. non falso nec temere iurandum, *Exod.* 20. v 7. *Leuit.* 19. v. 12. *Deut.* 5. v. 11. *Zach.* 5. v. 3. 5. *Matth.* 5. v. 34. & 13. v. 16. 18. 20. 21. *Iac.* 5. v. 12. Iurisiurandi falsi expiatio, *Leuit.* 5. v. 5. 6. Iurisiurandi finis, *Hebr.* 6. v. 16. Iurisiurandi in nomine Dei indirectè concepti formulæ, *Ruth.* 1, 17. 1. *Samuel.* 1. *vers* 26. & 3. 17. & 14. v. 39. 44. 45. & 17. v. 56. & 19. v. 6. & 20. *vers* 12. 13. & 24. v. 7. & 25. v. 22. 26. 34. & 26. v. 16. & 28. v. 10. & 29. v. 6. 2. *Sam.* 2. v. 27. & 3. v. 9. 35. & 4. v. 9. & 11. v. 11. & 12. v. 5. & 14. v. 11. 19. & 19. v. 13. 1. *Reg.* 1. v. 29. & 2. v. 23. 24. & 17. v. 1. 12 & 18. v. 10. 15. & 22. v. 14. 2. *Paralip.* 18. v. 13. 2. *Reg.* 2. v. 2. & 3. v. 14. & 2. v. 4. 6. & 4. v. 30. & 5. v. 10. 20. & 10. v. 31. *Ierem.* 12. v. 16. *Matt.* 5. v. 34. Iurisiurandi Deo peculiaris formula, *Esaia* 49. v. 18 & 62. v. 8. *Ierem.* 51. v. 14. & 22. v. 24. & 40. v. 18. *Ezech.* 5. v. 11. & 14 v. 6. 18. 20. & 17. v. 16. 19. & 18. v. 3. & 20. v. 3. 31. 33. & 33. v. 11 27. & 35. v. 6. 11. *Soph.* 2. 9. Iurisiurandi religio. *Iudic.* 21. 18. 2. *Paralip.* 36. v 16. *Ezech.* 17. v. 16. 18. 19.

Iurare quatenus liceat, vel non liceat, & quam varijs modis contingat, *Gen.* 14. 22. 21. 24 & 22. 16. & 24. 3. & 25. 33 & 26. v. 3. 31. 53. & 24 15. & 47. 31. & 55. *Exod* 13. 19. & 20. 7. & 22. 11 & 23. 13. *Leuit* 5. v. 4. & 19. v. 12. *Num.* 14 v. 21 & 30 1. &c. *Deut.* 6. v. 13. & 7. *ver* 8. & 10. 20 *Ios.* 1. 12. & 6. 22 & 9. 15. & 23. 7. *Iudic.* 21. v. 17. 18. & *Sam.* 14. 24. & 19 6. & 24. v. 23. & 25. v 34. & 28. 10. & 30. 15. 2. *Sam.* 3. v. 35. & 19. 7. & 21. v. 2 17. 1. *Reg.* 1. v. 13. 29. & 2. 8. & 8. 31. & 19. 2. 2. *Paralip* 6. 22. & 15. v. 14. & 36 11. *Esd.* 10. 5. 2. *Esd.* 10. 29. *Iudith.* 1. v. 12. *Iob* 27. 1. *Ps.* 14. v. 4. & 23. 4. & 26. 12. & 88. 4. & 94. v. 11. & 101. 9. & 109. 4. *Eccles* 23. v. 9. 17. *Esa* 14 24. & 19. 18. & 45. 23. & 49. 18. & 54. 9. & 65. 15. *Ierem.* 4. 2 & 5. v. 2 7. & 12. 16. & 22. 5. & 44. 6 & 51. 14. *Osea* 4. 15. *Amos* 6. 8. & 8. 7. *Sophon.* 1. 5. *Zachar.* 8. 17. *Mat.* 5. 33. & 23. v. 10. 16. 26. 21. 22. *Heb.* 6. v. 13. 15. *Apocal.* 10. 6. Iurandum non est temere, *Matth.* 5. 34. Iuramentum est cultus diuini species, *Esaia* 45. 23. & 48. 1. ideo synecdochicōs, pro toto Dei cultu sumitur, *Psalm.* 63. 10 *Ierem* 4. 2. *Vide Esa.* 45. 23. *Roman.* 14. 11. *Philipp.* 2. *versic.* 10. 11. per Dei nomen iurandum, *Deuter.* 6. 13. & 10. 29. *Ios.* 23. 7. *Esaia* 65. 16. *Ierem.* 5. 7. & 12. 16. nō per idolorum nomina, *Exod.* 23. 13. Iurare, pro iuramento dare, *Genes.* 50. *versic.* 24. 25.

Sententiae Biblicae.

Iuramenti vani deuitatio: Quia prohibitum.

Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum. Nec enim habebit insontem Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra. *Exod.* 20.

Et per nomen externorum Deorum non iurabitis. 23.

Anima quæ iurauerit, & protulerit labijs suis, vt vel male quid faceret, vel bene, & non fecerit, & idipsum iuramento & sermone firmauerit, oblitaque post ea intellexerit delictū suum, agat pœnitentiam pro peccato, & offerat de gregibus agnam siue capram, orabitque pro ea sacerdos, & pro peccatis eius. *Leuit.* 3.

Non vsurpabis nomen Dei tui frustra, quia non erit impunitus qui super re vna nomen eius assumpserit. *Deut.* 5.

Iterum audistis, quia dictum est antiquis, Non periurabis, reddes autem Domino iuramenta tua. Ego autem dico vobis non iurare omnino, neque per cœlum, quia thronus Dei est, neque per terram, quia scabellum est pedum eius. Sit autem sermo vester: est, est: non, non: quod autem his abundantius est, a malo est: *Matth.* 5.

Væ vobis duces cœci, qui dicitis: Quicunque iurauerit per templū nihil est: qui autem iurauerit in auro templi, debitor est. Stulti & cœci, quid est maius aurum an templum, quod sanctificat aurū? Et quicumque iurat in templo, iurat in illo, & in eo, qui habitat in ipso. Et qui iurat in cęlo, iurat in throno Dei, & in eo, qui sedet super eum. 23.

Quia

Quia periculosum.

Non periurabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui, ego Dominus. *Leuit.* 19.

Iurationi non assuescat os tuum, non multi enim casus in illa, Nominatio vero Dei non sit assidua in ore tuo, & in nominibus Sanctorum non admiscearis, quoniam non eris immunis ab eis, *Ecclesi.* 23.

Vir multum iurans implebitur iniquitate, & non discedet a domo illius plaga. Et si frustrauerit fratrem, delictum illius super ipsum erit: & si dissimulauerit delinquit dupliciter: & si in vacuum iurauerit non iustificabitur. *Ibid.*

Sermo crebro iurantis horrorem incutit, & aures obtundit contentio eallum. 27.

Ante omnia autem fratres mei, nolite iurare, neque per coelum, neque per terram, nec aliud quodcumque iuramentum. Sit autem sermo vester est, est: non, non: vt non sub iudicio decidatis. *Iacob.* 5.

Iuramenti necessarij qualificatio.

Dominum Deum tuum timebis, & illi soli seruies, ac per nomen illius iurabis. *Deut.* 6.

Audite hęc domus Iacob, qui iuratis in nomine Domini. & Dei Israel recordamini non in veritate, neque in iustitia. *Esa.* 48.

Et qui iurat in terra, iurabit in Deo amen 65.

Et iurabis, Viuit Dominus, in veritate, & in iudicio, & in iustitia. *Ierem.* 4.

Abrahæ namque promittens Deus, quoniam neminem habuit, per quem iuraret maiorem, iurauit per semetipsum. *Heb.* 6.

Homines enim per maiorem sui iurant: & omni controuersiæ eorum finis ad confirmationem, est iuramentum. *Ibid.*

Patrum Sententiae.

Ita ergo pręcepisse Dominum intelligitur, ne iuraretur, ne quisquā sicut bonum appetat iusiurandum, & assiduitate iurandi ad periurium per consuetudinem dilabatur. Quapropter qui intelligit non in bonis, sed in necessarijs iurationem habendam: refrenet se quantum potest, vt non ea vtatur, nisi necessitas cogat: videlicet cum videt pigros esse homines ad credendum, quod eis vtile est credere, nisi iuratione affirmetur. *Aug. de serm. Domini in monte. & hab.* 22. *q.* 1. *Ita ergo.*

Tu malum non facis, quia vteris non bene iuratione: quæ etsi non bona tamen necessaria est, vt alteri persuadeas quod vultet persuades, sed a malo est illius, cuius infirmitate iurare cogeris. *Idē de serm. Domini in monte. & hab.* 22. *q.* 1. *Tu malum.*

Quod Dauid iuramentum per sanguinis effusionem non impleuit, maior pietas fuit. Video Dauid pium hominem & sanctum in iurationem temerariam incidisse, & maluisse non facere quod iurauerat, quamuis iurationem suam hominis fuso sanguine adimplere. *Idem in Decollat. Sancti Ioannis Baptistæ. & hab.* 22. *q.* 4. *Quod Dauid.*

Ille qui hominem prouocat ad iurationem, & scit eum falsum iuraturum esse, vincit homicidam, quia homicida corpus occisurus est, ille animam, imo duas animas: & eius animam quem iurare prouocauit, & suam. Scis verum esse quod dicis: & falsum, qđ ille dicit, & iurare compellis. Ecce iurat: ecce peierat: ecce quid inuenisti? imo & tu perijsti, qui de illius morte satiari voluisti. *Ibid. & hab.* 22. *q.* 5. *Ille qui.*

Qui exigit iuramentum, multum interest, si nescit illum iuraturum falsum, an scit. Si n. nescit, & ideo dicit, Iura mihi, vt fides sit: nō est peccatum, tamen humana tentatio est: si autem scit eum fecisse, & cogit eum iurare, homicida est. Ille n. se suo periurio interimit, sed iste manum interficientis impressit & pressit. *Idem in ser. de Periurijs. & hab.* 22. *q.* 5. *Qui exigit.*

Ecce dico charitati vestræ, & qui super lapidem falsum iurat, periurus est. Vnde hoc dico? quia multi etiam in hoc falluntur, & putant, quia nihil est per quod iurant, non se esse teneri periurij, prorsus periurus est: quia per id, quod sanctum non putas, falsum iuras. Si tu illud sanctum non putas, sanctum putat cui iuras: non enim quando iuras tibi aut lapidi, sed proximo tuo iuras, homini iuras ante lapidem, sed nunquid non ante Deum? non te audit lapis loquentem, sed punit Deus te fallentem. *Idem in serm. & hab.* 22. *q.* 5. *Ecce dico.*

In nouo testamento dictum est, ne omnino iuremus: quod mihi quidem propterea dictum esse videtur, non quia iurare peccatum est, sed quia peierare immane peccatum est, a quo longe nos esse voluit, qui omnino ne iuremus, commonuit. *Idem in epist. ad Publicolam, & hab.* 22. *q.* 1. *In nouo:*

Vt noueritis, verum iurate, non esse peccatum, inuenimus & Apostolum Paulum iurasse. Quotidie morior propter vestram gloriam fratres, quam habeo in Christo Iesu Domino nostro. Per gloriam vestram, iuratio est, non. n. sic ait: Per vestram gloriam morior, quasi vestra gloria me facit mori: quomodo si diceretur per venenum, per gladium, per bestiam, per inimicum mortuus est, intelligeretur faciente inimico, faciente gladio, faciente veneno mortuus est. *Idem: & hab. ibid. Vt noueritis.*

Quamuis dictum sit, ne iuremus, nusquam me in scripturis sanctis legisse memini, ne ab aliquo iurationem recipiamus. *Ibidem: & hab. ibid. Quamuis.*

Mouet te vtrum eius fide vtendum sit, qui vt eam seruet, per dæmonia iurauerit. Vbi te volo prius considerare, verum si quispiā per Deos falsos iurauerit se fidem seruaturum, & eam non seruauerit: non tibi videtur bis peccasse? si enim tali iurationi promissā seruaret fidem, ideo tamen peccasse iudicaretur, quia per falsos Deos iurauerit, se fidem seruaturum. Illud autem nemo reprehenderet, quia fidē seruauit. Nunc vero quia & iurauit, per quos non debuit, & contra pollicitam fecit fidem. quod non debuit bis vtique peccauit. Ac per hoc qui vtitur fide illius quem constat iurasse per falsos Deos, vtitur non ad malum, sed ad bonum & licitum, non peccato illius se sociat qui per dæmonia iurauit. *ibid. & hab. ibid. can. Mouet.*

Nec credo Sacramentum ad hoc debere fieri, vt iniusta iuratio suorum bonorum fit iniuste iurantibus expoliatio, & accipiendi æterna damnatio. Periurij namq; percutitur pęna, & velut homicida in extremo examine a iusto iudice degrandinabitur, per quē sacrosanctum Euangelium ad iniustū, & illicitum, Deo minime amabile, quasi testimonium iustæ & humanæ petitionis, adducitur. *Idem Seuero episc. & hab.* 22. *quæst.* 4. *can. Inter cætera.*

In dolo iurans, qui aliter facturus est quam promittit: cum periurium sit, nequiter decipere credentem. *Idem super Psal. Domini est terra, & hab.* 22. *q.* 2. *can. In dolo.*

Non est contra præceptum Dei iuratio, quæ a malo non iurātis est, sed increduli, a quo iurare cogitur. Nam hic intelligitur ita Dominum prohibuisse a iureiurando, vt quantum in ipso est quisq; non iuret: quod multi faciunt, in ore habentes iurationem, tanquam magnum & suaue aliquid. *Idem sup. epist. ad Gal. & hab* 22. *q.* 1. *can. Non est contra.*

Si peccatum esset iuratio, nec in veteri lege diceretur. Non peierabis, Reddes Domino iuramenta tua. Non. n. peccatum nobis præciperetur. Item non vobis dicimus nos, Non iurare. Si n. hoc dicimus, mentimur. Quantum ad me pertinet, non iuro: sed quantū mihi videtur, magna necessitate compulsus, cum videro, nisi faciam, mihi non credi: & ei, qui mihi non credit, non expedire qđ non credit, hac perpensa ratione, & consideratione librata, cum magno timore dico, Coram Deo: aut. Testis est mihi Deus, aut, Scit Christus, quod sic est in meo animo. Et ideo quia plus est, id est, quia amplius est, quam Est est, non non, sed hoc quod amplius est, a malo non est iurantis, sed non credentis. *Idem serm.* 8. *& hab.* 22. *quæst.* 1. *can. Si peccatum.*

Dico vobis non iurare omnino, ne scilicet iurando ad facilitatem iurandi veniatur, de facilitate ad consuetudinem, de consuetudine in periurium decidatur. *Idem lib. de Mendacio.*

Et iurabunt: venit Dominus, in veritate & in iudicio, & in iustitia: & benedicent eum gentes, ipsumq; laudabunt. Quomodo ergo Euangelium iurare nos prohibet? Sed hic iuramentum pro confessione dicitur ad condemnationem idolorum, per quæ iurabat Israel. Denique offendicula auferuntur, & iuratur per Dominum Deum: quodque dicit. Viuit Dominus, in testamento veteri iusiurandum est, ad condemnationem mortuorum Deorum. per quos iurauit omnis idololatra. *Hieron. sup. Hieremiam: & hab.* 22. *questio.* 1. *can. Et iurabunt.*

Animaduertendum est, quod iusiurandum hos habeat comites, Veritatem, Iudicium, atque Iustitiam: si ista defuerint, nequaquam iuramentum erit: sed periurium. *Idem lib.* 2. *& hab.* 22. *q.* 1. *Animaduertendum.*

Considera, quod Saluator non per Deū iurare prohibuit, sed per cęlum & terram, & per Hierusalem, & per caput tuum, & hoc quia paruulis fuerat lege concessum, vt quando victimas Deo immolabant, ne eas immolarent idolis: sic & iurare permitterentur per Deum, non quod recte hoc facerent, sed quod melius est Deo id exhibere quam dęmonijs. *Idem super Matth. li.* 1. *& hab.* 22. *q.* 1. *Considerandum.*

Habemus in lege Dei scriptum, Non peierabis in nominę Dei tui in vanum. Ideo admonendi sunt omnes, vt diligenter caueant periurium, non solum in altari seu sanctorum reliquijs, sed in cōmuni loquela. *Idem: & hab ibid. can. Habemus.*

Iurauit Dauid temere, sed non impleuit iurationem maiore peierare. *Aug. ser. de Io. Bapt.*

Iuramentum est oratio confirmans per se veritatem, *Gregor. Nissen.*

Iusiurandū est testificatio Dei de re controuersa. Ita fugito iusiurādum, vt ne sanctè quidem iures. Ex frequenti iureiurando periurium nascitur. *Philo, apud Ant. serm. de iur.*

Multi solent monere alios, vt sanctè iurent, ego vero omnino ne ab initio quidem facile iurare licitum esse censeo: Morum probitatem iureiurando firmiorem habere oportet. *Eusib. eodem sermone.*

Non

Non penitus iure prohibuit, sed occasionem periurij, quod perfectius est, euitare docuit. *Greg. super illud Matth. Non periurabis.*

Si aliqua causa fuerit, modicū videtur facere qui iurat per Deum, qui autem per Euangelium, maius aliquid fecisse videtur, quib. dicendum est: Stulti, propter Deum scripturę sanctæ sunt, non Deus propter scripturas. *Io. Chryſ. & hab. 22. q. 1. can. Si aliqua.*

Iuramenti huiusmodi causa est: quia omnis qui iurat, ad hoc iurat, vt quod verum est, loquatur. Et ideo Dominus inter iuramentum & loquelam nostram nullam vult esse distantiam. quia sicut in iuramento nullam cōuenit esse perfidiam: ita quoque in verbis nostris nullum debet esse mendacium, quia vtrumq; & periurium & mendacium diuini pęna damnatur, dicente scriptura, Os quod mentitur, occidit animam. Quisquis ergo verum loquitur, iurat, quia scriptum est: Testis fidelis non mentietur.

Qui peierare paratus est, antequam iurat, iam periurus esse videtur, quia Deus non ex operibus iudicat, sed ex cogitationibus, & ex corde. *Idem. & hab. 22. q. 5. can. Iuramenti.*

Nemo est qui frequenter iurat, quin aliquando non peieret, sicut qui consueuit multa loqui, aliquando loquitur importuna. *Idem sup. illud Matth. 5. Dico autem vobis non iurare omnino.*

Quacunq; arte verborum quis iuret, Deus tamen, qui conscientiæ testis est, ita hoc accipit, sicut ille, cui iurat intelligit. Dupliciter autem reus fit: quia & nomen Dei in vanum assumit, & proximum dolo capit. *Ibid. & hab. 22. q. 5. can. Quacunque.*

Assiduitas iurandi periurij consuetudinem fecit: Vsus iurandi ad periurium inducit. Veritas iuramento non indiget: firma sit sacramenti tui fides. *Idem Soliloquio. lib. 2.*

Qui malum se facturum iurat, peccat, & melius est, tunc iuramentum frangere, quam implere, ita quod malum caueat quod iurauit, & nihilominus culpam agnoscat, in eo quod male iurauit. *Hugo de S. Victore lib. 1. par. 2. c. 14.*

Si aliquid forte nos incautius iurasse contigerit, quod obseruatum in peiorem vergat exitum: libere illud salubriori consilio mutandum nouerimus: ac magis instante necessitate peierādum nobis, quam pro vitando periurio in aliud crimen grauius esset diuertendum. *Beda in ho. 43. & hab. 22. q. 4. can. Si aliquid.*

POETICAE SENTENTIAE.

Phocylides.

Μήτ' ἐπιορκήσῃς, μήτ' ἀγνῶς, μήτε ἑκοντί.
Non iurabis neque pure neque sponte.

Pythagoras.

Σέβου ὅρκον.
Venerare iusiurandum.

Periander.

Ὅρκῳ μὴ χρῶ.
Iureiurando ne vtaris.

Menander.

Ἀνδρῶν δὲ φαύλων ὅρκον εἰς ὕδωρ γράφε.
Virorum autem malorum iusiurandum in aqua scribe.
Θεὸν ἐπιορκῶν μὴ δόκει λεληθέναι.
Deum peierans ne putes latere.
Ὅρκον δὲ φεῦγε κἂν δικαίως ὀμνύῃς.
Iusiurandum fuge etsi iuste iurares.

Tibullus lib. 1. eleg. 9.

Ah miser: & si quis primo periuria celat:
Sera tamen tacitis pœna venit pedibus.

Iuuenalis satyra 13.

Tam facile & pronum est superos contemnere testes,
Si mortalis idem nemo sciat, aspice quanta
Voce neget qua sit ficti constantia vultus,
Per solis radios Tarpeiaq; fulmina iurat.

Ibidem.

Sunt qui in fortunæ iam casibus omnia ponant,
Et nullo credunt mundum rectore moueri,
Natura voluente vices, & lucis & anni,
Atque ideo intrepidi, quæcunque altaria tangunt.

Ibidem.

Nullane periuri capitis fraudisq; nefandæ
Pœna erit? abreptum crede hunc grauiore catena.

Ibidem.

Spartano cuidam respondit Pythia vates:
Haud impunitum quondam fore, quod dubitaret,
Depositum retinere, & fraudem iure tueri
Iurando: quærebat enim quæ numinis esset
Mens, & an hoc illi facinus suaderet Apollo?
Reddidit ergo metu, non moribus, & tamen omnem
Vocem adyti dignam templo, veramq; probauit.
Extinctus tota pariter cum prole domoq;.
Et, quamuis longa deductis gente propinquis,
Has patitur pœnas peccandi sola voluntas.

Amphides.

Quisquis iuranti nihil credit,
Illum et facile peierare scit.

Sophocles.

Apposite iureiurando cautior & diligentior
Animus sit. A duobus enim sibi tum cauet;
Et ne lædat amicos, & ne peccet in Deos.

Apollodo.

Præsente flagello ne postules amplius iuramentum,
Qui iuramentum a malo viro postulas, insanis.

Ouid. 1. Amo.

Tantum periuria vita.
Non bene conducti vendunt periuria testes.

SENTENT. PHILOSOPH.

Leges Aegyptiorum mandant creditis absque scriptura mutuo pecunijs, si negarentur, stari debitoris iuramento, vt quæ iusiurandum veluti religiosam rem magni æstimarent. Nam cum certum sit ijs qui sæpius iurant, abrogari fidem, plurimi existimant, ne boni viri nomen amittatur, quod raro ad iuramentum descendere oporteat. Legislator insuper omnem fidem in virtute constituens, bonis morib. iudicauit homines assuefieri ad probitatem debere, ne indigni fide viderentur. Iniquum enim putauit, cū à quib. absque iureiurando credita pecunia esset, de re sua iurantibus non præstari fidem. *Diodor. Sicul. l. 2. c. 3.*

Sed iureiurando non qui metus, sed quæ vis sit, intelligi. Est enim iusiurandum affirmatio religiosa. Quod autem affirmate quasi Deo teste promiseris, id tenendum est, sed ad iustantiam & ad fidem pertinet. Est autem ius etiā bellicum fidesq; iurisiurandi sæpe hosti seruanda. Quod enim ita iuratum est, vt mens conciperet fieri oportere, id seruandum est, quod aliter, id si non fecerit, nullum est periurium.

Nec fides, nec iuramentum debet esse commune.

Non enim falsum iurare, peierare est, sed quod ex animi tui sententia iuraris, sicut verbis concipitur more nostro, id nō facere periurium est.

Nullum enim vinculum ad astringendam fidem, iureiurando maiores arctius esse voluerunt. Id indicant leges in XII. tabulis, indicant sacra, indicant fędera, quibus etiā cum honestate deuincitur fides, indicant notiones animaduersionesque Censorum, qui nulla de re diligentius, quam de iureiurando iudicabant. *Cic. lib. 3. de offic.*

Eatenus amicis & familiarib. auxilium est, quatenus periurium non admittitur. *Lycurgus.*

Iustum sanctumq. iuramentum omnibus maxime faciendum est. *Demosth. cont. Arist.*

Bonos viros decet, vt eos mores adferre videantur, qui sunt iureiurando firmiores. *Isocr. ad Demonic.*

Iuramentum tibi oblatum duab. de causis suscipe, vel vt teipsum suspicione liberes, vel vt amicos ex magnis periculis eripias. Pecuniarum vero gratia etsi vera dicturus sis nullum Deū iuraueris: sin minus, alijs periurus, alijs auarus videberis. *Ibid.*

Iuramentum deprecare, siquidem fieri potest omnino: sin minus saltem quo ad eius potest. *Epict. in Enchirid.*

Iusiurandum est cum diuina veneratione dictio probationis expers. *Arist. Rhet. ad Alex. c. 17.*

Iusiurandum si quis extenuare voluerit, debet dicere eosdem homines qui facinorosi Deos non cernere putant, putare quoq; se impune laturos si peierant. *Ibid.*

Iusiurandum probamus, si dixerimus neminem diuini supplicij, & humani metu peierare nolle, & homines latere posse, Deū non posse. *Ibid.*

APOPHTHEGMATA.

Thales, adultero sciscitanti, An abiuraturus esset adulterium? Non inquit, est periurium adulterio peius. Significare voluit vir sapientissimus, illum stulte dubitare de peierando, qui facinus periurio par non dubitasset committere. Eoq; in atrocioribus sceleribus nil ponderis habet iusiurandum. Quisquis enim audet dare venenum, audebit & cum periurio inficiari. Thaletis dictum recitatur a Laertio *l. 1. c. 1.*

Solon tantam morum probitatem inesse hominibus oportere dicebat, vt non opus esset ligare iuramento. *Max. serm. 33.*

Cleanthes dicebat iurantem eo ipso quo iurat tempore vere iurare aut peierare, nam si ita iuret, tanquam facturus, quod iusiurandum attinet, vere sancteq iurauit: sin proposito dissentiente, tanquam non facturus, peierauit. *Stob. serm. 28.*

Cleomenes, cum Argiuis septem dierum pactus inducias, cū obseruās deprehendisset illos tertia nocte indulgere somno, fiducia induciarū, adortus est eos, & alios interfecit, alios abduxit captiuos. Cæterum quum illi probro daretur violata iurisiurandi fides. De dieb. inquit, pactus sum, noctes non additæ sunt in iureiurando. Quanquam & alioqui, quidquid mali quis fecerit hostib. id & apud Deos & apud hoīes habetur iustitia præstantius: verum huic magnificæ voci non respondit euentus. Nā & vrbe, cuius gratia violarat cōuenta, frustratus est, eo ꝙ mulieres detractis è tēplis Deorū armis, illū vltæ sunt: perinde quasi Dijs ipsis, quos contēpserat, pęnas de ipso sumentib. Postremo versus in dementiā, ipse sibi gladio quodā fodit & incidit corpus a talis vsque ad loca vitalia,

talia,itaque vitam finijt,ridens ore deducto. In hoc apophthegmate nihil habes imitatu dignum, vule tamen exemplum ad vitandum iurisiurandi violationem. *Plut.in Lacon.*

Agesilaus. Barbaros,qui iurisiurandi religionem violassent, iis laudare,ac probare solebat,vt diceret eos nulla re magis Deos sibi infestos reddere,quam si sacrosanctum iusiurandum temere violarent. *Ælian.l.14.de var.hist.*

Pericles amico roganti,vt pro se falsum diceret testimonium,cui adiunctum erat iusiurandum,hoc est periurium,respondit: Se quidem amicum esse,sed vsque ad aram. Sentiens aliquousque gratificandum amicis,sed citra iuramenti violationem. *Plut.in apoph.*

Isocrates iusiurandum oblatum duabus de causis fide firmandum esse suadebat. Vel vt teipsum turpi suspicione liberes, vel vt amicos ex magnis periculis eripias. Pecuniarum verò gratia etsi iustam causam haberes, non per Deos iurandum, dicebat. *Stob. serm.25.*

Lycurgus eatenus amicis, & familiaribus auxiliandum esse dicebat, vt interim periurium non admitteretur. *ibid.*

Anaximenes. Alexander statuerat Lampsacum diruere: Ad id tendentem cum Anaximenes veniret obuiam extra muros, deprecaturus suæ ciuitatis perniciem, Alexander suspicans quid esset petiturus: Iuro,inquit,me non facturum quod petet Anaximenes. Tũ Anaximenes: Peto,inquit,vt Lampsacum diruas. Captus erat Alexander, & iureiurando compulsus est seruare quos demoliri statuerat. *P.M.lib.6.apoph.*

Populus Rom. Carbone pollicente quippiam, & addente iusiurandum cum execratione: populus vicissim iurauit, sese illi non credere. Probis viris, & iniuratis habenda est fides; leuibus, ne iuratis quidem. *P.M.lib.6.apoph.*

SIMILITVDINES.

Dionis Chrysostomi. Quemadmodum seruus qui continenter torquetur flagello,nihil imminuitur, aut immutatur: Sic homo qui iurat,& Deum nominat perpetuo,à peccato non repurgabitur.

D.Hieronymi. Quemadmodum Iudæi victimas immolabant Deo,ne eas idolis immolarent: Sic & iurare permittebatur in Deum, non quod rectè hoc facerent, sed quod melius esset Deo id exhibere, quam dæmonibus. Euangelica autem veritas non recipit iuramentum, cum omnis sermo fidelis, pro iureiurando sit. *In Matth.c.5.*

D.Augustini. Fac te ambulare in alto loco, vbi à parte dextra spaciosa est terra,nec vmquam angustias patiaris,a sinistris,præceps locus est,vbi eligis ambulare,super finem terræ in labio præcipitij,an inde longe? Puto inde longe. Sic & qui iurat,in fine ambulat, & ambulat pedibus infirmis,quia humanis. Si offenderis, deorsum is:si lapsus fueris,deorsum is. *de verbis Iacobi. Ante omnia nolite iurare serm.28.*

ADAGIA.

Iouem lapidem iurare.

Qui sanctè,& religiosè deierant. M.Tull.Cic in epist. Quomodo autem sibi placebis, Iouem lapidem iurans, cum scias iratum esse Iouem nemini posse.

Rhadamanthi iusiurandum. Ῥαδαμάνθυος ὅρκος.

Dicebatur quod verissimum quidem esset, caeterum nullum Deũ adscisceret.

Viri iurando,pueri talis fallendi. Ὅρκοις ἄνδρας, ἀστραγάλοις δὲ παῖδας ἐξαπατητέον.

Doces viros nulla re certius inuomi posse, quam iureiurando, quod nemo tam improbus esse credatur, qui id velit violare.

Venereum iusiurandum. Ἀφροδίσιος ὅρκος οὐκ ἐμποίνιμος.

Id est,Venereum iusiurandum non punitur. Sensus est: Amantium iusiurandum irritum esse,neque ad Deos quicquam pertinere tamquam secessum.

EXEMPLA BIBLICA.

Iuramenti tam boni,quam mali,violati,& inuiolati *exempla*: Abraham, *Gen.*14.*v.*22. Abraham & Abimelech,21.*v*23. Seruus Abrahæ,24.9. Esau,25.33. Abimelech, Ochozath, Phicol & Isaac,26.31. Iacob,31.*v*53. Ioseph,42.*v.*15.16 *&* 47.31. fratr. a Ioseph,43.3. Deus, *Num.*14.*v.*28 29.*&* 32.10. *Deut.*1.*v.*35.3 *&* 28. *vers.*3.*&* 27.3. *&* 29 *v.*13.*&* 30.20. exploratores Ierichuntis, *Ios.*2.12. Iosua cum principibus Israel,9.15. Moses,14.9 Israelitæ, *Iud.*21.1. *Amos* 8 14. *Soph.*1.4.5. Ruth, *Ruth* 1.17. Anna, 1.*Sam.*1.*v.*26. Eli, 3.17. Dauid,& Ionatha,20.*vers.*3.13.17. Saul,14 39.*&* 19.6.*&* 28.10. Populus Israel.14.45. Abner,17.5. Dauid,24.23.*&* 25.*ver* 22.34.*&* 30.15.2.*Sam.*3.35.*&* 4.9.*&* 12.5.*&* 19.*v.*23.1.*Reg.*1.*ver.*17.29. Achis,26.6. Ioab,2.*Sam.*2.27.*&* 19.7. Mulier Thecuites,14 19. Viri Dauidis,21.17. Salomon,1.*Reg.*2.*vers.*23.24. Elias,17.1.*&* 18.15. Mulier vidua,17.12. Abdias,18.10. Iezabel,19.7. Elisæus,2.*Regum* 2.*versic.*2.6.*&* 3.14.*&* 5.16. Vidua paupercula, 4.3. Giezi,5.20. Rex Syriæ,6.31. Godolias,2.*Regum* 25. *versic.*24. *Ieremias* 40.9. Iuda,2.*Paralipom.*15.14. Sacerdotes & omnis Israel, 1.*Esdr.*8.97. Nabuchodonosor, *Iudith* 1.12. Deus omnipotens, *Esaia* 14. 24. *&* 45.23.*&* 54 9.*&* 52.8.*&* 48.1. *Ier.*5.14. *Amos* 6.8.*&* 8.7. *Ezech.*16.7. *Act.*2 30. Iudæi, *Ier.*5 7. Sedechias, 38.16. Air indutus lineis, *Dan.*12.*v.*7. Herodes, *Matth.*14,*vers.*7. *Marc* 6.23. Petrus, *Matth.*26.72.74. *Marc.*14.*v.*71. Paulus, *Rom.*1.9.*&* 9.*v.*1.1.*Cor.*15.*v.*31. 2.*Cor.*1.23.*&* 11.31. *Gal.*1.20. *Philip.*1.*v.*8.1.*Thess.*2.5. *versi.*10.2.*Thess.*2.*v.*1. Angelus, *Apocal.*10.6.

EXEMPLA HISTORICA.

Veteres interdum, metu peierandi. Deorum nomina omittebant,& formula tantum iusiurandi contenti erant, ναὶ μὰ τόν. vel νὴ τόν. Interdũ simpliciter per ipsum ὅρκον vt *Pindarus* ναὶ μὰ τὸν ὅρκον, *eiusque Scholiastes. Bredeo recitante,in 3. Epigram.*

Apud Thebas Ægyptias (quæ vrbs antiquissima est omnium) maximum habet iusiurandum per Osiridem in Philis situm, omnibus Osiridis partibus, præter pudenda, ibi sepultis, *Diodor. lib.1.cap.2.*

Orpheus, si quis diuinam iustitiam attestari vellet per nomina octo iurare permisit,ignem,aquam,terram,cęlum,lunam,solem,phanem & noctem. *Alex.lib.5.c.10.*

Sunt apud Haliartios ad montem Tilphusium sub dio Dearum ædes, quas vocant Praxidicas, ac si vindices dicas; ad earum aram iusiurandum concipiunt,quod irritum neutiquam habent. *Pausanias in Boeoticis.*

Sophocles per Lapersas,hoc est,Castorem ac Pollucem: Persæ per Mithram,hoc est,solem: Lacones per Spartanos & Argiuos Deus, νὴ τὼ σιώ, per Geminos iurare solebant. *Alex l.5.c.3.*

Numa maximum iusiurandum Romanis statuit Fidem. *Plutarch. in Numa.*

Vestales si quando apud Romanos Sacramento adigebantur,non nisi per Vestam iurabant.

Romanis frequens fuit iusiurandum per Deos, & Deorum nomina, perque terram,mare & sidera,firmare fidem. *Idem.*

Pœni domi forisve semper per patrios Deos iurabant, *Alexand.lib.5.cap.10.*

Cappadoces per montem,quem pro Deo colunt. *Alex.*

Græcis per terram,per fontes, amnes fluentes sanctissimum iusiurandum fuit. *Alex.*

Massagetæ per Tanaim & Mæotidem paludem. *Idem.*

Scytæ per Ventum & Acinacem. Lucian.in Toxar.

IVS.

DEFINITIONES.

IVs,Græce δικαίωμα dicitur. Est autem ordinatio ciuilis societatis, *secund. Arist lib.Politicorum.* Vel sic.

Ius est,quod vel natura,vel ciuitas,vel populus,vel gens,vel consuetudo iubet.

Ius naturale est, quod vbique eandem habet vim, non quia sic videatur,vel non: *secund. Arist.ibid.*

Ius naturale est commune omnium nationum,eo, quod vbique instinctu naturæ,non constitutione habetur aliqua, *vt habetur dist.1 in princ.*

Ius ciuile est,quod est sociale ad vitam: vt sufficiens sit ad libertatem,& qualitatem, vel secundum proportionem, vel secundum numerum. *Ex Arist.lib.5.Ethic.*

Ius ciuile est,quod quisque populus, vel ciuitas sibi proprium,diuina,humanaque causa constituit, *vt habetur dist.1 circa princ.*

Ius gentium est sedium occupatio,ædificatio,munitio,bella,captiuitates,seruitutes,postliminia,fœdera pacis,induciæ,legatorũ nõ violandorum religio,connubia inter alienigenas prohibita. Hoc ideo ius gentium appellatur, quia eo iure omnes fere gentes vtuntur, *vt habetur dist.1. Ius gentium.*

Ius militare est belli inferendi solemnitas fœderisque faciendi nexus,signo dato egressio in hostem,vel pugnæ commissio. Item signo dato receptio, *vt habetur dist.1. Ius militare.*

Ius *Primo* impositum est ad significandum rem iustam. *Secundo* artẽ, qua cognoscitur. *Tertio* locum. *Quarto* id, quod redditur a iudice, *Ex B.Tho.2.2.q.57 art.1.*

Ius & æquitas sic differunt, quod ius omnia recta,& inflexibilia exigit: æquitas vero est, quæ de iure multum remittit. *secund. Donatum super Terent.*

Ius,& fas quo modo differunt, *vide supra in Fas.*

Ius & lex differunt, quia ius generale nomen est: lex vero iuris est species: *secund. Isid.lib.Etymologiarum,& hab.dist.1.in princ.*

Ius patronatus est potestas præsentandi clericum ad beneficium ecclesiasticum. *secund. S.Tho.4 sent dist 25.q.3.art.2.*

Ius patronatus laicis conceditur, vt citius inducantur ad fundandum,vel dotandum Ecclesias, *Gl.in extr.mag.Glos.22.suscepti regiminis de elect.Ver.vel personis.*

Ius,a iussu,vt quidã volunt, deducitur. Heb. *Dath,* mandatum,edictum,

ctum, decretum, constitutio: *Esth. 1. 2. 3. 4. 8. & 9. c. pluries, Esd. 9. 1.* à verbo *Dath.* ordinauit, edictum decreuit, mandauit, constituit præceptum. Significat idem quod *Dathath*. Vnde etiam *Dath. Deut. 32. 2.* Hinc τάσσω & τάττω ordino, cum suis compositis διατάττω & ἐπιτάττω iubeo, mando, προστάττω impero, præsideo. προστάττων præsum, &c. Quod autem apud Græcos omnia verba quæ per duplex ττ efferuntur, possint etiam per duplex σσ scribi, fit hac ratione, quod Π non *Daghessatum* ad vtriusq. literę potestatem declinat. Verbaliter autem non vsurpatur hæc radix, sed nominaliter tantum. 2. Ius dicitur Hebræis. *Misschpat*, iudiciũ, à verbo *Schaphat*, iudicauit, ius dedit, ius tribuit, 3. *Tsediek*, & *Tsephakah*, iustitia, tam politica, quam theologica, à verbo *Tsadhak*. iustus fuit, Vide Iustitia, 4. *Torah*, lex. *Vide Lex & Etymologicon trilingue. Lugdun. p. 406.*

LOCI BIBLICI.

Ius gladij, *Genes. 9. v. 6. Exod. 21. v. 12. Leuit. 24. 27. Num. 25. v. 20. 21. Deut. v. 19. v. 11. 12. & 12. v. 13. Matt. 26. v. 52. Rom. 13. v. 1. Pet. 2. v. 14. Apoc. 13. v. 10.* Ius belli in expugnandis vrbib. *Deut. 20. v. 10. 11. 12.* Ius publicum, Dei opus, *Prou. 16. v. 1.* ideoq non violandum. *20. v. 10.* Ius regiũ, *Deut. 17. v. 14. 5. 16. 17. 18. 19. 20.* Ius iniqui & effrenis regis, siue tyranni. *1. Sam. v. 2. 11. 12. 13.*

POETICAE SENTENTIAE.

Horat. 1. Serm. 3.

Iura inuenta metu iniusti fateare necesse est,
Tempora si, fastosq velis euoluere mundi:
Nec natura potest iusto secernere iniquum,
Diuidit vt bona diuersis fugienda petendis.

Ouid. 2. Art.

Iudice me, fraus est concessa repellere fraudem,
Armaq; in armatos sumere iura sinunt.

Ouid. 5. Trist. 8.

Non metuunt leges, sed cedit viribus æquum
Victaq pugnaci iura sub ense iacent.

Sen. Herc. fur.

Ius est in armis: opprimit leges pudor.

Sen. Agam.

Periere mores, ius decus, fides.

Lucan. 1.

Imminet armorum rabies ferrique potestas
Confundet ius omne manu, scelerisq; nefando
Nomen erit virtus, multosq; exibit in annos.

Horat. 1. Serm. 3.

Iura inuenta metu iniusti.

Terent. Heaut.

Verum illud Chreme
Dicunt: ius summum summa sæpe malitia est.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Est ius in medio eius, quod non eandem habet proportionem atque rationem. *Arist. lib. 5. Ethic. c. 3.*

In damni lucrique medio ac moderatione ius positum est, id quidem quod non a voluntate proficiscitur, cum & antequam res contrahatur & postquam contracta est, æquabile ius obtinetur. *Ethic. lib. 5. c. 4.*

Inter quos ius est duo sunt: In quibus cernuntur res duæ. Eademq; erit æquabilitas & parilitas & eorum hominum inter quos ius est, & earum rerum in quibus spectatur. Vt enim inter se affectæ sunt res eæ, in quibus ius positum est, sic etiam ij inter quos ius est, inter se affecti sunt. *Ethic. lib. 5. c. 3.*

Ius æquabile esse videtur: æquabile autem ac æquum est: quod multitudini visum sit ita valere. *lib. 5. de Repub. c. 9.*

Videtur quod æquabile est ius esse sicuti est, sed non omnibus: sed ijs demum qui pari iure & conditione viuunt: & quod inæquale est, ius videtur esse (est enim) sed non omnibus: verum ijs qui non pari sunt conditione. *l. 3. de Repub. cap. 6.*

Pares non æquo, aut impares æquo viuere iure contra naturam est. Quod autem repugnante natura fit, id non decet. *Lib. 7. de Repub. cap. 3.*

Ius id quod in contrahendis negotijs cernitur quædam pars est æquitatis, & iniuria iniquitatis: sed tamen non ad illam analogiam & comparationem, verum ad Arithmeticam pertinet. *Lib. 5. Ethicor. c. 4.*

Iuris ciuilis summo semper in honore fuit cognitio atq; interpretatio. *Cic. 2. de Offic.*

Nihil est in ciuitate tam diligenter retinendum, quam ius ciuile. Etenim hoc sublato nihil est quare exploratum cuiquam possit esse, quid suum, aut quid alienum sit. Nihil est quod æquabile inter omnes, atque vnum omnibus esse possit. *Pro Cæc.*

Ius ciuile eiusmodi esse debet, quod neque inflecti gratia, neq; perfringi potentia, neque adulterari pecunia possit. Quod si nõ modo oppressum, sed etiam desertum, aut negligentius obseruatũ erit, nihil est, quod quisquam se habere certum, aut a patre accepturum, aut relicturum liberis arbitretur. *Idem.*

Veri iuris, germanæque iustitiæ solidam & expressam imaginem nullam tenemus, vmbra & imaginibus vtimur. *3. Offic.*

Definiebant Pythagoræi ius id esse, quod vicissim quisque patetetur. Atqui ius hoc nec ad legitimum neque ad ciuile pertinet. Ciuile autem dico, id quod commune est inter ciues, & ad communionem pertinet. *Arist. lib. 5. Ethic. c. 5.*

Tum in priuatis, tum in publicis disputationibus a iure deducenda sunt orationis exordia. *Dionys. Halicar. lib. 6.*

A veritate laborare nimis ius sæpe aiunt, extingui numquam. *Liu. decad. 3. lib. 2.*

Commune omnium gentium ius vetat quenquam causæ dictione aut iudicio fraudari. *Dionys. Halic. lib. 5.*

De iure pro rationis humanæ captu, inter eos qui paribus virib. prædicti inter se coire cogive possunt, fieri solet dijudicatio. Possibilia vero faciunt, qui plus viribus possunt, & infirmiores potentioribus se submittere solent. *Thucyd. lib. 5.*

APOPHTHEGMATA.

Scæuola, vir tum iurisprudentia, tum M. Antonini Imperatoris amicitia celebris, dicere solitus est: ius ciuile vigilantib. scriptum esse, non dormitantib. Sentiens, Iurisprudentiam non sine summo studij percipi: quemadmodũ Aristoteles sic edidit libros Naturalium vt non essent editi, nisi viua vox doctoris accederet. *Refertur libro Pandectarum 42. tit. Quæ in fraudem credi. l. Pupillus.* Verum vt Scæuola merito requirit studium, ac vigilantiam a iurisprudentiæ candidatis: ita nemo non improbabit sententiã Iodoci, qui Mechliniensi senatui præsedit. Nusquam. n. non magna contentione tuebatur, neminem posse, vel vnius legis intelligentiam consequi, qui quidquam sciret in bonis literis. Et cum in cõuiuio quodam mecum disputans incaluisset, addebat, vix esse tres in orbe, qui leges Cæsareas intelligerent. Aderat huic conuiuio Ioannes Siluagius. Caroli tum regis Cancellarius, Georgius ab Haloino, Blasius Iureconsultus. & alij nonnulli. Fatebatur tamen, Bartolum leges ad plenum intellexisse, cum constet, illum tot locis hallucinatum esse. *P. M. l. 8. apoph.*

Alexander Seuerus. Necesse est, inquiebat, vt qui emit vendat. Ego vero non patiar mercatores potestatum: quos si patiar, damnare nõ possum. Erubesco enim punire illum hominem, qui emit & vendidit. *Lampridius in Alex. Seuero.*

SIMILITVDINES.

D. Augustini. Non omne quod laudamus omni quod vituperamus est anteponendum. Neque enim quia laudo purgatissimum plũbum, ob hoc illud vituperando auro pluris æstimo. In suo enim genere quidque considerandum est. Improbo iurisconsultum multas leges ignorantem: sed eum tamen probatissimo sutori sic præfero, vt ne comparandum quidẽ reprehendo. *Libro de duabus animabus contra Manichæos.*

Thriueri. Improbi artifices semper relinquũt locum castigationi. Et leguleij occasionem liti. *In apoph. 122.*

IVSTITIA.

DEFINITIO, ET ETYMOL.

IVstitia. Græce δικαιοσύνη, ης, ἡ, & δίκαιος, ου, iustus, δικαίως, iuste dicitur. Est autem iustitia habitus, per quem iustorum operationes fiunt, per quem agunt & volunt res iustas. *secundum Arist. lib. 5. Ethicorum.*

Iustitia est virtus, qua singuli sua secundum leges possident. *secund. Arist. l. 1. Rhet.*

Iustitia est virtutum præclarissima, & ipsa est omnis virtus. *secundum Arist. l. 6. Ethic.*

Iustitia est splendor magnus, ex quo viri boni nominantur: Cuius munus primum est, ne cui quis noceat, nisi lacessitus iniuria. Deinde vt communibus pro communibus vtatur, priuatis vt suis. *secund. Cic. lib. 1. de Offic.*

Iustitia est habitus animi communi vtilitate conseruata suam cuiq; tribuens dignitatem. Eius partes sunt religio, pietas, gratia, vendicatio, obseruantia, veritas. *secund. Cic. lib. 2. Rhetor.*

Iustitia est æquitas ius vnicuique rei tribuens pro dignitate cuiusque. *secund. Cic. lib. 3. Rhet.*

Iustitia est seruare vnicuique quod suum est. De iustitia veniunt, innocentia, amicitia, concordia, pietas, religio, affectus, humanitas: his virtutibus vir bonus primum sui, atque deinde Reipu. rector efficitur. *secundum Macrobium.*

Iustitia est constans & perpetua voluntas, ius suum vnicuique tribuens: Voluntas genus est: species sunt fortitudo, modestia, &c: suum cuique tribuere, est differentia, qua à fortitudine & modestia discernitur.

Constans & perpetua voluntas. i. Idea seu forma, in anima æqua præscribens, nunquã refugiens: sicut in oculis a natura est indita vis, quæ colores a se inuicem secernit: Hæc iustitiæ Ideæ est immutabilis, certa & perpetua. Vt. n. corpus non potest non dolere, cum vulnus accipit: Ita animus perpetuo improbat, quoties alicui ius suum non tribuitur. Item, quam certus est animus, hãc notionem certam esse vtramq;. Totum maius esse suis partibus.

Ita

Ita semper sensit iustitiam esse, neminem lædere Polyphemus familiariter interrogatus, an puteт iustitię esse deuorare homines? non potest non fateri se iniustè id facere. Ius itaque vnicuiq; tribuere, est neminem lædere: Et inde asseritur iustitiã esse, quæ neminem lædit. Plato in 1. de Republ. hanc statuit definitionẽ, quã tamen vult esse Simonidis, ab eo postea mutuatus est Vlpian. Iureconsultus. *Inl. Iustitia.* & Iustinianus *ff. de iustitia, & iure in princip.*

Iustitia, Hebr. *Tsedhakah*, à verbo *Tsadhak*, iustificauit, culpa absoluit, & iustum aliquem pronunciauit: id quod maximè fit in iudicijs. Proprium Dei est iustificare: atque Deo propriè tribuitur iustitiæ nomen, vnde ab Apostolo iustus iustificansq; nominatur, *Rom.* 3, 10. Quum enim gratis nos propter Christum iustificat, iusti iudicis, & clementissimi fungitur officio. Hanc perfectissimã, numerisque omnibus absolutam sapientiam, & bonitatem in Deo scriptura sacra iustitiam, & Deum *Tsadhik*, id est, iustũ, summè bonum, clementem, beneficum, sed & peccatum seuere vlciscentem, appellant.

Ab hac voce *Tsadhik*. quidam deductum volunt τὸ δίκαιον, iustum, abiecta prima syllaba, seu litera, vt à dia, δίκαιος deducatur. Aristoteles melius, *lib.* 5 *Ethic. c.* 7. deriuat à δίχα bipertito: quod in duas suo modo æquales partes rem diuidat iustus, & æquus homo, vel iudex, neutri parti, aut personæ plus minusve iusta, & rata portione tribuens: vt δίκαιος sit quasi δίχαιος. Quæ etymologia iustitiæ distributiuæ conuenit, qua vnicuique tribuitur, quod suum est. Ideo Cicero *lib.* 5. de finibus, iustitia (inquit) est animi affectio suum cuique tribuens: Nulli autem hoc melius, aut propriè conuenit quam Deo, qui citra personarum respectum vnicuique tribuit, quod suum est: bonis quidem gloriam, & honorem: malis autem iram, & confusionem.

Latini a iure iustitiam deducunt, & iustum eum esse affirmant, qui præcepta iuris seruat. Ius autem à iubendo: nam ius, id est, quod legibus iubetur, atque sancitur. Iudex iustus dicitur, quia iusta imperat. Quis autem, aut ius in nos maius habet, authoritatemque iubendi, aut iustiora, æquiora, meliora, rectiora iubere potest, quam Deus?

Porro iustitia quatuor significat. 1. Bonitatem omnibus numeris absolutã. Et iustitia illa generalis est virtus, qua simpliciter aliquis non solum in se omni ex parte bonus, probus, & perfectus est, verum etiam erga alios. Hæc in solo Deo, tum in seipso, tũ erga omnes perfectè bonos reperiri potest. 2. Iustitia speciatim significat eam virtutem, & probitatem, qua aliquis bonus, sincerus, rectus, & integer est, non simpliciter, sed secundum statum, & cõditionem, seu personam quam gerit, ita vt in eo sit irreprehensibilis. Hæc iustitia penes Deũ solum est, qui est iustus Deus, iustus Dominus, iustus iudex, iustus pater. 3. Tertia iustitiæ significatio est iustitiæ, in distributiuam, & correctiuam distinctio. Consistit .n. in distributione munerum, præmiorum rerum, atque vt in contractibus, & commercijs debita seruetur æqualitas: deinde vt in iudicijs, citra personarum acceptionem ius dicatur, vitia corrigãtur, sontes damnentur, innocentes absoluãtur. Denique virtus est ius vnicuique suum tribuens. Hæc iustitiæ species Deo apprimè modisq; omnibus conuenit, cuius proprium est vnicuique reddere secundum opera sua: ita in hac etiam vita atrocibus pœnis atrocia punire scelera, & insontes tueri. 4. Veritas ipsa, seu fides, quæ in dictis, ac promissis seruatur, significatur nomine iustitiæ: & ille iustus dicitur, qui quantum promittit tantũ etiã præstat, nã hoc iustum est, vt stetur promissis. Id autem maximè Deo cõpetit, qui verax, fidelis, iustus est, & frequenter nominatur in sacris scripturis. Vide Etymologicõ trilingue Lugdun. anno 1607.

Iustitia inter homines stabilita quadam exemplo historico illustrata.

Romæ post exactos reges Sextus Papyrius leges curiatas (quas regum tempore, populus in triginta curias a Romulo diuisus, à regibus latas, suo calculo confirmarat) sine ordine latas, in vnũ cõposuit, quod ab eo *Ius ciuile* Papyrianum fuit appellatum. Deinde omnes hæ leges, lege tribunitia exoleuerunt, & incerto iure populus vsus est fere per 20. annos. Decemuiri inde creati, qui ab Athenensibus Leges decem tabularum peterent, quas in tabulas eburneas perscriptas, pro rostris composuerunt. Sequenti anno alias duas tabulas adiecerant, & *Leges XII. Tabularum* sunt appellatæ: quarum ferẽdarum authorem fuisse Decemuiris Hermodorum quemdam Ephesium exulem, aiunt. Ex his legibus actiones natæ sunt, quarum formulæ, vti & Legum interpretatio, apud solos fuit Pontifices fere per 100. annos. Postea cum Appius Claudius ad formam redegisset has actiones: Cn. Flauius scriba subreptum librum populo tradidit. Hinc igitur liber qui actiones continet *Ius Flauianum* appellatur. Augescente deinde ciuitate, quia deerant quædam agendi genera, Sext. Aelius composuit alias actiones, & librum populo dedit qui appellatur *Ius Ælianum.* Deinde cum plebs à patribus secessisset, sibi iura constituit, quæ *Plebiscita* dicuntur. Mox cum reuocata est plebs, pro legibus placuit ea obseruari lege Hortensia. Cœpit postea Senatus sese interponere, & quicquid constituisset id obseruabat: & *Senatusconsultum* dicebatur. Eodem tempore, & Magistratus iura dabat, & vt scirent ciues, quod ius de quaque re quisque dicturus esset, seque præmuniret, *Edicta* proponebat, quæ *Ius Honorarium* constituerunt, quia ab honore Prætoris venerat. Constituto postea Principe, datum est ei ius, vt quod constituisset ratum esset, quod *Ius Principale* dicitur, siue Principalis constitutio. *Hæc ex Pomponio lib.* 1. *Digest. Tit.* 2. *de Orig. iuris.*

D I V I S I O.

IVSTITIA

- *Propriè dicta, quæ est habitus secundum quem constanti, & perpetua voluntate ius suum vnicuique redditur: & est duplex, scilicet*
  - *Generalis simpliciter*
    - *Causaliter, quia præcipiuntur, & ordinantur actus omnium virtutum ad bonum commune, & differt realiter ab omni alia virtute, & vocatur iustitia legalis, quæ est in*
      - *Principe primo, & quasi architectonice.*
      - *Subditis secũdo, & quasi ministratiue.*
      - *Quibus opponitur iniustitia legalis.*
    - *Per prædicationem, & est idem realiter cum omni virtute.*
  - *Particularis, & est habitus cõstituens æqualitatẽ ad alterã singularem personã, cuius*
    - *Materia*
      - *Circa quam, id est, obiectum est Ius, quod est opus adæquatum alteri secundum aliquem æqualitatis modum.*
      - *In qua id est, subiectum perfectibile per iustitiam, est Voluntas quam perficit ipsa iustitia. B. Thom.* 2. 2. *q.* 84. *art.* 4.
    - *Actus: Reddere vnicuique quod suum est.*
    - *Partes*
      - *Subiectiuæ, quæ sunt species eius*
        - *Distributiua, quæ constituit ex debito æqualitatem: secundum proportionem. Cui opponitur acceptio personarum.*
        - *Commutatiua, constituens ex debito ad alterum æqualitatem secundum quantitatem. Cui opponitur Iniustitia commutatiua.*
      - *Integrales, ad perfectum actum iustitiæ pertinentes sũt*
        - *Generalis, cuius partes*
          - *Declinare à malo.*
          - *Facere bonum.*
        - *Legalis.*
          - *Declinare à malo.*
          - *Facere bonum.*
        - *Particularis.*
          - *Facere bonum debitum proximo.*
          - *Vitare oppositum.*
      - *Potentiales.*
        - *Secundum Andronicum Peripateticum*
          - *Religio.*
          - *Obseruantia.*
          - *Veritas.*
          - *Gratia.*
          - *Vindicatio.*
        - *Bona commutatio, qua habita custoditur æqualitas in commutationibus.*
        - *Legis positiua, qua operationes politicæ ad communitatem referuntur.*
        - *Eugnomosyna, quasi bona gnome, & est bona iustificatio, quam homo sponte seruat non secundum legem scriptam, & pertinet ad iustitiam.*
        - *Eusebia dicitur quasi bonus cultus, & est scien-*
- *Metaphoricè dicta, quæ est ad seipsum secundum diuersas partes. Et est rectitudo ordinis in partibus omnibus, vt scilicet irascibilis, & concupiscibilis subdantur voluntati, & voluntas rationi.*

- tia Dei famulatus, loquendo more Socratico. Ille enim omnes virtutes vocabat scientias.
- Sanctitas.
- Eucharistia, id est, bona gratia.
- Vindicatiua, vt Cicero.
- Benignitas.
- Liberalitas.
- Innocentia, qua declinatur à malo nociuo propter virtutem.
- Amicitia, qua homo bene se habet in exteriori connictu.
- Concordia in exteriori, & hæc tria ad æquales.
- Secundũ Macrobium.
  - Religio, qua homo bene se habet ad Deum.
  - Pietas ad patriam, & parentes, hæc duo ad superiores.
  - Affectus quo placēt bona inferiorum.
  - Humanitas, qua subuenitur desectibus eorũ, & hæc duo ad inferiores.

IVSTITIA

- Diuina.
- Naturalis.
  - Religio. Pietas. Charitas. Gratia. Vindicatio. Fides. Obseruãtia. Veritas.
  - Contraria.
    - Superstitio. Dei neglectus. Scelus. Odium. Ingratitudo. Abiectio. Fraudatio. Auersio. Vanitas.
    - Dissimulatio. Iactantia.
- Consuetudinaria.
  - Bella. Discreta gentes. Regna condita. Dominatus distincti. Termini agris positi. Ædificia collocata. Commercia.
  - Emptiones. Venditiones. Locationes. Conductiones. Obligationes. Liberi. Serui.
  - Libertini. Pactum. Par. Iudicatum. Manumissio.
- Ciuilis.
  - Lex. Senatusconsulta. Iudicatares. Authoritas Iurisperitorum. Plebiscita. Decreta. Edicta Magistratuum. Mos.
  - Æquitas.
    - Vna legitima. Altera conueniens. Tertia, more vetusto confirmata.
    - Modestia.
      - Opportunitas. Ordo.

LOCI BIBLICI.

Iustus: Iusti, pro ijs, qui iustitiæ opinionem sibi arrogant, & iusti sibi videntur, *Math.9.13. Luc.5.32.* Iustus, pro apud homines innocente, non occ[illegible]sus, *Exod.23.v.7.* Iusti apud Deum qui, *Rom.2.v.13.1.Ioan.3.v.7.* Iustus accusator sui, *Prou.18.v.17.* Iustus Christus, *1.Pet.2.v.22.* Iustus coram Deo nemo, *Iob 4.v.17.& 9.ver.2.& 25.v.4. Psal.143.v.2. Eccles.7.v.5.* Iustus Deus, *Deut.32.v.4.* Iustus fide sua viuit, *Abac.2.v.4. Rom.1.v.17. Gal.3.v.11. Heb.10.ver.38.* Iustus pronunciatur Publicanus, *Luc.18.v.14.* Iustus vix effugit tribulationes, *1.Pet.4.v.18.* Iusto auertenti se à via, mors. *Ezech.18.& 24.& 33.v.12.* Iusto non est lex posita, *Galat.4.v.23.1.Timoth.1.v.9.* Iusti & beati, *Psal.32.v.1.* Iusti iudicabunt impios, *Prouer.24.v.19.* Iustorum finis incognitus, *Esa.47.v.1.* Iustorũ resurrectio, pro extremo iudicio, *Luc.14.v.17.* Iustorum securitas, *Prouerb.28.v.1.* Iustus pro summe veraci, & fideli, *Rom.3.v.26.*

SENTENTIÆ BIBLICÆ.

Iustitia Pharisaica defectio.

Dico autem vobis, quia nisi abundauerit iustitia vestra plus quam Scribarum, & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. *Math.5.*

Et ait illis (scilicet Pharisæis) Vos estis, qui iustificatis vos coram hominibus, Deus autem nouit corda vestra, quia quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum. *Luc.16.*

Legalis imperfectio.

Scimus, quia ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo. *Rom.3.*

Quid ergo dicemus? quod Gentes, quæ non sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam: iustitiam autem, quæ ex fide est: Israel vero sectando legem iustitiæ, in legem iustitiæ non peruenit. Quare? Quia non ex fide, sed quasi ex operibus. *Rom.3.*

Ignorantes enim iustitiam Dei, & suam quærentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti. 10.

Scientes autem, quod non iustificatur homo ex operibus legis nisi per fidem, quæ est in Christo Iesu. *Gal.2.*

Euacuati estis à Christo, qui in lege iustificamini, à gratia excidistis. 5.

Verumtamen existimo omnia detrimentum esse, propter eminentem scientiam Iesu Christi Domini mei: propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror vt stercora, vt Christum lucrifaciã, & inueniar in illo, non habens meam iustitiam, quæ ex lege est, sed illam, quæ ex Fide Christi Iesu, quæ est ex Deo iustitia in fide. *Philip.3.*

Notum igitur sit vobis viri fratres, quia per hunc vobis remissio peccatorum annunciatur ab omnibus, quibus non potuistis in lege Moysi iustificari. *Act.13.*

Iustitia Christi imputatio.

Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. *Gen.15.*

Iustitiæ Domini rectæ lætificantes corda. *Psal.18.*

Et annunciabunt cœli iustitiam eius. 21.

Meæ sunt iustitiæ, & imperium. Ad eum venient, & confundentur omnes, qui repugnant ei. In Domino iustificabitur, & laudabitur omne semen Israel. *Esa.45.*

Iuxta est, qui iustificat me, quis contradicet mihi? 50.

Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum: sed factores legis iustificabuntur. Quoniam quidem vnus est Deus, qui iustificat circumcisionem. *Rom.2.*

Sicut & Dauid dicit beatitudinem hominis, cui Deus acceptam fert iustitiam sine operibus. 4.

Sicut enim per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi: ita per vnius obedientiam iusti cõstituentur multi. 5.

Vt sicut regnauit peccatum in mortẽ: ita & gratia regnet per iustitiã in vitã æternam per Iesum Christum Dominũ nostrum. *ibid.*

Nihil ergo nunc damnationis est his, qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant. Lex enim spiritus vitæ in Christo Iesu, liberauit me à lege peccati, & mortis. Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnẽ: Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum. 8.

Quis accusabit aduersus electos Dei? Deus est, qui iustificat, Quis est qui condemnet? *ibid.*

Sic ergo & in hoc tempore reliquiæ secundum electionem gratiæ Dei saluæ factæ sunt. Si autem gratia: iam non ex operibus alioqui gratia iam non est gratia. 11.

Ex ipso autem vos estis in Christo Iesu, qui factus est nobis sapientia a Deo, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio, vt quemadmodum scriptum est: Qui gloriatur, in Domino glorietur. 1. Cor. 1.

Eum, qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, vt nos efficeremur iustitia Dei in ipso. 2. Cor. 5.

Qui nos liberauit, & vocauit vocatione sua sancta, non secundum opera nostra: sed secundum propositum suum, & gratiam, quæ data est nobis in Christo Iesu ante tempora secularia. 2. Timot. 1.

Ad Deum ordinantur iustificatorum iustitia.

Beatus vir, qui in sapientia sua morabitur, & qui in iustitia sua meditabitur. Eccles. 14.

Qui custodiunt iustitiam, continebit sensum eius. 21.

Custodite iudicium, & facite iustitiam: quia iuxta est salus mea, vt veniat, & iustitia mea, vt reueletur. Esa. 56.

Occurristi lætanti, & facienti iustitiam, in vijs tuis recordabuntur tui. 64.

Attendite, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud patrem vestrum, qui in cœlis est. Matth. 6.

Fructus autem iustitiæ in pace seminatur facientibus pacem. Iacob. 3.

Omnis qui facit iustitiam, ex Deo natus est. 1. Ioan. 2.

Qui facit iustitiam, iustus est. 3.

A Deo gratis remuneratur.

Dominus autem retribuet vnicuique secundum iustitiam suam, & fidem. 1. Reg. 26.

Ego autem in iustitia apparebo conspectui tuo. Psal. 17

Beati qui custodiunt iudicium, & faciunt iustitiam in omni tempore. 106.

Iustitia liberabit à morte. Prou. 10.

Non proderunt diuitiæ in die vltionis: iustitia autem liberabit à morte. 11.

In semita iustitiæ, vita: iter autem deuium ducit ad mortem. 12.

Abominatio est Domini via impij: qui sequitur iustitiam, diligitur ab eo. 15.

Initium viæ bonæ, facere iustitiam: accepta est autem apud Deum magis, quam immolare hostias. 16.

Iustitia enim perpetua est, & immortalis: iniustitia autem, mortis est acquisitio. (De voluptuosis, & bonorum oppressoribus dicitur.) Sap. 2.

Excæcauit enim eos malitia eorum, & nescierunt sacramẽta Dei, neque sperauerunt mercedem iustitiæ. 2.

Qui custodierint iustitiam, iuste iudicabuntur: & qui didicerint ista, inuenient quid respondeant. 6.

Et si iustitiam quis diligit, labores huius magnas habent virtutes: sobrietatem enim & prudentiam docet, & iustitiam, & virtutẽ, quibus nihil vtilius est in vita hominibus. 8.

Datio Dei permanet iustis. Eccl. 11.

Benedictio Dei in mercedem iusti festinat. ibid.

Ante obitum tuum operare iustitiam, quoniam non est apud inferos inuenire cibum. Eccl. 14.

Et omne opus electum iustificabitur, & qui operatur illud, honorabitur in illo. ibid.

Ante iudicium para iustitiam tibi. 18.

Si sequaris iustitiam, apprehendes illam, & indues quasi podere honoris: & inhabitabis cum ea, & proteget te in sempiternum: & in die agnitionis inuenies firmamentum. 27.

Salus animæ in sanctitate iustitiæ, & melior est omni auro, & argento. 30.

Et erit opus iustitiæ pax: & cultus iustitiæ, silentium, & securitas vsque in sempiternum. Esa. 32.

Et si fuerint tres viri isti in medio eius, Noe, Daniel, & Iob, ipsi iustitia sua liberabunt animas suas, ait Dominus exercituum. Ezech. 14.

Iustitia nostra quomodo ad Deum comparatur.

Vere scio quod ita sit: & quod non iustificetur homo comparatus Deo. Iob 9.

Si iustificare me voluero, os meum condemnabit me: si innocentem ostendero, prauum me comprobabit. ibid.

Numquid homo Dei comparatione iustificabitur, aut factore suo purior erit vir? 4.

Numquid iustificari potest homo comparatus Deo? aut apparere mundus natus de muliere? 25.

Et non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Psal. 142.

Septies enim in die cadet iustus, & resurget. Prou. 24.

Non est enim homo iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccet. Eccl. 7.

Noli te iustifices ad Deum: quoniam agnitor cordis ipse est. ibid.

Deus solus iustificabitur. 18.

Reduc me in memoriam, & iudicemur simul: narra si quid habes, vt iustificeris. Pater tuus primus peccauit, & interpretes tui perfide egerunt in me. Esa. 43.

Ecce, tu iratus es, & peccauimus, in ipsis fuimus semper, & saluabimur. Et facti sumus vt immundi omnes nos, & quasi pannus menstruatæ omnes iustitiæ nostræ. 64.

Nihil enim mihi conscius sum, sed in hoc iustificatus non sum. 1. Corinth. 4.

Iustitia humana conseruatio.

Iustitia eleuat gentem: miseros autem populos facit peccatum. Prou. 14.

Qui sequitur iustitiam & facit misericordiam, inueniet vitam, iustitiam, & gloriam. 21.

Pro iustitia agonizare pro anima tua vsque ad mortem, certa pro iustitia, & Deus expugnabit pro te inimicos. Eccl. 4.

Qui operatur iustitiam, ipse exaltabitur. 20.

Violata.

Quomodo facta est meretrix ciuitas fidelis, plena iudicij? Iustitia habitauit in ea, nunc autem homicidæ. Argentum tuum versum est in scoriam, vinum tuum mixtum est aqua. Esa. 1.

Et tenebit iustus viam suam. Iob 17.

Iustificationem meam, quam cœpi tenere, non deseram. 27.

Simplicitas iustorum diriget eos: peruersitas præuaricatorum vastabit eos. Prou. 11.

Turris fortissima nomen Domini, ad ipsam currit iustus, & exaltabitur. 18.

Iustus quasi leo confidens, absque terrore erit. 28.

Sunt iusti sapientes, & opera eorum in manu Dei. Eccl 9.

Et vir si fuerit iustus, & fecerit iudicium, & iustitiam, in montibus non comederit, oculos suos non leuauerit ad idola domus Israel, & vxorem proximi sui non violauerit, & ad mulierem menstruatam non accesserit, & hominem non contristauerit, pignus debitori reddiderit, per vim nihil rapuerit, panem suum esurienti dederit, & nudum operuerit vestimento, ad vsuram non commodauerit, & amplius non acceperit, ab iniquitate auerterit animam suam, & iudicium verum fecerit inter virum & virum, & in præceptis meis ambulauerit, & iudicia mea custodierit, vt faciat veritatem: hic iustus est, vita viuet, ait Dominus Deus. Ezech. 18.

Si scitis, quoniam iustus est: scitote, quoniam & omnis, qui facit iustitiam, ex ipso natus est. 1. Ioan. 2.

Iusti bene ac male tractantur, quantum ad se.

Et retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meam: & secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi. Psal. 18.

Multæ tribulationes iustorum: (&) Custodit Dominus omnia ossa eorum. 34.

Iustus vt palma florebit: & sicut cedrus Libani multiplicabitur. 92.

Lux orta est iusto, & rectis corde lætitia. Lætamini iusti in Domino, & confitemini memoriæ sanctificationis eius. Psal. 97.

Iustorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit vsque ad perfectam diem. Prou. 4.

Benedictio Domini super caput iusti. 10.

Desiderium suum iustis dabitur. ibid.

Iustitia rectorum liberabit eos. 11.

Iustus de angustia liberatus est: & tradetur impius pro eo. ibid. 8.

Fructus iusti lignum vitæ. ibid. 30.

Non contristabit iustum, quicquid ei acciderit. 12.

Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis. Sap. 3.

Iustus autem, si morte præoccupatus fuerit in refrigerio erit. 4.

Stabunt iusti in magna constantia aduersus eos, qui se angustiauerunt, & qui abstulerunt labores eorum. 5.

Iusti autem in perpetuum viuent, & apud Dominum est merces eorum, & cogitatio eorum apud Altissimum: Ideo accipient regnum decoris & diadema speciei de manu Domini, quoniã dextera tua teget eos. ibid.

Dicite iusto, quoniam bene: quoniam fructum adinuentionum suarum comedet. Esa. 3.

Iustitia iusti super eum erit: & impietas impij super eum erit. Ezech. 18.

Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum. Matth. 13.

Iusti autem (ibunt) in vitam æternam. 25.

Prolem.

Iunior fui, etenim senui, & non vidi iustum derelictum: nec semen eius quærens panem. Tota die miseretur, & commodat. Psal. 37.

Semen iustorum saluabitur. Prou. 11.

Desiderium iustorum omne bonum est. ibid.

Iustus, qui ambulat in simplicitate sua, beatos post se filios relinquit. 20.

Sed & illi viri misericordiæ sunt, quorum pietates non defecerunt. Cum semine eorum permanent: bona hæreditas sancta nepotes eorum. Eccles. 44.

Famam.

In memoria æterna erit iustus. Psal. 112.

Memoria iusti cum laudibus: & nomen impiorum putrescet. *Prouerb.* 10.

Nomen eorum viuet in generatione, & generationem. *Ecclesiast.* 44.

Nomen eorum permanet in æternum, permanente ad filios illorũ sanctorum virorum gloria. 46.

Sub Iustitiam temporalem.

Si declinauit gressus meus de via, & si secutus est oculus meus cor meum, & si in manibus meis adhæsit macula: Seram, & alius comedat, & progenies mea eradicetur. *Iob* 31.

Iusti autem hæreditabunt terram. *Psal.* 37.

Qui enim recti sunt, habitabunt in terra, & simplices permanebũt in ea. Impij verò de terra perdentur, & qui inique agunt, auferentur ex ea. *Prou.* 2.

Habitacula iustorum benedicentur. 3.

Non affliget Dominus fame animam iusti: & insidias impiorum subuertet. *Prou.* 10.

Tabernacula iustorum germinabunt. 14.

Domus iusti plurima fortitudo. 15.

Sunt iusti, à quibus multa bona prouenniunt, quasi opera impiorum egerint: & sunt impij, qui ita securi sunt, quasi iustorum facta habeant. *Eccl.* 8.

Iustitia, sumitur pro ea iustitia, quæ nobis per Christi gratiam communicatur, *Rom.* 3.21.22. fide comparatur, *Hebr.* 11.7. non dignitate vlla, quæ in nobis insit *Genes* 15.6. *Esa* 45.25. & 53.13. *Ier.* 23.6. & 33.16. *Dan.* 6.22. *Abac.* 2.4. *Zachar.* 9.11. *Actor* 10.43 & 13.39. *Rom.* 5.17. & 3.21.22. & 5.1.18. & 10.4.10.1. *Cor.* 1.30. *Gal.* 2.16. & 3.11. & 5.5. *Philip.* 3.9. *Tit.* 3.7.1. *Petr* 3.18 Hæc iustitia Christo in solidum tribuitur, alioqui non starent Apostoli dicta, *Rom.* 3.10. 20. & 4.20.1. *Cor.* 4.4. *Gal.* 2.21.

Quando autem iustitia ipsis etiam hominibus tribuitur, de fructibus, & testimonijs iustitiæ ex gratia in nobis creatæ, non autem de causa efficiente; multo minus de illa Christi iustitia, quæ per gratiam nostra fit, & reputatur coram Deo, cuius etiam merito coronamur, est accipiendum. *Luc.* 1.6.

Iustitia pro beneficentia, 2. *Cor.* 9.10. Iustitiæ nomine interdum Hebræi specialiter eleemosynam intelligunt, vt verterunt etiam Græci, *Deut.* 24.13. *Dan.* 4.24. *Matth* 6.1. pro lege, & pro regula rectè viuendi, *Roman* 6.19. pro perfectione, *Heb.* 5.13. Iustitia vera quæ, *Philip.* 3.9. commendatur, *Prou.* 21.3. *Ephes.* 5.9.1. *Tim.* 6.11.2. *Tim.* 2.22. *Tit.* 1.8 & 2.12.

Iustitia in Christo triplex consideratur. 1. *Essentialis*, quatenus Deus est, quæ cum sit ipsamet Deitas (Patri, Filio, Spiritui S. communis) distinguenda est omnino, etiam in Christi persona, ab ea iustitia, quæ est qualitas, assumptæ humanæ naturæ, vt subiecto inhærens. 2. Altera, est *habitualis*, seu perfectissimæ sanctitatis, & integritatis habitus, quo plenissimè perfudit illam à se assumptam humanam naturam, ab ipso momento conceptionis ex Spiritu Sancto. 3. Tertia est huius habitus effectum, quo factum est, vt legem pro nobis, quibus etiam natus est, & pro quibus legi se subiecit, & quibus factus est à Deo Patre sapientia, iustitia, sanctificatio, & redemptio, & pro quibus factus est peccatum, & maledictio, vt in eo fierent iustitia, & benedictio; perfectissimè præstaret, factus obediens Patri pro nobis vsque ad mortem, & quidẽ mortem crucis, *Esa* 9.6. *Galat.* 4.4.5.1. *Cor.* 1.30.2. *Cor.* 5.21. *Galat.* 3.13.14. *Philip.* 2.8. Ex his autem prior, cum sit essentialis, per se maneat oportet. De alterius, quæ corruptioni nostræ opponitur, & nostra coram Deo reputatur, agitur, *Rom.* 8. initio capitis. De tertia verò partim quatenus in ea versatur nostrorum peccatorum expiatio agit Apostolus, *Rom.* 5. vsque ad v. 11. cuius imputatione per gratiam abolerі reatum naturali propagatione contractum docet idem Apostolus, *v.* 17.

Iustitia Dei passiuè, vt Augustin. interpretatur, pro illa iustitia qua Deus iustos facit, *Psal.* 31. & 71.2. *Rom.* 1.17. & 3.21. Actiua enim Dei iustitia dicitur, qua iudicat, & punit nocentes. Iustitia Dei, pro eo quod præscribit Deus. *Iac.* 1.20.

Iustitiam facere, Hebræis est iuste, & rectè viuere, *Matth.* 6.1.

Lex iustitiæ, Paulo, *Rom.* 9.31. est ea iustitiæ norma, quæ in lege Dei præscribitur, quæ vera est, & certissima, si quis legem præstando eam adipiscatur.

Iustitiæ liberum esse, *Rom.* 6. 29. est nullo iustitiæ Imperio teneri, sed peccati iugo prorsus esse mancipatum.

Iustitia, id est, Dei lex, & timor, pietatis, æquitatis, temperantiæ regula: omnis denique cogitatio, & actio cum illa lege conueniens, *Gen.* 18.19. *Deut.* 4.5. & 9.4 5.6. *Iob* 29.14. *Psal.* 7.9. *Prouer.* 11.4.5.6.18. *Eccles.* 7.16. *Esa.* 1.21. *Ier.* 22.3.15. *Ezech.* 18.19.20. &c. & 33.12 &c. *Dan.* 6.22. *Ose.* 10.12. *Matth.* 5.20. *Luc.* 1.75. *Roman.* 10.5. *Eph.* 5.9.1. *Tim.* 6.11.

Iustitia, id est, Ius, *Nehem.* 2.20. *Esa.* 54.17. Ius Gentium, à Deo ipsi hominum naturæ insitum, lex naturæ, *Rom.* 1.32.

Iustitia, religionis Christianæ professio, *Matth.* 5.10.1. *Petr.* 3.14. Salutaris cognitio Dei, *Dan.* 12.3. *Malach.* 3.3. Vitæ ratio, *Esa.* 57.12.

Iustitia Dei, attributa varia significat: vt sunt. 1. Administratio felix, & gubernatio recta, seu Prouidentia, *Psal.* 85.11.12. *Esa.* 32.16.17. 2. Aequitas, *Psal.* 48.9.85.11.12.89.15.97.2.99.4. Idq; sub regno Messiæ, *Esa* 11.4. & 33.5 & 40.14. 3. Iudicium, *Iudic.* 5.11. *Iob* 37.23. *Psal.* 36.7. & 56.6, *Esa* 5.16. & 28.17. *Amos* 5.14. *Mich.* 6.5.2. *Petr.* 2.5. 4. Omnipotentia, *Psal.* 97.6. *Esa* 28.29. 5. Promissionum veritas summa cum clementia, & benignitate coniũcta, *Psa.* 5.9. & 31.2. & 40.10.11. & 48.11. & 51.16. & 71.2.15.16.19.24. & 87.12. & 89.17. & 98.2. & 103.17. & 143.1. & 145.7. *Esaia* 45.23. *Ier.* 9.24. *Ose.* 2.19. *Mich.* 7.9. *Rom* 3.5. *Eph.* 6.14.

Iustitia, nempe illa qua subsistimus coram Dei iudicio ad vitam æternam, *Gen.* 15.6. *Rom.* 1.17. & 3.21.22.25.26. & 4.3.5.6.9.11.13.22. & 5.17. & 9.30 & 10.3.4 10. & 14.17.1. *Cor.* 1.30. *Gal.* 2.21. & 3.6.21. & 5 9. *Phil* 3.9. *Hebr.* 11.7. *Iac.* 2.23.2. *Pet.* 1.1. & 3.13.

Iustitia Christi, *Ioan.* 16.8.10. *Rom.* 5.18 21. & 8.10.

Iustus Deus, *Deut.* 32.4.2. *Chron* 12.5.8. *Nehem.* 4.15.33. *Psal* 11.7 & 51.25 & 119.137. & 129.4. & 145.7. *Esa.* 45.21. *Ier.* 12.1. *Thren.* 1.18. *Dan.* 9.14. *Sophon.* 3.5. *Apoc.* 16.5.

Iustus Deus Pater, *Ioan.* 17.25.1. *Ioann.* 1.9. Iustus Dei filius, Messias, Christus, Deus homo, *Esa.* 53.11. *Ierem.* 23.5. *Zach.* 9.9. *Act.* 3.14. & 7.52 & 22.14.2. *Tim.* 4.8.1. *Petr.* 3.18.1. *Ioan.* 2.1.29. & 3.7.

Iustus homo dicitur, qui gratiam à Deo Patre propter Christum Mediatorem consequutus, vitam suam secundũ præscriptum legis diuinæ instituit, *Genes* 6.9. & 7.1. *Num* 23.10. *Iob* 36.7. *Psal.* 32.11.37.46.1 & 34.16.18.20.22. *Esa.* 3.10. & 26.2.7. *Abac.* 2.4. *Matth.* 25. & 33 *Luc.* 15 7 *Rom.* 1.17. *Gal.* 3.11.

Iustus, innocens, probus, æquitatis, & rectitudinis amans, improbo, & reo oppositus, *Gen.* 18 23. *Exod.* 23.7.8. *Deuter.* 25.1. 1. *Reg.* 2.32. *Iob* 32.1.2. *Prou.* 17.5 *Eccl.* 3.17 & 7.16. *Esa.* 5 23. *Ezech.* 3.26. & 18.5 9 &c & 33.12 13.18. *Amos* 2 6. *Abac.* 1.4. *Matth.* 27.4 19.24. *Roman.* 5.7.1 *Tim* 1 9. *Iac.* 5.6.

Iustus, natura Deo gratus, perfectus, sine peccato, *Eccles.* 7.21 *Rom.* 3.10.

Iustus, nomen proprium viri, *Act.* 1.23. & 18.7.

Iusti, hypocritæ, qui se iustos esse somniant, & tales haberi cupiunt, *Matth.* 9.13. & 23.28. *Marci* 2.17. *Luca* 5.32. & 18.9. & 20.20.

Quid de Iustitia Diuina, & humana in foro conscientiæ, & ciuili sentiendum sit: quid item de locis ex patribus, & alijs scriptoribus sentiendum sit, distinctiones ex Canone Scripturæ 5. collectæ cordato Lectori demonstrant.

Patrvm Sententiæ.

Hæc est perfecta iustitia, qua potius potiora, & minus minora diligimus. *Aug. de vera religione.*

Nimia iustitia incurrit peccatum: temperata iustitia facit perfectos: falsitudinem correctionis amor Christi temperet, & dilectionem proximi fides iustitiæ condiat. *ibid.*

Amanda est iustitia, & in hac amanda gradus sunt proficientium, primus est, vt amori iustitiæ non proponamus omnia, quæ delectant. *De verb. Apost.*

Hoc certè alienum non est, quod iure possidetur: hoc autem iure, quod iuste: & hoc iuste, quod bene. Omne igitur, quod male possidetur, alienum est. Male autem possidet, qui male vtitur. *Ad Maced.*

Male se rectum putat, qui regulam summæ rectitudinis ignorat. *Ambr. de Offic.*

Iustitia magis alijs quam sibi prodest, & vtilitates suas negligit, cõmunia emolumenta præponens *lib. de parad.*

Iustitia est, quæ nihil alienum vendicat, quæ cuilibet dat, quod suum est, quæ negligit propriam vtilitatem, vt seruet communem æquitatem: & secundum illud prima iustitia est in Deum, secunda in patriam, tertia in parentes, quarta in omnes. *lib.* 1. *de Offic.*

Regula iustitiæ manifesta est. quod à vero non deerat declinare bonum virum, nec damno afficere quemquam, nec aliquid dolo annectere rei suæ. *ibid.*

Omnes virtutum species vno iustitiæ nomine continentur. *Hier. ad Demetriad.*

Homo Deo suppositus iustitiam percipit: cõparatus amittit. Quia quisquis se authori bonorum comparat, bono se, quod acceperat, priuat *ibid.*

Sæpe ipsa nostra iustitia, ad examen diuinæ iustitiæ deducta, iniustitia est, & sordet in districtione iudicis, quod in æstimatione fulget operantis. *Greg. lib.* 5. *Moral.*

Humana iustitia, diuinæ iustitiæ comparata, iniustitia est: quia & lucerna in tenebris fulgere cernitur, sed in solis radijs posita tenebratur. *ibid.*

Sicut nonnumquam grauius est peccatum diligere, quam perpetrare: ita nequius est odisse iustitiam, quam non fecisse. *ibid.*

Iustum est homines propter iustitiam diligere, non autem iustitiã propter homines postponere. *In regist.*

Quod peccatores voluptate æstimant, hoc iusti procul dubio pœnam putant: Iustus miranda agit, & opprobria recipit: vt qui

exire foras per laudes potuit, repulsis contumelijs ad semetipsum redit, & eo se robustius intus in Deo solidat, quo foris non inuenit, vbi requiescat. *In Moral.*

Bona vinea iusti, imò bona vinea iustus, cuius virtus, vitis: cuius actio palmes, cuius vinum, testimonium conscientiæ, cuius lingua, torcular expressionis, & lachrimæ piæ contribulatorum, vuæ sunt amantium. *Bern. in serm.*

Numquam iustus arbitratur se comprehendisse, numquam dicit, satis est, sed semper esurit, sititque iustitiam: ita vt si semper viueret, semper, quantum in se est, iustior esse contenderet. *In epist.*

Iustitia est reddere vnicuique, quod suum est. Tribue ergo tribus, quæ sua sunt: superiori, æquali, inferiori. Redde reuerentiam prælato, & obedientiam, quarum altera cordis, altera corporis est: tribue æquali consilium, quo ignorantia erudiatur, & auxilium, quo infirmitas iuuetur: tribue subiecto custodiam, vt possit cauere peccatum, & disciplinam, vt quod minus cauit, minimè maneat impunitum. *Ibidem.*

Rectus est ille, qui ad terrena non curuatur, qui ad cœlestia totus erigitur, qui diuinæ voluntati humiliter subijcitur, cuius medium non exiens ab extremis, paupertate, & patientia regulatur. *Idem.*

Iustitia est animi libertas, tribuens vnicuique suam propriam dignitatem, maiori reuerentiam, pari concordiam, minori disciplinã, Deo obedientiam, sibi sanctimoniam, inimico patientiam, egeno operosam misericordiam. *Ansel. in lib. Cur Deus homo.*

Cur fere omnes coniugia Liæ abhorrent, & in amplexus Rachel tãtum suspirant? Quia perfecta iustitia iubet inimicos diligere, parentes propriaq; relinquere, illata mala patienter ferre, oblatã gloriam vbique declinare. Sed ab huius mundi amatoribus quid stultius, quid laboriosius esse reputatur? hinc est, quod ab eis Lia, & lippa creditur, & laboriosa vocatur. *Richard. l. de contempl.*

Iustitia non nouit patrem, non nouit matrem, veritatem nouit, personam non accipit, Deum imitatur. *Cass. in Psal.*

Iustitia regis pax est populorum, tutamen patriæ, immunitas plebis, munimentum gentis, cura languorum, gaudium hominum, temperies aeris, serenitas maris, terræ fœcunditas, solatium pauperum, hæreditas filiorum, & sibimetipsi spes futuræ beatitudinis. *Cypr. de 12. abusionib.*

Nunc reddenda est de iustitia proposita disputatio, quæ aut ipsa est summa virtus, aut fons est ipse virtutis: quam non modo Philosophi quæsiuerunt, sed poetæ quoque, qui priores multo fuerũt, & ante natũram Philosophiæ nomen pro sapientibus habebantur. Hi plane intellexerunt, abesse hanc à rebus humanis, eamq; finxerunt offensam vitijs hominum, cessisse è terra, in cœlumq; migrasse. *Lactant. Firm. diuin. instit. lib. 5. c. 5.*

Quid vobis inanem iustitiam depingitis, & optatis cadere de cœlo, tamquam in aliquo simulachro figuratam? Ecce in conspectu vestro est: suscipite, si potestis, eamque in domicilio pectoris vestri collocate, nec difficile, aut alienum à temporibus existimetis. Estote æqui, ac boni, & sequetur vos sua sponte iustitia, quam quæritis. Deponite omnem malam cogitationem de cordibus vestris, & statim vobis illud tempus aureum reuertetur, quod aliter consequi non potestis, quam si Deum verè colere cœperitis. *Ibid. c. 8.*

Iustitia quamuis omnes simul virtutes amplectatur, tamen duæ sũt omnium principales, quæ ab illa diuelli, separariq; non possunt, Pietas & Aequitas. Non fides, temperantia, probitas, innocẽtia, integritas, & cætera huiusmodi, vel natura, vel institutis parentum, possunt esse in ijs hominibus: qui iustitiam nesciunt, sicuti semper fuerunt: pietas verò & æquitas quasi venæ sunt eius, his enim duobus fontibus constat tota iustitia. *Ibid. l. 5. c. 5.*

Denique, vt concludam disputationem, non posse eumdem stultum esse, ac iustum, eumdemque sapientem, & iniustum, docet ipsa ratio. Qui enim stultus est, quid sit bonum, ac iustum, nescit, & ideo semper peccat. Ducitur enim quasi captiuus à vitijs, nec resistere vllo modo potest, quia caret virtute, quam nescit. Iustus autem ab omni peccato se abstinet, quod aliter facere non potest, quam si habeat recti prauique notitiam. Rectum autem discernere à prauo quis potest, nisi sapiens? ita vt numquam possit iustus esse, qui stultus est: neque sapiens, qui fuerit iniustus. *Ibid. c. 18.*

Aliæ PATRVM *sententiæ de hominis iustitia coram Deo.*

Quid ex se agere poterat, vt semel amissam iustitiam recuperaret homo, seruus peccati, vinctus Diaboli? Assignata est ei proinde aliena, qui caruit sua. *Bern. epist. 190.*

Quia non inuenisti in me iustitiam meam, erue me in tua: hoc est, illud me eruat, quod me iustificat. *August. in Psal. 30. Conc. 1.*

In iustitia tua erue me: non in mea, sed in tua. Si enim in mea, ero ex illis de quibus ille agit, ignorantes Dei iustitiam, & suam volentes constituere, iustitiæ Dei non sunt subiecti. *Idem in Psalm. 70. par. 1.*

Per vnius iustitiam venientem in omnes electos, itum est in iustificationem, vt participatione iustitiæ Christi iustificentur. *Ansel. in c. 5. epist. ad Rom.*

Ipse ergo (Christus) peccatum, vt nos iustitia: nec nostra, sed Dei: nec in nobis, sed in ipso, sicut ipse peccatum non suum, sed nostrum: nec in se, sed in nobis. *Aug. Ench. ad Laur. c. 41.*

Sumus iustitia Dei in ipso: si non in ipso, nullo modo iustitia. Si autem in ipso totus nobiscum vadit ad Patrem. *Idem, de verb. Domini, serm. 61.*

Ipsum Christum qui non nouerat peccatum, Deus Pater pro nobis peccatum fecit, vt nos simus iustitia Dei in ipso. Videte duo iustitia Dei, non nostra: in ipso, non in nobis. *Idem, de verb. Apostoli, serm. 6.*

Omnes qui ex Adam cum peccato, peccatores: omnes qui per Christum iustificati, iusti, non in se, sed in illo: nam in se si interroges, Adam sunt: in illo, si interroges, Christi sunt. *Idem. tract. 3. in Ioann.*

Domine, memorabor iustitiæ tuæ solius. Ipsa est enim & mea. Nempe factus es mihi iustitia à Deo. Numquid mihi verendum, ne nõ vna ambobus sufficiat? Non est pallium breue, quod secundum Prophetam non possit operire duos. Iustitia tua iustitia in æternum. Quid longius æternitate? Et te pariter, & me operiet largiter larga, & æterna iustitia. Et in me quidem operit multitudinẽ peccatorum; in te autem, Domine, quid nisi pietatis thesauros, diuitias bonitatis? *Bern. in Cant. serm 61.*

Impossibile est, puritatem, & innocentiam in humana natura exhiberi, nisi Deus credatur in carne esse, qui iustitiam omni peccato liberam in mundum introduxit, cuius quia participes reddiri sumus, viuemus, & saluabimur. Illud enim, non est iustus in terra qui bonum faciat, & non peccet, in commune ad omnes homines pertinet. Vnde ex cœlo descendit, qui immaculatam ex se iustitiam daturus erat. *Athanas. de incarn. Dei verbi.*

Si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt: vt videlicet satisfactio vnius omnibus imputetur, sicut omnium peccata vnus ille portauit. *Bern. epist. 190.*

Mors in Christi morte fugatur, & iustitia Christi nobis imputatur. *Item,* Qui nostram & induit carnem, & subijt mortem, putas suam nobis negabit iustitiam? *Item,* An plus potuit Adam in malo, quam Christus in bono? Adæ peccatum imputabitur mihi, & Christi iustitia non pertinebit ad me? *Idem serm. ad milit. templi, cap. 11.*

Quid aliud potuit peccata nostra tegere, quam Christi iustitia? *Iustin. Mart. epist. ad Diogn.*

Iniquitas multorum in iusto vno absconditur: iustitia autem vnius facit, vt multi iniusti pro iustis habeantur. *Idem. ibid.*

POETICÆ SENTENTIÆ.

Anthol. Sacr. Iac. Bill.

Iustitia mores gemina est, vel cum bona rectis,
Vel prauis digne cum mala restituit.
Saluatrix autem cunctorum gratia Christi,
Non pensans meritum diluit omne malum.
Credentesq; omnes renouans baptismate sacro,
Dat bona, quæ propter det meliora bonis.

Claud. Stil.

Iustitia vtilibus rectum praeponere suadet.
Communesq; sequi leges, iniustaq; numquam
Largiri socijs.

Ouid. 1. Art.

Dicitur Ægyptus caruisse iuuantibus arua
Imbribus, atque annos sicca fuisse nouem.
Tum Thrasius Busirin adit, monstratq; piari
Hospitis effuso sanguine posse Iouem.
Illi Busiris: fies Iouis hostia primus,
Inquit, & Ægypto tu dabis hospes aquam.
Et Phalaris tauro violenti membra Perilli
Torruit: infelix imbuit auctor opus.
Iustus vterque fuit: neque enim lex iustior vlla est,
Quam necis artifices arte perire sua.

Olymp. Nemes. Eccl. 1.

Heu Melibæe! iacet lethali frigore segnis
Lege hominum, cœlo dignus canente senecta,
Conciliiq; Deum, plenum tibi ponderis æqui
Pectus erat: tu ruricolum discernere lites
Assueras, varias patiens mulcendo querelas.
Sub te ruris amor, sub te reuerentia iusti
Floruit: ambiguos signauit terminus agros.
Blanda tibi vultu grauitas & mite serena
Fronte supercilium: sed pectus mitius ore.

Hor. 3. Carm. 3.

Iustum, & tenacem propositi virum;
Non ciuium ardor praua iubentium;
Non vultus instantis tyranni
Mente quatit solida: neque Auster
Dux inquieti turbidus Hadriæ,
Nec fulminantis magna Iouis manus,

Si fractus illabitur orbis,
Impauidum ferient ruinæ.

Plaut. Amph.

Iustam rem facilem esse oratam à vobis volo.
Nam iuste ab iustis iustus sum orator datus.
Nam iniusta ab iustis impetrari non decet.
Iusta autem ab iniustis petere insipientia est.
Quippe illi iniqui ius ignorant, neque tenent.

Plaut. Stich.

Bonum ius dicis
Impetrare oportet: quia æquum postulas.

Ouid. 1. Met.

Victa iacet pietas, & virgo cæde madentes
Vltima cœlestum terras Astræa reliquit.

Iuuen. 6.

Paulatim deinde ad superos Astræa recessit,
Hac comite, atque duæ pariter fugere sorores.

Sen. Oct.

Neglecta terras fugit, & mores feros
Hominum cruenta cæde pollutas manus
Astræa virgo siderum magnum decus.
Cupido belli creuit, atque auri fames,
Totum per orbem maximum exortum est malum,
Luxuria pestis blanda: cui vires dedit,
Roburque longum tempus, atque error grauis.
Collecta vitia per tot ætates diu
In nos redundant. sæculo premimur graui,
Quo scelera regnant, sæuit impietas furens,
Turpi libido Venere dominatur potens,
Luxuria victrix orbis immensas opes
Iampridem auaris manibus, vt perdat, rapit.

Sophocl. in Halæsi.

Τοῖς γὰρ δικαίοις ἀντέχειν οὐ ῥᾴδιον.
Iustis resistere non est facile.

Euripides.

Κέκτησο δ' ὀρθῶς ἂν ἄνευ ψόγου,
Καὶ σμικρὰ σῴζου τῇ δίκῃ ξυνὼν ἀεί.
Possideto res tuas iuste, sine reprehensione,
Et in humili sorte manete, semper cum iustitia coniuncta.

Idem in Hecuba.

Ἐσθλοῦ γὰρ ἀνδρὸς τῇ δίκῃ θ' ὑπηρετεῖν
Καὶ τοὺς κακοὺς δρᾶν πανταχοῦ κακῶς ἀεί.
Boni viri officium est iustitiæ inseruire,
Et malos vbique semper afficere malis.

Sophoc. in Aiace.

Μηδ' ἡ βία σε μηδαμῶς νικησάτω,
Τόσονδε μισεῖν, ὥστε τὴν δίκην πατεῖν.
Ne te violentus animus vllo modo cogat
Odisse quemquam tantopere, vt iustitiam conculces.

Euripid.

Δίκη γὰρ οὐκ ἔνεστ' ἐν ὀφθαλμοῖς βροτῶν.
Iustitia enim non est in oculis mortalium.

Terent. in Phorm.

Iudices sæpe propter inuidiam adimunt, diuiti aut propter misericordiam addunt pauperi.

Hesiodus.

Ἡ δέ τε παρθένος ἐστὶ Δίκη, Διὸς ἐκγεγαυῖα,
Κυδρή τ' αἰδοίη τε θεοῖς οἳ Ὄλυμπον ἔχουσι.
Καί ῥ' ὁπότ' ἄν τίς μιν βλάπτῃ σκολιῶς ὀνοτάζων,
Αὐτίκα πὰρ Διὶ πατρὶ καθεζομένη Κρονίωνι
Γηρύετ' ἀνθρώπων ἄδικον νόον, ὄφρ' ἀποτίσῃ
Δῆμος ἀτασθαλίας βασιλέων, οἳ λυγρὰ νοεῦντες
Ἄλλῃ παρκλίνωσι δίκας σκολιῶς ἐνέποντες.
Ipsa autem iustitia est virgo ex Ioue nata,
Castaque veneranda q; Dijs qui Olympum habitant.
Et quando quis ipsam læserit oblique damnans,
Statim apud Iouem patrem sedens Saturnium,
Dicit hominum iniustam mentem, donec soluat
Populus iniquitates Regum, qui mala sentientes,
Alij inclinant iustitias oblique loquentes.

Ex 1. Epigrammat.

Ἀνδροφόνῳ σαθρὸν παρὰ τειχίον ὑπνώοντι
Νυκτὸς ἐπιστῆναί φασι Σάραπιν ὄναρ.
Καὶ χρησμῳδῆσαι, κατακείμενος οὗτος ἀνίστω,
Καὶ κοιμῶ μεταβὰς ὦ τάλαν ἄλλα χόθι.
Ὃς δὲ διυπνισθεὶς μετέβη, τὸ δὲ σαθρὸν ἐκεῖνο
Τειχίον ἐξαπίνης ᾤχετ' ἔκειτο χαμαί.
Σῶστρα δ' ἕωθεν ἔθυε θεοῖς χαίρων ὁ κακοῦργος,
Ἥδεσθαι νομίσας τὸν θεὸν ἀνδροφόνοις.
Ἀλλ' ὁ Σάραπις ἔχρησε πάλιν διὰ νυκτὸς ἐπιστάς,
Κήδεσθαί με δοκεῖς ἀθλίε τῶν ἀδίκων.
Εἰ μή νῦν σε μεθῆκα θανεῖν, θάνατον μὲν ἄλυπον
Νῦν ἔφυγες, σταυρῷ δ' ἴσθι φυλαττόμενος.
Homicidæ ruinosum iuxta murum dormienti
Nocte astitisse aiunt Serapin in somnijs:
Et vaticinatum fuisse: iacens tu surge,
Et iace mutatus, ô miserabilis alio.
Hic autem excitatus mutauit locum, marcidus autem ille,
Murus derepente statim iacuit humi.
Præmia redemptionis autem mane sacrificauit Dijs gaudens malignus,
Delectari putans Deum homicidijs.
Sed Serapis vaticinatus est rursus per noctem astans,
Curam habere me putas miser iniustorum?
Nisi nunc te permisi mori, mortem quidem sine tristitia
Nunc effugisti: cruci scias te asseruari.

Ex 3. Epigrammat.

Ὄμμα Δίκης καθορᾷ πάντα τὰ γιγνόμενα.
Oculus iustitiæ inspicit omnia, quæ fiunt.

Philemon in Palamede.

Ἀνὴρ δίκαιός ἐστιν οὐχ ὁ μὴ ἀδικῶν,
Ἀλλ' ὅστις ἀδικεῖν δυνάμενος μὴ βούλεται.
Οὐδ' ὃς τὰ μικρὰ λαμβάνειν ἀπέσχετο,
Ἀλλ' ὃς τὰ μεγάλα καρτερεῖ μὴ λαμβάνειν,
Ἔχειν δυνάμενος καὶ κρατεῖν ἀζημίως.
Οὐδ' ὃς γε ταῦτα πάντα διατηρεῖ μόνον,
Ἀλλ' ὅστις ἄδολον γνησίαν τ' ἔχων φύσιν
Εἶναι δίκαιος κοὐ δοκεῖν εἶναι θέλει.
Vir iustus est non qui non facit iniuriam,
Sed qui eum iniuriari possit, non vult tamen.
Nec qui à paruis capiendis abstinuit,
Sed qui magna sustinet non accipere,
Quamuis habere queat, & possidere sine periculo.
Nec qui ista facit omnia, vt gloriam venetur:
Sed qui sincero, & candido præditus ingenio,
Esse iustus, non modo videri vult.

Euripides.

Εἷς τοι δίκαιος μυρίων οὐκ ἐνδίκων
Κρατεῖ, τὸ θεῖον τὴν δίκην τε συλλαβών.
Vnus iustus infinitos non iustos
Vincit, Deo & iustitia adiuuantibus.

Menander.

Ἀνδρὸς δικαίου καρπὸς οὐκ ἀπόλλυται.
Viri iusti fructus non perit.

Idem.

Ἀνὴρ δίκαιός ἐστιν οὐχ ὁ μὴ ἀδικῶν,
Ἀλλ' ὅστις ἀδικεῖν δυνάμενος μὴ βούλεται.
Vir iustus est, non qui iniuriam non efficit,
Sed qui iniuriam facere potens non vult.
Βίου δικαίου γίγνεται τέλος καλόν.
Vitæ iustæ fit finis bonus.
Δίκαια δράσας συμμάχον ἕξεις θεόν.
Iusta faciens auxiliatorem consequeris Deum.
Κρίνειν δίκαιον, οὐ τὸ συμφέρον θέλε.
Specta, quod æquum, non quod vtile iudicans.
Βίου δικαίου γίγνεται τέλος καλόν.
Vitæ colentis æqua pulcher exitus.
Τρόπος δικαίου κτῆμα τιμιώτατον.
Preciosa res possessio æquitatis est.
Τῶν γὰρ δικαίων καὶ βροτοῖς καὶ θεοῖς
Ἀθάνατος αἰεὶ δόξα διατελεῖ μόνον.
Iusti viri namque inter homines, & Deos
Solius immortale permanet decus.
Δίκαιος ἴσθ', ἵνα καὶ δικαίων εὐτυχῇς.
Sis æquus, æqua consequaris vt itidem.
Βάδιζε τὴν εὐθεῖαν, εἰ δίκαιος εἶ.
Incede rectam si vir es iustus, viam.

Philosophicæ Sententiæ.

Videmus quidem, eam animi affectionem omnes iustitiam dicere, qua apti sunt ad res iustas gerendas: quaque res iustas, & faciũt, & cupiunt facere. *Arist. Ethic. l. 5. c. 1.*

Ea iusta habenda sunt, quæ in omni virtute lege sunt constituta: vt non iubet lex mortem sibi quemquam consciscere. *lib. 5. Ethicorum cap. 11.*

Cum ea facimus, quæ pactis continentur ijs, quæ hominibus inter ipsos intercedunt: alij iusti, alij iniusti efficimur. *libro 2. Ethicor. cap. 1.*

Iusta appellamus vno modo ea, quæ beatam vitam, & eius partes in ciuili societate efficiunt, ac tuentur. *lib. 5. Ethic. c. 1.*

Iustum id erit, quod leges iubent, & quod æquum est, & iniustum id, quod contra leges est, & quod iniquum. *ibid.*

Iustitia mediocritas est illa quidem, non tamen quomodo superiores virtutes: sed quia ad medium, id est, æquabilitatem pertinet. At verò iniustitia in vtroque extremo posita est. Iustitia etiam virtus est, qua quis aptus est, & propensus ad ea animi iudi-

cio

tio præstanda omnia, quæ iusta sunt, officiaque tribuenda, & sibi cum altero, & alteri cum altero si conferatur: non ita tamen, vt sibi plus emolumenti, proximo minus, damni autem contra: sed vt suum cuique proportione tribuit: itemque alij ad aliud. *lib. 5. Ethic. c. 5.*

Si reddat depositum quis inuitus, aut metu coactus, is non dicendus res iustas facere, nec iuste agere, nisi fortuito, & casu. *lib. 5. Ethic. c. 8.*

Necesse est, quod iustum sit, medium quiddam esse, & æquabile. Ac quatenus medium est, aliquorum est, quæ plus minusve nominamus. Quia æquabile est, in duobus spectatur: quia ius quibusdam tribuitur. Ita necesse est, quod iustum sit, in minimis quatuor cōsistere. Inter quos enim ius est, duo sunt: in quibus cernitur, res duæ. Eademque erit æquabilitas, & parilitas, & eorum hominum, inter quos ius est, & earum rerum, in quibus ius spectatur. *lib. 5. Ethic. c. 3.*

Iuste agere, est communes sequi vtilitatis consuetudines: parere legibus, priuataque pacta seruare. *libro Rhetoricor. ad Alexand. cap. vlt.*

Iustum est, hominum plurimorum non scripta consuetudo, honesta turpiaq; determinans: id vero est honorare parentes, amicis benefacere, & beneficijs gratiam referre. Hæc enim, & his similia non iubent scriptæ leges hominibus facienda: sed consuetudine non scripta, & communi quadam lege legitimum fit. Iusta igitur hæc sunt. *lib. Rhet. ad Alex. c. 2. de Genere deliberatiuo.*

Is vituperandus, qui iustitiam secundum leges scriptas solummodo seruat. Melior enim, qui non coactus, iustus est. *lib. 1. Rhet. ad Theodect. c. 14.*

Iustitiam ad communionem, & societatem aptam esse dicimus, quam cæteræ virtutes, necessario comitantur. *libro 3. de Republ. cap. 8.*

Hæc iustitia absoluta est, illa quidem virtus, & perfecta, non illa quidem per se, vt animi habitus quidam, considerata: sed quatenus alterius commoda, & vtilitates respicit. Ob eamque causam hæc vna virtus omnium est domina, & regina virtutum: neque Hesperus, aut Lucifer tantam sui excitant admirationem. Ex quo factum est tritum iam sermone prouerbium: *Iustitiam sese virtutes continet omnes:* eademque virtus perfecta est, ob id maximè, quod inest in ea vsus virtutis vndique perfectæ: perfecta est autem propterea, quod qui ea præditus est, is etiam erga illas non ipse modo virtutem exercere, ac colere potest. *lib. 5. Ethicorum cap. 3.*

Omnium virtutum sola iustitia in bonis alienis dicitur: quia non ad suum commodum, sed ad aliorum omnia confert. Aliorum enim commodis vtilitatique seruit, aut Principis, aut Reipublicæ. *ibid.*

Hæc ipsa iustitia non est pars virtutis, sed virtus vniuersa: & iniustitia ei opposita non pars vitij est, sed vniuersum vitium. qualis autem sit differentia virtutis, & iustitiæ, de qua agimus, perspicuum ex ijs est, quæ dicta sunt. Est enim re idem, ratione autem non idem: sed qua ad alterum refertur, iustitia: qua habitus est talis, absolutè consideratus, virtus nominatur. *ibid.*

Iustitiæ, quæ tamquam pars subiecta est generi, iurisque eius, quod ab ea ducitur, vnum genus est, quod in tribuendo honore, vel in pecunijs cernitur, cæterisve rebus omnibus, quæ diuidendæ inter eos sunt, qui in ciuili societate, & communione versantur, ea enim possunt, vel æqualiter inter ciues diuidi, vel inæqualiter. Alterum genus est, quod pactis contrahendisq; rebus tamquam regula adhibetur. *Ethic. lib. 5. c. 2.*

Malum pro malo reddere iustum est: & iustum omne laudabile. *lib. 5. Rhet. ad Theod. c. 1.*

Iustus is est, qui animi consilio, & considerate rem iustam gerit. Iuste autem facit, si modo sponte. *Ethic. lib. 5. c. 8.*

Iustum ipsum bonum esse necesse est: quoniam publicè conducit. *lib. 1. Rhet. ad Theod. c. 6.*

Iustitia multam adfert animo tranquillitatem. Neminem enim timentem, nec apud vllum erubescentem viuere, voluptas quædam est, & quasi sufficientia, siue perfectio vitæ. Cæterum qui iustitiam animo complectitur, non solum alijs vtilis est, sed etiam ipse sibi. Non enim conabitur vlla ea parte seipsum offendere, neque vllius sibi doloris, aut morbi author erit, sed naturæ instrumenta sensibus destinata, Deos existimans esse, iuste ipsis vtetur: & ne quid supra ipsorum vires agat, maximè cauebit, voluptatem vtilitatemq; ex eis capiens. Etenim ab auditu, visu, alimentis, & venere contingent voluptates ei, qui seipso iuste vsus fuerit. Pericula vero etiam circa maximi momēti & omnino necessarias res quandoque contingunt: An non vidisti, quosdā noctes diesque animo perturbatos, in mare tandem se temere præcipitasse? *Diogenes.*

Meminerimus autem, etiam aduersus infimos iustitiam esse seruandam. Est autem infima conditio, ac fortuna seruorum, quibus nō male præcipiunt, qui ita iubent, vti mercenarius ad opera præbenda, & iusta exhibenda, &c.

Iustitia hæc vna virtus sola domina omnium, & regina virtutum. *Polyanthea Nouiss.*

Fundamentum autem iustitiæ est fides, id est, dictorum conuentorumque constantia, & veritas.

Iustitiæ munus primum est, vt ne cui quis noceat, nisi lacessitus iniuria.

Ea animi elatio, quæ cernitur in periculis, aut laboribus, si iustitia vacat, pugnatque non pro salute communi, sed pro suis commodis, in vitio est: itaque probe definitur à Stoicis fortitudo, cum eam esse virtutem dicunt, pugnantem pro æquitate. *Cic. lib. 1. Officiorum.*

Præclarum illud Platonis. Scientia quæ est remota à iustitia, calliditas potius quam sapientia est appellanda.

Difficile est autem cum præstare omnibus concupiueris, seruare æquitatem, quæ est iustitiæ maximè proxima.

Et iusta omnia decora sunt, iniusta omnia contra, sic indecora sunt turpia.

Prudentia sine iustitia nihil valet ad faciendam fidem.

Iustitia sine prudentia multum poterit: sine iustitia, nihil valebit prudentia.

Tanta vis est iustitiæ, vt ne illi quidem, qui maleficio, & scelere pascuntur, possint sine vlla particula iustitiæ viuere.

Qui igitur adipisci veram iustitiæ gloriam volent, iustitiæ fungantur officijs.

Sublata iustitia, liberalitas, bonitas, beneficentia funditus tollūtur, quæ qui tollunt, etiam aduersus Deos immortales impij iudicandi sunt. *Idem ibid.*

Facile est iustitiam homini iustissimo defendere.

Fundamentum est perpetuæ commendationis, & famæ iustitia, sine qua nihil potest esse laudabile.

Nihil est honestum, quod iustitia vacet. *Idem lib. de Amicit.*

Nihil est profecto præstabilius, quam planè intelligi, nos ad iustitiam esse natos, neque opinione, sed natura esse constitutum ius: iam patebit, si hominum inter ipsos societatem coniunctionemque perspexeris.

Etenim omnes viri boni ipsam æquitatem, & ius ipsum amant, nec est viri boni errare, & diligere, quod per se non sit diligendum, & colendum. Per se igitur ius est expetendum, & colendum. Quod si ius, etiam iustitia, sic & reliquæ quoque virtutes per se colendæ sunt. *Idem lib. 1. de legib.*

Iustitia nihil expetit præmij, nihil precij, per se igitur expetitur.

Quod si amicitia per se colenda est, societas quoque hominum, & æqualitas, & iustitia per se expetenda sunt. Quod ni ita est, omnino iustitia nulla est. Id enim iniustissimum ipsum est, iustitiæ mercedem quærere. *ibid.*

Inuitat igitur vera ratio bene sanos ad iustitiam, æquitatem, fidemque. *Idem l. 2. de fin. bonorum, & malorum.*

Quam multa vero iniuste fieri possunt, quæ nemo possit reprehendere. *Idem lib. 1. de Natura Deorum.*

Iustitia suum cuique tribuit. *Idem Rhetor. veterum lib. 2.*

Iustitia est habitus animi, communi vtilitate seruatus, suam cuique tribuens dignitatem. Initium iustitiæ est à natura profectum, deinde quædam in consuetudinem ex vtilitatis ratione venerunt. Postea res & à natura profectas, & a consuetudine probatas, legum metus, & religio sanxit. *Idem Rhetor. veterum lib. 2.*

Deus nullo vspiam modo iniustus est, sed plane iustissimus, Nec ei similius inueniri potest quisquam, quam qui inter vos iustissimus fuerit. *Plato in Theateto.*

Iustitia inter homines videtur mihi mater, & nutrix cæterarum virtutum appellanda, nam sine illa, neque temperantem, neque prudentem, neque fortem esse quemquam fieri potest. Quippe harmonia, & concordia totius animæ est cum concinnitate. Fiet autem eius vtilitas euidentior, si alios habitus considerauimus, vtpote qui particularem solum sui vsum, & ad vnum quempiam præbeant. Iustitia verò vtilitatem in multitudine, & vniuersas rerum comprehensiones præstat: siquidem in mundo principatum omnem obtinens, prouidentia vocatur: & harmonia, & constitutio generis cuiusdam Deorum, qui ipsam ita disposuerunt. In ciuitate autem pax, & æquitas merito nominatur, in domo autem, hæc est viri, & vxoris concordia mutua, item, famulorum in heros beneuolentia, dominorum autem erga famulos benigna curatio. In corpore autem, sanitas, & perfectio membrorum, quæ tamquam præcipua cunctæ animantes maximè diligunt. Cæterum in anima est sapientia, quæ per scientiam, & iustitiam hominibus comparatur. Cum igitur hæc virtus totum simul ac partes singulas ita moderetur, & in concordia conseruet, quomodo non mater, & nutrix tum virtutum cum rerum omnium communi iudicio dici deberet? *Polus Pythagoricus in libro de iustitia.*

Ne dubita, si aurum quidem inquirendum proponeretur, numquā alterum alteri sponte concessurum in inquisitione, & inuentionem eius perditurum. Cum autem inuestiganda sit iustitia, res auro longe preciosior, an non absurdum est tam temere alios alijs inuicem cedere: non autem vnumquemque id studere, vt sibi in primis appareat? *Plato.*

Equidem mea sententia iustitiam esse sanctam, & sanctitatem

iustam esse dicam. Arbitror enim te permissurum, vt pro te illud ipsum respondeam, quod videlicet, aut idem sit iustitia, quod sanctitas, aut iudicem quam simillima: vt maximè omnium qualis iustitia, talis sanctitas: & qualis sanctitas, talis iustitia sit. *Plato in Protagora.*

Qui ad iustitiam perducitur, hic ad omnium finem virtutum, & vniuersarum collectionem, in qua cunctæ comprehensim insunt, vt vetus est dictum, peruenire poterit.

Distributio in humana vita secundum cuiusque dignitatem operũ, & bonorum, & aliarum rerum, quæ singulis conueniunt, iustitiam, quæ ad hominum vitam pertinet, constituit. Proinde opera studiaque illa iustitiæ propria sunt, quæ liberaliter, ac facile in cõuentibus commercijsque versantur: & quæ familiariter benignè ac vtiliter fiunt: denique actiones prohibent noxias, vtilium verò totam constitutionem decentem moliuntur. *Iamblicus ex epistol. ad Anatolium, de iustitia.*

Sicut vera trutina, neque à bona, & recta trutina corrigitur, neque per falsam examinatur: sic etiam iustus iudex, neque ab iniustis castigatur, neque apud iniustos iudicatur. *Epictetus in Enchirid.*

Πᾶσά τε ἐπιστήμη χωριζομένη δικαιοσύνης, καὶ τῆς ἄλλης ἀρετῆς, πανουργία, ἀλλ᾽ οὐ σοφία φαίνεται.

Scientia quæuis, a iustitia, & reliqua virtute seiuncta, calliditas, nõ autem sapientia videtur esse. *Plato.*

Ἀνδρείας μὲν γὰρ οὐδὲν ὄφελος δικαιοσύνης μὴ παρούσης· εἰ δὲ δίκαιοι πάντες γένοιντο, οὐδὲν ἀνδρείας δεήσει.

Fortitudinis quidem absente iustitia nullus est vsus, at si omnes iusti fierent, fortitudine nihil indigeremus. *Agesilaus.*

Ζηλωτὸν ἴσως ὁ πλοῦτος, τίμιον μὲν τοι καὶ θαυμαστὸν ἡ δικαιοσύνη.

Diuitiæ forsan magna æmulatione desiderabiles sunt: sed iustitia, pretiosa, & admirabilis res est. *Lycurgus Legislator.*

SENTENTIAE HISTORICAE.

Iustum est, vt quam quis legem tulerit in alios, eamdem æquo animo ipse subeat. *Diod. Sicul. lib. 13.*

Obtemperantiam, & iustitiam homines se minus mutuo lædentes, & magis sunt concordes, & felicitatem non fœdissimis voluptatibus, sed felicitate metiuntur. *Dionys. Halic. lib. 2.*

Pudore, modestia, ac iustitia omnis ciuilis societas conseruatur. *Idem, lib. 6.*

Omnes res mortalium (diuina) inspicit iustitia. *Idem, lib. 11.*

Inter virtutes iustitia mediocritatis nomen obtinere debet. Nam non solum si infra modum sit, verum etiam si modum excedat, ipsis hominibus conducere non solet; imò interdum magnas illis adfert calamitates, eosque in mortes miserabiles, & lues insanabiles conijcit. *Idem, lib. 8.*

Agesilaus solebat iustitiam inter omnes præstantissimam dicere, sine qua fortitudo nullius esset precij; cum contra ne opus quidem hac esset futurum, si omnes homines iusti essent. Et quibusdam dicentibus: Hoc ita magno regi placere; Quid ergo, inquit, an is maior me est, si non sit iustior? à rectè iudicans, iustitia, tamquam regia mensura, præstantiam esse examinandam. *Plut. in Agesil.*

Omnino summa nobis iustitiæ est habenda cura; cum qua etiam de armorum potentia spes bona proposita est, sine ea nihil perpetuum erat, vt maximè in præsentiarum quis victoriam obtineat. *Diod. lib. 41.*

In sanctis penetralibus iustitiæ semper æqui, ac probi facti respectus religiosa cum obseruatione versatur: & vbi studium verecũdiæ est: & cupiditas rationi cedit, nihilque vtile, quod parum honestum videri possit, ducitur. *Val. Max. l. 6. c. 5.*

Excellentissima virtutum omnium Iustitia. *Amm. Marcell. lib. 20.*

Corporis proceritatem, & armorum diligentiam, cæterumq; belli apparatum longe inferiora iustitia, & in Deum obseruantia esse nemo dubitat. Iustitiam si quis sectatus fuerit, magis ei quam è supradictis felicitas obuenerit. Prima igitur iustitiæ cura est, iniustè interfectos vlcisci. Si enim iusti, & iusti iudicium in eos exerceri qui prope nos sunt prætereatur, nullus iam metus erit, vilisque admodum fuerit hominum animæ humanæ ratio. *Procop. de bel. Vandal. lib. 1.*

Frustra sit fortitudo, vbi iustitia defuerit. *Idem, ibid.*

Iustitiæ proprium est id cuique tribuere, quod meretur. *Zonar. in Alex. Comm. tom. 3.*

Inuicta res est iustitia, quæ prius infestos potest amicos reddere, ac hostes perinde attrahit, vt magnes ferrum. *Constant. Manass. Annal. pag. 84.*

Quum iustitia sit omnium virtutum fundamentum, & basis, omnibus alijs rationibus anteponenda est. *F. Guicciard. hist. lib. 4.*

Lento gradu ad vindictam sui diuina procedit ira, tarditatemq; supplicij grauitate compensat. *Valer. Max. lib. 1. c. 1.*

Deûm iniuriæ Deis curæ. *Tacit. Annal. lib. 1.*

Innumerabilia iudicia, & supplicia vitrix facinorum impiorum, bonorumq; præmiatrix, operatur *Adrastia*, (atque vtinam semper) quam vocabulo duplici etiam *Nemesin* appellamus: ius quoddam sublime numinis efficacis, humanarum mentium opinione lunari circulo propositum, vel (vt definiunt alij) substantialis tutela generali potentia partilibus præsidens fatis: quam Theologi veteres fingentes *Iustitiæ filiam*, ex abdita quadam æternitate omnia despectare terrena. Hæc vt regina caussarum, & arbitra rerum, hæc disceptatrix vrnam sortium temperat, accidentium vices alternans: voluntatumq; nostrarum exorsa interdũ alio quã quo contendebant exitu terminans, multiplices actus permutando conuoluit. Eademq; necessitatis insolubili retinaculo mortalitatis vinciens fastus tumentes incassum, & incrementorum decrementorumque momenta versans, vt nouit, nunc erectas mentium ceruices opprimit, & eneruat, nunc bonos ab imo suscitãs, ad bene viuendum extollit. Primas autem ideo illi vetustas fabulosa aptauit, vt adesse velocitate volucri cunctis existimetur: & prætendere gubernaculum edidit, eique subdidit rotam, vt vniuersitatem regere per elementa discurrens omnia non ignoretur. Hæc fecit Agathoclem Siculo ex figulo regem, & Dionysium, gentium quondam terrorem, Corinthi ludo literario præfecit. Hæc Adramyttenus Andriscum in fullonia natum, ob Pseudophilippi nomen euexit, & Persei legitimum filium artem ferrariam ob quærendum docuit victum. Eadem Mancinum Numãtinis summa atrocitate: Veturium & Claudium Corsis substrauit, senatui Carthaginis Regulum; istius arbitrio Pompeius, post quæsitum Magni, & rerum gestarum amplitudine cognomentũ, ad spadonum libidinem in Aegypto trucidatur, & Eunus quidã ergastulatus seruus ductauit in Sicilia fugitiuos. Quam splendido loco multi nati, eadem rerum Domina conniuente, Viriati genua, vel Spartaci amplexi sunt? quod capita, quæ gentes horruere, funesti carnifices absciderunt? Alter in vincula ducitur, alter insperatæ præficitur potestati, alius à summo culmine dignitatis excutitur. Quæ omnia si scire quisquam velit, quam varia sint, & assidua, arenarum numerum idem iam desipiens, & montium põdera scrutari poterit. *Amm. Marcel. hist. l. 14.*

Vigilat vtrobique superni Numinis æquitas. *Idem, eod. lib.*

Vigilat Iustitiæ oculus sempiternus. *lib. 28.*

Inconueniens iustitiæ oculus, arbiter, & vindex perpetuus rerum vigilat attente. *lib. 29.*

Manes iaultos sempiternæ vindicat iustitiæ vigor, aliquotiens serus, sed scrupulosus quæsitor gestorum rectè, vel secius. *lib. 30.*

Diuina sit iustitia, vt qui primi bellum inique, & arroganter intulerunt, supplices pacem petant. *P. Iouius, hist. l. 4.*

Deus eos in terris diu felices esse non patitur, qui ab immani crudelitate omnem humanitatem exuerint. *Idem l. 13.*

Traianus præfecto prætorij gladium nudum porrigens, dicebat: Accipe gladium, quem pro me, si bene, atque ratione imperauero, distringes: sin minus, eo ad interitum meum vtere. *Dion in Traiano.*

Numam dominum sibi Romani, priuatum, atque peregrinum quãtumuis, delegerunt; Lycurgus ex rege seipsum priuatum fecit. Pulchrum quidem est iustitia regnum adipisci: pulchrum etiam regno iustitiam anteponere, nam virtus alterum ita illustrẽ reddidit, vt regno dignus iudicaretur, alterum ita magnum, vt id cõtemneret. *Plut. in Lycur. & Numa compar.*

Nulla regi conuenientior actio est, quam iustitiæ executio. Mars enim (vt Timotheus ait) tyrannus est: & Pindarus legem omniũ regem appellat. Homerus item ait reges non machinas vrbium expugnatrices, non æratas naues à Ioue sibi traditas, sed iura accepisse, & custodire: regumq; non bellicosissimum, neque iniustissimum, aut sæuissimum, sed iustissimum Iouis discipulum nominat. *Plut. in Demetr.*

Ex omnibus Aristidis virtutibus, maximè Iustitiam populus animaduertit, quod eius vsus, & perpetuus, & omnium maximè cõmunis esset. Itaque pauper, & de plebe homo, Iusti cognomentum maximè regium, & diuinissimum nactus est. Quod reges & tyranni haud imitati sunt, qui magis (vt apparet) vi & potentia, quam virtute, partæ gloriæ cupidi, Poliorcetæ ab vrbibus expugnatis, Cerauni, à fulmine, Nicanores à vincendo, nonnulli etiam Aquilæ, & Accipitres dici maluerunt. Atqui diuina natura (cuius se illi similes efficere cupiũt) tribus his excellere videtur, perpetuitate, potentia, & æquitate inter quæ summa certè est æquitatis maiestas, & diuinitas. Perpetuis enim, hoc est interitus expertibus, esse etiam inani, & elementis contigit: terræmotus, fulmina, ventorum turbines, fluuiorum inundationes, magnam vim habent: iustitiæ autem, & æquitatis in Deo nihil nisi quod sapiat, & res diuinas intelligat sit particeps. Quapropter cum tribus modis plerique erga Deum afficiantur, admirando, timendo, honorãdo; mirari eum solent, & beatum prædicare ob æternitatem interitusque immunitatem, reformidare autem, & metuere propter eorum dominationem, & potentiam; amare autem, honorare & colere, iustitiæ causa. Et tamen hoc modo affecti homines, immortalitatem natura nostra superiorem, potentiamque in fortuna maiore sui parte positam appetunt, iustitia (quod solum de diuinis bonis in nos cadit) post hæc posita: tanto quidem ij stultius, quod vitam potentia, fortuna, & principatu prædi-

cam,

ram, iustitia quidem diuinam, beluinam verò iniustitia reddit. *Plut. in Aristide.*

Satis mirari nequeo, id quod multis ante sæculis admirationi summis sapientiæ professoribus fuisse video: post hominum memoriam summos Reges, maximosque Imperatores, ex rebus gestis, vitæve instituto, aut fortuna aliqua præclara sibi cognomina peperisse: alios Illustres, alios Magnos, alios Felices, alios Augustos, alios Pios dictos, alios alio decore nobilitatos: nullum eum Regum, nullum illorum Imperatorum, qui rerum potiti sunt, *Iusti* cognomen ad hanc diem promeruisse: eam vnam iusti Regis palmam, cognominisque dignitatem, cæteris occupatis reliquam esse quæ petatur, quam prima omnium summa contentione peti oportuisset: cum cætera priuatorum hominum, & multo minus salutaria munera sint. Cuius rei causam quis aliam crediderit, quam quod sunt qui ferant, iustum hominem maiori alijs, quam sibi, viui esse: quasi Reges loco cœlestium instituti, datique idcirco sint, vt sibi, non Reipub. saluti commodoque prospiciant: cum contra res habeat, Regesque diuinitus generi humano dati sint, vt in commune consulant, iustitiaque sit ea animi dos, quæ vniuersa vtilitate conseruata, suam cuique tribuit dignitatem: à qua qui deficiunt, quamuis in Regio solio sedeant, Regesque in præsentia vocitentur: tamen adeo ab Regio nomine, iudicio sapientum (quo quid maius? quid grauius?) absunt, vt ne Latino quidem nomine nuncupari possint: externo & peregrino nominantur.

Eius igitur culpæ ratio eadem est, quæ & communis exitij, maximorumque bellorum: quod opibus præstare, id in rebus humanis summum bonum arbitrantur: cum ea demum, ac vna magnitudo Regia sit, vt cum cupiditati animi modum semel imposueris, quam cæteros mortales magnitudine nominis antecedis, tam beneficijs anteire contendas, & ea in primis excellas virtute, a qua vna reliquæ iura petant, eius nutum intueantur, ad eam omnia referant, ab eius ore pendeant: cuius fidei aliæ rerum summam arbitriumque mandant, seque eius ad ministras confessque profiteantur. Ea haud dubiè iustitia est: pro qua fortitudo, grauitas, constantia nisi depugnet, suum ius nomenque ac decus amittat, feritas, immanitas, vecordia, dicatur: cui sapientia nisi appareat præstoque sit malitia, calliditas, fraus, captio, necessario vocitetur. Eiusdem est, cum hominum genus ex fera vita siluisque in vrbes mansuetudinemque extulerit, legumque ac institutorũ vinculis coniunxerit, consociaritque, dare operam, vt probi mores vigeant: pietas, fides, pudor, modestia, continentia, temperantia, colatur.

Quin ipsa liberalitas, quæ prodesse velle se, ac augere multos gloriatur, nisi sine iniuria, sine maleficio alterius id faciat: nisi iustitiæ vestigijs insistat, cuius se germana, ac maximè gemina prædicat omnis commendationis dignatisque sit expers: priusque alios spoliet, quam alijs largiatur. Eadem & magnificentiæ, & munificentiæ vis est, vt ab iniuria procul facessat: vt vnius iustitiæ nomine omnes contineantur, ea omnes sit: ea vim suam etiam sanctam mortalibus tueatur: quod cum quænam mortalium generi ruendo debeantur, præscripserit, cœlum etiam suspiciens, illi in animis hominum venerationem cultumque reddat, pietatem, & religionem, templa, sacra, superis imperat, summumque mundi artificem velut coram contemplata, imitandum sibi proponat: vt quemadmodum ille signa, sidera, cœli motus, temporum vicissitudines, sempiterna certaque lege deuinxit, à qua deficere nequeant, ita ipsa terrestribus his apud nos Regibus, si perpetua futura sint, salutares leges iuraque præscribat.

Hæc igitur iustitia tertis incedens, ac cœlum ceruice contingens, ita sibi nihil ipsa petens, nihil sperans, sua cuique tribuit, vt ei nihilo secius genus humanum, resque omnes eius beneficio incolumes, sceptra deat. Simulque iusti legumque Reges a parentibus more, instituto, & legibus consensuque Regna acceperint, nulli rei plus quam iustitiæ debent. Maius enim cuiusque patrimonium, ac ampliores facultates ab ea acceperunt, quam à parentibus. Illi enim opes, gazam, arma, arces, præsidia tradere potuere: vt verè iusti Reges sint, habeanturque, ipsi, ac liberis deinceps per manus eadem relinquant, id munus eius Reginæ sit. Cur enim iustitiam Reginam vocitare dubitemus? quæ Regina tradat tueatur, sancta efficit: adeo vt etiamsi id verum credatur, quod & proceres sapientiæ nonnulli dixere, iustum plus alijs prodesse quam sibi: dissimulari tamen nõ possit, veros reges, eosque in primis qui regibus orti, generatim reges sint, ei Reginæ accepta omnia ferre debere: quam & ipsos in se colere, & cæteris præstare conueniat. Et (vt omnia semel complectar) religionis, moderationis, fortitudinis, prudentiæ, liberalitatis, iustitia parens est, nec diuelli ab Rege potest, incolumi Regio nomine.

Nec difficile factum est, eam præstare, non æquè cætera. Etenim sapiẽtia ingenij indoles est, quam nullus efficere, creareve sibi põt naturæ bonum, ac Dei donum est. Fortitudo quoque vis quædã, & magnitudo animi censetur, ac id mentis robur fere vt cuique insitum est specimen, cernitur. Quid, quod continentiam facilẽ, aut difficilem corporis dos habitusque præstare videri possit? Iustitia aut à sola voluntate proficiscitur: & vt quisque vult, iustus, secusve esse: aut facillimè omnium Regijs ingenijs se vltro discendam præbet. Forma corporis, oris dignitas, frontis grauitas, vultus maiestas, fulgor, vigor, ac lumen oculorum spectantes mouet, tenet, ac admonet quænã species prima a summo rerum artifice initio rerum creati hominis fuerit: qualesque quicumque iuste regnarint futuri sint in illa felici immortalitate. Quod si corporis pulchritudo tanti est, vt quodam sui miraculo reliquos afficiat: quid sentiendum est de illa pulchritudine, quæ est animi vere Regij, quæ superis fuerit simillima? *P. Æmil. Inst. l. 8.*

APOPHTHEGMATA.

Bias damnaturus quempiam ad mortem, lachrimatus est miseriam hominis, & merito deplorandam fortunam. Verum cum dixisset quidam, Quid est quod defleas, cum in tuo sit arbitrio, condemnare aut liberare hominem? respondit Bias, Necessarium quidẽ esse, naturæ condolere: a lege autem & iustitiæ regula discedere magis perniciosum est. *Stob. ser. 44.*

Zeno, cum ex eo quidam familiarium quærerent, qua possent ratione iustitiam colere, nihilque iniuriæ facere: Si semper, inquit, me vobis adesse existimabitis. *Max. ser. 5.*

Antisthenes negabat sapientem virum obstrictum esse legibus ab hominibus promulgatis: Intellexit vir prudentissimus, sapientem obligatum esse virtuti, iuxta cuius normam vitam instituit. Leges enim non omnia præteribunt, sed ipsa ratio docet quid turpe quidque honestum, & virtutis regula vt quę ostendit, quid viris bonis agendum sit. *Laert. l. 6.*

Idem aiebat, homines virtute præditos sibi parare defensores non fortes tantum, sed etiam æquos & iustos. Nol int. n. defendi, si cõtra iustitiæ leges aliquid admittant. *P. M. l. 6. apoph.*

Idem, cum Athenienses eo deuenissent, vt Aristidem ostracismo (id erat damnationis genus, quod testulis peragebatur) in exilium agerent, ac rusticus quidam illiteratus testulam ad eum deferens iussisset, vt Aristidis nomen inscriberet, Nostine, inquit Aristides, Aristidem? Cum ille negasset se nosse, moleste tamen ferre, quod Iustus cognomine diceretur: siluit Aristides, & nomen suũ inscripsit testulę, ac reddidit. Tam leni animo ferebat iniustam damnationem. Grauissimum autem vitæ innocenter actæ testimonium est, è tanta multitudine neminem extitisse, qui aliquid obijceret, quam Iusti cognomen, quod ipse tamen sibi non imposuerat. *Plut. in Aristide.*

Demosthenes eos homines in primis laude dignos pronunciauit, qui nullam anteponerent iustitiæ vtilitatem. Pecunias enim quisque possidere potest, at iustitiæ gloria pecunijs non emitur. *Fauorinus. Verum Stobæus id Isocrati ascribit.*

Iason. celebratur Iasonis Thessali dictum, quo se purgare solebat ijs quibus molestiam aut vim attulisset: Qui magnis in rebus se iustitiæ cultorem haberi velit, eum in paruis interdum illam violare oportet. Velut in bellis, quod tuta sit Respublica, agri aut ædificia quorumdam ciuium interdum perduntur. *P. M. lib. 1. apoph.*

Anacarsis, parentibus postulantibus vt sibi in re quapiam iniusta adesset, recusauit illis aliquandiu. Cæterum cum instarent, hunc in modum respondit: Donec essem apud vos, nullam omnino tenebam iustitiæ scientiam: verum vbi me patriæ tradidistis, patriæque legibus, insuper & iustitiam & honestatem pro viribus docuistis, conabor huic magis obtemperare quam vobis. Et quandoquidem hęc est vestra voluntas, vt quæ sunt optima faciam: optima vero sunt, quæ iusta sunt, cum homini priuato, tum præcipue principatum gerenti: quæ vultis faciam, quæ dicitis, negabo. *Plut. in Lacon.*

Agis, quibusdam Eleos hoc nomine prædicantibus, quod in certaminibus Olympiacis essent iusti iudices: Quid, inquit Agis, magni mirè faciunt, si intra quinque annos vno tantum die se iustos præstant? Pergentibus autem laudare qui cœperant: quasi vero, inquit, mirum sit, si re pulcherrima, iustitia pulchrè vtuntur: Non putabat vir sapientissimus, in eum cõpetere iustitię laudem, nisi qui per omnem vitam in omnibus actionibus iustitiam coleret, nam ludi Olympiaci semel tantum intra quinquennium celebrabantur. *Plut. in Lacon.*

Agesilaus sciscitatus: Vtra virtus esset præstantior, Fortitudo an Iustitia? grauiter respondit: Fortitudinis nullum esse vsum, nisi adsit iustitia. Quod si omnes essent iusti, nihil opus fore fortitudine. Quo responso nihil præter æquum faciendum vbique putauit. *Plut. in Lacon. Apoph. Stob. ser. 7.*

Idem cũ cæteris in rebus esset rigidior, & exactè iusti legumque tenax: tamen in amicorum negocijs existimabat, inhumanitatis ac sæuitiæ prætextum esse, nimium aduersus illos esse iustum. Huius rei testis est epistola quædam perbreuis, quæ fertur ad Hydrieum Carem scripta, qua cuidam amico veniam deprecatur in hunc modum: Nicias, si nihil peccat, dimitte hominem: si peccat, mihi dimitte, sed omnino dimitte. Innocentem punire, scelus est: culpam interdum condonare in gratiam honesti deprecatoris, humanitas est. Cum enim iustitiam semper oporteat esse clementia temperatam, quoties nacta est grauem interpellatorem,

& mi-

& minus habet inuidiæ, & plus impetrat gratiç. In plerisque igitur amicorum negocijs ad eum modum se gerebat Agesilaus: interdum tamen magis sequebatur Reipublic. vtilitatem per occasionem oblatam, quam indulgebat amicitiæ. *Plut. in Lacon. apoph.*

Callicratidas à Lysandri amicis solicitatus, vt vnum quendam ex inimicorum numero permitteret ipsis interimere, & accipere talenta quinquaginta. Tametsi pecunia egeret, vt solueret nautis promissum stipendium, non tamen hoc fieri concessit, cum videret contra omnem hoc esse iustitiam. At cum Cleander regius consiliarius dixisset. Ego profecto hoc accepissem, si fuissem Callicratidas: Et ego, inquit Callicratidas, accepissem, si fuissem Cleander. *Idem.*

Leo Eurycratidis F. cuidam percontanti, in qua demum ciuitate tuto viuere posset? In ea, ait, quam qui incolunt, neque plus possidēt, neque minus, & vbi iustitia viget. Grauiter admonuit, eam ciuitatem tuto habitari posse, in qua iustitiæ cura habetur. *ibid.*

M. Cato Magistratum iudicem dicebat, nec pro iustis orandum, nec pro iniustis exorandum. Sensit, culpam esse iudicum si vt iustis æqui sint, orandi sint, quum oporteat vltro fauere bonis. Pro iniustis orare fortassis humanitatis est: at exorari, est à iustitia deflectentis. *Plut. in Rom. apoph.*

P. Rutilius, amico cuidam rem iniustam petenti, pernegabat, quumque is commotus per summam indignationem diceret. Quid ergo mihi opus est tua amicitia, si quæ abs te rogo, non facis? Imo, inquit Rutilius, quid mihi opus est tua amicitia, si me vrgere cupis, vt in iustitiæ leges tua causa peccem? *P. M. lib. 8. apoph.*

Pompeius Phraati Parthorum regi per legatos postulanti, vt Euphratem Romanæ ditionis terminum esse vellet: Imo, inquit, illud magis postulādum est, vt Romanorum fines a Parthorum regno iustitia dirimat. *Plut. in Rom. apoph.*

Liberius Episcopus, respondit Constantino Imperatori suadenti vt subscriberet in excommunicationem Athanasij: O Imperator, iudicia ecclesiastica decet cum maxima proferri iustitia. *Tripart. histor. l. 5. c. 17.*

Traianus Imperator, iustitiam & æquitatem in principe plurimum commendare solebat, quia his potissimum virtutibus principes cæteros homines excellere debere dictitabat, quarum & ipse cū Rom. gubernaret imperium, studiosus adeo fuisse fertur, vt aliquando ensem strictum præfecto vrbi in conspectu omnium dederit, atque dixerit: Cape ferrum hoc, & siquidem recte imperiū gessero, pro me: sin aliter, contra me hoc vtere. *Nicephor. Callist. lib. 3. Eccl. hist. c. 23*

Hadrianus, cum in spectaculo populus clamore flagitaret, vt aurigam qui placuerat liberum esse iuberet per tabellam respōdit, iniquum esse quod peterent, & contra leges iustitiæ. Si enim seruū alienum libertate donaret, fieret iniuria domino. *Ex Dione Cassio, & Spartiano.*

Fridericus Imperator cum Ladislaum Hungariæ ac Bohemiæ regem educaret, non defuerunt qui perdendum suaderent puerum, cuius vita ingentes molestias Cæsari, mors regna & opes maximas allatura esset. Ad quos ille: Ergo me, inquit, opulentum magis regem, quam pium, quam iustum cupitis. At ego iustitiam bonumque nomen diuitijs cunctisque rebus antepono. *Æneas Siluius lib. 3. comment. in res gestas Alphonsi.*

Ad Rodulphum Imperatorem cum quidam venisset qui Othaccarum Bohemiæ regem atrocem hostem, in venatione se occisurū promitteret: si facto præmium esset: Rodulphus. Etsi noster hostis est Othaccarus, inquit, non tamen id efficiet, vt iustitiæ & moderationis fines transeamus. *Æneas Siluius lib. 3. comment. de reb. gest. Alphonsi.*

Inter Ioannem Caroli quarti eius nominis patrem, & Henricum Carinthiæ ducem, de regno Bohemiæ longa & difficilis fuit contentio. Verum cum quidam ad Ioannem veniens, veneno se hostem occisurum promitteret, si præmium speraret: Ioannes iustitiæ & integritatis amator. Si veneno Henricum, inquit, interemisses, & ad me fugam adornasses, crux ibi præmium futurum erat, qui te regio sanguine commaculasses: & tu te modo authorem tanti sceleris geris? *Idem.*

Alphonsus Arragonum rex, eos principes qui Iustitiam non colerent, persimiles sibi videri dicebat ijs, qui morbo caderent comitiali. Nam cum animæ materia sit sola iustitia, qua tenditur ad vitam: quid restat principibus, sublata iustitia, quæ est vitæ quasi nutrimentum & cibus? *Ant. Panor. de reb. gestis Alphonsi, Æneas Silu. de eius dictis.*

S I M I L I T V D I N E S.

Philonis. Quemadmodum iudex nec vincere vult quenquam, nec habere aduersarium, sed lata sententia pondus addit parti iustiori: Ad eundem modum iustitia quoque cum nemini aduersetur, cuique rei quod suum est tribuit. *Lib. 1. Allegoriarum.*

Epicteti, veluti recto nihil dari potest rectius: Sic neque iusto iustius. *Apud Stob. serm. 7. de iustitia.*

Demosthenes, quemadmodum domus, oppidi, nauigij, & aliorum id genus firmissima fundamenta esse oportet: Sic etiam negociorū actionumve principia & causas veras ac iustas esse decet. *Olyn. 2.*

Ciceroni, quemadmodum theatrum cum commune sit, recte tamen eius dici potest esse eum locum, quem quisque occuparit: Sic in orbe mundove communi, non aduersatur ius, quo minus suum quidque cuiusque sit. *Lib. 3. de finibus.*

Iouiani Pontani, cum sit vniuersum genus hominum quasi vna quædam ciuitas: cuius hę quas incolimus vrbes, sint veluti partes quędam: ipsæque constent domibus ac familijs, domus vero hominibus: primum docet Iustitia, quales ipsi erga parentes, vxores, liberos, nepotes esse debeamus: dein in cæteros cognatos, ac necessarios, qui domos sibi alias constituerunt. Et cum vna (vt Cicero ait) domus eos non caperet, tanquam in colonias exierunt: tum erga vicinos, tribules, & ciues alios: itēque & hospites, & peregrinos: admonens nos, hominum non modo eiusdem gentis, nationis, linguæ, verum qui extremas quoque terras incolant. Et quoniam huius quem dixi vniuersi cœtus hominum rector est & moderatur Deus: in primis monet, vt eius memores, primos illi ac maximos honores tribuamus, pietatemque colamus, ac religionem. *De obedientia lib. 2. in initio.*

A D A G I A.

Iustitia in se virtutem complectitur omnem. *ἐν δὲ δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶσ' ἀρετή ἐστιν.*

Iustitia enim frequenter accipitur non pro specie, sed pro genere, quemadmodum & in sacris literis iustus dicitur, qui caret omni vitio.

Homines frugi omnia recte faciunt.

M. Tull. lib. Tusc. 4. Frugalitatis nomen tanquam ad caput referre volumus. quod nisi eo nomine virtutes continerentur, nunquam illud tam peruulgatum esset, vt iam prouerbij locum obtineret. Homines frugi omnia recte facere. Der schlecht, thut alle Ding recht, Der Frumb, macht nichts Krumb.

Exigua res est ipsa Iustitia.

Quo prouerbio significabant, non multum adferre momenti, si probus sis, nisi talis etiam habearis: & opinionem longe plus valere, quam ipsam rem.

Trutina iustius. *δικαιότερον ζυγοῦ.*

De ijs, qui insigni incorruptaq. sunt æquitate.

Iustitię oculus. *δίκης ὀφθαλμός.*

Dicitur sincerus & incorruptus iudex, aut ipsum etiam iudicium. Adagij meminit. Suidas.

Iustitia iustior. *δίκης δικαιότερος.*

De vehementer integris & incorruptis.

Maris. *Μάρις.*

Hoc nomine ferunt fuisse quēpiam apud Beroam Syriæ ciuitatem, ditissimum quidem illum, verum nihilominus humanum & officiosum in omnes, tum ciues tum hospites. Vnde & vulgo receptum, vt id vocabuli tribueretur viris, qui ad multorum vtilitatem nati viderentur.

Bocchyris. *Βόκχυρις* siue *Βόκχυρις.*

Rex quidam fuit Ægyptiorum. Dici potest & de ijs, qui non temere de re quapiam pronunciant.

Rhadamantheum iudicium. *Ῥαδαμάνθυος κρίσις.*

De incorrupte iudicantibus.

Orphica vita. *Ὀρφικὸς βίος.*

Id est: Orphicam vitam, Plato dixit vitam innoxiam, & a luxu sanguinolentisque dapibus puram.

Virtus simplex.

Aristoteles.

Ἐσθλοὶ μὲν γὰρ ἁπλῶς, παντοδαπῶς δὲ κακοί.

Est simplex virtus, omnigenum vitium.

Facile enim est à scopo aberrare, sed scopum attingere difficile.

Eadem pensare trutina.

Id est: Eadem lege. Horatius in Sermone. Hac lege in trutina ponetur eadem. Persius: Examenque improbum in illa castiges trutina. Huic simillimum est: Æquali trutina siue æqua lance, quod pari iure fit citra personarum respectum.

Rhamnusius. *Ῥαμνούσιος.*

Id cognominis olim ceu prouerbio additum sapientibus, ac moderatis viris.

Prienensis iustitia. *Πριηνεὺς δίκη.*

Quum significamus aliquem iudicando plurimum excellere.

Rectam ingredi vitam. *τὴν ὀρθὴν βαδίζειν ὁδόν.*

Rectam ambulare viam, dicitur qui nusquam deflectit ab honesto. Er gehet den rechten Vveg. Er ist auff guter Ban. Er gehet die rechte Straffen.

Dum clauum rectum teneam.

Significat non imputandum euentum parum prosperum artifici, modo is præstiterit quod artis est.

Ad amussim applica lapidem non ad lapidem amussim. *πρὸς στάθμην πέτρον τίθεσθαι, μὴ τὸ πρὸς πέτρῳ στάθμην.*

Admonet vitam ad leges esse corrigendam, non leges ad vitam formandas.

Ne moueto lineam. *μὴ κίνει γραμμήν.*

Significat non esse mutandas leges, neque prætereundos fines rerum præscriptos.

Ex æquo partire. ἐξ ἴσου δίδου πᾶσιν.

Quadrabit in iudicem, aut principem, quem oportet æquabile ius reddere.

Aequalitas haud parit bellum. ἰσότης πόλεμον οὐ ποιεῖ.

Æqualitate continetur concordia: Inæqualitas discordiarum est mater. Gleiche Burden brechen niemandt den Rucken. Gleiche Bard haelt die beste Freundtschafft. Vngleiche Schuesslen machen scheele Augen.

Quæ non posuisti, ne tollas. ἃ μὴ κατέθηκας μὴ ἀνέλῃ.

Conuenit in furaces, & in eos qui repetunt, quod non crediderunt. Item qui sibi postulant acceptum ferri, quod non præstiterunt. Vvas du nit von dir gelegt hast, das soltu nicht auffheben.

A sacris abstinendæ manus.

Vulgo quoque creditum est, fatum instare ei, qui sacris rebus, ac Deo dicatis manus iniecerit. Vnde ab Homero dicitur:

> Ὁππότ' ἀνὴρ ἐθέλει πρὸς δαίμονα φωτὶ μάχεσθαι,
> Ὅν κε θεὸς τιμᾷ, τάχα οἱ μέγα πῆμα κυλίσθη.
> *Cum diuo certare viro simulatq; cupit quis,*
> *Cuique Deus bene vult illum mala plurima cingent.*

Nemo quemquam i. e prohibet publica via.

Quo significant, rerum communium æqualem omnibus esse vsum, neque cuiquam vertendum vitio, quod ius in publicum concedit.

Zaleuci lex. Ζαλεύκου νόμος.

De edicto mandatoq; plus satis rigido, parumq; humano dicebatur.

Dat veniam coruis, vexat censura columbas.

Pœna legum exercetur in humiles quospiam, rapacibus ignoscitur. Die grosse Diebhencken die kleinen. Die kleine Dieb hencket man, gegen den grossen zeucht man die Huete ab. Item, die kleine Dieb hencket man an Galgen, die grosse an Seckel.

Vrbanus nihil æqui cogitat. οὐδὲν φρονεῖ δίκαιον ἀνὴρ ἀστικός.

Admonet rusticanam vitam innocentiorem esse, vt quæ sola cum solis habeat commercia terris.

Quod alijs vitio vertas, ipse ne feceris.

Quod damnaturus sis in alijs, in te ne admiseris.

Exempla Biblica.

Iustorum *exempla*: Noe, *Gen. 6. v. 9. & 7. v. 1. Eccles. 44. v. 17. 2. Pet. 2. v. 5.* Thamar, *Gen. 38. 26.* Samuel, *1. Sam. 12. 3. Eccles. 45. v. 16. 17. &c.* David, *1. Sam. 24. 18.* Abner & Amasa, *1. Reg. 2. v. 32.* Tobias senior, *Tob. v. 3.* Iob, *Iob 1. v. 1.* Parentes Susannæ *Dan. 13. 3.* Ioseph, Mariæ vir, *Matth. 1. v. 19.* Abel & Zacharias, *23. v. 35.* Christus, *27. ver. 4. 19. Luc. 2. v. 25. & 23. v. 47. Act. 3. v. 14. & 7. v. 52.* Zacharias & Elisabeth, *Luc. 1. v. 6.* Simeon, *2. v. 25.* Cornelius, *Act 10. 1. 22.* Loth, *2. Pet. 2. v. 7.* Paulus, *1. Cor 4. v. 3. 4.* Iustitiæ, & æquitatis *exempla*: Abraham, *Gen. 13. 9.* Moyses, *Num. 27. v. 5. 6. 7.* Samuel, *1. Sam. 15. v. 33.* David, *26. 23. & 30. 24. 2. Sam. 24. v. 24.* Harbona eunuchus, *Esth. 7. v. 9.* Deus, *Ier. 51. v. 49.* Rex Darius, *Dan. 6. v. 24.* qui à Rex, *Matt. 18. 34.* vide Aequitatis, & iustitiæ *exempla*: Iustitiæ Pharisaicæ *exempla*: Legisperitus, *Luc. 10. v. 29.* Princeps quidam, *18. v. 22.*

Exempla Profana.

Æthiopes pietati, & iustitiæ student, ædes ipsorum ianuis carent: & cum in vijs multa iaceant, nemo furatur. *Stob. serm. 42.*

In legibus, & contractibus Indorum maximam simplicitatem esse, vel ex eo argui potest, quod non multum sunt litigiosi. Nam nec commissi, nec depositi iura vlla habent, nec testibus indigent, nec sigillis: sed simpliciter credunt. *Strab. lib. 15.*

Indi ante Liberum patrem iustitiam tanto obseruarunt cultu: vt exteras gentes numquam appetiuerint bello, ne quid parum iusti interim admitteretur. *Cælius lib. 18. c. 31. A. L.*

Ex Indis, qui Pedalij vocantur, nil fere in sacrificijs aliud à Dijs immortalibus exposcebant, quam iustitiam: arbitrati omnibus plane compotes se futuros, si eam modo vnam forent consequuti. *Ex Stobæo Cælius lib. 23. c. 10. A. L.*

Chorus Argiuarum supplicium Atheniensium vrbem, studiosam iustitiæ, & matrem exulem esse fatetur. *Apud Euripidem in supplicibus: Tibareni*

> Σύ τοι σέβεις δίκαια· τὸ δ' ἥσσον ἀδικία
> Νέμεις αἰεὶ τοῖς δυστυχοῦσι πάντα σύν.

Tibareni Asiæ populi, Chalybibus vicini, iustissimi sunt, nec prius prælio congrediuntur, quam diem, locum & horam ex fide hosti denunciarint. *Strabo, & Val. Flaccus lib. 5. Argon.*

Plato filium Iouis fuisse ait Minoa, & discipulum: quod rem iustam vllam rectè gerere, vel percipere rectè gerentem nemo valeat, qui eam artem non hauserit, & complexus sit. *Plutar. de tarda Dei vindicta.*

Antiochus tertius Asiæ rex, omnibus regni sui vrbibus scripsit, si quid in literis, quæ eius nomine scriberentur, esset, quod legibus aduersum videretur, crederent ignaro se eiusmodi literas scriptas fuisse, & propterea eis non parerent. Sanctissimum profecto verbum, quod iusto regi maximè conuenit: vt quemadmodum ipse populis præest, ita ipsi leges, atque æquitatem præesse intelligatur. *Camillus Gilinus lib. 6. c. 5. de iustitia.*

In Pedalis Indica gente non sacerdos, sed qui præsentium prudentissimus fuerit sacris præficitur. Petit autem semper à Dijs nihil aliud, quam iustitiam. *Nic. de correctione morum.*

Cum *Tullius Hostilius Mancinus Ædilis* curulis Maniliam meretricē apud populum accusasset, quod nocte prætereuntis eius ædes saxo in ipsius caput demisisset, vulnusque ad faciendam acceptæ iniuriæ fidem ostendisset, Manilia autem ad Tribunum appellasset, dicens: Mancinum post cœnæ tempus plus æquo potum ad eius ædes accessisse, vt ingrederetur, & quia non admittebatur, fores euertere molientem, saxis abijs esse repulsum: Tribuni maiori iustitiæ, quam dignitatis ac magistratus Mancioni aut etiam quā Maniliæ turpis vitæ ratione habita, pronunciarunt, iure eo loco ædilem esse depulsum, quem adire illi non honeste licebat, & propterea prohibuerunt Mancinum Maniliam ad populum iudicium trahere. *Baptista Fulgosus dictorum factorumq; memorabilium, l. 6. c. de iustitia.*

Alexander Seuerus Imperator tanta fuit æquitate, vt nullas vnquā sanciret leges, nullam constitutionem sacraret sine viginti iuris peritissimis, & doctissimis, ac sapientissimis viris: nec in vlla re iudicium ferret, quin prius iret per sententias singulorum, & scriberetur quidquitque dixisset. Cū de iure ac negocijs tractat, solos adhibebat doctos & disertos: si de re militari, milites veteres, & senes. Si vnquam furem vidisset iudicem, paratum habebat digitum, vt illi oculum erueret, tanto odio prosequebatur iudices, qui furtorum fama laborassent, vt si eos casu aliquo videret, cōmotione animi choleram stomacho euomeret, toto vultu inardescente. *Author est Lampridius in eius vita*

Titus Manlius iuris Pontificalis peritus iudex, inter Macedonas accusatores & filium constitutus audita causa ita pronunciauit: Quum probatum sit, Silanum filium meum pecuniam accepisse, ipsum repudio & prole mea indignum iudico, protinusque a conspectu meo abire iubeo.

Hieroglyphica.

Per *Euphratem fluuium* fœcunditatem & fructuum exuberantiam intelligi volunt, ac perinde *Iustitiæ* symbolum esse. Ex nulla siquidem virtute opimiores lætioresque fructus colligi feruntur, quā ex æquitate. Hinc Ceres *Legifera* poetis, eademque *Astræa*. Hinc Tellus ipsa iustissima, ac ipsius *Iustitiæ* simulacrum perhibetur. *Pier. Val. l. 21 p. 97. C.*

Apud Ægyptios Sacerdotes primum omnium *iustitiæ seruatorem* per *oculis patentis* hieroglyphicum significari compertum est, frequens quid dicterium apud Græcos, δίκης ὀφθαλμός. *Pier. Val. l. 33. pag. 305. A.*

Veteres quoque *ternarium numerum* dedicarunt *Iustitiæ*, vt de Pythagoricis disciplinis Plutarchus ait: Iniuria siquidem afficere, neque non affici, cum extrema sint, & idcirco vitiosa, iustum æqualiter vtrimque reductum, in medio residet. *Pier. Val. lib. 3. 83. C.*

Herodotus *Vulturem* ab Hercule pro *Iustitiæ* symbolo habitam tradit, quod ea iustissima omnium auium, quæ volatilib. vescantur, iudicent: eaque de causa semper apud eum magnæ æstimationis fuisse, lætamque solitum cum inter res agendas *Vulturem* aspexisset. *Vultur* enim, nihil quod viuit attingit, ne animatum quidquam interficit, quod accipiter & aquila faciunt. *Pier. Val. l. 17. p. 169. B.*

Proclus iustitiam *Virginem* esse scribit, quoniam dicasticum genus esse deceat καθαρὸν id est, integrum purumque, cuius sit virginitas symbolum. Dici porro & *Iouis filiam*, declarat Hesiodus hoc versu, ἡ δέ τε παρθένος ἐστὶ Δίκη Διὸς ἐκγεγαυῖα. Virgo iustitia est, prognata Ioue: & ob id, quod *Nomotheres*, sit κοσμικός, velut Princeps Imperatorque vniuersorum. *Cælius l. 23 c. 16.*

Traditum est memoriæ, magistratuum statuas à Thebanis ita solere formari, vt *sine manibus* essent. Principum vero *clausis oculis*, nimirum eam *iustitiæ* naturam esse ostendentes, vt incorrupta sit, nec precio precibusve, aut alicui vlli voluptati cedat. *Statuæ magistratuum sine manibus.*

Iustitiæ veteres ascribunt *libram*, significātes omni diligentia & summo studio expetendam, nec huc nec illuc declinare iudicē. Græcis ζυγὸς hæc libra appellatur. Tradunt itaq. nobis veterum monumenta, Aegyptijs regibus ex præscripto legis antiquissimæ moris fuisse, Iudices mox futuros iureiurando adigere, ne si Rex quidem iniusti quidpiam iniunxisset, a virtutis medio declinaturos, nec lineam omnino (quod dicitur) moturos.

Emblema.

Tandem, tandem iustitia obtinet.

Emblema XXVIII. Andreæ Alciati.

> *Æacidæ Hectoreo perfusum sanguine scutum,*
> *Quod Græcorum Ithaco concio iniqua dedit,*
> *Iustior arripuit Neptunus in æquora iactum*
> *Naufragio, vt dominum posset adire suum,*
> *Littore Aiacis tumulo namq; intulit vnda,*
> *Quæ boat, & tali voce sepulchra ferit:*
> *Vicisti Telamoniade tu digmior armis,*
> *Affectus fas est cedere iustitiæ.*

Iuuentus

IVVENTVS.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

IVuentus Græce νεότης, ητος, ἡ & νέος, ὁ, iuuenis dicitur. Est autem iuuentus primæ refrigeratiuæ particulæ augmentatio, *secundum Arist. lib. de Morte & Vita.* Iuuenis est, qui adolescentium ætatem excessit, vt Marcellus testatur, dicitur à iuuando, quod ea ætas maxime sit ad laborem tolerandum apta, hinc iuuenesco, id est, iuuenis fio.

Iuuentus, Heb. *Nahhar, Nehhurim, Nehhurosh, Nohhar.* Iuuentus, pueritia, omnes dies iuuentutis. *Nahhar.* Iuuenis, puer qui est inconsideratus & præceps fertur ad omnia. Hinc νεαρός. *Nahharah,* puella. Omnia hæc nomina oriuntur a verbo *Nahhar.* i. excussit, exturbauit, vehementer in præceps deiecit. Iuuenes certè multa præcipitanter agunt.

Iuuentus nonnumquam ipsam ætatem iuuenilem significat, interdum frequentiam iuuenum.

LOCI BIBLICI.

Iuuenes quales esse debeant, *Tit.* 2. 6. 1. *Pet.* 5. 5. Iuuenum consilium secutus Roboam punitur, 1. *Reg.* 12. 1. *&c.* Iuuentus in timore Dei erudienda, *Eccl.* 12. 1. Iuuentutis cupiditates fugiendæ, 2. *Tim.* 2. 2. à iuuentute benefaciendum, *Eccl.* 11. 9. *&* 12. 1.

PATRVM SENTENTIAE.

Vicina est lapsibus adolescentia, quia variarum æstus cupiditatum feruore calentis inflammatur ætatis. *Amb. de viduis, lib.* 1.

Præmittit ætatis generalem iactantiam, quo plus commendet humilitatis suæ gratiam: mirabilis humilitas in senectute, quę effœta virib. debilitata fracturis, tristis dolorib. anhela suspirijs, coacta curarum æstib. & in ipsa viuendi mœsto fastidio alacritate est oblita iactantiæ. Rara sane iuuenib. est humilitas: ideoq; miranda, dum ætas viget, dum vires solidæ, dum sanguis æstuat, dum solitudo nescitur, dum ignoratur debilitas, dum lætitia frequētatur, tunc feruet iactantia, tunc se iuuentutis extollit affectus, tunc humilitas quasi vilescit, abiecta contemnitur, tunc subiectio de genere conscientiæ æstimatur infirmitas. *In Psal.* 118.

Multos videmus iuniorum super senes intendere moribus dies antiquorum tempora præuenire meritis, & quod deest ætati, virtutibus compensare, quia iuxta Apostolum, ne quis contemnat adolescentiam bonę indolis, senectus venerabilis non est numero annorum, sed magis merito morum computata. *Bern. in epist. ad Theobald. militem.*

Sicut in senibus sobrietas, & morum perfectio requiritur: ita in adolescentibus obsequium, & subiectio, & obedientia rite debetur. *Cypr. de* 12. *abusionibus.*

Sicut fructus non inuenitur in arbore, in qua flos prius non apparuerit: sic in senectute honorem legitimum consequi non poterit, qui in adolescētia disciplinæ alicuius exercitatione nō laborauit. Disciplina igitur absque obedientia qualiter fieri poterit? Adolescens ergo sine obedientia, adolescens sine disciplina est. *Idem.*

Indigne transacta adolescentia otiosam senectutem, & honeste acta superior ætas fructus capit authoritatis. Quid enim senectus surripere valet, in quo iuuentus reprehensibilis non fuit. *Cass. in epist.*

Diuitiæ senum non sunt canicies capitis, sed industriæ iuuentutis: nec plurium annorum circulis, sed laborum præteritorum stipendijs metiendæ. *Ibid.*

Magnum expecta gaudium, cum puerilem animum deposueris, & te in virum philosophiæ descripseris. Adhuc. n. non pueritia, sed quod grauius est, puerilitas remanet, & hoc quidem peius est, quod authoritatem habemus senum, vitia vero puerorum, nec puerorum tantum, sed etiam infantium. *Epist.* 16.

Adolescentulum verbosum, & eloquentiæ studentem, cum sit sapientiæ inanis, non alium quam hostem iustitiæ reputa. *Bern. ad Eugenium.*

Impossibile est, iuuenem vitijs carnis non tentari. *Hieron.*

Honor adolescentum est, timorem Dei habere, parentibus deferre: honorem habere senioribus, castitatem non aspernari, diligere clementiam & verecundiam, quæ ornamenta sunt iuuenilis ætatis. In senibus grauitas, in iuuenibus alacritas, in adolescentibus verecundia commendatur. *Ambr. de Offic.*

Sicut ignis in lignis viridibus suffocatur, ita sapientia in adolescentia, tentationibus & libidine impedita, non explicat suum fulgorem, nisi labore, & studio, & oratione incentiua iuuentuti intra repellantur. *Hier. ad Nepotian.*

POETICAE SENTENTIAE.

Horat. de arte.

Imberbis iuuenis, tandem custode remoto,
Gaudet equis canibusq; & aprici gramine campi.
Cereus in vitium flecti, monitoribus asper.
Vtilium tardus prouisor, prodigus æris.
Sublimis, cupidusq; & amata relinquere pernix;

Ausonius de vita humana.

Sensus abest paruis lactantibus & puerorum.

Dura rudimenta, & iuuenum temeraria pubes.

Ouid. 13. Met.

Transit in æstatem post ver, robustior ætas,
Fitq; valens iuuenis, neque enim robustior ætas
Vlla nec vberior, nec quæ magis ardeat, vlla est.

Idem 3. Fast.

Iuuenilibus annis
Luxuriant animi, corporaq; ipsa vigent.

Verinus.

Præcipites iuuenum dementia subruit vrbes
Curia consilio constabilita senum est.

Sen. Oct.

Regenda magis est feruida adolescentia.

Ouid. Epist. 4.

Sint procul a nobis iuuenes, vt fœmina compti:
Fine coli modico forma virilis amat.

Sen. Thyest.

Ptiora iuuenes facile præcepta audiunt.

Sen. Hip.

Propria describit Deus
Officia, & æuum per suos ducit gradus.
Lætitia iuuenem, frons decet tristis senem.

Virg. Aetna.

Nec sanctos iuuenes attingunt sordida fata:
Sed vere cessere domus & iura piorum.

Sen. Troad.

Iuuenile vitium est, regere non posse impetum.

Chil. per Auson.

Illa iuuentus grauior, quæ similis senectæ.

Lucan. ad Pison.

Est mihi, crede meis animus constantior annis,
Quamuis nunc iuuenile decus mihi pingere malas.
Cœperit.

Tibul. 1. 4.

At si tardus eris, errabis, transiet ætas,
Quam cito non segnis stat, remeatq; dies:
Quam cito purpureos deperdit terra colores:
Quam cito formosas populus alta comas:
Quam iacet, infirmæ venere vbi fata senectæ,
Qui prior Eleo est carcere missus, equus.
Vidi iam iuuenem, premeret cum serior ætas,
Mœrentem stultos præteriisse dies.

Terent. And.

Ita est.
Quod plerique omnes faciunt adolescentuli,
Vt animum ad aliquod studium iungant: aut equos
Alere, aut canes ad venandum, aut ad philosophos.

Sen. Oct.

Iuuenilis ardor impetu primo furit,
Languescit idem facile: nec durat diu
In Venere turpi, ceu leuis flammæ vapor.

Homer. in γ Odyss.

Αἰδὼς δ' αὖ νέον ἄνδρα γεραίτερον ἐξερέεσθαι.
Pudor certe iuuenem virum seniorem interrogare.

Menander.

Ἀκμὴ τὸ σωμάτων οὐδὲν ἄνθους διαφέρει.
Vigor iuuentutis penitus nihil a flore differt.
Μέμνησο νέος ὢν ὡς γέρων ἔσῃ ποτέ.
In memoriam redige iuuenis existens, quod senex eris, quandoque.
Νέος πεφυκὼς πολλὰ χρηστὰ μάνθανε.
Iuuenis existens multa bona disce.
Νέῳ δὲ σιγᾶν μᾶλλον ἢ λαλεῖν πρέπει.
Iuueni autem magis tacere quam loqui conuenit.

SENTENTIÆ PHILOSOPHICÆ.

Studia, quæ sunt in adolescentia, tanquam in herbis significant, quę virtutis maturitas, & quænam fruges industriæ futuræ. *Cicer. pro Cœl.*

Est adolescentis maiores natu revereri, exque ijs diligere optimos & probatissimos, quorum consilio & authoritate vtatur, ineuntis enim ætatis insitia senum constituenda & regenda est prudentia. *Cic.* 1. *Offic.*

Iuuenis non potest esse sapiens, quia prudentia requirit experientiam, quæ indiget tempore. *Arist.* 6. *Ethic.*

Iuuentutis disciplina neglecta facit magnum Reipu. detrimentum. *Idem Polit.* 8. *c.* 1.

Iuuenes quatuor ferre discere consueuerunt, literas, gymnasticen musicen, & pingendi peritiam. Literas quidem & picturam tanquam ad vitam vtiles, gymnasticen, vt quæ ad fortitudinem pertineat. De musica ambigitur: nam nunc multi voluptatis causa illam addiscunt: veteres vero inter disciplinas eam collocarunt, quia natura quærit non solum in negocio recte, sed etiam in otio laudabiliter posse versari. *Eod. l. c.* 9.

Iuuenes

Iuuenes sunt moribus cupidi, & ad ea, quæ concupiscunt, confici̇ēda parati sunt, & ex corporeis voluptatibus, venereis potissimū ducuntur, earumque impotentes sunt, inconstantes, & tes, quas concupiuerunt, fastidiunt. Valde concupiscunt, sed protinus conquiescunt, quia acutas habent voluptates, non longas, vt ægrotantium fames, & sitis. Sunt ad excandescentiam procliues, & ad eum impetum sequendum parati, & iræ obnoxij, quia ob honoris desiderium se parui fieri pati non possunt, sed ægrè ferunt, si sibi fieri iniuriam arbitrantur. Honoris, immo victoriæ cupidi sunt: bonis moribus prædıti, creduli, spe bona pleni, & facilè decipiuntur. Fortiores sunt, non metuunt, sed multum confidunt: verecundi, magnanimi, & honesta facere cupientes. *Idem Rhet. l. 2.*

Detur aliquid ætati, si adolescentia liberior, non omnia voluptatibus denegentur, non semper superet vera illa, & directa ratio: vincat aliquando cupiditas voluptasque rationem, dummodo illa in hoc genere præscriptio, moderatioque teneatur: parcat iuuentus pudicitiæ suæ, ne spoliet alienam, ne effundat patrimonium, ne fœnore trucidetur, ne incurrat in alterius damnum, atque famam, ne probrum castis, labem integris, infamiam bonis inferat, ne quem interimat, ne intersit insidijs, scelere careat: postremo, quum paruerit voluptatibus, dederit aliquid temporis ad ludum ætati, atque ad inanes hasce adolescentiæ cupiditates, reuocet se aliquando ad curam rei domesticæ, rei forensis, Reipublicæ, vt ea, quæ ratione antea non perspexerit, satietate abiecisse, experiendo contempsisse videatur. *Pro M. Cæl.*

Ludo & ioco vti illis quidem licet, sed sicut somno, & quietibus, cæterisque, quum grauibus serijsque satis fecerimus: ipsumque iocandi genus ingenuum, & facetum esse debet, non profusum, nec immodestum, sed semper in ipso ioco aliquod probi ingenij lumen eluceat. *Cic. 1 Offic.*

Extendum est, vt qui libidinibus succumbunt, & increpationibus omnino rebelles sunt, connubio subiugentur, hoc siquidem tutissimum est iuuentutis vinculum. *Demosth. 1. Olyn.*

Difficile est aliquid de iuuenibus diuinare. Est enim ætas incerta sine scopo, multis mutationibus obnoxia, & alias aliorsum agitur. *Theophyl.*

Nihil difficilius est, quam in iuuentute magnam capere fortunam. *Curt. lib 4.*

Licenter iuuenes militiam in lasciuiam vertunt. *Tacit. in vita Agricolæ.*

Si quis ad bellum gerendum electus iunior, qui sua vtilitate mouetur, & impetu lætatur propter armorum splendorem, equorum apparatus, & vanas profusiones, hortatur vt ad iter vos accingatis, huic non concedite, vt periculo ciuitatis suum splendorem amplificet: sed existimate a talibus res publicas, & priuatas euerti. Atque bellum rem existimate, quæ iuuenum consilijs regi nō potest, nec subito est suscipiend. *Thucyd. lib. 6.*

APOPHTHEGMATA.

Democritus, robur & pulchritudinem iuuentutis bonum esse, senectutem prudentiæ florem esse dicebat. *Max ferm. de senect. & iuuent.*

Simonides dicebat, hominem, quamdiu viuit iuuenis, & vegetus, animo leui esse prædıtum, multa irrita cogitare, neque senectutem sibi futuram, neque mortem expectare, indulgere ocio, nec intelligere, quam breue fit iuuentutis, ac vitæ tempus datum hominibus. *Stob ferm. 96.* vt paucis omnia, iuuenis ab Horatio descriptus est:

Imidus, iracundus, iners, vinosus amator.

Iuuenis Philosophus. iuueni multa eximia dona tum in anima tum in corpore Deum contulisse dicebat, quæ semper augentur, nempe magnitudinem, robur, formam, gratiam refulgentem, mentem confirmatam, prudentiam, & orationem animi bonorum nunciam. Multa ex artibus, & scientijs lucratur. Quod si infortunij aliquod ei inferat morbus, aut paupertas, aut ignominia, singula perferre potest: & tamquam bonus athleta quemuis casum superat. *Stob. eod. ferm.*

Solon lege fanxit, ne quis admodum iuuenis ad magistratum aut cōsultationes adhiberetur, quamuis prudentissimus esset visus. *Stob ferm. 112.*

Pittacus iuuenta hortabatur, vt hæc tria habere curarent, in animo Temperantiam, in lingua Silentium, in ore Pudorem. *Ant. ferm de iuuentute virtute praditis.*

Idem, decet iuuenes (inquit) æmulari seniores, vt lacteus pullus equę cursum comitatur, &, vt Plato iubebat, de mero aquæ miscendo, fit eum a sobrio temperati. *Stob ferm. 12.*

Aristoteles, laudabiliorem, & magis necessariam temperantiam in iuuenibus quam senibus esse dicebat. Nam iuuenes plus quam senes cupiditatibus tentantur. *lib 3. Topic. & l. 3. Ethic.*

Atheniensis. Scitu dignissimum est iuramentum, quod Ephebi Athenienses Reipublicæ præst. re solebant. His verbis autem fuit conceptum. Non ignominia afficiam arma sacra, neque deseram meū commilitonē, quo cum instructus fuero. Dimicabo pro āris & focis & solus, & cum multis. Patriam non derelinquam in deteriori statu, sed ampliori meliorique, quam acceperim. Sæpe per magistratui, præfecto prudenter obediam, & legibus constitutis parebo atque alijs quibuscunque plebiscitis. Quod si quis leges vel irritas facere, vel eis non obtemperare velit, non concedam, sed vlciscar & solus & cum pluribus. Sacra quoque patria colam. Horum dij mihi testes, & conscij sunt. *Stob. ferm. 41. de Republ.*

SIMILITVDINES.

Iuuentus, & iuuenta. Post hiemem denuo recurrit ver: At post senectam nulla recurrit iuuenta. *P. M.*

Nouella vitis copiosius gignit vinum, sed vetustior melius. Ita plura loquuntur iuuenes, sed veliora senes. *Idem.*

Persica ob id ipsum pluris veniebant, quod non durarent, nisi in triduum: Ita audius rapiendum, quod cito præteruolat, vt iuuenta. *Idem.*

Vt gypsum aut argilla dum est vda, in quamuis imaginem facile sequitur fingentis manum: Ita rudes animi ad omnem disciplinam sunt idonei. *Idem.*

ADAGIA.

Iuuenari. *nauiζειν.*

In eos, qui lasciuiunt & insensibilius aliquid agunt, more iuuenum. Arist.

Aliam ætatem alia decent.

Qui tam aliam et etem significabit, nec idem decere canum, quod iuuenem aliquando decuit vsurpabis illud Homeri:

Ἀλλ' ὅτε δὴ πολιόν τε κάρη πολιόν τε γένειον.

Verum vbi iam canum caput incanaq menta.

EMBLEMA.

Emblema. xcix. Andreæ Alciati.

Natus vterq; Iouis tener, atq; imberbis vterq;
Quem Latona tulit, quem tulit & Semele,
Sal. ete æterna simul, & florete iuuenta,
Numine vestro quæ diuturna mihi.
Tu vino curas tu victu dilue morbos,
Vt lente accedat curua senecta pede.

FABVLA.

Bos & Iuuencus.

Ante bouem arantem, quem ætate confectum etiam quotidianæ arandi & plaustri trahendi operæ lentum & squalidum reddiderant, ante hunc igitur exultare nitidus ac petulans iuuencus, atque illius scabram ac nudatam pilis, cutem irridere. Paulo post arripitur ad immolationem iuuencus, qui quum præter bouem diu certet demisso capite, & lento passu ingrediebatur. Tum bos: Etsi, inquit, nolim has te pœnas dare lasciuiæ & insolentiæ tuæ, tamen quum ita ciciderit, delector id me cognoscere verū esse, quod audire etiam de meis parentibus memini: In maximis periculis versari petulantem iuuentutem. Ac esse quidem ætatem hanc per se malis obnoxiam, sed tum maxime, cum accedat iniuriarum & improbitatis vsurpatio.

Præceptum & admonitio fabulæ narratione comprehenduntur.

Vide Adolescentia, Aetas.

FINIS LIBRI NONI.

POLYAN:

POLYANTHEAE NOVISSIMAE LIBER X.

L

LABOR.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

LABOR, Græce πόνος, & κόπος, laboro dicitur. Est autem labor functio quædam vel animi, vel corporis grauioris operis & muneris, *secundum Cic. lib. 2. Tusc. quæst.* Antiqui dicebant labos, sicut honos, lepos hinc laboro verbum deducitur, quod nonnunquam significat fatigor, & cum labore ago, & metaphoricῶς male habeo, quare laborare podagra, & huiusmodi dicimus. Interdum idem est, quod conor, & enitor, quod etiam significat eius compositum elaboro. Item illaboro, quod est labore vaco. Differt autem inelaboratum & illaboratum, quod inelaboratum dicitur, quod non satis artificiose excultum est: illaboratum vero, quod sine labore videtur factum: Illud vitio dari solet, hoc laudi. Aliquando laborare est componere. Virg. *Arte laborata vestes, id est, composita*, hinc laboriosus, laboris sustinens: & laboriosum, quod multo labore perfectum est.

Labor, Heb. *Iaghabha*. labor, & res parta labore. *Iob. 20. 18. Ieghibha*. labor defatigans hominem, defatigatio, fructus item laboris, *Psal. 128. 2. Esa. 55. 2. Ieghibha*, defatigatio laboriosa, labor molestus, *Eccl. 12. 14.* a verbo *Iaghabha*. Laborauit, quod refertur potius ad animum, quam ad corpus: fatigatus est labore. Cognationem habet cum *Gabhah*, mugiuit, & *Naghah*, attigit: vnde *Negahh* plaga: item cum *Ghaiah* expirauit. Significat enim tanto affectu, & labore adspirare ad rem aliquam attingendam, vt animus mugiat, & vix respirare possit. Hinc ἀγάζω & ἀγάζομαι, laboro, tristitia afficior. 2. *bhamal* verbum, id est, laborauit cum molestia & defatigatione: proprie significat: durum exercere laborem, qui corpus & animam defatigare solet, vt olim in pistrinis molæ, transfertur deinde ad alios duros labores. Hinc μύλλος labor, & μύλλω molo, μύλη μύλος, mola, Gall. *meule* μύλλον dens molaris μύλλον molêdinum, pistrinum, *le moulin*. A verbo *bhamal*, nomen eiusdem soni. *Psal. 7. 15. Eccl. 1. 3. Psal. 73. 5.* Et quid est aliud labor, nobis post peccatum impositus aliud quam nonnullis honestum, alijs autem molestum pistrinum? Pijs autem Deum amantibus labor & defatigatio tum animi tum corporis cedit in bonum. *Psal. 128. 2.*

LOCI BIBLICI.

Labor manuum præcipitur, *Psalm. 128. 2. Prouerb. 10. 4. & 12. 11. & 13. 4. & 20. 4. & 28. 19. & 31. 27. Eccl. 5. 11. Ephes. 4. 28. 1. Thessal. 4. 11. 2. Thessal. 3. vers. 10. 12.* Labor & dolor omnibus communis, *Genes. 2. 15. & 3. versicul. 17. 19. Exod. 20. 9. & 34. 21. Deuter. 5. 13. Tob. 2. 19. Psalm. 128. 2. Prouerb. 6. 6. & 10. 4. & 14. 4. 4. & 20. 4. Eccl. 5. 11. Iob 5. 7. Eccles. 29. 20. Ioan. 21. 3. Actor. 18. 3. & 20. 34. 1. Corinth. 4. 12. Ephes. 4. 28. 1. Thessal. 2. 9. & 4. 1. 1. 2. Thessal. 3. versic. 8. 12.* Labor non ditat sine Dei benedictione, *Genes. 3. 17. & 26. versicu. 3. 12. & 30. 27. Deut. 8. 18. Iob 42. 12. Psal. 127. 2. Prou. 10. 22. Eccl. 11. 6.* Ad laborem nascitur homo, *Iob 5. 7.*

Laboris manuum & agriculturæ laus & vtilitas, *Prou. 12. 11. & 13. 4. & 14. 23. & 24. 27. & 28. 19.*

Laboranti merces debetur, *Leuit. 19. 13. Deuter. 24. 15. & 25. 4. Tob. 4. 15. Eccl. 7. 22. & 34. v. 25. 26. Ierem. 22. 13. Malach. 3. 5. Matth. 10. 10. Luc. 10. 7. 1. Cor. 9. v. 9. 14. 1. Tim. 5. 18. Iac. 5. 4.*

SENTENTIÆ BIBLICÆ.

In labore comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. *Gen. 3.*

Iste (scilicet Noe) consolabitur nos ab operibus, & laboribus manuum nostrarum in terra, cui maledixit Dominus. *5.*

Homo nascitur ad laborem. *Iob. 5.*

Anima laborantis laborat sibi: compulit enim eum os suum. *Prouerb. 16.*

Non oderis laboriosa opera, & iustificationem creatam ab Altissimo. *Eccl. 7.*

Et laboramus operantes manibus nostris. *1. Cor. 4.*

Memores enim facti estis fratres laboris nostri, & fatigationis, nocte & die operantes, ne quem vestrum grauaremus, prædicauimus in vobis Euangelium Dei. *1. Thess. 2.*

Rogamus autem vos fratres, vt abundetis magis, & operam detis, vt quieti sitis, & vt vestrum negocium agatis, & operamini manibus vestris, sicut præcipimus vobis: & vt honeste ambuletis ad eos, qui foris sunt, & nullius aliquid desideretis. *4.*

Ipse enim scitis, quemadmodum oporteat imitari nos: quoniam nõ inquieti fuimus inter vos, neque gratis panem manducauimus ab aliquo: sed in labore & fatigatione die ac nocte operantes, ne quem vestrum grauaremus. Non quasi non habuerimus potestatem: sed vt nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos. *2. Thess. 3.*

Quoniam si quis non vult operari, nec mãducet. Audiuimus enim inter vos quosdam ambulantes inquiete, nihil operantes, sed curiose agentes: his autem qui eiusmodi sunt, denunciamus & obsecramus in Domino Iesu Christo, vt cũ silentio operantes suum panem manducent. *Ibid.*

Argentum & aurum, aut vestem nullius concupiui, sicut ipsi scitis: quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, & his, qui mecum sunt, ministrauerunt manus istæ. Omnia ostendi vobis, quoniam sic laborantes oportet suscipere infirmos, ac meminisse verbi Domini Iesu, quoniam ipse dixit: Beatius est magis dare, quam accipere. *Act. 20.*

Tulit ergo Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradisum voluptatis, vt operaretur, & custodiret illum. *Gen. 2.*

Egestatem operata est manus remissa: manus autem fortium diuitias parat. *Prou. 10.*

Qui congregat in messe, filius sapiens est, qui autem stertit æstate, filius est confusionis. *Ibid.*

In omni opere bono erit abundantia: vbi autem verba sunt plurima, ibi frequenter egestas. *14.*

Melior est, qui operatur, & abundat in omnibus, quam qui gloriatur, & eget pane. *Eccl. 10.*

Vita forte sua contenti, operaque sua viuentis, habet suauitatẽ, sed vtraque maiorem qui thesaurum nactus est. *4.*

Dignus est enim operarius mercede sua. *Luc. 10.*

Vnusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem. *1. Cor. 3.*

SENTENTIÆ PATRUM.

Diuersis seminibus pectoris tui colles sere, nunc alimonijs mediocribus, nunc ieiunijs parcioribus, lectione, opere, prece, vt mutatio laboris induciæ sint quietis. *Aug. de Virginitate.*

Cuius auditur vna oratio obedientis, quam decem millia contemnentis: talis fuit oratio Pharisæi. *De oper. monach.*

Non desinatis in labore persistere quia sublenatio laboris est vitiũ collaborantis. *Greg. 5. Mor.*

Sancti viri quot labores nunc veritati commendantes exhibent, tot iam remunerationis suæ pignora intra spei suæ cubiculum clausa tenent. *Greg. in Mor.*

Quibusdam prauis mentibus nihil est laboriosius, quam si eis præcipiatur, vt in huius mundi actibus non laborent. *super Ezechielem.*

Nullus labor durus, nullum tempus videri longum debet, quo gloria æternitatis acquiritur. *Hier. in epist.*

Quantis sudoribus hæreditas cassa expetitur, & minore labore promissa margarita Christi emi poterat. *ad Nepotia.*

Qui in labore hominum non sunt, in labore profecto Dæmonum erunt. *Bern. super Cant.*

Causam laboris cogitet in labore, vt ipsa ei pœnam, quam patitur, repræsentet. *In serm.*

Laborem & dolorem multi sustinent, quem tamen Deus non considerat. *serm. de pœnit.*

Ad laborem cum veneris, sic temperabis opus agendum, vt solicitudo operis intentione animi ab ijs, quæ Dei sunt, non auocet. *In Doctrin.*

Liben-

Libentius suscipitur labor pro desiderio voluntatis, quam pro amore virtutis. *Leo Papa de ieiunio, &c.*

Omnes hujus sæculi dilectores in terrenis rebus fortes sunt, in cœlestibus debiles. Nam pro temporali gloria, vsque ad mortem desudare appetunt: & pro spe perpetua, nec parum in labore quidem subsistunt. Pro terrenis lucris qualibet iniurias tolerant, & pro cœlesti mercede, vel tenuissimi verbi ferre contumeliam recusant. Terreno iudici toto etiam die assistere fortes sunt, in oratione vero coram Domino, vel vnius horæ momento lassantur. Sæpe nuditatem, famem pro acquirendis diuitijs, atque honoribus tolerant: & earum rerum spe se per abstinentiam cruciant, ad quas adipiscendas festinant: superna autem laborinsè quærere tanto magis dissimulant, quanto magis ea retribui tardius putant. *Idem 19. Moral. & hab. dist. 47. Omnes.*

SENTENTIAE POETICÆ.

Claud. in nupt. Honorij.

Non quisquam fruitur veris odoribus,
Hyblaei latebris, nec spoliat fauos.
Si fronti caueat, si timeat rubos.
Armat spina rosas, mella legunt apes, ∴
Herculem duri celebrant labores,
Ille Centauros domuit superbos,
Abstulit sæuo spolium leoni.
Fixit & certis volucres sagittis,
Poma cernenti rapuit draconi. ∴
Aureo laua grauior metallo
Cerberum traxit triplici catena
Victor immitem posuisse fertur
Pabulum sæuis dominum quadrigis,
Hydra combusto perijt veneno. ∴
Fronte turbatus Achelous amnis.
Ora demersit pudibunda ripis.
Strauit Antæum Libycis arenis.
Cacus Euandri satiauit iras. ∴
Quosque pressurus foret altus orbis,
Setiger spumis humeros notauit.
Vltimus cœlum labor in reflexo
Sustulit collo pretiumque rursus ∴
Vltimi cœlum meruit laboris.
Ite nunc fortes, vbi celsa magni.
Ducit exempli via.

Ouid. 1. de Pont.

Confiteor facere hoc annos: sed & altera causa est,
Anxietas animi continuusque labor. ∴
Cernis vt in duris (& quid bove firmius?) aruis
Fortia taurorum corpora frangat opus.
Quæ nunquam vacuo solita est cessare nouali,
Fructibus assiduis lassa senescit humus.
Occidet, ad Circi si quis certamina semper
Non intermissis cursibus ibit equus. ∴
Firma sit illa licet soluetur in æquore nauis,
Quæ nunquam liquidis sicca carebit aquis.
Me quoque debilitat series immensa laborum:
Ante meum tempus cogor & esse senex.
Otia corpus alunt, animus quoque pascitur illis:
Immodicus contra carpit vtrumque labor. ∴

Hor. in Art.

Qui cupit optatam cursu contingere metam,
Multa tulit fecitque puer, sudauit, & alsit,
Abstinuit Venere, & vino.

Idem in epist.

Si non
Intendas animum studijs, & rebus honestis, ∴
Inuidia, vel amore vigil torquebere.

Tibull.

Nec te pœniteat duros subijsse labores,
Aut opera insuetas atteruisse manus.

Verinus.

Quem potes æterno pro munere ferre laborem?
Mercedi an tantæ par labor esse potest? ∴

Ouid. 2. Art.

Dum vires, animique sinunt tolerate labores.
Iam veniet tacito curua senecta pede.
Aut mare nauigijs, aut vomere scindite terram,
Aut fera belligeras addite in arma manus. ∴

Menander.

Ἔργοις φιλόπονος ἴσθι, μὴ λόγοις μόνον.
Operibus laboriosus sis, non sermonibus solum.
Ἐν μυρίοις τὰ καλὰ γίγνεται πόνοις.
In infinitis pulchra fiunt laboribus.
Μοχθεῖν ἀνάγκη τοὺς θέλοντας εὐτυχεῖν.
Laborare necesse, volentibus fortunatos esse.
Φιλόπονος ἴσθι, καὶ βίον κτήσῃ καλόν.
Laboriosus sis, & vitam acquires pulchram.
Ὡς ἡδὺ τοῖς σωθεῖσι μεμνῆσθαι πόνων.
Quam suaue sapientibus recordari laborum.

Euripides.

Μοχθεῖν δὲ βροτοῖσιν ἀνάγκη.
Laborare autem mortalibus necesse est.

Sophocles in Electra.

Ὅρα, πόνου τοι χωρὶς οὐδὲν εὐτυχεῖ.
Vide, labore quidem sine nihil bene succedit.

Virg. l. 1. Georg.

Labor omnia vincit.
Improbus, & duris vrgens in rebus egestas.

Phocylides.

Οὐδὲν ἄνευ καμάτου πέλει ἀνδράσιν εὐπετὲς ἔργον.
Οὐδ' αὐτοῖς μακάρεσσι. πόνος δ' ἀρετὴν μέγ' ὀφέλλει.
Nullum sine labore est hominibus facile opus.
Neque ipsis beatis. Labor virtutem valde iuuat.

Horat. Serm. 1. satyr. 9.

Nihil sine magno
Vita labore dedit mortalibus.

Martial. l. 1. ad Lucium Iulium.

In steriles campos nolunt iuga ferre iuuenci,
Pingue solum lassat, sed iuuat ipse labor.

C. Manilius Astronomiæ suæ. l. 1.

Longa dies acuit mortalia corda.
Et labor ingenium miseris dedit. & sua quemque,
Aduigilare sibi iussit fortuna premendo.

PHILOSOPH. SENTENT.

Vix inuenitur, qui laboribus susceptis, periculisq. aditis non quasi mercedem rerum gestarum desideret gloriam. *Cicer. in Offic.*

Generosos animos labor nutrit. Laborem si recuses, parum esse potes. Non est viri timere sudorem. *Senec. epist. 31.*

Quis vir est, qui non est erectus ad honesta, qui non est laboris iusti appetens, qui non ad officia cum periculo sit paratus? *Idem lib. de Prouidentia, c. 2.*

Multum abhorret opus, cuius inchoatio inuidia, continuatio est labor, finis est odium. *In epist.*

Si qua per laborem recte feceritis, labor cito recedet, beneficium dum viuitis, non abscedit. Si qua per voluptatem paruam nequiter feceritis, voluptas cito abibit, nequiter factum apud vos semper manebit. *Senec. epist. 31.*

Et labori incumbendum est, vbi effectus promittitur. *Q. Dec. 6.*

Labor damno incenditur. *Ibid. Dec. 13.*

Nascitur ex assiduitate laborum animi hebetatio quædam & languor.

Plantæ mediocri aqua aluntur, immodica suffocantur: sic animus moderatis laboribus adiuuatur, immoderatis obruitur. *Plut. in Mor.*

Omnibus sua chariora sunt opera, quæ summo labore confecta sunt.

Voluptate nemo continenter afficitur, aut laborem subit. Nam humanæ res laborem sempiternum non possunt pati. *Arist. lib. 9. Ethicor.*

Qui exercitio vtitur, caueat lassitudinem: qui bona fortuna fruitur, inuidiam. *Bias apud Stob.*

Leges Lycurgi laborib. erudiunt iuuentutem, venando, currendo, natando, esuriendo, sitiendo, algendo, æstuando. *Cic. lib. 2. Tusc. q.*

Iustus ac honestus labor honoribus, præmijs, splendore decoratur. *Idem lib. 1. de Oratore.*

Nam vt Terentianus Chremes, non inhumanus, qui nouum vicinũ non vult fodere, aut arare, aut aliquid ferre, denique non illum ab industria, sed ab illiberali labore deterret. *Idem lib. de Finib. bonor. & malor. princ.*

Quis nostrum exercitationem corporis suscipit laboriosam, nisi vt aliquid ex ea commodi consequatur? *Ibid.*

Suauis est laborum præteritorum memoria. *Ibid. l. 2.*

Audiui sæpenumero a sanctis viris: munditiã mulieribus, laborem viris conuenire, hominibus bonis oportere plus gloriæ, quam diuitiarum esse. *Salust. in Iugurtha.*

Plures sunt exercitatione boni quam natura. *Democrit. apud eundem.*

Labor exsiccat, & senium inducit. vnde multum laborantes senescunt magis. *Arist. de long. vita.*

Sunt in perpetuo labore animantia, vt etiam naturalis ratio declarat, quæ cernere & audire molestum esse docet: sed assiduitate, quotidiana, vt aiunt, & consuetudine sensuum assueuimus. *l. 7. Ethic. c. 14.*

Non plus minusve laboris & quietis quam sat sit suscipiendum: verum modus in ijs tenendus est, quem recta ratio præscripsit. *l. 6. Ethic. c. 1.*

Nemo laborem continenter subit: humanæ enim res laborem sempiternum non possunt pati. *lib. 10. Ethic. c. 4.*

Labor corporis anxietatem indicat, dolor animalem contractionem. *Alex. Aphrod. in 4. nat. q. c. 16.*

Labores spontanei indicant morbos. *Hippoc. aphoris. idem in 1. Topicor. c. 9.*

Tanto plus adfertur lætitiæ bona, quanto maiore labore pręcedente ad ea peruenitur: labores. n. fortib. viris sunt obsonium. At absque eo, vt quis indigeat eius quod consequitur. nihil tã sumptuose parari potest, vt suaue sit. *Xen. de instit. Cyri. l. 7.*

Olim labor nemini vitio dabatur, neque artes erant ignominiæ. *Plut. in Solone.*

Alexander videns suos tot tantisque certaminibus aduersus Asiæ gentes superatis remissiores esse factos, luxuique passim indulgere, eos placidè ac philosophice reprehendit, inter cætera dicens, nihil magis seruile quam luxuriam, nihil magis regium esse quã laborare. Et vero (addebat) quomodo is equum suum ipse curet, hastam galeamve poliat, qui desueuerit suia suum ipsius charissimum corpus manibus attrectare? An nescitis, inquit, eum victoriæ finem nobis propositum esse, ne idem quod victi agamus? *Idem in Alexand.*

Ego nullum generoso viro laborum finem statuo, quam labores ipsos qui ad gloriam & decus ducunt. *Arrian. hist. l. 5.*

Labores præclara facinora adeuntibus, & vita ipsa cum virtute cõiuncta iucunda est, & mors nequaquam acerba, immortalem nominis sui gloriam relinquentibus. *Eod. lib.*

Nusquam nec opera sine emolumento, nec emolumentum ferme sine impensa opera est. Labor voluptasque dissimillima natura, societate quadam naturali inter se sunt iuncta. *Liu. Decad. 1. libro 5.*

Ex parente meo & ex alijs sanctis viris ita accepi, munditias mulieribus, viris laborem conuenire: omnibusque bonis oportere plus gloriæ quam diuitiarum esse: arma non suppellectilem decori esse. *Sallust. de bel. Iugurt.*

Hominem rerum natura continui laboris patiẽtem esse non finit. *Val. Max. lib. 8. c. 8.*

Laboris hoc solatium omnes habent, si quem alium sponte eundem perferre laborem conspiciant: ita enim necessitas videtur sublata. *Plut. in Mario.*

Apophthegmata.

Democritus dicebat, omnes labores otio iucundiores esse: quando illa consequuntur homines, quorum gratia laborant, aut consecuturos se sciunt. Frustrationi vero, cum spei non respondet euentus, vnum est remedium, omnia reliqua similiter ærumnosa sint & laboriosa. *Stob. serm. 29.*

Idem cum interrogaretur à quodã, quomodo laboriosi ac industrij differrent a desidiosis: Quo, inquit, impij a pijs: spe nimirum bona. Sperant quippe, qui corpus laboribus exercent, pinguia laborum præmia: desides autem semper præsentem intuentur paupertatem. *Max. ser. 32.*

Idem adolescentem conspicatus industrium, optimum, inquit, senectuti condis obsonium. Sensit, fructum laborum senectuti esse fulcimentum & obsonium: quo si destituantur homines, qui negarit miseras senum esse conditiones? *Max. ser. 32.*

Pythagoras familiares suos hortabatur, vt optimum viuendi genus sibi deligerent, quamuis enim laboriosissimum esset, consuetudine tamen fore iucundum. *Stob. serm. 30.*

Cleantes. Suam vitam diuitum vitæ solebat hoc nomine præferre: Dum illi, inquit, pila ludunt, ego fodiens duram humum exerceo. Sensit vir sapientissimus, hominem non ad otium & desidiam, sed ad laborem a Deo conditum esse. *Laert. libro 7. capite 11.*

Diogenes. Cum Philippus Alexandri Magni pater expeditionem & bellum in Corinthum apparare diceretur, Corinthij trepidi rerũque suarum satagentes, ad opera certatim incumbere cœperũt. hic arma sibi cõparabat, ille lapides congerebat, alius muros in altitudinem substruebat. nonnulli propugnacula firmabant, alij aliud agebant quod ad munitiones pertineret. Eorum itaq. studium Diogenes cum cerneret, nihil habens aliud commodius quod ageret, exemplo philosophico pallio succinctus dolium suum subuoluere & hinc inde vertere cępit. Admirante autem quodam eius amico, ac percunctante cur hoc ageret? respondit Diogenes: Ideo voluo, ne vnus inter tot operi intentissimos cessator esse videar. *Guido Bitur. in tit. de Desidia.*

Idem. Cuidã admonenti, vt iam senex quiesceret a laboribus. Quid, inquit, si in stadio currerem, vtrum oporteret iam metæ vicinũ, cursum remittere, an magis intendere? Recte sensit, virtutis studium hoc magis intendẽdum, quo minus superest vitæ: quod turpe sit, tum ab honesto instituto refrigescere. *Laert. l. 6.*

Socrates cuidam cupiẽti quidem ire ad Olympias, sed itineris labore deterrito: Cum, inquit, domi sæpenumero totum prope diem ambules, ante prandium, rursus ante cœnam, si domesticas ambulationes proferas ad quinque sexue dies, facile peruenies Olympias. Docuit, id quod terret in adeundis laboribus imaginationẽ esse potius, quam ipsum laborem. Si quid honestæ rei gratia periculi, dispendij, aut laboris suscipiendum est excusamus, detrectamus, horremus: cum frequenter vltro in rebus nihili (non. n. dicã turpib.) plus impendamus. Ita quidam inuitati ad studia literarum, excusant valetudinem, insomnium, impendia librorum: cum interim totam noctem ludant alea, potatione contrahãt febrim, podagram, hydropem & lippitudinem, scortatione paralysim, aut scabiem nouam, quam Gallicam appellant. *P. M. l. 3. apoph.*

Idem. Tantum laboris quantum animus libenter suscipit exequendum esse dicebat. *Xenoph. l. 1. de dict. & factis eiusdem.*

Idem. Asserebat, operari esse vtile ac bonum homini: otium vero esse damnosum ac malum. *Xen. & Stob. serm. 27.*

Aristoteles. Frequenter dicere solebat, artium radices satis quidẽ esse amaras, sed dulcissimum adferre fructum. Sensit vir sapientissimus. nihil absque duro labore ab homine parari posse. attamen postquam requies sequitur, homo multis refocillatur bonis. *Dictum philosophi extat apud Laert. l. 5. c. 5.*

Ptolomæus sophista. Heraclides scripserat libellum, cui titulum indiderat πόνου ἐγκώμιον, laboris laudatio. Eum cum Ptolomæus sophista forte obuius videret habentem præ manib. rogabat, quid moliretur? Cum ille respondisset πόνου ἐγκώμιον. Ptolomæus accepto codice, deleuit π. & adiecit: Tẽpus est vt legas titulum encomij, reperitq. scriptum ὄνου ἐγκώμιον. Ptolomæus hue allusit, quod si labor meretur laudem eadem opera laudandus esset asinus, animal labori natum. *Philostr. in sophist. Dion sophista.* Animi & corporis remissiones ad nouos labores nos præparare dicebat: & vt arcus, & lyra, sic homines quiete vigere. *Stob. serm. 60.*

Apelles nunquam tam occupatus fuit, vt diem prætermitteret, in qua nihil omnino pingeret, artem exercens. Vnde subducens sese a negocijs, dicere solebat, Hodie nullam lineam duxi. Quæ vox abijt in prouerbium, de quouis officio prætermisso. *Plin. l. 35. cap. 15.*

Musonius. Ducis bellici & priuati hominis corpora dicebat ijsdem laboribus non semel affici. Honos enim, inquit, labores duci leuiores efficit, præsertim quod intelligit in hominum esse oculis quidquid exequitur. *Stob. serm. 46.*

Seuerus Imp. Symbolum tribuno dari iussit, Laboremus. Pertinax ad imperium ascitus dederat, Militemus. Illi placuit belli omen, huic pacis. Sublato nãq. bello, reditur ad agriculationem & opificia Otiũ i. pace delicias alit. & omne flagitiorum genus. *Ælius Spart.*

Hadrianus Florus hos versiculos scripserat in Cęsarem Hadrianum.

Ego nolo Cæsar esse,
Ambulare per Britannos,
Scythicas pati pruinas.
Cui Cęsar respondit.
Ego nolo Florus esse,
Ambulare per tabernas,
Latitare per popinas,
Culices pati rotundos.

Sentiens, se honestas occupationes præferre inutili, turpiq; otio. *Suet. in vita Hadriani.*

Probus Imp. Non patiebatur militem esse otiosum, sed multa opera militari manu perfecit. dicens, Annonam gratuitam militem comedere non debere. *Flauius Vopiscus.*

Alphonsus. Cum reprehenderetur a Matthæo Siculo, eximiæ sanctitatis viro, quod proprijs manibus laborasset: Subridens, Nunqd, inquit, Deus & natura nequicquam regibus manus dederunt? *Pan. l. 2. de reb. gest. Alphonsi.*

Idem Senex quidam multo vino repletus, cum suam apud Alphonsum ebrietatem excusare conaretur dicendo: lac senum esse vinum, respondit, Sed regum cibus est honos, quem Dij immortales non otio, aut luxu, sed improbis laboribus, multisq; sudoribus hominibus vendunt. *Pan. l. de reb. gest. Alphonsi.*

Dorotheus Monachus. Quotidie lapides aut arenas colligebat, annuatimq. fabricabat hospitium pro ægrotis. Huic laboranti quidam dixit: Cur ita conficis corpus tuum? cui ille: Quia me, inquit, illud occidit. *Sozomenus in Tripartito hist. l. 8. c. 1.*

Similitudines.

Plutarchi. Vt asparagus spinosus dulcissimum fert fructum: Ita ex duris initijs magna voluptas nascitur. *In Mor.*

P. M. Stulte reges Ægyptiorum operam populi ac pecunias in substruendis pyramidibus consumebant, quę nihil habebant præter stultam, & otiosam ostentationem, cum idem in rebus vtilibus fieri potuerit. Ita quidam elaborant in difficillimis, cęterum infrugiferis, hoc ipsum præclarum existimant, quod in laborioso negocio versantur. *In simil.*

Thrinceri. Quemadmodum virtus quo est occultior, eo est elegãtior: Ita sanctior sæpe liberalis laborum comparatio, quam gratuita donatio. *In apoph. 74.*

Quemadmodum non statim vbi semen in agrum coniectum est,

est, frugem demetimus, sed multis mensibus dum putrescit, pleniorem messem expectamus: Ita neque decet tædio laborum affici, sed longanimiter illorum fructum, & quasi quamdam comparationem suscipere. *In apoph.* 113.

Nazian-zen. Vt quod labore partum est, solicitius conseruari solet: Ita facile parta, facillimè celerrimèque respuuntur. *li. 2. Theolog.*

Philonis Iudæi. Sicut sine luce videre non possumus, quia nec colores, nec oculi ad videndum sufficiunt: hanc enim ceu vinculum natura præparauit, quo coaptaretur colori oculus: nam in tenebris neuter suam vim exerit. Eodem modo animæ oculus nullā virtutis actionem potest attrectare, nisi à labore ceu luce adiutus, hic enim inter mentem, & bonum, quod mens desiderat, medius illud vna ex parte, hanc ex altera trahens ad se, vtraque manu amicitiam concordiamque conciliat, atque ita bona perfecta efficit. *In lib. de sacrific. Abelis & Caini, fol.* 88.

Sicut qui animam conantur reddere sibi propitiam, necessario colunt virtutes animæ: Ita qui cupiunt frui prospera valetudine corporis, curare debent sanitatem, & id genus vires eius cæteras: quas certè curant indefessis laboribus, qui soliciti sunt de potentijs, ex quibus contemperati sunt. *In lib. de sacrific. Abelis & Caini.*

Sicut à cibo pendet tota vita cum suis actionibus, & effectionibus: Ita etiam à labore pendet quicquid in rebus bonum est. *In lib. de sacrific. Abelis & Caini.*

Quemadmodum qui vitam sibi prorogare cupiunt, alimenta non negligunt: Ita quotquot boni sunt, laborem concupiscunt, laborem magnifaciunt. Sicut cibus se habet ad vitam: Sic labor ad honestatem. *In lib. de sacrif. Abelis & Caini.*

Cypriani. Sicut fructus non inuenitur in arbore, in qua flos prius non apparuit: Sic in senectute honorem legitimum consequi nō poterit, qui in adolescentia disciplinæ alicuius exercitatione nō laborauit. *lib. de abusib.*

Socratis. Quemadmodum nec mulier sine viro: Sic nec bona spes absque labore quicquam parit. *Apud Stob. serm.* 508. *Anton. in Melissa par.* 5. *Max. serm.* 38.

Plutarchi. Nautæ à nauigandi labore turpiter conferunt se ad voluptates, rursum à voluptatibus ad nauigationem redeunt: Ita quidam à delicijs ad labores, à laboribus ad delicias summa vitæ inconstantia sese vertunt. *In Mor.*

Vt ferrum crebris immersionibus consumitur: Ita corpus crebris permutationibus vitiatur: hoc est, si nunc immodicis laboribus intēdatur, nunc voluptatibus liquefiat, ac molliatur. *In Mor.*

Seneca. Vt fertilibus agris non est imperandum, cito enim exhauriet illos numquam intermissa fœcunditas: Ita animorum impetus assiduus labor frangit. *De Tranquil. vitæ, l.* 1. *c.* 15.

P.M. Vt rosa, flos vnus omnium longè gratissimus, de spinis nascitur: Sic e tristibus & asperis, laboris fructus capitur iucundissimus. *In Simil.*

Vt herba moly difficile quidem foditur, sed ad remedia præter cæteras efficax est: ita quæ præclara sunt, non contingunt nisi magno negocio. *In Simil.*

Vt quæ præclara sunt, vix multo cultu proueniunt: contra cæpe, allium, & quædam huiusmodi vilia etiam reposita, aut suspensa proferunt sese: Ita quæ sunt egregia, non nisi multo contingunt labore: quæ mala, passim obuia sunt. *In Simil.*

Chrysost. Quemadmodum agrum qui ad sementem comparatur, scindi oportet, inarari, occari, sarciri, & alijs quam plurimis modis vexari: Sic nos quoque dum ad virtutem erudimur, nulla laborum patientia decet frangi. *In apoph.* 110.

Ferrum vsu candorem sibi conciliat, alioqui ærugine eroditur: Sic & corpus, & animus continuo sordescunt, & situm contrahunt, nisi hic virtute, & literis, illud vero quotidianis promoueatur laboribus. *In apoph.* 61.

Plutarchi. Plantæ mediocri aqua aluntur, immodica suffocantur: Sic animus moderatis laboribus adiuuatur, immoderatis obruitur. *In Mor.*

Plinij. Luscinijs tantum est canendi studium, vt certantes emoriātur, spiritu citius deficiente, quam cantu: Ita nonnulli literarum immodico amore valetudinem extinguunt, & dum à nullo vinci volunt eruditione, pereunt in ipso conatu. *lib.* 10. *c.* 29.

ADAGIA.

Vltro Deus suppeditat bona. αὐτόματα ὁ Θεὸς ἀνίησι τἀγαθά.
Quoties res citra nostram operam feliciter cadunt, quasi Deo quopiam procurante. Gott bescheret vber Nacht.

Sub aliena arbore fructum.
Ex aliena arbore fructum legere dicuntur, qui fruuntur aliorum laboribus. Frequentissimum est illi. Alienam metis messem.

Dormientis rete trahit. εὕδοντι κύρτος αἱρεῖ.
In eos, quibus citra conatum contingunt ea, quæ cupiunt. Gott gibt es jhme im Schlaff.

Citra puluerem. ἀκονιτί.
Citra puluerem Græci dicunt contingere, quæ quis facile citraque laborem potitur.

Citra arationem, citraque sementem.

Quæ citra nostram operam ensu nobis eueniunt, ἄσπαρτα καὶ ἀνήροτα contingere dicunt Græci.

EXEMPLA PROFANA.

Laertius Cleanthem Philosophum alterum Herculem vulgo dictum fuisse tradit, quod esset omnium laborum patientissimus: adeo vt noctu hauriendo è puteo aquam victum diurnum pararet: vnde & φρεάντλης dictus *pro Cleanthe.*

Massinissa Rex Numidarum erat corporis firmitate præstans, & duriciei laboribus a pueritia assuetus. Etenim stans in vestigijs totū diem manebat immotus, & sedens non surgebat vsque ad noctē: in equo continenter per diem, & noctem sedens, & equitationibus vtens, non defatigabatur. *Diod. Siculus lib.* 23.

Vespasianus Imp. valetudinem, & abstinentia, & frictione tuebatur, militiæ acer, agmen anteire, & locum castris capere, & noctu dieque consilio, ac si res posceret, manu hostibus obsistere solebat: cibo fortuito, veste habituque vix à gregario milite discrepans. *Cuspin.*

Maximilianus Imp. erat laborum patientissimus: adeo vt in multam noctem crebro scriberet, res magnas ageret, sæpè etiam arma tractaret, hastis concurreret cum principibus in ludis, & serio cum hostibus: æstum ac frigus, inediam, & commeatus penuriam iuxta ferret. *Cuspin.*

Carolus Magnus assiduè exercitabatur equitando, ac venando: quod illi gentilitiū erat, quia vix vlla in terris natio inuenitur, quæ in eo labore Francis possit æquiparari. *Crantzius lib.* 2. *Saxonia, cap.* 8.

Ob laborum tolerantiam, & industriam frugalitatemque dicti sunt *Ægypty Myrmidones*, quum enim haberent terram supernè lapidosam, infernè frumentis idoneam: fodientes in cauernis habitare vsi sunt formicarum more, & asportandis lapidibus quodammodo eius animantis industriam repræsentare. *P.M. in Adagio.*

Non sileamus *Brachmanas Philosophos*, qui pueros impransos extrudebant foras, si quando nihil vtilis operæ, vel parentibus, vel suis rebus necessarijs dedissent: Parthi quoque (*vt Dionysius de situ orbis, & Deo commemorat*) more recepto obseruabant, ne quis die exorto ante liberis victum præberet, quam cursus iaculandique certamine suscepto, sudore circum capita diffuso, fessi permaduissent.

HIEROGLYPHICA.

Laboris indefessi perseuerantiam ex *Formica picta* significabant: nam ea non interdiu solum, verum etiam noctibus laborem exercet. Et nota est fabula de formica, & Cicada. *Pier. Valer. lib.* 8. *pag.* 69. *A.*

Receptum, & illud est *seruilem laborem* per *Asinum clitella instratum* significare, cuius rei causa magis vulgo nota est, quam verbis explicari necesse sit: quippe quod animal indefessi sit laboris, vnique & perpetuæ onerum vectationi vexationibusque alijs damnatum esse videatur. *Pier. Val. lib.* 12. *pag.* 112. *F.*

Apem quoque laboris symbolum faciunt. Nam illud quod Salomō ait, *Vade ad apem, & disce ab ea quam laboriosa sit operatrix*, vnicuique manifestum est artificij sedulitatisq; illam esse hieroglyphicum. *Pier. Val. l.* 26. *pag.* 244. *P.*

FABVLA.

Rusticus & filij illius.

Rusticus vicinos morti cum relinquere filijs suis diuitias non posset, voluit excitare animos illorum ad studium diligentis culturæ, & in opere faciundo assiduitatem. Accersit igitur illos ad se, atque ita loquitur: Mei filij quo in loco res meæ sint videtis. Vobis autem quicquid potui in mea vita comparsi, idque totum in vinea nostra quærere poteritis. Hæc cum dixisset, paulo post moritur senex. At filij, quod crederent in vinea illum thesaurum alicubi abscondisse, arreptis ligonibus solum vineæ vniuersum effodiunt, ac thesaurum quidem inuenere nullum, terra tamen fodiēdo perculsa, vites vberrimum fructum tulere.

Docet fabula, labores & operas, summas diuitias esse. Et est Epicharmea sententia, Labore a Dijs hominibus bona venire.

Vide Afflictio, Conatus, Euentus.

LACHRIMÆ.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

Lachrima, Græcè δάκρυον, unde & δακρυόεις, lachrimosus, & δακρυχέω lachrimor, quæ vsus obtinuit, vt cum aspiratione scribantur. Hebr. *Dimhhah.* à verbo *Damahh:* lachrimauit, lachrimatus est madidis oculis: *il plora à chaudes larmes.* Græci conuerso *Daleth* in vocalem dicunt οἰμώζω fleo, lachrimor: & per inuersionem radicis μυδάω madeo, madesco, μυδαίνω madefacio, humecto. Est autem lachrima, humor ex oculis

fletuum manans: Flere autem, lachrimas fundere, vnde fletus quandoque substantiuum, & quartæ declinationis. Ennius, *Nemo me lachrimis decoret, nec funera fletu.* Interdum adiectiuum est, scilicet participium à fleor. Virg. *Hic multum fleti ad superos.* Multum fletus posuit pro nobilibus, quorum mortem magna sequitur lamentatio. Hinc flebilis, dignus qui fleatur. Et flebiliter cum fletu, & compositum defleo, quod est valde fleo.

Lachrimæ causantur ex tristitia, & aliquando ex affectus teneritate, præcipuè cum consideratur delectabile cum tristabili, vt ex deuotione. *Ex S. Thom. 2. 2. q. 82. art. 4.* Terent. *O lachrima pra gaudio!*

A lachrimis diminutiuum fit lachrimula, & lachrimor verbum, à quo illachrimor, & collachrimor: & lachrimabilis, flebilis, & lachrimabundus, flens, & illachrimabile, hoc est fletu indignum.

LOCI BIBLICI.

Lachrimantium *exempla:* cum lachrimis monet Paulus fratres, *Act. 20. 18.* orat pater Dæmoniaci suam à Christo incredulitatem iuuari, *Marc. 9. 24.* Lachrimis rigat peccatrix Christi pedes, *Luc. 7. 38.*

SENTENTIÆ BIBLICÆ.

Qui seminant in lachrimis, in exultatione metent. *Psal. 125.*

Beati qui nunc fletis, quia ridebitis. *Luc. 6.*

PATRVM SENTENTIAE.

Lachrimæ pœnitentium cadunt in conspectu Domini. *Aug. serm 3. in fest. Nat.*

Lachrimæ infantium testes sunt nostræ miseriæ. *Idem hom. 10.*

Lachrimas Petri lego, satisfactionem non lego: sed quod defendi non potest, ablui potest. Lauant lachrimæ delictum, quod voce pudor est dicere, vel confiteri. Lachrimæ veniam non postulant, sed obtinent. *Amb. sup. Luc. lib 9.*

Fleuit amare, vt lachrimæ lauarent delictum, tu similiter lachrimis dilue culpam. Non inuenio quid dixerit, sed quod fleuit. *Ibid.*

Pascunt frequenter lachrimæ, & mentem alleuant fletus: refrigerant pectus, & mœstum consolantur. Est enim pijs affectibus quædam flendi voluptas, & plerumque graues lachrimas euaporat dolor. *De obitu Valentini.*

O lachrima humilis! tua potentia, tuum regnum, tribunal iudicis non vereris: amicorum tuorum accusationibus silentium imponis: non est, qui te accedere vetet: si sola intraueris, vacua non redibis, magis crucias Diabolum, quam pœna infernalis. Quid plura? Vincis inuincibilem: ligas omnipotentem: inclinas filium Virginis. *Hier. in epist.*

Docente te in Ecclesis, non clamor populi, sed gemitus suscitetur. Lachrimæ auditorum laudes tuæ sunt. Petrum ter negantem amaræ in locum suum restituere lachrimæ. *Ibid.*

Oratio Deum lenit, sed lachrima cogit, hæc vngit: illa pungit. *In Esaiam.*

Holocaustum siccum, est bonum opus, quod orationis lachrimæ non infundunt, holocaustum pingue est, quando hoc, quod bene agitur, corde humili etiam per lachrimas irrigatur. *Gregor. in Psal. 20.*

Irriguum superius accipit anima tua, quum se lachrimis regni cœlestis desiderio affligit: irriguum vero inferius accipit, quum inferni supplicia flendo pertimescit. *In regi. ♃re.*

Vnusquisque orens tantum pœnitendo compunctionis suæ bibat lachrimas, quantum se à Deo meminit amisisse per culpas. *In pastorali.*

Sæpe quod torpentes latuit, fletibus innotescit, & afflicta mens inuenit malum, quod fecerat: & reatum suum, cuius secura nō meminit, hunc in se commota deprehendit. *l. 8. Mor.*

Lachrimæ pœnitentium vinum sunt Angelorum, quia in illis odor vitæ, sapor gratiæ, gustus indulgentiæ, sanitas redeuntis innocētiæ, reconciliationis iucunditas, & serenatæ conscientiæ suauitas. *Bern. sup. Cant.*

Illas enim lachrimas vere in vinum mutari bonum dixerim, quæ supernæ compassionis affectu in feruorem prodeunt charitatis, pro qua etiam ad horam tui ipsius immemor sobria quadam ebrietate videris. *Ibid.*

Ecce pro omnibus, quæ ab initio conuersationis meæ mihi tetribuit, compunctionem videlicet lachrimarum, deuotionem in meditationibus, consolationem in laboribus, directionem in medijs actionibus, pro his inquam innumeris alijs beneficijs quid ei retribuam rursus? qui totum dedi, quid vlterius impendere habeo? *In serm.*

Deliciæ Angelorum sunt lachrimæ nostræ, & delectabiles lachrimæ pœnitentis. *Ibid.*

Felices lachrimæ, quas benignæ manus conditoris abstergunt: & beati oculi, qui in talibus liquefieri elegerunt, quam eleuari in superbiam, quam omne sublime videre, quam auaritiæ, & petulantiæ famulari. *De contemptu mundi.*

Nemo ad Deum aliquando flens accessit, qui non quod postulauit, acceperit, nullus ab eo beneficia dolenter optauit, qui non impetrarit. Ipse enim est, qui consolatur flentes, dolentes curat, pœnitentes informat. *Chrysost. in serm.*

Sicut post vehementes imbres, mundus aer, ac purus efficitur, ita & post lachrimarum pluuias serenitas mentis sequitur, atque tranquillitas. *Sup. Matth.*

Fletus est cibus animarum, corroboratio sensuum, & absolutio peccatorum, refectio mentium, lauacrum culparum. *Cass. in Psal.*

Multis consolationi sunt lachrimæ, & ex parte maxima magnitudinem doloris minuunt, dolor siquidem speciem ignis gerit, qui dum plus tegitur, plus ignescit. *Pet. Blesen.*

Frequenter peccans, & lugens, vix veniam merebitur. Nihil prosūt lamenta, si replicantur peccata. Nihil valet veniam à malis poscere, & denuo iterare. *Aug. lib. Sol. & hab. dist. 3. c. Inanis.*

Absit ab oratione multa precatio, sed feruens perseueret intentio. Nam multum loqui, est in orando rem necessariam superfluis agere rebus. Multum autem precari, est eum, qui precatur, diuturna et pia oratione pulsare: nam plerumque hoc negocium plus gemitibus, quam sermonibus agitur, plus fletu quam affatu. *Idem ad Probum.*

SENTENTIAE POETICAE.

Ouid. 4. de Trist.

Flesq; meos casus: est quædam flere voluptas,
Expletur lachrimis egeriturq; dolor.
Atque vtinam lugenda tibi non vita sed esset
Mors mea: morte fores sola relicta mea.
Spiritus hic per te patrias exisset in auras.
Sparsissent lachrimæ corpora nostra piæ.

Idem ad Liuiam epist.

Supremoq; die notum spectantia cælum
Texissent digiti lumina nostra tui.
Supprime iam lachrimas: non est reuocabilis illis,
Quem semel vmbrifera nauita lintre tulit.
Sed rigidum ius est, & ineuitabile mortis.

Idem 1. de Pont.

Quidq; facis, lachrimis opus est, non sanguine dixi:
Sæpe per has flecti principis ira solet.

Propert. lib. 5. ad Paulum.

Desine, Paule meum lachrimis vrgere sepulchrum,
Panditur ad nullas ianua nigra preces.

Virg. in Bucol.

Nec lachrimis crudelis amor, nec gramina riuis.
Nec cytiso saturantur apes nec fronde capellæ.

Horat. in Epod. Od. 16.

Vos quibus est virtus muliebrem tollite luctum.

Ouid. de remed. amor.

Neve puellarum lachrimis moueare caueto,
Vt flerent oculos erudiere suos.

Idem in epist. ad Demophoonte.

Vidi etiam lachrimas, an & est pars fraudis in illis?
Hæ quoque habent artes quaque iubentur eunt.

Idem lib. 3. de Ponto, eleg. 2.

Interdum lachrima pondera vocis habent.

Idem Metam. lib. 2. fab. 15.

Neque enim cælestia tingi
Ora licet lachrimis.

Eurip. in Med.

Mulier ad lachrimas nata est.

Idem in Alcest.

Amare mortuum producit lachrimas.

In Troade.

Afflictis hominibus suaues sunt lachrimæ.
Mortuum sepelito, nec supra i num diem lachrimandum est.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Lachrimæ à claris viris auferendæ sunt, mulieribus autem tribuendæ, neque his præstantibus, & ex viris his, qui viles sunt, vt vereantur similia his facere hi, quos ad regionis custodiam nos educare asserimus. *Plato de Repub. dial. 3.*

Lachrimæ, & alia huiusmodi, quæ quotidie e corpore effunduntur, fiunt ex seroso humore pituitæ recenter conflatæ. *Idem in Tim.*

Lachrimas profundere ob mortuum, aut secus præcipere, indecorum est: lamentari, & extra domum vociferari interdicendum est, & mortuum in propatulum ad vias producere prohibēdum est. & in progressu per vias eiulare, & ante diem extra ciuitatem esse, qui non obedit, puniatur, prout legum custodi videbitur. *Idem de leg. dial. 12.*

Lachrimæ nihil remedij afferunt malis. *M. Anton. Natta de immort. anim. lib. 1.*

Nihil facilius, quam lachrimæ inarescunt: Lachrimæ pœnitentiæ sunt indices.

Ingemiscere nonnunquam viro concessum est, idque raro; eiulatus ne mulieri quidem, nihil est enim viro turpius muliebri fletu.

Lachri-

Lachrimæ nobis prius deerunt, quam causæ dolendi. *Quint. Curt. lib. 5.*

Si quis tristantem aliquem secutus ei dixerit, salue, necessario eum lugere, iubet. *Ant. Stob.*

Lachrimis vt plurimum bona aliqua doctrina coniungitur: risui vero lasciuia. *Diog.*

Lachrimis, & acclamationibus studia sua multitudo profitetur. *Curt. lib. 7.*

Lachrimas Deus admittit, & natura maximum mutuæ misericordię incitamentum in oculos nostros deriuauit. *Nicet. Acom.*

Stultus nihil est, quam famam captare tristitiæ, & lachrima approbare: quas iudico sapienti viro alias permissa cadere, alias vi sua lætas. *Sen. epist. 99.*

Plerique lachrimas fundunt, vt ostendant: & toties siccos oculos habent, quoties spectator defuit. turpe iudicantes non flere, cum omnes faciant. Adeo penitus hoc se malum fixit, ex aliena opinione pendere, vt in simulationem etiam simplicissima res, dolor, veniat. *Idem, lib. de tranquil. animi, c. vlt.*

S I M I L I T V D O.

D. Chrysostomi. Non sic semina delatus imber germinare, & crescere facit, vt pietatis semen excitat, & vernare facit ex lachrimis ruens imber: hic animam detergit, irrigat mentem. Ideo profundum sulcum proscindere necessarium. *Hom. 4. de poen.*

E X E M P L A   P R O F A N A.

Heraclytus Philosophus ad omnem hominum occursum fleuisse dicitur. Dolebat enim nihil sani esse in vita, nihil in homine non caducum, fluxum, & deceptibile. *Laert. l. 5. c. 2.*

D. Martinus lachrimis ita abundabat, vt pro detrectatorum quoque suorum peccatis flere soleret. *D. Bern. in festo eius.*

Ptolomæus Philadelphus missos ad se septuaginta duos interpretes cũ sacris Biblijs honorificentissimè excepit, & lachrimis etiam obortis suum gaudium testatus est. *Iosephus lib. 12. c. 2.*

M. Minutio magistro equitum ex hostium vi erepto, opera Q. Fabij Maximi Dictatoris, in lætitiam tota castra effusa sunt, in tantum, vt præ gaudio militibus omnibus lachrimæ manarent. *Plut. in Fabio.*

Bassianus Imper. apud Aelium Spartianum lachrimabatur, quoties aut mentio fieret, aut imagines videret Getæ fratris, quem occiderat. *P. M. in adag.*

Pericles, filio Paralo mortuo coronam imponens, quod in reliqua vita numquam fecerat, erupit in eiulatum, & magnam vim profudit lachrimarum. *Plut. in Pericl.*

M. Marcellus, Syracusis captis, Florentissimæ vrbis commiseratione fleuit. *Aug. l. 3. de ciuit. Dei, c. 14.*

M. Cato, victis ad Dyrrachium Cæsarianis, cadauera cæsorum intuitus ciuium, temperare à lachrimis non potuit. *Plutarchus in eius vita.*

L Æ T I T I A.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

Lætitia, Græcè εὐφροσύνη, ἡ, & εὐφραίνομαι lætor dicitur. Hebr. *Simchah*, à verbo *Samach*, & *Samach*, lætatus est, lætus fuit. Vide *Psalm. 4. v. penult. & 16. 9. & 106. 5. Prou. 14. 10. Esa. 66. 5.* Est autem lætitia gestientis animi elatio voluptuaria, *secund. Cic. l. 3. de fin. bon. & mal.*

Lætitia in animo est commotio suauis iucunditatis in corpore, *secund. Cic. l. 2. de fin. bon. & mal.*

Lætitia est exultatio quædam animi, cum gaudio efferuentiori, euentu rerum expetitarum, *secundum Aul. Gellium lib. 2. Noct. Attic. cap. 27.*

Lætitia est expressio, vel affectus interior, secundum quod ipse affectus dilatatur, roboratus, & perfectus ex coniunctione appetitus, diciturque lætitia quasi latitia. *Ex S. Thom. 4. sentent. dist. 49. q. 1. art. 1.*

Lætitia est erectio quædam, atque elatio animi sperantis, se absque vlla dubitatione, quod petient possessurum. *Ficin. de volupt. cap. 10.*

L O C I   B I B L I C I.

Lætitiæ post victoriam *exempla*: Moyses & populus Israeliticus, *Exod. 15. v. 1. 2.* Maria cum alijs, *v. 20. 21.* Debora & Barac, *Iudic. 5. v. 1. 2.* Mulieres Israelitæ, *1. Sam. 18. ver. 6. 7.* Iosaphat, & omnis vir Iuda, &c. *2. Paral. 20. v. 27. 28.* Populus, *Iudith 15. v. 14. 15. & 16. 14.* *Vide Gaudium.*

P H I L O S O P H I C A E   S E N T E N T I A E.

Qui rerum suarum fraudatorem perspexerit re aliqua item per alios fraudari, lætari procul dubio poterit, haud quaquam immerito poenas luisse per hos ratus, ni forte his demum inuideat, qui illatam sibi iniuriam vindicarint. *Procop. de bello Goth. lib. 3.*

Nihil tam difficile, quam differre gaudia. *Quint. Dec. 1.*

Spem gaudia parant, aduersa contritionem. *Idem, Dec. 15.*

Polyanthea Noua,

Recto ordine prius metus tollatur, quam gaudium infundatur. *Tertul.*

In profuso gaudio lachrimæ erumpunt. *Idem.*

Vnicuique delectabile est, quod amat. *Arist. Eth. 1.*

Qui delectari velit sine tristitia, ad Philosophiam recurrat. *Aristot. Polit. 2.*

Omnes habemus vnde lætemur. *Plut. de tranq. animi.*

Quoties conditio melior à deteriore secernitur, lætandum potius est, quam dolendum. *Am. Marcel. lib. 23.*

Lætitia exultandum non est, nec dolore deijciendum. *Ficin. in Plat. Menexenum.*

Lætitiam affert lineis spongiosa natura, crassum fugens sanguinem. *Idem Plat. in Tim. c. 59.*

Lætitia est exultatio quædam animi gaudio efferuentiore rerum euentu expetitarum. *Fr. Patric. de regn. l. 4. c. 13.*

Lætitia pura in solis animæ bonis inuenitur, ideo sapiens in se gaudet, non in ea, quæ circa se sunt. *Plat. in Tim. c. 13.*

Solet lætitia præcludere consilia hominum. *Io. Iouian. Pont. hist. li. 1.*

Effusam sæpe lætitiam tristes, & aduersæ res excipiunt. *P. Æmylius. lib. 8.*

S E N T E N T I A E   P O E T I C Æ.

Stat. 2. Sil. 7.

Secerra procul hinc abite mortes.
Hæc vita genialis est origo.
Cedat luctus atrox genisq; manent
Iam dulces lachrimæ, dolorq; fessus,
Quicquid fleuerat ante, nunc adoret.

Idem 5. Sil. 2.

Qualemve superi Priscilla, hominesq; benigni
Aspexere die, cum primum ingentibus actis
Admonitus coniux, vicisti gaudia ciene.

Sen. Herc. fur.

Dum fata sinunt
Viuite læti: properat cursu
Vita citato volucriq; die,
Rota præcipites vertitur anni,
Duræ peragunt pensa sorores,
Nec sua retro fila reuoluunt.
At gens hominum fertur rapidis
Obuia fatis incerta sui.
Stygias vltro quærimus vndas.

Ouid. 2. Art.

Si vox est canta, si mollia brachia salta,
Et quacumque potes dote placere, place.
Qui sermone places, taciturna silentia vites,
Qui canit, arte canat: qui bibit, arte bibat.

Stat. 2. Theb.

Pone modum lætis satis ostro diues, & auro
Conspicuus, tenuem germani pauperis annum,
Risisti, moneo ignorum gaudia tenuet
Dedoctas, patiensq; fugæ mercare reuerti.

Anthol. Sacr. Iac. Billij.

Dum non perturbant animum discrimina mundi,
Dumq; diem paces prælia multa premunt,
Exercere fidem diuinis conuenit armis.
Consilioq; omnes anticipare metus,
Tranquillam & curis vacuam sapientia mentem
Imbuet, & placidi pectoris hospes erit.
Nam quod non fuerit conceptum corde quieto,
Acquiri in sano turbine non poterit.

S I M I L I T V D I N E S.

Dionis Chrysostomi. Sicut domum pulchram, cum aer appropinquauerit, splendidam ostendit: Itidem & aspectum speciosum, hilaritas animæ meliorem exhibet: si vero in tristitia, deformior redditur. *Hom. 36. de virtutib. & vitijs.*

Seneca. Quod duces magni faciunt rebus afflictis, vt hilaritatem de industria simulent, & aduersas res adumbrata lætitia abscondant, ne militum animi, si fractam ducis sui mentem viderint, & ipsi collabantur: Id nunc tibi quoque faciendum est: indue dissimilem animo tuo vultum, & si potes, projice omnem ex toto dolorem; sin minus, introrsus abde, & contine, ne appareat, & da operam, vt fratres tui te imitentur, qui honestũ putabunt, quodcumque facientem viderint, animumq; ex vultu tuo sument, & solatium debes esse, & consolator illorum. *De consolat. c. 24.*

E M B L E M A.

In Deo lætandum.

Emblema 1 v.

Aspice vt egregius puerum Iouis alite pictor
Fecerit Iliacum summa per astra vehi.
Quis non Iouem tactum pueris credat amore?

Dic, hac Maonius finxerit unde fenex.
Consilium, mens atque Dei cui gaudia præstant,
Creditur is summo raptus adesse Ioui.

FABVLA.

Piscatores.

Dum extrahunt nassam de aquis piscatores, grauissimum pondus esse illius sentiunt. Quare lætitia exultare, & felici euentu immodicè gaudere, quod opera præclarè posita videretur. Sed nassa subducta in terram, conspicantur ingens saxum, quo illa depressa fuerat. Ergo mutatis animis, contristari, atque mœrere, neque minus doloris capere ob falsitatem opinionis, & ludibrium fortunæ, quam incommodum suum. Tum vnus inter eos senior obiurgare eos, & dicere: non nimis indignè ferendum casum illum, quod consanguineam habere gaudium videretur tristitiam. Itaque vix aliter potuisse fieri, quam vt illius tanto complexu etiam hanc assumerent.

Vtrumque fabula monet, non prius lætandum, quam explorata fortuna, neque tamen tristiores exitus non etiam moderatè ferendos esse.

Vide Gaudium. Hilaritas.

LASCIVIA.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

Lasciuia, Græcè [illegible], & [illegible], lasciuus: & [illegible], lasciuio dicitur. Hebr. *Sarar*, iuxta quorumdam sententiam, à verbo *Sarar*, Contumax, rebellis, petulans fuit, cet... quæ significationes lasciuis conueniunt. Est autem lasciuia indecens motus dissoluti animi, & corporis, ex intemperantia ca... procedens, *secund. Cassiod. sup. Psal.*

Lasciuia mollicies est, petulantia, & nequitia, à lasciuio, moliter ago, & lasciue, molliter, nequiter.

Lasciuus is dicitur, qui placere omnibus studet voluptatis causa, nec ob aliud quidquam illud agit. Si vero vtilitatem aliquam inde adipiscitur in pecunijs, aut re pecuniaria, adulator est. *Ex Arist. 4. Ethic.*

PATRVM SENTENTIAE.

Caueamus ne dum laxare animum volumus, soluamus omnem harmoniam, quasi concentum quemdam bonorum operum. Vsus enim cito inflectit naturam. *Amb. de off. l. 1.*

Vbi saltatio, ibi Diabolus: neque enim Deus ad hoc nobis dedit pedes, vt cum camelis saltemus, sed vt cum Angelis chorum faciamus. In saltibus lætantur dæmones, & exultant ministri dæmonum. *Chrys. in Matth.*

Puellam, propter quam iniquæ apparebant nuptiæ, occultari oportebat, vt conuitium matris meretricis occultaretur. *ibid.*

SENTENTIAE POETICAE.

Anthol. Sacr. Iac. Bill.

Coercendam esse carnis lasciuiam, vtpote menti pestiferam.

Ingenua ancillæ gestis colludere proles:
Ludus at hic Saram suspicione ferit.
Nam ludi specie fraudem exitiumq; parari
Hæc videt, occultas insidiasq; timet.
Ergo etiam menti caro si colludere tentet,
Fac subeat pectus tunc grauis ira tuum.
Namque sub hoc ludo mentis certissima pestis
Quæritur, & ficti est mors comes atra ioci.

PHILOSOPHICÆ SENTENTIAE.

Omnia tolerabilia præter turpitudinem crede, à verbis quoque turpibus abstineto, quia licentia eorum impudentiam nutrit.

Sermones vtiles magis, quam affabiles, & facetos ama.

Miscebis interdum serijs iocos, sed temperatos, & sine detrimento dignitatis, & verecundiæ. Nam reprehensibilis ludus est, si immodicus, si pueriliter effusus, si muliebriter fractus.

Odibilem quoque hominem facit risus, aut superbus, aut malignus, aut furtiuus, aut alienis malis euocatus. *Senec. 4. de virtut.*

Luxurioso frugalitas pœna est, pigro supplicij loco labor est. *Idem epist. 72.*

Libidinosa, & intemperans adolescentia effœtum corpus tradit senectuti. *Cato Maior.*

Mulier eo die, quo prostituit corpus, & pudicitiam deserit, statim animum immutat, ita vt familiares pro inimicis habeat: alienos autem sibi fidos reputet: ac de honestis, & turpibus contrariam opinionem induat. *Lysias.*

APOPHTHEGMATA.

Pericles, postquam cum Sophocle Poeta nauigasset, ac Sophocles conspecto formoso puero dixisset: En quam speciosus puer! Decet, inquit, ò Sophocles, prætorem non tantum manus, sed linguam etiam habere continentem. Sensit vir prudentissimus, non turpe tantum esse, si re ipsa ab omni lasciuia facti abstinemus, verum etiam si impudicè, & lasciuè de rebus loquamur. *Plut.*

Hieron. Epicharmo comico poetæ, quod præsente ipsius vxore dixisset quiddam inhonestum, mulctam dixit: Epicharmus Siculus erat, iuxta regionis naturam plurimi ioci. At rex tantum iudicauit esse tribuendum reuerentiæ coniugio, vt crimen existimaret, audiente vxore iocari lasciuius. *Plut. in apoph.*

EXEMPLA PROFANA.

Messalina Claudij omnium fœminei sexus intemperantissima vt satietatem expleret Lisicæ prostitutæ mulieris nomen mentita est, & sæpè sub nocte lupanar adijt: & (quod turpius) cum famosissimis meretricij quæstus scortis coitu certauit, ex re fœdissima palmam sibi quærens.

M. Antonius Triumuir, ebrius in conspectu populi Romani, negotium publicum gerens, hesternam cœnam euomuit, gremium suum, totumque tribunal incoctæ cœnæ frustis vinum redolentibus impleuit: musicis nimisque immeotas opes donauit: Cleopatræ Orientem, Arabiam, Phœniciam, Syriam, Ciliciam, & alias prouincias, maximo populi Romani sanguine partas donodedit.

Tiberius Imperator, vini appetentissimus, gulæque obnoxius, biduum continuum, & medium noctis, epulando cum Pomponio Flacco, & L. Pisone perditissimis Senatoribus peregit, ipsorumque alterum prætorem Syriæ fecit, alterum vrbi Romæ præfectum. In cœna puellas iussit ministrare, Asellio Sabino ducenta sestertia dedit propter cōfectum dialogum, quo boleti, ficedulæ, ostrea, turdique introducti, qui suauius explerent, inter se contendebāt. Tandem annosus in sellaria conclauia, vbi adolescentulos cum puellis in Nympharum morem constituit: qui cum ipsum viderent, ven... [illegible] exercerent.

[illegible] Imperator [illegible] a peruius, ne intactum aliquid in Venere [illegible] committeret.

Sardanapalus, [illegible] corruptior, fœmineo habitu pensa tra... mulieres [illegible], ac nece, tumuloque suo inscribi iussit [illegible], [illegible] voluptatibus impēdi, habeo, [illegible] voluptatem.

Vide Intemperantia.

LATRO.

DEFINITIO, ET ETYMOL.

Latro, Græcè [illegible], & [illegible], latrocinor dicitur. Est autem latrocinari, vias diripiendi gratia obsidere. Latrocinium ipsa direptio. Latro vel latrocinator, qui ita diripit.

Vide Etymol. trilingue Lugduni editum, anno 1607. pag. 415.

Antiquitus latrones vocabant, qui circa Imperatorem se habere consueuerant, quos nunc satellites vocamus, quasi laterones a latere. Aliquando pro venatore capitur. Virgil.

Fixumq; latronis Impauidus frangis telum.

A latrone diminutiuum fit latrunculus, a quo latrunculatores vocantur iudices, qui de latrocinijs, & talibus maleficijs cognoscunt: latro propriè diurnus est, fur autem nocturnus.

PHILOSOPHICÆ SENTENTIÆ.

Latrones ita dicti sunt, authore Festo, quod à latere adoriantur, vel a latendo, quod latenter insidientur. Hebr. *Ghedudim* à verbo *Gadhadh*, excurrit turmatim, incursionem fecit cuneatim, sicut leuis armaturæ milites gregarim excurrunt ad populandum agros, exercendaq; in obuios latrocinia *Gadh*. Mars, Deus belli. *Esa. 65. 11.* Turma, filius Iacobi, ita nominatus à Lea matre, turma quadam, seu numerosa prole dotata. *Ghanabim*. Fures, *Esa. 1. 23.* à verbo *Ganab*, furatus est, furtim abstulit, clam subtraxit, eam quam sub axillis occultando, clanculum abripuit. *Paritsim*, Irruptores, latrones, *Ier. 7. 11. Ezech. 7. 21. Dan. 11. 14.* à verbo *Parath*, corrupit, erupit violenter, & cum impetu, vt aqua quæ tempore inundationis ripas aluei sui perrumpere solet. Hinc [illegible] transeo vi quadam, &c.

Latrōnes nil anteferre debent suo lucro, nec ipsam sæpe, & alijs damnotam vltionem. *Apul. in Metamor. l. 57.*

Latrones cum Christo crucifixi, non appensi cruci, sed fixi fuere. *Iean. Francisc. Picus Mirand. epist. l. 3.*

Qui latrocinio victitant, bellum, nec inferre, nec propulsare possunt. *P. Æmyl. lib. 9.*

APOPHTHEGMATA.

Probus Imper. quum multa barbarorum loca purgasset latrocinijs, vbi peruenisset ad Isauros, dixit, ab illis locis facilius arceri latrocinia, quam tolli. Sentiens esse dandam operam, ne latronibus illuc esset aditus, neve iuuenes latrocinari discerent. Itaque loca omnia, quæ angustum haberent aditum, veteranis concessit: addens, vt eorum filij ab anno decimo octauo ad militiam mitterentur, ne ante latrocinari discerent, quam militare. Hoc tum rectè Probus, quum multum interesset inter militiam, & latrocinium: nunc friuolum est. *Vopiscus.*

SIMI-

SIMILITVDO.

Ciceronis. Vt plerumque bestiæ, fame dominante, ad eum locum, vbi aliquando pastæ sunt, reuertuntur: Sic latrones, vrgente inopia. *in Orat pro Cluent.*

HISTORICA EXEMPLA.

Arabes æqua ex parte latrocinantur, aut mercaturam exercēt. *Plin. lib.6.c.28.*

Garamantes in Libya locorum natura freti, latrocinioq; victitant, in nautas, vi tempestatis in deuia syrtium delatos, vadatim grassantes. *Sab.l.6.epist.1.*

Lestrygones, & Cyclopes Aetnæ, & Leotinis vicina loca incolentes, immanes & efferos, quosdam homines fuisse memorant, & maleficos, & latrones. *Natalis Comes l.9.c.8.*

Heptacometæ in Ponto super arboribus, ac turribus habitant. Ij ex ferina carne, & arborum fructibus viuunt, atque ex lignis desilientes, peregrinos adoriuntur, iter agentes. *Strabo l.12.*

Vide Furtum, & Rapina.

LAVS.

DEFINITIO, ET ETYMOL.

LAus, Græcè ἔπαινος, ὁ vel αἶνος, ὁ, & ἐπαινέω, vel αἰνέω, laudo dicitur. Est autem laus sermo elucidans magnitudinem virtutis, *secundum Aristot. lib.1. & 3. Rhetor. & B. Tho. super Psal. 17. col. 3.* Dicitur autem a verbo laudo, quod aliquando significat verbis extollo. Horat. *Laudabunt alij claram Rhodon, aut Mitylenem.* Aliquando idem quod nomino. Plautus: *Id vt scias, Iouem supremum testem laudo.* Vnde illaudatus, qui ne nominari quidem dignus est, hoc est, illaudabilis. Virgilius: *Quis aut Eurysthea durum: Aut illaudati nescit Busiridis aras.* Quidam tamen putant laudo verbum à laus deriuari, nomenque ipsum dici ἀπὸ τοῦ λαοῦ hoc est, a populo, quod propriè laus sit vox populi de aliquo recte loquentis.

Laus & laudatio sic differunt, quod laudatio est oratio ipsa laudantis, laudes continens ipsius laudati. Laus vero est virtus ipsa non aliunde prouenienes, sed suis nixa radicibus. Virgil. *Primam merui qui laude coronam.* Hinc laudabile, dignum laude, & collaudo, simul laudo deducuntur.

Laus. Hebr. *Hillul, Tehillah* in plurali *Hillulim, Tehilim, Tehillath,* laudes laudationes, à verbo *Halal.* Gloriatus, & in 2. coniug. *Hillel,* laudauit clara voce, glorificauit. Cognationem habet *Halal* cum *Hala,* vlterius promouit: nam laudare est aliquem vlterius promouere fama, prædicando eius virtutes. Hinc ἀλαλάζω, ὑλλίζω, diuulgo, promulgo laudes alicuius voce clara. Item, *Halelu-Iah,* Laudate Dominum. Grammatici nonnulli laudem deriuant ἀπὸ τοῦ λαοῦ quod laus sit populi consensus, & prædicatio de alicuius virtute.

LOCI BIBLICI.

Laus in ore proprio sordescit, *Prou.27.2.*

Laudis sacrificium Deo gratissimum, *Psal.50.4. & 107.22. Hebr.13.15.* Laus nostra Deus, *Exod.15.2. Deut.10.21.* Laudis hostia offerēda per Christum, *Hebr.13.15.* In laudem suam elegit nos Deus, *Deut.26.16. Ephes.1.6.* Laudes immodicę suspectę, *Prou.27.21.* Laudes Deo canendæ, *Psal.47.2. & 47.7. & 105.1. Esa.12.4. Ephes.5.19. Col.3.16. Hebr 3.15. Iacob.5.13.* Laudandus Deus ante & post sumptum cibum, *Deut 8.10.* Laudare Deum pro merito non possumus, *Psal.96.4. & 106.2. & 119.16. & 145.3. Ecclesi.43.2.32.* Homines sunt ita laudandi, vt eorum vitia non probentur, *exempla* in Asa, *1.Reg.15.14.* Amasia, *2.Chron.25.2.* Ioatham, *2.Chron.27.2.*

SENTENTIAE BIBLICAE.

Tunc laus erit vnicuique à Deo. *1.Cor.4.*

Laudet te alienus, & non os tuum: extraneus, & non labia tua. *Prouerb.27.*

Laudabuntur omnes recti corde. *Psal.64.*

Non laudes virum in specie sua: neque spernes hominem in visu suo. *Eccles.11.*

Ante mortem ne laudes hominem quemquam, quoniam in filijs agnoscitur vir. *ibid.*

Ante sermonem non laudes virum; hæc enim tentatio est hominum. *27.*

Laudemus viros præclaros, & quibus prognati sumus, maiores nostros. *44.*

Sapientiam ipsorum narrent populi, & laudem eorum nunciet Ecclesia. *ibid.*

PATRVM SENTENTIÆ.

Laus humana non appeti à sapiente, sed subsequi debet sapientes, & rectè facientem, vt illi proficiant, qui etiam imitari possunt, quod laudant. *Aug. de serm. Dom. in monte.*

Securitas laudis in laude Dei est. Vbi laudator securus est, vbi non timet, ne de laudato erubescat. *in Psalm.*

Bonum laudare, non laudato, sed laudantibus prodest. *In Ioan.*

Polyanthea Noua,

Ibi est vanitate remota laudatio, vbi etiam vituperatio ab offensione secura est. *Ad Diosc.*

Non huius laudis vires sentit, nisi qui ei bellum indixerit; quia & si cuiquam facile est laude carere, dum negatur, difficile est ea non delectari, dum offertur. *ibid.*

Nec valde gaudere debemus, quando laudamur, nec contristari, quando vituperamur: quia nec deprauare iniuria, nec coronare potest laus aliena. *ibid.*

Quid est, quod dicis, ego diues, ille pauper? Sarcinam tuam commemoras, pondus tuum laudas, taceas laudes tuas, qui miserationes tuas non consideras. *De doctrina Christi.*

Esse humilem est, nolle laudari in se. Qui ergo in se laudari appetit, superbus esse conuincitur. *in Psal.5.*

Apuleius auditoribus suis admirantibus doctrinam commendabat, non auiditate consequendæ laudis, sed charitate seminandæ veritatis. *in Genes.*

Laudamus mendaciter, delectamur inaniter, & vani sunt, qui laudantur, & mendaces, qui laudant. Alij laudantur, & ficti sunt: alij laudant, quod putant, & falsi sunt: alij vtrorumque præconijs gloriantur, & vani sunt. *in epist.*

Remotis obstaculis, vanæ opinionis scelera nuda pensentur, nuda inspiciantur, fallacia, & tegmina, & vanæ laudes: & gloria auferantur, & apparebunt miseriæ peccatorum. *l.3 de ciuit. Dei.*

Vir sanus sim in his, quæ ad Deum pertinent, vehementius verendum mihi est, & cauendum ab ijs, qui nec temere inflant: laudantes enim me flagellant. *Ignat. in epist.*

Ne nobis stultè placeamus propter laudes, quæ veritatem excedūt. *Basil. apud Anton. & Max. serm. de laude.*

Præcipuum beneficium est in rebus honestis laudari. Laus enim parit æmulationem, æmulatio virtutem, virtus felicitatem, quæ finis est omnium, quæ desiderantur, & quod omnis viri boni motus refertur. *Nazianz. eod. serm.*

Dicit sermo diuinus, Ne laudaueris hominem in vita sua, tamquam si diceret: Lauda post mortem, magnifica post consummationē. Duplici tamen ex causa vtilius est homini memoriæ laudem dare, quam vitæ, vt illo potissimum tempore merita sanitatis extollas, quando nec laudantem adulatio mouet: nec laudatum tentat elatio. Lauda ergo post pericula: prædica securum? Lauda nauigantis felicitatem, sed cum peruenerit ad portum: Lauda ducis virtutem, sed cum perductus est ad triumphum. Quis autem diues possit hic sine trepidatione laudari, qui & de præterito meminit se habere, quod doleat, & de futuro videt sibi superesse, quod timeat? *Ambr. in Natali S. Eusebij.*

Plures in hoc ipso placere cupiunt: quod placere contemnunt: & mirum in modum laus, dum vitatur, appetitur. *Hier. in epist.*

Vilium satis hominum est, & suam laudem quærentium, alios viles facere, qui alterius vituperatione se laudari putant, & qui suo merito placere non possunt, placere volunt in comparatione peiorum. *ibid.*

Caue, ne hominum rumusculos acceperis, caue ne offensam Dei in populorum laudem commutes. *Ad Nepotian.*

Si vere laudabilis esse cupis, laudes hominum ne requiras, quia quãuis alicui sit facile laudem non curare, dum negatur, est tamen difficile ea non delectari, quum offertur. *Ad Celant.*

Sæpe bono operi, dum laus humana obuiat, mentem operantis immutat, quæ quamuis quæsita non fuerit, tamen oblata delectat. *Greg. in Mor.*

Pene omne, quod de Deo dicitur, eo ipso iam indignum est, quod potuit dici. Nam cuius laudi non sufficit obstupescens conscientia, quomodo sufficit loquens lingua? *ibid.*

Laus sua iustos cruciat, iniquos exaltat: sed iustos dum cruciat, purgat iniquos: dum lætificat, reprobos monstrat. *ibid.*

Quum per accepta bona reprobi in sua laude se eleuãt, ipsis muneribus contra largientem pugnant. Inde quippe contra dantem superbiunt, vnde ei amplius humiles esse debuerunt. *l.1. Moral.*

Qui inchoatæ virtutis ab humano honore laudem receperit, quasi plantati ligni fructus ante tempus comedit. *ibid.*

Nescit laudem, dum suppetit fugere, qui ad hanc didicit, cum deesset, anhelare. *in past.*

Quum pro recto opere laus transitoria quæritur, æterna retributione res digna vili precio venundatur. *ibid.*

Laus in nobis referatur ad ipsum laudabilium vniuersorum authorum, & largitorem, non fictè, quemadmodum ab hypocritis, nō sola consuetudine, sicut a sæcularibus, non necessitate quadam, vt iumenta ferendis oneribus applicantur: sed sicut decet sanctos, sinceritate fidei, deuotione solicita, hilaritate grata, sed non dissoluta. *Bern. super Cant.*

Extrema dementia est, nulla imminente necessitate rerum, & necessitate violenta, proprijs laudibus velle decorari. Non est secūdum Deum loqui: iudicium est potius istud infamiæ: hoc enim omnem nobis mercedem euacuat. *Chrys. de laud. Paul. hom.5.*

Non laudatur de fide leprosus, quia in lege doctus: hic alienigena, scilicet Centurio, laudatur; quia legis ignarus: in modico enim sermone sapientiæ plus laudatur rusticus, quam in magno

Philosophus: & puer, si aliquid dixerit sapienter, laudatur, vbi perfectior non auditur. *In Matth.*

Iustum est, vt bene gerentibus laudis tribuatur assensus. Nam si equorum cursus hominum clamoribus incitatur: & insonantium manibus agitatur, vt mutis animalibus velocitas appetatur, quantum inde homines stimulari posse credimus, quos ad laudis auiditatem singulariter incendimus. *Cass. lib. 1. epist.*

Gloriosis gratiosiora sunt præconia, quam tributa, quia stipendia, & tyranno, & impenditur, laudis autem prædicatio non nisi bono principi debetur. *Cass. lib. 2. epist.*

Poeticæ Sententiæ.

Persius.

Non si quid turbida Roma
Eleuet, accedas, examenque improbum in illa
Castiges trutina: nec te quæsiueris extra.

Idem 4.

Respue, quod non es, tollat sua munera cerdo:
Tecum habita, & noris, quam sit tibi curta supellex.

Sen. Thyest.

At qui fauoris gloriam veri petit,
Animo laudari magis quam voce volet.

Sen. Thyest.

Laus vera humili sæpe contingit viro.

Ouid. 1. Art.

Laudatas ostendit auis Iunonia pennas:
Si tacitus spectes, illa recondit opes.
Quadrupedes inter rapidi certamina cursus
Depexaque iuba, plausaque colla iuuant.

Idem de medic. faciei.

Laudatas homini volucris Iunonia pennas
Explicat, & forma multa superbit auis.

Persius 1.

Vsque adeone
Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter?
At pulchrum est digito monstrari, & dicier, hic est.

Hor. 1. epist. 18.

Qualem commendes, etiam atque etiam aspice: ne mox
Incutiant aliena tibi peccata pudorem.
Fallimur, & quondam non dignum tradimus. ergo
Quem sua culpa premet deceptus omitte tueri.

Hor. 5. epist. 18.

Nec tua laudabis studia, aut aliena reprendes.

Ouid. 3. Pont. 9.

Ipse ego librorum video delicta meorum,
Cum sua plus iusto carmina quisque probet.
Auctor opus laudat, sic forsitan Accius olim
Thersiten facie dixerit esse bona.

Iuuenalis 4.

Nihil est, quod credere de se
Non possit, cum laudatur Dijs æqua potestas.

Ouid. Philomelæ laus.

Dulcis amica veni noctis solatia præstans:
Inter aues etenim nulla tibi similis
Tu philomela potes vocum discrimina mille,
Mille potes varios ipsa referre modos.
Nam quamuis aliæ volucres modulamina tentent,
Nulla potest modulis æquiualere tuis.
Insuper est auium spacijs garrire diurnis:
Tu cantare simul nocte dieque potes.

Ibid. 1.

Scribere me voces auium Philomela coegit.
Quæ cantu cunctas exsuperat volucres.

Ex Græcis Comicis.

Φίλων ἔπαινον μᾶλλον ἢ σαυτοῦ λέγε.
Dic laudem amici potius ipse quam tuam.
Ὑπὲρ σεαυτοῦ μὴ φράσῃς ἐγκώμια.
Tuam caueto prædices laudem ipse met.
Τὸν αὐτὸν αἰνεῖν καὶ ψέγειν ἀνδρὸς κακοῦ.
Laudare, & infamare eundem, est improbi.

Philosophicæ Sententiæ.

Laus propria virtutis satis est, sine mentione malorum. *Auct. 1. Rhetor. tract. 2. c. 52.*

Laus est quædam res constructa ex dignitatis excessu. *Auct. 3. Rhetor. c. 7.*

Laus dicitur dupliciter; largè & strictè; largè est præconium ore alieno celebratum: strictè laus est præmium, quo politicus, qui omnium ciuium est ordinator, præmiat virtuosum: & consistit in tribus: in gloria & quod accipiat laudis titulos, & memoriam sempiternæ recordationis. *Alb. Magnus Ethic. 1 tract. 8. c. 1.*

Laudem attribui vtile est inferiori bono, vt ad altius, & melius prouocetur. *Idem ibid. c. 2.*

Laus vero illa haberi debet, quæ à laudato viro proficiscitur. *Franc. Patr. de regno l. 4. c. 19.*

Laus frigida est quædam species vituperationis. *Idem l. 5. c. 19.*

Laudari, coli, diligi, gloriosum est, metui, odio esse inuidioso, detestabilique, imbecillum, caducum. *Franc. Patr. de Rep l. 5. c. 3.*

Sunt, qui nihil laudant, nisi quod se imitari posse confidunt. *Cic. 2. Tuscul.*

Est iniqua in omni re accusanda, prætermissis bonis, malorum enumeratio, vitiorumque selectio. *3. de leg.*

Est liberum, alterum laudare, de quo quicquid detrahis, necesse est, aut infirmitati, aut inuidiæ assignetur. *Carm. Cic. F. 6.*

In homine quoque illud laudandum est, quod ipsius est: familiam formosam habet, & domum pulchram, multum serit, multum fœnerat: nihil horum in ipso est, sed extra ipsum: lauda in illo, quod nec eripi potest, nec dari, quod proprium hominis est, quæris quid sit? animus & ratio in animo perfecta. Quid autem est ratio? hoc ab illo exigat, rem facillimam, secundum naturam suam viuere. *Sen. epist. 41.*

Quid stultius est, quam in homine aliena laudare? quid eo dementius, qui ea miratur, quæ ad aliud transferri protinus possunt? Nemo gloriari nisi de suo debet. *Idem ibid.*

Lauda parcè, vitupera parcius; similiter enim reprehensibilis nimia laudatio, immoderata vituperatio: illa siquidem adulatione, ista malignitate suspecta est: testimonium veritati, non amicitiæ reddas. *Idem in epist.*

Bonum est laudari, sed præstantius est esse laudabilem: neminem cito laudaueris: neminem cito accusaueris. Vitium est, omnia credere: vitium est, nihil credere. *Idem lib. de mor.*

Parua laude dignus est, qui rarum miseris aufertur. Lasciuia, & laus numquam habent concordiam. Quam magnum est nolle laudari, & esse laudabilem. *Idem in Prouerb.*

Virtuti debetur laus. *Arist. l. 2. Ethic.*

Neque solum laudis causa rectum sequi conuenit: Sed si laus consequitur, duplicatur rectè appetendi voluntas. *Cic. Rhetoric. nouer. lib 3.*

Vide ne facias impudenter, qui tuo nomini velis ex aliorum laboribus libare laudem. *Idem Rhetor. nouer. l. 4.*

Vt enim quisque maximè est boni particeps, ita & laudabilis maxime.

Quicquid est laudabile, idem & beatum, & floreos, & expetendum videri debet.

Laudes eo vsque tolerabiles sunt, dum ea dicuntur, quæ auditores se quoque facere arbitrantur. Si maiora dicuntur, inuident, non credunt. *Thucyd. l. 2.*

Laudibus haud minus, quam præmio gaudent militum animi. *Liuius. Decad. 1. lib. 2.*

Laudis amatores necesse est huiusce rei gratia ea sibi comparare quorum causa laudentur, ob eamque rem omnem laborem, omne periculum, quam libentissimè subire. *Xenoph. Cyropæd. l. 1.*

Viuentes laudare irrisio est, maximè Imperatores, a quibus speratur, qui timentur, qui præstare publicè possunt, qui possunt necare, qui proscribere. *Spart. in Pescen. Nigro.*

Ea demum laus grata esse debet excelsæ potestati, quum interdum & vituperationi secus gestorum patet locus. *Amm. Marcel. lib. 15.*

Præstantius quiddam, & maius est, admirationem suæ virtutis in hostium animis, quæ eis sæpe incommodauerit, quam apud amicos gratiarum actionem excitare, quippe in illo honestati tantũ honor delatus apparet: in hoc vtilitas, & commodum magis quã virtutis amatur. *Plut. in compar. Pelopidæ, & Marcelli.*

Perfectiore virtute mihi præditus videtur, qui ne aliorum quidem laudationes requirit, & qui seipsum crebro collaudat. Vacuitas enim arrogantiæ magnum est ad mansuetudinem ciuilem viaticum: contra arrogantia molesta, plurimumque inuidiæ procreans. *Plut. in comparat. Aristidis, & Catonis maioris.*

Viri laus est in prœliando: mulieris laus est in moderatione luctus. *Thucyd. l. 2.*

Apophthegmata.

Anaximenes dicebat, si ij, qui bono zelo ducti, bene recteq; hominũ facta nulla omnino laude digna putant, quem quæso fructum, & vtilitatem ipsi ex suis egregie factis sperare audebunt. *Stob.*

Democritus, rectè facta collaudare, honestum esse dicebat: mala vero laudibus vehere adulterini, ac impostoris animi esse iudicium. *Stob. serm. 14.*

Socrates. Thus Dijs, inquiebat, laus vero bonis viris tribuenda est. *Item.* Defendendi sunt, qui immerentes accusantur iniuriarum; laude ornãdi, qui ob bonum aliquod cæteris præstant excelluntque. *Stob. serm 1.*

Anaxandridas. Quidam cum dixisset, gloriam ac celebre nomen nocere, eoque felicem esse, qui illud effugerit: Ergo (inquit Anaxandridas) si vera loqueris, qui nefaria perpetrant, felices erunt. Nã qui fieri potest, vt qui sacrilegium committit, aut aliud iniustum facinus perpetrat, gloriæ curam habeat? Notauit eos, qui sic contemnunt laudem, vt interim per ignauiam nihil gerant laudabile: quum eximiam virtutem honesta fama comitetur velio, ac gene-

ac generosis animis amor laudum veluti stimulus ad præclara facinora sit innatus. *Plut.*

Cum Pescennio Nigro Imperatori creato quidam panegyricum recitare vellet, Imperator dixisse fertur: Scribe laudes Marij, vel Hãnibalis, vel alicuius ducis optimi vita functi, & dic, quid ille fecerit, vt eum nos imitemur. Nam viuentes laudare irrisio est, maximè Imperatores: à quibus spetatur, qui timentur, qui præstare publicè possunt, qui possunt necare, qui proscribere: se autem viuum placere velle, mortuum etiam laudari. *Ælian. Spart.*

Themistocles theatrum petens, cum ex eo quidam percontaretur, cuius vocem libentius audiret? Eius, ait, à quo sua virtus prædicaretur. *Brus. l. 3. c. 36. ex Plut.*

Eudamidas interrogatus, quam ob caosam Lacedæmonij, priusquam irent in prælium, Musis immolarent, cum Musis nihil videretur cum Marte esse commercij? Vt rebus, inquit, fortiter gestis, contingat honesta commemoratio. Bene gerendæ rei laudem sibi tribuebant: vt autem egregia gesta splendidis verbis celebrarentur, hoc à Musis eloquentiæ præsidibus petendum iudicarunt, eo quod ipsi negligerent eloquentiæ studium. Simul admonebat, non expetendam honorificam memoriam, nisi rectè factis promeritam. *Plut. in Lacon.*

Alexinus Sophista inter ambulandum multa mala dixit in Stilponem Megarensem. Cæterum vbi quispiam eorum, qui aderant, dixisset: Atqui ille te nuper laudauit: Per Iouem, inquit, vir optimus est, ac præstantissimus. Tum facile ex obtrectatore factus est laudator, non ob aliud, nisi quod ab eo laudatus esset. *P. M. lib. 6. apoph. ex Plut.*

Alexander in Phrygiam vectus, Achillis sepulchrum nactus, coronis ornauit, felicemq; Achillem vocauit, quod viuo quidem tam fidum amicum, mortuo autem tam magnum contigerit habuisse præconem, Homerum scilicet. *Brus. lib. 3. c. 36. ex Plut.*

Ioannes Pont. quum immodice à quodam laudaretur, ad suos conuersus, ait: Licet multa gloriosè à me facta fingat, nihilominus tamen hac laude plurimum oblector. Sunt autem multi, qui hodie Regum, Principum, Pontificum, Cardinalium, Episcoporum, aliorumque eius notæ hominum laudes decantant, non quidem quod talia sint, sed quod his virtutibus præditi merito esse deberent, quæ de eis prædicantur. *Ioannis dictum recitat Æneas Silu. lib. 1. de rebus gestis Alphonsi.*

Democritus. Rectè facta collaudare honestum, mala verò laudibus vehere adulterini animi, & impostoris esse, dicere solebat. *Stob. serm. 21.*

Lysander, cuidam apud Lysandrum iactanti, quod ipsum & laudibus veheret, & aduersus obtrectantes tueretur: Duo, inquit, mihi sunt boues ruti: & tacentibus ambobus, tamen certo noui, vter sit ignauus, vter ad laborem strenuus. Sensit veram virtutẽ non egere laudibus humanis, cum ipsa secum ducat suam laudem, ac decus. Cæterum qui nihil gerunt præclari, his opus est præconibus. *Plut. in Lacon.*

Antalcidas. Quum sophista quispiam appararet recitare librum, & Antalcidæ percontanti, quod esset argumentum, respondisset: Herculis encomium: Quis, inquit, illum vituperat: Superuacaneum existimans, in eo laudando sumere operam, quem vno ore prædicarent omnes. Hercules autem apud Spartanos religiosissimè colebatur. *Plut. in Lacon. apoph.*

Antagenes dicebat, ita viuendum esse hominibus, vt viui laudabiles sint, mortui autem beati iudicentur. *Antonius in Meliss. par. 1. sermone 51.*

Idem, quum audisset, quantum ab hominibus subinde laudaretur, dixit: Quum multi me laudant, tum me nullius precij esse iudico: quum pauci, bonum & egregium virum me esse puto. *Ant. in Meliss. par 1. serm. 51. & Max ser. 43.*

Hippodromus. Quum Hippodromo sophistæ vehementer à Græcis applauderetur, multaq; magnifica acclamarentur, in quibus illũ æquabant Polemoni: Homerico versu respondit:

Ti μ' ἀθανάτοισιν ἐΐσκεις.
Quid me immortalibus æquas?

Simul & candidi hominis laudẽ reportans, qui Polemonem tam præclaro testimonio ornarit: & modestiæ, qui laudem inuidiosam repulerit. *Philostr. in sophist.*

Pindarus cuidam commemoranti, quod ipsius laudes vbique prædicaret: Ego, inquit, pro isto officio bonam repono gratiam, efficiens, vt vera prædices. Vera virtus nihil moratur hominum laudes. Eas qui prædicant, plus debent ijs, quos laudant, quam ipsi debent, qui laudantur. *P. M. l. 6 apoph.*

Dionysiodorus gloriari solebat, quod nemo pulsus suos audisset, neque in triremi, neque ad fontem, quemadmodum Ismeniæ: Sentiens, se nunquam captasse plausus sordidorum, & imperitorũ: sed sat habuisse, probari paucis eruditis. *Ita Laertius in Crates. P. M. lib. 8 apoph.*

Agesilaus dicebat, sibi iucundum esse laudari ab his, qui non vererentur, & vituperare, si quid displicuisset. Tales enim si quid laudant, iudicio laudant, non metu, aut adulatione. *Plutarchus in Lacon.*

Hector à patre laudatus ob singulares animi virtutes: Lætus sum, inquit, laudari me abs te pater, laudato viro. A malis enim laudari, non laus, sed dedecus esse putatur. *Cic.*

Alphonsus. Lucas Medicus, vir disertissimus, quum orationem apud Alphonsum Aragonum Regem eloquentissimum habuisset, eumque exquisitis, & heroicis laudibus extulisset; Rex hæc audiens dixisse fertur: Si vera sunt Luca, quæ de me prædicas, Deo Optimo Maximo gratias ago; sin aliter, vera vt ista fiant, oro atque obsecro. Innuens, maximè decere Reges, vt laudibus dignos vbiq; se præberent. *Panor. lib. 1. de reb. gest. Alphonsi.*

Antisthenes audiens ab improbis quibusdam se laudatum esse: Vereor, inquit, nequid imprudens fecerim mali. Sentiens, à talibus neminem laudari, nisi ob insignia malefacta. *Laert. l. 6. c. 1.*

Anaxagoras dicebat: Dum me laudant multi, agnosco plane, quantum veræ mihi desit gloriæ. Cæterum si pauci, iam me studiosum diligentemq. existimo virum. *Stob.*

Phocion, quum aliquando apud populum dicens sententiam, videret ab vniuersis eam accipi, & se laudari, conuersus ad amicos, Numnam, ait, aliquid imprudens maledixi? *Plut.*

Menedemus, quum audiuisset, se frequenter ab Alexino laudari: At ego, inquit, illum semper vitupero: declarans, se non posse corrumpi laudibus, quo minus eum reprehenderet, qui reprehensione dignus erat. *P. M. lib. 6. apoph.*

Agesilaus dicebat, non minus laudatoris inspiciendos esse mores, quam eius, qui laudatur. Significans, perraro contingere, vt aliquis, quæ moribus suis contraria sint, laudare velit: Forsitanque, etsi aliter videretur, persæpe ea laudationis ingenio posse eius quoque mores, qui laudatur, agnosci. *Fulg. l. 7. c. 2.*

Anonymus. Lacon quidam, cum Charislaus Rex laudaretur: Quoniam, inquit, modo bonus esse vir potest, qui ne in malos quidem acerbus est? *Plut. in apoph.*

Fauorinus. Eam laudem, qua quis alium, sui commodi gratia prosequitur, nullam fidem mereri dicebat. *Stob. serm. 14.*

Plistarchus, cuidam referenti ipsum à maledico quodam laudari: Demiror, inquit, si quis illi dixit, me mortuum esse. Nam ille de viuo bene loqui possit nemine. Non delectatus est vir generosus laude, quæ à viro illaudato proficiscebatur. *Plut.*

Alphonsus audiens, se à Nicolao, Cardinali Capuensi, inimico capitali, plurimum laudari: Si mei omnes, inquit, ita de me sentiant, vt inimicus hic & sentit, & prædicat, bello certè me nequaquam lacesserent: sed quo mihi nihil antiquius est, sinerent pace me, atque ocio perfrui. *Panor. lib. 5. de reb. gest. Alphonsi.*

Aristoteles de semetipso in neutram partem loqui debere prædicabat: quoniam laudare se vani: vituperare stulti esset. Cuius dictetium in morum puerilium institutionibus etiam hoc carmine apertissime expressum est:

Nec te collaudes, nec te culpaueris ipse:
Hoc faciunt stulti, quos gloria vexat inanis.
Arist. dictum recitat Valer Max. l. 7. c. 5. & Laert. l. 5. c. 1.

Xenophon dicebat, vnicuique laudem ab alijs prolectam suauissimã esse auditu: alijs autem eam esse molestissimam, quam sibi quis ipse tribuit. *Plut. de sui lauda. &c.* Quod tamen non sine exceptione intelligendum est, *vt eodem libro varijs argumentis, & exemplis Plut. demonstrat.*

Agathocles. Multi paupertatem, imperitiam, atque adeo ignobilitatem inter suas laudes dum confidentur, inuidiam retundunt. Sic Agathocles aurea pocula, & cælata præbibens adolescentibus, iussit etiam fictilia proferri: & Talis (inquit) res est assiduitas laboris, ac tolerantia, & fortitudo, nos olim lutea, nunc aurea facimus pocula. Etenim Agathocles, qui ob obscuritatem generis, & egestatem, credebatur in figuli officina educatus, postmodo regnum totius propè Siciliæ obtinuit. *Plut.*

Cato Vticensis fiducia sui elatus, vt hostes Reip. coerceret aliquoties seipsum laudabat: Inuideri sibi, dicens, quod suis rebus neglectis noctes patriæ causa vigilaret. *Plut.*

Agesilaus, cuidam Persarum regem magnum appellanti, dixit: Ni iustior, non maior me est. *Plut. eod. lib.*

Diogenes taxabat hominum vulgus, quod bonos viros hoc nomine laudarent, quia pecunias contemnerent, nec interim imitarentur, quos laudibus extollerent vehementer: sed pecuniosos magis sequerentur, quos vituperabant. *Laert.*

Simonides, quum cæteros laudando venaretur, vt aliquid darent, interrogatus, cur Thessalos non captaret? Stupidiores sunt, inquit, quam vt à me falli possint. Qui quærunt, cui imponant, ad stupidos eunt. Atqui tam erant stupidi, vt non sentirent ingenium poematum illius, nec tangerentur amore nominis in posteros transmittendi, nec poterant ab illo falli. *P. M lib. 6. apophtheg.*

Demosthenes vnus fuerat ex decem, quos Athenienses legatos ad Philippum Macedonem miserant. Itaque posteaquam Aeschines & Philocrates, quos præcipue fuerat complexus Philippus à legatione reuersi, alijs multis nominibus prædicarent Regem, tum his præcipue, quod esset formosus, facundus, & ad bibendum strenuus: Demosthenes ita cauillatus est, vt diceret,

in his laudibus nihil esse dignum rege: nam primam esse fœminarum, alteram sophistarum, tertiam spongiarum. *Plut. & P. M. lib. 4. apoph.*

Agesilaus, quoties audiebat aliquos ab alijs laudari, aut vituperari, existimabat non minus discendos eorum mores, qui loquebantur, quam eorum, de quibus loquebantur. Sensit vir prudentissimus, eos, qui alios contemnunt, & vituperant, magis prodere morbum suum, quam detegere morbos alienos. Et qui ob eca parum honesta laudant quempiam, aut ob laudabiles vituperant, iudicare stultitiam suam, & peruersum iudicium. *Plutarch. in Lacon.*

S i m i l i t u d i n e s.

Socratis. Veluti thus non hominibus, sed Dijs conuenit: Ita laus non indignis, sed bonis tantum viris tribuenda est. *Apud Stob. serm. 3. De temperantia.*

Politiani. Vt rectius egeno, quam diuiti datur: Ita rectius qui caret, quam qui suis laudibus abundat, laudatur. *lib. 7 Epist. ad Ioan. Baptist. Midam, fol. 92.*

Vt non minus aliquando bene pascimur alieno sumptu, quam nostro: Sic non minus aliquando decenter alienis ornamur laudibus, quam nostris. *in eadem epist.*

Thrumeri. Quemadmodum lac, & vinum, & alius quicumque succus optimus ab aere corrumpitur: Sic & virtus nostra dum ab alijs prædicatur *In apoph. 166.*

Vt sæpe propter fumum flamma amittitur: Sic virtus, dum ab alijs immodicè prædicatur, & nimis extollitur. *In apoph. 166.*

Salomonis. Quemadmodum aurum, & argentum igni exploratur: Sic vir probatur ore laudantium eum. *cap. 17.*

Chrysostomi. Quemadmodum nemo obscurum diceret solem, ne si cæcus quidem fuerit, erubescit quippe opinionibus omnium aduersari: Ita & eum, qui nimio decore fuerit cōspicuus, atque morum honestate illustris, nullus profecto culpare præsumit. *Hom. 10. de diuersis.*

Socratis. Quemadmodum venatores lepores canibus capiunt: Sic multi stolidos laudibus irretiunt. *Apud Stob. serm. 12.*

Plutarchi. Vt non quæuis corona quemuis decet victorem: Ita non quæuis laus, aut quiuis honos quemcumque hominem. *In Moralib.*

Qui pecuniam dat, quantum impertit alij, tantum sibi detrahit: At nō ideo fit in laude, & tamen hoc imaginantur maligni quidam, parcius impartientes laudem, quam pecuniam. *In Mor.*

Qui vincit in certaminibus, præconem adhibet, quo victor pronuncietur: Multo magis vera virtus altero debet ore laudari, non suo. *In Moral.*

Qui castam, ac Philosophicam orationem meretricijs, ac sophisticis laudibus prosequuntur: perinde faciunt, atque ij, qui athletam lilijs, aut rosis coronant, non lauro, aut oleastro. *In Mor.*

Si ager laudando redderetur fertilior, non minus laudandus esset, quam arandus, aut stercorandus: Sic amicus, si redditur laude melior, expedit aliquando laudare: sin minus, quorsum pertinet inutilis palpatio? *In Mor.*

Vt bonus Medicus mauult morbo mederi somno ciboque, quam scammonio, aut castorio: Sic amicus, pater, præceptor magis studet laude corrigere, quam obiurgatione, si liceat. *In Mor.*

Non oportet titillare, qui natura procliues sunt ad risum: Ita non oportet laudare, qui gloriæ suapte sponte sunt appetentiores. *In Moral.*

Vt qui malignè dant alijs, videntur ipsi parum habere: Ita qui parcè, & malignè laudant alios, videntur adhuc suas esurire, ac sitire laudes *In Moral.*

Ciceronis. Vt quidam morbo aliquo, & sensus stupore suauitatem ciborum non sentiunt: sic facinorosi veræ laudis gustum non sentiunt. *2. Philip.*

Plinij. Pauo, non explicat pennas, nisi laudatus: Ita quidam putant, se non habere, quod habent, nisi sint, qui mirentur. *L. 10. c. 20.*

Politiani. Vt crescente vmbra, vel decrescente, corpus tamen ipsum, cuius illa est vmbra, neque crescit, neque decrescit: Ita nec melior fit quisquam, dum vulgo laudatur, nec item peior, dum vituperatur. *In Lamia.*

P. M. Sicuti vehementius titillat actus, & iucundius mouet frictus alienus, quam noster: Ita iucundius est laudari ab his, qui nobis nulla cognatione, aut familiaritate coniuncti sunt. *In simil.*

Thrumeri. Stupidus est, qui in taberna omnium aromatum plena nullo tentatur odore: Multo difficilius, pulcherrimas laudes cōtemnere, ne sentire quidem. *in apoph. 115.*

Vt maior dolor scalptum sequitur, quam antecessit voluptas: sic qui laudem sibi comparant ex rebus malis, maiore demum afficiuntur tristitia, quam à principio lætitia. *in apoph. 164.*

Quemadmodum corporis voluptates qualescumque totum corpus effœminant: sic laudes ipsum animum. *In apoph. 167.*

Plutarchi. Vt qui vehementi laborant fame, nec est quod edatur, suis ipsorum artubus vesci coguntur: Ita quidam præ fame gloriæ seipsos laudare coguntur, si desit à quo laudentur. *In Moral.*

Qui obseruant, ne molesti sint lippientibus, vmbram aliquam admiscent lumini: Sic quidam laudibus suis aliquid erratorum, aut vituperationis aspergunt, vt inuidiam effugiant. *In Moralibus.*

Quemadmodum iubemur, aut omnino cauere iocum pestilentem, aut si in eo sis, circumspecte agere; Sic aut omnino vitandum, ne laudes teipsum, aut id cautim, & circumspecte agendum. *In Moral.*

Plinij. Gallus victor illico cantu superiorem sese testatur: Ita quidam sua facinora iactant ipsi, & suarum laudum ridiculi sunt tibicines. *lib. 8. c. 33.*

E x e m p l a P r o f a n a.

Agesilaum libenter, memorat Xenophon, solitum laudari ab illis, qui etiam vellent ipsum vituperare. *Plut.*

C. Marius Rusticanus, quamuis in studijs literarum non esset versatus, literatos tamen homines dilexit, poetas præsertim, à quibus res suas gestas immortalitate donandas esse sperabat. *Cicero pro Archia.*

Gregorius Magnus Pontifex. cuidam probato viro ipsum extollenti, respondisse fertur: Deum deprecare, frater, vt his, quæ de me prædicas, dignus efficiar: sicut & tu dignus es, cuius opinio improbari non debeat. Sed plerumque euenit, vt ea, quæ de ijs, quos amamus, in medium proferimus, maiora vero sint. Itaque quamuis ista commendatione tua longe inferiorem me esse agnoscam, charitati tamen gratias ago. *Marullus lib. 1. c. 4.*

Ferdinandus Rex Siciliæ, & Neapolis, vehementer laudatus est, quod populis quibusdam strenam remisisset, antiquis principibus inueterato quodam iure quotannis vendi solitam. *Pontanus cap. 4.*

E m b l e m a.

In illaudata laudantes.

Emblema CXIII. Andreæ Alciati.

Ingentes Galatum seniorum milite turmas
Spem præter trepidas fuderat Antiochus,
Lucarum cum fusa boum vi, ira, proboscis,
Tum primum hostiles corripuisset equos.
Ergo trophæa locans Elephantis imagine pinxit,
Insuper & socijs. Occideramus, ait,
Bellua seruasset ni nos fœdissima barrus:
Vt superasse iuuat, sic superasse pudet.

F a b u l a.

Simia.

Conuocatis vniuersis animantibus, cognoscere Iupiter volebat, cuiusnam omnium formosissima esset soboles. Tum simia simiolum paruulum præferens, & Ioui ostendens; Quid quæris Iupiter? inquit, nullum hoc formoso formosiorem inuenies. Cui Iupiter: Ideo nudas, inquit, nates scilicet habet.

Docet fabula, de illius ore, qui seipsum, aut sua prædicet, laudes & sordidas, & ridiculas fieri.

Vide Ambitio, Gloria, Honor.

L E C T I O.

DEFINITIO, ET ETYMOL.

Lectio, Græcè ἀνάγνωσις, εως, ἡ, & ἀναγνώστης, ου, ὁ lector dicitur. Veniunt autem lectio, & lector à lego, quod est oculis scripta percurro. Hebr. *Kerta*, & *Mikra*, a verbo *kara*, clamauit, vocauit, videtur enim lector vocare characteres, seu literas, vt res capiat varias, & retineat.

L o c i B i b l i c i.

Lectio Legis præcipitur, *Iof.* 1. 8. *Deuter.* 31. 11. Lectio Legis, & Prophetarum vsitata, *Act.* 13. *v.* 15. 27. & 15. 21. Lectio Scripturarum quam vtilis, 2. *Pet.* 1. 19. *Apoc.* 1. 3. *Vide* 2. *Tim.* 1. 6. & 3. *v.* 15. 16. & 4. 13. 1. *Cor.* 10. 11. *Rom.* 15. 4. Lectio Scripturæ sacræ Episcopis necessaria, 1. *Tim.* 4. 13.

S e n t e n t i a e B i b l i c a e.

Post industriam sequetur sapientia. *Eccles.* 10.

Qui legit, intelligat. Omnis autem, cui multum est datum, multum quæretur ab eo: & cui commendauerunt multum, plus petent ab eo. *Matth.* 24. *Luc.* 1. Scrutamini Scripturas, *Ioan.* 5.

Attende lectioni, & exhortationi, & doctrinæ. Noli negligere gratiam, quæ in te est. 1. *Tim.* 4.

Omnis

Omnis Scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad docendum, ad arguendum, &c. 2 *Tim.* 3.

Verbum Christi habitet in vobis abundanter. *Col.* 3.

Scienti igitur bonum facere, & non facienti, peccatum est illi. *Iacob.* 4.

POETICAE SENTENTIAE.

Horat. 1. Epist. 18.

Inter cuncta leges & percontabere doctos:
Qua ratione queas traducere leniter æuum:
Ne te semper inops agitet vexetq; Cupido:
Ne pauor, & rerum mediocriter vtilium spes.
Virtutem doctrina paret, naturane donet:
Quid minuat curas: quid te tibi reddat amicum.
Quid pure tranquillet: honos an dulce lucellum,
An secretum iter, & fallentis semita vitæ.

Claud. 4. Hon.

Interea Musis animus dum mollior instat,
Et quæ mox imitere legas: nec desinat vnquam
Tecum Graia loqui, tecum Romana vetustas.
Antiquos euolue duces, assuesce futuræ
Militiæ. Latium retro te confer in æuum.
Libertas quæsita placet: mirabere Brutum.
Perfidiam damnas: Metij satiabere pœnis.
Triste rigor nimius: Torquati despue mores.
Mors impensa bonum: Decios venerare ruentes,
Vel solus quid fortis agat, ne ponte soluto
Oppositus Cocles, Mutij te flamma docebit.
Quid mora perfringat, Fabius: quid rebus in arctis
Dux gerat, ostendet Gallorum strage Camillus.
Discitur hinc nullos meritis obsistere casus.
Prorogat æternam feritas tibi Punica famam
Reguli: successus superant aduersa Catonis.
Discitur hinc, quantum paupertas sobria possit.
Pauper erat Curius, Reges cum vinceret armis.
Pauper Fabricius, Pyrrhi cum sperneret aurum,
Sordida Serranus flexit Dictator aratra.
Lustratæ lictore casæ, fascesq; salignis
Postibus affixi, collectæ Consule messes,
Et sulcata diu trabeato rura colono.

Auson. Eidyl. 5.

Perlege quodcumque est memorabile: prima monebo.
Conditor Iliados, & amabilis orsa Menandri,
Euoluenda tibi: tu flexu, & acumine vocis
Innumeros, numeros doctis accentibus effer,
Affectusque impone, legens: distinctio sensum
Auget, & ignauis dant interualla vigorem.
Et quando ista meæ contingent dona senectæ?
Quando oblita mihi tot carmina, totq; per æuum
Connexa historia soccos, aulæaq; Regum,
Et melicos lyricosq; modos profando nouabis,
Obductosque seni facies puerascere sensus?
Te præeunte nepos modulata poemata Flacci,
Altisonumq; iterum fas est didicisse Maronem.
Tu quoque qui Latium lecto sermone Terenti
Comis, & adstricto percurris pulpita socco,
Ad noua vix memorem diuerbia coge senectam.

Martialis 10.

Qui legis Oedipodem, caligantemq; Thyesten,
Colchidas, & Scyllas, quid nisi monstra legis?
Quid te vana iuuant miseræ ludibria chartæ?
Hoc lege quod possit dicere vita, meum est.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Illud tamen prius scribam, quemadmodum tibi ista cupiditas discendi, qua flagrare te video, dirigenda sit, ne ipsa impediat. Nec passim carpenda sunt, nec auide inuadenda vniuersa: per partes peruenitur ad totum. Aptari onus viribus debet, nec plus occupari, quam cui sufficere possumus. Non quantum vis, sed quantum capis hauriendum est. Quo plus recipiat animus, hoc se magis laxat. *Sen. ad Lucil epist.* 109.

Lectio certa prodest, varia delectat, qui, quo destinauit, peruenire vult, vnam sequatur viam, non per multas vagetur: non ire istud, sed errare est. *idem epist.* 49.

Non refert quam multos, sed quam bonos habeas libros. Lectio certa prodest, varia delectat. Multitudo librorum onerat, non instruit. Et satius est paucis authoribus te tradere, quam errare per multos. *idem ad Lucil. in epist.*

Quo minus legas, non te deterreo, dum, quicquid legeris, ad mores statim referas. *idem in epist.*

Neque ad assentiendum proclinior quisquam esse debet, neque se omnino incredulum ad ea, quæ sunt rariora præbere. *Pausan. li.* 9.

APOPHTHEGMATA.

Diogenes ab Hegesia rogatus, Vt ipsi libros aliquot commodato daret: Non lapis, inquit Hegesia, qui quum caricas non pictas, sed veras eligas, vera exercitatione neglecta, ad scriptam te conferas. Hoc dicto notauit eos, qui per omnem vitam nihil aliud quam legunt philosophorum libros, recte viuendi præcepta continentes, cum virtus magis vsu discatur, quam lectione. Γράφειν Græcis anceps vox est, significans scribere & pingere. Itaque virtus libris expressa, quodam modo picta virtus est. Absurdum autem videtur, in carthis habere delectum, in virtute non item. *Laert. l.* 6.

Aristippus, cuidam iactanti se, quod esset πολυμαθὴς, hoc est, multiplicis eruditionis, quasi nihil non didicisset: Quemadmodum, inquit, non hi qui plurimum edunt, excernuntque, melius valent his qui sumunt quantum opus est: sic non qui plurima, sed qui vtilia legerunt, studiosi & eruditi sunt habendi. Grauiter taxauit eos, qui tumultuaria immodicaque lectione semet ingurgitant, nec ea quæ legunt traijciunt in animum; sed tantum reponunt in memoria, quare nec doctiores euadunt nec meliores. *Laert. l.* 2. *c.* 8.

Demetrius Phalereus Ptolomæum regem adhortari solebat, vt sibi pararet libros de regno, deque militari imperio gerendo tractantes, eosque diligenter euolueret: propterea quod ea de quibus amici non audent admonere reges, in libris scripta habeantur. *Laert* 5. *c.* 5.

Plinius maior dicebat, nullum esse librum tam malum, qui non aliqua parte prodesset. Verum dixit de his, qui norunt ex quibuscunque libris, si quid mell frugiferum, excerpere. Sed sunt qui in libro quantumuis bono nihil venatur, nisi quod reprehendant. *P. M. l.* 8. *apoph.*

Alphonsus audiens a quibusdam Caietanis male literatis, M. Tullij se pulchrum extare adhuc iuxta Formias (ibi enim villa Ciceroniana insignis olim fuit, nunc autem Mola vocatur in via Romana) vetustis literis inscriptum; eius rei visendæ percupidus, statim cum locum accessit, & sentibus rubisque primo tumulũ purgans, moxque legere inceptans, non M. Tullij, sed M. Vitruuij inscriptionem inuenit, qua lecta, vultum risu soluens dixisse fertur, Caietanos ex Minerua oleum quidem accepisse, sed sapientiam amisisse. Constat autem Alphonsum Ciceronianæ lectionis tam studiosum fuisse: vt perraro eius tædio affici potuerit. *Panor. l.* 1. *de reb. gest. Alphonsi.*

Alcibiades aliquando in ludum literarium ingressus, petijt à ludimagistro Homeri Iliadem, cuius lectionem plurimum admirabatur. At ludimoderator cum se nihil Homeri operum habere affirmaret, inflixit ei pugnum satis durum, dicens: Imperitus es præceptor, & tibi similes discipulos facies. *Ælian. li.* 13 *de var. hist. & Plut in apoph.*

Alexander præter modum delectatus est Homero, adeo vt illum ad verbum edidicerit, ac dormiens etiam ceruicali suppositum haberet. Eum alias summum virtutis præconem, interdum poetam & πολεμικὸν appellare consueuit: cuius carmina censebat non ad cytharam, vt aliorum, sed ad tubam potius esse canenda. Addebat illud, se malle Homeri Thersitem esse, quam Cherili Achillem. Cherilus erat Alexandri poeta non satis felix, qui fertur ita pactus, vt pro quoque bono versu acciperet Philippicum aureũ, pro malo colaphum. Idem cum in Sigeo ad Achillis tumulum adstitisset, O fortunate, inquit, adolescens: qui tuæ virtutis præconem Homerum inueneris. *Cic. in oratione pro Archia. Plut. in Alexan.*

Idem. Cum ad Alexandrum Magnum scrinium delatum esset, in quo omnes fere Darij regis opes seruatæ erant, & quæreretur, in quẽ nam vsum destinandum posthac esset, alijs aliud suadentibus, Alexander ait: Huic optime seruandus Homerus dabitur. Sentiens, nullum esse thesaurum illo preciosiorem. Adeo enim Homerica lectione delectabatur Alexander, vt raro deposuerit è manu eius poesin. *te. laute. Plut. in eius vita.*

Gorgias cum forte fortuna legisset Platonis dialogũ sui cognominis qui Gorgias inscribitur, dixisse fertur: ὡς καλῶς οἶδε Πλάτων ἰαμβίζειν. Vt pulchre nouit Plato iambissare, hoc est, mordere. Nã is pes primum ab Archilocho, ni fallor, repertus est ad maledicẽdum: vnde & nomen habet, vel a muliere petulante, & baccha, vel à mittendis iaculis. Siquidem in eo dialogo proscindit sophistas, id quod nusquam non facit. *P. M. l.* 8. *apoph.*

Theocritus ad ludimagistrum quendam male pronunciantem accedens, rogauit, Qui fit, quod Geometriam non doceas? is cum respondisset, Quoniam ignoro, quid tum? dixit: nam legere quoq; nescis. *Stob. ser.* 4.

Alphonsus Quum opera philosophica Senecæ legendo exolueret, rogatus a Dauolo aulicorum præcipuo, cur animus mortalium ita immensus atque insatiabilis foret? respondit rex: Animum hominis a Deo profectum, non prius conquiescere quam eo rediret, vnde profectus esset. Esse proculdubio animum nostrum Dei & æternitatis capacem, propterea neque impleri, neque la-

tiari posse ijs rebus, quæ fluxæ & incertæ essent; sed Deū ipsum velum naturalem sedem, & suum quandammodo perfectum bonum appetere, hoc est, solidum & perfectum bonum. *Panor. l. 1. de reb. Alphonsi.*

Idem gloriabatur, quaterdecies vtrumque Testamentum cum commentarijs a se perlectum. *idem, ibid.*

Hadrianum Imperatorem Virgiliana lectione inde mirum in modum delectatum legimus, quod mortem suam Vergiliano carmine prædixerit.

O stendent terris hunc tantum fata, neque vltra,
Esse sinent, &c.
Dion Cassius in vita Hadr.

S I M I L I T V D I N E S.

Gregorij. Si deliciosio cupitis pabulo saginari, B. Augustini opuscula legite ad comparationem siliginis illius, nostrum furfurem non quæratis. *Lib. 8. epist. 35.*

Ty Pontificis: Vt apes ex floribus nihil aliud sumunt, Præter odorem & colorem: Sic decet studiosos ex poetarum lectione ea tantum quæ ad mores formandos cōferunt, ex spurcissimis fabulis colligere. *Epist. lib. epist. 412.*

Polyby. Quemadmodum gulosus conuiua, vbi primum discubitum venit, appositos singulos quosque cibos degustans neque in præsentia voluptatis aliquid capere, neque in futurum vtilitatis potest, quando nec saporem vllum perfecte sentit, & omnia simul coogesta stomachum digestionemque impediunt: Ita qui hocipsum in legendis authoribus faciunt, nec in præsens aliquam percipiunt voluptatem, nec vtilitatis quippiam retinent in posteru. *Lib. 3. Historiarum.*

Sicut qui visu vtuntur faciem ad id perpetuo conuertere solent qd̄ demonstrationis gratia ostēditur: ita & animus in ea loca propendere debet, quæ proponuntur inter narrandum. *idem, eodem libro.*

Si aquæ gutta subinde cadendo solidam saxi duritiem cauat: quanto magis oratio crebro aures feriens, animi torporem & quietis studium excutit? *Zonar. Annal. Tom. 1.*

Vt in obsonijs non solum sequimur voluptatem, sed etiam salubritatem: sic in audiendis & legendis authoribus. *Plut.*

Vt in alienis oculis nosmetipsos conspicimus: sic in aliena dictione quid nos deceat, aut dedeceat, contemplandum est. *Plut.*

Ager nimium stercoratus aduritur, non stercoratus alget: Ita moderata lectione vegetandum erit ingenium: nam lectione saginatur animus non aliter quam aruum stercore. *Plin. l. 18. c. 23.*

Sicuti vtilius est crebro stercorari agrum quam multum: Ita plus habet fructus assidua lectio quam auida. *Plin. ibid. in fine.*

Vt aromatum, florum, similiumque odor gratior sentitur è longinquo quam ex proximis (offendunt enim nonnunquam naribus admota quæ procul delectabant.) Ita sunt quæ si leniter attingas, placeant: sin excutias accuratius, & propius inspicias, gratiam amittunt, quod genus sunt poetarum fabulæ, aut gentilium historiæ. *P. M.*

Serius eduntur, quæ diutius victura sunt. Ita diu premendum opus quod semper legi velis. *idem.*

Quemadmodum Vlysses auribus cera obturatis Syrenum periculum præter nauigauit: ita nos si quid incidit blande s, dum in authoribus prætereuehi oportebit. *Plut.*

Vt apes non quiduis ex omnibus colligunt, sed aliunde Metyn, aliunde Pissoceron, aliunde Propolin, aliunde Rhibacen, aliunde sobolem, aliunde mel: Ita non omnia petenda ex eodem authore, sed ex vnoquoque sumendum, quod habet vtilissimum: Ex Poetis & Oratoribus verborum splendor. E dialecticis argutia disserendi: E Philosophis cognitio naturæ. E Theologis præcepta viuendi. *Plin. l. 11. c. 7.*

Vt apes ex amatissimis floribus & asperrimis spinis mel suauissimū ac lenissimum colligunt: sic ex turpibus ac sceleratis fabulis vtcunque decerpi potest aliquid vtilitatis. *Plut.*

Quidam Amethystum adhibent in comparationibus aduersus ebrietatem: multo magis in audiendis Pocus præcepta sunt adhibenda, ne quid inficiat animum. *Plin. l. 37. c. 9.*

Non tam insanus, vt vel e Neronis capedine, quam Plinius trecentis sestertijs æstimat, venenum bibere malit, quam è Samio vasculo vinum innoxium: Ita qui sapit, malit salubria præcepta viuendi qualicunque sermone proposita, quam pestiferas opiniones ab eloquentissimo scriptore haurire. *P. M.*

Vt his gemmis summum est precium, quæ non modo varietate colorum delectant oculos, & nares odore, verum etiam ad remedia sunt efficaces: Sic his libris summum est precium, qui non solum habent orationis illecebras, verum & salubribus præceptis nos liberant animi vitijs. *Idem.*

Medici vetant vti halicacabo, quamquam dentibus firmandis prodest, si eius succo colluatur: propterea quod periculum est, ne si durius id fiat, delirationem gignat, & plus afferat incommodi, quam commodi, ita non est vtendum his literis, quæ sic linguam expoliunt, vt mores inficiant, aut conuenit sequi, quæ sic augent rem, vt famam lædant. *idem.*

A floribus marcidis apes abstinent: ita non attingendus liber, qui putridas habet sententias. Aut nihil attingendum, quod non sit elegans & succulentum. *idem.*

Vt qui vino cæcutiunt, aut aliqui laborant oculis, plures se videre res credunt, cum vnam videant: Ita qui ob imperitiam verum non perspiciunt in authoribus, multas ac varias inducunt sententias: vnde illud apud iuris male consultos, vel dic, toties repetitum. *idem.*

Vt tutissimum est in trifolio cubare, quod in hac herba negent serpentem aspici: Ita in his versandum libris, in quibus nulla venena timentur. *idem.*

Quemadmodum Medici pharmacum ad vnicum morbum repertum ad omnes similes ac finitimos accommodāt: Ita conuenit authorum dicta ad varios vsus accommodare. *Plut.*

Non quemadmodum omnia religiose metuimus, ac reueremur in sacris: Ita oportet in authoribus omnia venerari, sed audacter adhibito iudicio probare quædam, quædam improbare. *Plut.*

Vt cum in sole ambulamus, etiam si aliam ob causam ambulemus, fit natura tamen vt coloremur: sic cum Doctorum libros studiosius legimus, sentimus orationem nostram illorum cantu quasi colorari. *Cic. l. 2. de orat.*

Themist. Qui semper vnius generis assueuerunt cibo, semper ventrē infirmum circumferunt: Et pueros, quos perfecte volumus erudire, oportet ad varios authores traducere. *In apoph. 75.*

Non valet optime, qui multa comedit, sed qui mediocria bene concoquit: Neq; est doctissimus qui multa legit, sed qui vel modica penitus scrutatur, ac funditus perpendit. *In apoph. 56.*

Qui multa vidit, sed rationem nescit, similis illi, qui multa legit, & nihil intelligit. Ergo vt is numquam potest euadere doctus, ita neque ille vnquam expertus. *In apoph. 111.*

Apes e varios colligunt succos, sed eos suo spiritu mutant, ac digerunt, alioqui non facturæ mel: sic euoluendi sunt authores omnes, sed quos legeris, in tuos vsus transformandum, *Senec.*

Non est admirationi vna arbor, vbi silua totā in altum surrexit, sic non animaduertitur vna sententia, cū passim omnia referta sunt sententijs, sed si raro incidat. *Senec.*

Vtè diuersis numeris constat vnus, summam illorum in se complectens: sic è diuersis conflatur eruditio, iam tua, non aliorum. *Senec.*

Vt inter salutares herbas nascuntur & venena: ita ex authoribus, quę recte dixerint, sunt excerpenda. *P. M.*

Vt ijs, qui cæcutientibus sunt oculis, quiuis locus obscurus est, propterea quod caliginem secum in oculis circumferunt: Ita parum eruditis omnis liber ac stylus difficilis est & obscurus. *Idem.*

P R O P H A N A E X E M P L A.

Alphonsus Aragonum Rex, cum arcem Neapolitanam instaurare decreuisset, Vitruuij de Architectura librum afferri ad se iussit. Verum cum sint ornatu, sineque asseribus allatus esset: Non decere, inquit, hunc potissimum librum, qui nos, quomodo contegamur, tam belle doceat, detectum incedere. Librum igitur egregie ad vsum parari mandauit, & omnibus semper ædificijs adhibuit. *Panormitan. libro 1.* Idem Q. Curtij lectione, a qua in morbo mirifice fuerat recreatus, medicorum pharmacis longe prætulit.

D. Cyprianus in Tertulliani lectione tam fuit assiduus, vt nullum diem absque eius lectione prætermitteret. & notario Paulo sæpe diceret, Da magistrum, nempe Tertullianum, *Hieron. in catal. vir. illustr.*

Scipio Africanus Socraticum Xenophontem in manibus semper habebat: cuius in primis laudabat illud, quod diceret eosdem labores non æque esse graues Imperatori & militi, quod ipse honos laborem Imperatorum faceret leniorem. *Cic. l. 2. Tusc q.*

Virgilius Ennij opera diligenter & sæpius euoluens, ac rogatus, quid ageret, Aurum, inquit, lego ex stercore. *Sabell. libro secundo, cap. 7.*

Alphonsus cùm inter peregrinandum forte ad eum locum, vnde Sulmo poterat despici, peruenisset, an ea Ouidij (cuius poemate mirum in modum afficiebatur) patria esset, interrogauit: quumque intellexisset natale Nasonis solum esse, vrbem salutauit, gratiasque genio loci egit, in quo tantus olim poetæ genitus esset, de cuius laudibus nemo satis fari possit. Ego sane, inquit, huic regioni, quæ non parua regni Neapolitani nec contemnenda pars est, libenter cesserim, si temporibus meis datum esset, huic Poetam vt haberem, quem mortuum pluris ipse faciam, quam Aprutij dominatum. *Pontan. & ex eod. Spiegel. in l. 1. Panor. de reb. gest. Alphonsi, cap. 47.*

Antimachus, quum conuocatis auditoribus recitaret ingens volumen, quod conscripserat, & ab omnibus esset destitutus, ex cepto Platone: Legam, inquit, nihilominus. Plato enim mihi instar est omnium. *Tullius lib. de claris orator. P. M. l. 2. c. 23.*

LEGATIO, LEGATVS.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

Legatus vicarius est; est enim locum tenens, fiduciariam operam superioris obtinens. *Budaeus in l. post. de orig. iur.*

Legatus est, qui refert mandata sui principis, nunc Orator dicitur, qua voce ita vsus est *Maro in 11 lib. teste Budaeo.*

Legati munus est, omnia ad praescriptum Imperiumque consulis agere. *Alex. ab Alex.*

Legatio, munus, officium, vel functio legati. Hebr. *Mischlach*, & *Mischloach*, à verbo *Schalach*, misit. Graecè στέλλω, mitto, ἀποστέλλω, idem, ἀπόστολος, legatus. Legatio sacra, 2. *Cor. 5. 20. Ephes. 6. 20.*

SENTENTIAE PHILOSOPHICAE.

Legatus, aut praeco si quis apud aliquam ciuitatem mentiendo, contra ciuitatem falsam legationem obierit: aut dum mittitur, non veras legationes, ob quas mittitur, denunciat, aut rursus ab hostibus, aut etiam ab amicis legatus, aut praeco rediens, non rectè ab illis legationem renunciasse compertus fuerit: contra hos actiones instituantur, velut qui in Mercurij, & Iouis legationibus, & mandatis impie se gesserint, & iudices aestiment, quantum persoluere, & pati damnatum oporteat. *Plato de leg. dial. 12.*

Legationem cum quis renunciare velit, omnia dilucidè narrare debet, & si quidem nobis ex sententia minus res contigerit, id non negligentia nostra, sed alia caussa accidisse existiment auditores: at si ex sententia contigerit, non casu aliquo, sed nostra diligentia, & industria id factum existiment, quae eo facilius credunt, quando gestioni negociorum non interfuerunt. *Arist. Rhetor. ad Alex. c. 29.*

Tales magnopere Principes summi quaerere, & seligere ad legationum munera obeunda debent, emunctae videlicet naris, ac summi iudicij viros, rerum peritos, in obseruandis rebus singulis diligentes. Hos esse principum oculos emissitios, aures ac manus lõgas, *inquit Steph. Vinand. in Herc. Prod.*

Qui interimunt legatos ius omnium hominum confundunt. *Herodot. lib. 7.*

Legatos inter res maximi momenti Cyrus ponebat, nempe vt absque bello impetraretur id quod necessitas postularet. Quod si tales ij non essent, quales esse conueniret, quorum opera maxima plurimaq; negocia essent conficienda, male rebus suis prospectũ fore arbitrabatur. Sin illi tales essent, quales oporteret, praeclarè secum actum iri putabat. *Xenoph. de inst. Cyri lib. 8.*

Legatorum nomen apud omnes nationes sanctum inuiolatumque semper fuit. *Caesar. lib. 3 de bello Gall.*

Sacrum etiam inter externas gentes legatorum ius. *Tacitus, histor. lib. 3.*

Magna quaedam, & inclita oratorum dignitas est, & apud omnes mortales alioquin honorabilis. Sed tamdiu id in se muneris retinent, quoad ipsi suae legationis officium seruent. Nam hominem occidere qui legatione fungatur, tunc quidem & iure pro humanis legibus licet, eum regem videbitur contumelia affecisse, vel si adulterium commiserit. *Procop. de bello Goth. l. 1.*

Orator, qualiacumque à principe se delegante acceperit, profert: quae si minus probat, vel recta videntur, non ipse propterea iure est incusandus, sed qui miserit forte culpandus. Oratoris quippe officium est, suum cum fide ministerium exequi. *Idem, eod. lib.*

Constat apud barbaros omnes id lege cautum esse, Oratores & legatos, vt hi plurimum colant, & venerentur. Mihi vero (*Totila dictum*) qui virtutis sibi aliquid compararunt, honorem deferre simul & reuerentiam iampridem studium fuit. Sed oratoribus delatos honores, siue illatam his ignominiam, non personarum magnitudine, siue verborum tumiditate, & elegantia discerni reor, sed quum vera quaedam fatentur, vel non satis admodum verbis vtuntur. Oratori itaque illi honor deferri maximè solet, qui veritate mox patefacta ad suos dimittitur: sed is ignominia prae caeteris affici, qui vbi commentitia quaedam, & subdola verba fecerit, ad suos mox redeat. *Idem, de bello Goth. l. 3.*

Virum amicum, & oratorem (*Pelagij legati dictum*) non solum eum affecisse contumelia duxerim, qui vel caput illi percusserit, vel aliquouis in hunc desaeuiat modo, sed vel qui re infecta dimiserit ad se delegatum: non enim homines oratoris munere idcirco funguntur, vt honorem ab his consequantur, qui suscepturi se sint: sed quod vsui Reipublicae in posterum sit peragendo, ad eos, qui se legauerunt, mox redeant. Fit igitur vt vel affectis iniuria longe magis conducat eorum aliquid effecisse, quorum ob causam venerint, quam principum verbis benignioribus auditis, nihil pro spe consequutos ad suos redire. *Idem, ibid.*

Eloquentes esse oportet eos, qui legati ad exteras nationes proficiscuntur, vt linguis ab omni parte instructi, in quouis disputationum genere palmam obtineant. *Nicephorus Gregor. histor. libro 6.*

Principes prouidere debent, vt idoneis hominibus negocia sua committant, illi praesertim qui viribus & caussa sunt inferiores. *Ph. Comenaeus, lib. 2.*

Legati & oculi & aures regnorum sunt. *Franc. Guicciardin. histor. libro 15.*

Ius legatorum apud efferatissimas etiam gentes sanctissimum. *P. Iouius, hist. lib. 18.*

Est quoddam genus hominum, qui sibi persuadent ipsi, explicare se posse negocia: quae tamen cuiusmodi sint, magna saepe ex parte ignorant, eo quod ij à quibus emittuntur, non semper se patefaciunt illis totos. Et sicut principes prouidere debent diligenter, quibus hominibus rerum tractationem committant: ita quoque vicissim illi qui mittuntur, debent explorare suas vires: neque munus vllum cui se putent esse impares, subire. Nec enim paucos noui, magnos alioqui viros, qui similium rerum tractationibus adhibiti, summam offenderunt difficultatem. *Ph. Cominaeus, lib. 2.*

Sub legationum specie multa saepe perniciosa tractantur. Quamquam sane fieri non potest, quin & multos subinde mittant principes & vicissim accipiant, sed prudentia singulari & dexteritate quadam opus est in tractandis exterorum legatis. Et principio, meo quidem iudicio, amicorum legati, de quibus nullam habemus male suspicandi caussam, liberaliter sunt & honeste tractandi, facta subinde illis potestate conueniendi Principis, ad quem missi sunt, modo sit prudens & honesta species. Nam alioqui praestat, eum vel rarius conspici, vel non diu insistere colloquutioni. Ad quam quum descendit prouideri debet, vt sit eleganter vestitus, & de ijs, quae pronunciari & responderi oportet edoctus, & mox reuocetur a congressu. Nec enim diuturna est Principum beneuolentia.

Quum autem vel publici vel priuati veniunt ab aliquo Principe parum amico, tametsi periculum est in ea re non leue, excipiendi tamen sunt non incommode, & destinandi aliquot idonei homines, à quibus tractentur. Hoc enim ad honestatem pertinet, ac simul eo confert, vt quid agant, & quibuscum loquantur, & quos habeant sibi familiares, cognoscatur: nec id modo, verum etiam vt homines leues atque sedi iosi nõ habeant ad ipsos aditum. In omnibus enim Principum familijs semper aliqui existunt, qui mutationem aliquam & res nouas cupiunt. Et quoniam periculi plenum est habere domi suae hostem: suaserim, primo quoque tempore eiusmodi legatos dimitti: verum ita tamen, ne quam habeant occasionem de inhospitalitate conquerendi.

Sed ne bello quidem exorto sunt intermittendae pacis rationes, aut repudiandi legati: verum audiendi sunt omnes, ac inuicem ad hostem mittendi, ijsque mandandum, vt diligentissime obseruent, quid quoque tempore geratur, qui cum quibus colloquantur. Crebro. n. mittendum est, etiam si hostis iubeat abstinendum inceps, & commeatu prohibeat. Nec. n. vllus, quantumuis prouidus & fidus explorator, facultatem habere potest, tam multa cognoscendi, quam eiusmodi legati, qui quum sint vnus & alter, aut etiam plures: fieri non potest, vt aliquid odorentur. Nam qui sint prudentiores principes, id operam dant, vt etiam apud aduersarios habeant quosdam à se non alienos.

Verum si quis tam frequentes mittat internuncios, futurum est, dicat aliquis, vt hostis fiat insolentior. Atqui in eo sane nihil est mali, & interea de ipsius rationibus ac consilijs cognoscetur semper aliquid. Et licet eandem rationem hostis instituat, vt modo dixi, & suos inuicem mittat: non tamen idcirco desistendum est, & vel ob hanc solam caussam immutandum est legationibus, vt varia multaque cognoscantur.

Huc etiam accedit, quod non omnes aeque sunt ingeniosi, neq; parem semper habent rerum vsum: & quo quisque prudentior est in eiusmodi tractationibus, eo maiori cum honore & fructu in ijs versatur. Quod vt clarius intelligi possit, exempli caussa quiddam sum dicturus. Pactio nulla facta fuit vnquam inter Gallos, & Anglos, in qua non ingenij vi & acrimonia Galli praestiterint: adeoque prouerbio dicitur apud Anglos, Quoties cũ Gallis praelio concertarint, victores se plerumque fuisse: quoties vero cum illis pacti sunt, detrimentum semper aliquod accepisse. Et recte quidem ita iudicant. Habet enim Gallia praestantissimos viros, ex ijsque non paucos, quibus rectissime committi possit maximarum rerum gubernatio. *Ph. Cominaeus, lib. 4.*

APOPHTHEGMATA.

Agis Archidami f. cum ad Philippum Regem legatus mitteretur, solus Regem sine comitatu accessit. Verum cum Rex admiraretur, Veni, inquit, vnus ad vnum. Quo dicto io taxauit superuacaneũ legatorum aliorum sumptum, quo aeraria plerumque exhauriuntur, cum Reipublicae negocia per vnum saepenumero expediri possint. *Plut. Lacon. in apoph.*

Anonymus. Lacedaemones vnum legatum ad Demetrium regem miserant. Stomachante autem tyranno, ac vociferante. Vnumne

Lace-

Lacedæmonij legatum ad me? Satis, inquit, legatur, vnus ad vnũ. *Plut.*

Anonymi. Lacones olim, cum ad Lygdamum tyrannum issent legati, atque ille congressus sæpius differret, dicens se molliter habere: Dic, inquiunt legati, per Deos non venisse nos cum illo colluctaturos, sed collocuturos. *Plut.*

Hyperides Legatus ab Atheniensibus ad Rhodios fuit. Eo cum adessent ab Antipatro legati, qui Antipatrum vt benignum celebrarent, occurrens eis: Noui (inquit) benignum esse: verum nos nec benignum quidem quærimus dominum. *Plut.*

Gobrias. Darius rex ingressus in Scythiam, inopia laborabat. Scythæ autem legatos ad eum miserunt cum muneribus: aue videlicet, mure, rana, & quinque sagittis. Darius pro mure terram, pro rana aquas, pro aue equos, pro sagitta seipsos tradere interpretatus est. Gobrias autem hoc dicere dona coniectabat: o Persę, nisi vt aues auoletis, aut vt mures subeatis terram, aut vt ranę insilitis in paludes, non remeabitis, his sagittis confecti. *Bruson. lib. 3. cap. 30.*

Marcus Cato. Quum tres essent designati, qui legati proficiscerentur in Bithyniam: quorum vnus podagra teneretur, alter caput haberet vulneribus confossum, tertius vecordia laborare videretur: Cato ridens dixit, pop. Rom. legationem nec pedes habere, nec caput, nec cor. *Plut.*

Megacles. Messanæ, quæ in Sicilia est, is ciuis fortissimus Agathocli tyranno eam inuadere conanti modis omnibus aduersabatur. Ideo tyrannus Messanam oppugnare parauit, missoque præcone, Megaclem à ciuibus exposcebat. Megacles vltro se ad tradendum tyranno obtulit, si legatus mitteretur. Decernentibus hæc Messenijs, accedens ille ad Agathoclem, Ego vero, inquit, & legatus ciuitatis nomine venio, & moriturus. Sed ante de legatione audias. Consilio conuocato, addidit Megacles, Si ad excidendas Syracusas expeditionem Messenij suscepissent, vtrum pro Syracusijs, an pro Messenijs omnia faceres? Subridens Agathocles, relicto bello Megaclem incolumem domum remisit: amicitiamque inijt cum Messenijs. *Polyænus lib. 5.*

Popillius à Senatu literas Antiocho attulit, quę eum iubebant exercitum ex Aegypto abducere, neque regnum pupillorum Ptolomæi vita defuncti vsurpare. Accedens, eminusque ab Antiocho comiter salutatus, non reddita salute epistolam tradidit, qua lecta cum deliberatione habita responsurum se rex diceret, bacillo Popillius orbem circa eum descripsit, inquiens. Hic ergo stans delibera, & responde. Omnibus magnanimitate legati perculsis, cum Antiochus se ex Romanorum sententia acturum profiteretur, ita demum regem salutauit, amplexusque est Popillius. *Plut. in apoph.*

LEGISLATOR.

LOCI BIBLICI.

Legislator vnus, *Iac. 4. 12.* Legislatio, *Rom. 9. 4.* Legisperiti obiurgantur. *Luc. 11.* Νομικοί.

Sententiæ Philosophorvm.

Est sapientis scriptoris legum videre quemadmodum ciuitas hominumque genus ac omnis reliqua societas, bene beateque possit viuere. *l. 7. de Repub. c. 5.*

Cum amicitia sit concordiæ similis, & hanc maxime sequuntur legumlatores: & seditionem quæ ei inimica sit omni ratione exterminant. *Ethic. l. 8. c. 1.*

Tenere debet scriptor legum, & scientiæ ciuilis haud ignarus, quæ popularem conseruent, & quæ populi opus labefactent, quæq; paucorum potestatem: quarum neutra nec stare nec permanere potest sine locupletibus & multitudine. *l. 5. de Repub. c. 9.*

Legislatoris iudicium non de singulis, nec de præsentibus, sed de vniuersalibus, & de futuris est. Senator vero & iudex de præsentibus iam determinatisque iudicant. *l. 1. Rhet. ad Theod. c. 1.*

Legum scriptor ne inter ciues seditio oriri queat, diligentia sua prouidere debet. *l. 2. de Repub. c. 9.*

Ad legumlationem vtile maxime est, tum ex præteritis, quis Reipublicæ status conducat, perspicere: tum aliorum quoque scire, cõditionem, & quæ quibus conueniant, non ignorare. *lib. 1. Rhe. ad Theod. c. 4.*

Nos viri ciuilis & scriptoris legum omnem curam & industriam in ciuitate constituenda positam videmus. *l. 3. de Rep. c. 5.*

Similitvdines.

Philonis Iudæi: Quemadmodum moderatus non occidit bestias nisi mordaces, si absit morsus periculum: Sic nullus legislator pęnã decernit contra iniustos quiescentes, sed quoties mouentur & exercent iniusta opera. *lib. de resipiscentia Noe. f. 182.*

Demosthenis. Quemadmodum reliqui iuris ciuitatis æqua pars inest cuique: Sic quoque legis æquam partem singulis tribuendam esse putauit; qui eam tulit: & propterea scripsit, non licere legem facere de viro: nisi eadem ad omnes Athenienses pertineat. *In orat. cont. Arist.*

Quæ sane corporibus eueniunt ægrotationes, medicorum industria, & ope curantur: Animorum vero ferocitatem propulsant ac eijciunt legumlatorum sententiæ. *De legibus ac earum laudibus, Oratio. 2. cont. Aristog.*

Vide sequentem Tit. Lex.

LEX.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

Lex, Græce νόμος, νομικὸς legalis dicitur. Est autem lex, ratio summa insita in natura, quæ iubet ea, quæ facienda sunt, prohibetque contraria. Eadem ratio cum est in mente hominis confirmata & confecta, est lex. *Et Cic. lib. 1. de leg.* Lex est neque hominum ingenijs excogitata, nec scitum aliquod populorum: sed æternum quiddam, quod vniuersum mundum regeret imperandi prohibendique sapientia. *secundum Cicer. lib. 2. de Legib.*

Lex est recti præceptio, prauique depulsio. *secundum Cicer. lib. 2. de Natura Deor.*

Lex, Heb. *Dath*, i. laudatom, decretum, constitutio, edictum a verbo *Dath*, & *Dathtah*. Hinc τάττω ordino, προστάττω impero, &c. Vocatur etiam lex *Torah*, i. ordo, dispositio, inquisitio, a verbo *Tor*, explorauit, ordinauit, inquisiuit.

Lex est constitutio populi, in qua maiores natu simul cum plebib. aliquid sanxerunt. *vt hab. dist. 2. Lex.*

Lex est regula & mensura actuum agendorũ vel omittendorum. *Ex B. Thom. 1. 2. q. 90. art. 1.*

Lex dicitur a ligando, quia obligat. Vel dicitur a legendo quod publice legatur secundum Isidorum. *Ex Beat. Thom. ibidem.* Ouidius Metamor. *Nec verba minantia fixo Ære legebantur, vel ligabantur.*

Lex est dictamen rationis practicæ. *secund. B. Thom. in 1. 2. q. 61. art. 1.* A lex veniunt illex & exlex, qui sine lege viuit: & legislator & legifer, qui legem tulit.

Lex est commune præceptum, virorum prudentum consultũ, delictorum, quæ sponte vel ignorantia contrahuntur, coercitio: cõmunis Reipub. sponsio. *Papin. l. 1. de fin. leg.*

Νόμος ἐστὶν ᾧ πάντας προσήκει πείθεσθαι, διὰ πολλὰ καὶ μάλισθ' ὅτι πᾶς ἐστι νόμος εὕρημα μὲν καὶ δῶρον θεῶν, δόγμα δ' ἀνθρώπων φρονίμων, ἐπανόρθωμα δὲ τῶν ἑκουσίων καὶ ἀκουσίων ἁμαρτημάτων, πόλεως δὲ συνθήκη κοινὴ καθ' ἣν πᾶσι προσήκει ζῆν τοῖς ἐν τῇ πόλει.

Lex est, cui omnes homines decet obedire, propter multa & varia, maxime quod omnis lex est inuentio quidem & donum deorum, dogma autem hominum sapientum: Coercitio autem voluntariorum, & inuoluntariorum peccatorum, ciuitatis compositio communis, secundum quam omnes decet viuere, qui in ciuitate sunt. *Demosth. in Aristog. orat. priore.*

Ὁ νόμος πάντων ἐστὶ βασιλεὺς θείων τε καὶ ἀνθρωπίνων πραγμάτων. δεῖ δὲ αὐτὸν προστάτην εἶναι τῶν καλῶν καὶ αἰσχρῶν, καὶ ἄρχοντα καὶ ἡγεμόνα, καὶ κατὰ τοῦτο κανόνα τε εἶναι δικαίων καὶ ἀδίκων καὶ τῶν φύσει πολιτικῶν ζώων, προστακτικὸν μὲν ὧν ποιητέον, ἀπαγορευτικὸν δὲ ὧν οὐ ποιητέον.

Lex est omnium diuinarum & humanarum rerum regina. Oportet autem eam etiam præstare & bonos & malos, & principem & ducem esse: & secundum hoc regula est iustorum & iniustorum, & eorum, quæ natura ciuilia sunt, præceptrix quidem faciendorum, prohibitrix autem non faciendorum. *Chrysippus de legibus.*

Lex est regula, per quam omnia totius mundi negocia & animalia politica reguntur.

Lex est princeps, cui obedire debemus: est dux, quem sequi congruit: est regula, quam faciendis quibuscumque applicare decet. *Aristotel. 3. Politicorum.* Lex non est tantum donum Dei, sed ipse Deus, qui donum dedit, quia qui paret legi, Deo paret, & obtemperat.

Lex est communis ciuitatis consensus, qui scriptis præcepit, quomodò vnumquodque agendum sit. *Aristotel. de causis ciuilibus.*

Lex est ratio mensque sapientis ad iubendum & ad deterrendum idonea.

Lex orta est cum mente diuina: Quamobrem vera atque princeps, apta ad iubendum, & ad vetandum, ratio recta summi Iouis.

Lex est iustorum & iniustorum distinctio, ad illam antiquissimam & rerum omnium principem expressa naturam, ad quam leges hominum diriguntur, quæ supplicio improbos afficiũt, & defendunt, & tuentur bonos.

Lex est naturæ vis, mens ratioque prudentis, iuris atque iniuriæ regula.

Loci Biblici.

Lex primo pro vniuersali doctrina, *Iac.* 1.25. *Secundo*, in genere, pro doctrina, quæ aliquid aut præscribit, aut interdicit, *Rom.* 3.20.27. quatenus Euangelium vocatur, lex fidei, *ibidem*: hoc est, doctrina, quæ salutem proponit sub conditione, Si credideris, quam & ipsam conditionem gratis dat dominus, vt impleri possimus. *Tertio*, synecdochicos pro regimen in legalibus, 1.*Cor.*9.20. *Quarto* pro secunda Legis Tabula, *Rom.* 13.8. *Quinto*, pro præceptis secundæ Tabulæ, *Gal.* 5.14. *Sexto*, pro toto veteri testamento, *Ioan.* 10.34.& 15.25. *Psal.* 1.2.& 19.8. *Rom.* 3.19. *Galat.* 4.21. pro doctrinæ sacræ libris, 1.*Cor.*14.21. *Septimo*, pro quinque libris Moysis, *Galat.* 3.11. *Octaue*, pro Moysis, & reliquorum Prophetarum scriptis, *Rom.* 3.21. in posteriore versus parte. *Nono*, pro ordinatione Aaronica, *Hebr.* 7.12.19.

Lex, liber Domini, *Isa.* 34.16. litera, 2.*Cor.* 3.7 ministerium mortis, *ibid.* Pædagogus noster ad Christum, *Gal.* 3.24. Vertus peccati, *Roman.* 7.9.1.*Cor.*15.56. Quomodo per Christum abrogata, *Matth.* 5.18. *Ephe.*2.5. *Col.* 2.14 *Rom.* 6.14. Lex quibus bona, 1 *Tim.* 1.8. quorum data, *Rom.* 3.10.& 5.20.& 7.7. *Gal.* 3.19. 1.*Tim.* 1.9. quomodo iram efficit, *Rom.* 4.15. per quos data, *Ioan.* 1.17. *Act.* 7.38.53. *Galat.* 3.19.& 3.22. ex Sione egressa, *Mich.* 4.2.

Lex quibus facilis, & leuis, *Rom.* 7.21.1. *Ioan.* 5.3. Iugiter meditanda, *Psal.* 1.2. pura, *Ps.* 12.7.& 19.8.9.& 119.72 127. Regia, *Iac.* 2.8. Spiritualis, *Rom.* 8.14. Lex libertatis, *Iac.* 1.25.& 2.12. Lex operum, *Rom.* 3.27. Lex spiritus, *Rom.* 8.2. Lex peccati, & mortis, *ibid.*

Lex Christi, pro præcepto charitatis, *Ioan.* 13.15 33.34.& 15.12. *Galat.* 6.2. vbi mutua charitas vocatur Christi Lex, quæ etiam noua dicitur, & consistit in charitate, *Mat.* 5.44.& 7.12.& 22.26 *Ioann.* 13.34. *Rom.* 13.10. *Gal.* 5.14.& 6.2. 1.*Tim.* 1.5. Lex Dei, lex veritatis, *Neh.* 9.13. piorum oblectamentum, *Psal.* 1.2. Lex fidei, *Rom.* 3.27. Lex hominis summo polluti, 23.10. Lex iustitiæ, *Rom.* 9.13.

Lex Dei animas conuertit, & corda exhilarat, *Psalm.* 19.8.9.38.& 15.10. *Galat.* 2.16.& 3.10. Lex omnibus legenda, *Deut.* 31.12. Lex legitur, 5.5.& 31.9.11. *Ios.* 8.35. 2 *Reg* 23.2. *Nehem.* 8.8.& 9 33. *Esdr.* 9.39.2. *Macb.* 8.19.23. in sacerdotum ore versetur oportet, *Deut.* 33.9.10. *Malach.* 2.3. Lex & Prophetæ ad Ioannem vsque durant, *Matth.* 11.13. *Luc.* 16.16.

Legis finis Christus, *Rom.* 10.4. à quibus, & quomodo, & quatenus impleatur, *Deut.* 5.29. *Luc.* 18.21. *Act.* 15.10. *Rom.* 8.3. Legis firmitas, *Rom.* 8.3. *Hebr.* 7.19.& 10.1. Legis vsus, *Rom.* 10.5. Legis natura, officium & operatio, *Rom.* 3.20.& 4.15 & 5.20.& 7.1.7. *Galat.* 3.19. 1. *Tim.* 1.8. *Hebr* 7.18.27. Legis obseruatio commendata, *Prou.* 28.7. *Eccl.* 11.13. *Malac.* 4.4. *Matth.* 19.17. Lex qualia seruos requirat, *Psal.* 1.2.1. quid obseruantibus ea conferat, *Leu.* 18.5. *Ezech.* 20.10. *Rom.* 1.5.

Legis partes, *Rom.* 9.4. *Hebr* 9.4. Legis summa, *Matth.* 7.12.& 22.40. Legis transgressores male dicti, *Deut.* 17.16. *Gal.* 3.10.

Legis ceremoniæ abrogatæ per Christum, *Mat.* 11.13. *Marc.* 15.38. *Act.* 13.38.& 13.11. *Rom.* 6.14.& 8.4.& 7.3. *Gal.* 3.13.& 4.15. *Eph.* 2.13. *Col.* 2.14.1. *Petr.* 1.v. 11.18. Legis in vno capite transgressor efficitur omnium reus, *Iac.* 2.10. Legis tabulæ dantur, *Exo.* 31.18. *Deut.* 5.22. franguntur, *Exod.* 32.19. *eur.* 9.17. dantur aliæ tabulæ, *Exo.* 34.27. *Deut.* 10.1. Legis summa, *Mat.* 7.12.& 22.40. *Luc.* 10.27.

Legis & Euangelij discrimen, 2.*Cor.* 3.v.7.8. Legis & fidei repugnantia qualis, *Galat* 3.12.

Legum iniquarum conditores reprehenduntur, *Esa.* 10.v.1.

Sententiæ Biblicæ.

Legis naturæ illustratio.

Cum enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex: quia ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se inuicem cogitationum accusantium, aut etiam defendentium, in die qua iudicabit Dominus occulta hominum secundum Euangelium meum per Iesum Christum, *Rom.* 2.

Legis ordinatio.

Et erit quasi signum in manu tua, & quasi monumentum ante oculos tuos, & vt lex Domini semper sit in ore tuo: in manu enim forti eduxit te Dominus de Aegypto *Exod.* 13.

Per legem enim cognitio peccati. *Rom.* 3.

Sed peccatum non cognoui, nisi per legem: Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: Non concupisces. 7.

Itaque lex quidem sancta, & mandatum sanctum, & iustum, & bonum, *ibid.*

Quid igitur lex? Propter transgressionem posita est, donec veniret semen cui promiserat, ordinata per Angelos in manu Mediatoris, *Gal.* 3.

Prius autem quam veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi, in eam fidem, quæ reuelanda erat. Itaque lex pædagogus noster fuit ad Christum, vt ex fide iustificemur. *ibid.*

Operatio.

Dulcis & rectus Dominus: propter legem dabit delinquentibus in via. *Psal.* 14.

Lex Domini immaculata, conuertens animas: testimonium Domini fidele, sapientiam præstans paruulis. 18.

Qui custodit legem beatus est, *Prou.* 29.

Lex enim iram operatur. Vbi enim non est lex, nec præuaricatio. *Rom.* 3.

Occasione autem accepta peccatum, per mandatum, operatum est in me omnem concupiscentiam. 6.

Scimus enim quia lex spiritualis est. *ibid.*

Bona est lex, si quis ea legitime vtatur. 1.*Tim.* 1.

Quicumque totam legem seruauerit: offendat autem in vno, factus est omnium reus, *Iac.* 2.

Qui enim dixit, Non mœchaberis: dixit & non occides: quod si nō mœchaberis, occides autem, factus es transgressor legis. *ibid.*

Quicumque enim ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt. Scriptum est enim: Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis, vt faciat ea. Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictus (quia scriptum est: Maledictus omnis qui pendet in ligno) vt in Gentibus benedictio Abrahæ fieret in Christo Iesu, vt pollicitationem spiritus accipiamus per fidem, *Gal.* 5.

Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere iugum super ceruices discipulorum, quod neque nos, neque patres nostri, portare potuimus? *Act.* 15.

Consummatio per Christum.

Nolite putare, quoniam veni soluere legem, aut Prophetas: Non veni soluere, sed adimplere, *Matth.* 5.

Omnes enim Prophetæ & lex vsque ad Ioannem prophetauerunt *Matth.* 11.

Lex & Prophetæ vsque ad Ioannem, *Luc.* 16.

Lex per Moysen data est: gratia & veritas per Iesum Christum facta est. *Ioan.* 1.

Peccatum enim vobis non dominabitur: non enim sub lege estis, sed sub gratia, *Rom.* 6.

An ignoratis fratres: (scientibus enim legem loquor) quia lex in homine dominatur, quanto tempore viuit. Itaque fratres mei & vos mortificati estis legi per corpus Christi, vt fructificetis Deo. 7.

Finis enim legis Christus, ad iustitiam omni credenti. 10.

Ego enim per legem legi mortuus sum, vt Deo viuam, Christo confixus sum cruci, *Gal.* 2.

At vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, vt eos qui sub lege erant, redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus. 4.

Quod si spiritu ducimini, non estis sub lege. 5.

Translato enim sacerdotio, necesse est, vt legis translatio fiat. *Heb.* 7.

Reprobatio quidem fit præcedentis mandati propter infirmitatem eius, & inutilitatem: Nihil perfectum adduxit lex. *ibid.*

Vmbram enim habet lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum, per singulos annos eisdem ipsis hostiis, quas offerunt indesinenter, numquam potest accedentes perfectos facere. 10.

Legis Euangelicæ fructificatio.

Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Israel, & domui Iuda fœdus nouum, non secundum pactum quod pepigi cū patribus vestris, & nouum erit pactum, quod feriam cum domo Israel. Post dies illos, dicit Dominus, dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam illam, & ero eis in Deū, & ipsi erunt mihi in populum. Et non docebit vltra vir proximum suum, & vir fratrem suum, dicens: Cognosce Dominum. Omnes enim cognoscent me à minimo eorum vsque ad maximum, ait Dominus, quia propitiabor iniquitati eorum & peccati eorum non memorabor amplius, *Ierem.* 31.

Sententiæ Patrum.

Quicumque dat præcepta hominibus, ad vitam moresque fingitaliorum siquidem bona sunt, quæ præcepit: at ipsi eodem modo viuendum est, quo docet esse viuendum: si aliter ille viuerit, præceptis suis fidem detrahat, leuioremque doctrinam suam faciat, si re ipsa resoluat, quod verbis nitatur astringere. Cum igitur quis non faciat, quæ præcepit, quæ insolentia est, vt homini libero imponere velit leges, quibus ipse non pareat? Homines enim malunt exempla, quam verba: Quia loqui facile est, præstare difficile. *Lactant.* 4. *lib. Instit. diuin.* rum.

Suscipienda lex Dei est, quæ nos ad hoc iter, summumque bonum dirigat, illa, s. lex sancta, illa cælestis, quam M. Tullius in libro de Repub. 3. pene diuina voce depinxit in hæc verba: Est quidem vera lex recta ratio, naturæ congruens, diffusa in omnes, constans, sempiterna, quæ vocet ad officium iubendo, vetando a fraude deterreat: quæ tamen neque probos frustra iubet, aut vetat, nec improbos iubendo, aut vetando monet. Huic legi nec prorogari fas est, neque derogari aliquid licet, nec tota abrogari potest: nec vero aut per Senatum, aut per Populum solui hac lege possumus: nec est quærendus explanator, aut interpres alius: nec erit alia lex Romæ, alia Athenis, alia nunc alia posthac, sed & omnes gentes,

tes, & omni tempore vna lex, & sempiterna, & immutabilis continebit, vnusque erit communis quasi magister, & imperator omnium Deus, ille legis huius inuentor, disceptator, lator, cui qui non parebit, ipse se fugiet, ac naturam hominis aspernetur: hoc ipso luet maximas pœnas, etiamsi cætera supplicia, quæ putantur, aufugerit. *Idem, lib. 6.*

Omnium legum est inanis censura, nisi diuinæ legis imaginem gerat. *Aug. lib. 9. de Ciuit. Dei.*

Non frustra sunt instituta potestas regis & cognitoris ius: vngulæ carnificis, arma militis, disciplina dominantis, seueritas etiã boni patris. Habent omnia ista modos, suas caussas, rationes, vtilitates, hæc cum timentur, & mali coercentur, & boni quiete inter malos viuunt. *Idem, ad Maced. & hab. 23. q. 5. can. Non frustra.*

In istis temporalib. legib. quanquam de his homines iudicent cum eas instituunt: tamen cum fuerint institutæ, & firmatæ, non licebit iudici de his iudicare, sed secundum ipsas. Leges instituuntur, cum promulgantur: firmantur, cum moribus vtentium approbantur. Sicut. n. moribus vtentium in contrarium nonnullæ leges hodie abrogatæ sunt: ita moribus vtentium ipsæ leges cõfirmantur. *Idem de ver. relig. & hab. dist. 14. c. In istis.*

Lex Dei charitas est, lex data est, vt gratia quæreretur. Gratia data est, vt lex impleretur. *Idem in lib. de spiritu & litera.*

Coronam minime carpendam, id est, leges vrbium conseruandas. *Hier. li. 3. contra Ruffinum.*

Imperiali constitutum est sanctione aperte, vt ea quæ contra leges fiunt, non solum inutilia, sed etiam pro infectis habenda sint. *Greg. in Registro, & hab. 25. q. Imperiali.*

Factæ sunt autem leges, vt earum metu humana coerceatur audacia, tutaq; sit inter improbos innocentia. & in ipsis improbis reformidato supplicio refrenetur audacia & nocendi facultas.

Erit autem lex honesta, iusta, possibilis, secundum naturam, & secũdum consuetudinem patriæ, loco, temporique conueniens, necessaria & vtilis, manifesta quoque, ne aliquid per obscuritatem incautum captione contineat, nullo priuato commodo, sed pro communi ciuium vtilitate cõscripta. Ideo in ipsa constitutione ista consideranda sunt, quia cum leges institutæ fuerint non erit liberum iudicare de ipsis, sed oportebit iudicare secundum ipsas. *Isid. l. 2. Etymol.*

Priuilegia sunt leges priuatorum, quasi priuatæ leges. Nam priuilegium dictũ est, eo quod in priuatos feratur. *Idem, lib. 5. Etymol. & hab. dist. 1. Priuilegia.*

Omnis autem lex aut permittit aliquid, vt vir fortis petat præmiũ, aut vetat, vt sacrarum virginum nuptias nulli petere liceat: aut punit, vt qui cædem fecerit, capite plectatur. Eius enim præmio aut pœna vita moderatur humana. *ibid.*

Omnes leges aut diuinæ sunt, aut humanæ. Diuinæ natura, humanæ moribus constant. Ideoque hæ discrepant: quoniam aliæ gentibus alijs placent. Fas, lex diuina est: Ius, lex humana. Transire per agrum alienum, fas est: Ius non est. *Idem, lib. 5. Etymol. & hab. dist. 1. in pr. dec.*

Moyses gentis Hebrææ primus omnium diuinas leges sacris literis explicauit. Phoronæus ex Græcis primus leges iudiciaque constituit: Mercurius Trismegistus primus leges Aegyptiis tradidit. Solon equidem primus leges Atheniẽsibus edidit. Lycurgus Lacedæmonijs iura ex Apollinis authoritate confinxit. Numa Põpilius, qui Romulo successit in regno, primus Romanis leges edidit. Deinde cum populus seditiosus magistratus ferre non posset, Decemuiros legibus scribendis creauit, qui leges ex libris Solonis in Latinum sermonem translatas, duodecim tabulis exposuerunt. *ibid. & hab. dist. 17. c. Moyses.*

Fuerunt autem hi, Appius Claudius, Titus Genutius, Publius Festius, Lucius Veturius, Caius Iulius, Aulus Manlius, Publius Sulpitius, Publius Curiatius, Titius Romulius, Spurius Posthumus. *ibid. can. Fuerunt.*

Ius generale nomen est: Lex autem iuris est species. Ius autem est dictum, quia iustum est. Omne autem ius legibus & morib. constat. *Isidor. lib. Etymol. & hab. dist. 1. c. Ius.*

Octo genera pœnarum in legibus contineri Tullius scripsit, id est, damnum, vincula, verbera, talionem, ignominiam, exilium, seruitutem, & mortem. *idem, lib. 2. Etymol.*

Poeticæ Sententiæ.

Legis perfectio charitas est.

Anthol. sacr. Iac. Bill.

Verus amor Christi vera est custodia legis,
Et mandata Dei complet amans homines.
Quorum ignoscentes culpis, sua crimina soluunt,
Quodq; alijs tribuunt, hoc sibi prospiciunt.
Det peccatori veniam peccator, & æqua
Conciliet Dominum conditione sibi:
Cuius iudicium de nostro examine pendet.
Quod serimus, metimus: quod damus, accipimus.

Lex quasi dux est ad gratiam.

Non seruit iussu legis prudentia carnis,
Peccati stimulos nec superare potest.
Sed quia mens anceps patitur mala corporis ægri,
Quærere diuinum cogimur auxilium.
Lex igitur facit, vt poscatur gratia Christi,
Ardua quæ legis iussa queant fieri.
Nec tam non valeat carnales vincere sensus,
Quos iusto legis conditor ipse iuuat.

Legis violentia.

Index peccati lex est plectenda vetando,
Quæ nisi cor mundet, Spiritus interimit.
Nullus enim est insons sola formidine pœnæ,
Qui sanctum & iustum non amat imperium.
Hunc tamen affectum non lex, sed gratia confert:
Quodq. iubet legis litera, velle facit.

Plaut. Epid.

P E. Quem hominum inuenimus ad eam rem vtilem. A P.
Hic erit optimus.
Hic poterit cauere recte, iura qui & leges tenet.

Pitt. per Auson.

Parete legi, quisquis legem sanxeris.

Petronius.

Quid faciant leges, vbi sola pecunia regnat?
Aut vbi paupertas vincere nulla potest?

Plaut. Trin.

Mores leges perduxerunt iam in potestatem suam.

Idem.

En misere etiam ad parietem sunt fixæ clauis ferreis:
Vbi malos mores affigi nimio fuerat æquius.

Lucan. 3.

Pereunt discrimine nullo
Amissæ leges: sed pars vilissima rerum
Certamen mouistis opes.

Ex Græcis Comicis.

Ἰσχυρὸν ὁ νόμος ἐστὶν ἂν ἄρχοντ' ἔχῃ.
Res valida lex est, quum magistratus habet.
Νόμοις ἕπεσθαι τοῖς ἐγχωρίοις καλόν.
Quo degis in loco, illius morem cole.
Ῥήτωρ πονηρὸς τοῖς νόμοις λυμαίνεται.
Orator improbus lues est legibus.
Βίας παρούσης οὐδὲν ἰσχύει νόμος.
Contra vi agentes nulla lex quidquam potest.

Euripides.

Gubernari oportet malos à bonis, & parere se melioribus.

Idem in Dictyæ.

O senex: ne cum regibus contenderis:
Venerandos enim esse principes antiqua lex est.

Idem in Erichthea.

Et improbos in ciuitate nunquam promoueris,
Mali enim vel pecunijs ditati,
Vel aliquo Reipublica magistratu aucti.
Exultant, repente fortunatis ipsorum domibus factis.

Idem in Supplicib.

Nihil est ciuitati præstantius quam leges
Recte positæ. Nam & inferioris homo fortis.
Et qui ditior est æquale ius experiuntur,
Vincit autem minor maiorem, si iustam causam habeat.

Menander in Adelphis.

Non omnino concedendum est malis.
Sed resistendum: sin minus, sursum atque deorsum
Vita nostra inopinato tota peruertetur.

Idem in Androgyno.

Τὸ γὰρ σύνηθες οὐδαμοῦ παροπτέον.
Nusquam negligenda est consuetudo.

Idem.

Leges perquam egregiæ res sunt: sed is, qui legibus vtitur
Nimium exacte, sycophanta esse videtur.

Horat. lib. 3. Od. 24.

Quid tristes querimoniæ,
Si non supplicio culpa reciditur?
Quid leges sine moribus
Vanæ proficiunt? si neque feruidis
Pars inclusa caloribus
Mundi, nec Boreæ finitimum latus,
Durataq; solo niues:
Mercatorem abigunt? horrida callidi
Vincunt æquora nautæ.

Terent. in Phorm.

Mihi non videtur, quod sit factum legibus,
Rescindi posse, & turpe inceptum est.

Ouid. 3. Fast.

Inde datæ leges, ne fortior omnia posset.

Cępta.

Captaque sunt pura tradita face sacra.
Exutus feritas, armisque potentius aequum est,
Et cum ciue pudet conseruisse manus.

PHILOSOPHICÆ SENTENTIÆ.

Legum alia propria est, alia communis. Propriam dicimus, qua ciues scripta vtuntur: communem vero, quæ nonnulla, etiamsi scripta non sunt, apud omnes tamen valere videntur. *lib. 1. Rhetor. ad Theod. c. 10.*

Quæ a disciplina legum ferendarum constituta sunt, ea legitima habentur, quorum quæque in iustis esse dicimus. Leges autem iubent omnia, in quo vel communem vtilitatem exquirūt, vel optimorum, vel principum: idque vel actionibus virtutum, vel alia ratione. *lib. 5. Ethic. c. 1.*

Qui ea committit, quæ leges prohibent, & de quibus supplicia sunt, is ea multo magis committet, de quibus nullum supplicium est. *lib. 1. Rhet. ad Theod. c. 14.*

Maximè conuenit, vt quæ rectè positæ sunt leges, cuncta ipsæ explicent, quæ explicari queant, & quam minima iudicibus relinquant. Primum, quia vnum aut paucos prudentes, qui leges ferre, aut iudicare possint, facilius est inuenire, quam multos. Deinde, quoniam longi temporis consideratione leges feruntur: iudicia breuissimè conficiuntur. *lib. 1. ad Theod. c. 1.*

Salus ciuitatis in legibus est. *lib. 1. Rhet. c. 4.*

Qui leges de excellentia tollunt, Respublicas tollunt. *lib. 5. de Republ. c. 9.*

In hoc omnis vis æqui, & boni posita est, vt correctionem quamdam legi adhibeat, quia ab ea abest aliquid propter generalē sine exceptione comprehensionem. Cur enim lege non caueantur omnia, causa est, quod de quibusdam omnino lex fieri nō potest. Quocirca decreto opus est. Incertæ enim rei, ac infinitæ incerta semper, & infinita quærenda regula est. *l. 5. Ethic. c. 10.*

Politus, & liberalis homo ita animo affectus erit, vt sibi lex esse velit. *lib. 4. Ethic. c. 8.*

Hoc ipsum violare leges, ac iniquum esse iniustitiam omnem complectitur: fusumque est per omnem iniustitiam. Quoniam autem omnis est, qui contra leges facit, iniustus: & omnis iustus, qui paret legibus: perspicuum est, ea omnia, quæ legitima sunt, in iustis esse quodammodo numeranda. *lib. 5. Ethic.*

Legem dico, alteram propriam esse, alteram communem. Et propriam quidem, quæ singulis inter se ipsis determinata est. Et hāc aliam scriptam, aliam non. Communem vero, quæ secundum naturam est. *l. 1. Rhet. ad Theod. c. 13.*

Lex, vt ita dixerim, oratio quædam est, quæ communi ciuitatis consensu definita iubet, quo pacto vnumquodque agendum sit. *In Rhet. ad Alex. c. 1.*

Si res, de quibus lex lata est, non similiter se habeant, lex autem ita: tunc vero id ipsum significandum est, ostendendumque sibi ipsi eam repugnare. Sin vero lex rebus conueniat, tunc optima sententia dicendum non esse legem positam, vt præter leges iudices: sed ne ignorando quid leges volunt, peiores. Et quod nemo eligit, quod simpliciter bonum est: sed omnes quod sibi. Et quod non differat, vel nullas leges esse, vel non vti. Et quod etiam in morbis non conferat aduersus Medicum cauillari: quamuis non tantum Medici error officiat, quantum si obedire principibus assuescimus. Et quod probatæ leges id maximè vetant, ne quis se legibus prudentiorem velit ostendere. *lib. 1. Rhet. ad Theod. cap. 15.*

Et lex descriptio est, & præclara legum descriptio ordoque sit necesse est. Numerus autem immensus, nec descriptione vlla, nec ordine contineri potest. Diuinæ enim hoc potestatis, ac naturæ est, quæ hanc etiam vniuersitatem continet. *lib. 7. de Republ. c. 4.*

Nihil interest verum vir bonus scelestum spoliauerit, ac bonum improbus: nec verum bonus, anne malus adulteratus sit: sed lex damni solum spectat dissimilitudinem, vtiturque pro paribus, si alter violauit, alter violatus est. Et si hic damnum dedit, ille accepit. Ideoque iniuriam hanc, quoniam iniqua est, ad æqualitatem iudex & paritatem conatur traducere. *lib. 5. Ethic. c. 4.*

Ex quaque virtute vitam degere præscribit lex, & ex vitijs vetat. *lib. 5. Ethic. c. 2.*

Eæ leges colendæ sunt, quibus magistratus parui quidem, ac multi ex sortitione, id quod seditione vacat, maximè autem externus multitudinis suffragijs in popularibus principatibus designētur. Ita enim & ipse populus, quoniam in ipso sit, eos donare hominibus quos voluerit, haud quaquam accipientibus inuidebit: & clariores magis magisque probitatis studebunt. vtcunque qui intelligant vsui sibi futurum apud ciues se probari. *ibid.*

Lex quidem & fortis suum officium præscribit, vt non deserere ordinem, nec fugere, nec arma abijcere: & temperato non adulterari, nec vi constuprare: & clementi, non verberare, neque conuitiari: itemque in cæteris virtutibus, & vitijs, illa iubet, hæc vetat. Ac salutaris quidem habenda est ea, quæ rectè lata est: quæ inconsultè, & inconsideratè, perniciosa. *lib. 5. Ethic. c. 1.*

Opus est in conditis legibus seueritatem inesse, qua neque ægrum ad egestatem redigere, neque morientium substantias publicare fas sit: sic & magnis ijs cruciatus inscribere, qui hæc obseruare neglexerint. Decet autem ijs aliquem honestum sepulturæ locum ante vrbem publicè dari, qui pro patria bellādo perijssent, & eorum filios ad pubertatem vsque publicis alimentis enutriri. Huiuscemodi igitur leges in populari principatu ferendæ sunt. *Arist. in Rhet. ad Alex. c. 3.*

Cum lex nullam vim ad parendum nisi consuetudine extra habeat, quæ nisi diuturnitate temporis non capitur: profecto facilis legum quæ extent, in alias nouas commutatio, naturæ legis infirmatio est. *lib. 2. de Repub. c. 6.*

Leges salutares valere oportet, eiusque qui præsit, siue vnus sit, siue plures, summam in ijs rebus esse potestatem: de quibus leges, quoniam non facile est de omnibus omnino, & ratum explicare, cauere nullo modo possunt. *libro tertio, de Republica, capite septimo.*

Necesse est qualis Respublica sit, tales esse leges, aut perniciosas, aut salutares: iustas, aut iniquas. Attamen hoc quidem perspicuum est, leges pro ratione Reipublicæ esse scribendas. Quod est, illud perspicuum est, eas quæ ad rectam formam Reipublicæ accommodatæ erunt, salutares & bonas: quæ ad Reipublicæ mutationem, perniciosas & malas necessario futuras. *ibidem.*

Patet ad ferendas quidem leges peregrinationes quibus multarum gentium leges cognoscere poteris, esse perutiles: ad publica vero consilia, diligenter perscriptam rerum gestarum historiam. *lib. 1. Rhet. ad Theod. c. 4.*

Communis lex numquam immutatur, enim secundum naturam sit: ius vero scriptum sæpius. *lib. 1. Rhe. ad Theod. c. 15.*

Vt paucis dixerim, debent in popularibus principatibus leges cohibere plebem, ne locupletiorum bonis inhient insidienturque: in paucorum vero principatibus auertere illos, qui Rempublicam gerunt: & ab imbecillorum contumelijs, & a calumnijs insimulationibusque in ciues. *libro Rhetoricorum ad Alexand. capite quinto.*

Is orator qui quicquam lege suadere voluerit, hanc ostendat oportet æqualem esse ciuibus, & reliquis legibus consentaneam, ciuitatique conducibilem ad quietem & concordiam maxime, vel ad ciuium probitatem, aut ad publica tributa, aut ad ipsius Reipublicæ gloriam, aut ad vrbis potentiam, aut ad aliud eiusmodi vsui aliquid cedere. Aduersarius vero primum considerabit: an minus lex illa communis sit vtilis omnibus, deinde an reliquis legibus non consentiat, sed aduersetur potius quodammodo: præterea an ad horū quæ ante dicta sunt conducibilia sit nihil sed contra nocitura potius. *ibid.*

Et iusta habenda sunt, quæ in omni virtute lege sunt constituta, vt non iubet lex mortem sibi quemquam consciscere. At quæ non iubet, ea profecto vetat. Præterea vt quisque contra leges nocet cuipiam, non lacessitus, ita sponte inferre iniuriam dicitur. *Ethic. lib. 5. c. 11.*

Vniuersa hominum vita, Athenienses, siue magnam vrbem incolant, siue paruam. Natura & legibus gubernatur, horum porro natura quidem incerta & versatilis est. & sua cuiusque hominis leges autem communes & ordinatæ sunt, idemque præscribunt omnibus: itaque si natura praua est, sæpe mala capit consilia, atque inde tales in delicta ruere facile inuenire licet: leges vero iustum, honestum & vtile imperant. & idipsum quæritant; quod cum fuerit inuentum, commune illud sit edictum, ac proponitur omnibus par & æquale, idque Lex est, cui parere decet, cum propter multa, tum maxime, quia omnis Lex inuentum sane & donum est deorum, Decretum vero hominum prudentum: recta porro vel spontaneorum, vel culpa admissorum delictorum correctio, ciuitatis præterea communis conuentio, iuxta quam omnes viuere oportet, qui in ciuitate sunt. *Demo 1. ex orat. 1. contra Aristogit.*

Legibus & earum obseruantia exornantur omnia. *Ex oratione 1. contra Aristogit.*

Nihilominus neque pulchrum, neque decorum reperiri potest, quod nō cum lege aliqua communicet. *Ex oratione secunda contra Aristogit.*

Si leges abrogantur, & cuiuis licentia faciendi quidquid voluerit data sit, non solum Respublic. pessum ibit. sed nec quidquam interesse inter nostram & ferarum vitam. *Ex oratione secunda, contra Aristogit.*

Par & æquum legibus acceptum ferre debetis, & quæ bona sunt omnia, legum benignitate habetis. *Ex oratione contra Midiam.*

Legum vis & authoritas quæ est? vtrum si quis vestrum iniurijs affectus exclamauerit, vt ipsæ accurrant, & præsentia sua opē ferant? minime gentium, literæ enim depictæ sunt, neque illud præstare possunt. quænam igitur earum vis est? si vos eas confirmetis, & semper ratas firmasque exhibeatis earum opem implorantī. *Ex orat. cont. Midiam.*

Omnia

Omnia quæ præclara sunt, quæque augusta, & per quæ ciuitas decoratur ac conseruatur, liberorum erga parentes obseruantia, iuuenum erga natu maiores reuerentia & moderatio, legũ additamẽto, & ope turpitudinẽ, immodestiam, audaciam, impudentiam fugiant. *Ex orat. cont. Aristog.*

Enitendum est profecto, vt omnes leges quam rectissime se habeãt: in primis autem hæ, per quas paruam aut magnam licet esse ciuitatem: hæ vero sunt, quæ boni aliquid facientibus, præmia decernunt, quæque contra facientibus supplicia constituunt. *Ex orat. ad Lept.*

Duas ob caussas omnes ferũtur leges, tum vt nemini quidquam iniusti liceat agere: tum vt ijs, qui isthęc transgressi sunt supplicio affectis, cæteri meliores efficiantur. *Ex orat. 2. cont. Arist.*

Cum leges feruntur, videndum est quales & quęnam sint: vbi vero latæ sunt, eas conseruare, ijsque vti decet: nam & iuramenti sanctitas & alioqui iustitia flagitat. *Ex orat. con. Midiam.*

Decet vos qui iudicijs exercendis semper præfecti estis, leges conseruare, & eas validas & fortes reddere: harum enim beneficio probi improbis meliores euadunt. *Ex orat. 1 cont. Aristog.*

Illi Locrenses sic putant oportere veteribus latis vti legibus, & instituta moresq. patrios tueri, nec ad cuiusq; voluntatem & iniuriarum impunitatem leges ferendas esse, vt si quis velit legem ferre, in laqueum collum inserens legem ferat: ac si honesta & vtilis videatur esse lex, viuit qui eam tulit & abit: sin minus, constricto laqueo perit. *Ex orat. cont. Timocr.*

Solon existimabat argentum quidem numisma esse priuatarum commutationum caussa inter priuatos repertum: leges autem putauit ciuitatis numisma esse. Itaq; iudices oportet multo magis, si quis istud, quod ciuitatis sit numisma, corrumpat & adulterinum inducat, odisse & punire, quam si quis illud quod priuatum sit. *Ex orat. cont. Timocr.*

Si porro exactissime cognoscetis, quanta proficiscitur vtilitas ex bonarum receptarumque legum obseruatione, quantumq; damnum est ex earum contemptu, si legum commoda seorsum & quæ ex earum violatione eueniant damna, ob oculos posita perspiciatis. *Ex orat. cont. Aristog.*

Nullus est vsus ciuitatis quæ neruos ac vires aduersus sceleratos & iniurios non habet, neque Respub. in quo venia & amicorũ preces plus valent quem leges. *Ex orat. de fal. legat.*

Illud est Democratiæ summum præsidium, hostes vel consulendo, vel pugnando superare, legibus autem siue volentes, siue repugnantes minores se gerere. *Ex orat. 2. con. Arist.*

Neminem quæso censeatis tantæ apud vos authoritatis esse, vt qui leges transgressus fuerit inultus maneat. *Olynth. 3.*

Oportet legum violationes omnibus cõmunes existimare, in quocumq tandem deprehendantur, neque vllum tantum beneficiũ in Rempublicam neque homo quisquam, neq; dolus aliquis, aut aliud quidquam excogitari debet, cuius gratia qui leges violauerit, non luat pœnas. *con. Midiam.*

Lex est oratio summa, insita in natura, quæ iubet ea quæ facienda sunt, prohibetq; contraria. *Cic. de Leg.*

Lex nihil est aliud, nisi recta, & a numine Deorum ratio, imperans honesta, prohibensq contraria. *Philip. 1.*

Legibus proposita sunt supplicia vitijs, præmia virtutibus. *2. de Orat.*

Vitiorum emendatricem legem esse oportet, commendatricemq; virtutum: ab ea enim viuendi doctrina ducitur. *1. de leg.*

Docemur authoritate, nutuq. legum, domitas habere libidines, coercere omnes cupiditates, nostra tueri: ab alienis mentes, oculos, manus abstinere. *1. de Orat.*

Leges sunt inuentæ, quæ cum omnib. vna, atque eadem voce loquerentur. *2. Offic.*

A maioribus nostris nulla alia de caussa leges sunt inuentæ, nisi vt suos ciues incolumes conseruarent. *In Vatin.*

Ad salutẽ ciuium, ciuitatumq; incolumitatem, vitamq. hominum, & quietam & beatam, conditę sunt leges. *de leg.*

Ea virtute & sapientia maiores nostri fuerunt, vt in legibus scribendis, nihil sibi nisi salutem, atq; vtilitatem Reipublicæ proponerent. Neque enim ipsi quod obesset, scribere volebant: & si scripsissent, cum esset intellectum, repudiatum iri legem intelligebant. *1. de inuent.*

Nil est tam aptum ad ius conditionemque naturæ, quam lex, sine qua nec domus vlla, nec ciuitas, nec gens, nec hominum vniuersum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus potest. *3. de leg.*

Fundamentum libertatis, fons æquitatis, mens & animus & consilium, sententia ciuitatis, posita in legibus. *Pro Cluen.*

Maior hæreditas venit vnicuique nostrum a iure, & legibus quam ab ijs, a quibus illa bona relicta sunt: Nam vt perueniat ad nos fundus, testamento alicuius fieri potest: vt retineamus quod nostrum factum est, sine iure ciuili non potest. *Pro Cæcin.*

Lex non est vera, aut legitima, quæ inauspicata, improspera, impiaque vel præcipit, vel quod paulo minus est fert. Est autem lex, Pindari sententia, Deorum atque hominum regina: Item legis finis est iustitia. Lex, Principis opus: Princeps Dei vniuersa exornantis spirans imago, vbicumq; ergo Principum instructiones, aut ciuitatum veræ non sunt, i. ad optimum ratione certa non dirigunt, legis haud quaquã videri nuncupatione, sacrove dignas titulo. Quinimo, decreta dici verius, Edictave, ac instituta, Lex. n. vera, bona est, lex æterna, itẽ & mutationis prorsus nescia, imo eadem vbique si modo vera: nam quæ ingeniorum afflatu subinde locis temporibusq. interpolata distinguitur, & Protei modo formam euariat, neutiquam lex dicenda est.

Plutarchus inquit, in ciuitatibus aliæ ad honestatem pertinent, quędam & ad necessitatem: honestorum vero omnium illud multo maximum est εὐνομία id est, legum bonitas: necessariorũ autem εὐπορία, id est, rerum affluentia.

Qui Locris leges constituit Zaleucus, cum sanxisset ne quis armis obseptus senatum ingrederetur: posteaquam vrgente bello, armatus senatum adijt, succlamauit quidam, Legem soluit Zaleucus, at is conuersus, non solutum quidem, sed corroboraturum pronunciauit: moxq. cum gladio ipsum se tradens, vitam abrupit, quæ transgredienti sanciebatur pęna. *Cæl. lib. 8. c. 19.*

Qui meliores, apud eos fieri homines existimarent, apud quos leges essent repositę, plurimum falli iudicabant: nihil. n. prohibere, quo minus omnes sint Græci æquales, quod facile sit alios ab alijs literas accipere legem continentes. Sed ex huiusmodi nulla fit accessio virtuti, verum è quotidianis exercitijs: plerosque. n. illis moribus æquales reddi, quibus pro se quisque instituti fuerint. Multas enim exquisitas leges, argumentum esse male administratæ ciuitatis. Quod qui oppilationes peccatis faciunt, multas fieri leges cogant. Operæ pretium autem est, eos qui bene Reipublicæ præesse student, non implere porticus literis, sed animo iustitiam possidere: non enim decretis, sed moribus commodũ gubernari ciuitatis. Male educatos quidem exquisite scriptas etiam violare leges ausuros. Liberaliter vero institutos, honestos permansuros. *In orat. 10. Areopag.*

Neque. n. maiorum leges contemnendæ, quarum latores vsq. adeo sancti ac pij inter mortales habiti, vt commercium cum Dijs immortalib. habuisse crediti sint, eorumq. nonnulli Deorũ nomen, ac cultum viuendo quoque sibi compararuerint. Nam apud Ægyptios Mnes suarum legum Mercurium autorem finxit. Minos apud Cretenses Iouem, Lycurgus apud Lacedæmonios Apollinem Zamolxis apud Getas Vestam. Moyses apud Iudæos Deum: Darius Xerxis parens sextus apud Ægyptios legumlator, Deus appellatus est. Numa Pompilius Romanorum Rex secundus, a Dea Ægeria, vel, vt alij volunt, ab vna ex Musis leges accepisse dicitur. Quod si tantum & legibus, & legumlatoribus a veterib. illis tributum est, quine & nos maiorum nostrorum vestigia sequentes, eas & obseruare & venerari debemus, illisque semper parere? Nam ad mortalium emolumentum conditæ ac perlatæ sunt, nullaque est lex, quæ Plutarcho affirmante, ad humanę vitæ non spectet vtilitatem: Ait enim: Νόμοι βούλονται μὲν εὐεργετεῖν βίον ἀνθρώπων. οὐ δύναται δὲ ὅταν βίον οὐ βούλονται πάσχειν. ἐν τοῖς γὰρ πειθομένοις ἐνδείκνυνται τὴν ἰδίαν ἀρετήν i. Volunt quidem leges vitæ prodesse hominum, non possunt autem, cum ipsæ pati concupiscunt: in ijs enim qui libenter parent, suam indicant virtutem. *Steph. niger in exposit. Car. Pyth.*

Leges, inquit, vt faciamus quod oportet, nõ efficiunt. Et quid aliud sunt, quam minis mixta præcepta? Primum omnium ob hoc illæ non persuadent, quia minantur: at hoc non cogunt, sed exorant. Deinde leges a scelere deterrent, præcepta in officium adhortantur: his adijce, quod leges quoque proficiunt ad bonos mores, vtique si non tantum imperant, sed docent, In hac re dissentio a Possidonio, pro eo, quod Platonis legibus adiecta principia sunt Legem. n. breuem esse oportet, quo facilius ab imperitis teneatur, velut emissa diuinitus vox sit: iubeat, non disputet. Nihil mihi videtur frigidius, nihil ineptius, quam lex cum prolegomeno, dic quid me velis fecisse, non disco, sed pareo. Proficiunt itaque, malis moribus, vt videbis, ciuitates vsas malis legibus. At non apud omnes proficiunt, ne philosophia quidem, nec ideo inutilis & formandis animis inefficax est. *Senec. in epist. 95.*

Verum quidem est, antiquas leges retinendas esse immotas, tunc videlicet cum certa pax est: sed cum alij astute nobis insidiantur, nouis quoque artibus opus est. *Thucyd. l. 1.*

Perniciosissimum est, si decreta non sunt stabilia, nec cogitatis meliorem esse statum eius ciuitatis, quæ quamquam deterioribus legibus, tamen constanter vtitur, quam quæ bonas leges habet, quibus tamen non constanter vtitur, estque vtilior inscitia cum modestia, quam calliditas cum impunitate. Ac plerumque rudiores homines melius regunt suas Respublicas quam astuti. *Idem, lib. 3.*

Qui eas habent leges, per quas in maximam, quamdiu illas obseruarunt, potentiam euasere, temere quid contra leges committere non debet. *Xenoph. de reb. gest. Græc. l. 1.*

Bonis legibus, & honestorum studiorum æmolatione, pia, temperans, iusta & re bellica præstans ciuitas redditur. *Dionys. Halic. lib. 2.*

Legũ scripta transgredi,& vim iure potiorem facere, certè hoc nõ est amplius populare,sed si veritatem audire vultis,tyrannicum.

Ex qua ciuitate iura, & leges expelluntur in eam seditio bellumq; ingredi solet.*idem,lib.7.*

Cum à Platone Cyrenæi petijssent,vt leges ipsis ferret, populumque componeret forma Reipublicæ moderata, difficile esse respondit; Cyrenensibus rebus tam secundis vtentibus leges statuere. nihil enim difficilius regi posse,quam hominem prospera vtentem fortuna:nihilq; vicissim facilius admittere disciplinam, quam eum qui rebus aduersis esset fractus.*Plut.in Lucullo.*

Quid attinebit vniuersas rogare leges,quas mox abrogare,in quos latæ sunt,possint? *Liuius,Decad.4.lib.4.*

Quemadmodum ex his legibus, quæ non in tempus aliquod, sed perpetuæ vtilitatis causa in æternum latæ sunt, nullam abrogari debere fateor,nisi quam aut vsus coarguit,aut status aliquis Reipublicæ inutilem fecit:sic quas tempora aliqua desiderarunt leges mortales(vt ita dicam) & temporibus ipsis mutabiles esse video, quæ in pace latæ sunt, plerumque bellum abrogat: quæ in bello,pax.vt in nauis administratione alia in secunda,alia in aduersa tempestate vsui sunt. *Liuius,Decad.4.lib.4.*

Sicut morbos necesse est prius cognitos esse, quam remedia eorũ: sic cupiditates prius natæ sunt,quam leges, quæ ijs modum facerent. Quid legem Liciniam excitauit de quingentis iugeribus, nisi ingens cupido agros continuandi? quid legem Cinciam de donis,& muneribus,nisi quia vectigalis iam,& stipendiaria plebs esse senatui cœperat? Itaque minimè mirum est,nec Oppiã, nec aliam vllam tam legem desideratam esse, quæ modum sumptibus mulierum faceret,cum aurum, & purpuram data, & oblata vltro non accipiebant.*idem,ibid.*

Vi,ambitu,pecunia,leges turbantur. *Tacit.Annal.lib.5.*

Non potest princeps sua scientia cuncta complecti, neque expedit vt ambitione aliena trahatur. Ideo leges in facta constituuntur, quia futura in incerto sunt. Satis onerum principibus.satis etiã potentiæ:minuuntur iura,quoties gliscit potestas: nec vtendum est Imperio,vbi legibus agi possit.*Tacit.Annal.lib.3.*

Vetustissimi mortalium,nulla adhuc mala libidine,sine probro,scelere, eoque sine pœna, aut coercitionibus agebant: neque præmijs opus erat, cum honesta suopte ingenio peterentur: & vbi nihil contra morem cuperent,nihil per metum vetabantur. At postquam exui æqualitas,& pro modestia,ac pudore ambitio, & vis incedebat,prouenere dominationes,multosq. apud populos æternum mansere. Quidam statim,aut postquam Regum pertæsum,leges maluerunt. Hæ primo rudibus hominum animis simplices erant.*Tac.annal.l.3.*

Christianæ religionis leges hominem potius conseruandum esse, quam perdendum, nec totum mundum cum eius animo comparandum docent.*Nicetas Andronic.Comm.lib.2.*

Sine legibus Respublica non est Respublica.*P.Orosius,hist.lib.7.c.43.*

Arma cum legibus duo sunt, quæ ad Respublicas gubernandas aptissima putantur.*E.Facius,hist.lib.10.*

Tzincišcanis,legislator Scytharum, homo vilis, & faber ærarius, author suis fuit, vt delicias fugerent, obuijs contenti essent, alij alios inter se diligerent,priuata emolumenta spernerent, Reipublicæ consulerent,nihil in vita festinanter agerent, omnibus cibis vterentur,plurimas vxores ducerent,nullos fundos possiderent,migrarent quo commoditas inuitaret,prauos quoslibet tollerent,ac vestibus etiam integris assuerent: quod cum nulla necessitate coacti facerent, sine verecundia facturos: cum esset opus, aliena occuparent: veritatem in verbis colerent, iustitiã in factis,quorum alterum ingenui animi, alterum esset rectæ voluntatis, vt nemo alterius oratione falleretur,nec in agendo circumueniretur vllis insidijs.*F.Pachymer.hist.lib.5.*

Quis primus inter mortales inuenerit,institueritque leges,non eadem omnium est opinio. Hebræi hunc Moysen fuisse volunt, Athenienses Cecropa, Argiui Phoroneum, a cuius nomine forum non minus commodè acceptum reor, quam ob eam rem ita nominatum,quod eo lites controuersiæque ferantur. Cretenses Minoa,atque Rhadamantum: Lacedæmonij Lycurgum, Aegyptij Mercurium Nili filium,cui Vulcanus successit in regnum: Persæ vero Zoroastren. nam Latini, qui in legibus ferendis iuniores extiterunt,eo cæteris hominibus in hoc doctrinæ genere mirificè omnibus præstiterunt. Quod autem ad Moysen attinet,hunc alij legum latorem (vt Philo Iudæus est locupletissimus testis) alij sacrarum legum interpretem prodiderunt, claruitque eadem tempestate apud suos, qua Cecrops apud Athenienses; Quos Cecropidas ab ipsius conditoris, & legum latoris nomine appellatos esse constat: & id quidem annis à mundi creatione tribus millibus sexcentis quinquaginta. Et Phoroneus,qui Inacho natus, regnauit Agris secundus, annos circiter trecentos: Postea legibus Arginos, ac iudicijs munijsse: nam Rhadamantum,ac ipsius fratrem,qui Ganymedem rapuit, Europa & Asterio natos fuisse longè his tribus posteriores constat: Lycurgum vero,quas leges Lacedæmonijs tradidit, à Cretensibus accepisse. At Zoroastres rex Bactrianorum qui primus omnium magicã illusionem reperit, quibus fuerit temporibus, è a ratione paret, quod aduersus eum Ninus rex Assyriorum dimicauit, & ne sim narrãdo prolixior, neminem inter legum latores inuenio, quem modo antiquitate Mercurio comparem: Hunc alijs omnibus legum latoribus,quam longissimè superiorem reperio. iccirco Ioue Maiaque natum poetæ cecinere,quod & mentis acumine viguerit, & prudentissimus fuerit. Mercurium enim authorem fuisse aiunt eloquentiæ,quę ex intellectu gignitur,& prudentia, eumdemq; & palæstræ,& lyræ, & præstigiarum peritiam primũ tradidisse. Sunt etiam qui hanc laudem legum ferendarum dent Aeaco Achillis auo,cuius filium Peleum cum Argonautis aduersus Colchos nauigantem ostendit Orpheus. Quam plurimos prętetea legimus,qui Cererem omnium primam extitisse arbitrentur ferendæ legis authorem, quod eo argumento refelli potest, quod Cererem fuisse constat annis ab initio mundi tribus millibus septingentis octoginta. Sed qui omnem illam superiorem antiquitatem legalis sapientiæ gloria superarit, Solona fuisse contendunt, qui antiquatis omnibus Draconis legibus, præter eas quas de cæde tulisset, ipse leges Atheniensibus dedit, quas ob eam rationem axes nominauit: quoniam in ligneis axibus scriptæ essent. Et floruit quidem Solon inter septem Græciæ sapientes Olympiade quadragesima septima,vel,vt alij perhibẽt, quinquagesima sexta, Pisistrato Athenis regnãte. Huius autem vnius Philosophi leges adeo apud omne pene in hominum genus illustres,atque præclaræ sunt habitæ, vt ne Romanos quidem puduerit post exactus reges, easque leges omneis penitus sublatas, quæ prius ab ipso vsque Romulo latæ fuerant, Athenas mittere legatos decem, qui inclitas leges Solonis peterent, quibus Romana Respublica fundaretur,his in decem eburneas tabulas præscriptis,in vrbemque allatis, & pro Rostris ad apertiorem volentium perceptionem positis: Præterea duæ postea tabulæ Hermodoro Ephesio authore in annum proximum ex publica potestate adiectæ sunt: quoniam ad tantæ ciuitatis Imperium pluribus legibus esset opus,& ita leges 12. tabularum appellatæ. Deinde secutum est ius ciuile,legis actiones,Ius Aelianum,plebiscita: quæ postea lege Hortensia,pro legibus habita,obseruataq. sunt. Post hæc ius id additum est necessario,quod Senatusconsultum nominatur,deinceps adiecta opportunè sunt Edicta Prætorum,à quorum honore ius est appellatum Honorarium: Ad postremum autem, principe constituto acceptove, illud est ius introductum, quod ab vnius principis voluntate manans, Principale vocatum est. Quid enim sigillatim memorem,aut de Publicis,aut de Priuatorum legibus, quæ Priuilegia dicuntur? Quid de consularibus, & Tribunitijs? quid de Satyra? quid de iure Militari? quid de iure Quiritium? quid de constitutionibus? quid de prudentium Responsis? Nulla est prorsus,neque legis, neque æquitatis, neque iuris pars,quam Romani,aut legum latores, aut Iurecon sulti intactam,indiscussamq; reliquerint. Non enim in tot Coruncanis,Brutis,Scæuolis,Paulis,Iauolenis. Pomponijs, Trebatijs, Tullijs,atque alijs prope infinitis, vnum aut Lycurgum,aut Solona inuenias. Quam enim gentem vnquam in vniuerso terrarum orbe excelluisse meminerimus, quæ cum in omnis laude virtutis,tum maximè in splendore Iustitiæ cum Romanorum Imperio comparari queat? Hæc autem non natura,sed disciplina primum acquiritur, & ea quidem disciplina, quam nobis legum, & iuris ciuilis scientia subministrat. Hæc sanè ea est iustitia, quam, ait Euripides, Hespero, atque Lucifero magis esse mirabilem. Hæc, inquam, vna virtus ita cunctis virtutibus antecellit, vt qui eam adeptus sit,solus bonitatis cognomentum adeptus existimetur.*Hi legum inuentores.*

Vt corpora nostra sine mente,sic ciuitas sine legibus,suis partibus, vt neruis,ac sanguine, & membris vti non potest. Leges Solonis, & Lycurgi enumerat Laertius,in eorum vitis. Solon interrogatus, qualiter ciuitas bene regi posset? respondit, si princeps, & maiores secundum leges vixerint.*Val.Max.lib.3.c.9.*

Leges primum explicabimus, rem me hercule pro ipsius magnitudine,atque excellentia vberiori dicendi fonte exhauriendam: neque me latet, plurimos in Trismegistum, atque in Phoroneũ regem legum ciuilium inuentionem, initiaque referre: Sed tamen compertum est illarum originem Dijs potius immortalibus consecratam, Cereremque primas leges dedisse hominibus, eamque ob rem legiferam à poetis, ac doctissimis, ac sapientissimis viris appellatam. Digna sanè res,quæ diuinitati adscriberetur: quippe quæ Dea fruges nobis, alimentaque dedisset, leges quoque dare voluit,sine quibus,aut constare,aut saltem honestè constare non possemus, vt vitam corpusque non solum sustentaremus cibo, sed legum etiam defensione tueremur. Atheniensibus autem Solon, qui & ipse vnus ex septem Sapientibus habebatur, nouas deinde leges instituit: primam, vt qui parentes suos non alerent, patrimoniumve dissiparent, illi perpetuo obscuri,atque ignobiles haberentur. Alteram,qui ocium sectarentur,& inertiæ dediti essent, atque desidiæ, eos iure ab omnibus, tamquam nocentissimos accusare posse. De præmijs eorum,qui in Olympia,atq; Isthmia vicissent,tertiã promulgauit: & qui in

prælio mortui pro patria cecidissent eorum filios publice nutriendos, erudiēdosq; præcepit: itē curatorē vna cum matre pupillorū nequaquā habitare: eum præterea curatorem esse nō posse, ad quē esset hæreditas pupillorum morte peruentura: Cæterum annulariū eius annuli, quem vendidisset, sigillum apud se nō retinere. Quæ abs te aliquo in loco posita non essent, ea inde tollere non ausis. Postremo statuit, ebrium, & temulentum principem non pecunijs esse mulctandum, sed durissima, atque ignominiosissima morte puniendum. *Campan in orat. studij iuris.*

Lycurgus quoque suis Lacedæmonijs leges condidit, quarum prima populum ad obsequium principum, atque optimatum: principes atque optimates ad iustitiam hortabatur: altera temperantiam omnibus in rebus suadebat, & parsimoniam auri, atque argenti penitus submouebat, vt nihil à quoquam emeretur, sed inter sese commutarent omnia: Quod etiam per belli Troiani tēpora fieri solitum scribit Homerus: Item iuuenibus non amplius vna veste, toto anni tempore permittendum: Pueros inopes, atque egenos non in vrbe fouendos esse, sed in agros ad vsum rei rusticæ deducendos, vt abeunte ætate laboribus assuefacti, paratiores ad paupertatem, atque inopiam tolerandam per reliquū tempus efficerentur. Virgines non dote maritandas, vt non ducerentur pecunijs, sed virtutis gratia expeterentur. Postremo statuit maximum quemque honorem, non diuitijs, aut potentiæ, sed soli ætati esse tribuendum, atque alia multa, quæ nos præter eunda consulto duximus.

Initium vero legum Romanorū, atque originem vobis multo, quā mihi notiorem esse non ambigo, pulsis videlicet Tarquinijs superiorum Regum leges abrogatas omneis, nouas deinde promulgatas, latam legem manumissionis, Vindicium Bruti seruum, qđ coniurationem patefecisset, primum apud Romanos fuisse manumissum, & etiam ciuitate donatum, ab eoque prætoriam vindictam appellatam: missos deinde Appium Claudium, atque alios, ad leges ab Atheniensibus capiendas: quo in loco Accursiū vestrum valde equidem demiror, optimum virum illum quidem, sed in inquirendia rerum antiquarum historijs perparum, vt mihi videtur, exercitatum qui cum iuris Romani originem interpretatur, rem affert veritati, atque historiæ minimè consentaneā, stultum quendam (nescio quid de nostra religione blaterātem) dignos fecisse Romanos legibus, quum plane constet multis ante Christianam religionem sæculis, Romanos leges ab Atheniensibus transtulisse, eas deinde duabus supra additis, leges duodecim tabulārum appellatas, pro Rostris ante oculos omnium in foro, atque in curia posuere. Pontifices deinde maximos, legum & custodes, & si opus esset, interpretes statuerunt. Hinc scientia ciuilis, hinc iura Romana, & sanctissimæ leges emanarunt: hinc Scæuola, Manilius, Labeo, Papinianus, Pompeius Sextus, Lælius, atque alij sapientissimi viri, iuris ac legum instituta condiderūt: Nam ius quidem Pontificium à Numa Pompilio Romanorum Rege sanctissimo, atque optimo viro, processit: nisi alius repetentes, Tagitem illum in Hetruria extra natum, authorem Pontificij censeamus. Quod ad nostrum attinet, nemo est vestrum, qui eius originem ignoret, atque processum: Sed ego satis demirari non possum, qui diuina humanaq; confundentes, vt leges dicant in sapientum inuentione nequaquam esse reponendas, sed ab Imperatoribus, & Pontificibus non ratione constitutas aliquā, sed solo Imperio, voluntateq; confictas, facile ad nutum Regum, ac Principum permutari posse. O capita ridicula & ceruices illepidas! Num, vt Pythagoram prætereamus, à quo Metapuntini leges accepere, vt Eudoxum, Prothagoram, Aristotelemque prætereamus, quorum primus Gnidis dedit leges, alijs Turijs condidit, tertius suis Stagiritibus promulgauit, vt denique cæteros prætereamus, quis hoc præterire possit, magnos illos, & diuinos homines, quos vehementer admirata Græcia, septem sapientes appellarunt, omnes, Plutarcho teste, legum conditores fuisse? Qui obsecro leges condiderunt, nonne Philosophi, at quales Philosophi? ij qui soli appellabantur sapientes, qui Deorum immortalium oraculis sapientissimi iudicabantur, atque optimi, qui per populos, & ciuitates tamquam Dij alteri colebantur. Quis præterea leges, ac iura permutauit? An si medicamentum veneno inficiatur, mutatam non peruersam dicemus medicinam? eum vero peruerti possunt leges, permutari non possunt: totæ sunt in æquitate, & moderatione, totæ in prudentia, totæ denique in Philosophia & in prudentissima sapientia constitutæ totæ ad genus humanum regendum, gubernandum, defendendum excogitatæ, totæ ad vitam bene beatèque agendam inuentæ. Possunt Imperatores leges peruertere, sed suum vna cum legibus Imperiū peruertetur, quamobrem? Quia nullum Imperium, nulla Respublica sine legibus potest esse diuturna: Arma enim Imperia parant, leges parta cōseruant: sicut sine armis regna acquiri nō possunt, ita nequiuerunt eadem sine legibus custodiri. Quæ porro vita iocundaque quæ honestæ, ac securæ rationes sine legibus? vtilissimum est ad merces transportandas nauigare maria: id leges præstant, quæ piratas durissimis vndique supplicijs persequuntur. Optimū est & necessarium, commeatus, profectiones, itineraque conficere: id leges efficiunt, quæ latrones arcent, & grassatores, & insidiarum pericula longè latèque repellunt. Iucundissimum est libere in ciuitate versari, leges obtinent summam libertatem: neque enim sublata libertate leges, neque rursus sublatis legibus potest esse libertas. Nullis vim, nullis iniuriam, nullis imperium fieri patiuntur: vnumquemq; in suo gradu suaq; dignitate tuentur. Sūt enim leges muri, & fundamenta ciuitatum, in quibus bonos quam diutissimè detinent, malos arcent, & ijs appropinquare non sinunt: in his salus bonorum, in his consilia ciuitatis, in his pacis præsidia continentur. Nihil boni, tuti, honesti esse posset, si iura contemnerentur, & leges. Quod stamus, ac incedimus, quod dormimus, quod denique secure vitam agimus, id totum est iuris, ac legum defensioni tribuendum. Quæ nisi flagrantissimas hominum libidines, atque auaritiam cohiberent, non mulieres pudicas, non agros, non domos, non vitam tutam haberemus; virgines è parentum amplexibus eriperentur, per vias, per vicos, per plateas homines percuterentur, expoliarentur, crudelissimè interficerentur: furum, latronum, sicariorum, parricidarum plena essent omnia: Bonis viris, aut nullus esset locus in ciuitate, aut turpissimis semper afficerentur iniurijs. Leges sunt, quæ nos a tantis periculis, tantaque atrocitate ignominiaq; tuentur, & quæ in summo nos ocio, atque in summa tranquillitate custodiūt, fortunas vnicuique suas conseruant, honorem conseruant, dignitatem conseruant, vitam, corpusq; animamque conseruant. Quid præterea censemus aliud esse Philosophum, nisi virtutem, ac vitia diligenti ratione discutere norit? Id præcipuè legum est opus, quæ virtutem non quærunt solum, sed exornant præmijs: Non solum castigant vitia, sed vlciscuntur supplicijs.

Legum aliæ ad bonorum hominum doctrinam ponuntur: vt per eas intelligant, quo pacto inter se amicè versentur: aliæ ad compescendam illorum pertinaciam, qui indomiti natura sunt spreta que omni disciplina, nulla ratione mouentur, quum in omnem ruant improbitatem. *Plato in Dialog. 9. de legib.*

Lege sanciendum, vt pueri vsque ad 18. annum vini vsum prorsus ignorent, eosque monendos esse, non oportere ignem igni in corpus, atque animam suggerere, antequam viri effecti labores subire incipiant: deinde vino moderate vtantur, vsque ad ætatis annum trigesimum. Ab ebrietate vero iuuenes omnino abstinere debere. Sed cum ad quadragesimum peruenerint, tunc in conuiuijs liberius discumbere, & Deos, ac Dionysium ad sacra senū, & ludos inuocare concessum, qui hominibus vinum quasi remedium aduersus senectutis duritiem est largitus, vt reiuuenescere videamur, mœstitiæ nos obliuio capiat, ipsaque affectio animi, sicuti ferrum in igne, ex duritie in mollitiem deducta flexibilior fiat. *Idem 2. de Legibus.*

Leges accedunt etiam iustitiæ, quas alijs alij populis dedere. Gymnosophistæ Indis, Prophetæ, seu sacerdotes Aegyptijs, Chaldæi, Babylonis, Magi Persis, Druidæ Gallis, Zeleucus Locrensibus, Moyses Hebræis, Solon Atheniēsibus, Lycurgus Lacedæmonijs, Minos Cretensibus, Philo Corinthijs, Zamolxis Getis, Androdamus Rheginis, Milesijs Hippodamus, Charondas Thurijs, Philolaus Thebanis, Phaleas Carthaginensibus.

Apud Romanos vero primus P. Papirius regias leges in vnum contulit. Deinde Appius Claudius Regianus decemuir, cuius maximum consilium in XII. tabulis conscribendis fuit. Post hunc eiusdem familiæ Appius Claudius Cæcus qui R. literam inuenit, actiones scripsit, & primum de vsurpationibus, qui liber non extat, post hos Sempronius Sophus, deinde Scipio Nasica, qui optimus à Senatu iudicatus, & cui publica domus in sacra via data est quo facilius consuli posset. Demum Q. Fabius qui ad Carthaginenses missus est legatus: quum essent duæ tesseræ positæ, vna pacis, altera belli, arbitrio sibi dato, vtram vellet, referret Romā, vtramque sustulit, & ait, Carthaginenses petere debere, vtram mallent accipere. post hos fuit T. Coruncanus, qui primus profiteri cœpit, cuius tamen nullum scriptum extat. Deinde Sextus Aelius, & frater eius P. Aelius, ambo consules. Deinde M. Cato Portiæ familiæ princeps, cuius extant libri. Postea P. Mutius, & Lucius Brutus prætorius, P. Marilius ius ciuile fundauerunt. Ex his Mutius consularis fuit, & decem libros reliquit: ab ijs profecti sunt P. Rutilius Rufus Coss. Romæ, & Asiæ procoss. & P. Virginius, & Q. Tubero ille Stoicus Panetij auditor, ac consul: & Sextus Pompeius, Pompeij Magni patruus. Eodem tempore Cœlius, qui plus eloquentiæ, quam scientiæ iuris operam dedit: & L. Crassus Mutianus P. Mutij frater illius, quem Cicero Iurisconsultorum disertissimum dicit: post hos, Q. Mutius, P. Filius, P. Mutius ius ciuile in 18. libros redegit. Mutij auditores fuere complures, sed præcipuæ authoritatis Aquilius Gallus, L. Balbus, Sextus Papirius, deinde Seruius Sulpitius, qui in causis perorandis post Ciceronem primum obtinuit locum. Reprehensus à Q. Mutio, quod ius non intelligeret, iuri operam dedit, reliquitque 180. libros de iure ciuili: à Seruij disciplina manauerunt Alphenus Varus, C. Flauius, A. Offilius, & Cæsius. Aufidius Tucca, Aufidius Namusa, Flauius Priscus, C. Atteius, Labeo Antistius Pater, & P. Cæcilius. Libri digesti fuerunt ab Aufidio Numusa

musa: Ex ijs Alphenus consul fuit, & Offilius equestris ordinis, qui edictum prætoris diligenter primus composuit. Fuit eodem tempore Trebatius Cornelij Maximi auditor, Casellius; Q. Mucius Volusij auditor Quæstorius, consulatum enim recusauit offerente Augusto. Ex ijs Trebatius peritior, Casellius eloquentior, Offilius vtroque doctior, deinde Aelius Tubero, qui postquam accusauit Q. Ligarium, nec obtinuit apud Cæsarem, à causis agẽdis, ad ius ciuile transijt, post hunc Atteius Capito, qui consul fuit, Offilij imitator, & annum sic diuisit, vt Romæ sex mensibus cum studiosis esset, & totidem in secessu in conscribendis libris, ideo volumina sexaginta reliquit. Labeo ingentis doctrinæ fiducia, vt qui operam Philosophiæ dederat plurima innouare instituit. Masurius Sabinus eques Romanus publicè primus respondit. Hoc beneficium à Tiberio Cæsare dari cœpit; nam ante Augusti tempora publicè respondendi ius à principe non dabatur, sed qui fiduciam studiorum suorum habebant, consulentibus respondebant, responsa vtique signata dabant, sed plerumque ipsis iudicibus scribebant, aut testabantur, qui illos consulebant.

Primus Augustus vt maior iuris authoritas haberetur, constituit; vt ex authoritate Iuris responderent, & ex illo tempore peti hoc pro beneficio cœpit. Quapropter optimus princeps Hadrianus, quum ab eo viri prætorij peterent, vt sibi respondere liceret: respondit eis hoc non peti, sed præstari solere, & ideo si quis sui fiduciam haberet, se populo ad respondendum præpararet. Igitur Sabino concessum est à Tiberio, vt populo responderet, cui cum amplæ facultates non essent, a suis auditoribus sustentatus est. Sabino successit Cassius Longinus Tuberonis ex filia nepos, quę neptis fuit Seruij Sulpitij, & consul extitit cum Quartino sub Tiberio, à quo propter authoritatem è ciuitate pulsus fuit, & ab Imperatore Vespasiano reuocatus, diem obijt. Neruæ successit Proculus. Fuit & eodem tempore Nerua alius Longinus eques Romanus, & prætorius, sed Proculi authoritas maior extitit, nam qui successere, partim Proculiani, partim Cassiani appellati sunt, quæ origo à Capitone, & Labeone cœperat. Cassio Cœlius Sabinus successit, qui plurimum sub Vespasiano potuit: Proculo successit Pegasus, qui sub Vespasiano præfectus vrbis fuit. Cœlio Sabino Priscus Iauolenus: Pegaso Celsus: Celso pater, Celsus filius & Priscus Neratius; vtrique consules fuerunt, Prisco Iauoleno Eburnus Valens, & Tussianus, ac Saluius Iulianus. Post hos vero turba plurima; quorum princeps Papinianus Scæuolæ discipulus, Fisci aduocatus sub Seuero Imperatore: deinde Vlpianus, Paulus, Modestinus, Caius, alijque complures, qui sub Alexandro fuere, quos & in Vlpiano refert, ac commemorat Volaterranus in commentarijs. *Hæc nomina Nomothetar. diuersor. popul. ex Pandectis de orig. iuris.*

Apophthegmata.

Lycurgus, cuidam percontanti, quam ob causam non vteretur legibus scriptis? Quoniam, inquit, eruditi qui sunt, recteque educati probant quid pro ratione temporis expediat. Significans, scripturam non mutari cum pro varietate occasionum vir probus, & sapiens sæpenumero cogatur mutare consilium. Ea res nominatim præscribi non potest. Satis est eiues honestè fuisse institutos, hi sua sponte videbunt quid pro tempore facto sit opus. *Plut. in Lacon.*

Aristoteles crebro taxabat Athenienses, quod cum duas res, frumenta, ac leges inuenissent, frumentis vterentur, legibus nequaquã. Alludens ad Triptolemum Atheniensem, cuius ministerio Ceres vsa est in ferendis legibus, ac tritico. *Laert. l. 5.*

Anacharsidi illud tribuitur multo vulgatissimum, quod etiam & Soloni, leges aranearum telis esse similes, in quibus infirmiora animalia hærerent, valentiora perrumperent. Ita leges humiles, ac tenues constringunt, a potentibus impunè violantur. *Val. l. 7. c. 2. Laert. lib. 1. c. 3.*

Agis, quum è senioribus quidam, videns priscas leges, & instituta vetera aboleri, & alia praua succedere, atque ob id res Spartanorũ inuerti, & conteri: id, inquam, cum apud Agidem iam senem deploraret, ioco respondit. Si fit, inquit, quod narras, recto ordine res procedunt. Siquidem ego puer à patre audiui, quod iam tum illis temporibus res inuerterentur. Itaque si rursus inuertuntur, redierunt in locum pristinum. Hoc quidem ille ludens, cæterum serio dicebat, se puerum hoc quoque accepisse a patre, nihil esse mirum si prioribus succedant deteriora: sed mirandum, si succedant meliora, aut similia. Notauit peculiarem senibus querelam, de rebus in deterius prolapsis, simulq. rerum humanarum hanc esse naturam, vt vsque in peius degenerent.

Heraclitus dicebat, ciues non minus oportere pugnare pro legibus, quam pro mœnibus. Quod absque legibus nullo pacto possit esse ciuitas incolumis, absque mœnibus possit. *Laert. l. 9. c. 1.*

Solon percontatus, quo pacto salua posset esse Respublica? respondit: si ciues quidem magistratui obediant, magistratus autem legibus. Sensit vir sapientissimus, eam ciuitatem conseruari nequaquam posse, vbi ex vtraque parte legum sit neglectus. *Stob. serm. 41. Anton. Melissa. par. 1. serm. 67. & Max. serm. 50.*

Cleobulus, bene compositam Rempub. putabat, vbi magistratus magis infamiam, quam leges metuunt. *Stob. ser. 41.*

Bias, Eam Rempub. saluam fore existimabat, in qua leges perinde ac tyrannum omnes metuant. *Idem.*

Archytas Pythagoreus, Leges regionum, & locorum rationem habere debere dicebat: Quum nec omne solum ferat omnia, nec omnium hominum animi earumdem virtutum capaces fint. *Stob. eodem serm.*

Antisthenes, negabat sapientem viuere iuxta leges, sed iuxta normã virtutis: Sentiens, non ideo quid vitari à iusto, quod hoc agere legibus interdictum sit; sed quod ipsa hominis ratio hoc dissuadeat, quæ docet hominem, hoc esse honestum, illud turpe. Nec leges omnia præscribunt: at virtutis regula docet vbique, quid sit honestum, quid turpe. *Idem.*

Plato, dicebat necesse esse leges hominibus ponere, vt secundum eas viuant, alioquin nihil à feris discreparent. Huiusque rei causam esse, quod nullius hominis ingenium ita natura institutum est, vt quæ ad publicum humanæ vitæ bonum conferunt, sufficiẽter cognoscat, & si cognouit, vt optimum id quod nouit semper agere possit, ac velit. *lib. 4. de legib.*

Pittacus Crœso percontanti: Quod esset maximum Imperium? inquit, ποικίλου ξύλου, id est, varij ligni, leges innuens. Nam olim in tabulis ligneis leges inscribebantur. Porro vbi summa est legum authoritas, ibi est minimum tyrannidis. *Laert. lib. 1. c. 5.*

Demosthenes, Ciuitatis animam esse leges dicebat: Vt enim corpus anima carens cadit, sic ciuitas nullis administrata legibus euertitur. *Max. ser. 68. & Stob.*

Epicurus, Leges sapientum causa positas esse dicebat: non vt iniurijs abstineant, sed ne eis afficiantur. *Stob. ser. 45.*

Plato rogatus à Cyrenensibus vt ipsis leges scriberet, ac Reip. statũ componeret, recusauit, dicens: Perdifficile esse condere leges iã felicibus: indicans, non facile obedire legibus eos, qui nimium se felices esse putarent. *Laert. l. 3.*

Agesilaus dicere solitus est, quemadmodum vbi multi essent Medici, ibi multi sunt morbi: ita vbi permultæ leges essent, ibi plurimum esse vitiorum. *Laert. lib. 4. c. 6. Max. serm. 58.*

Cleon. Multo meliorem dicebat esse statum ciuitatis, quæ licet deterioribus, firmis tamen legibus vtitur: quam illius, quæ bonis quidem: sed irritis. *Thucyd. l. 3.*

Lycurgus. Inter leges quas Lycurgus Rhetor tulisse fertur: hæc erat vna: Ne qua mulier maritata proficisceretur Eleusinem. Id statuit, veritus, ne à diuitibus dato precio corrumperentur, addita est pœna drachmarum sex milliũ. Et legi cum vxor Lycurgi nõ obtemperasset, sycophantis qui deprehenderant, ac detulerant, dedit talentum. Ea res quum illi postridie vitio daretur apud populum: Atqui ego, inquit, dare conspectus sum, non accipere. Quidam ferunt leges ad quæstum. Hanc notam à se depulit, qui nec in vxoris gratiam voluit abrogare legem, sed mulctam de suo dependit. *P. M. lib. 8. apoph.*

Acrotatus, cum parentes eum rogarent, vt in re parum honesta ipsis obtemperaret, respondit: Donec essem apud vos, nullam omnino tenebam iustitiæ, & æquitatis scientiam: verum vbi me patriæ dedistis, legibusque subiecistis, conabor his magis obtemperare, quam vobis. Quo dicto innuere voluit, quam plurimum quidem filios debere parentibus suis: verum ita tamen, ne leges saluberrimè latas transgrediamur. *Plutarchus in Lacon. apoph.*

Demaratus. cuidam percontanti, cur exularet Sparta, cum esset rex? Quoniam, inquit, leges sunt in ea potentiores, significans, regem apud Lacedæmonios esse principem ciuitatis, at non legum dominum, sed his non minus obnoxium regem, quam ciues, hoc ipsum laudabat in suæ gentis institutis, per quod cogebatur exulare. Dedit interim insigne moderationis specimen, æquo animo ferens exilium, authoritate legum indictum, nec de patria male loquens, nec de legum iniquitate querens. *Idem.*

Pausanias Plistonactis F. cuidam roganti: Quam obrem apud Spartanos nefas esset, vllam priscarum nouare legum? Quoniam, inquit, legibus conuenit authoritas in homines, non hominibus in leges. *Plut. in Lacon.*

Archidamus Zeuxidami F. roganti, quinam essent Spartanæ ciuitatis præfecti? Leges, inquit, ac legitimi magistratus. Grauiter censuit, in Republ. bene institutá supremam authoritatem esse legibus deferendam, nec vlli magistratui fas esse quicquam contra leges publicas tentare. *Plut.*

Agesilaus in pugna Leuctrica, quum Lacedæmoniorum multi fugissent, ijque legibus pœnas dare deberent: Ephori reputantes, ciuitatem viris desertam, egere militibus, cupiebant eam ignominiam militibus remittere, simulque seruare leges. Deligunt igitur Agesilaum nouarum legum conditorem. Is prodiens in suggestum: Ego, inquit, alias leges haudquaquam laturus sum, neque etiam his quas habetis, aut addituros sum aliquid,

aut detracturus, neque quicquam omnium mutaturus. Sed mihi rectum videtur, vt leges quas habetis, à die crastino robur habeant, & authoritatem. Eo commento vir solers simul & præsenti ciuitatis necessitati consuluit, & periculosum mutandarum legum exemplum exclusit à Republica, vno tantum die legibus abrogatis. *Plut. in Lacon. apoph.*

Idem, quum haberet apud se Xenophontem illum sapientem, eumque plurimi faceret, iussit vt filios suos arcesseret Lacedæmonē, docendos artem omnium pulcherrimam, videlicet imperare, & parere Imperio. Athenis florebat omnium liberalium disciplinarum genus: sed hanc cæteris omnibus præstantiorem, existimabat nusquam melius disci, quam apud Lacedæmonios vbi nō verbis disputabatur de bene administranda Republ. sed ciuium moribus honestissimæ rei exemplum exprimebatur. Simul indicans, eos non esse gerendo magistratui idoneos, qui legibus, ac magistratui nescirent obsequi. Proinde rogatus abs quopiam, quam ob rem Spartanorum Respublica præ cæteris secundis rebus floreret? Quoniam, inquit, plus cæteris in hoc se exercent, vt pariter, & imperare, & parere sciant. Quæ duæ res a ciuibus excludunt seditiones, & tuentur concordiam. *idem.*

Idem, sciscitante quodam ab Agesilao Lacedæmoniorum rege, quid Spartæ attulissent Lycurgi leges? Voluptatum, inquit, contemptum. Videlicet indicans, eam demum Rempublicam esse saluā, in qua leges sub optimo principe omnes voluptates arcent. *Plut. in apoph. Lacon. P. M. l. apoph.*

Idem. Quum maximam Asiæ partem armis sibi subegisset, constituerat ad ipsum regem Persarum proficisci, vt eum compesceret, qui sic erat quietus à bello, vt interim Græcorum duces pecunia corrumperet. Cæterum reuocatus domum ab Ephoris, ob Spartam Græcorum obsidione cinctam (nam id rex Persarum pecunijs missis effecerat) paruit, dicens: Bonum Imperatorem legum imperatis parere oportere, citraque cunctationem soluit ex Asia, magno sui desiderio relicto Græcis Asiaticis. offerebatur rei bene gerendæ occasio, inuitabat illum Græcorum affectus, vt instituta perageret: sed rex à tyrannide alienissimus, legum authoritatem existimabat omnibus anteponendam. *idem.*

Cyrus interrogatus quosnam putaret esse iniustos? Lege, inquit, non vtentes. *Max. serm.* 58.

Antiochus tertius scripserat ciuitatibus, vt si quid per literas iuberet fieri, quod aduersaretur legibus, ne curarent, perinde quasi ipso nescio scriptum esset. Interdum enim principes dum metuunt quosdam offendere, scribunt quæ fieri nollent. Quicquid autem pugnat cum legibus, hoc velut insciente principe scriptum esse putandum est: quippe legum defensores, non oppugnatores esse debent principes. *P. M. l. 5. apoph. ex Plut.*

Augustus Cæsar legem tulerat de adulteris, quomodo iudicandi essent de hoc crimine delati, & quomodo puniendi conuicti. Paulo post iræ impatientia irruit in adolescentem delatum, quod cum Iulia Augusti filia commercium habuisset, eumque manibus verberauit. At quum adolescens exclamasset, Legem tulisti, ò Cæsar! adeo facti pœnituit Cæsarem, vt eo die recusaret cœnam capere. Crimen per se graue erat, tum admissum in Cæsaris filiam. Quis princeps ibi dolori suo temperaret? Aut quis ibi legum iudiciorumque moras expectaret? At tantus princeps sibi adeo displicuit, vt à seipso pœnas sumeret, quod legi, quam alijs prodiderat, non per omnia paruisset. *Plut. in apoph.*

Epictetus. Multa extant ab eo de legibus scite dicta. Inter hæc: legis scopus est bene mereri de vita hominum: non potes autem cuius beneficia esse cum ei beneficiorum accipere libuerit: solis enim obedientibus suam virtutem declarat. Aegri seruator est Medicus: iniuriam passi, lex. Leges verissimæ sunt, quæ iustissimæ: legi & principi, & sapientiori cedere decorum est. *Anton. in Max. serm. de lege.*

Theophrastus dicebat bonos non multis egere legibus, non enim res ipsæ legum causa: sed leges rerum causa, ponuntur. *eodem serm.*

Alphonsus improbe agere Principes dicebat, qui alijs honestè, decoreque viuendi legem præscriberent, ipsi vero nihilo temperantiores sese præberent. Innuit autem non satis esse promulgare leges, etiam saluberrimas, nisi sint qui promulgatas defendant, & vitæ etiam innocentia cæteris præcedant. *Panor. lib. 5. de reb. gest. Alphonsi.*

Vitoldus Lituania dux (qui adeo differentem, moribus & habitu a suis popularibus sese præbuit, vt illos tonderi edicto iusserit, sibi tamquam maiestatis insigne barbam intonsam retinuerit, at quum id non succederet, caput ipse, genasque rasit: capitalem pœnam in eos comminatus, qui suo exemplo barbam, aut comam deponerent) dicere solebat: Plebem legi, legem autem principi subiectam esse oportere. Tyrannica sane vox. Magistratus enim quum legum custos sit primum imperatis parere decet, vt subditi habeant exemplum, quod honestè intueantur, & ad legum obseruationem incitentur. *Æn. Silu. lib. 4. comment. in res gestas Alphonsi.*

Ludouicus XII. Gall. Rex. Sub præfectum Aurelianensem, quo familiariter erat vsus, sæpeque iniustitiæ reum liberarat, quum in eo essent omnia ad perniciem profligata, damnari passus est: id adijciens. Contendi priuatus pro amico: Regnum autem adepto, leges mihi tuendæ sunt. *Annal. Francia.*

SIMILITVDINES.

Philonis Iudæi. Quemadmodum Medici quicquid ad sanitatem ægrotantis conducit, etiamsi patienti ingratum videatur, solum magno apparant studio: Sic in ciuitate leges, & magistratus legitimi, senatores, iudicesque prouidentes communi saluti, & securitati, vtilia tantum constituunt, licet ingrata sint rudi populo, varijs vitijs laboranti. *lib. de Iosepho.*

Dionis. Quemadmodum inter nauigantes qui faces turrium obseruant, ij maximè salui euadunt, portusque inueniunt: Ita qui secundum legem viuunt tutissimè per vitam transeunt, commodamque sedem nanciscuntur. Consiliario etenim iam quis homine vsus, pœnituit eum, at non lege. Tanto autem ciuitatibus est vtilior, quam mœnia: quod absque mœnibus multæ ciuitates perdurant, absque lege autem nulla ciuitas potest habitari. Non solum autem conducit mortalibus, verumetiam Dijs. Nam mundus semper eamdem legem immotam custodit: nihilque sempiternorum hanc transgreditur. Vnde puto & regina merito hominum, atque Deorum vocata est, violentiam dissoluens, iniuriasque destruens, dementiamque ad modestiam reducens, & malitiam puniens, priuatimque & publicè omnes indigentes commodo afficiens, iniuriam quidem passis succurrens: de aliqua autem re hæsitantibus, indicans quid oporteat fieri. *Orat. 74. de lege.*

Quemadmodum neque homo ille est, qui sit rationis expers: Ita neque ciuitas illa fuerit, quæ legibus non gubernatur. Legibus autem gubernari non potest vnquam, quæ insipiens, & immodesta est. *Orat. 35. Borysthenica.*

Demosthenis. Vt corpus anima carens cadit: Sic ciuitas nullis administrata legibus euertitur. *Apud Max. ser. 58.*

Stob. Quemadmodum corpus hominis emoritur, anima si emittitur: Sic ciuitas extinctis legibus. Vnde Demosthenes leges ciuitatis animam vocauit. *serm. 41.*

Plutar. Regula primum recta sit oportet, deinde quæ applicentur corrigat: Ita princeps primum ipse vitijs careat necesse est, deinde alijs leges præscribat. *In Moral.*

Ciceronis. Vt ex medicina nihil oportet putare proficisci, nisi quod ad corporis vtilitatem spectat, quoniam eius causa est instituta: Sic à legibus nihil conuenit arbitrari, nisi quod Reipublicæ conducat, proficisci, quoniam eius causa sunt comparatæ. *lib. 1. de Inuentione.*

Vt corpora nostra sine mente: Sic ciuitas sine lege suis partibus, & neruis, ac sanguine, & membris, vti non potest. *in orat. pro Cluent.*

Philippi Beroaldi. Quemadmodum morbos ante extitisse est, quam remedia eorum, atque medicamenta: ita prius nequitia nata est, & scelus exortum, quam leges conditæ: quæ obuiam irent nequitiæ, sceleribusque flagitiosorum. Et quemadmodum medelæ plures ad innumerabiles prope corporum morbos excogitatæ sunt: Ita leges innumeræ ad infinitas animorum improbitates amputandas, sordesque emaculandas conditæ fuerunt. *In orat. hab. in enarratione Verrinarum.*

P. M. Vt efficacissima remedia nata sunt ex morbis pessimis: Ita bonæ leges ex malis prognatæ sunt moribus. *Simil.*

Vt in morbis non sunt tentanda remedia, si veteribus malo succurri possit: Sic non sunt condendæ nouæ leges, si veteres ministrent aliquid, quo malis Reipublicæ medearis. *De instit. Princ.*

Leges inutiles si sine magno malo non queant abrogari, paulatim sunt antiquandæ, aut certe corrigendæ. Nam vt periculosum est temere nouare leges, ad præsentem Reipublicæ statum accommodare: quædam salubriter instituta, salubrius abrogantur. *De inst. Princ.*

Vt Principe, sic lege nihil oportet esse communius, aut æquius. Alioqui fit, vt quod egregiè Græcus ille sapiens dixit, nihil aliud sint leges, quam casses aranearum, quos maiores aues facile perrumpunt, muscis duntaxar irretitis. *De inst. Princ.*

Quemadmodum princeps, ita & lex semper esse debet propensior ad ignoscendum, quam ad puniendum: siue quod per se benignius, siue quod magis respondet ad mores Dei, cuius ira lentissimè ad vindictam procedit: siue quod non rectè elapsus, ad pœnam repeti potest, is etiamsi non perijt, quis tum alterius æstimabit dolorem? *De inst. Princ.*

Themori. Malus est bubulcus, qui plures boues recipit, quam relinquit: Ergo statuta præstat excindere, quæ paucos meliores, multos vero reddunt peiores. *in apoph. 99.*

Augustinus. Lex semper bona est, siue obsit inanibus gratia, siue prosit plenis gratia: semper est bona, sicut sol semper est bonus: quia omnis creatura Dei bona est: Sicut dolentibus oculis sanitas ad videndum solem, hoc est, gratia mentibus ad implendam legem, & sicut oculi sani non solis delectatione mouentur, sed illis ictibus asperis radiorum: quibus reuerberati in densiores tenebras

bras pellebantur: sic anima quæ per charitatem spiritus salua facta est, non iustitiæ mortua dicitur, sed illi reatui præuaricationi quam lex per literam cum gratia definit, faciebat. *Cont. Faustum lib.* 15.

Tertulliani. Sicut fructus separatur à semine, cum sit fructus ex semine: Sic & Euangelium separatur à lege, dum prouehitur ex lege. Aliud ab illa, sed non alienum: diuersum sed non contrarium. *lib. 4. cont. Marcionem.*

Saluiani Episcopi. Per hoc dum legem diuinam deseris, salutem propriam relinquis. Non aliter ergo nos de Dominica lege querimur, quam queri de optimo Medico, impatiens ægrotus solet, qui cum ingrauescere sibi morbos fecerit vitio suo, imperitiam medentis accusat. Quasi vero curare vllam infirmitatem præcepta possint, si eis non obedierit infirmos: aut sanare quempiam obseruantia valeat, quam Medicus ei imperat, si eam sibi ægrotus ipse non præstat. Quid iuuat stomachum abstinentia si statim dulcia subsequantur? Quid conferunt phrenitico silentia, quem statim suus clamor occidit: aut quid prodesse poterit antidotũ, cui perfunditur venenum? Et nobis itaque lex est antidotum, & vitiositas venenum: Sanare nos non potest legis antidotum, quos occidunt venena vitiorum. *De vero iudicio, & prouidentia Dei, l. 5. fol.* 27.

Theriaca. Non decet nouum pannum insuere veteri: Neque idoneum est nouam legem confundere cum cæremonijs antiquis. *In apoph.* 120.

Vt lex præuaricantibus intentat pœnam: Ita Euangelium credenti promittit gratiam. *In apoph.* 120.

D. Hieronymi. Quomodo medicina non est causa mortis si ostendat venena mortifera, licet his mali homines abutantur ad mortem, & vel se interficiant, vel insidientur inimicis: Sic lex data est, vt peccatorum venena monstret, & hominem male libertate sua abutentem, qui prius ferebatur improuidus, & per præcipitia labebatur, freno legis retineat, & cõpositis doceat incedere gressibus, ita vt seruiamus in nouitate spiritus, & non in vetustate literæ: id est, viuamus sub præcepto, qui prius in modum brutorum animalium dicebamus: Manducemus & bibamus, cras enim moriemur. *Quæstione* 8. *ad Algasiam.*

Quemadmodum si lucerna, quæ noctu præluxit iam orto die vetet nos obtineri solem, non solum non præstaret officium, verum etiam læderet: Itidem & lex, si obstaret ad meliora pergẽtibus. *In c. 3. ad Galatas.*

Quemadmodum freno legitimè vtitur non is equus, qui lascinit, neque qui mordet, sed qui pulchrè agitur: Ita & is lege vtitur legitimè non qui literæ necessitate, sobriè, ac iustè viuere cogitur, qui nouit, quod ipsa non indiget, non metu legis rectè factis insistit, sed virtutis tantum gratia: hic securè, ac legitimè vtitur lege. *Hom. 2. ad Timoth.*

Quemadmodum literarum apices pueris proponuntur, porro qui eas docet, non ex ipsis excellet, verum aliunde peritiæ gloriam promeretur, atque ex ea eruditione præstantius vtitur literis: Ita & qui legem transcendit, nihil opus habet doceri lege, nam ipsam non metu exsequitur, sed ex virtutis desiderio hic maius implet. Huic ad quid lex? Quemadmodum & medicus confecto vulneribus, non sano, neque bona valetudine prædito. Nihil instructione opus est ei, qui pædagogo non indiget. *Hom. 2. ad Timoth.*

Medici febre laborantes eo incendio liberant, non vt sanitate abutantur in malum, atque perniciem suam nam præstaret morbo consenescere, quam ea ratione sanum fieri, vt in lectum deterius decidat: sed vt discentes infirmitatis incommoda, & mala non iã in eadem incidant, vt sanitatem charius amplexi omnia gerant, quæ ad eam conferre possint: Ita & Deus nos eripit de lege, non vt peccemus, quia non sumus sub lege, sed ne in eamdem ignominiam redeamus. *Hom. 3. ad Philem.*

Quemadmodum natura mel dulcedinem habet eamdemque iucundissimam, ægrotis tamen amarum quid, atque illorum est, non propria illorum, sed ægritudinis natura: Sic & lex tametsi videatur onerosa, non sua natura, sed nostra fit pigritia. *De pœnit. ser.* 8.

Sicut in cythara non vnius tantum fidis melodiam excitasse satis est, sed omnes pari quodam numero percurrendæ: Sic in virtute animi, non vna tantum lex nobis ad salutem sufficit, sed omnes æquè diligenter obseruandæ sunt. *Homil. 36. de virtutib. & vitijs.*

Quemadmodum. & Medicus febricitanti cuiquam, & gelidam potionem intempestiuè operanti, quo minus explere sitibundam illã permiserit auiditatem, eo magis augebit, non imminuet sitim: & Medici officium sit potum eiusmodi interdicere, ægrotantis sine potione manere: sic & lex ipsa homines instruebat, vt hos & concupiscendo abigeret, voluntas tamen peccati oblectatione detenta, prauam hanc propagauit cupiditatem, neque vnum aliquod huiusce concupiscentiæ genus, sed multiplex, & varium proseminauit, malum enixè operata. Si quidem cum quis aliquid exequi, quod ferat animus, prohibetur illico insanit, & furit maximè & peccatum tum magis patebit, cum lex præteritur, nam sine lege delictum emoritur, id est, nusquam esse existimatur. Lege autem extante, & decentia suggerente, viuit peccatum, id est, extat & delictum esse conuincitur: vnde scienter delinquunt, qui legem transgrediuntur. *In cap. 7. ad Roman.*

Polyanthea Nouiss.

Gregorij Nazianzeni. Sicut ex legibus nostris hæc vna admodum laudanda, & optime per spiritum lata: quæ possibilitatem honestati admiscuit, & ita statuit, vt quemadmodum serui obtemperant dominis, & vxores viris, & Ecclesia Domino, & discipuli pastoribus, & magistris: Ita etiam homines cuncti potestatibus subditi sint sublimioribus non solum propter iram, sed & propter conscientiam, ac ideo & tributum soluant, & legem nequaquam ob malefactorum prohibitionem odio habeant, nec gladium expectent, sed timore purgati à potestate laudentur, atqui amussis hæc est vnica, recto enim parcit: superfluum vero abscindit. Vnus est sol, attamen sanos illuminat oculos, quum debiles magis obscuret. Vis vt aliquid etiam de nostris dicere audeam? Vnus est Christus, sed in ruinam positus est, & in resurrectionem: in ruinam infidelibus, in resurrectionem credentibus. Et his quidẽ petra est offensionis, & lapis scandali, qui non cognouerunt, nec intellexerunt, sed in tenebris ambulant, vel idola colunt, aut vsque ad literam vident, & super hanc, nec illuminari volunt, nec possunt. Alijs autem lapis angularis, & petra laudabilis, qui colligantur sermone, & in ipso ambulant: aut si vis, margarita illa, quam bonus ille mercator, omnibus quæ habebat diuenditis emit. Nobis autem fratres tale quid accidit, quum vitam nostram emendare nolumus, sed contra potestatem indignamur, quale & ijs qui agonotheten incusant tamquam malum, quum ipsi in certaminibus sint ignaui: aut Medicũ tamquam imperitum, & temerarium incisionibus, & adustionibus, quum ipsimet male sint affecti, & austerioribus indigeant remedijs. *In oration. ad subditos timore perculsos.*

Origenes. In vulneribus corporum posteaquam curata fuerint, remanet nudum ipsius vulneris signum, quod cicatrix appellatur. Vix enim est qui ita curetur, vt nullum suscepti vulneris residete videatur indicium. Transi nunc ab ista legis vmbra ad veritatem eius, & intuere quomodo anima, quæ peccati vulnus acceperit, etiamsi curetur, tamen habet peccati cicatricem in loco vulneris residentem. Quæ cicatrix non solum à Deo videatur, sed ab eis qui acceperunt ab eo gratiam, qua præuidere possit animæ languores, & discernere, quæ sit anima ita curata, vt omni generi vestigium illati vulneris abiecerit, & quæ curata sit quidem, sed ferat adhuc veteris morbi in ipso vestigio cicatricis indicia. *Homil. 8. in Leuit.*

Hieroglyphica.

Coronam dicimus *legum* indicium esse propterea, quod certis est vinculis complicata, quibus vita nostra veluti religata coercetur. *Pier. Val. lib.* 41.

Iugum etiam pro *legum* hieroglyphico rectè ponetur: siquidem appellatione *iugi* legum onus fuerit etiam a Dauide nuncupatum. omnino vero leges pro subiugatione, & Imperio vicissim à Matone dictum *Legesq; viris & mœnia ponet. Idem l.* 48.

Vulgus autem non ineptè per *Aranearum telas, ac retia*, apto admodum hieroglyphico *Legum notat inæqualitatem*, propterea, quod veluti muscæ, & volatilia alia minuta, si in eas inciderint, capiuntur, & pereunt: fortiora vero animalia perrupto texto facile quoquo libuerit elabuntur: ita leges imbecillem, ac tenuem plebeculam cohibent, atque castigant, potentioribus vero nihil aduersantur, qui eas ex arbitrio tollunt, scindunt, abrogant, & refugiunt. *Ibid. lib.* 26.

Vide Iustitia.

LIBERALITAS.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

Liberalitas, Græc. ἐλευθεριότης, ἀπὸ τοῦ ἐλευθέριος. i. liberalis dicitur. Hebraicè *Nedhabah*, munificentia, liberalitas, propriè sumitur, pro eo quod pij sponte Deo dicant, consecrant, & tribuunt: vel quod confertur in sacrificium, & in pium vsum, nulla legis obligatione, neque voto aliquo, *Esdr. 8. 29. Psal. 54. v. penult. Psal. 110. 3. & 119. 107. Nadhib*, liberalis, munificus, & *Nedhibim*, liberales, benefici, munifici, cognominantur Magistratus, & Principes, diuites, *Exod. 35. 5. 22. Psalm. 113. v. penult. Prou. 19. 6. Psalm. 47. v. vlt. Esa. 32. 8.* à verbo *Nadhab.* Munificum, & spontaneum fecit promptum, & vltroneum reddidit, liberè insumpsit, sumptus liberales fecit. Hinc per metathesim liberatum, *δαπανάω*, expendo liberaliter, & *δαπανηρός*, liberalis. *In 4. coniug.* Hebr. *Hidnadeb*, fecit se munificum, fecit se offerre liberaliter, sponte dedit, Gall. *Il se monstra liberal.* Est autem liberalitas virtus pecunijs benefactiua, cuius contrarium est illiberalitas, *secund. Arist. lib. 1. Rhet.*

Liberalitas est virtus beneficiorum erogatrix, quam pro affectu benignitatem, pro affectu beneficentiam dicimus.

Liberalitas est mediocritas circa pecunias dandas, nam liberalis dabit propter honestatem, & recte, quibus oportet, & quando oportet. *ex Arist. lib. 4. Ethic.*

Liberalitas est virtus bene dispensandi diuitias in vsus bonos sibi suisque & alijs. *Ex S. Thom. 2. 2. q. 117. ar. 1.*

Liberalitatis, quæ suot comites, humanitas, & clementia, *secund. Valer. Max. lib. 5.*

Liberalitas dicitur a liber, vnde liberaliter, large, magnifice.

Et liberales disciplinæ, libero homine dignæ.

SENTENTIÆ BIBLICÆ.

Diuitiæ addunt amicos plurimos. *Prou. 18.*

Hilarem enim datorem diligit Deus, *2. Cor. 6.*

Nesciat sinistra quid faciat dextra tua. *Matth. 6.*

Beatius est dare, quam accipere. *Act. 20.*

PATRUM SENTENTIAE.

Liberalitas est motus quidam animi, faciens & approbans liberas largitiones sine spe retributionis. *Aug. de defin.*

Dandum est, quod nec tibi, nec alteri noceat: & quum negaueris, quod petit, iudicanda est iustitia, vt non eum inanem dimittas, & aliquando melius aliquid dabis, etiam quum iniuste petentem correxeris. *De ser. Dom. in monte.*

Modus liberalitatis tenendus est, vt quod benefacis, quotidie facere possis. *Ambr.*

Vberior est nummus ex paruo, quam thesaurus ex maximo, quia non tantum, quod detur, sed quantum desiderat perpenditur. Nemo plus tribuit, quam qui sibi nil requirit. *Amb. l. 1. de viduis.*

Non solum quæritur quantum, sed de quanto, & quo animo detur. *in epi. 1. ad Cor.*

Dominus non vult simul effundi opes, sed dispensari, nisi forte vt Eliseus boues suos occidit, & pauperes pauit de eo, quod habuit, vt nulla cura teneretur domestica, *l. 1. de Offic.*

Non illa perfecta est liberalitas, si iactantiæ causa magis quam misericordiæ largiaris: affectus tuus nomen imponit operi tuo. *ibid.*

Non probatur liberalitas, vel largitas, si quod alteri largitur, alteri quis extorqueat: si iniuste quærat, & iniuste dispensandum putat. *ibid.*

Perfecta est liberalitas, vbi silentio quis regit opus suum: & necessitatibus singulorum occulte subuenit, quem laudat os pauperis, & non labia sua. Denique perfecta liberalitas fide, causa, loco, tempore commendatur: vt principium operis circa domesticos fidei. *ibid.*

Et illa probanda liberalitas, vt proximos seminis tui nō despicias, si egere cognoscas. Melius enim est, vt ipse subuenias tuis, quibus pudor est ab alijs sumptum deposcere, aut alicui postulare subsidium necessitati, non tamen vt illi, ditiores fieri velint, quod tu possis conferre inopibus.

Est duplex liberalitas: vna quæ subsidio rei adiuuat, id est, vsu pecuniæ: altera quæ operum collatione impenditur, quæ multo frequenter splendidior est, multoq; præclarior. *ibid.*

Quicquid ex affectu pio, ac sincero promittitur, hoc est decorum, non superfluas ædificationes aggredi, non prætermittere occasiones. *ibid.*

Considera Christi substantiam, ne imprudenter effundas, id est, ne immoderato iudicio rem pauperum tribuas, non pauperibus, ne secundum dictum prudentissimi viri liberalitate liberalitas pereat. *Hier. ad Paulin. ibid.*

Liberalitas non cumulatione patrimonij, sed largitatis definitur affectu. *Hier. lib. de viduis.*

In ipsa autem liberalitate modus adhibendus est rerum, & personarum: rerum, vt non omnia vni, sed singulis quædam præbeantur, vt pluribus prodesse possimus, iuxta illud Prophetæ, Dispersit, dedit pauperibus: Personarum, vt primum iustis, deinde peccatoribus, quibus tamen prohibemur dare, non quia homines, sed quia peccatores. *Greg. in c. 13.*

Quibusdam inopiam ferre non valentibus, tolerabilius est minus tribuere, quam post largitatem suam ex inopiæ angustia murmurare. *lib. 19. Mor.*

Nunquam est vacua manus à munere, si arca cordis repleta est bona voluntate. *ibid.*

Nulli paruus est census, cui magnus est animus, nec de rei familiaris mensura pendet modus pietatis. Maiora quidem sunt impendia diuitum, & minora mediocrium: sed nec discrepat fructus operum, vbi non deest affectus operantium. *Leo Pap. in appar. Dom.*

Si non est omnium æqualis facultas debet esse par pietas, quoniam fidelium largitas, non de muneris pensatur pondere, sed de beneuolantiæ quantitate. *ibid.*

SENTENTIAE POETICÆ.

Hor. 2. Carm. 2.

Viuet extento Proculeius æuo,
Notus in fratres animi paterni.
Illum aget penna metuente solui
Fama superstes.

Idem. 4. Carm. 7.

Cuncta manus auidas fugient hæredis, amico
Quæ dederis animo.

Martial. 5.

Extra fortunam est quicquid donatur amicis,
Quas dederis, solas semper habebis opes.

Idem.

Quæ donas facis ipse tibi fatum.
Hoc longum tibi vita dum manebit,
Hoc & post cineres erit tributum.

Virg. 11. Aen.

Ante oculos, interq; manus sunt omnia vestras.

Ouid. 3. Fast.

Quid moror, & varijs onero tua pectora causis?
Eminet ante oculos, quod petis ecce tuos.

Claud. Paneg. Probi.

Hic non diuitias nigrantibus abdidit antris,
Nec tenebris damnauit opes sed largior imbre
Sueuerat innumeras hominum ditare cateruas.
Quippe velut denso currentia munera nimbo,
Cernere semper erat populis vndare Penates,
Assiduos intrare inopes, remeare beatos,
Præceps illa manus fluuios superabat Iberos,
Aurea dona vomens.

Idem 1. Eutrop.

Nil negat, & sese vel non poscentibus offert.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Liberalitate nihil est naturæ hominis accommodatius: sed habet multas cautiones. Videndum est enim primum, ne obsit benignitas, & ijs ipsis, quibus videbitur benigne fieri, & cæteris. Nam qui alijs nocent, vt in alios liberales sint, non benefici, neque liberales, sed perniciosi iudicandi sunt. Deinde, ne maior sit benignitas, quam facultas: nam qui benigniores esse volunt, quam res patitur, primo in eo peccant, quod iniuriosi sunt in proximos. Videre etiam liceat, plerosque non tam natura liberales, quam quadam gloria inductos, vt benefici videantur facere multa, quæ videntur magis proficisci ab ostentatione, quam à voluntate. Tum illud tertium considerandum est, vt pro dignitate cuiusque tribuatur, in quo mores aruns spectandi eius, in quem beneficium confertur. *Cic. 1. Offic.*

Danda est opera, vt ijs beneficijs quam plurimos afficiamus, quorum liberis posterisque prodatur memoria. *2. Offic.*

Liberalitate qui vtuntur, beneuolentiam sibi conciliant, & (quod aptissimum est ad quiete viuendum) charitatem. *1 de Finib.*

Beneficium & gratia, vincula sunt concordiæ. *2. de Finib.*

Ea liberalitas est probanda, quæ sine periculo existimationis est. *4. in Verr.*

Nunquam claudenda est res familiaris, vt eam benignitas aperire nō possit, nec ita reseranda, vt pateat omnibus. Sequuntur enim largitionem rapinæ. Cum enim dando egere cœperint homines, alienis bonis manus inferre coguntur, nec tanta studia assequuntur eorum quibus dederunt, quanta odia eorum quibus ademerunt. *2. Offic.*

Cui res erepta est, est inimicus: cui data est etiam dissimulat se accipere voluisse. *2. Offic.*

Bene præcepit Ennius, vt quicquid sine detrimento possit commodari, id tribuatur vel ignoto. Ex quo sunt illa communia: Non prohibere aquam profluentem, Pati ab igne capere ignem: Si quis velit consilium fidele deliberanti dare: quæ sunt ijs vtilia, qui accipiunt, danti non molesta. Cuius versus non pudebit subscribere.

Homo qui erranti comiter monstrat viam,
Quasi lumen de suo lumine accendat facit.
Vt nihilominus ipsi luceat, cum illi accenderit.

1. Officiorum.

Sunt multi splendoris, & gloriæ cupidi, qui eripiunt ab alijs, quod alijs largiantur, ijque arbitrantur se beneficos in suos amicos visum iri, si locupletent eos quacumque ratione. Id autem tantum abest ab officio, vt nihil magis officio possit esse contrarium. *1. Offic.*

Propensior liberalitas esse debet in calamitosos, nisi forte erunt digni calamitate. Benefacta enim, vt ait Ennius, mala locata, malefacta sunt. *2. Offic.*

Melius apud bonos, quam apud fortunatos beneficium collocari puto. *2. Offic.*

Liberalis est quis suis facultatibus, aut captos à prædonibus redimit, aut æs alienum suscipit amicorum causa, aut in filiarum collatione adiuuat: aut opitulatur, vel in re quærenda, vel augenda. *2. Offic.*

Tunc solum preciosa est pecunia, quando vsu largiendi desinit possideri. *Boet. de consolat.*

Mole-

Molestius fert liberalis, si quid cum oportet non erogauerit, quam si erogauerit, quod non oportet. *Arist. in Ethic.*

Liberale est serere beneficium, vt metere possis fructum. *Cic. ant. orat. in exilium.*

Liberalitate qui vtuntur, beneuolentiam sibi conciliant: & quod aptissimum est ad quiete viuendum, charitatem. *Idem 2. de fin.*

Quemadmodum sæua, & acerbissima crudelitas est, quæ trahit pœnam: & misericordiæ genus est cito occidere, ita maior est muneris gratia, quæ minus diu pependit. Sicut in telis eadem ferri vis est: sed in infinitum interest, vtrum excusso lacerto torqueātur, an remissa manu effluant: ita illud, quod datur scilicet interest, quomodo detur, an tarde, an cito. *Sen. lib. de beneficijs.*

Omnis benignitas properat: & proprium est libenter facientis, cito facere: si de die in diem trahens profuit, non ex animo fecit. Itaque duas res maximas perdidit, & tempus, & argumentum amicæ voluntatis. *ibid.*

Nonnumquam magis non obligat, qui dedit parua magnifice, quam qui regum opes æquauit animo; qui exiguum tribuit, sed qui libenter: qui paupertatis suæ oblitus est, dum in eam respicit qui occasionem, qua prodesset, quæsiuit. *ibid.*

Multo grauius venit, quod facili, quam quod ex plena manu venit, seu datur, exiguum est, quod in me contulit, sed amplius non potuit. Ad hoc, quod dedit, magnum est: sed dubitauit, sed distulit: sed quum daret, gemuit: sed superbe dedit: sed quum contulit, ambitioni dedit, non mihi. *ibid.*

Non refert, quid sit, quod datur, nisi à volente volenti. A quibus ergo accipiemus, vt breuiter tibi respondeam, ab his quibus dedisse videamus. *ibid.*

Vnum bene positum beneficium, multorum amissorum solatur damna. Beneficium est beneuola actio, tribuens gaudium cupiensque tribuendo, & etiam id, quod facit, prona & sponte sua parata. *ibid.*

Caue ne beneficium maius sit facultate tua; Inest enim tali liberalitati cupiditas rapiendi, vt ad largiendum suppetant copiæ. Sequuntur enim talem largitionem rapinæ: quum eo enim dando egere cœperint, alienis bonis manus inferre coguntur: & maiora odia eorum assequuntur, quibus ademeruot, quam fauores eorum, quibus dederunt. *ibid.*

Officium liberalitatis est omni petenti dare, Deos imitari. Si Deos imitaris, da etiam ingratis. Nam & sceleratis sol oritur, & piratis maria patent. Dij rerum omnium optimi authores, ignorantibus beneficia dare incipiunt, ingratis perseuerant: non cessant Dij beneficia congerere, vnam sortiti intentionem, scilicet prodesse: imitemur illos, demus etiamsi multa in irritum data sunt. Ingratus est: non fecit mihi iniuriam, sed sibi: nam gratum beneficium semper delectat, ingratum semel. *ibid.*

Duo sunt genera largorum: quorum alteri dispensatores: alteri liberales, dispensatores, qui epulis, & muneribus histrionum, & lenonum pecunias profundunt, quorum memoriam, & breuem, aut nullam sunt relicturi: liberales, qui suis facultatibus, aut captos à prædonibus redimunt: aut amicos in filiarum collocatione iuuant: vel in alia re quærenda, vel agenda. *ibid.*

Refert, cuius animi sit, qui præstat, non cuius status, non est gloriosum, quod ab inuito, & tergiuersante fit: nihil facit virtus, quod necesse est. *Epist. 38.*

Multi sunt, qui non donant, sed proijciunt. Non voco liberalem pecuniæ suæ iratum. *ibid.*

Ab Antigono Cynicus petit talentum. Respondit, plus esse quam Cynicum deceret petere, repulsus petit denarium. Respondit, minus esse, quam quod regem deceret dare. Turpissima huiusmodi cauillatio est. Inuenit enim, quomodo neutrum daret. In talento Cynicum, in denario Regem respexit, cum posset & denariū Cynico dare, & talentum tamquam Rex. *lib. de beneficijs.*

Melius Alexander, cum daret ciuitatem cuidam dicenti, non conuenire ciuitatem humili fortunæ suæ, respondit: Non quæro, quid oporteat te accipere, sed quid deceat me dare. *ibid.*

Sicut non est liberalis, qui sibi donat, nec clemens, qui sibi ignoscit, nec misericors, qui malis suis tangitur, sed qui alijs: ita etiam nemo sibi ipsi beneficium dat, sed naturæ suæ paret, quæ mouet ad refutanda nociua, & appetenda proficua. *libro 3. de beneficijs.*

Bis est gratum, si quod opus est vltro offeras. Benignus etiam causam dandi cogitat: cui semper dederis, vbi negas, rapere imperas. *In prouerb.*

Duplex fit bonitas, quum accedit celeritas: minus decipitur, cui negatur celerius. Ages sic alienum negocium, vt tuum non obliuiscaris, amico ita prodesto, vt tibi non noceas. *ibid.*

Liberalitatis duo sunt maximè probabiles fontes: verum iudicium, & honesta beneuolentia. Nam quum ab his oritur, tunc demum eius ratio constat; dono autem ipsi gratiam magnitudo quidem sua, sed efficaciorem aliquando opportunitas conciliat. *Val. Max. lib. 4. c. 8. tit. de Liberalitate.*

Liberalitati, quas aptiores comites, quam humanitatem, & clementiam dederim? quoniam idem genus laudis expetunt, quarū prima inopia, proxima occupatione, tertia ancipiti fortuna præstatur: cumque nescias, quam maximè probes, eius tamen commentario præcurrere videtur, cui nomen ex ipso numine quæsitum est. *Idem lib. 5. c. 1. tit. de Humanitate, & Clementia.*

Simplicitas, ac liberalitas, ni adsit modus, in exitium vertuntur. *Tacit. hist. lib. 3.*

Princeps non potest magna cuius largiri, qui se à vi, atque rapinis abstineat. Qui autem rectè ac pro cuiusque dignitate dispensat, non modo nihil cuiquam iniustè accipit, sed & cæteros frugi esse docet, & parcere parco. *Herod. in Pertinace.*

Potissima dos in principe, liberalitas, & clementia. *Pomp. Lætus in Diocletiano.*

Liberalis dabit honesti gratia, & rectè: nam, quibus oportet, quod oportet, & quando, & alia cuncta obseruabit, quæ dandi actum rectum sequuntur, & liber, vel sine molestia.

Liberalis vnde oportet, commoda capiet, puta ex proprijs rebus, quas possidet, non quia honestum sit, sed quia necessarium, vt habeat, quod donet. Nec sua negliget, volens per illa quibusdam opem ferre.

Est eius, qui liberalis sit, vehementer excedere, ita vt sibi ipsi pauciora relinquantur. Nam ad se quidem ipsum non respicere, liberalis est.

Iuxta facultates liberalitas dicitur. Non enim in multitudine eorum, quæ dantur, sed in dantis habitu liberalitas consistit: nec enim quicquam prohibet liberalem esse qui pauciora dat, si modo tenuiores ei sunt facultates.

Magis liberales esse videntur, qui non comparauerunt sibi facultates, sed ab alijs, vt ex hæreditate acceperunt, nam indigentiam numquam experti sunt.

Non facile est, vt liberalis quisquam ditetur, quum neque cupiat, neque conseruet, sed contra eroget. Nec magni per seipsas faciāt pecunias, sed vt alijs dare possint. Itaq; fortuna accusatur, quod qui maxima digni sunt, pecunias minimè habent. Enimuero id non absque ratione contigit, fieri enim non potest, vt diuitias habeat is, qui non adhibet diligentiam, vt habeat.

Molestius feret liberalis, si quid, cum oportet, non erogauerit, quā si erogauerit, quod non oportet. *Arist. l. 4. Ethic. c. 1.*

Apophthegmata.

Bion semper dicebat esse optabilius suam messem alteri largiri, quam alienam decerpere. Sensit felicius esse dare, quam accipere. *Laert. lib. 4. c. 7.*

Diogenes, cum à Platone petijsset paululum vini, simulque caricas, Plato misit lagenam plenam vino. Cui Cynicus hunc in modum gratias egit; Cum interrogaris: Quot sint duo, & duo? respondes, viginti. Ita non secundum ea, quæ rogaris, das, nec ad ea, quę interrogaris respondes. *Laert. lib. 6. c. 2.*

Aristoteles, cuidam increpanti, quod homini malo dedisset eleemosynam: Non mores, inquit, sed hominem commiseratus sum, etiā improbia in necessitate succurrit vir bonus. Debetur enim hoc officium, si non meritis illius, qui iouatur, certe naturæ. Et bonus fieri potest, qui malus est. *Laert. l. 5. c. 1.*

Demosthenes interrogatus, quid Deo simile haberent homines? respondit: Benigne facere. *Max. serm. 8.*

Xenophon dicere solebat, multo præclarius, ac laudabilius esse beneficiorum, quam trophæorum multitudinem post se relinquere. *Stob. serm. 46.*

Arcesilaus, quum Apellem Chium ægrum inuiseos, etiam egere sensisset, postridie reuisit illum, decem drachmas secum adferens, & proximè assidens: Hic nihil est, inquit, præter Empedoclis elementa. Deinde sub ceruicali clam deposuit drachmas, ab ancilla paulo post repertas. Tunc æger, hic est, inquit, Arcesilai ludus. *P. M. l. 6. apoph. Plut.*

Agesilaus sibi multo iucundius esse dicebat, si milites suos ditaret, quam si ditesceret ipse. *Plut. in Lacon. apoph.*

Anaxilaus interrogatus olim, quid in tyrannide omnium esset felicissimum? respondit: In conferendis beneficijs numquam vinci. *Stob. serm. 46.*

Timandridas, quum peregrinationem suscepisset, familiæ procurationem filio delegauit. Deinde reuersus postquam rem multis partibus auctiorem reperisset, quam antea fuisset, multos dixit ab illo Deos, & familiares, atque hospites iniurijs affectos. Etenim quæ in facultatibus supererant, ea in illos à liberis ciuibus erogari. Verum dum, inquit, in viuis agis, pauper, atque egenus videris. At quum eris vita defunctus, opes & diuitiæ rei familiaris deprehensæ, turpitudinem tuam aperient. *Ælian. lib. 14. de var. histor.*

Cyrus, cum quidam ad eum misisset ornamenta multa, ea distribuit amicis. Quodam vero quærente, cur sibi nihil reliquisset? Quia, inquit, corpus meum his omnibus ornari non potest: amicos autem his ipsis ornatos intuens, maximum mihi ipsi ornamentum aptum esse putabo. *Max. serm. 6.*

Artaxerxes Longimanus dicere solebat; Regalius esse addere, quam

adimere: Sentiens, principe dignius esse, honores & opes eorum, quibus imperant, augere potius, quam imminuere. *Plutarc. in reg. apoph.*

Dionysius senior, quum ad filium ingressus conspexisset vasculorum aureorum, & argenteorum magnam vim, exclamans: Non est, inquit, in te regius animus, qui his poculis, quæ à me tam multa accepisti, neminem tibi amicum feceris. Sentiens, absque ciuium beneuolentia regnum, nec parari, nec teneri. Beneuolentiam vero maximè conciliat liberalitas. At iuuenis, rerum imperitus putabat esse felicius, habere argentum, & aurum, quam amicos. *Plut. in apoph.*

Dionysius iunior, quum sæpe pecuniam Platoni daret, atque is numquam acciperet: Aristippus, qui aderat: Tuto, inquit, liberalis, & munificus est Dionysius. *Bruson. lib. 11.*

Artaxerxes. Cum Satibarzanes Artaxerxis à cubiculis, quiddam minus iustum ab eo peteret, sentiretq; rex illum hoc facere sollicitatum, triginta Daricorum millibus quæstori ærarij sui mandauit, vt Daricorum triginta millia ad se deferret, eaq. dedit Satibarzani, dicens, accipe, ò Satibarzanes: nam hæc tibi cum dedero, non ero pauperior. *Plut. in apoph.*

Alexander. quum 200. æris aliem talenta sibi conflasset, non ante nauem conscendit, quam rebus amicorum pensatis, huic quidem agrum, illi villam, alteri domorum prouentum, alteri portoria largitus esset. Absumptis igitur, ac distributis ferè regijs opibus omnibus, rogatus à Parmenione, quid regi superesset? respondit Alexander: Superest mihi spes acquirendi maiora. *Plutarchus.*

Idem interrogatus à quodam, vbinam suos thesauros haberet? amicos ostendens ait: In ferinijs. Summa enim liberalitate suos amicos semper ornauit. *Max. serm. 6.*

Alexander Anaxarcho Philosopho iussérat quæstorem dare, quantumcunque ille postularet: cumque quæstor audita postulatione turbatus, Alexandro iudicasset Philosophum petere centum talenta: Rectè, inquit, facit, sciens se amicum habere, qui tantum dare, & possit & velit. Hic dubites, vtrum potius admirari oporteat, regiamne liberalitatem in donando, an Philosophi improbitatem in postulando: nisi malumus hanc vocare fiduciam. *Plut. in apoph.*

Idem. Quum cuidam orbem donaret, dicente eo, cui donabatur, Nō conuenire fortunæ suæ: Non quæro, inquit rex, quid te accipere deceat, sed quid me dare. *Senec.*

Idem. Perillus, vnus ex amicis Alexandri, filiabus suis ab Alexandro dotem petijt, iussit rex illum capere talenta quinquaginta, cumque is respondisset: Decem satis esse: Tibi quidem, inquit, satis est tantum accipere, mihi vero non satis est tantum dare. Præclarè dictum, nisi virtutis indolem ambitio vitiasset. *Plut. in apoph. Senec.*

Idem. Xenocrati Philosopho quinquaginta talenta dono misit, ea quum ille recusasset accipere, dicens, sibi non esse opus: interrogauit, anne amicum quidem vllum haberet cui esset opus? Nam mihi, inquit, vix Darij opes in amicos suffecerunt. Hic verius animum magis ad oirari conuenitur, nondum statui: regisne tam ad liberalitatem propensum, an Philosophi, qui tantum munus à tāto rege vltro delatum reiecit. *Plut. in apoph.*

Antigonus Aristodemo, qui vnus ex amicorum numero fuit, è coquo, vt putabatur, prognatus, suadenti, vt impendijs, ac largitionibus aliquid detraheret: Verba tua, inquit Aristodemus, olent. Subindicans, coquorum esse parsimoniam, non regum, proinde illum tali consilio non meminisse, cuius esset amicus, sed quo esset patre natus. *Plut. in apoph.*

Lucullus, cum ob nimiam liberalitatem reprehenderetur ab amico, respondisse fertur. Bene meritis semper parem rependendam esse gratiam. *Plut.*

M. Antonius filium habebat ex Fuluia, is puer Philotæ dederat ingentem vasorum vim: quæ cum ille recusasset accipere, metuens ne pater tantam filij liberalitatem non probaret. Quid times, inquit puer, accipere? An nescis eum qui dat illum esse Antonij? *Plut. in Antonio.*

T. Vespasianus interrogatus, cur tam multa polliceretur amicis? respondit, non oportere quemquam à Cæsare tristem discedere. *Suecon.*

Alexand. Seuerus ei, qui nihil petebat: Quid est, ait, quod nihil petis? an me tibi vis fieri debitorem? Petè, ne priuatus de me queraris. Volunt autem indicare Imperator prudentissimus, subditorum esse, vt ita gerant se erga superiores, vt peterent aliquid digni sint, qui ex principis liberalitate amplissima accipiant munera. *Lampridius.*

Constantius Chlorus vtilitati, ac commodis prouincialium, & priuatorum studuit. Ac sicut quondam Cyrus dixit, se thesauros sibi parare, dum amicos diuites redderet. Ita Constantius in ore sæpe habuisse fertur: Melius esse opes publicas a priuatis haberi, quam intra vnum ærarium possideri. *Eutrop.*

Alphonsus. Ei quum quondam deferrentur aureorum decem millia, dixissetque qui forte aderat, ea duntaxat summa se diuitem, & beatum fore: Accipe rex, inquit, quantacumque ea est, & beatus esto. *Panor. l. 4. de reb. gest. Alphonsi.*

Idem, cum audisset Vespasianum Cæsarem, cum diem se perdidisse solitum dicere, in qua nihil quicquam alicui donasset, egisse gratias dicitur D.O. Opt. Max. quod eo modo nec diem ipse perdidisset. *Panor. l. 2. de reb. gest. Alphonsi.*

Sigismund. Imp. promissa veterano militi exigenti, eum diceret: At immoderata fuit tua petitio: respondit miles: Poteras negare cum peterem, non autem sine turpitudine, quod promissum est, rescindere nūc poteris. Tum Sigismundus: Si ex duobus alterum me ferre oportet, leuius rerum, inquit, quam famæ iacturam subibo. Fuit enim in Sigismundo tanta liberalitas, ac munificentia, quanta in nullo antea principum. *Æn. Siluu. l. 3. comment. de rebus gestis Alphonsi.*

SIMILITVDINES.

Iusti Episcopi. Quemadmodum fruges non tam ingenio soli, quam cœli beneficio melioreq; temperie lætius exuberant: Ita & meliores artes, eximiaq; ingenia benignitate, humanitateq; principum virorum euocantur, & excitantur. *In Cant. Cantic.*

P. M. Vt vasa paria, quorum alterum plenum sit, alterum inane, pulsata concentum faciunt ἐκ ταυτῶν. Ita bene conuenit inter diuitem benignum, & pauperem indignum. *In simil.*

Themist. Nihil scelestius eo, qui pro beneficijs omittit gratiam: Ac rursum parum liberalis est, qui expectat vicissitudinem. Ergo sola ea liberalitas est, quæ nullam expectat officiorum compensationem, sed duntaxat virtutis dignitatem. *In apoph. 65.*

Fructus, qui pendent in extremis, atque adeo altissimis ramis, non sunt vsui hominibus, duntaxat obtinentur coruis, & quæ volatu fiduat animantibus. Ita principum beneficijs raro ditantur boni, magna ex parte soli temerarij adulatores, ac improbi. *In apoph. c. 18.*

Quo quis sæpius docet, eo euadit doctior: Et quo quis plura liberaliter dat, eo fit ditior. *In apoph. 102.*

ADAGIA.

Plena manu.

Plena manu pro eo, quod est, ampliter, copiose, prolixe, minimeq; maligne.

Quod rectè: datum est.

Plato in Philebo ostendit vetustum à pueris vsurpatum, Non oportere repeti, quod semel datum: ὡστὲ δὶς ἐν λέγουσιν καλῶς... ἀποδόσθαι [illegible]

Pleno modio.

Ante dictum est nobis plena manu fieri, quod largiter minimeque maligne dicitur. M. Tullius ad Attic. lib. 5. epist. 1. Similima figura dixit, plena modio, Etiam sacra litera.

Pingui mensura. *παχεῖ μέτρῳ.*

Id est: pingui mensura dixit Theocr. in Thalys. pro eo, quod erat affatim, & largiter.

Μάλα γὰρ τοῖσι πίονι μέτρῳ.

Α'μμιν δ' ἀγαθὸν δαίμων ... [illegible]

Illis fortunante Deo bona copia frugum,

Arearum campos mensura impleuit opima.

Bis dat qui cito dat.

Seneca: Bis dat qui cito dat. Item lib. de benefic. 2. Ingratum est beneficium, quod diu inter manus dantis hæsit. Manet haud cunctanter opitulādum amicis, quum opus est, nec exactis precibus deferendum officium.

Ambabus manibus haurire. *ἀντλεῖν ἀμφοτέραις*

De ijs dici consueuit, qui summo conatu quippiam agunt. Huic consimile est.

Οὐδ' ἐπὶ δεξιὰ, οὐδ' ἀριστερὰ νωμῆσαι βῶν.

Nosse equidem clypeum dextra laeuaq; mouere.

Inuenitur & illud: Ambabus manibus largiens, Id est, affatim & prodige, aut etiam perbenigne.

Ipso horreo.

Quo prolixe, & affatim datur, ipso horreo dari dicitur, quemadmodum ipse canit, ita, propterea quod ex horreo plenius depromitur, quam è chœnice.

Promus magis, quam condus.

Ausonius torquet in quendam professorem qui parta prodigere nosset: quæ vero aut quæsita seruare non nosset. Er solle ehe ein Dorff verzehren, dann ein Hauss gewinnen.

Latus in paludibus. *Λάγος ἐν ἕλεσι.*

Suidas scribit, dictitatum de ijs, qui faciles sunt ad dandum.

Bona Porsenæ.

Bona Porsena dicebantur, quæ velut ab hostibus erepta parvo veneunt. Meinet du dass es raub Gut sey?

De alieno liberalis.

De alieno facile largimur, de nostris non item. Homer.

Ε'πεὶ οὔτις ἔπι χαριστῶν δ' ἀλλοτρίων.

Α'λλοτρίων χαρίσασθαι.

Nam res largiri alienas.

Haud res vlla vetas, neque enim piget.

Com-

Communis Mercurio. *κοινὸς ὁ Ἑρμῆς. Lucianus.*

Quidam hinc causam parœmiam arbitrantur, quod Mercurius, vt est furtorum author, ac repertor primus ostendat, quæ furto parta sunt, ea in medium communem oportere deponere. Alij malunt huc referre, quod Mercurius sit orationis author, per quam inter homines omne commercij genus cōstat. vnde & medius inter superos, atque inferos à poetis fingitur.

Exempla Biblica.

Liberalitatis *exempla*: Rex Sodomorum, *Gen.* 14 *v.* 21. Rebecca, 24. *v.* 18. Iacob, 33. *v.* 10. Moyses, *Exod* 2. *v.* 17. Israelitæ 36. *v.* 5. Dauid, 1. *Sam.* 30. *v* 26. 2. *sam.* 9. *v.* 7. Sobi & Naas, 17. *v.* 28. Berzellai, 19. *v.* 32. Regina Saba, 1. *Reg.* 10. *v.* 10. quidam princeps ex Tribu Ephraim, 2. *Par.* 28. *v.* 15. Cyrus, 1. *Esdr.* 1. *v* 7. & *v.* 3. 4 5. Principes Patrum, 2. *v* 68. Artaxerxes, 7. *v.* 11. 12. Nehemias & diuites Iudæi, *Nehem.* 2. *v.* 8. & 5. *v.* 10 Assuerus, *Ester.* 2 *v.* 18. & 6. *v.* 10. & 7. *v.* 2. Tobias senior, *Tob.* 1. *v* 19. Raguel, 10. *vers.* 20. Tobias senior & iunior, 12. *v.* 2. Filij Iob, *Iob* 1. *v.* 4. Iob, 29. *v.* 15. 16. & 31. *vers.* 17. 18. Magister militiæ Regis Babylonis, *Ier.* 40 *v.* 4. 5 Magi, *Matth* 2. *v.* 11. Matthæus, 9. *v.* 10. *Luc.* 5. *v* 29. Dominus serui, *Matth.* 18. *v.* 27. Christus, 10. *v.* 28. 29. & 24. *v.* 16. *Ioan.* 2. *v.* 9. 10. 11. Pater prodigi, *Luc.* 15. *v.* 22 Zachæus, 19. *v.* 6. 8. Vidua paupercula, 21. *v.* 34. Barnabas, *Act* 4. *v.* 36. 37. Antiochena Ecclesia, 11. *v.* 19. Lydia, 16. *v.* 15. Barbari, 28. *v.* 2. Publius, *v.* 7. Paulus, 2. *Cor.* 12. *v.* 15. *Philem.* *v.* 19.

Prophana Exempla.

Leo X. Papa nulla in re ardentius, & effusius, quam ad liberalitatis gloriam anhelauit, eos principe loco indignos existimans, qui nequaquam benefica manu fortunæ muneribus vterentur. *Iouius in Leone X. lib.* 4.

Cyrus Persarum regno potitus, nullum in suos liberalitatis genus prætermisit: non pecuniam, sed amicos, quibus ipse plurimum contulisset diuitiarum suos esse thesauros ducēs. *Pontanus de Principe ex Xenophontis Pædia.*

Alexandrum Macedonem ingentis spiritus terrarum principem inter alia, quibus eum natura dotatum cœlo quodammodo inseruerat, magna sua gloria solitum prædicare legimus, a nemine se vnquam benignitate fuisse superatum. *Cælius l.* 7. *c.* 78.

Ptolemæus Philadelphus rex Aegyptiorum maxima cum voluptate amicos suos locupletes effecit. Dicebat enim, melius est ditare quam ditescere. *Ælianus.*

Cleomenes & Ptolemæus reges Aegyptiorum adeo benefici erga cunctos extiterunt, vt inde beneficiorum cognomina deportarint, Euergetæ dicti. *Alex. ab Alex lib.* 1. *c.* 11.

C. Iulius Cæsar omnibus Rempub. tractantibus opulentiam propinauit Gallicam affatim hauriendam. Pompeius cum mitteret repetitum milites, quos ei ad bellum Gallicum commodauerat, eos Cæsar donatos millenis nummis remisit. *Plut. in Cæsare.*

Aug. Cæsar, liberalitatem omnibus ordinibus per occasiones frequēter exhibuit. *Suet.*

Alexander Seuerus nullum diem prætermisit, quo non pium aliquid, liberale, humanumq; fecerit, publici tamen ærarij ratione habita: vt quamuis imperaret, sciret tamen moderatum se prudentemq; Reipublicæ dispensatorem esse debere. *Lamprid.*

Constantinus Magnus Imp. si quos priuatus dilexit, opibus honestauit, non dignitate prætoria, aut consulari, vt principes priores fecerant, *Cuspin.*

LIBERATIO.

LOCI BIBLICI.

Liberationem, seu libertatem per Christum. Græcis ἀπολύτρωσιν, duplicem constituit Paulus, *Ephes.* 1. *cap.* Vnam qua redimimur, persoluto precio, Christi videlicet sanguine, vt à seruitute peccati, & mortis manumittamur, *vers.* 7. *vt fusius explicatur Roman.* 7. *cap.*

Alteram, qua in iustam libertatem prorsus vindicemur, *Eph.* 1. 14. Nos enim quamuis liberos, retinet tamen aliquatenus per vim peccatum in aliqua seruitutis specie, vt quod volumus non faciamus, *Gal.* 5. 17. & mors etiam nexos in vinculis tenet, in diem illū iudicio extremo destinatum: quo nos Christus, vt à se redēptos liberali causa manu asseret.

Non pugnant igitur inter se duæ istæ liberationes, sed illa quidem peracta est: hanc vero, quæ illius est complementum, speramus, vt *Luc.* 21. *v.* 28. *Rom.* 8. 13. *Ephes.* 4. *v.* 30. cuius est arrhabo Spiritus sanctus, ex quo nos manumissos esse dicemus per fidem, vt nos tandem in iustam libertatem ex malæ fidei possessoris potestate asserendos esse non dubitemus. Illam igitur docendi causa ἀπολύτρωσιν ἐλευθερώσεως vocare licebit, cuius passim meminit Apostolus, vt *Rom.* 6. *vers.* 22. & 8. *v.* 2. Hæc vero dicitur ἀπολύτρωσις τῆς περιποιήσεως, id est, ad verbum, Liberatio vindicationis, siue assertionis.

Exempla Biblica.

Liberationis miraculosæ *Exempla*: In Noe cum suis, *Gen.* 7. *versic.* 7. Loth cum filiabus, 19. *v.* 29. Iosepho, 41. *v.* 9. 10 &c. *Actor.* 7. *v.* 6. 7. Israelitis. *Exod.* 14. *v* 27. 28. & 18 *v.* 7 8. 9. *Iud.* 2. *v.* 16. & 3. *v.* 9. & 6. *v.* 34. & 10. *v.* 1. 3. & 11. *v* 23. 1. *Esdr.* 8. *v.* 31. *Esth.* 10. *v.* 9 Gedeone & populo Dei, *Iud.* 17. *v* 7. Dauide, 1. *Sam*, 17. *versic.* 37. 2. *Sam* 22 *v.* 1. 2. *Psal.* 18. *v.* 3. & 57. *v.* 4. & 91. *v.* 3. & 116. *v.* 5. 6. In Samaria & Israelitis, 2. *Reg.* 7. *vers.* 1. 2. Ezechia & populo Iudaico, 19. *v.* 35. Esdra & Israelitis, 1. *Esd.* 8 *v.* 31. & 9 *vers.* 31. Tobia, *Tob* 11 *v.* 13. 14. 15. 16. Sidrach, Misach, Abdenagone, *Dan* 3. *ver.* 23. 24. Daniele, 6. *v.* 20. 21. & 14. *v.* 39. 1. *Mach.* 2. *vers.* 60. Susanna, 13. *vers.* 42. 43. Populo Dei, 2. *Mach.* 2. *v.* 17. 18. Petro, *Actor.* 12. *v.* 6. 7. Paulo & cum ipso nauigantibus, ac naufragium facientibus. *Actor.* 27. *vers.* 22. 23.

LIBERI.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Liberi, orum, plur. numero tantum dicuntur, filij vel filiæ, *τὰ τέκνα, παῖδες, υἱοί.* Heb. *Banim*, & *Banoth*, filij, & filiæ. *Ben* filius, *Bath* filia: à verbo *Banah*, ædificauit, extruxit, laborauit in ædificijs extruendis, instaurauit ædificium. Metaphorica locutio, quæ ad familiarum ædificationem & Ecclesiæ, politiarumque in mundo conseruationem sapienter accommadata, doctrinas perutiles continet.

Non est sine liberis, cui vel vnus filius, vnave filia, est. *Caius in L. non est ff. de verb. sig.*

Nepotes & pronepotes cæterique ex his descendentes, liberorum appellatione continentur vt tradunt Iuris Antistites.

Loci Biblici.

Liberi recte & ex Dei verbo instituendi, *Exod.* 12. 24. & 13. 14. *Deut.* 4. 9. & 6. 7. & 11. 19. Liberi castigandi, *Prou* 22. 15. & 23. *v.* 13. 14. *Ephes.* 6. *v.* 4. Humaniter fouendi, *ibid.* Idolis non sacrificandi, *Leuit.* 20. *Deut.* 15. *v.* 18. in vtero sanctificati, 1. *Cor.* 7. 14. Liberi non ex æquo à parentibus dilecti, *Exempla*: Esau & Iacob, *Gen.* 25. 28. Ioseph, & alij fratres 37. 3.

Liberorum in parentes amoris *exempla*: Elisæus, 1. *Reg* 19. 20. Discipulus quidam, *Matth.* 8 22 Liberorum erga parentes officium. *Primum* debent amorem, *Exempla*: Ioseph, *Gen.* 46. 29. Elisæus, 1. *Reg.* 19. *v.* 20 *Secundo* honorem, *Exempla* Sem & Iaphet, *Ge.* 9. 23. Ioseph, 46. 29. & 48. 12 Salomon, 1. *Reg.* 2. 19. Paulus, & Hebræi, *Hebr.* 12. 9. *Tertio*, obedientiā, *Exempla*: Isaac. *Genes.* 22. 6. &c. Iacob. 28. *v.* 12. Ioseph, 37. *v.* 13. 14. Filia Iephthe, *Iudic.* 11. *v.* 36 Samuel, 1. *Sam.* 24. & 2. 26. Salomon, 1. *Reg.* 2. *v.* 20. Tobias iunior, *Tob.* 5. 1. Rechabitæ, *Ier.* 35 *v.* 18. 19. Susanna, *Dan.* 13. *v.* 2. 3. 63. Christus, *Luc* 2. *v.* 51. Idem præcipit & Paulus fieri, *Ephes.* 6. 1. *Col.* 3. 20. *Quarto*, nutritionem. *Exempla.* Ioseph, *Gen.* 45. *v.* 9. 10. 11.

Liberorum contumaciæ & inobedientiæ erga parentes *Exempla*: Cham, *Gen.* 9. 22. Esau, 26. *v.* 34. 35. & 28. *v.* 8. 9. Simeon & Leui, 34. 30. Heli filij Ophni & Phinees, 1. *Sam.* 2. *versicu* 22. 23. 24. Filij Samuelis, 8. *v.* 3. Absalon, 2. *Sam.* 16. *v.* 1. 2. 3. 4. Filius prodigus, *Luc.* 15. *v.* 11. 12.

Liberorum procreatio donum Dei est, *Gen.* 1. 28. & 4. *v.* 1. 25. & 16. *v.* 2. & 20 *v.* 17. 18. & 25. 21. & 29. *v.* 30. 31. & 30. 22 & 48. 9. *Rut.* 4. 13. 1. *Sam.* 1. *v.* 19. 27. & 2. 21. *Psal.* 113. 8. & 127. 4. *Esa.* 66. 9.

Sententiæ Poeticæ.

Iuuent. Sat. 14.

Nil dictu fœdum, visuq; hæc limina tangat,
Intra quæ puer est: procul hinc procul inde puellæ
Lenonum & cantus pernoctantis parasiti:
Maxima debetur puero reuerentia, si quid
Turpe paras, nec tu pueri contempseris annos,
Sed peccaturo obsistat tibi filius infans.

Orphicus.

Iuppiter inspicit illos, qui colunt iura parentum,
Et qui negligunt pro animi impudentia.
Ac illis quidem benignus & mitis bona largitur:
His vero infensus indignatur per furias.
Sunt enim vehementes in terra parentum furiæ.

Plaut. in Trin. Act. 3.

Quo illic homo se penetrauit ex ædibus Lys. *Pater adsum,*
Impera quod vis, neque tibi ero in mora, neque latebrose me ab tuo
Conspectu occultabo. LY. *Feceris par tuis cæteris factis, patrem*
Tuum si percoles per pietatem, nolo ego cum improbis te viris
Gnate mi, neque in via, neque in foro vllum sermonem exequi.
Noui ego hoc sæculum moribus quibus sit, malus bonum malum
Esse vult, vt sit sui similis, turbant, miscent mores mali.
Hæc dies noctesq; tibi canto, vt caueas: quod manu non queunt
Tangere, tantum fas habent, quo manus abstineant.
Cætera rape, trahe, fuge, late. Lachrimas hæc mihi cum video
Eliciunt, quia ego ad hoc genus hominum duraui quin prius
Me ad plures penetraui, nam ij mores maiorum laudant.
Eosdem lutitant. hisce ego te artibus gratiam facio ne colas,

Nen

Non imbuas ingenium:meo modo,& moribus viuito antiquis.
Quæ ego tibi præcipio,hæc facito:nihil ego istos moror fatuos
Mores & ineptidos quibus boni dedecorant se:hæc tibi,si mea
Imperia capesses,multa bona in pectore consident.

Euripides.

Quisquis in vita sua parentes colit,
Hic & viuus & defunctus Dijs charus est.

Idem in Herc.

Nihil est tam honorificum liberis,
Quam bono & honesto genitore esse natos,
Et debitum honorem parentibus afferre.
Nihil est genitrici sua prole suauius.
Amate matrem,ò liberi:non enim est amor
Vllus huiusmodi,& qui suauius ametur.

Pythagoras.

Parentes honora,& qui genere tibi proximi sunt.

Agathon.

Quam iucunda res est,parenti obedire liberos.

Timocles.

Quicumque patrem timet ac veneratur,
Hic in bonum ciuem euadet procul dubio.
Et hostibus incommodare poterit.

Terent.in Adelph.

Hoc patrium est potius,consuefacere filium
Sua sponte recte facere quam alieno metu.
Hoc pater ac dominus interest:hoc qui nequit,
Fateatur se nescire imperare liberis.

Ibidem.

Vt quisque vult filium suum esse,ita est.

Horat.1.Serm.4.

Insueuit pater optimus hoc me
Vt fugerem exemplis vitiorum quæq; notando,
Cum me hortaretur parce,frugaliter atque
Viuerem,vti contentus eo,quod mi ipse parasset?
Nonne vides Albi vt male viuat filius,vtq.
Barrus inops?magnum documentum ne patriam rem
Perdere quis velit.a turpi meretricis amore
Cum deterreret,Sectani dissimilis sis.
Ne sequerer mœchas,concessa cum Venere vti
Possem:deprensi bella est forma Treboni,
Aiebat sapiens vitatu,quodq; petitu
Sit melius causas reddet tibi:mi satis est si
Traditum ab antiquis morem seruare,tuamq;
Dum custodis eges vitam famamq; tueri
Incolumem possim:simul ac durauerit ætas
Membra animumq; tuum nabis sine cortice:Sic me
Formabat puerum dictis.& siue iubebat
Vt facerem quid,habes authorem quo facias hoc:
Vnum ex iudicibus selectis obijciebat.
Siue vetabat,an hoc inhonestum & inutile factu
Necne sit addubites,flagret rumore malo cum
Hic atque ille?auidos vicinum funus vt ægros
Exanimat mortisq; metu sibi parcere cogit:
Sic teneros animos aliena opprobria sæpe
Absterrent vitijs.

Ex Græcis Comicis.

Φιλίας μέγιστος δεσμὸς αἱ τέκνων γοναί.
Sunt vinculum amoris liberi firmissimum.
Μακάριος,ὅστις ἐυτυχήκατ' ἐις τέκνα.
Felix,boni cui contigerunt liberi.
Μακάριος ἐστιν ὦν ἔυτακτον τρέφων.
Moratus est cui filius,felix pater.

SENTENTIÆ PHILOSOPHORVM. & Historicorum.

Liberos postquam secundum leges generauerint, si quis cum aliena muliere in talibus consuetudinem habuerit, aut mulier cum viro,si adhuc liberos procreant,eadem mulcta ipsis irrogatur, vt de his,qui adhuc generant,dictum est. *Plat.de leg. dial.6.*

Liberorum educatio doctrinæ potius cuidam & admonitioni potius similis est,quam legibus. *Idem de leg.dial.7.*

Liberis inquilinorum,si opifices sunt,& quindecim annos nati,cohabitionis tempus initium sumat post quintum & decimum annum,& postea maneat per viginti annos, si cui hoc ita placuerit: si vero manere voluerit,maneat, postquam eodem modo,vt de inquilinis diximus,Reipublicæ persuaserit:qui discedit,abeat,deletis præscriptionibus,quæ ab ipso prius fuerunt apud magistratum præscriptæ. *Plat.de leg.dial.8.*

Liberis nihil est charius humani generi. *Liu.Dec.1.lib.1.*

Futura soboles adfert obliuionem amissorum & Reip.hæc duo cõmoda accedunt in liberorum propagatione, quod numerus ciuium augetur,& quod tutiora consilia dantur. Nam qui non habent liberos periculorum socios,non perinde iusta consilia dant patriæ. *Thucyd.lib.2.*

Pater non ignorabit ita liberos esse procreandos, vt meminerit his à rerum natura, & accipiendi spiritus, & reddendi eodem momento temporis legem dici; atque vt mori neminem solere qui non vixerit, ita nec viuere quidem aliquem posse,qui nõ sit moriturus. *Val.Max.lib.5.c.10.*

Liberorum gratia quis omnia fortasse audebit. *Procop. de bello Pers. lib.1.*

Frustra de prole cura est, nisi rebus præsentibus consulatur. *P.Diacon.inst.lib.1.*

Liberi bonum quoddam ex honestate simul, atque iucunditate permixtum esse videntur. *Leo Heb.de Am.dial.1.*

Liberos prudentissimos cur stulti pleriq. procreant,& contra multi valde prudentes stolidissimos?quia hoïes stultiores cũ concũbunt,totos libidini se dedũt. itaq, animo penitus in corporis cõcreationem demerso, astrictoq; rei tantum Venereæ,semen vires optimas,tum rationales,tum naturales adeptum profluit,& proinde prudentiorem creat hominem. At homines prudentes,& docti semper aliquid vel honesti, vel vtilis animo cõplectuntur, nec in ipso quidem venereo coitu omnino à rerum studio desistunt, & sic animo remissiori profluens semen, expers longe facultatis illius animalis incumbit:& hinc deduci ratio potest,cur homines stulti,& indocti filios robustos maxime procreant,prudentes & docti imbecilles. *Alex. Aphrod.probl.1.num.28.*

Liberi ciuitatis Romanæ iure in patrum arbitrio detinebantur,vsq; dum tertia emancipatione soluerentur. *Boet.in Topic.Cic.lib.*

Liberi non iure suscepti,& impari matrimonio,in patrum non erãt potestate,sed potius matres sequebantur. *Idem,ibid.*

Liberi cum parentibus puberes facti ad bellum proficisci debent, vt videant, quæ viros perfectos tractare oportebit,& ministrẽt, quæ ad bellum spectant,& curent patres & matres. *Plato de Repub.dial.5.*

Liberi belli spectatores esse debent, & patres ipsis præstare debẽt securitatem, & cum patres sint expeditionum militarium edocti, noscant, quæ periculosæ sunt, & quæ secus existunt, ad has producent,& illas vitabunt. *Idem ibid.*

Liberi puberes ducendi sunt ad bellum, nam patres diligentius ipsos instituent,quam custodes,& experientia,& inspectione eorũ, quæ cõueniunt:præterea animal omne insigniter pugnabit,præsentibus his,quæ peperit. *Plat.de Repub.dial.5.*

Liberi,si præter opinionẽ in bello aliquid accidat,alati esse debent vt quo,si opus fuerit, volantes aufugiant, nam admodũ adhuc pueri in equos transferendi sunt, & vbi equitare didicerint, ad spectaculum ducendi sunt, non illis animos concitatis,neque ad pugnam instructis, sed quam velocissimis,& habenis maxime parentibus:sic & optime spectabunt,& securissime,si aliquid accidat,seruabuntur cum senioribus ducibus. *Idem,ibidem.*

Liberis tempore bellorum præficient principes non vilissimos, sed eos, qui & experientia, & ætate præstantes sunt & duces,& puerorum ductores. *ibid.*

EMBLEMA.

Emblema Andr. Alciat. CXCIIX.

Ante diem vernam boreali cana palumbes
Frigore nidificat,præcoqua & oua fouet:
Mollius & pulli vt iaceant,sibi vellicat alas,
Queis nuda hyberno deficit ipsa gelu.
Ecquid Colchi pudet,vel te Progne improba?mortem
Cum volucris propria prolis amore subit?

LIBERTAS.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

Libertas, Græce ἐλευθερία,ας,ἡ,& ἐλεύθερος,α,ὁ, liber dicitur. Hebr. *Choppesch*, a verbo *Chippesch*, libertate donauit manumisit:& in 2.coniugat.passiua *Chuppasch*,libertate donatus est. *Leuit.19.20.* Est autem libertas naturalis facultas eius, quod cuique facere libet, nisi quod vi aut iure facere prohibetur, *vt habetur Instit.de iure personarum, princ.* cuius oppositum est seruitus, venitque à liber.

Libertus pariter inde deriuatur, & is est, qui cum esset seruus factus est liber. Inde etiam fit libertinus,quod est adiectiuum nominis.& est relatiuum ingenui,sicut libertus relatiuum patroni.

Libertini sunt,qui iusta seruitute manumissi sunt,sicut ingenui,qui libera matre nati,nec postea serui facta sunt. Inde libertinitas & ingenuitas dicuntur.

LOCI BIBLICI.

Libertas vera per Christum, *Ioan.8.32.36.Galat.4.31.& 5.13.Roman.16.18.& 8.2.21.1.Pet.1.18. & 2.16.2.Pet.2.19.* ex cognitione veritatis. *9.32.* & conscientia bona, *1.Time.3.13.* per fidem, *Gala.3.25.*
Libertas Christianæ charitati subiecta est, *1.Corinth.8.1.9.* inter ædificationis,& charitatis terminos consistere debet. *Roman.14.19.20.*

19.20.21.1.*Cor.6.12.* in rebus medijs ad infirmorum fratrum conscientiam attemperanda est, 1.*Cor.11.29.* Libertas spiritualis, 7.22. cum seruitute carnali non pugnat, *Eph.6.5.1.Pet.2.16.* Libertate Christiana non abutendum, *Rom.14.15.16.1.Cor.6.12.& 10.23.& 8.8.Gal.5.13.1.Pet.2.16.* abusus eius coercetur, 1.*Cor.8.* quemodo ea vsus sit Paulus, 9.15.18.22. nempe vt non offenderet quemquam, *ibid. & 2.Cor.11.12.* Libertas praua, & improbanda, *Job 11.12.Ierem.34.15.Ose.7.16.2.Pet.2.18.* Libertatis lex quæ dicatur, *Iac.1.25.*

Liberum esse iustitiæ, est non subesse imperio iustitiæ. *Rom.6.20.* nec iustitiam vllum ius in quempiam habere.

Libertas, pro liberatione à lege cæremoniali, 1.*Cor.9.1.* & pro primo gradu ad viuificationem, 2.*Cor.3.17.*

Sententiæ Biblicæ.

Libertas praua reprobatur.

Vir vanus in superbiam erigitur, & tamquam pullum onagri se liberum natum putat. *Job 12.*

Vos non audistis me, vt prædicaretis libertatem, vnusquisque fratri suo, & vnusquisque amico suo. Et ecce prædico vobis libertatem, ait Dominus ad gladium, ad pestem, ad famem. *Ier.34.*

Reuersi sunt, vt essent, absque iugo: & dabo vos in commotionem cunctis regnis terræ. *Ose.7.*

Siquidem vbi vehementer fastuosa vanitatis verba soluerint, inescant homines per concupiscentias carnis voluptatibus, eos, qui fere aufugerant, eos, qui in errore conuersantur, dum illis libertatem pollicentur, quum ipsi serui sint corruptionis. *2.Pet.2.*

Libertas Euangelica per Christum datur.

Si ergo vos Filius liberauerit, vere liberi eritis. *Ioan 8.*

Lex enim Spiritus vitæ in Christo Iesu liberauit me a lege peccati, & mortis. *Rom.8.*

Vbi autem Spiritus Domini, ibi libertas. *2.Cor.3.*

Itaque fratres non sumus ancillæ filij, sed liberæ: qua libertate Christus vos liberauit. *Galat.4.*

Ad Deum ordinatur.

Liberati autem à peccato, serui facti estis iustitiæ. *Rom.6.*

Cur enim serui essetis peccati, liberi fuistis iustitiæ. Quem ergo fructum habebatis in his, de quibus nunc erubescitis?

Nam finis illorum mors. Nunc vero liberati à peccato, serui autẽ facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam.

Qui enim in Domino vocatus est seruus, libertus est Domini. 1.*Cor.7.*

Vos enim in libertatem vocati estis fratres, tantum in libertatem in occasionem detis carnis, sed per charitatem Spiritus seruiture inuicem *Gal.5.*

Similiter qui liber vocatus est, seruus est Christi. 1.*Cor.7.*

Qui autem perspexerit in lege perfectæ libertatis, & permanserit in ea, non auditor obliuiosus factus, sed factor operis, beatus in facto suo erit. *Iac.1.*

Sic loquimini, & sic facite, sicut per legem libertatis incipientes iudicari. *2.*

Benefaciendo obturetis os hominibus stultis, & ignorantibus tamquam liberi, & non veluti velamen habentes malitiæ libertatẽ, sed tamquam serui Dei. 1.*Pet.2.*

Libertas humana commendatur.

Seruus vocatus es, non sit tibi curæ: sed & si potes fieri liber, magis vtere. 1.*Cor.7.*

Precio empti estis, nolite fieri serui hominum. *ibid.*

Sententiæ Patrum.

Si voluntas mala semper suæ permittenda est libertati, quare Paulus non est permissus vti pessima voluntate, qua persequebatur Ecclesiam, sed prostratus est, vt cæcaretur: cæcatus est, vt mutaretur: mutatus est, vt mitteretur: missus est, vt qualia fecerat in errore, talia pro veritate pateretur? Si voluntas mala semper suæ permittenda est libertati, quare monetur pater in scripturis sanctis filium durum non solum verbis corripere, sed etiam latera eius tundere, vt ad bonam disciplinam coactus, ac domitus dirigatur? vnde idem Salomon dicit: Tu percutis eum virga, animã autem eius liberas à morte. *August. Donato Presbytero, & habetur 23.q.4. Displicet, §. Si voluntas.*

Quem delectat vera libertas, ab amore rerum mutabilium liber esse appetat. Et quem regnare delectat, vni omnium regnatori Deo subiectus sit, plus eum diligendo, quam semetipsum. *Aug. lib. de vera religione.*

Prima libertas voluntatis erat, posse peccare, nouissima erit multo magis, non posse peccare. Prima immortalitas erat, posse non mori, nouissima erit multo magis, non posse mori. Prima erat perseuerantiæ potestas, bonum posse non deserere: nouissima erit perseuerantiæ felicitas, bonum non posse deserere. *Idem Aug. de correctione, & gratia.*

Manebat autem, antequam vinum inueniretur, omnibus inconcussa libertas. Nemo sciebat à consorte naturæ suæ obsequia seruitutis exigere; non esset hodie seruus, si ebrietas non fuisset, *Amb. in ser. Domini de Ieiunio, qui incipit. Diuinum ad patrem, & habetur dist. 35.c. Sexto die §. Manebat.*

Ille in quauis conditione seruitij liber est, qui amore non capitur, auaritiæ vinculis non tenetur, metu criminis non obligatur, qui securus expectat præsentia, quem non terrent futura. *Amb. de Ioseph.*

Cum Redemptor noster totius conditor creaturæ ad hoc propitiatus, humanam voluit carnem assumere, vt diuinitatis suæ gratia dirupto (quo tenebamur captiui) vinculo seruitutis, pristinæ nos restitueret libertati: salubriter agitur, si homines, quos ab initio natura liberos protulit, & ius gentium substituit iugo seruitutis, in ea natura, qua qui nati fuerãt, manumittẽns beneficio libertati reddantur. *Greg. Montano & Thomæ. & hab. 12.q. Cum Redemptor.*

Cum nobis triplex proposita sit libertas: a peccato, à miseria, à necessitate: hanc vltimo loco positam contulit nobis in conditione natura: in prima restauramur a gratia, media reseruatur nobis in patria. Indicatur prima libertas naturæ, secunda gratiæ, tertia gloriæ: prima habet multum honoris, secunda plurimum virtutis, nouissima cumulum iucunditatis. *Bern. de libero arbitrio.*

Poeticæ Sententiæ.

Menander.

Ἐλευθέρῳ γάρ ἐστι τἀληθῆ λέγειν.
Liberi enim viri vera dicere.
Ἐλεύθερον φύλαττε τὸν σαυτοῦ τρόπον.
Liberum serua tui ipsius morem.
Σαυτὸν φύλαττε τοῖς πάθεσιν ἐλεύθερον.
Teipsum serua morbis liberum.

Lucan. lib. 4. Pharsal.

Sed regna timentur
Ob ferrum, & sæuis libertas vritur armis,
Ignorantq; datos ne quisquam seruiat enses.

Horat. Serm. lib. 2. satyr. 7.

Quisquam igitur liber? sapiens sibiq; imperiosus,
Quem neque pauperies, nec mors nec vincula terrent:
Responsare cupidinibus, contemnere honores
Fortis & in seipso totus teres atque rotundus,
Externi nequid valeat per leue morari,
In quem manca ruit semper fortuna.

Idem epist. lib. 1. epist. 1.

Ad summam, sapiens vno minor est Ioue, diues,
Liber, honoratus, pulcher, rex denique, regum,
Præcipue sanus, nisi cum pituita molesta est.

Claud. lib. 3.

Fallitur egregio quisquis sub principe credit
Seruitium, numquam libertas gratior extat.
Quam sub rege pio.

Stat. 5. Sil. 2.

Quem non corrumpit pubes effrena, nouæq;
Libertas properat sagacem neque faciis
Stita comas tollit, fixitq; expirat in vmbras.

Plaut. Capt.

Omnes profecto liberi libentius
Sumus quam seruimus.

Plaut. Capt.

Liber captiuus aui fere similis est.
Semel fugiendi si data est occasio,
Satis est, numquam post illum possis prendere.

Anthol. Sacr. Iac. Bil.

Libertas nulla est melior maior ve potestas.
Quam seruire Deo, cui bene seruit amor.
Absque iugo posita est dominis amica voluntas,
Qua viget affectu, non gemit imperio.

Philosophicæ Sententiæ.

De libertate. Dial. xiv. Franc. Petrarcha.

Gavd.

In libertate natus sum R. Non qui nascitur liber, sed qui moritur, liber est. Multum fortunæ licet in nascentem, in extinctum nihil. Expugnat vrbes munitissimas: Armatos fundit exercitus: Potentissima regna subuertit: Inexpugnabilis arx sepulchrũ, Illic regnũ vetustum non fortunæ. Itaq; limen illud ingressi soli mortalium, vitæ huius ab insultibus tuti sunt. Tu te liberum iactas, & ignoras, nõ dico ad sepulchrum, sed an hoc hodie in cubiculũ sis iturus. Libertas vestra tenuissimo nitens filo, licet alia, quibus fidis, oĩa tremula semper & caduca est. G. Liber sum. R. Idcirco te (vt reor) liberum dicis, quia dominum nullum habes: sed Annæum audi Senecam: Bona, inquit, ætas est. forsitan habebis. Nescis, qua ætate Hecuba seruire cœpit, qua Crœsus, qua Darij mater, qua Diogenes. His ille te admonet exemplis. Multa sunt alia, vel tacita Senecæ, vel ignota. Numquid non Attilium Regulum meministi, indignum prorsus hoc ludibrio, passum tamen? Nũquid tibi recentior annis Valerianus excidit? Quorum ille modo dux, hic autem princeps populi Romani, moxq; ille Carthaginensium, hic Persarum seruus ille truci supplicio peremptus, hic longa, & misera

misera contrabuit seruitute. Quid Macedoniæ Numidiæq; reges? Hinc Persen, hinc Siphacem, memorem atque Iugurtham regni omnes è culmine Romana lapsos in vincula. Mitto veteres regũ casus. Ætas tua quosdam è regia trusit in carcerem, eundemque vna hora, & primum regem, & vltimum seruum vidit. Siquidem eo quisq; miserior seruus est, quo felicior liber fuit. Noli igitur libertate tumescere, quoniam non ex liberis modo, sed ex rebus tam subito serui fiunt. Nec miraberis, cum secundum Platonis sententiam, non minus ea seruis etiam reges fiant. Mutantur assidue res humanæ. Nihil sub cęlo stabile. Quis in tanta vertigine firmum aliquid, ac mansurum speret? Neque vero te liberum hinc duxeris, quod esse dominum tibi non vides, quod parentibus ortus ingenuis, nec in acie captus, nec venundatus sis. Sunt vobis inuisibiles animorum Domini, & in ipsa hominum origine latens pestis est. Nascendi genus obnoxium peccato, qua nulla grauior seruitus fingi potest. Sunt occulti hostes, & bella clandestina: sunt quæ miseras animas nundinentur, quas heu, vili pretio venditis voluptates fędissimæ dominarum, quæ vos inenodabili laqueo victos tenent. Ite nunc, & libertate gloriamini. Sed vos cæci, nihil nisi corporeum videtis. Vnde eũ, qui vni mortali subest domino seruum dicitis. Illum vero, qui mille in mortalib. tyrannis opprimitur, liberum iudicatis: eleganter vt reliqua. Profecto autem liberum non facit fortuna, sed virtus. G. Liber sum. R. Plane. Si prudens es, si iustus, si fortis, si modestus, si innocens, si pius. Horum si quid abfuerit, pro ea te parte seruum scito. G. In libera patria natus sum. R. Vrbes quoq; tu liberas tua ætate perexiguo flexu rerum post paululum seruas nosti. Quod si vel notiora, vel clariora sunt vetera, Lacedæmon & Athenæ liberrimæ vrbes ciuile primum, mox externum passæ sunt iugum Hierosolyma sancta vrbs, & libertatis æternæ mater temporaliter & Romanis seruiuit, & Assyrijs, nunc seruit Ægyptijs. Roma ipsa non solum libera, sed domina gentium, suorum primum ciuium, post etiam vilissimorum hominum serua fuit, vt nemo vnquam libertati, nemo vel imperio suo fidat.

Quid est libertas? potestas viuendi vt velis. Quis igitur viuit, vt vult, nisi qui recta sequitur? Soli hoc contingit sapienti, vt nihil faciat inuitus, nihil dolens, nihil coactus. Quis neget omnes leues, omnes cupidos omnes deniq; improbos, esse seruos? An ille mihi liber est, cui mulier imperat, cui leges imponit, præscribit, iubet, vetat quod videtur? qui nihil imperanti negare potest, nihil recusare audet? poscit, dandum est, vocat, veniendum, eijcit abeundum, minatur, extimescendum: ego vero istum non modo seruum, sed nequissimum seruum, etiam si in amplissima familia natus sit appellandum puto. *Cic. in para.*

Quid sit libertas, quæris, nulli rei seruire, nulli necessitati, nullis casibus fortunam in æquum reducere. *Sen. 47. epist.*

Liber non est, quem superbus inflammat animus. *Idem in Prouerb.*

Liber est iste existimandus, qui nulli turpitudini seruit. *Cicer. 4. ad Heren.*

Inæstimabile bonum est, suum esse. *Senec. epist. 76.*

Seruitus ac libertas, si modum obseruent, vtraque bona sunt, si modum excedant, vtraque mala. Deo parere libertas est. *Idem epistola 9.*

Proprium est paupertatis, cum alia deficiunt, exercere libertatem. *Quint. Dec. 9.*

Libertatis proprium est, sic viuere vt velis. *Cic. 1. Offic.*

Omnes homines natura libertati student. *Cæsar libro 2. de bello Gallico.*

Nemo liber, qui seruit cupiditatibus. *P. M. in apoph.*

Nulla voluptas viris ingenuis suauior est libertate.

Vbi regnat luxus, ibi libertas diu esse non potest.

Is vere liber est, quem philosophia liberum facit.

Pestilentissimum genus est adulationis, sub libertatis imagine blandiri.

Omnibus regibus natura inuisa est populi libertas.

Libertas bene magno emitur, nec sine negotio seruatur.

Qui seruit vitijs, vere liber non est dicendus.

Qui multis eget, liber esse non potest.

Nihil beatum, si absit libertas. *ibid.*

Satius est libertatem nobis conseruare, quam alijs auferre. *Agesila.*

Liberis hominibus, & præclaris legib. institutis, perdifficile est sub seruitute durare. *Epimenides.*

Quod optimum inter homines est libertas est. *Diogenes*

Serui, non liberi est, quæ quis sentiat, non dicere. *Euripid.*

Tyrannidis. & libertatis naturale dissidium. *Demosth.*

Libertas nomen virtutis est, seruitus autem malitiæ.

Senectutis vltimæ Syracusana quædam mulier, Dionysij tyrãnidis impatiens, sola quotidie matutino tempore Deos, vt superstes esset Dionysius orabat: quo agnito, eam accersit, curque id faceret, interrogauit. Tum illa. Quum puella essem tyrannum habebamus, quo carere cupiebam: Eo interfecto, tetrior aliquáto sceptrum occupauit cuius obitum auidus exoptabam. Tertium te superioribus importuniorem habemus: Itaque timeo ne te absumpto, in locum tuum deterior succedat. Quapropter tantam mulieris libertatem Dionysius punire erubuit. *Epicharm.*

Libertatis vna pars est, vicissim parere atque præesse, altera autem sic viuere vt velis. Hoc enim libertatis aiunt esse proprium, siquidem serui est, non viuere vt velit. *Aristotel. libro 6. de Republica, capit. 2.*

Homo liber dicitur is, qui seipso contentus est, & ex se pendet, non ex alterius arbitratu & imperio. *Libro primo. Maior. Metaph. capit. 2.*

Fundamentum quidem popularis Reipublicæ est libertas. Hoc enim omnium sermonibus increbuit, quasi vero in hac vna Republica libertatis insit communio, propterea quod hanc dicant ab omni populari imperio indagari & exquiri. *Lib. 6. de Republica. c. 2.*

Nullus hominum liber est: nam aut pecuniæ, aut fortunæ seruit. *Lib. 2. Rhet. ad Theod. c. 23.*

Libertas & æquitas in eo posita est, vt quod quisque velit, faciat. Ex quo efficitur, vt in populari genere ciuitatis eiusmodi ita quisque viuat vt velit, & vt ait Euripides, quemadmodum desideret: quod est in vitio. Neque enim vita, quæ ex Reipublicæ præscripto degitur, seruituti deputanda est, sed saluti. *Lib. 5. de Republica. c. 9.*

Liberum esse, equidem cunctis rebus anteferendum arbitror. *Xenoph. de reb. gest. Græc. lib. 4.*

Cum leges apud Indos varię habeantur, admiratione tamen dignę hæ fuerunt, a priscis eorum philosophis editæ. Lege enim sanxerunt, neminem omnino seruum esse: liberos æquo iure honoreque haberi omnes. Qui assuescerent neque præstare cæteris: neque iniuria quenquam afficere, optime ad omnes fortunæ casus instituisse vitam. Stultum sanè videri leges æquas omnibus posi-tas, fortuna non ęquè omnibus communes esse. *Diodor. Sicul. Antiq. lib. 3. c. 10.*

Existimantes libertatem esse beatitudinem, nec sine fortitudine libertatem retineri, pericula bellica non defugite. *Thucyd. libro 10.*

Sine libertate nihil bonum est, nihil expetendum hominibus. *Plut. in Agesilao.*

In omnibus mortalibus libertatis desiderium est innatum, & ijs qui inuiti & coacti miserias perferunt, quæuis vel leuissima occasio ad res nouandas idonea videtur *Dionys. Halic. lib. 5.*

In omnibus libertatis desiderium innatum est. *Idem, lib. 6.*

Omnium humanorum bonorum libertas maximum putatur. *Idem, lib. 11.*

Libertas ipsa satis habet dulcedinis. *Liuius, Decad. lib. 2.*

Moderatio tuendæ libertatis, dum æquari velle simulando ita se quisque extollit vt deprimat alium, in difficili est: cauendoque ne metuant homines metuendos vltra se efficiunt, & iniuriam a nobis repulsam, tanquam aut facere aut pati necesse sit iniungimus alijs. *Decad. 1, lib. 3.*

Maxima libertatis custodia esset, si magna imperia diuturna non essent, & temporis modus imponeretur quibus iuris non potest. *Decad. 1 lib. 4.*

Suis stat viribus libertas, nec ex alieno arbitrio pendet. *Decad. 4. libro quinto*

Omnes homines natura libertati student & conditionem seruitutis oderunt. *Cæsar, lib. 3. de bello Gall.*

Viri fortes non collocant libertatem & vires in agris & domibus, quæ nunquam eis deerunt, si pugnare non pigeat. *Appian. lib. 2. de bello ciuil.*

Fieri nõ potest vt libertatem ament, qui largitionibus corrumpuntur. *Idem ibid.*

Libertatem nemo bonus, nisi cum anima simul, amittit. *Sallust. de coniurat. Catil.*

Libertas iuxta bonis & malis, strenuis & ignauis optabilis est. verũ eam plerique metu deserunt. *Sallust. in Fragm.*

Ingenua seruilibus ingenia præstant. *Iustin. lib. 18.*

Falso libertatis vocabulum ab ijs obtenditur, qui priuatim degeneres, in publicum exitiosi, nihil spei, nisi per discordias habẽt. *Tacit. Annal. lib. 11.*

Libertas natura etiam mutis animalibus data. *Hist. lib. 4.*

Optimus est, post malum principem, dies primus. *Eod. lib.*

Quomodo pessimis Imperatoribus sine fine dominatio, ita quibuscunque egregijs modus libertatis placet. *ibid.*

Liber sub imperio nullus habetur. *Aurel. Victor. libro de Cæsaribus.*

Non ita graue est in malis senescentem vsque ad extremum viuere, quam a malis semel liberatum rursus in eadem recidere: quod medio tempore bona degustanti difficilis, vt par est, calamitas reuersa videatur. *Procop. de bello Vandalico, lib. 2.*

Nihil tam indignum liberis & fortibus viris, quam longe remoti, sæpe etiam victi adhuc hostis, & deinde minitanti imperio arma deponere. *P. Orosius, lib. 7. lib. 3. c. 1.*

Natura ita comparatum est, vt qui inuiti seruiunt, ij libertatem affe-

affectent: & quod cupiunt, ad id obtinendum capta opportunitate erumpant. *Cedren. hist. compend. pag 476.*

Cum nemo sit hominum, qui non cupiat se in libertatem asserere, qui non male velit ijs à quibus aliqua seruitute, vel metu coercetur: hæc sanè libertatis cupiditas, & seruitutis odium maximè vigent in Principibus. *Ph. Comm. lib. 4.*

Libertas res est desiderabilis, ac preciosa, talisque, quæ digna sit, vt nullum periculum defugiamus, si qua spes effulgeat minimè friuola, nos eam posse aliqua saltem ex parte tueri. *Franc. Guicciard. hist. lib. 1.*

A p o p h t h e g m a t a.

Pythagoras neminem liberum esse dicebat, nisi qui sibi imperaret. *Stob. serm. 6.*

Bion, bonos famulos libertate frui dicebat, at malos liberos, multarum cupiditatum seruos existere. *Stob. serm. 2.*

Aristippus. Dionysio recitanti versiculum ex Sophoclis Tragœdia,

> *Ἠσὶς τὸν τύραννον ὅστις ἐμπορεύεται*
> *Κείνου 'στὶ δοῦλος, κἂν ἐλεύθερος μόλῃ.*
> *Quisquis tyranni ad tecta se confert sua,*
> *Fit seruus illi, liber etsi venerit.*

Aristippus correcto posteriore versiculo respondit:

> *Οὐκ ἔστι δοῦλος, ἂν ἐλεύθερος μόλῃ.*
> *Haud seruus est, si liber illuc venerit.*

Significans, non esse vere liberum, nisi cuius animum spe metuque liberauit Philosophia. Etenim vere liber est, quisquis ingenuus natus est. Quidam hoc dictum ascribunt Platoni. *Laertius lib. 2. cap. 8.*

Diogenes interrogatus, quid esset in vita optimum? respondit: Libertas, hæc enim semel amissa non facile recuperatur. *Laert. l. 6.*

Idem, cum Xeniadæ seruiret, amici agebant de eo redimendo. At ille: Nequaquam, inquit, an nescitis, leones non ijs seruire, a quibus aluntur, sed altores potius seruire leonibus? Nam leo vbicunque est, semper leo est. *Laert. lib. 7.*

Idem, Craterus Alexandri Magni præfectus, homo prædiues, inuitarat Diogenem, vt ad se commigraret, cui respondit: Malle Athenis salem lingere, quam apud Craterum opipara frui mensa, sentiens, libertatem, quamuis inopem, omnibus diuitum delicijs præferendam, vbi minuitur libertas. *Laert. l. 6. c. 5.*

Idem. Prædicantibus beatum Callisthenem Philosophum, quod apud Alexandrum apparatu splendido exciperetur: Imò, inquit, infelix est, quod illi prandendum cœnandumq; sit, cum Alexandro visum fuerit, sentiens, nihil esse beatum, si absit libertas. Hic est Callisthenes, Aristotelis discipulus, quem Alexander tandem coniecit in carcerem, vbi & perijt. Quidam pro Callisthene supponunt ipsum Aristotelem, cuius felicitatem prædicantibus, quod cum regis filio viueret: Aristoteles, inquit, prandet, quum vult Alexander: Diogenes, quum vult Diogenes. *ibid.*

Simonem Atheniensem Pericles ad se inuitauit, pollicens sese omnia necessaria præbiturum. At Simon negauit se venditurum libertatem. Delectauit hunc imago muris siluestris paruo viuentis, potius quam domestici in summis delicijs, sed perpetua cum solicitudine versantis. *Laert. l. 2. c. 14.*

Anonymus. Lacon quidam interrogatus, quid artis sciret? Liber, inquit, esse. Ea gens, nec disciplinis Philosophorum, nec opificijs exercebatur: tantum inuicti animi libertatem tuebatur, nec hominibus, nec vitijs seruire docilis. *Plut. in Lacon.*

Anonymus quidam captiuus cum venderetur, ac præco diceret se mancipium vendere: Scelestè, inquit, nondum dices captiuum? Non puduit duræ conditionis, sed puduit tituli seruilis. Tantus erat libertatis amor. *ibid.*

Agesilaus, cum quemdam admirari videret, quod rex cum cæteris Lacedæmonijs tam frugali cibo vestituque vteretur: Atqui, ait, pro hac frugalitate optimam messem metimus, libertatem videlicet: Sapienter admonens, nullam esse voluptatem viris ingenuis libertate suauiorem: nec ibi diu libertatem esse posse, vbi luxus regnat. *Plut. in Lacon. apoph. & P. M. lib. 1. apoph.*

Cleomenes, cum è carcere elapsus ad occidendum Ptolemæum plebem solicitasset, neminemque inuenire: Non mirum est, ait, si talibus viris, qui libertatem negligunt, mulieres etiam dominantur. *Plut.*

Euris & Spartes sponte profecti sunt ad Xerxem regem Persarum, daturi pœnas, quas Lacedæmonij iuxta oraculum pendere debebant, eo quod oratores Persarum occidissent: quos cum Xerxes vidisset, interficere noluit, sed apud se manere iussit. Cæterum quum regis dux instaret rogans, diceretque fore, vt in pari honore haberentur cum his, qui inter regis amicos primas tenebant, hunc in modum responderunt: Scimus, quam ingens bonum sit libertas, quam nemo sanus, vel cum Persarum regno commutarit. *Plut. in Lacon.*

Anonymus, quum Philippus in agros Lacedæmoniorum duxisset exercitum, resque in eo esset statu, vt probabile esset eos ad vnum omnes interituros, rex dixit cuidam Spartiatæ: Quid nunc facietis Lacedæmonij? At ille: Quid, inquit, aliud, nisi quod fortiter moriemur, quando nos soli Græcorum liberi esse non alijs parere didicimus? Nemo seruire cogitur, qui mori paratus est. Quam dulce bonum est libertas, quæ morte emitur? quam misera res seruitus, cui mors anteponitur? Quid igitur mentis dicemus his esse, qui se sponte dedunt in eam seruitutem, vnde nec dato peculio possunt redimi, nec gratuita manumissione liberari? *ibid.*

Armenius à Cyro captus, quum ab illo rogaretur, cur tributum nõ tulisset, vrbemque muro cinxisset? Libertatem, inquit, cupiebam. Pulchrum enim mihi videbatur, & me liberũ esse, & liberis meis libertatem relinquere. *Xenoph.*

Hegesippus cognomento Grobilus, cum Athenienses in Philippum irritaret, quidam è concione succlamauit. Itane bellum nobis inuehis, Hegesippe? Ne per Iouem, inquit, & pullas vestes, & publicas exequias, & orationes funebres, si victuri sumus liberi, nec imperatis Macedonum parebimus. Significans, libertatem bene emi magno, nec sine negocio posse seruari. *P. M. l. 5. apoph.*

Eusebius philosophus, eorum, inquit, qui sœdis voluptatibus dediti sunt nullum tu liberum ducas. Hi enim multo sæuioribus dominis quam vilia mancipia seruiunt. *Stob. serm. 6.*

Epictetus, dicebat nullum esse seruum, qui animo sit liber. *In Enchir.*

Pyrrhus cum Athenas veniens, in arce Palladis rem diuinam fecisset, eodem die descendens ex arce, Atheniensium erga se animũ & fiduciam vehementer laudauit, & admonuit, si saperent, ne posthac cuiquam regum portas (si modo patriæ libertatem tueri vellent) aperirent, Significans, regibus. Imperatoribus ac principibus semper inuisam esse libertatem: omnesq; conatus ac vires eo intendere, vt libertatem extinguentes, ex liberis seruos sibi faciant. *P. M. lib. 4. apoph. ex Plut.*

Meton, quo die decretum de Pyrrho vocando sanciri per populum Tarentinum debebat, & multitudo in concione sederet, accepta corona & lampade, quasi ebrius, tibicine ducente ludibundus in concionem peruenit: &, vt fit in turba populari alijs applaudentibus, alijs ridentibus, vtque procederet in medium inuitantibus, processit ille & quasi cantaturus astitit. Sed vbi silentium nactus est, Viri, inquit, Tarentini benefacitis, quod iocari & ludere volentibus, dũ licet, permittitis: si tamen sapitis, cuncti hac ludorũ libertate fruamini, antequam Pyrrhus adueniat, hanc & aliam omnem libertatem aboliturus. Nec fuit mendax. Nam quã primum aduenit Pyrrhus, ludis & tripudijs Tarentinis interdixit. *Brus. l. 3. c. 32. ex Plut.*

Brutus in Tarquiniorum eiectione dicebat, ex duobus alterum esse eligendum: aut vitam liberam, aut mortem gloriosam. *Bruson. lib. 3. c. 32. ex Liuio.*

Cicero duo semper sibi contingere optabat: primum, vt moriens populum Romanum liberum relinqueret, quod nihil a Dijs immortalibus maius dari posse dicebat. Alterum, vt ita cuique eueniret, vt de Repub. esset meritus. *Cic. in Phil.*

S i m i l i t u d i n e s.

Epicteti: quemadmodũ sanus ab ægris ministrari sibi, & familiares suos ægrotare nollet: ita neque liber aliquis sustinuerit seruos sibi inseruire, aut eos quibus cum agit, seruitutem pati. *Apud Stob. ser. 3. de temperantia.*

Plutarchus. Ignaui canes apud mensam audent, in venatu minime: Sic ingenerosum est, cum sobrijs liber loqui non audeas, inter pocula id facere. *In Moral.*

A d a g i a.

Os inest orationi. *στόμα ἔνεστι τῷ λόγῳ.*

De oratione non inani, sed solidas habente sententias. Es hat haend vnd fuefs, vvas dieser mann redet.

Audi quæ ex animo dicuntur. *ἄκουε τ' ἀπὸ καρδίας Lucianus.*

Nam seria, quæque citra dissimulationem dicuntur, ex animo dici dicuntur, atque ex corde proficisci vulgus ait.

Liberi poetæ, & pictores. *Idem.*

In Demosthenis Encomio:

> *Τοὺς δ' ἐλευθέρους ἐλευθέρων.*

Torqueri potest & in eos, qui pertinaci & obstinato sunt ingenio, quosque necesse sit suis moribus relinquere. Aut in mulieres, quibus nihil non permittitur: Aut in principes quibus omnia laude dantur.

Libera Corcyra, caca vbi libet. *ἐλευθέρα Κέρκυρα, χέζ' ὅπου θέλεις. Eustathius.*

Cum significamus libertatem quiduis agendi. Sed magis quadrabit vbi significamus impunitatem esse maleficijs.

Ter.

Ternio apud priscos & absolutissimus, & sacer habebatur, vt quidquid ter dictum aut factum esset, id ratum & efficax haberetur, vnde in Magorum mysterijs adhiberi solet Verg. in Pharmaceutria.

> *Terna tibi hæc primum triplici diuersa colore*
> *Licia circundo, terque hæc altaria circum*
> *Effigiem duco, numero Deus impare gaudet.*

De plaustro loqui. *ὡς ἐξ ἁμάξης λαλεῖς.*

Id est. *Tanquam è plaustro loqui, de his qui palam ac libere conuiciantur.*

Iubenos aperte loqui.

Si quem admonebimus, ut proferat doloris aut odij causas, neque celet in animo, non illepide dicteremus illud Homer. Iliad. α.

Ἐξαύδα, μὴ κεῦθε νόῳ, ἵνα εἴδομεν ἄμφω.

Eloquitor, ne celato, quod nouimus ambo.

Obsequium amicos, Veritas odium parit. *Ter. in Andr.*

Vulgaris enim amicitia constat obsequijs.

Byzeni libertas. Βύζηνος παῤῥησία.

Ubi quis audacius liberiusq; loquitur. A Byzeno quodam Neptuni filio, cui mos fuerat mira in dicendo libertate uti.

Asseuerantius dicere:

Audacius quippiam & asseuerantius dicturi, quod nobis tamen ita videatur adducemus illum Homeri versum quo Helena vtitur, de Telemacho.

Ψεύσομαι ἢ ἔτυμον ἐρέω; κέλεται δέ με θυμός.

Mentiar, aut verum dicam, mens attamen ipsa

Imperat vt dicam:

Non possum non dicere.

Ubi quis negat se retinere posse, quod habet in animo, festiuiter accommodabit illud Homer. Odyss. Ξ.

Ἐξερέω τι ἔπος γάρ μ' ἀνώγει.

Hoc equidem dicam iactanterius, vrget enim me

Vinum amens:

Et fama fuit, & erat. ἦν μὲν κλέος, ἦν δὲ καὶ ἔστι. *Suid.*

Id est: *Et dicebaris, eras; Quoties facta respondent opinioni.*

Aperto pectore. *Cicero.*

Pro eo quod est, vehementer ex animo, citraq; fucum, quasi renudatis animi penetralibus.

Aperte, simpliciterque loqui.

Quum citra ambages nos loqui significamus, conueniet illud Homeri ex Odyss. δ.

Οὐκ ἂν ἔγωγε.

Ἄλλα παρὲξ εἴποιμι παρακλιδὸν οὐδ' ἀπατήσω.

Non fucis te dissimulans decepero fictis.

Veritatis simplex oratio. ἁπλοῦς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας.

Simplex illa, rusticanaq; veritas, negligit orationis fucos. Conuenit in eos, qui perplexe loquuntur, dum verum dissimulant. Schlecht ist bald geschlissen. Die Vvarheit darff nit viel Raenck.

Ad cribrum dicta. τὰ ἐκ κοσκίνου.

Quæ vera comperta, videri vellent, ad hunc appellabant modum.

Coretum os. Κυρητὸν στόμα. *Zenodot.*

Dici solitum, si quando quis numine afflatus loqui videretur, propterea quod Curetes Cybeles comites, furore quodam sacro percitj, diuinare viderentur.

Quod in corde sobrij, id est in lingua ebrij. τὸ ἐν τῇ καρδίᾳ τοῦ νήφοντος, ἐπὶ τῆς γλώττης ἐστὶ τοῦ μεθύοντος.

Nec prætereundum illud Herodoticum: Subsidenti vino, supernatant verba. Voller Mundt sagt dess Hertzen Grundt, vvas einer nuechtern darff gedencken, das darff er voll reden vnd thuo.

In vino veritas. ἐν οἴνῳ ἀλήθεια.

Significat, ebrietatem animi fucum tollere, & quidquid pectore conditum est, in apertum proferre. Theognis.

Ἐν πυρὶ μὲν χρυσόν τε καὶ ἄργυρον ἴδριες ἄνδρες.

Γινώσκουσ' ἀνδρὸς δ' οἶνος ἔδειξε νόον.

Aurum & argentum fabris digno fertur igni.

Vinum hominis prodens arguit ingenium. Der Vvein ist ein vvahrsager. Kinder, Narren vnd trunckene leut sagen gevvoenlich die vvarheit.

Vinum animi speculum. κάτοπτρον γὰρ εἴδους χαλκός ἐστ', οἶνος δὲ νοῦ. *Euripides.*

Forma ære lucet, vina produnt pectora.

Lingua lapsa verum dicit. ἡ γλῶσσ' ἁμαρτάνουσα τἀληθῆ λέγει.

Nam verum esse creditur, quod exciderit imprudenti, quandoquidem id demum vacat fictionis suspicione.

Emendus, cui imperes.

Cuiq; in suos seruos imperiosum esse licet, in alienos aut in liberos non item. Plaut. Emere oportet, quem tibi obedire velis.

Libero lecto nihil iucundius.

M. Tullius ad Attic. de Quinto loquitur, qui cœlibem vitam iudicabat esse suauissimam. Eam appellabat lectulum liberum.

Oracula loqui. χρησμοὺς λέγειν. *Theoc.*

Dicuntur qui certa, vera, & indubitata loquuntur.

Vera fronte. *Cicero.*

Quæ ex animo citraq; fucū dicuntur, geruntur ve, vera fronte fieri dicūtur. Contra dicemus, mendaci fronte fieri quod geritur per simulationem.

Vero verius. Certo certius. *Martial.*

Dicimus vero verius, quod prorsus indubitatum haberi volumus. Non dissimili forma dicimus, Certo certius: quanquam nihil prohibet aliud alio certius esse.

Ficus ficus, ligonem ligonem vocat. τὰ σῦκα σῦκα, τὴν σκάφην σκάφην λέγων.

Quadrabit in eum, qui simplici & rusticana vtens veritate, rem vt est, narrat, nullis verborum ambagibus, ac phaleris obuoluens.

Profundum sulcum. βαθεῖαν αὔλακα. *Plut.*

Videtur recte quadraturum in eos, qui se metiuntur non ex alterius opinione, sed ex recte secusve factorum conscientia.

HISTORICA EXEMPLA.

Nero vniuersæ Achaiæ libertatem dedit, Græciamque liberam dimisit, & nationes Alpium maritimas in ius Latij transtulit. *Alex. lib. 4. c. 10.*

T. Quintius Flamminius, superato pugna Philippo rege Macedonum. Isthmijs per præconem pronunciauit, iubere se Græcos liberos esse, & immunes suis legibus. Quotquot ciues Romani bello Punico capti in Græcia seruiebant: hos in capita drachmis quingentis redemptos ei dono dedere, qui manumissorum more pileati, currum secuti sunt triumphantis. *Plut. in apoph.*

Demetrius Poliorcetes classe Ptolomæi regis superata, eorum qui ceciderant corpora magnifice sepeliit: captiuos autem omnes liberos abire iussit. *Plut. in eius vita.*

Tiberius Gracchus Tribun. pleb. L. Scipionem Asiaticum superioris Africani fratrem, peculatus accusatum & damnatum, a duro carceris supplicio liberauit: quamuis hactenus Corneliorum gentis acerrimus inimicus fuisset. *Plut. in Tiberio.*

Cinna Consul ciuili bello, cum per præconem edixisset, vt serui ad se confugiētes velut ad Asylum, liberi forent, illosque ad pileum vocasset, magnas seruorum & perditissimorū manus coegisse fertur. *Alex. lib. 3. c. 20.*

HIEROGLYPHICA.

Quemadmodum auctores nonulli per *manus complexas* impedimētum significabant: sic per eas *explicatas* Libertatem innuebant. *Pier. Val. lib. 35. pag. 330. E.*

Oneirocritæ *frōte capitis glabram* imaginari, indicium esse autumant *liberationis* a molestijs & impedimentis. Quin & *Caluitium* ipsum, accersitis in iudicium, aut supplicium timentibus, effugium ostēdit. *Idem Pier. l. 32. pag. 300. E.*

Pileum etiam pro *Libertatis* hieroglyphico ponunt. Passim enim in nūmis videas *Pileum* ipsum cum inscriptione: *Libertatis. Vide Pier. Val. l. 40. pag. 385. C.*

Libertos manumissione accepta, *alba veste* decorari solitos, id ostēdit, quod apud Tertullianum legitur de famulo libertate donato. At qui & vestis albæ nitore, & aurei annuli honore, & patroni nomine ac tribu mensaq; honoratur. *Idem l. 40. pag. 389. C.*

FABVLA.

Canis & Lupus.

Admirans lupus nitorem corpulenti canis, Quanta, inquit, frater felicitas est vitæ tuæ! Licet igitur, inquit canis, mecum in vrbem venias, & eadem fruare felicitate. Dum vna pergunt, animaduertit lupus in canis collo attritos pilos. Tum, Iugum ne etiam tibi sustinendum est? inquit. Ceruix enim hoc glabra indicat, vt videtur. Dic inquit canis, alligor, vt noctu sim acrior & vigilantior atque hæc vestigia sunt collaris, quod circundari solet ceruici. Hoc audito lupus: Vale, inquit, amice, iam nihil moror seruilem felicitatem tuam.

Ostendit fabula, nihil esse libertate melius neque præstantius.

LIBERVM ARBITRIVM.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

Liberum arbitrium est animi voluntas, ac sententia libera. Liberum arbitrum est facultas rationis & voluntatis. *Albert. Mag. de Anima.*

Liberum arbitrium est idem realiter quod voluntas, secundū quod in ea est virtus intellectus: vnde liberum arbitrium esse dicitur facultas voluntatis & rationis. *D. Thom. in summa Theol.*

Nullius creaturæ liberum arbitrium potest naturaliter esse confirmatum in bono, sed tantum est gratia. *Idem.*

Liberum arbitrium viatoris potest per gratiam in bono aliquo modo, sed non simpliciter. *Idem.*

Rationabiliter homini imputatur, si ad Deum non conuertatur, quamuis hoc sine Dei gratia non possit. *Idem lib. 3. Summa adu. gentiles, c. 159.*

Homo in peccato existens, sine gratia peccatum vitare non potest. *Ibid. c. 160.*

A verbo ἔξεστι licet, fit, ἐξουσία, licentia, potestas, authoritas, Ius. Quod Stoici dicunt, ἐλευθερίαν εἶναι ἐξουσίαν αὐτοπραγίας. Cicero vertit, Libertas est potestas viuendi vt velis. ἐξουσιάζω potestatē habeo. comp. Αὐτεξούσιος sui potestatem habens, Qui sui iuris est & potestatis. Et τὸ αὐτεξούσιον, quod Latini Theologi Liberum arbitrium appellarunt. At si accuratè vis illius vocis spectetur, nulli neque Angelo, neq. homini vnquam datum est, dabiturve: sed vni Deo vere, proprie, absolute competit vt sit, & dicatur Αὐτεξούσιος.

Arbitrium Hebræi varijs designant appellationib. ut, *Tsebi*, Iucunditas, voluntas, beneplacitum, arbitrium, decorum, a verbo *Tsabah*, Intumuit, stetit sursum erectus. Quis enim erectior, quā qui sui iuris est, & potestatem habet viuendi atque agendi, prout vult? a. Appetitum, arbitrium, voluntatem, *Abionah*, nominant, a

verbo

verbo *Abah.* voluit, consensit, propensus fuit erga rem aliquam. 3. Nonnulli a verbo *Kosch*, illaqueauit; & in coniugat. Hiphil, *Hekisch*, ratiocinatus est, collationem fecit, comparauit, arguit, deriuant *Hekisch*, nomen quod idem est, ac collatio, ratiocinatio, arbitrium, dispositio. Alias voces linguarum Orientalium studiosis examinandas relinquimus, & de re ipsa nonnulla subiungimus ex SS. Bibliorum, & Patrum testimonijs deprompta.

Omni voluntati conuenit semper, & inseparabiliter, vt quicquid vult, illud sponte ab interno suo principio, & nulla vi externa coacta velit, ita vt sine hac libertate non sit voluntas. Ea tamē, pro ratione Creatoris, & creaturarum diuersissimo modo consideranda est. In Deo siquidem immutabilis, ad bonum tantum necessario propensa, solaq; ex se *αὐτεξούσιος* est, *Num.* 23.23. *Malach.* 3.6. *Iac.* 1.13. *Psal.* 115.3. *Esa.* 46.10. *Dan.* 4.35. In Angelis vero & hominibus sua natura mutabilis, à superiori potestate pendet, quamuis *ἑκούσιος*, & libere externi illius principij, id est Dei voluntatis, etsi non semper eodem fine, ductum sequatur.

Omissa vero de Dei verè, & propriè solius *αὐτεξούσιος* consideratione, quod in creaturis sit ratione præditis, liberum arbitrium expendamus. Est igitur liberum arbitrium voluntatis placitum, quo res a mente dijudicatas sponte, & suo quodam iure ab interno principio, vel eligere, vel reijcere potest, vel vtrumq; suspendere. Potentiam autem consideramus, non illam remotam, sed propinquam, quæ est quasi formæ subsequens, cuius forma est, vel sanctitas illa ad imaginem Dei, & animæ nostræ quasi anima, sine qua dicimur in peccatis mortui, & serui non liberi, *Col.* 3.10. *Ephes.* 4.24. vel impuritas, quæ est ad imaginem Diaboli, & verè forma seruitutis. *Ioan.* 8.44. 2. *Tim.* 2.26. 1. *Ioan.* 3.8.10.

Angelorum electorum, & reproborum statum prætermittentes, de humano arbitrio libero quædam ex Theologis proponamus. In hominibus voluntatis forma accidentalis consideranda est in statu.

1. *Creationis.*
2. *Corruptionis.*
3. *Regenerationis.*
4. *Glorificationis.*

De primo & postremo statu conueniunt omnes Christiani. Quo ad 2. & 3. variæ fuerunt sententiæ. Rem placidè, sine veritatis præiudicio, ita exponimus *Corruptionis status* is est, in quem homo à Dei mandato deficiens, & Satanæ dicto, factoque audiens, nulla vi extrinsecus allata, se cum posteris suis in exitium æternum dedit præcipitem, adeoque imaginem Dei, quæ tum in mentis luce, tum in voluntatis, & reliquarum partium rectitudine apparebat, abdicauit vltro. Inde sequuta est tanta mentis cæcitas, tum cæterarum animæ facultatum deprauatio, vt neque ea, quæ regnum Dei spectant, comprehendere ante nouam lucem, neq; probare, aut velle possit, quin potius ab illis maximè abhorret, & ei stultitia mera sunt. 1. *Cor* 1.18. & 2.14. 2. *Cor.* 3.5. & 4.4. *Phil.* 2.13. *Ioan* 3.19.

Cum in hoc statu vitæ voluntaria forma sit impuritas, superest hominem corruptum propinquam potentiam, seu libertatem, imo propensionem ad malum tantummodo habere. Quamuis enim moralia bona, & ea, quæ non superant captum rationis humanæ velle possit, vt conseruationem patriæ, & similia bona in se; non tamen ea velle potest qua bona, & Deo grata, neque qua vult, bona esse possunt, quippe qui neque eo modo, neque eo fine quo debet, ea velit, cum sit impurus, immundis autem omnia immunda, *Rom.* 14.20. 2. *Cor.* 10.31. *Tit.* 1.15. Denique cum ibi non possint esse virtutes, vbi non est vera religio, ea quæ in ethnicis adeo extolluntur coram Deo peccata, & virtutum simulachra potius, quam virtutes fuisse dicimus.

Sequitur Conuersionis status, seu Regenerationis, in quo homo efficaciter vocatus à Deo, in imaginem Dei sensim transmutatur, dum nouam lucem in mente prius tenebris obsita recipit: in voluntate peruersa, & auersa omnino à via Dei quamdam rectitudinem, & inclinationem ad bonum: denique in omnibus affectibus nouam sanctitatem, licet imperfectam, ex quibus nouus homo, & noua Creatura vocatur. Verum cum duplicem adhuc retineat formam, sanctitatis, & impuritatis, primitias noui hominis, & reliquias veteris, necesse est etiam vt duplicem habeat potentiam propinquam; vnam ad bonum, alteram ad malum, idque in rebus bonis, & malis, itemque adiaphoris. Etsi autem multum discriminis sit inter non renatum, & renatum, quoad actiones ciuiles, & naturales in hoc tamen conueniunt, quod neuter plura potest intelligere, velle, vel præstare, quam quæ æterno suo consilio statuit illis Deus percipienda, eligenda, vel præstanda.

Quemadmodum in generatione homo genitus nihil contulit, ita nec in regeneratione, quomodo enim qui se ad carnalem vitam generare non potuit, cum nusquam esset, ad spiritualem vitam regenerabit? Christus & Ioannes Euangelista hanc natiuitatem a Deo esse clamitant, *Ioan.* 1. & 3. *&c.* Nec mirum: siquidem non minus est miraculum, mortuum in peccatis viuificare, quam Lazarum temporali vitæ restituere, *Coloss.* 2.15. *Ioann.* 11.1. *&c.* nec minus potentiæ requiritur ad cor ex lapideo carneum faciendum, quam ad liquorem ex saxo exprimēdum. *Ezec.* 11.19. *Exod.* 17.6. Sicut qui fecit creaturam efficit vt perfecta et esse creatura: ita qui nos regenerat, vt in hac regeneratione perstemus præstat: quamuis nec sine nobis iam operetur. nos. n. in hoc ipsum creat & conseruat, vt ei tanquā principali agenti cooperemur: quæ causa est cur in hoc statu non raro scriptura sacra nobis tribuat quæ agit in nobis gratia Dei: *Ier* 31.18. *Rom.* 8.26. 1. *Cor.* 15.10. *Ephes.* 6.11. *Col.* 3.5. 2. *Tim.* 1.21. Addamus alia.

TESTIMONIA SCRIPTVRAE.

Homo corruptus, & sub peccato constitutus, adeoque sibi relictus est spiritualiter mortuus. *Ephes.* 2.1. & 4.18. Intelligentia vera destitutus. *Rom.* 1.21. iacens in tenebris, *Io.* 1.5. *Matth.* 6.23. dicit Deū nō esse. *Psal.* 14.1. ad turpissima fertur. *Ephes.* 4.19.22. *Rom.* 3.9. *&c.* est seruus peccati, *Io.* 8.34. *Rom.* 6.16.17.20. & 7.14. filius & mancipium diaboli, *Io.* 8.34.41.44. 1. *Io.* 3.8.9.10. In malo positus & peccatis mancipatus, *Gen* 6.5. & 8.21. *Ier.* 13.10.23. & 17.9. *Matth.* 7.18. *Ioan.* 12.39. *Ro.* 8.7.

Contemnit verbum Dei, *Ierem.* 6.17.19. *Ioan.* 8.47. nec potest audire, *Ierem.* 6.10. *Ioan.* 8.41. Blasphemat verbum auditum, *Ioan.* 8.48.52. *Act.* 13.45. Non credit Christo, neque in Christum. *Ioan.* 5.46.47. *Act.* 13.41. Non vult credere, *Ioan.* 5.40. non potest credere, nec ad Christum venire, *Ioan.* 5.44. & 12.39. Non diligit Deum. *Ioan.* 5.42. Nihil aliud facit quam quod malum est & peccatum, *Psal.* 5.10. & 10.3. *vsque ad* 12. & 14.1.3. & 36.2. *&c.* & 140.3.4. *Es.* 59.3. *&c. Rom.* 3.9. *vsque ad* 19.

Vide præterea quid de statu hominis regenerati & sub gratia constituti tradant scripturæ. *Ier.* 24.7. *Ezech.* 11.19. *Act.* 11.18. 2. *Thess.* 3.2. *Philip.* 1.29. & 2.13. *Ier.* 31.18. *Psal.* 119.37. & 175. *Cantic.* 1.4. *Matth.* 6.12.13. *Rom.* 8.13. *Cor.* 3.5. *Io.* 15.5. *Rom.* 8.25. Nihil habemus boni, quod non acceperimus: omne donum perfectum a Patre luminum. Soli Deo honor & gloria.

SENTENTIAE BIBLICAE.

Liberum arbitrium ad bonum cognoscendum illuminatur.

Intellectum tibi dabo, & instruam te in via hac. Nolite fieri sicut equus & mulus. *Psal.* 31.

In lumine tuo videbimus lumen. 35.

Beatus homo quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum. 93.

Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua. 118.

Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. *Ioan.* 1.

Deus enim illis manifestauit: inuisibilia enim ipsius, a creatura mūdi per ea quæ facta sunt intellecta, cōspiciuntur: sempiterna quoque eius virtus & diuinitas: ita vt sint inexcusabiles. *Roman.* 1.

Et non necesse habetis vt aliquis vos doceat: sed sicut vnctio eius docet vos de omnibus, & verum est, & non est mendacium. 1. *Ioan.* 2.

Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas suas, & noluistis. *Matth.* 23.

Sine me nihil potestis facere. *Ioan.* 15.

Similiter autem & spiritus adiuuat infirmitatem nostram. *Ro.* 8.

PATRVM DICTA.

Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus, *Aug. ep.* 107.

Quomodo quisquam de libero arbitrio in bono gloriabitur opere, qui nondum liber est ad bene operandum, nisi se vana superbia inflatus extollat, quam cohibet Apostolus dicens, Gratia salui facti estis per fidem. *Idem, Ench. ad Laur. c.* 30.

Sine gratia Dei nos dicimus ad non peccandum nihil voluntatis arbitrium valere. *Idem, epist.* 107.

Charitas Dei diffunditur in cordibus nostris, non per arbitrium liberum, quod surgit ex nobis, sed per Spiritum S. qui datus est nobis. *Idem lib. de Spiritu & litera c.* 3.

Vide *eund. August. lib.* 3 contra epistolas Pelagian. *c.* 8. & ad articulum 15. sibi falso impositum. De natura & gratia contra Pelagianos, *c.* 22.23. De perfectione iustitiæ contra Cœlest. Resp. ad rat. 3. & 9. *In Psal.* 84. *lib.* 5. *de ciuit. Dei, c.* 3. & *li.* 19. *c.* 25. Contra Iulian. Pelag. *lib.* 4. *c.* 3.

Sine Christo omnis virtus in vitio est. *Hier. in c.* 3. *ad Galatas.*

Vide etiam *Lactantium* lib. 1. Inst. diuin. c. 1. *Athenagor.* in legat. pro Christianis, *Hilar.* lib. 4. de Trin. *Iustin martyr.* in 1. exhort. ad Græcos, & in apolog. 2. *Clem. Alex.* lib. 5. Stromat. *Ambr.* lib. de vocat. Gent. c. 2. & 3. *Fulgent.* de Incarn. &c. c. 13. *Concil. Carthagin.* in epist. ad Innoc. 1. & *Innoc.* rescriptum: epist. item quinque episcoporum ad eundem: *Concil. Melenitanum*, quod citatur Tit. de Consec. dist. 4. can. 152. Placuit. *Concilium Arausicanum* circa tempora Leonis 1. Can. 1.3.4. &c. vsque ad 25. In his multa continentur lectu digna. Vide etiam Bernardum in Cant. & tract. de libero arb. & gratia Dei.

Non

Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. *2. Cor. 3.*

Deus est enim qui operatur in vobis velle & perficere pro bona voluntate. *Phil. 2.*

SIMILITVDINES.

Diuus Chrysostomus: sicut nauis fracto gubernaculo illuc ducitur, quo tempestas voluerit: Sic homo diuinæ gratiæ auxilio perditu, per peccatum non quod vult, agit, sed quod diabolus vult. Et nisi Deus valida manu misericordiæ suæ soluerit eum, vsque ad mortem in peccatorum suorum vinculis permanebit. Et sicut in mūdialib. regnis quomodo in primis quidē nemo potest facere se ipsum regem, sed populus creat sibi regem, quem elegit, sed cum ille rex fuerit factus, & confirmatus in regno, iam habet potestatem in hominib. & non potest populus iugum eius de ceruice sua repellere: Sic & homo priusquam peccet, liberum habet arbitrium, vtrum velit sub regno esse diaboli, annon, cum autem peccando se tradident sub regno ipsius, iam non potest de potestare eius exire: sed sic prima voluntas eius in necessitatem conuertitur. Nam primum quidem in potestate populi est facere regem sibi, quem vult: factum autem de regno iam repellere non potest. sic voluntas post in necessitatem vertitur. *Hom. 34. de diuersis & in Matth. 21. Hom. 37.*

D. Augustinus: currat equus tuus, sit paratus ad bellum, Dominus autem salutem tribuit. Tamen cum curris, dicito: Deus virtutē tribuit equo meo, vt curreret: Deus dedit tibijs meis perseuerantiam vt starem. Non ergo puta quod te libertas arbitrij tui ita habeat, quasi nauem per quam vis euadere barbaros de littore, per quam vis euadere de fluctib. pelagi, per quam ad patriam desideras peruenire: sed si Dominus imperauerit ventis prosperis, & aduersis flatib. silentium dederit, si latentes vndas demonstrauerit, & somnum tulerit gubernantib. nautis, & absque læsione portum ingredi fecerit: ages post hoc gratias Deo, non nautis, non naui. Nec ista dicentes, excludimus nauem & nautas: sed magis & nauem ornamus, & nautas, quib. Deum præsulem confitemur. Si.n. nauis non fuisset, vtique quod Dominus gubernaret, non esset. Si nautæ nō essent, quos Dominus excitaret nō essent. Si vela non essent, non essent quibus dares prospera flabra ventorum. Ita ergo dicamus, si arbitrium tecum non fuerit bonæ voluntatis, non erit tecum pax Dei. *In Psal. 146.*

Sicut qui se occidit, vtique viuendo se occidit, sed se occidendo non viuit, nec seipsum poterit resuscitare, cū occiderit: Ita cū libero peccaretur arbitrio, victore peccato, amissum est liberum arbitrium. A quo.n. quis deuictus est, huic & seruus addictus est: Qualis vero potest esse serui addicti libertas, nisi quando eū peccare delectat? Liber est ad peccandum, qui peccati seruus est. Vnde ad iuste faciendum liber non erit, nisi liberatus a peccato, esse iustitiæ cœperit seruus. *In Enchiridio, c. 30.*

B. Anselmus: solus Deus quidquid vult debet velle propria voluntate, ita vt aliam quam sequatur, non habeat supra se. Cum igitur homo vult aliquid per propriam voluntatem, Deo aufert quasi suam coronam. Sicut.n. corona soli regi competit, sic propria voluntas soli Deo. Et sic regē aliquem inhonoraret, qui suā coronā ei auferret. Sic homo inhonorat Deū qui aufert ei propriæ voluntatis priuilegium, habendo quod ille debere haberet solum. Sed sicut propria voluntas Dei fons est & origo totius boni. Ita propria voluntas hominis, totius est exordium mali. *De simil.*

Propria voluntas est veluti quædam adultera regina, quæ se cuidam regi adultero coniunxit, ex quo ēt tres filios habuit: ex his vero trio. tot alij filij & nepotes sunt geniti, itaq; multiplicati, vt numerari non possent. Omnes aūt in familia illius regis & reginæ consistunt, eorumq. iussa quisq; suo modo perficiunt. Rex itaque cum regina ista cuidam alij regi aduersatur, collectoq; filiorum & nepotum exercitu. regnum illius aggressum, prædatur. Hic autem exercitus sic seruos illius regis inuadit, vt aut plures plures, aut vnus vnum, aut plures vnum, aut vnus plures aggrediatur. Quoscunq; vero deuincere possunt, vinctos & abductos in carcerē trudunt, exigentes ab eis quantum nunquam persoluere possunt: sed omnib. affecti miserijs in carcere illo deficiunt. Hæc autem regina propria est voluntas, omnium inobedientiū domina, quæ ideo vocatur adultera, quia separatur a Deo, cui esse deberet coniuncta, & diabolo coniungitur. a quo deberet esse disiuncta, ipse vero diabolus idcirco rex dicitur. & adulter, quia in hominibus regnans, per voluntatem propriam animabus eorū. Dei videlicet sponsis abutitur. *De simil. c. 37.*

Cor nostrum simile est molendino semper molenti, quod Dominus cuidam seruo suo custodiendum dedit, præcipiens ei vt suam tantum annonam, videlicet frumentum, vel hordeum, vel etiā auenam in ea molat: ex eodem quod moluerit, & ipse viuat. Verum illi seruo quidam inimicatur, qui huic molendino semper insidiatur: qui si quando illud vacuum inuenerit, aut arenam ibi statim proijcit, quæ illud dissipat, aut picem, qua conglutinat: aut aliquid quod fœdat: aut paleam, quæ tantum occupat. Seruus igitur ille si molendinum suum benē custodierit, dominiq; sui tantum annonam in eo moluerit, munda ex eo farina egreditur, mixta genus annonæ quæ intus molitur. Ex eodem autem quod moluerit, & domino suo seruit, sibiq; ipsi victum acquirit. Si vero inimicum suum violare molendinum suum permiserit, mala ex eo farina procedit, quæ mala est annona, quam molit. Hæc autem farina & vehementer displicet domino illi: nec seruus ex ea sibi victum, sed famem conquirit. Hoc itaque molendinum semper aliquid molens, cor est humanum assidue aliquid cogitās. Hoc Deus vnicuique homini seruandum tradidit, iubens vt in eo molat, illos tamen cogitatus quos ipse suggerit. Quorum cogitatuum alij vt frumentum, alij vt hordeum, alij vt auena sunt. Puti quippe vt frumentum sunt, quos anima replicat, cum in contemplatione posita pure de Deo cogitat. Hi autem hordeo assimilantur, qui de virtute in virtutem quasi per quosdam labores ascendere meditantur. Hi etenim licet sunt boni, minus tamen superioribus sunt perfecti. Illi vero sunt vt auena, quibus homo intendit sua deserere vitia, boni namque sunt & illi, tamen imperfectiores prædictis. Hos itaque omnes vult Deus, vt homo toto corde reuoluat, & ex ijsdem sibi victum acquirat. *In simil. c. 41.*

Sicut oculus vnus verti non potest, quo non vertatur & alius, sed in eandem partem semper voluuntur: Sic etiam corpus & anima, vel societas illa iustorū, nihil poterunt velle diuersum, sed eandem semper voluntatem habebunt. Corpus enim vnum erimus: Ecclesia vna erimus: sponsa Christi erimus, quicumque ibi erimus: ipsa Dei voluntas non erit a tua diuersa: sed sicut tu quod ille, ita & ille volet in cunctis quod tu. Caput namque a suo corpore discrepatet. *In simil. c. 65.*

Propria voluntas cuidam herbæ venenosæ atque mortiferæ assimilatur: quam medicus quidam peritissimus progeniei cuiusdam interdixit, primis parentibus comminans, qui si ex ea comederent, leprosi effecti procul dubio interirent. At illi præceptis eius obedire noluerunt. sed ex eadem herba comederunt: vnde & leprosi effecti, leprosos quoque filios genuerunt: atque vt medicus eis comminatus fuerat, mortui sunt. Quorum filij licet patres suos agnouerint herba illa infirmatos fuisse. & mortuos, seque ipsos lepra percussos, & morituros: eandem tamen herbam supra omnes alias diligunt, indeque cibos suos vniuersos condiunt: mane quoque surgentes ex eadem quasi pro medicamento accipiunt, sed & somnum sero capturi similiter faciunt. Hi igitur quā sint dementes, omnis qui audit, aduertere potest. Sed nec minus dementantur, qui propria voluntate vtuntur. Ipsa est enim herba, diaboli venenosa suggestione venenata, & omnibus ea vtentib. pestifera. *In sim. c. 38.*

Sicut ferrum ignitum omni sua parte continet ignem: Sic in se boni voluptatem, mali vero in se sentient anxietatē. Hanc vero voluptatem neminem in hac mortalitate viuentem esse puto vel fuisse, qui eam vt est, senserit vel gustauerit, vt illius saporem vel habitudinem alijs declarare possit. *In simil.*

D. Faustus Episcop. Regiensis: sicut mare magnum, quod huc atque illuc ventis agitantibus voluitur: Ita ad quodcunque bonum vel facinus, sine vllo affectu suo, solo diuinæ potestati impulsu, mens humana versatur. *De libero arbit. lib. 1. c. 8.*

Deus sicut potentia sua corporis humani membra disposuit: Ita etiam ordinatione sua ministerium vsumque membrorum, homini agere ac dispensare permisit. Et sicut dextram in omni homine ipse formauit sed in potestate hominis posuit, vt eam quo vellet, extenderet, & ad diuersa opera conferret: Pari modo sensum rationis, & arbitrium voluntatis in vnamquamque animam inseruit, inspirauit, infudit: sed eam in manu humani consilij moderandam & exercendam reliquit, eiusque officia iuri hominis dominoque permisit: vt si malum deprauatus appeteret, in arbitrij libertate permissum sibi sciret, licere nesciret: si autem bonum cuperet, actionem & perfectionem eius a conditore deposceret, ad mercedem vero illius officiosa deuotio pertineret. Et ideo hominis formator & rector bonæ voluntatis, homini deputauit effectum. *lib. 1. de libero arbit. c. 10.*

LIBIDO.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

Libido, Græce, *ἐπιθυμία, ας, ἡ*. Est autem libido quidquid libet, diciturque a labando, *secundum Varronem*, quod, quæ placent, in mentem prolabantur. Vnde non modo turpium, sed etiam honestarum rerum voluntas libido dicitur. *Sallustius, Magisque in decoris armis, & militaribus equis, quam in scortis, atque conuiuijs libidinem habent. Terent. Neque tuæ libidini aduersabor, hoc est, voluntati.* Si vero libidinem simpliciter dicimus, neque cuius rei additur, de Venerea intelligimus: hinc libidinosus, hoc est, in libidinem propensus: & libidinose, molliter, lasciue descen-

descenduot. Libidini subsunt, Ira, Excandescentia, Odium, Inimicitia, Discordia, Indigentia, Desiderium, &c. huiusmodi, *secund. Cic lib.4.Tusc.quæst.*

Libido, cupiditas, inordinatum desiderium. Hebr. *hagibah*, amor illicitus, perditus, & insanus, *Ezech.23.11.haghabim*, in plur. numero, Amores insani, & libidinosi: amores scortatorum. *Ezech.33.ad finē*, a verbo *haghab*, flagrauit amore insano, exarsit impudico affectu erga aliquem, deperijt amore. *Ezech.23.7.9.12.16.20.*Hinc *ἀγαπάω* amo, diligo. Cognationem habet verbū *haghab* cum verbo *hagham*, quod significat amore vero. Vehementes sanè sunt amoris honesti, vt & inhonesti affectus. *Habab* autē semper accipitur de flammis impuris, & amore lasciuo.

LOCI BIBLICI.

Libido damnatur, *Col.3.5.* Libido tenebrarum. *Rom.13.v.12.13.* ob libidinem diluuium. *Gen.6.&c.*

PATRUM SENTENTIAE.

Sine libidine non est parentum concubitus: ob hoc ex eorum carne nascentium non potest sine peccato esse conceptus.
August. de fide ad Petrum.

Libido velut festuca est, cito accenditur, propere cōsumitur, *Ambr. in quadam epist.*

Sæuus criminum stimulus libido est, quæ nunquam manere quietū patitur affectū, nocte feruet, die anhelat. *Bernard. de Abel & Cain.*

Non vsus rerum, sed libido vtentis in culpa est. *Hieron. in epist.*

Libidinosa mens ardentius honesta persequitur, & quod non licet, dulcius suspiratur. *Ibid.*

In serico, & in pannis eadem dominatur libido, nec regum purpuram timet, nec mendicantium spernit squalorem: multoque melius est stomachum dolere, quam mentem: imperare corpori, quam seruire: gressu vacillare, quam impudicitia. Nisi statim nobis pœnitentiæ subsidia blandiantur, quæ sunt insolicium remedia, cauendum est vulnus, quod dolore curatur. *Hieron. in epist. ad Sabin.*

Venter mero æstuans cito spumat in libidinem. Venter enim, & genitalia vicina sunt, & vnū alteri subministrat. Ex vicinitate enim membrorum sequitur confœderatio vitiorum. *Hieron. in epist.*

SENTENTIAE POETICAE.

Sen. Hip.

Vincit sanctos dira libido.

Claud. Entrop.

Sed quia cæcus inest vitiis amor, omne futurum
Despicitur, suadetq; breuem præsentia fructum
Et ruit in vetitum damni secura libido.

Ter. And.

Ingenium est omnium
Hominum ab labore procliue ad libidinem.

Iac. Billius. Anth. Sacr.

Libidinem longe certius fuga quam dimicatione vinci posse.

Pro reliquis vitiis sequitur victoria pugnam:
Vincitur at celeri sæua libido fuga.
Regius hoc cecinit vates, hoc filius atque
Hoc Samson fortis, vir pius, & sapiens.
His cum nec sophia, nec sit pietate nec æquis
Viribus, ar. ipies, si sapis, ipse fugam.
Nemo etenim, nisi qui metuet, fugietq; periclum,
Tutus ab hac poterit viuere peste diu.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Libidinis motiones non fiunt in anima, sed ex ipsa fiunt. *Plat. En.3. lib.6.c.3.*

Libidinis locus fit circa membra, ad hoc munus conducentia. *Plat. En.4.lib.4.c.28.*

Libido est lex viro insipienti, sapienti Deus. *Fic. in Plat. de leg. dial.4.*

Libido procliuitatem habet in corpore, & quandoque ex ipso corpore seminibus quasi turgida suscitatur, quandoque ex primo aspectu in corpore incitato imaginationemq; mouente, vel etiā rationem: aliquando vero ex imaginatione vel etiam ratione oblectamentum excogitante, corpusque mouente, *Fic. in Plot. En 4.lib.4.c.28.*

Libido est appetitus vehemens contra rationem excitatus. *Franc. Patric. de reg. lib.4.c.8.*

Libidine vehementer aguntur aues, & homines pilosi, vel quia multum humorem ambo concoquunt propter caloris copiam, vel quod multum inest humoris, & id à calore superatur, non enim pili hominibus, & pennæ auibus oriri possent, nisi esset multus humor, & a calore vinceretur. *Aristoteles problem. sect.4.nu.32.*

APOPHTHEGMATA.

Bion Alcibiadem hoc elogio taxanie, quod adolescens viros abduxisset ab vxoribus, iuuenis factus vxores a viris. *Laert. lib.4.c.7.*

Diogenes animaduertens Olympionicem quendam oculos defigere in scortum, adeo vt præteritum capite reflexo intueretur. Ecce, inquit, vt aries Martius à puella publica obtorto collo vinctus abducitur. Ridiculum existimabat certare cum electis viris, & à vili puella veluti captiuum trahi fine funibus. *Laert. lib.6.*

Stratonicus quum egrederetur Heraclea ciuitate, portas ac mœnia circumspiciebat, percōtanti vero cuidam, quid circumspiceret? Pudet, inquit, si videar exire è lupanari, notans corruptos eius ciuitatis mores. Sunt eius nominis ciuitates multæ, sed de Heraclea Thrasiæ sensit opinor. *P.M. lib.6. apoph.*

Marius. Lusius, Mario ex sorore nepos, quum Marius iterum consul esset, vim admouit militi cuidam adolescenti nomine Trebonio: at is Lusium interfecit. Id factum multis incusantibus, non inficiatus est adolescens se ducem suum interfecisse: sed causam addidit, ac probauit. Marius itaque quum iussisset afferri coronam, pro facinore in bello præclare gesto dari solitam, Trebonio imposuit: graui exemplo monens cæteros, ne simili modo tētarent adolescentium pudicitiam: quando non solum absoluit, verum etiam coronauit eum, qui & Imperatoris cognatum, & ducem suum necasset. *Plutarchus in Rom. apoph.*

Anonymus. Nero puerum Sporum exectis testibus in muliebrem naturam transfigurare conatus est. Addita dos, additum flammeū, addita celeberrima nuptiarum solemnitas. Quid multis? palam pro vxore habuit. Hinc fertur cuiusdam non inscitus iocus: Bene agi potuisse cum rebus humanis, si Domitius Neronis pater talem habuisset vxorem. Sentiens, exitio totius orbis natum Neronem. Is nunquam fuisset natus, si pater Spori similem habuisset vice coniugis.

SIMILITUDINES.

D. Hieronymi, alligabit quis in sinu suo ignem, & non comburetur? aut ambulabit super carbones ignis, & non ardebit? Quomodo igitur qui ignem tetigerit, statim aduritur: Ita viri tactus & fœminæ, sentit naturam suam, & diuersitatem sæpius intelligit. *Lib.1. contra Iouianum.*

Quomodo dentium officium est mandere, & in aluum ea, quæ sunt mansa, transmittere, & non habet crimen, qui coniugi meæ panem dederit: Ita si genitalium hoc est officium, vt semper fruantur natura sua, meam lassitudinem alterius vires superent, & vxoris (vt ita dixerim) ardentissimam gulam fortuita libido restinguat. *Ibid.*

D. Augustini, sicut iniquum est auiditate possidendi transgredi limitem agrorum: Ita iniquum est, libidine concumbendi subuertere limitem morum. *Lib.15. de Ciu. Dei.*

Ciceronis: vt quidam morbo aliquo, & sensus stupore, suauitatem cibi non sentiunt: Sic libidinosi, & facinorosi veræ laudis gustum non sentiunt. *Phil.2.*

Vt turpes sunt qui se efferunt lætitia, tunc cum fruuntur venereis voluptatibus: Sic flagitiosi, qui eas inflammato animo concupiscunt. *Lib.4. Tusc. quæst.*

P.M. minor vis inest in radicibus herbarum salubrium cum semen maturescit; Ita deterior fit ingenij natura quauis, quoties liberis gignendis datur operi. *In simil.*

Thriueri, sicuti serpens nequam in congressu intersecat caput masculi: Ita ferecaput totius intellectus, hoc est ipsa ratio, excinditur ijs, qui nimium indulgent Veneri. *In apoph.*

EXEMPLA HISTORICA.

Thracas in Venerem fuisse procliues olim, historici tradidere. *Cælius lib.18.c.23.A.L.*

Balearium incolæ mulieres adeo præ cæteris appetunt, vt mulierē à prædonibus captam, tribus aut quatuor redimant viris. *Diodorus lib.5.cap.6.*

Apud *Babylonios* liberos & coniuges cum hospitibus stupro coire (modo pretium flagitij daretur) permittebatur. *Curtius lib.5. & Herodotus.*

Apud *Tyrrhenos* legem esse scribit. *Theopompus lib.43. hist.* qua mulieres communes esse iubentur, quæ corpora maxime curant atq; sæpius cum viris nudæ exercentur. *Athen. l.12.c.5.*

Apud *Caunios*, Cariæ populos, iuuentus frequenter amoris gratia ad compotationes conuenit, tam viri quam mulieres, & pueri, *Herodot. lib.1.*

Romæ in Capitolio ficus nata est Messalæ, C. Cassij Censorum lustro: a quo tempore pudicitiam apud Romanos subuersam Piso grauis auctor prodidit. *Plin. lib.17.c.25.*

Volsiniensium serui rerum potiti lege sanxerunt, vt stupra sua in viduis pariter atque nuptis impunita essent: ac ne qua virgo ingenuo nuberet, cuius castitatem non ante ex numero ipsorum aliquis delibasset. *Varro. 9.c.1.*

Heruli apud Histrum flumen habitantes, impios coitus cum viris, & belluis habuerunt. *Procopius de bello Gothorum lib.2.*

EMBLEMATA.

Inuiolabiles telo Cupidinis.

Emblema LXXVIII. Andreæ Alciati.

Ne dum te vincat amor, neu fœmina mentem

Diripiat magicis artibus ulla tuum,
Bacchica aut praesto sit motacilla pavetur,
Quam quadrivadiam circulis in orbe locas
Ore crucem & cauda & geminis ut complices alis,
Tale amuletum carminis omnis erit.
Dicitur hoc Veneris signo Pegaseus Iason
Phasiacis ladi non potuisse dolis.

Amuletum Veneris
Emblema LXXVI.

Inguina dente fero suffossum Cypris Adonim
Lactucae folijs condidit exanimem.
Hinc genitali arvo tantum lactuca resistit.
Quantum eruca salax vix stimulare potest.

Vide, Intemperantia, Scortatio.

LIBRI.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Liber, propriè corticis est genus tenuius, quod in phyllitas plures diuidi potest: cuiusmodi erant quae papyris in Aegypto detrahebantur, chartaeque vsum praebebant. Libri, cortices: quod in corticibus veteres stylo literas formarent Heb. *Petsalah*, & numero plur. *Petso Loth* decorticationes, *Genes.* 30.36. à verbo *Petsel.* decorticauit, detraxit cortices in virgis. Hinc ψιλόω nudo. ψιλός nudus, tenuis. Folia librorum & manuscriptorum & typis editorum sunt admodum tenuia, & leuia. ψιλῶς, leuiter, ψίλωσις denudatio. Quoniam vero libri hoc est tenuiores arborum cortices, chartarum olim vsum praebebant, codices ex istis corticibus compacti libri βίβλοι, *Sephraim*, & liber βίβλος nu. sing. dicti sunt. *Sepher* autem deriuatur à verbo, *Saphar*, numerauit ordine, recensuit per circulum, narrauit aliquid ordine, & deductis rationib. disposuit. Hinc in omnib. fere linguis *Siphra*. i. litera, numerus: Gall. *sifre* vel *chifre*, & *deschifrer*, i. literas confusè dispositas, rationes obscuras euoluere & disponere. *Sepher*, liber, ex literis ordine collocatis conficitur. *Sepharoth*, numeri, ex quibus arcanae componuntur apud Magnates epistolae. Vide 1. *Reg* 2.8. *&* 2. *Reg.* 5.5 *& Psal.* 71, 15.

Libri liberis chariores sunt parentibus quanto mentis filij sunt praestantiores, quam corporis. *Plato epist. lib.* 7.

Libri etiam boni scelestorum hominum, vt memoria eorum auferatur, sunt tollendi, Graecorum lege. *Idem Plat. in Crat.*

Libri de Republica magis Pythagorici, & Socratici sunt, de legibus Platonici. *Idem in Plat. de legibus dial.* 1.

De librorum copia. Dial. 43. 1.

Francisci Petrarchae.

GAV.

Librorum copia magna est. R. Opportune admodum de his sermo oritur. Nam vt quidam disciplinae, sic & alij voluptati, & iactantiae libros quaerunt. Sunt qui hac parte supellectilis exornent thalamos, quae animis exornandis inuenta est, neque aliter his vtuntur quam Corinthijs vasis aut tabulis pictis, ac statuis, caeterisq; de quibus proxime disputatum est. Sunt qui obtentu librorum auaritiae inseruiant, pessimi omnium, non librorum vera pretia, sed quasi mercium aestimatores. Pestis mala sed recens, & quae nuper diuisũ studijs obrepsisse videatur, qua vnum concupiscentiae instrumentum, atq. vna ars accesserit. G. Librorum larga copia est. R. Operosa, sed delectabilis sarcina, & animi iucunda distractio. G. Ingens est copia librorum. R. Ingens simul laboris copia, & quietis inopia, huc illuc circumagendum ingenium, his atq. illis praegrauanda memoria, quid vis dicam? libri quosdam ad scientiam, quosdam ad insaniam deduxere, dũ plus hauriunt quam digerũt, vt stomachis sic ingenijs nausea saepius nocuit quam fames, atque vt ciborum, sic librorum vsus pro viribus captu qualitate limitandus est. In rebus omnibus, quod huic parum, illi est nimium. Itaque sapiens non copiam, sed sufficientiam rerum vult, illa enim saepe pestilens, haec semper est vtilis. G. Immensa copia librorum est. R. Immensum dicimus, quod mensura caret, sine qua humanis quid in rebus rectum sibique conueniens, tu metire: Est in his etiam, quae optimis iudicantur immensitas atque immoderatio fugienda, semperque prae oculis habendum illud comicum. *Ne quid nimis.* G. Librorum inaestimabilis multitudo est. R. Maior ne tibi quam Ptolomaeo Philadelpho regi AEgypti, quem Alexandrinae Bibliothecae quadraginta librorum millia coaceruasse compertum est, qui tamen diuersis ex locis diu magno studio quaesiti simul omnes arsetũt. Quod elegantiae regum, curaeque opus egregium fuisse ait Liuius, quem Seneca reprehendit, non id elegantiae curaeque regiae opus dicens, sed studiosae luxuriae: imo ne id quidem, sed seipsam conquisitis spectaculis inaniter ostentantis. Et Liuij tamen dictum, & Ptolomaei factum vtcunque forsitan regiae opes excusent. Et in longum publicis vsibus prospiciens regis intentio, in hoc certe laudabilis, quod sacras literas mundo nõ vtiles modo sed necessarias summa diligentia atque impensa per electos ad tantum opus viros in Graecã linguam, ex Hebraico fonte trãsfudit. At quid facias priuatis non aequantibus sed superantibus apparatus regios? Sereno equidem Sammonico doctior viro togatis, sed maioris curae, plurimarum literarum, sed plurium voluminum, duo & sexaginta millia librorum fuisse legimus, quos omnes Gordiano iuniori cuius patri fuisset amicissimus ille moriens reliquit magna prorsus haereditas, & multis sufficiendo ra ingenijs, num vero (quis dubitet) oppressura? Quid hic autem quaeso, si nil aliud egisses in vita, nullum illi vel scribendi studiũ fuisset, vel quaerendi labor, nil omnium tot voluminibus comprehensorum, legere atq; intelligere laborasset? At non satis habuit negotij libros ipsos, ac librorum titulos, & authorũ nomina, & librorum formas, numerumq; cognoscere? Pulchra vero ars, quae de philosopho librarium facit. Crede mihi non est hoc nutrire scriptis ingenium, sed necare mole rerũ atque obruere, vel fortasse medijs in vndis more Tantaleo siti animam torquere, rebus attonitam, degustantem nihil, atque omnibus inhiantẽ. G. Libri innumerabiles sunt mihi. R. Et errores innumeri, quidam ab impijs, alij ab indoctis editi, illi quidem religioni ac pietati, & diuinis literis, hi naturae ac iustitiae moribusque, & liberalibus disciplinis seu historiae, rerumque gestarum fides, omnes autẽ vero aduersi, inque omnibus, & praesertim primis vbi maioribus agitur de rebus, & vera falsis immixta sunt, perdifficilis ac periculosa discretio est. Vt ad plenum authorũ constet integritas, quis scriptorum inscitiae, inertiaeque medebitur corrumpenti omnia miscentique? cuius metu multa iam (vt auguror) à magnis operibus clara ingenia reflexerunt, meritoque id patitur ignauissima aetas haec culinae sollicita, literarum negligens, & cocos examinans, non scriptores. Quisquis itaque pingere aliquid in membranis, manu que calamum versare didicerit, scriptor habebitur, doctrinae omnis ignarus, expers ingenij, artis egens. Non quaero iam nec queror Orthographiam, quae pridem interijt, qualitercunque vtinam scriberetur, quod iubetur, appareret scriptoris insania, rerum substantia non lateret. Nunc confusis exemplaribus, & exemplis vnum scribere polliciti, sic aliud scribunt, vt quod ipse dictaueris non agnoscas. an si redeat Cicero aut Liuius, multique alij veterum illustrium, ante omnes Plinius secundus sua scripta relegentes intelligent? & non passim haesitantes nunc aliena crederent esse, nunc barbara? Inter humanarum inuentionum tot ruinas literae sacrae stat, cum maiore hominum studio, tum velmaxime protegente sua sancta poemata, suas sanctas historias, diuinasque suas leges auctore illarum Deo, suamque perennitatem suis inuentionibus largiente. Reliquarum nobilissimae pereunt, & iam magna ex parte periere, sic ingentis damni nullum est remedium, quia nullus est sensus, neque id nouum hac in re, & virtutum, & morum damna ingentia negliguntur, cum tanto studio minoribus occurratur, literarum iacturam inter minimas numerant & Sunt qui numerent inter lucra. Fuit nuper non in agris, aut in siluis, sed in maxima florentissimaque, & (quod stupeas) vrbe Italiae, neque is pastor aratorue, sed vir nobilis, magnique apud suos eius loci, qui iuraret se magno pretio empturum, ne quis vnquam suam patriam literatus incoleret aut intraret. O vox saxei pectoris. Fertur tale aliquid sensisse Licinius infestus literis (vt scriptum est) quas virus, ac pestem publicam nominabat. Sed origo illum rustica forsan excuset. Etsi enim vsque ad Caesareum nomen ascendisset, naturam tamen non exuerat. Verum est enim illud Flacci: *Fortuna non mutat genus.* Sed quid de nobilibus vestris dicam: qui non modo perire literas patiuntur, sed exoptant vos. Equidem hic rei pulcherrimae contemptus atque odium breui vos in profundum ignorantiae demerserit. Accedent (ne a proposito deerremus) & scriptores nulla senati lege, nullo probati examine, nullo iudicio electi, non fabris, non agricolis, non textoribus, non vlli fere artium tanta licentia est, cum sit in alijs leue periculum, in hac graue, sine delectu tamen ad scribendum ruunt omnes, & cuncta vastantibus certa sunt pretia Nec vero haec scriptorum magis humano more lucra captantium, quam studiosorum publicisq; rebus praesidentium culpa est, quibus nulla vnquã rei huius cura fuit, oblitis quid Eusebio Palestinae Constantinus iniunxerit, vt libri scilicet non nisi ab artificibus ijsque antiquitatis, & perfectae artẽ scientibus scriberentur. G. Librorum bona copia est. R. Quid si capax animus non est? Meministi Sabinum illum apud Senecã, seruorum suorum scientia gloriantem? Quid inter te atque illum interest, nisi quod aliquanto tu stultior vterq. e equidem alieno, verum ille seruorum & certe suorum, at tu librorum nil ad te pertinentium ingenio gloriaris. Sũt qui quicquid in libris scriptum domi habent, nosse sibi videantur. Cumque vlla de re mentio incidit, hic liber, inquiunt, in armario meo est, hoc tantum, itaque sufficere opinantes, quasi simul in pectore sit: elato supercilio conticescunt, ridiculum genus. G. Libris affluo. R. Quam mallem ingenio, & eloquentia, & doctrina, multoque maxime innocentia, & virtute. Sed haec venalia nõ habentur, vt libri, & si haberentur, nescio an emptores totidẽ reperturi forent quot libri. Illi enim muros, vestiunt, haec animos, qui quando

oculis

oculis non videntur, ab hominibus negliguntur. At profectò si librorum copia doctos faceret aut bonos doctissimi omnium atque optimi sæpe esse possent qui ditissimi, cuius sæpe contrariū videmus. G. Adminicula ad discendum libros habeo. R. Vide autem ne impedimenta sint potius, vt nonnullis ad vincendū multitudo bellatorum, sic librorum multitudo multis addiscendum nocuit. Et ex copia (vt fit) inopia orta est, qui si vltro adsint, non abijciendi quidem, sed sequestrandi erunt, vtendumque melioribus, & cauendum ne qui forsan in tempore profuturi essent intempestiui obsint. G. Multi, & varij mihi sunt libri. R. Fallit sæpe viarum multiplicitas viatorem, & qui vno calle certus ibat, hæsit in biuio, multoque maior est triuij error, aut quadriuii. Sic sæpe, qui librum vnum efficaciter elegisset, inutiliter multos aperuit euoluitque. Multa sunt onerosa discentibus, doctis pauca sufficiunt. Nimia vtriusque sunt importuna, sed fortioribus humeris subuectantur agilius. G. Librorum nobilium magnum numerum contraxi. R. Librorum numero nemo (qui nunc occurrat) præter regem illum Ægyptium nobilitatus est, neque id sibi tam numerus dedit quam famosa translatio. Haud dubium mirum tot ingeniorum, nisi post vnius ingenii miraculum maius esset. Calle alio niti oportet, vt ex libris gloriam quæras non habendi, sed noscendi, neque bibliothecæ, sed memoriæ committendi, cerebroque non armario concludendi sunt, alioqui vel librario publico, vel armario ipso gloriosior nemo erit. G. Egregios multos libros seruo. R. Multos in vinculis tenes, qui si forsitan erumperent, & loqui possent, ad iudicium te priuati carceris euocarent. Nunc flent taciti multa quidem, nominatim illud, quod persæpe vnus iners affluit auarus, quibus multi egeant studiosi.

S I M I L I T V D I N E S.

Plutarchi: vt qui decretum inferunt ad populum, adscribunt, Bona fortuna, ne nihil de suo videantur addidisse: Ita quidā alienis libris nugas adscribunt, quæ nihil ad rem pertinent. *In Moralibus.*

P. M. sicut in vnguentis, & vinis: Ita & libris pretium addit antiquitas. *In simil.*

Triueri: inuenias ægros, qui varia ciborum genera appetunt, præsentes fastidiunt: Tales mihi videntur, qui vario & semper nouo gaudent librorum numero, sed parum illorum fruuntur auxilio *in apoph.* 126.

P. M. vt illud opus est laudatissimum, in quo simul, & ars commendat materiam, & materia vicissim artem: Ita liber est optimus, in quo & argumenti vtilitas commendat eloquentiam, & auctoris facundia commendat argumentum. *In Simil.*

Vt qui sapiunt, non statim e quouis bibunt fonte, propterea, quod alij salutem adferunt, alii perniciem, nonnulli furorem: Ita nō est tutum quemuis librum euoluere, quod ex aliis hauriat affectum animi bonum, ex aliis libidinem, aut ambitionis insaniam trahas. *ibid.*

Triueri: qui maxime solent domi suæ purgata ac digesta arma ostēdere, fere iis rebus minimū valent: Idem, & iis euenit, qui plurima librorum supellectile consueuerunt gloriari. *In apoph.* 107.

Qui diuites gaudent librorum supellectile, atque illorum magis fruuntur spectaculo quam studio, similes pueris, quibus totas noctes lampades ardent, sed parum aduigilant. *In apophthegmat.* 124.

Vide, Disciplina. Doctrina, Institutio.

LICENTIA.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Licentia est propria vitæ affectio in possessione, & vsu rerum minime parca. *Speusip. de definitio Plat.*

Licentia est legis concessio. *idem ibid.*

Licentia libertas immodica, impūnitas agendi, dicendique quicquid velis: *ἄνεσις, ἄδεια.* Hebr. *Rifschaon*, Indulgentia, venia, permissio, à verbo inusitato *Raschah*, indulsit, dedit facultatem. Hinc *ἐξουσία* facultas, *ἐξουσιάζω*, indulgeo, *ἐξουσιος* indulgens, facilis, vnde Esdr. 3.7.

L O C I B I B L I C I.

Licent omnia, sed non expediunt. 1. *Cor.* 6. *v.* 12. *&* 10. 23.

P O E T I C Æ S E N T E N T I Æ.

Ouid. 3. Amo.

Cui peccare licet, peccat minus: ipsa potestas
Semina nequitiæ languidiora facit.

Seneca in Troad.

Minimum decet libere, cui multum licet.
Cui plus licet quam par est, plus vult quam licet.
Quando plus liceat, tam libeat minus.

Ausonius.

Quid liceat, nescimus adhuc, & cuncta licere Credimus.

Ouidius.

Quod licet, ingratum est. quod non licet, acrius vrit.
Polyanthea Nouiss.

Idem ibid. lib. 3.

Nitimur in vetitum semper, cupimusque negata,
Sic interdictis imminet æger aquis.

Sen. in Octa.

Id facere est quod decet, non quod licet.

Horat. 3. Carm. 24.

O! quisquis volet impias
Cædes, aut rabiem tollere ciuicam,
Si quæret pater vrbium.
Subscribi statuis, indomitam audeat
Refrenare licentiam.

Ter. Heaut.

Nam deteriores omnes sumus licentia.
Quodcunque inciderit in mentem, volet, neque id
Putabit prauum, an rectum sit &, quod petet.
Tu rem perire, & ipsum non poteris pati,
Dare denegaris, ibit ad illud illico,
Quo maxime apud te valere sentiet,
Abiturum se abs te esse illico minabitur.

Idem Adelph.

Verum nimia illa licentia
Profecto euadet in aliquod magnum malum.

Iuuen. 14.

Nemo satis credit tantum delinquere, quantum
Permittas, adeo indulgent sibi latius ipsi.

Claud. 4. Hon.

Procliuior vsus
In peiora datur suadetque licentia luxum,
Illecebris effrena fauet, tunc viuere caste
Asperum, cum prompta Venus: tum durius irx.
Consulimus, cum pœna patet.

P H I L O S O P H I C Æ S E N T E N T I Æ.

Licentia vbi est, ibi nimirum quisque propriam vitæ suæ formam constituit, prout cuique placuerit. *Plat. de Repub. dial.* 8. *&.*

Licentia mater impudentiæ, *Plat. de leg. dial.* 3.

A P O P H T H E G M A T A.

Anonymus. Lacon quidam cum venisset Athenas, vidissetque illic præcones, qui muriam promitterent, qui obsonium, qui publicanos. & lenones, aliasque parum honestas functiones profiterentur, neque quidquam sibi turpe ducerent, vbi reuersus est in patriam, ciuibus percontantibus quomodo se res haberent Athenis? Omnia, inquit, honesta: per ironiam innuens, Athenis omnia haberi honesta, turpe nihil. Argutia dicti est in ambiguo sermone. *Plut. in Lac. apopht.*

Agesilaus notans præposteram licentiam eorum, qui Asiam incolebant, eius gentis corruptis moribus dicere solebat: Inter illos, qui improbi essent, eos esse liberos, contra qui probi essent, eos esse seruos, quod ibi licerent omnia, virtus odio haberetur.

M. Cato studiose magistratum semper admonere solitus est, vt delinquentes in Republ. grauiter castigarent. Sentiens, nihil perniciosius esse in Republica, quam licentiam, quam adeo non ferendam in ciuitate putauit, vt iudicaret magistratum lapidandum, qui coercere posset, non tamen faceret. *Plut. in Rom. apoph.*

M. Antonius Verus dicebat, difficile esse, in maxima licentia moderari sibi, & cupiditatibus quasi frenos imponere. *Herodianus lib.* 1.

Antonius Caracalla. Eius nouerca, cum esset pulcherrima, veluti per impudentiam corpus magna ex parte nudauit. Cumque dixisset Caracalla: Vellem, si liceret: Si libet, inquit illa, licet. An nescis te Imperatorem esse, & leges dare, non accipere? Ea mulieris vox Caracallam Imperatorem ad detestabile facinus pertraxit. *Ex Ælio Spartiano.*

S I M I L I T V D I N E S.

Plutarchi. Qui dimissi à pædagogis, suo relinquuntur arbitrio, non abiiciunt imperium, sed mutant principem: nam pro pædagogo iam rationi parent. *In Moralibus.*

Vt qui e vinculis emittuntur, licentius vagantur, quam ij, qui nunquam fuerunt in vinculis: Sic pueritia cum à præceptoris gubernatione soluitur. *In Moralibus.*

Vide, Libertas, Innocentia, Intemperantia.

L I N G V A.

DEFINITIO, ET ETYMOL.

Lingua, Græce γλῶσσα, ης, ἡ. & γλωσσώδης, εος, ὁ, ἡ, linguosus dicitur. Dicitur autem lingua a lingendo cibo, *secundum Marcum Varronem.*

Lingua dicitur a lingendo, quia lingit adulando, mordet detrahendo, *secundum Hugo. li.* 2. *de anima.* Placet tamen magis opinio Varronis; Lingua enim cibos conglobat, & deprimit ac

transmittit in ventrem: vel dicitur, quod sit dentium septis, quasi muro circumuallata ac ligata.

Lingua pars corporis nobilissima, voci formandæ dignocēdisque saporibus destinata. Heb. *Lasebon*, vnde Gallis *Lescker*, proprius lingentis linguæ effectus. De hac voce obseruatu digna leguntur in etymologico trilingui Lugdun. 1607. *pag.* 429. Vnde sequentia descripsimus. Lingua appellatur, & *Saphah*, Labium, Gen. 11. 1. *Erat omnis terra labii vnius*, id est, sermone vno, & iisdem verbis omnes Noachi Patriarchæ posteri vtebantur: quoniam labium primum, & apparens est sermonis instrumentum, & veluti ianua per quam sermo egreditur. Vocatur & *Peh*, Os, *Exod.* 4. 11. Quis posuit *Peh* homini. Quis dedit homini loquendi facultatem. Dicitur & *garon*, guttur, *Isai.* 58. 1. quod in gutture ad aerem (qui est medium in locutione) quædam fit dispositio: quippe citra aeris attractionem, & respirationem ad arteriam vocalem nemo loqui possit. Nomine vero palati aut dentium non appellatur, quod in locutione cooperari ita apparenter, & sensibiliter hæc instrumenta non videantur. Quandoquidem vero vt plurimum plerique fere homines omnes, donec Spiritu Sancto (qui est Spiritus veritatis) ducantur potius garrire, nugari, delirare, vel sibi ipsis aut alijs obloqui, potius quàm rectè, ornate, sapienter loqui videntur: & sæpissimè ea eadem lingua, vt ex meditatis fontibus, calidum & frigidum quid fluere sentimus, Hebræi de maledico agentes dicunt *Lasehan*, iisdem literis, sono paulum diuerso, id est, Lingua fuit oblocutus, obtrectauit, detulit aliquem lingua sua, detraxit falsa accusatione. Hinc λαχλωίτης, calumniator, obtrectator, Gall. *Langard*, λαχλωτα, contumelia, obtrectatio, λάχη lingua.

LOCI BIBLICI.

Lingua pro idiomate, *Gen.* 11. 7. pro idiomate peregrino, 1. *Cor* 14. *v.* 2. 14. pro dono linguarum per se considerato. *v* 19. Lingua vna erat initio, *Gen.* 11. *v.* 16. Lingua bona laudat. *Prou.* 15. 4. *&* 18. 21. Lingua à Deo gubernatur, 16. 1. Lingua moderanda, & cohibenda. *Leu.* 19. 16. *Iob* 5. 21. *Psal.* 34 13. *&* 52. 4. *&* 140 *versi.* 4. 12 *&* 141. 3. *Prou.* 4. 24 *&* 10. *v.* 18. 19 *&* 11. 9 *&* 12. *v.* 13. 14. 19. *&* 13. *v.* 23. *&* 15. 2. *&* 16. *v.* 27. 28 *&* 17. *v.* 20. 27. *&* 18. 21. *&* 21. 23. *&* 25. 28 *&* 26. 20 *&* 30. 11 *Eccl.* 5. 2. *Sap* 1. 11. *Eccl.* 14. 1. *&* 5. 16. *&* 20. 5. 22. 33 *&* 23. 17. *&* 25. 12. *&* 23. 17. *Mat.* 12 36. *Luc.* 6. 45. 1. *Cor.* 15 33. 1. *Petri* 2. 1. *&* 3. 10. *Iac.* 1. *versi.* 19 20. *&* 3. *v* 5. 8. *&* 4. 11. Lingua non nisi cum difficultate frenatur. *Iac.* 3. 8. Lingua Angelorum, pro singularis, & eximia. 1. *Cor.* 13. 1. Lingua mala quam noxia, *Prou.* 18. 21. *Iac.* 1. 26. *&* 3. *versi.* 5. 9. Linguarum diuisio ex superbia orta, *Gen.* 11. 8. Linguarum donum credentibus collatum, *Actor.* 10. 46. 1. *Cor.* 12. *v.* 7. 10. 28.

SENTENTIÆ BIBLICÆ.

Mors & vita in manibus linguæ, qui diligunt eam comedent fructus eius, *Prou.* 18.

Qui custodit os suum, & linguam suam: custodit ab angustijs animam suam. 21.

Custodite ergo vos à murmuratione, quæ nihil prodest, & à detractione parcite linguę: quoniā os mentiēs occidit animā *Sap.* 1

Beatus vir, qui non est lapsus verbo ex ore suo. *Eccl.* 14.

Est qui labitur lingua sua, sed non ex animo. Quis est enim, qui non deliquerit in lingua sua? 19.

Est tacens, qui inuenitur sapiens: & est odibilis, qui procax est ad loquendum 20.

Quis dabit ori meo custodiam, & super labia mea signaculum certum, vt non cadam in ipsis, & lingua mea non perdat me. 22.

Indisciplinatæ loquelæ non assuescat os tuum, est enim in illa verbum peccati. 23.

Qui enim vult vitam diligere, & dies videre bonos, coerceat linguam suam a malo, & labia sua ne loquantur dolum. 1. *Petr.* 3.

Quid loquendum.

Quia donec superest halitus in me, & Spiritus Dei in naribus meis non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua mea meditabitur mendacium, *ibid.* 27.

Dixi custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea. Posui ori meo custodiam. *Psal.* 38.

Dedit enim mihi Dominus præmio linguam, qua laudabo ipsum. *Eccl.* 5.

Dominus dedit mihi linguam eruditam, vt sciam suscitare eum, qui lapsus est verbo. *Esa.* 50.

Quomodo loquendum.

Respondete obsecro absque contentione, & loquentes id quod iustum est, iudicate, & non inuenietis in lingua mea iniquitatem, nec in faucibus meis stultitia personabit. *Iob.* 6.

Lingua placabilis lignum vitæ. *Prou.* 15.

Noli citatus esse in lingua tua: & inutilis, remissus in operibus tuis. *Eccl.* 10.

Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos, & lingua gratiosa eucharis in bono homine abundat. 6.

Quid gloriaris in malitia? Tota die iniustitiā cogitauit lingua tua. Dilexisti malitiam. Dilexisti omnia verba præcipitationis, lingua dolosa. Propterea Deus destruet te in finem. *Psal.* 51.

Vir linguosus non dirigetur in terra. *Psal.* 139.

Vbi autem verba sunt plurima, ibi frequenter egestas. *Prouerb.* 14.

Malus obedit linguæ iniquæ: & fallax obtemperat labijs mendacibus. 17.

Lingua imprudentis subuersio est ipsius. *Eccl.* 5.

Aurum tuum & argentum tuum confla, & verbis tuis facito stateram, & frenos ori tui rectos, & attende ne forte labaris in lingua tua, & cadas in conspectu inimicorum insidiantium tibi, & sit casus tuus insanabilis in mortem. 28.

Si quis putat se religiosum esse non refrenans linguam suam huius vana est religio. *Iac.* 2.

Lingua modicum quidem membrum est, & magna exaltat. Ecce quantus ignis, quam magnam siluam incendit. Et lingua ignis est vniuersitas iniquitatis Lingua constituitur in mēbris nostris, quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam natiuitatis nostræ, inflammata à gehenna *ibid.*

Omnis natura bestiarum, & volucrum, & serpentium, & cæterorum domantur, & domita sunt natura humana. Linguam autem nullus hominum domare potest: inquietum malum plena veneno mortifero. *ibid.*

In ipsa benedicimus Deum & patrem, & in ipsa maledicimus homines, qui ad imaginem, & similitudinem Dei facti sunt. Ex ipso ore procedit benedictio, & maledictio. Non oportet fratres mei hæc ita fieri. *ibid.*

Lingua proximum molestat.

Filij hominum dentes eorum arma sagittæ, & linguæ eorum gladius acutus. *Psal.* 56.

Domine libera animam meam à labiis iniquis, & a lingua dolosa, 119.

Os bilingue detestor. *Prou.* 8.

Verba impiorum insidiantur sanguini: os iustorū liberabit eos. 12.

Lingua fallax non amat veritatem, & os lubricum operatur ruinas. 26.

Verbum nequam immutabit cor ex quo partes quatuor oriuntur, bonum & malum, vita & mors, & dominatrix illorum est assidua lingua. *Eccl.* 37.

Discordiam seminat.

Verba bilinguis quasi simplicia, & ipsa perueniunt vsque ad interiora ventris. *Prou.* 18.

Terribilis est in ciuitate sua homo linguosus, & temerarius in verbo suo odibilis erit. *Eccl.* 7.

Lingua tertia mulieres iuratas eiecit, & priuauit illas laboribus suis. Qui respicit illam, non habebit requiem, nec habebit amicum in quo requiescat 28.

Multi ceciderunt in ore gladii, sed non sic quasi qui interierunt per linguam suam. *ibid.*

PATRUM SENTENTIÆ.

Ante te est æquitas, vnam linguam habes, ad quod vis eam vertes. Quare ergo potius ad iniquitatem, & non ad æquitatem? Cibos amaritudinis non das ventri, & cibos iniquitatis das linguæ tuæ malignæ, sicut eligis quo vescaris, sic elige, quod loquaris. *August. de natura, & gratia.*

Linguam nullus hominum domare potest. Homo domat feram, non domat linguam. Domat leonem, & non frenat sermonem, domat ipse, & non domat seipsum. Domat, quod timebat, nec se domat, Non timet, quod timere debebat. *Idem. lib.* 2. *de verbis Domini.*

Pro signo sunt interiores hominis verba erumpentia, quomodo libidinosum, qui sua eclat verba, & vitia callide, interdum turpia sermo demonstrat, (in iunctibus enim maiora monstrantur) vultuque, & oculis dissimulari non potest conscientia, dum luxuriosa, & lasciua mens lucet in facie, & secreta cordis motu corporis, & gestibus indicat. *Hieron. super* 12. *prophetas, lib.* 2. *super illud Ezech. Filij hominis.*

Quoties vero loquimur aut non in opportuno tempore, aut non in opportuno loco, aut non vt conuenit audientibus: toties sermo malus procedit de ore nostro, ad destructionem eorum, qui audiunt. Consideremus itaque quid loquamur, quia pro omni otioso verbo reddituri sumus rationem in die iudicij. *Idem & hab.* 22. *q.* 5. *cap. Quoties.*

Alliga sermonem tuum ne luxuriet, ne lasciuiat. Qui multiloquio peccat sibi colligat, sit restrictior, & ripis coerceatur. Cito lutum colligit amnis, & vndas: iugum sit verbis tuis, & statera atque mensura, vt si grauitas in sensu, in sermone pondus, atque in verbis modus.

Sapiens priusquam loquitur multa considerat, quid dicat, cui dicat, quo in loco & tempore. *Ambros. li.* 1. *de offic.*

Praui sicut in sensu leues sunt, ita in locutione præcipites, quia quod leuis conscientia concipit, leuior protinus lingua prodit.

Cum

Cum intentionem bonam loquutio cauta non sequitur, ipsa pietatis propositio in transgressionis vitium vertitur. *Gregorius lib. 5. Moral.*

In omni quod dicitur, necesse est, vt causa tempus, & persona pensetur, si verba sententiæ veritas roboret: si hanc tempus congruum postulet, & si veritatem sententiæ, & congruentiam temporis personæ qualitas non impugnat. *Idem in Moral. l. 6. in fin.*

Omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die iudicij. Otiosum quippe verbum est, quod aut iustæ necessitatis, aut intentione piæ vtilitatis caret. *Greg. 7. Moral. & in past. par. 3.*

Si illatas molestias lingua tranquille diceret, a conscientia dolor emanaret. Vulnera enim clausa plus cruciant, quia cum putredo quæ intus feruet, eijcitur, ad salutem dolor aperitur. *Idem li. 7.*

Lingua sub magni moderaminis liberatione seruanda est, non insolubiliter obliganda, ne aut laxata in vitium defluat, aut restricta etiam ab vtilitate torpescat. *Greg. 3. Moral.*

Isti sunt casus culpæ crescentis, vt lingua cum non restringitur, nequaquam vbi ceciderit, iaceat, sed semper ad deteriora descendat. *Idem lib. 16. Moral.*

Qui dimittit aquam, caput est iurgiorum. Aquam quippe dimittere, est linguam in fluxum eloqui relaxare, quomodo contra in bona etiam parte dicitur, Aqua profunda, verba ex ore viri. Qui ergo dimittit aquam, caput est iurgiorum: quia qui linguã non refrenat, concordiam dissipat, *Idem lib. 5. 7. Moral. & in Pastorali.*

Malum hominem melius posset tacendo aliquis vincere quam respondendo, quia malitia non instruitur sermonibus, sed excitatur. Ideo dominus recedendo compescere studuit, quos respondendo non compescuit. *Ioan. Chrys. super Matth.*

Lingua dicitur, quia lingit adulando, mordet detrahendo, a trahit mentiendo. ligat, & ligari non potest, labilis est, & teneri non potest, sed labitur, & fallit. Labitur vt anguilla, penetrat, vt sagitta, tollit amicos, multiplicat inimicos, mouet rixas, seminat discordias, vno ictu multos percutit, & interficit, blanda est, & subdola, & parata ad exhaurienda bona, & miscenda mala. Qui custodit linguam suam, custodit animam, quoniam mors, & vita in potestate linguæ est. *Hugo lib. 2. de anima.*

Quis est hominum sic cautus, vt si inter æmulos loquatur, nullum eius verbum incurrat aliquam quæstionem? Difficilis res est, in lubrico faucium constitutam veritatis rigidæ tenere mensuram, cui si incaute frena laxentur, frequenter contra se loquitur. Facilius enim culpa tacendo refugitur, quam loquendo. Salomon dicit: Ori tuo facito ostium, & seram, & verbis iugum atque stateram, *Cassiod. super illud Psal. Dixit, custodiam.*

Platone sanciente didicisti, cognatos de quibus loquuntur rebus oportere esse sermones. *Boet. de consolat. l. 3. prosa. 12.*

Dolus est, cum aliud quis lingua loquitur, aliud voluit in corde: quod crimen nescio si nudos quosque, & electos relinquat. Sed puto, quod alius plus, alius minus, nemo tamen sit ab hoc perfecte liber, nisi ille de quo dicitur: Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. *Orig. super epist. ad Rom. lib. 3.*

POETARVM SENTENTIÆ.

Ouid. 1. de fine titu.

Turpe reos empta miseros defendere lingua.
Quod faciat magnas turpe tribunal opes.

Iuuen. sat. 9.

Viuendum est recte, cum propter plurima, tum his.
Præcipue causis, vt linguas mancipiorum
Contemnas, Nam lingua mali pars pessima serui.

Faustus.

Nil melius lingua, lingua nil peius eadem:
Tristia cum dulci toxica melle gerit.

Senec. Tragœdia 4.

Curæ leues loquuntur, ingentes stupent.

Idem Tragœdia 9.

Animi retine verba furentis.
Temere emissam comprime vocem.

Phocylides.

Ὅπλον τῷ λόγος ἀνδρὶ τομωτερόν ἐστι σιδήρου.
Ὅπλον ἑκάστω νεῖμε θεὸς, φύσιν ἠεροφοιτοις
Ὄρνισι μὲν πολλὴν ταχυτῆτ', ἀλκὴν τε λέουσι.
Ταύροις δ' αὐτοφύτοις κέρατα, κέντρα μελίσσαις
Ἔμφυτον ἄλκαρ ἔδωκε λόγος δ' ἔρυμ' ἀνθρώποισι.

Id est.

Scutum sane sermo hominis potentius est ferro
Scutum vnicuique tribuit Deus naturam volantem
Auibus quidem, multam celeritatem, fortitudinemque leonibus.
Tauris autem innata cornua, aculeos apibus
Innatum auxilium dedit, sermo autem defensaculum hominibus.

Bias.

Ἄκουε πολλά, λάλει δ' ὀλίγα.
Audi multa, sed loquere pauca.

Polyanthea Nouissima.

Pittacus.

Γλῶττα μὴ προτρεχέτω τοῦ νοῦ.
Lingua ne præcurrat mentem.
Μὴ σπεῦδε λαλῶν.
Noli festinare loquendo.

Hesiodus.

Γλώσσης τοι θησαυρὸς ἐν ἀνθρώποισιν ἄριστος.
Φειδωλῆς, πλείστη δὲ χάρις κατὰ μέτρον ἰούσης.
Optimus est hominis lingua thesaurus, & ingens
Gratia quæ parcis mensurat singula verbis.

Menander.

Πρὸς τοὺς λέγοντας οὐδὲν ἀντειπεῖν ἔχω.
Aduersus benedicentes nihil contradicere habeo;
Ἰσχυρότερον δὲ γ' οὐδὲν ἐστιν τοῦ λόγου.
Potentius autem nihil est sermone.
Λόγος γάρ ἐστι λύπης φάρμακον μόνος.
Sermo enim est tristitiæ remedium solus.
Λόγῳ μ' ἔπεισας φαρμάκῳ σοφωτάτῳ.
Sermo me persuasisti remedio sapientissimo.
Λόγοις ἀμείβου τὸν λόγοις πείθοντά σε.
Sermonibus responde sermonibus illi qui persuadet tibi,
Λύπην γὰρ εὖνους οἶδεν ἰᾶσθαι λόγος.
Tristitiam enim beneuolus scit medicari sermo.
Λόγῳ διοικεῖται βροτῶν βίος μόνῳ.
Sermone administratur mortalium vita solo.
Μέγιστόν ἐστιν ὀργῆς φάρμακον λόγος.
Maximum est iræ remedium sermo.
Ὁ λόγος ἰατρός ἐστι τῶν κατὰ ψυχὴν παθῶν.
Sermo medicus est, quæ est in animo passionis.
Ῥῆμα παρὰ καιρὸν ῥηθὲν ἀνατρέπει βίον.
Verbum contra opportunitatem dictum subuertit vitam,
Ῥίψας λόγον τις οὐκ ἀναιρεῖται πάλιν.
Cum emiseris sermonem aliquis, non resumet rursus.
Ψυχῆς νοσούσης ἐστὶ φάρμακον λόγος.
Animi ægrotantis est medicina sermo.
Δύσμορος ἴσθι μᾶλλον ἢ κακήγορος.
Infelix sis potius quam maledicus.
Ἀνδρὸς χαρακτὴρ ἐκ λόγου γνωρίζεται.
Viri character ex sermone cognoscitur.

Appollinarius.

Ἄν μ' ἀπόντα λέγῃς με κακῶς, οὐδὲν ἀδικεῖς με.
Ἂν δὲ παρόντα καλῶς ἴσθι κακῶς με λέγων.
Si me bene absente dixeris male, nulla afficis iniuria me.
Si de me præsente bene, scias te male de me dicere.

Theodorides.

Θνητοῖς ἐν γλώσσῃ δολίῃ νόσος ἐστ' ἀχάλινος,
Ἀφροσύνη τίκτει πολλάκις δυστυχίας.
Mortalibus in lingua dolosa morbus effrenis,
Stultitia parit sæpe infelicitatem.

Ouid. amorum lib. 2. eleg. 2.

Vidi ego compedibus liuentia crura gerentem,
Vnde vir incestum scire coactus erat.
Pœna minor merito, nocuit mala lingua duobus,
Vir doluit, famæ damna puella tulit.
Crede mihi nulli sunt crimina grata marito:
Nec quenquam, quamuis audiat illa iuuant.

Horat. art. poet.

Tristia mœstum
Vultum verba decent, iratum, plena minarum,
Ludentem lasciua, seuerum, seria dicta.
Format enim natura prius nos intus ad omnem
Fortunarum habitum, iuuat, aut impellit ad iram,
Aut ad humum mœrore graui deducit, & angit:
Post effert animi motus interprete lingua.

SENTENTIÆ PHILOSOPHICÆ.

De amissione linguæ, & loquelæ. DIAL. CIII.

Francisci Petrarchæ. Dol.

Quid quod linguam, & loquelam perdidi? R. Quid si securitatem, & requiem inuenisti? quam multos manu innoxios lingua perfundedit? est voluptas illa ista quidem, sed communis volentium videri fecisse, quæ non faciunt, nec possunt. Mentitus est, qui Israeliticum regem, filiumque eius occidisse se dixit, & facti innocens, mendacij pœnam luit, vt periculum cesset, quantus est labor longis respondere, fabulari, fingere comere verba, sententias librare, cogitare quid & qualiter dicas, quamque suauiter aerem verberes (ita enim vocem ipsam definiunt) qualiter quoque nõ linguam modo, sed reliquum corpus moueas. Nam & huic se porrigit pars vna Rhetoricæ, qualiter meditabundus humi frontem defigas, quam quorsumue manum porrigas, quo terram ferias pede? an non satis hæc operosa concinnitas, & prærepta pene musicis opera, vt dulciter sones angi, an non vere lo

qui labor, & silentium quies? D. Nullatenus loqui possum. R. Quæ deficiente eloquentia dicebam, multa dignius perdita repetuntur lingua Quando igitur loqui nequis, tace, & quod necessitas iubet, volens facito. Quod ipsi, qui loqui possunt, sæpe vilius facerent, sæpe dolent non fecisse. Tace, inquā, neu te damnū pati putes, tacens cogita, & quiescens tecum loquere, quæ melior a esse quam perorare, ne diserti quidem negent. D. Mutus factus sum R. Si muti fuissent Cicero, & Demosthenes, diutius vixissent, & leuius obiissent. D. Linguæ vsum omnem perdidi. R. Et mentiendi consuetudinem, & fallendi artes, & inimicitiarum, quærendæque infamiæ instrumentum. Plures enim lingua sunt quam factis infames. Nulla pars corporis ad nocendum promptior, ad frenandum difficilior. Merito ergo quasi magnum aliquid, atque rarum protulit ille qui dixit. Custodiam vias meas, ne delinquam in lingua mea. Quod cum sanctus quidam vir, qui ad discendum sacras literas accesserat audiuisset, abijsse dicitur, nec amplius audire voluisse. Cumque post longū tempus præceptor suus illum admirans sciscitaretur, quid tam diu absens cœptum opus omisisset, respondisse dicitur, quod primum illud ei verbum sat superque negotij attulisset, nec dū illum vnum omni studio posset implere, hanc tibi custodiam, & hoc frenum, seu à natura quidem, seu à fortuna oblatum, ne cōtempseris, libensque te regendum præbe, neue contra tuam sortem calcitres D. Linguam amisi R. Nunc maxime, quod sapiens iubet, omni custodia serua cor tuum è duab. custodijs ad vnam redactus, & dimidia laboris parte liberatus, facilius pauca custodies, & pretiosa vigilantius. D. Linguam perdidi. R. in quibusdam paucis nobile, & argutum membrum, in magna autem parte hominum nocens atque pestiferum, & quo multis caruisse melius. Sic non solum in seruo verum cernitur, quod Satyricus ait. *Lingua mali pars pessima serui*, sed in plerisque etiam liberis, quibus nihil peius dedit natura, quam linguam. Bella, doli, adulteria, corruptelæque omnes pene cessarent, nisi lingua malum semen, & spargeret, & foueret. D. Linguam perdidi. R. si malam, lucratus es plurimum. Magnæ enim diuitiæ sunt, esse inopem malorum. Hæc qui non habet, diues nascitur, at qui perdidit, diues fit, & nouo auctus censu perdendo inuenit, quod inueniendu perdiderat. Quod si bonam perdidisti, dico iterum: Cor cōserua, amisisti quidem quo placeres hominibus, serua quo placeas Deo. Cui si lingua non potes, corde loquere, Si enim de malis scriptum est, *Labia dolosa in corde, & corde locuti sunt*. Cui non piorum in corde pia labia esse, & ipsi corde etiam loqui possunt vbi sint aures Dei? Verumque sit, quod alibi scribit idem: Non occultatum os meum ad te, quod fecisti in occulto. Nulla enim secretissimarum quoque cogitationum abscondita est Deo, nec tacitos minus quam clamantes audit. Imo non est apud illum clamor altior, vehementiorque, quam cordis clamor, ille silentio delectatur. Hunc clamorem compressis labiis promebat ille gregis primum, postmodum populi pastor famosissimus qui audire meruit vocem Dei dicentis sibi, quid clamas ad me? non loquebatur, & clamabat, imo quidem loquebatur, sed corde. Sicut autem, qui Deum audit surdus non est, sic quem Deus audit, non est mutus.

Turpe est aliud loqui, & aliud sentire. *Senec. ad Lucil. in epist.*

Non multis verbis opus est, sed efficacibus. Seminis modo spargēda sunt. *Item epist. 38.*

Quemadmodum sapienti viro incessus modestior conuenit, ita oratio pressa, non audax. Summa ergo summarum hæc erit, tardiloquum te esse iubeo. *Idem epist. 40.*

Nemo quod audierit tacebit. Nemo quantum audierit, loquetur. *Idem in epist.*

Imago animi sermo est. Qualis vir, talis oratio. Magnū est vocis & silentij temperamentum. Garrulo non respondere, conuitiū est.

Loquax inimicus quā taciturnus minus offendit. *Idem in Prouerbiis.*

Vt licentiosa mancipia animi imperio rege linguam, cupiditatemque opprime, si non potes, paululum remitte. Sæpe ea quæ sanari ratione non poterant, sanata sunt tempore.

Priusquam promittas, delibera: sed cum promiseris, statim facias.

In hoc incumbe, vt libentius audias quam loquaris. Auribus frequentius vtere quam lingua. Qui nescit tacere, nescit loqui. *Idem de moribus.*

Propter hoc nobis datus est sermo, vt præsto forent mutuæ voluntatis indicia. *Plato in Timæo.*

Qualis vnusquisque est, talia dicit, & talia operatur, & taliter viuit. *Arist. lib. 4.*

Nullum illorum animalium sermonem habet, nisi homo.

Homini natura sermonem dedit. *Idem lib. 1. Polit.*

Noli cito loqui Est enim insaniæ indicium, dicebat Bias. *Laer. Diog. de vita & mor. philosophorum.*

Oportet enim versari in conuiuio sermones, vt castitate integros, ita appetibiles venustate. *Macrob. Saturnaliorum l. 1.*

Nam superfluunt video, inter sapientes nota proferre: Sic etiam loquendum est cum hominibus, tanquam dij audiant, & sic loquēdum cum diis, tanquam homines audiant. Cuius secunda pars sentit, ne quid a diis petamus, quod velle nos, indecorum sit hominibus confiteri. *Macrob Saturnal. li. 1.*

Hæc vna de philosophiæ virtutibus, quia cum orator non aliter nisi orando probetur, philosophus non minus tacendo pro tempore, quam loquendo philosophatur. *idem l. 7.*

Omnium terrenorum nihil homine præstabilius prudētia dedit cui quidem linguæ, & dentium vallum, & ipsius oculi venustas accessit: quod quidem aliis animantibus ad explendam victus necessitatem, inferendasque ventri copias comparatum est, sed homini promptuarium potius rectæ rationis, & suauissimæ orationis datum est, vt quæ prudentia corde concepit, ea sensu promat oratio. *Lucius Apuleius de dogmate Platonis.*

Qui sunt leues, & futiles, & importuni locutores, quique nullo rerum pondere innixi verbis humidis, & lapsantibus diffluunt, eorum orationem bene existimatum est in ore nasci, non in pectore, linguam autem debere aiunt non esse liberam, nec vagam, sed vinculis de pectore imo, ac de corde apertis moueri, & quasi gubernari.

Hesiodus poetarum prudentissimus linguam non vulgandam, sed recondendam esse dicit, perinde vt thesaurum. Eiusque esse in promendo gratiam plurimam, si modesta, & parca, & modulata sit. *Gell. Noctium Attic. lib. 1. cap. 15.*

APOPHTHEGMATA.

Thales Subinde admonere solitus erat, ne ita loquamur cum amicis vt sermo nos in ius vocet. Quo docere voluit caute de absentibus etiam coram amicis loquendum esse, ne nos apud alios deferant, & nostra loquacitas vergat nobis in magnum malum. *Laert. lib. 1, cap. 1.*

Pythagoras gladii plagam quam linguæ leuiorem esse dicebat: ille enim corpus, hæc animum vulnerat. *Anton & Max. ser. de loquacitate.*

Chilon, non committendum esse dicebat, vt lingua præcurreret animum. Admonens, prius cogitandum quid loquaris, quam lingua prorumpat in verba. Nescit enim vox missa reuerti. *Laert. lib. 1, cap. 4.*

Idem præcipiebat, linguam cum alias semper, tum præcipue in conuiuio continendam, quod illic cibus, & potus inuitet ad intemperantiam. Porro vbi plus est periculi, ibi maior est adhibenda cautio. *Laert lib 1, cap 4.*

Idem a quodam interrogatus, quidnam apud homines omnium esset difficillimum? Retinere, inquit, ea quæ cupimus esse arcana. Quo dicto innuit, quanta hominum sit linguæ licentia, qui etiā quæ in cordibus recondita esse deberent, liberius loquendo effutiunt. *Laert. lib 1. cap. 4.*

Bias, adolescente quondam intempestiuas nugas crebro iactante, adeo vt neque modum esset habiturus, neque finem: Qui factū est, inquit, vt a quo scatere verbis didicisti, silere non didiceris? *Stob.*

Bion. cuidam immodice loquaci, vt sibi subueniret oranti, respondit: Abunde tibi morem geram, si aduocatos miseris, non venias ipse. *Laert. lib. 4. cap. 7.*

Anacharsis interrogatus, quid esset in homine pessimum, & quid optimum? respondit, Lingua. Sentiens idem membrum plurimam adferre vtilitatem, si recta ratione gubernetur: pestilentissimum esse, si secus. *Laert. lib. 1. c. 9.*

Zeno. adolescentulo plurima effutienti immoderatius quam pareat: idcirco, inquit, aures habemus duas, & os vnum; vt plura audiamus, loquamur perpauca. *Laert lib. 7.*

Idem audiens adolescentem plus satis loquentem in conuiuio ait: Aures in linguam defluxere. Allusit autem ad naturæ artificium, quæ hominibus duas aures fecit linguam autem vnam tantum: vt disceret, plura quidem audienda esse, non autem temere effutienda omnia. *Laertius libro 7. cap. primo, Maximus serm. 60.*

Democritus, quum indoctum quendam verbis inanibus obstrepentem diu tulisset: Ad blaterandum, inquit, satis mihi instructus videris, ad silendum vero impos. *Stob.*

AEsopus. Quid esset in hominibus bonum, & malum? sciscitatus linguam esse dixit. *Anton. & Max. serm. de loquacitate.*

Pericles, cum publice dicturus prodiret, in primis se optare dicebat ne insolens verbum excideret, quod populum prasue aures lædere posset, aut suæ etiam voluntati contrarium esset: Non ignorauit sane vir prudentissimus, ac eloquentissimus: quam labilis lubricaque sit lingua, quæ sæpenumero limites suos egressa, in multa rerum pericula hominem etiam volentem rapit, ac in mortem quoque aliquando præcipitat. *AElian. lib. 4. de varia. histo.*

Theocritus Chius cum veniret Byzantium, & verborum prodigos homines inueniret. Recte (inquit) de vobis dicitur, quod in ore omnis vobis suppellex est, & vnicum domicilium. *Stob.*

Idem, Anaximene dicturo, ita præfatus est, incipit verborum flumen, mentis gutta: significans, habere multum loquentiæ, sapientiæ parum. *Stob serm. 34.*

Crates videns adolescentulum secreto ambulantem, interrogauit.

giuit, quid illic solus faceret. Mecum, inquit loquor. cui Crates, caue, inquit, rogo, & diligenter attende, ne cum homine malo loquaris. *Seneca epist.* 10.

Xenocrates, quum maledico sermoni quorundam summo silentio interesset, vno ex ijs quærente: cur solus linguam suã cohiberet: Quia dixisse me aliquando pœnituit, tacuisse nunquã. *Laer. Stob.*

Aristoteles. Garrulus quidam, vbi multa nugatus apud Aristotelem, tandem dixit, Fortassis obstrepo tibi nugis meis. Non hercle, inquit, neque aduerti animum. *Laert. li.* 5. *c.* 1.

Idem. Callisthenem adolescentem coram Alexandro multa incidẽter, & liberius loquentem, Homerico carmine castigauit: dicẽs:

Talia si loqueris, non multo tempore viues.

Laert. lib. 5. *cap.* 1.

Solon cuidam dicenti; illum ideo non loqui, quia insanus esset: Nullus, inquit, stultus tacere potest. Nimia enim loquacitate stultitia hominum proditur. *Eras. lib.* 3. *cap.* 25.

Theophrastus. Ad quendam, qui in conuiuio perpetuo silebat. Si indoctus, & imprudens es inquit, prudenter facis; sin doctus, imprudenter. Sic refert. *Laertius, lib.* 5. *cap.* 2. Sed Plutarchus, hunc in modum dixisse scribit: Si stultus es, rem facis sapientem, sin sapiens, stultam: Est enim non minima sapientiæ pars, tegere silentio stultitiam.

Idem dicebat, potius esse fidendum effreni equo quam verbo incomposito. Nemo non metuit insidere equo infreni, at plus est periculi a lingua effreni. *Laert. lib.* 5. *cap.* 2.

Demosthenes. sciscitatus, quæ causa esset vnius tantum linguæ, & geminarum aurium? Quoniam, respondit, duplo magis audire homini expedit, quam loqui. *idem.*

Agis. Peculiaris erat Lacedæmonijs verborum paucitas, vnde, & ab ea regione breuiloquentia Laconismus dicitur. Quum igitur Abderitarum legatus apud Agidem multa locutus, vix tandem dicendi finem fecisset, rogaretque quid ciuibus suis esset renunciaturus? Agis, Illud (inquit) renuntia, quantum temporis tibi fuit opus ad dicendum, tantum me silentem audisse. Hoc dicto exprobrauit stolido oratori inanem loquacitatem, responso indignam. *Plut. in Lacon. apoph.*

Lacones. Ctesiphontem eiecerunt, qui se profitebatur de re quauis totum diem posse dicere, dicentes: Boni oratoris esse sermonẽ habere rebus parem. Nulla in re iustius putarunt adhibendam frugalitatem quam in oratione, quam Hesiodus non aliter, quã pretiosum thesaurum parcissime censet esse depromendam ad vsum, non ad ostentationem. *Plut. in Lacon. apoph.*

Laborus. cuidam apud ipsum prolixiore vtenti sermone: Quid mihi, inquit, de re pusilla, longa texis procemia? Quanta res est: tantam oportet & orationem esse, qua vteris. Est hoc omnibus Spartanis peculiare, offendi sermone causa quam postulat longiore: adeo nusquam non placeat frugalitas. Nam ad causam non magnam adhibere superuacuam verborum copiam, luxuriæ genus est. *idem.*

Anonymus. Lacon quidam, cum in Luscinia plumis reuulsis minimum reperisset carnium: Vox, inquit, tu es, præterea nihil. in eos dici potest, qui præter garrulam linguam ac magnifica verba nihil habent. *idem.*

Idem. Quidam interrogatus de re quapiam, respondit: Non, Verũ, vbi percontator dixisset illum mentiri. Non vides igitur, inquit Laconi te stultum esse, qui sciscitaris de his, quæ noueris? Salse taxauit, in illo vitium garrulitatis, qui de nihilo quæsierit fabulandi materiam. *Plutarch in Lacon.*

Charillus, interroganti, quam ob causam Lycurgus tam paucas leges tulisset Lacedæmonijs? Quoniam, inquit, pauca loquentibus, paucis etiam legibus est opus. Sensit nimirum pleraque mala ex multiloquio nasci. *Plut. in Lacon. qui eundem in Lycurg. Charilaum vocat.*

Cleomenes. Venerunt ad Cleomenem Samiorum oratores, hortaturi, vt cum Polycrate tyranno bellum susciperet. Id cum fecissent oratione plus æquo prolixa, respondit in hunc modũ. Quæ primo loco dixistis, non memini, & ob id media quidem intelligo, quæ vero dixistis omnium postrema, non probo. Admonet multiloquium non solum molestum esse auditori, verum etiã ad persuadendum inutile, præsertim apud principes, tum varijs curis occupatos, tum auribus fastidiosis. *Plut. in Lacon. apoph.*

Idem. Sophista quodam de fortitudine multa disserente, risit Cleomenes At sophistæ dicenti. Quid rides Cleomene, audiens de fortitudine disserentem, præsertim quum sis rex? Quoniam inquit, ò amice, si hirundo de fortitudine loqueretur, idem facerẽ, quod nunc facio: sin aquila, magno silentio auscultarem. Visum est ineptum, quenquam de fortitudine magnificis vti verbis, qui ipse nihil fortiter gessisset vnquam, nec aliud posset, quam in hirundinis morem garrire. *idem.*

Demades. Tibijs Athenienses comparare solebat: ex quibus si linguam detrahas, reliquum inutile erit. *Maximus serm.* 60. *Stob. serm.* 2. *de imprudentia.*

Agis. cum sophista quispiam apud Agidem dixisset, orationem esse rerum omnium præstantissimam, videlicet prædicans artem, quam profitebatur: Ergo, inquit, Agis, tu cum taces, nullius es pretii: significans, multo præclarius esse res magnificas gerere, quam habere linguam ad magnifice loquendam expeditam. *Plut. Lacon. apoph.*

Polyanthea Noviss.

Anaxandridas. cum Ephoris oportuna quidem, sed pluribus, quam sat erat, quidam loqueretur. Anaxandridas: Hospes inquit, res necessaria in non necessario vteris. Significans, quod per se rectum est, & vtile, non egere prolixa oratione: quod ipsa causæ bonitas facile seipsam commendet. Quod si vsquam locus est loquacitati, eam oportet ad inhonestas causas adhibere. *Plut. in Lacon.*

Agesilaus. cum rhetorem eo nomine apud Agesilaum Lacedæmoniorum regem laudasset quidam, quod res specie exiguas magno verborum ornatu amplificare posset: Ego, inquit rex, ne sutorem quidem arbitror bonum, qui paruo pedi magnos calceos inducat. Quo innuit, inanem loquacitatem nullibi probandam esse. *idem.*

Antipater. de Demade oratore iam grandæuo dicere solebat. Demadi, vt immolatæ victimæ, nihil superesse præter linguam, & ventrem. Nam venter ex hostia abijciebatur, & lingua dabatur præconi. Ita senex orator tantum loquebatur. Loquacitas enim crescit cum ætate. Tradunt autem, Demadem luxui, & gulæ fuisse deditum, vnde & Phocionis reprehẽdit frugalitatem. *Plutarch. in apoph. & in Phocione.*

Alexander. epistolam à matre missam, quæ occultas accusationes, & calumnias in Antipatrum continebat, legens. Ephestionem quidem amicum simul, vti consueuerat, eandem legere passus est, sed ea lecta annulum ipse digito detraxit, & ori illius sigillũ, veluti reticentiæ symbolum, impressit, dicens: Contine hæc. & ne quid eorum effutias. *Plut. in Alexandro.*

Idem. Cum silentium suorum maximopere probaret: quisquis, inquit, secreto commissum diuulgauerit, is certe aut nimium immodestus, & si quidem lucri studio id egerit, improbus recte dicitur: aut si nulla spe quæstus allicitur: æque profecto iniquus est. *Stob.*

Gnathæna. Venerat ex Hellesponto ad Gnathænam amator quidam eius fama, & nomine permotus. Cum itaque inter pocula plurima effutiret, & importunus esse videretur, respondens Gnathæna: Nunquid, inquit, te ex Hellesponto venire dixisti? Cumque annuisset: Cur igitur, inquit, primariam inibi ciuitatem ignoras? Qui cum diceret, Quænam tandem est illa? Sigeum, respondit. Atque ita artificiose hoc nomine futilem eius loquacitatem coercuit: σιγὴ enim silentium, & taciturnitas apud Græcos appellatur. *Ælian. li.* 2. *de Varia hist.*

M. Cato. lurconi cuidam ambienti inter Catonis familiares recipi negauit dicens: Se cum eo non posse viuere, qui plus saperet palato, quam corde. *P. M. li.* 5. *apoph.*

Idem. dicere solebat, eum nequaquam tacere posse quem morbus loquendi teneret. Ea enim est linguæ licentia, vt semel limites suos egressa, vix intra septa contineri possit. *Brusson. lib.* 3 *cap.* 25.

Anonymus. Rhodius quidam ministro Romani Imperatoris multa vociferanti ferociter: Non curo, inquit, quid tu dicas, sed quid ille taceat. Loquacitas caret affectu, taciturnitas habet certiora consilia. *Plut.*

Pompeius. impatiens Tullianæ dicacitatis, inter amicos dicere solebat: Cupio ad hostes transeat Cicero, vt nos timeat. Notans illius ingenium, quod dicitur hostibus fuisse supplex, in amicos contumax. Hoc Pompeij dictum ita refert Quintilianus: Transi ad Cæsarem, & me timebis.

Alphonsus. homines quos vanis sermonibus impleri, & pene distendi intueretur, modo vt[illegible] modo vesicas vocitabat. Quemadmodum enim v[illegible], & vesicæ infusis humoribus extenduntur: & tumescunt, donec humorem infusum respuat, sic homo loquaculus inflatur, donec audita garriendo effutiat. *Panormitanus lib.* 4.

Hieron. Carbo. Loquaculus quidam Hieronymum Carbonem, suauissimi ingenij virum, obtundebat, atque cum ingentem iam verborum cumulum congessisset, petebat sibi ab eo ad singula responderi. Verum cum ille siluisset diu conuersus tandem ad astantes. Magnum, inquit, ranarum prouentum attulit. *Pontanus.*

Ennius Senensis. in Petrum de monte Licino, non incelebrem astronomum, podagra laborantem, incidit: atque ab eo, dum alteram post alteram fabulam recitasset, diu retentus cum transeuntem notum quendam vidisset: Age, inquit, ò amice, ausculta hunc podagricum. Nam aures meæ audiendo ambæ obtusæ sunt. Notauit autem hominis vnam, & nimium molestam loquacitatem. *Æneas Syl. l.* 3. *de reb. gest. Alphonsi.*

Arn. Siluius dicere solebat, Sapientius esse agere, quam fari, Nunquam enim, nisi cum necessitas postulat, sapiens loquitur: neq; vana sed ponderata profert. Stulto autem nullum est tempus termoni clausum: facileque verba iactitat, qui consideratione profatur. *Sylu. lib.* 1. *Comment. de reb. gest. Alphonsi.*

SIMILITVDINES.

Dauidis regis: Sermonem pestilentem suppeditat sceleratus animus linguæ tuæ, quæ simillima est nouaculæ acutæ: quum ad secandam barbam adhibita, aberrat, & iugulum petit. *Psal. 52.*

Chrysostomi: Magis vertice ipso capitis linguam tuam custodi. Regius quidem equus est lingua. Si ei frenum immiseris, doctrina tua gradarium feceris. ascendet in eum rex, & quiescet in eo: si autem nullo freno domueris, sed huc atque illuc infrenem iactari permiseris, diaboli eum vehiculum fecisti. *Homil. 50. in Matth.*

Ora istorum qui sæcularium rerum rabie furiunt, comparanda non immerito cloacis sordidissimis: illorum vero ora, qui, quæ Dei sunt, loquuntur, fontibus similia, vnde riui liquidissimi fluentis mellis emanant. Imo non hac mensura, sed acerbiore similitudine Scriptura vtitur hic, venenum, inquit, aspidum sub labijs eorum, sepulchrum patens guttur eorum. Sane, bonorum ora non sunt talia, sed odoris plena ingentis. *Hom. 69. in Matth.*

Quemadmodum si Romanus forte fuerit iudex, non percipiet rationes tuas, nisi Latine loquaris: Sic & Christus non audit, nec attendit, nisi lingua sua loquaris, vtans. Vt os tuum ita conformetur, vt os Christi sit, non opus est coloribus, nec vlla materia, sola virtute, humilitate, mansuetudine, huiusmodi os maxime conformatur. Os diaboli conditur in maledictione, contumelijs, detractione, periurio, mendacio. Diaboli linguam habet, qui vt diabolus loquitur. Quæ supplicia non perpendemus, quando linguam nostram, qua Dominicã carnem degustamus, diaboli sponte linguam efficimus? *Hom. 79 in Matth.*

Vt gratius est pomum, quod tuis manibus ex ipsa decerpseris arbore, vt dulcior aqua quam ex ipsa vena subscatentem hauseris: vt iucundius vinum, quod ex eo depromseris dolio, in quo primum fuerat conditum: Ita diuinæ literæ nescio quid habent natiuæ fragrantiæ, nescioquid spirant suum ac genuinum, si eo sermone legantur quo scripserunt ij, qui partim è sacro hauserunt ore, partim eiusdem afflati spiritu nobis tradiderunt. *Homil. 79. in Matth.*

Basilij: Sicut calamus instrumentum scribendi est, ipsum scite mouente manu ad eorum significationem, quæ scribuntur: Sic etiã iusti lingua, quam sanctus mouet Spiritus, æternæ vitæ verba ardentium cordibus inscribit, tincta quidem non atramento, sed spiritu Dei viuentis. *In Psal. 45.*

D. Hieronymi: Sicut plectrum chordis: Ita lingua eliditur dentibus, & vocalem reddit sonum. *Ad Eustochium.*

Quomodo iuxta qualitatem ciborum de stomacho ructus erumpit, & boni vel mali odoris status indicium est: Ita interioris hominis cogitationes verba proferunt, & ex abundantia cordis os loquitur. *Ad Principiam virginem.*

D. Hilarij. Nouacula ad nitorem vultus acuitur, vt abradens hirsutam atque horrentem faciem læuiget. Hæc si potius vulneret, dolum fecit quippe cum præparata ad ornatum, ministerium suum præbuerit ad vulnus: ita lingua impij in malitia potentis, quam natura ad eloquendas rationabiles cogitationes consulti cordis præparauit, ipsa potius rationabiles cogitat iniquitates. *Psal. 51.*

Laurentij Iustiniani patriarchæ. Quemadmodum de vno eodemque fonte non potest effluere dulcis atque amara aqua: Ita nec insipidum cor promere valet verba flammantia. *De instit. ac regimine prælat. cap. 21.*

P. M. Vt rupes obiiciuntur flumini, ne se effundat: Ita ratio linguæ obiicienda, ne temere diffluat. *In simil.*

Vide, Garrulitas, Loquacitas, Sermo, Taciturnitas.

LITIGIVM. LIS.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

Litigium, Græce ἔρις, ἐρίζειν & ἐρίζω. Litigo. Est autem litigium proprie contentio in verbis, non ex defectu amoris animos venientis, sed ex hoc, quod quis non veretur contristare personam, *ex B. Thoma secunda Secundæ quæst. 116. artic. 107.* Litigium à litigo venit, illud autem à lis deducitur. Lis vero (vt quidam volunt) à limes dicitur, quod primæ inter homines lites de limitibus fuerint. à litigo, quod est discepto, contendo, venit litigiosum, hoc est id, de quo lis est. Litigiosus, qui frequenter in litibus versatur.

Lis, litis, Controuersia, à limite dicta, quod lites primæ inter homines de limitibus fuerint. Gr. δίκη Hebr. *Rib.* à verbo *Rabab*, & in i. Coniugatione *Rab* & *Rob*, nullus fuit: nam in litibus multa fiunt, & dicuntur, atque multiplicantur contentiones, denique lis ex lite seritur, litesque nouas pariunt, & multiplicat *Meribah*, contentio, disceptatio actis, vt fit in lite coram iudicibus.

SENTENTIÆ BIBLICÆ.

Lites & contentiones fugiendæ, *Prouerb. 20. 3. Matth. 5. 40. Rom. 13. 13. 1. Cor. 6. 1. &c. Tit. 3. 1. 2. Tim. 2. 23.* Lites pastoribus vitandæ: *1. Tim. 3. 3. 2. Tim. 2. 3. 4.*

SENTENTIÆ PHILOSOPHICÆ.

Nihil bono viro ac quieto magis conuenit, quam abesse à ciuilibus controuersiis. *Cic. ad Attic.*

Lis & amicitia reperiuntur solum in animalibus, & proprie in rationalibus, non in inanimatis. *Auer. in 8 Physi. tex. 15.*

Litigiosi & morosi sunt, qui nullam sibi rationem habere putant, ac molesti sint. *Arist. 4. Ethicor. cap. 6.*

Lites vbi multæ, & iniuriæ multæ vbi sunt, ciues inter se non sunt amici. *Plato de leg. dial. 5.* litem generat, *Ant. Nat. de pulch. lib. 4.*

Chilon: eius tria præcepta aureis literis Delphis consecrata sunt. Nosce te ipsum. Ne nimium cupias. &, Æris alieni atque litis miseriam fac effugias. *Brus. lib. 3. cap. 27. ex Stobæo.*

Zenon cum cæteris virtutis admiratoribus, fortiter pronunciauit, non oportere malos viros cum probis cõtendere, cum diceret: Annon plorabit malus si bono aduersabitur? Ergo nullum ius finit malum probo contradicere. *Philo Iudæus lib. 4. Quod omnis probus sit liber.*

Socrates dicebat, aut quam rarissime, aut quam grauissime cũ potentibus conuiuandum esse. Non ignorauit enim vir sapientissimus, quam caute cum potentioribus agendum sit, ne horum potestas nos, qui longe inferiores sumus, opprimat. *Stob. serm. 1. de Prudentia.*

Fauorinus cum in disputatione quadam Hadriano principi, cui infensissimus erat, cessisset, admirantibus alijs cur id faceret: Nõne cedam, inquit, ei qui viginti habeat legiones? *Ael. de Var. hist. & Volat. lib. 16. Vrbanorum com.*

Artaxerxes Acidæ Lysoni multa in eum licenter dicenti respõdit: Licere quidem illi, quæ vellet in regem dicere: sibi vero non dicere tantum, sed etiam facere. *P. M. lib. 5. apoph.*

Ludouicus XII. Galliæ rex cum per Lutetiam obambulans obuios haberet quosdam è senatu, qui raptim ad curiam properarent: Annon, inquit, hi ad nundinas videntur proficisci *Annal. Francis.* Allusit ad illud Stratoclis & Dioclis (quorum meminit Plutarchus) qui se mutuo inuitabant ad messem auream: ita enim curiam, & tribunal vocabant.

Ipse persæpe cum in curia parlamenti Galliarum supremi Lutetiæ interesset, patronosque causarum disertos non illibenter audiret, eos tamen sutoris partes impudenter sibi vindicare dicebat. Namque quod sutoris est proprium alutam producere dẽtibus, hoc causidicos in dilatandis scriptis prudentum responsis, & Cæsarum legibus facere affirmabat. *Annal. Franc.*

Alexander. Dion in Dialogo Philippi, & Alexandri ait, Philippum ad Alexandrum dixisse, Atqui poetas bonos, ac graues rerũ scriptores offendere non debemus, quod nobis dicendi, quæ volũt facultatem habent. Non omnem, inquit Alexander, nã Stesichorum, quod de Helena mentiretur, non fuit vtile. *Brus. lib. 4. cap. 4.*

Phocion. Quum Alexander ab Atheniensibus posceret sibi triremes exhiberi, ac populus nominatim flagitaret adesse Phocionem, vt quid consuleret, proferret: surgens, inquit: Consulo igitur, vt armis superetis eos, aut superantium amici sitis Compendio suasit nihil Alexandro negandum, nisi cõfiderent se iratum posse armis opprimere. Quibus si ille videretur superior, nõ esse prouocandum animosum iuuenem, & repulsæ impatientissimum. *Plutarch. in apoph.*

Sylla. Cn. Pompeium à victoria reuersum, Sylla cum alijs honoribus excepit, tum magni cognomen ipse primus illi detulit At cum Pompeius his non contentus, vellet triumphum agere, nõ passus est Sylla, eo quod nondum esset ordinis senatorij Cæterum quum Pompeius iis qui aderant dixisset, ignorare Syllam, quod plures adorarent solem orientem, quam occidentem: Sylla exclamauit, Triumphet. Horruit iuuenis animum, & in dies crescentem gloriam: nec dubitauit illi cedere, quem videbat nemini cedere posse. *Plutarch. in Rom. apoph.*

Iul. Cæsar. Cum Pompeius relicta Roma perfugisset ad mare, Metellus ærarii præfectus Cæsari volenti illinc pecunias tollere, obstitit, & ærarium clausit. At Cæsar illi mortem minatus est. Ea vox quum Metellum reddidisset attonitũ, Hoc, inquit, o adolescens dictu mihi difficilius fuit quam factu. Sentiens, se vel nutu posse quem vellet occidere, quum secum duceret armatas cohortes. *idem.*

SIMILITVDINES.

P. M. Quemadmodum Cæcias ventus trahit ad se nubes quas sequitur: Ita homo iurgijs deditus, vbicunque est, ad se lites attrahit. *In prouerbio, Mala attrahens, &c.*

Vt non solum stultum est, verum etiam periculosum, euocare fulmina: Ita dementia est, reges ad se accersere, qui non nisi magno nostro malo prouocantur. *In Similibus.*

FABVLA.

De Asino & Musto.

Ad lacum, quo mustum paulo ante exceptum fuisset, oberrans deuenit asinus, & gustato dulci potu, cum ille placeret, bonam

partem

partem musti exhausit, hoc moleste ferens is cuius asinus mustum epotauerat, agit cum Domino asini de damno accepto. Ille deberi quidquam a se negat. Venitur ad iudices. Illi etsi res ipsis ridicula visa, tamen vt litigatores absoluerent, interrogant, an inter bibendum ad lacum asinus assedisset. Cumque stantem eduxisse mustum cognouissent, pronunciant, nihil debere asinum, qui quasi præteriens gustare tantummodo mustum voluisse videatur.

Fabula docet, disceptationes stolidas recte eludi posse, & litigatorum ineptias a iudicibus refutandas esse.

LITTERATVRA, LITTERA.

DEFINITIO, ET ETYMOL.

Litteratura, Græce γραμματεία, ας, ἡ. & γράμμα, ατος, τὸ litera dicitur. Est autem litera minima pars vocis compositæ, significatq; elementum, vt a, vel b. si singulariter declinatur: si vero pluraliter, epistolas significat, poetæ tamen singulari pro plurali nonnunquam vtuntur necessitate carminis, præsertim hexametri vel pentametri, in quibus literas, pro literis, locari non possunt. Ouid. *Quam legis a rapta Briseide litera venit.* Hinc literatus, qui literarum studijs eruditus est, cuius cōtrarium est, illiteratus. Hinc etiam literula diminutiuum, hinc oblitero, quod est obscurum facio, & ex hominum memoria tollo, quasi e literarum monumentis deleo, ab hoc fit obliteratio.

Litura non à litera, sed a lino, habet enim primam breuem. Ouid. *Quascunque adspicies lachrimæ fecere lituras.*

Litera autem quasi legitera, quod legentibus iter præbeat: vel (vt alij) à lino, quoniam scribendo illinitur, hoc est, leniter inducitur atramentum.

Loci Biblici.

Litera, pro externa cæremonia, & à spirituali suo fine separata. *Ro. 2. v. 27. 29.* Vetustas literæ, pro lege, *7. v. 6.* pro verbi Dei prædicatione ad animum vsque non penetrante. *2. Cor. 3. v. 6.* Literam vocare solet Paulus non tato Legem ipsam nudam, & à Christo separatam. Lex illa extra Christi Spiritum considerata, peccatum in nobis irritat, vt fiat supra modum peccans, & morti nos dedat, *Rom. 7. v. 12.* idcirco dicit Paulus literam occidere, *2. Cor. 3. v. 6.* & Mosis ministerium, vocat ministerium mortis & condemnationis, *ibid. v. 7.* & Legem quoque peccati virtutem, *1. Cor. 15. v. 56.* quæ quidem de vniuersa Lege Mosis accipienda sunt, quatenus extra Christum non consideratur. Interdum autem hæc literę & Spiritus antithesis peculiariter spectatur in cæremonijs, vt *Rom. versic. 27. 29.* & alibi sæpe. Tunc igitur γράμμα, hoc est literam vocat Paulus externum signum ab ipsius signi fine, siue a veritate seiunctum, quam vocat Spiritum: quoniam externa cæremonia est res per se mortua, & inutilis, nisi coniugatur veritas, quasi illius vita.

Literæ pro epistola: Literæ Dauidis ad Ioab per Vriam de ipso interficiendo perlatæ, *2. Sam. 11. v. 4.* Eliæ ad Ioram, *2. Paralip. 21. v. 12.* Ezechiæ ad Israelem & Iudam, *v. 30.* Hostium Iudæorum ad Artaxerxem, *1. Esd. 4. v. 7.* ad Nehemiam. *Nehem. 6. v. 5.* Thathunai ad Darium, *1. Esd. 5. v. 6.* Darij ad eundem, *6. v. 6.* Artaxerxis ad Asaph, *Nehem. 2. v. 8.* Optimatum Iudæorum ad Tobiam, *6. v. 17.* Assueri ad prouincias regni sui. *Esth. 1. v. 22. & 3. & 12. & 8 v. 10.* Mardochæi ad Iudæos, *9. v. 20.* Esther, & Mardochæi ad eosdem, *v. 26.* Nabuchodonosoris ad prouincias suas, *Dan. 3. v. 98.* Darij ad prouincias suas, *6. v. 26.* Apostolorum ad Ecclesiam Gentium, *Act. 15. v. 23.* Fratrum ad Achaienses, *18. v. 27.* Lysiæ ad Felicem. *23. 26.*

Sententiae Historicae.

Si ex literis delectatio tantum peteretur, tamen hanc animaduersionem humanissimam & liberalissimam iudicaremus. Nam cæteræ res neque temporum sunt, neque locorum: Hæc studia adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, aduersis perfugium ac solatium præbent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur, quod si ipsi neque attingere, neque sensu nostro gustare possumus, tamen ea mirari debemus, etiam cum in alijs videamus. *Cic. pro Arch. Po.*

Vt ager quamuis fertilis, sine cultura fertilis esse non potest, sic sine doctrina animus. *Idem 2. Tusc.*

Multi cum in potestate essent hostium ac tyrannorum, multi cum in custodia, multi in exilio, dolorem suum doctrinæ studijs leuarunt. *5. de finib.*

Literæ posteritatis caussa repertæ sunt, quæ obliuioni subsidio esse possunt. *Idem pro Sylla.*

Exempla omnia iacerent in tenebris, nisi literarum lumen accederet. *Pro Archi. poet.*

Alexander cum in Sigæo ad Achillis tumulum astitisset. O fortunate, inquit, adolescens, qui tuæ virtutis Homerum præconem inueneris. Et vere: nam nisi illa ars extitisset, idem tumulus, qui corpus contexerat, nomen etiam obruisset. *ibid.*

Literæ discuntur facile, si & tantum sumas, quantum opus sit, & habeas qui docere fideliter possit, & scias etiam ipse discere, ita vt facilis vsus doctrinam confirmet, mediocris opera tribuatur memoria studiumque permaneat. *3. de Orator.*

Similitudines.

Senec. Si imagines nobis amicorum absentium iucundæ sunt, quæ memoriam renouant, & desiderium absentiæ falso atque inani solatio leuant: Quanto iucundiores sunt literæ, quæ vera amici absentis vestigia, veras notas afferunt? *lib. 2. epist. 40.*

Plini. Crocodilus, inuictum alioqui & perniciosum animal, tamen Tentyritas adeo metuit, vt ad vocem etiam expauescat: Ita tyranni cum omnes contemnant, tamen eruditorum literas timent. *lib. 8 cap. 25.*

P. M. Cum ad omnia aduolent apes, tamen nullis nocent floribus: Ita virtus, & literæ sic ab alijs sumuntur, vt nihilo deterior sit is, qui communicauit. *in Simulib.*

Theriueri. Quemadmodum semen ignauum apparet & iniucundū, at multum voluptatis est dum adolescit, dum floret. Ita tandem literæ suam alacritatem, suum fructum præter omnem spem exhibent, quarum initia erant dura, & iniucunda, *in apoph. 38.*

Nulla res est tam iucunda, quæ sua perpetuitate non pariat fastidium: Solis literis animus virtute satiatur nunquam, sed vt flamma lignis quotidie magis ac magis accenditur. *in apoph. 37.*

Paruæ diuitiæ comparantur magno labore, multæ vero paucos. Ita & initium literarum paulatim, incrementum vero affatim *in apoph. 81.*

Motus naturalis multo velocior in fine, quam principio, e cōtrario motus violentus tardior: Nec multum idonei sunt ad literas, qui in principio feruent, & postea segnius agunt: num argumentum est, quod natura minime literas affectant. *In apophthegm. 95.*

Superbi gaudent thesauros suos ostendere: Vere doctos etiam tacite oblectat literarum contemplatio, *in apoph. 107.*

Pliny. Vt elephanti cum nare non possint, tamen amnibus impense delectantur, circaque illos vagari gaudent: Ita quidam cum literas nesciant, tamen inter eruditos versari gaudent. *lib. 2. c. 5.*

P. M. Quemadmodum gemma Chalazias, etiam si in ignem coniiciatur: tamen natiuum frigus suum retinet: Ita quidam sic frigent ad literas ac virtutem, vt nullis exemplis aut hortatibus inflammare possis. *in Similibus.*

Emblema.

Ex literarum studijs immortalitatem acquiri.
Emblema CXXXII. And. Alciad.

Neptuni tubicen (cuius pars vltima cetum
Aequoreum facies indicat esse Deum)
Serpentis medio Triton comprenditur orbe,
Qui caudam inserto mordicus ore tenet.
Fama viros animo insignes, præclaraq; gesta
Prosequitur, toto mandat & orbe legi.

Vide Ars, Doctrina.

LIVOR.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Liuor, Græce πελίωμα, ατος, τὸ est color ex pallido nigrescēs, quem & plumbeum nonnulli appellant: qualem in contusis corporis partibus videre est, quum fuste, alione corpori duro ictu illato, exiles venæ contusæ sanguinem ad extremam cutem diffundunt.

Poetarum Dicta.

Lucan. lib. 1.

Liuor edax tibi cuncta negat.

Claud. lib. 3.

Rabiem liuoris acerbi
Nulla potest placare quies.

Ouid. 2. Metam.

Pallor in ore sedet: macies in corpore toto.
Nusquam recta acies: liuent rubigine dentes.
Pectora felle virent, lingua est suffusa veneno:
Risus abest, nisi quem visi mouere dolores,
Nec fruitur somno vigilantibus excita curis,
Sed videt ingratos, intabescitq; videndo.
Successus hominum carpitq; & carpitur vna,
Suppliciumq; suum est.

Idem

Idem 1. Remed.

Ingenium magni liuor detrectat Homeri.
Quisquis es, ex illo, Zoile nomen habes.
Summa petit liuor, perflant altissima venti:
Summa petunt dextra fulmina missa Iouis.

Idem 3. Pont. 3.

Liuor iners vitium, mores non exit in altos,
Vtque latens ima vipera serpit humo.

Idem 3. Pont. 4.

Scripta placent à morte fere, quia lædere viuos
Liuor & iniusto carpere dente solet.

Idem 1. Amor. 15.

Pascitur in viuis liuor post fata quiescit.
Tunc suus ex merito quenque tuetur honos.

Silius Ital. 11.

Dum malus obtrectat facta immortalia liuor,
Nec sinit aduitas ductoris crescere laudes.

PHILOSOPHICÆ SENTENTIÆ.

Illinitur & liuidis, sugillatisq; cum melle. Hinc liuorem contrahere est nigrescere. *Plin. l. 20. c. 21.*

Quia hæc candidior est oliua, quam ea quæ contusione liuorem contrahit. Et quoniam talis est color inuidorum, ideo liuor accipitur pro inuidia. *Colum. lib. 2. c. 47.*

Vide, Inuidia.

LOCVS:

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

Locus, Græce τόπος, ου, ὁ, dicitur. Estque terminus corporis continentis immobilis primum. *secundum Arist. li. 4. Phys.* Locus est idem per essentiam, quod superficies corporis locantis. *secundum B. Thom. 1. sent. dist. 12. q. 5. art.*

SENTENTIÆ POETARVM.

Hor. 4. Carm. 12.

Misce stultitiam consiliis breuem.
Dulce est desipere in loco.

Lucanus ad Pisonem.

Temporibus seruire decet, qui tempora certis
Ponderibus pensans, cum si bella vocabunt,
Miles erit, si pax, positis toga gestiet armis.
Hunc fora pacatum, bellantem castra docebunt.

Ouid. 1. Art.

Si vox est, canta: si mollia brachia, salta
Et quacunque potes dote placere, place.

Ouid. 1. Trist. 2.

Difficile est tamen hic, remis vtaris an aura,
Dicere, consilium, resque, locusque dabunt.

Hor. 1. Art.

Singula quæque locum teneant sortita decenter.

SENTENTIÆ PHILOSOPHORVM.

Locus primus est eius, quod circumfusum est extremitas, quæ moueri non potest. *lib. 4. de Natur. c. 4. T. 41.*

Hæc loci partes sunt, & genera, sursum deorsum, & reliqua quatuor interualla. *lib. 4. de Natur. c. 1. T. 4.*

Non interit locus, aut consumitur, cum ea, quę ille ambit, intereāt. *lib. 4. de Natur. c. 1. T. 7.*

Locus alius communis est, is, qui omnia corpora: alius proprius, is, qui primus ambit. *lib. 4. de Natura, c. 2. T. 14.*

Nec pars est corporis locus, nec affectio: sed ab vno quoque separari potest. *Ibid. T. 8.*

Id quo nihil mouetur, nec supra est aut infra, locus esse nullo modo potest. *Ibid. T. 19.*

Primus locus nec maior est nec minor, & non à quaque re deseritur, & tamen seiungi potest. *lib. 4. de Natura, c. 4. T. 30.*

Id corpus in loco est, quod extrinsecus aliud corpus circunfundit, & continet: cui autem hoc non conuenit, non est. *lib. 4. de Natura, c. 5. T. 43.*

Res omnis non in loco est, sed corpus quod moueri potest. *lib. 4. de Natura, c. 5. T. 47.*

Pars nisi separatim ponatur, non in loco erit, sed in toto. *lib. 4. de Natura, c. 8. T. 65.*

Qui locus huius naturæ alienus est: is alterius naturæ accommodatus sit necesse est. *l. 1. de Cœlo, c. 9. T. 97.*

Nec locus, nec inane, nec tempus extra cœlum est. *ibid. T. 99.*

Locus eorum quæ sensus mouent, quique nos ambit, cum solus in ortu, & interitu semper sit: tamen nulla est plane pars vniuersi. *l. 7. 3. Met. c. 5. T. 23.*

APOPHTHEGMATA.

Agesilaus. cum adhuc puer esset Agesilaus rex, & ageretur ludus solennis, quo pueritia tum exercebatur, atque is qui negotio præfectus erat, statuisset illum in loco parum honorifico: paruit quidem, tametsi iam rex designatus ac dixit: Bene sane habet: ostendam enim non locum viris, sed viros loco conciliare dignitatem: Nimirum ea vox declarabat in puero miram animi celsitudinem cum pari moderatione coniunctam. *Plutarchus in Lacon.*

Aristippus. Dionysius rex cum offensus esset ab Aristippo Philosopho, hominem ad cœnam vocauit, & iussit eum in conuiuio infimum omnium accumbere. Aristippus nihil offensus, Hunc inquit, locum, o rex, illustrare vis, ac honorificum reddere: significans, non locum reddere hominem viliorem, sed ex dignitate hominis honorem addi loco. *Laert. lib. 2. c. 8.*

Philosophus quidam priscus, sed *ἀδιάφορος.* huiusmodi sermone Arsinoes reginæ luctum compescuit: Quum Iuppiter, inquit, inter dæmones rerum faceret partitionem, Luctus non aderat, sed distributione iam peracta venit. Huic igitur quum Iupiter aliquid honoris tribuere vellet, nec esset quod daret, quippe iam consumptis omnibus, tandem assignauit illi honorem, qui mortuis impenditur, veluti lachrymas, & mœrores. Quemadmodū igitur, inquit, cæteri dæmones bene volunt iis à quibus coluntur, itidem, & Luctus. Quod si fuerit abs te contemptus, o mulier, haud quaquam venturus est ad te: contra si diligenter abs te colatur honoribus illi designatis a Ioue, mœroribus ac lamētis, diliget te semperque tibi suppeditabit aliquid earum rerum, quibus abs te perpetuo possit honorari. *Plutarch. in consolatione ad Apollonium.*

Thales. interrogatus, quid esset in omni rerum natura maximum? respondit, Locus, capit enim omnia. *Laer. lib. 1. c. 1.*

Diogenes. obiurgatus, quod intraret loca spurca, ac parum honesta: Et sol, inquit, subit latrinas, nec tamen inquinatur. Sensit, probū virum non fieri deteriorem ob loci infamiam. *Laertius lib. 6.*

Damonidas. quum à chori magistro postremum in choro locum accepisset: Euge (inquit) chorage, reperisti quo pacto, & hic locus, cum per se sit inhonoratus, fiat honorificus. Generosus adolescentis animus, qui fiducia sui nō metuit ne locus abiectior esset dedecori: sed citius futurum arbitrabatur, vt per ipsum locus fieret honoratior. Id enim sæpenumero factum legimus, vt hominis virtus magistratui per se contempto, & humili dignitatem conciliarit. *Plut. in Laconicis.*

SIMILITVDO.

Æliani: Isocrates rhetor de Athenensium ciuitate dicere solebat, eam scortis simillimam esse. Etenim, qui illarum venustate caperentur, velle quidem omnes rem cum ipsis habere, neminē tamen esse tam sui ipsius contemptorem, qui matrimonium cū illa iungere dignetur. Atque Athenēsium ciuitatem ad peregrinandum in ea iucundissimam esse, omnibusque totius Græciæ præstantiorem, ad inhabitandum vero non item securam ac tutam esse. *Lib. 2. de var. hist.*

ADAGIA.

Nec apud homines, nec in mari. οὔτε παρ' ἀνδράσιν οὔτ' ἐν θαλάττῃ. *Pind. Olymp. hym. 6.*

Prouerbiali schemate dixit, de virtutibus, quæ periculi expertes, nec terra, nec mari habentur in precio. Nemo enim magnam laudem parauit vnquam sine periculis, aut laboribus.

Vbi cerui abiiciunt cornua. ὅπου αἱ ἔλαφοι τὰ κέρατα ἀποβάλλουσι.

Significaturi locum valde abstrusum, vel rem nusquam inuenire, hoc commode vtemur adagio. Author est Arist.

In aphannis. εἰς ἀφάνας.

De incertis & quæ nusquam sunt. tractum prouerbium a loco quodam vehementer obscuro & ignobili, teste Stephano.

LONGANIMITAS.

DEFINITIO, ET ETYMOL.

Longanimitas, Græce μακροθυμία, ας, ἡ & μακρόθυμος, ὁ, longanimus dicitur. Est autem longanimitas, virtus qua habetur animus tentandi aliquid, distans in longinquum, *secundum B. Thom. 1. 2. q. 70. art. 3*

Longanimitas magis respicit spem, quam timorem vel audaciam, vel tristitiam, sicut etiam magnanimitas. *Ex B. Thom. 2. 2. quæst. 136. art. 5.*

SENTENTIÆ BIBLICÆ.

Longanimitatis Diuinæ fructus.

Nec vult Deus perire animam: sed retractat, cogitans, ne penitus pereat qui abiectus est, 2. *Reg. 14.*

Altissimus enim patiens redditor. *Eccl. 5.*

Et misereris omniū, quia omnia potes: dissimulans peccata propter pœnitentiam. *Sap. 11.*

Propterea exspectat Dominus, vt misereatur vestri, & ideo exaltabitur parcens vobis, quia Deus iudicij Dominus. Beati omnes qui expectant eum. *Esa. 30.*

Non tardat Dominus promissionem suam, sicut quidam existimāt, sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti. 2. *Pet. 3.*

Contemptus.

Miserator & misericors Dominus, longanimis, & multum misericors. *Psal. 102.*

Aterit

Et erit eis verbum Domini, manda remanda, manda remanda expecta reexpecta, modicum ibi modicū ibi, expecta reexpecta, vt vadant, & cadant retrorsum, & conterantur, & illaqueentur, & capiantur. *Esa.* 28.

Tacui semper, silui, patiens fui: sicuti parturiens loquar. 42.

Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona post cogitationes suas. 65.

Fili hominis, quod est prouerbium istud in terra Israel, dicentium: In longum differentur dies, & peribit omnis visio. *Ezec.* 12.

Non enim erit vltra omnis visio cassa, neque diuinatio ambigua in medio filiorum Israel: quia ego Dominus loquar, & quodcunque locutus fuero verbum, fiet. *ibid.*

An diuitias bonitatis eius, & patientiæ & longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet vnicuique secundum opera sua. *Rom.* 2.

Exempla Biblica.

Longanimitatis *exempla*: Abrahā diu expectauit prolem ex Sara, tandem centenarius suscepit. *Gen.* 25.5. Deus, *Exo.* 34.6. 1. *Pet.* 3. 15. Tobias, *Tob.* 2.6. Iob. *Iob.* 13.15. Susanna, *Daniel.* 13.35. Abacuc. *Abac.* 2.3. Paulus 2. *Cor.* *v.* 6.4.5.6. Simeon, *Luc.* 2.25.

Vide, Patientia.

LOQVACITAS. LOQVENDI Libertas.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Loquacitas Græc. λαλιὰ, et ἡ πολυλογία, στωμυλογία multiloquium, inanis, & immodica garrulitas. Hæbr. *Nedhbbar*, conuersio sermonis in ore alicuius contra alium, vt solent importuni locutores, à verbo *Dabar*, loquutus est, quod est medium, vt enim sapientes in loquendo modū obseruant, è contra loquaces futilia, & inutilia verba multa ridiculè fundunt. Nihil aliud videtur, quam sermonis incontinentia. Loquax vero ille, qui cum aliquo colloquens, quicquid alter attulerit, nihil illum dicere asserat: & quod ipse rem omnem calleat, atque illum, si audire velit, intellecturum, loquente altero, sæpe interpellat. *Theoph. in notis.*

Importuna Loquacitas est longæ, & inconsideratæ orationis expositio. Importunus vero is est, qui cum in hominem vel ignotum inciderit, huic iuxta assidens primum coniugis suæ laudes tollit: tum quæ per noctem somnia viderit, enarrat: Deinde fercula, quot in cœna habuerit, singillatim percurrit, deinde in progressu addit, quam nostri temporis homines sint veteribus illis virtute inferiores, & in foro annona cara est, quam multi peregrini in ciuitatem veniant. Et huiusmodi homines reijciendi, ac procul amouendi sunt. Difficile enim est illis loquentibus diutius interesse, qui otij & negotij discrimen nesciunt.

Loquacitas est stulta, & inanis loquendi copia: Vel est vitium quo mentes circumspectæ temere proferunt aliquid antequam quid sit, vel quale sit, examussim perpenderit. *Viues. l. 3 de Anima.*

Loci Biblici.

Loquacitas damnatur, *Prou.* 29.20. *Col.* 4.6. Loqui in tempore prudentia est, *Prou.* 27.11. Loquendum non statim, nec temere, 13. 3. & 17. *v.* 28 29. *Iac* 1.19. Loquenda sunt vera, honesta, & quæ auditoribus prodesse queant, *Exod.* 22.28. *Psalm.* 14.1 *&c. Prou.* 13 2. *&* 24.6. *Ecclesiast.* 5.2. *Ecclesiast.* 7.37. *Marc.* 5 37 *&* 12.36. *Ephes.* 4.29. *&* 5.3. *Col.* 3.8. 1. *Pet.* 10. Loquendi tempus, & opportunit. 5. *Prou* 15.23. *&* 25.11. *Eccl.* 8 5. *Eccl.* 11.8. *&* 20.6. *&* 32 9. *&* 33.4. quomodo loquendum, *Iob.* 5.29. *Prou* 15.4 *&* 16. *v.* 21. 22. *&* 29.11 *Eccl.* 4.34. *&* 5.16. *&* 6.5. *Colos* 4.6. Loquendi formulæ ex cōparatione, *Esa* 6.6. *Matth.* 9.13. *&* 12.7. *Luc.* 14.26. 1. *Pet* 2.19. Loqui coram insipientibus intempestiuum *Prouer.* 23.19. Loqui ad cor, est blande, & suauiter alloqui ac consolari, *Gen* 34.3. *&* 50 21. *Iud.* 19.3. *Ruth.* 2.13. 2. *Sam.* 19.7. *Esa.* 40.2. *Osea*, 1,14. *&* 2.14. Hoc est, loqui quæ sint ei cordi. Loqui in corde, est cogitare, *Psal.* 14. 1. *&* 45. *&* 35.15 *&* 53.1. Loqui pro polliceri, *Luc.* 1. *v.* 55.70.

Loquitur Deus Pater, filius, Spiritus sanctus; loquitur bonus, & malus Angelus. Loquitur bestia mystica in Apocalypsi. Testimonia innumera harum loquutionum in S. Scripturis extant.

Loquutionis Dei cum homine, & hominis cum Deo *exempla*: Cum Adam & Eua, *Genes.* 3. *v.* 9.10.11. Cain, 4. *versi.* 6.7. Noe, 6. 13.7. 1. *&* 8.15. *&* 9 1. Abrahamo, 12.1. *&* 13.14 *&* 15.1. *&* 17.1. *&* 18 13. Abimelech, 20.3. Isaac, 26. *v.* 2.24. Iacobo, 28.13. *&* 32. 29. *&* 35.1. *&* 46.2. Mose, *Exod.* 3.4. *&* 4. *versi.* 11.12. Mose, & Aarone, 6.1. Aarone & Maria, *Numer.* 12.4. Iosua, *Ios.* 1.1. *&* 4. *&* 7.10. Gedeone, *Iudic.* 6.29. *&* 7.2. Israelitis, 10. *ver.* 10.11. *&* 20.23. Samuel, 1. *Samuel.* 3. *versi.* 10.17 *&* 8.7. *&* 15.10. *&* 16.1. Dauide, 23. 4. 1. *Sam.* 2.1. Nathan, 7.4. Salomone, 1. *Reg.* 3.5. *&* 9. *ver.* 2.3. *&* 11.11. Semeia. 22. Ahia. 14.5. Elia, 1. *Regum.* 14.5. *&* 17. *versic.* 8.9. *&* 18.1. *&* 19.9. *&* 21.

Loquutionis Angelorum cum hominibus, & hominum cum Angelis *exempla*. Agar, *Gen.* 16.8 9. Loth. 19.12. Agar, 21.17. Abraham, 11.11. Balaham, *Num.* 22.32. &c. Israelitæ, *Iud.* 2.4. Gedeō, 6.20. Propheta, 1. *Reg* 13.18. Elias 19.7. Gad. 2. *Chron.* 11.18. Zacharias, *Luc.* 1.13. Maria, *Luc.* 1.30. Ioseph. *Matth.* 1.20. *&* 2.20. pastores, *Luc.* 2.10. Christus, *Luc.* 22.43. Mulieres, *Matth.* 28 5. Maria Magdal. *Ioan.* 20.13 Apostoli, *Act.* 1.11. *&* 5.20. Philippus, *Actor.* 8.26. Cornelius, *Actor* 10.3. Petrus, *Actor.* 12.8. Paulus, *Acto.* 27. 24. Ioannes frequenter in Apocalypsi.

Creatura ratione carens loquitur, *Num.* 22. 28 *Iudic.* 9.12. *Iob.* 28. *versic.* 4. *&* 40.22. *Daniel.* 7. *versi.* 8.11.20. 2. *Petr.* 2. 16. *Apocalyp.* 20.5.4.

Patrum Sententiae.

Absit vt multiloquium deputem, quando necessaria dicuntur, quantalibet sermonum multitudine aut prolixitate dicantur. *August.*

Periculum est dicere non solum falsa, sed etiam vera: si is ea non quibus oportet, insinuet. Quod vitium quadripartitum est: vel adulationis, & auaritiæ, & iactantiæ, vel loquacitatis ioculatoris. *Ambros. in Psal.* 118.

Quamplures vidi loquendo in peccatum incidisse, vix quempiam tacendo: ideoque tacere posse, quam loqui difficilius est. *Amb.* 5. *de Offic.*

Ingreditur mors per ostium tuum, si falsum loquaris, si turpiter, si procaciter: postremo, si vbi non oportet, loquaris. *Lib* 1. *de virginit.*

Verba voluere, & apud imperitum vulgus admirationem sui facere, indoctorum hominum est. Nihil tam facile, quam vilem plebem, & indoctam volubilitate linguæ decipere, quæ quicquid non intelligit, plus miratur. *Hie. ad Nepotia.*

Tempus tacendi, & tempus loquendi, discreta vicissitudine pensanda sunt tempora, ne aut quū restringi lingua debet, per verba se inutiliter soluat: aut quum loqui vtiliter potest semetipsā pigre restringat. *Greg. l.* 7. *Moral.*

Quot superuacuis verbis mens a silentij sui censura dissipatur, quasi tot ruinis extra se ducitur, vnde redire interius ad sui cognitionem non sufficit, quia per multiloquium exterius sparsa vim intimæ considerationis amittit. *l.* 5. *Moral.*

Praui sicut in sensu leues sunt, ita in locutione præcipites, quia quod leuis conscientia concipit, leuior protinus lingua prodit. *Ibid.*

Quum intentionem bonam locutio cauta non sequitur, ipsa peccans propositio in transgressionis vitium vertitur. *ibidem libro quinto.*

Tenerum membrum est lingua, & tamen vix teneri potest: substantia quidem infirmum atque exiguum, sed vsu magnum & validū in venis tenuis est & lata: ideo aptissimum est euacuandis sordibus instrumentum. *Bern. in serm.*

Leuis quidem sermo, quia leuiter volat, sed grauiter vulnerat: leuiter transit, sed grauiter vrit, leuiter penetrat animum, sed non leuiter exit: leuiter profertur, sed non leuiter reuocatur, facile volat, ideo charitatem facile violat. *Ibid.*

Vanus sermo cito polluit mentem & facile agitur, quod libenter auditur. *Isid. in lib. soliloquio.*

Sapiens non solum quod loquitur, sed etiam opportunitatem loci, & temporis & personæ quum loquitur, diligenter inquirit. *Greg. in Prouerb.* 15.

Vanus sermo, vanæ conscientiæ est index. mores hominis lingua pandit, qualis sermo ostenditur, talis animus approbatur: quoniā ex abundantia cordis os loquitur. Sermo vanus non erit absque iudicio, quia ab omni statu rectitudinis decidit, qui per vana verba dilabuntur. *Hugo l.* 1. *de anima.*

Est tempus quando nihil, est tempus quando aliquid, nullum autem est tempus, in quo dicenda sunt omnia. *Hug. de dis. mon.*

Quis est hominum sic cautus, vt si inter æmulos loquatur, ut illum eius verbum incurrat aliquam quæstionem? Difficilis res est, linguam in lubrico faucium constitutā veritatis rigide tenere mensuram, cui si incaute frena laxentur frequenter contra se loquitur. Facilius enim culpa tacendo refugitur, quam loquendo. Salomon dicit. Ori tuo facito ostium & seram, & verbis iugum atque stateram. *Cass. in Psal.* 39.

Quibus citra honestatis nitorem lingua polluitur infrenis, his conscientia quoque sordidissima est, quia facilius contingit, vt quispiam seria loquens viuat obscœne, id est, immunde, quam valeat ostendi, qui pariter exstat improbus dictis, & probus moribus. *Sid. lib.* 3. *epist.*

Sane

SENTENTIAE POETICAE.

Anthologi. Sacra Iac. Billi.
In loquaces.

Conticuisse nocet nunquam, nocet esse locutum,
Linguam ergo imperio sedulus vsque tene.
Lingua parsas media scelerum est certissima partis.
Hac domita, media crimina parte ruunt.
Vtque suum sensim perdunt hypocausta calorem,
Ni studeas clausas semper habere fores,
Sic quoque quam par sit, si sæpius ora recludas,
Paulatim è medio pectore feruor abit.

Plaut. in Asin.

Nam merito loquaces habemur omnes,
Nec mutam profecto repertam vllam esse
Hodie dicunt mulierem vllo in sæculo.

Hor. lib. 1. Epist.

Sed tacitus pasci si posset coruus, haberet
Plus dapis, & rixæ multo minus, inuidiæque.

Plutarch.

Multa cognoscendi studium.
Comitatur garrulitatis vitium.

Horat. in Epist. 19. lib. 1. ad Lollium.

Quid de quoque viro, & cui dicas sæpe videto
Percunctatorem fugito, nam garrulus idem est,
Nec retinent patulæ commissa fideliter aures,
Et semel emissum volat irreuocabile verbum.

Ouid. lib. 2. de arte Amandi.

Exigua est virtus præstare silentia rebus.
At contra grauis est culpa, tacenda loqui.

Philemon Syracusan. comicus.

πάνυ καὶ λέγοντα τῶν δεόντων μηδὲ ἕν.
Μακρὸν νόμιζε κἂν δύ' εἴπῃ συλλαβάς.
Τὸν δ' εὖ λέγοντα μὴ νόμιζ' εἶναι μακρόν.
Μὴ δ' ἂν σφόδρ' εἴπῃ πολλὰ, καὶ πολὺν χρόνον.
Τεκμήριον δὲ τοῦδε τὸν Ὅμηρον λαβέ.
Οὗτος γὰρ ἡμῖν μυριάδας ἐπῶν γράφει.
Ἀλλ' οὐδεὶς τὸν Ὅμηρον εἴρηκε μακρόν.

Eum qui nihil opportuni dicit,
Longum existima, licet duas tantum syllabas pronunciarit,
At bene dicentem ne longum existimes,
Et si per multa dixerit, & longo tempore.
Huius iudicium Homerum accipe.
Hic enim nobis myriades scribit versuum,
Nullus tamen Homerum appellauit longum.

Sophocles in Aleadis.

Τί ταῦτα πολλῶν ῥημάτων ἔτ' ἐστὶ σοι.
Τὰ γὰρ περισσὰ πανταχοῦ λυπηρὰ ἔπη.
Quid tibi vis amplius cum tanta garrulitate,
Verba enim nimia sunt molesta vbique.

Menand. Comicus.

Αἰσχρόν γ' ὅταν τις ἐπὶ γλώσσῃ φέρῃ,
Γλώσσῃ ματαίως ἐξακοντίζει λόγους.
Turpe est cum quis disertus, dicendo
Inanes lingua sermones eiaculatur,
Οὔτ' ἐκ χερὸς μεθέντα καρτερὸν λίθον
Ῥᾷον κατασχεῖν, οὔτ' ἀπὸ γλώσσης λόγον.
Neque ex manu dimittentem ponderosum lapidem
Facile est cohibere, neque ex lingua sermonem.

Aeschylus Tragicus.

Τυραννικόν τι πόλλ' ἐπίστασθαι λέγειν.
Δύο μὲν ὦτα, γλῶσσα δὲ μία βροτοῖς.
Tyrannicum quiddam est multa scire loqui.
Duæ aures homini datæ sunt, vna autem tantum lingua.

Euripides in Dictye.

Ἀνὴρ γὰρ ὅστις ἥδεται λέγων ἀεὶ
Λέληθεν αὑτὸν τοῖς ξυνοῦσιν ὢν βαρύς.
Quisquis multa loquendo delectatur,
Is non intelligit præsentibus se esse molestum.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Homines magnum possident vallum dentium, ad coercendos leues sermones, verum in omni re iudicio mentis indigemus: quæ si verba non dixerit, sæpius ante consultationem effugiunt: & tanto vallo neglecto, citra iudicium ante tempus foras ruunt.

Nauem ventis abreptam anchoris infrenamus ad rapiditatis hebetandam vim: sermo ex ore, velut portu excurrens stationem nanciscitur nullam, neque (vt Græce dicunt) ἀγκυροβολεῖον id est anchoræ iactum frustra succinueris communem futilium locutorum ἀθυρόστομον, dum verbis humidis & lapsantibus defluunt. Hæc nemini dixeris, sile, apud te sint ista. *Eusebius.*

Sacris silentij mysteriis initiari præstiterit, ac altius contemplari, quanto maiore prosequamur admiratione, ampliusque amemus sapientiores arbitrari, verbis parcentes, & (vt Græci expressius dicunt) στρογγύλως καὶ βραχυλόγως, quam hosce effrenes, quos raptari temere videas, dum sensuum effutiunt inuolucra, & verborum instrepunt voluminibus, ac vocum turba. Ac illorum præparcus substrictusque sermo verbis est modicus, sensu late sese fundit, & exspatiatur. Hosce admirans Plato ita laudat, vt acerrimis esse iaculatoribus persimiles dicat, ἰσχνὰ καὶ πυκνὰ καὶ συνεστραμμένα στρεφομένους.

A sapientibus recte dictum est, dicendi quidem homines esse nobis magistros, tacendi autem Deum nos habere præceptorem; quando in sacris, mysteriisque fauere linguis iubemur,

Ἀργαλέον φρονέοντα παρ' ἄφροσι πόλλ' ἀγορεύειν,
Καὶ σιγᾶν αἰεί. τοῦτο γὰρ οὐ δυνατόν.
Indecorum est prudentem apud imprudentes multa loqui,
Et tacere semper: id enim impossibile est.
Tutius est tacere, quam loqui. Theognidis.

Egregia est Simonidis sententia, quem dicere solitum Historici referunt. ὅτι λαλήσας μὲν πολλάκις μετενόησε, σιωπήσας δ' οὐδέποτε, id est, Locutum esse pœnituit sæpe, tacuisse nunquam. Hinc & Pythagoricos Athenæus scribit, animantes quidem attigisse reliquas, verum moderate, quasdam etiam immolasse: Pisces autem nec gustasse omnino echymythæ, id est, silentii ratione. Quippe silentium esse opinantur quiddam diuinum, pisces vero prorsus sine voce animaduertuntur: vel parœmia suffragante apud Lucianum, cæterosque: item magis mutos pisce. Taciturnior Pythagoreis: de vehementer taciturnis prouerbium hoc dicitur, sumptum a Pythagoræ schola, in qua quinquennæ silentium indicebatur auditoribus. *P. M. in Chiliadib. Laert. lib. 3. De vitis Philosoph.*

Nihil æque proderit ad quietem commodam retinendam, quam quiescere, & minimum cum aliis loqui, plurimum secum. est quædam dulcedo sermonis, qui irrepit, & blanditur, & non aliter, quã ebrietas aut amor, secreta producit. Nemo quod audierit, tacebit, nemo quantum audierit loquetur: qui rem nõ tacuerit, nõ tacebit authorem. habet vnusquisque aliquem cui tantũ credidit quantum ipsi creditum est, vt garrulitatem suam custodiat, & contentus sit, vnius auribus populum faciet: sic quod modo secretum erat, rumor est. *Senec. epist. 1. 10. ad Lucil.*

Ex multiloquio pleraque nascuntur incommoda.

Multiloquium non solum molestum est auditori: sed & ad persuadendum inutile, præsertim apud principes, tum variis curis occupatos tum auribus fastidiosis.

Stolidi oratoris inanis loquacitas responso indigna est.

Frustra de iis verba fiunt, ad quæ perficienda nõ suppetit facultas.

Effectu caret loquacitas, taciturnitas autem certiora habet consilia.

Est aliqua sapientis pars, silentio stultitiam tegere.

Indecenter is magnifice loquitur, cui non suppetunt orationi pares.

Silentii tuta sunt fidi præmia.

Multis verbis veritas non eget: & rectius meminimus, quæ paucis verbis comprehensa sunt.

Orationis expedita breuitas est probanda.

Prius cogitandum quid loquaris, quam lingua prorumpat in verba *P. M. in apoph.*

Conscientiam amici nullus inuenit linguæ præceps, canibus imbecillibus mos est, quanto plus defecerunt virium, tanto magis latratibus indulgere. *in Prou. ven.*

Qui fabellarum cupiditate ducuntur, vel studio narrandi trahuntur, & qui in rebus quibuslibet dies totos conterunt, eos loquaces, non intemperantes dicimus. *Arist. lib. 3. Ethic.*

Dicaces, linguaces, locutulei, bombaliones ac futiles à veteribus appellantur Græcis τιτταβίται.

Πολυλογία πολλὰ σφάλματα ἔχει· τὸ σιγᾶν δ' ἀσφαλές. Id est. Loquacitas multos habet errores: tacere autem tutum est. *Apoll. ad familiares.*

An omisisti ne secretum tuum ex me in vulgus erumperet? itane rimosum expertus es? ita infirmi ac futilis animi, cui tam facile commissa diffluerent? egisti incaute, qui mihi toties grauiora credideris: Sed crede mihi, quoniam hodie (vt video) dolor verecundiam superat, crede, inquam, mihi pater optime: nulli (quẽ quidem ego nouerim) fide, silentio secundus sum: Nemo me ideo, quod secreta non teneam, ne dicam fideli amicitiæ, sed vel senatorio gradui, vel sacerdotio Cereris inhabilem arguerit. Legimus apud Persas, nihil fide sanctius. nihil pulchrius silentio, nihil loquacitate deformius. Itaque illud vel morte custodiunt, hanc morte castigant. Non est qui quocunque supplicio sui Regis pandat arcanum: si quis autem forte contra fecerit, nullo nõ supplicio dignus habebitur. Præclare, quid enim omnino facilius quam tacere? Ad quid ergo vtilis, aut cui magnæ rei sit habẽdus idoneus, qui rem longe facillimam implere nequiuerit: *Franc. Petrar.*

Petrar.lib.1.epist.5.de reb familiaribus, ad Iacob, Columna Lomberiensem Præsulem.

Quamuis voluptatis patronus Epicurus, tamen hostis Xenocrates, nec minus loquendi, quam agendi abstinens. Hic ergo cum casu inter maledicos quosdam, atque illis ex more obtrectantibus absentium famæ, solus conticesceret, interrogatus, cur id faceret? Quia locutum, inquit, me aliquando pœnituit, tacuisse nunquam. Laudatum hoc à sapientibus responsum, mihi plenius probaretur, si sermonum sæpe, taciturnitatis raro pœnituisse dixisset. *Idem in rebus memorabilibus l.3.c.49.*

Πλεονεξία τὸ πάντα λέγειν, μηδὲν δὲ ἐθέλειν ἀκούειν. id est

Auaritia quædam est, omnia velle dicere, & nihil audire. *Democritus.*

Fieri non potest, vt garrulitatem non comitetur maledicentia. *Plutarch.*

Quorum Lingua prompta ac temeraria est, haud æque in pugnam vigent manus. *Liuius, Dec.3.lib.2.*

Sapiens sermones suos præcogitat, & examinat prius in pectore, quam proferat in ore. Qui enim sunt leues, & faciles ac importuni locutores, nullo rerum pondere innixi, verbis tumidis, & laxantibus eam orationem bene existimant. Est in ore, non in pectore lingua. *Aul.Gell lib.8.*

APOPHTHEGMATA.

Labothus. Cuidam apud ipsum prolixiore vtenti sermone, Quid mihi, inquit, de re pusilla longa texis procemia? Quanta res est, tantam oportet, & orationem esse, qua vteris. Est hoc omnibus Spartanis peculiare, offendi sermone quam caussa postulat longiore, adeo nusquam non placebat frugalitas. Nam ad caussam non magnam adhibere superuacuam verborum copiam, luxuriæ genus est. *P.M.l.1. Apoph.*

Ctesiphontem. Lacones eiecerunt, qui se profitebatur de re quauis totum diem posse dicere, dicentes. Boni oratoris esse sermonē habere rebus parem. Nulla in re iustius putarunt adhibendam frugalitatem quam in oratione, quam Hesiodus non aliter quā pretiosum thesaurum parcissime censet esse depromendam ad vsum, non ad ostentationem. *Idem.*

Multa verba nequaquam arguunt sapientem opinionem. Græcis carmen esse videtur, ἀνὴρ γὰρ πολλὰ ἐπιστάμενος σιγᾶν οἶδεν id est, Sapiens enim non, nisi cum res postulat, nec pluribus vtitur verbis, quam opus est. Quemadmodum Deus omnium sapientissimus, sermonis est parcissimi. *P.M.libro septimo Apoph.*

Antisthenem, quoniam multa conscripsit volumina, Timon appellare solet παντοφυῆ φλέδονα. id est, ingeniosum nugatorem. Non tamen dixit εὐφυῆ. sed παντοφυῆ quod ingenio ad quiduis versatili varia tractaret argumenta, & in his quædam parum digna Philosopho.

Bion Borysthenites cuidam immodice loquaci, vt sibi subueniret, oranti respondet. Abunde tibi morem geram, si aduocatos miseris, non venias ipse.

Zeno Citieus ad Aristonem discipulum multa temere garrientem, quædam etiam præcipitanter, confidenterque, Fieri, inquit, non potest, quin te pater ebrius proseminarit: oderat futilem loquacitatem, ipse in dictis tum breuis tum grauis. Eleganter ac polite loquentium sermones aiebat esse similes pecuniæ Alexandrinæ, oculis blandienti, ac vndique scripturam habenti, more numismatis, nihilo tamen esse meliorem. Rursus qui magis studerent vtilia dicere quam nitida, similes esse dicebat terra drachmis, temere ac rudriter percussis, quæ sæpe picturatis illis nummis præponderarent. In nummo non spectatur elegantia sculpturæ, sed pondus ac materia: ita non refert, quam sit elegans oratio, sed quam grauis, & vtilis.

Ad quendam dicentem: breues esse Philosophorum sententias. Vera prædicas, inquit, oportet enim, & syllabas illorum, si fieri possit, esse breues. Veritas multis verbis non eget, & rectius meminimus, quæ paucis verbis comprehensa sunt.

Euripides, Simplex veritatis oratio.

Zeno. Ptolemæi legatis, qui multos eruditos ad conuiuium inuitarant, percunctantibus, quid de ipso Regi suo essent renunciaturi, ait, Vidisse vos senem, qui in conuiuio tacere nouerit. Cum enim cæteri ad ostentationem multa dixissent, vnus Zeno perpetuum tenuit silentium. *P.M.lib.7. Apophthegmatum.*

Theophrastus Eresius dicere solitus est, potius esse fidendum effreni equo, quam verbo incomposito. Nemo non metuit insidere equo infreni, at plus est periculi à lingua effreni.

De loquendi libertate: & libere dictis,

Bias nauigans cum hominibus impijs tempestate correptis, alijs ad Deos clamantibus, Bias: Silete, inquit, ne Dii vos homines scelerosos hic nauigare sentiant. *Laertius lib.1.capite 6.*

Crates, Alexandro percontanti, num cuperet restitui patriam suā? Quid opus est, inquit? Fortassis alius Alexander restitutam diruet. *Laert l.6.c.5.*

Aristippus iussus aliquando ex sua philosophia nonnihil proferre, quumque detrectantem vrgeret Dionysius: Ridiculum, inquit, si quidem me, vt de Philosophia loquar rogas, & quando oporteat me loqui doces. *Laertius libro secundo, capite octauo.*

Idem, sciscitatus, quem fructum percepisset ex philosophiæ studio? Quod cum quibuslibet (inquit) libere loqui possum. *Laertius ibidem.*

Democritus. Libertatem in dicendo, ingenuitatis signum esse dicebat: sed occasionis diuersitatem habere periculum. *Stobæus, serm.11.*

Idem quum pro Atheniensibus apud Philippum legatione fungeretur, libereque loqueretur, Philippus, Metuisne, inquit, ne tibi caput iubeam amputari? Non inquit: Nam hoc si mihi abstuleris. patria ipsa mihi immortale pro hoc reponet. *Maximus serm.31.*

Idem. quum apud Dionysium quæreretur, quod æris genus esset omnium optimum? Ex quo, inquit, Athenienses statuas fecerūt Harmodio, & Aristogitoni, Nimium libere significans, tyrannos è medio tollendos. Nam ob eiectos tyrannos Athenienses illis statuas erexerunt. *Item Antiphonti, & Diogeni tribuitur tum à Plutarcho, tum à Laer li.9.c.7.*

Anaxarchus infensum habuit Nicocreontem Cypri tyrannum. Itaque, quum in cœna quadam Alexander rogasset, qualis illi videretur? Præclara, inquit, sed oportuit, & satrapæ cuiusdam caput apponi, oculos detorquens in Nicocreontem, qui adstat, à quo etiam postea crudeli mortis genere è medio sublatus est.

Plato diu in Sicilia commoratus, cum a Dionysio cui semper familiarissimus fuerat, vocatus esset ad cœnam, & inter alia, quæ cœnantes fabulantur, Dionysius interrogaret, num etiam apud Athenienses philosophorum conuentu Dionysii mentionem facerent? Pla. subridens, respondit: Nunquā Philosophos, qui Athenis viuunt, ita vacare, aut de tam vili materia inter eos tractari posse, vt loqui de Dionysio valeant, Libere & aperte vitam, vt dignus erat, reprehendens. *Plut.*

Idem. Dionysio Hermocratis filio de tyrannide differens, ait, non statim est præstantius, quod vni tantum sit vtile, nisi & virtute cæteris antecelleret. Offensus tyrannus dixit, οἱ λόγοι σου γεροντιῶσι. Id est, verba tua sapiunt senium. Contra Plato, οἱ δέ σου τυραννιῶσι. Id est, tua vero tyrannidem sapiunt. *Laertius libro tertio.*

Diogenes aliquando in Antisthenem incidens reprehendit ipsum vt in dicendo remissiorem se multo, & qui vix etiam altum clamans exaudiretur. Seipsum vero tubam cōniciorum appellabat. Cui verbis se vlciscens Antisthenes, pro turba se similem esse respondit vespis, quæ sonum quidem alis haud magnum edant, cēterum tamen habeant acerrimum: plurimum vero libera Diogenis linguæ promptitudine delectabatur. *Stob. sermone 11.*

Idem dicere solebat: Canes quidem mordent inimicos, ego autem pro libertate mea amicos, vt incolumes seruem. *Stobæus, sermone 11.*

Idem ab Erinio petijt quiddam magni, qui quum ex more his verbis negaret: Faciam, si mihi persuadere possis. Si possim, inquit, Diogenes, iam pridem tibi persuasissem, vt te suspenderes. *Laert. lib.6.*

Idem. Inuitatus vt ad Alexandrum Regem veniret, recusauit. At Perdiccæ præfecto minitanti necem, ni veniret: Nihil, inquit, magni feceris, si quidem & cantharis & phalangium idem possunt. *Laert, lib.6.c.2.*

Idem Cum captiuus in castra ad Philippum Macedoniæ Regem deduceretur, ac a Rege interrogaretur quisnam esset? Respondit, se exploratorem esse ad ipsum profectum, vt insatiabilem eius rapacitatem videret. Qua loquendi libertate victus Philippus, statim eum dimitti iussit. *Plut.*

Spartanus quidam hoc Hesiodi carmen laudibus in cœlum efferebat quod ita habet,

Οὐδ' ἂν βοῦς ἀπόλοιτ', εἰ μὴ γείτων κακὸς εἴη.

Non vel bos pereat, etiamsi vicinus malus adsit.

Idque audiens Diogene: Atqui, inquit, Messenij cū bobus suis perierunt, & vos illorum estis vicini. Notauit autem libere turpissimos Spartanorum quorumdam mores. *Ælian, libro 9. de var. hist.*

Aristot. Calisthenem discipulum liberius multa dicentem apud Alexandrum, Homerico carmine admonuit.

Ὠκύμορος δή μοι τέκος ἔσσεαι, οἷ' ἀγορεύεις.

Talia nate loquens, haud multo tempore viues.

Nec male diuinauit, nam libertas illi fuit exitio. *Laert, libro quinto, capite 1.*

Cleanthes inconstantiam Arcesilai præsente Rege adeo libere reprehendit, vt diceret hominem aliud loqui, aliud facere. *Laert. lib.7. cap.2.*

Aristides cum liberius quædam in Dionysium seniorem dixisset, res ad Regem delata est: vocatus igitur Aristides a Rege irato, mortemque minitanti, cum interrogasset an facti pœniteret;

ret: Nequaquam, inquit, vlla pœnitentia tangor. *Bruson. libro 2. cap. 1.*

Aristenymus perinde facere dicebat, qui ex oratione libertatem tollit, ac si ex absynthio tolleret acrimoniam. *Anton. & Maxim. serm. de libert. reprehen.*

Menedemus Eretriensis à Nicocreonte Cypri tyranno vocatus ad solenne conuiuium, cum Asclepiade amico, cæterisque philosophis, diait: Si honestum est tales conuocare viros, oportuit id quotidie fieri: sin minus, etiam nunc frustra fit. Ad id quum tyrannus respondisset, diem illum esse sibi festum, eoque singulo quoque mense vacare audire Philosophos: liberius respondit Menedemus, Hoc postulare sacrificium, vt per omne tempus audiret Philosophos. Quid multis? Eo processit hominis libertas, vt nisi tibicen quispiam eos auocasset perituri fuerint. In naui quum periclitarentur, Asclepiades diat, Tibicinis modulatio seruauit nos, Menedemi libertas perdit. *Laertius libro secundo, capite 18.*

Phocion cum per totam vrbem disseminatum esset à Delphico oraculo responsum esse: Vnum Athenis virum esse, qui aduerso omnibus alijs ciuibus animo esset: & cui præsentium rerum administratio inuisa esset, ac eum hinc inde quærerent, quisnam is esset? Ego sum, inquit, cui plane nihil placet eorum, quæ id tempus in administranda vestra Republica geruntur. *Plutarchus.*

Demosthenes. Ingenuis hominibus nihil infelicius accidere posse dicebat, quam si dicendi libertatem amittunt. *Stobæus sermone 11.*

Phocion, Cum aliquando Athenis non ad gratiam, sed ad vtilitatem concionaretur, ei Demades orator dixisse dicitur: Si populus insanierit, te occidet. Cui Phocion: Te vero, si sapiet. *Maxim. serm. 31.*

Simonides. Pausaniæ Lacedæmoniorum Regi subinde de rebus a se gestis glorianti, tandem & Simonidem per irrisionem hortanti, vt aliquid sapienter ipsum admoneret. Moneo, inquit, vt te meminseris esse hominem. *P. M. libro 6. Apophthegmatum.*

Lycurgus ob generis nobilitatem liberior erat in dicendo, quam vt populus interdum ferre posset. Itaque, cum aliquando populi strepitu exploderetur, e suggestu exclamauit, O Corcyrea scurica, quam multis talentis digna es: Notans populum, a quo eijciebatur, magnæ quidem authoritatis ac nominis esse, sed inutilem rebus gerendis. *P. M. libro octauo Apophtheg. ex Plutarch.*

Theocritus, quendam ineptum poetam recitantem carmina auscultans, interrogatus ab eo, quænam ei placerent? Respondit, Quæ omisisti. *Antonius in Melissa parte prima, sermone quinquagesimo.*

Pelopidas ab Alexandro Pheræo captus, cum haud arcta custodia teneretur, per id tempus populos Alexandro subditos sollicitare non desinebat, monebatque breui Alexandrum pœnas daturum. Quod cum Alexander rescuisset, misissetque qui Pelopidam monerent, nisi linguam compesceret, fore vt ei mortis caussam afferret: nuncio respondit, Alexandro referret, Pelopidam mirari, quod tam diu distulisset, cum ipse adeo in cum hostili animo esset, vt si vnquam euadendi facultas daretur, ad dandas pœnas pro eis, quæ impie in populos suos nulla eorum culpa ederet, ipsum coacturus esset. Paulo post Pelopidæ opera Alexander a suis interemptus fuit. *Fulgosius libro sexto, ex Plutarcho.*

Idem ab Alexandro captus, tyranno nunciauit, absurdum esse, vt alij interficerentur, ipse autem solus superstes esset. Alexander igitur re intellecta, interrogat, cur mortem optaret? Respondit Pelopidas. Tu Dijs omnibus inuisus cum sis, cur nō prius mori optas? *Bruf. lib. 2. c. 2. ex Plut.*

Idem. Thebe Alexandri Pheræi vxor, cum ad visendum Pelopidam, qui ab Alexandro in vinculis tenebatur, descendisset, ac dixisset Pelopidæ, Miseret me tuæ vxoris: & me (respondit Pelopidas) tui, quod libera cum sis, Alexandrum feras. *Plutarch. in apophthegmat.*

Philetes cum a Lysandro, qui eum bello ceperat, interrogaretur, quid is meritus esset, qui de Lacedæmonijs tantum, vt ei vitio daretur, oblocutus esset? Interritus respondit, O Lysander, noli accusare, qui iudice careat, sed iam tandem aduersum me id exequere, quod ipse iam in te fecissem, si iam tu in mea manu esses, quam ego in tua sum. Quam obrem eum Lysander occidi iussit. *Fulgos. lib. 6. ex Plut.*

Philoxenus. Cum Dionysij carmina paulo liberius reprehendisset, ob eam caussam lapidicinis adiudicatus est. Deinde reuocatus ac iterum ad eius carminum recitationem admissus, non multum immoratus surrexit. Quærenti autem Dionysio, quonam abiret? Ad Latomias respondit. *Stobæus sermone vndecimo.*

Themistocles puer adhuc cum quodam tempore è ludo literario rediret, obuiam Pisistrato tyranno factus, de via decedere noluit. Vnde cum grauiter a pædagogo obiurgaretur, libere respōdisse fertur: Nunquid hæc via ei non sufficit? *Ælian. de var. histo. lib. 3.*

Demaratus, Improbo quodam intempestiuis eum interrogationibus cauillante, ac idem sæpius iam rogante, qui optimus esset Spartianorum? Qui tibi, inquit, longe dissimillimus est. *Plut. in Lacon. Bruf. lib. 3. c. 16.*

Idem, Eo tempore quo Philippus Macedonum Rex ortis discordijs cum vxore, & filio dissidebat, interrogatus a Philippo, quam bene inter se Græciæ ciuitates conuenirent? Libere respondit, Magnæ sane tibi curæ est, Philippe, vt de Græcorum concordia certior fias. Siquidem id ad te pertinet, postquam cum coniuge tua ac filio tam concorditer, tanquae in amore viuis. *Fulgos. lib. 6. ex Plut.*

Chæreas, cum ei aliquando iratus Ptolemæus Rex atrociter minaretur, suam libertatem non minoris faciens quam potentiam regiam respondit: AEgyptijs impera, ego te tuamque iram nil moror. *Philo Iudæus lib. Quod omnis probus.*

Dercillidas missus à Spartanis ad Pyrrhum Regem legatus, cum Pyrrhus grauibus verbis eum vrgeret, vt Lacedæmonij Cleonymum Regem, quem pepulerant, in regnum reciperent: nulla regiæ dignitatis ratione habita respondit, Si Deus es, Pyrrhe, nobis minime timendum à te ducimus: nam cum iustam habeamus caussam, Deus qui iustus est, nihil aduersus nos molietur: quod si non Deus, sed homo es, melior profecto non es, & propterea nequaquam nobis formidandum non est. *Fulgosius lib. 6. ex Plut.*

Theodorus Philosoph. Lysimachus Macedo cum mortem ei minarus esset, Theodorus ad Regem ait, istis purpuratis, & aulicis tuis mortem tam crudelem minare, qui digni sunt, vt inhonesto morte istis genere claudant diem extremum, *Brusonius lib. 2. cap. 1.*

Anonymus. Antipater cuidam rustico librum de felicitate exhibenti, non otium sibi esse diait. Cui ille, Ne regna quidem igitur, si non fruens otio. *Stob. serm. 11.*

Epicharmus. Hiero. tyrannus cum aliquot è familiaribus occidisset, paucis post diebus Epicharmum vocatur ad cœnam, cui ille nimium libere: At nuper, inquit, cum immolares amicos non me vocabas. Solent, qui sacrificant, splendidum epulum apparare, adque id rogare amicos. Periculosa libertas, quæ plus laudis adfert ferenti, quam dicendi. *Plut. in apoph.*

Diogenes. Quum Alexander Magnus ad Diogenem venisset, eumque salutasset, percontatus est Diogenes, quisnam esset? Quumque ille respondisset, ego sum Alexander ille Rex. At ego, inquit, Diogenes ille canis. Non minus superbiens sua libertate quam Alexander suo regno. Interrogatus autem, cur nam canis vocaretur? Quoniam, inquit, dantibus blandior, non dantibus oblatro, malos etiam mordeo. Iterum Alexandro quærenti, nūquid vellet? Secede paulisper, inquit, nec mihi vmbram facito. *Laertius libro sexto capite secundo. Seneca. Plutarchus.*

Paulus Aemilius. Consul aduersus Perseum Macedoniæ Regē creatus, cum mos esset in eiusmodi rebus populo Romano gratias agere: vt suam in dicendo libertatem seruaret, virtute, & innocentia sua fretus, ad populum dixit de duobus consulatibus, quos erat adeptus: Primum se sui ipsius gratia, petijsse, hunc autem secundum ab ipso populo delatum esse. Huius igitur postremi caussa gratias non agere. Quin potius si quem meliorem ad eam expeditionem populus inueniret, eum eligeret. Verum si quid in eius virtute spei reposuisset, fine verbis dicto eius audiens esset. *Plut. in eius vita.*

Scipio Africanus interrogatus quid de Tiberij Gracchi morte (cuius sororem in matrimonio habebat) sentiret? Iure cæsum, respondit. Cuius dicto cum concio tribunitio furore instincta violenter succlamasset, Taceant, inquit, quibus Italia nouerca est. Orto deinde murmure: non efficieris, ait, vt solutos vereàr, quos alligatos adduxi. *Paterculus, & Plut. item Valer. Maxim. lib. 6. cap. 2.*

Q. Flaminius cum aduersus Philippum Macedoniæ Regem bellum gereret, & io tractanda pace delectus ad colloquium locus esset, Philippus fraudem veritus, obsides a Flaminio petijt, affirmans Romanis multos esse Flaminios, sed apud Macedones esse vnum Philippum. Ad quam Flaminius statim respondit, ipsius Philippi culpa accidere, qui amicos, & propinquos omnes interemisset, Romano, id est, libero verbo crudelitatem atque perfidiam Philippo improperauit. *Plut.*

Granius, quum P. Nasica tum consul, cuius iussu iustitium in medio foro edixerat præco Granius, rogaret eum domum desendentem, quid tristis esset? An quod auctiones essent? Imo vero, inquit, Granius, quod legiones: notans eum, quod armis rem gereret. Libera sane vox præconis in consulem, sed eximiæ moderationis exemplum, hoc impune licuisse præconi. *P. M. libro 6. apoph.*

Iulius Cæsar. L. Sylla sedente pro Tribunali, cum prætor esset, atque Cæsari adhuc priuato iratus diceret, se officio suo vsurum: respondit Cæsar, Recte tu appellas officium, quod pecunia tua comparasti. Neque enim magistratus maiestate deterrius est,

quio

quia ei qua arte magistratum esset assecutus coram exprobaret. *Plutarch.*

Priuernatum legati. C. Plautius consul de Priuernatibus, qui a Romanis desciuerant, ad Senatum retulit: ac variantibus sententijs quidam Priuernatum legatos percontatus est, quam pœnam viderentur meruisse? Eam, inquit é legatis vnus, quam merentur, qui se libertate dignos censent. Hic consul: Quid, inquit, si vobis pœnam remittimus, qualem vobiscum pacem habituri sumus? Si bonam dederitis, inquit, & fidelem, & perpetuam: sin malam, haud diuturnam. *P. M. libro 6. Apophthegmat.*

Cn. Piso. Cn. Piso, iuuenis etiamnum, Manilium Crispum reum egit, euidenter nocentem: eumque licet præpotentem multis ac magnis criminibus vrgebat, quod videret illum eripi gratia Pompeij, qui Manilio reo aderat. Itaque quum Pompeius velut exprobrans iuuenilem temeritatem Pisoni, qui non vereretur nobilem, & opulentum, atque ipsi cum primis amicum, ad iudices pertrahere, dixisset, Quin eadem opera me quoque accuses: intrepide respondit Piso. Da vades Reipublicæ si postulatus fueris ciuile bellum non excitaturum, tuum nomen prius quam Manilij deferam. *Hic elegans epiphonema subijcit Valerius Maximus.* Eodem, inquit, iudicio, duos sustinuit reos, accusatione Manilium, libertate Pompeium: & alterum lege peregit, alterum professione. *Valerius Maximus libro sexto capite. 2.*

Cato Vticensis. Laudatus à Senatu, quod populi tumultum oratione sua prorsus sedasset: At ego inquit, vos P. C. nequaquam laudo, qui me prætorem in tanto periculo deseruistis. *Plutarchus in vita.*

Cicero. In Pompeium multa liberrime dixit. Cuius hæc de iis dicta referuntur: Ego quem fugiam quidem, habeo: sed quem sequar, non habeo, *Macrobius lib 2. Satur.* Et cum ad Pompeium venisset, dicentibus eum sero venisse: respondit. Minime sero veni, nam nihil adhuc paratum video. *Macrobius.*

Petronius. Cum Catonem sibi obstrepentem in carcerem esset cõiecturus, & multi essent quibus hoc factum maxime displiceret, inter alios M. Petronius increpatus à Cæsare, quod senatu non dimisso abiret. Malo, inquit Petronius, in carcere cum Catone, quam hic tecum esse. Quo audito, Cæsar statim Catonem, affectus pudore, dimisit. *Dionysius Nicæus in Pompeio.*

Laberius ex equite Romano factus mimus, annos iam natus sexaginta, huc adigente Nerone, in actione quadam induxit habitum Syri, qui velut flagris cæsus, ac proripienti se similis exclamabat.

Porro Quirites libertatem perdidimus.

Ac paulo post adiecit:

Necesse est multos timeat, quem multi timent.

Ad has voces populus vniuersus oculos, & ora conuertit in Cæsarem: intelligens, illius impotentiam his dictis lapidatam. Hoc modo, quo licuit, Laberius vltus est sortem suam. *P. M. lib. 6. apoph.*

Anonymus. Tiberio Cæsari cunctanter, & ægre suscipienti delatum imperium, quidam in os ausus est dicere: Cæteri quod pollicentur, tarde præstant: tu quod præstas, tarde polliceris. *Ex Suetonio.*

Marcellus. Tiberius Imperator cum in edicto quodam verbo parũ Latino esset vsus, interrogauit Latinæ linguæ peritos, num in Latinæ linguæ puritatem peccasset? Cui respondit Atteius Capito: Quanquam hoc verbo nemo vsus est ante hac, tamẽ id tua causa recipiemus in posterum. Marcellus autem quidam respondisse dicitur, Hominibus quidem potes dare ciuitatem Romanam, Cæsar, Latina verba non potes. Hunc Tiberius, quanquam libere locutum, nullo tamen damno affecit. *Dionysius.*

Bato Dalmatia sæpenumero d. fectionis author fuerat, & Romanis magna damna attulerat: A Tiberio interrogatus, cur ei deficere, tamque diu contra Romanos bellare visum esset? Vos, inquit, causam dedistis, qui ad greges vestros custodiendos non mittitis canes aut pastores, sed lupos. *Dionysius in Augusto.*

Clemens seruus Agrippæ, Is domino quantum ad lineamenta oris attinet, plane persimilis, cum se Agrippam esse diceret, atque eo pacto magnam pecuniam conflaret, comprehensus tandem à Cæsare Tiberio interrogatusque quomodo Agrippa factus esset? Eodem (respondit) modo factus sum Agrippa, quo tu Cæsar Romanus, significans: Tiberium fraude imperatoriam dignitatem esse nactum. *Dionysius in Tiber.*

Subrius Flauius. Is tribunus stipatorum militum apud Neronem interrogatus, cur cum cæteris in Imperatoris sui mortem conspirasset? ad Neronem dixisse fertur: Quia te & dilexi, & odio prosequutus sum supra omnes homines. Dilexi autem, quod te sperabam bonum principem fore: odi autem, quod Tyrannum te esse satis sim expertus, quo factum est, vt auriga atque cytharœdo seruire noluerim. *Xiphilinus in Nerone. Tacitus.*

Sulpitius Afer, Eadem dignitate qua Flauius, & idem pari culpa insimulatus, cum similiter, quare motus conspirasset, rogaretur? Respondit non minus libere: Se non aliam rationem finiendorum tuã immensorum scelerum inuenire potuisse. *Suetonius in vita Neronis.*

Burrus, cum intellexisset, Neronem Imperatorem Octauiam Augustam propter Sabinam pellicem repudiasse, ad Neronem dixisse fertur: Si repudiasti, redde etiam dotem, hoc est, principatũ. *Xiphilin. in Neron.*

Pythias, Nerone regnante, cum omnes famuli, præter Pythiam, vna cum Sabina pellice, Octauiam Augustam inuaderent, quod eam contemnerent afflictam fortuna: & illi, cuius magna potestas erat, assentarentur: sola Pythias, licet acerrimis tormentis enecta, noluit in dominam mentiri, cumque Tigellinus Sophronius, homo petulantissimus, atque homicida crudelissimus, instaret vehementius, faciem eius conspuit: Mundior est (inquit) Tigelline, vulua Octauiæ dominæ meæ, quam os tuum impudentissimum. *Xiphilin. in Nerone.*

Anonymus. Gallus quidam sutor cum vidisset Caligulam Imperatorem nunc Deorum, nunc mulierum vestitu turpiter incedentem, atque in solio eminentissimo tanquam Deum sedentem, Iouis chlamyde amictum, tantam insolentiam irrisit. Quare animaduertens, Caius ad se vocatum hominem, rogauit quid sibi videretur? Respondit Gallus, Hanc magnam dementiam videri. Sed Imperator, eo quod sutoris dictum satis liberum esset, æquo animo tulit. *Xiphil. in Calig.*

Anonymus. Græculus quidam causam agens apud Claudium Cæsarem, inter altercandum commotus hanc vocem in illum emisit, καὶ σὺ γέρων εἶ καὶ μωρός, id est, & tu senex es, & stultus. Vsque eo summa potestas ob stultitiam, & passim, & propalam euiluerat, vt hoc in os dixerit, non senator, sed ignotus Græculus, & dixerit impune. *P. M. libro sexto apophthegmatum.*

Anonymus. Quidam bubulcus seruus, senio pene confectus, cum iam assumpto ad imperium Vespasiano domino, propter nouæ fortunæ felicitatem meritum se putaret, quem dominus manumittere dignaretur, venienti in vrbem Vespasiano se obtulit, & libertate se donari petijt. Cum autem minime assentiri Vespasianum videret, continere se seruile pectus nequiuit, quin vt poterat dominum vlcisceretur. Magna enim voce exclamauit, vero adagio dici, Vulpem pilus quidem mutare, sed mores nequaquam. Ita enim veteris domini auaritiam natura insitam exprobrauit. *Fulgos. lib. 10.*

Iun. Mauricus. Nerua Cocceius in cœna, cui assidebat Veiento, qui sub Domitiano consularem dignitatem fuerat adeptus, sed multos clam apud illum detulerat, quum orta Catuli mentione, qui calumniator insignis fuerat, diceret, Quid faceret Catulus, si Domitiano superuixisset? Iunius Mauricus respondit, Nobiscum, inquit, cœnaret. Satis libere submonens imperatorem, quod Veientonem haberet familiarem, simillimum Catulo, quem vt calumniatorem execrabatur. *P. M. lib. 8 apoph.*

Fronto. Is Consul Romanus post Domitiani pessimi principis mortem, de Cocceio Nerua, principe optimo atque eodem patientissimo, pari libertate locutus est. Nam cum videret nimium populo indulgeri, permittique vt in eius esset manu, vel accusare, vel occidere, quem Domitiani ministrum fuisse sciret, clara voce dixisse fertur: Malum esse sub principe viuere, qui nihil agi permitteret: sed lõge deterius, sub eo, qui fieri nihil prohiberet: Quod cum Nerua audiuisset, modum accusationibus imposuit. *Fulgos. lib. 6.*

Traianus Valentis, crudelissimi in Christianos Imperatoris, Dux contra Gothos missus, cum post male in eo bello res gestas rediret domum, atque obiurgaretur ab Imperatore qui grauiter hominis ignauiam accusabat, respondit: Non ego, o Imperator, victus sum, sed tu potius, qui contra Deum inuictum bellum suscipis, atque tua impietate a te ipso omnem victoriam reijcis. *Nicephorus Callistus libro vndecimo, Ecclesiast. histor. capite quadragesimonono.*

Papinianus. Bassianus Antoninus Imperator magna laborabat inuidia, quod fratrem occidendum curasset. Eoque Aemilio Papiniano prætorij præfecto, ob eximiam iuris prudentiam summæ apud Romanos authoritatis negotium dederat, vt hoc facinus apud senatum defenderet. At is respondit: multo facilius parricidium perpetrari, quam defendi: ob hanc liberam vocem Bassianus occidit virum immortalitate dignum. *P. M. 8. apophthegmat.*

Geta, Bassiano cum ioco tum serio dicenti, omnes cum liberis occidendos: Geta puer dixit, Tu qui nulli parcis, potes etiam fratrem occidere. Id dictum tunc contemptum est, post cognitum est fuisse vaticinium, nam parricidium postea commisit: *Spartianus.*

Heluius Pertinax. Quum Antoninus Caracalla ambitiose sibi multa cognomina asciceret, Germanici, Parthici, Arabici, & Alemanici,

maniei, Helnius Pertinax, belle iocatus fertur: Adde etiam, inquit, si placet, Geticus Maximus, quod Getam fratrem occidisset. *Ælius Spartan.*

Anonyma. Adrianus Romanorum Imperator cum forte in foro esset, audiuit mulierem clamantem, Audi me Cæsar. Verum is quũ respondisset, Non est otium modo: illa altius clamauit, Noli ergo imperare. Ad hanc igitur vocem restitit, & mulierem audiuit. *Ex Dione Cassio.*

Apollodorus. Insignis architectus, cum Romæ præclara quædam ædificia erigeret, atque Adrianus Imperator inepte hominem nescio qua in re reprehenderet, respondisse fertur: Abi Imperator, ac cucurbitas pinge. nam quidem ædificandi artem plane ignoras. Quam loquendi libertatem adeo sinistre interpretatus est Imperator, vt statim cogitaret quo mortis genere hominem interficeret. *Dion. Nicaur. & Xiphilinus in vita Adriani.*

Pollenius Sabinus. Is homo omnium mordacissimus, cum audiuisset Seuerum Imperatorem adscriptum esse Marci familiæ: Gratulor tibi, inquit, Cæsar inuictissime, quod patrem demum inueneris, quasi antea patrem non habuisset propter ignobilitatem, & obscuritatem generis. *Xiphilinus in vita Seueri.*

Anonymus. Galienus iunior patris mortem inultam reliquit. Itaque quum Rex Persarum quasi captiuus, per pompam duceretur, quidam scurræ miscuerunt se Persis diligentissime scrutantes omnia, & cuiusque vultum diligenter contemplantes. Qui interrogati quid agerent? Patrem, inquiunt, principis quærimus, notantes, à Galieno neglectum fuisse. Id vbi delatum est ad principem, scurras viuos exuri iussit. Exemplum impietatis in Cæsare, periculosæ libertatis in scurris. *Trebellius Pollio.*

Mares Episcopus. Iulianus Imperator cum Constantinopoli in Fortunæ sacello sacrificaret, palam à Mare Episcopo Chalcedonensi, apostata & ἄθεος, vocatus est. Is autem debilitatus visu, alterius ducebatur manu. Volens igitur Imperator lacerare blasphemijs Deum consuete dixit, Neque Galilæus tuus curare tibi visum potest. Cui respondens Mares dixisse fertur. Ego Deo meo pro cæcitate gratias ago: quia hoc ideo factum est, ne te videam pietate omni nudatum. *Sozomenus libro 6. Ecclesiastica hist. cap. 6.*

Terentius. Is ducum omnium fortissimus, & pietate simul, ac rerum contra Armenios gestarum gloria in primis insignis, cum ad Valentem Imperatorem contra Gotthos iam belligerantẽ venisset, atque optionem Imperator obtulisset, vt a se quidquid vellet peteret, nihil aliud petijt, quam vt Antiochię vnam saltem Ecclesiæ Catholicæ propugnatoribus concederet Ecclesiam. Quod cum Valens audiuisset, petitionis libellum (vt homo erat impius, atque Christianæ religioni infensissimus) tam lectum lacerauit, atque aliud illum petere iussit. Tum Terentium libelli partibus recollectis: Habeo, inquit, o Imperator & denũ teneo, neque aliud petam. Consilij enim mei iudex erit, qui iudex est omnium. *Nicephorus Callistus libro vndecimo, Ecclesiastica historia cap. 49.*

Sigismundus Imperat. Cum dixisset aliquando assentatores se veluti pestem odisse: Imo, inquit, Brunorius Veronensis, nullum genus hominum magis amas, nam quid apud te possent M. Banus, Laurentius Palatinus, Vrsatius, & alij, nisi assentando tuam gratiam meruissent? Cum Sigismundus, Brunori, ait, sic comparatum est, cum vitandos esse adulatores dicimus, tum maxime illis aures damus. Nec enim tu mecum tam diu fuisses, nisi mihi blandiri assueuisses. *Æneas Silu. libro tertio, commentarior. de rebus gestis Alphonsi.*

Anastasius Episcopus interrogatus a quodam, cur ita profusè pecuniam sacram dilapidaret, & non potius in vsus decentes eam impendens, ita vt opus esset dispergeret, libere respondit per cauillationem: Ideo consumo, ne a communi pernicie Iustino auferatur. *Nicephorus Callist. libro decimo septimo, capite 36. histor. Ecclesiast.*

Achemenides, qui & Hormisdas dictus est, cum in Persia fidem Christianam profiteretur, vocatus à Varane Rege, atque abnegare Christum iussus, respondit: Imperata tua, Rex potentissime, non solum iniqua sunt, sed incommoda etiam. Cui enim ea necessitas imponitur, vt facillime vniuersitatis huius Deũ abiuret: huic longe facilius fore puto. Regem despicere, atque ad alium transire: Rex namque etiam, homo cum sit, satis subiectus est: cum Deus nullis rebus plane subiectus sit. Magis igitur est crimen, diuinam quam regiam lædere maiestatem. *Nice. libro 14. cap. 20. Eccl. hist.*

Isacius Monachus. Cum Valentem Imperatorem vna cum exercitu contra Gothos, qui Christianam religionem acceperant, exeuntem vidisset, manu frenum equi, quo ille vehebatur, arripiens, voce magna dixisse fertur: Quonam, o Imperator, proficisceris? Qui aduersus Deum bellum geris, neque illius opem tecum trahis: Nam ille quodammodo contra te hostem excitauit, quoniam tu aduersus illum impiorum hominum peregrinas & blasphemas linguas exacuisti, & Catholicos ex sacris ædibus eiecisti. *Plura leges apud Nicephorum libro 12. cap. 50. Ecclesia histor.*

Agapetus Roman. Episcopus. à Theodato, qui in Italia Gotthorum Rex erat Constantinopolim placandi Iustiniani gratia missus, cum Imperatorem Eutychiana hæresi laborantem, frustra reprehendere se intellexisset: Ad Iustinianum Christianissimum Imperatorem me venisse arbitrabar, inquit, sed quantum intueri possum, ad Diocletianum me venisse video. *Fulgosius lib. 6.*

Demades in pugna ad Cheroneam à Philippo captus, eique commodatus, cum Philippus inter pocula hæc verba iactaret: Vbi nũc est nobilitas, & præstantia ciuitatis Atheniensium? Cognosceres, dixit, ô Rex, ciuitatis vim, si Philippus Atheniensibus Chares autem Macedonibus imperaret. *Stobaus sermone quinquagesimo secundo.*

Anonymus. Coloniensium Episcopus & dux, cum iter armatus per Germaniam faceret, multis stipatus equitibus, incidit in bubulcum quendam, tantum deridentem exercitum. At vbi hominem interrogasset, cur tantopere rideret? Respondit bubulcus, Miror sane Petrum Apostolum, vestri ordinis principem, in tanta inopia mortuum esse, vt posteros in eo ordine tantopere locupletaret. Dicente vero Episcopo, se simul & ducem esse, & Episcopum: respondit bubulcus, Vellem equidem declarari mihi cum mortuum hunc ducem, cuius personã modo geris, in inferno esse contigerit, quo putes Episcopum esse iturum? Libero autem responso ostendit, quam stultum sit, in eodem subiecto duas diuersæ professionis personas agere velle. Et si altera peccaret, putare se in altera pœnas errati non sensurum. *Fulgos. l. 6.*

SIMILITVDINES.

Syracida. Sicut diurnæ curæ gignunt somnia: Ita multa verba stultam faciunt orationem. *Eccl. c. 5.*

Sicut in multis somnijs multa sunt vana: Ita & in multis verbis *Ecclesiast. c. 5.*

Nazianzenus. Non inducte docemus, neque iniurijs decertamus, quemadmodum accidit multis, qui sermone pugnant contra loquentes, prauitatemque intellectus iniuriis quandoque deregũt. Illi enim sermones, quemadmodum & sepiæ atramentum, contra seipsos expuunt, quo effugiant venantes, aut lateant indagantes. *In orat. post reditum ex agro.*

Plutarchi. Vt procliue non est, auem è manu amissam recipere aut cohibere: Ita nec dictum semel ab ore profectum, propterea quod ab alijs volat ad alios. *In Moral.*

Non vt nauem arreptam fluctibus, anchora licet sistere: Ita verbum è portu velut in altum emissum. *In Moral.*

Vt pars corporis viciata, attrahit etiam à vicinis vitiosos: Sic garrula lingua semper ardens, & inflammata, secretorum aliquid vndique colligat ad sese. *In Moral.*

Iaculos & viperas proprij rumpunt fœtus: Sic garrulus, vel cum sua pernicie promit arcana. *In Moral.*

Vt *triticum inclusum* in vase, mensura auctum inuenitur, sed vitiatum: Sic garrulus accepto sermoni semper addit, & maiorem eum reddit, sed fide iam carentem. *In Moral.*

Qui aliis interrogatis, ipse præripiunt responsionem, perinde faciunt ac si quem ab alio volentem osculari, priores occupent. *In Moral.*

Erat porticus in Olympia, quam septiuncam vocant, quod pro vna voce multas redderet. Ita locutuleij quidam, vel vno prouocati verbo, sermonem immensum referunt. *In Moral.*

Vt vbi dolet, ibi manum habemus: Ita si quid delectat, ibi linguam habemus, id est, libenter eius rei facimus mentionem. *In Moral.*

Quemadmodum semen hominum libidini venereæ addictorum fere infœcundum est: ita loquacitas sermonem futilem & stultum efficit. *Plutarch. in Lycurgo.*

Seneca. Vt qui per spinosa ingrediuntur loca, suspensis pedibus eant necesse est: Ita de rebus friuolis aut molestis loquenti breuiter est transiliendum ad vberiora, grauioraque. *Apud P. M.*

Pliny. Muta cicada pro miraculo est, quod ipsum genus sit garrulũ: sunt autem huiusmodi in agro Rhegino. Sic magis admiramur constantiam, & silentium in fœmina, quod ipsum genus mutabile sit & loquax. *Lib. 11. c. 27.*

In Asphaltite Iudææ lacu, item in Aritissa Armeniæ maioris, nihil mergi potest. Ita quidam quicquid commiseris, in proparulo gerunt, neque quicquam celare possunt. *Libro secundo capite 1006.*

P. M. Infantes qui celerius loquuntur, tardius ingredi incipiunt: Ita qui ad dicendum promptior est, ad rem gerendam minus est paratus. *In Simil.*

Vt vitrum quia pellucidum, nihil celat: Ita quidam nihil tegere, nihil dissimulare norunt: quicquid in animo est, id omnibus protinus est palam. *In simil.*

De loquen-

De loquendi libertate.

Socratis. Vt minime solem è mundo: Ita neque dicendi fiduciam à recta institutione tollere conuenit. *Apud Stob. serm. 11.*

Aristonymi. Quemadmodum absynthium nomen omne amittit, si amaritudinem tollas: sic oratio, si libertatem loquendi amittat: *Apud Stob. serm. 13.*

A D A G I A.

Breuitas grata. Laconismus. Tribus bolis. Minore fiuire pomœrio. Numero dicere. Vno fasce complecti. Tribus verbis.

Pauciloquus, sed eruditus.

Iaeum, qui pauca quidem, sed tamen auditu digna loquitur, conuenit Homer. illud.

Παῦρα μὲν ἀλλὰ μάλα λιγέως, ἐπεὶ οὐ πολύμυθος.

Id est,

Pauis multa quidem, verum argutissima, quippe.

Pauciloquus, Menelaus dicit.

Vide sit. Garrulitas.

Leuissima res, oratio.

Homerus. ἔπεα πτερόεντα προσηύδα. Id est. Verba velocia dixit, vel alata, quod facile euolent, atque reuolare nesciant.

Horatius.

Et semel emissum volat irreuocabile verbum.

H I S T O R I C A   E X E M P L A.

Lacedæmonijs peculiaris erat verborum paucitas: vnde & ab ea regione breuiloquentia Laconismus dicitur. Cum igitur Abderitarum legatus apud Agidem multa locutus, vix tandem dicendi finem fecisset, rogaretque quid ciuibus suis esset renunciaturus: Agis illud, inquit, renuncia: quantum temporis tibi fuit opus ad dicendum, tantum me silentem audisse. Hoc dicto exprobrauit stolido oratori inanem luquacitatem responso indignam. *P. M. lib. apoph.*

Quum *Sophista quispiam* apud eum dixisset, orationem esse rerum omnium præstantissimam, videlicet prædicans artem, quam profitebatur: Ergo, inquit Agis, tu, cum taces, nullius es precij, significans, multo præclarius esse res magnificas gerere, quam habere linguam ad magnificè loquendum expeditam. *idem lib. 1.*

Quum quidam Ephoris opportuna quidem loqueretur, sed pluribus quam sat erat, Anaxandridas: Hospes, inquit, re necessaria in non necessario vteris, significans, quod per se rectum est, & vtile, nō egere prolixa oratione, quod ipsa causæ bonitas facile seipsam commendet. Quod si vsquam locus est loquacitati, eam oportet ad inhonestas causas adhibere. *In eod. l. 1.*

Gellius l. 12. c. 2. Noct. Attic. recitat verba *M. Catonis*, contra quemdam Albinum, breuiloquentiam quisquis in dicendo colat. Laconismus, prouerbium pro breuiloquentia, pro eo, quod est, paucis, & compendio dicere. *Vide Chil. ad. P. M.*

Ægyptiorum regem periclitandi gratia, cuiusmodi foret in Pittaco prudentia, proditum memoriæ est, integri animalis carnes ad eum transmisisse petentem, secerneret inde, quod optimum censeret, rursusque quod pessimum. At is vnam modo linguam eximens ad eum referri iussit: symbolicè innuens, atque apertè, in ea corporis parte portioneque ingentium sæpe bonorum latere fomites: nec deesse tamen, si prodiga sit, & infrenis maximarum cladium organum, ac scelerum quodammodo inexhaustam scenā. Hinc apud Euripidem, Ino audacius adstruit, tenere se tacendi tempora, atque item loquendi. *Cælius Rhodiginus lib. 3. lectionum antiquarum. c. 5.*

E X E M P L A   B I B L I C A.

Loquacitatis *exempla* Eua, *Gen. 3. 2.* Dalila Samsonis vxor, *Iud. 14. v. 16. 17. & 16. v. 16. 17.* Cognati Tobiæ, *Tob. 2. 15.* ancilla Saræ filiæ Raguelis, *Tob. 3. 7.* Vxor Iob, *Iob 2. v. 9. 10.*

Vide Garrulitas, Lingua.

L O N G Æ V I T A S.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

Longæuitas, annositas, Senectus prouecta, *μακροβιότης, πολυετία.* Longæuos homines Hebræi vocant *Babaiamim*, id est, multorum dierum, vt qui in vitæ præsentis curriculo dies aliquot multiplicarint. Senes certe sunt filij multorum dierum: sed mille anni senibus pijs sicut dies vnus: viuunt enim & stant in eo, qui longitudo dierum illis est, & in cuius oculis omnia sæcula velut horæ momentum. Longæuos plus æquo mortem metuere Stoici passim increpant. Summa est à Cicerone expressa *in Catone de Senectute.* O miserum senem, qui mortem contemnendam in tam longæua ætate non viderit.

S E N T E N T I A E   P O E T I C Æ.

Antholog. Sacr. Iac. Bill.

Este procul lachrymæ, procul hinc procul effuge luctus:
Tu mihi blanda Venus, tu mihi Bacche vens.
Ad veniam Deus est facilis, cum tarda senectus
Aduenit, recta mens mea carpet iter.
Ah miser, an summi quoniam propensa patentis

Polyanthea Nouiss.

Ad veniam est bonitas, in seclus omne ruis?
Nomne times, ne te feram implorante salutem,
Rideat & lachrimas, & tua vota Deus.

Pios viros vitæ huius longinquitatem moleste ferre.

Ante diem cupit Elias decedere vita,
Ante diem Dauid, Paulus & ante diem.
Tædiaque exilij lachrimis testantur acerbis:
Quodque moras faciat mors tenebrosa dolent.
Poma velut domini dextram matura requirunt,
Arbore praque suo pondere sæpe cadunt:
Sic pietate graues, meritisque insignibus, optant
Ante diem vitæ claudere morte dies.

A D A G I A.

Nestorea senecta.

In longæuos, & viuaces: de quibus lege Lucianum de Macrobijs, & Plin. lib. 7. cap. 48.

Vltra pensum viuit. *ὑπὲρ τὸν ἀτράκτου ἔζη βιοῖ.*

Id est: Viuit vltra fatalem diem. Allusio est ad fusos Parcarum. Lucianus, in Philopseude. Non admodum abludit ab hac forma, quæ Germanis vulgo est celebris. Die Seel ist in jhm vervvurtzelt.

Vltra catalogum. *ὑπὲρ τὸν κατάλογον ζῇ. Suidas.*

Dicitur de eo, qui multum ætatis viuit, vt iam præscriptum illum annorum numerum præteriisse videatur.

Vltra linum. *ὑπὲρ τὸν λίνον.*

Id est: Vltra decretum fatale. Rursus allusio ad Parcarum fila. Vide vltra pensum.

Cornicibus viuacior. *ὑπὲρ τὰς κορώνας βεβιωκώς.*

Dicitur de vehementer annosis: estque desumptum à prodigiosa cornicum viuacitate. Vide Plin. lib. 7. Et Plut. de Oraculorum defectu.

Hesiodi senecta. *Ἡσιόδειον γῆρας.*

Longæua viuaxque sic appellabatur. Videatur Epigramm. Pindari de longæuitate Hesiodi.

Tithoni senecta. *Τιθωνοῦ γῆρας.*

Ex fabula Tithoni desumptum: paulo aliter Suidas refert. Seneca: Tithone profundius.

Phœnice viuacior. *τοῦ Φοίνικος ἔτη βιοῖ.*

Dicitur etiam in senectam viuacem, & longæuam. Phœnicem enim Hesiodus scribit nouem corui ætates viuere.

Sibylla viuacior, Thiresia viuacior, Seribus viuacior.

His prouerbijs longæuitas indicatur. Propert. de Sibylla cecinit, At me non ætas mutabit tota Sibyllæ. Poetæ fingunt Thiresiam sex hominū ætates transegisse. Historici tradūt Seres Asiæ orientalis populos trecentos annos viuere.

Facies tua computat annos.

Dictum à Iuuenale in vetulam Libidinosam.

Senis caluaria, astaphis, i. vua passa. *Senile corpus inualidum designatur, est enim ex hausto succo, carnibusque adesis.*

Significatur hoc etiam prouerbio ætas quo inmunis longa. Propertius.

At me non ætas mutabit tota Sibylla.

Alterum pedem in cymba Charontis habere.

Dicitur de hominibus extrema decrepitaque senecta. Lucianus in Sectis. τὸν ἕτερον πόδα ἐν τῷ σορῷ ἔχων. Er gehet auff der Grueben. Er gehet auff der Baar. Er hat einen Fuss schon im Grab.

Mature fias senex. *Cicero: Mature fias senex, si diu velis esse senex.*

Monet adagium, vt in integra adhuc ætate à laboribus desistamus iuuenilibus, maxime autem vitijs iuuenta. libidine, bibacitate, vite, turbulentia, & similibus. Germani non inuenuste dicunt. Es muss sich zeü lich krummen, vvas ein guter Haag vverden soll.

Vitiat lapidem longum tempus. *Σήπει καὶ πέτραν ὁ πολὺς χρόνος.*

Docet adagium, nihil in rerum esse natura sic durabile, quin temporum absumi diuturnitate queat.

Senex bos non lugetur. *γέρων βοῦς ἀπένθητος θάπτεται.*

Hoc est: Mors senum, quod tempestiua videatur, ab amicis non lugetur.

Viuum cadauer. *ἔμψυχος νεκρός. Item.*

Viuum sepulchrum. *ἔμψυχος τάφος. Sophocles, & Lucian.*

Vtrumque in eos commode dicitur, qui sic viuunt, vt nihil vita dignum agunt.

Viro seni maxillæ baculus. *Ἀνδρὸς γέροντος αἱ γνάθοι βακτηρία.*

Dicitur in senes, qui ob defectas ætate vires, copiosiore pariter, & delicatiore victu coguntur vti. Der Kifel ist der alten Stuetze.

Limen senectæ. *γήραος οὐδός. Homer.*

Notatur hoc adagio extrema, & decrepita senectus.

Senescit bos, at opera multa bouis. *γηρᾷ ὁ βοῦς, τὰ δ' ἔργα πολλὰ τοῦ βοός.*

Vsus huius prouerbij est, quoties aliquis ob ætatis imbecillitatem inutilis redditur ad munus demandatum obeundum. Germani eadem pene metaphora dicunt, Er mag schier nicht mehr ziehen.

E X E M P L A   B I B L I C A.

Longæuitatis *exempla.* Adam vixit annos 930. *Genes. 5. v. 4. 5.* Seth annos 912. *ibid. versic. 6. 7.* Enos 905. *vers. 10. 11.* Cainan 910. *v. 13. 14.* Mahalaleel 895. *versic. 16. 17.* Iared 962. *vers. 19. 20.* Henoch 365. *v. 23.* Mathusalem 969. *vers. 26. 27.* Lamech 777. *versic. 30. 31.* Noe

950. *Gen.* 9. *v.* 28. 29. Sem. 600. *Gen* 11. *v.* 10. 11. Arphaxad, 438. *ver.* 12. 13. Sale. 433. *v.* 14. 15. Heber. 464. *v.* 16. 17. Phaleg. 239. *v.* 18. 19. Rehu. 209. *v.* 20. 21. Sarug. 230. *v.* 22. 23. Nachor. 148 *v.* 24. 25. Thare, 202. *v.* 31. 32. Sara, 127. *Gen.* 23. 1. Abraham, 175. *Gen.* 25. 7. Ismael, 137. *v.* 17. Isaac, 180. *Gen.* 35. 28. Iacob, 47. *Genes.* 47. 28. Ioseph, 110. *Gen.* 50. 26. Leui, 137. *Exod.* 4. 16. Caath, 133. *v.* 8. Amram 137. *v.* 20. Aaron, 137. *Num* 33. 38. Moyses, 120. *Deut.* 31. 2. & 34. 7. Iosue, 110. *Ios.* 24. 29. *Iud.* 2. 8. Eli, 98. 1. *Sam.* 4. *v.* 15. 18. Ioiada, 130. 2. *Paral.* 24. 15. Tobias senior. 102. *Tob.* 14. *v.* 1. 2. Tobias iunior, 99. vel vt alij, 127. *v.* 16. Iudith, 150. *Iudith* 16. 28. Iob, 140. *Iob* 42. 16. Matathias, 146. 1. *Machab.* 2. 7. Antiochus, 140. 2. *Machab.* 6. Eleazarus, 90. *v.* 24.

Exempla Historica.

Musicani Indiæ populi centum & triginta annorum ætatem agunt. *Sabellicus.*

Seres Indi tam longæ dicuntur vitæ, vt ducentesimum annum excedant. *Strabo lib.* 5.

In Tmoli montis cacumine locus est Tempsis dictus, in quo vulgo 150. annos viuunt. *Plin. lib.* 7. *c.* 48.

Cyrnos Indorum genus Isigonus annis centenis quadragenis viuere tradit. Aethiopas, item Macrobios, & Seras, & qui Athon montem incolant: hos quidem, quia viperinis carnibus alātur: itaque nec capiti, nec vestibus eorum noxia corpori inesse animalia. Ctesias tradit, gentem ex his Pandoræ in conuallibus sitam, annos ducentos viuere, in iuuenta candido capillo, qui in senectute nigrescat. *Plin lib.* 7. *c.* 2. & *Valer. Max. lib.* 8 *c.* 41.

Septentrionales populi licet sub frigidissimo cœlo, vulgo centum sexaginta, & amplius annos viuunt. *Olaus lib.* 4 *c.* 4. *Septent. regionum.*

Islandenses, quamuis Ichthyophagi sine medicina, etiam supra centum annos viuunt. *Olaus lib.* 21 *c.* 4.

Ephorus Arcadum reges quosdam 300. annis vixisse testatur. *Plin. lib.* 7. *c* 48.

Cynirae rex Cypriorum 160. annos vixit, *teste Anacreonte.*

Hiero Siciliæ rex amicus Rom. pop. ad nonagesimum peruenit annum. *Val. Max lib.* 2. *c.* 4.

Attila Hunnorum rex 124. annos natus, in nuptijs perijt, vt supputat *Nicolaus Olaus in eius vita.* Sabellicum reprehendens, qui 56. annos tantum ei tribuit.

Hippocrates Cous Medicus vixit apud Perdiccam Macedoniæ regē, excessit annos natus 104. Larissæ. *Volater. l.* 6. *Vrban. comment.*

Vide Vita.

LVCTVS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Luctus, Græcè κλαυθμὸς ἄ ὁ. & ὀδυρμὸς lugeo dicitur. Hebr. *Ebel*, à verbo *Abal*. contristatus est, fleuit, luxit. Alia nomina Græca, & Hebræa, *vide in trilingue Etymol. Lugdun. pag.* 436. Est autem luctus dolor, qui exterius prodiuit vultu ipso, atque aspectu, à lugeo. Sæpe ipse habitus, vultus, atque vestis, luctus dicitur.

Luctus est planctus pro mortuis, *secundum S. Thom super Psal.* 34. *c.* 10.

Luctus est ægritudo, ex eius, qui charus fuerat, interitu acerbo, *secundum Cic. lib. Tuscul. Quæst.*

Loci Biblici.

Luctus mortuorum qualis tempore Christi, *Matth.* 9. 23. Lugentes beati, 5. 5. Luget Dauid Ammonem filium, 2. *Sam.* 13. 37. Lugendi non sunt mortui, 1. *Thess.* 4. 13. Lugentibus consolatio promittitur, *Luc.* 6. 21.

Sententiæ Biblicæ.

Lugendum super peccato amare.

Sed quia patiens Dominus est, in hoc ipso pœniteamus, & indulgentiam eius fusis lachrimis postulemus: non enim quasi homo, sic Deus comminabitur. *Iud.* 8.

Numquid non paucitas dierum meorum finitur breui? Dimitte ergo me, vt plāgam paululum dolorem meum, antequam vadam. *Iob* 10.

Laboraui in gemitu meo. Discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem. *Psal.* 6.

Deus vitam meam annunciaui tibi, posuisti lachrimas meas in conspectu tuo. 55.

Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt die legem tuam. 118.

Tempus flendi. *Eccles.* 3.

Vox in vijs audita est, ploratus, & vlulatus filiorum Israel, quoniā iniquam fecerunt viam suam, obliti sunt Domini Dei sui. *Ier.* 3.

In fletu venient, & in misericordia reducam eos. 31.

Nunc ergo, dicit Dominus, conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu, & in planctu, & scindite corda vestra, & non vestimenta vestra. *Ioel.* 2.

Super proximo fructifero.

Non desis plorantibus in consolatione, & cum lugentibus ambula. *Eccl.* 7.

Quod si hoc non audieritis, in abscondito plorant plorabit anima mea à facie superbiæ: plorans plorabit, & deducet lachrimas oculus meus, quia captus est grex Domini. *Ier.* 13.

Flere cum flentibus. *Rom.* 12.

Et qui flent, tamquam flentes. 1. *Cor.* 7.

Et lugeam multos ex ijs, qui ante peccauerunt, sed non egerunt pœnitentiam super immunditia, & fornicatione, & impudicitia, quam gesserunt. 2. *Cor.* 12.

Super mortuo moderate.

Mortuum lamenteris, quod sit luce priuatus, non minus deplores stultum, quod sensum amiserit. *Eccl.* 22.

Modicum plora super mortuum, quoniam requieuit. Luctus mortui septem dies. *ibid.*

Fili, in mortuum produc lachrimas, & quasi dira passus incipe plorare: propter delaturam autem amare fer luctum illius vno die, & consolare propter tristitiam, & fac luctum secundum meritum eius, vno die, vel duobus propter detractionem. A tristitia enim festinat mors, & cooperit virtutem, & tristitia cordis flectit ceruicem. 38.

In Inferno misero.

Filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus, & stridor dentium. *Matth.* 8.

Partemque eius ponet cum hypocritis, illic erit fletus, & stridor dentium. 24.

Væ vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis, & flebitis. *Luc.* 6.

Agite nunc diuites, plorate, vlulantes in miserijs vestris, quæ aduenient vobis. *Iac.* 5.

Sententiæ Poeticæ.

Euripidis.

Ἀλλ' ἔστι γάρ τις καὶ κακοῖσιν ἡδονὴ
Θνητοῖς, ὀδυρμοὶ δακρύων τ' ἐκβολαί.
Ἀλγηδόνας δὲ ταῦτα κουφίζει φρενῶν,
Καὶ καρδίας ἔλυσε τοὺς ἄγαν πόνους.
Est etiam in malis aliquid voluptatis
Hominibus, nempe luctus, & lachrimarum defluxiones:
Hæc enim leuant animi dolores,
Et nimios pectoris labores soluunt.
[illegible]
[illegible]
Πᾶς τις δακρύειν τοὺς προσήκοντας φιλεῖ.
Hoc à natura ingenitum est hominibus:
Et si quis iure mortem obierit, nihilominus tamen cupit
Vnusquisque amicos sibi astrictos deflere.

Philosophicæ Sententiæ.

Luctus est animi ægritudo ex eius acerbo interitu concepta, qui nobis charus fuerit. *Franc. Patr. de reg. lib.* 5. *c.* 17.

Luctus in Legibus XII. tabularum prohibitus erat, & mulieribus, & viris eiulatus, & fletus funebris. *idem ibid.*

Luctu carere debet interitus eorum, quorum vita clarissima fuit, & mors splendida. *ibid.*

Lugendo, & mœrendo nil aliud assequimur, nisi vt leuiores esse videamur: & corporis habitu indecori. *ibid.*

Apophthegmata.

Solon, cum ex amicis quendam grauiter mœrentem videret, in arcem perduxit, hortatusque est, vt per omnes subiectorum in vrbe ædificiorum partes oculos circumferret, quod vt factum animaduertit: Cogita nunc tecum, inquit, quam multi luctus sub his tectis olim fuerint, hodieque versentur, insequentibusq sæculis sint habitaturi: & mitte mortalium incommoda tamquam propria deflere. Qua consolatione demonstrauit, vrbes nihil esse aliud, quam humanarum cladium conocepta miseranda. *Valer. Max lib.* 7. *c.* 2.

Idem aiebat, si in vnum locum cuncti mala contulissent, futurum, vt propria sua quisque deportaret domum, priusquam ex omni miseriarum aceruo vllam aliam portionem ferre mallent. Quo colligebat, non oportere quemquam, quæ fortuito patiatur, tamquam præcipua, & intolerabilis amaritudinis mala iudicare. *idem.*

Lucius Sophista. Herodes sophista vxoris Regillæ mortem luxit impotentius, adeo vt picturas, & ornamenta domus coloribus atraret, velis pullis tegeret, ac lapide Lesbio obscuraret, omnia nam is funestus, ac niger est. Quodam igitur die, cum Lucios, qui frustra conatus fuerat Herodi persuadere, vt lugeret moderatius, pueros videret in fonte ædibus vicino lauantes raphana, rogabat, cui pararetur ea cœna? qui responderunt Herodi. Tum Lucius: iniuriam facit Regillæ, qui albis radiculis vescatur in atra domo. Id vbi renunciatum est Herodi, amouit ab ædibus funestam speciem, ne apud probos viros traduceretur. *Philo. Iras. in Sophist.*

Sextus Philosophus. dolorem ex prioris filiæ Panathenaidis obitu conceptum, vtcumque leniuerant Athenienses, intra vrbem

eam

eam ſepelientes: & obitus diem ceu funeſtum ex anno ſuſtollentes. Cæterum cum Elpinicen alteram filiam exanimem in decore lugeret, proiectus humi, ac vociferans: Quas inferias tibi faciam filia? quid tecum ſepeliam? Superueniens Sextus Philoſophus: Maximum, inquit, munus dederis filiæ, ſi moderatè lugeas. *Philoſtratus.*

Demonax Herodem Sophiſtam immodicè lugentem Pollucis obitũ præmaturum, cum vellet illi currus, & equos velut aſcenſuro iungere, atque etiam cœnam apparare, adijt Demonax. En tibi, inquit, à Polluce literas, exhilarato Herodi, & quid vellet Pollux ſciſcitanti: Incuſat, inquit, te, quod cunctaris ad ipſum venire, ſignificans, Pollucem ad ipſum non rediturum: ſed rectè parari curruum, ſi vellet ſequi defunctum. *P. M. lib. 8. apoph.*

Quirinus Sophiſta. Amicis eum de morte filij conſolantibus: Quando, inquit, potius apparebo vir, quam nunc? Sentiens, dolorem quidem eſſe acerbum, ſed hoc fortitudinis laudem fore ſplendidiorem. *Philoſtratus.*

Anonymus. Hominem Spartanum, ſed ruri agentem quidam obiorgauit, quod prorſus fletui, & lachrimis ex intimis viſceribus manantibus indulgeret. At is libere, reiectaq; animi diſſimulatione, reſpondit; Quid facerem, inquiens: non enim ego, ſed natura mea mihi luctum excutit. *Ælian. lib. 8. de var. hiſt.*

Amaſis ad quemdam filio priuatum dixit: Si non triſtatus es, cum nondum filius eſſet, ne nunc quidem dolere debes, cum non amplius eſt. *Stob. ſerm. 121.*

Demonax quemdam filij mortem inconſolabiliter lugentem, & in tenebris abditum, adit, certo promittens ſe filij vmbram ab inferis reuocaturum, ſi tres ex hominum numero ſibi nominare poſſet, qui nullius luxiſſent obitum. Cumque is cogitationẽ per omnes notos circumferens, ne vnum quidem reperiſſet luctus expertem: Quid igitur, inquit, te ipſum diſcrucias homo, quaſi nouum aliquid acciderit? *P. M. lib. 8. apoph.*

SIMILITVDINES.

Auari, cum multa congerant, non fruuntur præſentibus, ſublata deplorant: ſic qui lugent extinctos, viuis non fruuntur. *Plut.*

Vt ſuus cuique arbori fructus: Ita luctus non eſt alius fructus, quam lachrimæ. *Plut.*

Vt ſemel admiſſum intra hoſpitem, non facile expellas: Ita luctum receptum tua ſponte non poſſis, cum velis, depellere. *Plut.*

Qui lippiunt, aut alioqui laborant oculis, non ſinunt alios admoliri manum: at qui lugent, quibuſuis ſeſe tractandos exhibent, vt malum, quo laborant, exacerbetur. *Plut.*

Vt multis conducit, ſi ſe ad lucem conferant à tenebris: Ita lugentibus, ſi à triſtibus cogitationem ad læta transferant. *Plut.*

Luctus, ſiue *Lugentium exempla*: Abraham luget Saram, *Gen. 32. 2.* Iacob Ioſephum, *37. 33. 34.* filij Iacob patrem, *50. 10.* Iſraelitæ transgreſſionem, *Exod. 33. 4. Num. 14. 39.* Moſis obitum, *Deut. 34. 8.* filiam Iephthæ, *Iud. 11. 39. 40.* Samuelem Saulem, *1. Sam. 15. 25.* Iſraelitæ Samuelem, *1. Sam. 28. 3.* Dauid Saulem, & Ionatham, *2. Sam. 1. 17.* Iudæi Abiam, *1. Reg. 14. 17. 18.* Ioſiam, *2. Chron. 35. 24.* Sacerdotes publicam calamitatem, *Ioel. 1. 8.* Ieremias vrbis, & templi excidium, *in Lament. à c. 1. ad finem libri.*

Vide Mœror, Triſtitia.

LVDVS.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

LVdus dicitur in factis, inquit Valla, iocus in verbis. Græcè παιδιὰ, à verbo παίζω, ludo. Paucis multa complexus eſt Etymologici trilinguis Lugdun. collector. pag. 36. & 37. Hebræas & Græcas voces, diſtinctiones item & acceptiones varias, tum verbi, tum nominis diligenter indicans. Pauca quædam delibare viſum eſt, vt lectori ſaliuam moueamus. Ludorum, ſeu exercitiorũ publicorum varia nomina, & ſpectacula fuerunt, & ſunt apud populos innumeros, à Lydis qui ex Aſia in Hetruriam traieciſſe leguntur, ludos fuiſſe dictos quidam exiſtimant. At ludus pro ioco, riſu, cachinno, irriſione, illuſione, ſumitur. Latini ludere, ludos ludificabiles facere dicunt. Galli vario admodum ſenſu efferunt hæc verba, *iouer, ſe iouer, iouer des ieux, ſe iouer de quelqu'vn, &c.* Hebræi Ludum, ſeu irriſionem *Sechoq*, appellant, à verbo *Sachaq*, deriſit, riſit, luſit, cachinno dicta, vel facta proximorum excepit. Græc. συγχλεύομαι, & συγχλευάζομαι: derideo, ludo, & per radicis Hebraicè metatheſin (idiotiſmorum variorum mutationibus familiarem) καγχάζω, cachinnor, & generali verbo παίζειν, ludere, illudere, ludos facere, ἐμπαίζειν, Gall. *Se truffer de quelqu'vn.* καταμωκᾶσθαι: & nomen παιδιὰ, à verbo alio Hebræo *Tſachaq*, quod in bonam, & malam partem ſumitur, fluit *Tſechoq*, riſus, ludus, ſubſannatio, *Gen. 21. 6. Ezech. 23. 32.* Præterea Hebræi ludicra, puerilia exercitia, luſiones vocant *Tahhalulim*, id eſt, infantias, quod Galli dicunt *ieux d'enfans, enfantillages.* Infantes apud Eſaiam *c. 3. vers. 4.* appellantur *Tahhalulim*, nempe filij annorum multorum, qui prudentia vacui, ſtultitia pleni alios regere ſummo cum opprobrio ſtudent. Infantes (inquit ſacer vates) imperitabant eis: nomine deducto ab *Halal*, verbo, id eſt, infantiliter locutus eſt. Hinc Græc. λαλέω loquor, vt infans, garrio. Quid autem fuerũt, & ſunt ludi plerique ferè omnes, tum in dictis, tum in factis conſiſtentes, aliud quam nugæ canoræ, infantiæ, ludi ludificabiles, exercitia ludicra, ſed & vt plurimum noxia?

Spectaculum ſacrum, & ludus Deo gratiſſimus deſcribitur, *2. Sam. 6. 2. &c.* Dauide coram arca Dei ludente, & ſaltante contra ludos plane Aegyptiacos legimus, *Exod. 32. 6.* Iſraelitis poſt epulas coram vitulo aureo ludentibus, & choreas ducentibus.

SENTENTIAE POETICAE.

Horat. 1. Epiſt. 19.

Ludus enim genuit trepidum certamen, & iram:
Ira truces inimicitias, & funebre bellum.

Ouid. 2. Art.

Sic ne perdiderit, non ceſſat perdere luſor,
Et reuocat cupidas alea ſæpe manus.

Ouid. 3. Art.

Tunc ſumus incauti, ſtudioq; aperimur ab ipſo,
Nudaque, per luſus pectora noſtra patent.
Ira ſubit, deforme malum, lucriq; cupido,
Iurgiaque, & rixa, ſollicituſq; dolor.
Crimina dicuntur, reſonat clamoribus æther,
Inuocat iratos, & ſibi quiſque Deos.
Nulla fides tabulis, quæ non per vota petuntur.
Et lachrimis vidi ſæpe madere genas.

Hor. ſerm. 51.

Luſum it Mæcenas, dormitum ego, Virgiliuſq;
Namque pila lippis inimicum, & ludere crudis.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Ludus aliquando ſtudij, requies eſt. *Plat. in Phileb.*

Ludos pueri qui mutant, viri facti aſſueti nouationibus, aliam vitam quærunt, ea quæſita alias leges cupiunt, ideo pueris perſuadendum eſt, non cupere alias imitationes in ſaltationibus, & in ludis: nec quis hoc ipſis perſuadeat, qui varias voluptates adducat. *Idem de leg. Dial. 7.*

Quia ei, qui laborat, neceſſaria eſt requies, & ludus requietis cauſa comparatus eſt, negociaque cum labore, & contentione animi coniuncta ſunt: ob eam cauſam iocus adhibendus eſt, obſeruata vſus eius occaſione, vt tamquam medicinæ loco adhibeatur. *lib. 8. de Repub. c. 3.*

Ludus relaxationis cauſa comparatus eſt, & relaxatio voluptate afficitur: quippe quæ moleſtijs ijs, quæ ex laboribus capiuntur medicinam afferat. *lib. 8. de Repub. c. 5.*

Multum ſtudij curæque ponere, & laborem ferre, vt ludas, ſtultum quiddam, & nimium puerile eſt. At ludere, vt ſerias res gerere poſſis, Anacharſidis ſententia æquum eſt. *lib. 10. Ethicor. cap. 6.*

Videtur in hominum vitam requies, & iocus inuectus neceſſario. *lib. 4. Ethic. c. 8.*

De pilæ ludo, DIAL. XXVI.

Franciſci Petrarchæ.

GAV.

At delectat pilæ ludus. R. En aliud clamandi ludibrium, ſaltãdique. G. Libenter pila luſito. R. Odioſa vobis (vt videtur) eſt requies, vndique labores aucupamini, decoros vtinam. Nam ſi exercitio ludus hic quæritur, vtrum precor honeſtiorem fatigationem furibunda iactatio, in qua nihil animo geri poteſt, an ambulatio tranquilla præſtaret, vbi & membrorum motus velox, & ingenij agitatio honeſta eſt? Quem morem Philoſophorum quidam ſic fecerunt ſuum, vt hinc ſecta famoſiſſima nomen ſumpſerit. An tu vero Dionyſium Syracuſium, quam Stagiritam Ariſtotelem ſequi mauis? quãdo ve ſtudioſa deambulatione Philoſophorum, ſic tyrannum ludo hoc turbido delectari ſolitum accepimus, quamuis & modeſtos interdum animos voluptas hæc ceperit. Itaque & Quintus Mutius Scæuola ille augur, elegantiſſimè hoc ipſum fecit, & diuus Auguſtus poſt finem ciuilium bellorum ab exercitijs campeſtribus ad pilam tranſijt. Et M. Aurelius Antonius (vt de eo ſcribitur) pila luſit apprime. Nec tamen vel quia ille diuini, atque humani iuris peritiſſimus, vel hi doctiſſimi, atque optimi principes fuerunt, ideo ludus præceps, & clamoſus placet. Siquidem motus omnis vehementior, præſertim ſi clamore permixtus ſit, honeſtum dedecet ingenium.

De ludo palaestrarum. DIAL. XXIX.

GAV.

Palaestricis delector ludis. R. Si spectator vanus, si luctator insanus. G. Palaestricis exercitijs vaco. R. In singulis verbis, cuius domini mancipium sis, apparet. Nempe haec, vt superiora corpori seruiunt, quod vt paulo ante commemini, & aliquando honestius sine impetu, & sine strepitu fieri potest. Et est agitatio quaedā animi nobilior, quam si nosses, hos corporeos conatus, & spernetes & odisses, sed vos animum quasi hospitem degenerem, atque inutilem, corpus vt dominum generosum, ac dilectum colitis, illi seruitis, illi metitis, illi aratis, iure id quidem, illud inuestitus, quod eo omnia referus, curaque animi posthabita noctes illi insomnes agitis, illi suspiratis, vota illi facitis, ingenuaque artes illi discitis, illi demum obsequiminii, ac seruitis sumptuosissimo dominorum omnium, atque ingratissimo, cui nec vmquam satis aliquid, nec si quid aliquando defuerit, vlla vmquam memoria sit accepti, huic tamen tali domino, quicquid iusserit, paretis, atque esuriente animo huic vni non tantum necessaria, sed superuacua vndique, ac nocitura conuehitis, neque ea solum, quae ad victum pertinent, ac vestitum, de quibus suo egimus loco, sed quae ad ludos etiam, variamque libidinem; non videntes, quam vestris aduersa consilijs ipsa sit veritas, quae disertissimo Ciceronis ore loquitur, vnde appareat, quod qui corpus negligit, non se ille, sed fragile caducumque domicilium, atqui animum, ille sese vere negligit. Neque enim tu es, quem forma ista declarat, sed mens cuiusque, is est quisque, non ea figura, quae digito demonstrari potest. G. Palaestrae delector exercitio. R. Quadrigatum ferunt, & equorum strepitus, & ardentes rotae per angustias inoffensae, & luctantiū plausus, atque collisio, oleum, sudor, puluis mirabilis, sed illa quidem oculorum, seu aurium, seu narium voluptas, hebetatque sensus indicium ingeos, qui si sanus integerque esset, non clamorum, atque tumultuum officinae, quas palaestras vocant, sed obseruatio diligens palaestrae huius, quam nascentes ingrediuntur, quam viuentes atterunt, vnde digrediuntur obeuntes, atque vtilior quaedam, honestiorque suauitas delectaret. G. Studio deditus sum palaestrico. R. Fuit haec quidem apud veteres non vlla magna gloria, sed tam magna, vt seni illi Rhodio Diagorae, qui & ipse palaestrita insignis fuerat, cum duos vno die filios palaestricis insignitos victorijs conspexisset, quasi nihil clarius iam restaret, quo aspirare posset in vita, Amicus alter Lacedaemonius fertur dixisse: Morere Diagora, non enim in coelum ascensurus es: tam magnum tamque altum censebat tres simul vnius familiae palaestritas esse. Leuicula prorsus, & Graecula verae laudis existimatio, sed communis adeo, vt magna etiam turbaret ingenia. Vnde & Plato tantus Philosophus Olympionices clarus fuit: Inque hac arte multis notus euentibus, adolescens tamen. Amplitudo quidem (vnde Platonis nomen ortum putant) robusque corporis, & aetatis feruor innuenilem animum impulerant ad experimentum virium, vbi cū sum mis quoque par esset, accessu temporis cognito, quid ageret, ad meliora se transtulit, Socratique similes fieri maluit, quam Miloni, & facile multa aetas excusat. Facile teneris annis ignoscitur. Vanitatis excusatio nulla est viro. G. Palaestrae studium delectat. R. In hoc saepe vilissimus omnium superior fuit, & corporea mole animi virtus est oppressa. Quem tu mihi ducum, vel heroum proferes, quem Milo non superet? qui per stadium bouem viuum gestans humeris cucurrit, eumdemque nudae ictu manus occisum vno die solus haud grauatim integrum comedit. Mira res dictu, sed apud historicos vulgata. Quis huic igitur in palaestrae tuae regno par occurreret? Atque nihil indignius, quam generosos spiritus tali belluae succumbantes cernere, & idcirco nobilibus animis bene sibi sidentibus summopere prouidendum est, ne sua sponte descendant, vbi ab ignauissimis vinci queant. Quin tu, si comestionibus gaudes, id tibi lume certamen, in quo semper fere superior, qui melior, non decorporum viribus, aut omnino de re vila, vbi peior idem esse potest, & victor, non de opibus ergo, non de dignitate, non de potentia, sed de scientia, ac virtute contende, atque eo animosius, nō vt cuiusquam famae obstrepas, sed vt alienae laudis aemulatio tibi sit calcar ad gloriam: Nullae ibi sint penitus partes inuidiae, sed virtutis. Habes & hic exemplum Catonis huius vltimi, de quo Crispus, non diuitijs, inquit, cum diuite, neque de factione cum factioso, sed cum strenuo de virtute, cū modesto de pudore, cum abstinente, de innocentia certabat. Honestissimū hoc palaestrae genus, quo te exerceas, non tantum Olympiae, sed vbique, non minus in thalamo, quā in foro, nec minus in ocio, quam in actu, neque cum praesentibus modo, sed cum absentibus quoque, cumque aetatum omnium, ac terrarum viris illustribus, semper enim memorabile, ac magnificum illud Scipionis apud Liuium iudicaui. Maximo, inquit, cuique id accidere animo certum habeo, vt se non cum praesentibus modo, sed cum omnis aeui claris viris comparet. Tu quoque vel de grege praesētiū si occurrat, quod vix spero, vel ex omni memoria vetustatis quē libet tibi parem delige, cum quo non viris, aut coestibus, sed ingenio, ac virtute luctabere sine metu periculi, sed immarcescibilis spe coronae: hoc de palaestris consilium: haec sententia mea est.

Homines, quamuis in rebus turbidis, tamen si modo homines sint, interdum animis relaxantur. *Cic. 2. Phil.*

Ocij non minus, quam negocij ratio extare debet. *Idem pro Plancio.*

Cū iuuenes relaxare animos, & dare se iucunditati volent: caueant intemperantiam, meminerint verecundiae. *Cic. 1 Offic.*

Ludendi est quidam modus retinendus: vt ne nimis omnia profundamus, elatique voluptate, in aliquam turpitudinem dilabamur. *Cic. 1 Offic.*

Ludo, & ioco vti illis quidem licet, sed sicut somno, & quietibus caeteris, tum, cum grauibus serijsque rebus satisfecerimus. Ipsumque genus iocandi non profusum, nec immodestum, sed ingenuum, ac facetum esse decet, non profusum, nec immodestum. Et semper in ipso ioco aliquod probi ingenij lumen eluceat. *Cic. 1. Offic.*

Datur concessu omnium huic aliquis ludus aetati, & ipsa natura profundit adolescentiae cupiditates: quae si ita erumpunt, vt nullius vitam labefactent, nullius domum euertant, faciles & tolerabiles haberi solent. *Cic. pro M. Caelio.*

Datur aliquid aetati, sit adolescentia liberior, non omnia voluptatibus denegentur: non semper superet vera illa, & directa ratio: vincat aliquando cupiditas, voluptasque rationem, dummodo illa in hoc genere praescriptio moderatioque teneatur: parcat iuuentus pudicitiae suae, ne spoliet alienam, ne effundat patrimonium, ne foenore trucidetur: ne incurrat in alterius domum, atque famam, ne probrum castis, labem integris, infamiam bonis inferat: ne quem interimat, ne intersit insidijs, scelere careat: postremo, cum paruerit voluptatibus, dederit aliquid temporis ad ludum aetatis, atque ad inanes hasce adolescentiae cupiditates: reuocet se aliquando ad curam rei domesticae, rei forensis, Reipub. vt ea, quae ratione antea non perspexerat, satietate abiecisse, experiendo contempsisse videatur. *Pro M. Caelio.*

Si volumus, magna saepe intelligemus ex paruis, ex oculorum obtutu, ex remissis, aut contractis superciljs, ex moestitia, ex hilaritate, ex risu, ex locutione, ex contentione vocis, vel summissione, & caeteris similibus, facile iudicabimus, quid eorum aptum fiat, quidue ab officio discrepet. *Cic. in Rhet.*

Sicut pueris non omnem ludendi licentiam damus, sed eam, quae ho nestis actionibus non sit aliena, sic in ipso ioco aliquod probi ingenij lumen eluceat. *lib. 1. de Offic.*

Non ita generati a natura sumus, vt ad ludum, & iocum facti esse videamur, sed ad seueritatem potius, & ad quaedam studia grauiora, atque maiora. *ibid.*

APOPHTHEGMATA.

Socrates. Cum luderet supposita cruribus arundine cum pueris, ab Alcibiade irrisus: Noli, inquit Socrates, cuiquā dicere, quod modo a me videris, donec ipse tibi etiam liberos procreaueris. Sensit Socrates, paternum in filios suos affectum, quo eo ductus est, vt cum filijs ludere nequaquam erubuerit, vir alioqui sapientissimus. *Brus. lib. 3. c. 38. Fuit & aliq idem Agesilao adscribunt.*

Demonax. Senex quidam Romanus bene robusto corpore, qui armatus fere ad palum exercebatur, rogauit Demonactem, num magna vehementia videretur depugnasse? Nimirum inquit, aduersus hostem ligneum. Innuens, illum in vera pugna fore meticulosum. *P. M. l. 8. apoph.*

C. Caesar pila ludens cum Caecilio, acceptis ab eo quinquaginta sestertijs, cum collusoribus: Ijs centum dedisset: Quid, inquit, nū ego vna tantum manu lusi? *Brus. l. 3 c. 18.*

Caligula alea ludens, plus mendacio, atque etiam periurio lucrabatur, & quodam tempore proximo collusori demandata vice sua, progressus in atrium domus, cum praetereuntes duos equites Romanos locupletes, sine mora corripi confiscarique iussisset, exultabundus in domum rediJt, glorians se numquam prosperiore alea vsum. *P. M. lib. 6. apoph.*

SIMILITVDO.

Chrysostomi. Idem accidit perinde, ac si quis expurgare locum velit, in quem fons superpositus coenum superne demittat. Nam quantacumque purgaueris, rursum aliud influit: Idem & hic accidit. Cum ingressus a theatris immunditiam reportantes expiauerimus, eo rursus abeuntes, maiorem suscipiunt faedem, &c. *Homil. 40.*

LVCRVM.

DEFINITIO, ET ETYMOL.

Lucrum, Graecè κέρδος κτητόν, & κερδαίνω lucror dicitur. A quo verbo venit Cerdo, nempe quicumque artes illiberales exercet quaestus gratia, qui Graecè κερδαλέος hoc est, astutus, & quasi κερδώος dicitur. Cercopa Graeci vocant, quem nostri lucrionem vocant, id est, lucrari vndique cupientem.

Lucrum, Quæstus, commodum, compendium, vtilitas. Hebr. *Betsabh*, corrasio, lucri captatio, auaritia, vbi opes per fas, & nefas colliguntur: a verbo *Batsabh*, rasit, abrasit, corrasit, & metaphoricè, studuit auarinæ pecunias corradendo. Vide *Iob* 27.8. *Ps.* 10.3. & 119. *in litera* נ. *Prou.* 15.27. *Ezech.* 22.12.27. *Ier.* 22.17.

Lucrum eximium, *Matth.* 18.15. 1. *Cor.* 9.20. *Philip.* 1.21. & 3.7.8. Lucrum damnosum, 1. *Tim.* 3.8. *Tit.* 1.7.11. 1. *Petr.* 5.2.

Sententiæ Poeticæ.

Plautus in Asinaria.

Necesse est facere sumptum, qui quærit lucrum.

Hesiodus.

Μὴ κακὰ κερδαίνειν· κακὰ κέρδεα ἶσ' ἄτῃσιν.
Noli male lucrari, mala lucra æqualia damnis.

Βίον πόριζε πανταχόθεν, πλὴν ἐκ κακῶν.
Victum acquire vndique præterquam ex malis.

Βέλτιστον οὐ τὸ κέρδος ἐν πᾶσι σκοπεῖν.
Optimum est lucrum non spectare in omnibus.

Ἦθος πονηρὸν φεῦγε καὶ κέρδος κακόν.
Morem malum fuge, & lucrum malum.

Κέρδος πονηρὸν μὴ λαβεῖν βούλου ποτέ.
Lucrum malum ne capere velis.

Κέρδος πονηρὸν ζημίαν ἀεὶ φέρει.
Lucrum malum damnum semper fert.

Τὰ μικρὰ κέρδη μείζονας βλάβας φέρει.
Paruum lucrum maiora damna fert.

Τὸ κέρδος ἡγοῦ κέρδος, ἂν δίκαιον ᾖ.
Lucrum puta lucrum, si iustum sit.

Τὰ δ' αἰσχρὰ κέρδη συμφορὰς ἐργάζεται.
Turpia autem lucra calamitates pariunt.

Sophocles in Aiace.

Μὴ χαῖρ' Ἀτρείδη κέρδεσιν τοῖς μὴ καλοῖς.
Ne gaudeas Atride lucris non honestis.

Plaut. Pseud.

Si lucri quid detur, potius rem diuinam deseram.

Terent. Adelph.

Pecuniam in loco negligere maximum interdum est lucrum.

Ouid. 2. Remed.

Munera, quæ dederas, habeat sine lite iubeto:
Esse solent magno damna minora bono.

Plaut. Capt.

Non ego omnino lucrum omne esse vtile homini existimo.
Scio ego multos iam lucrum luculentos homines reddidit.
Est etiam vbi profecto damnum præstat facere, quam lucrum.
Odi ego aurum, multa multis sæpe suasit perperam.

Iuuenal. 14. Satyr.

Nec credas ponendum aliquid discriminis inter
Vnguenta, & corium: lucri bonus est odor ex re
Qualibet.

Hor. 4. Carm. 12.

Verum pone moras, & studium lucri.
Nigrorumque memor dum licet ignium.

Homer. 7. Iliad.

Parua lucra maiora detrimenta afferunt:
Spes mali lucri, initium est iactura.

Xenophon.

Lucrum iustitiæ præferunt impij.

Hesiod.

Turpia lucra fuge: nam sunt æqualia damnis.

Tibull. Eleg. 9. lib. 2.

Lucra petens habili tauros adiungit aratro.
Et durum terræ rusticus vrget opus.
Lucra petituros freta per que patentia ventis
Ducunt instabiles sidera certa rates.

Sententiæ Philosophicæ.

Auarus animus nullo satiatur lucro. *Sen. epist.* 95.

Nullius, nisi ex alterius damno, quæstus est. *Idem de Ira, l.* 2.

Sordidi putantur, qui mercantur a mercatoribus, quod statim vendant: Nihil enim proficiunt, nisi admodum mentiantur. *Cic.* 1. *Offic.*

Malo emere, quam rogare.

Emptum cum male est, semper pœnitet. *Act.* 6. *in Verr.*

Quid non facit, aut patitur mercator? *Plin. Iunior.*

Lucrum turpe, accusatio naturæ est: omnis homo lucri cupidus est. *Plutarch.*

Lucrum est indigentiæ auxilium. *Arist. Ethic.* 8.

Fidelis terra, infidele mare, insatiabile lucrum est. *Demetr.*

Damnum potius, quam turpe lucrum est eligendum. *Diogen.*

Nisi lucrum esset, nemo improbus esset. Non in omnibus lucrum tibi proponas. *Deiphobus apud Volater.*

Lucrum quodlibet in magnanimo duce non est probandum. *Amm. Marcellin. lib.* 30.

Magnam vim in hominum natura cum alia habent multa, tum nihil est lucri cupiditate ad cogendos animos valentius. *Pausl.* 4.

Aduersorum casuum aciem, & ardorem lucrum obtundit. *Heliodor. lib.* 2.

Iudico lucrum esse pulcherrimum, quod cum nulla iactura præbentis ditiorem efficit accipientem. *Idem. lib.* 5.

Impudentiam definire licet, famæ neglectum, turpis lucri gratia. *Theophrastus in charact. Ethicis.*

Iustitiæ commutatiuæ, quæ in cótractibus, & permutatione rerum seruat proportionem arithmeticam repugnat turpe lucrum, idque multiplex: vt fraus varia in pactis, vsura propter mutuationis officium supra sortem exacta, rapina, sacrilegium, contractus iniusti, explicationis immoderatæ, merces iniqua, stipendiũ iniustum, ignauia seruorum publicorum, & priuatorum, mendicitas improba; Omne denique lucrum iniustum, quod male partum, male dilabitur. de quo fertur Hesiodi versus.

Non male lucreris: mala lucra æqualia damnis.

Apophthegmata.

Thales nolebat homines per iniuriam ditescere, quod lucrum fraude partum, damnum sit, non lucrum. *Laert. lib.* 1. *c.* 1.

Chilon dicere solebat, damnum turpi lucro semper præferendum esse. Illud enim semel dolere, hoc autem semper iactura facta sarciri commodè potest, addita industria: fama autem mala ex lucro inhonesto profecta, numquam apud bonos viros diluitur. Et sic lucrum scelere, damnum est, non lucrum. *Laert. l.* 1. *c.* 4. *Stob. serm.* 2. *Ant. par.* 1. *serm.* 31. *Melissa.*

Anonymus. Quoniam ex annonæ charitate quidam ditescebant aulici, multum & hinc inuidiæ Neroni conflatum est: cum itaq; forte accidisset, vt in publica fame diceretur Alexandrinam nauim appulisse: quidam dixit, illam aduexisse puluerem luctatoribus aulicis. Quo dicto simul notatum est, in Cæsare rerum scenicarũ studium, & monopolia quorumdam per Cæsaris fauorem publico damno lucrantium. *Sueton.*

Adagia.

Vsuræ nauticæ.

De Lucro turpi, & iniusto sæpius dicitur, quod vsura nautica sortem ipsam aliquoties æquent, imo etiam superent.

Tribulis potiora.

Dicebatur, quando quis ex malefactis & iniquitate commodum ingens reportaret.

Similitudines.

Socrates. Qui lucrum factis turpibus acquisitum honestis administrationibus expendentes accommodant, simile quiddam faciunt cũ illis, qui sacrilegia in diuinos cultus conuertunt. *Apud Stob. serm.* 3. *de temperantia, & Anton. Max. in Melis. par.* 1. *serm.* 35.

Seneca. In labyrintho properantes ipsa implicat velocitas: Sic qui vitæ commodis student, magis inuoluuntur incommodis. *Apud P. M.*

P. M. Qui tigridis catulos rapuit, bene secum agi putat, si vel vnum insequenti matri auferat impune: Ita qui alienam inuasit possessionem, etiamsi cogatur reddere, lucrum tamen facit, si vel portionem aliquam retineat. *In Simil.*

Alutarium piscem semper sequitur piscis nomine Sargus, qui illo cœnum fodiente, excitatum deuorat pabulum: Ita sunt, qui se misceant alienis negocijs, vt eis laborantibus fructum ipsi præripiant. *In Simil.*

Fabula.

Cornix, & Canis.

Cum rem diuinam faceret cornix, pecude Mineruæ mactata, ad cœnam inuitat canem. Quid tu vero Deam, canis inquit, frustra sollicitas, & sine causa sumptus facis? Ita enim illa te vehementer odit, vt ex omnibus tui generis animantibus vni tibi fidem augurij detraxerit. Ideo igitur, cornix inquit, huic sacra fero, vt mecum placata in gratiam redeat.

Docet fabula, esse multos, qui lucri spe inimicos colere, & munerari non dubitent.

Vide Auaritia, Diuitiæ.

LVMEN. LVX.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

LVmen, Græcè φῶς, φωτός, τὸ. φωστὴρ, ῆρος, ὁ, luminare dicitur. Est autem lumen qualitas inhærens diaphano, secundum quam diaphanum est actu transparens, *secund. Aristot. lib.* 2. *de anima.*

Lumen est color perspicui, secundum accidens, per aliud, scilicet à corpore lucido, *secund. Arist. lib. de sensu, & sensato.*

Luminare dicitur esse corpus lucens, & radios emittens, vt Sol, Luna, & omnes stellæ. Non corpus diaphanum, nec opacum. *Ex B. Thom.* 2. *sent. dist.* 15. *q.* 1. *art.* 1.

Est lux non corpus, nec est euidentia coloris, *secundum S. Thom. 1. par. q. 67. art. 2.*

Lux differt à lumine, radio, & splendore, *secundum eumdem, secund. sent. dist. 13. q. 3.*

Loci Biblici.

Lumen, *proprie* est lux à Deo primo opificij die creata, vel postea humano artificio accensa, tenebras exteriores illustrans. Naturale & artificiale lumen frequenter propositum occurrit in sanctis scripturis. Vide 1. *cap. Genes. Esa.* 13. 10. *Ierem.* 31. 35. *Ezech.* 32. 7. *Matth.* 10. 27. & 24. 29. *Luc.* 8. 16. *Actor.* 16. 29. *Ephes.* 5. 13. *Apocal.* 21. 5.

Lumen *figurate* dicitur *Oculus*, & videndi facultas, *Iudic.* 16. 28. *Psal.* 38. 11. Lux cœlestis, *Act.* 12. 7. & 22. 9. 11. & 26. 13. *Apocal.* 21. 11. Christus redemptor, nobis via ad felicitatem, veritas ad salutem, vita ad gloriam æternam, *Esa.* 6. 1. 3. *Luc.* 2. 32. *Io.* 1. 8. & 12. 33. *Apoc.* 15. 24. Deus Israelitas illuminans, & sanctificans, *Esa.* 10. 17. Doctor veritatis, *Rom.* 2. 19. Lætus rerum successus, ex Dei benignitate fluens: pax & prosperitas gloriosa, *Iob* 22. 28. & 25. 3. & 29. 3. *Psal.* 4. 7. & 36. 10. & 89. 16. & 112. 4. *Esa.* 58. 8.

Lumen, lux spiritualis, seu cognitio veritatis in verbo Dei patefactæ, *Psal.* 112. 104. *Esa.* 2. 5. & 50. 10. *Ioan.* 8. 12. *Act.* 26. 13. 1. *Petr.* 2. 9. 1. *Ioan.* 2. 8. 10. Lux naturalis in conscientia, *Iob* 24. 13. Intelligentia, seu sapientia carnis, quam animalis homo veritati diuinæ opponit, *Esa.* 50. 11. Mentis iudicium, ratio, *Matth.* 6. 23. *Luc.* 11. 35. Regnum cœleste, in quo lux gratiæ, gloriæ, & vitæ beatæ, *Coloss.* 1. 12. Spes liberationis, *Amos* 8. 9. Vita humana, pace quadam externa gaudens, *Prou.* 20. 21. *Ier.* 25. 16. Dona spiritualia nobis collata, *Iac.* 1. 17.

Lux, Hebr. *Or.* & *Orah*, lumen, luminare: in plurali *Oroth*, luminaria. *Vrim* dicti sunt duodecim lapides preciosi in pectorali summi sacerdotis sub lege fulgentes, & lucentes sicut flamma ignis. *Vr* etiam nominatur focus in quo lucet, & fouetur ignis, aut flamma. Inde Lat. Vro. Lux enim illuminat, calefacit, & vrit. Plura de Luce, & lumine suppeditat studioso lectori Etymologicon trilingue Lugduni editum, *pag.* 441. & 442.

Lux pro doctrina Euangelij, *Actor.* 26. 23. pro Filio Dei, *Ioann.* 1. 8. pro lucis ipsius creatore, *versic.* 5. pro vi illa rationis, & intelligentiæ in hominum animis accensa, *versic.* 4. pro cognitione gloriæ Dei, 2. *Corint.* 4. 6. pro cœlesti gloria, & spirituali Angelorum intelligentia, 2. *Cor.* 6. 14. pro vitæ sanctimonia, *Matth.* 5. 16. Lux est Christus, *Esa.* 9. 2. & 42. 6. & 49. 6. & 60. v. 1. 19. *Ioann.* 1. 5. 8. 12. & 9. 5. & 12. v. 35. 46. 1. *Ioann.* 1. 5. & 2. 8. Lux sunt & Christiani, *Prouerb.* 4. 18. *Matth.* 1. 35. *Roman.* 2. 19. *Ephes.* 5. 8. *Philip.* 2. 15. idque quibus de causis. Lux sunt gentes post Christum cognitum, *Ephes.* 5. 8. in luce incedere, 1. *Ioan.* 1. 7. dicuntur fideles, quatenus ipsis radij illius lucis, quæ ibidem esse, & in qua dicitur Deus, ad æternam beatitudinem contendentibus prælucent: Lucis opera omnis bonitas, *Ephes.* 5. 9. societatem cum illa habere, 1. *Ioan.* 1. 7.

Lumen est Euangelium, *Act.* 16. v. 18. 23. Lumen pro præstanti, & eximio bono, *Iac.* 1. 17.

Luminaria, Sol, Luna, & stellæ creantur, *Gen.* 1. 14. Luna creatur, *Gen.* 1. 16. Lunam adorantes occidebantur, *Deut.* 3. 5. Luna coram Deo splendida non est, *Iob* 25. 5.

Lunæ officium, *Gen.* 16. *Psal.* 103. 20. Lunæ & alijs stellis sacrificat populus, *Ier.* 44. 18. Lunæ gloria alia, quam Solis, 1. *Cor.* 15. 41.

Sententiæ Biblicæ.

Lux Deus in se incomprehensibilis.

In manibus abscondit lucem, & præcepit ei, vt rursus adueniat. Annunciat de ea amico suo, quod possessio eius sit, & ad eam possit ascendere. *Iob* 36.

Amictus lumine sicut vestimento. *Psal.* 103.

Ego sum lux mundi. *Ioan.* 8.

Lucem habitat inaccessibilem, quam nullus hominum vidit, sed nec videre potest: cui honor, & imperium in sempiternum. 1. *Timoth.* 6.

Quoniam Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ. 1. *Ioan.* 1.

Lux gratiæ illuminat intellectum.

Multi dicunt, quis ostendit nobis bona? Signatum est super nos lumen vultus tui. *Psal.* 4.

Domine in lumine vultus tui ambulabunt. 88.

Exortum est in tenebris lumen rectis. 111.

Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis. *Esa.* 9.

Dedi te in lucem gentium: vt sis salus mea. 49.

Quis ambulauit in tenebris, & non est lumen ei? speret in nomine Domini, & nitatur super Deum suum. 50.

Surge illuminare Ierusalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est. 60.

Surgam, cum sedero in tenebris, Dominus lux mea est. *Mich.* 7.

Terra Zabulon, & terra Nephthalim, via maris trans Iordanem Galilææ gentium: populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam. *Matth* 4.

Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. *Ioan.* 1.

Surge, qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. *Eph.* 5.

Infert animæ affectum.

Emitte lucem tuam, & veritatem tuam. *Psal.* 42.

Lux orta est iusto, & rectis corde lætitia. 96.

Domus Iacob venite, & ambulemus in lumine Dei nostri. *Esa.* 2.

Et ambulabunt gentes in lumine tuo. 60.

Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi. *Ioan* 9.

Ambulate, dum lucem habetis, vt non vos tenebræ comprehēdant. Et qui ambulat in tenebris nescit quo vadit. Dum lucem habetis, credite in lucem, vt filij lucis sitis. 12.

Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, vt filij lucis ambulate. Fructus enim lucis est in omni bonitate, & iustitia. *Ephes.* 5.

Vos autem fratres non estis in tenebris, vt vos illa tāquam fur comprehendat. Omnes enim vos filij lucis estis, & filij diei. Non sumus noctis, neque tenebrarum. Igitur non dormiamus sicut cæteri, sed sobrij simus, & vigilemus. 1. *Thess.* 5.

Si dixerimus, quoniam societatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur, & veritatem non facimus. Si autem in luce ambulamus, sicut ipse est in luce, societatem habemus ad inuicem. 1. *Ioan.* 1.

Iterum mandatum nouum scribo vobis, quia verum est, & in ipso, & in vobis: quia tenebræ transierunt, & verum lumen iam lucet. Qui dicit se in luce esse, & fratrem suum odit, in tenebris est vsque adhuc. Qui diligit fratrem suum, in lumine manet, & scandalum in eo non est. 1. *Ioan.* 2.

Lux gratiæ malis est odibilis.

Ipsi fuerunt rebelles lumini, nescierunt vias eius. *Iob* 24.

Auferetur ab impijs lux sua. 38.

Hoc est autem iudicium, quia lux venit in mundum: & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem: Omnis enim, qui male agit, odit lucem: & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius. *Ioan.* 3.

Lux naturalis iucunda.

Erat Tobias: Quale gaudium mihi est, qui in tenebris sedeo, & lumen cœli non video? *Tob.* 5.

Lux oculorum lætificat animam. *Prou.* 15.

Dulce lumen, & delectabile est oculis videre solem. *Eccles.* 11.

Ego Dominus, & non alter, formans lucem, & creans tenebras, pacem, & creans malum. *Esa.* 45.

Lux exemplaris.

Lux oculorum exhilarat cor. *Prou.* 15.

Vos estis lux mundi. Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem, qui in cœlis est. *Matthæi* 5.

Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, vt manifestentur opera eius, quia in Deo sunt facta. *Ioan.* 3.

Ille erat lucerna ardens, & lucens. 5.

Philosophicæ Sententiæ.

Lumen ex ipso bono est, & bonitatis imago. Ideo ipsum bonum luminis cognomento laudatur, tamquam imagine quadam exemplar expressum. *Dionysius Areopagita de diuin. nomin.*

Lumen est actus quidam lucidi corporis ad extrema procedens, & ipsum lumen talibus corporibus insitum, quæ primo talia sunt, est essentia secundum speciem corporis primo lucidi. *i. id.*

Lumen vbicumque sit, est actus diaphani, in corpore luminoso, est actus tamquam forma, & qualitas eius propria, in diaphano non luminoso naturaliter lumen intromittitur, non tamquam huius forma, vel passio vera, sed quasi passio. *Prisc. in Theo. c.* 18.

Lumen non est corpus, cum repente totum impleat orbem, sine vlla offensione, aeris, & aquæ corpus penetret, & sordibus immixtum non inficiatur, quæ corporum naturæ nō conueniunt. *Plato.*

Lumen est actus, perfectio rei perlucidæ, quæ ex parte perlucida est. Lumen quasi color est naturæ translucidæ. *libro* 7. *de anim. cap.* 3. *T.* 69.

Natura, quæ re ipsa perlucidum aliquid reddit, lumen est. *ibidem T.* 73.

Lumen & tenebræ sic inter se affecta sunt, vt contraria esse videantur. *ibid.* 70.

Absque lumine nihil cernere oculis licet. *lib.* 3. *de anim. c.* 3. *T.* 162.

Luminis quidem natura in non definita, ac terminata re, quæ perlucida sit, cohæret. *lib. de sens. c.* 3.

LVXVRIA; LVXVS.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

LVxuria, Græcè *ἀσωτία, ας, ἡ, & ἀσώτως*, luxuriose, & *ἄσωτος, ου, ὁ*, luxuriosus. Hebr. Luxuna, & Luxus ijsdem vocibus designantur. 1. *Serach*, excessus, *Exod.26.12.* à verbo *Sarach*, extensus est in latitudinem, superabundauit in latum, excessit, redundauit. Vt auaritia in defectu, ita luxus in excessu rerum peccat. 2. *Haghab*, amor inordinatus, & insanus, qualis est luxuriosorum, & luxui addictorum, à verbo *Haghab*, flagrauit amore insano. 3. *Tazenuth*, fortasse a verbo *Zanan*, scortatus est, epulatus est, cœnauit laute: nam sine Cerere, & Baccho friget Venus. Luxuriosus ab Hebræis *Zoneh*, id est, Scortator, ac comessator nominatur.

Luxus & Luxuria damnantur a lege Dei, *Exod.20.14. Matth.5.27. Marc.7.21.22. Rom.13.13. 2.Cor.12.21. Galat.5.18.19. Eph 4.19. & 5.18. 1.Pet.4.3. 2.Petr.2.7.18.*

Est autem luxuria solutio in voluptates, *secund. Isidor. l. Etym.*

Luxuria est concupiscentia experiendæ voluptatis, vel concubitus desiderium supra modum, vel cootra rationem afferens, *secundum Hugonem lib de Sacramentis.*

Luxuria est appetitus inordinatus venereorum, *secund. B. Thom. 2.2. q.153. & in q. de malo. q.15.*

Luxuria, siue luxuries, siue luxus est immoderata appetitio cuiuscumque rei gratæ, rationi non obtemperans. Capiturq; pro immoderata profusione. Cicero: *Intelligimus, quam sit turpe defluere luxuria, delicate ac molliter viuere.* Sumitur etiam pro nimia rei abundantia. Vnde luxuria quoque modo profundere, modo nimium abundare significat. Virg. *Luxuriem segetum tenera depascit in herba.* Reperitur etiam luxurior, luxuriaris, & luxor, luxaris in eadem significatione. Dicuntur autem hæc à luxo, quod significat soluo, à quo etiam luxa, & luxata membra dicuntur soluta, & suis locis mota. Item luxuriari, quorum membra suis locis mota sunt. *Althææ radix decocta luxatis prodest.*

Luxus, q.d. laxus, quod luxu perditi frenos voluptatibus laxent, & genio nimium indulgeant.

Luxuria principaliter est circa voluptates venereas: Secundario autem dicit excessum in alijs. *B. Thom. 2.2. q.153. art.1.*

Luxuria, luxus, luxuries, est lasciuia, petulantia, voluptatum deliciarumq; immodicus vsus, nimiaq; non modo in rem veneream, verum etiam in molliorem vestitum, lautioresq; epulas profusio.

DIVISIO.

Luxuriæ peccatum.
- *Mortale est, quandocumque est cum deliberatione.*
- *Veniale, quando non adest consensus rationis.*
- *Generale, quia habet species, quæ sunt:*
  - *Fornicatio.*
  - *Stuprum.*
  - *Adulterium.*
  - *Raptus.*
  - *Incestus.*
  - *Sacrilegium.*
  - *Vitium contra naturam est: à quo impossibilis est generatio prolis, & fit quatuor modis. Secunda Secundæ, quæst.154. art.15.*
    - *Si procuratur pollutio venerea delectationis causa, absque concubitu, & dicitur Mollities.*
    - *Si fiat cum illicite concubitu ad rem non eiusdem speciei, & dicitur Bestialitas.*
    - *Si fiat per concubitum, & indebitum sexum, & dicitur Sodomia.*
    - *Si non seruetur naturalis modus concumbendi, aut quantum ad instrumentum inconueniens, aut quantum ad alios bestiales, & monstrosos concumbendi modos: & est innominatum.*
  - *Impudicitia, quæ pertinet ad actus circumstantes actum Venereum, sicut oscula, tactus, & alia huiusmodi.*
- *Capitale, quia secundum B. Greg. 3. Moralium, inde oriuntur octo vitia, quia ex luxuria.*
  - *Rationis actus 4. deordinantur, scilicet.*
    - *Simplex intelligentia apprehendens aliquem finem, vel bonum, quæ maximè per luxuriam deordinatur, & hæc dicitur Cæcitas mentis.*
    - *Consilium, quod est inquisitio eorum, quæ sunt ad finem. Cuius deordinatio dicitur Præcipitatio.*
    - *Iudicium de agendis, quod est quadam determinatio iusti, eorum quæ sunt ad finem: & hæc deordinatio dicitur Inconsideratio.*
    - *Præceptum de agendis, quod est quadam velox executio eorum, quæ preconsiliamus, vel prœiudicamus: & dicitur Inconstantia.*
  - *Voluntatis actus, quantum ad*
    - *Appetitum finis, cuius deordinationem sequitur*
      - *Amor sui inordinatus, quando aliquis inordinatè appetit delectabilia carnis.*
      - *Odium Dei, quoniam licet in se consideratum nemo valeat odisse, potest tamen, in quantum prohibet, & punit delectabilia carnis.*
    - *Appetitum eorum, quæ sunt ad finem sequitur*
      - *Affectus præsentis sæculi, in quantum scilicet aliquis vult frui voluptate.*
      - *Horror futuri sæculi, & hoc sequitur ex priori.*

SENTENTIÆ PATRVM.

Luxuria non est vitium, corporum pulchrorum, vel suauium, sed animæ peruersæ amantis corporeas voluptates, neglecta temperantia: qua aptamur spiritualibus. *Aug. l. 12. de Ciuit. Dei.*

Cur te non in voluptate tua modo aquæ luxuria dilatas, cũ te quis sequatur ignoras? Acceptum tempus impuris desiderijs perdere nõ debes, quia quam citius pertranseat, nescis. *De conflictu vitiorũ.*

Quanti & quales Episcopi, & Clerici post Confessionum, & victoriarum calcata certamina, post magnalia, & signa mirabilia vsquequaque monstrata, ooleuntur cum his omnibus naufragasse, quum volunt in naui fragili nauigare. Quantos leones domauit vna infirmitas delicata, id est, luxuria, quæ cum vilis, & misera, de magnis efficit prædam. *De singularit. clerie.*

Commistio sororum, & fratrum, quanto fit antiquior compellente necessitate, tanto postea facta est damnabilior religione prohibente. *lib. 15. de Ciuit. Dei.*

Sicut iniquum est auiditate possidendi transgredi limitem agrorũ: ita & iniquum est libidine concumbendi subuertere limitem morum. *ibid.*

Luxuria est inimica Deo, inimica virtutibus, perdit omnem substantiam, & ad præsens voluptatem deliniens, futuram non sinit cogitare paupertatem. *De doctrina Christi.*

Sæuus criminum stimulus libido est, quæ numquam manere quietũ patitur affectum. Nocte feruet, die anhelat. *Amb. de Abel, & Cain.*

Ex voluntate peruersa facta est libido: & dum seruitur libidini, facta est consuetudo: & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. *Aug. lib. confessionum.*

Qui luxoriatur, viuens mortuus est, & ferreas mentes libido domat, quæ maiorem in virginibus patitur famem, dum dulcius putant omne, quod nesciunt. *Hier. matri, & filiæ.*

O quam acerbus fructus luxuriæ, amarior felle, crudelior gladio! *idem in epist.*

Libido transacta semper sui relinquit pœnitudinem, & numquam satiatur, & extincta reaccenditur, vsu crescit, & deficit, nec rationi paret, quæ impetu ducitur. *ibid.*

O ignis infernalis luxuria! cuius materia gula, cuius flamma superbia, cuius scintillæ praua colloquia, cuius fumus infamia, cuius cinis immundinia, cuius finis gehenna *ibid.*

Quælibet alia fient bona opera, si luxuriæ scelus non abluitur, immensitate huius criminis obruuntur. *Greg. in Mor.*

Malũ luxuriæ, & cogitatione perpetratur, aut opere: callidus enim aduersarius noster, quum ab effectu operis expellitur, secreta cogitatione polluere nititur *ibid.*

Ex quo luxuria semel mentem alicuius occupauerit, vix eum bona cogitare permittit. Sunt enim desideria viscosa, quia ex suggestione oritur cogitatio, ex cogitatione affectio, ex affectione delectatio, ex delectatione cõsensus, ex cõsensu operatio, ex operatione cõsuetudo, ex cõsuetudine desperatio, ex desperatione peccati defensio, ex defensione gloriatio, ex gloriatione dãnatio. *ibi.*

Alia est carnis luxuria, qua castitate corrumpimur: alia cordis, qua de castitate gloriamur. *Bern. in serm.*

Luxuriæ currus quadriga voluitur vitiorum, ingluuie ventris, libidine coitus, mollitie vestium, ocij soporisque resolutione: trahitur equis æquè duobus, prosperitate vitæ, & rerum abundantia: &

qui his præsidēt duo, ignauiæ torpor, & iosida securitas. *sup. Cant.*

Vitium libidinis facile ex ocio nascitur: nam definitio amoris hæc est. Animæ vacantis passio. *Chrysost. sup. Matth.*

Tamdiu spiritu fornicationis animum necesse est impugnari, donec se bellum gerere super vires agnoscat. Nec labore, vel studio proprio victoriam obtinere se posse, nisi Dei fuerit auxilio, ac protectione suffulta. *Cass. ex collatione Abbatis Moysi.*

Breuis est voluptas fornicationis, sed perpetua pœna fornicationis. *Beda de templo Sal. Hugo.*

Luxuria est immoderata carnis petulantia, dulce venenum, importuna lues, perniciosa potio, quæ humanum corpus debilitat, & virilis animi robur eneruat. *ibid.*

Venus est illecebrosa voluptas, adulterina iucunditas, quæ mel habet in ore, fel in corde, aculeum in dorso *ibid.*

O extrema libidinis turpitudo! quæ non solum mentem effœminat, sed corpus eneruat, non solū maculat animam, sed fœdat personam. Omne namque peccatum, quodcūque fecerit homo extra corpus suum est: qui autē fornicatur, in corpus suum peccat. Semper illam præcedunt ardor, & petulantia, semper comitatur fœtor, & immunditics, semper sequitur dolor, & pœnitentia. *ibid.*

Quis eius multiplices species enumerare valeat? hæc enim Pentapolim cum adiacenti regione subuertit: Sichem cum populo interemit: hæc filios Iudæ percussit: Iudæum & Madianitidem pugione transfodit: tribum Beniamin pro vxore Leuitæ deleuit: filios Heli sacerdotis in bello prostrauit, hæc Vriam occidit: Ammon interfecit: plurimos lapidauit: hæc Ruben maledixit: Samsonem seduxit? Salomonem peruertit. Verum est ergo, quod legitur: Propter speciem mulieris multi perierunt. *ibid.*

SENTENTIAE POETICAE.

Ouid. lib. 2. de remed. amor.

Nec minus erucas aptum est vitare salaces,
Et quicquid Veneri corpora nostra parat.
Vtilius sumas acuentes lumina rutas.
Quam quicquid Veneri corpora nostra parat.

Idem epist. Briseides ad Achillem.

Et aliquid soliti collum tetigisse lacertis:
Praesentesque oculos admonuisse sui.

Propert. lib. 3. Eleg. 11.

Certo quidem tantis causa est manifesta ruinis,
Luxuria nimium libera facta via est.

Martial. lib. 9. in Ponticum.

Pontice quod nunquam futuis, sed pellice laua
Vteris, & Veneri seruit amica manus:
Hoc nihil esse putas? scelus est (mihi crede) sed ingens,
Quantum vix animo concipis ipse tuo.
Nempe semel futuens, generaret Horatius vt tres:
Mars semel vt geminos Ilia casta daret.
Omnia perdiderat, si masturbatus vterque
Mandasset manibus gaudia fœda suis.
Ipsam crede tibi naturam dicere rerum,
Istud quod digitis, Pontice, perdis, homo est.

Lucan. 4. Pharsal.

O prodiga rerum
Luxuries nunquam paruo contenta parari,
Et quæsitorum terra pelagoque ciborum,
Ambitiosa fames, & lautæ gloria mensæ.
Discite quam paruo liceat producere vitam.

Seneca tragœd. 9.

Totum per orbem maximum est exortum malum.
Luxuria pestis blanda.

Claud. 2. Stil.

Nec te iucunda fronte fefellit
Luxuries, prædulce malum, quæ dedita semper
Corporis arbitrijs, hebetat caligine sensus,
Membraque Circæis effœminat acrius herbis,
Blanda quidem vultu sed qua non tetrior vlla
Interius, fucata genas, & amicta dolosis
Illecebris torvos auro circumligat hydros.
Illa voluptatum multos innexuit hamis.

Sen. Oct. act. 2.

Totum per orbem maximum exortum est malum,
Luxuria pestis blanda: cui dedit vires,
Roburque longum tempus, atque error grauis.

Iuuenal. 6.

Nil non permittit mulier sibi, turpe putat nil,
Cum virides gemmas collo circumdedit, & cum
Auribus extensis magnos commisit elenchos.

Lucan. 1.

Namque vt opes nimias mundo fortuna subacto
Intulit, & rebus mores cessere secundis,
Prædaque, & hostiles luxum suasere rapinæ.
Non auro, tectisve modus, mensasque priores
Aspernata fames, cultus gestare decoros,
Vix nuribus rapuere mares: fecunda virorum
Paupertas fugitur, totoque accersitur orbe,
Quo gens quæque perit.

Sen. Hipp. act. 1.

Quisquis secundis rebus exultat nimis,
Fluitque luxu, semper insolita appetens,
Hunc illa magnæ dira fortunæ comes
Subit libido: non placent suetæ dapes,
Non tecta sani moris, aut vilis cibus:
Cur in penates rarius tenues subit
Hæc delicatas eligens pestis domos?
Cur sancta paruis habitat in tectis Venus,
Mediumque sanos vulgus affectus tenet,
Et se coercent modica: contra diuites,
Regnoque fulti, plura quam fas est petunt?
Quod non potest, vult posse, qui nimium potest.

Silius 15.

Inde a fonte late
Florentes quondam luxus quas verterit vrbes.
Quippe nec ira Deum tantum, nec tela nec hostes,
Quantum sola noces animis illapsa voluptas.

Claud. 3. Stil.

Nam cætera regna
Luxuries vitijs odijsque superbia vertit.
Sic male sublimis fregit Spartanus Athenas.
Atque idem Thebis cecidit, sic Medus ademit
Assyrio, Medoque tulit moderamina Perses,
Subiecit Persen Macedo, cessurus & ipse
Romanis, hæc auguriis firmata Sibyllæ.

Idem 3. de rapt. Proserp.

Sed quod dissuasor honesti
Luxus, & humanas oblimat copia mentes,
Prouocet vt segnes animos.

Ouid. 1. Pont. 11.

Nec vires adimit Veneris damnosa voluptas,
Non solet in mæstos illa venire torus.

Persius 5.

Hic campo indulget, hunc alea decoquit, ille
In Venerem putris, sed cum lapidosa chiragra
Fregerit articulos veteris ramalia fagi,
Tunc crassos transisse dies, lucemque palustrem,
Et sibi iam seri vitam ingemuere relictam.

Ouid. 1. amor. 9.

Quæ bello est habilis, Veneri quoque conuenit ætas:
Turpe senex miles, turpe senilis amor.

Sen. Hipp.

O tetrum genus!
Non vlla vinctum lege mortalis soli,
Feræ quoque ipsæ Veneris euitant nefas,
Generisque leges inscius seruat pudor.

Ouid. 5. Metam.

Nec vaccam vaccæ, nec equos amor vrit equarum.
Vrit oues aries, sequitur sua fœmina taurum.
Sic & aues coeunt, interque animalia cuncta,
Fœmina fœmineo correpta cupidine nulla est.

SENTENTIÆ PHILOSOPHICÆ.

De Luxuria. DIAL. CX.

Francisci Petrarchæ.

D O L.

Aestu quatior libidinum. R. Atqui libidinem torpor gignit, gula autem illam parit. Quid miri igitur, filiam post parentes sequi? gulam certè & luxuriam, communes vobis esse cum beluis, maximèque bestialem vitam vestram facere, sapientibus visum est. Itaque cum sint alia grauiora mala, nullū vilius. D. Libidini rapior. R. Quoniam vero, nisi ad mortem animæ, & corporis, & infamē notam, seramque pœnitentiam, & fortasse [illegible] nunc igitur, & raptantem sequere, quæ te tales rapiet ad exitus. Cogita autē innumerabilium casus miserabiles, ac famosos, non modo singularium hominum, sed vrbium, & regnorum, qui tibi partim visu, partim auditu, & maximè lectione debent esse notissimi, raptanti nequaquam, vt arbitror, manum dabis. Audi enim, quid hinc doctissimi viri senserint, ac scripserint. Voluptates, ait Cicero, blandissimæ dominæ maiores partes animi a virtute detorquēt. In hoc, inquit Seneca, nos complectuntur, vt strangulent, nō aliter ergo quam latrunculi viatoribus insidiantes, eosque seducentes, ac perimentes declinandæ sunt. In quod valde proderit, si illud præclarissimè apud Liuium à Scipione Africano dictum Massinissæ, dictum sibi quisquis hac peste laborabit, accipiat. Vince, inquit, animum. Caue deformes multa bona vno vitio, & tot meritorum gratiam maiore culpa, quam causa culpæ est, corrūpas. Idque facilius fiet, si quis acriter rei vilitatem, obscœnitatem, breuitatem, finem cogitet, ac longum dedecus horæque fugacis, forsitan, aut momenti vnius illecebras multorum pœnitentia, vel æterno fortasse supplicio puniendas.

Mere-

Meretrix nonaria est inferni ianua, via iniquitatis, scorpionis percussio, viscatium scelerum, puteus interitus. *Boet. de schola. Ica disciplina.*

Demosthenes stomachum Laidis nobilissimæ meretricis iocando suppalpitans, & quæritans. Hoc quantum, illa dicente: Mille denarijs, respondit: Ego pœnitere tanti non emo, *Laert. de vita, & moribus Philosophor.*

Atque etiam si considerare velimus, quæ sit in natura hominis excellentia, & dignitas, intelligemus, quam sit turpe diffluere luxuria, & delicatè, ac molliter viuere, quamque honestum parcè, cōtinenter, seuerè, ac sobriè, *Cic. lib. 1. de Offic.*

Luxuria vero, cum omni ætati sit turpis, tum maximè senibus fœdissima est. *ibid. lib. 2.*

Maius est maleficium, stuprare ingenuam, quam sacrum legere, cū alterum propter egestatem, alterum propter intemperatam superbiam, fiat. *Idem Rhet. nouor. lib. 2.*

Libidinosa intemperansque adolescentia effœtum corpus tradit senectuti. *Idem in lib. de Senectute.*

Viros triumphales, victores gentium, luxuria vicit. *Macrobius Saturnal. lib. 3.*

Luxuria, quæ aliquando cessisse videtur, deinde frugalitatem professos sollicitat, atque in media parsimonia voluptates non damnatas, sed relictas petit: & quidem eo vehementius, quo occultius. *Senec. epist. 56.*

Si videtur alicui magnum animum ira producere, videatur & luxuria, quæ opere sustineri vult, purpura vestiri, auro regi, terras transferre, maria concludere, flumina præcipitare, nemora suspendere? *Idem, de Ira. lib. 1. c. vlt.*

Nulla res magis iracundiam alit, quam luxuria intemperans, & impatiens. *Idem, lib. 2. c. 26.*

Ambitio, luxuria, & impotentia Scenam desiderant. Sanabis ista si absconderis. *Idem epist. 94.*

Erras, si existimas nostri sæculi esse vitium luxuriam, & negligentiam boni moris, & alia, quæ obijcit suis quisque temporibus. Hominum sunt ista, non temporum. *Idem epist. 97.*

Conuiuiorum, cum & vestium luxuria ægræ ciuitatis indicium. *Idem epist. 144.*

Licet in vim vnguentoque luxuriosi tenebras suas exigant, licet epulis, & in multa quidem fercula distinctis totum peruersæ vigiliæ tempus deducant, non conuiuantur, sed iusta sibi faciunt. *Idem epist. 122.*

Vomunt, vt edant, edunt, vt vomant. Epulas, quas toto orbe conquirunt, nec concoquere dignantur. Ista si quis requirit, quid illi paupertas nocet? Si quis cōcupiscit, illi paupertas etiam prodest. *Idem consolat. ad Heluiam.*

Rerum iam potente luxuria, specula totis paria corporibus auro, argentoque collata sunt, denique gemmis adornata: & pluris vnum ex his fœminæ constitit, quam antiquarum dos fuit illa, quæ publicè dabatur Imperatorum pauperum filiabus. *Id. Natural. quæ 7. lib. 1. cap. vlt.*

Nihil potest ingenuitæ luxuriæ placere nisi carum. *l. 4. c. 13.*

Quum mollitiem suorum post adeptas tot victorias Alexander animaduerteret, mirari se aiebat, quod tot tantisque certaminibus superatis, non meminissent suauius dormire eos qui alios defatigassent, quam qui defatigati essent, neque ex comparatione suę cum Persica vitæ ratione perspicerent, nihil magis seruile, quam luxuriam, &c. *Plut. in Alexandro.*

Diuersis duobus vitijs, auaritia, & luxuria ciuitas laborat: quæ pestes omnia magna imperia euerterunt. *Liuius, Decad. 4. l. 4.*

Luxuria non mota tolerabilior est, quam erit, legum vinculis, sicut fera bestia, irritata, deinde emissa. *Idem, ibid.*

Instrumenta luxuriæ tympana, & crepundia. *Iustin hist. lib. 30.*

Blandum malum luxuria, quam accusare aliquanto facilius est, quā vitare. *Valer. Max. lib. 9. c. 1.*

Luxuria, & libidine nihil fœdius, nihil dānosius: his virtus atteritur, victoriæ languescunt, sopita gloria in infamiam conuertitur, animique pariter, & corporis vires expugnantur. Adeo vt nescias ab hostibusne, an ab illis capi perniciosius habendum sit. *Idem ibid.*

Qui ventri, & fœdissimis voluptatibus indulgentes propterea patrimonium absumpserunt, dedecus & detrimentum Reipub. sunt existimandi, & Respub. magnum factura est quæstum, si ipsi vltro ex vrbe excedant. *Dionys. Halic lib. 5.*

In luxu mulieres insipientes, vitæ beatitatem, honestatis ignoratione ponunt. *Plut. in Agide.*

Natura in primis docet necessaria: quæ si non desint, sed benignitate fortunæ supersint, tum naturæ prouidentia veluti per æmulationem rursus excitatur ad ea diligenda, quæ sensibus magis blādiantur. Quorum vbi satietas cœperit, ad supernacanea deflectit, per ambages, atque illecebres varietatem, & compositiones multiplices machinatur, & præstigias quasdam arcanæ voluptatis consectatur, ne luxuriæ continuatio grauis, & molesta fiat. *Niceph. Gregoras. hist. lib. 2.*

Cum apud cæteras gentes cunctis mulieribus argentea multa ius fieret delicta redimendi, Zaleucus Locrensium legislator argutissima quadam pœnæ pensione earum compescuit intemperantiam. Qui sic licentiam præscripsit: Mulierem liberam vna non plus pedissequa comitari debere, nisi cum temulenta fuisset, nec vrbem noctu egredi, nisi cum mœchos adire pararet: neque aureis componi ornamentis, neque contexus indumentis arteque laboratis venustari, nisi cum scortari atque amatorem moliri studuerit: neque viros annulis aureis splē lescere, neque Milesia veste contegi, nisi cum lenocinari, aut adulteria cōmittere niterentur. Ita facillimo pœnæ genere, vituperij, s. probri, per. iciem deliciarum omnem atque intemperantiæ labem coercuit: exclusitque licentiæ procacitatem, maxima impudentiæ irritamenta. Nemo. n. tam perditæ lasciuiæ inueniri poterat, qui domestica attestatione & propria suæ turpitudinis testimonio, vellet se perpetuo inter ciues probro ludibrioue damnare. *Diodor. Sicul. hist. lib. 12.*

Minime mirum est nec Oppiam, nec aliam vllam inter veteres legē desideratam esse, quæ modum sumptib. mulierum faceret, cum aurum & purpura in data & oblata vltro non accipiebant. Si nunc cum illis donis Cyneas vrbem circumiret, stantes in publico inuenisset quæ acciperent. Atque ego (inquit Cato censorius) nonnullarum cupiditatum ne causam quidem aut rationem inire possum. nam vt quod alij liceat, tibi non licere, aliquid fortasse naturalis aut pudoris aut indignationis habeat: sic æquato omnium cultu, quid vnaquæque vestrum veretur ne in se conspiciatur? Pessimus quidem pudor est vel parsimoniæ vel paupertatis, sed vtrumque lex vobis demit, cum id quo habere licet, nō habetis. *Liuius Decad. 4. lib. 4.*

Simul lex modum sumptibus vxoris tuæ facere desierit, tu nunquam facies. *Idem, ibid.*

Blandum est malum luxuria. quam accusare aliquanto facilius est, quam vitare. *Val. Max. lib. 9. tit. de Luxuria.*

At Campana Luxuria perquam vtilis ciuitati nostræ fuit. Inuictum enim armis Annibalem illecebris suis complexa, vincendū Romano militi tribuit. *Idem de Annibale.*

Blandum malum luxuria, quod accusare aliquanto facilius est quā vitare. Quæ inuictum Annibalem armis illecebris suis complexa, vincendum Romano militi tradidit. illa ducem vigilantissimum, illa exercitum acerrimum dapibus largis, abundanti vino, vnguentorum fragrantia, Veneris vsu lasciuiore, ad somnum, & delicias euocauit. Quid his ergo vitijs fœdius? quid etiam dānosius quib. virtus atteritur, victoriæ languent: sopita gloria in infamiam conuertitur, animi & corporis vires expugnantur: adeo vt nescias, an ab hostibus, an ab illis capi perniciosius habendum sit. *Valer. Max. lib. 9.*

Esus carnium, & potus vini, ventrisque saturitas, seminarium libidinis. *ibid.*

APOPHTHEGMATA.

Pythagoras dicebat, in ciuitates primum irrepsisse delicias, mox saturitatem, deinde violentiam, postremo exitium. *Laertius lib. 7. cap. 1.*

Aristippus. Quum quidam illi probro darent, quod splendide exquisiteque viueret philosophus: Id, inquit, si vitium esset, in celebritatibus Deorum nequaquam fieret. In his enim & magnifice vestiri, & lautissimo ciborum apparatu solent vti. Porro cum Dij sint infensi vitijs, non placarentur, sed irritarentur eiusmodi magnificentia, si ea cum vitio esset coniuncta. Sic ille quidem elusit conuitium, non ostendit, quid esset optimum. *Laert. lib. 2. cap. 8.*

Zeno Citieus quendam audiens, luxuriam suam sic coram bonis viris excusantem, vt diceret, se ex eo, quod superfluum sibi esset sumptum facere, argutissime respōdit: Age nunc, dares etiam veniam coquo tuo, si cum obsonia plus æquo salsa daret, diceret sibi copiam salis esse? Sensit vir prudētissimus, nequaquam ex multa rerum copia victum moderandum esse, sed ex necessitate naturæ, quæ paucis contenta esse solet. *Laert. l. 7. c. 1. Max. ser. 61.*

Crates quendam delicijs luxuque deditum, ita per iocum admonuit: Ne pro lenticula semper augeas patinam, ne in seditionem nos conijcias. Sentiens, a luxu cupeditijq. plerumque nasci dissidia. Lenticula Philosopho cibus est, *Adætus* carnes habet, & in diutum mensis circumfertur. *Laert. l. 6. c. 6.*

Antisthenes, quodam prædicante delicias: Hostium, inquit, filijs cōtingat, in delicijs viuere: artem pestilentem detestans, quam plerique pro summo bono amplectuntur. *Laert. l. 6. c. 1.*

Diogenes inuiserat Lacedæmonem: inde Athenas reuersum, quidam percontabantur, vt fit, quo iret. & vnde veniret? A viris, inquit, ad fœminas: notans Atheniensium delicijs effœminatos mores, quum Lacedæmonij dure instituerentur. *Laert. l. 6.*

Idem. Videns delicatum quendam hominem a seruo calceari: Nondum, inquit, sat beatus es, nisi te etiam abstergeat, id autem erit, si mancus fueris. *Laert. lib. 6.*

Idem. Luxuriosum quempiam in diuersorio conspiciens, vescentem oleis. Si sic prandisses, inquit, non ita cœnares, sentiens, non esse frugalitatis, quod ederet oleas: sed quod stomachus nimis lauto prandio grauatus, nihil appeteret in cęna, vel potius,

quod

quod ingenti opum vi prodigaliter absumpta, tenuiter viuere deinceps cogeretur. Nam tenue prandium optime cōdit cęnam. *Laert.lib.6.*

Idem ad eum, qui obsonijs & luxui plus æquo iodulgebat, illud Homericum accommodabat:

Ὠκύμορος δή μοι τέκος ἔσσεαι. id est.

Nate mihi fueris breuis æui: significans, illum sibi luxu mortē acceleraturum. *Laert.lib.6.*

Idem, eos, qui per luxum in coquos, nepotes, scorta, & adulatores facultates suas profunderent, similes dicebat arborib. per præcipitia nascentib. quarum fructus homo non gustaret, sed à coruis & vulturib. ederentur. sentiens, eos, qui gulæ ventriq; seruiunt, non esse homines. *Laert. idem Crateti tribuitur a Stob.*

Idem. Stomachabatur in eos, qui pro bona valetudine Dijs munera offerrent. & in ipso sacro omnibus voluptatibus se obruentes perderent. *Laert.l.6.*

Idem aiebat, faciles esse Deos ad donandum hominib. vitam, cęterū hanc ignorari ab his, qui quærunt dulciaria vnguenta, aliasque hoc genus delicias. His.n. qui fruuntur, credunt viuere: quum veram vitam tranquillam ac suauem sola præstet sapientia: Non igitur Dij sunt incusandi, sed homines, qui per stulutiam nō postulant ab illis vitam, sed voluptates. *Laert.l.6.*

Idem. Qui scopum non attingunt, hi vulgo *ἀτυχεῖν* i. frustrari dicūtur. At Diogenes negauit illos frustrari, qui aberrarent a scopo: sed eos, qui curas suas ad voluptates velut ad scopum dirigerēt. Nam ab ijs petunt beatitudinem, cum per eas deueniant in summam miseriam. *Laert.l.6.*

Heraclitus, in seditione rogatus, vt apud populum sententiam diceret, quo pacto ciuitas redigi posset in concordiam, conscenso suggestu, poposcit calicem aquæ frigidæ, & paululam farinæ inspersit, mox de glechone admiscuit, quod est vel pulegij siluestris, vel leguminis genus. Deinde epoto calice discessit. nec verbum addidit: hoc pacto innuens, ita demum ciuitatem carituram seditionibus, si repudiatis delicijs, assuescerent paruo contenti esse. Et hic Heraclitus suo respondet nomini. Nam *σκοτεινὸς*. dictus est, id est, tenebricosus. *Refertur & hoc inter ἄφωνα apoph. P. M. apoph. ex Plut.*

Socrates dicebat, eos, qui se ad continentiam ac frugalitatem exercuissent, & longe plus habere voluptatis, ac minus dolorū, quam qui summa cura vndique pararet oblectamenta, quod voluptates intemperantium, præter animi sibi male conscij cruciatū, prę ter infamiam ac paupertatem, frequēter ipsi etiam corpori plus adferant molestiæ, quam delectationis. Contra, quæ sunt optima, eadem fiunt iucundissima, si quis assueuerit. *Laert.lib.2.c.5.*

Plato, generosum conspicatus adolescentulam, patrimonio consumpto ad fores pandochij panes edentem, & aquam bibentem. Si inquit, sic moderate prandisses, nunquam sic cęnares. *Max ser.61.*

Idem conspiciens Agrigentinos magnis impensis ædificare, eodemque modo cęnare: Agrigentini, inquit, ædificant, quasi semper victuri, & comedunt quasi semper morituri. Dicit autem Timæus, eos lecythis argenteis & strigilibus vsos esse, mensas totas eburneas habuisse. *Ælian.lib.12.de var.hist.*

Aristippus. Sophista Polyænus ingressus ædes Aristippi, quum videret illic mulieres pulchre ornatas, ac magnifice instructum conuiuium, cępit reprehendere tantum in philosopho luxum: Aristippus dissimulata obiurgatione aliquanto: potesne, inquit, hodie nobiscum esse? Cum ille non recusasset: Quid igitur, inquit, incusas? Videris enim non lautiorem mensam reprehendere, sed impendium. Nam si conuiuium ob hoc ipsum displicuisset, quod esset lautius, recusasses esse conuiua. Porro probare quidem apparatum, sed offendi sumptu, non frugalis, sed auari hominis esse videtur. *Laert lib.2.c.8.*

Menedemus Antigono consulenti, deberetne commessationē quandam adire: post silentium nihil aliud respondit, quam, Regis filius es. Subindicans, luxum indecorum esse regno natis: nec potentibus licere quodlibet. *Laert.l.2.c.18.*

Dionysius sophista familiaribus dicere consueuit, mel summo digito, non caua manu gustandum esse. Sentiens, voluptates quam parcissime admittendas. *Philostrat. in sophist.*

Arcesilaus Scytha percontanti, qui fieret, vt ab alijs sectis multi deficerent ad Epicureos, ab Epicureis nulli desciscerent ad alios: Quoniam, inquit, ex viris Galli fiunt, ex Gallis viri nequaquam. sentiens, homines esse proniores ad voluptatem, quam ad virtutem. Gallos dixit sacerdotes Cybeles euiratos. Porro voluptatem amplecti, fœminarum est potius, quam virorum. *Laertius lib.4.cap.6.*

Isaeus sophista Assyrius, cum primam ætatem dicasset voluptatibus, simul vt ad virilem peruenit, veluti alius subito factus miram induit morum seueritatem. Itaque percontanti cuidam, num illa (fœminam ostendens) videretur formosa? *πέπαυμαι*, inquit, *ὀφθαλμιῶν* id est, desij laborare ab oculis. Ab altero quopiam interrogatus, quis piscis aut quæ auis esse ad vescendum suauissima? *πέπαυμαι*, inquit, *ταῦτα σπουδάζων*, i. ista curare desij. Et adiecit: *ξυνῆκα γὰρ τοὺς Ταντάλου κήπους τρυγῶν*, i. sensi.n. me à Tantali hortis fructus colligere. Subindicans, omnes eiusmodi voluptates, quibus iuuentus capitur, nihil aliud esse, quam vmbras ac somnia, qualia de Tantalo fabulantur Poetæ. *Philostr.*

Stratonicus Rhodios cum videret delicijs dissolutos, & calido potu vtentes, appellauit albos Cyrenæos, & ciuitatem illorum appellauit porcorum ciuitatem, quod colore quidem differrent a Cyrenæis, qui nigri sunt, luxu, & voluptatum studio similes. Sic hodie quidam appellabant albos Mauros. *Athen.*

Idem. Cum Rhodi ageret, taxans eius gentis luxum deliciasque: dicebat illos ędificare vt immortales, obsonare, quasi breue tempus victuros. Auidius enim fruimur his, quæ breui scimus auferenda. *P.M.l.6.apoph.ex Plut.*

Philoxenus, Is fuit insignis ganeo, qui cum in caupona ollam vidisset, in qua delitiæ coquebantur. odore captus, iussit filium ollam emere. Filio dicente, eā ollā magno precio vendi: Hoc suauior, respondit, & iucundior erit, quo maiori precio eam emero. *Ælianus lib.10.de var.histor.* Idem collum longius sibi quam gruibus fieri exoptabat, vt in gustu magis oblectaretur. *Arist in Ethic. & Brus.lib.3.c.1.*

Alexius poeta Callimedontem rhetorem, vt delicijs deditum, taxauit his versibus:

Ὑπὲρ πάτρας μὲν πᾶς τις ἀποθνήσκειν θέλει
Ὑπὲρ δὲ μήτρας Καλλιμέδων ὁ κάραβος.
Pro patria vel quilibet velit mori.
At metra amore Callimedon solus cupit.

Petit Latinis ioci gratiam: nam *πάτρα* patriā significat, *μήτρα* non matrem, sed vuluam aut piscem sonat. Pisces olim erant in delicijs. *P.M.l.6.apoph.*

Lycurgus, cum statuisset inuadere delicias, luxumq; & in his quoque tollere diuitiarum admirationem, instituit syssitia, hoc est conuiuia publica. Percontanti vero, cur ea constituisset, sic vt in singulis conuiuijs pauci cum armis discumberent: Vt, inquit, expediti sint ad parendum imperatis, & si quid tumultus inciderit, penes paucos sit delectum, sitq; inter omnes potus ac cibi æqua portio: deniq; non solū in esculentis ac poculentis, verum ne in stratis quidem, aut vasis, aut alia re quacunq; plus haberet diues quā pauper. His rationibus cum diuitijs detraxisset admirationem, postquam nemo erat, qui vel vti posset illis, vel ostentare, dicebat amicis: Quam præclarum est, o amici: ipsa re declarasse, cuiusmodi sint diuitiæ, si quando cęcæ sunt, carentq; spectatorib. & admiratoribus. Interim obseruabat, ne quis prius domi sumpta cęna veniret ad publica conuiuia, expletus alijs cibis, alio ve potu. Quod si quis cum cæteris nō biberet, ederetve, eum vituperabant, vt qui alijs edulijs delinitus, abhorreret a victu communi. Porro qui palam conuictus esset id fecisse, ei mulcta dicebatur. Vnde Agis, qui multo post Lycurgum tempore rex fuit, debellatis Atheniensib. domum reuersus, cum vellet quadam die cęnā capere cum vxore, a syssitijs poscenti, præfecti militiæ non miserunt. Ea res cum postero die innotuisset Ephoris, mulctam illi dixerunt. In eodem facto geminum exemplum nobis est proditum: primum frugalitatis, deinde seueritatis, cum in causa non graui leges, nec regi pepercerint. *Plut.in Lacon.*

Agesilaus, cum audiret quendam mirari, cur rex cum cæteris Lacedęmonijs tam frugali cibo vestituque vteretur? Pro hac frugalitate, inquit, optimam messem metimus libertatem. Quo dicto ostendere voluit, nihil æque libertati contrarium esse, ac voluptatem. *Plut.in Lacon.*

Lysander, cum filiabus suis non permitteret, vt vestes a Dionysio datas induerent, interrogatus. Quamobrē hoc faceret? Ne, inquit, luxuria conspicuæ, turpiores videantur, quam fuerunt antea. *Brus.lib.3.c.33.*

Epaminondas à quodam ad cęnam inuitatus, quum bellariorum, obsoniorum & vnguentorum apparatum inuenisset, e uestigio abijt, dicens: Ego te sacrificare, non lasciuire putabam. *Plut.in apoph.*

Idem Quum coquus impensæ rationem collegis redderet, maximū olei sumptum duntaxat ægre tulit: sed collegis admirantibus, impensam quidem sibi non displicere, dixit, sed quod tantum olei intra corpus ipse accepisset. Damnauit autem luxuriam in nullo magis, quam in semetipso, quem adeo prodigum olei fuisse in vnctione corporis fatebatur, vt hac in re omnes facile superarit. *Plut.in apoph.*

Cyrus. Persæ, quoniam regionem habebant montuosam asperamque, cupiebant eam campestri ac molliore commutare. Id non passus est Cyrus, dicens: Quemadmodum plantas ac semina, sic hominum mores ad regionis habitum immutari. Sentiens, se velle duros homines, & laboribus accommodos. Nam mollis ac fertilis regio, molles & ignauos gignit homines. *Plut.in apoph.*

Xerxes iratus Babylonijs, quod a se defecissent, postquam illos in potestatem suam redegit, interdixit, ne ferrent arma, sed psalterijs tibijsque canerent, scorta alerent, cauponas haberent, ac sinuosis tunicis vterentur: quo voluptatibus molliti non molirentur denuo defectionem. *Plut.in apoph.*

Dome-

Demetrius Phalereus conspicatus iuuenem luxuriosum: Ecce, inquit, quadratam statuam, habentem syrma, ventrem, pudenda, & barbam. *Stob.*

Alexander. Darij regiam ingressus, quum vidisset sublime cubiculum, & in eo stratum, mensas, cæteraque omnia mirifico ornatu instructa: Hoccine, inquit, erat imperare? Sentiens, non esse regium, huiusmodi delicijs indulgere. *Plutarch. in Alexand. vita.*

Crassus. Brutus quidam quum balnea patrimoniumque omne pene vendidisset, pecuniamque luxuriosè dilapidasset, diceretq; se sudare, Crassus orator respondit: Non mirum est (inquit) quod ita sudas, modo enim existi de balneis. Notauit autem hominis luxum: qui in caussa erat, vt balneum, & alia diuendere coactus esset. *Brus. lib. 3. c. 33.*

Scipio minor. Cum non ignoraret luxuria, & voluptatibus militum eneruari vires, omnem luxum, & voluptatem e castris suis amoueri iussit, voluitque, vt milites stantes comederent obsonium, non igne coctum. *Plut. in apoph.*

M. Cato. Albidium quendam qui omnia sua bona dilapidauerat, audiens conquerentem, domum sibi incendio consumptam esse: Protervia, inquit, fecit. Erant autem Proteruia apud veteres Ethnicos sacrificia, in quibus mos erat, vt si quid ex epulis superfuisset, igne consumeretur. *Brus. lib. 3. c. 1.*

Idem eam Rempublicam nequaquam saluam fore dicebat, in qua piscis pluris quam bos venderetur. Sensit autem vir prudentissimus, nihil æquè in Republica pestiferum esse, quam si ciues luxu, & delicijs diffluant. Præcipuus olim luxus erat in piscibus, vnde legimus mullum sex nummum millibus emptum. *Plutarc.*

Idem. Quemdam, qui agros mari vicinos ob luxum vendere coacta est, aiebat se mirari, quasi plus nosset, quã ipsum mare, quod enim illud vix paulatim alluebat, ille facile deuorarat. *P. M. lib. 5. apoph. ex Plut.*

Lucullus. quum œconomus Lucullo cœnam modestam apparasset, accersitum obiurgauit: illo dicente: Non putabam sumptuoso apparatu opus esse, quum solus esses cœnaturus. Quid ais, inquit Lucullus, an ignorabas, apud Lucullum hodie cœnaturum Lucullum? *Plut. in apoph.*

Tiberius Cæsar, Attilio Butæ viro prætorio, quum ad inopiam per luxum, ac socordiam redactus, fateretur, ac deploraret paupertatem suam: Sero, inquit, experrectus es. Dormiunt temulentiæ ac luxui dediti, verius quam viuunt, nam vita vigilia est. *Seneca in epist.*

Caligula luxu prodigioso vtens, vt calidis rigidisq; vnguentis lauaretur, preciosissimas margaritas aceto liquefactas sorberet, conuiuijs ex auro panes, & obsonia apponeret, nummos nõ mediocris summæ è fastigio basilicæ Iuliæ per aliquot dies spargeret in plebem. Liburnicas naues gemmatis puppibus, & versicoloribus velis fabricaretur, subinde dicebat: Aut frugi hominem esse oportere, aut Cæsarem. *P. M. lib. 6 apoph. ex Sueton.*

Heliogabalus, adhuc priuatus, cum luxuriosus, omnibusq; voluptatibus deditus esset, reprehensus à quodam, qui dicebat: Ah non times vir luxuriosissime, ne post tot delicias pauper fias? Quid melius, inquit, quam vt ipse mihi hæres sim, & vxori meæ? *Rom. histor. Scriptores.*

Alphonsus rex Arrag. Eques quidam ingens patrimonium per luxũ, ac libidinem absorbuerat, atque insuper magnam æris alieni vim contraxerat. Pro hoc intercedentibus quibusdam apud Alphonsum regem, ne saltem, quæ debebat, corpore luere cogeretur, Alphonsus respondit: Si tantam pecuniam, vel in sui regis obsequium, vel patriæ commodis, vel subleuandis propinquis impendisset, audirem. Nunc quoniam tantas opes impendit corpori, par est, vt luat corpore. *P. M. lib. 6. apoph.*

SIMILITVDINES.

Chrysostomi. Tale est in ventrem cibos mittere, quale si quisquã eos in cloacam proijciebat: Magis autem non tale, sed multo peius: hic enim fimus operatur, sine tua læsione, illic autem plurimos morbos, plurimasque procreat ægritudines. Quod facit fames, hoc facit & plenitudo ciborum, magis autem multo peiora: fames quippe in paucis diebus aufert hominem, & liberat ex hac vita pœnali: excessos vero ciborum consumit, & putrefacit corpus humanum, & macerat ægritudine diuturna, & tũc cum morte crudeli consumit. *Hom. 29. epist. ad Hebræos.*

Sicut terra, quæ valde humecta est, generat vermes, & fimos, cum compluitur, vel cum plurimum sibi humorem retinet: terra vero, quæ libera est ab humoribus, fructuum fœcunditate decoratur, si ex abundantia non corrumpatur aquarum: ac si etiam non colatur, vltro tamen gramina subministrat: si vero colatur, fructuum fœcunditate pollebit. Obsecro igitur, ne nostrum corpus vitiosum, & inutile faciamus, neque ei vitia inseramus, sed fructus vtiles, & arbusta fructuosa, ne ea dissoluamus per immoderationem ciborum. Immoderatio quippe pro fructibus vermes facit. Sic insita nobis cupiditas, amores turpes, & voluptates turpiores generat. *Hom. 29. in epist. ad Hebr.*

Basily. Nisi forte dicturus es illud, quod naucleri facilius seruant nauim sarcinis onustam, quam eam, quæ ad cursum expedita est, ac leuis. Nam oneris magnitudine grauatam quamuis exiguus fluctus adoriens demergit. Contra quæ modicis sarcinis temperata est, facile sufferre vndarum impetum, eo quod nulla res impedit eam, quo minus fluctum in altum surgentem superet. Eundem ad modum & hominum corpora, assidua expletione degrauata, facile a morbis demerguntur. Cæterum, quæ facili leuique vtãtur alimonia, non modo malum, quod a morbo imminẽte expectabatur, velut tempestatis assultum effugiunt, verum etiam præsentem iam ægritudinem, veluti turbinem quendam coorientem discutiunt. *De ieiunio.*

Fumus abigit apes, dona vero spiritualia fugat luxus. *De ieiunio.*

His, qui bellicis in rebus exercentur, quiq; in palæstris luctando desudant, conuenit, vt ciborum copia reddant seipsos corpulentos, & obesiores, videlicet quo validioribus neruis labores queant capessere: contra vero, quibus non est colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principatus, aduersus potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, aduersus spirituales malitias, hos oportet per sobrietatem ad ieiunium ac certamen exerceri. Leuius periculum est, si quis rhipsaspis appelletur, quod clypeum in acie abiecerit: quam si magnam illam armaturam ieiunium videatur proiecisse. *Homilia secunda, de ieiunio.*

Quod equis accidere solet, id hominibus quibusdam, vt quo copiosius ipsis suppetunt necessaria, hoc euadant ferociores. *Homil. 2. de ieiunio.*

Hieronym. Tale quid & Israelitico fecisse populo Dominum, vt cupientibus Ægyptias carnes, vsque ad nauseam & vomitum præberet examina coturnicum: multosque sæculi prius homines, facilius carere experta corporis voluptate, quam eos, qui a pueritia libidinem nesciunt. Ab alijs. n. nota calcari, ab alijs ignota appeti. Illos vitare pœnitudo suauitatis insidias, quas fugerũt; hos carnis illecebras, dulci titillatione corporis blandientes: dum mella petat, venena noxia reperire. Mella. n. distillare labia meretricis: quod ad tempus impinguat vescentium fauces, & postea felle amarius inuenitur. *Ad Gaudentium.*

Hugonis de Sancto Victore. Duobus modis ignis extinguitur, scilicet, dum subtrahuntur ligna, vel aspergitur aqua: Sic luxuriæ flamma dum subtrahuntur carnis incentiua, vel dum mens irrigatur lachrymarum affluentia, suffocatur, ne noceat. *libro de Carnal. impugnandis.*

Hippocratis Quidam impudentia confusi, cum suos amores habeant suspectos, alterius lecto furtim tabescunt. Alios insanabilis auaritiæ morbus cruciat. Alij in viscera cum impetu ruunt. Nonnulli gloriæ studio ad astra vsque elati, vitiorum mole ad imum vsque corruunt. Quidam fodiunt, vt ædificent, ac ædificando gaudent: quos postmodum pœnitet operum suorum. Amicitiæ iura collũt, atque illa in odium vertunt. Proximos expugnant pariter & propinquos. Horum rerum auaritia author est. Et cum nihil differant a ludo puerorum, qui nihil consilio per ætatem agunt, sed quæ sibi iucunda videntur, per cupiditatem tantum sequuntur, a brutis animalibus separantur. Nam animalia bruta, cũ suæ cupiditatis satura sunt, pro tempore, quiescunt, nec vt plus habeant, quærunt. Nullus vnquam leo humi aurum abscondit: Stetit aper, quousque aqua satur sit. Lupus, quoad se expleat, deuorat: sed satur factus, postmodum quiescit. Pardus vltra expletionem nihil tunc vlterius quærit. Taurus pascendo expletus, pabulo desistit. At homini, vt se expleat, nec dies nec noctes satis sunt. *In epist. ad Damagetum. fol. 109.*

Plutarchi. Vt polypi non extendunt sua flagella, nisi ad esculenta: Sic quidam omnem felicitatem cibo potuque metiuntur. *In Moral.*

Abominamur feminas vrentes veneficijs in nos: & amplectimur ciborum artifices. *In Moral.*

Qui cibi dumtaxat caussa ad conuiuium accedunt, quasi vas adducũt implendum. *In Moral.*

Vt Mathematici centro, ac spacio: Ita quidam omnem voluptatẽ ventre circumscribunt. *In Moral.*

Vt axillarum titillatio risum gignit, sed insuauem, & spasmo similem: Ita voluptates iniucundæ, quas corpus ab animo extimulatum non sponte capit. *In Moral.*

Vt nautæ nimium onerantes nauem, deinde in exhaurienda sentina laborant: Ita qui corpus onerant cibis, ac deinde clysteribus inaniunt. *In Moral.*

Vt qui sacram pecuniam vertunt in vsus belli, voluptatem transferunt ad necessitatem: Ita qui ad vsum edunt ac bibunt. *In Moral.*

Vt ager ferax, sed quem oporteat multo impendio colere non multũ iuuat colonum: Sic homo quæstuosus, sed idẽ sumptuosus haud multum reponit hæredi profuturum. *In sim.*

Polengij. Quemadmodum i j, qui in lubrica gradientes via, facile cadunt: Ita qui in immodica diuitiarum luxuria sunt, nihil in suis studijs aut actionibus, quod firmum est, statuere norunt. *In Psal. 73.*

Thrmeri. Quemadmodum ager fimo nimio luxuriatur, ad fructum ferendum parum idoneus, calce vero purgatur: Sic homines nimio cibo ac potu insolescunt, ad res arduas ac laudabiles plane inepti, frugaliore autem vita mansuetiores fiunt. *In Apophthegmat. 4.*

Honores, diuitiæ, atque ministrorum numerus & varietas, nihilo secius animum afficiunt, quam vmbra corpus. Ergo nihilo secius valet, qui horum varietate pollet, quam qui caret. Nam neque is plus valet, qui longam, quam qui breuem corporis vmbram ducit. *In apoph. 82.*

Quemadmodum alia vitia multa animum corrumpunt: Ita luxuria egregie corpus effœminat, & quodammodo vitiosum reddit. *In apoph. 86.*

Vt in panno holoserico plus est ostentationis, quam vtilitatis: Sic in apparatu obsoniorum plus sumptus, quam sanitatis, aut etiam interdum voluptatis. *In apoph. 98.*

Quemadmodum diuitiarum copia plurima parit incommoda, quæ dira rerum necessitas tollit: Sic voluptas ac abundans rerum copia, infinita progenerat mala, quæ sobrietate sola tolluntur. *In apoph. 115.*

Vinea putata magis est frugifera: & per luxuriam rerum reddita est sterilis Ecclesia. *In apoph. 77.*

Paupertas insolentem redarguit, atque erudit, Sapientem autem rerum copia infatuat ac dementat. *In apoph. 119.*

ADAGIA.

Indulgere genio.

Prouerbiales sunt figuræ. Defraudare genium. Pro eo, quod est, negare naturæ, quod appetit. Indulgere genio, pro eo, quod est, Animo obsequi.

Vita macerata. Βίος μεμαλαγμένος. *Diogen.*

De molliter viuentibus quibus ex facili omnia suppetunt.

Curare cuticulam. *Horatius.*

Ire domum, atque pelliculam curare iube.

Nam qui voluptati student magis quam famæ, vnum hoc curant, vt cutis summa niteat. Persius.

Et assiduo curata cuticula sole.

Pontificialis cœna.

Olim cœnas sumptuosas opiparasq. Pontificiales appellabant.

Pergræcari.

Pro eo, quod est, genialem agere vitam. Plaut.

Semper Leontini iuxta pocula. ἀεὶ Λεόντιοι περὶ τοὺς κρατῆρας.

In voluptarios quadrabit, aut in eos, qui semper sunt ijsdem studijs addicti.

Thericlei amicus. Θηρικλείου φίλος.

Dictum in bibosos.

Sale perunctus, hic adiuuabitur. ἀλοῖν διακεχρισμένος ὠφελήσεται τοῦτ' ἄν. *Aristoph.*

Dicebatur in eos, qui vel ætate vel vino delirarent.

E clibano boues. ἐκ κλιβάνου βοῦς. *Idem.*

Vsus erit, quoties efferemus splendorem conuiuij, aut insignem edacitatem.

Thessalorum alæ. Θετταλικαὶ πτέρυγες.

Prouerbiali ioco quondam dicebatur in vestes manicatas, quas Græci χειριδωτοὺς vocant, quod hoc genere per luxum ac delicias vterentur Thessali.

Sapientia vino obumbratur.

In prouerbijs item duo referuntur, quæ sapientem etiam dementant: Vinum & mulieres. Vvann Vvein eingehet, so gehet Vveisheit aus.

Sine Cerere & Baccho friget Venus.

Terent. in Eunucho: Cibus enim & potus irritamenta sunt libidinis. Vor essen vvird Kein Dantz. Vvann die Sackpfeiffe nicht voll ist, so Kurret sie nicht. Ohne frauvven vnd Vvein, Kan niemand froelich seyn.

Heterognatus es. ἑτερόγναθος εἶ.

In edacem dici consueuit, quod ob voracitatem alternatim vtraq. mandibula cibum commanducaret.

Ficus amibus gratæ, at plantare nolunt. σῦκα φίλ' ὀρνίθεσσι, φυτεύειν δ' οὐκ ἐθέλουσι.

Quadrabit in voluptarios, ac fugitantes honesti laboris, quum tamen appetant emolumentum. Die Kaze isset die Fische gern, sie vvill aber nicht ins Vvasser.

Asini mandibula. ὄνου γνάθος.

Conuenit in edaces, alioqui stolidos & ignauos.

Risus Ionicus.

In molles & voluptarios dicitur.

Choreæ Ionicæ.

Horatius.

Motus doceri gaudet Ionicos
Matura virgo,

Lasciuas saltationes, & parum decoras gesticulationes significans.

Ionice. ἰωνικῶς.

Pro eo, quod est, ἁβρῶς, id est, molliter ac delicate.

Matrem sequimini porci. ἕπεσθε μητρὶ χοῖροι.

Quadrabit & in gulæ ventriq. deditos.

Porcus Troianus.

Conueniet in opiparum conuiuium, aut in hominem varijs delicijs expletum.

Græco more bibere.

In voluptatibus & delicijs addictos reijcitur.

Sybarissare.

Pro eo, quod est, opipare ac genialiter viuere.

Alcinoi mensa.

Gregorius simili tropo mensam luxu redundantem, Alcinoi dixit.

Decempes vmbras. δεκάπους σκιά ἐστι.

Id est: Decempes vmbra est, id est, cœnandi tempus. Veteres vmbris notabant horas diei. Porro vmbra decempedum erat gratissima parasitis, cœnæ spem faciens.

Ventres. γαστέρες.

Dicebantur homines edaces, ventrique atque ab domini seruientes. Lucilius.

Viuite lurcones, comedones, viuite ventres.

Venter auribus caret. γαστὴρ οὐκ ἔχει ὦτα.

Vbi de pastu agitur, non admittuntur honestæ rationes.

Ventrem mihi obijcis.

In Græcorum adagiorum collectaneis commemorantur & hi versus.

Γαστέρα μοι προφέρεις κάλλιστον ὄνειδος ἁπάντων.
Ἣ πλήρης μὲν ἐλαφροτέρα, κενὴ δὲ βαρεῖα.

Ventrem mi obiectas, quo probrum haud pulchrius vllum,
Plenus is est leuior, grauis idem vbi pendet inanis.

Vtres Thylaci. ἀσκὸς καὶ θύλακος. *Athen.*

Dicebatur, qui cibo potuique indulgebat: ἀσκὸς enim vter vinarius: θύλακος, vas vinarium.

Methysocottabi. Μεθυσοκότταβοι.

Vulgari conuitio dicebantur bene poti, quasi cottabo temulenti. Cottabus enim poculi genus est. Du hast am Ende gesessen, vnd hat dir niemand zu trincken geben.

Μύρτος.

Dicitur recte in libidinosos, aut supra modum vxoriosos. Rectius autem in virosas fœminas.

Pyræus non fert vasa inania. Πειραιεὺς οὐ κεναγγίαν ἄγει. *Iul. Pollux.*

Scomma in eos, qui gaudent semper cibo potuq. distendi.

Bos in stabulo. Βοῦς ἐν αὐλίῳ.

Dicebatur inutilis, & in otio vitam degens. Mast schvvein.

Herculani lecti. Ἡράκλειοι στρωμναί. *Athen.*

Herculani lecti dicebantur molles ac delicati.

Abronis vita. Ἅβρωνος βίος. *Zenodotus.*

De molliter ac delicate viuentibus.

Episcythissare. Ἐπισκυθίζειν.

Lacedæmoniorum adagio dicitur pro eo, quod est, vinum merum intemperantius bibere. Commode deflectas licebit ad cuiusuis rei intemperantem & immodicum vsum.

Sybaritica mensa. Συβαριτικὴ τράπεζα. *Alcinoi mensa.*

De conuiuio dicebatur nimium apparato.

Siracusana mensa. Συρακουσία τράπεζα.

Prælauta atque opipara dicebatur.

Vixit, dum vixit, bene.

Conuenit in eos, qui molliter ac suauiter viuunt, atque ita faciunt sumptus, vt non multum maneat hæredem.

Teneri calidis balneis. Ἁπαλοὶ θερμολουσίαις. *Eudemus.*

In molles & luxu diffluentes dicebatur.

Amazonum cantilena. Ἀμαζόνων ᾆσμα.

In delicatos ac lasciuos, & parum viros.

Coronam quidem gestans, cæterum siti perditus. Στέφανον μὲν ἔχων, δίψῃ δὲ ἀπολωλώς. *Aristophan.*

In temulentum & lurconem apte torquebitur, quique abligurita re sit ad inopiam redactus.

Ex amphithero bibistis. Ἀμφιθέτῳ ἐπίνετε.

Dicebatur in eum, qui meracius & largius potaret.

Maschalam tollere. Μασχαλὴν αἴρειν.

Dicebatur, qui auidius biberet.

Vinum senem etiam & nolentem saltare compellit.

Admonet, nihil esse tam ineptum, neque tam alienum, ad quod non incitet ebrietas. Homerus.

Οἶνος ἀνώγει γέροντα καὶ οὐκ ἐθέλοντα χορεύειν.
Insanire facit senes quoque copia vini.

Vinum aurei clauo. Τὸν οἶνον ἐκ χειρὸς ἀλλὰ ... *Athen.*

Propterea quod ebrietas nihil consulto, neque moderate vel dicit, vel facit.

Amphidromiam agis. Ἀμφιδρόμια ἄγεις.

Adagium ad varios vsus poterit accommodari: vel ad eos, qui pueros ostentant, ac circumferunt, aut munuscula captant, ambiuntq.

In

In vino luxuria, *Ephes.5.18.*

EXEMPLA BIBLICA.

Luxuriæ *exempla:* Antiquior mundus, *Gen.6.v.1.* Sodoma, & aliæ ciuitates circumiacentes, *19.v.24.* Sichem, *34.vers.25.* Stupratores vxoris Leuitæ peregrini, *Iud.19.v.25.& 20.v.46.* Abner, *2.Sam.3.v.8.* Herodiadis filia, *Matth.14.v.7. Marc.6.vers.22.* Prodigus filius, *Luc.15.v.13.*

HIEROGLYPHICVM.

Peruetustum fuit apud hieroglyphicos Aegypti sacerdotes, delicias victus, luxum, & lasciuiam ex *Porci simulachro* significare. Argumento est columna in æde Thebis Aegyptijs olim erecta, in qua plurimæ in Regem Menin execrationes descriptæ erant, qui primus omnium Aegyptios è parsimonia ad luxuriam, à modestia ad intemperātiam, à virtute ad effœminationem illexit, quapropter simulachrū eius *porcum* esse voluerunt. *Pier.Val.l.9.c.20.*

EMBLEMATA.

Emblema LXXII. And. Alciati.

Eruca capripes redimitus tempora Faunus
Immodicæ Veneris symbola certa refert.
Est eruca salax, indexq; libidinis hircus:
Et Satyri Nymphas semper amare solent.

Luxuriosorum opes.

Emblema LXXIII.

Rupibus aeris, summoq; crepidine saxi
Immites fructus ficus acerba parit:
Quos corui comedunt, quos deuorat improba cornix,
Qui nihil humanæ commoditatis habent:
Sic fatuorum opibus parasiti & scorta fruuntur,
Et nulla ipsos vtilitate iuuant.

Vide Tit. Delitiæ, Ebrietas, Gula, Intemperantia.

FINIS LIBRI DECIMI.

M

MAGIA.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

MAgia. Græce μαγεία. Hebr. *Chaschaph*, à verbo *Chischscheph*, fascinauit, fascinis vsus est. *Machaschscheph*, magus, augur, haruspex, *Deut.* 18.10. *Chaschschaphim*, haruspices, fascinatores. *Ierem.* 27.8.

Magia vox est Persica, quam veteres pro sapiẽtia & perfecta rerum naturaliũ cognitione vt plurimum accipiebant, Vnde & Magi, seu sapientes ab illis appellati sunt, quos Græci vocant Philosophos. De veteribus Magis seu sapientibus Persarum multa tradunt Theologi, qui Matthæi Euangelistæ *c.* 2. *v.* 1. interpretati sunt. Duplex tamen traditur magiæ species: quarum altera, quam iam diximus, nihil aliud est, quam naturalis philosophiæ summa & perfecta cognitio, quam Pythagoras, Plato, Empedocles, cæterique inter philosophos præstantissimi, velut sanctiorem quandam disciplinam, indefatigabili studio, longinquisque peregrinationibus cõquisiuerunt. Altera, quam Goetiam, vel Theurgiam vocant, dæmonum inuocatione, infandisque incantationibus constat, quam & leges omnes execrantur, & Plinius artem intestabilem vocat, irritam & inanem: nostri magicas præstigias vocant, eo quod rerum veritatem ementiantur, mentes hominum fallacijs præstringentes. Huius plures species proponit & refellit Peucer. commentario de varijs diuinationum generibus, Vide *Incantatio.*

Magi, id est, diuini non consulendi, *Leuit.* 19.31. *&* 20.6.

Magi Pharaonis virgas suas in colubros mutant, *Exod.* 7. 12. ranas super terram educunt. 8. 7. educere cinyphes non possunt. *versic.* 18. Digitum Dei, id est, virtutem Dei in Moyse & Aarone operari agnoscunt. *ver.* 19. duo eorum a Paulo commemorantur, & nominibus suis appellantur, 2. *Timoth.* 3.8. Magi & Arioli a Saule sublati, 1. *Sam.* 28.3.

Magi Persæ, i. Sapientes Christum adoraturi veniunt. *Matth.* 2.1.

SENTENTIÆ PHILOSOPHICÆ.

Magia, facultas quædam Græcis visa est, potestatis plurimæ compos. tradunt enim, eam esse extremam sacerdotij portionem afferre enim visa quædam sæpius in aspectum falso diuinitatem aliquam præferentem. Hæc facultas perscrutatur vniuscuiusque sub luna rei genitæ naturam: & instructa est Magia plurimum astronomica facultate, & plurima per ipsam peragit. *Mich. Psell. de dæmon.*

Vanissimi cuiusque Magia est ludibrium. *Curtius lib.* 5.

Magia ars est Dijs immortalibus accepta colendi eos, & venerandi, prognata, pia & diuini sciens: nec vlli inter Persas concessum est Magum esse, haud magis, quam regnare *Apul. in Apolog.* 1.

Magia, quæ naturæ limites non excedit, non est damnanda. *Io. Fr. Pic. Mir. de præ. l.* 9. *c.* 2.

SIMILITVDO.

Chrysostomi. Si quis medicus est, potionemque dat, accipienda est, nec curiose inquirendum, qualis, sed habenda, vti sanitati conducens. Si veneficus est, magus, incantator, non modo non inquirendum, qualis sit, sed etiam vox fugienda, vtpote lethifera, *De fato sermone* 7.

MAGISTER.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

MAgister. Græce διδάσκαλος dicitur. Et is appellatur, qui alicuius rei præ cæteris curam gerit. *secundum Hostiensem.* Hebr. *Moreh*, a verbo *Iarah*, reuerıtus est. Solent enim discipuli suos reueteri præceptores & magistros. 2. *Melammedh*, à verbo *Lamadh*, didicit, perdidicit, eruditus fuit. Hinc Esaias dicit. *c.* 50. *ver.* 4. Dominus Deus dedit mihi leschon limmudim, linguam eruditorum, seu Magistrorum, i. pure cum authoritate & efficacia docentium: id quod proprie ad Messiam, Ecclesiæ Dei verum & vnicum magistrum, Euangelistæ referunt.

Magistri proprie dicuntur artium præceptores: transfertur tamen hoc nomen ad omnes, quibus præcipua cura rerum incumbit. Dicuntur autem vel à mouendo, vel monstrando, vel quod magis cæteris possint, vel quod magis quam cæteri diligentiam & solicitudinem rebus, quibus præsunt, debent. A magister *magistro*, hoc est, moderor, guberno: & *magisterium*, quod nonnulli pro ipsa magistri dignitate vsurpant.

LOCI BIBLICI.

Magistri, pro ijs, qui ius rigidæ censuræ in alios vsurpant, damnantur, *Iac.* 3.1. Magistri mendaces quales, 2. *Pet.* 2.1.

Magister noster Christus solus. *Matth.* 23.10. *Io.* 13.13.

SENTENTIAE BIBLICAE.

Vos autem nolite vocari Rabbi: vnus est enim magister vester: omnes autem vos fratres estis. Nec vocemini magistri, quia magister vester vnus est Christus, *Matth.* 23.

Nolite plures magistri fieri, fratres mei, scientes, quoniam maius iudicium sumitis. *Iacob.* 3.

PATRVM SENTENTIAE.

Periculosum est magisterium: discipulatus securus est: & ideo Psal. Auditui meo dabis gaudium & lætitiam. Securior est enim verbi auditor, quam verbi prolator. *Aug. in quodam serm.*

Nihil est fœdius præceptore furioso, qui cum debeat esse mansuetus & humilis ad omnes, ex diuerso, toruo vultu, tremẽtib. labris, rugata fronte, effrenatis conuitijs, facie inter ruborem & pallorem variata, clamore perstrepitat, errantes non tam a bono retrahit, quam ad malum sua sæuitia præcipitat. *Hier. in epist. ad Tit.*

Magister probæ ætatis & vitæ, eruditionisq; deligendus est. Nec puto erubescit doctus vir illud facere in propinqua vel nobili virgine, quod fecit Aristoteles in Philippo filio, vt ipsa librorũ varietate initia monstraret literarum. Nõ sunt contemnenda quasi parua, sine quib. constare magna non possunt. *Idem epistola* 89.

Sunt plerique, qui dum metiri se nesciunt, quę non didicerant, docere concupiscunt: qui pondus magisterij tanto leuius æstimant, quanto vim magnitudinis illius ignorant. *Gregor. in Prolog. pastor.*

Melius est obedire Deo, quam hominibus, & ipsis melius magistris, quam discipulis, Porro in magistris, melius nostris quam extraneis. Quibus autem melius constat obedire, ipsis procul dubio non obedire est detestabilius. *Bern., de precept. & dispen.*

Magistrum vocat, cuius non vult esse discipulus: de mandato magistro interrogat, qui nec minimum seruat. *Chrys. in Matth.* 22.

Principium disciplinæ humilitas est: cuius cũ multa sint documenta, hæc tria præcipue ad lectorem vel auditorem pertinent. Primum, vt nullam scientiam, nullam scripturam vilem teneat. Secundum, vt a nemine discedere erubescat. Tertium, vt cum sciẽtiam adeptus fuerit, cæteros non contemnat. *Hugo in didasc. alias con. lib.* 1.

Nulla res discipulo est ita perniciosa, sicut vita magistri contumeliosa. *Bern. de disciplina schol.*

Magister est eruditus, prius discat quam doceat, sit mansuetus, prout opportunum est: rigidus, vt lites dissoluat, oblatrantes remordeat, obloquentes reprimat, proteruientes castiget: debet item esse diligens: nam sicut in vnoquoque opere mater constãtia inuenitur, ita vniuersæ doctrinæ nouerca negligentia. *Idem ibid.*

Magister sit in sermone verax, in iudicando iustus, in consilio prouidus, in commisso fidelis, constans in vultu, pius aspectu, virtutibus insignis, bonitate laudabilis. *ibid.*

Miserum est eum esse magistrum, qui nunquam nouit se esse discipulum. *ibid.*

SENTENTIAE POETICAE.

Iuuenal. Satyra 7.

Scire volunt omnes, mercedem soluere nemo.
Mercedem appellas? quid enim scio? culpa docentis
Scilicet arguitur, quod laeua in parte mamillae
Nil salit Arcadico iuueni.

Ibidem.

Hos inter sumptus sestertia Quintiliano
Vt multum duo sufficient: res nulla minoris
Constabit patri, quam filius.

Ibidem.

Paenitet multos vana sterilisque cathedrae.

Ibidem.

Dij maiorum vmbris tenuem, & sine pondere terram
Spirantesque crocos, & in vrna perpetuum ver,
Qui praeceptorem sancti voluere parentis
Esse loco.

Ibidem.

Rara tamen merces, quae cognitione tribuni
Non egeat, sed vos saeuas imponite leges:
Vt praeceptori verborum regula constet,
Vt legat historias, authores noue it omneis,
Tamquam vngues digitosque suos. vt forte rogatus:
Dum petit, aut thermas, aut Phoebi balnea dicat
Nutricem Anchisae, nomen patriamque nouercae
Archemori dicat, quod Acestes vixerit annos,
Quot Siculus Phrygibus vini donauerit vrnas.

SENTENTIAE PHILOSOPHICAE.

De Magisterio. DIAL. XLV.
Francisci Petrarchae.

GAV.

At magisterio insignitus sum. R. Mallem fateor disciplina, magistro enim indisciplinato, & rudi, nihil est turpius. G. Magister ex merito factus sum. R. Vt magister digne sis, non nisi discipulus meruisti, obsequentem, atque humilē te, docilemque praebueris oportet, alioqui aberrasti in via, quae ad magisterium ducebat, & si non ignorem quosdam sine magistro ad scientiae gradum altissimum conscendisse, idque de seipsis viros magni nominis praedicasse, literisque mandasse: Sed his labor, & ingenium, & discendi ardor, & intentio, & assiduitas, & perseuerantia pro magistro fuit, nec internus in silentio magister defuit. At nunc mihi de cōmunibus sermo est. G. Magister dicor. R. Multis, ne magistri veri essent, magisterij falsum nomen obstitit, dumque de se plus omnibus quam sibi, dūque quod dicebantur, sed non erant: esse crediderunt, quod esse poterant, non fuerunt. G. Magisterio clarus sum. R. Vidisti vini acidi tabernam, picturis, aut floribus vernis insignem, vbi sitiens viator falli possit. Sed numquid, & cauponis suis fallitur artibus? sunt certe aliqui sic fallacijs assuefacti, vt longo vsu fallendi alios, ad extremum & se fallere incipiant, quodque diu suasere alijs, aliquando persuadeant sibi, & quod falsum sciuerint, verum credant. Tu, vt libet, magisterio gloriare, quod si digno obtigit, nihil noui, sin indigno, duo haec mala secum attulit, vt & discere pudeat, & notior ignorantia tua sit.

Plus homines oculis, quam auribus credunt: longum enim iter per praecepta, efficax, & breue per exempla. Zenonem enim Cleanthes non expressisset, si tantum eum audiuisset: obseruauit illum, vt ex forma viueret. *Seneca in epist.*

Multum egerunt, qui ante nos fuerunt, sed non peregerunt: suscipiendi tamen sunt, & ritu Deorum colendi. Quam venerationē praeceptoribus meis debeo, eamdem illis praeceptoribus generis humani, a quibus tanti boni initia fluxerunt. Si consulem videro, aut praetorem, omnia quibus honor haberi solet, faciam, equo desiliam, caput adaperiam, semita cedam. Quid ergo? Mar. Catonem, & Laelium sapientem, & Socratem cum Platone in animum meum sine dignitate summa recipiam? Ego illos veneror, & tantis nominibus semper assurgo. *Idem epist. 65.*

Magistris, Dijs, & parentibus non potest reddi aequiualens. *Aristot. lib. 9. Ethic.*

Docentes alios, mentiri non debent *Idem li. de Morte, & pomo.*

Vide Doctrina.

MAGISTRATVS.

DEFINITIO, ET ETYMOL.

Magistratus, *οἱ τελεσιάρχοι*, dicuntur homines in dignitate aliqua ciuili, & Reipublicae administrationem spectante constituti, titulis honorificis à Deo ipso in libris sacris insigniti. Nā vocantur *Elohim*, id est, Dij, *Psal. 82. & c. Sarim*, principes: *Zekenim*, Seniores: & *Segbanim*, magnates: *Schoterim*, Praefecti, Duces. In nouo Testamento Reges, Principes, Magistratus, Duces, Gubernatores, Praefecti, &c. Alijs praeterea titulis placidis, & officij eos monentibus passim insigniuntur. Nam dicti sunt patres, pastores populorum, benefici, iudices, afflictorum tutores, procuratores boni publici. Denique quicquid ad diuinae iustitiae misericordiaeque considerationem refertur apud Prophetas & Apostolos, id analogice referri potest ad pios & iustos magistratus, qui vncti & serui Dei, dominationes, potestates, &c. nominātur.

LOCI BIBLICI.

Magistratus auari, qui noxij, *Prouerb 29. 4.* Magistratui etiam profano parendum, *Ierem. 29. 8. Matth. 17. 27. & 22. 21. & 23. 3. Luc. 20. 25. Rom. 13. 1. Titum 3. 1. 1. Pet. 2. 13.* ita tamen Omnipotenti Deo seruato illibato honore, *Dan. 3. v. 14. 15. 16. 17. 18. & 5. v. 7. 9. 10. Act. 4. 9. & 5. 29.* Magistratus Deum timentes, *Exod. 18. 25. Deut. 1. 15.* Impij, *Prou 29. v. 8. 10. 12.* Magistratibus non detrahendum, *Exod 22. 28.* parendum, *Rom. 13. 1. & Tit. 3. 1. 1. Pet. 2. v. 13.* Magistratui tributum soluit Christus, *Matth. 17. 24.*

SENTENTIAE POETICAE.

Verinus.

Quo magis est abies procera euertitur Euris:
Culmina non valles fulmina torta petunt.
Quo maior eius maior solet esse ruina:
Magnaque liuorem gloria saepe parit.

PHILOSOPHICA PLACITA.

Magistratus ad hoc constituti assumere debent tectus, qui eduntur, tum mulierum, tum virorum, siue amborum, nam communes erunt & mulieribus & viris magistratus. *Plato de Republica dialog. 5.*

Magistratus ineptos bene praeparata ciuitate legibus praeficere, non solum nihil aliud quam ingens risus oborietur, sed etiam detrimenta & damna longe maxima ciuitatibus ex ipsis euenient, *Plat. de leg. dial 6.*

Magistratus custodis legum non duret amplius, quam viginti annis, ad quem non infra quinquagesimum accedat, sed si quinquaginta annis electus fuerit, non duret nisi per decem annos. *Plat. de leg. dial. 6.*

Magistratum oportet esse in ciuitate, cui cura sit populum consilio praeuenire, ne otiosus sit. *Arist polit. 4. c. 15.*

Magistratuum consideratio in tres fit partes, prima, qui sint magistratus, qui constituunt talia, ex quibus constituuntur: tertia, per quem modum. *Idem ibid.*

Magistratus non prudentes tantum, sed benignos esse oportet.

Perinde periculosum est, vt insanienti gladium, sic improbo viro magistratum committere. *Pythag. apud Stob.*

Equidem & istud magnum argumentum esse virtutis in principe opinor, si subditi libenter ipsum sequantur, & in periculis vna perseuerent. *Xenoph.*

Qui nauem gubernāt, aliena voce iussuque vtuntur: sed qui Rempubl. administrant, in seipsis sapientiam habeant oportet, vt non sit opus aliena voce. *Plut.*

Vbi praesens fuerit Philosophus, ibi ciuitas erit f. Fx. *Arist. Rhet 2.*

Ars gubernandi ciuitates, principatum tenet in omnibus artibus. *Idem Ethic. 2.*

Naturaliter regens dignior est regno.

Melius est ciuitatem regi a viro optimo, quam a lege optima. *Politic. 1. & 3.*

Non populus causa gubernatoris, sed gubernator causa populi fit. *Plat. apud Volat.*

Magistratus, lex est loquens. *Cic 3. de legib.*

Magistratibus opus est, sine quorum prudentia ac diligentia ciuitas esse non potest, quorum descriptione omnis Reipub. moderatio continetur: neque ijs solum praescribendus est imperandi, sed ētiam ciuibus obtemperandi modus. Nam & qui bene imperat, paruerit aliquando necesse est: qui modeste paret, videtur, qui aliquando imperet, dignus esse. *Idem ibid.*

Omnino qui Reipub. praesunt, duo Platonis praecepta teneant. Vnū, vt vtilitatem ciuium sic tueantur. vt quidquid agant, ad eam referant, obliti commodorum suorum: Alterum, vt totum corpus Reipub. curent, ne dum partem aliquam tuentur, reliquas deserant. Vt enim tutela, sic procuratio Reipub. ad vtilitatem eorū, qui commissi sunt, non ad eorum, quibus commissa est, gerenda est. *Cic. 1. Offic.*

Huc omnia sunt referenda ab ijs, qui praesunt alijs: vt qui eorum in imperio erunt, sint quam beatissimi: estque nō modo eius qui socijs & ciuibus, sed etiam eius, qui seruis, qui mutis pecudibus praesit, eorum quib. praesit, commodis, vtilitatique seruire. *Cic. ad 5. frat. epist. 1.*

Sudandum est illis, qui magistratum gerunt pro communibus commodis, adeundae inimicitiae, subeundae saepe pro Republica tempestates: cum multis audacibus, improbis, nonnunquam etiam potentibus dimicandum. *Cic pro eo.*

Est boni magistratus cum auxilia Reipublicae labefactari, conuellique videat, ferre opem patriae, succurrere saluti, fortunisque communibus: suam salutem posteriorem salute communi ducere, intercludere omnes seditionum vias. *Cicero pro Caio Rabirio.*

Si

Si populo consulis, remoue à te suspicionem alicuius tui commodi: fac fidem, te nihil nisi populi vtilitatem & fructum quærere. *Cic. de lege Agrar. ad popul.*

Nulla re conciliare facilius beneuolentiam multitudinis possunt ij, qui Reipubl. præsunt, quam abstinentia & continentia. *Cic. 2. Offic.*

Est boni magistratus, commoda ciuium defendere, non diuellere, atque omnes æquitate eadem continere. *2. Offic.*

Est proprium munus magistratus, intelligere, se gerere personam ciuitatis, debereque eius dignitatem & decus sustinere, seruare leges, iura describere, & ea fidei suæ commissa meminisse. *1. Offic.*

Hi qui Rempublicam tuebuntur, in primis operam dabunt, vt iuris & iudiciorum æquitate suum quisque teneat: vt neque tenuiores propter imbecillitatem circumueniantur: neque locupletibus ad sua vel tenenda, vel recuperanda, obsit inuidia. *Cicero 2. Offic.*

In primis videndum est ei, qui Rempublic. administrabit: vt suum quisque teneat, & earum rerum sit copia, quæ sunt necessariæ. *Cic. 2. Offic.*

Magistratus, nec obedientem, & noxium ciuem mulcta, vinculis, verberibusque coerceat, ni par maiorve potestas, populusve prohibeat. *Cic. 3. de leg.*

Qui Reipublicæ præsunt, legum similes sint, quæ ad puniendum non iracundia, sed æquitate ducuntur. *1. Offic.*

Munus eorum esse debet, resistere & leuitati multitudinis, & perditorum temeritati. *Cic. de Milone.*

Est ei cui Respublica commissa est necessaria oratio & sapientia, qua regat populos, qua stabiliat leges, qua castiget improbos, qua tueatur bonos, qua laudet claros viros, qua præcepta laudis & salutis apte ad persuadendum edat suis ciuibus, qua hortari ad decus, reuocare a flagitio, consolari possit afflictos, factaque & consulta fortium & sapientum, cum improborum ignominia sempiternis monumentis prodere. Plerumque tamen ad honores adipiscendos, & ad Rempublicam gerendam nudi veniunt, & inermes: nulla cognitione rerum, nulla scientia ornati. *1. de leg.*

O conditiones miseras administrandarum ciuitatum & prouinciarum! in quibus diligentia plena simultatum est, negligentia vituperationum: vbi seueritas periculosa est, liberalitas ingrata, sermo insidiosus, assentatio perniciosa: frons omnium familiaris, multorum animus iratus: iracundiæ occultæ, blanditiæ apertæ, venientes prætores expectant, præsentibus inseruiunt, abeuntes deserunt. *Pro Flac.*

Magistratus est medicus ciuitatis: beneque præest, qui iuuat patriā, aut certe lędit non volens. *Thucyd. lib. 6.*

Omnibus grauis est magistratus, cui nullum certum tempus est definitum, & qui nullis actorum suorum reddendis rationib. obnoxius est: vnde tyrannis nascitur. *Dionys. Halic. l. 1.*

Hominibus Rempublicam tractantibus puto valde necessariā esse præteritarum rerum cognitionem, vt in similibus casibus exempla in promptu habeant quæ sequantur. *Idem in l. 5.*

Iis qui de Repub. consultant omnia quæ variis militer accidere possunt, sunt prospicienda. *Idem lib. 7.*

Viris ciuilia negocia tractantibus quemadmodum cęteris hominibus illud commune est, vt omnium eorum quæ rebus adhęrent contemplatione plenissima delectentur. *Idem lib. 15.*

Præfectum Rebuspubl. stantem mori oportet. *Dictum Turbonis* viri eximia virtute præditi. *Dion in Adriano.*

Boni malique in Republica nihil est, quod in diuersum traduci nequeat moribus præsidentium. *Aurel. Vict. lib. de Cæsarib.*

Moderatores omnium errare minus fas est. *Idem. ibid.*

Omnino ab hominibus honor iis debetur, quos honore Deus dignatus est. *Cedren. hist. compen. pag. 462.*

Oportet eum qui Rempublicā gerit, varia consilia agitare, ac perspicere qua potissimum ratione vna quælibet res facillime possit expediri: itaque sæpe ille parte aliqua dimissa, totam rei summā conseruat, paruoque cedens maiora consequitur. *Plut. in compar. Solonis & Publicolæ.*

In vrbe, quæ de virtute iudicium ferre potest, qui in summa est constitutus potentia, malis nequaquam locum dare debet, neq. functiones publicas indignis, neque fidem habere infidelibus. *Idem in compar. Niciæ & Crassi.*

Is qui in Republica versari præclare vult, debet semper re quidem id quod rectum est ei quod adulatur multitudini præferre: oratione autem efficere, vt id ipsum quoque molestum sit. *Idem in Cicerone.*

Cœpta inter duos iuniores tribunos in vrbe certamina, cupiditate eadem imperij multo impensius accensa sunt: nihil sentire, idē pro sententia pugnare, sua consilia velle, sua imperia sola rata esse volunt, contemnere inuicem & contemni. *Liuius, Decad. 1. libro 4.*

Eos qui in publica rerum administratione versantur, intueri hæc diligenter, & exactissimo studio examinare decet, ne eos lateat animus illorum, cum quibus vel iunguntur fœdere, vel pace conciliantur, quando id cedentes tempori faciant, quando animo non victus sæuiendi, quo ab ijs quidem qui opportunitatem male faciendi præstolantur cauere assidue possint: ijs vero quos vel subiectos imperio suo, vel veros amicos norint, quandoque res ferat secure ac fideliter vtantur. *Polyb. lib. 3.*

Ferrum neque Rempublicam gerens, neque medicus adhibere nisi extrema postulante necessitate debet: vtrumque enim imperitiæ est, & in Republica iniustitia & crudelitas ad eam imperitiam accedunt. *Plutarch. in comparat. Agidis & Cleomenis cum Tib. & C. Graccho.*

Belli tempore semper necesse est, vt propter aduersos casus gubernatores male audiant. *Thucyd. lib. 5.*

Apophthegmata.

Periander, felicem fore eam Rempub. putabat, in qua cum reliqua æqualia existimentur, virtute quod melius, vitio autem quod deterius est designatur. *Stob serm. 41.*

Idem Principes constitui iussit illos, qui à teneris bene educati sint, & iam adulti ætatem suam lucri gratia non prostituerint. *ibidem.*

Idem dicere solebat, beatas esse Respubl. quæ ab illis regerentur, qui aut ipsi saperent, aut sapientiæ incumberent. *Cicero ad Quintum fratrem.*

Zeno solitus est dicere decorandas esse vrbes non pretiosis ornamentis, sed inhabitantium virtutibus. *Stob. 4. serm. 41.*

Chrysippus, rogatus cur non administraret Rempublicam, dixit. Quia si quis male rexerit: displicebit Dijs: sin bene, ciuibus. *Stob. serm. 42.*

Aristoteles dicebat prudentes Magistratus debere non propter officium aut imperium, sed virtutis caussa admirationem sibi parere: vt etiam immutata fortuna eisdem laudibus digni censerentur. *Stob. eod. serm.*

Epictetus. Quemadmodum, inquit, faces in portu sublatę, magna flamma in paucis cremijs excitata, nauibus per mare errabundis multum auxilij ferunt: sic & vir splendidus (id est, prudens magistratus) in vrbe periclitante, paucis ipse rebus contentus, magnis beneficijs ciues afficit. *Stob. eod. ser.*

Theophrastus percontatus, quidnam Rempublicam conseruaret? respondit, Pręmium, & pęna. *Stob. serm. 41.*

Epaminondas. Quum Epaminondę per inuidiam & contumeliæ gratia sordidus quidam & contemptus magistratus delegatus esset a populo Thebano, non aspernatus est, dicens: Non solum magistratum ostendere virum, sed virum vicissim ostendere magistratum. Itaq; se gessit, vt deinceps tanquam honestum munus a multis ambiretur, quum antea nihil fuerit, quam cura sordes & stercora ex angiportis eijciendi. *P. M. l. 5. apoph. ex Plut.*

Agasicles interrogatus, quonam pacto magistratus, nullo stipatus satellitio, imperare suis posset? respondit, Si ita imperet suis, vt pater filijs. Qui innuit, si magistratus beneuolentia & benefactis adiungeret sibi ciuium animos, non opus esse barbarico conductitioque satellitio, cū nullos haberent corporis custodes tutiores quam ciues, erga quos patris gererent affectum. *Plut. in Lacon.*

Agesilaus, Magistratus officium esse dicebat, erga rebellantes, audacia, erga subiectos beneuolentia vti. *Plut. in Lacon.* Vt postea dixit Virgil. principis artes esse.

Parcere subiectis, & debellare superbos.

Idem, rogatus a quodam, cur Spartanorum Respubl. prę cæteris secundis rebus floreret? Quoniam, inquit, plus cæteris in hoc sese exercent, vt pariter & imperare & parere sciant. Sensit vir prudentissimus ciues disciplinæ capaces caussam esse incolumitatis publicæ. *Plut. in Lacon. apoph.*

Themistocles. Cleon cum primum statuisset Rempublic. capessere amicis in vnum locum conuocatis, eam quæ ei cum illis intercesserat amicitiam dirupit, tanquam quæ in administratione ciuitatis rectum ac iustum institutum emolliat, & transuersum agat. Themistocles contra, qui, cum quidam moneret vt præclare magistratu fungeretur: nequaquam, inquit, in eo sessurus sum throno, in quo amici non meliore sunt futuri conditione, quam inimici. Non enim ciuitas homines amicis & sodalib. carentes, sed commodos & temperantes requirit. *Anton in Meliss. parte 2. sermon. 1.*

Agathon dicere solebat, magistratum trium debere meminisse. Primum, quod imperet hominib. Deinde, quod secūdum leges: Tertio, quod non semper imperet. *Stob. serm. 41.*

Apollonius cum vidisset in Domitiani ædibus, quendam senio iam confectum magistratum inhianter affectare, atque Imperatori ceu seruum se submittere. Huic, inquit, o Damis, non persuasit Sophocles, vt agrestem Dominum furiosumque aufugeret. *Brus. lib. 5. c. 5.*

Fabio maximo iam ſene, filius illius conſul factus eſt, qui cum publicitus multis audientibus habuiſſet orationem: Fabius conſcenſo equo præcedebat. Quum autem iuuenis lictorem miſiſſet: qui patrem iuberet equo deſcendere, alij quidem factum hoc auerſati ſunt. At Fabius ab equo deſiliens, non habita ætatis ratione, accurrit, ac filium complexus: Euge, inquit, fili, ſapis: qui intelligas, quibus imperes, & quam magnum magiſtratum ſuſceperis. *Plutarc.*

Scipio minor, quum in cenſura Mummium collegam haberet, feſtine grauiterque pro roſtris dixit, ſe ex maieſtate Reipublicæ omnia facturum: ſiue ſibi Quirites collegam dediſſent, ſiue non dediſſent. *Plin. in l. de Viris Illuſtribus, c. 58. Valer. Max. lib. 6. c. 4.*

M. Cato exhortans magiſtratus ad ſumendas pœnas de his qui delinquerent, dicebat eos qui maleficos prohibere poſſent, nec facerent, lapidandos eſſe: Sentiens illos, de vniuerſo populo peſſimè mereri, quod ad ſcelerum licentiam inuitarent improbos. *Plut. in apoph.*

Alphonſus dicere ſolebat, eos, qui alijs præeſſent, tanto priuatis hominibus meliores eſſe oportere, quanto honoribus, & dignitate antecellerent: Sentiens tum demum ſubditorum mores rectè formari poſſe, ſi hi quibus Reipublicæ gubernatio commiſſa eſt, vitæ inculpatæ exemplo præcedant, vt viuum fiat exemplar omnis virtutis. *Panorm. lib. 6. de reb. geſt. Alphonſi.*

Idem, Magiſtratum, cotem appellare ſolitus eſt, quo hominum ingenia probarentur. Quemadmodum enim argentarij ad aurum, atque argentum probandum cote indice vtuntur: ſic magiſtratibus ſe vti. Rex docere voluit, quo ciuium mores, atque animos exploraret. Magiſtratus enim, vt communi prouerbio celebratur, virum indicat: quod quidem Pittaco Mitylenæo, & Soloni alij tribuerunt. Quamquam Ariſtoteles *lib. 5. Moralium*, Biantis nomine citarit. Eſt autem ſenſus, vix ſatis perſpici poſſe mores, & ingenium in vita hominis priuata. *Alphonſi dictum recitat Panorm. lib. 3.*

Socrates dicere ſolebat abſurdum eſſe, cum artes manuarias nemo exerceat qui eas non didicerit: neque quiſquam aliud faciendum locet ei, qui eius opificij ſit planè ignarus: ad publicos magiſtratus admitti eos, qui rerum omnino rudes eſſent. *P. M. libro 3. apoph.*

Plato cenſebat publica munera nemini eſſe concedenda, quod nominatus ad ea capeſſenda diues eſſet, aut huiuſmodi quicquam poſſideret, vt robur, magnitudinem, generis claritatem: ſed ei qui legibus pareret maximè, & hac re cæteris in ciuitate præſtaret. *lib. 4. de legib.*

Chilon. Fratri quærenti, quod Ephorus ipſe non crearetur, quum ille eſſet: Ego, inquit, iniuriam ferre noui, tu non: ſignificans neminem eſſe idoneum magiſtratui, qui non poſſit diſſimulare multa præter æquum, & bonum facta, iuxta illud *ἄρχων ἀκούων καὶ δίκαιος καὶ ἀδικῶς*, id eſt, Princeps æqua, & iniqua pariter audiat. *Laert. in Chilon.*

Antiſthenes admonuit Athenienſes, vt aſinos æquè, atque equos deligerent ad agriculturam. Quum illi dicerent hoc animal eſſe alienum ab aratione: Quid refert, inquit, quum in veſtra Republica duces ſint, qui numquam didicerunt adminiſtrandi rationem: ſed hoc ſatis eſt, quod à vobis delecti ſunt. Sentiens, multo abſurdius eſſe, ei commendare Rempubl. qui gubernandi artem non teneat, quam ſi aſinum pro equo adhibeas aratro. *Laert. lib. 6. cap. 1.*

Carneades, cum in ſenatu dixiſſet, neminem conſulem, neminẽ prætorem, aut Imperatorem eſſe, niſi ſapientem: Albino, qui tum prætor erat, audiente, ſubridens, ait: Ego igitur tibi Carneades prætor non eſſe videor, quia ſapiens non ſum? *Euſeb. lib. 4. c. 5.*

M. Cato ciues incuſabat, quod ſemper iſdem committerent magiſtratum: Videmini enim, inquit, aut nullum habere magiſtratum, aut indicare paucos eſſe dignos magiſtratu. Quorum alterum erat male ſentire de publica poteſtate, alterum, de ciuibus. *Plut. in Rom. apoph.*

Idem. Cenſuram petens, quum cæteros competitores videret ſupplices, populoque blãdientes, ipſe clamabat, populo opus eſſe Medico auſtero, validiſq; remedijs: proin eligendum non qui iucundiſſimus eſſet, ſed qui inexorabilis. Atque hæc dicens, ante omnes cenſor creatus eſt. Agnouit populus morbum ſuum: eoque Cato plus valuit obiurgando, quam cæteri blandiendo. *ibid.*

Saturninus, quum milites illi peplum imperiale impoſuiſſent, aduocata concione de ſeipſo dixit: Commilitones, bonũ ducem perdidiſtis, & malum principem feciſtis: Ante fuerat egregius, ſed quoniam in Imperio fuerat ſeuerior, ab iſdem à quibus Imperator factus fuerat, interemptus eſt. Non quiuis ad quoduis munus idoneus eſt. *Trebel. Pollio.*

Auguſtus Cæſar Romanum admonuit magiſtratum, vt Rempublicam committerent iis, qui vſu, & experientia rerum plurimum poſſent, nec eam ſinerent pendere ex cuiuſquam voluntate. Nihil enim in Republica pernicioſius eſſe putauit, quam ſi magiſtratus rerum imperitus dominium obtineat. *Xiphilin. Dionis abbreuiator, in Auguſto.*

Idem, cum ægre ferret, quod Caius, quem Agrippa eius filius ſuſceperat, nondum adoleſcens conſulatum petijſſet: graui dolore affectus, precatus eſt, ne vmquam incideret in huiuſmodi tempora, in quæ ipſe olim inciderat, vt minor 21. annis conſul fieret. Cumque adhuc inſtaret, reſpondit: id Imperium deferendum eſſe ei, qui nihil peccaret, quique poſſet ſtudijs populi Romani obſiſtere, deinde vt eos modeſtiores faceret. *Dion. Nicæus in Auguſt.*

Democritus dicere ſolebat, melius eſſe regi ab alijs, quam regere homines malos. *Stob.*

Alcibiades dicere ſolitus eſt de ſuis factis, ſe Dioſcurorum vitam viuere. Nam dum populi gratiam obtineret, Dijs parem ſe videri: cum vero illam amiſiſſet, nihil à mortuis diſcriminis habere. *Ælian. l. 13. de var. hiſt.*

Themiſtocles audiens quoſdam ambire magiſtratum: Si mihi, inquit, duas oſtenderetis vias, quarum vna ad ſepulchrum, altera ad tribunal duceret, multo libentius ingrederer eam, quæ recta ad ſepulchrum duceret. Non ignorauit ſanè vir ſapientiſſimus, quantæ curæ, moleſtiæ, vexationes, circumueniant eos, qui in magiſtratu conſtituti, omnibus expoſiti eſſe coguntur. *Ælian. lib. 6. variæ hiſtor.*

Demoſthenes ad iuuenes quos habebat familiares, dicere ſolebat: Sibi ignaro iam quantum inuidiæ, metus calumniæ, ac diſcriminis ſit expectandum ad Rempub. accedenti, ſi ex duobus alterum ſit eligendum citius in exilium iturum, quam ad ſuggeſtum, aut tribunal. *P. M. l. 4. apoph. ex Plut.*

Seleucus frequenter dicere ſolitus eſt, paucis notum eſſe, Regum, aut magiſtratuum quantæ ſint curæ. Alioqui nullum inuentum iri, qui regium diadema humi proiectum tolleret. *P. M. lib. 8. apoph. Stob. ſerm. 46. Antiocho aſcribit, cuius dicti meminit etiam Valer. Maxim. l. 7. c. 2.*

Antigonus, cum regium ſibi traditum accepiſſet diadema, priuſquam capiti imponeret, dixiſſe fertur: O nobilem magis, quam felicem pannum! quem ſi quis penitus cognoſcat, quam multis ſolicitudinibus, periculis, & miſerijs ſit refertus, ne humi quidem iacentem tollere vellet. *Valer. Max. lib. 7. c. 2. Stob. ſerm. 46.*

Pompeius Magnus, quum ex literis Senatus intellexiſſet, omnia quæ Sylla armis obtinuerat, in ipſius poteſtatem eſſe tradita populi ſuffragijs centuriatis, percuſſo femore dixit: Prob; numquam finienda pericula! quanto ſatius erat obſcurum naſci, ſi à militaribus curis numquam dabitur recedere: nec hac exuto inuidia, licet cum vxore ruri vitam degere? Magnam potentiam ambit inexpertus, odit expertus, ſed deponere tutum non eſt. *Plutarch.*

Alphonſus. Cœnam ſenex quidam importunus, & garrulus, quum ſine fine obſtreperet, exclamaſſe fertur, & dixiſſe: Aſinorum cõditionem eſſe potiorem, quam regum. Nam illis dum naſcũtur, dominos parcere: regibus neminem. *Anton. Panorm. & Æneas Silu. de dictis, & factis Alphonſi.*

Idem interrogante quodam cur Imperium non deponeret? dixit: Quoniam per vim imperanti etiam vltro deſiſtere periculum eſt. *Stob ibid.*

Heraclitus. Rempub. vt deploratam contempſit, eique dare leges, quum rogaretur, recuſauit. Seceſſit autem in templum Dianæ, ibique cum pueris ludebat talis. Circumſtanti, & admiranti populo: Perditi, inquit, an non præſtat hoc agere, quam vobiſcum Rempub. adminiſtrare? *Laert. lib. 5. c. 1.*

Antiſthenes. Rogatus, quomodo ad Rempublicam capeſſendam ſit eundum? Velut, inquit, ad ignem, ne nimis admotus exuraris, procul amotus frigeſcas. *Stob. ſerm. 43.*

Bion dixit, oportere bonum virum à magiſtratu diſcedentem non ditiorem, ſed clariorem euaſiſſe. *Stob. ſerm. 43.*

Pythagoras dicebat primum luxuriam ciuitates ingredi, deinde ſaturitatem, poſtea contumeliam, poſtremo exitium. *Stob. ſer. 41.*

Cicer. Cum Caninium Conſulem poſtremo anni die à Cæſare factum videret, qui tamen poſtero die conſulatum pro more alteri tradere cogebatur, iocosè de breui eius magiſtratu iudicans Conſulem, inquit, habuimus vigilantiſſimum, & fortiſſimum, qui in toto ſuo conſulatu ſomnum non vidit. *Xiphil. Nicæi abbreuiator in Cæſare.*

Idem. De Caninio Reuilio cum paruo tempore conſul fuiſſet, ſex videlicet meridianis horis idem dixit: Conſulem habuimus tam ſeuerum, tamque cenſorium, vt in eius magiſtratu nemo pranſus ſit, nemo cœnauerit, nemo dormierit. *P. M. lib. 4. apoph.*

Idem. Vatinius cum morbo laboraret, & eo nomine in Ciceronem inueheretur, quod ægrotantem non acceſſiſſet? Volebam, inquit Cicero, in tuo venire conſulatu, ſed me nox occupauit. *ibid.*

Idem. Ad hunc conſulem congratulandi, ac aſſociandi gratia pluribus euntibus: Maturemus, ait, vt hominem ante ſui conſulatus exitum præueniamus. *Plutarch.* Talis fuit autem ſub Galieno Imperatore poſtea Marius tyrannus, *vt ſcribit* Trebel. *Pollio*. qui vna die factus eſt Imperator, altera viſus eſt imperare, tertia interemptus eſt.

M. Voracillus in C. Seruilium, qui vno tantum die conſul fuit, ita luſit: Ante Flamines, nunc conſules diales fiunt. Abuſus eſt voce, Dialis:

Diales: quasi à Die deducta sit, ac non magis à Ioue, cui Flamines instituebant it. *Macrob. l. 2. c. 2. Saturn.*

Similitudines.

Polybij. Quemadmodum mare natura sua innoxium est rectè vtentibus, & firmum, si vero violenti flatus in illud irruerint, tale redditur vtentibus, quales sunt venti, à quibus cuicumque impellitur: Ita & multitudo talis redditur vtentibus, quales habet Duces, & Consiliarios. *lib. 11. hist.*

Plut. Qui in eadem vehuntur naui, & in ijsdem militant tentorijs, sese mutuo ferant oportet: Sic qui versantur in Repub. At in contuijs non idem est necesse: nam illic periculum est commune, hic non idem. *In Moral.*

Arbores ingentes, vetulaque subnascentes arbusculas vmbra sua premunt, nec sinunt efflorescere: Non sic faciendum senioribus magistratibus: sed inuitandi potius, & adiuuandi iuuenes. *In Moralibus.*

Vt qui praeternauigatis Syrtibus, iuxta portum frangit nauem nihil magni fecit: Ita qui vno, atque altero magistratu rectè gesto in summo naufragium facit. *In Mor.*

Alexander Bucephalum iam senem ab alijs equis gestandum curare solebat, donec ab hostem ventum esset, vt integer ad pugnam veniret: Ita senum magistratuum vtendum opera, vt eis adimatur quantum potest laboris, ad necessitatem vsus illorum reseruetur. *In Moral.*

Medici morbos quos non possunt prorsus tollere, ad summa corporis in apertum euocant: Sic magistratus si clam ciuitatis vitijs mederi non potest, vt quam minimè Medicis, ac pharmacis, hoc est, supplicijs egeat. *In Moral.*

Inter agaonalos, & acanthylides tantum est odium, vt si sanguis eorum commisceatur, continuo separet se rursus, ac dissiliat: Sic inter patricios, & plebem, etiamsi quando pro rerum vsu coniunguntur, durat tamen vsque odium naturale. *In Moral.*

Histrio sic affectus, ac mores addet fabulae de suo, vt praescriptum tamen, & numeros non praetereat: Ita qui magistratum gerit, sic administret, vt praescriptum Regis non excedat. *In Moral.*

Vt mulieres laborantes pitta, aut stomacho nauseantes, malos quosdam cibos ingerunt, ac paulo post reuomunt: Sic populus per stultitiam, aut inopiam meliorum, quoslibet etiam creat magistratus, ac eosdem paulo post abijcit. *In Moral.*

Francisci Patricij Senensis. Sicut Medicus languentis vtilitati, non suae, & gubernator eorum quos vehit, consulere debet: Sic Rex eorū quibus imperat. *lib. 2. tit. 1. de institutione Regis.*

Quemadmodum pictor insignis non solum oculos, & faciem (quamquam potiora sint) penicillo exornat, verum totam imaginem colorum varietate honestat: Sic magistratus in vrbe bonus, non eo ordine Rempublicam suam instituit, vt vnum tantum genus in ea felix existat, sed ciuitas vniuersa beatitudinem per solam iustitiam consequatur. *lib. 2. tit. 1. De institutione Regis.*

Plinij. Vt pulegium ipso brumae die floret, cum marcent omnia: Ita rebus pessimè vexatis, regnant mali: quorum in pace nullus est respectus. *lib. 18. c. 25. & lib. 2. c. 24.*

Exempla Biblica.

Magistratus Dei minister est, *Rom. 13. versic. 4. 6.* Dij vocantur, *Psal.* 82. 1. Cur sic vocentur. Non sunt aspernandi, *Ioan. 10. 34. 35. 2. Petri 2, 10 Iuda. v. 8.* Magistratus boni, quam necessarij, *Iud. 2. 19. &* 8. 33. 1. *Sam. 7. vers. 13. 1. Reg. 3. 28. 2. Paral. 29. 20. Prouerb. 11. 14. Eccles. 10. 17.*

Magistratus Officia. I. Amplecti veram religionem, procurare, & promouere *exempla:* Iosuah, *Numer. 27. v. 18. 19. Ios. 3. versic. 5. 6. 7.* Saul, 1. *Sam. 10. 10.* Samuel, 12. 20. 21. Dauid, 2. *Sam. 6. 20. 21. Psalm.* 2. 10. 11. *&* 24. *v.* 6. 7. *&* 248. 11. 1. *Reg.* 2. 1. 2. 3. 1. *Paral.* 16. 1. 2. Salomon, 1. *Reg.* 8. 22. 23. 24. *&* 9. 25. Ezechias, 2. *Reg.* 18. 3. 4. 5. 1. *Paral.* 9. 25. 26. Iosaphat, 17. 3. 4. 5. Iosias, 2. *Reg.* 23. *vers.* 2. 3. 4. 2. *Paral.* 34. 33. *&* 35. *vers.* 2. *&c.* Cyrus, 36. 22. 1. *Esdr.* 1. 2. 3. II. Abolere idololatriam *Exempla.* Asa, 1. *Reg.* 15. 12. 13. Iehu, 2. *Reg.* 10. 25. 26. *&c.* Ezechias, 18. 4. 5. Iosias, 23. 4. 5. 6. Rex, & Daniel, *Daniel.* 4. 21. 22. III. Curare, vt pura, & sincera doctrina Catholica tradatur, ac propagetur *Exempla:* Rex Assyriorum, 2. *Regum* 17. 26. 27. Iosaphat, 2. *Paral.* 17. 7. 8. Nabuchodonosor, *Dan. 3. versicul.* 97. 98. 99. Darius, 6. 25. 26. Iosias, 2. *Regum* 23. *versic.* 21. Ezechias, 2. *Paralip.* 30. 1. IV. In pietate vera, & religione sana maiorum exempla imitari *Exempla:* Asa, 1. *Regum* 15. 11. 12. Iosaphat, 2. *Paralip.* 17. 3. 4. Ezechias, 2. *Regum* 18. 3. 4. *&c.* 2. *Paralip.* 29. 2. Iosias, 2. *Regum* 22. *versic.* 2. V. Esse nutritium Ecclesiarum, & Scholarum *Exempla:* Pharao, *Genes.* 47. 58. Duces populi Israelitici, *Numer.* 7. 1. 8. *&c.* Principes Israelitarum, 31. *versic.* 49. 50. Dauid, 1. *Paral.* 20. 2. Principes familiarum, *versic.* 6. 7. Hiram, 1. *Reg.* 5. 10. Salom. 8. 64. Asa, 15. 11. 15. Ezechias, & subditi eius, 2. *Paral.* 31. 4. 5. Cyrus, 1. *Esdr.* 1. 6. 7. *Dan.* 4. 1. Darius, 6. 3. 4. Abdias domus regis Achab. dispensator, 1. *Reg.* 18. 13. Abimelech, *Ierem.* 38. 7. 8. 9. 10. Magi, *Matth.* 2. 11. iuxta illud, *Esaia* 49. 13. VI. Exemplo pietatis, honestatis, & iustitiae subditis praeire *Exempla:* Ioseph, *Genes.* 47. *versic.* 23. 24. Dauid, 2. *Sam.* 6. 14. 1. *Paral.* 18. 14. Saul, 2. *Sam.* 1. 24. Samuel, 1. *Sam.* 12. 2. 3. Salomon, 1. *Reg.* 10. 6. 7. 8. Iosaphat. 2. *Paral.* 19. 6. 7. Rex Niniuitarum, *Ioan.* 3. 6. 7. VII. Caeremonias diuinitus institutas vna cum subditis sanctè obseruare *Exempla:* Salomon, 1. *Regum* 2. 26. 27. 38. Salomon, & omnis Israel, 6. 62. 63. 64. Rex Assyriorum, 2. *Reg.* 17. 27. 28. Ezechias, & populus Iudaicus, 2. *Paralip.* 30. 1. 2. Ezechias, 31. 2. VIII. De rebus agendis, & administrandis, os Domini consulere *Exempla:* Iosuah consulit Eleazarum, *Numer.* 27. 20. 21. 22. Saul obtemperat Samueli, 1. *Samuel.* 12. 8. 9. Dauid consulit Dominum, 23. 19. monitus Gad obtemperat, 24. 18. Iosaphat, & Achab consulunt Michaeam, 1. *Regum* 22. 5. 7. Rex Iuda, Israel & Edom Elisaeum, 2. *Reg.* 3. 11. Ezechias Esaiam, 59. 2. Sedechias Ieremiam, *Ierem.* 38. 14. IX. Subditos ad seriam poenitentiam, & orationem edictis cohortari *Exempla:* Iosaphat, 2. *Paralipom.* 20. 3. 4. 18. 10. 20. Ezechias, 32. 6. 7. Rex Niniuitarum, *Ion.* 3. 6. 7. X. Extruere, & resarcire aedificia, in quibus verus Dei cultus tractetur *Exempla:* Dauid, 2. *Samuel.* 7. 2. 5. Salomon, 1. *Regum* 5. 4. 5. *&* 6. 2. Iosias, 2. *Reg.* 22. 3. 4. 5. Cyrus, 2. *Paralipom.* 36. 22. Darius, 1. *Esd.* 6. *versic.* 1. 2. 3. XI. Viros pios, ac bonos ad gubernationem idoneos praefectos ordinare, & constituere *Exempla:* Moses, *Exod.* 18. *versic.* 21. 22. Dauid, 2. *Sam.* 8. *versic.* 14. 15. 17. 17. 18. *&* 10. *versicul.* 25. Salomon, 1. *Regum* 2. 34. 35. *&* 4. *versic.* 2. 3. *&* 11. 28. Iosaphat, 2. *Paralipom.* 19. 4. 5. 11. Dauid, *Psalm.* 101. 4. 5. 6. 7. XII. Prius cognoscere causam, quam sententiam ferre *Exempla:* Israelitae, *Iudic.* 20. *vers.* 3. *&c.* Iosuah, *Ios.* 19. 20. Salomon, 1. *Regum* 3. 23. 24. XIII. Inire foedus, & colere amicitiam, & pacem cum vicinis gubernatoribus *Exempla:* Abimelech cum Abraham, *Genes.* 21. 27. Dauid cum Hanon, 1. *Paralipom.* 19. 2. Salomon cum Hiram, 1. *Regum* 5. *versic.* 4. 5. cum Pharaone, 3. 12. cum vicinis Regibus, 2. *Paralipom.* 9. 23. 24. XIV. Dimicare pro libertate, aduersus seditiosos, ac hostes publicos *Exempla:* quinque Reges Sodomorum, *Genes.* 4. 8. Aod, *Iudicum* 3. 28. Samgar. 31. Debora, & Barach, 4. 14. Gedeon, 7. 22. 23. Iephthe, 11. 32. 33. Ioab, 2. *Samuel.* 10. 12. Dauid, 20. 6. Ezechias, 2. *Regum* 18. *versicul.* 7. 8. XV. Supplicia de hostibus sumere, & innocentibus parcere *Exempla:* Iosuah, *Ios.* 6. 28. Samuel, 1. *Samuel.* 15. 33. 34. Saul parcit Cinaeo, 6. Salomon, 1. *Regum* 1. 25.

Magistratuum impiorum mala opera opposita legentur piorum officijs supra commemoratis, & eorūdem exempla in Iudicum, & Regum Israeliticorum historijs leguntur.

Magistratuum bonorum *Exempla:* Ioseph, *Genes.* 50. 19. 20. Septuaginta Seniores, *Numer.* 11. 16. Iosuah, 27. 16. 17. *Deuteronom.* 17. 15. Iudices, *Iudic.* 2. 16. 18. Othoniel, 3. 9. Aod, 15. Gedeon, 6. 14. 15. 34. Saul, 1. *Sam.* 9. 15. 16. Dauid, 2. *Sam.* 5. 12. 1. *Paralipom.* 28. 4. 2. *Paral.* 18. 14. *&* 21. 17. *&c.* Salomon, 1. *Reg.* 3. 7. *&* 10. 9. Iehu, 2. *Reg.* 9. 1. 2. 3. *&c.* Ioachea, 13. 4. 5. Cyrus, *Paral.* 36. 22. Nabuchodonosor, *Dan.* 2. 37. 38.

Magistratus boni praemia à Deo promissa, & praestita *Exempla:* Iosue, *Ios.* 3. 7. Dauidi, 1. *Regum* 2. 44. 45. Salomoni, 4. 9. Ieroboamo, 30. 31. Ezechiae, 2. *Regum* 18. 7. Iosaphato, 2. *Paralipomen.* 17. 3. 5.

Magistratus peccata puniuntur in subditis *Exempla:* Saulis homicidium, 2. *Samuel.* 21. 1. Dauidis superbia, 24. 10. *&* 24. 15. 17. Salomonis idololatria, 1. *Regum* 11. 30. 31. 32. 33. peccata Ioram, 2. *Paralipom.* 21. 12. 13. impius Achaz, 28. 19. Achab, 1. *Regum* 20. *versicul.* 42.

Magistratus impij, & iniqui *Exempla:* Magistratus, *Actorum* 16. 22. Gallion Tribunus, 18. 17. Tribunus, 22. 24. Magistratus potestas à Deo, *Ioann.* 19. 11. Magistratuum timor a Deo, *Ios.* 4. 14. Magistratus malus malo populo ista Dei ira credit, 1. *Regum* 12. 24. *Iob* 34. 30. *Prouerbiorum* 28. 2. *Esaia* 3. 3. *&* 19. 10. *Ezechiel.* 14. 9. *Osea* 13. 11. 2. *Thessalonicenses* 2. 11. Magistratus mali arguuntur, *Psalm.* 82. 2. *Esaia* 1. 23. *Ieremia* 5. 5. 28. *Ezechiel.* 22. 27. *Michea* 3. 11. *Sophonia* 3. 3.

MAGNANIMITAS.

Definitio et Etymolog.

Magnanimitas, Graecè μεγαλοψυχία, et μεγαλόψυχος, magnanimus dicitur. Magnanimitas, Hebr. dicitur *Gaaon*, à verbo *Gaah*. Gloriatus est, eminuit, excellit, hinc *gaim*, glorior. Est autem magnanimitas virtus, quae versatur circa magna, *secund. Aristot. lib. 4. Ethic.*

Magnanimitas est virtus magnorum beneficiorum effectiua cuius contrarium est pusillanimitas. *sec. lib. 1. Rhet.*

Magnanimitas importat intensionem animi, vel ad magna absolute, vel secundum proportionem. *Ex B. Thoma 2. 2. quaest. 129. artic. 1.*

Magnanimitas est virtus tendens ad maxima, secundum rectam rationem. *Ex B. Thom. ibid. art. 3.*

Magna-

Magnanimitas virtus est, ob quam felicitatem, & infelicitatem, honorem, & dedecus ferre animus potest. Eius est honestè sustinere, quæ ad gloriam ferant omnis, nec non obuenientia contraria: neque admirari, & obstupescere aliorum rebus, non clientelis moueri, non rerum affluentia, non victorijs, quæ de bellis, & prælijs relatæ sunt, sed excellentem tollere animum, & magnum ad omnia fortunæ bona parui facienda. Est etiam magnanimus, qui vitam producere longissimam non magnipendit, quique de sua vita anxius non est, moribus vnus, ac simplex, & generosus, qui vbi inferre possit iniuriam vitet: vbi vlcisci negligat.

Comitatur magnanimitatem Simplicitas, & Veritas. Huius extrema, Ambitio, & Pusillanimitas.

Santentiae Patrvm.

Sapiens non metu frangitur, non potestate mutatur, non extollitur prosperis, non tristibus mergitur. *Amb. ad Simpl.*

Magnanimus est, qui cuncta facilis sustinet: nec parua ferre, pectoris parui est nimis. *Nazianz. in Carm.*

Magnanimitas est perfecta animi virtus, ac velut ornamentum virtutum. Magnanimi autem viri præter alia proprium hoc est, honorem eum qui vulgaribus, & abiectis vitis, atque ob paruas res exhibetur, aspernari, atque item contemptum, & ignominiam, ac propterea ijs à quibus offenditur ignoscere. *Elias Nazian. interpres, comm. in 2. orat.*

Magnanimi viri præter alia quibus præditus, & instructus est, proprium illud videtur, nihil seruiliter, nihil recte, atque occultè dicere, aut facere, sed omnia apertè, & propalam: atque odium suum, & beneuolentiam præ se ferre. *Idem in orat. 3.*

Externi sapientes Magnanimitatem definiunt animæ virtutem, per quam nonnulli ea, quæ accidunt facile perferre possunt: nostri autem magistri liberalitatem, & munificentiam animi magnitudinem persæpe nuncupant. *Idem in orat. 11.*

Paruulus est, qui terrena diligit, magnus, qui æterna concupiscit. *Greg. lib. 5. Mor.*

Qui magna agit, quamuis de se humilia sentiat, scit tamen magna esse, quæ agit. Nam si magna esse nescit, ea proculdubio minimè custodit. *Idem lib. 26.*

Postquam Deus omnipotens regnum vestrum fidei rectitudine decorauit, & integritate Christianæ religionis inter gentes alias fecit esse conspicuum, magnam de vobis præsumendi materiam concepimus, quod subiectos vestros ad eam conuerti fidem cupiatis, in qua eorum, nempe Reges estis, & domini. *Idem in Regist. l. 5. epist. 58. ad reges Franc.*

Non sine causa sapiens vrbium expugnatori prætulit virum qui animo dominatur. Tu ad hoc multum virtute opus habes, non quacumque, sed qua induaris ex alto. Ipsa enim si perfecta sit, facile sic animam victorem sui, & sic inuictum reddit ad omnia. *Bern. super Cant. serm. 58.*

Quoniam magnum habes dominum, sis quoque tu excelsus, & te explica à rebus, quæ ad hanc vitam pertinent. Sume spiritus qui superent præsentium rerum humilitatem, non vt sis elato animo, & insolens, sed magno, & excelso animo. Aliud enim arrogantia, aut insolentia, & aliud magnitudo animi. Est enim arrogans, qui propter res paruas se iactat, & gloriatur, ac conseruos despicit. Alto verò est animo, qui mente est humilis, & præsentis vitæ vmbras nihil esse existimat. *Chrysost. homil. in Psal. 144.*

Sententsae Poeticae.

Anthol. Sacr. Iac. Billij.

Qui valet aduersis onerat am ducere vitam,
Et tolerare magis vult mala, quam fugere,
Maioris multo est animi, quam ferre pauescens
Indocti iniustum iudicium populi:
Mens etenim recta, & puri sibi conscia cordis,
Hoc plus splendescit, quo magis atteritur.

Sententiæ Philosophorvm.

Qui exiguos honores meritus est, quos sibi tribui æquum censet oportere, is non magnanimus, sed modestus, & moderatus est iudicandus. Magnus enim animus in magnitudine cernitur, quemadmodum pulchritudo in magno proceroque corpore. *Aristot. lib. 4. Ethic. c. 3.*

Magnanimus, summus, ac extremus est ille quidem magnitudine, sed modo rationeq; medius. Nam suis se ipse meritis metitur: alij vel modum transeunt, vel deserunt. Qui si magna, atq; adeo maxima sibi, quia dignus sit, deberi iudicat: profecto vna in re maximè eius merita cernuntur. *ibid.*

In honore, & infamia mediocritas, magnitudo animi appellatur. *lib. 2. Ethic. c. 7.*

Magnanimitas est lenitudinis, & pusillanimitatis media. Versatur porro circa honorem, & inhonorationem. *lib. 1. Magn. Moral. cap. 25.*

Magnitudo animi, magnis in rebus, vt nomen ipsum significat, cernitur. *lib. 4. Ethic. c. 3.*

Magnanimitas est magnarum rerum, & excelsarum beneficentia. *lib. 1. Rhet. c. 9.*

Is demum magno excelsoque animo putandus est, qui res magnas illas quidem, sed quibus dignus sit, sibi deberi iudicat. Qui enim cum indignus sit, idem de se hoc sentit, is stolidus habendus est. *lib. 4. Ethic. c. 3.*

Quoniam maximis honoribus magnanimus dignus est, idem optimus sit necesse est. *ibid.*

Magnanimum nequaquam deceat fugere, aut cuiquam facere iniuriam. *ibid.*

Videtur magnitudo animi, quasi splendor quidam, & ornamentum esse virtutum omnium. *ibid.*

Magnanimus honoribus magnis, & qui à bonis viris tribuentur, moderate ille quidem lætabitur, tamquam suos, aut etiam minores sit consecutus. *ibid.*

Hic in diuitijs, & magistratibus, & secundis rebus, & aduersis, affectus erit, quam moderatissimè fieri possit: neque prosperis rebus lætabitur nimis, neque aduersis asperisq; mœrebit. *ibid.*

Quoniam magnanimus parui facit, ac negligit omnia præter admodum pauca, ideo non solet temere periculis sese offerre. Magnis ac grauibus se obijcit, in quibus, nec vitæ parcit, hoc ipso quod indignum sit omnino in vita manere. *ibid.*

De ijs loqui solent magnanimi, de quibus bene meriti sunt, non autem de ijs, qui beneficia contulerunt. Ac quæ contulit beneficia magnanimus, libenter: quæ accepit, de ijs audit inuitus. *ibidem.*

Est etiam magni viri nullo omnino, aut vix egere, & opitulari vltro, apudque eos qui in magistratu sunt, & prospera fortuna vtuntur, magnum; apud mediocres, modestum se mediocremque gerere. *ibid.*

Quietus est magnanimus, & cunctator: nisi aut magnus honos agatur, aut res magna. Paucas res agit ille quidem, sed magnas, & dignitatis plenas. Idem & aperte oderit necesse est, & aperte diligat: quod timidi sit occultare sententiam, magisque ex veritate pendet, quam ex opinione: dicitque ac gerit palam omnia, siquidem id contemnentis est. *ibid.*

Magnanimus non recordatur iniurias: nec de hominibus sermonẽ habet: nec vt laudetur ipse laborat: nec vt alij vituperentur, nec laudat alios libenter.

Itaque nec conuitiator est, ne inimicorum quidem: nisi forte propter contumeliam. Minimè vero de rebus necessarijs ijsque exiguis anxius, solicitusque est. *ibid.*

Incessus magni viri tardus sit necesse est: vox grauis: constans, & firma oratio. *ibid.*

In honore, & dedecore magnanimus ita in animo affectus est, vt ratio æquitasque postulat. *ibid.*

Gloria magni viri se esse dignissimos, idque pro dignitate, arbitrantur. *ibid.*

Mihi quidem singula spectanti ridiculus magnus animus videtur, qui non idem sit bonus: qui si malus sit, nec honore quidem esse dignus potest. *lib. 4. Ethic. c. 3.*

Magnitudo animi maiores virtutes splendidioresq; facit, & cohærere sine illis nullo modo potest: ob eamque causam vix in quoquã vera animi magnitudo reperitur: siquidem esse sine singulari quadam, & eximia bonitate nullo pacto potest. *ibid.*

Magno animo excelsoque viri, ijdem contemnentes rerum videntur esse. *ibid.*

Magnanimus is est, qui & beneficia conferat, & accepto beneficio pudore afficiatur: quod illud eius sit qui excellat, & præstet: hoc eius qui vincatur. Idem maius beneficium reddit, quam accepit. *ibid.*

Magnanimus liberè, quæ sentit, solet dicere: idque eo facit, quod & contemnat, & vera loquatur: nisi forte si quid dissimulatione tegendum sit: cui rei locus est apud multitudinem. *ibid.*

Magnanimus cum alijs, nisi cum amico, vita, victuque communi non coniungitur, quod id seruile existimet. *ibid.*

Magnanimitas est magnorum beneficiorum effectiua virtus. *lib. 1. Rhetor. ad Theod. l. c. 9.*

Τὰς τῆς τύχης μεταβολὰς γενναίως πειρῶ φέρειν. καὶ μὴ τι ἀτυχῶν ὑπερ-μέτρως ἴσο μήτε ἄπορων ταπεινὸς, ἀλλὰ γίνου ταπεινὸς ἐφ' ἑκατέρας τῆς τύχης.

Fortunæ mutationes fortiter sustinere conator: & neque bona fortuna affluens superbias, neque pauper animum deijcias, vtraque fortuna moderatus sis. *Theobulus.*

Ἀνὴρ δὲ μεγαλοψυχίᾳ ἀληθινῇ, καὶ φιλοσοφίᾳ τεθραμμένος, πρὸ τῶν συμφορῶν τινὰ εὐθυμίαν ἐν τῇ γνώμῃ ἀπόθετον ἔχει, τὸ δὲ ἐπὶ τοῦ δεινοῦ τῆς ἔξωθεν παρηγορίας χρῄζειν, τὸν καιρὸν τῆς εὐθυμίας ὑπερβαίνει.

Vir magnanimitate vera, & Philosophia educatus, ante quam calamitates ingruant animi tranquillitatem intra se reconditam habet. At in rebus aduersis aliena consolatione opus habere, animi tranquillitatis modum excedit. *Fauorin.*

Viros fortes, magnanimos esse eosdem volumus veritatis amicos, minime fallaces. *Cic.l.1.Offic.*

Ad magnanimum pertinet, neque perturbationi animi, neque homini, neque fortunæ succumbere. *ibid.*

Ad magnanimum pertinet ea, quæ videntur acerba, ita ferre, vt nihil à statu naturæ discedat, nihil a dignitate sapientis. *ibid.*

Magnanimitas est virtus spontanea difficilium aggressio, & rationabilis. *ibid.*

Si magnanimus fueris, numquam iudicabis tibi contumeliam fieri. De inimico dices, non nocuit mihi, sed animum nocendi habuit, & quum illum in potestate tua videris, vindictam putabis non vindicare potuisse. Scito enim magnum, & honestum vindictæ esse genus, ignoscere. *Sen. 4. de virtutib.*

Magnanimitas autem si vltra modum suum extollat, faciet virum minacem, inflatum, turbidum, & inquietum, & in quascumque excellentias dictorum, atque factorum neglecta honestate festinum, qui momentis omnibus supercilia suberigens, vt bestiaria inquietat, excitat, alium ferit, alium fugat: sed talis, aut miserum aperit finem, aut ærumnosam sui memoriam relinquit. Mensura ergo magnanimitatis est, nec timidum esse hominem, nec audacem. *ibid.*

Eris magnanimus, pericula si non appetas, vt temerarius, nec formides, vt timidus. Nam timidum non facit animum, nisi reprehensibilis vitæ conscientia. *ibid.*

Magnitudo animi, si a communitate humana sit remota, feritas quædam erit, & immanitas. *ibid.*

Pauper fiam, inter plures ero: exul fiam, me natum putabo, quo mittar. Non sum vni angulo natus, patria mea totus hic est mundi est. *in epist.*

Magnanimo nihil est magnum. Stilpo Philosophus capta patria, amisso rerum, &c. Ecce vir fortis, & strenuus ipsam sui hostis victoriam vicit. Facilius est totam gentem, quam magnanimum vincere. *Epist.23.*

Magnanimi est magna contemnere, & mediocria malle, quam nimia. *Epist.37.*

Animum excellentem, moderatum, omnia tamquam maiora transeuntem, quicquid timemus optamusq; ridentem cœlestis potentia agitat. Non potest res tanta sine adminiculo numinis stare: quemadmodum radij Solis contingunt quidem terram, sed ibi sunt vnde mittuntur: sic animus magnus, ac sacer conuersatur quidem nobiscum, sed hæret origini suæ. *Epist.40.*

Animus intuendus, vt pariter fugiendorum, ac petendorum, non ex opinione, sed ex natura pretia rebus imponens, asperis blandisque pariter inuictus, neutri se fortunæ submittens, supra omnia, quæ contingunt, acciduntque eminens, imperturbatus, intrepidus, quem nulla vis frangit, quem non attollant fortuita, nec deprimant: talis animus virtus est, hæc est eius facies. *Epistol 66.*

Magnanimo de rebus magnis iudicandum est: fortunatior est qui omnia rerum diuersarum onera rigida ceruice sustollit, eo supra fortunam exit. Non mirum est in tranquillitate non concuti: illud mirare, ibi extolli aliquem, vbi omnes deprimuntur: ibi stare, vbi omnes iacent. *ibid.*

Magnanimus stat rectus sub quolibet pondere, nulla illum res minorem facit, nihil illi eorum, quæ ferenda sunt, displicet: quidquid cadere in hominem potest, in se cecidisse non queritur, vires suas nouit, vincit virtute fortunam. *Epist.71.*

Nihil magnum est in rebus humanis, nisi animus magna despiciens. *In Epist.*

Proprium est magnanimitatis veræ non sentire se percussum. In magnis enim fera magna ad latratum canum lenta respicit.

Apophthegmata.

Democritus sciscitatus, quid esset magnanimitas? respondit: Leniter ferre frustrationem. *Stob. serm.106.*

Socrates. Quidam et cum eo quodam colloquenti filium eius mortuum esse nuncupauit: ille vero eo colloquio absoluto: Nunc, inquit, abeamus, Sophronisci funus curaturi. *Eod serm.*

Diogenes aduersis quibusdam casibus pressus, dixit: Euge ò fortuna! tu viriliter mihi præsis. *Eod. serm.*

Fauorinus dicebat, virum in vera magnanimitate, & Philosophia eductum, antequam calamitates ingruant, animi tranquillitatem intra se reconditam habere: At, inquit, in rebus aduersis aliena consolatione opus habere, id tranquillitatis animi modum excedit. *ibid.*

Xantippe de Socrate marito suo dicebat, cum infinitæ mutationes, & Rempubl. & ipsos occupassent, in omnibus similem se vidisse Socratis vultum, & exeuntis domo, & domum redeuntis. Ad omnia enim concinnus, & magnanimus erat quamobrem nihil vmquam ipsum tristitia affecit. *Stob.*

Anonymus. Magnanimus est, inquit, qui omnia facile fert: pusillanimus vero, qui ne parua quidem. *Stob. ser.7.*

Epictetus dicebat esse quosdam leniter magnanimos, qui tranquille facerent absque iracundiæ motu æquè magna, atque alij vehementer impetuosi, & iracundi. *Arrian. in dissert.*

Turpius est amittere possessa antea, quam non potiri, quæ antea non tenueris, & conuenit aduersus hostes ire, non tantum confidenti animo, sed etiam elato. Nam & timidi gloriari possunt in rebus secundis, quæ casu eis acciderunt: sed animi celsitudo in illis est qui ratione confidunt, & in quibus considerata fortunæ æqualitate, prudentia tamen prospicit dissimiles causas audendi, nec cæca spe ducitur, quæ est fallax, sed consilio mouetur, quod minus fallit collata vtrorumque potentia. *Thucyd. lib.2.*

Non socordiam timoremve infert, cogitatione versare, quemadmodum præsentibus rebus vtendum sit, sed grauitatem, & audentiam. Si enim vbi demum, quæ profutura sint, innotuerint, illud sequetur omnino, vt iure audere omnia queas tamquam non in ancipitem fortunam coactus. *Agath. histor. lib.5.*

Animi promptitudinem tamdiu profuturam esse existimo, & magna laude dignam, quamdiu moderata est, nec iacturæ, quid adfert his possidentibus. Nam & bona omnia cum omnia fuerint, in deteriora verti consueuere. *Procop de bel. Goth.l.2.*

Excellentibus ingenijs citius defuerit ars, qua ciuem regant, quam qua hostem superent. *Liu. Decad.1, lib.2.*

Maximo cuique id accidere, animo certum habeo, vt se non cum præsentibus modo, sed cum omnis æui claris viris comparet. *Liu. Decad.3 lib.8.*

Secundæ res ingenio modico, & submisso præditos attollunt, vt magni sibi videantur, cristasq; erigant, cum excelso loco se constitutos cernunt: vera animi magnitudo, & constantia rebus aduersis ferendis emendandisq; casibus elucescit. *Plut. in Eumene.*

Facilia ex difficillimis animi magnitudo reddit. *Cæsar lib.2. de bell. Gall.*

Multum est hominibus præsidij in animi firmitudine. *Idem l.3. de bel. ciuil.*

Roma à Gallis capta C. Atilius barbam suam permulcenti Gallo scipionem vehementi ictu capiti infixit, eique propter dolorem ad se occidendum ruenti cupidius corpus obtulit. Capi ergo virtus nescit, patientia dediscus ignorat. Fortunæ succumbere tristius ducit omni fato, noua & speciosa genera interius excogitæ, si quisquam ieterit, qui sic extinguitur. *Valer. Maxim. lib. 3, c.2.*

Exempla Biblica.

Magnanimitas suadetur *Exemplis*: Elisæi ad Regem Israelis, *2.Reg. 3.v.13.14.* Azariæ Sacerdotis, & cum eo octoginta virorum fortissimorum aduersus Oziam Regem, *2.Paral.26.18.* Nehemiæ, *Nehem.2. 20.& 6.11.* Esther, *Esth.4.16.* Ioannis Baptistæ, *Matth.3.7. & 14.4. Marc.6.8. Luc.3.7.* Dicentis locum Ioannis, *ver.19.* Iosephi Arimathiæ, *Marc.15 v.43. Luc.23.52* Cæci nati, *Ioan.9.30.* Petri, & Ioannis, *Act.5.21,* Stephani, *6.51.* Pauli, *13.v.10. & 21.v.13.*

Exempla Historica.

Fuisse Cyrus Persarum Rex ita comparatus à natura perhibetur: vt & forma pulcherrimus, animo humanissimus, & discendi adipiscendique honores cupidissimus esset: adeoque nullum non laborem perferret, nullum non periculum laudis gratia sustineret. *Xenophon de inst. Cyri lib.1.*

Musarum musicam fuisse Eupi... fingunt, quod plerique ex ijs, qui eruditione sua clarum sibi contexunt nomen, gloriæ rumoris talis spe, ingenij sui monumenta ad posteros transmiserunt.

Alexander etiamnum puer agilis cum foret, ac velox, atque a patre ad currendum ludis Olympiæ stadium excitaretur: faue, inquit, si reges habiturus sim aduersarios. *Plut. in Regum apoph.*

Vide tit Constantia, Fortitudo, Prudentia.

MAGNIFICENTIA.

DEFINITIO, ET ETYMOL.

MAgnificentia, Græcè μεγαλοπρέπεια ας, ἡ & μεγαλεῖον magnifico dicitur. Hebraicè Guedulah, à verbo Guadhal, magnus fuit, magnificatus est. Est autem Magnificentia virtus magnitudinis sumptuum effectiua, cuius contrarium modicitas, *secundum Arist. lib.1 Rhetor.*

Magnificentia est virtus factiua magnorum, & est virtus generalis, si sumatur facere communiter, scilicet pro omni opere: si vero proprie, scilicet pro operatione exteriori, est virtus specialis. *Ex B.Thom. 2.2 q.134.art.1.*

Magnificentia est rerum magnarum excelsarum cum animi ampla quadam, & splendida propositione agitatio, atque administratio ipsa in sumptibus, vt Aristoteles censet. Cuius extrema Luxuria, & Parcitas, nisi quod Parcitas aliquando loco virtu-

virtutis ponitur, vt Parsimonia, ac Dilapidationis deuitatio, id est Græcis *μεγαλοπρέπεια* Cicero, & Aristoteles in Rhetoricis.

Loci Biblici.

Magnificorum hominum *exempla:* Abraham, *Gen.* 12, *v.* 1, 2. *&* 14. 35. Iosua, *Ias.* 4. 14. Samuel, 1. *Sam.* 2. 12. Salomon, 1. *Reg.* 10. 23. 1. *Paral.* 29. *v.* 25. 2. *Paral.* 1. 1. *&* 9. *v.* 22. Moses, *Eccles.* 45. 12. Iosaphat, 17. 12. Iudith, *Iud.* 13. 31. Nabuchodonosor, *Dan.* 4. 19. Iuda, & fratres eius, 1. *Mac.* 5. 63. Apostoli, *Act.* 5. 31.

Magnificentia Deo danda, *Deut.* 32. 33. Magnificentium Deum *exempla:* Dauid, 2. *Sam.* 7. 22. *Psal.* 34. 4. *&* 68. 31. Esaias, *Esa.* 35. 5. Nabuchodonosor, *Dan.* 4. *v.* 14. Turba, *Matth.* 15. 31. Maria virgo, *Luc.* 1. *v.* 46. Populus, 4. 15. Paralyticus, & turba, 5. 25. Naimitæ, 7. 16. Samaritanus, *Luc.* 17. 15. Cæcus illuminatus, 18. 43. Fideles, *Act.* 10. 46. Iudæi, & Gentiles, 19. 16. Discipuli, & Seniores, 21. 20.

Philosophicæ Sententiae.

Magnificentia in pecunijs cernitur. Sed non ad omnes actiones, & officia pecuniaria, quemadmodum liberalitas, sed sumptuaria modo adhibetur: in quibus liberalitatem magnitudinis superat. *lib.* 4. *Ethic. c.* 2.

Magnaficentia est virtus, in sumptuum magnitudine seruans decorum. *ibid.*

Magnificentia est iactationis, ac paruifacientiæ mediocritas. *lib.* 1. *Mag. Mor. c.* 26.

Qui sumptus facit in res paruas, vel mediocres pro dignitate, is nō magnificus: sed qui res magnas, is demum magnificus est iudicandus. *lib.* 4. *Ethic. c.* 2.

Qui magnificus, idem continuo liberalis, qui autem liberalis, idem non continuo magnificus est. *ibid.*

Id magnifici est, quod æquo sumptu rem administrabit splēdidius. *lib.* 4. *Ethic. c.* 2.

Quod magnificum est, ac splendidum, id omne mirabile. Estque rei & operis splendor, & dignitas in magnitudine. Sumptus autem ij in genere probantur maximè, quos honorabiles dicimus: quales sunt, qui Dijs adhibentur. *lib.* 4. *Ethic. c.* 2.

Facultates sunt ad res, quæ suscipiuntur accommodandæ: nec solū quid opus deceat: sed etiam quid eum, qui sumptus facit, deceat vidēndum est. *ibid.*

Pauperum nemo possit esse magnificus: quod ei nihil suppetat, vnde sumptus queat splendidè sustinere. Quod si aggrediatur, profecto stultus habeatur necesse est. *ibid.*

Magnifici sumptus, ij potius decori sunt, quibus illos sumptus facere, vel ab ipsis est receptum, vel à maioribus suis, aut alio quodam propinquitatis iure ipsos attingentibus institutum: tum vero nobilibus, & claris hominibus. Inest enim in his omnibus splēdor quidam, & dignitas. *ibid.*

Est magnifici, & honorati viri, domum ædificare, cuius modus, & dignitas ad diuitias accommodanda est (quæritur enim ex domo dignitas quædam) & in eas res potius profundere pecunias, quas diutius durare oporteat. *ibid.*

Ille quidem sumptus magnificentissimus est æstimandus, qui magnus est, & in magnam aliquam rem factus est: secundo vero loco est qui in huiusmodi res aliquas, de quibus agimus, magnus erit. *ibid.*

Inter magnificum, & liberalem hoc interest, quod ille in magnis: hic in paruis cernitur. *lib.* 1. *Ethic. c.* 7.

Ita sumptus magnus futurus est, ad rem aptus accommodatusque, si & res ipsa sumptu digna, & sumptus reipsa dignus habebitur. Sed hæc omnia honestatis causa hoc enim virtutibus omnibus commune est, magnificus facit idque libenter, & largiter. *lib.* 4. *Ethic. c.* 2.

Magnificus docto similis est: quoniam decori rationem habere potest, sumptusque magnos apte suggerere. *ibid.*

Magnifici sumptus magni sunt, & decori. *ibid.*

Magnificus liberalis sit necesse est. Nam cum eos liberalis sumptus suppeditat, quos & quemadmodum decet, tum in ijs magnifici splendor elucet: quasi magnificentia sit magnitudo quædam liberalitatis in sumptibus faciendis. *ibid.*

Neque sui causa sumptus facere solet magnificus: sed Reipub. & dona simile quiddam habent ijs qui Dijs dedicantur. *ibid.*

Non eadem Dijs hominibusque conueniunt, & fanis, ac sepulchris. Omnis etiam sumptus magnus est ex suo genere æstimandus. *ibidem.*

Magnifici est in quocumque genere quid faciat, magnificè id splendidèque facere. Nam quod ita fit, nec facile superari potest, & fit pro sumptus dignitate. *ibid.*

Apophthegmata.

Nicias. cum inter Græcos præcipuus esset, qui magnificentia excelleret, ideo à populo in iudicium vocatus, ait: Sint mihi ipsi, non populo Atheniensi tanti sumptus facti, meumque operibus ipsis nomen inscribam. *Pontan. c.* 12. *de Magnificentia ex Plutarcho.* *Polyanthea Noua.*

Plato. Videns Agrigentinos magnis impensis multa ædificia extruētes, dixisse fertur: Agrigentini quasi semper victuri ædificant, & comedunt quasi semper morituri. Notauit autem vanam illam ædificiorum condendorum magnificentiam. Cum homo fragile, & caducum animal, facile tugurium habere possit, in quo ad paucos annos, quibus in hoc mundo quasi in alieno solo obambulat, à tempestatis intēperie se defendat. *Ælian. lib.* 12. *de var. hist. Idem de Rhodijs dixit Stratonicus apud Plutarch.*

Augustus Cæsar. cum vrbem Romanam multis modis, & ornasset, & communisset, atque etiam in posterum (quod quidem in ipso fuit) tutam reddidisset, non sine causa glorians dicere solebat Romam lateritiam accepi, marmoream relinquo. Nihil principi magnificentius, quam si ditionem, quam accepit, reddat statu meliorem. *Sueton. in eius vita. Pontan. c.* 32. *de Magnificentia. P. M. lib.* 4. *apoph.*

MALEDICENTIA.

DEFINITIO, ET ETYMOL.

MAledicentia, Græcè *κακολογία, λοιδορία, δυσφημία*, Hebræi, *Ghiddupbah*, & *Ghiddupb*, vituperauit, conuitiatus est inuectus est in aliquem verbis atrocibus.

Loci Biblici.

Maledicentia infidelium vitæ nostræ sanctimonia cohibenda, 1. *Pet.* 2. *v.* 12. 15. Maledici fugiendi, *Prou.* 26. *Eccl.* 21. 1. *Pet.* 3.

Maledicens nomini Dei lapidatur, *Leuit.* 24. 10. non maledicendum persecutoribus, *Rom.* 12. 14.

Maledictum pro maledicto non reddendum, 1. *Petri* 3. 9. Maledictus qui pendet è ligno, *Deut.* 21. 23. Christus pro nobis maledictus, *Galat.* 3. *v.* 13. & peccatum, id est, oblatio propitiatoria pro peccato, 2. *Cor.* 5. 21. Maledictus qui Legem non implet, *Deut.* 27. 26. *Galat.* 3. 10. Maledicti hœdi, *Matth.* 25. 41. Maledicti non possidebunt regnum, 1. *Corinth.* 6. 10. non maledicendum surdo, *Leuit.* 19. 14.

Sententiae Biblicae.

Maledictio firmiter prohibetur.

Sicut auis ad alia transuolans, & passer quolibet vadens: sic maledictum frustra prolatum in quempiam superueniet. *Prou.* 26.

Deum maledicit impius calumniatorem, maledicit ipse animam suam. *Eccles.* 21.

Acriter punitur.

Qui maledixerit patri suo, aut matri, moriatur. *Leu.* 20.

Homo qui maledixerit Deo suo, portabit peccatum suum: & qui blasphemauerit nomen Domini, morte moriatur. *Idem* 24.

Maledictio bonorum solicite cauenda.

Maledictio matris eradicat fundamenta. *Eccl.* 3.

Ab inope ne auertas oculos tuos, propter iram: & non relinquas quærentibus tibi retro maledicere. Maledicentis enim tibi in amaritudine animæ, exaudietur deprecatio illius: exaudiet autem eum, qui fecit illum. *Eccl.* 4.

Maledictio malorum pacifica toleranda.

Maledicent illi, & tu benedices. *Psal.* 108.

Sed & cunctis sermonibus, qui dicuntur, ne accommodes cor tuū, ne forte audias seruum maledicentem tibi: Scit enim conscientia tua, quia & tu crebro maledixisti alijs. *Eccl.* 7.

Benedicite persequentibus vos, benedicite & nolite maledicere. *Rom.* 12.

Maledicimur, & benedicimus. 1. *Cor.* 4.

In hoc enim laboramus, & maledicimur, quia speramus in Deum viuum, qui est Saluator omnium hominum, maxime fidelium. 1. *Timoth.* 1. 4.

Qui cum malediceretur, non maledicebat. 1. *Pet.* 2.

Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, sed è contrario benedicentes. 1. *Pet* 3.

Maledictio Dei incurritur ex præcepti transgressione.

Qui audisti vocem vxoris tuæ, & comedisti de ligno ex quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo. *Gen.* 3.

Maledictus qui non permanet in sermonibus legis huius, nec eos opere perficit. *Deut.* 27.

Si nolueritis audire, mittam in vos, egestatem, & maledicam benedictionibus vestris, & maledicam illis: quia non posuistis super cor. *Malach.* 2.

Discedite à me maledicti in ignem æternum. *Matth.* 25.

Ex innocentis oppressione.

Fiant contra Dominum semper. Et persecutus est hominem inopem, & mendicum, & compunctum corde mortificare. Et dilexit maledictionem, & veniet ei. Et induet maledictionem sicut vestimentum. *Psal.* 108.

SENTENTIÆ POETICÆ.

Terent. in Andr.

Si mihi pergit, quæ vult dicere, quæ non vult audiet.
Benedictis si certasset, audisset bene.
Desinant maledicere, malefacta ne noscant sua.

Homer. Iliad. v.

Talia dicentur tibi qualia dixeris ipse.

Plautus.

Contumeliam si dices audies.

Cæcilius.

Audies male, si male dicas mihi.

Euripides.

Infrenis oris vectigal calumnias.

SENTENTIÆ PHILOSOPHICÆ.

Non est maledicendum ijs quibus cum agimus, alioquin audituri sumus, quæ nobis adferant molestiam. *Philo.*

Nec male respondit, male enim ipse prior rogarat. *Quintil. citat.*

Periculosè maledicit alteri, cui vel idem, vel simile, vel diuersum, vel deterius vitium potest obijci.

Res omnium rerum nocentissima est calumnia.

Sæpenumero accidit, vt qui alios insectantur, ipsi grauioribus madeant vitijs.

Imprudenter in alterum vitium torquet, si in promptu est, quod ipsi vicissim obijciatur. *P. M. in apoph.*

Pœnas dat, quisquis bonis maledicit.

Nuncianti cuidam Socrati: quosdam de ipso male loqui: Nimirum, inquit, non didicerunt bene loqui. *Plut.*

Solonis lex laudatur, qua vetuit mortuis maledicere, pietatis enim est vita defunctos, sacros existimare, iustumque abstinere ab ijs qui non sint: ciuile etiam perpetuitatem odijs adimere. *Plutar. in Solone.*

APOPHTHEGMATA.

Pythagoras, quodam dicente: Nimium mihi maledicis, ac plus satis derides: Atqui, inquit, spleneticis etiam acria, & amara prosunt, dulcia nocent. *Anton. in Meliss. par. 2. serm. 78.*

Aristippus, audiens quemdam temere hominibus maledicentem: Vtinam, inquit, tu linguæ tuæ, sicut ego aurium mearum dominus esses. *Laert.*

Empedocles interrogatus, cur cum mala audiret, tam indignanter ferret maledicta? Quia, inquit, ne laudationes quidem mihi iucundæ forent, nisi maledicta mihi molesta essent. *Max. serm. 10. de admonitione.*

Diogenes. Cuidam conuitiatori: At nec mihi, inquit, credit quisquã te laudanti, nec tibi, me vituperanti. *Anton. in Meliss. par. 2. serm. 55.*

Zoilus Amphipolitanus Polycratis auditor, qui canis Rhetoricus nominatus est, homo studiosus male loquendi, cum non solum in Homerum, Platonem aliosque præclaros, ac magnos viros stylum stringeret, sed vbique litibus, & perniciosis etiam contentionibus operam daret, roganti quodam erudito viro, quamobrem omnibus malediceret? Quoniam, inquit, male facere cum velim, non possum. Exprimit autem omnium maledicentium, & detrectantium personam Zoilus, qui dum non inueniunt, qua ratione facto lædant, dentibus caninis, & lingua amarulenta in bonos inuehuntur. *Ælian. lib. 11. de var. hist.*

Socrates. Ei cum nunciatum esset, a quopiam eum maledictis incessi: Bene, ait, loqui non didicit. *Laert.*

Aristoteles, cum ab imprudente quodam male audiret: Tu, inquit, & conuitia facile audis, & libenter dicis: mihi autem, & dicere non est consuetum, nec audire iucundum. *Anton. in Meliss. par. 2. serm. 72.*

Melissus, quum probro illi daretur, quod maledictis indignaretur: Si maledicta, inquit, æquo animo admittam, ne laudes quidem sentiam. *Brus. lib. 1. c. 16.*

Philostratus. Aelianus quum Philostrato roganti quid operis cuderet, dixisset se opus in tyrannum nuper mortuum cudere: Admirarer, inquit Philostratus, si viuentem accusasses, Superstitem siquidem tyrannum incessere, viri opus est: mortuum vero cuiusque. *Brus. lib. 1. c. 16.*

Cleomenes maledicenti, ait: An propter hoc in omnibus maledicis, ne tempus de tua loquendi malignitate habeamus? *Plut. ibid.*

Alcibiades canem miræ magnitudinis abscissa cauda per vrbem dimisit: hoc quum multis stultum, atque ineptum visum esset, monentibus eum amicis, ac sermones qui de eo circumferebantur, enarrantibus, ridens Alcibiades: Sic, inquit, res, vt intenderam, successit. Hoc enim Atheniensibus loquendi volui præbere argumentum, vt eos à perimbat, quæ de me, & alijs quoque hominibus conuitiosè loquuntur, nouis his auerterem. *Plutar. in Alcibiad.*

Chabrias ab improbo quodam multis conuitijs affectus: Bene, inquit, fecisti, quod nihil eorum, quæ insunt prætermisisti. *Anton. in Meliss. par. 2. serm. 68.*

Memnon, quo tempore bellum gerebat aduersus Alexandrum pro Dario Rege, militem quemdam mercenarium multa conuitia petulanter iacientem in Alexandrum, hasta percussit: Ego, inquiens, te alo, vt pugnes aduersus Alexandrum, non vt illi maledicas. *Plut. in apoph.*

Demochares significare volens se nihilipendere obtrectationes vulgi, cum videret multos obtrectatores vna sedentes in tonstrina, & male loquendi omnino cupidos: Quid loquimini (inquit) vos Dysmenidæ? Simul hoc nomine ingenium, naturamque ipsorum mouens, & detegens. *Ælian. lib. 3. de var. hist.*

Pisistratus cum conuiua bene potus ei maledixisset, irritantibus amicis ad pœnas de conuiua sumendas dixisse fertur: Non aliter illi succenseo, quam si quis obligatis oculis in me occurrisset. Sensit, maledicendi ansam dedisse vinum, & ignouit errorem. *Ælianus.*

Idem, dicenti cuidam, quod à maledico laudaretur: Miror, inquit, nisi quis illi dixit me mortuum esse. Nam viuentem ille posset laudare neminem. *Stob.*

Hieronym. Xenophanes Colophonius Homeromastyx, quum apud Hieronem Siciliæ Regem lamentaretur paupertatem, quod vix à se duo famuli possent nutriri: At Homerus, inquit Hieron, cui tu assiduè maledicis, plus quam decem millia hominum alit, vel mortuus: Reprobauit autem innatam homini maledicentiam, quæ paupertatis, & inopiæ suæ non minima causa erat. *Plut. in apoph.*

Philippum Alexandri patrem conuitio afficiebat quidam effreni lingua præditus, cumque amici hortarentur, vt conuitiatorem reprimeret: Non est hoc, inquit ille, faciendum, ne amplius affectus, & impliceatus plura in nos iaciat maledicta. *Anton. in Meliss. par. 2 serm. 69.*

Idem dicebat, se suis conuitiatoribus gratiam habere, quo se meliorem redderent: Ego, inquit, studeo illos mendacij conuincere, & si quid improbè fecerim, muto consilium, & pœnitentia emendo factum. *Anton. in Meliss. par. 2. serm. 69.*

Idem maledictis à Nicandro lacessitus, pluribus cœpit illum donis honestare: quibus accepti cœpit Nicander eum laudare. Ad amicos igitur conuersus Philippus: Videtisne ergo, inquit, & nostrum esse bene, & male audire, & à maledicentiæ morbo affectos sanare? *Plut.*

Pyrrhon à quibusdam rogatus, vt maledicum quemdam ex Ambracia pelleret, respondit: Potius apud paucos, illic manens, quam apud multos de nobis obloquatur. *Plut.*

Idem, quum audisset, sibi a quopiam maledictum, conuitiatorem ad se duci iubet, ac interrogat, num dixisset ea propter quæ accusatus erat, respondit: Dixi, ô Rex, & dicturus plura etiam, si plus vini appositum mihi fuisset. Quo audito, Pyrrhus ridens, hominem impune dimittendum mandauit. *Plut.*

Antisthenes. Eos, qui nos maledictis incesserent, magis tolerandos dicebat, quam qui nos lapidibus impeterent. Verba enim non lædunt, si quis contemnat. *Laert. lib. 6. c. 4.*

Demosthenes à caluo quodam maledictis aspersus: Ego quidem, inquit, tibi nullam facio iniuriam: quin potius laudo capillos tuos: qui malam caluariam effugerint: subnotans illum non iudicio, sed cerebri vitio maledicum esse. *P. M. l. 8. apoph. ex Stob.*

Diogenes. Hospitibus quibusdam celebrem illum Demosthenem videre cupientibus, porrecto medio digito: Hic est, inquit, ille Demosthenes Atheniensium Orator. Digitus pollici proximus, index dicitur, quod hunc intendentes solent aliquando commonstrare. Digitus autem medius apud priscos infamis habebatur ob causam hic non referendam. Porro Demosthenes vulgo male audiebat, quasi parum vir esset. Id significans Diogenes, maluit illum medio, quam indice demonstrare. *Laertius lib. 6.*

Timon Atheniensis interrogatus, cur omnes homines odio prosequeretur? Malos, inquit, merito odi: cæteros ob id odi, quod malos non oderint: Sentiens, non esse vere probos, qui non detestantur improbos. *P. M. lib. 6. apoph.*

Pytheas. Pytheam Oratorem quidam criminabatur, quod malus esset: At ille non inficias ibat hanc enim illi conscientia necessitatem imponebat. Sed respondebat se minimo tempore omnium qui Rempublicam Atheniensium administrassent minimè malũ fuisse, nempe in hoc sibi placens, quod non perpetuo fuisset eiusmodi. Putansque se non iniuriam facere, si non cum pessimis cõparetur. Stolidum hoc sane Pytheæ. Non enim solum qui iniuriam infert, malus est: verum etiam qui iniuriam inferre in animum induci. *Ælian. lib. 14. de var. histor.*

Herodes sophista Protheo Cynico sine fine ipsum conuitijs incessenti: Consenuimus (inquit) ambo, tu quidem male loquens, ego male audiens. Sensit immedicabile malum esse, cui ille tamdiu assueuerat: & sic moderatius ferre, quod iam nouum non esset. *Philos.*

Nican-

Nicander. cuidam dicenti, quod Argiui male de ipso loquerentur: Num igitur, inquit, dant pœnas qui de bonis loquuntur male? Significans, Rempublicam male moratam, vbi liceret impune male dicere nihil mali commeritis. *Plut. in Lacon.*

Cleomenes. Cum improbus quidam Cleomenem conuicijs incesseret: Num ideo, inquit, tu maledicis omnibus, ne si velimus respondere, ocium habeamus vicissim de tua dicendi malitia? Vt è sublimi contempsit maledicum, nec vllo responso, aut alia pœna dignum indicauit nebulonem, cui nihil esset præsidij præter maledicam linguam. *Plut. in Lacon.*

Idem. Argiuis nonnullis Cleomenem conuitio lacessentibus, vt periurum, & impium: Vobis, inquit, potestas est mihi maledicendi, at mihi potestas est vobis faciendi mala. Admonens non esse tutum eos maledictis irritare, quibus in manu est, cum velint, re ipsa lædere, ad hæc non oportere potentes humiliorum dictis admodum commoueri. Satis enim vindictæ est, quod licet, cum libet, vlcisci: cum illis nihil aliud reliquum sit, quam male loqui. *Plut. in Lacon apoph.*

Leotychidas Aristonis F. Cuidam ipsi dicenti, quod Demarati amici male de eo loquerentur: Per Deos, inquit, nihil miror, quandoquidem nullus illorum de quoquam bene loqui possit: Docuit contemnendam esse maledicentiam, quæ non à iudicio, sed ab animi morbo proficiscitur. Qui vero passim maledicunt omnibus, eos palam est id naturæ vitio facere, non ex eorum merito quibus obtrectant. *Plut. in Lacon.*

Artaxerxes. Quum Aclides Iapson multa in Artaxerxem Regem licenter, & contumeliosè diceret, hactenus quidem vltus est maledicum, vt per tribunum militum denunciaret, ei licere in Regē quæ vellet dicere, sibi vero in illum licere, quæ vellet, & dicere, & facere. *P. M. lib. 5. apoph.*

Idem. Simicythus Nicanorem deferebat apud Regem Macedoniæ Philippum, quod sine fine de ipso male loqueretur, quumque suaderent amici, vt hominem accersi iuberet, deque eo supplicium sumeret: Philippus ita respondit: Nicanor non est Macedonum pessimus: videndum est igitur, necubi nos cessemus in officio. Vt igitur cognouit vehementer afflictum inopia, & tamen à Rege neglectum fuisse, iussit donum aliquod ad illum deferri. Hoc facto, quum rursus Simicythus diceret regi: Nicanorem apud omnes sine fine prædicare laudes ipsius: Videtis igitur, inquit, in nobis esse situm, vt bene aut male audiamus. Immane quantum absunt ab huius principis ingenio, qui nunquam sibi videntur satis laudari, quum nihil faciant laudandum: nec student beneficijs sibi conciliare beneuolentiam hominum, sed metui malunt, quam amari: cumque sæpenumero faciant detestanda, id qui palam, tamen perijt quisquis ausus est hiscere. *Plut.*

Idem. Quidam petulantioris linguæ maledicta conijcere solebat in Philippum: hunc amici hortabantur, vt eijceret in exilium. At ille negauit hoc se facturum. Quærentibus, Quid ita? Ne, inquit, obertans inter plures, male de me loquatur. Quod maledicum non egit in crucem, vel clementiæ erat, quod ignouit, vel magnanimitatis, quod contempsit: quod noluit expellere, prudentiæ, plus enim nocuisset. *Plut. in apoph.*

Idem. Peloponnesij cum Philippum Macedoniæ Regem, à quo multa beneficia acceperant, in ludis Olympiacis sibilis derisissent: Rex admonitus ab amicis, vt eam iniuriam rependeret, negauit se id facturum: Si tam prauo, inquiens, sunt ingenio, vt eos irrideant, qui de ipsis bene meriti sunt: quid tum fiet, si quid mali sentirent? Sensit vir prudentissimus, maledicos non vltione prouocandos esse, vt magis maledicant. *Plut. in apoph.*

Scipio Æmilianus. Apud Numantiam iratus C. Metello, dixit: Si quintum pareret mater eius, asinum fuisse parituram. Tarditatem mētis, ac deformitatem corporis illi fratribusque eius exprobrans. *P. M. lib. 6. apoph.*

Marcus Pinarius. M. Seruilius dissuasurus legem, quam ferebat M. Pinarius: Dic mihi M. Pinari, inquit, si contra te dixero, num mihi maledicturus es, vt cæteris soles? Vt sementem, inquit Pinarius, feceris, ita & metes. Per allegoriam minitans, illum male auditurum, si malediceret. *P. M. lib. 6. apoph.*

Augustus Cæsar. In cognitione quadam, cum Aemilio Aeliano Cordubensi inter cætera crimina illud, vel maximè obijceretur, quod male loqueretur de Cæsare: conuersus ad accusatorem Cæsar Augustus: Velim (inquit) hoc mihi probes, efficiam, vt Aelianus sciat, me quoque linguam habere, plura enim vicissim de eo loquar: His minis contentus, nihil postea de illo inquisiuit. *Suetonius.*

Fl. Vespasianus. De iurgio quodam inter senatorem, & equitem Romanorum ita pronunciauit, vt diceret: Non oportere maledici senatoribus: remaledici vero, & ciuile fasque esse: prærogatiuam enim dignitatis ipse sibi ademit, qui lacessiuit. *Suet.*

Sicinius, cum leui momento amorem simul, & odium permutaret, eorumdemque hominum, & patronum, & accusatorem se præberet: Sicinius homo maledicus, qui multa in quoscumque probra iacere consuetus erat, aliquando rogatus, cur soli Crasso non malediceret, cum maledicendi materiam haberet amplissimam, non facio, inquit: fœnum enim habet in cornu. *Plut.*

M. Cato cuiusdam, qui multis intemperantiæ notis insustus erat, probris vexatus: Impar mihi tecum, ait, certandi conditio est. Nam & male audire, & maledicere, tibi facillimum simul & promptissimum est: sic & mihi maledicere insuaue est, & insuetum. *P. M. lib. 5. apoph.*

Cicer. In C. Cæsarem mordacitas Ciceronis dentes suos strinxit. Nā primum post victoriam Cæsaris interrogatus Cicero, cur in electione partis errasset? respondit: Præcinctura me decepit. Notans Cæsarem, qui ita toga præcingebatur, vt trahendo laciniā, velut mollis incederet: adeo vt Sylla tamquam prouidus dixerit Pompeio: Caue tibi illum puerum male præcinctum. *Macrob. lib. 2. c. 3. Saturn.*

Idem. Deinde quum Laberius in fine ludorum annulo aureo honoratus à Cæsare, è vestigio quatuordecim gradus ad spectandum transisset, violato ordine, & quum detractus esset eques Romanus, & quum Mimus remissus, ait Cicero prætereunti Laberio, & sedile quærenti: recepissem te, nisi angustè sederem, simul & illum respuens, & nouum senatum mordaciter taxans, cuius numerum Cæsar supra fas auxerat. *Macrob lib. 2. c. 3. Saturnal.*

Chilon. mortuis nequaquam maledicendum esse dicebat, quandoquidem ignauum esse videretur eos lingua incessere, qui respondere non possent. *Laert. lib. 3. c. 4.*

Idem docebat, neminem conuitijs lacessendum, nec si dixerimus, quæ libent, audiamus vicissim, quæ dolent. Habet enim & maledicendi morbus suam voluptatem, sed quæ plerumque male audiendi summo dolore pensatur. Huc allusit M. Tullius Sallustio comminans, fore, vt si quam voluptatem male dicendo cepisset, eam male audiendo amitteret. *Laert.*

Socrates, cuidam admiranti, quod nihil in eum commoueretur, à quo conuitijs incessebatur: Mihi, inquit, non maledicit, quandoquidem ea, quæ dicit, mihi non adsunt, nec in me hærent. Atqui ob hanc causam hominum vulgus magis commouetur, si quid dicitur in immerentem. Boni quum male audiunt, sibi gratulantur, quod puri sint ab his malis, quæ ipsis impinguntur, nec in se dici interpretantur: nihilo magis quam si quis oculorum errore Platonem appellet Socratem, & in Socratem congerat maledicta: is non maledicit Platoni, sed ei, quem existimat esse Platonem. *P. M. lib. 3. apoph.*

August. Cæs. indignanti Tiberio, ac per epistolam etiam conquerenti apud eum de conuitiatore, respondit: Aetati tuæ, mi Tiberi, noli in hac re indulgere, & nimium indignari, eo quod sint, qui male de me loquantur. Satis est enim, si hoc habemus, ne quis malefacere possit. *Sueton.*

Tiberius ab initio sui principatus in conuitiatores, & maledicos dicere solebat, in ciuitate libera linguam quoque liberam esse debere. *Suet. Tacit.*

Domitianus. cum homines mordaces, atque maledicos haberet odio, semper tamen eos dicere solebat peiores esse, qui maledicis aures præberent, neque reprehenderent, quam ipsos maledicos. *Sueton.*

Sigismundus Imperat. Quum accusassent purpurati apud Sigismundum Imperatorem maledicentiam Germanicæ multitudinis, quæ de suo principe passim obloqueretur, subridens Imperator: An vobis, inquit, graue videretur illos male loqui, cum nos male agamus? Indicauit autem, in nobismetipsis situm esse, quod bene vel male audiamus. *Æneas Silnius lib. 2. comment. de rebus gestis Alphonsi.*

Sforza. Quum transfuga Nolanus eques, ingenio infami, vt sibi gratiam cum Sfortia compararet, Tartaliam omnibus maledictis in conuiuio Sfortiæ famam lacerasse detulisset: deque ea re, vt fides sibi haberetur, iureiurando sæpius affirmaret; Non opus est, inquit Sfortia, vt multum tu persuadendo mecum labores, quum Tartalia nunquam verbum de quoquam sit eloquutus, quin maledixerit. *P. Iouius de dictis, & factis Sfortiæ, c. 85.*

SIMILITVDINES.

D. Hieronymi. Fieri quidem non potest, vt absque morsu hominum vitæ huius curricula quis pertransfeat: malorumque solatium est, bonos carpere, dum peccantium multitudine putant culpam minui peccatorum: sed tamen cito ignis stipulæ conquiescit, & exundans flamma, deficientibus nutrimentis, paulatim emoritur. Si anno præterito fama mentita est, aut certè verum dixit: cesset vitium, cessabit rumor. *Ad Furiam.*

Plutarchus. Febricitantibus amara videntur omnia, at vbi conspexerimus alios eadem non fastidientes, iam non cibum, sed nos ipsos incipimus accusare: Sic desinemus incusare negocia, si viderimus alios eadem hilariter, ac libenter obeuntes. *In Mor.*

Vt amici detestantur saxum, aut canem incurrentem, qui eos dirimat: Sic execrari deberent homines caninos, qui maledicentia sua dirimunt necessitudinem, mutuamque beneuolentiam. *In Moralibus.*

Seneca. Non eo loco res humanæ sunt, etiam si statum vestrum parũ nostis, & vobis tantum ocij superſit, vt in probra meliorum agitare linguam vacet. Hæc vos non intelligitis, & alienum fortunæ vestræ vultum geritis: sicut plurimi, quibus in circo, aut in theatro desidentibus iam funesta domus est, nec annunciatum malum. *De vita beata. c. 28.*

Plin. Scorpius venenum in cauda gerit, & oblique ferit: Ita quidam in fine virus effundunt suum, & dissimulanter lædunt. *libro 10. cap. 70.*

Vt noctuæ aues inauspicatæ noctu gementes (nam hæc illis vox est) mortalium inuident quieti: Ita virulenta lingua semper aliud spargit, quo concordiam hominum disturbet. *lib. 11. c. 25.*

Bonasus animal. quoniam cornibus inutiliter implexis non potest lædere, fugiens fimum reddit, cuius contactus insequentes, vt ignis aliquis comburit: Ita nonnulli, quoniam coram non audent congredi, à tergo sparsis probris contaminant hominem. *lib. 8. c. 15.*

Vt culices ad dulcia non aduolant, sed acria petunt: Ita quidam maledicis, & infestiuis sermonibus vehementius delectantur. *lib. 10. c. 72. & Aristot. lib. 9. c. 35. De natura animal.*

P. M. Coturnici veneni semen gratissimus est cibus, eoque saginatur: Ita quidam maledicentia, & virulentis dictis impendio delectantur, atque ijsdem aluntur. *In simil.*

Vt tarandi cutis ferro impenetrabilis: Ita quosdam nihil queas dictis lædere. *In simil.*

Hystrix non iaculatur spinas suas, nisi cum prouocatur, vrgetur: At scurra in quemuis sua dicta torquet. *In simil.*

Vt muti quidam canes plus mordent, quam latrant, sunt enim & huiusmodi, quod aliquoties ipse vidi: Ita quidam prius lædunt, quã expostulent. *In Simil.*

Themist. Quibusdam animantibus nulla vis est, præterquam in aculeo: Sic male nati nil aliud possunt, quam maledicere. *In apophth. 138.*

Lucilij Vetonij. Quemadmodum canes, qui homines allatrant, magis prouocantur, si baculo, vel lapide petuntur: Sic homo maledicus, cum senserit vltionem facti, maledicendo magis exasperatur. *De rebus memorabilibus.*

Exempla Biblica.

Maledictionis hominis in hominem, ex vocatione tamen cõceptæ, *Exempla:* Noe in Cam, *Gen. 9. v. 25.* Isaac in osores Iacobi, 27. 29. Iacob Simeoni, & Leui, 49. 7. Moyses transgressoribus Legis, *Deuter. 27. 13. &c.* Iosue in Ierichuntis instauratores, *Ios. 6. 26.* Sichimitæ in Abimelech, *Iudic. 9. 27.* Angelus habitatoribus Meroz, 5. 23. Dauid in Ioab, *2. Sam. 3. 29.* Semei in Dauidem, 16. v. 5. & 19. v. 21. *1. Reg. 2. 8.* Dauid hostibus suis, *1. Sam. 26. v. 19.* Elisæus in pueros, *2. Reg. 2. 24.* Christus in ficum, *Matth. 21. 19.* in Iudam, 26. 24. in diuites, *Luc. 6. 24.* in Chorazin, & Bethsaida, 10. 13. in Pharisæos, 11. 42. Pharisæi in cæcum natum, *Ioan. 9. 28.* Paulus in Pseudoprophetas, *Galat. 5. 12.* Impij in Paulum, *1. Cor. 4. 11. 1. Tim. 4. 10.* Maledicenti non maledicit Christus, *1. Pet. 2. 23.* Maledicentibus non maledicendum, *1. Petr. 3. 9.* Paulus benedicit, *1. Cor. 4. 12.* Maledictionis, qua Deus homini, & rebus creatis maledicit, *Exempla:* serpenti, *Gen. 3. 14.* terræ, *v. 17.* Cain, 4. 11. populo suo, *Thren. 2. 7.* impijs & reprobis, *Matth. 25. v. 41.* Maledictiones in monte Hebal, *Deut. 27. 13.* Maledictiones, & benedictiones, *Genes. 3. v. 14. 17. & 8. v. 21. & 9. 25. & 24. 41. & 27. 28. & 48. 15. 20. & 49. 7. Numer. 5. 21. Deut. 11. 26. & 27. 15. Ios. 8. 34. Iudic. 9. 20. 1. Sam. 17. 43. 2. Sam. 2. 5. & 16. 7. 2. Reg. 2. 24. Nehem. 5. 13. Prou. 26. 2. Ier. 29. 2. & 49. 13. Zach. 8. 13.*

Prophana Exempla.

Æxonenses, αἰξωνεῖς, municipium tribus Cecropiæ, cuius incolæ male audiebant, vt maledici, vnde *αἰξωνεύεσθαι,* maledicere. Plato: nihil ad ista dicam, ne me, quamuis quod dicerem, non deesset, *Æxonensem putes. Suid.*

Theonino dente rodi dicuntur, qui conuicijs lacerantur, sumptum à Theone poeta quodam rabiosæ loquacitatis, petulantissimæque maledicentiæ: vnde & Ausonius in carmine hendecasyllaba, poetam quempiam indoctum, & mordacem Theonem appellat;

Nec posthac metues, vbique dictum,
Hic est ille Theon poeta falsus.

P. M. in Adagijs.

Cratinus Atheniẽsis comicus audax ab Horatio dicitur, quod Athenienses mira dicendi acerbitate, dum Dionysia essent, proscripserit. *Gyraldus.*

Maeuius Virgilij & Horatij æmulus, quum Athenas petulanti carmine lacerasset, in carcerem coniectus, inedia perire coactus est. *Gyrald. Dial. 4. hist. poet.*

Acron admonet, Bionem Philosophum fuisse, qui mordacissimis dialogis lacerarit poetas, sic, vt nec Homero parceret. Porphyrion autumat Aristophanis comici patrem fuisse. *P. M. in Adagijs.*

Hieroglyphica.

Maledicum hominem probos improbosque æquè carpentem significare qui volunt, *Purpuram,* exerta pingunt lingua: quæ quidem illi tam acuta, & valida est, vt ea, & cochleas, & quascumque sui generis testas perforare possit. *Pier. Val. lib. 28. pag. 265. C.*

Placiades *maledicentiam,* siue, vt ipse scribit, *maliloquium,* per *serram* significari obseruauit, siue id ob dentium seriem, quæ mordacitatem innuere videatur: siue ob inuisum stridorem, maximeque auribus infensum, quem in nodos præsertim illapsa, reddit acerbo, vt inquit Lucretius, horrore concitato. *Idem Pier. Valer. lib. 42. pag. 147.*

Emblema.

Maledicentia.

Emblema 51. Andr. Alciati.

Archilochi tumulo insculptas de marmore vespas
Esse ferunt, linguæ certa sigilla malæ.

Vide Calumnia, Conuitium.

MALEVOLENTIA:

DEFINITIO, ET ETYMOL.

Maleuolentia, Græcè *κακόνοια, ας ἡ,* vel *χαιρεκακία, κακόνοος, ὁ, ὁ,* maleuolus. Est autem maleuolentia voluptas ex malo alterius sine suo emolumento, *secund. Cic. lib. 4. Tusc. q.*

Indignatio est mediocritas inuidiæ, & maleuolentiæ.

Maleuolentia, Hebr. *Reschah,* impietas, improbitas, à verbo *Rascha,* improbus, maleuolus, præfractus fuit. Cognationem habet cum *Rahasch,* commotus est, & cum *Hascher,* diues fuit. Illud enim maleuolis hominibus solemne est, quod subito moueantur, & in diuitijs plantati, malum animum aduersus quosuis foueant.

Maleuolentia nonnullis dicitur *Scheninah,* id est, acerbitas, & *Schenden,* à verbo *Schanan,* acuit: quia maleuoli in eos quos odio prosequuntur dentes nescio quo modo acuere videntur.

Sententiæ Poeticæ.

Philemon in Anacalyp.

Ἀνθρώπινον δ᾿ ὅταν τις ἀκόλουθον λέγῃ,
Χαίρειν ἐξ ἀνάγκης ἔστι οἰμώζειν λέγει.
Si quis tristantem aliquem secutus et dixerit,
Salue: necessario ipsum lugere iubet.
Οὔτε ἐχρὴν ὅλως χαίρειν τοῖς ἀδικοῦσιν.
Non est gaudendum ob alienas calamitates.

Menander.

Ταῖς ἀτυχίαις μὴ ἐπίχαιρε τῶν πέλας.
Πρὸς τὴν τύχην γὰρ ζυγομαχεῖν οὐ ῥᾴδιον.
Ne gaudeas ob infortunia proximorum.
Fortunæ enim reluctari difficile est.

Euripid. in Inone.

Μὴ σκυθρωπὸς ἴσθ᾿ ἄγαν πρὸς τοὺς κακῶς
Πράσσοντας ἄνθρωπος γεγώς.
Ne nimium seuerus, & grauis esto erga infeliciter
Agentes, cum homo sis.

Idem in Andromache.

Πᾶς συμφορὰς γὰρ τῶν κακῶς πεπραγότων
Οὐκ πώποθ᾿ ὕβρισ᾿ αὐτὸς ὀρρωδῶν παθεῖν.
Calamitatibus hominum infortunatorum.
Numquam insultaui, metuens ne quid etiam ipse paterer.
Εἰδ᾿ ἐγὼ πράσσω κακῶς,
Μηδὲν τόδ᾿ αὐχεῖ· κᾂν σύ που πράξειας ἄν.
Quamuis autem ego sim infortunatus:
Ne propter id glorieris. Nam tu quoque talis fieri potes.

Idem in Andromeda.

Συναλγῆσαι καὶ ὁ κάμνων δακρύων μεταδοὺς
Ἔχει κουφότητα μόχθων.
Condolere, nam æger lacrimis fusis
Ab ærumnis leuatur.

Hesiod. in operibus.

Μή ποτε δ᾿ οὐλομένην πενίην θυμοφθόρον ἀνδρὶ
Τέτλαθ᾿ ὀνειδίζειν, μακάρων δόσιν αἰὲν ἐόντων.
Ne vmquam cuiquam miseram paupertatem animum rodentem
Obijcere sustineas, donum immortalium Deorum.

Eurip. in Ione.

Οὐκ ἔστι λύπης ἄλλο φάρμακον βροτοῖς,
Ὡς ἀνδρὸς ἐσθλοῦ καὶ φίλου παραίνεσις.
Ὅστις δὲ ταύτῃ τῇ νόσῳ ξυνὼν ἀνὴρ,
Μέθῃ τε ταράσσει καὶ γαληνίζει φρένα,
Παραυτίκ᾿ ἐσθεὶς ὕστερον γελᾷ διπλᾶ.
Nullum est aliud hominibus remedium doloris,
Quam boni, & amici viri adhortatio.

Si

Si quis autem hac ægritudine laborans
Solus perturbas, & iterum rumpens animum,
In præsentia gaudens, duplo postea dolore afficitur.
Stob. serm. 50.

Solitudo ei summa est, qui malos odio habet.
Publius.

Id agas ne quis tuo te merito oderit.
Idem.

Maleuolus semper sua natura vescitur.
Idem.

Grauior inimicus qui latet sub pectore.
Idem.

Maleuolentiam qui vincit hostem superat maximum.
Horat.

Cui placet alterius sua nimirum est odio sors.
Plaut.

Est miserorum, vt maleuolentes sint, atque inuideant bonis.
Menander.

Lædens me amicus ab inimico haud discrepat.
Ouid.

Turpe, vir & mulier iuncti modo, protinus hostes.
Propert.

Inuidiam quod habes, non soles esse diu.

Philosophicæ Sententiae.

Μηδενὶ συμφορὰν ὀνειδίσῃς, κοινὴ γὰρ ἡ τύχη καὶ τὸ μέλλον ἀόρατον.

Nemini calamitatem obieceris: communis enim fortuna est, & quid futurum sit, non liquet. *Isocr. ad Damon.*

Οἷς τῶν πέλας αἱ συμφοραὶ ἡδονὴν ἔχουσιν, οὐ ξυνιᾶσι μὲν τὰ τῆς τύχης κοινὰ πᾶσιν, ἀπορέουσι δὲ οἰκηίης χαρᾶς.

Quibus infortunia proximorum voluptati sunt, illi non intelligunt fortunæ casus omnibus esse communes: & propriam gaudendi causam non habent. *Democr. Philosoph.*

Ἀτυχοῦντι μηδεὶς γελᾷ, κοινὴ γὰρ ἡ τύχη.

Infortunatum ne irriseris, communis enim est fortuna. *Chilo sapiens.*

Cernuntur autem in ijs ægritudinibus, & voluptatibus omnibus, quæ ob eas res suscipiuntur, quæ proximè eueniunt: qui enim indignatur, is dolet illorum rebus secundis qui iniuria ijs fruuntur: inuidus hunc vincens dolet rebus omnibus: at maleuolus tantum abest, vt doleat, vt etiam capiat voluptatem. *Arist. lib. 2. Ethic.*

Ἐγὼ δὲ ... ὅστις ἄνθρωπος ὢν ἀνθρώπῳ τύχην προφέρει, ... ἀνόητον ἡγοῦμαι. ἣν γὰρ ὁ τὰ βέλτιστα πράττειν νομίζων καὶ ἀρίστην ἔχειν οἰόμενος, οὐκ οἶδεν εἰ μενεῖ τοιαύτη ἕως τῆς ἑσπέρας, πῶς χρὴ περὶ ταύτης λέγειν ἢ πῶς ὀνειδίζειν ἑτέρῳ.

Ego illum planè stolidum esse iudico, qui cum homo sit, homini fortunam exprobrat. Quomodo enim conuenit de fortuna gloriari, vel eam objicere alteri, illum qui ipse nesciat, an sibi constans, vel ad vesperum permansura sit, quamuis præsentia se quam optimè, & vitam felicissimè agere putet. *Demosth. in orat. pro Corona.*

Ἄμασις Πολυκράτεϊ ὧδε λέγει· ἡδὺ μὲν πυνθάνεσθαι ἄνδρα φίλον καὶ ξεῖνον εὖ πρήσσοντα. ἐμοὶ δὲ αἱ σαὶ μεγάλαι εὐτυχίαι οὐκ ἀρέσκουσι, ἐπισταμένῳ τὸ θεῖον ὡς ἔστι φθονερόν. καί κως βούλομαι καὶ αὐτὸς καὶ τῶν ἂν κήδωμαι τὸ μέν τι εὐτυχέειν τῶν πρηγμάτων, τὸ δὲ προσπταίειν, καὶ οὕτω διαφέρειν τὸν αἰῶνα ἐναλλὰξ πρήσσων ἢ εὐτυχέειν τὰ πάντα. οὐδένα γάρ κω λόγῳ οἶδα ἀκούσας, ὅστις ἐς τέλος οὐ κακῶς ἐτελεύτησε πρόρριζος, εὐτυχέων τὰ πάντα.

Amasis Polycrati ita inquit: Mihi quidem feliciter agi cum viro amico meo, & hospite audire, voluptati est: tamen tuæ magnæ prosperitates mihi non placent, qui intelligo, quam inuidum numen sit. Quod ad me attinet, malim tum meas ipsius, tum eorum qui mihi curæ sunt, res nunc prosperas ire, nunc contra, & per varias fortunæ vices æuum traducere, quam in omnibus mihi prospere cedere. Nullius enim vnquam mentionem audiui, qui vbique successus ex animi sententia habuerit, & tandem male finiens non funditus sit euersus. *Herod. lib. 3 histor.*

Τοῖς μὲν νοσοῦσιν ἰατρόν, τοῖς δ' ἀτυχοῦσι φίλους δεῖ παραινεῖν.
Medicos ægrotis, amicos infortunatis consulere oportet.

At mihi tamen ante quam in prouinciam venirem, redditæ sunt à te litteræ: quibus etsi te Tarsum proficisci demonstrabas, tamen mihi non dubium spem conueniendi mei afferebas: quũ interea, credo equidem, maleuoli homines (latè enim hoc patet vitium, & est in multis) sed tamen probabilem materiam nacti sermonis ignari meæ constantiæ, conabantur alienare à te voluntatẽ meã, qui te forum Tarsi agere, statuere, decernere, multa iudicare dicerent, quum posses suspicari iam tibi esse successum: quæ ne ab ijs quidem fieri solerent, qui breui tempore sibi successum iri putarent. Horum ego sermone non mouebar: quin etiã (credas mihi velim) si quid tu ageres, leuari me putabam molestia: & ex annua prouincia, quæ mihi longa videretur, prope iã vndecim mensium prouinciam factam esse gaudebã, si absenti mihi vnius mensis labor detractus esset. *Cic. lib. 3. epist. famil. ad Appium Pulchrum.*

Naturæ inest affectis iniuria erga afficientes continuo maleuolentia. *Procop. de bello Vand. lib. 1.*

MALIGNITAS.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

Malignitas, peruersa, & deprauata voluntas, Græc. *κακοήθεια*, Hebr. *Rauahh* a verbo *Rahhahh*, malus fuit, malè affectus est, incommodauit. Hinc *Rain*, destruo, corrumpo, *Rahho*, malo fuit. Dicitur etiam *Reschah*, malignitas, improbitas, a *Reschah*, i. *κακοήθεια*, maledicendi & malefaciendi studium.

Malignus homo describitur *Iob 5. 12. Psal. 5. 5. & 15. 4 & 119. 113.* Satan maligni spiritus, *Luc. 8. 2.*

Sententiæ Philosophorum, et Histor.

Ad vituperandum sumus quam ad laudandum procliuiores. *Plut. in Lysandro.*

Non modo extremæ est iniustitiæ, videri iustum, quum non sis: sed summæ est malignitatis, simulando facilitatem & simplicitatem iniquissimum se præbere. *Idem in Moral.*

Nulla tã modesta felicitas est, quæ malignitatis dentes vitare possit. At quo secessu quosdam fugeris, aut quibus infulis misericordiæ permulseris, non cohibebis ne alienis malis perinde ac bonis tuis lętentur & gestiant. Diuites sunt aliorum iacturis, locupletes calamitatibus, immortales funeribus. Sed illi quatenus alienis incommodis suorum adhuc expertes insultent, optima vindex insolentię, vanitas humanę conditionis viderit. *Val. Max. lib. 4. c. 7.*

Homines subinde nouis rebus gaudent: proinde facilius inuenias, qui afflictis insultet, quam qui fortunatis gratuletur. *Pachymer. hist. lib. 1.*

Historicae Biblicae.

Cain maligno oculo contemplans Abelis fratris suo prosperitatem. *Gen. 4.*

Cham malignè & impiè patri suo Noacho insultans. *Gen. 9.*

Laban malignè procedens cum Iacobo genere suo. *Genes. 28. 29. 30.*

Fratres Ioseph malignitatem multiplicem tum aduersus eundem, tum aduersus patrem Iacobum eudunt. *Gen. 37. &c.*

Pharao cum suis malignauit in Israelitas. *Exod. 1.*

Balaam contra eosdem. *Num. 22.*

Samei insultat Dauidi in exilium fugienti. *Sam. 16.*

Seba maligno consilio Miphibosethum dominum suum facultatibus proprijs spoliat. *2. Sam. 16. & 19. 2.*

Iudas malignè carpit pium Mariæ factum. *Ioan. 12.*

Hieroglyphicon.

Coturnix, si quem limpidulæ aquæ fontem inuenerit, simul ac biberit, aquam reliquam rostro pedibusq. corrumpere lutosamq; reddere, puluere etiam in eam ingesto nititur; ne cuipiam alteri animali ad potum inseruiat. Hęc maligna Coturnicis natura Ægyptijs argumentum dedit, vt malignum hominem per illam auem notarent. *Ioann. Pierius Valerianus libro 24 capite 48.*

Vide Inuidia, Liuor.

MALITIA. MALVM.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Malitia, Græce *κακία, ας, ἡ* & *κακός, ή, όν*, malus dicitur, Hebr. in tit. vocis. *Malignitas* explicatæ sunt.

Malum hic sumitur pro malo culpæ, non pro malo pœnæ. Vide Etymolog. trilingue Lugdun. *pag. 412.* Est autem malitia mentis atque animi deprauatio, a tramite veritatis deuia. *secund. Ambr. in Hexamer.*

Malitia est versuta & fallax ratio nocendi. *secund. Cic. lib. 3. de Nat. Deor.* Differt autem malitia a vitiositate, quod malitia certi cuiusdam vitij nomen est, vitiositas omnium.

Malum, Græce *κακός, ή, όν* dicitur. Et nihil est aliud, quam boni priuatio, sicut tenebræ sunt priuatio luminis. *secundum Ioan. Damasc. lib. 2. c. 4.*

Malum nihil aliud est, quam bonum imperfectum. *secund. B. Thom. secund. Sentent. dist. 34. q. 1.*

Malignitas, Græce *κακία, ας, ἡ* & *πονηρός, ά, όν*, malignus dicitur. Malignus vero dicitur quasi malus ignis, id est, prauam habens intentionẽ. *secund. B. Tho. sup. Psal. 36. in prin.* Est enim malignus, asper, difficilis, inuidus, auarus. Hinc malignam vitam, quæ angusta atque ardua est, Virg. *Aditusq; maligni.*

Malignitatem vitæ nostræ similitudo declarat. Aranea est animal debile ac tenuissimum, quod transeuntibus muscis quædam retia dolosa contexit: sic animi illorũ, qui sceleratis operibus dediti

diti sunt, inanibus & subdolis machinationibus occupantur. *Cass. super illud. Anni eorum sicut aranea.*

LOCI BIBLICI.

Malitia damnatur, *Rom.* 1.29. *Eph.* 4.31. *Coloss.* 3.8. *Iacob.* 1.21. *Pet.* 2.1. malitia hominum multa, *Genes.* 6.5. malitia omnis auferenda. *Ephes.* 4.31. *Col.* 3.8. malitiæ veteris fermentum, 1. *Cor.* 5.8. in malitia perseuerantes pereunt, 1. *Sam.* 12. *v.* 25. malitia vt pueri efficiamur, studere debemus, 1. *Cor.* 14.20.

Malum omne fugiendum, *Psal.* 34.15. & 37.32. & 119.101.128. *Prouerb.* 3.37. *Esa.* 1.16. *Ezech.* 18.21. *Amos* 5.15. *Rom.* 12.9. 1. *Io.* 3. *v.* 4. 3. *Ioan. ver.* 11. Malum dicens bonum puniettur, *Esa.* 10. *Malach.* 2. 17. *Prouer.* 24. *v.* 24. Malum pro malo non reddendum. *Prouerb.* 17. 13. & 20.22. & 24. *v.* 29. *Rom.* 12.14.17. 1. *Cor.* 4.12. 1. *Thess.* 5.15. 1. *Pet.* 3.9. Malum bono vincendum, *Roman.* 12.20. A malo ita abstinendum, vt quod bonum est facias, *Psal.* 34.15. & 37.27. *Esa.* 1.16.17. & 55.7. *Eph.* 4.28. 1. *Pet.* 3.11.

Malum pœnæ, a Deo est, *Deut.* 32.3. 1. *Reg.* 9.9. & 21.29. *Esa.* 45.7. *Ierem.* 11.11. & 32.43. *Baruch.* 2.2. *Amos* 3.6. *Iona* 3.10. *Mich.* 1.12. & 2.3. Malum culpæ summe auersatur Deus, tantum abest, vt eum authorem habeat. *Exod.* 23.7. 2. *Paral.* 19.7. *Iudith.* 5.21. *Iob* 34.10. *Psal.* 5. *v.* 5.7. & 45.7. *Prou.* 15. *v.* 8.9. *Sap.* 14.9. *Eccl.* 15.21. *Osea* 13.9. *Rom.* 9.14. 2. *Cor.* 6. *v.* 15. *Iac.* 1.13. Malos rectores & Præpositos permittit Deus ob peccata populi, 2. *Reg.* 24. *Iob* 34.30. *Esaia* 29. *v.* 10. *Ezech.* 14.9. *Osea* 13.11. 2. *Thess.* 2. *v.* 21. iubetq; obedientiam illis præstare, *Matth.* 23.3. Malorum etiam Ministrorum opera vtitur Deus, *Matth.* 7.22. *Mar.* 9.38. *Luc.* 9.49. Mali species fugienda, 1. *Thess.* 5.22. Malo consentire, quam noxium, *Rom.* 1.31. Malorum inuentores miseri, *Prouerb.* 11.27.

SENTENTIÆ BIBLICÆ.

Malum culpa a nobis est.

Nemini mandauit Deus impie agere. *Eccl.* 15.

Nemo, cum tentatur, dicat, quoniam a Deo tentatur. *Iac.* 1.

Pœna a Deo.

Bona & mala, vita & mors, paupertas & honestas, à Deo sunt. *Ecclesi.* 11.

Si erit malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit. *Amos* 3.

PATRVM SENTENTIAE.

Melius iudicauit Deus de malis benefacere, quam mala nulla esse permittere. *Aug. in Ench.*

Malignitas, est mala voluntas hominis, cum vltra non possit, vel beneficijs grates non referre. *Idem.*

Malitiæ comes indiuidua est miseria. *In Psal.* 32.

Malitia est, per quā morib. deceptorijs veritate palliata vel odium alterius, vel proprium commodum attenditur. *In quadam epist.*

Malitia est mentis atq; animi deprauatio a tramite veritatis deuia, quæ in curiosorum animos frequenter obrepit. *Amb. in Hexamer.*

Mala non sunt, nisi quæ crimine mentem implicant, & conscientiam ligant. *ibid.*

Sicut ignis amotis mentē erigit: ita ignis malitiæ inuoluit quia Spiritus Sanctus cor replet, eleuat, & ardor malitiæ ad inferiora semper incuruat. *Greg. super Iool.*

Mens praua semper in laboribus est, quia aut molitur mala, quæ inferat, vel metuit ne sibi ab alijs inferantur: & quidquid contra proximos cogitat, hoc contra se cogitari a proximis formidat. *lib.* 11. *Moral.*

Velocius malitiæ parua scintilla consumitur, quam virtutis ignib. coalescere possimus. Nam & melli plurimo parum absinthij iniectum, velocem amaritudinem tradit, mellis etiamsi duplum inijciatur absinthio, non poterit eius obtineri dulcedo. *Nazian. in apolog.*

Habet malitia currum suum rotis quatuor cōsistentem, sæuitia, impatientia, audacia, impudentia. Valde.n. velox est currus iste ad effundendum sanguinem, qui nec innocentia sistitur, nec patientia retardatur, nec timore frenatur, nec pudore inhibetur. Trahitur autem duobus pernicibus equis, & ad omnem perniciem paratissimis, terrenæ potentiæ & sęculi pompa. Porro præsident his duobus equis aurigæ duo, timor & liuor. Timor quidē pompam, Liuor potentiam agit. *Bernardus super Cantic.* 1.

Considera huius stultitiæ mistum dolū tyrannicum. n. Herodes credidit scripturis aut non. Si non credidit, vt quid ergo interrogabat scripturas, quas putabat esse vaniloquas? Si credidit æstimās prophetiam esse immobilem, quō ergo sperabat illum Regē interficere, quem futurū esse dicebant scripturę? Nam si prophetiæ credidit, clarū erat ipsum aduersus impossibilia conari. Sed si nō credidit, tunc nec sibi timere debuit, nec puero insidiari. Respondit Chrysostomus: anima semel malignitate capta stultior cunctis efficitur. Tale quippe est vitium malignitatis, vt a nullo plenumq; impulsa, seseipsa præcipitet, & sæpe absq; effectu operis, ærumnosa & impossibilia conetur efficere. *Chrys. super Matth. c.* 2.

Coerceri omnino nequit animus praua semel voluntate vitiatus. quia zelus sapere nescit, & ira consilium non habet: ideo Herodes non suo consilio gubernabatur, sed vinculo diaboli trahebatur. *Ibid.*

Sicut ignis quanto amplius ligna susceperit, in maiorem flammam erigitur: sic anima mala quanto magis veritatem audierit, eo amplius in malitiam excitatur. *Ibid. super Matth.* 22.

Ætate minores, malitia pares. Nam pulli serpentum statura breuiores sunt, veneno autem æquales: catuli luporum, etsi venatione nocere non possunt, iam tamen in sanguine gaudent, & morsibus lædunt. *Ibid.*

Debuerunt Pharisæi timere Saducęorum exemplo, vt ne similiter interrogantes confunderentur: sed ardens malitia dum se satiare festinat, rei exitum non aspicit, maleuolentia enim & liuor nutriunt impudentiam. *Ibid.*

Pharisæi apud se dicebant. Vnus loquatur pro omnibus, & omnes loquamur per vnum, vt si vicerit, omnes videamur victores. Si autem victus fuerit, solus videatur confusus. Ecce sagacitas malignantium. *Ibid.*

Loquitur apud se maligna cogitatio: vsquequo illum talem tolero? Consentire ei comprobor, si eum non corripio. consentiens autem, Deum offendo, corripiam ergo, ne Deum offendam. Nihil pro mea, sed pro Dei iniuria vlciscenda totum facio, imo sic illum sibi restituam. Proximum enim corripere, & eum castigare, hoc non est proximo nocere, sed prodesse velle. Sic sæpe apud se loquitur cogitatio maligna, excęcauit enim eam malitia sua. *Hug. lib.* 1. *de anima.*

Nequitiam veteres definierunt voluntariam esse malitiam, in quam non casu incidimus, sed spontanea voluntate versamur. Nequā dictus est homo malus, quasi nequaquam, id est, nullo tempore aptus. *Cassiod. super Psal.*

Malignitatem vitæ nostræ similitudo declarat. Aranea est animal, debile ac tenuissimum, quod transeuntibus muscis quædam retia dolosa contexit: sic animi illorum, qui sceleratis operibus detenti sunt, inanibus & subdolis machinationibus aucupantur. *Idem in Psal.* 90.

Malitia est ex proposito & deliberatione, malo cognito prono animo consentire. *Rich. in ep. ad Cor.*

SENTENTIAE POETICAE.

Anthol. Sac. Iac. Billij.

Quum Deus effectum precibus non præstat iniquis,
Multum concedit, quod nociturus negat.
Errantes voto non vult delinquere facto,
Iratusq; sinit quod proteruus placidus.
Discat faltus supplex gaudere repulsa,
Incipiatq; animo pellere quod voluit:
Parcentemq; Deum noscat sibi, cum nocituris,
Non excaudit, ne noceat, meruit.

Sen. Hipp. Act. 2.

Inuenit artes bellicus Mauors nouas,
Et mille formas mortis. Hinc terras cruor
Infecit omnes fusus, & rubuit mare.
Tunc scelera dempto fine per cunctas domos
Iere: nullum caruit exemplo nefas.
A fratre, frater, dextera nati parens
Cecidit, maritus coniugis ferro iacet,
Perimuntq; fœtus impia matres suos.
Taceo nouercas mitius nil est feris.

Idem Oct. Act. 2.

Sed in parentis viscera intrauit sua
Deterior ætas, eruit ferrum graue
Aurumq;, sæuas mox & armauit manus,
Partita fines, regna constituit, nouas
Exstruxit vrbes, tecta defendit suis
Aliena telis, aut petit præda imminens.

Plaut. Bacch.

Ædepol,
Ne tu illorum mores perquam meditate tenes, sed etiam
Vnum hoc ex ingenio malo malum inueniunt suo,
Nulli amici sunt, inimicos ipsi in se omnes habent.
Atque se cum frustrantur, frustrari alios stolidi existimant.

Plaut. Trin.

Noui ego hoc sæculum moribus quibus sit: malus bonum malum
Esse vult, vt sit sui similis: turbant miscent mores mali rapax,
Auarus, inuidus, sacrum, profanum, publicum, priuatum habent.
Hiulca gens, hæc ego doleo, hæc sunt quæ excruciant.
Hæc dies noctesq; tibi canto, vt caueas quod manus non queunt
Tangere tantum fas habent, quo manus abstineant.

Catullus de nuptijs Pelei & Thetidis.

Sed postquam tellus scelere est imbuta nefando,
Iustitiamq; omnes cupida de mente fugarunt.
Perfudere manus fraterno sanguine fratres,
Destitit extinctos natus lugere parentes.
Optauit genitor primæui funera nati.

Liber

Liber ut immpta potiretur flore mariti,
Ignaro mater substernens se impia nato,
Impia non verita est diuos scelerare Penates,
Omnia fanda, nefanda malo permista furore
Iustificam nobis mentem auertere Deorum,
Quare nec tales dignantur visere coetus,
Nec se contingi patiuntur lumine claro.

Iuuenal. 4.

Quid refert igitur, quantis iumenta fatiget
Porticibus, quanta nemorum vectetur in vmbra,
Iugera quot vicina foro, quas emerit ædes?
Nemo malus felix.

Horat. 1. epist. 1.

Inuidus, iracundus, iners, vinosus, amator,
Nemo adeo ferus est, vt non mitescere possit,
Si modo culturæ patientem commodet aurem.

Lucan. 1.

Nullus semel ore receptus
Pollutas patitur sanguis mansuescere fauces.

Boet. 4. 2.

Quos vides sedere celso
Solij culmine Reges,
Purpura claros nitente,
Septos tristibus armis,
Ore toruo comminantes,
Rabie cordis anhelos,
Detrahat si quis superbis
Vani tegmina cultus,
Iam videbit intus arctas
Dominos ferre catenas.
Hinc enim libido versat
Auidis corda venenis:
Hinc flagellat ira mentem
Fluctus turbida tollens,
Mæror aut captos fatigat,
Aut spes lubrica torquet.
Ergo, cum caput tot vnum
Cernas ferre tyrannos,
Non facit quod optat, ipse
Dominis pressus iniquis.

Claud. 4. Hon.

Tu licet extremos late dominare per Indos,
Te Medus, te molles Arabs, te Seres adorent,
Si metuis, si praua cupis, si duceris ira,
Seruitij patiere iugum, tolerabis iniquas
Interius leges: tunc omnia iure tenebis,
Cum poteris rex esse tui.

Sen. Med.

Nullum ad nocendum tempus angustum est malis.

Iuuen. 3.

Quis nunc diligitur, nisi conscius, & cui feruens
Æstuat occultis animus, semperq; tacendis?
Nil tibi se debere putat, nil conferet vnquam
Participem qui te secreti fecit honesti,
Charus erit Verri, qui Verrem tempore, quo vult,
Accusare potest.

Sen. Hipp.

Sed cur idem, qui tanta Regis,
Sub quo vasti pondera mundi
Librata suos ducunt orbes,
Hominum nimium securus ades,
Non sollicitus prodesse bonis,
Nocuisse malis?

Boet. 1. 5.

Omnia certo fine gubernans,
Hominum solos respuis actus,
Merito rector cohibere modo.
Nam cur tantas lubrica versat
Fortuna vices? premit insontes
Debita sceleri noxia pœna:
At peruersi resident celso
Mores solio, sanctaque calcant
Iniusta vice colla nocentes.
Latet obscuris condita virtus
Clara tenebris, iustusque tulit
Crimen iniqui.
Nil periuria, nil nocet ipsis
Fraus, mendaci compta colore.
Sed cum libuit viribus vti,
Quos innumeri metuunt populi,
Summos gaudet subdere Reges.
O iam miseras respice terras,
Quisquis rerum fœdera nectis.
Operis tanti pars non vilis
Homines quatimur fortunæ salo,
Rapidos rector comprime fluctus,
Et quo cœlum regis immensum
Firma stabiles fœdere terras.

Claud. 1. Ruff.

Sed cum res hominum tanta caligine volui
Adspicerem, lætosque diu florere nocentes,
Vexarique pios, rursus labefacta cadebat
Religio, causæque viam non sponte sequebar
Alterius, vacuo quæ semina currere motu
Affirmat, magnumque nouas per inane figuras
Fortuna non arte regi, quæ numina sensu
Ambiguo vel nulla putat, vel nescia nostri.
Abstulit hunc tandem Rufini pœna tumultum,
Absoluitque Deos: iam non ad culmina rerum
Iniustos creuisse queror: tolluntur in altum,
Vt lapsu grauiore ruant.

Plaut. Bacch.

Mali sunt homines, qui bonis dicunt male.

Plaut. Pen.

Malo benefacere tantundem
Est periculum, quantum bono malefacere.

Iuuen. 13.

Terra malos homines nunc educat

Ouid. 5. Trist.

Siue locum specto, locus est inamabilis, & quo
Esse potest toto tristius orbe nihil:
Siue homines, vix sunt homines hoc nomine digni,
Quamque lupi sæuæ plus feritatis habent.
Non metuunt leges, sed cedit viribus æquum,
Victaque pugnaci iura sub ense iacent.

Iuuen. Sat. 1.

Nil erit vlterius, quod nostris moribus addat
Posteritas: eadem cupient facientque minores.
Omne in præcipiti vitium stetit.

Senec. in Tragœd. 8.

Capienda rebus in malis præceps via est.

Ibidem.

Nil ratio & vsus audet in magnis malis.
Tenet horror artus.

Menander.

Ἄγει τὸ θεῖον τοὺς κακοὺς πρὸς τὴν δίκην.
Ducit diuinitas malos ad iudicium.
Θεοῦ δὲ πληγὴν οὐχ ὑπερπηδᾷ βροτός.
Dei autem flagellum non euitas mortalis.
Λήθειν δ' ἄχρι μὴ δόκει πονηρὸς ὤν.
Latere vsque in finem ne putes cum sis malus.
Ὀξὺς Θεοῦ δ' ὀφθαλμὸς εἰς τὸ πάνθ' ὁρᾶν.
Acutus Dei autem oculus ad omnia inspicienda.
Ἀνὴρ πονηρὸς δυστυχεῖ κἂν εὐτυχῇ.
Vir malus infelix est, etsi felix sit.
Ἀνδρὸς πονηροῦ φεῦγε συνουσίας ἀεί.
Viri mali fuge congressum semper.
Ἀνδρὸς πονηροῦ σπλάγχνον οὐ μαλάσσεται.
Viri mali cor non mitigatur.
Δόλιον δ' ἄνδρα φεῦγε παρ' ὅλον τὸν βίον.
Dolosum virum fuge per totam vitam.
Θεοῦ δ' ὄνειδος τοὺς κακοὺς εὐδαιμονεῖν.
Dei vituperium malos beneficio afficere.
Καὶ ζῶν ὁ φαῦλος καὶ θανὼν κολάζεται.
Et viuens malus, & mortuus punitur.
Κακῷ σὺν ἀνδρὶ μηδ' ὅλως ὁδοιπόρει.
Malo cum viro neque omnino iter facias.
Πονηρὸν ἄνδρα μηδέποτε ποιοῦ φίλον.
Malum virum nunquam facias amicum.
Φασὶ κακίστους οἱ πονηροὶ τοὺς καλούς.
Dicunt pessimos mali illos, qui sunt boni.
Ὡς ἔργον ἐστὶ ζῆν ἐν πονηροῖς ἤθεσι.
Quam difficile bene viuere inter malos mores.

Ex primo Epigram.

Οὐδεὶς ἀδικῶν βροτῶν ἄδικα τίσιν οὐκ ἀπέτισε.
Nullus hominum iniustorum pœnam non soluet.

S E N T E N T I Æ   B I B L I C Æ.

Videntur omnia repentina grauiora. Nam præmeditatio futurorum malorum lenit eorum aduentum, quæ venientia longe ante videris. *Cic. 3. Tusc.*

Non est dubium, quin omnia, quæ mala putantur, sint improuisa grauiora. *3. Tusc.*

Inuentor malorum est, qui aliquam malam consuetudinem vel aliquod tormentum primus inuenerit. *Cic.*

Malitia præmijs exercetur: vbi ea dempseris, nemo omnium gratuito malus est. *Sallust. in fragm.*

Ingrata res est malitia nacta veniam. *Appian. lib. de bel. Mithrid.*

Publico

Publico decreto bellum gerere, publica malitia quę sociorum sunt auferre, nec quenquam horum authorem punire, insuper magis ducem ex illis eligere, commissorumque facinorum duces & authores honore afficere, mihi omnis generis malitia refertum esse videtur. *Polyb. lib. 4.*

Idem semper de nobis pronunciare debebimus, malos esse nos, (inuitus adijciam) & futuros esse. *Senec. de benef. lib. 1. c. 10.*

Vnum malum sapientiæ est turpitudo, quæ introire eo vbi iam virtus honestumque est, non potest. *Idem, lib. quod in sapientem iniuria non cadat, c. 4.*

In primis cauendum, ne malum malo curare velis. *Pachymer. histor. lib. 4.*

Malitia ipsa maximam partem veneni sui bibit, ac venenum, quod serpentes in alienam perniciem perferunt, sine sua continent: non est huic simile, hoc habentibus pessimum est. *Senec. 82. Epistola.*

Male facere qui vult, nusquam non inuenit causam: maleuolus semper sua natura vtitur. *In Prouerb.*

APOPHTHEGMATA.

Thales, quid nocentissimū esset, interrogatus? Malitia dixit. Nocet enim illa bonis etiam, si attigerit. *Stob.*

Socrates. Hominem cui ex malitia spes dependet, similem illi esse dicebat, qui nauim infirmæ anchoræ committit. *Stob. sermone 2.*

Democritus, Malitia, inquit, res est quæ facile capitur: Nam dum in solum lucrum intenta est, circumspecte obuiam se quęstui præbet, & temere persuadetur. *Stobæus sermone secundo de malitia.*

Epictetus, Quemadmodum, inquit, viperam, aut aspidem aut scorpium in eburneo vel aureo scrinio inspiciens, non propter materiæ precium ipsa diligis aut magnifacis tanquam felicia animalia, sed potius propter naturę ipsorum exitialem vim abhorres ac detestaris: sic etiam in diuitijs & fastu fortunæ malitiam videns insess. non ad materiæ splendorem obstupesce, sed morum prauitatem contemne. *Stob. serm. 5.*

Plato. Ea quæ mala dicuntur, malis bona, iustis vero mala esse dicebat. Bona rursus, bonis quidem vere esse bona, malis autem mala. *Stob. ser. 2.*

Dion. philos. Res malas seu improbas dicebat nunquam in eodem statu manere, sed subinde moueri & in maiorem crescere petulantiam, nec vllum certum modum assequi. *Stob. eodem sermone.*

Hyperides. Incipientibus malis obstruendas esse vias dicebat. Nam cum semel (inquit) radices egerit, & inueterata fuerit malitia, tanquam congenita ægritudo, difficilis extinctu fit. *Stob. sermone 44.*

Socrates. Iniuriam, inquit, facere. & non obedire meliori, siue Deo, siue homini, malum ac turpe esse scio. Nunquam enim vel metuam, vel fugiam illa, de quibus an bona sint incertus sum, magis quam mala, quæ mala esse non dubito. *Plato in apolog. Socratis.*

Democritus. Malum, inquiebat, etiamsi solus fueris neque dixeris, neque feceris. Disce autem teipsum multo magis quam alios reuereri. *Stob. serm. 31.*

Pythagoras. Vir malus plus mali patitur afflictus conscientia, quam ille qui in corpore castigatur, & flagris cæditur. *Stobæus sermone 24.*

Idem, Qui de malis, inquit, pœnas non sumunt, bonos affici volunt iniurijs. *Stob. ser. 44.*

Epictetus. Si cupis, inquit, bonus fieri, primum crede, quod malus sis. *In Enchir. & Stob. serm. de virtute.*

Iamblichus dicebat, quemadmodum supputato satius est vti quam ita manere: sic etiam malo viro mori, quam viuere. *Stob. sermone 44.*

Archytas Pythagoreus. Semper, ait, infelicem oportet esse malum, siue adsit materia, male enim ea vtitur: siue ea careat. Sicut cęcus, siue lumen habet, & claritatem visibilem: siue in tenebris degat. *Stob. serm. de virtute.*

Diogenes. Cum adolescentem natura malum lapides in cęlum iactātem videret: Euge, inquit, scopum non attinges. Innuit autem, eos cęlestium bonorum nequaquam hæredes esse, qui malitiosam agerent vitam. *Laert. lib. 4.*

Idem. Corinthum profectus, ludum ingressus est: quem ibi Dionysius regno pulsus aperuerat, audiuitq; pueros male canentes. Interim ingressus Dionysius, quoniam putabat Diogenem consolandi gratia venisse, humaniter, inquit, facis Diogenes, hęc est rerum humanarum volubilitas. Imo, (inquit Diogenes) miror te etiamnum viuere, qui tantum malorum in regno patraris, & video nihilo meliorem esse ludi magistrum quā fuisti Rex. *Laert. & P. M. lib. 3. apoph.*

Idem. Eunuchus quispiam contaminatæ famæ, inscripserat ædibus suis, μηδὲν εἰσίτω κακόν. Ne quid ingrediatur mali. Id videns Diogenes: Aedium, inquit, dominus qua ingreditur? Eunuchus homo omnis gratia posuerat titulum, nequid infelicitatis attingeret domum, id Diogenes detorsit, ad mala animi, quæ sola vera mala sunt. *Laert. l. 6. Brus. lib. 4. c. 15.*

SIMILITVDINES.

Chrysostomi. Sicut aqua siue salsa sit, siue illa potabilis, & vasa replet haurientium, & suum fontem, ex quo manat, nequaquam vacuū remanere permittit: Sic & nequitia, sic virtus, vnde processerit, illum procreatorem primitus illa lætificat, & illa consumit. *Homil. 1. ad Hebr.*

Sicut ad Solis radios infirmi oculi non audent aspicere: Ita virtutē malitia contueri non audebit vnquam, sed dorso obiecto discedet, victamq; se fatebitur. *Hom. 12. in Genesin.*

Sicut difficile aliquem suspicatur malum, qui ipse est bonus: Ita difficile aliquem suspicatur bonū, qui ipse est malus. *In c. 4. Matt. hom. 5.*

Malignitas, quemadmodum febricitantes, quando frigidam aquam expetunt, non futura, sed præsentia solum cōsiderant. *Homil. 49. in Matth.*

Quidquid non est lumen tenebræ est: Sic & quidquid bonum non est, malum est. *In c. 5. Matth. hom. 11.*

Sicut vas quamdiu plenum est de aliquo, non recipit supermissum: si autem vacuum fuerit, recipit omne quod mittitur: Sic homo quamdiu occupatus est malis, non recipit bonum, & quādiu occupatus est bonis, non recipit malum. *In cap. 24. Matth. homil. 50.*

Si qui sponte sua, mentis oculis conniuentes ad huius lucis radios aciem dirigere noluerint, non ex luminis natura in tenebris persitterant, sed malitia sua, qui sponte tanto dono Dei indignos se reddiderunt. *Hom. 7. in Ioan.*

Qui amara bibunt antidota, patienter ferunt quandam primū molestiam, & tunc sensum percipiunt sospitatis. Tale quiddam est virtus, tale quoque malitia. In ista prima est voluptas, & sequitur ægritudo: in illa vero prima est mœstitia, & tunc iucunditas procreatur. Sed nihil simile est cum quis primum contristatur, & postea gaudio perfruitur, & cum primo gaudetur, postea in mœrorem incidere: & quomodo hoc? Hic. n. timor futuræ tristitiæ præsens gaudium deuenustat: illic vt illic nunquam gaudeatur prorsus, hic nunquam tristitiæ dominetur. Et non in hoc tantum differentia constat, sed in alio, quia temporis æqualitas non est. Nā malitiæ gaudium temporale est: In spiritualibus autem gaudij iucunditas æterna. *Homil. 30. ad Hebræos.*

Athanasij. Quemadmodum si quis serpentē apprehendat manu, dūque conatur in alterum proijcere, prorsus ipse mordetur: aut si quis ignem manu tenens, dum vult hostem lædere, non intelligat quod ipse prorsus exuritur: Sic malitia militat aduersus eos, qui ipsa vtuntur, magisq; lædit eos a quibus habetur, quam eos in quos intenditur. *De passione Domini.*

Nazianzeni. Malitia natura est expedita, & vehemens ad deterius inclinatio, torrens per pronum decurrens, aut calamus, qui per scintillam & ventum facile succenditur, suoque consumitur germine. Ignis enim materiæ fœtus existit, qui & materiam consumit, quemadmodum malitia malos, & cum suo abit nutrimento. *In Oratio. 11 de pace.*

Sicut si aridæ quis stipulæ scintillam ignis inijciat, qui insuper etiam ventis spirantibus animetur. Ita velocius malitiæ parua scintilla consumimur, quam virtutis ignibus vel accendi vel coalescere possimus. Nam & melli plurimo cum parum absinthij iniectum, velocem amaritudinem trahit: mellis vero si duplum inijciatur absinthio, non poterit eius obtineri dulcedo. *In Orat. 11. de pace.*

Damasceni. Nihil est malum nisi boni priuatio: sicut & tenebræ luminis est carentia bonum enim lumen est intelligibile, simul & tenebræ intellectuales sunt malum. Quod hominibus est mors, hoc Angelis est lapsus: post lapsum non est illis pœnitentiæ locus, vt neque post mortem hominibus. *lib. 2. cap. 4. Orthodox. fidei.*

D. Augustini. Tanquam si quispiam veneni calicem præparet alicui, & oblitus bibat: & tanquam si foueam quisquam fodiat, in quam quisque inimicus eius in tenebris incidat, & ille oblitus quod foderat ambulans ea via, prius illuc cadat. Ita credite, ita certi estote, videte, prospicite, quia nemo malus non sibi prius nocet. Sic enim esse putate malitiam, quomodo ignem. Incendere vis aliquid aliud, illud quod admoues prius ardet: nisi ardeat, non incendit: facula est: hanc faculam apponis, ne aliquid incendas: nunquid non ipsa facula quam apponis prior ardet, vt aliquid possit incendere? Malitia autem procedit ex te: & quem prius vastat, nisi te? Quo profundit ramum, lædit: vbi radicem habet, non lædit: Equidem dico quod malitia tua vt alteri non noceat, fieri potest: Vt autem tibi non noceat, fieri non potest. *In Psal. 34.*

Hieronymi. Quomodo cisterna vel lacus frigidam facit aquam suam: Sic in medio Hierusalem malitia quæ in ea est omnem,

omnem calorem perdidit vita, & quæ sequuntur. *In cap. 6. Hieremiæ lib. 2.*

Plutarc. Vt qui sabucant, non affectant haberi vlcerosi, sed magis fugiunt esse, quam videri: Ita non est affectandum, vt videaris malus, sed magis abominandum, ne sis talis, quam ne videaris. *In Moralibus.*

Diogenes videns adolescentulum quendam in popina, ei pudore intro fugienti: Quo interius, inquit, fugeris, hoc magis eris in popina: Ita vitiosi quo magis abdunt sese intra seipsos, hoc magis sunt id quod sunt. Foras prodeant oportet, si cupiunt effugere seipsos. *In Moral.*

Vt optimum vinum, si in vas sordidum, & impurum infusum sit, perdit gratiam: Ita bona sententia si à malo viro proficiscatur, aut si doctrina in malum virum inciderit. *In Moral.*

Vt vxor mala foris ob pudorem est modestior, domi suis similis est: Sic malitia apud alios premit sese, in somnis aperit. Nam tunc incestat matrem, aut sororem, aut veneno tollit amicum. *In Moralibus.*

Seneca. Tempestas minatur antequam surgat, crepant ædificia antequam corruant, prænunciat fumus incendium: At subita est ex homine pernicies, & diligentius tegitur, quo propius accedit. *Apud P. M.*

Illud venenum, quod serpentes, sine sua pernicie continent, in alienam effundunt: At malitia maximam sui veneni partem bibit ipsa. *Apud eundem.*

Vt semina bona, si in solum bonum inciderint, similia origini proueniunt, eadem humus sterilis ac palustris necat: Sic Philosophiæ præcepta, si in bonum, aut prauum animum inciderint. *Apud eundem.*

Serpens etiam pestifera, dum frigore torpet, tute tractatur, non quod desit venenum, sed quod non possit explicare. Sic quibusdam ad eximiam malitiam vires desunt, non animus. *Apud eundem.*

Plin. Tradunt, in Albania nasci homines glauca oculorum acie, qui nocturnarum ritu plus noctu, quam interdiu cernant: Ita quidam plus sapiunt in rebus facinorosis, quam in bonis, ac præclaris: aut in sordidis potius, quam in egregijs. *lib. 7. c. 2.*

Vt Basiliscus sibilo fugat omnes serpentes: Ita quidam adeo sunt pestilentes, vt alij ad illos collati boni videantur, atque vltro cedant. *lib. 2. c. 21.*

Salamandræ tantus est rigor, vt ignem contactum non aliter, quam glacies extinguat: Ita quidam citius hominem ad torporem adduxerint, quam ipsi ad honesta inflammentur. *lib. 10. c. 67.*

Inexcusabile malum est aspis, nisi natura hebetes addidisset oculos: Ita quidam essent pestilentissimi, si prauæ cupiditati accederet, & ingenij vis, vt rationem quoque nocendi possint excogitare. *lib. 8. cap. 23.*

Delphini, tranquillo mari lasciuientes, flatum qua veniunt parte denunciant: Ita quum exultant improbi, tolluntq; sese, rerum humanarum tempestate instare significant. *lib. 18. c. 25.*

P. M. Volucres vnguentorum odore fugantur, ad cadauera aduolant: Ita quidam rebus honestis abhorrent, ad fœda rapiuntur. *In simil.*

Vt apes, amisso aculeo, iam nec nocere potest exarmata, nec prodesse ad mellificium: Ita mortales, qui nocere norunt, ij etiam norunt prodesse. *In simil.*

Vt qui hircosi sunt, grauius olent, quum se vnguentis obleuerint: Ita fœdior est nequitiæ fama, si eam doctrinæ celebritas reddat magis conspicuam, latiusque traducat in hominum fabulas. *In simil.*

Vt Pyrites gemma, non aperit vim ignem, nisi atteratur: tum enim digitos adurit: Ita quorundam malitiam non sentias, nisi cum illis consuetudinem, aut commercium habueris, aut non sentias Philosophiæ vim, nisi exercueris: Ita summa attactu vim attrahendi, & odorem produnt. *In simil.*

Porphyrus serpens venenum habet, sed quoniam edentulus est, sibi habet: Ita quidam male cogitant, sed quod desit facultas, nemini nocent. *In simil.*

Themist. Frigidus nemi em potest incalfacere: nec iniquus quemquam suo sermone ad virtutem accendere. *In apoph.*

A D A G I A.

Iliensis tragœdos conduxit. ὁ Ἰλιεὺς τραγῳδοὺς ἐμισθώσατο.

Vbi quis vltro producat quempiam, vnde sua audiat probra. Lucianus.

Suo iumento sibi malum accersere. *Plautus.*

Qui ipse sibi malorum est author, suo iumento sibi malum accersere dicitur.

Suo sibi hunc iugulo gladio, suo telo. *Terent.*

In eum, qui suis ipsius dictis reuincitur, aut qui suapte inuento doloue capitur.

Ouidius.

Remigiumq; dedi quo me fugeretis alites.

Hoc patior telis vulnera facta meis.

Suo ipsius laqueo captus est.

Metaphora sumpta ab ijs, qui instructis pedicis auibus aut feris insidias tendunt.

Suo ipsius indicio perijt sorex.

Donatus admonet, esse prouerbium in eos, qui suapte voce produntur.

Incidit in foueam, quam fecit.

In Odis Dauid dicitur: Λάκκον ὤρυξε καὶ ἀνέσκαψεν αὐτόν, καὶ ἐμπεσεῖται εἰς βόθρον ὃν εἰργάσατο. Lacum fodit & aperuit eum, & incidit in foueam, quam fecit.

Captantes capti sumus, θηρῶντες ἠλώκαμεν.

Cum res præpostero euenit, vt ipsi circumueniamur ab ijs, quibus conabamur imponere.

In venatu perijt, αὐτὴ τε ἀπώλετο ὑπὸ τῆς ἄγρας. *Lucianus.*

Id est: Ex ipsa venatu perijt, hoc est, dum adolescentem venatur, studetq; irretire, etiam ipsa sese perdidit.

Hanc technam in teipsum struxisti.

Eandem sententiã aliter expressit Lucianus: Ὥστε ἀπέβη κατὰ σαυτοῦ ἡ τέχνη. Vtendum erit, cum dolus in alterum excogitatus, in caput autoris recidit.

Qui inspuerit cauernam formicarum. ὡς ὁ πτύσας εἰς μυρμηκιᾶς ὀπὴν...

Torqueri poterit in eos, qui multitudinem imbecillium quidem, sed tamen morosam & concordem prouocant.

Ex ipso boue lora impouere. ἐκ τοῦ βοὸς τοὺς ἱμάντας λαμβάνειν.

Qui lædunt quempiam, ab ipso quem lædunt, accipiunt.

Talia gignit bellum. τοιαῦθ᾽ ὁ πόλεμος πολλάκις ἐξεργάζεται.

Docet hic Sonantus, e dissidijs eorum qui Rempublicam administrant multa gigni absurda. Id translatum ad priuatam discordiam, plusculum habebit gratiæ.

Securim iniicere. *Cicero.*

Dicuntur qui vehementer lædunt ac vulnerant.

Sibi parat malũ, qui alteri parat. οἷ τ᾽ αὐτῷ κακὰ τεύχει ἀνὴρ ἄλλῳ κακὰ τεύχων.

Nemo potest alterum iniuria afficere, nisi prius lædat seipsum. qui aliũ fraudat pecunia, seipsum spoliat bona mente, grauius seipsum lædit, quam alterum. Aris.

Chius dominum emit. Χῖος δεσπότην ὠνήσατο.

In eos quadrabit, qui sibi ipsis malum accersunt. Athen.

Mala attrahens ad se, vt cæcias nubes. κακὰ ἐφ᾽ αὑτὸν ἕλκων ὡς καικίας νέφος.

In eos qui sibi ipsis litium ac negociorum materiam pariunt, accersuntque. Er hat sich die Schlege, wie ein Pferd sein futer.

Ne quid sibi fiat caput. *Terent. in Phorm.*

Pro eo quod est, ne quid mali sibi concilies. mache dir nit eine Ruthe fur deinen Rucken.

In gladium incumbere. ... ἐρμπεσεῖν...

Id est: Fac ... quod in suum ipsius recidat caput: aut obloqueris his, qui te facile possunt lædere. Consimile illud aduersus stimulum calcitare.

Spontanea malitia.

Celebratur inter Græcos, cum primis bellus & elegans trimeter

Αὐθαίρετος λύπη 'στι τὸ τέκνα σπείρειν.

Id est:

Vltroneus dolor est parare liberos.

Dici non potest, quantum & quam molestum negotium sit, educare liberos: præsertim cum adeo pauci sint, qui parentum officio respondeant.

In tuum ipsius malum lunam deducis. ἐπὶ σαυτῷ τὴν σελήνην καθέλκεις.

Dicebatur de ijs, qui suis inuentis artibus sibi malum accerserent. Da speyest in deinen eygen Busen.

Lunam detrahere. τὴν σελήνην καθαιρεῖν.

Consueuit dici de eo cui res vehementer aduersa videretur.

Atlas cœlum. Ἄτλας τὸν οὐρανόν.

Subaudiendum, suscepit. Dici solitum de ijs, qui sese magnis & molestis inuoluunt negocijs ipsiq; sibi malum accersunt.

Accersitum malum, ἐπίσπαστον κακόν.

Accersitum malum dicitur, cuius ipse tibi causam præbueris.

Coruus scorpium. κόραξ τὸν σκορπίον.

Vbi quis suo ipsius inuento perit. Torquere licebit in hominem ob edacitatem periclitantem.

Bis interimitur, qui suis armis perit.

Magis dolent incommoda, quorum ipsi dedimus occasionem.

Colubrum in sinu fouere. ὄφιν ἐν τῷ κόλπῳ θάλπειν.

Dicitur, qui complectitur amore, studioq; persequitur ingratum.

Hostis domesticus. οἰκεῖον τὸν πολέμιον ἔχειν.

Vbi malum non aliunde proficiscitur, sed ex nobis ipsis nascitur.

Capra gladium. αἲξ τὴν μάχαιραν.

Subaudi, reperit. In eos dicitur, qui ipsi sibi reperiunt, quo pereant, Die Geyss suchet das messer.

Pyraustæ gaudes gaudium. Χαρὰν πυραύστου χαίρεις.

De me-

De momentanea fluxaque voluptate. In eos, qui sibiipsis exitium accersunt.

Prudens in flammam mitto manum.

Hieronymus usurpat pro eo, quod est, sciens expono me discrimini, malisque obiicio.

Calidum prandium comedisti. *Plaut.*

Id est: Fecisti, quod tibi magno malo sit futurum.

Malum consilium.

Malum consilium consultori pessimum. In eos, in quorum caput recidit, quod alijs perperam consuluerunt.

Hesiodus.

Οἱ αὐτῷ κακὰ τεύχει ἀνὴρ ἄλλῳ κακὰ τεύχων.
Ἡ δὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη.
Ipse sibi nocet is, alium, qui lædere quærit,
Consultum male consultori pessima res est. Wer einem andern ein Grube machet, der faellet gewoholich selbst darein. Et quod Hebræus Sapiens habet: Wer den Stein in die Hohe wirfft, dem fallt er gern auff den Kopff.

Camelus desiderans cornua, etiam aures perdidit. ἡ κάμηλος ἐπιθυμήσασα κεράτων, καὶ τὰ ὦτα προσαπώλεσεν.

Conueniet in eos, qui dum peregrina sectantur, ne sua quidem tuentur.

Sibi malum reperit.

In eum, qui suo læditur inuento, quadrabit illud Homeri ex Odyss. φ

Οἱ αὐτῷ πρώτῳ κακὸν εὕρετο οἰνοβαρείων.
Qui sibi perniciem vel primum reperit ipse
Vino victus.

Dictum est de Eurytione, qui primus inuenit vsum vini, peremptus a Lapithis.

Ipse sibi perniciem accersiuit.

In eum, qui sibi pertinaciter accersiuit malum, cui velut fato destinatus sit, congruet illud Homeri.

Τὸν δ' ἄγε μοῖρα κακὴ θανάτοιο τέλος δέ.

Id est.

Illum mortis in exitium mala Parca trahebat.

Cœno puram aquam turbans, nunquam inuenies potum. βορβόρῳ ὕδωρ λαμπρὸν μιαίνων, οὔποτε εὑρήσεις ποτόν.

Dici solitum, vbi quis ea, quæ sunt per se pulcherrima, contaminat, admixtis ijs, quæ sunt turpissima.

Bellerophontis literas. Βελλεροφόντης τὰ γράμματα.

Subaudiendum, adfert, aut aliud aliquod. Locus erit huic prouerbio, cum quis literas velut commendatitias perfert, quæ contra ipsum sint scripta.

Ale luporum catulos.

In eos qui læduntur ab ijs de quibus bene meriti sunt, aut in ingratos.

Phoci conuiuium. Φώκου ἔρανος

Dictitari consuetum, vbi quis suo malo conuiuas acciperet.

Puer glaciem. ὁ παῖς κρύσταλλον.

Dicebatur in eos, qui cum quippiam retinere non possint, nolunt tamen amittere. Zenodot.

Turdus ipse sibi malum cacat. Κίχλα χέζει αὐτῷ κακόν.

In eos, qui sibiipsis ministrant exitij causam.

Tute hoc intristi, tibi omne est exedendum.

Verba sunt Phormionis parasyti, qui, quoniam fuerit author consilij de ducenda puella, æquum esse putat, vt suo periculo rem item expediat.

Faber compedes, quos fecit, ipse gestet. *Ausonius.*

Competit in eos, qui sibiipsis authores sunt malorum. Vulgo dicunt: Flagellũ ipse parauit, quo vapularet. Er hat jhm eine Ruthe vber sein eygen Rucken gebunden.

Ipse sibi mali fontem reperit. αὐτὸς εὗρε τὴν κακοῦ πηγήν.

Hoc est: Ipse sibi malorum author & causa est.

Bos aduersus seipsum puluerem mouet. βοῦς ἐφ' ἑαυτῷ κονίεται.

Vbi quis ad suum ipsius malum volens lubensque ducitur. Nam boues facile se præbent vinciendos.

Echinus partum differt. Ἐχῖνος τὸν τόκον ἀναβάλλει.

De ijs, qui procrastinent quippiam suo malo.

Nostris ipsorum alis capimur. τοῖς αὐτῶν πτεροῖς ἁλισκόμεθα. *Athenæus.*

Conuenit in eos qui ipsi præbent occasionem sui mali.

Capra contra sese cornua. ἡ αἲξ κατ' ἑαυτῆς τὰ κέρατα.

Ab apologo natum. Capra quæpiam, cum esset iaculo vulnerata, circumspectans vnde nam id mali sibi aduenisset, arcum contemplans caprinis cornibus compactum, dixit ad hunc modum: In meam ipsius perniciẽ produxi cornua.

Carpathius leporem. ὁ Καρπάθιος τὸν λαγών.

Dicebatur in eos, qui sibi rem noxiam accerserent. Aristoteles.

Calidam Veruti partem. τὸ θερμὸν τοῦ ὀβελοῦ.

Subaudiendum arripuit. Vbi quis per imperitiam negotij ea parte rem aggreditur, qua minime tutum fuerat aggredi.

Cornix scorpium. κορώνη τὸν σκορπίον.

Subaudiendum, rapuit. Quadrat in hos, qui parant eos lædere, vnde tantundem mali sint vicissim accepturi.

Cornutam bestiam petis. *Plautus.*

Que illum lacessit, qui paratus sit retaliare iniuriam.

Cicadam ala corripuisti. τέττιγα πτεροῦ συνείληφας.

Cicadæ si presseris alas, vehementius etiam perstrepit: ita ne quis hominem poetam sibi faciat inimicum. Horat. Genus irritabile vatum, dixit.

Irritare crabrones. τὰς σφῆκας ἐρεθίζειν.

Id dictum est a Poeta in maledicorum ingenium: quibus iratis si repugnes, magis prouoces.

Octipedem excitas. ὀκτάπουν ἀνεγείρεις.

Nimirum scorpium, quem non nisi tuo periculo suscites.

Anagyrum commoues. Ἀνάγυρον κινεῖς.

In eos, qui sibiipsis malorum authores essent. Aristophan.

Suem irritat. ὗν ὀρίνει.

In auidum rixarum dicebatur. Sus enim agrestis prouocatus recta petit eum, a quo prouocatus est.

Leonem stimulas. τὸν λέοντα νύττεις.

Id est. Leonem pungis seu vellicas. De his qui potentem ac ferocem in suum ipsorum exitium prouocant.

Ipsa olera olla legit. *Catullus.*

In eos quadrabit, qui suum ipsorum vitium in aliud quippiam reijciunt: aut, qui sic ad scelus aliquod, quasi facti sunt, vt non possint non peccare.

Fontibus apros. Floribus Austrum.

Vbi quis optat nocitura. Virgilius.

Eheu quid volui misero mihi! floribus Austrum
Perditus, & liquidis immisi fontibus apros.

Nam Auster ventus floribus inimicissimus est.

Leonem radere. λέοντα ξυρεῖν.

Dicuntur, qui feroces & præpotentes arte tractant & illudunt, magno suo periculo.

Nemo læditur nisi a seipso. *Diogen.*

Nemini fit iniuria, si eam existimet ad se non pertinere.

Arcadiam ne postules. Ἀρκαδίαν μ' αἰτεῖς. *Idem.*

Quadrat vel in magna, vel inutilia petentem. Herodotus lib. 1.

Ipsi testudines edite, qui cepistis. αὐτοὶ χελώνας ἐσθίεθ' οἵπερ εἵλετε.

Qui prehendistis, ijdem edite testudines. In eos dicitur, qui postea quam inconsulte quippiam adorti sunt, aliorum implorant auxilium, quos suo negocio admiscerent.

Oenoe charadram. Οἰνόη τὴν χαράδραν. *Hesychius.*

Dici solitum in eos, qui ipsi sibi malum accerserent.

Malum bene conditum ne moueris. μὴ κινεῖν κακὸν εὖ κείμενον.

In eos, qui sua stultitia turbas excitant. Einen schlaffenden Hond soll man nit auffwecken.

Mouere Camarinam. κινεῖν τὴν Καμάριναν.

Est sibiipsi malum accersere.

Pyraustæ interitus. Πυραύστου μόρος.

In eos dicebatur, qui sibiipsis exitium accersunt. Ait enim Zenodotus: Pyraustam insectum esse, quod lucernis aduolet, neque ita exustis alis, concidat pereatque.

Ipso cratere. αὐτῷ κρατῆρι γίνη κακά.

Dictitari solitum, de ijs, in quos recidit, quod per insidias in alios moliebantur.

Docui te vrinandi artem, & tu me vis demergere. ἐδίδαξά σε κολυμβᾶν, καὶ βυθίσαι με ζητεῖς.

In eos quadrat, qui bene facta malefactis retaliant.

Fœcem bibat, qui vinum bibit.

Qui fruitus sit optimis, eundem boni consulere debere deteriora. Aristoph. in Pluto.

Οἶνον δ' ἀπεσθίοντα καὶ τὴν τρύγα
Πίνειν συνεκπίνειν τι καὶ τὴν τρύγα.

At vbi haud grauatus bibere vinum sis: fæx item
Tibi nunc eadem est ebibenda scilicet.

Callum ducere.

Prouerbiales metaphoræ sunt: Callum ducere, & Occalescere. siquidem ad animum torquentur.

Dies adimit ægritudinem. *Terent. in Heaut.*

Quod audio vulgo dici: Diem adimere ægritudinem hominibus. Es soll jhm mitler Zeit wolu ergehen.

Malorum assuetudo. *Homerus.*

Qui malis assueuerit, ac permulta tulerit, commodius fert & aliud si quod inciderit infortunium. Ad id commode exprimendum vsurpabimus illud Homericum, sub persona Vlyssis.

Ἤδη γὰρ μάλα πολλὰ πάθον καὶ πολλὰ μόγησα
Κύμασι καὶ πολέμῳ· μετὰ καὶ τόδε τοῖσι γενέσθω.

Id est.

Iam tuli & ante mali multum, multumque laborum,
Fluctibus & bellis: age & hoc accesserit illis.

Neque enim ignari sumus.

Vbi quis ad tolerantiam præsentium incommodorum animat sese præteritorum malorum recordatione, non infestiuiter vsurpabit illud ex Odyss. υ.

Τέτλαθι δή κραδίη· καὶ κύντερον ἄλλο ποτ' ἔτλης.

Obduces

Obdures animo, & quondam grauiora tulisti,
Id amulans Virgilius inquit:

O passi grauiora: dabit Deus his quoque finem.
Durate, & vosmet rebus seruate secundis.

Nota res mala, optima. *Plautus.*
Dictum est sub persona serui, suadere conantis, ne vxorem, tametsi malam, repudiaret, aliam ducturus: propterea quod plerumque fit, vt qui commutant primum, pro malo peius accipiat, tum ignotum pro noto, insuetum pro familiari.
Scarabeo citius persuaseris. θᾶσσον ἀναπείσαις κάνθαρον.
De ijs, qui malis assueuerunt, à quibus reuocari non possunt, eo quod assuetis videantur optima.
Ignem igni ne addas. μὴ πῦρ ἐπὶ πῦρ.
Ne incendium incendio addas. Plato lib. de legibus. Vetat, ne pueri ad annum vsque vigesimum vinum bibant. Nam si vini calor accesserit ad feruorē ætatis, ignem igni suggerere videantur.
Ignis non extinguitur igni. πυρὶ οὐ σβέννυται πῦρ.
Malum malo non tollitur: ira non sedatur iracundia: sed ferocitas sedatur lenitate; maledicum patientia tollitur: iniuria beneficio vincitur.
Duobus malis resistere difficillimum.

Ἤδη ὁμοῦ πόλεμός τε δαμᾷ καὶ λοιμὸς Ἀχαιούς.

Id est:

Iam pariter subigit bellumque, & morbus Achiuos.

Si quando dicemus eundem hominem duobus, aut pluribus premi malis. Est apud Homer. Iliad. α.
Oleum camino addere.
Malo fomentum, & velut alimoniam suppeditare. Hieronym. ad Eustoch.
Vinum, & adolescentia duplex est incendium voluptatis. Quod oleum flammæ adijcimus. Germani dicunt: Du machest auss vbel aerger.
Oleo incendium restinguere. ἐλαίῳ πῦρ σβεννύειν.
Dici solitum, vbi quis admouet remedia, quæ malum magis, ac magis exacerbent.
Malum malo medicari. τὸ κακὸν κακῷ θεραπεύειν.
Est malum aliud alio malo tollere. Sophocl. Man muss boeses mit boesem vertreiben.
Morbum morbo addere.
Est conduplicare malum. Euripid.

Μή νοσοῦντί μοι νόσον
Προσβάλῃς, ἅλις γὰρ συμφορᾷ βαρύνομαι.
Ne tu mihi morbo laboranti, alterum
Appone morbum, nam sat hoc premor malo.

Lutum luto purgare. πηλῷ πηλὸν καθαίρεσθαι.
Dicitur, vbi res sordida sordibus tollitur, hoc est, quum sordes non tolluntur, sed mutantur. Vnflaetig mit vvuestom schoen machen.
Pro cæco exoculatus est. τυφλοῦ ἐξώμματωται.
Cum videmur corrigere, quod dictum est, sed altero verbo, quod vel idem polleat, vel magis etiam lædat, veluti si quis dicat: Non furatus est sed violauit. Aristoph.
Post Marathonem pugna. μετὰ τὴν μαραθῶνα μάχη.
Vbi quis post calamitatem in aliam non sine rursus incidit.
Lis litem serit. ἔρις δ' ἔριν ἀντιφυτεύει.
Id est: At lis seritur de lite vicissim. Resecanda iniuria est, nonne taleanda. Phocylid.
De fumo ad flammam rendere.
De eo, qui se à rebus dubijs in præsens exitium conijcit.
Litem parit lis, noxa item noxam parit. δίκη δίκην ἔτικτε, καὶ βλάβη βλάβην.
Senarius est, in rixosos, & litium auidos.
Fallacia alia aliam trudit. *Terent.*
Sumptum à consuetudine conantium fallere, ac dolos dolis consarcinare, ne deprehendantur.
Fumum fugiens, in ignem incidi. καπνὸν γὰρ φεύγων, εἰς τὸ πῦρ περιέπεσον. *Lucian.*
Dum vito fumum, flammam ipsam decidi. Horat.

In vitium ducit culpæ fuga si caret arte.

Euitata Charybdi, in Scyllam incidi. τὴν Χάρυβδιν ἐκφυγὼν τῇ Σκύλλῃ περιέπεσον.
Dum vito grauius malum in alterum diuersum incidi.
Ne cinerem vitans, in prunas incidas. μὴ τέφραν φεύγων, εἰς ἀνθρακιὰν πέσῃς.
Id est: Ne cinerem fugiens, in carbonariam incidas.
Cucurrit quispiam, ne pluuia madesceret, & in foueam præfocatus est.
Vbi quis leuius malum incautius fugiens, in maximum incurrit.
Nunc bene nauigaui, cum naufragium feci. νῦν εὐπλόηκα, ὅτε ναυάγηκα.
Quoties id, quod videtur incommodum, fortuna præter spem vertit in bonum.
Laqueus auxiliari videtur. ἀμύνει τοι ἔοικεν ὁ βρόχος.
Dictitari consueuit, quoties incommodum alicui verteretur in bonum.

PROPHANA EXEMPLA.

Lydos improbitatis primas retulisse, adnotatum a Græcis est, Ægyptijs, gradu secundo constitutis, Caribus autem tertio.

Λυδοὶ πονηροὶ πρῶτοι, δεύτεροι δ' Αἰγύπτιοι,
Τρίτοι δὲ πάντων Κᾶρες ἐξωλέστατοι.
Lydi improbi primi, hos secundi Ægyptij.
Tertij Cares perditissimi omnium. P.M.

Athenienses, aut optimi euadunt, aut pessimi: sicuti eorundem terra & mel saluberrimum, & cicutam producit exitiosissimam. *Plut. in Dione.*
Leriorum populus ob insignem morum improbitatem in prouerbiū abijt, *authore Strabone lib. Geograph. 10.*
Apud Athenæum Antiphanes, cum ἰχθυοπώλας fecisset omnium sceleratissimos: tamen excepit mensarios, his quoque nocentiores. *Dieg. P.M. in Adag.*
Plutarch. in vita Alcibiadis. Thucydides Peloponesiaci belli lib. 8. Aristophanes in Equitibus ostendunt, Hyperbolum fuisse hominem modis omnibus improbissimum, nec vlla re clarum aut potentem, nisi vitio linguæ. *Idem.*

HIEROGLYPHICVM.

Coturnix auis in olis, vbi libenter habitat, locis, si quem limpidulæ aquæ fontem adinuenerit, simul ac biberit, aquam reliquam rostro pedibusque corrumpere, lutosamq. reddere, puluere etiam in eam ingesto, nititur: ne cuipiam alteri animali ad potum appetatur. Quæ quidem maligna, improba, inuidiaque *Coturnicis* natura Aegyptijs argumentum dedit, vt malignum hominem per eius hieroglyphicum notarent. *Pier. Val. lib. 24.*

FABVLA.

Canis, & Ouis.

Postulabat in iudicio canis ouem debiti, quod repeteret mutuum modiorum trium frumenti: testimonium dicebat lupus, miluus, accipiter. Victa ouis, & condemnata, sola enim erat, & planum fecerat testibus, deberi sibi frumentum canis, quamuis non deberet coacta iudicatum soluere, ante tempus tonsuræ vendidisse lanas dicitur, quarum precio frumentum mercaretur, & cani satisfaceret.
Fabula docet, a malitia potentiorum nullius innocentiam tutā esse.

Vide Tit. Impietas.

MANDATVM.

LOCI BIBLICI.

Mandatum magnum seu primum quod, *Matth. 22.37.38 Marc. 12.29.30.* Mandatum nouum, *Ioan. 13.34.1. Ioan. 1. 8.* Mandatum vetus, *v. 7. 2. Ioan. v. 5.* Mandatum carnale, pro externis cæremonijs, *Hebr. 7.16.* Mandata Legis, *Exod. 20.1. &c. Deut. 5.6. Matth. 19.18. Marc. 10.19 Luc. 16.28.* obseruanda sunt. *Exod. 24.3. Deut. 6.1. & 8.1. & 11.1. 1. Samuel. 15.22. Matth. 19.17. Luc. 10.28. 1. Cor. 17.19. 1. Ioan 2.4. & 3.23. & 5. 3.* Mandata Dei citra eius gratiam præstari non possunt, *Ezech. 36.27.* Mandata Dei ob traditiones humanas transgredi non licet, *Matth. 15.3.* Mandatum Dei irritum fecisse dicuntur impij. *v. 6.* quod ad ipsorum conatus attinet. Nam quod ad rem ipsam spectat, inuito Satana, & ipsius organis frustra laborantibus, stant Dei præcepta. Mandata seruat, qui diligit. *Ioan. 14. 15. 23.* Mandata seruantibus benedictio, *Leuit. 26. Deut. 28.1. &c.* Mandatis hominum aduersantium Deo non attendendum. *Act. 4. 19. Tit. 1.14.*

SENTENTIAE PATRVM.

Si quid vel addas, vel detrahas, præuaricatio videtur esse quædam mandati. Simplex enim & pura mandati forma tenenda est, vel testimonij series intimanda. Nihil igitur, quod bonum videtur addendum est. *Aug. in lib. de Parad.*
Si quis vnum mandatum custodiat, & aliud præuaricatur, nihil ei prodest. *Ibid.*
Tu qui veram requiem, quæ post hanc vitam Christianis promittitur, quæris etiam hic eam inter amarissimas vitę huius molestias, suauem iucundamque gustabis: si eius, qui eam promisit, præcepta dilexeris. *August.*
Non est amicus recti, quando si fieri posset, mallet id, quod rectum est, non iuberi *super Psal. 66.*
Non ideo putes aliqua contemnenda esse mandata, quia leuiora sunt: tam enim maxima illa, quam minima imperata sunt, & contemptus cuiuscumque præcepti præcipientis iniuria est. In quouis proposito, in quouis gradu, æquale peccatum est, vel prohibita admittere, vel iussa non facere. *Hier. in epist.*
Iussa sine culpa non negliguntur, & sine crimine non contemnuntur. *Bern de precept. & disp.*

Contem-

Contemptus in omni specie mandatorum pari pondere grauis, & communiter damnabilis est: neglectus autem in fixis grauior, tolerabilior in mobilibus mandatis, *ibid.*

Siue Deus, siue homo vicarius Dei, mādatum quodcunque tradiderit, pari profecto obsequendum est cura, pari reuerentia deferendum, vbi tamen Deo contraria non præcepit homo. *Ibid.*

Sunt mandata, quæ duris atque carnalibus imponuntur animis ex lege vitæ & disciplinæ: & sunt olea dispensationis, quæ infirmis & pusillis corde misericordiæ apponuntur, & sunt consiliorum solida fortiaque, quæ ex intimis sapientiæ proponuntur sanis. *Bern. super Cant.*

Prælati iussio vel prohibitio non prætereat terminos professionis, nec vltra extendi, nec contrahi citra debet. Nil me prælatus prohibeat horum, quæ promisi, nec plus exigat, quam promisi. *de præc. & disp.*

Mādata Moysis in actu facilia sunt: vt, nō occidas: & ideo in remuneratione modica, & in peccato magna, sed mandata Christi, vt non irascaris, in actu difficilia: & ideo in remuneratione magna, & in peccato minima. *Chrysost. super Matth. 6.*

Merito dedit præceptum, qui præmisit exemplum. *Cassiodor. super Psalm.*

Nihil arduum humilibus, nihil asperum mitibus, & facile omnia præcepta veniunt in effectum, quādo & gratia præcedit auxiliū, & obediētia mollit imperium, nec dura ibi necessitate seruitur, vbi diligitur, quod iubetur. *Leo Papa in apparitione Domini.*

Sententiæ Poeticæ.

Mandata Dei Anthol. Sac. Iac. Billij.

Non ideo quidquam mandat Deus, vt sibi prosit,
Nec seruis officio verus eget Dominus,
Cuius præceptis augetur qui famulatur,
Fitque minor, quisquis negligit imperium.
Nam Deus omnipotens, simul omni tenensq́; potestas,
Nil perdit proprium, nil habet accidnum.
Nunquam non habuit, quod habet, dans quidquid haberi
Proderit, & sumens, non nisi quod dederit.

Exempla biblica.

Mandatis impijs & inhonestis non esse parendum, *Exempla:* Obstetrices Ægyptiacæ, *Exod.* 1.17. Serui Saul, 1. *Sam* 22.17. Socij Danielis, *Dan.* 3 18. Daniel, 6.10.11. multi Israelitæ, 1. *Machab.* 1.65. Mathathias cum filijs, &c. 1. *Machab.* 2. *v.* 19. septem fratres & mater eorum, 2. *Machab.* 7. 2. *&c.* Petrus & Ioannes, *Act.* 4.18.19. 33. Apostoli. 5.28.29.40.41.

Mandatis impijs & inhonestis parentium exempla: Satellites & nūcij Sauli, 1. *Sam.* 19.11.15.16. Doeg. Idumæus, 22.18. Subditi Nabuchodonosor, *Danielis*, 3.4. quidam Iudæi. 1. *Machab.* 1.45. & 2. *v.* 16, 23.

MANSVETVDO.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

MAnsuetudo. Græce, πραότης, ἦθος ὀργῆς μέσος ... mansuetudo, mediocritas circa iram. *secund. Arist. lib. 4. Ethic.*

Hebr. *Hanauah*, à nomine primitiuo *Hanau*, mansuetus, mitis, lenis, modestus. Cognationem habet arctissimam cum verbo *Hanah*. considerauit mente tenus. Vnde *Hani*, miser, pauper. nam mansuetus is dicitur, qui multis ærumnis & miserijs exercitatus, considerat & cognoscit seipsum. Hinc Græc. ἥσυχος, ἤπιος, ἐπιεικής, πρᾶος, mansuetus, lenis, & ἐπιείκεια, πραότης, mansuetudo.

Mansuetudo est depressio atque sedatio iræ. *secundum eundem lib.* 2. & 2. *Rhetor.*

Mansuetæ feræ dicuntur cicures. Nam cicurare antiqui dicebant mansuefacere, *secundum M. Varronem*. Et quidquid a fero discretum. Videturq́; deductum a cico. Nam cicum veteres dicebant membranam tenuem, quæ est in malo punico discrimen.

Mansuetudo quid a clementia differat, *vide supra in Clementia.*

Mansuetudo quid a fortitudine, *vide supra in Fortitudo.*

Loci Biblici.

Mansuetudo commendatur. *Iosua* 7.19. 1. *Sam.* 25.1. *&c.* 2. *Sam.* 16.10. *Prouerb.* 5.1. *Eccl.* 3.29. *Matth.* 5.4. & 11. *v.* 29. *Gal.* 5.23. & 6.1. *Eph.* 4.2. *Coloss.* 3.12. 1. *Tim.* 6.11. 2. *Tim.* 2.25. *Tit.* 3.2.

Sententiæ Biblicæ

Mansuetudo Deo placet.

Exaltauit mansuetos in salutem. *Psal.* 149.

Mansuetis (Deus) dabit gratiam. *Prouerb.* 3.

Fili mi, per mansuetudinē gloriam animæ tuæ concilia, & eam honore, quem meretur, affice. *Eccl.* 10.

Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. *Matth.* 5.

Tollite iugum meum super vos, & discite a me, quia mitis sum, & humilis corde. 11.

Proximo prodest.

Mansueti autem hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis. *Psal.* 37.

Melius est humiliari cum mitibus, quam diuidere spolia cum superbis. *Prouerb.* 16.

Fili, in mansuetudine opera tua perfice, & super hominum gloriam diligeris. *Ecclesi.* 3.

Sedes ducum superborum destruxit Deus, & sedere fecit mites pro eis. 10.

Corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes. 2. *Thess.* 5.

Omnes ostendentes mansuetudinem ad omnes homines. *Tit.* 3.

Sententiæ Patrum.

Mites sunt, qui cedunt improbitatibus, & non resistunt malo, sed vincunt in bono malum. *Aug. serm. Dom. in monte.*

Mitescere est, non contradicere diuinæ Scripturę, siue intelligere, aliqua vitia nostra percuti, siue nō intelligere: quasi nos melius & verius sapere & percipere possemus. *lib. 2. de doct. Christ.*

Quum deposuero omne peccatum & eruero omnem malitiam, & simplicitate contentus fuero inops malorum, superest, vt mores temperem. Quid. n. mihi prodest carere sceleribus, nisi fuero mitis atque mansuetus? *Amb. ad Vercell. sup. Luc. l.* 5.

Beatus, qui seueritatem & mansuetudinem tenet, vt altero disciplina seruetur, altero innocentia non opprimatur. *Ambros.*

Mitis est, quem non rancor, vel ira afficit, sed omnia æquanimiter sustinet, non irritat, nec irritatur, non nocet, nec nocere cogitat. *Hier. in gl. super Matth.* 5.

Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Cęlestis Hierusalem non est bellatorum spolium, sed mansuetudine præditorum hominum sperata hæreditas. *Basil. in Psal.* 33.

Sunt quidam mites, sed quamdiu nihil dicitur, vel agitur, nisi pro eorum arbitrio: patebit autem, quam longe sint a vera mansuetudine, si leuis oriatur occasio. *Bern. super Cant.*

Regat disciplinæ rigor mansuetudinem, & mansuetudo ornet rigorem: & sic alterum commendetur ab altero, vt nec rigor sit rigidus, nec mansuetudo dissoluta. *Greg.* 19. *mor.*

Magna est virtus, si nō lædas, a quo læsus es. Magna est fortitudo, si etiam læsus remittas. Magna est gloria si cui potuisti nocere, parcas. *Isid. in solil.* 2.

Beneuolentia est bona erga aliquam voluntas, vltra quam valet, affectum suum prætendens. *Ibid.*

Benignitas est largitas rerum per compassionem. *Hugo.*

Clementia est temperantia animi in potestate vlciscendi, vel lenitas superioris aduersus inferiorem. *Idem.*

Clemens dicitur animus, quando est tener ad compatiendum, facilis ad remittendum, promptus ad subueniendum. *Ibid.*

Mansueti lætentur: non dixit, lege docti, non ieiunantes, non psallētes, sed mansueti lætentur, qui charitate præcipua habere omniū rerum temperantiam consueuerunt. *Cassiod. super Psal.* 33.

Mansuetos appellamus manu consuetos, id est, patientes & mites, qui alienas iniquitates tolerant, nec aliquem grauare præsumūt. *super Psal.* 37.

Ornamentum enim bonorum omnium est sincera benignitas, quæ nunquam est sola, quia de virtutibus cognoscitur esse generata. *In epist.*

Suntq; nonnulli ita districti, vt omnem etiam mansuetudinem benignitatis amittant: & sunt nonnulli ita mansueti, vt perdant districtiones regiminis. Vnde cunctis rectorib. vtraq; summopere sunt tenenda, vt nec in disciplinæ vigore benignitatem mansuetudinis, nec rursus in mansuetudine districtionem deserant disciplinæ, quatenus a compassione pietatis obdurescant, cum contumaces corrigunt, nec disciplinæ vigorem molliant, cum infirmorum animos consolantur. Regat ergo vigor disciplinæ mansuetudinem, & mansuetudo ornet sermone vigorem, & sic alterum commendetur ex altero, vt nec vigor sit rigidus, nec mansuetudo dissoluta. *Greg. Moral. lib.* 19. & *habetur dist.* 45. *can. Sunt namque.*

Sententiæ poeticæ.

Antholog. Sac. Iac. Billij.

De animi lenitate.

Discitur in Satana merum truculentia ludo:
Namque, quod est, aliis id docet esse Satan.
At mites nos esse docet Moderator Olympi:
Namque, quod est, alios Christus id esse docet;
Ac velut hoc lignum latices sanauit amaros,
Quod iecit vatis dextra iubente Deo:
Sic animis adhibere soles medicamen acerbis
Crux ea, qua nobis vita salusq́; fuit.

Seneca in Hercule furente, trag. 1. act. 3.

Quisquis est placide potens,
Dominusq́; vitæ seruat innocuas manus,
Et incruentum mitis imperium regit,

Animo.

Animoque parcit. longa permensus diu
Felicis aut spatia, vel cælum petit,
Vel læta felix nemoris Elysii loca.

SENTENTIÆ PHILOSOPHORVM.

Mansuetudo est constitutio animæ aduersus iræ impetum immobilis, moderata temperies animæ. *Speusippus de Platonis definitionibus.*

Mansueta natura si per multas progenies generi virili, & audaci nõ miscetur, segnior quam oportet nascitur proles, & tandem murilatur. *Idem de regno.*

Mansuetudo est motus animi vtrumque statum mundi lance pensans æquali. *Cic. de offic.*

Clementia est virtus, per quam animus concitatus in odium alicuius benignitate retinetur. *l. 2. Rhet.*

Mansuetudo est virtus animosæ partis, qua præditi ægre mouentur ad iram. *Arist. de virt. & vi.*

Hominem homini nihil aliud mansuetum & mitem reddit, quam beneuolentiæ, iustitiæ, & probitatis fides. *Plut. in Polit.*

Grauitate ac mansuetudine ad virtutem ciuilem maxime opus est. *Idem in Coriolano.*

Ea est animantium omnium natura, vt mansuetudine magis quam violentia regantur. *Diod. Sicul. l. c. 3.*

Facilius est indigentibus gratificari, quam resistendo potentiores offendere. *Plutarch. in compar. Philopæm. & Flaminij.*

APOPHTHEGMATA.

Chilon docuit, potentiam adiungendam mansuetudini, vt a suis princeps non tam metum extorqueat, quam impetret reuerentiam. Reuerentiæ comes est amor, metus odium. Amari autem non solum honestius est, verum etiam tutius. *Laert. lib. 1. c. 4.*

Archidamus, cuidam Charilaum regem laudanti, quod pariter erga cunctos fuisset mitis ac mansuetus: Et qua fronte laudetur aliquis, respondit, qui erga scelestos se mitem præbeat? Perspexit vir egregius, mansuetudinem cum iustitia coniunctam esse oportere. Alioqui principis in facinorosos lenitas, quid aliud est, quam in bonos crudelitas? *Plut. in apoph.*

Cleomenes, cum è ciuibus quispiam apud Cleomenem diceret: bonũ regem omnino erga omnes mitem & placidum esse oportere: Sed hactenus, inquit, ne sit contemptui. Significans erga improbos mansuetudinem nimiam esse inutilem ciuitati: notansque quorundam mores, qui principes vehementer bonos & clementes, cum impensius amare debuerint, habent cõtemptui. Est quidem præcipua virtus in principe comitas ac mansuetudo: verũ ob malorum ingenium hæc ita temperanda est, vt principi sua constet authoritas. *Plut. in Lacon. apoph.*

Aristoteles, Mansuetudinem describens, dicebat virtutem esse animosæ facultatis, qua præditi ægre mouentur ad iram. Mansuetudinis autem esse posse moderate ferre obiecta crimina, & contemptus, nec celeriter rapi in vltiones, nec facile moueri ad iras: sed moribus comem esse, ingenioque quieto & stabili. *Lib. de virtutibus.*

SIMILITVDINES.

D. Chrysostomi. Quemadmodum solis iubar, vt primum apparet, fugat tenebras: Ita mansuetus & benignus sua præsentia res turbulentas componit, quietasque ac tranquillas reddit. *In serm. in Oziam.*

Sicut Christus Deus & omnium Dominus, in carne diuina nobis apparens sanctosque angelos eum hominibus concordes efficit, qui quasi bello quodam a nobis diffidebant: Ita & mansuetus homo fratres & cognatos, qui inter se discordes sunt, conciliat, & reuereri leges, & præceptum fidei, abiectisque inimicitiis in gratiam mutuam redire facit. *Ibid.*

Anima mitis hominis solitudini cuidam est similis, multam habenti quietem. Iram mali hominis mens, cuidam foro & tumultui, medijsque ciuitatibus, vbi multus euntium & redeuntium strepitus, clamor animalium accedentium, aurem agasonibus multo replẽtibus sonitu, ne conculcentur, & similis facta argentarijs, ærarijs vtrinque eudentibus, & his quidem molestiam patientibus, his autem inferentibus. At mitis mens cuidam montis vertici similis est, auram quidem habenti tenuem, purum vero radium, puta fontium fluenta, multasque florum amœnitates, vernantiumque pratorum, & hortorum plantis & floribus frondentium, & aquis viridantium irriguis. Si quis autem & sonus immurmuret, dulcem & multam insperget audientibus voluptatem, velut aues enim canoræ summis arborum insidens frondibus, & cicadæ ac philomelæ, & hirundines, concentum quendam concorditer efficiunt musicum: vel zephyrus arborum foliis sensim aspirans, pinos & piceas susurrantes, & cygnos frequenter imitans: & rosæ, ac violæ, & flores se leniter inclinantes, & viridantes, quasi mare cœruleum blande fluctuans, exhibent. Quinimo multas aliquis inuenire potest imagines. Nam cum in rosis respexerit, viride se videre putabit: cum violas, pontum fluctuantem: at cum lilia, cœlum. Est alia quædam vox, cum a vertice montis aqua per riuos sponte defluens, & subiectis lapillis, quieto sono, sensim immurmurat, & ita membra resoluit per voluptates, vt statim laxa-

Polyanthea Noua.

tiuum oculis somnum ingerat. Multo iucundior est mitis viri anima. *Homil. 26. de diuersis.*

In mansuetum non hærent iacula iracundiæ, non magis quam in aqua telum non figitur: cedit enim nimium. *Homil. tom. 4.*

Theuteri. Cruentus vix ad dimidium dierum peruenit: Ac fere præmature pereunt, qui aliorum perniciem quærunt: mites autem terram possidebunt. *In apoph. l. 9.*

ADAGIA.

Mactata hostia lenior. *Horat.*
Mactata veniet lenior hostia.

De spontaneis ac mansuetis.

Auricula infima mollior.
Tullius vsurpat in Epistolis. Translata metaphora ab ea auriculæ parte, qua non est aliud in humano corpore mollius aut flexibilius.

Sedens columba. ἡ μένα πέλεια.
Suidas indicat, dici solitum de supra modum mansuetis ac simplicibus.

Spongia mollior τῆς σπογγιᾶς μαλακώτερος

Ad eandem formam dicebatur. Pepone mollior. Mitior malua. *Item,* Cinædo mollior. *Persis saltatores & pantomimos Cinædos vocabant.*

Apio mollior aut mitior. ἀπίω τοπατέρος. *Theocrit.*
Est autem Apius Græcis ranshanus aut pyrigenus.

Oleo tranquillior. *Plautus.*
In homines minime iracundos, lenique ingenio præditos. A liquoris natura sumpta.

Mitior columba. πρᾳότερος περιστερᾶς. *Diogen.*
Columbina simplicitas vbique laudatur.

Cera tractabilior κηροῦ εὐπλαστότερος.
De vehementer docili dicebatur, aut de ingenio facili, tractabilique, & in quamuis habitum sequaci. Horat.
Cereus in vitium flecti: monitoribus asper.

EXAMPLA BIBLICA.

Mansuetudinis exempla: Moyses, *Num. c. 2. vers. 13.* Assuerus, *Esth. 15. 11.* Christus *Ierem. c. 11. 19. Matth. 11. 29. & 21. v. 6. Zach. 9. v. 9. Ioan. 12. 15. 1. Cor. 4. 21. 2. Cor. 10. 1.*

HIEROGLYPHICVM.

Mansuetudinis hieroglyphicum merito est *Elephantus*, quod animal tanta est æquitate ac mansuetudine, vt crudelitatis alienæ ministerio fungi minime cogi possit. *Pier. Valer. l. 2. p. 19. F.*

Vide tit. Clementia, Benignitas, Humanitas.

MANVS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

MAnus Græce χεὶρ, ρὸς, ἡ dicitur. Hebr. *Iadh*, a verbo *Iadhah*, manauit, emanauit: quoniam manus facile protenditur. Metaphoricè pro potestate quadam peculiari sumitur, vt cum dicimus, rem aliquam in manu nostra sitam esse. Tribuitur quoque rebus inanimatis, & tunc earum latera siue promotiones significat.

Est autem manus organum organorum, quia facit omnia instrumẽta, & est loco omnium instrumentorum. *secundum B. Thom. 3. p. q. 83. ar. 5.* Dicitur autem a manando (vt quidam volunt) quod a brachijs manet, & ab ea digiti manent: estque membrum decentissimum. Manus interdum significat multitudinem. Vergil.
Hic manus ob patriam pugnando vulnera passi.
Aliquando pro potestate, Ouid.
An nescis longas regibus esse manus?

LOCI BIBLICI.

Manus commune multarum actionum instrumentum, & significat idem, quod ministerium aut ductus, per synecdochen, aut metonymiam, *vt Exodi 4. 13. & 9. 35. Nume. 4. 37. & 7. 8. & 33. 1. Leuit. 8. 36. & 10. c. 1. Ios. 22. 9. 1. Samuel. 11. vers. 7. 2. Sam. c. 4. & 12. 25. & c. 4. 19. 1. Regum 14. 18. & 16. 12. 2. Paralipom. 12. 7. & 33. 8. & 34. 14. & 35. 6. Esth. 1. 11. 15. Psalm. 77. 21. & 95. 7. Esaia 20. 2. Ierem. 39. 11. & 50. 1. Ezechiel. 38. 17. Agg. 1. 1. & 2. 1. Zachar. 7. c. 2. Malach. 1. 1. Actor. 7. 35.* Imo per catachresin tribuitur etiam bestiis, *Genes. 9. 5. Psal. 22. vers. 21. Dan. 6. 27.* sepulchro, *Psalm. 49. 16. Osee. 13. 14.* gladio, *Psalm. 36. 11. Ierem. 18. 21.* laqueo, *Psalm. 141. 9.* malo, *Abac. 2. 9.* vsurpatur præterea pro opere, *Exod. 14. v. 31.* pro adiumento. *2. Reg. c. 5. c. 9.* per metonymiam pro plaga, μετωνυμικῶς. *Iudic. 2. 15. Iob 23. 2. & 27. 11.* pro opera, & virtute. *Marc. 6. 2. Actor. 13. c. 1.* Hebraismus, pro singulari fauore, & virtute Dei, *Luc. 1. 66.* pro spiritu prophetiæ, *Ezech. 1. 3.* manus Dei esse dicitur super aliquem, cum percutit, *Iudic. 2. vers. 15.* facta esse dicitur super aliquẽ, qui Spiritu Dei, & fortitudine fit accensus, *1. Reg. 18. 46.* manus Ieroboam aruit, *13. 4.* manus non contrahenda pauperi, *Deut. 15. 7.* manus nos scandalizans abscindenda, *Matth. 5. 30.* manum Dei nemo euadit, *Deuter. 22. 39. Amos 9. 2.* manum sub

fęmore ponere, *Genes.* 24. 29. qui ritus vsitatus olim erat in iuramētis, quæ superiores a domesticis exigebant. Idem & Iosephum fecisse legimus. *Gen.* 48. 29.

Manuum expansio in precibus vsitata, *Exod.* 17. 11, 1. *Regum* 8, 22. 2. *Paral.* 6, 13, 1. *Esd.* 9. 8. manuum impositio varia in Veteri & Nouo Testamento, *Genes.* 48, 14. *Exod.* 20. 10. *Leuit.* 1. 4. & 3. 2. *Num.* 27. 23. *Daniel.* 13, 34. *Marc.* 10. 16. *Actor* 6, 6. & 7. 17. & 13. 3. & 15. 6. 1. *Timoth* 4. 14. & 5. 22. 2. *Tim.* 1. *v.* 6. manuum impositio, pro ad ministerium Ecclesiasticum ordinatione, 1 *Timoth* 5. 22. manuum impositionis vsus, 4. 14. 2 *Timoth.* 1. 6. formula, (*Actor.* 6. 6.) sicut & ritus ipse, qui per eam significatur, ab Hebræis fluxit, qui hac cęremonia solebant vti, partim in precibus & benedictionibus priuatis, *Genes.* 48. 14. partim etiam in publicis & solennibus victimarum consecrationibus, *Leuit.* 1. 4 *&c.* quem ritum deinde seruauit Ecclesia Christiana, tum in ministris ordinandis, & constituendis, *Actor.* 6, 6. 1. *Tim.* 5, 22. tum in conferendis Spiritus sancti donis, *Act.* 8. 16, 1. *Tim.* 4, 14. tum etiam in faustis precationibus, *Matth.* 19. 13.

Manuum impositionis exempla: Iacob super caput Ephraim & Manasse, *Genes.* 38. *v.* 14. Moyses Iosuæ, *Deut.* 34. 6. Christus infantibus, *Matt.* 19, 13. ægrotis, *Marc.* 10. 19. & 6, 5. & 8. 23. *Luc.* 4. 40. Apostoli septem Diaconis & fidelibus, *Actor.* 6. 6. & 8. 17. & 13. 3. Saulo & Barnabæ, 13. 3. Paulus duodecim viris, 19. 5. Publij patri, 28, 8. Ananias Saulo. 9. *v.* 12. 17.

Manus super ægrotos imponendæ, *Marc.* 16. 18. exempla; Christus, 6. 5. Paulus, *Actorum* 28. 8. Manuum impositio, pro visibilibus spiritus Sancti gratijs communicandis, exempla: Apostoli, *Actorum* 8, 17. & 19. 5. manuum lotio Pharisæis frequens, manuum ablutio olim expiationis causa in vsu fuit, *Deuteronom.* 21, 6. *Matthæi* 27. 24. manus lauare ante cibum, 15. 2. non lauat Christus, *Luc.* 11. 38. manus tendere ad cœlum, agnoscendo peccatum, & orando, *Exodi* 9. 29. & 17. 11. 1. *Regum* 8. 38. manuum nostrarum opera fructificare facit Deus obedientibus sibi, *Deuter.* 30. 9. manuum impositione replentur spiritu Sancto Christiani, *Actor.* 19. *v.* 6. 1. *Timoth.* 4. *v.* 14. repletur Spiritu Iosue, *Deut.* 34. *v.* 9. sanat Christus, *Luca* 4. *v.* 40.

Manus Dei, quatenus erga suos benignus & clemens, consideratur. 2. quatenus fortis, iudex & vindex apparet 3. Manus Dei iurantis. 4. Manus Dei Patris, Filii, spiritus Sancti. 5. Manus mysticæ sponsi & sponsæ, in cantico Salomonis. 6. Manus sanctorum Angelorum. 7. Manus Satanæ in Iobi historia. Harum locutionum probationes occurrunt frequenter in sacris literis.

ADAGIA.

Manu fingere.

Est arte curaque formare. Metaphora sumpta ab iis, qui e terra siue argilla fingunt imagines.

Manum admouere, τὴν χεῖρα ἐπιβάλλειν.

Dicebantur, qui sese insinuarent in rem cuiuspiam egregie communionem.

Manum de tabula.

Si quando admonebimus, vt recedat aliquis ab opere negotioue, quod in manibus habet, iubebimus illum manum de tabula tollere.

Manum non verterim.

Pro eo, quod est, nihil omnino laborem, aut non nihil referre. Nihil enim facilius quam manum vertere.

Manum ad os apponere.

Hoc gestu significamus nos scire quippiam, quod tamen nolumus effari.

Manum habere sub pallio.

Dicuntur, qui languent otio. Sumptum a gestu Rhetorum: nam qui languent, manum occultant sub pallio, qui commoti sunt, proferunt.

In sinu manum habere.

Theocritus dixit tenaces, & ad largiendum pigros manum in sinu habere sic enim in Charitibus.

> Νεικείουσι δ' ὑπὸ κερδέων.
> Πᾶς δ' ὑπὸ κόλπω χεῖρας ἔχων πόθεν οἴσεται ἀθρεῖ
> Ἄργυρον.
> *Lucrique cupidine victus.*
> *Inque sinu vnusquisque manus habet illud & vnum*
> *Spectat, qua ratione sibi aucta pecunia crescat.*

Manus manum fricat, vel lauat. χεὶρ χεῖρα νίπτει.

Monet, neminem ferme mortalium inueniri, qui velit in quempiam beneficium collocare, a quo non speret aliquod emolumentum vicissim ad se rediturum. Nam mutua commoditas est, quoties vel fricat, vel abluit manus manum.

Manu ferendum, non thylaco.

Modus in omni re seruandus. Ab agricolis ductum, qui quum serunt, non simul effundunt ipsa vasa sed manu rara spargunt semina.

Multæ manus onus leuius reddunt.

Significatur, etiam difficilia facile confici, si quis non ipse solus negotium aggrediatur, sed in plures adiutores & auxiliares partiatur. Sumptum a tollendis oneribus.

MARE.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

MAre, Græce θάλασσα, ης, ἡ. & θάλαττα, ης, ἡ. marinus dicitur. Quod autem mare fluat & refluat, est ex motu lunæ, cui aqua naturaliter subditur, *secundum. S. Thom. in prima parte, quæst.* 105. *art.* 6.

Iam, Hebr. mare, Cognationem habet cum *Amam*, propagauit liberos, vt matres solent parere sobolem: & cum *Hamam*, tumultuatus est: item cum nomine *Majim*, aquæ. Nam mare pisces innumeros procreat, & ex eodem inquieto atque tumultuoso omnia flumina deriuantur. & Deus ipse collectionem aquarum vocauit mare. Vide Etymologic. trilingue, *pag.* 459. & 460.

LOCI BIBLICI.

Mare creatur, *Genesis* 1. 9. concluditur suis terminis, *ibidem. Iob* 26. 10. & 28. 6. *Prouerbior.* 8. 29. *Ieremia* 5. 21. cedit Israelitis, *Exod.* 14. 4. sedatur verbis Christi, *Matthæi* 8. 26. Mare pro lacu, Hebraismus, 4. 18. Galilææ *Ioan* 6. 1. Mare æneum fabricatur, 2. *Paralip.* 4. 2. Mare Dei imperio paret, *Iob* 38. 8. *Psalm.* 89. 10. Mare vitreum. *Apocalyp.* 15. 2. Mare vltra fines a Deo positos non transilit, *Psal.* 104. 9.

Maria, aquæ Dei verbo in vnum collectæ, appellantur, *Gen.* 1. 10.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Nullum aquæ corpus situm confertim esse videtur, quemadmodum etiam aliorum elementorum, præter maris magnitudinem. *lib.* 2. *Meteor. c.* 2.

Mare in partes diuisum cito putrescit, & corrumpitur: vniuersum non item. *lib.* 4. *Meteor. c.* 1. *T.* 13.

Mare, quoniam sapore & ariditate præditum est, odorem habet. *lib. de sens. c.* 5.

Fieri non potest, vt maris alia origo & (vt ita dicam) scaturigo sit, præsertim cum nec profluens sit, nec opere industriaque hominum effectum, *lib.* 2. *Meteor. c.* 1.

Mare nil memorabile producit *Plat. in Phædone.*

Mare Atlanticum terræmotibus, ac diluuijs ingentibus innauigabile redactum est, submersa in mari insula Atlantis. *Idem in Timæo.*

Nihil tam capax fortuitorum quam mare. *Tacit. Annal. li.* 14.

MARTYRIVM.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

MArtyrium, Græca dictio est. Nam μαρτύριον, ου, τὸ, testimonium significat, & μάρτυς, υρος, ὁ. testis. Heb. *Hedh*, testis, a verbo *Huib*, testatus est, testificatus est, contestatus est, testimonium dedit. Cognationem habet cum *Iadah*, nouit, sciuit, & cũ *Iaidhadh*, condixit: nam quod scimus testamur, & condictio est attestatio mentis. Martyrũ Euangelii felicitas, 1. *Pet.* 14. *Apoc.* 14. 15. *Mat.* 5.

Dicitur autem martyrium actus virtutis quadruplicis, scilicet fortitudinis, vt elicientis principaliter, patientiæ vero, vt elicientis cõsequenter, & charitatis, vt imperantis; & fidei, vt finis. *ex B. Tho. secund. Secund. q.* 124. *art.* 1. *c.* 1. & 2.

Martyrium est actus maximæ perfectionis, non quidem secundum se, sed vt imperatur a charitate, & vt eam ostendit. *Vt ibi. Ar.* 3.

Mors est de ratione martyrij. *Vt ibid. art.* 4.

PATRVM SENTENTIÆ.

Ecclesia in omni loco ob eam, quam habet erga Deum dilectionẽ, multitudinem martyrum in omni tempore præmittit ad Patrem. *Iren. lib.* 4. *c.* 63.

Quærunt aduersarii, cur, quum nos persequuntur homines, nihil nobis adferatur auxilii? Equidem quod ad nos attinet, nulla nobis fit iniuria, cum dissoluamur ituri ad Dominum, vt veluti ætatis, vitæ subeuntes mutationem. Si autem sapuerimus, ijs gratias habuerimus, qui nobis præbuerint occasionem celeris migrationis, si testimonium feramus propter dilectionem. *Clem. Alex. Strom. l.* 4.

Et si corpus includitur, & si caro detinetur in carcere, omnia spiritui patent. Vagare spiritu, spatiare spiritu, non stadia opaca, aut porticus longas proponens tibi, sed illam viam, quæ ad Deum ducit. Quotiens eam deambulaueris, totiens in carcere non eris. Nihil crus sentit in neruo, quum animus in cœlo est. Totum hominẽ animus circumfert, & quo velit, transfert. Vbi autem erit cor tuum, illic erit & thesaurus tuus. Ibi ergo sit cor nostrum, vbi volumus habere thesaurum. *Tertull. l. ad martyr.*

Marty-

Martyres non faciunt Euangelium, sed per Euangelium fiunt. *Cyprian. lib. 5. e. 4.*

Martyrium est delictorum finis, periculi terminus, dux salutis, iter patientiæ magister domus vitæ: quo perfecto ea etiam accendunt, quæ in futuro discrimine potuissent tormenta reputari. *Idem*: Est profectò labor lætus, per quē securitas inuenitur. *Idem*: Magna sublimitas, ante ora Domini aspectumque Christi potestatis humanæ tormenta contemnere. *lib. de laude martyr.*

Patria martyrum Dei ciuitas est, cuius author atque conditor ipse Deus, communis eius pater Deus, frater omnes non ab vno, & ab vno descendentes, sed ex adoptione spiritus in vnam concordiam inter se per charitatem conuenientes. *Basil. serm. in 40. mart.*

Lex nostra hoc sancit, vt vrgente quidem tempore pro veritate periculum adeamus, nec pietatem per ignauiam prodamus: quādiu autem licet pericula ipsa ne prouocemus: siue animarum nostrarum metu, siue vt iis consulatur, qui periculum nobis inferunt. *Nazianz. orat.* 10.

Dubium non est, quod in martyribus Christus occiditur, & in ijs, qui pro fide patiuntur aut mortem, aut vincula, aut verbera. Christi passiones sunt, vt & vita eius in corpore eorum palam fiat. Passiones enim sunt quæ ostendunt introitum ad futuram vitam, quam promisit Christus. *Ambros. in 4. c. 2. ad Corinth.*

Disputando & scribendo monstrauimus, hæreticos non posse habere martyrum mortem, quia Christianorum non habent vitam: cum martyrem non faciat pœna, sed causa. *Augustin. epist. 61. & 166.*

Non ex passione certa est iustitia, sed ex iustitia passio gloriosa est. *Idem lib. 1. contra Parmen.*

Laus Martyrii est in causæ bonitate, non in pęnæ acerbitatem. *Idem in Psal. 68.*

Et si fratres pro fratribus morimur, nullus tamen sanguis martyris in peccatorum remissionem funditur, quod fecit Christus pro nobis: neque in hoc, quod imitaremur, sed quod gratularemur, cōtulit nobis. *Idem tract. 84. in Ioan.*

Non constituimus martyribus templa & sacerdotia: quoniam non ipsi, sed Deus eorum nobis est Deus. *Augustinus 8. de ciuitate Dei.*

Sicut solus filius Dei factus est filius hominis, vt nos secum filios Dei faceret: ita solus pro nobis suscepit sine malis meritis pœnā, vt nos per ipsum sine bonis meritis consequeremur indebitam gratiam. *Idem lib. 4. ad Bonif.*

Deus permittit iustos occidi ad probationem pietatis. *Chrysost. in Psal. 95.*

Mori a persequente martyrium in aperto opere est: ferre vero contumelias, & odientem diligere, martyrium est in occulta cogitatione. *Greg. in hom.*

Si adiuuante nos Domino virtutem patientiæ seruare contendimus, & in pace Ecclesiæ viuimus, martyrii palmam tenemus. *Homil. 35.*

Sancti martyres præsentem vitam non despexissent, nisi certiorem animarum vitam subsequi scirent. *Dial. l. 4.*

Non sine ferro & sanguine martyres esse possumus, si patientiam veraciter in animo custodimus. *ibid.*

Quamuis occasio superstitioni deest, habet tamen, & pax nostra martyrium suum: quia & si carnis colla ferro non subdimus, spirituali tamen gladio desideria in mente trucidamus. *Homil. 3. super Euangel.*

Duo sunt quippe martyrii genera: vnum in publico, aliud in mente, simul & in actione. Itaque esse martyres possumus, etiamsi nullo ferro percussi trucidemur. *ibidem in homil.*

Quod martyrium grauius est, quam inter epulas esurire, inter vestes multas pretiosas algere, paupertate premi inter diuitias, quas offert mundus, quas ostentat malignus, quas desiderat noster appetitus? Propterea pauperibus, & pariter martyribus regnum cœlorum promittitur, quia paupertate quodam emitur: sed in passione pro Christo, absque dilatione percipitur. *Bern. in serm.*

Non superbi vel arrogantes, sed humiles potius, qui de se præsumere nesciunt, martyrio idonei sunt. *Idem sermone 47. in Cantic.*

Egestas bene tolerata propter Christum, facit martyrium. *Chrysostom.*

In præliis sensilibus, qui potior est ad occasionem, probior est, & hostibus terribilior, quamuis eum res non possit suscitare post mortem: quanto magis hic, vbi tanta spes resurrectionis est? *super Matth. 11.*

Fortissimus Abraham, sed beatus Laurentius fortior fortissimo. Audiamus, qualiter Abraham sua dimisit, & Laurentius sua dispersit, & dedit pauperibus Abraham filium suum Deo obtulit: Laurentius seipsum pro filio Dei: hic ignem parat, colligat filium, gladium euaginat: sed Angelum audit prohibentem ne perficiat: ille ad ignem positus Christum prædicat, carnifices vero vrgentes carbones ministrando verbis non asperat: efficitur caustum Domino, id est, totum incensum intus igne charitatis, exterius vero flamma tribulationis: hic quia obediens efficitur, filium recipit incolumem: ille, qui perseuerat in tormentis, a Dei filio recipitur ad salutem. *Hugo de claustro animæ.*

SIMILITVDINES.

Chrysostomi. Sicut vngues, quum summitatem vestiunt digitorum, quamdiu præcidantur, dolorem faciunt corpori: quum vero præcise fuerint, nullus sensus corporis inuenitur in eis, sed ex ipsa natura alteræ nouæ procedunt, vt nullum videatur natura sustinuisse dispendium: Sic corpus, donec cæditur, sentit anima: quum autem occisum fuerit, nullus sensus aut dolor animæ inuenitur in corpore illo, sed iterum super animam in tempore oportuno gloriosius illud rerexet corpus, vt nullum detrimentum videatur anima perpessa, sed augmentata. *In 10. Matth. Homilia 25.*

Sicut vestimentum super homines positum, si quis furibundus scindat, illatorem quidem iniuriæ sentit homo, damnum autem non patitur in natura: Sic corpus super animam positum, si occidatur ab impijs, anima quidem occisionis eius sentit dolorem, damnum autem suæ naturæ non patitur. *In cap. 10. Homilia 25.*

Sicut milites vulnera, quæ in præliis sibi inflicta regi monstrantes fidenter loquuntur: Ita & illi manibus abscissa capita gestantes, & in medium afferentes, quæque voluerint, apud regem cœlorum impetrare possunt. *In sermon. in Iuuentinum, & Maximum.*

Cyprian. Cum sit sublime excelsumque martyrium, nunc magis est necessarium, quo mundus ipse subuertitur, partimque orbe concusso, natura deficiens vltimus exitus monumenta testatur. Nam & cum cœlo imber incumbit, pluuias & triste prætendit: quoties atra tempestas horrenō imminet pelago, per intempestam fluminum noctem coruscantium fulmina relucescunt: sed, & quum magnis mare fluctibus voluitur, paulatim vnda se tollit, paulatimque æquor albescit, donec certa se postmodum ruere, vt in illis, quibus retunditur saxis spumam altius iaciat, quam vndam tumidum pelagus expuebat: Sic quum sublime excelsumque sit martyrium, nunc magis est necessarium, quo mundus ipse subuertitur. *De laude martyrij.*

Mors quippe integriorem facit, Mors magis deducit ad gloriam: Sic quoties cunque Istenria: stipulis distenta imbribus frumenta turgescant, fœcundæ messes colliguntur æstate: sic quoties ferro vitis abscinditur, erumpentibus pampinis, melius vua vestitur. Nam in augmentum prouenturi temporis quicquid iniuria sue proficit, flammas quippe plerumque agris iubet immittere, quo calore vagantis incendii cœcæ terræ spiramenta laxare iubet stipulas, crepitanti igni torrere, vt se in altius grauida seges tolleret, parturientibus culmis densior arista floreret. Igitur talis, & martyrii primo esus, postmodum fructus est, qui morte vitam condemnat, vt morte vitam custodiat. *De laude martyrii.*

Sanguini nostro patet cœlum, sanguini gehennæ cœli tabernaculum, Et infernus omnium gloria pulchrior, & integrior corona signatum fit, quoties de hoste triumphabilis spoliis onustus ingreditur miles, vulneribus suis gaudens: Sic quoties tempestatibus diu nauta fatigatus littora tuta contigerit, felicitatem suam depresso periculo ducit. *De laude martyrii.*

Neque idoneus potest esse miles ad bellum, qui non excitatus in campo prius fuerit. At qui agonisticam coronam quærit adipisci, in stadio non coronabitur, nisi vsum peritiam virium ante meditetur. Sic fidelis Christi seruus, nisi variis modis in persecutione exerceatur, ac fidei suæ incrementa in eo metiatur, qui omnis boni author est difficulter Christi martyr esse poterit. *De exhortatione martyrij ad Fortunatum.*

Successit hiemi verna temperies rosis læta, & floribus coronata: sed vobis rosæ & flores de paradisi delicijs aderant, & caput vestrum serta cœlestia coronabant. AEstas ecce messium fertilitate fœcunda est, & area frugibus plena est: sed vos, qui gloriam seminastis, frugem gloriæ metitis. Atque in Domini area constituti, cauri paleas inextinguibili igne conspicitis ipsi, vt tritici grana purgata, & frumenta pretiosa iam probati & conditi, hospitium carceris horreum computatis. Nec deest autumno ad munera fungenda, temporis grata spiritualis Vindemia, foris premitur, & profutura poculis in torcularibus vua calcatur. Vos de Domini vinea pingues racemi, & iam maturis fructibus botri pressuræ sæcularis infestatione calcati, torcular nostrum sentitis. Vini vice sanguinem funditis: ad passionis tolerantiam fortes martyrii poculum libenter bauritis: Sic apud seruum Dei annus euoluitur: sic spiritualibus meritis, & cœlestibus præmiis agon vnus, sed multiplici præliorum numerositate congestus. *lib. 2. epist. 4.*

HIEROGLYPHICON.

Lapillus preciosus Sardius sanguinei coloris, Christi martyres hieroglyphice significat. Ac pie prorsus impio præsidi sancta

virgo & martyr Agnes respondit, sanguis Christi sponsi mei tinxit genas meas, *Collectan. Hieroglyphic. lib. 4.*

MATHESIS.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

Mathesis, *μάθησις*, vel Mathema, *Μάθημα*, disciplina, a *μανθάνω* quod est disco, & doceo, significat. Mathemata dicuntur artes quæ firmis demonstrationibus constat. Harum periti mathematici appellantur, qui Geometriam, Musicam, Arithmeticam, & Astronomiam callent. Chaldæi qui temporis successu Astronomiam in Astrologiam diuinatricem conuerterunt, Mathematici tandem sunt nominati, atque tota illorum professio infamis habita est.

Falso illi in quinque distincta genera diuinationem suam Astrologicam diuiserunt: quorum vno conuersiones annuas & mensuras altero mutationes aeris, tertio, electiones, quarto prædictiones ex natiuitate: vltimo responsiones ad omnia quæsita, pertractâ, explanatione longa iudiciorum Astrologicorum, & canonum multiplicium, egressi limites physicos, vel superstitione, quæ fusa per gentes mentes mortalium oppresserat, imbecillitatem hominum occuparat: aut ambitione, vel spe quæstus.

SENTENTIAE POETICAE.

Ouid. Fast. 1.

Felices animæ, quibus hæc cognoscere primis,
Inque domus superas scandere cura fuit.
Credibile est, illos pariter vitiisque locisque.
Altius humanis exeruisse caput.
Non Venus & vinum sublimia pectora fregit
Officiumque fori militiaeue labor.
Nec leuis ambitio, perfusaque gloria fuco
Magnarumque fames sollicitauit opum.
Admouere oculis distantia sydera nostris,
Ætheraque ingenio supposuere suo.
Sic petitur cælum, non vt ferat Ossan Olympus,
Summaque Peliacus sydera tangat apex.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Mathematica sapientes non facit, quare veteribus puerorum studiũ fuit: imo qui ei soli totum se tradit, occasiones errorum in philosophia maximas parit, *Ioan. Pic. Mirand. in Astrologiam. lib. 12. cap. 2.*

Mathematicæ appellantur scientiæ ob consuetudinem, verum indigent alio nomine euidentiore, quam opinionis, obscuriore, quã scientiæ. *Plato de Repub. dial. 7.*

Mathematica doctrina est præparatio quędam, veluti in imaginibus exercentibus animam ad per se intuitiuam exemplaris attingentiam. *In 12. Metaph. c. 7.*

Mathematicarum consideratio est prælodium ad diuinorum contẽplationem. *Alc. c. 7.*

Mathematicarum intelligibilia, vt plurimum non sunt intenta a natura, & ideo tractatur in eis de infinito, & eorum intelligibilia sunt omnino imperfecta, cum non in propriis suis subiectis deprehendantur, sed imaginatione quadam & fictione concipiantur. *Auerr. in Plat. Rempub. tract. 2.*

Mathematica non sese contingunt, sed duo extrema reuertuntur in vnum, & sic assimilantur continuo. *Arist. lib. 6. Metaphys. c. 1 text. 2*

Mathematica non sunt substantiæ rerum, sed sunt accidentia superuenientia substantiis. *S. Thomas 3. Metaphysicorum, lib. 13. text. 18.*

Mathematica, vt non sunt præter sensibilia, sic nec species rerum separatæ sunt præter Mathematica, & sensibilia. *Idem 3. Metaphys. lib. 14. tex 10.*

Mathematici, seu astrologi iudicii, genus hominum potentibus infidum, spectantibus fallax, quod Romæ & vetabitur semper & retinebitur. *Tacit. hist. lib. 1.*

APOPHTHEGMATA.

Aristippus cum ciuibus suis nauigans, naufragio eiectus in littore maris vidit figuras Mathematicas in arena depictas. Salua, inquit, res est, hominum vestigia conspicio. Volens ostendere vir sapientissimus, eos demum esse homines, qui cognitione diuersarũ artium a cæteris animalibus differrent. *Vitruuius lib. 6. de Architectura, & P. M. lib. 3. apoph.*

Diogenes reprehendebat Mathematicos, quod solem, lunam & stellas intuerentur, ea autem non viderent, quæ essent ante pedes, *Laert. lib. 6. apoph.*

Ariston eos, qui encyclopædiæ & mathematicis disciplinis vacarẽt, neglecta philosophia, similes dicebat esse procis Penelopes, qui cum ipsa potiri non possent, ancillis miscebantur. *Stob. serm. 2. de Impudentia.*

Hadrianum Romanorum Imperatorem ferunt ex Matheseos peritia præsciuisse futura ac Varum non fore longæuum dixisse ex Virgiliano carmine:

Ostendent terris hunc tantum fata, neque vltra,
Esse sinent, &c.

Dion. Cassius.

SIMILITVDO.

Clementis. Sicut fieri solet, vbi somnia aliqua viderint homines, & nihil certi intelligunt, cum aliquis occurrerit exitus rerum, tunc ad ea, quæ acciderint, aptant etiam somnii visum: Ita est & Mathesis, antequam aliquid fiat, certi nihil pronunciatur, postea vero quam aliquid acciderit, rei iam gestæ colligunt causas *lib. 6. Recogn.*

HIEROGLYPHICVM.

Per *Orygem* animal pictum aut sculptum, *Mathematicum hominem*, Ægyptij intelligebant: siquidem illi, cum Sothen astrum illud suum, quam nos caniculam appellamus, magno cultu prosequerentur: deque die, quo præcipue oriretur, solliciti admodum essent, animaduerterunt, *Orygem* sideris eius ortum sentire, atque etiam clamore edito significare, quasi uel ortum nuntiet, vel salutare iubeat. *Pier. Valer. l. 10. pag. 50.*

Vide Astronomia, Astrologia, Geometria.

MATRIMONIVM.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Matrimonium, Græce *συζυγία, ας, ἡ & σύζυγος, ὁ, ἡ*, coniux dicitur. Hebr. *Catannah*, nuptiarum dies, celebratio affinitatis, & sponsaliorum, *Cant. 3. vel v.* a verbo *Chathan*, affinitatem cõtraxit, propinquitatem iniuit per desponsationem, *Gen. 34. 9.* Græci pro eo expresserunt a vt *γειτνιάω γειτνιάζω*, propinquus vel affinis sum, *γείτων*, affinis, propinquus cognatione, *γειτνία*, propinquitas, cognatio.

Est autem matrimonium legitima societas inter virum & fœminã, in qua ex pari consensu semetipsum alteri debet, *secundum Augustin lib. de virginitate beatæ Virginis.*

Matrimonium est viri mulierisque coniunctio maritalis, inter legitimas personas vitam indissolubilem retinens. *secundum Magistrum sentent. 4. sent. dist. 22.*

Matrimonium est coniunctio maris & fœminæ, inter personas legitimas indiuiduam vitæ consuetudinem retinens, *vt habetur. 22. q. 2. §. 1.*

Matrimonium dicitur, quasi matris munium, id est, officium, vel quasi matrem muniens, vel monens, vel quasi mater manens, vel quasi a matre & nato. Dicitur autem magis a matre, quia magis pertinet ad rationem eius, quam pater. Nam mulier principaliter facta est propter hoc, non autem vir. Et mulier circa prolem est magis officiosa. *ex S. Tho. 4. sent. distinct. 27. q. 1. art. 1.*

Matrimonium contrahendum impedientia, & iam contractum dirimentia, sunt, quæ continentur his versibus:

Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen,
Cultus, Disparitas, Vis, Ordo, Ligamen Honestas,
Si sis Affinis si forte coire nequibis,
Hæc socianda vetant connubia facta retractant.

LOCI BIBLICI.

Matrimonium inter Iudæos & Gentiles contra edictum Dei contractorum exempla: Esau, *Gen 26 v. 34. & 35. & 38. 9.* Iudas, 38. 1. 2. Ioseph. 41. 45. Moyses, *Exod. 2. v. 21.* Samson, *Iudic. 14. 3.* Salomon, *2. Reg. 3. 1. & 11. 1. 2.*

Matrimonium a Deo instituitur, *Genes. 2. 24. Prouerb. 2. ver. 17. Malac. 2. 15.* Matrimonium marem & fœminam ex eadem tribu oriundos apud Iudæos iungebat, *Nu. 26. 7.* Requirit consensum sponsi & sponsæ, *Gene. 24. 56. 57. 58. 67. & 1. Sam. 25. 40. 41. 42* Rituũ quorundam in matrimonio contrahendo exempla leguntur in historia Isaci, *Genes. 24.* Iacobi, *Genes. 29.* Samsonis *Iudic. 14. 17.* Dauidis cum Michol, *1. Sam. 18.* & cum Abigail, *1. Sam. 25.* sponsi, & sponsæ in Cana Galileæ *Ioann. 2.*

Maritorum erga Vxores officium & authoritas, *Genes. 3. versi. 16. Num. 5. versi. 12. 18. & 30. versi. 7. 13 Deut. 23. v. 5. 13. & 24. versi. 1. Prouerb. 5. v. 18 & 18. v. 22. & 31. v. 10. Eccles. 9. v. 9. Eccles 7. v. 18. & 9. v. 1. & 25. v. 2. 27. & 26. v. 1. Malach. 2. 14. 16. 1 Cor. 7. vers. 1. 2. & c. 11. v. 2. 10. Ephes. 5. v. 22. Coloss. 3. 18. Tit. 2. v. 4. Timo. 2. v. 11. 1. Pet. 3. ver. 1.*

SEN-

SENTENTIÆ BIBLICÆ.

Matrimonium à Deo institutum.

Et creauit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creauit illum, masculum & fœminam creauit eos. *Gen.1.*
Quos ergo Deus coniunxit homo non separet. *Matth.19.*
Spiritus autem manifeste dicit, quia in nouissimis diebus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium, cauterio notatam habentium conscientiam, prohibentium nubere. *1.Timoth.4.*

Ad bonum constitutum, & prolis procreationem.

Benedixitque illis Deus, & ait: Crescite & multiplicamini. *Gen.1.*
Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus: fornicatores enim & adulteros iudicabit Deus. *Hebr.13.*

Peccati deuitationem.

Bonum est homini mulierem non tangere: propter fornicationem autem vnusquisque suam vxorem habeat, & vnaquæque suum virum habeat. Vxori vir debitum reddat, similiter & vxor viro. Nolite fraudare inuicem, nisi forte ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi, & iterum reuertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram. *1.Corinth.7.*
Hoc itaque dico secundum indulgentiam, non secundum imperium. *Ibidem.*

Mutuam consolationem.

Domus & diuitiæ dantur à parentibus: à Domino autem vxor prudens. *Prouerb.19.*
Trade filiam, & grande opus feceris: & homini sensato da illam. *Eccles.7.*
Qui possidet mulierem bonam, inchoat possessionem. Adiutorium secundum illum est, & columna vt requies. *Ibid.36.*
Vbi non est mulier, ingemiscit egens. Cui credit, qui non habet nidum? Et deflens vbicunque obscurauerit, quasi succinctus latro exiliens de ciuitate in ciuitatem. *ibid.*
Mulieres viris suis subditæ sint sicut Domino. *Ephes.5.*
Sed sicut Ecclesia subiecta est Christo: ita mulieres viris suis in omnibus. Viri diligite vxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiã suam, & seipsum tradidit pro ea. *ibid.*
Viri debent diligere vxores suas vt propria corpora. Qui suam vxorem diligit, seipsum diligit. *ibid.*
Veruntamen & vos singuli vnusquisque vxorem suam sicut seipsũ diligat: vxor autem timeat virum suum. *ibid.*
Viri diligite vxores vestras, & nolite amari esse aduersus illas. *Coloss.3.*
Similiter & mulieres subditæ sint viris suis, vt & si qui non credũt verbo, per mulierum conuersationem (bonam) sine verbo lucrificant, considerantes in timore sanctam conuersationem vestram. Quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus: sed qui absconditus est cordis homo, in incorruptibilitate quieti & modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples. Sic enim aliquando & sanctæ mulieres, sperantes in Deo ornabant se, subiectæ propriis viris, sicut Sara obediebat Abrahæ, dominum eum vocans, cuius filiæ estis, benefacientes, & non pertimescentes vllam perturbationem. *1.Pet.3.*
Viri similiter cohabitantes secundum scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri, impartientes honorem, tanquam cohæredibus gratiæ vitæ, vt non impediantur orationes vestræ. *ibi.*

Firmum.

Custodite ergo spiritum vestrum & noli despicere vxorem adolescentiæ tuæ. Cum odio habueris eam dimitte, dicit Dominus Deus Israel: operiet autem iniquitas vestimentum eius. (hinc Saluator vxorem non nisi causa fornicationis dimittendam dixit.) *Malach.2.*
Dictum est autem. Quicunque dimiserit vxorem suam, det ei libellum repudii. Ego autem dico vobis: quia omnis, qui dimiserit vxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari: & qui dimissam duxerit, mœchatur. *Matth.5.*
Et accedentes Pharisæi, interrogabant eum: Si licet viro vxorem dimittere? At ille dixit: Quid vobis præcepit Moyses? Qui dixerunt: Moyses permisit libellum repudii scribere, & dimittere. Quibus respondens, ait: Ad duritiam cordis vestri scripsit vobis præceptum istud. Ab initio autem creaturæ masculum, & fœminam fecit eos Deus. Propter hoc relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo vna caro. *Marc.10.*

Omnis, qui dimittit vxorem suam, & alteram ducit, mœchatur; & qui dimissam ducit, mœchatur. *Luc.16.*
Nam quæ sub viro est mulier, viuente viro, alligata est legi. *Rom.7.*
His autem qui matrimonio iuncti sunt, præcipio, non ego sed Dominus, vxorem à viro non discedere. Quod si discesserit manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir vxorem non dimittat. *1.Corinth.7.*
Alligatus es vxori? noli quærere solutionem. *ibid.*
Mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius viuit, *Ibidem.*
Propter hoc relinquet, *vt supra* Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo, & in Ecclesia. *Ephes.5.*

Matrimonium spirituale virtuose inchoatur.

Et sponsabo te mihi in sempiternum, & sponsabo te mihi in iustitia, in iudicio, & in misericordia, & miserationibus. Et sponsabo te mihi in fide, & scies, quia ego Dominus. *Ose.2.*
Simile est regnum cœlorum homini Regi qui fecit nuptias filio suo. *Matth.22.*
Qui habet sponsam, sponsus est. *Ioan.3.*
Despondi enim vos vni viro virginem castam exhibere Christo. *2.Corinth.11.*
Sacramentum hoc magnum est. *Ephes.5.*
Et ego Ioannes vidi sanctam ciuitatem Hierusalem nouam descendentem de cœlo, à Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo. *Apo.21.*

Copiose remuneratur.

Leua in circuitu oculos tuos, & vide, omnes isti congregati sunt, venerunt tibi. Viuo ego dicit Dominus, quia omnibus his velut ornamento vestieris, & circumdabis tibi eos quasi sponsa. *Esa.49.*
Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo. *61.*
Tunc simile erit regnum cœlorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas exierunt obuiam sponso, & sponsæ. Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes. *Matth.25.*
Gaudeamus & exultemus, & demus gloriam Deo: quia venerunt nuptiæ Agni, & uxor eius præparauit se. Et datum est illi, ut cooperiat se byssino splendenti, & candido. Byssinum enim iustificationes sunt sanctorum. *Apoc.19.*

PATRVM SENTENTIAE.

In coniugali uinculo, si pudicitia non seruatur, damnatio non timetur. *Aug. & habetur 27.q.1. Nuptiarum § In coniugali.*
Si uxorem quis habeat sterilem, siue corpore deformem, siue debilem membris, uel cœcam, uel claudam, uel surdam, vel si quid aliud, siue morbis, siue laboribus doloribusque confectã, & quicquid (excepta fornicationis causa) cogitari potest uehementer horribile, pro societate fideque sustineat. *Idem & habetur 32. q. 5. Si uxorem.*
Denique mortuo eo, cum quo fuit uerum connubium, fieri potest coniugium, cum qua præcessit adulterium. *Idem ad Valerium de nuptiis, & concupiscentia, & habetur 31. quæst. 2. can. Denique.*
Deus masculum, & fœminam propagandi generis causa nuptiali castitate coniunxit, & secundas nuptias, quæ in unoquoque testamento permittuntur, licitas esse monstrauit. *Idem lib. 2. contra aduersarium legis, & prophetar. & habetur ibidem, Deus masculum.*
Est ordo naturalis in hominibus, ut seruiant fœminæ uiris & filii parentibus: quia in illis hæc iustitia est, ut maiori seruiat minor. *Idem in l.q. Gen. & habetur 33.q.5 Est ordo.*
Manifestum est, ita legem uoluisse, fœminam sub uiro esse, ut nulla eius uota, quæ abstinentiæ causa uouerit, reddantur ab ea, nisi author uir fuerit permittendo, *Idem in quæst. Numer. & hab. ibid. can. Manifestum.*
Quod si dormierit uir eius: non dicit primus, uel secundus, uel quartus: Nec nobis diffiniendum est, quod diffinit Apostolus: unde nec ullas debeo damnare nuptias, nec eis uerecũdiam inferre numerositatis. *Idem super 1. epist. ad Corinth. & habetur. 31. q. 1. can. Quod si.*
Secundum uerba Apostolica, etiam si uir continere uoluisset, & tu noluisses: tibi debitum reddere cogeretur, & illi Deus imputaret ad continentiam, si non suæ, sed tuæ cederet infirmitati, ne in adulterium caderes. *Idem ad Hediciam, & habetur 32.q.5. can. Secundum verba.*
Quia ægritudini semper consulendum est, propterea si contigerit primo priuari coniugio, si uoluerit secundas uel tertias inire nuptias, nullum de illis peccatum habebit, si eas caste seruauerit. *Idem de fide ad Petrum.*
Bene utitur malo, concupiscentiam restringens connubio.

Idem de Baptismo paruulorum.

Si dicat vir: Continere iam volo; nolo autem vxor, non potest, quod enim tu vis, non vult illa. Nunquid per continentiam tuã debet illa fornicaria fieri? si alij nupserit te viuo, adultera erit. Non vult Deus tale damnum tali lucro compensari. Redde debitum, & non si exigis, redde: pro satisfactione perfecta Deus tibi computabit, si non, quod tibi debetur, exigis, sed reddis, quod debetur vxori. *Idem super Psalm. 146. & habetur, 33. q. 5. Si dicat.*

In coniugio quis positus, quæcunque peccata fecerit, non propriam infuscant coniugem, sed fornicatio vxorem coinquinat, vt iam non sit viro suo licita, sed adultera: *Hieronym. in epist. Pauli ad Corinth. & habetur 32. q. 1. In coniugio.*

Quomodo virginibus ob fornicationis periculũ concedit nuptias, & excusabile facit, quod per se non appetitur, ita ob eandem fornicationem vitandam concedit viduis secunda matrimonia contrahere. Melius est enim, licet alterum, & tertium, vnum virum nosse, quã plurimos, id est, tolerabilius est vni homini prostitutam esse, quam multis. Siquidem & illa in Euangelio Samaritana sextum maritum habere se dicens, arguitur a Domino, quod non sit vir eius. Vbi enim numerus maritorum est, ibi vir, qui proprie vnus est, esse desiit. Vna costa a principio in vnam vxorem versa est. Et erũt, inquit, duo in carne vna, non dixit tres, neque quatuor, alioquin non duo, sed plures. *Idem de Virginibus, & habetur 31. q. 1. Quomodo.*

Aperiant, quæso, aures obtrectatores mei, & videant, me secundas nuptias, & tertias in Domino concessisse. Qui secundas, & tertias nuptias non damnaui, primum potui damnare matrimoniũ?

Non damno bigamos, imo nec trigamos & dici potest, octogamos.

Ego nunc voce proclamo libera, non damnari in Ecclesia bigamiam, imo nec trigamiam. & ita licere quinto, & sexto, & vltra, quomodo & secundo marito recte nubere. *Idem ad Pammachium, & habetur 31. q. 1. Aperiant.*

Præcepit Dominus, vxorem non debere dimitti, excepta causa fornicationis, & si dimissa fuerit, manere innuptam, quidquid viris præcipitur, hoc consequenter redundat ad fœminas: neque enim adultera vxor dimittenda est, & vir mœchus retinendus est. *Idem ad Oceanum de morte Fabiolæ. & habetur 32. q. 5. Præcepit.*

Sicut boni filij adulterorum nulla est defensio: sic mali filij coniugatorum nullum crimen est matrimonij: quia non in seminibus sed in voluntate nascentis, causa vitiorum est atque virtutum. *Idem in epist. ad Rusticum.*

Iuuenes vero hoc sunt admonendi modo, vt si vxores habeant, doceantur caste viuere cum vxoribus suis, alienam sciant esse scelerat um contingere. *Idem ad Damasum.*

Nemo enim melius scire potest, quid sit vxor vel mulier, illo, qui passus est.

Quæ enim mihi incumbet necessitas venire in dubium, vtrum bona an mala futura sit, quam duxero? Melius est, inquit, habitare in terra deserta, quam cum vxore litigiosa, & iracunda. Quam rarum sit vxorem sine his vitiis inuenire, nouit ille, qui duxit vxorem. Vnde pulchre Varius Geminus sublimis orator: Qui nõ, inquit, litigat, cœlebs est: Melius est habitare in angulo tecti, quam cum vxore maledica in domo communi. Si domus communis est mariti, & vxoris, erigit vxorem in superbiam, & contumeliam viro facit, quanto magis si ditior vxor fuerit, & in domo eius vir manserit? Incipit enim non vxor, sed domina esse, & viro, si offenderit, migrandum est. Stillicidia eiiciunt hominem in die hiemali de domo sua: similiter, & mulier maledica de propria domo, assiduis quippe iurgiis, & quotidiana garrulitate facit perfluere domum eius, & eiicit eum de ædibus suis, id est, de Ecclesia. *Hieron. contra Iouian cap. 15 lib. 1.*

Veniam ad maritatas, quæ mortuis vel occisis maritis suis, superuiuere noluerunt, ne cogerentur secundos nosse concubitus, & quæ mire vnicos amauerunt maritos, vt sciamus, bigamiã apud Ethnicos etiam reprobari. Dido soror Pygmalionis multo auri, & argenti pondere congregato, in Aphricã nauigauit, ibique vrbem Carthaginem condidit, & cum ab Iarba rege Libyæ in cõiugem peteretur, paulisper distulit nuptias, donec conderet ciuitatem, nec multo post, extructa in memoriam mariti quondã Sichæi pyra, maluit ardere, quam nubere. Casta mulier Carthaginem condidit, & rursum eadem vrbs in castitatis laude finita est. Nam Hasdrubalis vxor capta, & incensa vrbe, cum se cerneret a Romanis capiendam esse apprehensis ab vtroque latere paruulis filijs in subiectum domus suæ deuolauit incendium. Quid loquar Nicerati coniugem? quæ impatiens iniuriæ viri, mortem sibi ipsa consciuit, ne triginta tyrannorum, quos Lysander victis Athenis imposuerat, libidinem sustineret. *Idem contra Iouian cap. 27.*

Fertur Aureolus Theophrasti liber de nuptijs, in quo quærit, An vir sapiens ducat vxorem? Et cum definisset, si pulchra esset, si bene morata, si honestis parentibus: si ipse sanus ac diues, sic sapientem aliquando inire matrimonium statim intulit hæc autem in nuptiis raro vniuersa concordant. Non est ergo vxor ducenda sapienti. Primum enim impediri studia philosophiæ, nec posse quenquam libris, & vxori pariter inseruire. Multa esse, quæ matronarum vsibus necessaria sunt, pretiosæ vestes, aurum, gemmæ, sumptus, ancillæ, supellex varia, lecticæ, & exedra deaurata. Deinde per totas noctes garrulæ conquestiones: Illa ornatior procedit in publicum, hæc honoratur ab omnibus, ego in conuentu fœminarum misella despicior. Cur aspiciebas vicinã? Quid cum ancillula loquebaris? De foro veniens, quid attulisti? Non amicam habere possumus, non sodalem: alterius amorem odio sui suspicatur. Si doctissimus præceptor in qualibet vrbium fuerit, nec vxorem linquere, nec cum sarcina ire potest: pauperem alere, difficile est, diuitem ferre, tormentum. Adde, quoniã nulla est vxoris electio, sed qualiscunque obuenerit, habenda: si iracunda, si fatua, si deformis, si superba, si fœtida: quodcunque vitij est, post nuptias discimus. Equus, asinus, bos, canis, & vilissima mancipia, vestes quoque, & lebetes, sedile ligneum, calix, & vrceolus fictilis, probantur prius, & sic emuntur. sola vxor non ostenditur, nec ante displiceat, quam ducatur. *Ibid. cap. 28.*

Legimus, quendam apud Romanos nobilem, cum eum amici arguerent, quare vxorem formosam, & castam, & diuitem repudiasset, protendisse pedem, & dixisse eis; Et hic soccus, quem cernitis, videtur vobis nouus, & elegans, sed nemo scit, præter me, vbi me premat. Scribit Herodotus: quod mulier deponat cũ veste, & verecundiam, & noster Comicus fortunatum putat, qui nunquam vxorem duxerit, *ibid. c. 29.*

Refert præterea Seneca, cognouisse se quendam ornatum hominem, qui exiturus in publicum fascia vxoris pectus colligabat, & ne puncto quidem horæ præsentia eius carere poterat, potionemque nullam sibi, nisi alternis tactis labiis vir, & vxor hauriebant. Alia deinceps non minus inepta facientes, in quæ improuida vis ardentis affectus erumpebat. Origo quidem amoris honesta erat, sed magnitudo deformis. Nihil autem interest, quam ex honesta causa quis insaniat. Vnde & Sextus in Sententiolis: Adulter est, inquit, in suam vxorem amator ardentior in aliena quippe vxore omnis amor turpis est, in sua nimius. Sapiens vir iudicio debet amare coniugem, non affectu. Reget impetus voluptatis, nec præceps feratur in coitum; nihil est fœdius, quam vxorem amare quasi adulteram. *Idem contra Iouian. lib. 1. cap 30.*

Multa sunt, quæ præclara ingenia nobilitant: Mulieris virtus proprie pudicitia est. Hæc Lucretiam Bruto æquauit, nescias an etiam prætulerit, quoniam Brutus non posse seruire à fœmina didicit. Hæc æquauit Corneliam Graccho, hæc Portiam alteri Bruto: notior est marito suo Tanaquil. Illum inter multa, regum nomina iam abscondit antiquitas. Hanc raro inter fœminas virtus alijs sæculorum omnium memoriæ, quam vt excidere possent, infixit. *Idem ibid.*

Cum initiatur coniugium, coniugij nomen adsciscitur. Nam desflo ratio virginitatis non facit matrimonium, sed pactio coniugalis. Denique cum mulier viro coniungitur, coniugium est, non cum puella viri admixtione cognoscitur, *Amb. lib. de Virginibus, & hab. 27. q 2. Cum initiatur.*

Nec illud otiosum, quod cum veniret Rebecca vidit Isaac deambulantem, & cum interrogasset, quis esset, cognito, quod ipse esset, cui duceretur vxor, descendit, & caput obnubere suum cœpit: docens, verecundiam in nuptiis præire debere. Inde enim & nuptiæ dictæ, quod pudoris gratia se puellæ obnuberent *ibid. & hab. 30. q. 5. Nec illud.*

Si quis desponsata sibi, & tradita vtatur, rite coniugium vocatur. *Idem ad Patern. & hab. 27. q. 2. Si quis desponsata.*

An quod in subditos nefas est, in comparem fas est? Dimittis ergo vxorem quasi iure, sine crimine, & putas hoc tibi licere, quia lex humana non prohibet: sed prohibet lex diuina, qui hominibus obsequeris, Deum verere. Audi legem Domini, cui obsequuntur, & qui leges fecerunt: Quos Deus coniunxit, homo non separet. *idem & hab 33. q 2. An quod in.*

Proponendum non inferioris virtutis est, abstinere cõiugio, quod aliquando delectauerit, quam coniugii oblectamenta nescire. Copula nuptialis non est quasi copula vitanda, sed quasi necessitatis sarcina declinanda. *Idem lib. de Viduis.*

Sunt, qui dicunt, religionis gratia coniugia debere dissolui: verum sciendum est, quia etsi hoc lex humana concessit, lex tamen diuina prohibuit. Per se enim Veritas dicit: Quos Deus coniunxit, homo non separet, quæ etiam ait: Non licet dimittere vxorem, excepta causa fornicationis. Quis ergo huic cœlesti legislatori contradicat? Scimus, quia scriptum: Erunt duo in carne una: *Gregorius Theodistæ patriciæ. & habetur 27. quæst. 2. Sunt qui dicunt.*

Bonum est coniugium, sed mala sunt, quæ circa illud ex huius mũdi cura succrescunt. Dum ergo tenetur, quod non nocet, ex rebus iuxta positis committitur plerumque, quod nocet: Sicut sæpe rectum mundumque iter pergimus, & tamen ortis iuxta viam vepribus per vestimenta retinemur. In via quidem munda non offendimus, sed a latere nascitur, quo pungamur.

Qui

Qui tentationum procellas cum difficultate tolerant, coniugii portum petant: melius est nubere quam vri. Sine culpa enim ad coniugium veniunt, si tamen nec dum meliora deuouerunt. *Idem lib. 26. Moral. c.*

Sicut crudelis & iniquus est, qui castam dimittit vxorem: sic fatuus est, & iniustus, qui retinet meretricem: patronus enim turpitudinis est, qui celat crimen vxoris. *Ioan. Chrysost. super Matth. & hab. 32. q. 1. can. Sicut.*

Si quis vxorem suam inuenerit adulteram, & postea deinceps placuerit habere eam in matrimonio, duobus annis pœniteat, ideo quia cum adultera mixtus sit, quæ adhuc crimine suo non est purgata: aut abstineat se à matrimonio eius, donec expleatur satisfactio criminis pœnitentiæ suæ: ideo, quia post satisfactionem pœnitentiæ non meretur vocari adultera. Similiter, si virum suum vxor inuenerit adulterum, non ad imparia iudicantur. *Idem & hab. ibid. Si quis.*

Matrimonium quidem non facit coitus, sed voluntas, & ideo nō soluit illud separatio corporis, sed voluntatis, ideo qui dimittit coniugem suam, & aliam nō accepit, adhuc est maritus. Nam etsi corpore separatus est, tamen adhuc voluntate coniunctus est. Cum ergo aliam acceperit, tunc eam plene dimittit, non ergo qui dimittit, mœchatur, sed qui alteram ducit. *Idem super Matth. 1. & hab. 27. q. 2. Matrimonium.*

Coniuges verius appellantur a prima desponsationis fide, quamuis adhuc ignoretur inter eos coniugalis concubitus. *Isidorus lib. 9. Etymologiarum. & habetur 27. q. 2. Coniuges.*

Consanguinitas, dum sæpe paulatim propaginem ordinibus dirimēs vsque ad vltimum gradum se subtraxerit & propinquitas esse desierit, tunc primum lex in matrimonij vinculum eam recipiet, & quodammodo reuocabit fugientem. Ideo autem vsque ad sextum generationis gradum consanguinitas statuta est, vt sicut sex ætatibus mundi generatio, & hominis status finitur, ita propinquitas generis tot gradibus terminetur. *Idem lib. 11. & hab. 35. q. 4. c. Consanguinitas.*

Quæris quomodo? subaudi, violenter, sine lege, absque ratione: Quos Deus coniunxit, homo non separet. Non enim homo separat, quos pœna condemnat, quos reatus accusat, quos maleficiū coarctat. *Idem super eo verbo Matth. Quos Deus coniunxit homo non separet.*

Series consanguinitatis sex gradibus, hoc modo dirimitur: filius & filia, quod est frater & soror, sicipse truncus, illis seorsum seiunctis, ex radice illius trunci egrediuntur isti ramusculi, nepos, neptis, primus: pronepos, proneptis, secundus: abnepos, abneptis, tertius: adnepos, adneptis, quartus: trinepos, trineptis, quintus: trinepotis filius, & trineptis filia, sextus. *Idem, & habet. 35. q. 5. c. Series.*

Coniux vocatur a prima desponsationis fide, quam concubitu non agnouerat Ioseph, nec fuerat cogniturus: nec peierat, nec mendax manserat coniugis appellatio, vbi nec fuerat, ne futura erat carnalis vlla commixtio. Propter quod fidele coniugium ambo parētes Christi vocari meruerunt: non solum illa mater, verū & ille pater eius. sicut & coniux matris eius fuit: vtrumq; mente, nō carne. *Aug. & hab. 27. q. 2. Coniux vocatur.*

Omne itaque nuptiarum bonum impletum est in ipsis parentibus Christi, proles, fides, Sacramentum. Prolem cognoscimus ipsum Dominum: Fidem, quia nullum adulterium: Sacramentum, quia nullum diuortium. Solus ibi nuptialis concubitus non fuit, quia in carne peccati fieri non potest sine pudenda concupiscentia carnis, quæ accidit ex peccato, sine quo vere concipi voluit, qui futurus erat sine peccato. *Ibidem can. Omne.*

Quidquid inter se coniugati immodestum, inuerecundum, sordidumve gerunt, vitium est hominum, non culpa nuptiarum. Iam in ipsa quoque immoderata exactione debiti carnalis, quam eis non secundum imperium præcipit, sed secundum veniam concedit Apostolus, vt etiam propter causam procreandi, si misceantur, etsi eos praui mores ad talem concubitum impellunt, nuptiæ tamen ab adulterio seu fornicatione defendunt. Neque illud propter nuptias admittitur, sed propter nuptias ignoscitur. Debent ergo sibi coniugati non solum ipsius sexus sui commiscendi fidem, liberorum procreandorum causa: quæ prima est humani generis in ista mortalitate societas: verum etiam infirmitatis inuicem excipiendæ, ad illicitos concubitus euitandos, mutuam quodammodo seruitutem, vt etiamsi alteri eorum continentia perpetua placeat, nisi ex alterius consensu fieri non possit. Non autem datur præsentia Sancti Spiritus tempore, quo coniugales actus gerūtur. *Idem habetur 32. quæst. 2. Quidquid.*

Interueniente diuortio non aboletur confœderatio nuptialis, ita vt sibi coniuges sint etiam separati: cum illis autem committitur adulterium, quibus etiam fuerint post suum repudium copulati. *Idem de bono coniugali, & habetur 32. q. 7. interueniente.*

Tantum valet vinculum sociale, vt cum causa procreandi colligitur, nec ipsa culpa procreandi dissoluatur, posset enim homo sterilem dimittere vxorem & aliam ducere, de qua filios haberet, & tamen non licet. *Ibid. & habetur, Tantum.*

Vsque adeo inter viuentes manent in ita iura nuptiarum, vt potius inter se sint coniuges etiam separati, quam his quibus adhæserūt. *Ibid. & habetur ibid. Vsque adeo.*

Si tu abstines sine vxoris voluntate, tribuis ei fornicandi licentiam, & peccatum illius tuæ imputabitur abstinentiæ. *Ibidem & hab. 27. q. 2. can. Si tu abstines.*

Non erit turpis, neque difficilis, etiam post patrata atque purgata adulteria, reconciliatio coniugii, vbi per claues regni cœlorum non dubitatur fieri remissio peccatorum: non vt post viri diuortium adultera vocetur, sed vt post Christi consortium adultera non vocetur. *Idem de adult. con. & habetur 32. q. 1 can. Non erit.*

Adulterii malum vincit fornicationem. *Ibidem, & hab. 32. q. 7. Adultery malum.*

Licite dimittitur vxor ob causam fornicationis, sed manet vinculū prioris propter quod fit reus adulterij, quicunque duxerit dimissam ob causam fornicationis. *Ibidem, & hab 32. q. 7. Licite.*

Apostolus, nisi ex consensu ad tempus, vt vacent orationi, vetat coniuges carnali inuicem fraudare debito. *Ibid. & habet. 33. q. 4. can. Apostolus.*

Fieri potest, vt vir dimittat vxorem causa fornicationis, quam exceptam Dominus esse voluit. Iam vero si nec illi nuberet, conceditur viro viuo suo, a quo recessit, neque huic alteram ducere viua vxore sua, quam dimisit: multo minus fas est, illicita cum quibuslibet stupra committere. *Idem in sermone Domini in monte, & hab. 32. q. 7. can. Fieri potest.*

Dominus ad illud confirmandum, vt non facile dimittatur vxor, solam fornicationis causam excepit: cæteras vero innumerabiles, & vniuersas molestias, si quæ extiterint, iubet pro fide coniugali, & pro castitate fortiter sustineri. *Ibid. & habet. ibid. can. Dominus ad illud.*

SENTENTIAE POETICAE.

Varro Satyra, quæ inscribitur Menippæa.

Vitium coniugis aut tollendum est, aut ferendum,
Qui tollit vitium, commodiorem coniugem præstat.
Qui fert, seipsum efficit meliorem.

Homer. in 9. Iliad.

Ὅστις ἀγαθὸς καὶ ἐχέφρων τὴν αὐτοῦ φιλέει, καὶ κήδεται.
Quicunque bonus maritus & prudens suam amat & curat.

Phocylides.

Στέργε τεὴν ἄλοχον· τί γὰρ ἡδύτερον, καὶ ἄρειον,
Ἢ ὅταν ἀνδρὶ γυνὴ φρονέῃ φίλα γήραος ἄχρις.
Καὶ πόσις ᾗ ἀλόχῳ, μηδ' ἐμπέσῃ ἄνδιχα νεῖκος.
Ama tuam vxorem, quid enim suauius & melius,
Quam cum viro vxor conueniat amice vsque ad senectutem,
Et maritus sua vxori, neque incidat inter eos contentio?
Μὴ μείνῃς ἄγαμος, μή πως νώνυμνος ὄληαι.
Δὸς τι φύσει καὐτός, τέκε δ' ἔμπαλιν, ὡς ἐλοχεύθης.
Ne maneas sine nuptijs, ne sine nomine pereas:
Des aliquid naturæ, & ipse gigne & tu rursus sicuti genitus es.
Ἵππους δ' εὐγενέας διζήμεθα γῆν κατὰ οἶκον,
Ταύρους θ' ὑψιτένοντας, ἀτὰρ σκυλάκων παναγρίους.
Γῆμαι δ' οὐκ ἀγαθὴν ἐριδαίνομεν ἄφρονες ὄντες.
Οὐδὲ γυνὴ κακὸν ἄνδρ' ἀναναίνεται ἀφνειὸν ὄντα.
Equos autem nobiles quærimus habere in domo.
Taurosque alta ceruicis, & catulos venatorios,
Ducere autem in vxorem malam fœminam contendimus insipientes.
Neque mulier malum virum renuit, si diues sit.

Hesiodus.

Ὡραῖος δὲ γυναῖκα τεὸν ποτὶ οἶκον ἄγεσθαι,
Μήτε τριηκόντων ἐτέων μάλα πόλλ' ἀπολείπων,
Μήτ' ἐπιθεὶς μάλα πολλά. γάμος δέ τοι ὥριος οὗτος.
Tempestiuus autem mulierem tuam ad domum ducas,
Neque natus plures triginta annos,
Neque multum pauciores, nuptiæ enim tempestiuæ istæ.
Παρθενικὴν δὲ γαμεῖν, ὥς κ' ἤθεα κεδνὰ διδάξῃς.
Virginem autem duc in vxorem, vt mores castos doceas.
Τὴν δὲ μάλιστα γαμεῖν ἥτις σέθεν ἐγγύθι ναίει,
Πάντα μάλ' ἀμφὶς ἰδὼν, μὴ γείτοσι χάρματα γήμῃς.
Hanc autem maxime duc in vxorem, quæ prope te habitat,
Omnia valde circumspiciens, ne vicinis gaudia sint tua nuptiæ.

Ex prімo Epigram.

Εἴ τις ἅπαξ γήμας, πάλι δεύτερα λέκτρα διώκει,
Ναυηγὸς πλώει δὶς βυθὸν ἀργαλέον.
Si quis semel duxerit vxorem, rursus secunda cubilia sequitur,
Naufragus nauigat bis profundum difficile.

Οὐκ ἔστι γῆμαι, ὅστις οὐ χειμάζεται,
Λέγουσι πάντες καὶ γαμοῦσιν εἰδότες.
Non est ducens vxorem, qui non tempestatibus agitetur,
Dicunt omnes, & ducunt vxorem scientes.

Plaut. in Aulular.

Dummodo morata recte veniat, dotata est satis.
Hæ sunt atque aliæ multæ in dotibus magnis
Incommoditates sumptusque intolerabiles:
Nam quæ indotata est, ea in potestate est viri.
Dotatæ mactant & malo & damno viros.
Laudant sapienter factum & consilium bono,
Opulentiores pauperiorum filias,
Vt indotatas ducant.

Idem in Sticho.

Bonas mulieres æquum est facere, vt absentes viros
Perinde habeant, quasi præsentes sint.
Stultitia est, venatum ducere inuitos canes.
Hostis ait vxor, inuita quæ ad virum nuptum datur.

Ouid. epist. Hermion. ad Orest.

Nec turpe marito est,
Aspera pro chara bella tulisse thoro.

Idem epist. Deianiræ ad Herculem.

Quam male inæquales veniunt ad aratra iuuenci,
Tam premitur magno coniuge nupta minor.
Si qua voles apte nubere, nube pari.

Idem lib. art. amandi.

Lis fugant nuptæque viros nuptasque mariti,
Inque vicem credunt rem sibi semper agi.
Hoc decet vxores, dos est vxoria lites.
Audiat optatos semper amica sonos.

Idem Trist. lib. 5. eleg. vlt.

Esse bonam facile est, vbi quod vetet esse remotum est,
Et nihil officio nupta quod obstet habet.
Cum deus intonuit, non se subducere nymbo,
Id demum est pietas, id socialis amor.

Propert. lib. 2. eleg. 6.

Felix Admeti coniux, & lectus Vlyssis,
Et quæcunque viri fœmina limen amat.

Catull. in Epithalamio.

Et tu ne pugna cum tali coniuge virgo.
Non æquum est pugnare, pater cui tradidit ipse,
Ipse pater cum matre, quibus parere necesse est.
Virginitas non tota tua est: ex parte parentum est,
Tertia pars patris, pars est data tertia matri,
Tertia sola tua est: noli pugnare duobus.
Qui genero sua iura simul cum dote dederunt.

Idem eleg. 5.

Sit magis, o nuptæ, semper concordia, vestræ
Semper amor sedes incolat assiduus.

Martial. lib. 8. ad Flaccum.

Qualem Flacce velim quæris, nolimue puellam?
Nolo nimis facilem, difficilemque nimis.
Illud quod medium est atque inter vtrunque probamus,
Nec volo quod cruciat, nec volo quod satiat.

Martial. lib. 6. de Telesina.

Quæ nubit toties, non nubit: adultera lege est.

Idem lib. 8. ad Priscum.

Vxorem quare locupletem ducere nolim;
Quæritis? vxori nubere nolo meæ.
Inferior matrona suo sit, Prisce, marito,
Non aliter fiunt fœmina virque pares.

Iuuenal. Satyr. 6.

Veniunt a dote sagittæ,
Libertas emitur: coram licet innuat, atque
Rescribat, vidua est locuples, quæ nupsit auaro.
Facies, non vxor amatur.
Nullane de tantis gregibus tibi digna videtur?
Sit formosa, decens, diues, fœcunda, vetustos
Porticibus disponat auos, intactior omni
Crinibus effusis bellum dirimente Sabina.
Rara auis in terris nigroque simillima cygno.
Quis feret vxorem, cui constant omnia? malo,
Malo Venusinam quam te Cornelia mater
Gracchorum, si cum magnis virtutibus affers
Grande supercilium, & numeras in dote triumphos.
Huius enim rari summique voluptas
Nulla boni.
Nil vnquam inuita donabis coniuge, vendes
Hac obstante nihil, nihil, hæc si nolit, emetur.
Hæc dabit affectus.
Nulla vnquam de morte hominis cunctatio longa est.
O demens, ita seruus homo est? nil fecerit, esto,
Hoc volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas.
Imperat ergo viro.
Semper habet lites alternaque iurgia lectus,
In quo nupta iacet, minimum dormitur in illo.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Communicatio vel coniunctio viri, & fœminæ in animalibus irrationabilibus est solum gratia prolis procreandæ. In hominibus autem nõ solum istius gratia, sed etiam gratia alterius vtilitatis, vt iuuentur a filijs potentibus parentes impotentes in senio effecti, & vt quæ parentes potentes existentes fecere filijs impotentibus, recipiant a potentibus senio affecti.

Natura fecit vnum animalium coniugalium forte, scilicet masculum, vt vlciscatur pro fortitudine sibi illata; aliud vero fragile, scilicet fœminam, vt magis se custodiat præ timore.

Oportet virum puellam ducere in vxorem, vt doceat eam bonos mores. *Arist. lib. œcon.*

Mulieres coniugari congruit circa ætatem annorum octodecim: viros vero circa ætatem triginta sex annorum. *Idem lib. 7. Politicorum.*

Dilectio magis eligenda est, quam coitus, quia dilectio fit secundũ bonam voluptatem, & coitus secundum actum corporalẽ. *Idem lib. 2. Prior.*

Decet domum mulierem bene dispensare, salua facientem omnia, quæ intrinsecus, & obsequentem esse viro. *Plato in Menone.*

Virgines sine dote nubere Lycurgus iussit, vt vxores non pecuniæ causa eligerentur, seueriusque matrimonia sua viri coercerent, cum nullis frenis dotium tenerentur.

Nulla tam bona vxor est, in qua non inuenias quid; sicut nihil superius benigna coniuge, ita nihil infestius muliere crudelius: est igitur vxor aut tutum refugium, aut pœnale tormentum.

Cum quidam lætanter diceret Diogeni, se de nouo duxisse vxorem, ait illi: Paruum solatium, & magnam solicitudinem es lucratus.

Euripides (vt ait Bœthius) carentem liberis, infortunio dicebat esse felicem. *Laer. Diog. de vita & morib. philos.*

Vnicæ filij pater Temistoclem consulebat, vtrum eam pauperi, sed ornato: an locupleti, sed parum probato collocaret? Cui is: Malo, inquit, virum pecunia, quam pecuniam viro indigentem. Quo dicto stultum monuit, vt generum potius, quam diuitias generi legeret. *Valer. Max. li. 7.*

Virgo formosa, & si sit oppido pauper, tamen abunde dotata, affert quippe ad maritum nouam animi indolem pulchritudinis gratiam, floris rudimentum: ipsa virginitatis commendatio, iure merito omnibus acceptissima est maritis. Nam quodcumque aliud in dotem acceperit, potes cum libuerit, ne sis beneficio obstrictus, omne vt acceperas, retribuere, pecuniam renumerare, mancipia restituere, domo demigrare, prędijs cedere, sola virginitas accepta est, reddi nequit, sola apud maritum ex rebus dotalibus remanet: vidua autem qualis nuptijs venit, talis diuortio digreditur, nihil affert impossibile, sed venit iam ab alio perflorata. *Lucius Apuleius de Magia. lib. 2.*

Diuites inferiores nuptias non recusent, & locupletum consortia inopes consequantur, & si vires opum nõ congruunt, ingenia tamen diuersa miscenda esse, vt iracundo tranquillus iungatur, & sedato homini incitatior mulier applicetur, vt talibus obseruationum remedijs, soboles natura discrepante confecta morum prouentu meliore coalescat, & ita compositarum domorum opibus ciuitas augeatur. *Idem de Dogmate Platonis.*

Si sine vxore possemus, Quirites, esse, omnes ea molestia careremus. Sed quoniam ita natura tradidit, vt nec cum illis satis commode, nec sine illis vllo modo viui possit, saluo perpetuæ potius, quam breui voluptati consulendum. *Aul. Gell. 1. Noct. Attic. refert verba Metelli.*

APOPHTHEGMATA.

Thales, roganti matri, vt matrimonium iniret, nondum esse tempus, dixit: deinde maior natu, non amplius esset tempus. *Plutarch. in Stob.*

Idem interrogatus: cur in vigore ætatis liberos non procreasset? respondit: Quia nolui sponte negocium vitæ facessere, & eius tranquillitatem turbare. *Stob. serm. 66.*

Lycurgus dicebat: cum semel vxore beneuolentia in maritum priuata est, minime vitalem ei reliquam vitam esse. *Stob. eod. ser.*

Epaminondas interrogatus, quidnã vtilitatis caperet vir ionuptus? respondit, pro patria mori non dubitare. *ibid.*

SIMILITVDINES.

Lactantij, Sicut dedit nobis oculos Deus, non vt spectemus, voluptatemque capiamus, sed vt videamus propter eos, qui pertinẽt ad vitæ necessaria: Ita genitalem corporis partem, quod nomen ipsum docet, nulla alia causa nisi efficiendæ sobolis accepimus. *lib. 7. c. 23. doctrinæ diuin.*

Plutarchi, Vt rex Musicæ studiosus complures reddit musicos, literarum studiosus doctos, aleator aleatores, rapax rapaces: Ita vir comptus similem efficit vxorem, voluptarius incontinentem, castus, & sobrius castam & sobriam. *In Moral.*

Vt qui non sanum vxores secum edere, aut bibere docent, eas ingur-

ingurgitare, maritis absentibus: Ita qui non communicant lusus & iocos cum vxore, faciunt vt alibi quærant, inscijs viris. *ibid.*

Imperium viri in vxorem non erit, cuiusmodi est domini in rem possessam, sed cuiusmodi est animi in corpus. *ibid.*

Vt sinistrarum partium ictus, redundant in dexteras: Ita virum oportet vxoris incommodis commodisque commoueri, & contra. *ibid.*

ADAGIVM.

Male coniugari.

Iocum, qui coniugio vinctus est cum ea, quam non amet vicissim ex animo; quamuis ob voluptatem uxoriam ametur, non inscite torquebitur Homericum illud,

> Ἀλλ' ἤτοι νύκτας μὲν ἰαύεσκεν καὶ ἀνάγκῃ.
> Ἐν σπέεσι γλαφυροῖσι, παρ' οὐκ ἐθέλων ἐθελούσῃ.
> Ἤματα δ' ἐν πέτρῃσι, καὶ ἠϊόνεσσι καθίζων.
> Δάκρυσι τε στοναχῇσι τε καὶ ἄλγεσι θυμὸν ἐρέχθων.
> Πόντον ἐπ' ἀτρύγετον δερκέσκετο, δάκρυα λείβων.

Id est.

> *Sed nolens licet ac vi cum illa nocte cubabat,*
> *Nolens cum cupiente, sub antro conditus atris.*
> *Verum perdius in scopulis ac litore sedit,*
> *Excrucians animum lachrymis, curis, gemituque.*

EXEMPLA BIBLICA.

Abraham Dominus vocatur a Sara vxore sua, *Genesis* 18.*v.*12, 1.*Petri* 3.9. Isaac Rebeccá vnice amat, *Genesis* 24.*v.*67. orat pro ea, 24.*v.*20.21. Iacob amat Rachelem, 29.*v.*18. Dauid captiuas duas vxores liberat, 1.*Sam.* 30.*v.*17.18. Bethsabeam consolatur, 2.*Sam.* 11.*v.*24. Tobias consolatur vxorem suam Anoam. *Tob.* 5.*v.*26.27. Iob errantem vxorem moderate corrigit ac reprehendit, *Iob.* 2.*v.*10. de maritorum in vxores dominatione Assueri edictū, *Esth.* 1.*v.*19. eo pertinet & *Gen.* 3.*ver.*16. Iacob septē annis seruit pro Rachel, &c. 29.*v.*18.*&c.* Sichem, cum compressisset Dinam, patrē ablegat ad Iacobum, vt petat nuptias, &c. 34.*v.*4.*&c.* Samson ambiens nuptias Dalilæ, re cum parentibus communicata matrimonium cum ea contrahit, & conuiuium nuptiale agitat, &c. *Iudic.* 14.*ver.*17. Saul per consiliarios agit cum Dauide de nuptijs filiæ, 1.*Samuel.* 18.*v.*25. Dauid ablegat nuntios ad Abigail petitum nuptias eius, 25.*v.*39.40.41. Tobias petit a Raguele Saram vxorem, *Tob.* 7.*v.*11.

Matrimonium consensu parentum, & cognatorum contrahendum est, *Matth.* 22.*v.*30. 1.*Cor.* 7.*v.*34. *Exempla.* Agar ex consensu Saræ fit vxor Abrahæ, *Genesis* 16.*v.*1.2. Ismael ex consensu matris ducit vxorem, 21.*v.*21. Isaac cum Rebecca ex consensu parentum contrahit matrimonium, 24.*v.*2.3.50.51. Iacob cum Rachel, 28.*v.*1.2.*&* 29.18.19.20. Sichem cum Dina, 34.*versi.*4. Her cum Thamar, 38.*ver.*6. Samson cum Dalila, *Iudic.* 14.*vers.*3. Dauid cum Michol, 1.*Sam.* 18.*ver.*20.21.27. Adonias, 1.*Reg.* 2.*versi.*17.20. Tobias cum Sara. *Tob.* 6.*versi.*1. In matrimonio requiritur consensus spōsi & sponsæ. *Exempla.* Isaac & Rebecca, *Genes.* 24.*v.*56.57.58.67. Dauid & Abigail, 1.*Sam.* 25.*v.*40.41.42. Tobias & Sara, *Tob.* 7.*v.*11.17.

EXEMPLA PROFANA.

M. Cato Censorius vxorem nobiliorem, quam opulentiorem duxit, æstimans: æque vtrasque esse elatas & superciliosas; verum turpitudinis rubore obsequentiores viris ad honesta generosas. *Plut. in Catone.*

Claudius Cæsar adeo liberarum mulierum, quæ seruis nubunt, coniugium odio prosequutus fuit: vt præter legem ingenuitatis, præterque instituta maiorum, filios inde genitos, non ingenuæ conditionis, sed libertinos esse, iuraque libertinorum nancisci, & ingenuitatem amittere, lege sanciuerit. *Alex. lib.* 4.*c.* 23.

Vespasianus Imp. author senatui fuit sanciendæ legis: vt mulier, quæ se alieno seruo iunxisset, ancilla haberetur. *Sabellicus l.* 3. *Ennead.* 7.

Apud Danos lege Frothonis III. Regis libertas data mulieribus amplissima nubendi. Sed si libera seruum duxisset, mariti conditionem sequi cogebatur. *Saxo lib.* 5.

Apud Holsatos lex fuit, vt nobilis nobilem, liber liberam, seruus seruam duceret: & secus faciens vitam amitteret. *Ioannes Petersius in Chronico Holsatiæ.*

Indorum virgines, quum esse nubiles cœperint: in publicum a parentibus producuntur. Accurrente (vt assolet) multitudine, libera illis datur optio, è iuuenum turba virum sibi seligendi, quem virtute aliqua insigniter præstantem putant. *Cælius lib.* 38.*ca.*31. *A. L.*

HIEROGLYPHICVM.

Ex Onirocritarum disciplina illud promptum est: vt si quis nuptiarum tempore *Lyram* per somnium videre imaginatus fuerit, concordiam id inter maritum, & vxorem futuram significaret. *Pier. Valer. l.* 47.

EMBLEMATA.

In fidem vxoriam.
Emblema CXC. Andr. Alciati.

> *Ecce puella, viro quæ dextra iungitur: ecce,*
> *Vt sedet, vt catulus lusitat ante pedes.*
> *Hæc fidei est species Veneris quam si educat ardor,*
> *Malorum in læua non male ramus erit.*
> *Poma etenim Veneris sunt, sic Schœneida vicit*
> *Hippomanes, petijt sic Galatea virum.*

Reuerentiam in matrimonio requiri.
Emblema CXCI.

> *Cum furit in Venerem pelagi, se in littore sistit*
> *Vipera, & ab stomacho dira venena vomit.*
> *Muranamque ciens ingentia sibila tollit,*
> *At simul amplexus appetit illa viri.*
> *Maxima debetur thalamo reuerentia, coniux*
> *Alternum debet coniugi, & obsequium.*

Vide Coniugium, Mulier, Nuptiæ.

MEDICINA.

DEFINITIO ET DIVISIO.

Medicina, Græce, *ἰατρεία*, ab *ἰάομαι* medeor, & *ἰατρὸς*, *ὁ*, medicus dicitur. Est autem duplex medicina, scilicet, remouens morbum, & promouens ad perfectam sanitatem. Prima cōuenit infirmis, secunda vero sanis. *ex B. Thom.* 3. *part. quæst.* 80. *art.* 4. Ars medicinæ duplex, scilicet speculatiua, & practica. Idem in quæstionibus de veritate, *q.* 2. *art.* 9.

Medicina, Hebr. *Rephuah*, remedium, sanitas, & *Marpe*. *Ierem.* 30.13. *Prouerb.* 4.*v.*6. *a fine.* *&* 12.18. a verbo *Rapha*, sanauit, medicatus est, curauit morbū. Hinc Græc. *θεραπεύειν*, medeor *Gnehah* item dicitur, id est, alleuatio ab infirmitate, leuamen, a verbo *Gnehah*, sanauit, leuauit infirmitatem.

Medicina, *secundum Celsum l.* 1. definitur, quasi via quædam (quam *μέθοδον* Græci nominant) eorum, quæ in morbis cōmunia sunt, vel contemplatrix.

Officium esse medici dicit, vt celeriter, & iucunde curet. *Idem Cels. lib.* 3.*c.* 4. *de cur. diuers. gen.*

Architas Tarentinus dicebat, quinque species esse medicinæ: aliam dici Pharmaceuticen, quæ morbis medicata potione subueniat: aliam Chirurgicam, quæ sectione, & vstione curet: tertiam, quæ sola victus ratione, & ordinatione arceat ægritudinē, appellarique Diæteticen; quartam, quæ ex celeri discretione morborum succurrat ægris, vocarique *Νοσογνωμονικήν*, quintam, Adiutricem dici, quod strenuo auxilio doloribus continuo liberet. *Laert. lib.* 3. *de vit. Philosoph.*

LOCI BIBLICI.

Medicina a Deo creata, *Ecclef.* 38.1.*&c.*

Medicus quibus necessarius, *Matth.* 9.*v.*12. *Marc.* 2.*v.*17. *Luc.* 5.*v.*31. Medico honos tribuendus, *Eccl.* 38.1. Locus dandus, *v.* 12.

SENTENTIAE BIBLICAE.

Medicus spiritualis.

Spiritus Domini super me eo, quod vnxerit me Dominus. Ad annūtiandum mansuetis misit me, vt mederer contritis corde. *Esa* 61.

Non est opus valentibus medico, sed male habentibus. *Matth.* 9.12. *Marc.* 2.17. *Luc.* 5.

Vtique dicetis mihi hanc similitudinem: Medice cura teipsum *Lu.* 4.

Non egent, qui sani sunt medico: sed qui male habent. *Luc.* 5.31.

Corporalis.

Languor prolixior grauat medicum: Breuem languorem præcidit medicus. *Eccl.* 10.

Honora medicum propter necessitatem: Dominus enim eius author est. Nam omnis medicina manat ab Altissimo. 38. *Eccl.* 38.

Disciplina medici exaltabit caput illius, & in conspectu magnatorum collaudabitur: Altissimus de terra procreauit medicamenta, nec abhorrebit illa vir sapiens. Ad agnitionem hominum virtus illorum. In his curans mitigabit dolores. *Vide infirmus, ibid.*

PATRVM SENTENTIÆ.

Nouit medicus, quid salutiferum, quidue contrarium petat ægrotus, Aegroti estis, nolite ergo dictare, quæ vobis medicamina velit apponere. *Aug. in serm.*

Contraria diuinæ conditionis præcepta medicinæ sunt: a ieiunio reuocant, lucubrare non sinunt, ab omni intentione meditationis abducunt. Itaque qui se medicis dederit, seipsum sibi abnegat *Ambr. sup. Psal.* 130.

Omnis medicina habet ad tempus amaritudinem: sed postea fructus doloris sanitate monstratur. *Hier. in Ierd.* 2.

Improbus & imperitus est medicus, qui alienum mederi appetit, & ipse vulnus, quod patitur, nescit. *Greg. in pastoral.*

Moris medicinalis est, vt sæpe feruorem viscerum in pruriginem cutis trahat, & plerunque inde interius curat, vnde exterius sauciat. Ita nonnunquam diuinæ dispensationis medicamine agitur, vt exterioribus doloribus internum vulnus adimatur. *ibid.*

Ego plagis conscientiæ meæ malum iudico accommodatius medicamentum probis contumeliis. *Bern. in Epist.*

O sapi-

O sapientia! quanta arte medendi in vino, & oleo animæ meæ sanitatem restauras, fortiter suauis, & fortiter fortis, fortis pro me & suauis mihi. *super Cant.*

Vnde irrepsit morbus, inde remedium intret, & per eadem sequatur vestigia, vita mortem, tenebras lux, venenum serpentis, antidotum veritatis, & sana oculum, qui turbatus est: vt serenus videat, quem turbatus non potest, auris prima mortis ianua, prima aperiatur, & vitæ. *ibid.*

Spirituali medico spiritualē offerebat mercedē: nam omnes medici pecunijs, ille autē solus oratione placatur. *Chrysost. in Matth.* 8.

Nomen medicinæ a modo ac temperamento impositum existimatur, vt non statim, sed paulatim adhibeatur, nam in multo contristatur natura, naturaliter autem gaudet. Vnde & qui pigmenta, & antidota assidue biberint, vexantur: immoderatio enim omnis non salutem, sed periculum affert. *Isid. l.* 4. *Etymol.*

Frequenter si quid ex quadam confidentia, quam ægrotus inde cōcipit, natura iam deficiens conualescit. *ibid.*

Mos medicinæ est, vt aliquando similibus, aliquando contrariis curet, calidis frigida, frigidis calida curare consueuit. Veniens ergo ad nos desuper medicus noster: tantisque nos inueniens languoribus pressos, quiddam nobis simile, & quiddam nobis contrarium apposuit. Ad homines quippe homo venit, sed ad peccatores iustus: concordauit nobiscum in veritate naturæ: sed discordauit, vel discrepauit a nobis in rigore iustitiæ. *Greg. lib.* 4.

Sicut in arte medicinæ calida frigidis, frigida calidis curantur: ita Dominus noster contraria opposuit medicamēta peccatis, vt lubricis continentiā, tenacibus largitatem, iracundis mansuetudinem, elatis præciperet humilitatem. *Idem de homil. de vno Martyr.*

Medicus ægroto confitenti suam infirmitatem, medicinam negare nō debet: persuadeat animæ, in quæ mala se præcipitauit, & ideo vt ex difficultate sanationis magis sibi caueat: quod enim facile sanatur, non multum cauetur. *Ansel. super Psal.* 5.

Delicata nimis medicina est, prius alligari quam vulnerari, membrum non percussum plangere, & nondum suscepto ictu admouere manum, fouere vnguento, vbi non dolet, emplastrum adhibere, vbi cæsura non est. *Bernard. in Apologetico.*

SENTENTIÆ POETICAE.

Euripides in Bellerophonte.

Πρὸς τὴν νόσον τοι χρὴ τὸν ἰατρὸν χρεὼν
Ἰδόντ' ἀκεῖσθαι, μὴ 'πίτακτα φάρμακα
Διδόντ', ἐὰν ταῦτα τῇ νόσῳ πρέπῃ.

Ad morbi naturam medicum quoque oportet
Respicientem mederi, non imperata pharmaca
Exhibendo, nisi morbo conueniant.

Perisaulus Faustinus Poeta de Medicina sic scribit:

Artem altam Deus & rerum natura repertrix
Instituere sacram, qua languida corpora morbo
Eriperent quouis proprie reditura saluti:
Hac tibi si placeat placet ars, qua digna polite
Ingenio sapias, quæcunque humana sapit vis.
Omnia aperta tibi, quicquid medicina recondit,
Intima naturæ, vel rerum pondera noris.
Hippocrates fias, fiasque Machaone maior:
Quas & Phyllirides, vel quas Epidaurius herbas
Noueris, & quicquid præsagas nouit Apollo:
Sisque salus orbi, fas sit tibi ducere ab Orco
Extinctos homines, iterumque animare sepultos:
Nomen, opes famam cumulas hac arte perennem.
Sed quoniam dulcor de vertice prodit eodem,
A quo & amarities. fateor quam longa malorum
Mixta voluptatis parua est, incommoda multa
Sunt subeunda tibi, subeundi mille labores,
Voluendi assiduo libri, semperque studendum,
Quæ noceant ægris, vel quæ sibi pocula prosint,
Dum pascis ventrem, dum mista vina refugis,
Dum gratus sopor est, dum molliter ipse quiescit.
Nuntius ecce fores pulsat, medicumque requirit,
Accelerare iubet, lassum properare venire.
Rumpitur ægrotus, tanto ue vexata dolore
Membra ciere, moritur. surgendum nocte dieque,
Tangendi pulsus, aut olfacienda matella est.
Suntque paranda cito antidota, & catapotia mille,
Pharmaca, pyrtases fomenta, enchrista, malagma,
Turundæ, emplastrum, strigmenta, amuleta, trochisci.
Nunc curanda phthisis, et tussim nunc hemoritæi,
Nunc stupor, aut spasmus, myrmecia, pustula, plegmon,
Papula, tonsilla, vel phora, epinyctides, Anteram,
Termina, vel ramex, vel syncopis, enterocele,
Nausea, pituita, & mentagra, algema, synanchis,
Feceris, & postquam quicquid iubet ipsa medendi
Norma, nisi valeat subitoque reuixerit æger.
Murmurat insipiens vulgus, linguaque loquaci
Et loquitur de te commissa talia iactans.
Heu mihi! quam stultum est medicorum credere nugis.
Quam sæpe hos videas morbo laborare molesto,
Pallore assiduo, vultuque referre cadauer.
Nec sibimet proprias, alijs prodesse nec artes,
Quare nulla suis factis adhibenda fides est.
Quam raro prosint, lateatque abstrusa sub his mens.
Adde, quod est grauius, versari semper oportet
Inter funestos, inter contagia morbi:
Solari afflictos, semperque leuare dolores.
Nec nasum crispare licet stimulante cachinno,
Si quandoque furis vitiatis sensibus æger
Hic labor, hoc studium, quidnam nisi fabula vana est?

Verinus.

Impediunt certam medicamina crebra salutem
Non plures medici, sed satis vnus erit.
Nunquam (credo mihi) à morbo curabitur æger,
Si multis medicis creditur vna febris.

Ouidius.

Non eadem ratio, sentire, & demere morbos,
Sensus inest cunctis, tollitur arte malum.

2. Trist.

Eripit interdum, modo dat medicina salutem.

Publ. Mim.

Mala est medicina, ubi aliquid naturæ perit.

Ouid. Metamorph. lib. 1. fab. 6.

Sed immedicabile vulnus
Ense recidendum est, ne pars syncera trahatur.

Ouid. de Ponto li. 3. eleg. 4.

Ad medicam dubius confugit æger opem.

Idem de Ponto li. 3. eleg. 7.

Curando fieri quædam maiora videmus
Vulnera, quæ melius non tetigisse fuit.

Iuuen. Satyr. 13.

Curentur dubij medicis maioribus ægri.

Homer. lib. 11. Iliad.

Ἰατρὸς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων
Ἰούς τ' ἐκτάμνειν, ἐπί τ' ἤπια φάρμακα πάσσειν.
Vir medicus enim aliorum instar multorum est
In excidendis telis & benigna pharmaca inspergenda.

Eobanus sic vertit.

Vir medicus siquidem multis uirtutibus unus
Præualet ante alios multos, seu tela sagaci
Corporibus defixa manu trahit, anxima seruans,
Mitia seu docta miscet medicamina dextra.

Euripides.

Medicus ægritudini futurum tempus producens,
Melius ita medetur, quam si corpus secaret.

Mimnermus contra medicos.

Sicut medici solent dicere,
Leues affectus multo maiores esse, & graues plus,
quam timendum sit, exaggerant, seipsos ut extollant.

Philemon.

Ἄνθρωπον ὄντα ῥᾴδιον παραινέσαι
Ἐστ', ποιῆσαι δ' αὐτὸν οὐχὶ ῥᾴδιον.
Hominem facile est, alios consulere.
Ipsum uero præstare difficilis res est.

Idem.

Quod in medicis apparere video,
Qui de continentia apud ægrotos perquam bene
Omnes loquuntur, deinde ubi morbo afficiuntur,
Ipsos facientes uidere est quæ pridem prohibebant
Alijs: tum & ægrotus & speculator similes sunt:
Non eiusdem est scilicet dolere posse, & contemplari.
Nam neque medicus ullus, si diligenter circumspicias,
Amicos suos bene ualere cupit,
Neque miles ciuitatem sine malo aliquo uidere.

Philemon Iunior.

Τί ἐστιν οὗτος; ἰατρὸς ὡς κακῶς ἔχει
Ἅπας ἰατρὸς, ἂν κακῶς μηδεὶς ἔχει
Μόνῳ δὲ ἰατρῷ τοῦτο καὶ συνηγόρῳ
Ἔξεστιν ἀποκτείνειν μὲν, ἀποθνήσκειν δὲ μή.
Quis nam hic est? medicus, O quam male habet
Quiuis medicus, si nemo male habuerit!
Soli medico & aduocato
Occidere licet impune.

Ouid. l. 1. de Ponto ad Ruffin.

Non est in medico semper releuetur ut æger,
Interdum docta plus ualet arte malum.
Adferat ipse licet sacras Epidaurius herbas,
Sanabit nulla uulnera cordis ope.
Tollere nodosam nescit medicina podagram,
Nec formidatis auxiliatur aquis.
Cura quoque interdum nulla medicabilis arte:

Aut

Aut si sit, longa est attenuanda mora.

Ouid.l.1.de remedio amoris.

Principijs obsta, sero medicina paratur,
Quum mala per longas inualuere moras.

Lib.2.Ibid.

Nam quoniam variant animi, variabimus artes,
Mille mali species, mille salutis erunt.

Menander.

Ἰατρὸς ἀδόλεσχος, τοῦτ᾽ ἐστι πάλιν νόσος.
Medicus garrulus ægrotanti alius morbus est.
Πολλῶν ἰατρῶν εἴσοδός μ᾽ ἀπώλεσε.
Multorum medicorum ingressus me perdidit.

Euripides in Hippolyto.

Κρεῖσσον δὲ νοσεῖν ἢ θεραπεύειν·
Τὸ μέν ἐστιν ἁπλοῦν, τῷ δὲ συνάπτει
Λύπη τε φρενῶν, χερσίν τε πόνος.
Melius autem est ægrotare quam curare ægrotum.
Illud quidem est simplex, huic vero adiungitur,
Tristitiaque mentium, manuumque labor.

Horat.lib.2.Epistolar.epist.1.

Quod medicorum est,
Promittunt medici, tractant fabrilia fabri.

Idem epist.l.1.epist.17.

Stultorum incurata pudor malus vlcera celat.

Ouid. de remedio amoris.

Temporibus medicina valet, data tempore prosunt,
Et data non apto tempore vina nocent.

SENTENTIÆ PHILOSOPHORVM.

Ars Medica, & diuinitus accepta est, & diuinitus exercetur. Atque animus ex Deo, corpus pendet ex animo. Nonne Raphaelem Archangelum Hebrei volunt huius artis opus exercuisse? mittamus reliquos, Christus ipse tanquam generis humani Medicus, ægros, ægrotosque quotcunque offerebantur, curabat, discipulisque tradidit potestatem medendi. Hanc igitur artem vtpote nobilissimam regis medicos, & exercere quondam nequaquam dedignabantur. Quales fuerunt Sabor, & Giges Medorum Reges. Sabid Rex Arabum, Mithridates Ponti Rex, Aegyptiorum vero Hermes, Mesue Regis Damasi nepos. Volunt nonnulli, & Auicennam fuisse Cordubæ principem, Democritus, Thimeus, Locrus, Plato, Aristoteles, Philosophi illustrissimi in hac arte scripserunt, innumerabilesque alij Philosophi non ignobiles. *Marsil. Ficin. lib.1. Epist. ad Thom. Valor. Physf.*

Medicorum consilia deuita, qui parum docti & satis seduli officiosissime multos occidunt. *Senec. in epist.*

Noli imitari malos medicos, qui in alienis malis profitentur se tenere medicinæ scientiam, seipsos curare non possunt. *Sulpit. ad Ciceron.*

Nec medici, nec Imperatores, nec oratores, quamuis artis præcepta perceperint, quicquam magna laude dignum sine vsu & exercitatione consequi possunt. *Cic. 2. offic.*

Nulla ars inconstantior medicina, nec sæpius mutatur, quum sit fructuosior nulla. *Plin. Sen. lib. 19.*

In hac artium sola euenit, vt vnicuique medicum se professo statim credatur, quum sit periculum in nullo mendacio maius. *Ibid.*

Καὶ τὸν τοιοῦτον ἀνιάσθαι ἀναλάμβανε, ἃ τοῖς ἀδήλοις καὶ τόποις, τρεῖν ἐκτίθεις δεῖ φρονεῖν ἐστὶ, καὶ γὰρ ἐκεῖνα ὑγιείαν ἐνίσθησιν, ἐπ᾽ ἀπολαύσαντα δὴ.

Missa facite huiusmodi lucra, alimentis simillima, quæ medici ægrotantibus exhibent. Nam illa nec vires augent, neque mori sinunt. *Demost. in Olynthiaca.*

Τῶν δ᾽ ἀκουστικῶν τέχνην ἰατρικῆς, τὸ σῶν γλαφυρώτατον καὶ τὶ τιμῆς, οἷς διδούσαις δεδώκασι ὕσει θεωρίαν δὲ μεγάλης ὡς ἀλαφιᾶς τῶν σωτηρίας καὶ ὑγιείας.

Omnium artium liberalium nulla quam medicina, quæ minus elegantiæ, ornatus, & iucunditatis complectatur; magnam tamen contemplationem de salute, & suauitate sui studiosis exhibet. *Plut. in salubrib. præceptis.*

Crudelem medicum intemperantia facit. Male fecum agit æger, qui medicum hæredem facit. *Senec. in Prouerb.*

Medicinæ fiunt per contraria. *Arist lib. 2. Ethic.*

Rhetor non semper persuadebit, nec medicus semper sanabit. *Idem li. 1. Topicor.*

Ad hoc ne homines quidem probi faciunt, vt amicis impendentes calamitates prædicant, quas illi effugere nullo modo possint. At medici quamquam intelligunt sæpe, tamen nunquam ægris dicunt, illo morbo eos morituros. Omnis enim prædictio mali tum probatur, cum ad prædictionem cautio adiungitur. *Cic. l. 2. de diuinat.*

Medicorum scientiam non ipsius artis, sed valetudinis caussa probamus. *Cic lib 1. de finib. bonor. & malor.*

Medicina mortuorum sera est. *Quint. Decl. 8.*

Non expectes, vt statim gratias agat qui sanatur inuitus. *Idem Decl. 15.*

Imperatoribus non medicina imperat.

Medicinæ præcipuè efficacissimus magister, vsus. *Plin. Sen. lib. 24.*

Medici nil quod nociturum sit in corporibus ægris relinquunt. *Gur. lib. 6.*

Medicina est scientia, non solum contemplatiua, sed etiam actiua. *Musonius.*

Ars illa corporis affecti curationem profitetur, animi vero nõ principaliter, sed tantummodo quam afflicto corpori compatitur. *Heliodor. lib. 4.*

APOPHTHEGMATA.

Diogenes, cum consideraret hominum vitam, videns medicos, & Philosophos, dicebat nullum animal homine sapientius esse. Verum cum videret coniectores, & huius generis alios, aiebat, sibi nihil homine videri stultius. *Laert. lib. 6.*

Nicocles, Medicos felices nominabat, quoniam successus quidem ipsorum sol intuetur, errores autem tellus operit. *Ant. par. 1. ser. 56. Meliss. Max ser. 50.*

Stratonicus ad medicum quendam dixisse fertur, Laudo tuam experientiam, qui a non finis infirmus computrescere, sed statim eos a vita liberas. *Anton. in Meliss. part. 1. ser. 56. Sed hoc Nicocli ascribit Max ser 50.*

Didymus perfectum medicum esse dicebat, non quidem qui omnino curaret, sed qui nihil eorum, quæ ad vtilitatem ægri, & curam pertinet omittit. *Anton. in Meliss. part. 1. sermon. 56. Maxim. serm 50.*

Theopompus interrogatus, quis perfectus medicus fieret? dixit: Ille qui possibilia, & impossibilia discernere potest. *Stob. serm. 100. Max ser. 50.*

Philotimus, cuidam ostendenti digitum exulceratum, qui vnguem haberet rabidum (id enim ex colore deprehendit) Non est tibi inquit, o bone, periculum ab vnguium vitio. Idem fere fit ab omnibus, vt de leuioribus malis querantur, grauiora dissimulent, *P. M. li 6. apoph. ex Plut.*

Anonymus. Medicus quidam ægrotanti dederat pharmacum, eoque sumpto conualuit ægrotus. Euenit vt aliquanto post idem morbus recurreret, ægrotus cum ad idem pharmacum, quo prius cõsueuerat, confugeret, nec sentiret remedium, accersit medicum admiratus, qui factum esset, vt eadem medicina, quæ prius depulisset morbum postea magis aggrauaret? Huius rei caussam sciscitanti, medicus facete respondit. Fateor idem fuisse pharmacum, sed ideo non profuit, quia ego non dedi. Sentiens medicorum esse dare pharmaca, qui norunt quãdo & quomodo danda. Quæ prosunt iuueni, nocent seni: & contra quæ iuuant cælo tepido, lædunt frigido. *Hoc refertur ab August.*

Pausanias & Socrates. Eum medicum censebat optimum Pausanias, qui non sineret ægrotos extabescere, sed quamprimum sepeliret. Inhumanior quidem videtur hæc sententia, sed tamen Socratis opinione non multum abhorrens: qui vult, admodum valetudinarios, nec vlla iam ex parte vtiles Reip. æquo animo debere è vita decedere; sic tamen, vt nemo sibi vim adferat, sed honestis actionibus immoriatur. Certe non apparet quid magnifaciant cum quatuordecim medici multo tempore immodicis impendijs admittuntur, vt nisi iam præmoreretur vitam in vanum alterumve mensem proferant. Quid aliud agunt, nisi quod arte sua mortem reddunt longiorem: quasi hoc cuiquam sano sit optabile, diu mori? At viri sapientes mortem inopinatam ac breuē iudicarunt optimam. *Plut. in Lacon.*

Demades, maiorem gratiam medicis deberi dixit, qui morbum ingruentem arcent, quam qui iam præsentem expellerent. Magis quippe optandum est, omnino non pati, quam a passionibus liberari. *Ant. in Meliss par. 1. ser. 56. Max ser. 50.*

Hieron. medicum tum demum ægroti amicum esse dicebat, cum in extrema necessitate se diligentissimum ostendit. *Anton. in Meliss. par. 1. ser. 56.*

Dionys. sen. post alia multa sacrilegia in Epidauro Æsculapio barbã auream detraxit, quod negaret conuenire, cum Apollo Æsculapij pater imberbis fuisset, vt filius barbam haberet. Finxit autem ideo antiquitas Æsculapium barbatum, innuentes, in medico multarum rerum vsum & experientiam requiri. *Val. Max.*

Tiberius Cæs. Dixisse fertur, eum hominem sibi videri ridiculum, qui sexagesimum prætergressus annum, manum porrigeret medico. Sentiens, hominem tam grandem natu scire oportere, quomodo iam sibi mederi debeat. Porrigunt manum medico, qui consulunt illum, explorant eum pulsus venarum, *P. M. lib. 6. apoph.*

Diogenes videns quendam medendi artem iam profitentē, qui prius fuerat palæstrites, sed ignauus: dixit illi, An eos qui te hactenus deiecerunt, nunc vicissim deijcies? Deijcit luctator, quem superat: & deijcit medicus, quos in lucto conijcit, aut etiam in sepulchrum. Similis iocus est apud Martialem, de eo qui ex medico factus est hoplomachus. *Laer. lib. 6.*

Idem, Didymon, qui vulgo audiebat adulter, curabat oculum virginis. Et Diogenes dixit: Vide ne corrumpas pupillam. Hoc dictum apud Latinos sale caret. Apud Græcos autem

xπ & virginem sonat, & oculi pupillam. Lusit igitur ea ambigue Diogenes. *Laer. lib. 6.*

Ricocles, quum malus quidam medicus diceret, se magnam habere potestatem: Quid ni, inquit, ista dicere liceat, qui tam multos impune sustuleris? *Max. ser. 50.*

Anonym. Sapiens quidam, cum imperitus medicus ei dixisset, Senex factus es: respondit. Bene quidem, & satis feliciter: medico enim non usus sum. *Anto. in Meliss. part. 1. ser. 56.*

Arist. Cum morbo teneretur Aristoteles, & medicus ei præceptum quoddam iniungeret: Ne, inquit, me cures, vel ut bubulcum, vel ut fossorem, sed prius caussam edissere, sic enim facili persuasione me morigerum reddideris. Docens, his nihil sine causa temereque proferendum esse. *Ælian. l. 9. de var. hist.*

Pausanias. Medicus quidam inuisebat Pausaniam, dicebatque Nihil habes mali: Non enim, inquit, te medico utor. Hoc ipsum quod nihil habeat mali, adeo non acceptum ferebat medicis, ut eos lolos iudicaret prospera esse valetudine, qui medicis non uterensur. Id ve perpetuo verum non sit, tamen extra controuersiã est, maximam laborum partem a medicis proficisci, vel quia non imperiti, vel quia negligentes, vel quia ambitione quæstuue corrupti. *Plut. in Lacon.*

Idem, quum ab amico argueretur, quod de medico quodam male loqueretur, a quo nec ulla re læsus esset, nec cuius fecisset periculum: Si fecissem (inquit) ne oculam nequaquam uiuerem. *Plu. in Lacon.*

Agesilaus. Quum medicus quidam Agesilao Regi præscriberet curationem nimis exactam, minimeque simplicem, qualis esse solet apud Lacedæmonios: per Geminos, inquit, somam quæ præscribis, si mihi prorsus est in fatis ut non uiuam: etiamsi non omnia sumpsero. Significabat, eiusmodi curationes citius acceleraturas mortem, quam depulsuras morbum. Nec tam operosa pharmaca sumenda, nisi ei qui destinauit mori. Omnibus in rebus ei genti placuit frugalitas ac simplicitas. *Plutarch.*

Hadrianus Imp. moriens dixit illud vulgatum: Turba medicorũ Cæsarem perdidit. Arbitror illum huc detorsisse Græcum prouerbium, *πολλοὶ στρατηγοὶ Καρίαν ἀπώλεσαν. πολλοὶ δ' ἰατροὶ τὸν βασιλῆ ἀπώλεσαν.* Quamquam & hodie verum est, turbam medicorum caussam esse mortis. *Dem.*

SIMILITVDINES.

Diogenis. Dum in luxuria, & delicijs quæcunque in potestate uestra bona sunt, animo complectimini, ueniunt communes carnifices, quos uos medicos appellatis: qui quicquid sibi in mentem venerit, id dicunt, & faciunt. Hi autem qui bene medentur, incidunt, vrunt, ligant, intus extraque medicinas exhibent. *Ja. epist. ad Græc. fol. 177.*

Arcesilas. Quemadmodum vbi multæ leges sunt, ibi etiam plurimũ vitiorum: Ita quoque vbi plures sunt medici, ibi multi ægrotantes. *Apud Laert. lib. 4. c. 6. & P. M. lib. 7. apoph.*

Theriteri. Medici qui annulos & alias res, quæ ad rem medicam nil conferunt, cum fastu quodam gerunt, similes sunt circumforaneis, qui dum in medio foro prostant, æternum aliquod animal ostentant, vt populum aduocent. *in apoph. 68.*

Qui affectus ignorat & tamen medicatur, similis est cæco, qui viam ignorat, & baculo tentat. *in apoph. 112.*

Claudius. qui alterum crus desiderat: Et mancus est medicus, qui solam rationem aut experientiam habet. *ibid.*

Eadem fere ratio. vulgarium cenopolarum & medicorum non enim dicuntur meliores, sed maiores impostores. *ibid.*

Nihil magis mirum quam quod sartores in incognito corpore tam diligenter metiuntur ad corporis habitum ipsum apparatum, & rursum a mensuram pedis calcearij ipsum calopodium: & quod medici plerique sine discrimine corporis obuium fere accommodant medicamentum. *in apoph. 128.*

Ve Deus, sic medicus ab omnibus postremo cognoscuntur: etenim non nisi in extrema necessitate coluntur. *In apoph. 127.*

ADAGIA.

Qui nocere potest, & idem prodesse.

Ja medicos imperitos qui non raro venenum pro remedio miniſtrant, quadrabit illud ex eodem libro quod vsurpauit in pseudomante Lucianus, atque apud Homer. lecis.

Φάρμακα πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρά.

Pharmaca multa, salubria mista, at noxia multa.

Idem quadrabit in hominem & bonis, & malis instructum artibus, qui vel iuuare possit si velit, vel lædere.

EXEMPLA BIBLICA.

Medicinæ magis quam in Deo fidere perniciosum. *Exemplum.* Asa, 2. *Paralip.* 16. 12. Medice cura teipsum, *Luc.* 4. v. 23.

Media inconcessa quærentium *Exempla*: Saul, 1. *Sam.* 28. 6. 7. 8. Ochosias, 2. *Reg.* 1. 2. 3. 4. Rex Moabitarum, 3. 27. Zimbri, 1. *Reg.* 16. v. 18. Asa plus fidit medicis quam Deo, 2. *Paralip.* 16. 13. Achaz, 28. v. 3. 4. Ephraim, *Osee* 5. 13. medijs (quæ vocant) legitimis vtentes iuuat Deus, 1 *Sam.* 10. 12. 2. *Paralip.* 32. 7. 8. *Nehem.* 4. v. 9. 21.

EXEMPLA PROFANA.

Diod. lib. 4. scribit Cybelen Minois vetustissimæ Phrygiæ Regis Filiam medicinam plurimam repperisse, & infantium morbis lenimenta, Quibus quod multi curarentur pueri, iecirco eam magnam matrem nominatam esse.

Medicinam, teste Diodoro, volunt Mercurium apud Ægyptios primum inuenisse: at secundum ueteres, Apis Ægyptiorum Rex reperit, quod alij (auctore Plin. lib. 7.) Arabo Apollinis, & Babylonis filio tribuunt: alij ipsi Apollini, unde apud Ouid. 1. Metamorph. dicit:

Inuentum medicina meum est, opiferque per orbem

Dicor.

Herculis Celticus pharmaca multa fertur adinuenisse aduersus uenena, & serpentum morsus, & hinc Ἀλεξίκακος nomen meruisse. *Gil. Cogn. li. 3. narrat.*

Paeon medicæ artis peritissimos, a cuius nomine Pæonia herba nomẽ sumpsit: Post obitum in Deorum numerum relatus, & ut otiosus esset, Deorum medicus constitutus.

Apud *Indos* post Brachmanas Philosophos in maximo sunt honore medici: ut qui circa homines Philosophentur, frugales quidam non tamẽ rusticantes, oryza & ordeacea uiuentes, quæ nemo rogatus illis non irrogat, nemo hospitio non libenter suscipit. *Strab. lib. 15.*

Petrus Leo Spoletanus, ingeniosus & doctus Astrologus, sed infelix medicus, ad Laurentium Medicen uocatus: cum parum prosperæ medicamenta succederent, melancholia correptus, in puteum sese præcipitauit. *Iouius in Elog.*

Hadrianus Imp. medicinæ studiosissimus fuit, & fortasse plus satis. Proinde sepulchro suo inscribi uoluit. Turba medicorum perdidit Cæsarem.

Dionysius tyrannus Siculus medicinæ nauabat operam, & ipse curationes, sectiones, ustiones, & reliqua faciebat. *Ælianus libro 11.*

Constantinus IV. Pogonatus Imperat. Constantinopolitanus post deuictos Saracenos & Arabes, Philosophiæ & Rhetorices studia renouauit: agriculturæ cõpendium collegit, & medicinam summo studio amplexus est.

HIEROGLYPHICA.

Cum sacerdotes Ægyptij *Medicina* ab aliquo Deorum præmonstrata, a morbo conualuisse ostendere uoluissent, *Columbam* uel, ut alij scribunt, *Palumbem lauri ramusculum rostro gestantem* capriebant. Ales enim ea, quoties ægrotare cœperit, *lauri folio* decerpto, sibi ipsi medetur. *Pier. Val. l. 22 pag. 225. B.*

Quod si etiam *Ciconiam* more ueterem Origani ramusculũ quis figurarit, hieroglyphico eo medicinam sibi comparatam indicabit: nam eius herbæ pastione *Ciconia* stomachi fastidium leuant, *idem lib. 16. pag. 159. A.*

Vide Morbus & Mors.

MEDIOCRITAS.

DEFINITIO.

Mediocritas, Græce *μετριότης, ητος, ἡ*, & *μέτριος, ου, ὁ*, mediocris dicitur. Est autem mediocritas inter excessum & defectum. Nam medium (unde descendit) est, quod participat de vtroque extremorum.

SENTENTIAE POETICAE.

Phocylides:

Πάντων μέτρον ἄριστον, ὑπερβασίαι δ' ἀλεγειναί.

Omnium mensura optima, transgressiones autem mœstabiles.

Μέτρῳ φάγε, μέτρῳ πῖνε καὶ μυθολόγευε.

Cum mensura comede, & bibe, & loquere.

Pythagoras.

Μέτρον δ' ἐπὶ πᾶσιν ἄριστον.

Mensura in omnibus optima.

Hesiodus.

Εὖ μὲν μετρεῖσθαι παρὰ γείτονος, εὖ δ' ἀποδοῦναι

Αὐτῷ τῷ μέτρῳ καὶ λώιον, αἴ κε δύνηαι,

Ὡς ἂν χρηΐζων καὶ ἐς ὕστερον ἄρκιον εὕρῃς.

Bona mensura mutuo sumes a vicino, bonaque reddo,

Eadem mensura & melius si potes,

Vt si alias indigueris, & sufficientem inuenias.

Horat. 1. epist. 18.

Virtus est medium vitiorum & vtrinque reductum.

Ouid. de Trist.

Vsibus edocto si quicquam credis amico,

Viue tibi, & longe nomina magna fuge.

Viue tibi, quantumque potes prælustria vita,

Sæuum prælustri fulmen ab arce venit.

Effugit hybernas demissa antenna procellas,

Lataque plus paruis vela timoris habent.

Crede mihi, bene qui latuit, bene vixit, & intra

Fortunam

Fortunam debet quisque manere suam.

Claud. de Senat. Veron.

Felix qui proprijs æuum transegit in aruis,
Ipsa domus puerum quem videt, ipsa senem.
Qui baculo nitens, in qua reptauit arena,
Vnius numerat sæcula longa casæ.

Luc. lib. 5.

Diuitiæ grandes homini sunt viuere parce,
Æquo animo: neque enim est vnquam penuria parui.

Horat. lib. 1. Epist.

Quod satis est cui contingit nihil amplius optet.
Non domus & fundus, non æris aceruus & auri
Ægroto domini deduxit corpore febres,
Non animo curas.

Menander.

Ἄνθρωπον ὄντα σ' αὐτὸν ἀναμίμνησκ' ἀεί.
Hominem esse te ipsum recordare semper.
Ἴσος μὲν ἴσθι πᾶσι, κἂν ὑπερέχῃς βίῳ.
Æqualis quidem sis omnibus, & si præstes diuitijs.

Ex 1. Epigrammat.

Πᾶν τὸ περιττὸν ἄκαιρον, ἐπεὶ λόγος ἐστὶ παλαιὸς,
Ὡς καὶ τοῦ μέλιτος τὸ πλέον ἐστὶ χολή.
Omne superfluum intempestiuum, quoniam sermo est antiquus;
Quod & mellis nimium, est bilis.

Iulianus.

Οἶκος, καὶ πάτρη, βιότου χάρις, αἱ δὲ περισσαὶ
Φροντίδες, ἀνθρώποις οὐ βίος, ἀλλὰ πόνος.
Domus, & patria, vitæ gratia; superfluæ autem
Curæ hominibus, non vita, sed labor.

Batius.

Μήτε με χείματι πόντος ἄγοι θρασὺς, οὐδὲ γαλήνην
Ἀργὴν ἠπιτασάμην τλεῖ πελαγοπορίην.
Αἱ μεσότητες ἄρισται, ὅπου δ' ἔργα πρήξιες ἀνδρῶν.
Καὶ μάλα μέτριον ἔγωγ' ἄρκιον ἠσπασάμην.
Τοῦτ' ἀγάπα φίλε Λάμπι, κακὰς δ' ἔχθαιρε θυέλλας.
Εἰσί τινὲς πρηεῖς, καὶ βίοτοῦ ζέφυροι.
Neque me semper hæc mare ducat concitatum, neque tranquillitatem
Otiosam amaui omnino ventis carentem.
Mediocritates optimæ, vbi autem actiones virorum.
Et valde mensuram ego sufficientem amaui.
Hoc ama chare Lampi, malas fuge procellas.
Sunt quidam mansueti, & vitæ zephyri.

Palladas.

Ἡ μεσότης γὰρ ἄριστον, ἐπεὶ τὰ μὲν ἄκρα πέφυκε
Κινδύνους ἐπάγειν, ἔχετε δ' ὕβριν ἔχει.
Mediocritas enim optimum quid, quoniam summa quidem apta sunt
Pericula inducere, extrema vero contumeliam habent.

Plaut. in Pœnulo.

Hoc vnum tamen cogito, Modus omnibus in rebus optimus est habitu.
Nimia omnia nimium exhibent negotium hominibus ex se.

Terent. in And.

Apprime in vita hominis vtile est, ne quid nimis.

Horat. lib. 1. serm. sat. 1.

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos vltra citraque nequit consistere rectum.

Ouid. 2. Met.

Altius egressus cælestia tecta cremabis,
Inferius, terras, medio tutissimus ibis.

Idem 8. Met.

Postquam manus vltima cœpto
Imposita est, geminas opifex librauit in alas
Ipse suum corpus, motaque pependit in aura.
Instruit & natum, medioque ut limite curras
Icare ait, moneo, ne si demissior ibis;
Vnda grauet pennas si celsior, ignis adurat.
Inter vtrumque vola.

Horat. Carm. 10. Lib. 2.

Rectius viues Licini, neque altum
Semper vrgendo neque dum procellas
Cautus horrescis, nimium premendo
Littus iniquum.
Auream quisquis mediocritatem
Diligit, tutus caret obsoleti
Sordibus tecti, caret inuidenda
Sobrius aula.

Sen. Oedip. Act. 4.

Fata si liceat mihi
Fingere arbitrio meo,
Temperem Zephyro leui
Vela, ne pressæ graui
Spiritu antennæ tremant.
Lene sed medicum fluens
Aura, nec vergens latus
Ducat intrepidam ratem.
Tuta me media vehat
Vita, decurrens via.
Gnosium regem timens,
Alta dum demens petit,
Artibus fidens nouis,
Certat & veras aues
Vincere, & falsis nimis
Imperat pennis puer.
Nomen eripuit freto.
Callidus medium senex
Dædalus librans iter,
Nube sub media stetit,
Alitem expectans suam &c.
Quicquid excessit modum,
Pendet instabili loco,

Idem Agam.

Felix media quisque turba
Partem quietus aura stringit
Littora tuta, timidusque mari
Credere cymbam remo terras
Propiore legit.

Terent. Andr.

Nam id arbitror
Apprime in vita esse vtile, ne quid nimis.

Mart. 1.

Illud quod medium est, atque inter vtrumque probatur.

Sen. Oed. Act. 1.

Quisquis medium defugit iter,
Stabili nunquam tramite curret,

Ouid. 3. Trist. 4.

Qui cadit in plano, vix hoc tamen euenit ipsum,
Sic cadit, ut tacta surgere possit humo;
At miser Elpenor tecto delapsus ab alto
Occurrit regi flebilis vmbra suo.
Quid fuit, ut tutas agitaret Dædalus alas:
Icarus immensas nomine signet aquas?
Nempe quod hic alte, demissius ille volabat,
Nam pennas ambo non habuere suas.

Lucan. 1.

In se magna ruunt, lætis hunc Numina rebus
Crescendi posuere modum.

SENTENTIÆ PHILOSOPHICÆ.

Est mediocritas quædam virtus: cum medij & perfecti sit indagatrix. *Arist. l. 2. Ethic. c. 6.*

Omnes qui mediocritatem inuestigant, & exquirunt: primum ab eo debent, quod magis ei contrarium est, discedere. *lib. 2. Ethic. c. 9.*

Rei medium appello id quod æque abest ab vtraque extremitate: idque apud omnes vnum idemque valet, & efficit. Nostra autem ratione id medium est: quod nec transit modum, nec deserit, nec vnum idemque apud omnes valet. *l. 2. Ethic. c. 6.*

Omnem artis præstantiam conseruat mediocritas. *ibid.*

Mediocritas duorum vitiorum est, quorum alterum eo, quod superat, alterum eo quod parum est, ecrointur. *ibid.*

Quibus in rebus nimium & parum reperitur: in ijs etiam relinquitur mediocritati locus. *lib. 4. Ethic. c. 4. & l. 1. Magn. Mor. c. 9.*

Nec quidquam est difficilius quam reperiri omni in re medium. *Ethic. lib. 2. c. 9.*

Longe a delinquendo abducti veniemus ad mediocritatem. *ibid.*

Quod modicum est, id bonum. Nam quod maius est quã oporteat, id malum est. *lib. 1. Rhet. ad Theodect. c. 6.*

His rebus quæ tractantur in vita, modum quendam & ordinem adhibentes, honestatem & decus conseruabimus. *Cic. 1. Offic.*

Mediocritas ad omnem vsum, cultumq. vitæ referenda est. In omnibus rebus mediocritas optima. *1. Offic.*

Modus est optimus, decus ipsum tenere, nec progredi longius. *Orat. ad Brut.*

Suus cuique modus est, tamen magis offendit nimium, quam parũ. *De Orat.*

Vsque adeo magnum quid, & honesta res est mediocritas, vt, quod malum euenit, magis eum qui passus est, quam qui fecit, pudore suffundat. *Polyb. hist. lib. 8.*

Quædam, immo virtutes, odio sunt, seueritas obstinata, inuictus ad uertus gratiam animus. *Tacit. Annal. lib. 15.*

Id semper egregium est, metiri quantum queas, neque ambitione præceps agi, cum in imperio, cuius adeo cupidi mortales sunt, vt id vel vltima senectus auide petat. *Aurel. Victor.*

Præclare sapienterque dixerunt prisci illi homines, Nihil vltra modum; & præclara res est mediocritas. *Constantin. Manass. pag. 108.*

Nihil

Nihil est præstabilius mediocri vitę genere, quod qui potest assequi & tueri, is omnium certe est felicissimus. *Ph. Comminæus, hist. lib.* 10.

APOPHTHEGMATA.

Pittacus, aiunt dicere solitum, Dimidium plus esse toto, de quo dicto multa *P. M. in Chiliadibus*. Hoc dictum autem extat apud *Laert. lib.* 5. *c.* 5.

Solon. eius item dictum nobile, & singulis momentis repetendum celebratur, Μηδὲν ἄγαν, id est, *Ne quid nimis*, quod mediocritatē auream, in omnibus seruandam esse iubet. *Laert. & Stob. serm.* 3.

Cleobulus, nec minus celebre est illud Cleobuli. Μέτρον ἄριστον, id est, Modus optimus: Eandem mediocritatem commendans. *Laert. & Stob.*

Philoxenus dicebat esse iucundissimas carnes, quæ carnes non sunt: & suauissimos pisces, qui pisces nō sunt, quemadmodum amœnissimam esse nauigationem iuxta terram, & ambulationem iuxta aquam. *P. M. l. 6. apoph. ex Plut.*

Lycurgus interrogatus, quam ob rem statuisset, vt ad ædium culmen imponendum fabri securi vterentur, ad fores vero addendas sola serra, nec vllo alio instrumento. Vt, inquit, ciues mediocritatem seruent in omnibus, quæ apud alios sunt admirationi. Videbatur enim parum decorum esse, si per ostium rude inferrentur exotica pretio chara, arte operosa, &c. *Plut. in Lacon.*

Seneca. Nero sibi compararat aulæum quoddam insigne, tum precio, tum pulchritudine. Id videns Seneca, Declarasti, inquit, te esse pauperem. Caussam rogante Nerone: Quoniam si illud amiseris, inquit, non poteris aliud parare simile. Euenit vt illud aulæum naufragio periret. In hoc autem profecerat Senecæ admonitio, vt Nero iacturam adamatæ rei ferret moderatius. Qui nūmum habet vnicum, quo amisso non queat alterum promere, pauper est. Tutissimum igitur est, mediocribus ac parabilibus delectari. *P. M. l. 6. apoph.*

Alphonsus, optimum factum sibi videri dicebat, si voluntas nostra inter amorem ac metum media intercederet. Vt quantum amor ad excessum impelleret, tantum timor illam è diuerso retraheret. Sensit autem mediocritatem in omnibus esse optimam, & hominum actiones media voluntate temperandas. *Panor. lib. 4. de reb. gest. Alphonsi*,

Socrates percontatus quænam esset potissima iuuenum virtus? Vt inquit, ne quid nimium tentent. Calor enim ætatis vix sinit illos seruare modum. *Laert. in Socrate.*

Democritus, si quis modum (inquit) excesserit, iucundissima quæque iniucundissima fient. *Tob. ser.* 17. Idem ab Epicteto dictum est. *Ariano teste.*

Aristippus, Aretam filiam salubribus præceptis instituebat, consuefaciens, vt vbique quod immodicum esset, contemneret, quod mediocritas in omni re sit optima: & in fœmina maximæ virtutis sit, temperare cupiditatibus. *Laert. l. 2. c.* 8.

Diogenes, cum multis videretur immodice philosophus, respondit, sese imitari chori magistros, qui tonum legitimum excedere soleat, vt alij congruum arriperent. Quod enim excedit modum, tametsi vitiosum est, tamen ad excitandam aliorum socordiā conducibile est. Ita pallium ac dolium Diogenis diuitibus suas delicias exprobrabant. *Laert. lib. 2. c.* 8.

M. Cato, qui magistratum eundem frequenter ambitent, dicebat, veluti ignaros viæ, ne aberrarent, lictores qui præcederent semper quærere. Solebant enim lictores præire, non vt iam ostenderent, sed honoris gratia. Voluit autem indicare vir prudentissimus, modum etiam in petendo magistratu obseruari oportere. *P. M. lib. 5. apoph.*

SIMILITUDINES.

D. Augustini, sicut inter ignem & aquam tenenda est via, vt nec exuratur homo, nec demergatur: Sic inter apicem superbiæ & voraginem desidiæ, iter nostrum temperare debemus, sicut scriptum Nō declinantes neque ad dextram, neque ad sinistram. *Epistol.* 82.

Seneca, nauis in fluuio magna, in mari parua est: Sic mediocres videntur insignes. *apud P. M.*

Plinij, vt nihil minus expedit, quam agrum optime colere. Ita sępenumero inutilissimum est, nimis esse in negocio diligentem. *lib.* 18. *cap.* 6.

Nilus famem adfert Ægyptijs, si vel parum exundarit; hoc est, minus 12. cubitis: vel plus satis, hoc est, vltra 18. Ita pariter obstat ad bonam mentem fortuna vel nimium secunda, vel nimium maligna: hic egestate vexans, illic delitijs auocans ab honesto. *c.* 18.

Apodes auiculæ aut pendent volatu, aut iacent, propterea quod pedibus careant: Ita quidam in vtranque partem nimis vehemētes, aut nimium tumultuantur negocijs, aut toti torpent ocio: nil medium est. *lib.* 10. *c.* 39.

Hedera pota neruis nocet, eadem foris adhibita prodest: Sic Philosophiam si penitus imbibas, nocet ad pietatem: si leuiter, & veluti foris admoueas, prodest ad eruditionem. *lib.* 24. *c.* 10.

Gallus Phrygiæ fluminis si modice bibas, medetur corporis malis: si immodice lymphatum animum agit. Ita si philosophiæ literas modice attingas prosunt: sin totum te illi addixeris studio sanitatem mentis auferunt, & inanis gloriæ furore quodam præcipitem agunt. *lib.* 31. *c.* 2.

Notatus Protogenes, alioqui summus in pictura artifex, quod nesciret manum tollere de tabula: Ita quidam scriptores immodica diligentia peccant, quibus nihil vnquam satis emendatum videtur. *lib.* 35. *c.* 10.

Iouiniani Pontani. virtus necesse est constituatur: eritque virtus, vt Horatius definit, medium vitiorum, atque vtrinque reductum. Cum autem in ipsa vitia hinc deficiendo, illinc exuperando præcipitemur, efficitur vt medium illud aut perinde deseramus, ac si contemptui ipsum habeamus, ita quidem de via digressi, vt modum mensuramque sponte excesserimus, aut ab eo sic recedamus, vt non modo recusare verum etiam reformidare ipsum medium videamur. Ex quo fit, vt nec rerum nec mensuræ ratione habita, nunc exuperante animo, nunc rursus deficiente proprium virtutis munus implere nequeamus. Nec vero audiendi sunt, qui aduersus hæc disserere cœperunt, minuti philosophi, aut potius nullo modo philosophi: qui mihi illud sane velle suadere videntur, vt de hominū actionibus tollatur mensura, ea videlicet, sine qua nec artifices quidem consummatum facere aliquid valeant. Est enim artificis & optimi cuiusque maxime metiri, quæ facit, atque ad mensuram redigere, & numeros, quo singulæ sibi inter se partes conueniant. Quibus ipse dimetiendis adæquandisque intentus, vt qui a suis numeris rectaque mensura nulla è parte recedat, opus suum tale efficit: cui, quod de opere dici maxime consummato solet, nihil addi queat, nihil eximi: quod præstare atque efficere, proprium est mensuræ. Quocirca quando omnis affabrefactio ex eo est, vt nec magis, quid aut productū habeant aut subductum, quam ratio, quam natura, quam res denique ipsa, quæ fit, postulat: nimirū laus omnis tum artificis tum operis, est a medio: cuius, vt dixi, iudex est mensura. Docent hoc pictores in primis, & cælatores, & qui vocantur Architecti; Rerum quoque scriptores ac poetæ duo ante omnia fugiunt: alterum, ne quid insolens ac turgidum in dicendo habeant: alterum, ne quid humile & abiectum. Quæ cum fugiant, quodnam magis sequuntur, quā quod inter duo hæc positum, & constitutum est? Id certe nisi medium esse nequit, quando ab vtroque extremo (qui medii est natura) recedit. Ergo etiam poetæ virtus ac laus, ex hac medii obseruatione gignitur, Quid quod Physicis quoque placet, ab vno ad alterum extremum, nisi per medium, aditum esse nullum. *De fortitudine lib.* 1. *c.* 4.

P. M. sicuti quasdam arbores fœcunditas, & luxuries enecat: ita quosdam perdit immodicus rerum successus, *In similibus.*

Sicuti sal modice cibis aspersus condit, & gratiam saporis addit: Ita si paulum antiquitatis aut ioci admiscueris, oratio fiet venustior: si plus satis, nihil insuauius. *ibid.*

Vitis nisi subinde amputetur, ipsa sua fœcunditate, & gracilescit, & perit: Ita cohibendum est immoderatum studium fœlicibus ingeniis, ne parum moderato labore consumantur, *ibidem.*

MEDITATIO.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

MEditatio, Græce Μελέτη, ης, ἡ, & μελετάω, meditor dicitur. Hebr. *Hegeh. Huguth, Higgaion*, a verbo *Hagah*, id est, mouit in corde, mouit in ore, meditatus est, medio in corde versauit, mussauit tam ore quā animo. Hinc ἠγέομαι, ἀφηγέομαι, διηγέομαι, id est, meditor, narro, computo: ἐξηγέομαι, enarro, ἐξήγησις, enarratio, meditationis explicatio.

Meditatio, est rei cuiusuis in mente repetitio, & agitatio quædam. Multi naturæ vitium meditatione atque exercitatione sustulerūt (inquit Cicero) vt Demosthenes.

Quid autem sit, & quomodo differat a consideratione & cogitatione, & contemplatione, vide supra in Cogitatio.

LOCI BIBLICI.

Meditandum verbum Dei, *Deut. 11. v. 18. 19. Iof. 1. 8. Psal. 1. 19. 119.*

SENTENTIAE POETICAE.

Periand. per Auson.

Μελέτη τὸ πᾶν, qui dixi, qui dictum probo,
Meditationem id esse totum quod geras.

Ibid.

Is quippe solus rei gerendæ est efficax,
Meditatur omne qui prius negotium.

Ter. Adelph.

O Demea, istud est sapere, non quod ante pedes modo est
Videre, sed etiam illa, quæ futura sunt,
Prospicere.

Periand.

Periand. per Auson.

Aduersa rerum, vel secunda praedicat
Meditanda cunctis comicus Terentius,
Locare sedet bellum gerere, aut ponere.
Magnas medica sque rei etiam, paruas quoque
Agere volentem semper meditari decet.
Nam fugiores omnes incepti nouis,
Meditatio si rei gerenda defuit.

Idid,

Nihil est, quod ampliorem curam postules,
Quam cogitare, quid gerendum sit, denique
Incogitantes Fors, non consilium regit.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Meditari nihil aliud est, quam crebro repetere imagines, atque recurrere, non vt in se spectandae sunt, sed vt imagines aliorum. *Themist. de mem. & rem. l. c. 15.*

Meditari nihil aliud est, quam speculari multoties aliquid idem, sicut imaginem rei praeteritae non per se. *Albert. Magn. de mem. & rem tract. 1. c. 4.*

Meditationes ad gaudium, & bonam spem cordis fortitudinem significant, & aequalitatem complexionis: at quae declinat ad solitudinem, excessum in calore significant: quae ad timorem, & tristitiam declinant, excessum in frigiditate significant. *Idem de ani. l. tract. 3. c. 4.*

Meditari nil aliud est, quam multoties rem aliquam considerare. *D. Thom. de mem. & rem. tex. 27. lib. 3.*

Meditatio non est amplius producēda, nisi quousque voluptas procedit. *Fic. de san. tuen. lib. 1. c. 8.*

Meditationes & doctrinae tanquam collisiones quaedam mutuae luminum, ipsius primi boni gratia factae, amorem tandem ad ipsum bonum in animo accendunt, amor confestim traducit, & venit, mox diuinum in animo fit accenso superne lumen effulget. *Idem in Dion. Areopag. de diu. nom.*

SIMILITVDO.

D. Gregorij, Nulla ars doceri praesumitur, nisi intenta prius meditatione discatur: ars artium est regimen animarum. Quis cogitationum vulnera occultiora esse nesciat vulneribus viscerum? Et tamen saepe, qui nequaquam spiritualia praecepta cognouerunt, cordis se medicos profiteri non metuunt, dum qui pigmentorum vim nesciunt, medici videri carnis erubescunt. *In Pastorali, part. 1. c. 1.*

Vide Contemplatio, Consideratio.

MEMORIA.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

Memoria, Graece μνήμη vel ἡ μνημοσύνη. memor, & μνημονεύω, memoro dicitur. Hebr. Zeker, & Zecaron. memoria, recordatio, monimentum, quod nos alicuius rei admonet: a verbo Zachar, vel (quod pronūciamus, ac sic scriptū esset ZaKar) id est recordatus est, reuoluit in corde, habuit in corde, reseruauit in corde suo, ad mentem reuocauit. Est autem memoria, per quā animus repetit ea, quae fuerunt. *Cic. in Rhetor.*

Memoria est iterata resumptio alicuius apprehensi sensu vel intellectu. *secund. Arist. lib. de Memoria & reminiscentia.*

Memoria est in multis aliis animalibus, reminiscentia tantum in hominibus. Differunt enim memorari & reminisci, primo secundum tempus: quia licet vtrunque sit circa praeteritum, tamen reminiscentia requirit obliuionem in tempore intermedio, quod non requirit memoratio. Item memoratio bene conuenit aliis animalibus ab homine, reminiscentia vero non. *ex Arist.*

Memoria est pars integralis prudentiae: quia ad eam requiritur experimentum multorum, quod haberi non potest absque memoria praeteritorum, quia, vt dicit Philosophus, 1. Met. ca. 1. experimentum est ex pluribus memoriis.

Memoria qua repetit animus, quae fuerunt. *Cic. in Rhetor. Secundum Arist. de memoria & reminiscent.* est iterata resumptio, alicuius apprehensi sensu vel intellectu. Vel: *secundum eundem*, est pars integralis prudentiae. Non est autem futurorum nec praesentium, sed praeteritorum tātum; sensus praesēt tium, spes futurorum.

DIVISIO.

Memoria est duplex: *Naturalis*, ea quae nostris animis est insita, & simul cum cogitatione nata: *Artificiosa* vero illa, quam confirmat inductio quaedam, & ratio perceptionis. Sed quia in ceteris rebus ingenii bonitas imitatur saepe doctrinam: ars porro naturae commoda confirmat, & augetur sic in hac re, vt nonnunquam naturalis memoria, si cui data est egregia, similis sit artificiosae.

LOCI BIBLICI.

Memoria beneficiorum acceptorū necessaria est. *Deuter 24. v. 18. 22. & 26. 5. Psalm. 71. 6. & 78. 6.* memoria praeteritarum miseriarum vtilis est, *Exod. 22. 21. & 23. 9. Leuit. 19. 34. Deut. 10. 19. & 15. v. 15. & 16. 12.*

SENTENTIAE BIBLICAE.

Nouissimorum memoria a malo reuocat.

In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in aeternum non peccabis. *Eccl. 7.*

Memento nouissimorum, & desine inimicari. 28.

Ad bonum incitat.

In die bonorum ne immemor sis malorum, & in die malorum ne sis immemor sis bonorum, quoniam facile est coram Deo in die obitus retribuere vnicuique secundum vias suas. *Eccl. 11.*

Memento irae in die consummationis, & tempus retributionis in conuersatione facies. 18.

Ne dederis in tristitiam cor tuum, sed repelle eam a te, & memento nouissimorum. 38.

Memor esto iudicij mei, sic enim erit & tuum. Mihi heri, & tibi hodie. *Ibid.*

Non posuisti haec super cor tuum, neque recordata es nouissimi tui. *Esa. 47.*

SENTENTIAE PHILOSOPHICAE.

Memoria est signatarum rerum in mente vestigium. *1. Tusc.*

Memoria minuitur, nisi exerceas eam: nunquam tamen senem quēquam audiui oblitum, quo loco thesaurum obruisset. *Cato Maior.*

Habet praeterea doloris secura recordatio delectationem. *Cic. lib. 5. epist. fam.*

Iucunda & suauis est praeteritorum malorum memoria.

Iucundi sunt acti labores. *2. de Finib.*

Tantum scimus, quantum memoria tenemus.

Facile meminimus, quae volumus: at non licet obliuisci, quae volumus.

Tenacissima est iniuriae memoria, at beneficij breuissima.

Memoria hominum adeo labilis est, vt aegre reperias duos, qui quae simul audierunt, eodem modo referant. *P. Man. apoph.*

Omnis disciplina memoria constat, frustraque docemur, si quicquid audimus, praeterfluat. *Quint. lib. 11.*

Memoria vel nomine suo Graeco mansio potius, quam motio dicitur.

Profecto quae in pueritia discimus, diutius firmiusque, vt fertur, meminisse solemus.

Mater Musarum Memoria est. *Plat. in Crat. Timeo.*

Memoria laborant & celeres, & tardi: celeres, quod humidiorea sint, quam par est, vnde fiili, & inhaerere imagines non possunt: tardi, quod rigeant plus aequo, vnde propter duritiem typos non admittunt.

Memoria est scriba intus manens. *Arist.*

Eorum, quae frequenter intelligimus, cito reminiscimur.

Memoria non est futurorum, nec praesentium, sed praeteritorū, vnde sensus est praesentium: Opinio seu fides futurorum, & memoria praeteritorum. *Idem de memor.*

Quemadmodum & reliquas animae facultates ex actionibus ipsarum deprehendimus: ita memoriam quoque a posteriori cō siderantes possumus, animae facultatem esse, quae per relationem ad alia consistat ex rebus siue sensu siue cogitatione perceptis. Atque haec animae potentia, quae semper ad alia refertur, memoria appellatur.

Aristoteles memoriam habitum imaginationis esse definit, tanquā simulachrum illius rei, a quo orta est imaginatio. Cum enim ad facultatem imaginandi sensus peruenit, tum illa, quae cum ea ran dem affectio, phantasma dicitur: Ex eitata igitur sentiendi facultate a sensu, id quod offert rei sensilis imaginē, a qua re phantasma natum est, imaginis & simulachri rationem habet ad ipsam rem phantasia perceptam: & sic imago quaedam est in facultate phantastica rei, quae sub sensum cecidit. Quum autem circa phantasticam facultatem retentio & habitus phantasmatis fit, Memoria nuncupatur, quae quidem brutis quoque communis est, illa vero discreta facultas, qua reminiscimur, sola rationis praedita contingit. Nam quod discretum est, ad rationem pertinet: proinde Aristoteles ait, animalia bruta meminisse quidem non autem reminisci: solum vero hominem vtrumque facere. *Porphyrius de anima & eius potentiis.*

Memoria est facultas animi, qua quis ea quae sensu aliquo externo, aut interno cognouit in mente continet. Itaq actio huius tota est introrsum conuersa: est n. Memoria, velut picta tabula, quę vt aspectu oculorum efficitur, sic illa intuitu animi intelligentis, aut cognoscentis. Quae notitia non est simplex. Nam Consideratio est, cum inquirit & scrutatur: Recordatio vero, cū ad id peruentum est, quod volumus. Est & in Recordatione recultus, cum animus insistit in recordatione rei alicuius, multum eam retractans cogitatione, & reuoluens: quod recolere nominatur. Quae recordatio simplicit gignitur intuitu animi in memoria, ea cōis est nobis cum beluis: quae autem fit per gradus quosdam, & discursum a rebus, quae ante animum obuersantur, ad ea quę subterfugerant, hominis est propria, qui solus discursu vtitur, reminisci a Philosophis nuncupatur. Reminiscentia nobis est, ὡς Graecis ἀνάμνησις, quę est in recordationē reductio, quasiq; recordationis recordatio.

cordatio. Habemus igitur Memoriam, Recordationem, & Reminiscentiam.

Memoriæ sedes ac velut fabrica, in occipitio est a natura collocata, admirabili sapientia, quod præterita cernat. Illic velut oculum habemus quendam multo præstantiorem, quam si corporalis, aliquis esset astructus, qualis in frõte: quod in fabulis est de Iano.

Memoriæ, sicut & manus duæ sunt vires: apprehendere, & retinere. Apprehendunt facile, qui humido sunt cerebro.

Memoriæ plurimum confert naturalis contemperatio corporis, quali fuisse præditos illos credibile est, quorum magnitudo memoriæ monumentis literarum celebratur: Themistocles, Cyrus, Cyneas, Hortensius. Adiuuatur tota ratione victus, cibis, potionibus, exercitamentis, quiete, somno moderatis, & ad facultatis illius instrumenta accommodis. *Ludouicus Viues lib. 2. de Anima.*

Ἡ μνήμη παντὶ μηνύει, ὅτι μονή ἐστιν ἐν τῇ ψυχῇ, ἀλλ' οὐ φορά.

Memoria vel nomine suo Græco cuiuis ostendit, quod mansio quædam sit in anima, non autem motio. *Plato in Cratylo.*

Μεγίστη δὲ φυλακὴ, τὸ μὴ γράφειν, ἀλλ' ἐκμανθάνειν. οὐ γάρ ἐστι τὰ γραφέντα μὴ οὐκ ἐκπεσεῖν.

Maxima studiorum est conseruatio, si non scribantur, sed ediscantur: fieri enim non potest, quin scripta nobis excidant. *Idem in epist. ad Dionys.*

Memoria necessarium maxime vitæ bonum, & thesaurus eloquentiæ, ac tanquam lumen aliquod, res est ex omnibus partibus animi maxime delicata & fragilis, in quam primum senectus incurrit, sæpeque, vt Plinius inquit, deficere tentatur, meditatur, vel quieto corpore, ac valido. Somno quoque serpente compistat, vt inanis mens quærat, sit vbi loci. Imo vero huic adagioni occasio data, vt cum, qui memoria sit nulla, sepulchra legisse dicamus. Nec sepulchra legens (*inquit apud Ciceronem Cato*) vereor, quod aiunt, ne perdam memoriam. His enim ipsis legendis, redeo in memoriam mortuorum. Est profecto huius potentiæ natura miranda. Subito vetusta ex longiore interuallo reuocata ingerunt sese, atque exhibent, interim sponte, interim id ipsum agentibus nobis ac meditantibus sæpe & interquiescentibus. Excidunt quandoque proxima, inhærent antiqua, quæ vetusta sunt, hesternorum obliti, acta pueritiæ in digitos mittimus. Quod requisiueris, altius illatebrare se atque recondere animaduertitur: mox aliud agenti reddit se atque offert, nec manet semper memoria, sed aliquando veluti postliminio redit.

Galenus post Hippocratem summus artis medicæ princeps, in Microtechne, cerebrum tenuitatis contemperatæ esse memoriæ fomitem, causamque præcipuam arbitratur: quoniam crassiore parte illa obrepat obliuio, qua humectiore hebescant sensus: sicciore autem euadant liquidiores. Porro, *Auicenna 9. Naturalium tradente,* egregia illis suppetit memoria, quorum animæ multis non distrahuntur moribus, nec conuellitur cogitatio. Quę ratio plene efficit, vt pueri, quamuis humectioris sint naturæ, pertinaciter tamen retineant, quæ imbiberint, simul & propter motus vehementiam, *vt adijcit Thomas*. Nam & quæ miramur amplius memoriæ adglutinantur, adfiguntur que: admirantur autẽ fere omnia pueri, vt quibus noua ac insolita sint. Hoc vero est, quod significat Quintilianus, vbi natura esse nos tenaciores ait, eorum quæ a teneris annis imbibimus. Contra vero in senibus redundante humoris vi, contingit memoriam esse nullam, sed timentibus excutitur memoria, propter frigiditatem humores cõgelantem, quibus coeuntibus concrescentibusq; nulla recipi impressio potest, &c. *De reminiscentia & memoria vide Platonem in Philebo, ac Phædro, dialogis, item & in Phædone.*

Docilitatis partes tres esse apud Græcos traduntur: anchinœa, i. Solertia, Memoria, Oxytes. Memoria est rerum, quæ quis didicit, cõseruatio, Oxytes, mentis intelligitur celeritas. Anchinœa vero, vbi ex ijs quæ didicimus, etiam quæ non didicimus, venamur: quam Quintilianus mentis agitationem vocauit. Aristoteles 6. Moralium Anchinœam, ab Eubulia, i. consultandi præstantia diuersam facit: quoniam sit Anchinœa Eustochia quædam, id est, coniectandi excellentia.

Differunt autem memoria & reminiscentia: nam est & in brutis memoria, vnde & prudentiam quoque habere in Philosophia prima colligit Aristoteles, verum imperfectam, sicut & memoriam. In hominib. n. tantum est reminiscentia. Ea vero est discursus rerum cum ratione ab vniuersalibus ad particularia, & remotis a sensu vel indeprio, ac recensio eorum, quæ in se memoria reseruarit, memoriæ plerumq; vegetandæ gratia. Sexto Naturalium Auicẽna scribit: Cognoscere aliquid sibi fuisse quod iam sit abolitum, in homine est tantum, & in rationali virtute.

Memoriæ virtus ex quorundam sententia duplex videtur: facile percipere, diu retinere, illud ex humecta cõtingit natura, hoc est sicca. Inde venit, vt nonnulli facilius discant, quam percepta custodiant. Alij vero secus, vt ad humiditatem vergunt, vel ad siccitatem, & propterea Aristoteles.

Οὐ γὰρ οἱ αὐτοί εἰσι μνημονικοὶ καὶ ἀναμνηστικοί, ἀλλ' ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ μνημονικώτεροι μὲν οἱ βραδεῖς, ἀναμνηστικώτεροι δὲ οἱ ταχεῖς καὶ εὐμαθεῖς.

Non ijsdem memoria viget, ac reminiscentia: sed vt plurimum ingenio tardi memoria valent, dociles autem, reminiscentia. Cuius ratio est, vt inquit Thomas, quia diuersæ hominum habitudines ad animæ operationes ex diuersa proueniunt corporis dispositione. Videmus autem ea, quæ difficulter ac tarde impressionem recipiunt, valide perseueranterque eandem custodire, vt est lapis: quæ vero nullo admittunt negotio, haud pertinaciter retinere, verum tota facilitate remittere, vt cera, aut aqua. Et quia nihil prorsus aliud memoria est quam perceptorum constans retentio, inde est, quod hebetium adminiculatior firmiorque memoria est: acutorum vero ac velocium imbecillior, & magis lubrica. Cęterum in ijs reminiscentia longe præcellens. *Hæc & alia plura Cælius Rhodiginus libro decimo Antiquarum lectionum, c. 15.*

De memoria. DIAL. VIII.

Fransc. Petrarcha.

GAV.

Memoria ingens data est. R. Ampla ergo domus tædij, & atrium fumosarum imaginum, vbi multa displiceant. G. Memoria est multarum rerum. R. Multis in rebus pauca delectant, plurima cruciant, & sæpe delectabilium mœsta recordatio est. G. Rerum adest variarum memoria. R. Si bonarum, bene, si malarum, quid hinc gaudes? parum ne triste est, vel tulisse mala, vel vidisse, nisi vel quotidie recursent, vel sub oculis sint semper? G. Memoria diuersarum rerum suppetit. R. Et culparum, & delictorum, & scelerum, & ignominiarum, & repulsarum, & dolorum, & laborum, atque discriminum, quamuis huic vltimæ voluptas quædam (vt aiunt) sit adiuncta memoriæ. In quo tamen intelligitur non iam præteritorum malorum cogitatio, quam præsentis boni delectatio iucunda esse. Itaque neminẽ laboris ac periculi meminisse iuuat, nisi quietum, aut securum. Paupertatem læte meminit, sed diues, morbum, sed incolumis, sed liber, carcerem, sed solutus, vincula, sed reuersus, exilium. Sola ignominiæ memoria in medijs licet honoribus tristis est. Adeo nihil delicatius, vel incurabilius, quam fama. G. Memoria multiformis est, & multorum temporum. R. In recordatione multiplici multiplex molestia. Quædam nempe conscientiam vellicant, quædam pungunt, quædam vulnerant. Alia confundunt, alia exterrent, alia deijciunt, vnde fit vt memorantium ora rubor, pallorque vicissim in silentio occupent, quod pessimis hominum plerumque accidit, incessusque fit varius, vox incerta, & quæ sunt eiusmodi animi memoria laborantis indicia. G. Memoria prompta est. R. Mallem, voluntas pia, castumque desiderium, & honesta consilia, & actus innocui, & vita probri nescia. G. Memoria apprime tenax est. R. Vnde hæc igitur obliuio cælestium præceptorum, quæ tam pauca sunt numero? Vnde obliuio Dei veri? Vnde obliuio suimet? G. Memoria admodum tenax est. R. Terrenarum, & inutilium rerum credo, quonam vero, & quo vaga hæc volatilisque memoria? quæ cum cœlum, terramq; peragrauerit in seipsam nesciẽs reuerti, quod vnum necessarium, ac salubre erat, obliuiscitur. In qua etsi forte aliquid delectationis interdum, sæpe tamen anxietatis est plurimum, nec immerito. Themistocles cum ei quidam memorandi artem a Simonide tunc inuentam polliceretur, Malle se ait obliuionis artem quam memoriæ discere. Et licet hoc ille suo quodã iure respondisse videatur, vt qui naturæ dono illo supra fidẽ excelleret, cuiusque memoriam innumeræ quidem rerũ, atque verborum imagines prægrauarent, fere tamen omnibus conuenit, ita omnes & dediscenda discitis, & discenda dediscitis, in his tantum quorum vtilis esset obliuio memoriam exercentes, inque id naturæ finibus non contenti insaniam arte laxatis. G. Memoria omnipotens est. R. Titulus hic vni suus est Deo Multipotens dicere voluisti. Si qua tamen insignis memoriæ vis est (quod omni curiositate melius fuerit) damnosa reijciat, stringat vtilia, neque tã sedula, quæ delectent aggreget, quam quæ prosint. G. Memoria optima est. R. Optimo nihil est melius, quod si fidem dicto quæris, vt in optimis te memorem præbeas oportet. Memento peccati tui, vt doleas, memento mortis vt desinas, memento diuinæ iustitiæ, vt timeas, memento misericordiæ, ne desperes.

De inopi & infirma memoria. DIAL. CI.

DOL.

Sed memoria inope, & infirma sum. R. Est hæc alia senectutis infamia haud verior quam reliquæ, sed vt vera sit, huic quoque studij ope subuenias. D. Memoria labascit. R. Adesto ne corruat, & labentem iugi exercitatione sustenta. Fac quod muro ruinam minanti, adhibe repagula opportunis locis, & fragilem crebris, ac validis adminiculis circumualla. D. Memoria fluxa est. R. Diligentia, & artificio istam stringe, cunctis ingenij memoriæque defectibus occurrit industria. Nil patitur industria perire, nil minui. Hæc est quæ philosophos & poetas senes, virentissimo ingenio ac stylo, hæc est quæ decrepitos oratores vnec solida validisque lateribus ac tenaci memoria seruare potest, quod nisi sic esset,

set, numquam Solon, & quotidie discens aliquid senesceret, & supremum agens spiritum ad colloquium assidentium amicorum, ex ipsa iam quasi morte consurgeret, non Chrysippus acutissimi illud, ac profundissimum volumen cœptum iuueni in extrema perficeret senectute, non Homerus illa ætate diuinum, & celeste opus excuderet, non Simonides octuagesimo vitæ anno in Pierium illud certamen iuuenili feruore animi, senili autem maturitate descenderet, non quarto & nonagesimo Isocrates ardens illud opus, ac mirabile, & propè centesimum Sophocles tragici summum styli decus suam compleret Oedipodem. Non octogenario maior Cato nulla mutatione vocis, aut laterum nullo memoriæ lapsu, vel in graui seipsum accusatione defenderet, vel clarissimos oratores vltro ipse ad iudicium euocaret. D. Infida memoria est. R. Noli ergo illi fidere, sæpè calculum tecum pone, quicquid credideris confestim exige, & quod cras facturus fueras, nunc facito. Non est tuta dilatio. Sic ex malis si quid boni potes elice. Fides socij desidiam parit, diligentiam perfidia. D. Memoria sum nulla. R. Ea est rerum conditio humanarum, vt qui pauciora meminerit, minor illi fletuum causa sit, vbi nec emendatio, nec pœnitentia vllus locum habet, quid superest aliud, quam obliuionis auxilium?

Non est memoria sensus, nec opinio, sed alicuius eorum habitus, vel affectio, cum tempus accesserit. *l. de Memor. & reminisc. c. 1.*

Memoria omnis cum tempore coniuncta est: hinc ea sola animantia, quæ sensum habent temporis, memoria prædita sunt ea ex parte, qua eius sensum habent. *ibid.*

Quoniam rerum, quæ intelligentia cernuntur, memoria constare sine visione nullo modo potest: fit vt ipsa memoria in ea parte animi, quæ rationis mentisque est, impropriè, & per aliud, per se autem in ea, quæ primo sensu percipit, versetur. *ibid.*

Ii qui in magno motu, vel propter perturbationes, vel propter ætatem versantur, non valent memoria. *ibid.*

Fere tardi præstantiore sunt memoria. *ibid.*

Cogitatio, & meditatio memoriam conseruant recolendo: quod aliud est nihil nisi crebro intueri rem aliquam non per se, sed quatenus alterius simulachrum. *lib. de Memor. c. 1.*

Recordatio tum denique accidit, & efficitur, cum motus vnus animi eam vim habet: vt alterum consequatur. *lib. de Memor. & Rhetor. c. 2.*

Cum recordatur homo quodammodo potest per se moueri ad quæ principium sequuntur: cum non potest per se, sed aliena vi, & ope eget, non iam meminit. *ibid.*

Recordatione plus valent celeritate ingenij præditi, & dociles homines. *lib. de Memor. c. 1.*

Quæ in recordatione, & expectatione consistunt, [illegible]sensu etiam oriuntur: aut enim eorum, quæ ipsis euenerunt, recordatione homines lætantur, aut eorum, quæ sperant expectatione. *lib. 7. de Nat. cap. 3. T. 19.*

Nullum ærarium certius est ad retinenda bona, quam memoria: Immemoribus enim & stupidis ea cum tempore effluunt: itaque nihil seruantes, in perpetuum vacui bonorum, spe pleni futura, præsentibus dimissis, spectant. *Plut. in Mario.*

Qui bono ingenio sunt præditi, facile reminiscuntur: qui autem nonnisi cum magno labore discunt, ij memoriter, quæ apprehenderunt, retinent, eo quod singula, quæ didicerunt, quasi inuruntur eorum animis. *Idem in Catone Vticensi.*

Ita præcipuè arbitramur res memoria facilè retineri, quando per sua velut capita dispositæ finem principio adnexum habent. *Diod. Sicul. lib. 17.*

Apophtheomata.

Socrates literas, quas vulgus putat repertas iuuandæ memoriæ causa, dixit vehementer officere memoriæ. Olim enim homines si quid audissent dignum cognitu, non libris, sed animo inscribebant: hac exercitatione cōfirmata memoria, facile tenebat quicquid volebat: & quod quisque sciebat in promptu. Post reperto literarum vsu, dum libris fidunt, non perinde studuerunt animo infigere, quod didicerant: Ita factum est, vt neglecto memoriæ cultu, minus viuida esset rerum cognitio, & pauciora quisque sciret: quandoquidem tantum scimus, quantum memoria tenemus. *P. M. lib. 3. apoph.*

Themistocles ludum prætereiens, in quo diceretur esse professor, rogauit quid is profiteretur: cum responsum esset, artem memoriæ hic doceri, contempsit, dicens: At ego mallem artem obliuiscendi. Verum hæc vox digna fuit eo qui linguam Persicam intra annum potuit ediscere. *Plut. in Græco. apoph. Meminit Cic. l. 2. de Orat.*

Polemon. Proconsul torquebat prædonem quemdam: cumque dubitaret, quod supplicij genus esset de illo sumpturus, superueniens forte fortuna Polemon, iube, inquit, illum ediscere veterum scripta. Ipse quidem Polemon multa edidicerat, sed in exercitatione nihil ducebat laboriosius, ac molestius, quam ediscere: eoque Fabius iubet hoc tædium protinus à pueris deuorari. *Philostr. in Sophist.*

Appius Claudius, cum apud Scipionem iactaret, se omnes Romanos posse memoriter nominatimque salutare, ille: Bene, inquit, naras. Ego enim non vt multos cognoscerem, sed ne ab vllo ignorarer, adnixus sum. *Brus. lib. 4. c. 4.*

Polyanthea Nouiss.

Cass. Seuerus, cum ex Senatusconsulto libri illius exurerentur: Nunc, inquit, superest vt ipse viuus comburar, qui illos edidici. Quod animo insculptum est, nisi cum vita eripi non potest. *P. M. lib. 8. apoph.*

Claudius Cæs. cum cuidam notam appositam, deprecantibus familiaribus remisisset: Litura tamen, inquit, extat. Sentiens, etiam remissa culpa, manere tamen infamiæ prioris vestigium. Alludens ad scripturam, quæ licet spongia deleatur, aut graphio radatur, relinquitur tamen lituræ vestigium. *P. M. lib. 6. apoph. ex Sueton.*

Similitudines.

Seneca, alimenta, quæ accepimus, quamdiu in sua qualitate perdurant, & solida innatant stomacho, onera sunt. At quū ex eo quod erant mutata sunt, tunc demum in vires, & sanguinem transeūt. Idem in his quibus aluntur ingenia, vt quæcumque hausimus, nō patiamur integra esse, nec aliena sint, sed concoquamus illa: alioquin in memoriam ibunt, non in ingenium. *l. 2. ep. 85.*

Vt libri quos non euoluas, situ cohærescunt: Ita memoria euanescit, nisi subinde renoues. *Apud P. M.*

P. M. Memoria similis reti, quod maiora continet, minuta transmittit. *In Simil.*

Sicuti picis mirum est studium imitandi verba hominis, adeo vt in conatu nonnumquam emoriantur: Ita nonnullis dulce edicere preculas, & psalmos, eosque subinde sonare, cum non intelligāt. *ibidem.*

Lupis quos ceruarios vocant, etiam in fame subrepit obliuio cibi, si modo respexerint, ac protinus alium quærunt: Ita nōnullis mox excidit, quod modo instituerant narrare si interiectis verbis aliquot animum illorum alio deuocaris. *ibid.*

Adagia.

Iucunda malorum præteritorum memoria. *ἀλλ' ἡδύ τοι σωθέντα μεμνῆσθαι πόνων.*

Meminisse laborum suaue, qui seruatus est.

Iucundi acti labores. *Cicer.*

Sumptum adagium ex ipsa hominum natura. Est enim hoc insitum omnibus, vt iucunda cuique sit ante actorum malorum, aut periculorum secura recordatio. Nach gethaner arbeit ist gut feyren.

Quæ dolent, molestum est contingere.

Vnusquisque inuitus audit sua incommoda, maximè ea, quæ sint cum aliqua turpitudine, vel infamia coniuncta.

Vbi quis dolet, ibi & manum habet. *ὅπου τις ἀλγεῖ, κεῖθι καὶ τὴν χεῖρ' ἔχει.*

Tempestiuiter vtemur, cum significabimus quempiam ea tractare deque iis libenter verba facere, quæ mouent animum. Wo einem wehe ist, da klaget er sich.

Aurem vellere.

Dicebant hoc veteres pro admonere. Virgil.

Tamquam meum nomen.

Vtemur, quando promptam certamq; memoriam significare volumus. Idem. Tamquam meos digitos.

Ignarium dare. Stimulis fodere. Fodere latus. Tangere aliquem cubito.

His gestibus admonemus: quemadmodum & vellendo aurem.

Prophana Exempla.

Sunt hic memoriæ exempla subtexenda, qua secundum rationem nil Deus dedit homini sanctius, nihil vtilius, & ad eruditionem aptius. Est hæc thesaurus disciplinarum omnium, artiumque studio, & labore quæsitarum custos fidelissima. Aliquid certe vidit sapiens poeta, qui Musarum memoriam dixit matrem, nec minus prudens qui Lethen, quæ huic contraria est, apud inferos statuit. Constat id bonum naturæ beneficio, augetur tamen & excolitur arte, in quo genere vnum exemplum, & singulare vidit nostra ætas in Antonio Rauennate, qui multa millia rerum stans percipiebat animo, & eo quo accepta essent ordine, memoriter reddebat: sed hæc artificij sunt non naturæ. *Sabellicus lib. 10. c. 9. Exemplorum de Memoria.*

Maiore admiratione dignus *Mithridates rex Ponti*, quo nullus regum diutius, grauiusque exercuit Romana arma. Fertur is duabus & viginti diuersis nationibus, quibus imperabat sua cuique lingua ius dicere solitus, & pro concione singulos sine interprete affari. *Galen. & Plin. authores.*

Cyrus rex, qui immensos ductauit exercitus omnibus militibus nomen reddidit. Sic L. Scipio, quod æquè mirum videri possit, populo Romano.

Cyneas Pyrrhi Regis legatus, postridie quam Romam venerat, senatum & equestrem ordinem proprio nomine salutauit.

Superfuit & *Cæsari Dictatori* id bonum, qui scribere, & legere vno tempore, dictareque & audire sit solitus. Epistolas magni ponderis quaternas pariter dictabat, aut si aliud non egisset, septenas. *Plin. hoc refert.*

Carmides in tota Græcia, quæ quis volumina exegisset, in Bibliothecis legentis modo repræsentauit. *Author. Plin.*

Ælius Adrianus tanta fuit memoria, vt locos, negocia, milites absentes quoque nominibus suis recenseret.

Themistocles tanta fuit memoria, vt Simonidi artem memoriæ pollicenti, dixerit, se malle artem obliuionis: quod etiam meminisset, quæ nollet, & obliuisci non posset, quæ vellet. *Author. Cic. lib. 2. de Orat.*

Aiunt & *Theodecten* Aristotelis discipulum multæ fuisse memoriæ. Habuit & Lucullus diuinam quamdam rerum memoriam, maiorem verborum Hortensius. *Auth. Cic. 4. Tuscul. quæst.*

Seneca de seipso scribit, suam memoriam adeo excelluisse, vt non ad vsum modo sufficeret, sed in miraculum vsque procederet: nam duo millia nominum recitata, quo ordine erant dicta, referebat, ducentos quoque versus, ab vltimo incipiens, recitabat.

Esdras sacerdos vniuersas Hebræorum doctrinas habuit in memoria. *Ioseph. lib. 11. c. 5. Antiquit. Iudaicarum.*

Tanta fuit *Portio Latroni* memoria, vt quæ dicturus erat, ediscendi causa numquam relegeret, edidicerat cum scribebat: dicebat item, vt in nullo vnquam verbo memoria eum deciperet, iubebat aliquem nominari ducem, statim illius gesta ad vnguem reddebat.

Memoriam definit *Cic. lib. 2. de Inuentione Rhetorica*, per quam illa animus repetit, quæ fuerunt.

Artis memoriæ inuentor fuit *Simonides. Cic. lib. 2. de Orat.* Ordo maximè adfert memoriæ lumen.

De memoria eleganter, & copiosè scripsit *Cic. l. 3. Rhet. ad Heren.*

Memoria quo preciosior, eo magis iniuriæ obnoxia. Quidam enim lapide ictus, literas prorsus oblitus est. Alius tecto præcipitatus, matris & propinquorum tactus est obliuione, *Messala Coruino* Oratori grauiter ægroto, seruorum, & sui ipsius nomen excidit.

Cæsar dictator scribere, & legere vno tempore, dictare, & audire solebat: epistolas magni ponderis quaternas pariter dictabat, aut si non aliud ageret, septenas.

Vide Mens, Recordatio, Item Contemplatio, Consideratio, Meditatio.

MENDACIVM.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Mendacium, Græcè ψεῦδος, ὁ, τὸ & ψεύστης, i. mendax, & ψεύδομαι mentior dicitur. Mendacium Hebr. *Cazab.* fraus, vituperium, à verbo *Cazab.* mentitus est, defraudauit. Cognationem habet cum verbo *Cascsaph.* fascinauit. Græcè κιβδηλεύω, mentior. 2. *Cacasch*, abnegatio, mendacium, denegatio, *Ose. 10. 13. Nah. 3. 1. Iob 16. 8.* à verbo *Cachasch*, negauit, abnegauit, mentitus est, frustratus est, non respondit voto. Cognationem habet cum verbo *Schacach*, oblitus est: & cum verbo *Caschach*, obtenebratus est. Mendax enim memoria caret, vt & iudicio. 3. *Scheker*, etiam mendax dicitur, à *Schakar*, Scurrilis fuit, perfidè, dolosè egit. Cõuenit cum verbo *Scharah*, exsibilauit, sarcasticè derisit. Hæc enim vitia sunt mendacibus familiaria. Est autem mendacium falsa vocis significatio, cum intentione fallendi. *secund. Aug. lib. de Mendacio.*

Mendacium est sermonis, orationis, dicti vanitas.

Mentiri est concretum, & mendacium est abstractum. Ideo dicens verum contra opinionem eius, mentitur, sed quod dicit non est mendacium. *Ex S. Thom. 3. Sent. dist. 38. q. 1.*

Mentior à mente deriuatur, quod est contra id, quod est in mente, loquor. Distatque a mendacium dico, nam qui mentitur non ipse fallitur, sed alterum fallere conatur: qui vero mendacium dicit, ipse fallitur, cum credat se verum dicere. Vnde Nigidius: *Vir bonus*, inquit, *præstare debet, ne mentiatur: prudens, ne mendacium dicat.* Illud à mente deducitur, hoc a menda, quod errorem significat. Vnde mendosum librum dicimus, plenum erroribus: hinc emendo, corrigo, & emendator, & emendatrix. A mendacium mendax, mendaciter, mendacius, mendacissimè descendunt.

LOCI BIBLICI.

Mendacium fugiendum, *Gen. 38. 25. Exod. 20. 16. & 23. v. 1. 7. Leuit. 19. 11. Psal. 4. 3. & 15. 2. Prou. 6. 17. & 12. 22. & 19. v. 5. 22. & 30. v. 6. 8. Ier. 5. 31. Zach. 8. 17. Ephes. 4. 25. Coloss. 3. 9. Apocal. 21. 27.* Mendaciũ à Principe alienum esse debet, *Prouer. 17. 7.* ab impijs facile arripitur, *2. Thess. 2. 11.* mendacij pœna, *Apocal. 21. 8. & 22. 15.* mendacium passim regnat, *Psalm. 12. 2.* Ne in Dei quidem gloriam, & fauorem mentiendum est, *Iob 13. v. 7. 10. Prou. 13. 17.* mendacia inter maxima scelera sunt numerata, non adiubna perniciosi, aut officiosi distinctione, *Psal. 5. 7. Osee 4. 2. Zachar. 8. 16.* à mendacio autem abstinere iubemur, *Matth. 5. 37. 1. Cor. 1. v. 18. 19. Ephes. 4. 25. 1. Ioan. 1. 21.*

Mendacium non suscipiendum à Iudice, *Exod. 23. vers. 1. 7.* Mendax omnis homo, *Psalm. 116. 11. Esa. 9. 17. Roman. 3. 4.* mendax est, qui negat Christum, *1. Ioan. 2. 2.* mendax spiritus in Prophetis, *1. Reg. 22. vers. 22.* mendax Spiritui sancto Ananias, & Saphira moritur, *Act. 5. v. 3. 5. &c.*

DIVISIO.

Mendacium.

- *Perniciosum.*
  - *In doctrina religionis, quod est contra fidem, vel contra bonos mores.*
  - *Quod nulli prodest, & alicui obest.*
  - *Quod vni prodest, & alteri obest.*
- *Iocosum.*
  - *Quod fit sola mentiendi libidine Arist. lib. 4. Ethic. dicit, quod mendax, quia talis est secundum habitum, mendacio ipso gaudeat.*
  - *Quod fit cupiditate placendi suauiloquio.*
- *Officiosum, siue benignum.*
  - *Quod nulli obest, & alicui prodest ad pecuniam eius seruandam.*
  - *Quod nulli obest, & alicui prodest, ad vitam corporis seruandam.*
  - *Quod nulli obest, & alicui prodest, vt ab immunditia corporis aliquem tueatur.*

Ex Aug. 1. lib. de Mendacio.

Mendacium iocosum, vt vanum, scurrile, & Deum timentibus indignum, à pijs, & honestis hominibus repudiatur. Officiosum his rationibus repellatur. Ab omni specie mali abstinendum est, *1. Thess. 5. 22.* Malum non faciendum est, vt bonum eueniat, *Iob 13. 7. 10. Prou. 13. 17. Rom. 6. 15.* Charitas non gaudet iniustitia, *1. Cor. 13. 6.* Mendaces indistinctè damnantur, *Psal. 5. 7. Ose. 4. 2. Zachar. 8. 16.* Falsum testimonium, id est, mendacium damnatur, *Exod. 20. 16.*

SENTENTIÆ BIBLICÆ.

Mendacium à Deo vetatur.

Mendacium fugies. *Exod. 23.*

Non mentiemini: nec decipiet vnusquisque proximum suum. *Leuit. 19.*

Numquid Deus indiget vestro mendacio, vt pro illo loquamini dolos? *Iob 13.*

Veritatem, & iudicium pacis iudicate in portis vestris, & vnusquisque malum contra amicum suum ne cogitetis in cordibus vestris, & iuramentum mendax ne diligatis. Omnia enim hæc sunt, quæ odi, dicit Dominus. *Zach. 8.*

Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem vnusquisque cum proximo suo, quoniam sumus inuicem membra. *Ephes. 4.*

Nolite mentiri inuicem. *Coloss. 3.*

Diabolum imitatur.

Egrediar, & ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum eius. *2. Paral. 18.*

Flagellum inundans cum transierit, non veniet super nos, quia posuimus mendacium spem nostram, & mendacio protecti sumus. *Esa. 28.*

Vos ex patre Diabolo estis: Cum loquitur mendacium, ex proprijs loquitur, quia mendax est, & pater eius. *Ioan. 8.*

A bonis euitatur.

Verbum mendax iustus detestabitur. *Prou. 15.*

Non decent stultum verba composita, nec principem labium mentiens. *17.*

Vanitatem, & verbum mendacij longè fac à me. *30.*

Non contradicas verbo veritatis vllo modo, & de mendacio ineruditionis tuæ confundere. *Eccl. 4.*

Noli amare mendacium aduersus fratrem tuum, neque in amicum tuum similiter facies. *7.*

Ne velis vti mendacio vllo: numquam enim prodest frequentatio illius. *ibid.*

A malis frequentatur.

Qui nititur mendacijs, hic pascit ventos, idem autem ipse sequitur aues volantes. *Prou. 10.*

Malus obedit linguæ iniquæ, & fallax obtemperat labijs mendacibus. *17.*

Suauis est homini panis mendacij, & postea implebitur os eius calculo. *20.*

Lingua fallax non amat veritatem. *26.*

Princeps, qui libenter audit verba mendacij, omnes ministros habet impios. *29.*

Opprobrium nequam in homine mendacium, & in ore indisciplinatorum assiduè erit. *Eccl. 10.*

Ab immundo quid mundabitur? & à mendace quid verum dicetur? *34.*

Sine mendacio consummabitur verbum legis. *ibid.*

Mendacium proximum decipit.

Abscondunt odium labia mendacia. *Prou. 10.*

Qui quod nouit loquitur, iudex iustitiæ est: qui autem mentitur, testis est fraudulentus. *12.*

Profert mendacia versipellis. *14.*

Profert mendacium dolosus testis. *ibid.*

Verba

Verba bilinguis quasi simplicia: & ipsa perueniunt vsque ad interiora ventris. 18.

Vt fauces ferinam gustu deprehendunt, ita sagax animus verba mendacia. *Eccl. 36.*

Seipsum perdit.

Perdes omnes, qui loquuntur mendacium. *Psal. 5.*

Quoniam non est in ore eorum veritas. Sepulchrum patens est guttur eorum. Decidant à cogitationibus suis. *ibid.*

Abominatio est Domino labia mendacia. *Prou. 12.*

Et qui mendacia loquitur non effugiet. 19.

Et qui loquitur mendacia, peribit. *ibid.*

Et melior est pauper iustus, quam vir mendax. *ibid.*

Os autem, quod mentitur, occidit animam. *Sap. 5.*

Væ duplici corde, & labijs scelestis! *Eccl. 2.*

Lapsus falsæ linguæ, quasi qui in pauimento cadens, sic casus malorum festinanter veniet. 20.

Potior est fur, quam assiduitas viri mendacis, perditionem autē ambo hæreditabunt. Mores hominum mendacium, sine honore, & confusio illorum cum ipsis sine intermissione. *ibid.*

Multiplicatæ sunt iniquitates nostræ coram te: quia scelera nostra nobiscum, & iniquitates nostras cognouimus peccare, & mentiri contra Dominum. *Esa. 59.*

Audite verbum Domini, filij Israel, quia iudicium Domino cum habitatoribus terræ. Non est enim veritas, & non est misericordia, non est scientia Dei in terra. Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inūdauerunt. Propter hoc lugebit terra, & infirmabitur omnis, qui habitat in ea. *Ose. 4.*

Sententiae Patrum.

Is qui mentitur, contra id quod animo sentit, loquitur voluntate fallendi.] Et vtique verba propterea instituta sunt, non vt per ea se inuicem homines fallant, sed vt eis quisque in alterius notitiam cogitationes suas proferat. Verbis ergo vti ad fallaciam, nō ad quod sunt instituta peccatum est. *August. in Enchirid. & habetur 22. q. 2.*

In ipsarum consideratione rerum, quæ dicuntur, tantum interest, qua in re quisque fallatur, siue mentiatur, cum falli, quam mentiri minus sit malum, quantum pertinet ad hominis voluntatem: tamen longè tolerabilius fit in his, quæ à religione fidei seiuncta sunt mentiri, quam in his, sine quorum fide, vel notitia Deus coeli non potest falli. *Idem ibidem, & hab. ibid. In ipsarum.*

Mihi non absurdum videtur omne quidem mendacium esse peccatum: sed multum interest quo animo, & de quibus rebus quisque mentiatur. Non enim ita peccat, qui consulendi, quomodo ille qui nocendi voluntate mentitur, nec tantum nocet, qui viatorem mentiendo in aduersum iter mittit, quantum is qui viam vitæ mendacio fallente deprauat. *August. ibid. & habet. ibid. Mihi autem.*

Mendacia enim à mendacibus serio aguntur, non ioco. Quum autē, quæ non sunt, tamquam sint ioco dicuntur, non deputantur mendacia. *Aug. lib. q. Gen. & hab. 22. Quod autem ait.*

Nec artificioso mendacio, nec simplici verbo oportet quemquam decipere: quia quomodolibet mentitur quis, occidit animam. *Augu. lib. de conflict. vit. & virt. & hab 22. q. 3. Nec artific.*

Inde reatus quemadmodum verbum procedit ex animo. Ream linguā non facit, nisi rea mens. *Aug. de verbis Apost. & hab. 22. q. 2. Hominis falsum. § Interest.*

Cum humilitatis causa mentiris, si non eras peccator antequam mentireris, mentiendo efficeris, quod euitaras. *Ibid. & habet. ibid. Cum humil.*

Quisquis metu cuiuslibet potestatis veritatem occultat, iram Dei super se prouocat: quia magis timet Dominum, quam Deum: & *post pauca.* Vterque reus est, & qui veritatem occultat, & qui mēdacium dicit: quia & ille prodesse non vult, & iste nocere desiderat. *Idem ad Casulanum. & hab. 11. q. 3. Quisquis.*

Quomodo Deus pater genuit filium veritatem, sic Diabolus lapsus, genuit quasi filium mendacium. *Aug. super Ioan.*

Quicquid figuratè fit, aut dicitur, non est mendacium. *Aug. super epistol. ad Galat.*

Aliud est iurare falsum, aliud iurare in dolo. Non enim omnis qui aliter facturus est, quam promittit, in dolo iurat, licet enim Apostolus Corinthijs promitteret, veniam ad vos, non tamen in dolo iurauit, aut mendaciter promisit. Hic autem in dolo iurat, aut mendaciter promittit, in cuius mente est non sic se facturum, vt promittit. Ille autem qui promittit falsum, quod putat verū, nec in dolo iurat, nec mendaciter promittit. *Hier. sup. Hierem. lib. 2.*

Congregationem diuitiarum sequitur mendacium, manus enim assueta thesauros condere, fraudulentam linguam possidet. Veritas paupertatem, mendacium diuitias parit. *Hier. sup. Michæam.*

Cauete fratres mendacium: quia omnes qui amant mendacium, filij sunt Diaboli. Non solum in falsis verbis, sed & in simulatis operibus mendacium est, mendacium namque est se Christianum dicere, & opera Christi non facere, mendacium est episcopum, sacerdotem, vel clericum se profiteri, & contraria ordini operari. *Ambros. in serm. de Dominica de Abraham, & habetur 22. q. 5. Cauete.*

Nonnumquam peius est, mendacium meditari, quam loqui, nam loqui plerumque præcipitationis est, meditari vero studiosæ prauitatis. *Greg. in lib. 18. Moral.*

Concessum est Diabolo, interdum vera dicere, vt mendacium suū cara veritate commendet. *Ioan. Chrysost. sup. Matth.*

Mendacia si non habent quem decipiant, ipsa sibi mentiuntur, sicut ait Psal. Mentita est iniquitas sibi. *Idem super Matth. 21.*

Omne genus mendacij summopere fuge: nec casu, nec studio loquaris falsum: nec vt præstes, mentiri studeas, nec qualibet fallacia vitam alicuius defendas. Caue mendacium in omnibus. *Isidor. in Synon. & hab. 22. q. 2. Omne genus.*

Aliud est sub incerto hoc, vel illud opinando sentire, aliud est temere affirmare, quod nescias, est enim qui dubiè profert mendacium, nec mentitur: & est qui veritatem, quam nescit, affirmat, & mentitur. Nam & ille non quidem, quod non est, esse, sed se quod credit credere dicit: & verum dicit, etsi hoc verum non sit, quod credit: & is cum se certum vnde certus non est, dicit, verum non dicit, etiamsi verum sit de quo asserit. *Bern. sup. Cant. serm. 17.*

Sed sibi semper mentiens imprudentia, rerum merita non potest immutare. Nec mihi Socratico decreto fas esse arbitror, vel occuluisse veritatem, vel concessisse mendacium. *Boet. libro 1. de Consol. prosa 4.*

Quum humilitatis causa mentiris, si non eras peccator antequam mentireris, mentiendo efficeris, quod euitaras. *August. de verb. Apost.*

Perdes omnes, qui loquuntur mendacium. Sunt mendacia quædam pro salute, vel commodo alicuius, non malitia, sed benignitate, vt obstetrices, quæ dixerunt pro filijs Israel falsum Pharaoni, hæc autem mendacia non in re, sed in dolo laudantur: & qui sic mentiuntur, merebuntur aliquando ab omni mendacio liberari. Est etiam mendacium ioco, quod non fallit, scit enim cui dicitur, causa ioci dici: & hæc duo genera non sunt sine culpa, sed non cum magna. Perfectis non conuenit mentiri, nec pro temporali vita, cuius morte sua, vel alterius occiditur anima: licet autem, si non falsum dicere, verum tacere, vt si quis non vult hominem ad mortem perdere, verum taceat, sed non falsum dicat, nec pro corpore alterius animam suam occidit. *In Psal.*

Quicquid figurate fit, aut dicitur, non est mendacium. *August. ad Cant.*

In quibus rebus nihil interest ad capessendum regnum Dei, verum credatur an non: verum vera petantur an falsa: in his errare, & aliud pro alio putare, non est arbitrandum esse peccatum, aut si est, minimum est, atque leuissimum. *In Enchirid.*

Aliud est mentiri, aliud est verum occultare: sicut aliud est falsum dicere, aliud est verum tacere; vt si quis non velit ad mortem hominem prodere, paratus esse debet verum occultare, non falsum dicere, vt neque prodat, neque mentiatur, neque occidat animā suam pro corpore alterius. *sup. Psal.*

Qui veritatem occultat, & qui mendacium profert, vterque reus est: ille, quia prodesse non vult, iste, quia nocere desiderat. *Anselm. in epist. ad Cor.*

Nec artificioso ingenio, nec simplici verbo oportet decipere quemquam: quia quolibet modo mentiatur quis, offendit. *Isidor. de conflictu vitiorum, & virtutum.*

Quidam suis mendacijs gratiosi sunt: quidam semper laborant esse veridici, & mendacissimi reputantur. *Pet. Blesen.*

Nonnulli obstetricum mendacium conantur asserere non esse peccatum, maximè quia illis mentientibus scriptum est: quod ædificauit eis Dominus domos, in quo magis recompensatio cognoscitur, quam mendacij culpa mereatur. Nam benignitatis earum merces, quæ eis in æterna potuit vita retribui præmissa culpa mendacij in terrena est recompensatione declinata. *Gregor. super illo loco.*

Deus genuit veritatem: Diabolus mendacium. *Ex Aug.*

Sententiae Poeticae.

Homer. in 1. Iliad.

Ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς Ἀΐδαο πύλῃσιν,
Ὅς χ' ἕτερον μὲν κεύθει ἐνὶ φρεσὶν, ἄλλο δὲ βάζει.
Exosus enim mihi ille velut inferni portæ,
Qui aliud quidem occultum habet in mentibus, aliud vero ore profert.

Phocylides.

Ψεύδεα μὴ βάζειν, τὰ δ' ἔτυμα πάντ' ἀγορεύειν,
Mendacia noli dicere, sed vera omnia loquere.
Μηδ' ἕτερον κεύθειν κραδίῃ νόον, ἄλλ' ἀγορεύειν.
Noli aliam occultare in corde sententiam, & aliam proferre.

Cleobulus.

Ψεῦδος δὲ μισεῖ πᾶς φρόνιμος καὶ σοφός.
Mendacium odit omnis prudens, & sapiens.

Menander.

Ψευδόμενος οὐδεὶς λανθάνει πολὺν χρόνον.
Mentiens nullus latet ad multum tempus.
Ψεῦδος διαβολὴ τὸν βίον λυμαίνεται.
Mendacij crimen vitam lædit.
Ψεῦδος δὲ μισεῖ πᾶς σοφὸς καὶ χρήσιμος.
Mendacium autem odit omnis sapiens, & vtilis.

Euripides.

Δύστηνός ἐστι καὶ τὰ καλὰ ψευδῆ λέγων.
Οὐ τοῖς δὲ χρῆται τοῖς κακοῖς ἀληθέσιν.
Infelix est, qui mendacia etsi bona ea videantur.
Potius vsurpat, quam quæ mala esse iudicat vera.

Sophocles.

Ἀλλ' οὐδὲν ἕρπει ψεῦδος εἰς γῆρας χρόνου.
Κακὸν τὸ κλέπτειν καὶ πρὸς ἀνδρὸς ἀγνοεῖν.
Nullum mendacium procedit ad senectutem eui.
Malum est, facta celare, nec virum decet ingenuum.

Idem in Creusa.

Καλὸν μὲν οὖν οὐκ ἔστι τὰ ψευδῆ λέγειν.
Ὅτῳ δ' ὄλεθρον δεινὸν ἡ 'λήθει' ἄγει,
Συγγνωστὸν εἰπεῖν ἐστὶ καὶ τὸ μὴ καλόν.
Haud quidem honestum est, mendacia loqui;
Cui tamen diram perniciem veritas affert,
Huic venia danda licet inhonesta loquenti.

Pisander Camircus vates.

Οὐ νέμεσις καὶ ψεῦδος ὑπὲρ ψυχῆς ἀγορεύειν.
Non reprehendendus est, qui mendacium pro vita dixerit.

Menander Comicus Poeta.

Ἦ που χαλεπόν ἐστι τὸ ψευδῆ λέγειν.
Profectò intolerabilis res est, mendacia loqui.

Diphilus Thesauro.

Καιρῷ τιθέμενον ψεῦδος εἰς καρπὸν φέρει.
Mendacium positum in tempore: lucrum, seu fructum adfert.
Ὑπολαμβάνω τὸ ψεῦδος ἐπὶ σωτηρίᾳ
Λεγόμενον οὐδὲν περιποιεῖσθαι δυσχερές.
Ego existimo mendacium salutis gratia
Prolatum, nihil adferre mali.

Chæremon Comicus poeta.

Ψευδῆ δὲ τοῖς ἐσθλοῖσιν οὐ πρέπει λέγειν.
Bonis falsa dicere non conuenit.

Theognis.

Principium mendacij exiguum habet gratia, circa finem vero
Turpe sane lucrum, malumque pariter
Nascitur, est autem plane inhonestum, si cui mendacium adhæreat
Viro, & ab ore primum egreditur.

Græcè sic sonat.

Ἀρχῇ ἐπὶ ψεύδους μικρὰ χάρις· εἰς δὲ τελευτὴν
Αἰσχρὸν δὴ κέρδος καὶ κακὸν ἀμφότερον
Γίνεται. οὐδέ τι καλὸν ὅτῳ ψεῦδος προσομαρτεῖ
Ἀνδρὶ καὶ ἐξέλθῃ πρῶτον ἀπὸ στόματος.

Iuuen. Sat. 3.

Quid Romæ faciam? mentiri nescio: librum
Si malus est nequeo laudare, & poscere: motus
Astrorum ignoro: funus promittere patris
Nec volo, nec possum: ranarum viscera numquam
Inspexi. ferre ad nuptam, quæ mittit adulter:
Quæ mandat, norint alij.

PHILOSOPHICÆ SENTENTIAE.

Abstrahentium non est mendacium. *Arist. l. 2. Physic.*

Omne mendacium prauum est, & fugiendum. *Idem l. 4. Ethic.*

Duo sunt opera sapientis, quorum vnum est non mentiri, de quibus nouit: alterum vero, mentientem manifestare posse. *Arist. lib. Elenchor.*

Qui in mendacio confidit, cito deficiet. *Laert. Diog. de vita, & moribus philosoph.*

Vt enim immortalis est veritas, sic fictio, & mendacium non durant. Simulata illico patescunt, & magno studio compta cæsaries vento turbatur exiguo, & operosus, licet impressus fucus sudore diluitur, & argutum quoque mendacium vero cedit, coramque pressius intuente diaphanum est, opertum omne detegitur, abeunt vmbræ natiuusque rebus color manet, & latere diutius magnus est labor. Nemo sub aquis diu viuit, erumpat oportet, & frontem quam celabat, aperiat. *Franc. Petrarch. libro 1 cap. de vita solitaria.*

Τὰ δὴ ἤθη μὴ ἁπλᾶ, ἀλλ' ἐπίβουλα φυλάττεσθαι μᾶλλον δεῖ, ἢ τὰς ἐχίδνας.

Ingenia non aperta, non simplicia, sed astuta, & callida, & ad decipiendum parata, magis quam viperas fugere debemus. *Theophr. de dissimulatione.*

Mendacium dicere aliquando sapienti concessum.

Mendacium odit, quisquis sapiens est, & probus. Mendacio paratur authoritas. *Quint.*

Mendax hoc lucratur, vt cum vera dixerit, ei non credatur. *Aristot. apud Diog. lib. 5.*

Sæpe delinquentibus promptissimum est mentiri.

Mendacium de seipso duplex est.

Mendacium non veterascit. *Theophrast.*

Mendacem memorem esse oportet. *Liu. Dec. 4. lib. 4.*

Multa sunt, quæ nonnullos mortales mentiri compellunt: quia in rem vident conducere. Qui etiam cum vsus postulat, mentiuntur, non tantum venia, sed & laude digni sunt: vt qui hostes fefellerunt, vel ad salutem tali quopiam pharmaco vsi sunt in necessitatibus. Cuiusmodi multa Vlysses etiam fecit, vt & vitam suam, & sociorum reditum redimeret. *Lucian. in Phil.*

Mendacium est falsa verborum prolatio, cum intentione fallendi. *Tullius.*

In virum bonum non cadit mentiri emolumenti sui causa.

Cum iudici dicenda sententia est, meminerit se Deum habere testem, id est, mentem suam, qua nihil dedit homini ipse Deus diuinius. *Cic. 3. Offic.*

Nihil est turpius vanitate.

Qui semel à veritate deflexerit, hic non maiore religione ad periurium, quam ad mendacium perduci consueuit.

Et quæ pœna à Dijs immortalibus periurio, hæc mendaci constituta est. Non enim ex pactione verborum, quibus iusiurandum comprehenditur, sed ex perfidia, ac malitia, per quam insidiæ tenduntur alicui, Dij immortales irasci, ac succensere consueuerunt. *1. Offic. & pro Rosc.*

Vbi quis semel peierarit, ei credi postea, etiamsi per plures Deos iuret, non conuenit. *Pro C. Rab.*

Ψεύδεσθαι προχειρότατον τοῖς πολλὰ ἐξαμαρτάνουσι.

Sæpe delinquentibus promptissimum est mentiri. *Lysias Oratione.*

Ἔνθα γάρ τι δεῖ καὶ ψεῦδος λέγεσθαι, λεγέσθω.

Turpissimum apud Persas ducitur, mentiri: secundo, in ære alieno esse, cum ob alias multas causas, tum quod necesse sit eumdem qui debet, mendacio quoque esse obnoxium. *Herodot. libro primo.*

Sicubi etiam mendacium dici opus est, dicatur. *Herodot. libro 3. Histor.*

In mendacio deprehendi, impedimento est hominibus maximè ad veniam consequendam. *Xenoph. Cyropædia lib. 3.*

Speciosa verbis, re inania, aut subdola, quanto maiore veritatis imagine teguntur, tanto erumpunt ad infensius seruitium. *Tacit. Annal. lib. 1.*

Veritas visu, & mora, falsa autem festinatione, & incertis valescũt. *Idem, Annal. lib. 2.*

In magnis mendacijs, interfuisse se quidam, & vidisse affirmãt, quæ numquam viderunt, vel tractarunt. *Idem hist. lib. 1.*

Illud deceptionis perspicuum est argumentum, quod qui falsa persuadere velit, maiori quadam verborum ornatu, & varietate indiget, quibus veluti delinimentis vtatur, vt desipientes polliciat. *Agathias, hist. lib. 3.*

Est genus quoddam mendacij, quod cæteros quidem non admodum lædit, sed dedecus ipsius vtentis est. Committitur enim nõ dicendo, faciendove quicquam in alterum: sed de seipso, & rebus suis. Et hoc duplex est: aut enim committitur, leuiora, & minora dicendo, quam reuera sint: aut maiora, & splendidiora. Hoc, quod fit circa minus, dissimulatio dicitur: illud, quod circa maius, arrogantia: Id autem quod inferius est, quam verum sit, lautum, & elegans est, ac interdum Philosopho non inutile. Quamobrem etiam à Socrate vsurpatur in dicendo, cum opus erat illudere superciliosum aliquem Sophistam, sibique plurimum de sua doctrina placentem. Tum enim vanitatem suam magis sentiunt, cum indoctiores deprehenduntur illo, qui se nihil scire simulat. *Themistius in lib. de Mediocritate affectuum.*

Mentiri, decipere, lædere, offendere, iniustum est, hostes autem offendere iustum, item per fraudes decipere. *Plato de iusto.*

Ex calumnia, & inuidia mendacium paruo tempore durans, paulatim extinguitur. *Theophrast.*

Qualis est quisque, talia sunt eius facta, & oratio. Ac per se quidem, omne in malo vitioque mendacium est: veritas honesta, & laudabilis. Ita etiam verus homo, quoniam medium locum obtinet, est omnis laudabilis: quia autem mentiuntur, vtrique sunt illi vituperandi, sed maiore quadam ratione arrogans.

Qui maiora sibi, quam quæ insunt, vendicat, & sumit, rei nullius causa: est ille quidem similis improbo (neque enim mendacio delectaretur) sed tamen stulti potius, quam praui speciem gerere videtur. Qui autem alicuius rei causa id facit, si gloriæ, vel honoris, non est ille admodum vituperandus, qualis est arrogans: atqui pecuniæ, vel earum rerum, quæ ad pecuniam spectant, is multo deformior est. Nec vero facultate, ac potestate arrogans, sed animo, ac voluntate cernitur, ex animi enim habitu, & quia talis sit, omnis arrogans iudicatur. Ita mendax alius mendacio ipso delectatur, alius gloriæ, quæstusve causa mentitur:

atque

atque ij quidem, qui cupiditate gloriæ aliquid sibi tribuũt, ea sibi sumunt omnia, quæ vel ad laudem, vel beatam vitã pertinent: qui autem spe quæstus, ea sibi vendicant, quæ etiam vsui sunt proximis, quæque si minus adsint, celare, & occultare licet, velut si se Medicos, ac vates nobiles esse profitentur. *Cleobulus.*

Aristoteles interrogatus. Quid proficerent mendaces? Vt vera, inquit, loquentibus fides non adhibeatur. *Laert. lib. 5. c. 1.*

A P O P H T H E G M A T A.

Plato dicebat mendacium concedendum esse Medicis, alijs vero minimè: Medici quippe, vt ægrotantium animos consolentur, promittunt sæpè sanitatem, etiam in ipso mortis agone, ne animum despondeant. *lib. 3. de Repub.*

Phocion. Aristogiton sycophanta in sermonibus nihil nisi arma bellaque sonabat: quum vero intellexisset delectum militum haberi, simulata valetudine crus obligabat, baculoque innixus ceu vulneratus, claudicans prodijt in publicum, cum Phocion, à tribunali prospiciens, ait: Scribe Aristogitonem claudum, & eundem improbum, atque mendacem. *Plut.*

Stratocles superatis pugna nauali Atheniensibus, summa celeritate coronatus, faustum victoriæ nuncium attulit, vt supplicationes decretæ, epulumq; per vnamquamque tribum constitutum. Sed biduo post, cum verus nuncius calamitatis afferreretur, vniuersus populus in Stratoclem exarsit. Tum ille: Quid, inquit, viri Athenienses vobis molesti intuli, duos dies summa estis ea causa in voluptate versati? *Fulgos. lib. 4. c. 18. & P. M. l. 4. ex Plut.*

Cicero. Fabiæ Dolabellæ dicenti, se triginta annos habere: Verum est, inquit, nam hoc iam viginti annos audio. Volebat illa iunior videri, quam erat. Itaque Cicero elusit illam simulata assensione, significans interim illam esse quinquagenariam. *P. M. lib. 4. apoph.*

Idem. Obijcientibus, quod à reo pecuniam accepisset, qua magnificas quasdam ædes esset empturus: Fatebor, inquit, accepisse me, si emero. Eas quum esset mercatus, exprobrantibus vanitatem: An nescitis, inquit, boni patrisfamilias esse dissimulare si quid constituerit emere? *P. M. l. 4. apoph.*

Idem Iulium Curtium, quo iunior videretur, multa de annis ætatis suæ mentientem, ita redarguit: Ergo, inquit, quum vna declamabamus, non eras natus. *P. M. l. 4. apoph.*

Aug. Cæs. Iulia Cæsaris Augusti filia, cum mature canos habere capillos cœpisset, habebat comptrices, quæ canos capillos sublegebant. Verum quum Augustus pater interuenisset clam, canos capillos super vestes filiæ vidit, quos euulserant. Cum autem, aliud agens, rem dissimulasset, demum post multa interrogauit filiam: Vtrum post aliquot annos cana esse mallet, an calua? Quumque illa respondisset se canam esse malle: Cur ergo, inquit, tuo iussu, & instinctu illæ ante tempus caluam te facere student? Et sic prudenter mendacium in filia deprehendit, ac corrigere studuit. *P. M. l. 4. apoph. ex Sueton.*

Thales à quodam rogatus, quantum à vero falsum abesset? Quantum, inquit, oculi distant ab auribus. Sensit autem, eos plerunque mentiri, qui audita, non visa referunt alijs. *Max. serm. 35.*

Anacharsis aiebat se mirari, qui fieret, vt Athenienses, qui prohiberent mentiri, tamen in cauponum tabernas palam mentirentur. Qui vendunt merces, emuntque, lucri causa fallunt quemcũque possunt: quasi quod priuatim esset turpe, fiat honestum, si publicè facias in foro. At in contractibus maximè fugiendum erat mẽdacium. Sed tum maximè mentiuntur homines, cum maximè negant se mentiri. Apud Athenienses lex erat, quæ iubebat, *ἐν ἀγορᾷ ἀψευδεῖν.* *Laert. l. 1. c. 9.*

Archidamus. Chius quidam iam senex in Lacedæmonem peruenit, qui quidem alioquin erat arrogans, sed senectutis suæ ipsum pudebat: quare canos tinctura obliterare conabatur. Progressus autem in publicum, de rebus orationem habuit, quarum gratia venerat: tum surgens Archidamus, dixit: Quid ille tandem recti diceret, qui mendacium non in anima solum, sed capite quoque circumferret? *Stob. serm. 10. ex Theophrast.*

Anonymus. Laconi cum quidam dixisset: Mentitis, vrbane: Quia (inquit) liberi sumus: sed alij, si quando vera non dixerint, flebunt. *Plut.*

Epanetus dicere solitus est, mendaces omnium scelerum, & iniuriarum authores esse. *Plut. in Lacon.*

Anonymus. Quidam mirantibus, quod humile candelabrum emisset: Pransorium erit, inquit. Eludens iocoso mendacio: ne parcus videretur. In conuiuijs vtimur humilioribus candelabris, vt exactius peruideamus, quæ sunt apposita. *P. M. l. 6. apoph.*

Persæ inter peccata, duo grauissima numerabant: Prius esse debitorem: alterum, mentiri, quod obærati plerumque mentiuntur, dum pollicentur in diem, nec præstant, quod pollicentur. *Ex Herodoto.*

Cyrus dicere ad Armenium solebat: Omnino non mentiendum esse. Apertum enim mendacium hominibus maximo impedimento esse ad veniam consequendam. Danda est quippe his venia, qui ex inscitia, vel errore mentiuntur: qui data opera aperte nugantur, nulla venia digni sunt. *Xen. l. 2. Pædis.*

Galba, quodam iactante, quod in Sicilia murænam quinque pedes longam emisset: Nihil, inquit, mirum, nam ibi tam longæ nascuntur, vt his piscatores pro restibus cingantur. Mendacium euidentiore mendacio derisit. *Fulg. lib. 4. c. 18. P. M. lib. 6. apoph.*

S I M I L I T V D I N E S.

Chrysostomi. Quemadmodum qui putres, & ruinam minantes parietes albo tectorio linunt, non tamen eos possunt erigere: Ita & mendaces facile deprehenduntur: & omnis error ita imbecillis est, quamuis extrinsecus callidè fucetur. *Homil. 66. de liuore, & inuidia.*

Plutarchi. Quemadmodum araneæ ex se telas texunt: Ita quidam ex seipsis comminiscuntur fabulas, ac mendacia, cum nihil subsit veri. *In Mor.*

E X E M P L A   B I B L I C A.

Mendacij officiosi hæc dantur *exempla:* Ioseph, *Genes. 43. v. 18. & 44. v. 1. 2. &c.* Obstetrices piæ, *Exod. 1. v. 18. 19.* Rahab, *Ios. 2. v. 4. 5. 6.* Michol, *1. Sam. 19. v. 16. 17.* Dauid, *20. v. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. & 21. v. 9. 10. 11. 12.* Chusai, *2. Sam. 16. v. 16. 17. 18.* Elisæus, *2. Reg. 6. v. 18. 19. 20.* Iudith, *Iudith 10. v. 11. 12. 13.* Mendacij, vt vocant, perniciosi, & vitiosi *exempla:* Serpens, *Genes. 3. v. 4.* Sara, *18. v. 15.* Huc referũe etiam Abrahami exemplum, *Gen. 12. 13. & 20. 2.* Vbi petit ab vxore sua Sara, vt se sororem ipsi esse fateatur: quum in illis locis nõ petat ab vxore Abraham, vt mentiatur, falsum aiens, aut negans verum: sed tantum vt veri partem reticens (auum enim communem habuerunt, *Genes. 20. ver. 12.*) ipsum a periculo liberet: quod autem Sara filia patris Abrahami dicitur, *Genes. 20. v. 12.* ex Hebræorum idiotismo fit, qui nepotes auorum filios, & filias vocare solent, vt & *Exod. 2. v. 17. 18. 20.* Idem & de Isaaco, *Genes. 26. v. 7.* dici potest Iacob, *27. v. 19. 24.* Rachel, *31. v. 35.* Patriarchæ, *37. v. 31. 32.* Vxor Putipharis, *39. v. 14.* Gabaonitæ, *Ios. 9. v. 8. 9.* Samson, *Iudic. 16. v. 13. 14. 15.* Fama de Absalone, *2. Sam. 13. v. 30.* Mulier quædam, *17. v. 20.* altera meretricum, *1. Reg. 3. v. 22. 23.* falsi testes, *21. v. 13.* Propheta quidam, *13. v. 18.* Giezi *2. Reg. 5. v. 22.* Hazael, *8. v. 14. 15.* Aman, *Esth. 3. v. 8.* Principes & residua pars populi à captiuitate, *Ier. 42. v. 5. 21.* duo senes, *Dan. 13. v. 36. &c.* Antiochus, *1. Machab. 1. v. 31. 32.* Demetrius, *11. v. 53.* Triphon, *13. v. 19. 20.* Iudæi Scribæ, & Pharisæi, *Matth. 11. v. 19.* Petrus, *26. v. 70. 71.* Iudæi seniores, & milites custodes sepulchri, *28. v. 15. 12. 13.* Parẽtes cæci nati, *Ioan. 9. v. 20. 21. 22.* Ananias, & Saphira, *Actor. 5. v. 2.* Falsi testes, *6. v. 14.* Quæstuarij, *16. v. 19. 20.* Athenienses, *17. v. 18.* Demetrius, *19. v. 27.* Iudæi quidam, *21. v. 28.* Tertullus Orator, *24. v. 5.* Cretenses, *Tit. 1. 12.* Pseudoapostoli, *Apocal. 2. 2.* Pseudoiudæi, *v. 9. & 3. 9.*

P R O P H A N A   E X E M P L A.

Dionysius iunior adulatoribus vnicè delectabatur. Ab eo nuncupati Dionysiocolaces, qui subblandiẽdi causa nil se eorum, quæ opponerentur videre ita ementiebantur, vt ab ipso Dionysio ductari manu gestirent. Cæterum & id genus homines Alexandrocolaces mox nuncupati, à Magno (vt fere creditur) Alexandro appellatione propagata. *Cælius l. 22. c. 17.*

Alexandrum Magnum post res in Asia gestas, cum iam Indicam suscepisset expeditionem cœpit in tanto rerum successu gloriæ cupiditas: vt iam non aliter, quam prostratis humi corporibus resalutari pateretur: superabatque abunde adulatio, perpetuum regnorum malum, quorum opes sæpius, quam hostis dira hæc pestes euertit. Macedones tamen minus facete, immoderatius Græci, genus hominum in id vitium propensissimum. *Sab. lib. 6. Enn. 4.*

Quamuis esset ad omnes homines *M. Crassus* assentationibus subigendos peritissimus: idem erat tamen vicissim adulationibus opportunus omnium. *Plut. in Crass.*

Antonius Caracalla Imperator omnem illam pecuniam, quam per continuas exactiones extorsit, partim militibus, partim assentatoribus largitus est. *Dion. & Xiphilinus.*

Ægyptijs nullus mentiendi modus, summaque mentiendi impunitas erat. *Alex. l. 6. c. 10.*

H I E R O G L Y P H I C A.

Est *mendacij, & simulationis* hieroglyphicum *Pica*, vtpote, quæ anteriore parte candida sit, posteriore autem nigricet: amicum scilicet purum, atque sincerum affatu primo simulet: mox vel decipiat, vel eludat. *Pier. Val. l. 24.*

F A B V L Æ.

Simius, & Delphinus.

Solebant quondam mercatores in longinquis nauigationibus assumere catellas melitæas, aut simiolos, quorum lusibus tædium nauigandi leuaretur. Quodam igitur Atticam cum simiolo prætervecto, non longè à Sunio promontorio regionis illius, vehementissima oritur tempestas, & inhorrescit mare, atque fluctus tanta vi concitantur, vt nauis euerteretur. Disiectis igitur, atque fluitantibus & rebus & hominibus, nabat in vndis & simius. Hunc conspicatus Delphinus, misertus illius, quod esse hominem arbitraretur, singularis autem amor est erga genus

humanum Delphinorum, annatat ad simium, & susceptum euehere ad terram incipit. Iamque in conspectu erat Piræus, ibidemque nauale Atheniensium, cum interrogat Delphinus simium. An esset ciuis Atheniensis? Qui cum respondisset, se & esse ciuem Atheniensem, & in ea vrbe nobilibus parentibus procreatum: Amplius ille, an nosceret Piræum rogat. Tum simius: Optimum ne illum amicum, & summum, ac inprimis familiarē, inquit, meum, ratus de homine Delphinum loqui. Quo tam impudente mendacio offensus Delphinus, in mare se demersit, & vanum simiolum in aquis suffocandum reliquit.

Contra vanitatem, & mendacia hæc fabula narratur, quæ sæpenumero gloriosulis non solum detrimento, atque probro, sed etiā exitio fuisse compertum est.

Opifices.

Iupiter Mercurium iussit opificibus dare potionem medicatam vanitate. Ille oblitus vnius generis nescio cuius: miscuit æqualiter mendacium vniuersis: cum autem recordaretur postea horum, quicquid relictum fuerat, id totum ebibendum prius præteritis præbuit. Ideoque cum omnes opifices multum mentiantur, aliqui tamen putantur esse vanissimi.

Narratur fabula de mendacibus opificibus.

Fraudulentus.

Periculosè ægrotans pauper vouit, centum se bobus rem diuinam Dijs facturum esse, si conualuisset. Dij illum, fide habita, sanitati pristinæ restituerunt. At ipse confirmatus paucos boues centum finxit, & Dijs immolauit. Quam rem cum indignè tulissent Dij, exacturi pœnas perfidiæ, immisere illi somnium, quo iuberetur, in certo loco litoris terram effodere, quod ibi inuenturus esset quadringenta M. nummum, id est, mille Atticas minas. Quo cum expergefactus cupidè perrexisset, & aurum quæreret, captus a Piratis fuit. At ille similiter, vt Deos antea, & hos fallere tentans, pollicetur pro suo corpore talenta mille, immanem pecuniæ summam. Nam nostratis nummi hæc fuerit circiter sexingentorum M. aureorum coronatorum. Sed cum hunc illi minimè crederent, abductus, & mille denarijs venundatus fuit.

Fabula docet; mendacia, mendacesque homines Dijs esse inuisos.

Vulpes, & Crocodilus.

Crocodilus Aegyptiacum est animal, tetrum aspectu, atque monstrosum, specie lacertæ, cute rugis, & squammis horrida, vastum, atque informe. Inter hunc, & vulpem quodam tempore certamē de generis nobilitate extitisse narrant. Quum autem crocodilus, & maiorum suorum multa præclara facinora, & à se fortiter res gestas prædicatione sua extulleret, respondit vulpes: Nihil opus esse verbis, nam de pelle apparere omnia.

Hoc fabula innuit: Mendaces ipsa re solere coargui, & refutari.

Vide Astutia, Fraus, Veritas.

MENDICVS.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

Mendicus, *πτωχὸς, προσαίτης*. Qui victum ostiatim quæritat, Egenus. Hebr. *Rasch*, à verbo *Rosch*. egenus fuit, ad mendicitatem redactus est. Opponitur verbo *Iaz. asch*, Diues fuit *Gal. Richr.* Egenus is est qui nihil possidet: omnium enim, quæ ad vitam necessaria sunt, egens est.

Mendici nulli in Ecclesia esse debent, *Deuter.* 15.4. Dauid etiam asserit, se non vidisse iustum derelictum, & semen eius quærens panem, *Psalm* 37.25. multi tamen erant Christi tempore, quod illius temporis corruptelam arguit, *Luce* 16.20. *&* 18.35. *Ioan.* 8.9. *Actor.* 3.2.

PHILOSOPHICÆ SENTENTIAE.

Mendicus nullus in ciuitate sit: si quis hoc facere tentauerit, vt precibus inefficacibus victum quærat, ex foro ædiles depellant, ex ciuitate vrbis curatorum magistratus, ex reliqua regione agrorum curatores extra fines expellant, quo regio ab huiusmodi animali pura fiat. *Plat de leg. dial.* 11.

APOPHTHEGMATA.

Diogenes. Quibusdam Diogeni probro vertentibus, quod peteret, cum id Plato non faceret: Imo, inquit, petit, & ille, sed

Admoto capite, vt nequicquam exaudiat alter.

Abusus est Homerico carmine, quod est Odyss. *α.* quo significauit, Platonem nō minus esse petacem, nisi quod ille clam peteret, ipse palam. *Laert. l.* 6.

Idem. Posteaquam inopia compulsus cœpisset mendicare, his verbis solebat aggredi: Si cui alteri dedisti, da & mihi: sin nemini, à me incipe. Significabat, se non inferiorem cæteris mendicis: itaque vt qui daret quibuslibet, daret & Diogeni: qui vero tam parcus esset, vt nemini quicquam daret, huic tempus esse, vt aliquando dare inciperet. *Laert. l.* 6.

Idem. A prodigo petebat minam, ille admiratus improbam postulationem, interrogabat: Cur ab alijs obolum petere soleret, à te autem minam? Quoniam, inquit, ab alijs iterum me accepturum spero, à te autem fortassis nunquam. *Laert. l.* 6.

Aristoteles obiurgatus à quodam, quod dedisset eleemosynam homini malo: Non mores, inquit, sed hominis miseriam respexi. *Laert. lib.* 5. *c.* 1.

Idem. Ab alio eadem de re castigatus: Non homini dedi, inquit, quicquam, sed humanæ sorti. *Laert. l.* 5. *c.* 1.

Stratonicus. Cuidam laudanti ipsum, vt aliquid acciperet: Ego, inquit, maior mendicus sum. Sentiens, non esse munificorum dare laudanti, sed accipere a laudatis. *Athen.*

Anonymus. Lacedæmonius quidam videns quemdam Dijs corrogantem: Nihil, inquit, moror Deos, qui me sint pauperiores. Hinc liquet, vetus esse, sub obtentu religionis exercere mendicitatem, quum plerumque tales collectæ non impendantur dijs, qui nullius rei sunt egeni, sed improborum luxui, ac libidini. *Plutarch. in Lacon.*

Idem. Mendicus quidam petijt aliquid à Lacone, at ille: Si quid, inquit, dedero, magis es futurus mendicus. Verum istius probrosæ vitæ tuæ fuit author, qui tibi primus dedit, teque fecit inertem. Apud Lacedæmonios probro dabatur mēdicitas, quod & ocium odissent, & minimo essent contenti. Benignitas autem in mendicos speciem habet magnæ virtutis: sed ea piorum hominum bonitas alit plurimorum malorum luxuriosam ignauiam. *idem.*

Antigonus Thrasillo Cynico petenti drachmam, non est, inquit, munus regium. Cynico subijciente: Talentum igitur da: At non est, inquit, Cynicum tale munus accipere. Vtroque commodo repulit postulatoris improbitatem, quem existimabat nullo dignum beneficio. *Plut. in Reg. & Imp. apoph.*

Vide Paupertas.

MENS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Mens, Græcè *νοῦς*, & per *[illegible]* dicitur, venitque à mentiendo, vel à memini *secundum S. Thom.* 1. *parte. q.* 79. *art.* 9. Hebræi Mentem nomine cordis, recordationis, & intelligentiæ, seu intellectus frequenter exprimunt. Mentis miræ operationes effecerunt, vt varijs appellationibus ea designaretur, quæ in interpretum scriptis occurrunt, ad quarum disquisitionem lectorum mentes inuitamus.

Mens igitur est, quæ in anima eminens, ac in Lunæ modum, quæ a Græcis *[illegible]* appellatur, modo quasi perficitur in sese residens, nunc diuina, nunc humana, nunc summa, nunc infima sua lustrans acie, nunc sese inspiciendo cuncta sibi cogitatione proponit: modo etiam hebescit, & quasi obtunditur, nunc dementes: modo prorsus obcæcatur, ac sepelitur, vnde insani.

LOCI BIBLICI.

Mens pro intelligentia, *διανοητικὴ* duntaxat, *Tit.* 1.15. mens, siue ratio in non renatis, caput est naturæ corruptionis, *Colos.* 1.21. ideoque carnis etiam nomine sæpe comprehenditur, *Rom.* 8.7 *Ephes.* 4. *v.* 17.18 *&* 2.3. *Col.* 2.18. mentis renouatio necessaria, *Roman.* 12.2. *Ephes.* 4.2.

SENTENTIAE POETICAE.

Ouid. 1. Fast. & 2. de Trist.

Conscia mens, vt cuique sua est, ita concipit intra
Pectora: pro facto spemque, metumque suo.
Omnia peruersæ poterunt corrumpere mentes.
Stant tamen illa suis omnia tuta locis.
An dubium est habitare Deum sub pectore nostro,
In cælumque redire animas, cæloque venire?
Exemplumque Dei quisque est in imagine parua.

Ouid. 6. Fast.

Est Deus in nobis: agitante calescimus illo:
Impetus hic sacræ semina mentis habet.

Iuuen. S. 1. 8.

Summum crede nefas animam præferre pudori,
Et propter vitam viuendi perdere caussas.

Ouid. 1. Fast.

Conscia mens recti famæ mendacia ridet,
Sed nos in vitium credula turba sumus.
Est aliquid magni, crimen abesse malis.

Valer. Flac. lib. 2.

Stabilem quando optima facta
Dant animum, maiorque piis audacia cœptis.

Hor. l. 1. Epist.

Hic murus aheneus esto,

Nil

Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.
Plaut. in Amph.

Qui non deliquit, decet
Audacem esse, & confidenter pro se, & proterue loqui.
Ouid. 2. Amor.

Multa miser timeo, quia feci multa proterue,
Exempliq́; metu torqueor ipse mei.

Mentis oculos in Deo semper fixos esse debere.
Authol. Sacr. Iac. Bill.

Æquora qui fragili sulcas malefida carina,
Quid, cursum vt tendas, nocte silente facis?
Peruigil ad cœlum tendis sua lumina. sidus
Spectas, & in boreo tange. quod axe micat.
Quisquis iter vitæ sequeris, vitæque pericula,
Ne tua sint terra lumina fixa, caue.
Semper at æthereas sublimi vertice sedes
Conspice: sic tutum latus habebis iter.

PHILOSOPHICÆ SENTENTIÆ.

Mens humana est spiritus, per quem corpus, cui est connexus, viuit, apta cognitioni Dei propter amorem, atque huic coniunctioni cum eo, ad beatitudinem æternam. *Viues l. 2. de Anima.*

Anima est agens præcipuum, habitans in corpore apto ad vitam. Agens nominatur, quasi artifex. Nam quod agit quippiam per instrumenta, in eo ipso vis inest agendi illud ipsum, vt in pictore pingendi, præcipuum additur. Nam si quis calorem, vel humorē, vel spiritus aliquid dicat agere in corpore, sciat, illa omnia non per se agere, sed ab anima id habere, vt agant; Ergo anima ipsa artifex est agens, non aliunde: in eo vtique corpore vim suam mutuans.

Habitare dicitur in corpore: Nam Deus est in illo corpore, non tamē habitat: & Dæmon se insinuare potest in corpus animantis, sed habitat anima, quod illic eius est mansio, tamquam in ædibus, cum tota supellectile, & domestico instrumento.

In corpore. Cæterum corpus hoc aptum descriptumq; esse conuenit, quemadmodum illius speciei effectioni consentaneum est. Neque enim promiscuè in quacumque forma, & figura corporis, quæuis anima posset hærere ad vitæ operationes edendas, hoc certè naturæ ordine, & his legibus, quas author vniuersitatis à cōdito orbe sanxit. *Viues l. 1. de Anima.*

Anima est, quod naturaliter mouet viuum corpus.

Philippus de Anima refert, eam esse definitionem nominis: Adhuc enim quæri posse, quæ res sit anima: an sit corpus, an oriatur ex elementis, an sit aliud, quam spiritus vitalis.

Vita est conseruatio eorum instrumentorum, quibus anima vtitur in corpore.

Præcipuum illorum est calor, & propter calorem humidum calori congruens pastus, & conseruatio illius. Quæ igitur viuentia duas qualitates diutissimè possunt conseruare, viuacissima sunt. *Arist.*

Intellectus, vel intelligentia est prima illa, & simplex apprehensio eorum, quæ menti proponuntur: Nec aliter se habet in mente, quam oculus in corpore, imaginatio in animo. Sed neque ob id simplex vocatur, quod simplicia tantum cognoscat, id est, singula rerum, vt sensus: Sed quod nihil aliud, quam ea comprehendit, ac velut intuetur, quæ offeruntur: ea vero, quantumlibet varia, composita, connexa, vt ratiocinationes, sermones longos, & multiplices, visa confusissima. *Viues l. 2. de Anima.*

Ratio est collationis progressio, ab vno in aliud, vel à quibusdam ad aliud, vel alia. Ideoque etiam discursus nominatur, & reputatio, quod sicut in vite putantur sarmenta inutilia, ita in ratione, vt solum vtile retineatur, parum (quod dicitur) & purum quoad eius præstari possit. *Viues l. 2. de Anima.*

Est autem ratio data homini ad inquirendum bonum, vt id voluntas amplectatur. Et est duplex discursus: ratio speculatiua, cuius finis est veritas, & ratio practica, cuius bonum. Prior sistit ibi, altera transit ad voluntatem. Speculatiua autem non est simplex, nam est, vel in veritatibus, quæ sensu, aut phantasia, aut ex ijs collectis rationibus licet consequi, quæ vocatur inferior: vel in ijs, quæ sunt, seu altiora, seu magis abdita, quæ superior.

Iudicium est censura, id est, approbatio, & improbatio rationis, discursus videlicet, & clausulæ, quod est in mente velut amussis quædam, & norma, aut vt examen in libra. Itaque dum ratio est in actione sua, quiescit iudicium: ea vbi functa est suo munere, exurgit censura, & iudicat primum de connexione, hinc de discursu, quem si approbet, non potest reprobare clausulam: hæc si absurda videatur, & receptæ, infixæq; prius sententiæ contraria, hæret iudicium, seque falsum esse suspicatur: sin autem nihil metuit fallaciæ, transit in sententiam diuersam, vi argumentationis impulsum. Eaque est maxima vis, seu vnica potius, quæ potest menti adferri, si verisimilis ratio ostendatur, ad reliquas omnes violentias immobilis. Quod si non rectè esse discursum, & quæ oporteat, arbitretur, continet, ac cohibet se, nec quoquam inclinat. Et sicut ratio vtitur formulis, quæ sunt de probabilitate, ita iudicium ijs, quæ de argumentatione existunt.

Iudicium rectum, & sanum est, quod aptè circūspicit, quid ex quoque nascatur, quid cuique sit consequens, quid alienum, quid repugnans, quid congruens, & consentaneum.

Voluntas est facultas, seu vis animi, qua bonum expetimus, malum auersamur, duce ratione.

Sunt autem duo actus in voluntate, propensio, seu amplexus boni, & auersatio mali: orbatio est vtriusque, cum illa ociosa neutrum in partem inclinat.

Voluntas ipsa domina est omnium, & imperatrix, sed per se nihil habet lucis: illuminatur à mente, id est, ratione, ac iudicio, quæ apposita est illi, velut consultrix ductrixque, non vt regat, aut torqueat, sed vt dirigat, & meliorum admoneat. Itaque nihil voluntas appetit, aut deuitat, nisi à ratione præmonstratum. Quocirca actus voluntatis à voluntate quidem producitur, à ratione autem iudicatur, & suadetur. Atque (vt ita dicam) à ratione gignitur, à voluntate quidem producitur, à ratione autem iudicatur, & suadetur. Atque (vt ita dicam) à ratione gignitur, à voluntate paritur. Magistra est igitur, & præceptrix voluntati ratio, non domina.

Voluntas, secundum Ciceronem l. 4. Quæstionum Tusculanarum, est, quæ quid cum ratione desiderat: quæ autem aduersus rationem incitata est vehementius, ea libido est, vel cupiditas effrenata, quæ in omnibus stultis inuenitur.

Natura omnes ea, quæ bona videntur sequuntur, fugiuntque contraria. Quamobrem si simul abiecta species cuiuspiam est, quod bonum videatur, ad id adipiscendum impellit ipsa natura, id cum constanter prudenterq; fit, eiusmodi appetitionem Stoici *βούλησιν* appellant, nos appellamus voluntatem? eam illi putant in solo esse sapiente. *Viues l. 2. de Anima.*

Virtus, & aliorum scientia est, & sui. Discendum de ipsa est, vt in ipsa voluntas discatur. Actio recta non erit, nisi recta fuerit voluntas. Rursus voluntas non erit recta, nisi habitus animi rectus fuerit: ab hoc enim est voluntas. Habitus porro animi non erit in optimo, nisi totius vitæ leges perceperit, & quid de quoque iudicandum sit, exegerit, nisi res ad verum redegerit. *Senec. epist. 96. ad Lucilium.*

Primum, voluntas est animi vniuersi dominatrix, & rectrix: voluntatis amor: rapit enim illam amor ad suum bonum, qui motus est omnium citatissimus, quoniam celerrimus per se, & in præcipiti voluntatis: nascitur enim, & gliscit volente ipsa, ac libente, vt tāquam impelli videatur per pronam. *Viues l. 3. de anima.*

Ratio sapientia est: nam nemo inter bonum malumque definiendi potest habere consilium, nisi sapientia radicitus fulciatur. Iam ipsam sapientiam sequitur semper sociata iustitia: iustitiam virtus animi non relinquit: virtutem comitatur castigata sobrietas. Quadripartita itaque est ista sapientia. Duo præterea sunt, quæ aut faciunt passionem, aut impediunt, dolor, & voluptas: quorum vnum semper respuit, alterum semper exoptat. Sed vbi voluptas insurgit, & ratione statim eijcitur, confirmatur animus, & pœna trutinata cum gloria, spe maioris præmij contemni incipit, antequam veniat, cum autem venerit, erubescit animus, non suffetre, quod voluit.

Ratio est itaque, cultus est omne, quod facimus: per illam animi punitio, omniumque vitiorum detestatio est, quæ officio periti functa cultoris inutilia sarmenta succidens, & omnem spiritum noxij humoris enecans, illud solum, quod profuturum intelligit, manere permittit. Sic ratio hominem passione deputandum, purum reddens, & ante passionem confirmat, & in ipsa passione corroborat. Quis non venationis, quis non piscium escis delectetur? quem non grata diuersarum auium sagina sollicitet? an exquisiti terra marique cibi, vsquequo esurire compellant? da rationem, quæ abstinentiam imperat: concupiunt quidem omnes, sed nemo attingit: doceturq; his rebus animus delectationem suā vincere, & imperare promptus voluptati, vt, dum ad occasionem martyrij venerit, reiectis hisce vitijs, præsentem pœnam præteritis virtutibus non præponat. Inde Ioseph iusti nomine, vel voce laudatus, quod libidinem in puerili ætate flagrantem ratione restinxerit. Deus itaque humani artifex corporis, cum hominem fundauit, & mores, sic singula membrorum lineamenta componēs, perfecto iam corpori dominam (quæ in ea esset, & Imperio quodam vteretur) mentem dedit, cui quædam in ipsa potestate obseruationis mandata constituit, vt sobrietatem teneat, diligat bonum, iustitiam non relinquat, & ipsa Imperij potestate, qua corpori imperat, imperia tamen diuinæ potestatis obseruat. Etenim dicet aliquis: Si ratio principatum obtinet passionis, cur habemus sæpius impiam voluntatem? Si hoc existimas esse, ridiculum est: nam ratio non potest obtinere, ne desideretur aliquid, sed potest cogere, vt quod desideratum fuerit, prudentis consilio ratione vincatur: vt pura obtinere non potest, ne irascaris, sed cogere potest, vt nullam scelus iratus admittas: Turpissimas quoque similiter voluptates non ne concupiscas, sed ne his satisfacias, obtinebit. Non ergo extinguit penitus vitia, sed repellit. *Flauius Iosephus de Machabæis.*

Plato dicit, tres animas esse in homine; *ἐπιθυμητικὴν*, seu *λογιστικὴν*, i. ratio-

rationalem, quā (vt Galenus disserte dicit in 7. de Hippocratis, & Platonis dogmatibus) in capite est, & sunt eius opera: imaginatio, memoria, intellectio, iudicium, praeterea sensibus suppeditare motum, & voluntarios motus regere: denique tribuit ἡγεμονικὸν cā virtutem, quam vocant animalem.

Alteram animam vocat θυμοειδῆ: huius sedem ait esse cor, & tribuit ei virtutem, quam vocant vitalem, & affectus, hoc est, motus sensitiui appetitus.

Ἐπιθυμητικὴν vocat tertiam animam, cuius sedem esse inquit hepar, huius officia sunt, nutrire, gignere. Haec vocatur ab alijs virtus naturalis.

Anima rationalis, quantum ex sacris literis constat, est spiritus intelligens, qui est altera pars substantiae hominis, nec extinguitur, cū à corpore discessit, sed immortalis est.

Inspirauit in faciem eius spiraculum vitae. *Gen. 2.*

Hodie mecum eris in paradiso. *Luc. 23.*

Est igitur anima spiritus, qui discedens à corpore tamen non extinguitur. Voco autem spiritum substantiam quamdam spiritualem.

An vna sit tantum hominis anima, scilicet rationalis, continens simul vires aliarum animarum, sentientis, & vegetatiuae: an vero sint distinctae animae in homine vegetatiua, sentiens, & rationalis, sicut Plato, Aristoteles, & Galenus loquuntur, multae & variae sunt quaestiones.

Mens libero, & tabulae rasae similis.

Mentis delectationes sunt, cognoscere creatorem, considerare opera coelorum, & sapientiam suam. *Plut. de summo bono, & de morte.*

Mens cernit, mens audit, reliqua surda caecaque sunt, & rationis indigi. *Plat.*

Praecipuus animi morbus dementia. *Idem.*

Velocissimus enim rerum omnium mens est, nam per omnia discurrit. *Thales.*

Mens optima, vates est, & bonum consilium. *Euripides.*

Mens bona non emitur, nec commodatur: & puto si venalis esset, non haberet emptorem.

Cogita in te, praeter mentem, nihil esse mirabile, cui magno nihil est magnum.

Humana mens facilius sequitur, quam ducitur.

Opus est te animo bene valere, vt corpore possis. *Sen. epist. 8. & lib. de Ira.*

Animus nec cum adest, nec cum discedit, apparet. *Cicero in Catone Maiore.*

Animi vis duplex est: vna in appetitu posita, altera in ratione, quae docet, quid faciendum fugiendumque sit, ita vt ratio praesit, appetitus vero obtemperet.

Vt multo maiora sunt opera animi, quam corporis: sic eae res, quas persequimur ingenio, ac ratione, gratiores sunt, quam hae, quas viribus. *2. Offic.*

Corpus quasi vas est mentis, & receptaculum. *5. Tusc.*

Mens diuinum quiddam est, patique non potest. *lib. 1. de Anima, c. 4. T. 66.*

Ratio vult mentem antiquiorem esse, imperareque natura. *lib. 1. de Anima, c. 5. T. 2.*

Impatibilis si mens necesse est, esmqua vim habeat, vt & species rerum recipere possit: non autem sit ipsae res. *lib. 3. de Anima, cap. 4. T. 3.*

Mens animi, quae vocatur (mentem autem appello eam, qua ratiocinatur, & existimat animus) nihil est reipsa eorū, quae sunt, priusquam intelligat. *ibid. T. 15.*

Mens ipsa si quid intelligentis complectatur, quod magnas habeat in cogitando, & intelligendo difficultates, nihilominus, imò vero acrius caetera intueri solet. *ibid. T. 7.*

Mens separata hoc solum est, quo ipsa est, eaque sola immortalis aeternaque est. Porro ea separata, non est in nobis vllus memoriae locus, propterea quod sit impatibilis, nihilque accipere possit. *l. 3. de Animo c. 5. T. 20.*

Mens est, quae vnumquodque coniungit, & copulat. *l. 3. de Animo, c. 6. T. 22.*

Mens est res ipsa, cum munere intelligendi fungitur. *l. 3. de Anima, c. 7. T. 36.*

Mens forma formarum est. *l. 3. de Anima, c. 8. T. 38.*

Mens sola extrinsecus accedit, eaque sola diuina est: nihil enim cū eius actione communicat actio corporalis. *lib. 2. de Gen. anima. 3.*

Qui mentem, quemadmodum in animantibus, sic etiam in natura, & mundi, & totius ordinis causam esse censuit, is quasi sapiens extitit. *l. 1. Maior Metaph. c. 3.*

Nobis ratio, & mens naturae perfectio est. Its sit, vt ab vtraque morum origo, & exercitatio praeparanda esse videatur. *libro 7. de Repub. c. 15.*

Pars ea animi, in qua ars inest, & scientia, non mouet: sed stat immobilis. *l. 3. de Anima, T. 58.*

In quibusdam animantibus pars animi, quae est ratiua, ac consilij, atque mens ipsa, vt in hominibus inest: & si quid aliud est eiusdē generis, aut etiam diuinius, ac dignius. *l. 2. de Anim. c. 3. T. 29.*

Densissimis tenebris inuoluta mortalium mens, in quam late patentes erros os caecas precationes tuas spargis! diuitias appetis, quae multis exitio fuerunt: honores concupiscis, qui plures pessumdederunt: regna tecum ipsa voluis, quorum exitus saepenumero miserabiles cernuntur: splendidis coniugijs iniicis manus: At haec, vt aliquando illustrant, ita nonnumquam funditus domos euertunt: Desine igitur, stulta, futuris malorum tuorum causis, quasi felicissimis rebus inhiare, teque totam Numinis arbitrio permitte. Quia qui tribuere bona ex facili solet, etiam eligere aptissima potest. *Valer. Max. lib. 7. c. 2.*

Similitudines.

D. Chrysost. Aues celerrimè montes, colles, maria, & scopulos momento temporis sine vllo impedimento transuolant: talis est etiam mens, cum pēnas acceperit, cum à saecularibus abscesserit, nihil iam apprehendere poterit, omnibus erit eminentior iaculis igniis Diaboli. Nō est ita perfectus sagittarius Diabolus, vt possit ad illam altitudinem pertingere, sed dimittit quidem iacula, non tamen attingit, sed reuertitur ad eum iaculum inane, imò in caput eius. *Hom. 12. ad Hebraeos.*

Vt corporis oculus, cum in fumo forte remoratus, lachrimas semper effundere, si vero pura aer aere purgato, & florentibus pratis, & hortis virentibus, & fontibus inter amoena fluentibus, & famoros esse, multoq maiore acies fulgore rutilare intelligimus: Ita mēcis quoque oculus, si in pratis spiritualis pascatur eloquij, erit totus hine dobio purus, ac lucidus, & acutus cunctis perlustrans: si vero in fumum saecularium negociorum fuerit ingressus, ad innumera mala lachrimabit. *Hom. 12. ad Hebraeos.*

Philonis Iudaei. Sicut sol, quicquid est in hoc mundo, illuminat: Ita mens radios suos in nobis extendens illustrat totum hominem. *lib. de somnis.*

Quemadmodum post solis exortum illustrantur in terris omnia, in coelo vero celantur: & è diuerso post eius occasum sidera quidē promicant, terrestria vero cuncta obteguntur vmbris superuenientibus: Ad eumdem modum res nostrae se habent, quoties sensuum splendor tamquam sol oritur, tunc scientiae reuera coelestes occultantur: quoties autem ad occasum accedit, tunc fulgentissimae virtutum stellae se proferunt, quando etiam mens ipsa remissa, vel arte sit sensibilis. *ibid.*

Quemadmodum oculus alia quidem videt, seipsum autem videre nequaquam potest: Sic etiam mens intelligit alia, seipsam autē non comprehendit. *l. 1 Allegoriarum legis.*

Quemadmodum principalis humani corporis pars est facies: Ita animae principalis pars est ipsa mens. *lib. 1. Allegor. legis.*

Quemadmodum corporis regimen est penes oculos, mundi vero penes lucis naturam: Eodem modo Imperium in nos mens obtinet. Haec enim est oculus animae illustratus splendore proprio, per quem dispelluntur altissimae tenebrae offusae à rerum ignorantia. *lib. 1. Allegor. legis.*

Theolog. Sicut hortulanus non eradicans zizania, suffocat olera: Ita & mens cogitationes non purificans disperdit labores. *Ad Paulinum Presbyterum.*

D. August. Sicuti oculi exteriores quidam sunt carnis: Ita mens quidam animi, quod si eo secundum participationem diuinae rationis caecilit, & tunc omnibus morbus eius bene praesidet, cum superna luce radiatur, vt sit ei lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. *De vera innocentia.*

Laurentij Iustiniani Patriarchae. Quemadmodum cum turbatum est mare procella concitatum, ac ventis profundum illius, & quod in ipso mouetur, humanis nequaquam valet perlustrare aspectus: Ita quoque accidit menti, mundialibus negocijs, externorumq; curis, nimio terarius debito inuoluta. Frequentiusq̄ enim agitatur, impellitur, disperditur, anxiatur, obtenebratur, captiuatur, perturbatur, &c. *De institut. & regimine praelatorum, c. 6.*

B. Anselmi. Vt aqua quieta, cum ex vna parte sol suscipit radium, ex altera quietum, & ipsum aliquo in pariete reddit: Sic mens pacata suscipiens aurae cuiuspiam verbum, ore remittit, & ipsum pacatum: vt vero aqua commota radium commotum, sic & mens turbata, verbum reddit turbatum, & omnem exterius actum. *In similitudinib. c. 143.*

Mercurij Trismegisti. Mundus nutrit corpora, spiritus animas: sensus autem quo dono coelestis sola felix fit humanitas, scit mentem. Neque enim omnes, sed pauci, quorum ita mens est, vt tanti beneficij capaa esse possint. Vt enim sole mundus, ita mens humana isto lumine clarescit, & eo amplius. Nam sol quicquid illuminat, aliquando terrae, & lunae interiectu interueniente nocte, eius priuatur lumine. Sensus autem cum semel fuerit animae commixtus humanae, fit vna ex bene coalescente commixtione materia: ita vt numquam eiusmodi mentes caliginis impediantur erroribus. *In Asclep. fol. 139.*

Quemadmodum eruditus Medicus aegrotantis corpus doloribus afficit, vrendo illud, atque secando, recuperandae valetudinis gratia. Eodem modo voluptuosam affligit animam, vt radices volu-

ptatis

pratis euellat. Ab hac enim omnis animæ morbus. Morbus animæ grauissimus impietas est. *In Pymandro fol. 91.*

Tyrij Platonici. Quemadmodum accidit longis, atque exilibus hastis: vt quisquis vibrauerit capulum, reliquas hastæ partes ad cuspidem vsque concutiat; vtque qui longi coonca ique ordine funis extremitatem alteram quatiat, continuam concussionem per medium spatium, ad alteram extremitatem transmittat: sic & humanæ menti exiguo principiorum haustu, ad integram rerum intelligentiam est opus. *Serm. 38.*

Rhegini. Quemadmodum solare lumen imbecillus, & impotens visus aspicere nequit: ita mens infirma, ac inualida veritatem cernere nequit. *Apud Stob. serm. 2. de Imprudentia.*

Lactant. Quemadmodum ignis obducto cinere sopitus, si paululum moueris, rursum ardescit: ita mens oppressa somno, latet quidē, verum si commoueris, statim exurgit. *De opificio Dei c. 18.*

Pij Pontifici. Sicut aues ad volatum, equi ad cursum, alia animalia ad sæuitiam gignūtur: Sic hominis est propria agitatio (vt ait Quintilianus) mentis, atque solertia: hebetes vero, atque indociles, nō magis secundum naturam, quam prodigiosa corpora similia monstris eduntur. *Enee. lib. epist. 414.*

P. M. Vt Deus, quo nihil est melius, minimè apparet: Ita quod est in homine optimum, nempe mens bona, maximè latet.

APOPHTHEGMATA.

Thales olim interrogatus, quid in tota rerum natura esset velocissimum? Respondit, mens humana. Discurrit enim per vniuersa hominis cogitatio. *Laert. l. 1. c. 1.*

Pittacus, quærenti, quid in minimo maximum esset? respondit: bona mens in corpore humano. *Stob. serm. 3. de Prudentia.*

Anonymus. Mens est hominibus magnum animæ frenum, ψυχῆς μέγας χαλινὸς ἀνθρώποις ὁ νοῦς. *Stob. eod. serm.*

Ceredas, mentis, inquit, est videre, mentis audire. Sed quomodo viderent sapientiam licet propinquam, viri, quorum mentem luxum repleuit? *Stob. serm. 4.*

Rheginus dicebat, mentem infirmam veritatis non esse capacem, sicut solare lumen imbecillus, & impotens visus aspicere nequit, *ibidem.*

Socrates. Sicut ex ciuitate, quæ bonis legibus administratur, seditiosum hominem expellere oportet, ita, inquit, ex homine, quem saluum cupimus malam mentem. *Stob. serm. de Prudentia.*

Phocion semper admonere homines solebat, vt mente vigilarent, cuius somnus veræ morti finitimus esset. *Stob. ser. de Prudentia.*

Alphonsus, quum pro more lectioni Senecæ (quem præcipue semper coluit) incumberet, interrogatus a Daualo, purpuratorum humanissimo, cur animus mortalium ita immensus, atque insatiabilis foret? respondit rex, animum hominis à Deo profectū, non prius conquiescere, quam eo rediret, vnde profectus esset: esse procul dubio animum nostrum Dei, & æternitatis capacem, & propterea, neque impleri, neque satiari posse ijs rebus, quæ fluxæ, & incertæ essent. *Panor. lib. de reb. gest. Alphons.*

EMBLEMA.

Mentem non formam, plus pollere.

Emblema CLXXXVIII. Andr. Alciati.

Ingressa vulpes in Choragi pergulam,
Fabre expolitum inuenit humanum caput,
Sic eleganter fabricatum vt spiritus
Solum deesset, cætera viuesceret.
Id illa cum sumpsisset in manus, ait,
O quale caput est! sed cerebrum non habet.

Vide Anima, Intellectus, Voluntas, Ratio, &c.

MERCATVRA.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Mercatura, Græcè ἐμπορία, et ὁ & ἔμπορος, ὁ mercator, & ἐμπορεύομαι mercor dicitur. Hebr. *Mêker*, à verbo *Makar*, fiu *Machar*, vendidit, unde *Marcoant*, mercator, mercatura, & *secerah*, *Sacar*. Item à verbo *Sacar*, Circuiuit, vt solent mercatores, & negociatores perambulare multas regiones mercatura, & lucri gratia.

Mercatura olim gloriosa fuit, cuius opere cum barbaris consuetudo, amicitiæ cum regibus conciliabantur, peritia multarum rerum paratur: ac nonnulli mercatores ciuitatum magnarum conditores fuerunt. *Plutarch. in Solone.* Est autem triplex mercatura, scilicet Nundinatio, Dancitio, id est, fœneratio, & Negociatio. *Fenest. Anill. lib. Polit.* Negociatio de se non est vitiosa, licet habet turpitudinem: Ideo licita est, si sit ad finem honestum, vel necessarium, id est, quod negociator lucretur moderatè, scilicet, vel ad suæ familiæ sustentationem, vel pauperum, vel communitatis, si in iusto contractu, & non ad cupiditatem *secundum B. Thom. q. 77. art. 4.*

Mercatura dicitur a mercor, illud vero a mereo, est enim mereri, gratia aliquid operari: vnde mercem mutare. Lucanus. *Ære merebat paruo* Differunt autem merx & mercatura, quod merx est species ipsa, quæ emitur venditurve, a quo mercimonium & commercium quasi contractio quædam mercium, veniunt. Mercatura vero est actus ipse emendi ac vendendi merces. Mercem Varro a merendo ære dictam vult: mercis appellatio, vt vult Vlpianus, ad res tantum mobiles pertinet.

SENTENTIÆ PATRVM.

Desideria tuo locum facies Diabolo. Ecce enim Diabolus proponit lucrum, & mutuauit ad fraudem, lucrum habere non poteris, nisi fraudem feceris: sed lucrum esca est, fraus laqueus: sic attende escam, vt videas & laqueum, quia lucrum habere non poteris, nisi fraudem feceris; fraudem autē si feceris, capieris. *Aug. super Psal.*

Omnes volunt viliter emere, & care vendere. *Idem de ciuitate Dei l. 13. cap. 2.*

Regula iustitiæ manifesta est: quod a vero non declinare virum deceat bonum, nec damno vllo afficere quenquam, nec aliquid dolo annectere rei suæ. *Amb. de Offic.*

In contractibus vitia eorum, quæ veneunt, prodi iubentur, ac nisi intimauerit venditor, quamuis in ius emptoris transierit, doli actione tenetur. *ibid.*

Qualitas lucri negociantem aut accusat, aut arguit: qui est & honestus quæstus & turpis. Verumtamen vtilius est dispendia pati, quam periculis negociationis adstringi: quia difficile est inter ementis & vendentis commercium non interuenire peccatum. *Leo Papa.*

Super omnes mercatores plus maledictus est, scilicet vsurarius, quia mercator dat, vt non iam repetat: iste autem postquam fœnerauit, & suum iterum repetit, & alienum cum suo tollit. *Chrysost. super Matth.*

Quicumque comparat rem vt illam non integram, sed immutatam dando lucretur, ille est mercator, qui templo Dei eijcitur. *ibid.*

Eijciens dominus, vendentes & ementes de templo, significauit, quod mercator (*impius, simoniacus, mercenarius & caupo circa res ad Ecclesiæ ædificationem, & salutem pertinentes*) nunquam potest Deo placere: & ideo nullus Christianus debet esse mercator: aut si voluerit esse, proijciatur de Ecclesia, &c. *idem ibid.*

Prope modum donare videtur, qui vendit rogatus, ad satoratos cū mercibus ire, certamen est. suo autem arbitrio pretium poscit, qui victualia potest ferre ieiunus. *Cass. in ep. l. 1.*

Aurum vel diuitias per bella quærere nefas est: per maria, periculum: per falsitates, opprobrium: per agriculturam vero licitum est: honestum vero est lucrum, per quod nemo læditur, iuste acquiritur, & nulli præiudicatur. *Cass. in epist.*

SENTENTIAE POETICAE.

Horat. epist. l. 1. epist. 1.

Impiger extremos curris mercator ad Indos,
Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes.

Idem l. 2. epist. ad Iulium Florum.

Plenius æquo
Laudat venales, qui vult extrudere, merces.

Horat. l. 1. Ode, 1.

Luctantem Icarijs fluctibus Africum
Mercator metuens otia & oppidi
Laudat rura sui: mox reficit rates
Quassas, indocilis pauperiem pati.

Ex Græc. Comic.

Ἐν τῷ χειμῶνι [illegible]
[illegible]

Mercator opibus insolens euenit suis,
Quum dominus harum sæpe sit vectus tamen.

SENTENTIÆ PHILOSOPHICÆ.

Quid stultius, quam venditorem vitia rei, quam vendit, narrare? & quasi præco prædicere, domum pestilentem vendo.

Hoc genus celandi quis non videt? Certe non apti, non simplicis, non ingenui, non iusti, non boni viri: sed potius versuti, obscuri, astuti, fallacis, & callidi. *Cic. l. 3. de Offic.*

Primum improbantur hi quæstus, qui in odia hominum incurrunt, vt portitor & fœnerator.

Illiberales & sordidi quæstus sunt mercenariorum omnium, quorū opera, non quorum artes emuntur. est. n. illiberalis ipsa merces auctoramentum seruitutis. Sordidi etiam putandi, qui emunt a mercatoribus, quod statim carius vendant. nihil. n. proficiunt, nisi admodum mentiantur, nec vero quidquam est turpius vanitate, neque. n. quidquam ingenuum habere potest officina.

Mercatura autem si tenuis, sordida putanda est: si in copiosa, magna & multa vndiq; portens multisq; sine vanitate impertiens, non est admodum vituperanda. *Idem l. 1. de Offic.*

Necessa-

Necessarium est in omni ciuitate aliquid vendi, & aliquid emi. *Arist. l. 6. Polit.*

Mercatores, nec artifices non debent esse ciues: vilis enim est huiusmodi vita, & virtuti aduersa. *Arist. Polit. 7. c. 4.*

Mercator est, qui emptionem & venditionem administrat ad ciuitates. *Plato de Repub. dial. 2.*

Mercaturæ non indulgere volebant Romani eos, qui Reipublicæ præerant, idem Lacedæmonij, Thebani, per decennium. n. ab omni quæstu & mercatura abesse necesse erat. ei, qui ad Rempublicam admitti debebat. *Franc. Patric. de Repub. l. 1. c. 8.*

Mercaturam qui exercent, siue fœnore, & vsura, & mendacio, & vanitate exerceant. *ibid. l. 9. c. 15.*

Mercatoris & artificis officij est, ita pecunias quærere, vt nemini noceant: nam quidquid a malo surgit, in malum deniq; recidit. *Pic. sncepist. l. 3.*

Mercatoris officium est veridica fide & diligentia externis alimentis ciuitatem & seipsum alere. *idem ibid.*

SIMILITVDINES.

Chrysostomi. Molesta fames est, quæ ad hoc saginatur, vt perdat. Perniciosa esuries, quæ idcirco excluditur, vt peior in homine nutriatur: quoniam damnosa mercatio, si salus pro cibo impenditur, aut magnis vilia comparantur. *Hom. de natiuit. Esau & Iacob.*

Quemadmodum qui ambulat inter duos inimicos, ambobus placere volens & se commendare sine malloquio non potest: necesse est enim, vt & illi male loquatur de illo, & alij male loquatur de isto. Sic qui emit & vendit, sine mendacio esse non potest & periurio, necesse est enim, vt negotiatoribus hic iuret, quia non tantum valet res, quanto comparet eam: & ille iuret, quia plus valet res, quam vendit. *In 21. Matth. hom. 38.*

Quemadmodum si triticum, aut aliquam bladi speciem in cribro, dũ huc illucque iactas id, grana omnia paulatim deorsum cadunt, & in fine in cribro nihil remanet, nisi stercus solum: Sic & substantia negotiatorum, dum vendunt & veneunt, inter emptionẽ & venditionem minuitur, & in nouissimo nihil illis remanet nisi peccatum. *In Matth. hom. 38.*

HIEROGLYPHICVM.

Veteres per *Mercurij* imaginem, quæ marsupium manu teneret: gallum ad eius basim ponentes, *Lucrum, Mercaturam, Mercatoremve* significarunt: quod is mercium & lucri Deus haberetur. *Pier. Val. l. 1. Erud. curiosd. hier. p. 570. F.*

Vide Negotium, Diuitiæ, Paupertas.

MERCES.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Merces, Græce μισθὸς, ὁ, & μισθωτὸς, ὁ, mercenarius dicitur. Est autem merces id, quod recompensatur pro operis retributione. Ideo reddere mercedem, est actus iustitiæ, sicut reddere pretium rei emptæ. *secund. B. Thom. 1. 2. q. 14. art. 1.*

Merces Heb. *Sacar.* a verbo *Sacar*, conduxit mercede & præmio cõducto. Nam pretium pro labore mercenarijs numeratur, & hæc est humanæ vitæ ratio.

Mercenarius vero actus is dicitur, qui fit propter mercedem non autem, qui est circa eam. *B. Tho. 3. Sent. dist. 26. q. 1. art. 1.* Verumq; dicitur a mereo, de quo supra in dictione Mercatura.

LOCI BIBLICI.

Merces mercenarij statim reddenda, *Leuit. 19. 13. Deuter. 24. ver. 14. 15. Tobiæ 4. 15. Eccles. 3. 4. 27. Iacob. 54.* Mercedis nomen passim in scripturis accipitur pro constituto quidem præmio. sed eo tamẽ gratuito, *Matth. 6. 1. &c.* quod ita esse patet: quod enim a Luca, *Luc. 6. 32.* χάρις, id est, gratia dicitur, id a Matthæo dicitur μισθὸς, id est, merces, *Matth. 6. 1.*

Mercenarius Pastor, *Ioan. 10. 12.* Mercenarij & Pastoris veri ac boni discrimen, *ibid. ver. 10. 11.* Mercenarij notantur. *Philip. 2. 21.*

SENTENTIÆ BIBLICÆ.

Mercenarius debite remunerandus.

Non morabitur opus mercenarij apud te vsque mane. *Leuit. 19.*

Non negabis mercedem indigentis, & pauperis fratris tui, ne clamet contra te ad Dominum, & reputetur tibi in peccatum. *Deuteron. 24.*

Quicumque tibi aliquid operatus fuerit, statim ei mercedem restitue, & merces mercenarij tui omnino apud te non remaneat. *Tob. 4.*

Dignus est enim operarius mercede sua. *Luc. 10.*

Ei autem, qui operatur, merces imputatur non secundum gratiam, sed secundum debitum. *Rom. 4.*

Iniustis non defraudandum.

Quem quis victu priuat, eum interficit: & qui mercedem subtrahit mercenario, effundit sanguinem. *Eccl. 34.*

Ecce merces operariorum, qui messuerunt regionem vestram, quæ fraudata est a vobis, clamat, & clamor eorum in aurea Domini Sabaoth introiuit. *Iacob. 5.*

PHILOSOPHICA SENTENTIA.

Mercenaria alia est vilium artium, & alia sine arte, solo corpore ministrante. *Arist. pol. 1. c. 7.*

APOPHTHEGMATA.

Antisthenes interrogatus, cur tã paucos haberet discipulos, inquit: Quoniam depello illos virga argentea. Sentiens, ideo paucos venire, quod magna mercede doceret: vulgus autem magis amat pecuniam, quam sapientiam, & hinc Satyricus exclamat.

Scire volunt omnes, mercedem soluere nemo.

Dictum Antisthenis extat apud Laert. *lib. 6.*

Polemon. Zeno Citieus, vbi iam in philosophicis aliquantum profecisset, non tamen contentus esse voluit: sed ad Polemonem, vt in Dialecticis exerceretur, commeabat. Vnde Polemon dicere solitus est: Sat scio, o Zeno, te per posticum irrepere, & furari dogmata, quibus Phœnicum more indutus es. Notauit hoc dicto Zenonem, qui furtim & gratis a præceptore discere volebat, vt alijs postea multa mercede venderet. *Laert. lib. 7. cap. 1.*

Isocrates sæpenumero dicere solitus est, se quidem discipulos decem docere minis, cæterum qui ipsum docuisset audaciam & vocalitatem, mercedis loco daturum decem millia, vocis enim exilitas, animique timiditas, reddebant Isocratem inutilem ad dicendum. *P. M. l. 8. apoph.*

Anonymus. Philosophus quidam dicebat, magistros a discipulis magnam mercedem exigere debere. Ab ingeniosis quidem, quod multa discant: ab hebetibus, quod multum molestiæ exhibeant. *Max. serm. 17.*

Phœnicides, cum apponeret pisces in conuiuio, sed his dumtaxat qui dedissent symbolum, dixit. Mare quidem esse commune, sed pisces in eo natos eorum esse, qui emissent. *P. M. l. 6. apoph.*

Timotheus musicus. quum duplicem mercedem exigeret ab eo, qui sub alio præceptore musicæ operam dedisset, interrogatus, cur hoc faceret? Quia, inquit, duplex etiam labor mihi subeundus est: Primo quidem dedocendi vetera, deinde docendi noua. *Brus. l. 2. c. 23.*

Corax, primus apud Syracusas, mortuo Hierone, Rhetoricen instituit mercede profiteri. Lysias autem adolescens pactus est cum eo, vt tum solueret, quum optime Rhetoricam calleret. Verum vbi artifex iam factus, præmium soluere cunctaretur, a præceptore in ius vocatur. Sed quum quæreretur, qui finis litis esset futurus? Lysias ait. Si persuasero iudicibus, me nihil debere, non tradam præceptori quidquam, quia iam vicissim non persuasero, etiam non dabo, quia artem persuadendi a te non didici. Tum Corax: Imo, inquit, si persuaseris, dabis, quia artem calles: sin minus dabis etiam, quia non vicisti. Et tum iudices subiecerunt, κακοῦ κόρακος κακὸν ὠόν, Id est, mali corui malum est ouum. *Vide Prolegomena in Hermogenis Rhetoricen: Gellium libro quinto, capite decimo, qui simile quiddã de Protagora sophista. & huius discipulo Euathlo narrat. L. Apuleium in Floridorum libris: P. M. in prouerbio: Mali corui malum ouum.*

Catherius. Sabinus Clodius, cum vna die & Græce & Latine declamasset, quibusdam quærentibus, quod pusillam mercedem acciperet ex duabus declamationibus: Catherius ait, numquam magnam mercedem accipere eos, qui a breuia pneumata docerent. *Brus. l. 4. c. 31.*

MERETRIX.

DEFINITIO, ET ETYMOL.

Meretrices dicuntur mulieres, quæ sordidissimi quæstus gratia prostant, & quarum turpitudo venalis est: a quibus meretricium ars ipsa dicitur meretricia: & meretricor, scortor: & meretricius, a, um, quidquid quæstum facit corpore suo.

Meretricem a merendo dictam esse, quod mercede suam exerceat militiam, ait Valla.

Meretrix, Hebr. *Zonah. Prou. 23. 27.* a verbo *zanah*, Meretricem egit, scortationi, fornicationi vacauit.

LOCI BIBLICI.

Meretrix & scortator in populo Dei non tolerandi, *Deut. 23. 17.* meretrix fugienda, *Prou. 25. 27.*

Meretricis mores describuntur, *Prouerb. 2. vers. 16. 17. & 5. v. 3. 5. & 7. ver. 5. 6. 7. &c. & 9. vers. 13. 14. 15. & 22. 14. Eccles. versic. 27.* meretricis pretium nullum, *Prouerbior. 6. 26.* Meretrix magna, *Apocal. 17. 1.* eius descriptio. *versicul. 3. 4. 5.* sanguine Martyrum ebria est, *versic. 6.* meretrici adhærens vnum cum ea est corpus, *1. Corinth.*

1. *Corinth.* 6.16. Meretrices, & Publicani Euangelio credentes, regnum Dei ingrediuntur, *Matth.* 21. *versic.* 31. 32. Meretricum *exempla*: Thamar, *Genesis* 38.24. Madianitis, *Numer.* 25.6. Rahab, *Iosua* 2. *versic.* 1. 2. & 6.23. *Hebr.* 11.31. mater Iephthæ, *Iudic.* 11.1. meretrix Gazæ, *Iosue* 16.1. duæ meretrices, 3. *Reg* 3.16. Peccatrix, *Lucæ* 7. *vers.* 37. mulier in adulterio deprehensa, *Ioann.* 8.3. meretrix magna, *Apoc.* 17.1.

SENTENTIAE POETICAE.

Plaut. Truc.

Meretrix meum herum miserum sua blanditia intulit in
Pauperiem, priuauit bonis, luce, honore, atque amicis.

Idem Truc.

Nam mihi hæc meretrix, quæ hic habet Phronesium,
Suum nomen omne ex pectore exmouit meo, Phronesium.

Plaut. Truc.

Meretricem ego item esse reor mare vt est, quod des deuorat, nec vnquam
Abundat, &c.

Quantum mus nusquam apparet, neque dateri, neque accepteri.

Ter. Hec.

Nec pol illa metuunt Deos, nec has respicere Deos opinor.

Ouid. 1. Amor. 10.

Stat meretrix certo cuiuis mercabilis ære,
Et miseras iusso corpore quærit opes.

Ibidem.

Sola viro mulier spoliis exultat ademptis,
Sola locat noctes, sola locanda venit.

Horat. 4. Carm.

Quo fugit Venus? heu! quòve color decens?
Quo motus? quid habes illius, illius?
Quæ spirabat amores,
Quæ me surripuerat mihi.
Felix post Cynaram, notaque, & artium
Gratarum facies? sed Cynaræ breues
Annos fata dedere,
Seruatura diu parem
Cornicis vetulæ temporibus Lycen:
Possent vt iuuenes visere feruidi
Multo non sine risu
Dilapsam in cineres facem.

SIMILITVDINES.

Chrysostomi. Quemadmodum si quis leonem egregium, & ferum reperit, deinde iuba detonsa dentes exemerit, & vngues circumdederit, deformem reddit, & ridiculum, ac vel pueris expugnabilem illum, qui tam terribilis, & intolerabilis erat, quique vel solo rugitu omnia quatiebat: Sic mulieres lasciuæ quoscumque ceperint, sub potestatem redigunt Diaboli: molliores reddunt, calidiores, impudentes, dementes, audaces, importunos, ignauos, effrenes, ingenio seruili, illiberales, contumaces, &c. Cum antea fortitudine, humanitate, omnibusque virtutibus præditi fuerint. *Apud Max. serm.* 3.

Dionysij Sophistæ Antiocheni. Scio superbas, & insulentes meretrices, nihil non amatoribus suis imperare, & obtinere ab ipsis velle: at norunt eædem etiam obedire, cum iubentur. Tu vero promptè iubendo, & grauatim obtemperando, Laidem Corinthiam imitaris. *In epist. ad Ægypt. fol.* 319.

Hugonis. In fauo mellis duo sunt, scilicet mel, & cera: in facie meretricis similiter duo, scilicet decor, & gratia: hoc est, pulchritudo oris, & dulcedo sermonis. Cera succendit ignem, mel præbet dulcedinem: Sic pulchritudo meretricis igne libidinis inflammat carnem, blandimento lenocinantis sermonis subuertit mentem. Stillat mel ex cera, dum meretrix verba sua mollit, & facit dulcia. *lib. de nuptijs carnalibus vitandis.*

P. M. Quemadmodum echeneis, siue remora piscis perpusillus (est autem magnæ limaci similis) quamuis magnam nauim velis, ac remis incitatam subito sistit: Ita scortulum aliquoties adamatum, ingentes animi ad honesta impetus retinet alligatque.

Veteres satis pœnarum aduersus impudicas in ipsa professione flagitij credebant. *Tacit. Annal. lib.* 2.

Vide Fornicatio, Luxuria, Scortatio.

MERITVM.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

MEritum, Græcè ἀξίωμα ἢ ἀξιόωμαι mereo dicitur. Est autem meritum actio, qua iustum est, vt agenti aliquid detur, *secund.* B. *Tho.* 3. *par. q.* 45. *art.* 6. Differunt autē mereri & commereri, quod mereri dicitur bona, commereri vero mala *ex Donato super Terent.* Dicunturq; hæc a mereo, de quo mercatur.

Meritum dicitur, quum vel bene, vel male de aliquo meremur. Est enim vocabulum medium. In bonam partem si sumas, beneficiū denotat. In malam, supplicium quo maleficus afficiendus est. Hebr. *Chesed*, retributio ex cordis affectu.

PATRVM SENTENTIAE.

Quisquis tibi enumerat merita sua, quid tibi enumerat nisi munera tua? *Aug. l. confess.*

Deus author est meriti, qui & voluntatem applicat operi, & opus explicat voluntati. *De lib. arbit.*

Merita sanctorum nihil tribuunt: sanctis totum non nisi misericordiæ tuæ tribuunt, o Deus. *Idem Psal.* 139.

Vis excidere gratiam? iacta tua merita. *Idem in Psal.* 31.

Simplices & indocti regnum cęlorum rapiunt, & nos cum literis nostris ad infernum descendimus. *In Matth.* 11.

Sicut solus filius Dei factus est filius hominis, vt nos secum filios Dei faceret: ita pro nobis solus suscepit sine malis meritis pęnā, vt nos per ipsum sine bonis meritis consequeremur indebitam gratiam. *Idem l.* 4. *ad Bonif. c.* 4.

Quando bona opera nostra remunerat Deus, non merita nostra, sed dona coronat. *Idem hom.* 14. *in* 50. *hom.*

Magna sunt actiuę vitæ merita, sed contemplatiuæ potiora. *Greg. in Mor.*

Non est magni meriti, si quid foris erga nos agatur in corpore, sed magis pensandum est, quid agatur in mente, nam præsentē mundum despicere, transitoria non amare, mentem medullitus in humilitate Deo & proximis sternere, contra illatas contumelias patientiam seruare, vt custodiat patiētia dolorem malitiæ a corde repellere, egenis propria tribuere, aliena minime ambire, amicum in Deo diligere propter Deum, & inimicos amare de afflictione proximi lugere, de morte inimici non exultare: hic est noua creatura. *Greg. hom.* 10.

Hoc totum est hominis meritum, si totam spem suam ponit in eo, qui totum saluum facit: sufficit ad meritum scire, quod non sufficiant merita. *Bern. serm.* 68.

Non est, quod iam quæras, quibus meritis speres bona, præsertim cum audias, non propter vos, sed propter me faciam. Sufficit ad meritum scire, quod non sufficiat meritum. *idem serm.* 68. *super cant.*

Merita habere cures, habita data noris: fructum speres Dei misericordiam. *Idem.*

Et si millies moriamur, & si omnes virtutes animæ expleamus, nihil dignum gerimus ad ea, quæ ipsi a Deo percipimus. *Chrys. de compunct. cor.*

Videmus aliquoties nonnullos cępisse postremos & factos merito priores. *idem.*

Quidquid gesseris, parum est: quidquid feceris, minus. Omne enim meritum breue est comparatione donorum: numera beneficia, si potes: & tunc considera quid mereris. *idem hom.* 70.

Si totum tempus vitæ huius occupant obsequia, laudes teneant, gratiarum actiones insistant, non poteris pensare, quod debes. *ibidem.*

Sit licet excellens hominum meritum, sit naturæ iura seruans, sit legum institis obtemperans, fidem impleat, iustitiam teneat, virtutes exerceat: damnet vitia, peccata repellat, exēplum semet imitantibus præbeat, nihil est respectu eiusdem. *ibidem.*

Cum diuinis muneribus actus proprios meditaris, nec dignum te iudicabis eo, quod feceris, si intelliges, quod mereris. *ibid.*

Grandis violentia est in terra nasci, & cęlum rapere, & habere per virtutem, quod non possumus habere per naturam. Regnum cęlorum vim patitur, quia gloria Domini Israel patribus debita, à Prophetis nunciata, à Christo oblata, fide Gentium occupatur, & rapitur, dum per pœnitentiam, quam Ioannes prædicauit, reuiuiscunt ad cęlestem patriam, quasi in alienum locum redeuntes. *In Matth.* 11.

Securus celsa conscendit, qui se in paulo minoribus approbauit, & certo præcedit vestigio, qui gradatim potitur accepto. Sine merito siquidem remuneratum putatur omne, quod subitum est: nec in exploratis suspicionem refugit, quod te petente prouenerit. E contra omnia deliberata sunt robusta, & totum bonis actibus obtenuisse creditur, qui post documenta laudatæ militię promouetur. *Cass. l.* 1.

Sumpsisti nomen ex meritis, custodi vt semper læteris veritate vocabuli: nam cum omnis appellatio ad deliniendas res videatur imposita, nimis absurdum est nomen alienum portare, & aliud dici, quam possit in moribus inueniri. Verū hæc bonæ conscientiæ dicta sufficiant, quia dubitari de illo creditur, qui à pluribus admonetur. *ibid.*

Qui est ordine vel dignitate primus, debet esse meritorum laude præcipuus. *Idem lib.* 1.

Indiscre-

Indiscreti hominis mores confusi vagarentur, si aut culpa formidinem, aut virtus præmium non haberet. *ibid.*

Iunioribus conceditur spes laboris, dum vicissitudo fuerit reddita veteranis. *idem lib.4.*

Differri non debent merita fidelium. vt ad studia bonorum actuū prouocentur vota cunctorum: Demus igitur, quæ sunt iusta laboribus, vt prouectu priorum inuitemus corda sequentium. *ibid.*

Sicut æquum est desidiosis laborantium præmia denegare: ita conuenit exultantibus, id est, operarum remunerationis optata concedere. *ibid.*

Dignum est, vt fructus laborum sequantur vota fidelium, & superior gradus accipiat, quem gestarum rerum integritas affecta commendat. *ibid.*

Bene moderatrix omnium rerum antiquitas considerauit, vt laboris sui pretia recipiant, qui publicis vtilitatibus obsecundant: ne quis haberetur præteritus, qui probabili foetat actione laudandus. *ibid.*

Hoc est profecto difficillimum regnandi genus, exercere iuuenem in suis sensibus principatum. Rarum omnino bonum est, dominū triumphare de moribus, & hoc cōsequi in florida ætate, ad quod vix creditur cana modestia peruenire. *Cassiodorus.*

Parum laudis habet virtutum corona, quæ ex labore non descendit: potest quidem habere palmam, sed non habet gloriam. Hæc est magnarum ratio virtutum, vt quanto plus homo laborat, tanto plus mercedis acquirat. *Var. in serm.*

S I M I L I T V D I N E S.

Cypriani. Sicut oculus non valet esse manus, nec manus valet esse oculus: Ita etiam licet distent ab inuicem differentibus meritis, tamen singulis sua præmia sufficientur. *De singul. cleric.*

Cassian. Sicut stanni metallum, quod alicuius vtilitatis & gratiæ putabat, fit argenti contemplatione vilissimum, & rursum auri comparatione, meritum euanescit argenti: aurum quoque ipsum gēmarum collatione contemnitur: & ipsarum nihilominus quamuis insignium multitudo gemmarum vnius margaritę candore superatur: In illa omnia merita sanctitatis, quāuis non solum in præsenti bona & vtilia sunt, verum etiam donum æternitatis acquirunt, tamen si diuinę contemplationis meritis conferantur, vilia, atque (vt ita dixerim) vendibilia censebuntur. *Collat. 32. c. 2.*

M E T V S.

DEFINITIO, ET ETYMOL.

Metus Græce φόβος, δέος & φόβημα, metus dicitur. Hebr. *Iirah*, & *Norah*, timor, terror, metus, a verbo *Iarea*, metuit, timuit. Hinc ἱερός, sacer, timendus, venerandus, γέρας, honor, γέρων, senex quem iuuenes metuunt & venerantur. Est autem metus, expectatio mali. *sec. Arist. lib. 4. Ethic.*

Metus est opinio magni mali impendentis, cui subijciuntur Pigritia, Terror, Timor, Exanimatio, Conturbatio & Formido. Metus, *secund. M. Varr.* dicitur a quodam motu animi, cum id, quod malum casurū putat mēs, refugit. Metus facit eius diminutiuum meticulus.

Metus est opinio impendentis mali, quod intolerabile esse videtur, animi recessus & fuga. *Aristoteles.* metus, *inquit*, vitium irascibilis partis est, ob quem formidant, terrore præsertim immolente: vtrumque maximum animi malum.

Metus proprium est, ad incidentes imminentesque timores mobilem esse præcipue, qui mortem prætendere videantur, & corporales timere inflictus, & melius arbitrari vtcumque saluum esse quam perdi honeste.

Comites Metus:
- Mollities,
- Effœminatio,
- Laboris fuga.
- Vitæ nimia cupiditas.

Subest & huic vitio cautio quædam, & lites fugiendi consuetudo.

Metus est mali alicuius futuri suspiciosus cruciatus.

Oritur autem metus per totius caloris ex frigore contractionē, ad cor ipsum vndique decurrentis, vtpote ad suam sedem, tanquam in regiam vel arcem. Cæterum ęgrimoniæ instrumentum & excandescentię est os ventris, nam huius affectus vim sese sentire significat: velut etiam Galenus medicus nobilissimus *in tertio de demonstratione*, inquiens, mœrentibus nobis non parum flauæ bilis in ventrem defluit, quod plane molestiam exhibet, vt non prius a mœstitia & cruciatu cessemus, quam bilem euomueris. Gignitur enim grauitas inferne per medium pectus chondri xiphoidis nuncupati, quod ensis faciem referat.

Metus est animi torpor circa sensus omnes sparsus, ex mali imminentis opinione.

Sub metu comprehenditur:
1. Pusillanimitas,
2. Timor,
3. Pigrities,
4. Terror,
5. Pauor,
6. Exanimatio,
7. Conturbatio.
8. Socordia,
9. Pudor,
10. Verecundia,
11. Formido,
12. Tumultus,
13. Trepidatio,

Pusillanimitas animi, inquit Aristoteles, vitium est, quo impotentes videntur animi ad felicitatem, infelicitatemque, honorem & dedecus sustinendum. Pusillanimitas igitur est, non honorem, non dedecus, non felicitatē, neque infelicitatem posse sustinere: sed honoratum quidem obstupescere, aut inhonorari ne in omnia quidem parte posse viriliter & animose satis obsistere: verum latitare, attoniti plane animi est, infelicitatem magnā a parua neutiquam discernere, in cunctis suspirare, ingemere, & ægre odium ferre. Huiusmodi est pusillanimitas. vt omnia conuitia cōtumelias vocet, & iniurias & honores auferri sibi queratur, etiāsi ignoratione, alteriusque obliuione contigerint. Comitatur pusillanimitatem, paruis de rebus habere sermonem factū, vel fortunam inculare, desperatio & summissio.

Timor est metus hominem aliqua de caussa reddens meliorē, quod ab honestate fere nō absit. Vnde & nomen a quibusdam habuisse creditur: τιμὴ enim honor Græcis dicitur.

Pigritia est metus consequentis laboris.

Terror est metus concutiens, ex quo fit vt pudorem rubor, terrorē pauor, & tremor, & dentium stridor consequatur.

Pauor metus est mentem è loco mouens, ex quo illud, tum enim pauor omnem mihi sapientiam ex animo expectorat. *Cic. in Orat. allegat. Est autem, vt suspicor, Enny Poeta.*

Exanimatio est metus subsequēs, & quasi comes pauoris. Plaut. *Quid huc exanimatus currit Saurea?*

Conturbatio est metus excutiens cogitata.

Socordia est cum quod animo agi oportuit, animi ipsi subuertiti temere ac inscite, quod minus id efficiant, retinentur.

Pudor, quamquam aliquando virtutis locum obtinet, est tamen etiam metus admissi mali & pœnitentia. D. autem Augustinus, Pudor, inquit, est, qui facit ingenuam frontem, etiam de falsi criminis obiectione. Rubore suffundi non est crimen, & si est crimen, non est illius, cui obijcitur. Nemesius, Pudor est, inquit, metus de expectatione vituperationis excitatus, qui affectus est honestissimus.

Verecundia est metus in turpitudine commissa. Differunt sane pudor & verecundia: quod verecundia ob ea, quæ deliquit, confunditur atque contabescit: pudibundus autem de præclara opinione, atque adeo gloria, in qua sic veretur, planeq; metuit excidere: licet plerique sæpenumero pudorem verecundiam, & verecundiam pudorem indifferenter vocent.

Formido est de re aliqua insolenti aut improuisa, ingens animi consternatio, & imaginatius cum tremore metus, alij sic: Formido est metus permanens.

Tumultus est, vt cum Cicerone Quintilianus loquitur, timor multus. Vt autem Zeno, vocis complosæ per metum eruptio.

Trepidatio est animo offusus horror, gestu, motuque corporis festinando vltro citroque incursando demonstratus.

L O C I B I B L I C I.

Metuendum fideli in afflictionibus non est. *Deut. v. 17. 18.*

Cum metu & tremore operemur nostram salutem, *Philip. 2. 12.*

S E N T E N T I Æ P O E T I C Æ.

Sen. Agam.

Quod metuit auget, qui scelere scelus obruit.

Claud. de bello Getico.

Sed malus interpres rerum metus, omne trahebat
Augurium peiore via.

Sen. Thyest.

Quos cogit metus
Laudare, eosdem reddit inimicos metus.

Ouid. 2. Amor. 2.

Quem metuit, quisq; perisse cupit.

Virg. 4. Æneid.

Degeneres animos timor arguit.

Publius.

Metus quum venit, rarum habet somnus locum.

Aristophanes.

Τὸ γὰρ φοβεῖσθαι τὸν θάνατον, λῆρος πολύς.
Πᾶσιν γὰρ ἡμῖν τοῦτ' ὀφείλεται παθεῖν.
Metuere mortem magna stultitia est:
Omnibus enim nobis hanc pati fatale est.

Luca-

Lucanus lib.8.

Meti vltima pœna est,
Nec metuendi viros.

Ausonius.

Crux est, si metuas, viuere quod nequeas.

Publius.

Inimicum, quamuis humilem, docti est metuere.

Seneca in Oedipo.

Qui sceptra dura sæuus imperio regit,
Timet timentes. Metus in authorem redit.

Pacuuius.

Obfirmato animo mitescit metus.

Senec. in Herc. fur.

Quod nimis miseri volunt,
Hoc facile credunt:
Imo quod metuunt nimis,
Numquam id moueri
Posse, nec tolli putant.

Publius.

Eheu quam miserum est, fieri metuendo senem.

Seneca.

Rex est qui metuit nihil.
Hoc regnum sibi quisque dat.

Diphilus.

Homine paupere nihil est fortunatius:
Mutationem in deteriorem statum non metuit.

Terent. in Andr.

Verecundia liberi est, serui vero metus.

Ouid. Epist. 3.

Vires subtrahit ipse timor.

Pub. Mim.

Stultum est timere, quod vitari non potest.

Sen. Trag. 1.

Opprimit leges timor.
Qui pauet vanos metus,
Veros fatetur.

Hor. lib. 1. Epist. 4.

Nam qui cupiet, metuet quoque: porro
Qui metuens viuit, liber mihi non erit vnquam.

Virg. 9. Aeneid.

Pedibus timor addidit alas.

Sen. in Thye.

Leue est miserias ferre, perferre graue.
Vbi timor, ibi pudor.

PHILOSOPHICÆ SENTENTIÆ.

Animal magni cordis, naturaliter est pauidum: parui vero, est audentius. *Arist. lib. de anima.*

Metus est mali expectatio. Ea autem metuimus omnia, quæ mala sunt, vt dedecus, paupertatem, morbum, amicorum penuriam, mortem: sed tamen non in his omnibus fortis cernitur.

Boni viri color non mutatur, nec timet nimium. *Id. Eth. 3.*

Nemo beatus est, qui in metu est, qui suspectam habet vitam.

Timor orationis est vinculum. *Eurip. in Ion.*

De metu perdendi in bello. DIAL. XXX.
Francisci Petrarchæ.

METVS.

Bello vinci metuo. R. Pacem quære. M. Valde vinci metuo. R. Timor modestus cautionem, vehemens vero desperationem parit, quarum altera nil in bello melius. Altera peius nihil in rebus omnibus. M. Magno prælij quatior terrore. R. Quid bellantium timor mali ferat, atque ex timore oriens mœstitia, Flaminius ad Thrasymenum, Crassus apud Carras, Pompeius in Thessalia expertus est, quibus in locis, & sæpe alibi verum poeticum illud apparuerit: *Pessimus in dubijs augur, timor.* M. Euentum pugnæ nimis horreo. R. Differ interim dum spes redit, male pergitur vnde abstine. dum meos terrorque denunciant, solet inesse animis præsaga quædam vis, cuique obstare fortassis non sit vsquequaque consilium. Nõ est exemplorum numerus, seu veterum, seu nouorum clarissimus, mibus vti satis habui. M. Instantis pugnæ casum metuo. R. Excute res tuas, quas te melius nemo est qui nouerit. Vide ne non rei natura, vel virium defectus, sed præsagium sibi fingat ignauia, cui nihil vsquam non formidolosum, ac difficile est. Hæc si liberati tingitur, si gloriæ, si salutis tuæ officit, virtutis auxilio comprimenda est. excitandusque animus, & monstrandum illi sæpe pauciora esse, & leuiora pericula, quam pauores, obuersari sæpe oculis falsas imagines rerum terribilium, quibus consternati quidam sine ferro paratam sibi victoriam tradidere hosti, non est enim falsus, atque inanis metus vero lentior, sed eo sæpe vehementior, quo pauentem maiora omnia sibi fingens error quoque præcipitat, atque ita quod poeta idem ait, *Male cuncta ministrat impetus*. Si nec his attollere iacentem animum potes, cãpo abstine. Vix bene geritur, quod pauide geritur, sic affectus in aciem si descendas tecum erit, qui contra te dimicet, tui enim ipsius aduersus te melior pars rebellat. Malus semper hospes animi, pessimus in bellum comes metus.

Plus in metuendo est mali, quam in eo ipso quod timetur. *Cic. A. Torq. Famil. lib. 6.*

Maior est ea vis, quæ periculo mortis iniecto, fortitudine animum perterritum loco sæpe, & certo de statu dimouet, quam quæ ad corpus nostrum, vitamq; peruenit. Itaq; sancti sæpe homines cũ corpore debilitantur, animo tamen non cedunt: neque eum relinquunt locum, quem statuerunt defendere. Atque alij pelluntur integri: vt non dubium sit, quin maior adhibita vis ei sit, cuius animus sit perterritus, quam illi, cuius corpus vulneratum sit. *Pro Aulo Cæcinna.*

Exercitus maximi sæpe pulsi ac fugati sunt terrore ipso impetuque hostium sine cuiusquam non modo morte, verum etiam vulnere. *Pro Cæcin.*

Magna est stultitia, idipsum quod verearis, ita cauere: vt cum vitare fortasse potueris, vltro accersas, & attrahas. *Cic. Brut.*

Omnes, quorum in alterius manu vita posita est, sæpius illud cogitant, quid possit is, cuius in ditione ac potestate sunt, quam quid debeat facere? *Pro lege Manil.*

Nos omnia tum vementia metu, tum mœrore præsentia augentes, rerum naturam quam errorem nostrum damnare malumus. *5. Tusc.*

Nulla vis imperij tanta est, quæ premente metu possit esse diuturna. *2. Offic.*

Multorum odijs nullæ opes possunt obsistere. *2. Offic.*

Quem metuunt, oderunt: quem quisque odit, perijsse expetit. *2. Offic.*

Timor, non diuturni magister est officij. *Phil. 2.*

Malus est custos diuturnitatis metus; contraque beneuolentia fidelis est vel ad perpetuitatem: id igitur amplectamur, vt metus absit, charitas retineatur. *2. Offic.*

Mihi perire est melius, quam in sua ciuitate sine armorum præsidio non posse viuere: præsidium charitate & beneuolentia ciuiũ sæptum oportet esse, non armis. *Philip. 9.*

Virtus tribus ex causis promouetur, metu, cupiditate, pudore. Metum incutere lex poterit: pudorem consuetudo, bonis enim moribus assuctos turpe quid admittere pudet. Doctrina vero parit cupiditatem. *Hippodamus.*

Mali semper timent.

Quod timent, facile oderunt omnes. *Plut.*

Imbecillæ mentis est, formidare ineptra.

Quidquid expectatum est diu, leuius accidit.

Multos fortuna liberat pœna, metu neminem. *Sen. ep. 61. & 79.*

Necesse est, multos timeat, quem multi timent.

Verumq; timidi est, velle & nolle mori. *Idem de ira lib. 2. & Trag.*

Vitium est omnis animi perturbatio. *Quint. l. 3.*

Natura docet quæ timenda sunt.

Dolendi modus est, timendi vero non idem. *Plin. sen. l. 8.*

Ingeniosior est ad excogitandum metus amore.

Timor est emendator acerrimus.

Nemo ei satis fidus est quem timuit.

Canis timidus vehementius latrat, quam mordet.

Strenuus metus est, velocior tamen spes. *Plin. iun. lib. 8.*

Dum mens languet, audacia crescit. *Veges. lib. 3.*

Prudentius est timere, quam sperare.

Metus semper malus interpres. *Liu. li. 2. Dec. 7.*

Quos metuunt homines admodum, eos ne benigne quidem alloquentes audent intueri.

Metus hominibus maiori est supplicio, quam si reipsa lædantur.

Vehemente metu homines seruilem in modum magis demissi redduntur.

Scis eos qui metuunt ne in exsilium è patria pellantur, & qui pugnaturi metuunt ne succumbant, in mœrore degere. Itidem qui inter nauigandum metuunt, ne naufragium faciant, & qui seruitutem ac vincula timent, ne cibo quidem ac somno per metum frui possunt. At qui iam sunt exsules, quique iam victi sunt, ac seruitutem qui seruiunt, nonnunquam possunt etiam magis, quam fortunati homines, cibo, potu, somno vti. Præterea manifestius est, etiam in his, quale onus sit metus. Nam nonnulli dum metuũt ne capti moriantur, ob metum præmoriuntur, partim in præcipitium acti, partim strangulati, partim sibi ipsis manus adferẽtes. Vsque adeo metus inter omnes res horribiles maximo terrore animos percellit. *Xen. de inst. Cyri l. 3.*

Nec te latere hoc debet Gobria, homines complures, quãdo confidant, iniecta quadam esse animi elatione: quum vero timeant, quo plures fuerint, eo maiore formidabilioreque metu detineri. Ex multis enim malisque rumoribus is auctus est metus, ex multis etiam malisque rebus, ex multis item atque ignauis exanimatisque personis coactus est. Itaque & magnitudinem non facile est extinguere eum metum verbis, neque ad hostes ducendo animi

mi alacritatem inijcere, neque abducendo ab hostibus animi elationem euertere: sed quanto magis iubeas illos bono esse animo tanto existimabunt in maiore se esse discrimine. *idem ibid. lib. 5.*

Idem metus qui cogit fugere, fugientes moratur. *Cur. lib. 3.*

Meticulosi ad deteriora credenda proni. *lib. 4.*

Nulla est metuentibus quies. *Iustin. hist. lib. 2.*

Metu tenendi sunt quos fides non tenuit. *Liuius, Decad. 1. lib. 7.*

Multos exercitus eosque ingentes ob nullum alium formidabilem casum magis quam ob inanem metum iam funditus deletos, scimus. *Dionys. Hal. l. 3.*

Omnes qui inter se dissident communis periculi metus conciliare solet. *idem l. 8.*

Qui hominibus præter expectationem ac quam maxime inopinato accidunt, ea & animos horum deijciunt, & rationem conturbant: vt ad ferendam de eo quod agendum sit sententiam minime omnium valeant. Neque enim consilijs iuxta metum locus est: sed vbi animum consilia anteceperunt, strenue admodum timores ea exturbant: sin anteueniantur ab his, succũbunt. *Dion. lib. 42.*

Quisquis suis rebus metuit, ad aliena animum non adijcit: quod is timor quem de proprijs habet, ab omni eum prorsus alienorum cura auertit. *Idem lib. 38.*

Qui in aliquo metu sunt, promissis facile demulcentur. *Appian. l. de bell. Hisp.*

Metus tempore ratio omnis & cõsilium deest: quibus rebus si quis ante animum suum præmunierit, metum omnem superare egregie potest: sin minus facile vinci. *Xiphil. Pomp.*

Melius est mortem semel oppetere, quam in perpetuo metu versari. *Zonar. Annal. tom. 2. in Cæsare.*

Proprius metus exercitam quoque eloquentiam debilitat. *Tacit. Annal. li. 3.*

In publico metu consilia prudentium & vulgi rumor iuxta audiuntur. *idem, hist. l. 3.*

Metus in maius cuncta tollit. *Io. Iouin. Pont. hist. l. 1.*

Metus mentes oculosq; hominum obtundit. *Fr. Guicciard. hist. l. 7.*

Miserrimum est angi metu mali quod nondum impendeat. *Arn. Ferron. l. 7.*

Apophthegmata.

Socrates Alcibiadem adolescentem, primum ob imperitiam trepidantem, vt fit, apud tantam multitudinem verba facere, lepida, εἰσαγωγῇ, animauit: An non putas, inquit, o Alcibiades, contemnendum sutorem? Annuit. An non præconem? quum & hic annuisset: an non contemneres, inquit, tabernaculorum opificem? Quum similia quædam proposuisset, & is fateretur hos esse contemnendos, tum Socrates: Atqui, inquit, ex his constat Atheniensium populus, quem tu vereris. Quorum si singulos putas contemnendos, qui minus etiam contemnas condensatos? Sed sit, nõ referre apud quam multos dicas, sed apud quam cordatos. Fit enim hoc miro modo, vt quos singulos despicias, congregatos reuerearis. In conuiuio Platonis Socrates admiratur Agathonis audaciam, qui coram tot hominum millibus præsenti animo recitasset suam tragœdiam: cui quum Agathon respondisset, se citius velle coram multis hominum millibus dicere, quam apud vnum Socratem: Atqui in illis, inquit, millibus & Socrates erat. Fit enim & illud miro modo: vt quem vnum reuerearis, in turba mixtum contemnas. *P. M. l. apoph.*

Isocrates, cum intelligeret, quantum sibi animi obesset timiditas, sæpenumero dicere solitus est, se suos quidem discipulos docere decem minis: verum qui ipsum docuisset extra omnem timiditatem in concione loqui, mercedis loco daturum decem millia. Sola enim timiditas & vox exilis reddebant hominem inutilem ad dicendum. *P. M. l. 8. apoph.*

Cleanthes cuidam illi probri caussa obijcienti, quod esset timidus: Ideo, inquit, minimũ pecco. Bona est timiditas, quæ deterret à turpibus, & reddit hominem circumspectum. *Laert. lib. . c . 5.*

Xenophanes. Quum ipsi Hermoneus timiditatem obijceret, quod nollet secum tesseris ludere: Fateor, inquit, me non solum meticulosum, verum etiam vehementer meticulosum, sed aduersum inhonesta. Honesta timiditas est, quæ deterret a turpibus. *Plut. de vitiosa verecundia.*

Cleomenem cum quidam interrogasset, cur Spartiatæ non consecrarent Dijs spolia ab hostibus detracta? Quoniam, inquit, a timidis venerunt. Porro quæ parta sunt ab his qui ob timiditatem capti sunt, nec decet intueri iuuenes, nec Dijs consecrata reponi. *Plut. in Lacon. apoph.*

Anonymus. Quidam Metapontinus Laconi obijcienti ignauiam: Atqui, inquit, non parum alienæ regionis possidemus. Ergo, inquit, Lacon, non solum ignaui estis, verum etiam iniusti, significans nõ posse fieri, vt quis meticulosus & imbellis multum teneat alienæ ditionis, nisi fraude partum. *Plut. in Lacon.*

Vibius Crispus, cuidam qui in foro Romæ loricatus ambulabat, prætexens id se metu facere, perquam scite dixit Vibius Crispus quis tibi sic timere permisit? Ludens ex inopinato. Expectabatur. n. vt obiurgaret hoĩem, quod præter consuetudinem Romanam armatus incederet. At ille increpuit hoĩem, quod sic timeret, quum liceret manere domi, si quid timeret. *P. M. li. 6. apoph.*

Themistocles. Quum Græcos ad naualem pugnam hortaretur, incitaretque, Adimantus abhorrens a pugna, ita ad Themistoclem ait: At qui in certaminibus ante alios prosiliunt, flagris cæduntur. Bene quidem, respondit ille: sed nec ij coronantur, qui se, dum pugnandum est, subducunt. *Plut. in apoph.*

Idem in Eretrienses ita cauillari solebat, vt diceret eos similes piscium, qui gladioli vocantur: quippe qui gladium quidem haberent, cor autem non haberent. Notans illorum ignauiam quod armatis non adesset animus. *Plut. in apoph.*

Philippus Cum subactis Græcis, quidam auctores essent, vt ciuitates præsidijs contineret, ne deficerent: Malo, inquit, diu bonus ac cõmodus, quam breui tempore dominus appellari, sentiens, regnũ, quod beneficijs ac beneuolentia teneretur, esse perpetuũ: quod vi metuque, non esse diuturnum. *Plut. in apoph.*

Caligula illud è tragœdia subinde iactabat: Oderint, dum metuant. Hanc ne quis miretur, eiusdem vox fuit. Vtinã populus Romanus vnicam ceruicẽ haberet. Hanc emisit, infensus turbæ, fauenti Venetæ aurigarum factioni, quũ ipse faueret Prasinæ. *P. M. l. 6. apoph.*

Similitudines.

Chrysostomi. Quemadmodum in ædibus militis semper armati, non latro, non parietum dirutor, non alius quisquam eorum qui huiusmodi maleficia suscipiunt, audet apparere: Sic metu animus occupante, nulla perturbatio illiberalis non inuadit. *Apud Max. serm. 24.*

Philonis Iudæi. Quemadmodum torrente correptus, timet aquas quibus trahitur, atque magis etiam quæ superne inundant. Eodẽ modo mala præsentia maiorem metum afferunt. Metus. n. tanquam è fonte molestias exhibet. *Lib. de præmijs & pœnis, folio 577.*

Plutarchi. Vt flamma excitata vento, maior est ac vehementior, sed parum durabilis ac constans; sic vehemens cupiditas ob metum adiunctum, incertam habet voluptatem. *In Mor.*

Vt corpus non est capax voluptatum, nisi bene temperatum: Ita animus non capit veram voluptatem, nisi liber metu, ac cæteris affectibus. *In Mor.*

Ciceronis, vt innocens non is dicitur: qui nõ nocet leuiter, sed qui nihil noceat: Sic sine metu is habendus est, non qui parua metuit, sed qui omnino metu vacat. *Lib. 5. Tusc. q.*

Senecæ. Quemadmodum eadem catena & custodem & militem copulat: Sic ista quæ tam dissimilia sunt, pariter incedunt. Spem metus sequitur. *Lib. 1. epist. 5.*

Omnium animos mala aliena ac repentina sollicitant: quemadmodum aues etiam inanis fundæ sonus territat: Ita nos non ad ictum tantum exigitamur, sed ad crepitum. *Lib. 2. epist. 75.*

Adagia.

Funiculum fugiunt miniatum. τὸ σχοινίον φεύγουσι τὸ μεμιλτωμένον.

Apte dicetur, vbi quis properat officio suo fungi, non ex animo, sed ne in mulctam incidat.

Manum de tabula.

Peculiariter conueniet in scriptores plus satis acutos, & morosa cuiusdam diligentia, qui sine fine premunt suas lucubrationes, semper aliquid addentes, adimentes, immutantes.

Metus infamiæ. *Pythag.*

Cum dicemus nos hominum de nobis opinione rumoribusq; commoueri, quo minus mutemus consilium, conueniet illud Homeri.

> Αἰδέομαι Τρῶας καὶ Τρῳάδας ἑλκεσιπέπλους.
>
> *Troianos ac Troianas, vereorq; pudetq;*

Absque baculo ne ingreditor. ἄνευ ξύλου μὴ βάδιζε.

Inermis ne sis, verum semper ad manum sit, quo depellas, si quis forte quærat lædere.

Cautus enim metuit. *Homerus.*

Qui non ex animo, sed mali metu continent se a maleficio, in eos quadrabunt hæ metaphora:

> *Cautus enim metuit foueam lupus, accipiterq;*
>
> *Suspectos laqueos, adopertum miluus hamum.*

In tempore cauenda pœna mali.

Quoties admonebis, vt multo ante occurramus malo, prius quam oppresserit nos, aut cessandum a peccando, prius quam ingruat diuina vindicta, vsui erit illud Homeri:

> Ἀλλὰ πολὺ πρὶν
> φραζώμεσθ᾽ ἀνὰ καλὸν παύσομεν.
>
> *Verum nos multum ante modum finemq; velimus*
> *Ponere.*

Satniorum mala metuis. τὰ Σαμίων ὑποπτεύεις.

Dictitatum de ijs, qui metuerent proditionem.

Volam pedis ostendere. τὸ κοῖλον τοῦ ποδὸς δεῖξαι.

Dicuntur

Dicuntur, qui in bello fugiunt. Dicitur & vulgo in fugaces. Calcaneam ostendere, vertere terga, apud historicos. Fersengelt geben, die Fersen sehen lassen.

Monstrer les talons, tourner le dos.

Ὑποτρέχειν probrose dicitur, qui sese per omne rerum genus voluit. In molles ac meticulosos quadrabit.

Fures clamorem.

Subaudiendum, timent, aut senserunt, οἱ φῶρες τὴν βοήν. Quadrabit in eos, qui sibi conscij, metuunt ne deprehendantur. Es treumet jhm vom Teuffel. Item, Die Katz leufft jhm den Rucken hinauff.

Lupus aquilam fugit. *Λύκος αἰετὸν φεύγει.*

Vbi periculum imminens euitari non potest.

Lupus ante clamorem festinat. *Λύκος πρὸ τῆς βοῆς σπεύδει.*

Vbi quis admissi conscius, vltro timet, priusquam accusetur.

Conscientia mille testes.

Sensus non eget interprete, Sic Poeta.

Heu! quam difficile est crimen non prodere vultu. Das Hertz, oder das Gewissen leugt nicht.

Panicus casus. *Πανικὸς φόβος.*

Dicitur de subito animorum tumultu, sed inani. Cicer.

Metum inanem metuisti. *Δέος δέδιας ἄδεες.*

Vbi quis formidat omnia tuta. Virg. Omnia tuta timens.

Multa in bellis inania. *Πολλὰ τὰ κενὰ τοῦ πολέμου.*

Dici potest de inani alicuius periculi suspicione, aut pauore sine caussa aborto, quem Græci πανικὸν vocant.

Theagenus hecateum. *Θεαγένους Ἑκάτειον.*

In superstitiosos, ac ridicule meticulosos dictum est.

Canes timidi vehementius latrant.

In Thrasones dici potest, qui turgidis quidem minis diras moliuntur, hominesque territant: sed re ipsa, & factis nulli sunt. Q. Curt. Hundt die viel bellen, beissen nicht.

Aspersisti aquam.

Aspersisse aquam dicitur, qui dicto quopiam reddiderit animum, ac metum ademerit.

Vmbre territas. *Σκιὰν ἢ σκιὰν περιφοβῇ.* [illegible]

Dici solitum, quoties inanem formidinem, aut concipis aliquis, aut incutit. Idē valet: τὴν σκιὰν φοβεῖσθαι. Id est, Vmbris territas.

Leonem larua terres. *Μορμολυκείοις ἐκφοβεῖς τὸν λέοντα.*

Conuenit de minis inanibus, ac terriculamentis risu excipiendis.

E X E M P L A B I B L I C A.

Metus Dei, & hominum *exempla*: Adam, *Gen.* 3.10. Sara, 18.15. Loth, 19.30. Serui Abimelech, 20.v.7.9. Isaac, 27.18. Iacob, 31.31. & 32. v.7.11. Ioseph, 42.18. Fratres Ioseph, 50. *vers.* 15. 19. Obstetrices, *Exod.* 1.17. Moses, 2.18. Israelitæ, 14.v.10.31. & 19.16. 2. *Reg.* 10.4. & 25.26. Reges Amorrhæorum, & Chanaan, *Ios.* 2.11. & 5.1. Gabaonitæ, 9.24. Adonisedech, 10.v.2. Philistijm, 1. *Sam.* 4.v.7.8. & 7.7. Filij Israel, 12.18. & 17.11. Iudith, 4.2. Saul, 1. *Sam.* 18.v.12.29. & 25.5. Regina. 10.19. Serui Dauid, 2. *Sam.* 12. 18. Adonias, 1. *Reg.* 1. 25. Israel, 3.28.v.3.12. Vir mulieris paupercula, 2. *Reg.* 1.15. Armiger Saulis, 1. *Paral.* 10.4. Dauid, 21.30. Iosaphat, 2. *Paral.* 20.3. Nehemias, *Neh.* 2.2. Ananias, 7.2. Tobias senior, *Tob.* 2.9. Iudith, *Iud.* 8.8. Principes Assyriorum, 14.17. Assuerus, *Esth.* 15.11. Iob, 1.1. Ieremias Propheta, *Ier.* 26.21. Eunuchorū Princeps, *Dan.* 1.10 Susanna, 13.2. Ionas, *Ion.* 1.9. Nautæ, v. 10.16. Gentes, 1. *Mach.* 3.25. Iudæi, 7.v.18. & 9.6. Aduersarij Ionathæ, 12.28. Tryphon, v.42. Ioseph vir Mariæ, *Matth.* 2.22. Turbæ, 9.8. Discipuli, 14.26. *Marc.* 4. v.40. & 41. & 6.30. Pharisæi, *Matth.* 17.6. & 21.46. *Luc.* 20.19. Custodes sepulchri, *Matth.* 28.4. Mulier sanguinis profluuio laborās, *Marc.* 5.33. Petrus, Iacobus, & Ioannes, 9.6. Sacerdotes, & Pharisæi, 11.18. Mulieres ad monumentum progressæ, 6.8. Zacharias, *Luc.* 1.12. Maria virgo, 29. Pastores, 2.9. Simon Petrus, &c. 5.9. Pilatus, *Ioan.* 19.8. populus, *Actor.* 2.43. Ecclesia, 5.5. Discipuli, 9.26. Cornelius, 10.2. Magistratus, 16.38. Iudæi, & Gentiles, 19. *vide sit. Timor.*

E X E M P L A P R O F A N A.

Chabrias Atheniensis classe dimicaturus, excussum ante nauem ipsius fulmine, exterritis per tale prodigium militibus, nunc (inquit) potissi nuo pugna est, cum Deorum maximus Iupiter adesse numen suum classi nostræ ostendit *Front. l.* 1. *c.* 11.

Pericles, cum in castra eius fulmen decidisset, terruissetque milites: aduocata concione, lapidibus duobus in conspectu omnium collisis, ignem excussit: sedauitque turbationem, cum docuisset, similiter nubium attritu excuti fulmen. *Suidas Polyænus, l.* 2.

L. Sulpitius Gallus bello Macedonico in castris L. Aemilij Pauli defectum lunæ immineutem, ne pro ostento exciperent milites, prædixit futurum, additis rationibus caussisque defectionis. *Fron. lib.* 1. *c.* 12.

Cyrus Persarum Rex, ne hostium efferis clamoribus milites perculsi trepidarent, hymnum Polluci, & Castori canere iussit: quo concentu effecit, ne improuisa formidine caperentur. *Alex. l.* 4. *c.* 7. *ex Xenophonte.*

Marcellinus Imper. Diocletiano, & Maximiano persecutoribus, tormentorum immanitate perterritus, Dijs sacrificauit: at facti pœnitentia ductus, vltro postea Romam ad martyrium profectus est. *Marul. l.* 4. 10. & *Fulg. l.* 2. *c.* & *Platina.*

F A B V L Æ.

Leo & Rana.

Leo auditis ranæ clamoribus, quos illa toto rictu edebat quam maximos, primum percelli animo valde cœpit, quod crederet ingentem animantem esse auctorem tanti clamoris. Animo tamen confirmato, circumspicere, & contra illum clamatorem, quisquis esset, sese parare, & ad pugnam accingere. Cum videt prorepentē ranam de propinquo lacu, ibi leo, simul indignatione, simul etiā pudore affectus pede illam conculcatam attriuit.

Docet fabula, non esse ad quodlibet strepitum expauescendum, neque nos inexplorata re terreri oportere.

Hinnulus.

Hinnulum cum ceruo sic locutum aliquando ferunt: Mi pater, cū multo sis maior canibus, & pedum his celeritate præstes, præterea cum tibi sint ardua cornua, quibus a te vim propulsare facile possis, qui fit, vt canes tantopere metuas? Ibi ceruus ridens: Mi nate, vera inquit, memoras: Mihi tamen, nescio quo pacto semper accidit, vt audita canum voce, in fugam statim conuertar.

Fabula docet, eos, qui natura formidolosi sint, nulla cohortatione confirmari posse.

Viatores.

Viatores quidam in littore constiterant, quod longe in mari fluitantia sarmenta nauem esse arbitrarentur. His vero propioribus factis sperabant lembum esse, mox vento & fluctibus electa sarmenta cum cognouissent, stulti scilicet, inquiunt, nos hic frustra nauigia expectauimus.

Fabula docet, quosdam ignotos formidini alijs esse opinione sua, cum quibus si quis propius congrediatur statim apparere futilitatem & ignauiam illorum.

Vide Confidentia, Fiducia, Formido, Desperatio, Timor.

MILES, MILITES.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Miles, Græce στρατιώτης, & στρατεία, militia, & στρατεύομαι milito dicitur. Miles Hebræis dicitur *Isch hammilchama*, vir belli, *homme de guerre*, *Milchamah* autem bellum, prælium, cædes, incisio, quæ fit acie gladij. Dicitur a verbo *Lacham*, i. scidit dentib. concidit ore gladij (*il taila en pieces, il mit au trenchant de l'espee*) prosciscit, comedit, exedit mandendo & concidendo. Metaphorice significat, bellum gessit, prælium cōmisit. Nam in bello gladius comedere videtur homines, & absumere, veluti si quis deglutiret frusta panis aut carnium: iuxta dictum, 2. *Sam.* 11. v. 25. Sic enim & sic vorat gladius. i. Varius est euentus belli, vt ij nunc cedantur, nunc alij. In voce passiua *Nilcham*, præliatus est. Panis, *Lechem*. bellum *Lachem*. vbi fit concisio & dissectio hominum, *ou l'on hache en pieces les combatans*, Arpidas deuote. Vide lexicon trilingue Lugdun. pagin. 480. 481. Venitque à mille quasi millesimus quisq; hoc est, millenario numero fuerit. Legio enim primo, vt Varro inquit, trium millium fiebat. & singulæ tribus Tatiensium, Ramnensium, & Lucerum mille militum mittebant. Hinc milito verbum, hoc est militiam exerceo, & militare, more militum, & commilito, onis, qui simul militat, hoc est socius in bello, & commilitium, ipsa belli societas. Militum genera apud veteres tria erant. Alij enim *Euocati* dicebantur, qui non milites, sed pro milite erant. *Tumultuarij*, qui necessitate aliqua electi, vt vnum duntaxat bellum militabant: Alij *Sacramento rogati*, qui post electionem in Rempub. iurabant. quod militare Sacramentum dicebatur. Hi plenam militiam habebant. Erantq; quinque & viginti annis obligati.

Militiæ instrumenta sunt galea in qua conus, & crista, thorax, lorica, baltheus, cingulum, scutum, clypeus, parma, cetra, scutū breue, ocrea, sagula, gladius, ensis, sparus, gæsa, verutū, pilum, aclides, pugio, scorpius, catapulta, contus, glandes, plumbeæ, phalarica, semiphalarica, soliferrea, lancea, rumige, tri falces, bipennes, framea, romphæa, ansatæ, cateiæ, scipiones, sudes, sicç, machæræ, hemispathæ, veruinæ, ligulæ, clunaculæ, venabulum, sarissæ, saxa, cetra, tegmen, pelta, vehicula, currus, equi. In aquis, gauli, corbitæ, caudicæ, naues longæ, biremes, triremes, lembi, naues onerariæ, hippagines, cercuri, celoces, oriæ, schediæ, remuculi, scaphæ, lyntres, actuariæ, prosumiæ, & gesseoretæ, vectoriolæ, catæ, pontones, nuctoretæ, mediæ phaselli parones myoparones, caupuliæ, [illegible], cidarum, ratariæ, catascopiū, cymba, pristis, horia, liburni. Hæc omnia militiæ vsui esse possunt: Sunt & alia, vt testudo, centones, vineæ quos catos vocabulo Barbaro vocant plutei. Plurima desunt, quæ in historijs occurrunt lectori.

Addam murorum defensionem, agger. musculi, turres, ambulatoriæ scalæ, quibus muros primus Capaneus dicitur ascendisse. Exostra, pons, tellenon, sclopetum præteruolans, bombarda, aliaque id genus.

Militaris prudentia, est virtus, qua regitur multitudo exercitus, ad tuitionem totius boni communis. *secund. B. Thom. secunda secundæ q. 48. a. 4.*

Militia non reijcitur a Ioāne, sed suis vitijs repurgatur, *Luc. 3. 24.* nemo militat suis stipendijs, *1. Corinth. 9. 7.* militare secundum carnem, *2. Corinth. 10. 3.* militia spiritualis, *versic. 4. Ephes. 6. versic. 11. 12. Hebr. 10. 32. & 13. 3. 2. 1. Pet. 1. Petr. 2. 11.* militare bonam militiā, *1. Timoth. 1. 18.* Paulo est strenue se gerere in militia ad quam oportet esse comparatos, quicunque sub Christi nomine bellum administrant.

PATRVM SENTENTIAE.

Militare, non est delictum, sed propter prædam militare peccatum est. Nec Rempublicam gerere criminosum est: sed ideo agere Rempublicam, vt rem familiarem potius augeas, videtur esse damnabile, propterea enim prouidentia quadam militantib. sunt stipendia constituta, ne dum sumptus quæritur, prędo grassetur. *Aug. de verb. Dom.*

De cubiculo ad aciem, de vmbra egrediens ad Solem, corpus assuetum tunicæ, loricæ onus non sustinet, caput opertum linteo, galeam recusat: mollem otio manum durus exasperat capulus: fortior autem miles ex confragoso venit. *Hier. in epistol. ad Theodos. monach.*

Nihil damnabilius est in milite, quam otium per quod vsus armorum dediscitur: nutritur pusillanimitas, vires senescunt, obrepit inertia, & ad immunditiæ actus animus occupatur: *Pet. Bles. in Epist. 94.*

Vegetij Renati testimonio, inutilis est omnino militiæ nutritus tenere, & delitijs assuetus, cum autē censet aptiorem, qui sub dio, & ad arma nutritur in labore. Solis patiens, vmbræ negligēs, balneorum nescius, æque ferens frigoris iniurias & caloris, rudis in causis, simplex in actibus, cibo moderatiore contentus, qui non erubescat fossam ducere, reparare aggeres, ferre lapides & cæmentum, lignorumq. materiam comportare. *ibid.*

Clypeos deferunt deauratos, prædam potius hostium cupientes, quam certamen ab hostibus, bella tamen & conflictus equestres depingi faciunt in sellis & clypeis, vt se quadam imaginaria visione delectent in pugnis, quas actualiter ingredi aut videre nō audent. *ibid.*

In his Frontinus refert, cum scutum cuiusdam vidisset auro & gēmis multipliciter adornatum, dixit se non mirari, si tanta clypeum diligentia ornasset, in quo plus præsidij, quam in ense haberet. *ibid.*

Refert Pericles, non picturam, non aurum, & lapides, sed scutū diuulsum, fractam galeam, hebetem gladium, faciem vulneratā decere militibus ad ornatum. *ibid.*

Hi sunt, quorum testimonio laudari audis in otio occupationes, in pace prædas, inter arma fugas, inter vina victorias, cum sunt in prætorijs leones, in prælijs lepores. *ibid.*

Porro ordo militum nunc est, ordinem non tenere: nam cuius os maiorum verborum spurcitia polluitur, qui detestabilius iurat, qui minus Deum timet, ministros Dei vilificat, qui Ecclesiam nō veretur, ille hodie in cœtu militum fortior, & nominatior reputatur. *ibid. Epist. 94.*

Hodie militaris disciplina, quā Vegetius Renatus & pleriq; alij docuerunt, prorsus euanuit, & se in quandam delinquendi libertatem, & scurrilitatis speciē deformauit. Olim. o. se iuramenti vinculo milites obligabant, quod starent Reipublicæ statu, quod in acie non fugerent, & quod vitæ propriæ vtilitatem publicā præhaberent: sed & hodie tyrones enses suos recipiunt de altari, vt profiteantur se filios Ecclesiæ, vtq; honorem sacerdotij ad tuitionem pauperum, ad vindictā malefactorum, & patriæ liberationem se gladium accepisse: porro in contrarium versa est: nam ex quo hodie militari cingulo decorantur, statim insurgunt in Christos Domini, & desæuiunt in patrimonium crucifixi: spoliant & prædantur subiectos Christi pauperes, & miserabiliter atque immisericorditer affligunt miseros: vt in doloribus alienis illicitos appetitus, & extraordinarias impleant voluntates. *ibid.*

Qui contra inimicos crucis vires suas exercere debuerant, in potibus & ebrietatibus pugnant. Vacant otio, marcent crapula vitāque degenerem in immunditijs transigentes, nomen & officium militiæ dehonestant. *ibid.*

Homines viribus tantum, robori, & velocitati augendis student, & quo pacto hæc habentes ex ipsis solis clari fiant: animum vero per quem existunt, negligunt: ignorantes se illa solum excolere, quę cum brutis communia habent, & quidem imbecilliora, quam multa ex brutis: diuinissimam vero sui partem, & secundum quam dijs aliquo modo similes reddi possent, neglectui habere. *Eusebius.*

SENTENTIAE POETICAE.

Menander Paracatatheca.

Στρατεία δ' οὐ φέρει περιουσίαν οὐδεμίαν,
Ἐφήμερον δ' καὶ προπετῆ βίον.
Οὐ πέτραν ἔχομεν, δ' ἦλος ὁ σωτήριος.

Militia non fert vllam opulentiam:
Sed vitam quæ in diem viuitur ac temerariam,
Quam experimur minime salutarem esse.

Appollodorus in Aphanizomeno.

Ἔργον στρατιώτην ἄχρι τοῦ γήρως λαβεῖν
Ἐστὶν ἂν δὲ τυχὼν τ' ἄν μὴ δειλὸς ᾖ.

Difficile est militem inuenire qui ad senectam
Vsque omnia bene successerint nisi timidus sit.

Menander in Aspide.

Στρατιώτην ὑμικρὸν σωτηρίας
Ἐστ' ἔργον εὑρεῖν πρόφασιν. ὀλέθρου δ' εὔπορον.

Non parua est difficultas militem
Salutis inuenire causam, perditionis autem facile.
Κομψὸς στρατιώτης οὐδ' ἂν εἰ πλάττοι θεὸς.
Οὐδεὶς γένοιτ' ἄν.

Elegans miles, etiamsi Deus ipsum formaret,
Haud vllus effici posset.

Philemon.

Στρατιῶτ', οὐκ ἄνθρωπε, καὶ σιτεύομαι
Ὡς τὰ ἱερεῖα, ἵν' ὅταν ᾖ καιρὸς τυθῇς.

O miles: non homo, qui pasceris
Quemadmodum victima, vt cum tempus fuerit, immoleris.

Antiphanes.

Τίς δ' οὐχὶ θανάτῳ μισθοφόρος, ὦ φίλτατε,
Ὃς εἵνεκα τοῦ ζῆν ἔρχετ' ἀποθανούμενος.

Quis non mercenarius est mortuo, carissima,
Qui gratia viuendi accedit moriturus?

Lucan. lib. 10. bell. Ciuil.

Nulla fides pietasq; viris, qui castra sequuntur,
Venalesq; manus, ibi fas, vbi maxima merces.

Lucanus ad Pisonem.

Tamen & si bella quierunt,
Non perijt virtus: licet exercere togatæ
Munera militiæ: licet & sine sanguinis haustu
Mitia legitimo sub iudice bella mouere.
Hinc quoque seruati contingit gloria ciuis.
Altaque victrices intexunt limina palmæ, &c.
Olim turba vias impleuerat agmine denso,
Ardua nunc eadem stipat fora, cum tua maestos
Defensura reos vocem facundia mittit:
Seu trepidos ad iura decem citat hasta virorum,
Et firmare iubet centeno iudice causas:
Seu capitale nefas operosa diluis arte,
Laudibus ipsa tuis resonant fora.

SENTENTIAE PHILOSOPHICAE.

Rei militaris virtus præstat cæteris virtutibus, omnia nostra studia, & hæc laus forensis in tutela ac præsidio virtutis bellicæ latent: simul ac increpuit tumultus, artes illico nostræ conticescunt, *Cicero per Mar.*

Iuuentus cui defensio prouinciarum, cui bellorum est committenda fortuna, & genere, si copia suppetat, & moribus debet excellere. Honestas enim idoneum militem reddit: verecundia, dum prohibet fugere, facit esse victorem. *Veget. de re mil. l. 7.*

Fabros Ferrarios, carpentarios, macellarios, & ceruorum aprorūque venatores conuenit sociare militiæ.

Nihil magis in itinere, vel in acie custodiendum est, quam vt omnes milites incedendi ordinem seruent: quod aliter nō potest fieri nisi vt exercitio deambulare celeriter & æqualiter discant. Periculum enim ab hostibus semper grauissimum sustinet diuisus & inordinatus exercitus. *ibid.*

Nihil neque firmius, neque felicius, neque laudabilius est Republica, in qua abundant milites. *lib. 5.*

Plurimum terroris hostibus armorum splendor importat. Quis credat militem bellicosum, cuius dissimulatione, situ ac rubigine arma fędantur? *ibid.*

Ab his, qui tyrones probant, in omnibus quidem staturæ magnitudinem, corporis robur, alacritatem animi conuenit explorarē. *ibid.*

Nunquam ad contumaciam pari consensu multitudo prorumpit, sed incitantur pauci vitiorum, scelerumque impunitate: sperant peccare cum plurib. Quod si ferri medicinam necessitas extrema persuaserit, rectius est, more maiorū, in autores criminum vindicari: vt metus ad omnes, ad paucos pœna perueniat: laudabiliores tamen duces sunt, quorum exercitum ad modestiam, labor, & vsus instituit, quam illi, quorum milites ad obedientiam suppliciorum formido compellit. *Idem l. 8.*

Plerique rei militaris ignari, pleniorem victoriam credunt, si aduersarios aut locorum angustijs, aut armatorum multitudine circum-

circumdederint, vt aditum non inueniant abscedendi: sed clausis ex desperatione crescit audacia, & quum spei nihil est, sumit arma formido: Libenter cupit commori, qui sine dubio scit se esse moriturum, ideoque Scipionis laudata sententia est, qui dixit, viam hostibus, qua fugerent, muniendam. Nam quum abscedendi aditu patefacto, mentes omnium ad præbenda terga consenserint, multi more pecudum trucidantur, nec insequentium vllum periculum est, quum victi (quibus defendi poterant) arma conuerterint in fugam: hoc genere quanto maior fuerit exercitus, tanto facilius multitudo prosternitur. *ibid.*

Neque enim ibi requirendus est numerus, vbi animus semel territus, non tam tela hostium cupit declinare, quam vultum: cæterũ clausi, licet exigui numero, & infirmi viribus, hoc ipso tamen sunt hostibus pares: quia desperantes sciunt aliud sibi licere non posse. Nam vna salus victis nullam sperare salutem. *ibid.*

Nulla consilia meliora sunt, quam illa, quæ ignorauit aduersarius, antequam facias. Quum igitur consilium tuum cognoueris aduersarijs proditum, dispositionem mutare te conuenit: quid fieri debeat tractato cum multis. Quid vero facturus sis cum paucissimis, ac fidelissimis, vel potius ipse tecum. *ibid.*

Nullum laborem recusant manus, quæ ab aratro ad arma transferuntur: quamlibet enim viam patiuntur iumenta, quorum durata in aspero vngula est: in molli, & palustri pascuo saginata cito subteruntur: fortior autem miles ex confragoso venit, sed ille vnctus, & nitidus in primo puluere deficit. *Senec. in quadam epist.*

Aspero, & abscisso castigationis genere militaris disciplina indiget, quia vires armis constant, quæ vbi à recto itinere desciuerunt, oppressura sunt, nisi opprimantur. *Val. Max l. 2.*

Ducis in consilio posita est virtus militum. *Idem l. 5.*

Non fuit Romanis rubor, eburneo scipione deposito, agrestem aratri stiuam repetere: sed Attilij manus rustico opere attritæ salutem publicam stabilierunt, ingentes hostium copias profunderunt, & quæ prius arantium boum iuga rexerant, postea triumphalis currus insessus retinuerunt, potest pauperes consolari Attilius, sed multo magis docere locupletes, quod non est necessaria magnæ laudis cupido, aut anxia opum comparatio, virtus enim nudo homine contenta est.

Animi militum Imperatore in acie viso accenduntur.

Deuotus miles non sentit sua, cum benigni ducis intuetur vulnera.

Pulchrior est miles in prælio cæsus, quam in fuga saluus. *Liu. lib. 2. Decad. 1.*

Militis non est dare consilium, sed vbi res postulat, bonam nauare operam. *P. M. in Apo.*

Robur prudentiæ coniunctum conducit: sine ipsa vero plus lædit possidentes.

Idem corpora quidem exercentium se ornat, animi vero studia obtenebrat. *Isocrat. ad Demonicum.*

Existimare tria esse bellum recte gerendi capita, velle, reuereri, ac obedire ducibus. *Thucyd.*

Rei militaris virtus præstat cæteris virtutibus: omnia nostra studia, & hæc forensis laus, & industria latent in tutela, ac præsidio bellicæ virtutis: & simul atque increbuit suspicio tumultus, artes illico nostræ conticescunt. Omnia denique quæ sunt in Imperio, in statu ciuitatis ab ijs defendi, & firmari putantur, qui militari virtute antecellunt. *Pro Murena. Cic.*

Multo plus affert dignitatis res militaris, quam iuris ciuilis gloria. Vigilas tu de nocte, vt tuis consultoribus respondeas: Ille vero, quo intendit, maturè cum exercitu perueniat. Te gallorum, illũ buccinarum cantus exsuscitat. Tu actionem instituis, ille aciem instruit. Tu caues ne tui consultores, ille ne vrbes, aut castra capiantur. Ille tenet, & scit, vt hostium copiæ, tu vt aquæ pluuiæ arceantur. Ille exercitatus est in propagandis finibus, tu in regendis. *Pro Murena.*

Cæsar non minus in milite modestiam, & continentiam, quam virtutem, atque animi magnitudinem desiderabat. *Cæsar lib. 6 de bell. Gall.*

Miles non timet, nisi vestitus, armatus, calceatus, satur, & habens aliquid in zonula. *Lamprid. in Alex. Seuero.*

Labore miles probatur, non mollitudine. *Herod. in Iuliano.*

Miles vbique, licet membris vigentibus firmus, se solum vitamque suam circumspicit, & defendit. *Amm. Marcell. lib. 4.*

Nihil tam pulchrum tamque posteritatis memoriæ iusta ratione mandandum, quam vt miles strenuè factis exultet. *Idem, libro 17.*

Miles sub conspectu bellicosi ductoris testisq; indiuidui gerendorum, modo adsit supernum Numen, inuictus est. *Idem, l. 16.*

Plus audire, quam loqui militem decet actibus coalitum gloriosis: nec alium spectatæ æquitatis sentire rectorem, quam eum qui & laudari digne potuerit, & probari. *Idem. lib. 21.*

Auiditas rapiendi insidiatrix sæpè militis fuit. *lib. 23.*

Colloquia ægrè fert miles, & victoriam mauult, quam pacem. *Tacit. hist. lib. 3.*

Omnem prolatationem, imminente præda, vt inimicam victoriæ suspectat. *Idem, ibid.*

Bonus miles propriè tantum virtuti confidit, ignauus vero alterius. *Procop. de bell. Vandal. lib. 2.*

Si duces se inuictos tempore præbeant, inuictus etiam miles futurus est. *P. Æmil. lib. 4.*

Nec sanitati, nec expeditioni idoneus miles est, qui algere compellitur. *Veget. lib. 3. c. 2.*

Militi armato, nihil secum præter instrumenta belli portanti, nil inuium, aut inexuperabile est. *Liu. Decad. 3. l. 1.*

Quemadmodum miles bene exercitatus prælium cupit, ita formidat indoctus. *Veget. l. 2. c. 23.*

Miles qui sumptus suos scit apud signa depositos, de deserendo nihil cogitat, magis diligit signa. Pro illis in acie fortius dimicat, more humani ingenij, vt pro illis habeat maximam curã, in quibus suam videt positam esse substantiam. *Veget. l. 2. c. 20.*

Quantum hebes est ad sustinendum laborem miles, tanto ad discordias promptior. *Tacit. hist. lib. 2.*

Fustuarium meretur, qui signa relinquit, aut præsidio decedit. *Liu. Decad. 1 l. 5.*

Male cum his agitur, quibus necessitas, & belli incumbit, & morbi. *Veget. lib. 3. c. 2.*

Ex agris supplendum robur præcipuè videtur exercitus. Nescio enim quomodo minus mortem timet, qui minus deliciarum nouit in vita. *Veget. l. 1. c. 3.*

Assuetus expeditionibus miles ocio lasciuit. *Tacit. in vita Agric.*

Militi, qui periculi, quam moræ patientior est, ingrata sunt, quæ tuta, & ex temeritate venit illi spes. *Tacit. hist. lib. 3.*

Milites dum videntur haberi neglectui, qui boni sunt, longè minus redduntur alacres: at mali, multo ad contumeliam promptiores. *Xenoph. de pæd. Cyri l. 5.*

Laudibus haud minus, quam præmio gaudent militum animi. *Liu. Decad. 1. l. 2.*

Militantium nec indignatio, nec lætitia moderata est. *Curt. l. 6.*

Ex magna victoria milites licentiam sibi assumunt impunitatis, & immoderatè peccãdi, propter maximas res gestas. *Hirtius de bell. Afric.*

Milites, neque dicta Imperatoris, neque præmia nisi ab Imperatore accipere par est. *Tacit. Annal. l. 6.*

Præda per luxum vsi, & somno graues milites facilè circumueniuntur. *Idem, lib. 12.*

Milites regi non possunt nisi in vetere disciplina. *Vulc. Gallic. in Aug. Cassio.*

Dicebat Alexander Seuerus, milites se magis seruare velle, quam seipsum, quod salus publica in his esset. *Lampr. in Al. Seuer.*

Milites pœna, & timor in sedibus corrigũt: in expeditionibus spes, & præmia faciunt meliores. *Veget. l. 3. c. 26.*

Ad animandos in prælijs milites regis conspectus multum valet. *B. Facius, hist. lib. 2.*

Pudor, auaritia, & gloria militum animos longè acuunt. *Idem. l. 4.*

Calamitatibus insontium expletur militum auaritia. *Tacit. histor. libro 2.*

Genus hominum pecuniæ cupidius, fidumque, ac bonum solo quæstu. *Aurel. Vict. de Cæsarib.*

Pugna in conspectu parentum, coniugumque, ac liberorum, quæ magna etiam absentibus hortamenta animi, simul verecundia, & misericordia militum animos accendit. *Liu. Decad. 1. l. 7.*

Longè profecto, longè maius periculum imminet, quam vnius viri iniusta sit cædes, vbi milites consueuerint suis ducibus imperare, iusque legum in manibus suis ponere. *Dion. l. 41.*

Annibal milites suos ex Africa in Italiam deductos, spectaculo quodam duorum captiuorum, quos armatos in pugnam descendere, & ferro de vita decernere alterum, vel vtroque cadente, iussit, ad officium præstandum incitare visus est. Quum enim non minus morientis, quam victoris captiui, & muneribus donati fortunam laudarent, præcipuè autem interfectum in duello multis maximisque miserijs, quibus alij captiui superstites premerentur, liberatum esse agnoscerent, ille confestim concionem ingressus: Idcirco se, inquit, captiuorum eiusmodi spectaculum in præsentia præbuisse, vt alienæ sortis exẽplo admoniti, reb. ipsi suis melius consulerent: simile namque ipsis certamen, similia tempora fortunam attulisse, præmia etiã similia proposita. Necesse enim vel vincere Carthaginenses, vel mori, vel viuos in hostium potestatem venire. Si vincerent, non equum, aut sagũ premia habituros, sed omnium mortalium beatissimos fore, quippe qui Romanorum felicitatem obtinerent. Si vero in pugna fortiter mortem oppeterent, omnium eos malorum expertes, optima spe vitam terminaturos. Quod si victi, cupiditate diuturnioris vitæ, fugam arriperent, vel alio modo sibi viuendum duxerint omne genus miseriæ, & calamitatis experturos. Neminem esse adeo rationis inopem, qui si longitudinem emensi itineris, si numerum commissorum in itinere præliorum reuocet in memoriam, tot præterea viarum anfractus, tot fluminum insuperabiles meatus contempletur, speret se aliquo modo, si fugam arri-

piat, incolumem in patriam reuerti posse. Quamobrem oportere eos omni spe fugæ abscissa, quem animum in alienæ sortis exemplo paulo ante habuerant, eundem mox in suis rebus retinere. Nam quemadmodum illic & victoris, & morientis fortunam laudabant, superstitum vero conditionem putabant miserrimã: ita de se ipsis iudicari oportere censeant. Omnes igitur magno fortique animo certamen debere ingredi, veluti præclarissimam victoriam adepturos, aut, si id infesta Carthaginensium rebus fortuna neget, in acie fortiter morituros. Victis spem vllam salutis repositam haudquaquam esse putandum. Si eo animo in prælium descenderint, procul dubio & victoriam, & salutem consecuturos, quippe neminem vnquam ea mente, vel sponte, vel impulsum necessitate pugnasse, quin victoriam ab hostibus reportarit. Id vero tum maxime facilè facta fore, cum hæc ipsa hostibus contraria eueniunt, vti tunc Romanis acciderat. Etenim quando fugientibus plurimis manifesta salutis spes in fuga constituta est, vt qui domum in promptu habeant ad quam fugiant, manifestum est tales, quando animis concidunt, nihil audere fortiter, & constanter. *Polyb. lib. 3.*

Mercenarijs militibus aliquando ignosci potest, si ab illis deficiant a quibus stipendia acceperunt: illis vero qui pro seipsis, & vxoribus, ac liberis bella gerunt, haudquaquam ignosci debet. Est enim perinde ac si quis à patre se in ratione pecuniaria per iniuriam circumuentum esse dicens, armata manu accedat, & illum occidat, à quo vitam accepit. *Polyb. hist. lib. 11.*

Ex abundantia rerum milites ad voluptatem, & luxuriam conuertuntur. *Plut. in Catone maiore.*

Nihil neque firmius, neque felicius, neque laudabilius est Republica, in qua abundant milites eruditi. Non enim vestium nitor, vel auri, argenti, gemmarumq; copiæ, hostes, aut ad reuerentiam nostram, aut ad gratiam inclinant, sed solo terrore subiguntur armorum. Deinde in alijs rebus (sicut ait Cato) si quid erratum est, potest postmodum corrigi: præliorum delicta emendationẽ nõ recipiunt, cum pœna statim sequatur errorem. Aut enim confestim pereunt, qui ignauè imperitéq; pugnauerint: aut in fugam versi, victoribus vltra pares esse non audent. *Veget. l. 1. c. 13.*

In vrbium oppugnationibus discretus labor fortes ignauosque milites distinguit, atque ipsa contentione decoris accenduntur. *Tacit. hist. lib. 3.*

Militum, qui in prælijs signa ordinesq; destituissent, quive prorsus arma pro patria capere recusassent, ignauiam cæteri legum conditores mortis supplicio coercendam censuere. Charondæ vero placuit, huiusmodi viros vestibus muliebribus indutos, medio in foro sisti, terque eodem singulis diebus ante omnium ora luggesto, eodemq; ornatu consistere. Qua quidem lege simul clementiæ, & humanitati satisfactum videtur, quod à cæteris legibus crudelibus exactum est: simul quo huiusmodi animos hominum ab ea mollicie, & fœminea timiditate liceret sensim reuocare in audaciam probri adiectione prudentissimè excogitatum haud auferendo, sed expiando patriæ, & conciliando res, vt decet, prauas. Longè namque præstat mortem oppetere, quam tantã ignominiæ calamitatem diutius in media patria experiri: tamque abiecto ludibrio ciuibus suis vulgoque vitam perpetuo obnoxiã trahere. Et hoc fieri conueniebat, vt eo morbo animi, seu naturę vitio, siue mollicie consuetudine laborantes, in deteriorem mortis conditionem adducti, primum desperatione quadam, & doloris insania efferatis animis pauorem abijcerent, post laboribus, & periculis assuescendo, exuerent insitam prorsus ignauiam, ac iam impigra ad ferrum, & certamen manu, prompti patriæ discriminibus occurrere, alienæ mox laudis æmuli, gestis etiam gloriã quærere, acceptamq; ignominiam virtutis attestatione diluere certarent. *Diodor. Sicul. Antiq. lib. 12.*

Plerumque fit, vt ex dolore contumeliæ, vel ignaui milites ad virtutem accendantur. *P. Iouius, hist. lib. 4.*

Factum est magna cum æui nostri militiæ labe, vt milites nullum inter amicos, & hostes discrimen ponant: & si non minus populos prouinciasq; vastant ij, qui vt eas defendant, quam qui vt offendant, pecunias accipiunt. *Fr. Guicciard. hist. l. 17.*

Spiritus militum, & animi ardores dux ipse excitat, atque alit, quando honores, & dona largiens ostendit non se sui luxus, aut voluptatum causa bello diuitias parare: sed eas opes tanquam communia virtutis præmia apud se recõdi, ac tantum diuitem ipsum in hoc esse, vt militibus pro meritis præmia dare possit. deinde, quã se omnibus vltro periculis se obijcit, & nulli labori succumbit. *Plutar. in Cæsare.*

Fit vt non de pugna, sed de fuga cogitent, qui in acie nudi exponuntur ad vulnera. Sed grauis pediti lorica videtur, & galea fortasse, raro meditanti, raro arma tractanti. Cæterum quotidianus vsus non laborat, etiam si onerosa gestauerit. Ast illi qui laborẽ in portandis veteribus munimentis armorum ferre nõ possunt, detectis corporibus, & vulnera sustinere coguntur, & mortes. Et (quod est grauius, ac turpius) aut capi, aut certè fuga Rempublicam prodere. Sic dum exercitium laboremq; declinant, cum maximo dedecore trucidantur, vt pecudes. *Veget. l. 1. c. 20.*

Instituendos omni arte pugnandi, ac protegendos quocumque genere armorum eos, qui iam constat esse tyrones. Necesse est enim vt dimicandi accipere fiducia sumat audaciam, qui munito capite, vel pectore non timet vulnus. *Eod. lib. & cap.*

Iis parendum esse, qui cum imperio sunt, generatim ad vniuersos milites pertinet. Itidem fortiter aduersus hostem se gerere, non huic conuenit, illi non: sed cuiuis honestissimum est. *Xenoph. de instit. Cyri, lib. 2.*

Cogitate, *inquit Chrysantas*, quænam vrbs hostilis ab ijs capi possit, qui non sunt dicto audientes? quæ vero amica vrbs conseruari a non obedientibus possit? quinã exercitus hominũ nõ morigerorũ victoria potiatur? qui possint magis in prælijs homines vinci, quã vbi cœperint seorsum singuli de salute sua quærere consiliũ? quidnam aliud rei præclaræ perfici possit ab ijs qui superioribus haud parent? quæ vrbes legitimæ administrãtur? quæ domus seruari queant? quo pacto naues eo peruenerint, quo velint? Nos ipsi ea bona, quæ nũc possidemus, qua alia re magis cõparauimus, quã magistratibus obediendo? Nã hac re factum est, vt celeriter, & noctu, & interdiu quo erat necesse perueniremus, & dũ frequẽtes Imperatorẽ sequebamur, nemo nostrũ impetum sustinere poterat: eorũ denique nihil ex semisse perfectũ reliquimus, quæ nobis erant imperata. Ergo si apparet maximo esse cõmodo ad cõparandũ bona, ei qui cũ Imperio sit parere, certo sciendum vobis est, etiã id ipsum maximo vsui esse ad conseruandum ea, quæ conseruari necesse sit. Et antea quidem multi nobis imperabant, quum nullis nos imperaremus: nunc res omnium, quotquot adestis, sic cõparatæ sunt, vt imperetis pluribus alij, alij paucioribus. Quemadmodũ ergo dignum existimatis esse, vos subditis vestris imperare: sic & ipsi pareamus eis, quibus vt pareamus, officij ratio postulat. Tantũ autem interesse inter nos, & seruos oportet, quod illi quidẽ inuiti suas heris operas præstãt: nos vero, si quidẽ liberi esse volumus, spontè nostra facere cõuenit, quod maximè precium operæ videatur. Inuenietis etiam, vbi non ad vnius dominatum comparata sit Respublica, eam minimè ab hostibus ad subiectionem cogi, quæ magistratibus parere velit. *Idem lib. 8.*

Ratio rerum, & occasionum velocitas non patitur, vt in bello omnes nuncij palam audiantur, omnia consilia cunctis præsentibus tractentur. Tam nescire quædam milites, quam scire oportet. Ita se ducum auctoritas, sic rigor disciplinæ habet, vt multa per centuriones tribunosque tantum iuberi expediat. Si vbi iubeantur, quærere singulis liceat, pereunte obsequio etiam Imperium intercidit. *Tacit. hist. lib. 1.*

Parendo potius, quam Imperia ducum sciscitando, res militares continentur. *Idem, ibid.*

Rex consolatus milites, eos hortatus est, ne vnius turmis inscienter factæ, & admutæ iactura dimitterent animos: neque id virtuti hostium attribuerent, neque ignauiæ sibi adscriberent. Verum consilium addendum, in exercitu neminem prope militem esse, quin dignus esset, qui duceret exercitum: sed, vt ratio militaris disciplinæ postulat: suæ quisque gentis, ac ordinis ducibus magistrisque dicto audientes esse debere: milites proceribus, proceres summis ducibus parere. Duces, inquit, parentum pietatem animumque gerant, concilium antequam res gerantur habeant, in commune consulant, rationes belli administrandi conferant, ne in rebus agendis trepident. *P. Æmil. l. 6.*

Militare ocium est fere tumultuosum. *Amm. Marcel. l. 4.*

Vilius constat erudire armis suos, quam alienos mercede conducere. *Veget. lib. 1. c. 28.*

Constat in omnibus locis, & ignauos, & strenuos nasci. Sed tamẽ & gens gentẽ præcedit in bello, & plaga cœli ad robur non tãtum corporũ, sed etiã animorum plurimum valet. Omnes nationes, q̃ vicinæ sunt Soli, nimio calore siccatas, amplius quidem sapere, sed minus sanguinis habere dicunt: ac propterea constantiã, ac fiduciam cominus non habere pugnandi, quia metuunt vulnera, qui se exiguum sanguinem habere nouerunt. Contra Septẽtrionales populi remoti a Solis ardoribus, inconsultiores quidẽ, sed tamen largo sanguine redundantes, sunt ad bella promptissimi. Tyrones igitur de temperatioribus legendi sunt plagis, quibus & copia sanguinis suppetat, & vulnerum mortisq; contemptus, & non possit deesse prudentia, &c. *Veget. lib. 1. c. 2.*

Sat constat maxima in bellis momenta bellantium voluntatem fortiri, illorumq. ad pugnandum animus propensior est, quam multa ex officio geri consueuisse. *Procop. de bel. Goth. l. 1.*

Pudor, & præsentis ducis reuerentia haud sunt diuturna pericula apud auidos periculorum, & decoris securos. *Tacit. hist. l. 3.*

Degenerat labore, ac virtute miles assuetudine voluptatum, & contemptu ducis luxu diffluentis. *Tacit. hist. l. 2.*

Semper in ocio debet fieri, quod necessario faciendum videtur in prælio. *Veget. l. 2. c. 22.*

Longis spatijs discretus exercitus habere, saluberrimum est ad continendam militarem fidem, nec enim vitijs, nec viribus miscentur. *Tacit. hist. l. 1.*

Fluxa est per discordias militum fides, & periculum ex singulis. *Idem, lib. 2.*

Quanto

Quanto pugnantium multitudo pro Democratijs in bellicis certaminibus alacrior est, quam sint hostiles tyrannorum subditi, tanto peregrini milites, qui à monarchis stipendia accipiunt, Democraticæ Reipublicæ stipendiarios superant, & excellunt. Quemadmodum enim subditi alij pro libertate decertant, alijs seruitutis periculum imminet, ita ex stipendiarijs militibus alij pro certa correctione, alij vt manifestum damnum propulsent, contendunt. Democratia vero, vbi libertatis hostes sustulit, libertatem suam stipendiarijs militibus non communicat. Tyrannis vero quo maiora aggreditur, eo pluribus stipendiarijs opus habet. Quoniam enim pluribus iniuriam infert, plures etiam sortitur insidiatores. Monarcharum igitur securitas omnino in peregrinorum militum beneuolentia, ac viribus consistit. *Polyb. histor. lib. 11.*

Apud quoslibet commenta plurimum valent, dummodo irati audiant, plerumque temulenti, certè consiliorum prope semper expertes. *Fl. Vopisc. in Tacito.*

Militum libidini obtemperare non debent duces, qui militiæ ad summum laudis decus aspirant, & à iusta generosi animi probitate famam quærunt, latrocinantiumque militum immanitatem abominantur. *P. Iouius histor. lib. 12.*

Hoc ad rem in bello præclarè gerendam præcipue pertinere iudicare, vt & pugnandi voluntas adsit, molestia item & erga duces obedientia. *Thucyd. lib. 5.*

Solutio debiti apud Aegyptios ex bonis debitoris solum fiebat: corpus non poterat addici creditori. Putabat enim legislator, oportere bona, tantum subdita esse debitis: corpora, quorum opera bello, & pace vterentur, ciuitatibus addicta esse. Non enim æquũ videbatur milites qui pro patriæ salute pericula subirent, pro vsuris in carcerem duci, aut ob vnius auaritiam in periculum agi patriæ salutem. *Diodor. Sicul. Antiq. l. 2. c. 3.*

Recordatio rerum gloriosè gestarum omni iucunditati viris fortibus est gratior. *Amm. Marcel. lib. 27.*

De Militari dignitate. DIAL. XLVIIII.

Francisci Petrarchæ.

GAV.

Militari cingulo exornatus sum. R. Pauca tibi vitæ mala visa erant nisi militiam addidisses, qua vel inquietus semper, vel inglorius, vel periculo expositus, vel contemptui sis oportet. G. Militiam sum professus. R. Hanc nascendo profitemini, quid professione alia opus erat? Hic ferro corpus, hic animum dolis, hic argutijs linguam armat. Nemo vestrum est inermis, hic serit, hic ædificat, hic declamat, ille causas orat, hic pedibus, ille equo, seu carpento vehitur, hic currit, hic nauigat, hic paret, ille imperat. Nemo vestrum ociosus. Quænam hæc noua militia est? Hic in castris, hic in rostris, hic in scholis: hic in nemore, hic in agro, hic in pelago, hic in palatio, hic domi, hic peregre vitam agit, omnes militant; neque homines modo, sed militare in siluis catulum Flaccus ait. Et militantium quidem multa sunt genera. Militia vna est vita hominis super terram, quam qui militiam definiuit, ille mihi demum vero, & acri iudicio rem librauit, modo militiæ prælium addidisset. G. Armatæ militiæ sum ascriptus. R. Quid armatis exterius? intus in anima bellum est. Illam vitia obsident, atque oppugnant. Quis hic ferro locus nisi illud ad ornatum corporis non ad animæ tutelam induitur. Sunt enim qui dicant nihil pulchrius viro armato. Ecce quid pectus, & quid caput ferreum pulchrius habeat, quam pacificum, & inerme non video. Quando aut hæc voluptas tibi est, age, ferro membra constringito, imbrem solemq; galea excipies, ferro indutus clypeo operiere, humi dormies, classico excitabere adeptus tibi magnum aliquid videbare, sed errabas: anceps, & cruentum officium elegisti. Multæ sunt autem fraudes spei, multæ sunt fateor careng, quæ animos boni illius, quod omnia appetunt, inconsultè auidos in exitium trahunt, neque inficior quosdam militia ad amplissimas opes, siue etiam ad summum Imperium peruenisse. Crede autem mihi plures ad inopiam, ad carcerem, ad seruitutem, ad violentiam subitamq; mortem eodem tramite peruenerunt. Tu ex quo militiam profiteri animus fuit, nisi de honestate artificium tuum vis, semper animã in numerato habeas oportet: Sẽperque aures tuas Cæsarea vox illa circũtonet: Disce ferire, Disce mori: Sylla ba vna breuis, aut lõgior tua facta variabit, vel occides, vel occides. Ad virumlibet horis locisq; omnibus te paratũ exhibe. Hæ artes deliciæ tuæ erunt. Sine vero satyricũ loqui, præmia militiæ innumerabilia equidẽ præfatus, vix paucissima colligit, in quibus prima, & summa licentia est peccandi, præmium hercle non tam iustis viris optabile, quam armatis legibus (vt aiunt) inter arma silentibus. G. Militię filium ascripsi. R. Et id ferme visitatum, vt militis filius miles sit. Non potest enim nisi quam habet hæreditatem filio pater dare arcum, scutum, gladium, & bellum, & quod ludum conficit auro uncta calcaria. Sed quod patri diximus sibi filius dictum sciat. G. Belli dux victorijs clarus sum. R. Quanto melius pacis dux virtutibus clarus esses. G. Multa bella confeci. R. Quietem tibi, atque alijs abstulisti clarum opus. G. Victorijs, ac triumphis notus sum. R. Sæpe malum bono notius, & atra tempestas serenitate famosior, denique parasti busto titulos, & vulgo fabulam, tibi nihil.

APOPHTHEGMATA.

Anonymus. Quidem in acie, quum strictum iam ensem in hostem esset infixurus, quoniam interim signum datum est receptui canẽs, non infixit. Roganti vero cuidam, cur hostem, quem in potestate habebat, non occidisset? Quoniam, inquit, melius est parere imperatori, quam hostem occidere. Exemplum disciplinæ militaris, à qua immane, quantum recesserunt, qui sub belli titulo mera exercent latrocinia. Olim non licebat ferire hostem, nisi tuba dedisset signum: eadem simul atque cecinerat receptui, homicidij crimen erat interemisse. *Plut. in Lacon.*

Clearchus militum auribus subinde solebat inculcare: Militi magis esse metuendum Imperatorem, quam hostem, quæ vox mortem minabatur militi, qui parum grauiter se gessisset in prælio. Honestius autem est cum laude vitam impendere patriæ, quam cum dedecore pœnæ. Hoc dictum non quiuis milites laturi sunt, sed hi facilè ferebant, quibus matres domi solebant dicere, vt aut victores cum armis redirent, aut mortui in armis referrentur. *Val. Max. l. 2. c. 8. & Front. l. 4. c. 1.*

Epaminondas. Quum studeret Epaminondas Bœotos, ocio dissolutiores, continenter in armis habere, simul vt Bœotidę belli duce creando cogitarent, his verbis illos adhortabatur. Posthac consultate viri, nam si ego militiæ præfectum agam, vobis militandum est, adimens illis spem ocij sub tali Imperatore. *Plut. in Græc. apoph.*

Idem scutatum militem senserat à captiuo quodam magnam pecuniarum vim accepisse. Huic Epaminondas: Mihi, inquit, redde clypeum: tibi vero cauponã emito, in qua vitam degas. Posthac enim noles eodem modo subire periculum, quippe iam vnus è numero diuitum, ac beatorũ. Rectè iudicauit, timidum (vt est in prouerbijs) esse Plutum, magis enim metuit mortem, qui dum habet vnde possit suauiter viuere. *Plut. in Græc. apoph.*

Lamachus castigauit quemdam è ducibus, qui deliquerat, & quum ille dixisset: In posterum non committam: Non licet, inquit, in bello his peccare. Error enim in bello mors est. *Plutar. in apoph. Stob. serm. 52. Ant. in Meliss. par. 1 serm. 67.*

Brasidas in milite tria requirebat, Velle, Vereri, ducibus obedire. *Thucyd. lib. 5.*

Pyrrhus ei cui delectum militum commiserat, dixisse fertur: Tu grãdes elige, ego eos fortes reddam, significans institutione fieri bonum militem. Fertur autem Pyrrhus disciplinæ militaris optimus fuisse magister. *Plut. in apoph. Front. l. 4. c. 1. stratagematum.*

Hannibal. Quum Romanorum legati conditiones pacis retulissent apud Carthaginenses, & Gisco quidam ausus esset suadere bellum cum Romanis redintegrandum: Hannibal indignè ferens, hominem imbellem de rebus arduis loqui, adhuc dicentem è suggesto deturbauit. Hoc factum tam violentum in libera ciuitate demirante, & indignante multitudine: Hannibal conscenso suggestu dixit, neminem mirari debere: si qui à primis statim annis Carthaginem reliquisset, interim ætatem omnem in bellis, & armis transegisset, minus nosset vrbanas consuetudines, hoc præfatus, pacem suadere cœpit, & persuasit. *Plutarch. in Hannibale.*

Scipio Maior percontanti cuidam in Sicilia, quare fretus classem educere pararet in Africam: Ostendit viros armatos trecentos, sese exercentes, præterea turrim excelsam mari imminentem, & ait: Nullus horum est, qui non conscensa turri semet in mare præcipitaturus sit, si iussero. Sentiens, non perinde referre, quam numerosam educas multitudinem, modo fortis dux educat exercitatos, & dicto audientes. *Plut. in Rom. apoph.*

Scipio Minor postquam venit in castra, multamque illic licentiam, lasciuiam, superstitionem, ac luxum offendisset: diuinos, ac sacrificos cum lenonibus protinus eiecit. quin & vasa omnia iussit amoliri, excepta olla, veru & poculo fictili. Ex argenteis, poculum librarum non amplius duarum permisit si quis habere vellet: balneis vti vetuit. Qui vngerentur, iussit vt ipsi sese fricarent, iumentis enim, quæ manibus carent opus esse alio à quo fricentur. Edixit vt milites stantes manderent obsonium non igni coctum: cœnarent autem discumbentes, panem, aut pultem solam, & carnes assas, siue elixas. Ipse vero sago circumtectus, obambolabat per exercitum, dicens: Se lugere exercitus dedecora. *Plut. in apoph.*

Quum Paulus Æmilius in exercitu multam confidentiam, ac loquacitatem comperisset militum, officia ducum sibi vendicantium, resque non necessarias curantium: iussit illos quiescere, nec aliud quicquam agere, quam vt enses suos acuerent, cætera sibi fore curæ. Nocturnas autem excubias iussit illos sine lanceis, sed cum gladijs agere, quo nimirum adempta spe depellendi hostem tanto acrius pugnarent cum somno. *Plut. in apoph.*

Idem militi dicebat hæc tria esse curanda: Corpus, vt quam validissimum, & pernicissimum habeat & arma apta: Animum ad subita imperia paratum: cætera Dijs immortalibus, & imperatori curæ esse. *Liuius l.44.*

Alexander Seuerus cum Antiochiam venisset, ac milites qui lauacris, ac muliebribus delicijs vacauerant, in vincula duci iussisset, orta seditione ab ea legione, cuius socij erant in vinculis, tribunal ascendit: ac vinctis omnibus ad tribunal adductis, circumstantibus militibus, & quidem armatis, grauiter illos admonuit, vt meminissent Romanæ disciplinæ. Quum loquentem milites tumultu interpellarent, nihil conterritus, iussit vt tales voces efferent aduersus hostes, non aduersus Imperatorem: minatus exauthorationem, nisi quiescerent. Ad hæc quum vehementius etiam fremerent, ac ferro quoque minarentur: Deponite, inquit, dextras, contra hostem erigendas, si fortes estis, me ista non terrent. Quum non desinerent fremere, exclamauit: Quirites discedite, atque arma deponite. Mox omnes non armis tantum, sed & sagulis militaribus depositis recesserunt, non in castra, sed in varia diuersoria. Post tamen eius legionis militibus fidelissimis vsus est. *Ælius Lampridius.*

Idem. Disciplina maiorum, inquit, Rempub. tenet, quæ si dilabatur, & nomen Romanum, & Imperium amittemus. *Lamprid.*

Aud. Cassius solebat dicere: Miserum esse cum exerceantur athletæ, venatores & gladiatores, non exerceri milites, quibus minor esset futurus labor, si consuetus esset. *Volcat.*

Theodoricus rex. Erat eius insigne dictum in formula ducatus Rhetiarum lib.7. Variarum Cassiodori, de militum disciplina: Milites, inquit, tibi commissi viuant cum prouincialibus iure ciuili, nec insolescat animus qui se sentit armatum: quia clypeus ille exercitus nostri quietem debet præstare Romanis.

Scip. Africanus censor tribu mouebat centurionem, qui in Pauli pugna non adfuerat: ille quum diceret, se custodiæ causa in castris remansisse, rogaretque cur ab eo notaretur: Non amo, inquit Africanus, nimium diligentes. Dissimulauit centurionis ignauiam, & accusauit nimium diligentem custodiam. *P.M. lib. 6. apoph.*

Serg. Galba in grauissimis bellis seuerissima disciplina habuit milites suos: adeo vt simulatque venisset in castra, protinus vulgaretur ille Trochaicus: *Disce miles militare, Galba est, non Getulicus. P.M. lib. 6. apoph.*

Alexander Seuerus. In expeditionibus, si quis de via in alicuius possessionem deflexisset: pro qualitate loci fustibus, aut virgis cædebatur, aut aliqua condemnabatur. Si dignitas personæ tales pœnas non recipiebat, grauissimis contumelijs afficiebatur, quum diceret: Velesne hoc in agro tuo fieri, quod facis in alieno? Clamabat sæpius, quod a Christianis audierat, idque per præconem, quoties aliquem emendabat, dici iubebat: *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.* Quid nunc dicemus de militibus Christianis? qui siue eant, siue redeant, furantur, rapiunt, consumunt, pulsant, abigunt pecora, pertusis vasis sinunt effluere vinum? Quid multis? Crudelius tractant suos quam hostes. Et hoc hodie, si superis placet, appellatur ius militare, & ad hæc conniuent principes. *P. Max. Æmilio Lamprid.*

Quibus hæc addemus etiam ex probatis historicis, Liuio, Tacito, Curtio, & alijs collecta, & ad nostri sæculi militum disciplina exutam accommoda. Emunt duces militem, non legunt. Pecuniola proponitur, tympanum strepit: & ecce coeunt aliquot ignoti inter se, ignorantesque pergamenta vrbium suarum, quibus ob egestatem, & maxima flagitia peccandi necessitudo est, assueti latrocinijs, bellorum insolentes, quorum lingua vana, manus rapacissimæ, gula immensa, pedes fugaces, quæ honestè nominari non possunt inhonestissima, nullam disciplinæ formam, nec extrema quidem eius lineamenta seruantes, lasciuientes certatim, inter quos omnia indisposita, temulenta, peruigilijs Veneris, ac Bacchanalibus, quam disciplinæ, & castris propria. Hi nec in procinctu, & castris habentur, sed per municipia desides, hospitibus tantum metuendi, effundunt se in luxum, epulas, & nocturnos cœtus: ibi circumferri merum largius iubent, debellaturi super mensa Alexandrum: suas vires extollere docti, hostium paucitatem contemnere: cæterum galeati lepores, & quibus vt ad populandos finitimorum agros, tectaque vrenda, & capienda pecora aliqua vis sit, ita in acie, & signis collatis nulla vis est, nec in victoria eis decus, nec in fuga flagitium. Vt omnia paucis: Exercitus lingua, quam manu promptior, prædator è socijs, & ipse hostium præda.

Aurelianus cum a vicario suo literas accepisset, quibus efflagitabat, vt rescriberet, quomodo res gerenda esset, statim rescripsit hunc in modum: Si vis tribunus esse: imò si vis viuere, manus militum contine, nemo pullum alienum rapiat, ouem nemo contingat, vuam nullus auferat. *Vopiscus in Aureliano.*

Iphicrates censebat militem, & diuitiarum, & voluptatum auidum esse oportere: Dicens, illum audacius pericula subiturum quo suis cupiditatibus suppeditaret. *Plut.*

Phocion, quum Laosthenis milites concinne ornatos aspexisset, rogatus, qualis sibi ille exercitus videretur? Belle mehercule, inquit, ad stadium decurrendum instructos. *Plut.*

Epaminondas dicere solebat, militum quibus arma gerenda sunt, corpus exercitatum esse oportere, non solum athleticè, verum etiam militariter. Nam athletæ tantum hoc agunt, vt corpore sint robusto: at militem oportet corpus habere expeditum, & agile. Vnde & vehementer obesis infensus erat, adeo vt huiusmodi quemdam expulerit ab exercitu, dicens: Quod vix clypei tres quatuorve tegerent ipsius ventrem, per quem non videret sua pudenda. *Plut. in apoph.*

Archidamus, videns filium suum nimis temere contra Athenienses pugnantem, aut vires tibi sunt augendæ, dixit, aut minuenda audacia. *Plut.*

Phocion, quum Macedones irrupissent in Atticam, ac maritima illius depopularentur, Phocion eduxit iuuenes ætate florentes, quorum multis ad ipsum concurrentibus hortantibusque, vt colle quodam occupato ibi collocaret exercitum: O Hercules, inquit, quam multos duces, milites vero perpaucos: Notans iuuenilem temeritatem, quæ duci præire conaretur, quum militis sit, non dare consilium, sed vbi res postulat, bonam nauare operam. Attamen commisso prælio vicit, & Nicionem Macedonum ducem superauit. At non multo post tempore bello deuicti Athenienses ab Antipatro accepere præsidium. *Plut. in Græc. apoph.*

Aratus, laudante quopiam virum desperatum, & audacem, & idcirco & in bellis eximium: differre, dixit, magnifacere virtutem, & vitam nihil facere. *Stob. serm. 51.*

Ateas hunc in modum scripsit Philippo: Tu quidem imperas Macedonibus bellandi peritis, at ego Scythis, qui cum fame, & cum siti pugnare valeant. Significans, hac parte Scythas ad bellum esse magis idoneos. *Plut. in apoph.*

Antiochus ostendebat in campo copias, quas bellum contra Romanos suscepturus comparauerat, nempe exercitum insignibus argenteis, aureisque florentem, inducebatque etiam currus cum falcibus, & elephantos cum turribus, equitatumque frenis, ephippijs, phalerisque præfulgentem. Atque ibi rex tanto tamque ornato exercitu gloriabundus, Hannibalem aspicit, & Putasne satis, inquit, esse Romanis hæc omnia? Tum Pœnus ignauiam vanumque apparatum militum irridens: Plane, inquit, satis esse credo hæc Romanis, etsi auarissimi sunt. *Brus. l.2. c.22.*

Pescennius interrogatus, cur omnia vasa argentea à castris amouisset? Quia, inquit, potuisset fieri, vt sarcinæ militares in potestatem hostium venirent fierentque barbari argento nostro gloriosiores. *Brus. l.2. c.32.*

M. Cato, videns quemdam vehementer obesum mirabatur cui vsui tale corpus esse posset Reipub. cuius inter guttur, & inguen omnia venter occuparat. *P.M. lib. 5. apoph.*

Anonymus. Multis Othonem Imperatorem rogantibus, ne deposito Imperio exercitum, ac Rempublicam desereret: quidam è gregarijs militibus stricto ense dixit: Scito Cæsar, sic pro te omnes animatos esse: moxque seipsum iugulauit. *Sueton.*

Alexand. Seuerus. Miles, inquiebat, non timet, nisi vestitus, armatus, calceatus, satur, & habens aliquid in zonula. *Lamprid.*

Timotheus. Audace quodam milite vulnus Atheniensibus ostentante: Et me, inquit Timotheus, puduit, quod cum ego in Samo dux vester essem, catapultæ telum prope me ceciderat: Significans, hoc vulnus illi non factum in prælio cominus pugnanti, sed procul. At bono duci adeo cauendum, vt ne prope quidem iaculum vllum possit accidere. Vulnus gladio factum, fortitudinem arguit: telo factum catapultæ, insulgentiç signum est. *Plutarc. in apoph.*

Cyrus minor. Aiunt ipsum dicere solitum, quod oporteat militem magis metuere ducem, quam hostes, si talis sit futurus, vt custodia fruatur, amicis abstineat, & hostes citra tergiuersationem aggrediatur. *Xen. l. 2. exped. Cyri.*

Phocion, cum militem è suis relicto ordine in hostes prodire conspexisset, eumdemq; conspecto Macedone pedem retrahere: Tu, inquit, hominum ignauissime, num bis iam deserti ordinis pudet? Nam & quem Imperator tibi decreuerat, & quem tute tibi locum delegeras, reliquisti. *Plut.*

Xerxes. Cum Xerxi nunciatum esset, quam fortiter, quamque etiam feliciter Artemisia rem gessisset in pugna nauali, dixisse fertur: Sibi fœminas fuisse viros, contra viros fuisse fœminas, quod parum dextrç se gessissent. *Herodot. l.8.*

Myronides creatus dux exercitus aduersus Bœotos edixit, vt Athenienses exirent. Cum autem adesset congrediendi tempus, ducesque monerent, nondum omnes adesse: Adsunt, inquit, qui pugnaturi sunt. Hos itaque cum videret promptos, hostem aggressus vicit. Sic interpretans, eos qui ob ignauiam non studuissent tempestiuè adesse, ne in pugna quidem bonam operam nauaturos. *Plut. in Lacon.*

Marcellus. Quum ob turbatos in Marcelli copijs victor Hannibal extulisset, reuersus in castra Marcellus, conuocato exercitu, ait,

tu, ait: Se quidem multa Romanorum arma, & corpora, Romanum vero videre neminem. *Plut.*

Hannibal. Gisconi nuncianti, sibi admirabilem videri Romanorum instructorum ad pugnam numerum. Imò aliud, inquit, mirabilius te fugit. Quidnam hoc esset, sciscitanti Gisconi: Quod ex tam numerosa, inquit, hominum multitudine nullus appellatur Gisco. Is ducis iocus multum timoris detraxit, multumque alacritatis addidit militibus *idem.*

Fabius maximus Salinator, quum ob eius ignauiam, & incuriam Tarentum à Romanis defecisset, arcem tamen retinuit: quum vero aliquot post annos Fabius Maximus oppidum pulso Hannibale recepisset, rogaretque eum Salinator, vt meminisset, opera sua se Tarentum recepisse: Quidni? inquit Fabius. Numquam enim ego recepissem, nisi tu amisisses. Notauit tacitè illius ignauiam. *Plut.*

C. Crassus militem videns sine gladio currentem: Heus, inquit, commilito, pugno bene vteris, festiniter saxans inermem, cui pro gladio pugno sit vtendum. *P. M. l. 6. apoph.*

SIMILITVDINES.

Dionis Nicæ. Quicunque milites quidem delicijs effœminat, neque exercens, neque laborare iubens, aliorumque nominum obliuiscitur, similis est gubernatori, qui nautas quidem corrumpit repletione, & somno totos dies, vectorum autem, & nauis pereuntis nullam habet curam. *De regno Orat. 1.*

Polybij. Quemadmodum subditi alij pro libertate decertant, alijs seruitutis periculum imminet: Ita ex stipendiarijs militibus alij pro certa correctione, alij vt manifestum damnum propulsent, contendunt. *lib. 1. Hist.*

Vide Bellum.

MINÆ.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

Minæ, ἀπειλαὶ sunt comminationes, & metus incussi per verba, aut signa. Plautus in Trucul. Melius te munere certare mecū, quam minacijs. Et in Rud. minacias ego istas flocci non facio tuas. Gall. *Minaces.*

APOPHTHEGMATA.

Chilon dicere solebat, nulli minandum esse non solum, quod muliebrum videatur esse potius, quam virorum, verumetiam quod minitari ei cui velis nocere, est inimicum admonere, vt sibi caueat, tibique ipsi lædendi facultatem adimere. Amicis autem minari parum est humanum, rectè tamen minamur, quoties aliquem hoc remedio correctum esse cupimus, & hac pœna decreuimus esse contenti. *Laert. l. 1. c. 4.*

Diogenes dicente ei quodam valde iactanter, vno ego ictu caput tibi perfringam: At ego, inquit, à sinistris astans te tremere faciam. *Laert.*

Polydorus Alcamenis F. cum audiret quemdam in hostes minas effundentem: Non intelligis, inquit, te maximam vindictæ partem frustra consumere? Qui enim statuit inimicum vlcisci, minis nil aliud efficit, nisi vt præmonito inimico, sibi minuat lædendi opportunitatem. *Plut. in Lacon.*

Dercyllidas Orator missus ad Pyrrhum Epirotorum regem, qui iam exercitum in regionem Spartanorum induxerat, vt cognosceret, quid sibi vellet: cum Pyrrhus diceret, vt regem suum Cleonymum reciperent, hunc in modum respondit, Si Deus est Cleonymus, non timemus ipsum, nihil enim sceleris in eum commisimus, sin homo est, profectò nihilo nobis præstantior, & bellicosior. Quo dilemmate irrisit superbas regis minas. Qui enim superbè minantur alijs, videant ne id quod alijs minantur in ipsos recidat. *Plut. in Lacon.*

Epictetus. Si quem, inquit, cum minis, & impetu volueris aggredi, memento præmeditari humanum esse ubi mansuetumque ingenium, & quod pœnitudo damnumque te sequutura sint, si quicquam immane commiseris. *Stob. serm. 20.*

Philippus. Multa questus apud Romanorum legatos de moribus, & calumnijs Thessalorum, tamdem elatus ita, hanc vocem adiecit: Nondum omnium dierum solem occidisse. Hic sermo non Thessalis modo, verum etiam Romanis suspectus, vtriusque gentis fremitum excitauit. *Tit. Liu. 4. Decad. lib. 9.*

SIMILITVDINES.

Minæ. Sicut aliquando tonat sine fulgetris, idque sonitu terrorem habet, periculo vacat: Ita quorumdam minæ terrent, non nocent. *P. M.*

Socrates. Vt tonitrua pueros imperitos, ita minas stultos territare dicebat. *Stob. serm. 4. de Imprud.*

ADAGIA.

Et meum telum cuspidem habet acuminatam. *καὶ ἐμὸν βέλος ὀξὺ πέφυκεν.*

Rectè vtemur quoties fatebimur nos inferiores quidem esse, verum non deesse quo queamus nocere. Ouid.

Polyanthea Noua.

Et mihi sunt vires, & mea tela nocent. Andere leuth haben auch Haende. Der Bauch ist andern so vveich, als mir.

Si tibi machæra est, & nobis vibina est domi.

Plaut. in Bacchid. Quoties malum malo opponitur.

Aeacidinæ minæ.

Non sine prouerbij specie dictum est, pro atrocibus, ac superbissimis minis.

Ψολόεντα εἰς τέφρα.

De minis, ac terriculamentis inanibus: aut quum ostenditur atro periculum, quum re nullum sit periculum.

Complurium thriorum ego strepitum audiui. *πολλῶν ἐγὼ θρίων ψόφους ἀκήκοα.*

Senarius est prouerbialis, quo minas, & inanem clamorem nos contemnere significamus.

Ollam alere. *χύτραν τρέφειν.*

Dicebantur, qui motum ostenderent quo deterrent quempiam. Suid.

Ferrum, & Flamma.

Quum exitiabile bellum significamus, ferro, flammaque rem geri dicimus. Cicero.

Igni, ferroque minari.

Qui extremam denunciant inimicitiam, igni ferroque minari dicuntur: venustius erit quoties ad animi res transfertur. Idem.

Tolle calear. *αἶρε πλῆκτρον ἀμυντήριον.*

In eum dici solitum, qui iam vltionem parat.

Qui paratus ad resistendum.

Qui significare volet, se nequaquam detrectare certamen sed abunde suppetere, quo partes tueatur suas, vsurpabit illud ex Iliad. ι.

Τοῦ μοι δ᾽ ἔγχεα τ᾽ ἐστι καὶ ἀσπίδες ὀμφαλόεσσαι,
Καὶ κόρυθες καὶ θώρηκες λαμπρὸν γανόωντες.
Et mihi sunt hasta teretes, clypeique rotundi,
Tum galea, tum thoraces procul igne micantes.

Ne mihi vacuam abstergas. *μή μοι κενεὰν ἀπομάξῃς.*

Subaudiendum autem γνάθον, χεῖρα, aut simile quiddam. Apparet esse comminantis alapam.

Vide Iniuria, Vis.

MINISTRI, MINISTERIVM.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Minister, qui inseruit, seruus, qui ministrat Ecclesiæ politiæ, familiæ, cuidam δοῦλος, διάκονος, ὑπηρέτης. Hebræi Sacris inseruientem, Ecclesiæ ministrum, *Cohen* appellant a verbo *Kihen*, functus est sacerdotio, administrauit in Sacris ministrauit. 2. Quidem ministrum appellant *Meschareth*. à verbo *Schereth*, id est, ministrauit in templo, & cultu diuino. Magistratuum aliorumque ministrorum publicæ societatis, vt est seruorum in familijs, priuatis nomina vocibus exprimantur *Scherath*, dicitur ministerium sacrum, quod est ceu militia. Hinc στρατεία, θρησκεία, militia, seruitus, cultus.

LOCI BIBLICI.

Ministri Ecclesiæ quales in mundo habentur, *Act. 26. v. 4.* Patrisfamilias comparantur, *Matt. 13. 52.* Filios Dei gignere dicuntur, quatenus Dei sunt instrumenta, *1. Cor. 4. 15. Gal. 4. 19. Philipp. v. 10.* Minister noster Christus, *Matt. 20. 28. Marc. 10. 45. Heb. 8. 2.* Minister sit, qui primatum quærit, *Matth. 20. 26.* ministri Dei sunt, Paulus, Apollo, & huiusmodi prædicatores, *1. Corint. 2. 1. & c. 4. 1.* ministri Dei quales, *Leuit. 21. 17.* ministri verbi à Deo petendi, *Matt. 9. 38.* diligendi sunt, *Thess. 5. v. 12. 13.*

Ministrorum elogia: In veteri testamento appellati sunt Prophetæ, *Gen. 20. 7. Deut. 24. 10. & passim alibi.* Dij, *Exod 4. 16. & 7. 1.* Videntes, *1. Sam. 9. 9.* Viri Dei, *1. Reg. 9. 6. & 13. 1. 2. Petr. 1. 20.* Speculatores, *Esa. 56. 10. Ezech. 3. 17. & 33. 7.* In nouo Testamento: Angeli, *Apoc. 3. 1.* Dispensatores mysteriorum Dei, *1. Cor. 4. 1. Tit. 1.* Doctores, *Ephes. 4. 11.* Episcopi, *1. Timot. 3. 1. Tit. 1. 7.* Euangelistæ, *Ephes. 4. 11.* Fermentum, *Matth. 13. 33. Luc. 13. 21.* Lux mundi, *Matth. 5. 14.* Ministri Dei, *Tit. 1. 1.* Pastores, *Ephes. 4. 11.* Pastores animarum, *Hebr. 13. 17.* Plantatores, *1. Cor. 3. 6.* Rigatores, *ibid.* Sal terræ, *Matt. 5. 13.* συνεργοὶ id est, cooperarij Dei, *1. Cor. 3. v. 5. 9.* Serui Dei, *Tit. 1. 1.* Dei, & Christi, *1. Cor. 1. 1. Ephes. 1. 1. & 4. 11. 2. Cor. 1. 1. Colos. 1. 1.* Christi, *Rom. 1. 1. Philip.* Ministri, quo loco habendi, *1. Corint. 3. 4. 1. Thes. 3. 12. 1. Tim. 5. 17. Heb. 13. v. 17.*

Ministrorum officium, seu munus, & vera ædificandi ratio, *1. Corint. 3. v. 6. 10.* Ministrorum sermo qualis esse debeat, *1. 17. & 2. 13. 2. Pet. 4. 11. 2. Petr. 1. 16. Ephes. 4. 28. 2. Timoth. 2. ver. 15. 25. & 1. 13. Colossens. 4. 6. Tit. 1. 9* Duces sunt, & Pastores animarum, *Hebr. 13. 17.* ideoque illis parendum, *versic. 17.* Licet eis ex Euangelio viuere, *Deut. 24. vers. 14. 15. & 25. 4. Matth. 10. 10. Luc. 10. 7. Rom. 15. 27. 1. Cor. 9. 7. Galat. 6. 6. 1. Timoth. 5. 17.* ex quibus locis patet ministris Verbi deberi victum: Præstiterunt cum Paulo Philippenses, *Phil. 4. v. 14. 15.* Ministri chari habēdi, & honore & obsequio præueniendi, *1. Thes. 5. 12. 1. Timoth. 5. 17. Hebr. 3. 17.* quales eligendi, *1. Timoth. 3. 12. Tit. 1. vers. 5. 6. 7. 8.* absolutum Ministrorum exem-

plar proponitur, 1.*Tim.*3 *v.*1.2.*Tit.*1.*v.*5.6.7.8.officium, & prudentia, in increpandis diuersæ ætatis, & sexus hominibus, 1.*Tim.* 5.*v.*1.2.3.probandi sunt prius, quam ministrent, 1.*Tim.*3.10.

Ministrorum etiam malorum opera dignatur vti Dei bonitas, *Matth.*7.22. *Marc.*9.38.*Luc.*9.49.quos & audiri iubet, *Matth.*23.2. Ministri Verbi dicuntur in Scriptura alios saluare, *Abd.*1.21.seruare, 1.*Tim.*4.16.qui sunt ministri salutis per Euangelij doctrinam. Sic dicentur peccata remittere, *Ioan.* 21. 23. quod alioqui solius Dei est, *Marc.*2.7.Minister circumcisionis quo sensu dicatur Christus, *Rom.*15.8.quum eam suo aduentu abrogarit. Contra Ministros Dei murmurans, murmurat contra Deum, *Exod.*16.7. ministerium reconciliationis accepit Paulus Euangelium nuncians, 2 *Cor* 5.18.ministerium Verbi, prædicatio Euangelij, *Actor.*20.*v.* 24 ministeria vana Christianis data, *Ephes.*4.7.*&c.*ministrationes Spiritus diuersæ, 1.*Cor.*12.5.

Ministerium verbi commendatur, *Esa* 40.8. *&* 44.26. *&* 52.7. *Rom.* 10.15. *Ezech.*3.*v.*7.17.*&* 33 7.*Zach.*1.*v.*4.5. *Malach.*2.7.*Psal.*119. 89.*Matth.*5.*v.*23.14.*&* 10.40.*&* 24.35.*Marc.*13. *v.*31. *Luc.*10.*v.* 15.*&* 16.29.31.*&* 21 33.*Ioan.*17.*v.*8.20.*Act.*24.2ʼ, 28.*v.*28.31.*Roman.*1.26 *&* 10,5.1.*Cor.*1.18.*&* 2.*v.*4.13.*&* 3.5 *&* 9.1.*&* 14.*v.*1.5. 2.*Cor.*3.9.*&* 4.6.*&* 5.10.*&* 13.3.*Gal* 4.*v.*14 19.*Ephes* 4.12.1.*Thes.* 5.20.1.*Tim.*4.10.*Tit.*1.3.*Hebr.*4.*v.*12.*&* 8.*v.*10.11.*&* 13.22.*Iac.*1. *v.*18.21.22.1.*Pet.*1.23.*&* 4.11.

SENTENTIAE BIBLICAE.

Ministerium Dei Honorificum.

In omni virtute dilige eum, qui fecit te, & ministros eius non derelinquas. *Eccl.*7.

Millia millium ministrabant ei. *Dan* 7.

Tunc reliquit eum Diabolus, & Angeli accesserunt, & ministrabant ei. *Matth.*4.

Si quis mihi ministrat, me sequatur: & vbi sum ego, illic & minister meus erit. Si quis mihi ministrauerit honorificabit eum Pater meus. *Ioan.*12.

Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispēsatores mysteriorum Dei. 1.*Cor.*4.

Sed in omnibus exhibeamus nos sicut Dei ministros. 2.*Cor.*6.

Ministerium humanum ordinatum.

Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat. *Psal.*100.

Acceptus est regi minister intelligens, iracundiam illius inutilis sustinebit. *Prou.*14.

Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum suorum habebit amicum regem. 22.

Secundum iudicium populi, sic & ministri eius. *Eccl.*

EXEMPLA BIBLICA.

Ministerij opera in veteri, & nouo testamento. *Primo.* Docere verbum Dei, & administrare Sacramenta, *Exempla:* Leuitæ, & Sacerdotes, 2.*Paralip.*17.9 *Ezech.*44.23.Petrus, & Apostoli concionantur pœnitentiam, & remissionem peccatorum, *Actor.*2.38. baptizant credentes, *v.*14.perseuerant in fractione panis, *v* 46. Paulus summam sui officij recitat, *Act.*20.*v.*10.21. *&* 26.*v.*19.20. *Secundo,* Refutare impia Pseudoprophetarum, & falsorum Doctorum dogmata *Exempla:* Elias, 1.*Reg* 18.*v.*21.22. Ieremias iussu Dei refutat Pseudoprophetarum vaticinia, qui asserebant Deum nō puniturum gladio, & fame Ierosolymam, *Ier.*14.*v.*1.2.*&c.* Ananiam grauiter refutat, 28.*versic.*15 16. Ezechiel similiter refutat Pseudoprophetas, & Pseudoprophetissas, *Ezec.*13.*v.*3.18. Stephanus Scholasticos Libertinorum, Cyrenensium, Cilicum, &c. refutat, *Actor.*6.9.*&c.* Paulus 10 fundit Iudæos, & refutat Græcos, & demonstrat Christum esse Filium Dei, 9 21. Idem cum Barnaba, & alijs Antiochiæ refutat Pseudoapostolos, 15.2. quod ipsum in Epistolis etiam suis strenuè, & serio agit. Apollos vehementer reuincebat Iudæos, ostendens per Scripturas, quod Iesus esset Christus, *Act.*18.28. Petrus refutat Pseudodoctores. 2. *Pet.*2 *v.*1, 12. *&c. &* 3.3.*&c.*4.*v.*2.3. Ioannes refutat Antichristi doctrinā. 2. *Ioan v.*7. *Tertio.* Hortari ad conuersionem, & pœnitentiam *Exempla:* Prophetæ, *Ier.*35.15. Oseas, *Osea* 5.1.*&* 6.1 *&* 14.2. Baruch, 1. *v* 13.14 15. Ioel, *Ioel.*2.12. Ioannes Baptista, *Matth.*3.*v* 1.7.

Vide Clericus, Sacerdos, Episcopus.

MIRACVLVM.

DEFINITIO, ET ETYMOL.

Miraculum, Græce θαῦμα, ατος, τό. & θαυμαστός, ἡ, ὁ, mirabilis. Græca vox θαῦμα, fluit à verbo Hebræo *Tama,* miratus est cum stupore, admiratus est, demiratus est, obstupuit. Inde etiam *Timmahon, Zach.*12.4. Admiratio, stupor, ad miracula enim adstantes stupent, & nihil aliud possunt, quam res mirari quarum causas ignorant.

Est autem miraculum res, quæ vnde manauerit, aut qua ratione constiterit, dignoscere est arduum, *vt. licitur, ex prolog. vlt. cap. primi libri Val. Max vel sic.*

Miraculum est, quicquid præter naturæ vsum euenit, & ideo in admirationem nos trahit. Venit autem miraculum à miror. Mirari autem proprie est, re aliqua tamquam noua obstupefieri. Aliquando mirari est, cum voluptate, & delectatione intueri. Virg. *Seu quis olympiaca miratus præmia palmæ.* Aliquando mirari est venerari. Virgil. *Ille operum custos illum admirantur, & omnes Circum stant.* Hinc admirabile, id est, admiratione dignum: admirabundus, admiratione plenus.

LOCI BIBLICI.

Miraculis à fide abducens occidendus, *Deut.*13.6.miraculum Christi primum, *Ioan.*2.21.miracula Christi non omnia scripta, 20.39. doctrinam sequuntur perinde, ac tabulas sigilla, *Matth.*10.8. *Mar.* 16.20. *Act.*4.*v.*29.30. *Rom.*15.19. *Hebr* 2.4. Miracula tempore Christi futura prædicuntur, *Esa.*35. *v* 5.6. miracula sunt confirmatio verbi, *Marc.*16.17. Pseudoprophetarum, *Ier.*23.32. miracula fidem in Christum confirmantur, *Mar.*16.17.

Miraculorum finis legitimus, *Matth.*9.*v.*8.*&* 13.31. *Marc.*2.12.*&* 7. 37. *Ioan.*6.14 *&* 11.45.*&* 12.11. *Act.*9 *v.*35.42.*&* 19.17. Miracula dicuntur signa, *Heb.*2.*v.*4. Miracula edere etiam impijs interdum concessum, *Matt* 7.*v.*22.23.*&* 24.24. *Marc.*12.22. *Apocal.*13.13.*&* 20.54.*&* 19.20. Miracula falsa Antichristi imperio stabiliendo cōcessa, *Matth.*24.24. *Marc.*13.22. 2.*Thess.*2.9.

Miraculorum aliorum varijs temporibus a varijs editorum ex scriptis tam veteris, quam noui Testamenti depromptorum in certas classes per alphabeti ordinem digestio, & distributio. Aqua è petra fluens. *Exod.*17.*v.*6. Aquæ amaræ dulcescentes, 15.*v* 25. Salubres redditæ, 2.*Reg* 2 *v.*20.21. Pallio Eliæ diuisæ, *v* 14 Aqua in vinum conuersa, *Ioan.*2.*v.*9. Auricula Malcho restituta, *Luc.*22.*v.* 35 Cæcitate percutiuntur Sodomitæ, *Genes* 19.*v.*11. Syri, 2.*Reg.*6. 18. Saulus, *Act.*9.*v.*9. Elymas, 13.*v.*11. Cæci illuminantur, *Matth.* 9.*v.*30.*&* 2 22.*&* 15.30.*&* 20.34. *Marc.*8.*v.*25. *Luc.*7.2. *Ioann* 9.*v.* 7. Claudi ambulant, *Matth.*15.*v.*30.*&* 21.14. *Act.*3.*v.*7.*&* 14.10. Curuata mulier erigitur, *Luc.*13. *ver* 12.13. Dæmones eijciuntur, *Matth.*8 *v.*16.*&* 9 33.*&* 12.22.*&* 15.28.*&* 17.8. *Marc.*1. *v* 26.14. 39. *&* 3 11.*&* 5.8.*&* 7.29.*&* 9.25.*&* 16.9. *Luc.*4.*v.*35.41. *&* 6.18. *&* 8.2.*&* 9.42.*&* 11.14.*&* 13.32. *Actor.*16.*v* 18. etiam per malos, *Matth.*7 *v.*22. *Mar.* 9.*v.*39. *Luc.*9.*v.*49. *Act.*9.13. Febres curātur, *Matth* 8.*v.*15. *Mar.*1.*v.*31. *Luc.*4.39. *Ioan.*4.*v.*43. *Act.*28.*v.*8. Ficus arescit, *Matth.*21.*v.*19. *Marc.*11.*v* 13. Hydropici curantur, *Luc.*14. *v.*4. Iordanis fluuius diuiditur, *Ios.*3.16.2.*Reg.*2.34. Leprosi mundantur: Maria soror Mosis, *Num* 12.*v.*15. Naaman Syrus, 2.*Reg.*5. 14. Leprosi, *Matth.*8.3. *Marc.*1.*v.*42. *Luc.*5.13.*&* 17.14. Languoribus affecti reficiuntur, *Matth.*4.*v.*23.24.*&* 9.25.*&* 12.15.*&* 19.2. *Marc* 1.34.*&* 3.*v.* 0.56. *Luc.*4.*v.*40.*&* 6 18 *&* 7.21.*&* 9 *v.*1. *Ioan.* 5.*v.*8. *Act* 5.16. Manus aridi sanatur, *Matth.*12.14. *Marc.*3.5. *Luc.* 6.10. Mare diuiditur *Exo.*14.21. Mare vt solidum calcatur à Christo, *Matth.*14.25. *Marc* 6.48. *Luc.*6.25. *Ioann.*6 19. Mortui ad vitam reuocantur, 1.*Reg.*17 22.2.*Reg* 4.*v.*34.35.*&* 13.21. *Matth.*9.25.*&* 27 52. *Marc.*5.*v.*41.42. *Luc* 7 14.*&* 8.*v.*45.55. *Ioan.*11.44 *Act* 9.40. *&* 20.10. Panes multiplicantur, *Matth.*14 *v* 19.20. *&* 15.*v.*36.37. *Marc.*6.4.*&* 8.*v.*6.7. *Luc* 9.16 *Ioan.*6.11. Paralytici sanantur, *Matth.*8.3.*&* 9.6. *Marc.*2.11. *Luc* 5.24 *Ioan.*58. *Actor.*9.33. Pisces innumeri capiuntur, *Luc.*5.6. *Ioann.*21.6. Portæ carceris aperiuntur, *Act* 5.16.12.10.*&* 16.25. Profluuium sistitur, *Matth.*9 20. *Mar.*5. 29. *Luc* 8.48. Surdi audiunt, *Marc* 7.32. Stater repertus in ore piscis, *Matth.*17.27

Miracula per se fieri orant Apostoli, *Act.*4 36. miraculis Christi glorificatur Pater, *Matth.*15 31. Miraculis mentientes se Christum, *Matth.*24 24. miraculis nullam fidem tentat Deus, *Deut.*13.3. miraculis potuit cognosci Christus, *Ioan.*10.25. miraculis probatus est Christus a Deo esse missus, *Act.*21.2.

SENTENTIAE PATRVM.

Quicquid mirabile fit in hoc mundō, profectō minus est, quam totus hic mundus: id est, cœlum, & terra, & omnia, quæ in eis sunt, quæ certè Deus fecit: nam & omni miraculo, quod fit per hominem, maius miraculum est homo. Quamuis igitur miracula visibilium naturarum videndi, assiduitate vilescunt, tamen ea quum sapienter intuemur, inusitatissimis rarisque maiora sunt. *August.* 11. *de Ciu. Dei.*

Miracula leguntur in populis, vt credantur, nec in populis tamen nisi credita legerentur. Hæc autem vbicumque fiunt: vix à tota ciuitate ipsa sciuntur, vel a quocumque commanentium in loco. Nam plerumque fiunt ignorantibus cæteris maximè si magna sit ciuitas, & quando alibi alijsque narrantur, tanta ea commendat authoritas, vt sine difficultate, vel dubitatione credantur. *lib.* 22. *de Ciuit Dei.*

Aliter magi faciunt miracula, aliter boni Christiani, aliter mali. Magi per priuatos contractus cum dæmonibus; Boni Christiani per publicam iustitiam: mali Christiani per signa publicæ iustitiæ. *lib.*33.*q.*

Ideo non omnibus sanctis ista miracula attribuuntur, ne p.r-

ricio-

nicioſiſſimo errore decipiantur infirmi, æſtimantes in talibus factis eſſe maiora bona, quam in operibus iuſtitiæ, quibus vita æterna comparatur. *ibid.*

Dicamus aliquid Deum poſſe, quod nos fatemur inueſtigare non poſſe. In rebus enim mirabilibus tota ratio faciendi eſt potentia facientis. *Idem.*

Nihil mirabilius in rebus humanis, quam diligere inimicos. *libro confeſſ.*

Eunt omnes admirari alta montium, & ingentes fluctus maris, & latiſſimos lapſus fluminum, & Oceani ambitum, & gyros ſiderum, & relinquunt ſeipſos, & non mirantur. Nam & omni miraculo, quod fit per hominem, maius miraculum eſt homo. *ibidem.*

Sicut non fuit Deo impoſſibile, quas voluit naturas inſtituere: ſic ei non eſt impoſſibile, in quicquid voluerit, quas inſtituit naturas, mutare. *lib. 21. de ciuit. Dei.*

Operum Dei cauſa ſi lateat hominem, non ſe obliuiſcatur eſſe hominem, nec propterea Deo det inſipientiam, quia non bene capit eius ſapientiam. *De ſpiritu, & littera.*

Prophetizare, & virtutes facere, & dæmonia eijcere, interdum nõ eſt meriti, qui operatur: ſed vel inuocatio Chriſti hoc agit, vel ob condemnationem eorum, qui inuocant, vel vtilitatem eorum qui vident, & audiunt. *Hieron. ſup. Matth. c. 7.*

Charitatis, & pietatis miracula amate, quæ tanto ſecuriora ſunt, quanto & occultiora, & de quibus apud Deum eo maior fit retributio quo apud homines minor eſt gloria. *Gregor. in homilia.*

Diuina mirabilia ſemper debent conſiderari per ſtudium, & numquam diſcuti per intellectum. *ibid.*

Rationem de occulto Dei conſilio quærere, nihil aliud eſt, quam contra eius conſilium ſuperbire. *ibid.*

Quatuor mirabiles imitatores fecit Deus: de piſcatore primum Eccleſiæ paſtorem: de perſecutore magiſtrum gentium, & doctorem: de publicano primum Euangeliſtam: de latrone primum cœlicolam. *Chryſ. in Matth.*

Tria totus mundus mirabatur, Chriſtum poſt mortem reſurrexiſſe, cum carne in cœlum aſcendiſſe, & per duodecim Apoſtolos piſcatores totum mundum conuertiſſe, huius autem quadruplex fuit cauſa, ſcilicet, pecuniæ contemptus, gloriæ deſpectus, ſæcularium occupationum ſegregatio, & terribilium perpeſſio. *ibidem.*

Mirabilius eſt videre hominem conuitia paſſum, & non motum, quam hominem vulneratum, & percuſſum non cadentem. *ibidem.*

Res multis modis apparent mirabiles, aliquando ex magnitudine: aliquando ex paruitate: aliquando quia raræ: aliquando quia pulchræ. Secundum magnitudinem attenditur, quando res quælibet ſui generis modum in quantitate excedit: ſic miramur gigantem inter homines, cetum inter piſces, gryphonem inter volucres, elephantem inter quadrupedes, draconem inter ſerpentes. Secundum paruitatem conſideratur quando res quælibet cæteris ſui generis quantitate æquari non poteſt, vt tinea, & vermes, & cyniphes, & alia ſimilia, quæ inter cætera quidem animalia viuunt, ſed cæteris omnibus corporis exiguitate diſpares ſunt: Vide ergo quid magis mireris, dentes apri, vel tineæ, alas gryphis vel cyniphis, caput equi, vel locuſtæ crura elephantis, vel culicis, leonem, vel pulicem, tigridem, vel teſtudinem, ibi miraris magnitudinem, hic miraris paruitatem, illis dedit oculos quos vix comprehendere poteſt oculus, & in exiguis corporibus ſic omnifaria adiumenta naturæ ſuæ congrua pleniſſimè diſtribuit, vt nihil videas deeſſe in minimis eorum omnium, quæ natura formauit in magnis. *Hug. de operationibus trium dierum.*

Miramur, quare etiam crocodilus manducans inferiorem molam non mouet, & quomodo Salamandra in igne illæſa permanet, quis dedit ericio ſpinas, & docuit eum, vt ſe pomis turbine diſcuſſis inuoluat, quibus onuſtus incedens ſtridet quaſi plauſtrũ, & formica, hiemis ſuperuenturæ præſcia, granis horrea ſua replet, aranea quoque de viſceribus laqueus nectit, vt prædam capiat, iſti ſunt teſtes ſapientiæ Dei. *ibid.*

Eſt adhuc aliud verum, & euidens diuinæ ſapientiæ argumentum, quod omne genus ſimile ſibi procreat, & vna ſpecies propagata primæ originis formam non immutat: non ouis vitulum: non vacca, agnum: non cerua leporem: non leo vulpem: ſed in ſibi ſimile propaginem ſuam extendit. Aliud genus eſt fagus, aliud quercus, & aliud vnumquodcumque ſuam ſpeciem habet, & vnumquodque ſui generis ſeruat ſimilitudinem. Vide folium quomodo intrinſecus productis coſtulis hinc, & illuc intexitur: mirare vnum, mirare illud omne, quod eſt vnius generis, vnius inuenies ſimilitudinis, tot coſtulas in vno, quot coſtulas in alio: talem formam in vno, qualem in alio, omnis enim natura, quaſi cuiuſdam intrinſecus dictantis præceptum accepit, nuſquam terminos ſuos excedere præſumit. *Idem.*

SENTENTIÆ PHILOSOPHICÆ.

Qui rei cuiuslibet inueſtigare probabilem rationem ſatagit, is rerum miracula vbique tollit funditus, & euertit. *Plut.*

In facie vultuque noſtro nullas duas in tot millibus hominum indiſcretas effigies exiſtere, quod ars nulla in paucis numero præſtet affectando. *Plin. lib. 20. hiſt. Nat.*

SIMILITVDINES.

Chryſoſtomi. Vt ante lucem aurora exit, ante noctem autem obſcuritas: Ita in aduentu Chriſti ante illum prophetæ, & cum illo Apoſtoli in Spiritu ſancto faciebant virtutes. In aduentu vero Antichriſti pſeudochriſtiani, & ante illum, & cum illo in ſpiritu maligno facient virtutes. *In Matth. 11. hom. 29.*

Vt ſi quis exponat tibi res quas non libenter audis, ſi tota die audieris nihil earum retines, quæ audiuiſti, aut ambulans in via, ſi mẽs tua aliquo cogitatu fuerit occupata, quamuis omnes videas tranſeuntes tamen neminem vides: Sic & Iudæi frequenter ſigna videntes adhuc ſignum petebant, quia hoc videbant, quod videre nolebant. *In c. 2 Matth.*

Sicut lac ſine labore, & ſine opere dentium manducatur, & manducantem ſuauitate ſua delectat: Sic & mirabilia, nullum laborem videntibus ponunt, ſed videntes admiratione delectant, & ad fidem molliter trahunt. *In 21. Matth. hom. 38.*

Quemadmodum viro perfecto ſi dederis lac, fauces quidem eius delectat, membra autem eius non confortat: ſi autem panes manducet, non tantũ fauces eius delectat, quantũ præſtat ei virtutem! Sic & viro perfecto in fide: & maturo ſenſibus, ſi miracula oſtendas, delectatur quidem aſpectu, nihil autem ei proficit ad ædificationem ſenſus, aut ad notitiam veritatis. ſi autem verbum ſapientiæ exponas ei, & ratione delectatur, & ædificatur in fide. *In Matth. 21. hom. 38.*

Iuſtini martyris. Quemadmodum quod ſol oritur in malos, & bonos, pluitque in iuſtos, & iniuſtos: id non eſt eiuſmodi, vt malos, & iniuſtos confirmet in malitia, & iniuſtitia ad iuſtas pœnas: Ita nõ confirmat hæreticos in errore, quod quædam miracula fiunt in eis. Si enim miraculorum effectio pietatis eſſet ſignum, & demõſtratio, numquam Dominus reprobos, & ſua familiaritate indignos pronunciaret eos qui dicunt: Domine, nonne prophetauimus, & tuo nomine dæmonia eiecimus, & tuo nomine miracula multa fecimus? Quibus ille dicit: Numquam noui vos: diſcedite à me malefici. Nonne vos docui, cibum, & potum dandum eſſe eſurienti, & ſitienti? Multo magis ipſe eorum ſimilia, quæ nos docuit, facit, congerens ignem in capita eorum qui fidei datorem non vt dignus eſt, cognouerint. *In reſponſione ad q 5 fol. 262.*

D. Auguſtini. Sicut hæ omnes ſignificationes pro ſuæ cuiuſque ſocietatis conſenſione animos mouent: nec ideo conſenſerunt in eas homines, quia valebant ad ſignificationem: ſed ideo valent, quia conſenſerunt in eas: Sic etiam illa ſigna quibus pernicioſa dæmonum ſocietas comparatur, pro cuiuſque obſeruationibus valent. *lib. 2. c. 24. De doctrina Chriſtiana.*

EXEMPLA BIBLICA.

Miraculorum *exempla:* Creatio mundi, *Geneſ.* 1. 1. Diluuium, 7. *verſic.* 19. 21. in diluuio ſeruata familia Noe, 8. 18. Linguarum confuſio, 11. 7. Sodomæ, & Gomorrhæ excidium, 19 24. Vxoris Loth in ſalis ſtatuam mutatio, *verſic.* 26. Rubus ardens, *Exod.* 3. 2. Virga Moſis in colubrum verſa, 4. *verſic.* 3. 4. Moſis manus leproſa, *verſic.* 6. 7. Virga Aaronis in colubrum verſa, 7. 10. aquæ in ſanguinem mutatæ, *verſic.* 20. Ranæ, 8. 6. Muſcæ, *verſic.* 21. Veſicarum vlcera, 9. 10. Fulgur, grando, & ignis, *verſic.* 23 24 25. Locuſtæ, 10. *verſicul.* 13. 14. Tenebræ, *verſ.* 22. 23. *Pſal.* 105. 28 *Sapient.* 17. 2. *&* 19. 16. Primogenitorum clades, *Exod.* 12. 29. Columnæ ignis, & nubis, 13. 2. Mare rubrum diuiſum, 14. *verſic.* 11. 22. 26 Aquæ dulceſcentes, 15. *verſic.* 26. Coturnices, 16. 13. *Num.* 11. 31. Manna, *Exod.* 16. 14 Aqua e petra manans, 17. 6. promulgatio Legis, 19. *&* 20 *capit.* in qua multa concurrunt mirabilia Dei opera: vt ſunt, tonitrua, fulgura, nubes, ignis, inſolitus tubarum clangor, vox Dei, montis tremor, &c.

Vim miraculi etiam habent, Moſis apud Dominum in monte commoratio ad dies 40, *Exodi* 28. 18. Tabulæ lapideæ digito Dei Legem ſcriptam referentes, 31. 18. fractio, & reparatio earumdem, 32. *&* 34. *cap.* Gloriæ Domini apparitio, & Tabernaculi obnubilatio, 40. 34. Ignis à Domino egreſſus, & deuorans holocauſtum, *Leuitic.* 9. 24. Nubes operiens Tabernaculum, *Numer.* 9. 15. Eladi, & Medadi prophetatio, 11. 26. Mariæ murmurantis contra Moſen lepra, 12. 10. Mors exploratorum terræ Chanaan, 14. v. 27. 28. 29. 30. Core, Dathan, & Abiron interitus, & à terra abſorptio, 16. *ver.* 32. 33. Serpentes igniti, quorum antidotum erat aſpectus Serpentis ænei, 21. *ver.* 6. 7. Aſina Balaam loquens, 22. 30. Veſtes Iſraelitarum intra quadraginta annos non attritæ, *Deut.* 8. 4. Vegeta Moſis ſenectus, 34. 7. Iordanis refluans, *Ioſ.* 3. 16. Ruina muri Ierichuntis, 6. 20. Lapides pluentes, 10. 11. Sol in medio cœli ſub-

sistens ad spacium vnius diei, *v.*13. Samson, & eius natiuitas miraculosa, *Iudic.*13.3. Leonis per eum interfectio, 14.6. Strages mille virorum vnica asini maxilla ab eo edita, 15.15. Fluxus aquæ ex maxilla asini *v.*19. Portarum Gaza ad montem deportatio, 16.3. Aedium deiectio, & mors, 3.*v.*9. Dagon ante arcam corruens, 1. *Sam.*5.*v.*2.3 Percussio Philisthæorum in posterioribus, *v.*9. Reductio arcæ, 6.7. Vocatio Saulis ad regnum, 10.1.&c. Ionathæ cum armigero stratagema, & Philisthæorum profligatio, 14.14. Cędes Goliath per Dauidem, 17.49. Liberatio Dauidis à Saule, & alijs hostibus infensissimis, 1.*Sam.*18.19.24.25.*&c. capit.* Fames trium annorum ob violatam fidem Gabaonitarum, 2.*Sam.*21.1. quæ septem viris de familia Saulis suspensis auertitur, *v.*6.7.*&c.* Pestis, 24.15. Nebula in domo Dei, 1.*Reg.*8.10. Ignis deuorans sacrificia, 2. *Paral.*7.1. Scissio altaris Bethel ad vocem viri Dei, 1.*Reg.*13.4. arefacta manus Ieroboam, & eiusdem restitutio, *v.*4.6. Propheta à leone occisus, *v.*24. Elias à coruis pastus, 1.*Reg.*17.6. ab Angelo, 19.5. Farina viduæ aucta, 17.*v.*15.16. Resuscitatio Filij viduæ, *v.*22. Holocausti incēsio, & cōflagratio cęlitus, 18.38. Fortitudo cibi Eliæ dati, 19.*v.*7.8. Aquæ Eliæ pallio diuisæ, 2.*Reg.*2.8. Elię in cœlum raptus, *v.*11. Miracula per Elisæum facta: Aquarum diuisio, 2.*Reg.*2.14. Aquæ exercitui impetratæ, 3.20. Oleum viduæ, 4. *v.*2.5. Purgatio Naaman Syri à lepra, 5.14. Giezi ad vocem Elisæi percussus, *v.*27. Ferrum natās, 6.6. Hostium excæcatio, *v.*18. Hospitæ sterili filius impetratus, 4.17. eiusdem resuscitatio, *v.*34. Aquæ lethales salubres redditæ, *vv.*20.21. Pulmentum amarum dulce redditum, 4.41. Panes famis tempore multiplicati, *v.*43. Hazaeli præsenti, eorum quæ facturus erat, prædictio, 8.12. Cadauer mortui Elisæi, 13.21. Ierosolymitana obsidio soluta, & Syri profligati, 7.*v.*6.7. Ab Angelo octoginta quinque hominum mil lia interfecta, 19.35. (*Esa.*37.36.2.*Paral.*32.21.) Horologium Achaz, 20.*v.*10.11. Aethiopum profligatio, 2.*Paral.*14.12. Moabitæ, Ammonitæ, &c. mutuis vulneribus concidentes, 20. *v.*15.16. 17.18.19.20.23. Oziæ lepra, 26.19.

Tempore captiuitatis Babylonicæ multa etiam acciderunt admiratione digna: vt sunt, Somnium Nabuchodonosor de statua, *Dan.* 2.1.*&c.* eius per Danielem repertio, & interpretatio, *v.*16.29. Sidrach, Misach, & Abednagonis liberatio, 3.*v.*25.26.27.28. Nabuchodonosor ex hominibus, & humana societate expulsio, 4. *ver.* 21.22. Danielis ex lacu leonum liberatio, 6.22. Visiones miraculosæ Danieli factæ de futuris euentibus, *Dan.*7.8.9.10.11. *capitib.* Ionas à pisce absorptus, & iterum liberatus, *Iona v.*1.11. Miraculosæ etiam res sunt, quod Mardochæus ab Assuero honoratur, *Esth.*6.10. Aman Iudæorum hostis suspenditur, 7.10. mandatum crudele in Iudæos abrogatur, 7.10.*&* 8.8. Miracula item sunt Populi Iudaici ex captiuitate dimissio, & Templi, ac ciuitatis reædificatio, 1.*Esdr.*1.2.3.4.5.6.7. *capitib. & Nehem.*2.3.4.6 *capitibus.* Catalogum miraculorum Dei, Dauid etiam passim in Psalmis suis texit, vt *Psal.*44.1.*&* 76.1.*&* 78.1.*&* 89.1. *&* 105.1.106.1.*&* 5.114.1.*&* 115.1.*&* 135.1.*&* 136.1.*&* 145.1. Et Nehemias, *Nehem.*9.*v.*5.6.*&c.*

Miraculorum aliorum varijs temporibus à varijs editorum, ex scripturis tam veteris, quam noui Testamenti depromptorum in certas classes per alphabeti ordinem digestio, & distributio. Aqua è petra fluens, *Exod.*17.6. Aquæ amaræ dulcescentes, 15.25. Salubres redditæ, 2.*Reg.*2.*v.*20.21. Pallio Eliæ diuisæ, *ver.*14. Aqua in vinum conuersa, *Ioan.*2.9. Auricula Malcho restituta, *Luc.*22.51. Cæcitate percutiuntur Sodomitæ, *Gen.*19.11. Syri, 2.*Reg.*6.18. Saulus, *Act.*9.9. Elymas, 13.11. Cęci illuminantur, *Matth.*9.30.*&* 12. 22.*&* 15.30.*&* 20.34. *Mar.*8.25. *Luc.*7.21. *Ioan.*9.7. Claudi ambulant, *Matth.*15.30.*&* 21.14. *Act.*3.7.*&* 14.10. Curuata mulier erigitur, *Luc.*13.*v.*12.13. Dæmones eijciuntur, *Matt.*8.16 *&* 9.33.*&* 12.22.*&* 15.18.*&* 17.8. *Marc.*1.*v.*26.34.39.*&* 3.11. *&* 5.8. *&* 7. 29.*&* 9.25.*&* 16.9. *Luc.*4.*v.*35.41.*&* 6.18.*&* 8.2.*&* 9.42.*&* 11.14. *&* 13.32. *Act.*15.18. etiam per malos, *Matt.*7.22. *Marc.*9.39. *Luc.*9. 49. *Act.*9.13. Febres curantur, *Matt.*8.15. *Mar.*1.31. *Luc.*4.39. *Ioan.* 4.45. *Act.*28.8. Ficus arefit, *Matt.*21.19. *Mar.*11.13. Hydropici curantur, *Luc.*14.4. Iordanis fluuius diuiditur, *Ios.*3.16.2.*Reg.*2.14. Leprosi mundantur: Maria soror Moysis, *Num.*12.15. Naamā Syrus, 2.*Reg.*5.14. Leprosi, *Matth.*8.3 *Marc.*1.42 *Luc.*5.13.*&* 17.14. Languoribus affecti reficiuntur, *Matth.*4 *v.*23.24 *&* 9.25.*&* 12.15. *&* 59.2. *Mar.*1.34.*&* 3.*v.*10.56. *Luc.*4.40.*&* 6.18.*&* 7.21.*&* 9.1. *Ioan.* 5.8. *Act.*5.16. Manus arida sanatur, *Matt.*12.14. *Mar.*3.3 *Luc.*6.10. Mare diuiditur, *Exod.*14.21. Mare vi fluidum calcatur a Christo, *Matth.*14.25. *Marc.*6.48 *Luc.*6.25 *Ioan.*6.19. Mortui ad vitam reuocantur, 1.*Reg.*17.22 2.*Reg.*4.*v.*34.35.*&* 13.21. *Matt.*9.25.*&* 27. 52. *Mar.*5.*v.*41.42 *Luc.*7.14.*&* 8.*v.*54.55. *Ioan.*11.44. *Act.*9.40 *&* 20.10. Panes mul iplicantur, *Matth.*14.*v.*19.20. *&* 20.*&* 15.*v.*36. 37. *Marc.*6.4 *&* 8.*v.*6.7. *Luc.*9.16. *Ioan.*6.11. Paralytici sanantur, *Matth.*8.13.*&* 9.6. *Marc.*2.11. *Luc.*5.24. *Ioann.*5.8. *Act.*9.33. Pisces innumeri capiuntur, *Luc.*5.6 *Ioann.*21.6. Portæ carceris aperiuntur, *Act.*5.16.*&* 12.10.*&* 16.26. Profluuium sistitur, *Matth.*9.10. *Marc.*5.29. *Luc.*8.48. Surdi audiunt, *Marci* 7.32. Stater repertus in ore piscis, *Matth.*17.27.

Miraculum per se fieri orant Apostoli, *Actor.*4.30. miraculis Christi glorificatur pater, *Matt.*15.31. miraculis mentientes se Christū, *Matt.*24.24. miraculis nostram fidem tentat Deus, *Deut.*13.3. miraculis potuit cognosci Christus, *Ioan.*10.25. miraculis probatus est Christus à Deo esse missus, *Act.*2.22.

Exempla Ecclesiastica, & Profana.

D. Gregorius Magnus Neocæsariensis Episcopus, ob frequentia miracula Θαυματουργος dictus est, quibus Gentiles conuertebat.

Sulpitium Bituricensem Episcopum dæmones verbo fugasse, ægros oratione curasse, mortuos excitasse. *Vincent. refert lib.*23.*c.*27.*&* 29.

D. Elizabetha, Andreæ Hungariæ regis F. Ludouici Thuringiæ Landgrauij vxoris miracula *pete ex Bonfini l.*7.*Decad.*2.

Hilarion habebat hoc donum, vt ex odore corporum vestiumq. earum rerum, quas quis tetigerat, sciret cui dæmoni, vel cui vitio subiaceret. *Hier. in vita Hilarionis.*

Virginis *Æmiliæ.* Discipulam exuncto igne, tutam ab omni reprehensione, Vestæ numen præstitit: qua odorante, cum carbasum, quam optimam habebat, foculo imposuisset, subito ignis emicuit. *Val. lib.*1.*c.*1.

Claudia virgo vestalis, vt auctor est Hieronymus, cum in stupri suspicionem venisset, & simulachrum Deæ matris M. ex Pessinunte adductum, in vado Tyberis hæreret: ad comprobandam suam pudicitiam, cingulo nauem pertraxit. *Liu. lib.*9. *Dec.*3.

Tullia virgo Vestalis, incesti criminis rea, spem salutis ancipiti argumento petere ausa est. Arrepto enim cribro: Vesta (inquit) si sacris tuis castas semper admoui manus: & hoc hauriam ex Tyberi aquam, & in ædem tuam perferam. Audacter, & temere iactatis votis, sacerdoti rerum ipsa natura cessit. *Val. Max lib.*8.*c.*1.

MISERIA.

DEFINITIO, ET ETYMOL.

Miseria, Græcè ἀθλιότης, ἡ & ἄθλιος ὁ, miser dicitur. Est autem miseria, copia tribulationis, & inopia consolationis, quando multifariè quis patitur, & à nemine releuatur, *secundum Aug. lib. de defin.*

Miser variè designatur ab Hebræis, 1. *Dal.* exhaustus viribus, & facultatibus, 2. *Chel-ah*, i pauper, & contemptus, 3. *Han.* afflictus, ærumnosus, Gall. *qui sue de destresse, & d'ahan.* 4. *Schomem*, desolatus. De quibus vocibus accurate agit lexicon trilingue Lugdunense *pag* 486. *col.*1 *&* 2.

Miser, ærumnosus, æger, afflictus, probrosus, pudore suffusus. *Ier.*45. 3 *Iob* 3.20 *Psal.*38.7.*&* 137.8 *Esa.*16.4. *Iac.*4.8.

Miserabilis ita differt a miser, quod miser est in miseria constitutus: Miserabilis vero miseratione dignus: Ouid. *Si quis miser semper, ne sit miserabilis vlli.* A misero verbo antiquo, fit miser, seu, hoc est moueor misericordia. Virgil. *His lacrimis vitam damus, & miserescimus vltro.* A misereri etiam venit commiseratio, quæ est cum vel aspectu alicuius, vel oratione, vel etiam cogitatione, adducimur, vt eius misereamur. A misericorde fit misericorditer, & misericordia.

Patrum Sententiae.

Qui nequiter vult viuere, nonne tanto miserior esse conuincitur, quanto facilius mala eius voluntas impletur? *Aug. l. lib. de Virgin.*

Quid miserius misero, non miserante seipsum, flente Didonis mortem, quæ flebat amando Aeneam, non flente mortem suam, quæ flebat non amando te? *l.*1 *confess.*

Magna hominis miseria, cum illo non esse, sine quo non potest esse. In quo enim est, procul dubio sine illo non est, & tamen si eius non meminit, eumque non intelligit, neque diligit, cum illo non est *de Trinitat.*

Considera quantum potes, quam magnum bonum sit ipsum esse, quod & beati, & miseri volunt, nam si hoc bene consideraueris, videbis in tantum esse te miserum, in quantum non appropinquas ei, quod summum est. *de lib. arb.*

Apud Christianos non qui patitur, sed qui facit contumeliam, miser est. *Hier. in epist.*

Peccantes quosque tunc consideremus amplius miseros, quando eos conspicimus in culpa sua, sine flagello derelictos. *Gregor sup. Ezech.*

Ille bene nouit in exterioribus miserijs subsistere, qui scit de spe interna semper gaudere. *Ibid.*

Generalis est humano generi miseria triplex, si diligenter aduertimus, nam & faciles sumus ad seducendum, & debiles ad operandum, & fragiles ad resistendum. Si discernere volumus inter bonum, & malum, decipimur: si tentamus facere bonum, deficimus: si conamur resistere malo, deijcimur, & superamur. *Bern. serm.*8.

Sicut

Sicut pura veritas non nisi puro corde videtur: sic miseria fratris, non nisi misero corde sentitur. de 12 *grad. hum.*

Homo natus de muliere breui viuens tempore, &c. In sordibus generamur, in tenebris confouemur, in doloribus parturimur, ante exitum miseras oneramus matres, in exitu more vipereo laceramus, mirum, quod ipsi non laceramur: primam vocem ploratus edimus, merito quidem, vtpote vallem plorationis ingressi, vt nobis illud sancti Iob ex omni parte possit aptari. Multis repletur miserijs, multis & multiplicibus inquam miserijs corporis, miserijs cordis, miserijs dum dormit, miserijs dum vigilat, miserijs quocumque se vertit. *In serm.*

Consideranti tibi quid sis: occurret tibi homo nudus, & pauper, & miser, & miserabilis homo, dolens, quod homo sit: erubescens, quod nudus sit: plorans, quod natus sit, murmurans, quod sit homo natus ad laborem, non ad amorem: homo natus de muliere, & hoc cum reatu, breui viuens tempore, ideo cum metu, repletur multis miserijs, & propterea cum fletu vere multis, quia corporis, & animæ simul. *ibid.*

Quare de vulua egressus sum, vt viderem laborem, & dolorem? consumentur in confusione dies mei. Si talia locutus est de se ille quem Deus sanctificauit in vtero: qualia loquar de me, quem mater mea genuit in peccato? Heu me! dixerim, mater: quid me genuisti filium amaritudinis, & doloris? quare non in vulua mortuus sum? egressus ex vtero non statim perij? cur exceptus genibus, lactatus vberibus, natus in combustionem, & in cibum ignis? vtinam interfectus fuissem in vtero, vt fuisset meum sepulchrum, & vulua eius conceptus æternus, fuissem enim quasi non essem, de vtero translatus ad tumulum. *Innocent. de vilitate conditio. hum.*

Quis ergo det oculis meis fontem lachrimarum? vt fleam miserabilem humanæ conditionis ingressum: culpabilem humanæ conuersationis progressum: damnabilem humanæ dissolutionis egressum. Considerauerim igitur cum lachrimis de quo factus est homo, quid faciat homo, quid facturus sit homo. Sanè formatus est homo de terra, conceptus in culpa, natus ad pœnam: agit praua, quæ non licent: turpia, quæ non decent: vana, quæ non expediunt. *ibid.*

Formatus est homo de puluere, de luto, de cinere: quodque vilius est de spurcissimo spermate, conceptus in pruritu carnis, in feruore libidinis, in fœtore luxuriæ, quodque deterius est, in labe peccati: natus ad laborem, timorem: quodque miserius est, ad mortem. Agit praua, quibus offendit Deum, offendit proximum, offendit seipsum. Agit turpia, quibus polluit famam polluit personam, polluit conscientiam. Agit vana, quibus negligit vtilia, negligit necessaria. Fit cibus ignis, qui semper ardet, & vrit inextinguibilis: esca vermis, qui semper rodit, & comedit immortalis: massa putredinis, quæ semper fœtet, & sordet. *ibid.*

SENTENTIÆ POETICÆ.

Ouid. 5. Trist. 7.

Si mihi non parcis, fortuna parcere debes,
Non habet in nobis illius ira locum.
Elige nostrorum minimum, minimumq; malorum
Iste, quod quereris, grandius illud erit.
Quam multa madida celantur arundine fossa:
Florida quam multas Hybla tuetur apes:
Quam multa gracili terrena sub horrea ferre
Limite formica grana reperta solent:
Tam me circumstat densorum turba malorum,
Crede mihi vero est nostra querela minor.
His qui contentus non est, in littus arenas,
In segetem spicas, in mare fundat aquas.
Intempestiuos igitur compesce furores,
Vela neque in medio desere nostra mari.

Idem 4 Pont. 15.

Tempora non misera complectar, vt omnia vita,
A meritis eius pars mihi nulla vacat:
Quæ numero tot sunt, quot in horto fertilis arui,
Punica sub lento cortice grana rubent:
Africa quot segetes, quot Tmolia terra racemos,
Quot Sicyon baccas, quot parit Hybla fauos.

Plaut. Truc.

Mauolo mihi inimicos inuidere, quam me inimicis meis.
Nam inuidere, alij bene, tibi male esse, miserum est.
Qui inuident, egent: illi quibus inuidetur, rem habent.

Cleob. per Auson.

Fortunæ inuidia est immeritus miser.

Ouid. 4. Pont. 10.

Qui veniunt istinc, vix vos ea credere dicunt,
Quam misera est, qui fert asperiora fide.

Sen. Thyest.

Erras, malorum census accrescit dies,
Leue est miserias ferre, perferre est graue.

Tibullus 2. 1.

Ah miseri: quos hic grauiter Deus vrget: at ille
Felix, cui placidus leniter afflat amor.

Plaut. Capt.

Miser homo est qui ipse sibi, quod edit, quærit, & id ægre inuenit.
Sed ille est miserior qui & ægre quærit & nihil inuenit.
Ille miserrimus est, qui cum esse cupit, quod edat non habet.

Sen. Herc. Oet.

Nunquam est ille miser, cui facile est mori.
O quam miserum est, nescire mori:

Sen. Troad. act.

Nemo se credit miserum, licet sit
Tolle felices, remoueto multo
Diuites auro remoueto centum
Rura qui scindunt opulenta bobus,
Pauperi surgent animi iacentes.
Est miser nemo nisi comparatus.

Sen. Herc. Fur.

Quemcunque miserum videris hominem sciat.

Sen. Agam.

Miseris colendos maxime superos reor.

Sen. Herc. Oet.

Misera mens incredula est.

Plaut. Capt.

Quia tute ipse eges in patria, nec tibi quid viuas domo est.
Omnes inuenire similes tibi vis, non mirum facit
Est miserorum vt maleuolentes sint, atque inuideant bonis.

Sen. Oed. Act. 1.

Nullus est miseris pudor.

Sen. Herc. fur.

Quod nimis miseri volunt,
Hoc facile credunt.
MEG. Immo quod metuunt nimis,
Nunquam amoueri posse, nec tolli putant.

Ter. Adelph. Act. 4. sc. 3.

Omnes, quibus res sunt minus secundæ, magis sunt nescio quo modo.
Suspiciosi: ad contumeliam omnia accipiunt magis:
Propter suam impotentiam, se semper credunt negligi.

Sen. Thyest.

Proprium hoc miseros sequitur vitium
Nunquam rebus credere lætis.
Redeat felix fortuna licet,
Tamen afflictos gaudere piget.

Sen. Troad. act. 4.

Dulce mœrenti populus dolentum.
Dulce lamentis resonare gentes.
Lenius luctus lachrimæq; mordent, &c.
Turba quas fletu similis frequentat,
Ferre, quam sortem patiuntur omnes,
Nemo recusat.

Ibidem.

Æquor casum tulit, & procellas.
Mille qui ponto pariter carinas
Obrui vidit.

Ouid. 14. Met.

Sors autem vbi pessima rerum est,
Sub pedibus timor est, securaq; summa malorum.

Sen. Oed.

Solent extrema securos facere mala.

Ouid. 5. Met.

O vtinam a nostro secedere corpore possem:
Nec mihi mors grauis est posituro morte dolores.

Ouid. Epist. 10.

Occurrunt animo pereundi mille figuræ,
Morsq; minus pœnæ quam mora mortis habet.

Sen. Troad.

Si vis Vlysse cogere Andromachen metu:
Vitam minare, iam mori votum est mihi.

Ouid. 1. Trist. 2.

Nec lethum timeo, genus est miserabile lethi:
Demite naufragium, mors mihi munus erit.

Virg. Æneid. lib. 12.

Forsan miseris meliora sequentur.

Lucanus Pharsaliæ lib. 3.

Et tantum miseris irasci numina possunt.

Idem lib. 8.

Longi pœnas fortuna fauoris
Exigit à misero.

Iuuen. satyr. 8.

Curandum in primis, ne magna iniuria fiat,
Fortibus & miseris: tollas licet omne quod vsquam est.
Auri atq; argenti gladium scutumq; relinques.

Et

Et iacula, & galeam spolians arma superfunt.
Quod modo propositum non est sententia verum
Credite, me vobis folium recitare Sibyllæ.

Sententiæ Philosophicæ.

Præstans valetudine, viribus, fortuna, acerrimis integerrimisque sensibus, etiam si libet, velocitatem da, diuitias, honores, imperia, opes, gloriam: si fuerit is qui hæc habeat, iniustus, intemperans, timidus, hebeti ingenio, atque nullo, is erit profecto miserrimus. *Tusc. Cic.*

Ita viuere, vt non sit viuendum, miserrimum est. *Cicero Caio Mario Famil. 7.*

Optime miserias ferunt, qui abscondunt. *Curt. lib. 5.*

Modum verborum misero tenere difficile. *Idem lib 6.*

Parum fidei miseris est. *Sallust. de bello Iug.*

Quis est enim tam compositæ fęlicitatis, vt non aliqua ex parte, cum status sui qualitate rixetur? Anxia enim res est, humanorum conditio bonorum: & quæ vel nunquam tota proueniat, vel nunquam perpetua subsistat. Huic census exuberat, sed est pudori degener sanguis. Hunc nobilitas notum facit, sed angustia rei familiaris inclusus, mallet esse ignotus. Ille vero vtraque circumfluus, cęlibem deflet. Ille nuptijs felix, orbus liberis alieno censum nutrit hæredi. Alius prole lætatus filij filiæve delictis mœstus illachrimat. Idcirco nemo facile cum fortunæ suæ conditione concordat. Inest enim singulis, quod inexpertus ignoret, expertus exhorreat. *Boet. lib. o secundo, de consol. pros. 4.*

Sapiens miser plus miser est, quam rusticus miser: scit enim exaggerare causas dolendi, quas rusticus miser ignorat. *Cap. pri. Boetij de consol.*

Miserum te reputo, quia nunquam fuisti miser, transiuisti vitam, & non inuenisti aduersarium, nimis miser fuisti, miseros reputo qui omnia felicitate torpescunt. *Sen. in quod. ep. 7.*

Calamitosus est animus futuri anxius: ante miseriam miser, qui sollicitus est, vt ea quibus delectatur, ad extremum vsque permaneant: nullo enim tempore conquiescet, & expectatione futuri, præsentia, quibus frui poterat, amittet. *ibid.*

Historica Exempla.

Ἐν τετράδι γεννηθῆναι, id est, *quarta luna nasci* dicuntur, qui parum feliciter nati sunt, vt auctor est Eustathius, in libro Iliados ϑ. propterea quod *Hercules* hac luna natus feratur, cuius omnis vita laborum plena fuit. Pyrrhus apud Lucium Florum dicebat, se sibi videri Herculis sidere natum: quod quo pluribus victorijs Romanos concideret, hoc acriores in ipsum coorirentur. *T. M. in Chiliadibus.*

Phaethontem & Tantalum, quamuis scanderint in cœlum, vt perhibent poetæ: propter dementiam tamen in summas miserias inciderunt. *Plut. de Exilio.*

Fabulæ.

Asinus siluestris.

Siluestris asinus prostratum in sole mansuetum asinum cernens, beatum illum iudicabat animo suo, qui & cute nitida & bene habito corpore esset. Mox videns eundem & onera ferre & ab agitatore fustibus cædi, non ego te, inquit, magis beatum esse duco. intelligo enim cum quanta calamitate tua bona confusa sint.

Fabula docet, commoditates coniunctas cum miseria non esse appetendas. Et ait in Tragœdia Medea:

Μή μοι γένοιτο λυπρὸς εὐδαίμων βίος,
Μηδ' ὄλβος ὅστις τὴν ἐμὴν κνίζοι φρένα,
Ne sit molesta beata vita mihi quoque,
Neque copia mentem meam quæ mordeant.

Lepores & Ranæ.

Lepores quondam in conuentu de miseria & fortuna infelice vitæ suæ conquesti, quod & a bestijs illa & ab hominibus impugnaretur, nam & canibus & aquilis, & omnibus propemodum feris carniuoris sese direptioni & prædæ esse, tum sibi mortem vltro consciscere velle decreuerunt, statuebant enim multo esse satius semel interire, quam sempiterna formidine agitari. Itaque, re probata vniuersi ad proximam paludem cuncti impetu maximo ferebantur, vt in aquis demersi suffocarentur. Ranæ autem, quæ forte in herbis iuxta paludē enatis incubabant, incursione leporum territæ, subito omnes in paludem fugientes se demisere. Tum vnus inter lepores reliquis sapientior: State, inquit, socij: neque in vos ipsos grauius quicquam consulite. Nam nos quoque vt videtis, quædam animantes metuunt, quas scil. esse miseriores nobis oportet.

Fabula ostendit, afflictis aliorum miserias solatio esse.

Vide Tit. Aduersitas, Afflictio, Calamitas, Infelicitas.

MISERICORDIA.

Definitio et Etymolog.

Misericordia, Grecè ἔλεος, ὁ & ἡ ἐλεημοσύνη, misericors dicitur. Est autem misericordia ægritudo animi ob alienarum miseriarum speciem, *secundum Senecam libro de Clementia.*

Sed etymon vocis hanc definitionem impugnat. Sæpius enim cordatis nomi. ib. aliorum miseria cordi est, cui opem ferre hilariter festinant, & iubet Apostolus, *Rom. 12, 8.* vt qui miseretur, & egeno largitur aliquid, in hilaritate faciat. Non significat igitur tristitiam cordis, sed opus benignitatis & clementiæ ex amore ortum cum hilaritate cordis ipsi misero præstitum. Neq. Hebræa vox *Racham*, i. Misereri, amare, diligere. Vnde *Rachum* misericors: & Græca ἔλεος vllam animi ægritudinem sua notatione significat, sed tantum aut amorem & cordis propensionem erga miserum, aut ipsum amoris affectum. Plura vide in Lexico trilingui Lugd. *pag. 486. & 487*

Misericordia est tristitia in alienis malis, *secund. Ioan. Damasc. lib. 2. cap. 24.*

Misericordia est ægritudo ex tristitia alterius iniuria laborantis. Nemo enim parricidæ, aut proditoris supplicio misericordia commouetur, *secund. Cic. l. 4 Tusc. q.*

Misericordia est alienæ miseriæ in nostro corde compassio, qua vtique si possumus, subuenire compellimur *secund B. Aug. 9. de ciuitate Dei & prima par q. 21 art. 3.*

Misericors a cōpatiendo alienæ miseriæ, vocabulum est sortitus, & hinc appellata est misericordia, quia miserum cor facit aliena miseria *secund Isidor. lib. Etymolog.* Veteres etiam misereo pro misereor, & miserco pro misereor dicebant. Ennius: *Misereteman..is, da te ferrum, Quo me animo priuem*

Miseratio, Græce οἰκτιρμὸς ὁ dicitur; & est vsus seu affectus misericordiæ, quæ est virtus, *secund. B. Thom. super Psalm. 24. colum. 3.* Dicitur a miseror, aris, quod ita differt a misereor, eris: quod misereri passiuum affectum habet, est enim corde angi, dum esse ex alicuius misericordia. Miserari vero actiuum est, & est verbis aut lachrimis, aut ope dolorem, quem ex alicuius miseria habemus, ostendere. A misereo: fit misericordia, quæ est ægritudo cordis, ex miseria alicuius iniuste laborantis suscepta: nā dolor ex parricidæ, aut proditoris, aut alterius sceleris supplicio susceptus, molestia quædā animi, non misericordia est. A miseror fit miseratio, quæ significatio est misericordiæ, qua ex alicuius infœlicitate mouetur. Item a miserendo fit misericors, qui ex alicuius calamitate dolorem animo suscipit. A miserando miserator, qui opus aliquod misericordiæ exhibet, cuius miseretur. Item misereor genitiuo vel datiuo iungitur. Ouidius. *O virgo mi ereremei.* Misereor accusatiuo. Virgil. *Aut miseratus amantem est.* Hæc omnia à miser veniunt.

Loci Biblici.

Misericordia, pro officijs humanitatis, *Matth. 9. 13. & 12. 7.* per synecdochen: pro gratia, *Iudæ ver. 2.* misericordia resipiscentibus promissa, *Deut. 30. ver 2. 3. Esaia 55. 7. Ierem. 12. ver. 16. & 36. 3. Ezech. 16. ver. 63. & 18. ver. 30.* misericordia misericordibus promittitur, *Matth. 5. v. 7.* misericordia commendatur, *Prouerb. 11. versic. 17. Mich. 6. versic 8. Zach. 7. versic. 9. Luc. 6. ver. 35. Ephes. 4. ver. 32. Iac. 3. ver. 13. 1. Petr 3. ver. 8.* misericordia sacrificijs anteferenda, *Osea 6. 6. Matth 9. 13 & 12. 7.*

Misericordiæ bona, *Prouerb. 21. versi. 21.* misericordiæ opera proximo exhibenda, *1. Sam. 15. versic. 6. 2. Paralip. 28 ver. 9. 15. Psal. 112. v. 5. 9. Prouerb. 11. versi. 17. & 14. 21. & c. 15. 27. & 24. ver. 21. 31. & 19. v. 7. & 25. 21 Eccl. 4. v. 2. 39. & 35. 18. Esa. 59. 2 Osee 6. 11. Mic. 6. 8 Zach. 7. ver. 9. Matth. 5. ver 7 & 9. ver. 13. & 10. Ver. 14. & 10. 33. & 25. 41. Marc. 9. 40. Luc. 6. v. 35 & 10. ver. 33. Rom. 12. 13. Gal. 1, 0. 12. Coloss. 3. 12. 5. Tim. 5. 10.* Misericordiæ viscera, id est tenerrimi affectus & summa misericordia, induenda, *Colossen. 3. versicul. 12.*

Miserationis multæ Deus, *Exod. 34. 6. Psalm. 86. 103. 111. 112. 145.*

Miseretur Deus cuius volt, *Exod. 33. ver. 19. Rom 9. ver. 15.* miseretur Deus propter promissiones suas, *2. Reg. 13. ver 23.* vt misereatur noster Deus orandum, *Num 6. vers. 2.* misereatur tui Deus, benedictionis formula, *Genes 43. 29.*

Miseratio, benignitas, nempe Dei, *Exod. 34. 6. Nehem. 9. 17. & 13. ver. 14. 22 Esa. 63. 7. Ioan. 4. 2.* Miseratio beneficium quod Deus benign. confert homini, *Genes. 32, 10.* Miserationes Dei. *1. Para. p. 21. 13. Nehem 9. 27. 31. Psal. 25. 6 & 40. 12 & 51. 3. & 69. 17 & 103. 4. & 119. 77. & 145. 9. Esa 54. 7. & 63. 15. Ierem. 16. 5. Thren. 3 22. Daniel. 9. 18. Ose 2. 19.*

Miseratio, misericordia hominis erga hominem, *Iob. 31. 18 Zach. 7. 9. Philip. 2, 1. Heb. 10. 28.*

Mise-

Miserabilis homo, *Iudic.* 5.27. *Eccl.* 5.15. 1. *Cor.* 15.19. *Apoc.* 3.17.

Miseretur Deus, i. propitius est hominibus, *Gen.* 39.21. *Deut.* 8.16. 2. *Sam.* 24.16. 2. *Reg.* 13.23. *Psal.* 30.11. & 60.3. & 103.13. *Esa.* 54.8. & 60.10. *Amos* 7. v. 3.6. *Ion.* 3.10. *Rom.* 9. v. 15.16.18. & 11.32. *Philip.* 2.27. Miseretur Christus Deus homo, inter homines versans, *Matt.* 9.36. & 14.14. & 20.30. *Marc.* 1.41. & 5.19. & 5.34. Miseretur homo hominis, *Exod.* 2.6. *Ruth* 2.19. *Psalm.* 37. v. 21.25. & 103.13. & 112.5. *Prou.* 14. v. 21.31. & 19.17. *Matth.* 18.33. *Rom.* 12.8. *Iud.* v. 22.

Misericordia Dei erga homines, *Exod.* 20.6. & 34.7. *Deut.* 7. v. 9.12. 2. *Sam.* 7.15. & 24.14. 2. *Par.* 1.8. *Nehem.* 9. v. 19.28.32. *Psal.* 5.8. & 6.5. & 25. v. 6.7.10. & 51.3. & 86. v. 5.13.15. & 89. v. 2.3.25.29.34.50. & 103. v. 4.6.11.17. Denique liber Psalmorum totus est in amplificanda Dei erga homines misericordia, *Esa.* 54. v. 8.10. & 63.7. *Ier.* 33.11. *Thren.* 3. v. 22.32. *Ose.* 2. v. 19.23. *Ioel.* 2. v. 13. *Abac.* 3.2. *Zach.* 1.16. *Luc.* 1. v. 50.54.58.70.78. *Rom.* 9. v. 23. & 11.30. & 12.1. 2. *Cor.* 1.3. & 4.1. *Galat.* 6.16. *Ephes.* 2.4. 1. *Tim.* 1. v. 13.16. *Tit.* 3.5. *Iacob.* 2.13. 1. *Pet.* 1.3. & 2.10.

Misericordia Christi mediatoris, cum hominibus in terra versantis, *Luc.* 7.13. & 10.33.

Misericordia, benignitas hominis erga proximos, *Gen.* 20.13. & 21.23. & 40.14. & 47.29. *Ios.* 2.12. *Iudic.* 1.24. 1. *Sam.* 15.6. 2. *Sam.* 2.5.6. & 9. v. 1.3.7. *Psal.* 109.16. *Prou.* 22.9. *Ose.* 6.7. *Matth.* 9.13. & 23.23. *Iac.* 3.17.

Misericors Deus, *Exod.* 22.27. & 34.6. *Nehem.* 9.17. *Psal.* 78.38. & 86.25. & 103.8. Vide Miserator Deus, *Ioel.* 2.13. *Ion.* 4.2. *Luc.* 6.36. *Iac.* 5.11. Misericors Christus, *Heb.* 2.17. Misericors homo. *Prou.* 11.17. & 13.13. *Matth.* 5.7. *Luc.* 6.36. *Eph.* 4.32. 1. *Pet.* 3.8.

SENTENTIÆ BIBLICÆ.

Misericordia Dei est generalis, nullum excludendo.

Et miserebor, cui voluero, & clemens ero, in quem mihi placuerit. *Exod.* 33.

Dominator Domine Deus, misericors, & clemens, patiens, & multæ miserationis, ac verax; qui custodis misericordiam in millia, qui aufers iniquitatem, & scelera, atque peccata: nullusq; per se innocens est: qui reddis iniquitatem patrum filijs, ac nepotibus, in tertiam, & quartam progeniem. 34.

Ego enim sum Dominus Deus tuus, & faciens misericordiam in multa millia, diligentibus me, & custodientibus præcepta mea, *Deut.* 5.

Scies quia Dominus Deus tuus ipse est Deus fortis, & fidelis, custodiens pactum, & misericordiam diligentibus se, & his, qui custodiunt præcepta eius, in mille generationes. 7.

Misericordia Domini plena est terra. *Psal.* 32.

Et tu Domine Deus miserator, & misericors, patiens, & multæ misericordiæ 85.

Miserator, & misericors Dominus. 144.

Suauis Dominus vniuersis, & miserationes eius super omnia opera eius. *ibid.*

Tu autem Deus noster suauis, & verus es, & patiens, & in misericordia disponens omnia. Etenim si peccauerimus, tui sumus, scientes magnitudinem tuam: & si non peccauerimus, scimus quoniã apud te sumus computati. *Sap.* 15.

Miseratio hominis circa proximum suum, misericordia autem Dei super omnem carnem. *Eccl.* 18.

Et præparabitur in misericordia solium. *Esa.* 16.

Scio enim, quia tu Deus clemens, & misericors es, patiens, & multæ miserationis, & ignoscens super malitia. *Ion.* 4.

Non est voluntas ante Patrem vestrum, qui in cœlis est, vt pereat vnus de pusillis istis. *Matth.* 18.

Deus autem qui diues est in misericordia. *Ephes.* 3.

Salutaris, in veritate consolando.

Fiat misericordia tua Domine super nos, quemadmodum sperauimus in te. *Psal.* 32.

Quoniam secundum altitudinem cœli à terra corroborauit misericordiam suam super timentes se. 102.

Quomodo miseretur pater filiorum. *ibid.*

Quoniam gratia Dei, & misericordia est in sanctos eius, & respectus in electos eius. *Sap.* 5.

Speciosa misericordia Dei in tempore tribulationis: quasi nubes pluuiæ in tempore siccitatis. *Eccl.* 35.

Miserationum Domini recordabor. *Esa.* 63.

Reuertentes suscipiendo.

Pius enim, & clemens est Dominus Deus vester, & non auertet faciem suam à vobis, si reuersi fueritis ad eum. 2. *Paral. c.* 30.

Dominus bonus propitiabitur cunctis, qui in toto corde requirunt Dominum Deum patrum suorum. *ibid.*

Si pœnitentiam nõ egerimus, incidemus in manus Domini. Quanta enim maiestas ipsius est, tanta est & eiusdẽ misericordia. *Eccl.* 2.

Quam magna misericordia Domini, & propitiatio illius conuertentibus ad se. 17.

Ad punctum in modico dereliqui te: & in miserationibus magnis congregabo te. In momento indignationis abscondi faciem meam parumper à te, & in misericordia sempiterna misertus sum tui: dixit redemptor tuus Dominus. *Esa.* 54.

Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti. *Thren.* 3.

Vnde debuit per omnia fratribus similari vt misericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum, vt repropitiaret delicta populi. In eo enim, in quo passus est ipse & tentatus, potens est & eis qui tentantur auxiliari. *Heb.* 2.

Non enim habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia similitudine absque peccato. Audeamus, ergo &c. *Vide in tit.* Gratia 4.

Misericordia ad proximum Deo placet.

Qui tollit ab amico suo misericordiam, timorem Domini dereliquit. *Iob* 6.

Diligit misericordiam & iudicium. *Psal.* 32.

Beatus, qui intelligit super egenum & pauperem. 40.

Quia misericordiam & veritatem diligit Dominus Deus. 38.

Misericordia & veritas te non deserant. Circunda ea gutturi tuo, & describe in tabulis cordis tui, & inuenies gratiam & disciplinam bonam coram Deo & hominibus. *Prouerb.* 3.

Qui credit in Domino, misericordiam diligit. 14.

Facere misericordiam & iudicium, gratius est Domino, quam victima. 31. & *Matth.* 9.

Qui facit misericordiam, fœneratur proximo suo. *Eccl.* 28.

Qui facit misericordiam, offert sacrificium. 35.

Misericordiam & iudicium custodi, & spera in Deo tuo semper. *Osea* 1.2.

Indicabo tibi ò homo: quid bonum, & quid Dominus requirat a te Vtique facere iudicium, & diligere misericordiam, & solicitum ambulare cum Deo tuo. *Mich.* 6.

Misericordiam volo, & non sacrificium. *Matth.* 9.

Iudicium sine misericordia illi, qui non facit misericordiam. *Iacob.* 2.

Bonum auget gratia.

Benefacit animæ suæ vir misericors. *Prouerb.* 11.

Misericordia & veritas custodiunt regem, & roboratur clementia thronus eius. 24.

Qui sequitur iustitiam & misericordiam, inueniet vitam, iustitiam & gloriam. 21.

Omnis misericordia faciet locum vnicuique secundum meritum operum suorum. *Eccl.* 16.

Gratia sicut paradisus in benedictionibus, & misericordia in seculo permanet. 40.

Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. *Matth.* 5.

Pietas autem ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ. 1. *Tim.* 4.

Corporalis substantia.

Clementia præparat vitam. *Prouerb.* 11.

Misericordia & veritas præparant bona, 14.

Fratres in adiutorium in tempore tribulationis, & super eos misericordia liberabit. *Eccl.* 40.

Sed & illi viri misericordiæ. 44.

Misericordia esse debet ordinata ergo proprium subiectum.

Miserere animæ tuæ placens Deo, & contine, & congrega cor tuũ in sanctitatem. *Eccl.* 30.

Quæ autem de sursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, tractabilis, bonis consentiens, plena misericordiæ & fructibus bonis, iudicans sine simulatione. *Iacob* 3.

Erga proximum.

Iucundus homo, qui miseretur, & commodat. *Psal.* 111.

Homo indigens misericors. *Prouerb.* 19.

Erue eos, qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum liberare non cesses. Si dixeris, vires non suppetunt, qui inspector est cordis, intelligit, & seruatorem animæ tuæ nihil fallit. 14.

Qui misericordiam habet, docet, & erudit, quasi pastor gregem suum. *Eccl.* 18.

Ne auertas faciem tuam a proximo tuo, & ab auferendo partem, & non restituendo. 41.

Misericordiam, & miserationes facite. vnusquisque cum fratre suo. *Zach* 7.

Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est. *Luc.* 6.

Estote inuicem benigni, misericordes, donantes inuicem, sicut & Deus in Christo donauit vobis. *Ephes.* 4.

PATRUM SENTENTIAE.

Misericordia est animi condolentis affectus, cum additamento beneficij, vt compatiamur, proximo, & largiamur de proprio. *Aug. de defin.*

Nihil ad misericordiam sic inclinat, atque proprij periculi cogitatio. *ad Gal.*

Vide quid tibi debeatur, & quid dederit, qui gratis dedit. Data est venia peccatori, datus est spiritus & spes iustificationis: data est charitas

ritas & dilectio, in qua omnia bona facias: super hæc dabit & vitam æternam & societatē Angelorum. Totum de misericordia. Merita tua nusquā iactes, quia & ipsa tua merita Dei dona sunt. *Idem in Psal. 244.*

Non est quo fugias a Deo irato, nisi ad Deum placatum. *sup. Psal. 74.*

Beati illi qui subueniunt miseris: quoniam eis rependitur, vt per misericordiam Domini de miseria liberentur, nam idipsum videtur iustum, vt qui à potentiore adiuuari vult, adiuuet inferiorē, in quo est ipso potentior. *De serm. Dom.*

Melius est, vt nullus sit miser, quā vt tu facias misericordiam. Qui enim vt facias misericordiam, optat esse misericors, crudelem habet misericordiam: quomodo si medicus, vt exerceat artem suā, optat esse multos ægrotos, crudelis est medicina. *sup. Psal.*

Misericordia, est alienæ miseriæ in nostro corde compassio, qua vtique possemus, subuenire compellimur. *lib. 9. de ciuit. Dei.*

Longe melius & humanius & piorum sensibus accommodatius, in Cæsaris laude locutus est Cicero, vbi ait: nulla de virtutibus tuis nec admirabilior nec gratior misericordia est. *ibid.*

Multo misericordius operatur quis circa animas infirmorum, qui bonæ famæ seruorum Dei consulit: quam erga corporum ægrotantium, qui panem esurientibus tribuit. *De opere monach.*

Nec omisso iudicio, sis etiam pauperi in mala causa misericors, cui si parcis, cultello percutis cor, & tanto nequiorem reddis, quanto iustum sibi facere videt. *lib. 1. apoc.*

Plurimum interest, quo animo quisque pareat: sicut enim aliquando est misericordia puniens, ita & crudelitas parcens. *Epistol. 64.*

Omnis summa disciplinæ Christianæ in misericordia & pietate est quam aliquis sequens, si ludibrium carnis patitur, sine dubio vapulabit. *Amb. in 1. ad Tit. 4.*

Misericordia largior, vbi fides promptior. Nihil tam commendat Christianum, quam miseratio charitatis. *De offic.*

Vana vendere opus est, vt quis fide syncera & perspicaci prudentia misericordiæ munus impleat, sane si aliquis in sua declinat emolumenta, crimen est: si vero pauperibus erogat, & captiuum redimit, misericordia est. *ibid.*

Omnes rei approbati, tam Iudæi quam Græci indigent Dei misericordia. *idem 3. c. epist. ad Rom.*

De diuina misericordia amplius sperandum est, quum humana præsidia deficiunt. *Idem in hexa.*

Natura hominum prona est ad clementiam, & in alieno peccato sui quisque miseretur. *In epist.*

Misericors & miserator Dominus, longanimis & multæ miserationis: suauis Dominus omnibus & misericordia eius super opera illius: Tantas audis misericordias, & in tua virtute audes confidere? *Idem adu. Pel. l. 2.*

Misericordia affectio est, quæ nec voluntate coercetur, nec rationi subijcitur: sed ipsas pias mentes ad compassionem dolentium necessario cogit affectu: ita etiam, si peccatum esset misereri, & si multum vellem, non possem non misereri. Est timor plus humilis fructuosus, qui cuilibet quantum libet peccatori facile misericordiam promeretur, talis timor generat, nutrit & seruat humilitatem, mansuetudinem, patientiam, & longanimitatem. *ibid.*

Misericordia a misero corde vocata est, eo quod vnusquisque intuetur quempiam miserum, & ei compatiens de dolore animus tangitur: ipse cor miserum facit, vt eum a miseria liberet cui intendit. *Greg. in mor.*

Est magnum animi turbati solatium, vt homo pulsatus vitijs cum se quasi nudari virtutibus conspicit, ad solam diuinæ misericordiæ spem recurrat. *Idem l. 2. mor.*

Sunt quidam misericordes de ijs, quæ ad ipsos non pertinent: qui scandalizantur, quod non datur omnibus abundanter, sic tamen vt ipsi ne in modico quidem grauētur: qui si misericordes essent, de suo facere deberent misericordiā: si non possent de terrena substantia, & voluntate bona darent eis, qui contra eos fortasse peccare videntur, darent dulce signum, verbum bonum, quod est super datum optimum, vt eorum mentes ad pœnitentiam reuocarent. Denique his omnibus, quos in peccato esse cognoscerent, compassionem impenderent & orationem, alioquin misericordia illorum nulla est, & misericordiam consequentur nullam. *Bern. serm.*

Septem in me video misericordias Domini, quas & vos ipsi facile inueneritis in vobis, prima est, quod a multis peccatis adhuc in sæculo positum custodiuit. Prima quidem non inter omnes, quas mihi impendit, sed prima inter has septem. Quis enim non videat, qđ sicut in multa cecidi, sic & in alio poterā cecidisse peccato, nisi omnipotentis pietas me conseruasset? Fateor & fatebor nisi quia Dominus adiuuit me paulo minus cecidisset in omne peccatum anima mea. Secunda miseratio, quæ non poterit explicari sermone, quam benigna, quam libera, quam gratuita: ego peccabam, & tu dissimulabas, non continebam a sceleribus. & tu abstinebas a verberibus: prolongabam ego multo tempore iniquitatem, & tu Domine pietatem tuam. Tertia, quod visitauit cor meum, & inuitauit, vt amara fierent, quæ male dulcia prius erant. Quarta, quod pœnitentem misericorditer suscepisti, vt in eorum numero inuenirer, de quibus Psal. Beati quorum remissæ sunt iniquitates, &c. Quinta per quam mihi cōtinendi deinceps, & emendatius viuendi præstitisti virtutem, ne recidiuam paterer, & esset nouissimus error peior priore. Postquam in his quinque miserationibus a malo liberaueris, in duabus alijs bona largieris, hæ duæ sunt gratia promouendi, qua videlicet munus bonæ conuersationis indulges: & spes obtinendi, qua donas homini indigno, & peccatori de tua toties experta bonitate vsque ad cælestia speranda præsumere. *Serm. 88.*

Magnæ misericordiæ sunt quatuor filiæ. scilicet Amissio amaritudinis, Subtractio opportunitatis, Virtus resistendi, & Sanitas affectionis. *In serm.*

Peccata aliqua minima sunt, alia magna, alia mediocria: & propterea triplici egeo misericordia, parua, mediocri, & magna. *In pri. med.*

Deus tristatur non de sua iniuria, sed de nostra perditione. Sicut rex benignus audiens criminosas personas, lege quidem compellente, ipse mortis sententiam dictat aduersus eas: tamen misericordia instigante lachrimas fundit super ipsas, & vult eas adiuuare, & non potest, contradicente sibi iustitia: quoniam misericordia tunc est vere misericordia, si sic facta sit, vt iustitia per eam non contemnatur. Si autem contempta iustitia, misericordia [illegible] seruetur, ipsa misericordia non est misericordia, sed fatuitas. Iustitia enim sine misericordia non est iustitia, sed crudelitas: sicut & misericordia sine iustitia, non est misericordia, sed fatuitas. *Chrys. super Matth.*

Misericordia est salutis præsidium, fidei ornamentum, propitiatio peccatorum, hæc est, quæ iustos probat, sanctos roborat, Dei cultores ostentat. *Ibidem.*

Habens intellectum curet omnino, ne taceat: habens rerum affluentiam vigilet, ne a misericordiæ largitate torpescat habens artem qua regitur, magnopere studeat vt vsum & vtilitatem cū proximo partiatur: habens loquendi locum apud diuitem, damnationem pro retento talento timeat, si non quotidie quum valet, apud diuitem pro pauperibus intercedat. *Raba super Matthe. 25.*

Qui esurientem pane verbi reficit, & sitientem potu sapientiæ refrigerat, qui errantem in domum patris reuocat, qui innocētem protegit, qui infirmum fide assumit & confirmat, qui tribulatione oppresso subuenit, compatiendo vel consulendo, veram dilectionem adimplet. *Rab. ibid.*

Misericordia consistit in eleemosynis largiendis, in malis tolerandis, in conuitijs remittendis, & imperitis corrigendis. *Ibidem.*

Misericordiæ virtus tanta est: vt sine illa cæteræ, etsi sint, prodesse non possint. Quamuis enim aliquis fidelis sit, castus, & sobrius, & alijs maioribus ornatus insignibus, si misericors tamen non est, misericordiam non meretur. *Leo Papa in serm. de apar.*

In illo magno summoque iudicio tanti æstimabitur vel largitatis benignitas; vel tenacitatis impietas, vt pro plenitudine omnium virtutum & pro summa omnium commissorum, & per vnū malum illi in ignem mittantur æternum, & per vnum bonum isti introducantur in regnum. *Ibid.*

Benigni quippe principis est, ad clementiæ commodum transilire terminos æquitatum, quando sola est misericordia cui omnes virtutes honorabiliter cedere non recusant. *Cassiodor. in Epistola.*

Egentibus iustum est, nō diuitibus subuenire, fundit potius qui mittit in plenum: nam illud potius reconditur, quod vasis vacuis cōgregatur. *ibid.*

Misericordia subsequitur ad custodiam. sed præcedit ad gratiā conferendam: nam si solum sequeretur, nemo donatam perciperet: si tantum præcederet, nullus posset collata seruare. Grauiores enim sunt insidiæ, quas a tergo diabolus parat: & nisi misericordia subsequatur, facillime fragilitas humana decipitur, tunc enim quando se quis vitium transisse credidit, incautata magis ignoratione decipitur. *super Psal.*

Misericors est cum credat, quia nullis beneficijs prouocatur, vt præstet: miserator est quum res cadentes sua pietate reconstruit. *Cass. in Psal.*

Differunt misericordia & miseratio, sicut fons & riuulus: misericordia enim quasi fons est affectus: miseratio quasi riuulus effectus. *Hugo.*

In regno cæli coram omnibus angelis in conuentu resurgentium, quod Abel passus sit, quod mundum conseruauit Noe, quod Abraham fidem seruauit, quod Moyses legem tulit, quod Petrus crucem Iesu primus ascendit, Deus tacet: & clamat solum quod pauper comedit dicens, esuriui, qui enim misericors est, misericordia dignus est. *Pet. Rauan serm.*

Præcedentis misericordiæ beneficium perdidit, qui putat esurienti semel sufficere quod donauit: ille autē ad Deum in egros mise-

misericordiæ fructus præmittit, à quo pauper numquam tristis abscedit. *Val. in serm.*

Captiuorum etiam redemptio magnum, atque præclarum iustitiæ munus est, quod idem ipse Tullius approbauit. Itaque hæc benignitas, inquit, etiam reip. est vtilis, redimi à seruitute captiuos, locupletari tenuiores. Hanc ego consuetudinem benignitatis, largitioni munerum longe antepono. Hæc est hominum grauium, atque magnorum. Proprium igitur iustorum opus est, alere pauperes, ac redimere captiuos: cum apud iniustos etiam si qui hæc faciant graues, ac magni appellentur. His enim maximæ laudis est benefacere, quos nemo sperauit esse facturos. Nam qui bonũ facit, vel consanguineo, vel proximo, vel amico, haud vllam, vel certè non magnam laudem meretur, qui facere debet: sitque impius, ac detestabilis, nisi fecerit id, quod ab eo, & natura ipsa, & necessitudo exigit: & si facit, non tam gloriæ assequendæ, quam reprehensionis vitandæ gratia facit. Qui autem facit alieno, & ignoto, is vera dignus est laude: quoniam, vt faceret, sola ductus est humanitate. Ibi ergo iustitia est, vbi ad benefaciendum necessitatis vinculum nullum est.

Non minus magnum iustitiæ opus est, pupillos, & viduas destitutos, & auxilio indigentes tueri, atque defendere, quod adeo vniuersis diuina lex illa præscribit: quandoquidem boni quique iudices ad officium suum iudicant pertinere, vt eos humanitate naturali foueant, ac eisdem prodesse nitantur. *Lactant. Firm. l. 6. c. 12.*

Homo misericordiæ diuinæ inexhausto pelago fretus, suauiter omnem ætatem degit. *G. Pachymer. lib. 10.*

SENTENTIAE POETICAE.

Ouid. 13. Met.

Tantum miserere, meccsque
Supplicis exaudi: tibi enim succumbimus vni.

Sen. Troad.

Pedibus admoueo tuis.
Miserere matris & preces placidus pias,
Patiensque recipe, quoque te celsum altius
Superi leuarunt, mitius lapsos preme.

Claud. epig. Serenis factionis apud Hadrianum.

Me precor, heu! mecum, ac mihi grauibusque medere
Vulneribus, vitamque inde famamque reuerte.
Quæ per te cecidit, per te fortuna resurgat.
Sanxit Achilleis remeauit Telephus herbis,
Cuius pertulerat vires, & sensit in vno
Lethalem, placidamque manum: medicina per hostem
Contigit, & populis, quæ fecerat ipse, doloris.

Plaut. Capt.

Nunc obsecro te vnum hoc.
Quoniam nobis Dij immortales animum ostenderunt suum,
Vt qui herum me tibi fuisse, atque esse nunc conseruum velint:
Quod antehac pro iure imperitabam meo, nunc te oro per precem,
Per fortunam incertam, & per mei te erga bonitatem patris,
Perque conseruitium commune, quod hostica euenit manu:
Ne me secus honore honestes, quam ego te cum seruus esses mihi.
Atque qui fueris, & qui nunc sis, meminisse vt memineris.

Claud. 2. Eutrop.

In te iam spes vna mihi, pro fronde Mineruæ
Has tibi protendo laceratas succurre vittas.
Eripe me tandem seruilibus eripe regnis,
Neve adeo cunctas paucorum crimine damnes,
Nec nota tot meritis offensa prioribus obstet.
Iam iam flecte animum: suprema pericula semper
Dant veniam culpæ.

Virg. 1. Aen.

Non ignara mali miseris succurrere disco.

Sen. Troad.

AG. *Cur dextra Regis spiritum eripuit tuo?*
PYR. *Mortem misericors sæpe pro vita dabit.*

Phocylides.

Πλαζόμενόν τε βροτὸν καὶ ἀλήτην μήδ᾽ ὑπαλύξῃς.
Βέλτερον ἐστ᾽ ἐχθροῦ τυχεῖν φίλον εὐμενέοντα.
Errantemque mortalem, & naufragum ne subterfugias.
Bonum est pro inimico adipisci amicum beneuolum.

Ouid. lib. 2. de Ponto eleg. 9.

Regia (crede mihi) res est succurrere lapsis.

Iuuenal. Satyra 8.

Miserere inopum sociorum.

Idem Satyra 15.

Mollissima corda
Humano generi dare se natura fatetur,
Quæ lachrimas dedit, hæc nostri pars optima sensus.

Statius in Thebaide.

Pulchrum est vitam donare petenti.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Nemo misericordiam consequi dignus est, qui nemini miseretur: neque dignus est venia, qui nemini dat veniam. *Ex orat. contra Midiam.*

Quam quisque natura legem erga reliquos omnes habet, eandem vicissim erga ipsum alios habere æquum est. *Ex orat. 1. contra Arist.*

Abiit, iudices, pauperes despicitis, (sufficiens n. satisque graue his est supplicium ipsa paupertas) neque eos, qui labore & industria ex æquo & bono viuere volunt. *Ex orat. 1. cont. Arist.*

Misericordia est vitium misericordiæ, habet enim aliquid trahitque ex ea: imbeciles oculos esse scias, qui ad alienam lippitudinem & ipsi suffunduntur. *Sen. l. 1. de clementia.*

Frustra rogatur qui misereri non potest, gratis tamen pœna est, quem post facti pœnitet. Mali causa est, qui requirit misericordiam. *In Pros.*

Petant etiam innocentes misericordiæ auxilium. *Quil. l. 13.*

Eorum misereri oportet, qui propter fortunam non propter crimen in miserijs sunt. *Cic. Rhet. veter 2.*

Nulla de virtutibus pluribus, admirabilior nec gratior misericordia. Homines enim ad Deos nulla re propius accedunt, quam salutem hominibus dando. Nihil habet fortuna maius, quam vt possit: nec natura melius, quam vt velit seruare. *Cic. in Orat. pro Q. Ligario.*

Omnes homines qui de rebus dubijs consultant, ab odio, amicitia, ita atque misericordia vacuos esse decet: nam animus haud facile verum prouidet, vbi illa officiunt. *Salust. in Catilinaria.*

Nam etsi egregium est, hostem abijcere, non minus tamen laudabile infelicis scire misereri. *Val. Max. lib. 5.*

Tutissimum, nec minima laude dignum videtur, alienis instrui pro tempore calamitatibus, externæque exemplo miseriæ assuescere virtuti, probisque moribus, atque animum vacuũ ira, clementia atque misericordia imprimis comparatum habere: & cuũ aliquid cuiquam mortalium (veluti res humanæ sæpe ferre solent) aduersi acciderit, non iam velut feris belluis esse duros, sed generi suo male affecto miti affectu ignoscere, & afflictus pro humanitate commiserescere mortalib. oportet. Innumeris namque fortunæ casib. & inopinatis euentis, fortunas, corpus vitam denique ipsam omnem quisque obnoxiam trahimus: nil ætatis nobis, nil momenti terrore, periculo, insidijsve vacat. Hinc ciuiles seditiones terrent, illinc latrocinia, & prædationes infestant: aliunde semper aliud incumbit, bella, casus, euenta, incursus: ipsa demũ rerum omnium mutabilitas, incompertis penitus homini cunctis modis momentisque insidiantur: in quibus euitare incumbens assiduè, per occultas vias & incertos exitus, periculum difficillimum est admodum illi qui intra societatem cœtusque hominum degere perrexerit. *Diod. Sicul. hist. lib. 13.*

Dant animum ad loquendum liberè vltimæ miseriæ. *Liu. Decad. 3. lib. 9.*

Qui multum in suorum misericordia ponunt, ignorant quam celeriter lachrimæ inarescant. *Curt lib. 5.*

Misericordia non parum confert ad leuandas communes mortaliũ miserias. *Dionys. Hal. l. 2.*

Sicut optimi qui miserati afflictos, bene sibi sperandum putant, si non insolenter vtantur alieno infortunio. *Appian. l. de bel. Pun.*

Flagitiorum deformitas aufert misericordiam. *Tacit. Annal. l. 11.*

Syracusanis post victorias de Atheniensibus terra marique reportatas, & de captiuorum capitibus consultante Nicol. Syracusanis multa pro concione in medium protulit, vt ciuium suorũ animos flecteret ad misericordiam. Inter alia, hæc, Videte ne quid insoleus & inhumanum per elationem committeretis. Quæ nam, obsecro, pietas, quod seueritatis exemplum, quod specimen maiestatis prudentiæve, aut modestiæ potest, prostratum, atque ad pedes procumbentẽ hostem iugulare? Quæ deinde gloria ipsum eundem nudum vinculis constrictum vlcisci vlterius, & sæuire odijs pergere? Nam qui deiectos a fortuna ferocius, neglecta miseratione insectatur, quive aduersis calamitatibus & miserijs obrutos iram & crudelitatem tenuet, hic sanè suæ conditionis primum oblitus, imbecillitati humanæ vim afferre videtur. Nemo. . vnquam post cœlum conditum in hac vita tanta potestate, tanta sapientia præditus, inueniri potuit, qui fortunæ naturã percipere vel illius volubilitatem sistere valuerit: quæ quidem suopte ingenio calamitatibus & humanarum rerum, vti conspicere licet, exactione exagitationibusque varijs in dies grassata, tranquillitate secundisque euentibus insidiatur: quos ipsamet nunquã rata fide, nunquam tuto, vel sine fraude prosequi videtur. Ac veluti sui ipsius muneris clementiæve summa semper inuidiæ flagrans, ac pœnitentia beneficij a se collocati, mox in diuersum adducta desæuit. nec infelicissima quicquam diu lætum inconcussumque esse finit.

Indignum sane atque atrox nimium videtur, miseros illos, qui ad fidem nostram & humanitatem, veluti ad aram quandam, confugerunt, spe nostræ benignitatis & clementiæ & per crudelitatẽ & sæuitiam fraudari. Nam qui contra nos ira odioque implacabili flagrando perrexere, in pugna ea si viribus vestris, omnes interierunt: isti vero sese dedentes in vestram potestatem, gladijs simul cum ira depositis supplices pro hostibus vestræ clementiæ facti sunt. Qui autem impia pugna hosti arma corpusque dedunt,

dunt eos viribus diffisos eam vltimam salutis spem tentare constat: quod si sua spe delusi, contra rapiantur ad supplicia, calamitatem quidem cogentur illi insperatam subire: verum qui id coegerint, auerso sane immanique ingenio existimabuntur. *Diod. Sicul. l. 13.*

Soli misericordiæ omnes virtutes cedere honorabiliter non recusant. *Cassiod. l. 2. epist. 9.*

APOPHTHEGMATA.

Phocion, nec ex templo aram nec ex humana natura misericordiam tollendam esse dicebat. *Stob. serm. 1. de virtute.*

Demosthenes. Iustum est, inquit, misereri, non improborum hominũ, sed eorum qui immerito infelices sunt. *Stob. serm. 44.*

Xerxes videos Hellespontum nauibus suis constratum omnia littora atque Abydenorum plana hominibus referta, iactauit se beatum, moxque misericordia ductus fudit lachrimas, Artabano causam huius mutationis quærenti dicens, subijt animum meũ cogitatio quam breuis sit hominum vita, quando ex tam numerosa hominum multitudine post centesimum annum nemo superfuturus est. *Herod. lib. 7.*

Agesilaus audiens, in bello ciuili Græcorum multos hinc inde cecidisse in pugna, & Spartanos esse victores nullo lætitiæ signo dato, sed misericordia ductus ingenti edito gemitu, Heu Græciam: inquit, quæ tot milites bello intestino perdidit, quot ei si incolumes sint ad debellaodos barbaros sint satis. *Plut. in apoph.*

SIMILITVDINES.

Chrysostom. Paulus non dixit misereri simpliciter, sed induite viscera misericordiæ: vt sicut vestimentum semper nobiscum est, sic eleemosyna. *Hom. 35. epist. ad Heb.*

D. Augustini. Sicut est aliquando misericordia puniens: Ita est crudelitas parcens. Quia enim non crudelem verius dixerit eũ qui puero pepercerit, volenti obstinatissime de serpentibus ludere: Quis autem non misericordem, quia talia prohibens contemptorem verborum etiam verberibus emendauerit? *Epist. 54. ad Macedonium.*

Antisthenes. Vt impij iudicandi sunt, qui aram è fano diripiunt: Sic qui misericordiam ex humana natura tollere conantur. *Apud Stob. serm. 1. de prudentia.*

EXEMPLA BIBLICA.

Misericordiæ *exempla*. Dei erga Iosephum, *Gen. 39. v. 21.* Israelitas, *Exod. 15. v. 13.* Erga populum suum, *2. Reg. 13. v. 13.* Filiæ Pharaonis erga Moseo, *Exod. 2. v. 6.* Rahab erga exploratores, *Ios. 2. 12.* Cinæi erga Israelitas. *1. Sam. 15. v. 6.* Gabaonitarum erga Saulẽ, *2. Reg. 8. 5.* Dauidis erga Miphiboseth, *2. Sam. 9. v. 7.* Christi erga languidos, *Matth. 9. v. 36. & 14. v. 14. & 15. v. 32. & 20. v. 34. Marc. 1. v. 41.* Samaritani erga saucium, *Luc. 10. v. 33.*

PROPHANA EXEMPLA.

Guilielmus III. Rex Siciliæ & Neapolis Panormi coniectus fuerat in vincula ob tyrannidem, substituto Rogerio F. quem cum ad vindicandam patri factam iniuriam populus propensum videret, in palatio obsidere cœpit. Is dum per fenestram prospicit, in caput vulneratus, perijt: populus misericordia infelicis patris, qui quem nuper regem creatum, nunc mortuum audiret, motus, eductum è carcere in integrum restituit. *Collenucius l. 3. Hist. Neapol.*

Duo consulares exercitus Romanorum à Samnitibus ad Caudinas furcas circumuenti, & sub iugum missi fuerant. Hi ante noctem, quamuis potuissent, Capuam ingredi cum nollent, *Campani* fasces, purpuram, lictores consulibus: vestimenta & commeatum alijs ex commiseratione dedere, post Capuam ingredientibus, Senatus & populus obuiam sese effudit, multaq; hortando monendoq; consolati sunt dolentes. *Sabellic. l. 5. Enn. 4.*

HIEROGLYPHICA.

Aegyptij sacerdotes *miserationem per vulturem femora sua rostro proscindentem* exprimebant: illa enim centum & 10. diebus, quibus in filiorum educatione detinetur, numquam ad prædam longius prouolat, vni illi curæ intenta, ne pullos deserat. *Pier. Valer. lib. 17. pag. 169. E.*

Genu misericordiæ sedem esse, antiqua omnis superstitio confitetur: vt memoriæ auris, irrisionis nasus habetur. *Idem lib. 35. pag. 339. E.*

Cedrus, siue citrus, arbor fructus gignens odore, ac sapore præstantissimos, *misericordiæ pietatisque* symbolum est, propter magnas vtilissimasque mortalium generi vires. *Erud. quidam lib. 1 hierogl. pag. 588. E.*

FABVLA.

Panthera.

In fossam delapsa panthera, accurrentibus rusticis supplicat, ne se innocentem, & quæ nullis ipsorum vnquam damnum dederit, affligant. Hoc alij fieri oportere censent: alij insuper miseranti illi cibum offerunt. Neque defuere tamen, qui fustibus, & saxis male illam multarent: & pro mortua semianimem relinquerent. Noctu panthera cum vires suas recollegisset, saltu è fossa euasit, & in siluas se recepit. Postea in illius loci rusticos hostiliter grassabatur, ac metuentibus iratæ impetum vniuersis: Ego scio & noui, inquit, quibus meus casus dolori fuerit, qui mihi cibos proiecerint: sed neque illi à me ignorantur, à quibus pulsata, & icta vulnerataque sim.

Fabula monet, vt miseris, & in mala præcipitatis, parcere velimus: ne fortuna instaurata, accepta damna, & contumelias vlciscãtur.

Vide Clementia, Commiseratio, Eleemosyna.

MODESTIA.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Modestia, Græcè σωφροσύνη, & σώφρων, modestus dicitur. Est autem modestia in animo continens moderationem cupiditatum, *secund. Cic. l. 3. Rhet. nouor.*

Modestus, Hebr. *Hanau*, vnde *Hani*, miser, pauper. Conuenit verbum *Hanau*, cum verbo *Hanah*, considerauit attente. Nam vir pius miserijs, & ærumnis exercitatus considerat, & cognoscit seipsum. Inde nascitur modestia, quæ in vtraque fortuna modum tenet.

Modestia est, per quam pudor honestatis, claram & stabilem comparat authoritatem, *secund. Cic. Rhet.*

Modestia est scientia eorum, quæ aguntur, aut dicuntur collocandorum, *secund. Cic. lib. 1. Offic.*

Modestia à moderor, quod modo cum accusatiuo, modo cum datiuo iungitur, descendit: hinc etiam moderatio, quæ *secundum B. Thom. 2. 2. q. 157. artic. 3.* prouenit ex quadam dulcedine affectus, qua quis horret omne, quod potest alium contristare. Et ideo dicit Seneca, quod temperantia est quædam lenitas animi: Nam austeritas animi è contrario, videtur esse in eo, qui non veretur alios contristare, Cic. Temperantem Græcè σώφρονα vocant, eamque virtutem σωφροσύνην, quam soleo equidem tum temperantiam, tum moderationem appellare. Nonnumquam etiam modestiam. A moderor fit moderator, hoc est, rector, & gubernator. Moderor autem a modus venit.

DIVISIO.

MODESTIA, *qua moderamur alia, non moderanda per temperantiam, continentiam, clementiam, & mansuetudinem, & sunt quatuor scil.*

- *Interior motus animi, in alia tendentis, quem moderatur Humilitas; Cui opponitur Superbia.*
- *Desiderium pertinentium ad cognitionem, quod moderatur.*
  - *Studiositas cui opponitur Curiositas.*
  - *Bona ordinatio, qua discernitur quid faciendum, dimittendum, & quo ordine, & in hoc firmiter persistere facit. Cuius oppositum Innominatum.*
- *Corporales motus & actiones, vt decenter fiant & modeste tam in his quæ serio, quam quæ ioco aguntur. Quos moderãtur tres virtutes (Secundum Andronicum Peripat.) scil.*
  - *Ornatus, quo in agendis decentia obseruãtur; Cuius oppositum Innominatum.*
  - *Austeritas qua in colloquijs, & quibuscumque alijs adhibetur moderatio; Cuius oppositum Innominatum.*
  - *Eutrapelia secundum Arist. quæ est modestia circa ludos, dicta vel facta iocosa tribus obseruatis, S. Tho. 2. 2. quæst. 168.*
    - *Primo vt sint verba, vel facta non turpia, vel alias nociua.*
    - *Secundo vt non soluatur totaliter grauitas animæ.*
    - *Tertio, vt alia verba, vel facta ludicra congruant personis, locis, temporibus, & alijs circumstantijs.*
- *Humilitas secundum Andronicum, quæ est habitus non superabundans in sumptibus, & præparationibus, vt idem Andronicus dicit, quæ excludit gloriæ intentionem in exteriori cultu.*

Exterior

Exterior apparatus vt in vestibus, & huiusmodi, quam moderatur.

Per se sufficientia quæ faciat vt non quærantur deliciæ in superfluo cultu: & est habitus contentus his, quib. oportet, & determinatiuus eorum, quæ ad viuere conueniunt. Hæc a Macrobio Parcitas dicitur.

Simplicitas secundum eundem Andronicum, qua excluditur superflua sollicitudo: Vnde dicit, quod est habitus contentus his, quæ contingunt. Hæc a Macrobio Moderatio vocatur.

Loci Biblici.

Moderatio in rebus omnibus tenenda, 1. *Corinth.* 7.35 & 14.40. 1. *Timoth.* 5.1. *Iac.* 5.13. Moderationis *Exemplum: Paul.* 1. *Corinth.* 3.12. & 9.22.

Modestia, vt pijs necessaria, commẽdatur, *Rom.* 12. v. 3.16. *Gal.* 5.23. *Philip.* 4.5. *Col.* 3.12. *Tit.* 3.2. 1. *Pet.* 3.8.

Patrum Sententiae.

In omnibus motibus nostris nil fiat, quod cuiusque offendat aspectum, sed quod nostram deceat sanctitatem. *Aug. in reg.*

In te consistit, non infra deijci, non supra attolli, non euadere in longius, non extendi in latius. Tene medium, si non vis perdere modum, locus medius tutus est, medium, sedes modi, & modus virtus. *Bern. l. 3. de consider.*

Melior est gradus lentior per iter rectum, quam velocitas festina per deuium. *Leo Papa in serm. de penitet.*

Risus est vox confusa lætitiæ, insultationem immoderata hilaritate denuncians. *Cass. sup. Psal.*

Lasciuia est indecens motus dissoluti animi, & corporis ex intemperantia carnali prodiens. *Ibid.*

Nouum est sub amore principis custodire modestiam, quæ tam clara, quam rara est: quia gaudia semper animos inquietant: modus enim raro lætis rebus interuenit. *Cass. l. 4. epist.*

Modestia est, cultum & motum & omnem nostram occupationem vltra defectum, & citra excessum sistere, de qua Horatius, *Sermone 1.*

> *Est modus in rebus, sunt certi denique fines,*
> *Quos vltra citraq; nequit consistere rectum.*

Hugo.

Est in ipso motu, gestu, incessu, tenenda verecundia. Habitus enim mentis, in corporis statu cognoscitur: hinc homo cordis nostri absconditus, aut leuior, aut iactantior, aut turbidior, aut contra grauior & constantior, & purior & maturior æstimatur. Itaque vox quædam est animi corporis motus.

Est gressus probabilis, in quo sit species authoritatis, grauitatisque pondus, tranquillitatis vestigium, ita tamen vt studium desit, atque affectio, sed motus ibi sit purus ac simplex.

Sicut molliculum & infractum aut vocis sonum, aut corporis gestum non probo: ita neque agrestem, ac quę rusticam naturã imitemur. Effigies enim forma disciplinæ, forma honestatis est.

Hoc est pulchritudinem viuendi tenere, conuenientia cuique sexui & personæ reddere: hic ordo gestorum optimus, hic ornatus ad omnem actionem commodus.

Morem natura informet. Si quid sane in natura vitij est, industria emendet. *Amb. Offic. l. 1. c. 18.*

Sermones proferamus libra iustitiæ examinatos, vt sit grauitas in sensu, in sermone pondus, atque in verbis modus, temperãtia cordis habeat animi munditiam, iustitia misericordiam, prudentia pacem, fortitudo mansuetudinem. *Lib. 3.*

Nihil turpe faciendum bono viro, etiamsi ex omni parte lateat. *Ibid.*

Sententiae poeticæ.

Horat. 1. Epist. 6.

> *Insani sapiens nomen ferat, æquus iniqui,*
> *Vltra quam satis est, virtutem si petat ipsam.*

Plaut. Pœn.

> *Modus omnibus in rebus semper est optimum habitu.*
> *Nimia omnia nimium exhibeant negotium hominibus ex se.*

Aus. de septem sapient.

> *Ex Mitylenais nimium nil Pittacus oris,*
> *Monstrans optimum ait Cleobulus Lindius in re.*

Sen. Troad.

> *Moderata durant.*

Iuuen. 19.

> *Nec vnquam*
> *Sanguine causidici madeant vestra pugilli.*

Ex Græcis Comicis.

> Ὁ τὸ εὐτυχεῖς μάλιστα μὴ μέγα φρόνει.
> *Minime insolesce quo magis beatus es.*
> Ἴσος μὲν ἴσθι κἂν πλουσιώτερος ἦν.
> *Æquabilem geras te, ditior licet.*
> Τὸ γνῶθι σαυτὸν πανταχοῦ ἐστι χρήσιμον.
> *Cognosce teipsum maximum vbiq; commodum.*
> Βούλου δ' ἀρέσκειν πᾶσι μὴ σαυτῷ μόνον.
> *Placere cunctis, non soli tibi, velis.*
> Ἄνθρωπος ὢν τοῦτο διαμέμνησ' ἀεί.
> *Fac semper vt hominem esse te viuas memor.*
> Θνητὸς πεφυκὼς, θνητὰ καὶ φρόνει.
> *Mortalia modo cogita, vt mortalis es.*

Menander.

> Ταμιεῖον ἀρετῆς ἐστιν ἡ σωφροσύνη μόνη.
> *Promptuarium virtutis est modestia sola.*

Euripides in Medea.

> Στέργοι δέ με σωφροσύνα,
> Δώρημα κάλλιστον θεῶν.
> *Amat autem me modestia,*
> *Donum pulcherrimum Deorum.*

Idem in Hippolyto.

> Φεῦ φεῦ, τὸ σῶφρον ὡς ἁπανταχοῦ καλόν,
> Καὶ δόξαν ἐσθλὴν ἐν βροτοῖς κομίζεται.
> *Heu heu: modestia quomodo vbique pulchrum quid,*
> *Et gloriam bonam inter mortales affert.*

Sententiæ Philosophicæ.

Modestia est publici & honesti habitus cum laudabili profectu verecundia. *Cic. Rhet.*

Modestia est seruata propria virtute, omnibus iuste pieque morib. conuenientium se contemperare. *Ibid.*

Si disputarem nec manum iactarem, nec vocem attollerem, sed ista Oratoribus reliquissem, contentus sensus meos ad te pertulisse, quos nec exornassem, nec abiecissem, non delectent verba nostra, sed prosint. Sit talis sermo, vt res potius quam se ostendat. *Sen. 66. Epist.*

Modestiæ partibus vtimur, si nimias libidines, honoris, pecuniæ similiumque rerum, vituperabimus, si vnamquamque rem certę naturæ termino diffiniemus, si quoad cuiq; satis sit, ostendemus, & si nimium progredi dissuadebimus, & modum vnicuique rei statuemus. *Cic. Rhet. nouor. l. 3.*

Honestum igitur intelligemus, quod tale est, vt detracta omni vtilitate, vllis præmijs fructibusque per seipsum iure laudari, quod quale sit, non tam definitione, qua sum vsus, intelligi potest (quamquam aliquantum potest) quam communi omnium iudicio, & optimi cuiusque studijs atque factis. Qui permulta ob eam causam faciunt, quia decet, quia rectum, quia honestum est, & si nullum consecuturum emolumentum vident. *Cic. de finibus bonor. & malor.*

Vt enim consuetudo loquitur, id solum dicitur honestum, quod est populari fama gloriosum.

Non potest iucunde viui nisi honeste. *Idem l. 2. de finib. bon. & malor.*

Si vero inest in oratione modestia, & grauitas, nihil admirabilius fieri potest, eoque magis, ea si sunt in adolescente. *Idem lib. de Offic.*

Non minus in milite modestia, quam virtus atque animi magnitudo desideranda est. *Iul. Cæs. l. 7.*

Loquentem, non mouere manum Chilo volebat. *Diog. Laert. de vita & moribus Philos.*

Constat enim animi virtutes, præcipueque modestiam sanitati multum conferre corporis, & frequenter qui plus corpori seruiunt, plus obesse. *Franc. Pet. de vita solit. l. 1. c. 3.*

Modestus huiusmodi est, vt minus sua non difficulter patiatur. *Arist. 5. Ethic. c. 8.*

Modestus est circa quæ & æquus: nemo circa iusta, quæ omissa a Legislatore, non satis ad vnguem definita sunt. *Moral. mag. cap. 2.*

Modestia est voluntaria ad id quod optimum iudicatur, concessio, in gestu corporis compositio. Speusippus in Platonis definitio. Modestia difficilia diffidenter aggreditur, & quasi inuita, & compulsa. *Ficin. in Plat. de Repub. dial. 5.*

Modestia est moderatio cupiditatum rationi obediens. *Franc. Pat. de regno. l. 6. c. 19.*

Modestiæ magistri in Republica esse debent: nam nil vtilius populo morato. *Idem de Repub. l. 3. c. 7.*

Quum vident homines eum, cui maxima facultas est insolenter agendi, modeste se gerere, nolunt alij, quibus minor est facultas, quidquam insolentius agere. *Xenoph. de instit. Cyri. l. 8.*

Pudore, modestia, ac iustitia, omnis ciuilis societas conseruatur. *Dionys. Halic. l. 6.*

Modestiæ fama, neque Summis mortalium spernenda est, & à Dijs æstimatur. *Tacit. Annal. l. 15.*

Pudor est modestia rara in hominibus virius, rebus præsertim turbatis ac prope ignota militibus. *Aurel. Victor.*

Continentia & moderatio in altissima quaque fortuna, eminentia bona. *Curt. l. 6.*

Maxi-

Maxima laus est, vt vnius viri, ita etiã totius ciuitatis secundis successibus non corrumpi, sed æquo & moderato animo bona sua ferre. *Dionys. Halic. l. 6.*

Reipubl. principes qui moderatè se gesserunt, patrias suas seruarunt. *Idem, ibid.*

Non vi, sed mansuetudine, humilioris fortunæ homines vincendi sunt, neque id decora, sed necessaria existimanda est moderatio, præsertim vero si animo beneuolo vtamur erga ciues qui nobiscum viuunt. *Idem lib. 7.*

Felicitatis & moderationis diuiduum cõtubernium est. *Valer. Max. lib. 9. cap. 5.*

Modestia sanè decet omnes omnium ordinum homines, in primis vero principes viros, vt intelligant & meminerint in omni actione esse Deum, a quo proficiscuntur & emanant omnia. *Ph. Comineus, lib. 1.*

APOPHTHEGMATA.

Socrates. In nauigando gubernatori, in viuendi ratione melius ratiocinanti parendum esse, dicebat. *Anton. & Maxim. sermone de animi humil.*

Liuia Augusti Cæsaris vxor, interrogata quibus rationibus Augustũ sibi subiecisset, respondit, Multa modestia, quod ea quæ placerẽt Augusto, faceret libenter: quodque se scire dissimularet, quibus ille rebus domi frueretur. *Dion in Tib.*

Pythagoras postquam venisset Phliuntem, & cum Leonte Phliasiorum principe doctè & copiose quædam disseruisset: Leon ingenium & eloquentiam hominis admiratus, quæsiuit ex eo: Qua maxime arte confideret? cui Pythagoras respondit: Se nullam quidem artem scire, sed esse Philosophum, id est, sapientiæ studiosum: huius verecundia sapientis cognomen arrogans, quo se prius vendiderant σοφοι, vertit in titulum modestię. *P. M. lib. 7. apoph.*

Socrates illud omnium maxime celebratur, quod dicebat, Se nihil scire, nisi vnum, quod nihil sciret. Inquirebat enim de singulis, tanquam ambigens, non quod reuera nihil haberet certo cognitum: sed hac ironia & suam declarabat modestiam, & aliorũ redarguebat arrogantiam, qui se profitebantur nihil nescire, cum reuera nihil scirent. Sophistæ quidam publice profitebantur, se extempore responsuros ad omnem propositam materiam: horum arrogantem inscitiam sæpenumero confutabat Socrates, atque hoc ipsum, vt ipse quidem interpretatur, ab Apolline indicatus est sapiens, quod quamuis omnium rerum ignorantiam cum cæteris haberet communem, eo nomine tamen illos superaret, quod suam inscitiam agnosceret, cum illi hoc quoque nescirent, se nihil scire. *P. M. l. 3. apoph.*

Arcesilaus si quando probabat aliquid dicere solitus est, φημὶ ἐγώ. id est, ajo, siue mihi videtur, siue fateor. Si quid displicebat, dicebat, οὐ συγκατάθοιτ᾽ ἂν τούτῳ ὁ δεῖνα. id est, his non assentiretur ille, nominato quopiam: simul & in asseuerando seruans modestiam, & in contradicendo fugiens inuidiam. *Laertius libro quarto, cap. 6.*

Agesilaus cum ex Ægypto in patriam proficisci vellet, in portu Menelai morbo lethali correptus est, verum cum iam mortis hora instaret, suis prohibuit, ne corporis sui imaginem vel statuam in honorem eius erigerent. Si quod, inquit, præclarum facinus gessi, hoc erit monumentum mei, sin minus, ne omnes quidem statuæ illustrabunt mei memoriam. *Plutarchus in Laconicis.*

Idem. Audiens Megarensem adolescentem iuueniliter de sua ciuitate iactantem: Sermones, inquit, tui opus habent magnis viribus. Modeste reprehendit adolescẽtem, qui magnifice quidem loquebatur, viribus autem careret. *Plut. in Lacon.*

Alexander videns diuinos sibi honores tribui, vulneratus in bello ait, Cur me Deum vocatis, qui me videtis sanguinolentum ac vulneratum sentire humanam imbecillitatem? *Plutarch. in apophthegmat.*

Augustus Cæs. Si quando filios suos dimitteret ad peregrinos, modeste eos sic hominibus commendauit, vt benefacerent, si mererentur. *Suet.*

Postquam Agesilaus cũ ingenti strage fregisset Corinthiorum vires, eosque intra mœnia compulisset, multis hortantibus vt vrbem oppugnaret: negauit id suæ virtuti conuenire, qui peccantes ad officium cogeret, non qui nobilissimas Græciæ vrbes subuerteret. Et hoc vt est eximiæ cuiusdam moderationis, ita quod adiecit, admirabilem viri prudentiam arguebat: Si inquit, eos extinguere voluerimus, qui nobiscum aduersus barbaros steterunt, ipsi nos expugnauerimus, vel quiescentibus hostibus, qui subuersis socijs, nullo negocio, quando volent, nos oppriment. *Plutarc. in Lacon.*

Agis, quodam dicente, Philippum effecturum ne Lacedæmonijs pateret iter in Græciam: Nobis, inquit Agis senior, o hospes nostra patria sufficit ad illic viuendum. Pectus ad vtrumque paratum, & ad proferendum imperium si contingat, & ad boni consulendum fortunam licet mediocrem: cum principum vulgus, nec quod obtigit sapienter administrent, nec vllis satientur ditionis accessionibus. *Plut. in Lacon. apoph.*

Agesilaus. Lysandro defuncto: Agesilaus numerosam sodalitatem aggregatam comperit, quam ille ex Asia domum reuersus, statim contra Agesilaum instituerat. Id primum indignè ferens Agesilaus, destinarat omnibus ostendere, cuiusmodi ciuis Lysander, dum viueret, fuisset, ac perfecta oratione quadam quam moriens Lysander post se reliquerat de rebus nouandis, & mutatione rerum in Republic. quoniam arguebat Lysandrum perniciosum fuisse ciuem, ac seditionis auidum, euulgare voluit. Attamen cum ab Ephoro quodam sene, ac rerum perito intellexisset, hoc non bonum fore, ait: Nolumus refodere Lysandrum, ne in mortuos sæuire videamur frustra. *Plutarchus in Laconicis.*

Pelopidas. Cum fortis quidam miles per calumniam apud ipsum deferretur, vt qui ei conuiciatus esset: equidem dixit, facta eius respicio, verba autem non audiui. *Stob. serm. 10. Ant. in Meliss. par. 1. sermon. 53. Max. serm. 10.*

Theopompus. Vxori obiurganti, quod regnum humilius, ac minus esset filijs traditurus, quam accepisset: Hactenus igitur, inquit, majus quo diuturnius. Quæ moderata sunt, in longum tempus durant, & hoc ipso meliora sunt. *Plut. in Lacon.*

Socrates. Quum ei relatum esset, quidam de te male loquitur: Verberet me etiam, inquit, modo absentem. *Maximus sermone 10.*

Idem. Quidam à Socrate salutatus, non resalutauit, sed hoc nequaquam molestè tulit Socrates: amicis autem admirantibus, & ob hominis inciuilitatem indignantibus dixit: Si quis nos præteriret, peius affectus corpore, quam nos sumus, nequaquam illi succenseremus: cur igitur illi succenseam, qui peius affectus est animo, quam nos sumus? *P. M. lib. 3. apoph.*

Idem. Aiunt cum colapho percussum, nil amplius dixisse, quam molestum esse, quod nescirent homines quando cum galea prodire deberent. *Senec. lib. 3. de ira, c. 11.*

Zeno Citticus, cum esset a quodam interrogatus, quomodo affectus esset erga conuitia? Perinde, inquit, atque si legatus absque responso dimittatur. Significans, eos qui non habent, quod respondeant, ad conuicia solere confugere: eaque non pluris oportere fieri, quam si nihil esset responsum plane. *Laertius libro septimo, cap. 1.*

Cleanthes. Sositheus poeta coram populo Cleanthem præsentem hoc carmine proscidit.

Οὓς Κλεάνθους μωρία βοηλατεῖ.

Id est,

Quos Cleanthis fatuitas agitat.

Tanto conuitio tactus, nil quicquã mutauit de vultu. Qua patientia delectati auditores, applaudentes Philosopho Sositheum eiecerunt. Cum Sositheus diceret, se pœnitere, quod illum aspersisset: respondit Cleanthes: Absurdum fore, si cum poetæ frequenter illudant Libero patri, & Herculi, nec illi succenseant, si ipse ob leue conuitium indignaretur. De Dijs enim multa probrosa scripsere poetæ, vt cum Bacchum faciunt mollem, timidum, ac temulentum, Herculem faciunt seruientem Omphalæ, vsque ad sandalia commitigatum caput. *Laert. lib. 7. c. 1.*

Antigonus. Nihil facilius fuit Antigono, quam duos manipulares duci iubere, qui incumbentes regio tabernaculo faciebant, quod homines, & periculosissimè, & libentissime faciunt, de rege suo male existimantes. Audierat omnia Antigonus, vtpote cum inter dicentes, & audientem palla interesset: quam ille leuiter commouit, &, longius (inquit) discedite, ne vos rex audiat. Idem quadam nocte cum quosdam ex militibus suis exaudisset omnia mala imprecantes regi, qui ipsos in illud iter, & inextricabile lutum deduxisset, accessit ad eos qui maximè laborabant, & cum ignorantes à quo adiuuarentur explicuisset: Nunc (inquit) maledicite Antigono, cuius vitio in has miserias incidistis, ei ante bene optate, qui vos ex hac voragine eduxit. Idem tam miti animo hostium suorum maledicta, quam ciuium tulit. Itaque cum in paruo quodam castello Græci obsiderentur, & fiducia loci contemnentes hostem, multa in deformitatem Antigoni iocarentur, & nunc staturam humilem, nunc collisum nasum deriderent: Gaudeo (inquit) & aliquid boni spero, in castris meis Silenum habeo. Cum hos dicaces fame domuisset, captis sic vsus est, vt eos qui militię vtiles erant, in cohortes describeret, cæteros præconi subijceret: id quoque se negauit facturum fuisse, nisi expediret his dominum habere, qui tam malam haberent linguam. *Seneca libro tertio de ira, cap. 22.*

Isocrates. Cum quidam apud eum obtrectatoris sermonem referret, ac diceret, me præsente ille hæc in te maledicta spargebat: Nisi tu, inquit, libenter audisses, numquam conuiciatus esset. *Maxim. serm. 10.*

Xeno-

Xenocrates ingratitudo ost, a Platone insimulatus, nunquam indignatione graue commotus est, sed & illi qui ipsum ad respondendū Platoni instigaret: Hoc, inquit, quod nunc facio, mihi bonum atque commodum est. Et prudentissime homine silentium imposuit. *Ælian. l. 14. de var. hist.*

Demonax. Sophista quidam cum Demonactem accusaret, diceretq. Cur me toties tam acerbe calumniaris? Quia, inquit, Demonax, non contemnis maloloquentes. *Max. ser. 10.*

Moschion. Multorum improborum calumnijs peti, neque indecorū neq; detrimentosum esse dicebat. At ab vno aliquo bono vituperari, & decorum & commodum esse iudicabat. *Max. ser. 10.*

Arcesilaus, cum honestos viros ad cœnam inuitasset, accumbentib. omnibus & cibum iam gustare volentibus, videns abesse panē. Quam, inquit, res est apta conuiuijs apparandis, esse sapientem. Dedit vir prudentissimus philosophicæ moderationis exemplū, qui incandescebat ijs, qui pro officio mensam necessarijs rebus ornare debebant. *Laert. l. 4. c. 6.*

Agesilaus, Eos a quibus odio prosequebatur clandestino, in duces belli eligebat, magistratus factos euehebat, si quid ab eis improbe ageretur patrocinabatur: atque hac arte reddebat eos ex clandestinis hostibus amicos. Quid hac animi moderatione pulchrius fuit? qua mederi maleuolis maluit quam vlcisci. *Plut. in apoph. Lacon.*

Idem. Cum quidam Agesilaum Lacedæmoniorum regem interrogasset, quid apud Spartanos Lycurgi leges profuissent? moderate respondit, Omnium voluptatum docuerunt contemptum. *Plut. in Lacon.*

Philippus. Demochares ad illum Parthesiastes, ob nimiam & procacem linguam appellatus, inter alios Atheniensium legatos venerat. Audita benigne legatione Philippus, dicite mihi, inquit facere quid possum, quod sit Atheniensibus gratum. Excepit Demochares: Te, inquit, suspendere. Indignatio circumstantium ad tam inhumanum responsum exorta est: quos Philippus conticescere iussit, & Thersitem illum saluum incolumemque dimittere. At vos cæteri legati, inquit, nunciate Atheniensibus, multo superbiores esse qui ista dicunt, quam qui impune dicta audiunt. *Senec. l. 3. de ira, c. 23.*

Psammetychus, quum videret Cyri milites per vrbem captam discurrentes, percontatus est Cyrum, quid agerent? Quumq. is respondisset, Diripiunt vrbem tuam, opesque tuas populantur: Nequaquam, inquit, ô Rex, nihil iam hic meum est: tuum est, quod diripiunt. Ea voce commouit Cyrum, vt suos a direptione reuocaret. *P. M. lib. 6. apoph.*

Pompeius de se libere profitebatur, quod omnem magistratum quem gesserat, & citius esset nactus quam ipse expectasset, & citius deposuisset, quam ab alijs expectatum esset. Quod cito suscepisset imperium, vel fortunæ fuit, vel præmaturæ virtutis: quod mature deposuit, animi moderati erat, non ad tyrannidem spectantis, sed ad Reipublicæ commodum. *Plutarchus in Roman. apophthegm.*

Augustus Cæs. Timagenes historicus multa conuicia in eum & eius Domum voce & scriptis effuderat, deinde apud Asinium Pollionem diuerterat, vbi de Cæsare Augusto historias scriptas inignem posuit. In vrbe Roma Cæsar maledicum homuncionem tulit patienter, & duntaxat Pollioni dixit, θηριοτροφεῖς. id est, feram alis. Paranti demum excusationem obstitit, Fruere, inquit, mi Pollio, fruere. Et cum Pollio diceret, si iubes Cæsar, statim illi domo mea interdicam. Hunc me, inquit Augustus, putas facturum, cum vos in gratiam reduxerim? Vides quid potentissimus monarcha fecerit, & quanta animi moderatione sit vsus. *Senec. l. 3. de ira, c. 23.*

F. Vespesianus. Siluius liberalis, quum in defensione diuitis rei obliq; mordens dixisset. Quid ad Cæsarem, si Hipparchus sestertium millies possidet? Notans Vespasianum, velut inhiantem rei facultatibus: Cæsar non modo non offensus est, verum etiam dictum approbauit, quasi simpliciter prolatum. *Sueton.*

Alex. Seuerus. Epigramma quod in laudem Pescennij Nigri fuerat adscriptum illius statuæ ad viuum effictæ, quum præfecti suaderent eradendum, Seuerus noluit, dicens: Si talis fuit, sciant omnes qualem vicerimus: si talis non fuit, putent nos omnes talem vicisse. *Ælius Spartanus.*

Otho Imper. iam moriens, vocauit ad se Cocceium fratris sui filium, quem sic admonuit: O fili, habuisse te patruum Cæsarem nec prorsus obliuiscaris, nec admodum memineris. Docere autem voluit adolescentem, vbique moderandum esse animum: vt si cogitaret se patruum habuisse Imperatorem, virtutem amplecteretur, ne dehonestamento esset antecessoribus: & interim tamen non adeo superbiret, vt alios præ se contemneret. *Sueton.*

Idem. Vbi iam mori destinasset, sensit eos qui ab ipso deficere, & abire cœptabāt, pro desertorib. corripi ac detineri. Itaq; vetuit ne cuiquam fieret iniuria, dicens: Adijciamus vitæ & hanc noctem, & in profundam vesperam vsq; patente cubiculo, si quis adire, vellet, potestatem sui conueniendi fecit. *Suet. in vita Othonis Sabin. Polyanth. ea Nouiss.*

A D A G I A.

Demittere sese ad aliorum mediocritatem.

Vbi quis moderatur, data opera, vires suas ad aliorum mediocritatem: eo pertinet illud Homeri:

Ἤδη μάλ' ἀνδρὶ πτωχῷ ἐναλίγκιος ἠδὲ γέροντι.
Ἀμφιπολοῖ τ' Ὀδυσσεύς, τετελεσμένος ὑπὸ ἔθαλλεν ἰμάθαλλε.

Hæc ita lora regens pedes vt comes iret Vlysses,
Tum comitem quoque turba, modo, rationeq; certa
Insignes feciteq;.

Nosce teipsum. γνῶθι σεαυτόν.

In quo modestiæ, mediocritatisq; commendatio est, ne nobis vel maiora, vel etiam indigna sequamur Iuuenalis.

E cœlo descendit, γνῶθι σεαυτόν. Besiche dich selbst. Greiff in dein eygnen Busen. Karih aufs deiner Handt, vvilu gevvinnen.

In te descendere.

Est sua ipsius vitia quempiam inspicere. Persius:

Vt nemo in sese tentat descendere nemo.
Sed præcedenti spectatur mantica tergo. Ein jeder denck an sich selbst, so dencket er vveiter.

In tuum ipsius sinum inspue. εἰς τὸν σαυτοῦ κόλπον πτύε.

Iubet hominem aliena vitia taxantem, in suum ipsius sinum inspuere. Speye in dein eygnen Busen.

Ter abstergere.

Refert Athenæus lib. 1 priscos depellenda mala solitos ter abstergi.

Τρὶς δ' ἀπομαξαμένοισι θεοὶ διδόασιν ἄμεινον.

Ter vero abster sit, melius bona numina donant.

Secum viuere.

Confine est cum illo: Tecum habita.

Contrahere vela.

Pro eo quod est, reprimere sese, & cautius agere.

Intra tuam pelliculam te contine.

Quo vetamur extolli fortis nostra, maiora conari, quam pro nostra facultate.

Tecum habita. *Persius.*

Tecum habita & noris, quam sit tibi curta supellex.

Domi tua viuito, vt intelligas quam sit tenuis fortuna tua. Streck dich nach deiner Decke.

Efficimus pro nostris opibus mœnia.

Vulgo dicitur hodie, pusilla auicula pusillos nidulos construunt. Kleine Voegel, Kleine Nest. *Item,* Kleine Pferdt, Kleine Tagreyse.

Manu serendum non Thilaco. τῇ χειρὶ δεῖ σπείρειν, ἀλλὰ μὴ ὅλῳ τῷ θυλάκῳ.

Modus in omni re seruandus. Ductum ab agricolis.

Ita fugias, ne præter casam.

Terent. in Phormion. Donatus ad hunc modum enarrat: Ita fugito, ne tuam casam prætermittas, quasi tibi tutissimum receptaculum. Entlauffe doch dir selbst nit. Lauff hin vvo du vvilt, du vvirst allenthalben den Vvirt daheim finden.

Arabicus tibicen. Ἀράβιος αὐλητής *Menander.*

In eos dici solitum, qui à simul cœptis nunquam desistunt.

Ne vitices Musicam. μὴ κακίζειν τὴν μουσικήν. *Plut.*

Id est: ne loquaris discrepantia, ne noua moliaris.

Nihil minus expedit, quam agrum optime colere. *Plin.*

Admonet adagium, modum rerum omnium vtilissimum.

Ne quid nimis. μηδὲν ἄγαν.

Homerus Odyssea. o

Νεμεσσῶμαι δέ κεν ἄλλῳ
Ἀνδρὶ ξεινοδόκῳ ὅς κ' ἔξοχα μὲν φιλέῃσιν,
Ἔξοχα δ' ἐχθαίρῃσιν· ἀμείνω δ' αἴσιμα πάντα.

Mihi nequaquam is placet hospes,
Qui valde præterq; modum simul odit, amatq;.
Sed puto rectius esse, sint mediocria cuncta. Zu viel ist vngesund. *Item,* Zu vvenig vnd zu viel, verhindert alle Spiel.

Dimidium plus toto. πλέον ἥμισυ παντός. *Plato.*

Quo commendatur aurea mediocritas.

Vbi pauperis, impera. πλουτήσας ἐπίταττε.

Conuenit, vbi quis imperiosior est in eos, de quibus nihil est meritus.

Domus recta.

Seneca domum rectam vulgo vocat, non quidem opulentam & ambitiosam, sed cui nihil desit iusta supellectilis. Ich lob ein gut Hausgemach.

Neque Lydorum catteas. μήτε Λυδῶν καρύκας, μήτε μάστιγων ψύθους.

Dici solitum, quoties mediocrem vitæ rationem, aut conditionem significarent, quæ pariter & a summis delicijs, & ab extremis malis abesset.

Neque pessimus, neque primus. οὔτε κάκιστος, οὔτε πρῶτος.

Mediocritatem hoc pacto significare licebit. Lepidius fiet si ad ingenij laudem transferatur.

Funem abrumpere nimium tendendo. ἀπορρήγνυται τεινόμενον τὸ καλῴδιον. *Lucian.*

In eos, qui extrema experiuntur, alienant a se eos, cum quibus agunt, & vniuersa rei iacturam faciunt, dum plus satis attenti sunt ad lucrum. Vvann man die Seyten zu hoch zeucht, zerspringen sie. Zuviel zerreist den Sack.

Ne supra pedem calceus. μὴ ὑπὲρ τὸν πόδα τὸ ὑπόδημα. *Luc.*

Id est: Ne maiora viribus suscipias, aut ne magnificentius te geras, quam pro tua conditione.

Meſſe tenus propria viue. *Perſius.*
Sumptum facito pro modo facultatum tuarum. Ad eandem ſententiam pertinet illud Horatij:

Tuo te metire pede.

Iucundiſſima nauigatio iuxta terram, ambulatio iuxta mare. πλοῦς μὲν ὁ παρὰ γῆν, περίπατος δ' ὁ παρὰ θάλατταν ἥδιστος. *Plut.*
Recte torquebitur ad eam ſententiam, vt dicamus, ita demum eſſe iucundiſſimum vnumquodque ſi diuerſi generis admixtum temperatumque adhibeatur, Veluti ſi in luſibus nonnihil eruditionis aſpergas, rurſum ut ſtudijs aliquid ludicrum admiſceas. Neben dem Schiff iſt gut ſchvvimmē. Neben dem Vveg oder pfadt iſt gut zu fuſs gehen.
Iucunda rerum viciſſitudo. μεταβολὴ πάντων γλυκύ. *Ariſt.*
Id eſt: Iucunda rerum omnium viciſſitudo; Varietas enim tantam in omni re vim habet, vt commendatione nouitatis, interdum & peſſima propter nouitatis placeant.
Iniquum petendum, vt æquum feras. *Quintil.*
Iactatur & vulgo verbum huiuſmodi: Qui annititur, vt auream quadrigā ſibi comparet, vnam certe rotam aſſequitur. Beut das halb, ſo vvirſtu nicht betrogen.
Summum cape, & medium habebis. ἄκρον λαβὼν μέσον ἕξεις.
Admonet ad res ſummas & egregias niti: ſic enim futurum, vt ad mediocritatem perueniamus. Begere an den Tiſch, ſo Kommeſtu auff die Banck.
Paſtillos Ruffinus olet, Gorgonius hircum.
Dicendum vel in duos aliquos, diuerſis laborantes vitijs, vel in eundem ſui diſſimilem, nempe modo loquaciorem quam ſat ſit, modo impendio taciturnum, interdum pueriliter ineptum, interdum Catone ſeueriorem.
Arcus tenſus rumpitur. τόξον μὲν, ὥς φασιν, ἐπιτεινόμενον ῥήγνυται, ψυχὴ δ' ἀνιεμένη.
Arcus, quemadmodum aiunt, quum intenditur, rumpi ſolet, contra animus quum remittitur. Vvo man den Bogen zu viel ſpannet, ſo zerſpringt er.
Oportet agrum imbecilliorem eſſe, quam agricolam.
Hoc ænigma explicuit ſic Virgilius ſpecie non minus prouerbiali:

Laudato ingentia rura:
Exiguum colito.

Conuenit in eos, qui ſuſcipiunt munus, cui gerendo ſunt impares.

EXEMPLA BIBLICA.

Modeſtiæ *exempla* Abraham, *Gen. 23. ver. 9.* Fratres Ieroſolymitani. *Act. 11. v. 18. & 15. v. 12.* Paulus, *26. v. 25. 1. Corint. 7. v. 35. 2. Corin. 11. v. 23. Theſſ. 4. v. 1. Tit. 1. ver. 5. Philemon, ver. 14.*

EMBLEMA.

Emblema. XXVII. Andr. Alciati.

Aſſequitur, Nemeſiſque virum veſtigia ſeruat.
Continet & cubitum duraq; frena manu.
Ne male quid facias, neue improba verba loquaris;
Et iubet in cunctis rebus adeſſe modum.

FABVLÆ.

Monedula.

Captam quidam monedulam alligatam filo deuincto ad pedem illius donat filiolo ſuo cum qua luderet. Illa impatiens humanæ conſuetudinis occaſionem nacta in ſiluas auolat, implicito autē filo arboris ramis, cum iam fame ſibi moriendum intelligeret: Me miſeram, inquit, & ſtolidam auem: quæ hominum ſeruitutem fugiens in mortem & exitium me conieceri̅m.
Fabula indicat, quod homines declinantes mediocria mala in maxima interdum incurrant.

Aſinus & Equus.

Videbatur aſino beatus eſſe equus, qui tam accurate & copioſe paſceretur, cum ſibi ne paleæ quidem poſt maximam defatigationem abunde præberentur. Forte autem bello exorto, cū in prælium ab armato equus ageretur, & circumuentus ab hoſtibus, poſt multiplices labores pugnæ, tandem ſaucius collaberetur: Hæc igitur omnia conſpicatus aſinus, quam paulo ante fortunatum eſſe equum cenſuerat, tam miſerum & infelicem tum eſſe iudicabat.
Docet fabula, non eſſe principatus & opes propter ſplendorē appetendas, ſed in conſideratione inuidiæ & diſcriminum, in quib. principes & opulenti verſantur, boni conſulendam tenuem fortunam, & mediocritatem vitæ. Itaq; & Plato Vlyſſis animam elegiſſe ait vitam hominis priuati, & non negocioſi, neglectis omnibus alijs honoribus, & opulentia, potentiaque præclaris.

MOEROR.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Mœror, qui λύπη appellatur, eſt ægritudo flebilis. *Franc. Patr. de regno lib. 5. cap. 16.* Hebr. Mœror *Anjah*, dicitur, a verbo *Anah*, ſuſpirauit, gemuit cum angore cordis. Et *Hotſeb*, a verbo *Hatſab*, mœrore affecit, contriſtauit.

LOCVS BIBLICVS.

Mœrore conſumitur inobediens, *Deut. 28. 65.*

POETARVM SENTENTIÆ.

Ex Græcis Comicis.

Οὐκ ἔστι λύπης (ἄνερ, εἰ ὀρθῶς τις σκοπῇ)
Ἄλγημα μεῖζον τῶν ἐν ἀνθρώποις φύσει.
Natura nullum grauius homini dat malum
Mœrore, (ſi quis id docte conſideret.)
Πολλῶν φύσει τοῖς πᾶσιν ἀνθρώποις κακῶν
Οὔτοι μέγιστόν ἐστιν ἡ λύπη κακόν.
Obnoxij quum plurimis ſimus malis,
Eſt maius alio quolibet mœror malum.
Λῦπαι γὰρ ἀνθρώποισι τίκτουσι νόσους.
Morbos hominibus inuehere mœror ſolet.
Ἔργον γε λύπην ἐκφυγεῖν· ἡ δ' ἡμέρα
Ἀεί τι καινὸν εἰς τὸ φροντίζειν φέρει.
Difficile mœrorem effugere: dies enim
Subinde curas procreat nobis nouas.
Βίον δ' ἄλυπον θνητὸν ὄντ' οὐ ῥᾴδιον.
Mortalis vllus vix ſit exors triſtium.
Οὐκ ἔστι λύπης χεῖρον ἀνθρώποις κακόν.
Mœrore grauius hominibus nullum malum.
Ἀεὶ τὸ λυποῦν ἐκδίωκε τοῦ βίου.
Semper fugato triſte quicquid eſt procul.
Τοῦτον ὅρον εἴληχεν ἀνθρώπων γένος,
Εὐφραινόμεσθα δ' ἔλαττον ἢ λυπούμεθα.
Hæc conditio hominibus ſua eſt viſa omnibus:
Vt gaudia ſuperentur a mœroribus.

SENTENTIÆ PHILOSOPHICÆ.

Mœror bonus eſt, quum a maioribus mœroribus, quam ſunt qui in ipſo ſunt, liberet, aut quum maiores voluptates quam mœrores inducit. *Plato in Protagora.*
Mœſta vbi ſemel prorupere: difficilius reticentur. *Tacit. Annal. libro 4.*

SIMILITVDINES.

Chryſoſtomi. Quemadmodum mari ſeſe tollente, & fluctibus vndiq; ad ſummum eleuantibus, ſub procella ſcapha inundatur. Sic & anima vndiq; mœrore circundata, velocius demergitur, ni quēpiam dantem habuerit manus: & quę ſalutaris in peccatis mœſtitia eſt, exitialis immoderata fit. *De pœn. ſerm. 10.*
Archytæ Pythagorici. Sicut corpori dolorem ferentia quædam relinquimus: Sic & animis quæ mœrorem & perturbationem pariūt. *In libro de doctrina morali. Meminit & Stobæus in ſermone de virtute, quæ eſt in ordine prima.*

MOLESTIA.

DEFINITIO, ET ETYMOL.

Moleſtia, Græce ἀχθηδὼν, ἀνία, a lationis grauitate efficta, onerosam moleſtiam a voce ἄχθος ſignificat, eſt animi ægritudo permanens. *Franc. Patric. de regno, lib. 5. c. 21.*
Moleſtia Heb. *Dheaba*, a verbo *Daab*, Tabuit: nam ex ægritudine animi tabes corporis naſcitur, & *Deahbah*, a verbo, *Daagh*. Solicitus fuit ſolicite metuit, anxie curauit. *Vide etymon mœroris.*

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Moleſta ſuſtinere difficilius, quam a iucundis abſtinere. *Ariſt. 3. Ethicor. c. 9.*
Moleſtia, aut non ſuaui conuerſatione nemo vti poterit. *8. Ethicor. capit. 5.*
Moleſtiam aſſidue ſuſtinere nemo vult. *Idem ibid. c. 6.*

APOPHTHEGMATA.

Socrates interrogatus quomodo quis ſine moleſtia vitam ageret, negauit id vllo modo fieri poſſe. Non enim licet, dixit, ciuitatem, aut domum inhabitanti, & cum hominibus verſanti, ſine moleſtijs degere. *Stob. ſerm. 97.*
Idem interrogatus quid bonis moleſtum eſſet, reſpondit, Proſperitas impiorum, *Ant. & Max. ſerm. de Dolore.*

SIMILITVDO.

Iſocratis. Vt in morbis, ita etiam in ſucceſſu fortunæ conuerſantium multitudo afficit moleſtia. *Apud Stobæum ſermone 2. de imprudentia.*

ADAGIA.

Ferire frontem.
Qui ſupra modum & impotenter indignantur, frontem ferire dicuntur.
Lippo oculis ſimilis.
Et ad agium hoc & explicationem eius Plautus in Perſa habet Actu 5. his verbis.

Ego

Ego neque libenter seruio, neque satis sum hero ex sententia. Sed quasi lippo oculo *me herus meus manum abstinere haud quit tamen quin mihi imperet, quin me suis negotijs prafulcrat.*

Ne bestiæ quidem ferre possent.

Prouerbialis Hyperbole, qua vtemur significaturi, prorsus molestum ac intolerabilem quempiam esse.

Tota hulcus est. ὅλη ἕλκος.

Conuenies in hominem molestis admodum moribus.

Onus nauis. ἄχθος νηός.

In inertes & inutiles.

Improbitas muscæ.

In improbum & subinde redeuntem, etiam si turpiter repellatur, quadrabit illud Homeri. ex Iliad. ρ

> Καί οἱ μυίης θάρσος ἐνὶ στήθεσσιν ἐνῆκεν,
> Ἥτε καὶ ἐργομένη μάλα περ χροὸς ἀνδρομέοιο
> Ἰσχανάᾳ δακέειν.
>
> *Atque illi muscæ vim intra præcordia misit,*
> *Quæ quamuis depulsa viri sit sæpe repulsa,*
> *Assultat morsura tamen.*

Quos non tollerent cētum Aegyptij. οὓς οὐκ ἂν ἄροιεν οὐδ' ἑκατὸν Αἰγύπτιοι.

De molestijs dici solitum, ac moribus intolerandis: seu fastu prœturgidis.

Aegyptius laterifer. Αἰγύπτιος πλινθοφόρος.

Quadrare videtur in sordidum atque infima sortis hominem, aut cum quis molestis abiectisque laboribus premitur. Suidas.

In culmo arare. ἐν τῇ καλάμῃ ἀροῦν.

Dicuntur, qui labore nunquam intermisso, vim mentis exhauriant: Aut qui nunquam desinunt ab amicis petere, quod dent. Suid.

Qui conturbat omnia.

In eum, qui maximas vndique ciet turbas, apte torquebitur illud Homeri.

> Πάσας δ' ὀροθύνει ἀέλλας
> Παντοίων ἀνέμων.
>
> *Omnes omnigenum ille procellas*
> *Ventorum ciet.*

Anno senior fio.

Quoties aliquid nobis magnopere molestum significamus, sine scere nos, etiam vulgo dicimus. Homerus indicat, tædia molestiaq; conciliari senium.

> Αἶψα γὰρ ἐν κακότητι βροτοὶ καταγηράσκουσι.

Illico mortales inter mala multa senescunt. Du machst mich gravv.

Vti fici oculis incumbunt. ὥσπερ τὰ σῦκ' ἐπὶ τοῖς ὀφθαλμοῖς ἔχω.

De ijs dicebatur qui pertinaciter vrgerent, premerentque negocium aliquod. Suidas.

> Ἄγχει καὶ φέρει.

Pro eo, quod est hostili more populantur aut vexant.

Manuum vinculo. χειροπέδαις δέειν.

Sic quispiam appellauit manicas vestium Ponticarum, quod manus offendant atterantque.

Athos celat latera Lemniæ bouis. Ἄθως καλύπτει πλευρὰ Λημνίας βοός.

Vbi quis efficit aut molestus est, aut gloriam cuiuspiam obscurat, aut alioquin obsistit.

Aetna, Athon.

Duos istos montes in molestia tædijque prouerbium abisse Lucilius testatur. Aetna crebris incendijs in Sicilia: Atho vero ob ingentem celsitudinem vmbra vicinis molestus est.

MOLLITIES.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

Mollities, Græce ἀπαλότης, μαλακότης, ἡ, & ἁπαλός, ὁ, mollis: Est autē molle, quod cedit in seipsum secundum superficiem, nō contra circumstando, *secund. Arist. l. 4 Meteor.*

Mollities opponitur Perseuerantiæ. Est.n. mollis, qui recedit à bono, propter tristitias causatas ex defectu electionum, quasi cedēs debili mouenti, *secundum Arist. lib. 7. Ethic.*

Mollities est etiam contra castitatem, quæ alio nomine dicitur immunditia seu voluntaria pollutio.

Molle iunctum cum hoīe, modo laudem significat, modo vituperationem. Laudem, vt molle ingenium, quod facile discit, facileque insculpitur. Vituperationem, vt mollis homo, i. effœminatus, nō seuerus, non fortis, non animi constantis resistentisque fortunæ. Per metaphoram autem, quoniam ea quæ tenera sunt, pro volūtate nostra facile tractamus, & quocunq; libet ducimus, mollem aliquando pro domito ponimus. Virg. *Belgica vel molli melius ferret esseda collo*, vel pro facili, pro maturo, pro oportuno, ac tempestiuo, pro remisso & contemnendo, pro placido. Hinc fiunt mollities, molesco, mollifico, mollefacio, & mulcio, quod est delinio, quasi mollieco, vnde demulceo, & malleus, quasi mollcus, quod ea quæ dura sunt molliuntur ad ignem, vt malleis flagellentur. Cuius diminutiuum malleolus. quod modo paruum malleum, modo nouellum palmitem innatum prioris anni flagello cognominatum ab ipsius mallei similitudine, quia ex ea parte qua deciditur, ex veteri sarmento prodiens, vtrinque malleoli speciē præbet. Hinc etiam mulier quasi mollier dicitur. *Polyanthea Noua.*

SENTENTIÆ PHILOSOPH.

In doloribus qui ad tactum gustatumq; pertinent, qui ita animo affectus sit, vt ab ijs vincatur: quæ etiam pleriq; superant, mollis, & delicatus nominatur: qui vero ea vincit, a quibus pleriq; vincuntur, is constans & patiens. *lib. 7. Ethic. c. 7.*

Qui a ratione deficit ijs in rebus, quib. plerq; & obsistere possunt, & obsistunt: is mollis & delicatus habendus est. *l. 7. Ethic. c. 7. & lib. 2. Mag. Mor. c. 7.*

Deliciæ quædam animi est mollities, vt si quis vestem trahat, ne quā in veste tollenda suscipiat molestiam & dolorem, & qui imitatur ac fingit ægrum. non se miserum esse putat, cum sit misero par ac similis, *ibid.*

Contrarius est & continens impotenti & molli ac delicato constās & patiens. constantia etiam & patientia in resistendo est in vincendo continentia. *ibid.*

Si quis ijs voluptatibus succumbat, quibus pleriq; possunt obsistere, id demq; sit mirum: præsertim si neque natura totius generis, neque morbo impeditus non possit obsistere. *ibid.*

Intemperans videtur si quis est ad ludum propensior, qui tamen mollis dicitur: ludus enim leuamentum est, siquidem requies. *ibidem.*

APOPHTHEGMATA.

Bion cuidam obijcienti, quod adolescentem quendam ad se non pellexisset: Tenellus, inquit, caseus non attrahitur hamo. Significās, pueros delicatos non esse ad philosophiam accommodos, *Laert. lib. 4. c. 7.*

Zeno, cum mollis adolescens lutosam viam lente segniterque transcenderet: Merito, inquit, suspectum habet lutum, non.n. in illo, veluti in speculo licet se intueri. *Laert.*

Plato discipulo nimium effœminato, molli, curandæque cuti deditissimo subridens, quousque, ait, tibi carcerem ædificare perges? *Stob.*

Idem videns adolescentem quempiam sese ornantem molliter: Si ad viros, inquit, frustra: si ad fęminas, iniuste. *Laert. lib. 6.*

Idem. Diogeni Cynico cum à comptiore adolescente ac molli proposita esset quæstio, vt eius nodum solueret: Non tibi prius respondendum esse puto, inquit Diogenes: quam sublatis vestibus ostenderis, vtrum vir sis, an fęmina. Notauit autem ex cultu virili hominis mollitiem. *Laert. lib. 6.*

Idem. Quum adolescentuli circumstantes Diogenē acclamassent, Canis, canis, ac mox territi fugere cępissent, rogatō cur fugerent, dixerunt, ne mordeas nos canis. Bono, inquit Diogenes, animo sitis filioli, canis non edit betas, Tecte illis exprobrans mollitiē. *Laert. lib. 6.*

Idem. Speusippus quum vehiculo ferretur in Academiam, obuium habuit Diogenem: cui cum Salue dixisset: At tu, inquit, nequaquā salue, quia eiusmodi cum sis, non diu viuere cupis. Notauit autem mollitiem hominis, quę plerumque multorum morborum causa est, vt labor & exercitium sanitatis. *Laert.*

Arcesilaus diuitem quendam immodice mollem ac delicatum, capillitio arte composito, oculis volubilibus ac lubricis, quum is alioqui castus, & integer haberetur, ita perstrinxit. Quid refert, inquit, aduersi an auersi cinædi sitis? Sensit autem mentis integritati corporis etiam habitum & cultum oportere congruere. *Laert. lib. 4.*

Anonymus. Sybarita quidam iter faciens per agros, quum videret quosdam fodientes, dixit, spectando illos fodientes rupturā capere. Ad hanc vocem auditam quidam ita respondit: At mihi te audienti latus dolet. Tanta erat Sybaritarum mollities: vt nullū opificium in ciuitatem admitterent, quod cum strepitu exerceretur, quod genus sunt fabrorum ferrariorum & lignariorum. Atque adeo ne gallum quidem gallinaceum in ciuitate fas erat alere, nequid esset quod illis somnum interrumperet. Iocus autem in hoc erat, quod agricola probabilius dixit, sibi ex tam stulta voce dolere latera, quam Sybarita dixerat, se ex fossorum ligone sentire rupturam. Latera dolent loquenti, non audienti: & rupturam patitur grauiter laborans non spectator. *Athenæus, l. 12.*

Cleomenes. Nicagoras Messanus, quum in Aegyptum venales equos optimosque adduxisset. factus obuiam Cleomeni Lacedæmonio, ante sibi cognito, salute data interrogauit: cur in Aegyptum profectus esset? Quum ille equos optimos, belloque idoneos se adduxisse, responderet: subridens Cleomenes, Mallem (inquit) mimos & cinędos adduxisses. Notauit ante eo dicterio

Ptolemæum, qui mollis & effœminatus inter mulieres viuebat. *Plutarch.*

Anonymus. Recitanti quod scripsit Pindarus, Græciæ fulcimentum esse Athenas, Lacon dixit: ruituram Græciam, si tali fultura niteretur. Taxauit Atheniensium mollitiem, quæ poetæ elogio nō responderet: aut certe poetæ vanitatem, qui tali præconio celebrasset indignos. *Plut. in Lacon.*

Demonax. Proconsul Cynicum quēdam, è quo publice erat proscissus ob mollitiem, ad supplicium abripi iussit. Huic deprecator erat Demonax, dicens, homini ignoscendum esse ob sectę vitium. At cum proconsul non denegaret veniam, rogaret tamen quo afficiendus sit supplicio, si in eodem peccato porro deprehenderetur? Demonax, hominem totum inungi, ac forcipe velli oportere, pronunciabat. Notans libertatem castigandi in Cynicen. & mollitiem accusati, vnguentis enim semper delectabatur. *T. M. lib. 8. apoph.*

SIMILITVDINES.

Nazianzen. Qui corpora amant quoniam fluxa sunt, instar vernis diffluunt floribus: quia nec flamma permanet, quum materia est consumpta, sed cum illa accedente euanescit: Ita nec desiderium subsistit, quum marces feruor: modesti vero, & qui secundum Deum viuunt, postquam rei sunt firmioris, ideo etiam stabiliores existunt: ac quantum pulchritudo plus ab eis imaginatione deprehenditur, tanto illos magis sibijpsi, & amatores eorum inuicem colligat. *De laudib. Basilij.*

Max. monachi. Quemadmodum vermiculi facilius in molli ligno nascuntur quam præduro: Sic dolores homines molliores facilius inuadunt quam robustiores. *Serm. 28.*

Thriueri. Parum liberale est, quod quis emasculet corpus aut faciem: Magis infame est, quod vir in gratiam fœminarum effœminet animum, & ad cytharam discat molliter componere gressum. *In apoph. 116.*

MONACHVS.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

MOnachus, Græc. dictio est, ἀσκητὴς, μοναχὸς, ... & solitarium significat, diciturque a μόνος ... solus: & est is, qui viuit sepatus ab hominum conuersatione. Vide Lexicon trilingue Lugdu. pag. 491. & 492.

SENTENTIÆ BIBLICÆ.

Cum voueris votum Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus: & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum, *Deut. 2. & Eccl. 5.*

Semita iustorum declinat mala, custos autem animæ suæ seruat animam suam. *Prou. 16.*

Omnis enim, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet. *1. Cor. 9. 2. Tim. 2.*

Et illi quidem vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam. *ibid.*

Nemo militans Deo implicat se negocijs secularibus, vt ei placeat, cui se probauit. *idem.*

PATRVM SENTENTIÆ.

Nimis dolendum est, si ad tam ruinosam superbiam monachos subigimus, & tam graui contumelia clericos dignos putamus: vt scilicet dicatur, quod malus monachus bonus clericus est: cum aliquanto bonus etiam monachus vix bonum clericum faciat. *Aug. ad Aurelianum.*

O Monache: qui stas corpore, stat anima tua, & non psallis Deo, maledictus homo qui facit opus Dei negligenter. Si psalterium es, si cythara es, quare surdus es, & non glorificas Deum? *Hier. super Psal.*

Si cupis esse quod diceris monachus, id est, solus, quid facis in vrbibus, quæ vtique non sunt solorum babitacula, sed multorum? *ibid.*

Monachus qui non laborat, pro fraudatore & fure est habendus. *Anonym. apud Soc. Eccl. hist. lib. 4. c. 18.*

Quid tibi ea videre necesse est, quorum contemptu monachus esse cœpisti? quem senseris tibi, aut semper, aut crebro de minimis loquentem, excepta eleemosyna, quæ differenter omnibus patet: Institorem potius habeto, quam monachum. Prima virtus monachi est, contemnere hominum iudicia, & semper Apostoli recordari dicentis. Si hominibus placerem, Christi seruus non essem. *S. Hier. in epist. ad Pammach.*

Tu si monachus esse vis, non videri, habeto curam, non rei familiaris, cui renunciando hoc esse cœpisti, sed animæ tuæ. Monachum non loquendo & discurrendo, sed tacendo & sedendo quisque nouerit. monachus non doctoris, sed plangentis habet officium: qui vel se mundū lugeat, & Domini pauidus præstoletur aduentum. Flos quidem & pretiosus lapis inter Ecclesiastica ornamenta, monachorum & virginum chorus est, *S. Hier. ad Rusticum.*

Diebus patrum nostrorum tres istæ virtutes in amore & studio apud monachos erant, Nuditas rerum omnium, Mansuetudo & Continentia: nunc autem Auaritia, Gula & Intemperantia. *Helias abbas.*

Quid facit monachus in cellis fœminarum? quid sibi volunt priuata & sola colloquia, & arbitros fugientes oculi? Sanctus amor impatientiam non habet. *S. Hier. ad Heliodorum.*

Patres nostri continentiam, & paupertatem, ac nuditatem rerum omnium vsque ad mortem seruauerunt, nos autem Ventres nostros & Crumenas nostras dilatauimus. *Abbas apud Io. Moscum, in prato. Spir. c. 130.*

Ægyptiorum monasteria huoc morem tenent, vt nullum absque operę laborem suscipiant, non tam propter victus necessaria, quam propter animæ salutem, ne vagetur perniciosis cogitationibus. *S. Hier. in epist. ad Rustic.*

Magna abusio & maxima cura est vt corpus regulariter inducatur: & contra regulam suis vestibus anima nuda deferatur, cum tanto studio tunica & cuculla corpori procurentur: quatenus cui decrunt, monachus non putetur: cur similiter pietas & humilitas spiritui quæ profecto spiritualia indumenta sunt, non prouidetur? *Bern. in Apolog.*

Habitus noster, quod & dolens dico, qui humilitatis solet esse insigne, a monachis nostri temporis gestatur superbe. Vix iam in nostris prouincijs inuenimus, quo vestiri dignentur. Miles & monachus ex eodem panno partiuntur sibi cucullam & chlamydem. *idem ibid.*

Labor, & latebræ & voluntaria paupertas, hæc sunt monachorum insignia, hæc vitam solent nobilitare monasticam, nostri autem oculi omne sublime vident, nostri pedes omne forum circūeunt nostræ linguæ in omnibus audiuntur consilijs, nostrę manus omne diripiunt patrimonium. *Idem in quadam epist.*

Super fratrum transgressiones, non super patrum traditiones constituitur, qui abbas eligitur, mandatorum custor, & vitiorum vltor. *Bern. de preceptis & dispensati.*

Monachus singularis est, qui ad bona propria est strenuus, ad bona cōmunia piger, qui in lecto vigilat, & in choro dormit. *in epist. idem Bern.*

Legumina, inquis, ventosa sunt, caseus stomachum grauat: lac capiti nocet: potum aquæ non sustinet pectus: caules nutriunt melancholiam: choleram porri accendunt: pisces de stagno aut de lutosa aqua meæ penitus complexioni non congruunt: quale est hoc, vt in omnibus fluuijs, agris, hortis, cellulis reperiri vix possis quod comedas? Puta te quæso monachum esse, nō medicum, nec de complexione iudicandum, sed de professione. Parce obsecro, primum quieti tuæ, parce deinde labori ministrantium, parce grauamini domus, parce conscientiæ, conscientiæ non dico tuæ, sed alterius scilicet, qui prope te sedens & edens, de tua singularitate murmurat, & de tua superstitione scandalizatur. *Idem super Cant. serm. 30.*

Qui monachum profiteris, qui crucifixus es, qui debes lugere, rides. Dic mihi vbi Christus hoc fecit? Audisti hoc alicubi? nunquam, sed contristatum sæpius legisti. *Chrys. sup. ep. ad Heb.*

Summa monachi virtus, humilitas: summum vitium eius superbia est. *Isider. de sum. bon. lib. 1.*

Tunc enim se monachum quisque iudicet, quando se minimum æstimauerit etiam cum maiora virtutum opera gesserit. *ibid.*

Multi monachorum a more parentum non solum terrenis curis, sed etiam forensibus iurgijs inuoluti sunt, & pro suorum temporali salute, suas animas perdiderunt. *ibid.*

Ita inquit Macarius debere monachum ieiunijs operā dare, vt centum annis in corpore commoraturum: ita motus animi refrenare. & iniuriarum obliuisci, tristitiasque respuere, dolores quoque ac detrimenta contemnere, tanquam quotidie moriturum. *Io. Cass. lib. 5.*

Hæc apud Aegyptum est ab antiquis patribus sancita sententia: operantem monachum dæmone vno pulsari: otiosum vero innumeris spiritibus deuastari. *ibid.*

Monachi sibi claustra faciunt, quibus homo exterior teneri possit, sed vtinam claustra facerent, quibus homo interior ordinate renetetur. *Hug. de claust. ani. lib. 1.*

In choro sum corpore, aliquo negocio mente, nunc intus maneo, nunc foris vaco: aliud canto, & aliud cogito: psalmodiæ verba profero, & psalmodiæ sensum non attendo: sed mente vagus, habitu dissolutus, oculis attonitus, huc & illuc prospiciens, quæcūque ibi geruntur, perlustro & perspicio: habitum monachi, non conuersationem habens in magna corona & ampla: cuculla salua mihi omnia existimo. *lib. de anima.*

Ordo claustri & ordo curiæ diuisus est. Ibi sedes in insidijs, cum diuitibus in occultis, vt interficias innocentem: hic audis, non sedi cum consilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo. Ibi insidiaris, vt rapias pauperem: dum attrahis eum, hic dicis: Odiui Ecclesiam malignantium, & cum impijs non sedebo. Ibi dextera tua repleta est muneribus, hic lauas inter innocētes manus. Ibi laudatur peccator in desiderijs animę suę, & iniquus benedicitur

nedicitur. Hic benedicitur Deus. Si vis esse monachus curialis, laudas quod non debes, defendis quod non expedit, operaris quod non licet, loqueris quod non decet. *Hugo de 12 abusionib.*

Si monachus es, quid facis in turba? Si amas silentium, cur declamantibus assidue interesse delectaris? Tu semper ieiuniis & fletibus insistere debes, & tu philosophari quæris? Simplicitas monachi philosophia eius est. Sed docere, inquis, alios volo: non est tuum docere, sed plangere. Si tamen doctor esse desideras, audi quid facies, vilitas habitus tui & simplicitas vultus, innocentia vitæ, & sanctitas conuersationis tuæ docere habent homines. *Hugo de claustro lib. 3.*

Solitaria sane vita, cœlestis doctrinæ schola est, diuinarum artium disciplina. *Pet. Ram.*

SIMILITVDINES.

Chrysostomi. Quemadmodum qui intra portum ad gubernaculi regimen assidet, is non continuo sufficiens artis periculum præbet: at vero quum in medio mari collocatus, nauem fæuiente tempestate eripere potuit, hunc certe nemo est, qui non optimum gubernatorem esse dixerit. Proinde nec monachum ipsi magnopere, ac supra modum admirabimur, quod is apud se viuens neque commoueatur, neque in multa ac magna peccata prolabatur. *lib. 6. de Sacer.*

D. Hieronymi. Quæ viuunt in monasterio, & quarum simul magnus est numerus, nunquam solæ, nunquam sine matre procedant. De agmine columbarum crebro accipiter vnam separat, quã statim inuadat & laceret, cuius carnibus & cruore satietur. Morbidæ oues suum relinquunt gregem: & luporum faucibus deuorãtur. Scio ego sanctas virgines, quæ diebus festis, propter frequentiã populorum pedem domi cohibent: nec tunc egrediuntur, quando maior est adhibenda custodia, & publicum penitus deuitandum. *Ad Demetriadem.*

Gregorii. Quasi prospero flatu nauigabam, cum tranquillam vitam in monasterio educerem: sed procellosis subito motibus tempestas orta est, me rapuit in sua perturbatione, & prosperitatem itineris amisi: quia quiete perdita mentis, naufragium pertuli. Ecce nunc in vndis versor, & tuæ orationis tabulam quæro: vt qui in naui integra diues peruenire non potuerim, saltem post damna ad litus per tabulam reducar. *li. 11. Epistolarum epist. 125.*

Driedonis. Quemadmodum is qui se exonerat, sarcinas graues, vestes, aliaque impedimenta remouens, non ob id dicitur iam ascendisse aut esse in culmine montis, sed in statu præfatæ ascensionis constituit, & ascendendo, de hora in horam appropinquat ipsius montis culmini. Ita & is qui accepta cœlitus voluntate perpetuo continendi, profiteatur vitam monasticam, non ex hoc ipso iam est perfectus in vita Christiana, sed se posuit in statu quidem altiori, quo facilius proficere valeat in dilectione, abiiciens impedimenta seu auocamenta. *In præfat. libri de eccles. scriptor.*

SCRIPTORES.

De Monachis & vita Monastica vide *Augustinum libro de moribus Ecclesiæ. capite 31. Ioann. Chrysostomi libros tres contra vituperatores vitæ Monasticæ. Ioan. Cassian. in libro de institutis Cœnobiorum. Albertum Magnum defensorio Mendicantium. B. Thomam in opusculo 19. quod est contra impugnantes religionem. B. Bonauenturam in Apologia pauperum, & libro de paupertate Christi. Thomam VValdensem lib. 3. & 4. de doctrina fidei, & de Sacramentalibus tit. 9. Albertum Pighium controuersia 14. Alphonsum Virruesium Philippica 20. Conradum Kellim in euersione Epithalamii Lutheran. Ioannem a Dauentria in refutatione confessionis Augustanæ. Ioannem Eccium in Enchiridio. Et ante omnes Robertum Bellarminum Cardinalem lib. 2. Secunda controuersia Tom. 2. Disputatio.* vbi in præfatione plures authores nominantur, qui de hoc argumento scripserunt.

Vide, Clericus, Sacerdos.

MONARCHIA.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Monarchia, Græce *μοναρχία, ας, ἡ.* Est vnius principatus, a *μόνος*, quod est vnus, & *ἀρχὴ* principatus. Hunc principatum appellat Suetonius Arbitrium orbis terrarum. Hac qui potitur Monarchia dicitur.

Monarcha in tribus speciebus gubernationum, quas Philosophi iustas censuerunt, primas tenet.

SENTENTIAE POETICAE.

Homerus 2. Iliad.

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη· εἷς κοίρανος ἔστω
Εἷς βασιλεύς.
Non bonum est multorum dominium, sit dominus vnus,
Vnus & rex.

Polyantheæ Nouissimæ.

Eobanus sic vertit.

Nec multos regnare bonum, rex vnicus esto,
Vnius Imperium. cui Iupiter aurea magnus
Sceptra dedit, iussitque suis dare iura tuendis.

PHILOSOPHICÆ SENTENTIAE.

Ego personam utriusque mihi assumens, quemadmodum iamdiu consueui, vtriusque & ei qui tyrannidem gerit, & qui patitur, consulam. Et in primis cuiuis tyranno consuluerim, vt nomen illud, remque ipsam declinet, ac in regnum, si fieri potest, conuertat. Potest autem fieri, sicuti re ipsa ostendit sapiens, bonusque vir Lycurgus, qui cum videret genus proprium in Argo & Messena ex regno in tyrannidem esse translatum, & vtrosque cum seipsos tum ciuitates suas perdere, metuens ciuitati suæ & generi remedium salubre imperio regio adhibuit senatum, & Ephororum principatum in regni salutem. Itaque per tot iam sæcula durat cum insigni gloria: quandoquidem lex domina effecta est Rex hominum, non autem homines tyranni legum. *Plato in epist. ad familiares Dionis.*

Ostanes hortabatur, rem Persicam in medium constitui. Mihi vero quæ Megabyzus dixit, quatenus ad statum popularem pertinẽt, recte dicta videntur: quatenus ad statum paucorum, non recte. Propositis enim tribus statibus & his omnibus optimis, vt optime imperet populus, optime pauci, optime vnus, inter hæc multum antecellere vnius imperium senno. Nam vnius viri, qui optimus sit, imperio, nihil melius esse constat, qui enim huiusmodi fuerit ingenio, plebem poterit sine omni reprehensione moderari: vt taceam, sic præcipue consilia in aduersarios trahi solere. Porro in statu paucorum, cum plures virtuti incumbant, vehementiora priuatim odia excitari consueuerunt. Cum enim quisque princeps esse optet, & in dicenda sententia vincere, ad ingentia inter se odia euadunt: ex quibus seditiones existunt, è seditionibus cædes: è cædibus ad vnius imperium, deuenitur. Vnde intelligi datur, quanto sit hoc illo præstantius. Iam vero plebe imperante abesse non potest, quin malitia exoriatur: exorta malitia in Republica, inter malos non odia fiunt, sed amicitiæ validæ. Qui enim aduersus Rempub. facinorosi sunt, mutuo se occultant: idque tam diu fit, dum aliquis populo præpositus tales homines cõpescat: is videlicet, quem populus inter cæteros admiretur. Hic cum admiratione est, tunc vere Monarchus ostenditur, declarans in hoc Monarchum esse omnium præstantissimum. Atque, vt in summa omnia colligam: vnde nobis libertas extitit? an & a quo data? a populone, an ab oligarchia, an a monarcho? ego senuo, cum sitis per vnum virum liberati, vos debere talem rem cõplecti, cum dictam ob causam, tum ne patrias leges bene conditas dissoluatis: quod nequaquam satius est. *Herodot. l. 3. Historiarum.*

Nulla vero ars alia de hoc contendit, quasi sit totius humanæ communionis curatio maior mitiorque quam regia. Recte loqueris, post hæc nunquid aduertimus Socrates, quam grauiter circa finẽ delinquimus? Vbi delictum dicis? In hoc inquam, quod etsi artẽ quampiam bipedis gregis nutricem esse putauimus, non tamen illico regiam illam atque eiusdem tanquam absolutam appellare debuimus. Cur non? Primo quidem oportebat, quoque dicebamus, nomen ad curam magis quam ad nutritionem accommodare, postea curã diuidere, nã diuisiones nõ paruas suscipit. Quas? In diuinum pastorem, & humanum curatorem. Scite, Curationẽ item humanam in duo. Quæ? In eam quæ inuitis, & eam quæ volentibus imperat. Quid ergo? In hoc sane peccantes ineptius quã decebat regem tyrannumque in idem conduximus, & cum ipsi inter se & dissimillimi sint, & gubernandi modus longe diuersus Vera refers. *Plato in Politicis.*

Ἐγὼ δέ φημι πρῶτα μὲν δῆμον ξύμπαν ὠνομάσθαι, ὀλιγαρχίαν δὲ μέρος, ἔπειτα φύλακας μὲν ἀρίστους εἶναι χρημάτων τοὺς πλουσίους, βουλεῦσαι δ' ἂν βέλτιστα τοὺς ξυνετούς, κρῖναι δ' ἂν ἀκούσαντας ἄριστα τοὺς πολλούς, καὶ ταῦτα ὁμοίως καὶ κατὰ μέρη καὶ ξύμπαντα ἐν δημοκρατίᾳ ἰσομοιρεῖν. ὀλιγαρχία δὲ τῶν μὲν κινδύνων τοῖς πολλοῖς μεταδίδωσι, τῶν δ' ὠφελίμων οὐ πλεονεκτεῖ μόνον, ἀλλὰ καὶ ξύμπαντ' ἀφελομένη ἔχει.

Ego vero primum respondeo, popularis status nomine, intelligi omnem ciuitatem, paucorum vero partem ciuitatis: deinde custodes quidem pecuniarum optimos esse locupletes: ad consulendũ autem præclarissime eos qui pollent intelligentia: cæteros vero, nempe vulgus, postquam audierit, res optime iudicare: & hæc idẽ siue per partes, siue per vniuersum æqualiter distribui in democratia. At paucorum status, pericula quidem populo impartit, cõmodorum autem non modo plus, verum etiam totum sibi vendicat, erepta ab aliis sua portione. *Thucid. l. 6. in concione Aleib.*

Oligarchiæ & Democratiæ ciuibus in Republ. æqualitatem comparant, & hoc in ipsarum statu egregium est, si alter præ altero in nulla re polleat, quod ex vsu est improbis. Monarchæ vero plurimum tribuunt optimo: deinde secundo, quod post primum est: deinde tertio ac quarto, ac reliquis eadem ratione pro meritis cuique. Atque hæc, etsi non vbique ita se habeant, intentio tamẽ Reipub. talis est. *Isocrates in Nicocle.*

Atqui si hominum inspicienda sunt ingenia & actiones, omnes potius approbabunt tyrannides. Quis vero recte sapiens non

malit in huiusmodi Repub. degere, in quacuiusque virtus elucescit: potius quam agere in media plebe, & qualisnam sit, non cognosci. Quinetiam tanto facitiorem non immerito ipsam esse iudicauerimus, quanto facilius est animum suum vnius viri instituto accommodare quam multis variisque opinionibus placere conari.

Qui magistratus per vices annorum subeunt, prius fiunt iterum priuati quam Reipublicæ negotia cognoscant, eorumque sibi experientiam comparent: Qui vero semper iisdem officiis funguntur, licet ingenio fuerint inferioris, experientia tamen vsuque rerum longe cæteris præferendi sunt: Ad hæc populus multa negligit, dumque alter respicit alterum, illi vero nihil per negligentiam delinquunt, cum per ipsos omnia fieri oportere sciant. Item qui in paucorum aut populari versantur imperio, propter contentiones priuatas reipublicæ damnum inferunt: qui vero in monarchia viuunt, quia non est cui inuideant, omnia quam fieri potest optime agunt. Præterea populus maleuolentia mutua laborat, & optarent singuli, vt & qui ante se rempublicam gesserunt, & qui in præsentia gerunt, pessime ciuitatem gubernassent, vt eo maior in se gloria redundaret: Monarchiæ autem cum per omnē vitam domini sint rerum, perpetuam beneuolentiam retinent. Cæterum hoc maximum est, quod vulgus applicat omnia ad publica tanquam aliena, Monarchæ tanquam propria. Et in rebus Publicis consiliarii adhibentur: illic quidem ciuium audacissimi, hic vero ex omnibus delecti sapientissimi. Et vulgus illos maxime colit, qui in turba oratione valent: Monarchæ autem in rebus agendis, reuera doctos. Non modo autem in vulgaribus, & quotidianis rebus Monarchiæ præcellunt, sed etiam militiæ commoditates omnes potiores habent. Est enim facultas, tum ad apparatum, tum ad vsum illarum, siue latentem, siue manifestum item ad persuadendum nonnullis, alios cogendum: alios precio, alios aliis obsequiis alliciendum, plus Monarchiæ, quam cæteræ respub. possint: & hæc non minus quispiam ex ipsis factis & euentu, quam verbis adductus crediderit. *Isoc. Nic.*

APOPHTHEGMATA

Οὐ τι κάλλιον ἢ μοναρχία.

Nihil melius monarchia.

Darius. nihil melius esse monarchia dixit. *Herodot. lib. 3.*

Democritus. Imperare natura proprium est præstantiori.

Anonymus. Lydus quidam ad Crœsum accedens, ei dixit, Si gemini soles forent, periculum conflagrationis rerum immineret. Ita & regem vnum quidem accipiunt Lydi, & seruatorem esse credunt: duos vero simul tolerare non possent. *Stob. serm. 45.*

Alexander. Darius obtulit has conditiones Alexandro, vt ab ipso acciperet talentorum decem millia, & insuper Asiam secum ex æquo partiretur. Id cum recusaret Alexander: Ego, inquit, Parmenio, accepissem, si Alexander essem: Et ego, inquit Alexander, si Parmenio essem. Dario autem hunc in modum respondit: Neque terram duos soles, neque Asiam duos reges ferre posse. Et hic animi celsitudinem probare possis, nisi dictum impotentiam quandam dominandi saperet. Sic Plutarchus in apophthegmat. regum & Imperatorum, Verum hoc paulo aliter recitat Scrinus *in Commentariis, cuius hæc sunt verba.* Cum Lydis Crœsus imperaret, fratrem in consortium imperij assumpsit: tum quidam ex Lydis accedens, dixit: Omnium in terra bonorum, o rex, maximum est sol: neque quicquam extaret in terra, sole non illustrante. At si gemini soles forent, periculum immineret, ne omnia conflagrantia perirent. Ita & regem vnum quidem accipiunt Lydi, & seruatorem esse credunt: duos vero simul tolerare non possunt, &c. *Stob. serm. 45.*

Socrates. Et qui animo nesciret vti dicebat melius esse vt seruus vitā duceret quam liber. Esse autem hoc animi, tanquam nauis, gubernaculum tradendum alteri cuipiam, qui didicerit gubernandi homines artem, quam ciuilem quoque & iudicialem, & iustitiam, vt est, sæpius appellat. *Stob. ser. eo.*

SIMILITVDINES.

P.M. Vt vnus Deus administrat vniuersa, sed qui sit optimus ac sanctissimus. Ita Monarcha res sit saluberrima, si detur Deo similis. *In similibus.*

Vt plures apparere soles, prodigium est: Ita plures esse Monarchas, aut imperatores *In simil.*

SCRIPTORES.

De monarchia & eius speciebus vide *Volater li. 36. philologia in tit. de politicis.* Quod optimum sit Monarchia. *Stobæus ostendit sermone 45.* porro de Monarchia & cæteris Rerūpublicarū formis videatur *Plato in Dialogo qui Politicus inscribitur, seu de Regno. Et lib. 8 de Repub. Aristoteles in politicis lib. 3. 4. 5. & 6. Ethicorum lib 8. Et lib. 1. Rhetoricorum, Hermogenes in capite de politiis. Plutarchus in septem sapientum conuiuio.* Idem de vnius in Repub. dominatione, Statu populari, & paucorum imperio, *Isocrates in Nicocle, in Areopagitico, in oratione de pace seu sociali. Demosth. contra Androctionem, contra Timocratem, & in Aristocratem. Cicero lib. 3. de legibus. In Sestiana.* de Aristocratica. *In Philippicis* de Monarchia & Tyrannide. *in orationibus ad Cæsarem habitis pro Monarchia. Alcinous cap. 33. Franciscus Patricius lib. 1. Philostratus in disputatione apud Vespasianum instituta de optima Reipublic. forma. Dion. Cassius, Roma. histor. lib. 52. Sigonius lib. 5. de antiquo iure ciuium Roman. Herodot. lib. 3.*

Vide, Magistratus, Princeps, Rex.

MONITIO.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Monitio, *παραίνεσις, ὑπόμνησις, παράκλησις.* Cicero, *libro 3. de* Offic. Habenda ratio & diligentia est, primum vt monitio acerbitate, deinde obiurgatio contumelia careat.

LOCI BIBLICI.

Monitiones in Ecclesia necessariæ, *Colos. 3. 16. 1. Thess. 5. 14. 1. Tim. 5. 7. 2. Tim. 4. 2. Heb. 10. 24.*

SENTENTIAE POETICAE.

Ouid. 2. Pont. 15.

Ergo quod fueras stimulus factura sine vllis,
Plenius auctorem te quoque nacta facit,
Acer, & ad palmæ per se cursurus honores,
Si tamen horteris, fortius ibit equus.

Idem 5. Trist. 15.

Nec te credideris, quia non facis ista, moneri,
Vela damus quamuis remige puppis eat.
Qui monet, vt facias, quod iam facis ille monendo
Laudat, & hortatu comprobat acta suo.

Ouid. 1. Remed.

Impatiens animus, nec adhuc tractabilis arte,
Respuit, atque odio verba monentis habet.

Ouid. 1. Remed.

Quis matrem, nisi mentis inops, in funere nati
Flere vetat? non hoc illa monenda loco est.

Idem 5. Pont. 4.

Vtque Machaoniis Pœantius artibus heres
Lenta medicam vulnere sensit opem,
Sic ego mente iacens, & acerbo saucius ictu,
Admonitu cœpi fortior esse tuo.
Et iam deficiens sic ad tua verba reuixi,
Vt solet infuso vena redire mero.

Muschion.

Celebre istud hominum dictum est,
Quod alium admonere labor sit modicus.
Immanem vero sibi ipsi illatam sustinere,
Omnium esse maximum inter homines onus.

Phil. in Olyn.

Medicos ægrotis, amicos infortunatis consulere oportet.
Non difficile est alicui male affecto
Illum qui bene appetit cibum, dicere, doleas.
Et vigilem increpare ab illo qui nullum certamen subeat.
Ipsum vero pugnare non est facile,
Adeo inter se differunt dictum & factum.

EXEMPLA BIBLICA.

Monitionis *exempla.* Saræ parentes. *Tob. 10. v. 12.* Paulus *Act. 20. v. 28* Petrus, *2. Petr. 1. v. 13. & 3. v. 1.* Iudas Iacobi frater, *Iudæ v. 5.* Monitiones temperandæ, *1. Timoth. 5. v. 1. 2. Iacob. 3. ver. 1.*

Vide supra Admonitio.

MONS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Mons, terræ tumor altissimus, ab eminendo, quasi eminens dictus. Græc. *ὄρος,* ab Hebr. *Har.* cognationem habet cum nomine *Harah,* grauida mulier, cuius vterus montis instar intumescit *ἄορος,* sublimis, eleuatus.

LOCI BIBLICI.

Montes a Deo erecti, *Psal. 104. 8.* Dei contactu fumant, *v. 32. & 144.* Babylon mons pestifer. *Iere. 51. 25.* mons Sinai, *Exod. 10. 18.*

PHILOSOPHOR. SENTENTIÆ.

Montana loca velut spongia supersuspensa multam aquæ multitudinem accipiunt, & ascendentem vaporem infrigidant, & iterum in aquam condensant. *Arist. meteor. 1. c. 1.*

Montium eleuationes ad tantam magnitudinem terræ non sunt sufficientes ipsius sphæricam figuram auferre. *Arist. 2. de cælo text. 112.*

Montes alti sunt in partibus Aquilonaribus, quia quanto sunt frigidiores in superficie, tanto magis recludunt in se vapores calidos diu in terræ ventre congregatos, qui frequenter erumpunt in montes altos. *Alb. Mag. de nat. loc. distinct. cap. 5.*

Montium

Montium nulla vicinitas diuersas dat proprietates locis ex situ & altitudine ipsorum. Humiles non multum alterant ipsorum naturā. Alti si sunt ante locum versus Aquilonem, locus est calidus: quia reflectuntur radii: & vina fortia generantur. Si ad Meridiē, & versus Aquilnoem, locus est frigidus vehementer, tum ex niuibus, tum etiam, quia detectus est locus vento Aquilonari. Si ad Orientem, & habitatio ad Occidentem erit frigida, & humida. Si ex parte occidentis sunt montes, & locus ad Occideotem, locus frigidus, & humidus erit. Locus iuxta montes oiuosos & frigidos, & inter montes enclusus, est omnimode malus. *Alb. Mag. de nat. loc. dist. c. 13.*

MONSTRVM.

DEFINITIO, ET ETYMOL.

MOnstrum Græce, *τέρας, ατος, τὸ & τεράτωδης, τος ὁ, ἡ*, monstruosus dicitur. Hebr. *Mophet, Deut. 13. 2.* à verbo *haphahh*, splenduit, illuxit: vel a *Pathah*, persuasit, quod monstra & portenta homines quibus futura mala portendunt ad meliorem mentē reuocent, vel a nomine *Iephet*. Differunt autem sic, monstrum, prodigium, portentum, osteot.m. Quod *Monstra* proprie sunt, quæ contra naturam fiunt, vt si homo cum bruti capite, pedibusue nascatur. Hæc & promonstra aliquando dicuntur, quasi porro aliquid monstrantia siue monentia. *Portenta* quæ licet naturalia fiūt, raro tamen se ostendunt. & futurum aliquid, cum tēporis interuallo denunciant. *Ostenta* vero, quæ statim futurum aliquid indicant, vt sunt sereno die facta tonitrus, cometæ, mulæ partus, & huiusmodi. *Prodigia*, quæ etsi naturaliter fiunt, ac sæpe eueniunt, semper tamen aliquid præsagiunt mali. Quapropter prodigium, quidam dictum volunt, quasi porro agendum. Tales, sunt bubonis eiulatus, abeunti obuiam mustela, corui cantus, & similia. Hæc tameo sæpe confunduntur ab auctoribus. Et pro eodem significato omnia capiuntur pro eo, quod futurum aliquid ostendunt, dicta sunt.

Monstrum à monstrando quasi mooestrum, quod moneat aliquid futurum. *Prodigium*, quasi prædicium, quod prædicat, vel a porro agendo, Portentum, quod portendat. *Ostentum*, quod ostendat. Vide Peucerum comment. de Diuinationibus, & Martinum Vendieiehium.

PHILOSOPHICÆ SENTENTIAE.

Monstra licet fint ex natura, tamen oon a natura sunt per se, sed propter materiæ defectum. *Alb. Mag. in 2. Phys. tract. 2. c. 4.*

Monstra quæ à natura producuntur, potiua occasionata quam casu talia dici debent. *Alb. Magn. anim. lib. 18.*

Monstra propter quatuor causas fiunt: primo propter materiæ diminutionem: secundo propter materiæ superfluitatem: tertio propter qualitatum improportionabilitatem ad materiam: quarto propter continentis malitiam. *Alb. Mag. in 2. Phys. tract. 2. c. 3.*

Monstra propter diminutionem materiæ tribus fiunt modis: secundum diminutionem membrorum taotum, & non secundom numerum: secundo secundum diminutiooem, & secundum numerum: tertio secundum numerum, & non secundum magnitudinem, *ibid.*

Monstra, quæ fiunt propter diminutionem materiæ secundum quātitatem magnitudinis, vel secundum numerum, vel secuodum diminutionem fiunt, vel ex diminutione materiæ, vel ex debilitate virtutis formatiuæ quæ non potest formare, oisi partem de materia, & reiicit aliam: & sic contra, quæ propter superfluitatē materiæ, *Alb. Mag. in 2 Phys tract. 2. c. 3.*

Monstra magis fiunt in animalibus: quam in plantis: quia animalium semen mollius est, & plura exiguntur ad terminationem eius quam seminis plantæ: & aoimal est difficilis generatiools, & planta facilis. *ibidem.*

Monstra generantur propter corruptionem alicuius principii. *Tho. in posterior.*

Monstra si duo capita habent, vel duo alia membra, vtrum sint vnū animal, vel plura, patet ex hoc, si cor vnum habent, sunt vnum animal, si plura, plura. *ibidem.*

Monstra ex homine & cane oriri non possunt, qoia tempora grauiditatis in homine, & cane plurimum discrepant, & nullum nasci nisi suo tempore potest. *Arist. de gen. anim. 4. c. 4.*

Moostra dicuntur, quod prodeant forma multimembri. *ibid.*

Monstra vnum vel plura esse indicandum est: si principium, vt cor sit vnum, vonm animal: si duo, duo animalia: partes vero supernacoæ agnationes sunt. *ibidem.*

Monstra paruæ quadrupedes pariunt: homo autem & graodes animantes omnes minus, & equi, & asini: quia paruæ, vt canes, sues, capræ, oues longe fœcundiores sunt, quam grandes, & monstra tum fieri solent, cum plura semioa cohærescunt, & confunduntur. Vnde & aues monstra edunt. Oua namque vitello pariunt geminato. Monstrum autem ex geminatis illis consistit, quorum vitelli nulla interiecta membrana distinguuntur. *Arist. Probl. sec. 10. sec. 10.*

Monstra in oui fiunt pro ratione separationis albuminis, & pro quantitate vitelli. *Io. Gra. in 4. de gen. ani. c. 4.*

Monstra vocantur præcantus cytharœdorum, quos inarticulate canunt, vt experiantur chordarum discordantiam, etsi secundum conueoientem melodiæ rationem extensæ sunt. *In 1. post cap. 18.*

Monstra nec sunt naturæ particularis, nec secuodum particularem naturam: sed sunt secundum vniuersalem naturam, quia nihil est in vniuerso præter naturam. *In 2. Phys.*

Moostra sunt peccata naturæ, nec ea facere natura intendit, ideo naturæ finis non est monstra procreare. *Idem ibid.*

Monstra concrescere & generari faciunt quædam loca in cœlo, cū illis luminaria conuenerint, & impediunt in propria, & efficaci materia figuram humanam generari. *Alb. Mag. in 2. de miner. tract. 3. c. 2.*

MORA.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

MOra, expectatio, temporis dilatio, cunctatio: *διατριβή, ὑπερημερία, ἀναβολή.* Hebr. *Hik. bah.* a verbo *hakab*, supplantauit, quod proprium eorum est qui moras nectunt.

SENTENTIAE POETICAE.

Ouid. 11. Metam.

Sed mora damnosa est, nec res dubitare remitqis:
Dum superest aliquid, cunctis coeamus ad arma.

Lucan. 22.

Tolle moras, semper nocuit differre paratis.

Sen. Thyest.

Serum est cauendi tempus in medijs malis.

Silius. 4. Manil. 4.

Pelle moras, breuis est magni fortuna fauoris.
Mora sæpe malorum.
Dat causas.

Ouid. 1. Remed.

Vidi ego quod fuerat primo sanabile vulnus,
Dilatum longa damna tulisse mora.

Ouid. Epist. 18.

Longa mora est nobis omnis, quæ gaudia differt,
Da veniam fassa, non patienter amo.
Nam mora dat vires teneras mora percoquit vuas,
Et validas segetes, quod fuit herba facit.
Quæ præbet latas arbor spatiantibus vmbras,
Quo posita est primum tempore virga fuit.
Tunc poterat manibus summa tellure reuelli,
Nunc stat in immensum viribus aucta suis.

Ibidem.

Verba dat omnis amans, reperitque alimenta morando.

Idem 1. Epist. 19.

Assumpsit vires, auctaque flamma mora est.
Quique fuit nunquam paruus vel tempore longo
Ex spe, quam dederas tu mihi, crescit amor.

Sen. Agam.

Omnisque nimium longa properanti mora est.

Ouid. 4. Met.

Ad opem breuis hora ferenda est.

Sen. Agam.

Proinde quicquid est, da spatium & tempus tibi,
Quod ratio nequit sæpe sanauit mora,

Ouid. 3. Fast.

Differ, habent parua commoda magna mora.

Periculosam in salutis negotio dilationem esse.

Crastina qui differt meliorem in tempora vitam,
Quis rectè hunc dicat consuluisse sibi?
An qui promisit veniam, si crimina plangas
Crastina, promisit tempora certa tibi?
Qui piger est hodie super ad mandata monarchæ,
Ipsius obsequio cras minus aptus erit.
Empori tempus nunc est, si f. uxerit illud,
Postea iam nulli quærere lucra licet.

HIEROGLYPHICVM.

Sunt qui tradant credi solitum, *Formicam* eo nunquam exire quo vespertilio vel semel accesserit: atque ideo *Formicam sub vespertilionis ala positam, & moræ & tarditatis aut impedimenti* significatum habere. *Pier. Val. lib 25 pag. 232. D.*

Vide Cunctatio, Celeritas, Festinatio.

EMBLEMA.

Nunquam procrastinandum.

Emblema III. Andr. Alciati.

Alciatæ gentis insignia sustinet Alce,

Vnguibus & μηδὲν fert ἀναβαλλόμενος.
Constat Alexandrum sic respondisse roganti,
Qui tot obtinuisset tempore gesta breui?
Nunquam, inquit, differre volens: quod & indicat Alex.
Fortior hac, dubitat, ocyor anne siet.

MORBVS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Morbus, Græc. νόσος, ου, ἡ, & νοσώδης, εος, ὁ, ἡ, morbosus dicitur. Hebræi *Choli*, & *Machaleh*, a verbo *Machal*, infirmus fuit, infirmatus est. Morbum quidam dictum existimarunt quasi μοῖραν τοῦ βίου, fatum vitæ humanæ, seu mortis prænuncium. Est autem morbus, habitus cuiusque corporis contra naturam qui vsum facit deteriorem. Ita dicit Cæcilius Sabinus in libro, quem de edicto ædilium curulium composuit, Labeonem iurisconsultum definiuisse, ex Aulo Gellio. *lib 4. c. 2 Noct. Atticarum.*

Morbus & vitium ita differunt, quod morbus cum accessu discessuque est, vt febris, insania, quæ a Græcis phrenesis dicitur. Vitium vero est, vt cœcitas, claudicatio, vecordia.

LOCI BIBLICI.

Morbi ex peccato vt plurimum proficiscuntur, *Matthæi 9. 2. Marci 2. 5 Luc. 5. 20. Ioan 5. 14. 1. Cor. 11. 30.*

SENTENTIÆ POETICÆ.

Ouid. 1. Pont. 4.

Non est in medico semper, releuetur vt æger,
Interdum docta plus valet arte malum.
Cernis vt è molli sanguis pulmone remissus
Ad Stygias certo limite ducat aquas?
Afferat ipse licet sacras Epidaurius herbas,
Sanabit nulla vulnera cordis ope.
Tollere nodosam nescit medicina podagram,
Nec formidatis auxiliatur aquis.

Idem 3. Pont. 7.

Curando fieri quædam maiora videmus
Vulnera, quæ melius non tetigisse fuit.

Ouid. 3. Pont. 9.

Non eadem ratio est sentire & tollere morbos,
Sensus inest cunctis, tollitur arte malum.

Ouid. 1. Remed.

Opprime dum noua sunt subiti mala semina morbi,
Et tuus incipiens ire resistat equus.

Ibidem.

Principiis obsta, sero medicina paratur,
Cum mala per longas inualuere moras.
Sed propera, nec te venturas differ in horas.

Persius 3.

Elleborum frustra, cum iam cutis ægra tumebit,
Poscentes videas, venienti occurrite morbo.

Remed. Ouid. 1.

Nam quoniam variant animi, variabimus artes:
Mille mali species, mille salutis erunt.
Corpora vix ferro quædam sanantur acuto.
Auxilium multis succus & herba fuit.

Anthholog. Sacri Iacobi Billii.

Quos fructus aduersa valetudo pariat.

Quis, bona quot nobis, quot morbus commoda secum,
Afferat adueniens, commemorare queat?
Fastus abit, cadit ambitio fugit ardor habendi,
Cum ludis fugiunt turpia verba procul.
Angitur ob noxas mens irrequieta priores.
Nec leuior sceleri cur ut, vt ante, datur.
Ergo (breue vt faciam) sic sano corpore viue,
Victurum vt spondes, cum male corpus habes.

In morbis consolationem ab animo petendam esse.

Cum grauis excruciat morbus, cum sæua podagra
Te premit, & lectus debile corpus habet:
Vulneris auctorem suscepto vulnere lauda,
Vulneris ista tibi certa medela datur.
Vtque canens cythara, fidem si ruperit vnam,
Mox cytharam e manibus ponit & ore canit:
Ægra suos mentis sic cum caro denegat vsus,
Gaudia mente tibi, carne tacente, para.

Euripides in Bellerophonte.

Νόσοι δὲ θνητῶν αἱ μέν εἰσ' αὐθαίρετοι,
Αἱ δ' ἐκ θεῶν πάρεισιν, ἀλλὰ τῷ νόμῳ
Ἰώμεθ' αὐτάς. ἀλλὰ σοι λέξαι θέλω,
Εἰ θεοί τι δρῶσιν αἰσχρὸν, οὐκ εἰσὶν θεοί.

Morbi mortalium alii sponte & nostra culpa fiunt.
Alii diuinitus immittuntur quibus lege
Medemur sed hoc tibi dicere volo,
Si Dii turpe quidquam faciunt, tum non sunt Dii.

Πολὺ μεῖζόν ἐστι τοῦ κακῶς ἔχειν κακόν,
Τὸ καθ' ἕνα πάντας τοὺς ἐπισκοποῦντας ἐρωτᾶν,
Δεῖν τὸν κακῶς ἔχοντα πῶς ἔχει λέγειν.
Multo molestius ipsa ægritudine malum est,
Quo singulis a quibus inuisitur,
Ægrotus quomodo se habeat dicere cogitur.

PHILOSOPHOR. SENTENTIÆ.

Morbi qui faciunt pulmonem durum, aut tuberculis, aut excrementis, aut caliditate ægritudinalis excessu, vt in febribus, crebrum spiritum faciunt: quia non possunt tollere longe sursum pulmonem, & deprimere, & tandem cum amplius non possunt mouere moriuntur expirantes. *Arist. de iuuen.*

Morbi committendi vim habent exuperantiæ nimiæ, quia vel excessum vel defectum efficiunt: quare morbum consistere certum est. *Aristot. problem. sec. 1. num. 1.*

Morbus si per humidam, aut frigidam materiam constiterit, tēpus accidens contrarium tollere illam poterit. At si similis status tēporis subsequatur, interimet: quo etiam fit, vt qui bene valeant, ægrotare tempore mutato incipiant: corporis enim proinde tēperamentum mutari necesse est, quippe, quod non nisi temporum, ætatum, locorum statum idoneo aptum sit augeri, seruarique. *Ibidem.*

Morbus est defectus, aut excessus in corporibus compositis materia, & ordinem mensuram non sustinentibus. *Plot. Enn. 1. lib. 8. c. 1.*

Morbi humani causas habent a mutationibus quibusdam vel intrinsecus, vel extrinsecus orientibus, cum curantur ex fluxu ventris, misso sanguine, vel ieiunio. *Idem Enn. 2. l. 9. c. 14.*

Morbus nobis molestus est, quia nihil in nobis habet domesticum, sed est penitus alienus: propterea manifestior incidit, quia maxime diuersus nobis occurrit: quæ vero nostra, nosque ipsi sunt vel absque manifesto sensu nobis insunt. *Plot. Enn. 5. l. 3. cap. 11.*

Νόσον Homerus pestilentiam vocat, eamque grassatam in campis olim Græcorum, dixit, nullum huic vnquam remedium adhibitū, præterquam fugæ ac secessos, quemadmodum hodie videmus, tamen apud Herodianum inuenio, miserabiliter vrgente in Italia peste, præsertim in vrbe, ob aduenas vndique sine discrimine eo aduenientes, ex consilio medicorum Laurentū secessisse, quod aeris frigidioris afflatu & odore lauri eius regionis periculū euitarent. Valere enim plurimum alebant ad eius euitandam contagionem odoramenta. Quocirca in vrbe Roma plerique vnguentis suauissimis nares atque aures opplebant, suffituque assidui vtebantur, *Hæc Herodianus. 24.*

APOPHTHEGMATA.

Socrates interrogatus quid morbus esset? respondit, Perturbatio corporis. *Stob. serm. 98.*

Plato dicere solebat, si me interrogares, quo præsente vel absente melius habeant corpora? responderem vtique, sanitate præsente, morbo remoto. *Stob. serm. l. 5. de humana natura.*

Alcmæon rogatus, vnde morbi acciderent? respondit, alios ob efficientem causam propter excessum caloris aut siccitatis: alios materialem ob causam, abundante aut deficiente alimento, alios velut in aliquibus vasis, vt in sanguine, medulla aut cerebro: aliquando autem ab externis causis eo nasci propter quasdam aquas, regionem, lassitudinem, rerum penuriam, aut his similia. *Sto. serm.*

Diogenes, Earum domorum, in quibus reperitur copia alimenti multos esse mures & feles: sic etiam corpora quæ multum cibi caperent, multos quoque morbos asciscere dicebat. *Stob. serm. de intemperantia.*

Epaminondas. Tempore belli Leuctrici, quum accepisset quemdam strenuum virum periisse morbo, per iocum dixisse fertur: Vnde fuit illi moriendi otium in tantis negotiis? Frequenter autem nō minima morbi pars est imaginatio morbi metum. Hanc languorem solet excutere negotiorum ardor. *P. M. l. 5 apoph.*

Democritus dicere solebat, si corpus animum in ius vocaret, haud quaquam futurum vt ille muneris male administrati crimen effugeret. Animus in corpore velut in præsidio collocatus est, & tamē pleraque mala corpori ab animo veniunt.

Anonymus. Chrysippi discipulus medicus non ignobilis, Antigoni regis amicum quendam ex nimia intemperantia morbo laborantē, negauit posse sanari, cumque alter medicus Epirotes Philippus se sanaturum polliceretur, respondit illum ad morbum ægri respicere, se autem ad animum. *ex Cels. l. 3.*

SIMILITVDINES.

Chrysostomi. Ex horto aliquo qui vētis & tempestatibus verberatur, sume arbustum aliquod, & pone in opaco & aquoso loco, & videbis, quod multum a fortitudine & dignitate sua mutabitur, quam habuit eo loco, vnde constat esse translatum: Ita corpore molli reddito, & delicato, necesse est & animum participare ex corporis morbo. Sicut in chordis contingit: Cum enim sunt ipsi sonitus molles, & delicati: & non conuenienter ex e[illegible]

cita[illegible]

etiam artis ratio deprauatur, & cogitur vitio seruire chordarum: Sic etiam fit in corpore: multas ab eo anima suscipit læsiones, multas necessitates. Quando enim multa opus habet ad sui curationem anima, amaram sustinet seruitutem. *Homil. 20. in epist. ad Hebræos.*

Plutarchi. *Vt medica* terra diu retinet semina propter asperitatem, vt sero emergant: Ita morborum ac dolorum causæ in hominibus aliquoties diu latent, donec voluptas in febrem erumpat. *In Moral.*

Flosculorum odores per se parum efficaces, admixti oleo maiorē vim habent: Ita morborum causæ, si in corpus incidant, iam humoribus collectis abundant. *In Moral.*

Qui male affecto corpore, vitæ ratione morbum accersunt, ij quasi cœnum commouent. *In Moral.*

Qui corpus ægro affectum ad balneas ac voluptates trahit, quasi putrem ac laceram nauem deducit in mare. *In Moral.*

Lactantius. Sicuti in fidibus, cum aliquid aut interceptum, aut relaxatum est, omnis canendi ratio turbatur, & soluitur: Ita si in corpore pars aliqua membrorum duxerit vitium, destrui vniuersa, corrupt isque omnibus atque turbatis, occidere sensum, eamque mortem vocari. *De opificio Dei, c. 16.*

Chrysostom. Quemadmodum medicus quum diutina & dura inflatio corporibus inhæsit, longo tempore & singulari prudentia sua adhibet remedia, vt collectus humor sensim sine vitæ periculo dissoluatur: Ita fidelis Ecclesiastes cum peccatorum morbi in anima populi radices egerunt, si radicitus auellere voluerit, non semel tantum iterumque correctionem adhibebit: sed singulis diebus verbo diuino admonebit & curabit, donec morbus peccati absque vitæ periculo sanetur. *Homil. 1. de Dauide & Saule.*

Vt corporis vulnera a tertio ipso fiunt curatu difficilia: Sic natura comparatum videmus, vt animi morbi si irrites exasperesque, magis ac magis rebellent, atque incrudescant, dominorumque suorum peccata augeant. *Lib. 6. de Sacerdotio.*

Quemadmodum fieri videmus, vt qui fluctu rapiente aut alia vi, in caput præcipites feruntur, possint quidem interitus sui finem prospicere, at salutis rationem inire non item. Sic & ipse si in multum illum morborum tumultum irruero, potero quidem supplicium meum in dies magis ingrauescens: mihi autem constare, quemadmodum & mihi nunc crepare consto, ac morbos huiusmodi vndecunque habentes vi non perfacile atque antea. *Lib. 6. de Sacerdotio.*

Veluti si quem videris hydropi, aut vitio splenis obnoxium aut tabo quopiam marcescentem, temulentiæ ac delicijs indulgentem reddere morbum acriorem, adeo non miraris, aut beatum iudicas eum ob delicias, vt ob hoc ipsum etiam maxime miserum existimes: Similiter & de anima cogitato, vbi videris hominem peruerse viuentem, multaque fruentem prosperitate, neque vlla quicquam patientem, ob hoc ipsum magis deplora quod quum morbo grauissimoque tabo sis obnoxius, tamen detestur si, morbum delitijs vitaque dissoluta exasperans. *Serm. 3. de Lazaro.*

Origenes. Quod si videre vis quales sint animi morbi: cogita mihi auaros, gloriæ cupidos, & puerorum amatores, & si quis est mulieribus deditus. Nam & hos in turbis visos, eosque miseratus sanauit. Non tamen putandum est, quoduis peccatum esse morbum, sed id quod in tota computruit anima. Tales enim videre est pecuniarum amatores, totos incumbentes argento, & in huius cum custodiam, tum coaceruationem: auidos ludorum, gloriolis inhiantes. Inhiant enim captandis a vulgo vilibusque hominum laudibus. Ac iuxta consimilem rationem cogitabis de reliquis morbis, quos nominauimus, & si quis alius est horum consimilis: Quoniam igitur inter enarrandum, quod dictum est: Sanauit ægrotos eorum, diximus non quoduis peccatum esse morbum, operæ pretium est e Scripturis de horum differentia disserere. Ait sane Apostolus Corinthijs, qui varijs peccatis laborabant, scribens: Propterea inter vos infirmi multi, & valetudinarij, & dormiunt multi. Audi siquidem Apostolum in his etiā vinculum nectentem, contextumque facientem ex diuersis peccatis, iuxta quod alij quidem sunt infirmi, alij vero ægroti, videlicet plus quam infirmi: rursus alij vtrisque peius habentes qui dormiunt. Nam qui propter imbecilles animi vires procliues sunt ad labendum in quoduis peccatum, etiam si non toto animo fuerint obnoxii alicui peccato peculiari, quemadmodum sunt ægroti, tamen infirmi sunt. Porro qui pro Deo quem diligere debebant tota anima, toto corde, tota mente, diligunt pecuniam aut gloriam, aut mulieres, aut pueros, hi peius affecti sunt quam infirmi, suntque ægroti. Dormiunt autem, qui quum debeant attendere & aduigilare animæ suæ, non faciunt id, sed ex nimia negligentia dormiunt nec voluntate, & somniculosi sunt cogitationibus: qui quidem somniantes, carnem quidem polluunt, autoritatem vero spernunt, glorijs autem maledicunt. Non enim possunt, qui adhuc ægrotant, capere panes benedictionis Iesu, verum etiam si quem aliquis audire debuerit illud: Probet autem vnusquisque seipsum, & sic comedat ex illo pane: reliquaque quæ sequuntur, hæc non audierit, sed temere sumpserit panem Domini, & poculum eius, infirmus fiat ægrotus. Aut etiam (vt ita loquar) ex grauedior, quæ nascitur ex huius panis vi dormiens. *In cap. 14. Matth.*

Augustinus. Vt in corpore dicebamus aliud esse, morbos & vulnera curare, quod pauci homines bene facere possunt: aliud autem, famem sitimque sopire, & cætera, in quibus subuenire hominē hominī vulgo passimque conceditur: Sic in animo sunt quædam, in quibus excellentia illa & rara magisteria omnimodum desiderantur: vt cum hortamur & monemus, vt hæc ipsa indigentibus exhibeantur, quæ corpori exhibenda esse diximus. Cum enim hæc facimus ope subuenimus corpori. Sunt vero alia quib. multimodi varijque morbi animarum magna quadam & ineffabili ratione sanantur. Quæ medicina nisi diuinitus populis mitteretur, nulla spes salutis esset, tam immoderata transgressione peccantibus. *De vera religione.*

Polybius. Vt in vlceribus euenit, vt si illis medicamentum curandi gratia adhibeas, vlcus ipsum vi medicaminis relictum augescit: si vero curam eius negligas, longe magis sua ipsius natura extenditur: neque prius desinit, quam omne subiectum corpus corruptū labefactumque sit: Ita animis quoque consimiles interdum morbi ac tabes accidunt, vt nullum ex reliquis animalibus homine atrocius atque efferatius fiat: cui si interdum veniam aut impunitatem aliquam concesseris, aut aliter benignitate eum fueris prosequutus, id omne dolum fraudemque existimans, deterior fit, & erga beneficium longe magis infidus. Si vero te contra opposueris, nihil est adeo durum, crudele, nefarium, quod non facile aggrediatur, laudem sibi eam temeritatem existimans, donec ad extremum omnino efferatus animus humanam naturam exuit. *Lib. 1. Hist. fol 38.*

Demosthenes. Quemadmodum corporis morbus non tectus, nec laudatus sanatur: sic nec animus male custoditus curatur. *Apud Maxim. serm. 26.*

Ciceronis. Quemadmodum oculus turbatus non est probe affectus ad suum munus fungendum: & reliquæ partes, reliquumque corpus, cum a statu motum, officio suo ac muneri deest: Sic conturbatus animus non est aptus ad exequendum munus suum: munus enim animi est, ratione vti. *Lib. 3. Tusc. q.*

Vt medici, causa morbi inuenta curationem inuentam esse putant: Sic nos ægritudinis causa reperta, medendi facultatem reperiemus. *Lib. 3. Tusc. q.*

Vt natura alius ad alium morbum procliuior: Sic animus alius ad alia vitia propensior. *Lib. 4. Tusc. q.*

Seneca. Hi quorum pedes dolor repetit, aut vino aut balneo abstinent, in cætera negligentes: huic, a quo sæpe infestantur, occurrunt: Sic in animo: sunt quasi caducæ partes quibus adhibenda curatio est. *Lib. 2. ep. 69.*

Confusis oculis prosunt virentia: & quibusdam coloribus infirma acies acquiescit, quorundam splendore perstringitur: sic mentes ægras studia læta permulcent. *Lib. 3. de ira, c. 9.*

Vt vlcera ad leuem tactum, deinde etiam ad suspicionem tactus condolescunt: Ita animus affectus, minimis offenditur, adeo vt quosdam salutatio, epistola, oratio & interrogatio ad litem euocent. *Lib. 3. de ira c. 10.*

Quemadmodum in corporibus, dum valida sunt, nihil sentitur ex putridis humoribus hinc inde sparsis: vbi vero infirmitas aliqua contigerit, omnia mouentur, siue ruptum quid, siue distortum, aut aliquid aliud in corpore putredine affectum fuerit: sic & ciuitatum & tyrannorum, dum foris bella gerunt, obscura vulgo mala sunt, quando autem finitimum bellum conseritur, omnia elucescunt. *Demosth. Olynt.*

ADAGIA.

Ὑγιαίνειν.

Olim iactatum in eos, qui rarum commode pariterque salubriter viuerent. Desumptum ab Iphimeteum ludorum tempore, quod insalubre & morbis obnoxium fuisse eo tempore hominum coetum testatur Suidas & Hesychius.

Herculanus morbus. Ἡράκλειος νόσος.

De morbo insanabili dicitur, Herculis enim morbus quem & sacrum & comitialem appellant ex eorum est morborum numero, quibus nulla medicorum ope succurri potest. Zenodot.

Herculana scabies. Ἡράκλεια ψώρα.

De scabie facile contemnenda, quæ desiderat Herculana, id est, calida balnea. Conuenire opinor in eos, qui nimio studio aut labore valetudinem offenderunt, vt quibus aliquo laxamento opus sit. Das heimlich leiden.

Ipsa senectus morbus est.

In senum imbecillitatem, quæ vt morbi cæteri absint per se mala valetudo est. Terentius in Phormione. cui addatur Senarius ille.

Φοβοῦ τὸ γῆρας, οὐ γὰρ ἔρχεται μόνον.

Metue senectam, non enim sola aduenit.

Vide Aegritudo.

MO-

MORES.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

MOs, moris, est vitæ institutum, consuetudine firmatū. Mos, ἦθος, Hebr. Derec. via trita, pedibus calcata: & metaphorice, pro consuetudine seu more consueto. Galli de homine consuetudinem sequente, dicunt: *Il va son grand chemin*, a verbo *Darac*, calcauit, pedibus incessit.

LOCI BIBLICI.

Mores gentium, 2. *Reg.* 21. 14. Israelitarum. *Act.* 13. 18. Christianorū, *Heb.* 13. 5. corrūpunt bonos mores colloquia praua, 1. *Cor.* 15. 33.

SENTENTIAE POETICAE.

Ἐλεύθερον φύλαττε τὸν σαυτοῦ τρόπον.
Ingenuos serua tuos ipse mores.
Καλὸν φύουσι καρπὸν οἱ σεμνοὶ τρόποι.
Καρπὸς δ' ἀγαθὸς ἐστιν εὔτακτος βίος.
Bonum progerminant fructum probi castique mores,
Fructus autem bonus est bene composita vita.

Sen. Agam.

Nam sera nunquam est ad bonos mores via.
Quem pœnitet peccasse, pene est innocens.

Ouid. 3. Art.

Maius opus mores composuisse suos.

Plaut. Trin.

Mores mali quasi herba irrigua succreuerunt vberrime.
Neque quidquam hic vile nunc est, nisi mores mali:
Eorum licet iam messem metere maximam.

Plaut. Trin.

Nunc mores nihil faciunt, quod licet, nisi quod lubet:
Ambitio iam more sancta est, libera est à legibus.

Ibidem.

Mores leges perduxerunt iam in potestatem suam,
Ea misera etiam ad parietem sunt fixa clauis ferreis.
Vbi malos mores affigi nimio fuerat æquius.

Ter. Heaut.

Quam multa iniusta, ac praua fiunt moribus scilicet prauis.

Ouid. de med. faciei.

Prima sit in vobis morum tutela puellæ
Ingenio facile conciliante placent.
Certus amor morum formam populabitur ætas.

Horat. 3. Carm. 7.

Prima nocte domum claude: neque in vias
Sub cantu querulæ despice tibiæ
Et te sæpe vocanti
Duram, difficilis mane.

Ouid. 3. Art.

Sint modici rictus, paruæque vtrinque lacunæ
Et summos dentes ima labella tegant.
Nec sua perpetuo contendant ilia risu:
Sed leue nescio quid fœmineumque sonent.

Ibidem.

Est & in incessu pars non temnenda decoris.
Allicit ignotos illa fugatque viros:

Ibidem.

Carpe cibos digitis: est quidam gestus edendi.
Ora nec immunda tota perunge manu.
Neue diu præsume dapes: sed desine citra
Quam cupias paulo quam potes esse minus.

Idem. 3. Art.

Nec coram mixtas ceruæ sumpsisse medullas,
Nec coram dentes perfricuisse probem.
Ista dabunt faciem sed erunt deformia visu:
Multaque dum fiunt turpia facta placent.

Ouid. 2. Art.

Certa tibi a nobis dabitur mensura bibendi:
Officium præstent mensque, pedesque, suum.
Iurgia præcipue vino stimulata caueto,
Et nimium faciles ad fera bella manus.
Occidit Eurytion stultè data vina bibendo:
Aptior est dulci mensa merumque ioco.

Ouid. 3. Art.

Sed minimus labor est sapienter iactibus vti:
Maius opus mores composuisse suos.
Tunc sumus incauti studioque aperimur ab ipso,
Nudaque per lusus pectora nostra patent.

Ibidem.

Pertinet ad faciem rapidos compescere mores:
Candida pax homines, trux decet ira feras.
Ora tument ira: nigrescunt sanguine venæ:
Lumina Gorgoneo sæuius angue micant.
Odimus immodicos, experta credite, fastus:
Sæpe tacens odij fœmina vultus habet.

SENTENTIÆ PHILOSOPHOR.

Sed cum duo sint virtutum genera, alterum earum, quas in ratione esse dicimus, alterum earum, quas mortales & voluntarias: Rationis quidem, magna ex parte a doctrina ortum accessionemque habent: itaque & exercitationis indigent, & temporis.

Morales & voluntariæ moribus, a quibus nomen duxerunt, quod paululum a consuetudine deflexit, omnino comparantur. Ex quo perspicuum est, nullam omnino moralium virtutum ingenerari nobis natura; nihil enim quod insitum & innatum est, aliter atque est assuescit: vt lapis, qui suapte sponte deorsum fertur, nunquam in sublime ferri assuescet, ne si millies quidem eū quis sursum, vt consuefaciat, emittat: eodemque modo, nec ignis deorsum, nec aliud quicquam aliter, atque ipsius natura ferat, potest assuescere. Non igitur a natura, neque contra naturam nobis insunt virtutes, sed nati factique sumus ad eas & participiendas natura, & efficiendas consuetudine. Iam vero quæ nobis a natura tributa sunt, eorum primum facultates accipimus, deinde officiis muneribusque fungimur. *Arist. 2. Ethic. lib.*

Plura moribus, quam viribus vincimus. *Quint. Dec.* 3.

Ea magna voluptas est, æqualem ac parem verbis vitam agere, atque ita viuere, vt omnis oratio moribus consonet. *Cic. in Sall.*

Mores boni approbant verba.

Ne sis nimium morib. facilis, nec nimium difficilis. *Plut. de eff. Audi.*

Mores iusti peculium sunt pretiosissimum.

Mos bonus stabilior est lege. *Socrat. apud Stob.*

Mores mali, quasi herba irrigua, succreuerunt vberrime. *Plau. in Tri.*

Nam sera nunquam est ad bonos mores via.

Quem pœnitet peccasse, pene est innocens. *Sen. in Aga.*

Morosi, qui sunt peruersis moribus. Curiosi qui nimis exacte omnia fieri expetunt.

Ille est morosus, qui multorum morum inter se contrariorum est, vnde senectus morosa, author Seneca: quando res pene nulla animo hominis cuncta fastidientis satisfacit, ea proprie morositas est. *Porphyrius.*

Vsque adeo morosi sumus, vt nobis non satisfaciat ipse Demosthenes. *Cic. lib.* 1. *de Oratore.*

Ἡ δυσκολία ἐστὶν ἀπήνεια ὁμιλίας ἐν λόγοις.

Morositas in congressu & consuetudine difficultas, aut rusticitas definiri potest.

Ὁ δ' αὐθάδης τοιοῦτός τις οἷος ἐρωτηθεὶς ὁ δεῖνα ποῦ ἐστιν εἰπεῖν πράγματά μοι μὴ πάρεχε, καὶ προσαγορευθεὶς μὴ προσαγορεῦσαι.

Morosum eum iure quis appellat, qui quo aliquis in loco sit, rogatus, Ne pergas, inquit, mihi molestus esse. Ac ab aliquo salutatus, haud dignum existimat, contra resalutare, & cum res sibi aliqua venalis sit, ementibus quanti vendat, nunquā eloquitur: sed quid illi datum sint, rogat. Et iis qui honoris gratia celebritates admittunt, ait, minime fore vt exhibeantur. Nec vero quenquam vel inuite impellentem aut vrgentem, aut pede prementem, venia dignum putat, iubente amico symbolum conferri, hoc etiam argentum sibi perire conqueritur. Si in via pedem offenderit, execratur lapidem, nec ferre potest, vt quempiam diutius operiatur, idem neque cantu, neque sermonibus, neque saltatione oblectatur: nec, vt Diis vota faciat, aut supplicet, facile adduci potest. *Theophrastus in characteribus.*

Eorum quæ in moribus fugienda sunt, tria esse genera dicit: Vitiositatem, Impotentiam, & Feritatem: quorum perspicuum est quæ sint duorum contraria, alterum enim Virtutem, Continentiam alterum vocamus. *Arist. lib.* 7. *Eth.*

Qui nec facetum quid dicunt ipsi, & tamen eos qui dicunt, ipsi permoleste ferunt, agrestes & duri videntur. At vero, qui salibus & facetiis modū quendā adhibent, ij vrbani nominantur, quasi vrbanis moribus præditi: motū enim hæ sunt indices motiones, vt enim corpora, sic mores ex motionib. iudicantur. *idem l.* 4. *Eth.*

Interpres Galeni mores bifariā partitur: alios innatos vocat, alios acquisitos. Innati mores sunt, ex cōplexione siue constitutione naturali, acquisiti parantur & doctrina, & consuetudine. Vnde illud Menandri: corrumpunt bonos mores colloquia praua. *φθείρουσιν ἤθη χρηστὰ ὁμιλίαι κακαί. Paulus in ep.* 1. *ad Cor.* 15.

Mores dispares disparia studia sequuntur. *Cicero.*

Mores cum ætate mutantur. *Idem in oratione pro Cœlio.*

Non ingenerantur mores, tam a stirpe generis ac seminis, quam ex iis rebus, quæ ab ipsa natura bonis a vitæ consuetudine suppeditantur, quibus alimur & viuimus Carthaginenses fraudulenti & mendaces, non genere, sed natura loci, quod propter portus suos multis, & variis mercatorum sermonibus ad studium fallendi, studio quæstus vocabantur. Ligures montani, duri atque agrestes. Docuit ager ipse nihil ferendo, nisi multa cultura, & magno labore quæsitum. Campani semper superbi bonitate agrorum, & fructuum magnitudine vrbis salubritate, descriptione, pulchritudine. Ex hac copia atque omnium rerum affluentia, primum illa nata sunt, arrogantia, quæ a maioribus nostris alterum Capua consulem postulauit; deinde ea luxuries, quæ ipsum Hannibalem armis etiam inuictum voluptate vicit. *Idem in Ora.* 16. *contra Rul. in fine, tom.* 2.

Mutatio

Mutationem morum plerique pro rerum statu conuertunt. *Dion. li-bro 41.*

Necterra mutauit genus aut mores. *Liuius Decad. 4. lib. 7.*

Mihi vt veram virtutem rectaque ratione stabilitam nonquam vide tur fortunæ vis in contrarium posse conuertere: ita consilia alias recta bonasque naturas indigne grauibus calamitatibus afflictas, non absurdum puto credere vna cum fortuna mutari. *Plu. in Ser-torio.*

Eo prolapsi mores sunt, vti suo quam Reipublicæ magisque potentiæ quam gloriæ studio plures agant. Hinc rerum ac nominum vis corrupta: dum plerumque qui potior, flagitio est, vbi armis superauerit, tyrannos amotos damno publico oppressos esse dicat. Qui etiam aliquanti pati libidine, in celestium numerum referuntur, ægre exequiis digni, quibus ni fides rerum gestarum ob stitisset (quæ neque honestos præmiis memoriæ fruitrari sinit, ne que improbis æternam illustremque fa nam procedere) nequicquam haberetur virtus: cum verum illud atque vnicum decus pessimo cuique gratis tribueretur, demptum turpie bonis. *Aure. Victor.*

Natura neque amici, neque inimici homines inter se existūt: actiones enim cuiuslibet, aut morum similitudine in concordiam, & societatem mortales coniungunt, aut moribus discrepantes in inimicitiam deducunt. *Procop. de bello Vandal. lib. 2.*

Tam ciuitatum quam singulorum hominum mores sunt: gentes quoque aliæ iracundiæ, aliæ audaces, quædam timidæ: in vinum, in Venerem proniores aliæ sunt. Atheniensium populum fama est celerem, & supra vires audacem esse ad conandum: Lacedæmoniorum cunctatorem, & vix in ea quibus fidit ingredientem. Non negauerim & totam Asiæ regionem maniora parere ingenia, & Rhodiorum tumidiorem sermonem esse, quod excellere inter finitimas nationes videantur. *Liuius Dec. 5. lib. 5.*

Rom. Censore Lepidum Æmilium Augurem, quod sex millibus ædes conduxisset, adesse iusserunt. At nunc si quis tanti habitet, vix vt Senator agnoscitur: adeo mature a rectis in vitia, a vitiis in praua, a prauis in præcipitia peruenitur. *Vell. Pater. libro secundo.*

Ipsi se homines in reges, velut vnici exempli mores formant. *Liuius Dec. 1. lib. 1.*

Ea quæ ad felicitatem ciuitatis, & virtutem omnium maximum adferrent momentum, ita demum permanere immobilia Lycurgus iudicabat, si moribus & educationi ciuium implantarentur: nam firmam voluntatem ex his elementis oriri, quæ necessitatis est validissimum vinculum: eam porro disciplinis legislatoris vicem gerit) apud iuniores effici. *Plutarchus in Lycurgo.*

Nihil prodest foris esse strenuum, domi si male viuitur. Expugnentur licet vrbes, corripiantur gentes, regnis iniiciatur manus, nisi foro ac curiæ officium & verecundia sua constiterit, partarum rerum æquatus coelo cumulus sedem stabilem non habebit. *Valer. Max. lib. 2. ca. 9.*

In omnium nostrum moribus non amplius habitant prisci animi: sed a nonnullis grauitas superbiæ, iustitia stultitiæ, fortitudo insaniæ, prudentia fatuitatis nomine appellatur. Contra vero quæ apud illos priscos odiosa erant, hæc nunc extolluntur, & hominibus corruptis admiranda bona videntur: & ignaua scurrilitas, malignitas & versutia pro sapientia habetur, & qui omnibus in rebus sunt impudentes, dociles ac tractabiles censentur: quæ vitia iam multas potentes ciuitates euerterunt. *Dionys. Halic. lib. 9.*

Multum in commutandis moribus hominum medius annus valet: in principum plus. *Plinius Panegyr.*

Argumentum morum ex minimis quoque licet capere: Impudicum & incessus ostendit, & manus mota, & vnum interdum responsum, & relatus ad caput digitus, & flexus oculorum. *Seneca epist. 52.*

Vbicumque videris orationem corruptam placere, ibi mores quoque a recto descivisse, non erit dubium. *Idem, epistola 114.*

Non priuatim solum, sed publice furimus. *Idem, epist. 95.*

APOPHTHEGMATA.

Socrates dicere solebat: Neque vinum austerum aptum esse potioni, neque mores agrestes hominum conuersationi. *Stob. ferm. 4. de imprudentia.*

Diogenes Musicos in ius vocabat, dicens quod lyræ chordas cōgrue aptarent animi mores negligerent. *Laer. l. 6.*

Æschylus aliquando spectans Isthmia certamina, quum alter pugilum esset cæsus, totumque theatrum exclamaret, O, Chium tonem sudisti: vide, inquit, cuiusmodi sint hominum mores: cæsus silet, & spectatores vociferantur. Solent icti ob dolorem exclamare. Hic contra, qui dolebat, silebat: qui læsi non erant, exclamabant. *P. M. l. 6. apoph.*

Augustus Cæs. Liuia & Iulia Augusti Cæsaris filiæ, in gladiatorum spectaculo cum omnium formosissimæ essent, omnium oculos in se conuertebant, comitatus dissimilitudine. Liuiam quippe cingebant viri graues, Iuliam vero iuuenes lasciuientes & luxuriosi. Augustus igitur pater cum hæc vidisset, intellexit demum quam diuersis moribus filias haberet. *P. M. libro apoph. ex Suet.*

Alphonsus cum Syracusanum quendam equitem truculentis moribus, hominem barbarum appellasset, atque ille quod præclara patria Græca origine esset, nomen barbari abhorrēs, iniquo animo ferre iniuriam videretur: Ego, inquit rex, non a patria soleo, sed a moribus barbaros definire. Docuit autem non ex patria vel parentibus, sed ex moribus, ceu leonem ex vnguibus, iudicandum esse. *Panorm. l. 1. de reb. gest. Alphonsi.*

Aristippus. Vterque Dionysium coluit, Aristippus & Plato: sed Aristippus a deliciis aulicis, quum adessent non abstinebat, Plato etiam inter regalem luxum frugalitatem seruare nitebatur. Itaque cum Plato reprehenderet Aristippum, quod adeo lautitiis indulgeret: rogauit, quid sentiret de Dionysio, num vir bonus videretur: quum respondisset, Videri bonum: Atqui ille, inquit, me multo viuit lautius. Proinde nihil vetat, eundem & laute viuere, & bene viuere. *Laer. l. 2. c. 8.*

Philippus: Duo erant fratres, quorum alteri nomen Amphoteros, quod Græcis sonat ambo, alteri Hecateros, quod illis sonat vterque: Philippus animaduertens Hecateron esse cordatum, ac gerendis rebus accommodum, contra Amphoteron ineptum ac degenerē, iocatus est illis nomina, dicens Hecateron esse Amphoterō Amphoterō aūt esse Vdeteron, i. neutrum. Significans alterū fratrum, videlicet Hecateron duorum in se virtutes complecti, alteri nihil relictum. Itaque et qui Amphoteros dicebatur, mutauit nomen in contrarium, vt οὐδέτερος diceretur, quasi nullius pretii. *Plut. in apoph.*

Agis. Historici narrant, Agidem puerum in summis deliciis esse educatum, sed simulatque adolescens ad Reip. gubernacula admotus est, incredibili mutatione, reiectis prisinę vitę voluptatibus, huc totum animum adiecit, vt Spartam barbarorum ac Græcorum moribus corruptā iam ad pristinam frugalitatē reuocaret, quæ res illi fuit exitii causa. Vtinam autem cæteri principes, quorū prima ætas fere luxu deliciisque corrumpitur, saltem cum Agide cum animum vertant ad bonam frugem, cum regni habenas accipiunt. *Plut. in Lacon.*

Themistocles Adolescens in compotationibus ac mulierum amoribus volutabatur. At postquam Miltiades factus Imperator apud Marathonem deuicisset barbaros, iam nullus offendit illum quidquam agentem præter decorum. Percontantibus autem, cur mores tam repente mutasset? Miltiades (ait) nune me non patitur cessare atque dormire. *Plut. in Them. l. & in apoph.*

SIMILITVDINES.

Lysidis Pythagorici. Qui corruptis obscœnisque morib. speculationes sermonesque diuinos immiscent, non secus faciunt quam illi, qui cœnoso puteo purissimam infundunt aquam, quæ cœnum conturbet, & suam ipsius contaminet puritatem. *In epist. ad Hipparch.*

Socrates. Quemadmodum vinum austerum non est aptum potioni: Sic mores agrestes non apti sunt hominum conuersationi. *Apud Stob. ferm. 5. de imprudentia.*

Plutarchi. Vt apicula per omnia circumuolitans, id quod est vtile, domum adducit: ita studiosus ex vnoquoque quod ad mores cōfert, excerpit. *In Moralibus.*

Seneca. Vt qui variis tempestatibus huc & illuc iactatus est, nec tamen peruenit, non multum nauigauit, sed multum iactatus est: Sic qui diu vixit, nec proficit ad bonos mores, non diu vixit, sed diu fuit. *Apud P. M.*

Seneca. Placidus sapiens, & æquus erroribus, non hostis, sed corrector peccantium, hoc quotidie procedit animo: Multi mihi occurrent vino dediti, multi libidinosi, multi ingrati, multi auari, multi furiis ambitionis agitati. Omnia illa tam propitius aspiciet, quā ægros suos medicus. Numquid ille, cuius nauigium multam, vndique laxatis compagibus, aquam trahit, nautis ipsique nauigio irascitur? Occurrit potius, & aliam excludit vndam, deinde aliā egerit, manifesta foramina præcludit, latentibus, & ex occulto sentinam ducentibus labore continuo resistit, nec ideo intermittit, quia quantum exhaustum est, subnascitur. Lento adiut rio opus est contra mala continua & fœcunda, non vt desinant sed ne vincant. *Lib. 1 de iracundia.*

Dionis Nicæi. Mare interdum ita tranquillum videre licet, vt & timidissimus, opinor, possit contemnere. Quid ergo? An propterea illi credendum est, & neque anchoras, neque clauum, neque alia ad salutem necessaria assumere oportebit, qui sit soluturus? Videbis enim (si ita sors ferat) paulo post incumbente vento, tempestatē fortem, & fluctus magnos, immensisq; montibus pares curuos, albescentes. Ita quoque eum qui modo tibi visus est mansuetus, magnamque præseferre erga te beneuolentiam, & studium leui causa incidente inuenies ferum atque sæuum, & nihil non malefacere paratum. *Orat. 74. De incredulitate.*

Plinij

Plinij. Est Indiæ gens dicta Pandorum quæ in pueritia cano sit capillitio, in senecta nigrescunt capilli: Ita nonnulli primis annis sobrij ac modesti: grandiores iam ad nugas & ineptissimas voluptates abijciunt sese, & quasi puerascunt. *Lib.3.c.2.*

P.M. Vt succina paleas ad se trahunt, magnes ferrum, chrysocolla aurum: Ita quisque asciscit sibi suis aptum moribus. *In simil.*

Plutarch. Bion inquit; Quemadmodum quicquid paxillo appenderis, id accipit sustinetque: Ita quibusdam quicquid suaseris, admittunt: quicquid imposueris, ferunt. *In Moral.*

Vt tigrides, si quis tympanis circumsonet, in rabiem agi dicuntur, adeo vt seipsas denique discerpant: Ita quæ bonas mentes compescunt, feras & agrestes irritant, & efferant: ac quosdam offendit, quod alijs addit animum, puta musica, eloquentia, &c. *In Moral.*

Plinij. Ferula solis asinis gratissimum est pabulum, cæteris animantibus præsentaneum venenum: Ita sæpe quod alios offendit alus voluptati est. *Lib.24.c.5.*

Vt gagates aqua infusa incenditur, oleo restinguitur: Ita quidam quo magis roges, magis frigescunt: si negligis, vltro capiunt. Aut sunt quos officijs alienes, neglectu prouoces ad amorem. *Lib.36. cap.19.*

Aiunt ignem Chimæræ montis semper ardentis, aqua accendi, fœno restingui: Ita quosdam magis ores, minus commoueas: si dehorteris, vltro volunt. *Lib.2.c.109.*

P.M. Apud Troglodytas lacus est, qui ter in die fit amarus aut salsus, ac rursum dulcis, totiesque etiam nocte, vnde & insanus dictus: Sic quidam inæquales, nunc asperi, nunc sunt blandi: aliquando profusi, mox sordidi: iam vehementer amant, iam supra modum oderunt. *In Simil.*

Vt inter tot hominum millia nullæ facies sunt per omnia similes, nec vllæ voces: Ita suum cuique ingenium est, suus cuique mos. *In Simil.*

Vt vasa paria, quorum alterum plenum sit, alterum inane, pulsata concentum faciunt διὰ πασῶν: Ita bene conuenit inter diuitem benignum & pauperem indignum. *In Simil.*

In rem eandem diuersa specula varie reddunt, pro forma speculorum diuersa: Sic idem factum diuersi varie interpretantur, pro animorum varietate, quod huic magnum est, illi paruum: quod huic pulchrum, illi fœdum erit. *In Simil.*

Sicut luscitiosi non cernunt nisi proxime admota, contra senes non nisi longiusculæ dissita: Ita quidam diuerso laborant morbo. Nā hic negligit amicorum res, neque curat nisi quod proprie ad suum pertinet negotium, contra alij suarum rerum negligentes, in alienis tantum sapiunt. *In simil.*

EXEMPLA HISTORICA

Inter Platonis placita illud item obseruatur: Ex varijs cœli locis, aspectibusve diuersas ingenerari morū κράσεις, siue contemperationes. Quo argumento in Græciæ tractu in adipiscendis disciplinis videri aptiores multo, quam alicubi homines. At qui in Phœnicem vergant, Ægyptumve, cumulandæ pecuniæ. i. vt Græcę dicā, πρὸς ἀργυρισμὸν, mire credi sagaces ingenio ad id præcipue facto. In furorem vero, iramq; procliues ac lubricos, quotquot barbarorum innutriti bellis comperiuntur. Innuit vel hoc ipsum comicus Aristophanes edocēs, immanēdū esse τρόποις ἐπιχωρίοις, i. moribus locorum proprijs, atque vernaculis. Retegit & id iactatum apud Græcos νόμοι καὶ χῶραι, quo fere commonemur, instituta diuersa pro locorum varietate esse veluti legem.

Eos qui exustas a sole mundi partes incolunt, constat ita caloris exuperantia in extimis extorreri, vt intima frigoris plurimum concipiant, proinde insigniter ad timiditatem degenerare, & effœminatiorem naturam: quo nomine seruituti fere mancipati omnes animaduertuntur: dilabitur enim intimus calor, meatibus corporis laxatis, & quodam modo hiantibus sideris propinqui intemperantia. Argumento est cutis nigricans, educti fori. secus insiti caloris copia. At qui rigentia mundi, pruinis, geluque torpentia terunt, nimio plus audacia præcellunt, candentib. corporum extimis, verique tamen inhumani feriqne. Cœlestium rerum studiosi aliquot, Saturno acceptam referunt meridionalium timiditatem, vitamque æui contractioris. Sicuti Martis Planetæ Septentrionalium ardorem bellicum, & animi præstantiam. Quando ijs sidera eiusmodi influere, ac præsidere exuperantius videantur. Cæterū meridianæ regiones hinc calore, hinc frigore contemperatæ, ad habitumque in primis congruum reuocatæ, tum prudentiora promont ingenia, & sapientiora tum imperijs præcipue adnata, factaq;: cuiusmodi fere Italiæ situm videri Vitruuius opinatur.

Authores sunt. Germaniæ incolas esse immanes animis atque corporibus, & ad insitam feritatem velle vtraque exercere. Priusquam pubertatem attingant, plurimum operimenta nescire, corporum nuditate gaudētes diuturnam esse illis pueritiam. Virilitatem ingressos saga denique admittere, aut arborum contegi libris, etiamsi obrigescant hiemali sæuitia vel pannis Rhenonum tegumentis, magna sic quoque parte corporis nuda. *Cœlius Rhodiginus lib.18.c.18. Antiquarum lectionum.*

Quid Germanis animosius? Quid in cursu acrius? Quid armorum cupidius, quibus innascuntur innutriunturque, quorum vna illis cura est, alia negligentibus? Quid induratius ad omnem patientiam? *Senec. de Germanis.*

Pannonicos feroces intelligi Papinius voluit in siluis. Pannoniusque ferox, arcuque horrenda fugaci Armenia. Reliqua lege apud Cœlium *lib.18.c.21. lectionum antiquarum.*

Lucani vt aliorum criminum, sic etiam luxurię & otij caussas agunt. Quod si quis homini luxurioso mutuasse aliquid conuincatur, priuatur mutuo dato. Athenis etiam otii caussæ forenses agitantur.

Pisidæ conuiuantes parentibus primitias libant, vt nos Dijs παρασιτοῖς dictis. Grauissimam depositi caussam agunt: & eum, qui fraudauerit occidunt. Adulterii conuictus, per vrbem vna cum muliere circumducitur super asino & aliquot dies.

Æthiopes præcipue sorores suas honorant: Reges illorum relinquunt regni successionem non suis, sed fratrum filiis. Quod si nullus sit successor, pulcherrimum ea omnibus, & pugnacissimum creant regem. Pietati & iustitiæ student, ædes ipsorum ianuis carent: & cum in vijs multa iaceant, nemo furatur. *Nicolaus de moribus gentium.*

Apud Samnitas quotannis & adolescentes & virgines publice iudicātur, & qui optimus esse iudicatus fuerit, virginem quam voluerit, ducit, deinde post eum secundus, & sic deinceps.

Ex Bœotis nonnulli eos qui debitum non soluunt, in forum deductos & sedere iussos, cophino superiecto cooperiunt: qui autem hoc passus fuerit, ignominiosus fit. Huiusmodi ignominia etiam Euripidis patrem Bœotum genere notatum putant.

Persæ, quod facere illicitum est, ne id quidem dicunt, Regi gratias agunt ij, qui ab eo flagellari iussi fuerint, quod rex eorum memor fuerit. Ob liberorum numerositatem præmia a rege capiūt. Et pueri inter ipsos verum loqui discunt, ceu disciplinas. Spurium, seu subditiuum, non verum Persam existimant, qui patrem suum occiderit.

Vide, Consuetudo.

MOROSITAS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

INter humanæ conuersationis condimenta varia, duo sunt: vnum quod in seriis, alterum quod in ludicris iucunditatem parit, & affectat. Seria conuersatio cum quibusuis sic instituenda est, vt inhumana non videatur, quantum quidem per honestatem licebit. Moderatio huius nomine peculiari apud Græcos caret. Nos φιλανθρωπίαν, humanitatem vocamus, quod homini propriè conueniat, conuersationis natura cupido, quatenus naturæ humanæ ad officium debet. φιλοπροσηγορία autem, εὐπροσηγορία, popularitas, familiaritas, affabilitas, facilitas. Specierum, non generis significantes sunt voces. Vitia humanitati opponuntur duo. In excessu quidem Blanditia, sui ambitu ἀρέσκους. κόλακας, blandos, obsecundatores, adulatores complectens. In defectu Morositas, δυσκόλους, δυσέριδας, difficiles, morosos, intractabiles, contentiosos, litigiosos, rixosos, austeros, acerbos, asperos, inhumanos, inaffabiles ea se denominati faciens.

Vitium igitur in defectu, Humanitatis nempe vel Mediocritatis homines efficit morosos, importunos, rixosos, iurgiorum, litium, cōtentionum amantes. Nam cum affabilitate destituantur μισάνθρωποι quidam euadunt δυσέριδες, δυσάρεστοι ἐλλειπικοί. nihil ad gratiam nec dicunt, nec faciunt: non ira adducti, sed odio quodam hominum, & nimio contendendi studio. Quapropter sicuti Affabilitas amicitiam sectatur & captat: ita Morositas inimicitiæ similis est Aristoteles morosos vocat δυσκόλους & δυσέριδας. Δυσκόλοι quidem, ἀπὸ τοῦ δυσκολλᾶσθαι, quia male cum alijs conglutinantur: sicuti cōtra κόλακες, adulatores, ἀπὸ τοῦ προσκολλᾶσθαι, quod facillime quibusuis adhærerent, dicebantur. δυσέριδες vero, quoniam ea duplici genere τῆς ἔριδος malignam & perniciosam contentionem sequuntur. Itaque πᾶσι δυσχεραίνοντες ab Aristotele apto vocabulo appellantur: vt quasi manus illorum sint contra omnes & omnium contra illos, quorum inhumana Morositas multas habet species & differentias, ex quibus effigiem ejus lector sibi facile repręsentabit.

Nam hominum aspectum & congressum fugit, alios non admittit ad colloquium, compellantes audire detrectat, insalutatos relinquit, vel paucis verbis excipit, & quidem obscuris, intricatis ænigmaticis: proterue loquitur, titulis gaudet indecoris, honorificos negligit, austerum ac tetricum vultum gerit, gesticulatrix, incessu superbo atque indecoro, vestitu insolenti.

Morosus

Morosus mores aliorum ferre nequit, neminem audit, afflictis non condolet, nihil dat, vel maligne dat, oblata dedignatur, acerbe exigit, præ se contemnit alios, sibi placet, seuerus & ineptus criticus, dicax, irrisor, reprehensionis impatiens, ferox, austerus, omnium aduersarius. In mortuorum cadauera sæuus, brutis minime parcens, cædibus, cladibus & sanguine gaudens. Horum characterum exempla in historiis extant innumera.

Morositas, morum grauitas, & difficultas tanta vt homini moroso nulla res placere, nullus sermo satisfacere, nullus homo per omnia possit esse acceptus. Morosus, *δύσκολος, δύστροπος, δυσάρεστος, δυσαπάλλακτος*. Hebr. *Kascheh*, a *Kachah*, durus, crudelis, horridus fuit, vt sunt istiusmodi homines, ex multis moribus inter se contrariis & aliquoties pugnantibus, sed ad malum pronis, conflati. *Cicero de senectute*: Sunt (inquit) morosi, anxii, iracundi, & difficiles senes, si quærimus, etiam auari: sed hæc morũ vitia sunt, non senectutis. *Et l. 1. de Oratore*. Vsque adeo morosi sumus, vt nobis non satisfaciat ipse Demosthenes. *Et lib. de claris Orat*. M. Piso iracundius respuebat ineptias hominum, siue morose, vt putabatur, siue ingenuo liberoque fastidio.

Loci Biblici.

Morositas damnatur in quibusuis, sub nominibus Inhumanitatis, Crudelitatis, Ferocitatis, & aliis vitiis Humanitatem, Mansuetudinem, Modestiam, aliasque virtutes placidis atque honestis hominibus conuenientes, oppugnantibus.

Exempla sunt Ismael, Laban, Nabal, Pharisæi, alii innumeri.

Sententiæ Philosophor.

In congressu hominum, & vitæ quotidianæ consuetudine, denique in sermonum ac factorum communicatione, alij blandi seu placendi studiosi videntur esse, &c. Alij contra, qui in omni re aduersantur, neque magnopere laborant, ne quem offendant: appellanturque morosi, contentiosi, pugnaces ac peruicaces, *Arist. Ethic. lib. 4. c. 12.*

Cætera quæ pluribus apud Græcos nominibus in species iram distinguunt, quia apud nos vocabula sua non habent, præteribo: etiam si amarum nos, acerbumque dicimus, nec minus stomachosum, rabiosum, clamosum, difficilem, asperum: quæ omnia irarum differentiæ sunt. Inter hos morosum ponas licet, delicatum iracundiæ genus. *Senec. de Ira, lib. 1. c. 4.*

Quam sint morosi qui amant, vel ex hoc intelligi potest, moleste ferebam antea, te inuitum istic esse: pungit me rursus quod scribis, te esse illic libenter. *Cicero ep. 15. lib. 7.*

Reliquas habes supra tit. Mores.

Sententiæ Poeticæ.

Aristoph.

Difficile est morosos homines admonere.

Sophocl.

Morositas obnoxia est imperitia.

Euripid.

Inhumanum est in alterius miseri lachrymas non fundere.

Eurip.

Morosi sunt ægrotantes desipientis ... grata.

Idem.

Morosi vita non est vita, sed calamitas.

Menander.

Inhumana res est, duritas vitæ.

Publius.

In calamitoso risus etiam iniuria est.

Horat.

Nihil moror officium, quod me grauat.

Publius.

Damnare est obiurgare cum auxilio est opus.

Idem.

Maledictum interpretando facias acrius.

Seneca.

Dubiam salutem qui dat afflictis negat.

Gellius.

Nimium altercando veritas amittitur.

Publius.

Crudelis in re aduersa est obiurgatio.

Anonym.

Queruli in amicos non sunt ad amicitiam idonei.

Ouid.

Impatiens animus nec adhuc tractabilis arte,
Respuit atque odio verba monentis habet.

Est huic diuersum vitio vitium prope maius,
Asperitas agrestis, & inconcinna grauisque,
Quæ se commendat tonsa cute, dentibus atris,

Horat. l. 1. ep. 19.

Dum vult libertas mera dici, veraque virtus,
Homine im[illegible]il quicquam iniustius.

Terentius.

Qui, nisi q[illegible], nihil rectum putant,
Sæpe salut[illegible]am prior ipse salutas,

Martialis.

Sic eris æternum, Pontiliane, Vale.

Similitudines.

Quemadmodum vinum austerum non est aptum potioni: sic mores agrestes non apti sunt conuersationi hominum. *Socrates, apud Stob. serm. 2.*

Vt qui variis tempestatibus huc & illuc iactatus est, nec tamen peruenit, non multum nauigauit, sed multum iactatus est: Sic qui diu vixit, nec profecit ad bonos mores, non diu vixit, sed diu fuit. *Seneca.*

Mare interdum ita tranquillum videre licet, vt & timidissimus opinor contemnere possit. Quid ergo? An illi propterea credendum est, & neque anchoras, neque clauum, neque alia ad salutem necessaria assumere oportebit, qui sit soluturus? Videbis enim (si sors ita ferat) paulo post incumbente vento, tempestatem validam, fluctus decumanos, immẽsisque pares montibus, curuos albescentes. Ita quoque cum tibi modo visus est mansuetus, magnanique præ se ferre erga te beneuolentiam & studiũ, leui caussa incidente, inuenies ferum atque sæuum, & nihil non maleface re paratum. *Dion. Chrys. Orat 74.*

Hieroglyphica.

Hominem qui cum difficulter, vel nulla vnquam ratione consuetudinem inire possis, *Echini* hieroglyphico veteres demonstrabãt: quippe quem quaqua tractare volueris, asperitate renitentiaque horridum expertare, atque itidem ex hoc asperitatem eam, quam Horatius damnat, agrestem, inconcinnam, atque grauem, per hoc animal, quod est intractabile, notabant. *Io. Pier. Val. lib. 28 cap. 74.*

Ignem gladio dissecare vetat Pythagoras. D. Hieronymus atque Cyrillus, morosum, impudentem, ira percitum animum verborum asperitate, ceu gladio, non esse lacessendum exponunt. *Idem, lib. 42. cap. 62.*

MORS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Mors, Græce *θάνατος, ἀπὸ τοῦ θνήσκω* morior dicitur. Est autem mors recessus animæ a corpore, *secundum Arist. lib. de Morte*. A mors fit morior, tertiæ & quartæ coniugationis, mortalis, morti subiectus, mortiferum, quod mortem affert, morticinus, exanguis, corruptus, vt caro morticina, quæ in vlcere est fœde corrupta.

Mors requies ærumnarum in luctu atque miseriis est, & cuncta mortalium mala dissoluit. *Cæsar apud Sallustium in Catilina.*

Mors portus est malorum, perfugium ærumnosæ vitæ. *Cicero lib. 5. Tusc. quæst.*

Artabanus apud Herodotum inquit, mortem esse optatissimum perfugium ærumnosæ vitæ, portum miserorum, & effugium miseriarum.

Mors est animæ a corpore distinctio seu discessus. Mors naturalis, cum humore caloris pastu arescente, flaccescit calor: & ad postremum extinguitur vt lucerna, oleo extincto. *Viues de anima lib. 2.*

Mors violenta est, quam gentiles præter fatum dicebant esse, cum casu aliquo vel humor detrahitur, vel calor extinguitur oppositione quapiam, siue interna, vt in veneno, ingluuie & alluuione immodica potus; quemadmodum cum nimium olei in lucernam infunditur: siue externa, vt spiritus cor refrigerantis in arteria, vel ore compresso, quale est cum ignis lapidibus, aut multo cinere de repente obruitur. *Cic. l. 1. Tusc. q.*

Mors est corruptio & inhabilitas instrumentorum. Inter bruti & hominis mortem hoc interest, quod bruti anima, quemadmodum, & sensuum nostrorum vigor, perit in morte: nostra autem anima superstes est suo cadaueri. Itaque mors hominis recte superius definitur. *θάνατος ἐστι ψυχῆς καὶ σώματος διάλυσις*, id est;

Mors est animæ ac corporis dissolutio,
Ludouic. Viues.

Loci Biblici.

Mortis exitus in Dei potestate siti sunt, *Psal. 68. 21.* mortis dolores Hebræorum more, pro morte dolorum corporis, & cruciatus animi plena, *Actor 2. 24.* mortis hora omnibus incerta, *Eccles. 9. 12.* mortis imperium habere quo sensu dicatur Diabolus, *Heb. 2. 14.* Mortis vmbra pro morte vmbrosa, vel tenebricosa, Hebraismus, *Matth. 4. 16. Luc. 2. 29.* Mortem nostram morte deuicit Chri-

cit Christus, *Esa.*25.8. *Ose.*13.14 *Rom.*6.9.1.*Cor.*15.54.2.*Timoth.* 1.10.*Hebr.*2.14. *Actor.*21.4.mortem gustare,pro mori, *Matth.*16. 28.*Ioan.*8.52.*Hebr.*2.9.sicut mortem videre *Psal.*89.49.*Luc.*2.26 *Ioan.*8.51.cui contraria phrasis est, Vitam [illegible] pro vita frui. Vitam contra non videre est vita non frui [illegible]. Morte mori, Morte interficere,Hebraicus pleonasmus [illegible] internecione delere.

Mortuus pro breui & iam iam moriturо, *Gen.*20.3.2.*Reg.*20.1.*Esa.* 38.1.Mortui,pro hominibus ψυχικοῖς, vt vocat Paulus,1.*Corin.* 2.14.seu animalibus, nondumque regeneratis, qui veræ vitæ expertes,de Euangelii & vitæ æternæ doctrina minime sunt solliciti,imo contumaciter reluctantur, *Matth.*8.22.*Luca* 9.6.2.*Corinth.* 5.15.*Ephes.*2.1.Mortuis quo sensu dicatur Euangelium prædicatū fuisse,2.*Petr.*4.6.Mortui non consulendi, *Deut.*18.11. *Esaia* 8.19. Mortui in fide,in Christo obdormiunt, *Actor.*7.60.mortui non lugendi, *Philip.*2.27.1.*Thessal.*4 13.Mortui quatenus lugendi,aut nō lugendi, *Leuit.*19.28.*Deut.*14.1.& 34.8.2.*Reg.* 1.11.& 3.32.& 10. 2.& 12.16.& 14.2.& 19.1.& 21.10.13.*Ecclesiast.* 22.10.& 38.16. 1.*Machab.*9.20.& 12.52.& 13.26. *Matth.*9.3. *Luca* 7.13. *Ioan.*11. 13.*Actor.*8.2.& 9.39.2.*Thess.*4.13.mortui resurgūt, *Matth.*27.53.

Mortuorum Dominus dicitur Deus, *Roman* 14.9. quod negat Christus, *Matthai* 22.32. Sed non pugnant hi duo loci inter se: Christus enim ex Sadducæorum hypothesi negat Dominum esse Deū mortuorum, qui (Sadducæi) mortuos nunquam resurrecturos, nec vnquam exituros dicebant. Paulus autem ex alia hypothesi idem affirmat, quæ nimirum hypothesis Christi resurrectione nititur,& hoc modo Deus est,& dicitur Deus mortuorum, quoniam corpora ne mortua quidem sunt in nihilum redacta, & suo tempore tandem sunt resurrectura.

Morticina caro non comedenda, *Deut.*14.21.

Mortificatio,pro misera fidelium in hac vita conditione, 2.*Cor.*4.10. mortificatio in Baptismo præfigurata, 1.*Pet.*3.21.

Mori in peccato dicuntur,quos vndique peccato constrictos mors absorbet, *Iacob.*3.21.

Mori peccato, tertio casu is dicitur, *Rom.*6.2. in quo vis illa peccati extincta est per Christi virtutem,contra vero,Viuere peccato, & iniustitiæ, dicitur quisquis est in carne, contraria vero illi priori significationi, mortuus peccatis sexto casu, *Ephes.* 2.5. aut mortuus in peccatis, *Col.*2.13. phrasi Paulina is dicitur, qui peccatis magis immortuus tenetur,qui & mortuus absolute dicitur, *Rom.* 6.13.& 7.10.*Ephes.*5.14. 1.*Tim.*5.6. qui etiam dicitur in vmbra mortis habitare, *Esa.*9.1.& qui non est renatus,sic etiam hæc animi & corporis coniunctio, vita proprie non est,sed mors, in iis qui Christi Spiritu non aguntur, *vt Esa.*9.1.*Ioan.*5.18.*Roman.*6.2. 13.& 7.10.1.*Timoth.*5.6.Mori in peccatis. *Num.*27.3. dicitur, qui propter peccata sua moritur.Mortuum peccatum, Paulo. *Rom.*7. 9.est quod in nobis quidem est, sed non agnoscitur pro peccato neque ita furit,vt solet post legis cognitionem.Mortua opera dicuntur, *Hebr.*6.14. peccata quæ a morte proficiscuntur, & nihil aliud quam mortem generant.

Mors,pro naturali animæ & corporis solutione,ex peccato est, *Gen.* 2.17.& 3.19.*Rom.*5.12.& 6.23.1.*Cor.*15.21. *Col.*2.13. 1.*Tim.*5.6. *Ephes.*2.1.*Iac.*1.15.pro peste, *Apoc.*6.8. per auxesin, pro ingentibus periculis, 2.*Cor.*1.10.& pro præsentibus mortis periculis, 1. *Cor.*15.31.2.*Cor.*1.10.& 11.23.mors peccati finis, *Rom.*6.21. mors peccati stipendium, 23.mors & certa mortis dies omnibus hominibus constituta, *Deuteronom.* 31.14. *Iosue.* 23.14.1. *Samuel* 26.10. *Iob.*14.5.*Psal.*89.49.*Eccl.*3.3 & 8.8.9.5.*Eccl.*17.3. & 41.1. *Ioan.*7. 30 & 8.20.*Rom.*5.12.& 6.23.*Hebr.*9.27. mortis hora incertissima, *Eccl.*9.12.*Matth.*24.43.*Luc.*12.40 1.*Thess.*5.2 2.*Thess.*2.2. *Iac.*4.13 mors per Christum destructa, 2.*Timot.*1.10.1.*Pet.*3.22.mors prorsus delenda est. 1.*Cor.*15.26 54.*Apoc.*20. 14. mors æterna impiis apparata, 2.*Thess.*1.9.mors duplex: prima corporum, secunda animorum, *Apoc.*20 14.mors secunda, 2.11. & 21. 8. mors omnibus communis, *Rom.*5.12 *Hebr.*9.27. mors piis non timenda, *Matth.* 10.28.*Ioan.*12.25.1.*Cor* 5.1.2.*Philip* 1.23.& 2.17.*Hebr.*2.15.2.*Pet.* 1.14.mors piis est quasi somnus & dormitio quædam, *Deu.*31.16. 2.*Sam.*7.12.1.*Reg* 2.10.& 11.21.43.& 14.20.*Sap.*3.3.*Matth.*9.24. *Ioan.*11.11.*Act.*7.60.& 13.36.1.*Cor.*11.29.1.*Thess.*4.13.mors quorundam olim prædicta: *Exempla*: Filii Dauidis, 2.*Sam.* 12.14. Filii Ieroboam. 1.*Reg.*12.12.domus Baasæ,16.3.Ochosiæ.2.*Reg.*16.Hananiæ Pseudoprophetæ, *Ier.*28.16. Amasiæ & eius familiæ. 7.17. *Ioan.*21.18.

Sententiae Biblicae.

Mors Christi ignominiosa.

Morte turpissima condemnemus eum. *Sap.*2.

Et cum sceleratis reputatus est. *Esa.*53.

Fructuosa.

Præcipitabit mortem in sempiternum. *Esa.*25.

Ero mors tua, o mors, morsus tuus, inferne. *Osea* 13.

Tradidi enim vobis in primis, quod & accepi: quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris. 1.*Cor.*15.

Charitas enim Christi vrget nos, æstimantes hoc, quoniam si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. Et pro omnibus mortuus est Christus, vt & hi qui viuunt, iam nō sibi viuāt, sed ei, qui pro ipsis mortuus est & resurrexit. 2.*Corinth.*5.

Deus autem qui diues est in misericordia propter nimiam charitatē suam, qua dilexit nos, cum essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo, cuius gratia estis saluati, & conresuscitauit, & consedere facit in cœlestibus in Christo Iesu. *Ephes.*2.

Quia & Christus semel pro peccatis nostris mortuus est iustus pro iniustis, vt nos offerret Deo mortificatos quidem carne, viuificatos autem spiritu. 1.*Pet.*3.

Mors gratia vitia extirpat.

Quid ergo dicemus? Manebimus in peccato vt gratia abundet? absit. Qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc viuemus in illo? An ignoratis fratres, &c. *Rom.*6.

Ita & vos existimate, vos mortuos quidem esse peccato, viuentes autem Deo in Christo Iesu. Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentiis eius. *ibid.*

Semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes. 2. *Cor.*4.

Semper enim nos qui viuimus, in mortem tradimur propter Iesum, vt & vita Iesu manifestetur in carne nostra. *ibid.*

Viuo autem, iam non ego, viuit vero in me Christus, *Gal* 2.

Mortificate ergo membra vestra quæ sunt super terram. *Col.*3.

Vitam præstat.

Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus. *Rom.*6.

Si autem mortui sumus cum Christo, credimus quia simul etiam viuemus cum illo. *ibid.*

Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cum autem Christus apparuerit, vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria. *Col.*3.

Nam si commortui sumus, & conuiuemus: si sustinebimus, & conregnabimus. 2.*Tim.*2.

Mors culpa ex peccato oritur.

Vnusquisque in iniquitate sua morietur. *Ier.*38.

Anima quæ peccauerit, ipsa morietur. *Ezech.*18.

An nescitis, quoniam cui exhibetis vos ad obediendum, serui estis eius cui obeditis, siue peccati ad mortem, siue obeditionis ad iustitiam. *Rom.*6.

Peccato vero cum consummatum fuerit, generat mortem. *Iacob.*1.

Meritis priuatur.

Dimitte mortuos sepelire mortuos suos. *Matth.*8.

Dixi ergo vobis, quia in peccatis vestris moriemini. Si enim non credideritis, quia ego sum, moriemini in peccato vestro. *Ioan.*8.

Per gratiam curatur.

Amen amen dico vobis, quia venit hora & nunc est, quando mortui audient vocem filii Dei, & qui audierint, viuent. *Ioan.*5.

Stipendia peccati mors: Gratia autem Dei vita æterna in Christo Iesu Domino nostro. *Rem.*6.

Surge qui dormis, & exurge a mortuis, & illuminabit te Christus. *Ephes.*5.

Et vos cum mortui essetis in delictis, & præputio carnis vestræ, conuiuificauit cum illo, donans vobis omnia delicta, delens, quod aduersum nos erat, chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci. *Coloss.*2.

Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita, peccanti non ad mortem. 1.*Ioan.*5.

Mors gehenna perpetuatur.

Sicut oues in inferno positi sunt, mors depascet illos. *Psal.*48.

Malorum amatores digni sunt morte. *Sap.*15.

Et infernus & mors missi sunt in stagnum ignis. Hæc est mors secunda. *Apoc.*20.

Mors natura omnibus miserabilis, propter peccati transgressionem.

Quia audisti vocem vxoris tuæ & comedisti de ligno, de quo præceperam tibi ne comederes, in sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec reuertaris in terram de qua sumptus es: quia puluis es, & in puluerem reuerteris. *Gen.*3.

Omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non reuertuntur. 2.*Reg.*14.

Scio quia morti trades me, vbi constituta est domus omni viuenti. *Iob* 30.

Quis est homo qui viuet, & non videbit mortem? *Psal.*88.

Nolite zelare mortem in errore vitæ vestræ, neque acquiratis perditionem in operibus manuum vestrarum. Quoniam Deus mortem non fecit, ne lætatur in perditione viuorum. *cap.*1.

Iustitia enim perpetua est, & immortalis, iniustitia autem mortis est acquisitio. *ibid.*

Quoniam Deus creauit hominem inexterminabilem, & ad imagi-

imaginem similitudinis suæ fecit illum. Inuidia autem diaboli mors introiuit in orbem terrarum. 2.

A muliere initium factum est peccati: & per illam omnes morimur. *Eccl. 25.*

Propterea sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt. *Rom. 5.*

Sed regnauit mors ab Adam vsque ad Moysen, etiam in eos qui nō peccauerunt. *Ibid.*

Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur. 1. *Cor. 15.*

Stimulus autem mortis peccatum est. *ibid.*

Propter aduentus sui incertitudinem.

Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum conuiuii. *Eccl. 7.*

Nescit homo diem suum. 9.

Memor esto quoniam mors non tardat. 14.

Dixit autem illi Deus, stulte hac nocte animam tuam repetent a te. *Luc. 12.*

Mors est consolabilis miseris.

Moritur doctus similiter vt indoctus. *Eccl. 2.*

Vnus ergo introitus est omnibus ad vitam, & similis exitus. *Sap. 7.*

Melior est mors, quam vita amara, & requies æterna, quam languor perseuerans. *Eccl. 7.*

O mors; bonum est iudicium tuum homini indigenti, & qui minoratur viribus defecto ætate 41.

Honorabilis bonis.

Iustus autem si morte præoccupatus fuerit in refrigerio erit. *Sap. 4.*

Noli metuere iudicium mortis. Memento, quæ ante fuerunt, & quæ superuentura sunt tibi. Hoc iudicium a Domino omni carni. *Eccl. 4.*

Iustus perit, & non est qui recogitet in corde suo. Veniat pax, requiescat in cubili suo, ambulauit in directione sua. 57.

Scimus quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manu factam, sed æternam in cœlis. 2. *Cor. 5.*

Coarctor autem è duobus desiderium habens dissolui, & esse cum Christo. *Phil. 1.*

Beati mortui qui in Domino moriuntur. *Apoc. 14.*

Horribilis malis.

Mortuo homine impio nulla erit vltra spes. *Prou. 11.*

Non est in hominis potestate prohibere spiritum, nec habet potestatem in die mortis, nec sinitur quiescere ingruente bello, neque saluabit impium. *Eccl. 8.*

Cum enim morietur homo, hæreditabit serpentes, & bestias, & vermes. *Eccl. 18.*

O mors, quam amara est memoria tua homini pacē habenti in substantijs suis, viro quieto, & cuius viæ directæ sunt in omnibus, & adhuc valenti accipere cibum. 41.

Vere enim mors peccatorum pessima. *Psal. 33.*

Lamentabilis cunctis.

Supra mortuum plora, &c. *Eccl. 22.*

Ingemisce tacens, mortuorum luctum non facies. *Ezechiel. 24.*

PATRVM SENTENTIÆ.

Omnis gloria Dei & omnis salus hominum, in Christi morte constituta sunt. *Chrys. & August.*

Mortis diem omnes affuturum sciunt: eum tamen omnes aut pene omnes differre conantur, etiam qui post mortem beatius credunt se victuros, tantam habet vim carnis & animæ dulce consortium. *August. de grat. noui test.*

Mala mors putanda non est, quam bona vita præcessit, neque enim facit malam mortem, nisi quod sequitur ipsam mortem. *De Ciu. Dei.*

Prima mors animam pellit volentem a corpore, secunda mors animam nolentem tenet in corpore. *Ibid.*

Quid est mors? Relictio corporis, depositio sarcinæ grauis, modo alia sarcina non portetur, qua homo præcipitetur in gehēnam. Qui cupit dissolui & esse cum Christo, non patienter moritur, sed patienter viuit, & delectabiliter moritur. *Idem in Ioann.*

Vocantur ante tempus boni, ne diutius vexentur a noxijs: mali vero impij tolluntur, ne diutius bonos persequantur. *lib. de vita Chrysost.*

Nescis qua hora veniet: semper vigila, vt quod nescis quando veniet, paratum te inueniat, quum venerit: & ad hoc forte nescis quando veniet, vt semper paratus sis. *Aug.*

In quo quemque inuenerit suus nouissimus dies, in hoc eum comprehendet mundi nouissimus dies, quoniam qualis in die isto moritur talis in die illo iudicabitur. *ad Diosc.*

Non multum curandum est eis qui necessario morituri sunt, quid accidat vt moriantur: sed moriendo quo ire cogantur. *lib. 1. de ciuit. Dei.*

Timor de futura morte mentem necessario concutit, & quasi clauis carnis omnes motus superbiæ ligno crucis affigit. *libro 2. de doct. Christiana.*

Latet vltimus dies, vt obseruentur omnes dies, sero parantur remedia, quum mortis imminent pericula. *de disciplina Christi.*

Mortem, vt peccati præcisionem homo lucratur, ne malum immortale esset. Ita pœna ipsi in misericordiam cessit. Sic enim Deum supplicia inferre censeo. *Nazian. Orat. 38.*

Nihil sic reuocat a peccato, quam frequens mortis meditatio. *Aug. lib. exhort.*

Non potest male mori, qui bene vixerit: & vix bene moritur, qui male vixit. *De doctrina Christiana.*

Nihil interest vtrum abiures depositum an doleas restitutum: in vtroque fidei ambiguum vitæ periculum est. Quid tam secundū naturam, quam referre gratiam authori? Non amitti, sed præmitti videntur, quos non absumptura mors, sed æternitas receptura est. *Ambr. l. de excis. fra.*

Nudi omnes nascimur, nudi morimur: nulla distinctio inter cadauera mortuorum, nisi forte quia grauius fœtent diuitum corpora, luxuria distenta. *Ambros. in hexameron.*

Platonis sententia est, omnem sapientum vitam meditationem esse mortis; debemus & nos igitur præmeditari, quod aliquando futuri sumus, & quod velimus nolimus abesse longius non potest. *Hier. in Epist. ad Heliod.*

Nihil æque tibi proficiet ad temperantiam omnium rerum, quam frequens cogitatio breuis æui, & huius incerti. Quicquid facies, respice mortem. *Ad eundem.*

Memento mortis tuæ, & non peccabis. Qui se quotidie recordatur esse moriturum, contemnit præsentia, & ad futura festinat. *ad Cypr.*

Non est nostrum mortem arripere, sed illatam ab aliis libenter accipere. Vnde & in persecutionibus non licet propria manu perire. *Hier. super Ionam.*

Inter eum, qui decem vixit annis, & illum qui mille, postquam idē finis vitæ aduenerit, & irrecusabilis mortis necessitas, transactū omne tantundem est, nisi quod magis senex onustus peccatorum fasce proficiscitur. *Ad Heliod.*

Ad hoc autem conditor noster latere nos voluit finem nostrum diemque nostræ mortis esse incognitum, vt dum semper ignoratur, semper proximus esse credatur: & tanto quisque sit feruentior in operatione, quando & incertus est de vocatione: vt dum incerti sumus quando moriamur, semper ad mortem parati debeamus venire. *Greg. lib. 12. moral.*

Antiquus hostis ad rapiendas peccatorum animas tempore mortis crudelitatis effrænatur violentia, & quos viuentes blanditiis deceperit, morientes seuerius rapit. *l. 6. moral.*

Sic mors ipsa quum venerit, vincitur: si prius quam veniat, semper timeatur. *In Hom.*

Quasi subhoneste, quem prosternit, moritur, qui de culpa, quam superat, eleuatur. *In moral.*

Qui considerat qualis erit in morte, semper pauidus erit in operatione, atque inde in oculis sui Conditoris viuet. Nil quod transeat, appetit: cunctis vitæ præsentis desiderijs contradicit, & pene mortuum se considerat: quia moriturum se minime ignorat. Perfecta enim vita, est mortis meditatio, quam dum iusti solicite peragunt, culparum laqueos euadunt. *lib. 12. mor.*

Iustorum animæ leuibus quibusque contagijs ipso sæpe mortis pauore purgantur, & æternæ retributionis gaudia iam ab ipsa carnis solutione percipiunt. Plerumque vero contemplationis internæ, etiam prius quam carne spolientur, hilarescunt: & dum vetustatis debitum soluunt, noui iam muneris lætitia perfruuntur. *Greg. lib. 24.*

Mors iustorum bonis est in adiutorium, malis in testimonium, vt inde peruersi sine excusatione pereant, vnde electi exemplum capiunt, vt viuant. *super Matth. 3.*

Horam vltimam idcirco Dominus noster nobis voluit esse incognitam, vt semper possit esse suspecta: vt dum illam præuidere non possumus, ad illam sine intermissione properemus. *In homil.*

Sicut hi, qui adhuc viuentes, animæ mortuorum quo loco habeantur, ignorant: ita mortui, vitam in carne viuentium, post eos qualiter disponantur, nesciunt. *In moral.*

In omnibus operibus tuis memorare tuæ mortis horrorem, iudicii tremendi valde discrimen, ardentis gehennæ metum ab oculis tui cordis elongari nullatenus patiaris. Cogita peregrinationis tuæ miseriam; recogita annos tuos in amaritudine animæ tuæ, & cogita vitæ humanæ pericula. Cogita fragilitatem propriam, & in huiusmodi cogitatione si perseueraueris, dico tibi, parum senties, quicquid foris videtur esse molestum, dum toto corde circa interiorem molestiam occuperis. *Ber. in serm.*

Nouissima sunt quatuor, Mors, Iudicium, Gehenna, Gloria. Quid horribilius morte? quid terribilius iudicio? quid intolerabilius gehenna? & quid iucundius gloria? *ibid.*

Miser

Miser homo, quare omni hora te non disponis? Cogita te iam mortuum, quem scis necessitate moriturum: distingue qualiter oculi vertentur in tapite, venæ rumpētur in corpore, & cor scindetur dolore. *ibid.*

Quid in rebus humanis certius est morte, quid incertius hora mortis inuenitur? Non miseretur inopiæ, non reueretur diuitias, nō sapientiæ, non moribus, non ætati denique parcit: nisi quod senibus mors est in ianuis, iuuenibus vero in insidiis. *Idem.*

Quam mitius me priuares, ò austera mors, vitæ vsu, quam fructu? Nam vita sine fructu prauior est, quam mors. *Idem super Cant.*

Bona mors iusti propter requiem, melior propter nouitatem, optima propter securitatem: E contra mors peccatorum pessima, mala siquidem in mundi amissione, peior in carnis separatione, pessima in vermis ignisque duplici contritione. *in epist.*

Pretiosa mors sanctorum, pretiosa plane tanquam finis laborum, tanquam victoriæ consummatio, tanquam vitæ ianua & perfectæ securitatis ingressus. *ibid.*

Mors, munus necessarium est naturæ iam corruptæ, quæ non est fugienda, sed potius amplectenda: vt iterum fiat voluntarium, quod futurum est necessarium: offeramus Deo pro munere, quod pro debito teneamur reddere. *Chrysost. super Matth. 1.*

Pijs mors vltra non est mors, sed nomen tantum habet mortis: imo & ipsum nomen sublatum est. *idem in hom.*

Mors non est malum: sed post mortem pœnas dare, malum est. Mortis regio, mundus. *idem ibid.*

Illi deplorandi sunt in morte, quos miseros infernus ex hac vita recepit, non quos cœlestis aula lætificandos includit. *Isid. lib. 3. de summo bon.*

Etsi pietas pro defunctis fidelibus flere iubeat: fides tamen pro eis lugere vetat. Multi enim vitam odio habent, & mori timent, & viuendi habent tædium, & moriendi metum. *ibid.*

O durus & durior casus? heus quid perdidit homo, & quid inuenit? Perdidit beatitudinem, ad quam factus est, & inuenit mortem, ad quam factus non est. Hodie venimus a patria in exilium, a visione in cæcitatem, a iucunditate immortalitatis ad corruptionem mortis: misera conditio, grauis dolor, graue damnum, graue tormentum. *Anselm. in suis medit.*

Percutitur hac animaduersione peccator, vt moriendo obliuiscatur sui, qui viuens oblitus est Dei. *Cæsarius in admonit. 6.*

Quis mortem temporalē metuat, cui æterna vita promittitur? Quis labores carnis timeat, quum se in perpetua requie nouerit collocandum? *Cassiod. in Psalm.*

Non nocet bonis, si occidantur, vel subita morte rapiantur: non enim subito moriuntur, qui semper se cogitauerunt morituros. Siue ergo ferro immolentur, siue a bestijs lacerentur, aut flammis vel vndis immergantur, aut suspendantur, vel crura frangantur, vel quolibet alio infortunio moriantur, semper est pretiosa in conspectu Domini Mors sanctorum eius, vt dicitur. Quacunque hora iustus moriatur, iustitia eius non auferetur ab eo, & ita mors non obest, imo multum prodest eis: quia si quid peccati cōtraxerunt per humanam fragilitatem, relaxatur per mortis acerbitatem. *Anselm.*

Mors triplex est: Naturæ, de qua dicitur: quærent homines mortē, & non inuenient: Hæc mors non est metuenda fortibus, desideranda sapientibus, miseris expetenda. Culpæ, de qua dicitur: Anima quæ peccauerit, ipsa morietur. Gratiæ, quæ secularium aufert interitum voluptatum, in qua non natura, sed delicta moriuntur: hanc mortem subimus consepulti cum Christo in Baptismo. *Ambros. super Lucam lib. 5.*

Si de diuitiis & honoribus, & morum nobilitate te iactas, de patria & pulchritudine corporis & honoribus, qui tibi ab hominibus exhibentur, respice teipsum, qui mortalis terra es, & in terram ibis. Circumspice, qui similibus fluxere splendoribus. Vbi sunt qui ambiebant currum potestatis? vbi insuperabiles Imperatores? Vbi sunt qui conuentus disponebant, & festa, & equorum splendidi nutritores? vbi nunc vestes, & ornamenta peregrina? vbi seruorum turba? vbi iocus & lætitia? vbi exercituum duces? vbi satrapæ, & tyranni? Nonne omnia puluis & fauilla? Nonne in paucis versibus eorum vitæ patet memoria? Respice eorum sepulchra, & vide qui seruus, & qui dominus, qui diues, qui pauper. Discerne si potes, victum a rege, fortem a debili, pulchrum a deformi. Vide si est aliquod in eo signum iactantiæ suæ. Memorare vtique naturæ, ne extollaris. *August. lib. de Natura & gratia.*

Mors peccatorum pessima, quorum & natiuitas mala, & vita peior: sed pretiosa mors sanctorum. Pretiosa plane tanquam finis laborum, tanquam victoriæ conuersatio, tanquam vitæ ianua, & perfectæ securitatis ingressio. *Bern. de transitu Malachiæ.*

Tres sunt nuntii mortis: Casus, Infirmitas, Senectus: Casus dubia, Infirmitas grauia, Senectus certa denunciat. Casus nunciat mortem latentem, Infirmitas apparentem, Senectus præsentem. Ex hac incertitudine, mortis timor. Ex grauitate dolor. Ex certitudine senectutis, non obstinatio, sed humilitas, & afflictio sequi debet. *Hugo de claustro Animæ lib. 2.*

Xerxes ille magnus rex, potentissimusque, qui subuertit montes, maria constrauit, cum de sublimi loco infinitam hominum multitudinem, & innumerabilem vidisset exercitum, fleuisse dicitur, quod post centum annos nullus eorum quos tūc cernebat superfuturus esset. O si possemus super talem ascendere speculam, de qua vniuersam terram sub pedibus cerneremus, iam tibi ostenderem totius mundi ruinas, gentes gentibus, reges regibus, regna regnis collisa. Alios torqueri, alios necari, alios absorberi fluctibus, alios in seruitutem trahi. Hic nuptias, ibi planctum, illos nasci, istos mori, alios affluere diuitiis, alios mendicare. Et non tantum Xerxis exercitum, sed totius mundi homines, qui nunc viuūt in breui spatio defuturos. Vincitur sermo rei magnitudine, & minus est quod dicimus. Redeamus igitur ad nos, & quasi è cœlo descendentes paulisper nostra videamus. Sentis obsecro te quādo infans, quando puer, quando senex factus sis? Quotidie morimur, quotidie commutamur, & tamen æternos nos esse credimus. *Hieron. ad Heliodorum.*

SENTENTIAE POETICÆ.

Hor. 1. Epist.

Inter spem, curamque timores, inter & iras
Omnem crede diem tibi diluxisse supremum.
Grata superuenit, quæ non sperabitur, hora.

Persius 5.

Viue memor lethi, fugit hora, hoc quod loquor, inde est.

Chilo per Auson.

Viue memor mortis, vti memor, sis & salutis.

Mar. 11.

Expectant curæque catenatique labores,
Gaudia non remeant sed fugitiua volant.
Hæc vtraque manu, complexuque assere toto,
Sæpe fluunt imo sic quoque lapsa sinu.
Non est, crede mihi, sapientis dicere, viuam.
Sera nimis vita est crastina, viue hodie.

Idem 2.

Pange toros, pete vina, rosas cape, tingere nardo,
Ipse iubet mortis te meminisse Deus.

Lucret. 3.

Et metus ille foras præceps Acherontis agendus
Funditus humanam qui vitam turbat ab imo
Omnia suffundens mortis nigrore, nec vllam
Esse voluptatem liquidam puramque relinquit.

Maphæus Vegius in appendice Virg.

Heu mortem inuisam? quæ sola vltricibus armis
Elatos frenas animos, communia toti
Gentis sceptra tenens, æternaque fœdera seruans.
Quæ magnos paruosque teris, quæ fortibus æquas
Imbelles, populosque Duces, seniumque iuuenta.

Virg. in Mecœnatis obitum.

Illa rapit iuuenes prima florente iuuenta,
Non oblita rapit sed tamen illa senes.

Ouid. 3. Amor. 8.

Scilicet omne sacrum mors importuna profanat,
Omnibus obscuras iniicit illa manus.

Idem ad Liuiam.

Fata manent omneis, omneis expectat auarus
Portitor, & turba vix satis vna ratis.
Tendimus huc omnes, metam properamus ad vnam,
Omnia sub leges mors vocat atra suas.

Hor. 1. Carm. 4.

Pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas,
Regumque turres.

Idem 1. Carm. 28.

Omnes vna manet nox,
Et calcanda semel via lethi, &c.
Mista senum ac iuuenum densentur funera? nullum
Sæua caput Proserpina fugit.

Lucan. 9.

Sortilegis egeant dubij, semperque futuris
Casibus ancipites, me non oracula certum,
Sed mors certa facit, pauido fortique cadendum est.

Sen. Herc. fur.

Tibi crescit omne
Et quod occasus videt, & quod ortus
Parce venturis, tibi mors paratur.
Sis licet segnis, properamus ipsi.
Prima quæ vitam dedit hora carpsit.

Propert. 20. 28.

Longius, aut propius mors sua quemque manet.

Idem 3. 3.

Haud vllas portabis opes Acherontis ad vndas.

Nudus

Nudus ab inferna Stulte vehere rate.
Pastor cum vitiis pariter miscebitur umbris.
Consule cum Mario capto Iugurtha sedes
Lydus Dulichio non distat Crœsus ab Iro.
Optima mors, parca quæ venit ante die.

Claud. 2. rapt. Proserpinæ.

Sub tua purpurei venient vestigia reges.
Deposito luxu, turba cum paupere mixti:
Omnia mors æquat.

Ouid. ad Liuiam.

Sed rigidum ius est, & inevitabile mortis.

Sen. Herc. fur. act. 1.

Certo veniunt ordine Parcæ,
Nulli iusso cessare licet,
Nulli scriptum proferre diem,
Recipit populos urna citatos.

Lucret. 3.

Certe quidem finis vitæ mortalibus adstat,
Nec devitari letum pote quin obeamus.

Silius 32.

Et pace, & bello cunctis stat terminus æui,
Extremumque diem primus tulit.

Corn. Gallus vel potius Maximianus.

Omnibus est eadem lethi via, non tamen unus
Est vitæ cunctis, exitij atque modus.
Hac pueri, atque senes pariter iuuenesque feruntur,
Hac par divitibus pauper eg nus erit.

Stat. 9. Theb.

Mille modis lethi miseros mors una fatigat.

Idem 2. Sil. 1.

Nam populos mortale genus, plebisque caducæ
Quid stat interitus? hos bella, hos æquora poscunt:
His amor exitio, furor his, & sæua cupido,
Vt sileam morbos, hos ora rigentia brumæ,
Illos implacido lethalis Sirius igni:
Hos manet imbrifero pallens autumnus hiatu.
Quicquid habet ortus, finem timet: ibimus omnes,
Ibimus: immensis urnam quatit Æacus umbris.

Sen. Theb.

Eripere vitam nemo non homini potest,
At nemo mortem: mille ad hanc aditus patent.

Lucan. 8.

Mors ultima pœna est
Nec metuenda viris.

Trist. 6.

Vna tamen spes est, quæ me solatur in istis,
Hæc fore morte mea non diuturna mala.

Ouid. 3. Pon. 5.

Mitius ille perit, subita qui mergitur unda,
Quam sua qui liquidis brachia lassat aquis.

Boeth. 1. 7.

Mors hominum fœlix, quæ se nec dulcibus annis
Inserit, & mœstis sæpe vocata venit.
Eheu? quam surda miseros auertitur aure,
Et flentes oculos claudere sæua negat.

Sen. Oed.

Mortem optare malum: timere, peius.

Plau. Rud.

Neque est
Melius morte in malis rebus.

Sen. Oed.

Contempsit mori
Qui non concupiscit.

Hor. 1. Epist. 16.

Mors ultima linea rerum est.

Oui. l. 5. Trist. 12.

Maxima pœna mihi est ipsum offendisse, priusque
Venisset mallem funeris hora mihi.

Plaut. Capt.

Dum ne ob malefacta peream, parui id æstumo,
Si ego hic peribo, &c.
At erit mihi hoc factum mortuo memorabile, &c.
Qui per virtutem peritat, non interit.

Claud. de bello Gal.

Nonne mori satius, vitæ quam ferre pudorem?

Mala mors quæ sit.

Antholog. fac. Iac. Billi.

Cuncto bonis prosunt, quos & mors ipsa beatos
Efficit, ut sumant præmia principium.
Ille igitur finis malus est, quem pœna sequetur,
Et qui perpetui porta doloris erit.
Non quo absumuntur lachrimæ, cunctique labores,
Vt veteris pereant omnia signa mali.

Polyanthea Nouiss.

Mortem omnes mundi vanitates condemnare.

Vox tua, vox mendax, o perfide munde voluptas
Namque mea sta bilis, dicis, opesque meæ.
At fera mors veniens mendacia verba refellit,
Nilque suis opibus vanius esse docet.
Illa docet veniens, quam sit tua falsa voluptas:
Quam tua prosperitas ficta sit, illa docet.
O stolidos igitur, qui te mirantur, amantque
Linquere morte tuos qui veniente soles!

Mortis cogitatione peccata vitari.

Aucupis aduersus scelerum fœdissima quæque
Vulnera perfacilem dum tibi promptius opem?
Cum te turpe aliquid tentat, fac illico mente
Sese mors oculis offerat atra tuis.
Quisquis enim horrendum Christi cum morte tribunal
Cogitat, hic omnis criminis hostis erit.
Flante velut valido nubes Aquilone fugantur:
Sic meditata scelus mors procul omne fugat.

Pulcherrima descripoo mortis, per Baptistam Mantuanum ex lib. 2. Alphonsi.

His dictis mouere gradus ut limina contra
Adstitit Alphonsus, gelida male olentia mortis,
Substitit: & tenebras oculis ferentibus inanes
Prospicit excursus piceo sub fornice longos,
Incertamque diem, caligantesque recessus:
In medio accumbens super alta cadauera monstrum
Corpus lambebat fluido stillantia tabo.
Monstrum ingens, cui flexilibus frons torua colubris
Cingitur, effossi liquere sedelia dentes,
Cancaua, truncatis deformia naribus ora
Ostendunt, inhonesto caui duo verticis antra:
Occiput omne caret, gemina sed utrinque cauerna
Semper hiant, retroque fluunt in pectora tabo.
Vertitis os glabrum, ceruix nodosa, lacertos
Nulla ligat iunctura humeris: sine viscere costæ.
Arida membra sonant mota collisa sub aluo.
Tecta sepulchrales hydri posuere, cubantque
In thorace cauo, coluber, nepa, vipera, buffo,
Stant famulæ circum dominum pallorque timorque,
Et dolor, & pestis, quæ nigro armata veneno
Obuia transfadigis letalibus inguina telis,
Alciden dedit ipsa neci, qui viceras hydram,
Qui Lapithas, qui centauros & cætera monstra,
Atque tridenti fero febris metuenda lacerto:
Vulgatum & commune malum, quod fortia sternit
Corpora & extremis gaudet, nunc ignibus ardet,
Nunc tremulo contracta gelu stridentibus alget.
Faucibus, & quaris rigentes incendia tergo:
Et tenuis sine ventre fames, & semper hiulca
Fauce sitis, qua dum nostris pro finibus olim
Belliger Orlandus Mauros contuderit armis
Occidit inuictus, bello sitis arruit æstu.
Et luxata manus plantas nodosa tumentes
Nobilium morbos, medicos risura podagra.
Omne marasmorum genus & sine voce Synanche,
Improba mordaci serpens prurigine lepra:
Et caput inuoluens nebulis lethargica moles,
Ferreus & medica sopor inmarabilis arte,
Et mentagra cutem maculis variato cruentis:
Et Phlegetonteo veniens a flumine Cancer:
Dira lues populans artus, liquor ignibus ardens.

Dionysius in Sotera.

Πρὸς τοὺς τελευτήσαντ' ἕκαστος, κἂν σφόδρα
Ἐχθρὸς ᾖ τις, γίνεται φίλος τότε.
Homini mortuo unusquisque licet admodum
Inimicus antea fuerit, conciliatur.

Archilochus aliàs Timocles.

τοῖς μὲν τεθνεῶσιν ἔλεος ἐπιεικὴς θεός.
τοῖς ζῶσι δὲ ἕτερον ἀνιαρώτατον, φθόνος.
Mortuos misericordia benignum numen sequitur:
Viuentes autem aliud infestissimum, inuidia.

Mimnermus in Neoptolemeo.

Δεινοὶ γὰρ ἀνδρὶ πάντες ἐσμὲν εὐκλεεῖ
Ζῶντι φθονῆσαι, κατθανόντα δ' αἰνέσαι.
Insigni cuipiam viro poeni sumus omnes
Inuidere viuo, mortuum autem laudare.

Moschioo Poeta Syracusanus Aristarchi familiaris.

Τί κέρδος οὐκ ἔτ' ὄντας αἰκίζειν νεκρούς,
Τί τὴν ἄναυδον γαῖαν ὑβρίζειν πλέον·
Ἐπὰν γὰρ ἡ κρίνουσα καὶ τὰ ἡδέα
Καὶ τ' ἀνιαρὰ, φροῦδος αἴσθησις φθαρῇ,
Τὸ σῶμα κωφῆς τάξιν εἴληφε πέτρας
Quid iuuat mortuos, qui non amplius sunt, affligere?

Aut inanimam terram contumelijs afficere?
Postquam enim quæ iucunda discernit,
Et molesta, sensus iam interierit.
Corpus in posterum instar est surdæ petræ.

Chilon.

Τὸν τετελευτηκότα μὴ κακολόγει, ἀλλὰ μακάριζε.
Defunctum non maledictis afficias, sed beatum prædices.

Menander.

Βροτοῖς ἅπασι κατθανεῖν ὀφείλεται.
Mortalibus mori omnibus necesse est.
Ζωῆς πονηρᾶς θάνατος αἱρετώτερος.
Vita mala mors eligibilior.
Ζῆν ἀλύπως, ἢ θανεῖν εὐδαιμόνως.
Vel viuere sine tristitia vel mori feliciter.
Καλὸν τὸ θνήσκειν, οἷς ὕβριν τὸ ζῆν φέρει.
Pulchrum mori, quibus vituperium vita fert.
Ὃν γὰρ θεοὶ φιλοῦσιν, ἀποθνήσκει νέος.
Quem enim amat Deus, moritur iuuenis.
Τὸ γὰρ θανεῖν οὐκ αἰσχρὸν, ἀλλ' αἰσχρῶς θανεῖν.
Mori enim non turpe est, sed turpiter mori.

Ex primo epigrammaton.

Τὸν θάνατον τί φοβεῖσθε, τὸν ἡσυχίης γενετῆρα,
Τὸν παύοντα νόσους, καὶ πενίης ὀδύνας;
Μοῦνος γὰρ ἅπαξ θνητοῖς παραγίγνεται, οὐδέποτ' αὐτὸν
Εἶδέ τις θνητῶν δεύτερον ἐρχόμενον.
Αἱ δὲ νόσοι πολλαὶ καὶ ποικίλαι, ἄλλοτ' ἐπ' ἄλλον
Ἐρχόμεναι θνητῶν, καὶ μεταβαλλόμεναι.
Mortem quid timetis, quietis genitricem?
Sed autem morbos, & paupertatis dolores?
Sola enim semel ad mortales accedit, nunquam ipsam
Vidit quis mortalium secundo venientem.
Morbi vero, multi & varij, interdum ad alium
Euntes mortalium, & permutati.

Pallades.

Πάντες τῷ θανάτῳ τηρούμεθα, καὶ τρεφόμεσθα
Ὡς ἀγέλη χοίρων σφαζομένων ἀλόγως.
Omnes morti seruamur & nutrimur.
Tanquam grex porcorum interfectorum sine ratione.
Σῶμα, πάθος ψυχῆς, ᾅδης, μοῖρ', ἄχθος, ἀνάγκη,
Καὶ δῆμος κρατερὸς, καὶ κόλασις βασάνων.
Ἀλλ' ὅταν ἐξέλθῃ τοῦ σώματος, ὡς ἀπὸ δεσμῶν
Τοῦ θανάτου, φεύγει πρὸς θεὸν ἀθάνατον.
Corpus, passio animæ, infernus, onus, necessitas,
Et populus concitatus, & pœna torturarum.
Sed quando egressa fuerit è corpore, tanquam a vinculis
Mortis fugit ad Deum immortalem.

Homerus in Odyssea.

Οὐχ ὁσίη κταμένοισιν ἐπ' ἀνδράσιν εὐχετάασθαι.
Nefas est super viros defunctos gloriari.

Moschion in Pheræis.

Κενὸν θανόντος ἀνδρὸς αἰκίζειν σκιάν.
Temerarium est, vmbram hominis mortui affligere.
Ζῶντας κολάζειν οὐ θανόντας εὐσεβές.
Viuos castigare decet, non mortuos.

Archilochus.

Οὐ γὰρ ἐσθλὰ κατθανοῦσι κερτομεῖν ἐπ' ἀνδράσιν.
Malum est viris defunctis conuiciari.

Aeschylus in Hectore.

Καὶ τοὺς θανόντας εἰ θέλεις εὐεργετεῖν,
Τὸ γοῦν κακουργεῖν ἀμφιδέξιον ἔχει
(Καὶ μήτε χαίρειν, μήτε λυπεῖσθαι βροτούς.
Ἡμῶν γε μέντοι Νέμεσίς ἐσθ' ὑπερτέρα,
Καὶ τοῦ θανόντος ἡ Δίκη πράσσει κότον.
Vita functos si libet beneficijs prosequere,
Nam iniuriam illis inferre, facile quidem factu est,
(Neque gaudio, neque dolore mortales afficiantur.)
Verum Nemesis superior nobis est:
Et ipsa iustitia mortuum vindicat.

Euripides.

Τύμβῳ γὰρ οὐδεὶς πιστὸς ἀνθρώπων φίλος.
Nullus hominum fidus est amicus tumulo.

Menander.

Θανόντων δὲ καὶ λόγος φίλος προδίδοται.
Mortuos etiam grati sermones deserunt.

Euripides in Menalippe.

Τί τοὺς θανόντας οὐκ ἐᾷς τεθνηκέναι,
Καὶ τἀκχυθέντα συλλέγεις ἀλγήματα;
Quur tu defunctos ob sis sinis?
Et effusos dolores colligis?
Τοῖς πᾶσιν ἀνθρώποις κατθανεῖν μένει.
Κοινὸν δ' ἔχοντες αὐτὸ κοινὰ πείσομεν
Πάντες. τὸ γὰρ χρεὼν μεῖζον, ἢ τὸ μὴ χρεών.
Omnibus hominibus obeunda mors est.
Quum igitur communis sit, patimur etiam communia
Omnes. fati enim maior vis est, quam vbi fatum abest.

Boetius de Consolat. lib. 1. Met. 1.

Mors hominum felix, quæ se nec dulcibus annis
Inserit & mœstis sæpe vocata venit.
Heu, heu quam surda miseros auertitur aure,
Et flentes oculos claudere sæua negat.

SENTENTIÆ PHILOSOPHOR.

Mors alia violenta, alia naturalis est. Violenta, cum externũ est principium: naturalis cum internum est: patrisque cõstitutio ab initio talis est, nec aduentitia est affectio quædam. *lib de Respirat. c. 7.*

Mors est caloris naturalis interitus & dissolutio. *lib. de Adolesc. & Senect. c. 2.*

Omnium rerum nihil morte terribilius, nihil acerbius: cum omniũ rerum sit extremum, & vltra iam nullo in malo aut bono videantur esse mortui. *lib. 3. Ethic. c. 6.*

Certum est vitam mortemque per vices ire, & composita dissolui, & dissoluta componi. Omne humanum genus quodcunque est, quodcunque erit, morte damnatũ est. Omnes quæ vsquequaque ponuntur vrbes, vbi fuerunt, aliquando quæretur, & vario excidij genere tollentur: alias destruent bella, alias desidia, paxque ad inertiam versa consumit, & magnis opibus exitiosa res luxus. *Sene. Ep. 72.*

Quotidie morimur, quotidie enim demitur aliqua pars vitæ, & tunc quoque quum crescimus, vita decrescit. Infantiã amisimus, deinde pueritiam, deinde adolescentiam, vsque ad hesternũ quicquid transit temporis, perit, hunc ipsum, quem agimus diem, cum morte diuidimus. *Ep. 24.*

Si fines bonorum ac malorum cognouerimus, ita demum nec vita tædio erit, nec mors timore. Si mors accedit & vocat, licet immatura sit, licet mediam præcidat ætatem, recipit nihilominus vitæ longissimæ fructum, cognita est illi ex magna parte natura, scit tempore honesta non crescere. *Ep. 79.*

Natura nihil hominibus breuitate vitæ præstitit melius, tot periculorum genera, tot morbi, tot metus, tot curæ, toties inuocata morte, vt nullum frequentius sit votum. *Seneca.*

Nihil æque, tibi proficiet ad temperantiam omnium rerum, quã frequens cogitatio breuis æui & huius incerti. Quicquid facies respice ad mortem. *Ep. 25.*

Non refert quot annos habeam, sed quot acceperim. Si plus viuere non possum: hæc est mea senectus. Quicunque ad extremum sui fati venerit, hic moritur senex. *in epist.*

Illi mors grauis incubat, qui notus nimis omnibus, ignotus sibi moritur. *Sen. in tra.*

Nullum maius est solatium mortis, quã ipsa mortalitas, nullum autem omnium istorum, quæ extrinsecus nos terrent, quam quod innumerabilia in ipso sinu pericula sunt. *Senec. in Epistol.*

Effice mortem tibi cogitatione familiarem, vt si ita sors tulerit, possis illi obuiam exire. *ibid.*

Optimum est, antequam optes, mori. Incertum est, quo loco mors te expectet: tu illam in omni loco expecta. Egregia res est, mortẽ morte condiscere: quid aliud carcer & custodia, & claustra: liberum habet ostium. *in Epist.*

Ante senectutem curaui vt bene viuerem, in senectute vt bene moriar: bene autem mori, est libenter mori. *ibid.*

Inquietam nobis vitã facimus metu mortis, & tanta est hominũ dementia, vt quidam timore mortis cogantur ad mortẽ: Firmandi sumus, ne nimis amemus vitam & non nimis oderimus mortem, & quum ratio suadet, finire, sed non timere. Vir fortis & sapiens non fugere debet de vita, sed exire. *Ep. 24.*

Bassus senex, quod incommodi, aut metus in morte est, morientis vitium esse dicebat, non mortis: tam stultum esse, qui mortem timeat, quam qui senectutem. Nam quemadmodum senectus adolescentiam sequitur, ita mors senectutem. Si timenda mors est, semper timenda est, quod enim tempus morti exemptum est, tu tamẽ mortem, vt nunquam timeas, semper cogita. *Epist. 30.*

Mors par est: per quæ venit diuersa sunt: in quod desinit, vnum est. Mors nulla maior, aut minor est. Habet enim eundem in omnibus modum finisse vitam. *Epist. 67.*

Optabilem rem existima bonam mortem: optimum est memorabilem mori aliquo opere virtutis. Quum aliquis tormenta fortiter patitur, omnibus virtutibus vtitur. *Epist. 68.*

Nil melius æterna lex fecit, quam quod vnum introitum nobis ad vitam dedit, multos exitus. *ibid.*

Nemo tam imperitus est, vt nesciat sibi quandoque moriendũ: tamẽ quum prope accesserit, tergiuersatur, tremit & plorat. Quid fles misere? quid trepidas? omnes hac necessitate ducuntur, eo tu es quo omnia eunt. Ad hanc legẽ natus es: hoc patri tuo accidit, hoc matri, hoc maioribus, hoc omnibus ante te, hoc omnibus post te. Quantus te populus moriturũ sequetur? quantus concomitabitur? fortior, vt opinor, esses: si multi tibi cõmorerẽtur: multa millia hominũ hoc ipso momento, quo tu mori dubitas, animam varijs generibus emittunt: an non putabis te ad id aliquando peruenturum, ad quod semper ibas? nullum sine exitu iter est. *Epi. 78.*

Mors non est gloriosa, sed fortiter mori gloriosum est. Nemo mor-

tem

tem suam laudat, sed eum, cuius mors abstulit animum interest, vtrum malitia illi, an virtus manum admouerit. Mors enim quæ in Catone gloriosa est, in Bruto turpis & erubescenda. Cato illa honestissime vsus est, turpissime Brutus. *ibid.*

Nemo nostrum aliter quam quomodo natus est, exit à vita. Falsum est: peiores morimur, quam nascimur: nostrum istud, non naturæ vitium est. Quid enim turpius, quam in ipso limine securitatis esse solicitum? *Epist.1.7.*

Stultum est somno delectari, mortem horrere: cū somnus assiduus sit mortis imitatio. *In lib. de moribus.*

Bis mori, est alterius arbitrio mori. Cuius mortem amici expectant, vitam eiues oderunt. Crimen relinquit vitæ, qui mortem appetit. Dum est vita grata, mortis conditio est optima. *in prouerb.*

Quis timidus est? qui se moriturum putat. Honesta turpitudo est mori pro bona causa. Lex vniuersa, iubet nasci & mori. Mori felicitas est, antequam mortem inuoces. Tolerabilior est, qui mori vult, quam qui male viuere. *ibid.*

Consuesce autem arbitreris nihil ad nos pertinere mortem: bonum enim omne ac malum in sensu est, sensus autem priuatio, mors est. Vnde recta cognitio, quod nihil ad nos sit mors, id efficit, vt mortale quod est, fruatur vita, non ambiguum adijciens tempus, sed immortalitatis desiderium afferens. Nihil enim in vita mali est ei, qui vere comprehendit nihil esse in vitæ priuatione mali. Vanus ergo est, qui mortem se timere dicit, non quia præsens mærore conficiatur, sed expectata & futura contristet. Nam quod præsens nihil perturbat, expectatum nequidquam conficit. Itaque quod acerbissimum malorum est & horrendū maxime, Mors nihil ad nos, quoniam cum nos sumus, mors non adest, cum vero mors adest, nos iam non sumus. Neque igitur ad viuentes, neque ad mortuos pertinet, nam his qui sunt, illa non est, quibus vero adest, iam illi non sunt. Atqui plurimi mortem aliquando vt malorum maximum, aliquando vero vt requiem eorum quæ in vita sunt tristium, cupiunt: Neque igitur ne nō viuat metuit: nec enim illi viuendi amor imperat, neque opinatur mali aliquid esse, non viuere. Quemadmodum vero cibus, non qui plurimus, sed qui suauissimus est legitur, ita & tempus non longissimum, sed suauissimum carpitur. Porro qui iuuenem bene viuere, senem bene ex vita discedere admonet, fatuus est non modo ob amorem vitæ ac studium, verum quod eadem sit meditatio bene viuendi ac bene moriendi. Longe autem deterius, qui dicit, bonum quidem nō natum esse.

Φῦντα δ' ὅπως ὤκιστα πύλας ἀΐδαο περῆσαι.
Aut vbi natus erit, mox Ditis limen adire.

Nā si quod ita crederet hoc dixit, quomodo nō discedebat è vita. Id quippe illi in promptu erat, siquidem hæc illi suisset rata sententia, &c. *Epicurus Meniceo de Morte S. Diogenes Laert. lib. 10. de vitis philosophorum.*

Nimis faciles sumus ad accusandam naturam: nemo deflet quod nascitur: nemo quod viuit: at quod egestatem sentit, quod labores patitur, quod senescit, quod ægrotat, quod moritur, quisque conqueritur, quasi secundum naturam minus ista, quam illa sint, & nasci, & viuere, & comedere, & esurire, & dormire, & mori naturalia sunt, vt nemo his mortalium vacet, nisi cui forte senescendi necessitatem laborumque molestias & ægritudinum, necessitas mortis præcipitata remiserit: Quid igitur inutiles querelas effundimus? an quia nobis solis ista cōtingunt, solis nobis lugere permisimus? an quia omnibus cunctorum simul in nos lamentatra os fundimus, & veluti humani generis procuratores, naturam accusamus immeritam? Odiosum sane negotium & importunum illa enim mitissima, nos beneficia eius per impatientiam exacerbabimus, in parentem optimam ingrati, in nosmetipsos impij. *Petrar. de reb. famil. epist. 19.*

Mortendum est enim omnibus: estque finis miseriæ in morte.

Quæ enim potest in vita esse iucunditas, cum dies & noctes cogitandum sit, iam iamque esse moriendum.

Cato autem sic abijt e vita, vt causam moriendi nactum se esse gauderet. Vetat enim dominans ille in nobis Deus, iniussu hinc nos suo demigrare.

A malis igitur mors abducit, non a bonis, verum si quærimus, hoc quidem a Cyrenaico Hegesia sic copiose disputatur, vt is a rege Ptolemæo prohibitus esse dicatur, illa in scholis dicere, quod multi his auditis mortem sibi ipsi consciscerent. Callimachi quidem epigramma in Ambraciotam Cleombrotum est: quem ait, cum nihil ei accidisset aduersi, è muro se in mare abiecisse, lecto Platonis libro.

Certe, si ante occidissemus, mors nos à malis, non a bonis abstraxisset. Sit igitur aliquis, qui nihil mali habeat, nullum a fortuna vulnus acceperit. Metellus ille honoratus quatuor filijs, at quinquaginta Priamus, e quibus decem & septem iusta vxore nati. Sic in vtroque eandem habuit fortuna potestatē, sed vsa in altero est. Metellum enim multi filij, filiæ, nepotes, neptes, in rogum imposuerunt. Priamum autem tanta progenie orbatum, cum in arā confugisset, hostilis manus interemit. Hic si viuis filijs, incolumi regno occidisset,

Polyanthea Nouiss.

Ast ante ope barbarica
Tectis calatis, laqueatis.

vtrum tandem a bonis, an a malis discessisset? tum profecto videretur a bonis. At certe ei melius euenisset, nec tam flebiliter illa canerentur.

Hæc omnia vidi inflammari,
Priamo vi vitam eripi,
Iouis aram sanguine turpari.

Non deterret sapientem mora, quæ propter incertos casus, quotidie imminet, & propter breuitatem vitæ nunquam longe potest abesse.

Habes somnum, imaginem mortis: eamque quotidie induis, & dubitas quin sensus in morte nullus sit, cum in eius simulachro videas esse nullum sensum? Pellantur ergo istæ ineptiæ pene aniles, ante tempus mori miserum esse. Quod tandem tempus? naturæ ne? At ea quidem dedit vsuram vitæ, tanquam pecuniæ, nulla præstituta die. Quid est igitur quod querare, si repetit cum vult? ea enim conditione acceperas. Iidem, si puer paruus occidit, æquo animo ferendum putant: si vero in cunis, ne conquerendum quidem.

Pro dij immortales? quam illud iter iucundum esse debet, quo confecto, nulla reliqua cura, nulla solicitudo futura sit. *Cic. lib. 1. Tusc. quæst.*

Nam qui id, quod vitari non potest, metuit, is viuere animo quieto nullo modo potest: sed qui non modo quia necesse est mori, verū etiam quia nihil habet mors, quod sit horrendum, mortem non timet, magnum is sibi præsidium ad beatam vitam comparat.

Te natura excelsum quendam videlicet, & altum, & humana despicientem genuit, itaque facile in animo forti contra mortem habita insidet oratio. *Idem l. 2. Tusc. quæst.*

Theophrastus autem moriens accusasse naturam dicitur, quod ceruis & cornicibus vitam diuturnam, quorum id nihil interesset: hominibus quorum maxime interfuisse, tam exiguam vitā dedisset: quorum si ætas potuisset esse longinquior, futurum fuisse, vt omnibus perfectis artibus, omnibus doctrina hominum vita erudiretur. Querebatur igitur, se tum, cum illa videre cœpisset, extingui. *Idem lib. 3. Tusc. q.*

Mors autem negligenda est, si aliquo ducit, vbi sis futurus æternus.

Mortem omni ætati communem esse sentio. *Cic. lib. de senect.*

Nemo censet fugiēdam esse mortem, quam immortalitas sequatur. Iam sensus moriendi si aliquis esse potest, isque ad exiguum tempus durat, præsertim senis post mortem autem sensus aut optandus, aut nullus est. *ibid.*

Moriendum enim certum est, sed id incertum, an eo ipso die. *ibid.*

Mortem igitur omnibus horis impendentem timens, quis poterit animo consistere. *ibid.*

Mors terribilis est his, quorum cum vita omnia extinguuntur, non his, quorum laus emori non potest. *Idem lib. Paradox.*

In luctu atque miserijs mortem ærumnarum requiem, non cruciatū esse duco. *Sallustius in Catilinaria.*

Mortis misericordia Deusque propitius optādus, viuis innocua inuidia. *Timocles.*

Vt virtutem vitæ consuetudo significat, sic confirmat exitus. Nam in his etiam qui antea obscuri fuerunt, laudanda est fortitudo, cū pro patria dimicantes mortui sunt. Hac enim virtute priorem negligentiam tegentes plus profuerunt quam & prius nocuerunt. Horum nemo aut volens frui diuitijs, aut sperans se mutata paupertate diuitem fore, fugit hoc periculum, sed magis voluerunt hostes profligare, & existimantes hoc certamen honestissimum esse, conati sunt depulsis hostibus postea suis rebus frui. Ita præsens periculum, quod oculis cernebant, elegerunt spe incerta victoriæ, & maluerunt præliando mori, quam fugiendo vitam retinere. Malum igitur corpore sustinentes, famam malam effugerūt, ac breuissimo tempore fortunam experti sunt magis cum gloria quam cum metu. *Thucyd. lib. 2.*

Mors omnibus mortalibus est fatalis, ignauis æque ac fortibus, sed præclara & gloriosa mors solis viris fortibus contingit. *Dion. Halic. lib. 6.*

Mors spontanea, non fuga actionum, sed actio esse debet. Turpe vero est, non nobis ipsis tātum viuere ac mori. *Plutarch. in Cleomene.*

Mortem pro patria præclaram esse fateor. *Liuius, Decad. 1. lib. 9.*

Effugit mortem quisquis contempserit: Auidissimum quemque cōsequitur. *Curtius lib. 6.*

Fortium virorum est magis mortem contemnere quam odisse vitā. Vltimum omnium mors est, ad quam non pigre ire satis est. *Idem lib. 5.*

Non solum fortior, sed etiam sapientior mortis interdum quam vitæ est cupiditas. *Valer. Max. lib. 9. c. 13.*

Mors omnibus ex natura æqualis est, obliuione apud posteros vel gloria distinguitur. *Tacit. hist. lib. 1.*

Honesta mors turpi vita potior, & incolumitas ac decus eodem loco sita sunt. *Tacitus, in vita Agric.*

Humanæ vitæ finis certe est aliquis necessarius. *Herodot. in Pertinace.*

Dij cœlestes quibusdam pijssimis mortem tanquam præmium persol uerunt.

AEquo iudicio iuxta timidus est & ignauus, qui quum non oportet mori desiderat, & qui refugit quum sit oportunum. *Amm. Marcell. lib.* 25.

Quibus necesse est, vel in prælio cum gloria, vel a victoribus ad supplicium turpiter duci, magna profecto insania non pro turpibus eligere meliora. *Procop. de bello Persic. lib.* 1.

Mors etsi acceleratius veneris, felices semper ex præterita ac prosperiora fortuna homines reddit. *Procop. de bello Goth. lib.* 1.

Mortis formido non salutem, sed exitium adfert. *Nicet. Man. Comm. lib.* 5.

Nec experienti, nec formoso, parcit natura: sed omnes citra discrimen in periculum conijcit. *Constant. Manass. Annal.*

Mori necesse est, siue morbus ingruat, siue non. *G. Pachymer. hist. li.* 1.

Fratres fratribus in vita sunt: morientibus, atque ex hac exiguitate in illam perpetuitatem æternitatemque vitæ migrantibus, quicquid in terris relinquitur, vnum atque idem est. *P. AEmy. lib.* 3.

Millies mori præstat clarissimis viris quam à pristina maiorumque suorum gloria degenerare. *P. Æmyl. hist. lib.* 4.

Nullus tarde eo properare potest, vnde nunquam cum semel peruenit, reditus pateat.

Lege ea omnes nati sumus, vt exuere semel necesse sit mortale hoc corpus.

Omnibus horis in mortem ipsam ruimus, quamtumuis ea differe videatur iter ad nos suum. *Ar. Ferron. lib.* 2.

Ita natura comparatum est, vt corpus fluxum, animum immortalē nacti, euocante Deo Opt. Max. corpus humo, animam cœlo tandem aliquando reddamus. *Idem lib.* 3.

Hominis in Republica versati mors quoque ipsa ad illius vtilitatē pertinere debet, neque ociose ea, sed cum virtutis aliqua actione obeunda est. *Plutarch. in Lycurgo.*

Haud verum est quod AEsopus dixit, felicium hominum mortem esse omnium grauissimam: ea vero omnium est beatissima, bonorum prosperos successus tuto situ collocans, fortunæque mutationi eos eximens. *Plutarch. in Pelopida.*

Quum nihil atrocius euenire possit quam id in quod sponte victi ruunt, & moriendum sit victis ac deditis: id solum refert nouissimum spiritum per ludibrium & contumelias effundant, an per virtutem. *Tacit. hist. lib.* 3.

Atheniensibus decorum fuisse ob mortem Philippi regis, qui tam clementem se eis victis præbuerat, coronas ferre, adde etiam sacrificare, nequaquam affirmo: nam præterquam quod hoc inuidiosum est, indignum etiam ingenuis hominibus erat, quem viuē tem honoribus affecissent, ac ciuitate donassent, ob eius mortem immoderato exultare gaudio, defunctoque insultare, & quasi rē ipsi bene gessissent triumphum canere. *Plut. in Demosthene.*

Semel nato non mori quandoque, minime concessum. *Procop. de bello Pers. lib.* 1.

Vsitatum est, vt ab interitu summorum principum magnæ fiant rerum conuersiones: dum alij crescunt & locupletantur, alij vero detrimentum accipiunt, & in varias acerbitates incidunt. *Ph. Comin. in præfat.*

Vt non commouemur, cum inquilinum post constitutum tempus domo locata migrare videmus: ita nec moueri æquum est, cum discedere videmus homines ex hac vita, cum commorandi certos Deus terminos circumscripserit & definierit. *Arn. Ferr. lib.* 2.

Vide vero ne tua ipsius causa tot lachrymas profusas ipse etiam (*nempe proximus aut amicus*) indignetur, qui immortalitatem illi inuideas. Nam illius quidem gratia nihil est quod te excrucies. Neque opinor laudabis mercatorem qui decoxerit, nec qui depositum inficiatus sit: quid igitur depositam creditamque vitam a maximo negotiatore Deo ac amico precario concessam cum ille suo iure repetierit restitutam doles? Quid est quod illius causa excruciet te tuus dolor intestinus? Nihil accidit illi incommodi, quid enim accidere incommodi ei potuit, cuius vita Deo grata fuit? nisi tu quidem ex mortalitate ad immortalitatem, ex terrestri habitatione ad cœlestem, ex turbulenta vita ad pacificam, ex tenebris ad lucem traductum grauiter ferre videris. *Idem ibid.*

Sine lamentatione, sine planctu, veteres Masilienses mortuos suos sepeliebant. Etenim quid attinet, aut humano dolori indulgere, aut Numini inuidiam fieri, quod immortalitatem suam nobiscum partiri noluerit? *Max. lib.* 2. *cap.* 6.

Lacedæmonijs virtutis opus fuit viuere libenter, & æquo animo mori. Nam neque fuga mortis in vitio est, si quis vitam non turpiter expetat, neque laudi datur mortem subsistere, quando id vitæ contemptu fit. *Plutarchus in Pelopida.*

Causam peccati facillime (*in bello*) mortuis delegatur. *Hirtius lib.* 8. *de bello Gall.*

Vetustas hunc morem iudicauit honestum esse, vt mortui laudarentur. *Thucyd. lib.* 2.

Mortuorum laudi nemo inuidet. *Idem, ibid.*

Viuentes inuidia exercet: mortuis autem beneuolentia sine obtrectatione præstatur. *Thucyd. lib.* 2.

De morte. DIAL. CXVIII.

Francisc. Petrarcha.

DOL.

Morior. R. Ad extrema peruentum est. Iam nec mortem metues nec optabis, de quibus duobus totidem me proximis tractantibus fatigasti, iam præterea nec dolebis, nec corporis animique defectibus subiacebis, nec rerum tædijs, aut morbis, aut senio, aut hominum dolis, aut fortunæ varietate lassabere, quæ si mala sunt, mali finis vtique bonus est. Tu paulo ante de his omnibus querebaris, nunc eorundem de fine conquereris: vide ne sis iniquus, vnā rem qui simul doleas esse & finiri. D. Morior. R. Iter patrū imo omnium latum tritūque iter gradieris Solus ne tibi nescio quid aliud demum maluisses? Perge autem: non est aberrandi metus, tot sunt viæ duces comitesque. D. Heu morior. R. Si quis est quē flentem mori deceat, ridere dedecuit viuētem, cum instare, semperque supra verticem videret vnde mox flendum sciret. Risum illud haud dubie fletus hic non longo seiunctus spatio, sequebatur. D. Morior. R. Non est ferendus qui sui generis sortem luget, non morereris vtique, ni mortalis esses. Si id defles, quod mortalis sis, non est flendi locus, vbi esse desinis quod inuitus es: flendum erat ab initio dum inciperes esse quod nolebas, nunc gaudendum, esse enim incipies immortalis. D. Morior. R. Omnes hi qui lectulum tuum modo ambiunt, omnes præterea quos vidisti vnquam, omnes de quibus audisti aliquid aut legisti, & quantula ea pars hominum est, quam nosse potueris, omnes omnino qui vel olim nati sunt, vel omnibus terris ac sæculis nascentur, iter hoc egerunt acturique sunt. Cerne animo longam præcedētium longamque sequentium cateruam comitumque, & hac ipsa hora tecum simul obeuntium non paruum numerum: pudebit credo sortem publicam priuatis vrgere querimonijs, dum ex omnibus vel vnum cui inuideas non videbis. D. Morior. R. Hoc est impassibilem fieri, & iugum fortunæ pariter ac mortis excutere. Gemimus ingens bonum quod viuenti nulla vnquam prosperitas largiretur. Cogita autem, quæso, quot tibi & quam graues curæ, qui superant labores. Si (non dicam infinitam) sed annorum mille, qui vnius iam præteritæ diei spatio comparantur, certam vitam accepisses, quod optime æstimabis, si huius breuis ac fugacis & incertæ vitæ tædia, proque hac toties susceptos labores molestiasque memineris. D. Morior. R. Ita mortem fletis, O mortales? quasi magnum aliquid vita esset. Quod si esset, magnum aliquid muscæ haberent & araneæ & formicæ. Si semper beneficium vita esset, semper maleficium esset mors, quæ magnum beneficium est interdum, dum vel ab intolerabilibus malis, vel ab his, quæ summa sunt mala, peccatis instantibus animam eripit, præseruatque. Atqui vt magnum aliquid inter vos sola est virtus sic si per se spectetur, vita hæc miseriarum innumerabilium officina est, quam qui claudi doles, is ferias respuit malorum, & quietem odit, quam qui appetit laboriosæ finem vitæ cupiat necesse est. Quando nullus alius est, vel laborum vel malorum finis, quid fles igitur? Dies adest; qui si traheretur votis, erat optādus, & fortassis ve res hominum sunt & fortunæ vis immensa & insultus varij, sæpe etiam votis operatus est tibi. D. Morior. R. Immo ex terrea & caduca domo, ad æthereum atque æternum migras habitaculum, & in limine pedem habens mœstus auelleris, atque inuitus, & nescio quid retro anxie respectans, an sordiū quas dimittis oblitus, an bonorum ad quæ pergis incredulus? Profecto si quod paulo ante dicebam, & quod magni dixerunt viri, vestra quæ dicitur vita mors est, illud est consequens vt eius finis, quæ mors dicitur vita sit. D. Morior. R. Rex te tuus carcere liberat, iā vincula franguntur, quæ fecisse mortalia primum patrem libuit. Idque vel maxime ad illius misericordiam pertinere & Plotino visum & vestris approbatum sciens, quid queraris nescio. D. Morior. R. Vocat te Rex tuus, felix nuncius. Sæpe est enim, nec videtur faustum quod inuitis acciderit Consensum adhibe, tum sentire incipies quam bene tecum agitur, hic quem metuis carceris exitum, & mala vitæ reputans, & mortis bona præsagiens quasi olor ille Socraticus diuinationis particeps, & ob id Sacer Apollini moriendo cantabis, si non voce, saltem animo, & nisi quod absit graue nimis inexpiatorum te criminum pondus premat. quod fecisse Vespasianus corpore legitur, tu facies mente, vt assurgas moriens, nec te dignum censeas iacentem mori. Neque minus hac in parte tibi tribuas quam ille sibi, quod non vt ille sis princeps, Mors enim nescit Imperium, Principes nō agnoscit adæquatrix optima, multa forsan in vita, certe in morte nihil illā licuit, quod non liceat tibi, quin & plusculum diuinæ opis tibi in tempus affuturum spero. Non quia tu melior, sed quod gratuito Dei amor felicior, qui negata magnis, & sapientibus abscondita, concessit paruulis, & reuelauit indoctis. Adde quod cum vtilius, tum facilius tuum erit assurgere. Illius enim conatus corporeis viribus egebat, quas morbus extenuat, mors extinguit, tibi ad assurgendum non nisi animi viribus est opus, quæ victima sæpe mortis augentur. D. Morior. R. Quid in tanto trepidas? Quid

das? Quid in plano cespitas? quid in prono hæsitas? Non tibi ingeram quæ hoc loco disputant philosophi. Multa sunt enim quæ morientis occupatio, & angustia temporis non admittunt, debuit tibi profunde admodum hæsisse, quicquid vbique de hac re ab antiquis philosophis disputatum est, vt enim ipsi idem volũt, asperarum rerum omnium remedia superuacua facere potest, rara quidem sed in finem rara prosperitas, quæ aduersus mortem disseruntur: ea semper vtilia, semperque necessaria vt sint, moriendi non fortuita, sed naturalis & inuicta necessitas facit. Inter cæteros sunt multa & valida in Tusculano ipso, cuius supra memini, prima luce recolligit Cicero, quæ nisi olim didiceris, nunc docendi spatium non est, quibus efficit siue in malis sit qui moritur, siue in bonis esse videatur, quia tamẽ ex quo fortunæ iacula patet omnis hominum status, a malis eum nõ a bonis morte discedere, quod acer quisque humanarum obseruator rerum haud dubie verum sentit. Morte igitur non offensum se, sed sibi consultum iri, existimat iam læte illam cogitans, & cum venerit visurus vt liberatoris sui nuncium, sed ministrum, & cum transierit respecturus ceu fenestram, vnde mundi laqueos, & carcerem carnis euaserit. Illud Cicero idem disputando consequitur, seu perit animus, seu transfertur, Vt vel mali nihil, vel boni plurimum sit in morte, argute fortassis apud suos, apud nos nempe non philosophis modo, sed ne vulgo dubium, credo hercule, nec apud eum ipsum de quo sæpe loquimur Ciceronem, quod magnificentissime multis testatus est locis. Sed vel sui collocutoris vel illius æui diffidentiæ seruiebat. Ad summam igitur sic teneto vt scias immortalem esse animam, quod non solum concors vestræ gentis opinio, sed Philosophorum omnium excellentissimi tenuerunt. Nulla tibi spes in occasu animæ, quæ nata talis est, vt mori nequeat, neque hinc fidas nil mali superesse post obitum quod nulla sit futura anima quæ pati possit. Sed quia creator animæ, ipse est mitis, ipse pius ac misericors, opus suum non despiciet seque veraciter inuocantibus prope erit. In illum preces, in illum vota, in illum spes vltimæ ferantur, in illius nomeo extrema desinant suspiria. I. securus, nil timeas, natura parens benignissima nihil fecit horrificum, mortem formidabilem error facit hominum, non natura rei prouidæ, si quid magnum voluis animo, si quid altum struis, humiles & ineptas vulgi voces actaque despice, verum illos suspice, quorum imitatio ad veram gloriam via est. Apud nostros quidem læte feliciterque morientium innumerabilia sunt exempla. Sin antiquiora perquirimus, mult ó occurrent, qui mortem oon modo ferant fortiter, sed accersant, quod in Marco Catone, sicut modo diximus, M. Cicero excusat. Seneca autem & laudat. Nobis vero neutrum sat probatur, sed secundum minus, quia tolerabilius est errorem excusare quam laudare. Nos vtrũque reijcimus, quoniam vt vocatum respondere, & reuerenter parere laudabile, sic Imperatoris iniussu, commissa de custodia, & corporis statione discedere capitalis est habenda defectio, & vel exilio graui, vel summo plectenda supplicio. Sciens repeto, vt altius imprimam. Abunde enim (ni fallor) hæc omnia superior tractatus explicuit. D. Morior. R. Immo carnis tributum, naturæ debitum persoluis, mox futurus liber, fac libens, quod vel nolens faceres, & vt bene ait quidam, mortis hortator cupias quodcunque necesse est. Non est vtilius, immo quidem non est aliud necessitate consilium, quicquid fit à volente fit leuius, & desinit esse necessitas si voluntas accesserit. D. En morior. R. En te dominus præstolatur. Accelera, ne titubes, neu cuncteris, pone suspicionem, neu tu tibi chariores quam illi? Quis vocatus ab amante diffidit? Adhuc forte miraberis timuisse quod optandum esset. Multa enim solutus scies, quæ vinctus nullo vnquam studio didicisses, vsque adeo vt arcana rerum nosse volentibus, ad quæ mortali velo, obsita acies vestra non penetrat, quæ profecto cupiditas naturalis est homini sed vehementior studioso nil morte melius putem, nilque quod breuius ad optatum ferat. D. Morior. R. Immo obdormis vitæque fessus vt arbitror requiescis. D. Morior. R. Vade in æternam requiem, nunc primum viuere incipis. Bona mors initium est vitæ.

De morte violenta. DIAL. CXXI.

DOL.

Sed violenta morte pereo. R. Si nolens moreris, violenta mors est. At si volens, nulla. D. Per vim morior. R. Siquidem vitæ vis affertur, quid interest febris, an gladius dum libere egrediare, quid refert, an ergastuli tui fores sponte pateant, an frangantur? D. Vi morior. R. Multæ sunt species mortis, sed mors vna quæ an violenta sit, an non, morientis arbitrium est, vim vis maior superat, consensus extinguit. Sapiens sic instructus est, vt quibus non potest obstare consentiat, quid tu inquies, Percussori meo, vt consentiam iubes? quidam non consenserunt modo, sed gratias egerunt, inuentus est qui percussorum suorum ignorantiam excusaret, vt suo remotius anhelitu veniam precaretur. Neque ego te cruento consentire carnifici iubeo, sed summæ sorti, cui qui non sponte paruerit, vi parebit. D. Morior hostili manu, R. Quid tu igitur amici manu mori posse credideras? quando id tibi nisi ab ignorante contingeret? D. Hostili dextera pereo. R. Hostiles euadis manus. Ille dum iræ suæ obsequitur, libertati tuæ consulit, potestati suæ detrahit, nil amplius in te potest. Satius cuique sub iniusto hoste procumbere, quam sub iusto rege. Illic enim occisoris est crimẽ, hic occisi. D. Hostili ferior manu. R. Quid tua magis interest, qua dextera quam quo gladio feriare? Non de manu, sed de vulnere quæritur, quamuis & Pompeius manu Cæsaris feriri pro mortis solatio videatur apud Lucanum optare, & apud Statium Capaneus Ipseum, apud Vergilium Æneas Lausum, Camilla Orsilochum quod illorum manu occidantur, consolentur. D. Ferro morior. R. Communis tibi cum maximis fortuna, cumque optimis viris, bona pars forum, quos vel præsens vita felicissimos habuit, vel æterna sanctissimos habet, gladio periere, quos si numerem non breuiloqui monitoris, sed longi opus erit historici. D. Gladio pereo. R. Alij aliter, quidam laqueo, quidam lapsu, quidam vnguibus leonis, aut apri dentibus, multis ferri copia defuit dum optarent gladio perire. D. Ferro ferior. R. Quid scis an maiori exitio subtraharis, quodque asperrimum censes grauioris miseriæ fuga sit, dixi supra vt Plotinum alterum a Platone philosophiæ decus, pestilens lepra percussit. Id non dixi, vt alterum ab Homero poeticæ Graiæ lumen Euripidem canes morsibus lacerarunt. Lucretius vestrorum vatum primo proximus, cui tam multa Vergilium auferre non puduit amatorio poculo accepto in morbum rabiemque compulsus, gladio ad postremum pro remedio vsus est. Herodes rex Iudææ, tam fœdo morborum agmine circumuentus interijt, vt compendiosior ferri mors inuidiosa esse potuerit, vtque auguror, fuerit. Romanus princeps Adrianus morbi tædio victus impatientiam doloris ferro abrumpere si licuisset optauit. Magnum quendam virum hac ætate vermea toto scatentes corpore, mures alium exedisse narrantur. Inter tam multa ludibria humani corporis, si electio tribuatur, quis imbecillis adeo, vt non ferrum ambiat? D. Ignibus pereo. R. Quidam animæ vim, naturamque igneam extimantes in facillimum mortis genus opinati sunt. D. Flammis absumor. R. Vermibus ereptum corpusculum non putresces. D. Fluctibus obruor. R. Piscibus conuiuium, bustum tibi amplum, nobile, nitidum. Et quid refert corpus terrenum terræ reddas, an pelago? D. In freto morior. R. Non vbi sed qualiter moriaris, ad rem pertinet, vbique bene mori licet, vbique male. Non in loco, sed in animo est, quod felicem mortem facit, aut miseram. D. In mari pereo. R. Persuasum multis scio, in mari miserum mori quod æthereus atque ardens spiritus suo contrario videatur opprimi. Sed vt dixi, nihil locus ad miseriam, animus totum. Itaque de hac re nautæ nescio cuius responsionem probo, quem cum quidam interrogasset, vbinam pater eius obijsset? in mari inquit, Cumque ille idem de auo & proauo atque atauo nominatim quæsisset ex ordine, responsumque ille idem de singulis accepisset, intulit. Et nunquid tu inquit mare ingredi non times? Respondit Nauta dissimulans, & vbinam tuus obijt pater? Suo ait in lectulo, vbi auus inquit, & is ait & proauus & maiores mei omnes suis in lectulis obiere. Tũc nauta, non tu inquit, tuum non times in lectulum ascendere? eleganter quidem aliquantoque plusquam nautice. De morte igitur natura viderit quæ mortales fecit, at de genere mortis, de loco, de tempore viderit fortuna. D. Veneno morior. R. Comites tibi illustres pridem dum de hoc vno ageretur exposui. Regia quidem mors est gladius, sed Venenum magis. Et ad summam. Ridiculum valde est vbi de morte decreueris, de instrumentis esse anxium.

De morte ignominiosa. DIAL. CXXII.

DOL.

Sed ignominiosa mors est. R. Mortem ignominiosam facit non genus, aut qualitas, sed causa supplicij. D. Ignominiose morior. R. Nemo bonus male moritur, Nemo malus bene, honestam mortem, non funeralia, non ministri, non purpureæ faciunt exuuiæ, non inuersi clypei, atque enses, & flens domorum familia, & vulgi clamor, ac lamenta & mœrore vxor insignis & pietate filios, & deiecta ceruice ante feretrum nigro indutus ac lachrymis grandibus humens, & homo, non postremo funereus laudator, & imagines aureæ diuitis sepulchri, defunctique titulus victurus in marmore, donec sua quoque (licet fera) lapidibus mors sit: sed virtus & clarum meritis viri nomen, non vulgaris egens auræ, sed suapte eminens maiestate, quod non præceps & cœcus fauor hominum sed rerum series & innocens vita peperit, atque vsque ad mortem veritatis, & iustitiæ suscepta defensio: Interque medias mortis minas imperterritus atque infractus animus ac generosa fiducia, Contra his decoribus honestam mortem, quis ignominiæ quæso locus est? aut quomodo turpiter mori potest, qui sic moritur? Seruilem in modum virgas adhibe, & tortores, & laqueos, & secures fige cruces & rotarum radios attolle, & quadrigas in diuersum age, lacera, huc & illuc membra rapturas, adde ignes & craticulas prunis impositas, atque oleo vasa feruentia, & ferarum dentes fame armatos, adde

vncos, & gemonias, ac tracta per vicos laniata cadauera, & quicquid iniuriæ, atque opprobrij, seu viuum, seu exanime corpusculum pati potest, dura mors fortasse videbitur, ignominiosa certè non fuerit. Immo vero numquam eo charior quo durior. Itaque apparatus hic exterior, & tumultus, & tubæ, & carnificum truces vultus, & irati vox tyranni, nihil prorsus ad rem, intra teipsum te reflecte, ibi te quære, atque excita. Omnibusque quæ supersunt animi viribus ad extremos casus accingere, aures ab inuiso strepitu, à supplicij pompa oculos auerte, tacitusque totam animam recollige, atque hortare, resque ipsas examina non vmbras rerum. Tu si mortem ipsam rectis oculis spectare audes, nec ferrum puto, nec restim, nec liuentes calices, nec stillantes carnifices horrebis, vanum est enim ipsum hostem, cum contempseris, eius phaleras, aut signa metuere. D. Ignominiosa morte damnatus sum. R. Sæpè actor, seu delator infamis, & obscœni testes, & obscurus iudex, reus autem ipse clarissimus: sæpe ignobilis vulgo mors, nobilis vero gloriosusq; qui moritur. Iam vt sileam reliquos, quod & nimis multis, & multo impares sunt, quæ vsquam ignominiosior mors, quam crucis? in qua pependit eximium illud, & prænitidum cœli decus, ac terræ ne tale aliquid ignominiosum sibi censeat vlla sors hominis. Et quoniam summo nihil est altius in hoc desino. Omne genus mortis honestare potest virtus, virtutem nulla mors inquinat.

De morte repentina. DIAL. CXXIII.

DOL.

At repentè nimis morior. R. Paulo ante si recolo senuisse te dicebas. Miror quomodo repentina mors seni est, qui nisi (non dicam) delirat, sed insanit, semper ante oculos mortem habet. Nāque cum omni ætati salubriter sit consultum, vt omnem diē sibi vltimum credat: hoc amplius tñè consulitur senectuti, vt omnē horam sibi putet extremam, neque illud modo non audiat, quod est apud Tullium, nemo tam senex, qui se annum non putet viuere. Sed ne id quidem quod Seneca ait, diem. D. Subito morior. R. Quid hic dicam, nisi vt repetam, quod ille olim summus hominum, nec minor ingenio, quam fortuna, vno ne integro quidem ante suum obitum die, quasi iam veram experientiæ vicinitatem præsagiens, dum de hoc ageret repentinam, atque improuisam mortem commodissimam iudicauit, quod iudicium ab ea videbitur religione dissentiens, quæ ab hac morte liberari flexis genibus Deum orat, neque ego hanc sententiam vbi sit libertas amplector, aliud tibi nempe cogitandum est, neque vero hāc optabilem, sed vbi sit, tolerabilem mortem dico. Siquidem sapienti, quique eminus cuncta præuiderit, inopinum nihil accidere posse non ambigitur. Vnde fit, vt improuisa mors non sit, cuius prouida vita fuit. Nam quo pacto rerum maxima negligat, qui parua, qui minima eiā librare sit solitus? humanis autem in rebus quid mihi maius morte monstraueris? quid par morti? D. Velocissimè morior. R. Impræmeditata modo non sit mors, quo velocior, eo facilior, supplicium enim (si quod est) vtique breue est, sensumque ipsum celeriter præueniens, & morti detrahitur, quod est in morte durissimum, metus mortis.

APOPHTHEGMATA.

Thales dicebat nihil interesse inter vitam, & mortem: ob id opinor, quod vtraque res æquè esset secundum naturam: nec mortē malam esse magis, quam natiuitatem. Cuidam vero obstrepenti. Cur igitur tu non moreris? falsè respondit: Ob hoc ipsum, quia nihil refert. Potius enim habetur, quod accersitur. *Laert. lib. 1. c. 1. Stob. adscribit Pyrrhoni, serm 120.*

Bias. Cuidam mortem aduocanti in liberorum amissione: Cur homo, inquit, ipsam vocas: nonne etiam si non vocaueris, veniet? *Maxim. serm. 36.*

Idem. Percontatus, quod genus mortis malum esset? Quod, inquit, legibus constitutum est. Sensit autem vir prudentissimus, eam mortem hominibus nequaquam formidandam, quæ secundum naturæ leges inuadit mortales: sed eam potius quam delictis turpiter, & ignominiosè promeriti sunt, qui debitum lictori, ac carnifici officium præstant. *Max serm. 36. & Stob.*

Socrates, Critoni vehementi studio suadenti, vt si vitam ipse suam negligeret, certè liberis etiamnum paruulis, & amicis ab ipso pēdentibus se seruaret incolumen': Liberi, inquit, Deo, qui mihi eos dedit, curæ erunt: amicos hinc discedens inueniam vobis aut similes, aut etiam meliores: ne vestra quidem consuetudine diu cariturus, quandoquidem vos breui eodem estis commigraturi. *P. M lib 3. apoph. ex Plat. & Xenophonte.*

Idem. Animaduertens amicos, qui eum in carcerem sequebantur lugere. Quid hoc est? inquit: Nonne iam dudum sciebatis me ex quo genitus eram ab ipsa natura morte fuisse damnatum? Atqui bonis aduentantibus præcipi è vita mihi nimirum meisque bene nobis lugendum foret. Si vero malis impendentibus diem obeo, arbitror tamquam pro felicitate quadam à vobis omnibus esse lætandum. *Xenoph. in apol.*

Musonius. Scitis dictis mortem meditandam sibi, & alijs proponebat. Inter quæ & hæc occurrunt. Virtute præditi homines, inquit, siquidem conducat, cum paupertate manent in viuis. Sin minus, facilè migrant, tamquam ex solemni conuentu, ac celebri, ita etiam è vita. Non aliter quam è domo, inquit Bion, exigimur, si locator non accepto precio locationis fores reuellat, tegulam adimat, puteum obstruat: ita etiam hoc corpusculo relegor, quando quæ locauit natura oculos ademerit, aures, manus, pedes, non moror amplius. Sed sicut è conuiuio discedo, nihil indignans, itidem è vita. Sicut bonus histrio bene prologum, bene medium fabulæ, nec non bene etiam catastrophen agit: ita bonus vir quoque primordia vitæ rectè, & media probè, finemquo congruentem his administrat. Et vt pallium vbi detritum fuerit depono, ita non procrastino, nec vitæ tuendæ desiderio flagro: sed & cum liceret adhuc feliciter degere, morior, &c. *Stob. serm. de virtute.*

Anaxagoras Absens morti addictus est. Id nuncianti, iam olim, inquit, istam sententiam tulit natura æquè in illos, atque in me: Sētiens, Athenienses non minus addictos morti, quam esset is quē damnarent. Alijs aliud mortis genus obtingit, sed omnibus eadē est moriendi necessitas. *Laert. lib. 2.*

Diogenes, rogatus numquid mali esset mors? Quo, inquit, pacto malum cum præsentem non sentiamus? Quod autem abest nullmalum est: Dum sentit homo, viuit: nondum igitur adest mors, quæ si adsit, abest sensus. Malum autem non est, quod non sentitur. Hanc ratiocinationem quidam tribuunt Epicuro. Mors quidem mala non est, sed iter ad mortem miserum est. Id si metuimus, tota hominis vita quid aliud est, quam iter ad mortem? *Laert. lib. 6.*

Antisthenes. audiens Diogenes Antisthenem grauiter ex morbo decumbere, qui amore huius vitæ morbum molestius ferebat, cum sica ad decumbentem ingressus est, ad quem cum Antisthenes dixisset: Quis me his doloribus liberabit? Diogenes prolata sica: Hæc, inquit. Contra Antisthenes: Doloribus, inquit, dixi, non vita. *Laert. lib. 6.*

Epicurus dicere solebat, contra cætera omnia aliquid tutum inueniri posse, at contra mortem omnes nos inhabitare vrbem immunitam. *Max serm. 36.*

Aristippus interrogatus, quomodo Socrates obijsset diem? Vt ego, inquit, optarim. Significans, talem mortem quauis vita optabiliorem: nec potuit breuius felicem obitum describere. Dicti tamen argutia in hoc est, quod Philosophus aliud respôderit, quā expectabat percontator. Ille quærebat de genere mortis, an morbo perijsset, gladio, veneno, an præcipitio? ille putans id nihil referre, respondit, illum feliciter esse mortuum. *Laert. lib. 2. c. 8.*

Idem. Cum aliquando Corinthum nauigaret, & orta tempestas naufragium minaretur, expalluit: id animaduertens è vectorib. crassus quispiam miles, ac Philosophorum osor, sedata tempestate cœpit ei insultare: Cur, inquiens, vos Philosophi, qui prædicatis mortem non esse formidandam, expallescitis in discrimine, nos indocti non timemus? Quoniam, inquit Aristippus, non de pari anima tibi mihique cura, ac metus est. Aul. Gellius hoc addit: Ego timeo animæ Aristippi, tu non times animæ nebulonis. Rebus vilissimis minimè timemus, vnde prouerbium. Hydria in foribus. Hinc lusit Aristippus, illum non expalluisse, non quod esset fortior, sed quod, quum esset homo nihili, haberetq. animum omni virtute vacuum, minimum erat detrimenti si perijsset. Vir eruditus, ac sapientia præditus non perit, nisi graui Reipublicæ dispendio. *Laert lib. 2. c. 8.*

Musonius interrogatus, quis optimè extremum diem claudere posset? Qui semper, respondit, postremum vitæ diem sibi instare proposuerit. *Max serm. 16.*

Antiphanes solitus est dicere, mortalia præcipuè hominibus cogitanda esse, quandoquidem omnibus homiuncul... sit moriendum. *Stob.*

Argesilaus. Mors (inquit) quæ mali nomine censetur, hoc vnum habet peculiare ex omnibus, quæ mala iudicantur, quod præsens neminem vnquam afficit molestia: absens, & dum in expectatione est, molestiam adfert. *Plut. de consolat. ad Apoll.*

Theramenes. Quum in quadam domo versatus, inde prodijsset, illa subito lapsu corruit. Atqui cum reliqui Athenienses alij aliunde ad eum confluerent, & inopinatæ saluti congratularentur, ille præter omnium opinionem respondit: Nescitis, viri, ad quænam tempora, & pericula Iupiter me seruare voluerit. Intellexit vir sapientissimus, se à mortis improbitate nequaquam tutum esse: quæ licet conniueat in summo vitæ periculo, attamen paulo post cumulatis malis hominem arripit in portu quasi nauigantem. Nec seipsum quidem fefellit: nam non multo post à triginta tyrannis de medio sublatus est, cicutam bibere coactus: nempe qui ex ruinis domus liberatus, veneno turpiter perire coactus est. *Ælian. lib. 9. de var. histor.*

Ægyptij. Olim in diuitum epulis apud Aegyptios, vnus cadauer ligneum, sed quam proximè ad verum effictum, ostendebat, singulis dicens: In hunc intuens pota, & oblecta te, talis post mortem

tem futurus. Dubites, quo animo id fecerint, verum vt moderatius fruerentur voluptatibus, conditionis suæ memores: an auidius vtpote mox obiturus. *Herodot. lib. 3. Plut.*

Secundus Philosophus ab Adriano Imperatore interrogatus quid esset mors, respondit: Aeternus somnus, dissolutio corporum, diuitum pauor, pauperum desiderium, ineuitabilis euentus, incerta peregrinatio, latro hominis, somni pater, fuga vitæ, viuorum discessio, resolutio omnium. *Laert.*

Heraclitus. Mortem in omnibus hominibus perpetuo latere dicebat: idem enim est, inquit, viuus, ac mortuus, vigilans, & dormiens, adolescens, & decrepitus: quia hæc illa, vicissimque mutantur. *Plut. de consolat. ad Apoll.*

Anaxagoras cum rerum naturalium causas auditoribus explicaret, interq; disserendum de filij morte nuncium sermone cuiusdam acciperet, paululum oratione inhibita, dixit ijs qui vna aderant: Sciebam filium me genuisse mortalem. *Plut. de consol. ad Apoll.*

Xenophon sacrificans, quum nunciatum esset Gryllum filium in pugna perijsse, sertum capiti detraxit, & quæsiuit quonam modo cecidisset: cumque responderetur, eum generosè fortiterq; præ cæteris præliantem, multis hostium interfectis occubuisse: exiguo admodum temporis sumpto interuallo, dum ratione motum animi compesceret, rursus imposita capiti corona, rebquum sacrificium absoluit, nuncijsq; respondit: Non vt immortalem, aut longæuum filium meum redderent à Dijs postulaui (cum incertum sit, an hoc expediat) sed vt probum, ac patriæ amantem: cuius quidem voti nunc sum factus particeps. *Plut. eo lib.*

Iulius Cæsar. cum inter cœnandum ortus esset sermo, quod genus mortis esset optimum? incontanter respondit, inopinatum, & quod optimum iudicauit, ipsi contigit. *Plut. in apoph.*

Quintilius Plautianus, quum iam grandis natu viueret ruri, nec quicquã quæreret, aut faceret curiosius, attamen à Seuero insidijs circumuentus, vt ad mortem raperetur, paulo antequam moreretur, postulauit, vt ea, quæ ad sepulturam suam iam dudum comparauerat, ad se perferrentur. Quæ postquam vidit vetustate consumpta: Quid hoc rei est? inquit, Itane cunctati sumus? Deinde facto sacrificio: Idem, inquit, peto à Dijs immortalibus, quod Adriano Seuerianus optauit, itaque interijt. *Xiphil. in Seuero.*

Boiocalus. Deesse nobis (inquit) terra, in qua viuamus, in qua moriamur, non potest. *Tacit. Annal. lib. 13.*

Hormisda. Constantinus Imperator, cum Hormisdæ Persæ vrbis Romæ magnitudinem, atque hominum ædificiorumq. magnificẽtiam ostendisset, peteretq; vt quid de ea sentiret, paucis enunciaret: respondit, ex tanta re, quanta ei ostendebatur, nihil eum delectasse magis, neque esse, ex quo maiorem fructum cõsequi posset, quam quod ex ijs, quæ videret, verum esse comprehenderet, in vrbe quoque Roma, quamquam amplitudine opibusque alias antecederet vrbes, tamen, sicut in cæteris orbis terrarum locis, homines etiam mori. Breui responso rerum humanarum vanitatem ostendens. *Fulgos. l. 7. c. 2. ex Amm. Marcell.*

Fridericus Imperator, ijs principibus, qui immites, & crudeles erga suos fuissent, mortem nimis extimescendam esse, dicebat. Nam quales se, dum vixerunt, alijs præstitere, tales, cum moriuntur, in se iudices inuenturos esse. Ostendere autem voluit, ijs mortem esse amaram, qui mala anteactæ vitæ conscientia premuntur. *Æn. Silu. lib. 2. comment. de reb. gest. Alphonsi.*

Messodamus iam senex, quum ab amico in crastinum vocaretur conuiuium: Cur me vocas in crastinum, inquit, qui à multis annis crastinum non habui, sed mortis aduentum in singulos dies expectaui: quæ nobis numquam non insidiatur, donec nos incautos etiã interdum opprimat? *Guido Bituric. ex hist. eccles.*

Alphonsus Rex interrogatus, quæ res reges, ac priuatos, diuites, ac pauperes, claros, & obscuros, denique omnes prorsus exæquaret? respondit, cinis. Indicans, post mortem, regis à priuato, diuitis à paupere, formosi ab informi personam nequaquam discrepare. Quis enim ex cineribus, aut ossibus humanis terra erutis differentiam vllam videre potest? *lib. 4. de reb. gest. Alphonsi.*

APOPHTHEGMATA.

De morte contemnenda.

Chilon dicere solitus est, ita esse contemnendam mortem, vt nihilo secius curam habeas incolumitatis. Non enim est fortitudinis, sed amentiæ, semet temere in vitæ discrimen conijcere: sed quoties, aut ineuitabilis necessitas vrget, aut grauis honestaq; causa suadet, mortem contemnere, fortis animi est. In morbo non est metuenda mors, sed interim adhibenda curatio mediocris. In bello sumendus est animus ad mortem paratus, sed interim fortiter pugnandum est pro victoria. *Laert. l. 7. c. 4.*

Diogenes. Lugente quodam, quod in peregrina terra moriturus esset, dixit: Quid luges, ò stulte? Vndecumque eadem est via ad sepulchrum. *Ant. in Meliss. par. 1. serm. 58.*

Socrates decrepitam agens vitam, in morbum cum incidisset, & quidam interrogaret, quomodo sese haberet? Rectè, inquit, vtroque modo. Nam si fuero superstes, plures æmulatores habebo: Sin vita excessero, plures laudatores. *Ælian. lib. 2. de var. hist.*

Idem, audiens se morte mulctandum: Magna me spes, inquit, tenet, *Polyanthea Nouiss.*

Iudices, bene mihi euenire, quod mittar ad mortem. Sed tempus est, iam hinc abire me, vt moriar: vos, vt vitam agatis. *Cic. lib. 1. Tusc. quæst.*

Idem, ad suos iudices conuersus, mortem, inquit, metuere aliud nihil est, quam falso putare se esse sapientem: Qui enim mortem metuit, videtur ignorare quid sit, &c. *Plato in Apologia.*

Idem. Carceris ministrum porrigentem in poculo cicutam interrogauit, quomodo sumendum esset hoc pharmacum, quod eius artis esset peritus, alludens ad ægrotos, qui à Medicis discunt quando & quomodo oporteat sumere, quod ab illis temperatum est, cumq; puer respondisset, semel totum hauriendum, si posset: deinde tantisper inambulandum, donec sentiret grauedinem in cruribus: post in lecto decumbendum supino corpore, ibi pharmacum effecturum, quod solet. Socrates rogauit, liceretne inde aliquid libare (quod in conuiuijs mos fit effusa vini portiuncula, nominatim alicui Deo libare) minister respondit, se tantum miscuisse, quantum opus esset, hoc sermone innuens, nihil esse, quod effunderetur. Tum Socrates: Sed & fas est, & oportet orare Deos, vt felix faustaq; sit hæc mea migratio. *P. M. l. 3. apoph.*

Plato. Medicus Platoni consilium dabat, vt relicta Academia, loco pestilentissimo, in Lycęum scholam se transferret: nequaquam autem ille obtemperauit, dicens, se producendæ vitæ causa, ne in Athon quidem summitatem transmigrare velle. *Ælianus lib. 9. de var. histor.*

Aristoteles dicere solebat, ea, quæ longissimo tractu à nobis absunt, nemo metuit. Nam quum moriturum sese nemo ignoret, mortem tamen quam prope esse non suspicamur, minimè expauescimus. *Stob.*

Zaleucus procemio legum suarum Locrensibus latarum scitu digna hæc apposuit: Morituros omnes, iniuriarum, quas commiserint, memores, pœnitentia inuadit, & vehementer cupiditas, qua vellent exactam sibi vitam omnem fuisse iustam. Quamobrem singulos oportet semper in singulis actionibus illud tempus adeo suis cogitationibus familiare facere, ac si præsens esset. Ita enim maxime honesti iustique cura vigebit. *Stob. serm. 42.*

Idem dicebat sæpenumero, e vita migrare esse optimum, veluti è conuiuio, non sitibundum, nec temulentum. *Stob.*

Aristides Philosophus interrogatus, quatenus deceat hominem viuere? Tantisper, ait, dum deprehendat emori præstari, quam in tot calamitatibus viuere. *Stob.*

Aristides Locrensis, morsus à mustela Tartesia, iam moriẽs dixisse fertur, multo sibi iucundiorem mortem futuram fuisse, si vel ex leonis, vel ex pardalis morsu obtigisset (quandoquidem necesse fuerit aliquando mortis occasionem existere) quam ab eiusmodi cõtempta bestiola. Vnde apparet, eum acerbius ignominiam morsus, quam ipsam mortem tulisse. *Ælian. l. 14. de var. hist.*

Epictetus dicere solebat, magis necessarium esse animæ, quam corpori mederi, quum præstet mori, quam male viuere. *Anton. in Meliss. par. 1. serm. 58.*

Æschines. Mortem nequaquam terribilem, sed violentam affectionẽ circa mortem horrendam esse dicebat. *Stob. serm. 117.*

Idem. Gloriosè mori summam felicitatem esse dicebat, quum omnibus ex æquo sit fatalis. *Stob. serm. eod.*

Gorgias rogatus, an libenter obiret? Minimè, inquit, sed ex hoc domicilio putrescente libenter abeo. *Eras. Stob. serm. 117.*

Theodorus Philosophus, Lysimacho tyranno minitante ei necem, non deprecatus est, sed mortem contemnens, ignorabam, inquit, te non regis, sed cicutæ vim habere. *Stob. serm. 2.*

Demosthenes, dum pro Atheniensibus, & libertate verba faceret, & Philippus diceret: Num times, ne caput abs te auferri præcipiã? Non, inquit. nam etsi ipsum loco moueris, patria immortalitate donabit. *Stob.*

Cariscus admodum senex, quum difficili admodum morbo liberatus esset: Apage, inquit, quam molestè reuersus sum, iam aliquantulum viæ progressus, quam ingredi omnino necesse est. *Maxim. serm. 4.*

Agis interrogatus, quo pacto quis libertatem suam tueri possit? Si mortem, inquit, contempserit. Hic metus qui cadere dicitur in constantem virum, multos deterret à pulcherrimis facinoribus: hoc qui caret, potest vbique, quod rectum est, sequi, nec est quod timeat improbos: qui, vt extrema moliantur, nihil aliud possũt, quam occidere. *Plut. in Lacon.*

Idem, per insidias captus, ac præter meritum ab Ephoris condemnatus, quum ad laqueum duceretur, conspiceretque quemdam ex lictoribus flentem, ob indignitatem rei, cuius cogebatur esse minister: Desine, inquit, ò homo! vicem meam flere: Nam sic moriens præter ius, & æquum, melior feliciorque sum his, qui me occidunt. Hæc loquutus, vltro collum laqueo induit. Quo nemo Stoicorum docuit quid fortius, hoc ille iuuenis non verbis, sed re præstitit, felicitatem omnem solo honesto metiens: eosque iudicans infeliciores, qui faciunt iniuriam, quam qui patiuntur. *Plut.*

Hippodamus. Quo tempore Agis aduersus Archidamum aciem instructam habebat, simul cum Agide iussus ire Spartam, curatu-

rus illicca, quibus erat opus: An non, inquit, honestius est, vt pro Sparta fortem bonumq. virum præstans, mortem oppetam? Ac post sumptis armis, stansque regi ad dextram, pugnando interijt. Consultum volebant illius senectuti, quæ viribus defecta in bello non ita multum esset habitura momenti, in patria futura nonnulli vsui (excesserat enim annum octogesimum, at ipse sibi non indulsit. *Plut. in Lacon.*

Agesilaus, percontanti cuidam, qua ratione sibi pareret eximiā gloriam? Si mortem, inquit, contempseris. Nihil enim in bello præclaræ rei geret, cuius animum mortis metus occupauit. Idem affectus in omni vita mortalium à pulcherrimis facinoribus reuocare solet. *ibid.*

Theramenes, postquam Ephori capitis sententiam in ipsum pronunciassent, abijt ridens, rogantibus, qui aderant, an etiam contemneret Spartanorum leges? Nequaquam, inquit, quin gaudeo potius, quod hæc mihi mulcta soluenda est, cum eam nec induxerim cupiens, nec à quopiam mutuo acceperim. Vt innocens nō accusauit patriæ suæ leges, sed hoc felicitatis esse iudicabat, quod mori iuberetur, qui neminem ad mortem adegisset, nec cuiquam deberet vitam, nisi sibi. Facete mortis pœnam vocauit mulctam, rem atrocem molliori vocabulo signans. Iure autem cogitur soluere pecuniam, qui eam vel extorsit ab alio, vel mutuo sumpsit. *Plut. in Lacon & Cic. quæst. Tusc. lib. 1.*

Pythagoras, in ædibus Milonis cum familiaribus suis assidēs, accidit, vt ædes ex inuidia succenderentur à quodam, qui in eum cetum receptus non fuerat. Alij dicunt ab ipsis Crotoniatis id esse factum, metu tyrannidis Pythagoras egressus, cum ad agrum fabis plenum peruenisset, restitit, ac dixit Capi præstat, quam calcare: interfici quam loqui. Et sic à persequentibus iugulatus est. *Suidas.*

Callicratidas ante conflictum peracto sacrificio, quum aruspex nunciaret ex incensis exercitui quidem protendi victoriam, sed Imperatori mortem, nihil expauefactus: Haud penes vnum (inquit) sunt res Spartæ, me siquidem mortuo, nihilo deterius habitura est patria: sed si cessero hostibus, aliquid decedet patriæ, pro qua lubens moriar. Itaque quum Cleandrum pro se ducem designasset, naualem pugnam aggressus est, ac pugnando interijt. *Plut. in Lacon apoph.*

Idem, percontanti, quam ob causam fortes viri gloriosam mortem ingloriæ vitæ anteponant? Quoniam, inquit, alterum naturæ proprium, alterum peculiariter suum esse ducunt. Nam naturæ beneficio viuunt & ignauissimi: at honestè mori non contingit nisi virtute præditis. *Plut. in Lacon.*

Leonidam, quum Ephori percontarentur, si quid præterea rei facere statuisset? Nihil aliud, inquit, quam verbo tenus impediturus barbarorum transitum, sed reuera pro Græcis moriturus. Egregium imperterriti ductoris documentum in causa honesta plaque, nec certam mortem horrescere. *Plut. in Lacon.*

Anonymus. Quidam Lacon sagitta percussus, quum animam ageret, dicebat: Non me mouet, quod morior, sed partim, quod ab imbecilli sagittario, ac mulierculæ simili, partim quod nullo facinore edito morior. Victis solet esse solatio virtute præstantis viri dextra cadere. Lacedæmonij vero, quoniam ensibus pugnare solebant cominus, non putabant esse virtutis, procul missa sagitta quempiam interficere: quod idem possunt, & fœminæ. Tum iniquiore animo decedunt è vita, qui rectè factorum post se relinquunt memoriam. *Plut. in Lacon.*

Spartanus insidijs circumseptus ab Iphicrate Atheniensium duce, quum illius milites rogarent, quid in eo rerum statu esset faciendum? Quid aliud, inquit, nisi vt vos seruemini, ego pugnādo moriar? Talis erat animus Catonis Vticensis, qui cæteris suasit, vt fugæ saluti consulerent, ipse spontanea morte turpem effugit seruitutem. *Plut. in Lacon.*

Damindas, quum Philippus irrupisset in Peloponnesum, & quidam ita loqueretur, periculū est, ne acerba patiantur Lacedæmonij, nisi Philippo reconcilientur. O semiuiri! inquit, quid nobis poterit acerbi accidere, qui mortem cōtemnimus? *Plut. in Lacon apoph.*

Chabrias proditionis accusatus est vna cum Iphicrate, quum autem ab Iphicrate obiurgaretur, quod quum esset in periculo, tamen ad gymnasium iret, solitaque pranderet hora: Ergo, inquit, si quid secus de nobis statuerint Athenienses, te squalidam, ac famelicum: me vero pransum, ac vnctum occident. *Plut. in apoph.*

Phocion, cum alijs bonis viris ab Atheniensibus damnatus ad mortem, quum carnifex cicutam apportaret, & bibissent omnes, solusque Phocion superesset, consumpto ab alijs veneno, carnifex negabat se daturum, nisi numerarentur duodecim drachmæ: tanti enim venire cicutæ vnciam. Phocion itaque, ne per illius contentionem mora fieret morti, accito ad se quodam ex amicis: Quādo quidem, inquit, Athenis ne mori quidem gratis licet, quæso dato huic precium. *ibid.*

Pelopidas. Postquam Epaminondas Pelopidam liberum reduxisset, aiebat se gratiam habere Alexandro, per quem experimento cōperisset, se non tantum ad bellum, sed etiam ad mortem bene animatum esse. *Plut. in apoph.*

Alexander. Calanus ille Indicus gymnosophista, quum sibi ipsi manus adferre vellet, struem lignorum struxit: eamque incendens, seu ignem, contemnens mortis durum supplicium, præcipitauit, quod quum Alexander vidisset, admiratus hominis audaciā, dixisse perhibetur: Calanum potentiores se hostes bellasse, ac vicisse. Alexander enim cum hominibus pugnans victor eusit, Calanus vero cum laboribus, ac morte. *Ælian. l. 5. de var. hist.*

Corn. Scipio, quum in Africa Pompeij partes sequutus, res parum prospere gessisset, & Hispaniam petens intellexisset nauim, qua vehebatur, ab hostibus captam, gladio præcordia sua transuerberauit. Deinde Cęsarianis militibus quærentibus, vbi est Imperator? Imperator, inquit, bene habet. Suprema vox morientis declarauit animum meliore fortuna dignum. *Appian.*

M. Cato aiebat, plurimum referre, vtrum quis virtutem magni æstimet, an vitam non insigni faciat. Sentiens, non eos statim esse fortes, qui quouis modo vitam, vel mortem contemnunt: sed qui tanti faciunt virtutem, vt huius gratia vitam alioqui charam negligant. Nam semet in vitæ discrimen conijcere, aut infelicium est, & quos vitæ iam tædet: aut immanium, & beluis similium. *Plut. in Catone.*

Bassus. Si quid incommodi, aut metus in morte esse diceretur ab alijs, morientis hoc vitium esse dicebat, non mortis. Mors enim nihil incommodi hominibus adfere, sed ab omnibus incommodis, ac fortunæ miseræ procellis liberat. *Senec. epist. 30.*

C. Manius, Augusti centurio, quum in bello ab Antonio captus esset, interrogatus ab Antonio, quomodo secum agi vellet? Occidi me iube, inquit, mori enim malo, quam tuo beneficio viuere. *Appian.*

Pisone à Galba adoptato, conspiratione facta prætorianorum, Otho Imperator salutatus est Galbæ ad tumultum sedandum in lectica delato, milites infensi occurrentes ingesserunt vulnera. Ille iugulum offerens: Agite dum, inquit, si hoc ex Republ. est. Cruribus igitur & brachijs fœde laniatis iugulum hausit, vt crebrior fama est. *Plut. in Galba.*

Canius Iulius mori iussus, quod Caium Cæsarem verbis offendisset, ad necem vocatus à centurione latrunculis ludebat. Tum numeratis calculis dixit sodali: vide ne post mortem meam mentiaris te vicisse: & simul centurioni annuens: Testis, inquit, eris, vno me antecedere. Ceruicem inde percussuri præbuit intrepide. *Senec.*

Hadrianus. Sub mortem his versibus lusisse dicitur Hadrianus Imperator:

> *Animula vagula, blandula,*
> *Hospes comesque corporis,*
> *Quæ nunc abibes in loca,*
> *Horridula, rigida, nudula,*
> *Nec vt soles dabis iocos.*

Dion. Cassius.

Seuerianus. Adriani iussu moriens, eo quod Commodum successorē parum prudenter designatum ab Imperatore dixisset, ignem petijt, & accenso thure: Vos, inquit, Dij, testes estote, nihil à me morte dignum esse commissum. Tantum hoc precor, ne quum mori velit, possit. *Dion. Nicæus.*

Rubrius Flauius, quum a Nerone defecisset, captiuus abductus, & mox ad mortem damnatus, verum quum a lictore admoneretur, vt fortiter ceruicem prætenderet: Vtinam, ait, tu tam fortiter ferias. *Senec.*

Ant. Pius quodam die dixit amicis: Quid me fletis, ac non magis de communi morte pestilentiaq; cogitatis? Philosophia docuerat hominem, & mortem contemnere, & res humanas ridere. Parantibus autem abire dixit: Si iam me dimittis, vale vobis dico, vos præcedens. Facete petijt ab amicis descendendi veniam, ac veluti peregre profecturus iussit illos valere, submonens interim fore, vt illi præcedentem sequerentur. *Capitolinus.*

M. Antonius. Cleopatra metuens Antonij iracundiam, confugit in monumentum demissis cataractis: misitq; qui dicerent, illam spontanea morte perisse. Id credens Antonius, & ipse sibi parans adferre vim, dixit, ò Cleopatra, non doleo, quod te caream, nam mox vna futuri sumus: sed quod ego tantus Imperator fortitudine victus sum à fœmina. Victum se putabat, quod illa prior spontaneæ mortis gloriam occupasset. *Plut. in Anton.*

Pertinax Imp. conspicatus milites prætorianos in se irruere: Me, inquit, milites, si occideritis, neque ipsi rem magnam facitis, neque mihi sanè grauem homini huius ætatis, & gloriæ, cum humanæ vitæ finis aliquis sit necessarius. Non ignorauit Imperator, semel esse moriendum: & sic non referre, quo mortis genere vltimum vitæ diem claudamus. *Herodian lib. 2.*

Idem, quum intellexisset tumultuari quosdam ob interfectum Commodum Imperatorem, dixisse fertur: Si doletis Commodi mortem, nihil profecto noui fuit: quandoquidem homo natus fuerat. *ibidem.*

Mauritius. Quum Phocæ tyranni iussu Mauritij Imperatoris quinque filij mares spectante matre, necarentur, inuicto animi robore hanc calamitatem pertulit, subinde hæc verba repetens. Iustus es domine, & iudicia tua iusta sunt. Intrepidè tandem etiam ipse ceruicem præbuit. *Cedren.*

Andronicus Comnenus. Ab Isaacio angelo Imperio euersus, atq; innumera ab insana plebe mala perpessus, tandem pedibus fune alligatis suspensus, generoso animo illata opprobria tolerabat, ac mente integra ad confluentem turbam & ferocientem conuersus, hæc dixit, Domine miserere mei, &: quid calamum contritum infringitis? *Nicetas lib. 2.*

Ignatius Martyr ad bestias damnatus, cum iam ad supplicium duceretur, Non curo, inquit, quo supplicij genere moriar. Frumentum autem Dei cum sim, bestiarum dentibus comminui atque subigi delector, vt panis fiam mundus Christo, qui mihi panis est vitæ. *Euseb lib. 3. cap. 36.*

Anonymus. quum patris mors ei significaretur, respondit, desine loqui blasphemias. Nam pater meus immortalis est. *Socrat. histor. eccles.*

Alphonsus Aragonum & Siciliæ rex, quum familiares, quos ipse alumnos suos appellaret, visitaret infirmos, & ægrotantes pro more audiens Gabrielem Surrentinum suauissimum & splendidissimum adolescentem ægrotare ad mortem, hominem accessit, quē cum a mortis diro aspectu abhorrere intellexisset: Non est, inquit, cur tantopere mortem timeat, quum hæc bene pureque morientibus sit vita, atque eius vitæ principium, quæ neque doloribus, neque metu, neque inuidiæ, neque ærumnis vllis subiecta est. &c. *Ant Pan. de reb gest. Alph. & Æn. Silu. de dictis eius.*

Socrates dicere solebat, mortem esse similem profundo somno, aut diuturnæ peregrinationi. Somnus profundior adimit omnem sensum, & animus a corpore digressus, aliquando in suum domicilium rediturus est. *P. M. l. 3. apoph.*

Diogenes lethali somno experrectus cum esset, ac medicus interrogaret, quidnam ageret: Recte, inquit, habeo: Nam frater fratrem amplectitur: alludens ad Homerum, qui ὕπνον & θάνατον germanos finxit. *Laert. lib. 6.*

Gorgias iam vicinus morti, viribus deficiens: sensim in somnum delapsus iacebat. Et si quis ipsum ex familiaribus interrogaret quid ageret, respondebat: Iam somnus incipit me fratri suo tradere. *Stob.*

Socrates Critonem orabat, ne præceptorem defunctum deploraret. Male dictum enim non solum in hoc ipso delinquere, sed etiam animus nonnihil hoc officere. *Xenoph.*

Polyænus non dolendum esse propter mortuos dicebat: quandoquidem melius sit mori, quam misere viuere. *Max serm. 35.*

Gyrtias cum Acrotatus nepos in puerorum pugna plagis fere exanimatus esset, plorantib. alijs. Tacebitis, inquit: facto enim ostendit, cuius sanguinis esset. Alludit autem ad Lacedæmoniorū fortitudinem, qui mortem contemnentes, omnibus vitæ periculis sese obijciebat. *Plut.*

Eadem cum è Creta nuncius esset allatus de morte Acrotati: Cum ad hostes, inquit, proficisceretur, nonne futurum erat, vt aut ipse moreretur, aut illos occideret? iucundius autem est audire, quod mortuus est, vt & ipso, & ciuitate, & progenitoribus dignum erat: quam si iners & imbellis per omne æuum viueret. Solent auiæ tenerius & impotentius amare nepotes suos, quam ipsæ matres. Et vbi nunc sunt, quæ in morte liberorum confugiunt ad laqueum: cum Gyrtias nepotem & feminecem lugeri vetuerit? nec eundem flendum putarit, quod fortiter pugnans interijsset? *Plut. ibid.*

Anonyma quædam sepeliebat filium, ad eam cum vilis anicula accessisset, dicens, Heu fortunam o mulier: illa subiecit, Per Geminos (inquit) bonam equidem arbitror. Siquidem cuius gratia filium peperi, videlicet vt pro Sparta moreretur, id mihi contigit. Fortissima mulier aniculæ deplorationem vertit in gratulationem. *Cic Tusc. q. lib. 1. Plut. in Lacon apoph.*

M. Crassus. Cum Publius Crassi filius fortissime in bello cecidisset, hostes caput iuuenis hastæ impositū gestantes, Romanis magno cum contemptu ostenderunt. Quo tam tristi spectaculo nil commotus Crassus pater, qui belli dux erat, ait: Hic meus priuatus dolor est, mea hæc calamitas: cæterum publica ciuitatis salus & gloria in vestra incolumitate sita est. *Plut. in Crass.*

Seneca Paulina vxor Senecæ, cum mariti mortem iam imminentem adeo grauiter ferret: Seneca, caue, ait, hanc meam mortem amplius vt continuo luctu defleas, ne vel te minus amasse, vel gloriæ meæ inuidisse videaris. *Ex vita Senecæ.*

Antigonus. Quum renunciatum esset filium Alcyonæum in acie cecidisse, demisso vultu paulisper apud se cogitauit, mox erupit in hanc vocem: O Alcyonæe: serius quam oportuit vitam morte commutasti, qui tam audacter in hostes insilieras, neque tuæ salutis, neque meorum monitorum vllam habens rationem. Putauit, non esse deflendum, qui sua culpa perijsset, sibique calamitatem accersisset. *Ex Plut.*

Galienus Imp. cum patrem Valerium audisset extinctum, vocem laudatissimam sine laude vsurpauit dicens, Sciebam patrem meum esse mortalem. *Trebell Pollio.*

Anaxagoras. Cū in exilio ageret nunciata esset mors filiorum: Sciebam, inquit, me genuisse mortales. *Laert. lib. 2. c. 3. Cic. lib. 3. Tusc. q. Ælian lib 3. de var. hist.*

Chilon vetabat de mortuis male loqui, quod ignauium videretur eos incessere lingua, qui respondere non possunt: ac turpe esse, cum vmbris ac laruis luctari. Nā id est quodammodo sepultum refodere. *Laert. lib. 1. c. 4.*

Philostratus Ælianus sophista scripsit in Gymnidem tyrannū. Hunc cum Philostratus Lemnius offendisset legentem indignabundo & concitato similem, percontatus est, quid argumenti esset præ manibus: Scribo, inquit, Gymnidis accusationem. Laudarem, inquit, Philostratus, si viuentem accusasses. Id enim erat viro dignum, nam lacerare defunctum, cuiuis in promptu est. *P. M. lib. 1. apoph. c. 6.*

Agesilaus cum Lysandri literas & orationem de nouandis reb. deq; mutando Reipublicæ statu, coram exercitu legere vellet, & Lysandrum defunctum esse audiret, noluit defuncti aperire improbitatem militibus: indecorum esse putans, simultatem exercere cum sepulto. *Plut. in Lacon. apoph.*

Epaminondas dicere solebat, pulcherrimum esse genus mortis in bello mori: quod hæc mors primum cum laude fortitudinis coniuncta sit, modo bellum geratur pro patria: deinde breuis, non diu crucians hominem, aut paulatim extabefaciens. *Plutarch. in apoph.*

Idem. Cum grauiter & ad mortem vsque in clade cruentissima vulneratus esset, prostratus humi, interrogauit milites, an clypeus suus adhuc saluus esset, vt audiuit saluum, rogauit præterea, an hostes deuicti essent? cum & hoc audiuisset, Nunc finis, inquit, vitæ meæ: sed melius & altius initium aduenit. Nunc Epaminondas nascitur, quia sic moritur. *Valer. Max.*

SIMILITVDINES.

Syracida. Nec magis nouit homo tempus mortis suæ, quam pisces priusquam hamo capiuntur, vel aues priusquam laqueo irretiātur: Sicut enim capiuntur illæ, sic mors de improuiso homines illaqueabit. *cap. 9.*

Samuelis: Omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non reuertuntur. *2. Reg. 14.*

Esdras: Quemadmodum prægnans cum parit in nono mense filium suum, appropinquante hora partus eius, ante horas duas vel tres dolores circumeunt ventrem eius, & prodeunte infante de ventre, non tractabunt vno puncto: Sic non morabūtur ad prodeundum super terram, & sæculum gemet, & dolores circūtenebunt illud. *4. Esdr. 16.*

Chrysostomus: Sicut egredientibus Israelitis de Aegypto, exterminata est Aegyptus: Sic & sancti quum de isto mundo d. fecerint casurus est ille mundus. *In cap. 1. Matth.*

Sicut quum lana intingitur: naturalem habens colorem, vt coloretur purpureo, aut alicuius coloris accipiat dignitatem: Sic & nos in mortem descendimus corporales, & resurgimus spirituales. *In cap. 20. Matth. hom. 35.*

Sicut quando æs effunditur, vnde statua conflatur, nullam æris perditionem tunc esse dicimus, cum ad meliorem vsum traducatur. Similiter de corpore tuo futurū est mors ipsa & mortalitas destruitur corruptione carnis, & substantia corporis. *Hom. 35. in Matth.*

Omnibus laborantibus dulcis est finis. Viator libenter interrogat vbi sit mansio: mercenarius frequenter computat, quando annus compleatur: agricola semper tempus messis expectat: negotiator die ac nocte thecæ suæ discernit rationē: mulier prægnans semper de decimo mense cogitat: Sic serui Dei libenter de morte sua cogitant. Vbi .n. thesaurus eorum, ibi & cor est. Si haberes solidorum quantitatem in arca tua, oculos illuc sæpe haberes: Sic sancti illū locum aspiciunt, vbi repositam habent coronam. *Hom 49 in Mat.*

In hora mortis iucunda bene actæ vitæ memoria, quasi tranquillitas post tempestatem veniens, conturbatam facile animam consolatur. Sed quoniam sicut intensari vitam agimus, in decedendo ex hac vita procul dubio aderit. Nam qui vinctus propter sua scelera fuerit, cum soluitur, vt ad iudicium produci queat, tunc maxime tremit, tunc formidat, quando ad tribunal iudicis iā appropinquat, quando ad relationem rationum iam deuenit. Idcirco terribiles visiones narrare solent morituri, quarum speciem nullo modo ferentes, & lectulos plerumque ipsos magno iacentes impetu concutiunt, & toruis eos qui adsunt aspiciunt oculis: vel quia vi a corpore tesi inditur anima, vel quia spirituū speciē ferre nō possunt. Si timemus terribiles homines, quid faciemus cum minaces angeli, & rescindentes animam a corpore virtutes nos inuadunt, cum a corpore anima tracta multum incassum deflet. *Hom. 64 in Matth.*

Basilij: Sicut in custodes coniectorum quidam plus temporis in pædore & vinculis retenti, nonnulli suæ miseriæ celeriorem inueniunt liberationem: Sic & animæ quædam in hac vita diutius retinentur, aliæ minus, secundum cuiusq. dignitatis proportionē, sapienter quidem & profundè. *In Iulian martyr.*

Quemadmodum in his qui postea quam ad stadij finem peruenerunt, sese reflectunt, & priusquam in contrarium moueantur, consistunt paulisper, ac requiem aliquam interponunt: Sic & in mutatione vitæ videbatur necessarium, vt mors inter priorem & po-

Kerto-

steriorem vitam intercederet, quæ & præcedentem finiat, & initium det sequuturæ. *De Spiritu S.*

Ioannis Scholastici: Quemadmodum panis præ cæteris terræ alimentis, sustentatio ū corporū: Ita saluti animarum, supra omnia quæ bene sancteq; fiunt, cogitatio assidua mortis necessaria. Nam memorans nouissima sua, non peccabit.

Olympiodori: Sicut hydria iuxta fontem attrita, aqua non perit, nec euanescit, sed in fontem suum reuertitur, rursusq; cum quis voluerit aquam, poterit haurire de fonte: Ita & corpus quod in elementa resoluitur, in fontem suum, terram videlicet ipsam redit, paratum iterum in membra componi, quando author ille voluerit, qui ab initio illud plasmauit. *In Eccl. c. 12.*

D. Augustini: Sicut torrens pluuialib. aquis colligitur, redundat, perstrepit, currit & currendo decurrit, i. cursum finit: Sic est omnis iste cursus mortalitatis: nascuntur homines, moriūtur: & alijs morientib. alij nascuntur, succedunt, accedunt, decedunt, nec manebunt. Quid hic tenetur? Quid non decurrit? Quid non quasi de pluuia collectum it in abyssum? Quomodo. n. fluuius repente collectus de pluuia, de guttis imbrium, it in mare, nec apparet, quia nec apparebat, antequam de pluuia colligeretur: Sic hoc genus humanum, de occultis colligitur, & profluit in mortem. Rursus in occultum vergit, medium hoc sanat & transit: de hoc torrente bibit Christus, hoc est, natus est moriturus. *In Psal. 109.*

Eucherij: Velut ex alto vndarū fluctus alijs atque alijs superuenientibus in litoris extrema franguntur: Ita in terminum mortis succiduæ alliduntur ætates. *Ad Valerianum.*

Idiotæ viri sanctissimi. Sicut omnes stellæ quæ ab Oriente veniunt, quamuis sint magnæ celeritatis & virtutis, tendunt tamen ad occasum, & ibi secūdum diuersos circulos, aliæ tardius, aliæ ocyus sese a nostris aspectibus abscondunt: Sic etiam homines vniuersi ab Oriente, id est, per natiuitatem intrant in mundum, quamuis ibi aliquamdiu rutilent, & clarescant, necesse est tamen quod tandem ad occasum mortis, alij tardius, alij citius, secundum cursum durationis, quam a Deo acceperint, veniant, decidantque & a mundi aspectibus sese subtrahant & recedant. *in lib. de contemplatione mortis §. 1.*

Mors portus est, ad quem in his mundi calamitatibus miseri nauigamus omnes: ad quem quo citius peruenerimus, eo celerius liberabimur. *ibid. §. 8.*

Sicut aqua dilabens in terram, a terra absorbetur, ita quod amplius nō videtur: Sic homo in terram per mortem cadens, ita consumitur & destruitur, quod nunquam amplius in hac mortalis sortis conditione inuenitur, *ibid. §. 10.*

Vt omnia flumina intrant mare: Sic quicunque in hanc fluctuosam vitam qui veniunt, mare, id est, amaritudinem mortis necessario subintrant. Mors enim est omnium pœna, omnium tributum, omnium carcer, omnium domina, omnium receptaculum. *ibidem §. 13.*

Ventus est vita nostra, quia inuisibiliter & incessanter, ac sine reditu transit, & comparatur vmbræ quæ semper sequitur corpus. Nec aliud est vita nostra, quam cursus ad mortem: & quamuis homines laborent, vt diu viuant, ac ad terminum vitæ: nihil tamen est viuere, quam ad finem currere. Quare ipsi ambulant quo peruenire volunt, ac currunt voluntarij ad terminum quē refugiunt. *ibid. §. 14.*

Platonis: Qui mortuis maledicunt, similes videntur catellis, qui lapides iactos mordent, ipsos autem qui læserunt, non attingunt. *Aristoteles in Rhetoricis ait Platonem huius similitudinis authorem esse.*

Æneæ Platonici: Socrates sensibilia cuncta contemnens, & animæ ad corpus communionem perhorrescens, victam, ac veluti in corpore sepultam animam quæritur, vehementerque probat atque admiratur arcanum illud & vetus eulogium, quo dicitur. In carcere quodam postquam venimus fuimus. *In Theophrasto.*

Diogenis: Curæ tibi sit ex hac vita migratio. Curæ autem erit si te mori meditaberis: hoc est, si adhuc viuens animam a corpore separaueris. Hoc enim mihi videtur Socrates appellasse: siquidem meditatio res difficillima est. Philosophare, & considera, quid tibi & natura & lege magis est considerandum. In hoc duntaxat anima a corpore separatur, in reliquis rebus minime, sed cum videt, audit, olfacit, gustat, adest corpus, quasi ea eodem capite vtrumque pendet. Cum igitur mortem non meditamur, molestior vitæ finis expectandus nobis est. Anima namque quasi delicijs quibusdam amicis, mœrore afficitur, & summa cum molestia vita cedit. *In epist. ad Menemum folio 157.*

Plutarchi: Quemadmodum mutuata pecunia æquo animo reddēda est: Sic vitæ munus, quod mutuo accipimus, a Dijs citra querimoniam est reponendum. *In Mor.*

Vt nemo miratur liquefactum, quod potuit liquescere sectum quod erat sectile, exustum quod exustibile: Ita mirandum non est mortuum esse, qui erat mortalis. *In Moral.*

Accensam lucernam nemo moleste fert, extinctam dolent omnes: Ita nasci iucundum, mori inamabile. *In Moralib.*

Lactantij. Sicut vita ipsa bonum est si cum virtute viuitur: malum, si cum scelere: Ita & mors ea præteritis vitæ actibus ponderanda est. *De falsa Sapientia. lib. 3. c. 19.*

Ioannis Dugonis Philonij. Nota sunt mortis præludia. Nihil iucundi, nihil læti occurrit eis quos homicida mors persequitur. Nihil terribilius morte, nihil crudelius: nimirum, quæ ad respiciendas hominum cæca, ad audiendas preces surda: ad omnes mortales, citra vllius exceptionem, perimendos immisericors, atrox, effrōs, insana, neque bonorum, neque malorum habens rationem aliquam: imò bonos non raro, & virtute præditos prius accipiens, quam sceleratos, & malos. Præterea quamuis accidere nequeat sine summo cruciatu mors, hoc est, corporis & animi separatio: tamen ipsa ratio dictat, iuniores difficilius oppetere, quam natu grandiores: quandoquidem illi ceu cruda, & immitia poma velluntur ex vitæ arbore: hi tamquam sole cocta, atque iam caduca sponte sua decidunt. *In Tiliane, vel de scient. bene mor. fol. 40.*

Haud inscite veteres poetæ Mortis fratrem Soporem dixere: hoc ipso innuentes, mortem somno esse persimilem. Hinc est illud Sinopæ Cynici. Is enim quum esset vicinus morti, quæ Græcis mas est, & præter solitum somno premeretur, & Medicus ipsum subinde expergefaceret, ac dehortaretur: Ne mireris, inquit, frater fratrem anteuertit. Et sic quidem ille lusit in re vtique non ludicra, nullis gemitibus, nullis lamentis, & vociferationibus editis in morte, quales tu edis in aliena. Sed neque ineptè ille, aut inscite. Etenim si rem exactiore pensites iudicio, nihil aliud est mors corporum nostrorum, quam somnus diuturnior solito, neque tamen diutius, quam ad nouissimum Christi aduentum duraturus. Hoc nomine sacræ literæ, quos alij vulgari more mori, & mortuos, ipsæ dormiturire, ac dormientes dicere solent. Cuius rei non ignarus, bono esse debes animo. Cubitum eo, non occubitum. Non interit, qui rediuiuus aliquando resurgit. Christus author est nobis bene sperandi: exemplo suo docens, vt quemadmodum ipse corporis mortem passus resurrexit, ita & nos resurrectionis futuræ spem certam habeamus. *in Tilia, vel de scient. bene mor. fol. 47.*

Ciceronis. Vt cygni præuidentes quid in morte boni sit, cum cantu, & voluptate moriuntur: Sic omnibus, & bonis, & doctis, est faciendum. *lib. 1. Tusc. quæst.*

Adolescentes sic mori videntur, vt cum aquæ multitudine vis flammæ opprimitur. Et quasi poma ex arboribus si cruda sint, vi auelluntur: si matura, & cocta, decidunt: Sic vitam adolescentibus vis aufert, senibus maturitas. *in Catone maior.*

Seneca. Quemadmodum clepsydra non extremum stillicidium exhaurit, sed quicquid ante defluxit: Sic vltima hora qua esse desinimus, non hora mortem facit sed sola consummat. *lib. 2. ep. 24.*

Quemadmodum nauim eligam nauigaturus, & domum habitaturus: Ita mortem vtique qua sum exiturus è vita meliorem. *lib. 2. epist. 71.*

Vt qui se meminerunt, inquilinos esse, & in conducto habitare, & modestius se gerunt, & minus grauatim exeunt: Ita qui intelligunt domicilium corporis ad breue tempus a natura commodatum esse, & viuunt temperantius, & libentius moriuntur. *Apud P. M.*

Supra modum deditus vino, fœcem quoque exsorbet: Sic admodum vitæ auidus, qui in extrema quidem senecta vult mori. *Apud P. M.*

Vt felicior est, quem ventus acrior cito in portum pertulit, quam quē venti segnes, & longa tranquillitas lentissimo tædio delassarunt: Ita fortunatior, quem festinata mors statim his vitę malis eximit. *Apud P. M.*

Francisci Philelphi. Quid per immortalem Deum tantopere mouere nos debet? Num volumus cum natura pugnare? Quæ tanta dementia nobis est? quæ deliratio? quæ tanta demum insania? An illud quod Græcorum sapientissimus apud Homerum Vlysses loquitur, numquam audiuimus.

Nil homine infirmius tellus animalia nutrit
Inter cuncta magis.

An qui mortales nati sumus, perinde atque Dei similes, quin potius supra Deum? Nam Deus ipse mori etiam voluit: veluti cum Deo ipso qui immortales futuri sumus, contendere audemus? An ignoramus non in hoc terreno cœno, sed in cœlesti illa, & triumphali gloria, immortalitatem parari nobis? Homo enim (vt inquit Plato) non terrea, neque immobilis planta est, sed cœli: cuius caput (in quo mentem, & rationem, & intellectum posuit, & ex quo reliquum corpus versum ad terram prodeat, veluti radix sit) erectum ad cœlum. Quid præterea hæc vita, quæ tot tempestatibus, tot naufragijs, tot incendijs, tot ruinis obnoxia, ærumnosa plane mors est, adeo delectare nos debet, vt cum eius ergastulis, & vinculis nostrum aliqui liberantur, flere, lamentari, lugere non sinamus? *In Oratione funebri pro Stephano Fredarico Todeschino.*

Folengij. Quemadmodum vmbra corpus: Ita mala huius mundi mortem comitantur. *in Psalm. 88.*

Thri-

Thriueri. Nemo est qui non gaudeat, vbi longa emensus maris pericula, terræ appulerit, quid ergo imminente morte pertimescimus? nam tempestates huius mundi magis periculosæ ipsa morte. *In apophthegm.* 109.

ADAGIA.

Vno die consenescere. οἱ δὲ ποθέοντες ἐν ἤματι γηράσκουσι *Theocr.*

Verum quos amor angit, in vna luce senescunt.

Quadrabit in eos, qui amore, odio, inuidia, similiue affectu laborantes aut grauiore aliqua animi cura confecti, ante tempus canescunt.

Ephemeri vita. ἐφημέρου ζωή.

In eos qui statim moriuntur aut pereunt.

Ergini cani, siue, Ergini canities. Ἐργίνου πολιαί.

De canitie quoque dicitur propera, sed festiuius iactabitur per ironiam in senes iam canos qui tamen iuuenes etiam dum haberi volunt.

Stupa seniculus. στυππεῖον γέρων.

Dicitur de sene viribus effeto.

Mala senium accelerant. αἶψα γὰρ ἐν κακότητι βροτοὶ καταγηράσκουσι. *Hom. Odyss.*

Quippe repente homines curisque malisque senescunt.

In eos quadrabit, qui multis laboribus atque malis exerciti, ante diem senescunt.

EXEMPLA BIBLICA.

Mortis vindicatæ: Mors Asael, 2. *Samuel.* 3.27. mors Abner, 1. *Reg.* 2. 34. mors Naboth, 22.38. mors Ioas, 2. *Reg* 14 5.2. *Paral.* 25.3. Mortis violentæ species diuersæ. *Aquis* submersorum: Antiquior mundus, *Gen.* 7.21. *Matth.* 24.37. *Luca* 17.27.2. *Pet.* 2.5. Pharao cū exercitu, *Exod.* 14.28. Interfectorum ab animantibus *Leonibus.* Propheta inobediens, 1. *Reg.* 13.24. Socius Prophetæ, 20.36. Viri de Babylone, 2. *Reg.* 17.25. *Serpentibus.* Israelitæ, *Num.* 21.6. *Sapien.* 16.10.1. *Cor.* 10.9. *Vermibus* Antiochus: 2. *Mach.* 9.9. Herodes Agrippa, *Act.* 12.23. *Vrsis*, Quadraginta duo pueri, 2. *Reg* 2.24. *Dolo ac proditione* occisorum: Sichemitæ, *Genes.* 34.25. Abner, 2. *Sam.* 3.27. Isboseth, 4.6. Amasa, 20.10. Ela, 1. *Reg.* 16.10. Sennacherib, 2. *Reg.* 19.37. 2. *Paralip.* 32.21. *Esa.* 37 38. Ammon, 2. *Reg.* 21.2. *Paral.* 24. Ioas. 24.25. Godolias, *Ierem* 41.3. interemptorum Azotij, 1. *Sam.* 5.6. *Igne*, consumptorum, Sodomitæ, *Genes.* 19. *ver.* 24.25. Nadab & Abihu, *Leuit.* 10.2. murmurans populus. *Num* 11.1. mille hominum. *Iudic.* 9.45. *&c.* Mulier Samsonis. 15.6. Zambri, 1. *Reg.* 16. 18. quinquagenarij, 2. *Reg.* 1. *ver.* 10.12. filius Achaz, 16 3.2. *Paral.* 28.3. Filij Israel. 2. *Reg.* 17.17. filius Manassis, 21.6. *Ierem.* 29.22. filij de Sepharuiam, 17.31. *Lapidibus* obrutorum: Blasphemator, *Leuit.* 24.23. Colligens ligna in Sabbatho, *Num.* 15.35. Achan tollens de anathemate, *Ios.* 7.25. Aduram, qui erat super tributa Regis, 1. *Reg.* 12, 18.2 *Paral.* 10.18. Naboth, 1. *Reg* 21.13.2 *Paral.* 24.21. Diuus Stephanus Protomartyr, *Act.* 7.58. *Multitudine populi* oppressorum: Dux incredulus, 2. *Reg.* 7.17.

A mulieribus interfectorum: Sisara, *Iudic.* 4.21. Abimelech, 9.53. Holofernes. *Iudith*, 13 8. *Muri aut alicuius alius ædificij casu* oppressorum: Samson & Principes Philisthium, *Iudic.* 16.30. Ciuium Aphec vrbis viginti septem millia, 1. *Reg.* 20.30. Filij Iob, *Iob* 1.19. à turri Siloe interfecti, *Luca* 13.3. *Peste* extinctorum: Israelitæ, 2. *Samuel*, 24.15. Præcipitatorum: Eli, 1. *Sam.* 4.18. Iezabel, 2. *Reg.* 9.33. decem millia virorum, 2. *Paralip.* 25.12. *Spinis & tribulis* contritorum: Viri Sochoth, *Iudic* 8.13. *Suffocatorum.* Meretricis filius, 1. *Regum* 3.16. Benadad. 2. *Reg.* 8.15. *Suspensorum*, Pistor Pharaonis, *Genes.* 41.13. Principes populi. *Num.* 25.4. Rex Hai, *Ios.* 29. quinque Reges, 10.26 Baana & Rechab, 2. *Samuel.* 4.12. Achitophel, 17.23. Aman, *Esther* 7.10. decem filij Aman. 9.14. Principes, *Thren.* 5.12. duo latrones, *Matth.* 27.38. Iudas proditor. *v.* 5. *Act.* 1.8.18. *a terra* absorptorum: Core, Dathan, &c. *Num.* 16. *ver* 32.33. *Deut.* 11.6. *Psal* 106.8 *Vim sibi* inferentium: Abimelech, *Iudicum* 9.54. Samson. 16.28. Saul, 1. *Sam.* 31.4. Achitophel. 2. *Sam.* 17.23. Zambri, 1. *Reg.* 16.18. Ptolomæus, 2. *Mach.* 10. 13. Razias. 14.41. Iudas proditor, *Matth.* 27.5. *Act.* 1.18. *Vt occulta* diuinitus extinctorum: Her & Onan, *Genes* 38. *v.* 7.10. Aegyptij, *Exod.* 12.29. Israelitæ, *Num.* 11.33. Exploratores, qui terræ detraxerant. 14 37. Bethsamitæ, 1. *Sam.* 6.19 Oza, 2. *Sam.* 6 7. Ananias & Saphira, *Act.* 5. *vers.* 10 *Violente partu* exanimatorum: Rachel, *Genes* 35.18. Vxor Phinees, 1. *Sam* 4.19.

Mortis pretiosæ iustorum *Exempla:* Abel, *Genes.* 4. 8. *Hebr.* 11. 4. Enoch, *Genes.* 5.24. Abrahā, 25.8. Isaac, 35.29. Iacob, 49.33. Ioseph 50.26 Aaron, *Num.* 19. 28. Moses, *Deut* 34 5. Samuel, 1. *Sam.* 25.1. Dauid, 1. *Reg.* 2.10.1 *Paral.* 29.28. Elias, 2. *Reg.* 2.11. Zacharias. 2. *Paral.* 24.21. *Matth.* 23.35. Tobias senior & iunior, *Tob* 14.13. *Iob* 42. 17. Mathathias, 1. *Mach* 2.70 Iudas Machabæus, 9. 18.2. *Mach.* 6. 31. septem Fratres & Mater, 7. *&c.* Ioannes Baptista propter veritatem decollatus, *Marc.* 6.28 Lazarus, *Luc* 16.22. Latro a dextris Christi pendens. 23.43. Stephanus, *Act.* 7.60.

Mortis horrendæ malorum *Exempla* Cain, vulgo a Lamecho occisus, *Genes.* 4. *v.* 23.24 quinque ciuitates, Sodoma, Gomorrha, &c. 19.24. Sichem, 34.25. Pharao cū exercitu, *Exod.* 14 28. Nadab, &c. *Leuit.* 10.2. *Num.* 3.4. & 26. 61. 1. *Paralip.* 42.2. Blasphemus, *Leuit.* 24.23. Core, Dathan, Abiron, cum suis complicibus, *Num.* 16 32. Adonibesech, *Iudic.* 1.6. Sisara, 4. 21. Eli, 1. *Sam.* 4.18. Goliath, 17. 50. Saul, 31.4. Amalecitæ filius, 2. *Sam.* 1. 16. Ammon, 13. *vers.* 28. 29. Achitophel. 17.23. Absalon, 18.14. Seba, 20. 22. Ioab, 1. *Reg.* 2. 34. Achab, 22.34. Dux incredulus, 7.17. Benadad, 8 15. Athalia, 11.16. Sedechias 25.6. Holofernes, *Iudith.* 13.10. Baltasarus Rex Chaldæus, *Dan.* 5.31. Danielis accusatores, 6.24. Alcimus, 1. *Mac.* 9 55. Andronicus, 2. *Mach.* 4. 38. Antiochus, 9.9. Menelaus, 13.4. Diues cuius agri exuberabant, *Luc.* 12.20. Diues epulo, 16.22.

Mori interdum quam viuere beatius. *Exempla:* Iosias, 2. *Reg* 22 20. 2. *Paral* 34.28. Israelitæ, *Osee.* 10.8 Iudæi, *Luc.* 23.30. mori Paulo lucrum, *Philip.* 1.21. mori pro liberari, *Coloss.* 2. *v.* 26.

EXEMPLA PROFANA.

Laudare defunctos vetus est consuetudo, cœpitque *apud Græcos* iam inde a Pericle, qui, teste Thucydide, primus defunctos in bello Peloponesiaco pro concione laudauit. Apud Romanos vero *Valerius Publicola* primus collegam suum Brutū, *vt est apud Liuium*, commendauit. *Volaterranus l.* 35. *Philologia, hæc & alia de ritibus antiquis mortuorum sepeliendorum.*

Tullus Hostilius fulmine ictus cum tota domo conflagrauit. Singularem tam sortem, qua accidit, vt columen vrbis in ipsa vrbe raptū, ne supremo quidem funeris honore a ciuibus decorari posset, cœlesti flamma in eadem conditione redactum, eosdem penates, & regiam & rogum sepulchrum haberet.

Duarum mulierum nunciata clade, ad lacum Thrasymenum accepta, altera mater sospiti filio ad portam obuia facta, in eius complexu expirauit: altera, cum falso mortis filij nuncio mœsta domi sederet, ad primum conspectum redeuntis exanimata est.

Drusus Pompeius, Claudij Cæsaris filius, cum puer ludens, iactum in sublime pyrum ore excepisset, idque alte in guttur descendisset, anima præclusa mortem obijt.

Fabius prætor. haustu in lacte pilo, præcluso spiritu animam egit: adeo parua et hominis mors persæpe constat.

Sylla dictator morbo pediculari dies suos finiuit.

Tarquinius Priscus, cum ad mensam sederet, os piscis ita transuersum est in gutture, vt nocte illa miserabiliter expirauerit.

Æschylus in Sicilia mœnibus vrbis egressus, aprico in loco resedit: super quem aquila testudinē ferens, elusa splendore capitis perinde ac lapidem illisit, vt fractæ testudinis carne vesceretur: eoque interemptus est fortioris Tragœdiæ origo.

Sophocles vltimæ iam senectutis, cum in certamen tragœdiam iam dimisisset, ancipiti sententiarum euentu diu sollicitus aliquando tamen vna sententia victor causam mortis gaudium habuit.

Anacreonta dum passæ vuæ succo tenues, & exiles virium reliquias foueret, vnius grani pertinacior in aridis faucibus humor absumpsit.

HIEROGLYPHICA.

In diuinis literis *framea*, vt & alia telorum genera, *mortis* hieroglyphicum habetur. Ita Theologi & Psalmi loco: Erue a framea Deus animam meam. *Pier. Val lib.* 42.

Apud Scythas qui multa quoque Aegyptiorum more confinxerūt, à quibus etiam instituti sunt: vt quibusdam veterum placet *gladius* erat *mortis* symbolum. *Idem lib.* 42.

Colus quoque atque *pensa* tantam, flaminibus abruptia *mortis* habere significationem tradunt, ex fabula Parcarum, quarum munus est, suum vnicuique rei finem præscribere. *Idem Pier. libbro* 48.

Pinus arbor *mortis* quoque hieroglyphicum est, de qua obseruatum, arborem illam excisam semel, nunquam sursum pullulascere. *Idem lib.* 52.

Cupressus etiam arbor in ostentis *mortis* indicium fuit: vnde mortis esse hieroglyphicum nonnulli affirmant. *Vide Pier. Val. l.* 52.

EMBLEMA.

In mortem præproperam.

Emblema CLVI. And. Alciati.

Qui teneras forma allexis, torsisq. puellas,
Pulchrior & tota nobilis vrbe puer,
Occidis ante diem, nulli mage flendus, Aresti,
Quam sibi, cui casto iunctus amore fuit.
Ergo illi tumulum tanti monumenta doloris
Astruit, & querulis vocibus astra ferit.
Me sine abis, dilecte? neque amplius ibimus vna?
Nec mecum in studiis otia grata teres?
Sed te terra teget, sed fata, Gorgonis ora.
Delphineque tui signa dolenda dabunt.

Vel post mortem formidolosi.

Emblema CLXX.

Catera mutescent coriumq; silebit ouillum,
Si confecta lupi tympana pelle sonent.
Hac membrana ouium sic exhorrescit, vt hostem
Exanimis quamuis non ferat exanimem.
Sic cute detracta Ziscas in tympana versus,
Bohemos potuit vincere pontifices.

Cum laruis non luctandum.

Emblema CLIII.

Æacida moriens percussu cuspidis Hector,
Qui toties hostes vicerat ante suos:
Comprimere haud potuit vocem, insultantibus illis,
Dum curru & pedibus nectere vincla parant.
Distrahite vt libitum est, sic cassi luce leonis
Conuellunt barbam vel timidi lepores.

FABVLÆ.

Asinus & Olitor.

Seruiens apud olitorem asinus, cum perpetuis laboribus fesso pabulum exiguum præberetur, precibus suis Iouem exorauit, vt illo domino liberatus ad alterum perueniret. Ita venundatus, nactus est herum figulum. Quo in seruitio, cum & luti & vasorum oneribus grauaretur, minus sibi viuendum putabat. & multo quam prius maioribus precibus, vt liberaretur, Iouem fatigabat. Ioue igitur volente, tertio venijt, addictusque fuit cerdoni. Apud quem cum quæ gererentur, videret: Heu mihi: cum gemitu, inquit, quanto priores seruitutes tolerabiliores erant. Nam ab hoc intelligo etiam pelli meæ periculum imminere.

Fabula ostendit, tum maxime homines veterem fortunam requirere, cum nouam experiri cœperint.

Cygnus.

Cygnus, qui Latine Olor dicitur, edens ad mortem (vt fertur) suauissimum carmen, interrogatus a Ciconia, hæc enim illud fortasse exaudierat: Quæ res illo tempore faceret, vt cantare & gaudere liberet. Huic respondit olor: Spe fieri bona vitæ melioris, & animo quodam præsago futuræ felicitatis, in quam ex hac vita migrare se intelligeret. Quænam illa esse posset, interrogante stulta aue. vt eam absolueret: An tibi illa parua videtur, inquit, quod tum neque quærendi victus, neque insidiarum metu afficiar, neque excruciabor.

Docet fabula, mortem non esse extimescendam, quæ cum ad meliorem bonos vitam quasi transferat, tum a multis miserijs abducat.

Consule titulum de Vita.

MOTVS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Motus, Græce *κίνησις, ἀπὸ τοῦ κινέω* moueo dicitur. Est autẽ motus actus entis in potentia, *secundum Arist. lib. 3. Phys.* Item motus motio etiam dicitur. Hinc terræ motus, cuius caussa sunt venti in cauernis terræ inclusi.

Motiua vis sensitiua duplex est, scilicet Naturalis & Animalis. Vis motiua naturalis est, quæ non mouet per apprehensionem, nec est subiecta imperio rationis. Et talis est virtus vitalis, & pulsatiua, quæ mouet arterias, & cor secundum dilatationem, & constrictionem. Et huiusmodi virtus est in corde, sicut in proprio organo. Vnde solum habet esse in animalibus perfectis, pulmonem & cor habentibus. Et hæc vis per spirationem & respirationem est principium contemperandi calorem cordis, & corporis. Vis motiua animalis est, quæ mouet per apprehensionem, & est triplex, quædam mouet per modum dirigentis, quædam mouet per modum imperantis, & quædam per modum exequentis. *Ex B. Thom. Opusculo de potentijs animæ, c. 5. De his videre potes latius supra in arbore animæ.*

POETARVM DICTA.

Ouid. 15. Met.

Omnia mutantur, nihil interit, errat & illinc
Huc venit, hinc illuc.

Ibidem.

Cum sint huc forsitan illa
Hæc translata illuc, summa tamen omnia constant.
Nil equidem durare diu sub imagine eadem
Crediderim. sic ad ferrum venistis ab auro
Secula. sic toties versa est fortuna locorum.
Vidi ego, quod fuerat quondam solidissima tellus,
Esse fretum: vidi factas ex æquore terras.

Hor. 3. Carm. 29.

Cætera fluminis
Ritu feruntur, nunc medio in alueo
Cum pace delabentis Etruscum
In mare, nunc lapides adesos,
Stirpesq; raptas, & pecus, & domos
Voluentis vna non sine montium
Clamore, vicinæq; siluæ,
Cum fera diluuies quietos
Irritat amnes.

Lucret. 1.

Semper in assiduo motu res quæq; geruntur.

Boet. 3. 9.

Qui tempus ab æuo
Ire iubes, stabilisq; manens das cuncta moueri.

Manil. 4.

Est æquale nihil, terrenos aspice tractus,
Et maris, & notis fugentia flumina ripis.
Crimen vbiq; frequens, & laudi noxia iuncta est.
Sic steriles terris latis interuenit annus.
Ac subitos rumpit parto discrimine fœtus.
Et modo portus erat pelagi, iam facta Charybdis,
Laudatiq; cadit post paulum gratia ponti.
Et nunc per scopulos, nunc campos labitur amnis,
Aut faciens iter, aut quærens veniitue reditue.

SENTENTIÆ PHILOSOPHICÆ.

Motus dicitur eius, quod esse potest, actus, qua ex parte eam vim habet. *l. 3. de Nat. c. 2. T. 6. & l. 6. Metaph. c. 8.*

Motus actus quidam videtur esse, sed tamen imperfectus & inchoatus. *ibid. T. 15.*

Motu cietur omne id, quod mouet, quod idem eam vim habet, vt pulsu agitari possit, & cuius vacuitas a motu quies dicitur. *ibid. T. 16.*

Ignorato motu, naturæ etiam ignoratio sequitur. *lib. 3. de Nat. cap. 1. T. 1.*

Tot sunt motus, mutationisque genera, quot rerum. *ibid. T. 5. & l. 10. Metaph. c. 8.*

Motus omnis velocior est & tardior. *lib. 5. de Nat. c. 10. T. 96.*

Magnitudinem motus comitatur, & quia vnius magnitudo perpetua & continua est: motus etiam assiduus esse dicitur, & tempus ex motu. *l. 4. de Nat. c. 11. T. 99.*

Mutatio omnis natura de statu id quod est dimouet. *l. 4. de Nat. c. 13. T. 127.*

Motus omnis a quodam incipiens ad quiddam peruenit. *lib. 5. de Nat. cap. 1. T. 3.*

Tria sint motus genera necesse est: Qualitatis, Quantitatis, & Loci *ibid. T. 3.*

Omne quod mouetur, tribus modis mouetur: vel aduentitia vi: vel quod eius pars aliqua mouetur. vel per se. *libro 5. de Natur. ca. 2. Text. 17.*

Nec motus in motu, nec ortus in ortu, nec vno nomine mutatio in mutatione reperitur. *ibid. T. 10.*

Magis motus motui contrarius est, quam quies. *lib. 5. de Nat. cap. 6. T. 62.*

Vnus omnino motus is, qui perfectus est. dicitur: siue genere sit vnus, siue specie, siue ratione & natura sua. *libro 5. de Natura, cap. 4. T. 42.*

Neque eius, quod mutatur, neque temporis, in quo illud mutatur primum quicquam potest reperiri. *libro 6. de Natura. capite 5. Text. 49.*

Si semper sit tempus: motus etiam æternus sit necesse est. *lib. 8. de Nat. cap. 1. T. 11.*

Necesse est omnis mutationis finem esse contraria, in quibus existat, & in infinitum nihil moueri. *libro 8. de Natura. cap. secundo, Text. 16.*

Motus vnus & continuus est is, qui vnius est, & vno tempore, atque in eo, quod specie non differt, *libro 8. de Natura, capit. 8. Text. 64.*

Motus quo aliquid versatur, circumque voluitur, vnus est & continuus, non is, qui per rectam lineam fit, nec iniuria. *lib. 8. de Nat. cap. 9. T. 76*

Eodem & totum, & pars, vt tota terra & parua gleba, suapte natura mouentur. *lib. 1. de Cœlo, c. 3. T. 19.*

Motu, qui in orbem fertur, nec vnde, nec quo feratur, datum est, nec medium, nec terminus, nec medium omnino. *lib. 2. de Cœlo, ca. 5. T. 35.*

Cum

Cum quantitatis contrariæ fit mutatio, accretio & diminutio dicitur: cum loci, motus: cum affectionis & qualitatis commutatio. *lib.1 de Ort c.4.T.29.*

Motus, qui in orbem circumque fertur, vnus est continuus, *l.1. de Ort.c.10.T.59.*

Perpetuo motu agitantur omnia, & oriuntur vel intereunt. *l.de Diuturn.& Breuit.vitæ,c.1.*

Nullus est infinitus motus, sed cuius finis propositus est. *lib.2.3.Metaph.c.4.T.12.*

Non est motus à rebus. *l.x.10. Metaph.c.8.*

Res moueri tum dicuntur, cum hæc ipsa adest actio, nec prius, nec posterius. *ibid.*

Impetus fit mutatio, & quod tale est, motus est quidam. *lib.11.Metaph.c.9.T.51.*

Motus sex sunt genera: vt Ortus, vt Interitus, vt Accessio, Decessio, Commutatio, & Loci mutatio. *In Categor.cap.decimotertio, de motus generibus.*

M V L I E R.

DEFINITIO.

MVlier, Græc. γυνὴ, ... & γυναικεῖος ... mulicbris dicitur. Mulier γυνὴ quasi γονὴ, paricos, teste Platone, Mulieri primæ, nempe Euæ, mulieres alias omnes representanti dictum est, in dolore paries. Heb. *Isscha*. Virago, nempe a viro Adamo desumpta, viro adiumentum futura, & quæ animum minime mollem, sed virilē, in familia regenda exerceret. Quod etiam mulier data sit viro, vt ex ea prolem suscipiat, dicitur *NeKebah*, a verbo *NaKab*, excauauit. In vtero enim mulier, veluti in loco concauo, qui deinde aperitur, proles latet ad tempus constitutum, & inde in lucem exit. Est autem mulier illa, quæ amplius virgo non est. Quare Cicero, obiurgantibus eum nonnullis, quod sexagenarius Popiliā virginem duxisset, respondit: Cras mulier erit. Mulieris appellatione, vt vult Caius Iureconsultus, etiam virgo viripotens continetur, hoc est, quæ matura viro, iam plenis nubilis annis.

LOCI BIBLICI.

Mulier Græcis γυνὴ, pro sponsa, *Matth.1. ver. 20.* Mulier viri adiutrix, & propter virum effecta, *Gen.2.ver.18. 1.Cor.11.v.9.* ex costa viri effecta, *v.22.* gloria viri est, *11.v.7.* a serpente seducta, *Gen.3. ver.6.13.1.Tim.2.14.*

Mulier adultera fugienda, *Prou.2.16.* mulier apprehendens virilia, *Deut.25.v.11.12.* mulier bona laudatur. *Prou.11.16.& 12.4.& 14.1.& 18.22.& 31.ver.10.30.* mulier captiua, *Deut 21.10.* mulier familiam curet, *Prou.12.4. Tit.2.5.* mulier pulchra fatua damnatur, *Prou.11.2.& 14.1.* mulier rixosa damnatur. *19.13.& 21.9.& 25.24.& 21.19.& 27.15.* mulier vas infirmum, ideoque honor ei tribuendus, *1.Petri 3.7.* virilem vestem induere non debet, *Deut.22.5.* mulier Christum palam laudat, *Luc. 11.27.* mulier Samaritana Christum agnoscit, & agnitum prædicat, *Ioan 14.29.* mulier in adulterio deprehensa Christo adducitur, *8.3.* mulier pulchra & prudens Abigail, *1.Sam.25.3.* mulier sanguinis fluxum patiens sanatur, *Matt. 9.20.* mulier sedens super bestiam coccineam, *Apoc. 17.ver.3.* mulier vouens, *Num.30.v.4.*

Mulieris pœna ob peccatum, *Gen.3.16.* mulieris prudentis consiliū, *2.Sam.20.16.* mulieri Christus euangelizat, *Ioan.4.v.7 &c.* mulieri non dandus primatus, *1.Tim.2.12.* mulierem non tangere, bonum, *1.Cor.7.1.*

Mulieres in vrbium expugnatione non necandæ, *Deut.20.14.* mulieres iure belli captæ, quibus conditionibus vxores ducendæ. *Deut.21.ver.11.13.* mulieres præ fame filios comedunt, *2.Reg 6 v.28.29.* mulieres cantant canticum cum Maria, *Exod.15.20.* cohæredes sunt gratiæ, *1. Petri 3.7.* plangunt Adonidem in Templo, *Ezech.8.14.* Christum, *Luc.23.27.* Christum surrexisse prædicant, *Matth.28 v.8.11.* mulieres Pseudoprophetissæ damnantur, *Ezech.13.17.* mulieres saluantur per liberorum generationem, *1.Timo.2.15.* mulieres viris subiectæ, *Genes.3.ver.16.Ephes.5.22.Coloss.3.18.1. Petri 3.1.* mulieres publicam docendi functionem exercere non possunt, *1.Cor.14.34 1.Timoth.2.ver.11.12.* mulieres velato capite orare debent, *1.Cor.11.5.* mulieres Christi resurrectionē primæ vel ipsis Apostolis annunciant, *Matth.28 7, Marc.16.7. Io.20.ver.17.18.*

Mulierum castitas exigitur, *1.Tim.2.9.&3.11.* mulierum consolatio, *2.Tit 2.15 1.Pet.3.7.* mulierum curiosus ornatus damnatur, *Eccl. 9.8.Esaiæ 3.v 16.17.18.1.Tim 2.v.9.& 3.Ephes.3.v.22.Coloss.3.v.18.1.Pet.3.3.* mulierum modestia commendatur, *1.Corint.11.v.16.* mulierum probarum numerus rarus, *Eccl.7.29.* mulierum officium, *1.Tim.5.14.Tit.2.4.* quo vestitu & qua modestia in sacro cœtu se gerere debeant, *1.Timoth.2.v.9.11.* & quis earum verus ornatus, *ibid.& 1.Pet.3.3.* mulierum grandæuarum increpandarum ratio, *1.Timoth.5.2,*

SENTENTIAE BIBLICAE.

Mulier bona Deum reuerenter honorat.

Fallax gratia, & vana est pulchritudo: mulier tamen timens Deum ipsa laudabitur. *Prou 31.*

Fundamenta æterna super petram solidam, & mandata Dei in corde mulieris sanctæ. *Eccl 26.*

Viro humiliter obtemperat.

Mulier diligens corona est viro suo, & putredo in ossibus eius, quæ confusione res dignas gerit. *Prou.12.*

Mulierem fortem quis inueniet? procul & de vltimis finibus pretium eius. Confidit in ea cor viri sui. *31.*

Noli discedere a muliere sensata & bona, quam fortitus es in timore Domini: gratia enim verecundiæ illius super aurum. *Ecclesiast.7.*

Non zeles mulierem sinus tui, ne ostendat super te malitiam doctrinæ nequam. Non des mulieri potestatem animæ tuæ, ne ingrediatur in virtute tua, & confundaris *9.*

Beatus qui habitat cum muliere sensata. *ibid.*

Mulieris bonæ beatus vir: nam numerus dierum ipsius conduplicatur. Mulier fortis oblectat virum suum, & annos vitæ illius in pace implebit. Pars bona mulier bona, in pace bona timentium Deum, dabitur viro pro factis suis. *26.*

Vt amicus commode congruat cum amico, vir tamen & vxor concordes vtrique præferendi sunt. *40.*

Domum diligenter curat.

Qui inuenit mulierem bonam, inuenit bonum, & hauriet iucunditatem a Deo. *Prou.8.*

Sicut sol oriens in mundo in altissimis Dei: sic mulier prudens in ornamentum domus suæ. *26.*

Proximum decenter ædificat honesto affatu.

Mulieres in Ecclesijs taceant: non enim eis permittitur loqui, sed subditas esse, *1.Cor 14.*

Mulier in silentio discat cum omni subiectione. Adam enim primus formatus est: deinde Eua: & Adam non est seductus: mulier autē seducta in præuaricatione fuit. Saluabitur autem per filiorū generationem, si permanserit in fide, & dilectione. & sanctificatione cum sobrietate. *1.Timoth 2.*

Modesto gestu.

Mulier gratiosa inueniet gloriam. *Prou.11.*

Mulier sensata & tacita non est immutatio eruditæ animæ. Gratia super gratiam mulier sancta & pudorata. *Eccl.16.*

Columnæ aureæ super bases argenteas, & pedes firmi super plantas stabilis mulieris. *ibid.*

Ædificatio ciuitatis confirmabit nomen, & super hanc mulier immaculata computabitur. *40.*

Sanctificatus est.n. vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem. *1.Cor.7.*

Vir quidem non debet velare caput suum, quoniam imago & gloria Dei est, mulier autem gloria viri est. Non enim vir ex muliere, sed mulier ex viro. Etenim non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum. Ideo debet mulier velamen habere super caput suum, & propter angelos. *11,*

Vos ipsi iudicate, decet mulierem non velatam orare Deum? Nec ipsa natura docet vos, quod vir quidem si comā nutriat, ignominia est illi: mulier vero si comam nutriat gloria est ill. *ibid.*

Similiter & mulieres in habitu ornato, cum verecundia & sobrietate ornantes se, non intortis crinibus aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa, sed quod decet mulieres promittentes pietatem per opera bona. *1.Timoth 2.*

Mulier mala Deum contemnit.

Vt eruaris a muliere aliena, & ab extranea quæ mollit sermones suos, & relinquit ducē pubertatis suæ, & pacti Dei sui oblita est: Inclinata est enim ad mortem domus eius, & ad inferos semitæ ipsius. Omnes qui ingrediuntur ad eam, non reuertentur, nec apprehendent semitas vitæ. *Prou.2.*

Virum de mille vnum reperi; mulierem ex omnibus non inueni. *Eccl.7.*

Non est creata hominibus superbia, neque iracundia nationi mulierum. *Eccl.10.*

Peccatum duxit initium a muliere, & per eandem omnes morimur. *25.*

Virum offendit.

Qui expellit mulierem bonam, expellit bonum: qui autem tenet adulteram, stultus est & insipiens. *Prou.18.*

Melius est sedere in pinna tecti, quam cum muliere litigiosa, quæ partem ædium habet. *21.*

Melius est habitare in terra deserta, quam cum muliere rixosa & iracunda *ibid.*

Tecta perstillantia in die frigoris & litigiosa mulier comparantur. *27.*

Patrem & virum confundit audax. *Eccl.22.*

Omnis

Omnis plaga tristitia cordis est, & omnis malitia, nequitia mulieris. Et omnem plagam & non plagam videbit cordis, & omnem nequitiam & non nequitiam mulieris. 25.

Non est caput nequitius super caput colubri, & non est ira super iram mulieris. Commorari leoni, & draconi placebit, quam habitare cum muliere nequam. Nequitia mulieris immutat faciem eius, & obcęcabit vultum suum tanquam vrsus, & quasi saccum ostendet in medio proximorum. Ingemuit vir eius, & audiens suspirauit modicum. &c. *ibid.*

Dolor cordis & luctus, mulier zelotypa. In muliere zelotypa flagellum linguę omnibus communicans. 26.

Mulieres subditæ estote viris, ficut oportet in Domino. *Col. 3.*

Proximum incendit lasciuo aspectu.

Quod monile aureum est in rictu porci, id est mulier pulchra, & faua. *Prou. 12.*

Procaci affatu.

Ne intenderis fallaciæ mulieris: fauus enim distillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius. Nouissima autem illius amara, vt absynthium: & lingua eius acuta, quasi gladius biceps. Pedes eius descendunt in mortem, & ad inferos gressus eius penetrant. Per semitam vero non ambulant, vagi sunt gressus eius & inuestigabiles. Longe fac ab ea viam tuam, & ne appropinques foribus domus eius. 5.

Dic sapientiæ, soror mea es. & prudentiam voca amicam tuam, vt custodiant te a muliere extranea, & ab aliena quæ verba sua dulcia facit. &c. 7.

Mulier stulta, & clamosa, plenaq; illecebris, & nihil omnino sciens, sedet in foribus domus suæ super sellam in excelso vrbis loco, vt vocaret transeuntes per viam, & pergentes itinere suo. 9.

Inueni amariorem morte mulierem, quę laqueus venatorum est, & sagena cor illius. *Eccl. 7.*

Manus debiles, & genua dissoluta mulier, quod non beatificat virum suum. 25.

Sicut bonum iugum, quod mouetur: ita & mulier nequam. Qui tenet illam quasi qui apprehendit scorpionem. Mulier ebriosa, ira magna & contumelia, & turpitudo illius non tegetur. 26.

Domum destruit.

Sapiens mulier ędificauit domum suam: insipiens extructam quoque manibus destruet. *Prou. 14.*

Mulier mala summe cauenda.

Quia mandatum lucerna est. Vt custodiant te a muliere mala. & a blanda lingua extraneæ. Non concupiscas, &c. *Vide Concupiscentia. 5.*

Ne dederis mulieribus substantiam tuam. 31.

Bonum est homini, mulierem non tangere. *1. Cor. 7.*

Adolescentiores autem viduas deuita. *1. Tim. 3.*

Solicite custodienda.

Vxorem ex sententia nactus, ne repudies: nec te permittas odiosæ, *Eccl. 7.*

Non des mulieri potestatem animę tuæ, ne ingrediatur in virtute tua, & confundaris. 9.

Non des aquæ tuæ exitum, nec modicum: nec mulieri nequam veniam prodeundi. Si non ambulauerit ad manum tuam, confundit te in conspectu inimicorum. A carnibus tuis abscinde eam, nec semper te abutatur. 25.

Ab ea quæ dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui. *Mic. 7.*

Patrum Sententiæ.

De carnibus scintillæ prosiliunt, de ferro rubigo nutritur, morbos aspides sibilant, & mulier fundit concupiscentiæ pestilentiam: in risum aliquando dissoluitur, nunc blanditias exhibet, & quod est venenosius super cuncta, psallere delectatur, aut cantare: cuius cantu tolerabilius est audire basiliscum sibilantem. *Aug. in lib. de sing. cleric.*

Nil esse sentio, quod magis ex arce deijciat animum virilem, quam blandimenta fœminæ, corporumq; ille contractus, sine quo vxor haberi non potest. *l. 8. Soliloquiorum.*

Mulier nec docere potest, nec testis esse, nec fidem dicere, nec iudicare: quanto magis non potest imperare? *In q. ex vtr. Test.*

Illud aduerte, quod extra paradisum vir factus est, mulier intra paradisum, vt aduertas, quod non loci, non generis nobilitas, sed virtute vnusquisque sibi comparet gratiam. Denique extra paradisum, hoc est, in inferiori loco, vir factus, melior inuentur, & illa, quæ in meliori loco, hoc est, in paradiso facta, deterior inuenitur. *ibid.*

Hospitiolum tuum aut raro, aut numquam mulierum pedes terant: omnes puellas aut virgines Christi, aut æqualiter ignora, aut æqualiter dilige. Vide ne sub eodem tecto manseris, nec præterea castitate confidas, nec Samsone fortior, nec Dauide sanctior, nec Salomone poteris esse sapientior. Memento semper, quod paradisi colonū de possessione sua mulier eiecit. Vnde ait quidam:

Adam, Samsonem, Petrum, Dauidem, Salomonem

Decepit Mulier: quis modo tutus erit?

Hier. in epist. ad Nepot.

Matrem tuam ita vide, ne per illam alias videre cogaris, quarū vultus cordi tuo hæreant, & tacitum viuat sub pectore vulnus. Ancillulas, quæ illi in obsequio sunt, tibi scias esse in insidijs, & quāto vilior est earum conditio, tanto facilior est ruina. *ibid.*

Ioannes Baptista matrem sanctam habuit, Pontificis filius fuit, nec tamen patris opibus, nec matris affectibus in domo parentum cum periculo castitatis manere voluit. *ibid.*

Nunquam de mulierum formis disputes, nec quid in cuiusquam domo agatur, alia domus per te noscat: fęminæ nomen tuum nouerint, vultum tuum nesciant. *ibid.*

Illa sit pulchra, illa sit amabilis, illa habenda inter socias, quę nesciat se pulchram esse, quę negligit formæ bonum, & procedens ad publicum, non pectus & colla denudat, nec pallio denudato ceruices aperit, sed quæ celat faciem. & vix vno oculo, qui viæ necessarius est, patente ingreditur. *in epist.*

Pulchra cito adamatur, fœda facile concupiscit, difficile custoditur, quod plures amant. Molestum est possidere, quod nemo habere dignetur: minore tamen miseria deformis habetur, quam formosa seruatur. *ibid.*

Nihil tutum est, in quo totius populi vota suspirant: alius forma, alius ingenio, alius facetijs, alius liberalitate solicitat, aliquo modo expugnatur, quod vndique incessitur. *ibid.*

Quid aliud est mala mulier, nisi amicitiæ inimica, ineffugabilis pœna, necessarium malum, naturalis tentatio, desiderabilis calamitas, domesticum periculum, delectabile detrimentum, mali natura, boni colore depicta? Ergo si dimittere illam peccatum est, tenere autem vere tormentum est: necesse est, vt aut dimittentes adulterium faciamus, aut tenentes quotidianas pugnas habeamus. *Chrys. super Matth. 19.*

Quid quis dicat, aut quomodo quis enarret mulierem illam crudelem & malitiosam? ego quidem existimo, nullam esse in hoc mūdo bestiam comparabilem mulieri malæ. Quid inter quadrupedia animalia leone sæuius? sed nihil hac ferocius, quid in serpentibus dracone acrius? nec hic quidem cum muliere mala conferri potest. Nam leo & draco in malo inferiores sunt. Danielem leones in lacu veriti sunt: iustum vero illum Naboth Iezabel interfecit. Cetus Ionam in ventre custodit: Dalila Samsonem circumuentum illecebris raso etiam capite deformatum alienigenis tradidit. Ioannem Baptistam in deserto viuentem dracones, & aspides subdita feritate tremuerunt. Herodias vero eidē caput abscidit, & tanti viri mortem in pretium saltationis accepit. O malum summum, & acutissimum Diaboli telum mulier? Per mulierem Adam ab initio in paradiso cecidit, mulier ipsum exterminauit. Per mulierem mitissimus ille Dauid suum militem innocentem Vriam, epistolæ dolo occidendum hostib. præsentauit. Mulier sapientissimum Salomonem in præuaricationis sacrilegium præcipitauit. Mulier fortissimum Samsonem rasit, rasumq; excęcauit. Mulier castissimum Ioseph vinculis alligatum in carcerem trusit. Mulier Ioannem totius mundi caput capite truncauit. Quid dicam de hominibus? quum mulier angelos de cęlo deposuerit, mulier malitia omnes prostrauit, omnes iugulat, omnes interficit, omnes elidit mulier impudens, nemini parcit, non Leuitam honorat, non Sacerdotem reueretur, non Prophetę defert. O malum omni malo peius, mulier mala? Siue illa pauper sit, siue diues, si facultates habet, cooperatrices sunt malitiæ suæ. O malum intolerabile, vipera irremediabilis, venenum insanabile, mulier mala? Si iniuriam patitur, insanit: si honorem accipit, extollitur, si potentis vxor sit, non cessat noctu: ad die callidis stimulare sermonibus, blanditur nequiter, & quod vult importuna rapit violenter: Si pauperem habeat virum, ipsum ad iracundias & rixas incitare non desinit, si vidua sit, omnes passim despicit, & ad omnem audaciam superbiæ inflatur: Timor Dei non refręnat linguam suam, nec iram futurum iudicium prospicit, nec ad Deum attendit. *Chrys. in ser. de decollat. Io. Bapt.*

Quia in paradiso mulier propinauit viro mortem a sepulchro mulier viris adnunciat vitam: vt sine occasione sexus muliebris fuit introductio mortis, ita hic ex pietate sexus muliebris fit nunciatio vitæ: vt quę viro transfuderat culpam, transfunderet & gratiam. *Raban. sup. Matth. 17.*

Scribit Herodotus, quod quum mulier cum veste deponit verecundiam, & quod sine veste gerit, quasi non fecerit, obliuiscitur. Si quis autem testis adfuerit, ipsa tamen artificio linguæ cogit eum fateri non vidisse, quod viderat: & quod verbis excusare non valet, hoc lachrimis excusat, blanditur oculis, seducit osculis, instat amplexibus. *Hugo in libello ad socium volentem nubere.*

Ait Cato Vticensis: Si absque fęmina esset mundus, conuersatio nostra non esset absque Dijs: Amice, Cato non nisi sensa & cognita loquebatur, nec quisquam fęminarum execretur ludibria, nisi lusus, nec pene conscius his fidem habere debet, nisi expertus: is nouerat, quod flos Veneris, rosa, & quod sub eius purpura multi lateant aculei. *Val. in epist. ad Rufum.*

Audax

Audax est ad omnia, quæcumque amat vel odit fœmina, & artificiosa est nocere, quum vult. *ibid.*

Est ordo naturalis in hominibus, vt seruiant fœminæ viris, & filij parentibus, quia in illis hæc iustitia est, vt maiori seruiat minor. *Aug. in lib. q. Gen. & hab. 33. q. 5. Est ordo.*

Illæ oculos Christianos scandalizant potius, quæ purpurisso & quibusdam fucis ora oculosq; depingunt, quarum facies Ægyptiacę nimio candore deformes idola mentiuntur, quas nec numerus annorū potest dicere, quod vetulæ sint, quæ capillis alienis verticem struunt, & præteritam iuuentutem, in rugis anilibus polliunt. Erubescat mulier Christiana, si naturam cogit in decorē, sed carnis curam facit in concupiscentijs. *Hier. in epist. 8.*

Mulier constat subiectam dominio viri esse, & nullam authoritatē habere: nec docere potest, nec testis esse, nec fidem dare, nec iudicare. *Amb. l. q. Noui & Veteris Testam. & hab. 33. q. 5. Mulierem.*

Adam per Euam deceptus est, non Eua per Adam: quem vocauit ad culpam mulier, iustum est, vt eam in gubernationem assumat, ne iterum fœminea facilitate labatur. *Amb. in Hexa. in tract. diei 6. & hab. 33. q. 5. Adam.*

Mulier debet velare caput, quia nō est imago Dei, sed vt viro ostēdatur subiecta, & quia præuaricatio per illam inchoata est, hoc signum debet habere in Ecclesia propter reuerentiam episcopalem: non habeat caput liberum, sed velamine tectum, nō habeat potestatem loquendi, quia Episcopus habet personam Christi, quasi ergo ante iudicem Christum, ita ante episcopum sit: quia vicarius Domini est, propter peccatum originale subiecta debet videri. *Idem super 1. epist. ad Corint. & hab. 33. q. 5. Mulier.*

Nec illud otiosum est, quod non de eadem terra, in qua plasmatus est Adam, sed de ipsius Adæ costa facta sit mulier, vt sciremus, vnam in viro, & in muliere corporis esse naturam, vnum fontem generis humani: ideo non duo à principio facti vir & mulier, nec duo viri, neque duæ mulieres, sed primum vir, & deinde ex eo mulier. Vnam enim naturam volens hominum constituere Deus, ab vno principio creaturæ hoc incipiens, multarum & disparium naturarū eripuit facultatem. *Ambr. in lib. de Paradiso. & habet. ibid. Nec illud.*

Samson validus & fortis leonem suffocauit, sed amorem suum suffocare non potuit: vincula soluit hostium, sed suarum non soluit nexus cupiditatum. Messes incendit alienas, sed vnius ipse mulieris accensus igniculo, messem suę virtutis amisit. *Ambr. lib. 1. de Dauid.*

Quid est speciosa mulier? sepulchrum dealbatum, nisi fuerit casta, pudica. Pulchritudo autem sine his virtutibus est præcipitiū patens, venenum inspicientibus compositum. *Io. Chrys. sup. Psal. 50.*

Fœminæ dum maritantur, ideo velantur, vt se nouerint semper maritis suis subditas esse, & humiles. *Isidor. & hab. 30. q. 5. Fœminæ.*

At nulla vehementior discordiarum est causa, quam vnius fœminæ a multis maribus appetitio. *Lactan. Firmianus diuinar. instit. l. 3.*

SENTENTIAE POETICAE.

Euripides in Medea.

Γυνὴ γὰρ ἐστι τ' ἄλλα μὲν φόβου πλέα.
Κακή δ' ἐς ἀλκὴν καὶ σίδηρον εἰσορᾶν.
Ὅταν δ' ἐς εὐνὴν ἠδικημένη κυρῇ,
Οὐκ ἔστιν ἄλλη φρὴν μιαιφονωτέρα.

Mulier enim in alijs quidem timore plena,
Timida autem in pugnam & ferrum inspicere
Sed quando est in lectum iniuria affecta fuerit,
Non est alia mens magis homicida.
Γυναῖκες ἐς μὲν ἐσθλ' ἀμηχανώταται,
Κακῶν δὲ πάντων τέκτονες σοφώταται.

Mulieres sumus ad bona consilia pauperrimæ,
Malorum autem omnium artifices sapientissimæ.
Πάντων δ' ὅσ' ἔστ' ἔμψυχα καὶ γνώμην ἔχει
Γυναῖκές ἐσμεν ἀθλιώτατον φυτόν.

Omnium autem quæ sunt animata, & mentem habent.
Mulieres sumus miserrima planta.

Menander.

Γυνὴ δικαία τοῦ βίου σωτηρία.
Mulier iusta vitæ salus.
Γυναικὸς ἐσθλῆς ἐπιτυχεῖν οὐ ῥᾴδιον.
Mulierem bonam consequi non facile.
Γυνὴ δὲ χρηστὴ πηδάλιόν ἐστ' οἰκίας.
Mulier autem bona temo est domus.
Καλὸν γυναικὸς εἰσορᾶν καλοὺς τρόπους.
Pulchrum mulieris inspicere pulchros mores.
Καλὸν φυτὸν πέφυκεν ἐν βίῳ γυνή.
Pulchra planta est in vita mulier.
Ὑπερήφανον χρῆμ' ἐστὶν ὡραία γυνή.
Superbum res est mulier speciosa.

Pittacus.

Γυναικὸς ἄρχε. id est: *Mulieri impera.*

Plaut. in Rudente.

Tacita mulier est bona semper, quam loquens.

Plaut. in Mercatore.

Ecastor lege dura viuunt mulieres,
Multoq; iniquiore miseræ quam viri.
Nam si vir scortum duxit clam vxorem suam,
Id si resciuit vxor, impune est viro.
Si clam domo egressa est foras,
Viro fit causa, exigitur matrimonio.

Plaut. in Pœnulo.

Bono ingenio me esse ornatam quam auro multo malo.
Mala sunt mulierum vitia, sed hoc mulieri maximum est,
Cum sibi nimis placent, nimisq; operam dant, vt placeant viris.

Plaut. in Bacchid.

Illi hoc illecebrosius
Fieri nil potest, nox, mulier, vinum homini adolescentulo.

Teren. in Heauton.

Nostin mores mulierum, Dum poliuntur, dum comuntur annus est.

Tibul. lib. 3 eleg. 4.

Ah! crudele genus nec fidum fœmina nomen,
Ah pereat, didicit fallere si qua virum.

Catull. eleg. 6.

Dicit sed mulier cupido quod dicit amanti,
In vento & rapida scribere oportet aqua.

Martial. l. 12. in Zelotypam.

Scire suos fines matrona & fœmina debet.

Menandri Comici.

Ἔστι γὰρ γυνὴ λέγουσα χρήστ' ὑπερβάλλων φόβος.
Mulier verbis benigna maxime timenda est.

Menander.

Ἔργον γυναικὸς ἐκ λόγου πίστιν λαβεῖν.
Difficile est verbis mulieris fidem habere.

Eurip. in Oedip.

Ἁλλων δὲ πάντων δυσμαχώτατον γυνή.
Ἐχθροῖσιν εἰ πολεμίαν δάμαρτ' ἔχειν.

Inter omnes alias res maxime inexpugnabilis est mulier:
Hostibus euenit ut inimicas habere vxores.

Plaut. in Truculent.

Male quod mulier incipit, nisi efficere perpetrat,
Id illi morbo, id illi senio est, ea illi miseræ miseria est.
Si bene facere incepit, eius eam cito odium percipit.
Nimisquam paucæ sicunt, si quid occeperint benefacere.
Mulieri nimio male facere melius est onus quam bene.

Eurip. in Danae.

Γυνὴ γὰρ ἐξελθοῦσα πατρῴων δόμων
Οὐ τῶν τεκόντων ἐστὶν, ἀλλὰ τοῦ λέχους.

Mulier paternam egressa domum,
Non amplius parentum est, sed mariti.

Iuuen. Sat. 6.

Semper habet lites, alternaq; iurgia lectus,
In quo nupta iacet, minimum dormitur in illo.
Tunc grauis illa viro, tunc orba tigride peior,
Cum simulat gemitus occulti conscia facti:
Aut odit pueros, aut ficta pellice plorat
Vberibus semper lacrymis, semperq; paratis
In statione sua
Nil non permittit mulier sibi, turpe putat nil,
Cum virides gemmas collo circumdedit, & cum
Auribus extensis, magnos commisit elenchos.

Eurip. in Danae.

Οὐ γὰρ τις ἄλλος ὡς γυναιξὶ μὲν τέχνας
Μελλοντολογγῆ δ' ἀνδράσιν ἐσχάτερος,
Εἰ γὰρ δόλοισιν ἦν τὸ νικητήριον,
Ἡμεῖς ἂν ἀνδρῶν εἴχομεν τυραννίδα.

Sic tibi soles, mulieribus artes
Curæ esse, viros autem plus valere hasta.
Nam si dolis acquirere victoriam liceret,
Nos sane viris imperaremus.

Eurip. in Iphigenia.

Δειναὶ μὲν αἱ γυναῖκες εὑρίσκειν τέχνας.
Callidæ sunt mulieres inueniendis dolis.

Plauti Syracanus.

Vtinam lex esset eadem vxori, quæ est viro,
Nam vxor contenta est, quæ bona est, vno viro,
Qui minus vir vna vxore contentus siet?
Ecastor faxim si itidem plectantur viri,
Si qui clam vxorem duxerit scortum suam,
Vt illæ exiguntur, quæ in se culpam commerent,
Plures viri sint vidui, quam nunc mulieres.

Homerus.

Οἶδα γὰρ οἷος θυμὸς ἐνὶ στήθεσσι γυναικός,

Κεῖνο

Κείνου βούλεται οἶκον ὀφέλλειν ὅστις ὄπυιε
Παίδων δ' προτέρων καὶ κουριδίοιο φίλοιο
Οὐκέτι μέμνηται τεθνειότος, οὐδὲ μεταλλᾷ.
Nosti enim qualis sit mens in pectore mulieris.
Illius vult domum augere, qui ipsam duxerit vxorem.
Priorum vero liberorum, & primi mariti
Defuncti non meminit amplius, neque moratur.

Phocylides Poeta, cuius est sententia.

Ex quatuor hisce animalibus natum est
Genus mulierum, cane, apicula,
Torua sue, aut equo iubato.
Ex equo nata agilis est, velox, discurrens, pulchritudine præstans
Ex torua autem sue neque mala, neque bona est.
Ex cane vero molesta & fera. Ex apicula autem
Bene regit rem familiarem, & nouit operari.
Cuius amabiles nuptiæ, chare sodalis, optanda tibi sunt.

Græce.

Καὶ τῶνδε φωκυλίδεω· τέτταρα φῦλα γυναικῶν γίνονται [illegible]
Φῦλα γυναικείων τῶν μὲν κυνὸς, ἡ δὲ μελίσσης,
Ἡ δὲ συὸς βλοσυρῆς, ἡ δ' ἵππου χαιτηέσσης,
Εὔφορος, ὠκεῖα, περίδρομος, εἶδος ἀρίστη.
Ἡ δὲ συὸς βλοσυρῆς οὔτ' ἂρ κακὴ οὐδὲ μὲν ἐσθλή.
Ἡ δὲ κυνὸς, χαλεπή τε καὶ ἄγριος· ἡ δὲ μελίσσης
Οἰκονόμος τ' ἀγαθὴ καὶ ἐπίσταται ἐργάζεσθαι.
Ἧς εὔχευ φίλ' ἑταῖρε λαχεῖν γάμου ἱμερόεντος.

Seneca in tragœd. 10.

O quam cruentus fœminas stimulat dolor,
Cum patuit vna pellici ac nuptæ domus.

Seneca in Medea.

Nulla vis flammæ, tumidique venti
Tanta, nec teli metuenda torti,
Quanta, cum coniux viduata tædis
Ardet, & odit.

Anthol. Sacr. Iac. Bill.

Quam turpis sit in muliere impudentia.

Quæ proba dignosci posset, quæ fœmina nequam
Temporibus priscis cum nota nulla foret:
Id tulit indigne Dominus, nam perfida casta,
Castaque iudicio perfida plebis erat.
Errorem hunc igitur tollens, his ora pudore,
Illeuit, quibus est chara pudicitia:
At quibus est studio Veneris scelerata voluptas,
Fecit, vt his toto desit in ore pudor.

SENTENTIÆ PHILOSOPHICÆ.

Lac mulierum nigrarum melius est, & pluris cibi, quam albarum. *Arist. lib. 3. de animalib.*

Nulli animalium accidit menstruum sicut mulieri. *Idem lib. 6. de animalib.*

Mulier melioris est pietatis, & compositionis, quam vir, sed maioris inuidiæ, & diligit lites, & maltiisior est viro, & facilius decipitur. *Idem lib. 8. de animalib.*

Mulieres lactantes omnino non menstruantur, vel modicum. *Idem lib. 10. de animal.*

Mas est principium motus in generatione. Fœmina vero est sicut materia.

Fœmina non generat per se, quia indiget principio motus, quod est mas. *Idem lib. 15. de animal.*

Mulier & equa super omnes feminas diligunt coitum.

In hominibus citius formantur mares, quam feminæ.

Fœminæ debiliores sunt maribus, quia sunt frigidioris naturæ. *Idem lib. 18.*

Consilium mulieris est inualidum, pueri autem imperfectum. *Idem lib. 1. Politic.*

A mulieribus male regitur ciuitas.

Melius est mulieris dotem modicam vel mediocrem esse, quam magnam. *Idem lib. 3. Politic.*

Finis generationis in viris, vt plurimũ est numerus septuaginta annorum, in mulieribus autem quinquaginta. *Idem libro 7. Politic.*

Mulier exuta tunica, verecundiam pariter exuit. *Herod. lib. 1.*

Mulier nubendo se non prosperæ tantum, sed & omnis fortunæ cũ marito init societatem. *Iustin. lib. 23.*

Non est imbecillis tantum & impar laboribus sexus muliebris: sed si licentia adsit, sæuus, ambitiosus, potestatis auidus. *Tacit. annal. libro 3.*

Maledictis mulieres pugnare solent. *Nicet. in Manuali com. l. 4.*

Nihil est cõcitatius muliebri animo, nihil æque promptum ad probabiles calumnias struendas, & sua mala insolenter conferenda. Cum inuisa est mulier, se odisse ait: cum amat, amari: cum furatur, se compilari queritur: ac expers quidem se profitetur, sed ea esse modestia vt amatorem execretur, & huiusmodi rebus gloriari & superbire non dubitat, nihil verita ne coarguatur. Sed cũ facile exagitari posse, & iucunda petulantium hominum aurib. esse nouit, tintinnabulo sonantiorem linguam exerit, audacterque peierat, cœlumque terræ miscet, quod si nobilitate & potentia eminet, quæ quouis modo cognitionis veritati obstant, tum propitio Deo est opus, & magno mari ad eluendas contumelias & calumnias ei misero, contra quem improba linguam suã exacuit. *Niceph. Gregoras, hist. l. 7.*

Absurdum & turpe est mulierem potandi studiosam esse, & longe magis multipotam. *Ælian. var. hist. l. 2. c. 41.*

Date frenos impotenti naturæ, & indomito animali: *(Inquit M. Portius Cato)* nec sperate ipsas modum licentiæ facturas, nisi vos faciatis.

Omnium rerum libertatem, imo licentiam, si vera dicere volumus, desiderant.

Exemplo simul pares esse cœperint, superiores erunt. *Liuius Decad. 4. lib. 4.*

Ornentur mulieres *(Dictum Catonis)* non auro, non gemmis, nõ acu pictis aut byssinis vestibus: sed modestia, maritorum obseruantia, liberorum amore, obedientia, moderatione, legibus ciuitatis, armis nostris, victorijs triumphis. *Zonar. Annal. tom. 2.*

Mulierum genus est auarum. *Cic. Rhet. vet. lib. 1.*

Vini vsus olim Romanis feminis ignotus fuit, ne scilicet in aliquod dedecus prolaberentur: quia proximus a Libero patre intemperantiæ gradus ad inconcessam Venerem esse consueuit.

Veneficij quæstio & moribus & legibus Romanis ignota, complurimum matronarum patefacto scelere orta est: quæ quum viros suos clãdestinis insidijs veneno perimerent, vnius ancillæ indicio protractæ, per senatum capitali iudicio dãnatæ, centum & octoginta numerum expleuerunt. *Val. Max. l. 2.*

Γυνὴ πολλὰ ἀνδρὸς ὀξυτέρη πρὸς κακοφραδμοσύνην.

Mulier multo quam vir promptior est ad astutias & malignitatem. *Democritus.*

Εὐάγωγον γὰρ ἐστι πίστιν γυνὴ καὶ μάλιστα [illegible] τὸ δυστυχεῖν προσῇ.

Mulier ad credendum facilis est, & præsertim in calamitatibus. *Caius pro Lucilla.*

Εὐάγωγον δ' εἰς τὸ ῥᾳδίως τι τολμῆσαι θυμὸς γυναικός.

Agilis & promptus est muliebris animus ad audaciam. *Idem contra Menandrum.*

Viros ad vnumquodque maleficium singulæ cupiditates impellunt, mulieres ad omnia maleficia cupiditatis vna ducit: Muliebrium enim vitiorum fundamentum est auaritia. *Cic. l. 2. Rhet.*

Mulieres facilius incorruptam antiquitatem conseruant, quod multorum sermonum expertes ea teneant semper, quæ prima didicerunt. *lib. 3. Orat.*

Mulier, quæ vini vsum immoderate appetit, & virtutibus omnibus ianuam claudit, & vitijs aperit. *Man. l. 7.*

Aut amat, aut odit mulier, nihil tertium. Dedíscere flere fœminam mendacium est. Duo genera lachrimarum habentur in oculis feminarum: veri doloris vnum, insidiarum aliud. Mulier cum sola cogitat, mala cogitat. *Sen. in Prouer.*

APOPHTHEOMATA.

Crates, mundum muliebrem dicebat esse, quod ornat feminam, ornat autem id, quod eam reddit compositiorem ac modestiorem. Verum id non præstat, inquit, neque smaragdus, neque purpura, sed quæcumque adderent vim ac speciem honestatis ac verecundiæ. Græcis *κόσμος*, & mundum sonat, & ornamentum. Inde *κοσμεῖν*, ornare. *Laert. l. 6. c. 5.*

Diogenes conspicatus mulieres garrulas inter se colloquẽtes, Aspis, inquit, a vipera venenum mutuatur. *Ant. in Meliss. par. 2. serm. 54.*

Solon a quodam rogatus, an vxor esset ei ducenda? Si turpem duxeris, inquit, habebis pœnam: si pulchram, habebis communem. *Eod. serm.*

Aristippus mulierem paruam, sed pulchram conspicatus. Paruũ quidem pulchrum, inquit, magnum autem malum. *Ant. serm. de mulier. fort. &c.*

Protagoras vxorem temperantem quærere iubebat, nec formosiorẽ. Illud enim, inquit, est thesaurus, qui surripi non potest, hoc autẽ animi opinio siue persuasio. *Eod. serm.*

Philo dicebat, Physicos narrare mulierem nihil aliud quam imperfectum esse marem. Infirmiora item quodammodo esse mulierum consilia, nec extra res, quæ sub sensum cadunt, quicquam posse eas comprehendere. *Eod. serm.*

Philonis vxor in complurium feminarum cœtu interrogata, cur sola ex omnibus aureo non vteretur ornatu? Satis, inquit, vxori magnus ornatus viri sui virtus est. *Ibid.*

Pericles quum deuictis Samijs Athenas reuersus, pro concione laudasset eos, qui in bello ceciderant, cæteræ matronæ redeuntem è concione coronis ac vittis decorarunt. Elphinice vero Cimonis soror, propius accedens, dixit illi, Præclara sunt ista, quæ gessisti, & coronis decoranda: qui nos tot fortibus viris spoliasti? Ad hæc aliaque conuitia nihil commotus Pericles, tantum arrisit, nec aliud respondit, quam versiculum Archilochi:

οὐκ ἂν μύροισι γραῦς ἐοῦσ' ἠλείφεο. id est,
Vnguento, anus cum sis, caueto inungier.

Significans, publica negocia non esse curanda vetulæ. Tam enim hoc

hoc indecorum, quam turpe foret eam vnguentis vti. *Plutarchus in Pericle.*

Aristippus, mulierem os exornantem animum deformem indicare, dicebat. *Ant. serm. de mulierib. improb.*

Democritus sollicitatus, cur, cum magnus esset, paruam duxisset vxorem: Ego (inquit) in malo eligendo, quod minimum erat, elegi. *Eodem serm.*

Socrates dicebat: Quum diligere, & appetere te dixerit mulier, tum ab illa magis metuendum tibi est, quam quum conuitiatur, solitus etiam est dicere, tria se mala assecutum, Grammaticam, Paupertatem, & perniciosam Vxorem: quorum duo effugisset, perniciosam vero vxorem minime. Adolescentulis eum de matrimonio consulentibus: Quemadmodum pisces, inquit, qui nondum intra nassas sint, volunt intrare, qui autem iam intus sunt, volunt exire: sic & vos, ne idem vobis accidat, videte. Item Xanthippen ornatam, & ad spectacula euntem conspicatus: Non, inquit, vt spectes, ò vxor, proficisceris, sed vt specteris. *Eod. serm.*

Protagoras interrogatus, quam ob causam inimico filiam nuptam dedisset: Quia (inquit) nihil ei dare poteram deterius. *Eodem sermon.*

Idem. Anum exornatam conspicatus: Si (inquit) viris, falleris: si sepulchro, ornata es. *ibidem.*

Secundus Philosophus interrogatus, quid esset mulier mala? respondit: Viri naufragium, domus tempestas, quietis impedimentum, vitæ captiuitas, quotidianum damnum, voluntaria pugna, sumptuosum bellum, bellua conuiua, solicitudo confidens, leæna complectens, exornata scylla, animal malitiosum, malum necessariũ. *Max. serm. 9.*

Gorgo. Dicente hospite quodam, Solæ vos Lacedæ viris imperatis, respondit: Nos quidem solæ viros parimus. *idem.*

Cyperia mulieres. Cum Cyperij aduersus Astyagem Medorum Regẽ infeliciter pugnassent, mulieres in vrbem fugientibus obuiam ierunt, ac nudatis ventribus: Quo, inquiunt, ignauissimi ruitis? An nescitis, vos huc iterum intrare non posse, vnde semel naturæ lege egressi fuistis? Inuerso ordine matres animant mares, quæ solent à periculis auocare. *P. M. l. 6. apoph.*

M. Cato illud sæpe in vita se pœnituisse dixit, si quid arcani fœminę credidisset. Est quippe loquacissimum animal mulier, non facile retinens ea, quæ in aurem dicta sunt. *Plut. in Cat.*

Idem, obiurgans aliquando mulierum impotentiam: Omnes, inquit, homines vxoribus dominantur, nos omnibus hominibus nobis autem vxores. Hoc modo colligens, mulieres rerum omnium esse dominas. *Plut. in Rom. apoph.*

Cleopatra. Cum Augustus Cleopatram inuiseret, exigeretque ab illa rationes: Seleucus, vnus ex procuratoribus ipsius, indicauit aliquid esse subtractum ab ipsa. Illa in procuratorem insilijt, & arrepto hominis crine crebris ictibus pulsauit os. Hæc quum Augustus ridens conatus esset inhibere: illa, an non, inquit, permolestum est, ò Cæsar, quum tu me digneris inuisere, seruos meos heram incusare, quod nonnihil muliebrium ornamentorum subtraxerim, non ea quidem mihi, sed vt Octauiæ, & Liuiæ munuscula dem? Hoc commento persuasit Cæsari, se de vita cogitare, dum mori decreuisset. *Plut. in Ant.*

Mulier speciosa, & pulchra templum est super cloacam ædificatũ, dicebat Socrates. *Laert. de vita, & morte Philos.*

SIMILITVDINES.

Gregorij Neocæsariensis. Expertus sum, mulierem esse quamdam mollem terram, vel aliud tale quid. Cor enim ipsius quasi sagena prętereuntes concludit. Quod si manu sola contingat, tenet: sin amplexetur, vinculis trahit. *in Eccl.*

D. Basilij. Vt naues putres procellæ, & tempestates demergunt: Sic improba mulierum studia, & affectiones imbecillos cohabitantium animos misere submergunt, & perdunt. *Apud Anton parte 2. serm. 24.*

Cypriani. De carbonibus scintillæ dissiliunt, de ferro rubigo nutritur, morbos aspides sibilant, & mulier fundit concupiscentiæ pestilentiam, quam Salomon sic comparat, dicens: De vestimento procedit tinea, & à muliere iniquitas viri. *De singular. cleric.*

Vni contingit per tempestates nauigia feliciter explicare, & alteri talis felicitas non potest euenire: Sic vnus sine querela cum mulieribus conuersatur, alius cadit. *De singul. cleric.*

Salonij. Circulus aureus in naribus eius, mulier pulchra, & fatua. Hoc modo circulum aureum infixeris in naribus suis, id est, in naribus porci: ille dum pergit terram vertere, ac fodere naso, immergit circulum aureum in volutabrum luti: & tunc perdit circulus aureus decorem quem habuit: Similiter ergo mulier fatua, si habet pulchritudinem vultus, vel accipiat ornamenta inaurium, monilium, simul & vestimentorum sordidat pulchritudinẽ suã, & amittit decorem, si se cœno libidinis coinquinari diligit, & adulterijs corrumpi. *In Parab. Salom.*

Plutarchi. Vt nemo sentit, qua parte stringat calceus, nisi qui indutus est: Ita nemo nouit ingenium mulieris, nisi qui duxit vxorẽ. *in Moral.*

Plinij. Muta cicada miraculo est, quod ipsum genus sit garrulum: sunt autem huiusmodi in agro Rhegino: Sic magis admiramur cõstantiam, & silentium in fœmina, quod ipsum genus mutabile sit, & loquax. *lib. 11. c. 27.*

Polyanthea Noviss.

Elysij Calentij. Mulieres vitibus similes sint, viri arboribus, quibus adhæreant vites, quibusve sine fructum neque vllum imbecilles ferent: neque, si quempiam afferrent, sustentabunt. *in epistol. ad Cassianum.*

Mulieres quidem plantulis arborum, aut herbarum similes sunt: quæ, nisi alio transferantur, euellanturque à solo, in quo natæ sunt, frugi esse non possunt. Aut enim iusto plus adolent, aut arescunt. Quod in lactucis rectius, aut brassicis, si voles, aspicies. *in epist. Mulg.*

Thrimeri. Flores spinarum admodum suaniter spirant, sed pungunt eos qui negligenter eos carpunt: Ita mulierum pulchritudo alacriter redolet, sed fere offenditur, qui illis imprudenter vtitur. *in apoph. 113.*

ADAGIA.

Mulier pudica, ne sola sit vsquam.

Quum admonebimus, non committere, vt pudica mulier sola citraq; testes cum viris colloquatur: vsui fuerit illud apud Homerum frequens de Penelope:

Οὐκ οἴη, ἅμα τῇ γε καὶ ἀμφίπολοι δύ' ἕποντο.
Haud sola: ast illam famula bina comitata.

Præstat canem irritare, quam anum. *πολὺ χεῖρόν ἐστιν ἐξερίσαι γραῦν ἢ κύνα.*

Notatur hoc adagio atrocitas iræ muliebris, qua nulla maior, maxime cum ad sexus vitium accedit senectus. Menander.

Mulieri ne credas: ne mortuæ quidem. *Γυναικὶ μὴ πίστευε, μηδ' ἂν ἀποθάνῃ.*

Notat adagium muliebrem leuitatem, & inconstantiam. Diog.

Nec mulieri, nec gremio credendum.

Idem notat quod præcedens proximum. Nam & mulier leuis est animi: & plerumque fit, vt in gremio posita, dum in obliuionem veniunt, exsurgentibus procidant.

Mulierum exitia. *Γυναικῶν ὄλεθροι.*

De ijs, qui foeditus, ac miserabiliter pereunt, vsurpatum, quod omnium fere calamitatum mulieres viris authores extitisse dicantur.

Fœmina nil pestilentius.

Hanc sententiam ita effert Homerus.

Ὡς οὐκ αἰνότερον καὶ κύντερον ἄλλο γυναικός.
Vsque adeo nihil improbius muliereq; peius.

Frequenter apud antiquos poetas male audit mulierum genus, quæ quidem, & hodiernis temporibus strenue dant operam, ne poeta plane vaniloqui fuisse videatur. Germani dicunt: Es ist nichts vber ein bœss Vveib. *Item,* Es ist kein boeser Creatur auff Erden, dann ein boeses Vveib. Ein boess Vveib, ist ein bitter Kraut.

Qui non litigat, cœlebs est. *D. Hieronymi.*

Indicat adagium, rixosum esse omne coniugium: nec tranquillitatem esse, nisi in cœlibatu. Vvem zu vvohl ist, der nemm ein Vveib.

Tamquam Chalcidica nobis peperit vxor. *ὥσπερ Χαλκιδικὴν τέτοκεν ἡμῖν γυνή.*

De ea dici solitum, quæ liberos quam plurimos peperisset.

Anus cothonissat. *Γραῦς κωθωνίζεται.*

Dicitur de vetulis indecore lasciuientibus.

Anus eriphus. *Γραῦς ἔριφος.*

In eam, quæ in virginitate consenuisset, dici solitum.

Thessala mulier, *Θετταλὴ γυνή.*

In veneficas, & malarum artium peritas mulieres dicebatur. Aristop.

Ὑπ[illegible]

Dicitur prouerbialiter iam propinqua partui. Sumpta metaphora à ficis post immissos plenas maturescentibus.

Γυναικίζειν

In eos iactari solitum, qui cultu gestuq; corporis mulierem representant.

Ignis, mare, mulier, tria mala. *πῦρ καὶ θάλασσα καὶ γυνὴ κακὰ τρία.*

Dici solitum in mulierum improbitatem, ob quam passim apud veteres scriptores male audit hic sexus.

Sublata lucerna nihil interest inter mulieres. *Λύχνου ἀρθέντος γυνὴ πᾶσα αὐτή.*

Sentit adagium, nullam mulierem pudicam esse, si detur facultas sine teste peccandi.

EXEMPLA BIBLICA.

Mulierum fides, ac pietas *exempla:* Obstetrices, *Exod. 1. v. 17.* Rabab, *Ios. 2. v. 1. 4. Hebr. 11. v. 3.* Ruth, *Ruth 1. v. 16.* Noemi, *2. v. 12.* Pueri viui mater, *1. Reg. 3. v. 26.* Sareptana, *17. v. 19.* Sunamitis, *2. Reg. 4. v. 9. 10. &c.* Iosaba, *11. v. 2.* Esther, *Esth. 4. v. 16. & 5. v. 1.* Mulier sanguinis profluuio laborans, *Matt. 19. v. 21. & 15. v. 22.* Chananæa, *v. 25. 27. 28.* Maria Magdalenę, & Maria Iacobi, & Salome, *Marc. 16. v. 1. Ioan. 20. v. 1.* Elizabeth, *Luc. 1. v. 42. 45.* Deipara virgo, *vers. 38.* Anna, *2. v. 36. 38.* Peccatrix, *7. v. 52.* Martha, *10. v. 38. Io. 11. 27.* Vidua paupercula, *21. v. 2.* Christi Discipulæ, *23. v. 27. 46.* Samaritana, *Ioan. 4. v. 25. 29.* Deipara virgo, & eius comites, *19. v. 25.* Tabitha, *Act. 9. v. 36.* Maria mater, *12. v. 12.* Lydia, *16. v. 14.*

Mulierum fortitudo *exempla:* Debora, *Iudic. 4. vers. 9.* Michol, *1. Sam. 19. vers. 12.* Sara filia Raguelis fortiter, & patienter tulit cõtumeliam ab ancilla illatam, *Tob. 3. vers. 7. &c.* Esther, Regina periculo

se caposuit pro gente sua, *Esth.* 5. *v.* 1. 2. *&c.* Iudith, *Iudith* 13. *v.* 8. 9. mater septem filiorum, 2. *Mach.* 7. *v.* 1. 2. *&c.* Deipara virgo, & eius comites. *Ioan.* 19. *v.* 15. Maria Magdalenæ, 20. *v.* 11.

Mulierum pietatis, & compassionis *exempla:* Rebecca, *Gen.* 24. *v.* 17. 18. Obstetrices, *Exod.* 1. *v.* 17. Filia Pharaonis, 2. *v.* 6. Rahab, *Ios.* 2. *v.* 4. 12. Ruth, *Ruth* 1. *v.* 16. Noemi, 2. *v.* 12. Pueri viui mater. 1. *Reg.* 3. *v.* 26. Sareptana, 17. *v.* 9. Sunamitis, 4. *Reg.* 4. 9. 10. Iosaba, 11. *v.* 2. Esther, *Esth.* 5. *v.* 3. *&c.* Maria Magdalena, Iacobi, & Salome, *Marc.* 16. *v.* 1. Ioanna, Susanna, &c. *Luc.* 8. *v.* 2. Martha, 10. *v.* 38. Paupercu la vidua, 21. *v.* 1, Discipulæ Christi, 23. *v.* 27. Vxor Pilati, *Matt.* 27. *v.* 19. Mater Christi, *Ioan.* 2. *v.* 3. Et eius comites, 19. *v.* 25. Tabitha, *Act.* 9. *v.* 16. Maria Marci mater, 12. *v.* 12. Lydia, 16. *v.* 14 15.

Mulierum sapientum *exempla:* Sara, *Gen.* 21. *v.* 9. 10. Rahab, *Ios.* 2. *v.* 8. 12. 13. Debora, *Iudic.* 4. *v.* 4. Ruth, *Ruth* 2. *v.* 1. Anna, 1. *Sam.* 1. *v.* 15. Abigail, 25. *v.* 18. 32. 33. mulier Thecuitis, 2. *Sam.* 14. *v.* 19. mulier sapiens, 20. *v.* 16 Bethsabee, 1. *Reg.* 1. *v.* 16. 17. Meretrix, 3. *v.* 26. Regina Saba, 10. *v.* 1. 2. *Par.* 9. *v.* 1. Vidua Sunamitis, 2. *Reg.* 4. *vers.* 28. Hulda Prophetissa, 22. *v.* 15. 19. Esther, *Esth.* 7. *v.* 1. 2. 3. Vxor Pilati, *Matth.* 27. *v.* 19. vtraque Maria, 28. *v.* 9. Deipara virgo, *Luc.* 1. *v.* 34. 38. 46. *&* 2. *v.* 48. Elizabeth, *v.* 41. 43. Maria soror Marthæ, *Luca* 10. *v.* 39. Martha, *Ioan.* 11. *v.* 32.

Mulierum stultiloquij *exempla:* Sara, *Gen.* 18. *v.* 10. 11. 12. Rachel, 30. *v.* 1. Dalila, *Iudic.* 14. *v.* 17. *&* 16. *v.* 18. Michol, 2. *Sam.* 6. *v.* 20. Meretria altera, 1. *Reg.* 3. *v.* 26. Vxor Tobiæ, *Tob.* 2. *ver.* 22. Ancilla Saræ, 3. *v.* 8. Vxor Aman, *Esth.* 5. *v.* 14. Vxor Iob, *Iob* 2. *v.* 9. Zebedæi, *Matth.* 20. *v.* 20. 21.

Mulierum auiditatis, & concupiscentiæ *exempla:* Eua, *Gen.* 3. *v.* 6. Sarai, 16. *v.* 1. 2. Filiæ Loth, 19. *v.* 31 *&c.* Rebecca, 24 *ver* 58. Rachel, 30. *v.* 1. Dina, 34. *v.* 1. Vxor Putipharis, 39. *v.* 11. Acsa, *Ios.* 15. *v.* 17. 18. 19. Anna, 1. *Sam.* 1. *v.* 7 8. Sunamitis, 2. *Reg.* 4. *v.* 22. 23. 24. Athalia. *v.* 11. Anna vxor Tobiæ, *Tob.* 11. *v.* 5. Esther, *Esth.* 9. *vers.* 12. 13. Rhode, *Actor.* 12. *v.* 14.

Mulierum officia. *Primo*, Maritum amore complecti: Michol. 1. *Sam.* 18. *v.* 28. Sara Tobiæ vxor, *Tob.* 10. *v.* 12. *Secundo*, monere de pietate. Sunamitis, 2. *Reg.* 4. *v.* 9. 10 Esther, *Esth.* 7. *ver.* 1. 2 *&c.* *Tertio*, illi parere, & honorem deferre, Sara iuxta mandatum Abrahæ mariti, subiicet se esse vxorem Abrahæ, *Gen.* 12. *v.* 14. *&c.* & dominum eum vocat, 1. *Pet.* 3. *v.* 6. Sunamitis veniam petit à marito eundi ad Elisæum, 2. *Reg* 4. *v* 22. *Quarto*, mariti miserias subleuare, Sephora, *Exod.* 4. *v* 25. Michol. 1. *Sam.* 19. *v.* 11. 12. Vxor Ierobnam, 1. *Regum* 4. Iezabel, 21. *v.* 7. Tobiæ vxor, *Tob.* 2. *ver.* 19. 20. *Quinto*, sequi maritum: Sara, *Gen.* 12. *v.* 1. 2. *&* 20. *v.* 1. 2. Rebecca, 24. *v.* 61. Lia, & Rachel, 31. 14. Sephora, *Exod.* 4. *v.* 20. Dauidis vxores, 1. *Sam* 27. *v.* 3 Mulieribus etiam legendum Deuteronomium, *Deut.* 31. *v.* 12. Mulieribus prædicat Paulus, *Actor.* 16. *v.* 13.

Mulieres steriles fœcundæ redditæ *exempla:* Sara vxor Abrahami, *Gen.* 16. *v.* 1. *&* 21. *v.* 1. Rebecca, 25. *v.* 21. Rachel, 39. *vers.* 1. 22 23. Vxor Manue, *Iudic.* 13. *v.* 2. 24. Anna, 1. *Sam.* 1. *ver.* 5. 20. Elizabeth, *Luc.* 1. *v.* 7. 57.

Mulierum astutiæ, & fallaciæ *exempla:* Filiæ Loth, *Gen.* 19. *v.* 32. Rebecca, 27. *v.* 16. Rachel, 31. *v.* 35. Vxor Putipharis, 39. *v.* 13. 14 15. 16. Obstetrices, *Exod.* 1. *v.* 19. Filiæ Moabitarum, *Num.* 25. *v.* 2. Rahab, *Ios.* 2. *v.* 4. Iahel, *Iudic.* 4. *v.* 18. Vxor Samsonis, 14. *v.* 16. Dalila, 16. *v.* 15. Michol, 1. *Sam.* 19 *v* 21. Mulier Thecuitis, 2. *Sam* 14 4. Mulier quædam, 17. *v.* 19. Mulier meretrix, 1. *Reg.* 3. *v.* 20. Iezabel, 21. *v.* 8. *Iudith* 10. *v.* 12. *&c* Herodias, *Marc.* 6. *v.* 19. 21. 22. 24.

EMBLEMA.

Mulieris famam, non formam, vulgatam esse oportere.

Emblema CXCV. Andr. Alciat.

Alma Venus, quænam hæc facies? quid denotat illa
Testudo, molli quam pede Diua premis?
Me sic effinxit Phidias, sexumque referri
Fœmineum nostra iussit ab effigie:
Quodque manere domi, & tacitas decet esse puellas,
Supposuit pedibus talia signa meis.

Vide Coniugium, Matrimonium.

MVNDVS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Mvndus, Græce κόσμος, ου, & κοσμικὸς, ὁ. mundanus dicitur, Hebr. *Holam*, quod iam per aliquot sæcula subsistat q. d. sæculum, in quo rerũ ortus, & interitus fit. Sicut Græci autem κόσμον, id est, ornatum, ita nos à perfecta absolutaque elegantia vocamus Mundum: quod nihil eo sit mundius, pulchrius, ornatius. *Plin. lib.* 2. *cap.* 1. *&* 4.

Est autem mundus, qui constat ex cœlo, terra, & terrenis cœlestibusque naturis, *vt ait Possidonius in Meteoris*. Siue qui constat ex Dijs, & hominibus, ijsque rebus, quæ horum gratia conditæ sunt, ab ornatuque dicitur, quem Græci κόσμον vocant.

Est etiam mundus, ornatus muliebris, quasi monitus: quamuis alij à mouendo dictum velint, quoniam mundus id genus ornatus sit, quod sumunt mulieres, ac deponunt. Mundum etiam neutro genere veteres dixerunt. Lucil. *Legant quidam vxori mundum omne penumque.* Hinc fit mundus, a, um, hoc est, purus, tersus, politus, a quo immundus, impurus, obscœnus: & mundo, & mundifico verba, hoc est, depurgo, detergo: & munditia, quæ & mundities dicitur, hoc est, lautitia: & contrarium eius immunditia, vel immundities: & aduerbia munde, & immunde. Mundus vero muliebris, *vt placet Vlp.* est, quo mulier mundior fit, quo dicit contineri speculum, matulas, vnguenta, vasa vnguentaria, & si quæ similia: vnguenta vero gratia valetudinis, mundo muliebri dicuntur non contineri.

LOCI BIBLICI.

Mundus, pro toto humano genere, 1. *Ioan.* 5. 19. pro eo omni quod spirituali Christi Regno aduersatur, *Ioann.* 14. 17. *&* 15. 19. *&* 16. 20. *&* 17. 9. *Galat.* 6. 14. & à Lege Dei nos abducit, 1. *Ioann* 4. 5. *Secundo*, pro vitæ terrenæ conditione, 1. *Cor.* 7. 31. *Tertio*, pro fidelibus, qui mundum incolunt, 2. *Cor.* 5. 19. 1. *Ioan* 2. 2. *Quarto*, pro hominibus metonymice, 1. *Pet.* 1. 4. *Quinto*, pro quibuslibet indefinite, *Ioann.* 18. 20. Sic potest accipi, & *Ioann.* 3. 17. hoc est, pro quibusuis crediturís, siue ij sint Iudæi, siue Gentiles. *Sexto*, pro hominibus, quales sunt in sese, in malo veluti sepulti, 1. *Ioan.* 5. 15. *Septimo*, pro gentibus per vniuersum mundum dispersis, *Roman.* 11. 12. pro vniuersa Ecclesia, 2. *Cor.* 5. 9. *Octauo*, pro omnibus omnium ætatum, ordinum, locorum, electis, 1. *Ioan.* 2. 2. pro omni hominum, cæterarumque rerum splendore, *Gal.* 6. 14. *Nono*, pro ijs omnibus, quæ nobis hic viuentibus vtenda conceduntur, 1. *Cor.* 7. 31. pro ijs quæ ad vitam in coniugio transigendam necessario requiruntur, 1. *Cor.* 7. *v.* 13.

Breuius præcipua mundi significata sic concipi possunt: Mundus tripliciter potissimum vsurpatur; *Primo*, pro rebus ipsis creatis, quibus tota hæc machina visibilis constat, *Ioann.* 1. 1 2 *Pet.* 3. 6. *Secundo*, pro vitiosa ea, & misera conditione, quæ ex peccato hominia contracta, 1. *Ioan.* 2. 16. *&* 5. 19. *Tertio*, pro vna quadam parte, eaque nobilissima, & præstantissima, nimirum pro hominibus tantum, ijsque *Primo*, vel omnibus, *Ioan.* 3. 16. *Rom* 5. 12. *Secundo*, vel solis renatis, 1. *Ioan.* 2. 2. *Tertio*, vel reprobis, & infidelibus, *Ioan.* 14. *v.* 17. 22. 1. *Ioan.* 1. 21.

Mundus ex nulla præexistente materia conditus est, *Hebr.* 11. 3. Mũdus ex aquis emersit, 2. *Pet.* 3. 5. agro similis est, *Matth.* 13. 38. Diuinitatis Dei speculum est, *Rom.* 1. 20. à Spiritu sancto arguendus, *Ioan.* 16 8. Spiritus sancti minime capax, *Ioan.* 14. 15. Pijs contemnendus, 15. 18. *&* 16. 33. *Rom.* 12 2. *Galat.* 6. 14. *Coloss.* 3 *v.* 1. 2. *Iacobi* 1. *&* 4. 4. 1. *Ioan.* 2. 15. Mundus piorum præsentia indignus, *Hebr.* 11. 38. nequam & malignus, *Gal.* 1. 4. 1. *Ioann.* 5. 19. mundus priscus diluuio à Deo punitus, 1 *Petr.* 2. 5. mundus Deo reconciliatus, 2. *Cor.* 5. 19. 2 Christo superatus, *Ioan.* 16. *v* 33. Dei cognitione vacuus, *v.* 3. *&* 17. 25. Christum non agnoscit, 1. *v.* 10. *&* 8. *v.* 19. Christum odit, & quare, 7. *v.* 7.

Mundus iniquitatis, pro congerie, & cumulo quodam omnium scelerum, *Iac.* 3. 6.

Mundi amor, quam noxius, 2 *Tim.* 4. 10 *Iac.* 4. 4. 1. *Ioan.* 2. 15. Deus mundum infinito quodã amore dilexit, *Ioan.* 3. 16. id est, eos, quos ex mundo elegit. Mundi finis, messi confertur, *Matth.* 3. 12 *&* 13. 39. mundi opera mala, *Ioan.* 7. 7. mundi sapientia, 1. *Cor.* 3. 19. mundi status corruptioni obnoxius, 2. *Pet.* 3. *vers.* 7. 10. mundi vanitas quanta, *Rom.* 8. 28. 1. *Cor.* 7. 31. mundi ætas vltima, 1. *Cor.* 10. 11.

Mundo crucifigi dicitur, qui mundum despicit: & mundus crucifixus dicitur ei, qui mundum vicissim nihili facit, *Gal.* 6. 14. mundo renunciandum est, vt Deo seruiamus, *Rom.* 12. 2. *Pet.* 2. 1. 4. 1. *Ioan.* 2. 15. Pro mundo orat Christus, *Ioan.* 17. 9.

SENTENTIAE BIBLICAE.

Mundi amicitia à Deo auertit.

Et ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum. *Ioan.* 14.

Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret. Quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. *Ioan.* 15.

Nemo militãs Deo, implicat se negocijs sæcularibus, vt ei placeat, cui se probauit. 2. *Tim.* 2.

Adulteri nescitis, quia amicitia huius mundi inimica est Dei? Quicumque ergo voluerit amicus esse huius sæculi, inimicus Dei constituitur. *Iac.* 4.

Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt, qui diligit mundum, non est charitas Patris in eo. 1. *Ioan.* 2.

Lautitia modum peruertit.

Qui vtuntur hoc mundo, tamquam non vtantur: præterit enim figura huius mundi. 1. *Cor.* 7.

Mundus transit, & concupiscentia eius. 1. *Ioan.* 2.

Propter hoc mundus non nouit vos, quia non nouit eum. 3.

Mundi malitiam fides subuertit.

Quia vocauit nos propria gloria, & virtute, per quem maxima, & preciosa nobis promissa donauit, vt per hoc efficiamini diuinæ consortes naturæ fugientes eius, quæ in mundo est, concupiscentiæ corruptionem. *2. Petr. 1.*

Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est. *1. Ioan. 2.*

Omne quod natum est ex Deo vincit mundum. Quis est autem, qui vincit mundum, nisi qui credit, quoniam Iesus est filius Dei? *1. Ioan. 5.*

PATRVM SENTENTIÆ.

Mundus iste periculosior est blandus, quam molestus: magis cauendus, quum se illicit diligi, quam quum admonet cogitque contemni. *Aug. ad Dioscor.*

In hoc mundo non timere, non dolere, non laborare, non periclitari impossibile: sed plurimum interest, qua causa, qua expectatione, quo animo quisque patiatur. *ibid.*

O amatores mundi? cuius rei gratia militatis? maior non esse poterit spes vestra in mundo, quam vt amici mundi sitis. Ibi quid nisi fragile, plenum periculis, & per quot pericula peruenitur ad maius periculum? pereant hæc omnia, & dimittamus hæc vana, & inania: conferamus nos ad solam inquisitionem eorum, quæ finem non habeant, vita hæc miseria est: mors incerta subito obrepit: & post hæc negligentiæ pœna supplicio luenda est. *lib. confess.*

Mundus transit, & concupiscentia eius. Quid vis? vtrum amare temporalia, & transire cum tempore, an Christum amare, & in æternum viuere? *Sup. epist. Ioan.*

Ecce turbat mundus, & amatur, quid si tranquillus esset? formoso quomodo hæreres, qui sic amplecteris fœdum? Flores eius quomodo colligeres, qui a spinis non reuocas manum? *in Psal.*

Vincula huius mundi asperitatem habent veram, iucunditatem falsam, certum dolorem, incertam voluptatem, durum laborem, timidam quietem, rem plenam miseriæ, spem beatitudinis inanem. *August.*

Ecce ruinosus mundus est, & sic amatur, quid si dulcis esset? ô munde immunde, tenebras pariens, quid faceres, si maneres? quid faceres dulcis, si amarus alimenta mentiris? *in serm.*

Quam rarus in terris, qui possit dicere, portio mea, & quam alienus à vitijs, & quam segregatus à labe peccati, qui nihil habeat commune cum sæculo, nihil sibi mundi huius vendicet, non sit corporalium possessor cupiditatum, quem non inflammet libido, non stimulet auaritia, non lasciuia effœminet, non luxuria decoloret, non sternat ambitio, non maceret inuidia, non aliqua negociorum sæcularium non solicitet. *Ambrosius super Psalmum.*

Discite in hoc mundo, supra mundum esse, & si corpus geritis, volitet in vobis ales interior. *lib. de Virg.*

Sancti viri, quia nihil huius mundi appetunt, procul dubio nullis tumultibus in corde premuntur. *Greg. in Mor.*

Quia nec Paulus mundi gloriam quærebat, nec a mundi gloria ipse quærebatur: & se mundo & sibi mundum crucifixum esse gloriabatur. *lib. 5. Moral.*

Ille huius mundi veraciter mala sentit qui eius bonis inhiat, nec alia bona appetit. *lib. 6. Mor.*

Ecce mundus qui diligitur, fugit. Sancti isti, quorum ad tumbam cõsistimus, florentem mundum mentis despectu calcauerunt, erat vita longa, salus continua, opulentia in rebus, fœcunditas in propagine, tranquillitas in diuturna pace, & tamen cum in seipso floreret, iam in eorum cordibus mundus aruerat. Ecce iam in seipso mundus aruit: & adhuc in nostris cordibus floret, vbique mors, vbique luctus, vbique desolatio, vndique percutimur, vndique amaritudine replemur, & tamen cæca mente carnalis concupiscentiæ eius amaritudines amamus, fugientem sequimur, labenti inhæremus, & quia labentem retinere non possumus, cum ipso labimur, quem cadentem tenemus. *In hom.*

Cui Christus incipit dulcescere, necesse est amarescere mundum. *Bern. in serm.*

Plenus est mundus spinis, quæ in terra sunt, in tua carne sunt: versari in his, & minime lædi, diuinæ potentiæ est, & non virtutis nostræ. *super Cant.*

Mundus est, vbi malitiæ plurimum, vbi sapientiæ modicum, vbi omnia sunt viscosa, omnia lubrica, omnia operta tenebris, & obsessa laqueis, vbi periclitantur animæ, & affliguntur corpora, vbi omnia vanitas, & afflictio spiritus: & in Ioele dicitur, Confusum est gaudium a filijs hominum. *in serm.*

Habemus pro mari mundum, pro naui ecclesiam, pro velo pœnitentiam, pro gubernaculo crucem, pro nauta Christum, pro vento Spiritum sanctum. *Chrys. super Matth.*

Fallax est hic mundus, finis dubius, exitus horribilis, iudex terribilis, pœna infinibilis. *Pet. Bles.*

Si Christus pro te de cœlesti sede descendit, tu propter ipsum fuge terrena. Si dulcis est mundus, dulcior est Christus. Si amarus est mundus, omnia pro te sustinuit Christus. *Aug. tract. de contemptu mundi.*

Polyanthea Nouiss.

Mundi amor, & Dei, pariter in vno corde habitare non possunt, quemadmodum oculi pariter cœlum, & terram nequaquam cõspiciunt. *Cyprian. de 12. Abusionib.*

Mari iuste comparatur hic mundus, quia salsitatibus amarus est, fluctibus Diabolicis quatitur, vitiorum tempestatibus commouetur. *Cassiod. super Psal. 44.*

Si consideramus fratres charissimi, quæ & quanta sint, quæ nobis promittantur in cœlis, vilescent animo omnia, quæ habentur in terris. Terrena namque substantia supernæ felicitati comparata pondus est, non subsidium, temporalis vita æternæ vitæ comparata, mors est potius dicenda, quam vita. Ipse enim quotidianus defectus corruptionis quid est aliud, quam quædam prolixitas mortis? *Greg. in Registro.*

Dic mihi, vbi sunt amatores mundi, qui ante pauca tempora nobiscum fuerunt? Nihil ex eis remansit, nisi cineres, & vermes. Attende diligenter, qui sunt & fuerunt, sicut tu, comederunt, & biberunt, riserunt, duxerunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descenderunt. Hic caro eorum vermibus, illic anima corũ ignibus depuratur, donec rursus infelici collegio colligati sempiternis ignibus inuoluantur. Qui socij fuerunt in vitijs, socij erunt in pœnis: vna namque pœna illos implicat, quos vnus amor in crimine ligat. *Bernard. lib. Meditationum.*

POETICÆ SENTENTIAE.

Antholog. Sacr. Andr. Bill.

Christum eos vt plurimum ad se admittere, quos mundus aspernatur.

Quid mœres, quod te mundus fastidit & horret,
Te cruciat, miris insequiturque modis?
Erige te: mundus quos auersatur, & odit,
Excipit hos Christus, colligit, atque fouet.
Si nempe à Domino crudeli barbarus æger
Linquitur, immitis conteriturque fame,
Ast hunc inueniens soboles Iessæa, benigne
Excipit, atque auido pellit ab ore famem.

A mundo iam caduco abducendum amorem esse.

Diffuge munde senex, tam fœde, & sordide, vix iam
Fallere qua possis, ars sit vt vlla tibi.
Non mirum iuuenem multis placuisse, seniles
Nunc iam ruga genas inficit, ito procul.
Quam sunt laudandi, qui te florente iuuenta
Spreuere, & luxus, delitiasque tuas:
Tam sunt in vitio, qui nunc in fata ruentem,
Atque omni vacuum prosperitate, colunt.

Mundum suos amare, pios autem odio habere.

Hos amat, hos opibus cumulat, miroque fauore
Prosequitur mundus, quos videt esse suos.
Quos autem æthereas contendere cernit ad arces,
Hos odit, varijs exagitatque modis.
Id geminis olim tibi signabatur in hircis:
Vnus enim in solam sospes abibat humum:
At Domino in sortem quam primum venerat alter,
Sanguine mox cæsi tincta rubebat humus.

Manil. 1.

Est igitur tellus mediam sortita cauernam
Aeris, & toto pariter sublata profundo,
Nec patulas distenta plagas, sed condita in orbem
Vndique surgentem pariter pariterq; cadentem.
Hæc est naturæ facies: sic mundus & ipse
In conuexa volans teretes facit esse figuras
Stellarum, Solisque orbem, Lunæque rotundum.

Lucan. 1.

Sic cum compage soluta
Sæcula tot mundi suprema coegerit hora,
Antiquum repetens iterum chaos, omnia mixtis
Sidera sideribus concurrent, ignea pontum
Astra petent, tellusque extendere littora nolet,
Excutietque fretum: fratri contraria Phœbe
Ibit, & obliquum bigas agitare per orbem
Indignata, diem poscet sibi totaque discors
Machina diuulsi turbabit fœdera mundi.

Qua ratione in contemptum res mundi venire queant.

Et Antholog. Sacr.

Quisquis ad excelsi peruenit culmina montis
Iam cuncta ex alto vertice parua putat.
Sic quoque virtutis qui tigit culmina, parui
Iam precij, quicquid cernit in orbe, putat.
Visne igitur, vilis mundus, mundique voluptas
Sit tibi? vis mundi sit procul omnis amor.
Ante oculos tibi pone Deum, sedesque beatas:
Sic mundi subito fracta cupido ruet.

De vanis amatorum mundi studijs.

Qui circumgraditur, progressus non facit vllos,
Sed sua vesano membra labore premit.

Huic similis plane est, qui mundi raptus amore
Fluxa putat solidis anteferenda bonis.
Nam quia terga Deo vertit, qui solus acerba
E media curas pellere mente potest.
Omnia percurrens, in cunctis tadia rebus
Inuenit, æternam perpetuumque famem.
Boet. de consolat. lib. 2, metro. 3.
Rara si constat sua forma mundo
Si tantas variat vices:
Crede fortunis hominum caducis,
Bonis crede fugacibus.
Constat, æterna positumque lege est,
Vt constet genitum nihil.

PHILOSOPHORVM DICTA.

Nec plures mundi sunt, nec plures esse possunt: si modo hic ex vniuersa materia constet, sicuti constat. *lib. 1, de Cœlo, c. 10. T. 93.*

Omnia, quæ sunt sub cœlo, tabescunt, senescunt, & sordescunt sub tempore. *Arist. l. 4. Physic.*

Res nullæ stabiles sunt, quæ cum fluxu huius temporis confluxibiles sunt. *Comment. 2. Post.*

Quid enim videtur ei magnum in rebus humanis, cui æternitas omnis totiusque mundi nota sit magnitudo? Nam quid aut in studijs humanis, aut in tam exigua vitæ breuitate magnum sapienti videri potest, qui semper animo sic excubat, vt ei nihil improuisum accidere possit, nihil inopinatum, nihil animo nouum? atque idem ita acrem in omnes partes aciem intendit, vt semper videat sedem sibi ac locum sine molestia, atque angore viuendi; vt quemcumque casum fortuna inuexit, hunc apte, & quiete ferat. Quod qui faciet, non ægritudine solum vacabit, sed etiam perturbationibus reliquis omnibus. *Cic. Tuscul. quæst. lib. 4.*

Ideo nulli loco animos adijcere debemus, cum hac persuasione viuendum; Non sum vni angulo natus, patria mea totus est mundus. *Senec. ad Lucil.*

Mundus à Deo factus est. *idem.*

Charitas Dei causa fuit factionis mundi, & originis omnium rerum. *Plato in Timæo*

Vniuersus hic mundus vna ciuitas communis Deorum, atque hominum existimanda est. *Cic. l. de leg.*

Sin alia causa est, cur mortalem fecerit mundum, non, quemadmodum Platonici dicunt, sempiternum. Ab vtroque autem sciscitor, cur mundi ædificatores repente extiterint, innumerabilia autem sæcula dormierint. Non enim si mundus nullus erat, sæcula non erant; sæcula nunc dico, non ea, quæ dierum noctiumque numero, annuis cursibus efficiuntur, Nam fateor, ea sine mundi conuersione effici non potuisse, sed fuit quædam ab infinito tempore æternitas, quam nulla circumscriptio temporis metiebatur, spatio tamen, qualis ea fuerit, intelligi non potest, quod ne in cogitationem quidem cadit, vt fuerit tempus aliquod, nullum cum tempus esset. Igitur isto tam immenso spacio, quæro Balbe, cur *προνοια* vestra cessauerit, laboremne fugiebat; At iste nec attingit Deum, nec erat vllus, cum omnes naturæ numini diuino, cœlum, ignis, terræ, maria parerent. Quid autem erat, quod concupisceret Deus mundum signis, & luminibus, tamquam ædilis ornare, si vt Deus ipse melius habitaret, antea videlicet tempore infinito, in tenebris, tamquam in gurgustio, habitauerat, post autem, varietatene eum delectari putamus, quia cœlum, & terram exornatas videmus? Quæ ista potest esse oblectatio Deo? quæ si esset, non ea tamdiu carere potuisset. An hæc fere, vt dicitis, hominum causa à Deo constituta sunt? Sapientumne? propter paucos ergo tanta est facta rerum molitio: an stultorum? At primum causa non fuit, cur de improbis bene mereretur. Deinde quid assecutus cum omnes stulti sint, sine dubio, miserrimi maximeque stulti sunt. Miserius enim stultitia quid dicere possumus? *Idem lib. 1. de Natura.*

Quid enim mundo præstantius? lauda quam putas speciem, portio à te laudabitur mundi. *Luc. Apul. de dogm. Platonis.*

Omnem terræ ambitum (sicuti astrologicis demonstrationibus accepisti) ad cœli spacium puncti constat obtinere rationem: id est, vt si ad cœlestis globi magnitudinem conferatur, nihil spacij prorsus habere iudicetur: Huius igitur tam exiguæ in mundo regionis quarta fere portio est, sicut Ptolemæo testante didicisti, quæ à nobis cognitis animantibus incolatur. Huic quartæ, si quantum maria paludesque premunt, quantumque siti vasta regio distenditur, cogitatione subtraxeris, vix angustissima inhabitandi hominibus area relinquetur. In hoc igitur minimo puncto circumsepti, atque conclusi, de peruulgata fama, de proferendo nomine cogitatis? At quid habet amplum magnificumque gloria tam angustis exiguisque limitibus arctata? *Boet. de Philos. conso. lib. 4. prosa 7.*

SIMILITVDINES.

Iustini Martyris. Quemadmodum videmus coagulationem repente lacti accedere: Ita repente accedit mundum esse. *In refutatione responsionis gentilis ad tertiam quæstionem Christianorum, fol. 262.*

D. Augustini. Sicut area paleis, & frumentis, & sicut arbor folijs, & pomis: Ita infidelibus plenus est mundus. *In Joan. cap. 16. tractat. 95.*

D. Ambrosij. Deserto mundus comparatur adhuc incultus, sterilis, infœcundus in quem negat nobis Dominus ita prodeundū, &c. *lib. 5. in Luc c. 29.*

Mercurij Trismegisti. Sicut Deus omnibus speciebus, vel generibus, quæ in mundo sunt, distributor dispensatorque est bonorum, id est, sensus animæ, ac vitæ: Sic & mundus præstitor est, & retributor omnium, quæ mortalibus videntur bona, id est, alternationis partium, temporalium fructuum, natiuitatis, augmentorum, & maturitatis, & horum similium, *In Asclepio.*

Lactantij. Sicut domus in vsum habitandi facta per se nihil sentit, domino que subiecta est, qui eam fecit, aut incolit: Ita mundus per se nihil sentiens factori Deo subiacet, qui eum in vsum sui fecit. *lib. 2. de orig. error. c. 6.*

P. M. Vt mare grauida minus laborat, & in gestatione, & in partu: Ita si rem honestissimam animo conceperimus, minore negocio consequemur, quam stulta quædam oblectamenta. Et qui mundi præmia sequuntur, minore dolore margaritum illud Euangelicum sibi parare poterunt. *In simil.*

Thrasueri. Vt nemo, qui patria capitur, & peregrinæ regionis studijs tenetur: Sic nemo ad cœlum adspirat, qui huius mundi delectatur, aut cupedijs, aut illecebris. *In apoph. 50.*

Vt nemo munus meretur, quod contemnit: Sic nemo Christo dignus est, qui à tergo respicit, & animum ad posteriorem mundum retorquet. Quippe & commutationem eius grauatim ferre apparet. *In apoph 50.*

Chrysostomi. Cur perforato aquam dolio ingeris? Nihil enim aliud est pro præsentibus istis laborare, quam flammam decerpere, quam pugnis aera cædere. Certe frustra curris. Nonne vniuscuiusque artis finis quidam est? Ita profecto. Ostende igitur mihi finem huius sæcularis studij; sed non potes. Vanitas enim omnia. *Hom. 77 in Matth.*

Hugonis Philonij. Pix est mundus, quamlibet leui attactu tangentes inquinat. Viscus est mundus, qui suos miratores in modum aucupis peccati & mortis æternæ inuoluit. Laqueus est mundus, qui voluptatibus, & opibus, velut escis obiectis allicit, atque capit incautos, & secum trahit in nassam interitus. Vnde mihi vix possibile videtur, vt qui mundi legibus viuit, purus ab inquinamentis mundi, & immaculatus hinc emigret. *In Triliano, vel de scientia bene moriendi, fol. 28.*

Chrysostomi. Sicut difficile est, arborem iuxta viam positam fructus suos vsque ad maturitatem seruare: Sic difficile est, virum fidelē iuxta illum mundum viuentem, id est, in actibus eius, iustitiam immaculatam vsque in finem seruare. *In 21. Matt hom. 30.*

Bernardi. Sicut merii in aquis periclitantur, videas eos tenentes tenere, nec vlla ratione deferere quod primum occurrit manibus, quidquid sit illud, licet tale sit, quod omnino prodesse non possit, vt sunt radices herbarum, cæteraque similia. Nam & si qui forte ad eos veniant, vt subueniant, nonnumquam solent apprehensos inuoluere secum, adeo vt iam nec sibi, nec alijs auxilium ferre præualeant; Sic pereunt in hoc mari magno, & spacioso, sic pereūt miseri dum peritura sectantes omittunt solida; quibus apprehensis, emergere, & saluare possent animas suas. Ita, inquam, pereunt, qui omissis veris, & salutaribus studijs caduca, & transitoria quærunt: a quibus nequeunt diuelli. *Serm. 1. de Aduentu Domini.*

Thrasueri. Nemo libenter alteri obtrudit, quod dedignatur: nec potest moriturus accipere regnum Dei, qui adhuc dum respicit, ac diligit appararus huius mundi. *In apoph. 74.*

D. Chrysostomi. Sicut quando videmus senem hominem scimus, quia propemodum moriturus est: quando autem, nescimus: Sic & mūdum, quando perturbatum videmus, casurum cognoscimus, diē autem ignoramus *In 24. Matth, hom. 50.*

Sicut morituros se esse quotidie audiunt homines, nam quotidie alios mortuos vident, & tamen non credunt se morituros: Ita etsi audiunt periturum mundum, tamen non credunt. *In Matth. homil. 50.*

D. Chrysostomi. Quum homines facilius, & minori tempore destruant, quam construant, vt in ædificijs patet: contra Deus velocius construit, quam destruit, iustificat, quam perdit. Mundum enim vniuersum, & omnem eius ornatum sex diebus condidit, sed Hiericho vnam vrbem septimo tandem die dissoluit. *Homilia 5. de pœnit.*

Theodoreti. Sicut arcam scamnumque fabrefactum videntes, non solum opus laudamus, sed & opificem: Sic etiam videntes nauim fabre compactam, sic monile fabrefactum, artificem laudamus: Sic in mundi fabricam oculos tendentes Deum laudemus: qui non mirati sunt hæc, imò qui nec iam mirantur, inexcusabiles sunt. *Serm. 3.*

Philonis. Quemadmodum, quum condenda est vrbs, cura alicuius Regis, aut Imperatoris, pro fortuna magnifice præsto est quispiam peritus architectus, qui contemplatur loci opportunitatem

nitatem, primum intra seipsum partes futuræ vrbis propemodũ omnes delineat, templa, gymnasia, curias, fora, portus, muralia, vias, angiportus, mœniorum situm, & ædificiorum tam priuatorum, quam publicorum. Deinde impressis velut in ceram in suũ animum singularum rerum imaginibus, effingit vrbem, cuius effigiem innata retractans memoria, atque ita impressis sibi magis etiam simulachris, vt bonus artifex, ad semel propositum exemplar respiciens, aggreditur structuram e saxis & materie, repræsentans incorporeas illas ideas singulis operis partibus. Eodem ferme modo de Deo sentiendum est: qui, vbi decreuit ingentem hanc vrbem vniuersi condere, prius formam eius concepit, ex quibus postquam intelligibilem mundum constituit, ad illius exẽplar sensibilem hunc condidit. Et quemadmodum illa in architecto præsignata vrbs locum extra nullum habuit, tanquam impressa artificis animo: Eodem modo ne ille quidem ex ideis constans mundus, aliud locum habere poterat, quam in Dei verbo, quod adornauit hæc omnia. *De mundi opificio.*

Procop. Quemadmodum rerum naturalium corpora, vbi primum in essentiam progressa fuerunt, simul colorem & magnitudinem continent, quorum alterum prius intellectu, alterum secundum est: Sic & mundus ordine conditus, non tempore, sed decenti & debita harmonia vndique absolutus est. Haud enim pars mundi vna formata est, deinde altera defuit. Hinc & luminaria, propter suam præstantiam, commemorantur die quarto appstuisse. Siquidem ternis, quæ potentia est, decas pretiosus & insignis habetur numerus: vnitas, binarius, ternarius, & quaternarius, inter se additi, decada constituunt. *In Genes. c. 1.*

Iamblichi. Sicut gubernator a rami & gubernaculo segregatus, vno quoque facilique momento mouet vndique & regit, dirigitque nauem; Ita Deus ipse mundum desuper, videlicet, a primis naturæ principiis præcipuas motionum causas exhibens. *De mysteriis.*

Lact. instij. An tu, si educatus in domo fabrefacta & ornata nullã vnquam fabricam vidisses, domum illam potasses non ab homine esse ædificatam, quia, quomodo ædificetur ignorares, Idem profecto de domo quæreres, quod nunc de mundo requiris; quibus manibus, quibus ferramentis tanta effet opera molitus: maxime si saxa ingentia, immensa cæmenta, vastas columnas, opus totum sublime & excelsum videres: nonne hæc tibi humanarum viriũ modum viderentur excedere, quia illa non tam viribus, quam ratione atque artificio facta esse nescires. Quod si homo, in quo nihil perfectum est, tamen plus efficit ratione, quam vires exiguæ patiantur: quid esset incredibile tibi esse videatur, eum mũdus dicitur factus a Deo, in quo, quia perfectus est, nec sapientia potest habere terminum, nec fortitudo mensuram? *Li. 2, ca.... de orig. error.*

Quis est vel tam ineptus, vel tam otiosus, vt aggrediatur facere aliquid frustra, ex quo nullam vtilitatem, nullum commodum speret? Qui domum ædificat, non idcirco ædificat, vt tantummodo domus sit, sed vt in es possit habitari. Qui nauim fabricat, non ideo assumit operam, vt tantum nauis appareat, sed vt in ea naui geretur. Idem, qui vas aliquod instruit aut format, non propterea id facit, vt tantum fecisse videatur, sed vt vas illud effectum capiat aliquid necessarium. Similiter extera, quæcunque fiunt, non vtique in superuacuum, sed ad vsus aliquod laborantur. Mundus igitur a Deo factus est, non vtique propter ipsum mundum. Neque enim aut calore solis, aut aspiratione ventorum, aut humore imbrium, aut alimonia frugum, quum sensu careat, indiget. *Lib. 7. cap. 4. De præmio diuin. item lib. Aceph. epitom.*

MVNVS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Mvnus Græce δῶρον, τό dicitur. Hebr. *Schocadh*, a verbo *Schacadh*, munerauit, munus dedit. Cognationem, habet cũ *Scacadh*, corrupit, nam munera excæcant oculos videntium, & iudicium corrumpunt. Est rei alicuius donatio, atque honoris signum, *secundum Arist. l. Rhet.* Munus autem, donum, & præmium (*vt placet Donato*) sic differunt, quod donum & munus tam ante factum quam post factum datur, præmium non nisi post factum.

Donum voluntarium est, Præmium debetur: Donum Diis datur, Munus hominibus, Præmium viris fortibus, Donum a liberali homine, Præmium a præclaro. Inter Donũ & Munus hoc interest, *secundum eundem Donatum*, quod Munus est id, quod necessario subimus, lege, more, imperio eius, qui iubendi habet potestatem: Donũ, quod nulla necessitate iuris, sed sponte præstatur, & si nõ præstatur, nulla reprehensio, & si præstatur, plerunque est laus.

Munus, *vt placet Varroni*, dicitur, quia, qui mutuo animo sunt, id dat officij gratia, nec a dono differt, nisi cum per metaphoram vel pro officio ponitur, quoniam officia aut a principibus aut Rebus publicis muneris loco dati conseuerunt, vel pro ludis, qui a principe populis quasi muneris loco exhibentur. A munus fit immunis, qui ab officio onere liber est, & immunitas, exemptio ab onere. Hinc remunero, hoc est, retribuo, redono, & munificus, liberalis, quasi munera large præbens, munificentia, liberalitas, & munifice, liberaliter.

Polyanthea Nouiss.

Loci Biblici.

Munera accipiunt filij Heli Iudices Israelis, & male iudicant, *1. Sam. 8. 3.* munera accipiens Giezi leprosus fit, *3. Reg. 5. v. 21. 27.* munera accipiens, vt occidat innocentem, maledictus, *Deu. 27. v. 25.* munera non accipit Deus, *Deut. 10. v. 17.* munera non accepit Elisæus a Naaman gentili quem sanauerat, *2. Reg. 5. v. 16.* munera non accipienda, *Exod. 23. 8. Deut. 16. v. 19. & 27. v. 25. 1. Sam. 8. 3. & 12. 3. 1. Reg. 13. v. 7. 2. Reg. 5. v. 16. Psal. 14. 5. Prou. 15. v. 27. & 17. 23. Eccles. 8. 3. & 20. 10. Esa. 1. 23. & 5. 23. Ezech. 13. 19. & 22. 12. Amos 5. 12. Mich. 3. 11.*

Munerum acceptio periculosa, *Gen. 24. v. 23. Exod. 23. v. 8. Nu. 22. v. 7. 8. Deut. 16. v. 19. & 27. v. 25. Iudic. 16. v. 5. 1. Sam. 8. 3. & 12. v. 3. 4. 2. Sam. 16. 1. Iob 15. 34. & 36. 18. Psal. 15. 5. & 26. 10. Prou. 15. v. 27. & 17. v. 23. & 22. 9. Esa. 1. v. 23. & 33. v. 15. Mich. 3. 11. Eccle. 4. 36. & 7. 6. & 20. 31. Matt. 28. v. 12. 15. Act. 24. v. 26. 27. Iude. v. 16.*

Sententiae Biblicae.

Donec accipiant, osculatur manus dantis, & in promissionibus suis humiliant voces suas, in tempore retributionis postulabunt tempus. *Ecclesiastici c. 29.*

Cum dederis: ne improperes. 41.

Vbi manus multæ sunt, claude, & quodcunque trades, numera, & appende. Datum vero & acceptum omne describe. 42.

Patrum Sententiae.

Libertatem arguendi amittit & peccat, qui ab eo accipit, qui ideo dat, ne corrigatur. *Amb. in epist. ad Cor. 1.*

Munera excæcant oculos iudicum, & vim authoritatis inclinant. *ibid.*

Facile contemnitur clericus, qui sæpe vocatus ad prandium, & non recusat. Nunquam petentes, raro accipiamus rogati. Nescio, quo modo etiam ipse, qui deprecatur, vt tribuat, quum acceperis, viliorem te iudicat, & mirum in modum, si eum rogantem contempseris, plus se post veneratur. *Hieronymus ad Marcell.*

Ante Dei oculos nunquam vacua est manus a munere, si arca cordis plena sit bona voluntate. *Greg. in hom.*

Non Abel ex muneribus, sed ex Abel munera oblata placuerunt. *Lib. 12. Moral.*

Quis non erubescat dicere: quid mihi dabis, vt tibi iustitiam faciã, nonne simile est, ac si dicatur: quid mihi vultis dare, vt abocgẽr officium perdam, & Deum vendam? *ibid.*

Quo beatus Eugenius munera caurius fugitabat, ad eum vndique multiplicius confluebant, hoc quoque fere vbique accidit, vt fugiant, dum quæruntur, dum fugantur, accelerant. Quũm idem prior quidam modicæ facultatis, cuius causam nondum audierat, marcam auri deuotione multa instaurer offerret, *Nondum*, inquit, *ingressus es domum, & iam vis corrumpere Dominum*, per receptionem namque vir sanctus credidit quicquid offerebatur lite pendente. *ibid.*

Tres sunt munerum acceptiones, quibus contra iustitiam humana vanitas tollitat, nempe Fauor amicitiarum, Adulatio laudis, & corporalis acceptio muneris. Facilius autem peruertitur animus rei corporeæ munere, quam gratiæ laudisque fauore, *Isid. de sum mo bono lib. 1.*

Oblatio enim muneris tinea est regiminis. *Cass. in epist.*

Peremptorium enim est in principe, vel aurato adorare munerum, vel fauorem quærere personarum, teste siquidem Propheta: Io quorum manibus iniquitates sunt, dextera eorum repleta est muneribus, Tr insibunt iniquitates in pœnam, & munera in dolorẽ quia testimonio Iob ignis deuorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt. *Petrus Blesensis.*

Sententiae Poeticae.

Ouid. ad quendã sine nomine.

Vt iam nil prastes, animi sum factus amici
Debitor, & meritum velle iuuare voco.
Parua quidem fateor pro magnis munera reddi,
Cum pro concessa verba salute damus,
Sed qui quam potuit dat maxima, gratus abunde est,
Et finem pietas contigit illa suum,
Nec qua de parua pauper dijs libat acerra,
Thura minus grandi, quam data lance valent.
Agnaque tam lactens, quam gramine pasta Phalisco,
Victima Tarpeios inficit icta focos.

Plato l. 3. Politiæ etiam hunc vers. vsurpauit,
Δῶρα θεοὺς πείθει, καὶ αἰδοίους βασιλῆας.
Cum duis flectunt venerandos munera reges.

Menander.
Κακοῦ ἀνδρὸς δῶρ᾽ ὄνησιν οὐκ ἔχει.
Mali enim viri dona vtilitatem non habent.

 Idem

Idem apud Stob. Ser. 10.

Quæcunque manum vitra supponit, ille quamuis infœliciter mala melius consulta.

Eurip. in Medea.

Πείθειν δῶρα καὶ θεοὺς λόγος.

Persuadere dona & Dijs fama est.

Terent. Comœd. 3.

Quam inique comparatum est, vt hi qui minus habent, semper addant aliquid ditioribus.

Ouid. 1. epist. Oenonis ad Paridem.

Turpiter ingenium munera corpus emunt.

Martialis in Epigr.

Callidus effracta nummos fur auferet arca,
Prosternet patrios impia flamma Lares:
Debitor vsuram pariter sortemque negabit,
Non reddet sterilis semina iacta seges.
Dispensatorem fallax spoliabit amica,
Mercibus extructas obruet vnda rates:
Extra fortunam est quicquid donatur amicis:
Quas dederis, solas semper habebis opes.

Martial. l. 5. Epigr. ad AEmil.

Semper eris pauper, si pauper es, AEmiliane:
Dantur opes nullis nunc nisi diuitibus.

Martial. l. 9. ad Ruffum.

Dum me captabas, mittebas munera nobis,
Postquam cepisti, das mihi, Ruffe, nihil.
Vt captum teneas capto quoque munera mitte,
De cauea fugiat ne male pastus aper.

Ouid. epist. 16. Helenæ ad Paridem.

Aut ego perpetuo famam sine labe tenebo,
Aut ego te potius quam tua dona sequar.
Vtque tu non sperno, sic acceptissima semper
Munera sunt, auctor quæ pretiosa facit.

Hier. Sauanorola in locis communib.

Quatuor ista, Timor, Munus, Dilectio, Rancor,
Sæpe solent hominum rectos peruertere sensus. Vier ding vvendeo in diser VVelt Gut geruchte: als Forcht, Lieb, Hass vn Gelt.

Ouid. 2. de Art.

Carmina laudantur, sed munera magna petuntur
Dummodo sit diues, barbarus ille placet.

Idem. 2. & 3. de Art.

Ipse licet venias Musis comitatus Homere,
Si nihil attuleris, ibis Homere foras,
Munera, crede mihi, placant hominesque Deosque,
Placatur donis Iupiter ipse datis.
Quid faciet sapiens? stultus quoque munere gaudet,
Ipse quoque accepto munere mitis erit.

Idem 4. de Pont.

Multiplicat tamen hunc grauitas auctoris honorem,
Et maiestatem res data dantis habet.

Idem 3. de Pont.

Dignus es argento, fuluo quoque dignior auro,
Sed te, cum donas, ista iuuare solent.

Mich. Verin.

Munera quid possint, te flectit ferrea turris,
Quam victor fuluo Iupiter imbre subit.
Accipe parua mei lætus munuscula census,
Nec quæ sint, sed quo suscipe mente data.
Quid non argento? quid non corrumpitur auro?
Qui maiora dabit munera, victor erit.
Munera qui mittit, sperat maiora remitti:
Nemo suas vellet perdere gratis opes.
Munera ne capias: vncus latet hamus in esca,
Nulla carens visco munera, viras habent.

Ouid. 5. Fast.

Sæpe Iouem vidi, cum iam sua mittere vellet
Fulmina, thure dato sustinuisse manum.

Historicae et Philosophicae Sententiae.

Munera opportunitate grata sint, non vulgaria, quæque aut pauci habuerint, aut pauci intra hanc ætatem habent, aut quæ etsi natura pretiosa non sunt, tempore aut loco fiant. *Sene. l. 1. de beneficijs c. 11.*

Vtique cauebimus, ne munera superuacua mittamus; vt fœminæ aut seni arma venatoria, aut rustico libros, aut studijs ac literis dedito retia. AEque ex contrario circumspiciemus, nedum grata mittere volumus, suum cuique morbum exprobratura mittamus sicut ebrioso vina, & valetudinario medicamenta. Maledictum enim incipit esse non munus, in quo vitium accipientis agnoscitur. *Idem ibid.*

Si arbitrium dandi penes nos est, præcipue mensura quæremus, vt quam minime mortale munus sit, &c. *Idem eo l. c. 12.*

Sæpe nihil interest inter amicorum munera, & hosti si vota. *Idem, l. 2. c. 35.*

Quidam, cum aliquod illis missum est munusculum, subinde aliud intempestiue remittunt, & nihil se debere testantur. Reijciendi genus est, protinus aliud inuicem mittere, & munus munere expungere. *Idem l. 4. c. vlt.*

Parua munera, diutina: locupletia non propria esse consueuerunt. *AEmil. Prob in Trasyb.*

Viri boni aduersus omnia amicorum munera bellum tale non suscipiunt, quod componi nulla pace aut conditione possit, sed ea quæ ad reponendum & diuitias parandas spectant illiberalia iudicantes, non tamen ea repudiant, quæ liberalitati nullum lucrum adferenti, & splendori seruiunt. *Plut. in Aristide.*

Socrates dicebat, Archelaum quadraginta minas in domum suam impendisse, conducto mercede Zeuxide Heracleota, qui picturis eam exornaret, in seipsum vero nihil. Et ob hanc causam multos e longinquis terræ partibus, magno studio contemplandæ domus causa venire: ipsius vero Archelai gratia neminem in Macedoniam proficisci, nisi si quem forte persuaderet, pecunijs & muneribus tamen honesti bonique viri capi non possent. *AElian. l. 14. de var. hist.*

Cyrus minor Lacedæmonijs, vt secum societatem inirent potius, quam cum fratre, hac oratione sese commendauit, Aiebat, sibi cor longe grauius esse, quam fratri: plus illo meri bibere, meliusque ferre, quam illum. Nam illum vix in venatu posse in equo sedere, vt non excutiatur, in rebus aduersis, ne in sella quidem. Sciebat enim, Lacedæmoniis inuisos esse molles ac timidos. Hortabatur insuper, vt viros ad se mitterent, pollicens, se peditibus daturum equos, equitibus currus, agrum possidentibus, se daturum vicos, qui haberent, eos se facturum vrbium dominos. cæterum auri argentique vim tantam, vt non possent numerare, sed pendere cogerentur. Nimirum hoc erat, quod dixit Artaxerxes, regalius esse addere, quam adimere. *Plutar. in Reg. apoph.*

Philippus, quum arcem quandam valde munitam capere destinasset, atque exploratores retulissent prorsus esse difficile atque adeo etiam impossibile, percontatus est, num vsque adeo difficile esset, vt nec asinus auro onustus posset accedere? Significans, nihil esse tam munitum, quod auro non expugnetur. Quod ipsum Poetæ significarunt fabula Danaes, a Ioue stupratæ, sed Deo in aurum verso. Flaccus:

Aurum per medios ire satellites,
Et perrumpere amat saxa potentius ferro.

Plut. in apoph. item Cic. in epist. ad Attic.

Phocion. Harpalus, ab Alexandro fugiens, magno cum auri pondere Athenas venit, ibique quum multos muneribus ad se allexisset, ad Phocionem etiam septuaginta talenta destinat, Phocion vero ad nuntios conuersus. Auferte isthæc (ait) hominum improbissimi, meoque nomine mœrorum luctumque renuntiate Harpalo, nisi a corrumpenda ciuitate manum abstineat. *Phocion.*

C. Pontius audiens Romanos acceptis muneribus pristinum nomen & decus amisisse; Vtinam, inquit, ad illa tempora me fortuna seruasset, & tunc essem natus, quando Romani dona accipere cœpissent. Non profecto passus essem eos imperare diutius. *Cic. lib. 2. Off.*

M. Cincius legem quum tulisset, qua causidico munera ob agendam causam percipere prohibebatur: hancque rem C. Cento moleste ferret, produssetque, ac satis contumeliose dixisset, Quid fers Cinciole? Vt emas, inquit, Cai, si vti velis. Quasi dixisset: Quia accipere munera gratis prohibueris. *Eras. l. 2. c. 1.*

Socrates, Alcibiades ambitione quadam munificus, cum plura magnaque munera Socrati dono misisset, & Xantippe admiraretur donorum amplitudinem, eaque cuperet eum accipere, Socrates dixisse fertur: Imo nos certemus liberalitate cum Alcibiade, & ea, quæ mittuntur, ab ipso non capiamus quadam munificentia. *AElian. l. 9. de var. hist.*

Idem. cum Alcibiades spaciosam aream dono offerret Socrati, in qua sibi domum ædificaret. Quid, inquit, si mihi calceis opus esset: num corium mihi dares, vnde mihi calceos conficerem? Et si dares: an non ipse ridiculus essem, si acciperem? Hac similitudine munus inutile recusauit. *P. M. l. 3. apoph.*

Idem, obiurgatus ab vxore Xantippe, quod multa mussitantibus amicis, nihil acciperet, dixit: Si omnia, quæ dantur, statim acciperemus, ne, si peteremus quidem imposterum, vt darent, habituri essemus. *Stob. ser. de Prudentia.*

Idem. Archelaus rex Socratem ad se vocarat, multa pollicens: Socrates respondit, se nolle ad eum venire, a quo acciperet beneficia, cum illi reddere paria non posset. Hoc dictum improbat Seneca, quod philosophus persuadens auri argentique contemptum, plus dat, quam si det aurum & argentum. *P. M. l. 3. apoph.*

Idem, Quum Aristippus, Socratis discipulus, ex quæstu, quem Socraticorum primus facere instituit, præceptori misisset viginti minas, remisit illico Socrates ad illum pecuniam dicens, ipsius genium hoc nequaquam permittere. Dicebat enim Socrates, sibi peculiarem esse dæmonem, a quo prohiberetur arcano signo, si quid tentaret parum honestum. Genium autem illum opinor fuisse rationem, Atque interim ciuiliter indicauit Aristippo, sibi

non

non probari, quod philosophiam doceret mercede, eoque donũ ceu sacrilegio partum reiecit. *P.M.lib.3.apoph.*

Aristoteles Cyren. oblata ab hominibus munera non accipienda esse putauit: Et eam quidem ob causam, quod munerum acceptorũ molestias habiturus sit, vt rependat: aut si omnino non referat, in ingratitudinis reprehensionem facillime incidat. *AElian.li.10. de var.hi.?*

Demetrius Cynicus, quum Cæsar ducenta talenta ei attulisset, ridens reiecit. Si tentare, inquit, me constituerat, toto illi fui experiendus imperio. *Eras.l.1.c.9.ex Sen.de benef.l.7.c.11.*

Ephialtes pauperrimus fuit, attamen quum amici decem talenta ipsi dono darent, non accepit: Hæc, inquiens, me cogerent, siquidem reuerenter vos haberem, aliquid præter ius concedere: sin minus vos obseruarem, ingratissimum haberi. *AElian.lib.11.de var.hist.*

Iulius Græcinus pecuniam ab amicis ad ludorum impensam conferẽtibus acceperat, sed magnam pecuniam missam a Fabio Persico non accepit. Obiurgantibus autem, quod non accepisset: Ego, inquit, ab eo beneficium accipiam, a quo propitiationem accepturus non sum? Quumque illi Rebilius, consularis homo, eiusdem infamiæ maiorem summam misisset, & instaret, vt acciperet, Rogo, inquit, ignoscas: a Persico enim non accepi. *Sen.*

Anacreon, posteaquam a Polycrate tyranno quinque talentorum acceperat munus, insomnes duas egit noctes, indeque cogitatione solicitus reddidit ea, dicens: non tanti ea sibi esse, vt tanta cura vexari vellet. *AElian.& Stob.*

Agesilaus, quum in Lydia Tissaphenẽ fugasset, ac quam plurimis interemptis iam in agros regios fecisset incursionem, rex Persarũ per legatos, quorum præcipuus Titraustes, ingentem pecuniarũ vim vltro ad illum misit, petens vt a bello desisteret: Agesilaus spreta pecunia respondit, pacis quidem tempore Reipublicæ vigere authoritatem, vt ius habeat decernendi, quod ad tuendam ciuitatis tranquillitatem censuerit conducere: belli vero tempore non idem. Sibi vero iucundius esse, si milites suos ditet, quam si ditescat ipse, præterea se pulcherrimum ducere, si Græci non munera caperent ab hostibus, sed armis pararent spolia. Vox excellentis animi, qui non aliud virtutis præmium ambiret: quam gloriam: nec pacem hosti venderet, fraudato milite. *Plut.in apoph. Lacon.*

Alcamenem Telecri filium quum quidam interogasset: Cur munera a Messenijs oblata non accepisset? respondit: Quoniam si accepissem, cum legibus pacem habere non potuissem. Quo dicto docuit, munera nequaquam esse accipienda, quæ legibus & Reipublicæ aliqua saltem ex parte obesse possunt. *Plutar.in Lacon.*

Cleomenes. Mæander, Samiorum tyrannus, ob incursionem Persarũ profugerat Spartam, ostenditque, quantam pecuniarum vim secum apportasset & quantum Cleomeni vellet largiri. At Cleomenes ipse quidem nihil accepit, sed veritus, ne quid alijs ciuibus donaret, rediit ad Ephoros, dixitque, satius esse, si hospitem suũ Samium è Peloponneso submoueret, ne cui Spartano persuadeat, inquit, vt fiat malus. Ephori vero Cleomenis consilio parentes, eodem statim die promulgarunt edictum, vt Mæander Peloponneso decederet. Quantus in hoc homine diuitiarum contẽptus, a quibus non secus atque a præsentissimo veneno timuit ciuibus suis, quum plerique non aliter existiment beatas ciuitates, quam si quam maxime abundent opibus. *Hunc Mæandrium Herodotus.l.3. Mæandrium appellat.Plutarch.*

Gorgo.Cleomenis filia. Quum Aristagoras Milesius Cleomenem ad bellum pro Ionibus aduersus Regem Persarum suscipiendũ hortaretur, magnam pecuniarum vim pollicens, quantoque magis ille recusabat, tanto plus adderet promissæ summæ: Pater, inquit, corrumpet te hic peregrinulus, ni ocius eum ædibus extruseris. *Plut.in apoph.Lacon.*

Callicratidas Cum Cyrus stipendium misisset militibus, Callicratidi seorsim xenia, amicitiæ monumenta: stipendium quidem accepit, xenia vero remisit: negans sibi cum ipso priuatam habendã amicitiã, sed quam haberet publicam cum Lacedæmonijs omnibus, eandem illi secum quoque intercedere. Quid hoc animo incorruptius, qui totus ad Reipublicæ commoda spectabat? *Idem.*

Pelopidas. Quum obiurgarent eum amici, quod pecuniariæ rei ad vitam tuendam conferentis nullam curam gereret: Et inquit, mehercule res vtilis est. verum huic Nicomedi, intento digito in hominem quendam claudum & mutilum. *AElian.l.11.de var.hist. Plut.*

Epaminondas pauper quidem erat, sed cum Iason ei quinquaginta auri talenta mitteret: Iniuriam, inquit, mihi facis. Sed quinquaginta drachmas a ciue mutuatus, vt essent pro viatico, profectus est in Peloponnesum. Cum vero nuntium allatum esset, satellitem eius pecunias a captiuis cepisse: Mihi, inquit, da scutum: Tu vero tibi cauponam eme, in qua viuas. Non enim vlterius pericula subire voles, cum diues sis factus. *Plut.*

Idem, Quum legati venirent se entes munera animo corrumpendi, ad prandium eos venire iussit prius: vt in eodem causam aduentus explicarent. Apposita igitur est mensa vilis, bibebantque vinum acidum. Subridens igitur Epaminondas, ad legatos ait: Abite, & Domino vestro meã prandia narrate, quibus me contẽtum non facile suis muneribus ad proditionem allicies. *Stob. ser. de Prouidentia.*

Polyanthea Noviss.

Idem, cum Artaxerxes Persarum rex ipsi tria Daricorum millia misisset, Diomedontem Cyzicenum asperius increpauit, si tantam nauigationem suscepisset, corrupturus Epaminondam, eũque iussit hæc verba ad regem referre: Si fauet commodis Thebanorum, habiturus est Epaminondam amicũ gratis: sin minus, hostem. *Plut.in apoph.*

Phocion, quum a Menillo oblatam pecuniam contempsisset, rogatus ab illo causam, cur saltem filio sumendam non permitteret? respondit: Si filius vitam moresque composuerit, viuet ille quidẽ paterna hæreditate contentus: Si vero prodigus & immodestus fuerit, ne argentum quidem hoc satis futurum est. *Plutarch.*

Idem, Alexander Macedonum rex, centum talenta dono miserat Phocioni. Is vero percontatus est eos, qui pecuniam adferebant. Quid ita, quum essent Athenienses permulti, sibi vni illa mitteret Alexander? Illis respondentibus. Quoniam vnum te iudicat virum & honestum & bonum. Ergo sinat, inquit, me talem & haberi, & esse. Vt scite arreptum ab illis argumentum torsit ad occasionem recusandi muneris. Iam quis hic non admiretur corrupti pectoris sinceritatem? Pauper erat Phocion, nec doni magnitudine quicquam mouebatur. Simul autem indicat, illos, quis Rempubl. administrant, tamen a capiendis muneribus non temperant, nec bonos esse viros, nec tales haberi debere. *Plutarch. in apoph.*

Alexander. Ciuitas quædam, vt ab armis Alexandri quietem haberet, obtulit illi partem agrorum, & præterea rerum omnium dimidium. Cui sic respondit: Hoc animo veni in Asiam, non vt acciperem, quod dedissetis, sed vt vos haberetis, quod reliquissem. *Plut.in Alex.*

Xenocrates. Cum Xenocrati Chalcedonensi ingentem pecuniarum summam misisset, ex ea Philosophus tres tantum minas recepit, & reliquum referri iussit, dicens: Ipsi pluribus esse opus, qui plures aleret. *Laer.l.4.c.2.Stob.ser.3.*

Idem Alexander ad Xenocratem legatos misit cum aliquot talentis quos ille in Academiam perductos parca tenuique cœna excepit. Postridie interrogantibus: cui vellet adnumerari pecuniã? Quid, inquit, Itane vos ex hesterna cœna non intellexistis, me pecunia non indigere? Philosophus ethnicus reiecit a ditissimo liberalissimoque rege vltro delatam ingentem pecuniæ summã, & nunc pro sanctis haberi volunt, qui extremam professi paupertatem in tantum, vt horreant etiam ærei nummi contactum, non aliter quam viperæ, non referendis artibus venantur diuitum ac pauperum liberalitatem. *Laer.l.4 c.Cic.l.5.Tusc.q.*

Dionysius senior. Corinthiorum legati, quum ad Dionysium seniorem missi essent, & is pro more amplissima dona obtulisset, recusarunt plane, eo quod lex apud ipsos vetans, ne legatione fungentes munera acciperent a principe. Quibus Dionysius respondit; Rem profecto absurdam facitis, qui, quod vnum bonum habet tyrannis, hoc tollitis, cum docetis, etiam beneficium a tyrannis accipere periculosum esse. Grauem rex iudicabat contumeliam esse oblata recusare munera, quum hac vnica re tyranni alijs se commendare possint. *Plutarchus in apophthegmat.*

Cimon. Quendam barbarum a Persis Athenas aiunt cum magna auri copia venisse, Cimonisque domum adijsse, & ob tutelam phialas duas, alteram Daricis, alteram argenteis plenas obtulisse. Conuersum vero ad eum Cimonem subrisisse, rogasseque barbarum, mercenariumne an amicum Cimonem habere vellet? quum autem respondisset, amicum: Abi igitur, inquit, tuaque isthæc tecum munera defer. Ego enim amicitia tua fretus, hisce, quum opus fuerit, liberaliter vtar. *Plutarchus.*

M.Curius. Samnites posteaquam a M. Curio deuicti essent venerunt, magnam ei vim auri offerentes, verum Curio, quum forte ad focum sederet, & ex rado ligneo rapas comederet, Samnitum legatis respondit: Nihil opus est auro, talem cœnanti cœnam. Alij autem respondisse scribunt: Ego malo aurum habentibus imperare, quam vt alij mihi aurum accipienti imperent. *Plutarch.in Roma.apoph.Plin.de viris illustrib.c.33.Cic.in Catone Maiore.*

C.Fabricius. Samnites quum ad C. Fabricium Imperatorem populi Romani venissent, grandem offerentes pecuniam: Fabricius plenas manus ab auribus ad oculos, & infra deinceps ad nares, & ad os, & ad gulam, atque inde porro ad ventrem imum deduxit, & legatis ita respondit: Dum illis omnibus membris, quæ attigi, obsistere & imperare possum, nunquam quicquam deerit. Propterea pecuniam, quum nihil mihi vsui sit, non accipiam ab ijs, quibus eam vsui scio. *Higinus libro de vita rebusque illustrium virorum. Gelm.lib.1.c.4.& 14.*

Idem. Cyneæ Pyrrhi legato, magnam auri vim dono offerenti, respondit. Se malle imperare aurum habentibus, quam habere aurum. *P.M lib.6.*

Cyanenses. M. Bruto cum tota fere sese dedisset Lusitania, sola vrbs Cyanoa pertinaciter arma retinuit. Verum quum tentaretur per Bruti legatos, vt data pecunia se darent Bruto: Cyanensis populus vno ore respondit: Sibi ferrum esse a maioribus relictum, quo libertatem patriæ tuerentur, non aurum, non munera, quibus ab hoste se redimerent. *P. M. l. 8. apoph.*

Spartacus. Spartaco in Crassum omnes mouenti copias, quidam equum dono obtulit. At ille: Si vicero, inquit, plurimos ex hoste equos habiturus sum, si victus fuero, nec hic mihi futurus est vsui: simulque cum dicto, equum gladio transuerberatum interemit. *P. M. l. 6. apoph. ex Plut.*

S I M I L I T V D I N E S.

Iouiani Pontani. Omnino munerum finis gratuitus esse debet: qui, si voluptatem aliquam, quæ parum honesta sit, respectet, nequaquam mihi, qui finem hunc sequatur, magnificus iudicabitur, sed voluptuarius quispiam, & mercator rerum earum quæ sunt homini cum beluis communes: quo nec melior videri potest, qui vtilitatē sequutus magna dat, vt paulo post referat maiora. Quod in regibus præsertim est turpissimum, quorum animos etiam suspicione auaritiæ vacuos esse decet. Quanquam sæculo nostro vix aliud genus hominum tam libenter atque assidue mercaturam exercet. Qui tamen dum ostentare volunt magnificentiā, Histriones, Scurras, Tibicines, maximis donis prosequūtur. Quin si quos benemeritos muneribus aliquando affecerint, non tam volentes id agunt, quam vt suspicionem deuitent auaritiæ, aut aliam sequuti rationem consilium suum celant. In vtroque autem maximum est virium: nihil enim fictum aut fucatum habere virtus debet: nec sine delectu recte agi [illegible] quam potest. *In lib. de splendore, c. 19.*

P. M. Vt lanx in eam vergit partem, vnde plus accipit: Sic quidā nunc huic, nunc illi fauent, qui plurimum det, non cuius causa sit optima. *In simil.*

A D A G I A.

Ranis vinum præministras. *βατράχοις οἰνοχοεῖς. Zenodot.*
Iocum dicebatur qui id ministraret, quo nihil opus esset ei, cui exhiberetur: veluti si quis apud indoctos multa de Philosophia dissera[t].

Veneri suem immolauit. *Ἀφροδίτῃ ὗν τέθυκεν.*
Dici solitum, vbi quis munus offert minime gratum.

Munerum animus optimus. *ξείνων δέ τε θυμὸς ἄριστος.*
Hemistichium Heroicum prouerbiale quo significatur, in amicorum muneribus non esse spectandum rei missæ pretium, sed mittentis potius animum.

Nil recusandum quod donatur.
Si quando dicet nullum esse recusandum munus, quodcunque offertur, arripiendum esse, quoties obtigerit alicuius occasio commoditatis, conueniet illud Homeri ex Odyss. σ.

Οὐ γὰρ καλὸν ἀνήνασθαι δόσιν ἐστί.
Donum recusare haudquaquam decet.

Donum quodcunq; aliquis dat, proba. *Δῶρον δ' ὅ, ττι δῷ τις, αἴνει.*
Boni consulendum esse munus, aut officium, consiliumue, quod offertur ab amico.

Arripienda quæ offeruntur. *Hom.*

Οἱ δ' ἐπ' ὀνείαθ' ἑτοῖμα προκείμενα χεῖρας ἴαλλον.
Quisque sibi appositis, si quid foret vtile promptas
Admouere manus.

Munus exiguum, sed opportunum. *δόσις δ' ὀλίγη τε φίλη τε. Hom.*
Hemistichium Homericum, quo vtemur significantes munus pretio quidem leue, sed tamen accipienti pro tempore gratissimum.

Equi dentes inspicere donati.
Quum significabimus aequi boniquc consulendum, qualecunque est, quod non emitur, sed gratis datur. Einem geschenckten Pferdt soll man nit ins maul sehen.

Argentanginam patitur. *ἀργυράγχην πάσχει. Plut.*
Natum a Demosthene pecunia corrupto, ne contra Milesiorum legatos diceret. Er ist geltsuchtig. Er hat die Geltsucht. Seine Zung ist an ein guldene Ketten geschmiedet. Er ist mit der silbern Buchsen geschossen.

Bos in lingua. *Βοῦς ἐπὶ γλώττῃ.*
In eos, qui non audent libere, quod sentiunt, dicere.

Malis ferire. *μήλοις βάλλειν.*
Dicuntur, qui muneribus assequi student quod optant, aut qui donis prouocāt ad amorem mutuum.

Muneribus vel Dij capiuntur. *Ouid.*

Munera crede mihi placant hominesque Deosque:
Placatur donis Iupiter ipse datis.

Celebratur & hic versiculus, quem etiam vsurpauit Plato.
Δῶρα θεοὺς πείθει καὶ αἰδοίους βασιλῆας.
Cum donis flectunt venerandos munera reges.
Vnde Seneca: Omnium est dulcissimum accipere.

Virtutem & sapientiā vincunt testudines. *τὴν ἀρετὴν καὶ τὴν σοφίαν νικῶσι χελῶναι.*
Est velut ænigma, innuens, pecuniam longe plus posse, quam aut virtutem, aut sapientiam. Antiquitus enim Peloponnesiorum numisma χελώνη, id est, testudo dicebatur. Consimili figura dictum est & illud: Multas noctuas sub tegulis latere. Gelt das stum ist, macht schlecht was Krumb ist.

Dorica musa. *Δωρικὴ μοῦσα.*
De munerum auidis.

Pecuniæ obediunt omnia.
Apud Eccles. c. 10. proinde Horat. pecuniam reginam appellat.
Scilicet vxorem cum dote, fidemque & amicos.
Et genus & formam regina pecunia donat. Gelt regiert die Welt: Gelt macht den marckt.

Argent fait tout.

Munerum corruptela.
In eum, qui rem auro donisque aggreditur, non insuauiter torseris illud Homeri Odyss. ε.

Εἵλετο δὲ ῥάβδον, τῇ τ' ἀνδρῶν ὄμματα θέλγει
Ὧν ἐθέλει, τοὺς δ' αὖτε καὶ ὑπνώοντας ἐγείρει.
Corripuit virgam, qua mulcet lumina somno
Quorumcunque velit, soluit quoque lumina somno.

Muneribus res agitur.
Qui dicet, non esse locum recte factis & aequis rationibus: sed largitione & assentatione omnem rem peragi, poterit illud Homeri accommodare ex Iliad. ι.

Δώροισίν τ' ἀγανοῖσιν, ἔπεσσί τε μειλιχίοισιν.
Et donis permagnificis & lenibus dictis.

Argenteis hastis pugnare. *ἀργυρέαις λόγχαισι μάχεσθαι.*
Dicuntur qui, quum negotium alio pacto conficere nequeunt, muneribus, & largitione perficiunt.

Qui multa rapuerit, pauca suffragatoribus dederit, saluus erit. *ὁ πολλὰ κλέψας, ὀλίγα δούς, ἐκφεύξεται.*
Admonet adagium non nisi multum furibus surripiendum, vt supersit, quo iudicem, si forte sit opus, corrumpant atque excaecent.

Vulpes haud corrumpitur muneribus. *ἀλώπηξ οὐ δωροδοκεῖται.*
De callidis ac versutis quos haud facile sit obiecto munusculo, aut assentatiuncula, pellicere siue fallere.

Corrupta iudicia.
In eos, qui corrupte iudicant, aut suffragium ferunt, aut qui per tyrannidem leges opprimunt, competet illud Homeri ex Iliad. π.

Οἳ βίῃ εἰν ἀγορῇ σκολιὰς κρίνωσι θέμιστας,
Ἐκ δὲ δίκην ἐλάσωσι, θεῶν ὄπιν οὐκ ἀλέγοντες.
Qui per vim in populi cœtu communia iura
Deprauant, ac iustitiam depellere tentant,
Nil veriti vocem Diuum.

Faba nummus.
Dictum est, olim fabis ferri solita suffragia, quod innuisse Pythagoram existimant, quum vetaret edere fabas. Corrupta itaque suffragia lepidissimo tropo significauit M. Tullius.

Guttam aspergere.
Cum ex magno lucro paululum quiddam alicui deciditur, guttam aspergi dicimus. Et guttatim donare is dicitur, qui sæpe, sed minuta largitur.

Pecuniosus damnari non potest.
M. Tull. ait hoc omnium sermone percrebuisse, non apud Romanos tantum, verum etiam apud exteras nationes, in iudicijs illorum temporum, pecuniosū, quamuis sit nocens, neminem posse damnari.

Cyclopis donum. *Κύκλωπος δῶρον.*
Pro eo, quod est, munus inutile. Cuiusmodi sunt ferme Tyrannorum & latronum beneficia, qui solent hoc ipsum magni beneficij loco imputare, quod aut minus, aut serius nocent.

Hostium munera, non munera. *ἐχθρῶν δῶρα ἄδωρα δῶρα. Homer.*
Priscorum superstitio credidit obseruanda vel maxime munera, a quibus quo animo mitterentur. Hac de re fertur Epigramma Græcum.

Οὕτως ἐξ ἐχθρῶν αὐτὰ τὰ δυσμενέων πέμπεται δῶρα
Ἐν χάρισιν προφανῶς μοῖραν ἔχοντα μόρου.
Atque ita ab hoste hosti veniunt lethalia dona,
Quæ ludi specie fata necemque ferunt.

Et aliud:

Κακοῦ γὰρ ἀνδρὸς δῶρ' ὄνησιν οὐκ ἔχει.
Lædit, iuuat nil improbi munus viri.

Affinia sunt: Mali viri munera inutilia: Pauper diuiti dans, perit.

Malum munus. *κακόν γε δῶρον ἴσον ἐστὶ ζημίᾳ.*
Munus malum perinde est vt dispendium, Nocet, non iuuat, qui largitur noxia.

Quum Delphis sacrificauerit, ipse carnes absumit. *Δελφοῖσι θύσας, αὐτὸς ὀψωνεῖ κρέας.*
Dici solitum de ijs, qui vocatis conuiuijs, ipsi cibos appositos deuorant, vt illis spectare tantum liceat, non vesci. Adagium torqueri potest etiam ad illos, qui beneficio, quod alijs dedisse videntur ipsi fruuntur.

E X E M P L A B I B L I C A.

Munerum oblationis & exhibitionis *exempla:* Rex Sodomorum Abrahæ, *Genes.* 14. 21. 22. Iacob Esau fratri, 33. 9. 10. Iosepho, 43. 11. Israelitæ ad tabernaculum, *Exod.* 35. 20. 21. 26. Alius Regi Eglon, *Iudic.* 3. *vers.* 17. Regina Saba Salomon, 1. *Reg.* 10. 10. Salomō Reginæ Saba, *v.* 13. Ionathas Dauidis 1. *Sam.* 8. *v.* 14. Asa Regi

Benadad, 3. *Reg.* 15. *v.* 18. Rex Babyloniorum Ezechiæ Regi, 2. *Reg.* 20. *v.* 12. Achae Regi Assyriorum, 2. *Par.* 28. *v.* 21. Tobias Raphaeli, *Tob.* 1. *v.* 1. *&c.* Bethuliani Iudith, *Iudith* 15, *v.* 13. Magister militiæ Ieremiæ, *Iere.* 40. *v.* 5. Nabuchodonosor Danieli, *Dan.* 2. *v.* 48. Ionathas Alexandro, 1. *Machab.* 10. *v.* 60. Magi Christo, *Matth.* 2. *v.* 11. Munerum recusationis in tempore à pijs factæ *exempla.* Abraham, *Genes.* 14. *v.* 22. Vir Dei, 3. *Reg.* 13. *v.* 8. Elisæus, 4. *Reg.* 5. *v.* 15. 16. Dauid, 2. *Sam.* 22. *v.* 24 Daniel, *Daniel* 5. *v.* 17. Mathathias, 1. *Machab.* 2. *v.* 18. Petrus, *Act* 8. *v.* 20. Muneribus multa obtinentis *exempla:* Iason, 1. *Mach.* 23. *v.* 24. Muneribus inhiantium *Exempla:* Filij Samuelis, 2. *Sam.* 8. *v.* 3. Giezi, 4. *Reg.* 5. *v.* 20. 21. Custodes sepulchri Christi, *Matth.* 28. *v.* 12. Felix, *Act.* 24. 26.

Vide supra Donum. Item Acceptio personarum.

MVRMVRATIO.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

MVrmuratio, Græce γογγυσμὸς, οῦ, ὁ & γογγύζω, murmuro, & γογγυστὴς, οῦ, ὁ murmurator dicitur. Dicitur & μεμψίμοιρος. Hebr. *Hameth*, *Prouerbior.* 19. 17. a verbo, *hamah*, tumultuatus est, sonuit tumultuose, fremuit, vt cum magno in populo confuse voces ingentem sonum edunt, vt est aquarum lene murmur, fremitus maris, torrentium ad scopulos strepitu quodã incurrentium sonitus. Dicitur & *Lacasch*, a verbo *Lacasch*, mussitauit, murmur edidit, susurrauit, submissa voce loquutus est. Est autem murmuratio oblocutio indebito modo facta contra Deũ vel factum alicuius.

Murmuratio est quędam querela cum impatientia, in his, quę homo deberet patienter ferre, *secundum Postillam quandam, super illud Sap. 1. Custodite ergo vos a murmuratione, quæ nihil prodest.*

Murmuro verbum fictitium est, propricque de aqua dicitur. Murmur enim lenis aquæ strepitus appellatur: ponitur tamen pro quocumque strepitu. Accipitur plerumq; murmuro pro eo, quod est secreto obloquor & maledico: vnde murmurator, murmuratio, murmurabundus descendunt.

LOCI BIBLICI.

Murmuratio cauenda, 1. *Cor.* 10. 10. *Philip.* 2. *v.* 14. 1. *Pet.* 4. 9.

SENTENTIÆ BIBLICÆ.

Quoniam auris zeli & indignabunda zeli audit omnia: & tumultus murmurationum non abscondetur. *Sap.* 1.

Quid murmurauit homo, &c. *Thren.* 3.

Neque murmuraueritis, sicut quidam eorum murmurauerunt & perierunt ab exterminatore. 1. *Cor.* 10.

Omnia autem facite sine murmurationibus, & hæsitationibus, vt sitis sine querela & simplices filij Dei, sine reprehensione in medio nationis prauæ & peruersæ. *Phil.* 2.

PATRVM SENTENTIÆ.

De nulla re magis Deum offendisse ille populus Iudaicus dicitur, quam contra Deum murmurando. *Aug. super Ioan.*

Qui contra suprapositum sibi potestate murmurat, liquet, quod illum redarguit, qui eandem homini potestatẽ dedit. *Greg. in mor.*

Quisquis pro peccato percutitur, nisi murmurãdo renitatur, eo ipso iam iustus esse inchoat, quo ferientis iustitiam non accusat. *Ibid.*

Si is, qui murmurat, secundum animam mortuus est, qui instigat, quomodo viuit? *Bern. de considerat.*

Animæ, quę sanæ sunt, portari non indigent, ac per hoc nec onus sunt: quoscumque igitur de tuis inueneris tristes, pusillanimes, murmurosos ipsorum te noueris esse abbatem: consulendo, exhortando, increpando agis opus tuum, & portas onus tuum: & portando sanas, quos sanando portas. *Ibid.*

Discat non murmurare, qui mala patitur: etiam si ignoret, cur mala patitur. Per hoc quisq; se iuste pati arbitretur: quia ab illo iudicatur, cuius nunquam iniusta iudicia sunt. *Isidor. l. 3. de summo bono.*

Susurratio est, per quam odiosæ adulationis vel derogationis sibilo quodam alter in alterius odium excitatur. Susurrare est inter amicos discordiam seminare. *Hugo.*

Qui contentiosus & murmurans extiterit, iuxta arbitrium prioris tandiu pœniteat, quandiu culpæ qualitas extat. *Chrys. in ep.*

EXEMPLA BIBLICA.

Murmurationis *exempla:* Cain, *Genes.* 4. *v.* 14. Israelitæ, *Exod.* 5. *v.* 21 *&* 15. *&* 15. 16. *v.* 2. *&* 16 *v.* 3. *Nu.* 11. *v.* 1. *&* 13. *v.* 31. *&* 12. 2 *&* 16. *v.* 41. *&* 20. *v.* 3 *&* 21. *v.* 5. *Deut.* 1. *v.* 26. Pharisæi, *Matth.* 9. *v.* 11. *&* 12. *v.* 2. *&* 15. *v.* 2. *Marc.* 2. *v.* 6. *Luc.* 5. *v.* 30. Mercenarij, *Matth.* 20. *v.* 11. Discipuli Christi. 26. *v.* 8. 9. Scribæ, & Pharisæi, *Marc.* 2. *v.* 24. *&* 7. *v.* 5. *Luc.* 6. *v.* 2. *&* 15. *v.* 2 *&* 19. Iudæi, *Io.* 6. *v.* 41. 52. Discipuli quidã, *v.* 60. Turba, 7. *v.* 32. Iudas Ischariothes, 12. *v.* 4. 5. Græci aduersus Hebræos, *Act.* 6. *v.* 1. Murmurationis pœnę *exempla:* Israelitæ, *Num.* 11. *v.* 1. *&* 14. *v.* 36. *&* 16. *v.* 49. Maria soror Moysis, 12. *v.* 10.

Vide supra Impatientia. Item Patientia, Dolor.

MVSICA.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

MVsica, Græca dictio est, μουσικὴ, ῆς, ἡ & μουσικὸς, οῦ, ὁ musicus dicitur. Est autem Musica peritia modulationis in sono cantuq; consistens. Tria sunt genera, quę circa artem musicam versantur: *Vnum* genus est, quod instrumentis agitur: *aliud*, quod fingit carmina; *Tertium*, quod opus carmenq; diiudicat. Secundum genus profecto Poetarum est, quod potius speculatione ac ratione, quam naturali instrumento fertur. *secundum Alpharabium.*

Ars est inspectiua actiuaque, perfecti meli, & instrumentum modulatus. *Aristides.*

Vel est ars concinnitatis vocibus moribusque collocata.

Cognitio concinnitatis in corporibus & motibus constituta.

Est habitus inspectiuus, & actiuus, & affectiuus absoluti meli.

Veteres musices inuentores constat fuisse Thraces, Orpheum, Musæum, Thamyridem Dirion ciuitas, secũdum Stephanum, in qua harmoniam a Tamyrrha inuentam referunt.

LOCI BIBLICI.

Musica instrumenta, vt Ecclesiæ ruditati & pueritiæ conuenientia, diuinis olim celebrãdis laudibus adhibita, 2. *Sam.* 6. 5. 1. *Paral.* 3. 8. *&* 15. 16. *&* 25. 1. 2. *Paral.* 5. 12. *&* 23. 28. *&* 29. 25. *Psal.* 33. 21. *&* 43. 4. *&* 57. 9. *&* 71. 22. *&* 81. 13. *&* 92. 4. *&* 98. 5. *&* 108. 3. *&* 144. 9. *&* 147. 7. *&* 149. 3. *&* 150. *v.* 3. 4. Musicorum instrumentorũ sumpta comparatione docetur vsus interpretandi Scripturas, 1. *Cor.* 4. 7. abusus tollitur, *v.* 12.

POETARVM SENTENTIÆ.

Hier. Phaletus Sauonensis de laude Musicæ.

Musica turbatas animas ægramq; dolorem
Sola leuat merito diuumq; hominumq; voluptas:
Qua sine nil iucundum animis, nec amabile quicquam:
Ad cuius numeros superi vertuntur, & orbis,
Et cælo radiant ignes, quibus emicat ingens
Signifer, & leges præscriptaq; tempora seruant:
Hac Phœbus Phœbiq; soror ducit, & aurea cœli
Astra suos agitant constanti fœdere motus.

Politianus in Nutricia.

Iam Thamyram cantu doctas anteire sorores.
Fretum mox cythara damnatum & luminis orbum.

Idem in Epigram.

Cederet huic Thamyras docti certamine cantus.
Cederet aurata Calliopea lyra.

Menand. in thesauro.

Πολλοῖς ὑπέκκαυμ' ἐστ' ἔρωτος μουσική.
Musica multis est incitamentum amoris.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Ad virtutum pertinere quadam ex parte Musica putanda est: quippe quæ possit, vt Gymnastica corpus bene constituit, sic animũ bene afficere consuetudine honestæ voluptatis: aut certe ad vitæ degendæ rationem prudentiamque aliquid valet. *Arist. l. 8. de Repub. c.* 4.

Musica a nobis in ijs ponitur, quæ summam afferunt voluptatem siue nuda sit, siue coniungatur concentu *lib. 8 de Rep. c.* 5.

Recte Musicam & in consuetudine & congressibus, & in vita degenda adhibent homines, quod voluptatis sit effectrix. Hæc enim ad animi relaxationem valet: omniq; ætati, omnibusque moribus vsus eius gratus est. *Ibid.*

Omnium rerum exceptis veris naturis nulla verius quam numerus & cantus iræ, clementiæ, fortitudinis, temperantiæ, omniumque quæ his contraria sunt, aliorumque ad mores pertinentium similitudines imaginesque exprimit. *Ibid.*

Musica animi habitum bene constituere potest. Quid si potest, certe ea erudiendi instituendique sunt adolescentes. Quin etiam ad eorum naturam accommodata est, & apta musicæ disciplinæ. *Ibid.*

De dulcedine musica. DIAL. XXIII.
Francisci Petrarchæ.
GAV.

Cantu delector ac fidibus. R. Ah quanto melius lachrimis atque suspirijs? Præstat enim flendo ad gaudium, quam gaudendo ad gemitum peruenire. G. Cantibus sonisque permulceor. R. Et feræ cantu

cantu falluntur, & volucres, illud mirabilius musica quoq; dulcedine pisces tangi. Nota tibi Arionis & delphini est fabella tam pro vero habita, vt ipsis annalib. sit inserta. Multi quidem scriptorum illustriũ meminere miraculi, elegantius nemo quam Herodotus Grajæ pater historiæ, assipulantur imagines æneæ, illic vbi tanto periculo incolumis primũ terris appulsus est, natantis piscis tergo insidens fidicen. Ad hæc Syrenes cantu fallere credun tur, illud vero non creditũ, sed compertũ, vt quotidie blandis verbis homo hoĩem fallit, & ad summam nihil ad fallendum voce aptius. G. Musica suauitate delinior. R. Et aranea (vt aiunt) antequã mordeat, & medicus linit antequam feriat, & auceps, & mulier quẽ fallere vult, delinit, & prædo quem perimit, & Polypus quẽ demergit amplectitur. Et quidam pessimi hoĩum nunquam terribiliores sunt, quã dum se gestu & voce lenissimos ostendũt, quod imprimis de Domitiano principe lectum est. Vix vlla est sine suspicione delinitio. G. Cantu gaudeo & exaltor. R. Caue. Nã scriptum est. Extrema gaudij luctus occupat, & rursus, ante ruinam exaltabitur spiritus. G. Cano dulciter. R. Nescis an vltimum. Ipse prædulcitee morti proximus olor canit. Plures. n. gaudio quam tristitia periere: solito dulcius canentem inter ipsa soni suspiria expirasse recens fama est. G. Cantu ac tibijs delector. R. Non immerito quidem. Singuli. n. dies te & horę, & momenta ad sepulchrum vehunt, quo cum cantu ferri vester etiam nunc mos est, & antiqui tibijs efferebantur, vnde illud Statij Papinij, *Tibia cui teneros suetum producere manes.* Tibi vtraque funeris pompa placet, illuc (te licet iã nõ sentias) absq; vlla requie properantẽ. G. Cantu moueor. R. At quid refert? Est haud dubie in animis hominum generosis maxime, potentissima musica, sed effectus supra fidem varij, vtq; omittam quib. res non eget, hos ad lętitiam inanem, hos ad sanctum & deuotum gaudium, piasque nonnunquam lachrimas mouet, quæ varietas in diuersas sententias magna traxit ingenia. Nempe Athanasius interdixit. Ambrosius pietatis appetens, vt caneretur instituit. Augustinus vtrumq. se passum, & difficile hinc sibi negotium dubietatis exortum inter cõfessiones suas pie memorat. G. Delectat canere. R. Graja olim delectatio, nunc & vestra. Apud illos quidem cantus, ac fidium ignarus quisquis esset, indoctus habebatur, quod Themistocli Attico Græcorum clarissimo eo quod lyram in epulis recusasset accidisse, Epaminundam vero Thebanum hanc fortassis infamiam declinantem præclare fidib. cecinisse author est Cicero. Mirum, & Socrates talis senex fidib. operam dedit, ne miremur Alcibiadẽ ab auunculo Pericle tibiæ studio traditum apud illos honestissimo, vt inter liberales artes hanc quoque condisceret. Sed verecundũ pueri laudemus ingenium, qui cum ab insigni tibicine ad id ipsum ac cito oblatas tibias ori applicuisset & collecto spiritu genas inflasset, aĩaduersa deformitate vultus erubuit atq; abiectas tibias aspernatus fregit, metuitq; licet tenera ætas exemplo esse, vt totius populi consensus tunc Athenis tibiarum vsus obsolesceret. Ad vos & si non illud ardens musicæ studium peruenerit omnium principum mentes occupaturum, occupauit tamen aliquorum animos, pessimorum maxime. Caius quippe cantã di studiosissimus saltandiq; fuit. Nero quãtum cytharæ deditus fuerit, & quantam curam vocis habuerit incredibile dictu est. Id enim stultum est, penitusq. ridiculum, quod nocte illa quæ sibi vitę vltima, mundo autem respirandi vel modicũ prima fuit, inter querelas quas vicina mors & præsens metus, doloru. dictabant: illud crebrius atque miserabilius defleuit, non quod tantus princeps, sed quod tantus musicus periret: Mitto alios, ad hanc vestrã, quæ nunc agitur, ætatem, licet parcior, venit tamen aurium voluptas, qua caste ac sobrie delectari humanitas quædam, capi autem & molliter inuiscati vanitas multa est. G. Suauibus vocum modis cum delectatione detineor. R. O si audires sanctorum suspiria: O si hoc aures tuas damnatorum gemitus, & lamenta percellerẽt: Hinc beatorum iubilus, & cantus angelici, atque illa cęlestis harmonia (quam Pythagoras ponit) Aristoteles euertit, Cicero noster instaurat, tibi autem pietas fidesq; suggerit, esse ibi perpetuas, ac prędulces voces, & si non cęlorum, at cęlestium incolarum, primam illam, & ęternam causam sine fine laudantium. Si hęc, inquam, omnia tuis aurib. inferrentur, quam clare discerneres, quis concentus dulcior, quisve salubrior? Nunc surdo sensui soni iudicium committis, de quo hactenus parua quidem res nõ nullis forte videbitur, magnos tamen viros exercuit. Nec sine vlla causa diuini Plato vir ingenij musicam arbitratus est ad statum siue correctionem morum Reip. pertinere.

Musicam nullus veterum Arcadum omittere audebat, sed necessario colebat: neq. fateri se nescire ausus est, quia eiusmodi inscitia turpissimum quid apud eos putabatur. Prętetea spectacula & ludos in theatris, cum cantibus & choreis, singulis quibusque annis publicis sumptibus adolescentes ciuibus præbebant. Quę res ab eorum maioribus sapienter institutæ fuisse mihi videntur, nõ deliciarum aut lasciuiæ gratia: sed cum animaduerterẽt assiduos eius gentis labores in colendis agris, & duritiem atque asperitatem vitæ, præterea etiam morum austeritatem, quæ ex frigiditate ac tristitia aeris prouenit, cui nos similes gigni necessario oportet (non enim obscurum est, plagas cœli esse, quæ gentes moribus, & forma, & colore, & plerisque disciplinis inter se dissimiles faciunt) volentes autem atque tractabilem reddere naturam, quæ per se durior ac ferocior videbatur, primo ea omnia, quæ supra memorauimus, introduxerant: deinde conuentus communes, & sacrificia plurima, in quibus viri ac mulieres congregarentur: postremo virginum ac puerorum chorus. Quæ omnia ad eum finem fecerunt, vt id quod in animis hominum natura durius erat, consuetudine placaretur, ac mitius fieret. *Polyb. lib. 4.*

Ad musicum transeo. Doces me, quomodo inter se acutæ ac graues voces conueniant: quomodo neruorum disparem reddentium sonum fiat concordia. Fac potius, quomodo animus secum meus consentiat, nec cõsilia mea discrepent. Monstras mihi, qui sint modi flebiles: monstra potius quomodo inter aduersa flebilem non emittam vocem. *Senec. epist. 88.*

Omnis habitus animi cantibus gubernatur: nam dat cantus somnos adimitque, nec non curas. & immittit & retrahit, iram suggerit, clementiam suadet, corporum quoque morbis medetur. Hinc est, quod ęgris remedia præstantes præcinere dicuntur. Ecquid mirum, si inter homines tanta Musicæ dominatio est, cum aues quoque, velut luscinię, & cygni, aliæve id genus, cantum veluti quadam disciplina suæ artis exerceant? Nonnullæ vero aues, vel terrenæ, vel aquatiles beluæ inuitante cantu in retia sponte decurrunt. Iure igitur musica capitur omne quod viuit: quia cœlestis anima, qua animatur vniuersitas, originem sumpsit ex musica. Mortuos quoque ad sepulturam prosequi cum cãtu oportere, plurimarum gentium & regionum instituta sanxerunt, persuasione hac, qua post corpus animæ ad originem dulcedinis musicæ, id est, ad cœlum redire creduntur. *Macrob. li. 2. de somnio Scipionis, his verbis Musicam laudat.*

Cæterum primi illi legum latores cum animaduerterent, quod hominum studia non possent omnino tranquilla esse, admiscuerũt eis saltationem & rhythmum motu certo & ordine constantes: ad hæc ludos concesserant, qui vel ad mutuam coniunctionem promouerent: vel ad verum cognoscendum, acuendumque ingenium facerent. Similiter illis qui ebrietate & crapula inducti, aliquid mali perpetrabant, tibias & concentum accommodarunt: vt ingenia his modis irrigata, honestiores maturescendo mores acquirerent. *Ex Diogene Pythagoreo, l. de sanctitate.*

Quando itaque bene incipientes pueri iocari ac ludere, legitimũ per musicam morem imbibunt, in contraria bis omnino ac superioribus musica tendit, atque persequitur erigere, si quid antea in ciuitate iacebat. *Plato in dial. 4. de Iustit.*

Dorius prudentiæ largitor est, & castitatis effector: Phrygius pugnas excitat, votum furoris inflammat: Æolius animi tempestates tranquillat, somnumque iam placatis attribuit: Lydius intellectum obtusis acuit, & terreno desiderio grauatis cœlestium appetentiam inducit, bonorum operator eximius. *Cassiodorus.*

Liberalibus ergo percipiendis artibus, sine controuersia Musices necessaria cognitio est, quando orationi cunctæ sunt obnoxiæ. Sed quid ego disciplinis commodam esse commemorem? cum laborum etiam quies vel opportunissima sit, & quod contrarium huic est, ad labores armaque capessenda, vel quemuis summum subeundum laborem incitamentum sit, & vnde classici in bello consonant, & tympana remugiunt: quæ omnia sunt ad pugnam hortamenta, iam pridem vtilissima opportunissimaque inuenta. Sic nautæ, sic vinitores, sic viatores sic denique alicui labori alligati, omnes cantu a vocum solamen inuenerunt: infantes quoque pueri hanc suauitatem non aspernantur, nutricisque cantu a fletu cessant, atque conticescunt. Sonitu aliquo iubet experrectos statim è cubili exsurgentes ad aliquod subeundum munus Pythagoras accendi: sensus namque ita vegetiores viridioresque fieri, & consopitam mentem excitari, morum quoque exempla mala, vt suscitare ita refringi arte musica posse, nos priscæ docuerunt historiæ, ipso ita nos docente cum reliquis Cicerone. Sed vt aliqua similitudine adductus maximis minima conferam, vt cum violentia adolescentes tibiarum etiam cantu, vt fit, instincti, pudicæ mulieris fores frangerent, admonuisse tibicinam, vt spondæum caneret Pythagoras dicitur: quod quum illa fecisset, tarditate modorum, & grauitate canentis illorum furentem petulantiam consedisse. Inde propter mollitiem, quod nimium animos effœminaret, Chromaticum creditur repudiatum pridem fuisse genus, quod adolescentium remollescerent eo genere animi. Lacedæmones improbasse feruntur. An non Homerus quoque nos docuit Musicam, quam a Chirone acceperat, atque didicerat, iram Achillis concoxisse? Inuenerunt enim, inquit, mentem demulceri suaui varioque cytharæ cantu, hac namque ad animum pacandum, vt medicina ad corporis subleuandum laborem, vsi sunt antiqui: Hac torpentes ad bellum animos suscitarunt: hac curas ex animo excusserunt, hac iustitiam docuerunt, hac insignes virtutibus, meritis laudibus prosequuti sunt, corporis ęgritudines & consolati

sunt,

sunt, & abstulerunt, hac se denique Deo coniunxerunt: vnde illa:

Hic canit errantem lunam, solisq; labores:
Vnde hominum genus, & pecudes vnde, imber & ignes,
Arcturum pluuiasq; Hyadas geminosq; Triones.

Et quæ sequuntur. Quod porro immanes quoq; feræ cantu mitigentur, quin & æque nonnullæ cantu subsultent, notius est ex historijs, quam vt a me nunc referatur. An non templis quoque sonitus varij placandorum numinum causa, vt Ptolomæus ait, adhibentur? Quare, vt paucis colligam, eius est Musica vtilitatis, cõmoditatisque, vt minime negligenda sit: Eius quoque nobilitatis, vt ex eis, quæ memorabuntur, nosci potuerit, vt ne pudori sit futura cuiquam, vel in quaque re præstantissimo vereri nullo modo posse quisquam videatur.

Summam eruditionem, & animorum institutione m longe præclarã esse in neruorum vocumq; cantibus sitam, à Græcis semper fere creditum est. Hinc legimus, Epaminondam Græciæ principem fidib. præstantissime cecinisse. Proinde Themistocles, quũ aliquot annis ante in epulis recusasset lyram, habitus indoctior: Sed & Lycurgus, quamuis durissimas Lacedæmonijs suis leges iniungeret, musices tñ studium egregie videtur amplexatus; qñ ipsam hanc natura parens impertijsse animaduertitur: qñ transmitti laborum onus molestissimum procliuius posset. Remigem, vt Fabius inquit, cantus hortatur, & singulorum fatigatio, quamlibet se rudi modulatione solatur. Pythagoras, & qui deinceps studia consectati sunt eadem, mundum ipsum non citra musicas rõnes concinnatum, coaptatumq. argumentorum subtilitate colligere sunt visi. Quin & artium veluti præstantissima, diuinis se inseruit reb. & quod testatum quoq; Ptolomæus reliquit, numinibus placandis adhibetur. Plato ẽt esse gentibus contributam putat musicam ad præclarius quoddam, præstantiusq; opus. Nam quũ sit concinnatis inter frequentamenta varia præcipue artifex musica, non idem a Dijs data, vt ad delicias conuertamus, & auriũ pruritum: Sed vt quod aiç consonãtiam turbat, & harmoniam, huiusce voluptatis delinimento sedari, ac ad ordinem redigi valeat. Cæterum & grauissime Pindarus, ὅσσα δὲ μὴ πεφίληκε Ζεὺς ἀτύζονται βοὰν Πιερίδων ἀΐοντα. Quæcumq; non amat Iuppiter, vocem auersantur Pieridum. Quid, quod Socrates iam senex institui lyra non erubescebat? Thebis porro Pindari statua visitur nulla: visitur aũt, inquit Athenæus, cantoris Cleonis: in cuius sinum, Thebas Alexandro diruente, quum fugiens quidam aurum immisisset, rediens anno trigesimo post, iam Thebis frequentib, cum fide totum recuperauit. Præclara est comicis Eupolis ad musices præconium pertinens sentẽtia, qua negocium esse sancitur, βαθύ τι καὶ καμπύλον, profundũ, flexuosumque. Propterea in Hyacintho Anaxilas; Musica per Deos, inquit, perinde ac Lybia, semper quotannis nouam quampiam parit. Magnus equidem iuxta cytharœdum Theophilum, stabilisq. thesaurus musica est mores enim instituit, cõponitq. ac mollit iratum ardores: quod vel Homericus Achilles abunde significat. *Cic. 1. Tusc. q.*

Musica vero capi omne quod viuit, inde colligunt Platonici, quonia n cçlestis aĩa, qua vniuersitas animetur, originem sumpsit ex Musica. Certe ex Strabonis doctrina didicimus, elephantes cantu mulceri, & tympanorum sono. Et in Symposiacis Plutarchus scribit, Brutorum pleraq; deliniri, afficiq. plurimum musica, sicuti fistulis ceruos. Vbi vero saliantur equæ, nomẽ incini solitũ, quem vocent Hippothoron. Cantu vero Delphinas moueri, testis locuples est Pindarus. In hoĩe autem peculiaris adesse videtur ratio; quia modulatior sonus & flexanimis concentus in corpus musicæ memoriam deferat, cuius aĩa in cçlo fuerit conscia. Propterea nullum fere haberi tam inmite, tam asperum pectus, quod non oblectamentorum talium teneatur affectu. Affectu tilla quoque Peripatetici, Insitum esse oĩbus, oblectari naturalib. motib. cui rei sint argumento pueri, qui vix dum nati, modulis permulcentur. Omnino propterea deliniuntur omnes, quia ratum ordinatumq. computandi modum habent, mouentq. nos pro sua æquabili serie ordinatæ: Indicium vero id maximum esse ordinem ex naturæ ratione, quod quum ordinate labimus, bibimus, comedimusq. naturam viresq. nostras seruamus, augemusq. Consonantia igitur eam primis causa demulcere potest, quia sit permistio, siue contemperatio contrariorum apte inter se coeuntium, & proportionem custodientium.

APOPHTHEGMATA.

Socrates natu iam grandior, quum inter pueros fidib. canere disceret, obiurgantib. respondit: Nequaquam absurdum esse discere ea, quæ prius nesciuisset, communi vitæ tam vtilia, & necessaria esse. Tanti fecit musicam vir sapientissimus, vt iam grandæuus discere nequaquam erubesceret. *P. M. l. 3. apoph.*

Solon, cum eius nepos ex fratre inter pocula carmen quoddã Sapphus cecinisset, delectatus est illa cantilena, & iussit adolescentẽ, vt eam se doceret. Cũ autẽ quidam interrogasset, quam ob causam hoc desideraret? respondit: Vt postquã ipsam didicero, moriar. *Ælian. de var. hist.*

Stratonicus aliquando trophæum quum erexisset, hunc inscripsit titulum: Aduersus male canentes cythara. Notans, tales vbiq; quã plurimos esse, quos ipse vicisset. *P. M. 6 apoph. ex Athen.*

Nero a Mathematicis audierat, fore, vt aliquando deijceretur imperio, eoque Græcum Iambicum dimetrum identidem vsurpabat:

Τὸ τέχνιον πᾶσα γαῖα τρέφει.

Terra quauis artem alit.

Putans, se tantum profecisse in arte canendi: vt etiam si exigeretur, in quauis natione ob musices peritiam posset haberi in pretio. Quumque imminentibus, qui illum insequebantur, de salute desperans, cogitaret sibi vim afferre, subinde dicebat: Quantus artifex pereo. *Suet.*

Agesilaus. Cuidam Agesilaum roganti, quam ob causam Spartiatę ad tibiarum cantũ inituri prælium exercerentur? Vt quum ad numerum, inquit, incedunt, appareat, qui formidolosi sint, qui fortes. Nam ampæstorum ictus vehementer meticulosis pallorẽ ac tremorem incutiebant, Itaque quum pes non responderet ad modulos tibiarum, prodebatur ignauorum imbecillitas. Magni siquidẽ refert, vt dux perspectos habeat militum suorum animos, quo norit, qui sint a prælio submouendi, aut qui qua parte exercitus collocandi. *Plut. in Lacon. apoph.*

Alexander, Quum Alexander etiamnum pubescens cytharæ daret operam, & præceptor artis subinde moneret, quam chordã quomodo pulsare deberet: & puer parum obsequẽs doctori dixisset, quid si hanc pulsarem? Cytharœdus lepide respondit: Si isthuc quæris, tanquam Rex futurus, nihil refert; si vt artifex futurus, plurimum interest. *P. M. lib. 8. apoph.*

Antisthenes, quibusdam admirantibus Ismeniam, quod esset insignis tibicen: Nequam, inquit, hominem esse oportet: nam si bonæ frugis esset, non esset egregius tibicen. Iudicabat, eos non posse bonos viros euadere, qui tantum operę eiusmodi artibus impendissent, *Plut. in vita Periclis. Pontan. lib. quinto. cap. 1. de Prudentia.*

Ateas, quum Ismeniam tibicinem optimum in bello cepisset, iussit illum canere, ac cæteris admirantibus, ipse iurauit per ventum acinacem, sibi iucundius esse, audire hinnitum equi. *Plutarch. in apoph.*

Ismenias canebat in sacrificio, quumque non litaretur, is, qui conductus fuerat, arreptis tibijs canebat ridicule, & hoc canente litatum est. Incusantibus autem ijs, qui aderant: Diuinitus, inquit, contigit venuste canere. Hic Ismenias ridens; At me (inquit) canente, Dij voluptate capti commorabantur: te vero festinante illos abigere, arripuerunt hostiam. Refert Plutarchus Symposiacon libro secundo: Conductitius ille sibi laudem arrogabat, quod ipso canente litatum sit: quasi Dij magis delectati sint ipsius cantu, quam Ismeniæ. Id lepidissime retorsit Ismenias: idem non fuisse litatum, quod Dij gaudentes erudita musica, diutius manerent adesse sacrificio. At quum ille ridicule caneret, quasi studeret Deos abigere, ne vacui recederent, arripuerũt victimam.

Idem Cytharœdum imperitum, obesoque corpore, & ab omnib. vituperatum, solus Diogenes laudabat. Demirantib. quam ob rem id faceret; Laudo, inquit, quod quum talis sit, maluerit se cythara quam latrocinijs exercere, significans illum corpore validũ, ingenio rudem, latrocinijs aptiorem esse, quam musicæ. Iocus est ab inexpectato. *Laert. l. 6.*

Idem, Alterum cytharœdum, qui, quoties caneret, ab auditoribus deserebatur, obuium ita salutabat: Salue galle. Quum ille offensus salutationis nouitate, diceret; Quid ita? Quoniã, inquit, cantu tuo excitas omnes. Iocum captans ex ambiguitate verbi Grçci. ἐπεγείρειν enim dicitur, & qui excitat dormientem, quod solent galli gallinacei mane canentes, & qui sedẽtem excitat, vt surgat, quod ille solebat. *Laert. l. 6.*

Satyrus, Is egregius tibicen præsæpe Aristonis Philosophi disputationibus intererat, & his, quæ dicerentur, mire affectus, aiebat: Cur ego non igni trado hoc telum, ad nihil vtile? Subobscure referens tibiam, & quodammoda suam artem ad philosophię studium comparatam extenuans, & nihili æstimans. *Ælian. 3. de var. hist.*

Aristoteles interrogatus, quid de musica sentiret? respondit Iouem neque canere, neque cytharam pulsare. Sensit nimirum hoc studium parum vtile hominibus esse, quo Dij non etiam delectarẽtur. *Brus. l. 4. c. 37.*

Stratonicus de Phaone malo tibicine dicebat, quod non caneret harmoniam, sed Cadmum. Phaon autem, quum se gereret pro tibicine, iactaretque se Megaris habere chorum: Nugaris, inquit, Stratonicus, non habes, sed haberis. Significans illum esse potius discipulum, quam magistrum, aut chorum ipso dochorem esse. *P. M. l. 6. apoph.*

Idem,

Idem. Quum vidisset Propin cytharœdum Rhodium, corpore quidem magnum, sed arte pusillum, percontantib. qualis videretur? respondit prouerbiali dicto: Nullus, malus, magnus, piscis. Singulis verbis hypostigme separatis alium efficiens sensum. *Athenæus. Vide prouerbium etiam apud P. M. Nullus, magnus, &c.*

Idem. Rhodi quum artis suæ specimen edidisset, neque quisquam plausu aliove gestu signum fauoris dedisset, abscessit illinc, dicens: Quum id quod nullo constet impendio, non præstetis, qui sperem me à vobis præmium accepturum? *Athenæus, & P. M. lib. 6. apoph.*

Idem. Cytharœdus quidam malus eum excipiebat conuiuio, atque super cœnam ostentabat illi artem suam. Erat autem apparatus splendidus. Itaque Stratonicus quum illo canente non haberet qui cum loqueretur, confregit poculum & poposcit maius. Id quum accepisset cum multis cyathis, soli calicem ostendit, moxque sese vino ingurgitauit, & obdormiuit. Quum autem forte superuenissent aliquot commessabundi, cantori, qui conuiuium exhibebat, noti: Stratonicus expergiscens factus est ebrius. At illi quum intellexissent, quod multum assidueque bibendo fuisset inebriatus. Stratonicus compendio respondit: Hic insidiator & sceleratus cantor, me veluti bouem ad præsæpe, dum cœnam accipit, occidit. Boues multo cibo sagioantur, priusquam mactentur. *Athenæus.*

Anonymus. Xenophantus certis modis Alexandrum ad arma solebat concitare. Eam Musices vim admirantibus cunctis, quidam ait: Si cantus artifex est incinat modulos quibus illum a bellis reuocet. Sentiens, non esse magnæ artis hominem eo perpellere, quo sua pte natura pronus est. *P. M. l. 4 apoph.*

Demosthenes Mitylen. pulsauit fores hominis musicæ ac cytharæ dediti, quumque is audito pulsu iussisset illum introire: Faciam, inquit, si prius alligaris cytharam. Subnotans illum nihil aliud quam cythara canere. *Plut. Symposiacon. lib. 2.*

Anonymus. Cytharœdus quidam cum apud quempiam caneret, pollicitusque esset is apud quem cantabat, quanto melius cantaret, tanto se daturum, quum promissa postridie reposceret, ei dulce quid occinens, subiecit, Voluptatem tibi reddo (inquit) pro voluptate. *Ex Arist. lib. 9 Ethic. recitat Brus. l. 4. c. 17.*

Agesilaus rogatus, vt vellet audire quendam, qui mira similitudine lusciniæ vocē imitabatur, recusauit: Frequenter (inquiens) ipsam audiui lusciniam, significans ineptam esse voluptatem, magis delectari ipsa simulatione quam natura. *Plut. in Lacon. apoph.*

Demaratus cum audiret cantorem quendam ostentantem artē suā, nihil aliud laudis illi tribuit, tantum ait: Mihi videtur non male nugari. Tantus erat contemptus artium: quæ licet essent operosæ, tamen solummodo delinirent aures, nullam seriam vtilitatē adferent Reipublicæ. *Plut. in Lacon. apoph.*

Archidamus. Quum quidam prædicaret cytharœdum, eiusque in canendo facultatem admiraretur: Heus, inquit, vir optime, quid honoris ac præmij abs te ferent boni viri, quum tantopere prædices cytharœdum? Recte taxauit non vulgi modo, verum & principū præpostera iudicia, qui plerumque pluris faciunt mimum aut morionem, quam sapientem, fidique consilij virum: cytharœdum vero cuius ars non Reipubl. sed voluptati seruit, adeo non iudicauit prædicandum, vt nec inter bonos viros habendum duceret. *Plut. in Lacon.*

Idem. Ad eum qui ipsi cantatorem commendare volens, dixit, Hic est bonus cantor: At apud nos, inquit, hic est bonus condimentorum artifex: perinde quasi nihil referret, vtrum quis musicorum instrumentorum sono, an obsonijs & condimentis voluptatem adferret. Apud Athenienses cantores erant in summo pretio quū coquis non haberetur idem honos: Lacedæmonijs vero nihil placebat artium, quod ciuium animos effœminaret magis quam ad virtutem accenderet. *Plut.*

Alcibiades imbutus philosophiæ præceptis, voluptates ac artes inde coras aspernatus est, disciplinas liberas semper amplectebatur: Lyram hoc argumento reijciebat, quod vocem hominis imitaretur (quo colligere licet, olim qui lyra canebant, simul & voce cecinisse) plectrum, quod habitum formamque liberalem immutaret in illiberalem, tibiam duplici nomine damnabat: & quod sic mutaret oris habitum, vt vix a familiarissimis agnosceretur qui caneret: & quod homini propriam adimeret vocem, loquendique facultatem eriperet. Nemo enim potest simul & inflare tibiam & loqui, canent igitur, inquit, Thebanorum filij, qui dicere nesciunt, nobis autem Atheniensibus, vt a maiorib. accepimus, gentis Princeps est Pallas & Apollo, quorum illa fistulam confregit, hic tibicinem excoriauit. Proditum est priscorum fabulis, Palladem ad sepulchrum tibia canentem, offensam oris deformitate, proiectam comminuisse tibiam. Apollo Marsiam canēdo victum excoriauit. *P. M. lib. 5. apoph. ex Plut.*

Gelon. in conuiuio quum lyra circumferretur, cæterique ordine canerent (nam id apud Græcos honestum habebatur) Gelon equū iussit adduci in conuiuium, facileque ac leuiter in illum insilijt, significans, hoc esse regalius, quam lyra canere. *Plut. in Lacon.*

SIMILITVDINES.

P. M. Vt quidam magnetes ferrum attrahunt, ac theamedes qui in Æthiopia nascitur, ferrum abigit, respuitque: Ita est musices genus, quod sedet affectus, est quod incitet. *In sim.*

Themist. Musica egregium studiorum condimentum: verum vt in alijs, ita hic quoque fere peccatur: quod qui cœpit, illius illecebris nimis capiatur. *In apoph. 113.*

ADAGIA.

Bonus cantor, bonus cupediarius. *ἀγαθὸς ψάλτης, ἀγαθὸς ζωμοποιός. In vituperium musicæ artis dictum, quasi eiusdem hominis sit aures delectare cantu, & palatum cupedijs.*

EXEMPLA BIBLICA.

Dauid omnibus gentibus pacatis religionis studia complexus, hymnos trimetros edidit: & cum his pentametros versus plurimos, qui sabbathis festisque diebus sacris solemnibus canerentur: adiecit his decachordeam cytharam, & nabla 12. vocum: cymbala ad hæc ærea, grandia quidem & lata. *Sabell. Ennead. 1. l. 29.*

Dauid ad Saulum recepti dæmonum incursu exagitatum accersitus est, vt cantu demulceret æstuantem mētis furorem, id quod præstitit: Nam quoties in morbum incidit Saul, stās Dauid ad caput, cum sacros hymnos voce & fidibus cecinisset, ad sanam mentē reductus est. *Ioseph. l. 6. c. 9. antiq. Iudaic.*

HISTORICA EXEMPLA.

Anastasius varietates omnes fugiens canendi vsum in Ecclesijs interdixit.

Ambrosius autem pietatis exercitium appetens, vt caneretur instituit.

Pythagoras, vt ait Boetius in lib. Musicæ artis inuentor fuit apud Græcos, per malleorum ferientium inæqualia pondera, & per chordarum inæqualitatem, vel inæqualem extensionem, ac per clamorum inæqualem longitudinem.

Samius porro Pythagoras in adytis Annctorum Ægypti fertur Orphei antiquam heptachordon lyram inuenisse, quam Terpander Lesbius in Ægyptum proficiscens secum attulit, ibique appendit, vt apud sacerdotes illos charior esset apud quos philosophiā didicit Aegyptiacam. Huius lyræ concentus Pythagoras excogitasse canonem, ac proportiones primus fertur.

Tradiderunt veteres, *Mercurium* testudinem inuenisse, cuius a putrefactione solummodo superfuissent nerui, eosque cum tactu sonitum reddere sensisset, eiusmodi ligneum construxisse instrumentum. Primum quidem quatuor neruis intentum, post septem, vt Homerus est author in hymno ad Mercurium: Mercurius, vt perhibent, Orphea docuit: Orpheus Thamyrim, & Linum: Linus Herculem & Amphionem Thebanum, qui septem neruorum lyra, septem portarum Thebas construxit, interempto a Thracibus mulieribus Orpheo, proiecta in mare Lyra, fertur ea ad Antessam vrbem peruenisse Lesby, quæ a piscatoribus comperta tradita Terpandro, hanc in Aegyptū tulit: Aegyptiisque ostendit sacerdotibus, a quibus factus eruditior, reuersus ipsam dictus est inuenisse. Sunt qui ferant a Cadmo Agenoris filio Achaïs traditam. Heraclides vero vbi de Musica scribit scientia, poesin, inquit, cytharœdi causa primus nouit Amphion. Iouis & Antiopes filius, quem pater hanc artem docuit: per idem quoque tempus Linum ex Eubœa nænias scripsisse ait: Anthen quoque ex Anthedone oppido Bœotiæ hymnos, & Pierium ex Pieria, de musis confecisse poemata: Nec non Phylammona Delphon Latoæ Dianæ & Apollinis ortum celebrasse per modos chorosque, primum, de sacro, quod in Delphis fuit, statuisse. Thamyrim autem Threicium, qui musas in certamen prouocasse fertur, omnium maxime vocalem & sonorum fuisse: hunc ait. Titanum aduersus Deos scripsisse bellum: fuisse quoq. Demodocum Corcyreum priscum musicum, quem Troiæ direptionem, Veneris & Vulcani nuptias ait cecinisse: Ithacensem præterea Phæminum reditum a Troia Agamemnonis & Græcorum scripsisse reliquorum cantu non inepto. Horum autem omnium melos, vt Stesichori & quorundam aliorum, non Heroicos versus, nec metrum fuisse Heroicum, poeticumque: Terpandrum quoque cytharœdicū, ait, poetam in Agonibus cecinisse, & cytharœdicas leges primum inuenisse: sic Clonum primum tubicinas leges & prosodiam composuisse: sicut Elegias & Heroica Polhymnestum Colophonium.

Lucretius ex hominum obseruatione inuentos cantus putat, cum inquit:

At liquidas auium voces imitarier ore,
Ante fuit multo quam læuia carmina cantu
Concelebrare homines possent auresque iuuare,

Et

Et Zephyri caua per calamorum sibila primum
Agrestes docuere cauas inflare cicutas:
Inde minutatim dulces docuere querelas,
Tibia quas fundit digitis pulsata canentum,
Auia per nemora, ac siluas saltusque reperta,
Per loca pastorum deserta, atque otia dia.
Sic vnum quicquid paulatim protrahit ætas.

HIEROGLYPHICA.

Non immerito *Musicam*, eamque omnibus numeris absolutam, per *Lusciniæ* hieroglyphicum significari tradiderunt: siue multiplicem vocis varietatem, siue delectabilem suauitatem, siue pertinacem in ea continuationem admiremur. *Vide Pier. Val. lib. 23. pag. 213. C.*

Eiusdem hieroglyphicum est *Cygnus*. Idem ibidem. Et *Cicada*, quod ostenditur ab eodem. *Pier. Val. l. 26. pag. 250.*

EMBLEMA.

Musicam Dijs curæ esse.
Emblema Andr. Alciati. CLXXXIV.

Locrensis posuit tibi Delphice Phœbe, cicadam
Eunomus hanc, palmæ signa decora suæ.
Certabat plectro Sparthyn commissus in hostem,
Et percussa sonum pollice fila dabant.
Trita fides rauco cœpit cum stridere bombo
Legitimum harmoniæ, & vitiare melos:
Tum cythara argutans suauis sese intulit ales,
Quæ fractam impleret voce cicada fidem:
Quæque allecta soni ad legem descendit ab altis
Saltibus, vt nobis garrula ferret opem.
Ergo tuæ, vt firmus stet honos, ô sancte, cicadæ,
Pro cythara hic fidicen æneus ipsa sedet.

Vide Cantus, & Carmen. Item Poeta.

MVTATIO.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

MVtatio, Græce μεταβολὴ, ῆς, ἡ, & μετάβασις, εως, ἡ, mutabilis dicitur. Est autem mutatio, quæ est in eadem specie alteratio in magis, & minus, *secund. Arist. lib. 5. Physic.*

Mutatum esse, est pars motus discreti, & terminus motus continui, *secund. B. Thom. 1. par. q. 53. art. 2.*

Mutare, à quo supradicta veniunt, proprie est transferre, Varro. *Fac vt te aliquo loco cum omni familia mutes.* Item variare, vnde mutare sententiam dicimus. A muto fit mutabile, quod facile mutatur, Virg. *Varium & mutabile semper fœmina.* Item immutabile, quod nullo modo mouetur, ac flectitur: commuto pariter, simul muto; inde commutabile: verum commutare verba, litigare. Terẽt. *Numquam hodie tecum commutaturum patrem vnum esse verbum.* Ita permuto, permutabile, hinc veniunt.

POETARVM SENTENTIÆ.

Virg. 3. Georg.
Optima quæque dies miseris mortalibus æui
Prima fugit, subeunt morbi, tristisque senectus.
Et labor, & duræ rapit inclementia mortis.

Senec. epist. 106.
Meliora prætereunt, deteriora succedunt.

Eurip. in Hipp.
Ipsa dies quandoque parens, quandoque nouerca.

SENTENTIÆ PHILOSOPHICÆ.

Mutatio necessaria sequitur ex actione agentis. *Auerroes disput. 5.*

Mutatio nulla potest esse de non subiecto vere ad formam accidentis: quia materia, quæ vere est non subiecta non potest sumere formam accidentis, nisi prius adepta fuerit formam substantialẽ cum esse accidentis à substantia composita proficiscatur. *Alber. Magnus 5. Physi. tract. 1. c. 2.*

Mutatio nulla potest esse de non ente simpliciter, ad ens secundum quid, vel è conuerso. *ibid.*

Mutatio non fit, nisi è contrario in contrarium. *In 3. Physic. libro 8, cap. 46.*

Mutatio ex non subiecto in non subiectum esse non potest, per accidens potest. *Alex. de Alex 11. metaph.*

Mutatio nulla perpetua: omnis enim apta est natura esse ex quodã in quoddam. *8. Physic. 5. Tex. 86.*

Mutatio alia est de subiecto in subiectum: alia ex non subiecto in non subiectum, alia ex non subiecto in subiectum, & subiectum dicitur, quod affirmatione monstratur, & cum illa, quæ ex non subiecto in non subiectum non fit mutatio, relinquuntur tres aliæ mutationes: Quæ scilicet ex non subiecto in subiectum secundum cõtradictionem est Generatio, quæ simpliciter simplex, quæ alicuius quædam, & quæ ex subiecto, in non subiectum, Corruptio, *Arist. Physic. l. 5. c. 1.*

Cum omnis vitæ humanæ mutatio periculosa est, tum qui in præsenti statu nihil quod desideret habet, is vsitatam sibi vitæ rationem nulla alia re quam stultitia adductus mutat, atque à consuetis alio transfert, quibus si nihil aliud boni adest, at profecto firmitate ipsa ignotis præstant. *Plut. in Numa.*

Mutationes rerum eos qui aliquando plurimum potuerunt, omni potentia exuunt. *Dion. lib. 37.*

Omnes rerum mutationes cædem, fugam, aliaque hostilia portendunt. *Sallust. de bello Iugurth.*

Ferenda sunt regum ingenia, nec vsui crebras mutationes. *Tac. Annal. lib. 12.*

M. Antonio & Pub. Dolabella consulibus imperium Romanũ iam ad Cæsares transferente fortuna varius & multiplex motus ciuitatis fuit, quodque in annua cœli conuersione fieri solet, vt mota sidera tonent, ac suos flexus tempestate significent: sic in Romanæ dominationis, id est, humani generis conuersione, penitus intremuit, omnique genere discriminum, ciuilibus terrestribus ac naualibus bellis, omne imperij corpus agitatum est. *L. Florus, lib. 4. c. 3.*

Curarum aceruos & mutationes varias accidentium principes ipsi quoque vt homines, formidare debent. *Ammian. Marcel. lib. 20.*

Sæpe ex leui causa magnæ mutationes, & ingẽtes calamitates ortæ sunt. *Nicet. in Man. Comneno lib. 5. P.*

In libello res in contrarium facile vertuntur; sc quod nemo votis ausus esset expetere, sibi ve spondere, vltro se mortalibus nonnunquam offert. *P. Æmyl. lib. 4.*

APOPHTHEGMATA.

Lycurgus interrogatus cur Spartani toties pugnaturi contra hostes castra mutarent? respondit. Vt eo magis lædamus hostem. *Plut. in Lacon. 2. apoph.*

Augustus Cæsar quodam die venit in ædes, in quibus habitarat Cato Vticensis, hic cũ Strabo, quo Cæsari adularetur, Catonis peruicaciam accusaret, quod sibi manus adferre, quam Iulium victorem agnoscere, maluisset: Quisquis, inquit Augustus, præsentem Reipublicæ statum mutari non vult, is & ciuis & vir bonus est. Vnico dicto & Catonis memoriam tutatus est, & sibi consuluit, deterriens, ne quis in posterum affectaret res nouas. Nam præsens status non is tantum dicitur, qui tum erat, cum hæc loqueretur Augustus; sed is quoque, qui fuerat tempore conspirationis in Iulium. Siquidem hæc dictio præsens apud Latine loquentes, ad tria tempora pertinet præteritum, præsens, & futurum: vt, Præsentibus non erat contentus: & præsens in tempus emittat, i. in futuram opportunitatem. *P. M. lib. 4. apoph. ex Suet.*

Tiberius, cum ab amicis interrogaretur, cur non tam facile magistratus & præfecturas suas mutaret? Respondit se data hoc opera semper fecisse. Natura. n. omnes, qui rerum administratione præsint, pecuniæ esse cupidos, plurimumq. studij ad rem magis magisq; augendam eos collocare, Cæterum, si diutius in magistratu versentur, segniores ad quæstum faciendum fieri. Muscas. n. si longius corporum vlceribus insideant, minus graues & molestas fieri, quippe sanie vlcerum ad satietatem vsque refertas: & eũ qui vlceribus scateat, diutius acceptum afflictumq; iri, si saturis iam repulsis, famelicas alias ad vulnera admittere velit. Nicephorus Callistus Ecclesiasticæ suæ historiæ. *lib. 1. c. 17.*

Sophronius Pompeiopoleos Paphlagoniæ Episcopus, cum audisset in Synodo Seleuciana Acatij opiniones, & dogmata recenseri: Si per singulos dies, inquit, propriam edere fidem licuerit veritatis integritas non diu manebit. *Socrates libro 5. Tripartita histor. ca. 34.*

MVTVATIO, MVTVVM.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

MVtuatio, Græce δάνεισμα, ατος, τὸ & δανείζω. mutuo dicitur. Mutui datio dicitur ab eo, quod de meo fiat tuum, & ideo si non fiat tuum, non nascitur obligatio. Mutuum dare est mutuare: mutuum damus, vt Paulus Iurisconsultus inquit, non eandem speciem recepturi, quam dedimus, hoc enim commodatum aut depositum est, sed idem genus: nam si aliud genus veluti pro tritico vinum recipiamus, non erit mutuum. Mutui datio in his rebus est, quæ pondere, numero, mensurave consistunt, quoniam in his non idem specie redditur, sed genere, cum in cæteris rebus aliud pro alio inuito creditore reddi non possit: mutuatio autem est actus ipse mutuandi.

Mutuum a fœnore sic separat Marcellus, quod mutuum sine vsuris, fœnus est cum vsuris. Plautus: *Nam si mutuo non potero, certum est, sumam fœnore.*

Mutuo & Mutuor ita differunt, quod qui pecuniam dat mutuo, is mutuare dicitur: qui vero accipit, is pecuniam mutuatur. Mutuus, a, um, pro vicario accipitur. Apuleius; *Mutuam tibi operam præstitit*

præstiti. Idem: *Fac me mutuo diligas*, hoc est, vicissim ames. Venit autem mutuo aduerbium a mutuus.

Loci Biblici.

Mutuum dandum proximo, *Deuter.* 15.8. *Matth.* 5. 4. *Luc.* 6. 35. mutui lex. *Exod.* 22. 14.

Mutua dilectio commendatur a Christo. *Ioan.* 15. 12. 17. adhortatio ad eam, 1. *Thess.* 4. 9.

Sententiae Biblicae.

Mutuatio fructuosa.

Si vnus de fratribus tuis, qui morantur intra portas ciuitatis tuæ, in terra, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi, ad paupertatem deuenerit, non obdurabis cor tuum, nec contrahes manum, sed aperies eam pauperi, & dabis mutuum, quo eum indigere perspexeris. *Deut.* 15.

Volenti mutuare a te ne auerteris. *Matth.* 5.

Si mutuum dederitis his, a quibus speratis recipere, quæ gratia est vobis? nam & peccatores peccatoribus fœnerantur, vt recipiant æqualia. Mutuum date, nihil inde sperantes, & erit merces vestra multa. *Luc.* 6.

Periculosa.

Mutuabitur peccator, & non soluet. *Psal.* 36.

Et qui accipit mutuum, seruus est fœnerantis. *Prou.* 22.

Apophthegmata.

Anonymus. Quidam miserrimos homines esse dixit, qui modo rubros, modo pallidos habeant dentes. Notabat autem eos, qui mutuo acceperunt ab alijs: qui, dum mutuum repetitur, erubescunt: dum vero creditorem viderint, pallescunt, ne cogantur ad soluendum. *Recit. hoc dictum apud Suidam.*

Lycurgus dicebat, dignitatem quidem illã, qua mouemur ad facilius mutuo dandum aliquid, in opibus hominum sitam esse: illã vero, quæ nos ad facilius fidem habendam inducit, in moribus. *Stob. serm.* 35.

Perseus. Quum cuidam ooto daret pecuniam, cautionem fecit in foro apud mensarium. Hanc diligentiam quum amicus admirans diceret: Adeone legaliter Persee? Scil. inquit, vt amanter recipiam, nec largiter reposcam. Fit enim sæpenumero, vt qui cum amico bona fide, sine testibus, ac syngraphis agunt, post cogantur cum eo legibus agere. *Plut.*

Gelon exigebat pecuniam a suis ciuibus, quos vbi videret tumultuantes, ait se petere mutuo: quippe redditurum. Ita volentes dederunt, atque ille peracto bello reddidit. Hoc artificio perfecit, vt pecunia non deesset ad bellum necessaria, nec ciues haberet minus beneuolos. *Plut. in apoph.*

Galba, Quum penulam mutuo a quopiam rogaretur, festiue respondit: Si non pluit, non est opus tibi: si pluit, ipse vtar. *Brusom. lib.* 4. *cap.* 22.

Idem. Cuidam cui cœnaculum perpluebat commodato roganti penulam, dixit: Non possum commodare, nam domi maneo. Significans, domi maxime opus esse penula. Solent alij secus excusare, Non possum commodare penulam, ipse exeo. *P. M. l.* 6. *apoph.*

Vide Fœnus, Pecunia. Item Liberalitas.

FINIS LIBRI VNDECIMI.

POLYAN-

POLYANTHEAE NOVISSIMAE LIBER XII.

N

NATVRA.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

NAtura, Græc. φύσις, γένεσις & φυσικὸς ὁ ὤν, naturalis dicitur. Est autem natura principium, & causa motus, & quietis in eo, in quo est per se, & non secundum accidens, *secund. Aristot. lib. 2. Physic. cap. 1.*

Natura dicitur à nascendo, *secundum S. Thom. 3. parte, quæst. 29. artic. 1.* ea enim facit nasci omnia.

Natura interdum ponitur pro vi, vnde herbarum arborumque naturas dicimus. A natura fit naturale, quod est secundum naturã: & naturales filij dicuntur illegitimi, quod sola natura, non coniugij lege sint orti.

Naturale est, quod conuenit rei secundum substantiam eius, id est, quod per se inest ei, *secundum S. Thomam prima Secunda, quæst. 10, artic. 1.*

Zeno igitur naturam definit, vt eam dicat esse ignem artificiosum, ad gignendum progredientem via. *Idem lib. 2. de Natura Deorum.*

De Natura philosophatur egregie Etymologicon trilingue Lugduni editum, pag. 504. 505. Pauca hæc adscribimus. Hebræi duobus verbis, nempe *Harar*, & *Ialad*, vim Naturæ in fœminis ad concipiendum, & pariendum exprimunt. Qui autem vim illam tribuit Deus Naturæ Naturantis, seu creantis instar Naturam naturatam, seu creatam fouet, vegetat, iuuat, & promouet pro sua benignitate.

LOCI BIBLICI.

Natura primo, pro re ipsa, seu verè, *Galat. 4. 8.* Secundo, pro sensualitate, vt vocant, *2. Petr. 2. 12.* Tertio, pro ea quæ nascendo nobis comparatur prærogatiua: *Galat. 2. 15.* Quarto, pro qualitate naturaliter essentiæ inhærenti, *2. Petr. 1. 4* Ibi Apostolus vocat Naturam, non ipsam οὐσίαν, sed certas qualitates, quas Dei virtus in nobis efficit, vt hactenus Dei imago simus, veluti cum nos cœlesti sapientia, boni amore, vitij odio, & veris virtutibus imbuit: vt etiam accipi fere consueuit Naturæ nomen pro Naturæ rerum dispositione, & efficacitate. Sic imago illa fuit hominis, ante lapsum Natura: & post lapsum contrà, vitiosa omnis illa totius hominis qualitas, quæ vetus homo dicitur, & caro: cui opponitur quod Spiritus Dei in nobis efficit, ideoque tum Nouus homo, tum Spiritus vocatur. Sumitur etiam pro corruptione per peccatum in Naturam inuecta, seu pro Natura, non qualis est ab initio creata: sed vt est in Adamo corrupta, & ab eo in posteros deriuata, *Rom. 11. 24. Ephes. 2. 3.* Natura impuritas, *Iob 25. 4.* Natus ex Deo, peccatum non facit, *Ioan. 1. 13. & 1. Ioan. 3. 5. & 5. 4.* De Natura, seu Essentia, & Dei attributis multa Scholastici Theologi.

Nomine Naturæ significatur nonnumquam rei cuiusque generatio seu Natiuitas. 2. Sumitur Natura pro intrinsecis principijs cuiusque rei, materia nempe & forma. 3. Quia cuiusque rei essentia principium est, & causa omnis in ea re motus, & Naturalium qualitatum: idcirco nomine etiam Naturæ significantur sæpe numero qualitates naturales, quibus vnaquæque res Naturaliter esse dicitur.

SENTENTIAE PATRVM.

Flagitia, quæ sunt contra naturam, vbique & semper repudianda, atque punienda sunt, qualia Sodomitarum fuerunt. quasi omnes gentes facerent, eodem criminis reatu diuina lege tenerentur, quæ non sic fecit homines, vt se illo vterentur modo. Violatur quippe ipsa societas, quæ cum Deo nobis esse debet, cum eadem natura, cuius ipse author est, libidinis peruersitate polluitur. *August. l. 3. Confess. & hab. 32. q. 7 Flagitia.*

Vsus naturalis & licitus est, sicut in coniugio, & illicitus, sicut in adulterio: contra naturam vero semper illicitus, & proculdubio flagitiosior atque turpior. Quem sanctus Apostolus & in masculis & feminis arguebat, damnabiliores volens intelligi, quam si in vsu naturali vel adulterando, vel fornicando peccarent. *Aug. cont. Iulian. & hab. 32 q. 7. Vsus.*

Auferebat sanctus Loth filiarum pudorem, nam etsi illa quoque flagitiosa impuritas erat, tamen minus erat secundum naturam coire, quam aduersus naturam delinquere. Præferebat domus suæ verecundiæ hospitalem gratiam, etiam apud barbaras gentes inuiolabilem. *Augustin. libro de Patriarch. & hab. 32. quæst. 7. Auferebat.*

Nullum est vitium contra naturam, vt natura deleat extrema vestigia. *Aug. in quad. ser.*

Vince naturam diligentia, exclude corporis somnum. Naturam nobis formare non possumus, possumus diligentiam. *Ambros. in lib. de Ioseph.*

Naturæ industria nunquam in nobis dormitet, grande profecto in nobis donum natura ipsa est. *Bern. in Cant. serm. 83.*

Paucis minimisque natura contenta est. *Boet. de consol. 2.*

Dat cuique natura quod conuenit: & ne (dum manere possunt) intereant, laborat. *Idem lib. 3.*

Natura creatrix est quædam vis & potentia diuinitus rebus insita, alia ex alijs in suo genere producens. *Hugo.*

Repugnante natura quælibet cedit industria. *Cass. Epistol. 38. libro quarto.*

POETARVM SENTENTIAE.

Propert, lib. 2. eleg. 23.

Vnicuiq; dedit vitium natura creato.

Horat. in Art. Poet.

Tu nihil inuita dices, faciesq; Minerua.
Format enim natura prius nos intus ad omnem
Fortunarum habitum, iuuat, aut impellit ad iram.

Horat. Serm. lib. 2. Satyr. 2.

Nam propriæ telluris herum natura neque illum,
Nec me, nec quemquam statuit. nos expulit ille.
Illum aut nequities, aut vafri inscitia iuris,
Post remum expellet certe viuacior hæres.
Nunc ager Vmbreni sub nomine, nuper Ofelli
Dictus erit nulli proprius, sed cedet in vsum
Nunc mihi, nunc alij.
Naturam expellas furca, tamen vsque recurret.

Iuuen. Satyr. 14.

Nunquam aliud natura, aliud sapientia dicet.

Simylus.

Neque natura sine arte sufficit
Cuiquam omnino quocunque in studio,
Nec ars per se sine præsidio naturæ.
Quod si ista duo simul conueniant,
Adhuc desiderantur sumptus,
Amor, exercitium, opportunitas, tempus,
Natura, voluntas, ordo, diligentia,
Sapientes faciunt, bonosq; viros.

Ouid. 15. Met.

Nec species sua cuiq; manet, rerumq; nouatrix
Ex alijs alias reparat natura figuras.

Horat. Satyr. 13.

Tamen ad mores natura recurrit
Damnatos fixa & mutari nescia.

Lucan. lib. 4.

Discite quam paruo liceat producere vitam,
Et quantum natura petat: non erigit agros
Nobilis ignoto diffusus Consule Bacchus.
Non auro, murrhaq; bibunt sed gurgite puro:
Vita redit: satis est populis fluuiusque Ceresq;,

Menander.

Ἡ δοῦσα πάντα καὶ κομίζεται φύσις.
Quæ dat omnia & colligit natura.

Hesi-

Ἡ φύσις ἁπάντων τῶν διδαγμάτων κρατεῖ.
Natura omnibus doctrinis imperat.
Ἡ φύσις ἑκάστῳ γὰρ γένους ἐστὶν πατρίς.
Natura uniuscuiusque enim generis est patria.
Φύσιν πονηρὰν μεταβαλεῖν οὐ ῥᾴδιον.
Naturam malam mutare non facile.
Ἤθη πονηρὰ τὴν φύσιν διαστρέφει.
Mores mali naturam permutant.

SENTENTIÆ PHILOSOPHICÆ.

Natura est principium quoddam & causa motus & status eius, in quo sit primo, per se, non per aliud alienaque vi. *Libro 2. de Nat. c. 1. T. 3. & l. 8. de Nat. c. 3. Tex. 23.*

Natura sunt, & animantia, & eorum partes, & ea quæ oriuntur e terra, vt ignis, aer, aqua, terra. *Libro secundo, de Natur. capit. primo, Text. 1.*

Natura ea facit, quæ a quodam principio insito continenter agitata, ad finem aliquem perueniunt. *Lib. 2. de Nat. c. 8. T. 84. & l. 1. de Part. anim. c. 1.*

Natura est causa, & in numero causarum, quæ alicuius gratia efficiunt, reponitur. *Lib. 2. de Nat. c. 8. T. 86.*

Natura dicitur vno modo eorum quæ innascuntur ortus: alio, id ex quo insito primum aliquid gignitur. Præterea id vnde primus motus in quoque eorum quæ natura sunt, quatenus idem est, proficiscitur. Præterea dicitur id quod materia prima est. Alio modo natura dicitur, eorum quæ natura constant, essentia. Natura etiam species & essentia dicitur: hoc autem finis & perfectio. *lib. δ. 4. Metaphysic. capit. 4. T. 5. & Natur. capit. 1. 2. del. T. 10. & Tim. 21.*

Natura, dux optima. *Cato maior.*

Mater rerum omnium natura. *Par. t.*

Omnium est natura communis. *5. de Finib.*

Sua cuiusque animantis natura est. *5. de Finib.*

Sua cuique natura est ad viuendum dux. *5. de Finib.*

Multis signis natura declarat quid velit, ac quærat, ac desideret: obsurdescimus tamen nescio quo modo, nec ea, quæ ab ea mouentur, audimus. *Lælius.*

Facile indicat natura vim suam, cum homines quod facere ipsi non possunt, id recte in altero fieri iudicant. *Lælius.*

Si tales nos natura genuisset, vt eam ipsam intueri & perspicere, eaque optima duce cursum vitæ conficere possemus: haud erat sane quod quisquam rationem ac doctrinam requireret, cum natura sufficeret. Nunc vero paruulos nobis dedit igniculos, quos celeriter malis moribus opinionibusque deprauatis sic restringimus vt nusquam naturæ lumen appareat. Sunt enim ingenijs nostris semina innata virtutum, quæ si adolescere liceret, ipsa nos ad beatam vitam natura perduceret. Nunc autem simul atque editi in lucem, & suscepti sumus, in omni continuo prauitate versamur, vt pene cum lacte nutricis errorem suxisse videamur. Cum vero parentibus redditi, deinde magistris traditi sumus, tum ita varijs imbuimur erroribus, vt vanitati veritas, & opinioni cõfirmatæ natura ipsa cedat. *3. Tusc.*

A natura ipsa desciscimus, vt nobis optimam naturam inuidisse videamur. *3 Tusc.*

Omnes natura duce vehimur. *1. De Nat. Deor.*

Homo naturæ obediens, homini nocere non potest. *3. Offic.*

Naturam ducem si sequamur, nunquam aberrabimus. *1. Offic.*

Nos naturam sequamur, & ab omni, quod abhorret ab ipsa oculorum, auriumque comprobatione, fugiamus. *1. Offic.*

Omnia quæ natura aspernatur, in malis sunt: quæ adsciscit, in bonis. *1 Tusc.*

Quicquid homini naturaliter insitum est, eo vti decet: & quicquid agat, agere pro viribus. *Cato maior.*

Omnia quæ secundum naturam sunt, habenda sunt in bonis. *Cato maior.*

Nihil in malis ducamus, quod sit vel a Dijs immortalibus, vel a natura parente omnium constitutum. *1. Tusc.*

Nihil est aliud gigantum more pugnare cum Dijs, quam naturæ repugnare. *Cato maior.*

Sine doctrina si quid bene dicitur, adiuuante natura, tamen id quia fortuito fit, semper paratum esse non potest. *De Clar. Or.*

Etsi ingenijs magnis præditi quidam, dicendi copiam sine ratione consequuntur, ars tamen est dux certior, quam natura. Aliud est enim poetarum more verba fundere: aliud, ea quæ dicas, ratione & arte distinguere. *4. de Finib.*

Multi sine vlla doctrina naturam ipsam sequuti, multa laudabilia fecerunt. *3. de Finib.*

Sæpius ad laudem atque virtutem natura sine doctrina, quam sine natura valuit doctrina. *Pro Archia Poeta.*

Omnes tacito quodam sensu, sine vlla arte aut ratione, quæ sunt in artibus ac rationibus recta ac praua dijudicant. *De Or.*

Meliora sunt ea quæ natura, quam quæ arte perfecta sunt. *1. De Nat. Deor.*

Nulla ars imitari naturę solertiam potest. *1. de Nat. Deor.*

Omnis natura artificiosa est, & habet quasi vim quandam & sectã, quam sequatur. *2. de Nat. Deor.*

Natura bonis vt plurimum quæ hominibus largitur, & mala immiscet. *Diod. Sicul. lib 4. c. 4.*

Hæc lex naturæ apud omnes gentes recepta est, quam nullum tempus delebit, vt superiores inferioribus imperent. *Dionys. Halic. lib. 1.*

Est ea natura præstantior, in qua deteriora consenescunt, meliora vigent atque adolescunt. *Plutarch. in comparatio. Cimonis, & Luculli.*

Rerum natura potentissima est. *Liu. Decad. 4. lib. 7.*

Nulla lex aut timor plus potest, quam ea quæ mortalibus a natura tributa sunt. *Xiphilin. Cæsar. Aug.*

Ego corruptrici naturæ in multis non obsequor, sed eius institutis, vt pusillæ mulierculæ consilijs in rebus grauioribus repudiatis, Deum sequi malo. *Nicet. in Io. Comneno.*

Fortuna naturam plerumque corrumpit: *Curt. lib. 3.*

Homines cum se permisere fortunæ etiam naturam dediscunt. *Eod lib.*

Natura mortalium hoc quoque nomine praua & sinistra dici potest quo suo quisque negocio hebetior est quam in alieno. *Libro quinto.*

Male humanis ingenijs natura consuluit, quod plerumque non futura, sed transacta perpendimus. *Lib 8.*

Cum perturbata est Respublica, natura hominum, victrix legum, ostendit se libenter iniusta facere contra leges, superata magnitudine iræ, iure potentior, & excellentioribus inimica. Nisi enim talis esset natura hominum, non anteponerent vindictam sanctitati & lucrum iustitiæ, inuidentes alienæ potentiæ non lædenti. Sed volunt homines vindictæ cupiditate communes leges dissoluere, & sibi non relinquere legum præsidia, si quid ipsis aduersi accidat, cum in legibus salutis spes sit. *Thucid. libro 3.*

Difficile est attributam certis rebus naturam humana arte superare. *Pausan. lib. 2.*

Bona natura, si non recte instituatur, inter bonos fructus multa etiam vitia profert, perinde atque bonus ager, si non accuratè colatur. *Plut. in Coriolano.*

Inter vepres rosæ nascuntur, & inter feras nonnullæ mitescunt. *Ammian. Marcel. lib. 16.*

Fortuna nihil est ad naturam, neque huius potest cupiditatem implere. *Plut. in Pompeio.*

Paucis minimisq; natura contenta est. *Boet. de Philosoph. consol. lib. 2. prosa 5.*

Dat cuique natura quod conuenit, & ne, dum manere possunt, intereant, elaborat.

Iam vero quanta est naturæ diligentia, vt cuncta semina multiplicato propagentur, quæ omnia non modo ad tempus manendi, verum generatim quoque quasi perpetuum permanendi, veluti quasdam machinas esse quis nesciat. *Idem libro tertio, prosa 11.*

Naturam mutare difficile est. *Sen. lib. de Ira.*

Nulla sapientia naturalia corporis aut animi vitia deponuntur. Quidquid infixum & ingenitum est, lenitur arte, non vincitur.

Tenenda est via, quam natura præscripsit, nec ab illa declinandũ: Illam sequentibus, omnia facilia & expedita sunt: contra illam vitantibus non alia via est, quam contra aquam nauigantibus. *Senec. de benef.*

Omnibus enim natura, fundamenta dedit semenque virtutum.

Insita sunt omnium artium nobis semina, magisterque ex occulto Deus producit ingenia, natura, inquis, hoc mihi præstat, non intelligis te, cum dicis, mutare nomen Deo. Quid enim est aliud natura quam Deus & diuina ratio, toti mundo partibusque eius inserta? Ergo nihil agis, ingratissime mortalium, qui te negas Deo debere, sed naturæ: quia nihil natura sine Deo est, nec Deus sine natura: sed idem est vterque, nec distant officio. *Senec. de Beneficijs.*

Res omnes quæ fiunt, quæ futuræ sunt, & quæ factæ sunt: vel natura vel fortuna vel arte fieri nonnulli aiunt. Maxima dicunt, natura, fortunaque fieri: arte vero minora, quam dicunt accepta a natura magnorum operum generatione fingere, fabricarique minora omnia, quæ artificia ab omnibus appellantur. *Plato de leg. Dial. 10.*

Similis est ars plerumque naturæ. *Quint. lib. 8.*

Prima pietatis magistra natura est. *In Hist. Sax.*

In alio sua quemque natura delectat.

Natura renouatrix rerum dignissima. *Plin. Iun. Paneg.*

Gratia est habenda naturæ, quæ necessaria parabilia fecerit: difficilia autem paratu non necessaria. *Epicurus.*

Apo-

APOPHTHEGMATA.

Socrates dicitur eum execrari solitus, qui primus vtilitatem à natura seiunxisset. Naturam appellat honesti rationem homini à natura insitam. *P. M. l. 6. apoph.*

Aristoteles tria ad solidam parandam sapientiam, præcipue necessaria esse dicebat: Naturam, Doctrinam, & Exercitationem. Inuita enim Minerua, & ingenio refragante, frustra etiam in rebus minimis laboratur. *Laert. l. 5. c. 1.*

Phocioni filius plura solito obsonia coemerat. Pater comminatus est, si plura quam secundum naturam per incontinentiam ingurgitaret, ipsum pœnas luiturum. Sensit autem Phocion, naturam paucis contentam esse, multis autem corrumpi, & deprauari. *Stob. serm. 15.*

Dionysius sen. Matri, quæ quamuis anus marito tradi vellet: Ciuilia, inquit iura violari possunt, naturæ non possunt. *P. M. lib. 4. c. 1.*

SIMILITVDINES.

D. Basilij. Natura nihil patitur imperfectum. Et imago, quæ tantum ex parte media videtur, non visum, ac spectatorem admodum delectat. Et itineris labor inanis quidem nisi ad statutum perueniat locum, quo viator præscripsit. Et currentes in stadijs, vno sæpe tantum gradu deficientes, à palma exciduot.

Philonis Iudæi. Quemadmodum omnis aqua suapte natura quieta est, quoties secundus ventus à puppi aspirat, omni rudente modo plenis velis naues in portum inferuntur: quoties autem repente aduersus à prora incumbit, multam iactationem, ac strepitum excitat, interdum etiam subuertit nauigium: & tamen innoxio mari crimen hoc ingeritur, cum satis appareat, remissione vehementiaque ventorum, aut fluctus, aut tranquillitatem fieri: Ita natura, quæ rationem auxiliatricem habet, quieta quidem est per se eumque felicem merito reddit, qui contra omnes impetus potest bene vti. *In lib. de Cherubim.*

Quemadmodum nemo sanus ægre fert à se reposci debitum, aut depositum. Eodem modo natura, quod suum est repetente, non arbitratur indigne ferendum, sed necessitati consentiendum. *lib. 1 de Abrah. fol. 250.*

Quemadmodum in periculosis morbis Medicus interdum corporis partem resecat, vt ad sanitatem id perducat: gubernator quoque tempestate occupatus, iacturam facit, dum saluti nauigantiũ prospicit: nemo tamen vel illum incusat quasi noxium, imo vterque re bene gesta laudatur, quod vtile dulci prætulerit: Eodẽ modo rerum natura semper suscipienda est contentis statu rerũ præsentium, modo absit malitia voluntaria: nec inquirendum, quam iucunda sint, quæ obueniunt, sed ad morẽ bonæ constitutæ Reipub. mundus regatur, ac gubernetur salutari ordine. *lib. 1. de præmijs, & pœnis.*

Maximi monachi. Vt materia humida difficulter ignem concipit: Sic humana natura bonum non facile comprehendit. *ser. 69.*

Plutarchi: Qui de natura quæritur, quod quædam genuerit homini noxia, dissimulatis tot bonis, perinde facit ac si quis Nilum calumnietur alioqui frugiferum Aegypto, quod crocodilum habeat, aut aspidem: nec postea velit frui prognatis frugibus, sed tãtum quæratur de venenis, quæ nutrit. Aut si quis in copiosa oratoris oratione, quæ multis exuberet virtutibus, de pauculis voculis temere elapsis cauilletur. *In Mor.*

Bos ad aratrum adhibendus, equus ad currus, ad venatum canis, inquit Pindarus: Sic quisque debet eam vitæ rationem capessere, ad quam natura sit appositus. *In Moral.*

Quemadmodum ex eodem luto licet fingere animantia, ac rursum confundere, atque continenter aliud ex alio facere: Sic natura ex eadem materia genuit maiores nostros, his extinctis nos, deinde alios, atque alios. *In Moral.*

Cicer. Vt nauem & ædificium, idem destruit facillime, qui construxit: Sic hominem eadem optime, quæ conglutinauit natura, dissoluit. *In Catone maior.*

Vt ædificijs, architecti auertunt ab oculis naribusq; dominorum ea, quæ profluentia necessario tetri essent aliquid habitura: Sic natura res similes procul amandauit, a sensibus. *lib. 2. de Nat. Deor.*

Plin. Vt talpæ, quod parum, aut nihil cernant, liquidius audiunt: Ita natura parta facit, dum quibus corporis formam negauit, his animi vigorem confert. *lib. 10. c. 69.*

ADAGIA.

E squilla non nascitur rosa, nec hyacinthus. *οὔτε ἐκ σκίλλης ῥόδα φύεται, οὔθ᾽ ὑάκινθος. Theognis.*

In eamdem sententiam quoque. Horat. Neque imbecillem feroces progenerant aquilæ columbam, hoc est, è probis parentibus nascuntur liberi probi, ex improbis improbi. Man list nicht Feygen von Dornhecken, noch Trauben von Disteln.

Bonæ leges ex malis moribus procreantur. *Macrob.*

Neque enim vllis opus esset legibus, nisi perperam viueretur.

Mali corui malum ouum. *Κακοῦ κόρακος κακὸν ᾠόν. Gellius.*

Id est: qualis parens, talis filius: qualis præceptor, talis discipulus: qualis vir, talia facta. Wie der Vogel, so das Eye. Bös Vogel, boess Eye. Ein eul heckt kein blawfuss, ein eul heckt kein Falcken.

Nouiss. Polianthea.

E tardigradis asinis equus prodiit. *ἐκ βραδυπόδων ὄνων ἵππος ὤρουσεν:* *In eum qui ex obscuris natus parentibus, clarus euasit. Vel in arrogantem, & ferocem, infimo tamen genere ortum.*

Ex quercubus, aut saxis nati.

Hom. Odyss. τ.

Οὐ γὰρ ἀπὸ δρυός ἐσσι παλαιφάτου οὐδ᾽ ἀπὸ πέτρης.
Nam neque fatidica quercu satus es, neque saxo.

Quadrabit in eos prouerbium, qui vel obscuro nati sunt genere: vel ingenio præditi agresti, efferisque moribus. Germanice per interrogationem; meynestu dass ich von einem Stock oder Stein entsprungen seye.

Numquam ex malo patre bonus filius. *οὐκ ἂν γένοιτο χρηστὸς ἐκ κακοῦ πατρός. Eurip.*

Cui affine est illud, κακοῦ κόρακος, &c.

HIEROGLYPHICA.

Fuere, qui per *Lunæ* hieroglyphicum *naturam humanam* exprimi differerent. Nam quod hæc è limo terræue constat: terra etiam Lunaris globus esse perhibetur. Pythagoras enim Lunam modo terram cœlestem, modo terrestre cœlum appellabat, ac terræ similem eam dicit Aristoteles. Varia est præterea Lunæ facies diebusque singulis immutata conspicitur: neque varietati quicquam magis obnoxium, quam rerum humanarum conditio. Quinetiam si vniuscuiusque hominis vultum intueamur numquam aut rarissime hac & illa vice eumdem esse conspicimus. *Pier. Valer. lib. 44. pag. 432. F.*

FABVLÆ.

Aethiops.

Emptum Aethiopem quidam putabat ita negligentia prioris domini decoloratum fuisse. Itaque ad se deductum, summa cum cura lauare, destringere, & omni ratione anniti, vt sordes illas, quemadmodum rebatur, abstergere posset. Verum mutare illum colorem non valuit, Aethiops autem afflictus cura in morbum incidit.

Significat fabula, nullo pacto mutari ingenia, & naturas, sed retinere insitas semper proprietates, & quasi personas attributas sibi. Recte igitur dicitur & hoc apud Aristophanem:

Non poteris rectum cancris inducere gressum,
Nec leuis horrentes echinos reddere sentes.

Formica.

Quam animantem formicam nominamus, eam fuisse quondam mortalem humani generis accepimus. Exercuisse autem agriculturam, in cuius assiduo studio, & summa cupiditate, vicinis & res & frumenta subtrahere clanculum soleret. Qui cum, vt fit, furi multa quotidie mala imprecarentur, motus tamdem Iupiter communi execratione, in animantem, quæ vt diximus, formica nominatur, conuertit furacem agricolam. Non tamen vna cum specie mores quoque mutati fuere, nam formica nunc quoque rura frequentat, & alienos labores ipsa percipit, atque recondit.

Fabula ostendit, naturas prauas immutatas manere in omni fortunæ varietate.

Vide Disciplina, Educatio, Mores.

NAVFRAGIVM.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

NAufragium, Græce *ναυάγιον, ου, τό, & ναυαγέω* naufragor, & *ναυαγός, ό,* naufragus dicitur. Est autem naufragium, naue fracta rerum, & corporum submersio, quod plerumque contingit casu fortuito, propter vim tempestatis, vel fulminis, diciturque à nauis & frango. Nauis vero Græce *ναῦς, τῆς ναός, ἡ* dicitur: vnde naualе, in quo naues stant, seu fiunt, & nauus celer, cuius contrariũ est ignauus, à quo ignauia, desidia ipsa, & ignaue aduerbium desidiose, & nauo verbum, quod est strenue facio, & naumachia, id est, nauale prælium, à *ναῦς* nauis, & *μάχη* prælium, vnde & monomachia singulare certamen, à *μόνος* solum, & *μάχη* pugna, de qua supra in dictione Monachus. A nauis pariter fit nauarchus, id est, nauis princeps, & nauclerus, qui nauem regit, qui nauicularius dicitur: & nauigo, hoc est, nauiter facio, & nauigium ipsa nauis, & nauigatio ipsa profectio, & nauicula parua nauis. Nauta, siue nauita, qui in naui agenda se exercet. De aliquibus nauigationis instrumentis, vide supra in Militaris prudentia.

Naufragium figurate pro calamitate, dãno, iactura, vel exitio vsurpatur apud probatos auctores.

LOCI BIBLICI.

Naufragium Pauli, *Act. 27. 59.*

SENTENTIÆ POETICÆ.

Ouid. 2. Amor. 11.

Nauita sollicitus iam ventos horret iniquos,
Et prope tam lethum, quam prope cernit aquam.
Quod si concussas Triton exasperat vndas.

Quam tibi nunc toto est nullus in ore color.
Tum generosa voces fœcunda sidera Luna,
Et felix dicas, quem sua terra tenet.

Horat. 1. Carm. 3.

Illi robur, & æs triplex
Circa pectus erat, qui fragilem truci
Commisit pelago ratem
Primus: nec timuit præcipitem Africum
Decertantem Aquilonibus,
Nec tristes Hyadas, nec rabiem Noti.

Ibid.

Audax omnia perpeti
Gens humana ruit per vetitum nefas.

Iuuen. l. 2.

I nunc, & ventis animam committe, dolato
Confisus ligno, digitis à morte remotus
Quatuor aut septem, si sit latissima tæda.

Sen. Med. Act. 2.

Audax nimium, qui freta primus
Rate tam fragili perfida rupit.
Terrasque suas post terga videns
Animam leuibus credidit auris.
Dubioque secans æquora cursu,
Potuit tenuero fidere ligno,
Inter vitæ, mortisque vias
Nimium gracili limite ducta.

Ter. Hec. 3. 4.

Non Hercle verbis Parmeno dici potest
Tantum, quam re ipsa nauigare incommodum est.
P. Itane est? S. ô fortunate nescis quid mali
Præteriisti, qui nunquam es ingressus mare:
Nam alias vt omittam miserias, vnam hanc vide.
Dies triginta, aut plus eo in naui fui,
Cum interea semper mortem expectabam miser:
Ita vsque aduersa tempestate vsi sumus.

Tibul. 1. 2.

Lucra petituras freta per parentes ventis
Ducunt instabiles sidera certa rates.

Propert. 3. 5.

Ite rates curuæ, & leti contexite caussas,
Ista per humanas mors venit acta manus.
Terra parum fuerat: tertis adiecimus vndas:
Fortunæ miseras auximus arte vias.
Anchora te teneat quem non tenuere Penates?
Quid meritum dicas cui sua terra parum est?
Ventorum est quodcunque paras haud vlla carina
Consenuit, fallit portus & ipse fidem.

Claud. in præfat. 1. de raptu Proserp.

Inuenta secuit primus qui naue profundum,
Et rudibus remis sollicitauit aquas:
Qui dubiis ausus committere flatibus alnum,
Quas natura negat, præbuit arte vias:
Tranquillis primum trepidus se credidit vndis,
Littora securo tramite summa legens:
Mox longos tentare sinus, & linquere terras,
Et leni cœpit pandere vela Noto.
At vbi paulatim præceps audacia creuit,
Cordaque languentem dedidicere metum:
Iam vagus irrupit pelago cœlumque secutus
Ægeas hiemes Ioniumque domat.

Iuuen. 12.

Accidit & nostro similis fortuna Catullo:
Cum plenus fluctu medium foret alueus, & iam
Alternum puppis latus euertentibus vndis
Arboris incertæ, nullam prudentia cani
Rectoris conferret opem: decidere iactu
Cœpit cum ventis imitatus castora qui se
Eunuchum ipse facit cupiens euadere damno
Testiculorum; adeo medicatum intelligit inguen.
Fundite quæ mea sunt dicebat cuncta Catullus.
Præcipitare volens etiam pulcherrima vestem
Purpuream, teneris quoque Mæcenatibus aptam.

Plaut. in Rudente.

Qui homo sese miserum, & mendicum volet,
Neptuno credat sese, atque ætatem suam.

Iuuen. Satyr. 14

Perora tunicis licet, atque antennis
Curatores age, qui nauem mercibus imples
Ad summum latus, & tabula distinguitur vnda.

Ex Græc. Com.

Ἐν γῇ πένεσθαι κρεῖττον ἢ πλουτοῦντα πλεῖν.
In terra egenum satius est te viuere,
Quam nauigare possidentem plurima.

SENTENTIÆ PHILOSOPHICÆ.

De naufragio. DIAL. LIV.

Francisci Petrarchæ.

DOL.

Graui naufragio iactatus sum. R. Maris tu mihi memoras, naufragium animi autem siles, quasi vero vel grauius, vel crebrius vllū sit. Ibi est tēpestas illa cupidinum: & affectuum ceu ventorum repugnantia, quæ vos tensis concupiscentiæ, speique velis gubernaculo mentis excusso constantiæq. anchoris, in alto perditis, per oēs littorū fluctus, perq; omnia maria circumuolauit. Illud te naufragium in hoc traxit, tolle cupiditatē, nauigationem ipsam, aut certe periculū nauigandi magna ex parte sustuleris, illa nō in naues solum, sed in scopulos, & in mortē cogit miseros. Itaque fere omnes qui suis auspicijs in mari pereunt, prius in animo periere, priusque illos auaritiæ demerserit vnda quā pelagi. Rara est quidem sine præcipitatione cupiditas, quicquid enim vult cōfestim vult, morasque omnes, & illarum comites sumptus odit, ea breuis in exitium via, & crebri prima naufragij causa est. D. Magno naufragio vexatus sum. R. Didicisti Deum orare, votaque facere & pacisci multa, quorum etsi metus causa fuit, tu tamen agnosce fidem terræ redditus. Non impune Deus luditur, odit ille fidifragos. D. Fœdum naufragium passus sum, R. De naufragio nō queritur, nisi qui euasit, Gaude igitur saluus, & doctior. Transacti periculi grata solet esse memoria, sicut ex diuerso finitæ prosperitatis amara recordatio, quanti vero olim faceres vidisse Tritones æquoreos, & spumeos aquarum, atque assurgentes fluctus in nubila, & pelagi monstra natantia. Habes vnde brumali nocte ante focum fabellas horrificas narres attonitis, trepidulamque familiam admiratione suspendas, iam quid sit poetica tempestas intelligis, & qui male credulus stupor fuit, iam notitia certa est, quam bene vel metu mortis, vel iactura sis adeptus. D. Duro naufragio laboraui. R. Sine labore nihil discitur, hoc si sapis, perpetuū documentum tibi erit, ne quando amplius credere vitam ventis in animum inducas. D. Passus sum triste naufragium. R. Si primum, caue ne secundum adeas, si secundum, sile. Scitissime illud Publ. Mimographi. *Improbe Neptunum accusas qui iterum naufragium facit.* D. De terribili naufragio vix euasi. R. Nescio quid terribilius adeo sit in aquis mori, quam in terris, quandoquidem in alterutro moriendum est, seu quid optabilius vermium cibum esse, quam piscium. Postquam tamen enatasti, cura ne iterum fracto vitam remo, aut laceræ credas tabellæ. Disce terrenum animal terram pati, & cœlum potius ambire, quam pelagus.

Difficile naufragium pertulit, qui ventorum rationem diligenter inspexit. *Veget. lib. 4. c. 38.*

Ars est res nautica, si quid aliud, nec discitur obiter: sed ita exercenda est, vt in eam solam cura intendatur, ne obiter alia simul agantur. *Thucyd. lib. 1.*

Non imprudenter à quodam dictum est, Insolentiam nauticā igne esse violentiorem. *Constant. Manass. Annal.*

Crudelitatis genus est, vltra naufragium velle desæuire, & illos ad dispendia cogere, quibus inopem vitam pro. antur immania pericula fecisse. *Cassiod. lib. 4 epist. 7.*

APOPHTHEGMATA.

Bias nauigans cum sceleratis, & impijs hominibus cum periclitaretur in summa maris tempestate, illis Deos implorantib. Bias, Silete (inquit) ne vos hic nauigare sentiant Dij. *Laert. l. 1. c. 6.*

Bion nauigans cum pessimis hominibus, in piratas incidit: Dicentibus illis: Perimus, si agnoscamur: At ego, inquit, nisi agnoscamur, pereo. *Laert.*

Plato. Assidue monebat fugiendum esse mare, perinde ac improbitatis magistrum. *Brus. l. 4. c. 25.*

Aristoteles dicebat, per omnem vitam trium se pœnituisse: Quod mulieri secretum aliquid commisisset. Quod eo nauigasset, quo pedibus iter licuisset. Quod vnum diem intestatus mansisset. *Ant. Meliss. par. 1. serm. 17. Hæc autem Stobæus tribuit ex Plut. M. Cat.*

Glaucon Comicus dicebat iucundius esse in mari pedi tem agere, quā in terra nauigare. *Stob. serm. de naufrag.*

Anacharsis percontanti, quæ naues essent tutissimæ? Quæ inquit, in siccum protractæ sunt. Solebant enim olim naues ijs mensibus, quibus mare nauigabile non est, machinis quibusdam in siccum pertrahi, Anacharsis sensit omnem nauigationem esse periculosam. At ille de genere nauigij percontabatur. Sunt enim liburnicæ, onerariæ, actuariæque naues, aliæque diuersi generis, in quibus alia est alia aduersus tempestatem instructior. *Laert. l. 1. c. 9.*

Idem, quum rogasset quemdam, quanta esset spissitudo tabularum nauticarum? Isque respondisset, quatuor digitorum? Tantillum, inquit, absunt a morte qui nauigant. Notauit negociatorum auaritiam, qui lucri gratia semet in manifestum vitæ discrimen cōijciunt. Scythæ nesciunt nautica commercia, sed pascuis, ac venatu viuunt, *Laert. l. 1. c. 9.* Alludit ad huius Philosophi dictum Iuuen. Sat. 12. ita scribens:

I nunc & ventis animam committe dolato
Confisus ligno, digitis à morte remotus
Quatuor, aut septem, si sit latissima tæda, &c.

Idem,

Idem, cuidam roganti, vtrum arbitraretur plures esse mortuos, quã viuos? Nauigantes, inquit, in vtro numero ponis? Dubitans, an hi essent inter viuos habendi, qui vitam vndarum, ac ventorum arbitrio commisissent. *Laert. lib. 1. c. 6. Diog. hoc ascribit Stob. ex Plut. Lacon. cuidam.*

Laodamus ille Homericus nihil miserius esse dicebat, quam virum fortem ponto exagitari. *Brus. l. 4. c. 27.*

Demonax, quum legatus nauigaturus in Asiam, nauem conscendisset, & à quodam interrogaretur, num metueret, ne naufragio eiectus a piscibus deuoraretur? Quid, inquit, metuam a piscibus, qui tot pisces deuorarim? *P. M. l. apoph.*

Anonymus. Siculus quidam cum ficos vehens, procella correptus naufragium fecisset, ac mox sedens in littore, mare tranquillum videret, vrbane inquit ad mare: Noui quid velis, ficos nimirum. *Brus. l. 4. c. 25.*

Antigonus sæua tempestate iactatus, cum omnes suos in eadem naui haberet, præcepisse liberis dicitur, vt & ipsi meminissent, & posteris proderent, ne quis in rebus tam dubijs periclitaretur. *Brus. lib. 4. c. 25.*

NECESSITAS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Necessitas, siue necesse, Græce ἀνάγκη, ης, ἡ, & ἀναγκαῖον, ου, ὁ, necessarius dicitur. Est autem necessarium, quod non potest aliter se habere, *secund. Arist. l. 4. Metaphys. Vel sic.*

Necesse est, quod vi aliqua cogente, fieri opus est. Dicuntur autem necesse, necessum, necessarius, necessitas, necessitudo à cesso, quod est ab opere vaco. Virg. *Et si quid cessare potes, requiesce sub umbra.* Cesso vero à cedo venit.

Necessitas, & necessitudo eiusdem significati, modo pro vi quadam vrgente accipiuntur, modo pro vinculo quodam religiosæ coniunctionis, à quo necessarij dicuntur, qui iure affinitatis coniuncti sunt, quod nulla inter eos cessatio, hoc est, separatio fit. Vel quod necessaria inter eos officia conferantur.

POETARVM SENTENTIAE.

Ter. Adelph. 4. 7.

Placet tibi factum Mitio? M. I. Non, si queam
Mutare: nunc, cum nequeo, æquo animo fero.

Periand. per Auso.

Faxis vt libeat, quod est necesse.

Silius 7.

Moras extrema recusant.

Hor. 3. Carm. 1.

Æqua lege necessitas
Sortitur insignes, & imos.
Omne capax mouet vrna nomen.

Antholog. Sac. Iac. B.

Ridiculum esse, id quod ante necessitatem scimus in necessitate obliuisci.

Nulla homo fortuna ludis, grauibusque periclis
Obiectus (cui non istud in ore frequens?)
Quicquid sors tulerit, constanti mente ferendum est:
Seu dolor immineat, seu rapiantur opes.
Quin etiam quæcumque furens mors venerit hora,
Excipere hanc forti pectore quemque decet.
Quam sine mente: quod cum non scire necesse est,
Scimus, id haud scimus, cum grauis hora premit.

Agathon.

Etenim illud vnum ipsi negatum est à Deo, vt
Infecta reddat, facta quæ fuerint semel.

Homer. Iliad. 6.

Ista, molesta licet, ante acta valere sinamus,
Neve malis iam præteritis animum excruciatis.

Phocylid. 6.

Quod semel est factum, fieri infectum haud queat vnquam.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Necessitas alia ita significat, vt si ees cuiusgratia futura sit; hoc habet necesse est, alia ita, vt sic se habeant, aptaque natura ita sint. *Arist. de partib. anim. l. 1. c. 1.*

Necessitas duplex, alia secundum naturam, quæ est ex vi naturæ, alia secundum causam mouentem. *Arist. l. 2. c. 11. tex. 12.*

Necessitas æternis rebus inest absoluta ratione, caducis vero ex suppositione tribuitur. *Arist. de par. animal. 1. c. 1.*

Necessitas omnium, quæ geruntur, semper sibi catenatis nexibus iuncta, hæc est, aut effectrix rerum, aut Deus summus, aut ab ipso Deo, aut omnium cœlestium terrenarumque rerum formata diuinis legibus disciplina: hæ itaque εἱμαρμένη & necessitas ambæ sibi inuicem indiuiduo glutino sunt cõnexæ, quarum prior εἱμαρμένη rerum omnium parit initia, & necessitas vero cogit ad effectum, quæ ex illius primordijs pendent, has ordo sequitur, id est, contextus, & dispositio temporis rerum perficiendarum. *Merc. Trismegist. Asclepius c. 14.* *Polyanthea Noviss.*

Necessitas breuibus clauditur terminis, opinio nullis. *Ficin. Epist. lib. 3.*

Necessaria nobis passim parata sunt, ad superflua laboramus. *idem, ibid.*

Necessarium quodammodo attinet ad bonum, quatenus tanquam vtile conferens adij finem certum eligendum, & hæc conditio necessario aliena est à malo. *Idem in Dion. Areop. de diuinis nominibus.*

Audiui viros ad necessitatem redactos prælium instaurasse, & superiorem, quam accepissent calamitatem emendasse. *Herodotus libro 8.*

Vbi necessitas incumbit, non diu disputandum est, sed celerrime & fortiter dimicandum. *Thucyd. lib. 4.*

Hominibus quotidiani victus inopia laborantibus necessitas audaciam facile præbere potest. *Dionys. Halic. l. 1.*

Vetus illud recte admodum se habet, debere nos non ea petere vt fiant, quæ volentibus nobis cuenient: sed ea velle, quæ ex necessitate quadam eueniunt. Neque vitam nostro ipsorum arbitrio ducimus, neque in nostra potestate ea sita est, sed vt visum fuerit fortunæ ita viuendum est, & quale fatum nostro vitæ curriculo destinatum, talem quoque vitam nostram esse necessum est. Atque hæc ita sunt, siue nos non velimus, siue velimus. *Dionys. l. 38.*

Hominibus vel ea quidem, quæ suauissima sunt ne dum hostilia dixerim in sponte sua vtroque gesserint, sed inuiti forte coactique operum precio locent, haud quam sunt voluntati futura, sed laboriosa potius videbuntur, dum cogit necessitas. *Procop. de bello Goth. lib. 3.*

Dum necessitas vrget, & formido ingruit, quæ rectiora sunt factu vtcumque, & leuiter degustamus. *Agath. lib. 5.*

Inuentrix consiliorum omnium est necessitas. *Heliodor. lib. 7.*

Artium alias a principio necessitas constituit, & huc vsque conseruat. Omnia docuit necessitas: quam enim rem necessariam non inueniret necessitas? artem texendi, ædificandi, medicinam, agriculturam, & quæcumque circa agriculturam versantur produxit. Alias vero voluptas quædam, &c. *Plutarchus apud Stobæum serm. 58.*

Efficacior est omni arte imminens necessitas. *Curt. lib. 4.*

Necessitas ante rationem est, maxime in bello. *lib. 7.*

Efficacior est in aduersis necessitas, quam ratio. *lib. 8.*

Vltimum ac maximum telum necessitas. *Liu. Decad. 1. lib. 4.*

Parendum est necessitati, quam ne Dij quidem superant. *Decad. 1. libro 9.*

Necessitudo etiam timidos fortes facit. *Salustius de coniuration. Catilin.*

Grauissimi sunt morsus irritatæ necessitatis. *Salust. in Fragmen.*

Humanæ imbecillitatis efficacissimum duramentum est necessitas. *Valer. Max. lib. 2. c. 7.*

Necessitatis magnitudo excusationis in se plurimum habet. *Procop. de bello Goth. lib. 3.*

Necessitate nihil est violentius. *Nicetas in Bald. Flandro.*

Ocio discordiæ nutriuntur: at vbi necessitas incubuit, postpositis priuatis causis, & odijs, in commune consulitur. *P. Orosius, hist. lib. 2. c. 16.*

Magnam vim habet necessitas, ea ingentes stimulos addit. *P. Æmil. lib. 7.*

Necessitati parere semper est sapientis habitum. *Arn. Ferron. libro 6.*

Est necessitas legibus excepta, quæ leges donec ciues in famia periculum adcumque rerum suarum statum redigantur, vt nec se, nec familias suas tueri possint, expectari nolunt. *Franc. Guicciard. hist. lib. 12.*

Concedendum est aliquid necessitati, atque periculo, quod haud dubio omnium salutem trahit. *P. Iouius hist. lib. 11.*

APOPHTHEGMATA.

Pittacus. Tantam necessitatis vim esse dicebat, vt nec Dij ipsi reluctari possint. *Laert. l. 1. c. 5.*

Thales interrogatus, quid esset in tota rerum natura robustissimum? Respondit, necessitas: superat enim omnia. *Laertius libro 1. capit. 1.*

Archyta, cum Eratosthenis Mercurium legisset, hunc versum protulit: Necessitas omnia docuit, quid enim illa non inueniret? *Stob. serm. 93. ex Plut. ratione.*

Plato. Necessitatis leges tam duras esse dicebat, vt ne quidem Deus ipse eas violare posset. *Bruson. libro 4. capit. 29. ex l. Platon. de legibus.*

Pheraulas apud Xenophontem, nullum ait præstantiorem doctorem esse necessitate. *Brus. l. 1. c. 26.*

Vestius Messius. Necessitatem appellare solebat: Vltimum & maximũ t. lon. *Brus. l. 4. c. 26.*

Atis Crœsi F. is natura mutus, captum Susis patrem cum Cyrus conficere vellet, vocem tum primum emisit: Parce patri meo, Cyre, & te hominem esse, vel casibus disce nostris. *Ex Solino recitat Brusson lib. 4. c. 26. Valerius vero lib. 5. c. 4. & Herodotus lib. 1. Persa cuidam dixisse aiunt, non Cyro. Vide etiam ea de re Strab. lib. 13. Cœl. Rhodig. lib. 11. c. 15.*

S I M I L I T V D O.

Senec. Quemadmodum spiritus noster clariorem sonum reddit, cũ illum tuba per longi canalis angustias tractum, patenti ore nouissime exitu effudit: Sic sensus nostros clariores carminis arcta necessitas efficit. *Lib. 2. epist. 109.*

A D A G I A.

Necessitas magistra. Χρεία διδάσκει κἂν ἄμουσος ᾖ. *Suidas ex Carchedonio.*

Hoc est. Necessitas excitat ingenium ad discendas artes. Die Noth sucht Brott.

Diomedea necessitas. Διομήδεια ἀνάγκη. *Plato.*

De ijs qui coacti, non sponte aliquid faciunt.

Ingens telum necessitas. *Liu.*

Dicitur de re inevitabili: eius apeari posse videtur etiam illud.

Necessitati ne Dij quidem resistunt. Die Noth hat kein gebott. Item, die Noth hat kein Feyertag. Noth bricht eisen. Muss ist ein bitter Kraut.

Feras, non culpes, quod vitari non potest. *Gell.*

Mala fatalia animi æquitate lenienda. Vvas du nicht kanst vvenden, das leid, vnd thue es nicht schenden. vvas du nicht kanst meiden, das solt u vvillig leiden. vvas soll sein, da schick dich drein mach auss der Noth ein tugendt.

Quod factum est, infectum fieri non potest. *Teren.*

In eamdem sententiam Arist. lib. 5. Moral. Eudem.

Τὸ δ' ἀπογενόμενον οὐκ ἐνδέχεται μὴ γενέσθαι. *Vide Pyndarum Olymp. Hymno 2.* Hin ist hin.

Vocatus, atque non vocatus Deus aderit. Καλούμενός τε κἀκλητος Θεὸς παρέσται.

Ex Oraculo Lacedæmonijs olim reddito. In rem non accersitam neque curatam: euenturam tamen velimus nolimus: puta senectutem, mortem, malefactorum pœnam &c. vvas sein soll, schickt sich selbst vvohl.

Omnia est violenta obsessis. Ἅπαντα γὰρ τὰ σφόδρα τοῖς πολιορκουμένοις.

Cum vrget necessitas, nihil non facimus. Vulgo: Die Noth macht rohe Bonen zu Zucker. Item, die Noth macht hart Brot zu Honigkuchen.

Lepori esurienti etiam placentæ fici. Λαγῷ πεινῶντι καὶ πλακοῦντες εἰς σῦκα. *Suid.*

In eos qui necessitate adacti res etiam pretiosissimas absumunt.

Viro esurienti necesse est furari. πεινῶντι κλέπτειν ἐστ' ἀναγκαίως ἔχον. *Suidas.*

In eos qui extrema necessitate coacti, aliquid faciunt. Vel in auidos gloriæ, qui aliena pro suis venditant.

Necessitas molesta. πᾶν ἀναγκαῖον πρᾶγμ' ἀνιαρόν.

Molesta omnia, quæ secundum naturam non sunt. Arist. lib. 3. Rhet.

Sontica causa.

Translatum à legibus duodecim tabularum. Dicitur de re non vulgariter, sed supra modum molesta.

F A B V L A.

De Vulpe, & Vua.

Vulpes sublimem vuam dependentem de vite conspicata, ad illam subsilijt iterum, atque iterum omnes vires corporis adhibens si forte attingere posset. Tandem defatigata inani labore discedēs ipse sese quasi consolans: At enim acerbæ nunc etiam, inquit, vuæ sunt, & ita imprimis austera, neque si in via reperiatur, videtur tollenda esse.

De ijs fabula dicitur, qui necessitati obsequuntur, & libenter abstinent ab ijs, quæ obtinere non possunt.

N E G L I G E N T I A.

DEFINITIO, ET ETYMOL.

Negligentia, Græce ἀμέλεια, ἀμελής, & ἀμελὴς ἀνήρ negligens: & ἀμελέω negligo dicitur. Hebr. *Bezaaton*, a verbo *Bazah*, Contempsit, spreuit fastuose, despexit, neglexit. Cognationem habet cum verbo *Bazaz*, fastidiuit. vilipendit, vt solet is qui hoc vel illud negligit. Est autem negligentia defectus debitæ solicitudinis, secundum interiorem actum. *ex B. Thom. 2. 2. q. 54 art 1.* Differt autem sic a pigritia, & torpore: quod pigritia est tarditas in exequendis præceptis prudentiæ: torpor est remissio in executione postquam quis cœperit.

Negligens dicitur quasi nec eligens, *secundum Isidor. & B. Thom. ibid. art. 2.*

Negligentia tunc est peccatum mortale, quando prætermittitur actus de necessitate salutis, vel circumstantia eius. Vel cum voluntas est adeo remissa in ijs, quæ Dei sunt, vt totaliter deficiat à charitate Dei, quod fit solum per contemptum, si secus, est veniale.

S E N T E N T I Æ   P A T R V M.

Si curare parua negligimus insensibiliter seducti, audacter etiam maiora perpetramus. *Greg. in mor.*

Vitanda negligentia est, nam in grauiore periculo est desperationis iudicium. *Bern. in Psal. 14.*

Omnes sumus in minimis cauti, in maximis negligentes, hoc ita fit, quia vbi vera vita sit ignoramus. *Hier. de Hom. perf.*

Negligentia est animi torpor, quo quis minus diligens est in exequendo, quod exequi debet. *Hugo.*

Quodammodo custodiri negligentius solet, quicquid facile creditur posse reparari.

Negligentia est animi torpor, quo quis minus diligens est in exequendo, quod exequi debet. *Io. Cassia.*

S E N T E N T I Æ   P H I L O S O P H.

Negligentia maxima laborat, qui filiorum curam non gesserit, eosque nulla in re erudiat. *Arist. in quæst.*

Negligentia nascitur ex re bene gesta. *Liu. l. 3.*

Magnum iræ remedium est negligentia.

In ipsa mora malorum sunt remedia.

Cunctantem maxime Mars odit.

Perpetua cunctatio facit actiones imperfectas. *Sen. lib. de ira.*

Temporis dilatio lucrum non affert.

Plerumque sera pro nullis sunt.

Maxima vitæ iactura dilatio est. *Sen. de Breu. vitæ.*

Turpissima est iactura, quæ per negligentiam fit. Quem mihi dabis, qui aliquod precium tempori ponat, qui diem æstimet, qui intelligat se quotidie mori? In hoc enim fallimur, quod mortem non prospicimus. Magna pars iam eius præterijt: quicquid ætatis retro est, mors tenet, tu vero omnes horas complectere: sic fiet, vt minus ex crastino pendeas, si hodierno manum inieceris. *Senec. in epist.*

Negligentiæ paruorum causa duplex: aut quia nihil referre ad totum putatur, præ segnitia, & delicijs negligit, aut alio quodam modo fit: non enim tunc negligentia erit quum fieri non potest, vt quis omnium, aut paruorum, aut magnorum curam gerat, adeoque ob impotentiam curam gerere non possit. *Plat. in legib. dial. 10.*

Ex re bene gesta superbia negligentiaque oritur. *Liuius Decad. 1. lib 5.*

Multis sæpe vrbibus negligentia exitio fuit, sæpe contemptus hostis ingentem calamitatem attulit. *Tacitus, li. 7. l. 3.*

A D A G I A.

Princeps indiligens.

Indiligens pædagogus corrumpit puerum. Malus præceptor vitiat discipulum: Rex improbus, populum. Ad hanc sententiam facit illud Homeri.

Αὐτὰρ μῆλα φθείρουσι κακοὶ νομῆες

At corrumpunt oues pastor malus. vvie der Hirt, so die Schaaff.

Si quis iuxta ciuitatem clypeum. εἴ τις ἐγγὺς πόλεως ἀσπίδα.

Hoc scommatis iaciebant in eos, qui sparsim, ac dissolute ciuitatem obirent palantes. Plut.

Malus ianitor. πυλωρὸς κακός.

Indiligens custos, aut præfectus.

Phani ostium. ἡ Φάνου θύρα.

Id accinebatur, vbi quis frustra seruasset aliquid.

A limine salutare.

Plurimum venustatis obtinebit & hoc, si ad res incorporeas deflectatur, veluti, si quis dicatur Theologiam à limine duntaxat salutasse. Seneca.

Lacinia tenere.

Qui leniter rem tenent, lacinia tenere dicuntur. hoc est, extrema vestis ora. Cicer.

Surculum defringere.

Est non colligere totam disciplinam, sed ex ea paululum, quod ad præsens facias decerpere. Cic.

Vt canis è Nilo. *Macrob.*

Qui leuiter, ac velut obiter artem quampiam, aut authorem degustant, hi ceu canis è Nilo degustare dicuntur. Daruber lauffen, vvie der Han vber die heissen Kohlen.

Per transennam inspicere.

Prouerb. quod est, non propius, neque sigillatim, sed procul & summatim inspicere.

Per nebulam: per caliginem: per somnium.

Quarum rerum ambiguam quamdam, ac tenuem penèque euanidam memo-

memoriam, aut, intelligentiam obtinemus, eas res per nebulam recordari, per somnium meminisse per caliginem videre prouerbio dicimur. Plaut.

Moriendum, priusquam aliquid morte dignum commiseris. καλὸν γ' ἀποθανεῖν, πρὶν θανάτου δρᾶν ἄξιον.

Id est. Honestum est mori, priusquam aliquid morte dignum commiseris. Sensus est: vt ipse exponit Aristot. Decet mori indignum, siue honestum est mori, cum nihil morte dignum admiseris.

Per satyram.

Variarum rerum mixturam sparsim, nulloque ordine congestarum veteres satyram appellant.

Summo pede. ἄκρῳ ποδί.

Eadem figura dictum est, qua summo digito. Negatur summo pede attigisse disciplinam, qui nunquam ingressus est, nec attigit limen illius.

In transcursu.

Plutarchus de liberis educandis. Ἀλλὰ ταῦτα μὲν ἐν παραδρομῇ καθάπερ τοῦ γεύματος ἕνεκεν. *Id est, Sed hæc quidem ex transcursu discere, veluti degustandi causa.*

Summis labijs. ἀπ' ἄκρων χειλῶν.

Quum quis verbis duntaxat simulat quippiam, non autem ex animo facit Hieron. Summis labijs hospitem mutemus. Lucia.

Summis naribus olfacere. τῇ ἄκρᾳ ῥινὶ ὀσφραίνεσθαι.

Pro eo, quod est, Leui experimento coniecturaque qualicumque deprehendere.

Extremis digitis attingere. τοῖς ἄκροις δακτύλοις ἅπτεσθαι.

Pro eo quod est. Leuiter attingere, quod ita demum adagium videbitur, si metaphora accesserit.

Primoribus labijs degustare.

Est breuiter quippiam attingere.

Molli brachio. Leui brachio.

Quum indiligentem operam significamus.

Suspensa manu.

Pro eo, quod est, leuiter parumque accurate.

Compressis manibus.

Compressis sedere manibus dicitur in otiosos, & nihil aliud quam sua fata deplorantes. Die Haendt in schols legen.

Plumbo prius venisset.

Dictum est olim in lentos, & cessatores.

Vide supra, Acedia, Ignauia, Item Diligentia, Studium.

NEGOCIATIO.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

Negociatio, Græce πραγματεία, ας, ἡ, & πραγματευτής, οῦ, ὁ, negociator: & πραγματεύομαι. Negocior dicitur.

Negociatio, ἐμπορία, ἐμπόλημα, mercatura, *Trafic.* Hebr. *Sachar*, à verbo *Sachar*, circuiuit, circumgyrauit, vt solent mercatores, & negociatores, tum excursibus, & agitationibus varijs, circa tabernas suas, vel alienas occupati eundo, redeundo, vel longinquis peregrinationibus extremos currere ad Indos, multas in summa terra marique peragrare regiones: vt pauperiem fugiant, & rem domesticam faciant, atque augeant.

Negociatores videntur serui, qui præpositi sunt, negocij exercendi causa, veluti qui ad emendum, aut ad locandum, & conducēdum præpositi sunt. Cubicularij autem, vel obsonatores non videntur negociationis appellatione contineri, secundum Labeonem. Sunt igitur negociatores, qui in aliorum negocijs se exercent. Venit neautem negociatio, & negociator à negocium, illud vero dicitur, quasi non ocium.

Magna negocia magnis cum periculis suscipi volunt. *Herod l.7.*

Magna negocia magnis adiutoribus egent, neque in paruo paucitas ministeria defecit. Interestque Reipublicæ, quod vsu necessarium est, & dignitate eminere vtilitatemque auctoritate muniri. *Vell. Pater. l. 2.*

Loci Biblici.

Negociantium *exempla:* Patriarchæ, *Gen.34.v.21* Madianitæ, *37.ver. 28.* Negociatores Regis, *1.Paral.1.v.16.17.* alij Negociatores, *Nehem.13.20.* Princeps Tyri, *Esa.23.8.* Negociatores Carthaginenses, &c. *Ezech 27.v.12.13.* Profanantes templum, *Matth.21.v.22. Mar.11.v.15. Luc.19.25. Ioan.11.v.14.15.* Negociatores Babylonis, *Apoc.18.18.*

Sententiae Biblicae.

Negociationis corporalis difficultas.

Duæ species difficiles, & periculosæ mihi apparuerunt. Difficile exuitur ignorans à negligentia, & non iustificabitur caupo à peccatis labiorum. *Eccl. 26.*

Sicut in medio compaginis lapidum palus figitur: sic inter medium venditionis, & emptionis angustabitur peccatis. 27.

Polyanthea Nouiss.

In multitudine iniquitatum tuarum, & iniquitate negociationis tuæ polluisti sanctificationem tuam. *Ezech. 28.*

Æquitas.

Malum est, malum est. dicit omnis emptor, & cum recesserit, tunc gloriabitur. *Prou. 20.*

Et ne quis supergrediatur, neque circumueniat in negocio fratrem suum. *1. Thess. 4.*

Apophthegmata.

Thales frequenter dicere ad suos solebat: Vnum eligite præclarum, vnum quiddam deuitate præclarum. Putauit vir sapientissimus, satius esse ad parandam honestam famam, vnum quiddam insigne prædicere, quam diuinare de rebus friuolis, & præstare vno labore famam, & existimationem, quam minus accurate implicari multiuarijs rebus. *P.M.l.7. apoph. ex Laer. l.1.c.1.*

Phocion dicere solebat: Difficile esse multas vitæ vias ingredi. Voluit autem indicare vir sapientissimus, non facile præclari quiddam præstare posse hominem, qui simul multis rebus, ac negocijs sit intentus. *Huius dictum extat apud Stob. serm. de Prudentia.*

Similitudines.

P.M. Vt citius fatigatur, qui quam longum sit iter nescit: Ita minore tædio rem gerit, cui negocij ratio, modusque præcognitus sit. *in simil.*

Vt qui locis æqualibus ambulant, magis defatigantur, quam qui inæqualibus: Ita laboriosius est, semper eadem, aut similia repetere, quam in varijs versari negocijs. *ibid.*

In Campania vites populos amplexæ, ipsa æquabant cacumina, adeo vt vindemiator rogum, ac tumulum exciperet: Ita qui in arduis versantur negocijs periculi meminisse debent. *ibid.*

Vt labyrinthos non oportet ingredi sine filo, quo securius possis redire: Ita non est suscipiendum negocium, nisi prius perspecta ratione qua te possis inde rursus explicare *ibid.*

Sicut laboriosius est, inanem iactare manum, quam saxo, aut plumbo libratam: Ita molestius est, in nihili rebus operam sumere, quam in arduis versari negocijs. *ibid.*

Vt oscitant permulti, quod oscitantem conspiciant, & micturiūt, quod meientem viderint: Ita quidam nullo certo iudicio ad suscipienda negocia permouentur, sed quiduis in alijs imitantur, ac referunt. *ibid.*

Vide Mercator, Mercatura.

NOBILITAS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Nobilitas Græcè εὐγένεια, ας, ἡ, & εὐγενής, έος, ὁ, ἡ, nobilis dicitur. Est autem nobilitas quædam maiorum claritas, *secund. Arist. lib. 2. Rhetor.*

Nobilitas est honorabilitas progenitorum, nam attenditur secundum virtutem generis. *secund. Arist. ibid.*

Nobilitas, siue ingenuitas est virtus, & diuitiæ antiquæ, *secundum Arist. l.4. Politicor.*

Nobilitas est quædam laus veniens de meritis parentum, *secund. Boetium l.3. prosa.6. de consolatione philosophiæ.*

Nobile est id quod ex bono prodijt genere: Generosum autē, quod non à sui natura declinauit.

Nobile aliquando significat, excellens, & dignum notitia, aliquando significat notum, vnde nobilitas deducitur, venitque a nosco, à quo cognitus, notitia, cognitio, quæ & notitia dicitur: & nouisco, notum facio.

Loci Biblici.

Nobiles pauci in Ecclesia Corinthiorum. *1. Cor. 1. v. 16.*

Sententiæ Patrum.

Sola apud Deum libertas est, non seruire peccatis. Summa apud Deum nobilitas est, clarum esse virtutibus. *Hier. ad Celan.*

Nulli te vnquam de generis nobilitate præponas: nec obscuriores quaslibet, & humili loco natas te inferiores putes. Nescit religio nostra personas, nec conditiones hominum, sed animas inspicit. *ibid.*

Ille apud Deum præest potior, non quem nobilitas generis, nec dignitas sæculi, sed quem deuotio fidei, & sancta vita commendat. *Hier. in quadam epist.*

Nihil aliud video in nobilitate appetendum, nisi quod nobiles quadam necessitate constringuntur, ne ab antiquorum probitate degenerent. Non enim datur nobili patri palma, sed cursui, & plerumque nobilitas carnis ignobilitatem parit mentis. *ibid.*

Nonnullis solet nobilitas generis parere ignobilitatem mentis, vt minus se in hoc modo despiciant, qui plus in cæteris aliquid fuisse meminerunt. *Greg. in dial.*

Genus clarum, corpus aptum, forma euidens, ingenium velox, eruditionis vtilitas, & morum honestas gloriosa quidem sunt, si tibi vsurpas, est qui quærat, & iudicet. *Bern. in epist.*

Ille clarus, ille sublimis, ille nobilis, ille tunc integram nobilitatem suam putet, si dedignetur seruire vitijs, & ab eis non superari. *Chrys. in Matth.*

Quid enim prodest ei, quem sordidant mores, generatio clara? Aut quid nocet illi generatio vilis, quem mores adornant? ipse enim se vacuum ab omnibus bonis ostendit, qui gloriatur in patribus. Quid profuit Cham, quod fuerit Noe filius? nonne separatus de medio filiorum, qui secundum carnem frater fuerat natus, secundum animam factus est seruus: nec familia ejus sancta potuit defendere impios mores. *ibid.*

Quid Timotheo nocuisse creditur, quod fuit ex patre gentili? Aut quid nocuit Abrahæ, quod patrem habuit Tharam luteorū Deorum cultorem? nonne separatus à genere suo, positus est in caput fidelium? vt iam non diceretur filius peccatorum, sed pater sanctorum? nec potuerunt eius gloriam sordidare parentum errores. *ibidem.*

Stannum de argento egreditur, sed non est argentum. Itaque argentum colatum seruatur, stannum autem foras expellitur. Melius est de contemptibili genere clarum fieri, quam de claro genere contemptibilem nasci. Qui enim de claro genere clarus nascetur, gloria claritudinis ejus non est solius: sed communis videtur: qui autem de contemptibili genere clarus egreditur, tota gloria claritudinis eius solius est: qui vero de contemptibili genere contemptibilis nascitur, turpitudo contemptibilitatis solius eius non est, sed etiam generis. Qui autem de claro genere contemptibilis nascitur, omnis turpitudo est eius solius. Ideo melius est, vt in te glorientur parentes, quam tu in parentibus glorieris. *ibid.*

Nobilitas, vel bonitas cognatorum non valet, nisi fuerimus nos ipsi boni. *Idem, hom. 5.*

Qui nobili loco natus est, probitatem morum generis splendori opponet, adque ex aduerso spectandam producet. Ita duplici nomine clarus erit, nempe & maiorum imaginibus, & propria virtute, ac priuatim inspectus. *Greg. Nazianz. Orat. 18.*

Nobilitatis triplex genus est. *Vnum*, quod superne originem traxit: quod quidem si consideremus omnes peræque nobiles sumus, quippe ad Dei imaginem creati. *Alterum*, quod à sanguine proficiscitur: cujus ratione haud quidem scio, an quisquam nobilis dici possit, cum eo truptione constet. *Tertium*, à virtute, aut vitio agnoscitur, cujus vel vberius, vel exilius participes efficimur, prout, opinor, diuinam imaginem, vel integram seruauerimus, vel corruperimus. Atque hanc demum nobilitatem amplectetur, quisquis vere sapiens, ac Philosophus fuerit. Nam quātum illud nobilitatis genus, quod in principum diplomatibus, & edictis cōsistit, cum vllo loco, ac precio habebo, cum pictam quoque pulchritudinem laudandam duxero, simiamque ob id venerari cœpero, quod leo esse iussa sit. *Idem in ead. orat.*

Nobilitas nostra est diuinæ imaginis conseruatio, atque archetypi imitatio, quam ratio, & virtus efficiunt, purumque desiderium eos qui supernarum rerum vere illustres sunt, quotidie magis, ac magis, quantum ad Deum attinet, informans: ac denique cognitum habere, ad quidnam, & quam ob causam facti sumus. *Idem Orat. 11.*

Non nostrum est, nec Philosophicum, eam nobilitatem admirari, quæ a fabulis, & sepulchris, ac supercilio iampridem putrefacto manat: nec eam, quæ ex sanguinibus, & literis oritur, quam nocturnis largiuntur, ac regum ignobilium quoque fortasse manus nobilitatem, velut quiddam aliud iubentium: sed quam pietas, & mores notant, atque indicant: & ad primum illud bonum, ex quo originem traximus, ascensio. *Idem Orat. 22.*

Vera nobilitas à probis moribus nata est, firmaque & stabilis dignitas virtute comparatur. Quod si quis nec a splendidis maioribus ortum trahens, nec morum probitate ornatus dignitatem (quam spadones vendunt, atque imperatorum, ne nobilium quidem fortasse, manus largiuntur) pecunia sibi compararet, haud est, quamobrem ille merito glorietur. *Isidor. Pelusiot. libro secundo, epistola 291.*

Omnino iniquum est nobiliora ingenia studijs dehonestari minoribus. & eos quos grauiora expectant officia, voluptatis, ac vanitatis occupationibus agitari. *Cass. de Comital. magn.*

Nobilitas à me procedens, est mihi cordi plus quam, quæ ex patrū procedit nobilitate: quia in quo desinit cuiusque nobilitas, tunc suorum nobilitate congrue indiget. *Idem in epist.*

Sicut indigna posteritas laudes antiqui generis abnegat: ita præclara de patribus egregie dicta confirmat, iuxta illud: *Praesentia veterum praesens docuit vena virtutum.* Laudabilis enim vena suam seruat originem, & fideliter posteris tradit, quæ in se gloriosa transmissione promeruit. *Idem l. 3. epist.*

Similitudinem suorum felix vena custodit, quando pudet delinquere, quia similia nequit in suo genere reperire. Hinc est quod melius agnoscitur elegisse nobilem, quam fecisse felicem: quia iste commonitus, per veterum se facta custodit: ille autem exēplum non habet, nisi quod fecerit. *ibid.*

Dominus noster Iesus Christus voluit non solum de alienigenis commixtionibus, sed etiam de adulterinis nasci, nobis magnam fiduciam præstans, vt qualicumque modo nascamur, dum tamen vestigia eius imitemur, ab ipsius corpore non separemur, cuius per fidem membra effecti sumus. *Hieron. & hab. dist. 56. Dominus noster.*

Illud autem animaduerte, quod extra paradisum vir factus est, intra paradisum mulier, vt aduertas, quod non loci, non generis nobilitate, sed virtute vnusquisque gratiam comparat sibi. Denique extra paradisum, hoc est, in inferiori loco vir factus, melior inuenitur: & illa, quæ in meliori loco, h. e. in paradiso facta est, inferior inuenitur. *Amb. & hab. dist. 40. illud.*

Adam primus homo pro peccato de paradiso ejectus est, h. e. quia Dei nobilitatem à se deiecit, nobilitate loci priuatus est. *Greg. & hab. dist. 40. Adam.*

Genus Apostolorum est non aliunde nobile, quam morum ingenuitate, & fidei fortitudine. *Bernar. ad Eugenium.*

Doctrina facile exornat generosum, quæ etiam ex obscœno nobilem facit. *Cass. ep. l. l. 9. epist. 8.*

Sententiæ Poeticae.

Ex sat. 8. Iuuen.

Quis fructus generis tabula iactare capaci
Fumosos equitum cum dictatore magistros,
Si coram Lepidis male viuitur?

Plaut. in Merc.

Qui bono sunt genere nati, si sunt ingenio mali,
Suapte culpa genere capiunt, genus ingenium improbant.
Pulchrius est nobilem virtute fieri quam nasci.
Quis feret vxorem cui constant omnia? malo
Malo Venusinam, quam te Cornelia mater
Gracchorum, si cum magnis virtutibus affers
Grande supercilium, & numeras in dote triumphos.

Iuuenal. Satyr. 8.

At tu Cecropides viuas, & originis huius
Gaudia longa feras, tamen ima plebe Quiritem
Facundum inuenies, solet hic defendere causas
Nobilis indocti, veniet de plebe togata,
Qui iuris nodos, & legum ænigmata soluat.
Hic petit Euphratem iuuenis domitique Batavi
Custodes aquilas armis industrius, at tu
Nil nisi Cecropides, truncoque simillimus Hermæ.
Nullo quippe alio vincis discrimine, quam quod
Illi marmoreum caput est, tua viuit imago.
Hæc satis ad iuuenem, quem nobis fama superbum
Tradit & inflatum, plenumque Nerone propinquo.
Stratus humi palmes viduas desiderat vlmos.
Esto bonus miles, tutor bonus, arbiter idem
Integer. ambigue si quando citabere testis, &c.

Thom. Morus Anglus.

Hunc tumes si memores, quid te dum gigneret, egit
Tum pater, ex animo iam tumor ille cadet.
At Plato te factum dum somniat, inflat inani
Æternumque vocat, semen & æthereum.
Factus es ecce luto, quod suspicis aut sed illud.
Plasmate qui te ornat nobiliore feret:
Quin si vera voles audire libidine fœda,
Natus es è coeno, gutture, & è misera.

Epicharmus Poeta.

Πείθομ' ἔγωγε ... πάντα
Λέγει τὶς αὐτὸς δυσγενὴς ὢν τοῦ τρόπου
Τίς γὰρ κάτοπτρον καὶ τυφλῷ κοινωνίας;
Sufferre eum nobilitatem qui nihil est, & malus,
Nominat qui & moribus ignobilis est.
Quid enim speculo commune cum cæco?

Euripid. in Peleo.

Οὐκ ἔστιν ἐν ἀνθρώποισιν οὕτω σκότος
Οὐδ' ἔσται γαίας κλειστὸν ἔνθα τὴν φύσιν
Ὁ δυσγενής, κρύψας ἂν σοφὸς γένοιτο.
Nusquam tanta sunt apud homines tenebra,
Nec vllum tale hypogeum, vbi suum ingenium
Homo ignobilis abscondens sapiens fieri posset.

Menander.

Ἀνὴρ ἄριστος οὐκ ἔστιν δυσγενής
Vir optimus non vtique esse ignobilis.

Sophocles in Aiace furente.

Ἀλλ' ἢ καλῶς ζῆν ἢ καλῶς τεθνηκέναι
Τὸν εὐγενῆ χρή.
Sed vel bene viuere, vel bene mori
Generosum oportet.

Idem

Idem in Electra.

Ζῆν αἰσχρὸν αἰσχρῶς τοῖς καλῶς πεφυκόσιν.

Ovid. l. 3. Tristium eleg. 5.

Quo quisque est maior, magis est placabilis iræ,
Et faciles motus mens generosa capit.
Corpora magnanimo satis est prostrasse leoni,
Pugna suum finem, cum iacet hostis, habet.
At lupus, & turpes instant morientibus vrsi:
Et quæcumque minor nobilitate fera est.

Idem de Ponto.

Non census, nec clarum nomen auorum:
Sed probitas magnos ingeniumque facit.

Hor. Carm. l. 4 Ode 4.

Fortes creantur fortibus, & bonis,
Est in iuuencis, est in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.
Doctrina, sed vim promouet insitam,
Rectique cultus pectora roborant:
Vtcunque defecere mores,
Dedecorant bene nata culpæ.

Idem serm. l. 1. sat. 6.

Non quia Mecœnas, Lydorum quicquid Hetruscos
Incoluit fines, nemo generosior est te:
Nec quod auus tibi maternus fuit, atque paternus,
Olim qui magnis legionibus imperitarunt,
Vt plerique solent, naso suspendis adunco
Ignotos, vt me libertino patre natum:
Cum referre negas, quali sit quisque parente
Natus, dum ingenuus.

Horat. ser. l. 2. sat. 5.

Et genus, & virtus, nisi cum re vilior alga est.

Propert. 1. eleg. 5.

Nec tibi nobilitas poterit succurrere amanti,
Nescit amor priscis cedere imaginibus.

Iuuen. Sat. 8.

Stemmata quid faciunt, quid prodest Pontice longo
Sanguine censeri? pictos ostendere vultus
Maiorum, & stantes in curribus Æmilianos?
Tota licet veteres exornent vndique ceræ
Atria, nobilitas sola est, atque vnica virtus.
Quis enim generosum dixerit hunc qui
Indignus genere, & præclaro nomine tantum
Insignis? nanum cuiusdam Atlanta, vocamus
Æthiopem cygnum, paruam tortamque puellam
Europam, canibus pigris scabieque vetusta
Leuibus & siccæ lambentibus ora lucernæ,
Nomen erit pardus, tigris, leo, & si quid adhuc est,
Quod fremit in terris violentius.
Sed te censeri laude tuorum
Pontice noluerim sic vt nihil ipse futuræ
Laudis agas, miserum est alienæ incumbere famæ,
Ne collapsa ruant subductis tecta columnis.
Omne animi vitii tanto conspectius in se
Crimen habet, quanto maior, qui peccat habetur.
Ad vos Troiugenæ vobis ignoscitis, & quæ
Turpia cerdoni, Volesos, Brutosque decebunt:
Libera si dentur populo suffragia quis tam
Perditus, vt dubitet Senecam præferre Neroni?
Malo pater tibi sit Thersites, dummodo tu sis
Æacidæ similis, Vulcaniaque arma capessas,
Quam te Thersitæ similem producat Achilles.

De Stroza patre Eroticon lib. 1.

Sed licet auratos tibi purpura vestiat artus,
Sit bene compositis littera picta notis:
Et quamuis culta possis non vilis haberi,
Haud tamen id satis est, ita meliora feras.
Non ebore, & gemmis non auro vera paratur
Nobilitas, aliquid maius habere decet:
Nam virtutis opes tantum ornamenta putantur,
Quas fortuna sua datque rapitque manu.
Hæc igitur nequeunt generosum reddere quemquam,
Causam in se virtus nobilitatis habet.

Amant. ad Raimundum Foggerum.

Nobilis est solus virtute insignis, & arte,
Virtus nobilibus clarior vna viris.

In iactabundos nobiles, Codrus Vrceolus in Epigrammatibus.

Sis licet ingenuis clarisque parentibus ortus,
Esse tamen vel sic bestia magna potes.
Adde decus patriæ & claros tibi sume propinquos,
Esse tamen vel sic bestia magna potes.
Sint tibi diuitiæ, sit larga & munda supellex:
Polyanthea Nouiss.
Esse tamen vel sic bestia magna potes.
Denique quicquid eris nisi sit prudentia tecum,
Magna quidem, dico, bestia semper eris.

Contra nobiles sine virtute.

Sint tibi Gallorum rex & regina parentes,
Et maneat virtus pectore nulla tuo:
Non pluris faciam te quam cui rustica mater
Si sit, & ignotus rusticus ipse pater.

Euripid. in Dyctie.

Εἰς δ' εὐγένειαν ὀλίγ' ἔχω φράσαι καλά,
Ὁ μὲν γὰρ ἐσθλὸς εὐγενὴς ἔμοιγ' ἀνήρ
Ὁ δ' οὐ δίκαιος, κἂν ἀμείνονος πατρὸς
Ζηνὸς πεφύκῃ, δυσγενὴς εἶναι δοκεῖ.
De nobilitate parum laudis prædicare possum.
Bonus enim vir mihi nobilis videtur.
Qui vero non iustus est, licet à patre meliore
Quam Iupiter sit genus deducat, ignobilis mihi censetur.

Idem in Alexan.

Superflua est oratio, nobilitatem
Si mortalem laudauerimus.
Olim enim cum primum nati sumus,
Et mater tellus homines formauit,
Omnibus consimilem largita est faciem.
Peculiare nihil habemus. sed vna generis eademque origo
Nobiles, ac ignobiles produxit:
Tempus autem legibus arbitrarijs nobilitatem efficit mage gloriosam.
Sed in prudentia nobilitas sita est: ac intellectus
Non à diuitijs, diuinitus datur.

Astydamus Tragicus Atheniensis.

Γένος δ' ἐπαινεῖν ἐστιν ἀσφαλέστατον,
Κατ' ἄνδρ' ἐπαινεῖν ὅστις ἂν δίκαιος ᾖ.
Τρόποις τ' ἄριστος. τοῦτον εὐγενῆ καλεῖν.
Ἔργον δ' ἐστὶν εὑρεῖν ἄνδρ' ἕνα.
Καὶ τοῦτον οἱ ζητοῦντες εἰσὶ μυρίοι.
Tutissima generis laus est.
Virum collaudare qui iustus fuerit,
Et moribus optimus, ac eundem vocare nobilem
Sed huiusmodi vel vnum inuenire, difficile est.
Et inquirentes ipsum, infiniti sunt.

Eurip. in Alexand.

Οὐκ ἔστιν ἐν κακοῖσιν εὐγένεια, παρ' ἀγαθοῖσι δ' ἀνδρῶν.
Nulla nobilitas inter malos est, inter bonos tantum viros.

Eurip. in Ino.

Parcamus viris nobilibus, parcamus:
Malos autem, vt merentur, respuamus.
Haud equidem scio qua ratione consideranda sit
Nobilitas, fortes enim natura,
Et iustos, quamuis è seruis natos,
Nobiliores esse dico, quam inani gloria tumides.

Menand. in hypobolimæo.

Τοῦτο μόνον ἐπισκοτεῖ
Καὶ δυσγένειαν, καὶ τρόπου πονηρίαν,
Καὶ πάνθ' ὅσ' ἔσχηκεν ἄνθρωπος κακά,
Τὰ πολλὰ κεκτῆσθαι.
Hoc solum obscurat
Ignobilitatem, & morum malitiam,
Omnia denique mala, quæ quis habuerit,
Multarum rerum possessio.
Κέρδος δ' ἰσχύει μέγα
Πλοῦτος λαβών τε τοῦτον εὐγενὴς ἀνήρ.
Ingens autem vis est
Diuitiarum, quas qui nactus est, nobilis statim euadit.

Idem in Aeolo.

Nobilitatis mentionem amabo ne mihi feceris:
Hoc in pecunijs situm est, ne glorietur pater.
Vertuntur hæc in orbem, hic habet, alter indiget:
Rebusque ipsi communiter vtimur, cui autem domi
Ditissime fortuna conuersatur, is felix est.

Idem in Erechtheo.

Da operam opibus, nam illæ nobilitatem donant,
Et nuptijs primarijs potiri in causa sunt,
In paupertate vero obscuritas inest,
Vtcunque sapias, & ignominia vitæ.

Græce sic sonat.

Ἔχειν δὲ πειρῶ, τοῦτο γάρ τό τ' εὐγενὲς
Καὶ τοὺς γάμους δίδωσι τοὺς πρώτους ἔχειν.
Ἐν τῷ πένεσθαι δ' ἐστὶν ἥ τ' ἀδοξία,
Κἂν ᾖ σοφός τις, ἥ τ' ἀτιμία βίου.

Idem in Alcmena.

Sed nihil est nobilitas comparata diuitijs,
Nam vel pessimus propter diuitias inter primos recensetur.
Ἀλλ' οὐδέν ἡ εὐγένεια πρὸς τὰ χρήματα.
Τὸν γὰρ κάκιστον πλοῦτος εἰς πρώτους ἄγει.

PHILOSOPHICÆ SENTENTIAE.

Nobilitas, & virtus in paucis cernitur. Nam nobiles bonique viri nusquam centum reperiuntur; & locupletum vbique magnus est numerus. *l.5.de Republ.c.1.*

Nobiles ij demum videntur esse, in quibus maiorum virtus inest, ac copiæ. *ibid.*

Nobilitas est maiorum quidam splendor, & claritas. *l.2.Rhet.c.15.*

Nobile id est, quod ex bono prodijt genere. Generosum, quod nõ a sua natura degenerauit. *l.1.de hist.anim.c.1.*

Nobilitas gentis, ac ciuitatis est, indigenas, ac vetustissimos esse, & primos duces illustres multos quoque ea ex gente in rebus, quę expetuntur præclaros extitisse. Priuata vero nobilitas, aut à viris, aut à mulieribus est, legitimaque ab eis procreatio. *l.1.Rhet. ad Theodect.c.5.*

Nobilitatis mores sunt, vt ambitiosior sit, qui nobilior est. *l.2.Rhet. ad Theodect.c.15.*

Nobilitas quædam maiorum claritas est. Præterea nobiles ad contemnendos maiorum suorum similes parati sunt. *ibid.*

De nobilitate parum laudis prædicare possum: bonus enim vir mihi nobilis videtur: qui vero non iustus est, licet a patre meliore, quam Iupiter sit, genus ducat, ignobilis mihi videtur. *Demosth. 1.Olynth.*

Omnes boni semper nobilitati fauemus; & quia Reipublicæ vtile est nobiles esse homines dignos maioribus suis, & quia valere debet apud nos senes clarorum hominum de Repub. meritorum memoria, etiam mortuorum. *Cic. pro Sestio.*

Si possent homines facere sibi sortem nascendi, nemo esset humilis, nemo egenus, vnusquisque felicem domum inuaderet; sed quamdiu nos sumus, natura nos regit, & in quemcumque vult eatum nos mittit. Quemcumque volueris reuoluere nobilem, ad humilitatem peruenies. Quid recenseam singulos, cum hanc vrbẽ tibi possem ostendere? nudi steterę colles, inter quos tamen effossa mœnia. Nihil est humili casa nobilius. *Sen. de sentent. ora.*

Eis qui non nati sunt nobiles, sed facti, nihil crudelius, iuxta illud. *Asperius nihil est humili, cum surgit in altum. ibid.*

Habet hoc optimum generosus animus: quod concitatur ad honesta. Neminem excelsi ingenij virum humilia delectant, & sordida. Felix, qui ad meliora imperium animi dedit: ponet se extra conditionem fortunæ; prospera tentabit, aduersa comminuet, & alijs admiranda despiciet. *Epist.37.*

Nobilitas animi, generositas est sensus; nobilitas hominis est generosus animus. *ibid.*

Ingenuitas non recipit contumeliam. *lib. de mor.*

Iam vero quam sit inane, quam futile nobilitatis nomen, quis non videat? quæ si ad claritudinem referatur, aliena est. *Boet. de Philos. Consol.l.3.prosa.6.*

Nobilitas corporis, est generosus animus. *Sen. lib. de Mor.*

Generosos animos labor nutrit.

Cum volueris veram hominis æstimationem videre, & scire qualis sit, nudum inspice, deponat patrimonium, deponat honores, & alia fortunæ mendacia. Corpus ipsum exuat, & animum intuere, qualis quantusque sit, alieno an suo magnus. *Sen. ep. ad Lucil.31.*

Erigite audacter animos, & quicquid in medio sordidi iacet transilite, expectat vos in summo, magna nobilitas. *lib. de benef.*

Plato nobilitatem in quatuor species diuisit: nam qui claris, bonis, iustisque maioribus fuerint nati, eos nobiles vocat: quorum item parentes nobiles, ac principes fuere: Item vocat nobiles, quorũ sunt maiores fama, & opinione celebres, quam vel ex bellicis rebus præclare gestis, vel ex certaminum coronis reportauerunt: alterum esse nobilitatis genus, idque præstantissimum, cum quis per se animi magnitudine excellit.

Quid enim aliud nobilitatem esse putamus, quam opes antiquas, aut veterem gloriam? quorum neutrum in nostro arbitrio est; sed alterum inconstantis fortunæ, alterum propter humanam intemperiem est. A duobus igitur alienis superbum illud nobilitatis nomen pendet. Atqui diuitiæ non reddunt nascentes sibi similes: Virtutis autem à iusto animi habitu profectæ facultas, sua veluti nota in prolem diffusa eam insignit, & hæc verissima nobilitas est, similitudo secundum iustitiam. *Plut. sub tit. cont. nobilitatem.*

De nobilitate non minus quam de alijs bonis gloriari, non indignũ est. Ego autem præter virtutem nullam agnosco nobilitatem: reliqua vero cuncta fortunæ æstimo. Nam humili genere natus, vt bonus, ita regum, & omnium nobilissimus fieri potest. Contra, aliquis bonis parentibus ortus, malus euadere potest, ac tum seipso, tum vilissimis quibusque ignobilior. Glorieris igitur de laudibus animæ, non de maiorum nobilitate, in obscuriori posteritate iam extincta. *Phalar. in epist. ad Axiochum.*

Vt venator non id quod cane natum sit, sed canem requirit: & rei equestri deditus non quod equo prognatum, sed equum: ita & ciuilis boni arbiter procul à scopo aberrarit, si non quis sit, sed ex quibus ortus, princeps quærat. Quando ipsi etiam Spartani quosdam reges abdicare coegerunt, vt indignos regno, & nullius precij homines. Quod si vitia etiam in nobilibus genere inhonesta sunt, vtique etiam sine nobilitate virtus laudem meretur. *Plutarchus in Sylla, & Lysandri comparat.*

Humanam nobilitatem in nulla alia re, quam in ipsa virtute positam censemus. *Dionys. Halic. lib.3.*

Nobilitas non obscuratur, sed illustratur à principe. *Pli. in paneg.*

Si inueteratæ, & per genus ductæ diuitiæ nobiles faciunt; multo magis præstantior est, cuius origo thesauris prudentiæ locuples inuenitur. *Cassiod. lib.8. epist.19.*

Nobilitatis specimen, & pulchritudinis aspectus, vel prædonum ingenium sibi subijcere, & vincere ferociores potest. *Heliod. lib.1.*

Nobilitate illustres existimato, non qui ex bonis, & probis procreati sunt, sed qui bonitatem, & probitatem profitentur. *Theopompus apud Ant. & Max. serm.139.*

Maiorum nobilitati nemo gloriari debet: omnes enim habent generis originem latam, tum ij qui in purpura, & bysso nutriuntur, tũ ij qui in paupertate magna viuunt. *Theospodis Dictum eod. serm.*

Nobilitati in pace durius seruitium est. *Tacit. Annal.l.11.*

Sæpe euenit, vt & humili loco nati ad summam dignitatem consurgant, & generosissimarum imaginum fœtus in aliquod deuoluti dedecus acceptam à maioribus lucem in tenebras conuertant. *Valer. Max. lib.3.c.4.*

Quod optimum est, id est, nobilissimum. *Velleius Paterc. l.2.*

In cuiuscumque animo virtus inest, ei plurimum est tribuendum. *Idem, ibid.*

Eos, quibus contentio est de maioribus, maiorem etiam in pugna virtutem præ se ferre addecet. *Procop. de bello Vand.l.2.*

Quo, obsecro, nobilitas ipsa, nisi morum benignitas adsit, & humanitas? Siquidem fortunæ munera etiam parum dignos exornant, animi virtus propriam cuique gloriam conciliat, & claritas quidem generis diuitiæque, atque id genus reliqua, & si beatorum propria putantur, minime in ipsis, vtpote ab alijs tradita laudantur: lenitas autem ac benignitas, etsi ipsæ quoque admirationi sunt, attamen habenti quoque laudem accumulant. *Herodian in Macrino.*

Patricia principum nobilitas sæpenumero in superbiam vertitur, despectis omnibus velut multo inferioribus. At qui modestię experimento ad Imperium adsciscuntur, quasi partum labore tuentur semper, veneranturque & colunt quos contempserant. *Idem, ibid.*

Magnorum principum virtutibus summa sciendi non est, vbi quisque sit genitus, sed qualis in Republica fuerit. *Fl. Vopisc. in Aur.*

Nobiles homines facilius vulgarium, quam aliqua dignitate præstãtium hominum libertatem tolerant. *Dion. lib.59.*

Sic hodie nobiles complures instituuntur, quasi ad ludum essent facti, & ineptum: in vestitu, & omni sermone nihil moderate faciũt, aut prudenter: literarum nullam cognitionem habent: viris bonis, atque peritis non patet vllus ad eos aditus; de negocijs, aut suis, aut populi non cognoscunt ipsi, verum in familiares omnia reijciunt, qui per hanc illorum ignauiam, atque socordiam, suas facultates insigniter amplificant, & hoc fere solum agunt. Si quis est aliquãdo, qui forte tamquam ex veterno expergefactus, animum rebus gerendis adijciat, hoc sero admodum fit amissis propemodum occasionibus. Indubitatum enim est, eos, qui in vlla re vmquam excelluerint, mature puerilibus annis ad eam rem accessisse. *Ph. Comin. in lib.1.*

Vt humilitas amplitudinem venerari debet, ita nobilitati fouenda magis quam spernenda bonæ indolis nouitas est. *Valer. Maxim. lib.3.c.8.*

Vt ij qui eam dignitatem obtinent, quam merentur, non magnopere postulant honores sibi ab alijs exhiberi, neque si quid ab illis prætermissum, aut peccatum fuerit, reprehendunt, sibi enim conscij sunt se non contemni: ita qui subsidium sibi comparant ad decus, atque ornamentum, studiose quærunt omnia, quæ spectant ad augendam dignitatem: quæ si nequeunt assequi, moleste ferunt, quasi illudi videantur, irasciunturque quasi sint magnis iniurijs lacessiti: ex quo fit, vt maior cura adhibeatur in fouendis eiusmodi hominibus, quam in ipsis Imperatoribus ambiendis. Nam hi seruare se dignitatem suam putant, quum huiusmodi peccatorum pœnas permittunt, illi dum ignoscunt, existimant argui suã imbecillitatem: Dum autem puniunt, tum demum potentiam suam intelligi, & confirmari putant. *Xiphil. in Tiber.*

Optimus quisque est nobilissimus. *Vell. Paterc. lib.2.*

In cuiuscumque animos virtus insit, ei plurimum est tribuendum. *Idem, ibid.*

In id nati sunt nobiles, vt neque ipsi quiescant, neque alios sinant. *Thucyd. lib.1.*

Nobilibus in pace durius seruitium est. *Tacit. Annal. lib.6.*

Plerique nobiles inueterata maiorum consuetudine sese clientesque suos latrocinijs alere nequaquam turpe ducunt. *P. Iouius in 1.lib.4.*

Vt grauius ferri maiorique dedecori haberi videmus verrucas in facie, quam næuos, & luxata alia membra, quæ teguntur: ita ob eam quam de nobilissimis hominibus reliqui concepere opinionem, quasi de ijs qui reliquos virtute vincere debuerant, minima quæque eorum vitia morosius obseruantur. *Arnold. Ferr. lib.3.*

Meo iudicio eos nobiles appellandos censeo, quos & genus anti-

quum,

quum, & diuitiæ bene partæ, à maioribusque relictæ commendant. *Platina de vera nobilitate.*

Si animi nostri bonis artibus, & disciplinis imbuti, seruare iustitiã, pietatem, constantiam, & prudentiam rebus in omnibus didicerint, quonam pacto fieri potest, vt is nobilis censeatur, qui sine doctrina, & eruditione intemperantiæ se, iniustitiæ, impietati, & nequitiæ addixerit: imo vero hunc non modo ignobilẽ, verum etiam scurram, & nebulonem improbum appellabimus: id quod sentire & Cicero videtur: scribens enim ad M. fratrem, de petitione Consulatus, cum Antonij, & Catilinæ mẽtio fieret: Nequaquam sunt, inquit, ij tam genere insignes, quam vitijs nobiles. Nobilitatis enim proprium est, recta sequi, gaudere officio, cupiditatibus imperare, auaritiam coercere: Hoc qui facit, etiam si ex infima sorte hominum natus fuerit, is merito suo nobilis haberi, & dici potest, neque est, cur parentem rerum omnium naturam (vt quidam improbi faciunt) reprehendamus, quod hos nobiles, illos vero ignobiles facit, æquale siquidem omnibus temperamentum præstat, non genus, non potentiam, non opes inspiciens: eadem enim quod ad animum pertinet, nascendi ratio in priuatorũ hominum filijs est, quæ in principum, ac regum natis, licet ij in purpura, & magnis domibus, illi in centonibus, & casulis plerumque nascantur, Virtutes certe, & vitia faciunt, vt altero nobilior sit. *ibid.*

Nobilitatem in astragalis habere, ea adagio videtur recte dici de eo, qui præstantia generis tumens, nulla ipse propria nititur virtute, cum præstet tamen, ingenium excoluisse, in quo vera sũt stemmata, & genuina hominis excellentia, sicuti à Platone summo Philosopho scimus comprobatum. Nam in pedibus nobilitatis insignia, si aliud adsit nihil, gestare, odiosa tantum est, & inanis ostẽtatio, nec eiusmodi hominem ab imagine, quam scitissimus artifex concinnet, vel, vt Græce dicam γραμματεύς, expinxerit, magno opere distingui censendum est. Propterea prudenter admodũ Socrates ille in Apulei Floridis, cum adolescentem vidisset diutule tacentem: Dic aliquid, inquit, adolescens, vt te videam; sic. n. hominem voce, vti figulinum sono pernoscimus, quod asserunt Platonem dicere solitum. Sed ad prouerbium redeo. Herodi Sophistæ Rhegilla nomine vxor, eam ob peccatum haud ita momẽti magni iussit à liberto Alcimidonte cædi, Forte tunc gestabat vterum, agebaturque à conceptu mensis iam octauus. Igitur hominia imprudentia ingestis in ventrem plagis, non ferens mulier iniuriæ vim, immaturo partu naturæ concessit. Eo nomine postulatus cædis est Herodes apud Romanum Senatum ab vxoris fratre. nomen vero Bradeas fuit. Is maiorum claritate longe princeps erat, nec minor nobilitatis ostentator. Argumentum generis erat in calceis episphyrion. Menoides eburneum. Id significat fibulam corniceantem, qualis ferme figura est in luna, cum tenuẽ visitationem facit, vel etiam paulum crassescit. Prodiens igitur is magno paratu ad peragendum reum, de causa quidem pauca fere, aut nihil: in laudibus vero proprijs etiam nimius, imo vero totus. Quum multa iam de familia perillustri emugijsset homo imperitus, sconinate illum excepit Herodes: Tu, inquiens, in astragalis gestas nobilitatem. Est autem astragalus Latine talus, &c. *Cal. Rhod. lect. antiq. l. 22. c. 27.*

Apud Romanos author Plutarchus est, omnes qui nobilitate præstarent, lunulas in calceis solitos gestare: vnde lunata pellis Martiali: & apud Satyricum Poetam: *Appositam nigræ lunam subtexit alutæ.* In id argumentum rationes adferuntur plures.

Quod à te mihi de ignobilitate illius obijcitur, minus id a me peccatum fuisse, si nobilem aliquem delegissem, in hoc falsam opinionem sequutus es: nec vides, te non Guiscardum, sed fortunã accusare, quæ frequenter indignos ad alta leuat, dignos que humi deprimit, ac pessundat. Verum vt omittamus hoc, & principia rerum contemplemur, certum est, non omnes homines ab vno homine originem habuisse: virtus sola æqualiter nos natos distinguit, & quorum opera extollit, eos nobiles, & claros reddit: & quamuis vulgi opinio ignara quædam, & indocta aliter sentiat, veritas tamen suo dimoueri loco non potest. Itaque is vere est nobilis existimandus, cuius opera virtuosa conspiciuntur, & qui aliter appellant, non illi detrahunt, quem non appellant, sed seipsos ignorantiæ, stultitiæque condemnant. Intuere igitur, Tancrede nobiles tuos, vitamque vniuscuiusque, & mores ex animo, aliaque ex parte Guiscardi mores, vitamque recense: certe si iudicare volueris, non dubito, quin eum nobilissimum fatearis; eos vero nobiles illos tuos longe abesse à nobilitate. Equidem de Guiscardi virtute, ac præstantia, nullius magis, quam tuis assensibus credidi: quis vnquam vsque adeo laudatus est a te, vt ille, in cunctis operibus, quæ ad exercitationem pertinent virtutis? Nec sane immerito: nam nisi me mea fallat genius, nulla laus illi tributa est, quam non maioribus euam, quam a te dictũ est, adimpleret. Dices ergo, me mihi ignobilem hominem delegisse; certe falsum dices, at qui si inopem dicis, concedo equidem id cum dedecore tuo, qui virum præstantem familiarem tuum nullis afficere præmijs studuisti: veruntamen inopia generositatem non tollit, quanquam opera impediat, Multi denique Reges, principesque fuere: nati sunt ab initio tenues atque inopes: multi etiam nunc inopes, atque proprijs manibus opus facientes, vel pastoritiam exercentes, cum tamen & ipsi, & sui diuitijs abundarunt. *Æn. Silu. in hist. Tancredi.*

Apophthegmata.

Socrates. Nobilitas quid esset sciscitanti? Animæ, respondit, & corporis bona temperies. *Stob. serm. 84.*

Idem frequenter dicere solebat: Neque frumentum optimum iudicamus, quod in pulcherrimo agro natum est, sed quod commode nutrit: neque virum bonum & studiosum, aut amicum beneuolum, qui genere clarus, sed qui moribus egregijs fuerit. *Stob. serm. 84.*

Democritus interrogatus, in quibus nobilitas consisteret, respondit: Pecudum nobilitas in bono validoque corporis habitu sita est, hominum autem in bonitate morum. *Stob. ser. 84.*

Diogenes, interrogante quodam, qui hominum nobilissimi essent? Contemptores (dixit) opum, gloriæ, voluptatis & vitæ, contrarijs autem paupertatis, obscuritate, fame, labore, ac morte superiores. *Stob. ser. 84. Max. ser. 63.*

Antisthenes virtute præditos eosdem & nobiles dicebat: Habent enim, inquit, id, vnde vera nascitur nobilitas. Aduersus eos, qui maiorum imaginibus, aut diuitijs, metiuntur nobilitatem. *Laer. lib. 6.*

Anacharsis, cum per conuitium Scytha propter generis ignobilitatem nominaretur, respondit: Genere quidem Scytha sum, ingenio autem & moribus nequaquam. Voluit autem ostendere, eam nobilitatem veram esse, quæ ex virtute, non ex parentibus originem ducit. *Stob. ser. 84.*

Theocritus, audiens quendam ob parentum nobilitatem plurimum laudari a quodam: Heus, ait, vir bone: Generosos arbitreris esse non eos, qui ex bonorum & illustrium stirpe prognati sunt, sed qui honestatem omnibus rebus præposuerunt. *Stob.*

Theopompus, Generosos iudicandos dicebat, non qui a bonis & probis procreati sunt, sed qui bonitatem & probitatem profitentur. *Max. serm. 61.*

Lycurgus studens ciues suos a moribus præsentibus ad temperationem viuendi rationem traducere: Ne nobis, inquit, o ciues, nobilitas & ductum ab Hercule genus proderit, nisi omni studio & opera illa ipsa gesserimus, per quæ ille mortalium omnium clarissimus ac generosissimus extitit, ac per omnem vitam, quæ honesta sunt, & discamus & exerceamus. Reperit vir ingeniosus viam, qua multitudini philosophicis rationibus non satis idoneæ, virtutis imaginem ob oculos poneret: magis enim mouent ac penetrant in animos, quæ cernuntur, quam quæ audiuntur. Quod autem ille fecit in ciuitate, hoc cuique patrifamilias in sua domo, cuique moderatori in suo grege faciendum est. *Plut. in Lacon.*

Iphicrates, & Cicero. Harmodius, prisci illius Harmodij abnepos, cũ Iphicrati, qui patre sutore natus erat, generis obscuritatem obijceret: Meum, inquit Iphicrates, genus habet a me originem, tuum vero in te desijt. *Plut. in apoph. & in Cic.*

Bion. Antigonus Rex Bionem Philosophum de ignobilitate criminatum, interrogauit: Quis, & cuias es? vbi tua ciuitas est? vbi sunt tui parentes? Cui Bion respondit: Atqui, o Rex bene facis, quum indiges sagittarijs, quod non interrogando genus, sed scopum proponendo, optimos illorum tibi deligis. Sic igitur amicos explora, non Vnde nati, sed qui & quales sint. Sensit vir sapientissimus, veram nobilitatem nequaquam ex patria & parentib. sed ex virtute & vitæ innocentia metiendam esse. *Stob. ser. 84.*

Cicero. Quum ob Ciceronis cognomen dicterijs incesseretur, ab amicis admonitus, vt aliud sibi cognomen asciceret, respondit: se Ciceronis nomen illustrius effecturum, quam esset Catonũ, Catulorum, aut Scaurorum. Nam hæ familiæ cumprimis illustres erant apud Romanos, quũ Tullius esset nouus homo. Cognomen autem ideo patebat cauillis, quod a cicere vilissimo legumine dictum videretur. Quasi vero non & Fabij a fabis, & Lentuli a lente cognomen habuisse viderentur. Parum illustris est, qui præter imagines & cognomen nihil habet nobilitatis, pulcherrimum autem nobilitatis genus est, quam sibi quisq. proprijs virtutibus conciliat. Nec fefellit M. Tullius. Ciceronis enim nomen hodie decantatius est, quam Catuli aut Scauri, cum suis stemmatis, statuis & imaginibus. *Plut. in apoph. Rom.*

Idem. Ciceroni quũ generis ignobilitas obijceretur: Satius est, inquit, meis gestis florere, quam maiorum opinione niti: & ita viuere, vt sim posteris meis nobilitatis initium, & virtutis exemplũ. *Cic. in orat. contra Sallustium.*

Seneca. Bona mens, inquit, omnibus patet: Omnes ad hoc sumus nobiles. Nec eijcit quemquam philosophia, nec eligit: omnibus lucet. Patricius Socrates non fuit. Cleanthes aquam traxit, & rigãdo hortulo locauit manus. Platonem non accepit nobilem philosophia, sed fecit. &c. *Epist. 44. ad Lucil.*

Silius Bassus. Quidam, inquit, auitas, paternasque flagitijs obruerunt imagines, quidam ignobiles nati fecere posteris genus. In illis

non

non seruasse, quod acceperant, maximum dedecus, in his quod nemo dederat, fecisse laudabile. *M. Sen. controuers. l. 1. controuers. 6. vbi multa de nobilitate.*

Alphonsus Cum aliquis Alphonsum, Aragonum Regem clarissimũ, a nobilitate maxime laudaret, quod scilicet esset rex, regis filius, regis nepos, regis frater: Rex hominem interpellans dixit, Nihil esse, quod in vita minoris ipse duceret, quam quo ille tanti facere videretur. Laudem enim illam non suam, sed maiorum suorum esse: quippe qui iustitia, moderatione, atque cum excellentia sibi regnum comparasset, successoribus quidem oneri regna cedere. Et ita demum honori, si virtute potius, quam testamento illa suscipiant. A se itaque, si qua modo extent, eliceret ornamenta, non a patribus iam mortuis extorquerẽt. Innuit autem rex prudentissimus, multo gloriosius esse a se inclarescere, quam nitu auitis imaginibus: regnumque propria virtute partum clarius habendum, quam quod hæreditate obuenit. *Panorm. lib. 2. de reb. gest. Alphonsi.*

Ioan. Huniades, cum misisset ad Huldricum Ciliæ Comitem, vt ad se veniret in castra, hoc facere plane noluit, & ad se missis respondit: Ego comes & princeps, & tam nobili familia natus, ad te veniam, hominem nouum, & nostra ætate nobilitatum: quod cum accepisset Ioannes: Non ergo (respondit) tuis maioribus, sed tibi me comparo: quamquam neque illis cedam, qui pugnando pro Christiana religione nobilitatus, maius lumen posteritati meæ comparaui: atque vt in te Ciliensis comitatus turpiter extinguitur, ita in me domus Nistricensis exornatur. *Æn. Syluius de dictis Sigismundi & Friderici Imperatorum.*

Socrates, opes & generis nobilitatem non solum nihil in se habere honestatis, verum etiam malum omne ijs oboriri dicebat. *Laert. lib. 2. c. 5.*

Diogenes, Nobilitatem, atque hoc genus fortunæ bona, nihil aliud quam velamina malitiæ esse dicebat. Nobiles enim, cum a- lijs nihilo sint meliores, tamen peccant licentius, iuxta Horatij dicterium.

> *Et quicquid voluit valuit hoc virtute peractum,*
> *Sperauit magna laudi fore.*

Laert. lib. 6.

Herodes Sophista in accusatorem, qui in lite exigua de generis sui claritate multa iactarat: Tu, inquit, nobilitatem habes in talis. Romani siquidem nobilitatis signum gerebant in calceis. Id erat eburneum additamentum tali specie. Ita Plinius notat quosdam, qui nihil haberent nobilitatis præter imagines. Rursus cũ aduersarius gloriaretur: quod in vnam quandam Italiæ ciuitatem multa beneficia contulisset: Idem ego, inquit, de me prædicare possem, si in vniuersa terra causam dicerem. Significans, se de innumeris ciuitatibus fuisse præclare meritum. *Philostratus.*

SIMILITVDINES.

Gregorij Nisseni, Quemadmodum lateres figulini ex luto tantum originem ducunt: Sic nobilitas ex obscuris parentibus quoque nascitur. *Apud Ant. Monach. in Melissa.*

Plutarchi. Vt fugitiuis ab altaribus ac templis reuulsis nihil superest præter mortuorum sepulchra: Sic qui vera suaque gloria destituti, maiorum imaginibus efferant sese. *In Moral.*

Poggij Florentini, Quanto maioris habetur ædificare domum, quam habitare, aut ornare ædificatam: tanto præstabilius est atque excellentius, ab se partam nobilitatem possidere, quam seruare ab alijs acceptam: cum alter suis viribus & lumine resplendeat, alter præferat alienum. Quare soli virtuti palma nobilitatis tribuenda est. Atria vero maiorum imaginibus referta, porticus signis ac tabulis ornati, magnificæ villæ, templa constructa, varia domus ornamenta, plus admirationis aspicientibus, quam nobilitatis secum ferunt. Hunc Antisthenes secutus, scripsit, eosdem sibi videri nobiles, & virtutis studiosos: in sola virtute nobilitatẽ constituens: Stoici hanc Platonis sententiam complectuntur, & solus sapientes nobiles esse volunt. *Lib. de Nobilitate.*

Ioannis Ludouici Viues, Iam nobilitas quid est aliud, quam nascendi sors & opinio, a populi stultitia inducta: aut quæ sępenumero latrocinij, quæritur. *In introductione ad Sapientiam, c. 3.*

P. M. Minimi cancri, quos pinnoterras vocant, quo tutiores sint, inanium concharum testis se condunt: & cum accreuerint, migrant in capaciores: Ita quidem maiorum suorum titulis tuentur sese, cum suis diffidant virtutibus. *In simil.*

Vt Lampyrides non sunt conspicuę, nisi noctu aut in obscuro: Ita quidem non sunt illustres, nisi inter humiles & idiotas: obscurantur autem inter egregios. *Ibid.*

Timoneus. Genus nobilium nihil aliud est, quam inanis fumus obsoniorum. *In apoph.*

Qui sibi gratulantur potius incerta hominum opinione & ambitione, quam propria virtute, similis est ipsis calopodiarijs, qui in theatro obiter induunt personam regis. *In apoph. 91.*

Qui quærunt monumentum ex posteris, similes ijs, qui captant mutuũ ex vicinis. *In apoph. 96.*

Qui in spurijs, aut illegitimis generis infamiam auro redimunt, similes illis, qui ligneum nasum tingunt; nam neque hic color expurgit vitium, neque illic aurum mutat indolem. *In apoph. 105.*

Neminem nutricat fumus obsoniorum, tantum nares prouocat: Ita neminem beat parentum aut stemmatum antiquitas, sed duntaxat virtutis admonet. *In apoph.*

ADAGIA.

Generosior Codro. εὐγενέστερος Κόδρου.

Per Ironiam recte dicetur in istos, qui maiorum fumosis imaginibus, & natalium antiquitate gloriantur.

Generosior Sparta. ἐλευθερώτερος Σπάρτης.

Dicetur de excellenti animo, minimeq; timido aut humili.

Subdititius es. ὑποβολιμαῖος εἶ.

Transfertur in hominem fictum, & per dolum ab alio quopiam allegatũ subornatumq;.

Ne patris quidem nomen dicere posset. ἄνθρωπος οὐκ ἂν ἔχων εἰπεῖν οὔτε μὰ πατρὸς, ἀλλ' οὔτε πατρός.

Quadrabit in vehementer obscuros, vel etiam in spurios, incertoque patre natos. Quod genus est & illud Iuuenalis.

> *Quorum nemo queat patriam monstrare parentis.*

Es ist ein vvitziges Kind, dass seinen Vatter Kennet. *Item*, Vver vveiss, vver dess andern Vater ist.

Terræ filius.

Olim homines obscuro ignotoq; genere pregnati terræ filij dicebantur, propterea quod terra sit omnium communis parens. Er ist der erste Edelman in seinem Geschlecht. *Item*, Er ist ein Edelman, solte man jhm die Bavveren Ader entzvvey havven, er doerffte sich zu todt bluten.

Matris vt capra dicitur. τῆς μητρὸς ὡς αἲξ καλεῖται.

In spurios dictum videtur quorum pater incertus est, eaque gratia a matre denominantur. Er ist seiner Mutter Sohn, vvie ein Geyss. *Item*, Die Mutter sagt, dieser seylein Vater. *vel simpliciter*, Die mutter sagts.

Virtus gloriam parit. τιμῶντες δ' ἀρετὰς ἐς φανερὰν ὁδὸν ἔρχονται.

Sentit benefactis potius, quam opibus parari veram gloriam.

Quanta vix cœlo capi possint.

Hac hyperbole M. Tullius famæ celebritatem expressit. Idem, In cœlum laudions ferre. Ita Virgil, Vltra sidera notus. Et Hora. Sublimi feriam vertice sidera.

Auis ex auibus. ἄριστοι ἐκ τῶν ἀρίστων.

Prouerbij forma dictus est Aristophani per ironiam vir nobilis, quasi bonus ex bonis pregnatus.

Cymbalum mundi.

De homine celebrati nominis.

Domi nobilis.

Qui non opibus tantum aut potentia clarus est, sed ex nobilibus nobilis prognatus est. Hunc Cicero subinde domi nobilem vocat.

E domo in domum. οἴκοθεν οἴκαδε.

Hac sermonis forma significamus aliquem proprijs virtutibus quippiam egregie laudis peperisse sua domi, patriaue.

Fumosæ imagines.

In eos dicebatur, qui iactarent peruetustam generis nobilitatem. Iuuenalis Veteres ceras appellat.

Iouis germen. ἐκ Διὸς ἔρνος.

Id est, ex Ioue germen. Dicebatur insigni virtute præditus.

EXEMPLA BIBLICA.

Nobilitatis ratio vtcumque habenda, exemplum: Iehu 2. *Reg. 9. versic. 34.*

EXEMPLA PROFANA.

Epaminondæ Thebano duci clarissimæ Gręcię parenti maiores valde illustres generis claritate fuere: at pater tenuiori re familiari, quam alius permediocris ciuis. *Pausanias in Bœoticis.*

Iosephus historicus Iudæus in generis sui nobilitate describenda sollicitus est, quod paternam quidem à sacerdotibus: maternã vero ab Asmonæis principibus ducat.

Ferdinandus & Isabella Catholici Principes statuerunt: ne quis clypeos coronis, vel alijs regis ornamentis insignitos (quos vulgus Coroneles & Orlas appellat) haberent: nisi quibus ob aliquam iustam caussam concessum fuisset. *Marinaus libro 21. rerum Hispanicarum.*

In Ægypto in domorum vestibulis, alas vulturum proponere, indiciũ nobilitatis & vetustatis familiæ erat. *Alexander l. 5. c. 24.*

Imperatores Germani Romam coronationis caussa profecti, in more habent, vt in ponte Adriani Equites creent: edicto prius per præconem edito: An præsentes adsint vnus vel plures è familia Monachorum Basiliensium: Beierorum Argentinensium: Camerariorum Vormaciensium: Bauarorum Boppartensium. Nam ante hanc promulgationem nullus poterat Eques creari. *Ioan. Heroldus in Solone.*

Facta inter reges noua confœderatione, *Franciscus I.* rex cooptatus fuit in collegium Equitum Garrerij, & Henricus VII. in ordinem diui Michaelis, quod est apud Gallos, æque religiosissimum,

mum, atque decus honorificentissimum, anno Salutis 1527. *Polydor. lib. 27.*

Ferdinandus, Archidux Austriæ, frater Caroli Imperatoris factus est Eques Garterij ordinis anno 1524. *Polyd. l. 27.*

Obscuro, ac ignobili loco natorum ad summos honores euectorũ exempla quædam.

Virgilio pater fuit figulus, vel vt alij volunt, operarius.

Q. Horatio Flacco Lyrico, Statio Vero Poetæ, patres fuere libertini.

Æschinis Oratoris clarissimi pater Athenis lucanicas vendidit publice.

Tyrtamus, qui ob diuinam eloquentiam Theophrastus cognominatus est, sartorem habuit patrem.

Menedemo Atheniensi Philosopho pater fuit, qui mechanicum opus consuendis tentorijs conficiebat.

Alphenus Varro Cremonensis Clarissimus Iureconsultus, adolescens tonstrinam exercuit, deinde sub Sulpitio paruo tempore ad tantam ciuilis disciplinæ scientiam peruenit, vt Romæ Consul factus fuerit, & mortuus de publico sepulturæ honorem consecutus sit.

Pythagoras Philosophus natus est ex Nexarcho sculptore annulario.

Hyphicrates Artaxerxis Regis Persarum Aegypto bellum illaturi Dux electus est, habuit patrem sutorem.

Eumenes Cardianus inter Alexandri Magni successores numeratus, in Peloponneso natus, adeo inope abiectoque patre, vt se, familiamque vecturis, ac curru aleret.

Viriatus Lusitanus, qui quatuordecim annos integros cum Romanis bellum gessit, exercitibus ducibusque eorum victis, atque etiam captis, habuit patrem pastorem, atque ipse etiam pastoritiam exercuit.

Agathoclis fortuna vilis primo fuit, habuit patrem figulum postea quam factus esset Rex Syracusarum, illum tamen paternæ obscuritatis non puduit. Nam in conuiuijs inter aurea vasa fictilia quoque adhibebat, vt eodem tempore, & paternæ obscuritatis, & magnitudinis, in quam ipse euaserat, species repræsentaretur.

Dauid ex pastore Iudææ rex factus est.

Publius Ælius Pertinax Imperator libertino patre, atque eodem mercatore natus est.

Orbi terrarum toti perspecta fuit insignis *Aureliani* virtus, ac fama, & tamen eius patria propter ignobilitatem adhuc in occulto manet. Quidam in Sirmio, nonnulli in Mesia, alij in Dacia ortum esse dicunt, & quemadmodum de patria eius discordes sunt scriptores, ita omnes eius maiorumque humilitatem adfirmant.

C. Aurelius Valerius Diocletianus Imperator patre notario, vel (vt alij putant) liberto ortum suum traxit.

Maximus Papienus Imperator ferrarij fabri, vel qui plaustra conficiebat, filius fuisse perhibetur.

M. Iulius Licinius Imperator in Dacia progenitus, patre admodum inope agricola, imo & is aliquo tempore patrem in aratione, cultu agrorum adiuuit.

Bonosus in Britannia natus est, patre magistro ludi literarij.

Mahumetes sceleratæ legis author, in Arabia natus, camelos vectigales egit, deinde arte, atque perfidia in eam magnitudinem conscendit, vt rex creatus, etiam propheta putaretur. Mortuus quoque in eam existimationem venit, vt dimidium terrarum orbem, ac multo plus in sceleratam disciplinam traxerit.

Lamissius Longobardorum rex tertius à matre quæstum faciente ortus est.

Primislaus tertius Bohemorum rex ex rustico patre natus, qui cum ipse araret, à Bohemis, vt Romæ Cincinnato accidit, ad ducatum vocatus est.

Tamberlanes Persarum Rex longe potentissimus, Scytha patre pastore genitus.

Abdelmonius Aphricæ, seu, vt nunc dicitur, Barbariæ Rex, patrem habuit figulum.

Sfortia Mediolanensi dux habuit patrem inopem Cotiniolæ tenuis vici, siti inter Fauentiam Rauennamque vrbes, accolam, seu agrorum cultorem.

Nicolao Picinino Perusino militari Duci celeberrimo pater fuit lanius.

Franciscus Carmaniola Genuæ dux porcos pauit.

Ioannes 22. Pontifex maximus, qui Ludouico Bauaro Imperatori tantopere restitit, pater cerdonica arte victum conquisiuit.

Nicolai V. Papæ mater oua pullosque vendidit.

Sixti IV. Papæ pater nauticam artem exercuit, Hic Franciscus Ruuerus minorum fratrum ordinem professus, ciuis Sauonensis, ille Thomas Sarranensis ante dictus.

Ioannes Campanus patrem habuit pastorem. *Bapt. Fulgos. l. 3. c. 4. de ijs, qui humili fort. ort. clar. sibi nomen vendicar.*

HIEROGLYPHICA.

Apud Romanos omnino *annulus* signum fuit *nobilitatis*. Testantur cũ alia, tum ea, quæ apud *Liuium leguntur lib. 3. de bello Punico secundo. Vide Pier. 41 pag. 397. B.*

Peruulgatum & illod est, *Lunæ* gestamen apud Arcadas *nobilitatis* hieroglyphicum fuisse; qui quidem Proselenes ea de caussa nuncupati sunt, quod à Deucalione, diluuij primi ipsi Lunam inspexisse nascentem, se credidere. &c. *ibid. l. 44. pag. 434. F.*

EMBLEMA.

Nobiles & generosi.
Emblema And. Alciati CXXXVI.

Aurea Cecropias nectebat fibula vestes,
Cui coniuncta tenax dente cicada fuit:
Calceus Arcadico fuerat cui lunula ritu,
Gestatur patribus nullea Romulidis.
Indigenas quod se adsererent, hac signa tulerant
Antiqua illustres nobilitate viri.

NOCVMENTVM.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

NOcumentum, Græce βλάβη, & βλάπτω, noceo, dicitur, à noceo deducitur.

SENTENTIAE PATRVM.

Facinus est, quod agit indomita cupiditas, vt noceat alteri. *August. super Ioan.*

Nec aliquid nocet fidelibus negata eorum corporibus sepultura, nec si exhibeatur, aliquid infidelibus prodest. *De cura pro mortuis.*

Quantum ad peccati rationem pertinet, nocuit, quia nocere disposuit. *Hier. in epist.*

Aliud quoque est nocere, quod semper potes, aliud prodesse, cum possis, aliud non facere, aliud non operari bonum. Illud tibi rursus occurrit, non sufficere, Christianum si vnam partem iustitiæ impleat, quum vtraque præcipitur. *Ad Celant.*

Sed vtinam soli impugnarent nos maligni spiritus cum suggestionibus suis, & nihil nocerent homines perniciosis exemplis, persuasionibus importunis, sermonibus adulationis vel detractionis, atque alijs mille modis. *Bern. ser.*

Etsi omnes, qui mare & terram habitant, conueniant ad lædendũ, nocere nequaquam poterunt ei, qui à semetipso non læditur. *Chrys. de repar. lapsi.*

Raro læditur homo ab extraneis, si sui eum non lædant: magis enim insidijs nostrorum, quam aliorum periclitamur. *Isidor. lib. 2. de summo bono.*

Ridiculum est, aliquem odio nocentis innocentiam suam perdere: insidiosissime nocet, cui gratiæ aguntur pro iniuria. *Sen. in epist.*

Homo, qui scientiam boni ac mali habet, abstinet se a nocendo, etiam cum incommodo suo, quod animal irrationale facere non potest. & idem inter summas hominis virtutes innocentia numeratur: quibus rebus apparet, sapientissimum esse, qui mauult perire, quam noceat, vt id officium, quo a mutis discernitur, seruet. *Lactant. Firm. diuin. instit. lib. 5.*

Vide Damnum.

NOMEN.

DEFINITIO, ET ETYMOL.

NOmen quasi Nouimẽ, inquit Festus, a nosco, quod notitiam faciat: nam per id quicquid nominamus illud agnoscitur. Græc. ὄνομα. Hebr. *Sceum*, apud quos *Naam* significat dicere, loqui, eloqui, *Neum*, verbũ, sermo, locutio, ab Hebræo Græcum ὄνομα, & ὀνομάζω profero, loquor, sermocinor, fluxisse videtur, ὀνομαίνω item, id est, nomino, vnde Germ. Ein Nam, Gall. *Nom*, Ital. *Nome*, Hisp. *Nombre*, Proprie autem nomen dicitur, teste Nonio proprium vocabulum singulorum, id est, quo singulæ res appellantur. Inde nomino, nomen alicui rei impono. Id autem fit dupliciter. Aut enim vniuerso generi nomen imponimus, quod Grammatici nomen appellatiuum vocant: vt quum animal vtẽs ratione hominem dicimus nominari. Aut singulis rebus peculiare nomen imponimus, quod illi cum alio non sit commune, hoc a Grammaticis nomen proprium appellatur: & diuiditur in Prænomen, Nomen, Cognomẽ, & Agnomen, vt Publius, Cornelius, Scipio, Africanus: De quibus prolixe agunt Grammatici.

SENTENTIAE BIBLICAE.

Nomen pro amplitudine, vel excellentia, sed cum re ipsa coniũctũ, *Ephes. 1. 21, Philipp. 2. 9.* pro dignitate ac præstantia. *Heb. 5. 4.* pro notitia, *Rom. 1. 16.* Nomen nouum electis datum, *Apoc. 2. v. 17.* Nomen Domini Iesu, ex Hebræorum idiotismo ideo declarat, quod Dñs Iesus, *Cor. 5. v. 4.* Nomen Christi nominare dr. qui colit Christum

ftum & tanquam fidelis ab eo cognominatur, *2.Timoth.2,19.* Nomine Christi aliquem recipere, est Christi caussa excipere, quod ipsi hunc honorem habeat, *Marc. 9. 37.* Nomen pro celebri illa virtute Dei, quam testatur, qu. Deum appellat. *7. v. 22.* Nomen Dei auditum vbique, *1. Reg. .42.* non assumédum frustra, *Exod. 28. v. 7.* polluitur periurio, *Leuit. 19. v. 12.* Nomē Dei, Sū qui sum, *Exod. 3. v. 14.* Nomen Dei inuocare super aliquid, *Num. 6. 27.* in nomine Domini benedicit Dauid populo, *2. Sam. 6. 18.* sic maledicit Elisæus, *1. Reg. 2. v. 24.* Nomen patris inuocatum super Ephraim & Manassen, nominari vel vocari nomine patris & maiorum, vt & reliqui filij Iacob.

Nomina filiorum Israel in Sacerdotis pectore insculpta, *Exod. 28. 29.* nomina blasphemiæ, *Apoc. 13.*

PHILOSOPHICÆ SENTENTIÆ.

Nomen est vox ex instituto significans, omnis expers temporis: cuius pars nulla quicquam declarat separatim. Nam in Reipublicæ verbo, publica nihil per se significat, vt in hac oratione Respublica, *Lib. 1. de interpret. c. 2.*

Nullum nomen natura constat, sed cum quasi nota quædam ad aliquid significandum erit impositum. Nam soni ij, qui nullis literis exprimuntur, quales sunt beluarum, aliquid illi quidem significant: attamen nullus eorum ad nomen pertinet. *ibid.*

Non homo nominis vim non obtinet, nec ei vllum nomen impositum est, quo appelletur: quandoquidem nec oratio est, nec negatio. Appelletur sane nomen infinitum, quod æque in quauis re dicatur, tam quæ est, quam quæ nulla est. Hæc vero, Ciceronis & Ciceroni & cætera eiusdem generis, non nomina, sed casus nominis vocentur. *ibid.*

Discire omnia præter virtutem mutare nomina.

Authorum nomina non supprimenda sunt. *Sen. epist. 96.*

Nomina pueris pulchra sunt imponenda. *Plin. Sen.*

Nomina cum re consentiant. *Plato de Sap.*

Non decet ex nominis significatione de morib. iudicare. *Demosth.*

Sicut noxius est, qui mittit sagittas, & lāceas in mortem, ita vir, qui fraudulenter nocet amico suo, & cum fuerit deprehensus, dicet, Ludens feci. *Prou. c. 26.*

APOPHTHEGMATA.

Antisthenes. Ijs qui appeterent immortalitatem, vnicam viam ostendit, vt iuste pieq; viuerent. Sed vulgus hominum e stricturis, statuis, tropheis, ac libris sibi promittit immortalitatē. *Laert. l. 5. c. 1.*

Bion Gloriam dicebat esse matrem annorum, ob id opinor, quod cū hominis vita sit breuis, honesta memoria per multa sęcula propagatur. *Laert. lib. 4. c. 7.*

Plato rogatus, ecquid esset futurum ipsius monumentum, quemadmodum superiorum? Primum, inquit, parādum est nomen, ita monumenta futura sunt multa. Sensit, hominis memoriam optime seruari in mentibus hominum, optimeq; propagari scriptis virorum eloquentium. *Laert. l. 3.*

Non existimabant nomen inuidiosum & molestum imponendum magistratui, qui ciuitatis liberæ administrationem haberet, tum ipsorum subditorū causa, ne odiosis appellationibus perturbarētur, tum etiam vt cauerent ne ijs qui magistratus acciperent, vel per imprudentiam ab alijs iniuria fieret, vel ipsi alijs facerent. *Dionys. Halic. l. 5.*

Nomen maximum in bello momentum. *Curt. l. 5.*

Nomina insignia onerosa sunt. *Lamprid. in Alex. Seuero.*

Regium nomen (in bello præsertim quod aduersus regem geritur) plurimum valet. *B. Facius, hist. l. 6.*

Fuere quondam rerum nomina quam optime dispertita mortalib. ex hisce nominibus a fortitudine secernitur audacia, quorum alterum cuicumque accesserit, dedecus ac discrimen inducit, alterum virtutis opinionem. *Procop. de bello Goth. l. 1.*

Non me præterit magnas turbas inter homines rerum nomina immutata concitare: veluti, si quis humanitatem dicere improbitatem velit. Inde rectiora quæq; corrumpi ac perturbari contingit. Sinistrum quippe & plane improbum est, eos qui leges ad verū acrius circumscribere profitentur, earum nominib. pro velamentis ad impietatem & nequitiam vti, vt peccare intrepide, & prauitatem, præ se tutius ferre queant. *Procop. de bello Goth. l. 3.*

SIMILITVDO.

Vt sunt flumina quædam, quæ cum eadem sunt diuersis locis, diuersa sortiuntur nomina: Ita quædam res in alio homine varijs nominibus mutantur: velut fastus in principe splendor appellatur, in priuato superbia. *P. M.*

EXEMPLA BIBLICA.

Nominum impositionis exempla: Eua, *Gen 3. 20.* Sed, 4. 25. Noe, 5. 29. Ismael, 16. 11. Sara, 17. 15. Isaac, *v.* 29. Moab, 19. 37. Ammon, *v.* 38. Esau, 25. 25. Iacob, *v.* 26. Ruben, 29. 2. Simeon, *v.* 33. Leui, *v.* 34. Iuda, *v.* 35. Ioseph, 30. 24. Beniamin, 35. 18. Manasses, 41. 51. Ephraim, *v.* 52. Moyses, *Exod.* 2. 10. Gerson & Eliezer, *v.* 22. & 18. *v.* 3. 4. Samuel, 1. *Sam.* 1. 20. Loruamo, *Osee.* 1. 6. Loammi, *v.* 9. Ioannes, *Luc.* 1. *v.* 60. 61. 62. Iesus, 2. 21.

NOTITIA.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Notitia, Græce γνῶσις, εως, ἡ, & γνωστικὸν, notus: & γνωρίζω notifico dicitur. Dicitur autem notitia quadrupliciter, s. natura, potentia, habitus, & actus cognoscendi. *Ex B. Thom. col. 7. vol. vel. 6. 4. c.*

SENTENTIÆ PATRVM.

Scientiam cęlestium & terrestrium rerum magis æstimare solet genus humanum, in qua profecto meliores sunt, qui huic scientiæ proponunt nosse seipsos. *Aug. de ciuit. Dei, l. 4.*

Laudabilior est animus, cui nota est infirmitas sua, quam qui ea nō respecta, vias siderum scrutatur, etiā cogniturus eas, aut qui iam cognitas tenet. *Idem l. 3. de Trinit.*

Sicut concussa aqua imaginem respicientis non reddit, sed solum cum est quieta, sic anima non deprehendit se, nisi cum est quieta. *Greg. sup. Ezech. l. 1. hom. 11.*

Quid domorum nomine, nisi conscientiæ designantur, in quib. habitamus, quæ contrectando agimus? *Greg. Mor. 6. sup. illud Iob 24. Perfodiunt in tenebris domos.*

Cognoscere se non potest anima, quæ tota apud se non est, & nisi etiam diuinæ luci appropinquet. *Greg. Mor. l. 31.*

Volo proinde animam primo omnium scire seipsam, quod postulat ordo rationis quando quod nos sumus, primum nobis est. *Bern. super Cant. hom. 36.*

Superbiam tibi parit ignorantia tui, cum meliorem quam sis decepta & deceptrix tua te cogitatio esse mentitur. *Ibid. 37.*

Magnus accessus ad Deum est, cognitio infirmitatis suæ, locis corpora continentur, animi autem locus est affectio sua. Magna est vtilitas seruo Dei, propriam infirmitatem recognoscere, atque in suis virtutibus & meritis nullam fiduciam habere. *Cass. sup. Psal. Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum.*

Melior es, si teipsum cognoscas, quam si te neglecto cursus siderū, vires herbarum, complexiones hominum, naturas animalium, cęlestium omnium & terrestrium scientiam haberes. Multi enim multa sciunt, & seipsos nesciunt, cum summa philosophia sit, cognitio sui. *Hugo, l. 1. de claustro animæ.*

SENTENTIAE POETICAE.

Iuuenal. Sat. 11.

Figendum, & memori tractandum pectore, siue
Coniugium quæras, vel sacri in parte Senatus
Esse velis, nec enim loricam poscit Achillis
Thersites, in qua se traducebat Vlysses.
Ancipitem seu tu magno discrimine causam
Protegere affectas te consule. dic tibi qui sis
Orator vehemens, an Curtius, an Matho buccæ
Noscenda est mensura tuæ, spectandaq; rebus
In summis, minimisq; etiam cum piscis emetur.

Persi. Sat. 4.

Tecum habita, & noris quam sit tibi curta supellex
Nec te quæsiueris extra.

PHILOSOPHICÆ SENTENTIAE.

Humanæ quippe naturæ ista conditio est, vt tum tantum cæteris rebus, cum se cognoscit, excellat: eadem tamen infra bestias redigatur, si se nosse desierit. Nam cęteris animantibus sese ignorare, natura est: hominib. vero vitio venit. *Boet. de phil. consol. l. 2. prosa. 5.*

Γνῶθι σεαυτόν. id est, nosce teipsum. Pittacus & Chilon.

ADAGIA.

Hoc iam & vates sciunt. τὸ ἐπιστᾶσιν [illegible]

Apte torquebitur iocus in rem tandem compertam, quæ diu fefellerat.

In ore atque oculis. *Cicero.*

Quæ propalam fiunt, in ore atque oculis omnium fieri dicuntur.

Rumor publicus non omnino frustra est.

Φήμη δ' οὔτις πάμπαν ἀπόλλυται, ἥν τινα λαοί
Πολλοὶ φημίζουσι.
Haudquaquam in totum rumor perit ille, per ora
Qui volitat populis complu ribus.

Domestice notus.

Lucianus: Ἀνδρὶ ἐλευθέρῳ καὶ οἰκόθεν [illegible] εἰδότι. Viro libero et qui te ex domestico conuictu cognitum habeat. Id erit venustius si ad res animi traducatur, vt si quis dicat artem Rhetoricam [illegible].

I[illegible]us

Intus & in cute.

Intus & in cute notus, est omnibus modis cognitus, perinde quasi dicas foras atque intus notus. Persius:

Ad populum phaleras, ego te intus & in cute noui.

Id est: Alias fucum facesse, mihi plane notus es, neque potes imposturam facere. Plautus: Hunc ego pepuli & domi inspexi. Er ist mir bekandt von haut vnd haar.

Lippis, & tonsoribus notus.

Quæ iam in ora vulgi abierunt, omnibus tonsoribus, ac lippis nota dicuntur. Horatius:

Opinor,

Omnibus, & lippis notum, & tonsoribus esse.

Principes inter se noti.

Qui dicet mutuam Principum, aut eruditorum inter ipsos esse notitiam, etiam si diuersas longeque dissitas habitent regiones, vsurpare poterit illud Homeri:

Οὐ γάρ τ' ἀγνῶτες θεοὶ ἀλλήλοισι πέλονται
Ἀθάνατοι, οὐδ' εἴ τις ἀπόπροθι δώματα ναίει.
Non ignoti inter se sunt Dij morte carentes,
Quanquam semoti diuersa in sede morentur:

Torqueri poterit. & in factiosos istos, qui, tametsi belligerari videntur, magno hiterum simulant conflictari, tamen ipsi clanculum inter se colludunt; hoc tantum agentes, vt suam vterque plebem exhauriat, imminuta Resp. authoritate, suam constabiliant tyrannidem.

Vide Scientia. Item, Ignorantia.

NOVERCA.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

NOuerca, Græcè μητρυιά, alias μητρυιά, dicitur: & est ea, quā quis liberis sublatis, nouam vxorem ducit, ascendæ familiæ gratia, secundum Pompeium. Dicitur autem, quod noua a patre superinducatur, ita & vitricus, quod nouus superinducatur a matre. Est enim mihi vitricus matris meæ vir.

Hebræis vxor patris, nominatur. *Leuit. 18. 8. & 20. 11. v.*

SENTENTIÆ POETICAE.

Menander.

Δεινότερον οὐδέν ἄλλο μητρυιᾶς κακόν.
Grauius nihil aliud nouerca malum.

Ex 1. Epigrammat.

Μητρυιὰν προγόνοισιν ἀεὶ κακόν, οὐδὲ φιλοῦσαν
Σῴζουσιν. Φαίδραν γνῶθι καὶ Ἱππόλυτον.
Nouerca, priuignis semper malum, neque amantes
Saluant, Phedram inspice, & Hippolytum.

Ouid lib. 1. Metam. fab. 5.

Lurida terribiles miscent aconita nouercæ.

Euripid. Alcest.

Inimica consequens nouerca liberis prius genitis, vipera nihilo clementior est.

Idem in Andro.

Nunquam duplicia connubia laudauero mortalium, nec binas matres habentes liberos.

SENTENTIA PHILOSOPHICA.

De nouerca. DIAL. XLII.

Francisci Petrarchæ.

D. L.

Nouercam habeo. R. Ergo & patrem, sic suot ferme res humanæ, vt tristia lætis, & amara dulcibus temperentur, atque vtinam ex æquo impermixtum hic dulce non habiter. D. Iniusta mihi est nouerca. R. Non inepte Vergiliano epitheto veteris, quanto autem illa iniustior tibi, tanto in illam vt sis iustior enitere. D. Nouerca mihi superbissima est. R. Et fœminæ proprium superbia, & nouercæ est, si geminæ caussæ vnū pariunt effectū, nō est quod stupeas, est quod feras, teque priuignum simul & filium bonū probes. D. Superbissima est nouerca. R. Nulla re melius, quā humilitate vincitur superbia. D. Nouercā ferre nequeo. R. At fer patrem, si hūc valde diligis, facile illa feres. D. Nouerca impia, atq; importuna est mihi. R. Esto illi pius, ac patiens, pietatē patri debes, patientiā fœminæ, reuerentiā nouercæ. D. Insolēs est nouerca. R. Noli pati, vt potentior sit illius insolentia, quam pietas tua. Nihil durum, nihil arduum est pietati, hæc ad Deum homines erigit, Deumq; ad homines inclinat: quoties nouerca fæuierit, non in illam, sed patrem cogita. D. Iniuriosa est nouerca. R. Mulieres iniuriæ contemptu melius, quam vltione plectuntur. D. Grauem patior nouercam. R. Bene ais, patior, Succumbere enim, & muliérculam pati non posse non est viri. D. Odit me nouerca. R. Ipsam ama: Nam & inimicos diligere diuinum est præceptum, & amare, vt ameris, Philosophicum est consilium. D. Nouerca me odit. R. Si patrem tuum amat, satis est tibi, odisse patris amatricem filio non licet, sin & illum odit, quem non oderit? Nam & si alterum plusquam virum amat, tu ille ne fueris. D. Nimis odit me nouerca. R. Minus malum forsitan nouercæ odium, quam nimis amor. Phedram nosti & Hippolytum. Certe odium, quod vlcisci nefas, leniendum aut fugiendum est. Nihil est quartum, querelæ sæpe odium exaggerant.

Vide Parentes.

NOVITAS.

LOCI BIBLICI.

NOuissima præuidenda, *Deut. 32. 29.* nouissima tempora, *1. Timoth. 4. 1. 2. Timoth. 3. 1. 2. Pet 3. 3.* Nouissimi primi, *Matth. 19. 30. & 20. 16. Marc. 10. 31. Luc. 13. 30.*

Nouitas vitæ ex Hebræorum idiotismo, pro noua vita, *Rom. 6. 4.* in ea ambulandum est. *ibid.*

SENTENTIAE POETICAE.

Ouid. 3. Pont. 4.

Est quoque cunctarum nouitas gratissima rerum.

Calphurnius Eccl. 7.

Vilia sunt nobis, quæcunque prioribus annis
Vidimus, & sordet quicquid spectauimus olim.

Ouid. 4. Trist. 6.

Fortior in fuluam nouus est luctator arenam,
Quam cui sunt tarda brachia fessa mora.
Integer est melior nitidis gladiator armis,
Quam cui tela suo sanguine tincta rubent,
Fert bene præcipites nauis modo facta procellas:
Quamlibet exiguo soluitur imbre vetus.

Corn. Gallus.

Euentus varios res noua semper habet.

Horat. 1. Epist. 18.

Percunctatorem fugito: nam garrulus idem est,
Nec retinent patulæ commissa fideliter aures.

SIMILITVDINES.

Plutarchi. Vt fele prætercurrente, tollunt è medio obsonia: Ita parentem curioso vertunt institutum sermonem, donec abierit, vt minus iam norit rerum quam cæteri. *in Moral.*

Vt cæci optant pecorum prouentum, piscatores piscium: Sic curiosus malorum, nouarum rerum commotionem, vt habeat quod venetur. *in Mor.*

P. M. Vt cibi, potus, cœlique nouitas offendit, etiam si mutus in paria, aut in aliquanto meliora: Ita præstat ferre principem, aut magistratus pristinos, quam nouos asciscere, quod omnis rerum nouatio non careat perturbatione. *in simil.*

Vt plus est periculi corporibus nostris vere & autumno, ob mutationem: Ita nouitas omnis offendit ac lædit Rempublicam. *ibid.*

Vt sunt flumina quædam, quæ quum eadem sint, diuersis locis diuersa sortiuntur nomina: Ita quædam res in alio homine varijs nominibus mutantur: velut fastus in principe splendor appellatur: in priuato superbia. *ibid.*

Theoneri, nisi quis a medicamento aliquot horis abstinuerit, fere medicamentum reijcit: Et qui quemuis rumorem credulus statim accipit, frequenter illum reuomit. Præstat ergo tam rerum quā opinionum nouitates aliquo tempore dissimulare ac tacere, ne iterum cogamur eos resorbere. *In apoph. 115.*

ADAGIA.

In folle offerre. *Callistrat.*

Pro eo, quod est, inexplorate, inexplicate & cōfuse, sicut qui syngraphas, & pecuniam inclusas offert.

Aliud genus rerum. Ἄλλο γένος κοιτῶν. *Plut.*

Dicebatur olim, vbi quis res nouas, & antea non visas induceret. potest & in eos dici, qui mutatis moribus pristinis, nouum & insolitum sequuntur.

Qui modus equitum. Τίς τρόπος ἱππέων.

Dictum videtur antiquitus de hospitib. nouo genere quadrigarum inuectis. hodie non inconcinne quis accommodet simioles illos, qui spreto nationis suæ vsitato habitu, peregrinarum gentium vestimentis inuoluuntur.

Grata nouitas.

Quando significabimus, nuperrima quæq; vulgo maxime placere, non intempestiuum fuerit illud Homericum:

Τὴν γὰρ ἀοιδὴν μᾶλλον ἐπικλείουσ' ἄνθρωποι
Ἥτις ἀκουόντεσσι νεωτάτη ἀμφιπέληται.
Cantio enim hæc hominum longe est celeberrima, vulgo
Et gratissima, quæ nuperrima venit in aures.

Accinit huic Pindar. Olymp. Hym. 9. Αἴνει δὲ παλαιὸν μὲν οἶνον, ἄνθεα δ' ὕμνων νεωτέρων. *Id est, Lauda vinum vetus, sed nouorum hymnorum flores.*

Agamemnonij putei. Ἀγαμεμνόνεια φρέατα.

Dic potest de nouis & admirandis operibus. Zenodot.

Annus

Annus Clybanum, Ἄρτος κλιβανίτης.

In eos olim dicebatur qui alicuius rei nouæ inuentores extitissent. Suid.

Cyz ceni ftateres. Κυζικηνοὶ στατῆρες.

Dici poterit in hominem inæqualem, ac sui dissimilem, aut qui longe aliud agat, aliud præseferat. Desumptum ex Cyzicinorum nummis, qui ex vna parte Cybelem fœminam, ex altera leonem ostendebant. Suidas.

Cornicum oculos configere.

De eo, qui nouo inuento veterem eruditionem conatur obscurare. Cicero.

Ἀπ' ἀκροφυσίων Zenodot.

Pro eo, quod est recens ab officina profectum: proinde quasi modo productum a follibus ærariaque fornace. Germani dicunt. Frisch oder new aus der Ess.

Glauci ars. Γλαύκου τέχνη.

Conuenit in opus vel celeriter absolutum, vel arte summaque cura elaboratum.

N O X.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

NOx, noctis, a noceo, quod oculis noceat, vel a Græco νύξ. Hinc Bacchus Nyctelius cognominatus est, quod eius Sacra noctu celebrarentur. Comessationes enim ebrietates vt plurimum sunt nocturnæ. Hebræo. *Layl.* Cognationem habet cum verbo *Lun* Reclinauit ad dormiendum, composuit se ad quietē, pernoctauit, cubuit, posuit se cubitum, noctem totam aliquo in loco traosegit, siue dormiendo, siue vigilando, siue aliud quid operis faciendo. Affinitate quoque respicit ad *Ialal*, eiulauit: nam nox & tenebræ per metalepsin accipiuntur pro tristitia & eiulatu, perinde vt dies & lux pro lætitia & exultatione.

Loci Biblici.

Nox Dei verbo creata, *Genes.* 1.5. *Psal.* 104.20. Nox pro Dei ignoratione. *Ro.* 13.11.1. *Thess.* 5.5. Nox pro afflictione grauiss. *Mich.* 3.6.

Sententiæ Poeticæ.

Val. Flacc. 5.

Nox hominum genus, & duros miserata labores,
Rettulerat fessis optata silentia rebus.

Ouid. 1. Art.

Iudicio formæ noxq; merumq; nocet.

Ibidem.

Nocte latent mendæ, vitioq; ignoscitur omni,
Horaq; formosam quamlibet illa facit.
Consule de gemmis, de tincta murice lana,
Consule de facie corporibusq; diem.

Idem 4. Fast.

Iam color vnus inest rebus, tenebrisq; teguntur
Omnia iam vigiles conticuere canes.

Ouid. 1. Amor.

Nox, & amor, vinumq; nihil moderabile suadent:
Illa pudore vacat, Liber, Amorq; metu.

Plaut. Bacch.

Illecebrosius nihil fieri potest, nox, mulier, vinum,
Homini adolescentulo.

Propert. 3.15.

Semper enim vacuos nox sobria torquet amantes:
Spesq; timorq; animos versat vtroq; modo.

Philosophicæ Sententiæ.

Non est vmbra terræ. *Arist. meteor.* 1.c.5.

Noctes diebus tranquilliores sunt propter solis absentiam. *Arist. l. 2. meteor c.* 2.

Noctes temporis feruidi cur molestiores sunt, quam dies? quia flatus omnes tunc consilescunt anniuersarij, namque illi minus nocte, quam interdiu spirant. *Probl. sec.* 25. *tex.* 16

Noctu natura magis, animus minus opera sua consuescunt agere. *Alex. Aphr. probl.* 1.9.119.

Nox est mensura illius cursus, quo sol sub terra orbis plagas illuminat. *Them. in 4. phys. tex.* 128.

Nox per se est mensura lationis solis, quæ est sub terra, sed per accidens etiam quietis animalium. *Simp. in 4 phys. tex.* 118.

Nox vna totum tempus apparet post mortem. *Plat. apoph.*

Nox & dies sunt vnius & sapientissimi circuitus solis circumuolutio. *In Timaeo.*

Nox & vmbra diei contraria, solis priuatio. *Speusippus de definition. Platon.*

Nox omnia ex incerto maiora territis ostentat. *Liu. dec.* 1. *l.* 9.

Nox ad quietem data est naturæ beneficio mortalibus. *Idem, decad.* 4. *l.* 10.

Peccatum pudore aut metu tenetur, quibus nox maxime aduersaria est. *Cæsar, l.* 2. *de bello ciuili.*

Maiorem fiduciam nox adferre videtur illis qui locorum notitia confidunt. *Hirtius l. de bello Alexandrino.*

Apophthegmata.

Scepelianus, quoniam somni parcissimus, noctem existimabat studijs exercitationi mentis accommodam, subinde solitus est exclamare, ὦ νὺξ σὺ γὰρ δὴ πλεῖστον σοφίας μετέχεις μέρος θεῶν. id est, o nox, nam tu sane maxima ex parte consors es sapientiæ Deorum. Habet enim hominis mens in alto illo silentio, corporis sensib. iam feriatis, aliquid diuinitatis, si sese intenderit ad rerum sublimium speculationem. *P. M. 8. apoph.*

Amyllus, mediam noctem hiemis imaginem esse, dicebat: tunc enim sol, vt hieme, & remotissimus a nobis est. Itaque dolores ægrotantium vehementiores merito tunc fiunt, vtpote cute propter frigus densata, & intercepta transpiratione insensibili. *Stob ser.* 99.

Hieroglyphicum.

Noctem significaturi veteres, *Pauonem surrecta in orbem cauda* figurabant. Nam cum *Pauonem* Argum interpretentur, tot luminibus insignitum, neque aliud quippiam per Argum, quam cœlū nocturno tempore, si detur dicere, oculatissimum intelligerent: atque illi nomen a splendore atque velocitate inditum profiterentur, &c. *Vide Pier. Val. l.* 34. *pag.* 220. F.

Vide Tenebra.

N V B E S.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

NVbes est crassamentum exhalationum conuolutum, vim habens aquæ gignendæ. *Arist. l. de mundo, c.* 4. Græce νεφέλη. Hebr. *Hanan* & *Hab*: est autem *Hab*: densitas rei alicuius, præsertim nubis, a verbo *Habab*, vel, *Habah*. cōdensatus est, spissus fuit. *Hanan* vero deriuatur a vero *hinnem*, Obnubilauit, obnupsit, nubem obduxit. Est.n. nubes sicuti velum quoddam inter solem & terram, sapientissima Dei prouidentia varios ad vsus obductum

Loci Biblici.

Nubes Tabernaculum operit, *Exod.* 40. *v.* 34.35. *Num.* 9. *v.* 15. Deus in nube apparet Moysis, *Exod.* 19. *v* 9.16. & 24. *v.* 15.16. Deus in nube super oraculo apparitur us, *Leuit.* 16. *v.* 2. nubes rore concrescunt. *Prouerb.* 3. *v.* 20. nubes in occasu orta pluuiæ signum, *Luc.* 12. *v.* 54. in nubis columna apparet Deus Moysi, *Deut.* 31. *v.* 15. in nube loquitur Deus Moysi, *Exod.* 33.9. *Num.* 11.25 & 12.10. nubes discurrunt magnificentia Dei, *Deut.* 33.26. nubis candidæ visio, *Apoc.* 14.1.

Sententiæ Philosophicæ.

Qui halitus ex aere in aquam se vertit, nubes dicitur *libro* 1. *meteor. cap.* 9.

In nube magna etiam vis caloris inest, quem ignis reliquit: cum ex terra humorem excitaret. *l.* 1. *Meteor. c.* 11.

Nubes ipsæ cum directo aspectu cernuntur, coloris expertes videntur: cum autem in aqua, virgis refertæ. *l.* 3. *Meteor. c.* 6.

Nubes alia est conuersa in suis partibus, quæ est facta aqua, alia est in via conuersionis, quæ scilicet est in aqua frigida. *Alber. Magn. de pass.*

Nubes, quæ tonitrum continet, quatuor habet colores, nigrum, rubeum, viridem, & album. *ibid.*

Vide, Cælum, Tempestas.

N V G AE.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

NVgæ, nugarum, a non & ago componi videtur, quod qui nugatur, nihil agat. Græc. φλυαρία. φλυαρίαι. λῆρος. Heb. *Latsan*, illusio, derisio, risus, a verbo, *Lets*.i. Illusit, sinistre interpretando alicuius dictum aut factum, delusit fastuose.

Sentent. Philosoph.

Nugari omnes orationes faciunt, quæ idem significant nomen, & oratio, & omnes illæ, quæ sunt in eo, quod est ad aliquid. *Arist. elench. l.* 1. *c.* 13.

Nugatio est inutilis repetitio eiusdem ex eadem parte orationis, vel ex parte prædicati, vel ex parte subiecti. *Albertus Magn. in elench.*

Nugationi inducitur aliquis implicite & explicite. *Thomas de vie. in perihermen.*

Nugatio vt fiat, non sufficit qualiscunque inclusio vnius in altero, sed exigitur, quod vnum includatur formaliter, & intrinsece in conceptu formali alterius. *idem in Post.*

Similitudo.

Plinij, Vt Apion Homerum ab inferis euocatum, nihil aliud interrogauit, quam quibus parentibus genitus esset: Sic quidam grauissi-

grauissimorum virorum concilio conuocato de meris nugis cōsulunt. *lib.30.c.2.*

Adagia.

Κρουνοχυτρολήραιος.

Hominem futile nugacem Græci vocabant κρουνοχυτρολήραιον voce ridicule composita à κρουνός, quæ proprie dicitur aqua impetu scatens, & χύτρα, olla, λῆρεῖν, quod est nugari. Ollas autem stupidos vocamus. Refertur à Suida.

Nugæ theatri.

Plautus nugas theatri appellat quotidiana conuitia, quæ in meretrices, lenones, & parasitos iaciebantur à Comœdiarum actoribus.

Vide Garrulitas, Loquacitas, Lingua.

NVNCIVS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Nuncius. Qui nunciat, & quod nunciatur, Græce ἄγγελος ἀγγελία. *Messager, message.* Nuncium, ἀγγέλιον. Hebr. *Laac.* legauit, ablegauit, delegauit. Cognationem habet cū *Halac*, & *Ialac*, ambulauit: nuncij enim ablegantur, vt ambulando perferunt ad alios nūcium. Hinc lego, legas, legare, legans, legati, &c. Græc. conuersis literis dicunt, ἀγγέλλω, παραγγέλλω, εὐαγγέλλω, nuncio, annuncio; ἄγγελος legatus, nuncius. Verbaliter nō vsurpatur hæc radix, sed tantum ab ea deriuata: vt *Malac*. legatus, nuncius, qui legatione fungitur: & tribuitur tum Angelis bonis, & malis, tum hominibus. Legatio, seu functio, & officium legati dicitur *Melaachuth*, *Hagg.* 1.13. Quando vero de læto nuncio agitur, Heb. *Besorah* appellant, à *Bissar*, Euangelizauit, nunciauit noua, & bona, siue læta omnia. Cognationem habet cum *Sibber*, expectauit: Nam nuncius nouus, & lætus ab omnibus expectatur.

LOCI BIBLICI.

Nuncius fidelis laudatus, *Prou* 25.13.16. Nuncio stulto vti ridiculū, 26.6. Nuncij Saulis prophetant, 1. *Sam.* 19.21.

Sententiae Biblicae.

Nuncius bonus.

Legatus autem fidelis, sanitas. *Prou.* 13.

Sicut frigus niuis in die messis, ita legatus fidelis ei, qui misit illum, animam ipsius requiescere facit. 25.

Aqua frigida animæ sitienti, & nuncius bonus de terra longinqua. *ibidem.*

Malus.

Sicut acetum dentibus, & fumus oculis: sic piger his, qui miserunt eum. *Prou.* 10.

Nuncius impij cadet in malum. 13.

Claudus pedibus, & iniquitatem bibens, qui mittit verba per nuncium stultum. 26.

Apophthegmata.

Philippides dictus est, ἡμεροδρόμος, quod vno die mille quingenta stadia conficiens, Lacedæmonem peruenit. Idem ni fallor, cum victoriam Atheniensium aduersus Medos in Marathone partam, senatui, de pugnæ exitu solicito, nunciaret, εὐχαίρετε inquit, νικῶμεν, id est, multum valete, vicimus, moxque expirauit. *P. M. li. 8. apoph. ex Plin. l.7.c.20. & Calon. c.9.*

Adagia.

Haud annuncias bellum. οὐ πόλεμον ἀγγέλλεις.

Dici solitum, vbi quis rem oppido lætam annunciat, quod bellum res sit omnium calamitosissima.

Prouoluitur a l milios. προκυλινδεῖται ἐλπίσι. *Suid.*

Accommodari potest in eos qui noua spe ge... tur.

Quid tibi Apollo cecinit? τί σοι Ἀπόλλων κεχρησμῴδηκεν. *Zenodot.*

Conuenit, vbi quis à principe redeuntem percontabitur, quid responsi tulerit.

Vulcanus tibi vaticinatus est. Ἀπὸ δὲ σοι ἐλάλησεν. *Suid.*

Dictum, vbi quis crederet se rem habere certam, velut ex ore... auditam.

Sturnus amicum nunciat, apis hospitem. Σπερμὸς μὲν φίλον ἀγγέλλει, ξένον δὲ μέλιττα.

Quoties complures eadem de re bene ominantur, aut vbi sua quisque spei blādiens, ex quibus ... argumentis putat futurum quod optat.

Minus habes mentis, quam Dithyramborum Poeta.

Exempla biblica.

Nuncij boni *exempla*: Rebecca, *Genes.* 24.28. Rahel, 29.12. Filij Iacob, 45.46. Iuda, 46.28. Vxor Manue, *Iudic.* 13.10. Ionatha, & Achimaas, 2 *Sam* 6.12. & 17.21. nuncius Elisæi, 2. *Reg.* 5.10. Leprosi, 7.10. nuncius Ezechiæ, 2. *Paralip.* 30.6. ancilla Annæ, *Tob* 8.16. Vxor Tobiæ, 11.6. Mulieres resurrectionem Christi nunciantes, *Matthæi* 28.8. Angelus, *Luca* 2.10. Septuaginta Discipuli, 10.17. Rhode, *Act.* 12.14. Petrus, *ver.* 16. Nuntij mali, tristis, & infelicia *exempla*, Cham, *Gen* 9.22. Rebeccæ, 27.41. Iudæ, 38.24. Iacob, 37.32. Iosepho, 48.2. Pharaoni. *Exodi* 14.5. Regi Ierichuntis, *Ios.* 2.2. Sisaræ, *Iud.* 4.12. Ionath. 9.7. Vir de Beniamin, 1. *Sam.* 4.12. Vxori Phinees, *v.*19. Samuel, 15.12. Item Ionathas, 19.2. Sauli, 24.2. vnus de pueris, 25.14. Amalechita, 2. *Sam.* 2.19. Iacob, 3.23. Filij Remmonis 4.8. Dauidi, 10.6. & 12.18. 25.35. Chusi, 18.32. Gad. 24.13. Salomoni, 1. *Reg* 2. *v.*29.41. Achab, 19.1. Ministri viri Dei, 2. *Reg.* 6.15. Regi Assyriorum, 17.26. Eliachim, &c. 18.37. Nuntij Iosaphat, 2. *Paral.* 20.2. relictis captiuis, *Nehem.* 1.3. Eunuchi, *Esth.* 4.4. Nuntij Iobi, *Iob* 1. *v.*14.15. &c. Esaias, *Esa.* 38.1. Nuntij Israelitarum, 1. *Mach.* 9.4. nuntius tristis, 16.21. Discipuli Ioannis, *Mattha.* 14.12. Principi Synagogæ. *Luc.* 8.49.

Prophana Exempla.

Apud Græcos si quid fauste & feliciter nuntij afferrent, coronati aduentabant: ipsique ciues in communis signum lætitiæ coronati incedebant, ouantes gratantesque. *Alex. l.* 1. *c.* 77.

Pugnam Marathoniam denunciauit, vt Ponticus Heraclides tradit, Trasippus *Eroensis*: plerique Euclem memorant currentem in armis adhuc ex acie calidum, ac concidentem in ianua primorū, hoc tantum dixisse, salucte, nos salui sumus: mox expirasse. *Plut. de gloria Athen.*

Fuit receptus *mos Romanorum*, vt quoties insigni victoria Consules potiti essent, ob res prospere gestas, laureatis fascibus prælatis incederent: literasq; laureatas Romam mitti, aut nuncios cum iaculis laureatis aduenire, nauemque laureatam aut vittatam felicis victoriæ nuncium esse. *Alex. l.* 2. *c.* 27.

Romani siue rure, siue peregre redierint, præmisso nuncio adesse se vxoribus significant: properarentque velut exoptantibus & expectantibus lætum nuncium de se præmittere. *Plut. in q. Roman.*

NVPTIAE.

DEFINITIO, ET ETYMOL.

Nuptiæ, nuptiarum, matrimonium, connubium, coniugiū, coniunctio maris & fœminæ, omnis vitæ consortium continēs, Græc. γάμος Hebr. *Chathunnah*, à verbo *Chathan*, Affinitatem contraxit, propinquitatem iniuit per desponsationem, vt cum duę cognationes, & familiæ, quæ diuersæ inter se sunt, per nuptias copulantur, & altera ad alterius cognationis finem appropinquat. Comprehendit omnes fere gradus affinitatis: vt est socer, socerus, gener, & fratres sponsę seu vxoris. Qui respectu sponsę sponsus, soceri vel socrus gener, *Cathan* appellatur *Gen* 19.14. *Exod.* 4.25. *Iudic.* 15.6 & 19.5. *Ierem.* 16.9. Socer idem dicitur *Cothen*, *Exod.* 3.1. & 18.1. Socrus, *Chothenoth*. *Deut.* 27.23. Dictæ sunt etiam nuptiæ *Chuppah*, a verbo *Chaphah*, vel *Chippah*, id est, obtexit, obduxit, operuit, obuelauit. Et dies & cęremonia nuptiarum solēnitasque multiplex inducendis vxoribus nuptiæ dictæ sunt Latinis a verbo nubere, quod proprie significat velo, vel tegn. Nubes enim velum & tegmen est lucis. Sed quoniam noua nupta, dum viro tradebatur, flammeo præ pudore caput obuoluebat, factū est, vt nubere accipiatur pro tradi viro. Cuius ritus antiquissimi exemplum illustre profert Moses. *Genes.* 24.65. Nuptiæ autem pro maris & feminæ coniunctione sæpius apud Latinos scriptores vsurpantur: Nuptiarumque dies a sponsalitiorum cęremonia distinctus est à veteribus.

Loci Biblici.

Nuptiæ, pro conuiuio nuptiali, *Matth.* 12. 20 pro loco nuptijs celebrandis destinato, 25.10. allegorice, pro vita beata & immortali, *ibi Apoc.* 19.9. Nuptiæ celebrantur, *Gen* 29. *v.*22. *Iud* 14.10. *Io* 2. *v.*1.2. Nuptijs interfuit Christus, *Io.* 2.2. Nuptiarum parabola, *Matt.* 22.11. Nuptialis vestis fides, *ibi*, ad nuptias Agni vocati beati, *Apoc.* 19.9. Nuptijs benedicendi formula, *Gen.* 24.60. *Ruth.* 4.11.

Nubūt priores, quæ maiores sunt ætate sorores, *Gen.* 29.26. nuptias damnare, doctrina est Dæmoniorum, 1. *Tim.* 4.3. nubant, qui se cōtinere non possunt, 1. *Corin.* 7.9. in resurrectione neque vxores ducunt, neque nuptum dant, *Matth.* 22. *vers.* 30.

Sententiae Poeticae.

Nuptialia præcepta.

Nunquam oportet virum sapientem mulieri
Remittere frenum, neque sinere vt libere imperet.
Nihil enim dignum fide habet. Si quis vero consequitur
Bonam vxorem fortunatus est accepto malo.
Sed nunquam mentem habentes permittere oportet, quibus vxor est,
Vt domum ad ipsam ingrediantur alia
Mulieres: docent enim res malas,
Alia quæstus gratia matrimonium corrumpit,
Alia, cum peccauit, multas morbi sui vellet habere socias:
Multa aūt ex stultitia, hinc est quod domus virorum male habeāt.

Aduersus

Aduersus hæc igitur bene munite
Seris & pessulis ædium fores.
Nihil enim bonum introitus externi
Mulierum efficiunt, sed varia & mala.

Naumachus.

Sed audi o virgo. hæc omnia tibi obseruanda sunt.
Neque procliuis ad risum, neque tristis esto.
Nec otiosa prorsus, sed labores subeas moderatos.
Neque tuis famulis duram aut valde lenem
Te præbeas: negligentiores domini semper damnum patiuntur.
Improbam anum domi nunquam receperis.
Multorum bene conditas familias pessumdederunt anus.
Sed neque loquacem mulierem tibi asscisces.

Susario.

Malum sunt mulieres, verumtamen, o populares,
Hoc sine malo domum inhabitare non licet:
Nam & vxorem ducere, & non ducere, malum est.

Euripides.

Non omnes aut infortunati sunt in nuptijs,
Aut fortunati. Calamitosus est autem, qui inciderit
In malam mulierem: Felix, qui in bonam.

Hesiodus in operibus.

Haud enim vxore melius quicquam vir acceperit
Bona: mala vero nihil est deterius:
Clanculum abligurit, quæ virum vtcumque egregium
Vrit sine torre, & ad crudam impellit senectam.

Menander.

Vxorem ducere, si quis veritatem consideret,
Malum quidem est, sed necessarium malum.

Euripides.

Nihil sane deterius extitit mala
Muliere, bona vero eximio, nihil
Est melius scito: differunt autem ingenia.
Ducas autem virginem, vt bonis moribus ipsam instituas,
Omnia diligenter circumspiciens, ne vicini tuas nuptias irrideant.

Euripides.

Adhortor omnes homines,
Vt ex bonis viris bonos liberos gignant.
Sic enim nunquam malus euentus accidet.

Eurip. in Andro.

Non decet duabus mulieribus virum vnum imperare.
Sed vnicam spectantes fuscinam Venerem
Contenti sint coniuges, qui bene conuersari voluerint.
Bona matrona est, o Neostrata:
Non imperare viro, sed obedire.
Mulier autem vincens virum, ingens malum est.

Eurip. in Medea.

Ad salutem præcipuum est,
Vxorem a viro non dissentire.

Hesiod.

Ætate matura vxorem ducito,
Neque multo minor natu triginta annis,
Neque multo maior. Istæ enim tempestiuæ sunt nuptiæ.
Virgo autem pubescens anno decimoquarto, nubat decimoquinto.

Euripides.

Nunc iuuenes adhortor omnes,
Ne in senectute nuptias celebrent,
Sed paulatim in iuuentute liberos procreent.
Nihil enim voluptatis habet.
Et res est inimica mulieri vir senex.

Nuptiæ non bonæ.

Quisquis vxorem ducere deliberat, non deliberat
Recte: nam vbi deliberaunt, statim ducit:
Quod malorum vita multorum initium est.
Nam si quis pauper pecuniosam vxorem
Duxerit, non vxorem, sed dominam habet,
Cuius famulus est. Quod si duxerit
Nihil afferentem dotis, seruum fit seruus.
Oportet enim deinceps vnius loco duos alere.
Duxit aliquis turpem, non amplius iucunda est ei vita.
Formosa si ducitur, non est illa
Magis mariti sui quam vicinorum.
Itaque nullo modo malum cauere potest.

Philippides.

Dicebam tibi, ne vxorem duceres, sed suauiter viueres.
Duo sunt cum vxore iucundissimi dies,
Alter quo ducitur, alter quo mortua effertur.
Nihil est in inclyta terra muliere grauius.
Non expertus fœlix ille qui illam non curat.

Menander.

Tu qui vxorem ducere statuisti scito quod
Bonum habebis, si minus malum delegeris.

Eurip. in Alcest.

Fœlices animo homines innuptos, & sine liberis.

Diphilus.

Bonam vxorem consequi non facile est.

Anonymus.

Astrictus nuptijs non amplius liber est.

Theodec.

Similes sunt senectus & nuptiæ.
Vtramque enim consequi desideramus.
Postquam vero nacti fuerimus, tristamur.

Antiphanes.

Infortunium extremum, nuptiæ sunt.
De nuptijs Poetarum Latinorum
Sententiæ quædam.

Horatius lib. 1. Od. 13.

Felices ter & amplius,
Quos irrupta tenet copula: nec malis
Diuulsus querimonijs,
Suprema citius soluet amor die.

Ouid. lib. 2. de Arte.

Lite fugant nuptæ viros, nuptæque maritis,
Inque vicem credunt rem sibi semper agi.

Idem.

O quantum est vni posse placere viro:

Item.

Elige cui dicas, tu mihi sola places.

Item.

Nulla sit vt placeas aliena cura puellæ:
Iam fac vt & multis vna sit illa tibi.

Martialis, lib. 8.

Inferior matrona suo sit Prisce marito:
Non aliter fiunt fœmina virque pares.

Ausonius.

Par pari iugato Coniunx, dissidet quod impar est.

Ouidius, Epist. 9.

Quam male inæquales veniunt ad aratra iuuenci,
Tam premitur magno coniuge nupta minor.
Non honor est, sed onus, species læsura ferentes.
Si qua voles apte nubere, nube pari.

Idem, Fast. lib. 3.

Nubere si qua voles, quamuis properabitis ambo,
Differ: habent parua commoda magna moræ.

Idem 3. de Arte.

Nupta virum timeat, rata sit custodia nuptæ:
Hoc decet, hoc leges iusque, pudorque iubet.

Plautus.

Venit hoc mihi in mentem, Megadore, te esse hominem diuitem,
Factiosum: me item esse hominem pauperum pauperrimum.
Nunc si filiam locassim meam tibi, in mentem venit,
Te bouem esse, & me esse asellum, vbi tecum coniunctus siem,
Vbi onus nequeam portare pariter, iaceam ego asinus in luto.
Tu me bos haud magis respicias, natus quasi nunquam siem.
Et te vtar iniquiore & meus me ordo irrideat:
Neutrubi habeam stabile stabulum: Siquid diuortij fuat,
Asini me mordacibus scindant, boues incursent cornibus.
Hoc magnum est periculum, me ab asinis ad boues transcendere.

Euclioni hæc verba sunt ad Megadorum, filiæ suæ nuptias ambientem.

Sententiæ Philosoph.

Non tam parentum nobilitas & gloria, quam vxor respicienda est. Multæ n. per quam honestis & claris parentib. ortæ, malæ & impudicæ deprehensæ sunt. Non desunt qui nullā vxorē sibi ducendam existimant, nisi diuitem. Verum hic egregia seruitus, si quis seipsum vxori pecunijs affluenti submittat. Quod si quis meę sententiæ fuerit, vel paruam dotē libenter capiet. *Neostrat. de Nupt.*

Oportet mulierem egredientem domo hunc ætatis terminum attigisse, vt qui non cognoscunt ipsam, cuiusnam sit mater, non autem cuius vxor, interrogent. *Hyperides.*

Naturæ perpetuitatem promouere oportet. & filios filiorum relinquendo semper Deo ministros pro seipso tradere. *Plato, legũ. lib. 6.*

Gignere debemus & educare liberos, vitam ceu lampadē alijs post alios tradendo. *Idem. ibid.*

Spartanorum lex mulctam statuit: primam, non ducenti vxorem: alteram sero ducenti: tertiam & grauissimam illi, qui malam duceret. *Aristonis Commentarij, apud Stob. serm. 64.*

Vniuersum genus nostrum ad societatem natum est. Prima autem & præcipua societas est, quæ per nuptias initur. Nam ciuitates familijs esse non possunt: & familia innupti manca est: integra autem & perfecta illius qui vxorem duxerit. *Hierocles apud Stob. serm. 65.*

Bonæ mulieris virtus est, maritum conseruantem non offendere. *Herodotus.*

Mulier parere extremum dedecus est viro.

Mulier nec alios videre, nec ipsa videri debet, præsertim quæ eleganter ornata fuerit. Vtrunque enim ad res [illegible] pertinet.

Optimus consensus est nuptiarum, si vterque coniux temperantiam exerceat. *Democritus.*

De secundis nuptijs. DIAL. LXXVI.

Francisci Petrarchæ.

GAV.

Secundas nuptias celebrabo. R. Si nosses ad liquidum quid est fœmina quidve de illa magni scribant viri, ne primas quidem nuptias celebrasses. G. Secundas nuptias celebrare est animus. R. Si non te primæ nuptiæ domuerant, iam secundas celebra, si te nec illæ domuerint, celebrabis & tertias. G. Secundis nuptijs intendo. R. Qui ex primo coniugio prolem habens nouercam superinducit, suis manibus in suam domum mittit incendium. Si iuuenta vrget, aut libidinosa vellicat senectus, qua nihil est turpius, posset forsan, (ciuiliter hoc potius quam honeste dicam) posset inquam fortassis vtilius nisi vel peccati materia, vel diuina lege vetitum esset, concubinali obsequio subuenire, quam nouercalibus odijs domus tranquilla turpari, quod Tito ac Domitiano susceptis filijs Vespasianus prudentissimus princeps fecit. Et ætate hac Stephanus Columnensis haud immerito inter principes memorandus. G. Ad secundas nuptias intendo. R. Potes id quidem secundum leges humanas, diuinis quidem legibus patientibus magis quam laudantibus, nota omnibus, quæ de hac re Paulus tractat Apostolus. Certe etiam apud Gentiles ipsos quibus laxior talium libertas, permissam rem potius quam probatam intelligere est. Siquidem multorum matrimoniorum experientiam, quasi legitimæ cuiusdam intemperantiæ signum esse vestri maiores crediderunt, quæ amplexus Hieronymus quam multa contra secundas nuptias quamque acriter scribat, non est promissæ breuitatis inserere, quæ quamuis in fœminas non in viros etiam dici omnia videantur, & haud dubie sexus ille maioris sit debitor castitatis, ac pudoris, plus tamen prudentiæ, ac constantiæ debent viri. G. Secundis mihi nuptijs est opus. R. Mirer, nisi mores vestros nouerim, non tantum superuacua, sed damnosa etiam vobis necessaria effecistis: Tu vero durissimi oris sis, si ad te frenandum vxore opus est altera. G. Ad secundas nuptias festino. R. Age age dum feruor durat: cum refrixerit dolebis, non notasti, quam dulcis est sopor in vacuo cubili, solum illum fœdum, & miserum actum cogitas qui transit, & vulnerat.

APOPHTHEGMATA.

Pittacus interrogabat quemdam, cur vxorem ducere nollet: Is cum respondisset, si formosam duxero, habiturus sum communem: sin deformem, pœnam: Haud quaquam, dixit Thales: sed si pulchram duxeris, non erit tibi pœna: si deformem, communem non habebis. *Stob. serm. 64.*

Thales roganti matri, vt vxorem duceret, nondum esse tempus dixit: deinde maior natu, non amplius esse tempus. *Stob. sermone 66.*

Idem interrogatus cur in vigore ætatis liberos non procreasset, respondit: Quia nolui sponte vitæ meæ facessere negocium, eiusque tranquillitatem turbare. *Idem ibid.*

Socrates, iuuenes cœlibes, & nuptias ambientes, similes esse dicebat piscibus, qui alluduot circum nassam, & gestiunt inire: contra, qui iam inclusi exire: simile in matrimonio, quod ambiuot liberi damnant capti. *Diog. Laert.*

Sciscitanti cuidam, vxorem an non duceret? Vtrumuis, inquit Socrates, facies, pœnitebit. *Stob.*

Musonius, cum quidam dixisset: Nuptias sibi videri impedimento esse ad philosophandum, respondit se aliter sentire quum non fuerint impedimento Pythagoræ, neque Socrati, neque Crateti, quorum vnusquisque vxorem cohabitauit: nec vllos, inquit, alios nominare possis, qui melius sint philosophati. *Stob. serm. 65. vbi egregia multa à Musonio dicta in laudem nuptiarum.*

Hierocles. Vniuersum humanum genus ad societatem natum esse dicebat. Prima autem, inquit, & præcipua societas est, quæ per nuptias initur. Nam ciuitates sine familijs esse non possunt: & familia innupta manca est: integra autem & perfecta illius qui coniugatus fuerit. *Stob. eod. serm.*

Plato ex nuptijs hanc consolationem oriri dicebat, quod naturæ perpetuitas inde promoueatur, & quod filios filiorum relinquendo semper Deo ministros pro nobis relinquimus, vitam ceu lampadem alijs post alios tradentes. *lib. 6. de legibus.*

Chilon. Eius dictum celebratur: nuptias frugales, & æquales opibus celebrato. *Stob. serm. 68.*

Eusebius Philos. dicebat optimum esse consensum nuptiarum, si coniuges temperantiam exerceant. *Stob. serm. 72.*

Anonymus. Lacon quidam diues bono, & pauperi adolescenti filiam elocauit, quam de re cum à cognatis reprehenderetur, dixit: quem diuitem potius quam pauperem futurum expectem. *Stob. sermone 70.*

Martia Catonis F. cum rogaretur, cur post amissum maritum, denuo non nuberet? respondit, se non virum inuenire, qui magis eam vellet, quam sua. Quo dicto ostendere voluit, diuitias magis in vxoribus ducendis eligi solere, quam pudicitiam, & morum honestatem: ac multos non oculos, sed digitis vxores ducere. *Aut. est Hieron.*

Dionysius sen. Cum videret matrem ætate confectam, secundo nubere velle, eam ob causam à multis male audire, ait: Ciuitatis legibus vim quidem posse afferri, naturæ vero nequaquam posse. *Plutarch.*

SIMILITVDO.

Stobæi. Quemadmodum Musici proprium vocis tonum posteaquam didicerint, tum demum conantur mediam constituere, vt & grauibus, & acutis conueniat, & neque abrumpitur, neque vt inferior relinquat locum suum: Eodem modo nuptiæ concinnandæ sunt iuxta proprium animæ tenorem, vt non solum in læta, sed & aduersa fortuna inuicem vnanimes degere possint. *Sermon. 68.*

EXEMPLA BIBLICA.

Nuptiarum secūdarum *exempla:* Abraham, *Gen.* 25. 1. Abigail, 1. *Sam.* 25. 42. Assuerus, *Esther* 2. 17.

HIEROGLYPHICA.

Numerus tricenarius hieroglyphicum est *nuptiarum:* vt sacri Euangeliorum interpretes super Matthæo affirmant, quod non multum absit a numer. 32. per quem Aegyptij maritalem copulam significabant. *Pier. Val. 37. pag. 359. B.*

Cornicem in nuptijs omine auspicatissimo nominari solitum fuit ex veteri instituto: vnde & *concordiæ & nuptiarum* habetur symbolum. Vide eumdem *Pier. Val. lib. 20.*

Vide tit. de Coniugio, Matrimonio, & vxore.

FINIS LIBRI DVODECIMI.

POLYANTHEAE NOVISSIMAE LIBER XIII.

O

OBEDIENTIA.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

Obedientia, Græce πειθαρχία, ας. vel πειθάρχος, ου. & πειθήνιος, ὁ, obediens, & πείθομαι, obedio dicitur. Item ὑπακοή, & ὑπακούω obedio. Hebr. *Misch-mahh.* à verbo *Echamahh*, audiuit, obediuit, obtemperauit, paruit. Est autem obedientia voluntatis propriæ subiectio, *secundum Ioannem Damascenum lib. 3. c. 4.*

Obedientia hominis ad Deum, est affectio voluntatis coniunctæ Deo. *secund. B. Anselm.*

Obedientia hominis ad hominem, est debita reuerentia minoris ad maiorem, Obedio idem est, quod pareo, & componitur ex ob & audio. Veteres etiam dicebant obaudio, pro obedio.

Obedientia à iustitia trahit originem. Est enim obedientia habitus parendi præceptis omnibus, quæ à ratione proficiscuntur. Vel, est habitus parendi præceptis illorum, atque imperijs, quibus lege, iureque parere teneamur: & vt pareamus, recta dictat ratio. Partes istius sunt, pietas, cultus, obseruantia, reuerentia, submissio. Contraria, impietas, contemptus, contumacia, irrisio, statio. Versatur illa in factione præceptorum: quorum quædam sunt naturalia, aut humana, vt leges ipsæ: quædam diuina, vt adorare Deum, parentibus obsequi, & obtemperare. De laude obedientiæ. Quæ cum obedientia coniungenda, quæ etiam vitanda: porro. Quod obedientia non debeat a metu, vel vtilitate proficisci: item, An vbique parentibus obediendum sit, &c. *Vide Iouian. Pont. in lib. de Obedientia qui hæc elegantissime scripsit.*

LOCI BIBLICI.

Obedientia pro nonitate, 1. *Pet.* 1. *v.* 2. Obedientia ex fide nascitur, *Rom.* 1. 5. & 16. *v.* 26. *Hebr.* 11. *v.* 7. *Iuda v.* Obedientia electionis effectus, 1. *Pet* 1. *v.* 2. sacrificijs præstantior est, 1. *Sam.* 15. *v.* 22. *Eccl.* 4. *v.* 17. obedientia commendatur, *Ierem.* 35. *v.* 18. 19. *Rom.* 16. *ver.* 26. 2. *Cor.* 9. 13. & 10. 6. *Ephes* 5. *v.* 8. 10. *Hebr.* 3. *v.* 8. & 10. 7. *Iac.* 4. *v.* 7. 1. *Pet.* 1. 22. 1. *Ioan.* 2. *v.* 3. & 4 *v.* 6. obedientia parentibus debetur, *Exod.* 20. *v* 12. *Deut.* 5. *v.* 6. *Leu.* 19. *v.* 3. *Ephes.* 6. *v.* 1. *Colos.* 3. *vers.* 20. obedientia erga Pastores, & reliquos Ecclesiæ Ministros commendatur, *Hebr.* 13. *ver.* 17. obedientia dominis carnalibus debita, *Ephes* 6. *v.* 5. *Col.* 3. 22. 1. *Petr.* 2. 18. Obedientiæ bona, *Gen.* 26. 4. 5. 1. *Reg.* 9. *v* 4. 5. 2. *Paral.* 9. 18.

Obediendum Deo, eiusque præceptis: & quæ merces constituta sit obedientibus, *Gen.* 12 4. & 18. *v.* 5. 23. & 22. 1. & *c.* 26. 5. *Exo.* 1. 17. & 15. 26. & 19. 5. & 20. 6. & 23. *v.* 22. 25. *Leu.* 20. 22. & 26. *v.* 3. 11. *Deut.* 4. 40. & 13. 4. & 17. 15. & 24. 8. & 27. 10. & 28. *v.* 1. 12. *Ios.* 22. 1. 1. *Sam.* 12. 14. & 15. 22. 2. *Reg.* 10. 30. 2. *Paral.* 7. 17. *Prou* 1. *v.* 8. 33. & 15. 31. *Esa.* 1. *v.* 19. & 48. 18 & 55. 2. *Ier.* 7. 23. & 11. 4 & 17. 24. *Dan.* 3. 16. *Eccl.* 35. *v* 7. 2. *Machab.* 7. 30. *Matt.* 4. 19. & 7. 24. & 8. 21. & 15. 3 & 17. 5. & 15. 3. *Luc.* 5. *v.* 4. & 10. *v* 16. 10. 2. *v.* 7. *Act.* 4. *v.* 19. & 5. 32. *Rom.* 16. *v.* 19. *Phil.* 2. *v.* 8. 12. 1. *Thess.* 4. *v.* 3. & 5. *v.* 18. 1. *Petr.* 1. *v.* 22. *Iacob.* 1. 22.

SENTENTIÆ BIBLICÆ.

Obediendum Deo celeriter.

Quid autem vocatis me Domine, Domine: & non facitis, quæ dico? *Luc.* 6.

Omnia quæ locutus est Dominus, faciemus, & erimus obedientes. *Exod.* 24.

Custodi pedem tuum ingrediens domum Dei, & appropinqua, vt audias, multo enim melior est obedientia, quam stultorum victimæ, qui nesciunt quid faciunt mali. *Eccl.* 4.

Quod cum audisset Dominus, ait ad me: Audiui vocem verborum populi huius, quæ locuti sunt tibi. Bene omnia sunt locuti. Quis det talem eos habere mentem, vt timeant me, & custodiant vniuersa mandata in omni tempore, vt bene sit eis, & filijs eorum? *Deut.* 5.

Numquid vult Dominus holocausta, & victimas, & non potius vt obediatur nomini Domini? Melior est enim obedientia, quam victimæ, & auscultare magis, quam offerre adipem arietum: quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere. 1. *Reg.* 15.

Numquid non recipietis disciplinam, vt obediatis verbis meis, dicit Dominus. *Ierem.* 35.

En propono in conspectu vestro hodie benedictionem, & maledictionem. Benedictionem, si obedieritis mandatis Dei vestri: maledictionem, si non audieritis. *Deut.* 11.

Mens iusti meditabitur obedientiam. *Prou.* 15.

Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis. *Esa.* 1.

Audite audientes me, & comedite bonum. Inclinate aurem vestrã & venite ad me: audite, & viuet anima vestra, & feriam vobiscum pactum sempiternum. 55.

Obediendum homini humiliter sine murmuratione.

Et facies quodcumque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius, sequerisque sententiam eorum. *Deut.* 17.

Super cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, seruate & facite: secundum opera vero illorum nolite facere. *Matth.* 23.

Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas, nisi à Deo. Quæ enim sunt potestates, a Deo ordinatæ sunt. Itaque qui resistunt potestati, Dei ordinationi resistunt. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. *Roman.* 13.

Quod si quis non obedierit verbo nostro per epistolam, hunc notate: neque commercium habeatis cum illo, vt pudore suffundatur: neque velut inimicum habeatis: sed admonete vt fratrem. 2. *Thessal.* 3.

Obedite præpositis vestris, & subiacete eis. Ipsi enim peruigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri, vt cum gaudio hoc faciant, & nõ gemẽtes. Hoc enim nõ expedit vobis. *Heb.* 13. 3.

Subiecti igitur estote omni humanæ creaturæ, propter Deum: siue regi quasi præcellenti: siue ducibus, tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum: laudem vero bonorum. 1. *Pet.* .

Nam principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autẽ non timere potestatem? bonum fac, & habebis laudem ex illa. Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem male feceris, time. Non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui male agit. Ideoque necessitati subditi estote non solum propter iram, sed & propter conscientiam. Ideo enim & tributa præstatis. *Rom.* 13.

Itaque charissimi mei, sicut semper obedistis, non in præsentia mei tantum, sed multo magis nunc in absentia mea, cum metu, & tremore vestram salutem operamini. *Phil* 2.

Admone illos principibus, & potestatibus subditos esse, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos esse. *Tit.* 3.

SENTENTIAE PATRUM.

Non semper malum est, non obedire præcepto, cum Dominus iubet ea, quæ sunt contraria Deo, tunc ei obediendum non est. *August. & habet.* 11. *q.* 3. *can. Non semper.*

Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Sed quid si illud iubeatur, quod non debeas facere? Hic sane contemne potestatẽ, ipsos humanarum legum gradus aduerte. Si aliquid iusserit Curator, faciendum est: non tamen, si contra Proconsul iubeat. Non vtique contemnis potestatem, sed eligis maiori seruire: nec hinc debet minor irasci, si maior prælatus est. Rursus si ipse consul aliquid iubeat, & aliud iubeat Imperator, & aliud Deus. Da veniam ò Imperator: tu carcerem, ille gehennam minatur. Hic iam tibi assumenda est fides tua tamquam scutum, in quo possis omnia ignea iacula inimici extinguere. *Idem & habetur* 11. *q.* 3. *can. Ita corporis, §. Qui resistit.*

Imperatores si in errore essent (quod absit) & pro errore suo contra veritatem leges darent, per quas iusti probarentur, & coronarentur: non tamen faciendum est, quod illi iubent, quia

Dei

Deus prohibet: sicut iusserat Nabuchodonosor, vt aurea statua adoraretur: quod qui facere noluerunt, Deo alia prohibenti placuerunt. Quando autem Imperatores veritatem tenent, & pro ipsa contra errorem iubent, quod quisque contempserit, ipse sibi iudicium acquirit. nam inter homines pœnas luit, & apud Deum frontem non habebit: quia hoc facere noluit, quod ei per cor regis ipsa veritas iussit. *Aug. l. Donatistis, & habet ibid. can. Imperatores.*

Generale quippe pactum est societatis humanæ, obtemperare regibus suis, quanto magis Deo regnatori vniuersæ creaturæ suæ ad ea, quæ iusserat, sine dubitatione seruiendum est? Sicut enim in potestate societatis humanæ maior potestas minori ad obediendum præponitur, ita Deus omnibus. *Aug. 2. Confes. & hab. dist. 8. can. Quæ contra.*

Quid iniquius, quam velle sibi obtemperari à minoribus, & nolle obtemperare maioribus? *Aug. de opere monachorum.*

Est ordo naturalis in hominibus, vt seruiant fœminæ viris, & filij parentibus: quia in illis hæc iustitia vt maiori seruiat minor. *August. in lib. 9. Gen. & hab. 33. q. 5. c. Est ordo.*

Si dominus ea iubeat, quæ non sunt aduersa sanctis scripturis, subijciatur domino seruus. Si vero contraria præcipit, magis obediat spiritus, quam corporis domino. *Hier. in epist. ad Eph. & habet. 11. q. 3. Si dominus.*

Non potuit Deus perfectius demonstrare, quãtum sit bonum obedientiæ, nisi quum prohibuit ab ea re, quæ non erat mala, sola ibi obedientia tenuit palmam: Sola ibi inobedientia inuenit pœnam. *Ambr. in Psalm.*

Verus obediens mandatum non procrastinat, sed statim parat aures auditui, linguam voci, pedes itineri, manus operi, & se totum intus colligit, vt mandatum peragat imperantis. *Bern. de præcepto, & dispensat.*

Non attendit verus obediens quale sit, quod præcipitur: hoc solo contentus, quia præcipitur. *ibid.*

Quid ergo mirum, si peccator homo se obedientiæ in præsentis vitæ breuitate subijcit, quando hanc mediator Dei, & hominum tenuit, & tenendam præcepit, & cum obedientes remunerat, non relinquit. Sciendum vero est, numquam per obedientiam malum fieri, aliquando autem per obedientiam debet bonum, quod agitur, intermitti. Neque enim in Paradiso arbor mala extitit, quam Deus homini, ne contingeret, interdixit: sed vt melius per obedientiæ meritum, homo bene conditus cresceret, dignum fuerat, vt tunc etiam à bono prohiberetur: quatenus tanto verius hoc, quod ageret, virtus esset, quanto & à bono cessans, authori suo se humilem, & subditum exhiberet. *Greg. 35. Moral. & habetur 11. q. 3. can. Quid ergo.*

Obedientia non seruili metu, sed charitatis affectu, seruanda est: non timore pœnæ, sed amore iustitiæ. *Greg. lib. 12. Moral.*

Obedientia sola virtus est, quæ menti cæteras virtutes inserit, insertasque custodit. Melior est obedientia, quam victimæ, obedientia victimis præponitur: quia per victimas aliena caro, per obedientiam vero voluntas mactatur. *Idem lib. 35. Moral. tractans illud 1. Reg. 15. Melior est obedientia, quam victimæ.*

Si vis esse sapiens, esto obediens, sic enim scriptum est: Cõcupiscis sapientiam: serua mandata, & dominus dabit illam tibi. *Bern. in serm. de Epiphania.*

Bonus obediens dat suum velle, & suum nolle, vt possit dicere. Paratum cor meum Deus, paratum cor meum, paratum quodcumque præceperis facere, paratum ad nutum eius obedire. paratum tibi vacare, proximis ministrare, meipsum custodire, & in cœlestium contemplatione requiescere. Amabilis socijs, omnibus officiosus, & nulli onerosus, deuotus ad Deum, benignus ad proximum, sobrius ad mundum, domini seruus, proximi socius, mundi dominus. Superiora habet ad gaudium, æqualia ad consortium, inferiora ad seruitium. *Bernardus super Cantica.*

Perfecta obedientia legem nescit: terminis non arctatur, nec contenta angustijs professionis, largiori voluntate fertur in latitudinem charitatis, & ad omne, quod iniungitur spontaneo vigore liberalis: alacrisque animi modum non considerans, in infinitam libertatem extenditur.

Melius est obedire Deo quam hominibus, & ipsis melius magistris, quam discipulis; porro in magistris, melius nostris, quam extraneis, quibus autem melius constat obedire: ipsis procul dubio & non obedire est detestabilius.

In obediendi ratione hæc generalis regula tenetur: Vt in difficilioribus quidem agendi obeditio grauior, quam præuaricatio grauior iudicetur, & in facilioribus minusque onerosis contemptus damnabilior quam actus laudabilior.

Solum censuerim fregisse votum, violasse propositum, præuaricasse pactum, qui & præceptum contempserit, & remedium. Nam illum sane dico securum, qui etiamsi interdum obedire præterierit, consilium non respuit pœnitentiæ. *Bernard. de præcepto, & dispensatione.*

Qui scit se quibusdam præpositum, non moleste ferat aliquem sibi esse prælatum: sed obedientiam, quam exegerit, etiam ipse dependat: & sicut non vult graues oneris sarcinas ferre, ita nõ audeat alijs importabile onus imponere. Discipuli enim sumus humilis, & mitis magistri dicentis: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. *Leo Papa, & habet. 2. quæst. 6. can. Qui scit.*

Inobedientiæ morbus, ex superbiæ tumore procedens, sicut sanies ex vlcere, sic ex superbia contemptus manat. Hoc autem tribus modis mederi solet, videlicet Emplastro, Vnguento & Ferro, id est, Exemplo boni operis, Verbo exhortationis, & Disciplina correctionis. Cum enim vlcus non emittit per confessionem saniẽ, vel ex commotione non permittit emundationem, restat vt ferri recipiat inscisionem, id est, correctionem disciplinæ. *Hugo de 12. abusionibus.*

Sicut fructus non inuenitur in arbore, in qua flos prius non apparuit, sic in senectute honorem legitimum consequi non poterit, qui in adolescentia disciplinæ alicuius exercitatione non laborauit. Disciplina igitur absque obedientia qualiter fieri poterit? Adolescens ergo sine obedientia, adolescens sine disciplina est. *Cyprianus de 12. abusionibus.*

Poetarum Dicta.

Ouid. 2. Fast.

Phyllirides puerum cithara præfecit Achillem,
Atque animos molli contudit arte feros.
Qui toties socios, toties perterruit hostes,
Creditur annosum pertimuisse senem:
Quas Hector sensurus erat, poscente magistro
Verberibus iussas præbuit ille manus.

Plaut. Trin.

Pater adsum,
Impera quid vis neque tibi ero in mora, neque latebrose me abs tuo
Conspectu occultabo.

Hesiodus in operib.

Bonus ille est, qui recte ducenti obedit.

Homerus in α Iliados: & sunt verba Nestoris ad Achillem & Agamemnonem.

Ἀλλὰ πίθεσθε καὶ ὔμμες, ἐπεὶ πείθεσθαι ἄμεινον.
Sed obedite & vos, quoniam obedire melius est.

Pythagoras.

Πραέσι δ' εἶκε λόγοις, ἔργοις τ' ἐπωφελίμοισι.
Mitibus pare sermonibus, operibus conducibilibus.

Periander.

Ἄρχουσιν εἶκε.	*Principibus pare.*
Εἶκε μεγάλοις.	*Cede magnis.*

Pittacus.

Νόμοις πείθου.	*Legibus pare.*

Seneca tragœdia 7.

Æquum atque iniquum regis imperium feras.

Plautus in Sticho.

Faciendum est id nobis, quod parentes imperant.

Virg. Aeneid. lib. 2.

Tu ne qua parentis
Iussa time, neu præceptis parere recusa.

Mart. lib. 1. epist.

Læserat ingrato leo perfidus ore magistrum,
Ausus tam notas contaminare manus.
Sed dignas ante persoluit crimine pœnas:
Et qui non tulerat verbera, tela tulit.

Hesiodus in operibus.

Ἐσθλὸς δ' αὖ κἀκεῖνος ὃς εὖ εἰπόντι πίθηται.
Bonus autem & ille est, qui recte dicenti paret.

Pub. Mim.

Bis peccas, cum peccandi obsequium accommodas.

Sententiæ Philosophorum.

Mali quidquam parentibus nec dicto, nec facto exhibere oportet; sed obedire cuiuscumque conditionis fuerint. Item in quacumque corporis, animi, rerumve externarũ fortuna, in pace, in bello, in sanitate, morbo diuitijs, paupertate, gloria, infamia: siue priuatis, siue in magistratu constitutis parentib. adesse ipsis oportet, nec vnquam deserendi sunt: obediendumque tantum non et insanis. Hæc enim sapienter, & recte fieri à pijs hominibus existimantur. Contemptus autem parentum peccati genus eiusmodi est, quod in viuis simul atque defunctis diuinitus damnatur, ab hominibus odio habetur, & sub terra in loco impiorum, vna cum reliquis improbis perpetuo punitur à iustitia, & infernalibus Dijs, qui his rebus inspiciendis destinati sunt. Honestissima enim est, immo diuina parentum facies. Et adspectus, cultusque eorum tanti fieri debet, quanti nec Solis fit, nec omnium siderum, quæ gratissimas cœli choreas constituunt aut si qua alia res istis maior à quoquam existimatur. Deos quidem arbitror, si

contemni parentes viderint, haud quaquam id esse toleraturos. Quamobrem & viuos, & mortuos colere par est, nec vnquam eis contradicere. Verum si quid ignorent, morbi aut animi deceptionis vitio, consolari, atque docere oportet: odisse nequaquam: maius enim inter homines admitti peccatum nequit, quam erga parẽtes impietas. *Peryctione Pythagorica ex lib. de mulieris harmonia.*

Iuuenis quidam, quem pater philosophandi cupidum prohibebat, Musonium interrogauit his fere verbis: An o Musoni per omnia obsequendum parentibus, an in aliquibus rebus id non faciendũ est? Cui ille respondit: Parere quidem vnumquemque suis parentibus decorum videtur, & a me commendatur. Sed quidnam sit parere, videamus, aut primum potius, quid sit immorigerum esse, & quis inobediens, dispiciamus: postea vero melius videbimus quid sit obedire. Age, si pater, qui Medicus non est, neque salubrium, & contrariorum peritus, filium ægrotantem aliquid facere iusserit ceu conducibile, quod tamen noxium sit, & inutile, ac ipsum ægrum huiusmodi esse non lateat, dicitur ne filius non obtemperare, ac inobediens esse, nisi iussa fecerit? Non equidem videtur. Item, si ipse pater aliquo morbo laborans vinum, aut cibum intempestiue petierit, vt quibus assumptis, ægritudinem aucturus sit: filius autem id sciens non exhibuerit, patrine immoriger ille est? Nemo hoc dixerit. Et multo minus illũ quis inobedientem appellauerit, qui patrem auarum habens, ab eo furari, aut deposito fraudare quempiam iussus, eius non exequitur imperata. An non putas esse aliquos patres, qui filijs suis talia imperarent? Ego certe noui quemdam adeo sceleratum, vt filij (quem formosum habebat) pulchritudinem vendere ausus fuerit. Quod si hic adolescens à patre venditus, & missus ad turpe facinus contradixerit, neque iuerit, an potius inobedientem eum, aut castum, & sobrium esse dicemus? Sed forte huiusmodi ne interrogari quidem merentur: nam contumacem esse, & non parere, conuicium, & opprobrium est: non facere autem ea, quæ non facienda sunt, laudem meretur, non dedecus. Itaque siue patris, siue magistratus, siue domini præceptis mala, iniusta, vel turpia imperantis, non obsequens quis fuerit, nequaquam inobediẽs est, vt ẽt neque iniuste, neq; perperam facit. Verum ille duntaxat immoriger est, qui bene, honeste, vtiliterque imperata negligit, & non obtemperat. Talis igitur est inobediens. Moriger autem illi contrarius, & contrario modo est affectus. Is autem hoc nomine appellandus erit, qui obtemperat, & vltro obsequitur recta monenti. Quamobrem & parentibus suis tum demum quis obedit, cum sponte facit, quæ ipsi recte iusserint. Ego sane illum, qui, quæ decent, & conducunt, fecerit, quamuis sine iussu parentum, morigerum parentibus esse dixerim. Quod autem iure ita sentiam, hinc colligere potes. Qui facit, quæ pater vult patrisque voluntatem sequitur, patri obedit: faciens autem, quæ oportet, & honora facta sunt, voluntati patris obsequitur. Quonam modo? Quoniam parentes omnes liberis suis procul dubio bene volunt, beneuoli autem cum sint, ea fieri ab ipsis volunt, quæ decora profuturaque sunt. Quisquis igitur agit conuenientia, & vtilia, ea, quæ parentes volunt, agit. Itaque parentibus ista faciens obtemperat, etsi parentum verbis iussus non fuerit. Proinde solum hoc illi qui parentibus obedire volet, vbique consideretur, an quod agit, sit honestum, & vtile, tanquam si tale fuerit, statim is, à quo agitur, parentibus obediat. Quocirca ne time adolescens, ne patri fias immoriger, si vel indecorum quid præcipiente ipso, non facias, vel prohibente honesta facere pergas. Nam pater in istorum neutro prætextus peccãdi tibi esse debet, non enim cogeris mala imperata exequi. *Musonius.*

Cogitate enim, & quæ vrbs hostilis capta sit ab obedire nolẽtibus, & quæ amica ab ijs qui parere nolint, seruata sit, quæ etiam obedientiam non præstantium sit acies victoriam consequuta. Quo autem pacto magis homines vincantur in pugna, quam vbi cœperint, priuatim quisque de sua salute consultare? Quod denique aliud bonum præstetur ab ijs, qui melioribus non parent? Quæ vrbes legitime habitentur, vel quæ domus seruentur, vel quo pacto naues, quo opus est, perueniant? Nos vero quæ hoc tempore habemus bona, ob quam rem aliam magis adepti sumus, quam ob præstitam obedientiam principi.

Si igitur principi obedire maximum apparet esse bonum ad bona adipiscenda: ita vobis exploratum esse debet, quod etiam idem hoc ad seruandum, quæ oportet, maximum sit bonum. *Xenophon, lib. 8. Pedia Cyri prope initium.*

Homines inobedientes sunt illi, qui cum iniuste viuant, alijs præesse volunt. Obedientiam autem facilem ad ea, quæ princeps vel ipse, vel per aliũ præcipit, apud subditos efficiet quiuis, qui quæ ipsum facere oportet, diligenter exequitur, & eorum, quæ agere conuenit, subditis sese exemplum præbet. *Euseb.*

Ἴσον ἐκεῖνο ὦ βασιλεῦ παρ' ἐμοὶ κέκριται, φρονέειν τε εὖ, καὶ τῷ λέγοντι χρηστὰ ἐθέλειν πείθεσθαι.

Idem, ò rex, meo quidem iudicio esse videtur, vel ingenio sapere suo, vel recte dicenti obtemperare. *Herod. lib. 7. hist.*

Ἐν μὲν γὰρ τῷ πλεῖν πείθεσθαι δεῖ τῷ κυβερνήτῃ, ἐν δὲ τῷ ζῆν, τῷ λογίζεσθαι δυναμένῳ βέλτιον.

Nauigando gubernatori auscultandum est: viuendo, illi qui plus ratione valet. *Aristonymus in Ternarys.*

Quanto quis diligentius obsequitur, tanto maiorem gratiam obtinebit. *Arist. Oecon.*

Nullum est maius, quam inobedientiæ malum. *Apud Stob.*

Inobedientia est ex duritia mentis obstinatæ, cui debeas imperanti, nolle obtemperare. *Tullius.*

Deo parere libertas est. *Seneca de beata vita.*

Suis quique parent placidius. *Curt. l. 6.*

Vtilius parere edicto, quam efferre consilium. *Idem lib. 7.*

Obsequio mitigantur imperia. *Idem lib. 8.*

Potentiori omnia parent. *in Histo. Saxo.*

Corrumpitur, atque dissoluitur imperantis officium, si quis ad id quod facere iussus est, non obsequio debito, sed consilio non considerato respondet. *Gell. l. 1.*

Mihi videre videor, obedientiam in exhortatione maxime consistere, quæ obedientem laudat, & honorat, inobedientem vero ignominia supplicioque afficit. *Xenoph. l. 2.*

Vt necessitate adducti pareant, hæc est via. Sed quod longe melius est, vt vltro pareant, alia est via compendiosior. Quem enim seipsis prudentiorem duxerint circa suam ipsorum vtilitatem, huic homines perlibenter obediunt. *Idem ibid.*

Homines dicto audientes nolunt esse ijs, qui præesse vt par est nesciunt: quippe obedientiam à principe discant oportet, qui enim bene ducit, efficit, vt recte cum illi quos ducit sequantur. Ac vt equestris artis opus est, reddere equum mansuetum, & freno parentem: ita regiæ scientiæ est, obedientiam subditorum efficere. *Plutarch. in Lycurgo.*

Non turpe, sed honestum, atque salutare est, parere & obtemperare prudentibus *idem in Aristide.*

Suis quisque placidius paret, etiam cum is præest, qui magis timeri potest. *Curtius lib. 6.*

Quicquid imperio cogitur, exigenti magis quam præstanti refertur acceptum. *Valer. Max. lib. 2. c. 2.*

Futuro iam Domino non prorsus gratificari, dementiæ est. *Procop. de bello Goth. l. 1.*

Si omnia quæ alium quemuis tibi imperantem, tua sponte feceris, nec peccabis quidpiam, & omnia recte diriges, & vitam ex eo iucundissimam simul & tutissimam viues. *Dion. l. 3.*

Quanto quis obsequiu promptior, honoribus, & opibus amplioribus extollitur. *Tacit. 1. Annal.*

Nimis iniquum est, vt ille patiatur dispendium, qui imperium fecit alienum. *Cassiod. l. 2. epist. 26.*

APOPHTHEGMATA.

Solon percontatus, qua ratione salua possit esse ciuitas, respondit: Si ciues obtemperent suis magistratibus, Magistratus autem regibus. *Stob. serm. 41.*

Zeno Citiensis celebratissimam Hesiodi sententiam solebat inuertere. Cum enim ille primas tribuat ei qui per se sapiat, secundas qui recte admonenti obtemperet; Zeno ordine inuerso sic pronunciabat.

Κεῖνος μὲν πανάριστος ὃς εὖ εἰπόντι πίθηται.
Ἐσθλὸς δ' αὖ κἀκεῖνος ὃς αὐτὸς πάντα νοήσῃ.
Optimus ille quidem, qui paret recta monenti.
Sed probus ille quoque est, qui nouerit omnia per se.

Addebat causam: quod qui ex se nosset omnia, nihil haberet præter intelligentiam: at qui recte monenti pareret, præter intelligẽtiam haberet etiam effectum. Nam parere dicitur, qui quod didicit optimum esse, facit. *Laert. l. 7. c. 1.*

Pericles dicebat: Samios esse similes pueris, qui porrectam offulam reciperent quidem, sed interim plorantes: eo quod illi parerent imperatis, sed non sine tædio, & querimonia. Similiter *Demosthenes* dixit, populum Atheniensium esse similem ijs qui in naui nauseant. Siquidem ij cum magno tædio laborant, tamdem eo perueniuntur, quo tendit nauis.

Musonius interrogatus, an parentibus obediendum esset in omnibus respondit: Obediendum quidem esse, sed honestum iustumque imperantibus. *Stob. 77.*

Anonymus. Eretrius adolescens quidam in patriam post longam peregrinationem reuersus, rogatus a patre quid disciplinæ tanto temporis interstitio assecutus esset? se breui ostensurum esse pollicetur. Verberibus igitur paulo post cæsus propter delictum admissum, patri nequaquam inobediens fuit: & ait hoc edoctum vt parenti castiganti obediret, eiusque indignationes, ac pœnas æquo animo ferret. *Brus. lib. 4. c. 30. ex Æliano.*

Scipio Africanus, cum in Africa bellum gereret, ostendit viros armatos quos secum habebat, & turrim præterea excelsam in mari. & ait: Nullus horum omnium est, qui non conscensa turri, semet in mare præcipitaturus sit, si ego iussero. Dictu profecto mirum est, in tanto exercitu militum nullum fuisse, qui etiam in mortis periculo Imperatori suo obedire recusaret. *Plut. & P. M. lib. 5. apoph.*

M. Curius

M. Curius adolescentis qui in delectu non paruerat bona primum hastæ subiecit: ipsumque postea ad tribunos appellantem vendidit, dicens, non opus sibi esse eo ciue, qui parere nesciret. *Bruf. lib. 4. c. 30.*

SIMILITVDINES.

Chrysostomi. Si videntes viri alicuius sæculari dignitate insignis familiarem, operam damus, vt quantum possibile est, illi præstemus obsequium, cogitantes, quod quæ illi fiant, eius domino accedāt: Multo magis apud omnium dominum, quicquid laudis sanctis impendimus. *Homil. 63.*

Iustini martyris. Cedendum potius voluntati Dei, sicut lutum obsequitur suo figulo. *De recta confess. fidei de S. consess. Trenetae fol. 24.*

Procopij. Quemadmodum decet, vt iumenta nobis obsequantur: Ita rationem nostram obtemperare oportet Deo. *in Leu.*

Thalasij. Sicut Adam in mortem incidit præuaricando: Ita & Saluator obediendo mortem trucidauit. *Ad Paulinum presbyter.*

D. Bernardi. Magna dissimilitudo inter bonum, & sequacem, atque inter durum, & pertinacem. Nam huic dicere habet prælatus: Quid tibi faciam? quod Dominus ad eum nondum illuminatum ait. At perfectus & obediens populus dicit id Pauli dictum. Domine quid me vis facere? *De Pauli conuersione, serm. 1.*

Honorij. Vt non est attendendum ad opera, seu acta referentis imperialia mandata: Ita nec priuatorum, sed tantum summi regis attendenda iussio. *Sermone de malis sacerdotibus.*

Gulielmi Paral. Solent inseri arbori agresti duo ramusculi alicuius nobilis arboris, deinde arboris, quæ prius fuit agrestis, pereunt flores, frondes, & fructus secundum naturam arboris nobilis à qua ramusculi sunt assumpti: Sic obedientia alienum sensum, & alienam voluntatem assumit, & cordi eius, qui promittit obediētiam, inseruit, & iam illud secundum sensum, & voluntatem sui superioris operatur. *In summa virtutum, tract. 5. c. 30.*

Laurentij Iustiniani Patriarchæ. Sicut sine duce non confiditur de victoria, ac sine gubernatore non peruenitur ad portum: Ita & absque obedientia impossibile est in huius vitæ pelago non periclitari. Ista enim hominem facit triumphare. *In ligno vitæ, cap. 3. de Obedientia.*

ADAGIA.

Ad digituli crepitum.
Qui arrogantius, fastuosiusque iubent quippiam, digituli crepitu significare dicuntur.

Quum vterque concedit alteri.
Quum omissa concertatione, vterque alteri concedit. Vsurpabit illud Hom. Iliad. ι.

> Ἀλλ' ἤτοι γὰρ ταῦθ' ὑποείξομεν ἀλλήλοισιν.
> Σοὶ μὲν ἐγώ, σὺ δ' ἐμοί.
> *Quum magis alteri in his rebus cedamus vterque,*
> *Tu mihi, contra ego deinde tibi.*

Lex & regio. *νόμος καὶ χώρα.*
Seruiendum & obsecundandum esse moribus regionis, in qua verseris. Zenodot. Du must recht finden vnd nicht bringen. Wer bey den Wolfen ist, der muss mit jhnen heulen.

Deum sequere. *ἕπου θεῷ. Plut.*
Putant hunc esse sensum. Obtempera rationi. Inest enim suus cuique animo Deus.

Non statuat lecna in Machæra. *οὐ στήσεται λέαινα ἐπὶ τυροκνήστιδος. Aristoph.*
Prouerbium meretricium quum negat scortum, sui copiam facturum sese.

Obedientis felicitatis mater.
Vide infortunij.

Insanire cum insanientibus. *τοῖς μαινομένοις συμμαίνεσθαι.*
Dicebatur, qui se moribus quorumlibet attemperabat.

Ostrei in morem hæret. *ὥσπερ λεπὰς προσέχεται.*
Aristophanes dixit in anum quæ ægre à iuuene diuellebatur.

> Ὦ Ζεῦ βασιλεῦ τῆς γραΐδιον
> Ὥσπερ λεπὰς τοῦ μειρακίου προσείχετο.
> *O Iupiter, quam fortiter concha modo*
> *Ista anicula adhæret adolescentulo.*

Alios tragœdos prouocat. *τοὺς ἑτέρους τραγῳδοὺς ἀγωνιεῖται.*
Didymus ostendit dici solitum in eos, qui sese componunt, instruuntque aduersus partem aduersam. Huc referas licet paulo inferius adductum. Auriculam mordicus.

Mordicus tenere. *Cicero.*
Est summa pertinacia tueri, quod Græci vocant, ὀδάξ. In eumdem sensum dixit Seneca: Vtraque manu.

Toto corpore, omnibus vnguiculis. *ὀδοῦσι καὶ ὄνυξι.*
A feris sumpta Metaphora, quæ dentibus, vnguibus, totoque corpore retinere solent, quod nolunt extorqueri.

EXEMPLA BIBLICA.

Obedientiæ *exempla:* Noe, *Gen. 6. 22. & 7. v. 5. Heb. 11. v. 7.* Abraham, *Gen. 17. v. 23. & 22. v. 3. 10. & 26. v. 5. Act. 7. v. 4. Heb. 11. v. 8. 17.* Iacob, *Gen. 28. v. 5. 7.* Iacobi familia, *35. v. 4.* Ioseph, *37. ver. 13.* Moyses, *Exod. 3. v. 13. & 4. v. 3. & 7. v. 6.* Israelitæ, *24. v. 3. 59. v. 42. Num. 5. 54. & 2. v. 34. & 9. v. 18. Deut. 34. v. 9.* Iosue, *1. v. 16. 17. 2. Paralip. 11. v. 4. & 24. v. 25.* Moyses & Aaron, *Exod. 3. v. 12. & 4. v. 3. & 7. v. 6. & 24. v. 3.* Moyses, *40. v. 16.* Aaron & eius filij, *Leuit. 8. v. 36.* Dauid, *1. Sam. 17. v. 20.* Iosaphat, *2. Reg. 6. ver. 21. 23.* Multitudo, *1. Esd. 10. v. 12. Nehem. 5. v. 12.* Tobias, *Tob. 5. 1.* Esther, *Esth. 2. ver. 10. 20.* Esaias, *Esa. 6. v. 8.* Ezechiæ Regis legati, *36. v. 21.* Rechabitæ, *Ierem. 35. v. 6.* Matthathias, *1. Machab. 2. v. 9. 20.* Ioseph Mariæ Virginis sponsus, *Matth. 1. v. 24. & 2. v. 14. 21.* Petrus & Andreas, *4. ver. 20. Marc. 1. v. 18.* Iacobus & Ioannes, *Matth. 4. v. 22. Marci 1. vers. 20.* Matthæus, *Matt. 9. v. 9. Mar. 2. v. 14. Luc. 5. v. 27. 28.* Discipuli Christi, *Matth. 26. v. 19. Luc. 22. v. 13.* Apostoli, *Mar. 16. v. 20. Luc. 6. v. 9. Ioan. 6. v. 10.* Deipara Virgo cum viro suo Ioseph, *Luc. 2. v. 21. 22. 34. 41.* Christus, *Esa. 50. v. 6. Luc. 2. v. 51. Ioan. 10. v. 18. & 12. v. 49. & 14. v. 31. & 15. v. 10. & 17. v. 4. Phil. 2. 8. Heb. 5. v. 8. & 10. ver. 7.* Petrus, *Luc. 5. v. 5. Heb. 10. v. 23.* Cæcus natus, *Ioan. 9. v. 7.* Petrus, Ioānes, *Act. 4. v. 19. & 5. v. 29.* Paulus, *9. v. 6.* Ananias, *v. 17.* Cornelius Centurio, *10. v. 33.* Romana Ecclesia, *11. u. 7. & 16. u. 19.* Corinthiaca Ecclesia, *2. Cor. 9. u. 13.* Philippenses, *Philip. 2. u. 12.* Timotheus, *u. 22.* Thessalonicenses, *1. u. 6.* Sara, *1. Pet. 3. u. 6.* Obedientiæ fictæ *exempla:* Aduersarij Dauidis, *Psal. 18. u. 45. 46.* Obedientiæ sceleratæ *exempla:* Iudæi, *2. Paral. 24. u. 21.*

PROPHANA EXEMPLA.

Cyrus Persarum rex militem (qui cum interfecturus gladium eduxisset, & classico audito, ictus cohibuisset, hostemque dimisisset) laudasse dicitur: eo quod militarem legem pluris, quam hostem fecisset. *Alexand. de Alex. lib. 1. c. 20. ex Pædia Xenophon.*

Polynices ad matrem Iocastam apud Eurip. in Phœnissis, inquit.

> Ἃ γὰρ σὺ βούλει, ταῦτ' ἐμοὶ μῆτερ φίλα.
> *Quæ tu vis, eadem mihi grata erunt, mater.*

Menoeceus, Patrem Creontem, interrogat, vtrum fugere debeat, ne mactetur à ciuitate, apud Euripidem in Phœnissis, inquit,

> Οὐκοῦν σε φράζειν εἰκός, ἐκπονεῖν δ' ἐμέ.
> *Nimirum conueniens est te dicere efficere vero me.*

Cum Artaxerxes interfecisset maximum natu filium Darium, ob insidias quas patri intenderat. Altera ab illo, iubente patre, stricto acinace, sibiipsi vim ante regiam intulit. *Ælian. de varia histor. lib. 9.*

Metelli filij Romæ à patre hæreditate exclusi, testamentum irritum esse voluerunt: Satius arbitrati bonorum extorres fieri, quam qualemcumque patris voluntatem non tueri. *Alex. lib. 6. c. 10.*

Teribazum aiunt, cum à Persis corriperetur, quod esset vir validus, strinxisse acinacem, ac vi se defendisse: quibus testantibus, vociferantibusque ex præcepto se regis ipsum comprehendere, confestim ensem abiecisse ferunt, manus vinciendas præbuisse. *Plut. de superstitione.*

Stiliconi ab Honorio Imp. genero missi milites, manus inijcere conabantur. Ille primum se defendere, post vbi Imperatoris id voluntate fieri cognouit, manus dedit, seque ab illis interfici passus est.

HIEROGLYPHICA.

Auris sacris in literis hieroglyphicum est *Obedientiæ. Pier. Valer. libro 13.*

Erat & illud hieroglyphicū, quod Aegyptij sacerdotes, *Obsequium*, & ad Domini iussa nutumve regressum significare si vellent, *Canem conuerso in dorsum capite* pingebant, *idem lib. 5.*

Vide Inobedientia, & Obsequium.

OBIVRGATIO.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Obiurgatio, Græce *λοιδορία, ας, ἡ, & λοιδορέω.* obiurgo dicitur: Est autem obiurgatio idem quod reprehensio. Heb. *Tocacath*, a verbo *Iacac*, Increpauit, obiurgauit, arguit certis verbis conuincendo, & probando rei veritatem, &c.

LOCI BIBLICI.

Obiurgationes in Ecclesia necessariæ sunt, *1. Cor. 4. 21. 2. Cor. 2. 4. Ephes. 5. 11. 13. 2. Tim. 3. 16. & 4. 2.*

SIMILITVDINES.

Hilarij. Vt à sancto, & fideli viro argui se velle, prudentis est, quia ægris animis & peccatorum morbo languentibus, vtilis est seueræ obiurgationis sub honesto auctore medicina: Ita miserum est per peccati miserationem, vsque ad ipsam peccantium misericordiam decidisse. *in Psalm. 140.*

Plutarch. Vt qui sacris initiantur, perferunt primos illos insultus, ipse securiturae dulcedinis, ac lucis: idem faciendum ijs, qui à Philosopho obiurgantur. *In simil.*

Quemadmodum Medicus, vbi secuit carnem, non statim deserit sectum, sed rigat, ac lenit: Sic qui acrius obiurgauit, debet reliqua vitae consuetudine lenire eam molestiam. *In Moral.*

Pharmacum non adhibitum in loco, dolet absque fructu: Sic obiurgatio non vt debet admota. Atque idem facit amicus cum molestia, quod adulator cum voluptate. Lædit enim vterque. *In Mor.*

Vt austera remedia, sed necessaria, leuant quidem ægrotantes, sed offendunt, & inficiunt sanos: Sic acris obiurgatio vitio medetur, probos offendit. *In Moral.*

Medici pharmacis amaris dulce nonnihil admiscent, vt alliciant: Ita parentes obiurgationis asperitatem lenitate debent mitigare. *In Moral.*

Vt statuarij primum ictibus incidunt lapidem, postea poliunt, atque æquant: Sic amicus obiurgationem lenitate mitigabit. *In Moralibus.*

Qui in rebus leuiculis acriter obiurgat amicum, perinde facit, ac si Medicus amarum, & acre pharmacum, ac sumptuosum in leuissimis morbis passim admoueat. *In Moral.*

Plinij. Vt elleborum si parcius sumas, magis offendit, quod inhæreat visceribus, inficiatque corpus: sin copiosius, erumpit celerius: Ita non est obiurgandus amicus, nisi ea vehementia, quæ vitio libetet illius animum. Nam leuior expostulatio contristat amicitiam nullo fructu. *lib. 2. c. 5. in fine.*

Vt elleborum tametsi efficax, tamen Medici vetant dari senibus, aut pueris, aut exilibus: Ita admonitio sic est temperanda, vt ferre possit quem velis emendare, nec solum spectandum est vitiũ, sed natura quoque eius, cuius vitio studeas mederi. *lib. 25 c. 5 in fine.*

P. M. Quædam gemmæ aceto maceratæ nitescunt, pleræque melle decoctæ: Ita quosdam meliores reddit acris obiurgatio, quosdã admonitio blandior. *In simil.*

Vt qui coguntur secare, malunt ære secare, quam ferro, quod hoc pacto vulnus sit sanabilius: Ita qui cogitur obiurgare quempiam, ita moderabitur orationem, vt ipsa in se nonnihil admisceat occultæ medelæ. *ibid.*

EXEMPLA PROFANA.

Obiurgationes in Ecclesia necessariæ sunt, 1. *Cor.* 4. *v.* 21. 2. *Cor.* 2. *v.* 4. *Eph.* 5. *v.* 11. 13. 2. *Tim.* 3. *v.* 16. & 4. *v.* 1. Obiurgationis *exempla:* Dei ad Adam & Euã, *Gen.* 3. *v.* 11. Dei ad Cham, 4. *v.* 6. Dei ad Abimelech, 20. *v.* 3. Abimelech ad Isaacum, 26. *v.* 9. Laban ad Iacobum, 31. *v.* 26. Ruben ad fratres, 42. *v.* 22. Mosis ad Aaronem, 32. *v.* 2. Angeli Domini ad Israelitas, *Iudic.* 2. *v.* 1. 2. Dauidis ad Saulum, 1. *Sam.* 24. *v.* 10. Dauidis ad Abner, 26 15. Nathan ad Dauidẽ, 2. *Sam.* 12. *v.* 9. Ioab ad Dauidem, 19. 5. Eliæ ad Achabum, 1. *Reg.* 1. *v.* 16. Eliæ ad Israelitas, *v.* 21. Eliæ ad Ochoziam, 2. *Reg* 1. *v.* 16. Elisæi ad Regem 3. *v.* 13. Abiæ ad Ieroboamum, 2. *Paral* 13. *v.* 5. Iosaphat ad Achabum, 18. *v.* 7. Iehu ad Iosaphat, 19. *v.* 2. Zachariæ ad populum Israeliticum, 24. *v.* 20. Prophetæ cuiusdam ad Amasiam, 25. *v.* 15. Sacerdotis ad Oziam, 26. *v.* 28. Nehemiæ ad optimates Israelitarum, *Nehem.* 5. *v* 7. Iob ad vxorem, *Iob* 2. *v.* 10. Ieremiæ ad populum, *Ier* 34. *v.* 17. Ioannis ad Herodem, *Matth.* 14. *v.* 4. *Marci* 6. *v.* 18. Christi ad Discipulos, *Matth.* 15. *v.* 13. & 16. *v.* 8. & 19. *v.* 14. & 26. *v.* 10. *Marc.* 8. 17. & 14. *v.* 6. *Luc.* 8. *v.* 25. & 26. *v.* 46. 51. *Ioan.* 6. *v.* 34. 61. & 12. 7. ad Petrum, *Matth.* 16. *v.* 23. & 26. *v.* 40. 52. & *Ioan.* 18. 11. ad Iudæos, 17. 17. *Marci* 9. 19 *Luc.* 9. *v.* 41. ad Mercenarium, *Matth.* 20. 13. ad Turbam, *Marc.* 7. 18. ad Herodem, 12. *v.* 15. ad Discipulos, & ad Petrum, *v.* 37. ad Scribas & Pharisæos, *Luc.* 5. *v.* 22. & 6. *v.* 2. ad hypocritas, *v.* 41. ad Pharisæos, 11. *v* 39. ad quemdam hominem, *Luca* 12. *v.* 14. ad duos de discipulis, 24. *v.* 25. ad Nicodemum, *Ioan.* 3. *v.* 10. ad quemdam Regium, 4. *v* 48. ad Turbas, 6. *v.* 36. ad Iudæos, 7. *v.* 19. ad Seruum Pontificis, 18. *v.* 23. Latronis ad socium suum, *Luc.* 23. *v.* 40. Petri ad populum, *Act.* 3. *v.* 12. ad Sacerdotes, Principes & Seniores, 4 *v.* 10. ad Ananiam & Saphiram, 5 *v.* 3. 9. Stephani ad Iudæos, 7. *v.* 51. Petri ad Simonem Magum, 8. *v.* 20. Pauli ad Elymam Magum, 13. *v.* 10. Pauli & Barnabæ ad Iudæos, *v.* 45. ad Lycaones, 14. *v.* 15. Pauli ad Ananiam Sacerdotẽ, 23 *v.* 3. ad Nautas, 27. *v.* 21. ad Corinthios, 1. *Cor.* *v.* 11. & 3. *v* 3 & 6. *v.* 1. 2. *Cor.* 13. 11. ad Galatas, *Gal.* 2. 1. & 5. 7. ad Hebræos, *Hebr.* 5. 12.

Vide Correctio, Disciplina, Reprehensio.

OBLATIO.

DEFINITIO, ET ETYMOL.

Oblatio, Græce προσφορὰ ᾶ & προσφέρω offero dicitur. Hebr. *Korbam*, Oblatio, sacrificium quod appropinquando offertur Domino. Hinc Corbis (Gall. Corbeille) vas vimineum, seu Canistrum in quod *Korbam* mittebatur, *Leuit.* 1. 2. 3. *Num.* 31. *v.* 5. *à fine*, à verbo *Karab*, & *Kereb* in 2. coniugatione appropinquare fecit. Est autem oblatio omne, quod exhibetur in cultu Dei. Sacrificium vero, si inde fiet aliquod sacrum consumendum, *secundum B. Thom.* 2. 2 *q.* 45. *art.* 3.

LOCI BIBLICI.

Oblationes propriorum filiorum, *Leu.* 18. *v.* 21. & 20. *v.* 2 *Deuter.* 12. *v.* 31. & 18. *v.* 10. *Iud.* 11. *v.* 39. 2. *Reg.* 3. *v.* 27. & 16. *v.* 3. & 17. *v.* 17. & 21. *v.* 6. 2. *Paral.* 28. *v.* 3. *Psal.* 106. *v.* 27. *Esa.* 57. *v.* 5 *Ier.* 7. *v.* 31. & 19. 5. *Ezech.* 16. *v.* 20. 36. & 20. *v.* 31. & 23. *v.* 27. Oblatio debet esse sine vitio, aut macula, *Leu.* 1. *v.* 3. & 3. *v.* 1. & 22. *v.* 19. *Num.* 28. *v.* 3. 31. *Deut.* 15. *v.* 21. *Eccl.* 35. *v.* 14. *Ezech.* 43. *v.* 23. *Malach.* 1. *ver.* 8. 14. Oblationes Deo gratæ cœlitus accenduntur, *Gen.* 4. *v.* 4. & 8. *ver.* 20 & 15. *v.* 19. *Leu.* 9. 24. *Iud.* 6. 2. & 13. *u.* 19. 1. *Reg.* 18. *u.* 38. 1. *Paral.* 21. *u.* 26 2. *Par.* 7 *u.* 1. 2. *Mach.* 1. *u.* 22 & 2. 10. Oblationes quotidianæ, *Exod.* 29. *u.* 38. *Num.* 28. *u* 3. *Esdr.* 3. *uer.* 2. Oblationum conuiuia cum gaudio celebrabantur, *Gen.* 31. *u.* 46. *Exod.* 18 *u.* 12 & 32. *u.* 6. *Num.* 25 *u.* 2. *Deut.* 12. *u* 1. &c & 27. *u.* 7. 1. *Sam.* 1. *u.* 4 & 9. *u.* 12. &c. & 16. *u.* 5. 2. *Sam.* 15. 12. 1. *Reg* 1. 9 & 3 *u.* 15 1. *Paral.* 29. *uer.* 21. Oblationes impiorum, *Gen.* 4. *u.* 3. 1. *Sam.* 15. *u.* 21. *Psal.* 40. *u.* 6. & 50. *u.* 7. & 51. *u.* 8 *Prou.* 15. *u.* 8. & 21. *u.* 27. *Eccl.* 35. *Esa.* 1. *u.* 10. & 43 *u.* 23. & 61. *u.* 8. & 66. *u* 3. *Ier.* 6. *u.* 20. & 7. *u.* 20. & 14. *u.* 12. *Osea* 5. *u.* 6. & 8. *u.* 13. 9. *u* 4. *Amos* 5. *u.* 22. *Mich.* 6. *u.* 7. *Malach.* 1. *u.* 7. 13. *Matth.* 9. *u.* 13. & 12. *u.* 7. *Marci* 12. *u.* 33. *Hebr.* 10. *u.* 5.

SIMILITVDO.

Bernardi. Vt vidua Euangelica duo æra minuta misit in ærarium templi: Ita nos duo minuta, puta corpus & animam, Domino Deo offeramus. *Serm. 3. de Purificatione.*

Vide Sacrificium.

OBLIVIO.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

Obliuio, Græcè λήθη, μνήμη & ἐπιλανθάνομαι obliuiscor dicitur. Est autem obliuio memoriæ defectus, siue imbecillitas, vel præteritorum, aut futurorum per laudem compositorum, aut cõponendorum voluptaria, & voluntaria, ac grata iucundaque prætermissio, omniumque honestarum rerum ignaua perditaq. negligentia. Hinc obliuiosus, qui facile obliuiscitur. Heb. *Neschijah*, à verbo *Schacach*, oblitus est. Cognationem habet cum *Cachasch*, abnegauit, & cum *Caschach*, obtenebratus est. nam obliuisci, est obtenebrari in corde, & sic deinde sequitur abnegatio. Hinc σκιὰ vmbra, & σκιάζω inumbro, tego.

SENTENTIÆ BIBLICÆ.

Oblitus Dei Israel affligitur, *Deut.* 32. *v.* 18. *Iud.* 3. *v.* 7. obliti Dei peribunt, *Deut.* 8. 19. 20.

Obliuiscendum non est Dei in diuitijs, *Deut.* 6. *v* 12 & 8. 11.

Obliuiscor, de Deo humanitus dictum, 1. *Sam.* 1. 11. *Psal* 9. 13. & 10. 11. 12 & 13. 2 & 44. 24. & 74. 19. 23. & 77. 10. *Esa.* 44. 21. & 49. 14. 15. *Lament.* 5. 20 *Ose.* 1. 6. & 4. 6. *Amos* 8. 14.

SENTENTIÆ POETICÆ.

Virg. 6. Aen.

Has omnes vbi mille rotam voluere per annos,
Lethæum ad fluuium Deus euocat agmine magno;
Scilicet immemores supera vt conuexa reuisant
Rursus.

Silius 13.

Sacro certamina fonti
Lethæos potat latices obscura mentis
Extrema, hinc auro fulgens iam lucis honorem
Semet & admoto splendet cen sidere Luna.
Hæc anima cœlum repetunt. ac mille peractis
Obliti annis redeunt in corpora iussis.

Sen. Troad.

Dedisset animus sero, quod didicit diu.

Plaut. Capt.

Mos est obliuisci hominibus,
Neque nouisse, cuius nihil sit faciunda gratia.

Ouid. 2. Pont. 4.

Non ego si biberes securo pocula Lethes,
Excidere hoc credam pectore posse tuo.

Ibidem.

Nec Babylon æstus, nec frigora Pontus habebit,
Calthaque Pæstanas vincet odore rosas:
Quam tibi nostrarum veniat obliuio rerum,
Non ita pars fati candida nulla mei est.

Sen. in Tro.

Dedisset, animus sero, quod didicit diu.

Plaut. in Cap.

Mos est obliuisci hominibus.
Neque nouisse cuius nihil sit faciunda gratia.

SIMILITVDINES.

Chrysostomi. Atqui etiam si mihi amnium more proflueret oratio, sique verborum fontes essent in ore meo, protinus ex

tantæ

tantæ multitudinis ad audiendum cōcurſus metu ſiſteretur profluuium, & in diuerſum fluenta reſilirent. Nunc vero quum tantum abſumus à fluminum, ac fontium copia, vt exiguæ pluuiolæ mediocritatem obtineamus, qui fieri poſſit, vt me non deficiat tam exiguus fluxus metu arefactus; idéque eueniat, quod in corporibus ſolet accidere? Quid accidit in corporibus? multa frequēter quæ manu tenemus, quæ digitos ſtringimus, metu nobis excidunt omnia, diſſolutis neruis noſtris, corporiſque vigore remiſſis. Itidem mihi profectò nunc metus eſt, ne idem eueniat in animo noſtro: videlicet, ne quæ multo cum labore excogitauimus, quamquam & hæc ſane perquam exilia paruique momenti, præ pauore veniant in obliuionem, & euaneſcant, abeantque animū noſtrum deſertū relinquentia. *Hom. 4. cum presbyter eſſet deſignatus.*

Hieronymi. Verum tu quod natura lynces inſitum habent, vt poſt tergum reſpicientes, nō meminerint priorum, & mens perdat, quod oculi videre deſierint: Ita noſtræ es neceſſitudinis penitus oblitus, vt illam epiſtolam quam in corde Chriſtianorum ſcriptam Apoſtolus refert, non parua litura, ſed imis vt aiunt ceris eraſeris. Et illæ quidem (quas diximus) feræ, ſub frondente captantes arboris ramo fugaces capreas, aut timidum ceruos animal comprehendunt, currentemque fruſtra prædam, dum hoſtem ſuum ſecum vehit, rabido deſuper ore dilaniant: & tamdiu meminere prædandi, quamdiu venter vacuus, ſic eum fame guttur exaſperat. Vbi vero ſanguine paſta ferinas viſcera diſtenta compleuerit, cum ſaturitate ſuccedit obliuio: tamdiu neſciura quid capiat, donec memoriam reuocauerit eſuries. Tu nec dum ſatiatus è nobis, cur finem iungis exordio? cur amittis antequam teneas? Niſi forte negligentiæ ſemper excuſatione ſocia, aſſeras te non habuiſſe, quod ſcriberes cum hoc ipſum debueris ſcribere, te non habuiſſe, quod ſcriberes. *In epiſt. ad Chryſogonum monachum.*

Senec. Luxurioſo frugalitas pœna eſt, pigro ſupplicij loco labor eſt, delicatus miſeretur induſtrij, deſidioſo ſtudere torqueri eſt: Eodem modo ad quæ omnes imbecilles ſumus, dura atque intoleranda credimus, obliti quam multis tormentum ſit vino carere, aut prima luce excitari. *lib. 2. epiſt. 72.*

Obliuiſci quidem ſuorum, ac memoriam cum corporibus efferre, & effuſiſſime flere, meminiſſe parciſſime, inhumani eſt animi: Sic aues, ſic feræ ſuos diligunt, quarum concitatus amor, & pene rapidus, ſed cum amiſſis totus extinguitur. *lib. 2. epiſt.* 100.

Plinij. Lupis quos gregarius vocant, etiam in fame ſurrepit obliuio cibi, ſi modo reſpexerint, ac protinus alium quærunt: Ita nonnullis mox excidit, quod modo inſtituerant narrare, ſi interiectis verbis aliquot animum illorum alio deuocaris. *lib. 8. c. 22.*

P. M. Lynces clariſſime omnium animantium cernunt, ſed mira illis obliuio rei ab oculis remotæ: Ita quidam acri ingenio, ſed obliuioſi. *In Simil.*

Vt quod maiore negotio chalybi, aut marmori inſculpſeris, durat diutius: Ita quod maiore ſtudio diſcimus, numquam obliuiſcimur. *ibid.*

APOPHTHEGMATA.

Themiſtocles Ludum literarum præteriens, rogauit quid magiſter profiteretur? Artem memoriæ, inquit alius, quo audito, malim (ait Themiſt.) artem obliuiſcendi. *Plut. in Themiſt.*

Euripides abſurdarum rerum obliuionem ſapientiam nominabat. *Stob. ſerm.* 18.

Plato obliuionem interitum memoriæ eſſe dicebat. *Stob. ſerm.* 26.

ADAGIA.

Obliuionis campus. λήθης πεδίον.

Dicitur de vehementer obliuioſis, vel de rebus commenticijs, ac friuolis, quæ nuſquam ſunt.

Hac non egreditur verbum. ταύτῃ οὐκ ἐξέρχεται λόγος. *Plut.*

Ex Lycurgi inſtitutione, qui natu maximus erat, ſtabat ad oſtium, & ad conuiuium ingredientibus dicebat oſtenſis foribus: Διὰ ταύτης οὐκ ἔξω λόγος ἐκπορεύεται. Item Horatius.

Ne fidus inter amicos
Sit, qui dicta foras eliminet.

Proprij nominis obliuiſci. *Hieronym.*

Dicitur in hominem vehementer obliuioſum. Ouid.

Nominis ante mei venient oblitus nobis.

Malorum obliuio.

Qui deprecabitur omen aliquod parum fauſtum: aut qui iubebit obliterari memoriam malorum. vſurpabit illud Homeri.

Τὰ δὲ πάντα θεοὶ μεταμώνια θεῖεν.
Irrita Dijſuperi ventis hæc omnia tradant.

Ne malorum memineris. μὴ μνησικακήσῃς. *Val. Max.*

Admonitio, ne præteritarum calamitatum mentio fiat.

Ex libro gubernatores. ἐκ βιβλίου κυβερνῆται. *Galenus de compoſ. pharmacorum lib. 3.*

Adſimilis eſt quod prouerbio dicuntur gubernatores è libro. De muſic magiſtris alibi dictum.

Ἀμνηστία.

Eſt obliuio eorum, quæ in conuiuijs, vel fiunt, vel dicuntur. Plut.

Odi memorem compotorem. μισῶ μνάμονα συμπόταν.

In eos qui quæ inter amicos, & inter pocula dicuntur liberius eliminant, Ger. Polyanthea Noviſſ.

mani dicunt, Vvas vvir hie Loſen, das bleib vnder der Roſen. Vveinreden gelten beym Vvein.

Vino inſcribere mulieris iuſiurandum. τὸν γυναικὸς ὅρκον εἰς οἶνον γράφω.

Inſcribo vino, ſi qua iurat fœmina. Innuit prouerbium, irrita eſſe ſolere quæcumque in compotationibus affirmentur.

Viuorum oportet meminiſſe. *Cicero.*

In eos qui plurimum de vita defuncti loquuntur, id quod vulgo putant ominoſum, mortuos in ore habere.

Venos tradere.

Pro eo, quod eſt obliuiſci, atque ex animo ejicere. In Vvindt ſchlagen.

Ollæ veſtigium in cinere turbato. χύτρας ἴχνος συγχεῖν ἐν τῇ τέφρᾳ.

Plutarchus in Sympoſiacis interpretatus, nullum euidens iracundiæ veſtigiū oportere relinqui, ſed ſimulatq; deferbuerit, atque reſederit animi tumor, omnium præteritorum malorum memoriam penitus tollendam eſſe.

Imis ceris eradere.

Hoc eſt: Delere penitus, ſic vt nullum omnino priſtinæ memoriæ veſtigium extet. Hieronym.

Bibere Mandragoram. Μανδραγόραν πίνειν.

Id eſt: Rerum obliuionem inducere Mandragoræ enim vis adeo ſomnifica inest, ut etiam enecet largiore potu. Eos etiam, qui ceſſant in officio dormitantque multam Mandragoram bibiſſe dicimus. Non diſſimile illud.

Bibe elleborum.

PROPHANA EXEMPLA.

Antoninus Caracalla Imp. adeo in literis, & philoſophia profecerat, vt inter doctos numeraretur, magnamque diei partem philoſopharetur. Verum ipſum poſtea tanta cepit obliuio doctrinæ, ac ſi literarum nomen numquam audiuiſſet. *Dionyſ. & Suidas.*

Georgius Trapezuntius, vir doctiſſimus, omnium literarum Græcarum Latinarumque in ſenio oblitus eſt *Volater lib. 21. Anthrop.*

Meſſala Coruinus orator poſt ægritudinem, proprij nominis oblitus eſt, quamlibet alias ei ſenſus vigerent. *Solin. c. 7. Plin. lib. 7. c. 24. & Sabel. lib. 10. c. 9.*

Theſeus nigro velo ad Minotaurum in Cretam nauigans, ſi victor rediret, albo velo vti iuſſus à patre Aegeo, mandati immemor, paterno præcipitio occaſionem dedit.

Quidam Athenis vir eruditiſſimus, cum ictum lapidis capite excepiſſet, cetera omnia tenaciſſima memoria retinens: literarum adeo, quibus præcipue inſeruierat, oblitus eſt. *Valerius lib. 1. c. 8. & Plin. lib. 7. cap. 24.*

Quemdam ex præalto tecto lapſum, matris, affinium, & propinquorum oblitum ſcribit *Plin. lib. 7. c. 24.*

EMBLEMA.

Obliuio paupertatis parens.

Emblema LXVI. Andr. Alciat.

Cum lupus eſuriens mandit ceruarius eſcam,
Proque fame captum deuorat hinnuleum,
Reſpiciat ſi forte, alio vel lumina vertat,
Præſentem oblitus quem tenet ore cibum,
Quærit at incertam (tanta eſt obliuio) prædam,
Qui ſua neglexit, ſtulto aliena petit.

Vide Memoria, & Recordatio.

OBSCVRITAS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

OBſcuritas, Græce σκότος, ὁ & σκοτόω obſcuro dicitur, veniuntque obſcuritas, & obſcurus, à cura, quod ea quæ lumine carent, curam nobis objiciant. Eſtque proprie obſcurum, quod eſt ſine lumine. Per metaphoram interdum pro ignobili ponitur, interdum pro tecto, latenti, & abſcondito, vnde obſcuram orationem dicimus, vel obſcurum ſermonem, quod ænigma dicimr. Eſt enim ænigma quæſtio verborū obſcuritate inuoluta, *ſecund. S. Thom. 2. Sent. diſt. 23. ar. 1.* Vel ænigma obſcura allegoria, *ſecund. Quintil.* Eſt autē ænigma dictū. αἰνίγματος, τὸ αἰνιγματικόν, ὁ, ænigmaticus dicitur.

Obſcuritas, Caligo, Spiſſa, Hebr. *Ophel. Aphelah, Maaphal*, à verbo *Aphel*, Caliginoſus fuit, obtectus, & denſus tenebris velatus. Cognationem habet cum *Abal*, Lugebat, nam Lugentes ſolent ſuas facies velare, & obſcurare: & cum voce *Pele*, mirabile, quod ob oculis noſtris eſt velatum, & abſconditum. Dicitur itē *Choſchec*, de quo vide in. Obliuio, Obſcuritas autem figurate denotat cæcitatem ſpiritualem. *Prou. 69. 24. Rom. 1. 21. & 11. 10. Eph. 4. 18.*

Obſcurum difficile, & quod ſtatim intelligi non poteſt: vnde Obſcuritas, hoc eſt, cuius ſententia latet, iure ciuili improbatur, *l. ſi legatario, § fin. ff. de fideicommiſſ. libert.* Baldus cenſuit omnem intellectum qui non conſonat auribus vulgi, eſſe impertinentem.

de pace Constant. in vers. Promittendo. Contra laudē vehitur sermonis claritas. *in Aut. de Testam imperfectis.* Solemus autem in obscuris, quod verisimilius est, aut quod plerumque fit, inspicere. *l. in obscuris ff. de reg. iuris. Iacob. Spieg. in Lex. iurid.*

Obscuritas, ambiguitas, vel generalitas in verbis recipit interpretationem à quotidiano vsu. Nec mirum, quum & Legislatores decisiones eorum ex quotidianis vsibus fundare solent. *Tex. in l. corpi condino. § Summmos. & in l. certe. in fi. de Precar.* Et dicit Imp. *in l. 1. § nulla de vet. iur. enuc.* eas leges esse firmissimas, quæ quotidiano vsu roborentur. *idem ibid.*

S I M I L I T V D O.

Timuri. In angusta tabula depicta, rerum varietas sæpe decorum tollit, & saburra verborum sæpe pulcherrimam sententiam abscondit. *in apoph.*

A D A G I A.

Per nebulam,
Per caliginem,
Per somnium.
Quarum rerum ambiguam quamdam, ac tenuem penèque euanidam intelligentiam obtinemus.

Numeris Platonicis obscurius. *Cicero.*
Id ideo dictum, quod Plato numeris Pythagoricis obscurat suam philosophiā & velut nebulas offundit.

Dauus sum non Oedipus. *Terent.*
Oedipi ingenium scite proponendis, simul & dissoluendis ænigmatum scriptis nobilitatum est, propter dissoluta Sphyngis problemata, adeo vt in prouerbium abierit eius nominis appellatio, Ich hab kein Propheten beer gessen. Ich bin kein Prophet, sondern ein Hirt, spricht Amos.

Bœotica ænigmata. Βοιωτικὰ αἰνίγματα.
Dicebantur obliqua atque obscure dicta, quæque perdifficile percipi possent.

Ne Apollo quidem intelligat. ταῦτά γ᾽ οὐδ᾽ ἂν Ἀπόλλων μάθοι.
Id est: Nec Apollo quid sibi hæc velint, intelligat, quod vehementer esset obscurum, & intellectu perdifficile.

Carcini poemata. Καρκίνου ποιήματα.
Dicebantur ea, quæ viderentur obscurius, & instar ænigmatis dicta.
Vide paulo post. Occulta.

O B S T E T R I X.

DEFINITIO, ET ETYMOL.

Obstetrix, dicitur quæ opem fert patienti. Vnde & parturiētes, *Fer opem*, clamant, *author Donatus.* Obstetrices Vlpianus vult esse probatissimæ, & artis, & fidei. *lib. 1. in prin. de ventr. inspic. Iacob. Spieg in Lex. iurid.*

Obstetrix, ab obstando dicta est, eo quod obsistat dolori, vel fœtui, ne laxatis vteri genitalibus clausuris, in terram defluat. Græce μαιεύτρια Hebr. autem *Meialledheth*, à verbo *Jaladh*, genuit, peperit: obstetrix enim parturientem mulierem ita iuuare videtur, ac si ipsamet pareret.

LOCI BIBLICI.

Obstetricum vsus longe antiquissimus, *Gen. 35. v. 17. & 38. v. 28. Exode 1. v. 15.* Obstetricum in Aegypto pietas, *1. v. 17.*

SENTENTIÆ PHILOSOPHICÆ.

Obstetricis officium requiritur, vt sit perspicacis intelligentiæ, nō solum difficultati partus opportune expediteque succurrendo, sed etiam contra ea, quæ accidunt, prouisus agendo, ingeniose, in deligando, & in secando vmbilico infantis. *Aristot. in hist. animal. lib. 7. c. 10.*

Obstetrices peritæ reprimunt intro in vterum pueri sanguinem: quo facto statim infans, qui iam deficiebat, recreatur, & vitæ restituitur. *ibid.*

Obstetrix prudens exercitata potest adiuuare in partus eleuatione. *Albert. Magn. de anim. l. 9 tract. 1. c. 3.*

O B S T I N A T I O.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Obstinatio, Græcè αὐθάδεια, ας, ἡ. & αὐθάδης, εος, ὁ, ἡ, obstinatus dicitur. Hebr. Obstinatio, tenacitas mali propositi, pertinacia vinci nequit. Hebr. *Chezek*, à verbo *Chazak*, præualuit, obfirmatus est. Ita solent pertinaces, recti specie decepti, in prauo animi proposito perseuerare, & male conceptas sententias mordicus retinere. Estque pertinax imprudenter tenax, quasi omnino tenax, *secundum Isidor. lib. Etymolog.* Differunt tamen pertinax, & perseuerans, quia perseuerans est quantum oportet, pertinax vero plus quam oportet.

Obstinatus est ille, qui persistit in ratione peruersa abstinens à bonis, sicut continens proprie est, qui persistit in ratione recta, a prauis concupiscentijs abstinens, *secundum D. Tho. 2. 2. q. 155. art. 1.*

Ab obstino verbo, quod significat obfirmo, venit obstinatio, hoc est, animi firmitas; & obstinatus, obfirmatus.

Tres sunt species Obstinatorum. *Prima*, eorum qui ex correctione proficiunt; *Secunda*, eorum qui ex commonitione deteriores fiūt; *Tertia*, eorum qui emendationem promittunt, sed non faciunt. Ex correctione Manasses factus est melior, Nabal, ex commonitione deterior, Pharao ex afflictione deterior. *Hugo de 12. abusionibus.*

LOCI BIBLICI.

Obstinatorum interitus, *Ezech. 6. v. 1.*

Obstinatio cauenda, *Deut. 10. v. 16. Psal. 95. v. 8. Prou. 21. v. 29. Rom. 2. v. 5. 2. Tim. 3. v. 13. Hebr. 3. v. 8. 13. 15.*

SENTENTIÆ PATRVM.

Suspirabam ligatus non ferro alieno: sed mea ferrea voluntate; Velle meum tenebat inimicus, & inde funem mihi fecerat. Ex peruersa enim voluntate facta est consuetudo, & dum consuetudini nō resistitur, facta est necessitas. Quibusdam annulis sibimet annexis, tenebat me stricte dura seruitus. *Aug. lib. 6. Confessionum.*

Interest in quantum & in quibus rebus erretur, & quam facile se quis corrigat, vel quanta pertinacia suum defendere conetur errorem. *idem epist. ad Marcellum.*

Ob hoc inflexibilis, & obstinatæ mentis malum punitur æternaliter, licet temporaliter perpetratum: quia quod breue fuit tēpore, vel opere, longum esse constat in pertinaci voluntate: ita vt si numquam moreretur, numquam velle peccare desineret, immo semper viuere vellet, vt semper peccare posset. *Bern. in epist. 253.*

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Contra negantes prima principia, non est disputandum. *Arist. lib. 1. Physicorum.*

Nec cum iracundia, aut pertinacia recte disputari potest. *Cic. lib. 1. de finib. bon. & malor.*

Inutiliter aliquid concupiscere, & in eo perseueranter morari exitio vicina ea dulcedo est. *Valer. Max. lib. 7.*

Hominibus nimia pertinacia, atque arrogantia accidere solet, vti eo recurrant, & id cupidissime appetant, quod paulo ante contempserint. *Cæsar. lib. de bell. ciuil.*

Pertinacia est, ex irrationali, & inflexibili mentis obstinatione melioribus nolle cedere. *Cicero.*

Tunc est consummata infelicitas, vbi turpia non solum delectant, sed etiam placent, & desinit esse remedio locus, vbi, quæ fuerant vitia, mores fiunt. *Senec. in Prou.*

EXEMPLA BIBLICA.

Duritiei, siue obstinationis in malo *exempla*: Cain, *Genes. 4. v. 18.* Pharao, *Exod. 5. v. 2.* Israelitæ, *32. v. 7. 8. 9. 10. Deut. 9. 27. 1. Sam. 8. v. 19. 20. 2. Paralip. 30. v. 8. 9.* Filij Heli, *1. Sam. 2. v. 22. 23. 24. 24.* Obstinationis *exempla*: Ioan. Baptista, *Matth. 3. 15.* Petrus *Ioan. 13. 9.* Ecclesia Ierosolymitana, *Actor. 11. 18. & 15. 12. & 19. v. 30. 31. & 20. 3. & 26. 19.* Obstinationis pœna, *Esaia 1. 20. Ierem 19. 15. Soph. 3. v. 1. 2.* Obstinationis, & præuaricationis *exempla*: Cain, *Gen. 4. 6.* Pharao, *Exod. 7. v. 13. 22. & 8. v. 15. 19. 32.* Hebræi, *2. Reg. 17. 14. 2. Paral. 24. v. 19. 21. & 30. 8.* Sedechias, *36. 13.* Iudæi, *Ies. 5. 3. & 44. vers. 10. 17. Ioan. 19. 15. Act. 7. 51.* Israelitæ, *Ezech. 2. 4. Zach. 4. v. 11. 12. Baruch 2. v. 7. 8.* Amos, *4. v. 6. 7.* Ierusalem, *Matth. 23. 37. Luc. 13. 34.* Principes Sacerdotum, *Matth. 27. 4. Luc. 23. 10. Ioan. 11. 47.*

Obstinati neque legis concionibus, neque pœnis mouentur, nisi accedente sancti spiritus singulari efficacia *Exempla*: Pharao, *Exodi 7. 8. 9. & 10. cap.* Saul, *1. Sam. 17. 18. 19. & 5. c.* Iudæi, *Ierem. 2. 5. 6. 7. 15. 35. c.* Israelitæ, *Amos 4. v. 7. &c. Agg. 2. 18.* Obstinatorum interitus, *Ezech. 6. 4. 11.*

O B T R E C T A T I O.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Obtrectatio, vituperatio, detractio, a verbo obtrecto, ex ob, & tracto, a in e mutata. Est autem Obtrectare, authore Festo, cōtra alienam sententiam tractare, seu maledicere, quum scilicet alicuius dicta, aut facta deprauantur. Obtrectat, qui mala dicit de alio: detrahit, qui alicuius minuit laudem.

Obtrectatio, Græcè διαβολή Hebr. *Cherppah*, improperium, conuitium, contumelia, a verbo *Charaph*, exprobrauit, comminatus est, conuiciatus est, rigidis verbis tractauit, vituperauit. Cognationem habet cum verbo *Chaphar*, perforauit, & pudefactus est, quā obtrectationibus cor perfoditur, & pudefit.

LOCI BIBLICI.

Obtrectatio damnatur, *Leuitici 19. 16. Psalm. 15. 3. & 34. 14. & 101. v. 5. 6. & 120. 2. 140. 12. Prou. 4. 24. & 8. 13. & 24. versic. 9. 29. & 25. 23.*

25. Eccl. 10. & 11. 20. Rom. 1. 30. 1. Cor. 12. 20. 1. Timot. 3. 11. Tit. 3. 2. Iac. 1. 26. & 2. 3. & 4. 11. 1. Pet. 2. 1.

Obtrectatorum consortia fugienda, Proverb. 24. 21. Obtrectatorum merces, Psal. 109. v. 20. 29. & 120. 3. Prou. 24. 22.

S I M I L I T U D I N E S.

Chrysostom. Quemadmodum vomitu laborantes, in principio quidem detinere intus egredientes humores nituntur, cum vero fastidio victi succubuerint, magnis singultibus omnia è profundo eructant: Sic qui praua consilia in proximos versant, cum malignitatem nequeant ferre occulte, obtrectationis saniem euomūt. *Homil. 41. in Matth.*

Si quis se praetereuntes stercus commoueat, hoc facientem non continuo conuicio, & contumelia afficias? hoc facile & circa detractores. Non enim sic commotum stercus illam foetorem suscipientem cartilaginem percellit, sicut aliena peccata excussa, & vita impura audientium animos prodita contristare, & exturbare solent. *Homil. 1. de verbis Apo. Noli Modico vino vtere.*

A D A G I A.

Mortuis non conuiciandum.

Visibo non insultandum, nec in mortuum vltra congerenda conuicia, quam quam iure sit occisus.

Non imperatam lingua. ἐκ ἀκρατὴ γλῶσσαν.

Gratis ... *est lingua conuicijs incessere, proprie vero pertinet ad mala ominantes.*

Tuis te pingam coloribus.

Id est, talem te describam, qualis es. Ich vvil dich recht abmahlen, oder aussstreichen. Ich vvil dir das Vvapen recht visieren.

Spheram inter se reddere. σφαῖραν ἀντιδιδόναι.

Quadrabit in eos, qui sese vicissim dicterijs incessunt Confine illi.

Cadmus, inque vicem praebemus crura sagittis. Sic schlagen einander den Ballen zu.

Infixo aculeo fugere. Βαλὼν ἐκ κέντρον φεύγειν.

Metaphora prouerbialis, vbi quis dicto conuicio, aut maleficio quopiam peracto statim subducit sese, ne vel tueri cogatur, quod dixerit, aut ne mutuum recipiat.

Vulgus suspicax.

Suspiciosum vulgus plerumque, in malam partem interpretatur. Homer. Odyss.

... *Quippe homines plerique sunmus male suspiciosi.*

Pellem caninam rodere.

Martialis ponit pro eo, quod est, hominem maledicum, & improbum conuicijs insectari. Sic enim scribit in obtrectatorem quendam & oblatratorem.

Non deerunt tamen hac in vrbe forsan

Vnus vel duo, tres, ue, quatuor ue,

Pellem rodere qui velint caninam.

Vitilitigatores.

Vitilitigatores Marcus Cato vocabat litium auidos, & alienorum operum calumniatores.

Zoili.

Quasi inuidia.

Archilochum teris. Ἀρχίλοχον πατεῖς.

De maledico dicebatur De Archilocho testatur Horatius,

Archilochum proprio rabies armauit iambo.

Archilochi patria. Ἀρχιλόχου πατρίς.

Diogenianus testatur, hoc dici solere de mordacibus, ac maledicis.

Dente Theonino rodi.

Theonino dente rodi dicuntur qui conuicijs lacerantur.

Carpet citius aliquis, quam imitabitur. Μωμήσεταί τις μᾶλλον ἢ μιμήσεται.

Apte dicetur de re quapiam arti absoluta, atque inimitabili. Koennen vvir nicht alle dichten, so vvollen vvir doch alle richten.

Genuino mordere.

Qui clanculum obtrectant lacerantque quempiam, eum genuino mordere dicuntur. Zur Bankk hauven. Es fandt sich, die nient blutet.

Etiam in Deorum coetu. καὶ ἐν θεῶν ἀγορᾷ.

Quidam interpretantur de maledico modum probis, & aequis, quidam de vehementer maledicis.

Dentata charta.

Dentata dicuntur mordacia. M. Tullius.

Hipponactæum praeconium.

Pro infami nota dixit M. Tullius de Tigellio quodam.

Archilochia edicta.

Conuiciatiosa vocat, ac virulenta.

Plaustra conuicijs onusta. ... *Lucian.*

Id est: Et solida plaustra conuicijs onusta inter sese effundebant, Loquitur de duobus Philosophis inter sese contumeliose altercantibus.

Naues onostae conuicijs.

Homerus Iliad. v.

...

Probrorum superest ambobus copia summa.

Quorum onus haud portet centum rates incita remis.

A fine illi, Quos tollere nec centum queant Aegypti.

Morsus aspidis ... *Nicander.*

De malo immedicabili, aut lingua vehementer virulenta.

Hystricis fera. ...

Id est: Pilus hystricis. Dici poterit dicterium, acriter in quempiam torsum.

E X E M P L A B I B L I C A.

Obtrectationis & detrectationis *exempla*: Filij Laban, *Gen. 31. 1.* Vxor Putipharis, *39. v. 14. 17.* Maria & Aaron, *Num. 12. v. 1. 2.* Exploratores terrae *14. 36.* Multitudo, *16. 41.* Filia Belial *1. Sam. 10. 27.* Doeg Idumaeus, *22. 9.* Principes Hanon, *29. 3.* Philistaei, *29. 4.* Principes Ammonitarum, *2. Sam. 10. 3.* Absalon *15. 3.* Siba, *16. 3.* Rehum socij, *1. Esd. 4. 13.* Ancilla Raguelis, *Tob. 3. v. 7. 8. 9.* Aman *Esth. 3. 8.* Principes Iuda, *Ier. 38. 4.* quidam Chaldaei, *Dan 3. 8.* Danielis hostes, *6. 3.* Alcimus cum viris iniquis, *1. Mach. 7. v. 5. 6. 25.* Simon, *2. Mach. 4. v. 5. 6. & 41.* Alcimus, *14. v. 5. 6. 7.* Pharisaei, *Matt. 9. 11. v. 8. 15. Luc 19. 7. & 13. 3. Io. 7. 12. & 8. 48. & 9. v. 16. 24. 28.* Domini famulae Pythonissae, *Act. 16. 20.* Iudaei Thessalonicenses, *17. 7.* Epicurei & Stoici Philosophi, *v. 18.* Iudaei Corinthij, *18. 13. & 19. 9.* Iudaei Asiatici, *21. 28.* Barbari, *28. v. 4.*

Vide Accusatio Item Calumnia, Detractio & Maledicentia.

O C C A S I O.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Occasio, Graece ἀφορμή, & καιρός. ... dicitur. Est autem occasio opportunitas temporis casu proueniens. Venitque ab occido penul. breui, quod modo significat, obuenio, ab ob, quod est circum vel propter & cado. Occido etiam nonnunquam intermor significat, vnde occasus, hoc est interitus. Aliquando cado, vnde Sol occidere dicitur, quia cadere videtur dum mergitur, & occasus Solis, ipsa meta Solis.

L O C I B I B L I C I

Occasio oblata non praetermittenda, *Psal. 32. 6. Eccl. 9. 10. Esa. 55. 6. & 65. 1. Ier. 13. 16. & 21. 12. Osea 10. 12. Matth 25 v. 10. 13. Luc. 13. v. 24. 25. & 17. 22. & 19. 26. Ioan. 7. 34. & 8. 21. & 12. 35 Rom 2. 4. & 13. 15. & 12. 11 & 13. 11. 2. Corin. 6. v. 1. 2. Gal. 6. 10. Heb. 3. & 30. 13. 15. & 4. 16. & 12. 17. 1. Pet. 3. 9.*

S E N T E N T I Æ P O E T I C Æ.

Ouid. 1. de Rem.

Temporibus medicina valet, data tempore prosunt,

Et data non apto tempore vina nocent.

Horat. 13. ode Epodon.

Horrida tempestas caelum contraxit & imbres,

Niuesque deducunt Iouem, nunc mare, nunc siluae,

Threicio Aquilone sonant rapiamus amici

Occasionem de die: dumque virent genua,

Et decet, obducta soluatur fronte senectus.

Occasione dumtaxat opus improbitati.

Phocylides.

...

Occasioni obtempera, & noli spirare contra ventos.

Menander.

...

Omnia tempestiue gratiam habent.

Idem.

Καιρὸς γάρ ἐστι τῶν νόμων κρείττων πολύ.

Occasio enim est legibus potentior multo.

...

Occasiones autem dissoluunt tyrannides.

Πολλῶν ὁ καιρὸς γίγνεται παραίτιος.

Multarum rerum occasio est causa.

Πολλὰς ὁ καιρὸς ἄνδρας ... ποιεῖ.

Multos occasio viros non existentes facit.

...

Celerrime occasio permutat res.

Periander.

Καιρὸν πρόσμενε. *Occasionem expecta.*

De occasione Ausonius in hunc modum scripsit,

Cuius opus? Phidiae qui signum Pallados eius

Quique Iouem fecit, tertia palma ego sum.

Sum Dea quae rara & paucis Occasio nota.

Quid rotulae insistis? stare loco nequeo.

Quid talaria habes? volucris sum: Mercurius quae

Fortunare solet, trado ego, cum volui.

Crinem fronte geris, cur occipiti calua? me ne

Teneat fugiens. Sed heus cur

Occipiti caluo? ne me teneat fugiens.

Quae tibi iuncta comes dic nobis, dic rogo, quae sit?

Sum Dea cui nomen nec Cicero ipse dedit.

Sum Dea quae facti, non factiq; exigo poenas:

Nempe vt poeniteat, sic Metanoea vocor.

Tu modo dic, quid agat tecum? si quando volaui,

Hæc

Hæc manet, hanc retinent, quos ego præterij.
Tu quoque dum rogitas, dum percunctando moraris,
Elapsam dices me tibi de manibus.

Cato lib. 2.

Rem tibi quam noris aptam dimittere noli,
Fronte capillata est post hæc Occasio calua.

PHILOSOPHICÆ SENTENTIÆ.

Neque in ridiculis serias res agas, neque in rebus serijs nugis audeas: nam quicquid non tempestiue nec in loco fit, vbique molestum est. *Isocrates ad Demonicum in Paranesi sua grauissima.*

Singulis actionibus aliud conuenit, aliudque tempus ad hoc vel illud perficiendum. Eiusmodi vero tempus est actionis cuiuslibet opportunitas, tanquam bonum atque finem agentibus afferens & effectia. Quapropter Pythagorici primam quoque causam, à qua omnibus adest bonum, opportunitatẽ nominauerunt: quippe cum omnibus, vt perfecta sint largiatur: omnia denique sic coaptantur, dum causæ quidem perficientes ad perficiendum promptissimæ sunt: susceptura vero ad participationem expergiscuntur, & illę rursum potentiam porrigunt perficientem: hæ autem potentiam aptitudinis natura susceperunt. Duplex. n. potentia est, altera quidem agentis, altera patientis. & illa est mater actionis, hæc perfectionis est susceptaculum. *Proculus.*

Pitaci illa est celebrata sententia, γνῶθι καιρόν. i. noris tempus vel opportunitatem, siue tempestiuitatem. Romana voa: Veni in tẽpore. Interpretatio huiusce sapientissimi dicti saluberrimi vt scilicet norimus in rebus agendis, obseruemusque opportunitatem vt in tempore cuncta aggrediamur. Terentius, rerum omnium esse primum, tempus, ait. Repetent cuncti (vt verbis Ausonij vtar) quorũ offensam incidat, spectata cui non fuerit opportunitas. Medicus in danda medicina ægroto, norit tempestiuitatem. nam vt ille inquit temporibus medicina valet: contra nihil est in morbis magis periculosum, quam immatura medicina. Quod & memorat Seneca in libro ad Albinam matrem, de consolatione. Præcipit Plinius noster, cauendum, ne in remedijs vitia fiant, quod euenit nimia, aut intempestiua medicina. In cibo quoque dando, o medice nosce, quando intempestiuum est: Nã, vt Cornelius Celsus verissime scribit: optimum medicamentum est cibus opportune datus, qui quando dari debeat, inter medicos non satis constat. Notum est illud Ouidianum.

Ipsa leges tempus, medici quoque tempora seruant.

Plautus opportunitatem innuens efficacissimam, esse in rebus ait in Pseudolo. Ipsa mihi opportunitas nõ potuit opportunius aduenire. Item in Menechmis: Non potuisti magis per tempus mihi aduenire, quam aduenis. Ita ego soleo, commoditatis omnes articulos scio.

Historici prodiderunt, Vespasianum id temporis fuisse facillimum indulgentissimum, quo in balneum tricliniumque transibat: eaque momenta, atque occasionem domesticos, ad aliquid petendum magnopere optasse.

Γνῶθι καιρόν id est, nosce tempus.

Consimiliter vos, qui vultis apud principẽ impetrabiles esse, captate id tempus, quo remissior, hilarior, indulgentiorque esse solet: scitote plus pellere tempestiuitatem hanc ad successus petitionum, quam adipem leonis, quam sanguinem basilisci, quam spondylon draconis, quam anguium drynedarum ouum, cæteraque id genus promissa magicę vanitatis. Contra, non parũ multi intempestiue interpellantes, merito repulsam patiuntur: Quibus illud Nasonis dici potest:

Non adijs apte, non legis idonea credo Tempora.

Horatius probe callens, quantum opportunitas valeat, sic scribit:

Nisi dextro tempore Flacci
Verba per attentam non ibunt Cæsaris aurem.

Idem mittens Augusto librum, monet portatorem, vt tempestiuiter adeat: vt videlicet, si validus, si lætus erit, si denique posset.

Tempestiuitas deniq perspicienda in materia cædenda, in emptionibus, venditionibus, amationibus, in agriculturis, frumentis decidendis, messibus, vindemijs, oleitare, sationibus, insitionib. propagationibus, &c. *Reliqua lege apud Philippum Beroaldum in heptalogo sapientum.*

Quoties fortuna offert commoditatem, quæ tibi sit apta, statim arripe: nam occasio frontem habet capillatam, vt ea parte teneri possit: verum si semel se verterit, ab occipitio calua est, vt iam apprehendi nequeat, hoc est, opportunitas cum contingit, teneri potest, non redit autem cũ voles, si neglexeris. Hic admonendum illud, quod Græci fingunt de Deo cæco, de quo copiosius in prouerbijs. *P. M.*

Paruæ occasiones, magnarum rerum causę existunt. *Demosth. ex orat. ad Leptenem.*

Occasione parua & prima quæq; offensio celeriter omnia dissoluit atque euertit. *Demosth. ex orat. de Cherronesiacis.*

Oportet eum, qui ex vobis Rempublicam administrare vult non subito affectibus ad iracundiam impellẽtibus obtemperare: sed rationi, & rebus ipsis & tẽporis opportunitati seruire. Illa enim celeriter concidere solent, hæc vero permanere, & in longum tempus existere. *Ex orat. in Aristog.*

An existimatis ipsam rei bene gerendæ occasionem aliquando valere, ac etiam absque iure id quod conducit efficere: iam vero cum in id ius simul & occasio & vtile consentiunt, aliud quoddam tempus expectatis vestræ simul & aliorum Græcorum libertatis recuperandę? *Ex orat. de fœdere Alex.*

Qui recte occasione vsi non sunt, ij et si boni quidẽ aliquid à Dijs acceperint, eius recordantur. *Olym. 1.*

Aggressuros aliquid iuuat occasio, quę cum se offert prçter opinionem, etiam si vires alioqui minores sunt, incitat vt periculum adeant, pręcipue ciuitates, &c. *Tincyd. l. 3.*

Dominatur occasio in cunctis rebus humanis, maxime vero in bellicis. *Polyb. hist. l. 9.*

Quod opportunitas & occasio magnam partem in quibuslibet rebus, maxime vero bellicis ad perficiendos conatus habeat, nemini obscurum est. *idem, l. 10.*

Occasionum in bello maximum est in vtranque partem momentum. *Plut. in Coriolan.*

Armatus intentusque sis, neque occasioni tuę desis, neque tuam occasionem hosti des. *Liu. Decad. 3. l. 2.*

Rebus in asperis & tenuibus fortissima quæque consilia tutissima sunt, quia si in occasionis momento, cuius præteruolat opportunitas, cunctatus paulum fueris: nequicquam mox omissam quæteris, *idem Decad. 3. l. 5.*

Plura negotia opportunitate occasionum quam viribus sunt recte confecta. *Dion. l. 43.*

Oportuni sunt magnis conatib. transitus rerum, nec cunctatione opus, vbi perniciosior sit quies quam temeritas. *Tacit. histor. lib. 1.*

Occasio in bello amplius solet iuuare, quam virtus. *Veget. lib. 3. c. 26.*

Boni duces publico certamine nunquam nisi ex occasione aut nimia necessitate confligant. *ibid.*

Occasio reliqua omnia intra se continet. *Procop. l. 1. de bello Persico.*

Præstat præuenientem in tuto esse, quam bene gerendæ rei occasione amissa turpiter ab inimicis pati. *Idem, lib. 2.*

Rerum humanarum momenta in Occasionis perceptione consistunt. Nam si per ignauiam quis fortunam paratam neglexerit, & sua culpa ab ea deseratur, nequaquam illam, sed seipsum accuset. *idem de bello Vandalico, lib. 2.*

Quibus spes dubia est, nec breuissimum, quidem momentum excidisse cõduxerit, temporis siquidem vbi occasio ipsa rei bene gerendæ præterijt, inutile procul dubio sit quodcumque post hac impenditur studij, vel si id quidem permaximum fuerit, rerum natura superuacaneum nil admittente virtutem. Nam & prætereunte necessitate, vel ea quæ in posterum fiunt, vana, inania, & importuna sint, necessarium est. *idem de bello Goth. l. 3.*

Occasio anima actionum est. *G. Pachym. hist. l. 3.*

In omni re bellica (quod vsus ipse docuit) plurimum occasio valet, quam optimus quisque Imperator summo studio ac celeritate complecti debeat: quippe cuius ea natura sit, vt ardua in planũ facile vertat. Sed in omni occasione capienda, incæptisq; prosequendis duo potissimum seruanda sunt: alterum quod factu opus est, mature id vt fiat. Quid enim occasione breuius aut fugacius est? Alterum vt suo quæque res geratur ordine: quando in re præsertim militari nihil ordine ipso potius ac maius sit. *Io. Iouian. Pontan. hist. l. 1.*

Cum non semper hostium conditiones offensionesque sint ducibus notæ, in bellis sæpenumero pulcherrimæ occasiones amittuntur. *F. Guicciard. in hist. l. 2.*

Nihil occasione ocius elabitur. *idem, l. 11.*

Pœnitebat duces se potius voluntati legati pacem a Damascenis petitam repudiantis, quam suis consilijs obtemperasse, qui rei militarium peritissimi, vicissitudines rerum experiendo didicerant, offerentis se fortunæ beneficio præsenti vtendum, maiorum rerum auiditate, persępe quod iam teneretur, è manib. elapsum, nulla deinde virtute repeti posse. *P. Æmil. l. 6.*

In præcipitis bellicarum rerum occasione, grauia repentinaque pericula multæ deliberationis consilium non admittunt. *P. Iouius, hist. lib. 3.*

Bellicæ occasionis ratio certis atque breuissimis rerum & temporum momentis constat *idem, lib. 15.*

Raræ sunt atque fallaces magnæ occasiones, quas prudentes & magnanimi cũ offeruntur arripere debent: eas vero negligere, summa reprehensione dignum est: ac sæpe nimis curiosa sapientia, & futuri nimium põderatrix, vituperatur, quoniam res humanæ tot tamq, varijs casibus subijciũtur, vt raro id eueniat, quod viri etiam sapientes existimarant & qui pręsens bonũ futuri periculi timore, quum id nec certũ nec propinquum est, negligit, summo sępe dolore & infamię nota, eorũ periculorũ, quę post vana fiũt metu,

metu, vtilitatis, & gloriæ plenas occaſiones amiſiſſe reperitur, *Franc.Guicciard.hiſtor.lib.4.*

In bellis occaſiones innumeræ, quia ducibus non ſemper hoſtium errores, & difficultates ſunt notæ, amittuntur. *Idem l.16.*

Facile eſt præclaras occaſiones amittere, & contra, difficile eas adipiſci: ideoque dum manibus tenentur, omni ſtudio ad eas retinendas eſt enitendum. *Idem lib.16.*

APOPHTHEGMATA.

Themiſtocles. Antiphares adoleſcens, qui prius Themiſtoclem amantem fugerat, ac faſtidierat, vbi vidit illum gloria celebrem potentiaque magna pollentem, vltro adijt illum blandiens, cui Themiſtocles: O adoleſcens, ſero quidem ambo, ſed tamen ſapere cœpimus. Sentiens, illum non arripuiſſe occaſionem ſe offerentẽ, ſibi vero nunc non vacare per negocia talibus affectibus indulgere. *Plut. in Græcor. apoph.*

Antigonus, quum Antigonus in arduis, ac præruptis locis planiciei imminentibus exercitum haberet, Pyrrhus poſitis circa Naphã caſtris poſtridie per caduceatorem, vt in campum deſcendens Martem experiretur, prouocauit, Antigonus vero reſpondit, ſuã militiam non magis armorum, quam temporum eſſe. Pyrrho, ſi illum ſuæ vitæ tædium cepiſſet, ſatis multas ad interitum vias patere. *Plut. in Pyrrho.*

Annibal. Poſt calamitatem à Romanis apud Cannas acceptam Fabius M. creatus eſt Imperator cum Claudio Marcello, viro audaci, ſemperque geſtienti cum Annibale confligere. Fabius potius ſperabat futurum, vt ſi pugna abſtineret, Annibalis exercitus ductu temporis deficeret. Id ſentiens Annibal dixit ſe magis formidare Fabium a pugna quieſcentem, quam Marcellum pugnantem. *Plut. in Rom. apoph.*

C. Domitius. vbi contemplatus eſſet hoſtium phalangem, exercitus præfectis hortantibus vt confeſtim aggrederetur, negauit tempus ſufficere ad hoc, vt tot millibus trucidatis, ac direptis impedimentis, in caſtra reuerſi, ſua curarent corpora. Sed hoc ipſum poſtridie ſe tempeſtiue facturum dixit: Ac poſtero die congreſſus, quinquaginta millia trucidauit. Vir ſtrenuus non dubitauit de victoria, ſpacium modo temporis gerendæ rei par eligebat. *Plut. in apoph.*

Scipio Africanus. cum hoſte dicebat non eſſe confligendum, niſi aut inuitaret occaſio, aut vrgeret neceſſitas: quod incogitantis ſit, opportunitatem oblatam negligere: & extremæ ignauiæ ſit, tum non præſtare fortem animum, cum audacia ſpem præbet incolumitatis, formidoloſitas nihil aliud quam certum promittit exitum. *Plut. in vita eius. Valer. Max. lib.7.c.2.*

Scipio Minor, cum videret hoſtes deſpondere animum, aiebat ſeſe vt tuto veniret, mora temporis emiſſe, addens: Bonum ducem perinde vt Medicum non niſi in extrema curatione ferrum adhibere. Nihilominus per occaſionem adortus Numantinos, terga illos dare compulit. *Plut in Rom apoph.*

C. Marius, in bello ciuili, cum foſſa cinctus obſideretur ab hoſtibus, continuit ſeſe, tempus expectans opportunum. Popedin autem Siloni dicenti: Si magnus es Imperator, ô Mari, deſcende in conflictum: Imo tu, inquit, ſi magnus Imperator, coge me nolentem ad certamen venire. *Plut. in apoph.*

SIMILITVDINES.

Chryſoſtomi. Sicut in corporibus, & in fiſtulis, niſi prius quis humorem influentem ſiſtat, & vulnus terentem, quotquot impoſuerit medicamenta, mali fonte non obſtructo, incaſſum omnia facit: Itidem & nos, niſi occaſionem, quaſi fontem mali, cauerimus. *lib. 1. de com. unctione cordis.*

Procli. Quemadmodum totius mundi quidam circuitus ſunt fœcunditatis ſterilitatisve cauſæ animalium, atque plantarum: Ita ſingulis actionibus aliud conuenit, aliudque tempus ad actionem hanc, aut illam perficiendam. *De anima, & Dæmone.*

Quemadmodum locus vnicuique corpori ab ipſa natura proprie deſtinatus eſt: Sic & temporis partes aliæ alijs conueniunt actionibus. *ibid.*

Plinij. Morus nouiſſima omnium germinat, & tamen parit inter primas: Ita qui tempus idoneum operiuntur rei conficiendæ, etiam ſi ſerius cœperint, tamen maturius conficiunt. *lib.15.c.24.*

Apes virgine opus ſuum non ſtatis diebus, ſed quoties cœli commoditas inuitat: Ita ſuo quæque tempore rapienda eſt occaſio. *lib. 11.c.6.& 10.*

P.M. Perſica ob idipſum pluris veneunt, quod non durarent, niſi triduum: Ita auidius rapiendum, quod cito præteruolat, vt iuuenta. *In Similib.*

ADAGIA.

Cape crines.

Dicitur pro arripere occaſionem oblatam, & arreptam retinere.

Nunc tuum ferrum in igni eſt. *Seneca.*

Dicebatur de eo, cuius negotium iam agitatur.

Ianuam aperire.

Repagula aperire. τὰς κλεῖδας ἀνοίγειν.

Anſam præbere.

Metaphora proverbialis. quæ ſumuntur tam in bonam, quam malam partem, pro eo, quod eſt occaſionem adminiſtrare. Talis & Terentiana illa.

Feneſtram aperire.

Verum non niſi in malam partẽ. Die Thuer auffthun. *Sic.* Das liecht darzu halten.

Faſces ſubminiſtrare.

Eximere è manu manubrium. *Plautus.*

Hoc eſt iam parante facere quippiam peragendi extorquere facultatem.

Anſam quærere, arripere.

Id eſt: Captare occaſiones. Contraria. Anſam præterire, negligere.

Id eſt: Occaſiones rerum agendarum amittere.

Gladium dediſti quo ſe occideret. *Plaut.*

Hoc eſt. Materiam & adiumentum ſubminiſtrandi ad perniciem.

Non ſemper erit æſtas. οὐκ αἰεὶ θέρος ἐσσεῖται *Heſiod. verſus eſt,*

Οὐκ αἰεὶ θέρος ἐσσεῖται ποιεῖσθε καλιάς.

Æſtas non ſemper fuerit, componite nidos.

Docet parandum eſſe in adoleſcentia quo laſſa ſenectus frui poſſit.

HIEROGLYPHICA.

Occaſionis captorem, ſeu hominem temporum omnium conditioni ſeſe accommodantem per *Echinum* animal deſignauit antiquitas. Nouit equidem *Echinus* (terreſtrẽ intellige) cubilia ſua, Aquilonum & Auſtrorum mutatione commutare. Duas enim cubilibus feneſtras facit, alteram Notum verſus: Boream verſus alteram, quaque parte ventum futurum præcognoſcit, feneſtram obturat, alteram recludit, ſin intra tectum alatur, ad parietem diſcedit. *Pier. Valer. l.8.*

EMBLEMA.

Emblema CXXI. Andreæ Alciati.

εἰς καιρόν. [Greek partly illegible]

Lyſippi hoc opus eſt, Sicyon cui patria, tu quis?
Cuncta domans capti temporis articulus.
Cur pennis ſtas? uſque rotor. talaria plantis
Cur retines? paſſim me leuis aura rapit.
In dextra eſt tenuis dic unde nouacula? acutum
Omni acie hoc ſignum me magis eſſe docet.
Cur in fronte coma? occurrens ut prendar. At heus tu
Dic cur pars calua eſt poſterior capitis?
Me ſemel alipedem ſi quis permittat abire,
Ne poſſim apprenſo poſtmodo crine capi.
Tali opifex nos arte, tui cauſſa edidit, hoſpes:
Vtq; omnes moneam, pergula aperta tenet.

FABVLA.

Hœdus & Lupus.

Supra tectum domus ſtans hædulus lupum prætereuntem inclamabat, & illi maledicebat. Cui lupus, non tu, inquit, ſed tectum mihi maledicit.

Sæpe locus & tempus fortes facit homines timidos, vt inſultare etiam præſtantiſſimis non vereantur.

Vide Tempus.

OCVLVS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Oculus, ὄμμα, ὀφθαλμός. ὀφθαλμία, oculorum morbus dicitur. Oculi dicuntur, quia ſuperciliorum tegminibus hos Deus occuluit *ſecundum Varronem.* Hebr. *Hain*, Oculus virtus viſiua, lux, ſplendor, aſpectus, ſpecies incurrens in oculos. Itẽ. fons ex quo, velut ex oculo aqua fluit, a verbo *Haian*, aſpexit, oculis obſeruauit, dixit oculum aliquid intuendo.

LOCI BIBLICI.

Oculus interdum ex Hebræorum idiotiſmo, pro toto hominis ingenio ponitur, & tunc mentis ipſius indicium ſignificat, *Matth.6. 22. Luc.13.34.* eo quod oculi ſunt præcipui mentis indices. Oculus ſimplex & rectus *Eccl.35.12. Matth.6. 23. Luca 11.31.* Oculus malus, pro inuidia, *Matt.20.15. Marc.7.22 Deut.15.9.* Oculus nequã. *Geneſ.6.2. Prou 6.13. Eccl.4.8 Eccl.14.8.& 31.14 Matth.6.22. Marc. 7.22. Luc. 11.34. 1. Ioan. 2.16.* Oculus allegorice & hyperbolice eruitur iubetur. *Matth.5 29.* Oculus inſatiabilis eſt, *Eccl.1.8.* Oculũ eruenti oculus eruẽdus. *Exod.21.24. Leuit.24.20. Deut.92. Matt.5. 38.* Oculi aperiuntur Adamo & Euæ, *Geneſ.3.7.* Balaamo, *Num. 22.31.* Cæro nato. *Io.9.10.* Aperiri dicũtur autem oculi Hebræis,

cum

cum vidēdi vſus reſtituitur, *Ioan.9.10.* Oculi eruuntur: Samſoni, *Iudic.16.* Sedechiæ, *2.Reg.25.7.* Oculi dextri Iabeſitarum ab Ammonite pro fœderis ſigno petuntur, *1.Sam.11.12.*

Oculus fidei, *2.Corint.4.8.* Oculus mentis, vel intellectus, *Num.24.3. Deut.29.4. Eſa.6.9. Luc.24.29. Act.26.18. Epheſ.1.18.* In oculis tuis, vel coram te pro apud te, vel tibi, Hebraiſmus, *Matt.11.26.*

Oculorum cuſtodia quantopere ſit neceſſaria ad vitandum peccata, *Gen.3.6. & 6.2. & 34.2. & 38.15. & 39.7. 2.Sam.11.2. & 13.1. Iob.38.11. Pſal.119.37. Prou.23.v.26.33. Eccl.9.v.5.7.8.9.18. & 25.24. & 41.25. & 42.12. Iudith.10.v.17.18. & 12.16. Dan.13.8. Matt.5.28. 2.Petr.2.14.*

Sententiæ Biblicæ.

Oculus ſpiritualis bonus.

Lucerna corporis tui eſt oculus tuus. Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit. *Matth.6.*

Lucerna corporis tui eſt oculus tuus. Vide ergo, ne lumen quod in te eſt, tenebræ ſint. Si ergo corpus tuum totum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum. Et ſicut Lucerna fulgoris illuminabit te. *Luc.11.*

Malus.

Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebroſum erit. Si ergo lumen quod in te eſt, tenebræ ſunt, ipſę tenebræ quantæ erunt? Vide ergo ne lumen quod in te eſt, tenebræ ſint. *Matth.6 & Luc.11.*

Oculi corporalis uſus.

Auerte oculos meos ne videant vanitatem. *Pſal.118.*

Oculi tui recta videant, & palpebræ tuæ præcedant greſſus tuos. *Prouerb.4.*

Sapientis oculi in capite eius: ſtultus in tenebris ambulat. *Eccleſiaſt.2.*

Melius eſt videre quod cupias, quam deſiderare quod neſcias. *6.*

Dulce lumen & delectabile eſt oculis videre ſolem. *11.*

Venuſtatem & pulchritudinem deſiderabit oculus tuus, & ſuper hæc virides ſationes. *Eccl.40.*

Abuſus.

Qui annuit oculo, dabit dolorem. *Prou.10.*

Oculi ſtultorum in finibus terræ. *17.*

Exaltatio oculorum, & dilatatio cordis, lucerna impiorum peccatum. *21.*

Memento quoniam malus eſt oculus nequam: Nequius oculo quid creatum eſt? *Eccl.13.*

Sententiæ Philosophicæ.

Oculi augent dolorem, quia ea, quæ cæteri audiunt, intueri coguntur, nec auertere a miſerijs cogitationem ſinunt. *Cicero ad Torq.*

Acerba audire tolerabilius eſt quam videre.

Difficile eſt multa ſimul inſpicere. *Ad Curion.*

Oculi morum indices. *Demoſth.*

Quiuis homo delectatur, dum lumen videt.

Idem oculorum eſt iudicium. *Euripides*

Oculus ad cognitionem neceſſario pertinet. *Ficin. in Dion. Areop. de diuin. nominib.*

Oculi ſpirituali modo ſpecies ſuſcipiunt: Nam cum lumen ſolis ſpirituale & incorporeum ſit, quicquid ſuſcipit, naturę ſuæ ſuſcipit modo, ideo colores & figuras corporum modo ſuſcipit ſpirituali & eodem pacto ipſum ab oculis ſuſceptum inſpicitur, *idem in Platone comm. or.4.44.*

Oculorum fulgorem D. Auguſtinum habuiſſe fertur, vt qui acrius intuerentur, quaſi ad Solis fulgorem vultum demittere cogebantur: & Tiberius noctu in tenebris ad breue tempus videbat. *ibid. or.7.c.4*

Oculi diuinitus dati ſunt ob cœleſtium cognitionem & imitationem & ob philoſophiam optimum diuinitatis donum. *Fic. in Plat. Tim.c.31.*

Oculi natura diaphana eſt, id eſt, tranſlucida ſit potiſſimum natura ſolari, & idcirco lumen naturaliter appetit, facileq; impletur lumine ſolis. *Idem in Plotin. En.3.lib.9.c.3.*

Oculi angulum ſi digito leuiter preſſeris, lumen intimum ſibi ipſi protinus emicabit *idem in Plotin. En.5.lib.3.c.8.*

Oculi ſunt animi Indices, per quos homines clementiam, miſericordiam, amorem, odium, iram, lætitiam, triſtitiam, & huiuſmodi affectus oſtendunt & magis eos augent. *Idem de vog. libro ſexto, cap.10.*

Oculus non ſolum lumen cognoſcit, ſed etiam tenebras: ſed lumen per ſe, tenebras negatione luminis. *Ioan. Gram. in 4. phyſicor. tex.118.*

Oculus domini equum pinguem reddit. *Ariſt. œconom. 1.c.6.*

Vide Viſus.

OCCVLTA.

Definitio et Etymolog.

Occulta, abdita, abſcondita, a verbo occulo, occului, occultū, Græc. ἀποκεκρυμμένα. Hebr. *Miſtarim*, a verbo *Sathar*, abſcondit, occultauit. *Sether.* abſconſio, abſconditum latibulum: *Siebra* latibulum. *Deut.32.38.* *Miſtar*, Myſterium, res occulta & abſcondita. *Miſtarim*, latibula, *Pl.10.8.* *Miſtor*, abſconſio protegens aliquem. *Ieſ.4.ver.ult.*

Sententiæ Poeticæ.

Ex Comicis Græcis.

Αὐτὸς δὲ φανερὰ μὴ διώκε τἀφανῆ.
Aperta linquens, perſequi noli abdita.
Ἢ μὴ ποίει δὲ κρυπτὰ ἢ μὴ μόνος ποίει.
Quod vis latere ne fac, aut ſine teſtibus.
Ὑπόνοια δεινὸν ἐστιν ἀνθρώποις κακόν.
Suſpicio graue mortalibus cunctis malum.

Occultum eſſe non poteſt, quicquid illuſtriſſimi homines agunt. *Xenophon de Ageſilao.*

Adagia.

Terra defoſſum habet. γῆν κρύψας ἔχει.

In eum, qui non impertit, neque profert ſuas dotes. Er hat es bey ſich begraben.

Occultæ muſices nullus reſpectus. οὐδὲν ὁ φελος ἀποκρύπτου μουσικῆς [illegible]

Cuius adagij ſenſus eſt. Quamuis egregias animi dotes, ſi non proferas, perinde eſſe quaſi non habeas. Ouidius.

Tu licet & Thamyram ſuperes atque Orphea cantu,
Non erit ignotæ gratia magna lyræ.

Plutus. ἄζηλος.

Sunt nonnulli mortales qui vel natiuo quodam ingenij vitio, vel data etiam opera, quas ſciunt diſſimulant, & alijs grauatim impertiunt. His illud nonnunquam euenire ſolet ut pro indoctis negligantur.

Qui ſunt apud inferos termiones. τὰς ἐν ᾅδου τριακάδας.

Hoc adagio ridebantur ij, qui res abditas & abſtruſas curioſa quadam diligentia veſtigarent.

Niſi ſi qua vidit auis. πλὴν εἴ τις εἶδεν ὄρνις.

De re vehementer occulta.

Attici Eleuſinia. Ἀττικοὶ Ἐλευσίνια. *Zeno.*

Subaudiendum καθ' ἑαυτούς. Id eſt, inter ſe, uſurpatur, ſi quando conueniunt inter ſeſe aliqui ſecreto de re quapiam arcana tractantes.

In tenebris ſaltare. ἐν τῷ σκότῳ ὀρχεῖσθαι *Lucian.*

Eſt rem gerere clanculum, nullo teſte, nulloq; iudice.

Monſtrum alere. *Terent.*

Monſtrum alitur, ubi quid occulti uerſ latere ſignificamus.

Muris circum currentibus. τῶν τειχῶν περιτρεχόντων.

Licebit uti, quum aliquid monſtri alitur, & ob id captari ſecretum.

Summis ingredi pedibus. ἄκρῳ ποδὶ ἐπιβαίνειν.

Dicitur qui clanculum aut cautim aut pedetentim, quod aiunt, conatur aliquid.

In aurem dicere. εἰς οὖς λέγειν. *Matth.10.*

Vel hodie uulgo dictant, pro eo, quod eſt clanculum ac ſecreto committere. In Euangelio, & quæ in aurem audiſtis, prædicate ſuper tecta. Heimlich in ein Ohr ſagen.

Oſtium obdite prophani. θύρας ἐπίθεσθε βέβηλοι *Lucian.*

Conueniet uti ſi quando ſignificabimus nos de rebus arcanis & arcanis loquuturos eſſe.

In ſimpulo. *Cicero.*

In ſimpulo olim fieri dicebant, quod uel clanculum, uel in re minuta atque humili fieret.

In angulo. ἐν γωνίᾳ.

In angulo fieri dicitur, quod fit in occulto. Vnder dem Huetlein ſpielen, Im Vvinckel ſpielen.

Admoto capite. *Homerus.*

Ἄγχι σχὼν κεφαλὴν ἵνα μὴ πευθοίαθ' οἱ ἄλλοι.
Admoto capite, reliqui ne audire ualerent.

Admonet eo loco ſi quis obiurgandus eſt amicus, ut id fiat primum in tempore, deinde comiter & amice magis quam aſpere, poſtremo clanculum ſemotis arbitris.

Vrit abſque torre.

Verſum hunc ceu prouerbialem ſubinde Plutarchus uſurpat.

Εὗει ἄτερ δαλοῖο καὶ ὤπαζε γῆρας δῶκεν.
Exurit ſine torre, grauisq; dat illa ſenecta.

Vide ſupra Obſcuritas.

ODIVM.

Definitio et Etymolog.

Odium, Græce μῖσος, εος, τό, & μισητός, ἡ, ὀν, odioſus: & μισέω, odio dicitur: Hebr. *Sinaah*, a verbo *Sane* odit, odio habuit, h ſtiliter

ftiliter infeftauit, boftis fuit, Cognationem habet cum nomine *Afon*, id eft, nocumentum: quos enim odimus, illis quoque nocere ftudemus. Hinc fi *Nun* tranfit in μ Græcum fit per conuerfionem radicis *μισεω* odi, *μῖσος* odium, Eft autem odium, ira inueterata, *fecund. Cic. lib. 4. Tufcul q.*

Odium eft vetus ira, ex pluribus caufis collecta, diuturno tempore perfeuerans. *fecund. Aug. lib. Definitionum.*

Odium eft diffonantia appetitus animalis, vel appetitus rationalis ad apprehenfum, vt difconueniens, ficut amor eft confonantia eius ad conueniens. *fecund. B. Thom. 1. 2. q. 29. art. 1. 2.*

Odium deducitur ab odi verbo anomalo, quod fignificat odio habeo: a quo ofus, & perofus dicitur, qui odio habet. hinc odiofus interdum qui habet odia: interdum moleftus. Terent. *Si porro odio effe pergis.*

Odium differt ab Inuidia, quod odium in brutorum etiam natura comperitur, vt eft inter egithum, & acāthidem, quorū nec cruor quidem cum interfecti fuerint commifceri poteft: quod fi forte mifcueris, rurfus fluit, & feparatur. Inuidia vero humanū genus non excedit, *fecund. Plut. in lib. de differentijs odij, & inuidia.*

Odium item differt ab Inuidia, quia nemini iufte inuidemus, odio vero iufte quam plures habentur, ficuti qui neque malorum cōfuetudinem fugiunt. Multi odio fe habent, nemo fibi inuidet.

Odium Dei, eft filia luxuriæ; odium vero proximi, eft filia inuidiæ.

Loci Biblici.

Odium proximi prohibetur, *Leuit. 19. 17. Prou. 15. 17. Matt. 5. ver. 23. 24. 1. Ioan. 2. v. 9. 11. & 3. 15. & 4. 20.* Odium rixas generat, *Prou. 10. 12.* Odium mali præcipitur, *Pfal. 97. 10. & 139. 21. Amos 5. 15. & 6. 8. Rom. 12.* Odium Chrifti, quam exitiale, *Ioan. 15. 23.* Odium Euāgelij caufa, *Matth. 10. 22. Mar. 13. 13. Luc. 21. 17. Ioan. 16. 2.* Odium reprobationis nota & fignum, *1. Ioan. 3. 12.*

Odium Dei, *Deut 1. 9. 16 cap. Pfal. 5. 6. & 11. 5. Prou. 6. 16. Efa. 1. 14. Ierem. 12. 8. & 44. 4. Amos 5 15. & 6. 8. Zachar. 8. 17.* Odium Meffiæ, *Pfal. 45. 8. Hebr. 1. 9. Apoc. 2. 6.*

Sententiae Biblicae.

Qui diligitis Dominum odite malum. *Pfal. 96.*

Iniquos odio habui. 118.

Omnem viam iniquam odio habui. *ibid.*

Iniquitatem odio habui, & abominatus fum. *ibid.*

Nonne qui oderunt te Domine oderam, & fuper inimicos tuos tabefcam? Perfecto odio oderam illos. 138.

Timor Domini odit malum, arrogantiam, & fuperbiam, & viam prauam. *Prou. 8.*

Reuertere ad Dominum, & auertere ab iniuftitia tua, & nimis odito execrationem. *Eccl. 17.*

Odite malum, & diligite bonum. *Amos 5.*

Si quis venit ad me, & non odit patrem fuum, & matrem, & vxorē, & filios, & fratres, & forores: adhuc autem & animam fuam, nō poteft meus effe difcipulus. *Luc. 14. Matth. 10.*

Qui odit animam fuam in hoc mundo, in vitam æternam cuftodit eam. *Ioan. 12.*

Qui autem faciunt peccatum, & iniquitatem, hoftes funt animæ fuæ. *Tob. 12.*

Qui autem diligit iniquitatem, odit animam fuam. *Pfal. 10.*

Sententiae Patrum.

Tria funt genera hominum, quæ odit Deus: Remanentem, retro redeuntem, oberrantem. Excitandi funt remanentes: retro redeuntes reuocandi: errantes in viam reducendi: tardi exhortandi: celeres imitandi. Qui non proficit, remanfit in via: qui forte à meliori propofito declinat, ad aliud quod deterius reliquerat, reuerfus eft retro: qui fidem deferit, à via errauit. *Aug. de nouo cant.*

Hoc eft perfecto odio odiffe, vt vitia, non homines oderis, nec vitia propter homines diligas. *in Pfal. 139.*

Feftuca in oculo, ira eft: trabs in oculo, odium eft. *in Matth.*

Odium, eft vetus ira, ex pluribus caufis collecta, diuturno tempore perfeuerans. *Aug. de defin.*

In comparatione odij, ira feftuca eft, fed feftucam fi nutrias, trabs erit: fi euellas, & proijcias, nihil erit. *in ferm.*

Nemo poteft perfecte diligere quo vocamur, nifi oderit vnde reuocamur. *de ver. relig.*

Propemodum naturale eft, vt nurus focrum, & focrus oderit nurum. *Hieron. in Michaam.*

Qui occidit, & qui odit fratrem fuum, & qui ei detrahit, pari pœna digni effe monftrantur. *in epift.*

Odium eft inueterata ira: vbi odium, ibi charitas effe non poteft: vbi charitas abeft, ibi nil boni eft. *Aug. fuper Matth.*

Si ad menfam cuiufque potentis hominis nemo præfumit confciffis veftibus, & inquinatis accedere, quanto magis à conuiuio æterni regis, id eft, ab altari domini, debet fe vnufquifque inuidiæ, vel odij veneno percuffus, iracundiæ furore repletus, cum reuerentia & humilitate fubtrahere, propter quod dicitur: Vade prius reconciliare fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum. & iterum: Amice quomodo huc intrafti non habens veftem nuptialē? *Aug. in ferm. confecrationis Ecclefia.*

Tunc bene animam noftram odimus, cum eius carnalibus defiderijs non acquiefcemus, cum eius appetitum frangimus, eius voluptatibus reluctamur. *Greg. in homil.*

Qui ergo motum nocendi habet in animo, debet iudicare fe reum, fi autem prodeat in contumeliam aduerfus fratrem, eget reconliatione, fi autem non iudicat fe reum, nec fratri vult reconciliari, ex contemptu perfeuerans in odio, reus erit gehēnæ, *Idem fup. Matth. 5. Hom.*

Vitam animæ quælibet culpa polluit, feruatus vero dolor contra proximum occidit, menti namque vt gladius figitur, & mucrone illius ipfa vifcerum occulta perforantur. *Greg. l. 10. Moral.*

Sicut rex in imagine fua honoratur, fic Deus in homine diligitur, & oditur. Non poteft hominem odiffe, qui Deum amat: nec poteft Deum amare, qui hominem odit.

Caro inimicum fuum diligere nō poteft, anima autem poteft: quia dilectio vel odium carnis in fenfu eft, animæ vero in intellectu. Quando ergo nocemus ab aliquo, & fi fentimus odium, fed tamen extingui volumus, cognofce quia caro noftra odit inimicum, anima vero diligit.

Hæc eft pugna periculofa, & hęc gloriofa victoria, qui poterit odiffe quod amat, & amare quod odit. *Io. Chryf. fup. Matth.*

Perfectum odium eft, homines diligere, & eorum vitia femper horrere, nam in illa parte, qua creatura Dei funt, amandos effe non dubium eft. In illa iniquitate horrendi funt, in qua fe polluerūt. *Caffiod. fup. Pfal. Perfecto odio oderam illos.*

Sententiae Poeticae.

Ouid. Amor. vel de fine tit. de lib. 2. Eleg. 1.

Si fapis, o cuftos: odium (mihi crede) mereri
Define, quem metuit quifq; perire cupit.

Senec. in Thebaid.

Simul ifta mundi rector Deus pofuit:
Odium atque regnum.

Idem in Oedipod.

Odia qui nimium timet,
Regnare nefcit.

Seneca in Hercule furente tragœd. 1.

Si æterna femper odia mortales agant,
Nec coeptus vnquam cedat ex animis furor,
Sed arma fœlix teneat, infelix paret.
Nihil relinquent bella, tum vaftus ager
Squalebit arans, fubdita tectis face
Altus fepultas obruet gentes cinis.

Idem tragœd. 7.

Profeffa perdunt odia vindictæ locum.

Iacob. Billius. Anthol. Sacr.

Recta volens animus fapiens, & amator honefti,
Quofdam odio dignos iudicat effe fuo.
Nec tamen hos toto diuellit fœdere quamuis
Naturam errantum diuidere a vitijs.
Sic generi indulgens proprio, vt peccata recidi
Optet, & vt damnet crimina, non homines.

Sentent. Philosoph.

De odio populari. Dial. XXXIV.

Francif. Petrarcha.

Dol.

Populus me odit. R. Habes quem prædixeram popularis fine gratiæ, pro dilectione odium. D. Populus gratis odit me. R. Miraris quod fine caufa odit, qui fine difcretione dilexerat, confequēs hoc illius: vnde modeftia exulat, ibi regnare impetum eft neceffe. D. Odit me populus. R. Hæc belua iniuriæ prompta eft, fegnis officio. Vulgi amor leuis, odium graue. D. Populus mihi fuccenfet. R. Ab amante plaufus, ab irato populo pernicies, impar periculum, ac fpes. D. Populo odiofus fum. R. Nihil impetuofius ftultorum turbis, vbi infaniam fingulorum, publicus furor, & furorem publicum, fingulorum rabies impellit. Alterque alterū trudit. Nihilque pernicio fius, quam incidere in illorum manus, quibus pro iuftitia fit voluntas, pro maturitate præcipitatio. D. Odit me populus, R. Non amas, & vtinam ne nouiffes quidem. Amor malorū odio finitur. Vtrumq; anceps, fola ignorantia tuta eft. D. Populo fum inuifus. R. Populus odiofus, lenendus aut linquendus.

Peiora funt tecta odia, quam aperta, & agnofci amat, qui odium oftendit. *Seneca in Prou.*

Quamuis agas, vt ne quis merito tuo oderit, erunt tamen femper, qui te oderint. *in Prou.*

Semper odiorum honeftus occafus, & dum fimultates nihil aliud habent, quam nocendi cupiditatem, fpeciofa in melius mutatio eft. *Quintil. Dec. 9.*

Amo-

Amor & odium, & proprium commodum, sępe faciunt iudicem non cognoscere verum. *Arist.lib. . Rhetor.*

Molestia est veritas, siquidem ex ea nascitur odium, quod est venenum amicitiæ. *Cic.lib.de amicitia.*

Hoc natura est insitum, vt quem timueris, qui cum de vita fortunisque contenderis, cuius ex insidijs euaseris, hunc semper oderis. *Cicero pro Sylla.*

Non est prudentis errantes odisse, alioquin ipse sibi odio erit. *Seneca de Ira.*

Infixa nobis est auersio rei eius, quam natura damnauit. *Idem, epistol.99.*

In pace, etiam si odia non finiuntur, tamen intermittuntur. *Liuius, lib.11.Dec.5.*

Ferme acerrima proximorum odia sunt. *Tacit.hist.l.4.*

Cupido vel odium multos exercitus in discordiam egerunt. *Idem, libro 1.*

Fas est, odia priuata publicis vtilitatibus remittere. *Idem, Annal.l.1.*

Odium certaminibus ortum vltra metam durat, & ne in victis quidem deponitur, neque ante inuisum esse desinit, quam esse desijt. *Vell.Paterc.l.1.*

Maxime laudi est, odium aduersus tyrannos, inimicitięque contra malos. *Plut.in compar.Dionis & Bruti.*

In acerbissimis etiam odijs naturalis persæpe recursat affectus. *Io.Iouian.Pontanus.hist.lib.4.*

In veteribus grauibusque odijs firmam pacem constituere, quod ea vel suspicione, vel vltionis cupiditate impediatur, difficile est. *Fr.Guicciard.lib.3.*

Odio & dominandi cupiditate homines ad quamuis periculosam dominationem vehementer impelluntur. *Idem, l.4.*

Dignitatis atque impiorum æmulatio, vel inter amicissimos odium gignere solet. *Idem, lib.7.*

Accidit plerumque, vt ea odia, quæ diu in tyrannos stante eorum fortuna exitij timore dissimulantur, quam eorum res labare cęperint, acrius atque liberius erumpant. *P.Iouius, hist.lib.2.*

Honestius puta offendere quam odisse. *Tacit.in Agric.*

Stimulat non raro priuati odij pertinacia in publicum exitiũ. *Idem hist.lib.1.*

Odium contra homines tunc maxime subit, quando alicui nimium credimus absque arte, putamusque ipsum omnino verum & sincerum fidumque virum esse, deinde vero mox prauum infidumque deprehendimus, rursumque alium eodem pacto. Itaq; quando quis sæpius offensus ita decipitur, præsertim ab ijs quos præcipue familiarissimos amicissimosque existimabat, odit tandem plurimum vniuersos, putatque nihil omnino apud quemquam esse sincerum. *Plato in Phædone.*

APOPHTHEGMATA.

Theologi. Ne oderis fratrem tuum pro quo mortuus est Christus, idque gratis: & cum Deus ac Dominus esset, frater tuus factus est. *Anton.serm.136.*

Isidori Pelusiotæ. Pręposterus fauor haud acute cernit: odium autem nihil omnino cernit. Quapropter si ab vtraque lema portus atq; immunis esse studes, noli violentas ferre sententias: verum illata crimina iusto & integro iudicio committe. *Epistol.libro primo.epist.310.*

Timon Athieniensis, qui ab odio hominum Misanthropos Græcis vocabatur, interrogatus, cur omnes oderet homines? Merito, inquit, improbos odi: reliquos autem, quia improbos non oderũt. *Max.ser.6.*

Pisistratus. Trasybulus Pisistrati filiam amabat: eamq; quom haberet obuiam, in publico osculatus est, ob id vxori maritũ in Thrasybulum irritante: Si illos, inquit Pisistratus, qui nos amant, habemus odio, quid faciemus ijs, qui nos oderunt? Ac virginem adamatam Thrasybulo dedit vxorem. *Plut.in apoph.*

Annibal. Adhuc puer, quum quæreretur de finiendo odio inter Romam & Carthaginem, pedem infixit solo, ac puluere suscitato, demum finem belli fore dixit, quum altera pars in habitum pulueris esset redacta. Agnoscas ingenium exitio Romanę gentis natum. *Plut.in Annibalis vita.*

SIMILITVDINES.

Nazianzeni. Quemadmodum eadem terra stat quidem sanis & non ægrotantibus, mouetur autem vertiginosis, & qui se circũuoluunt, quum videntium passio ad id, quod cernitur, transmutatur, aut si mauis, quẽadmodum eadem statua, maior quidem ijs, qui prope sunt & considerant, minor vero distantibus apparet: quũ aer suffuretur distantiæ, visui vero dilatet crassiora: ita & nos facile decipimur propter inimicitias, vt in eisdẽ nequaquã ijdem amici simus, nec nos cognoscimus. *In serm.de pace.*

Augustini. Sicut nullum in vulnere valet medicamẽtum, si sit intus ferrum: ita nihil proficit illius oratio, in cuius pectore mortiferum versatur odium. *De rectitud.cathol.conuersat.*

Socratis. Qui fratribus relictis alios amicos quærunt, cõsimiles sunt illis qui ius suum deserunt, & alienum colunt. *Ant.ser.136.*

Plutarchi. Subduc materiam, extinguetur ignis: subduc occasionẽ, conquiescet odium siue inuidia. *Apud P.M.*

Ex festuca incensa, aut lucerna neglecta domi, nonnunquam conflagrat vrbs tota: Sic ex priuatis odijs ac dissidijs publica pernicies oritur. *apud eundem.*

Plinij. Vt inter animantium genera occulta quędam sunt dissidia, cũ nulla appareat dissidij ratio, velut araneæ & serpenti, formicis ac soricibus, trochilo & aquilæ, alijsque compluribus: Ita sunt, qui illam aut illam oderint gentem, cum nesciant, quamobrem oderint. Quidam odere Rhetoricen, aut Gręcas literas, cum hoc ipsum ignorent, quod oderunt. *lib.10.c.74. & Arist.lib.9.c.1.de nat.animal.*

Philippi Beroaldi. Quemadmodum coniungi non potest amaritudo cum dulcedine, caligo cum lumine, pluuia cũ serenitate, pugna cum pace, cum fœcunditate sterilitas, cum tranquillitate tempestas: Ita cum amore odium, inuidia, liuor, maleuolentia copulari non possunt. *In orat.habita in princ.enarrat Propertij.*

P.M. Vt carboni semel exusto suffocatoque, si denuo flagret, maior est vis: Ita semel sopitum odiũ, si rursum excandescat, acrius est. *In simil.*

Vt vitis refugit brassicam, quercus abhorret ab olea, multo magis autem a nuce iuglande (nam vitis cum omnia complectatur, solam brassicam declinat: quercus si in scrobem oleæ depacta fuerit, emoritur: eadem & iuxta nucem iuglãdem inarescit:) Sic inter quasdam nationes naturale dissidiũ est, vt nullo pacto queãt coalescere concordia: vt inter hos fere, quos mare aut Alpes diremerunt. *Ibid.*

Iuglans crepitu prænunciat se frangi, vt fugere liceat, priusquam fiat ruina: Ita quidam non lædunt, nisi prius ostendant se infensos: alij prius læserunt, quam expostulent. *Ibid.*

Quæ ex balneo calent, vehementius frigescunt, & aqua frigidior esse solet, quæ prius caluit: Ita vehementius sese oderunt, qui prius transtulerunt. *Ibid.*

Thriueri. Flamma alacris est, fumus vero intolerabilis: Et sæpe tolerabilior est manifesta inimicitia, quam occultum odium. *In apoph.*

Ex elychinio difflato, sed nondum extincto, sæpe nascitur plurimus fœtor: aliquando etiam maximum incendium: Et ex inimicitijs tantum dissimulatis grauissimus tumultus. *Ibid.*

Insalubre admodum cęlum, quod pluuiam promittit, sed non demittit: Et pestilentior est animus, qui tempestatem suam altius recondit quam qui funditus excludit. *In apoph.83.*

Facile est ignem inijcere, sed difficile est iniectum extinguere: Ita longe facilius est inimicitias excitare, quam componere. Consultum ergo est, in amico leuem iniuriam ac facinus tolerare. *In apoph.80.*

ADAGIA.

Odium agreste. *μῖσος ἄγριον*

Odium atrox veteres ita appellabant, propterea quod rustici plerumque sunt μισάνθρωποι & acerbius atque implacabilius oderunt alios politiores homines.

Odium Vatinianum.

Pro capitali & vehementer acerbo odio. Catullus.

Odium nouercale.

Nouercis omnibus innatum est fatale quoddam & irreconciliabile odium in priuignos. Cicero.

Oderint dum metuant.

Licebit adagium hoc per iocum vsurpare, veluti si quis eruditione superior de clanculariis hostibus, qui tamen ob metum lacessere non audeant, dicat. Oderint dum metuant.

Odit cane peius & angue.

Odium vehemens & acerbum significatur hoc adagio. Horat.

Alter Mileti textam cane peius & angue
Vitabit Chlamydem.

Item Plaut.in Mercat.

Nempe rure vxor est tua, quam dudum dixeras
Te odisse aque atque anguem

Empedoclis simultas. *Ἐμπεδοκλέους ἔχθρα.*

Dicebatur simultas pertinax irreconciliabilis. Diogenian.

Bellum irreconciliabile. *Ἀσπονδος πόλεμος.*

Dicitur etiam de odio pertinaci admodum & vehemente.

Archidamieum bellum. *Ἀρχιδάμειος πόλεμος.*

De bello suo crudeliq; dicebatur.

Et Scellij filium abominor. *Καὶ τὸν Σκελλίου βδελύττομαι.*

De tali odio, quo non solum a commemoratione rei odiosæ, sed etiam cognatis vocibus aliquis abhorret. Aristoph.

Non magis quam canem.

Odium & contemptum vulgo declarant canis vocabulo.

Cui ista arrident, meis ne gaudeat. *ὅτῳ τούτοισι γελᾷ, τοῖς ἐμοῖς μὴ χαιρέτω.*

Quum ingens discrimen intercesse significabimus inter nostras & aliorum rationes. Contrarium huic:

Qui Bauium non odit, amet tua carmina Maeui.

De ijs, quæ eiusdem sunt farinæ, & ex æquo contemnenda. Aristophanes.

Ne via quidem eadem cum illo vult ingredi. *μηδὲ τὴν αὐτὴν ὁδὸν βαδίζειν.*

Ne via quidem eadem ingredi dicuntur, qui extremo dissident odio, vt ne via quidem communi velint ambulare. Plut.

Fratrum inter se iræ sunt acerbissimæ.

Siquando simultas inciderit inter fratres, ea solet esse atrocior, quam vulgarium inimicorum. Eurip. in Iphigen.

Ira omnium tardissime senescit. *ὁ θυμὸς ἔσχατον γηράσκει.*

Id est: Ira postremum senescit. Nam vulgo mortales iniuriæ tenacissime meminisse solent: benefactorum quam facillime obliuisci. Soph. eles.

Vt lupus ouem amat. *ὡς λύκος ἄρνα φιλεῖ.*

Qui sui commodi gratia simulat amorem. Quo licebit vti, quoties quis alteri in negocio quopiam vult cedere.

Exempla Biblica.

Odij *exempla:* Abimelech & socij eius, *Gen* 26.*v.*17. Esau, 27.*ver.*41. Chananæi, 14.30. Fratres Ioseph, 37.*v.*45. Aegyptij, *Exo.* 1.*v.*12. Madianitæ, *Num.* 26.*v.*17.18. Israelitæ, *Iud.* 11.*v.*6.7. cæci & claudi, 2.*Sam.* 5.*v* 8. Ammon, 13.*v.*15.22. Razon, &c. 1. *Reg.* 11. *ver.* 25. Achab, 22.*v.*8. Hostes Iuda, 1. *Esd.* 4.*v.*1. Holofernes, 13.*v.*22. Aman, *Esth.* 7.6. Hostes Dauidis, *Ps.* 18.*v.*18. *&* 25.*v.*19. *&* 35.*v.*19. *&* 44 *v.*8. *&* 99.*v.*5.15. Iudæi, *Amos* 5.*v.*10. Viri quidam iniqui, 1. *Mach.* 1.*v.*21. Nicanor, 2. *Mach.* 14.*v.*19. Mundus, *Ioan.* 7.*ver.*6. *&* 15.*v.*18.

Exempla Profana.

Aiunt Melanionem quemdam odio mulierum in solitudinem demigrasse: perque auia montium, sane, quo vno conuictore vtebatur, feras insectari solitum, nec vmquam domum reuocari potuisse. Hinc prouerb. *Melanione castior. P. M.*

Græcorum odium erga Barbaros etsi naturale videri potest, propter linguæ vocisque diuersitatem (similitudo namque amicitiam parit:) tamen intercesserunt quoque variæ bellorum occasiones, præsertim ob raptum mulierum, quas *Herod. lib.* 5. *recitat.*

M. Cato Censorius tanto odio prosecutus est Græcos: vt filium Marcum ab eorum literis, non quidem inspiciendis, sed perdiscendis auocarit. *Plut. in Caton. & Plin. lib.* 21. *c.* 20.

Constantinus VI. Imp. qui & Constans, omnibus suis exosus Syracusis à suis in balneo est occisus. *Sigebert. in Chron.*

Timon Atheniensis non religione, non cœlestium rerum indagine adductus, solus esse voluit: sed prauo quodam affectu, rigoreque naturæ, omni hominum cõmercio sibiipsi interdicto. *Sabel. l.* 2. *c.* 2.

Myson Strymonis filius, Timonis moribus, fuit hominum osor: vt qui in solitudine solus riserit. *Laert. in eius vita.*

Cordillio Philosophus Stoicus Pergamenus, tam morosus fuisse dicitur: vt omnium principum, ac regum amicitias spreuerit. *Volat. lib.* 14. *c.* 2. *Anthrop.*

Epidaurij, cum Illyricos mores exosos haberent: nec illorum commercia vitare possent: vt se à contagione illorum seruarent, vnũ eligebant quotannis grauem ætate, qui solus ad illos penetraret cum quo commercium haberent, quem Poletem dixere. *Arist.* 2. *Politic.*

Hieroglyphica.

Rubus apud veteres odij fuit indicium: & vsque adeo in asperitatis significationem abijt, vt homines ingenio moroso, & difficillimo præditos, qui præ suo viuendi instituto omnes aliorum mores impendio fastidiunt, per *Rubum* siccam depingerent: eam enim ira affectam frangas potius, quam minimum flectas. *Pierius, lib.* 15. *c.* 4. *&* 5.

Id est *filices* hieroglyphicum, vt alligata arundini capitalia odia significet. *Idem lib.* 58 *c* 27.

Aegyptij Odium per *piscem* interpretabantur, vt docet. *Idem Pierius lib.* 31. *c.* 7.

Vide Affectus, Inuidia, Ira.

ODOR.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

ODor Plinio nihil aliud est quam infectus aer. *lib.* 15. *c.* 27. Mirũ (inquit idem, *lib.* 55 *cap.*) tria naturæ præcipua elementa sine sapore esse, sine odore, sine succo: aquas, aera, ignes. Odor, Græce Ουσμη Hebr. *Reach*, odor, fragantia, sæpe vsurpatur in Biblijs, proprie & figurate: à verbo *Riach.* Odoratus est, olfecit. Cognationem habet cum *Ruach.* spirauit: quod fit ore, at odorari fit naribus, attrahendo spiritum. Odor *proprie* sumitur, *Genes.* 27.27. *Prou.* 27.9. *Esa* 3.24. *Ioan.* 12.3. figurate, pro commoda, & felici conditione. *Exod.* 5.21. *Ier* 48.11. *Ose.* 14.7.

Secundo, pro acceptatione sacrificiorum legalium, messiæ dignitatẽ respicientium, *Gen.* 8.2. passim in libris Mosaicis, & propheticis. *Tertio*, pro odore mystico, filij Dei, & Ecclesiæ sponsalia cœlestia adumbrante, vt videre est in cantico canticorum, *c.* 1.*v.*4.12.13. *&* 4.20.5. *&* 7.8.13. *Quarto*, pro odore spirituali, seu donis Spiritus sancti in Dei electis, quæ dona accepta sunt coram Patre cœlesti, propter Christum. *Vide* 2. *Cor.* 2.14.15.16. *Eph.* 5.2. *Phil.* 4.8.

Porro translationes, quæ ducuntur à corporis sensibus, omnes fere prouerbiales sunt. Velut, Odorari, pro rescisсere. Olfacere. pro deprehendere. Subolere, pro suspectum esse, Obolere. i. molestum esse. Huc pertinent & illa, Olet mẽdacium, Redolet Atticismum, olet lucernam, &c. De quib. permulta occurrunt in probatis authoribus, & apud Grammaticos, qui verbi Oleo. & compositorum metaphoricas locutiones explicant.

Sentent. Philosoph.

Odorandi sensus non inest in nobis acer, sed eo a multis animantibus vincimur. Remisse enim homo olfacit, nec quicquam eorũ, quæ odorẽ efflant, percipit sine dolore aut voluptate: quod non sit in eo subtilis hic sensus. *Arist. l.* 2. *de Anim. c.* 9. *T.* 92.

Odoratus in eo, quod odorem efflat. & in eo, quod non efflat, cernitur, *l.* 2. *de Anim. c.* 9. *T.* 96.

Sensus rei, quæ odorem habet, eumque vel bonum vel malum, odoratus dicitur. *ibid. T.* 99.

Non sentire odorem nisi respirando, hominum proprium est. *ibid. T.* 98.

Sensus olfaciendi, cum impar sit sensuum numerus. & impar numerus medio quodam constet: videtur & inter eos, qui tactu munere funguntur suo, vt tactus & gustatus, & inter eos, qui alia interiectate munus suum exequuntur, cuiusmodi sunt aspectus & auditus, medium locum obtinere: *Lib. de sens. c.* 5.

Quorum nares porrectæ sunt longius, vt catellorum laconicorum, hæc valent olfactu. *Lib.* 5. *de gener. animal. c.* 2.

Efficitur sensus olfaciendi per spiramenta in ijs, quæ nares obtinent. *Lib.* 2. *de part. c.* 10.

Odor quædam est fumum imitans exhalatio. *Lib. de sens. c.* 2.

Sapor & odor eadem vtrumque effectio: sed non in ijsdem versantur. *Lib. de sens. c.* 4.

Non in aere modo, verum etiam in aqua odoratus versatur. *Lib. de sens. cap.* 5.

Elementa, vt ignis, vt aer, vt aqua, vt terra, odore carent.

Et acres & dulces sunt odores, & austeri, & acidi, & pingues, & amaris putidi. ac cariosi quadam similitudine respondere, dici possunt. *ibid.*

Genus odorum qui per se ac vi sua voluptate afficiunt, vt ij, qui efflantur è floribus, neque magis neque minus ad cibum inuitant, nec ciborum appetitum famemq; adiuuant, sed contra potius eã impediunt hominisque hoc est proprium. *ibid.*

Quod Pythagoræ, tradunt, nonnulla esse animalia, quæ odore victitent, id non est consentaneum. *ibid.*

Ea quæ adoratui subiecta sunt, ipsa per se, qua ex parte odoratum mouent, nihil ad cibum victumq pertinent, ad valetudinem autem eadem conducere sensu percipi potest. *ibid.*

Acres odores difficultatem nobis pariunt olfaciendi. *Libro de somnijs cap.* 2.

Odor idest, quod odoratum mouet, & si quid odoris sensum afficit, id odor facit. *lib.* 1. *de Anim. c.* 12. *T.* 125.

Odores. admixtione quadam omnino constant, vt sapores Quod enim admixtionis est expers, protinus & omni vacat odore, vt & sapore. Quo fit vt simplicia corpora, velut ignis, aqua, aer, odoris experta plane sint: terra, quod mixta sit maxime, potissimum quoque sola odore prædita cernatur. Verum odorum partim inertes sunt & diluti, quemadmodum in saporib. partim suapte quadam specie censentur: eorum autem species, quamquam saporum formas æmulari vſu, non tñ omnes eadem habent vocabula: nec sunt ita formis odores distincti, vt sapores, sed tantũ generib. cum præsertim bene olentia quædam, nonnulla male olentia dicantur, cæterum suauis tetriq; odoris species vocabulis notatæ non sint, quanquã alioqui in magno discrimine. Nã dulcia & amara formis magis designata sunt, verum acris dr̃, vehemens, mollis. dulcis, grauis, odor, &c. *Theophrast. de odoribus*, in quo egregio libello, multa de tota hac materia pertractauit eruditissime.

Odorẽ maiorem omnia præbent, cum mouẽtur, quia excita plus aeris implent quam quiescentia, & ita odor eius ad sensum nostrum transmittitur. *Arist Problem. Sect.* 12.

Odorem minus sentimus hiberno tempore, & minime per gelu & glaciem. quia aer a frigore immobilior redditur, itaque motus non æque proficisci a corpore odorato potest, Propter difficilẽ deliberationis motum, & aeris, quo inuehitur. *Idem. ibid.*

Odorem maiorem reddunt, aromata cinere suffita quam igne, & plenius ac diutius suum seruant odorem cum cinere sufflantur: quia in cinere minus concoqui odor potest, itaque plenior est, ignis vero quoniam celeriter vires eorum domat & concoquit, odorem commutat, concoctio enim est rei concoquendæ immutatio. *Idem, ibid.*

Odorem grauiorem reddunt ora hominum qui ieiunarunt, eorum qui aliquid edunt non olent, quia ventre inani minusque agitato aer factus calidior, spiritum & excrementa pituitosa sua immobilitate putrefacere potest, calidiorem autem effici hinc colligi potest, quod & sitim parere ieiunium solet. At vbi ederint, odor ciborum illam grauεolentiam offuscat, vt maior minorem, calor enim ciborum calorem illum præcedentem exuperat, ita vt nihil affici possit. *Idem, ibid. sect.* 13.

De suaui odore. DIAL. XXII.
Francis. Petrarcha.

GAV.

Suauib. delector odorib. R. Hi vel victui, vel vestitui subseruiunt, de quib. quid sentiam audiuisti. G. Odoribus studeo. R. Odorum alij gulam, alij libidinem irritant. Horum appetitus incontinentiæ notam subit, & præsertim vehementos. Alij propter se ipsos expetuntur. Horum studium non turpitudinis nempe, sed vanitatis arguitur. Vnde est, vt muliebrium vnguentorum odor, aut dapū, quam florum turpior ac pomorum sit. Eadem ratio est variū delectationum, quæ aurib. oculisq; percipiuntur. Si vnquam Ethicis applicuisti animū, nosti hęc, neque te nunc doceo, sed notæ veritatis ad memoriam retraho, vt huius generis oblectamenta videas vel fœda esse, vel leuia. G. Odorib. operam do. R. Bonæ vitam famæ cuius odor bonus quoque di, maluisque nator in. leo, latiuisq; sentibilis, quam aromatū, si tenantur, aut sulphurum, si cremenur. De his odorib. non nares, sed mens iudicat. G. Bonis odoribus delector. R. si sensui pares, & voluptati inhias, vt dictū est, aut obscœnum, aut inane. Si valetudinis curam geris, excusabile, modo cōdimentum rerum oīum modus adsit. Confortat. o. rabescentem spiritum odor leuis, sed ac oīa valet illud Comicū: Ne quid nimis. Est aūt (vt in multis) in hoc quoq; naturarum varietas infinita, non solum inter hoiem atque hoiem, sed inter gentem & gentem. Siquidem vera fama est, quamq; magni non respuunt authores, gens quæ Gangis fontem accolit, oīs cibi expers, solo mali siluestris odore alitur, peregre profectura, nil nisi bonum illud malum ac vitale circumferunt, tam fœtoris impatientes, vt sicut eos purus nutrit, sic infectus odor interimat. Delicata complexio, quæ sic viuat & pereat. Hic gens oīs ad ortū solis obuersa, cœliq; mollitie delinita, vt ciborum negligentior, sic egentior, atque appetentior est odorum. & inde nimirum hęc primum curiositas nos inuasit. Assyrij, Arabes & Sabæi, vestris armis edomiti, suis vos odorib. domuere, quib. aliqui andiu rigida patrum & inuicta sobrietas obstitit, vsq; adeo, vt quingentesimo & sexagesimo quinto anno vrbis conditæ graue edicto a Censorib. caueretur, ne quis in vrbem ipsam vnguenta externa conueheret. Non multo aūt post modernorum viojs (vt assolet) veterum scita rumpentib. in senatum ipsum edicti talis authorem victrix lasciuia penetrauit. G. Liniēter, bene oleo. R. Peregrini odores, atque omne artificium bene olendi, proprij naturalis, nō boni odoris argumenta, & latentium sunt signa defectuū. Ob hoc ipsum, atque ob illam, nedum viro, sed ne honesta quidem fœmina dignam curā solita sensum viri fortis offendere. Meministi adolescentis illius, qui dum, vt erat vnguento illitus, pro collata præfectura, Vespasiano principi gratias acturus, ante eū staret, ille hausto mox odore substomachans acri supercilio, voce asperam: Mallem, inquit, allium, oboleuisses, sic increpitum sine honore, inhibitis, seu rescissis iam concessæ gratiæ literis bene olidū dimisit. Ita cum semper dedecori sint odores huiusmodi, interdum et damno sunt, maxime, vbi morū grauis, ac masculus censor sit. Quid quod quibusdam fuere periculo? Nam & illud nosti, vt Plautius Senatorij vir ordinis, triumuirali proscriptione, metu mortis Salernitanis latebris abditus, vnguenti proditus odore, sibi quidem perniciem, proscriptorib. aūt suis excusationē sæuitiæ quæsiuit. Nam quis non iure cæsum diceret eum, qui eo tpe Reipu. tantoq; priuato discrimine vnguenta et nunc oleret? G. Artificiosis odorib. assueui. R. Desuesce, si consilium meū vis. Turpius est n. artificiosis quam simplicib. assueuisse. Omne, quod turpe est, quo artificiosius, eo fit turpius. Honestatis ornamentū ars, inhonestatis est tumulus. Adde quod & fœdius hodie, quam olim, quamuis n. Roma (vt dixi) & quam Græcorum Romā prope dixerim Lacedæmon, huic pesti ex Asia venienti, quasi armatæ hostium legioni terreis moribus atque edictis obstiterint, ad extremum tñ molles vnguentorum simulq; vitiorum acies fefellit excubias in Europam transijt, & fortissimas gentes vicit. Et quoniam singula prosequi longum est, ex vnius asperrimi atque laboriosissimi viri mollitia duritie de reliquis coniectuтam facito. Si quidem in bellorū ęstu, ille inuictus, ac barbarus cruēto cum exercitu vnctus est Annibal: penetrabilia vnguenta, sed penetrabiliora sunt vitia. Itaq; eneruati ducis ac militum, quorum tam stupenda primordia fuerāt, qualem decuit, exitus fuit. Quo effectum est, vt cum multum Africani semper virtutib. Annibalis tñ vnguētis aliquid deberetis, expediebat illis, vt sicci essent, vobis vt vngerentur. Ex illo sane multis sęculis sic iste mos inualuit, vt labor stuporq; sit legere, quæ de hac re in vtrisq. literis scripta sunt. Et quid plurib. morer? vsque ad illius pedes, quo nil altius, vnguentum venit, quando ipse, qui omnem mollitiem animorum, atque oēs illecebras voluptatum extincturus aduenerat, passus est, non vnguento quidem, sed pietate delectatus, ac lachrimis offerentis. Iam vero pedetentim vsus hic abijt, vt cum tu multis ætatis vestra maiorum gloriæ impar sis, in hoc excellere videaris, quod vnguentaria non est & qui his capitur, non cōmuni temporum, sed proprio quodam animi vitio laborat. G. Bonis odorib. illector & delector. R. Fieri non potest, quin quæ delectabilia sunt natura, & illiciant, & dum præsentia sint delectent. Sapientis Hebræi dictum est. Vnguento, & varijs odoribus delectatur cor, quamuis Vnguento quidem non tam mihi delectatio videatur inesse, quam fastidium. Sed vtrisq; odorib. meo certe consilio absentibus resistendum contemptu & obliuione, præsentibus vtendum modice, neque vllum his studium impendendum, ne te vel tacitus vel imaturus, vtrumque rerum mancipiū fateare. Nolo hunc articulum longius traham: inhonestis odorib. vt rebus omnib. virilem effœminantibus animum vetitis ac seclusis, in reliquis Augustini sententiam amplector, de illecebra odorū inquit: Non satago nimis, cum absunt, non requiro, cum adsunt, non respuo, paratus eis semper carere. Idem fac, ne quādo bonis odoribus male oleas, aut odiosis mundicijs odiosius sis.

ADAGIA.

Anus hircum olet. *Γραῦς ἀτταγοῖ.*

De vetula libidinante: propterea quod alarum ac reliquarum partium odor excitatur ad libidinem incensis.

Aut piscem olet aut florem.

Dictum in eum, qui bene o eret, quod Tymalus, aut Tithymalus piscis sit odore gratissimus, & aque fragrans eiusdem nominis flos.

OECONOMIA.

DEFINITIO, ET ETYMOL.

OEconomia, Gręca dictio est, *οἰκονομία*, dispensatio domestica, & *οἰκος* gubernatio: & *οἰκονόμος* dispensator rei familiaris dicitur. Hæc autem est prudentia rectiua multitudinis vnius familiæ *secund. D. Thom. 2. 2. q. 48.* Cuius finis est vltimus, totum bene viuere secundum domesticam conuersationem. *secundum ibid. q. 50. art. 3.*

Quatuor species œconomiæ.

Regia, Satrapica, Politica & Priuata. *Regiæ* autem prouentus species quatuor: circa Monetam, circa importata & exportata, vt sunt Portoria, circa sumptus, cū cōpendio fiunt, ac res vice pecuniæ dentur, æstimationesque vbi expediat magis, quam numerato impendantur.

Satrapicæ prouentus species sex: ex Terra, quam Decimam vocant, & Locorum, vbi dominantur metallis: ex terra & agro nascentibus: ex Mercatoribus, ex Pascuis, Decima item appellatur: ex rariis, ex alijs varijs rebus.

Tertia œconomiæ species, *Politica*, id est, ciuitatis, huius vectigal optimum ex ijs, quæ in loco proprio gignuntur, deinde a mercatoris, post hæc, *τὰ ἐγκύκλια*

Quarta & vltima *priuati nominis*, quæ quidem anomala, id est, absque norma existit, quod non ad vnum tantum intentionem illi œconomia exerceatur. Est insuper omnium minima ob breues prouentus & expēsas. Huius optimum vectigal ex terra primum, id est, Agricultura, quæ omnium est parens. Hinc enim magis secundum naturam res nobis acquiruntur: Deinde ex alijs rebus. Tertium ex argento: præter omnia autē pacere superfluis, & ne maiores sint prouentibus expensa.

Oeconomia est domus administratio recta. Domus partes duę sunt: familia, & res familiaris.

1. Familia est certarum personarum domestici conuictus iure deuinctarum, societas. Persona quæ præest dicitur *οἰκοδεσπότης*, quæ obediunt domestici. Harum personarum triplex est *συζυγία*. Coniugalis. Patria, Herilis. Coniugium est vnius viri & fœminæ, indissolubilis vitæ, omniumq; casuum communione, ad liberorum educationem & familiæ sustentationem coniunctarum, communio. Patria Syzygia est, qua parentes & liberi inter se coniungūtur. Herilis, qua herus & famuli, hera autem & famulæ inter se deuinciuntur. Officium coniugum commune ad pietatem, mutuum amorem, fidelitatem, & rei domesticæ curam refertur. Proprium mariti officiū certa respicit capita. Amet vxorē suā. Sit caput & dominus eius in timore Dei, competentem potestatē concedat ei in liberos, seruos & ancillas: scienter, pie, prudenter cum vxore sua conuersetur. Officium vxoris est quintuplex: nempe dilectionis, subiectionis, temperantiæ, adiumenti, prudentię decoræ. Officium patrum generale, est philostorgia: speciale patrem & matrem spectans, liberis præstatur, partim in infantia, partim post infantiam in pueritia, adolescentia & iuuentute. Patris officiū est defensionis & auctoritatis: Matris autem lactationis & familiaritatis maternæ. Liberorum Officium charitatem, Obseruantiam, & obedientiam complectitur. Officium herile est directio famulorum ac famularum ad exercitia pietatis, & ad operas vitæ præsenti necessarias: Laborantium alimentū, mercedem, conseruationem iustam, commoda honesta, institutionē honestam procurare: malos emittere. Seruorum & ancillarum officium, venerationis est obsequium & fidelitatis. Familiæ totius officium erga vicinos, & concordiæ, & beneficentiæ multiplicis, quæ proximi commoda promoueat.

2. Rei

a. Rei familiaris tum acquisitio, tum acquisitæ possessio ac conseruatio, tum denique possessæ & conseruatæ dispentatio, consideranda superest. In Acquisitione occurrunt Virtus, modus: media virtus acquisitionis est prudens Industria, coniunctam habens Pietatem, quæ Dei benedictionem respicit & implorat: Industria certis domesticis certos labores ad acquirenda bona distribuit. Hos domesticos & labores Paterfamilias vigilanter & prudenter obseruet, manum etiam quum necesse est, & pro laborum ratione operi sedulo admouens. Materfamilias seipsam depictam intuetur in Prouerbiis Salom. c. 31. Superbiæ, fallaci, luxui, fuco, meretricio ornatui æternum vale dicat. Modus acquirendi, poossimum Naturalis est aut Artificialis. Sub Naturali agriculturam & Pecuariam comprehendimus. In his Dei benedictionem & piæ familiæ laborem consideramus. Artificialis Mercaturam & operæ locationem respicit. Quocunque modo mercatura fiat, vel licita, vel illicita est. Licita, diuinitus concessa, societatique ciuili necessaria, fit honesti lucri grati... Patrisfamilias mercatura Pietatem, Iustitiam, Prudentiam habet comites. Pietas negociationem sanctificat. Iustitia edicit, Quod tibi fieri nō vis, alteri ne feceris. In tanta rerum mundanar. m ἀταξίᾳ mercator prudens & circumspectus esse debet. Mercaturæ licitæ species tres numerantur. Quædam enim est mercium earum, quæ tantum arte & opificio hominum parantur: quædam earum quæ terra & aquis nascuntur: quædam vero est negociatio pecuniaria. Illicita mercatura dicitur ea quam Deus damnat & punit: cuius modus est fraudulentus, & lucrum inhonestum. Eiusmodi mercatura primum instituitur non ad publicum bonum, sed ad priuatū lucrum cum proximi detrimento. Secundo instituitur ad decipiēdum alios, præsertim incautos, per omnis generis technas, vt blāditias, mendacia, periuria, mercium tum materiæ tum formæ respectu corruptelas, iniquas mensuras, &c. Non prætereunda est Annonæ flagellatio, & mordens vsura. Operæ locatio, est acquirendi modus, quo pro mercede opera hominis venditur: eaque fit exercitio artificiorum non modo liberalium, sed maxime etiā Manuariorum, quæ Deus varia ordinauit, & ad hæc contulit hominibus varia dona. Vt artificia manuaria sancta sunt & vtilia, ita recte discenda, diligenter & artificiose a bonis viris exercentur.

Possessio & consecratio pia facultatum acquisitarum, piam sufficiētiam & parsimoniam requirit. Cauet deinde, fugit & damnat fiduciam in diuitijs partis: superbiam detestatur; alios procaciter non despicit. Dispensatio prudens Dei gloriam, nostrum ac aliorum commodum respicit. Hanc suadet pietas erga Deum, vrget charitas erga proximum, moderatur oculus œconomicus iuxta facultatum modum, quarum dominium retinet.

S E N T E N T I A E   S A C R A E.

Coniugij institutio describitur, *Genes.* 2.18.23.24. *Matth.* 19. 5. Iteratum coniugium, *Genes.* 25.1. *Rom.* 7.2.3.1. *Cor.* 7.39 1. *Tim.* 5.14. Officium commune coniugum commendatur, *Matth.* 6.33. *Psal.* 37. 5. & 128.4. *Prouerb.* 11. *Genes.* 2.24. *Ephes.* 5.25 *Exod.* 20.14. *Prouerb.* 2.17 *Malach.* 2.15.16.1. *Corinth.* 7.3.4 5. *Psal.* 1:8.2. *Ecc.* 11 6. *Ephes.* 4.28. Propriū off. mariti, *Prouerb.* 5 18.19. *Eccles.* 9.9 *Ephes.* 4.34. *Genes.* 3.16.1. *Tim.* 2.12. *Colos.* 3.1. *Pet.* 3.7. Vxoris. *Tit.* 2 4 5. & 1. *Tim.* 2.11.12.15. *Roman.* 7.2. *Ephes.* 5.22.23.33.1. *Petr.* 3.1.5.6.1. *Timot.* 3. 11. *Prouerb.* 31.12. Officium patris & matris commendatur, *Es.* 49. 15. *Matth.* 7.9.10. & 19.13. *Deuter.* 4.9. & 6.7. & 11.19. & 31.12.13. *Prou.* 13.24. & 19.18. & 23.13. *Ephes.* 6.4. Officium liberorum, *Exod.* 20.12. *Deut.* 27.16 *Prouerb.* 6.20. & 15.5. & 19 26. *Matth.* 10.37. *Luc.* 14..6 *Leuit* 19.3. *Ecclesiastic.* 3. v. 3 ad 18. *Prou* 23. 22. Officium herile, *Exod.* 20.10.1. *Sam.* 1.21. *Ioan.* 4.53. *Actor* 10.2. *Matth.* 24.25. *Luc.* 17.8.1. *Timoth.* 5.18. *Leuit.* 19.13. *Deuter.* 24.13.14. *Leuit.* 25.43. *Ephes.* 6.9. *Matth.* 25 21. Seruorum & ancillarum officium: *Psalm.* 123.2 *Ephes.* 6.5. &c. *Col.* 3.22.1. *Tim* 6.1.2. *Tit.* 2 9.10.1. *Pet.* 2.18. &c. De reliquis patrum & matrum extra familiam officijs erga proximos videantur tit. *Beneficentia, Concordia, Eleemosyna, Mutuatio, Labor, Industria, Mercatura.*

S E N T E N T I A E   P H I L O S O P H O R.

Oeconomica scilicet & politica differre inter se, non solum quantum domum & ciuitatem (hæc enim, eis subiecta esse) sed in eo etiam, quod politica ex multis sit principibus: œconomiam vero esse Monarchiam. Prima autem in hac hominum cura ac diligentia circa coniugium: societas enim ab ipsa natura maris & fœminæ maxime conciliatur, vt non solum sit hominibus, sed etiam bestiis, nec eciam solum naturæ causa, sed & vtilitatis. Qui enim viribus validi imbecilles iuuant, rursus ipsi debiles in senect. te ab illis quandoque sustentantur. Huc accedit etiam, quod quando numero prohibemur a natura, saltem specie perpetuos esse affectamus. Diuersa tamen conditione procreati, simul iunguntur ad stabiliorem vitæ vsum. Nam fœminæ timiditas maior, ob res domi custodiendas, viris audacia, ob fortitudinem, & res foris parandas. Feminis itē charitas maior, ac patientia ad filios nutriendos: viris sapientia ad erudiendos. Possessionum post hæc diligentia adhibenda, quarum prima est homo: quapropter seruos ante omnia studiosos parare oportet. *Aristoteles in Oeconomicis in hanc sententiam differit.*

Polyanthea Noua.

Oeconomo ad rem tuendam modi sunt quatuor: Primum parare, deinde partum tueri, sine quo nihilo magis parare iuuat, quam in vas fundo carens, aquam haurire. Præterea prudentem esse ac diligentem, nullus enim res alienas æque euetur atque suas. Ex quo Porus interrogatus, quid maxime equum saginaret? Oculus, inquit, Domini. Libys etiam interrogatus, quod optimum letamen? Vestigia respondit, domini. Ideo Socrates dicere solebat, dominum ante seruos exurgere, & vltimum ire recubitum oportere. Surgere enim noctu, & ad valetudinem, & ad œconomiā, & ad philosophiam denique conferre. Item in lib. 2. dicit, optimum œconomum non ignarum esse debere moris locorum, circa quæ negotiatur: sed natura ingeniosum, mente vero iustum ac laboriosum.

Hoc igitur cognationis vniuersum cœtum & systema esse iudicandum est. Systema autem omne ex contrarijs quibusdam, & dissimilibus est, quæ ad vnum aliquod optimum, & ad communem vtilitatem referantur. Nam chorus appellatus est cœtus Musicæ communionis, & vnum communem spectat finem, nempe concentum. Item societas hominum circa nauim ea dissimilibus & contrarijs quibusdam constituitur, & ad vnum optimum respicit, videlicet gubernatorem, & communem vtilitatem sibi proponit, hoc est, prosperam nauigationem. Sic & familia, quæ cœtus est cognationis, dissimilibus sui partibus componitur, & ad Patremfamilias veluti vnum optimum se refert, & concordiam vtpote commune bonum molitur. In summa, omnis familia tanquam psalterium tribus illis indiget, apparatu, concinnitate, & contrectatione, siue vsu Musico. Apparatus quidem, est omnium eius partium constructio, quibus ipsum totum & vniuersus ordinis cognati cœtus absoluitur. Sunt autem partium eius duæ primæ & maximæ, homo, inquam, & res, siue possessio, quæ regitur, vsumque sui præbet. Quemadmodum ipsius animalis partes duæ sunt primæ & maximæ, anima & corpus, illa regit & vtitur, hoc regitur & vsurpatur. Item, vita, ascititium est instrumētum actionum humanarum: corpus autem instrumentum est natiuum & cognatum animæ. Porro hominum familiam constituentium, alij cognati sunt, alij affines. Cognati, qui ex eodem sanguine prognati sunt, aut ab eisdem primis parentibus originem ducūt. Affines autem, cognati sunt ascititij, ex nuptiarum coniunctione principium habentes. Illi vero aut parentes sunt, aut fratres, aut aui paterni vel materni, aut aliud quippiam ei, qui per nuptias nobis coniunctus est. Quod si amicorum etiam bonum ad familiam pertinet (sic enim familia fit amplior & magnificentior, non solum multis opibus ac plurimis cognatis, sed etiam amicorum multitudine aucta) apparet etiam hinc procul dubio familiam augeri, & sociale genus amicitiæ, & perfectionem familiæ connumerandum. Possessio autem quædam est necessaria, quæ ad vsus vitæ requiritur: alia liberalis, quæ ornat & oblectat hominem, ita vt aliis non egeat: alia liberalem ornatum, ingenuamq; delectationem excedens, contumeliæ exitijque radix inter homines pullulat. Quippe multa possidentes, necessum est primum inflari, inflatos autem arrogantes fieri: arrogantes factos, superbire, & cognatos tribulesque suos neutiquam sibi similes existimare: deinde contumeliosos fieri: omnis autem contumeliæ finis exitium est. Vbi igitur in domo & ciuitate superfluitas extiterit, oportet abundantiam per Legislatorē auferri & resecari, quemadmodum a bono agricola luxuriantes frondes. Porro cognati & familiaris hominum ordinis partes sunt tres, prima imperat, vt maritus: secunda paret, vt vxor: tertia familiæ & cognationi auxiliaris est, nempe liberi ex illis nati. *Calliceratides Pythagoricus Lacon, ex libro de familiarum felicitate.*

Ante omnia dicendum est mihi de operibus, quæ familiam sustentant. Hæc igitur diuiduntur, vt fieri solet, ita vt viro opera rustica, forensia, & ciuilia tribuantur: mulieri autem, quæ ad lanificiū & frumenti apparatum attinent, omnia denique domestica negotia. Non tamen alter ab alterius operibus omnino immunis esse debet, nam & mulierem aliquando decebit, vt rus egressa, operariis præsit, & patris familias vicem gerat, & contra, viro rerum domesticarum habere curam, laudi dabitur, partim sciscitando, partim ea, quæ fiunt inspiciendo. Sic enim mutua communio magis stabilietur, si necessarias inter se curas communicent. *Hierocles in Oeconom.*

Aristoteles commemorat multa exempla regum ac populorum, qui calliditate nouas artes vectigalis & rei parandæ sibi inuenerūt, quæ pars nondum in Latinam linguam translata est, vt inquit Volaterranus. *li. 36. Physiologia. Vide ibi in c. de œconom. Adde & Xenoph. de œconomicon, quem prænominatus Raphael Volaterranus eleganter ex Græco traduxit in Latinum.*

A P O P H T H E G M A T A.

Thales, eam familiam probabat, in qua domino plurimum otii agere liceret. *Stob. serm.* 82.

Chilon admonebat, vt suæ quisque domui præesset, primam

enim curam debemus familiaribus: nec idoneus videtur administrandæ Reipublicæ, qui priuatā rectè gubernare nescit: Domus enim nihil aliud est, quam parua ciuitas. *Laertius lib.* 1.

Idem dixit, Oportere domum maxime similem fieri ciuitati, quæ regno gubernatur. *Stob. serm* 83.

Cleobulus optimum œconomum inde iudicabat, si plures haberet sui amantes, quam metuentes *ibid.*

Bias dicere solitus erat, eam familiam esse optimam, in qua domini sponte sit huiusmodi, qualis propter legem foris est, *Stobæus eod serm.*

Pittacus optime constitutam esse domum pronunciauit, cui superfluum nihil abundet, & necessarium nihil desit. *Stobæus serm eod.*

Solon optimum œconomum esse dixit, in cuius familia pecuniæ nō iniustæ possideantur, nec difficulter custodiantur, neque propter sumptus pœnitudinem adferant. *Ibid.*

Theano cuidam percontanti, quanam ratione celebris euasura esset: respondit: Contexens telam, & meum curans coniugium. Sensit autem mulier ornatissima, tum demum claram se fore, si amaret maritum, probe educaret filios: & rem domesticā sedulo curaret. *Stobæus serm.* 27.

Lycurgus audiens quendam, qui Democratiam mirum in modū probabat. Quin tu, inquit, primum domui tuæ democratiam, hoc est, commune imperium instituis? Docuit autem compendiosissime, eam gubernationem Reipublicæ perniciosam fore, quam nemo vellet esse in sua familia. *Plutarchus in Laconicis.*

Themistocles cum ex duobus filiam suam ambientibus bonis moribus præditum diuiti prætulisset; virum se quærere dixit potius sine pecunijs, quam pecunias sine viro. Sensit autem vir prudentissimus, non obstare paupertatem hominum vitæ, si quis rem domesticam pro viribus curare, cum tota sua familia cupiat. *Stobæus.*

M. Cato. Cum ex Catone quæreretur, quid maxime in re familiari expediret? respondit. Bene pascere. Quid secundum? satis bene pascere. Quid tertium? bene vestire. Quid quartum? bene arare. *Cic. lib. 2. Offic.*

SIMILITVDINES.

Plutarchi. Vt potionem temperatam, etsi plus insit aquæ, vinum tamen appellamus. Ita substantiam & rem familiarē quamuis plus vxor contulerit, mariti dici oportet. *In præceptis nuptial. Meminit & Stobæus serm* 72.

Eiusdem vocibus simul sonātibus gratior fit concentus: Ita quicquid fit in familia, fit quidem vtriusque consensu, sed tamen arbitrio mariti. *apud P. M.*

Brisonis. Quemadmodum catenæ circuli mutuo complexu hærent, seque inuicem sequuntur: & si vnum ex eis, quemcunque tandem attrahas, tota catena cum suo principio consequetur: Ita etiam quicquid in vitæ negotiis tibi sumas, reliqua necessario sequi, & ordine continuo succedentia deprehendens. *In œconom. vnde mutuatus est Stobæus serm* 83.

Thrasyll. Nihil intolerabilius, quam ancilla, quæ consuetudinem habet cum domino: Et nil feruilius, quam dominus, cuius secreta peccata cognoscit seruus. *In apoph.* 97.

OFFENSIO.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Offensio, Græce προσκοπή, ἡ, vel πρόσκομμα, ατος, τό, & προσκόπτω, offendo dicitur. Hebr. *Kisschalon.* dicitur, a verbo *Caschal*, impegit, offendit, corruendo impegit, corruit. Vide Scandalum vbi plura de offensione & offendiculo. Offendere & Defendere proprie contraria sunt. Nam offendere, est incurrere in aliquid atque incidere. Terent. *Offendi aduenìens quendam mei loci hinc atque ordinis hominem* Defendere vero est impellere. Quoniā vero qui incidunt in aliquid, lædere sæpe solent id, in quod incidunt, & è contrario, qui depellunt, tuentur: factum est, vt offendere frequentissime pro lædere vsurpetur, & defendere pro tueri, & quasi vim depellere. Offendere aliquando est inuenire. Varro *Romam regressus, ibi nil offendi, quod ante annos quinquaginta reliquerim.* Ab offendo offendiculum, quod significat impedimentum, obstaculum, & offensam.

Offensio atq. offensa ita differunt, quod offensio semper passiue accipiatur, offensa vero actiue. Cicero, *In corpore ægro odiosa est etiam offensio.* Idem: *Cum tot eius offensas pati non possem, inde discessi.*

LOCI BIBLICI.

Offensiones vitandæ, & quomodo, *Rom. 3.8. & 6. v. 1. 14. & 16, 17. 1. Cor 9. 12. 2. Tim 2. 19.*

SIMILITVDINES.

Plutarchi. Vt medici eas febres, quæ ab incertis causis paulatim collectis eueniunt, magis suspectas habent & timent, quam quæ manifestas magnasque causas habent: Sic latentes plerunque, paruæque, & frequentes, ac quotidianæ viri atque vxoris offensæ, magis eos disiungunt, & vitæ consortium labefactant. *In nuptialibus præceptis unde mutuo sumpsit Stobæus serm.* 72.

Pliny Ternis ictibus ab omnium ictibus interfici hominem existimātes: Ita offensa [illegible] per se non capitalis, tamen sæpius iterata capitalem [illegible]. *Lib. 11. c. 21.*

Vide Culpa, Crimen, Iniuria, Scandalum.

OFFICIVM.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Officium Græce καθῆκον, οντος, τό, κατόρθωμα. τάξις, τὸ γινόμενον Hebr. *Can*, basis, gradus fundamenti, constantia firma, locus firmus: à verbo *Canan*, collocauit aliquid super firmā basin. Alij deriuant a verbo *Canah*, quod significat cognominauit aliquem ab officio, dignitate, præstantia: vt magistratum, principē, &c. quod re vera talis esse debeat. Officium dicitur. *hhabodah*, seruitus, seruitium, cultus, à verbo. *hhabadh*, seruiuit alicui tāquā seruus hero suo. Honores certe sunt onera functionesque tum publicæ, tum priuatæ dominantes ad seruitutem reuocant. 3. *Pekuddah*, visitatio, inspectio, præfectura, commissio, à verbo *Pakad*, visitauit, inuisendi curam suscepit, & commissi muneris partes absoluit. 4. *Mischpat*, Iudicium, officiū iudicis, a verbo *Saphat*, ius tribuit, iudicauit. *Sophet*, iudex qui officium sibi commissum implet, & officiosus est re ipsa. Est autem officiū, actus congruus cuiusque personæ. Vel sic: Officium est, quod quisque efficere debet pro suæ personæ conditione. In quo animaduertere oportet, quid loco conueniat, quid tempori, quid rerum aut personarum dignitati: diciturque ab officio, eis, quo antiqui pro efficio, vtebantur. Hinc officiosus dicitur obsequiosus, & qui facile merentibus exhibet honorem: à quo officiose, id est: cum officio & obsequiose. Officium etiam dicitur magistratus, vel quia honoris gratia institutus est, vel quia opem populo fert, vel quia ius, quod vnicuique debetur, reddit. Cæteræ vero artes actionem suam officium vocant, vnde officium Grammatici, officium Medici, officium Architecti. Hinc fit officina, id est, locus in quo artifices sua opera faciunt. Differt autem a taberna, quod officina est, vbi opera efficiuntur: taberna, vbi venduntur, vnde opifices & tabernarij dicuntur. Cicero: *Opifices & tabernarios, atque omnem illam fecem ciuitatum, quid est negotij concitare?* Tabernas etiam antiquis casus dixere, quod ex tabulis fierent.

SENTENTIAE POETICAE.

Horat. serm. 3.

Si male rem gerere insani est: contra, bene sani.

Plaut. Ru.

Vigilare decet hominem,
Qui vult sua tempori conficere officia:
Nam qui dormiunt libenter sine lucro, & cum malo quiescunt.

Ter. Adelph. 1. 1.

Hoc patrium est potius consuefacere filium,
Sua sponte recte facere, quam alieno metu.
Hoc pater, ac dominus interest. hoc qui nequit,
Fateatur nescire imperare liberis.

Ouid. 3. Pont. 4.

Pectore te toto, cunctisque incumbere neruis,
Et niti pro me nocte dieque decet.
Vtque iuuent alij, tu debes vincere amicos
Vxor, & ad partes prima venire tuas.

Propert. 3. 4.

Omnis enim debet sine vano nuntius esse,
Maioremque timens seruus habere fidem.

SENTENTIAE PHILOSOPHORVM.

Virtutis proprium est officium in alios beneficia conferre potius, quam ab alijs accipere, & quæ recta sunt & honesta, facere, quæ flagitiosa & turpia, non facere.

Negotia suscipimus, vt in otio simus: & bella gerimus, vt in pace viuamus. At virtutum quidem vsus, & munera earum, quæ ad actionem rerum valent, in ciuilibus bellicisque rebus vigent maxime, quæque in his versantur officia, negotiosa videntur. *Arist. lib. 4. c. 1. Ethic.*

Nulla vitæ pars neque publicis, neque priuatis, neque forensibus, neque domesticis in rebus, neque si tecum agas quid, neque si cū altero contrahas, vacare officio potest. In eoque excolendo sita est vitæ honestas omnis, & in negligendo turpitudo. *Cic. 1. Offic.*

APOPHTHEGMATA.

Thraseas dicere solitus est, suscipiendas esse causas amicorum,

aut

aut destitutas, aut ad exemplum pertinẽtes: amicorum, quod ex lege Gratiarum, amicorum communia sunt omnia: destitutas, quod in his potissimum & constantia agentis & humanitas cerneretur: ad exemplum pertinentes: quia plurimum referret bonum an malum ducem haberent. Frequenter enim bonæ causæ vitio patronorum vincuntur. Expedit autem ad bonos mores, vt in iudicijs succumbat prauitas, superet innocentia. *Plin in epist. ad Quadratum.*

Sigismundus Cæs. Coram Sigismũdo Romanorum Imperatore, quũ gloriabũdus quidam eques vrbanos magistratus parui faceret, tribunosque militum laudibus in cœlum tolleret. Tace, inquit Imperator nulla nobis, ô Thraso, militia opus esset, si suas quique ciuitates prætores, cæterique magistratus moderate iusteque gubernarent. Sensit autem, vbique terrarum pacem tum fore, si magistratus leges defenderent, & omni loco ac tempore diligẽter suum expedirent officiũ. *Aeneas Silu. lib 4. comment. de reb. gest. Alphonsi.*

Aeneas Siluius, legens Ennium vetustissimum Poetam, homines stupidos non homines quidem, sed hom ines appellasse, dixisse fertur: Ennius certe, si plerosque nostri seculi reges contemplatus esset, credo non reges, sed regones appellasset. *Aeneæ dictum leges in libro eius Commentar. 1. de rebus gestis Alphonsi sectione 54.*

Similitudines.

D. Anshelmi. Oues ad hoc habent, vt lac sibi & lanam ferant: boues vero, vt terram exerceant: canes autem, vt tam oues quã boues à lupis defendant. Si igitur horum quodcunque animalium suũ gerat officium, illud ad vitam dominus seruat: quia etiam sibi vtilis est vita. Si ergo officium, quod est suum, non egerit, morte sua indicatur dignum, quod eius vita nullum fert fructum. Si enim ouis lac vel lanam non attulerit, bos autem terram non exercuerit: quem alium fructum ferre poterant? Rursus, si canis custodiæ pecudum deputatus, eas lupo permisit laniare, aut easdem ipse vel alios canes cœperit strangulare: quid aliud dominus agere debet, quam eum obruere? Sic & Deus de illis ordinibus agit, quos ad officia diuersa in hoc mundo disposuit. Quosdam namque, vt clericos monachosque ad hoc ipsum disposuit, vt pro alijs orent, mitesque vt oues lacte prædicationis eos imbuant, lanaque sui boni exempli feruentes in Dei amore faciant. Alios vero, vt agricultores ad hoc disposuit, vt de suo velut boum labore ipsi viuant & alij. Quosdam etiam, vt milites, ad hoc instituit, vt asperitatem prout necesse fuerit, ostendant, tam arantes, quam agricultores ab aduersis gentibus, velut à lupis, defendant. Si ergo sui quisque ordinis officium impleat, longam promeretur vitam: quia cæterorum viuit ad vtilitatem. Si vero illud agere noluerit, vita ipsa indignus existit, quia fructum non affert, propter quem viuit. Si enim clerici monachique orationem vel prædicationem alijs impendere, vel etiam bonum exemplum præbende re, aut terram agricolæ noluerint excolere: quod aliud officium poterunt explere? Rursus, si milites alios defendere noluerint, aut etiam more rabidorum canum eosdem aut seipsos occiderint, vel oppresserint: quid de illis, nisi quod de rabidis canibus, debet fieri, vnusquisque sui ordinis gerat officium, ne & totum quod viuit deputetur mendacium. *In similitudinibus, c. 127.*

Ciceronis. Vt nec medici, nec imperatores, nec oratores, quamuis artis præcepta perceperint, quicquam magna laude dignũ sine vsu & exercitatione consequi possunt: Sic officij conseruandi præcepta traduntur, illa quidem, vt faciamus ipsi *Lib. 1. Officiorum.*

Quemadmodum leges omnium salutem singulorum saluti anteponunt: Sic vir bonus & ciuilis officij non ignarus vtilitatem publicam magis quam priuatam curat. *Lib. 3. de finib.*

Seneca. Quemadmodum qui iaculari discit, destinatũ locum captat, & manum format ad dirigenda, quæ mittit: cum hanc vim ex disciplina & exercitatione percipit, quocumque illa vult, vtitur: didicit enim non hoc aut illud ferire, sed quodcũque voluerit: Sic qui se ad totam vitam instruxit, non desiderat particulatim admoneri, doctus in totum, non quomodo cum vxore ac liberis viuat. Si quid oculis oppositum moratur aciem, remouendum est: illo quidem non abiecto operam perdidit, qui præcepit: Sic ambulabis, illo manum porrigens. Eodem modo vbi aliqua res obcæcat animum, & ad officiorum ordinem inspiciendum impedit, nihil agit, qui præcipit. Sic viues cum patre, sic cum vxore. *Lib. 2. epist. 95.*

Quemadmodum in pecunijs, qui duos lucratus est aureos, procliuus est ad decem, ad viginti colligendos congregandosque: Sic vsuuenit & in virtute: qui fecerit bonum opus, officium ve præstiterit, extimulationem aliquam aut exhortationem ad agendum sumit, vt alia quodque benefacta aggrediatur. *Chrys. ora. 14. contra Iudæos.*

Adagia.

Τὰς ἀρχάς.

Plutarchus tradit, hoc dicĩ solitum de his, qui conuiuium agunt, aut exhibẽt, idque inde manasse, quod olim apud eos mos fuerit, vt qui magistratum inirent, epulum exhiberent populo. Quod si quando plures fuissent magistratus dies inter se distribuebant. Itaque cum sibi occurrerent, rogabant: vis ... Ea vox in vulgo ...

Polyanthea Noua.

Ordinem deserere. Λείπειν τὴν τάξιν.

Ordinem deserere dicitur qui deest officio suo in re quapiam peragenda.

Pensum persoluere. *Plautus.*

Est suas implere partes, debitoque perfungi officio.

Contribulis factus tertia ordinem.

Postquam ascitus es in ordinem aliquem, fungere tuo officio, quemadmodum & cæteri faciunt.

Vide Magistratus, Princeps, Rex.

OLEVM.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Oleum, dicimus, & oliuum propinqui illo oleæ liquore ἔλαιον, Hebr. *Hiţar.* à verbo *Tsahar*, pellucidus & limpidus fuit, dicitur etiam *Schemen*, a pinguedine: & deriuatur a verbo *Schamen* pinguis fuit. Hinc latinum *Sumen*, i. pinguedo infra vmbilicum.

Loci Biblici.

Oleum lapidi a Iacobo extructo suffunditur, *Genes* 28. *v.* 18. & 35. *vers* 14. Oleum Tabernaculi lucernæ, *Exod.* 27. *v.* 20. Olei vsus, *Psal.* 104. *v.* 15. Oleum mulierem Eliam pascentem non deficit, 1 *Reg.* 17. *v.* 16. Oleum quondam sanitatis est tuendæ signum, nõ autem medicamentum ægrotis adhibebatur, *Marc.* 6. *vers.* 13. *Iac.* 5. *vers.* 14. Olei sancti confectio, *Exod.* 30. 25. Oleum allegorice significat gratiam Spiritus Sancti, *Matth.* 25. *v.* 4. Oleum dat Deus diligentibus se, *Deut.* 11. *vers* 14. Oleo non vnguntur inobediẽtes, 28. *v.* 40. Oleo vngitur rex Saul, 1. *Sam.* 10. *v.* 1. vngatur infirmus a Presbyteris, *Iacob.* 5. *v.* 4. vncti ab Apostolis sanantur. *Mar.* 6. 13.

Olea Christus, *Rom.* 11. *v.* 71. Oleaster populus Gentium, *ibid.*

Sententiæ Philosoph.

Oleum ad arcendam vinolentiam valet, & sorbitum facultatẽ præstat potandi, quod vrinam ciere potest, & vino hausto iter regit. *Arist problem. sec. 3 tex. 34.*

Oleum & cera cur solis calore candefiunt caro nigrescit? quia illa sol propterea candefacere potest, quod humorem nimium eximat: nigricat per naturam, quod per humidum est, propter humoris terreni mistionem, carnem vero, quod nullam inde humoris copiam detrahit, adurit, atroque afficit colore. *Aristoteles problem sec. 78. num. 1.*

Oleum cur nullo cum humore misceri patitur? Quia lentum, crassum, continens est, nec vllas in partes tenues conficitur, & ideo nullum locum dat humoribus subeundi. *Alex. Amphrod. problem. 2 num. 8.*

Olei partes oẽs acres, quæ in ipso oleo sunt, propter frigus acquiescere non est existimandum, sed tantum aliquæ eius partes, quia si omnes, non esset amplius oleum. *Idem in 4. Meteor. c. 6. co. 27.*

Oleum omnibus plantis penitus malum est, & pilis aliorum animalium omnium infestissimum, exceptis humanis. *Plato in Protagora.*

Oleum dolorum leuamen est. *In Menex.*

Oleo vespæ & apes necantur. *Ioan. Fran. Pic. Miran. in examin. van. doct. gent. lib. 2. c. 22.*

Adagia.

1. Oleum camino addere.

Est malo suppeditare fomentum, vt magis crescat.

2. Oleum & operam perdere. *In vanum laborare: frustra vigilare.*

3. Oleo tranquillior. *De homine qui prædatus est leni ingenio dictum.*

4. Oleo mollior, lenior. Hoc enim adagium desumptum est ex *Psal.* 55. 22. De blãditijs linguæ molliciei, simillimis & sub oleo aloes amaritudinem occultantibus alterum meretricis artes aperit, cuius palatum est lenius oleo, *Prou.* 5. 3.

OLFACTVS.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

Olfactus, Græce ὀσφρησις vel ὄσφρησις. Quid autem sit, quo organo, quo medio, quo obiecto vtatur, vide supra in arbore Animæ. Similiter de alijs sensibus, tam exterioribus, quam interioribus. Vide quæ ante de Odore dicta sunt.

Sententiae Philosophor.

Olfactus fit per medium, vt aerem vel aquam, videntur enim aquati-

aquatica odorem sentire, & quæ sanguinem habent, quæ non habent, vt quæ in aere, quædam enim eminus occurrunt ad alimentum odore mota. *Arist. l. 2. de anim. c. 9. tex. 97.*

Olfacit solum homo, cum anhelans respirat, sed expirans, aut retinens spiritum, non odorat, neque eminus, nec cominus, etiamsi in nasum intus ponatur. *Ibid. text. 98.*

Olfactus est sensus odorabilis, & male olentis & bene olentis. *Ibid. f. 99.*

Olfactus sensus in homine differt ab hoc sensu in cæteris animalibus, vt oculi ipsius ab ijs, quæ habent oculos duros. *Arist. 2. de anim. c. 9. tex. 97.*

Olfactus instrumentum tale est potentia, qualis est actu res odorata, actu iam odoratur, non potentia amplius, sed actu est. *Them. in 2. de anim. c. 38. tex. 100.*

Olfactus caliginoso aeri, vaporibusque ex aere & aqua mixtis omnino assignatur; quia inter aures & linguam, quasi aerem & aquã positus vapores eos apprehendit facile, & diligit maxime, qui ex aeris & aquæ mixtione proueniunt, quales sunt herbarum, florum, pomorũ odores naribus suauissimi. *Fic. in Pla. conuiuior 5. c. 2.*

Olfactui intime venæ quæ seruiunt, non habent integram cum elementis vel solide mixtis proportionem, nam angustiores sunt ad aquam & terram, & ad omnia, in quibus duo hæc dominantur, patentiores autem ad ignem & aerem, atque illa, quæ ferme similiter sunt tenuia, sed proportionem potius habent, ad fugaces exhalationes quasdam a compositis facile dissolubilibus euolantes, crassiores quidem aere, tenuiores autem aqua, & has persentit varietate quadam confusa. *Fic. in Plat. conuiu. or. 5. 2.*

SIMILITVDO.

P. M. Vt momus tauri opificem Deum carpsit, quod non præposuisset oculos cornibus, vbi maxime erat opus: ita perperã faciunt, qui coronam in vertice ponũt, cum sub naribus magis apponi cõueniat, vt plurimum voluptatis ex odore possint haurire. *In simil.*

OMEN.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

OMen, Augurium, quod fit ore quasi Oremen, teste festo & Varrone. Est enim rei futuræ enunciatio, ore hominis incidens, diuino tamen id Numine procurante. *Cicero 1. de Diuin.* Neque solũ Pythagorei Deorum voces obseruarunt, sed etiam hominũ, quæ vocant Omina: quæ Maiores nostri quia valere censebant, ideo rebus omnibus agendis, quod bonum, faustum, felix, fortunatumque esset, præfabantur. Gr. *οἰωνὸς. κληδών. φήμη. σύμβολον. οἰώνισμα.* Hebr. *Nachash*, à verbo *Nichesh*, auguratus est, augurium fecit, diuinauit, ominatus est. In malam partem sumitur, & de augurijs atque incantationibus, vbi diuinatores per murmura verbis cõceptis multa ab omnis mali fonte hausta prædicũt futura.

APOPHTHEGMATA.

Dionysius. Cum magistratus per literas forte crearentur, & ipsi contigisset litera *μ.* dicenti cuidam per iocum, *μωρολογεῖς*, id est, stulta offeres, Dionysi. Imo, inquit *μοναρχήσω*, monarcha ero. Et adeptus magistratum, protinus Imperator electus est a Syracusanis. Magni erat animi, quod illo ioco non offenderetur, contentus omen literæ secus interpretari. *Plutarch in Reg. apoph.*

P. Aemilius è foro domum reuersus, cum filiam puellam nomine Tertiam repperisset lachrimantem, rogauit quid haberet? respondente, Perseus nobis interijt (id erat nomen catelli, quem puella habebat in delicijs) Sit felix, inquit, ò filia, omen accipio, moxq; in bellum profectus, pulcherrimum de hoste triumphum egit. *Plut. in apoph.*

Nero. In Oedipode fabula, quam Nero nouissimam recitauit, in hoc versu decidisse legitur.

Θανεῖν μ᾽ ἄνωγε σύγγαμος, μήτηρ, πατήρ.
Iussit mori me mater, vxor & pater.

Nam & Oedipus patrem occiderat insciens, matrem vxorem duxerat: Ita Nero sciens Claudium patrem occiderat, matrem constupratam interfecerat, & Octauiam vxorem indignis tractarat modis. *Sueton. in Nero.*

Otho Imper. Cum in augurando tempestas esset orta, atque ipse grauiter esset prolapsus, identidẽ obmurmurasse dicitur: *τί μοι καὶ μακροῖς αὐλοῖς* id est, quid mihi cum longis tibijs? Sentiens, se frustra sacrificiis & piaculis conari placare manus Galbæ. *Suet. in eius vita.*

ADAGIA.

Bene sit. *καλῶς ἔστω.*
Ominis vox, cum quis rem quampiam nouam & arduam auspicaretur. Quod faustum feluxque sit.

Cum Musis *σὺν Μούσαις*
Id est, Musis bene fortunantibus. De doctis aut ijs, qui docti dicuntur.

Adsint Dij beati. *Παρεῖεν θεοὶ μάκαρες.*
Id est Felices adsint superi. Sermo est bene ominantis in re quapiam aggredienda. Das vvalte Gott.

Mercurius in dextro.
Hesychius indicat, veteres in iactu quodã solere ominis gratia præfari Mercurium. Per iocum vsurpare licebit, vbi quid aggredimur nouum.

In morbo consummat. *Seneca.*
Potest ab amico dici, qui nolit deesse amico quod impendat, si morbus inciderit. Potest & ab inimico qui malo viro mortem optat.

In tuum ipsius caput. *Demosthenes.*
Quoties in authorem mali malum retorquetur aut in id..., Græci dicunt, εἰς κεφαλὴν αὐτῷ.

OMNIS.

SENTENTIA.

OMnium obseruatio, contactu aliquo religionis innexa est quoniam non fortuito motu, sed diuina prouidentia constare creditur. *Val. Max lib. 1 c. 5.*

BIBLICI LOCI.

Omnes pro multis, 1. *Cor. 14. versic. 31. Philipp. 2 versic. 21.* pro quibuslibet indefinite, *2. Reg. 8. vers. 9. Matth. 4. 23. & 7. vers. 8 & 5. v. 11. & 3. 47. Actorum 1. vers. 17. & 10. vers. 12. Ioan. 12, v. 32. 1. Timoth. 2, versic. 4.* Omnis, idem quod totus, *Marci 2. versicul. 13.* Omne, pro perfecto & cumulato *Roma. 15. v. 13.* Sic capitur hæc particula, *& 1. Cor. 13. vers. 2. Ephes. 1. v. 3* Omnes qui sub cœlo sunt, hyperbole Hebræis familiaris, *Deuter. 2, versic. 25. Actor. 2. 5* Omnes sistemur ad tribunal Christi. *Rom. 14. vers. 10. 2. Cor. 5. vers. 10* Omnia a Deo, *Actor 17. vers. 27. 2 Corinth. 5, v. 18,* Omnia in primitiua & nascenti Ierosolymorum Ecclesia communia erant, *Actorum 2. ver. 45. & 4. v. 32. 34* Omnia in Christo condita, *Ioan 1. vers. 3. Coloss. 1. vers. 16. Hebr. 1. versic. 2. & 2. versic. 10.* Omnia pijs a Deo data, *1. Corinth. 3. v. 22.* omnia in Dei gloriam, *10. v. 31.* & Christi nomine facienda, *Coloss. v. 17.* omnia per Christum instaurata, *Ephes 1. v 10.* omnia munda mundis, *Tit. 1. v. 15.* omnia rebus spiritualibus, & vitæ spirituali postponenda, *Matth. 18. 6. Luca 14. 2, 17. versic. 33. Ioan 2. v 25.* omnia Deo possibilia, *19. v. 26. Marc. 10. 27 Luc. 1. 37.* omnia credenti possibilia, *Mar. 9. 23.* omnia probanda, *1. Thes 5. vers. 21* omnia Christo subiecta. *Matth. 11 vers. 27 & 28. vers. 18. Ioan. 16. 15. 1. Cor. 15 v 27. Heb. 2. v. 8.* Omnia Deo tribuenda, *Roman. 15. vers. 18. 1. Cor 3. v. 6. 7. 10. 2. Cor. 3. v. 5. & ... vers. 7. Iacob. 1. v. 17.* omnia ad ædificationem fiant, *1. Corinth. 14. v. 26. 40.*

SENTENTIÆ PHILOSOPHORVM.

Omnis non vniuersale significat, sed quod vniuersaliter. *Arist. in πρὸς ἐπι' lib. 1. c. 5.*

Omnis significat prædicatum dici de omnibus comprehensis sub specie indiuiduis. *Amb in lib. de inter.*

Omnis significat vniuersalem multitudinem, quæ sub subiecto cõprehenditur, à singulari autem articulo vnam ipsius naturam a multitudine profecta, *ibid.*

Omne dictum est, quod omnia complectitur: nullum quod nihil. *Mag. in lib. de interp.*

Omnis & nullus signa distributiua non significant modum vniuersitatis absolute, sed applicationẽ termino distributo. *Tho. de vio. in peri her.*

Omnia quodammodo sunt in omnibus pro conditione eorum, quibus insunt. *Propo de occasu.*

Omnia in omnibus sunt, proprie vero in vnoquoque, *Procl. elem. Theo Prop. 103.*

Omnia qui sequitur, nihil assequitur. *Fic. epist. lib. 3.*

Omne quod mouetur, ab alio mouetur. Falsa est propositio in reb. corporeis. *Ioan. Franc. Pic. Mirand. exam. var. doct. gent. lib. 6. c. 18.*

ADAGIA.

Latum & angustum. *ποιεῖν τὸν δῆμον ἐκ παχέων καὶ στενῶν. Aristophanes.*
Apposite torquebitur in eos, qui adolescentes recte docent, aut secus, quique populo recte concionantur, aut secus.

Inca seriaque.
Quoties omnia nostra cum aliquo communicamus, cum eo iocaseriaque conferre dicimur. Cic.

Nec animans nec inanime. *πάντα ταῦτ᾽ ἔμψυχα καὶ τὰ ἄψυχα.*
V...mur, cum nihil omnino excipiendum significamus.

Pueri seneſque.

Omnium quos sol videt.
Sunt & illa figura prouerbiales: Omnium quos terra sustinet, quos sol videt, pessimus optimusue.

Onus.

O N V S.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

ONus, oneris, Pondus, Sarcina, *φόρτος, φορτίον, ἄχθος*. Hæb. *Massa*, à verbo *Massal*, leuauit, vt facere solet is qui rem ponderosam tollit in altum, tentauit vt leuaret, in eo enim vires suas probat & tentat homo.

Loci Biblics.

Onus Christi leue, ideoque ferendum, *Matth.* 11. *v.* 29. 30. onus suũ quisque portabit, *Rom.* 14. 12. *Galat.* 6. 5. onus & infirmitas fratris ferenda, *vers.* 2. onus graue imponunt populo scribæ & Pharisæi, *Matth.* 23. 4. Onus pro afflictione, qua aliquis puniendus prædicatur, *Esai.* 13. 1. *&* 17. 1. *&* 19. *&* 21. *v.* 1. 11. 13. *&* 22. *&* 23. 1. *&* 30. 6. *Ierem.* 23. *ver.* 33. 34. 36. 38. *Ezech.* 12. 10. *Nahum.* 1. 1. *Abac.* 1. 1. *Zach.* 9. 1. *&* 12. 1. *Malach.* 1. 1. Onera portare iubemur. *Rom.* 15. 7. *Galat.* 6. 2. *Ephes.* 4. 32. *Colos.* 3. 13. Onera, quæ ferri nequeunt, à Iurisperitis hominibus imponuntur, *Matth.* 23. 4. *Luc.* 11. 46. onerati ad Christum vocantur. *Matth.* 11. 28.

DICTA POETARVM.

Ouid. 2. Amor. 2.

Cedimus, an subitum luctando accendimus ignem?
Cedamus: leue fit quod bene fertur onus.
Vidi ego iactatas mota face crescere flammas,
Et vidi nullo concutiente mori.
Verbera plura ferunt, quam quos iuuat vsus aratri,
Detrectant pressi dum iuga prima boues.
Asper equus duris contunditur ora lupatis,
Frena minus sentit, quisquis ad arma facit.

Propert. 3. 7.

Turpe est, quod nequeas capiti committere pondus,
Et pressum inflexo mox dare terga genu.
Omnia non pariter rerum sunt omnibus apta,
Famam ne, ex equo ducimur vitam ingo.

Ouid. 2. Pont. 7.

Sustineas vt onus nitentum est vertice recto:
At flecti neruos si patiare, cadet.

Philosophicæ Sententiæ.

Onus non in mouentem partem, id est, dextrum, sed in motum, id est, sinistrum, [illegible], aliquin non mouebit, aut difficilius mouebit. *Ari. 1 de anim. & essen. c. 4.*

Onera cum super scytalas facilius portantur, quam super currus quãuis habeant maiores rotas? quia in scytalis nulla est offendiculum, in curribus axis est ad quem offendant: id. super illũ enim premunt & lateribus: quod autem est in scytalis, ad ista duo mouetur, & interne subtracto spatio, & onere superimposito, in vtrisque enim his reuoluitur circulus, & motus impellitur. *Idem quæ. 7 mecha. tex.* 11.

Onera portantes cum cantu incedunt: quia dum animus modulis permulcetur, attendit quæ in numerorum suauitate, minus sentire potest, & minus ab onere grauatur. *Alex. Aphrod prob. 1 nu. 78.*

O P E S.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

OPes in numero plurali dicuntur ea omnia, quibus freti possumus aliquid, siue bona fama, existimatio, autoritas, diuitiæ, copiæ bellicæ, & cætera huiusmodi. Antiquo nomine Ops veteres producte vtebantur, a quibus pauper dictus est inops. Quoniã vero horum facultates præcipuæ in re pecuaria & agricultura consistebant, terram tot bonorum largitricem diuinis honorib. sunt prosecuti, & matrem deorum appellarunt. Ops ergo dicta est, quod opulenta sit & opulentos homines, nempe opibus seu donis matris suæ abundantes efficiat. Gr. *πλοῦτος, κτήματα*. Hebr. *Rechusch*, Substantia, facultas opum, a verbo *Rachasch*, comparauit substantiam, cõportauit seu collegit facultates. *Gal. Richesses.*

Loci Biblici.

Opes à Deo sunt, *Genes.* 12. *vers.* 7. *&* 13. *vers.* 14. 15. *&* 15. *v.* 18. *&* 26 *v.* 3. *Iob.* 1. *v.* 30. *&* 42. *v.* 12. *Prouerb.* 22. *v.* 2. *Eccles.* 5. *v.* 18. Opes nimiæ non appetenda, *Prouerb.* 23. *vers.* 4. 5. *&* 30. *v.* 8. *Eccles.* 5. *vers.* 9. Opes statim & derepente cum dolo, mendacio, fœnore & rapinis partæ, inutiles, *Prouerb.* 13. *vers.* 11. *&* 20. *vers.* 21. *&* 2. *v.* 6. *&* 22. *v.* 16. *&* 28. *v.* 8. 20. Opes interdum suis dominis ruinam adferunt, *Eccles.* [illegible] *vers.* 12. Opibus affluere vanitas, 2. *v.* 1.

PHILOSOPH. SENTENT.

Is maxime opibus fruitur, qui opibus non indiget.
Polyanthea. Nouiss.

Opes bona insidiosa sunt, & sperantibus meliora, quam assecutis: si quid in illis esset solidi, aliquando & implerent. *Seneca de Ira.*

Quisquis opes sine ratione possidet, non diu possidet. *Idem epistola* 72.

Maiore tormento possidetur pecunia, quam acquiritur. *Seneca epistola* 116.

Sapiens non amat opes, nec respicit possessas diuitias, sed contemnit.

Sapiens tunc meditatur paupertatem, cum in mediis diuitijs constitit. *Idem de vita beata.*

Id age, vt opes potius à te, quam à fortuna petas. *Idem de tranquillitate anim.*

Satis opum est, nihil amplius velle. *Quint. Dec.* 13.

Magnæ opes possessori fastum conciliare solent, & supercilium. *P. Man. epist.*

Opes iniuriarum suspicioni obnoxiæ. *Sal. in com.*

Nimiæ opes magnæ iacturæ locum faciunt.

Modestis hominibus plurimi facienda pecunia est. *Cur. lib.* 7.

Peiores sunt nuper ditati, quam ditati ab antiquo. *Plato de Republica.*

Opes seditionem efficiunt & malignitatem. *Arist. Pol.* 2.

Magnæ diuitiæ facile acquiruntur, paruæ autem non sine labore, & multo tempore.

Homini stulto & nequam facultatum nullus est modus. Ad quid prodest multa possidere & nihil agere?

Rerum nerui sunt opes.

Ideo pallens est aurum, quia multos habet insidiatores.

Nec equus sine fræno, nec opes sine ratione retineri diu possunt.

Nec auratus lectus ægrotum leuat, nec bona fortuna stultum.

Opes vitij magis, quam virtutis ministræ.

Pecunia pariter inuenit amicos & honorem. *Plutarchus de cupid. diuit.*

Magnifici pauperes sunt, qui immensas opes cumulant. *Diog.*

Malo moriens inimicis opes relinquere, quam viuens amicos frustra rogare. *Simonid.*

Opes honestis viris ac bonis bonæ sunt: improbis vero malæ, *Plat. de Diu.*

Timidæ sunt opes & amantes vitæ, *Eurip. in Ph.*

In omnibus opibus est opus, sine quibus nihil recte fieri potest.

Nullus continuo iuste viuens, ditatus est.

Fortuna diuitem hodie, mendicum facit in crastinum.

Argentum, hominibus sanguis & anima est.

Ne puero gladium, ne puero diuitias: nec viro imperitiam.

Cœcæ sunt opes, ac se inspicientes obcœcan[illegible]

Opes fortunæ vomitus sunt.

Felix qui simul opes, ac mentem habet. *Demosth. in Olynth.*

Auri vis atque opes sunt principibus in laniæ: id est, iniquitatis instrumenta. *Tacit. Annal. lib.* 1.

Neque in familia & argento, quæque ad vsum parantur, nimium est aliquid, aut modicum, nisi ex fortuna possidentis. *Idem Annal. lib.* 2.

Magnæ opes, non tam multa capiendo, quam haud multa perdendo quæruntur. *Dion. lib.* 52.

A D A G I A.

Argenti fontes. *Ἀργυρίου κρῆναι λαλοῦσι*

In eos, qui stolide quidem atque indocte, sed arrogantes tamen & confidenter loquuntur, opibus suis freti. Quadrabit in eos etiam, quorum oratio propter opum fiduciam plus satis libera atque audax videbitur.

Vndecumque lucrum captant.

In aduocatos, calumniatores, malos Medicos, qui captant vndecumque lucrum, competet illud Homericum.

Αἰεὶ γάρ τοι νῆσος ἀλωομένοισιν ἰχθὺς ἀγρεύειν
Γναμπτοῖς ἀγκίστροισιν, ἔτειρε δὲ γαστέρα λιμός.

Semper enim quaquaversum insula piscibus hamo
Insidiabantur: Venerem fames enecat atra.

Vide Diuitia, Pecunia. Item Auaritia, Liberalitas.

O P I N I O.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

OPinio, Græce *δόκησις, δόξασμα, ἡ δόξα*, opinor dicitur. Est autem opinio actus intellectus declinantis in vnam partem contradictionis cum formidine alterius. *secundum Beatum Thomam, secunda secundæ, quæstio 1, artic.* 4. Differunt autem sic opinio, fides, scientia, dubium, & scrupulus. Quia Opinio est assensus intellectus ad aliquid, non quia sufficienter moueatur ab obiecto proprio, sed per quandam rationabilem electionem voluntarie de-

clinans in vnam partem magis quam in alteram, cum dubitatione tamen, & formidine alterius partis. Ita tamen, quod ad illam partem quam formidat, nō haberetur ratio expresse concludēs, formidatur tamen propter debilitatem rationis alterius partis. *Fides* autem est, cum certitudine absq; tali formidine. *Scientia* vero est assensus intellectus moti, ab obiecto per seipsum cogniti; sicut in principijs primis, vel per aliud, sicut in conclusionibus, quarum est scientia. *Hæc ex B. Thoma*, vbi supra. *Dubium* quid sit, vide supra in Dubium. *Scrupulus* est, vt cum intellectus ex leuibus coniecturis seu medijs & multum debilibus mouetur ad vnam partem, & hæc etiam dicitur Suspicio.

Opinio opinatioque est cunctorum ad quæ ancipiti ferimur sententia vni pluribusque propensior æstimatio, vel vt alij, imbecilla est assensio.

Calcidius opinionis species credulitatem & existimationem videri voluit. Sane non defuerunt, qui ijs scientiam annecterent principijs, quod Aristoteli minus placet: nec sane iniuria, cum non possint demonstrari quidem principia: at scientia per demonstrationem comparatur. Proinde tam scientia quam experimentum, ex pertientia & ars ex intellectu & sensu orta est. Sunt qui ex intellectu & memoria nasci maluerint: inde Musas Iouis & Mnemosynes filias commenti sunt poetæ.

Opinio, existimatio, vel fama, de aliquo, vel de quacunque re a nobis concepta, siue rationi cōsentanea, siue contraria sit. *Heb. Dahhath*, à verbo *Iadhahh*. Nouit, Sciuit, resciuit, cognouit, *Debhah*, scientia, notitia. Scientia hominis in tanta caligine mentis, plerumque nihil aliud est quam opinio.

LOCI BIBLICI.

Opinio quorundam de Ioanne Baptista, *Luc. 7. vers.* 33. opiniones de Christo variæ, *Matth.16.vers.* 14. *Marc.6 v.*15. & 8. *v.*28. *Luc.9. v.*8 19. *Ioan 7. v.*12. & 10. *v.* 21. opiniones & cogitationes hominum frequenter sunt erroneæ, *Leu* 10. *v.*1. *Num.*15. *v.*39. *Deute.*12. *v.*8. & 29. *v.*19. 1. *Sam.*15. *vers.*9 2. *Sam.*6. *v.*6. *Prouerb.*12. *ver.*15. & 14. *vers.*12. & 21. *v* 2 *Esa.*5. *v.*21. 57. *v.*12. & 14. *v.*13. & 55. *ver.*8. *Mat.*3. *v.*14 & 16. *v.*12. *Marc* 8. *v.*32. *Ioan.*11. *v.*4. & 13. *v.*8.

SENTENTIÆ PHILOSOPHORVM.

In ijs quæ secus cadere possunt & opinio versatur & prudentia *lib. 6. Ethic. c.*5.

Neque res futuræ memoria comprehendi possunt: sed opinione expectationeque constant. *Lib. de Memoria & Recordatione, cap* 1.

Opinionis quod rectum est appellatur veritas. Præterea iam definitum, & certum id omne de quo est opinio. *lib.6. Ethic. c.*9.

Vis duplex est eius in qua sedes est opinionis, ingenium & prudentia. *lib* 6. *Ethic. c.*13.

Opinio non quæstio est, sed iam pronunciatum aliquod. *lib.6. Ethic. c.*9.

Opinio quidem & vera & falsa est: sed opinionem fides sequitur: neque enim fieri potest, vt is qui opinatur ea quæ ei videantur non approbet. *lib.3. de Animo. c.3. T.*157.

Restat vt opinio in veris quidem & falsis cernatur: sed quæ aliter atque sunt esse possunt: ita vt opinio nihil sit aliud, quam propositionis nullo certo argumento confirmatæ comprehensio nō necessaria. Quod autem de opinione dicit, id consentaneum est ijs quæ in opinando vsu venire conspiciuntur. Est enim infirma semperatque incerta opinio: visque ac natura ipsius, in hac infirma assensione continetur. His accedit quod nemo se dicit opinari, sed plane scire, cum existimat nō posse rem aliter habere: sin ita sentiat esse quippiam, vt nihilominus posse aliter esse existimet: tum se opinari dicit; quasi in huiusmodi rebus incertis cerni opinionem iudicans, in certis autem ac necessariis scientiam. *Lib.1. de Demonstr. c.26. T.*44.

Neque opinio tantum versatur in putando quod res sit: sed ēt quāobrem res sit, opinabile est: quod nihil est quam medium. *ibid.*

Neque eiusdem omnino rei sunt opinio & scientia: sed vt vera, & falsa opinio dicuntur quodammodo eiusdem rei esse, ita in eadē re versari opinionem & scientiam intelligendum est. Dicere. n. veram & falsam opinionem in eadem omnino re versari, quemadmodum volunt quidam, id tum multis alijs incommodis quæ ex eo sequuntur, refelli potest: tum quia illud, quod valde absurdum est, sequitur, non opinari nos, quæ falso opinamur. *ibid.*

Scientia ita animal cognoscit, vt non possit non esse animal: opinio vero vt secus esse possit. *ibid.*

Perspicuum ex ijs est, nil esse quod simul sub opinionem ac scientiā cadere possit: alioqui simul animo concipiemus, posse aliquid aliter esse atque est & non posse: quod omnino fieri non potest. *ibid.*

Id quod est & quod non est in opinione consistit. Ita opinabile eius quod est species esse nullo modo potest. Semper enim ad plura genus, quam species pertinet *lib.4 Top. c.1. l.*8.

In rebus omnibus cernitur opinio: nec minus æternis, quæ fieri nō possunt quam ijs quæ in nobis sitæ sunt. Præterea in veram ac falsam diuiditur opinio: non in malam & bonam, in quibus institutum & consilium potius cernitur. *lib.3 Ethic. c.*2.

Ex bonorum vel malorum electione tales, hoc est, boni vel mali dicimur: ex opinione non dicimur. *ibid.*

Visio & iudicium aut opinio, motiones quædam videntur esse. *lib.* 3 *de Natura. c.3. T.*26.

A vulgata opinione discedere, difficilimum. *Pausan. lib.* 2.

Grauis est ac perniciosa in bellis, vel proditionis sociorum vel nouorum hostium aduentus inanis opinio, quæ animos militum occupat. *Dionys. Halic. lib.*3.

APOPHTHEGMATA.

Socrates, Inanes vires ventus inflat, inquit: sic stultos homines opinio, *Max. ser de inani gloria.*

Heraclitus dicebat opinionem esse impedimentum profectui. *Eod. serm.*

Iphicrates, cum in amicorum & sociorum agris suum haberet exercitum, nihilominus tamē vallum facere, & fossam fodere voluit: quam ob causam cum a quodam parum fortis & animosus iudicaretur esse, respondit; Pessimam ducis esse vocem dicere, Non putaram. Significans, in rebus tranquillis interdum existere periculum, quod nullus expectasset. Aduersus inopinatos igitur casus prospexit suis copiis, ne si quid accidisset, dicere cogeretur, Non putaram. Hoc vero Latini adscribunt Scipioni. Ad Iphicratem autem refert Plut. *In Græcor. Impe. apoph.*

Epicurus, si ad naturam viues, inquiebat, nunquam eris pauper: si ad opinionem, nunquam eris diues. *Senec. epist.*16. Exiguum enim natura desiderat, opinio immensum.

SIMILITVDINES.

Clementis. Quoniam quidem sicut terra a cultore neglecta, spinas & tribulos necessario producit: Ita sensus vester longi temporis incuria, multas & noxias opiniones rerum, & intelligentias falsæ scientiæ germinauit. Opus est nunc multa diligentia ad excolendum eas mentis vestræ, vt id sermo veritatis, qui est verus & diligens cordis colonus, assiduus excolat disciplinis. *Libr.6. Recogn.*

D. Basilij. Neque in tabulis ceratis scribere possis, nisi prius literas dispunxeris, quæ ante scriptæ fuerunt: Neque animæ prius diuina placita accommodaris, quam anticipatas opiniones ab ea exemeris. *Ad Greg. Theol.*

Antonij monachi. Quemadmodum in Medicina fieri dicunt, vt corpora non pura quo magis nutrieris, eo magis lædas, materiam nimirum corruptis humoribus suggerens: Sic prauis opinionibus præoccupatam animam quo plus docueris, eo magis lædes, maiores subinde male & perperam sentiendi occasiones suppeditans. *in Meliss par.1. ser* 1.

Serapionis. Quemadmodum oculus perturbatus: Sic etiam anima opinionibus quæ naturam excedunt turbata, veritatis lucem videre non potest. *Apud Anton. in Meliss par.1. ser.*1.

Socratis. Quemadmodum spiritus vtres inanes distendit: Sic stultos ipsa opinio. *Apud Stob ser.*20.

Themist. Quo nix & glacies diutius ad solem exponitur, diligentiusque puerorum manibus tractatur, eo magis funditur & colliquitur: at quæ ex natura solida magis indurantur: Ita opiniones falsæ quidem dum ad rationem expenduntur, diffluunt, veræ autē magis ac magis firmæ euadunt. *In Apoph.*

FABVLA.

Vulpecula & Tintinnabulum.

Vulpecula habitabat prope flumen: Non procul inde alligatum arbori tintinnabulum erat, quo vētis impulso omnia circum loca resonabant. Vulpecula cui ignota vox illa esset, metuebat ne qd feræ & immanis bestiæ tales sonos ederet. Tandem sensim & placide accrepens, perspectaque tintinnabuli inanitate, cuius strepitibus nihil subesset virium. Nunc deinceps non facile, inquit, specie & opinione percelli animum meum patiar.

Multa opinione magni fiunt, quibus præsentibus nihil est contemptibilius.

Vide scientia.

OPPRESSIO.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

Oppressio, constrictio violenta, καταδυναστεία, κατάθλιψις Hebr. *hoschek*, a verbo *haschak*, oppressit vel vi, vel fraude. Item. *Lachats*, pressura, oppressio, compressio, tribulatio, à verbo *Lachats*, oppressit. Inde Ἀνεμς prædo, latro, cuius studium est proximos vi & dolis opprimere.

LOCI BIBLICI.

Oppressio bonorum in mundo pijs destinata, *Ioan.* 16. *v.*33. 1 *Thess.* 3. *v.*3. 1. *Petr.* 2. *v.*21. & 4. 19. oppressio bonorum in mundo perpetua: *Exempla.* Abal, *Genes.* 4. *v.*8. Angeli a Loth hospitio excepti, 19. *v.*4. 9. Iacob, 27. *vers.*41. Vniuersus Israel, *Exod.* 1. *vers.*12. filij Gedeon, *Iud.* 9. *v.*5. Dauid, 1. *Sam.* 18. *v.*11. Elias, 1. *Regum* 19. *v.* 2. Elisæus, 2. *Regum.* 6. *vers.*31. Zachariæ filius, 2. *Paralipom.* 24. *v.* 21. Mardochæus, *Esth.* 3. *v.*6. Ieremias. *Ierem.* 20. *v.*2. Sidrach, Misach, Abednego, *Dan.* 3. *v.*19, 20. Daniel, 6. *vers.*16. & 14. *vers.*59. Ioannes

nes Baptista, *Matth.*14.*v.*10. Christus, 27.*v.* 28.44. *Marc.* 15.*ver.* 19. *Io* 19.*v.*1. *Luc.*23.*v.*11. Apostoli, *Act.*5.*ver.*18. 40. Stephanus, 7.*v.*12.& 7.*v.*57. 58. Iacobus Apostolus, 12.*v.*2. Paulus, & Barnabas, 13 *vers.*15. Paulus, 14.*vers.*19.& 16.*v.* 19. Paulus cum Sila, *vers.*23.24.

Oppressores pauperum a Deo punientur, *Prouerb.* 22.*versicul.*22, 23. *Amos* 5.*versic.*21.

O P V S.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Opus, Græce ἔργον ... & ἐργάζομαι, operor, & ἐργασία ... opera dicitur. Heb. *Pohhal. Pehhullah, Miphhal. mephhallah*, Opus, actio, operatio dicitur, a verbo *Pahhal*. Operatua est expoliendo aliquid, perpoliuit, interpolauit, confecit, expolite perfecit. Et proprie perfectionem actus seu operis denotat. Hinc Græc. φαλίνω. & lat. polio, expolio, φαλίος, politus, splendidus. Differũt autem opus & opera, quod opera sunt diurnum officium opus vero finis fructusque *secundum Vlp. Iuris consultum.* Terent. vtrumque vno versu optime expressit. *Quod in opere faciendo opera consumis tua.* Hinc operępretium, id est, fructuosum, ad rem pertinẽs. Aliquando tamen opus pro opera capi videtur. Vigil, *Mollibus è strato opera ad fabrilia surgit.* Opus quandoque pro necesse capitur, vt ægrotanti est opus medico. Hinc oportet venit, quod significat pariter necesse est.

Loci Biblici.

Opus pro operis vel mercenarij mercede, *Leuit.* 19.*v.*13. *Esa* 61.*v.* 8.2. *Cor.*5.*v.*10. *Ephes.*6.*v.* 8. per metonymiam ex Hebræorũ idioesmo. Sic & *Apoc.*14.*v.*13. opera ponuntur pro præmio quod ipsa bona opera consequitur. Capitur & pro effectu, *Iac.*1.4. opus Idem, Deo & hoib. diuersa ratione tribuitur: Deo & Sauli, 1. *Paralip.* 10.*v.*4.14. Deo & Israelitis, 2. *Paralip.*11.*v* 4. Deo & Sabæis, *Iob.* 1.*v.*15. 21. opus idem Prophetis & diabolo tributum diuersa ratione, *Esa.*6.*v* 10. 2. *Cor.*44. Fides quomodo iudicatur opus, *Ioan.* 6.*v.* 29. Opera bona commendantur, *Matth.* 5.*v* 10. *Luc.*3.*v.*9. *Matth.*5.*v.*16.& 7.*v.*17 & 12.*v.*33. *Rom.*2.7. *Ephes.*2.10 1. *Tim.*6. *v.*18. *Tit.*2.14 & 3.*v.*8.14. *Heb* 6.10.& 10.24.1 *Pet.*2.*v.*12. 2. *Pet.* 1.*v.*10.1. Opera bona sunt testimonia pietatis, 1. *Tim.*2.10 Opera carnia quæ, *Gal.*5.19. quæ mala ex eis proueniunt, *Iacob.*4.*v.*1. Opera Dei, Hebraismus, pro operibus diuinis, *Io.*6.*v.* 28. Opera mala Deo displicent, & pœnam merentur, *Gen.*3.*v.*11.& 4.7.& 6. *v.*35.6.7.& 7.*v* 4.& 9.*v.*6.& 11.4.& 17.14.& 18.20.& 19 *v.*11. 24 16.& 20.3.& 42 21.& 44 16. *Exod* 3 9.& 8.9.10.11.12.14.20. 21.22. *capitib.*& 31.13 & 32.*v* 9.27.28.33. *Leu.* 10. *vers.* 12. opera mortua, *Heb.*9.14. opera tenebrarum, 13.12. *Ephes* 5.12.1 *Thess* 5. 8. operæ bona dicuntur vocationem & electionem firmam efficere, 2. *Pet.*1.10 *v.*19. operum bonorum finis gloria Dei. *Matth.*5.*v.* 16.1. *Pet.*2.*v.* 12. opera a nobis proximo exhibita tanquã sibi facta reputat Deus siue bona sint, siue mala, *Esa.* 37.*v.* 23. *Ier.*1.*v.* 19. *Zach.*2.*v.*8. *Matth.*26.*v.*40. *Act* 9.*v.*5.1. *Cor.*8.*v.*12.

Sententiæ Biblicæ.

Operationis bonæ ortus.

Omnia enim opera nostra operatus es in nobis. *Esa.*26.

Manete in me, & ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructũ a semetipso, nisi manserit in vite: sic & vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites, qui manet in me & ego in eo, hic fert fructum multum. Quia sine me nihil potestis facere. *Io.*15.

Ego plantaui, Apollo rigauit Deus autem incremẽtum dedit. Itaque neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Dei enim sumus adiutores: Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis. 1. *Cor.*3.

Confidens in hoc ipsum, quia qui cœpit in vobis opus bonum perficiet vsque in diem Christi Iesu. *Phil.*1.

Deus est enim qui operatur & velle & perficere pro bona voluntate. 2.

Modus quo ad intentionem.

Quiescite agere peruerse, discite benefacere. *Esa.*1.

Siue ergo manducatis, siue bibitis, vel aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. 1. *Cor.*10.

Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi facite, gratias agentes Deo & Patri per illum. *Col.*3.

Prosecutionem.

Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter. *Ier.*48.

Itaque fratres mei dilecti stabiles estote, & immobiles, abundantes in omni opere Domini semper, scientes quod labor vester non est inanis in Domino. 1. *Cor.*15.

Bonum autem facientes non deficiamus, tempore enim suo metemus non deficientes, *Gal.*6.

Tempus.

Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erũt apud inferos quo tu properas. *Eccl.*9.

Ante mortem bene fac amico tuo. Non te frauderis, a die bono. *Eccl.*14.

Ante obitum tuum operare iustitiam, quoniam non est apud inferos inuenire cibum. *ibid.*

Simile est regnum cęlorum homini patrifamilias, qui exijt primo mane conducere operarios in vineam suam. *Matth.*20.

Venit nox quando nemo potest operari. *Ioan.*9.

Adiuuantes autem exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis: ait enim, tempore accepto exaudiui te, & in die salutis adiuui te. 2. *Cor.*6.

Ergo dum tempus habemus operemur bonum ad omnes. *Gal.*6.

Proximum ædificat.

Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cęlis est. *Matth.*5.

Tantum autem auditum habebant, quoniam qui persequebatur nos aliquando nunc euangelizat fidem, quam aliquãdo expugnabat, & in me clarificabant Deum, *Gal.*1.

Præmium præparant.

Et cognoui quod non esset melius nisi lætari, & facere bene in vita sua. *Eccl.*3.

Omne opus corruptibile in fine deficiet, & qui illud operatur, ibit cum illo. *Eccl* 14.

Voca operarios, & redde illis mercedem. *Matth.*20.

Gloria & honor & pax omni operanti bonum. *Rom.*2.

Vnusquisque autem propriam mercedem accipiet, secundum suum laborem. 1. *Cor.*3.

Qui parce seminat, parce & metet. 2. *Cor.*9.

Beati mortui qui in Domino moriuntur.

Opera enim illorum sequuntur illos. *Apoc.*14.

Operationis domesticæ modus.

Qui obseruat ventum, non seminat: & qui considerat nubes, nunquam metet, *Eccl.*11.

Qui tenet aratrum. Omnes ij in manibus suis sperauerunt & vnusquisque in arte sua sapiens est: sine his omnib. non ædificatur ciuitas. *Eccl.*38.

Fructus.

Qui operatur terram suam, satiabitur panibus: qui autem sectatur otium, stultissimus est. *Prou.*12.

Qui operatur terram suam, inaltabit aceruum frugum. *Eccl.*20.

Patrum Sententiæ.

Sic docet me, vt agam, nõ vt tãtum modo sciam, quid agere debeã. Sicut enim dictum est de Domino, quod non nouerat peccatum, & intelligitur non fecerat, sic & iustitiam ille vere dicendus est nosse, qui facit. *Aug. sup. Psal.*

Bonorum opus fiat non timore, sed amore, non formidine pęnę, sed dilectione iustitiæ, & ipsa enim vera & summa libertas est. *ibid.*

Bonum & rectum est omne quod agimus, si nec memoriam decipiat obliuio, nec error intelligentiam, nec iniquitas voluntatem: ab his tribus est omne quod agimus. *in Ioan.*

Vnusquisque pro operibus suis mercedem accipiet: nec possunt in die iudicij aliorum virtutes aliorum vitia subleuare. *Hiero.*

Quam desideria bona concipimus, semen in terram mittimus: quũ vero opera recta incipimus, herba sumus: quum autem ad profectum boni operis crescimus, ad spicam peruenimus: quum in eiusdem boni operis perfectione solidamur, iam plenum frumẽtum in spica proferimus. *Greg. in hom.*

Probatio dilectionis exhibitio est operis. Non sibi aliqoid credat quicquid sibi animus, sine testatione operis respondet: de dilectione, conditoris mens, lingua & vita requiritur. Nunquam est amor Dei otiosus, operatur enim magna, si est: si vero operari renuit, amor non est. *ibid*

In opere perfectus non est, cui adhuc linguæ prauitas contradicit, nec in sermone laudabilis, qui hoc, quod loquitur, opere non ostendit. *Greg in mor.*

Ad vos ipsos retrorsum recurrite: si Deum vere amatis, exquirite: nec tamen sibi credat, quicquid animus sine operis attestatione responderit, veniet profecto dies ille, in quo pastor pastorum appareat, & vniuscuiusque facta in publicum deducat. *In hom.*

Non solum illa nostra sunt, quæ ipsi gerimus, sed etiam illa, de quibus in aliorum actione gaudemus. *Leo in serm.*

Sententiae Poeticae.

Lucan.

Hæremus cuncti Superis, temploque tacente
Nil agimus nisi sponte Dei.

Ouid. 1. Fast.

Ingenium vultu statque caditque tuo.

Ter. And. 4. 5.
Paululum interesse censes ex animo omnia,
Vt fert natura facias an de industria?
Ter. Heaut. 4. 5.
Nulla est tam facilis res, quin difficilis siet,
Quam inuitus facias.
Val. Flaccus 2.
Stabilem quando optima fata
Dant animum, maiorque piis audacia coeptis.
Ouid. 13. Met.
Denique quid verbis opus est? spectemur agendo.
Idem 1. Art.
Cum mora non tuta est, totis incumbere remis,
Vtile, & admisso subdere calcar equo.
Ouid. Fast.
Annue conanti per laudes ire tuorum,
Deque meo pauidos excute corde metus.
Da mihi te placidum, dederis in carmina vires,
Ingenium vultu statque caditque, tuo.

ADAGIA.

De opera vel operatione inani & irrita.

Asinum tondes. ὄνον κείρεις.
Cui simillimum est illud, ὄνου πόκας ζητεῖς. Id est, asini lanam quaeris. De iis qui stulte quaerunt ea, quae nusquam sunt. Effertur adagium etiam ad hunc modum. Asini lana.
Vitrem vellis. ἄκανθαν τίλλεις
(*Adagio*, vitrem caedis, *simillimum*) *vel quod non sentiat, vel quod pilis careat.*
Caluum vellis. φαλακρὸν τίλλεις
Vbi quis inanem operam sumit, aut ubi quis auferre conatur quo vacat is, à quo petitur.
Aethiopem lauas. Aethiopem dealbas. Αἰθίοπα σμήχεις.
Natiuus ille Aethiopum color, quem Plinius ex vicinis syderis vapore putat accidere nulla abluitur aqua, neque ulla ratione candescit.
Mortuum flagellas. νεκρὸν μαστιγοῦν.
In eos qui obiurgant illos qui nihil ex vsu obiurgatione commouentur, aut qui vita defunctos insectantur & lacerant.
Aquam e pumice postulas.
Prouerbio quod est frustra ab aliquo petere cuius inopia, à quo petis, maxime est indigus. Du sucht Brauvasser im Hundstall.
Mortuo verba facit. νεκρῷ λέγεις.
Plaut. Mortuo verba nunc facio.
Littori loqueris. αἰγιαλῷ λαλεῖς.
Dicitur in eos qui frustra suadent vel orant, perinde quasi surdo loquantur.
Asino fabulam narrat. ὄνῳ τις ἔλεγε μῦθον.
In eos qui monere quempiam conantur in ea re, in qua quum sit ipse exercitatissimus nihil eget de lore. Du wilt den Huenern die Schwaenz auff binden.
Delphinum natare doces. δελφῖνα νήχεσθαι διδάσκεις.
Diuersa metaphora sententiam eandem declarat. Quod enim delphin inter pisces id aquila inter volucres.
Delphinum cauda ligas. δελφῖνα πρὸς τὴν οὐρὰν δεῖς
In eos qui quippiam incassum conantur, propterea quod delphinus cauda sit lubrica nec ea parte teneri queat. Quadrabit & in eos, qui ea via quempiam agredi nitantur qua nequaquam possit superari.
Nebulas diuerberare. νεφέλας ξαίνειν.
Dicitur qui vel more stulta, vel quae fieri non queat, frustra sumit operam.
Alieni caput ne laues nitro. ὄνου κεφαλὴν μὴ πλύνειν νίτρῳ.
Ne multum sumptus operaeue impendas in rem vilem, ac sordidam. Es ist nicht noth, das man die Hundt mit den Brauvuersten vverffe, dievveil man Bengel hat.
Ad fractam canis. πρὸς ἐξόγκοιαν ᾄδεις.
Suidas ostendit dici solitum de iis, qui frustra laborant. Quanquam non inferte accommodabitur, ubi non respondetur officiis alicuius, aut ubi quis suadet obstinato aut erat inexorabilem.
De fumo disceptare.
In Philosophos dictum qui de rebus uilibus nimium anxie disputant. Vmb ein Taubendreck hadern.
Arenam metiris. ψάμμον μετρεῖς.
Hoc est, rem infinitae laboris atque inexplicabilem inceptas, cum frustra conaris, quod nequeas efficere.
Arenae mandas semina. εἰς ψάμμον σπείρεις.
Propterea quod steriles arena maxime littorales, nec idonei ad sementem.

Quid facis Oenone quid arena semina mandas?
Non profecturis littora bobus aras.

De lana caprina.
Natum ab euentu. Aparet de dubius contentiose decertantibus, utrum lanā haberet caper an setas. Loquitur de more, is in amentia, qui quantumlibet

si rixa de caussa litem cum amico suscipiat. Horat.
In aere piscari. ἐν ἀέρι ...
Hoc est. Nihil agit. Xenarchus apud Athenaeum,
Inscribo vinum iis qua iurat foemina,
Item Catullus.
Mulier cupido quod dicit amanti,
In vento, & rapida scribere oportet aqua.
Rem vento suspendis. ...
De frustra conantibus qui rem inaniter captant.
Ignem in aqua ... εἰς τὸ ὕδωρ ...
Id est, ignem in aquam mergere. Aristides, Non intelligebas autem teipsum omnibus iisti vociferando omnium esse, quod ignem diuerberare, quod lapidem iuxta reliquod in saxis sementem facere.
Illud ... fodere.
Dicebantur, qui magno quidem conatu sed irrito moliuntur aliquid.
In ... ἐν ψάμμῳ οἰκοδομεῖς.
Recte usurpabitur ubi quis negotium aggreditur inutile futurum, utpote non recte iactis ante fundamentis.
Parieti loqueris. πρὸς τὸν τοῖχον λαλεῖς.
Plaut. In Truculentus usurpat pro eo quod est, taciturno loqui: Ego, inquit, ego parietes loquerer tu.
Cribro aquam haurire. κοσκίνῳ ὕδωρ ἀντλεῖς.
Quod etiam in alluviones non incommode dicetur. Effertur et ad hunc modum, In pertusum pertusum aquam ingeris. Du geust Vvasser in ein loecherricht faß.
In aquam sementem iacis. εἰς ὕδωρ σπείρεις.
Loquitur de iis, qui beneficium conferunt in ingratos atque improbos homines.
In fluctus semina. κατὰ κυμάτων σπείρεις.
Quo quidem alius sese erudit pote? allegoria Euangelica de semine quod in petra inciderit. Nam hoc terrae genus fere sterile est, quando pote, aprastro proscindis.
Et operam & retia perdere. Plaut. in Rud.
Id quidem extra crepitum illum est à fane qui ... proxim ferrum piscatum misere at cum ... istic tempestas erat grauissima, Vnanimus erat si tropo adhibeto dicatur in captorem, cui non successit anchemum.
Sterilem fundum ne colas. ...
Hoc est, Ne doceas indocilem nec felicitatem quaeras in diuitiis, Plato.
Vtrem mergis vento plenum. Ἀσκὸν βαπτίζεις πνεύματος.
Competit in eum qui frustra conatur, ut qui castiget incmendabilem, quod inflatus vitae quantumuis immergas rursum emicet.
Canis ... Ἀτθίδ' ἐς ...
Pro frustra sudare aut in re perdi facili nec admodum fructifera, operam sumere Lucian.
Aranearum telas texere. τὰ ἀράχνια ὑφαίνειν.
Est in re friuola nullius frugis, infinitum atque anxium capere laborem.
Arare litus. αἰγιαλὸν ἀροῦν.
Est sterilem operam sumere Auson. in Theonem.
Quid geris extremis positus telluris in oris
Cultor arenarum vates, cui litus arandum?
Huius peculiaris usus erit, quum operam impendat, vt in eum, à quo nihil sit fructus aucupanda percepturus.
E multis paleis parum fructus collegi. ἐκ πολλῶν ἀχύρων ὀλίγον καρπὸν συνήγαγον.
Multo labore, non multum emolumentum sum consecutum, aut ubi velut si sermone paululum bonae sententiae, ex ingenti volumine minimum doctrinae reconditi.
Oleum adglutinas. ...
Ridicule laborat qui fructum cui tamen glutino fareire & rem mentar conetur Diogenia
Penelopes telam retexere.
Est inanem operam sumere & rursum destruere quod effeceris. Vide Homer. in Odyss.
Oleum & operam perdidi.
Qui quid infumpsit serues fra laboris, id frustra insumpsit sume I, Plautus. Es ist Cristam und Tauff verlohren.
Bos ad Cerceram.
Prouerbio quod vbi docere indocilem aut ad id muneris quempiam adsiscere, ad quod obeundum minime sit idoneus, videlicet ingenio repugnante, D. Hieron.
Nihil agere.
Suidas, hunc versiculum citat e Cratini fabula cui titulus Hora.

Καὶ ταῦτα ποιοῦσιν οὐδὲν δρᾷ ...
Atque ista faciens quidam agit faciens nihil.

Admonetque subesse prouerbium quod quadret in eos, qui frustra laborant.
Periit lis. ἀπόλωλεν ἡ ἐγχούσα.
Dicitur censo tam vbi quis frustratus ... perdidisset operam & impensam, Hopff vnd Maltz ist alles verlohren.
Quid opus erat longis canere tibiis? τί χρῆμα δ' ἔδει μακροῖς αὐλεῖν αὐλοῖς.
Id autem commemire in eos qui sumpsissent inanem operam & sumptum.

Ollas ostentare. χύτρας ἐπιδεικνύναι.
Est rem perfendiculam, ac foedidam, perinde ut maximam efferre.
Asinum sub fræno currere doces.
Hoc est: Doces indocilem.
Apud nouercam queri.
Qui deplorant infelicitatem suam apud eos, qui nihil auxilij sunt laturi, vel gauisuri magis conquerentium malis. Plaut.
Ferrum natare doces. σίδηρον πλεῖν διδάσκεις.
De iis qui rem conantur, quæ repugnante natura nequaquam fieri possit.
Cauda tenes anguillam. ἀπ᾽ οὐρᾶς τὴν ἔγχελυν ἔχεις.
In eos quibus res est cum hominibus lubrica fide, perfidisque.
Austrum percidi, Aerem verbero.
Id est, operam lusi, Plaut. in Epidico.
Σκιαμαχεῖν.
Olim qui inaniter laborabant σκιαμαχεῖν dicebantur, hoc est, Cum umbra pugnare, Plato.
Milium terebrare. κέγχρον τρυπᾶν.
Milium perforare dicuntur qui in re difficili, sed prorsus inutili laborant.
Vacuam inhabitare. κενὴν ἐγκατοικεῖν οἰκίαν
Dicuntur qui speciem rei magnificam ostentant, quum ipsi bono vacui sint.
In frigidum furnum panes immittere. εἰς ψυχρὸν ἰπνὸν τοὺς ἄρτους ἐμβάλλειν
In frigidum furnum immittere panes dicitur & hodie, qui docet indocilem, qui monet auersum aut qui aliquis sumit inanem operam.
Lapidi loqueris. λίθῳ λαλεῖς.
Lapis, pro stupido, brutoque homine ponitur. Terent. Idem de valde taciturno usurpatur, & qui fido silentio rem tegit.
Linum lino nectis. λίνον λίνῳ συνάπτεις.
Huius adagij duplex apud Græcos interpretes sensus inuenitur, quorum alter est, infirmis infirma copulas, friuola friuolis.
Surdo oppedere. παρὰ κωφῷ ἀντιπαρδεῖν.
Dicitur, ubi quid frustra fit, siue cum conuicijs incessitur is, qui perinde negligit, quasi non audiat.
Laterem lauas. πλίνθον πλύνεις.
Quo operam inanem significamus.
Antherinum metere. τὸν ἀνθέρικον θερίζειν.
Dicebantur, qui laborem inanem, & sterilem caperent. Ein laer Strohe dreschen.
De asini prospectu. περὶ ὄνου παρακύψεως.
Dici solitum in eos, qui ridendo stulto quempiam calumniantur, aut de friuolis rebus aliquem in ius vocant. Aristoph.
De asini umbra. ὑπὲρ ὄνου σκιᾶς.
Id est: de re nihili. Aristoph.
Lapidem decoquis. λίθον ἕψεις.
Inaniter laboras.
Surdo fabulam narras.
Surdo canis. κωφῷ ᾄδεις. *Virg.*
Non canimus surdis, respondent omnia siluæ.
Verberare lapidem.
Apte dicitur, si quis obiurgat incastigabilem.
Laborem serere. πόνον σπείρειν.
Vulgo dicebantur qui frustra laborarent.
A lupi venatu. ἀπὸ λύκου θήρας.
Dici solitum, ubi quis protinus re infecta discedit, aut de negocio molesto & agresti.
Alienum arare fundum. ἀλλοτρίαν ἄρουραν ἀροῦν.
Pro eo quod est alienum agere negocium, Mit andern Huenern ins Nest leger.
Hylam inclamas. Ὕλαν κραυγάζεις.
De frustra vociferantibus, aut in genere: de nihil proficientibus.
Hic funis nihil attraxit. οὗτος ὁ σχοῖνος οὐδὲν εἵλκυσεν ὕδωρ.
Quo significabatis, operam frustra sumptam, neque ex sententia euenisse, quod quis conabatur.
Hydram secas. Ὕδραν τέμνεις.
Hydram incidere, est ita unum aliquod incommodum tollere, ut in eius locum plura alia recipias. Plato.
Cotem alis. ἀκόνην σιτίζεις.
Dicitur in homines edaces, plurimique cibi, qui nihilo tamen habitiores inde redduntur.
Cum coryco luctari. πρὸς κώρυκον γυμνάζεσθαι.
Aduersus corycum luctari dicebatur, qui sumeret inanem operam.
Cum Dijs pugnare. θεομαχεῖν.
Dicuntur qui vel naturæ repugnant, vel aduersus fatalem necessitatem reluctantur.
Quum plurimum laborauerimus, eodē in statu sumus. πολλὰ μοχθήσαντες ἐν ἴσῳ ἐσμέν.
De frustra laborantibus.
Undas numeras. κύματα μετρεῖς.
Id est: Rem infinitæ laboris inceptas. Theocritus.
Inaniter aquam consumis. ἄλλως ἀναλίσκεις ὕδωρ.
In eos quadrabit, qui frustra suadent.
In cœlum iaculoris. εἰς τὸν οὐρανὸν τοξεύεις.
De iis qui frustra laborant, aut qui audent eos lacessere quos non possunt lædere.
Voluitur dolium. κυλίνδεται ὁ πίθος
In eum, qui commouetur alieno exemplo, sine instinctu ad stulte quid faciendum.
Ululas Athenas. γλαῦκας εἰς Ἀθήνας.
Subaudiendum portas, aut mittis. Conuenit et in stultos negociatores, qui merces eo comportant, ubi per se magis abundant. Ablas geho Rom fachren.
In eodem hæsitas luto.
In eos competit, qui sic implicantur negocio cuipiam, ut se nequeant extricare. Terent.
In siluam ligna ferre.
Est aliquem ijs rebus augere velle, quibus ipse maxime abundat. Horat.
Contorquet piger funiculum. συνάγει ὄκνος τὴν θώμιγγα. *Pausanias.*
Cratinus fingit, quemdam apud inferos funem torquentem: asinum autem arrodentem ea, quæ ille iam torsisset, atque ita iam inaniter laborare qui torquebat.
Tranquillum æthera remigas. αἰθέρα νήνεμον ἐρέσσεις.
De incassum laborantibus, quasi dicas, aerem diuerberat. Zenodot.
Ventos colis. ἀνέμους γεωργεῖς.
Dicitur in eos, qui è suis laboribus nihil fructus reportant. Idem.
Vento loqueris. ἀνέμῳ διαλέγῃ
Pro eo, quod est inaniter. Consimilis figura apud Athenæum legitur, Cælo & terræ loqui.
Nugas agere.
Rem friuolam & nihili facere, seu frustra conari. λῆρον ληρεῖν: Atticis fumitare, id est, nugas nugari. Aristoph.
Actum agere. *Terent.*
Tallius de amuletta indicat: Dici solitum de negocio, quod præpostere geritur.
Aquam in mortario tundere. ὕδωρ ἐν ὅλμῳ κόπτειν.
Id est: Aquam pistillo tundere. In eos, qui laborant inaniter.
Volantia sectari. *Terent.*
De ijs, qui nullum certum vitæ scopum sibi proponunt, sed ex tempore viuunt, ad quamuis occasionem mutabiles.
Vorsuram soluere.
Vorsuram soluere dicitur, qui sic è præsentibus malis extricat sese, ut alijs grauioribus impediatur.
Saxum voluere. *Terent.*
Saxum voluere dicuntur, qui inexhausto quopiam, atque inutili labore fatigantur.
Ex inanibus paleis. ἀτὰρ ἐκ καθαρῶν ἀχύρων τετρύγηκας ὄστριον.
Id est: Atqui è puris paleis triticum frumenti facis. Id est: operam sterilem, & infrugiferam sumpsisti. Diogenian.
Frustra canis. ἄλλως ᾄδεις
De ijs, qui frustra suadent. Lycophr.
Frustra currit. εἰς κενὸν τρέχει.
Pro eo, quod est, Frustra laborat.
Milium torno sculpere. τὰς κέγχρους ἀποτορνεύειν.
Milij grana torno sculpere dicebantur, qui rem absurdam moliebantur. Suidas.
Memorem mones: doctum doces, & similia.
Idem pollet illud Grammaticum. λαλεῖς πρὸς ἔχοντα τὴν ἐπιστήμην.
Id est: Loqueris ei, qui ipse rem callet.
Obturbas frustra, velut unda. ὀχλεῖς μάτην με, κῦμ᾽ ὅπως.
Id est: Turbas me ut unda inaniter: Hoc est, incassum mihi molestus es.
Cancrum ingredi doces. καρκίνον ὀρθὰ βαδίζειν διδάσκεις.
De eo qui doceat indocilem.
Apud fimum odorum vaporem spargis. εἰς κόπρον θυμιᾷς.
Id est: in fimum aromatum odorem spargis. Nam perit omnis fragrantia, fimique fœtore vincitur. Suidas.
Inuitis canibus venari.
Hoc adagio significatum est, non fit feliciter succedere, quod à nolentibus extorquetur. Plaut.
Inuitos boues plaustro inducere.
Simile dictum etiam hodie perseuerat vulgo celebratum. Incommodum esse, bobus inuitis plaustrum ducere. Mit vnvvilligen Ochsen fareo. Mit staettigen Ferden zu Acker geheo.
Contra torrentem niti.
Dicuntur qui frustra certant cum ijs quos vincere non queunt.
Contra stimulum calcitras. πρὸς κέντρα λακτίζειν
Est frustra repugnare ijs quos vincere nequeas: & incommodum quod uitare non queas, impatienter ferendo non solum non effugere, verum etiam conduplicare.
Senis mutare linguam.
De frustra, atque intempestiue laborantibus. Alte Hunde seynd boess baendig zumachen.
Senis doctor. γέροντα διδάσκαλος.
Conuenit in eum, qui in re sera, atque intempestiua frustra sumit operam.
Herculei labores. Ἡράκλειοι πόνοι.
Dicuntur plurimi, atque ingentes, quique vires desiderent Herculanas. Vel qui alijs quidem maximas adferunt commoditates, cæterum auctori

suo nihil ferme fructus adducunt, præter aliquantulum famæ, plurimum inuidiæ.

Asinus balneatoris. ὄνος ὁ τοῦ βαλανέως.

Dictum in eos, qui è suis laboribus ipsi nihil fructus caperent. Plutarch.

Mare exhauris. θάλατταν ἀντλεῖς.

De eo, qui conatur, quod effici non possit.

Exurere mare. *Propert.*

Tu prius & fluctus poteris siccare marinos,
Altaque mortali deripere astra manu.

Muscas depellere. μυίας σοβεῖν.

Dicitur de eo, qui iocoso, atque inutili fungitur officio.

Aues quæris. ὄρνιθας ζητεῖς.

Rem vagam & captu difficilem sequeris. Persius.
An passim sequeris coruos testaque lutoque?

Humi hauris. χαμαὶ ἀντλεῖς.

De inaniter laborantibus dicebant Zenodot.

Infundis quod exhauritur. εἰς τετρημένον πίθον ἀντλεῖν.

Vbi quis frustra sumit operam in re quapiam.

Ex Tantali horto fructus colligis. Ταντάλου κήπους τρυγᾷς.

Id est: Ea consectaris, quæ nusquam sunt, aut quibus frui non licet.

Dentem dente rodere.

Dicitur qui carpit eum, qui neque lædi queat, neque sentiat, aut qui mordet, pari mordacitate præditum quempiam. Martial.

Orestis pallium texere. Ὀρέστῃ χλαῖναν ὑφαίνειν.

Dicebatur, qui munus pararet abusuro. Aristoph.

Ver ex anno tollere. ἐκ τοῦ ἐνιαυτοῦ τὸ ἔαρ ἐξαιρεῖν.

Dicebatur quid, quod in negotio quopiam erat præcipuum tolleret.

Bulbos quærit. βολβοὺς ζητεῖ.

Locus prouerbialis in eo, qui (iuxta Persium)
Obstipo capite desigunt lumina terra.

Nudus nec a centum viris spoliatur.

Adducit prouerbium, vulgo iactatum D. Chrysost. quo significabitur conatus inanis.

Inter lapides pugnabant, nec lapidem tollere poterant. ἐν δὲ λίθοις ἐμάχοντο λίθον δ' οὐκ ἦν ἀνελέσθαι. *Plutarch.*

In eos, qui præsentis commodo non fruantur, vel ob ignauiam, vel ob peruersam de rebus opinionem: vt qui vel saxum grauentur ex aceruo tollere quo repellant aduersarium. Torquebitur non commisisse etiam ad manem operam.

Vrem cædis. [illegible]

Sumptum vel a Bacchi sacris, vel ab alijs, qui peremptis viribus manem mouent strepitum. Aristoph.

Similitudines.

Sicut pecunia hæc corporalis quidem, si sit in sacculo inclusa, ipsa est semper sola: si autem fuerit agitata de manu in manum, vsu ipso multiplicatur: vnde vsura dicitur ab vsu: Sic & fides Christi, si quidem otiosa teneatur in corde, non solum ipsa manet quæ fuit, sed adhuc minoratur in otio, & torpescit, & segnis efficitur, & paulatim per actus carnales exinanita ad nihilum vadit: si autem exercitata fuerit Scripturis, & locutionibus assiduis suscitata, operibus bonis virtutificata, non solum dico multiplicabitur, sed nunquam desinet crescere, donec viuet homo. *In Matth. 24. ho. 53.*

Sicut aurum videtur quidem esse splendidum, priusquam mittatur in fornacem, verum vbi traditum fuerit igni, tum vero certo digno scitur, eo quod adulterinum est, ab eo quod est sincerum separatur: Sic & nostra opera, vbi diligenter examinaris, tum euidenter retegentur, vt sciemusque nos ipsos multis criminibus obnoxios esse. *In 6. ad Galat.*

Quemadmodum in semente qui seminat, non potest ex hordeo metere triticum, eo quod oporteat & sementem & messem eiusdem esse generis: Sic & in operibus. Qui in carne deposuerit delitias temulentiam, concupiscentiam absurdam, quæ hinc prouenient metet. Quæ autem sunt ista? supplicium, vltio, probrum, risus, corruptio. *Ibid.*

Theophilacti. quemadmodum terra non modo quæ huic demandantur, producit: Sic & anima ipsa nequaquam esse debet, præcepta fecisse iam satis contenta, nisi & factis illa excesserit. *In 1. Thess. 4.*

Honor autem & gloria non quæ verbis solum, sed & operibus constet. Ille enim gratos vos arguit: hæc vero regis imitatores, quod sane præstantius est, atque gloriam, quæ verbis exprimitur, à nobis deposcit, vt se non solum pie colamus, sed animum ipsum penitus intendamus, geramusque illi morem, vt ex hoc & ipsi proficiamus: nec secus ac solent, qui solis splendorem cum spectant, & demirantur, eo fulgore delectati sibi profuerunt, & eodem illo cum aliquid his est operandum fruuntur, vt contra qui solaris sunt nescij claritatis, sibi officiunt maxime, quia nullo in opere vti hac possint. *In 1. ad Tim. 1.*

Nazianzenus, non is qui in verbis sapit, mihi sapiens erit, neque is, qui linguam habet volubilem, animum vero ineruditum, sepulchrorum instar, quæ extrinsecus sunt ornata, & speciosa, intus autem mortuorum cadauera, & multum recondunt fœtorem: sed ille qui pauca de virtute loquitur, multa vero ostendit operibus, fidemque sermonis per vitæ roboreat actionem: siquidem longe mihi præstabilior est formæ pulchritudo: quæ conspici potest, quæ sermonis pingitur industria: nec non diuitiæ quæ [illegible] continentur, quam quæ effinguntur somno: ac sapientia [illegible] sermonibus splendet sed operibus collucet: intellectus [illegible] nus omnibus facientibus eam, Scriptura inquit, & non [illegible] eam illam. *In oratione consolatoria de patris calamitate.*

Vt ignem vltro lucis splendor, & vnguentum suauis odor sequitur: Ita bona opera vtilitas necessario comitari consueuit. *Apud Ant. in Meliss. par. 2. ser. 7.*

Marci eremitæ, quemadmodum operibus & sermonibus manifestatur animi cogitatio: Sic cordis operationibus futura retributio. *De lege spirituali.*

Qui ante præceptorum operationem spiritus opem aut efficaciam quærit, seruo ære empto non est absimilis: qui simulatque emptus fuerit, vna cum reb. venalibus etiam libertatis libellum quærit. *De ijs qui se putant operibus iustificari.*

Semen non excrescit accepto augmento sine terra & pluuia: Neque homo quicquam vtilitatis capiet sine laboribus voluntarijs: diuinoque adiutorio. *Ibid.*

D. Augustini. sicut non impediunt à vita æterna iustum quædam peccata venialia, sine quibus hæc vita non ducitur: Sic ad salutem æternam nihil prosunt impio aliqua bona opera, sine quibus difficillime vita cuiuslibet pessimi hominis inuenitur. Veruntamen sicut in regno Dei velut stella ab stella in gloria differunt sancti: Sic & in damnatione pœnæ sempiternæ tolerabilius erit Sodomæ, quam alteri ciuitati. & erit quidam duplo amplius quam alij quidam gehennæ filij. *De spiritu & litera, c. 28.*

Quando laborat cum gaudio operarius in agro: Quando attendit in arborem, & fructum videt, quando attendit segetem & fructuare prospicit vbertatem, non sine causa dorsum incuruauit, non sine causa manus attriuit, frigus & æstus tolerauit: hoc est, quod ait Apostolus, vt cum gaudio hoc faciant, non cum tristitia. Non enim expedit vobis, sed illis, si cum tristitia faciunt. Simul ergo in agro Dominico operemur bonum, vt simul deinde gaudeamus. *De verbis Domini in Matth. ser. 16.*

Hilarij. vt lumen ex oleo luminis habet causam: Ita vt lucem spiritualis gloriæ teneamus, doctrina atque operatio præstat: vt caput nostrum, sedes scilicet & prudentiæ, vitæ, & omnium sensuum, oleo operationis doctrinæque pinguescat. *In Psalm. 140.*

Cypriani, Episcopus sacer templum consecrans, pueros confirmans, non consecratus ijs ipsis temporibus in Episcopum: imo nisi ante esset consecratus Episcopus, nullum illorum quicquam valeret, essentque puerilia, stulta & ludicra: Ita Christianus per fidem suam consecratus, bona facit opera, sed non per hæc magis sacer aut Christianus efficitur: hoc enim solius fidei est, imo nisi ante crederent, nihil prorsus valerent omnia opera, essentque vere impia & damnabilia peccata. *De singularitate Clericorum.*

Bernardi, sicut corporis huius vitam ex motu suo dignoscimus: ita & fidei vitam ex operibus bonis. Itaq. vita quidem corporis est anima, per quam mouetur & sentit: vita vero fidei charitas est quæ per illam operatur. *sermone 2. de resurrectione Domini.*

Pastoris, vt hieme arbores omnes similes sunt aridis, nec fructiferæ ab aridis internosci possunt: Sic nec iusti ab iniustis dignoscuntur, sed similes sunt in hoc sæculo.

Vt in æstate fructus arboris cuiusque declaratur & patet: Sic & iustorum facta declarabuntur & patebunt, cum illuxerit misericordia Domini, & omnes hilares & gaudentes in illo sæculo reflorebunt.

S. Anselmi, videndum est sic inter Deum & homines & angelos, quomodo inter Imperatorem terrenum & sibi obsequentes. Tria quippe sunt genera hominum, quæ terreno Imperatori seruiunt, alij enim seruiunt pro terris quas habent, nihil aliud quærentes nisi quod tenent. Alij quod terras recuperare volunt, quas eorum parentes aliqua sua culpa perdiderunt. Alij vero pro solidis tantum. Illos itaq. Dominus honestius tractat, qui nihil vnquam deliquerunt, nec aliud quam quod habent, quæ eis illi firmi dant, dum se in voluntate domini sui conseruant. Illos vero, quorum parentes sibi peccauerunt, quique pro illorum hæreditate sibi seruiunt, aliquando vilius tractat, modisque diuersis tentat: videlicet conuiciando, comminando, quædam grauia iubendo, quandoque etiam flagellando. Qui si hæc omnia humiliter sustinuerint, & domini sui misericordiam patienter expectauerint, tandem eis dominus hæreditatem patrum suorum reddit. Si vero noluerint hæc tolerare, nec suam valent hæreditatem recuperare, nec aliud vult eis dominus dare. Illi autem qui nihil aliud quærunt quam solidatas, & vt bene pascantur: tamdiu imperatori obsequuntur, quamdiu hoc eis largitur. Quæ si illis abundanter donauerit, laudant eum, & dicunt, quod vere domino tali seruiendum est, quod talia seruientibus confert. Si vero hæc illis dare destiterit, illum recedunt ipso vituperato, & incipiunt seruire ipsius inimico. Tria igitur hæc sunt genera hominum, terreno imperatori militantium. Similiter autem tria sunt genera eorum, qui superno Regi deseruiunt. Primum enim genus sunt angeli, qui æterna beatitudine stabiles sibi sine omni intermissione sunt seruientes. Aliud vero homines boni sunt, qui [illegible] dum possunt, suæ voluntati obediunt, [illegible]

cœlorum in patris sui Adæ culpa perditum hæreditario iure peruenire contendunt. Tertium autem hi, qui tantum pro terrenis seruiunt commodis, quasi milites stipendiarij. Sic ergo per omnia est considerandum inter hæc tria genera & Deum quomodo inter alia tria supradicta & Imperatorem suum. *In similibus c.80.*

Saluiani Episcopi. sicut dominorum carnalium seruis eligere omnino non licet, quæ ex præceptis seruilibus faciant, aut quæ non faciant: Sic nos qui serui nostri Domini sumus, illicitum omnino existimare debemus, vt vel illa quæ placent, pro animi oblectatio ne sumamus, vel illa quæ displicent, pro superbiæ abusione calcemus. Sed acquiescamus tamen ijs, qui ex præceptis Dominicis idcirco forsitan non volunt maiora dicere, quia se putant minora complere: non quia sufficiat ad salutem, si maioribus spretis, minora faciamus. *De vero iudicio & prouidentia Dei fol.15.*

Fulgent. Episcop. sicut præparata est per prædestinationem voluntas a Domino, qua bonum velimus: Sic etiam opera bona præparauit Deus, vt in illis ambulemus. *lib.1 f.6.*

Laurentij Iustiniani Patriarchæ: vlus docet quod quanto quis vberiores vult colligere fructus sancto diligentiori & sollicitiori cura terram excolit vomere, sentesque de ea eradicare conatur, ne na scentes aristas præfocare possint. Nam si inculta permaneat, vepribus vrticisque repletur, & hominum vsibus omnino inutilis efficitur. Neque vero minori diligentia humani corporis terrena substantia, disciplinæ spiritualis vomere colenda est, si ex se gratos Deo valeat producere fructus. *De disciplina & perfectione monastica.c.20.*

Turturi. Quemadmodum flores acu picti, licet elegant ssimi, nullum odorem fundunt, sed soli ij qui ex penitissimis terræ visceribus ascendunt, ac viui rorem cœli excipiunt: Ita & opera nostra si non proficiscantur ex profunda animi charitate, nisi comparentur cum fide, ac cœlesti irrigentur numine apud Deum nullam reddunt gratiam. *In apoph.77.*

Ingratitudinis non leue vitium est, munus quod ab amico acceperis, negare vel dissimulare Magis ingratitamen sunt, ac prorsus illiberales, qui bonorum operum sui ipsi sibi ipsis vendicant. *ibid.*

Vt sementum varia sunt discrimina (quædam enim vicesimo, quædam octauo, quædam quadragesimo die prodeunt, fere autem vilissima quæq; celeriter, optima autem admodum tarde prouentu:) Ita & in operibus quoque nostris apparet, leniora hic gloriam suam accipere anticipant, meliora non nisi tandem post hanc vitam exspectant. Tam suspectum est hic, honoribus, diuitiis affluere, & contra spe plenum iisdem carere, & more seminis in terra sordescere. *ibid.*

Cyrus dicere solebat, similia esse boni pastoris & boni regis opera. Nam pastoris munus requirere, vt postea quam pecudes fortunatas reddidisset, deinde ijs vteretur: regem item vrbibus & hominibus quos ipse beasset, vti debere. *Xenoph. de inst. Cyri lib.8.*

Nihil præconiis dignius, quam pulcherrima victoriæ, laudatissimaque opera. *Idem, de rege Agesilao.*

Quæ cum voluptate agimus, dulcia sunt; quæ cum virtute gloriosa. *Herodian in Alex.*

ORATIO, SIVE PRECES.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

ORATIO, Græce, εὐχὴ, ἱκεσία, & ἱκετεία, oro dicitur. Est autem oratio dicentis pius affectus in Deum, *sec. Aug. & habetur.4. sent. dist.15. art.2.* De oratione ad Deum hac secti agitur, quæ varijs nominibus designatur in veteri & nouo testamento.

Oratio est oris ratio, per quam nostri cordis intima manifestamus Deo. *sec. B. Thom.4. Sent. dist.15 & B. Thom secunda sec.q.83. art.4.*

Oratio est actus rationis, practicæ scilicet, quia est vel petitio decentium a Deo, vel ascensus mentis in Deum. *B. Thom sec. Sec. q.83. art.1.*

Oratio magistraliter definita, est ostensio voluntatis nostræ facta ei, a quo impetrare speramus, id quod desideramus.

Orare est placidos petere, Obsecrare est iratos, rogare, secundum Donatum super Terent. *Venit ipsius vltro lachrimans, orans, obsecrans.*

Oramus quæ bona sunt. Supplicamus in aduersis, vel cum lachrimis. *secundum Donatum super Terent.* Ab oratio venit oratiuncula diminutiuum.

LOCI BIBLICI.

Orationes aliorum pro se expetendæ sunt. *exempla.* Abimelecho iubet Deus vt Abrahæ preces capessat, *Gene. 20. vers. 7. 17.* Aaron hortatur Moysen, vt pro Maria oret, 12. 11. Populus idem a Samuele efflagitat, *1. Sam.12.19.* Ieroboam, *1. Reg.13.6.* Naaman, *2. Reg.5.28.* Ezechias, 19. 4. Sedechias, *Ierem 37.3.* Bellatorum filij, &c. *42. vers.1.2.* Paul, *Rom.15.30, Ephes.6.vers.18.19. Phil 1.19. Col. 4.3.2. Thess. 3. 1. Hebr.13.v.18.19.* Orandum præterea est pro pastoribus & Doctoribus Ecclesiæ, *Matth.9.38. Luc. 10.2.* pro mutua illustratione Dei Patris & filij gloriæ, exemplo Christi, *Ioan. 17.1. &c.* pro regno D*ei*, *Matth. 6. 10.* pro quibusuis hominibus Regibus & alijs in qualiber eminentia constitutis, *1. Tim 2. versic. 1.2.* pro sapientia & intelligentia rerum spiritualium, *Iac.1.5.* pro ægrotis, 5.14. In oratione nostra nihil debemus dubitare, *Matth. 7. versic 7. & 21.22 Marc.11.24. Luc 11.9. Ioan.14.13. & 16.24. Iac. 1.6.* Orationes nostræ ea fide profectæ valent etiam pro fratribus nostris, *1. Corinth.5. versic.14.15.* Orationes sanctorum offeruntur ab Angelo, *Apocal.8.3.* ad orandi studium adhortatio, *Matth. 24. 42. & 25.13. Marc. 13.33. Luc. 18.2. Coloss.4.3.1. Thessalon.5. vers.17.*

Orandum vbique locorum, *Psalm.103.22. Ierem.23.24. Ioan. 4.23.1. Cor.1.2.1. Timoth.2.8.* cum fiducia, *1. Paral.17.25. Matth.21. v.22. Marc.11.24. Ioan.14 13. & 16.24 Iac.1.6.5. Ioan.5 14.* orandum in nomine Iesu, *Ioan.14 13. & 15.16 & 16. versic.23.26.1. Ioan.5. 14.* orandum in Spiritu sancto, *Iude versicul. 20.* orandum Spiritu. *1. Cor.14.15.* orandum indesinenter, *Psalm.119.62. Matth.7 v.7. Luc. 21.9. & 18.1. & 21.36. & 24.42. & 25 13. Marc 13.33. Actor.6.4. & 10.2. Rom.12. v.12. Ephes.6.18 Coloss 4 versicul.2.3.1. Thess 3. 10. & 5.17.2. Thess 3.1.1. Tim.5. versic.5 2. Timoth.1.3.1. Petr.4.7. & 5 9.* orandum pro ægrotis, *Iac.5.14.* pro impijs, *Exempla:* Abrahā pro Sodomitis, *Genes 18.23.* Loth pro Segor, *19. vers 20.* Abrahā pro Abimelech, 20.17. Moïses pro Hebræis idololatris, *Exod. 32. 10.* Contra Core, Dathan & Abiron, *Numer.16.48.* Samuel pro Saule, *1. Samuel.15.35.* Orandum pro inimicis, *Matth.16.22.2. Machab. 3.33 Matth.5.44. Luc.6.28 & 23.34. Actor. 7.60.* pro felici Euangelij successu, *Rom.15. 30. Ephes.6.19. Coloss.4.3.1. Thessal.5.25.2. Thess.3.1.*

Orare quemadmodum oporteat ignoramus, *Matth. 20. vers. 20. Marc.10.35. Roman.8.26. Iacob.4.3.* Orare alium pro alio debere, *Ier 42. versic 2.20. Baruch.1.13.2. Machab 1.6. Ephes.6.18. Col. 4.2. 1. Thess.5.25.2. Thess.3.1.1. Tim.2.1 Iac.5.16.* quibus locis ostenditur oratio ibus mutuis iuuare se debere fideles, *Exempla:* Corinthij, *2. Cor 1.11.* Hebræi, *Heb.13.18.*

Oratio vera quæ, *Rom.8.27. & 10 14.* Dei promissionibus niti debet, *Exod.32.13. Deut. 9. 27.* Orano Dei verbo coniuncta creaturam sanctificat, *1. Tim.4.5.* oratio ieiunio coniuncta, *Matth.17.21. Mar. 9.29. Luc.2.37. Act.13.3 & 14.23.*

Orationis vera regula, seu formula, *Matth.6.9 Luc.11.2. Iac. 5. 16.* Oratio quomodo, quando, cui, & vbi fieri debeat, & quid peten dum, *Num 15 versicul 16.24. Deut.4.7 Iudic.10.15 1. Samuel.5.11.2. Sam.22 versic 2. 7 1 Reg 3.7. Tob.3.11. Iudith 4.11. Eccles.35.26. Es. 5.24 Amos 7.2. Matth.6.v.5 6. & 7. vers 7 & 18.19. & 20. v. 20. & 21.22 & 26.38. Marc.11.24. & 13.33. Luc.11 versic.2.9 & 18.1 & 22.40. Ioan.4.23. & 9 31. & 14.13. & 15 7. & 16.23. Act 1.14. & 2. 42 & 4.24. & 10.2. Rom.8.26. & 12. v.12 1. Cor.14.13 Ephes.6.18. Coloss.4.2.1. Thess 5.17.1. Timoth.2.1. Heb.13.18. Iac 1 6 & 4.3. & 5. 13.1. Petr.3.12.1. Ioa.5.4. Apocalyps.9.10. & 22 9* Orationes, quæ fiunt, quemadmodum oporteat, exaudit Deus *Genes 16.11. vers 21 17. Exod.2.24. & 3.7. & 6.5. & 22. v.23.27 Deuter om 4.7. & 15.9. 1. Samuel.7 versic.9.10. & 9.16. & 12.18 2. Samuel. 22. v 4.7.1. Reg. 13.6 & 17.22. & 18.36.2. Reg.13.5. & 20.5 2. Paralip. 32 22 & 33. 13.4 Esdr.15.7. Tob.3.24. Iudith.4 versic.8.1 2. Psal.3.5 & 4.2. & 10. 13. & 81.6. & 22.25. & 34.7 & 50.15. & 55.17 & 118.1. & 120.1. & 145.19. Prou.15.29. Eccl 4.9. & 21.6 & 35. vers 14.16 & 48.22 Esa.30.19 & 37. versic 15.21 & 55.7 Ierem.29.12. Thren.3.56 Daniel 13.44. Iona 2.3. Zach.13.9.2. Machab.3. v.15.22. Ioa.9. vers.31. Actor.10.v.4.*

Orationes quorundam quare non exaudiat Deus, *Deuteron.1.45.31. 18. Iudic.10.1 Sam.8.18.4. Esd 1.26. Psal.18.42. Prouer. 1.28. & 15. 29. & 21.13 & 28 9. Eccles.34. vers.29.31 Es.1.15 Ierem 7. vers. 16. & 11. v 11.14. & 14.12. & 15.1. Eza 8.18 & 14. v.16.20. Mich. 3. v.4. Zach.7. v. 3.2. Machab.9 vers 13 Ioan 9. v 31. Hebr. 12.17. Iacob.4.3.* Orationes priuatæ necessariæ, *Romanorum 15. 30 Philip 4.6. Coloss.4.2. Iacob.1.5.& 5.13.1. Pet 4 7.* Orationes publicæ, quo ordinatæ concipi debeant, *1. Corinth.14. versi. 15.16.* Orationes illatu horis fiebant, *Actorum 3.1* Orationes Sanctorum, suffitui & odoribus comparatæ, *Apocalyps.5.8.* Orationes quomodo impediantur, *1. Petr.3.7.1. Corinth.7.*

Oratio in occulto & propatulo, *Matth.6.5.* Orationis domus, *1. 13. Marc. 11,17.*

SENTENTIAE BIBLICAE.

Oratio esse debet fructifera quoad vtilium postulationem.

Respondens autem (filijs Zebedæi) Iesus, dixit: Nescitis quid petatis, *Matth.20.*

Amen amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis, *Ioan 16.*

Petite, & accipietis, vt gaudium vestrum sit plenum. *ibid.*

Nam quid oremus sicut oportet nescimus. Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret spiritus, quia secundum Deum postulat. Paulus orans pro stimuli ablatione audiuit: Sufficit tibi gratia mea *2. Cor.12.*

Fidei perfectionem.

Et omnia, quæcunque petieritis in oratione credentes, accipietis. *Matth. 21. & Marc 11.*

Si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet à Deo qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei. Non ergo æstimet homo ille (dubitans) quod accipiat aliquid a Domino. *Iacob. 1.*

Humiliata.

Humilium & mansuetorum semper tibi placuit deprecatio. *Iudit. 9.*

Subditus esto Domino, & ora eum. *Psal. 36.*

Respexit in orationem humilium. 101.

Qui adorat Deum in oblectatione, suscipietur, & deprecatio illius vsque ad nubes propinquabit. Oratio humiliantis se nubes penetrabit, & donec propinquet non consolabitur, & non discedet donec altissimus aspiciat. *Eccl. 35.*

Deprecationem læsi exaudiet Deus. *ibid.*

Propter temetipsum inclina Deus meus aurem tuam, & audi. Neque enim in iustificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis. *Dan. 9.*

Integra quo ad affectionem.

Auribus percipe orationem meam, non in labijs dolosis. *Psal. 16.*

Deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo. 118.

Dirigatur Domine oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. 140.

Prope est Dominus omnibus inuocantibus eum in veritate 144.

Et non iteres verbum oratione tua. *Eccl. 7.*

Ante orationem præpara animam tuā, & noli esse quasi homo qui tentat Deum. 18.

Quum oratis, non eritis sicut hypocritæ, qui amant in Synagogis & in angulis platearum stantes orare, vt videantur ab hominib. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. *Matth. 6.*

Orantes autem nolite multum loqui, sicut Ethnici faciunt: Putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur. Nolite ergo assimilari eis. Sic ergo vos orabitis: Pater noster, &c. *ibid.*

Væ vobis Scribæ Pharisæi hypocritæ qui comeditis domos viduarum, orationes longas orantes, propter hoc longius accipietis iudicium. *Matth. 23. & Luc. 20.*

Orabo spiritu, orabo & mente. 1. *Cor. 14.*

Nihil solliciti sitis, sed in omni oratione & obsecratione cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum. *Phil.*

Continuationem.

Melior est finis orationis, quam principium. *Eccl. 7.*

Non impediaris orare semper. *Eccl. 18.*

Videte, vigilate & orate: Nescitis enim quando tempus sit. *Marc. 13*

Vigilate omni tempore orātes, vt digni habeamini fugere ista omnia quæ futura sunt, & stare ante Filium hominis. *Luc. 21.*

Sine intermissione orate. 1. *Thess. 5.*

Volo ergo viros orare in omni loco leuantes puras manus sine ira & disceptatione. 1. *Tim. 2.*

Segregationem.

Quum oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito, & Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi. *Matth. 6.*

Oratio Deum inclinat.

Eritque antequam clament: ego exaudiam: adhuc illis loquentibus ego audiam. *Esa. 65.*

Petite, & dabitur vobis. Omnis enim qui petit accipit, & qui quærit inuenit, & pulsanti aperietur. Si ergo vos quum sitis mali, nostis bona data dare filijs vestris, quanto magis pater vester qui in cœlis est, dabit Spiritum bonum petentibus se: *Matt. 7. Luc. 11*

Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciā. *Ioan. 14.*

Respicite filij nationes hominum, & scitote quia nullus sperauit in Domino, & confusus est. Quis enim permansit in mandatis eius, & derelictus est? Aut quis inuocauit eū, & despexit illum? *Eccl. 2.*

Qui diligit Deum, exorabit pro peccatis, & continebit se ab illis, & in oratione dierum exaudietur 3.

Hostem superat spiritualem.

Hoc autem genus non eijcitur nisi per orationem & ieiunium. *Matt. 17.*

Vigilate & orate, ne intretis in tentationem. 26.

Corporalem.

Inuoca me in die tribulationis, & eruam te. *Psal. 49.*

Orationis exauditionem impedit grauis iniquitas.

Clamabunt, & non exaudiet, propter superbiam malorum. *Iob. 35.*

Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus. *Psal. 65.*

Inuocabunt me, & non exaudiam, eo quod exosam habuerunt disciplinam. *Prou. 1.*

Longe est Dominus ab impijs, orationes enim iustorum exaudiet. 15.

Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit & non exaudietur. 21.

Qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis. 28.

Conuertere ad Dominum & relinque peccata tua: precare ante faciem Domini, & minue offendicula. *Eccl. 17.*

Relinque proximo. &c. *Vide* Dilectio inimicorum. 28.

Et quum extēderitis manus vestras, auertam oculos meos a vobis: & quum multiplicaueritis orationem, non exaudiam. Manus. n. vestræ sanguine plenæ sunt. *Esa. 1.*

Ecce non est abbreuiata manus Domini vt saluare nequeat, neque aggrauata est auris eius, vt non exaudiat: sed iniquitates vestræ diuiserunt inter vos & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem eius a vobis, ne exaudiret. Manus enim vestræ pollutæ sunt sanguine, & digiti vestri iniquitate. Labia vestra locuta sunt mendacium, & lingua vestra fatur iniquitatem. Non est qui inuocet iustitiam, neque est qui iudicet vere, sed confidunt in nihilo, & loquuntur vanitates. 59.

Nos inique egimus, & ad iracundiam prouocauimus, idcirco tu inexorabilis es. *Thren. 3.*

Opposuisti nubem tibi (peccatorum) ne transeat oratio. *ibid.*

Ergo & ego faciam in furore, non parcet oculus meus, nec miserebor, & quum clamauerint ad aures meas voce magna, non exaudiam eos. *Ezech. 8.*

Filij hominis, terra cum peccauerit mihi, vt præuaricetur præuaricans: extendam manum meam super eam, & conteram virgam panis eius, & interficiam de ea hominem & iumentum.

Et si fuerint tres viri isti in medio eius, Noe, Daniel, & Iob, ipsi iustitia sua liberabunt animas suas: filium & filiam non liberabunt. 14.

Cum stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis aduersus aliquem, vt & Pater vester qui in cœlis est, dimittat vobis peccata vestra. *Marc. 11.*

Petitis & non accipitis, eo quod male petatis, vt in concupiscentijs vestris insumatis. *Iac. 4.*

Prouenire virtutis operatio.

Bona est oratio cum ieiunio. *Tob. 12.*

Clamauerunt iusti, & Dominus exaudiuit eos, & ex omnibus tribulationibus eorum liberauit eos. *Psal. 33.*

Ex orare & facere eleemosynam ne despicias. *Eccles. 7.*

Cum quid extruit vnus, alter destruit, quid præter laborem redit ad vtrumque? Cum quo precatur alius, alius deprecatur, vtrius vocem exaudiet Dominus? 34.

Scimus autem quia peccatores Deus non audit: sed si quis Dei cultor est, & voluntatem eius facit, hunc exaudit. *Ioan 9.*

Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quodcunque volueritis petetis, & fiet vobis. 15.

Discedat ab iniquitate omnis qui inuocat nomen Domini. 2. *Tim. 2.*

Charissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, & quicquid petierimus, accipiemus ab eo: quoniā mandata eius custodimus, & ea quæ sunt placita, coram eo facimus. 1. *Ioan 3.*

Fraternalis combinatio.

Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terrā, de omni re quamcunque petierint, fiet illis a Patre meo qui in cœlis est. *Matth. 18*

Orationis officium impetrat peccati remissionem.

Et rogante pro eo sacerdote, propitius ei erit Dominus. *Leuit. 4.*

Rogabitque pro eo sacerdos, & pro peccato eius, & dimittetur ei. *ibid.*

Quis est qui condemnet? Christus Iesus qui mortuus est, imo qui & resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. *Rom. 8.*

Vnde & saluare in perpetuum potest, accedens per semetipsum ad Deum, semper viuens ad interpellandum pro nobis. *Hebr. 7.*

Bonam consecrationem.

Fili in tua infirmitate ne despicias teipsum, sed ora Deum, & curabit te. *Eccl. 38.*

Fratres voluntas quidem cordis mei, & obsecratio ad Deum fit pro illis in salutem. *Rom. 10.*

Per omnem orationem & obsecrationem orantes omni tempore in spiritu, & in ipso vigilantes in omni instantia & obsecratione, pro omnibus Sanctis & pro me, vt detur mihi sermo in apertione oris mei, cum fiducia notum facere mysterium Euangelij. *Ephes. 6.*

Scio enim quia hoc mihi proueniet ad salutem per vestram orationem. *Phil. 1.*

Ideo & nos ex qua die audiuimus, non cessamus pro vobis orantes &

& postulantes, vt impleamini agnitione voluntatis eius, in omni sapientia & intellectu spirituali, vt ambuletis digne Deo per omnia placentes. *Col. 1.*

Orationi instantes, vigilantes in ea in gratiarum actione, orantes simul & pro nobis, vt Deus aperiat nobis ostium sermonis, ad loquendum mysterium Christi. 4.

Salutat vos Epaphras, qui ex vobis est seruus Iesu Christi, semper solicitus pro vobis in orationibus, vt stetis perfecti, & pleni in omni voluntate Dei. *ibid.*

In quo etiam oramus semper pro vobis, vt dignetur vos vocatione sua Deus noster. De cætero fratres orate pro nobis, vt sermo Dei currat & clarificetur, sicut & apud vos: vt liberemur ab importunis & malis hominibus. *2. Thess. 2.*

Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus & omnibus qui in sublimitate constituti sunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate. *1. Tim. 2.*

Periculi euasionem.

Obsecro ergo vos, fratres, per Dominum nostrum Iesum Christũ, & per charitatem sancti Spiritus, vt adiuuetis me in orationibus vestris pro me ad Deum. *Rom. 15.*

PATRVM SENTENTIAE.

Multi languescunt in orando, & in nouitate conuersionis suæ feruentes orant; postea languide, postea frigide, postea negligenter, quasi securi sunt, vigilat hostis, dormis tu. *Aug. in Psal. 65.*

Oratio tua, locutio est ad Deum; quando legis, Deus tibi loquitur; quando oras, cum Deo loqueris. *In Psal. 85.*

Tunc porro in toto corde clamatur, quãdo aliunde non cogitatur, tales orationes raræ sunt multis, crebræ paucis, vtrum nec cuiquã nescio. *in Psal. 118.*

Oratio si pura est, si casta fuerit, cœlos penetrans vacua non redibit. *in quodam serm.*

Dicuntur fratres in Aegypto crebras quidem orationes habere, sed eas breuissimas: tamen & raptim quodammodo iaculatas, ne illa vigilanter erecta, quæ oranti plurimum necessaria est per productiones moras euanescat, atque hebetetur intentio. *Ad Probam.*

Fideliter supplicans Deo pro necessitatibus huius vitæ, & misericorditer auditur, & misericorditer non auditur. Quid enim infirmo sit vtilius, magis nouit medicus quam ægrotus. *In lib. sententiarum Prosperi.*

Oratio paucis verbis res multiplices comprehendit: vt sic cito simplicitas fidei sufficientia suæ saluti addisceret, & prudentia ingeniosorum, profunditate mysteriorum stupesceret. *in gl. Matth. 6.*

Oratio oranti est subsidium, Deo sacrificium, dæmonibus autem est flagellum. *in ser.*

Plus placet Deo latratus canum, mugitus boum, grunnitus porcorum, quam cantus clericorum luxuriantium. *August.*

Oratio est animæ sanctæ præsidium, angelo bono solatium, diabolo supplicium, gratum Deo obsequium, & pœnitentiæ religiosæ laus tota, perfecta gloria, spes certa, sanitas incorrupta. *ibid.*

Multum opus, Deum quem precamur diuturna & pia cordis excitatione pulsare, nam plerunque hoc negotium plus gemitibus, quã sermonibus agitur: plus fletu, quam afflatu. *ad Diosc.*

Hæ sunt duæ alæ orationis, quibus volat ad Deum, si ignoscis delinquenti, & donas egenti. *in ser. de quadr.*

Quum oras, clama non voce, sed mente. Nam & tacentes exaudit Deus, nec quæritur locus, quantum sensus. Hieremias confortatur in carcere: Daniel inter leones exultat. Tres pueri in fornace tripudiant: Iob nudus in sterquilinio triumphat: paradisum de cruce latro inuenit, non est locus, vbi non sit Deus. *in ser.*

Nec deficias in oratione, Deus quod concessurus est si differt non aufert: non leuitate vtitur, qui promisit: non facile de sententia mouetur: quod promisit, est fixum: fallere non potest: habet vnde faciat. *In Psal. 65.*

Orationis puræ magna est virtus: & velut fidelis nuntius, mandatũ peragit & penetrat, quo caro non peruenit. *ibid.*

Oratio, refectio est ieiuniorum: duritiam cordis emollit, austeritatem temperat, ieiunium dulcificat. Sicut enim sine potu non est plena refectio, sic & ieiunium sine refectione orationis non potest animam perfecte nutrire. *in quodam serm.*

Sit oratio pura, simplex, dilucida atque manifesta, plena grauitatis & ponderis, non affectata elegantia, sed non intermissa gratia. *Amb. de Offic.*

Vide quam breuis est oratio, & omnium plena virtutũ, primus sermo quantæ est gratiæ. O homo, faciem tuam non audebas ad cœlum attollere, oculos tuos in terram dirigebas, & subito accepisti gratiam Christi, omnia peccata dimissa sunt: ex malo seruo factus es bonus filius: ideo præsume non de operatione tua, sed de gratia Dei. Gratia enim saluati estis, vt dicit Apostolus. Nõ enim hæc arrogantia est, sed fides, prædicare quod acceperis, nõ est superbia, sed deuotio, ergo attolle oculos ad patrem, qui per lauacrum te genuit ad patrem, qui per filium te redemit, & dic, Pater noster, bona præsumptio, sed moderata, patrem dicis, quasi filius, sed noli specialiter tibi aliquid vendicare, solius Christi est pater specialis, nobis omnibus in commune est pater, quia illum solum genuit, qui nos creauit. *Matth. 6.*

Despiciuntur orationes leues, diffidentes, inutiles, seculi curæ anxiæ, plenæ rerum corporalium, implicitæ, bonorum operum fructibus infœcundæ. *In Psal.*

Egredientes de hospitio armet oratio: regredientibus de platea oratio occurrat ante sessionem, ne prius corpusculum requiescat quam animam pascat. *Hier. in Ep.*

Moses ad bella non vadit, sed orat, & tum vincit Israel. Oret ergo sacerdos Ecclesiæ indesinenter, vt vincat Populus inuisibiles Amalechitas, nempe dæmones *id. in in Leu.*

Dominus noster sciens clementiæ suæ pondera atque mensuras, interdum non exaudit clamantem, vt eum probet, & magis prouocet ad rogandum, & quasi in igne excoctum solidiorem & puriorem faciat. *in Habac.*

Ille Deo veram orationẽ exhibet: qui semetipsum cognoscit, quia puluis sit humiliter videt, qui nihil sibi virtutis tribuit, qui bona quæ agit, esse de misericordia Cõditoris agnoscit. *Greg. in moral.*

Quando fidelis, & humilis, & feruens oratio fuerit, cœlum sine dubio penetrabit: vnde certum est, quod vacua redire non possit. *Bernard.*

Nemo nostrum parui perpendat orationem suam, dico enim vobis quod ipse ad quem oramus, non parui pendit eam. Postquam egressa est ab ore nostro, ipse scribit eam in libro suo, & vnum in duobus indubitanter sperare possumus; quoniam aut dabit quod petimus, aut quod nouit vtilius. *ibid.*

Pro se orare necessitas cogit; pro aliis autem charitas fraternitatis hortatur: dulcior autem ante Deum est oratio, non quam necessitas transmittit, sed quam charitas fraternitatis commendat. *Chrys. super Matth.*

Non voce clamosa pulsandus est Deus, sed conscientia recta placandus, quia non est vocis sed cordis auditor. Orans nihil nouum faciat, quod aspiciunt homines: nec voce clamet, nec manus expandat, nec oculos tollat, vt notabilis fiat. *Chrysost. super Matth. 6.*

Dicendo, Pater noster, & c. veniam peccatorum, & pœnarum interitum, & iustificationem, & sanctificationem, & liberationem, & filiorum adoptionem, & hæreditatem Dei, & fraternitatem cum vnigenito copulatã, & Sancti spiritus dona largissima, vno sermone significauit. *ibid.*

Qui vult cum Deo semper esse, frequenter debet orare & legere: nam cum oramus, ipsi cum Deo loquimur, cum vero legimus, Deus nobiscum loquitur: omnis profectus ex lectione & meditatione procedit. *Isid. de sum. bon. lib. 3. c. 8.*

Hoc est remedium eius, qui vitiorum tentamentis æstuat, vt quoties quolibet vitio tangitur, toties orationem subdat: quia frequens oratio impugnationem vitiorum extinguit. *ibid.*

Quid prodest strepitus labiorum, vbi cor est mutum? Sicut enim vox sine modulatione est quasi vox porcorum, sic oratio sine deuotione, est quasi mugitus boum. *ibid.*

Oratio cordis est, non labiorum; neque enim verba deprecantis Deus intendit, sed orantis cor aspicit. Melius est enim silentio orare corde sine sono vocis, quam solis verbis sine intuitu mentis. *ibidem.*

Duobus modis oratio impeditur, ne impetrare quisque valeat postulata, hoc est: si aut quisque adhuc mala committit: aut si delinquenti sibi debita non dimittit.

Multum iuuat orationis puritatem, si in omni loco vel tempore nos ab actibus temperemus illicitis: si semper ab otiosis sermocinationibus auditum pariter castigemus & linguam: quæcumque enim sæpius agere, loqui vel audire solemus, eadem necesse est sæpius ad animum, quasi solitam propriamque recurrant ad sedem: & sicut sues volutabra sine palustria, columbæ limpida solent frequentare fluenta, ita cogitationes puram mentẽ immundæ perturbant, castam spirituales sanctificant. *Bed. de templo Salom.*

Quomodo obtinebit quis vt in oratione sensus eius non vagetur? si certus sit adsistere ante oculos Domini. *Basilius in Hexam. libro primo.*

Sicut nullum in vulnere proficit medicamentum, si adhuc in eo ferrum sit, ita nihil proficit oratio illius, cuius adhuc dolus in mente, vel odium manet in pectore. *Isidor. Etymol. libro sexto.*

Non didicimus, pater meus: sed, noster: nec da mihi; sed, da nobis: quia Christianitatis magister noluit priuatim precem fieri: vt scilicet quis pro se tantum precetur, vnum enim orare pro omnibus voluit, quãdo in vno omnes ipse portauit. *Cyp. de oratio. dom.*

Ipsius est oratio perfecta: cuius & causa clamat, & lingua, & actus, & sermo, & vita, & cogitatio. *Cass. sup. Psal. 16. Exaudi dom.*

Oratio

Oratio posita est, per quam Ira Dei suspenditur, venia procuratur, pœna refugitur, & præmiorum largitas impetratur: cum Deo loquitur, cum iudice fabulatur, præsentem sibi facit, quem videre non præualet, ad penetralia iudicis precator admittitur, & nullus inde respuitur, nisi qui in ea tepidus inuenitur. *Cassiod. in Psal.*

Oratio serenat cor, abstrahit a terrenis, mundat à vitiis, subleuat ad cœlestia, reddit cor capacius & dignius ad accipienda bona spiritualia. *ibid.*

Sperare & orare solus motus est, quo homines cum Deo loqui videntor. *Boet. de consol. lib. 5.*

Non frustra in Deo sunt positæ spes & preces, quæ cum rectæ sint, inefficaces esse non possunt. *idem ibid.*

Oratio est piæ mentis & humilis ad Deum conuersio, fide, spe & & charitate subnixa. *Hugo.*

Tunc scito te omnibus ciuitatibus esse solutum cum eo perueneris, vt Deum nihil roges, nisi quod rogare possis palam. *Sen. Epist. 100.*

Sententiæ Poeticae.

Menander.

Εὐχῆς δικαίας οὐκ ἀνήκοος θεός.
Precis iustæ exauditor Deus.

Ouid. lib. 1. de Arte.

Flectitur iratus voce rogante Deus.

Martial lib. 8. epigra ad Domitiam.

Et dominum mundi flectere vota valent.

Paulinus Auson. Epist 15.

Quæ non missa Deo vacuis in nubibus hærent,
Nec penetrant superi stellantem Regis in aulam.

Philosophicæ Sententiæ.

Non sunt ad cœlum eleuandæ manus, nec exorandus æditous, vt nos ad aurum simulachri, quasi magis audiri possimus admittat: proprie est Deus in te. *Senec. ad Lucil. epist. 4.*

Ad Diuos adeunto caste, pietatem tenento, opes amouento: si quis secus faxit, Deus ipse vindex esto. *Cic. lib. 1 de Legib.*

Exempla Sacra.

Orationum *Exempla:* Abraham, *Genes.* 17. 18. & 18. *versic.* 23. *versi.* 27. & 20. 17. Loth. 19. 19. Abrahæ, famulus, 24 *versic.* 12. Isaac, 28. 3. Iacob, 32. 11. & 48. *versic.* 15. 16. Moses. *Exod.* 8. 12. & 9. 35. & 10. 18. & 17. 11. & 32. 11. & 33. 13. *Num.* 1. 2. & 12, 13 & 14. 17 & 16. 15. & 21. 8. Moses & Aaron, 16. 22. & 20. 6. *Deuteronom.* 9. *ver.* 23. 26. 27. Iosue, *Ios.* 7. 7. Gedeon, *Iudic.* 6. *v.* 39. Manue, *Iudic.* 13. *v.* 8. Anna, 1. *Sam.* 1. 10. Samuel. 7. *v.* 5. 6. & 12. *v.* 19. 23. Samuel cum populo, 8. 7. Dauid, 2. *Sam.* 7. 29. & 12. 16. & 15. 35 & 24. 10. 1. *Paral.* 29. *v.* 18. 19. Salomon, 1 *Regum.* 8. 15. quidam propheta, 13. 6. Elias, 17. *v.* 20. 21. 22. Elisæus, 2. *Reg.* 4. 33 & 6. 17. Ioachaz, 13. 4. Ezechias, 19. 15. & 20. 2. *Esa.* 37. *v.* 15. 16. Salomon, 2. *Paral.* 6. *v.* 16. 17. Asa, 14. 11. Iosaphat & populus, 20. *v.* 3 4. Manasses, 33. 12. Esdras, 1. *Esdr* 8. 21. & 9. 6. Nehemias, *Nehem.* 1. 11. populus, 4. 9. Syracides, *Eccl.* 36. *v.* 1. 2. 3. &c. Ecclesia, *Psal* 20. 2. *Thren.* 5. Esaias *Esaia* 33. *v.* 2. 3. Ieremias, *Ierem.* 15. *v.* 15. 16. Populus Dei, 8. *v.* 19. 20. *Thren.* 5. 1. Baruch, 1. *v* 17. 21. & 2. 6. & 3. *v.* 1. 9. Salomon, *Sap.* 9. *v.* 1. 2. &c. Daniel, *Dan.* 6. 11. & 9. 3. Susanna, 13 *v.* 42. 43. Ionas, *Ion.* 2. 2. Abacuc, *Abac.* 3. 1. Tobias, *Tobia* 3. *v.* 1. 12. & 8. 7. & 13. 1. Iudith, *Iudit.* 9. 2. & 16. 1. &c. Esther. *Esth.* 3. 14. Esdras, 3. *Esdr.* 8. 7. 4. 4. *Esdr.* 3. 1. &c. & 6. 38. Sacerdotes, 1. *Mach.* 7. 37. Eleazar Sacerdos, 2. *Mach.* 6. 30. Leprosus, *Matth.* 8. 2. Centurio. *v.* 5. Christus, 14. 23. & 26. 39. *Luc.* 23. 34. *Ioan.* 11. 41. & 17. *v.* 1. 2. &c. Anna, *Luc.* 2. 37. Apostoli, & Ecclesia, *Act.* 1. *v.* 14. 24 & 4. 24. & 6 6. Stephanus, 7. *v.* 59. 60. Petrus. & Ioannes, 8 15. Paulus. 9. 11. & 28. 8. *Rom* 1. 10. *Philip.* 1. *v.* 4. 9. *Coloss.* 1. 93. *Thess.* 1. 11. 2. *Timo.* 1. 3. Petrus, *Act.* 9. *v.* 9. Cornelius, *v.* 4. Ecclesia Ierosolymitana, 12. *v.* 5. 12. Paulus cum aliis, 30. 26. Tyrensis Ecclesia. 21. 5.

Orandum est pro alijs. *Exempla:* Abraham orat pro Ismaele, *Genes.* 17. v. 18. 20. pro Sodomitarum incolumitate, 18. 13. pro Abimelech vxore, & ancillis, 20. 17. Loth pro Segor, 19. 20. Fratres pro Rebecca, 24. 60. Ioseph pro Beniamin. 43. 29. Iacob benedicit filijs Ioseph. hoc est. oratione precatur eis benedictionem diuinam, & conferri eis cupit corporalia simul & spiritualia bona, 48. 15. Moses pro populo, *Exod.* 32. v. 11. 12. & 33. v. 6. 7. 8. 9. *Numer.* 14. 19. pro sorore, 12. 13. Samuel pro populo, 1. *Samuel*, 12. 23. Dauid pro infante ægroto, 2. *Samuel*, 12. 16. Serui Dauidis pro Rege suo, 1. v. 47. Vir Dei pro Ieroboamo, 15. 6. Dauid pro Salomone, 2. *Paral.* 22. 12.

Hieroglyphicum.

Cor in Thuribulo positum hieroglyphice significat orationes precesque, puro corde prolatas ad Deum: idque est thus illud mundũ, quod sibi Deus offerri mandat in Diuinis literis, ex quo scilicet odorem capiat suauitatis. *Pier. Val. l.* 34. *pag.* 317. *B.*

Vide, Precatio, Preces.

ORATIO, VT SERMO.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

ORatio dicitur omnis locutio, *λόγος, λέξις, φάσις*, varijs nominibus ab Hebræis & Latinis designata quæ in dictionarijs ametantur.

Sententiae Poeticae.

Ex Græcis Comicis.

Οὔτ' ἐκ χερὸς μεθέντα καρτερὸν λίθον
Ῥᾷον κατασχεῖν, οὔτ' ἀπογλώσσης λόγον.
Retinere vt è te non potest iactus lapis,
Sic ore verba emissa quæ semel cito.
Ψυχῆς νοσούσης ἐστὶ φάρμακον λόγος.
Aegra medela mentis est oratio.
Λόγος γάρ ἐστι λύπης φάρμακον μόνος.
Mœroris vnica medicina oratio.
Λύπην γὰρ εὖνοι οἶδεν ἰᾶσθαι λόγοι.
Verba beneuola medela sunt mœrentibus.
Ξίφος τιτρώσκει σώματα, τὸν δὲ νοῦν λόγος.
Vt corpus ensis, verba mentem sauciant.
Ἀνδρὸς χαρακτὴρ ἐκ λόγου γνωρίζεται.
Viri character eius est oratio.
Χωρὶς τό τ' εἰπεῖν πολλὰ καὶ τὰ καίρια.
Multa loqui, aliud est, quam loqui quod expedit.
Λόγῳ διοικεῖται βροτῶν βίος μόνῳ.
Est administra oratio rerum omnium
Λόγοις ἀμείβου τοὺς λόγοις πείθοντάς σε.
Verbis agas agente cum verbis viro.
Ἰσχυρότερον δ' οὐδέν ἐστι τοῦ λόγου.
Oratione nil validius vspiam.
Ῥίψας λόγον τις οὐκ ἀναιρεῖται πάλιν.
Verba reuocari emissa non queunt semel.

Sententiæ Philosophicæ.

Ridiculo sermone, tanquam sale parce vtendum est. *Soc.*

Vt procliue non est auem è manu elapsam recipere, aut cohibere: ita nec dictum semel ab ore profectum, propterea, quod ab alijs volat ad alios. *Plut.*

Sunt qui diserti esse malunt, quam boni. *Quint. lib.* 12.

Philosophum si auferat eloquentiam non aspernor: si non habet, non admodum desidero. *Cic* 2. *Tusc.*

Oratio virtutis est incunabulum. *Sal in Catill.*

Mores dicentis persuadent, non oratio. *Plut. de Polit.*

Dicendi peritus, dicendi quoq tempus cognoscit. *Plutarch. in Apoph.*

Quantum in bello potest ferrum, tantum in Republ. prodest eloquentia. *Demetr.*

Sermone eo debemus vti, qui notus est nobis. 1. *Offic.*

Quoties aliquid aut dicimus, aut loquimur, toties de nobis iudicatur. 1. *Acorat.*

Habeot suum modum quæcunque oportuna dicuntur. 3. *de fin.*

Tacere noli, vbi non oportet. *Pro Rosc.*

Non est necesse omnium flagitia proferre. *Pro Mil.*

Sæpe grauius offendunt animos auditorum, qui aliena flagitia aperte dicunt, quam qui committunt. *In Salust.*

Debemus considerare in omni re, quid aptum sit & consentaneum tempori & personæ, tum quid in dictis factisque deceat. *Orat. & Brut.*

Decorus est sermo senis, quietus, & remissus, facitque persæpe sibi audientiam diserti senis & mitis oratio. *Cato Maior.*

Difficile est dictu, quantopere conciliet animos hominum comitas affabilitasque sermonis. 2. *Offic.*

Mentis quidem interpres est oratio, scriptura est orationis. *lib.* 1. *de interpret. c.* 1.

Quanquam ex instituto, quemadmodum dixi, non vt instrumentũ, omnis significat oratio: non tamen omnis enunciat ac dicit: sed ea sola quæ vel verum vel falsum complectitur. Neque enim omnes id complectuntur: veluti precatio, oratio est illa quidem: sed nec vera, nec falsa. *lib.* 1. *de interpr. c.* 4.

Cæteræ quidem orationes quoniam artis Rhetoricæ vel Poeticæ propriæ sunt, ab hac arte omnes expelli ac repudiari debent: quæ autem quid de quodam dicit: ea sola retinenda est. *ibid.*

Vt in animo interdum veri & falsi notitia expers est, interdum necesse est alterutrum inesse sic in oratione. *Lib.* 1. *de interpret. cap.* 1.

Multiplex oratio non erit, quæ modo coniunctim, modo diuisim accipi potest. *Lib. de Reprehens. Sophist.*

Oratio falsa est, ea quæ earum rerum est, quæ nullæ sunt, quatenus falsa est. Itaque falsa oratio omnis de alio est quam de eo, de quo vera est: vt ea quæ de orbe aliquid dicit: falsa est in triãgulo. *Metaphys. lib.* 6. 4. c. 29. T. 34.

Oratio

Oratio de quacunque re dicit, alias quasi vna est, vt quæ de essentia dictâ alias vt mul a: quadoquidem idem est, ipsum per se quo dammodo, & ipsum aff. ctione prædictam: vt Socrates, & Socrates musicus. *ibid.*

Falsa oratio de re nulla est omnino *ibid.*

Quatam esse orationem ex hoc perspici potest, quod syllaba longa breuique ponderatur: quod de vocis oratione intellectam volo. Partes enim eius nullo communi termino, & fine copulantur: quoniam terminus communis nullus est quo syllabæ cohæreant: verum per se quæque secreta est. *In Categor. c. 6. de Quantitate.*

Esse hominem & vera de eo oratio, sic reciprocantur: vt si homo sit, vera sit oratio esse hominem: & si esse hominem, vera sit oratio, sit homo *In Categor. c. 11. de modis prioris.*

Vera oratio minime causa est, cur res sit: res potius causa est quo dammodo cur vera sit oratio. Nam quia res sit, aut non sit, idcirco vel vera, vel falsa oratio dicitur. *ibid.*

Nulla pars orationis manet, sed prolata & emissa vox iam reuocari nullo modo potest. *in Categor. c. 6 de Quantitate.*

Oratio duobus modis vna appellatur: priore modo dicitur oratio vna per coniunctionem, vt Ilias vniuersa: posteriore vna ex eo appellatur, q od vnum quippiam vni attribuitur: atque ita vnū, vt per se ac propriè, non fortuito, & velut casu aliquo vnum sit. *lib. 2. de D monstr. c. 10. T. 12.*

Perspicuum est, pugnantem orationem pugnantia quoque esse dicturam. *Metaphys lib 12. c. 3.*

Eadem ratio est veritatis orationum & rerum. *lib. 1. de Interpret. c. 8.*

Apophthegmata.

Pericles. Quotiescunque verba facturus in concionem prodiret, optabat, vt sibi nullum eiusmodi verbum excideret, quod populum exasperare atque irritare posset, aut quod illi contrarium esset, aut cum ipsius voluntate pugnare videretur. Vnde liquet, quam præmeditatus Pericles orationem habiturus, in publicum venerit. *Aelia. lib. 4. de Var. hist.*

Plato. Polus sophista reperisse dicitur quasdā orationis delitias, veluti contraria inter se reddita, membra compara, similiter desinentia, quibus immodice putatur vsus. His omnibus meminit eum ledactat: it insolentius: Plato sic hominem taxauit: ὦ λῷστε Πῶλε, ἵνα προσείπω σε κατὰ σέ. Id est, ò Pole, vt te tuo a lo quar modo. Polus Græce sonat pullum equinum, & statimque iratum animum est tangit hominis arro gantiam, notatus est & ὁμοιοτέλευτον Πῶλε et κατὰ σέ. *Laert. lib. 3.*

Demonax. Phauorini dictionem vt nimium compositam, ac mulieri congruentiorem quam philosopho, solebat dicteriis incessere. Id indigne ferens Phauorinus adijt Cynicum, percontans quis esset ille a quo derideretur? Hom, inquit, cuius auribus difficile est imponere. Phil sin hum, vt vestis oglectior, ita & oratio decet inaffectata. *P. M. l. 8. apoph.*

Antigonus. Quendam rhetorem audiens ita loquentem, Horanimiam iaculatrix audiens, regionem her is defecit m reddidit. Nō desines, inquit, mecum vt cum turba agere? Offensus est Rex oratione putida, cuius modi verborum apparatus silentio vendi tare nugatores apud imperitam multitudinem. At adem apud Regem tacere, erat mimicæ impudentia. *Plutarch in apoph.*

Cicero. Cum M. Lepidus in Senatu dix isset Patribus conscriptis, ego dicam circumscriptis: ego, inquit Cicero, non tam ista essem ὁμοιόπτωτον. Affectauit Lepidus schema vocum similiter desinentium, quod rhetores ὁμοιόπτωτον vocant. At satius erat schema perdere, quam senatum offendere. Quamquam in his verbis nō tantum est ὁμοιόπτωτον, verum etiam παρονομασία schema prioreiucundius. *P. M. lib 4. apoph.*

Augustus Cæs. Mecœnas, vir alias laudatus, in stylo lasciuiebat, verbis affectatis & compositionis insolenti frequenter indulgens. Augustus contra, verbum insolens quasi scopulum fugiendum esse dicebat. Ad alios itaque scribens, stylo simplici consuebat vti. Mecœnati vero, quem familiariter amabat, scribens Mecœnatem imitari solebat adeo vt in quadam epistola, multa liberius ac dissolutius iocatus, hanc adiecerit clausulam: Vale mel gentium, ebur ex Hetruria, laser Aretinū, adamas Supernas, Tyberinum margaritum, Cilneorum smaragde, iaspis figulorum, Berille Porsennæ, carbunculum habeas, ἵνα συντέμω πάντα, μάλαγμα moecharum. Sic irrisit parum viriles amici in scribendo delicias. Eiusdem concinnos iocis ea agitare consueuit, voces ac sententias ineptas foetores appellare solitus. Sermonem amabat purum & elegantem, quilententiam quam apertissime declarat. Nec Tiberio pepercit interdum reconditas & exoletas vn ces aucupanti. Marcum Antonium increpabat, velut ea scribentem, quæ homines mirentur potius quam intelligant. Quin & Agrippinæ optimis ingenium collaudans, hoc adiecit. Sed opus est dare te operam, ne moleste loquaris. *P. M. lib. 4. Apophthegmata ex Sueton.*

Iulius Florus Quum aliquando adolescentem tristem eundemque scholasticum vidisset, interrogauit. Quæ causa frontis esset tam deductæ? Quia triduo, inquit adolescens, materiæ at l. tribe- dum destinatæ non inuenio exordium. Tum Florus, Num quid tu melius dicere vis, quam potes? Ita res se habet, Curandum est, vt quam optime dicamus: dicendum tamen pro facultate. A profectum enim opus est studio, non instigatione. *Quintil. inst. libro 12. cap 3.*

Latro Porcius, cuius ingenium supra modum miratur Se. (fuit enim illius condiscipulus) cum Maxillus rhetor exstra e n orationis suæ imputaret controuersiæ, diceret q, N. cess. t est me per ipsinosum locum a nbulantem suspensum habere pes: Non me hercule inquit, tui pedes stroas calcant, i d habent. *P. M. libro octauo apophthegmat.*

Catulus Quum ora or quidam mal s, qui in Epilogo se putabat mouisse misericordiam, postquam assedit, rogaret Catulum, Videretur ne mouisse misericordiam? Ac ma n a quidem, inquit: Neminem enim esse puto tam durum, cui non oratio tua miseranda visa sit. *Cic. lib. 2. de Ora ore. P. M libro sexto apophthegmat.*

Fl. Vrgi us vrbane a nsopnistam quendam suum interrogauit. Q ot mil ia passuum declamasset? Taxans eum, quod in declamando discurreret, miumque crebras, longas ac tumultuarias haberet ambulationes: Cum M. Tullius orator non concedat procursiones nisi raras, moderatas ac breues, eandem ob causā Sura Manil s Domitio Afro dictus est non agere, sed satagere, *Verrumque refert Fabius, cap. de pronunciatione.*

Cassius seuerus. Salsum est illud Cassij Seueri, qui aduersus patronos immodice discurrentes, vt interdum se proriperent in aliena tribunalia; poposcit lineam, alludens ad certamina cursus, in quibus vna linea designabat, vnde cursus inciperet, altera vbi definerct. Idem accommodari potest in eos, qui digressionibus immodicis diuertunt ab instituto. *P. M. lib. 8 ap ph.*

Zeno Citiens dicere solebat, Formam esse vocis florem. Nam loquē tis ora ionem forma con menda, & rursus oratio composita gratiam addit formæ. *Laert lib. 5. c. 1.*

Idem Eleganter ac polite loquentium sermones aiebat esse similes pecuniæ Alexandrinæ, oculis blandientes, atque vndique scripturam habenti more num smatis, nihilo tamen esse meliorem. Rursus qui magis studerent vtilia dicere quam nitida, similes esse dicebat tetradrachmis, temere ac rudi ter percussis, quæ sæpe pictura sillis nummis præponderarent. In nummo nō spectatur elegantia sculpturæ, sed pondus ac materia: ita non refert, quam sit elegās oratio, sed quam grauis & vtilis. *Laert. lib. 7. cap 1.*

Scopelianus. Herodis Attici præceptor, Polemoni obijcienti, quod inter dicendum pulsaret tympanum? Tympanizo, inquit, sed Aiacis clypeo, haud inficians, se in a endis causis interdum vti verbis ac figuris vehementioribus: at non inani strepitu, sed ad causæ patrocinium accommodis *Philostr. in sophistis*

Demetrius Phal. Quantum in bello valeret ferrum, tantum dicebat in Repub. valere orationem. Illic enim res geritur viribus, hic persuasione. *Laert. lib. 5. c. 5.*

Pericles ad perorandum a populo sæpe lacessitus, negauit: quia imparatum se esse diceret. *Plut.*

Chrysippus dicere solebat, cogitationum orationis esse fontem. Nihil autem aliud hoc dicto voluisse videtur quam cogitationem omne prius probe examinandum esse, de quo dicturus es, & rum demum orationem neruis omnibus absolutam fluere te posse. *Stob. serm. de Prudentia.*

Demosthenes. Epicli opprobranti, quod semper dicta eos meditaretur: Erubescerem, inquit, optimo iure, si tanræ multitudini consulens, dicerem ex tempore. Quod alij præclarum esse ducunt, subito ex insperato dicere, id vir cordatus iudicabat esse temeritati. *P. M l. 6 8. apoph.*

Demades vocari solebat in Demosthenem, quod cæteri quidem oratores dicerent ad aquam, ipse vero & scriberet, taxans eum, quod nunquam nisi de scripto diceret, tum esset ὑδροπότης. Contra Dimades, vt largius bibebat, ita valebat ex temporali dictione.

Antigonus. A dolescens quidam Anaximenis rhetoris discipulos, orationem a præceptore meditatam, & a se recitandam, subornatus coram Antigono habebat, quum is inter audiendum quidam scire cupiens sciscitaretur, moxque adolescens reticuisset. Quid ais, inquit Antigonus a um ista vbi sunt in tabulis descriptas? Quod ille in adolescente iudicauit absurdum, hoc hodie magnificum habetur, vt senes etiam apud principes orationem a rhetore quopiam conducto sex mensibus elaboratam ediscant, eamque psittacorum more reddant. Nec raro fit, vt nemine etiam interpellante, excidant, cunctisque ridiculi fiunt. *Plut. in reg. apoph.*

Socrates. Lysias quum Socrati orationem, quam is eius defensionem composuerat, recitasset: Præclara, inquit, & elegans est oratio, sed non conuenit Socrati. Erat enim forensi instituto aptior, quā philosopho. Rursus Lysiæ percontanti, cur si bonam iudicaret orationem, putaret sibi non conuenire? Nonne, inquit, fieri

fieri potest, vt amictus aut calceus elegans sit ac pulcher, qui tamen alicui non conueniat? Quo dicto ostendit, eam orationé gratiosam esse, quæ suo loco suisque personis conuenit. *Cic. lib. 1. de Orat.*

Agesilaus. Apud Agesilaum Lacedæmoniorum Regem, cum quidam Rhetorem laudasset, quod mirifice res exiguas verbis amplificaret. Ego, inquit Rex, ne sutorem quidem arbitrater bonum: qui paruo pedi magnos inducat calceos. Sensit vir prudentissimus, cum demum bene dicere, cuius oratio rebus conuenit, ex quibus orationis qualitas potius quam ex artificio petenda est. *Plut. in Lacon.*

Archidamus. Cum Græci nollent rescindere pacta, quæ cum Antigono & Cratero pepigerant, & amplecti libertatem, quam offerebat Archidamus, veriti ne grauiores essent habituri Lacedæmonios quam Macedones: Ouis, inquit, semper eandem edit vocem: cæterum homo multas ac varias emittit voces, donec quod decreuit confecerit. Hoc dicto significans, fallendam esse fidem, si qua magna inuitet vtilitas. Nullum autem est animal, cui iam varia vox sit, quam homo. Hoc apophthegma videri possit indignum Lacone, nisi post integritas eius gentis, barbarorum commercio degenerasset. Dici potest honestius aliquis vsus esse: veluti si quis admoneat, pro tempore, proque re nata variandum esse sermonis habitum. Est vbi loquendum sit seuerius, est vbi blandius, est vbi magnificentius, est vbi submissius: est vbi iucundius, est vbi durius; id si fiat citra perfidiam, prudentia est, porro ouilli mores dicuntur hominum stupidorum, qui sese nesciunt rebus ac personis accommodare. Græcorum igitur constantiam Archidamus stultitiæ tribuit, qui proposita libertate nollent mutare vocem. *Plutarc. in Lacon.*

Pacatus. Oscus Rhetor cum eloquentissimus esset, illius tamen orationem nil aliud vitiabat, quam affectatio: nihil enim sine schemate dixit vnquam: Ideoque cum Pacatus Rhetor Massiliæ ei obuiam factus esset: poteram, inquit, dicere, Aue Osce. Affectatorē affectata salutauit oratione: vsus enim est ironica occupatione, præter omnem necessitatem, vt irrideret hominem semper affectate loquentem. *P. M. lib. 8. apoph.*

SIMILITVDINES.

Plutarchi. Vt stragolæ picturatæ dum extenduntur, ostendunt imagines: dum contrahuntur, celant easdem, & abolent: Ita etiā oratio si bene & apte composita pronunciata sit, rei seriem ponit ob oculos: si finem apponit orator, ex animo pleraque euanescunt. *Est Themistoclis dictum ad regem Persarum, in Græcorum imperatorum apoph.*

Qui castam ac philosophicam orationem meretricijs ac sophisticis laudibus prosequuntur, perinde faciunt atque ij, qui athletam lilijs aut rosis coronent, non lauro aut oleastro. *In Moralib.*

Philippi Beroaldi. Quemadmodum ille ineptus dicitur esse precator, qui aquam à Libero, vinum precatur à Nymphis; Ita præposterus ille videri potest enarrator, qui in principio suarum enarrationum vagatur extra propositum. & dum amphoram facere debet, vrceum format. Nec immerito vetus ille vituperatur orator, qui cum diserte diceret, & volubilitate verborū raperetur, causam omnino non tangebat; vnde prudens auditor & iudex: Bene inquit, & bene. Sed quorsum illud tuum tam bene? *In oratione habita in enarratione Georgici carminis atque Tranquilli.*

P. M. Quemadmodum medici quo doctiores videantur, diuersas rerum species ex diuersis mundi partibus petitas inter se commiscent: Ita quidam ostentatores orationem parum eruditam videri credunt, nisi ius Cæsareum ac Pontificium, poetas, oratores, philosophos, sophistas simul commiscuerint, & pluribus authoribus ac literis consarcinauerint, quam Mithridaticum ferūt fuisse concinnatum. Id constabat quinquaginta quatuor diuersis rerum generibus. *in simil.*

Vt quod nulla vi efficias, id aliquoties fit herbæ succo, si modo quam oportet adhibeas: Ita quosdam magis permoueris apta, quam violenta oratione. *in simılib.*

Quemadmodum in ijs quæ tibia canuntur, multa fallunt ac suffugiunt auditorem errata: Ita in oratione phalerata, multa inepte dicta fallunt auditorem ob phaleras, & fucos orationis. *in similibus.*

Vt pharmacopolæ bracteis aureis tegunt remedia quædam, quo pluris vendant: Ita quidam lenocinio tingere nimiumque a recto abesse, sed scopum tantummodo apte & immote contemplari, atque hunc eundem petere: Sic etiam prudentis est nihil præter decorum in epistolis nugari, neque breuiloquentiam ex ipsa penuria affectare, neque perspicuitatem inuolucris inuoluere: imo potius cum facunda dicendi temperantia suum institutum quo vult, dirigere, & quod dicendum sit, apte & apposite demonstrare. *In Epistolarum characteribus fol. 8.*

Plutarchus. Qui bibunt, vbi iam desierint sitire, cum poculi sculpturam contemplantur? Sic in oratione primum animaduertendum, quum salutare sit quod dicitur: deinde si vacat, quid sit elegans aut nitidum, considerare licet. *In Moralibus.*

Vt ridiculus sit cantor, qui rem grauem Lydijs efferat modis: ita ridiculus, qui de Dijs, aut recte viuēdo verba faciens, rhetoricis lasciuiat flosculis. *in Moral.*

Vt iuxta vias asperas ac salebrosas violæ flosculique nonnunquam occurrunt: Ita in oratione infacunda nonnunquam & sententiæ & figuræ incidunt dignæ quæ laudentur. *In Moralibus.*

Qui statim orationis ornatum requirit, perinde facit, ac si quis nolit antidotum bibere, nisi vas sit adductum ex Atticæ Veneris figulina; nec in hieme vestem induere, nisi quæ lanam habeat ouium Atticarum. *In Moral.*

Musici leui chordarum tactu demulcent, non graui pulsu: Sic oratio placida, citius quam aspera mouet populum. *ibidem.*

Ciceronis. Vt mulieres ideo bene olere, quia nihil olent, videntur: Ita hoc ipsa est ornatior oratio, quod ornamenta negligat. *Ad Attic. lib. 2.*

Plinij. Vt laudatur in hoc Timanthes, quod in omnibus eius operibus plus semper intelligitur, quam pingitur: Ita optimum orationis genus, in qua plurima cogitationi relinquuntur, pauca narrantur, & plus inest sensuum, quam verborum. *Libro 35. capitulo decimo.*

P. M. Sicuti sal modice cibis aspersus condit, & gratiam saporis addit: Ita si paulum antiquitatis aut inciuilitatis admiscueris, oratio fiet venustior: si plus satis, nihil insuauius. *In Similibus.*

Themistij. Optimum est mel, quod est dulcissimum, & continuum: Et melior est oratio rotunda, ac prompta, quam duriter elaborata, & quæ quasi quodam filo pendet ordine dialectico, quam abscissa aut interrupta. *in apoph. 93.*

Tyrij Platonici. Equi furor regitur freno, regitur habenis equitis aurigæque arte. Hominem vero versat oratio minime ignaua, minime sordida, minime neglecta; sed quæ lenitate atque acrimonia temperata nequaquam ocium auditoribus præbet, vt voces duntaxat ac vocum voluptatis inquirant: sed illos potius excitet, ac veluti tubæ sonitu percussos cogat debacchari. Tuba etenim interdum classicum sonat, interdum receptui canit. Qui si huiusmodi orationem requirant, philosophiam affectantes, nimirum dare operam oportet, vt eum cuius ea facultas existat, habeamus, probemus, eligamus: siue ille senex, siue iuuenis, siue pauper, siue diues, siue multi nominis sit. *Sermone trigesimoseptimo.*

Philonis. Sicut equi hinnitus est proprius, latratus canis, bouis mugitus, rugitus leonis: Sic sermo hominis: hic est enim propriè munimentum, indumentum, armatura & ara hominis, animalis Deo charissimi. *lib. de Somnijs fol. 371.*

Plutarchi. Qui coronas nectunt, bellissima quærunt, non vtilissima: at apes etiam amarissimo thymo insidunt atque inde mellificum colligunt. Sic oportet auditorem non flosculos orationis, voluptatis causa sectari, sed vim sententiarum & verborum nihil ad rem pertinentium, rem commendari putant. *In Similibus.*

Themistij. Vt salubrius est, alimentum in diuersas partes partiri, quam semel affatim vsque ad fastidium ingerere: Sic melior est oratio, quæ sæpius repetitur, quam quæ in longum cum tædio protrahitur. *in apoph. 120.*

Oratio splendida, sed eneruis, est egregia statua, sed exanguis. *in apophteg. 77.*

Musici sæpe harmoniam perdunt, dum pluribus obiter articulis vocem variant: Et sæpe orationis decorem tollit, qui omnis ipsam pingit. *in apoph. 82.*

Neque magnum calopodium conuenit paruo pedi: Neque ampla oratio paruis rebus. *ibid.*

Perpetuum studium ingenij aciem hebetat, frequens excitat: & prolixa quidem oratio fatigat, crebro repetita impetrat. *In apophthegm. 94.*

Libanij Sophistæ. Vt lumen, ita nec oratio vlli prodest, nisi volentibus accipere. *In Moral.*

Facile est demoliri, quod alius extruxit: at difficillimum, idem aut melius aliquid extruere: Ita aliorum orationem reprehendere, in procliui est: at eodem modo, meliusue dicere, non est perinde facile. *in Moral.*

Ciceronis. Vt in vita, sic in oratione, nihil est difficilius, quam quod deceat videre. *In Oratore ad Brutum.*

Seneca. Vt leonum animaliumque impetus, caueis coercetur: Sic hominum, quorum maxime in seductu orationes sunt, ita tamen delituerint, vt vbicunque ocium suum absconderit, prodesse velit singulis & vniuersis, ingenio, voce, consilio. *De tranquill. vitæ cap. 3.*

Quomodo conuiuiorum luxoria, quomodo vestium, ægræ ciuitatis indicia sunt; Sic orationis licentia (si modo frequens est) osten-

ostendit animos quoque, à quibus verba exeunt procidisse. *lib. 2. Epist. 115.*

Vt ægrotus non quærit medicum disertum, sed sanandi peritum: Sic à Philosopho non requirimus orationem phaleratam. *Apud P. M.*

P. M. Vt idem sol ceram liquefacit, & lutum indurat: Ita eadem oratio alios reddet deteriores, pro ingeniorum varietate: hunc emolliet ad pœnitudinem erratorum, hunc irritabit ad contumaciam. *in Simil.*

Vt magnes non quiduis ad se trahit, sed ferrum duntaxat, cum sint alia multo leuiora: Ita quorundam oratio non mouet omnes, sed iam propensos ad id, quod illi suadent. *ibid.*

Non sic ad audiendum est accedendum, vt velis inungi, & oblini fucis, quo nitidior fias: sed gratiam habeas, si velut aluare acri fumo, sic ipse mordaci sermone purgeris animo, qui cæcutiente, & lippitudinis est plenus. *ibid.*

Vt vete agnoscimus hominem, facie non conspecta, nam sua cuique vox: Ita ex oratione licet hominis vitam coniectare. *ibid.*

Vide Sermo. Item Lingua, Loquacitas. Item Garrulitas, Silentium.

ORATOR.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

ORator, Græce ῥήτωρ, ῥητορικὸς & ῥητορικῶς oratorius dicitur. Venitque ab orando, hoc est, dicendo. Differunt autem orator, rhetor, & declamator sic: quod Orator est, qui in iudicijs, vel in concionibus causas agit: *Rhetor*, qui rhetoricam profitetur: *Declamator*, qui aut docendi alios, aut exercendi se gratia fictam causam agit, vt in veris postea causis possit orare, quod declamare dicitur; quare declamare est in ficto themate componere, hinc actiones ipsæ orationes, & declamationes vocantur, ab orator dicitur oratorius, ria, rium, vt oratorius sermo, oratoria facultas, oratorium munus, oratorie aduerbium, hoc est, more oratorio.

Oratores ab Hebræis *Melisim* appellantur, à verbo *Malats*, demulsit, dulcem effecit, edulcauit, mellitis verbis vsus est. Hinc μελίζω dulcesco, dulciter cano; permulceo cantu. Et Latinum Melus, mulsum mulceo, demulceo. Melitsa interpretatio, à verbo *Lits* interpretatus est.

SENTENTIÆ PHILOSOPH.

Est enim proprium Oratoris, aperte, distincte, & ornate loqui. *Cic. lib. 1. de Offic.*

Inhumanum est, eloquentiam ad hominum salutem, & conseruationem datam, ad bonorum pestem perniciemque conuertere. *Idem lib. 3. de Offic.*

Equidem video oratorum facultatem, & vim maxima ex parte in auditorum esse potestate. *Demost. orat. de Corona.*

Quodnam maius crimen dicere quis possit virum oratorem, quam si non eadem sentit, ac loquitur? *Ex orat. de Corona.*

Non est quicquam indignius, ac molestius, quam cum vir authoritatem habens, & facultate dicendi prædita, testibusque abundans, audet mentiri: tum enim necesse est, rerum non iam de re tantum dicere, verum etiam de ipso dicente, quod ei propter authoritatem credere non par sit. *Ex orat. contra Callippum.*

Quo promptius ipsa oratione vti videmur, eo magis illi diffidunt omnes. *Olynth. 3.*

Ipsa orationum elegantia, & lepos auditorum beneuolentia indiget. quam cum, si etiam mediocriter dixerit, gloriam reportabit, nec non gratiam sibi conciliabit: circa hanc, etiam si bene dicendo excellat, ab auditoribus tamen negligetur. *Ex oratio. Funebri.*

Omnis oratio, si res ac facta absint, vanum quidpiam, & inane videtur. *Olynth. 3.*

Omnia oratio vana est, & infrugifera, quæ actionum expers fuerit. *Ex orat. ad Epist. Philip.*

Si ad grauiam concionari oportet, quæcumque oratione prætermiserit aliquis, vt ne molestus sit, eadem de rebus ipsis prætermittētur: si vero orationis venustas, & gratia rebus consentanea non fuerit, damnum affert. *Ex orat. 1. contra Philippum.*

Id vnum reliquum est ijs, quæ causam tutari non possunt, vt effugia, & prætextus quosdam inueniant, qui ablata præsentis causæ memoria in ijs vos retineant, quæ ad hoc ipsum crimen nihil spectant. *Ex orat. contra Theoc.*

Nomine oratoris, & docti ornandus est, qui scelus fraudemque nocentis possit dicendo subijcere odio ciuium, supplicioque constringere: idemque ingenij præsidio innocentiam iudiciorum pœna liberare: idemque languentem, labentemque populum, aut ad decus excitare, aut ab errore deducere, aut inflammare in improbos, aut incitatum in bonos mitigare, qui denique quemcumque in animis hominum motum res & causa postulet eum dicendo, vel sedare. *Cic. 1. de Orat.*

Oratores veteres famam in posteros præmia eloquentiæ cogitauerunt pulcherrima. *Tacit. Annal. lib. 15.*

APOPHTHEGMATA.

Diogenes oratores carpebat, quod studerent iusta dicere, sed eadem facere negligerent. *Laert. lib. 6. P. M. lib. 3. apoph.*

Idem. Oratores qui summo in precio habebantur Athenis, dicebat turbæ ministros, quod ad gratiam loqui cogerentur, & seruiliter adulari stolidæ multitudini. Coronas autem dicebat esse gloriæ pustulas, ἐξανθήματα, qualia nonnullis progerminant in naso, vultuque ex bile. *Laert. lib. 6.*

Idem. in caupona prandens, Demosthenem forte prætereuntem inuitauit vt accederet. Id cum ille pudore recusaret; Erubescis, inquit, Demosthenes cauponam ingredi: atqui hic herus tuus quotidie versatur. Innuit oratores nihil aliud esse, quam mancipia populi, nec esse par, vt illic pudeat seruum populi videri, vbi populus assidue viueret. *P. M. lib. 8. apoph.*

Idem. Oratores ac cæteros omnia ad gloriam facientes appellabat τρισανθρώπους id est, ter homines, ancipiti dicto. Nam vt vulgus hominem esse negat, qui nec doctus est, nec humanus: Ita Philosophus hominem vocabat miserum, qui nihil haberet supra hominem. Siquidem iuxta Homerum nullum animal homine miserius. Proinde ter homines dixit, ter miseros, qui sua studia omnia conferrent ad rem immanissimam, ac populari multitudini, multorum capitum beluæ, seruirent seruitutem. *Laertius lib. 6.*

Demosthenes interrogatus, quomodo orator factus esset? Respondit: Dum plus olei quam vini absumerem. *Ex Diomed. Meminit etiam Brus. lib. 4. c. 31.*

Idem. Phocion Atheniensis breui oratione vtebatur, cæterum grauissima, quem cum surgentem vidisset Demosthenes: Ecce, inquit, meæ orationis culter surgit. *Plut.*

Pyrrhus dicere solebat, plures vrbes suo imperio additas oratione Cyneæ oratoris, ac legati, quam suis armis. *Valer. Max. & Brus. lib. 4. c. 31.*

SIMILITVDINES.

Sidonis Apollinaris. Medicus in desperatione, gubernator in tempestate cognoscitur, horum omnium famam præcedentia pericula extollunt: quæ profectu delitescit, nisi vbi probetur, inuenerit: Sic & magnus orator si negocium aggrediatur augustum, tunc amplum plausibilibus manifestat ingenium. *In Epist. ad Rauricium suum.*

Liconis. Ranis similes sunt oratores, hæ enim in aqua clamitant: illi vero ad clepsydram. *Apud Max. serm. 47.*

Ciceronis. Vt qui pila ludunt, etiamsi non vtuntur in ipsa lusione artificio proprio palæstræ, sed indicat ipse motus didicerintne palæstram, an nesciant, & qui aliquid fingunt, etsi tum pictura nihil vtuntur, tamen verum sciant pingere, an nesciant, non obscurum est: Sic in dicendo facile declaratur vtrum is qui ad dicendum omnibus ingenuis artibus instructus accesserit. *libro 1. de Oratore.*

Sicut medico diligenti priusquam conetur ægro adhibere medicinā, non solum morbi eius, cui mederi volet, sed consuetudo valentis, & natura corporis cognoscenda est: Sic equidem cum aggredimur ancipitem causam, & grauem, ad animos iudicum pertractandos, omni mente in ea cogitatione, curaque versari debemus, & odorari, quam sagacissime possumus, quid sentiant, quid existiment, quid expectent, quid velint, quo duci oratione facillime posse videantur. *lib. 2. de Oratore.*

Vt nulla materies iam facilis ad exardescendum est, quæ nisi admoto igni, ignem concipere possit: Sic nulla mens est tam ad comprehendendam vim oratoris parata, quæ possit incendi nisi inflammatus ipse ad eam, & ardens accesserit. *libro secundo de Oratore.*

Vt in Græcis artificibus aiunt eos Aulœdos esse, qui cytharœdi fieri non potuerunt: Sic nonnullos videmus, qui oratores euadere nō potuerunt, eos ad iuris studium deuenire. *Pro Murena.*

P. M. Facilius insculpta gemmis, quę voles si terebra ferueat: Ita magis mouebit orator, si non solum acriter dicat, sed ferueat, & amet id quod laudat, oderit quod vituperat. *in Simil.*

Vt signa quædam argillacea summo in precio fuerunt, ob admirationem artis: Ita nonnumquam res humilis, ac nihili ingenium oratoris commendat. *in Simil.*

Philonis Iudæi. Quemadmodum sagittarij scopo sibi aliquo proposito, conantur omnia tela in eum defigere: Ita orator de re quadā dicturus, omnem orationem ad rei alicuius finem refert, sententiasque omnes ad certum quemdam scopum dirigit. *in lib. de sacrificio Abelis & Caini.*

Vide Lingua, Eloquentia, Sermo.

ORBITAS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

ORbitas, Græce ὀρφανία, ας, ἡ & ὀρφανός ὁ orbus dicitur. Hebr. *Schecol*, a verbo *Seacal*, orbus fuit, priuatus est liberis. Hinc σκυλεύω, spolio, orbo, σκῦλον, spolium, σκῦλον, exuuium. Orbus vero proprie dicitur is, qui lumen oculorum amisit, quasi amissis orbibus propter rotunditatem oculorum. Hinc per metaphorã orbi dicuntur, quicumque aliqua re chara priuati sunt, quasi oculis priuati. Hinc etiam orbo verbum, id est, priuo: & orbatus, priuatus: & orbitas siue orbitudo, quæ est illa qualitas patrum post amissos liberos, vel filiorum post amissos patres. Hinc etiam orbe facio, hoc est, orbitatem alicui induco, & orbum liberis facio, vnde orbifico, & orbificus deducuntur, orbem Latini circulum, & orbiculum paruum circulum dicunt. Mundumque à rotunditate orbem vocant. Item orbiculus, a, um, hoc est, circularis. Varro: *Vt sidera cæli circa terram, atque axem voluuntur motu orbito*. orbita vero est vestigium rotæ. A quo exorbito fit, hoc est, a recto discedo, & quasi extra orbitam eo.

PHILOSOPHICÆ SENTENTIÆ.

De moriente sine filijs. DIAL. CXXXI.

Francisci Petrarchæ.

DOL.

Sine filijs morior. R. Eo alacrior mori debes, atque expeditior proficisci, nil post tergum linquens, quod te vellicet. Ille ingens morientium dolor restat, ex commiseratione oriens deserendæ prolis, immaturæ præsertim, & paterno præsidio indigentis, perque ætatem inopiamque consilij, & iniurijs, & casibus multis expositæ. D. Nati, quos optabam sperabamque superstites, præcesserũt. R. Habes, ad quos ire cupias, non a quibus doleas abire, non exiguum solamen. D. Mors acerba, filiorum orbus vt moriar, cogit. R. Hoc si miserum censes, quid est, vel quod orbum mori cogat, vel vixisse coegerit? Cum vnde tibi filios eligas, ingenuorum iuuenum tanta sit copia, ea fortassis obsequentiores, & tui amantiores habiturus, quam quos tuo de sanguine genuisses, quod illos casu quodam, hos certo iudicio quæsiuisti: Filij illi antequam noti, hi autem noti, & dilecti, & electi, antequam filij, itaque totum illi hoc naturę, hi beneficiu tuo imputent, quod filij tui sint, vnde fit, vt sæpe hæc fuerit facta successio, cui tuto, non mediocre tantum patrimonium, sed summum imperium crederetur. Nosti, vt Iulius Cæsar prole carens sibi Augustum, ille Tiberiũ, pene inuitus quidem, vt post Nerua Vlpium Traianum, ille Aeliũ Adrianum, vt is rursus Antonium Pium, ille Marcum Aurelium, sibi filium fecit, fecissetque ille alium quemcumque felicius, quã Commodum genuisset, nulli commodum, cũctis incommodum, vnicum tanti patris infortunium, vnumque ex paucis Romani imperij probrum ingens, atque apertissimum argumentum, quãto adoptio sit felicior genitura, quod cum primi ex ordine diu ac feliciter imperassent, hic tantorum vestigijs ducum spretis iter deuium ingressus, breui & turpi non imperio, sed tyrannide, cũ Rempub. fœdasset, misero quidem, sed digno fine procubuit, publicumque ludibrium io se vertit. Iam inde præterea ante hos lõge secundum illud fulmen belli Punici, malleumque Carthaginis, Africani illius magni filius in decus gentis assumpserat hoc scilicet facto vt quam vrbem auus concusserat, hanc nepos eius euerteret, vt Florus ait historicus. Ex Aemilia in Corneliam familiam translatus, vtriusque decus vltimum fateor, nõ minimũ. Ex his vides, quod nec tibi, nec principi deesse filius potest, quod quod est optimum: Bonis bona oun desit electio: quæ si adsit, talẽ tibi fortasse filium dabit, qualem non dedisset vxor, & votiuum matrimonij effectum coniugalibus expeditus vinculis inuenies, sic naturæ defectui lex prouidit. D. Quomodo nunc domui meæ disponam? orbus morior. R. Magnam vero pietatis, magnam laudis oblatam tibi (ni respuas) materiam, & quod filijs forsan ingratis, ac vel male cumulaturus, & quoniam vterque mos est, in vius pessimos versuris, breuique omnia profusuris conferre decreueras, confer honestius, confer vtilius, confer stabilius. Pergami quidem rex Attalus populum Romanum, nec egentem certe, & Asiaticis profecto diuitijs corrumpendum testamento sibi hæredem fecit. Ego tibi alium populum, quem instituas ostendã. Hinc te amicorum, hinc egentium turba circumstat, ex vtraque tibi filios adoptare permitteris: quorum alij te digressum dulci secum commemoratione detineant, alij te, quo pergis, pia precũ festinatione præueniant, vtque hic erogaueris, illic centuplicata reperias, fœnus vberrimum, certissimumque viaticum iter istud acturis. D. Morienti mihi nullus est filius. R. Quid si multi essent, an ex his tibi seu custodem domus ac pecuniæ, quæ tua certe amplius non erit, eligeres, seu in prælio mortis Athletam ipsum quoque mortalem, seu denique comitem ad sepulchrum, vltra enim nec te tui quidem comitentur, nec Metellum sui, breuis à lectulo mortis ad sepulchrum via est. Quid refert, an hic sulus taceas, an ibi, friuolæ prorsus & ineptæ causæ filios optandi. Nam si in illis, vt vulgo dicitur, seruari ac perpetuari tuum nomen optabas, ipse quoque vulgariter fallebaris. Siquidem filiorum obscuritas profecto creberrima, nec illustrare ipsa vtique, nec seruare paternum potest nomen. Et perrara filiorum claritas, vt ipsos semper filios claros facit, sic parentes interdum vicinitate sua contegit obscuratque, quasi minora sol sidera, quod nusquam euidentius, quam in Iulij Cæsaris patre cognoscitur, quem penè ignoratum filij splendor fecit. Et ad summam: Quisquis in filio sui nominis spem reponit, reos pertenuem labilẽque in Vase fictili locat, ac ruinoso, quodque est inconsultius, non suo, rem maioris apud vulgus, quam apud doctos precij, omnis tamen contemnendam, sed eum honestius tum certius locãdam in suis incorruptibilibus vasis, ac solidis in virtute propria, in rebus gestis, in literis. D. Sine natis morior. R. Nõ sunt, in quos tuæ sese spargant curæ, in te versæ omnes, quo instructior liberiorq; digrediere, te vnum respiciens, te metiens. Sed quam miser, & quam felix moriare, nec incertus noteris, an vel miseriæ sit addendum, vel felicitati detrahendum tuæ, aliena seu turpitudine, seu fortuna. Etsi enim alijs aliter videatur, in quorum ego senten tiam sum pronior, vt magis tamen firmus visum esse Philosophis, filiorum euentibus imminuitur paterna felicitas. Imbecillũ bonum, quod in crastinum prominet, & pendet ex altero, quod si opinionem hanc admittimus, quid hinc fit intelligis, dubitari enim nequit, quin multi felicius obituri fuerint, si sine filijs obijssent.

Vide Filius, Mors, Parentes.

ORDO.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

ORdo, Græce τάξις, εως, ἡ, & τάγμα ordino dicitur. Est autem ordo parium dispariumque rerum sua cuique loca tribuens dispositio, *secund. Aug. de ciuit. Dei lib. 19.*

Ordo ab ore dicitur, quod idem est, quod dispono, quasi ore pronuncio, cui cuique locus esse debeat. A quo ordo, dispositio, gradus. Item, ordinarium in quo ordo seruatur: extraordinariũ quod fit extra ordinem: ordinate aduerbium, hoc est, seruato ordine.

Ordo sacer est signaculum quoddam, in quo spiritualis potestas traditur ordinato ad officium, *secund. Magistr. sentent. & B. Bonau. in 4. dist. 24.*

LOCI BIBLICI.

Ordo, pro disciplina Ecclesiastica, *Coloss.* 2. 5. Ordo in Ecclesia seruandus, 1. *Cor.* 14. *v.* 30. 31. 40. Ordinis Ecclesiastici exemplum, Synodus Ierosolymitana, *Actor.* 15. 13. Ordo politicus seruandus, & colendus, *Roman.* 13. 1. 1. *Pet.* 2. 13. *Tit.* 3. 1. Illum turbantes vitandi, 2. *Thess.* 3. 6.

SENTENTIA BIBLICA.

Omnia honeste & secundum ordinem fiant in Ecclesia. *Paulus ad Cor.* 1. c. 14.

PATRVM SENTENTIAE.

Pueri ad sacros ordines nullatenus admittantur, ne tanto periculosius cadant, quanto citius conscendere ad altiora festinant. *Gregor. epist. ad Columb.*

Ne hi, qui ordinati sunt, pereant, prouideri debet, quales ordinentur: vt aspiciatur, si vita eorum continens in annis plurimis fuit, si studium lectionis, si eleemosynæ amorem habuerunt. *in reg.*

Nullus debet ad altare accedere, nisi cuius castitas ante susceptum ministerium fuerit approbata. *ibid.*

Non loca vel ordines Deo nos proximos faciunt: sed nos aut opera & bona ei coniungunt, aut mala disiungunt. *idem epist. ad Anastas.*

Agnoscat vnusquisque ordinem suum, & quid dignum sit eo ordine, quem suscipit, intelligat, & libret actus suos, ita etiam sermonem, incessum quoque & habitum moderetur, vt cum ordinis sui professione conueniat, ne audiat dici ad se a Deo: Quia propter vos blasphematur nomen meum inter gentes. *Origenes super Leuiticum.*

Requiritur in ordinando sacerdote præsentia populi, vt sciant omnes, & certi sint: quia ex omni populo præstantior est, qui doctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligitur ad sacerdotium, & hoc astante populo, ne aliqua postmodum retractio cuique, ne quis scrupulus resideat. *Idem, ibid.*

POETARVM DICTA.

Boetius Metro. 6. lib. 1.

Sic quod præcipiti via
Certum deserit ordinem,
Lætos non habet exitus.

Annnym.

Ordine seruato mundus seruatur, at ille

Negle-

Neglecto passim totus & orbis abit.
Machina perpetuo e(?) iis(?) ab ordine pendet.

SENTENTIAE PHILOSOPHOR.

Ordo omnis est ratio. *Arist. Physic. 8. c. 1. Tex. 15.*

Ordo est propris sensibilium naturæ. *de Cælo. Tex. 24.*

Ordinis causa dignior est ordine. *Physic. 8. Tex. 15.*

Ordo completus agere alterum contrariorum continue. *ibid.*

Ordinem recipere nequit, quod ordine natura latet. *3. de Cœlo. Tex. 22.*

Ordinis ac legis quum ciuitas particeps est, omnia bene facta sunt: ac pleraque quæ ordine carent, aut male ordinata sunt ex bene ordinatis, alia quædam soluunt. *de legib. dial. 6.*

Ordo est consentus operationum ad mutuam commonionis proportio, vicissitudinis in omnibus esus, contemperatio ad percipiendum idonea. *Speusip. de Plat. definit.*

Ordo & tempus innouationem omnium rerum, quæ in mundo sunt, per alterationem faciunt. *Speusippus in Platonicis definitionibus.*

Ordo omnis diuinus sibiipsi vnitur tripliciter, à summitate, eaque in ipsa est, & à medietate, & à fine. *Proble. Theod. prop. 148.*

Ordo omnium rerum ad vnam essentiam refertur: ideo prima caosa vnius nomine nominatur, præsertim quia vnitas simplicitatem significat. *Idem in Dion. Areop. de diuin. nomin.*

Ordinem rerum dum contemplamur, pulcherrimas rerum formas cognoscimus artificiosissimis rationibus esse compositas: ac si rationibus, ergo ideis, id est, exemplaribus, ad quorum similitudinem ipsa ratio formas producit in ordinem, vt in artificialibus à formis ad rationes, ab ijs ad ideas, id est, exemplaria proficiscimur. *Ficin. in Plat. epist. 2.*

APOPHTHEGMA.

Attilius dicere solebat, sic adolescentes in foro auspicari à caosis centumuiralibus, vt pueri solent in scholis ab Homero, quod verumque sit maximum: cum oporteat paulatim, & per gradus ad id, quod summum est, peruenire. *Plin. ad Max.*

SIMILITVDINES.

Nazianzeni. Sane nequaquam rerum & ordinis apud nos laudo confusionem, quum aliquando peruerse à quibusdam præsidetur in gradibus: siquidem non omnes accusare audeo, neque visum est: obiter tamen legem laudo nautarum, quæ prius gubernatori remum in manus dat, indeque in proram deducit, & vlteriora concredit. Itaque eundem super gubernacula, cum multa maris experientia, & ventorum statuit cognitione. Pariter & in rebus fieri solet bellicis: miles sub initium quis efficitur, deinde ordines regit, tamdem etiam in ducem euadit, siquidem ordo ipse optimus est incipientibus pariter, & vtilissimus: res vero nostræ multum dignæ essent, si ita se haberent: nũc autem sanctissimus apud nos periclitatur ordo, ne præ rebus cunctis sit ridiculosissimus: non enim ex virtute magis, quam ex malitia oritur præsidentia, neq; digniorum, sed potentiorum sunt throni. Samuel inter Prophetas futura præuidens: sed & Saul deiectus. Roboam Salomonis inter reges: quin & Hieroboam seruus & desertor: At nec medicus, nec pictor vllus est, qui non prius ægrotantium considerat manus, aut colores temperat multos, & delineat figuras. Cathedra vero sine vllo acquiritur labore, non secus ac cum fabulæ gigantes fingunt: vnius diei sanctos facimus, ac sapientes esse iubemus eos, qui nulla præditi sunt sapientia, & qui nil ad gradum, præterquam velle, afferunt. Et hic quidem inferiorem amat locum, & humilis consistit, quum dignus sit sublimi, ac multum in literis exercitatus diuinis, multumque carnis ad spiritus domauerit subiectionem: alius vero sedet arrogans, superciliaque tollit contra meliores, nec tremit ob thronos, minus horret aspectum, modeste deorsum aspiciens: sed longe se viribus suis, & seipso se meliorem censet, male sentiens, ac sapientiam à potestate desumens. *In oratione funebri, in laudem Basil.*

Xenophontis. Quemadmodum lapides, lateres, ligna, & tegulæ inordinate quidem proiecta, ad nihil vtilia sunt: cum vero ordinentur deorsum ac sursum, quæ neque putrescunt, neque fluunt lapides: at testæ, in medio autem lateres, & ligna, tunc domus bene constructa dicitur: Sic in bello, licet multos habeat milites, parum tamen efficient, nisi iuxta arma, & munimenta corporis in ordinem colloces. *In lib. 1. de dictis & factis Socratis. Vnde mutuatus est Stobæus serm. 52.*

Themist. Qui crudo adhuc cibo nouum adijcit, sæpe atrophiam, seu maciem incurrit: Nec potest promouere ad maiora, qui neglectis prioribus properat ad posteriora. *In apoph. 70.*

Vide Decorum, Modestia, Temperantia.

O R I G O.

DEFINITIO, ET ETYMOL.

ORigo, originis, à verbo Orior, Genus, initium, stirps, fons, ortus: Græce γένεσις Hebr. *Makor.*

Origo, *2. Sam. 21. 20. Hebr. 9. 26. Apocal. 13. 8.*

SENTENTIAE PHILOSOPHOR.

Origo omnium fit, quando contigerit aliqua affectio, nimirum cũ principium acceptio incremento ad secundam transitionem venerit, & ab hac ad proximam, & ad tres vsque progressa sentientibus sensum exhibuerit, dum igitur sic transmutatur, & transmouetur, fit quidlibet quod fit. *Plato de legib. Dialog. 10.*

Origo æternarum rerum, & caducarum longe aliter dicitur, si quid mortalium authoritas, & origo illa est, quæ præcedit ortum cæterorum: at æternorum origo non in anticipatione temporis, sed in dignitatis eminentia consideratur. *Chalcidius in Platonis Timæum.*

Origo rerum simplex est, nec habet qualitatem, & si non æternam, ex aliquo tempore sit necesse est, & si hoc erit, causa quoque cur sit, præcedat ortum est necesse: Ita erit initio aliquid antiquius, sed hoc absurdum est: Ergo rerum origo æterna, & immortalis. *Chalcidius in Platonis Timæum.*

De obscura origine. DIAL. VI.

Francisci Petrarchæ.

DOL.

Origo non tantum humilis, sed obscura est. R. Vera & summa obscuritas vna est animi. Illam si mihi dempseris, pulchra sunt omnia. D. Male natus sum. R. Qui bene viuit, bene nascitur, bene moritur: At qui male vixerit, bene natus esse non potest. Nam quid refert, quam fulgido tramite cæcus incesseris, aut quid refert vnde venias, si in miseriam, & in culpam venis. D. In peccato genitus sum. R. Defles hoc quidem ille vir maximus. Et profecto nemo non in peccato nascitur. Consuete autem grauiora superaddere, quamquã nec his quoque purgatio sua desit, sed prima illa deformitas in ipso sæpe vitæ limine sacris vndis abluitur, omneusq; animam candor subit. D. Male me parentes genuere. R. Quid ad te? Quisquis male genuerit, fuisti, nisi alieno flagitio tuum iũgis. D. Fœdæ pudet originis. R. Iam quod alieno tumescitis, non miror, & alieno simul erubescitis. Et omnino vbique potius, quam in vobis, & bona, & mala vestra reponitis, quæ alibi tamen quam in vobis esse non possunt. Quod nisi pudendum ipse aliquid pœnitendumve egeris, quod tuum crimen, aut quis pudor, impudicus pater? tu modo ne paterni dedecoris hæreditatem adeas caue. At que illi dissimillimus hac in parte fieri stude, qui te ignarum genuit, inuito tibi suas maculas impressisse nõ potuit. In te fit, & ex te prodeat necesse est, vnde obscurus, aut clarus sis. D. Inhonestis parentibus in lucem veni. R. Omnis parens honestus filio videri debet, sed vt non verendus, sic sequendus omnis filio parẽs. Est vbi deseruisse consilium sit. Eia igitur in diuersum abi, si virtus est parens, deseri volet, seque nõ suum vitium amari oportebit. Vnus hic inuentus est modus, quo parentum nomen premere, & calcare gloriosum filijs, ac decorum sit viuendo aliter castius scilicet ac sanctius. De parentibus inhonestis lingua filij taceat, dissimilitudo vitæ, morum, actuum non taceat. Pulchra laus filij, cui à tergo dicitur: O quantum lene suo modestior adolescens? contraque nulla grauior senilis nota lasciuiæ, quã admota illi pudicitia iuuenilis: equidem si parentum gloria filijs male viuentibus onerosa est, quanto fasce verecundiæ filiorũ laus patrũ male viuentium premit infamiam? D. Damnata de Venere procreatus sum. R. Atqui male debes impudici patris honestus filius esse, & dici, quã honesti impudicus. In omni enim seu laude, seu vituperatione illa præcipue æstimanda sunt, quæ cuiusque sunt propria. De alieno nemo iuste reprehẽditur, seu laudatur. Et si, vt dixi, vestrũ, quicquid, id est, conspectius fit suo contrario admotũ. Cæterũ, vt cuiusque propria laus aut infamia est, sic laudis, aut infamiæ ꝓpria causa sit oportet. Neque vero vt vnius gladio aliter perit, neque vnius flãmia res alterius vritur, sic vnius culpa, etiã fama perit alterius, eoque animi bona solidiora sunt, quam corporis aut fortunæ, vt inuito nequeãt possessore violari. D. Cõtra fas contraque leges genitus sum. R. Nil tu contra leges, sed parentes tui egerunt, tu secundum leges age omnia. In hoc quidem nullum penitus tuum crimen fuit, de ortu tuo alij, tu de moribus tuis rationẽ reddes. Et quamuis odio vagæ libidinis in immerentes filios vlno legum ciuiliũ extendatur: Deus tamẽ quẽque suis floribus metitur. Nec filij iniquitatem patri imputat, nec filio patris. Ipsam quoque philosophiam iudicare aliter solitã, quã leges ab ipsis Philosophis accepisti. Legibus ergo oppressus diuino simul ac Philosophico iudicio releuatus, habes animum, vnde solens, neque enim tibi vt priuati patrimonij, sic publicæ

virtutis hæreditas interdicta est. Illa enim institutis hominum, hæc meritis datur, & antequam nascereris, vt nil gloriæ, sic profecto nihil infamiæ meruisti. D. Origo illicita, & incesta est. R. Quid de incestu, quidve de adulterio nasci queat, indicio sunt Romulus, & Alcides. Perses Macedoniæ, Iugurtha Numidiæ rex fuit, vterque legitimis fratribus regno exclusis, malo quidem more pessimisque artibus, sed exclusis tamen. Alexander Macedo Philippi dictus, cuius vere sit creditus, audisti. Denique Philippum extremo vitæ Alexandrum non suum filium prædicare solitum. Idque sibi vltro confessam Olympiadem, hancque ob causam repudio dimissam scriptores rerum prodidere. Constantius ipse ex concubina genitus licet insigni, præ legitimis fratribus ad imperium venit. Adderem his Arturum regem, nisi quod historijs miscere fabulas nihil est aliud, quam mendacio, veri fidem minuere. Ad summam vero non est, quod te deijciat origo. Vndecunque ortos virtus extulerit, satis est gloriæ. D. Male natus sum. R. Bene viue, bene morere, qualiter natus sis, nec tuum est, nec meminisse quidem potes. nec magnopere inquiras, quod ad te non pertinet, nisi forte vt humilior mitiorque, aut vt modestior sis. D. Turpiter natus sum. R. Morum candor, & claritas vitæ non maculas modo, sed memoriam omnem fœdæ originis delebunt. Hoc remedium dum licet arripe, aliud mihi crede nullum est. D. Pudet infamiam parentum. R. Pone hunc pudorem. Vnus omnium pater, Deus. Vna omnium mater terra.

De origine generosa. DIAL. XVI.

GAVD.

Origo generosa est. R. Rursum mihi redis ad ineptias, quid ad te? G. Propago vetus, & gloriosa est. R. Alieno gloriari ridiculosa iactantia, auorum merita nepotum degenerantium notæ sunt, nec aliud magis posterorum maculas aperit, quam maiorũ splendor, ac gloria. Sæpe alteri eminentiorum virtus alterius tulit. Verã laudem, o si de proprio sumpseris, ab alio non expectes. G. Magna est nobilitas antiquorum meorum. R. Mallem per te alij, quã tu per alios noscereris. Verum age aliquid & tu, vnde sis nobilis. Nam & illi, nisi aliquid egissent laude dignum, numquam nobiles fuissent. G. Multa sanguinis est claritas. R. Omnis propemodum sanguis est concolor: sicubi forte alter altero clarior inuentus sit, non id nobilitas efficit, sed sanitas. G. Magna est claritas parentum. R. Quid si maior obscuritas tua est? Corpus semper, & patrimonium sæpe à parentibus accipiris, claritatem qui habet, raro in filium transfert, & qui nõ habet, aliquoties in filio illam videt. Quantum patre clarior Cæsar, quantum obscurior Africani filius? Qui, si per manus tradi claritas posset, quam clarus futurus esset, intelligis. Sed amare illum potuit pater, illustrare non potuit. Infinitam suæ lucis eclipsin passus in filio. Sic quod preciosissimum habet hæreditas iudicio testantis eximitur, nec nisi de vilissimis rerum est tanta illa solemnitas testamenti. Mille ego nunc tales clarissimorum hominum obscurissimos hæredes enumerem, si vacet, & si expediat, summam tenes. G. Ingens claritas gentis est. R. Nil tibi amplius ea claritas præstabit, quam vt latere nequeas, si velis. Ita in primis iucundissimum tibi vitæ latibulum, & secretus rerum tamen eripitur. Quicquid ages, erit vulgi fabula. Qualiter domi viuas, & quid cœnes, noscet vicinorum studium. & veluti exploratores ad te patet aditusque remiserint, sic totum rei familiaris arcanum, & quotidiani victus ratio. Quid cum filijs, quid cum seruis, quid denique cum vxore? & ad vnum actus omnes, ac verba de rebus licet minimis inquirentur, quoque altius stomacheris, ab ijs maxime, quorum nihilo intererit. Hic igitur tuæ claritatis est fructus, neque si vel modicum aberres, dedecus genus, & monstrari desertor itineris longe inexcusabilis habeare, hoc est enim suum, ac perpetuum gentilitiæ claritatis, reliqua illa communia vndecumque partum decus infestant quoniam difficile est clara recondere. G. Clarissime natus sum. R. Stulte, claritas non nascendo quæritur, sed viuendo: sæpe etiam, quod miraberis, moriendo. G. In multa luce natus sum. R. Turpitudinem caue, quæ obiectu lucis insignior fit, atque cõspectior. Id ni feceris, in tenebris natum fuisse melius foret. Adulteri, & fures. & omnis turpium cohors tenebras quærunt. Sola lucem non refugit fœda hæc, & falsa nobilitas, cognoscitque apparent, cui vnum vitandæ infamiæ consilium sit nesciri. G. Antiqua nobilitas est generis. R. Antiqua igitur virtus fuit, sine qua vera nobilitas non est. G. Peruetusta nobilitas est. R. Vetustas nimia claritatem rebus eripit, & parit obliuionem. Quot fuerunt nobiles familiæ, quarum hodie memoria nulla est? Quot tu ipse florentissimas vidisti, quæ paucis annis ferme ad nihilum rediere? Vide præsagium facias de his modo florentibus, deque his nunc primum erumpentibus, caputque tollentibus. Omnia tempus imminuit, consumitque. Senescunt non modo familiæ, sed vrbes, mundus ipse (ni fallimur) ad extremum vergit. Tu qui vetustate gloriaris, vide, ne gloriam ipsa vetustas extinxerit, neu iam radix aruerit, cuius floribus ornari. Omne, quod in tempore oritur, cum tempore occidit. Vestraque nobilitas tempore incipit, tempore desinit, & quam longa dies peperit, longiorque abstulit, longissima subruit. Fieri potest, vt qui te nobilem fingis, esse desieris, esses forte nobilior, si ferius incepisses. G. Inueterata nobilitas est. R. Inanis ambitio, nec suo merito, sed aliorum obliuione subnixa. Confusa nempe sunt omnia, & perplexa successionũ series. Hæc interea vbi accidit, nõ nobilior vt esses, sed ignotior. Origo cunctorum vna est. Vnus parens humani generis, vnus fons vniuersorum, qui vicissim modo turbidus, modo nitidus ad vnumquemque vestrum peruenit. Ea lege, vt quod paulo ante clarum erat, mox obscurum fiat, quod obscurum, clarum. Ita nõ de fonte dubitatio est, sed quibus alueolis hæc clari sanguinis (vt dicitis) ad vos vnda profluxerit. Hinc est, vt qui heri arabat, hodie militet, & qui per vrbes medias ardentem cornipedem aureis habenis regere solitus, superbus incesserat, per squalentem campũ pigros boues humili pugione sollicitet, verumque Platonicum illud liber opinari, neminem regem non ex seruis ortum, neminem seruum non ex regibus. Ita vero vicissitudo hæc, & conditio statuum humanorum variabilis, atque inconstans est, vt inextricabilis quoque sit semel & plures, ne mireris, si vel arator ad militiam, vel miles redeat ad aratrum. Ingens rerum mortalium rota est. Et quia tractus est longior, breuis hunc vita non percipit, quod nisi sic esset, & ligones regum, & agrestium diademata cernerentur. Nunc hominum memoriam occuparam intentamque alijs tempus fallit. Et hæc est illa tota vestra nobilitas, qua tumidi, elatique incedītis, vanum genus. G. Auorum clara prosapia est. R. Quousque vagaberis? de te agitur. Tu mihi nescio quos in tuũ locum substituere niteris, qui pro se forte aliquid, pro te nihil, nisi ipse tuis rebus causam instruxeris, responsuri sint. Proinde aut illi, vel proaui clari fuerint, tum scilicet, dum è vulgari acie virtutum sese alijs attollere cœperant. Ea nobilitas radix vltima, sed perge altius, exquire acrius proauorum atauos, obscuros inuenies, & ignotos: ad summam hæc nominum, atque imaginum claritas, & perbreuis est, & quantulacumque est, tua certe non est. Desine igitur tuum nomen alienis inumbrare virtutibus, ne vnoquoque suum reposcente, nudus ipse de proprio rideare. G. Nobilis sum. R. Quantum sit nobilior rusticus vir fortis, quam ignauus nobilis, scies quum libraueris, quanto sit melius nobilitatem fundare, quam euertere. Si exemplis eges, domi militiæque affluunt, passimque legentibus occurrunt, vt per te ipsum melior censorque reliquorum fias, ex omnibus duo paria hominum expendisse sufficerit. Altera igitur in lance Marium & Tullium, in altera horum aduersarios Aulum & Clodium constitue, quo examen vergat, & quantum Roma cedat Arpino, quis tam cæcus, vt non videat. G. Nobilis natus sum. R. Iam dixi. Verus nobilis non nascitur, sed fit. G. Insignis nobilitas saltem illa vulgaris à parẽtibus est relicta. R. Ipsa claritas non nascendo quæritur, sed viuendo. Vnum hic quoque bonum video. Familiaria virtutum exempla non deerunt, & domestici Duces, quorum pudeat deseruisse vestigia, id si laui finis, quid nisi famosum. & difficile malum est nobilitas? Nescio autem, quomodo difficilior est suorum imitatio, quam exterorum, forte ne videantur hæreditarium bonum virtus. Non libens dico, sed res ipsa loquitur. Raro excellentis viri filius excellens fuit.

Vide Familia, Nobilitas.

ORNATVS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

ORnatus, siue ornamentum, Græce *κόσμος καὶ κόσμησις*, ortro dicitur. Ornatus autem & deliciæ sunt necessarij tripliciter, scilicet propter infirmitatem, consuetudinem, & dignitatem. *Ex B. Thom 4. Sent. dist. 15. q. 2. art. 3.*

Ornatus, *κοσμιότης*, est vestitus cultusque corporis, qualis nos pro ratione personæ decet, moderatio; ne quid sordidum, vel lasciuum, vel affectatum, in eo insit, vel appareat. *1. Timot. 9. & 1. Petr. 3. 3. 5.*

Ornatus virorum, & mulierum mensurandus est ad modum & mensuram personæ, & ad intentionem. Si enim mulieres portant ornamenta decentia secundum statum, & dignitatem suam, vt moderate se habeant in factis suis, secundum cõsuetudinem patriæ, erit actus virtutis modestiæ: quæ ponit modum in incessu, statu, habitu, & in omnibus moribus exterioribus, & poterit esse meritorius, si fit cum gratia. Similiter si fit, vt placeat viro suo, vel alijs mulieribus. *Ex B. Thom. super Esa. c. 3 in fi.*

Mulier & vir ornans se vt prouocet alios ad concupiscentiam, peccat mortaliter: Non autem semper, si ex leuitate, vel vanitate propter iactantiam. *Ex B. Thoma, Secunda Secundæ, quæstione 189. articul. 2.*

Auerte faciem tuam à muliere compta, & nec circumspicias speciem alienam. *Eccles. 9.*

Amictus

Amictus corporis, risus dentium, & incessus hominis enunciant de homine. *ibid.* 19.

Vir si comam nutriat, ignominia est illi. 1. *Cor.* 11.

Mulierum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri. 2. *Petri* 3.

PATRVM SENTENTIAE.

Nolo, vt de ornamentis auri, vel vestis properam habeas in prohibendo sententiam, nisi in eis, qui neque coniugati sunt, neque coniugari cupientes, cogitare debent, quo modo placeant Deo. *Aug. ad Possido.*

Animaduertendum est non in solo rerum corpore earum nitore, atque pompa, sed etiam in ipsis sordibus lutosis esse posse iactantiam. & eo periculosiorem, quo sub nomine seruitutis Dei decipit. *lib. de serm. Dom.*

Quanta amentia est, effigiem mutare naturæ, picturam quærere? tolerabiliora propemodum in adulterio crimina sunt: ibi enim pudicitia, hic natura adulteratur. *ibid.*

Ornamentorum, ac vestium insignia, & lenocinia formarum non nisi prostitutis, & impudicis fœminis congruunt, & nullarum fere preciosior cultus est, quam quarum pudor vilis est, &c. *Cypr. lib. de habitu virginum.*

Vince vestem, quæ virgo es. quæ Deo seruis: vince aurum, quæ carnem vincis, & sæculum. Nec monilium, aut vestium quære ornamenta, sed morum. *ibid.*

Fœminæ manus Deo inferunt, quando id, quod ille formauit, reformare, & transfigurare contendunt: nescientes, quia opus Dei est omne, quod nascitur, Diaboli quodcumque mutatur. *ibidem.*

Mulierum ornamentum est morum probitate, & eleganda florere, domi vt plurimum manet, colloquium cum diuinis oraculis habere, fuso ac lanæ operam dare, ancillis opera mandare, seruos vitare, labijs, oculis, genis vinculum inijcere, pedem limine non ad modum frequenter efferre, pudicis quidem omnibus mulieribus delectari: cæterum eo duntaxat viro contentam viuere, qui tibi legitimo matrimonio virgineam zonam soluit. *Greg. Nazianz. aduersus mulieres ambitiosius sese ornantes.*

Deles picturam Dei, mulier, si vultum tuum materiali candore oblinias, si exquisito rubore perfundas. *Ambros. in hexamer.*

Collum catena constringit, pedes compedes includunt: nil refert, an corpus auro ligetur, an ferro. Si ceruix premitur, si grauatus incessus, nil precium iuuat: nisi quod vos mulieres estis miserabiliores, quam qui publico iure damnantur. Illi optant viuos ligari, mulier sic ornata, est domus omnium dæmonum infernalium. *lib. 1. de virg.*

Neglecta decoris cura plus placet: & hoc ipsum, quod non ornamus, ornatus est. *ibid.*

Decor corporis non sit affectatus, sed naturalis, simplex, neglectus magis, quam expeditus, non preciosis, & albentibus adiutus vestimentis, sed communibus, vt honestati, vel necessitati nil desit, nil accedat nitori. *de Offic. lib. 1.*

Vestes pullas æque deuita vt candidas: ornatus & sordes pari modo fugiendi sunt: quia alterum delicijs, alterum gloria redolet. *Hier. in epist. ad Nepot.*

Inter sericum, & linteamina, quibus tibi videris fulgidus, & formosus. intellige te nudum, conscissum, sordidum, mendicantem. *In epist.*

Quid dicam de his. qui ambiunt sacerdotium? quibus cura est, vt vestes bene oleant: vt pes laxa pelle non sordeat: quibus vt crines calamistro rotentur: quibus vt digiti annulis radient, & si via humidior fiat. vix in eam vt pedes vestigia imprimant? *Ad Eustach.*

Si vir vel mulier se ornauerit, & vultus hominum ad se prouocauerit, etsi nullum inde sequatur damnum, iudicium tamen patietur æternum: quia venenum attulit, si fuisset, qui biberet. *Hieronymus.*

Sunt nonnulli, qui cultum subtilium preciosarumque vestium non putant esse peccatum, quod videlicet, si culpa non esset, nequaquam sermo Dei tam vigilanter exprimeret, quod diues, qui torquebatur apud inferos, bysso & purpura indutus fuisset. *Gregor. in homil.*

Quod pro sola inani gloria vestimentum preciosius quæritur, res ipsa testatur: quia nemo vult ibi preciosis vestibus indui, vbi ab alijs non possit videri. *Ibid.*

Quid de habitu dicam? in quo iam non calor, sed color requiritur: magisque cultui vestium quam virtutum insistitur: pudet dicere: Vincuntur in suo studio mulierculæ, quando à monachis precium affectatur in vestibus, non necessitas. *Bernard. super Passus est.*

Serico & purpora indutæ, Christum sincere induere non possunt, auro & margaritis adornatæ, & monilibus, ornamenta mentis, & corporis perdiderunt. *Cypr. lib. de habitu virginum.*

Superbus vt magnificus videatur, satagit vestiri duplicibus, indui mollibus, preciosis ornari: sed quid aliud est, ò homo? preciosior ornatus, quam sepulchrum foris dealbatum, intus autē spurcitia? Hyacinthus, purpura, & crocus, & byssus in limo putrescunt: aurum & argentum, lapides & gemmæ in luto sordescunt. Dignitas & potestas in puluere, honor, & gloria male sedent in cinere. *Innoc. de vilitate condit. humanæ.*

Absit, vt adulterinus color comparabilis sit natiuo. Quinimo quum facies adulterino colore fucatur, os abominabili fœtore corrumpitur. Vniuersa vanitas omnis homo viuens. Quid enim vanius, quam crines pectere, plantare cæsariem, tingere genas, vngere faciem, producere supercilia: quandoquidem vana est gloria, & vana pulchritudo: omnis caro fœnum, & omnis gloria eius tamquam flos agri. *ibidem.*

POETICAE SENTENTIAE.

Ouid. epist. Phædræ ad Hippolytum.

Sint procul à nobis iuuenes vt fœmina compti,
Fine coli modico forma virilis amat.

Idem lib. 2. de arte amandi.

Forma viros neglecta decet.

Ibidem.

Munditia placeant, fuscentur corpora campo,
Sit bene conueniens, & sine labe toga,
Linguaque nec rigeat, careant rubigine dentes,
Nec vagus in laxa pes tibi pelle natet.
Nec male deformet rigidos tonsura capillos:
Sit coma, sit docta barba resecta manu.
Et nihil emineant, & sint sine sordibus vngues,
Inque caua nullus stet tibi nare pilus.
Cætera lasciuæ faciant concede puellæ,
Et si quis male vir quærit habere virum.

Ibidem.

Sed tibi nec ferro placeat torquere capillos,
Nec tua mordaci pumice crura teras.

Most.

Postea, nequicquam exornata est bene, si morata est male.

Idem Pœo.

Bono ingenio me esse ornatam, quam auro malo.
Aurum in fortuna inuenitur, natura ingenium bonum.
Bonam ego, quam beatam me esse minime dici mauolo.
Meretricem pudorem gerere magis decet, quam purpuram,
Magisque meretricem pudorem, quam aurum gerere condecet.
Pulchrum ornatum turpes mores peius cœno collinunt.
Lepidi mores turpem ornatum facile factis comprobant.

Propert. 1. 2.

Quid iuuat ornato procedere, vita, capillo,
Et tenues Coa veste mouere sinus?
Aut quid Orontea crines perfundere myrrha,
Teque peregrinis vendere muneribus?
Naturaque decus mercato perdere cultu,
Nec sinere in proprijs membra nitere bonis?
Crede mihi, non vlla tua medicina figura est.
Nudus amor formæ non amat artificem.

Ouid. de med. faciei.

At vestræ teneras matres peperere puellas,
Vultis inaurata corpora veste tegi.
Vultis odoratos positu variare capillos,
Conspicuas gemmis vultis habere manus.
Induitis collo lapides Oriente petitos,
Et quantos, onus est aure tulisse duos.

Ter. Heaut. 2. 1.

Nosti mores mulierum:
Dum moliuntur, dum comuntur, annus est.

Ouid. 1. Remed.

Auferimur cultu: gemmis, auroque teguntur
Omnia: pars minima est ipsa puella sui.
Sæpe. vbi sit quod ames inter tam multa requiras;
Decipit hac oculos Ægide diues amor.

SENTENTIAE PHILOSOPH.

Nosti Romuli casam, dic potius illud humile tugurium. Sed nempe virtutes recipit, & omnibus templis formosius est, cum ibi iustitia fuerit, continentia cum prudentia, cum pietas omnium officiorum, cum recte dispensatorum ratio, cum diuinorum, humanorumque scientia: nullus locus angustus, qui hanc magnam virtutum turbam capit, nullum exilium graue, ire cum hoc comitatu libet. *Seneca ad Helbiam.*

In cultu obseruandum est, quod à forma remoueatur omnis viro non dignus ornatus. *Cicero.*

Adhibenda est autem munditia non odiosa, neque exquisita ni-

mis, tantumque fugiat agrestem, & inhumanam negligentiam. *Idem.*

Omnium istarum pulchritudinem contemnes, si expoliaueris. Equum empturus, solui iubes stratum: detrahis vestimenta venalibus, ne qua vitia corporis lateant: ornamenta ipsa emendibus suspecta sunt: siue crus, siue brachium aspiceres alligatum, nudari iubet ... & ipsum corpus ostendi. Mulierem inuolutam aestimas: si vis illam aestimare, totamque scire, qualis sit, faciem solus, multum mali sub illa latet. *Sen. 81.*

Adolescens, si tecum tunc is ornamentis te ornaueris, iniuriam facere cogitas. *lib. de moribus.*

A P O P H T H E G M A T A.

Crates dicebat, ornamentum esse id, quod ornat. Ornat autē, quod honestiorem mulierem facit: talem vero praestat non aurum, non smaragdus, non coccus, sed quaecumque grauitatis, moderationis, & pudoris specimen adhibent. *Stob. serm. 32.*

Hyperides. Domi, inquit, coram viro licet uxori ornare se vt lubet: ornamenta autem, quae foris, egressura domum, non ad maritū, sed ad alios spectant. *Stob. eod. serm.*

Democritus. Sermo parcus mulierem ornat, & ipsius ornamenti parcitas (inquit) est decora etiam.

Theophrastus. Mulier, inquit, nec alios videre, nec ipsa videri debet, praesertim, quae eleganter ornata fuerit, vtrumque enim ad res inhonestas incitamentum est. *Ibid.*

Diogenes ad quemdam iuuenem supra modum sese ornantem: siquidem, inquit, ob viros, infelix es: sin ob mulieres, iniurius. *Stobaeus serm. 78.*

Vide Superbia. Item Luxus.

O S C V L V M.

DEFINITIO, ET ETYMOL.

Osculum, q. d. os contractum, amoris indicium, τὸ φίλημα, Hebraicè *Nesichah*, & plur. *Nesichoth*, à verbo *Nashak*, Osculatus est, infixit osculum.

L o c i B i b l i c i.

Osculum sanctum, & pudicum charitatis symbolum, *Gen. 5. 29. 13. & 45. 15. & 48. 10. & 49. 34. Exod. 4. 27. Luc. 15. 20. Act. 20. 37. Rom. 16. 16. 1. Cor. 16. 20. 2. Cor. 13. 12. 1. Thess. 5. 26. 1. Pet. 5. 14.* Osculo salutandi ritus Orientalibus familiaris, cuius & Apostolus locis citatis meminit.

A P O P H T H E G M A.

Maximinus Imper. numquam ad oscula pedum quemquam admisit, dicens: Dij prohibeant, vt quisquam ingenuorum pedibus meis oscula figat.

E x e m p l a b i b l i c a.

Osculi sancti, & minime fucati *exempla:* Abraham, *Gen. 27. 27.* Iacob, *29. 11.* Laban, *31. 55.* Esau, *33. 4.* Ioseph, *45. 15. & 50. 1.* Aaron, *Exodi 4. 27.* Iethro, *18. 7.* Noemi, *Ruth 1. 9.* Orpha, *v. 14.* Samuel, *1. Samuel. 10. 1.* Dauid, & Ionathas, *20. 41.* Dauid, *2. Sam. 14. 33. 39.* Absalon, *15. 5.* Eliseus, *1. Reg. 19. 20.* Darius, *3. Esdr. 4. 47.* Raguel, *Tob. 7. 6.* Gabuelus & iunior Tobias, *9. 8.* parentes Sarae, *10. 12.* parentes Tobiae, *11. 11.* Assuerus, *Esth. 15. 15.* Mulier peccatrix, *Luc. 7. 38.* pater Acolasti, *15. 20.* Fideles, *Act. 20. 37.* Osculum fictum, periculosum, *Prou. 27. 6.* Osculum proditori praetextum, aut osculum proditorium *exempla:* Ioab, *2. Sam. 20. v. 9. 10.* Iudas Iscariotes, *Matth. 26. 49. Marc. 14. 45. Luc. 22. 44.*

Vide Amor Venereus, Luxuria.

O S T E N T A T I O.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Ostentatio, Graecè ἐπίδειξις, & ἀλαζονεία. *rect.* ostentator, ἀλαζών, ostento dicitur. Sumitur autem ostentatio pro iactantia, & inani gloria. Venit autem ab ostento, quod significat saepe, & cum iactantia quadam ostendo, à quo descendit. Ostendo vero componi videtur ab ore, & tendo, quoniam os in id solemus extendere, quod volumus demonstrare. Ab ostento pariter fit ostentum.

A P O P H T H E G M A T A.

Aristippus. Quemdam sibi vehementer placentem, de natandi peritia, non vt ait Aristippus: Et non te pudet, inquit, tam insolenter his de rebus iactare, quae Delphinum sunt propria? Lepidius erat, si dixisset, ranarum. Decet hominem gloriari super his, quae sunt hominis propria: Nihil autem magis conuenit homini, quam ratione pollere. Nullus tam peritus natator est, quo à Delphinis superetur. *Laert. lib. 2. c. 8.*

Antalcidas. Cum Atheniensis quidam Lacedaemonios appellaret indoctos: Soli igitur nos, inquit Antalcidas, nihil mali à vobis didicimus. Sensit, artes quibus se iactabant Athenienses, magis ad ostentationem, otium ac voluptatem esse accommodatas, quam ad Rempublicam gubernandam, ad quod nulla disciplina deerat Lacedaemonijs. *Plutarch. in Lacon.*

Augustus Caes. Miles quidam in expeditione saxo percussus, notabilique in fronte cicatrice desormatus, quoniam homo suo ... re erat insignis, immodice sua gesta iactabat. At eius ostentationem Augustus leniter castigauit, inquiens, vide ne quando fugiens post te respexeris. Subindicās fieri posse, vt vulnus quod curiosius ostentabat, non in praelio, sed in fuga accepisset. *Macrob. 2. Saturnal.*

Ludouicus XII. Galliae rex. audiens Beauncenses, & Pictonēs quosdam, ignauos & imbelles homines, de nobilitate sua, cum alijs vere nobilibus gloriari: atqui (ait) decem illustrismodi nobilibus, vnicus ensis satis superque fuerit. *Annal. Franciae.*

S i m i l i t u d i n e s.

Epicteti. Quemadmodum oues non herbam euomunt, sed pastoribus quantum comederint, ostendunt, & cibum intus concoquentes, vellera suppeditant, & lactis copiam: Ita vir sapiens nequaquam per ostentationem speculationes suas ineruditis publicabit, sed ex his coctis opera. *In Enchirid. 51.*

Plin. Chamaeleon maximum habet pulmonem, & nihil aliud intus: Ita quidam praeter ostentationem, & ventosam iactantiam nihil habent. *lib. 11. c. 32.*

Politian. Quemadmodum oues in pascua dimissae minime apud pastorem suum gloriantur vespere, multo se pastas gramine, sed lac et assatim vellusque praebent: Ita nec quisquam praedicare debet, quantum didicerit, sed quod didicerit, afferre in medium. *In Lamina.*

P. M. Sicuti terra, quae venas aquarum occultat, nebulam quamdam exhalat ante solis ortum, longius intuentibus: Ita qui vere boni sunt, & eruditi: etiamsi non ostentent, tamen semper aliquid ex se prodont, vnde qui obseruet, deprehendere possit subesse vim boni. *In Simili.*

Vt vasa plena sidunt, inania fluitant: Ita qui veris virtutibus, aut literis est praeditus, minus ostentat se, quam qui secus. *In Simil.*

Animantia quibus longa sunt crura, eisdem longum est collum oportet: Ita qui magno strepitu student viuere, longius capiant necesse est, vnde suppetat sumptus. *In Simil.*

Vt sol, quo minus in alto est, hoc minores iacit vmbras, quo terrae propinquior, hoc maiores puta mane ac vespere: Ita virtus quo maior est, & excelsior, hoc minus videri cupit, minusque sese ostentat: contra qui minus ipsi re valent, magis sese ostentant ostentatione. *In Simil.*

F a b v l a.

Canis venaticus, & Molossi domestici.

Ceperat venaticus canis leporem, cum, quamuis esuriens, gloriose iactaus verbis celeritatem suam, detulit domum ad molossos, cu ... & aedium: illi vero leporem eripuere ostentatori, & iurer se discerpsere.

Fabula contra ostentatores dicitur, nam bona tegere saepe prodest. Quamuis enim recte dicatur, nullum esse vsum occultae Musicae: tamen & hoc verum est, qui sapit, in tacito gaudeat ille sinu. Et hoc Horatium:

> *Tacitus pasci si posset coruus, haberet*
> *Plus dapis, & rixae multo minus inuidiaeque.*

Vide Iactantia.

O S T E N T V M.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Ostenta, τέρατα ostentum, τέρας. Hebr. *Mopheth.* ab ostendo, quod insignia quaedam futura suo tempore, diuinitus designata demonstret indicijs miris velata.

Vocantur

Vocantur Ostenta non tantum errata naturæ, vt sunt partus insoliti, sed quæcumque nouata specie, & ab vsitatis rerum formis aliena, offeruntur, quæve vniuersim a communi, & constituta diuinitus rerum progressione, ac cursu, deuiant: non magnitudinis, aut qualitatum excessu defectuve, nec tempore, sed toto genere, siue in mundi ætherea sede, & clauore, siue in hoc elementari domicilio, adeoque vel ipsis elementis, vel procreatis inde rebus.

Ex ostentorum genere fuerunt signum retroactæ vmbræ sub rege Ezechia, stella toti humano generi exorta Christo nato, & à sapientibus Arabum visa, atque diligenter obseruata. *Matth.2.*

Apophthagmata.

M.Cato. Quidam mane surgens, reperit caligas à soricibus arrosas, hoc ostento turbatus, consuluit Catonem, quid mali portenderetur? Ille vero: Non est, inquit, ostentum, quod sorices arroserunt caligas: sed si caligæ arrosissent sorices, id demum fuisset ostentum. *Plut.*

Sylla, carens rebus necessarijs, quum cogeretur etiam Dijs dicata tangere, Caphini amicum Delphos miserat, vt pecunias, ac donaria ad se perferret. Quibusdam vero dicentibus, intra templum auditum cytharæ sonitum: quod ostentum interpretabantur, quasi Apollo cythareedos indignaretur, Caphis audita perscripsit Syllæ, cui facete rescripsit Sylla: Quin tu potius interpretaris illud esse signum gaudentis, & exultantis Dei potius, quam indignantis? Itaque perinde vt Deo hilariter tribuente, tu quoque bono animo pecunias accipe. *Plut.*

Vespasianus, quum Cæsareum Mausoleum repente patuisset, & stella crinita apparuisset, alijs interpretantibus, Cæsaris interitum portendi: ille facete interpretatus est prius ostentum ad Iuliam Caluinam pertinere, quod ea esset de gente Augusti, posterius ad Parthorum, siue vt Aurelius Victor tradit, Persarum regem, qui capillatus esset. *Sueton.*

Vide Monstra, Portenta, Prodigia.

OTIVM, OTIOSITAS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

OTiositas, Græce σχολή, ἀπραγμοσύνη, vel ῥᾳθυμία, dicitur. Est autem otiositas, quum quis quiete necessaria saluti corporis accepta, vacat ab aliquo opere spirituali, vel corporali: & est filia Acediæ. Otium est vacatio à labore, cuius contrarium negotium est. Aliquando otium pro literarum studio capitur.

Otium proprie dicitur vacatio à labore, cui negotium opponitur. Accipitur etiam pro exercitatione leuiore animi, vel corporis, à grauioribus, & magis serijs negocijs. Inde dictum illud Ciceronis, Quid dulcius est otio literario. Item sumitur pro quiete, pace, tranquillitate. Hebr. *Schebeth*, cessatio, requies, Sabbathum, à verbo *Schabath*, cessauit, quieuit à motu, & opere. Vide *Quies*, & *Sabbathum*.

Loci Biblici.

Ocium vitandum, *Prou.6.v.6.9 & 10 v.4 & 26.12.&11. & 41.4. & 20.4. & 28.19. & 31. & 27. Eccl.11.6. Ephes.4.28. 1.Thess.4.15. 2.Thess.3.50. Tit.3.14.*

Sententiae Biblicae.

Multam enim malitiam docuit otiositas. *Eccles.33.*

Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis, & abundantia: & otium ipsius, & filiarum eius, & manum egeno, & pauperi non porrigebant, & eleuatæ sunt, & fecerunt abominationes coram me, & abstuli eas. *Ezech.16.*

Cum autem dormirent homines, venit inimicus eius, & superseminauit zizania in medio tritici. *Matth.13.*

Otiosas viduas deuita, quia discunt circumire domos: Imo & non solum otiosæ, sed & verbosæ, & curiosæ, loquentes quæ nõ oportet. *1.Tim.5.*

Qui congregat in messe, filius sapiens est: qui autem stertit æstate, filius confusionis. *Prou.10.*

Sententiae Patrum.

Nullus fructus otij, imo magis dispendium. Otiosus Esau amisit primatus benedictionem, quia maluit cibum accipere quam quærere. *Aug. in epist. ad Ver.*

Nihil in sancto proposito otio deterius est, quod non solummodo non acquirit noua, sed etiam peracta consumit, sanctæ vitæ ratio processu gaudet, & crescit: cessatione torpescit, & deficit: quotidianis ac recentibus virtutum incrementis instauranda mens est, & viuendi hoc iter non de transacto, sed de reliquo metiendum. *Hieron. ad Demetr.* *Polyanthea Noviss.*

Otium parit fastidium, exercitium famem, fames autem miro modo dulcia reddit, quæ fastidium facit insipida. *In epis.7.*

Otiosum verbum est, quod sine vtilitate loquentis, & audientis dicitur: qualia qui de rebus friuolis dicitur, & fabulas antiquas narrat: cæterum qui scurrilia replicat, & cachinnis ora dissoluit, & aliquid turpitudinis profert, hic non otiosi verbi, sed criminosi tenebitur reus. *In Matth.5.*

Aliquid operis facito, vt te Diabolus inueniat occupatum, non enim facile capitur à Diabolo, qui bono vacat exercitio. *In sermone.*

Omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die iudicij. Otiosum quippe verbum est, quod aut vtilitate rectitudinis, aut iustæ necessitatis caret. *Gregor. in homilia 6.*

Numquam Dei amor otiosus est, operatur enim magna, si est: si vero operari renuit, amor non est. *Ibid.*

Ab otiosis ad noxia verba, à leuioribus ad grauiora venimus. *In past.*

Otiosa mater est nugarum, & nouerca omnium virtutum. Ipsa enim est, quæ virum fortem fortissime præcipitat in reatum, facit ei suffocare virtutem, & viam construere ad gehennam. *Bernardus in sermone.*

Sapientiam scribe in tempore otij: ergo sapientiæ otia negocia sunt, & quo otiosior sapientia, eo exercitior in suo genere. *Super Cantic.*

Non dormientibus prouenit regnum cœlorum, nec otio, & desidia torpentibus beatitudo æternitatis ingeritur. *Prosper. de vi contempl.*

Mens otiosa nihil aliud cogitare nouit, quam de escis, aut quam de ventre. *Leo Papa in sermone.*

Natura quidem humana, sicut duris laboribus instruitur, ita per otia torpentia fatuatur. *Ioan. Cass. lib.10.*

Otium, quod industriæ, & studio maxime contrarium videtur, præcipue subnecti debet; non quo euanescit virtus, sed quo recreatur. *in epist.*

Sententiae Poeticae.

Ouid.1.Pont.6.

Cernis, vt ignauum corrumpant ocia corpus?
Vt capiant vitium, ni moueantur, aquæ?
Et mihi si quis erat dicendi carminis vsus,
Deficit, estque minor factus inerte situ.

Lucan.

Variam semper dant ocia mentem.

Ouid.1.Pont.5.1.

Ocia corpus alunt, animus quoque pascitur illis:
Immodicus contra carpit vtrumque labor.

Baptista Mantuan. Parthen. lib.1.

Calcar erit segni pigros rubigine sensus
Ocia corrodunt, somnaque pectora torpor
Noxius obliquat ferrum si transit in vsus,
Assiduo splendore micat vultuque nitentes,
Audet ad argenti Deus afforare superbum,
At si longa quies iners, fuscatur, & atram
Vertitur in scabiem, celerique absumitur æuo.

Pictorius Poeta in Epigram.

Quo te cumque die nil sancti egisse videbis,
Hunc tibi vel penitus deperijsse puta.
Ista nec in minimis pœnas dispendia damnis
Ære potest nullo vel breue tempus emi.

Catullus ad Lesbiam.

Ocium Catulle tibi molestum est:
Otio exultas, nimiumque gestis:
Ocium & reges simul & beatas
Perdidit vrbes.

Ouid. lib.1. de Remed. amor.

Quam platanus vino gaudet, quam populus vnda,
Et quam limosa canna palustris humo:
Tam Venus ocia amat, &c.
Quæritur Ægisthus quare sit factus adulter?
In promptu causa est, desidiosus erat.

Menander.

Ὦ πολλὰ δεινὰ ἡ σχολὴ ποιεῖ κακά.
Quam multa mortalibus ocium facit mala.

Terent. Comœd. 4.

Quid credebas dormienti tibi confecturos Deos?

Ouid. lib. de Remed. amor.

Ocia si tollas, periere Cupidinis arcus,
Contemptæque iacent, & sine luce faces.

Faustus Andrelinus in Distichis.

Corrumpunt fortes celsas cum pectore mentes
Ocia pernitiosa desidiosa tuora.

Pictorius.

Si tibi perpetua vigilet & cura salutis,
Ocia perpetuo delitiosa caue.
Hostis apis contem quoties videt inferat hostem,
Semper ... erit ad arma manum.
Sed timet implicitum manus ne pedamve laborem,
Aut mentem vegetis sollicita studiis.

Baptista Mantuanus lib. 1. De calamitate suorum temporum.

Haec est cur ... genetrix ex ... nulla
Artibus, officijs nullis ... vsu
Segnities, inter foetus nutrita Megara,
Doctaque languere animi ... magistra
Sola sedens, oculosque solo defixa malignum,
Crispa supercilium palleus ... castellas.
Pinguescat ... scalpit caput vnguibus vncis:
Os ... lata cadente saliua,
Barba madet ... de ... humor.
Debilis, & longe pendens in pectora dorso
Fauce tumet ... sub pectore ventrem,
Vt ... ad exemplum, marisque ... instar:
Crura ... surgent per pinguia, & amplius
T... gravibusque dolet ... podagres:
Haec ... sarta fastidia vitae
Ingerit, & tardi ad clara negocia sensus
Somnifero languore premit frigentia corda
Inuoluit gelido ... vel amine nubit:
Nil nisi terre ... de fratribus vnquam
Cogitat annales veterum ... que futuri
Temporis ignorat ... non vlla scientia
Certare naturas rerum causasque tacere
Cura subit ... oculis vix aspicit aegre
Palpebras leuat haerentes, humore tenaci
Lumen habet sordent aures, vox languida, sermo.
Barbarus, obscura verba ... palata:
Seminat infelix lolium frugensque papauer,
Lethaeisque rigat steriles humoribus hortos:
Plumbea ... gestat connexa metallo
Vincula, captiuos hominum quibus alligat artus, &c.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Emollit ocium vires, sicut rubigo ferrum.

Fax immota torpet, ignem agitata restituit. *Seneca libro de Clementia.*

Maior est delectatio in quiete, quam in motu. *Aristotel. libro 7. Ethicorum.*

Omnis laborans requie indiget. *Arist. lib. 8. Politic.*

Mihi enim qui nihil agit, esse omnino non videtur. *Cic. lib. 2. de Natura Deorum.*

Proditionum consilia per ocium ex loci opportunitate capiuntur.

Etenim ignauia nemo immortalis factus est, neque quisquam parens liberis, vt aeterni fierent, ignauiam optauit, magis vt boni, & honesti vitam suam agerent. *Salust. in Iugurtha.*

Ocium industriae, & studio maxime contrarium videtur. *Valer. Max. lib 8. c. 8.*

Apium Claudium crebrò solitum dicere accepimus: Negociũ populi Romani melius, quam ocium committi: non quod ignoraret, quam iucundus tranquillitatis status esset, sed quod animaduerteret praepotentia imperia agitatione rerum ad virtutem capessendam excitari, nimia quiete in desidiam resolui. Et sane negocium nomine horridum, ciuitatis nostrae mores in suo statu continuit, blandae appellationis quies plurimis vitijs respersit. *Idem lib 7. tit. Sapienter dicta, aut facta.*

Quaedam tempora nobis eripiuntur, quaedam subducuntur, quaedam effluunt. Turpissima tamen est iactura, quae per negligentiam fit.

Magna pars eius iam praeterijt. Quicquid aetatis retro est, mors tenet. Cum differtur, vita transcurrit.

Omnia aliena sunt: tempus tantum nostrum est. *Sen. in epist. 1.*

Ociosus non sibi viuit, sed quod turpissimum est, ventri & somno. *Senec in epist.*

Nihil esse potest in vita nequius, aut scelestius, quam tempus ipsum, rem scilicet preciosissimam, somno inertiaque transigere. Qui enim desides, ignaui & oscitantes viuunt non hercule magis viuunt, quam stolidae pecudes, & merae belluae, neque enim viuunt, sed spiritum trahunt, sicut pecudes solent. Quo factum est vt Nomothetae poenas quidem acerrimas contra illos desides atque ociosos statuerint, eosque iure infames dixerint: siquidem & Solon ipse in suis legibus inertiam hanc, turpemque ignauiã seuerissime culpauit: qui desidiam, inquit, sectatus est, is accusantibus esto obnoxius. Vnde illud etiam Q. Ennij non minus equidem discendum censeo, quam dogmata, & praecepta quaedam ex Philosophia intima eruta. Quod idem Poeta in Tragoedia Iphigenia his versibus contra inertiam posuit, vt Iulius Celsinus apud Frontonium Cornelium retulit,

Otioque qui nescit vti, plus negocij habet,
Quam cum est negocium in negocio.

Nam cui, quid agat, institutum est, nullo negocio id agit; studet ibi, mentem atque animum delectat suum, ocioso initio animus nescit, quid velit. Hoc idem est enim: Neque domi nunc nos, nec militiae sumus. Imus huc, hinc illuc ventum est, ire illinc lubet. *Contra ocium Picus Mirandula, de qua Crinitus libro 2. de honesta disciplina. cap 12.*

Ingenium hominis ceu cariem, & senium in ocio contrahit propter obscuritatem, & muta quies vitaque sedentaria in ocio semota non corporibus modo, verum etiam animis marcorem conciliat. *Plut.*

Ocium sine literis mors est, & viui hominis sepultura: omnia nobis mala solitudo persuadet: circumspice singulos, nemo est, cui nõ sanctius sit cum quolibet esse, quam secum. *Sene. a.*

Gloriari ocio iners ambitio est: vitam in odium ocium adducere solet: & sunt, quorum corpus innoxium est, & in mille facinorum furias mens ociosa discurrit. *Epist. 19.*

Quies tibi non desidia sit, vt quum ab alijs luditur, tu saltem aliquid honestique tractabis. *Senec. in prouerb.*

Ocium in exercitu perniciosissimum est, & certe, ac solum, vt ita dicam, omnium seditionum fons, atque origo. *Polyb. lib. 1.*

Quemadmodum in corporibus externas incommodi causas, vtpote frigus, calorem, laborem, vulnera, & antequam fiant praecauere, & vbi factas sunt facile curare licet, quae vero ex ipsis corporibus emergunt, vt scabies, & morbi, difficile praeuidentur, difficile etiam, vbi prouenere, curantur: ad eundem etiam modum, & de polit ijs, & de exercitibus sentiẽdum est. Etenim aduersus externas quidem insidias, & bella, in promptu est, & praeueniendi modus, & auxilium, vbi ingruerint. Verum aduersus ea, quae in ipsis polit ijs aduersa nascuntur, contra seditiones, & collisiones difficilis est medela, & quae magnam gerendarum rerum dexteritatem, & singularem quamdam requirant industriam. Verum omnibus (vt mea fert sententia) tum exercitibus, & ciuitatibus, tum temporibus, vnum conuenit consilium. Id autem est, vt circa praedicta nunquam permittatur multum desidiae, & ocij, maxime in prosperitate rerum, & copia necessariorum. *Idem. hist. l. 11.*

Ocio plebs lasciuit. *Liuius, Decad. 1. lib. 1.*

Ocium quidem, requies, studiumque literarum, voluptatem, contemplationemque rerum afferens, conuenientissima est seni laboribusque domi. & militiae defuncto recreatio. *Plutarch. in Compar. Cimonis & Luculli.*

Ocium, ac requies finis est quem reges mali, ac insipientes bellis, & certaminibus assignant, quod ijs accidit, non quod solam voluptatem pro honestate, & virtute consectentur, sed quod ne frui quidem voluptatibus, & luxuriari verè norint. *Idem in Demetrio.*

Militum consilijs ocium maxime contrarium est. *Caesar lib. 2. de bello ciuili.*

Ocium, res disciplinae inimicissima. *Vell. Paterc. lib. 2.*

Praepotentia imperia, agitatione rerum, ad virtutem capessendam excitantur: nimia quiete resoluuntur in desidiam. Et sane negocium, nomine horridum, ciuitatis nostrae mores in suo statu continuit, blandae appellationis quies plurimis vitijs respersit. *Valer. Max. lib. 7. cap 2.*

Militare ocium est fere tumultuosum. *Amm. Marcell. lib. 14.*

Nequitiae flatus magis aspirare solent menti quiescenti, malorumque cogitationum, & rationum alias alios excitare fluctus, eamque continenter inuadendo demergere, & aut in peccata impellere (si facto minus, & assensu) aut vndatum in ea magnam agitationem, ac tumultum commouere. *Zonar. Annal. to. 1.*

Actuosi hominis ocium multo est hominis inertis, atque ignaui occupatione efficacius. *G. Pachymer. hist. lib 4.*

Ne inertia torpeas, multa cum diligentia quaecumque in mentem veniunt sunt versanda, & ante oculos vitae forma, & imago quaedam proponenda: tum quaque vt perfecta sunt considerandum. Est enim in his & decus suum, & eruditio quaedam. Nam saepe in minimis egregium quiddam elucet, quod eligas. *Aristot. in quaest.*

Non tam benignum, ac liberale natura nobis tempus dedit, vt aliquid ex illo vacet perdere. *Senec. epist. 118.*

Quorundam ocium occupatum est: in villa, aut in lecto suo, in media solitudine, quamuis ab omnibus recesserint, sibi ipsi molesti sunt. Horum non ociosa vita est dicenda, sed desidiosa occupatio. *Idem, de breuit. vitae, cap. 11. Vide cap. 12. & 13.* vbi prolixe de turpi ocio veterum Romanorum graphice depicto sapiens Stoicus disserit.

Demetrius noster vitam securam, & sine vllis fortunae incursionibus mare mortuũ vocat. Nihil habere ad quod exciteris, ad quod te con-

te concitet, cuius denunciatione, & incursu firmitatem animi tui tentes, Id in otio inconcussum iacere, non est tranquillitas, malitia est. Attalus Stoicus dicere solebat: Malo me fortuna in castris suis, quam in delicijs habeat. *idem epist. 67.*

Absconde te in otio, sed & ipsum otium absconde. Gloriari ocio iners ambitio est. Otium tibi commendo, in quo maiora agas, & pulchriora quam quæ reliquisti. *epist. 68.*

Quies & homines fugit, quem cupiditatum suarum infelicitas relegauit, qui alios feliciores videre non potuit, qui velut timidum, atque iners animal metu obtrusit, ille sibi non viuit, sed (quod est turpissimum) ventri, somno, libidini. Non continuo sibi viuit, qui nemini. *epist. 55.*

Interdum quies inquieta est: & ideo ad rerum actus excitandi, ac tractatione bonarum artium occupandi sumus, quoties nos male habet inertia, sui impatiens. *epist. 56.*

De ocio, & quiete. DIAL. XXI.

Francisci Petrarchæ.

GAVD.

Ocium quiesve à laboribus obtigit. R. Duo humanæ vitæ bona gratissima, nisi vsus immodicus mala illa grauissima fecerit, quod multis fecit, & totidem corporis, atque animi pestes, tumorē corporis patientes, animoque rubiginem. G. Ociu fruor iucūdissimo. R. Vtor dic. Nulla hic re fruendum, sed vtendum multis, habet doctrina salubrior. G. Delectabile ocium est mihi. R. Refert multum, hoc ipsum ocium quale sit. Duas enim species ocij definiunt; operosi alteram, atque ipsa in requie laborantis, ac circa honesta studia solliciti: quo nil est dulcius; alteram inertis, & languidi, & solam requiem complexi, quo nil fœdius, nil similius est sepulchro. De primo igitur sæpe magna quædam opera, & mundo vtilia, & suis authoribus gloriosa prouenium. De secundo autem nihil vnquam, nisi inglorius torpor, ac marcidus. Primū illud rite philosophantibus, hoc secundum pigris, ventri, somnoque deditis peropportunum, vbi nullo interpellante edant licenter, ac dormiant. G. Optata perfruor quiete. R. Quies illa, qua perfruendum erit, nullum finem habitura nō est hic. Vide ergo, qua gaudeas quiete. G. Quietem optatam reperi. R. Quietem dicis, an accubitum vis dicere, an somnum? quem mortis consanguineū Poetæ quidam, alij mortis imaginem dixere. Vtrique per proprie. G. Dormio, & quiesco. R. Atqui & enim sæpe animo quiescunt, & sedentes iacentesque animo laborant. Et somnus ipse animalium quies dictus, suos habet abditos dolores, visionumque ac phantasmatum turbidos tumultus, atque horribiles, de quo Deū familiariter alloquens sanctus, & afflictus vir ille queritur. GAV. Ociosus in thalamo requiesco. R. Vter, quæso, putas dulcius quiesceret, an Varia suo in rure dormiens, an Scipio in Africa cū hostibus pugnans: Cato cum anguibus, Regulus cum vtrisque? Nec quies sine gaudio, nec sine virtute verum gaudium esse potest. G. Refectus laboribus grato recreor sopore. R. Labor est materia virtutis, & gloriæ, hunc qui reijcit, illas eijcit. Contra vitij, & infamiæ materia sopor est nimius, qui multos ad perpetuum soporem vrget, atque præcipitat. Fouet ille libidinem, corpora prægrauat, eneruat animos, fuscat ingenia, scientiam minuit, memoriam extinguit, parit obliuionem. Non sine causa insomnes industrijque laudantur. Somno non laudatos cernimus, sed inflatos. Proinde vt somnum quidam mortem dicunt, sic vitam alij dixere vigiliam. Inter mortem vero & vitam vide quid eligas, vigilandum certe, quod sapientibus placet, ad hoc saltem, vt longior vita fit. G. Longo & minime interrupto fruor somno. R. Bene si nō curis mordacibus, auaritia, ambitione, metu, mœrore, aut amore impio. Male autem, si non honesti studij cura cuiuspiam sopor abrumpitur. Profecto populis stertentibus vigilant reges, sopitisque duces vigilant exercitu, quod & res docet, & Ilias probat Homerica. Nobilioribus animis curæ vigiles impendent, sed sobriæ, ac salubres. Augustum Cesarem principum maximum, atque optimum somni breuis accepimus, eiusque etiam crebrius interrupti. Tu contrario gloriaris. G. Profunde dormio. R. Et gulosi, & libidinosi, & iracundi, brutis animantibus, viuis tamen; Somnolenti ac sopiti duntaxat mortuis comparantur, & quod ad illam partem temporis attinet, nihil differre felices à miseris, philosophicam scis esse sententiam. Iure igitur, vt pars illa pro viribus cuienda, quæ solam inter homines differētiam summiorum loquitur, sic fictanda contraria est, nil difficultatis allatura volentibus. Si pro leui cum gloria, aut lucro exiguo, & mercatores, & bellatores, & nautæ totis sub dio noctibus peruigilant, illi quidē inter hostium insidias, hi quolibet hoste peiores inter fluctus, ac scopulos, tu propter veram gloriam, lucrumque ingens, inter Dei laudes, ac libellos tuos partem noctium vigilare non poteris? G. Vigilijs defessus, somno totus incubui. R. Sic est: non mutatis stylum: cuncta fere vno modo agitis, & quæ Deus ipse, vel natura, vel ars aliqua vobis ad obsequium dedit, in vestrum dedecus dānumque conuertitis, potum cibumque ad ebrietatem, & crapulam, otium, & quietem ad somnolentiam, & marcorem, valetudinem ad voluptates, formā corporis ad libidinem, robur ad iniurias, ingenium ad fraudes, scientiam ad superbiam, eloquentiā ad discrimen, domicilium ac vestitum ad pompam inanemque iactantiam, opes ad auaritiam & luxum, prolem & coniugium ad metum & sollicitudinem immortalem. Ite nunc, stupere, & queriminini de fortuna, & malis vestris ingemiscite: de bonis mala facitis, deque celestibus bonis compedes vobis ac laqueos, & vincula animæ conflatis. G. Somno placido delector. R. At non modo reges, & duces, & principes, & philosophi, & poetæ, insuper & familiarum patres vigilant, ac nocte consurgunt, quod ad sanitatem atque œconomiam, & philosophiam vtile ait Aristoteles, sed fures et. & insidiatores (quodque est mirabilius) insani & amatores, quos suarum muliercularum memoria, & desiderium excitat: tu vero non virtutis amore somnum oderis, vitijs amicum? vtque eleganter ait Flaccus: Vt iugulent homines, surgunt de nocte latrones, vt teipsum serues, non expergisceris? pudeat semper tantum in vobis posse turpes causas, & nil posse pulcherrimas. GAV. Nullo vnquam interpellante totis noctibus quiesco. R. Videtur quidem Aristoteles, quod superius attigi, ita vitam hominis partiri, vt dimidiam partem somno tribuat, dimidiamque vigiliæ, dum pro parte dimidia, nō differre studiosi vitam, ait, a stulti vita: & siquidem pro somno noctem, pro vigilia diem vult intelligi: recta fateor ac vera est diuisio, æquis .n. partibus tempus inter sese diuidunt. At si sic accipitur, æquis spatio inter partes differentia certe alia ingens est. Nulla n. acrior, nulla altior cogitatio est, quam nocturna, nulla pars temporis studentibus aptior. Si autem somnum ipsum dimidiam temporis partem dicit, mirabile dictum est ex ore tam studiosi, & tam docti hominis. Absit enim ab aiā bene instituta, & studijs intenta, dimidium temporis dormire, quum quartum sufficere, quibusdam, & tertium voluptuosis quoque sufficiat. Noctu quidem surgere qualibet anni parte consilium est. Absit, vt noctem non hybernam modo, sed æstiuam totam dormiant, qui grande aliquid moliuntur. Cæterū semel illam fregisse sufficiet forsan, quodque vigiliarum anticipatum erit breui (si res poscat) meridiana vicissitudine restaurari potest. At brumalis horæ noctis sæpius rumpendæ, psallendum, studendum, legendum, scribendum, cogitandum, contemplandū, quærendum ingenio noui aliquid semper, & quod studio quæsitum fuerit, memoria repetendum. Audiendus quoque Hieronymus, ad Eustochium scribens: noctib. bis terque surgēdum, inquit, reuoluenda de scripturis, quæ memoriter retinemus. Denique his studijs fatigati oculi alterno sopore recreandi, & breui quiete recreati, alterno exercitio fatigandi erunt, ne totis noctib. dormiendo, culcitræ incumbendo, sepulta cadauera videantur: imo tu crebro atque honesto vos viuos, & virtuti deditos cōprobate

SIMILITVDINES.

Bernardi. Sicut per rimam sentinæ aqua latenter intrat, & excrescit, donec nauis per nautarum incuriam demergitur: ita ex otio atque ignauia cogitationes prauæ, & concupiscentiæ multiplicantur, donec nauis cordis eis succumbens peccato periclitetur. *Serm. de S. Andrea.*

Laurentij Iustin. Patriarchæ. Sicut aqua, quæ caret decursu, ac iacet in foueis, putrescit, ac humano vsui aliena efficitur, repleturque animalibus venenatis & noxijs: Ita & corpus otij tabe confectū concupiscentiarum ac voluptatum carnalium parit ac nutrit insaniam. *Lib. de perfectionis gradib. c. 9.*

Quemadmodum ex temperato labore carnis incendia cohibentur, sic ex otio fouentur & crescunt. *Lib. de ligno vitæ. c. 5.*

Plutarchi. Vt Herculem parum decebat, exuto leonis exuuio, vestis Milesia, cum seruiret Omphalæ: Sic parum decorum ciuili viro deposita, quam gessit, persona, ad otiosam, ac voluptuariam vitam se conferre. *In Mor.*

Senecæ. Aues, quæ conuiuijs comparantur, vt immotæ facile pinguescant, in obscuro continentur: Ita sine vlla exercitatione iacentibus, tumor pigrum corpus inuadit, & superbam vmbram iners sagina succrescit. *Lib. 2. epist. 123.*

Plin. Apodes auiculæ aut pendent volatu, aut iacent, propter ea quod pedibus carent: Ita quidam in vtramque partem nimis vehementes, aut nimium tumultuantur negotijs, aut toti torpent otio; nil medium est. *Lib. 10. c. 39.*

Themist. Nihilo minus corpus quam animus (si quis videat) otio sordescit ac torpescit. *In apoph. 58.*

Nec corpus bene proficit, cuius nutritio intermittitur: nec animus feliciter promouet, vbi aut studium diu interrumpitur, aut virtus sua continuitate fallitur, ac distrahitur. *In apoph. 61.*

Corpus lassum post breuia quietis interualla ad motum alacrius redit, post multa deses atque ignauū redditur: Ita & animus ociosus longis ferijs torpescit, paucis efficitur promptior. *Ibid.*

Otium tanto peius est somno, quod somnus dumtaxat corpus, otiū vero & ipsam afficit animam. *In apoph. 86.*

APOPHTHEGMATA.

Diogenes, otiosorum negotium amorem esse dicebat, quod hic affectus

ctus potissimum occupet otio deditos. Ita enim fit, vt dum otio vacant, in rem negotiosissimam incidant. *Laert. l. 6.*

Idem, Audiens quosdam de otio disputantes, vt plurimum se dicebat deprehêdere, omnes aliquid facere. Etenim qui tesseris, quique risui excitando vacât, aliquid facitot: nihilominus huiusmodi omnes otiosos dicebat. Licere namque eis istis dimissis meliora agere: a melioribus vero ad peiora migrare, nulli otium esse. Si quis autem migret, hunc id male facere negotij implicitum. *Xenoph. lib. 3. de dictis & factis Socratis. Stob. ser. 28.*

Idem e priscis authoribus lelegerat versiculos aliquot, quos prouerbiorum vice frequenter vsurpabat, quorum est ille Hesiodi,

Ἔργον δ' οὐδὲν ὄνειδος, ἀεργίη δέ τ' ὄνειδος.
Id est,

Non probrum est operari, at est cessatio probrum.

Quo dehortabatur iuuenes non solû ab otio, verum etiam ab actionib. infrugiferis. Siquidem eos appellabat otiosos, qui alea, compotationib. & scortis ætatem absumerent. *P. M. l. 3. apoph.*

Plato e disputatione discedens, solitus est admonere discipulos: Videte pueri, vt otium in re quapiâ honesta collocetis. Significans, otium omnia mala docere adolescentes. *Laert. l. 3.*

Lycurgus. Cuidam percontanti, quam ob rem virginû corpora cursibus, luctis, discorum ac telorum iactibus fatigaret? Vt, inquit, fœtuum proseminatio ab illa statim radice, validum in validis corporibus initium sumens, recte germinet: simul vt ipsæ in perferêdis partubus facile simul & generose certent aduersus parturitionis doloresque: postremo, si qua incidat necessitas, vt possint, & pro se, & pro liberis, & pro patria pugnare. Intellexit vir prudens, quanta rerum publicarum pestis sit otium atque ignauia: cõtra, moderatos labores etiâ corpora reddere tum firmiora, tum salubriora. Vnde nec virginibus permisit in otio viuere, sed has quoque masculinis exercitus quodammodo vertit in masculos, quum in plerisque ciuitatib. per delicias ad luxum masculi transformarentur in fœminas. *Plut. in Lac.*

Herondas, quum esset Athenis, audissetque quendam iudicû sententia damnatum de crimine otij, qui mœstus incederet, & ab amicis mœstis deduceretur, iussit sibi commonstrari eum, qui in causa liberali reus perageretur. Lacedæmonij, quicquid erat sordidarû artium, non per ciues, sed per Helotas mancipia exerceri volebant: eoque mirabatur Herondas, ob id quenquam vocari in ius, quod seruilia non exerceret, ibique pro crimine haberi, quod Lacedæmone iudicaretur honestum ac liberale. *Plut. in Lacon.*

Cleomenes. Quodam interrogante, cur Argiuos cum Lacedæmonijs bellum gerentes, & sæpius victos non deleuissent: Ne optauerimus quidem, inquit Cleomenes, illos deleros, vt habeamus, qui iuuenes nostros exerceant. Perspexerat egregius dux, corrumpi iuuentutem, si permittatur otio, luxus ac malorum omnium magistro. *Plut. in Lacon.*

Scip. Nass. Quibusdam dicentibus, res Romanas iam in tuto esse extinctis Carthaginensibus, & Græcis in seruitutem redactis: Imo, inquit, nunc demum summo in periculo sumus, postquam nulli supersunt, quos vel timeamus vel reuereamur. Sensit inimicos per occasionem vtiles esse nobis, per quos non licet impune secureque negligentes esse. *P. M. lib. 8. apoph.*

Seneca. Seruilius Vacia, vir prætorius, ac prædiues, odio negotiorû abdiderat se in villam suam, quam habebat non procul a Cuma: nec alia re notus fuit, quam eius villæ otio. Itaque qui negotijs premebantur, exclamare solebant: O Vacia solus scis viuere. Huius tamen ignauum sine literis otium damnans Seneca epistol. 51. negat illum scire viuere, sed latere. Eoque nonnunquam villam præteriens, ioco dicere solebat: Hic situs est Vacia, subindicans, nihil interesse inter mortuum, & inerti otio abditum. *P. M. lib. 8. apoph.*

Galba parasytus, obijcientibus, quod in otio viueret: nemo, inquit, cogitur ad reddendum otij sui rationem, innuens, nullos tutius viuere, quam otiosos. Nam rerum gestarum rationem poscuntur, qui tractant negotia: at ab otiosis ea ratio non potest exigi. *P. M. lib. 8. apoph.*

Augustus Cæsar, insulam quandam Capreis vicinam, in quam è comitatu Cæsaris secedere solebant, qui cuperent otiari, solitus est, *Ἀπραγόπολιν* appellare: *ἀπραγία* enim sonat negotiorum vacuitatem. *Suet. in Augusto.*

Vibius Crispus. Domitianus Cæsar initio sui principatus nihil planè agebat, sed quotidie sibi secretum horarium sumebat, nec faciebat aliud, quam captare muscas, easque stylo præacuto configere. Vnde quidam quum quæreret, num quis intus esset cum Cæsare? Vibius Crispus lepide respondit: Ne musca quidem. *Stobæus.*

Probus Imper. non patiebatur armatum militem esse otiosum, dicês: Annonam gratuitam militem comedere non debere. *Luc. Spic. in lib. 2. Æn. Silu. de reb. gest. Alphonsi.*

Chilon dicebat, adamandam esse quietem, quoties datur honestum otium, iuxta illud; *ἡσυχία καλόν.* Nihil enim vel tutius vel iucundius. Nullum autem negotium periculosius, quam bellum. *Laert. l. 1. c. 4.*

Socrates, Otium possessionem omnium optimam dicebat: otium autem sensit, non ignauiam: sed è tumultuosis negotijs, & a cupiditatibus animi tranquillitatem vitiantibus esse quietem. *P. M. lib. 3. apoph.*

Ad Nicandrum, quum Atheniensis quidam dixisset, nimium, o Nicander, amplectimini otium: Verum, inquit, prædicas: sed non quemadmodum vos, quocumque modo illud nobis parare studemus. Sensit, otium honestis rationibus partum non esse reprehendendum: sed eos vituperio dignos, qui per fas nefasque sectarentur otium. Otium autem Atheniensis dixit, non exercere sordidas artes. *Plut. in Lac.*

Scip. African. si quando vacans à negotijs bellicis in literis versaretur, dicere solebat, se nunquam minus otiosum, quam quum esset in otio. Sensit, se id temporis non dare animum otio aut voluptatibus, sed Reipublicæ commodis multa suo cum animo tractare. *Plut. in apoph. Cic. lib. 3. Offic.*

Ennius, dicere solebat, qui nesciret otio vti, plus negotij habere, quam cum est in negotio. *Erasm. lib. 4. c. 28.*

Atilius, satius otiosum esse dicebat, quam nihil agere. Refert Plinius iunior ad Minutium Fundanum: Satius est enim, inquit, vt Attilius noster eruditissime simul & facetissime dixit, otiosum esse, quam nihil agere. Quanquam hoc dictum ascribitur Catoni seniori. Otiosus est, qui vacat ab externis actionibus nihil agit, qui negotijs infrugiferis nihil ad beate viuendum conferentibus occupatur. Quemadmodum, qui moliuntur, nec satis succedit, quod agunt, satagere dicuntur: Ita nihil agunt, qui frustraneis actionibus tumultuantur. Plinius enim putat, eos, qui ciuilibus negotijs distrahuntur, nihil agere; contra, qui se philosophiæ dedunt, otiosos esse. *P. M. in apoph.*

Alphonsus. Familiares Alphonso regi rusticum quendâ, velut ignauiæ exemplum, ostenderût, qui porrectus humi vescebatur vuis. Hic rex: Vtinam (ait) mihi sic per otium comedere datum esset a superis. Simile quiddam narratur de Ptolomæo rege: quum antea se iactaret reperisse immortalitatem, tandem podagra discruciatus, conspiciebat Ægyptios aliquod plebeios sic temere apud flumen discumbentes; Vtinam, inquit, saltem ex istis vnus essem. *P. M. lib. 8. apoph.*

A D A G I A.

Ne adsures quidem scalpendas otium est.

Lucianus, in bis accusato, οὐδ' ὅσον κνήσασθαι τὸ οὖς σχολὴν ἄγοντες.

Cum ne minimum quidem otij superesse significabimus.

Nullum otium seruis. οὐ σχολὴ δούλοις.

Sumptum a seruorum conditione, quibus heri nullum concedunt otium.

Festum multas habens. ἑορτὴ πολλὰς ἔχουσα.

Subaudiendum, molestias aut occupationes. Dictum in eos, qui magnas componerent sarcinas aliquo profecturi.

Vincula Tyrrhena. δεσμοὶ Τυῤῥηνοί.

Dicebantur odiosa negotia, quibus distringebatur aliquis.

Dum licet fugere, ne quære litem. ἐξὸν φεύγειν, μὴ ζήτει δίκην.

Ab Alcibiade natum. Is, cum è Sicilia citaretur ab Atheniensibus vt criminibus responderet, abdidit se, negans litigandum esse si quo modo liceret effugere. Es ist besser in Acht, als in Hacht. In der rechte ist gut thedingen.

Conchas legere.

Summi otij est conchas & vmbilicos legere in littoribus, qui lusus esse solet puerorum.

Liber non est, qui non aliquando nihil agit.

Qui in summo otio versabantur, ab omnibus feriati negotijs, ij nihil agere dicebantur. Cic. lib. 2. de Orat.

E X E M P L A P R O F A N A.

Lucius Lucullus post præclara Reipublicæ munera ętate prouectior, totum sese otio philosophico dedit. *Plut. in eius vita.*

Germani quoties bella non ineunt, non multum venatibus, plus per otium transigunt, dediti somno ciboque. fortissimus quisque, bellicosissimus, ac nihil agens: delegata domus, & penatium, & agrorum cura fœminis, senibusque, & infirmissimo cuique ex familia: ipsi hebent, mira diuersitate naturæ: cum ijdem homines sic ament inertiam, & oderint quietem. *Cornel. Tacit. de mor. Germ.*

Constantinus Romani filius imperij curam alijs commisit: Diogenem, qui Syrmio præerat, Bulgariæ ducem constituit, ad coercendos Pazinaces, qui excursiones quotidie in Bulgaros faciebât. *Ibid.*

Alexander Basilij Macedonis Imp. filius, viginti annorum iuuenis singulari desidia, rebus grauioribus omissis tantum venationi, equis & canibus operam dedit.

P. Scipio, qui primus Africanus appellatus est, requiescens a Reipublic. pulcherrimis muneribus, otium sibi sumebat aliquando: & a cœtu hominum frequentiaque interdum, tanquam in portum

potum, se in solitudinem recipiebat. *Cato apud Ciceronem libro 3. Offic. in principio.*

Lucani. Vt a totum criminum, sic etiam luxuriæ, & otij causas agunt. Quod si quis homini luxurioso mutuasse aliquid conuincatur, priuatur mutuo dato. Huc Senatusconsultum Macedonianum adhibeto. Athenis etiam otij causæ forenses agitantur.

Καὶ Ἀθήνησι δὲ τῆς ἀργίας εἰσὶ δίκαι.

Epaminondas tempore Leuctrici belli, quum accepisset quemdam strenuum virum perijsse morbo, per iocum dixisse fertur: Vnde fuit illi moriendi otium in tantis negocijs? Frequenter autem non minima morbi pars est imaginatio metusve morbi. Hunc languorem solet excutere negociorum ardor. *P. M. libro 5. apophthegmat.*

Draco Atheniensium legislator statuit, vt qui damnati forent otij, capite mulctarentur.

Quum *Lucius Lucullus* post obita militiæ munia sese voluptatibus dederet, ac sumptuose viueret, Pompeium interim reprehenderet, quod præter ætatem multis negocijs appeteret implicari: Magis, inquit, præter ætatem est, senem delicijs vacare, quam imperium gerere. Grauiter taxauit illorum sententiam, qui putant, senibus nihil agendum, cum decorum sit, Rempubl. gubernantē vel stantem mori. Luxus autem & otium in iuuenibus stultitia est, in senibus crimen. *P. M. lib. 4. apoph.*

Charilaus, percontanti cuidam, quamobrem omnium Deorum statuæ apud Lacedæmonios ponerentur armatæ: Ne inquit, probra, quæ ob ignominiam iaciuntur in homines, ad Deos referamus, neve iuuenes, nisi armati, Deos comprecentur. Eo commento ciuium animis hanc opinionem infigere studebat, Dijs gratā esse fortitudinem, inuisam ignauiam: simulque iuuentutem armis ferendis debere assuescere, quo simul & minus indulgerent delicijs, & vtiliores bello euaderent, sine religionis quidem causa fas esset arma ponere, cuius obtentu fere solet otium & luxus in ciuitates irrepere. *P. M. l. 1. apoph.*

HIEROGLYPHICVM.

Otij studiosum hominum indicare qui volunt, *Veliam auem* pingunt: ea enim in vmbra & aura æstatem agit, hiemem in apricis: nam & potiores, cum in eos, qui otio literario dediti sunt, cauillātur, genus hominum ignauum appellant, quod vt apud Iuuenalē est, *rosso gaudet & vmbra Pier. Val. 25. pag. 237. E.*

FABVLA.

Ouis & Canis.

Quo tempore animalia & pecudes sermone vtebantur, aiunt ouem dixisse hero suo: Per mihi mirum videtur, nihil nobis a te præberi, cogiq; è terra nos victum quærere, de quib. tamen tu & lanam capis & caseos, & agnos: canibus vero nihil horum tibi reddit, impertis panem, quo ipse vesceris. Tum canem qui hoc audisset, ferunt sic locutum: Merito hercule meo fit, nam ego is sum, qui vos ipsas etiam custodio atque seruo, ne vel hominum furto, vel luporum raptu pereatis: quod si ego vestram custodiam negligerem, iam ne ad pabula quidem, exire auderetis, præ formidine interitus. Atque ita etiam oues ipsas facile passas fuisse accepimus, vt se canes potiores & maiore in honore haberentur.

Hæc fabula narratur vulgo imperitorum, qui sapientum otio irascuntur, & illos in tanto honore vitam de suis laboribus degere moleste ferunt. Nisi enim ipsos doctrina & sapientia defenderet, atque tegeret, neque salutem, neque fortunas suas saluas & integras conseruare possent.

Vide, Acedia, Desidia, Ignauia, Pigritia, &c.

FINIS LIBRI DECIMITERTII.

POLYANTHEAE NOVISSIMAE LIBER XIV.

P

PACTVM.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

PActum, Græce *συνθήκη*, & *συνθέσθαι*, paciscor dicitur. Dicitur autem pactum a pactione, inde est pacis nomen appellatum. Pactio enim est duorum plurimumve idem placitum, seu consensus. *vt l. 1. ff. de pactis.* Vel sic: Pactũ est, quod inter aliquos conuenit.

Pactum, fœdus, Hebr. *Berith*, Cognationem habet voa illa cum verbo *Carath*, pepigit, succidit, cum quo etiam plerumq; cõstruitur. Habet etiam affinitatem cũ verbo *Bachar*, dissecuit, diuisit per medium. Nam fœdera olim sanciebantur mactatione pecudum quæ mediæ dissecabantur, fœderati autem per partes illas diuisas transibant, internecionem eandem sibi imprecãtes, si fidem fallerent. Vide *Genes.* 15.10.17. *Ierem.* 34.18. *&* 19.

Pactum Dei cum Patriarchis, *Genes* 9.17. *cap.* cum Israelitis, *Exod.* 19.31.34. *cap.* & frequẽter in alijs libris V.T. Pactum Saulis cum Aarone. *Num.* 18.19. & cum Dauide ac posteris eius, 2. *Chron.* 13.15. id est pactum sacrum, sincerum, durabile, firmum immutabile in Christo sacerd. & rege & æterno Ecclesiæ Dei Pactum pacis, *Num.* 25.13. Pactum Dei, nempe in imitatione coniugij, *Prouerb.* 2.17. *Malach.* 2.14. Vide fœdus, Promissio, Testamentum.

LOCI BIBLICI.

Pactum Saulis, 2. *Paral.* 13.15. pactum cum quibus non ineundum. Vide Fœdus.

Vide, Fœdus, Promissio.

PANIS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

PAnis, Græce *ἄρτος* dicitur. Panis autem forma substantialis consequitur mistionem farinæ & aquæ, & ipsam vstionem. *ex S. Thom. 4. sent. dist. 1. q. 11. art. 1.*

Panis furnaceus, qui in furno coquitur, a Græcis *κλιβανίτης*, clibanus dicitur: & subcinericius, qui sub cinere: & focarius, qui in foco.

Panis azymus, est panis sine fermento, a Græcis enim fermentum *ζύμη* *ἄζυμος* dicitur.

Panis dicitur a pascendo, *vt Varroni placet.* vnde Pappa deducitur, qui proprie est cibus puerorum: vnde fit pappo verbum, hoc est, edo, cibum sumo. Plaut. *Non: liberto opus est quod pappet.* A panis fit panifex, qui panem facit. & panifica mulier, panem faciens, & panificium, ipsa panis factura.

Panis, Hebr. *Lechem*, omnis cibus, quem dentes incidunt. *Deuter.* 8.3. *Psalm.* 136.25. *Lechum*, cibus masticatus, iam digestus in ventriculo, *Iob.* 20.23. *Soph.* 1.17. *Lachem & Milchamah*, bellum, prælium, cædes, concisio, hominum concisio, incisio quæ fit acie & ore gladij. *Deut.* 2.15. 1. *Sam.* 8.20. *&* 18.17. *Psal.* 14.4. 1. a verbo *Lacham*, incidit dentibus, vel conscidit ore gladij, comedit, exedit mandẽdo & concidendo, de pane proprie dicitur, figurate autem de prælio, vbi gladius vtrinque deuorat bellatores, quorum alij alijs veluti cibus deuorandus obijciuntur. De impijs etiam dicitur. *Psal.* 14.4. *&* 27.2. qui pios veluti cibum comedant.

LOCI BIBLICI.

Panis pro quolibet cibi genere, *Gen.* 3.19. *&* 18.5. *&* 21.14. *&* 31.54. *&* 37.25. *&* 43.25. *Exod.* 2. *v.* 20. *&* 18.12. *Deut.* 8. *v.* 3. per Synecdochen. Sic *Prou.* 25. *v.* 21. *Rom.* 12.20. Inde sunt phrases Hebræis familiares: Panem edere, pro cibum capere, *Marc.* 3.20. *&* 7.2. panem frangere, itidem pro capere cibum, *Act* 2.6. panis fractio, pro mutuo conuictu, & conuiuijs, quæ inter Iudæos celebrãtur, 2.42. item capitur pro eo cibi genere, quod panem vocamus, *Marc.* 8.4. panis hominem fulcit, *Gen.* 16. *v.* 5. *Iud.* 19. *v.* 5. panis labore comparandus, *Eccl.* 11. *v.* 6. *Gen.* 3.19. *Eph.* 4.28. 1. *Thess.* 4.11. 2. *Thess.* 3.10. *Tit.* 3.14. panes facierũ, quod Latine propositiuos vertunt, *Exod.* 25. *v.* 36. *Leu* 24. *v.* 5.7. *Matth.* 12.4. *Marc.* 2.26. *Luc.* 6.4. 2. *Thess.* 4.9. quod coram Domino appositi tota hebdomade manerent in aurea mensa, huic cultui consecrata, sicut edixit Dominus, *Leuit.* 24.15. appositios non inepte vocaueris. Panis filiorũ erat, *Matth.* 15.26. *Mar.* 7.27. Panis laicus, vt vocant. 1. *Sam.* 21.4. panis vnius & calicis participatio, 1. *Cor.* 10.16. panis primitiarũ multiplicati. 2. *Reg.* 4.42. pane & aqua cibatur Elias, 1. *Reg.* 19. *v.* 6.8. pane solo non viuit homo, *Deut.* 8.3. *Matth.* 4.4. *Luc.* 4.4. panib. obedientiam sibi benedixit Deus comeduntq. in saturitate, *Leu.* 26.5. panes pluit Deus è cœlo, *Exod.* 6.13. panibus quinque millia hominum saturati, *Matth.* 14.17.21. septem quatuor millia, 15. *v.* 34.38. panum oblatio, *Leu.* 2.4.

Panis afflictionis, *Deut.* 16.3. *Esa.* 30.20. Angustiæ, 1. *Reg.* 22.27. Cœlestis, qui de cœlo descendit, *Io.* 6. *v.* 32.33.50.51.58. doloris, *Psal.* 127.2. Hominum, *Ezech* 24.21. Ignauiæ, *Prou.* 31.27. Improbitatis, *Prou.* 4.17. Lachrimarum, *Psal.* 80.6. Mendacij, *Prou.* 20.17. Regni Dei, *Luc.* 14.15. Verus, *Io.* 6.32. Vitæ & viuificus viuus. *Io.* 6.35. 48.51.

SENTENTIÆ PHILOSOPHICÆ.

Panis frigidus cur albior cernitur, quã calidus? An eadem est quodammodo causa; inueteratum oleum candidius est, quam recens? Causa namque nigroris est humor: hic autem in hisce vtrisque vt recentibus vberius continetur: sic tempore prouectis parcius in superficie resider, propter euaporationem. Euaporatur prorsus oleum vel tempore, vel sole: panis autem calore inde egrediente per refrigerationem: humor itaque frigidis iam euanuit calidis adhuc inest. *Arist. probl sec. 21. num. 4.*

Panes non saliti plus ponderant, quam saliti, modo cætera pari sine mẽsura: cum tamen sal grauior sit aqua: quia sal exsiccare potest: ex quo incorrupta seruantur, quæ confecta sale reponimus: absumitur enim a sale, ac resiccatur humor, qui ex calore putrescit: & ideo panes pridie facti leuiores sunt, quam calidi, vtpote frigidiores: Contra eos, qui sale vacant, humor largior insideos efficit grauiores. *Arist. problem sect. 21. num. 5.*

Panis bis coctus refrigeratus minus duritiem præfert: quia triticum dulcem quendam & lentum succum in se continet, velut anima eius est. *Arist. problem. s. 21. nu. 12.*

PARABOLA.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

PArabola, siue parabole dictio Græca est, *παραβολή*, & *παραβάλλω*, quod est assimilo. Duas res diuersas simul colloco, aut confero. Est autem parabola sententia, habens obscuram similitudinem. *sec. S. Thom. 2. par. q. 1. art. 10.*

Parabola est sermo similitudinarius, qui aliud dicit, & aliud significat, *secun. S. Thom super Esaiam.*

Parabula, Heb. *Maschal*, simile. similitudo, comparatio, allegoria, ænigma, collatio. Interdum significat sententiam celebrem, *κυρίαν γνώμην.* Vitæ regulam vt prouerbia Salomonis *Meschel*, 1. Sententiæ similes & dissimiles. De graui maximeque serio sermone parabola vsurpati videtur, quando de rebus magni momenti quæstio fit: vt *Num.* 23.18 *&* 24.3. *Iob.* 27.1. *Psal.* 49.5. *&* 78.2. *Esa.* 14.4. parabola significat grauem lamentionem aut querelam, *Mich.* 2.4. Esse in parabolam, est fieri fabula omnium, derideri varijsque dicterijs ab omnibus exagitari. *Deut.* 28.37. 2. *Chron.* 7.20. *Psal.* 69.12. *Ier.* 24.9. *Habac.* 2.6.

LOCI BIBLICI.

Parabola, Græce *παραβολή*, passim in Euangelio, non tam compa-

comparationem, aut collationem, quam allegoricam declarat oratione, quæ non facile ab omnibus intelligatur, *Marc* 15.15. *Marc*.12.1. Ioannes παροιμίαν vocare solet, *vt & Ioan* 10.6. Capitur item parabolæ vox pro similitudine, *Matth*.13.2.*Hebr*.11.10. pro typo, seu exemplari, *Hebr*.9.9. pro eo, quod Latinis prouerbium dicitur, *Luc*.4.22. Parabolæ Salomonis, 1.*Reg*.4.32. Parabolæ, id est, comparationes, & allegoricæ orationes continuis metaphoris expressæ, *Iudic*.9.8.2.*Sam* 12.1. & 14.5.1. *Reg*.20.39.& 22.17.2.*Reg* 14.9.2 *Paralip* 18.16.& 25.28. *Ezech* 5.1. & 12.3. & 17.3 *Matth*.11.16.& 13.33.& 14.32.& 21.28.& 22.v.2.33.& 25.14.*Marc*.13.28 & 12.1.*Luc*.7.41 & 12.16.& 13.v.6.21. & 14.v.7.16.28.31.& 15.ver.3.4.8.11.& 16.1. & 18.10. & 20.9.& 21.29. *Ioan* 10.1.

Parabolarum catalogus: Parabola Aquarum egredientium è domo, *Ezechiel*.47.1. aquilæ grandis, 17.3. arborum vnguentium regem super se, *Iudic*.9.8. duorum canistrorum ficuum *Ierem*.24.1. Carduī & cedri, 2.*Regum* 14.9.2.*Paralip*.25.18. Cinguli linei, *Ierem*.13.1. Cœnæ magnæ, *Matth*.22.2 *Luc*.14.16.*Apoc*.19.9. Diuitis & pauperis habentis vnam ouiculam, 2.*Sam*.12.1. Diuitis cuius ager exuberarat, *Luca* 12.16. Duorum debitorum, 7.41. Dispensatoris iniqui delati ad dominum 16.1. Drachmæ, 15.8. Fermenti, *Matth*.13.33.*Luca* 13.6.& 21.29 Figuli, *Ier*.18.2. Ficus, *Matth*.24.32.*Marc*.13.28.*Luca* 13 *ver*.6.& 21.29 Filij prodigi, 15.11. Duorum eiusdem matris filiorum, 2.*Samuel*.14.5. Filiorum duorum alterius morigeri, immorigeri alterius, *Matth*.21.28. Grani sinapis, *Matth*.13.31.*Marc*.4.31.*Luca* 13.19. Inuitatorum ad nuptias, 14.7. Iudicis iniqui, 18.2. Lagenæ testaceæ, *Ier*.19.11. Margaritæ, *Matth*.13.45. Minarum seruis distributarum. *Luc*.19.12. Mulieris parturientis, *Ioan* 16.21. Duarum mulierum eiusdem matris fornicantium, *Ezech*.23.1 Negociato.15, *Marc*.13.35. Nouaculæ acutæ, *Ezech*.5.1. Oinophori, aut lagenæ testaceæ, *Ierem*.19.11. Ollæ, *Ezechielis* 24.3. Operariorum in vinea, *Matth*.20.1. Ouis perditæ, 18.21. *Luc*.15.4. Ouiculæ pauperis, 2 *Sam*.12.1. Ouium non habentium pastorem, 1.*Regum* 22.17.2.*Paralip*.18.16. Ouilij & ouilis, *Ioan* 10.1. Patrisfamilias plantantis vineam, *Esa*.5.*versic*.1.*Ierem* 2.21. *Matth*.21.33.*Marc*.12.*vers*.1.*Luc*.20.9. Pharisæi, & Publicani, 18.10. Puerorum in foro sedentium, *Matth*.11.16.*Luc*.7.32. Rechabitarum, *Ier*.35.1. Regis conferentis rationem cum seruis suis, *Matth*.18.23. Regis facientis nuptias filio suo, 22.2. *Luca* 14.16. Regis ituri in bellum contra alterum regem, 14.31. Sagenæ iactæ in mare, *Matth*.13.47. Seminantis, 13.3.*Marc*.4.13.*Luc*.8.5. Sinapis, *Matth*.13.31. Talentorum, 25.14.*Luc*.10.12. Turrim ædificare volentis, 14.28. Thesauri occultati, *Matth*.13.44. Vineæ plantatæ, *Esa*.5.1.*Ier* 2.21. *Matth*. 21.33.*Marc*.12.1.*Luc*.20.9. decem Virginum, *Matth*.25.2. Vitis & palmitum, *Ioan* 15.1. Zizaniorum, *Matth*.13.26.

Parabolas Christus suis seorsim discipulis edisserebat, *Marci* 4.*ver*.10 11.*Luc*.7.v.9.10. in parabolis cur locutus sit Christus, *Matth*.13.*vers*.13.34.

SENTENTIA PHILOSOPHICA.

Parabola est rerum diuersarum sub aliquo proportionaliter simili facta collatio: in qua pluribus conferuntur, quæ ad inuicem habent proportionis aliquam similitudinem. *Albertus Magnus in Topicor*.

PARADISVS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

PAradisus, Græca dictio est. Nam παράδεισος, ου, pomarium significat: vnde & poma illa paradisæa vocantur, a situ, quod ferè in omnibus pomarijs inserantur odore saporeque insignia.

Paradisus triplex est, scilicet terrestris, cœlestis, & spiritualis, id est, visio Dei. *Ex S. Thom*.1.*par*.q.102.*artic*.1. & 2.2.*quæst*. 185.*artic*.3.

Paradisus terrestris est locus corporeus in Oriente, vt in nobilissimo loco, & interpretatur hortus. *ex S. Thom*.2.2.q.8.84.*art*.3. Est que locus conueniens habitationi humanæ, quia habet serenitē peratum, & tenuissimum, & plantas semper floridas. *secundum S. Thom*.1.*par*.q.102.*art*.2.

Paradisus. *Pardes*, hortus amœnissimus, consitus arboribus fructiferis, præsertim myrtinis, ferentibus fructus eximij gratique saporis. Compositum videtur à verbu *Parah*, protulit, fructificauit, & *Hadas*, myrtus. Ter occurrit vox *Pardes*, in V.T. nempe, *Nehem*, 2.8. In regim, *Cantic*.4.13.& in plurali, Pardesim, *Eccl*.2.5. In nouo T. Paradisus ter legitur, *Luc*.13.43.2.*Cor*.12.4 *Apoc*.2.7. Alia vox apud Mosen occurrit, nempe *Gan be Heden* in Hortus in Heden, & simpliciter, *Gan*, hortus. *Gen*.2.78.9.10.& 3.*c*.*alibi*. Apud Ezechielem, *c*.28.13.& 31.8.9. fit mentio Hedenis horti Dei. Vetus interpres nomen paradisi horto Hedenis seu Dei, à Deo primum consiti, tribuit his locis.

LOCI BIBLICI.

Paradisus id est, hortus voluptatis Hebr. a Deo plantatur, *Gen*.2.8 Paradisus pro loco beatitudinis, seu beatis destinato, *Luca* 23.43. 2.*Cor*.12.4.*Apoc*.2.7. è paradiso voluptatis ejicitur Ada, *Gen*.3.23.

PATRVM SENTENTIÆ.

Vt in paradiso malorum initium factum est: sic in horto Christi passio incipit, per quam a malis liberati, in pristinum habitum restituti sumus. *Cyril. in Io lib* 11 *comment*. 31.

De paradiso adoriundus sermo, non mediocrem æstum nobis videtur incurere, quidnam sit paradisus, & vbi sit, qualisve sit, inuestigate, & explanare cupientibus: maxime cum Apostolus siue in corpore, siue extra corpus nesciat: raptum tamen se vsque ad tertium cœlum. *Ambr. lib*.1.*de Paradiso*, *c* 1.

Ergo si huiusmodi paradisus est, vt eū solus Paulus, aut vix aliquis Pauli similis, quum in hac vita degeret, videre potuerit, idem tamen, siue in corpore, siue extra corpus viderit, meminisse non possit, audierit tamē verba, quibus prohibitus sit vulgare, quod viderat: quo tandem modo nos paradisi situm poterimus absoluere, quem nec videre potuimus: & potuissemus videre, tamen prohiberemur alij intimare? simul quum Paulus extollere se reuelationum sublimitate sit veritus: quanto magis nobis timēdum est id sollicitius indagare, cuius etiam reuelatio obnoxia sit periculo? Non hylen igitur hunc paradisum æstimare debemus, & ideo relinquamus Pauli esse secretum. Tamen quoniam legimus in Genesi, a Deo paradisum esse plantatum secundum Orientem, & ibi esse positum hominem, quem plasmauit Deus: istius paradisi authorem tamquam dimus inuenire. Quis enim est, qui potuit fingere paradisum, nisi omnipotens Deus, qui dixit, & facta sunt, nunquam indigens eorum, quæ generari vellet. *idem*, *ibid*.

PARASITVS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

PArasitus, Græca dictio est παράσιτος, ου, est is, qui alioru mensam & cibaria sequitur. Componiturque ex παρὰ quod significat iuxta, & σῖτος, ου, quod esculentum significat: quare parasiti vocantur, qui ad voluptatem eius in cuius contubernio sunt, loquuntur & faciunt, nihil repugnantes, cibi & ventris gratia. Hinc diminutiuum parasitaster, quod non significat paruum parasitum, sed parasitorum imitatorem. In aster enim nomina desinentia potius imitationem, quam diminutionem significant eius a quo descendunt.

Quidam existimant parasitos ab Hebræis *Lahbegh*, *malhegh*, sanniones facetos, sed subsannatores subsannantes nominari, vt disertis verbis cecinit vates sacer, *Psal*.35.16. mensarum nempe sectatores, qui omnia faciunt ad placitum eorum quos deuorant & rident. Nonnulli ad huiusmodi quisquilias hominum referunt. v. 9.*Psal*. 12. in quo queritur Dauid nebulones quosdam, quos *zalleth*, vocat, i. vilitates, sordes, (*ordure*, *racaille*.) inter filios hominum exaltari. Verbum *zalal*, a quo *zalloth*, significat, in luxu vixit, comessatus est, nimia profusione bona sua dilapidauit. Metaphorice denotet hominem impurum, vilem, gastrimargiæ addictum (*vn ventre*) qui ex flamma cibum petere paratus est, qui tantum delectatus crapula & intemperanti voracitate. En parasiti tabella, cuius similes a comicis Græcis & Latinis vario penicillo, sed nostros colores mutuante, depinguntur.

SIMILITVDO.

Phauorini. Quemadmodum Actæon ab alumnis suis canibus interijt: Sic parasiti eos, a quibus, aluntur, pessundant. *apud Stob*. *ser*.12. *& Max serm*.

ADAGIA.

Musca. μυῖαι.

Olim dicebantur, qui delectabantur aliena mensa, quos Plautus muribus comparat, semper alienum edentibus cibum. Apud Athenaum, lib.6. parasitus quispiam se muscam confitetur.

Δεῖπνον ἄκλητος μυῖα. *Id est: Quod inuocatus exuisare amo musca sum.*

Myconiorum more. *μυκονίων δίκην.*

Myconiorum more dicebantur ad conuiuium accedere, qui vltro venirent, non vocati.

Quadra propria.

Nihil æque sane, vt cibus proprius domi sumptus. At Dij Homerici malunt inuitari ad nitores hostiarum, quam viuere οἰκόσιτοι.

Muris in morem.

Plautus in Capt. Quasi mures semper edimus alienum cibum. In parasitos dictum, quibus iucundum est aliena viuere quadra. Qui & Græcis prouerbiali verbo μυοπολεῖν dicuntur, qui muris in morem cibi causa obambulant oberrantque. Indicat hoc Hesychius. Den frass nachgehen. schmorotzen.

Αὐτολήκυθοι.

Dicebantur, qui non ex animo, sed ventris causa colerent amicos, inde consi-

Ea voce, quo sponte ad Lecythum commearent, & inuocati praesto essent in conuiuijs.

Ἀλλοτριοφάγοι.

Vocantur, quibus dulce est aliena viuere quadra. Schmorotzer. Teller schlecker.

Κατὰ χειρῶν ὕδωρ. Schmecke den Braten. Sueeb den Trunck.

Apud Athenaeum refertur: Orta disceptatione, quanam aquarum esset optima, cum alij praeferent Lernaeam, alij Pirenaeum, alij aliam Carneus iuxta Philoxeni sententiam dixit: τὸ κατὰ χειρῶν ὕδωρ ὕδιστον Suauissimam aquam, quae manibus infunditur, quod ea declaret coenam esse paratam.

Feruet olla, viuit amicitia. Ζῇ χύτρα, ζῇ φιλία.

In eos dicitur, quos patera non beneuolentia conciliat.

EMBLEMA.

In Parasitos:

Andr. Alciati. Emblema XCII.

Quos tibi donamus, fluuiales accipe cancros:
Munera conueniunt moribus ista tuis.
His oculis vigiles, & forfice plurimus ordo
Chelarum armatus, maximaque aluus adest.
Sic tibi propensus stat pingui ab domine venter,
Permutique pedes speculaque apta pedi.
Cum vagus in triuijs, mensaq; sedilibus erras,
Inq; alios mordax scommata falsa iacis.

PARENS, PARENTES.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Parens, Graece γονεύς, γεννήτωρ. Est autem parens non modo pater & mater, vt vulgus putat, sed auus, proauus, & auia proauia. Quin etiam Caius Iurisc. sentit, omnes superiores parentea appellatione contineri. Venit autem parens a pario, paris. Est enim parere, foetum emittere, quod proprium foeminarum est. Dicitur etiam de viris. Caecilius: Hic vicinus noster perperisse se filium memorat, hoc est, genuisse. Metaphoricos etiam parere est acquirere, comparare. Virg. Ite, ait, egregias animas, quae sanguine nobis Hanc patriam peperere suo, decorate supremis Munerib. A parens parentare deducitur, quod proprie est parentibus iusta celebrare. Et parentalia conuiuia, quae in parentum aut propinquorum mortibus fieri consueuerunt. Et parricida, qui parentem occidit, & crimen ipsum parricidium. Is autem, qui patrem occidit, dicitur patricida, qui & Graece πατροφόνος dicitur, & qui matrem, matricida, qui & Graece μητροκτόνος dicitur, scelusque ipsum parricidium, & matricidium appellatur.

Parens, Heb. *Ioledh*. Parentes *Ioledhim*, Obstetrix quae iuuat matrem parientem *Ialedeth*, Obstetrices *Ialledoth*, de patre dicitur, *Ialadh*. vt & de matre, id est, genuit, generauit: & de patre, *Holidh*, in tertia coniugatione, id est, genuit, fecit parere: *Ieledh*, *Moladh*, *Ialedh*, & *Illodh*, Natus, puer, filius, infans: *Ialeddah*, puella, iuuencula, puellula.

SENTENTIAE BIBLICAE.

Honorandi sunt parentes cordialiter.

Audi, fili mi, verba oris mei, & ea in corde tuo quasi fundamentum constitue: Cum acceperit Deus animam meam, corpus meum sepeli: & honorem habebis matri tuę omnibus diebus eius. Memor enim esse debes, quae & quanta pericula passa sit propter te in vtero suo. Cum autem & ipsa compleuerit tempus vitae suae, sepelies eam circa me. *Tob.* 4.

Audi patrem tuum, qui te genuit, & ne contemnas, cum senuerit mater tua. *Prou.* 23.

Fili, suscipe senectam patris tui, & non contristes eum in vita illius: & si defecerit sensu, veniam da, & ne spernas eum in tua virtute. Eleemosyna enim patris non erit in obliuione, Nam pro peccato matris restituetur tibi bonum, & in iustitia aedificabitur tibi, & in die tribulationis memorabitur tui: & sicut in sereno glacies soluentur peccata tua *Eccl.* 3.

Diligenter.

Qui timet Dominum, honorat parentes, & quasi dominis seruiet his, qui se genuerunt. *Ibid.*

Honora patrem tuum, & gemitus matris tuae ne obliuiscaris, & retribue illis, quomodo & illi tibi. Memento, quoniam nisi per illos natus non fuisses. 7.

Filij obedite parentibus per omnia: hoc enim placitum est Domino. *Coloss.* 3. 5.

Affectualiter propter Dei iussionem.

Vnusquisque patrem suum & matrem suam timeat. *Exodi* 20. *Leuit.* 19.

Honora patrem tuum & matrem, sicut praecipit tibi Dominus. vt longo viuas tempore, & bene sit tibi in terra, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi. *Deut.* 5.

Quare vos transgredimini mandatum Dei, propter traditionem vestram? Nam Deus dixit: Honora patrem & matrem: & qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis: Quicumque dixerit patri vel matri, Munus quodcumque est ex me, tibi proderit, & non honorificabit patrem suum aut matrem suam. *Matth.* 15.

Ob boni consecutionem.

Corona senum filij suorum: & gratia filiorum patres eorum. *Prouerbior.* 17.

Sententiam patris audite filij dilecti, & exequimini eam, vt saluemini: Dominus enim patrem liberis honorabilem reddit & sententiae matris attribuit authoritatem in filios. *Eccl.* 3.

In opere & sermone, & omni patientia honora patrem tuum, vt superueniat tibi benedictio a Deo, & benedictio illius in nouissimo maneat. Benedictio patris firmat domos filiorum: Maledictio autem matris, eradicat fundamenta. *Ibid.*

Sicut qui thesaurizat, ita & qui honorificat matrem suam. *Ibid.*

Qui honorat patrem suum, vita viuet longiore: & qui obedit patri, refrigerat matrem. *Ibid.*

Filij obedite parentibus vestris in Domino: hoc enim iustum est: Honora patrem tuum & matrem tuam, quod est mandatum primum in promissione, vt bene sit tibi, & sis longaeuus super terram. *Ephes.* 6.

Mali euasionem.

Qui percusserit patrẽ suum aut matrem, morte moriatur. Qui maledixerit patri suo aut matri, morte moriatur. *Exod.* 21.

Maledictus, qui non honorat patrem suum & matrem suam. *Deuterono.* 27.

Qui affligit patrem, & expellit matrem, ignominiosus erit, & infelix *Prou.* 19.

Qui maledicit patri & matri, extinguetur lumen eius in medijs tenebris. 20.

Qui subtrahit aliquid a patre suo, & a matre, & dicit, hoc non esse peccatum, particeps homicidae est. 28.

Oculum eius, qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suae, suffodiant eum corui de torrentibus, & aquilae pulli deuorent. 30.

Ne glorieris in contumelia patris tui, non est enim tibi gloria, sed confusio. Gloria enim hominis ex honore patris est, & dedecus filij, pater sine honore. *Eccl.* 3.

Quam malae famae est, qui relinquit patrẽ: & est maledictus a Deo qui exasperat matrem. *Ibid.*

LOCI BIBLICI.

Parentes honorandi & timendi, *Exod.* 20. 12. *Leuit.* 19. 3. *Deut.* 5 *v.* 16. *&* 27. 16. *Prou.* 23. 22. *Matth.* 15. 4. *&* 19. 19. *Marc.* 7. 10. *&* 10. 19. *Luc.* 18. 20. *Ephes.* 6. 2. *Coloss.* 3. 20. Parentes non irridendi, *Prouerb.* 30. 17. non percutiendi, nec eis maledicendum, *Exod.* 21. 17. *Leuit.* 20. 9.

Parentibus honorem deferre, est illis benefacere. *Matth.* 15. *v.* 5. 6. *Marc.* 7. *v.* 10. 11. 12. parentibus manus violentas inferentes morte digni, *Exod.* 21. 16. parentib. non maledicendum, aut mortem subeundum. 21. *v.* 17. *Leuit.* 20. 9. *Matth.* 15. 4. *Marc.* 7. 10. parentib. non nocendum, *Prou.* 28. 24.

Parentum amor Christi amori cedere debet, *Matth.* 10. 37. *Luc.* 14. 26. parentum in liberos, in matrimonio obeundo, authoritas, 1. *Cor.* 7. 30. *Exempla*, Isaac, *Genesis* 28. 1. Manue, *Iudicum*, 14. 2.

PATRUM SENTENTIAE.

Amandus est generator, sed praeponendus est creator. *Augustin. in quodam serm.*

Est approbanda liberalitas: vt proximos seminis tui non despicias, si egere cognoscas. non tamen vt illi ditiores fieri velint ex eo, quod tu potes conferre in opibus. *Ambr. de offic.*

Non iniuriose negligit matrem, nec mater negatur, quae de cruce etiam agnoscitur. Religiosiores monstrantur copulae mentium, quam corporum, & corporali necessitati praescriptorum coelestiũ forma praefertur. *In Lucam.*

Primus gradus pietatis est iste, vt quos anthores tibi voluit esse Deus, honores obsequijs, abstineas contumelijs, nec vultu lędẽda est pietas parentum. *In Matth.*

Meretur caecitatis suę subire supplicium, qui parentum vultus toruo visu despexerit, & elatis oculis laeserit pietatem. *Hieronym. in Matth.*

Si te caro a patre separat, tam diu noscas carnis copulam, quãdiu ille suum nouerit creatorem. *Ibid.*

Ob amorem Christi omittẽda est sepultura patris, post cuius amorem nullus relinquitur inhumatus. *Ibid.*

Gladium tenet hostis, vt me perimat, & ego de matris lachrimis cogitabo. *Ad Heliod.*

Si necessitas venerit, vt amor parentum siue filiorum amori Dei comparetur, & non possit vtrumque seruari, odium in suos, pietas in Deum seruanda est. *In Matth.*

Diligamus illos, qui nobis cognatione coniuncti sunt, & quos proximos nouimus, diligamus, & quos aduersarios in via Dei compatimur odiendo & fugiendo nesciamus. *Gregorius in Euangelia.*

Fili, vinum non habent? Quid mihi & tibi est mulier? Vt quid

fratres

fratres, sic respondit Christus: vtique propter nos: vt conuersos ad Deum iam non sollicitet carnalium cura parentum: & necessitudines illæ non impediant exercitia spiritualia. Quàdiu enim de mundo sumus, debitores nos constat esse parentum: at postquam reliquimus nosmetipsos, multo magis ab eorum sollicitudine liberi sumus. *Bern super Cant. serm. 24.*

Non licet simpliciter odio habere parentes, sed si voluerint plus diligi, in hoc odio habeantur. *Chrys. in Matth.*

Dum Christus persuaderet populo, quod esset Filius Dei, Diabolus procurauit aduentum matris, vt turbæ videntes parentes carnales, diuinitatis eius obscurarent naturam. *In Matth. 12.*

Docet nos Christus vsque ad vltimam respirationem parentum diligentiam habere: quia enim alijs multis verbis distantibus nihil dixit: docet nos plus aliquid impendere parentibus. *In Ioan. 19.*

Quod est in herbis, aut in arboribus humor, hoc est in hominibus amor. Sicut enim herbæ ex humore nascuntur, & crescunt, sic homines per amorem incipiunt, & augentur. Humor quidem de radicibus ascendit in herbam, de herba autem non reuertitur ad radices, sed sursum transmittitur in semen: sic & amor de parentibus ascendit in filios, de filijs autem non reuertitur ad parentes. Ideo parentes quidem diligunt, sed non sic diliguntur a filijs, quia sicut herba non deorsum, sed sursum ad semen transmittit humorem: sic & homo non ad parentes, sed ad procreãdos filios transmittit affectum. *In Matth. 19.*

Viscus amor possessionis, affectus cogitationis, cupiditas honoris, voluptas carnis, quibus anima irretitur, ne penitus contemplationis per plateas Ierusalem currere possit. *Beda in Matth. 19.*

Filios & parentes, si aduersi sint, alienata debemus voluntate contemnere. Sæpe enim, quos flamma non terruit, quos ferrum non subdidit, necessitudinum blandimenta flexerunt. *Cass. in Psal. 119.*

Quem alienum tibi fidum inuenies, si tui hostis fueris? Qui fallere audebit parentes, qualis erit in cæteros? *Cass. in epist.*

POETARVM DICTA.

Ter. Adelph. 1. 1.

Hoc patrium est, potius consuefacere filium,
Sua sponte recte facere quam alieno metu.
Hoc pater, ac dominus interest, hoc qui nequit,
Fateatur nescire imperare liberis.

Iuuenal. 4.

Plurima sunt, Fuscine, & fama digna sinistra,
Et quod maiorum vitio sequiturque minores,
Et nitidis maculam, ac rugam figentia rebus,
Quæ monstrant ipsi pueris traduntque parentes,
Si damnosa senem iuuat alea: ludit & hæres
Bullatus, paruoque eadem mouet arma fritillo, &c.
Sic natura iubet: velocius & citius nos
Corrumpunt vitiorum exempla domestica, magnis
Cum subeunt animos auctoribus.

Iuuenal. 14.

Nam si quid dignum censoris feceris ira,
Quandoquidem similem tibi se non corpore tantum,
Nec vultu dederit, morum quoque filius, & cum
Omnia deterius tua per vestigia peccet,
Corripies nimirum, & castigabis acerbo
Clamore, ac post hæc tabulas mutare parabis,
Vnde tibi frontem, libertatemque parentis,
Cum facias peiora senex, vacuumque cerebro
Iampridem caput hoc ventosa cucurbita quærat?

Iuuenal. 14.

Nam quisquis magni census præcepit amorem,
Et læuo monitu pueros producit auaros.
Et qui per fraudes patrimonia conduplicare
Dat libertatem, & totas effundit habenas
Curriculo, quem si reuoces, subsistere nescit,
Et te contempto rapitur metisque relictis.
Nemo satis credit tantum delinquere, quantum
Permittas: adeo indulgent sibi latius ipsi, &c.
Ergo ignem, cuius scintillas ipse dedisti,
Flagrantem late, & rapientem cuncta videbis.
Nec tibi parcetur misero, trepidumque magistrum
In cauea magno fremitu leo tollet alumnus.

Ter. Heaut. 5. 2.

Matres omnes filijs
In peccato adiutrices, & auxilio in paterna iniuria
Solent esse.

Plaut. Pseud.

Egon' patri surripere possim quidquam tam cauto seni?
Atque adeo si facere possem, pietas prohibet.

Ter. Adelph. 1. 1.

Quæ fert adolescentia.
Ea ne me celet, consuefeci filium:
Nam qui mentiri, aut fallere insueuerit patrem, aut
Audebit, tanto magis audebit cæteros.

Plaut. Pseud.

Probum patrem esse oportet, qui gnatum suum
Probiorem, quam ipsus fuerit, postulet.

Plaut. Stich.

Gratiam a patre si petimus spero ab eo impetrassere:
Ad aes fas non dedecere, & scelere summo haud possumus
Neque ego factura sum, neque tu vt facias: consilium dabo,
Verum vt exoremus, nam ego nostros exorabilis sit.

Sen. Hipp. Act.

O nimium potens:
Quanto parentes sanguinis vinclo tenes
Natura, quam te colimus inuiti quoque.
Occidere volui noxium amissum fleo.

Plaut. Trin.

Feceris par tuis cæteris factis, patrem
Tuum si percoles, per pietatem.

Verinus.

Et verbo & facto patris sit regula nati,
Optima sitque omni tempore norma pater.

Phocylid.

Παιδί ζ' δὲ μὴ χαλέπους τεῦχ', ἀλλ' ἤπιος ἴσθι.
Ην δέ τι σοι παῖς ἀλιτη, κολαζέτω ὄντα μητηρ.
Η και πρεσβύτατοι γενεῆς, ἢ δημογέροντες.
Filijs ne irascere tuis, sed indulgens sis,
Si vero quid filius erraverit, castiget filium mater.
Vel maiores natu familiæ, vel populi seniores.

Pittacus.

Μὴ ἔριζε γονεῦσι δ' ἰκαια λέγης.
Noli contendere cum parentibus, etiamsi iusta dicas.
Τοκέας αἰδοῦ Parentes venerare.

Cleobulus.

Τοὺς τεκόντας ὑπομονῇ νίκα. *Parentes patientia vince.*

Ex Græcis Comicis.

Οὐ λυπεῖς γονεῖς πατέρας ἐν τιμαῖς ἔχειν.
Tibi sunt parentes primo honorandi loco.
Ἐλπίζε τιμῶν τοὺς γονεῖς, πράξειν καλῶς.
Colens parentes læta speres omnia.
Ικανῶς ἑαυτοῖς γηροβοσκεῖν τοὺς γονεῖς.
Alat parentes si senes, viuet diu.
Θεοὶ μέγιστοι τοῖς φρονοῦσιν οἱ γονεῖς.
Dij maximi parentes sunt mortalibus.
Πρὸς υἱὸν ὀργὴν οὐκ ἔχει χρηστὸς πατήρ.
Boni parentes ira nulla in filium.
Ἡδὺς γε πατὴρ φρόνησιν ἀντ' ὀργῆς ἔχων.
Suaue quid est pater prudentiam loco iræ habens.
Νόμιζε σαυτῷ τοὺς γονεῖς εἶναι Θεούς.
Persuade tibi ipsi parentes esse Deos.

PHILOSOPH. SENTENT.

In verbis per totam vitam parentes venerari maxime decet. Leuium enim volatiliumque verborum grauissima imminet pœna. *Plat. 4. de leg.*

Cuius pater & mater, vel horum parentes confecti senio, quasi thesaurus quidam domi iacentes sunt, nunquam aliud sibi tale simulachrum magis efficax domi suæ affuturum, si recte, vt decet, ab eo colitur. *Idem 11. de legib.*

Existimandum est, nullum apud Deos magis honorandum simulachrum nos habere debere, quam patres & auos senio confectos, matresque simul, quibus honoratis, Deus gaudet.

Preces parentum aduersus filios sæpe audiuntur. *ibid.*

Pater tria beneficia dat filio, est sibi causa Essendi generando, est sibi causa Nutriendi educando, & est sibi causa Disciplinæ informando.

Parentes amant suos filios, sicut sui aliquid existẽtes, filij autem parentes, vt ab his aliquid existens.

Parentes plus amant filios, quam è conuerso, quia magis sciunt parentes, quos filij sunt eis nati, quam filij.

Matres plus diligunt filios, quam patres, quia certiores sunt de his.

Mater potest abnegare filium, & non è conuerso, *Arist. lib. 8. Ethic.*

Omnis artifex diligit opus suum, & etiam ipsum magis diligit, quã diligatur ab opere, vt patet de parentibus respectu filiorum.

Matres plus amant filios, quam è conuerso. *Arist. l. 9. Ethic.*

Dijs, parentibus, & magistris, non potest reddi æquiualens. *Idem li. 9 Ethic. in princ.*

Qui dubitat, vtrum oporteat Deos venerari, aut parentes honorare non indiget ratione, sed pœna. *Idem lib. 8. Topic.*

Iniustissima quadam pari vindicta parentum ac Deorum violatio expianda est. *Valer. Max. lib. 1.*

Τοιοῦτος γίνου περὶ τοὺς γονεῖς, οἵους ἂν εὔξαιο περὶ σεαυτὸν γενέσθαι τοὺς σεαυτοῦ παῖδας.

Talis sis circa parẽtes, quales vtique precatus fueris circa teipsum tuos filios. *Isocr. in serm. admon. ad Demon.*

Qui filijs multis opibus prospiciunt, vt autem boni & egregij euadant,

dant, negligunt, simile quid agunt equos alentibus, qui belli disciplinam non docent, multum vero pabuli exhibent. Sic enim equos habituri sunt pinguiores, sed rerum, quas praestare oporte bat, imperitos. Eodem modo peccant, qui filijs agros multos comparant, ipsos met vero negligunt. Possessiones enim magni pretij aestimationem habebunt, ipsi autem viles eruut, cum contra oporteret custodientem re possessa pretiosiorem esse. Itaque si quis filium magni pretij hominem effecerit, quamuis paucas opes ei reliquat, multa tamen largitus est. Animus enim facit, vt res multae aut paucae appareant: quippe bono quicquid possidet, moderatum est, rudi autem & inepto modicum. *Socrates apud Xenophontem.*

Surdum te parentibus tuis praestat bono animo mala precantur: & si vis esse felix, ora Deos, ne quid tibi ex his, quae optarur, veniat. Non sunt bona, quae in te congeri volunt. *Seneca 11. epist.*

Iam non admiror, si omnia nos a prima pueritia mala sequantur: inter execrationes parentum creuimus. exaudiunt Dij quoque nostram pro nobis vocem gratuitam. *ibid.*

Contempsit tibi omnium opto, quotum tibi parentes copiā optauerunt. *Epist. 31.*

Par est parentibus definitum ex vtrisque praemium, & à natura, & à lege, iuste referre, & vltro soluere. *ex orat. quarta, contra Philipp. Demosthen.*

Equidem cum perfidum, & Dijs inuisum non modo hominibus esse existimo, qui parentes negligit. *ex orat. 1. epist.*

Vbi pater est & filij iam viri facti, fortasse & eorum liberi, ibi necesse est varias, & nulla in re similes esse voluntates, non enim ijdem sunt sermones, & facta iuuentutis, quae senectutis: veruntamen adolescentes, quecumque agunt, si modo sint modesti, sic faciunt potissimum, ve clam habere conentur, & ne parentes, & senes offendant, celare id student, & senes vicissim, si forte lumpuia iusto maiores viderint, aut potationem, aut ludos immoderatos: sic ista videnr, vt non vidisse videantur. *ex oratio. 1. contra Aristogit.*

Parentes charissimos habere debemus, quod ab his vita, patrimonium, libertas, ciuitas tradita est. *Post redit. ad Senat. Cic.*

Parentibus nos primum natura conciliat, quos non alere nefarium est. *De Resp. Arusp.*

Cuiusmodicumque mater sit, tamen in iudicio filij de turpitudine parentis dici vix oportet. *Pro Cluent.*

Non modo reticere homines parentum iniurias, sed etiam aequo animo ferre oportet. *Pro Cluent.*

Magnam vim, magnam necessitatem, magnam possidet religionem paternus maternusque sanguis, ex quo si qua macula concepta est, non modo elui non potest, verum vsque eo permanat ad animum, vt summus furor, atque amentia consequatur. *Pro Ros. Amer.*

Vim neque parenti, neque patriae afferre oportet. *Cic. Lentulo, epist. famil. 1.*

Peccatum est, parentes violare. *3. de finib.*

Magna vis est humanitatis: multum valet communio sanguinis. Porrentum atque monstrum certissimum est esse aliquem humana specie & figura, qui tantum immanitate bestias vicerit, vt propter quos hanc suauissimam lucem aspexerit, eos indignissime luce priuarit: cum etiam feras inter sese partus, atque educatio, & natura ipsa conciliet. *Pro Ros. Amer.*

Nullum supplicium satis acre reperiri potest in eum, qui mortem obtulerit parenti, pro quo mori ipsum, res si postularet, iura diuina atque humana postulant. *Pro Ros. Amer.*

Nemo parricidae supplicio misericordia commouetur. *4. Tusculana. rum.*

Maiores nostri cum intelligerent, nihil esse tam sanctum, quod non aliquando violaret audacia, suppliciū in parricidas singulare excogitarunt: vt quos natura ipsa retinere in officio non posset: ij magnitudine poenae maleficio submouerentur: insui voluerūt in culeum viuos, atque ita in flumen deijci. Atque videntur hunc hominem ex rerum natura sustulisse & eripuisse, cui repente coelum, solem, aquam, terramque ademerunt: vt qui eum necasset, vnde ipse natus esset, careret ijs rebus omnibus, ex quib. omnia nata esse dicuntur. Noluerunt feris corpus obijcere, ne bestijs quoque quae tantum scelus attigissent, immanioribus vteremur: non sic nudos in flumē deijcere, ne cum delati essent in mare, ipsum polluerēt, quo caetera quae violata sunt, expiari putantur. Denique nihil tam vile, neque tam vulgare est, cuius partem vllam reliquerint: Etenim quid tam est commune, quam spiritus viuis, terra mortuis, mare fluctuantibus, littus eiectis? ita viuunt dum possunt, vt ducere animam de coelo non queant: ita moriūtur, vt eorum ossa terra non tangat: ita iactantur fluctibus, vt nunquam abluantur: ita postremo eijciuntur, vt ne ad saxa quidem mortui conquiescant. *Pro Ros. Amerino.*

Non vides, quemadmodum teneram liberorum infantiam parentes ad salubrium rerum patientiam cogant? Flentium corpora ac repugnantium diligenti cura fouent: & ne membra libertas immatura detorqueat, in rectum exitura constringunt, & mox liberalia studia inculcant, adhibito timore nolenti b. Ad vltimum audacem iuuentam frugalitati, pudori, moribus bonis, si parum sequitur, coactam applicant. Adolescentibus quoque ac iam potentibus sui, si remedia metu aut intemperantia reijciuntur, vis adhibetur ac saeuitus. Itaque beneficiorum maxima sunt, quae a parentibus accipimus, dum aut nescimus aut nolumus. *Senec. lib. 6. de benef. cap. 24.*

Parentum amor, magis in ea quorum miseretur inclinat. *idem epist. 66.*

Parentum castigatio sic accipienda est, quomodo scalpellum, & abstinentia, & alia quae profutura torquent. *Idem l. 2. de Ira, c. 27.*

Pari vindicta parentum ac Deorum violatio expianda est. *Val. Max. lib. 1. cap. 1.*

Persae aiunt neminem vnquam patrem suum aut matrem suam occidisse: verum quotquot horum forte acciderunt, omni necessitate excussa, hos tandem deprehensos traduut aut subdititios aut spurios. Quippe verisimile neqnaquam videri aiunt, vt is qui verus parens sit a proprio filio interimatur. *Herodot. lib. 1.*

In parricidio nulla satis iusta causa ad sceleris patrocinium praetexi potest. *Iustin. hist. lib. 16.*

Non tam facile excusari potest parricidium quam fieri. Et, Aliud est parricidium, accusare innocentem occisum. *Spartian. in Caracal.*

Post Marij de Gallis deletis triumphum, Romanamque victoriam, incredibile facinus, & nunquam antea auditum vel cogoitū Romae, perpetratum est, quod versum in horrorem gaudium in tota vrbe funestauit. P. Malleolus quidam, seruis adiuuantibus, matrem suam interfecit, damnatusque parricidij, insutusque in culeum, in mare proiectus est. Impleuerunt que Romani & facinus & poenam: vnde & Solon Atheniensis decernere non ausus fuerat, dum fieri posse non crediderit & Romani qui se ortos a Romulo sciebant, etiam hoc fieri posse intelligentes, supplicium singulare struxerunt. *P. Diacon. hist. lib. 5.*

De amisso patre. DIAL. XLVI.
Francisc. Petrarch.

DOL.

Patrem amisi. R. Iustum est, vt quem praesentem querebatis, absentem quaeras, nec inuenias. Nihil aequius quam fastidita imperia frustra optari. D. Pium patrem amisi. R. Pium ille filium dimisit. Gratularer autem seni tuo, illud tandem illi accidit, quod sem per optauerat, te incolumi rebus humanis abijt. D. Pium patrem perdidi. R. Pius filius, nullam magis ob causam fortuitos casus timet, quam ne qua sibi incidens calamitas, patris animum merore conficiat, tuo iam tantum periculo securior viues, non erit, quo rumores de te impugnent, quem tua frangat aduersitas, quē tua debilitet aegritudo, quem tua mors perimat. D. Patrem amantissimum amisi. R. Incipias de alijs curare, qui te erit amplius non erit. Pietatem ab altero tibi exhibitam rependere alteri, rarò illi rependitur cui debetur. D. Pium patrem miser perdidi. R. Si pietatis ratio tibi constat, solare fortunam tuam recordatione praeteriti temporis. Coluisti parentem, & dum licuit pia semper in illū officia congessisti. Pater obijt, Pietas viuit, aliiqui est fateor, vnde per peruo moestus sis. D. Pater me moriens destituit. R. Fer naturae ordinem, prior eaijt, qui prior intrauerat, nec te ille destituit, sed praecessit. D. Amisi patrem. R. Nescis quid sit patrem perdere, nisi filium habuisti.

De patre bono. DIAL. LXXXII.

GAV.

Habeo patrem bonum. R. Bonum nosce tuum breue est. G. Patrem habeo optimum. R. Aut ille tibi luctum pariet, aut tu sibi. G. Indulgentissimus mihi est pater. R. si naturae ordo seruatur, magni fletus haereditas te manet, illumque si peruertitur. G. Patrē adhuc habeo. R. Vtere sedulo, fugitiua iucunditas patre senex. G. Patrem habeo grandaeuum. R. Non est locus inertiae. Festina carpere fructus extremos, tanquam ex arbore ruinosa. Charo lateri inhaere quantum potes, cupide illum vide, eeu confestim abiturum cupidusque audi, & extremos monitus memori mente recondito, desertum que veluti iter acturus necessarijs praemunite. Egebis illo consultore, quaeresque eum nec inuenies domi. G. Patrē habeo decrepitum. R. Propterea nouissima pietatis officia in illū congere dum licet, si quid nunc omiseris dolebis semper. G. Patrem prom habeo. R. Habes qui ante te mori cupiat, post te viuere metuat. G. Habeo patrem optimum. R. Habes quem priusquā habere desieris vix agnoscas, habes, & quem perditum suspirea.

APOPHTHEGMATA.

Socrates forte cum Lamproclo filiolo puerili ter ludens ab Alcibiade deprehensus & vehementer derisus est. At ipse: Non est, inquit, vt me parentem cum filio rideas tum oderatus, qui ignoras parentum in filios affectum, tacebis itaque donec & ipse liberorum generis similia tentaturus, & fortasse magis puerilia. *Aelian. lib. 12. de var. histor.*

Agesilaus quum miro esset affectu erga liberos suos dicitur aliquando arundine pro equo conscensa, vna cum pueris lusisse domi,

domi. Id cum forte vidisset ex amicis quidam, rogabat, ne cui di ceret, quod videret priusquam ipse quoque liberorum parens es set factus. Festive l. bindicans, eum lusum non esse leuitatis, sed pietatis: nec hoc quod agebat, videri posse ineptum ei, qui modo expertus esset, quam ingens sit affectus charitatis parentum erga filios. *Plut. in Lacon. apoph. & Ælian. lib. 12. var. histor. Simile cum superiore Socrati attribuitur.*

Anacharsis interrogatus qua de causa operam non daret proli? Respondit, quia nimis amaturus essem liberos. *Stob.*

Epictetus. Liberos doctiores, quam ditiores esse debere dicebat. *In Enchirid.*

Isocrates. Liberis pudorem magis quam aurum consulebat esse relinquendum. *In admonitionib. Erotici.*

Demetrius. Cum Erasistratus Demetrio Antiochi filij mentem qua mori destinarat indicasset, simulque fassus esset, huius affectionis causam esse amorem, Demetrius, qui adolescentem vnice adamabat: per omnia multis cum lachrimis cepit obtestari, vt illius incolumitati consuleret: cumque Erasistratus addidisset, immedicabile malum esse (quod is ipsius vxorem deperiret) hoc audito, Demetrius multo vehementius cepit obtestari, vt ob salutem filij cederet illi suam coniugem: Ista, inquit, ò pater, tibi facile dicuntur: sed aliud diceres si tuam coniugem Stratonicem adamaret. Hic cum rex Deo comprecaretur, vt liceret amorem filij commutare, & à medici coniuge in suam transferre, nihil se non facturum si modo liceret seruare filium: Erasistratus patris dextram amplexus: Nihil est (inquit) ò rex, in quo tu Erasistrato indigeas. Etenim eum & pater sis, & maritus, & rex, optimus eris tuæ familiæ medicus. Non enim in coniugem meam, sed in Stratonicem tuã Antiochus deperit. Posthæc Demetrius edixit, vt Antiochus rex, Stratonice, regina fil o esset, regina nominaretur. *Plut.*

Cæsetius eques Rom. cum à Cæsare filium abdicare iuberetur, quod is tribunus pl. Cum Marulo collega i inuidia mouisset regni affectari: Citius, inquit, Cæsar tu mihi omnes filios mens accipies quam ego ea his vnum domo expellam mea. *P. M. lib. 6. apoph.*

Teleucia. Chij exules cum Spartam venissent, multis odis Pædaretum incusabant. Eos Teleucia mater cum voc. sset ad se, explorans ea, quæ in filio reprehensione digna essent, scripsit hũc ad modum Filio, vt aut ignominiam omnem ablueret, autin patriã incolumis non veniret. *ibid.*

Anonyma. Filio iniuriarum postulato: Aut crimine (inquit) fili, aut vita te ipsum libera, Mater in filium seuerior, quam iudex: quæ extinctum maleba, quam cum ignominia viuum. *ibid.*

Alia. Quum accepisset, quod filius peregre agens inhoneste se gereret, scripsit illi: Malus rumor de te sparsus est, hunc tollito, aut non esto. *Plut. in apoph L æcænarum.*

Tennes. Is rex Tenediorum cum legem promulgasset, vt si quis adulterum deprehendisset, securi trucidaret, intellexit noa filium in hac legem peccasse. Vnde cum rogaretur quid faciendum esset? Lege vtendum, inquit, securi percutiatur, *Pausan. lib. 10. P. M. in adag. Tenedia bipennis.* De eadem seueritate Zeleuci Locrensis erga filium ob adulterium altero oculo priuatum. *Vide Cic. lib. 2. de leg. Stob. serm. 42. Ælian. var. hist. lib. 2. Valer. Max. lib. 6. c. 5.*

Socrates. Obiurgationem à patre factam, suaue medicamentum esse dicebat: plus enim, inquit, prodest quam mordet. *Stob.*

Idem ab vxore reprehensus, quod filiom immorigerum, & inutilem non admitteret, & cum illa subiecisset, atqui ea te est: in terram despuens, & hoc, subiecit, ex me est, at non vtile. *Max. serm. de honore parentum.*

Dionys. Philos. ridiculum esse dicebat, eum qui suis parceret alienos liberos castigare velle Anton. ferm. de parentibus liberorũ educationem neglectum curantibus.

L. Iunius Brutus filios suos tyrannidi fauentes, comprehensos, ipsemet pro tribunali sedens interrogauit, dicens: Quid vos ad crimina hæc? Vbi ter interrogati nihil respondetunt. Iam reliquæ, inquit, vestræ partes sunt. Eorum deinde supplicia fixis oculis est intuitus. Tauit patrem, vt consulem agere: orbusque viuere, quã publicæ vindictæ deesse maluit. *Liu. lib. 2. Valer. Max. lib. 5. c. 8.*

M. Scaurus audiens filium cum alijs ab hostium exercitu fugatis vrbem repetere, misit qui dicerent libentius se in acie eius interfecti offibus occursurum, quam ipsum tam desormis fugæ reum videre. Itaque si quid modo reliquum in pectore verecundiæ superesset, conspectum degener irati patris vitaret. Filius audito nuncio seipsum interfecit *Valer. Max. ibid.*

Manlius Torquatus: cum è Macedonia venissent legati, graues querelas deferentes de filio Decio Syllano, qui eam prouinciam obtinuerat, à senatu petijt ne quid ea de re statueret, priusquam ipse causam cognouisset. Cum senatus illi cognitionem detulisset, domi sedit, solus, vtrique parti per totum biduum vacauit, tertio die pronunciauit in hac formam: Quum Syllanum filium pecunias à socijs accepisse probatum fit, & Republica eum, & domo mea indignum iudico protinusque è conspectu meo abire iubeo. *P. M. lib. 6. apoph. ex Valer. Max. lib. 5. c. 8.*

A. Fuluius: filium ingenio, literis & forma florentem, quoniam in Catilinæ castra properabat, ex itinere retractum occidit, dicẽs: Ego te non Catilinæ aduersus patriam, sed patriæ aduersus Catilinam genui. *P. M. lib. 6. apoph. ex eod.*

SIMILITVDINES.

Chrysostomi. Vt humor quidem de radicibus ascendit in herbam, de herba autem non reuertitur in radices, sed sursum transmittitur in semen: Sic & charitas de parentibus ascendit in filios, de filijs autem non reuertitur ad parentes. Ideo parentes quidem diligũt filios, sed non sic diliguntur à filijs: quia sicut herba non deorsum, sed sursum ad semen transmittit humorem: Sic & homo nõ ad parentes, sed ad procreandos filios transmittit affectum. *In c. 6. Matth. homil. 23.*

Hierocles. Quemadmodum Phidiæ, aut aliorum artificum opera, si & ipsa rursus alia quæpiam facerent ea quoque non dubitaremus opera nominare artificum: Eodem modo actiones etiam nostræ parentum nostrorum opera esse dicentur, per quos nos nati sumus. *Apud Stob. serm. 77.*

Plutarchi. Vt scorpius non tantummodo putandus est habere aculeum, cum ferit, sed semper est obseruandus: Ita malis prognati, etiamsi non peccent, tamen venenum habent. *In Moral.*

P. M. Vt pisces in mari nati, educatique nihil tamen sapiunt salis marini: Ita quidam inter barbaros geniti, & educati longe absunt ab omni barbarie. *In simil.*

EXEMPLA BIBLICA.

Parentum erga liberos officia. Primo, liberos recte educare, & eos pro bonis habere *Exempla:* Iacob, *Genes. 35. 5.* Ioseph, *48. 9.* Secundo, diligere liberos *Exempla:* Iacob, *Genes. 42 ver. 36. 37.* Dauid, in quo magna storga paterna elucet, *2. Sam. 12. v. 16. 17.* Altera Meretrix, *1. Reg. 3. 26.* Tobias senior & vxor eius, *Tob. 5 23. & 10. 1. 2. 3. 4.* Tertio pietatem eos docere, *Exod. 12. 27. & 13. 8. 4. Deuter. 4. 10 & 6. v. 7. 20. & 11. 19. 7 32. 46. Iof. 4. 6. 7. 21. 22. & 22. 24. Psalm. 78. 4. 5. 6. Esa. 38. 19. Ioel. 1. 3. Ephes. 6. 4. Exempla:* Dauid, *2. Paral. 58. 9.* Mater Samuelis *Prou. 31. v. 1. 2.* Tobias senior, *Tob. 1. v. 9. 10. & 4. 6. & 14. 10.* Quarto, eos corrigere, & peccata eorum arguere, *1. Sam. 3. 13. Prou. 13 24. & 23. 13. & 29. 17. Hebr. 12. 7. Exemplum:* Iacob, *Gen. 34. 30.* Quinto, in eis corrigendis, & arguendis moderatione vti, *Ephes. 6. 4. Coloss. 3. 23.* Sexto, orare pro liberorum felicitate, & peccatis amoliendis *Exempla:* Dauid, *2. Sam. 15. 16. 5. Paralip. 29. 16.* Iob, *Iob 1. v. 5.* Septimo, tradere liberis faci lrates *Exemplar* Abraham, *Gen. 24. 36. & 15. v 5. 6.* Iosaphat, *2. Paral. 21 vers. 3.* Octauo, illis prospicere de matrimonio *Exempla:* Abraham, *Genes. 24. vers. 3. 4.* Agar, *21. 21.* Isaac, *28. 1.* Hemor, *3. 4. 4.* Iudas, *38. 6.* Manoe & vxor eius, *Iud. 14. v. 3.*

EXEMPLA PROFANA.

Ægeus procul nauim intuitus, qua Theseus filius ex Creta victor vehebatur, quod non candida essent illi vela, quæ filij incolumitatem, & lætitiam testarentur, sed funesta, & atri coloris, Themeum perisse ratus, ex alta specula in subiectum sese pelagus præcipitauit.

Gordianus senior Africæ proconsul, à Pœnis & exercitu aduersus Maximinorum crudelitatem imperator creatus, cum filium à Maximinis cæsum accepisset, præ mœroris magnitudine clam se in cubiculo suspendit.

Decius Imperator cum Decium filium suum imperiali diademate proponeret insigniri, renuit filius dicens: Vereor ne si fiam Imperator, dediscam esse filius. Malo non esse Imperator, & humilis filius, quam Imperator & filius indeuotus. Imperet pater meus, & quod meum imperium sit, parere humiliter imperanti. Nam pa ẽtum affectum exuit, qui mole superposita filium extinguit. Prius enim alendi, & nutiendi sunt pueri, & cum præcesserint, quos præcedere deberent, inuite adscendant. *Valer. Max. lib. 4.*

Herodes Iudæus falsis suspicionibus criminatos Aristobolum, & Alexandrum filios crudeliter in carcere necari iussit: vt non immerito Augustus diceret, malle se Herodis porcum, quam filium esse. Nam porcis non vtebatur: filios autem seuere occidebat. *Macrob.*

Iunius Brutus Romanæ libertatis assertor, duos adolescẽtes filios publice interfecit proditionis conuictos, quod de regibus, quos ipse eiecerat, in vrbem reducendis cum Aquilijs & Gelijs consiliũ agitassent. Magnum fortunæ ludibrium, vt domus ea, vnde publica libertas orta fuerat, propemodum extincta fit. *Plut.*

Manlius Torquatus filium securi percussit Latino prælio, quod contra imperium in hostem dimicasset. Nec profuit iuueni, quod hostilibus ornatus spolijs ad patrem rediisset: Valuit plus apud Manlium imperij maiestas, quam paterna pietas *Liuius.*

HIEROGLYPHICVM.

Paternam in filijs educandis *diligentiam* eamque accuratissimam exprimere si vellent veteres, *piscem Glanim* pingere instituerant.

Oua enim is, quæ femina destitueriot, perseuerantí custodia tuiatur, ad quadragesimum & quinquagesimum vsque diem, ab ijs deniquè non abscedit, donec ita coalescat soboles: vt ab reliquorũ piscium iniuria se tueri valeat. *Pier. Valer. lib. 31.*

F A B V L A.

De Leone & Homine.

Senex Leo, cum alia docere solebat filium suum, tum illi præcipere, ne vmquam cum homine congrederetur, ac depugnaret: animal enim illud est, inquit, mirificum, & inuictum. Leunculus illa quidem audiebat, sed non tangebant dicta animum. Cum adoleuisset & sentiret vires suas consummatas esse, progreditur quodam die, eo animo, cum homine vt prælium committere vellet. Videt que in agro coniugatos boues: accedit igitur, & rogat nũ homines sint. Illi quidem se homines esse negant, sed ab homine impositum iugum portare dicunt. Digressus ab his equum cõspicatur, cum strato, & frenis alligatum ad arborem. ibi ille huic, Tun homo, inquit, es? Minime ego quidem, inquit equus, sed homini seruio, & obtempero. Paulo post cernit quemdam in silua, qui ligna finderet, ad quem accurrens: Homo, inquit, videris esse. Ita est, inquit ille: pugnabis igitur mecum, inquit. Maxime, inquit ille, sed quæso te, distrahe prius hanc arborem, cui videa ferrum istud impactum. Incutit mox leo vngulas fissuræ arboris, & dimouit quidem eatenus, vt cuneus excideret: sed vis tanta nõ erat vt arborem distraheret, itaque partibus, vt fit, vtrinque redeuntibus, comprehensis pedibus. Illic hærebat captus Leo. At lignator clamores tollere, & de agro vndique vicinos aduocare contra Leonem. Hic vero cum se in discrimine esse animaduerteret, omnibus viribus adhibitis pedes de ligno retraxit, atque ita quidem, vngulas plerasque intra arborem vt relinqueret: ac reuersus ad suum patrem cum cruentis pedibus: Mi pater, inquit, si paruissem monitis tuis, vngulas non amisissem.

Fabula hortatur omnes vt in primis quidem parentibus, sed & alijs rectè monstrantibus libenter obsequantur, atque pareant.

Vide Filius, Liberi.

P A R S I M O N I A.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Parsimonia. Græce εὐδαιμονία & φειδωλία. [illegible] parcus, & φείδομαι, parco dicitur. Est autem parsimonia qua animi, honesti & vtilis causa, ne dispendium faciens, & bona sua, operum nomine, vel facultatum appellata, inutiliter inhonesteque consumant, sed tueantur, atque custodiant, prudenter considerant. Cuius contrarium est luxuria, seu luxus, & bonorum dilapidatio. videturq; parsimonia differre à frugalitate. quod *Parsimonia* est quid generalius: *Frugalitas* vero est propriè cibi potusque mentis frugi, ac bene compositæ moderatio: cuius contrarium voracitas. Cicero tamen frugalitatem dicit plura complecti, scilicet fortitudinem, iustitiam, prudentiam.

Parsimonia a parsi præterito huius verbi parco, venit. Est enim parcere inter alia, quæ habet significata, idem quod abstinere. Virg. *Parce pias scelerare manus.* Vnde parcere pecuniæ, abstinere ab expensione pecuniæ, siue parum expendere pecuniam, & parcere labori, id est, nihil, vel parum laborare. Hinc, vt diximus, fit parsimonia, quæ pro moderatione sumptuum, & parcitate, hoc est, conseruatione rerum accipitur. Ab eodem verbo venit parcus, qui frugi est, & sumptibus parcit, & parcitas, quæ idẽ est, quod Parsimonia.

Parsimonia, vel Parcimonia moderatio sumptuum, parcitas, frugalitas, parcus rerum vsus, vox media, quæ in malam partẽ sumpta, tenacitatem, illiberalitatem, sordes, auaritiam denotat. de qua vi *de etymologicon trilingue Lugduni anno 1627. aditum, pag. 568 & 569.* in voce, *Parcus.* Si in bonam partẽ sumas, virtus est, qua cauemus ne quod dispendium vltra modum fiat, & res familiaris (quo ad fieri potest) sine cuiusquam iniuria conseruetur, *Chilat.* Hebr. est parcus, qui aliquid vehementer appetit, tenax, illiberalis, auarus, *Chuche. taquin. tenant.* Gall. & in sinistram partem sumitur apud Isaiam, *c. 32. v. 5. 7.* nec alibi occurrit in V. T. Quandoquidem vero parsimonia laudata species est quædam iustitiæ distributiuæ, hinc fit, vt verbum *Chos*, quod significat pepercit conniuẽdo, misertus est, quo vtitur David *Psal. 72. 13.* à parcimonia res preciosissimæ, nempe sanguinis, & vita afflictorum ad facultatum conseruationem translatum etiam fuerit, & parsimonia, seu frugalitas *Chusan.* à nonnullis dicta sit, voce à verbo *Chos* deriuata.

Pleniorem proponamus parsimoniæ definitionem. Est virtus, quæ res proprias custodit, vtiliter collocat, vitat sumptus non necessarios, emacitatem, luxum, mutuationes, ædificationes, & tamen vbi postulat ratio, quantum opus est, expendit. Vicina virtus est liberalitati, eadem habens extrema. Sicut liberalitas auaritiæ, & tenacitati, eodem modo parsimonia profusionibus, & prodigalitati magis opposita est. Neque enim ad benefaciendum suppetere facultate, nisi parsimonia asseruentur, vt monet prouerbium, Bonus seruasius bonum facit, & ducit bonifacium.

Parsimoniæ partes ex definitione colliguntur. De emacitate fugiẽda occurrit Catonis dictum à Seneca descriptum, *epist. 91.* Eme non quod opus, sed quod necesse est. De mutuationibus obseruanda est Chilonis sententia, Comitem æris alieni esse miseriam. Extat de ædificationibus, & domesticorum, ac parasitorum turba distichon Græcum, ita conuersum:

Ædificare domos, & pascere corpora multa,
Ad paupertatem proximus est aditus.

Causæ efficientes sunt mandatum Dei, prudentiam, rei domesticæ honestam curam commendantis. Spiritus S. flectens mẽtes pias ad modestum victum, & cultum. Fines & effectus sunt. 1. vt Deo obedientiam debitam præstemus. 2. Nostras facultates conseruemus, & augeamus rationibus iustis, sine praua cupiditate, Hesiodi dicti memores;

Adde parum paruo, paruo superadde pusillum:
Fiet & hoc magnum: infelix pelletur egestas.

3. vt ad beneficentiam, & sumptus necessarios facultates nõ desint. *Plin. iun. lib. 2. epist. ad Gne.* Quod cessat ea reditu frugalitate suppletur, ea qua velut fonte liberalitas nostra decurrit, quæ tamen temperanda est, ne nimia profusione marescat.

Pugnantia sunt, 1. Profusiones in pompas inanes, vestes splendidas, luxum, ambitiosas ædificationes, conuiuia frequentia, indecentia, sumptuosiora, monstrosa. 2. Nimia tenacitas, sordities auaritia plane rustica, turpisque lucri insatiabilis cupiditas. 3. Negligentia, & ignauia in rebus proprijs custodiendis, suscipiẽdisque tempestiuis laboribus.

L O C I B I B L I C I.

Parsimonia rebellibus fit inutilis, *Deut. 28. 42.* commendatur, & auget opes, *Prou 13. 17 & 27. 25.* peccatori conuertitur in dãnum, *Eccl. 2. 27.* pijs modestiam parsimoniã colẽtibus, Deus fauet maxime, *Eccles. 5. v. 18. 19. 20.* Parsimonia probatur à Christo, iubente vt panem nostrum quotidianum petamus à patre cœlesti, *Math. 6. 11.* mandante discipulis suis, vt fragmenta panum, & piscium colligant, *Ioan 6. 12.* Apostoli mandato huic parẽt, & parsimoniã colunt, *Ioan 6. 13.* Exempla vitæ Patriarcharum, Prophetarum, Christi, Apostolorum, piorum omnium qui à mundo condito in Ecclesia Dei vixerunt, nihil aliudquam Temperantiam, frugalitatem, parsimoniam, nobis commendant. Luxus parsimoniæ oppositus damnatur passim. vide *Isa. 3. 17. &c. Luc. 16. 10. 1. Petr. 3. 3.* Reliqua vide T. *frugalitas, pigritia, studium sufficientia.*

Pulchra res victus tenuitas: documento mihi sit Elias qui apud viduam requiescebat: Ioãnes, qui cameli pilis tegebatur: Petrus, qui lupinis vnico asse emptis alebatur. *Nazian. orat. 16.*

P O E T I C Æ S E N T E N T I Æ.

Ouid. 2. Remed.

Non minor est virtus, quam quærere, parta tueri,
Casus inest illic, hic erit artis opus.

Ouid. 2. Remed.

Contrahe: de multis grandis aceruus erit.

Claud. 1. Stil.

Plus est seruasse repertum
Quam quæsisse decus.

Hor. 1. Epist. 12.

Fructibus Agrippæ Siculis, quos colligis Icci,
Si recte frueris, non est, vt copia maior
Ab Ioue donari possit tibi, tolle querelas:
Pauper enim non est, cui rerum suppetit vsus.

Lucret. 5.

Diuitiæ grandes homini sunt, viuere parce,
Æquo animo, neque enim est vmquam penuria parui.

Phocy lides.

Ἀρχόμενος φείδευ πάντων, μὴ τέρμ' ἐπιδεύῃς.
Cum incipis parsimonia vtere in omnibus, ne in fine indigeas.

Hesiodus.

Ἀρχομένου δὲ πίθου καὶ λήγοντος κορέσασθαι,
Μεσσόθι φείδεσθαι· δειλὴ δ' ἐνὶ πυθμένι φειδώ.
Incipiente autem dolio & finiente satiare:
Sed in medio parsimonia vtere: grauis in fundo parsimonia.

Lucianus.

Ὡς τεθνηξόμενος τῶν σῶν ἀγαθῶν ἀπόλαυε,
Ὡς δὲ βιωσόμενος φείδεο σῶν κτεάνων.
Ἔστι δ' ἀνὴρ σοφὸς οὗτος, ὃς ἄμφω ταῦτα νοήσας,
Φειδοῖ καὶ δαπάνῃ μέτρον ἐφηρμόσατο.
Tamquam moriturus tuis bonis fruere:
Tamquam autem victurus parce tuis possessionibus.
Est autem vir sapiens hic, qui ambo hæc cognoscens,
Parsimoniæ & sumptui mensuram aptauit.

Thomas Morus ita reddidit versibus elegiacis.

Vtere diuitijs tamquam moriturus, & idem
Tamquam victurus parcito diuitijs.

Parcere

Pauetro diuitijs qui tempore nititur, & vti,
Ille modum seruans inter vtrumque sapit.

ΑΠΟΦΘΕΓΜΑΤΑ.

Xenophontis sententia vulgo celebratur: Non tam graue esse bona non accipere, quam acceptis priuari. *Stob. serm.* 13.

Demosthenes dicere solebat plurimos hominum parare quidem diuitias bene consulendo, nihilque contemnendo: sed non ijsdem artibus ipsas conseruari posse. *Stob. eod. serm.*

August. Cæs. deridere solebat Alexandri Macedonis dictum, qui ad consodales suos frequenter dictitabat, nihil sibi à Philippo patre relinqui, quod ageret. Nec quidem immerito derisit adolescẽtis stultitiam, qui non cõtentus erat regionibus à patre subactis, sed ipse quoque bello plures sibi parare studebat: ignorans præcipuam curam eo referendam esse, nõ vt multa possideamus, sed vt iam parta tueamur. Non minor enim (vt ille ait) virtus est, quã quærere, parta tueri. *Plut. in Rom. apoph.*

Socrates Aeschinem, qui premebatur inopia, solebat admonere, vt à seipso sumeret mutuum, siue vsuram παρὰ ἑαυτοῦ δανείζεσθαι. & addit modum, sibi ipsi subtrahendo cibaria, iuxta illud, *Magnum vectigal parsimonia.* Expeditissima ratio est augendi censum, detrahere sumptibus. *P. M. l. 3. apoph.*

Demetrius, qui parci præter modum sunt, instar apicularum, inquit, operantur, tamquam perpetuo victuri. *Stob.*

Idem. Parsimoniam & esuriem bonam esse dicebat; suo autem tempore, sumptus etiã. Patro (inquit) vir bonus hæc discernet. *Stob.*

Idem. Stolidos parcorum filios, vbi quid a patria illa consuetudine tenaci, & exquisita deciderint, perire dicebat: non secus quã qui inter gladios saltant, si vel semel aberrauerint in vnico gladio, vbi pedibus niti debebant, intereunt. *Stob. serm.* 16.

Idem. Vitam nimis parcam, & sine festiuitatibus, longam viam sine diuersorijs esse dicebat. *Eod. serm.*

Stratonicus musicus interrogatus, quinam essent in Pamphylia miserrimi, Phaselitæ, inquit: sed addebat, in toto orbe miserrimos esse Sidetas. Vtraque gens est in Pamphylia, Phaselitarum sordes prouerbio notatæ sunt, Phaselitarum sacrificium: quod salsis pisciculis sacrificarent. Bis miseros dixit parcos.

Alexander, cum hieme frigidoq; cœlo apud amicum quemdã conuiuio exciperetur, videretq; foculum exiguum, & ignis pusillũ: Aut ligna, inquit, inferte, aut thus. Subnotans, conuiuatorem lignis suis parcere, perinde quasi thus essent, simul satis esse ignis ad faciẽdum suffitum Dijs, at parum ad depellẽdum frigus. *Plut.*

Bithus parasitus, quum Lysimachus rex vesti ipsius curasset affigendum scorpium ligneum, aut (vt Plutarchus ait) rubetam, pulchre assimilatum vero, perturbatus resilijt. Ridentibus omnibus, vbi dolum sensit: Et ego, inquit, te vicissim terrebo, Rex. Quum ille dixisset, Fac: Da mihi, inquit, talentum: exprobrans Regi sordes, & parsimoniam. *P. M. lib. 8. apoph.*

Gnathæna. Quum quidam vini paulum infudisset in psycterium (id est, vasculi genus refrigerando vino paratum) diceretque hoc vinum sexdecim annorum est. Pusillum est, inquit, pro tot annorũ ætate. *Hæc ipsum ascribitur Phrynæ. P. M. lib. 6. apoph.*

Anonymus. Seruus quidam ab hero Chio negociatore profugerat. Rogatus cur fugisset? Quoniam, inquit, quum adsint bona, mala quærit. Solet enim herus ille vinum multum primæque suauitatis vendere, ipse interim non bibens nisi subacidum, ac vapescens. *P. M. l. 6. apoph. ex Plut.*

Theocritus multos diuites non dominos rerum suarum, sed tutores esse dicebat. *Stob. serm de parcitate.*

Eusebius. Virum qui magnas opes reconditas habuerit, nec aliam ob caussam, quam vt reponat, conquirentem, quo semper aliquid præsentibus addat, & si locupletem, nihil tamẽ neque sui, neque alterius vtilitatis gratia insumentem, haud quaquam diuitem esse dixerim, sed parandis natum, qui sæpenumero sibi labores creet, & res nihil ad se pertinentes augeat. *idem, ibid.*

Idem. Vir cui magnæ sunt opes reconditæ, quibus pro suo arbitrio ad res necessarias vti non audeat, similis est ærario quæstori publicum thesaurum suum esse persuaso. Quantum enim ad opinionem, ex æquo vterque diues est. Vsum vero diuitiarum, qui proprium est possidenti, non hic magis quam ille habet. *ibid.*

SIMILITVDINES.

Socratis. Hominis pecuniæ amantis, & tenacis diuitiæ, quemadmodum sol post occasum, neminem viuentium exhilarant. *Stob. serm. de parcitate.*

Idem. Pecuniam amantium, & tenacium vita similis est funerali cõuiuio. Omnia enim cum habeat, hominem qui præsentibus liberaliter fruatur non habet. *ibid.*

Theopompi. Quemadmodum apiculæ per totam æstatem flosculis insultantes mel colligunt, non reddunt autem sua sponte ad vsum hominibus: Ita homo tenax vndique corradit omnia, tamquam perpetuo victurus, nec dat, nisi coactus quodammodo. *Apud Stob.*

Stobæi. Quemadmodum qui inter gladios saltant, si vel semel aberrauerint in vnico gladio, vbi pedibus niti debebant, intereunt: (est vero difficillimum, ne in vno quidem aberrare, cum sola pedum angusta vestigia relinquantur:) Sic stolidi parcorum filij, vbi quid à patria consuetudine exquisita illa, & tenaci deciderint, perire solent. *Serm.* 14.

Polyanthea Nouiss.

Plut. Vt in conuiuijs temperamus ab appositis cibis, quo locus sit lauticijs, quas expectamus: Ita quotidiana parsimonia præmuniendi sumus. *In Moral.*

Plato vetat aquam a vicinis petere nisi prius domi foderis vsque ad terram, quam ceramitidem vocant, reperetisque non esse spẽ venæ: Ita prius excutiendum, vt parsimonia, aliave via tibi suppedites, priusquam à mensarijs pecuniam mutuam petas. *In Mor.*

Templum Ephesiæ Dianæ tutos reddebat obæratos à creditoribus. At multo magis frugalitas, & parsimonia præbet asylum. *In Moralib.*

ΑΔΑΓΙΑ.

Tribus minis insumptis, duodecim imputat. τρεῖς μνᾶς ἀναλώσας, λογίζεται δώδεκα.
Quadrabit in eos, qui non nisi compendij sui gratia colunt amicos, & pro quouis exiguo officio multum beneficiorum expectant.

Vulgo item aiunt: *Pileum donat, vt pallium recipiat.* Er vvurfft ein Vvurst nach einer Seitenspeck.

Cumini sector. *Aristot.*
Impendio parcus, ac sordidus, olim prouerbio κυμινοπρίστης. Id est: Cumini sector dicebatur. Ein kuess den Pfennig.

Ficus diuidere. σῦκα μερίζειν.
Vnde licebit & cognomen fingere, συκοπρίστης. Martial.
Quadraginta secat, qui dicit, σῦκα μέριζε.
Sordidum, ac parcum significans etiamsi ditissimum.

Nullus emptor difficilis, bonum emit obsonium. οὐδεὶς δύστροπος ὠνητὴς χρηστὸν ὀψώνιον ἐπρίατο.
Conuenit in eos, qui paululo labore conantur egregias assequi literas. Vvle Gelt, so Vvaar.

E Patroclis domo venit. ἐκ Πατροκλέους.
In sordidos. Sumptum à moribus Patroclis, cuiusdam Atheniensis, prædiuitis quidem, verum impendio parci sordidique.

Cochleæ vita. κοχλίου βίος. *Plut.*
De ijs, qui parce parteque viuunt, aut contracti à negocijs, luceque forensi semoti.

Ex phelleo venire. ἐκ φελλέως ἐλθεῖν.
Dicebantur, qui ex humili fortuna asperaque vita ad dignitatem emersissent.

In ventrem insilire. εἰς τὴν γαστέρα ἐναλλεσθαι.
Id est. In ventrem irrumpere, dicitur, qui curam omnium ad cibum, ac potum confert.

Cradophagus. κραδοφάγος.
Rusticum ac sordidum veteres κραδοφάγον per iocum appellabant, quasi κραδοφάγον Nam κράδας vocabant arboris fici folia. Iidem dicebantur βαλανηφάγοι, quasi prisco more glandibus viuentes.

Τρυγοβίοι.
Homines sordidos, ac parcos olim popularis iocus τρυγοβίους appellabat, quasi fæce victitantes. Qui splendidiores sunt, vbi ventum est ad fæcem, aperiunt aliud vas.

Luto lutulentior.
Auaros quæstusque supra modum auidos, impuros ac sordidos dicimus.

Pediculi Platonis. οἱ Πλάτωνος φθεῖρες.
Myronianus nullum indicat vsum prouerbij: suspicari tamen licet dictum in sordidos, quod Philosophi non nimium indulgeant motoribus externis, dum circa mentis cultum toti sunt occupati.

Macilentior Leotrephide. λεπτότερος Λεωτρεφίδου καὶ Θουμαντίδου.
Congruet in homines exiles ac prætenues. Iucundius erit, si transferatur ad inopiam ingenij, aut dictionem aridam ieiunam & exsanguem.

Immunem venire. ἀσύμβολον χεῖρα προσβάλλειν.
Immunem Latini vocant, quem ἀσύμβολον Græci, nempe eum, qui nihil confert ad conuiuium. Terent.
Te ne asymbolum venire vnctum, atque lautum è balneis?

Laspana viuere.
Lepide dixeris in eos qui perparce nimiumque tenuiter viuunt.

Nihil de vitello. μηδὲ τοῦ λεκίθου.
Quadrabit in eos qui impertiant deteriora, meliora sibi seruantes.

Rore pascitur. δρόσον σιτίζεται ὥσπερ ὁ τέττιξ.
De victu pertenui nimiumque parco. Er lebt deſs Luffts, vvie der Stoer.

Victitare succo suo. *Plaut.*
In parasitos, qui, si quando cœna contingit lautior, ingurgitant sese, rursus vbi nulla arridet spes cœnatica, coguntur que ex ἀσίτων viuere, fortiter ferunt inediam, & in conuiuij spem durant.

Philippide tenuius. ἰσχνότερον Φιλιππίδου. vel, Φιλιππίδου λεπτότερος.
Accommodabitur non inuenuste ad orationem ieiunam, aut disputationem ociosæ subtilitatis.

Monophagi. Μονοφάγοι. *Eudemius.*
Dici poterunt sordidi, & inhospitales, qui neminem inuitant ad conuiuium.

Die auſs der Fauſt eſſen.

Patroclo ſordidior. Πατροκλέους φειδωλότερος.
In diuitem quidem, ſed oppido, quam ſordidum, ac parcum.

Nephalium ſacrum. Νηφάλιος θυσία.
De conuiuio abſtemio non ineptè dicetur, aut de conuiuio vehementer frugali ſobrioque.

Caninum prandium.
Dicebatur abſtemium, & in quo nullum vinum biberetur, propterea quod canes à vino abhorrent. Ein Hundszech.

Ceteri ſacrificant.
Quemadmodum Græci dicunt ἑστίᾳ θύουσι. Id eſt, Lari ſacrificant: ita Plautus propemodum indicat apud Latinos dici ſolere. Ceteri ſacrificant. ſi quando in conuiuio vinum deeſſet, propterea quod in huius ſacris nefas eſſet inferre vinum.

Bos Cyprius. Κύπριος βοῦς.
In brutum ac ſtolidum iaci ſolitum, propterea, quod Cyprij boues magis bruti ferantur, quippe qui ſtercore humano paſcantur.

Cyprio boui merendam.
Quoties conuiua ſordidus, & inſipidus ſordido, atque inſipido accipitur conuiuio. Feſtiuius erit, ſi ad res animi deflectatur, vt ſi quis apud ſpurcos, ſpurcè loquatur, apud indoctos indocte.

Tolle tolle mazam quam ocyſſime ſcarabeo. αἶρ' αἶρε μᾶζαν ὡς τάχιστα κανθάρῳ.
Id vſurpare licebit, quoties ſordidus cibus immundo conuiuæ apponitur.

Pſyrice facta.
Pſyra inſula quapiam cum eſſet, & perpuſilla, & ignobilis in contemptus, ac vilitatis prouerbium abijt, vt quæ ſordidè paruumque magnificè fierent, Pſyrice facta dicerentur.

Paruo emptas carnes. τὸ ὤνιον κρέας οἱ κύνες ἐσθίουσιν
Quidam pueria emunt obſonia, ne pluſculum inſumant nummorum. Ea quæ nullus attingit, canibus edenda ſeruantur.

Pſyra Bacchum. Ψύρα τὸν Διόνυσον.
Dictitatum adagium, vbi vinum appoſitum in conuiuio nemo guſtat, aut de ſordido apparatu.

Tenuiter diducis. λεπτὰ ξαίνεις. Suidas.
De ijs qui pauperum more tenuiter victitant.

Sacrum ſine fumo. ἄκαπνος θυσία. Lucian.
De nimium tenui conuiuio, & in quo nihil cocti obſonij apponitur.

Nephalia ligna. Νηφάλια ξύλα.
Dici poſſe videtur in abſtemios, & ab omni voluptate procul alienos.

Carica victima. Καρικὸν θῦμα
De macilenta hoſtia, minimeq; opulenta dicebatur. Non inconcinnè torquebitur ad cibum appoſitum, inſipidum, & quem nemo velit attingere.

Phaſelitarum ſacrificium. Φασηλιτῶν θῦμα. Zenodot.
Sordidum, ac tenuem ſumptum hoc adagio ſignificant.

In ſinu manum habere. ὑπὸ κόλπῳ χεῖρας ἔχειν.
In ſinu manum habere, nominauit Theocritus tenaces, & ad largiendum pigros.

Lari ſacrificant. Ἑστίᾳ θύουσι.
In tenaces dicitur, qui de ſuis nemini quicquam impertiant: aut in conuiuas edaces, qui nihil de appoſitis epulis mittunt amicis, neque quicquam faciunt reliquum.

Es gibt alle gern an jhm, außgenommen die Haende.
Er iſt ſeines Guts ſo milt, als S. Leonhard ſeines Eyſens, der gibt keinem, man ſtehle es jhm dann.
Er iſt koſtfrey, wie Pfaff Mangolt, der aß die Eyer, vnd gab die Schalen zu Allmoſen.

Ῥυποκονδύλοι.
Græci prouerbiali conuitio ſordidos, & impendio parcos ῥυποκονδύλους appellabant, ducto cognomine ab ijs, quibus ſordes in vnguibus reſident. Nam ῥύπος propriè res ſordidas ſignificat.

Canens vitæ palmum ad anethum. ᾄδων τὴν σπιθαμὴν τοῦ βίου πρὸς ἄννηθον.
De parco dictum, qui tenui re leuiculaque tranſigit vitam, atque interim exiſtimat ſe lautè viuere.

Tantali pœnæ. Ταντάλειοι τιμωρίαι.
De ijs dicendum, quibus adſunt quidem bona, verum his frui negatum eſt.

Conuiua non conuiua.
In eum, qui accumbit quidem in conuiuio, verum ſpectator duntaxat eorum, quæ apponuntur, quadrabit illud Homeri:

> Κεῖτ' ἄρ' ἄσιτος, ἄπαστος ἐδητύος ἠδὲ ποτῆτος.
> *Incœnatus, & impaſtus, potuque ciboque*
> *Accubuit.*

Sacra nihil ſunt, præter malas, & cornua. τὰ θύματα οὐδέν ἐστιν, πλὴν γένυα καὶ κέρατα
De macilentis. Trahetur non inconcinniter ad cibum minime eſculentum.

F A B V L A.

Fama eſt, quod cum vidiſſet quidam alterum argenti multum ferre, rogauerit eum vt ſibi mutuo daret, cum fœnore reddendum. Ille vero noluit, vt qui nulli fideret, iuuaretque neminem. Itaque quodam in loco argentum recondit, quod alius cum animaduertiſſet, ſuffuratus eſt. Reuerſus ille poſtea, qui pecuniam abſcõderat, nihil inuenit: vnde magno dolore motus eſt ob calamitatẽ, tum alias, tum quia roganti non mutuo dederat pecuniam, quæ quidem ei ſalua manſiſſet, & inſuper attuliſſet lucrum. Cumque incidiſſet in virum cui mutuare prius noluerat, infortunium ſuũ deplorauit, vtpote qui peccaſſet: & pœnitere ſe dixit, quod ei nõ obſecutus, ſed ingratus fuiſſet, & prorſus ei argentum omne interijſſe. Ille autem bono animo ipſum eſſe iuſſit, atque exiſtimare lapidem eodem in loco à ſe fuiſſe depoſitum. Omnino enim, ne cum habebas quidem argentum, eo vtebaris. Quamobrem etiam nunc ne putaueris te vlla re priuari. Illud etenim quo quis nec vſus nec vſurus eſt, nihil ſiue præſens ſis, ſiue abſens, magis minusve te lædit. Nam cum Deus alicui non perfectè bona largiri inſtituit exhibita pecuniarum copia, bonæ mentis facit inopem: atque ita ablato altero vtriſque priuat. *Antiphon. apud Stob. ſerm. 16. de parcitate.*

Vide Auaritia, Frugalitas, Luxus.

PARVVS, PARVVLVS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Paruus, exiguus, non magnus, minor natu: μικρός. Hebr. *Katon*, a verbo *Katan*, paruus fuit, minor fuit. De qualitate, & quantitate dicitur. Hinc fortaſſe τέκνον filiolus.

L O C I   B I B L I C I.

Parui dicti fideles, non ætatis, ſed ταπεινοφροσύνης ratione, *Matt.* 18. *v.* 6. parui per concrſſionem Apoſtoli à Chriſto dicti homines, nimirum coram mundo viles & abiecti, 10. 42. Paruulus, vel puerulus, pro quopiam ita ſeſe demittente, vt puerum decet, 8. 5. Paruorum nomine omnes pij continentur, *v.* 10. Paruuli in Chriſto, 1. *Cor.* 3. 1. paruulis legendum Deuteronomium, *Deut.* 31. 12.

P A T R V M   S E N T E N T I Æ.

Sapientibus & prudentibus irridendis, arrogantibus falſo grandibus, vere autem tumentibus, Chriſtus oppoſuit non ſapientes, non prudentes, ſed paruulos, qui ſunt paruuli & humiles. *Auguſt. de verb. Dom ſerm.* 8.

Simeon portabat a quo portabatur. Quantus ibi erat, & quam magnus? quam paruus factus erat? Paruus factus, paruos quærebat. Quid eſt, paruos quærebat? Non ſuperbos, ſed humiles colligebat. *Idem, ſerm. 20. de tempore.*

Cum Dominus id à nobis expoſcit, vt ad puerorum ſimilitudinem accedamus, non id exigit vt redeamus ad infantiam, quemadmodum ipſe, Nicodemi inſtar, exiſtimas: verum vt improbitatem abnegemus, ſicque nos comparemus, vt puerilis in nobis ſimplicitas inſit. Atque hoc, per ea quæ dixit, oſtendit. Non enim dixit, niſi paruuli efficiamini: ſed, ſicut paruuli nimirum huiuſce ſicut acceſſione, rei imitationem declarans. *Iſidor. Peluſiota, lib. 1. epiſt.* 107.

Paulus nos admonet, ne ſenſibus pueri efficiamur, ſed malitia paruuli ſimus, ſenſibus autem perfecti. Neque enim fieri poteſt niſi improbitatem abſtergamus, atque ad puritatem, & caſtitatem repueraſcamus, vt aut mentis perfectionem aſſequamur, aut ad virum perfectum, atque operarium inconfuſibilem ſubuehamur. *Eod. lib. epiſt.* 442.

Paruulus in oculis ſuis eſt, qui in eo quod ſemetipſum conſiderat, imparem ſe alienis meritis penſat. Nam quaſi grandem ſe aſpicit, quiſquis ſe ſuper aliena merita elatione cogitationis extendit. *Greg. in Iobum, in lib. 34. c.* 14.

Paruulus datus eſt paruulis, vt magnus detur magnis, & quos iuſtificat paruulus magnificet poſtmodum, & glorificet magnus ac glorioſus. *Bernard. in vigil. natal. Dom. ſerm.* 4.

Diſcite à me (inquit Chriſtus) quia mitis ſum & humilis corde. Gemina paruitas, humilitas, & manſuetudo. Illa interior, iſta exterior paruitas, vtraque tamen non parua virtus eſt, nempe quam paruulus ille tam magnus vnicum magiſterium profitetur. *Idem ſerm. 2. in Purific. B. Mariæ.*

P O E T A R V M   D I C T A.

Hor. 2. Carm. 16.

Viuitur paruo bene, cui paternum
Splendet in menſa tenui ſalinum,
Nec leues ſomnos timor, aut Cupido
Sordidus aufert.

Idem 3. Carm. 24.

Campeſtres melius Scythæ,
Quorum plauſtra vagas rite trahunt domos,
Viuunt & rigidi Getæ:
Immetata quibus iugera liberas
Fruges, & Cererem ferunt.
Nec cultura placet longior annua:
Defunctumque laboribus
Æquali recreat ſorte vicarius.

Idem

Idem 2. Serm. 2.

Ieiunus raro stomachus vulgaria temnit.

Lucan. 5.

O vitæ tuta facultas
Pauperis, angustique Lares, ô munera nondum
Intellecta Deum, quibus hæc contingere templis,
Aut muris potuit, nullo trepidante tumultu
Cæsarea pulsante manu.

Claud. 1. Ruff.

Viuitur exiguo melius: natura beatis
Omnibus esse dedit, si quis cognouerit vti.
Hæc si nota forent, frueremur simplice cultu,
Classica non fremerent, non stridula fraxinus iret,
Non ventus quateret puppes, non machina muros.

Sen. Herc. fur. act. 1.

Alium multis gloria terris
Trahat, & omneis fama per vrbes
Garrula laudet, cœloque parem
Tollat, & astris alius curru
Sublimis eat: me mea tellus
Lare secreto, tutoque tegat.
Venit ad pigros cana senectus,
Humilique loco, sed certa sedet
Sordida parua fortuna domus,
Alte virtus animosa cadit.

Tibull. 1. 1.

Diuitias alius fuluo sibi congerat auro,
Et teneat culti iugera magna soli,
Quem labor assiduus vicino terreat hoste,
Martia cui somnos classica pulsa fugent.
Me mea paupertas vitæ traducat inerti,
Dum meus assiduo luceat igne focus.

Hor. 1. Epist. 10.

Ceruus equum pugna melior communibus herbis
Pellebat: donec minor in certamine longo
Implorauit opes hominis frenumque recepit.
Sed postquam victor violens discessit ab hoste:
Non equitem dorso: non frenum depulit ore.
Sic qui pauperiem veritus, potiore metallis,
Libertate caret: dominum vehet improbus, atque
Seruiet æternum: quia paruo nesciet vti.
Cui non conueniet sua res: vt calceus olim,
Si pede maior erit subuertet: si minor, vret.
Lætus sorte tua viues sapienter Aristi.

Ouid. 1. Remed.

Flumina magna vides paruis de fontibus orta:
Plurima collectis multiplicantur aquis.

Idem 2. Remed.

Forsitan hæc aliquis (nam sunt quoque) parua vocabit.
Sed quæ non prosunt singula, multa iuuant.

Ibid.

Tu tantum numero pugna, præceptaque in vnum
Contrahe: de multis grandis aceruus erit.

Ouid. 2. Art.

Quem taurum metuis, vitulum mulcere solebas.
Sub qua nunc recubas arbore, virga fuit.
Nascitur exiguus, sed opes acquirit eundo.
Quaque venit, multas accipit amnis aquas.

Ibid.

Dum nouus in viridi coalescit cortice ramus,
Concutiat tenerum qualibet aura, cadet.
Mox etiam ventis spatio durata resistit,
Firmaque adoptiuas arbor habebit opes.

Tibull. 1. 1.

At vos exiguo pecori furesque lupique
Parcite de magno est præda petenda grege.

SENTENTIAE PHILOSOPHOR.

Parua in magnis contemnere periculosum est, parua enim scintilla contempta maximum excitat incendium. *Marsil. Ficin. ep. 5.*

Paruitas in diuinis significat simplicitatem naturæ, & vnionem virtutis. *Idem in Areop. de diuin. nom.*

Paruum in Deo dicitur, quod vniuersam molem, & distantiam supergreditur, & quod nullo impediente per omnia transit. *Dionys. Areop. de diuin. nom.*

Parum quod distat, tamquam nihil distare videtur. *Arist. lib. 2. Physic. c. 2. Tep. 56.*

Paruifactionis tres sunt species: Contemptio, Incommodatio, & Contumelia. *Idem Rhet. lib. 2.*

Parua multa ipsum magnum sunt. *Phys. 4. su. 2. C. 1. T. 53.*

Quod est parum, quasi nihil differt ab eo, quod est nihil. *Aristot. Polit. 5.*

Nihil est rarius quam valde magnum, aut valde minimum reperire hominem. *Plat. de anima.*

Polyanthea Noviss.

Omnia præclara rara: nec quicquam difficilius, quã reperire, quod sit ex omni parte absolutum. *Cic. in Lælio.*

Numquam parum est, quod satis est, numquam satis est, quod multum. *Senec. epist. 120.*

In minimis rebus sæpe res magnæ deprehenduntur.

Rerum raritas precium facit.

Quo rarior vsus, eo plausibilior. *Cic. pro Flac.*

FABVLA.

Rex & Subditus.

Subiectum quemdam ditioni suæ opulentum, & pecuniosum cupiens exuilare rex, ne vim fecisse videretur, adduci hominem imperat, & à subornatis coram se postulari crimine perduellionis, quod receptaret hostes suos, & cum illis consilia nefaria contra patriam iniret. Homini quieto, & cui nihil esset pace, neque vitius, neque optatius, mira videri accusatio, & res illa. Tum vnus de accusatoribus: Etiam nunc, inquit, domi illius hostes regios occulti existimo. Ibi intelligens reus, qui essent hostes, quos abducere à se rex cuperet. Ita, inquit, est, cogor enim fateri verum. Sed mitte mecum, ô Rex, quibus illi statim tradantur. Rex satellites cum illo misit, quibus omnem suam pecuniam, & nummos cum daret deferẽdos ad Regem: Hi quidem sunt hostes, inquit, etiam mei. Pene enim me perdiderant.

Docet fabula, prudentes parua libenter amittere, vt maiora retinere possint. Scitum est neque ab hac doctrina abhorrens, quod de Sigismundo Imperatore narratur. Huic enim quodam tempore satis grandi pecunia allata, noctis magnam ille partem peruigilando consumpsisse fertur, inter cogitationes de pecunia ea. Mittit igitur qui statim accersant proceres, & amicos. Quibus solicite alieno tempore aduenientibus, & percontantibus quid accidisset. Insidiæ mihi fiunt, inquit Sigismundus, ab hostibus infestis capiti meo. Ad quem sermonem commotis vehementer omnibus iubet ipse arcam aperiri, & aureos nummos ostendens: Isti, inquit, hostes sunt, qui me somnum non patiuntur capere, horũ & vos quæso metu me liberate. & ita pecuniam auferendam, interque se diuidendam eis tradidit.

PASSIO.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Passio Græce πάθος, ους, τὸ πάθημα, ατος, τό. & παθητικὸς, ή, όν, passiuus dicitur. Est autem passio, effectus illatioque actionis, *secundum Gilbertum Porretanum l. 6. principiorum*. Venit autem à patior, vnde passibilis, patibulum, & patientia, de qua infra.

LOCI BIBLICI.

Passiones & affectus peccati, *Roman. 7. 5. &c.* passiones huius vitæ, *Rom. 8. 18.* Passionibus Christi communicare, *1. Pet. 4. 12.* In passionibus exultandum, *Col. 1. 11. 1. Pet. 16.*

PATRVM SENTENTIÆ.

Multos filios Deus fecit, vnicus filius Dei emit sibi fratres sanguine suo, probatus reprobatos. Redemit venditus, honorauit iniuriatus, viuificauit occisus, vendiiis rebus nostris nullum maius carũ precium accipimus, quam nos ipsos: quia talibus implicati, nostri non eramus. *August. in serm.*

Nulla res officiorum laborem ad portanda onera aliorum facit libenter impendi, nisi quum cogitamus, quanta pro nobis pertulit Dominus. *Idem de ver. Apost.*

Quem vis contemnere, precium eius attende, & cum morte Christi totum mundum appende. *De verbis Dom.*

Fratres, vt à peccato sanemur, Christum crucifixum intueamur: quomodo qui intuebantur serpentem æneum in deserto, non peribant morsibus serpentum: sic qui intuentur fide Christi mortẽ, sanantur à morsibus peccatorum. *In Ioan.*

Conspui voluit, vt nos lauaret: velari voluit, vt velamen culpæ, & ignorantiæ a cordibus nostris auferret: in capite percuti, vt caput nostrum, id est, Adam sanitati restitueret: colaphis cædi, & verbis ideriden, vt nos ei labijs, & manibus, id est, verbis & operibus applaudamus *Hier. in quod serm.*

Nihil adeo graue, quod non æquanimiter toleretur, si Christi passio ad memoriam reducatur. *Greg. in epist.*

Tanto Deus ab hominibus dignus honorandus est, quanto pro hominibus indigna suscepit. *ibid.*

Caput angelicis tremebundum spiritibus densitate spinarum pungitur: facies pulchra præ filijs hominum sputis Iudæorum deturpatur: oculi lucidiores Sole caligãtur in morte: aures, quæ audiunt angelicos cantus, audiunt peccatorum insultus; os, quod docet Angelos, felle & aceto potatur: pedes quorum scabellum adoratur, cruci clauo affiguntur: manus, quæ formauerunt cœlos, sunt in cruce extensæ, & clauis affixæ: corpus verberatur: latus lancea perforatur: & quid plura? non remansit in eo nisi lingua, vt pro peccatoribus oraret, & matrem discipulo commendaret. *Bern. in serm.*

O bone Iesu, quid tibi est? Mori nos debuimus, & tu soluis? non

peccatorum:& tu his opus ſine exemplo, gratia ſine merito, charitas ſine modo *in ſerm.*

Nonne ſatis propter te vulneratus ſum? numquid pro iniquitate tua aſſlictus ſum? Cur addis aſſlictionem aſſlicto? Magis aggrauant me vulnera peccati tui, quam vulnera corporis mei. *ibid.*

Scio, quod merita mea mihi non ſufficiunt, quod mihi deeſt, audacter vſurpo ex viſceribus Chriſti, quæ miſericordia affluunt, nec deſunt foramina per quæ defluant. Patet enim arcanum cordis per foramina corporis: patent viſcera miſericordiæ Dei noſtri in quibus viſitauit nos oriens ex alto. *ibid.*

Dilexit nos Deus dulciter, ſapienter, fortiter: dulciter nempe dixerim, quod carnem induit: ſapienter, quod culpam vitauit: fortiter, quod mortem ſuſtinuit: ſed ſuper omnia reddit te mihi amabilem, bone Ieſu, calix quem bibiſti, opus noſtræ redemptionis, hoc enim omnino amorem noſtrum ſibi vendicat: hoc inquam noſtram deuotionem blandius allicit, iuſtius exigit, arctius ſtringit, & vehementius afficit. *Bernard.*

O homo, vide quæ pro te patior. Non eſt dolor ſicut quo crucior: ad te clamo, qui pro te morior. Vide pœnas quibus afficior: vide clauos quibus confodior: cum ſit dolor tantus exterior, interior eſt planctus grauior, quum te tam ingratum experior. *Bern. in perſona Domini in quadam ſerm.*

Vere deſerta erat Iudæa, vacua iuſtitia, plena peccatis, quam Deus plantauerat, omnes prophetæ coluerant. Illa autem nullum fructum produxit, niſi ſpinas acerrimas, quibus Dominus ſuum caput coronauit. *Chryſoſt. in Matth. c.3.*

Quæ nobis erit contumelia, poſtquam Chriſtus hæc paſſus eſt? neque enim vna particula, ſed totum corpus iniurias patiebatur. caput per coronam: manus per arundinem: os per acetum: facies ſputis conſpuebatur: genæ velabantur, & eandem totum corpus in cruce extenditur, & perforatur. *in Matth. c.27.*

Si paſſio Redemptoris ad memoriam reducitur, nihil tam durum eſt, quod non æquo animo toleretur. Parua enim toleramus ſi recordemur, quid biberit ad patibulum qui nos inuitat ad cęlum. Ille enim opprobria, irriſiones, contumelias, alapas, ſputa, flagella, ſpineam coronam crucemque ſuſtinuit, & nos miſeri ad noſtram confuſionem vno ſermone fatigamur, vno verbo deijcimur. *Iſid. de ſum bon.*

Magna miſericordia, vt Dominus mundi acciperet formam ſerui, panis eſuriret, fons ſitiret, lux obſcuraretur, virtus infirmaretur, vita moreretur, Redemptor venderetur, vt homo venditus redimeretur. *Caſſiod. in Pſal.*

Chriſtus in die crucifixionis ſuæ ſic obumbratus, atque defenſus eſt, vt nec animus eius confuſionem aliquam pateretur, nec caro ipſius corruptionis iniuriam ſuſtineret. Bene definita eſt paſſio Domini, dies belli, ſcilicet quando Diabolo victo infernorũ clauſtra dirupta ſunt, captiui liberati ſunt *in Pſal. 141.*

Quid feciſti dulciſſime puer, vt ſic iudicareris? Quid commiſiſti ò amantiſſime iuuenis, vt tam viliter tractareris? Quod ſcelus tuũ? quæ noxa tua? quæ cauſa mortis? quæ occaſio damnationis? Ego ſum tui cauſa doloris, tuæ culpa occiſionis. Ego tuæ paſſionis liuor, tui cruciatus labor, tuæ vitæ meritum, tuæ vindictæ flagitium. *Anſelm.*

Vide tit. Chriſti crux & paſſio.

PASTOR.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Paſtor, Græce ποιμὴν ἀπὸ τοῦ, proprie ouium paſtor, opilio, οἰῶν ἐπιπολάζων. idemque Græca appellatio ab οἶς deriuata putatur, dictumq; quaſi οἰμὴν. Parabolice autem Chriſtus ſeruator noſter ποιμὴν paſtor in Euangelio vocatur: ſicut πρόβατα ſinguli fideles, vt cum alibi, tum Ioan. 10. nominantur. Deſignantur etiã hoc nomine Chriſti vicarij, hoc eſt, Eccleſiæ miniſtri, vt in Epiſtola ad Epheſ. c. 4. Qua in ſignificatione hoc quoque loco ſumptum hoc vocabulum, ſubſequentes obtulit ſententias.

Paſtor, Hebr. *Rohheh* Inde (vt nonnulli opinantur) Rex, *Roy*, paſtor populorum *Rohheh* autem à verbo *Raahah*, Pauit *Rohheh*, amicus, ſodalis, ſocius, familiaris: vt & *Rehhah*. Greges paſcentes veluti in ſodalitio viuunt.

Loci Biblici.

Paſtor verus Chriſtus, *Ioan.* 10. *v.* 11. 14. Paſtorum Paſtor, *Hebr.* 13. 20. Deus paſcit Eccleſiam ſuam. *Geneſ* 48. 15. *Nehem.* 9. 21. *Eſa.* 49. 9 *Ezech.* 34. 13. *&c.* Paſcit Chriſtus oues ſuas, *Cant.* 1. 7. *&* 2. 16. *&* 6. 1, *Eſa.* 40. 11. *Ezech.* 34. 23. *Mich.* 5. 3. *&* 7. 14. *Zach.* 11. 4. 7. 9. Paſcit per ſeruos ſuos, gregis vigiles, *Cant.* 1. 8. *Act.* 20. 28. 1. *Petr.* 5. 2. *Ioan.* 21. 15. *&c. Apoc.* 12. 6. Paſcit Deus oues, *Luc.* 24 Paſcit Dauid populum Iſrael, 2. *Sam* 5. 2. *&* 7. 8. Paſci dicuntur fideles in communione ſanctorum, *Eſa.* 11. 6. *&* 65. 25. *Soph* 2 7. *&* 3. 17. Corui paſcunt homines, 1. *Reg.* 17. 4.

Paſtoris & Mercenarij diſcrimen, *Ioan.* 10. *v.* 11. 12. Paſtoris vox duplex, *Tit.* 1. 9.

Paſtores, Dei adminiſtri, & ob id ſocij nomine honorantur, *Zacharia* 13. 7. 1. *Cor* 3. 9. Dei diſpenſatores, 4. 1. *Tit.* 1. 7. Apti ad docendum eſſe debent, 1. *Timot* 3. 2. vitæ exemplo præeſſe debent, *Matth.* 5 *v.* 13. 14. 15. 16. *Luc.* 8. 16. 1. *Tim.* 4. 12. *Tit.* 2. 7. *Hebr.* 13 7. 1. *Petr.* 5. 3. Paſtores ſunt diſcipulorum gloria, 2. *Corinth.* 14. Legati, 5. 20. Meſſores, *Matth.* 9. 37. *Luc.* 10. 2. *Ioan.* 4. 38. Milites Chriſti, 2. *Tim.* 2. 3. & eius Miniſtri, *Actor.* 1. 25. 1. *Cor.* 3. 5. *&* 4. 1. 2. *Cor.* 24. *&* 4. 5. *Coloſſ.* 1. 25. reconciliationis Miniſtri ſunt, 2. *Cor.* 5. *v.* 18. 19. & ſpiritus, 3. 6. odor Chriſti bonus, 2. 15. gregis, cui præſunt, Patres honoris cauſa dicuntur, 2. *Reg.* 6 21. 1. *Cor.* 4. *ver.* 14. 15. 2. *Cor.* 6. 13. *&* 12. 14. *Galat.* 4. 19. 1. *Theſſ.* 2. 11. 1. *Tim.* 1. 2. 2. *Timot.* 1. 2. *Tit.* 1. 4. *Philem v.* 10. 1 *Ioan.* 2. *v.* 28. *&* 3. 7. *&* 4. 4. *&* 5. 21. Seniores ſunt. *Actor.* 20. 17. 1. *Tim.* 5. 17. 1. *Petr.* 5. 1. Paſtores quo ſenſu Sacerdotes dicantur *Rom.* 15 16. *Phil.* 2. 17. Paſtores quales eligi debeant, 1. *Timoth.* 3 2. *Tit.* 1. *v.* 6. 7. *&* 2. 7. abſolutum eorum exemplar deſcribitur, *ibid.* à ſuis amandi ſunt, *Galat.* 4. 15. *Philip.* 1. 22. 1. *Theſſ.* 5. *verſ.* 12. 13. Paſtores publice peccantes palam arguendi, 1. *Tim.* 5. 20. Paſtores boni, a Deo miſſi, *Ierem.* 3. 15. *&* 23. 4. *Matth.* 9. 38. *Luca* 10. 2. *Actor* 20 28. *Rom.* 10. 15. *Epheſ.* 4. *v.* 11. 12. dociles eſſe debent, 2. *Tim.* 2. 24. & docti, *Tit.* 1. 9. Paſtores & miniſtri Verbi, multorũ calumnijs ſunt expoſiti *Exempla*: Paulus, 1. *Cor* 9. 2. 1. *Cor.* 10. 2. 2. *Tim.* 1. 15. Ioannes, 3. *Ioan v.* 10. Quidnam docere debeant, *Matth* 28. 19. *Marc.* 16. 15. 2. *Cor.* 4. 5. *Galat.* 1. 2. 8. 9. 1. *Pet.* 4. 11. Ex ſe nõ loquuntur, *Ierem.* 1. 9. *Ezech* 2. 8. *&* 3 17. *&* 33. 7. Sine Deo nihil poſſunt, 1. *Cor.* 3. *verſ* 7. 9. Paſtores Præceptores, & alij præfecti qua debeant eſſe ſolicitudine in eos, quos ſuæ fidei commiſſos habent, *Prou.* 27. *v.* 23. 24. *Sapient.* 6. *v.* 23. 36. *Ezech.* 34. 4. *Matth.* 18. 12. *&* 24. *v.* 45 *Luc.* 15 4. *Ioan* 10. 11. *&* 13. 1. *&c. &* 17. *v.* 9. 11. *&* 18. *v.* 8. *Act.* 20. *v.* 22. 28. *v.* 31. *Rom.* 9. *v.* 2. 3. 1. *&* 12. *v.* 7. 8. 2. *Cor.* 4. 14. 2. *Cor* 4. 11. *v.* 28. 29. *Galat.* 3. 19.

Paſtorum aduentus lætus, *Eſa* 52. 7. *Rom* 10. 15. *Nah.* 1. 15. Paſtorum ambitio valde noxia, 1. *Theſſ.* 2. 6. 1. *Tim.* 3. 6. 1. *Petr.* 5. 2. 3. Paſtorũ arma, ſpiritualia, 2. *Corint.* 10. 4. eorum auaritia damnatur, *Eſa.* 56. 11. 1. *Theſſal.* 2. 5. 1. *Tim.* 3. 3. *Tit.* 1. 11. 1. *Petr.* 5. 2. Paſtorum authoritas quanta, 2. *Cor.* 10. *v.* 5. 6 8. *&* 13. *v.* 8. 10 *Tit.* 2. 15. *Philem.* *v.* 8. Paſtorum conditio, *Ezech.* 2. 6. *Luc* 10. 3 *Ioan.* 21. 18. Paſtorum conſolatio, *Rom.* 1. 12. 1. 2. *Tim.* 3. *v.* 9. 11. 1. *Petr.* 5. 4. Paſtorum conſtantia à Deo, *Ierem.* 1. *v.* 8. 18. *Ezech.* 3. *v.* 8. 9. *Exempla*: Eſaias, *Eſaia* 50. *&* 62. 1. Abacuc, *Abac.* 2. Paulus, *Philip.* 2. 17. 2. *Tim.* 1. 12. Paſtorũ dignitas ac præſtantia, *Ierem* 1. 10. 11. *Matth.* 11. 10. *Luc* 7. 28. *Actor.* 1. 8. 2. *Corinth.* 4. 7. *&* 5. 18. *Philip.* 2. 29. 1. *Ioan.* 4. 6. Paſtorum fama integra ſeruari debet, 2. *Timot.* 3. 7. Paſtorum ſcientia, *Matth.* 5. 19. 2. *Cor.* 3. 12. *&* 13. 6. Paſtorum liberi bene educandi, 1. *Timoth.* 3. 4. *Tit.* 1. 9. Paſtorum hoſtes pereunt, *Ierem.* 20. 11. Paſtorum ignorantia, quam noxia, *Oſe.* 4. 9. Paſtorum merces, 1. *Cor.* 3. 8. 1. *Theſſ.* 3. 8. *Petr.* 1. 5. 14. Paſtorum militia, *Ierem.* 1. 19. 2. *Cor.* 6. 7. *&* 10. 4 *Epheſ.* 6. 12. *Philip.* 2. 15. 1 *Tim.* 1. 18. *&* 6. 12. 2. *Timot.* 2. 3. *&* 4. 7. Paſtorum mors, Chriſti cauſa ſubla ... confirmatio eſt, *Philip* 2. 7. Paſtorum mores præſcribuntur 2. *Corinth.* 6. 4. Paſtorum officium, 40. 9. *&* 49. 9. *&* 52. 7. *&* 58 2. *&* 61. 1. *&* 62. 11. *Ier.* 1. 10. *Ezech.* 3. 17. *&* 33. 2. *Oſea* 8. 1. *Mich.* 3. 8. *Matth* 5. 13. 14 *Ioann.* 4. 38. *Actorum* 6. 4. *&* 20. *verſic.* 28. 31. *&* 26. 28. *Roman.* 15 16. 1. *Cor.* 3. 2. *&* 4. *verſic.* 1. 2. 2. *Corinth.* 1. 18. *&* 2. 2. *&* 5. *verſic.* 19. 20. *&* 6. 1. *&* 11. 2. *&* 12. *verſicul* 14. 15. *&* 13. 7. *Galat.* 4. 12. 19. *Epheſ.* 3. 14. *&* 4. *verſicul* 11. 12. *&* 6. 19. *Philipp.* 3. 1. *Coloſſ* 1 8. *&* 4. 4. 1. *Theſſ.* 2. 5. *&* 5. 12. 1. *Tim.* 2. 7. *&* 4. 11. *&* 5. 8. 17. 2. *Tim* 2. 15. *&* 4. *verſ.* 2. 5. *Tit.* 1. *verſic.* 1. 11. *&* 3. 8. *Hebr.* 13. 17. 1. *Petr.* 4. 11. *&* 5. 1. 2. *Petr.* 3. 1 *Ioann.* 2. 26. *&* 5. 13. *Iudæ verſiculo* 5. In increpandis, diuerſæ ætatis, & ſexus hominibus officium & prudentia, 1 *Timoth.* 5. 1. 2. 3. *&c.* Paſtorum opus, 1. *Theſſal.* 5. 12. Orationes, *Epheſ.* 3. 14. 1. *Petr.* 5. 10. Ornamenta, 1. *Timot.* 4. 12. patientia, 5. 24. 2. *Tim.* 2. 24. *&* 4. 2. prudentia, 1. *Tim.* 3. 2. Paſtorum habenda ratio, *Matth.* 10. 12. *Marc.* 6. 10. *Luc.* 10. 1. 7. *Cor.* 9. *v.* 4 9. 11. 4. *Galat.* 6. 6. *Philip.* 4. 14. 1. *Theſſal.* 5 12. 1. *Tim* 5. *ver.* 17. 18. *Hebr.* 13. 7. Paſtorum vera receptio, *Luc.* 10 42. 2. *Corinth.* 7. 15. *Galat.* 4. 14. 1. *Theſſ.* 2. 13. Paſtorum tentationes *Exempla*: Eſaias, *Eſa.* 49. 4 Ieremias, *Ierem.* 20. 9. Paſtorum triumphus, 2 *Corinth.* 2. 14. 1. *Theſſal* 2. 19. 2. *Timoth.* 4. 8. Victoria, *Ierem.* 1. 18. Paſtorum vita Eccleſiæ chara, *Actorum* 9. 15. *&* 19. *verſicul.* 30. 31. *&* 21. 12. 1. *Cor.* 16. 10. *Philipp.* 2. 29. Paſtorum vitia, priuatorum vitijs multo grauiora, *Ier.* 23. 15. Paſtorum vocatio à Deo, *Eſaiæ* 49. 1. *Hebræorum* 5. 4.

Paſtores mali, populi ſeductores, *Ierem.* 12. 10. *&* 14. *verſic.* 13. 14. *&* 23. 14 *&* 50. 6. *Ezechiel.* 13. 10. *Matth.* 15. 14. *&* 23. 13. *Exempla*: Põtifices, 27. 20. *Marc* 15. 11. Paſtores mali ſe ipſos intrudunt, *Ierem.* 23. 21. *&* 27. 15 *Ezechiel.* 13 6. maledicuntur, *Ierem.* 23. 1. ſerio obiurgantur, 5. 31. *&* 6. 14. *&* 12. 10. *Thren.* 2. 14. *Mich.* 3. 5. *Zach.* 10. 3. Paſtores mali conferuntur mutis canibus, *Eſa.* 56. *v.* 10 11. Paſtores lacerantes, & deglubentes gregem, *Ierem.* 23. 1. *Ezechiel.* 34. *verſ.* 23.

Paſtorum malorum deſcriptio, *Eſa.* 56. 10. Paſtorum ſecordium pœna, *Ezech.* 3. 20.

Paſtoribus malis moribus præditis, & veram nihilominus doctrinam annunciantibus, obediendum, *Matth.* 23. 3. Paſtoribus impie docentibus obedientes pereunt, *Ier.* 14 6. *&* 20. 6.

Paſto-

Pastores ouium, filij Iacob, *Genes.46.32.* pastoribus nunciatur Christus, *Luc.2.8.*

SENTENTIÆ BIBLICAE.

Pastor summus Deus, affectuose reuocans errantes.

Ecce ego congregabo reliquias gregis mei de omnibus terris ad quas eieceram eos illuc, & conuertam eos ad rura sua, & crescent, & multiplicabuntur, & suscitabo super eos pastores, & pascent eos. *Ierem.23.*

Ecce ego ipse requiram oues meas, & visitabo eas. *Ezech.34.*

Et reducam eas, & inducam eas in terram suam, & pascam in montibus Israel *ibid.*

Deus autem pacis qui eduxit de mortuis pastorem magnum ouium in sanguine testamenti æterni, Dominum nostrum Iesum Christum, aptet vos in omni bono, vt faciatis eius voluntatem, faciens in vobis quod placeat, coram se, per Iesum Christum, *Hebr.13.*

Eratis enim vos oues errantes, sed conuersi estis nunc ad pastorem, & episcopum animarum vestrarum. *1.Pet.2.*

Copiose remunerans obsequentes.

Sicut pastor gregem suum pascet in brachio suo, congregabit agnos, & in sinu suo leuabit, fœtos ipse portabit. *Esa.40.*

In pascuis vberrimis pascam eas. *Ezech.34.*

Quod perierat, requiram, & quod abiectum erat, reducam, & quod confractum fuerat, alligabo, & quod infirmum fuerat, consolidabo: & quod forte & pingue, custodiam, & pascam illas in iudicio. *ibid.*

Vos autem greges mei, greges pascuæ meæ homines estis, & ego Dominus Deus vester, dicit Dominus Deus *ibid.*

Ego sum pastor bonus, & cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ. Sicut nouit me pater, & ego nosco patrem, & animam meã pono pro ouibus meis. *Ioan.10.*

Pastor bonus Deum attendit.

Qui autem intrat per ostium, pastor est ouium. Et cum proprias oues emiserit, ante eas vadit: & oues illum sequuntur, quia sciũt vocem eius. *Ioan 10.*

Hic iam quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur. *1. Cor.4.*

Ouibus intendit.

Et dabo vobis pastores iuxta cor meum, & pascent vos scientia, & doctrina. *Ierem.3.*

Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis. *Ioan.10.*

Oportet enim Episcopum irreprehensibilem esse. *1.Tim.3.*

Oportet enim Episcopum sine crimine esse. *Tit.1.*

Discant autem & nostri bonis operibus præesse ad vsus necessarios: vt non sint infructuosi. 3.

Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos posuit Spiritus sanctus Episcopos regere ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. *Actor.20.*

Præmium acquirit.

Seniores ergo qui in vobis sunt, obsecro consenior, & testis Christi passionum, qui & eius quæ in futuro reuelanda est gloriæ communicator: pascite, qui in vobis est gregem Dei, prouidentes nõ coacte, sed spontaneè: secundum Deum, & neque turpis lucri gratia, sed voluntarie: neque dominantes in cleros, sed forma facti gregis ex animo. *1.Pet 5.*

Et cum apparuerit Princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam. *ibid.*

Pastor malus bonum gregem dissipat.

Sacerdotes non dixerunt, vbi est Dominus? Et tenentes legem nescierunt me, & pastores præuaricati sunt in me. *Ier.2.*

Grex perditus factus est populus meus, pastores eorum seduxerũt eos, feceruntque vagari in montibus. 50.

Fili hominis, Propheta de pastoribus Israel. Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos: nonne greges à pastoribus pascuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat, occidebatis: gregem autem meum non pascebatis. Quod infirmũ fuit, non consolidastis, & quod ægrotum, non sanastis. Quod confractum est, non alligastis: & quod abiectum est, non reduxistis: & quod perierat non quæsistis: sed cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia. *Ezech.40.*

Et dispersæ sunt oues meæ, eo quod non esset pastor. *ibid.*

Nonne satis vobis erat pascua bona depasci? Insuper & reliquias pascuarum vestrarum conculcastis pedibus vestris: & cum purissimam aquam biberetis, reliquam pedibus vestris turbastis, & cornibus vestris ventilabatis omnia infirma pecora, donec dispergerentur foras. Saluabo gregem meum, & non erit vltra in rapinã, & iudicabo inter pecus & pecus, propterea hæc dicit Dominus: Ecce ego ipse iudico inter pecus pingue, & macilentum, pro eo, quod lateribus, & humeris impinguebatis. *ibid.*

Qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed adscendit aliunde, ille fur est, & latro. *Ioan.10.*

Mercenarius autem, & qui non est pastor, cuius non sunt oues propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit, lupus rapit, & dispergit oues. *ibid.*

Commodum proprium spectat.

Ipsi pastores ignorauerunt intelligentiam. Omnes in viam suam declinauerunt, vnusquisque ad auaritiam suam à summo vsque ad nouissimum. *Esa.56.*

Propterea pastores audite verbum Domini. Viuo ego, dicit Dominus Deus, quia pro eo, quod facti sunt greges mei in rapinam, & oues meæ in deuorationem omnium bestiarum agri, eo quod non esset pastor: neque enim quæsierunt pastores gregem meũ, sed pascebant semetipsos, & greges meos non pascebant. *Ezech. 34.*

Ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum, & cessare faciam, vt vltra non pascant gregem meum, nec pascant amplius pastores semetipsos. Et liberabo gregem meum de ore eorum, & non erit vltra eis in escam, dicit Dominus. *ibid.*

Malum contra se prouocant.

Væ pastoribus, qui disperdunt, & dilacerant gregem pascuæ meæ: Idem hæc dicit Dominus: Vos dispersistis gregem meum, & eiecistis eos: Ecce ego visitabo super vos malitiam studiorum vestrorum, ait Dominus. *Ierem.23.*

Vlulate pastores, & clamate, & aspergite vos cinere optimates gregis, & quia completi sunt dies vestri, vt interficiamini, & dissipationes vestræ, & cadetis quasi vasa preciosa. Vox clamoris pastorum, & vlulatus optimatum gregis: quia vastauit Dominus pascua eorum, conticuerunt arua pacis à facie iræ furoris Domini. 25.

Super pastores iratus est furor meus, & super hircos visitabo. *Zachar.10.*

Vox vlulatus pastorum, quia vastata est magnificentia eorum. Hæc dicit Dominus Deus meus, pasce pecora occisionis, quæ qui possidebant, occidebant, & non dolebant. & vendebant ea, dicentes: Benedictus Dominus: diuites facti sumus. Et pastores eorum non parcebant eis. Et ego non parcam vltra super habitantes terram, dicit Dominus. 11.

Adhuc sume tibi vasa pastoris stulti, o pastor, & idolum derelinquens gregem: Gladius super brachium eius, & super oculum dextrum eius. *ibid.*

SIMILITVDINES.

Laurentij Iustiniani Patriarchæ. Quemadmodum peregrinantibus, si contingat per siluestria incedere loca, in quibus vel indomitæ latitent feræ, vel latrunculi viatores deprædari cupientes obsideant, maxima, vt securi cœptum iter peragere possint, adhibenda est prudentia: Ita qui ad regimen vocantur animarum, summa cum diligentia obseruare debent, a quo vocentur, quoue ad illud moueantur affectu: quoniam ministerium difficillimum accepturi sunt. Circumspiciendum igitur summa cura, ne in animarum cura in pericula nos conijciamus. *De institutione, ac regimine prælatorum, c.2.*

Medicæ artis periti hoc habent proprium, vt non omnibus æqualiter, sed singulis diuersa, prout expedire perspexerint, imperentur medicamenta languoribus. Nunc quippe ferro, nunc cauterijs, sæpe vero varijs vtuntur vnguentis. Interdum ægrotantes ciborum attenuant parcitate: nonnunquam autem exquisita alimentorum qualitate sustentant. Naturam vtique singulorum attendunt, ac vitam, atque iuxta vniuscuiusque necessitatem remedia tribuunt. Idem facit ecclesiæ pastor, animæ medicus, &c. *De institutione, ac regimine prælat. c.8.*

Vsus quidem docet, vt quoties contingat duos simul dimicare exercitus, miles per se sit quisque sollicitus, qualiter videlicet illæsus hostes possit euadere, illos etiam inuadere, deprædari, atque subigere. Singuli propria tractant negocia, & pro sua laborant salute. At vero totius dux exercitus præter suam gerit omnium curam. Prouidet namque quibus ipse exercitus alatur cibis, quibusque vtatur equorum stramentis. Secum tacitus cogitat de vniuersorum indemnitate, quomodo scilicet valeat aduersarios decipere, aduersus illos insidias ponere, dissimulare fugam, & superare incautos. Cæteris quippe ludentibus, prandentibus vagantibus, dormientibusq; ipse clam inimicorum perlustrat castra, si forte eos improuisos reperiat, inuadat, trucidet, & disperdat. Omnis profecto industria pro tuitione exercitus, tã in instituendis excubijs, immittendis exploratoribus, quam in mutandis custodibus ex ipsius animi sagacitate dependet. Ad illius quoque imperium mouentur castra, acies diriguntur, certamen geritur. Ipse nempe in hora cõflictus hortatur trepidos, vrget pigros, robustos accendit, retrogredientes impellit, deordinatos ordinat, & cum pugnantibus desiderio, & adhortationibus pariter, & ipse concertat. Quod autem de visibili est dictum exercitu, hoc de spirituali, & inuisibili censendum etiam non ambigo. Porro istum spiritualem exercitum congregationem dixerim omnium esse fidelium: qui in ecclesia, tamquam in campo, sub diuersis gradibus, distinctis videlicet agminibus, sunt ordinati ad bellum

aduersus aereas potestates: quæ profectò mille modis occultisque machinationibus, fraudibus innumerabilibus, & implacabili cu delitate die noctuque Dei castra oppugnare non desinunt. Ad quorum siquidem defensionem, instructionem, & regimen instituti sunt spirituales duces, animarum videlicet pastores, atque rectores, quatenus ipsorum salubri prouisione, exercitatione laudabili, admonitione sancta, cœlesti sapientia plebs tota credentium, quæ per se minus est valida ad pugnandum, animetur indeficienter, iugiter erudiatur, protegatur orationibus, atque ad certaminis perseuerantiā consiliis salutaribus roboretur, iustis prorsus incumbit cunctarum gubernatio ecclesiarum, tradita est cura fidelium: quibus quemadmodum adscribitur ad meritum vniuersorum corona vincentium, ita è regione pereuntium de ipsorum manibus requiretur sanguis: si tamen erga eorum salutem reperti sint desides, atque vitæ monita eisdem insinuare neglexerint. *De institutione, & regimine prælatorum, c.17.*

Quemadmodum signum in sublime, & in publicum expositum, ne ventorum impulsum flatibus corruat, necesse est, vt funibus, aut clauis aut vectibus firmetur: Ita de vnoquoque homine in cathedra Ecclesiasticæ dignitatis constituto hoc idem censendum esse nō ambigo: idque eo accuratius, quo signo insensibili preciosior est homo, eaque maior, perniciosiorque ruina. Nam si deijciatur vel labatur signum, aliud absque alicuius detrimento, vel scandalo loco eius erigitur. Non autem sic de homine in regimine posito. Si enim suam transgreditur professionem, aut delinquat publice: notorium Ecclesiæ infert scandalum, derogat dignitati, auctoritatem adimit regiminis, præbetque exemplum delinquendi iis, quibus formam virtutis exhibere debuerat. *De institutione ac regimine prælatorum, cap.20.*

Vide Tit. Concionator, Clericus, Episcopus, Ministerium, Sacerdos.

PATER.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

Pater etiam nomen religionis, vnde Dij omnes patres vocabantur: peculiariter Baccho tributum est patris nomen, & Iupiter Diuum pater nominatur. Oceanus centum rerum pater. Similiter pater nomen reuerentiæ. Romulus centum Senatores elegit, quos patres ab honore, siue ætate, siue cura, quam habere in rebus publicis expediendis oportebat, vocauit.

Pater, parens, qui aliquem genuit, πατήρ, quasi, πάλλας τηρῶν, ex se genitos seruans. Hebr. *Ab*, à voluntate, & affectu pater, o in suos liberos. A verbo *Abah*, voluit, consensit, acquieuit. Cognationē habet cum *Ahab*, dilexit: item cum *Iahab*, & *Taab*, appetiuit. Mirus est enim patrum erga liberos suos affectus.

Loci Biblici.

Pater Hebræis pro auo, atque adeo ipsis maioribus, vt apparet, *ex Exod.2.18. & Num.10.29.* pro authore, *Ioann 9.44. Iacob.1.17.* absolute pro ipsius sanctissimæ Triados prima Persona, *Luc.10.22.* in Filio Christo manet, *Ioan.1.23.* de Filio testatur, *Matth.3.17. & 8.18. Ioan.5.32. & 17.5.1. Ioann.5.7.* Patris & Filij coniunctio, *Ioan.17.v.21.22.* Pater nemo vocandus, quia vnus est Pater qui in cœlis est, *Malach.16. Matth.23.9. Ephes.4.6.* Pater gloriæ, pro patre glorioso, vel gloriæ pleno, per Hebraismum, *Ephes.1.17. Vide 1.2.7.* Patri etiam tribuitur Seruatoris nomen, *1.Tim.1.1.*

Patres, id est, Maiores in Moysen baptizati, *1.Corinth.10. versic.1.2.* Non semper imitandi, *Psalm.78.8. & 95.9. Hebræ 3.9. Ieremia 16.12. Ezechiel.20.18. Amos 2.4. Zachar.1.4. Actorum 7. versicule 51.52.*

Pater, auctoritatis, dignitatis, potestatis, vel ciuilis, vel sacræ respectu. *Iudic.18.19. Sam.24.12. 2.Reg.2.12. & 5.13. & 6.21. & 13.14. Actor 27.1.* Pater, auctor, doctor, institutor alicuius artis, vel scientiæ, *Genes.4.20.21.1.Chron.4.14.*

Pater, Creator, nempe Deus, *Iob 38.28. Malac.2.10.* Pater multarum gentium Abraham, *Gen.17.4.5 Rom.4.1. & c. Iac.2.21.* Pater Iudæorum idem, *Matth.3.9. Ioan.4.12. & 8.39.53.6.*

Pater, adiutor, protector, *Iob 29.16. Esa 22.21. Ier.2.27. Thren.5.3.* Pater putatiuus, *Luc.2.33.48. Ioan.6.42.* Pater dicitur aliquis cui adhæremus, vt filius adhæret patri, *Iob 17.4.* Pater impiorum, & mendacij, *Ioan.8.38.41.44.* Pater familias, *Ruth 2.2. Matth.10.25.* & sapiens apud Euangelistas, rum propriè, tum metaphoricè, Paternitas, Dei familia seu Ecclesia, *Ephes.3.5.*

Patres veteris Testamenti fide prædicti, *Rom.4. v.3.16.18. Gal.3.6. Hebr.11.v.4.5.7.1. Pet.1.12. Vide & Actor.15.11.* non adepti sunt promissiones, *Hebr.11.v.13.39.* hoc est rem ipsam promissam, metonymice, aut promissionis præliationem.

Patrum sub lege anxietas, *1.Petri 3.10.* Patrum peccata non dissimulanda *exempla* Ezechias, *2.Paralip.29.9.* Nuncij eius, *30.7.* Iosias, *34.21.* Nehemias, *Nehem.1.6.* Leuitæ, *9.v.10.32.34.* Dauid, *Psal.78.8. & 106.6.* Esaias, *Esa.43.27.* Ieremias, *Ieremia 2.5. & 3.25. 14.20. & 16.19. Thren.5.7.* Daniel, *Dan.9.8.* Zacharias, *Zachar.1.4.* Christus, *Luc.6.26. & 11.47.* Stephanus, *Actor.7.v.39.51.62.* Israelitæ, *1.Tim.1.9.*

Sententiæ Philosophicæ.

Patrem vel matrem cogere non est pium: multo minus pium est cogere patriam. *Plato in Cratylo.*

Patres aliorum plerumque negocia curant: & maxime qui Reip. negocia tractant: filiorum vero educationem aspernantur. *Plato in Lach.*

Patri proles serotina delectabilior. *Philipp. de Ioseph.*

Patrisfamilias officium est, filios colere quasi propriæ vitæ propaginem: & proprio exemplo optime regere tamquam membra. *Marsil. Fic.l.3.epist.*

Serui ac liberi quoad adolescitur diuisique sint, in membris patris sunt habendi: & sibi nemo vult obesse. *lib.5. Ethic.c.6.*

Cum ea tribuunt liberi parentibus, quæ debent procreatoribus: parentes vicissim liberis, quæ ex se natis debent, tunc ibi stabilis quæcam, & honesta amicitia exoritur necesse est. *lib.8. Ethicor. cap.7.*

Quæ patri est cum liberis societas, regalis potestatis formam obtinet: patri enim curæ sunt sui liberi. Hinc etiam Homerus patrem Iouem vocauit. *lib.8. Ethic.c.10.*

Liberi commune viri, & vxoris bonum est, & quod commune est aliquorum, omnes eos coniungit, & continet. *libro 8. Ethicorum, cap.12.*

Vir & vxor liberos communiter procreant, non item communiter educant, sed in eis propria sunt huius, & illius adiumenta. Alere, matrum est. Erudire, patrum *lib. Oeconom.c.7.*

Habentur liberi non modo, vt naturæ seruiatur: verum etiam vt inde capiatur vtilitas. Nam quæ parentes cum vires haberent, labore suo in ætatem liberorum debilem contulerunt, senectute debilitati, & viribus destituti, à valentibus, quasi deposita, recuperant *lib. Oeconom.c.2.*

Liberi nec parentibus ætate multo posteriores esse debent: quia neque senibus patribus filij gratiam referre possunt: neque parentes liberis subuenire, nec suppares, quia multa hinc incommoda nascuntur. *lib.7. de Repub.c.16.*

Vide supra, Parentes.

PATIENTIA.

DEFINITIO, ET ETYMOL.

Patientia, Græce ὑπομονή &, & ὑπομονητικός, patiens, & ὑπομένειν, sustinere dicitur. Est autem patientia virtus, conrumeliarum, & omnis aduersitatis impetus æquanimiter portans, *secundum Cic. in Rhet.*

Patientia est honestatis vtilitatisque causa rerum arduarum, ac difficilium voluntaria, ac diuturna perpessio. Cuius extrema mollicies, & furor, seu impatientia, Græcis ὑπομονή. Vel est suas, & suorum iniurias, ac cætera mala æquanimiter ferre, *vt habet 23.9. 1. Quod ministare.*

Hebræis verbum *Sabal*, signif. Baiulauit, portauit, onus graue, gran de onus sibi impositum gestauit. Hinc forsan Sabulum, *Sable*, Gall. Quoniam afflictiones sunt onera grauissima, idcirco sæpius verbum illud ad patientiam, piorum præsertim, referri potest. Nam patientia ea vera est, quum ex agnitione diuinæ sapientiæ, prouidentiæ, voluntatis iustitiæ, bonitatis, & miscellatis Deo nos subijcimus ad placidè ferendum, cum persecutionem veritatis, & iustitiæ causa, tum quamuis aliam afflictionem, & crucem ab ipso nobis impositam *Iob 1.20.2.10.*

Patientiæ causa efficiens, & author est Deus, *Rem.15.5.* Ea præstanda est, quam mandata nobis est à Deo, *Iac.1.2. & 5.7.8.2 Tim.1.8.* Ad eam vocati sumus, *1.Pet.2.21.* Necessaria est, *Hebr.10.36.* Honorifica, & gloriosa, *Hebr.10.36.1.Pet.2.19.20.*

Patientiæ adiuncta sunt silentium lacrum, *Amos 5.13.* Exempla sunto Aaron, *Leuitici 10.3.* Christus, *1.Petr.2.23.* Dauid, *Psalm.38.13. &c. Psalm.39.2.10.* Pij multi, *Hebr.10.34.* Aliud adiunctum. Pietas ardens, & religionis sanctæ studium, *Psalm.45.9. & 119.69.70.* Tertium, gaudium cordis, *Philip.4.4.1. Thess.al 5.16. Iac.b.1.2.* Exemplum in Apostolis, *Actorum 5.41.* Quartum, assidua Dei inuocatio, *1 Thess.5.17 18.* Quintum, fiducia, & spes diuini auxilij, & liberationis, *Psalm.37.24.* Sextum, perseuerantia, *Iac.1.4.* Huic opponuntur stupor Ethnicus, temeritas furiosa latronum tormenta ridentium, hypocritica tolerantia, & impatientia.

Cum vera patientia non pugnat luctus moderatus. Iob patienter tulit iacturam opum, & liberorum, attamen luctum simul declarat

rauit laceratione pallij sui, & tonsione capitis. *Iob* 1.20.21. Sic Christiani luxerunt Stephanum lapidibus obrutum, qui tamen martyrio suo Christum Iesum glorificauerat. *Actor.* 8.2.

Loci Biblici.

Pati pro supplicio mortis affici, *Luca* 22.15. Pati pro Christo Dei donum est, *Philip.* 1.29. honorificum, *Matth.* 5.11.1. *Petr.* 3.14. & 4. *v.* 14.16.

Patiens & longanimis Deus, *Genes.* 6.3. *Exod.* 34.6. *Num.* 14.18. *Psal.* 86.15. & 102.8. & 145.8. *Ecclesi.* 8.12. *Esa.* 30.18. *Ioel.* 2.13. *Ioan* 4.2. *Nahum* 1.3. *Sapient.* 11.24. & 15.1. *Matth.* 18.27. *Rom.* 2.4. 1. *Timot.* 1. 16. 2. *Petr* 4.9. Patiens, id est, permittens, *Ruth* 4.14. *Iob* 10.14. & 24.12. 1. *Cor.* 10.13.

Patientia, & longanimitas fidelium in omni genere afflictionum, *Genes.* 12. *v.* 4.6. 2. *Sam.* 16.10. *Iob* 1.20. & 29. & 7.2.4. *Esdr.* 10.15. *Tob.* 2.8. *Prouerb.* 3.11. & 14.29. & 15.1. & 16.32. & 25.15. *Ecclesi.* 1. 29. & 2.4. 2. *Mach.* 20.7. &c. *Matth.* 5.39. *Rom.* 5.3. & 12.12. & 15. 4. 2. *Corint.* 6.4. *Gal.* 5.22. *Ephes.* 4.2. 1. *Thess.* 5.14. 2. *Thess.* 1. *ver.* 4.7. 1. *Tim.* 6.11. 2. *Timot.* 2. *v.* 3.12. *Hebr.* 10.36. & 11.25. & 12.1. *Iac.* 5.7. 1. *Petr.* 16. & 2.19. & 3. *vers.* 14.17. & 4.1. *Petr.* 1.6. Patientia vera quid, 1. *Petr.* 1.6. ex fide nascitur, 2. *Thess.* 1.4. *Hebr.* 11. *v.* 9.35. eius obiectum, afflictio est, *Rom.* 3.5. *Iac.* 3. Donum Dei est, *Rom.* 15.5. *Philip.* 1. *v.* 28.29.

Patientia commendatur, *Prou.* 24.29. & 16.32. & 39.1. & 20.22. *Esa.* 28.6. & 30.18. *Thren.* 3.26. *Matth.* 5.39. *Marc.* 8.15. & 21.19. *Luca* 6.29. commendatur a Christo suo ipsius exemplo, *Ioan.* 15. *v.* 18. 19. *Vide Matth.* 10.22. *Mar.* 13.13. *Luca* 21.9. Pauli exemplo, 1. *Corint.* 6.7. *Philip.* 1.18. *Rom.* 12.18. 1. *Thess.* 5. *v.* 19.20. & 3.3. ab exemplis Patrum & Christi, *Hebr.* 12.13. Petri, 1. *Pet.* 3.13. Iacob, *Iac.* 1. 4. Commendatur item, *Rom.* 2.7. & 5.4. & 8. *v.* 19.25. & 12. *vers.* 12. 19. & 15.4. 1. *Cor.* 6.7. & 13.7. 2. *Cor.* 6.4. *Gal.* 5.22. & 6.9. *Ephes.* 4. 2. *Coloss.* 1.12. & 3.12. 1. *Thessal.* 5.14. 2. *Thessal.* 1.4. 1. *Tim.* 6. *v.* 11.14. *Tit.* 2.2. *Hebr.* 6.12. & 10.30. & 12.1. *Iac.* 1.3. & 5. *v.* 7.8. *Petr.* 1.13. & 2.21. & 5.6. 2. *Petr.* 1.6.8. & 3.12. 1. *Ioann* 3.2. *Apoc.* 10.10. & 14. 22. Patientiæ bona, *Prou.* 15.18.

Sententiae Biblicae.

Patientia necessitas.

Veruntamen Deo subiecta esto anima mea, quoniam ab ipso patientia mea. *Psal.* 61.

Impatiens operabitur stultitiam. *Prou.* 14.

Patientia lenietur princeps. 25.

Væ his, qui perdiderunt sustinentiam. *Eccl.* 2.

Quare non magis iniuriam accipitis? 1. *Cor.* 6.

Vtilitas, Deum placat.

Patientia pauperum non peribit in finem. *Psal.* 9.

Ne dicas: reddam malum pro malo. Expecta Dominum, & liberabit te. *Prou.* 20.

Quoniam seruasti verbum patientiæ meæ, & ego seruabo te ab hora tentationis, quæ ventura est in orbem vniuersum tentare habitantes in terra. *Apoc.* 3.

Præmium parat.

Quod autem in bonam terram, hi sunt, qui in corde bono, & optimo audientes verbum retinent, & fructum afferunt in patientia. *Luc.* 8.

Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiam, & cōsolationem scripturarum spem habeamus. *Roman.* 15.

Hominem commendat.

Longanimis forti præstat, & qui animo suo imperat, ei qui expugnat vrbes. *Prou.* 16.

Doctrina viri per patientiam noscitur. 19.

Melior est patiens arrogante. *Ecclesi.* 7.

In patientia vestra possidebitis animas vestras. *Luc.* 21.

Charitas patiens est, benigna est. 1. *Cor.* 13.

Patientia autem vobis necessaria est, vt voluntatem Dei facientes, reporteōs promissionem. *Hebr.* 10.

Patientia exemplaria.

Ideo & nos tantam habentes impositam nubem testium, deponentes omne pondus, & circumstans nos peccatum per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in authorem fidei, & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta, atque in dextera sedis Dei sedet. *Hebr.* 12.

Recogitate enim eum, qui talem sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem, vt ne fatigemini, animis vestris deficientes. *ibid.*

Ordinatio quantum ad intentionem.

Qui patiens est, multa gubernatur sapientia; qui autem impatiens est, exaltat stultitiam suam. *Prou.* 14.

Sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa patientia. 2. *Cor.* 6.

Continuationem.

Faciens misericordias Dominus & iudicium omnibus iniuriam patientibus. *Psal.* 102.

Vsque ad tempus sustinebit patiens. *Eccl.* 1.

Qui timet Dominum, custodiunt mandata illius: & patientiam habebunt vsque ad inspectionem illius. 2.

Patientes igitur estote fratres vsque ad aduentum Domini. Ecce agricola expectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens, donec accipiat temporaneum & serotinum. *Iac.* 5.

Patientes estote & vos, & confirmate corda vestra, quoniam aduentus Domini appropinquabit. *Ibid.*

Ecce iudex ante ianuam assistit. Exemplum accipite fratres exitus mali, & longanimitatis, & laboris, & patientiæ: Prophetas, qui locuti sunt in nomine Domini. Ecce beatificamus eos, qui sustinuerunt. Sufferentiam Iob audistis, & finem Domini vidistis, quoniam misericors Dominus & miserator. *Ibid.*

Patrum Sententiæ.

Paratus debet esse homo iustus & pius, patienter eorum malitiam sustinere, quos fieri bonos quærit, vt potius numerus crescat bonorum, non vt pari malitia se quoque numero addat malorum. *Aug. de puero Centurionis & hab.* 23. *q.* 1. *can. Paratus.*

Perfacile est vestem contemptam habere, inclinato capite incedere, velum super capillos dimittere, sed verum humilem patientia ostendit iniuriæ. *idem in epist. ad Probam.*

Ne indignemini fratres, si in mundo mali florent, & vos aduersa patimini, quia nō est Christianæ religionis in temporalibus exaltari, sed potius deprimi. Mali enim nihil habent in cœlo, & vos nihil habere debetis in terra, sed spe illius boni, ad quod tenditis quicquid in via contingit, gaudere debetis. *idem in sermone de patientia.*

Fratres charissimi, & bonos & iustos viros semper persecutionem malorum sustinuisse cognoscimus. Si diligenter consideramus inuenimus illos maiora supplicia sustinuisse, qui faciunt, quam qui sustinere videntur. Omnis enim homo, qui alium in corpore persequitur, prius ipsum in corde persecutionem sustinere cognoscitur. Nam si etiam ille, qui persequitur, aliquid de substantia eius tulerit, maius ipse dispendium sibi facit. Quia nemo habet iniustum lucrum sine iusto damno, vbi est lucrum, ibi & dānum, lucrū in arca, damnum in conscientia: tulit vestem, & perdidit fidem: acquirit pecuniam, & perdit iustitiam, *idem in serm. Innocentium.*

Quanto in hac vita fruimur Deo, vel per speculum, vel in ænigmate, tanto peregrinationem nostram & tolerabilius sustinemus, & ardentius sufferre cupimus. *idem de doctrina Christ. l.* 1.

Deus in passione sua percussus ad maxillam non præbuit aliam: demonstrās, illa magna præcepta patientiæ nō in ostentatione corporis, sed in cordis præparatione facienda. *Idem super Ioan. homil.* 58.

Tu bonus tolera malum. Nam & Christus Iudam, cum sciret furē esse, tolerauit, & ad prædicandum misit, eique cum alijs Eucharistiam dedit. *ibid. can. Tu bonus.*

Iram fratris tunc portabis, cum tu aduersus eum non irasceris, vt rursum eo tempore, quo te ira præoccupauerit, ille te lenitate & tranquillitate supportet. *idem de verbis Apost.*

Intelligat homo, medicum esse Deum, & tribulationē medicamentum esse ad salutem, non pœnam ad damnationem. Sub medicamento positus vreris, secaris, clamas, non audit medicus ad voluntatem, sed audit ad sanitatem. *Idem sup. Psal.* 21.

Illud est magnificum, si subiectus contumelijs iudicium Dei laudes: si vexatus ægritudine iudicio Dei deputes: si inopia non te [illegible], quo minus laudes iustitiam Dei. *Ambros. super Beati immaculati.*

Voluit Christus deseri, voluit prodi, voluit ab Apostolo suo tradi: vt quū sis desertus a socio, proditus ab ipso, moderate feras tuum errare iudicium, perijsse beneficium. *Idem sup. Luc. l.* 5.

Non mediocre est mitigare iracundiam, non inferius quam animo non commoueri. Hoc nostrum est, naturæ illud. *Idem Offic. libro primo.*

Magna est consolatio in eo, quod displicet, quod ordinante illo erga nos agitur, cui non nisi iustum placet. *Greg. l.* 2. *Mor.*

Festina consolatio bonorum, consideratis finis malorum: Dum.n. ex eorum interitu malum conspiciunt, quod euadunt, leue æstimant, quicquid aduersum in hac vita patiuntur. *Idem l.* 21. *Mor.*

Tanto quisque minus ostenditur doctus, quanto minus conuincitur patiens. Neque enim potest veraciter bona docendo impendere, si viuendo nescit æquanimiter aliena mala tolerare. Perfecti enim doctoris est, aliorum improbitatem patienter sufferre, vt se nouerit ab iniquis patienter obscurari. Neque enim propria notitia sine tolerantia sufficit, nec tolerantia sine munditia valet. *idem super illud Prouerb.* 19. *Doctrina viri per patientiam noscitur.*

Sæpe

Sæpe hostis callidus, quum imparatam mentem ad tolerantiam videt, quid ab ea maxime diligatur, exquirit, & sibi scandali laqueos inserit, vt quo magis res quæque diligitur, eo per eam facilius patientia turbetur. *idem lib. 2. Moral.*

Nullus perfectus est, qui inter mala proximorum patiens non est. Qui enim æquanimiter aliena mala non tolerat, ipse sibi per impatientiam testis est, quia a boni plenitudine longe distat. Abel quippe renuit esse, quem Cain malitia non exercet. Sicut in tritura paleæ grana premuntur: sic flores inter spinas prodeunt, & rosa, quæ redolet, crescit cum spina, quæ pungit. *idem lib. 20. Moral. super illud Iob 30. Frater fui draconum.*

Patienter quippe illatam iniuriam tolerat, qui pie meminit, quod fortasse adhuc in se habeat, in quo ipse debeat tolerari, & quasi aqua ignis extinguitur, quum surgente furore animi, sua cuique ad mentem culpa reuocatur. Quia erubescit peccatis non parcere, qui Deo vel proximo se recolit parcendo peccasse. *idem.*

Si mens forti intentione in Deum dirigitur, quicquid in hac vita sibi amarum sit, dulce æstimat; omne quod affligit, requiem putat. *idem lib. 5. Moral.*

Quædam verba Iob imperitis lectoribus aspera sonant, qui Sanctorum dicta pie intelligere, sicut dicuntur, ignorant. Quia animum dolentis & iusti in semetipsis assumere nesciunt, ideo doloris verba bene interpretari non possunt. Mentem quippe patientis bene pensare nouit condescensio passionis. *idem in Prologo Moral.*

Nunquam est patientia virtus in prosperis. Illa autem vere patiens est, qui & aduersis conteritur, & tamen ab spei suæ rectitudine non euertitur. *idem lib. 11. Moral.*

Qui à statu patientiæ ante linguarum vulnera corruit, ipse sibi testis est, quod contra mansuetæ percussionis gladios non persisteret. *idem l. 16. Moral.*

Tunc illata vitia bene toleramus cum secreto mentis ad mala perpetrata recurrimus. Leue quippe videbitur, quod iniuria percutimur, dum in actione nostra conspicimus, quia peius est quod murmuramus. Sicque fit, vt contumelijs gratia magis quam ira debeatur, quarum interuentu, Deo iudice, pœna grauior declinari posse confiditur.

Gloriosius est iniuriam tacendo fugere, quam respondendo superare: & si seruus conuitium dicat, iustus taceat: & si infirmus iniuriam faciat, iustus sufferat: & si pauper criminetur, iustus non respondeat. *idem lib. 30. Moral.*

Plerumque ideo patientes esse videmus, quia retribuere mala non possumus: Sed qui idcirco malum non retribuit, quia nequaquam valet, procul dubio patiens non est: quia patientia non in ostensione requiritur, sed in corde. *idem.*

Non est perfecte bonus, nisi qui fuerit & cum malis bonus. Bonus enim non fuit, qui malos tolerare recusauit. *idem in hom. 35. super Euang. Luc. 21. Cum audieritis.*

Patientia vera est, quæ & ipsum amat, quem portat. Nam tolerasse, & odisse non est virtus mansuetudinis, sed velamentum furoris. *idem super Ezech. hom. 7. & 17.*

Si, adiuuante nos Domino, virtutem patientiæ seruare contendimus, & in pace Ecclesiæ viuimus, & tamen martyrij palmam tenemus.

Nos sine ferro & flamma martyres esse possumus, si patientiam in animo veraciter custodimus.

Mori a persequente, martyrium in aperto opere est: ferre vero contumelias, & odientem diligere, martyrium est in occulta cogitatione. *idem hom. 35.*

Nulla sunt bona, quæ agimus, si non æquanimiter proximorum mala toleramus. *idem sup. Ezech.*

Patientia est, aliena mala æquanimiter perpeti: contra eum quoque, qui mala irrogat, nullo dolore morderi.

Tribus modis virtus patientiæ exerceri solet: Alia namque sunt, quę a Deo, alia, quę ab antiquo aduersario, alia, quæ a proximo sustinemus. A proximo namque persequutiones, damna & contumelias sustinemus: ab antiquo vero aduersario tentamenta, a Deo flagella toleramus. Sed in his omnibus modis vigilanti oculo semetipsam debet mens circũspicere, ne contra mala proximi pertrahatur ad retributionem mali: ne contra tentamẽta aduersarij seducatur ad delectationem vel consensum delicti: ne contra flagella opificis prorumpat ad excessum murmurationis. *Idem in hom. 35. sup. Euang. Cum audieritis prælia.*

Faciamus de necessitate virtutem seu voluntatem: exempli gratia: Proprium quis amisit filium, substantiam alius omnem & fortunæ bona, si noueris, quod factum est, semel, nec deleri amplius, nec solui posse, licebit ea insanabili calamitate vtilitatis aliquid comparare, si magno ac virili animo aduersos tuleris fortunę casus, proque maledictis Domino laudem referas, hoc pacto, quæ præter spem obuenerint mala, in voluntatis officium commutabis. *Io. Chrys. serm. 10.*

Io proprijs iniurijs patientem esse, laudabile est, iniurias autẽ Dei dissimulare impium est. *Idem sup. Matth.*

Si vindicare vis, sile, & funestam dedisti plagam. *ibid.*

Primus gradus patientiæ est, non incipere iniustitiam: secũdus, postquam incepta est, æqualibus non vindicare: tertius est non facere vexanti ea, quæ passus es. *Idem super Matth. 5. Audistis, quia dictum est antiquis, oculum pro oculo.*

Nihil ita confusionem facit ingerenti mala, sicut fortis tolerantia patientis, & neque in verbo neque in opere reddere vindictam. *Idem super epist. ad Hebr.*

Magna est virtus, si non lędas, a quo læsus es. Magna est fortitudo, si etiam læsus remittas. Magna est gloria, si, cui potuisti nocere, parcas. *Isidor. solilog. l. 2.*

Discat non murmurare, qui mala patitur, & si ignorat, cur mala patitur, per hoc se iuste pati arbitretur, quia ab illo iudicatur, cuius nunquam iniusta iudicia sunt. *Idem l. 4. de summo bono.*

Ad virtutes spectat tribulationes fortiter sustinere: ad sapientiam, in tribulationibus gaudere. Confortare cor tuum, & sustine Dominum: virtutis est, gustare & videre, quoniam suauis est Dominus sapientiæ. *Bernardus super Cantica, serm. 85.*

Sunt quidam mites, sed quamdiu nihil dicitur vel agitur, nisi pro eorum arbitrio. Patebit autem, quam longe sint a vera mansuetudine, si leuis oriatur occasio. *Idem serm. 4. de Aduent.*

Non bona patientia est, cum possis esse liber, seruum te permittere fieri. Vera patientia est, pati vel agere, contra quodlibet, sed non præter quod liceat. *Idem ad Eugen. de consider.*

Qui dolorem capitis non patimur benigne, quomodo pro Christo capitis abscissionem pateremur? Qui flagellum timent, quomodo flagella sustinerent? *Hugo l. 2. de claustro animæ.*

Beatus est igitur sapiens in tormentis: sed quum torquetur pro fide, pro iustitia, pro Deo, illa patientia doloris beatissimũ faciet. *Lactant. Firm. diuin. instit. l. 3.*

Magna & præcipua virtus patientia est, quam pariter & vulgi publicæ voces, & Philosophi, & Oratores summis laudibus concelebrant: quod si negari nõ potest, quin summa virtus sit, necesse est iustum & patientem virum in potestate esse hominis iniusti, vt patientiam capiat. Patientia est enim, malorum, quæ aut inferuntur, aut accidunt, cum æquanimitate perlatio. Ergo iustus & sapiens, quia virtutem capit, habet in se patientiam, qua carebit omnino, si nihil patietur aduersi: contra: qui in rebus prosperis impatiens est, virtute maxima caret. *Idem l. 5.*

Omnia itaque amara & grauia patienter ferenda sunt. *Idem l. 6.*

Poeticæ Sententiæ.

Menander.

Ἀνδρὸς τὰ προσπίπτοντα γενναίως φέρειν.
Viri est accidentia generose ferre.
Εὔψυχα λύπην καὶ βλάβην ἐνεγκεῖν.
Fer tristitiam & damnum fortiter.
Κούφως φέρειν δεῖ τὰς παρεστώσας τύχας.
Leniter ferre oportet præsentes fortunas.
Νίκα λογισμῷ τὴν παροῦσαν συμφοράν.
Vince ratione præsentem calamitatem.
Πειρῶ τύχης ἄγνοιαν εὐχερῶς φέρειν.
Conare fortunæ ignorantiam facile ferre.
Στερρῶς φέρειν χρὴ συμφορὰς τὸν εὐγενῆ.
Fortiter ferre oportet calamitatem generosum.
Τὴν τῶν κρατούντων μάνθανε φέρειν ἐξουσίαν.
Imperantium disce ferre licentiam.
Φρονοῦντός ἐστι ζημίαν ῥᾷον φέρειν.
Sapientis est damnum facile ferre.
Φέρειν ἀνάγκη θνητὸν ὄντα τὴν τύχην.
Ferre necesse mortali existenti fortunam.

Terent. Com. 6.

Quod fors feret feramus æquo animo,
Istuc viri est officium.

Virg. Æneid. lib. 1.

O socij (neque enim ignari sumus ante malorum)
O passi grauiora: dabit Deus his quoque finem.
Forsan & hæc olim meminisse iuuabit.
Durate & vosmet rebus seruate secundis.

Theognis.

Οὐ δύναμαί σοι θυμὲ παρασχεῖν ἄρμενα πάντα.
Τέτλαθι τῶν δὲ καλῶν οὔτι σὺ μοῦνος ἐρᾷς.
Non possum tibi anime mi omnia suppeditare, quæ desideras.
Fer igitur patienter, pulchra non solus appetis.

Philemon in Ecdicazomeno.

Ἥδιον οὐδὲν οὐδὲ μουσικώτερον
Ἔστ' ἢ δύνασθαι λοιδορούμενον φέρειν.
Ὁ λοιδορῶν γὰρ ἂν ὁ λοιδορούμενος
Μὴ προσποιῆται, λοιδορεῖται λοιδορῶν.
Nihil est iucundius, & docto viro dignius,
Quam ferre posse conuitiantem:
quoniam si ille, cui conuitium fit
Dissimulauerit, in ipsum authorem redundat.

Euripides in Protesilao.

Δυοῖν λεγόντοιν θατέρου θυμουμένου,
Ὁ μὴ ἀντιτείνων τοῖς λόγοις σοφώτερος.
Altero duorum colloquentium indignante,
Is, qui se non opponit, plus sapit.

Ouid. Metam. lib. 8. fab. 7.

Pauperiemque ferendo
Effecere leuem, nec iniqua mente ferendam.

Idem Metam. lib. vlt. fab. 44.

Nec enim fortuna querenda
Sola tua est: similes aliorum respice casus:
Mitius ista feres.

Idem amor. lib. vlt. eleg. 10.

Perfer & obdura, dolor hic tibi proderit olim:
Sæpe tulit lassis succus amarus opem.

Idem lib. 1. de Reme. Amor.

Dura aliquis præcepta vocet mea, dura fatemur
Esse: sed vt valeas, multa dolenda feres.
Sæpe bibi succos quamuis inuitus amaros
Æger, & oranti mensa negata mihi est.
Vt corpus redimas, ferrum patieris, & ignes,
Arida nec sitiens ora leuabis aqua.
Vt valeas animo, quicquam tolerare negabis?
At pretium pars hæc corpore maius habet.
Sed tamen est artis tristissima ianua nostræ,
Et labor est vnus tempora prima pati.
Aspicis, vt prensos vrant iuga prima iuuencos,
Vt noua velocem cingula lædat equum.

Idem lib. 2. de remed.

Posse pati facile est, tibi ne patientia desit,
Protinus ex facili gaudia ferre licet.

Idem Trist. lib. 5. eleg. 13.

Contudit ingenium patientia longa malorum,
Et pars antiqui nulla vigoris adest.

Idem in Epist. Oenones ad Paridem.

Leniter ex merito quicquid patiare ferendum est:
Quæ venit indignæ pœna, dolenda venit.

Laberius.

Furor fit læsa sæpius patientia.
Veterem ferendo iniuriam, inuitas nouam.

Lucanus.

Gaudet patientia duris.

Tibull. lib. 3. eleg. 2.

Non ego firmus in hoc: non hæc patientia nostro
Ingenio: frangit fortia corda dolor.

Horat. Carm. lib. 1. Ode 24.

Sed leuius fit patientia,
Quicquid corrigere est nefas.

Lucan. Pharsal. lib. 9.

Commonite mentes
Ad magnæ virtutis opus, magnosque labores.

Antholog. liber 1. cap. bul.

Multa diu summi differt patientia regis,
Suspendis æquo pondera iudicij.
Et dum ple... tendis caret clementia factis,
Dat spatium, quo, e crimine purget ... amo.
Denique committant homines dum crimina semper,
Dat spacium, vt peccant cer ... non ... omnes.
Verbere nonnunquam ... tergans condap sterno,
Ne cito consumant fata flagellarces.
Sic pietate Dei terrarum non vacat orbes,
Est modo, quod nos non trahit ad veniam,
Dum rex saluandis ipsa quoque consulit ira,
Et curat melius vulnera vulneribus.

Philosophica Placita.

Quidam supplicijs inexpugnabiles exemplum cæteris prætulerunt, inuictam malis esse virtutem. *Boet. de consolat. philosoph. lib. 4. prosa 6.*

Libenter feras, quod necesse est: dolor patientia vincitur. *Seneca lib. de moribus.*

Feras, non culpes, quod mutari non potest: Furor fit læsa sæpius patientia. *Idem in Prouerb.*

Si magnanimus fueris, numquam iudicabis tibi contumeliam fieri. De inimico dices, non nocuit mihi, sed animum nocendi habuit: & cum illum in potestate tua videris, vindictam putabis, vindicare potuisse. Scito enim, magnū & honestum vindictæ esse genus, ignoscere. *Idem lib. 4. de virtutib.*

Quæris, an omne bonum optabile sit? Si bonum est, inquit, fortiter torqueri, & magno animo vti, & patienter ægrotare, sequitur, vt ista optabilia sint. Distingue: Tormenta à me abesse velim, sed si sustinenda fuerint, vt me in illis fortiter, honeste, animose geram, optabo. Qui hic ego malim non incidere in bellum, sed si incido: vt vulnera, vt famem, & omnia, quæ bellorum necessitas affert, generose feram, optabo. Ita nō incommoda optabilia sunt: sed virtus, qua perferuntur incommoda. Non pati tormenta optabile est, sed fortiter. *idem epist. 68.*

Cogitanda ergo sunt omnia, & animus aduersus ea, quæ possunt euenire, firmandus: exilia, tormenta, morbos, bella, naufragia meditare. *idem epist. 92.*

Consurgamus itaque aduersus fortunam, & quicquid inciderit, sciamus non esse tam magnum, quam rumore iactetur. *ibidem.*

Æqualiter se in aduersis gerere, quid aliud est, quam sæuientem fortunam in adiutorium impudore victam conuertere? *Valer. Maxi. libro 3.*

Neque secundarum rerum prouentu insolenter abuti, neque aduersis propere debilitari oportet. *idem lib. 8.*

Quare si, vt initio concessisti, turpitudo peius est, quam dolor, nihil est plane dolor. Nam dum tibi turpe, nec viro dignum videbitur gemere, eiulare, lamentari, frangi, debilitari, dolere: tum honestas, tum dignitas, tum decus aderit, & quæ in ea intueberis, te continebis: cedet profecto virtuti dolor, & animi inductione languescet. Aut enim nulla virtus est, aut contemnendus est dolor omnis.

Spartæ vero pueri ad aram sic verberibus accipiuntur, vt multus è visceribus sanguis exeat, nonnunquam etiam (vt, cū ibi essem, audiebam) ad necem: quorum non modo nemo exclamauit vnquam, sed ne ingemuit quidem. Quid ergo? hoc pueri possunt: viri non poterunt? Et mos valet, ratio non valebit?

Si summus dolor est, inquit, breuem esse necesse est.

Contemno magnitudinem doloris, a qua me breuitas temporis vindicabit, ante pene, quam inuenerit. *Cicero Tuscalan. quæstion. libro secundo.*

Summa est stultitia, summo confici mœrore. *idem lib. 3.*

Ab exiguis incipe: effunditur oleum, furto vinum aufertur. Cogita tanti redimi patientiam, tanti emi imperturbationem: nihil gratis fit. Cum seruum accersiueris, præmeditare: forte non pariturus mihi, forte nihil eorum, quæ cupis, facturus est: at non tanti est tamen, vt eius causa perturbari debeam, aut possim. *Epictetus in Enchiridio.*

Mansuetudo inetabilis ad vindictam animi partis virtus est propter quam non facile ad iram concitantur. *Aristotel. in libello de virtutibus.*

Ἀνέχου ὑπὸ τῶν πλησίον μικρὰ λειπόμενος.

Id est.

Tolera, si ab his qui sunt prope minima quædam tibi detrahantur.

Qui se vltro morti offerant, facilius reperiuntur, quam qui dolorem patienter ferant. *Cæsar. lib. 7. de bell. Gall.*

Et qui ad Rempublicam & versandum inter homines animū adiecit, magnopere fugienda est contumacia, solitudinis contubernalis, amplectendaque ea, quæ a nonnullis derideri solet, patientia iniuriarum animiq. remissio. *Plut. in Coriolano*

Nulla nobis optio viuendi nostro arbitrio proposita est, sed necesse omnino habemus omnia tolerare quę de nobis fortuna statuerit. Quod si hoc sponte nostra fecerimus, dolore vacabimus: sin noluerimus, neque ea quæ fatū nobis destinauit, effugiemus: & insuper præterea in dolores, summum illud malum, incidemus. Cuius euidens indicium est, quod alij mortales etiam res aduersissimas leuiter ferunt, seque nullo malo conflictari censent: alij leuibus oppressos se arbitrantes, nullū a se malum quod in hominem cadere possit, abesse putant: itemq; vt res istæ tales alijs esse videantur, quales illi ferendo eas esse ostenderunt. *Dionys. libro 38.*

Deus si sæpe percutere, at sæpissime etiam mederi consueuit: præsertim si quis leuiter, & cū gratiarum actione molestias perferat: neque ob acerbitatem earum, eum a quo proficiscitur odio persequitur: nec cum prouidentia expostulat: nec diuini iudicij profunditate reiecta, in secundis duntaxat rebus bonum se præbere didicit. *Nicet. Andr. Comn. lib. 1.*

Consueuere Dij immortales, quo grauius homines ex commutatione rerum doleant, quos pro scelere eorum vlcisci velint, his secundiores interdum res, & diuturniorem impunitatem concedere. *Cæs. lib. 1. de bell. Gall.*

Apophthegmata.

Bion aiebat, magnum malum esse, non posse ferre malum: absq. hoc enim nulli potest esse vita suauis. *Laert. lib. 4. c. 7.*

Democritus dicebat, si quę sunt perpetienda, discere liceret: & non perpeti, bonū esset discere: sed si perpetienda sunt omnino, quid discere iuuat? perpeti enim necesse est. *Anton. & Maxim. sermon. de patientia.*

Diogenes, Adolescenti conquerenti, quod a multis turbaretur: Desine, inquit, & tu perturbationis indicia præseferre. Significans, nulla

nulla re melius improbitatem lædentium finiri, quam si qui ædicte dolorem dissimulet. Etenim qui ob id incessunt hominem, vt illum discutient, desinent, si viderint illum nihil commoueri. *Laert.lib.6.*

Idem Quum aliquis illi dixisset, vituperant te multi, Oportet, (inquit) sapientem ab insipientibus feriri, esse meliorem indicat lingua quem carpit. *Senec.*

Xenophon. Maledicenti sibi cuidam, Tu (inquit) maledicere didicisti: ego conscientia teste didici maledicta contemnere. *idem.*

Tacitus. Lucio Metello ei in senatu maledicenti respondit, facile est in me dicere, quia responsurus non sum, potentia ergo tua, non mea patientia, est accusanda. *Idem.*

Anonymus. Quidam quum videret Diogenem cognomento canem in vehementi frigore statuam æream amplectentem, rogauit, num algeret: illo negante: Quid igitur, inquit Lacon, magni facis? Philosophus, gloriæ mancipium, hoc ipsum existimabat magnificũ, quod si haberet corpus ad omnes iniurias duratum, vt in rigore frigidæ statuæ complexum ferre posset absque dolore. Id Laconi nihilo pulchrius videbatur, quam si quis in æstate simile quippiam amplecteretur, nullo suo incommodo. *Plut.in Lacon.*

Idem. Adolescens quidam, postquam Zenonem aliquandiu audierat, domum reuersus, a patre rogatus, quod tandem operæpretiũ fecisset in philosophiæ studio? Ostendam, inquit. Quum nihil aliud diceret, pater iracundus, existimans impendium perisse, cœpit flagris cædere filium. Eam parentis sæuitiam adolescens æquissimo animo tulit. Ac rursus efflagitanti patri, vt aliquod specimen profectus ederet, expectanti egregium aliquod sophisma: Hoc, inquit, è philosophia fructus retuli, vt patris iram possim commode perpeti. *P.M.l.8.apoph.ex Æliano.*

Antisthenes, dicebat, virtutem sibi sufficere ad felicitatem, nec vlla re opus habere, nisi robore Socratico. Socrates autem ad omniũ rerum patientiam obdurauerat. Imbecillitas vero corporis impedit frequenter vsum virtutis. *Laert.l.6.c.2.*

Agesilaus, quum arderet podagræ doloribus, eumque Carneades inuisisset, atque exiret tristis. Mane, inquit, Carneade, nihil enim illinc huc peruenit: ostensis pedibus & pectore. Sentiens, pedes quidem dolere, sed animum dolore vacuum esse. *Plut. vrb. in Lacon.*

Idem. Quum vero narraretur apud Agesilaum, maleficum quempiam, ac sceleratum hominem constanter pertulisse tormenta: Vt insigniter, inquit, miser est homo, qui tolerantiam ac patientiam in res flagitiosas, ac turpes collocet. Apud Lacedæmonios admirabilis erat malorum tolerantia: quæ, si suscipiatur ob res honestas, magnam promeretur laudẽ: sin ob turpes, non solum non meretur fortitudinis laudem, qui tolerat, sed hoc miserior est, ac vir peior, quo constãtius se gesserit: πονηρὸς enim Græce & malum sonat, & translato tamen laboriosum, siue calamitosum. Dolebat egregio duci tantum animi robur ac naturæ vim in re turpi consumptam, quam si attulisset ad res honestas, magno vsui poterat esse Reipublicæ. *Plutarch.in Laconic.P.M. lib primo.*

Dionysius Heracleotes, laborãs ex renibus, in ipso eiulatu clamitabat, falsa esse ista, quæ antea de dolore sensisset: quem quum Cleanthes discipulus eius rogaret, quænam ratio eum de sententia deduxisset? respondit: Quia quum tantum operæ philosophiæ dederim, dolorem ferre non possum. *Brus.lib.2.c.28.*

Possidonius. Pompeius è Syria Rhodum veniens, Possidoniũ quamuis ægrum reuisere voluit, data acceptaque salute, quum dixisset Pompeius se grauiter ferre, quod eum non posset audire. Tu vero, inquit, potes, neq. committam, vt dolor corporis efficiat, vt tantus vir frustra ad me venerit. Cum vero inter narrandum quasi faces ei doloris admouerentur, sæpe dixisse fertur: Nihil agis dolor, quamuis sis molestus, nunquam te tamen esse confitebor malum. *Brus.l.2.c.1.*

Lygas: Hæc mulier, memoria inter multas dignissima, quum metu militum filium occultasset, & illi per cruciatus interrogarent, vbi nam occuluisset? vterum ostendens, respondit: Ibi latet, nec vllis tormentis cogi potuit, vt constantiam vocis egregię mutaret. *Corn.Tacit.*

Anonymus. Proprium esse insignis stultitiæ dicebat, dolores & aduersas res parui facere: & nolle, quum accidunt, pati. *Ant.serm.de non patientibus, &c.*

Lycurgus a ciue quopiam iuuene altero oculorum orbatus, illum a populo accepit, vt quo liberet modo puniret. Quod minime fecit, sed optime institutum, bonique viri moribus prędıtum, in theatrum produxit. Spartanis rem mirantibus dixit: Illum antehac iniurium & violentum, qualem à vobis accepi, iam frugi & popularem restituo. *Plut.*

Zenon Eleates, conuitijs lacessitus, quum incandesceret, reprehẽsus, quod philosophus verbis improborum commoueretur: Si conuitia, inquit, æquo animo suscipio, anne laudis particeps ero? Lapidis & trunci est, inter laudem & vituperiũ nullum plane habere discrimen. At philosophi, ita commoueri, vt nihilominus ab honestatis tramite non recedat. *Laert.l.9.c.5.*

Idem, Cuidam percontanti, quo pacto esset affectus erga conuitia: Perinde, inquit, atque si legatus absque responso dimittatur. Significans, eos, qui non habent, quod respondeant, ad conuitia solere confugere: eaque non pluris oportere fieri, quam si nihil esset responsum. *Laert.lib.7.c.1.*

Archytas, Tarentinus, intuens villicum suum male meritum: sumpsissem, inquit, de te supplicium, nisi iratus fuissem. Maluit impunitum relinquere, quam per iram amplius iusto punire, nimis liberalis Archytæ moderatio: quia alium quem potius castigaret inuenerat, id est seipsum. *Valer. Maxim.lib.4.* Vide Senecam & Plutarch. de Ira.

Pisistratus, memoriæ proditur, cum multa in crudelitatẽ eius ebrius conuiua dixisset, nec deessent, qui vellent ei manus commodare: & alius hinc, alius illinc faces subderent, eum placido animo tulisse, & hoc irritantibus respondisse, non magis illi se succensere, quam si quis obligatis oculis in se occurrisset. *Senec.l. 3.de ira, cap.12.*

Dion Philosophus. Eum è conuiuio redeuntem quidam maledictis insectabatur, nullas non blasphemias eructans. Tacenti, & iam domum ingressuro dixit conuitiator. Nihil vero respondes? Cui Dion: Ne gry quidem. *Plut.& Stob.*

L. Sylla, cum dictaturam præstantissimam dignitatem omnium deposuisset, vt eorum, quæ fecisset, si quis exigeret, reddere rationem sciret: ab adolescente quodam conuitijs lacessitus, dixisse fertur: Adolescentia docebit, ne quis deinceps Dictaturam sponte ponat. Tanta patientia adolescentis insolentiam pertulit. *Plut. Appianus & Cuspinianus in Coss.*

SIMILITVDINES.

D.Chrysostomi, O quanta magnitudo consolationis: veluti si quis ad athletam hoc diceret, qui cunctos superasset ac deijceret, & nullum reliquum haberet, qui sibi concertaret: & deinde facturum, non vt coronaretur, & dilationem pati non ferentem, dum arbiter certaminis adueniret, qui coronam daret. Ille autem impatienter ferens, vellet exire & fugere nõ tolerans fumum & flammam æstuationis: hunc consolatur, dicens: Adhuc modicum, aliquantulumque: tanquam paruum tempus sit, vt remaneat. *Hom. 22. ad Hebræos super hoc: Patientia vobis necessaria est, &c.*

Quemadmodum in exterioribus certaminibus corpore vigentes, & bonæ habitudinis athletæ, non sic apparent, quam vestimentum vndique oleo madidum fuerint induti, sed quando, illo abiecto, nudi in stadia feruntur, tunc maxime spectatores membrorum proportione penitus obstupefaciunt, quum nihil illam amplius obumbrare possit: sic & N. patiens, quando omnibus diuitijs, gloria circumfusus erat, quis esset, non multis manifestus erat: postquam vero ipse velut vestimentum exutus athleta, abierit, & ad pietatis certamina nudus intrauit, sic spoliatus spectatores omnes perculit, vt & angelorum theatrum illi victori applauderet. *Hom. 1. de verbis Apostoli, Modico vino vtere.*

Ambrosio, Laudauerim virtutem gubernatoris, qui nullas procellas senserit, & cursum nauigij direxerit, nulla tempestate iactatus? Sed illum laudauerim, qui aduersus ventos renititur, insurgit aduersus fluctus, non timet, vel cum eleuatur vndis nauigium, vel cum ad profundissima deponitur: Ita & ille laudandus est gubernator sui, qui ea, quæ aduersa sunt, vincit patientia, virtute superat, secundis non extollitur, aduersis non frangitur. Rege ergo teipsum, quando turbatur animus, mens fluctuat. *Sermone 8.*

Paulini. Sicut granum sinapis, de quo semine sumimus, si conteratur, ac cęditur, magis autem tum demum in vim suam excitatur: Sic nos respondere debemus in hoc naturæ nostræ, vt aduersis concurrentibus ardescamus ad fidem, & eos, qui inferunt, sicut granũ sinapis. *Epist.6.ad Seuerum.*

Martialis Episcopi. Audistis exemplum a me patientiæ ipsius cui quum malediceretur, non maledixit: qui, sicut agnus innocens, ante tribunal corruptibilis iudicis se iudicari permisit. Nã & discipulo suo, a quo tradendum se nouerat, dulcedine suæ bonitatis, nobis trementibus & metuẽtibus sæuitiam eorum, qui eum comprehendere venerunt, osculum dedit. *In epistol. ad Tholosan.*

Laurentij Iustiniani Patriarchæ, Sicut aquam denegare sitienti crudele est: Ita patientię præclaræ virtutis præconia silentio tegere malum est, quia in illo subtrahitur alimentum corpori: in hoc via clauditur, qua spiritus ad cœlum deducitur. *In ligno vitæ de Patientia, cap.2.*

Quemadmodum in corporibus reparat sanitatem medicina: Ita in animabus patientiam tribulatio generat. *Ibid.c.3.*

Sicut nihil est deformius, quam respondere furiosis: Ita nihil est vtilius, quam tacere nobis prouocatis. Nullus est enim finis inimicitijs, nisi ad tempus obtemperemus iratis. *In ligno vitæ. cap.4.*

Secut

Sicut proprium est eorum, qui noluere consuetudinem peccandi reliquerunt, ac in Christi militia ascripti sunt, peccata sua deflere, tamquam qui frequenter ex ipsorum recordatione pulsantur: Sic patientiæ status est, patienter ferre aduersa. *In ligno vitæ, c.6.*

Seneca. Ille magnus & nobilis est, qui more magnæ feræ latratus minutorum canum securus obaudit. *lib. 2. de Ira, c.15.*

Pusilli hominis est, & miseri, repetere mordentem, vt mures, & formicæ, ad quas si manum admoueris, ora conuertunt. Imbecilla se lædi putant, si tanguntur. *ibid.*

P.M. Quemadmodum remedia tristiora sunt ipso morbo, vt satius sit oppetere mortem, quam his aucupari salutem: veluti sugere sanguinem è vulnere recenti gladiatorum morientium: Ita quandoque satius est ferre iniuriam, quam maiore incommodo vlcisci: ferre pacem, etiam si parum commodam, aut æquam, quam bellum cum immensis malis suscipere. *In simil.*

Thriuerr. Quemadmodum æger non medico delectum medicamentorum præfinit, sed ad quæuis sese promptum exhibet: Sic neque nos quicquam grauatim ferre decet, aut nostrorum viriorum remedia, remediorumque modum Deo præscribere, sed ad omnia nos deuouere, ac paratos exhibere. *In apoph. 27.*

Qui deliraturus est, etiam recusaturo sibi, medicamenta inserri præcupit: Ita & nos quoque exinaniri oportet, vt vel inuitos Deus acrioribus medicamentis (si quidem opus sit) curet, expurget, & præseruet. *In apoph. 28.*

Quemadmodum duplex est calida, & frigida aduersus venenorum malignitatem alexipharmacorum differentia: Sic contra tentationem, patientia, & ad Deum precatio, duo sunt præsentissima remedia. *In apoph. 218.*

Exempla biblica.

Patientiæ *exempla:* Isaac, *Gen.* 22.9. Ioseph, 45. *ver.* 5. *&* 50.17.19. Maria, *Num.* 12.15. Moses, 16.46. Gedeon, *Iudic.* 8. *v.* 12. Elcana, 1. *Samuel.* 1. *v.* 8. Heli, 3.18. Saul, 11.13. Dauid, 24. 8. *v.* 26.5. 2. *Sam.* 15.5. *&* 16. *v.* 10. *&* 24.14. Miphiboseth, 10.30. Iob, *Iob* 1. *v.* 20. *&* 2. *vers.* 10. *Iac.* 5. *v.* 11. Dauid, *Psalm.* 36.24. Elisæus, 2. *Reg.* 6. 21.22.23. Tobias, *Tob.* 2.14. Filia Raguelis, 3.10.11. Iudith, *Iudith* 8.16. Michæas, *Mich.* 7.8. Eleazarus, 2. *Mach* 7.30. septem fratres, 7.8.2. *&c.* Christus, *Matth.* 5.38. *&* 11.29. *&* 26 *v.* 50. *Luc.* 9.55.56. *&* 23.34. *Ioan.* 8.49. *&* 10. *v.* 32. *&* 12. *v.* 36. *&* 18.20. *&* 19. *v.* 26. *Philipp.* 2. *v* 5.6. *&c.* 1. *Petr.* 2.21. *&c.* Apostoli, *Actor.* 5.41. Stephanus, 7.60. Paulus & Silas, 16 *v.* 25. Paulus, 25.10.11. 1. *Cor.* 4.3. 2. *Cor.* 11.12. Thessalonicenses, 1. *Thess.* 1.3. 2. *Thess.* 1.4. Onesiphorus, 2 *Tim.* 1.15.16. Hebræi, *Hebr.* 10.34. Ioannes, *Apoc.* 1. *v.* 9. Thyatirensis pastor, 2.19.

Exempla Profana.

Heraclitus & Diogenes Cynicus numquam de vigore animi remiserunt, calcatisque sui omnibus fortuitorum, aduersus omnem dolorem, & miseriam, vniformi durauere proposito. *Solinus ca.4. & Laertius.*

Q. Fabius Maximus fraudatus à Republica ea pecunia, quam pro captiuis Hannibali numerauerat, tacuit: compluribus etiam lacessitus iniurijs, semper eodem vultu mansit.

Belisarius toties dux & victor, tandem iussu Imperatoris Iustiniani ob inuidiam excœcatus, eleemosynam à prætereuntibus tuguriolum petere coactus est. Quam fortunam licet grauissimam tã æquo tulit animo: vt nihil diceret aliud, quam: viator, da obolum Belisario, quem virtus extulit, excæcauit, & ad summam paupertatem redegit inuidia. *Pontanus lib. 2. c. 8.*

Isabella Hispaniæ regina, Ferdinandi Catholici vxor, non solum in aduersæ valetudinis, sed etiam partus doloribus, nec questa fuit vmquam: sed admirabili fortitudine, dolorem vocemque supprimebat. *Marineus lib. 21.*

Agesilaus rex contra Persas in Asia militans, æstus & algoris patientissimus erat, tamquam solus ad varietates anni à Deo temperatas comparatus ferendas. *Plut. in Agesilao.*

Seuerus Imper. sæpe per altissimos montes hieme sæua, niuibus è cælo ingruentibus iuit aperto capite: vt milites ad alacritatem patientiamque laborum re ipsa cohortaretur. *Herodianus.*

Hieroglyphicum.

Sunt, qui *iugum* significato *patientiæ* præferant. *Pierius Valer. libro* 48.

Fabula.

Canis & Sus.

Ad aucupia canes diligenti, & exquisita cura, atque ratione erudiri, & institui solent, & ad silentia verberum minis, & aurium vellicatione assuefiunt. Certæ autem nationis hi deligũtur, quorum imprimis bona sagaxque natura sit. Huius generis vni istam seruilitatem exprobasse optimum & pinguem suem aiunt. Cui ille se non pœnitere breuis molestiæ, responderit, qua vitam sibi cõparaturus sit delicatam, neque pigere in præsentia tędij aliquantulum deuorare, vt lautissimus diu postea cibis perfruatur.

Fabula hortatur discipulos bonarum artium & virtutis ad labores, qui in discendo exhauriendi sunt, perferendos, spe maximorum commodorum, & iucundissimæ vitæ.

De plaustro recenti & vetere.

Plaustrum recens stridentibus rotis fertur obuiam quondam factum alteri, quod & vetustius, & cuius rotæ deteriores essent. Hoc igitur illud interrogat, quid queratur, aut quæ res ad illa ipsum lamenta adigat? Cui recens & stridulum plaustrum: cur tu, obsecro, tanto, inquit, silentio inueheris, & raros etiam gemitus edis sub oneribus? Sentio, n. inquit hoc, dolorem, & ferenda intelligo, quæ imposita mihi sunt, itaque ferre quam deplorare malo.

Docet fabula, clamores & vociferationes non sine à vanitate & leuitate abesse, & dicunt Franci, cachinnos sonantes in ore nasci. Etiam docet, quantum in laboribus perferendis exercitati nouitijs & rudibus præstent.

Capi.

Gallinacei castrari solent, ita celerius pinguescere existimantur. Horum magnus numerus in villa alebatur, quumque omnes opimi redderentur cibo largo & curatione diligente: in vno tãtummodo nihil proficiebat sagina: huius macie irridebãt cæteri. Mox quum audissent imperium heri, pinguissimi quique vt iugularentur ad cœnam, affuturos enim hospites, intelligere stulti, quantopere sibi & vitæ suæ, carnes, quibus dudum superbijssent, contrariæ & nocentes essent.

Consolatur fabula tenues & pauperes, illorumque vitam docet esse multo tutiorem, quam sit locupletum, & vt Græci loquuntur. τῶν παχέων.

Vide, Fortitudo.

PATRIA.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Patria, πατρὶς ἴδος ἡ, dicitur, Hebr. terram natiuitatis appellant. Est vrbs seu oppidum, vnde orti siue oriundi sumus, dicta, quod communis omnium parens sit. Aliquando & prouincia ipsa ex qua orti sumus, patria dicitur, sed tamen improprie: inde patriũ, quod patriæ est. Pater autem, vnde & patria deducitur, Græcum est πατὴρ, ἐρος, & πατρὸς per syncopen, sic dictum quod πάντα τηρεῖ, hoc est, omnia seruat. Vel παῖδας τηρῶν, hoc est, filios seruans. Hinc paternus, hinc patriarcha nouum quidem & Græcum, & is est, qui patrum, hoc est, pontificum princeps & primus est. Hinc pater familias, qui primus est, & in familiam imperium habet.

Loci Biblica.

Patria: patriæ tres Christo tribuuntur ab Euangelistis: *Nazaret*, educationis. *Matth.* 13.54. *Marc.* 6.1. *Luc.* 4.16. *Bethlehem*, ortus. 2.4. *Capernaum*, incolatus, vbi plurima signa edidit, vt exprobrat. *Luc.* 10.15. Hinc pertinet illud Theophilacti: Bethlehem genuit, Nazareth educauit: Capernaum incolam habuit Christum. Patria cedit Abraham, Deo obediens. *Gen.* 12.1. *Act.* 7.3.4. Patria fidelium cœlestis, *Hebr.* 11.13.14.16. *&* 13.14. *Vide &* 2. *Corinth.* 5.6.

Patrum Sententiæ.

Cui peregrinatio dulcis est, non amat patriam. Si dulcis est patria, amara est peregrinatio, tota die tribulatio, quando in patria non est delectatio. *Aug. in Psal.*

Odit valde patriam, qui sibi bene putat, quum peregrinatur. *In Psalm.* 93.

Non solum Dominus & caput Prophetarum, qui à Moyse Propheta nominatur, sed Elias & cæteri Prophetæ, minus in patria, quã in cæteris ciuitatibus sunt honorati: quia propemodum naturale est, ciues ciuibus inuidere, non enim considerant præsentia viri, opera non virtutem, sed fragilis recordantur infantiæ, quasi non & ipsi per eosdem ætatis gradus ad maturam ætatem peruenerint. *Beda in Luc.* 4

Nimis dulcis est recordatio patriæ, quæ in hostili terra probatur existere: nam quanto hæc amara sentitur, tanto fit illa suauior: de loco enim peregrinationis proprij dominij crescit affectus. *Cass. in Psalm.* 137.

Ait Ouidius: *Nescio qua natale solum dulcedine cunctos Ducit, & immemores non sinit esse sui.* Magnum virtutis principium est, vt discat paulatim exercitatus animus visibilia & transitoria primum cõmutare, vt postmodum possit derelinquere. Delicatus ille est adhuc, cui patria dulcis est, fortis autem iam, cui omne solum patria est: perfectus vero, cui mundus exilium est. *Hug. de S. Vict. in didasc. l. 3. c. 2.*

Nonne exulauit Brutus? Nonne exulauit Æneas? in eorum tamen exilio non degenerauit Troiana nobilitas. *Pet. Rau.*

SAN-

Ἅπασα γῆ σοφῷ ἀνδρὶ βατή· ψυχῆς γὰρ ἀγαθῆς πατρὶς ὁ ξύμπας κόσμος.

Id est?

Quælibet terra homini sapienti est peruia: animæ namque fortis vniuersus mundus patria est. *Democritus.*

Quid autem, an non communis hominum omnium patria est mundus ipse, quemadmodum censebat Socrates? Itaque non putandum tenera te caulare à patria, si migres inde, vbi natus, & enutritus es: sed tantum te quadam vrbe esse priuatum, tum alias, tū si existimari velis bonus, & æquus. Talis enim regionem quidē nullam vel colit, vel despicit, tamquam beatitudinis causam: sed ipse in sese omnia collocat, & putat se ciuem vrbis Iouis, quę constat ex hominibus & Dijs. Consentientia his & Euripides dicit, vbi ait:

Ἅπας μὲν ἀὴρ αἰετῷ περάσιμος,
Ἅπασα δὲ χθὼν ἀνδρὶ γενναίῳ πατρίς.
Omnis quidem aer aquila penetrabilis est,
Omnis vero terra viro forti patria.

Quemadmodum autem si quis in patria agens, aliam tamen domū inhabitans, nō eam, in qua natus erat, sese maceraret, & ob eam rem lugeret, nihili homo, & ridiculus esset: pari ratione is, qui inhabitans aliam ciuitatem, quam in qua natus est, calamitatem putat, talis merito stultus haberi queat. & veco ts. Reliqua autem vide in Stobæo. *Musonius in lib. Exilium non esse malum.*

Patria nihil dulcius, nihil charius in vita esse debet. Nullus locus est domestica sede iucundior. Chari sunt liberi, propinqui, familiares: sed omnes omnium charitates patria vna complexa est, pro qua quis bonus non dubitet mortem oppetere, si ei sit profuturus? *Cicero.*

Non solum nobis nati sumus, ortusque nostri partem patria vendicat, partem amici. *Idem.*

Nullus est casus pro dignitate, & libertate patriæ non ferendus. *Idem.*

Omnia, quæ à nobis geruntur, non ad nostram vtilitatem, & commodum, sed ad patriæ salutem conferre debemus. *Cicer. ad Quir. post red. & in 4. Catil.*

Omnibus qui patriam conseruarint, adiuuerint, auxerint, certus est in cœlo, & definitus locus, vbi beati æuo sempiterno fruantur. *In Scipio. Som.*

Patriæ memoria dulcis. *Liu. lib. 5.*

Quoniam sunt omnia commoda à patria accepta, nullum incommodum pro patria graue putandum est. *Cic. l. 1. de Orat.*

Si contentio quædam & comparatio fiat, quibus plurimum tribuēdum sit officij: principes sunt patria, & parentes, quorum beneficijs obligati sumus. *Idem 2. Offic.*

Aeque virtutis est, & bona patriæ auxisse, & eius mala in se transferre voluisse. *Val. Max. lib. 5.*

Patria carere, nō est malum, quia forti viro omnis locus patria est. Socrates enim non stulte exilij libertatem, domesticæ seruituti antepofuit. *A. Gell. l. 3. c. 13.*

Patriam meam transire non possum, omnium vna est, extra hanc nemo proijci potest. Non patria mihi interdicitur, sed locus. In quamcumque terram venio, in meam venio, nulla exiliū est, sed altera patria est. Patria est vbicumque bene est. Illud autem per quod bene est in homine, non in loco est. Si enim sapiens est peregrinatur: si stultus exulat. *Sen. de remed. for.*

Arbitratur ingenuorum quisque non patri, & matri solum se esse natum, verum etiam patriæ, quid vero interest? quod qui parentibus se solum esse natum existimat, fatalem naturalemq; mortē expectat: qui vero etiam patriæ, ne hanc seruientem videat, mortem oppetere non dubitabit, magisque metuendam esse reputabit ignominiam, & infamiam, quas in seruiente ciuitate ferre necesse est. *Ex Orat. de Coro. Demosth.*

Non solum ad patrem, & maiores suos viritim genus ortumq; suū referre vnicuique licet, sed ad totam communiter patriam, cuius omnium consensu indigenæ sunt. *Ex Orat. funebri.*

Quis adeo est infelix, qui sepulchra, parentes, sepulchra, patriam pariter quæstus gratia prodere velit? *Ex Orat. de Classibus.*

Cui vnlia sunt eadem tempora, quæ & ciuitatis hostibus: is amator patriæ nullo modo esse potest. *Ex Orat. de Corona.*

Patriam ea ttimo non eam ciuitatem, quæ me in ciuem abnegauit, sed eam à qua ciuis sum factus, licet sim peregrinus: & regionem amicam puto non eam in qua affectus sum iniuria, sed in qua tuto manere possum. *Dionys. Halicar. l. 8.*

Patria est vbicumque vir fortis sedem elegerit. *Curt. l. 6.*

Loca ipsa nullam felicitatem beatitatemve afferunt homini: sed vnusquisque nostrum, ipse sibi & patriam, & vitam beatam omni tempore vbicumque locorum efficit. *Dion l. 38.*

Qui pro altero dimicant, quum suæ victoriæ felicitatem (si quidem contingat) ad alios videant migraturam, minus profecto acriter decertant: quippe qui intelligant se quidem in periculi participatum admitti: cæterum extremos victoriæ fructus ad alium peruenturos. Qui autem pro patria pugnant præterquam quod spe meliore esse debent (neque enim aliena occupare, sed tueri sua contendunt) etiam animo sunt maiore, vt quos non alienum imperium, sed sua quemque necessitas adigat, quoniam scilicet victoriæ fructus ipsis debeatur. *Herod. in Maximino.*

Beate perfecta ratione victuro, ante alia patriam conuenit esse gloriosam. *Amm. Marcel. lib. 14.*

Patriæ a qua omnia accepimus, omnia reddonemus. *P. Æmyl. libro tert.*

Quam a patria mutuatus es vitam, eam illi iure optimo reposcenti, redde. *Idem eod. lib.*

Patriæ salus non modo publicum bonum comprehendit, sed in Reipublicæ salute simul & priuatorum omnium commodum (aliusque agitur, quæ ita inter se apta connexaque sunt, vt alterum sine altero stare non possit: eadem enim Republica & in seruitutem ruente, ius priuatorum fortunas, honorem, vitam, hostium auaritiæ libidini, crudelitati, prædæ relinqui ignorat? Verum etsi in Republicæ defensione nihil aliud præter patriæ salutē contineretur, nonne id generosis est ciuibus dignum præmium, apud homines gloria splendoreque plenum, ac Deo gratum? est enim vel Ethnicorum sententia, omnibus qui patriam iuuerint, conseruarint, auxerint, certum esse in cœlo ac definitum locum, vbi beati æuo sempiterno fruantur. *F. Guicciard. hi. l. 8.*

Ferte opem, ciues, (*dictum Soderini*) patriæ vestræ, vestram libertatem dum potestis defendite: nihil vos Deo Optim. Max. gratius acceptiusque facere posse vobis persuadete, quam bellum a tectis, à prædijs, à templis auertere, remedium efficacius nullum est, quam si ijs, qui vos lædere cogitant, ostenderitis, vos nihil quod ad defensionem vestram facere videatur esse prætermissuros. *Idem lib. 10.*

Quidam dixit ad felicitatem primo loco requiri patriam nobilem. Ego vero ei qui veram sit felicitatem consecuturus, cuius in morib. & animi affectionib. maior pars consistit, non magis existimo ignobilem, & obscuram patriam obesse, quam matre deformi vel pusilla esse natum. Ridiculus. n. fuerit qui censeat Iulidē (quæ exigua pars est Cei non magnę insulæ) vel Æginam, quam Atticorum quidam amoueri iussit veluti Pirengi luminibus officientem, histriones posse & poetas bonos producere: virtum autem iustum & ex sese aptum, prudentem, ac magnanimum proferre non posse. Etenim consentaneum est alias artes, quæ ad rē faciendam, comparandamve gloriam pertinent, in humilibus & obscuris vrbibus elanguescere, virtutem autem, vt vegetam validamque plantam, quouis in loco radices agere, vbicumque bonam indolem & animum labons tolerantem apprehenderit. Itaque ne nos quidem, si non ea qua debemus prudentia & vitę rectitudine sumus, patriæ id nostræ humilitati, sed nobis ipsis merito imputauerimus. *Plut. in Demosth.*

Eos qui solummodo verbis ac voluntate bellum pro socijs sustinent, bonos viros putamus: qui vero populationem patriæ, incendia, obsidiones patiuntur, non solum laudamus, atque admiramur, verum etiam grauis muneribusque prosequimur. *Polyb. libro secundo.*

Neque pie, neque honeste agunt, qui patriā tyrannide armata pressam negligunt, suæ tantum vitæ ac salutis rationem ducentes. *Plutarch. in Pelopida.*

Tu, mihi patriæque concede, cui & natus es & educatus, teque eius commodis inseruire oportet, eorum causa nullos labores, nulla pericula subterfugere: sed, etiamsi res ita ferat, vt moriendum pro ea tibi sit, quouis mortis genere fatum antevertere. *Dion. libro 36.*

Æque virtutis est, & bona patriæ auxisse, & mala in se transferri voluisse. *Val. Max. l. 1. c. 5.*

Areus Atheniensium dux commeatu iam fere consumpto copias domum reduxit: quippe qui quod erat facultatum reliquum, ad patriæ vires conseruandum, neque temere sociorum causa profundendum censeret. *Pausan. lib. 3.*

Beati quicumque pugnantes pro patria victores euadunt. illis etenim lætissima dies fulgebit. Beati etiam ij qui in acie cadunt: memoriam enim sempiternam cunctis diuitijs præstantiorem consequuntur. *Xenoph. de reb. gest. Græc. lib. 2.*

Propugnantibus pro patria quam hosti se innasit, non perinde conuenit diu deliberare, sicut illis qui sua salua & integra tenent, atq; ampliora appetentes sua sponte alios inuadunt. *Thucyd. libro quarto.*

Qui furore itaque deprauati hostes patriæ semel esse cœperunt, ij cum à Republicæ pernicie repulsi sint, neque vi coerceri, neque beneficio placari possunt. *Arn Ferron. lib. 8.*

De ignobili patria. DIAL. XV.

Franc. Petrarch.

DOL.

Ignobilis patriæ ciuis sum. R. Esto tu nobilis. Nam nil verat, nihil cum patriæ tuæ nobilitate tua nobilitas mixtum habet. D. Paruę vrbis incola sum. R. Et magnę vrbes paruos ciues habent, imo fere

re ex his cõstat, & paruæ magnos quosdã habuere. Quin in silua filius abiectus ac nutritus Romulus omnium vrbium reginã vrbem Romam condidit, quam euertere voluit in maxima vrbe genitus Catilina. D. In exigua patria natus sum. R. Magnificate illã studio. Nihil æque ciuitates amplificat, vt ciuium virtus, ac gloria. Qui hoc ædificijs aut fertilitate melius atq; opib. fieri putat, fallitur, vt singulos viros sic & vrbes regna & imperia, non vetustas, non turres, ac mœnia, non plateæ, non palatia ac tẽpla marmorea, non statuæ, non picturæ, non aurum, non gẽmæ, non campi legionum, & classium pleni portus, nõ peregrinis referta mercib. emporia, & lucri amore æquor omne sulcatum, non postremo ciuium forma vel numerus, non rerum copia exundansque cibis forum, non purpuræ chlamydes virorum honestæque miris cultibus, non fastus, non delitiæ, non voluptates, sed virtus sola nobilitat, gestarumq; rerum fama quam viri pariunt, non muri. D. Parui municipij ciuis sum. R. Nescis Biantem Prienæum fuisse, Pythagoram Samium, Anacharsum Scytham, Democritũ Abderitem, Aristotelem Stagiritem, Theophrastum Lesbiũ, Tullium Arpinatẽ. Chous Ægei maris breuis insula, & poëta non ignobilem Philitem tulit, & medicorum patrem & sculptorum ac pictorum principes, Hippocratem, & Phidiam, & Apellem, vt intelligi possit ingeniorum magnitudini locorum angustias non obstare. D. Ignobilis est patria. R. Nobilitare tu illam pro virili parte si velis potes, cum te illa facere non possit ignobilem. Nec Numæ quidem Pompilio ad Romanum regnum nec Septimio Seuero ad imperium obstitit soli natalis humilitas. Summo hominũ Augusto, & si recens Romana quia ipse, in palatio natus sit, origo tñ gentis antiquior Veliterna est. Gaio Antium, Vespasiano autem vicini incogniti Reatini, Contra vero Larissæam famã vulgauit Æacides, & Pelæũ a sæculis fuscum nomen, atq; humile, Philippus exercat, Alexander ad cœlũ tulit. Non satis est ciuib. obscuritatem patriæ non noscere, nisi ciuium claritas patriæ prosit. Asylum ignobile, atque opus pastorum Roma fuit, quæ non ante clarescere quam resilla in gestæ, & suorum virtus excellens ciuium illustrasset. D. Obscuræ patriæ sum addictus. R. Illam virtutis accende, quia inter tenebras enitescas, in quib. hoc saltẽ boni erit, vt vel parua luce clarissimus videare, sic vel illa te clarum fieri, vel tu illã. D. Humilis patriæ habitator sum. R. Esto & tu humilis, habitatorque tui, animus humilis sit. Habes publicæ matris exemplum, ne te nido latius extendas, nisi his tibi virtus alas fecerit, His. n. vti licitum, vlsq; feliciter cõplures modo diximus. Proinde mortalis hoc saltem insolẽtiæ rũ te se. Quidã de sola patriæ nobilitate superbiunt. Stulti quidem genus.

De patria gloriosa. DIAL. XV.

GAV.

Gloriosa in patria natus sum. R. Plus negotij habes, vt in lucem venias, Fulgent minutiora, n. astra per noctem, & Boot s ad solis radios hebet, & Lucifer. G. Clarissimæ patriæ ciuis sũ. R. Bene si virtutum hos . . . fortunæ n. est illud, hoc tuum. G. Patria mihi felix, ac nobilis est. R. Refert qua nobilitate. Hãc numerus incolarum, hanc insignis opum magnitudo, hanc spectata fertilitas, hanc situs ipse nobilitat. Salubris aer, clari fontes, mare proximũ, tuti portus, opportuni amnes, nobilis patria vulgo dicitur vini ferax, olei, frumenti, frequens armentis, ac gregibus, auri scatebris, & argẽti. Bonum terra dicitis, vbi fortes equi, vbi pingues boues, vbi teneri hœdi, vbi dulcia demum poma nascuntur, vbi aũt boni viri, id nec querunt quidẽ, nec quesitu dignum ducunt æstimatores egregij. Atqui summa patriæ laus, sola virtus est ciuium. Recte ergo Virgilius gloriam, ac felicitatem cum describeret Romanam: nihil horum ad quæ sola respicitis dignatus attigere, vnã vrbis & imperij magnitudinem, atq; altitudinem attigit animorum. Felicem deniq; prole vir dixit. Ea est. n. vera vrbium felicitas, vera nobilitas. G. Præclara ciuib. bonis patria est. R. Quid si tu obscurus? Quid si claritas ipsa te prodet, teque latebris eruet, & in apertum trahet? promptius in luce notaberis. G. Famosissima est patria. R. Non tam infamis esset Catilina, nisi tã famosa in patria natus esset, Gaio si & & Neroni, alter infamiæ accreuit imperium accessit, & nudi natos in vertice fortunæ fauor extulit, quo lauus obscerentur. G. Nobilissima in patria viuo. R. Multorum aut contemptui patens, aut inuidiæ, sine altera in magna vrbe vix viuitur, illud tutius, hoc clarius malũ. Vtrũq; aũt hæc ipsa quam prædicas natalis soli nobilitas, causa est. Inter tot oculos, nullæ sunt latebræ. G. Notissima ex patria sum. R. Malim per te patria, quam propter patriam notus sis, nisi vero per te fulseris, quid tibi lux patriæ præter tenebras allatura est? Multos habuit claritas magnæ vrbis obscuros, quos abunde claros, parui turis obscuritas habuisset. G. Inclyta mihi patria est. R. Est quæ suas sibi laudes hẽas, tuasq; participet, quicquid bene gesseris, prima quodãmodo patriæ laus erit, fuit qui Themistoclis gloriã Athenis ascribere niteretur, qui plane pergrauiter & vt talẽ virum decuit, tñdit. Cũ. n. sibi Seriphi angusta & ignobilis insulæ quidã incola inter iurgia obiecisse, non eum sua, sed patriæ gloria clarum esse, neq; hercle ait, aut ego nobilis essem Seriphius, aut tu si . . thenensis, clarus esses. Non splendori patriæ, sed virtuti propriæ fiebat. Ciuitius plane q; Plato, maior licet ille philosophus. Sed existunt interdum in magis & ingenijs, magni & mirabiles errores. Is ergo inter cætera magnæ suæ felicitatis claritatẽ patriæ ascribebat. Vi. n. totum noris hac in parte excellentis viri animum: aiebat Plato se pro multis gratias agere. Rectẽ id quidẽ, modo intelligat, cui quibusve pro donis, gratiæ sint agẽdæ, Illæ vero naturæ grauas agebat. Primum quod hominem & non mutum aĩal, quod marem, & non fœminam, quod Græcum & non barbarum, quod Atheniensem, & non Thebanum, deniq; quod Socratis ætate non alio tpe genuisset, vt, esset a quo doceri posset, atq; instrui. Vides inter gratulandi gloriandique causas, vt Atheniensem quoque ponat originem. Quid hic dicam forsan expectas? Ego vero, & si de hoc vno sermo sit institut . . qsi tñ tanti viri mentio incidit, quid de hoc toto illius sermone, & aliis sit visum, & mihi et videatur, dicam similiter. Scio quosdam claros & disertos viros inconstanter asserere, nihil vnquã ab aliquo esse dictum delitius, quorum in sententiam, quin (vt dici solet) eam pedib. parum abest. Nã quid quęso attinet his gaudere? Quęso. n. quid si barbarus, quid si mulier natus esses? An non multi barbari multis Græcis, & virture, & ingenio meliores extiterũt? An non fœminæ aliquæ & rerum gloria, & inuentione artiũ quibusibet viris optabiliores? Quid deniq; si bos? quid si asinus? quid si serpens? quid ad hũc ipsum de quo loquimur Platonem? qui iam non Plato esset, sed id potius quod natura patens edidisset, nisi forte Pythagoricæ credebat insaniæ, è corpore in corpus aĩas commigrare, quo nihil vnquam certe stultius, nihil impudẽtius, non dicam a Philosopho, sed ab hoĩe dictum fuit, nihil magis veritati dissonum, ac pietati, nihil demum a quo religiosæ aures magis abhorreant. Quid deinde, an Atheniensem nasci clarũ adeo, vt non æque clarum esse posset alibi, Thebis si natum esset? An non Homerus, & Pythagoras ipse, & Democritus, & Anaxagoras, & Aristoteles, & mille alij alibi q; Athenis nati, clariq; habiti, non minus q; qui nati sunt Athenis? Ac ne a Thebis abeã, quas spernere Graius est. An non si ingenium quæratur, Thebis natus est Pindarus, quẽ imitatione inaccessibilem Flaccus ait. Si rerum claritas geltarũ. Liber pater, atq; Hercules, tam famosi, vt Alexander Macedo contẽptor oĩum ferme mortalium, illos duos vt altissimum atq; vnicum signum gloriæ sibi proponeret imitandos. Sin veræ, atq; nonne recenti memoria, & pene ante oculos erat. Thebanus Epaminondas summus philosophus, summus dux, Græcorumq; oĩum rectissimo iudice oĩs æui princeps? Hic, n. qui Lacedæmones pene funditus euertit, & Athenienses Platonis sic exterruit, vt eo mortuo quasi summo terrore liberati illico se in luxũ ignauiamq; resoluerent, quo adhuc est apud Thebas florente, quot Athenis inertiũ, & stultorum millia fuerint, quis facile dicat mortasse? Non igitur q; Athenis, sed q; talis natus esset, ac genitus, hoc est, tali ingenio, taliq; aĩo, tali deniq; & parentum indulgentia, & rerum pallium facultate, vt erudiri posset, & ad ocium bonum opus institui, gratias agere decuit tam anxie doctum virum illi Deo, qui hæc ei dederat, non Socrati, uõ Athenæ, cuius in schola, & in qua vrbe, quot, & tot qui fuerunt, & indocti opinari promptius sit, q; noscere. Et vt vrbem sileam, habuit schola illa inter multos Alcibiadem & Critiam, illum patriæ hostem, hunc sæuissimum tyrannorum, quibus quid præceptor Socrates cont . . lerit, Plato ipse respõdeat, vel sic intelligens, quã inane est, quod terreni doctrina præceptoris disciplinorum aurib. insertum, nisi gratia magistri cœlestis aspiret, fineque nihil omnium Socratem potuisse, quamquam Dei mendacis oraculo, vt prædictum est, sapientissimum iudicatum, inter duas tamen simul vxores proacissimas anus, ipse vel ab ijs quantumlibet rũ excutit, ineptissime conuersatũ. Sed hæc reliqua incidenter prætervium illum, quo Platonem talem virum hac eadem vanitate, gloriosæ patriæ implicitum fuisse cognosceres, non vt magni communis clypeo tuum tegas errorem, sed vt accuratius illum vites, tui succubuisse summa etiam cernis ingenia. G. Ampla in patria vitam ago. R. Multa sunt amplæ vrbis incommoda, distat templum, distat forum, illud animo nocet, hoc corpori, distant opifices, atque amici. Qua quidem nulla durior distantia, quo sla boriosum visere, negligere inhumanum. Audis, vt de hoc quæritur Flaccus: *Cubat hic in colle Quirini, hic extremo in Auentino visendus vterque.* Quocunque ire decreueris, ecu pergere profecturus domo tuæ dispone, quando, & an redeas incertum, & ipse rediturus cum labore est. Sæpe etiam cum terrore, ferro, ac magnetum ruina. Hac agitur, hac eas facilius, hac rectius, hac tutiam, hac theatrum vites, hac balneum effugias, hac macellum, hi, & mille alij sunt vbiq scopuli, inter quos nauigans domum tuam, quã alterum ot beum petis vix te ad illam peruenturũ sperans. Et hoc quoque apud ipsum Flaccum legis, *vt Philippus orator. Domum dum se dyt, foro nimium distare carinas, Iam grandis natu quæritur.* Hæ parum in oppido molestiæ cessant oẽs. Quicquid quæritur iuxta est. G. E paruo oppido in immensam vrbem commigraui. R. E tranquillo portu

patriæ procellosum sponte pelagus ingredi temeritas est, nec miror ideo, quia læti euentus. Fecit hoc tamen & gens Claudia, è Sabinis Romam petens, è Tusculo Marcus Cato, ex Arpino Marius, & Cicero: successitque feliciter. Sed vbinam tales viri? non tuto quidem in exemplum trahitur, quicquid raris, & summis ingenijs attentatum est. Postquam tamen soluisti funem omni studio inter difficultates enitere. Inter alia consurge, consilio cœptum regens (quod hic boni dixerim) plures erunt ad virtutem stimuli. Erunt forte, quos ad gloriam sequi velis. Erit vbi te exerceas, vbi cum paribus possis de laude contendere. Pudebitque te stium tantorum. Multis sæpe, quod vis animi non dabat, contulit vis pudoris, & ad ignauiam profligandam sæpe plus spectator valuit, quam virtus. Et hi hercle, quorum proxime memini, & accitus Curibus Numa Pompilius. Corduba profectus Seneca, Leptique veniens Seuerus, multique alij ex alijs locis, vbique futuri magni viri, vt aliquanto maiores Romæ essent, æmulatio virtutis, & illustrium copia exemplorum præstitit. Stude ergo, quod vnicum bonum est, in hac tua commigratione ne pereat, neu nil aliud migrando quæsiens, quam vt te coram pluribus nouæ patriæ fulgor oudet.

ΑΠΟΦΘΕΓΜΑΤΑ.

Pythagoras interrogatus, quomodo oporteat se gerere erga patriam ingratam? Vt erga matrem respondit. *Stob serm. 37. ex Plat. Critone.*

Solon. Postquam vidit rerum summam esse penes Pisistratum, arma deposuit ante curiam, dicens: O patria, tibi & dictis, & factis sũ opitulatus. Hoc pacto testatus sibi non defuisse voluntatem consulendi Reipub. in Aegyptum nauigauit. *Laert. l. 1. Plut. in Solon.*

Buris & Spartis sponte profecti sunt ad Xerxem Regem Persarum, datum pœnas, quas Lacedæmonij iuxta oraculum pendere debebant, eo quod oratores à Persa missos occidissent. Hi cum venissent ad Xerxem, iusserunt, vt ipsos, quocumque modo videretur, interficeret pro Lacedæmonijs. Cumque Rex admiratus, & pietatem in patriam, & animorum fortitudinem, liberasset illos à pœna, peteretque, vt apud se manerent: Qui possumus, inquiunt, hic viuere relicta patria, patrijsque legibus ac viris, quorum gratia tantum iter suscepimus morituri? *Herod lib. 7. Plut. in Lacon. Stob serm. 37.*

Hierocles. Est, inquit, patria velut alter quidam Deus, & primus maximusque parens. Quare qui nomen ei imposuit à re ipsa non temere patriam nominauit, vocabulo quidem à patre deducto, pronunciato tamen fœminina terminatione, vt ex vtroque parõte mixtum esset. Atque hæc ratio insinuat patriam vnã ex æquo vt vtrumque parentem colendum esse, &c. *Stob. serm. 37.*

Phocion, quum iam poculum veneno temperatum præberetur, interrogatus est à quodam, num quid filio suo, qui aderat, præcipere vellet? Ego, inquit, mi fili, te vehementer rogo, ne quid ob iniuriam mihi nunc factam Atheniensibus male velis, qui insontem me damnarunt. Maluit vir prudentissimus in patriam, quam in patrem, pietatem seruare filium. *Plut. in apoph.*

Aristides, quum ab Atheniensibus mitteretur in exilium, sublatis in cœlum manibus, Deos comprecatus est, vt sic res Atheniensium prosperarent, vt illis Aristides numquam veniret in mentem. Tãta fuit in viro illo pietas in patriam, cui etiam post dira sua fata incolumitatem precabatur. *Plut. in vita Aristidis.*

Timotheus Imperator, quum audisset vnum ex collegis dicentem: An putas, ô Timothee, gratam nobis futuram patriam? Modo nos (respondit) patriæ dignas referre gratias queamus. *Stobeus serm. 37.*

Cotys Rex Thracia, vbi cognouit, quod Athenienses honoris gratia ciuem ipsum suæ ciuitatis declarassent, pro auxilio, quod illis aduersus Dorienses impenderat, gratiam reponere studentes: Per Iouem, inquit, & ego illis vicissim meæ gentis ius dabo. Sẽtiens, nihilominus honorificum esse, Thracem, quam Atheniensem appellari. *P. M. l. 5. apoph.*

Anacharsis, exprobranti cuidam Attico, quod natus esset in Scythia: Mihi, inquit, probro est patria, tu patriæ. Egregie inculpatus est: cui nihil potest obijci præter patriam. At quemadmodũ laudi est apud Barbaros natum, Græcorum disciplinas scire: ita turpe est, apud Græcos natum, ad Barbarorum mores degenerasse. *Laert. l. 1. c. 6.*

Antisthenes. Quum Antistheni quidam obiecisset, quod matrem haberet Phrygiam: Et Deorum, inquit, mater è Phrygia est. Ridiculum arbitrans, cuiquam probro dari patriam, quum in damnatissimis regionibus interdum nascantur omnium felicissima ingenia. *Laert. l. 6. c. 1.*

Aristoteles, cuidam glorianti, quod esset ortus magna celebrique ciuitate, dicebat hoc nihil referre: sed, an celebri patria dignus esset. *Laert. l. 5. c. 1.*

Themistocles. Seriphius quidam, quum patriæ gloriam Themistocli obiecisset, diceretque, eum nequaquam sua, sed patriæ gloria splẽdorem assequutum: Nec hercule, inquit Themistocles, si ego Seriphius essem, ignobilis essem: nec si tu Atheniensis, clarus vir vnquam fuisses. *Cic. in Caton. Maior Plut.*

Polyanthea Noua.

Crates. Alexandro percontanti, num cuperet restitui patriã suam? Quid opus est, inquit: Fortassis eam alius Alexander restitutam diruet. *Laert. l. 6. c. 5.*

Socrates rogatus, cuiatem se esse diceret? mundanum se esse pronunciauit, totius enim mundi se incolam, & ciuem arbitrabatur. *Cic. l. 5. Tusc. quæst.*

Idem. Communem omnium hominum patriam dicebat esse ipsum mundum. *Muson apud Stob serm. 38.*

Diogenes interrogatus a quodam, cuias esset? respondit, *κοσμοπολίτης*, id est, ciuis mundi: significans, forti viro omne solum esse patriam. *Laert. l. 6.*

Solon. Anacharsidem Hermippus scribit, mox, vt Athenas venerat, adisse Solonis ædes: Percontanti famulo, quis, & vnde? iussisse renunciaret adesse Anacharsidem: qui & Solonem videre, &, si fieri posset, etiam hospes fieri cuperet. Solon per puerum respõdit, in patria solere fieri hospites, significans, inter Græcos & Scythas non esse ius hospitij. Ad hæc verba, quibus abigebatur Anacharsis, perinde quasi iussus esset introire, ingressus est ad Solonem, dicens, se iam esse in patria, & æquum esse, vt hospitio iũgerentur. Huius responsi dexteritate delectatus Solon, lubens recepit hominem ad æternam familiaritatem: ex primo statim sermone deprehendens animum philosophicum, qui iudicaret esse patriam, vbicumque bene est homini. Ciues enim mundi sumus omnes. *Laert lib. 1. c. 9.*

Teucer, audiens quosdam de patriæ dulcedine disserentes; Patria est (ait) vbicumque est bene. Sunt enim multi patria exclusi, ac in exilium missi, qui apud exteros multo felicius viuunt, quam si assidue apud lares paternos essent. Meminit huius dicti. *Cic. lib. 3. Tusc. quæst.*

Aristoteles. Natura, inquit, patriam nullam cuiquam fecit, vt neque domum, neque agrum, neque ærariam, neque medicam officinã: sed fit, aut potius nominatur horum vnumquodque quouis tempore ab eo, qui possidet, & vtitur. *Plut. lib. de exilio.*

Brasidas, contra Ephoros bellum patriæ nomine quum susciperet, ciuibus hunc in modum scripsit: Quicquid malorum erit in bello, profligabo, aut pro patria moriar. Verum quum multa iã egregia facinora pro patria edidisset, & Græcos Thraciam incolẽtes liberasset, fortiter occubuit. Cuius deinde mors quum Archileonidæ matri nunciaretur, interrogauit nil prius, quam, An fortiter filius occubuisset? Thracibus autem eius virtutem laudantibus, eius mortem non tantum æquo animo tulit, sed probauit etiam: quia pro salute patriæ interfectus esset. *Plut. in Lacon.*

Anonyma. Lacæna, cum filium in prælium misisset, & interfectum audiuisset: Idcirco, inquit, genueram, vt esset qui pro patria mori non dubitaret occumbere. *Cic. lib. 1. Tusc. q.*

Alia. Quædam alia filium ad se venientem conspicata, percontata est, quid ageret patria? is cum respondisset: Pereunt omnes, laterem coniecit in illum, occiditque dicens: Te igitur nobis misere mali nuncium? Vita putauit indignum, qui eum suis perire non sustinuisset. *Plut. in apoph. Lacænar.*

Alia. Lacæna quædam filios, quos habebat, quinque in bellum emisisset, ante suburbium stabat expectans, quis esset belli exitus. Vt accessit quispiam nuncians filios illius omnes occubuisse: Non istud percontabar, ignauum mancipium, sed quid ageret patria? Is cum respondisset, à patria stetisse victoriam: Libenter igitur, inquit, accipio filiorum interitum. Egregia mulier priuatum in liberos affectum publicæ in patriam pietati posthabuit. *Plut. in Lacon.*

Sthenius. Pompeius Magnus Mamertinos, quod hostium partibus adhæsissent, vniuersos interficere statuerat. At Sthenius eius ciuitatis princeps, Pompeium adijt his verbis: Non æquum facis, Põpei, qui propter vnum noxium, multos innoxios occidere paras. Atqui ego ipse sum ille, qui & amicis persuasi, & inimicos coegi Marianas sequi partes. Hic Pompeius viri fortem animum admiratus, dixit se ignoscere Mamertinis, a tali persuasis viro, qui patriam suæ ipsius vitæ antetulerit: simul & ciuitatem, & Stheniuum liberauit. *Plut. in Rom. apoph.*

Pompeius. Cum ingens rei frumentariæ Romæ esset penuria, Pompeius titulo quidem annonæ procurator, re autem vera maris terræque dominus declaratus, in Africam Sardiniam, ac Siciliam nauigauit: multaque frumenti vi collecta, properabat ire Romam: verum cum ingenti tempestate oborta naucleri detrectarent nauigationem, ipse primus nauim ingressus, iussit anchoras tolli, clamans: Vt nauigemus, vrget necessitas, vt viuamus, non vrget. Significans, patriæ periclitantis habendam rationem potius quam priuatæ incolumitatis. Si quidem Reipublicæ subleuandæ curis immori, pulchrum est: at patriam in extremo discrimine nostra cessatione deseri, turpissimum est. *Plut. in apoph.*

Michael Maurocenus ex Syria, vbi amplissimas opes comparara, in Rhodum insulam appellens, vbi accepit Venetos Genuensi bello, clade accepta, in summo positos esse discrimine neque vllam eius semanda spem superesse, multis adhortantibus vt mercibus diuenditis, & thesauro consilio alio se reciperet: Ego,

gone, inquit, tam graue facinus, & scelus hoc tempore ausim, vt desim patriæ tam grauiter laboranti? Quin diuendam omnia, & quicquid inde conflauero pecuniæ, id totum in patriæ salutem impendam. Ergo vbi Venetias venit, in curia pecuniis omnibus pro fusis merito Andreæ Contareno duci subrogatus est. *Egnatius lib. 6. cap. 5.*

SIMILITVDINES.

Stobæi. Quemadmodum stultus quidem fuerit, qui digitum vnum pluris facit, quam simul quinque; prudens vero, qui maioris quinque, quam vnum æstimat. Ille enim cum toto partem quoque eius negligit, hic vero simul cum aliis quinque vnum quoque conseruat: Similiter qui seipsum præ patria seruare vult, tum iniuste facit, tum stolidus est, insuper impossibilia desiderans. At qui patriam sibi ipsi præponit, & Diis charus est, & mente prudens. *serm. 37.*

Ciceronis. Vt tauris natura datum est, vt pro vitulis contra leones summa vi impetuque contendant: Sic ii qui valent opibus, atque id facere possunt, ad seruandum genus humanum natura incitantur. *lib. 3. de fin.*

P. M. Vt pisces in mari nati educatique, nihil tamen sapiunt salis marini: Ita quidam inter barbaros geniti, & educti, longe abiunt ab omni barbarie. *in Simil.*

EXEMPLA PROFANA.

Aristides cum multa pro patria gessisset, & ex ea tamen in exilium per inuidiam missus esset: precatus est Deos, vt Atheniensibus, quæcumque cuperent, sic bene fausteque euenirent. Quinetiam cum Xerxes numerosa classe Græcos peteret, quamuis causi contilio primum, deinde etiam auxilio Themistocli adfuit & grande momentum ad celebrem illam victoriam Salaminiam attulit. *Plutar.*

Epaminondas propter inuidiam à Thebanis: Dion à Syracusanis ciuibus suis, ignominia notati, vindictam patriæ amori condonarunt. *Probus in vita Epaminondæ, & Diod. l. 16.*

Phocion Atheniensis Phoci filius, non tantum sæpe multumque suam operam in bellis patriæ præstitit: sed cum ab ingrata patria morti adiudicatus, cicutam iam biberet, filio enunciari dixit: Ne ob patris mortem patriam odio haberet: sed ab omni vltione desisteret. *Ælian. lib. 2. de var. hist.*

L. Camillus patriæ suæ exilium condonauit, suamque fidem in Gallis ex toto Romano agro eiiciendis testatam fecit. *Plutarch. in Camillo.*

Cato & Aristides raro magistratum gessere: sed vacauerunt interim perpetuo per totam vitam patriis suis consulendo. *Plut.*

M. Attil. Reguli fidem erga patriam, dum persuadet patribus ne captiuorum permutationem fieri permitterent, celebrat *Horat. lib. 3. Ode 5.*

Stilpon Megarensis Philosophus patria sua direpta, Demetrio Poliorceti damnum omne se repensurum eruditionis causa pollicenti: nihil se amisisse respondit. *Pont. lib. 2. c. 3. de Fortitudine.*

Clitomachus Carthaginensis, & ipse forti animo tulit, & eiues cohortatus est ad excidium patriæ fortiter ferendum.

Codrus Atheniensium Rex, cum in bello Peloponnesiaco accepisset oraculo: victricem fore gentem, cuius princeps bello periret: gregarium se fingens militem, inimicis se occidendum præbuit. *Herod.*

P. Decius, primo pater, postea filius, in magistratu se pro Repub. deuouerunt: ad missique in hostem equis, adepti victoriam, patriæ contulerunt. *Front. lib. 4. c. 4.*

Plato vir summus & veritatis amicissimus, nullam in terris maiorem esse charitatem arbitratus est, quam quæ cum patria est vinculo, que nostrum. Hæc parens, hæc nutrix omnium: hæc arubus, opibus, disciplinis instruit, dignitatibus amplat, omnia ad suorum ciuium commodum, & ornamenta refert: amat hæc, & vult ipsa amari, tuetur suos, nec vult negligi, & vt breuiter dicam, patria à ciuibus exigit officia: quodcunque nostrum præstat, suo iure repetit. Exempla in Dauide, Azotho, Esdra, Placidia, Honorij Cæsaris sorore, Francisco Dandulo, in Aristide, Sertorio, Pompeio, & Crasso, Agesilao, Themistocle, ibidem habes, quæ licet legere. *Sabell. lib. 8. c. 1. de charitate erga patriam.*

Sertorius sæpe victor ad Pompeium Metellumque misit, offerens se paratum redire in vrbem, si sibi permitteretur: dixitque malle se Romæ ignobilissimum ciuem, quam exulem omnium aliarum ciuitatum Imperatorem nominari. *P. M. lib. 5. apoph.*

Paulus Æmilius ex quatuor liberis masculis, quos susceperat, duos autea dederat in adoptionem. Ex duobus autem qui remanserant in familia, alter, quinque ante triumphum diebus interiit, annos natus quatuordecim, alter quinto post actum triumphum die, annos natus duodecim. Ob id populo luctum, ac mœrorem cum illo iungente, ipse prodiens ad multitudinem, dixit, se post tam continuos rerum successus aliquid magni mali à fortuna expectasse: se vero nunc de patriæ incolumitate securum esse factũ, nihilque timere periculi. Postquam fortuna prospere gestarũ rerum inuidiam in suam domum impingente, ipse pro omnibus dependisset. *ibid.*

L. Sylla cum Præneste oppidum armis cepisset, decreuissetque omne quod erat ciuium trucidare, hospitem suum iussit excipi, hoc beneficio pensare volens hospitij communicati gratiam. At ille cõtra libere. Nolo, inquit, patriæ meæ extinctori debere vitam: simulque turbæ ciuium sese admiscuit, & cum illis trucidatus est. *Idem lib. 6. apoph.*

Peste Lacedæmonios occupante propter necem legatorum, quos Xerxes miserat, terram & aquam petens eeu primitias prædæ oraculum datum est, liberandos ipsos, si qui modo Lacedæmoniorum regi sese occidendos obtulissent. Tum *Bulus & Sperthes* adierunt Regem, cum mortis suæ petitione. Ille vero hominum virtutem admiratus, domum reuerti iussit. Serenus scribit eos rogatos, vt cum Xerxe manerent, respondisse: Non posse se patriã relinquere, cuius charitatis, & pestis auertendæ gratia tantũ munus morituri confecissent. *Ex serm. 7. de fortitudine de sumptum.*

De pietate erga patriam vide *Valer. Maxim. lib. 5. c. 6.*

HIEROGLYPHICVM.

Omnicrcitas per vmbilicum intelligunt patriam, vnde scilicet educationis auspicia suscipiuntur, & per ea, quæ *vmbilico* accidunt in somniis videri visa de patria vaticinari solent. *Pier. Valer. lib. 34. pag. 325. A.*

EMBLEMA.

In obliuionem patriæ.

Andr. Alciat. Emblema CXIV.

Iamdudum missa patria, oblitusque tuorum,
Quos tibi seu sanguis siue parauit amor:
Romam habitas, nec cura domum subit vlla reuerti,
Æterna tantum te capit Vrbis honos:
Sic Ithacum præmissa manus dulcedine loti
Liquerat & patriam, liqueras atque ducem.

PATRONVS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Patronus non tantum dicitur cui libertus subiicitur, sed etiam defensor eorum, quos in clientela habet: primumque locũ post patrem in officio apud clientem obtinere patronus debet. Hinc & iura patronatus, quæ vel in libertos habemus, vel in clientes: quorum hodie iustiæ obtinent, quos barbara voce Vasallos vocamus *teste Alciato Iac. Spiegel. in Lex. Iurid.*

Patronus dicitur, qui defendit alterum in iudicio. Is & Orator est. Aduocatus vocatur, si aut ius suggerit: aut præsentiam suam commodat amico. Procurator, si negotium suscipit. Cognitor, si præsentis causam nouit, & sic tuetur vt suã. *Budæus in post. annotat.*

Patrocinium est ipsa rei in iudicio protectio. Et patrocinari, quod est tam facto, quam verbo imbecilliorem tegere. *Ver. Polyanth. in voce Patria.*

Patronus, Hebræis *Bahal* dicitur, id est, protector, defensor, custos, maritus, à verbo *Bahal*, adamauit, flagrauit amore erga personã vel rem aliquam. Hinc *ἐράω* amo, *ἐραστὴς* amicus. Patronus Græcè *προστάτης*, qui partes clientis suscipit tuetur, & pro illo stat coram iudice contra quosuis aduersarios.

APOPHTHEGMATA.

Phocion, quum a suis reprehenderetur, quod hominem improbum in iudicio defendisset: At nemo bonus, inquit, patrocinio indiget. *Plut.*

Anonymus. Siculo cuidam Scipio præter patronum causæ dederat hospitem suum, hominem nobilem, sed egregie stultum. Hic Siculus: Quæso, inquit, prætor aduersario meo da hunc patronum, deinde mihi neminem dederis. Sentiens, illum tam insigniter stultum, vt illo diuersam partem adiuuante posset etiam nullo patrocinante vincere. *Brus. l. 5. c. 18.*

Idem, veteranus ob diem sibi dictam periclitans accessit in publico ad Augustum, rogauitque, vt sibi patronus, & defensor assisteret. Ille aduocatum ex comitatu sine mora dedit, commendauitque ei litigatorem. Quo viso, exclamauit ingenti voce veteranus: At non ego Cæsar periclitante te in bello Actiaco vicariũ quæsiui, sed pro te ipse pugnaui, detexitque impressas cicatrices: quibus visis, erubuit Cæsar, venitque ipse in aduocationem. *Brus. lib. 5. c. 1.*

Figulus Iuris. postridie eius diei, quo consulatus repulsam acceperat, quum multi ad eum consulendi gratia venissent, omnes incousultos dimisit, dicens. Omnes consulere scitis, consulem facere nescitis. *Brus. l. 5. c. 8.*

Granius, quum patrono malo, qui vocem in dicendo obtuderat, suaderet, vt mulsum frigidum biberet, simul ac domum rediisset: Perdam vocem, id si fecero, quum patronus dixisset, vt bonissime Granius respondit: Melius est, inquiens, vt vocem perdas, quam reum. *Brus. l. 5. c. 18.*

FABULA.
Miluus & Columbæ.

Miluij metu accipitrem afciuerunt columbæ, à quo defenderentur. Accipiter admiffus,quafi contumaces caftigans:plus ftragia vno die in columbario edidit, quam longo tempore euolantibus da re miluius potuiffet.

Indicat fabula,malorum & crudelium patrocinia effe cruenta.

Vide Defenfio,Orator.

PAVPERTAS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

PAupertas, fiue pauperies, Græce πενία,ας,ἡ,& πένης,ητος,ὁ pauper,& πενιχρός pauper eulus,vilis dicitur. Pauper (vt Varro fentit) dicitur à parua pecunia, vnde paupertas, feu pauperies. Horatius: *Mox reficit rates Quaffas indocilis pauperiem pati.* Hinc paupero,& depaupero,quod eft pauperem facio.

Hebræi hominem egenum, inopem, *Ebaion* appellant, qui res fibi neceffarias quibus eget appetit, *Pfal.* 82.4. *Eb jonim* egeni, *Pfal.* 72. 13. à verbo *Abah*, voluit,cui affine eft *Iaab*,& *Taab*, appetiuit. Volunt enim & appetunt pauperes ea commoda quibus priuantur, & defiderijs innumeris feipfos mifere cruciant. 2. *Hani*, etiam nominant affictum,pauperem, miferum, qui crebris conueitur calamitatibus, *Pf.* 88. circa finem,& *Pfal.* 72.2. *Henuth*, paupertas, à verbo *Hanah* deriuatur, quod fignificat, attente confiderauit, & apud fe expendit: affl. ctiones enim dant intellectum. Hinc νοέω & compofita,cogito, intelligo, confidero, νοῦς mens,& compofita,cogitatio,notitia, fenfus. 3. *Machfor*. idem eft Hebr. ac Latinis egeftas,paupertas,penuria,inopia,indigentia,& *Chefer*, pauper, *Pfal.* 34.10. *Eccl.* 6 2. à verbo *Chafar*. pauper fuit, eguit,indiguit, fuit inops. 4. *Refch*, eguit, paupertate preffus eft, *Rafchafch*, ad inopiam redactus eft,& attennatus eft: quæ omnia miferiam pauperum graphicè depingunt. *Refen*, paupertas. Hinc ἶρος, Irus, & ἄιρος, pauper,inops,& prouerbium, Iro pauperior,ac fi dicatur, paupere pauperior,feu paupertas ipfa. In 4. Coniugatione Hebr. *Hithrofchefch*, fimulauit fe pauperem, *Prouer.* 13.7. vt folent validi mendicantes,tuati, hypocritæ, nebulones omnis generis in hominum focietate.

Paupertas confert feptem bona, fcilicet peccatorum recognitionem,virtutum conferuationem,cordis quietem,defiderij impletionem,fpiritualium bonorum dulcedinem, meritorum exaltationem,& cœleftem hæreditatem. *Ex B.Thom.fuper Efaiam* 48. *in fin.*

Paupertas eft duplex, fcilicet paupertas ex coacta neceffitate, & paupertas ex propria voluntate, *fecundum B.Thom.contra Gentiles, lib.* 2. *c.* 31.

LOCI BIBLICI.

Pauper frater,quomodo tractandus, *Deut.* 15.7. pauper probus improbo diuiti præferendus, *Prouer.* 28.6. pauper fapiens ftulto rege præftantior, *Eccl.* 4 13.

Pauperis quatenus in iudicijs habenda ratio, *Exod.* 23.3. *Leuit.* 19. *v.* 15. pauperis & diuitis difcrimen, *Prou.* 18. *v.* 24.

Pauperi non exprobrandum, *Prouerb.* 14.31. & 17.5. non nocendum, 22.16.22. & 23.10.

Pauperes veri qui, *Prouerb.* 19.1.22. *Matth.* 5.3. *Luca* 6.20. Pauperes femper in mundo, *Matth.* 26.11. *Marc.* 14.7 *Ioann* 12.8. Pauperes fpiritu beati, *Matth.* 5. *v. Luc.* 6.20. a Deo electi, 1. *Cor.* 1.26.27.28. *Iacob.* 2.5. non fpernendi, *Prou.* 17. *v.* 5. & 28. *v.* 27 & 29. *v.* 7. *Iac.* 2. *v.* 2.3.4.5. Pauperes commendantur, *Deut.* 15.11. & 24.19. *Prouerb.* 22.10. & 31.9. *Efa.* 1.17. *Matth.* 25 40. *Luc.* 14.13 *Rom.* 12.13.1. *Cor.* 16.1.2. *Cor.* 9. *Iacob.* 1.27. & 5.4 Pauperes mundi huius. 2. 5. Pauperes fpiritu, *Matth.* 5.3. dicuntur, quorum fpiritus domiti funt,fibi coram Deo nihil tribuunt,& fefe Deo fubijciunt. Pauperum oppreffio damnatur, *Prou.* 22. *v.* 22.23 & 23. *v.* 10.11. *Efa.* 1. 24. *Ier.* 22.13. *Ezech.* 22. *v.* 29. *Amos* 4.1. & 5.11. & 8.4. *Malach* 3.5. *Matth.* 23.14. *Marc.* 12.40. *Iac.* 5.4. ratio habenda, *Leuit.* 19 *v.* 9.10. *Zach.* 7.10. *Galat* 2.10. Exempl o Ecclefia Ierofolymitana, *Actor.* 4. 34. Antiochena, 11.29. Achaiæ. 2. *Cor.* 8.9.

Paupertas à Deo eft, *Prou.* 14.31. & 16.5. & 22.2. Paupertas vera laudatur, 12.9. & 15.16. & 16.8. & 17.1. *Matth.* 5.2. *Luc* 6.20. Paupertas in Chrifto confecrata, 2. *Cor.* 8.9.

SENTENTIAE BIBLICAE.

Pauperes in feipfis humiliantur.

Melior eft pauper,qui ambulat in fimplicitate fua, quam qui praua labia habet,& ftultus eft. *Prou.* 19.

Melior eft pauper iuftus,quam vir mendax. *ibid.*

Melior eft pauper, qui ambulat in fimplicitate fua, quam diues in prauis itineribus. 28.

Polyanthea Noui∫s.

Pauper propter fcientiam,& religionem gloriam adipifcitur,& diues ob diuitias fuas in honore eft. *Eccl.* 10.

Memento paupertatis in tempore abundantiæ, & inopiæ,ac penuriæ in die diuitiarum. 18.

Scio tribulationem tuam,& paupertatem tuam,fed diues es. *Apocal.* 2.

Neceffarijs contentantur.

Noli timere,fili mi: pauperem quidem vitam egimus,fed multa bona habebimus,fi timuerimus Deum,& receffetimus ab omni peccato,& fecerimus bene. *Tob.* 4.

Edent pauperes,& faturabuntur, *Pfal.* 21.

Pauper,qui fibi laborat,præftat gloriofo, qui pane indiget. *Prouerbior.* 12.

Eft qui fefe diuitem fimulat, quum tamen omnino nihil habeat: eft rurfus, qui fingit fe pauperem, quum opibus abundet. *ibidem* 13.

Melius eft parum cum timore Domini,quam thefauri magni,& infatiabiles. *Prou.* 15.

Melius eft parum cum iuftitia,quam multi fructus cum iniquitate. 16.

Duo rogaui te,ne deneges mihi. Vanitatem, & verbum mendacij longe fac à me. Mendicitatem,& diuitias ne dederis mihi: tribue tantum victui meo neceffaria,ne forte fatiatus illiciar ad negandum,& dicam: quis eft Dominus? aut egeftate compulfus furer, & periurem nomen Dei mei. 30.

Melior eft puer pauper, & fapiens rege fene, & ftulto, qui nefcit prævidere in pofterum. *Eccl.* 4.

A bonis fuftentantur.

Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ: idcirco ego præcipio tibi, vt aperias manum fratri tuo egeno: & pauperi,qui tecũ verfatur in terra. *Deut.* 15.

Et adiuuit pauperem de inopia. *Pfalm.* 106.

Nouit iuftus caufam pauperum. *Prou.* 29.

Congregationi pauperum affabilem te facito. *Eccl.* 4.

Tantum vt pauperum memores effemus. *Gal.* 2.

A Deo remunerantur.

Parafti in dulcedine tua pauperi Deus. *Pfal.* 67.

Eft homo marcidus,egens recuperatione, plus deficiens virtute,& abundans paupertate, & oculus Dei refpexit illum in bono, & erexit eum ab humilitate ipfius,& exaltauit caput eius,& mirati funt in illo multi,& honorauerunt Deum. *Eccl.* 11.

Confide in Deo, & mane in loco tuo. Facile eft enim in oculis Dei fubito honeftare pauperem. *ibid.*

Et pafcentur primogeniti pauperum, & pauperes fiducialiter requiefcent. Quia Dominus fundauit Sion,& in ipfo fperabũt pauperes populi eius. *Efa.* 14.

Et addent mites in Domino lætitiam. & pauperes hominis in fancto Ifrael exultabunt. 29.

Beati pauperes fpiritu, quoniam ipforum eft regnum cœlorum. *Matth.* 5.

Si vis perfectus effe, vade, vende omnia, quæ habes,& da pauperibus,& habebis thefaurum in cœlo: & veni,fequere me. 19.

De malis illatis vindicantur.

Et populum pauperem faluum facies. 1. *Reg.* 22.

Porro faluum faciet egenum à gladio oris eorum, & pauperem de manu violenti. *Iob* 5.

Eripiet de anguftia fua pauperem. 36.

Quoniam non in finem obliuio erit pauperis. *Pfal.* 9.

Tibi derelictus eft pauper. *ibid.*

Propter miferiam inopum,& gemitum pauperum. 11.

Refpice in me, & miferere mei: quia vnicus & pauper fum ego. 24.

Cognoui,quia faciet Dominus iudicium inopis. 139.

Qui calumniatur egenum, exprobrat factori eius. *Prouerbiorum* 14.

Qui defpicit pauperem,probro afficit factorem eius. 20.

Diues & pauper obuiarunt fibi, vtriufque operator eft Dominus. 22.

Non facias violentiam pauperi, quia pauper eft,neque conteras egenum in porta, quia iudicabit Dominus caufam eius, & configet eos,qui confixerunt animam eius. *ibid.*

Deprecatio pauperis ex ore vfque ad aures eius perueniet, & iudicium illius feftinato adueniet. *Eccl.* 21.

Panis egentium vita pauperis eft: qui defraudat illum, homo fanguinis eft. Qui aufert in fudore panem,quafi qui occidit proximum fuum. 34.

Non accipiet Dominus perfonam in pauperem, & deprecationem læfi exaudiet. 35.

Quia factus es fortitudo pauperi in tribulatione fua. *Efa.* 25.

Egeni & pauperes quærunt aquas, & non funt: lingua eorum fiti aruit. Ego Dominus exaudiam eos. 41.

Super tribus fceleribus Ifrael,& fuper quatuor non conuertam eũ, pro eo quod vendiderit pro argento iuftum, pauperem pro calceamentis. *Amos* 2.

Audite verbum hoc, vaccæ pingues, quæ estis in monte Samariæ, qui calumniam facitis egenis, & confringitis pauperes. Quæ dicitis dominis vestris, afferte & bibemus: Iurauit Dominus Deus in sancto suo, quia ecce dies venient super vos. *ibid.* 4.

A malis hominibus odio habentur.

Etiam proximo suo pauper odiosus erit. *Prou* 14.

Cum obsecrationibus loquetur pauper: & diues affabitur rigide. 18.

Fratres hominis pauperis oderunt eum, insuper & amici procul recesserunt ab eo. 19.

Sapiens sibi videtur vir diues: pauper autem prudens scrutabitur eum. 28.

Diues iniuste egit, & fremet: pauper autem læsus tacebit. *Eccles.* 13.

Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide, & hæredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se? *Iac.* 2.

Pauperes mali impatientia agitantur.

Omnes dies pauperis mali. *Prou.* 15.

Vir pauper calumnians pauperes similis est imbri vehementi, in quo paratur fames. 28.

Et nequissima paupertas in ore impij. *Eccles.* 13.

Tres species odiuit anima mea: pauperem superbum, & diuitem mendacem, & senem fatuum, & insensatum. 25.

Patrum Sententiæ.

Non tibi displiceat paupertas tua. nihil ea potes ditius inuenire. Visus nobis est, quod locuples sit, cœlum enim quibus thesauris conferri possit, quod paupertati videmus indultum? vt ad regnũ cœlorum veniret, diues possessione sua obtinere non potuit, nunc obtinet, vt cõtemptu perueniat. *Augustinus de verbis Apost. serm.* 28.

Bonum est facultates cum dispensatione pauperibus erogare, melius pro intentione sequendi Dominum insimul donare, & absolutum solicitudine egere cum Christo. *De Eccl. do.*

Hi sunt pauperes spiritu, qui quando faciunt aliquod bonum, Deum laudant, quando aliquid mali, se accusant. *De verb. Dom.*

Fœcundus est ager pauperum, cito reddit donantibus fructum, via cœli est pauper, per quam venitur ad patrem, incipe erogare, si non vis errare. *ibid.*

Pauper Dei est animo, non in sacculo. *in Psal.* 31.

Nihil grauius, quam vt fratres nostros pauperiores superbo oculo despiciamus: conformes nobis intolerabili repellamus fastidio, nostro indignos gratia iudicantes: quia sunt inopes, quum paupertas facilius Deo, quam thesaurus acceptior. *Ambrosius in Psalm.*

Ob hoc maxime amanda est paupertas, quia à quo amaris, ostendit: quia non habet adulationem comitem sibi parcentem, fortunam hominis, & non personam amantem. *Hieronymus in Epistol.*

Difficilius arrogantia, quam auro, & gemmis caremus. His enim abiectis interdum gloriosius tumemus, & venerabilem paupertatem populi auræ offerimus. Plus enim est animum deposuisse, quam cultum. *Epist.* 120.

Natus in paupere domo, & in tugurio rusticano, qui via milio, & pane cibario rugientem satiare ventrem poteram: nunc similam & mella fastidio. *in Epist. ad Nepot.*

Paupertas inopia mentis est, non in quantitate possessionis: nam cui cum paupertate bene conuenit, diues est. *Gregorius in Ezechiel.* 6.

Quum quosdam pauperes aliqua reprehensibilia perpetrare conspicitis, nolite despicere, quia fortasse quos superfluitas tenuissimæ prauitatis inquinat, caminus paupertatis curat. *Idem in Euangel.*

Offerenda est eius consolatio, quos caminus paupertatis excoquit atque illis inferendus est timor, quos consolatio gloriæ temporalis extollit. *in Pastoral.*

Paupertas est manuductrix quædam in via, quæ ducit ad cœlum, vnctio athletica, exercitatio quædam magna, & admirabilis, portus tranquillus. Nihil opulentius eo, qui paupertatem sponte diligit, & eam alacriter suscipit. *Chrysost. serm.* 18. *sub Epist. ad Hebr.*

Semper diues est Christiana paupertas, nec pauet in isto mundo indigentia laborare, cui donatum est in omnium rerum domino omnia possidere. Operanõbus ergo quæ bona sunt non omnino metuendum, ne ei desit facultas operandi: cum & in duobus minutis Euangelicę illius viduæ sit laudata deuotio, & pro calice aquæ frigidæ præmium habet gratuita largitio. Ex affectibus enim piorum benignitatis mensura taxatur: & numquam eum misericordi efficacia deserit, in quo misericordia ipsa non deficit. *Leo Papa serm.* 4. *de* 40.

Paupertatis tres sunt species. Sunt enim quidam, qui rebus temporalibus egent, sed inuiti: & hæc vocari egestas solet: egent enim rebus, & egent bona voluntate, qua ditius nihil esse potest. Sunt alij, qui rebus abundant, sunt tamen pauperes spiritu, & hæc est aurea paupertas, qua licet affluant diuitiæ, corda tamen nolunt apponere. Tertia est mediocritas, quam Philosophi vocant frugalitatem, quæ est voluntaria. *Hugo de claust. anim. libro* 1. *cap.* 9.

Sunt quidam, qui de sæculo veniunt ad religionem, quorum paupertas, Beato Augustino testante, talia erat. quod quando foris erant, necessaria inuenire non poterant, quorum cellaria non hæreditas, non patrimonium, sed manuum labor annonam præbebat: & si manus cessaret panis deficeret: & in Ecclesia honorari volunt, qui in sua domo non nisi contemptibiles esse poterant. *Ibidem.*

Pauperes Dei sunt, qui mundana superbia derelicta, humilitati se per omnia tradiderunt. Nam si pauper superbiat, non est Dei pauper, & si locuples humilitatem diligat, non est sæculi diues. Voluntates enim talium sunt inspiciendæ non nomina. *Cass. super Psalm.* 71.

Videamus, quam sit gloriosa ista paupertas, quam felix probetur inopia, quæ Dominum & tacita laudat, & de patientiæ suæ virtute concelebrat, mutus est, si psallat superbus: pauper & inops laudat Deum, etiam quum videtur habere silentium. *Cassiod. in Psalm.*

Pauperes Christi sunt, qui non solum pro suis malis, verum etiam pro totius calamitatibus mundi intercedere comprobantur, egent in hoc sæculo, sed sunt locupletes Deo: vitijs vacui, sed virtutibus pleni: despecti hominibus, sed acceptabiles Deo. *Ibidem.*

O miserabilis conditio mendicantis? si petit, pudore confunditur: si non petit, egestate consumitur: & vt mẽdicet, necessitate compellitur. Deus causatur iniquus, quod non recte diuidit: proximus criminatur malignus, quod non plene subueniat, indignatur, murmurat, imprecatur. Vnde Salomon: Melius est mori, quã indigere, etiam proximo suo odiosus erit. Fratres hominis pauperis oderunt eum, insuper & amici recesserunt ab eo. *Innoc. de vilitate condit. humana.*

Sententiæ Poeticæ.

Ouid. 8. Met.

Sed pia Baucis anus, parilique ætate Philemon
Illa sunt annis iuncti iuuenilibus, illa
Consenuere casa, paupertatemque ferendo
Effecere leuem, nec iniqua mente ferendam.

Hor. 2. epist. 2.

Et Laris & fundi paupertas impulit audax.
Vt versus facerem.

Plaut. Stich.

Nam illa omnes artes perdocet, vbi quem attigit.

Manil. 1.

Sed cum longa dies acuit mortalia corda.
Et labor ingenium miseris dedit, & sua quemque
Aduigilare sibi iussit fortuna premendo:
Seducta in varias certarunt pectora curas.
Et quodcumque sagax tentando repperit vsus.
In commune bonum commentum læta dedere.

Ouid. 2. Remed.

Non habet vnde suum paupertas pascat amorem,
Non tamen hoc tanti est, pauper vt esse velis.

Claud. Epigrammat. de paupere amante.

Paupertas me sæua domat, dirusque Cupido:
Sed toleranda fames, non tolerandus amor.

Ibid. de eodem.

Esuriens pauper, telis incendor amoris,
Inter vtrumque malum deligo pauperiem.

Mart. 11.

O quantum cogit egestas!

Iuuen. 3.

Nil habet infelix paupertas durius in se,
Quam quod ridiculos homines facit.

Plaut. Stich.

Iam inde à pauxillo puero ridiculus fui.
Eo, quia paupertas fecit ridiculus forem.

Sen. Thyest. Act. 2.

Stet, quicumque volet, potens
Aulæ culmine lubrico:
Me dulcis saturet quies,
Obscuro positus loco,
Leni perfruar otio.
Nullis nota Quiritibus
Ætas per tacitum fluat.
Sic cum transierint mei
Nullo cum strepitu dies,
Plebeius moriar senex.

Idem

Idem Thyest. act. 3.

Dum excelsus steti,
Numquam pauere destiti, atque ipsum mea
Ferrum timere lateris, ô quantum bonum est
Obstare nulli, capere securas dapes,
Humi iacentem scelera non intrant casam.

Idem Oct.

Bene paupertas
Humili tecto contecta latet.
Quatiunt altas sæpe procellæ,
Aut euertit fortuna domos.

Calphurn. Eclog. 4.

Vellit nam sæpius aurem
Inuida paupertas, & dicit villica cura.

Hor. 1. Carm. 1.

Luctantem Icarijs fluctibus Africum
Mercator metuens, otium, & oppidi
Laudat rura sui, mox reficit rates
Quassas, indocilis pauperiem pati.

Petronius.

Quisquis inops peccat, minor est reus.

Ouid. 1. Fast.

In precio precium nunc est: dat census honores,
Census amicitias, pauper vbique iacet.

Terent. Phorm. 2.

Quia egens relicta est misera, ignoratur parens,
Negligitur ipsa: vide, auaritia quid facit.

Calphurn. Eclog. 7.

O vtinam nobis non rustica vestis inesset,
Vidissem propius mea numina sed mihi sordes,
Nudaque paupertas, & adunco fibula morsu
Obfuerunt.

Iuuenal. 10.

Pauca licet portes argenti vascula puri,
Nocte iter ingressus gladium contumque timebis,
Et mota ad Lunam trepidabis arundinis vmbras.
Cantabit vacuus coram latrone viator.

Ouid. de Nuce.

Sic timet insidias, qui se scit ferre viator
Quod timeant: tutum carpit inanis iter.

Hor. 2. serm. 5.

Et genus, & virtus, nisi cum re vilior alga est.

Idem 1. Epist. 1.

Si quadringentis sex septem millia desunt,
Est animus tibi, sunt mores, & lingua fidesque
Plebs eris.

Iuuenal. 3.

Haud facile emergunt, quorum virtutibus obstat
Res angusta domi.

Plaut. Rud.

Omnibus modis qui pauperes sunt homines, miseri viuunt:
Præsertim quibus nec quæstus est, nec didicere artem vllam.

Antholog. Sacr. Iac. Bill.

Cur Deus pauperes in mundo esse velit.

Cum cunctis elementa Deus donauerit aque,
Effigiem cunctis indideritque suam:
Cum cunctis æque vox sit data mensque, redempti
Cum fuerint precio diues inopsque pari:
Denique cum cæli sit spes æqualis vtrique:
Noluit hos opibus cur Deus esse pares?
Scilicet vt cæli regnum lucretur vterque,
Dum patitur pauper, diues egenumque iuuat.

In pauperum contemptores.

Hunccine vides, quem tu, quoniam fera vexat egestas,
Despicis, atque canis barbarus instar habes?
Quod tibi corpus, idem est illi cum mente tributum:
Et quod perpetitur, tu quoque ferre potes.
Ac vilem ne tristis eum tibi reddat egestas,
Quod dicam, in medio pectore conde memor.
Exiguum fultum Deus est qui postulat ab isto:
Namque homo quem cernis nil nisi larua Dei est.

Phocylides.

Μηδέποτε χρήσας πικρὸς γένῃ ἀνδρὶ πένητι.
Numquam fænerator sis viro pauperi.

Hesiod.

Μηδέποτ' οὐλομένην πενίην θυμοφθόρον ἀνδρὶ
Τέτλαθ' ὀνειδίζειν μακάρων δόσιν αἰὲν ἐόντων.
Numquam perniciosam paupertatem corrumpentem animum viro
Sustineas obijcere, beatorum donum semper existentium.

Euripid. in Medea.

Πένητα φεῦγε πᾶς τις ἐκποδὼν φίλος.
Pauperem fugit quilibet procul amicus.

Polyanthea Noua.

Palladas.

Φεύγετε τοὺς πλουτοῦντας, ἀναιδέας οἰκοτυράννους,
Μισοῦντας πενίην, μητέρα σωφροσύνης.
Fugite diuites impudentes habitantes domos tyrannorum,
Odio habentes paupertatem, matrem modestiæ.

Ex Græcis Comicis.

Πενία δ' ἄτιμον καὶ τὸν εὐγενῆ ποιεῖ.
Pauper inhonorus, genere sit clarus licet.
Τῶν γὰρ πενήτων εἰσὶν οἱ λόγοι κενοί.
Haud pondus vllum pauperum verbis inest.
Πενίαν φέρειν οὐ παντός, ἀλλ' ἀνδρὸς σοφοῦ.
Ferre inopiam, sapientis est dumtaxat viri.
Οὐδὲν πενίας βαρύτερόν ἐστι φορτίον.
Onus inopia longe omnium grauissimum.
Πενίαν φέρειν καὶ γῆρας ἐστὶ δύσκολον.
Tolerare senium & inopiam res ardua.
Πενία δ' ἀγροίκους γε τοὺς πολλοὺς ποιεῖ.
Ab inopia aliquando venit inhumanitas.
Μισῶ πένητα πλουσίῳ δωρούμενον.
Qui diuiti dat pauper, haud placet mihi.
Τὸ κουφότατόν σε τῶν κακῶν πάντων δάκνει
Πενία· τί γὰρ τοῦτ' ἐστιν; ὃ γένοιτ' ἂν εἷς
φίλος βοηθήσας ἰατρὸς ῥᾳδίως.
Malum te egestas omnium leuissimum
Contristat, etenim quantulum est istud malum
Cuius medela prompta amice sit liro.
Πρὸς ἅπαντα δειλός ἐστιν ὁ πένης πράγματα,
Καὶ πάντας αὐτοῦ καταφρονεῖν ὑπολαμβάνει.
Ad omne timidus est pauper negocium,
Nam se esse credit omnibus contemptui.
ἔργον ἀπορεῖν συγγενοῦς
Πένητός ἐστιν· οὐδὲ εἷς γὰρ ὁμολογεῖ
Αὐτῷ προσήκειν τὸν βοηθείας τινὸς
Δεόμενον· αἰτεῖσθαι γὰρ ἅμα τι προσδοκᾷ.
propinquus pauperis
Vix inuenitur vllus, haud enim lubens
Quisquam propinquum se fatetur indigi.
Καλῶς πένεσθαι μᾶλλον ἢ πλουτεῖν κακῶς·
Τὸ μὲν γὰρ ἔλεον, τὸ δ' ἐπιτίμησιν φέρει.
Inopia honesta potior diuitijs improbis,
Opprobrio hæ sunt, misericordiam hæc mouet.

Philosophicæ Sententiæ.

Impossibile est, indigentem operari bona. *Arist. lib. 1. Ethic.*

Impossibile est indigentem bene principari, & studio vacare. *Idem lib. 5. Polit.*

Nihil amittit, qui nihil habet, & parum eget, qui parum cupit. Socrates dicebat. *Laert. Diogen. de vita, & moribus Philosophorum.*

Egens est, qui non satis habet, & is cui satis nihil potest esse.

Duo sunt, quæ possunt ad turpe compendium commouere, Inopia & auaritia. *Cic. Rhetor. nouorum lib. 4.*

Qui demissi in obscuro vitam agunt, si quid deliquere, pauci sciũt, fama, atque fortuna eorum pares sunt. *Salust. in Catil.*

Si quæcumque in aliqua laude miramur, cum paupertas ab incunabulis intricata est. Paupertas autem, prisca apud sæcula omnium ciuitatum conditrix, omnium artium temperatrix, omnium peccatorum inops, omnis gloriæ munifica, cunctis laudibus apud omnes nationes percompta. *Lucius Apuleius de Magia lib. 1.*

Μᾶλλον ἀποδέχου δικαίαν πενίαν ἢ πλοῦτον ἄδικον.

Ama magis iustam paupertatem, quam diuitias iniustas. *Isocr. ad Demonicum.*

Omnes qui in paupertate sunt, malunt maleficio, quam officio parare diuitias. *Cic. ad Heren.*

Non sibi felix pauper erit, nisi felices cecidisse viderit. Honesta res, est læta paupertas. Illa vero non est paupertas, si læta est: qui cũ paupertate bene conuenit, diues est. Non qui parum habet, sed qui plus cupit, pauper est. *Senec. epist. 10.*

Paruo fames constat, magno fastidium: paupertas contenta est desiderijs instantibus satisfacere. *Epist. 17.*

Ob hoc vnum amanda est paupertas, quod à quibus ameris ostendit. *Epist. 50.*

Panem & aquam natura desiderat: nemo ad hæc pauper est intra quæ quisquis desiderium suum clausit, cum ipso Ioue de felicitate contendit. *Epist. 25.*

Nec paupertas tibi immunda sit, nec parsimonia sordida, nec simplicitas neglecta, nec lenitas languida, etsi res tibi exiguæ sint, non sint tamen angustæ: nec tua defleas, nec aliena mireris. *De quatuor virt.*

Ne imparatos fortuna nos deprehendat, fiat nobis paupertas familiaris. Securius diuites erimus, si experti fuerimus, quam non sit graue, pauperes esse. Ad paupertatem sua sponte descendere, præoccupare est tela fortunæ. *Epist. 19.*

Quod diuitijs nõ potes scire, paupertate scies: illa vero certosque retinebit amicos: discedit qui non te, sed eam sequebatur, O quando ille dies veniet, quo nemo in honorem tuum mentiatur. *Epist. 15.*

Redige te ad parua, ex quibus cadere non possis. Inest paupertati fine qua nihil est iucundum, securitas. *ibid.*

Quis est pauper? qui sibi videtur pauper. Qui paupertatem times, timendus est. Scite vti paupertate, maxima felicitas est. *De moribus.*

Multis ad philosophandum obstitere diuitiæ. Paupertas autem expedita secura est. Aut ergo pauper sis, aut pauperi similis si animo vacare vis. *Epist. 17.*

Nudum latro dimisit; etiam in obsessa via pauperi pax est. *In Prouerb.*

Paupertas mihi grauis est: imo tu paupertati: non est in paupertate vitium, sed in paupere. Pauper es, qui pauper tibi videris. Nihil deest auibus, pecora in diem viuunt: feris in alimentis sui studio sufficit. Accipit ille grandem pecuniam, ergo & superbiam. *De remed. fort.*

Solum hoc incommodum paupertas patitur: quod non possit egentibus subuenire. *Philosoph.*

Semper in ciuitate, quibus opes nullæ sunt, bonis inuident, malos extollunt, vetera odere, noua exoptant, odio suarum rerum mutare omnia student, turba, atque seditionibus sine cura aluntur: quoniam egestas facile habetur sine damno. *Salust. de coniurat. Catil.*

Aristides apud iudices palam professus est, sibi potius ob paupertatem, quam Calliæ Atheniensium locupletissimo ob diuitias, animum tollendum, multos enim esse qui diuitijs male, aut bene vterentur, qui paupertatem fortiter ferrent, non passim & temere inueniri: eam vero ab ijs dedecus putari, qui inuiti pauperes sint. *Plut. in Aristide.*

Æmilij, qui duos consulatus gessit, bisque triumphauit, filiam in Tuberonum familia tenuiter victitante, fecit coniugem, paupertatis viri non puduit, quin virtutem potius, qua paupertatem ferebat, mirabatur. Nostro tempore fratres & cognati, nisi regionibus, fluuijs, montibus communia bona distinguant, longoq; à se inuicem remoti sint spacio, altercandi finem nullum faciunt. *Idem in Æm. Paulo.*

Paupertas quum in Republica inualescit, illiberalitatem honestorumque studiorum intermissionem, inuidiamque & odia aduersus diuites secum trahit. *idem in Agide.*

Multum virtutis paupertas aduersus insolentes diuitias habet. *Iustin hist l. 20.*

Minime pudeat sapientem cuncta bona in animi cultu ponentem, honestam paupertatem profiteri. *Amm. Marcell. lib. 24.*

Romani paupertatem non in parum habendo, sed in multum concupiscendo positam esse crediderunt. *Zonar. Ann. to. 2.*

Non est turpe homini, qui summum bonum in animo posuit, honestam profiteri paupertatem. *Pomp. Lætus in Diocletiano.*

Paupertas per se turpis non est, sed iudicium fit socordiæ intemperantiæ, prodigalitatis, imprudentiæ. Viro autem temperanti, laborioso, iusto, forti, & qui omnibus virtutibus præditus in publico versatur, magni animi testimonium præbet. Non enim potest magnas res gerere, qui parua curat: neque multis indigentibus auxilium ferre, qui ipse multis opus habet. Neque Dionysius sed qui omnia in se sua haber polita viam tenes expeditam ad regimen Reipublicæ: is enim eo quod nullius priuatim rei supeluacaneæ indiget, publica negocia liber adit. Ipse quidem Deus simpliciter nulla re opus habet: in virtute autem humana id quam maxime diuinum est, & perfectissimum, quod ad suum vsum paucissima requirit. Ac veluti corpus bono ad virtutem temperamento præditum, neque vestitum, neque alimentum curiosum desiderat: sic vita & domus bene instituta facile quibuscumque facultatibus administratur, Sed & necessitati respondere posse ßio nem oportet. Itaque, qui multa parat, paucis vero vtitur, is ex sese aptus non potest dici: sed aut vanus est, siquidem ea quærit, quibus opus non habet: aut miser, si ob sordes animi non vtitur partis. Libenter vero ex ipso Catone sic percontere: Si diuitijs fruendum est, quid gloriaris te multa possidentem modicis vti? Sin præclarum est, (& quidem ita res habet) pane quocumque vesci, & vinum idem cum operarijs, & seruis bibere, purpura domumque dealbatam non requirere: iam officio Aristides etiam, Epaminondas, M. Curtius, C. Fabricius, satisfecerunt, quarum rerum vsum improbarent: earum etiam possessionem valere iubentes. Quid enim attinebat virum, qui rapa suauissimum cibum duceret, eaque ipse elixaret, vxorem simul farinam subigere, tones de asse nugari, & scribere quouis opificio, quam primum discerent? etenim tenuitas, & in se omnia sua ponere, eo ipso nomine magna sunt, quod cupiditate simul & cura liberans rerū non necessariarum. Itaque in Calliæ iudicio hinc dixisse Aristidem aiunt, paupertatis pudere eos debere, qui inuiti eam ferant: laudi eam sibi ducere eos, qui (vt ipse) vltro subirēt. Ridiculū enim erat existimare ob ignauiam Aristidem egestate laborare, cui licebat nihil turpe agenti, spoliati vno barbaro, at vno tentorio occupato, diuiti fieri. *Plutarch. in Compar. Arist. & Catonis Maioris.*

Paupertas olim philosophiæ vernacula, frugi, sobria, paruo potens, æmula laudis, aduersum diuitias possessa, habitu secura, cultu simplex, consilio bene suada, neminem vmquam superbia inflauit, neminem impotentia depirauit, neminem tyrannide efferauit: delicias ventris, & inguinum, neque vult vllas, neque potest. Qui, pe hæc & alia fl. gitia diuitiarum alumni sunt, maxima quoque scelera si ex omni memoria hominum percenseas, nullum in illis pauperem reperies: vbi contra hanc temere inter illustres viros diuites comparent: sed quemcumque in aliqua laude miramur, eum paupertas ab incunabulis nutricata est: paupertas inquam prisca apud sæcula omnium ciuitatum cōditrix, omnium artium repertrix, omnium peccatorum inops, omnis gloriæ munifica, cunctis laudibus apud omnes nationes perfuncta. Eadem est enim paupertas apud Græcos in Aristide iusta, in Phocione benigna, in Epaminonda strenua, in Socrate sapiens, in Homero diserta. Eadem paupertas etiam populo Romano imperium à primordio fundauit, proque eo in hodiernum Dijs immortalibus simpulo, & catino fictili sacrificat. *Apuleius. apolog. 1.*

Si iudices de causa ista (nempe paupertatis Philosopho exprobratæ) sederent C. Fabricius, Cn. Scipio, Manlius Curius, quorum filiæ, ob paupertatem, de publico dotibus donatæ ad maritos ierunt, portantes gloriam domesticam, pecuniam publicam: si Publicola regum exactor, & Agrippa populi reconciliator, quorū funus ob tenues opes, à populo Romano collatis sextantibus adornatum est: si Atticus Regulus, cuius agellus ob similem penuriam publica pecunia cultus est: denique omnes veteres illæ prosapiæ Consulares, & Censoriæ, & triumphales, breui vsura lucis ad iudicium illud remissæ audirent; quid paupertatem Philosopho exprobrare auderet apud tot consules pauperes? *Idem ibidem.*

Nemo nostrum pauper est, qui superuacanea nolit, possit necessaria: quæ natura oppido pauca sunt. Namque is plurimum habebit, qui minimum desiderabit. Habebit enim quantum volet, qui volet minimum, Cæterum diuitiæ non melius in fundis, in fœnore, quam in ipso hominis æstimantur animo, qui si est auaritia egenus, & ad omne lucrum inexplebilis, nec montibus auri satiabitur, sed semper aliquid, ante parta vt augeat, mendicabit. Quæ quidem vera confessio est paupertatis. Omnis enim cupido acquirendi ex inopiæ opinione venit. Nec refert quam magnum sit, quod tibi minus est. *ibid.*

Si nihil animo deest, de rebus extraneis quantum desit non laboro, quarum neque laus in copia, neque culpa in penuria consistit. *ibid.*

Animi, ita vt corporis, sanitas expedita, imbecillitas laxiuiosa est: etenimque signum est infirmitatis, pluribus indigere. Prorsus ad viuendum, velut ad natandum, is melior, qui onere liberior. *ibid.*

Didici ea re præcedere maxime Deos hominibus, quod nulla re ad vsum sui indigeant. Igitur ex nobis, cuiquam minimis opus sit, cum esse Deo similiorem. *ibid.*

Fames numquam produxit adulterium, neque pecuniarum inopia luxuriam. Paupertas breuis quædam est temperantia, & compendiosa legum obseruatio. *Plut. apud Stob. serm. 93.*

Paupertatem philosophiæ impedimento esse, diuitias autem ad eā promouere, non rectè dicitur. Quot enim putas propter abundantiam potius quam inopiam prohiberi à literarum studio? An non vides pauperrimos vt plurimum philosophari? &c. *Teles ibid. & serm. 94. 95.* vbi plura in laudem paupertatis.

Paupertas est minime inuidiosa, & de ea acquirenda minime certatur: sed licet incustodita seruatur, & neglecta augetur. *Stob. eod. serm. 93. ex Xenophontis conuiuio.*

Diuites non similiter miseros solent infelicium, vt pauperes: Nam suis rebus metuentes, interim aliorum calamitatibus afficiūtur. Pauperes enim homines, & in artibus præstantiores, & in rebus ad vitam pertinentibus redditi prudentiores. Grauis enim est sapientiæ magistra paupertas, *Anaximenes apud Stob. serm. 95.*

De Paupertate. DIAL. VRSS.

Francisci Petrarchæ.

DOL.

Paupertate pressus sum, assurgere nequeo. R. Sæpe quidem paupertas modestiam persuasit reluctanti animo, quodque nequicquam philosophia tentauerat, hæc impleuit. D. Paupertas meum lumen obsidet. R. Non obsidet, sed custodit. Neque hoc illi nouum, aut insolitum, vt quæ vrbem Romam multis olim sæculis custodiuit. Inter tentoria equidem paupertatis sobriæ, atque solicitæ, luxus iners, sopor marcidus, ac vina languida, & enervata

uara non subeunt. D. Domum meam paupertas inuasit. R. Vltro illi, vt occurras consulo. Venientem læto animo, bipatentibus valuis excipiens, atque amplectens, prima enim fronte rigidula, ac subtristis, nec immerito viatori, ac viro armato exæquata, eo quod celer, minaxque sit aduentus eius. At cum in familiaritatē admissa fuerit, & minime sumptuosa, & secura, ac facilis hospes erit. D. Foribus meis paupertas insultat. R. Aperi ocius antequā vectes subita vi confringat, atque ostijs vulsis à cardine victrix introeat, vt enim resistentibus permolesta, sic cedentibus periucūda est. D. Domum meam paupertas irrupit. R. Aduersus fures, & peiores furibus voluptates, peruigil excubitrix. Aduersus vulgi morsus, & insulsa iudicia, atque auaritiæ, seu prodigalitatis infamiam, quæ raro alibi quam locupletum sedet in limine. Ab his malis nullo melius ingenio custodiri potuit domus tua quam illam custodiret paupertas, vt diues & si largus sit, si quid tamē sibi reseruat, auarus vulgo dici solet. Sic pauper cupidus quoque largus habebitur. Inuidet opibus vicinia, pauperiem miseratur. Illas cupit ac vituperat, hanc horret, & laudat. D. Domum meam occupat paupertas. R. Iam nullus tibi superbiæ locus erit, nec inuidiæ, nec damnis insignibus, nec damnorū metui, nec suspicionibus mille, nec insidijs, nec nauseæ, nec podagræ diuitum hospitio. Quibus exclusis habitatura latius tecum quies, & tranquillitas, & virtus. Cui eo plus loci erit quo fortunæ minus. D. Lares meos dura subit paupertas. R. Quid queraris scio. Mollius diuitię subijssent, sed paupertas tutius. Nullæ autem opes sunt, quibus non sit anteponenda securitas. Cum ad felicitatem enim omnia quæcumque agunt cupiuntve homines, disponantur, esse illa sine opibus quidem potest, sine securitate non potest. D. Paupertate importuna diu premor. R. Vt nihil importabile diu fertur, sic nihil breue difficile. Sed hoc dicis grauius. Excute autem illam cum diuitijs an plus auro tribuit, quam virtuti? An & hoc in paradoxis Stoicis non legisti? Quod solus sapiens diues est? An legisti forsitan, sed spreuisti? quod plerique faciunt legentes vt fabulentur ornatius, non vt melius viuant. Nihil ad honestatem, omnia ad scientiam, atque eloquentiam referentes, quo nihil est vanius.

Apophthegmata.

Democritus audiens quemdam de paupertate sua conquerentem: Si non multa, inquit, desideres, pauca tibi multa videbuntur. Desiderium enim contractum, paupertatem diuitijs æquipollentem reddet. *Anton in Meliss. par. 1 serm. 33.*

Idem dicere solebat, pauperis conditionem diuitis multo beatiorem esse. Pauperes quippe maximis malis non infestantur, vt insidijs, inuidia, & odio, quibus diuites expositi sunt quotidie. *Anton. in Meliss. par. 1. serm. 13.*

Socrates ab Archelao vocatus, vt qui ipsum ditare vellet, ei renunciari iussit. Quod farinæ choenicem quatuor obulo venirent Athenis, & fontes aquam funderent. Nam si res meæ, dicebat, mihi non sufficiunt, at ego ipsis sufficio, & sic etiam ipsæ mihi. *Stob. serm. 95. ex Arrian. scriptis recitat.*

Idem. Paupertatem aiebat esse *μικρὰν σωφροσύνην*, id est, paruam tēperantiam. *Stob.*

Aristides ille iustus, cum diues quidam paupertatem ei obijceret, dixit: Mihi quidem nihil adferet mali paupertas, tibi vero diuitiæ non paucas perturbationes. *Anton. in Meliss. par. 1. ser. 33.*

Epicurus. Paupertatem ad legem naturæ compositam dicebat summas esse diuitias. *Senec. epist. 21.*

Sextus. paupertatem ferre non cuiusuis, sed sapientis esse dicebat. *Anton serm. de egenis.*

Diogenes. Desertus ab omnibus hominibus, solus relinquebatur, cum neque propter egestatem ipse quemquam reciperet, neque ipsum hospitio quisquā acciperet. Omnibus enim inuisa erat eius in reprehendendo acrimonia, deinde in agendo loquendoq; acerbitas. Proinde tristitia plenus, summas foliorum extremitates manducabat. Illæ enim suppetebant, quo minus fame periret. Mus vero accedens, decidentibus frustulis vescebatur. Diogenes igitur, cum diligenter rem inspectasset, subridens, animo recepto: Mus hic, inquit, nihil indiget Atheniensium lautitia. Et quid tu, ò Diogenes? ægre fers, te cum Atheniensibus non cœnare? *Ælian. lib. 13. de var. hist.*

Cuum Diogeni paupertas à quodam vitio daretur: Infelix, respondit, quid ais? At ego neminem vidi tyrannidem gerere propter paupertatem, omnes vero propter diuitias. *Stob serm. 95.*

Idem paupertatem appellabat virtutē *αὐτοδίδακτον*, id est, quæ per se discitur. Diuitibus opus est multis præceptis, vt frugaliter viuant, vt corpus exerceant laboribus, ne corporis ambitioso cultu delectentur, &c. omnia autem docet paupertas. *Stob. serm. 95.*

Idem solitus est ioco dicere sibi tragicas execrationes occurrisse, quod esset *ἄπολις, ἄοικος, πατρίδος ἐστερημένος, πτωχὸς, πλανήτης, βίον ἔχων τοὐφ' ἡμέραν*, id est domo, ciuitate, patriaque carens, pauper & erro. *Laert. libro 6.* Alludens ad locum aliquem è tragœdija, De Oedipi execrationibus. *Vide in Chiliadib. P. M.*

Polyanthea Nouiss.

Idem. paupertatem dicebat esse subsidium ad philosophiam. Nam quæ philosophia verbis persuadere conatur, ea paupertatem re ipsa cogere. *Stob. serm. 93.*

Archesilaus. paupertatem aiebat asperam quidem esse: quemadmodum & Ithacam, sed bonam prolis nutricem, vt quæ assuefaciat frugalitati, & abstinentiæ, & in vniuersum efficax virtutis gymnasium sit. *Stob. serm. de laude paupertatis*

Hypsæus. Animæ timiditati medendum esse dicebat: tunc, inquit, nō metues paupertatem. *Stob. eod. serm.*

Idem. Non paupertatem, sed iniustitiam fugiendam esse dicebat: Nullus enim quod pauper esset, sed quia iniustus supplicio affectus est. Neque vitam laudabilem aliquis degit, quatenus diues, sed quatenus iustus. *Stobæus in comparat. paupertatis, & diuitiarum. serm. 95.*

Ariston dicere solebat, paupertatem esse lucernam, quæ omnia mala demonstret. *Stob.*

Aristot. paupertatem dicebat multis rebus indigere, auaritiam autē omnibus. *Anton. par. 1. serm. 33. Meliss.*

Idem Si non multa, inquit, concupiscas, pauca etiam multa videbuntur: exigua enim appetentia paupertatem opulentiæ parem efficit. *Max serm. de diuit. & paupertate.*

Xenophon, paupertatem per se doctam philosophiam esse dicebat: quæ enim hæc verbo suadet, illa opere cogit. *eod. serm.*

Aristonymus. Vitam pauperum similem esse dicebat nauigationi iuxta littus: diuitum autem ei, quę in profundo pelago fit. Illa enim facile est funem eijcere, appellere, & nauem extrahere: diuitibus non item. *Stob. in compar. paupertatis, & diuitiarum.*

Ephialtes. Cuidam ei paupertatem exprobranti: Cur non, inquit, etiam alterum dicis, quod iustitiam colam? Ostendit autem vir sapientissimus, paupertatem, etiamsi multarum virtutum nutrix sit, cunctis exosam esse. *Ælian. lib. 13. de var. hist.*

Hieron. sophista. Vituperatus, quod cum multos rhetoricari docuisset, ipse egeret: Atqui, inquit, ditescere non docui eos, neque pecuniæ studere. *Maxim. de paupertate.*

Moschion. Si in Persis, inquit, natus esses, non curares Græciam habitare, sed cum Persis feliciter versari studeres. Cur igitur in paupertate natus contendis ditescere, & non in eadem permanens feliciter vitam degere? *Max. serm. de diuit. & paupertate.*

Apollonius, solitus est dicere paupertatem secundum naturam nequaquam turpem esse: turpi autem de causa pauperem esse dedecus, & flagitium esse indignissimum. *Anton. in Meliss. par. 1. sermone 33.*

Lycurgus, percontanti quamobrem hostium cæsorum cadauera spoliare vetuisset? Ne, inquit, dum spolijs incumbunt, pugnam negligant, sed paupertatem vna cum ordine seruent. Vt vir ille sapiens vbique ciuibus suis metuit à diuitijs, tamquam a fonte plurimorum malorum; cum apud hominum vulgus nihil expetatur auidius, quasi in his sint præcipua felicitatis humanæ præsidia. *Plut. in Lacon. apoph.*

Idem. Ciuibus quibusdam interrogantibus, quomodo liceret hostium insultum effugere? Si, inquit, pauperes fueritis, nec alius alio plus requirat. Ad opulentos, & onustos prædæ spes inuitat hostem, nec facile potest elabi, qui sarcinis, & impedimentis retardatur: ad hæc tutiores sunt ab hostium incursu, inter quos est æqualitas, & ex æqualitate concordia. *Plut. in Lacon.*

Anonymus. Quidam Imperatorem incusauit, quod illius insidijs & ocio, & somno fuisset priuatus: videlicet, quod illius benignitate è paupere factus esset diues. *Plut. in Sympos. lib. 2.*

M. Cato dicebat, honestam paupertatem impijs diuitijs longe præferendam esse. Hoc enim opprobrij, illud miserationis causa fieri solet. *Ant. in Meliss. serm. 33. par. 1.*

Bulas. famosissimus latro, qui sub Seuero Imperatore per totam Italiam, comparata manu sexcentorum latronum, biennio maximas prædas fecit, postquam Centurionem vitæ insidiatorem cepisset, raso capite ad Seuerum Imperatorem remisit, cumque interrogaretur, quid Imperatori vellet nunciari? Nuncia, inquit, dominis tuis, ipsos seruos suos alere, ne latrocinentur. Habebat enim Bulas multos apud se Cæsarianos, partim exigua mercede conductos, partim nullo certo stipendio. *Xiphilinus in vita Seueri.*

Idem Cuiusdam mulieris, cum qua scortabatur, ope deprehensus, & à Papiniano præfecto prætorio interrogatus, cur latrocinium fecisset? respondit: Et tu dic, cur præfectus sis. Erat nimirum Papinianus homo prædites, & magnæ apud Cæsarem existimationis, & propter opum suarum splendorem in aulam admissus. Bulas vero penuria rerumque egestate vexatus, latrocinio victum quærere cogebatur. *Idem Xiphilinus.*

Apophthegmata Sacra.

Præter ea, quæ de paupertate in locis Biblicis citata sunt: quædam ordine meliore descripta huc referre visum est. Minime spernēdus est pauper, inquit *Salomon, Prouerb. 13. 7. & 14. 31. & 17. 5.* neque affligendus, *Prou. 22. 22. 23.* paupertatis causa, *Prou. 13. 23.* fa-

eit humiles, *Prouer.* 18,23. pauperes contemnuntur, *Prouerb.* 14.20. & 19.4.7. pauper simplex optimus, *Prouer.* 19.1.22. & 28.6. Superbus turpissimus, *Prou.* 12.9. rapax periculosissimus, *Prou.* 28.3. pauper sapiens stulto rege præstantior, *Eccles.* 4.13. pauperis & diuitis discrimen, *Prou.* 18.24. pauperibus non exprobrandum, *Prouer.* 14.31. & 17.5. pauperes non sunt affligendi, *Prou.* 22.16.22. & 23.10. Veri pauperes qui, *Prouer.* 19.1.21. non sunt contemnendi, *Prouerb.* 28.27. & 29.7. commendantur, *Prouerb.* 31.9. paupertas est à Deo, *Prou.* 14.31. & 16.5. & 22.2. paupertas vera laudata, *Prou.* 12.9. & 15.16. & 16.8 & 17.1.

Dominus & seruator noster discipulos suos pauperes beatos esse pronunciat, *Luc.* 6.20. pauperes vocari ad conuiuia præcipit, *Luc.* 14.13. eosdem peculiari quadam ratione commendat, *Matth.* 26.11. *Marc.* 14.7. Bona illis collata sibi largita esse asserit, *Matth.* 25.40. se pauperem profitetur, *Matth.* 8.20. quum esset diues propter nos pauper factus est, vt nos illius paupertate ditesceremus, 2. *Cor.* 8.9. Iubet nos facere amicos ex mammona iniquitatis, qui nos deficientes recipiant in æterna tabernacula, *Luc.* 16.9.

Petrus Apostolus, argentum & aurum sibi non esse declarat, *Act.* 3.6. & Paulus se suosque collegas esurire, sitire, nudos esse, colaphis cædi, sedibus incertis errare, laborare, proprijsque manibus operari, &c. testatur, 1. *Cor.* 4.11.12.

Greg. Nazianzenus paupertatem, pauperesque Christianos multis encomijs celebrat, & diuitibus commendat parheticis admodum verbis firmissimisque rationibus, & argumentis, *in orat. 16. de pauperum amore*, ex qua pauca quædam profero. Me (inquit) si ultra illa manus terret, & hœdi, & probra, quæ à Christo conijciuntur, *Matth.* 25. non quia manus omnis alienis attulerunt, nec omnia templa diripuerunt, aut adulterium perpetrarunt, aut aliud quiddam ex ijs, quæ interdicta sunt, admiserunt, hoc ordine mulctati: sed quia Christum per pauperes minime curarunt.

Augustinus, si quando Ecclesiæ pecunia deficeret, hoc ipsum populo Christiano denunciabat, non se habere quod indigentibus erogaret. Nam & de vasis dominicis propter captiuos, & quamplurimos indigentes frangi, & conflari iubebat, & indigentibus dispensari. *Possidon. in vita Augustini, c.* 24.

Acacius Amidæ Episcopus pauperes captiuos, num. 7000 pauperie propemodum fameque consumptos redemit, conuocatis suis clericis, & ad misericordiam compulsis grauissima oratione. Inter multa, Deus noster (inquit) neque lancibus, neque poculis eget: nam nec comedit, nec bibit, quippe qui his rebus minime opus habeat. Quare cum Ecclesia multa monumenta aurea argenteaque ex propensa fidelium in eam benignitate possideat, hisce rebus milites captiuos è custodia liberare, fameque prope enectos reficere, sustentareque conuenit. Dictum factum, summa cum Acacij laude, Pauperum captiuorum læta liberatione, Christique nominis gloria, *Socrat. hist. Eccl. lib.* 7. *c.* 21.

Theophilus episc. Præstabilius est, inquit, ægrotorum corpora, quæ verius templa Dei cogitare possumus, & ob quæ pecuniæ quæruntur, conuenienti cura restruendis curare, quam templa lapidea ædificare. *Sozom. Eccl. hist. lib.* 8. *c.* 12.

Hilarion pauper Christi quum à latronibus aggressus esset; Nudus, inquit, latrones non timet. Et illi cum subiecissent, Tu occidi potes: possum, respondit, ideo latrones non timeo, quia mori paratus sum. *Hieronym. in vita Hilarionis.*

SIMILITVDINES.

Chrysostomi. Pauperes sunt medici vulnerum tuorum, manus eorum tibi medicamenta præstant. Non ita vt medicus medicamenta imponat, extendens manum, curationem exhibet: vt pauper abs te accipiat, porrigens manum: dedisti pecuniam, peccata exuisti, *In 1 ad Timoth. homil.* 14.

Ambrosij. Sicut diuitiæ negligentiam pariunt salutis: Ita egestas dum saturari quærit, à iustitia declinat. *super epist. Pauli.*

Saluiani Episcopi. Labor, ieiunium, & paupertas, & humilitas, & infirmitas, non omnibus sunt onerosa tolerantibus, sed tolerare nolentibus. Siue enim grauia hæc, siue leuia, animus tolerantis facit. Nam sicut nihil est tam leue: quod ei graue non sit, qui inuitus facit: sic nihil est tam graue, quod non ei, qui id libenter exequitur, leue esse videatur; nisi forte antiquis illis priscæ virtutis viris, Fabijs, Fabricijs, Cincinnatis, graue fuisse existimamus, quod pauperes erant qui diuites esse nolebant: cum omnia scilicet studia sua, omnes conatus suos ad communia emolumenta conferrent, & crescentes Reipublicæ vires priuata paupertate ditarent. *De vero iudicio, & Prouidentia Dei, lib.* 1. *fol.* 2.

Laurentij Iustiniani Patriarchæ. Quemadmodum ex adhibito remedio ægroti, medici peritia agnoscitur; Ita interdum ex occurrente inopia, miserentis Dei prouidentia sentitur. *lib. de contemptu mundi, cap.* 11.

Socratis. Sicut pallium sordidum non obstat corpori, quo minus sanum, & quadratum sit: ita paupertas nihil orationis liberam fiduciam prohibet. *Apud Stob. serm.* 11.

Epicteti. Vt hi qui geniti sunt inter Persas, non desiderant in Græcia habitare, & illic felicitate frui: Ita etiam pauperes, quibus diuitiarum nota est natura, etsi in summa inopia nati sint, non tamen ob illa irritamenta malorum student ditescere. *Apud Stob. ser.* 11.

Aristonymi. Pauperum vita similis est nauigationi iuxta littus, diuitum autem, ei quæ in profundo pelago fit. Illis enim facile est funem eijcere, appellere, & nauim extrahere. Diuitibus non item. *Apud Stob. serm.* 95.

Plutarch. E corporis morbo quidam hoc excerpunt commodi, quod vacant negocijs, quibus distinguebantur; & quosdam labores obiecti reddidere validos: Sic quibusdam exilium, paupertas, naufragium, occasio fuit philosophandi. *In Moral.*

Vt qui vestes flagellant, corpus non attingunt: Sic qui generis vitium aut paupertatem exprobrant, non proprie tangunt ipsum hominem, sed externa calumniantur. *In Moral.*

Seneca. Quemadmodum qui pedibus suis poterit iter conficere, ascendere tamen vehiculum mallet, Sic pauper si poterit esse diues, volet, & habebit vtique opes, sed tamquam leues, & auolaturas, nec vlli alij, nec sibi graues esse patietur. *lib. de vita beata, c.* 23.

Ioannis Ludouici Viuis. Quemadmodum in via, sic in vita quo quis expeditior, & paucioribus sarcinis implicitos, hoc leuius, & iucundius iter facit. *In introductione ad Sapientiam, fol.* 40. *c.* 3.

P. M. Qui in altis sunt specubus, a fulmine non feriuntur: Ita infima fortuna tutissima est. *in simil.*

Vt vasa paria, quorum alterum plenum sit, alterum inane, pulsata concentum faciunt διαπασῶν. Ita bene conuenit inter diuitem benignum, & pauperem indigum. *ibid.*

Thrinero. Vt crapula ac abundans rerum copia plurimos morbos progenerat, qui sola vitæ abstinentia tolluntur: Sic diuitiæ multorum incommodorum authores sunt, quæ sola paupertate tolluntur. *in apoph.*

Quemadmodum pater filio prodigo non dat affatim, sed quod sufficit in menses singulos paulatim partitur: Ita Deus optimus maximus quibusdam largitur parcius, ne ipsis in perniciem cedat magnarum opum luxus. *in apoph.* 172.

Sunt semita quædam quæ ostendunt compendium, sed difficultas prohibet, & periculum: Atqui paupertas spontanea via est ad cælum compendiosissima. *in apoph.* 96.

ADAGIA.

Nec obulum habet vnde restim emat.

In eos, qui maxima rei familiaris inopia laborant, Lucianus in Timone.

Χθὲς καὶ οὐδ' ὀβολὸν ὥστε πρίασθαι βρόχον εὐπορήσαντας.

Qui pridem obolum quidem habebant: quo laqueum emerent.

Nudior Leberide. γυμνότερος λεβηρίδος.

De vehementer tenuibus.

Iro, Codro pauperior. *Ouid.*

Irus erit subito, qui modo Crœsus erat.

De Codro Iuuenalis:

Tota domus Codri rheda componitur vna.

Nudior paxillo. γυμνότερος πατταλου.

De extremæ paupertatis homine dicebatur hæc hyperbole.

Telenico pauperior. Τηλενίκου πτωχότερος.

Nam is nota paupertatis fuit.

Nudus tanquam ex matre. γυμνὸς ὡς ἐκ μητρός.

De vehementer paupere.

Er ist so nackent, als er von Mutter Leib kommen ist.

Ne in pelle quidem. οὐδ' ἐν δέρματι.

De supra modum tenuibus, velut vsque adeo nudis, vt ne pelle quidem propria tegantur.

Araneas eijcere. *Hesiodus.*

Ἐκ δ' ἀγγέων ἐλάσειας ἀράχνια.

Vasis eijcias quas nectit aranea telas.

Sic enim significant inanitatem, & inopiam. Lucianus Carie & araneis differta.

Cum exossis suum rodit pedem. ὅτ' ἀνόστεος ὃν πόδα τένδει.

Consimili figura significauit egestatem in eodem opere.

Macilenta manu pinguem pedem.

Manus enim gracilescunt fame, pedes intumescunt frigore. Venustius erit si longius transferatur, ad viaticum parandum senectuti, aut similia.

Pedem vbi ponat, non habet.

In hominem insigniter tenuem, atque inopem.

Cinclus. Κίγκλος.

Rusticano prouerbio dicebantur præter modum pauperes.

Pitillo nudior. ὑπεργυμνότερος.

De vehementer tenui, miseroque.

Paupertas sapientiam sortita est. πενία δὲ τὴν σοφίαν ἔλαχε. *Zenodotus citat ex Euripido.*

Ignaua est opulentia: Verum inopia multarum artium repertrix est.

Armut lehrt geigen.

Armut bringt Kunst vnd Demut.

Item, Vvere Armut nicht, so vvere kein Kunst.

Pauper, sed ingeniosus.

In homi-

In hominem tenui cultu, sed egregio tamen corpore, quadrabit illud Homer. ex Odyss.

Οἷαι ἐκ ῥακέων ὁ γέρων ἐπιγουνίδα φαίνει.

Quos profert senior pan in è vilibus armos.

Luciano torquet ad senem ingenio facundiaque præcellentem.

Multa docet fames, Fames Magistra, πολλῶν ὁ λιμὸς γίγνεται διδάσκαλος.

Fames magistra artium complurium, Sensus per se planus est huius adagij.

Hecale pauperior.

Hecale paupere est nobilis est Ovid.

Cur nemo est Hecalen nulla est quæ coperit Irum

Nempe quod alter egens, altera pauper erat.

Ad incitas redactus.

Qui rei urgeret extrema necessitas his res dicebatur ad incitas redisse. Plaut.

Er ist an den Bettelstab komen.

Item, Er kan sich des Hungers nicht erwehren,

Item, Er hat kaum das liebe Brot zu essen.

Centro & spacio circumscripta, τῷ κέντρῳ καὶ τῷ διαστήματι περιγραφεῖσα τὴν ζωήν.

Sentit fortunas tam angustas vt nisi certa dimensione dispensentur, nō sint ad necessitates vsus sufficientes.

Nani.

Quadrabit in tenues, & humilis fortunæ homunculos, atque quemadmodum ait Horat. Modulo bipedali & qui potentes sumptu conantur æquare.

Tunicati.

Tenues & humiles nullo cultu insignes, tunicati dicuntur. Horatius.

Vilia vendentem tunicato scruta popello.

Canalicolæ.

Homines exilis tenuique fortunæ, dicti olim Canalicolæ, quod circa canales fori consisterent.

Ne tempestas quidem nocere possit.

In homines ita inopes nudos, & inopes, Cic.

Non habet cum dormiat.

Dicimus & hodie, Non habet illum, aut non habet stramenta quibus indormiat.

Omnia præter animam,

Quum nihil non datum significamus præter vitam, dicimus omnia tradita præter animam, Simili figura. Animam debere dicuntur, qui plus quam omnia debent,

Zonam perdidit.

Proverbium castrense in ἄζωνος τὰς Id est, eos qui nihil habent nummorum,

Er hat sich hauss im Verschgen.

Animam debet. τὴν ψυχὴν ὀφείλει.

De eo qui immodico ære alieno tenetur vt plus quam omnes facultates, ac denique sit sum debeat.

Er ist niemand nicht dann gut den Leuten.

Item, Er ist Gutes vnd aller Welt schuldig.

Saguntina fames.

Est Saguntum Hispaniarum oppid in iuxta flumen Iberum foederatæ fœdere que cum populo Rom ... ne quod ab ipso P nostro obsideret, famaque eo redactum est ut cives extra transferunt ... quicquid erat pretiosum ... in eum conjecerunt ac postremo se sue suos quæ liberos eo præcipitatos se veniret in hostium manus.

Fames Melia. Λιμὸς Μηλιαῖος

De fame extrema, deque rebus difficillimis.

Famis campus. λιμοῦ πεδίον

In ciuitates dicitur ingenti fame pressas.

λιμοῦ ὁ πεδίς.

Quadrabit in eos, qui fame adacti, aliquo demigrant.

Aquā bibens, nihil boni partas. ὕδωρ δὲ πίνων χρηστὸν οὐδὲν ἂν τέκοις.

Longa et poetarum ingenium, in vino consalescat. Vnde Hor.

Nulla placere diu neque viuere carmina possunt,

Quæ scribuntur aquæ potoribus.

Non est Dithyrambus, si bibat aquam, οὐκ ἔστι Διθύραμβος, ὅταν ὕδωρ πίῃ.

Non adest hilaritas, quum deest vinum.

Quærendæ facultates, deinde virtus. δίζησθαι βιοτήν, ἀρετὴν δ' ὅταν ᾖ βίος.

Quærenda vitta virtus autem, vbi victus adfuerit Horatius.

O ciues, ciues quærenda pecunia primum est.

Virtus post nummos.

Pausone mendicior, Παύσωνος πτωχότερος.

Pauson pictor quispiam fuit insignis tenuitate, quemadmodum apud Iuuenalem Codrus.

Sterilior Agrippa, ἀκαρπότερος Ἀγρίππα.

Quadrat in ignauos, nullius que industria homines.

Trium dierum commeatum.

Trium dierum commeatus cum inibi ære paupertas extrema videatur. Translatio ducta à militum commeatu.

Qui eget in turba versetur, πτωχῷ βέλτιον ἐν κατά πλεῖν ἢ κατ' ἀγρὸν ὁ τὰ πτωχεύειν.

Etiam hodiernis temporibus vulgo iactatur fabula, de toto mendico, quid in- habeat monstro, vt eo se duceret, vbi maxima esset hominum procella addens sententiam populares eo celebrem, ibi quæ tum esse, vbi sit hominum frequentia.

Mendico ne parentes quidem amici sunt. πτωχῷ οὐδ' οἱ γονεῖς φίλοι.

Diuitia conciliant amicos, Paupertas nec illos habet amicos quos natura conjunxit.

Arme leut Kennet niemand.

Item, Arme leut haben wenig freund.

Omnem facultatem induit. ἅπαντα τὰ σαυτοῦ φορεῖς.

De paupere, qui præter vestitum nihil præterea rerum possidet. Notum illud Biantis philosophi dictum:

Omnia mea mecum porto,

Plautus

Hæc quod induta sum, summa opes.

Theagenis pecunia, quemadmodum Æschinis, Θεαγένους χρήματα, τὰ Αἰσχίνου.

Iocus prouerbialis in eos, qui pauperes cum essent, tamen diuites haberi volebant. Aristoph.

Cleomenes cubile superat ὁ Κλεομένους τοῦ κοίτην ὑπερέχει.

De eo, qui magis abundaret rebus superuacaneis, quam necessariis.

Certissima paupertas, *Columella.*

Nam vetus prouerbium est, paupertatem certissimam esse, quum alicuius indigeat, vti eo non posse, quia ignoretur vbi proiectum iaceat, quod desideratur.

Ostiatim.

Iucundius erit, si transferatur ad res animi, vt si quis è singulis libris ac capitibus authorū petat testimonia aut probationes, dicitur ostiatim petere;

Exempla Biblica.

Paupertatis, exēpla Iacob *Gen.* 28.11. & 32.10, Moses, *Exod.* 3.1. Ruth, *Ruth.* 2.2, Cis pater Saulis, 1. *Sam.* 9.11. Dauid, 16.11. & 17.17. Mulier Sareptana, 1. *Reg.* 7.10. Eliseus *v.* 11. Filij Prophetarum, 2. *Reg.* 4.38. & 6.2. Tobias senior, *Tob.* 2.22 & 4.23. Rechabitę, *Ierem.* 35.8.9. Pauperes, 39.10, duo filij Zebedęi, *Matth.* 4. 21. Christus, 8 20 & 21, *v.* 1. 2. & 27.55. *Luc* 9.58, 2. *Cor.* 8.9. Ioseph. cū vxore sua Maria, *Luc.* 2. *v.* 7.12.24. Lazarus, 16. 20. Vidua paupercula, 21.2. Cęcus nat. 5, *Io.* 9 8. Ecclesia Ierosolymitana, *Act.* 2.45 *Ro.* 15.26. Petrus, *Act.* 3.6. Paulus, 1. *Cor* 4 11. *Philip.* 4. 12.

Paupertas pijs ęquo animo ferenda est: 1. Quia cedit illis in bonū, nimirum ad fidei probationem, cœlestis vitę meditationem, seriam resipiscentiam, & ad mundi huius odium & abrenunciationem meditandam. 2. Quia veras diuitias non adimit pijs, repositas in cœlo, vt exemplum Lazari mendici, *Luc.* 16. luculenter docet. 3. Quia illam etiam Christus in terris eiusque serui numero innumero experti sunt. 4. Quia est hominibus omnib. connata. Nullus enim non hominum nudus egressus est ex vtero matris, *Iob.* 1. 21. *Eccles.* 5.15, Inde natum vulgare illud:

Infantem nudum cum te natura crearit,

Paupertatis onus patienter ferre memento.

Prophana Exempla.

Telemachus Acarnensis, ob paupertatem fabis sępenumero victitabat. Hinc Telemachi olla, prouerbio locum fecit.

Telenicus, vsque adeo notę paupertatis fuit vt Seriphij verbum inde finxerant, dicantque τελετᾶσθαι pro euacuare. *P. M. in Adag.*

Connus tibicen pauperrimus, qui nihil habuit pręter oleastrum. Fuit & Lysistratus summę paupertatis homo; adeo vt prouerbio locum fecerit.

Gallias Atheniensis. Diomnestis Eretrici diuitias male partas dilapidauit: vt apud vetulam quandam barbarā viuere cogeretur: vsque quotidiani inopia laborans, mortuus fit. *Athen* l. 12, c. 17.

Michael Paleologus regno potitus, tres tantum aureos domi habuit. *Pachymerius.*

Ladislaus I I. Vngariæ Rex in eas angustias rei familiaris venit: vt interdum mensa, quod appoeneretur, vix haberet, *Ioan. Sambucus in Appendice Bonfini.*

Paupertate Phocion, vt virtute gloriabatur: in qua, licet toties ab Atheniensium fuisset, & regum vlus amicitia, consenuit. *Plut. in Phocione.*

De Romanis aliquot ducibus sic scribit Claudianus in quarto Honorij consulatu

Pauo veras Curius, reges cum vinceret armis:

Pauper Fabritius, Pyrrhicum sperneret aurum;

Sordida Serranus flexit Dictator aratra.

L. Paulus Æmilius adeo inops decessit: vt nisi fundus, quem vnū reliquerat venisset, vxor eius dotē vnde reciperet, nō extitisset. *Plut.*

Democritus Abderites diligens naturę contemplator vsque adeo diuitias contempsit, vt non modo aliunde oblatas non acceperit, sed eas etiam, in quibus natus erat, sponte publicarit. Itaque nihil pręter ingenium possedit, vel quia noluit, vel quia non debuit.

Diogenes

Diogenes ita in omni vita paupertatem coluit, vt aduersus calorem, & frigus dolio contentus fuerit: poculum fregit, rusticum cauis manibus potantem intuitus. Tam felix ab Alexandro iudicatus, vt Diogenem malle se esse dixerit, quam alium quemquam, si no rex & Alexander esset.

Socrates philosophorum omnium luculentissimus, pauper semper fuit, nudis pedibus incedens, sordido palliolo contentus, honores & omnia terrena contemnens.

Cornelia Gracchorum mater, cum Campana quædam matrona apud illam hospita ornamenta sua pulcherrima ostenderet, traxit eã sermone quousque e schola redirent liberi, & hæ, inquit, ornamenta mea sunt.

EMBLEMA.

Paupertatem summis ingenijs obesse, ne prouehantur.

Emblema cxx. Andr. Alciat.

Dextra tenet lapidem manus altera sustinet alas:
Vt me pluma leuat, sic graue mergit onus.
Ingenio poteram superas volitare per arces,
Me nisi paupertas inuida deprimeret.

Vide, Diuitia.

PAX.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

PAx, Græce, *eἰρήνη*, & *eἰρηνεύω* pacifico: & *eἰρηνικὸς* pacificus dicitur. Est autem pax tranquillitas ordinis, maxime in voluntate, *sec. S. Thom. 1.2. q. 70. art. 3. 2. 2. q. 29.*

Pax est tranquilla libertas. Dicitur que a pactione. Pactio autem a pango, quod est figo. Vnde pangi carmina dicta sunt, quod ceris figeretur. Hinc pango metaphoricos pro cano, scribo, manifesto, vlurpatur. Hinc pagina vtraq; pars folij dicta est, quod in ea carmina pangantur hoc est, figatur. A pacto fit paciscor, hoc est, cõuenio. & pactum conuentio. Hinc paco, hoc est mitigo, lenio, placo, & pacifico, quod est pacem facio. A pacilcor fit etiam depaciscor compositum: & depactus quod significat idem quod pactus, Teren. *Iam depacisci mortem cupio.*

LOCI BIBLICI.

Pax Hebræis, *Shalom*, à verbo *Schalem*, inijt pacem cum aliquo, placatus est, pacificatus est: item reddidit cuique quod suum est, pax enim publica ea ratione conseruatur. Cognationem habet cum *Maschal*, dominatus est: nam dominatores & reges debent pacẽ & integritatem iustitiæ conseruare atque implere. Sumitur autem vox ista pro incolumitate, felicitate, omnique prosperitatis genere, & felici rerum omniũ successu, *Gen. 29. 6. & 37. 14. & 41. v. 19. Iof 10. v. 21. Iud. 8. Reg 15. 1. Sam. 10. v. 4. & 25. 5. & 30. 21. 2. Reg. 96. Esa. 26. 3. Ier. 15. 5 & 29 v. 7. 11. Psal. 122. 7. Rom. 1. 7. 1. Cor. 1. 3. 2. Cor. 1. 2. Phil. 1. 2. Ephes. 8. 22.*

Paulus hoc nomine passim in suis precationibus intelligit: *Primo* pacem conscientiam cum Deo: *Secundo*, mutuam piorum inter se dilectionem & concordiam: *Tertio*, protectionem Dei, & omnimo dam benedictionem: pro *εὐχαρίᾳ*, i. ea animi tranquillitate & serenitate, *Rom. 5. 1.* quæ alibi *Phil. 4. 7.* Pax Dei dicitur. Sic capitur, & *Luc. 2. 14. 2. Pet. 3. 14.* pax vera quæ, *Io. 14. 27* pax à Deo, *Num. 6. 26. 2. Paral. 14. 6. Esa. 26. 12 & 45. 7.* per Christũ, *Rom. 5. 1.* Pax in cœlo, *Luc. 19. 38.* in terra, *2. v. 14.* pax Messiæ tempore, *Esa. 2. 4. & 1. 6. & 26. 12. & 66. 12. Mich. 4. 3. Zach. 9. 10.* pax amanda & quærenda, *Psal. 34. 15. Zach. 8. 19. Marc 9. 50. Luc. 10. 5. & 12 58 Rom. 12. 18. & 14. 19. 1. Cor. 7. 15. & 14. 33. 2. Cor 3. 11. Gal. 5. 22. Ephes. 4. 3. Col. 3. 15. 2. Tim. 2. 22. Heb. 12. 14. 1. Pet. 3. 11.* cum Pastoribus gregi maxime colẽda, *1. Thess. 5. 13.* pax in Christo quætẽda: *Io 16. 33.* à Christo nobis relicta, *14. 27.* pax sceleratis & impijs nulla, *Esa. 48. 22. & 57. 21.* pax quibus promissa, *Psal. 119. 165. Esaia 54. 13.* pax vobis, salutatio Hebræorum, *Gen. 43. 23. Iudic. 19. 20. 1. Sam. 25. 6. Ioan. 20. v. 19. 21.* Vade in pace, prosperiter & tranquille, formula qua vtuntur Hebræi erga abeuntes, *1. Sam. 1. 17 Luc. 11. 21. Marc. 5. 34.*

Pax quædam temporalis, quædam æterna, *Gen. 15. v. 6. 8. & 26. 22. & 45. 24. Leu. 26. 6. Num. 6. 27. Eccl. 25. 2. & 28. v. 15. 19. Ier. 29. 7. Matth. 5. 9. Marc. 9. 50. Luc. 14. 32. Act. 9. 31. Rom. 12. 18. 1. Cor. 14. 33. Ephes 4. 3. 2. Tim. 2. v. 22. Heb. 12. 14. Iac. 3. v. 18. 1. Pet. 3. 11. Apoc. 6. 4.* pax interna qualis est inter Deum & eius amicos ac fideles, *Esa 2. 4. & 9. 6. & 11 v. 6. 7. & 66. 12. Ose. 2. v. 14. 20. Mich. 4. 3. Zach. 9. 10. Luc. 2. 4. & 24. 36. Io. 14. 27. & 16. 33. & 10. 10. Act. 10. 36. Rom. 5. 1. Ephes. 2. 14. Phil. 4. 7.* pacem ne cum Moabitis inirent, monentur Israelitæ, *Deut. 23. 6.* pax ciuitati obsessæ offerenda, *20. 10.* pacem & misericordiam promittunt falsi Prophetæ, *Ier. 6. 14. & 8. v 8. 11. & 14. 13. & 23. 16. Ezech. 13. v. 10. 16. Mich. 3. 5. Thess 5. 3.*

Pacem Deus dat *exempla*: Salomon, *1. Reg. 5. 4. & 8. 56.* Dauid, *7. Paral. 22. v. 17. 18.* Asa, *2. Paral. 14. 6.*

Pacifici beati, *Matth. 5. 9.* pacificus Salomon, *1. Paral. 22. 9.*
Pacificorum hostiæ, *Leu. 3. 1 & 7 11.*

SENTENTIÆ BIBLICAE.

In pace in idipsum dormiam & requiescam. *Psal. 4.*

Et sedebit populus meus in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta. *Esa. 2.*

Pax superna erga Deum per Christum nobis prouenit.

Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus beneplacitos. *Luc. 2.*

Nunc autem in Christo Iesu, vos qui longe eratis aliquando, facti estis prope in sanguine Christi. Ipse enim est pax nostra, qui fecit vtraque vnum, *Ephes. 2.*

Et veniens euangelizauit pacem vobis, qui longe fuistis, & pacem his qui prope: quoniam per ipsum accessum habemus ambo in vno Spiritu ad patrem. *ibid.*

Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem diuinitatis inhabitare, & per eum reconciliari omnia in ipso, pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in cælis, siue quæ in terra sunt. *Coloss. 2.*

Verbum misit Deus filijs Israel, annuncians pacem per Iesum Christum, hic est omnium Dominus. *Act. 10.*

Exigit a nobis humilem subiectionem.

Quis restitit ei, & pacem habuit? *Iob. 9.*

In quamcumque domum intraueritis, primum dicite: Pax huic domui, & si quidem fuerit ibi filius pacis, requiescet super illũ pax vestra: sin autem, ad vos reuertetur. *Luc. 10.*

Ingens obeditionem.

Et percutiam illis fœdus pacis. Pactum sempiternum erit eis. Et erit tabernaculum meum in eis, & ero eis Deus, & erunt mihi populus. *Ezech. 37.*

Pactum meum fuit cum eo vitæ & pacis. & dedit ei timorem, & timuit me, & a facie nominis mei pauebat. *Malach. 2.*

Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis, *Luc. 2.*

Liberalem dilectionem.

Ego enim scio cogitationes, quas ego cogito super vos, ait Dominus cogitationes pacis, nõ afflictionis, vt dem vobis fidem & patientiam & inuocabitis me, & vadetis, & orabitis me, & exaudiã vos: quæretis me & inuenietis, cum quæsieritis me in toto corde vestro. *Ier. 29.*

Pacem relinquo vobis, pacem meã do vobis, Non quomodo mundus dat, ego do vobis. *Ioan. 14.*

Hæc locutus sum vobis, vt in me pacem habeatis. *16.*

Acquirit magnam remunerationem.

Acquiesce igitur ei, & habeto pacem, & per hæc habebis fructus optimos. *Iob. 22.*

Et loquetur pacem gentibus. *Zach. 9.*

Et pax Dei quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, & intelligentias vestras, in Christo Iesu, *Phil. 2.*

Et pax Christi exultet in cordibus vestris, in qua & vocati estis in vno corpore. *Coloss. 3.*

Pax interna peccatum excludit.

Non est pax impijs, dicit Dominus. *Esa 48.*

Creaui fructum labiorum pacem, pacem ei qui longe est, & qui prope est, dixit Dominus. & sanaui eum, *57.*

Pax æterna bona vel vera à Deo præstatur.

Et ponam locum populo meo Israel, plantabo eum, & habitabo cum eo, & non turbabitur amplius: & non addent filij iniquitatis vt affligant eum sicut prius. *2. Reg. 7.*

Ædificemus ciuitates istas, eo quod quæsierimus Dominum Deũ patrum nostrorum, & dederit nobis pacem per gyrum. *2. Paral. 14.*

Ipso enim concedente pacem, quis est qui contemnet? *Iob. 34.*

Seruabis pacem, quia in te sperauimus. *Esa. 26.*

Domine dabis pacem nobis. *ibid.*

Ego Dominus & non est alter: formans lucem & creans tenebras, faciens pacem & creans malum. *45.*

Vtinam attendisses mandata mea, facta fuisset sicut flumen pax tua. *48.*

Nam si in via Dei ambulasses, habitasses vtique in pace super terram. *Bar. 9.*

Et faciam eum eis pactum pacis. *Ezech. 34.*

Ipse autem Deus pacis det vobis pacem sempiternam in omni loco. *2. Thess. 3.*

Et exiuit alius equus rufus, & qui sedebat super illum, datum est ei, vt sumeret pacem de terra, & vt inuicem se interficiant, & illatus est ei gladius magnus. *Apoc. 6.*

In bonis confirmatur.

Pax multa diligentibus legem tuam. *Psal. 119.*

Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus. *120.*

Rogate quæ ad pacem sunt Hierusalem. *122.*

Disciplinam in pace conseruate filij, *Eccl. 41.*

Et erit opus iustitiæ pax, & cultus iustitiæ silentium, & securitas vsque in sempiternum, *Esa. 32.*

Fiat

Fiat tantum pax (ait Ezechias rex ad Esaiam) & veritas in diebus meis. 39.

Pacem habete inter vos. *Mar.* 9.

Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. *Rom.* 12.

Itaque quæ pacis sunt sectemur. 14.

In pace autem vocauit nos Deus. 1. *Cor.* 7.

Non enim est Deus dissensionis, sed pacis. 14.

Pacem habete, & Deus pacis, & dilectionis erit vobiscum. 2. *Cor.* 13.

Pacem sequimini cum omnibus, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum. *Hebr.* 12.

Multitudinis autem credentium erat cor vnum, & anima vna. *Act.* 4.

Summe commendatur.

Custodi innocentiam, & vide æquitatem, quoniam sunt reliquiæ homini pacifico. *Psal.* 37.

Et quærite pacem ciuitatis ad quam transmigrare vos feci, & orate pro ea ad Deum, quia in pace illius erit pax vobis. *Ier.* 29.

Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. *Matth.* 5.

Intrantes autem in domum salutate eam, dicentes: Pax huic domui, 10.

Pax ficta malum proximo machinatur.

Ne simul tradas me cum peccatoribus. Qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum, da illis secundum opera eorum. *Psal.* 28.

Sagitta vulnerans lingua eorum, pacem cum amico suo loquitur, & occulte ponit insidias. *Ier.* 9.

Pax praua in malo copulatur.

Quia zelaui super iniquos, pacem peccatorum videns. *Psal.* 73.

A Deo reprobatur.

Nec forte sit inter vos vir aut mulier cuius cor se auertat hodie à Domino Deo nostro. Pax erit mihi, & ambulabo in prauitate cordis mei, & assumat ebria sitientem, & Dominus non ignoscat ei. *Deut.* 29.

Nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram: Non veni pacem mittere, sed gladium. Veni enim separare hominem aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem suam, & nurum aduersus socrum suam, & inimici hominis domestici eius. *Matth.* 10. & *Luc.* 12.

Patrum Sententiae.

Pax est serenitas mentis, tranquillitas animi, simplicitas cordis, vinculum amoris, consortium charitatis. Hæc est, quæ simultates tollit, bella compescit, iras comprimit, superbos calcat, humiles amat, discordes sedat, inimicos concordat, cunctis est placida, nescit extolli, nescit inflari: hanc qui acceperit teneat; qui perdiderit repetat, qui amiserit exquirat: quoniam qui in eadem nō erit inuentus, a patre abdicatur, à filio exheredatur, nihilominus à Spiritu sancto alienus efficitur: nec ad hæreditatē Domini poterit venire, qui testimonium pacis noluerit obseruare. *Aug. de verb. dom.*

Concorda cum aduersario tuo, nescis quando vita finiatur, quum ita finita fuerit, iudex restat, & minister, & carcer. Ac si seruaueris aduersario tuo bonam voluntatem, & cum eo consenseris, pro iudice inuenies patrem: pro ministro sæuo Angelum tollentem te in sinum Abrahæ, pro carcere paradisum. *ibid.*

Tale bonum est bonum pacis: vt in rebus creatis nil gratiosius soleat audiri, nil delectabilius concupisci, & nil melius possideri. Spiritus enim humanus numquam viuificat membra, nisi fuerint vnita: sic Spiritus sanctus numquam viuificat ecclesiæ membra nisi fuerint in pace vnita. *De ciuit. Dei.*

Quisquis vel quod potest corrigi, vel quod non potest corrigere, saluo pacis vinculo excludit: vel quod saluo pacis vinculo excludere non potest, æquitate improbat, firmitate supportat, hic est pacificus. *Contra Parmen lib.* 2.

Duæ sunt amicæ, Iustitia & Pax: tu forte vnam vis, & alteram non facies. Nemo enim est, qui non velit pacem, sed non omnes volunt operari iustitiam. Interroga omnes homines, vis pacē? vno ore respondebit tibi genus humanum; opto, cupio, amo, volo. Ama iustitiam, quia duæ amicæ sunt, Iustitia & Pax, ipsæ se osculantur, si amicam pacis non amaueris, non te amabit ipsa Pax, nec veniet ad te. *in Psal.* 84.

Infelix populus Dei non potest in bono tantam habere concordiam, quantam mali habent in malo. *Hieron. in Psalm.*

Nemo vires suas in Pace cognoscit. Si enim bella desunt, virtutum experimenta non prodeunt. *Greg. in moral.*

Inde nobis cum Deo pax robustior oritur, vnde nobis ab aduersarijs durior pugna generatur. *idem, ibid.*

Si Dei vocantur filij qui pacem faciunt, procul dubio Satanæ sunt filij, qui Pacem confundunt. *in past.*

Quum pro re terrena Pax à corde cum proximo scinditur, liquido apparet, quod res plus quam proximus amatur. *In hom.*

Sicut multum nocet, si vnitas desit bonis, ita valde est noxium si nō desit malis. Si ergo peruersorum nequitia in pace iungitur, profecto eorū malis actibus robur augetur: quia quo sibi in malitia congruunt, eo se robustius bonorum afflictionibus illudūt. *in Past.*

Melior est talis pugna, quæ Deo proximum facit, quā Pax illa, quæ separat a Deo. *Nazian. in Apol.*

Non timeas contra charitatem esse, si vnius scandalum, multorum recompensaueris pace. Melius est enim vt pereat vnus, quam vnitas. *Bern. in ep.*

Pax hominibus bonæ voluntatis. Non bonæ, sed plane iniquæ voluntatis est, qui nequaquam pace contentus, superbo oculo, & insatiabili corde inquietus anhelat ad gloriam mundi, nec pacē perinde retinens, nec gloriam apprehendens. *sup. Cant.*

Intantum humanæ pacis Christus studuit concordiæ, vt vnitatis merito omnia quæ a Deo precanda sunt, impetranda esse confirmet: & vbi duo vel tres pari spiritu & voluntate collecti sunt, ibi se medium eorum pollicetur futurum. *Hilar. sup. Matth.*

Speciosum quidem nomen est pacis. & pulchra est opinio vnitatis: sed quis ambigit eam solam ecclesiæ atque vnitam pacem esse, quæ Christi est. *idem contra Arrianos ad Auxentium Libro.*

Concordia malorum, contraria est bonorum: & sicut optandum est, vt boni pacem habeant adinuicem: ita optandum est, vt mali sint discordes. Impeditur enim iter bonorum, si vnitas non diuiditur malorum. *Isid. l.* 3. *de sum bon.*

Pax quæ de ore prædicatoris profertur, aut requiescit in domo, si in ea fuerit filius pacis: aut ad ipsum prædicatorē reuertitur tanquam fructus. *Raba. in Matth.*

Tunc est vera pax hominis & vera libertas, quando & caro animo iudice regitur, & animus Deo præside gubernatur. *Leo in ser.*

Hæc est vera pax a Dei voluntate non diuidi, & in his, quæ solius Dei sunt, delectari, quando enim sensualitas nulla parte resistit voluntati, & voluntas nulla parte contradicit rationi, tunc est serenitas mentis, & tunc est regnum Dei. *ibid.*

Falsæ pacis tres sunt species. Est. n. pax Æstimata, pax Simulata, pax Imperata. Dum. n. inter sęculares pacem quærimus, dum discordes ad concordiam reuocamus, æstimant sęculares, ꝙ pacem inter nos habeamus: dum in vestimentis ouium foris eximus, & intus quasi lupi rapaces gregem simplicē furtim lacerando dispergimus, pacē simulamus, sed non habemus. dum vero prælati subditis imperāt, & eos disciplinæ legib. non coarctant, solummodo pacem docent, & non tenent: æstimant pacē sęculares, simulant peruersi claustrales, imperant & nō tenēt lepidi pastores. Sic igitur æstimatur à nescientib. & simulatur à non habentib. imperatur a non tenentib. sed verę pacis tres sunt species. s. pax probata, pax confirmata, pax certa. *Hugo de claustro animæ lib* 3. *c.* 9.

Lingua quandoque pacem prędicat, sed sæpius turbat, quum autem habitus, cor & lingua concordant, pacem seruant: vbi vero dissoluta discurrit, pacem soluit. *ibid.*

Pax est concordantium in bono animorum ordinata tranquillitas. *Cass. in Psal.*

Pax vera est concordiam habere cum moribus probis, & litigare cum vitijs. *ibid.*

Quum enim peccatores videntur locupletes, multisque dominari populis, & in mundo non est quod timeant, pacem habere putātur: sed pax illa cum conscientia semper litigat, nititur intrinsecus, & cum hostem non habeat, secum decertat. *ibid.*

Habeaus vnitatē spiritus in vinculo pacis, nec inueniri pōt forma expressior conuersationis angelicę, quam vnitas socialis. *ibid.*

In hoc enim gratia regis extollitur & seruatur, si in æquitate pacis populum dirigat, & in iustitiæ vigore conseruet. Hæc enim est bonarum artium mater decora: hęc mortalium genus reparabili successione multiplicans, facultates protendit, mores extollit, & tantarum rerum ignarus cognoscitur, qui eam minime quęsisse sentitur. *Cass. lib.* 1. *epist.*

Decet regalis apicis curiam, generalitatis custodire concordiam, quæ ad laudem regnantis trahitur, si ab omnibus pax ametur. Quid est enim, quod principem melius prædicet, quam quietus populus, concors senātus, & tota Respublica morum honestate vestita? *idem ep. l.* 11.

Poetarum Dicta.

Bacchylides in Pæanibus.

Τίκτει δέ τε θνατοῖσιν εἰράνα μεγάλα,
Πλοῦτον καὶ μελιγλώσσων ἀοιδᾶν ἄνθεα,
Δαιδαλέων τ' ἐπὶ βωμῶν θεοῖσιν αἴθεσθαι βοῶν
Ξανθᾷ φλογὶ μηρία, τανυτρίχων τε μήλων,
Γυμνασίων τε νέοις αὐλῶν τε καὶ κώμων μέλειν.

Res maximas mortalibus producit pax,
Nempe diuitias suauissimorum cantuum flores,
Hæc efficit, vt in pulchris Deorum aris boum mandentur
Flammis fuluis partes. & lanigerarum pecudum.
Hæc facit, vt gymnasia iuuenes, & tibias & conuiuia curent.

Menand.

Εἰρήνη γεωργὸν κἀν πέτραις τρέφει καλῶς.
Πόλεμος δὲ κἀν πεδίῳ κακῶς.

Pax agricolam vel inter saxeta bene nutrit:
Bellum autem etiam in campis malum est.

Philemon in Pyrrho.

Οἱ φιλόσοφοι ζητοῦσιν, ὡς ἀκήκοα,
Περὶ τοῦτ' αὐτοῖς πολὺς ἀναλίσκεται χρόνος,
Τί ἐστιν ἀγαθόν, κ' οὐδὲ εἷς εὕρηκέ πω
Τί ἐστι· ἀρετὴν καὶ φρόνησιν φασὶ καὶ
Πλέκουσι ταῦτα μᾶλλον ἢ τί τ' ἀγαθόν.
Ἐν ἀγρῷ διατρίβων, τήν τε γῆν σκάπτων ἐγώ
Νῦν εὗρον εἰρήνη 'στιν, ὦ Ζεῦ φίλτατε,
Τῆς ἐπαφροδίτου καὶ φιλανθρώπου θεοῦ
Γάμους, ἑορτάς, συγγενεῖς, παῖδας, φίλους,
Πλοῦτον, ὑγίειαν, σῖτον, οἶνον, ἡδονήν.
Αὕτη δίδωσι ταῦτα πάντ' ἂν ἐκλίπῃ,
Τέθνηκε κοινῇ πᾶσιν ὁ τῶν ζώντων βίος.

Inquirunt (vt audio) philosophi,
Et multum in hoc absumunt temporis:
Quidnam sit bonum, necdum vllus inuenit quid sit,
Alius virtutem, alius prudentiam, inquit, &
Hac etiam intricant magis, quam quid bonum sit.
At rusticus ego, terramq; fodiens,
Nunc bona quæ sint Pacis inueni. o Iuppiter charissime:
Amabilis illius & benignissima Diua
Nuptias, festa, cognatos, liberos, amicos,
Diuitias, sanitatem, amorem, vinum, voluptatem,
Pax confert. Quod si omnia hæc defecerint,
Perijt omnis communiter viuentium vita.

Euripid. tragicus poeta.

Ὅταν γὰρ ἔλθῃ πόλεμος εἰς ψῆφον λεώ,
Οὐδεὶς ἔτ' αὑτοῦ θάνατον ἐκλογίζεται
Τὸ δυστυχὲς δὲ τοῦτ' εἰς ἄλλον ἐκτρέπει.
Εἰ δ' ἦν παρ' ὄμμα θάνατος ἐν ψήφου φορᾷ,
Οὐκ ἄν ποθ' Ἑλλὰς δοριμανὴς ἀπώλλυτο.
Καίτοι δυοῖν γὰρ πάντες ἄνθρωποι λόγοιν
Τὸν κρείττον' ἴσμεν, καὶ τὰ χρηστὰ καὶ κακά,
Ὅσῳ τε πολέμου κρεῖττον εἰρήνη βροτοῖς,
Ἣ πρῶτα μὲν Μούσαισι προσφιλεστάτη,
Νόσοις δ' ἐχθρά, τέρπεται δ' εὐπαιδίᾳ,
Χαίρει δὲ πλούτῳ ταῦτ' ἀφέντες οἱ κακοὶ
Πολέμους ἀναιρούμεσθα καὶ τὸν ἥττονα
Δουλούμεθ' ἄνδρες ἄνδρα καὶ πόλις πόλιν.

Quum de bello suscipiendo suffragia fert populus,
Tum nullus mortem imminere sibi cogitat,
Sed istud infortunium in alium conijcit.
Quod si mors ob oculos esset, dum feruntur suffragia,
Nunquam insano belli amore capta periret Græcia.
Verum enim vero omnes homines duplici sermone proposito,
Meliorem dignoscimus item bona & mala,
Et quantum bello potior sit pax hominibus.
Quæ primum quidem Musis est gratissima,
Aduersa vero luctibus est, sobolisq; dexteritate gaudet:
Ac delectatur opibus: illis nos male relictis
Bella præferimus, & inferiorem
Subijcimus viri virum, & ciuitas ciuitatem.

Aristophanes ἐν ταῖς Νήσοις.

Ὦ μῶρε, ταῦτα πάντ' ἐν τῷδ' ἔνι,
Οἰκεῖν μὲν ἐν ἀγρῷ τοῦτον ἐν τῷ χωρίῳ
Ἀπαλλαγέντα τῶν κατ' ἀγορὰν πραγμάτων,
Κεκτημένον ζευγάριον οἰκεῖον βοοῖν,
Ἔπειτ' ἀκούειν προβατίων βληχωμένων,
Αἰγός τε φωνὴν εἰς λεκάνην ὠθουμένης,
Ὄψον δὲ χρῆσθαι σπινιδίοις τε καὶ κίχλαις,
Καὶ μὴ περιμένειν ἐν ἀγορᾷ ἰχθύδια
Τριταῖα πολυτίμητα, βεβασανισμένα
Ἐπ' ἰχθυοπώλου χειρὶ παρανομωτάτῃ.

O stulte stulte, hæc omnia paci insunt.
Vt ruri aliquis in prædio habitet,
Immunis a forensibus negotijs,
Proprium possidens iugum boum,
Balantes & audias oues,
Capræq; vocem ad mulctram emulgendæ,
Obsonijs autem vtatur conchis & turdis.
Neque expectes in foro venales pisciculos
Triduanos, magni precij caue ne electos
Piscium venditoris iniquissima manu.

Tibull. 1. 10.

Interea pax arua colat, pax candida primum
Duxit araturos sub iuga curua boues.
Pax aluit vites, & succos condidit vuæ,
Funderet vt nato testa paterna merum.
Pace bidens, vomerq; vigent, at tristia duri
Militis in tenebris occupat arma situs,
Rusticus è lucoq; vehit male sobrius ipse
Vxorem plaustro, progeniemque domum.

Ouid. 1. Fast.

Sub iuga bos veniat, sub terras semen aratas:
Pax Cererem nutrix, pacis alumna Ceres.

Sylius 11.

Pax optima rerum,
Quas homini nouisse datum est: pax vna triumphis
Innumeris potior: pax custodire salutem:
Et ciues æquare potens.

Ouid. 1. Fast.

Frondibus Actiacis comptos redimita capillos
Pax ades, & toto mitis in orbe mane.
Dum desunt hostes, desit quoque causa triumphi,
Tu ducibus bello gloria maior eris.

Bapt. Mantuan. de pace.

Pax plenum virtutis opus, pax summa laborum,
Pax belli exacti pretium est, pretiumque pericli:
Sydera pace vigent, consistunt terrea pace.
Nil placidum est sine pace Deo, nec munus ad aram.

Ouid. Art. lib. 3.

Candida pax homines, trux decet ira feras.

Lucret. poeta lib. 5. de rerum nat.

Nec facile est placidam ac pacatam degere vitam,
Quæ violat factis communia fœdera pacis,
Et si non fallit cum diuum genus humanumque,
Perpetuo tamen id fore clam diffidere debet.

Faustus Andrelinus in distichis.

Securus placide mundus sub pace,
Tranquillum est summi pax opus alma Dei.

Pacem hic certam expectandam non esse.

Antholog. Sacr.

O patria: o Diuum tellus sanctissima quisnam
Donet vt æternos te fruar ipse dies?
Lux tua nocte caret: luctu tua pura voluptas:
Pax tua non belli tristia damna timet.
At contra hic cæcis horrescunt cuncta tenebris:
Sæuaque cum mœsto bella dolore vigent.
Nam neque pax cuiquam secum est, dum carne grassatur.
Aut si pax, bello pax ea deterior.

SENTENTIÆ PHILOSOPHICÆ.

Concordia ad amicitiam pertinere videtur: itaque non est idem, quod eadem sententia: quādoquidem in ijs etiam, quorum alter alteri ignotus sit, inesse potest: nec concordes aiunt eos, qui de quauis re idem sentiunt, vt eos, qui de rebus cęlestib. quippe cum idem & vnum de ijs rebus sentire non sit proprium amicitię. Sed ciuitates in concordia esse tum dicuntur, cū de commodis & vtilitatib. vnum idemq; sentiunt & decernunt, quodq; publice placuerit, exequuntur. Ergo in gerendis rebus ijs, quę graues ac magnæ sunt, quæque adesse possunt, vel vtrisque vel omnibus, concordia consistit: velut ciuitates concordes sunt, quum placet omnibus, magistratus diligendos esse, aut ineundam cum Lacedæmonijs societatem, aut Pittacum Imperatorem esse, si etiam ipse velit: at vero quum seipsum vterque, vt fit apud Phęnissas, voluerit deligi, tum seditio nascitur. Non enim vnum idemq; intelligere duos, quale idcumq; sit, vnum & idem sentire est, sed idē in eodem, vt quum populus & optimates, & viros optimos volunt præesse Reipublicæ. Sic.n. omnes quod volunt, consequuntur, cuiumque inter ipsos amicitia, concordia videtur, vt etiam celebratur. Est.n. in commodis & vtilitatibus ijs, quæ omnibus, quæ ad vitæ vsum pertinent, qualis bonis inter bonos cōcordia est: ij enim ijsdem rebus vnum idemque, & ipsi secum, & cum alijs sentiunt, præsertim cum eorum stent sententiæ & voluntates, non more Euripi refluant. Recte etiam & vtilia sibi proponunt, quorum communiter cupiditate ducuntur. At vero improbi vnum atque idem, nisi ad breue & exiguum tēpus, sentire non possunt, sicuti etiam amici esse solent, quum in emolumentis sua augendi cupiditate inflammati sint: ijs enim in rebus, quæ laborem sumptusq; desiderant, ab officio deficiunt. Quæ quoniam sibi quisque exoptat, proximum quemque obseruat & arcet: euertetur enim funditus Respublica, si a nemine cōseruetur, ex quo nascūtur seditiones: dum alteri alteris necessitatem afferunt, ipsi fungi officio nolunt. *Arist. in 9. Ethic.*

Nomen pacis dulce est, & ipsa res salutaris. Pax est tranquilla libertas.

Nam nec priuatos focos, nec publicas leges nec libertatis iura chara habere potest, quem discordia, quem cędes ciuium, quem bellum ciuile delectat: eumq; ex numero hominum eijciendum, ex finibus humanæ naturæ exterminandum puto. Itaque siue Silla, siue Marius, & siue quis alius ciuile bellum optauit, eum detestabilem ciuem Reipubl. natum iudico. Nihil igitur hoc ciue, nihil hoc homine tetrius, si aut ciuis, aut homo habendus est, qui

ciui

ciuile bellum concupiscat. *Cicer. in Philipp.*

Vt circumspiciamus omnia, quæ populo grata sunt, atque iucunda, nihil tam populare, quam pacem, quam concordiam, quam ocium reperiemus. *Cicer. pro lege Agraria, contra Rullum Tribunumplebis. prope finem fere.*

Atqui ad sapientes spectat quandoque bellum soluere, etiamsi non parua intercesserit offensa. Nos vero cum vnanimiter sentiamus, quid mirum, si pacem bello præferamus? quamuis iustius fuisset, nos inuicem armis numquam dimicasse. *Xenophon. lib. 6. rerum Græcarum.*

Nihil perniciosius ciuitati, quam diuisio, vt nihil melius quam vnio. *Plat. de Rep.*

Nosne igitur, omne quod est, tamdiu manere, atque persistere, quamdiu sit vnum, sed interire, atque dissolui pariter, atque vnum esse desierit. *Boet. lib. 4. de philosophica consolat.*

Si pacem diligis, belli ne feceris incitationem. *Seneca libro de moribus.*

Quietissimam vitam agerent homines in terra, si hæc duo verba à natura omnium tollerent, Meum, & Tuum. *Idem de Beneficijs.*

Si pax, quæ alijs bonorum causa est, tantarum rerum, & tanti tumultus nobis causa fuit, quid aliud id esse dixerit, præterquam quod muneribus acceptis, hi rem natura præclaram praue corruperunt. *Ex orat. de falsa legat. Demost.*

Proh Iupiter, estne aliquis recte sapiens, qui ex verbis potius quam rebus pacem agentem, aut bellum gerentem secum æstimet? nemo profecto. *Ex orat. contra Philipp.*

Nemo ita amens est, vt bellum quam pacem præoptet: nam in pace filij patres, in bello patres filios sepeliunt. *Herodot. l. 1.*

Pax magis confirmatur ex bello, at ex ocio non perinde periculo cares ne bello lacessaris. *Thucyd. lib. 1.*

Equidem censeo eam pacem, quæ fit inter cognatos, & amicos esse præstantissimam, & honestissimam, quum omnis ira extincta, & omnibus malis obliuioni mandatis, omnes sibi inuicem sine dolo, vltro citroque, illatas & acceptas iniurias condonant. Minus vero honestam eam esse iudico in qua ipsa quidem populi multitudo criminibus liberatur, sed illi soli qui se mutuis iniurijs affecerunt, coguntur iudicium subire, causam dicere, & iure disceptare. *Dionys. Halic. l. 3.*

Vrbano ocio foris omnia tranquilla sunt, cura pacis concordiæ quoque intestinæ causa est. *Liu. Decad. 1. l. 3.*

Frui pace per intestina arma non licet. *Idem l. 4.*

Quum exercitus Romanus, sub P. Scipione, multis partis victorijs contra Carthaginenses clarus & Africæ formidabilis, de persequenda victoria, & finiendo Punico bello cogitaret, Annibal qui ex Italia ad suos protegendos reuocatus est, quum vim, prudentiam, & felicitatem ducis, & exercitus aduersarij metueret, Scipionem longa oratione ad studium pacis deducere conatus est. Inter multa autem præclara, quæ sequuntur effatus est, Scipionē pugnax, & absolutam victoriam spirantem alloquens: Potest victoriam malle, quam pacem, animus. Noui vobis spiritus magnos magis quam vtiles, & mihi talis aliquando fortuna affulsit. Quod si in secundis rebus bonam quoque mentem darent Dij, non ea solum quæ euenissent, sed etiam ea, quæ euenire possent, reputaremus. Vt omnium obliuiscaris aliorum, satis ego documenti in omnes casus sum, quem modo castris inter Anienem, atque vrbem vestram positis, ac iam prope scandentem mœnia Romana videras, hic cernis duobus fortissimis viris fratribus, clarissimis imperatoribus orbatum, ante mœnia prope obsessæ patriæ, quibus terrui vestram vrbem, ea pro me deprecantem. Maximæ cuique fortunæ minime credendum est. In bonis tuis rebus, nostris dubijs, tibi ampla, ac speciosa danti est pax: nobis petentibus magis necessaria, quam honesta. Melior tutiorque est certa pax, quam sperata victoria: hæc in tua, illa in Deorum manu est. Ne tot annorum felicitatem in vnius horæ dederis discrimen. Cum tuas vires, tum vim fortunæ, martemque belli communem propone animo. Vtrinque ferrum, corpora humana erunt, nusquam minus quam in bello euentus respondet. Non tantum ad id, quod data pace iam habere potes, si prælio vincas, gloriæ adieceris, quantum ademeris, si quid aduersi eueniat. Simul parta ac sperata decora vnius horæ fortuna euertere potest. Omnia in pace iungenda tuæ potestatis sunt P. Corneli. tunc ea habenda fortuna erit, quam Dij dederint. Inter pauca felicitatis virtutisque exempla, M. Atilius quondam in hac eadem terra fuisset, si victor pacem petentibus dedisset patribus nostris, sed non statuendo tandem felicitati modum, nec cohibendo efferentem se fortunam, quanto altius elatus erat, eo fœdius corruit. *Idem, Decad. 3. l. 10.*

Est eius qui dat, non qui petit, conditiones dicere pacis. *Ibid.*

Multum, per quos petita sit, ad fidem tuendæ pacis pertinet. *Ibidem.*

Militares artes sunt per ocium ignotæ, industriosque ac ignauos pax in æquo tenet. *Tacit. Annal. lib. 12.*

Pax & concordia victis vtiles, victoribus tantum pulchræ sunt. *Idem, hist. l. 3.*

Quæ nimio pretio emitur, & vt potentior hostis reddatur, non est pax, sed pactio seruitutis. *Zonar. in Arcad. & Hon.*

Qui imperium vrbium firmum habere studet, ciues clariores alio transferet. Nam vulgus per se nouis rebus non studet. *Zonar. in Basil.*

Longa securitas pacis, homines partim ad delectationem ocij, partim ad ciuilia traducit officia. *Veget. l. 1. c. 28.*

Pax colenda est, vbi Dei iacturam non facimus: rursus bellum gerendum, vbi religio periclitatur. *G. Pachymer. histor. libro quinto.*

Pax non fortuito, sed ratione & oratione conciliatur. *Idem, lib. 6.*

Bonum esse pacem apud omnes homines in confesso est, quibus paulolum rationis extitit: si quis autem ipsam turbare sit inuentus, malorum causa sibi ac proximis fuerit. *Procop. de bell. Pers. libro primo.*

Pacis fœdera soluere, nihil aliud esse quis dixerit quam hominum cultum in ferarum vitam commutare. Nam si diffidentes inter se nunquam conuenirent, infinitum omnino bellum esse: quod si finem non est habiturum, de statu hominum ac naturæ eos, qui in illo occupantur, est decorum dimouere. *Idem lib. 2.*

Pro acquirenda plurimorum salute oportet potius decertare, quam super incertis & inuisibilibus locupletari. Gratius enim est Deo, plures potius saluare quam paucos. Porro damnum in pluribus pati propter medium lucrum, primæ dementiæ est. *P. Diacon. in Michaele.*

Nihil est aut omnino acceptius, aut auribus suauius, quam de pace & beneuolentia verba facere. Irrepit enim, nescio quo modo, sensus nostros, ac vehementer retinet, totosque pene artus permouet. Est enim insitus natura mortalib. pacis & ocij amor: sed aut mala consuetudine, aut nimia cupiditate nonnunquam ex animis nostris elabitur. Quæ postea si quando renouatur, multo sit profecto dulcior atque iucundior necesse est. *B. Facius. hist. libro nono.*

Pax non modo ipsa dulcis est, sed etiam ipsius nomen blandum ac suauerum respsa, sapientes dicere audio, salutaris. Hac enim agri, hac vrbes, hac res priuatæ, hac Respublicæ, hac denique regna constituuntur & conseruantur. Mihi quidem ita semper visum est, si pacem negligerent, hos summam hominum felicitatem haud satis cognoscere. Totius enim felicitatis fructus est pax. Quid enim proderat dispersos homines eloquentia conciliasse, nisi conciliatos pax ipsa in societate & charitate contineret? *Idem, ibidem.*

Pax & ocium finis est qui bella gerentibus proponi solet. *Idem, ibidem.*

Quum suspicionibus liberat, quum periculum non auget, quum quiescendi & suum, tuum minuendorum facultatem adfert, pax expetenda sanctaque est: sed quum omnia parit contraria, sub insidioso pacis nomine bellum latet, & salutaris medicamenti specie pestilens venenum. *Fr. Guicciard. hist. lib. 15.*

Nihil sanctius, nihil magis necessarium, nihil Deo gratius communi inter Christianos principes pace futurum video, sine hac, n. religionem, pietatem, & hominum mores in apertissimam perniciem ruere vel manibus tangi potest. *Idem l. 16.*

Equidem ita existimo fugiendum quidem esse bellum: non tamen ita fugiendum, vt omnia, ne in id incidamus, sustinere perpetiq; velimus. Quid. n. vel æquabilitatem in Republica, vel fiduciam, vel libertatis iucundissimum nomen laudaremus, si nihil omnino esset paci anteponendum? Sed neque Thebanos laudamus, quod tempore Medici belli, vt a communi Græciæ periculo essent immunes, ea per formidinem elegere, de quibus postea periclitati sunt. Neque Pindaro assentimur, qui in poematibus suis ciues hortatur, vt cæteris omnibus postpositis pacem duntaxat & tranquillitatem amplectantur: ac pacem magnifice scrutatus definit esse quietis terminum, & splendidam lucem. Verum cum se persuabiliter dixisse putaret, paulo post repertus est omnium turpissimam ac nocentissimam protulisse sententiam. Pax. n. si iusta & honesta sit, res est certe omnium rerum pulcherrima atq; optima. Nihil tamen est aut faciendum iniuste, aut patiendum turpiter, vt pace frui valeamus. *Polyb. lib. 4.*

Stabilius dissoluuntur magnæ inimicitiæ, cum æquales adhoc pacem faciunt, non quando altera pars se vlta est, & plura obtinens alteram cogit pacis conditiones petere aut accipere: sed cum modeste offert pacem etiam dum potest pugnare, & vincit moderatione atque mansuetudine præter expectationem. Nam altera pars cum agnoscit se non debere pugnare, tanquam vi coactam, sed mutuam gratiam debere, pudore mouetur, vt constantiam præstet in pactorum: ac magis hoc faciunt homines erga maiores aduersarios quam minores, libentius enim cedunt vltro cedentibus: sed contra superbos sustinent pericula etiam præter opinionem. *Thucyd. l. 4.*

Non consentaneum est, vt pax vera existimetur, quando neque redduntur, neque vicissim accipiuntur ea quæ sicut conuenit reddi debebant. *Idem, lib. 5.*

Soluunt pacem, non qui bellum primi mouent, sed qui per insidias fœde-

fœderum tempore arma capiunt. Nam illi qui non est causa belli, retractare licet, æquumque ab iniuria discedere. *Procop. de bell. Persi. lib. 2.*

Neque naturæ neque consuetudinis nostræ est (dictum Alphonsi regis) petentibus pacem negare: idque semper inhumanum atq; impium duxi. Quis enim tam demens est, qui si possit pace frui malit bello contendere? *B. Facius hist. lib. 8.*

Cum ad famam primi Balduini defuncti Euchastius eius reliquus frater, Comes Bononiensis, vt in regnum fratri succederet, iter ingressus Brundusium iam peruenisset, inde in Orientem soluturus: vbi Rhenensem virum fortissimum in defuncti locum suffectum regem accepit, authoribus amicis, vt ite pergeret, illum enim neque viribus neque causa parem futurum: Deus meliorem inquit, mentem mihi det, quam vt regnum cruore meorum Christo redditum, per me, domesticis bellis antequam coalescat euertatur. *P. Æmil. l. 5.*

Pax bello magis confirmatur, otium vero semper belli metum & periculum coniunctum habet. *Thucyd. l. 1.*

Nonne videtis in secundis & aduersis rebus quietem vtiliorē esse, & ad retinendas res secundas, & ad medendas aduersas: nec non in pace dignitatem aliaq; bona esse sine periculo. *idem, l. 4.*

Si Regum atque Imperatorum animi virtus in pace, ita vt in bello, valeret, æqualius atque constantius sese res humanæ haberent, neque aliud alio ferri, neque mutari ac misceri omnia cerneres. *Salust. de coniu. Catil.*

In pace & reb. secundis vniuersæ ciuitates & priuati homines mentem saniorē gerunt. Quia non cogit necessitas quærere vitæ præsidia malis modis. Sed bellum copiam quotidiani victus subtrahens, violentus magister est, & ad præsentes occasiones multorum impetus incitat. *Thucyd. l. 3.*

Quod aliqñ bella inter homines oriantur, rursusq; dissoluantur, omnes nouimus. Nos vero pacis desiderio, si non nunc at aliquādo tenebimur, Cur igitur potius tps illud expectandum, quo vexati belloq; defessi pacem concupiscamus, non iam integri & nulla oppressi clade eam amplectemur? Neque.n.illos laudandos censeo, qui in certaminibus sæplus victoriam ac gloriam retulerūt: & tamen ita certare pergunt, vt non antea desistant quam victi artem relinquant. Neque aleatores, qui vna iactura facta de duplo periclitant, stillorum.n. plerosque cernimus ad extremā redigi inopiam. Quæ & nos considerare decet, nec vnquā eo certaminis descendere, vt aut cuncta capienda, aut cuncta sint nobis amittenda: sed potius, dum & virib. vegeti, & fortuna florentes sumus, inter nos amicitiam contrahamus: eo enim pacto & nos per vos, & vos per nos potentiores, quam sæculis superioribus imperabimus. *Xen. de reb. gest. Gr. l. 6.*

Pacis tractatio prudentib. atque fidis hominib. est committēda. Eos a legatione reuersos audiat Princeps, ac solus: ne si minus iucunda renuncient, pauore ii eas res atque metum inferat multitudini. Sunt.n. omnes cupidi rerum nouarum: & non desunt q quū sint iliariter norint legatos, audent sibi polliceri, fore, vt omnia resciscant. Verum si iudicio sint prædiri illi, cauebunt modis omnibus, ne quid efferāt, quod vel alienationem animis, vel trepidationem excitare possit. Hoc ideo mihi dicendum fuit, quod Principes a suis non raro circumueniri sciam in eiusmodi actionibus, illos præsertim, qui præ fast, & arrogantia quæ fit aliorum sententia non auscultant. Nam qui se demittunt, ac libenter aliorū iudicia cognoscunt, ij minus falluntur. *Ph. Comin. lib. 1.*

Est apud nos quotidiano sermone tritū prouerbium, quo dicitur, splendidissimis etiam epulis existere semper aliquos, qui minus bene tractentur. Idem vsuenit in principum de pace tractationibus, dum alij quod volunt adipiscuntur, alij spe & expectatione decidunt. *idem, lib. 2.*

De spe pacis. DIAL. CV.

Francisci Petrarchæ.

GAVD.

Spero pacem. R. Melius est pacem seruare, quam sperare. Stulti.n. est fastidire res certas, ambiguas spes amplecti. G. Pacē spero. R. Tenuisses eā arctius, nec abire sineres, q sperares. Quid.n. si ad hanc spem impatientia te duxit eā, vt speiando angi eligeres, quā gaudendo vti poteras. G. Pacē spero. R. Spes pacis multos perdidit, speratæq; paci succedent insperata calamitas incautos obruit sopitosq; quos expertos inuenient non læsisset. G. Spero pacē. R. Quid tā diu speras, q mox assequi in tua sitū manu est? Rari sunt qui pacē non inueniant, si bona fide velle cœperint. Sed hi ipsi, quib. dulce nomē pacis, pax amara est. Pacē itaq; petētes, paci obstant. Quatuor vbiscū habitant pacis hostes: Auaritia, Inuidia, Ira, Superbia. Has in æternū exiliū pellite, pax æterna erit. G. Spes pacis haud dubia est. R. Inter spem pacis & pacē multa incidunt; leue verbū, gestus facilis cōpositam sæpe turbauit pacē, ipsi tractatus pacificiq; sermones ferro sæpe frangūtur, animosq; acuit, bellumq; asperat pacis spes. Sic amicitiæ mentionē iritam quæ coierit dixeris odiotū. G. De pace igitur pax erit. R. De pace crebro nequicquā agitur, nōnunq vero periculose de pace agebāt, atq; egerant Gallorū & Pœnorū duces, qui illos Camillus oppressit, hos Scipio. G. Post belli finē pax firmabitur. R. Quātofirmata esset vtilius ante belli principiū, q dānis, ac mortib. tēpestius pace esset occursum. Sed vos pueri contumaces ac dyscoli sine verberib. non sapitis, in pace belliū, in bello pacē quæritis, neq; vnquā nisi bello afflicti pacē vel noscere incipitis, vel amare, eāq; vt perdita fletu, sic mox redditā pari leuitate contēnitis, donec vos item aq. iterum amissa perdoceat bona vestra nō spernete, mala vestra non cupere, deniq; non ineptire, non furere, q antequam assequamini, pudeat. Sæpissime idē vobis audiendum nec audisse fat est: Sæpissime videndū, & experiendum, dicā proprie, vt discatis aliquid, sæpissime vapulandū est. G. Bellum pax sequetur. R. Melius præcessisset bello iter obstructura, nihil insanius q spe remedij vltro vulneri sese offerre: auxiliū non causam dant fomenta vulnerib. ægro salutem optat e natura est, sano ægritudinē spe salutis insania. G. Pax futura est. R. Solet pax vrbib. mutationē rerum afferre pestiferā. Optima quidē ipsa, sed pessimi circūuoluta comitib. iniquis legib. fluxis morib. occultis odijs, aperta tyrannide: Recordare, quid ciuili olim bello præsagus ille dixerit: nec fefellit: *superos quid prodest poscere pacem. Cum domino pax ista venit*. Melior est aūt bellicosa libertas vel fortib. quam pacifica seruitus. G. Pacem habeo. R. Interim bellum habes.

De pace, & inducijs. DIAL. CVI.

GAVD.

Pacem habeo. R. Bonū ingens, si sincerum esset, atque perpetuum, neutrum fane est. Nam neque nouū est, sed cōe, nimisq. cotidianū est, vt sub vmbra pacis bellum lateat, neque pacem, quis putarit, diuturnam finit animorū instabilitas secum assidue non minus q cum hoste pugnantiū. G. Pax quæsita est. R. Sed amissa est cauta & disciplina militaris fida vrbium tutela, quæsita autem lenta segnities, & semper periculosa securitas, quum in multis nempe sit melior bello pax, in hoc vno bellum melius, q cautius atque experientius. Nunquam Romana virtus abijsset, si bellū Carthaginense mansisset. Pax Punica Romanæ vt vrbis excidium fuit, vrbiūsque alijs documentū semper nimium, non semper populis, ac quemperijs optimam pacem esse, id que vir optimus Nasica male non sibi creditum iutabit, & vera locutum docti oēs fatebuntur. G. Pacem habeo. R. Modeste vtere. Bello quolibet funestior pax superba & negligens. Sepe armati inter gladios tuti, mox togam in gladios inciderunt, & fetis votis optauere bellum. Quid humanum morum, atque ipsius humanitatis interitū loquar? Quot iam bello vin optimi pace pessimi euasere? quasi sum armis omnem penitus exui virtutem mox cum toga vitia ola induissent. Sic interior habitus cum exteriore mutatus est. Cuius quidē rei, etsi multa millia hominum io testimonium trahi possunt, tamen abunde sufficerent testes duo, Sylla & Marius, quorum primum (vt de illo scribitur) neque laudare, neque vituperare, quisquam satis digne potest, qui dum quærit victorias, Scipionē se populo Romano, dum exercet sæuitiam, Annibalem repræsentauit. Secundus vero vir fuit, vt de illo itidem scriptum est, cuius si examinentur cum virtutib. vitia, haud facile sit dictu, vtrū bello melior, an pace perniciosior fuerit, adeo quam Rempublic. armatus seruauit, eam primo togatus omni genere fraudis, postremo armis hostiliter euertit. G. Pacem patriæ pactam lætor. R. Quid si pax interdum, q in homine optimum est, extinguit nutritq. q pessimum? Notum est illud Satyrici, qui cum de causa priscæ illius Romanæ virtutis multa dixisset, inter quas est & proximus vt bi Aunibal, ad extremum intulit, *Nunc patimur longa pacis mala, sæuior armis. Luxuria incubuit, victumque vlciscitur orbem.* Et ne, aut (oro te) vlla pax tanti, vt non odiola sit viris egregijs comitante luxuria? Certe altius cogitanti, depositis licet armis, pax videri nequit, vbi bello domestico, vitiorū in fidosissimo, & carēte inducijs, oppugnantur animi, belli mores in exiliū pelluntur. voluptates imperāt, virtus opprimitur. G. Pax firma est. R. Et pacis comites licentia ac libido, & (vt dixi) discrimina nec pauciora, nec minora q belli. Illa.n. corporib. hæc animis pestem ferunt, sæpe etiam corporib. Itaque multis lorica felicior q toga, campusque securior q thalamus, tuba q tibiæ, sol q vmbra. Sunt, quib. nil tutius bello sit, quod Iulium Cæsarem prædicantem de se fuisse militib. audisti. Pacem vero si sine vitijs venitet, & celeste munus, & secundum nulli bonū fateor. Raro aūt sine vitijs venit. G. Sed feci inducias. R. Dedisti hosti spatium ad colligendas vires, quib. fortius te feriet. G. Inducias habeo. R. Cognatæ induciis insidie sunt. Multa per insidias hostiliter fieri vides, plura & facta legis, vt nil aliud belli consilia liquerius agitantur, liberius cō trahuntur auxilia. Quosdam bello inuictos induciæ confecere. G. Sunt mihi cum hostib. induciæ. R. Ignauum tps, nec pace lætū, nec bellis exercitum, sed dubijs inter vtrumque pulsum fluctib. vbi & timor paci obstat, & timor bello, nescio an sit grauius pē dere quam tueri, respirandi tempus optare fatigati est. Miseri autem & insani est nec pacem pati posse, nec bellum.

APO-

Apophthegmata Sacra.

De bono pacis, & discordiarum fontibus, vide Prouerb. 15.17 & 17. 1. & 30. 21. 23. Item Eccles. 6.

Ipse Christus Domini nostri dicta de pace cum Deo, nobiscum & cū proximis, habes *Matt. 5. 9. Io. 14. 27. & 16. 33. Marc. 9. 50.*

Paulus Apostolus. Deus non est dissensionis Deus, sed pacis. *1. Cor. 14. 33.* Pacem habete, & Deus pacis, & dilectionis erit vobiscum, *2. Cor. 13. 11.* Pacem sequimini cum omnibus, sine qua Deum nemo videbit. *Hebr. 12. 14.*

Petrus Apostolus. Qui diligit vitam, & vult videre dies bonos, declinet à malo, & faciat bonum, inquirat pacem, & persequatur eā, *1. Petr. 3. 11. ex Psal. 34. 14. et Zacharia, cap. 8. 19. vbi nos iubet veritatem, & pacem diligere.*

Ioannis Apostoli epistola prima catholica tota fere in eo est, vt charitatem, & pacem Christi membris commendet, & persuadeat.

Gregor. Nazianzenus, episcopos sui temporis ad pacem. & concordiā hortatus, subijciebat: Si vobis vllo modo dissidij causa sum, Ionam Prophetam integritate vitæ non supero. Proijcite meiu mare, & tumultum tempestate agitari desinens. Quicquid vobis visum fuerit, tametsi a culpa immunis, libenter perpetiar: siquidem hac ratione concordia vestra repræsentari, ac resarciri possit. Throno exturbate, vrbe eijcite. Tantum veritatem, & pacem, vt cum Zacharia loquar, amate. Valete sacri pastores, meorumque laborum memoriam perpetuam conseruate. His dictis è Concilio Constantinopolitano excessit, in Cappadociam (vbi diem extremum clausit) perrecturus. *Gregor. presbyter in vita Greg. Nazianzeni.*

Cyrillus. Ego tum demum, inquit, obtinere debere nos, & nomen & rem ipsam pacis censeo, cum sanctorum sententijs non aduersamur, neque illorum decretis repugnamus, *Niceph. hist. eccl. lib. 14. cap. 27.*

Ioannes Imp. Ego, inquit, contentionem odio prosequor: eos qui pacem colunt, & quærunt complector amore, veneror que. *Socrat. eccl. hist. lib. 3. c. 21.*

Bernardus Clar. Abbas. Aegrotans ad mortem suis inter multa dicebat: Tria vobis imitanda commendo, quæ in stadio quo cucurri me pro possibilitate mea memini obseruasse. 1. Minus sensui meo quam alterius credidi. 2. Læsus de lædente vindictam non expetiui. 3. Neminem scandalum facere volui: & si quando incidit, sedaui, vt potui. Quidam disticho hæc exprimere voluisse videtur nempe.

Nullum turbaui, discordes pacificaui,
Læsus sustinui, me mihi complacui.

Apophthegmata.

Crœsus à Cyro captus, hoc argumento pacem bello prætulit, quod pacis tempore filij sepelirent patres, in bello contra patres sepelirent liberos. *P. M. l. 6. apoph.*

Epaminondas. Menecliden inuidens Epaminondæ gloriæ suasit populo, vt pacem haberent bello potiorem. Cui Epaminondas: Fallis, inquit, ciues tuos, qui otij nomine eos ad seruitutem vocas. Pax enim bello paratur: nec eam tueri licet, nisi ciues sint ad bellum instructi. *Plu.*

Pomponius Atticus in funere matris, quam extulit nonagenariam, ipse natus annos sexaginta septem, gloriatus est, quod numquam cum matre in gratiam rediisset, numquam cum sorore fuisset in simultate, quam prope æqualem habuit. Hanc vocem se ab ipso audisse scripsit Cornelius Nepos. Plus autem est: non redisse in gratiam, quam non fuisse in simultate. Matrem numquam offenderat: inter ipsum & sororem, etiam si quid incidit offensarum, numquam exierunt in simultatem: quæ tamen inter fratres, & sorores frequenter acerrimæ solent existere. *P. M. l. 6. apoph.*

Probus Imper. dixisse fertur; breui milites necessarios nō habebimus. Sperabat tantam pacem, vt nihil opus esset exercitu. Hanc mentem vtinam Deus immittat omnibus nostri sæculi principibus. *Flauius Vopiscus.*

Philo. De pace, huius scite dicta sunt hæc: Pax vel cum magno damno coniuncta vtilior bello. Ex recta præfectorum administratione: Maximum bonum est, & diuinum: quod nullus mortalium præstare potest. *Ant. serm. de Charitate, & Pace.*

Antoninus Pius adamabat illam Scipionis celebratissimam sententiā, subinde dicens: Se malle vnum seruare ciuem quam mille hostes occidere: Pacem videlicet bello præferens: & in ipso bello sentieos hanc oportere primam esse ducis curam, vt quam minima ciuium iactura pareretur victoria. *Iulius Capitolinus.*

Otho Imperator, quum videret, aut deponendum imperium, aut magna ciuium strage tuendum, statuerat sponte mori, & amicis, ac militibus hortantibus, ne tam cito de belli euentu desperaret: negauit sibi suam vitam esse tanti, vt hac de causa bellum ciuile nasceretur. Quis non miretur hunc animum in principe ethnico, eoque triginta tres annos nato? *P. M. l. 6. apoph.*

Alphonsus, Ludouico Podio (quo propter eius singularem diligentiam, ac fidem, perpetuo fere oratore in Italia vsus est) renunciante, pro pace, quam Veneti & Florentinis daturus esse plus quam ducenta millia aureorum extorqueri posse, respondit: Pacem dare se, non vendere solitum esse. *Pan. l. 3. de reb. gest. Alphonsi.*

Idem quum esset Valentiæ, appulerintq. eo loci Caroli Francorum regis legati, magnopere eum rogantes, ne per id tempus, quo rex eorum bello Britannico implicitus esset, contra se bellū aliquod suscitaret (quam maxime enim verebatur Carolus, ne Alphonsus captato tempore & occasione, eum armis lacesseret, propterea quod ius aut titulum prætenderet in eam partem Galliæ Narbonensis, quam nostræ sua lingua Occitanam vocant) respondit rex Etsi certe scio, plures Narbonensis Galliæ ciuitates ad Aragoniæ regnum pertinere, quas Carolus rex iampridem occupatas detineat: nihilominus tamen hoc tempore, quo illum intelligo bello superatum, & a Britannis prostratum esse, nequaquā me arma contra profligatum regem sumpturum esse vobis affirmo: neque eo animo esse, vt quod maiores mei in Caroli prosperitate non petierunt, ego in eius reperam calamitate. *Ant. Pan. de reb. gest. Alphonsi, & Æneas Siluius de eius dictis.*

Similitudines.

Gregorij Nisseni. Quemadmodum bona valetudine reuersa morbus euanescit, & lumine apparente non relinquuntur tenebræ: Sic & pace præsente & se prodente omnes aduersarij perturbationes dissoluuntur. *Apud Anton.*

Seneca. Quemadmodum Neptuno plus debere se iudicat ex his, qui eadem tranquillitate vsi fuer, qui plura & pretiosiora illo mari vexit: animosius a mercatore quam a vectore soluitur votum: & ex ipsis mercatoribus effusius gratus est, qui odores & purpuras, & auro pensanda portabat, quam qui vilissima quæq. & saburræ loco futura congesserat: Sic huius pacis beneficium ad omnes pertinens, altius ad eos peruenit, qui illa bene vtuntur. *Lib. 1. epist. 74.*

P. M. Quædam remedia tristiora sunt ipso morbo, vt satius sit oportere mortem, quam his aucupari salutem: velut fugere sanguinē è vulnere recenti gladiatorum morientium: Ita quandoque satius est ferre iniuriam, quam maiore incommodo vlcisci: ferre pacem, etiamsi parum commodam aut æquam, quam bellum cum immensis malis suscipere. *In simil.*

Exempla biblica.

Pacis fœdere initæ *exempla:* Isaac & Abimelech, *Gen. 26. 25.* Iosuæ & Gabaonitæ, *Ios. 9. 15.* Israelitæ, 22. 30. Azor, & Haber, *Iudic. 4. 17.* Israel & Amorrhæus. *1. Sam. 7. 14.* Syri & Israelitæ, *Sam. 2. 10. v. 10.* Salomon & Hiram, *1. Reg. 4. 24. & 5. 12.* Iosaphat & Rex Israel, 22. 45. 2, *Paral.* 20. 30. Bethusura cum Antiocho, &c. *1. Mach. 6. 49. 58. 61. &c.* Simon dux, 11. *v.* 50. & 14. 11. Pacis redemptæ *exempla:* Asa. *1. Reg. 15. v. 16. 17. 18. &c.* Ioas Rex Iuda. *2. Reg. 12. 18.* pacis fructus, *2. Cor. 13. v. 11. Vide Concordia.* Pacis a Deo datæ *Exempla. Salomon, 1. Reg. 5. 3. & 8. 56.* Dauid, *1. Chron. 22. 17. 18. Asa, 2. Chron. 14. 6.*

Pacta sunt seruanda, *exempla:* Iosuah, *Ios. 6. 25.* Dauid. *1. Sam. 24. 22. 23. 1. Reg. 2. 8.* Micheas, *2. Paral. 18. 13.*

Exempla Historica.

Scylurus Scytha, octoginta liberos masculos habens, quum esset moriturus, fasciculum iaculorum singulis porrexit, iussitq; rumpere. Id cum recusassent, eo quod viderent impossibile, ipse singula iacula exemit, atque ita facile confregit omnia. filios admonēs his verbis: Si concordes eritis, validi inuictiq; manebitis: contra, si dissidijs & seditione distrahemini, imbecilles eritis, & expugnatu faciles. Non potuit Scytha magis scite rem ob oculos ponere. *P. M lib. 5. apoph.*

Leo Byzantinus, auditor Platonis, sophista nobilis, Philippo Macedonum Regi contra Byzantium venienti occurrēs: Dic age, inquit, Philippe, quæ te causa trahit oppugnatum mœnia nostra? At ille, Amor, inquit, patriæ tuæ, qua vt potiar, veni. Leo excipiens, Atqui, respondit, non instrumento bellico, sed musico amantib. est opus: Quo dicto ducem a bello Byzantino auertit.

Quum *Demosthenes* multa super bello ad Atheniēses. Leo vero pauca apud Philippum verba fecisset. Post hæc cum Athenas legatus missus esset, agitatamq. videret inter eos longa contentione seditionem, in concionem ascendens risum populo excitauit, obesus admodum ventricosusq. apparens. At ille nihilo magis perturbatus: Quid ridetis, inquit, Athenienses. quod vobis videor pinguis? Scitote mihi vxorem longe pinguissimam esse, talesque ac tantos, cum sumus concordes, breuis admodum lectus capit: discordes ne tota quidem domus. Quod sane verbum tempestiue loco accommodatum populum restituit paci. *Philostratus hæc, quæ inde Volaterranus se vertisse refert lib. 16. anthropologia.*

Hieroglyphicum.

In Æthiopia tantam aiunt Anguium vim conuenire, conuoluique in gyrum inuicem, vt montis speciem procul aspicientibus reddant:

dant: cuiusmodi quidem complexus Anguium, & frugifera eorũ concordia causa, vt Plinius inquit, videtur esse quare exteræ gentes *Caduceum in Pacis argumentum circumdata effigie anguium* fecerint: neque n. cristatos esse in caduceo mos est. *Pier. Val. lib. 15.*

Emblemata.

Ex bello pax.
Andreæ Alciati. Emblema CLXXVII.

En galea, intrepidus quam miles gesserat, & quæ
Sæpius hostili sparsa cruore fuit:
Parta pace apibus tenuis concessit in vsum
Alueoli atque fauos, grataque mella gerit.
Arma procul iaceant, fas sit tunc sumere bellum,
Quando aliter pacis non potes arte frui.

Pax.
Emblema CLXXVI.

Turrigeris humeris, dentis quoque barrus eburni,
Qui superare ferox Martia bella solet:
Supposuit nunc colla iugo, stimulisq; subactus,
Cæsareos currus ad pia templa vehit.
Vel fera cognoscit concordes vndiq; gentes,
Proiectisq; armis munia pacis obit.

Ex pace vbertas.
Emblema CLXXVIII.

Grandibus ex spicis tenues contexta corollas,
Quas circum alterno palmite vitis eat.
His compta Alcyones tranquillo in marmoris vnda
Nidificant, pullos inuolucresque fouent.
Latus erit Cereri, Baccho quoque fertilis annus,
Æquorei si pax alitis instar erit.

Fabula.

Vulpes & Anguis.

Famelica vulpes, cibum quærens sibi, discurrebat per siluas & campos, ac forte calcauit anguem, a quo icta cum esset, magno dolore & indignatione concitata, morsu illum sauciat, atque ita læsi ambo, tum quidem discedunt, medicinam quæsituri vulneribus suis. Post annos aliquot obuiam factus anguis vulpi, animo memori & cupido vindictæ, callide vulpem verbis aggreditur, & quantam, inquit, tristitiam cepi de dissidio nostro, neque quicquã ex illo tempore, quo simultas inter nos extitit, maiori mihi curæ fuit, quam vt gratia nostra reconciliaretur, ac post illa, te quidẽ nunc video primum. Quare si videtur, obliuiscamur priorum, & amicitiam recolamus, interque nos amanter complectamur, qui pridem hostiliter appetijmus. Quid enim magis omnibus mortalibus, cuiuscunque generis ac conditionis, expetendum, quam pax & cõcordia? Quæ alia res melior, vtilior, iucundior esse possit? Hæc omnia & conseruat, præstatq; incolumia ac salua, & auget atque bonis multiplicibus complet. Hæc vere illa est, quæ opes, diuitias, vitam denique ipsam, & parat, & nutrit atque educat. Et quid multis opus? Nullum est bonum in terris pacis bono præstantius, neque optabilius. Atque hæc locutus ad osculum se ingere anguis & vulpi oculis adblandiri. Illa vero angui non credidit, quem sciret natura esse implacabilem, & cum sæuum tum etiam malitiosum. Itaque tum auersata: Sic, vt loquere est, inquit. Sed vt pace vera nihil melius, ita ficta deterrima res est rerum omnium. Hoc enim venenum quadam dulcedine opinionis pacificæ conditum: & non vitatur, & haustum subito necat. Neque vllæ possunt inimicitiæ & bellum tam nocere, quam simulata beneuolentia & pax. Hæc publicas & priuatas res, hæc salutem, dignitatem, vitam, fortunas euertit ac pessundat, nihil metuentium & securorum. Nã inimico & hosti ne uo credit, adeoque ab his non fallitur, neque decipitur quisquam. Sed illa fucata verba, & species honestissima bonitatis, ea in fraudem imperitiores impellunt, ea simplices inducunt in errorem atque miseriam. Ac tibi quidem laudatori pacis tantum esse responsum volo. Ad recõciliationem autem gratiæ & amicitiæ nostræ quod attinet, ita habeto, neque me postea, quæ accidere memini, tibi vnquam ex animo crediturum esse, neque arbitrari, te mihi vt fidem habeas, facere posse.

Fabula monet, incertam, & dubiam esse voluntatem horum, inter quos magnæ inimicitiæ & graues simultates intercesserint, maxime si vnus etiam ab altero læsus, & damnis affectus fuerit.

Vide, Amicitia, Concordia.

PECCATVM.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Peccatum, Græce *ἁμαρτία, ας, ἡ*, vel *ἁμάρτημα, τος, τό*, & *ἁμαρτωλὸς ὁ ἡ*, peccator & peccatrix: & *ἁμαρτάνω* pecco dicitur. Est autẽ peccare, voluntate auerti à Deo. *secund. B. Thom. 1. part. q. 24. art. 1.*

Peccator proprie est, qui ex habitu peccat, vel ex proposito. *secun. B. Thom. sup. Psal. 57. col. 3.*

Peccatum est actus deuians ab ordine debiti finis, contra regulam naturæ, rationis, vel legis æternæ, *secund. B. Thom. 1. par. q. 63. art. 1. & 2. 2. q. 163. art. 1. & 1. 2. q. 21. art. 1.*

Peccatum nihil aliud est, secundum Augustinum, quam neglectis rebus æternis temporalia sectari. *ex B. Thom. 1. 2. q. 71. art. 6. & 2. 2. q. 104. art. 3.*

Peccatum est dictum, vel factum, vel concupitum contra legẽ æternam. *secund. Aug. ex B. Thom. 1. 2. q. 71. art. 6. & q. 76. art. 1.*

Peccatum est præuaricatio legis diuinæ, & cœlestium inobedientia præceptorum, *secundum Ambros. ex B. Thom. 1. 2. quæstio. 109. articulo 4.*

Peccatum est omne, quod est contra naturalem inclinationem, quia contrariatur legi naturæ. *ex B. Thom. 2. 2. quæstio. 133. articulo primo.*

Peccatum est voluntas retinendi, vel consequendi, quod iustitia vetat *secund. August. de duabus animabus. ex B. Thom. 1. 2. quæstio. 71. art. 6.*

Peccatum est auersio ab incommutabili bono, & conuersio indebita ad commutabile bonum. *secundum Augustinum, libr. de liber. arbit.*

Peccatum est affectio mala voluntaria. *idem.*

Peccatum originale est habitus, scilicet languor naturæ, id est, inordinata dispositio, ex dissolutione harmoniæ originalis iustitiæ, *secundum Beatum Thom. prima secunda, quæstione 87. articulo tertio.*

Peccatum veniale est quasi dispositio ad mortale, & contingit semper, vel propter imperfectionem actus, vel propter inordinationem circa ea, quæ sunt ad finem, & vtrumque propter defectum ordinis contingit. *ex B. Thom. prima secunda, quæstio. 88. art. 1. & 2.*

Peccatum Hebr. *Chet, Chete, Chataa, Chataah*: Peccator, *Chatta*, peccatores: *Chattaim*: Peccata, *Chata*, *Chatteh* a verbo *Cataa*, & *Catah*, peccauit, defecit a via recta, deflexit, aberrauit a recta semita. Cognationem habet cum *Natah*, declinauit, & cum nomine *Chut*, filum: significat enim filum non sequi, sed aberrare. Hinc [illegible] errorem, nocumentum, culpa, noxa, Ch. pronunciatur vt K.

Peccatum est malum quod legi Dei repugnat, a voluntate creaturæ rationalis ortum. Vocatur etiam malum delicti, item malũ morale, bono morali contrarium. Formalis ratio peccati est *ἀνομία* i. aberratio a lege diuina. Non est mera priuatio, sed etiam mala qualitas animæ inhærens contraria bonæ qualitati conformi cum lege Dei. Vnde vitia virtutibus non opponũtur tantum priuatiue, sed contrariæ qualitates sunt.

Causa efficiens peccati neque Deus est vllo modo, neque Natura: nã causæ bonæ per se bonus est effectus. Nemo bonus, nisi Deus: & nihil bonum, nisi a Deo summe bono, quid natura melius secundum Deum? Causa illa efficiens peccati est diabolus, aut homo. *Peccatum diaboli* est, in quod diabolus incidit a se & per se, motus interno motu suo. Estque duplex, nempe lapsus eius, & malitia lapsum sequuta.

Lapsus diaboli est eius à Deo defectio, dum in veritate non perstitit, sed propriam stationem in cœlis ad ministerium adsignatam reliquit. *Io. 8. 44. Iud. v. 6.* Malitia lapsum aperte sequuta est, quia in perpetuum hostis Dei factus, & odio irreconciliabili in Deum inflammatus, tum multos admodum angelos sibi adiunxit, & ad rebellandum contra filium Dei induxit: vnde & ipsi peccauerunt, & non conseruarunt suum originem, sed domicilium suum reliquerunt. *2. Pet. 2. 4. Iud. v. 6.*

Deinde hominem mendacijs suis seduxit, vt a filio Dei vita sua deficeret, & in mortem æternam se præcipitaret, *Gen. 3. c. Io. 8. 44. 2. Cor. 11. 3.* atque inde a lapsu suo nihil aliud cogitat, desiderat, loquitur, conatur, & agit, adiutus a malis angelis, qui cum ipso defecerunt, quam quod Deo displicet, decipiens homines, *3. Reg. 22. 22. 23.* Impellens eos ad peccandum, *1. Sam. 18. 9. 10. & 2. Samuel. 24. 1.* Sæuiens in eos crudeliter, *Iob. 1. & 2. c. Matth. 8. 28. & 9. 32. &c.* Cupiens secum totum genus humanum in perditionem æternam trahere, *1. Io. 3. versicul. 8. 9. 1. Pet. 5. 8. Ephes. 6. 12.*

Peccatum hominum est, in quod homines inciderunt, proprio motu voluntatis suæ, promerens & afferens mortem æternam, nisi fiet remissio propter Christum Seruatorem & mediatorem. *Ezech. 18. 20. & 23.* Peccatum *Adami & Euæ*, primorum nostrorum parentum, duplex est: naturale & personale. Naturale, quod totius humanæ naturæ, & ideo omnium hominum commune est. Primum persona infecit naturam, sed post natura infecit personam. Peccatum Adami naturæ ipsius peccatum fuit, cæterorum peccata personalia sunt: ideo illius cum natura transfusum est, non aliorum.

Peccatum illud naturale est tum lapsus, tum corruptio lapsum sequuta, lapsus primorum parentum est, inobedientia & defectio à Deo, qua se suosque posteros in mortem sempiternam præcipitarunt

pitarunt

piarum. *Gen.* 3. 2. & 3. c. *Ro.* 19. *d.* Inobedientia autem hæc Adami non fuit solummodo illa externa comestio vetiti fructus, sed transgressio seu violatio legis, vt dicitur. 1. *Tim.* 2. 14. in qua multa horrenda peccata interna concurrerunt: nimirum, infidelitas seu incredulitas, idololatria, superbia, contemptus Dei, prophanatio diuini nominis, homicidium, auaritia, furtum, & concupiscentia praua.

Suasionem & impulsum diaboli sequuti sunt primi parentes nostri, sed inclinante eo proprio arbitrio quo præditi erant, & quidem libero, quod cogi non poterat, proprioque motu voluntatis ipsorum. Adam quidem a serpente seductus non fuit: sed mulier seducta virum deinde seduxit, & causa fuit transgressionis, 1. *Tim.* 2. 14. Libertas in Adamo & Eua fuit sine vlla necessitate ipsam impellente. Itaque factum est, vt obiecta specie boni, videlicet diuinitatis consequendæ, laberentur ac peccarent, mente obiectum illud approbante, & voluntate ad idem obiectum amplectendum sese inclinante. De contingentia & necessitate huius lapsus disputationes Scholasticis doctoribus relinquimus.

Corruptio lapsum sequuta est obscuratio imaginis Dei, per quam desiit in mente vera & integra Dei cognitio, in voluntate libertas arbitrij ad bonum, in corde vera dilectio & timor Dei ac studium obediendi Deo. Successit in mente ignorantia & dubitatio, in voluntate contumacia aduersus Deum; in corde praua inclinatio, perpetua perturbatio, cura & anxietas. Hęc corruptio lapsum sequuta est originalis iniquitas quam Adamus ex actu transgressionis contraxit atque ad posteros transmisit; est et effectus actualis illius primi peccati quod Adam commisit. Personale peccatum Adami & Euæ, est vtriusque vero personę proprium, qualia fuerunt post lapsum omnia ipsorum cætera peccata actualia.

Posterorum peccatum, est in quod omnes posteri Adami & Euæ naturaliter ex ijs descendentes inciderunt. Estque duplex, Originale & Actuale. Peccatum *Originale*, est peccatum quod in omnes homines secundum naturalem modum generatione carnali ex Adamo per Adamum propagatos deriuatur. Nominatur absolute peccatum, *Rom.* 7. 8. quia est scaturigo & fons peccatorum aliorum: item peccatum peccans, *Rom.* 7. 13. maiuum adiacens, *Rom.* 7. 17. peccatum inhabitans, *Rom.* 7. 20. peccatum vndique circumstans. *Heb.* 12. 1. & originale dicitur termino διακριτικῷ, vt eo tanquam differentia specifica discernatur à peccato actuali.

Plura hic persequenda essent de originali peccato, quo sensu fons & origo sit omnium peccatorum aliorum, quomodo ab Adamo in nos deriuatum sit, qui natura filii iræ nominamur & contumaciæ, *Ephes.* 2. 3. *Coloss.* 3. 6. quomodo deponatur: quæ sunt eius partes, in quibus consideretur. Hæc omnia ne prolixiores simus, vt responsiones ad hostium gratiæ Dei obiecta, tractatum item de peccati originalis effectis Theologiæ studiosis capienda relinquimus, vt quædam de peccato actuali, quod originalis est effectum postremum lectori expendenda nunc efferantur.

Peccatum *Actuale* est quod nos ipsi committimus: seu, est transgressio legis siue naturalis, id est, naturæ nostræ & natura notæ, siue verbo reuelatæ, à nobis ipsis actu facta, *Rom.* 5. 15. 14. 15. Actuale dicitur, quod fit in actione cui tunc adhæret defectus bonitatis moralis & prauitas, atque ille defectus cum prauitate est proprie peccatum, quod est ab homine non à Deo.

Diuisiones peccati Actualis plures sunt. 1. est proprium, vel alienum. *Proprium*, quod nos ipsi committimus, *Alienum* quod alius committit, sed non sine nobis aut probantibus, aut consulentibus, aut iuuantibus, aut conniuentibus & non impedientibus, ac proinde etiam nobis imputatur. 1. *Tim.* 5. c. 22. *vers.*

2. Per se, vel per accidens: peccata *per se* sunt omnia illa quæ lege diuina prohibentur. *Per accidens* sunt, aut actiones non renatorum, quæ præceptæ quidem sunt a Deo: sed tamen Deo displicent, quia non fiunt ex fide, nec fiunt ad hunc finem, vt Deus gloria afficiatur, & propter defectus ac vitia impuris coherentia: aut actiones adiaphoræ, quæ fiunt cum scandalo, aut alioqui non ex fide, ad gloriam Dei.

3. Affectatum vel Inaffectatum. *Affectatum*, quod libera voluntate commissum est, siue ex mera malitia & contumacia, siue alioqui consentiente voluntate: cuiusmodi peccatum est volūtarium homicidium, adulterium in ciuitate perpetratum, peccatū clamans, *Inaffectatum*, quum vel per coactionem irresistibilem, vel ex incogitantia aut infirmitate factum est malum, vel per negligentiam bonum non factum.

4. Contra conscientiam, aut ignorantiæ. Peccatum *Contra conscientiam*, est quum quis sciens Dei voluntatem contra eam facit. *Ignorantia*, quando quid bene fieri potest, quod male fit: quale fuit peccatum multorum qui Christum crucifixerunt, & Stephanum lapidarunt: eorum item de quibus loquitur Christus. *Ioan.* 16. 2. & Pauli apostoli ante conuersionem, vt ipsemet, 1. *Timoth.* 1. 13. testatur.

5. Internum, vel externum. *Internum*, est mentis, voluntatis & affectuum, videlicet quæuis cogitatio mala, dubitatio de Deo, de voluntate eius, incredulitas, contemptus diuinæ veritatis, &c. *Externum* est cuiusuis dicti, vel facti, vel gestus defectus vel prauitas, repugnans legi & voluntati Dei. Peccatum illud est *occultum*, vel *manifestum*, quod spectatum dicitur scandalum. De scandalo autem titulus suo loco repositus est.

6. Spirituale, vel carnale, *Spirituale*, quo proprie inficitur spiritus, vt hæresis, atheismus, desperatio, &c. *Carnale*, quo corpus etiam contaminatur, aut corpore etiam perficitur, vt ebrietas, scortatio, adulterium, &c.

7. Peccatum actuale vel *extra corpus* est, vel in corpus proprium committitur. De hoc prolixe Apostolus, 1. *Cor.* 6. 18. grauiter disserit.

8. Commissionis vel omissionis. *Commissionis*, quando malum a Deo prohibitum perpetratur. *Omissionis*, quando bonum a Deo mandatum non perficitur. Peccatum nullum actuale sine omissione est: sine commissione existunt multa.

9. Ex adiunctis peccatum actuale *Grauius* est, vel *Leuius*. Nec enim omnia peccata sunt paria, sed alia aliis grauiora: ideo etiam alia aliis grauius puniuntur. *Matth.* 11. *vers.* 21. &c. grauius autem vel leuius peccatum censetur, vel a causa efficiente a qua committitur, vel a modo, vel ab effectis, vel a loco, vel ab obiecto, vel a tempore, quo committitur, vel a gradibus & aliis circumstantiis.

10. Peccatum regnans & non regnans. *Regnans* est, cui homo non repugnat per gratiam Spiritus sancti, sed obedit peccato in cupiditatibus corporis, & peccati velut artem factitat, ideoque fit obnoxius morti æternæ, nisi resipiscat, & veniam per Christum consequatur. *Roman.* 6. 12. Peccatum *non regnans* est cui homo renatus reluctatur per gratiam Spiritus sancti regeneratus etiam ad vitam æternam, nec fertur ad illud perpetrandum toto impetu, ideoque non reddit eum obnoxium morti æternæ, quia resipiscit, & veniam per Christum consequitur.

11. Superior distinctio quid de peccato veniali & mortali sentiendum sit demonstrat. *Veniale* quoduis peccatum est, quod per & propter seruatoris nostri satisfactionem & obedientiam numeris omnibus absolutam remittitur coram Deo, *Mortale* autem, quoduis peccatum non remissum: vt propheta, *Psalm.* 32. testatur. Quid sit autem remissio peccatorum, à quo, quomodo, quando, vbi, per & propter quem impetretur, docent Theologi.

12. Peccatum mortuum vel viuens. *Mortuum* quod in nobis quidem est, sed non cognoscimus esse, aut non agnoscimus pro peccato, nequitia furit, vt solet post legis cognitionem. *Viuens* est, quod per legem cognoscimus esse in nobis, & esse peccatum, vnde in nobis post legis cognitionem furit. *Romanor.* 7. 9.

13. Distinctio postrema est, peccati remissibilis & irremissibilis. *Remissibile* est, quod remittitur resipiscenti propter Christum, in hac vita & vniuersalia peccata omnia, excepto peccato in Spiritum S. *Irremissibile* est peccatum quod nunquam, & nusquam remittitur: non propter difficultatem remissionis obtinendæ, nec etiam quod sit potentius gratia Dei: sed ob simul semelque reiectum destinata malitia Iesu Christi sacrificium, quo solo expiari peccata Sp. S. testatur, & conscientias conuincit, & ob impossibilitatem resipiscendi, cum illo superbe contemnatur Spiritus sanctus, qui resipiscentiæ est autor. *Matth.* 12. 31. *Marc.* 3. 28. 29. *Luc.* 10. 12. *Hebr.* 6. 4. &c. & 10. 26.

Peccatum seu blasphemia *in Spiritum sanctum*, est quum abnegatur vel oppugnatur veritas Dei, destinato consilio, postquam de illa veritate salutari mens edocta & conuicta est: quod peccatum qui committunt, cæcitate a Deo puniuntur, ita vt nunquam resipiscant: ac proinde nec remissionem peccatorum consequuntur. *Matth.* 12. 31. *Hebr.* 6. & 10. *cap.*

Dicitur peccatum in Spiritum sanctum, non respectu essentiæ diuinæ, qua Spiritus sanctus est Deus: nec respectu personæ Spiritus sancti. Nec enim maior est dignitas personæ ipsius, quam Patris & filii: nec offendi vna persona Deitatis potest, quin iniuria in cæteras quoque personas redundet: sed respectu beneficij, quod immediate Spiritus sanctus præstat, veritatem docens & patefaciens in cordibus hominum, eosque conuincens in conscientia ipsorum Iesum esse Christum illum & vnicum seruatorem & mediatorem, per quem nos oporteat seruari. *Actor.* 4. 12. dicitur etiam *peccatum ad mortem*, quia sine vlla veniæ spe mors æterna illud consequatur 1. Ioan. 5. 16.

Non cadit illud peccatum in viua filij Dei membra, nempe Dei electos ad vitam æternam, libro vitæ adscriptos, fide saluifica præditos: sed committitur tantum a reprobis, non omnibus, sed tantum illis qui Christum & veritatem eius cognouerunt, id est, qui Apostolo teste, *Heb.* 6. & 10. *cap.* semel fuerunt illustrati, gustaueruntque donum cœleste, & participes facti sunt Spiritus sancti, gustaueruntque bonum Dei verbum, ac virtutes futuri seculi: qui vltro peccant post acceptam cognitionem veritatis, filium Dei conculcant, sanguinem fœderis, per quem fuerant sanctifica-

ti profanum dicunt,& spiritum gratiæ contumelia afficiunt.

Peccatum hoc distingui debet ab abnegatione Christi veritatisque eius ex infirmitate orta, non ex animo objiciendi Christum & veritatem eius;vt lapsorum resipiscentium conuersio testatur. 2. Distinguitur a peccato contra conscientiam. Equidem blasphemia in Spiritum sanctum est peccatum contra conscientiam:sed non omne peccatum contra conscientiam est blasphemia in Spiritum sanctum:vt abnegatio Petri fuit peccatum contra conscientiam,non autem in Spiritum sanctum:qui enim peccant, toti de toto,in totum decidunt. 3. distingui etiam debet a blasphemia in Christum ex ignorantia, qua Paulus Apostolus fatetur se peccasse ante conuersionem. 1. *Tim.* 1. 13. *v.* 4. Insuper distinguendum est, à peccato mortali. Nam irremissibile peccatum est quidem mortale,sed non omne mortale est irremissibile;quia fit veniale membris viuis Iesu Christi,qui ad vitam æternam ordinati sunt. Et hæc quidem paulo prolixius de peccato dicta sunt, vt lector studiosus de se tota humili mente cogitare dignetur.

Peccare proprie est adulterium committere;dictum quasi pellicare hoc est,cum pellice coire,& peccatus, ipsum adulterium quasi pellicatus. Veteres enim non peccatum neutro genere,& secunda declinatione,sed peccatus masculino genere, & quarta declinatione proferebant. Quod vsque ad Ciceronis ætatem durauit Postea vsus obtinuit,vt peccatum,neutro tantum genere proferatur,& iam peccatum quà pecco, de omnibus delictis atque erroribus dicantur. A pecco fit peccator & peccatrix.

Peccatum & crimen differunt,sicut genus & species. Nam omne crimen est peccatum,non autem è conuerso. Est enim crimē graue peccatum,accusatione & damnatione dignissimum, *secundum Aug. super Ioan. & habetur dist.* 81. *can. Apostolus.*

Loci Biblici.

Peccatores pro omnino vitiosis & peccato addictis: & eorum misera conditio. *Psal.* 1. *vers.* 15. & 3. 8. & 7. 10. & 9. 17. 18. & 10. 3. 4. 18. & 37. *v.* 20 34. *Ioan* 9. 31. 1. *Tim* 1. 9. 1 *Pet.* 4. 18. Peccatores, pro ijs,in quibus peccatum regnat, *Rom.* 5. 8. pro ijs,qui a fœdere alieni sunt, *Gal.* 2. 15.

Peccatores,in bonam partem, *Matth.* 9. *v.* 13. pro ijs,qui sensu peccatorum saucij, misericordiam Dei amplectuntur. Peccatores mortui censentur, *Ose.* 13. 1. peccatores speciatim dicti publicani, *Matth* 9. 10. peccatores quomodo tractandi, 2. *Cor.* 7 12. *Gal.* 2. 14. 1. *Thess.* 5. 14 2. *Thess.* 3. *v.* 6. 15. 1. *Tim.* 5. 20. *Tit.* 1. 13. & 2. 13. *Iuda vers.* 12.

Peccare dicitur is, 1. *Ioan* 3. *vers.* 4. non quisquis labitur, sed quisquis sanctitati non studet. Quod ita esse liquet, cum ex antithesi, *ibid.* tum ex 1. *Ioan* 1. 8. & 2. 1. Non peccare contra dicuntur, non ij, qui non labuntur, nam etiam iustus septies cadit. *Prou.* 24. 16. sed qui peccato repugnando puritati student, seu purificant se. Peccare in cœlum dicitur prodigus ille filius, *Luc.* 15. 18. peccare sine lege, per se lethale, *Rom.* 2. 12. peccare in lege lethale, *v.* 12.

Peccatum, pro hæreditario illo morbo, quem peccatum originale vocant, *Iob* 14. 4. & 15. 14. *Psal.* 51. 7. *Rom* 3. 9. 23. & 5. *vers* 12. omnibus hominibus ingenitum est, 5. 12. & 6. 12. *Ephes.* 2. 3. ab Adamo traduce in omnea deriuatum, *Rom* 5. 12. effectus eius, *Gen.* 8. 24. *Eccl.* 17. *v.* 30. *Rom.* 3. 12. 17. & 6. 23 & 7. 8. 11. 13. 17. *Gal* 5 17. *Ephes.* 2. *v.* 3. mortem in mundum inuexit, *Gen.* 2. 17. & 3. 19. *Rom.* 5. 12. 15. 1. *Cor.* 15. 56. *Ephes.* 2. 1. reatus eius, seu formale, vt vocāt, tollitur per Christum, *Ioan.* 1. 29. *Rom.* 3. 23. 24 & 5. 9. 15. 17. 18. 19. & 6. 3. & 7. 24. & 8. 1. 2. *Gal.* 1. *Eph.* 2. 5. pro corruptione quæ manat a peccato originali. *Rom.* 6. 1. pro peccato actuali, *Iac.* 1. 15. peccatum sine lege mortuum est, *Rom.* 7. *v.* 8. pijs non dominabitur, *Rom.* 6. 14 peccatum, pro peccati originalis fructibus, describitur, 1. *Ioan.* 3. 4. & 5. 17. *Rom* 4. 14. *Heb.* 6. 1. ex concupiscentia est, *Iac.* 1. 15. causa diluuij est, *Gen.* 6. 7. 17.

Peccatum pro punitione, seu pœna pro peccato inflicta, 19. 15. Sic accipiunt nonnulli *Genesis* 4. 13. pro victima expiatrice, (per metonymiam) & sacrificio pro peccato, *Exod.* 29. 14. & 30. 10. *Deut.* 9. 21. *Psalm.* 40. 7. *Thren.* 3. 39 & 5. *vers* 7. *Ezech.* 45. *Ose.* 4. 8. 2. *Cor.* 5. 12. *Hebr.* 9. 28. *in postrema versus parte.* peccatum ignorantiæ, *Psal.* 19. 13. peccatum ignorantia commissum quomodo expiandum, *Leuit.* 5. 17. 28. *Numer.* 15. *vers.* 10. 22. peccatum superbia commissum quomodo expiandum, 15. 28. peccatum vltroneum quomodo expiandum, *Leuit.* 6. 2. 6. peccatum homines miseros reddit. *Prouerb.* 14. 34. *Matth.* 12. 31. *Marc.* 3. 29. *Luc.* 12. 10. *Hebr.* 6. 4. 6 & 10. 26. 1. *Ioan.* 5. 15. peccatum vindictam clamans, *Genes* 4. 10 & 18. 20 *Exod.* 22. 23. 27. *Eccl.* 35. 18. *Iac.* 5 4. peccatum contra naturam, quod est commixtio cum masculis, *Genes.* 19. 5. *Iudith.* 19. 11. &c. *Leuit.* 20. *v.* 13. *Rom.* 1. *v.* 27. 1. *Cor* 6. 9. 1. *Tim.* 1. 10. peccatum in Spiritum sanctum, *Matth.* 12. 31. *Marc.* 3. 28. *Luc.* 12. 15. & 12. 10. *Hebr.* 66. & 10. 26. 1. *Ioan.* 5. 16. peccati & eius effectuum *exempla*, in Adamo & Eua, *Gen.* 3. 6. 7. 10. 6. Caino, 4. 10. 11. Sodomitis, 18. 20. 21. & 19. 24. Pharaone, *Exod* 10. 16. Israelitis, *Iudic* 2. 11. 14. Rechabitis, 2. *Sam.* 4. 10. 11. Dauide, 24 3. & 2 *Paral.* 17. 16 Iudæis, *Ier.* 44. 5. 21. paralytico, *Matth.* 9. 2. Languido, *Ioan.* 5. 14. Adultera, 8. 11. peccati cognitio necessaria, *Ierem.* 3. 2. peccati cognitio per legem, *Rom.* 7. 7. peccati finis, mors, 6. 21. peccati origo, *Gen.* 2. 17. & 3. 6. *Rom.* 5. 12. 1. *Cor.* 15. 21. peccati seruitus quam periculosa, *Ioan.* 8. 34. *Rom.* 6. 20. peccati stipendia mors. 6. 23. peccatis renunciandum est, *Ioan.* 8. *v.* 11. *Rom.* 6. 4 12. *Ebr.* 12. *v.* 1. 1. *Pet.* 4 2. 1. *Ioan.* 3. 6.

Peccatorum remissio in Ecclesia, *Esa.* 33. *v.* 24. *Ier.* 33. 8. *Zach.* 13. 1. peccatorum remissio hominem beatum efficit, *Psal* 32. 1. 2. *Rom.* 4. 6. 8. *Esa.* 30. *v.* 26. peccatorum remissio nunquam est sine resipiscentia, *vt patet ex Marc.* 14.

Peccatis alienis non communicandū, *Prouerb.* 29. 24. *Ephes.* 5. 7. *Tim.* 5. 22. in peccatis esse, 1. *Cor.* 15. 17. est sanctificatum non esse, nec peccatorum remissionem consecutum esse.

Sententiæ Biblicæ.

Peccatum originale vnde oritur.

Ecce enim iniquitatibus conceptus sum. *Psal* 51.

Propterea sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit. *Rom.* 5.

Malum operatur.

Nequaquam vltra maledicam terræ propter hominem ideo quod sensus cogitatio humani cordis in malum prona sint ab adolescētia sua. *Gen.* 8.

Semen enim erat maledictum ab initio. *Sap.* 12.

Aut quid nequius, quam quod excogitauit caro & sanguis? *Eccl.* 17.

Et facti sumus & immundi omnes nos: & quasi pannus menstruatæ vniuersæ iustitiæ nostræ. *Esa.* 64.

Scimus enim, quia lex spiritualis est: ego autem carnalis sum, venūdatus sub peccato. *Rom.* 7.

Caro enim concupiscit aduersus spiritum? Spiritus autem aduersus carnem, *Gal.* 5.

Gratia curatur.

Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. *Ioan.* 1.

Si enim vnius delicto multi mortui sunt: multo magis gratia Dei & donum in gratia vnius hominis Iesu Christi, in plures abundauit. *Rom.* 5.

Quod enim mortuus est, peccato mortuus est semel 6.

Sed conclusit Scriptura omnia sub peccato, vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. *Gal.* 5.

Peccatum actuale multipliciter perpetratur.
Infirmitate.

Ipse autem est misericors, & propitius fiet peccatis eorum. Et recordatus est, quia caro sunt. *Psal.* 18.

Quomodo miseretur pater filiorum. Recordatus est, quoniam puluis sumus. 103.

Corpus enim, quod corrumpitur, aggrauat animam. *Sap.* 9.

Error & tenebræ peccatoribus concreta sunt: qui autem exultant in malis, consenescant in mala, *Eccl.* 11.

Est qui vetatur peccare præ inopia. 20.

Peccatum suum quasi Sodoma prædicauerunt, nec absconderunt. Væ animæ eorum, quoniam reddita sunt eis mala. *Esa.* 3.

Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quasi vinculū plaustri, peccatum. Væ qui dicitis bonum malum 5.

Qui facit peccatum, ex Diabolo est. 1. *Ioan.* 3.

Non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ. *Psal.* 38.

Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum. *ibidem.*

Vir peccator adiiciet ad peccandum. *Eccl.* 3.

Non est enim ei bene, qui assiduus est in malis. 12.

Duo genera abundant in peccatis; Anima calida quasi ignis ardens non extinguetur, donec aliquid glutiat: & homo scortator, qui corpore carnis suæ non conquiescit, donec ignem succenderit 23.

Et qui in vno peccauerit, multa bona perdet. *Eccl.* 9.

Quid proderit libatio idolo? Nec enim manducabit, nec odorabitur. Sic qui effugatur a Domino, & portans mercedes iniquitatis. Videns oculis, & ingemiscens, sicut spado complectens virginē & suspirans. *Eccl.* 30.

Ecce non est abbreuiata manus Domini: vt saluare nequeat sed iniquitates & peccata vestra absconderunt vultum eius a vobis, ne exaudiret. *Esa.* 59.

Si autem auerterit se iustus a iustitia sua; omnes iustitiæ eius, quas fecerat, non recordabuntur. *Ezech.* 18.

Iustitia iusti non liberabit eum, in quacunque die peccauerit. Et iustus non poterit viuere in iustitia sua, in quacunque die peccauerit

oerit. Etiam si dixero iusto, quod vita viuat, & confisos in iustitiā sua fecerit iniquitatem, omnes iustitiæ eius obliuioni tradentur, & in iniquitate sua, quam operatus est, in ipsa morietur. 33.
Cum enim recesserit iustus à iustitia sua, feceritque iniquitates, morietur in eis *Ibid.*
Et omnis qui peccat, non videt eum. 1. *Ioan.* 3.

Habitat sed non regnat in Christi membris.

Non est enim homo, qui non peccet. 1. *Reg.* 8.
Non est enim homo iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccet. *Eccl.* 7.
Fili peccasti, ne adijcias iterum, sed & de pristinis deprecare, vt dimittantur tibi. Tanquam a conspectu serpentis fuge peccatum; nam si accesseris, mordebit te. Dentes leonini fui d̃ ntes ipsius, interficientes animas hominum. Quasi rhomphæa bis acuta hominis iniquitas, plagæ illius non est sanitas. *Eccl.* 21.
In vanitate sua apprehendetur peccator. 23.
Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. *Matt.* 26.
Nō ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentijs eius. Peccatum enim vobis non dominabitur. *Rom.* 6.
Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus & veritas in nobis non est 1. *Ioan.* 1.
Omnis qui natus est ex Deo peccatum non facit. 3.

Grauiter punitur.

Dominus patiens, & multæ misericordiæ, auferens iniquitatem & scelera, nullumque innoxium derelinquens, qui visitat peccata patrum in tertiam & quartam generationem. *Numer. decimoquarto.*
Iustitia eleuat gentem, miseros autem facit populos peccatum. *Prou.* 14.
Vultus Domini super facientes mala. *Psal.* 34.
Et adhuc pusillum & non erit peccator. 37.
Per quæ quis peccat, per hæc & punietur. *Sap.* 11.
Væ genti peccatrici: populo graui iniquitate, semini nequam, filijs sceleratis: Dereliquerunt Dominum, blasphemauerunt Sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum. Super quo percutiam vos vltra, addentes præuaricationem? Omne caput lāguidum, & omne cor mœrens: Terra vestra deserta, ciuitates vestræ succensæ igni: Regionem vestram coram vobis alieni deuorant. *Esa.* 1.
Quis dedit in direptionem Iacob & Israel vastatoribus? Nonne Dominus ipse est, cui peccauimus? Et noluerunt in viis eius ambulare. Et effudit super eum indignationem furoris sui, & forte bellum. 42.
Populo autem huic factum est cor incredulum, & exasperans, recesserunt & abierunt, & non dixerunt, in corde suo: Metuamus Dominum Deum nostrum, qui dat nobis pluuiam temporaneam & serotinam in tempore suo, plenitudinem annuæ messis custodientem nobis. Iniquitates vestræ declinauerunt hæc, & peccata vestra prohibuerunt bonum a vobis. *Ier.* 5.
Non est vua in vitibus, & non sunt ficus in ficulnea: folium defluxit, & dedi eis, quæ prætergressa sunt: Conuenite, & ingrediemur ciuitatem munitam, & sileamus ibi: quia Dominus Deus noster silere nos fecit, & potum dedit nobis aquam fellis. Peccauimus. n. Domino. 8
Propter multitudinem iniquitatis tuæ reuelata sunt verecundiora tua, pollutæ sunt plantæ tuæ 13.

Aeternaliter.

Pluet super peccatores laqueos. *Psal.* 10.
Impium suæ ipsius iniquitates capiunt, funibus peccatorum suorū irretietur. *Prou.* 5.
Stultus in terra recipit, quanto magis impius & peccator? *Ibid.*
Peccantem virum iniquum inuoluet laqueus. 29.
Malorum amatores digni sunt morte. *Sap.* 15.
Leo venationi insidiatur semper: sic peccata operantibus iniquitates. *Eccl.* 27.
Discedite a me maledicti in ignem æternum *Matth.* 25.

Misericorditer remittuntur immediate per Deum propter Christi institiam & satisfactionem.

Secundum misericordiam tuam memento mei tu: Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo. *Psal.* 24. 25.
Beati, quorum remissæ sunt iniquitates. Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum. 32
Miserere mei Deus. Et secundum multitudinem miserationum tuarum. 51.
Si iniquitates obseruaueris Domine, quis sustinebit? Sed apud te propitiatio est. 130.
Idcirco super hoc dimittetur iniquitas domui Iacob, & iste omnis fructus, vt auferatur peccatum eius. *Esa.* 27.
Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor. Rēduc me in memoriam, & iudicemur simul. 43.
Deleui vt nubem iniquitates tuas 44.
Posuit Dominus super eum iniquitatem omnium nostrum. *Esa.* 53.
Ecce ego obducam eis cicatricem & sanitatem. Et conuertam conuersionem Iuda *Ier.* 33.
Deponet iniquitates nostras, & proijciet in profundum maris omnia peccata nostra. *Mich.* 7.
Ipse enim saluum faciet populum suum a peccatis eorum. *Matth.*
Vt autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata. 9.
Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. *Ioan* 1.
In quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum *Ephes.* 1.
Notum igitur sit vobis viri fratres, quia per hunc vobis remissio peccatorum annunciatur, ab omnibus, quibus non potuistis, in lege Moysi iustificari. *Act.* 13.
Et sanguis Iesu Christi Filij eius emundat nos ab omni peccato. Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus, vt remittat nobis 1. *Ioan.* 1.
Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. 2.
Et scitis, quia ille apparuit, vt peccata tolleret, & peccatum in eo non est 3.

Mediate per Ecclesiæ ministros.

Et dixi, væ mihi, quia tacui: quia vir pollutus labijs ego sum, *Esa.* 6.
Et volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari, & tetigit os meum & dixit. Ecce tetigit hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mūdabitur. *Ibid.*
Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt. *Ioannis* 20.
Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, non imputando eis peccata ipsorum, posuitque in nobis sermonem hunc reconciliationis. Itaque nomine Christi legatione fungimur, velut Deo vos præeunte per nos: Oramus Christi nomine, reconciliamini. *Deo.* 2. *Cor.* 5.

PATRVM SENTENTIAE.

Nemo renascitur in Christi corpore nisi prius nascatur in peccati corruptione. *Aug. de bapt. paruul.*
Nullus sanctus & iustus caret peccato, nec tamen ex hoc definit esse iustus, vel sanctus, cum affectu teneat sanctitatem. *De eccles. dogm.*
Nullum scelus coram Deo tam abominabile est, quam præterita peccata vniuique nostrum dimissa reminiscendo, gaudere, & in de exultare. *In epist. ad quendam comitem.*
Qui pectus suum tundit, & se non corrigit, peccata solidat, non tollit. *Lib.* 5. *de lib. arb.*
Ex quo incipit homo præcepti esse capax, ex illo incipit posse peccare. Duobus modis peccat, antequam fit sapiens: si aut se non accommodet ad accipiendum præceptum: aut quum acceperit, non obseruet. Sapiens autem peccat, si se auertit a sapientia:
Peccatum est voluntas retinendi vel consequendi, quod iustitia vetat. *De duabus animabus.*
Sane quum sola cogitatione mens oblectatur illicitis, non quidem decernens esse facienda: tenens tamen & volens libenter quæ statim vt attigerunt animum, respui debent: non negandum esse peccatum: sed longe minus, quam si & opere statuatur implendum & ideo de talibus quoque cogitationibus venia petenda est, pectusque percutiendum, atque dicendum: Dimitte nobis debita nostra, faciendum quoque, quod sequitur, atque in oratione iungendum; Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. 12. *de Trinit.*
Neque enim sicut illis duobus primis hominibus personam suam quisque portabat, & ideo si solum mulier cibum edisset illicitum, sola vtique mortis supplicio plecteretur: ita dici potest in homine vno, si delectationibus illicitis, a quibus se auertere deberet continuo: cogitatione sola libenter pascatur, nec facienda decernantur mala, sed tamen suauiter in recordatione teneantur, quasi mulierem sine viro posse damnari, absit hoc credere: hic quippe vna persona est: vnus homo est, totusque damnatur: nisi hæc, quæ sine voluntate operandi, sed tamen cum voluntate animum talibus oblectandi solius cogitationis sentiuntur esse peccata, per Mediatoris gratiam remittuntur. *Ibid.*
Non regnet peccatum in vestro mortali corpore. Nō dicit, nō sit, sed non regnet. Inest peccatum, quum delectaris, regnat, cum cōsenseris. *In Psal.* 1.
Nolite contemnere venialia, quia minima sunt, sed timete,

quia plura: plerunque enim bestiæ minutæ multæ necant: nunquid minutissima sunt grana arenæ, sed si arena amplius in nauim mittatur, mergit illam, vt pereat? quam minutæ guttæ pluuiæ, nonne flumina implent, & domos deijciunt? Timenda est ergo ruina multitudinis, etsi non magnitudinis. *De decem chordis.*

Tribus gradibus ad peccatum peruenitur: Suggestione, Delectatione. Consensione. Itaque ipsius peccati tres sunt differentiæ: in Corde, in Facto, & in Consuetudine, tanquam tres mortes. Vna quasi in domo, quum corde consentitur libidini: altera quasi prolata iam extra portam, quum in factum procedit assensio: tertia, quum in consuetudinis malæ tanquam mole terrena premitur animus, quasi in sepulchro iam putrens: quæ tria genera mortuorum Dominum suscitasse, quisquis Euangelium legit, agnoscit. *Augustin.in lib. de serm. in monte. & ponitur de pœnitent. distin. 2.*

Primum peccatum est, cogitasse, quæ mala sunt: secundum, cogitationibus acquieuisse peruersis: tertium, quod est deterius, opere complesse: quartum est peccatum, non facere pœnitentiam. & in suo complacere sibi delicto. *Hieronym. lib. 1. in Amos.*

Cui Deus venter est, ei Deus recēs est. Quæcunque vitia habemus, & quotcunque peccata, tot recentes habemus Deos. Iratus sum, ira mihi Deus est. Vidi mulierem, & concupiui, libido mihi Deus est. Vnusquisque enim, quod cupit & veneratur, hoc illi Deus est. *In Psal. 80.*

Sicut nonnunquam grauius est peccatum diligere, quam perpetrare: Ita nequius est odisse iustitiam, quam non fecisse. *In quadam epist.*

Prioris peccati merito peccatorum subsequentium, fouea agitur: vt qui malum sciens perpetrat, deinceps iuste in alia etiam nesciens cadat. Hoc quippe agitur, vt culpis culpa feriatur, quatenus supplicia fiant peccantium ipsa incrementa vitiorum. *Gregor. lib. moral.*

Nonnunquam in paruis deterius, quam in maiori peccatur. Maior enim quo citius quiescit culpa cognoscitur: eo etiam celerius emendatur: minor vero, dum quasi nulla creditur, eo peius quo & securius in vsu retinetur. *Hom. 52.*

Hoc inter peccatum & delictum distat, quod peccatum est malum facere: delictum vero bona derelinquere. quæ sunt in opere tenenda. Vel peccatum in opere est. Delictum in cogitatione. *In Ezech.*

Quatuor modis peccatum perpetratur in corde, quatuor consummatur in opere. In corde namque suggestione, delectatione, consensu, & defensionis audacia perpetratur. Fit enim suggestio per Diabolum: delectatio per carnem: cōsensus per spiritum: defensionis audacia per elationem. Quatuor modis peccatum consummatur in opere: Prius namque latens culpa agitur: postmodum etiam ante oculos hominum sine confusione reatus aperitur: deinde in consuetudinem ducitur. Ad extremum quoque vel falsæ spei seductionibus, vel obstinatione miseræ desperationis nutritur. *Isidor. de summo bono.*

Peccatum, quod ex peccato oritur, non iam peccatum tantummodo, sed & peccatum est, & pœna peccati: quia iusto iudicio Omnipotens Deus cor peccantis obnubilat: vt præcedentis peccati merito etiam in alia cadat: vt qui malum sciens perpetrat deinceps iuste in alia etiam nolens cadat. *Gregorius libro vigesimo-quarto moral.*

Vsitata culpa obligat mentem, vt nequaquam surgere possit ad rectitudinem: conatur & labitur: quia vbi sponte diu perstitit, ibi & cum noluerit, cadit. *In hom.*

Peccatum tribus modis admittitur. Nam aut ignorantia, aut infirmitate, aut studio perpetratur: & grauius est quidem infirmitate, quam ignorantia, sed multo grauius studio quam infirmitate peccatur. *ibid.*

Posse peccare, datum est primo homini, non vt proinde peccaret, sed vt gloriosior appareret, si non peccaret, quum peccare posset. *Bern. de lib. arbitr.*

Peccantis lapsus non dono adscribendus est potestatis, sed vitio voluntatis, etsi datum fuit voluntati, posse stare, ne caderet, non tamen resurgere, si caderet. Non enim tam facile quis valeret exire de fouea, sicut in eam labi. *ibid.*

Quare peccas? quia nescis quid facias? absit: quia cogeris, vt facias? absit, sed quia placet, vt sic facias. *In quodam serm.*

Tanto magis peccatum esse cognoscitur, quāto maior, qui peccat, habetur. Crescit enim delicti cumulus, iuxta ordinem meritorū, & sæpe quod minoribus ignoscitur, maioribus imputatur. *Isidor. de summo bon. lib. 2.*

Maior est culpa manifeste quam occulte peccare: dupliciter enim reus est, qui aperte delinquit, quia & agit & docet. *ibid.*

Istis fomitibus quasi quibusdam gradibus coalescit omne peccatum; cogitatio namque praua delectationem parit; delectatio consensionem, consensio actionem, actio consuetudinem, consuetudo necessitatem, necessitas mortem: atque in his vinculis homo implicatus quadam catena vitiorū tenetur adstrictus. *ibid.*

Diabolus nulla præcedentis peccati vindicta superbiens peccauit: ego visa eius pena non continens ad peccatum properaui: ille in innocentia constitutus, ego vero restitutus, ille perstitit in malitia Deo reprobante: ego vero Deo reuocante: ille vero obduratur ad punientem, ego vero ad blandientem, & sic vterque cōtra Deum, ille contra non requirentem se: ego vero contra morientem pro me. Ecce cuius imaginem horrebam, horrorem in multis aspicio me horribiliorem. *Anshelmus in lib. de casu Diaboli.*

Mortale peccatum, quantum mihi videtur, triplici recte ratione distinguitur. Mortale est, quod a quouis non potest committi, sine grandi corruptione sui, sine graui læsione proximi, & sine magno contemptu Dei. Cætera vero omnia videntur mihi venialia. Veniale peccatum, est reatus, cui, quantum est in se, solum fide mediante, nunquam debetur pœna æternæ damnationis: mortale vero est reatus, cui, quantum in se solum, semper debetur æterna damnatio. *Richard. de differ. mortalis & venialis.*

Hoc dicimus, quod tantum vnusquisque a diuinitate repellitur, Quantum eius peccata cumulantur. Quantitas enim delicti mensura est repudij, quia tantum a Deo reus longior redditur; quantum numeroso crimine dilatatur. *Cassiodorus in Psalm.*

Tribus modis omne peccatum contrahitur: Primus gradus delictorum est, nō reddere bona pro bonis. Secundus reddere mala pro malis. Tertius est, tribuere mala pro bonis. Contra hæc sunt tria laudabilia Primum, impendere bona pro bonis. Secundum, malum pro malo non reddere, Tertium, perfectissimum virtutis genus est, bonum pro malo tribuere. *Ibid.*

Qui enim virtutis est expers, qui cupiditate ac libidinibus malis vincitur, non cupidini, sed morti subiectus sempiternæ est.

Qui peccant, sæpe felices sunt, & qui pie viuunt, sæpe miseri: quia & fugitiui, & abdicati libere viuunt. *Lact. Firm. lib. 1. diuin. instit.*

Quod malum adscribes creatori, si delictum est hominis? non erit Dei quod est hominis: nec idem est habendus delicti author, qui inuenitur interdictor, imo & condemnator. *Tertullian. contra Marcion. lib. 2. c. 9.*

Detestanda & abominanda opinio est, quæ Deum cuiusquam malæ voluntatis aut malæ actionis credit authorem. *Aug. resp. ad art. sibi falso impos. art 10.*

Si a iustitia & pietate quis deficit, suo in præceps fertur arbitrio, sua concupiscentia trahitur, sua persuasione decipitur. Nihil ibi Pater, nihil filius, nihil Spiritus sanctus: nec in tali negotio quicquam diuinæ voluntatis intercedit, cuius ope scimus multos ne laberentur detentos, nullos autem vt laberentur impulsos. *ibid. art. 13.*

Dimittitur concupiscentia carnis in baptismo, non vt non sit, sed vt in peccatum non imputetur. Quamuis reatu suo iam soluto, manet tamen, donec sanetur omnis infirmitas nostra, proficiente renouatione veteris hominis de die in diem, cum exterior induerit in corruptionem, non enim substantialiter manet, sicut aliquod corpus, aut spiritus: sed affectio est quædam malæ qualitatis, sicut languor. *Idem lib. 1. de nuptijs & concupisc. c. 25.*

Quemlibet valde iustum discutias in hac vita, quamuis iam sit dignus iusti vocabulo, non est tamen sine peccato. *Idem, tract. 41. in Ioan.*

Quicquid peccatum est a nobis, antea deletum est in baptismo, nunquid quia deleta est tota infirmitas, nulla remansit infirmitas? Si non remansisset, sine peccato hic viueremus. Quis autem audeat hoc dicere, nisi superbus? nisi misericordia liberatoris indignus? nisi qui seipsum vult decipere, & in quo veritas nō est? *ibid.*

Ego tanquam valetudinem malam, ex origine vitiata ingenitum esse dico hominis vitium, quo caro concupiscit aduersus Spiritū. *idem, lib. 6. adu. Iulian. c. 7.*

Ab hoc peccato, ab hac ægritudine, ab hac ira Dei, cuius naturaliter filij sunt, qui etiamsi per ætatem non habent proprium, trahunt tamen originale peccatum, non liberat nisi agnus qui tollit peccata mundi, non nisi medicus, qui non venit propter sanos, sed propter ægrotos: non nisi Saluator, de quo dictum est generi humano. Natus est vobis hodie saluator: non nisi redemptor, cuius sanguine deletur debitum nostrum. Nam quis audeat dicere, non esse Christum infantium saluatorem, nec redemptorem? vnde autem saluos facit, si nulla in eis est originalis ægritudo peccati. *Idem, libr. 1. de peccat. meritis & remissione. capit. 23.*

Agnosce homo, quam grauia sint vulnera (tua) pro quibus necesse est Dominum Christum vulnerari. Si non essent hæc ad mortē, & mortem sempiternam, nunquam pro eorum remedio Dei filius moreretur. *Bernard. serm. 3. in nat. Domini.*

Sine generalis confusionis velamine nemo filiorum hominum intrauit in hanc vitam, vno sane excepto, qui ingreditur sine macula Emanuelis est. *idem. serm. 78. in cantic.*

Natura

Natura hominis Christi, nostræ naturæ dissimilis non fuit, sed vitio nostro dissimilis fuit. Ille quippe sine vitio natus est homo, quod hominum nemo. *Aug. lib. 5 cont. Iulian. c. 9.*

Quid est peccatum ad Domini misericordiam? Tela araneæ, quę vēto flante nusquam apparet. *Chrysost. in Psal. 50. hom. 2.*

Vbi tuta firmaque infirmis securitas & requies, nisi in vulnerib. saluatoris? tanto illic securius habito, quanto ille potentior est ad saluandum. Fremit mundus, premit corpus, diabolus insidiatur: non cado: fundatus enim supra firmam petram. Peccaui peccatū grande, turbatur conscientia, sed non perturbabitur, quoniam vulnerum Domini recordabor. *Bernard. ser. 91. sup. Cant.*

Peccaui peccatum grande, & multorum delictorum sum mihi conscius, nec sic despero: quoniam vbi abundauerunt delicta, superabundauit & gratia. Qui de peccatorum venia desperat, negat Deum esse misericordem. Magnam iniuriā Deo facit, qui de eius misericordia diffidit. Quantum in se est, negat Deum habere charitatem, veritatem & potestatem: in quibus tota spes mea consistit: scilicet in Charitate adoptionis, in veritate promissionis, & in potestate redemptionis. *August. in Enchirid. c. 23.*

Dicta Poetarvm.

Terent. Adel. 4. 3.

Ego in hac re nihil reperio, quamobrem lauder tantopere
Hegio.
Meum officium facio: quod peccatum a nobis ortum est corrigo.

Mart. 3.

Quod tegitur, maius creditur esse malum.

Iuuen. 8.

Omne animi vitium tanto conspectius in se
Crimen habet, quanto maior qui peccat habetur.

Sen. Herc. Oet.

Haud est nocens, quicunque non sponte est nocens.

Idem Hipp. act. 3.

Recipe iam sensus hera.
Quid te ipsa lacerans omnium aspectus fugis?
Mens impudicam facere non casus solet.

Ouid. 1. Pont. 1.

Sæpe leuant pœnas, ereptaque lumina reddunt.
Cum bene peccati pœnituisse videns.

Sen. Agam.

Quem pœnitet peccasse, pene est innocens.

Ouid. 2 Remed.

Gloria peccati nulla petenda tui est.

Idem 3. Amor 13.

Quis furor est, quæ nocte latent, in luce fateri.
Et quæ clam facias facta referre palam?
Ignoto meretrix corpus iunctura Quiriti,
Opposita populum submouet ante sera.

Sen. Hipp.

Obstare primum est, velle nec labi via:
Pudor est secundus, nosse peccandi modum;

Hor. 1. Serm. 3.

Queis paria esse fore placuit peccata, laborant,
Cum ventum ad verum est: sensus moresque repugnant,
Atque ipsa vtilitas iusti prope mater, & æqui.

Ibid.

Nec vincet ratio hoc tantundem, vt peccet idemque
Qui teneros caules alieni fregerit horti,
Et qui nocturnus Diuum sacra legerit.

Sen. Hip. act. 1.

Credamus tamen,
Astu, doloque tegere nos tantum nefas.
Quid ille rebus lumen infundens suum
Matris parens? quid ille, qui mundum quatit,
Vibrans corusca fulmen Aetnæum manu
Sator Deorum? credis hoc posse effici
Inter videntes omnia, vt lateas auos?

Thales per Auson.

Turpe quid ausurus, te sine teste time.

Ouid. 2. Fast.

Omne nefas, omnemque mali purgamine causam
Credebant nostri tollere posse senes.
Græcia principium moris fuit, illa nocentes
Impia lustratos ponere facta putat.
Actoridem Peleus, ipsum quoque Pelea Phoci
Cæde per Aemonias soluit Acastus aquas,
Vectam frenatis per inane draconibus Aegeus
Credulus immerita Phasida fouit ope, &c.
Ah, nimium faciles, qui tristia crimina cædis
Fluminea tolli posse putatis aqua.

Cleob per Auson.

Felix criminibus non erit diu.

Polyanthea Nouiss.

Iuuen. 3.

Nam quis
Peccandi finem posuit sibi, quando recepit
Eiectum semel attrita de fronte ruborem?
Quisnam hominum est, quem tu contentum videris vno
Flagitio?

Ouid. 1. Amor.

Multa miser timeo, quia feci multa proterue.
Exemploque meto torqueor ipse meo.

Lucret. 3.

At mens sibi conscia facti
Præmetuens, adhibet stimulos, terretque flagellis:
Nec videt interea qui terminus esse malorum
Possit, nec qui sit pœnarum denique finis.
Atque eadem metuit magis hæc ne in morte grauescant.

Iuuenal. 13.

Nocte breuem si forte indulsit cura soporem,
Et toto versata toro iam membra quiescunt.
Continuo templum & violati Numinis aras,
Et quod præcipuis mentem sudoribus vrget.
Te videt in somnis tua sacra & maior imago
Humana turbat pauidum, cogitque fateri.
Hi sunt, qui trepidant, & ad omnia fulgura pallent,
Cum tonat, exanimes primo quoque murmure cœli,
Non quasi fortuito, nec ventorum rabie, sed
Iratus cadat in terras, & vindicet ignis.
Illa nihil nocuit, cura grauiore timetur
Proxima tempestas, velut hoc dilata sereno.

Peccata venialia, & opera bona.

Aotholog. Sacra Iacob Billi.

Vt quædam tenues macula in splendore pictum,
Maior virtutum, quas vacuas numeris.
Aeterna domus nequeunt obsistere vita.
Nec sancta obscurat gaudia culpa leuis.
Sic aliquid plerumque boni pars impia gestat,
Magna mole mali quod facile obruitur.
Nec prodest quidquam recte fecisse malignis,
Si verum & sanctum non coluere Deum.
Vna fides igitur, spes vna est atque amor vnus,
Quo fiat iustus fitque beatus homo.
Nam bona quæ prauis naturæ ex dote supersunt,
Augent peccati pondera, non minuunt.

Peccantium infelicitas.

Qui se peccatis gaudet feliciter vti,
Infelix nimis est prosperitate sua,
Denique, apta miseros effectu praua voluntas,
De vera semper luce fit exterior.
Sumens pestifera de consuetudine robur,
Et sua complectens vincula mortis amor.
Deficiant potius vana oblectamina mundi,
Subdanturque pio colla domanda iugo,
Inque putres fibras descendat cura medentis,
Vt blandum morbum pellat amica salus.

Peccatores non latent.

Gaudet transgressor peccato impune potitus,
Si non infertur debita pœna reo,
Ceu nulla offendant hominum commissa Tonantem,
Aut aliqua excelsi notitiam lateant,
Sed vetitorum auidis grauior tunc ira timenda est.
Cum sese remouent verbera iustitia.
Namque quid erit morbi quod non dominabitur illi,
Cui supera auxilium iam medicina negat?

Ex Græcis Comicis.

Δὶς ἐξαμαρτεῖν ταὐτὸν οὐκ ἀνδρὸς σοφοῦ.
Peccare idem bis, haud viri sapientis est.
Ἁμαρτάνει δὲ καὶ ἀνὴρ σοφώτερος.
Aliquando peccat vir etiam sapientior.
Ὁ μηδὲν εἰδὼς, οὐδὲν ἐξαμαρτάνει.
Quicunque nihil scit, ille vir peccat nihil,
Αἰσχρὸν δὲ μηδὲν πρᾶττε, μηδὲ μάνθανε.
Nil facito discitoue turpe quod siet.
Ἔργων πονηρῶν χεῖρ' ἐλευθέραν ἔχε.
Noli occupare in improbis factis manum.
Οὐδεὶς ἐφ' αὑτοῦ τὰ κακὰ συνορᾷ Πάμφιλε.
Σαφῶς, ἑτέρου δ' ἀσχημονοῦντος ὄψεται.
Haud vllus in se vitia cernit Pamphile,
At indecore quod agit alius, perspicit.
Χαλεπόν γε τοιαῦτ' ἐστὶν ἐξαμαρτάνειν,
Ἃ καὶ λέγειν ὀκνοῦμεν αὐτοὶ πεπραχότες.
Est permolestum tale quid delinquere.
Vt nominare metuat, et qui fecerit.

Homerus in Odyssea.

Ζεὺς σφέας τίσαιτο ἱκετήσιος, ὅστε καὶ ἄλλους
Ἀνθρώπους ἐφορᾷ καὶ τίνυται, ὅς τις ἁμάρτῃ.

rith umiles, *Prouer.* 18.23. pauperes contemnuntur, *Prouerb.* 14.20. & 19.4.7. pauper simplex optimus, *Prouer.* 19.1. 22. & 28.6. Superbus turpissimus, *Prou.* 12.9. rapax periculosissimus, *Prou.* 28.3. pauper sapiens stulto rege præstantior, *Eccles.* 4.13. pauperis & diuitis discrimen, *Prou.* 18.24. pauperibus non exprobrandum, *Prouer.* 14.31. & 17.5. pauperes non sunt affligendi, *Prou.* 22.16.22. & 23.10. Veri pauperes qui, *Prouer.* 19.1.21. non sunt contemnendi, *Prouerb.* 28.27. & 59.7. commendantur, *Prouerb.* 31.9. paupertas est à Deo, *Prou.* 14.31. & 16.5. & 22.2. paupertas vera laudata, *Prou.* 12.9. & 15.16. & 16.8. & 17.1.

Dominus & seruator noster discipulna suos pauperes beatos esse pronunciat, *Luc.* 6.20. pauperes vocari ad conuiuia præcipit, *Luc.* 14.13. eosdem peculiari quadam ratione commendat, *Matth.* 26.11. *Marc.* 14.7. Bona illis collata sibi largita esse asserit, *Matth.* 25.40. se pauperem profitetur, *Matth.* 8.20. quum esset diues propter nos pauper factus est, vt nos illius paupertate ditesceremus, 2. *Cor.* 8.9. Iubet nos facere amicos ex mammona iniquitatis, qui nos deficientes recipiant in æterna tabernacula, *Luc.* 16.9.

Petrus Apostolus, argentum & aurum sibi non esse declarat, *Act.* 3.6. & Paulus se suosque collegas esurire, sitire, nudos esse, colaphis cædi, sedibus incertis errare, laborare, proprijsque manibus operari, &c. testatur, 1. *Cor.* 4.11.12.

Greg. Nazianzenus paupertatem, pauperesque Christianos multis encomijs celebrat, & diuitibus commendat patheticis admodum verbis firmissimisque rationibus, & argumentis, *in orat.* 16. *de pauperum amore.* ex qua pauca quædam profero. Me (inquit) sinistra illa manus terret, & hœdi, & probra, quæ à Christo conijciuntur, *Matth.* 25. non quia manus donis alienis attulerunt, nec quia templa diripuerunt, aut adulterium perpetrarunt, aut aliud quiddam ex ijs, quæ interdicta sunt, admiserunt, hoc ordine mulctati; sed quia Christum per pauperes minime curarunt.

Augustinus, si quando Ecclesiæ pecunia deficeret, hoc ipsum populo Christiano denunciabat, non se habere quod indigētibus erogaret. Nam & de vasis dominicis propter captiuos, & quamplurimos indigentes frangi, & conflari iubebat, & indigentibus dispēsari. *Possidon. in vita Augustini, c.* 24.

Acacius Amidæ Episcopus pauperes captiuos, num. 7000 pauperie propemodum fameque consumptos redemit, conuocatis suis clericis, & ad misericordiam compulsis grauissima oratione. Inter multa, Deus noster (inquit) neque lancibus, neque poculis eget: nam nec comedit, nec bibit, quippe qui his rebus minime opus habeat. Quare cum Ecclesia multa monumenta aurea atgenteaque ex propensa fidelium in eam benignitate possideat, hisce rebus milites captiuos è custodia liberare, fameque prope enectos reficere, sustentareque conuenit. Dictum factum, summa cum Acacij laude, Pauperum captiuorum læta liberatione, Christique nominis gloria, *Socrat. hist. Eccl. lib.* 7. *c.* 21.

Theophilus epis. Præstabilius est, inquit, ægrotorum corpora, quæ vera templa Dei cogitare possumus, & ob quæ pecuniæ quæruntur, conuenientiori cura restruendis curare, quam templa lapidea ædificare. *Sozom. Eccl. hist. lib.* 8. *c.* 12.

Hilarion pauper Christi quum à latronibus aggressus esset: Nudus, inquit, latrones non timet. Et illi cum subiecissent, Tu occidi potes; possum, respondit, ideo latrones non timeo, quia mori paratus sum. *Hieronym. in vita Hilarionis.*

Similitudines.

Chrysostomi. Pauperes sunt medici vulnerum tuorum, manus eorū tibi medicamenta præstant. Non ita vt medicus medicamenta imponat, extendens manum, curationem exhibet: vt pauper abs te accipiat, porrigens manum: dedisti pecuniam, peccata exussti, *In* 1. *ad Timoth. homil.* 14.

Ambrosij. Sicut diuitiæ negligentiam pariunt salutis; Ita egestas dū saturari quærit, à iustitia declinat. *super epist. Pauli.*

Saluiani Episcopi Labor, ieiunium, & paupertas, & humilitas, & infirmitas, non omnibus sunt onerosa tolerantibus, sed tolerare nolētibus. Siue enim grauia hæc, siue leuia, animus tolerantis facit. Nam sicut nihil est tam leue; quod ei graue non fit, qui inuitus facit: sic nihil est tam graue, quod non ei, qui id libenter exequitur, leue esse videatur; nisi forte antiquis illis priscæ virtutis viris, Fabijs, Fabricijs, Cincinnatis, graue fuisse existimamus, quod pauperes erant qui diuites esse nolebant: cum omnia scilicet studia sua, omnes conatus suos ad communia emolumenta conferrent, & crescentes Reipublicæ vires priuata paupertate ditarēt. *De vero iudicio. & Prouidentia Dei. lib.* 1. *fol.* 2.

Laurentij Iustiniani Patriarchæ. Quemadmodum ex adhibito remedio ægroti, medici peritia agnoscitur; Ita interdum ex occurrente inopia, miserentis Dei prouidentia sentitur. *lib. de contemptu mundi cap.* 11.

Socratis. Sicut pallium sordidum non obstat corpori, quo minus sanum, & quadratum sit: ita paupertas nihil orationis liberam fiduciam prohibet. *Apud Stob. serm.* 11.

Epicteti. Vt hi qui genitu sunt inter Persas, non desiderant in Græcia habitare, & illic felicitate frui: Ita etiam pauperes, quibus diuitiarum nota est natura, etsi in summa inopia nati sint, non tamē ob illa irritamenta malorum student ditescere. *Apud Stob. ser.* 11.

Aristonymi. Pauperum vita similis est nauigationi iuxta littus, diuitum autem, ei quæ in profundo pelago fit. Illis enim facile est funem eijcere, appellere, & nauim extrahere. Diuitibus non itē. *Apud Stob. serm.* 95.

Plutarch. E corporis morbo quidam hoc excerpunt commodi, quod vacant negocijs, quibus distinguebantur; & quosdam labores obiecti reddidere validos: Sic quibusdam exilium, paupertas, naufragium, occasio fuit philosophandi. *In Moral.*

Vt qui vestes flagellant, corpus non attingunt: Sic qui generis vitiū, aut paupertatem exprobrant, non proprie tangunt ipsum hominem, sed externa calumniantur. *In Moral.*

Seneca. Quemadmodum qui pedibus suis poterit iter conficere, ascēdere tamen vehiculum mallet. Sic pauper si poterit esse diues, volet, & habebit vtique opes, sed tamquam leues, & auolaturas, nec vlli alij, nec sibi graues esse patietur. *lib. de vita beata, c.* 23.

Ioannis Ludouici Viuis. Quemadmodum in via, sic in vita quo quis expeditior, & paucioribus sarcinis impliciens, hoc leuius, & iucundius iter facit. *In introductione ad Sapientiam, fol.* 40. *c.* 3.

P. M. Qui in altis sunt specubus, a fulmine non feriuntur; Ita infima fortuna tutissima est. *in simil.*

Vt vasa paria, quorum alterum plenum sit, alterum inane, pulsata concentum faciunt διὰ πασῶν. Ita bene conuenit inter diuitem benignum, & pauperem indigum. *ibid.*

Themist. Vt crapula ac abundans rerum copia plurimos morbos progenerat, qui sola vitæ abstinentia tolluntur: Sic diuitiæ multorum incommodorum authores sunt, quæ sola paupertate tolluntur. *in apoph.*

Quemadmodum pater filio prodigo non dat affatim, sed quod sufficit in menses singulos paulatim partitur: Ita Deus optimus maximus quibusdam largitur parcius, ne ipsis in perniciem cedat magnarum opum luxus. *in apoph.* 172.

Sunt semita quædam quæ ostendunt compendium, sed difficultas prohibet, & periculum: Atqui paupertas spontanea via est ad cœlum compendiosissima, *in apoph.* 96.

Adagia.

Nec obulum habet vnde restim emat.

In eos, qui maxima rei familiaris inopia laborant, Lucianus in Timone.

Χθὲς μὲν οὐδ᾽ ὀβολὸν ... πρὸς τὰς βρόχους ἐχυνέτατ.

Qui pridem obulum quidem habebant: quo laqueum emerent.

Nudior Leberide. γυμνότερος λεβηρίδος.

De vehementer tenuibus.

Iro, Codro pauperior. Ouid.

Irus erit subito, qui modo Crœsus erat.

De Codro Iuuenalis:

Tota domus Codri rheda componitur vna.

Nudior paxillo. γυμνότερος πατάλου.

De extrema paupertatis homine dicebatur hæc hyperbole.

Telenico pauperior. Τελενίκου πτωχότερος.

Nam is notæ paupertatis fuit.

Nudus tanquam ex matre. γυμνὸς ὡς ἐκ μητρός.

De vehementer paupere.

Er ist so nacket, als er von Mutter Leib kommen ist.

Ne in pelle quidem. οὐδ᾽ ἐν δέρματι.

De supra modum tenuibus, velut vsque adeo nudis, vt ne pelle quidem proprie tegantur.

Araneas eijcere. *Hesiodus.*

Ἐκ δ᾽ ἀγγέων ἐλάσειας ἀράχνια.

Vasis eijcias quas nectit aranea telas.

Sic enim significant inanitatem, & inopiam, Lucianus Carit & araneis differta.

Cum exossis suum rodit pedem. ὅτ᾽ ἀνόστεος ὃν πόδα τένδει.

Consimili figura significauit egestatem in eodem opere,

Macilenta manu pinguem pedem.

Manus enim gracilescunt fame, pedes intumescunt frigore. Venustius erit si longius transferatur, ad viaticum parandum senectutis, aut similia.

Pedem vbi ponat, non habet.

In hominem insigniter tenuem, atque inopem.

Cinclus. Κίγκλος.

Rusticano prouerbio dicebantur præter modum pauperes.

Pitillo nudior. ὑπέρ γυμνότερος.

De vehementer tenui, miseroque.

Paupertas sapientiam sortita est, πενία δὲ τὴν σοφίαν ἔλαχε. *Zenodotus citat ex Euripide.*

Ignaua est opulentia: Verum inopia multarum artium repertrix est.

Armut lehrt geigen.

Armut bringt Kunst vnd Demut.

Item, Vvere Armut nicht, so vvere kein Kunst.

Pauper, sed ingeniosus.

In homi-

In hominem tenui cultu, sed egregio tamen corpore, quadrabit illud Homer. ex Odyss.

Οἵην ἐκ ῥακέων ὁ γέρων ἐπιγουνίδα φαίνει.
Quos profert senior pan is è vilibus armos.

Lucianus torquet ad senem ingenio facundiaque praecellentem.

Multa docet fames, Fames Magistra, πολλῶν ὁ λιμὸς γίγνεται διδάσκαλος.

Fames magistra est artium complurium. Sensus per se planus est huius adagij.

Hecale pauperior.

Hecale paupertate nobilis est Ouid.

Cur nemo est Hecalen, nulla est quae ceperit Irum
Nempe quod alter egens, altera pauper erat.

Ad incitas redactus.

Quos vrgeret extrema necessitas, his res dicebatur ad incitas rediisse. Plaut.

Er ist an den Bettelstab kommen.

Item, Er kan sich des Hungers nicht erwehren.

Item, Er hat kaum das liebe Brot zu fressen.

Centro & spacio circumscripta. τὰ τῆς οὐσίας καὶ κέντρῳ καὶ διαστήματι ὡρισμένα πρὸς χρείαν.

Sentit fortunas eam angustias, vt nisi certa dimensione dispensentur, nō sint ad necessarios vsus sufficturae.

Nani.

Quadrabit in tenues, & humilis fortunae homunculos, a quemadmodum ait Horat. Modulo bipedali qui potentes sumptu conantur aequare.

Tunicati.

Tenues & humiles nullo cultu insignes, tunicati dicuntur. Horatius.

Vilia vendentem tunicato scruta popello.

Canalicolae.

Homines exilis tenuique fortunae, dicti olim Canalicolae. quod circa canales foro consisterent.

Ne tempestas quidem nocere possit.

In homines insigniter nudos, & inopes. Cic.

Non habet cui indormiat.

Dicimus & hodie, Non habet. illum, aut non habet stramenta quibus indormiat.

Omnia praeter animam.

Quum nihil non datum significamus praeter vitam. dicimus omnia tradita praeter animam. Similis figura. Animam debere dicuntur, qui plus quam omnia debent.

Zonam perdidit.

Prouerbium castrense in ἀχρηματεῖς Id est, *eos qui nihil habent nummorum.*

Er haelt hauss im Vierschger.

Animam debet. τὴν ψυχὴν ὀφείλει.

De eo qui immodico aere alieno tenetur vt plus quam omnes facultates, ac denique seipsum debeat.

Er ist niemand nichts schuldig dann den Leuten.

Item, Er ist Gut vnd aller Welt schuldig.

Saguntina fames.

Est Saguntum Hispaniarum oppid. iuxta flumen Iberum. societate foedereque coniunctum cum Romanis. Id ergo Poenorum obsidione fameque eo redactum est, vt ciues extructo rogo. quicquid erat pretiosarum rerum in eum conijcerent. ac postremo seque suos que liberos eo praecipitarent, ne venirent in hostium manus.

Fames Melia. λιμὸς Μηλιαῖος.

De fame extrema, deque rebus difficillimis.

Famis campus. λιμοῦ πεδίον.

In ciuitates dicitur vagentis fame pressas.

λιμοδωριεῖς.

Quadrabit in eos, qui fame adacti, alio domigrant.

Aquā bibens, nihil boni parias. ὕδωρ δὲ πίνων χρηστὸν οὐδὲν ἂν τέκοις.

Languet poetarum ingenium, ni vino conualescat Vnde Hor.

Nulla placere diu neque viuere carmina possunt,
Quae scribuntur aquae potoribus.

Non est Dithyrambus, si bibat aquam, οὐκ ἔστι διθύραμβος, ὅταν ὕδωρ πίῃ.

Non adest hilaritas quum deest vinum.

Quaerendae facultates, deinde virtus. δίζησθαι βιοτήν, ἀρετὴν δ' ὅταν ᾖ βίος.

Quaerendus victus, virtus autem, vbi victus adfuerit Horatius.

O ciues, ciues quaerenda pecunia primum est,
Virtus post nummos.

Pausone mendicior. Παύσωνος πτωχότερος.

Pauson pictor quispiam fuit insigni tenuitate, quemadmodum apud Iuuenalem Codrus.

Sterilior Agrippa. ἀκαρπότερος Ἀγρίππα.

Quadrat in ignauos, nulliusque industria homines.

Trium dierum commeatum.

Trium dierum commeatus cum militare paupertas extrema videatur. Translatio ducta à militum commeatu.

Qui eget in turba versetur, πτωχὸν βέλτιον ἐστὶ κατὰ πόλιν ἢ κατ' ἀγροὺς ταῦτα πτωχεύειν.

Etiam hodiernis temporibus vulgo iactatur fabula de caeco mendico, quod iubebat ministro, vt eo se duceret, vbi maxima esset hominum procella addens sententiam popularem eo celebrem, ibi quaestum esse, vbi sit hominum frequentia.

Mendico ne parentes quidem amici sunt. πτωχοῦ φίλος οὐδ' ὁ γεννήτωρ.

Diuitiae conciliant amicos, Paupertas nec illos habet amicos quos natura coniunxit.

Arme leut Kennet niemand.

Item, Arme leut haben wenig freund.

Omnem facultatem induti. πᾶσαν τὴν οὐσίαν ἠμφιεσμένοι.

De paupere, qui praeter vestitum nihil praeterea rerum possidet. Notum illud Biantis philosophi dictum:

Omnia mea mecum porto,
Plautus:
Haec quod induta sum, summa opes.

Theagenis pecuniae, quemadmodum Aeschinis, Θεαγένους χρήματα τάτ' Αἰσχίνου.

Iocus prouerbialis in eos, qui pauperes cum essent, tamen diuites haberi volebant. Aristoph.

Cleomenes cubile superat ὁ Κλεομένης τῆς κοίτης ὑπερέχει.

De eo, qui magis abundaret rebus superuacaneis, quam necessarijs.

Certissima paupertas. *Columella.*

Nam vetus prouerbium est, paupertatem certissimam esse. quum alicuius indigeas, vti eo non posse, quia ignoretur vbi proiectum iaceat, quod desideratur.

Ostiarium.

Iucundius erit, si transferatur ad res animi, vt si quis è singulis libris ac capitibus authorum petat testimonia aut probationes, dicitur ostiatim petere.

Exumpla Biblica.

Paupertatis, *exēpla* Iacob *Gen.* 28.11. & 32.10. Moses, *Exod.* 3.1. Ruth, *Ruth.* 2.2. Cis, pater Saulis, 1. *Sam.* 9.11. Dauid, 16.11. & 17.17. Mulier Sareptuoa, 1. *Reg.* 17.10. Elisaeus v. 21. Filij Prophetarum, 2. *Reg.* 4.38. & 6.2. Tobias senior, *Tob.* 2.22 & 4.23. Rechabitę, *Ierem.* 35.8.9. Pauperes, 39.10. duo filij Zebedęi, *Matth.* 4. 21. Christus, 8 20 & 21, v. 1. 2. & 27.55. *Luc* 9.58. 2. *Cor.* 8.9. Ioseph. cū vxore sua Maria, *Luc.* 2. v. 7. 12. 24. Lazarus, 16. 20. Vidua paupercula, 21. 2. Cęcus nat. 2. *Io.* 9 8. Ecclesia Ierosolymitana, *Act.* 2. 45. *Ro.* 15.26. Petrus, *Act.* 3.6. Paulus, 1. *Cor* 4 11. *Philip.* 4. 12.

Paupertas pijs aequo animo ferenda est: 1. Quia cedit illis in bonū, nimirum ad fidei probationem, coelestis vitae meditationem, serium resipiscentiam, & ad mundi huius odium & abrenunciationem meditandam. 2. Quia veras diuitias non adimit pijs, repositas in coelo, vt exemplum Lazari mendici, *Luc.* 16. luculenter docet. 3. Quia illam etiam Christus in terris eiusque serui numero innumero experti sunt. 4. Quia est hominibus omnib. connata. Nullus enim non hominum nudus egressus est ex vtero matris, *Iob.* 1. 21. *Eccles.* 5. 15. Inde natum vulgate istud:

Infantem nudum cum te natura crearit,
Paupertatis onus patienter ferre memento.

Prophana Exempla.

Telemachus Acarnensis, ob paupertatem fabis saepenumero victitabat. Huic Telemachi olla, prouerbio locum fecit.

Teleneus, vsque adeo notae paupertatis fuit: vt Seriphij verbum inde finxerint, dicantque τελανίζειν pro euacuare. *P. M. in Adag.*

Connus tibicen pauperrimus, qui nihil habuit praeter oleastrum. Fuit & Lysistratus summae paupertatis homo; adeo vt prouerbio locum fecerit.

Gallias Atheniensis. Diomnesti Eretriei diuitias male partas dilapidauit: vt apud vetulam quandam barbarā viuere cogeretur: victusque quotidiani inopia laborans, mortuus sit. *Athen. li.* 12. *c.* 17.

Michael Palaeologus regno potitus, tres tantum aureos domi habuit. *Pachymerius.*

Ladislaus II. Vngariae Rex in eas angustias rei familiaris venit: vt interdum mensae, quod apponeretur, vix habuerit, *Ioan Sambucus in Appendice Bonfinij.*

Paupertate Phocion, vt virtute gloriabatur: in qua, licet toties dux Atheniensium fuisset, & regum vsus amicitia, consenuit. *Plut. in Phocione.*

De Romanis aliquot ducibus sic scribit Claudianus in quarto Honorij consulatu

Pauper erat Curius, reges cum vinceret armis:
Pauper Fabritius, Pyrrhicum sperneret aurum
Sordida Serranus flexit Dictator aratra.

L. Paulus Aemilius adeo inops decessit: vt nisi fundus, quem vnū reliquerat venisset, vxor eius dotē vnde reciperet, nō extitisset. *Plut.*

Democritus Abderites diligens naturae contemplator vsque adeo diuitias contempsit, vt non modo aliunde oblatas non acceperit, sed eas etiam, in quibus natus erat, sponte publicarit. Itaq nihil praeter ingenium possedit. vel quia noluit, vel quia non debuit.

Diogenes

Diogenes ita in omni vita paupertatem coluit, vt aduersus calorem, & frigus dolio contentus fuerit: poculum fregit, rusticum cauis manibus potantem intuitus. Tam felix ab Alexandro iudicatus, vt Diogenem malle se esse dixerit, quam alium quemquam, si nō rex & Alexander esset.

Socrates philosophorum omnium luculentissimus, pauper semper fuit, nudis pedibus incedens, sordido palliolo contentus, honores & omnia terrena contemnens.

Cornelia Gracchorum mater, cum Campana quædam matrona apud illam hospita ornamenta sua pulcherrima ostenderet, traxit eā sermone quousque e schola redirent liberi, & hæc, inquit, ornamenta mea sunt.

EMBLEMA.

Paupertatem summis ingenijs obesse, ne prouehantur.

Emblema CXX. Andr. Alciat.

Dextra tenet lapidem manus altera sustinet alas
Vt me pluma leuat, sic graue mergit onus.
Ingenio poteram superas volitare per arces,
Me nisi paupertas inuida deprimeret.

Vide, Diuitiæ.

PAX.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

PAx, Græce, *εἰρήνη, ης, ἡ. & εἰρηνεύω* pacifico: & *εἰρηνικὸς, ὁ,* pacificus dicitur. Est autem pax tranquillitas ordinis, maxime in voluntate, *sec. S. Thom. 1. 2. q. 70. art. 3. 2. 2. q 29.*

Pax est tranquilla libertas. Diciturque a pactione. Pactio autem à pango, quod est figo. Vnde pangi carmina dicta sunt, quod ceris figerētur. Hinc pango metaphoricos pro cano, scribo, manifesto, vsurpatur. Hinc pagina vtraq; pars folij dicta est, quod in ea carmina pangantur hoc est, figatur. A pactio fit paciscor, hoc est, cō uenio. & pactum conuentio. Hinc paco, hoc est mitigo, lenio, placo, & pacifico, quod est pacem facio. A paciscor fit etiam depaciscor compositum: & depactus quod significat idem quod pactus, Teren. *Iam depacisci mortem cupio.*

LOCI BIBLICI.

Pax Hebræis, *Shalom*, à verbo *Schalem*, inijt pacem cum aliquo, placatus est, pacificatus est, item reddidit cuique quod suum est, pax enim publica ea ratione conseruatur. Cognationem habet cum *Maschal*, dominatus est: nam dominatores & reges debent pacē & integritatem iustitiæ conseruare atque implere. Sumitur autem vox illa pro incolumitate, felicitate, omnique prosperitatis genere, & felici rerum omniū successu, *Gen. 29. 6. & 37. 14. & 41. v. 19. Iof 10. v. 21. Iud. [illegible] 15. 1. Sam. 10. v. 4. & 25. 5. & 30. 21. 2. Reg. 96. Esa. 26. 3. Ier. 15. 5 & 29 v. 7. 11. Psal. 122. 7. Rom. 1. 7. 1. Cor. 1. 3. 2. Cor. 1. 2. Phil. 1. 2. Ephes. 8. 22.*

Paulus hoc nomine passim in suis precationibus intelligit: *Primo* pacem conscientiam cum Deo: *Secundo*, mutuam piorum inter se dilectionem & concordiam: *Tertio*, protectionem Dei, & omnimodam benedictionem: pro *εὐωχία*, i. ea animi tranquillitate & serenitate, *Rom. 5. 1.* quæ alibi *Phil. 4. 7.* Pax Dei dicitur. Sic capitur, & *Luc. 2. 14. 2. Pet. 3. 14.* pax vera quæ, *Io. 14. 27* pax à Deo, *Num. 6. 26. 2. Paral. 14. 6. Esa. 26. 12 & 45. 7.* per Christū, *Rom. 5. 1.* Pax in cœlo, *Luc. 19. 38.* in terra, *2. v. 14.* pax Messiæ tempore, *Esa. 2. 4. & 1. 6. & 26. 12. & 66. 12. Mich. 4. 3. Zach. 9. 10.* pax amanda & quærenda, *Psal. 34. 15. Zach. 8. 19. Marc 9. 50. Luc. 10. 5. & 12. 58 Rom. 12. 18. & 14. 19. 1. Cor. 7. 15. & 14. 33. 2. Cor 3. 11. Gal. 5. 22. Ephes. 4. 3. Col. 3. 15. 2. Tim. 2. 22. Heb. 12. 14. 1. Pet. 3. 11.* cum Pastoribus gregi maxime colēda, *1. Thess 5. 13.* pax in Christo quęrēda, *Io 16. 33.* à Christo nobis relicta, *14. 27.* pax sceleratis & impijs nulla, *Esa. 48. 22. & 57. 21.* pax quibus promissa, *Psal. 119. 165. Esaia 54. 13.* pax vobis, salutatio Hebræorum, *Gen. 43. 23. Iudic. 19. 20. 1. Sam. 25. 6. Ioan. 20. v. 19. 21.* Vade in pace, pro feliciter & tranquille, formula qua vtuntur Hebræi erga abeuntes, *1. Sam. 1. 17 Luc 11. 21. Marc. 5. 34.*

Pax quædam temporalis, quædam æterna, *Gen. 15. v. 6. 8. & 26. 22. & 45. 24. Leu. 26. 6. Num. 6. 27. Eccl. 25. 2. & 28. v. 15. 19. Ier. 29. 7. Matthæ. 5. 9. Marc. 9. 50. Luc. 14. 32. Act. 9. 31. Rom. 12. 18. 1. Cor. 14. 33. Ephes 4. 3. 2. Tim. 2. v. 22. Heb. 12. 14. Iac. 3. v. 18. 1. Pet. 3. 11. Apoc. 6. 4.* pax interna qualis est inter Deum & eius amicos ac fideles, *Esa. 2. 4. & 9. 6. & 11 v. 6. 7. & 66. 12. Ose. 2. v 14. 20. Mich. 4. 3. Zach. 9. 10. Luc. 2. 4. & 24. 36. Io. 14. 27. & 16. 33. & 20. 10. Act. 10. 36. Rom. 5. 1. Ephes. 2. 14. Phil. 4. 7.* pacem ne cum Moabitis ineant, monentur Israelitæ, *Deut. 23. 6.* pax ciuitati obsessæ offerenda, *20. 10.* pacem & misericordiam promittunt falsi Prophetæ, *Ier. 6. 14. & 8. v. 8. 11. & 14. 13. & 23. 16. Ezech. 13. v. 10. 16. Mich. 3. 5. Thess 5. 3.*

Pacem Deus dat *exempla*: Salomon, *2. Reg. 5. 4. & 8. 56.* Dauid, *7. Paral. 22. v. 17. 18.* Asa. *2. Paral. 14. 6.*

Pacifici beati, *Matth. 5. 9.* pacificus Salomon, *1. Paral. 22. 9.*

Pacificorum hostiæ, *Leu. 3. 1 & 7 11.*

SENTENTIÆ BIBLICAE.

In pace in idipsum dormiam & requiescam. *Psal. 4*

Et sedebit populus meus in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta. *Esa. 2.*

Pax superna erga Deum per Christum nobis prouenit.

Gloria in excelsis Deo, & in terra pax erga homines beneplacitos. *Luc. 2.*

Nunc autem in Christo Iesu, vos qui longe eratis aliquando, facti estis prope in sanguine Christi. Ipse enim est pax nostra, qui fecit vtraque vnum, *Ephes. 2.*

Et veniens euangelizauit pacem vobis, qui longe fuistis, & pacem his qui prope: quoniam per ipsum accessum habemus ambo in vno Spiritu ad patrem. *ibid.*

Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem diuinitatis inhabitare, & per eum reconciliari omnia in ipso, pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in cęlis, siue quæ in terris sunt. *Coloss. 2.*

Verbum misit Deus filijs Israel, annuncians pacem per Iesum Christum, hic est omnium Dominus. *Act. 10.*

Exigit a nobis humilem subiectionem.

Quis restitit ei, & pacem habuit? *Iob. 9.*

In quamcumque domum intraueritis, primum dicite: Pax huic domui, & si quidem fuerit ibi filius pacis, requiescet super illū pax vestra: sin autem, ad vos reuertetur. *Luc. 10.*

Iugem obeditionem.

Et percutiam illis fœdus pacis. Pactum sempiternum erit eis. Et erit tabernaculum meum in eis, & ero eis Deus, & erunt mihi populus. *Ezech. 37.*

Pactum meum fuit cum eo vitæ & pacis. & dedit ei timorem, & timuit me, & a facie nominis mei pauebat. *Malach. 2.*

Gloria in altissimus Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis, *Luc. 2.*

Liberalem dilectionem.

Ego enim scio cogitationes, quas ego cogito super vos, ait Dominus cogitationes pacis, nō afflictionis, vt dem vobis fidem & patientiam & inuocabitis me, & viuetis. & orabitis me, & exaudiā vos: quæretis me & inuenietis, cum quæsieris me in toto corde vestro. *Ier. 29.*

Pacem relinquo vobis, pacem meā do vobis, Non quomodo mundus dat, ego do vobis. *Ioan. 14.*

Hæc locutus sum vobis, vt in me pacem habeatis. *16.*

Acquirit magnam remunerationem.

Acquiesce igitur ei, & habeto pacem, & per hæc habebis fructus optimos. *Iob. 22.*

Et loquetur pacem gentibus. *Zach. 9.*

Et pax Dei quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, & intelligentias vestras, in Christo Iesu, *Phil 2.*

Et pax Christi exultet in cordibus vestris, in qua & vocati estis in vno corpore. *Coloss 3.*

Pax interna peccatum excludit.

Non est pax impijs, dicit Dominus. *Esa 48.*

Creaui fructum labiorum pacem, pacem ei qui longe est, & qui prope est, dixit Dominus, & sanaui eum, *57.*

Pax aeterna bona vel vera à Deo præstatur.

Et ponam locum populo meo Israel, plantabo eum, & habitabo cum eo, & non turbabitur amplius: & non addent filij iniquitatis vt affligant eum sicut prius. *2. Reg. 7.*

Ædificemus ciuitates istas, eo quod quæsierimus Dominum Deū patrum nostrorum, & dederit nobis pacem per gyrum. *2 Paral. 14.*

Ipso enim concedente pacem, quis est qui contemnet? *Iob. 34.*

Seruabis pacem, quia in te sperauimus. *Esa. 26.*

Domine dabis pacem nobis. *ibid.*

Ego Dominus & non est alter: formans lucem & creans tenebras, faciens pacem & creans malum. *45.*

Vtinam attendisses mandata mea, facta fuisset sicut flumen pax tua. *48.*

Nam si in via Dei ambulasses, habitasses vtique in pace super terram. *Bar. 9.*

Et faciam cum eis pactum pacis. *Ezech. 34.*

Ipse autem Deus pacis det vobis pacem sempiternam in omni loco. *2. Thess 3.*

Et exiuit alius equus rufus, & qui sedebat super illum, datum est ei, vt sumeret pacem de terra, & vt inuicem se interficiāt, & illatus est ei gladius magnus. *Apoc. 6.*

In bonis confirmatur.

Pax multa diligentibus legem tuam. *Psal. 119.*

Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus. *20.*

Rogate quæ ad pacem sunt Hierusalem. *122.*

Disciplinam in pace conseruate filij, *Eccl. 41.*

Et erit opus iustitiæ pax, & cultus iustitiæ silentium, & securitas vsque in sempiternum. *Esa. 32.*

Fiat

Fiat tantum pax (ait Ezechias rex ad Esaiam) & veritas in diebus meis. 39.
Pacem habete inter vos. *Mar. 9.*
Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. *Rom. 12.*
Itaque quæ pacis sunt sectemur. 14.
In pace autem vocauit nos Deus. 1. *Cor. 7.*
Non enim est Deus dissensionis, sed pacis. 14.
Pacem habete, & Deus pacis, & dilectionis erit vobiscum. 2. *Cor. 13.*
Pacem sequimini cum omnibus, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum. *Hebr. 12.*
Multitudinis autem credentium erat cor vnum, & anima vna. *Actor. 4.*

Summe commendatur.

Custodi innocentiam, & vide æquitatem, quoniam sunt reliquiæ homini pacifico. *Psal. 37.*
Et quærite pacem ciuitatis ad quam transmigrare vos feci, & orate pro ea ad Deum, quia in pace illius erit pax vobis. *Ier. 29.*
Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. *Matth. 5.*
Intrantes autem in domum salutate eam, dicentes: Pax huic domui, 10.

Pax ficta malum proxime machinatur.

Ne simul tradas me cum peccatoribus. Qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum, da illis secundum opera eorum. *Psal. 28.*
Sagitta vulnerans lingua eorum, pacem cum amico suo loquitur, & occulte ponit insidias. *Ier. 9.*

Pax praua in mala copulatur.

Quia zelaui super iniquos, pacem peccatorum videns. *Psal. 73.*

A Deo reprobatur.

Nec forte sit inter vos vir aut mulier cuius cor se auertat hodie à Domino Deo nostro. Pax erit mihi, & ambulabo in prauitate cordis mei, & assumat ebria sitientem, & Dominus non ignoscat ei. *Deut. 29.*
Nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram: Non veni pacem mittere, sed gladium. Veni enim separare hominem aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem suam, & nurum aduersus socrum suam, & inimici hominis domestici eius. *Matth. 10. & Luc. 12.*

Patrvm Santentiae.

Pax est serenitas mentis, tranquillitas animi, simplicitas cordis, vinculum amoris, consortium charitatis. Hæc est, quæ simultates tollit, bella compescit, iras comprimit, superbos calcat, humiles amat, discordes sedat, inimicos concordat, cunctis est placida, nescit extolli, nescit inflari: hanc qui acceperit teneat; qui perdiderit repetat, qui amiserit exquirat: quoniam qui in eadem nõ erit inuentus, a patre abdicatur, à filio exheredatur, nihilominus à Spiritu sancto alienus efficitur: nec ad hæreditatẽ Domini poterit venire, qui testimonium pacis noluerit obseruare. *Aug. de verb. dom.*
Concorda cum aduersario tuo, nescis quando vita finiatur, quum ita finita fuerit, iudex restat, & minister, & carcer. Ac si seruaueris aduersario tuo bonam voluntatem, & cum eo consenseris, pro iudice inuenies patrem: pro ministro sæuo Angelum tollentem te in sinum Abrahæ, pro carcere paradisum. *ibid.*
Tale bonum est bonum pacis: vt in rebus creatis nil gratiosius soleat audiri, nil delectabilius concupisci, & nil vtilius possideri. Spiritus enim humanus numquam viuificat membra, nisi fuerint vnita: sic Spiritus sanctus numquam viuificat ecclesiæ membra nisi fuerint in pace vnita. *De ciuit. Dei.*
Quisquis vel quod potest corrigi, vel quod non potest corrigere, saluo pacis vinculo excludit: vel quod saluo pacis vinculo excludere non potest, æquitate improbat, firmitate supportat, hic est pacificus. *Contra Parmen lib. 2.*
Duæ sunt amicæ, Iustitia, & Pax: tu forte vnam vis, & alteram non facies. Nemo enim est, qui non velit pacem, sed non omnes volunt operari iustitiam. Interroga omnes homines, vis parẽ? vno ore respondebit tibi genus humanum; opto, cupio, amo, volo. Ama iustitiam, quia duæ amicæ sunt, Iustitia & Pax, ipsæ se osculantur, si amicam pacis non amaueris, non te amabit ipsa Pax, nec veniet ad te. *in Psal. 84.*
Infelix populus Dei non potest in bono tantam habere concordiam, quantam mali habent in malo. *Hieron. in Psalm.*
Nemo vires suas in Pace cognoscit. Si enim bella desunt, virtutum experimenta non proderunt. *Greg. in moral.*
Inde nobis cum Deo pax robustior oritur, vnde nobis ab aduersarijs durior pugna generatur. *idem, ibid.*
Si Dei vocantur filij qui pacem faciunt, procul dubio Satanæ sunt filij, qui Pacem confundunt. *in past.*
Quum pro te terrena Pax à corde cum proximo scinditur, liquido apparet, quod res plus quam proximus amatur. *In hom.*
Sicut multum nocet, si vnitas desit bonis, ita valde est noxium si nõ desit malis. Si ergo peruersorum nequitia in pace iungitur, profecto eorũ malis actibus robur augetur: quia quo sibi in malitia congruunt, eo se robustius bonorum afflictionibus illudũt. *in Past.*
Melior est talis pugna, quæ Deo proximum facit, quã Pax illa, quæ separat a Deo. *Nazian. in Apol.*
Non timeas contra charitatem esse: si vnius scandalum, multorum recompensaueris pace. Melius est enim vt pereat vnus, quam vnitas. *Bern. in ep.*
Pax hominibus bonæ voluntatis. Non bonæ, sed plane iniquæ voluntatis est, qui nequaquam pace contentus, superbo oculo, & insatiabili corde inquietus anhelat ad gloriam mundi, nec pacẽ perinde retinens, nec gloriam apprehendens. *sup. Cant.*
Intantum humanæ pacis Christus studuit concordiæ, vt vnitatis merito omnia quæ a Deo precanda sunt, impetranda esse confirmet. & vbi duo vel tres pari spiritu & voluntate collecti sunt, ibi se medium eorum pollicetur futurum. *Hilar. sup. Matth.*
Speciosum quidem nomen est pacis. & pulchra est opinio vnitatis: sed quis ambigit eam solam ecclesiæ atque vnitam pacem esse quæ Christi est. *idem contra Arrianos ad Auxentium Libro.*
Concordia malorum, contraria est bonorum: & sicut optandum est, vt boni pacem habeant adinuicem: ita optandum est, vt mali sint discordes. Impeditur enim iter bonorum, si vnitas non diuiditur malorum. *Isid. l. 3. de sum bon.*
Pax quæ de ore prædicatoris profertur, aut requiescit in domo, si in ea fuerit filius pacis: aut ad ipsum prædicatorẽ reuertitur tanquam fructus. *Raba. in Matth.*
Tunc est vera pax hominis & vera libertas, quando & caro animo iudice regitur, & animus Deo præside gubernatur. *Leo in ser.*
Hæc est vera pax a Dei voluntate non diuidi, & in his, quæ solius Dei sunt, delectari, quando enim sensualitas nulla parte resistit voluntati, & voluntas nulla parte contradicit rationi, tunc est serenitas mentis, & tunc est regnum Dei. *ibid.*
Falsæ pacis tres sunt species. Est n. pax Æstimata, pax Simulata, pax Imperata. Dum. n. inter sęculares pacem quærimus, dum discordes ad concordiam reuocamus, æstimant sęculares, quod pacem inter nos habeamus: dum in vestimentis ouium foris eximus, & intus quasi lupi rapaces gregem simplicẽ furtim lacerando dispergimus, pacẽ simulamus, sed non habemus. dum vero prælati subditis imperãt, & eos disciplinæ legib. non coarctant, solummodo pacem docent, & non tenent: æstimant pacẽ sęculares, simulant peruersi claustrales, imperant & nõ tenẽt tepidi pastores. Sic igitur æstimatur à nescientib. & simolatur à non habentib. imperatur a non tenentib. sed verę pacis tres sunt species. s. pax probata. pax confirmata, pax certa. *Hugo de claustro animæ lib 3. c. 9.*
Lingua quandoque pacem prędicat, sed sæpius turbat, quum autem habitus, cor & lingua concordant, pacem seruant: vbi vero dissoluta discurrit, pacem soluit. *ibid.*
Pax est concordantium in bono animorum ordinata tranquillitas. *Cass. in Psal.*
Pax vera est concordiam habere cum moribus probis, & litigare cum vitijs. *ibid.*
Quum enim peccatores videntur locupletes, multisque dominati populis, & in mundo non est quod timeant, pacem habere putãtur: sed pax ista cum conscientia semper litigat, rixatur intrinsecus, & cum hostem non habeat, secum decertat. *ibid.*
Habeaus vnitatẽ spiritus in vinculo pacis, nec inueniri põt forma expressior conuersationis angelicę, quam voltas socialis. *ibid.*
In hoc enim gratia regis extollitur & seruatur, si in æquitate pacis populum dirigat, & in iustitiæ vigore conseruet. Hæc enim est bonarum artium mater decora: hęc mortalium genus reparabili successione multiplicans, facultates protendit, mores extollit, & tantarum rerum ignarus cognoscitur, qui eam minime quęsisse sentitur. *Cass. lib. 1. epist.*
Decet regalis apicis curiam, generalitatis custodire concordiam, quæ ad laudem regnantis trahitur, si ab omnibus pax ametur. Quid est enim, quod principem melius prædicet, quam quietus populus, concors senatus, & tota Respublica morum honestate vestita? *idem ep. l. 11.*

Poetarvm Dicta.

Bacchylides in Pæanibus.

Τίκτει δέ τε θνατοῖσιν εἰρήνα μεγάλα
Πλοῦτον καὶ μελιγλώσσων ἀοιδᾶν ἄνθεα.
Δαιδαλέων τ' ἐπὶ βωμῶν θεοῖσι τίθεντες βοῶν
Ξανθᾷ φλογὶ μηρία, εὐτρίχων τε μήλων,
Γυμνασίων τε νέοις αὐλῶν τε καὶ κώμων μέλει.
Res maximas mortalibus producit pax,
Nempe diuitias suauissimorum cantuum flores,
Hac efficit, vt in pulchris Deorum aris boum mandentur
Flammis fului partes, & lanigerarum pecudum.
Hæc facit, vt gymnasia iuuenes, & tibias & conuiuia curent.

Menand.

Εἰρήνη γεωργὸν κἀν πέτραις τρέφει καλῶς.
Πόλεμος δ' κἀν πεδίῳ κακῶς ἔφυ.

Pax

Pax agricolam vel inter saxa bene nutrit:
Bellum autem etiam in campis malum est.

Philemon in Pyrrho.

Οἱ φιλόσοφοι ζητοῦσιν, ὡς ἀκήκοα,
Περὶ τοῦτ' αὐτοῖς πολὺς ἀναλίσκεται χρόνος,
Τί ἐστιν ἀγαθὸν, κ' οὐδὲ εἷς εὕρηκέ πω.
Τί ἐστ' ἀρετὴν καὶ φρόνησιν φασὶ καὶ
Πλέκουσι ταῦτα μᾶλλον ἢ τ' ἀγαθόν.
Ἐν ἀγρῷ διατρίβων, τήν τε γῆν σκάπτων ἐγώ.
Νῦν εὗρον· εἰρήνη 'στὶν ὦ Ζεῦ φίλτατε,
Τῆς ἐπαφροδίτου καὶ φιλανθρώπου θεοῦ.
Γάμους, ἑορτάς, συγγενεῖς, παῖδας, φίλους,
Πλοῦτον, ὑγίειαν, σῖτον, οἶνον, ἡδονήν.
Αὕτη δίδωσι ταῦτα πάντ' ἀνεκλιπῆ.
Τέθνηκε κοινῇ πᾶσι ὁ τῶν ζώντων βίος.

Inquirunt (vt audio) philosophi,
Et multum in hoc absumunt temporis:
Quidnam sit bonum. necdum vllus inuenit quid sit,
Alius virtutem, alius prudentiam inquit, &
Haec etiam intricant magis, quam quid bonum sit,
At rusticus ego, terramq; fodiens,
Nunc bona quae sint Pacis inueni o Iuppiter charissime:
Amabilis illius & benignissimae Diua
Nuptias, festa, cognatos, liberos, amicos,
Diuitias, sanitatem, amorem, vinum, voluptatem,
Pax confert. Quod si omnia haec defecerint,
Perijt omnis communiter viuentium vita.

Euripid. tragicus poeta.

Ὅταν γὰρ ἔλθῃ πόλεμος εἰς ψῆφον λεώ,
Οὐδεὶς ἔτ' αὐτοῦ θάνατον ἐκλογίζεται,
Τὸ δυστυχὲς δὲ τοῦτ' ἐς ἄλλον ἐκτρέπει.
Εἰ δ' ἦν παρ' ὄμμα θάνατος ἐν ψήφου φορᾷ,
Οὐκ ἄν ποθ' Ἑλλὰς δοριμανὴς ἀπώλλυτο.
Καίτοι δυοῖν γε πάντες ἄνθρωποι λόγοιν
Τὸν κρείσσον' ἴσμεν, καὶ τὰ χρηστὰ καὶ κακά,
Ὅσῳ τε πολέμου κρεῖσσον εἰρήνη βροτοῖς,
Ἣ πρῶτα μὲν μούσαισι προσφιλεστάτη,
Νόσοις δ' ἐχθρά, τέρπεται δ' εὐπαιδίᾳ.
Χαίρει δὲ πλούτῳ. ταῦτ' ἀφέντες οἱ κακοὶ
Πολέμους ἀναιρούμεσθα καὶ τὸν ἥσσονα
Δουλούμεθ' ἄνδρες ἄνδρα καὶ πόλις πόλιν.

Quum de bello suscipiendo suffragia fert populus,
Tum nullus mortem imminere sibi cogitat.
Sed istud infortunium in alium conijcit.
Quod si mors ob oculos esset, dum feruntur suffragia,
Nunquam insano belli amore capta periret Graecia.
Verum enim vere omnes homines duplici sermone proposito,
Meliorem dignoscimus item bona & mala,
Et quantum bello potior sit pax hominibus.
Quae primum quidem Musis est gratissima,
Aduersa vero luctibus est, sobolisq; dexteritate gaudet:
Ac delectatur opibus: illis nos mali relictis
Bella praeferimus, & inferiorem
Subijcimus viri virum, & ciuitas ciuitatem.

Aristophanes ἐν ταῖς Νήσοις.

Ὦ μῶρε, μῶρε, ταῦτα πάντ' ἐν τῷδ' ἔνι.
Οἰκεῖν μὲν ἐν ἀγρῷ τοῦτον ἐν τῷ γηδίῳ
Ἀπαλλαγέντα τῶν κατ' ἀγορὰν πραγμάτων,
Κεκτημένον ζευγάριον οἰκεῖον βοοῖν.
Ἔπειτ' ἀκούειν προβάτων βληχωμένων,
Αἰγός τε φωνὴν εἰς λεκάνην ἀμελγομένης,
Ὄψον δὲ χρῆσθαι σπινιδίοις τε καὶ κίχλαις,
Καὶ μὴ περιμένειν ἐν ἀγορᾷ ἰχθύδια
Τριταῖα πολυτίμητα, βεβασανισμένα
Ἐπ' ἰχθυοπώλου χειρὶ παρανομωτάτῃ.

O stulte stulte, haec omnia paci insunt.
Vt ruri aliquis in praedio habitet.
Immunis a forensibus negotijs,
Proprium possidens iugum boum,
Balantes & audiat oues,
Capraeq; vocem ad mulctram emulgendae,
Obsonijs autem vtatur conchis & turdis.
Neque expectet in foro venales pisciculos
Triduanos, magni pretij contrectatos
Piscium venditoris iniquissima manu.

Tibull. 1. 10.

Interea pax arua colat. pax candida primum
Duxit araturos sub iuga curua boues.
Pax aluit vites, & succos condidit vuae,
Funderet vt nato testa paterna merum.
Pace bidens, vomerq; vigent, at tristia duri
Militis in tenebris occupat arma situs.
Rusticus è lucoq; vehit male sobrius ipse
Vxorem plaustro, progeniemque domum.

Ouid. 2. Fast.

Sub iuga bos veniat, sub terras semen aratas:
Pax Cererem nutrix, pacis alumna Ceres.

Sylius 11.

Pax optima rerum,
Quas homini nouisse datum est: pax vna triumphis
Innumeris potior: pax custodire salutem:
Et ciues aequare potens.

Ouid. 1. Fast.

Frondibus Actiacis comptos redimita capillos
Pax ades, & toto mitis in orbe mane.
Dum desint hostes, desit quoque causa triumphi,
Tu ducibus bello gloria maior eris.

Bapt. Mantuan. de pace.

Pax plenum virtutis opus, pax summa laborum.
Pax belli exacti pretium est, pretiumque pericli:
Sydera pace vigent, consistunt terrea pace.
Nil placidum est sine pace Deo, nec munus ad aram.

Ouid. Art. lib. 3.

Candida pax homines, trux decet ira feras.

Lucret. poeta lib. 5. de rerum nat.

Nec facile est placidam ac pacatam degere vitam,
Qui violat factis communia foedera pacis,
Et si non fallit cum diuum genus humanumque,
Perpetuo tamen id fore clam diffidere debet.

Faustus Andrelinus in distichis.

Securus placide mundus sub pace,
Tranquillum est summi pax opus alma Dei.

Pacem hic certam expectandam non esse.

Anthulog. Sacr.

O patria: o Diuum tellus sanctissima quisnam
Donet vt aeternos te fruar ipse dies?
Lux tua nocte caret. inclita tua pura voluptas,
Pax tua non bellis tristia damna timet.
At contra hic caecis horrescunt cuncta tenebris:
Seuaque cum misero bella dolore vigent.
Nam neque pax cuiquam secura est, dum carne grauatur.
Aut si pax, bello pax ea deterior.

SENTENTIAE PHILOSOPHICAE.

Concordia ad amicitiam pertinere videtur: itaque non est idem, quod eadem sententia: quādoquidem in ijs etiam, quorum alter alteri ignotus sit, inesse potest: nec concordes aiunt eos, qui de quauis re idem sentiunt, vt eos, qui de rebus cęlestib. quippe cum idem & vnum de ijs rebus sentire non sit proprium amicitię. Sed ciuitates in concordia esse tum dicuntur, cū de commodis & vtilitatib. vnum idemq; sentiunt & decernunt, quodq. publice placuerit, exequuntur. Ergo in gerendis rebus ijs, quę graues ac magnae sunt, quaeque adesse possunt, vel vtrisque vel omnibus, concordia consistit: velut ciuitates concordes sunt, quum placet omnibus, magistratus deligendos esse, aut ineundam cum Lacedaemonijs societatem, aut Pittacum Imperatorem esse, si etiam ipse velit: at vero quum seipsum vterque, vt fit apud Phęnissas, voluerit deligi, tum seditio nascitur. Non enim vnum idemq; intelligere duos, quale idcumq; sit, vnum & idem sentire est, sed idē in eodem, vt quum populus & optimates, & viros optimos volunt praeesse Reipublicae. Sic.n. omnes quod volunt, consequuntur, cuiusmque inter ipsos amicitia, concordia videtur, vt etiam celebratur. Est.n. in commodis & vtilitatibus ijs, quae omnibus, quae ad vitae vsum pertinent, qualis bonis inter bonos cōcordia est: ij enim ijsdem rebus vnum idemque, & ipsi secum, & cum alijs sentiunt, praesertim cum eorum stent sententiae & voluntates, non more Euripi refluant. Recte etiam & vtilia sibi proponunt, quorum communiter cupiditate ducuntur. At vero improbi vnum atque idem, nisi ad breue & exiguum tēpus, sentire non possunt, sicuti etiam amici esse solent, quum in emolumentis sua augendi cupiditate inflammati sint: ijs enim in rebus, quae laborem sumptusq; desiderant, ab officio deficiunt. Quae quoniam sibi quisque exoptat, proximum quemque obseruat & arcet: euertetur enim funditus Respublica, si a nemine cōseruetur, ex quo nascūtur seditiones: dum alteri alteris necessitatem afferunt, ipsi fungi officio nolunt. *Arist. in 9. Ethic.*

Nomen pacis dulce est, & ipsa res salutaris. Pax est tranquilla libertas.

Nam nec priuatos focos, nec publicas leges nec libertatis iura chara habere potest, quem discordia, quem cędes ciuium, quem bellum ciuile delectat: eumq; ex numero hominum eijciendum, ex finibus humanae naturae exterminandum puto. Itaque siue Silla, siue Marius, & siue quis alius ciuile bellum optauit, eum detestabilem ciuem Reipubl. natum iudico. Nihil igitur hoc ciue, nihil hoc homine tetrius, si aut ciuis, aut homo habendus est, qui

ciuile bellum concupiscat. *Cicer. in Philipp.*

Vt circumspiciamus omnia, quæ populo grata sunt, atque iucunda, nihil tam populare, quam pacem, quam concordiam, quam ocium reperiemus. *Cicer. pro lege Agraria, contra Rullum Tribunumplebis, prope finem fere.*

Atqui ad sapientes spectat quandoque bellum soluere, etiamsi non parua intercessferit offensa. Nos vero cum vnanimiter sentiamus, quid mirum, si pacem bello præferamus? quamuis iustius fuisset, nos inuicem armis numquam dimicasse. *Xenophon. lib. 6. rerum Græcarum.*

Nihil perniciosius ciuitati, quam diuisio, vt nihil melius quam vnio. *Plat. de Rep.*

Nostine igitur, omne quod est, tamdiu manere, atque persistere, quamdiu sit vnum, sed interire, atque dissolui pariter, atque vnum esse desierit. *Boet. lib. 4. de philosophica consolat.*

Si pacem diligis, belli ne feceris mentionem. *Seneca libro de moribus.*

Quietissimam vitam agerent homines in terra, si hæc duo verba a natura omnium tollerent, Meum, & Tuum. *Idem de Beneficijs.*

Si pax, quæ alijs bonorum causa est, tantarum rerum, & tanti tumultus nobis causa fuit, quid aliud id esse dixerit, præterquam quod muneribus acceptis, hi rem natura præclaram praue corruperunt. *Ex orat. de falsa legat. Demost.*

Proh Iupiter? estne aliquis recte sapiens, qui ea verbis potius quam rebus pacem agentem, aut bellum gerentem secum æstimet? nemo profecto. *Ex orat. contra Philipp.*

Nemo ita amens est, vt bellum quam pacem præoptet: nam in pace filij patres, in bello patres filios sepeliunt. *Herodot. l. 1.*

Pax magis confirmatur ex bello, at ex ocio non perinde periculo cares ne bello lacessaris. *Thucyd. lib. 1.*

Equidem censeo eam pacem, quæ fit inter cognatos, & amicos esse præstantissimam, & honestissimam, quum omnis ira extincta, & omnibus malis obliuioni mandatis, omnes sibi inuicem sine dolo, vltro citroque, illatas & acceptas iniurias condonant. Minus vero honestam eam esse iudico in qua ipsa quidem populi multitudo criminibus liberatur, sed illi soli qui se mutuis iniurijs affecerunt, coguntur iudicium subire, caussam dicere, & iure disceptare. *Dionys. Halic. l. 3.*

Vrbano ocio foris omnia tranquilla sunt, cura pacis concordiæ quoque intestinæ causa est. *Liu. Decad. 1. l. 3.*

Frui pace per intestina arma non licet. *Idem, l. 4.*

Quum exercitus Romanus, sub P. Scipione, multis partis victorijs contra Carthaginenses clarus & Africæ formidabilis, de persequenda victoria, & finiendo Punico bello cogitaret, Annibal qui ex Italia ad suos protegendos reuocatus erat, quum vim, prudentiam, & felicitatem ducis, & exercitus aduersarij metueret, Scipionem longa oratione ad studium pacis deducere conatus est. Inter multa autem præclara, quæ sequuntur effatus est, Scipionem pugnax, & absolutam victoriam spirantem alloquens: Potest victoriam malle, quam pacem, animus. Noui vobis spiritus magnos magis quam vtiles, & mihi talis aliquando fortuna affulsit. Quod si in secundis rebus bonam quoque mentem darent Dij, non ea solum quæ euenissent, sed etiam ea, quæ euenire possent, reputaremus. Vt omnium obliuiscaris aliorum, satis ego documenti in omnes casus sum, quem modo castris inter Anienem, atque vrbem vestram positis, ac iam prope scandentem mœnia Romana videras, hic cernis duobus fortissimis viris fratribus, clarissimis imperatoribus orbatum, ante mœnia prope obsessæ patriæ, quibus terrui vestram vrbem, ea pro me deprecantem. Maximæ cuique fortunæ minime credendum est. In bonis tuis rebus, nostris dubijs, tibi ampla, ac speciosa danti est pax: nobis petentibus magis necessaria, quam honesta. Melior tutiorque est certa pax, quam sperata victoria: hæc in tua, illa in Deorum manu est. Ne tot annorum felicitatem in vnius horæ dederis discrimen. Cum tuas vires, tum vim fortunæ, martemque belli communem propone animo. Vtrinque ferrum, corpora humana erunt, nusquam minus quam in bello euentus respondet. Non tantum ad id, quod data pace iam habere potes, si prælio vincas, gloriæ adieceris, quantum ademeris, si quid aduersi eueniat. Simul parta ac sperata decora vnius horæ fortuna euertere potest. Omnia in pace iungenda tuæ potestatis sunt P. Corneli. tunc ea habenda fortuna erit, quam Dij dederint. Inter pauca felicitatis virtutisque exempla, M. Attilius quondam in hac eadem terra fuisset, si victor pacem petentibus dedisset patribus nostris, sed non statuendo tandem felicitati modum, nec cohibendo efferentem se fortunam, quanto altius elatus erat, eo fœdius corruit. *Idem, Decad. 3. l. 10.*

Est eius qui dat, non qui petit, conditiones dicere pacis. *Ibid.*

Multum, per quos petita sit, ad fidem tuendæ pacis pertinet. *Ibidem.*

Militares artes sunt per ocium ignotæ, industriosque ac ignauos pax in æquo tenet. *Tacit. Annal. lib. 12.*

Pax & concordia victis vtiles, victoribus tantum pulchræ sunt. *Idem, hist. l. 3.*

Quæ nimio pretio emitur, & vt potentior hostis reddatur, non est pax, sed pactio seruituris. *Zonar. in Arcad. & Hon.*

Qui imperium vrbium firmum habere studet, ciues clariores alio transferet. Nam vulgus per se nouis rebus non student. *Zonar. in Basil.*

Longæ securitas pacis, homines partim ad delectationem ocij, partim ad ciuilia traducit officia. *Veget. l. 1. c. 28.*

Pax colenda est, vbi Dei iacturam non facimus: rursus bellum gerendum, vbi religio periclitatur. *G. Pachymer. histor. libro quinto.*

Pax non fortuito, sed ratione & oratione conciliatur. *Idem, lib. 6.*

Bonum esse pacem apud omnes homines in confesso est, quibus paululum rationis existit: si quis autem ipsam turbare sit inuentus, malorum causa sibi ac proximis fuerit. *Procop. de bell. Pers. libro primo.*

Pacis fœdera soluere, nihil aliud esse quis dixerit quam hominum cultum in ferarum vitam commutare. Nam si diffidentes inter se nunquam conuenirent, infinitum omnino bellum esse: quod si finem non est habiturum, de statu hominum ac naturæ eos, qui in illo occupantur, est decorum dimouere. *Idem, lib. 2.*

Pro acquirenda plurimorum salute oportet potius decertare, quam super incertis & inuisibilibus locupletari. Gratius enim est Deo, plures potius saluare quam paucos. Porro damnum in pluribus pati propter medium lucrum, primæ dementiæ est. *P. Diacon. in Michaele.*

Nihil est aut omnino acceptius, aut auribus suauius, quam de pace & beneuolentia verba facere. Irrepit enim, nescio quo modo, sensus nostros, ac vehementer retinet, totósque pene artus permouet. Est enim insitus natura mortalib. pacis & ocij amor: seu aut mala consuetudine, aut nimia cupiditate nonnunquam ex animis nostris elabitur. Quæ postea si quando renouatur, multo fit profecto dulcior atque iucundior necesse est. *B. Facius, hist. libro nono.*

Pax non modo ipsa dulcis est, sed etiam ipsius nomen blandum ac suauem tum resipsa, sapientes dicere audio, salutaris. Hac enim agri, hac vrbes, hac res priuatæ, hac Respublicæ, hac denique regna constituuntur & conseruantur. Mihi quidem ita semper visum est, si pacem negligerent, hos summam hominum felicitatem haud satis cognoscere. Totius enim felicitatis fructus est pax. Quid enim proderat dispersos homines eloquentia conciliasse, nisi conciliatos pax ipsa in societate & charitate contineret? *Idem, ibidem.*

Pax & ocium finis est qui bella gerentibus proponi solet. *Idem, ibidem.*

Quum suspicionibus liberat, quum periculum non auget, quum quiescendi & sum, tuum minuendorum facultatem affert, pax expetenda sanctaque est: sed quum omnia parit contraria, sub insidioso pacis nomine bellum latet, & salutaris medicamenti specie pestilens venenum. *Fr. Guicciard. hist. lib. 15.*

Nihil sanctius, nihil magis necessarium, nihil Deo gratius communi inter Christianos principes pace futurum video, sine hac enim religionem, pietatem, & hominum mores in apertissimam perniciem ruere vel manibus tangi potest. *Idem l. 16.*

Equidem ita existimo fugiendum quidem esse bellum: non tamen ita fugiendum, vt omnia, ne in id incidamus, sustinere perpetique velimus. Quid enim vel æquabilitatem in Republica, vel fiduciam, vel libertatis iucundissimum nomen laudaremus, si nihil omnino esset paci anteponendum? Sed neque Thebanos laudamus, quod tempore Medici belli, vt a communi Græciæ periculo essent immunes, ea per formidinem elegere, de quibus postea periclitati sunt. Neque Pindaro assentimur, qui in poematibus suis ciues hortatur, vt cæteris omnibus postpositis pacem dumtaxat & tranquillitatem amplectantur: ac pacem magnifice scroratus definit esse quietis terminum, & splendidam lucem. Verum cum se persuabiliter dixisse putaret, paulo post repertus est omnium turpissimam ac nocentissimam protulisse sententiam. Pax enim si iusta & honesta sit, res est certe omnium rerum pulcherrima atque optima. Nihil tamen est aut faciendum iniuste, aut patiendum turpiter, vt pace frui valeamus. *Polyb. lib. 4.*

Stabilius dissoluuntur magnæ inimicitiæ, cum æquales adhuc pacem faciunt, non quando altera pars se victa est, & plura obtinens alteram cogit pacis conditiones petere aut accipere: sed cum modeste offert pacem etiam dum potest pugnare, & vincit moderatione atque mansuetudine præter expectationem. Nam altera pars cum agnoscit se non debere pugnare, tanquam vi coactam, sed mutuam gratiam debere, pudore mouetur, vt constantiam præstet in pactis: ac magis hoc faciunt homines erga maiores aduersarios quam minores, libentius enim cedunt vltro cedentibus: sed contra superbos sustinent pericula enim præter opinionem. *Thucyd. l. 4.*

Non consentaneum est, vt pax vera existimetur, quando neque redduntur, neque vicissim accipiuntur ea quæ sicut conuenit reddi debebant. *Idem, lib. 5.*

Soluunt pacem, non qui bellum primi mouent, sed qui per insidias fœde-

fœderum tempore arma capiunt. Nam illi qui non est causa belli, retractare licet, æquumque ab iniuria discedere. *Procop. de bell. Pers. lib. 2.*

Neque naturæ neque consuetudinis nostræ est (dictum Alphonsi regis) petentibus pacem negare: idque semper inhumanum atq; impium duxi. Quis enim tam demens est, qui si possit pace frui malit bello contendere? *B. Facius, hist. lib.* 8.

Cum ad famam primi Balduini defuncti Euchastius eius reliquus frater, Comes Bononiensis, vt in regnum fratri succederet, iter ingressus Brundusium iam peruenisset, inde in Orientem soluturus: vbi Rhenensem virum fortissimum in defuncti locum suffectum regem accepit, authoribus amicis, vt ire pergeret, illum enim neque viribus neque causa parem futurum: Deus meliorem inquit, mētem mihi det, quam vt regnum cruore meorum Christo redditum, per me, domesticis bellis antequam coalescat euertatur. *P. Æmil. l. 5.*

Pax bello magis confirmatur, otium vero semper belli metum & periculum coniunctum habet. *Thucyd. l. 1.*

Nonne videtis in secundis & aduersis rebus quietem vtiliorē esse, & ad retinendas res secundas, & ad medendas aduersas: nec non in pace dignitatem aliaq; bona esse sine periculo. *idem, l. 4.*

Si Regum atque Imperatorum animi virtus in pace, ita vt in bello, valeret, æqualius atque constantius sese res humanæ haberent, neque aliud alio ferri, neque mutari ac misceri omnia cerneres. *Sallust. de coniu. Catil.*

In pace & reb. secundis vniuersæ ciuitates & priuati homines meliorem saniorū gerunt. Quia non cogit necessitas quærere vitæ præsidia malis modis. Sed bellum copiam quotidiani victus subtrahens, violentus magister est, & ad præsentes occasiones multorum impetus incitat. *Thucyd. l. 3.*

Quod aliqñ bella inter homines oriantur, rursusq; dissoluantur, omnes nouimus. Nos vero pacis desiderio, si non nunc at aliquādo tenebimur. Cur igitur potius tēps illud expectandum, quo vexati belloq; defessi pacem concupiscamus, non iam integri & nulla oppressi clade eam amplectemur? Neque. n. illos laudandos censeo, qui in certaminibus sæpius victoriam ac gloriam retulerūt: & tamen ita certare pergunt, vt non antea desistant quam victi artem relinquant. Neque aleatores, qui vna iactura facta de duplo periclitant: istorum. n. plerosque cernimus ad extremā redigi inopiam. Quæ & nos considerare decet, nec vnquā eo certaminis descendere, vt aut cuncta capienda, aut cuncta sint nobis amittenda: sed potius, dum & virib. vegeti, & fortuna florentes sumus, inter nos amicitiam contrahamus: eo enim pacto & nos per vos, & vos per nos potentiores, quam sęculis superioribus imperabimus. *Xen. de reb. gest. Gr. l. 6.*

Pacis tractatio prudentib. atque fidis hominib. est committēda. Eos a legatione reuersos audiat Princeps, ac solus: ne si minus iucunda renuncient, pauorem ea res atque metum inferat multitudini. Sunt. n. omnes cupidi rerum nouarum: & non desunt q quū familiariter norint legatos, audent sibi polliceri, fore, vt omnia resciscant. Verum si iudicio sint præditi illi, cauebunt modis omnibus, ne quid efferāt, quod vel alienationem animis, vel trepidationem excitare possit. Hoc ideo mihi dicendum fuit, quod Principes a suis non raro circumueniri sciam in eiusmodi actionibus, illos præsertim, qui præ fastu & arrogantia quæ sit aliorum sententia non auscultant. Nam qui se demittunt, ac libenter aliorū iudicia cognoscunt, ij minus falluntur. *Ph. Comin. lib.* 1.

Est apud nos quotidiano sermone tritū prouerbium, quo dicitur, splendidissimis etiam epulis existere semper aliquos, qui minus bene tractentur. Idem vsuuenit in principum de pace tractationibus, dum alij quod volunt adipiscuntur, alij spe & expectatione decidunt. *idem, lib.* 2.

De spe pacis. DIAL. CV.

Francisci Petrarchæ.

GAVD.

Spero pacem. R. Melius est pacem seruare, quam sperare. Stulti. n. est fastidire res certas, ambiguas spes amplecti. G. Pacē spero. R. Tenuisses eā arctius, nec abire sineres, q̄ sperares. Quid. n. si ad hanc spem impatientia te duxit tua, vt sperando angi eligeres, quo gaudendo vti poteras. G. Pacē spero. R. Spes pacis multos perdidit, speratæq; paci succedens insperata calamitas incautos obruit sopitosq;, quos expertos inueniens non læsisset. G. Spero pacē. R. Quid tā diu speras, q̄ mox assequi in tua situ manu est? Rari sunt qui pacē non inueniant, si bona fide velle cęperint. Sed hi ipsi, quib. dulce non ē pacis. pax amara est. Pacē itaq petētes, paci obstant. Quatuor vobiscū habitant pacis hostes: Auaritia, Inuidia, Ira. Superbia. Has in æternū exiliū pellite, pax ęterna erit. G. Spes pacis haud dubia est. R. Inter spem pacis & pacē multa incidunt; leue verbū, gestus facilis cōpositam sæpe turbauit pacē, ipsi tractatus pacificiq; sermones ferto sępe frangūtur, animoiq; acuit, bellumq; asperat pacis spes. Sic amicitiæ mentionē irritam quasi cotem dixeris odiorū. G. De pace igitur pax erit. R. De pace crebro nequicquā agitur, nōnunq̄ vero periculose de pace agebāt, atq; egerant Gallorū & Pœnorū duces. qñ illos Camillus oppressit, hos Scipio. G. Post belli finē pax firmabitur. R. Quāto firmata esset vtilius ante belli principiū, q̄ dānis, ac mortib. tēpestiua pace esset occursum. Sed vos pueri contumaces ac dyscoli sine verberib. non sapitis, in pace bellū, in bello pacē quæritis, neq; vnquā nisi bello afflicti pacē vel noscere incipitis, vel amare, eāq; vt perditā fletis, sic mox redditā pari leuitate contēnitis, donec vos item atq; iterum amissa perdoceat bona vestra nō spernere, mala vestra non cupere, deniq; non inceptire, non furere, q̄ antequam assequamini, pudeat. Sæpissime idē vobis audiendum nec audisse sat est: Sępissime videndū, & experiendum, dicā proprie, vt discatis aliquid, sæpissime vapulandū est. G. Bellum pax sequetur. R. Melius præcessisset bello iter obstructura, nihil insanius q̄ spe remedij vltro vulneri sese offerre: auxiliū non causam dant fomenta vulnerib. ægro salutem optare natura est, sano ægritudinē spe salutis insania. G. Pax futura est. R. Solet pax vi bib. mutationē rerum afferre pestiferā. Optima quidē ipsa, sed pessimis circūuoluta comitib. iniquis legib. fluxis morib. occultis odijs, aperta tyrannide: Recordare, quid ciuili olim bello præsagus ille dixerit: nec sef. llit. *superos quid prodest poscere pacem. Cum domino pax ista venit.* Melior est aūt bellicola libertas viris fortib. quam pacifica seruitus. G. Pacem habeo. R. Interim bellum habes.

De pace, & inducijs. DIAL. CVI.

GAVD.

Pacem habeo. R. Bonū ingens, si sincerum esset, atque perpetuum, neutrum sane est. Nam neque nouū est, sed cōe, nimisq. cotidianū est, vt sub vmbra pacis bellum lateat, neque pacem, q̄uis puram, diuturnam sinit animorū instabilitas secum assidue non minus q̄ cum hoste pugnantiū. G. Pax quæsita est. R. Sed amissa est cautio & disciplina militaris fida vrbium tutela, quæsita autem lenta segnities, & semper periculosa securitas, quum in multis nempe sit melior bello pax, in hoc vno bellum melius, q̄ cautius atque expertius. Nunquam Romana virtus abijsset, si bellū Carthaginense mansisset. Pax Punica Romanæ vrbis excidium fuit, vrbibusque alijs documentū sempiternum, non semper populis, atque imperijs optimam pacem esse, idque vir optimus Nasica male non sibi creditum mirabitur, & vera locutum docti oēs fatebuntur. G. Pacem habeo. R. Modeste vtere. Bello quolibet funestior pax superba & negligens. Sępe armati inter gladios tuti, mox togati in gladios inciderunt, & seris votis optauere bellum. Quid eunam morum, atque ipsius humanitatis interitū si loquar? Quot iam bello viri optimi pace pessimi euasere? quasi cum armis omnem penitus exuti virtutem mox cum toga vitia oīa induissent. Sic interior habitus cum exteriore mutatus est. Cuius quidē rei, etsi multa millia hominum in testimonium trahi possunt, tamen abunde sufficerint testes duo, Sylla & Marius, quorum primum (vt de illo scribitur) neque laudare, neque vituperare, quisquam satis digne potest, qui dum quærit victorias, Scipionē se populo Romano, dum exercet sæuitiam, Annibalem repræsentauit. Secundus vero vir fuit, vt de illo itidem scriptum est, cuius si examinentur cum virtutib. vitia, haud facile sit dictu, vtrū bello melior, an pace perniciosior fuerit, adeo quam Rempublic. armatus seruauit, eam primo togatus omni genere fraudis, postremo armis hostiliter euertit. G. Pacem patriæ partam lætor. R. Quid si pax interdum, q̄ in homine optimum est, extinguit nutritq. q̄ pessimum? Notum est illud Satyrici, qui cum de causis priscæ illius Romanæ virtutis multa dixisset, inter quas est & pauimus vrbi Annibal, ad extremum intulit. *Nunc patimur longæ pacis mala. sæuior armis. Luxuria incubuit, victumque vlciscitur orbem.* Estne, ait (oro te) vlla pax tanti, vt non odiosa sit viris egregijs comitante luxuria? Certe alius cogitanti, depositis licet armis, pax videri nequit, vbi bello domestico, vitiorū insidiosissimo, & carēre in ducijs, oppugnantur animi, belli mores in exiliū pelluntur. voluptates imperāt, virtus opprimitur. G. Pax firma est. R. Et pacis comites licentia ac libido, & (vt dixi) discrimina nec pauciora, nec minora q̄ belli. Illa. n. corporib. hęc animis pestem ferunt. sæpe etiam corporib. Itaque multis lorica felicior q̄ toga, campusque securior q̄ thalamus, tuba q̄ tibiæ, sol q̄ vmbra. Sunt, quib. nil tutius bello sit, quod Iulium Cæsarem prædicantem de se suisque militib. audisti. Pacem vero si sine vitijs veniret, & cęleste munus, & secundum nulli bonū fateor. Raro aūt sine vitijs venit. G. Sed feci inducias. R. Dedisti hosti spatium ad colligendas vires, quib. fortius te feriret. G. Inducias habeo. R. Cognatæ inducijs insidię sunt. Multa per infidias hostiliter fieri vides, plura et facta legis, vt nil aliud belli consilia licentius agitantur, liberius cōtrahuntur auxilia. Quosdam bello inuictos induciæ confecere. G. Sunt mihi cum hostib. induciæ. R. Ignauum tēps, nec pace lætū, nec bellis exercitum, sed dubijs inter vtrumque pulsum fluctib. vbi & timor paci obstat, & timor bello, nescio an sit grauius pēdere quam ruere, respirandi tempus optare fatigati est. Miseri autem & insani est nec pacem pati posse, nec bellum.

APOPHTHEGMATA SACRA.

De bono pacis, & discordiarum fontibus, vide *Prouerb. 15.17 & 17. 1. & 30. 21. 23. Item Eccl. 4. 6.*

Iesus Christus Domini nostri dicta de pace cum Deo, nobiscum & cũ proximis, habes *Matt. 5. 9. Io. 14. 27. & 16. 33. Marc. 9. 50.*

Paulus Apostolus. Deus non est dissensionis Deus, sed pacis. *1. Cor. 14. 33.* Pacem habete, & Deus pacis, & dilectionis erit vobiscum. *2. Cor. 13. 11.* Pacem sequimini cum omnibus, sine qua Deum nemo videbit. *Hebr. 12. 14.*

Petrus Apostolus. Qui diligit vitam, & vult videre dies bonos, declinet à malo, & faciat bonum; inquirat pacem, & persequatur eã. *1. Petr. 3. 11. ex Psal. 34. 14. & Zacharia, cap. 8. 19.* vbi nos iubet veritatem, & pacem diligere.

Ioannis Apostoli epistola prima catholica tota fere in eo est, vt charitatem, & pacem Christi membris commendet, & persuadeat.

Greg. Nazianzenus, episcopos sui temporis ad pacem, & concordiã hortatus, subijciebat: Si vobis vllo modo dissidij causa sum, Ionam Prophetam integritate vitæ non supero. Proijcite meũ in mare, & tumultum tempestate agitari desinens. Quicquid vobis visum fuerit, tametsi à culpa immunis, libenter perpetiar: siquidem hac ratione concordia vestra repræsentari, ac resarciri possit. Throno exturbate, vrbe eijcite. Tantum veritatem, & pacem, vt cum Zacharia loquar, amate. Valete sacri pallores, meorumque laborum memoriam perpetuam conseruate. His dictis è Concilio Constantinopolitano excessit, in Cappadociam (vbi diem extremum clausit) profecturus. *Gregor. presbyter in vita Greg. Nazianzeni.*

Cyrillus. Ego tum demum, inquit, obtinere debere nos, & nomen & rem ipsam pacis censeo, cum sanctorum sententijs non aduersamur, neque illorum decretis repugnamus. *Niceph. hist. eccl. lib. 14. cap. 27.*

Ioannes Imp. Ego, inquit, contentionem odio prosequor: eos qui pacem colunt, & quærunt complector amore, veneror que. *Socrat. eccl. hist. lib. 3. c. 21.*

Bernardus Clar. Abbas. Aegrotans ad mortem suis inter multa dicebat: Tria vobis imitanda commendo, quæ in stadio quo cucurri me pro possibilitate mea memini obseruasse. 1. Minus sensui meo quam alterius credidi. 2. Læsus de lædente vindictam non expetiui. 3. Neminem scandalum facere volui: & si quando incidit, sedaui, vt potui. Quidam disticho hæc exprimere voluisse videtur nempe.

Nullum turbaui, discordes pacificaui,
Læsus sustinui, nec mihi complacui.

APOPHTHEGMATA.

Crœsus à Cyro captus, hoc argumento pacem bello prætulit, quod pacis tempore filij sepelirent patres, in bello contra patres sepelirent liberos. *P. M. l. 6. apoph.*

Epaminondas. Menecleides inuidens Epaminondæ gloriæ suasit populo, vt pacem haberent bello potiorem. Cui Epaminondas: Fallis, inquit, ciues tuos, qui eos ij nomine eos ad seruitutem vocas. Pax enim bello paratur: nec eam tueri licet, nisi ciues sint ad bellum instructi. *Plut.*

Pomponius Atticus in funere matris, quam extulit nonagenariam, ipse natus annos sexaginta septem, gloriatus est, quod numquam cum matre in gratiam redijsset, numquam cum sorore fuisset in simultate, quam prope æqualem habuit. Hanc vocem se ab ipso audisse scripsit Cornelius Nepos. Plus autem est: non redisse in gratiam, quam non fuisse in simultate. Matrem numquam offenderat: inter ipsum & sororem, etiam si quid incidit offensarum, numquam exierunt in simultatem: quæ tamen inter fratres, & sorores frequenter acerrimæ solent existere. *P. M. l. 6. apoph.*

Probus Imper. dixisse fertur, breui milites necessarios nõ habebimus. Sperabat tantam pacem, vt nihil opus esset exercitu. Hanc mentem vtinam Deus immittat omnibus nostri sæculi principibus. *Flauius Vopiscus.*

Philo. De pace, huius scite dicta sunt hæc: Pax vel cum magno damno coniuncta vtilior bello. Ex recta præfectorum administratione: Maximum bonum est, & diuinum: quod nullus mortalium præstare potest. *Ant. serm. de Charitate & Pace.*

Antoninus Pius adamabat illam Scipionis celebratissimam sententiã, subinde dicens: Se malle vnum seruare ciuem quam mille hostes occidere: Pacem videlicet bello præferens: & in ipso bello sentiens hanc oportere primam esse ducis curam, vt quam minima ciuium iactura pareretur victoria. *Iulius Capitolinus.*

Otho Imperator, quum videret, aut deponendum imperium, aut magna ciuium strage tuendum, statuerat sponte mori, & amicis, ac militibus hortantibus, ne tam cito de belli euentu desperaret: negauit sibi suam vitam esse tanti, vt hac de causa bellum ciuile nasceretur. Quis non miretur hunc animum in principe ethnico, eoque triginta tres annos nato? *P. M. l. 6. apoph.*

Alphonsus, Ludouico Podio (quo propter eius singularem diligentiam, ac fidem, perpetuo fere oratore in Italia vsus est) renunciante, pro pace, quam Venetus & Florentinis daturus esse plus nunquam ducenta millia aureorum extorqueri posse, respondit: Pacem dare se, non vendere solitum esse. *Pan. l. 3. de reb. gest. Alphonsi.*

Idem quum esset Valentiæ, appulerunt eo loci Caroli Francorum regis legati, magnopere eum rogantes, ne per id tempus, quo rex eorum bello Britannico implicitus esset, contra se bellũ aliquod suscitaret (quam maxime enim verebatur Carolus, ne Alphonsus captato tempore & occasione, eum armis lacesseret, propterea quod ius aut titulum prætenderet in eam partem Galliæ Narbonensis, quam incolæ sua lingua Occitanam vocant) respondit rex: Etsi certe scio, plures Narbonensis Galliæ ciuitates ad Aragoniæ regnum pertinere, quas Carolus rex iampridem occupatas detineat: nihilominus tamen hoc tempore, quo illum intelligo bello superatum, & a Britannis prostratum esse, nequaquã me arma contra profligatum regem sumpturum esse vobis affirmo: neque eo animo esse, vt quod maiores mei in Caroli prosperitate non petierunt, ego in eius repetam calamitate. *Ant. Pan. de reb. gest. Alphonsi, & Æneas Silvius de eius dictis.*

SIMILITVDINES.

Gregorij Nisseni. Quemadmodum bona valetudine reuersa morbus euanescit, & lumine apparente non relinquuntur tenebræ: Sic & pace præsente & se prodente omnes aduersarij perturbationes dissoluuntur. *Apud Anton.*

Seneca. Quemadmodum Neptuno plus debere se iudicat ex his, qui eadem tranquillitate vsi sunt, qui plura & pretiosiora illo mari vexit: animosius a mercatore quam a vectore soluitur votum: & ex ipsis mercatoribus effusius gratus est, qui odores & purpuras, & auro pensanda portabat, quam qui vilissima quæq. & saburræ loco futura congesserat: Sic huius pacis beneficium ad omnes pertinens, altius ad eos peruenit, qui illa bene vtuntur. *Lib. 1. epist. 74.*

P. M. Quædam remedia tristiora sunt ipso morbo, vt satius sit oportere mortem, quam his aucupari salutem: velut sugere sanguinẽ è vulnere recenti gladiatorum morientium: Ita quandoque satius est ferre iniuriam, quam maiore incommodo vlcisci: ferre pacem, etiamsi parum commodam aut æquam, quam bellum cum immensis malis suscipere. *In simulib.*

EXEMPLA BIBLICA.

Pacis fœdere initæ *exempla:* Isaac & Abimelech, *Gen 26. 25.* Iosua & Gabaonitę, *Ios. 9. 15.* Israelitę, *21. 30.* Azor, & Haber, *Iudic. 4. 17.* Israel & Amorrhęus, *1. Sam 7. 14.* Syri & Israelitæ, *Sam. 2. 10. v. 19.* Salomon & Hiram, *1. Reg. 4. 24. & 5. 12.* Iosaphat & Rex Israel, *22. 45. 2. Paral. 20. 30.* Bethusura cum Antiocho, &c. *1. Mach. 6. 49. 58. 61. &c.* Simon dux, *11. v. 50. & 14. 11.* Pacis redemptę *exempla:* Asa, *1. Reg. 15. v. 16. 17. 18. &c.* Ioas Rex Iuda, *2. Reg. 12. 18.* pacis fructus, *2. Cor. 13. v. 11. Vide Concordia.* Pacis a Deo datæ *Exempla,* *Salomon, 1. Reg. 5. 3. & 8. 55.* Dauid, *1. Chron. 22. 17. 18.* *Asa, 2. Chron. 14. 6.*

Pacta sunt seruanda, *exempla:* Iosuah, *Ios. 6. 25.* Dauid, *1. Sam. 24. 22. 23. 2. Reg. 2. 8.* Micheas, *2. Paral. 18. 13.*

EXEMPLA HISTORICA.

Scylurus Scytha, octoginta liberos masculos habens, quum esset moriturus, fasciculum iaculorum singulis porrexit, iussitq; rumpere. Id cum recusassent, eo quod videretur impossibile, ipse singula iacula exemit, atque ita facile confregit omnia, filios admonẽs his verbis: Si concordes eritis, validi inuictiq; manebitis: contra, si dissidijs & seditione distrahemini, imbecilles eritis, & expugnatu faciles. Non potuit Scytha magis scite rem ob oculos ponere. *P. M lib. 5. apoph.*

Leo Byzantinus, auditor Platonis, sophista nobilis, Philippo Macedonum Regi contra Byzantium venienti occurrẽs: Dic age, inquit, Philippe, quæ te causa trahit oppugnatum mœnia nostra? At ille: Amor, inquit, patriæ tuæ, qua vt potiar, veni. Leo excipiens: Atqui, respondit, non instrumento bellico, sed musico amantib. est opus: Quo dicto ducem a bello Byzantino auertit.

Quum *Demosthenes* multa super bello ad Athenienses. Leo vero pauca apud Philippum verba fecisset. Post hæc cum Athenas legatus missus esset, agnatamq. videret inter eos longa contentione seditionem, in concionem ascendens risum populo excitauit, obesus admodum ventricosusq. apparens. At ille nihilo magis perturbatus: Quid ridetis, inquit, Atheniẽses. quod vobis videor pinguis? Scitote mihi vxorem longe pinguissimam esse, talesque ac tantos, cum sumus concordes, breuis admodum lectus capit: discordes ne tota quidem domus. Quod sane verbum tempestiue loco accommodatum populum restituit paci. *Philostratus hæc, quæ inde Volaterranus se vertisse refert lib. 16. anthropologia.*

HIEROGLYPHICVM.

In Æthiopia tantam alunt Anguium vim conuenire, conuoluique in gyrum inuicem, vt montis speciem procul aspicientibus reddant:

dant: cuiusmodi quidem complexus Anguium, & frugifera eorū concordia causa, vt Plinius inquit, videtur esse quare exteræ gentes Caduceum in Pacis argumentum circumdata effigie anguium fecerunt: neque cristatos esse in caduceo mos est. *Pier. Val. lib.* 15.

E M B L E M A T A.

Ex bello pax.

Andreæ Alciati. Emblema CLXXVII.

En galea, intrepidus quam miles gesserat, & quæ
Sæpius hostili sparsa cruore fuit:
Parta pace apibus tenuis concessit in vsum
Alueoli atque fauos, grataque mella gerit.
Arma procul iaceant: fas sit tunc sumere bellum,
Quando aliter pacis non potes arte frui.

Pax.

Emblema CLXXVI.

Terrigenis humeris, dentis quoque barrus eburni,
Qui superare ferox Martia bella soles:
Supposuit nunc colla iugo, stimulisq; subactus
Cæsareos currus ad pia templa vehit.
Vel fera cognoscit concordes vndiq; gentes,
Proiectisq; armis munia pacis obit.

Ex pace vbertas.

Emblema CLXXVIII.

Grandibus ex spicis tenues contexe corollas,
Quas circum alterno palmite vitis eat.
His compta Alcyones tranquillis marmoris vnda
Nidificant, pullos inuolucrisque fouent.
Lætus erit Cereri, Baccho quoque fertilis annus,
Æquoris si rex aliis instat vris.

F A B V L A.

Vulpes & Anguis.

Famelica vulpes, cibum quærens sibi, discurrebat per siluas & campos, ac forte calcauit anguem, a quo ictus cum esset, magno dolore & indignatione concitata, morsu illum sauciat, atque ita læsi ambo, tum quidem discedunt, medicinam quæsituri vulneribus suis. Post annos aliquot ob iam factus anguis vulpi, ut amo memori & cupido vindictæ, callide vulpem verbis aggreditur, & quantam, inquit, tristitiam cepi de dissidio nostro, neque quicquā ex illo tempore, quo simultas inter nos extitit, maiori mihi curæ fuit, quam vt grata nostra reconciliaretur, ac post illa, te quidē nunc video primum. Quare si videtur, obliuiscamur priorum, & amicitiam recolamus, interque nos amanter complectamur, qui pridem hostiliter appetiimus. Quid enim magis omnibus mortalibus, cuiuscunque generis ac conditionis, expetendum, quam pax & cōcordia? Quæ alia res melior, vtilior, iucundior esse possit? Hæc omnia & conseruat, præstat, incolumia ac salua, & auget atque bonis multiplicibus complet. Hæc vere illa est, quæ opes, diuitias, vitam denique ipsam, & parat, & nutrit atque educat. Et quid multis opus? Nullum est bonum in terris pacis bono præstantius, neque optabilius. Atque hæc locutus ad osculum se engere angus & vulpi oculis adblandiri. Illa vero angui non credidit, quem sciret natura esse implacabilem, & cum iæuum tum etiam malitiosum. Itaque tum auersata: Sic, vt loqueris est, inquit. Sed vt pace vera nihil melius, ita ficta deterrima res est rerum omnium. Hoc enim venenum quadam dulcedine opinionis pacificæ conditum: & non vitatur, & haustum subito necat. Neque vllæ possunt inimicitiæ & bellum tam nocere, quam simulata beneuolentia & pax. Hæc publicas & priuatas res, hæc salutem, dignitatem, vitam, fortunas euertere pessundat, nihil me tuentium & securorum. Nā inimico & hosti ne no credit, adeoque ab his non fallitur, neque decipitur quisquam. Sed illa fucata verba, & species honestissima bonitatis, ea in fraudem imperitiores impellunt, ea simplices inducunt in errorem atque miseriam. Ac tibi quidem laudatori pacis tantum esse responsum volo. Ad recōciliationem autem gratiæ & amicitiæ nostræ quod attinet, ita habeto, neque me postea, quæ accidere memini, tibi vnquam ex animo ereditu ram esse, neque arbitrari, te mihi vt fidem habeas, facere posse.

Fabula monet, incertam, & dubiam esse voluntatem horum, inter quos magnæ inimicitiæ & graues simultates intercesserint, maxime si vnus etiam ab altero læsus, & damnis affectus fuerit.

Vide, Amicitia, Concordia.

PECCATVM.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Peccatum, Græce ἁμαρτία, vel ἁμαρτάς, ἀδοσία, & ἁμαρτωλός ὁ ἥ, peccator & peccatrix: & ἁμαρτάνω pecco dicitur. Est autē peccare, voluntate auerti à Deo. *secund. B. Thom. 1. part. q. 24. art. 1.*

Peccator proprie est, qui ex habitu peccat, vel ex proposito. *secund. B. Thom. sup. Psal. 17. col. 3.*

Peccatum est actus deuians ab ordine debiti finis, contra regulam naturæ, rationis, vel legis æternæ. *secund. B. Thom. 1. par. q. 63. art. 1. & 1. 2. q. 163. art. 1. & 1. 2. q. 21. art. 1.*

Peccatum nihil aliud est, secundum Augustinum, quam neglectis rebus æternis temporalia sectari. *ex B. Thom. 1. 2. q. 71. art. 6. & 1. 2. q. 104. art. 3.*

Peccatum est dictum, vel factum, vel concupitum contra legē æternam. *secund. Aug. ex B. Thom. 1. 2. q. 71. art. 6. & q. 76. art. 1.*

Peccatum est præuaricatio legis diuinæ, & cœlestium inobedientia præceptorum. *secundum Ambros. ex B. Thom. 1. 2. quæstio. 109. articulo 4.*

Peccatum est omne, quod est contra naturalem inclinationem, quia contrariatur legi naturæ. *ex B. Thom. 2. 2. quæstio. 133. articulo primo.*

Peccatum est voluntas retinendi, vel consequendi, quod iustitia vetat. *secund. August. de duabus animabus. ex B. Thom. 1. 2. quæstio. 71. art. 6.*

Peccatum est auersio ab incommutabili bono, & conuersio indebita ad commutabile bonum. *secundum Augustinum, lib. de liber. arbit.*

Peccatum est affectio mala voluntaria. *idem.*

Peccatum originale est habitus, scilicet languor naturæ, id est, inordinata dispositio, ex dissolutione harmoniæ originalis iustitiæ. *secundum Beatum Thom. prima secunda, quæstione 87. articulo tertio.*

Peccatum veniale est quasi dispositio ad mortale, & contingit semper, vel propter imperfectionem actus, vel propter inordinationem circa ea, quæ sunt ad finem, & vtrumque propter defectum ordinis cooperatiui. *ex B. Thom. prima secunda, quæstio. 88. art. 5. & 2.*

Peccatum Hebr. *Chet, Chase, Chataa, Chataah*, Peccator, *Chatta*, peccatores: *Chattaim*: Peccata, *Chata, Chatteh*, a verbo *Cataa*, & *Catah*, peccauit, deflexit a via recta, deflexit, aberrauit a recta semita. Cognationem habet cum *Natah*, declinauit, & cum nomine *Chuto*, filum; significat enim filum non sequi, sed aberrare. Hinc [illegible] nocumentum, culpa, noxa, Ch. pronunciatur vt K.

Peccatum est malum quod legi Dei repugnat, a voluntate creaturæ rationalis ortum. Vocatur etiam malum delicti, item malū morale, bono morali contrarium. Formalis ratio peccati est *deuiatio*, aberratio a lege diuina. Non est mera priuatio, sed etiam mala qualitas animæ inhærens contraria bonæ qualitati conformi cum lege Dei. Vnde vitia virtutibus non opponuntur tantum priuatiue, sed contrariæ qualitates sunt.

Causa efficiens peccati neque Deus est vllo modo, neque Natura: nā causæ bonæ per se bonus est effectus. Nemo bonus, nisi Deus & nihil bonum, nisi a Deo summe bono, quid natura melius secundum Deum? Causa illa efficiens peccati est diabolus, an homo. *Peccatum diaboli* est, in quod diabolus incidit a se & per se, motus interno motu suo. Estque duplex, nempe lapsus eius, & malitia lapsum sequuta.

Lapsus diaboli est eius à Deo defectio, dum in veritate non perstitit, sed propriam stationem, cœtus ad ministerium adsignatam reliquit. *Io 8. 44. Iud. v. 6.* Malitia lapsum apertè sequuta est, qua in perpetuum hostis D factus, & odio irreconciliabili in Deum inflammatus, tum multos admodum angelos sibi adiunxit, & ad rebellionem contra filium Dei induxit: vnde & ipsi peccauerunt, & non conseruarunt suam originem, sed domicilium suum reliquerunt. *2 Pet. 2. 4. Iud. v. 6.*

Deinde hominem mendacijs suis seduxit, vt a filio Dei vita sua deficeret, & in mortem æternam se præcipitaret, *Gen. 3. e. Io. 8. 44. 1. Cor. 11. 3.* atque inde a lapsu suo nihil aliud cogitat, desiderat, loquitur, conatur, & agit, adiutus a malis angelis, qui cum ipso defecerunt, quam quod Deo displicet, decipiens homines, *1. Reg. 22. 22. 23.* impellens eos ad peccandum, *1. Sam. 18. 9. 10. & 2. Samuel. 24. 1.* Sæuiens in eos crudeliter, *Iob. 1. & 2. e. Matth. 8. 28. & 9. 32. &c.* Cupiens secum totum genus humanum in perditionem æternam trahere, *1. Io. 3. versicul. 8. 9. 1. Pet. 5. 8. Ephes. 6. 12.*

Peccatum hominum est, in quod homines inciderunt, proprio motu voluntatis suæ promerens & afferens mortem æternam, nisi fiet remissio propter Christum Seruatorem & mediatorem. *Ezech. 18. 20. 6. 23.* Peccatum *Adami & Euæ*, primorum nostrorum parentum, duplex est: naturale & personale. Naturale, quod totius humanæ naturæ, & ideo omnium hominum commune est. Primum persona infecit naturam, sed post natura infecit personam. Peccatum Adami naturæ ipsius peccatum fuit, cæterorum peccata personalia sunt: ideo illius cum natura transfusum est, non aliorum.

Peccatum illud naturale est tum lapsus, tum corruptio lapsum sequuta, lapsus primorum parentum est, inobedientia & defectio à Deo, qua se suosque posteros in mortem sempiternam præcipitarunt

plicarunt *Gen.* 3. 2. & 3. c. *Ro.* 19 c. Inobedientia autem hæc Adami non fuit solummodo illa externa comestio vetiti fructus, sed trãſgreſſio ſeu violatio legis, vt dicitur. 1. *Tim.* 2. 14. in qua multa horrenda peccata interna concurrerunt: nimirum, infidelitas ſeu incredulitas, idololatria, ſuperbia, contemptus Dei, prophanatio diuini nominis, homicidium, auaritia, furtum, & concupiſcentia praua.

Suaſionem & impulſum diaboli ſequuti ſunt primi parentes noſtri, ſed inclinante eo proprio arbitrio quo præditi erant, & quidem libero, quod cogi non poterat, proprioque motu voluntatis ipſorum. Adam quidem a ſerpente ſeductus non fuit: ſed mulier ſeducta virum deinde ſeduxit, & cauſa fuit tranſgreſſionis, 1 *Tim.* 2. 14. Libertas in Adamo & Eua fuit ſine vlla neceſſitate ipſam impellente. Itaque factum eſt, vt obiecta ſpecie boni, videlicet diuinitatis conſequendæ, laberentur ac peccarent, mente obiectũ illud approbante, & voluntate ad idem obiectum amplectendũ ſeſe inclinante. De contingentia & neceſſitate huius lapſus diſputationes Scholaſticis doctoribus relinquimus.

Corruptio lapſum ſequuta eſt obſcuratio imaginis Dei, per quam deſiit in mente vera & integra Dei cognitio, in voluntate libertas arbitrij ad bonum, in corde vera dilectio & timor Dei ac ſtudium obediendi Deo. Succeſſit in mente ignorantia & dubitatio, in voluntate contumacia aduerſus Deum; in corde praua inclinatio, perpetua perturbatio, cura & anxietas. Hęc corruptio lapſum ſequuta eſt originalis iniquitas quam Adamus ex actu tranſgreſſionis contraxit atque ad poſteros tranſmiſit: eſt ẽt effectus actualis illius primi peccati quod Adam commiſit. Perſonale peccatum Adami & Euæ, eſt vniuscuiusque vtriuſque perſonę proprium, qualia fuerunt poſt lapſum omnia ipſorum cætera peccata actualia.

Poſterorum peccatum, eſt in quod omnes poſteri Adami & Euæ naturaliter ex ijs deſcendentes inciderunt. Eſtque duplex, Originale & Actuale. Peccatum *Originale*, eſt peccatum quod in omnes homines ſecundum naturalem modum generatione carnali ex Adamo per Adamum propagatum deriuatur. Nominatur abſolute peccatum, *Rom.* 7. 8. quia eſt ſcaturigo & fons peccatorum aliorum, item peccatum peccans, *Rom.* 7. 13. malum adiacens, *Rom.* 7. 17. peccatum inhabitans, *Rom.* 7. 20. peccatum vndique circumſtans. *Hebr.* 12. 1. & originale dicitur termino *διακριτικῷ*, vt eo tanquam differentia ſpecifica diſcernatur à peccato actuali.

Plura hic perſequenda eſſent de originali peccato, quo ſenſu fons & origo ſit omnium peccatorum aliorum, quomodo ab Adamo in nos deriuatum ſit, qui natura filij iræ nominamur & contumaciæ, *Epheſ.* 5. 3. *Coloſſ.* 3. 6. quando deponatur: quæ ſunt eius partes, in quibus conſideretur. Hæc omnia ne prolixiores ſimus, vt reſponſiones ad hoſtium gratiæ Dei obiecta, tractatum ite de peccati originalis effectis Theologiæ ſtudioſis excipienda relinquimus, vt quædam de peccato actuali, quod originalis eſt effectũ poſtremum lectori expendenda nunc efferantur.

Peccatum *Actuale* eſt quod nos ipſi committimus: ſeu, eſt tranſgreſſio legis ſiue naturalis, id eſt, naturæ inſitæ & naturæ notæ, ſiue verbo reuelatæ, à nobis ipſis actu facta, *Rom.* 2. 12. 14. 15. Actuale dicitur, quod ſit in actione cui tunc adhæret defectus bonitatis moralis & prauitas, atque ille defectus cũ prauitate eſt proprie peccatum, quod eſt ab homine non à Deo.

Diuiſiones peccati Actualis plures ſunt. 1. eſt proprium, vel alienũ. *Proprium*, quod nos ipſi committimus, *Alienum* quod alius committit, ſed non ſine nobis aut probantibus, aut conſulentibus, aut iuuantibus, aut conniuentibus & non impedientibus, ac proinde etiam nobis imputatur. 1. *Tim.* 5. c. 22. *verſ.*

2. Per ſe, vel per accidens: peccata *per ſe* ſunt omnia illa quæ lege diuina prohibentur. *Per accidens* ſunt, aut actiones non renatorum, quæ præceptæ quidem ſunt a Deo: ſed tamen Deo diſplicent, quia non fiunt ex fide, nec fiunt ad hunc finem, vt Deus gloria afficiatur, & propter defectus ac vitia in impijs concurrentia: aut actiones adiaphoræ, quæ fiunt cum ſcandalo, aut alioqui non ex fide, ad gloriam Dei.

3. Affectatum vel Inaffectatum. *Affectatum*, quod libera voluntate commiſſum eſt, ſiue ex mera malitia & contumacia, ſiue alioqui conſentiente voluntate: cuiuſmodi peccatum eſt voluntarium homicidium, adulterium in ciuitate perpetratum, peccatũ clamans, *Inaffectatum*, quum vel per coactionem irreſiſtibilem, vel ex incogitantia aut infirmitate factum eſt malum, vel per negligentiam bonum non factum.

4. Contra conſcientiam, aut ignorantiæ. Peccatum *Contra conſcientiam*, eſt quum quis ſciens Dei voluntatem contra eam facit. *Ignorantiæ*, quando quid bene fieri poteſt, quod male fit: quale fuit peccatum multorum qui Chriſtum crucifixerunt, & Stephanum lapidarunt: eorum item de quibus loquitur Chriſtus. *Ioan.* 16. 3. & Pauli apoſtoli ante conuerſionem, vt ipſemet, 1. *Timoth.* 1. 13. teſtatur.

5. Internum, vel externum. *Internum*, eſt mentis, voluntatis & affectuum, videlicet quæuis cogitatio mala, dubitatio de Deo, de voluntate eius, incredulitas, contemptus diuinæ veritatis, &c. *Externum* eſt cuiuſuis dicti, vel facti, vel geſtus defectus vel prauitas, repugnans legi & voluntati Dei. Peccatum illud eſt *occultum*, vel *manifeſtum*. quod ſpeciatim dicitur ſcandalum. De ſcandalo autem titulus ſuo loco repoſitus eſt.

6. Spirituale, vel carnale, *Spirituale*, quo proprie inficitur ſpiritus, vt hæreſis, atheiſmus, deſperatio, &c. *Carnale*, quo corpus etiam contaminatur, aut corpore etiam perficitur, vt ebrietas, ſcortatio, adulterium, &c.

7. Peccatum actuale vel *extra corpus* eſt, vel in corpus proprium committitur. De hoc prolixe Apoſtolus, 1. *Cor.* 6. 18. grauiter diſſerit.

8. Commiſſionis vel omiſſionis. *Commiſſionis*, quando malum a Deo prohibitum perpetratur. *Omiſſionis*, quando bonum a Deo mandatum non perficitur. Peccatum nullum actuale ſine omiſſione eſt: ſine commiſſione exiſtunt multa.

9. Ex adiunctis peccatum actuale *Grauius* eſt, vel *Leuius*. Nec enim omnia peccata ſunt paria, ſed alia alijs grauiora: ideo etiam alia alijs grauius puniuntur. *Matth.* 11. *verſ.* 21. &c. grauius autem vel leuius peccatum cenſetur, vel a cauſa efficiente a qua committitur, vel a modo, vel ab effectis, vel a loco, vel ab obiecto, vel a tempore, quo committitur, vel a gradibus & alijs circũſtantijs.

10. Peccatum regnans & non regnans. *Regnans* eſt, cui homo non repugnat per gratiam Spiritus ſancti, ſed obedit peccato in cupiditatibus corporis, & peccati velut artem factitat, ideoque fit obnoxius morti æternæ, niſi reſipiſcat, & veniam per Chriſtum conſequatur, *Roman* 6. 12. Peccatum *non regnans* eſt cui homo renatus reluctatur per gratiam Spiritus ſancti regenerantis eum ad vitam æternam, nec fertur ad illud perpetrandum toto impetu, ideoque non reddit eum obnoxium morti æternæ, quia reſipiſcit, & veniam per Chriſtum conſequitur.

11. Superior diſtinctio quid de peccato veniali & mortali ſentiendum ſit demonſtrat. *Veniale* quoduis peccatum eſt, quod per & propter ſeruatoris noſtri ſatisfactionem & obedientiam numeris omnibus abſolutam remittitur coram Deo, *Mortale* autem, quoduis peccatum non remiſſum: vt propheta, *Pſalm.* 32. teſtatur. Quid ſit autem remiſſio peccatorum, à quo, quomodo, quando, vbi, per & propter quem impetretur, docent Theologi.

12. Peccatum mortuum vel viuens. *Mortuum* quod in nobis quidem eſt, ſed non cognoſcimus eſſe, aut non agnoſcimus pro peccato, neque ita furit, vt ſolet poſt legis cognitionem. *Viuens* eſt, quod per legem cognoſcimus eſſe in nobis, & eſſe peccatum, vnde in nobis poſt legis cognitionem furit. *Roman.* 7. 9.

13. Diſtinctio poſtrema eſt, peccati remiſſibilis & irremiſſibilis. *Remiſſibile* eſt, quod remittitur reſipiſcenti propter Chriſtum, in hac vita & via: qualia peccata omnia, excepto peccato in Spiritum S. *Irremiſſibile* eſt peccatum quod nunquam, & nuſquam remittitur, non propter difficultatem remiſſionis obtinendæ, nec etiam quod ſit potentius gratia Dei: ſed ob ſimul ſemelque reiectum deſtinata malitia Ieſu Chriſti ſacrificium, quo ſolo expiari peccata Sp. S. teſtatur, & conſcientias conuincit, & ob impoſſibilitatem reſipiſcendi, cum illo ſuperbe contemnatur Spiritus ſanctus, qui reſipiſcentiæ eſt autor. *Matth.* 12. 31. *Marc.* 3. 28. 29. *Luc.* 10. 12. *Hebr.* 6. 4. &c. & 10. 26.

Peccatum ſeu blaſphemia *in Spiritum ſanctum*, eſt quum abnegatur vel oppugnatur veritas Dei, deſtinato conſilio, poſtquam de illa veritate ſalutari mens edocta & conuicta eſt: quod peccatum qui committunt, cæcitate a Deo puniuntur, ita vt nunquam reſipiſcant: ac proinde nec remiſſionem peccatorum conſequuntur. *Matth.* 12. 31. *Hebr.* 6. & 10. *cap.*

Dicitur peccatum in Spiritum ſanctum, non reſpectu eſſentiæ diuinæ, qua Spiritus ſanctus eſt Deus: nec reſpectu perſonæ Spiritus ſancti. Nec enim maior eſt dignitas perſonæ ipſius, quam Patris & filij: nec offendi vna perſona Deitatis poteſt, quin iniuria in cæteras quoque perſonas redundet: ſed reſpectu beneficij, quod immediate Spiritus ſanctus præſtat, veritatem docens & patefaciens in cordibus hominum, eiſque conuincens in conſcientia ipſorum Ieſum eſſe Chriſtum illum & vnicum ſeruatorem & mediatorem, per quem nos oporteat ſeruari. *Actor.* 4. 12. dicitur etiam *peccatum ad mortem*, quia ſine vlla veniæ ſpe mors æterna illud conſequatur 1. Ioan. 5. 16.

Non cadit illud peccatum in viua filij Dei membra, nempe Dei electos ad vitam æternam, libro vitæ adſcriptos, fide ſalutifica præditos: ſed committitur tantum a reprobis, non omnibus, ſed tantum illis qui Chriſtum & veritatem eius cognouerunt, id eſt, qui Apoſtolo teſte, *Heb.* 6. & 10. *cap.* ſemel fuerunt illuſtrati, guſtaueruntq; donum cœleſte, & participes facti ſunt Spiritus ſancti, guſtaueruntq; bonum Dei verbum, ac virtutes futuri ſeculi: qui vltro peccant poſt acceptam cognitionem veritatis, filium Dei conculcant, ſanguinem fœderis, per quem fuerant ſanctifica

ti profanum dicunt, & spiritum gratiæ contumelia afficiunt.

Peccatum hoc distingui debet ab abnegatione Christi veritatisque eius ex infirmitate orta, non ea animo obijciendi Christum & veritatem eius; vt lapsorum resipiscentium conuersio testatur. 2. Distinguitur a peccato contra conscientiam. Equidem blasphemia in Spiritum sanctum est peccatum contra conscientiam: sed non omne peccatum contra conscientiam est blasphemia in Spiritum sanctum: vt abnegatio Petri fuit peccatum contra conscientiam, non autem in Spiritum sanctum: qui enim peccant, toti de toto, in totum decidunt. 3. distingui etiam debet a blasphemia in Christum ex ignorantia, qua Paulus Apostolus fatetur se peccasse ante conuersionem. 1. *Tim.* 1. 13. *v.* 4. Insuper distinguendum est, à peccato mortali. Nam irremissibile peccatum est quidem mortale, sed non omne mortale est irremissibile; quia fit veniale membris viuis Iesu Christi, qui ad vitam æternam ordinati sunt. Et hæc quidem paulo prolixius de peccato dicta sunt, vt lector studiosus de ie tota humili mente cogitare dignetur.

Peccare proprie est adulterium committere; dictum quasi pellicare hoc est, cum pellice coire, & peccatus, ipsum adulteriû quasi pellicatus. Veteres enim non peccatum neutro genere, & secunda declinatione, sed peccatus masculino genere, & quarta declinatione proferebant. Quod vsque ad Ciceronis ætatem durauit. Postea vsus obtinuit, vt peccatum, neutro tantum genere proferatur, & iam peccatum quã pecco, de omnibus delictis atque erroribus dicantur. A pecco fit peccator & peccatrix.

Peccatum & crimen differunt, sicut genus & species. Nam omne crimen est peccatum, non autem è conuerso. Est enim crimê graue peccatum, accusatione & damnatione dignissimum. *secundum Aug. super Ioan. & habetur dist. 81. can. Apostolus.*

Loci Biblici.

Peccatores pro omnino vitiosis & peccato addictis: & eorum misera conditio. *Psal.* 1. *vers.* 1. 5. *&* 3. 8. *&* 7. 10. *&* 9. 17. 18. *&* 10. 3. 4. 18. *&* 37. *v.* 20 34. *Ioan* 9. 31. 1. *Tim* 1. 9. 1 *Pet.* 4. 18. Peccatores, pro ijs, in quibus peccatum regnat, *Rom.* 5. 8. pro ijs, qui a fœdere alieni sunt, *Gal.* 2. 15.

Peccatores, in bonam partem, *Matth.* 9. *v.* 13, pro ijs, qui sensu peccatorum saucij, misericordiam Dei amplectuntur. Peccatores mortui censentur, *Ose.* 13. 1. peccatores speciatim dicti publicani, *Matth* 9. 10. peccatores quomodo tractandi, 2. *Cor.* 7. 12. *Gal.* 2. 14. 1. *Thess.* 5. 14. 2. *Thess.* 3. *v.* 6. 15. 1. *Tim.* 5. 20. *Tit.* 1. 13. *&* 2. 13. *In da vers.* 12.

Peccare dicitur is, 1. *Ioan* 3. *vers.* 4. non quisquis labitur, sed quisquis sanctificari non studet. Quod ita esse liquet, cum ea antithesi, *ibid.* tum ex 1. *Ioan* 1. 8. *&* 2. 1. Non peccare contra dicuntur, non ij, qui non labuntur, nam etiam iustus septies cadit. *Prou.* 24. 16. sed qui peccato repugnando puritati student, seu purificant se. Peccare in cœlum dicitur prodigus ille filius, *Luc.* 15. 18. peccare sine lege, per se lethale, *Rom.* 2. 11. peccare in lege lethale, *v.* 12.

Peccatum, pro hæreditario illo morbo, quem peccatum originale vocant, *Iob* 14. 4. *&* 15. 14. *Psal.* 51. 7. *Rom* 3. 9. 23. *&* 5. *vers* 12. omnibus hominibus ingenitum est, 5. 12. *&* 6. 12. *Ephes.* 2. 3. ab Adamo traduce in omnes deriuatum, *Rom* 5. 12. effectus eius, *Gen.* 8. 24. *Eccl.* 17. *v.* 30. *Rom.* 3. 12. 17. *&* 6. 23 *&* 7. 8. 11. 13. 17. *Gal* 5 17. *Ephes.* 2. *v.* 3. mortem in mundum inuexit, *Gen.* 2. 17. *&* 3. 19. *Rom.* 5. 12. 15. 1. *Cor.* 15. 56. *Ephes.* 2. 1. reatus eius, seu formale, vt vocât, tollitur per Christum, *Ioan.* 1. 29. *Rom.* 3. 23. 24 *&* 5. 9. 15. 17. 18. 19. *&* 6. 3. *&* 7. 24. *&* 8. 1. 2. *Gal.* 1. *Eph.* 2. 5. pro corruptione quæ manat a peccato originali. *Rom.* 6. 1. pro peccato actuali, *Iac.* 1. 15. peccatum sine lege mortuum est, *Rom.* 7. *v.* 8. pijs non dominabitur, *Rom.* 6. 14 peccatum, pro peccati originalis fructibus, describitur, 1. *Ioan.* 3. 4. *&* 5. 17. *Rom* 4. 24. *Heb.* 6. 1. ex concupiscentia est, *Iac.* 1. 15. causa diluuij est, *Gen.* 6. 7. 17.

Peccatum pro punitione, seu pœna pro peccato inflicta, 19. 15. Sic accipiunt nonnulli *Genesis* 4. 13. pro victima expiatrice, (per metonymiam) & sacrificio pro peccato, *Exod.* 29. 14. *&* 30. 10. *Deut.* 9. 21. *Psalm.* 40. 7. *Thren.* 3. 39 *&* 5. *vers* 7. *Ezech.* 45. *Ose.* 4. 8. 2. *Cor.* 5. 12. *Hebr.* 9. 28. *in postrema versus parte*, peccatum ignorantiæ, *Psal.* 19. 13. peccatum ignorantia commissum quomodo expiandum, *Leuit.* 5. 17. 28. *Numer.* 15. *vers.* 20. 22. peccatum superbia commissum quomodo expiandum, 15. 28. peccatum vltroneum quomodo expiandum, *Leuit.* 6. 2. 6. peccatum homines miseros reddit. *Prouerb.* 14. 34. *Matth.* 12. 31. *Marc.* 3. 29. *Luc.* 12. 10. *Hebr.* 6. 4. 6 *&* 10. 26. 1. *Ioan.* 5. 15. peccatum vindictam clamans, *Genes* 4. 10 *&* 18. 20 *Exod.* 22. 23. 27. *Eccl.* 35. 18. *Iac.* 5. 4. peccatum contra naturam, quod est commixtio cum masculis, *Genes.* 19. 5. *Iudith.* 19. 21. *&c. Leuit.* 20. *v.* 13. *Rom.* 1. *v.* 27. 1. *Cor.* 6. 9. 1. *Tim.* 1. 10. peccatum in Spiritum sanctum, *Matth.* 12. 31. *Marc.* 3. 28. *Luc.* 11. 15. *&* 12. 10. *Hebr.* 66. *&* 10. 26. 1. *Ioan.* 5. 16. peccati & eius effectuum *exempla*, in Adamo & Eua, *Gen.* 3. 6. 7. 10. 6. Caino, 4. 10. 11. Sodomitis, 18. 20. 21. *&* 19. 24. Pharaone, *Exod.* 10. 16. Israelitis, *Iudic.* 2. 11. 14. Rechabitis, 2. *Sam.* 4. 10. 11. Dauide, 24. 3. *&* 2. *Paral.* 17. 16 Iudæis, *Ier.* 44. 2. 21. paralytico, *Matth.* 9. 2. Languido, *Ioan.* 5. 14. Adultera, 8. 11. peccati cognitio necessaria, *Ierem.* 3. 2. peccati cognitio per legem, *Rom.* 7. 7. peccati finis, mors, 6. 21. peccati origo, *Gen.* 2. 17. *&* 3. 6. *Rom.* 5. 12. 1. *Cor.* 15. 21. peccati seruitus quam periculosa, *Ioan.* 8. 34. *Rom.* 6. 20. peccati stipendia mors. 6. 23. peccato renunciandum est, *Ioan.* 8. *v.* 11. *Rom.* 6. 4 12. *Ebr.* 12. *v.* 1. 1. *Pet.* 4. 2. 1. *Ioan.* 3. 6.

Peccatorum remissio in Ecclesia, *Esa.* 33. *v.* 24. *Ier.* 33. 8. *Zach.* 13. 1. peccatorum remissio hominem beatum efficit, *Psal* 32. 1. 2. *Rom.* 4. 6. 8. *Esa.* 30. *v.* 26. peccatorum remissio nunquam est sine resipiscentia, *vt patet ex Marc.* 14.

Peccatis alienis non communicandû, *Prouerb.* 29. 24. *Ephes.* 5. 7. *Tim.* 5. 22. in peccatis esse, 1. *Cor.* 15. 17. est sanctificatum non esse, nec peccatorum remissionem consecutum esse.

Sententiæ Biblicæ.

Peccatum originale vnde oriatur.

Ecce enim iniquitatibus conceptus sum. *Psal* 51.

Propterea sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit. *Rom.* 5.

Malum operatur.

Nequaquam vltra maledicam terræ propter hominem ideo quod sensus cogitatio humani cordis in malum prona sint ab adolescêtia sua. *Gen.* 8.

Semen enim erat maledictum ab initio. *Sap.* 12.

Aut quid nequius, quam quod excogitauit caro & sanguis? *Eccl.* 17.

Et facti sumus & immundi omnes nos: & quasi pannus menstruatæ vniuersæ iustitiæ nostræ. *Esa.* 64.

Scimus enim, quia lex spiritualis est: ego autem carnalis sum, venûdatus sub peccato. *Rom.* 7.

Caro enim concupiscit aduersus spiritum: Spiritus autem aduersus carnem, *Gal.* 5.

Gratia curatur.

Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. *Ioan.* 1.

Si enim vnius delicto multi mortui sunt: multo magis gratia Dei & donum in gratia vnius hominis Iesu Christi, in plures abundauit. *Rom.* 5.

Quod enim mortuus est, peccato mortuus est semel 6.

Sed conclusit Scriptura omnia sub peccato, vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. *Gal.* 3.

Peccatum actuale multipliciter perpetratur.

Infirmitate.

Ipse autem est misericors, & propitius fiet peccatis eorum. Et recordatus est, quia caro sunt. *Psal.* 78.

Quomodo miseretur pater filiorum. Recordatus est, quoniam puluis sumus. 103.

Corpus enim, quod corrumpitur, aggrauat animam. *Sap.* 9.

Error & tenebræ peccatoribus concreta sunt: qui autem exultant in malis, consenescunt in malis, *Eccl.* 11.

Est qui vetatur peccare præ inopia. 20.

Peccatum suum quasi Sodoma prædicauerunt, nec absconderunt. Væ animæ eorum, quoniam reddita sunt eis mala. *Esa.* 3.

Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quasi vinculû plaustri, peccatum. Væ qui dicitis bonum malum 5.

Qui facit peccatum, ex Diabolo est. 1. *Ioan.* 3.

Non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ. *Psal.* 38.

Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum. *ibidem.*

Vir peccator adijciet ad peccandum. *Eccl.* 3.

Non est enim ei bene, qui assiduus est in malis. 12.

Duo genera abundant in peccatis: Anima calida quasi ignis ardens non extinguetur, donec aliquid glutiat: & homo scortator, qui corpore carnis suæ non conquiescit, donec ignem succenderit 23.

Et qui in vno peccauerit, multa bona perdet. *Eccl.* 9.

Quid proderit libatio idolo? Nec enim manducabit, nec odorabitur. Sic qui effugatur a Domino, & portans mercedes iniquitatis. Videns oculis, & ingemiscens, sicut spado complectens virginê & suspirans. *Eccl.* 30.

Ecce non est abbreuiata manus Domini: vt saluare nequeat sed iniquitates & peccata vestra absconderunt vultum eius a vobis, ne exaudiret. *Esa.* 59.

Si autem auerterit se iustus a iustitia sua; omnes iustitiæ eius, quas fecerat, non recordabuntur. *Ezech.* 18.

Iustitia iusti non liberabit eum, in quacunque die peccauerit. Et iustus non poterit viuere in iustitia sua, in quacunque die peccauerit

uerit. Etiam si dixero iusto, quod vita viuat, & confisus in iustitiâ sua fecerit iniquitatem, omnes iustitiæ eius obliuioni tradentur, & in iniquitate sua, quam operatus est, in ipsa morietur. 33.

Cum enim recesserit iustus à iustitia sua, feceritque iniquitates, morietur in eis *Ibid.*

Et omnis qui peccat, non videt eum. 1. *Ioan.* 3.

Habitant sed non regnant in Christi membris.

Non est enim homo, qui non peccet. 1. *Reg.* 8.

Non est enim homo iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccet. *Eccl.* 7.

Fili peccasti, ne adijcias iterum, sed & de pristinis deprecare, vt dimittantur tibi. Tanquam a conspectu serpentis fuge peccatum; nam si accesseris, mordebit te. Dentes leonis sunt dentes ipsius, interficientes animas hominum. Quasi rhomphæa bis acuta hominis iniquitas, plagæ illius non est sanitas. *Eccl.* 21.

In vanitate sua apprehenditur peccator. 23.

Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. *Matt.* 26.

Nô ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentijs eius. Peccatum enim vobis non dominabitur. *Rom.* 6.

Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus & veritas in nobis non est 1. *Ioan.* 1.

Omnis qui natus est ex Deo peccatum non facit. 3.

Grauiter punitur.

Dominus patiens, & multæ misericordiæ, auferens iniquitatem & scelera, nullumque innoxium derelinquens, qui visitas peccata patrum in tertiam & quartam generationê. *Numer. decimoquarto.*

Iustitia eleuat gentem, miseros autem facit populos peccatum. *Prou.* 14.

Vultus Domini super facientes mala. *Psal.* 34.

Et adhuc pusillum, & non erit peccator. 37.

Per quæ quis peccat, per hæc & punietur. *Sap.* 11.

Væ genti peccatrici: populo graui iniquitate: semini nequam, filijs sceleratis: Dereliquerunt Dominum, blasphemauerunt Sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum. Super quo percutiam vos vltra, addentes præuaricationem? Omne caput lāguidum, & omne cor mœrens: Terra vestra deserta, ciuitates vestræ succensæ igni: Regionem vestram coram vobis alieni deuorant. *Esa.* 1.

Quis dedit in direptionem Iacob & Israel vastantibus? Nonne Dominus ipse cui peccauimus? Et noluerunt in vijs eius ambulare. Et effudit super eum indignationem furoris sui, & forte bellum. 42.

Populo autem huic factum est cor incredulum, & exasperans, recesserunt & abierunt, & non dixerunt, in corde suo: Metuamus Dominum Deum nostrum, qui dat nobis pluuiam temporaneam & serotinam in tempore suo, plenitudinem annuæ messis custodientem nobis. Iniquitates vestræ declinauerunt hæc, & peccata vestra prohibuerunt bonum a vobis. *Ier.* 5.

Non est vua in vitibus, & non sunt ficus in ficulnea: folium defluxit, & dedi eis, quæ prætergressa sunt: Conuenite, & ingrediemur ciuitatem munitam, & sileamus ibi: quia Dominus Deus noster silere nos fecit, & potum dedit nobis aquam fellis. Peccauimus enim Domino. 8

Propter multitudinem iniquitatis tuæ reuelata sunt verecundiora tua, pollutæ sunt plantæ tuæ 13.

Aeternaliter.

Pluet super peccatores laqueos. *Psal.* 10.

Impium suæ ipsius iniquitates capiunt, funibus peccatorum suorũ irretitur. *Prou.* 5.

Si iustus in terra recipit, quanto magis impios & peccator? *Ibid.*

Peccantem virum iniquum inuoluet laqueus. 29.

Malorum amatores digni sunt morte. *Sap.* 15.

Lo venationi insidiatur semper: sic peccata operantibus iniquitates. *Eccl.* 27.

Discedite a me maledicti in ignem æternum *Matth.* 25.

Misericorditer remittitur immediate per Deum propter Christi iustitiam & satisfactionem.

Secundum misericordiam tuam memento mei tu: Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo. *Psal.* 24. 25.

Beati, quorum remissæ sunt iniquitates. Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum. 32

Miserere mei Deus. Et secundum multitudinem miserationum tuarum. 51.

Si iniquitates obseruaueris Domine, quis sustinebit? Sed apud te propitiatio est, 130.

Idcirco super hoc dimittetur iniquitas domui Iacob. & iste omnis fructus, vt auferatur peccatum eius. *Esa.* 27.

Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor. Reduc me in memoriam, & iudicemur simul. 43.

Deleui vt nubem iniquitates tuas 44.

Posuit Dominus super eum iniquitatem omnium nostrum. *Esa.* 53.

Ecce ego obducam eis cicatricem & sanitatem. Et conuertam conuersionem Iuda *Ier.* 33.

Deponet iniquitates nostras, & proijciet in profundum maris omnia peccata nostra. *Mich.* 7.

Ipse enim saluum faciet populum suum a peccatis eorum. *Matth.* 1.

Vt autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata. 9.

Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. *Ioan.* 1.

In quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum *Ephes.* 1.

Notum igitur sit vobis viri fratres, quia per hunc vobis remissio peccatorum annunciatur, ab omnibus, quibus non potuistis, in lege Moysi iustificari. *Act.* 13.

Et sanguis Iesu Christi Filij eius emundat nos ab omni peccato. Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus, vt remittat nobis 1. *Ioan.* 1.

Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. 2.

Et scitis, quia ille apparuit, vt peccata tolleret, & peccatum in eo non est 3.

Mediate per Ecclesiæ ministros.

Et dixi, væ mihi, quia tacui: quia vir pollutus labiis ego sum, *Esa.* 6.

Et volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus, quem forci, e tulerat de altari, & tetigit os meum & dixit. Ecce tetigi hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mũdabitur. *Ibid.*

Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt. *Ioannis* 20.

Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, nô imputando eis peccata ipsorum, & posuit in nobis sermonem hunc reconciliationis. Itaque nomine Christi legatione fungimur, velut Deo vos per nos exhortante: Oramus Christi nomine, reconciliamini Deo. 2. *Cor.* 5.

PATRVM SENTENTIAE.

Nemo renascitur in Christi corpore nisi prius nascatur in peccati corruptione. *Aug. de bapt. paruul.*

Nullus sanctus & iustus caret peccato, nec tamen ex hoc definit esse iustus, vel sanctus, cum affectu teneat sanctitatem. *De eccles. dogm.*

Nullum scelus coram Deo tam abominabile est, quam præterita peccata vnicuique nostrum dimissa renunciendo, gaudere, & in de exultare. *In epist. ad quendam comitem.*

Qui pectus suum tundit, & se non corrigit, peccata solidat, non tollit. *Lib.* 5. *de lib. arb.*

Ex quo incipit homo præcepti esse capax, ex illo incipit posse peccare. Duobus modis peccat, antequam sit sapiens: si aut se non accommodet ad accipiendum præceptum: aut cum acceperit, non obseruet. Sapiens autem peccat, si se auertit a sapientia:

Peccatum est voluntas retinendi vel consequendi, quod iustitia vetatur. *De duabus animabus.*

Sane cum sola cogitatione mens oblectatur illicitis, non quidem decernens esse facienda: tenens tamen & voluens libenter quæ statim vt attigerunt animum, respui debent: non negandum esse peccatum: sed longe minus, quam si & opere statuatur implendum: & ideo de talibus quoque cogitationibus venia petenda est, pectusque percutiendum, atque dicendum: Dimitte nobis debita nostra, faciendum quoque, quod sequitur, atque in oratione iungendum; Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. 12. *de Trinit.*

Neque enim sicut illis duobus primis hominibus personam suam quisque portabat, & ideo si solum mulier cibum edisset illicitum, sola vtique mortis supplicio plecteretur: ita dici potest in homine vno, si delectationibus illicitis, a quibus se auertere deberet continuo, cogitatione sola libenter pascatur, nec facienda decernantur mala, sed tantum suauiter in recordatione teneantur, quasi mulierem sine viro posse damnari, absit hoc credere: hic quippe vna persona est: vnus homo est, totusque damnatur: nisi hæc, quæ sine voluntate operandi, sed tamen cum voluntate animum talibus oblectandi solius cogitationis sentiuntur esse peccata, per Mediatoris gratiam remittantur. *Ibid.*

Non regnet peccatum in vestro mortali corpore. Nô dicit, nô sit, sed non regnet. Inest peccatum, quum delectaris, regnat, cum cõsenseris. *In Psal.* 5.

Nolite contemnere venialia, quia minima sunt, sed timete, quia

Polyanthea Nouiss.

quia plura: plerunque enim bestiæ minutæ multæ necant: nunquid minutissima sunt grana arenæ, sed si arena amplius in naui mittatur, mergit illam, vt pereat? quam minutæ guttæ pluuiæ, nunne flumina implent, & domos deijciunt? Timenda est ergo ruina multitudinis, etsi non magnitudinis. *De decem chordis.*

Tribus gradibus ad peccatum peruenitur: Suggestione, Delectatione, Consensione. Itaque ipsius peccati tres sunt differentiæ: in Corde, in Facto, & in Consuetudine, tanquam tres mortes. Vna quasi in domo, quum corde consentitur libidini: altera quasi prolata iam extra portam, quum in factum procedit assensio: tertia, quum in consuetudinis malæ tanquam mole terrena premitur animus, quasi in sepulchro iam putrens: quæ tria genera mortuorum Dominum suscitasse, quisquis Euangelium legit, agnoscit. *Augustin. in lib. de serm. in monte. & ponitur de pœnitent. distin. 2.*

Primum peccatum est, cogitasse, quæ mala sunt: secundum, cogitationibus acquieuisse peruersis: tertium, quod est deterius, opere complesse: quartum est peccatum, non facere pœnitentiam, & in suo complacere sibi delicto. *Hieronym. li. 1. in Amos.*

Cui Deus venter est, ei Deus venter est. Quæcunque vitia habemus, & quotcunque peccata, tot recentes habemus Deos. Iratus sum, ira mihi Deus est. Vidi mulierem, & concupiui, libido mihi Deus est. Vnusquisque enim, quod cupit & veneratur, hoc illi Deus est. *In Psal. 80.*

Sicut nonnunquam grauius est peccatum diligere, quam perpetrare: Ita nequius est odisse iustitiam, quam non fecisse. *In quadam epist.*

Prioris peccati merito peccatorum subsequentium, fouea tegitur: vt qui malum sciens perpetrat, deinceps iuste in alia etiam nesciens cadat. Hoc quippe agitur, vt culpis culpa feriatur, quatenus supplicia fiant peccantium ipsa incrementa vitiorum. *Greg. lib. moral.*

Nonnunquam in paruis deterius, quam in maiori peccatur. Maior enim quo citius quiescit culpa cognoscitur: eo etiam celerius emendatur: minor vero, dum quasi nulla creditur, eo peius quo & securius in vsu retinetur. *Hom. 52.*

Hoc inter peccatum & delictum distat, quod peccatum est malum facere: delictum vero bona derelinquere, quæ sunt in opere tenenda. Vel peccatum in opere est. Delictum in cogitatione. *In Ezech.*

Quatuor modis peccatum perpetratur in corde, quatuor consummatur in opere. In corde namque suggestione, delectatione, consensu, & defensionis audacia perpetratur. Fit enim suggestio per Diabolum: delectatio per carnem: cõsensus per spiritum: defensionis audacia per elationem. Quatuor modis peccatum consummatur in opere: Prius namque latens culpa agitur: postmodum etiam ante oculos hominum sine confusione reatus aperitur: deinde in consuetudinem ducitur. Ad extremum quoque vel falsæ spei seductionibus, vel obstinatione miseræ desperationis enutritur. *Isidor. de summo bono.*

Peccatum, quod ex peccato oritur, non iam peccatum tantummodo, sed & peccatum est, & pœna peccati: quia iusto iudicio Omnipotens Deus cor peccantis obnubilat: vt præcedentis peccati merito etiam in alia cadat: vt qui malum sciens perpetrat deinceps iuste in alia etiam nolens cadat. *Gregorius libro vigesimo quarto moral.*

Vsitata culpa obligat mentem, vt nequaquam surgere possit ad rectitudinem: conatur & labitur: quia vbi sponte diu persistit, ibi & cum noluerit, cadit. *In hom.*

Peccatum tribus modis admittitur. Nam aut ignorantia, aut infirmitate, aut studio perpetratur: & grauius est quidem infirmitate, quam ignorantia, sed multo grauius studio quam infirmitate peccatur. *ibid.*

Posse peccare, datum est primo homini, non vt proinde peccaret, sed vt gloriosior appareret, si non peccaret, quum peccare posset. *Bern. de lib. arbitr.*

Peccantis lapsus non dono adscribendus est potestatis, sed vitio voluntatis, etsi datum fuit voluntati, posse stare, ne caderet, non tamen resurgere, si caderet. Non enim tam facile quis valeret exire de fouea, sicut in eam labi. *ibid.*

Quare peccas? quia nescis quid facias? absit: quia cogeris, vt facias? absit, sed quia placet, vt sic facias. *In quodam serm.*

Tanto magis peccatum esse cognoscitur, quãto maior, qui peccat, habetur. Crescit enim delicti cumulus, iuxta ordinem meritorũ, & sæpe quod minoribus ignoscitur, maioribus imputatur. *Isidor. de summo bon. lib. 2.*

Maior est culpa manifeste quam occulte peccare: dupliciter enim reus est, qui aperte delinquit, quia & agit & docet. *ibid.*

Istis fomitibus quasi quibusdam gradibus coalescit omne peccatum; cogitatio namque praua delectationem parit; delectatio consensionem, consensio actionem, actio consuetudinem, consuetudo necessitatem, necessitas mortem; neque in his vinculis homo implicatus quadam catena vitiorũ tenetur adstrictus. *ibid.*

Diabolus nulla præcedentis peccati vindicta superbiens peccauit: ego visa eius pœna non continens ad peccatum properaui: ille in innocentia constitutus, ego vero restitutus, ille perstitit in malitia Deo reprobante: ego vero Deo reuocante: ille vero obduratur ad punientem, ego vero ad blandientem, & sic vterque cõtra Deum, ille contra non requirentem se: ego vero contra morientem pro me. Ecce cuius imaginem horrebam, horrorem in multis aspicio me horribiliorem. *Anshelmus in lib. de casu Diaboli.*

Mortale peccatum, quantum mihi videtur, triplici recte ratione distinguitur. Mortale est, quod a quouis non potest committi, sine grandi corruptione sui, sine graui læsione proximi, & sine magno contemptu Dei. Cætera vero omnia videntur mihi venialia. Veniale peccatum, est reatus, cui, quantum est in se, solum fide mediante, nunquam debetur pœna æternæ damnationis: mortale vero est reatus, cui, quantum in se solum, semper debetur æterna damnatio. *Richard. de differ. mortalis & venialis.*

Hoc dicimus, quod tantum vnusquisque a diuinitate repellitur, Quantum eius peccata cumulantur. Quantitas enim delicti mensura est repudij, quia tantum a Deo reus longior redditur; quantum numeroso crimine dilatatur. *Cassiodorus in Psalm.*

Tribus modis omne peccatum contrahitur: Primus gradus delictorum est, nõ reddere bona pro bonis. Secundus reddere mala pro malis. Tertius est, tribuere mala pro bonis. Contra hæc sunt tria laudabilia Primum, impendere bona pro bonis. Secundum, malum pro malo non reddere, Tertium, perfectissimum virtutis genus est, bonum pro malo tribuere. *Ibid.*

Qui enim virtutis est expers, qui cupiditate ac libidinibus malis vincitur, non cupidini, sed morti subiectus sempiternæ est.

Qui peccant, sæpe felices sunt, & qui pie viuunt, sæpe miseri: qui & fugitiui, & abdicati libere viuunt. *Lact. Firm. lib. 1. diuin. instit.*

Quod malum adscribes creatori, si delictum est hominis? non erit Dei quod est hominis: nec idem est habendus delicti author, qui inuenitur interdictor, imo & condemnator. *Tertullian. contra Marcion. lib. 2 c. 9.*

Detestanda & abominanda opinio est, quæ Deum cuiusquam malæ voluntatis aut malæ actionis credit authorem. *Aug. resp. ad art. sibi falso impos. art. 10.*

Si a iustitia & pietate quis deficit, suo in præceps fertur arbitrio, sua concupiscentia trahitur, sua persuasione decipitur. Nihil ibi Pater, nihil filius, nihil Spiritus sanctus: nec in tali negotio quicquam diuinæ voluntatis intercedit, cuius ope scimus multos ne laberentur detentos, nullos autem vt laberentur impulsos. *ibid. art. 13.*

Dimittitur concupiscentia carnis in baptismo, non vt non sit, sed vt in peccatum non imputetur. Quamuis reatu suo iam soluto, manet tamen, donec sanetur omnis infirmitas nostra, proficiente renouatione interioris hominis de die in diem, cum exterior induerit in corruptionem, non enim substantialiter manet, sicut aliquod corpus, aut spiritus: sed affectio est quædam malæ qualitatis, sicut languor. *Idem lib. 1. de nuptijs & concupisc. c. 25.*

Quemlibet valde iustum dixeritis in hac vita, quamuis iam sit dignus iusti vocabulo, non est tamen sine peccato. *Idem, tract. 41. in Ioan.*

Quicquid peccatum est a nobis, antea deletum est in baptismo, nunquid quia deleta est tota infirmitas, nulla remansit infirmitas? Si non remansisset, sine peccato hic viueremus. Quis autem audeat hoc dicere, nisi superbus? nisi misericordia liberatoris indignus? nisi qui seipsum vult decipere, & in quo veritas nõ est? *ibid.*

Ego tanquam valetudinem malam, ex origine vitiata ingenitum esse dico homini vitium, quo caro concupiscit aduersus Spiritũ. *idem, lib. 6. adu. Iulian. c. 7.*

Ab hoc peccato, ab hac ægritudine, ab hac ira Dei, cuius naturaliter filij sunt, qui etiamsi per ætatem non habent proprium, trahunt tamen originale peccatum, non liberat nisi agnus qui tollit peccata mundi, non nisi medicus, qui non venit propter sanos, sed propter ægrotos: non nisi Saluator, de quo dictum est generi humano. Natus est vobis hodie saluator: non nisi redemptor, cuius sanguine deletur debitum nostrum. Nam quis audeat dicere, non esse Christum infantium saluatorem, nec redemptorem? vnde autem saluos facit, si nulla in eis est originalis ægritudo peccati. *Idem. libr. 1. de peccat. meritis & remissione, caput. 23.*

Agnosce homo, quam grauia sint vulnera (tua) pro quibus necesse est Dominum Christum vulnerari. Si non essent hæc ad mortẽ, & mortem sempiternam, nunquam pro eorum remedio Dei filius moreretur. *Bernard. serm. 3. in nat. Domini.*

Sine generalis confusionis velamine nemo filiorum hominum intrauit in hanc vitam, vno sane excepto, qui ingreditur sine macula, Emanuelis est. *idem. serm. 78 in cantic.*

Natura hominis Christi, nostræ naturæ dissimilis non fuit, sed vitio nostro dissimilis fuit. Ille quippe sine vitio natus est homo, quod hominum nemo. *Aug. lib. 5 cont. Iulian c. 9.*

Quid est peccatum ad Domini misericordiam? Tela araneæ, quę vēto flante nusquam apparet. *Chrysost. in Psal. 50. hom. 2.*

Vbi tuta firmaque infirmis securitas & requies, nisi in vulnerib. saluatoris? tanto illic securius habito, quanto ille potentior est ad saluandum. Fremit mundus, premit corpus, diabolus insidiatur: non cado: fundatus enim supra firmam petram. Peccaui peccatū grande, turbatur conscientia, sed non perturbabitur, quoniam vulnerum Domini recordabor. *Bernard. ser. 61. sup. Cant.*

Peccaui peccatum grande, & multorum delictorum sum mihi conscius, nec sic despero: quoniam vbi abundauerunt delicta, superabundauit & gratia. Qui de peccatorum venia desperat, negat Deum esse misericordem. Magnam iniuriā Deo facit, qui de eius misericordia diffidit. Quantum in se est, negat Deum habere charitatem, veritatem & potestatem: in quibus tota spes mea consistit: scilicet in Charitate adoptionis, in veritate promissionis, & in potestate redemptionis. *August. in Enchirid. c. 23.*

Dicta Poetarum.

Terent. Adel. 4. 3.

Ego in hac re nihil reperio, quamobrem lauder tantopere
Hegio.
Meum officium facio: quod peccatum a nobis ortum est corrigo.

Mart. 3.

Quod tegitur, maius creditur esse malum.

Iuuen. 8.

Omne animi vitium tanto conspectius in se
Crimen habet, quanto maior qui peccat habetur.

Sen. Herc. Oet.

Haud est nocens, quicunque non sponte est nocens.

Idem Hipp. act. 3.

Recipe iam sensus hera.
Quid te ipsa laceras? omnium aspectus fugis?
Mens impudicam facere non casus solet.

Ouid. 1. Pont. 1.

Sæpe leuant pœnas, ereptaque lumina reddunt,
Cum bene peccati pœnituisse vident.

Sen. Agam.

Quem pœnitet peccasse, pene est innocens.

Ouid. 2. Remed.

Gloria peccati nulla petenda tui est.

Idem 3. Amor 13.

Quis furor est, quæ nocte latent, in luce fateri,
Et quæ clam facias facta referre palam?
Ignoto meretrix corpus iunctura Quiriti,
Opposita populum submouet ante sera.

Sen. Hipp.

Obstare primum est, velle nec labi via:
Pudor est secundus, nosse peccandi modum.

Hor. 1. Serm. 3.

Queis paria esse fere placuit peccata, laborant,
Cum ventum ad verum est: sensus moresque repugnant,
Atque ipsa vtilitas iusti prope mater, & æqui.

Ibid.

Nec vincet ratio hoc tantundem, vt peccet idemque
Qui teneros caules alieni fregerit horti,
Et qui nocturnus Diuum sacra legerit.

Sen. Hip. act. 1.

Credamus tamen,
Astu doloque tegere nos tantum nefas,
Quid ille rebus lumen infundens suum
Matris parens? quid ille, qui mundum quatit,
Vibrans corusca fulmen Aetnæum manu
Sator Deorum? credis hoc posse effici
Inter videntes omnia, vt lateas auos?

Thales per Auson.

Turpe quid ausurus, te sine teste time.

Ouid. 2. Fast.

Omne nefas, omnemque mali purgamine caussam
Credebant nostri tollere posse senes.
Græcia principium moris fuit, illa nocentes
Impia lustratos ponere facta putat.
Actoridem Peleus, ipsum quoque Pelea Phoci
Cæde per Aemonias soluit Acastus aquas,
Vectam frenatis per inane draconibus Aegeus
Credulus immerita Phasida fouit ope, &c.
Ah, nimium faciles, qui tristia crimina cædis
Flumine a tolli posse putatis aqua.

Cleob per Auson.

Felix criminibus non erit diu.

Polyanthea Nouiss.

Iuuen. 3.

Nam quis
Peccandi finem posuit sibi, quando recepit
Eiectum semel attrita de fronte ruborem?
Quisnam hominum est, quem tu contentum videris vno
Flagitio?

Ouid. 1. Amor.

Multa miser timeo, quia feci multa proterue.
Exemplique metu torqueor ipse mei.

Lucret. 3.

At mens sibi conscia facti
Præmetuens, adhibet stimulos, terretque flagellis:
Nec videt interea qui terminus esse malorum
Possit, nec qui sit pœnarum denique finis.
Atque eadem metuit magis hæc ne in morte grauescant.

Iuuenal. 13.

Nocte breuem si forte indulsit cura soporem,
Et toto versata toro iam membra quiescunt,
Continuo templum & violati Numinis aras,
Et quod præcipuis mentem sudoribus vrget,
Te videt in somnis tua sacra & maior imago
Humana turbat pauidum, cogitque fateri.
Hi sunt, qui trepidant, & ad omnia fulgura pallent,
Cum tonat, exanimes primo quoque murmure cœli,
Non quasi fortuito, nec ventorum rabie, sed
Iratus cadat in terras, & vindicet ignis.
Illa nihil nocuit, cura grauiore timetur
Proxima tempestas, velut hoc dilata sereno.

Peccata venialia, & opera bona.

Antholog. Sacra Iacob Billi.

Vt quædam tenues macula in splendore pierum,
Maior virtutum, quas vacuat numerus.
Aeterna donis nequeunt obsistere vita,
Nec sancta obscurat gaudia culpa leuis.
Sic aliquid plerumque boni pars improba gestat,
Magni mole mali quod facile obruitur.
Nec prodest quidquam recte fecisse malignis,
Si verum & sanctum non coluere Deum.
Vna fides igitur, spes vna est atque amor vnus,
Quo fiat iustus sitque beatus homo.
Nam bona quæ prauis natura ex dote supersunt,
Augent peccati pondera, non minuunt.

Peccantium infelicitas.

Qui se peccatis gaudet feliciter vti,
Infelix nimis est prosperitate sua,
Denique apte miseros effectus praua voluntas,
De vera semper luce fit exterior.
Sumens pestifera de consuetudine robur,
Et sua complectens vincula mortis amor.
Deficiant potius vana oblectamina mundi,
Subdanturque pio colla domanda iugo,
Inque putres fibras descendat cura medentis,
Vt blandum morbum pellat amica salus.

Peccatores non latent.

Gaudet transgressor peccato impune peracto,
Si non infertur debita pœna reo,
Cen nulla offendant hominum commissa Tonantem,
Aut aliqua excelsi notitiam lateant,
Sed vetitorum audis grauior tunc ira timenda est,
Cum sese remouent verbera iustitia.
Namque erit morbi quod non dominabitur illi,
Cui supera auxilium iam medicina negat?

Ex Græcis Comicis.

Δὶς ἐξαμαρτεῖν ταυτὸν οὐκ ἀνδρὸς σοφοῦ.
Peccare idem bis, haud viri sapientis est.
Ἁμαρτάνει δὲ καὶ ἀνὴρ σοφώτερος.
Aliquando peccat vir etiam sapientior.
Ὁ μηδὲν εἰδώς, οὐδὲν ἐξαμαρτάνει.
Quicunque nihil scit, ille vir peccat nihil,
Αἰσχρὸν δὲ μηδὲν πρᾶττε μηδὲ μανθάνε.
Nil facito disertous turpe quod sit.
Ἔργων πονηρῶν χεῖρ' ἐλευθέραν ἔχε.
Noli occupare in improbis factis manum.
Οὐδεὶς ἐφ' αὐτοῦ τὰ κακὰ συνορᾷ Πάμφιλε.
Σαφῶς ἑτέρου δ' ἀσχημονοῦντος ὄψεται.
Haud vllus in se vitia cernit Pamphile,
At indecore quod agit alius, perspicit.
Χαλεπὸν γε πολλοῦ 'στιν ἐξαμαρτάνειν,
Ἃ καὶ λέγειν ὀκνοῦμεν αὐτοὶ πεπραχότες.
Est permolestum tale quid delinquere.
Vt nominare metuas, et qui feceris.

Homerus in Odysseæ.

Ζεῦ πάτερ, ἄλλοτε ... [illegible] ... ἄλλον
Ἀνθρώπων ἐφορᾷ καὶ τίνυται ὅς τις ἁμάρτῃ.

Iupiter illos tuetur supplicium exauditor, qui & alios
Homines inspicit, & punit quicunque peccat.

Idem in φ Odysseæ.

Ἔστι πολὺ κρεῖσσον ἐστὶ
Τεθνάμεν, ἢ ζῶν τὰς ἁμαρτεῖν.
Multo melius est
Mori, quam viuentes peccare.

Verinus.

Qui prohibere potest, causam tribuisse videtur
Peccandi, quicquid non vetat illicitum.
Peccatum est deforme malum, transgressio legis
Diuinæ: & citius dixeris esse nihil.
Aspicias lucem, qui vult damnare tenebras.
Qui carpit mores, labe carere decet.

Lucianus.

Αὐτὸς τοὺς μὲν ἴσως λήσεις, ἄτοπόν τι ποιήσας.
Οὐ λήσεις δὲ θεοὺς οὐδὲ λογιζόμενος.
Homines quidem forsasse latebis, absurdum quid cum feceris;
Non latebis autem Deos neque ratiocinans.

SENTENTIAE PHILOSOPHOR.

Hoc igitur modo quicquid a Bono deficit, esse desinit: quo fit, vt mali desinant esse, quod fuerant. Sed fuisse homines, adhuc ipsa humani corporis relicta species ostentat. Quare versi in malitiã, humanam quoque amisere Naturam. Sed cum vltra hominem quemque prouehere sola probitas possit, necesse est, vt quos ab humana conditione deiecit, infra hominis meritum detrudat improbitas. Euenit igitur, vt quem transformatum vitiis videas, hominem æstimare non possis. Auaritia feruet alienarum opum violentus ereptor? similem lupi dixeris. Ferox atque inquietus, linguam litigijs exercet? cani comparabis. Insidiator occultus surripuisse fraudibus gaudet? vulpeculis exæquetur. Iræ intemperans fremit? leonis animum gestare credatur. Pauidus ac fugax non metuenda formidat? ceruis similis habeatur. Segnis ac stupidus torpet? asinum viuit. Leuis atque inconstans studia permutat? nihil ab auibus differt. Fœdis immũdisque libidinibus immergitur? sordidæ suis voluptate detinetur. Ita fit, vt qui probitate deserta, Homo esse desierit, cum in diuinam conditionem transire non possit, vertatur in beluam. *Boetius lib. 4 prosa. 3.*

Nec iniuria dici video vitiosos, tametsi humani corporis speciem seruent, in beluas tamen animorum qualitate mutari. *Idem lib. 4. prosa. 4.*

Nulla est lex, quæ aliquam rem inutilem, aut iniquã fieri velit. Omnia supplicia, quæ à legibus proficiscuntur, culpæ aut malitiæ vlciscendæ constituta sunt. *Idem libro secundo Rhetoricę nouorum.*

Voluntario facinori nulla est excusatio: imprudentiæ est iusta deprecatio parata. *Idem Rhet. nouorum lib. 1.*

Magna pars peccatorum tollitur, si peccaturis testis assistat. *Seneca ad Lucil. epist. 11.*

Initium salutis est, notitia peccati. *Seneca epist. 28.*

Tunc autem consummata infœlicitas, vbi non solum turpia delectant, sed & placent. *Idem epist. 58*

Nullum conscium peccatorum tuorum magis timueris, quam temetipsum. Alium enim potes effugere, te autem nunquam. Nequitia autem ipsa, est sui pœna. *lib. de Moral.*

Ignorantia excusat peccatum.

In naturalibus desiderijs, pauci non peccant. *Aristot. lib. 3. Ethicorum*

Prauus, honore non est dignus. *Idem lib. 4. Ethic.*

Pessimus est, qui non solum vtitur malitia ad se, sed ad alium *Idem lib. 4. Ethic.*

Homo prauus, deterior est bestia, *Idem lib. 7. Ethic.*

Peccare, est tanquam transilire lineas. *Cic. Paradox. 3.*

Peccare certe licet nemini, *Idem ibid.*

Peccati dolor & maximus & æternus est. *Cic. Att. 11.*

Quæ parua videntur esse delicta, neque a multis intelligi possunt, ab ijs etiam diligentius est declinandum. *1. Offic.*

Ideo peccamus, quia de partibus vitæ omnes deliberamus: de tota nemo deliberat. *Senec. in Epist.*

Bonus vir est, qui eo vsque perducit affecta animum: vt non tantũ peccare non velit, sed etiam non possit. *Idem in lib. de moribus.*

Plerique metu peccare cessant, non innocentia: profecto tales timidi, non innocentes dicendi sunt. *Idem in Prouerb.*

Bis peccas, quum peccato obsequium accommodas, nihil peccant oculi, si non oculis animus imperet *ibid.*

SIMILITVDINES.

D. *Augustin.* Vnde illo magno peccato primi hominis, natura ibi nostra in deterius commutata non solum facta est peccatrix, verum etiam genuit peccatores. Et tum ipse languor quo bene viuendi virtus perijt, non est vtique Natura, sed vitium. Sicut certe mala in corpore valetudo, non est vlla substantia, vel natura, sed vitium. Et licet non semper, tamen plerunque malæ valetudines parentum ingenerantur quodammodo, & apparent in corporibus filiorum. *De nuptijs ac concupiscentia ad Valerium capite 34.*

Quomodo præputium per circumcisionem aufertur, manet tamen in eo quem genuerunt circumcisi: quomodo etiam palea, quæ opere humano tanta diligentia separatur, manet tamen in fructu, qui de purgato nascitur tritico: Ita peccatum quod in parentibus per baptismum est ablatum, manet in eis quos genuerunt. *Lib. de Bapt. paruulorum.*

Basilius. Quemadmodum vmbræ corpora, sic peccata sequuntur animas, & manifestas factorũ repræsentant imagines. *Ant. & Max. serm. 171.*

Quemadmodum incisionis aut cauterij, medicus non est causa, sed morbus: sic & ciuitatum dissipationes ex peccantium intemperie ortum habentes Deum omni accusatione liberant. *ibid.*

Petri Aliiaci Episcopi ac Cardinalis. Sicut sagittæ intenduntur, ac deinde infiguntur: ita vindictæ Dei potentiæ fuerunt in Adam propter eius inobedientiam, ac deinde in nobis infixæ sunt propter originalem culpam, ac multiplicem pœnam. Ipse enim totius huius miseriæ fuit origo, nos propago. *In 3. Psalmum pœnitentialem, vbi interpretatur hæc verba Dauidis: Et sagitta tua infixæ sunt mihi, &c.*

Theophilacti. Neque simplici aliquo & vnico loco affecti iam sumus, vt quicquam sit de futura gloria hæsitandum: sed gratiæ abundantia bona nobis impertit: qui aut secus habendi sumus, ac alius quispiam qui æris alieni sit obstrictus magnitudine, vbi cum liberis & vxore in carcerem truditur, non solum carcere & debita pecunia liberetur, sed donetur etiam talentis mille, inuectusque in regiam aulam, dignetur honore amplissimo, sicque demum ab imperatore in filium adoptetur. Vt itaque sensum concludat, sic inquit: Igitur sicut per vnius delictum omnes homines pereunt, sic per vnius iustitiam in omnes homines diffunditur gratia: hisque & iustificationem pro peccato condonat, & vitam pro morte. *Ad Rom. 5.*

Theodoreti. Vt ampla vulnera æque amplis remedijs indigent, & qui difficili morbo laborant. Sic qui magnis peccatis obnoxius est, maiore benignitate opus habet. *Apud Anton. in Melissa, serm. 17. par 1.*

Chrysostomi. Vt ignis in materia delitescens, & si nondum flammam claram emittat, scintillis tamen quibusdam micantibus, aut fumo è profundo emergẽti indicatur: sicut fontes qui fistulas quasdam vi spiritus sub terra ferunt: postea nec latum spacium, nec exitum habent liberum, sæpius terram inflant, impetu quodam spiritus expulsi, sed vi superna cohibiti & intercisi: Ita & plurimum impietatis ob temporis gratiam abscondit peccator, cum nondum tutum sibi impie agere. *Homil. 3 de diuersis.*

Voluptas canis similis est: si persequaris fugit: si nutrias manet. *Idem, apud Ant & Max ser. 171.*

Scintilla, si quid vel exiguum apprehenderit & accenderit, omne reliquum depascitur: sic peccati natura, postquam animi cogitationes nacta fuerit, nemoque sit qui extinguat, grauior in reliquum, & superatu difficilior fit per secundorum accessionem, cũ tam in maiorem contemptum peccator efferetur. *Ibid.*

Qui noctu illuni ambulant, tremunt, etiam si nihil sit quod terreat: sic & qui peccant, non possunt esse confidenti animo, etiamsi nemo sit qui redarguat. *ibid.*

Si quis vulnus habeat, quid timere dignum est, saniem, an medici sectionem & ferrum, an vlceris depopulationem? Peccatum sanies est, pœna ferrum est medicinale. Sicut igitur saniem habens, & si non secetur, male habet, & ergo non secatur, tunc peius habet in maioribus malis est: Ita peccans & si non puniatur, omnium miserrimus, & tunc maxime miser, cum nõ punitur, & graue nil patitur. Et sicut splene & intercute laborantes, cum larga fruuntur iocunda, & frigida potione, & delicatis ferculis & saporibus, tunc maxime omnium sunt miserrimi, delitijs morbum augentes: si vero siti & fame, secundum medicorum leges cruciarentur, aliquam salutis spem habent. Sic in iniquitate viuentes, si puniantur quidem, bonam spem habent: si vero cum iniquitate, licentia & delicijs fruantur, & hydrope laborantibus & crapulantibus sunt multo miseriores, & tanto magis, quanto corpore melior anima. *Homil. 7. de diuersis.*

D. *Augustini.* Homo peccator bestijs simillimus efficitur, &c. *De Genesi ad literam. lib. 7. c. 10.*

Chrysostomi. Sicut ebrius quando multum vini ingurgitat, nullũ sentit a vino damnum, postea autem sentit quantum sit damnum: Ita & peccatum, donec consummatur, obtenebrat mentem, & quasi densa nubes, ita mentem corrumpit. Deinde conscientia insurgit, & quouis accusatore mẽtem grauius arrodit, monstrãs absurditatem facti. *Homil. 62. in Genes.*

Quemadmodum præclara corpora etiam in aduersa valetudine magis nobis interna vestigia ostendunt. Sic & sanctorum animæ, in ipsis etiam criminatis suæ virtutis signa præ se ferunt. *Homil. 5. in Esaiam.*

Quemadmodum si lateram aqua laues, nunquam mundatur, sed potius commoto luto, amplius sordidatur: ita fieri non potest, vt depositis sordibus emundetur, qui totus est sordidus. *in c. 1. Matth hom. 3.*

Sicut

Sicut in loco mundo & specioso, si modica sordes fuerit, de longe apparet: si autem ipse locus sordidus fuerit, quantumuis stercoris iaceat ibi nõ apparet, nec enim potest requiri si est aliquid stercoris, vbi totum est stercus. *In c. 6. Matth.*

Sicut miles si toto corpore fuerit armis vestitus, & vnam partem habuerit nudam, nihil ei prodest, quod totus fuerit ferro vestitus, si per illam vnam partem eum sagitta percusserit, sed sic cadit, quemadmodum si totus fuisset nudus: Sic & Christianus, si iustitiã fecerit, & si in vno peccauerit, similiter peccator statuitur, quemadmodum si semper peccasset. *In Matthaeum 20. homil. 35.*

Quemadmodum columna in templo, si steterit recta, accepto pondere, amplius confirmatur: si autem modice obliqua fuerit, suscepto pondere non solum non confirmatur, sed amplius vadit ad latus: Sic & cor hominis si rectum fuerit, videns opera alicuius viri iusti, aut audiens, per doctrinam sapientiæ eius amplius confirmatur: si autem fuerit peruersum cor, videns opera alicuius viri iusti, aut audiens, non solum non confirmatur, sed magis ad inuidiam excitatur, & magis peruertitur. *In Matth. 21. homil. 38.*

Quemadmodum qui sub mille pædagogis degunt, quique a lectoribus detinentur: Sic non audent oculos extollere, nec libere quicquam dicere de virtute, qui peccatis seruiunt. *Homil. 59. in Matth.*

Quemadmodum solaribus radys nemo clausis oculis frui potest: Ita neque huius claritatis particeps, abunde nunquam fuerit, nisi animi oculum ad eam & dirigat, & intendat: tunc enim quocunque se vertit, facilis ei prospectus patebit: quod eueniet, cum omnibus malis affectibus animum purgauerit. Peccatum enim tenebræ, vt vorago quædam profunda, quod vel inde planissime constat, quod clam, & sine arbitris peccata committuntur.

Quicunque enim in facinora sceleraque prolabitur, odio habet lucem, neque luci se credit: & quæ occulte & in abscondito fiunt, etiam sunt dictu turpia. Sicut enim in tenebris neque amicus neque inimicus agnoscitur, sed omnia penitus ignorantur: Iisdem & in peccato vsu venit, quippe qui lucro inhiat, nullam amici inimicique intelligit differentiam, & inuidus familiarissimum nõ secus quam inimicum conspicatur, & latrones similiter in omnes bellum gerunt, omnibus insidiantur, & omnino qui se vitiorum sordibus coinquinant, nihil ad rerum differentias dignoscendas ebriis insanientibusque differunt. *Homil. 4. in Ioan.*

Quemadmodum noctu amoto lumine lignum, plumbum, ferrum, argentum, lapides preciosos, & alia omnia eodem modo & videmus, & iudicamus: Ita quoque qui sordide & vitiose vitam viuit, neque modestiæ vim, neque sapientiæ discernit pulchritudinem. In tenebris enim preciosi etiam lapides nullã speciem, nullum præ se ferunt fulgorem, non sua, sed caligantium oculorum culpa. Neque hoc duntaxat nobis dum sub impia vitiorũ tyrannide viuimus molestum est, verum etiam illud quod formidine propterea angimur, & veluti qui per obscuram noctem iter faciunt, etsi nihil metuendum sit, metu tamẽ concutiuntur: Sic qui scelus aliquod admittunt, etsi nemo id videat, nemo reprehẽdat, nihilo tamen melius sibi fidunt, sed omnia formidant, omnia suspicantur: quippe qui perpetuis conscientiæ stimulis agitantur, omnia formidolose circumspiciunt. Propulsemus igitur tam grauem, tam molestam vitam, cuius angorem mors sequitur: mors inquam immortalis & perpetua, cui nullus supplicij finis est. *Hom. 4. in Ioan.*

Anima quæ semel peccatum gustauit, & neque dolore, neque pœnitentia eius tãgitur, negligentia sua facit, vt semper morbi crescat accessio. Et quemadmodum in materiam recentem cadens scintilla, flam tactam accendit, neque subsistit, donec quod reliquum est pascatur: & quanto plura comprehendit flamma, tanto maiores vires ad consumenda alia concipit, capitque edacitate lignorum, quæ consumuntur, si quid reliquum, quod & ipsum consumendum, & iterum alia consumit semper fortius se armante incendio: Sic & natura peccati, vbi cogitationes animi inuaserit: & nemo est qui malum extinguat, procedens vlterius, peior semper fit, magisque ac magis indomita. Et ideo posteriora peccata ferme prioribus sunt grauiora. Accedit ad hæc, quod anima posterioribus peccatis ad maiorem semper desipientiam & inconsiderantiam vergit, viribusque destituitur. In hunc modum plurimi, quia priorem flammã non extinxerunt, in omne peccatorum genus incidere. *Aduersus gentiles & in Babilam martyrem.*

Melius est luto pollui, quam peccatis; Qui enim illic polluitur, paruo tempore delauatur, & efficitur similis ei, qui illic non cecidit: qui vero in barathrum ceciderit peccatorum, talem pollutionẽ accipit, quæ aquis eluis non possit, sed quæ multo tempore opus habeat, & pœnitentia diligenti, & lachrimis. Illæ quidem sordes extrinsecus nobis adueniunt, propterea & citius eas amittimus: illæ autem intrinsecus generantur, ideo vix delauãtur & expurgantur. *Hom. 12. ad Hebr.*

Quemadmodum auis etsi non toto corpore, sed vno tantum pede capta teneatur, in potestate eius est, qui laqueum tetendit: Ita &

Polyanthea Nouiss.

nos cum vitæ & fidei peruersitate capi valeamus, si vita solum oberramus, in ius diabolicum labimur. *In 2. ad Timoth. homil. 6.*

Quemadmodum qui grauitate capitis, ebrietateque tenentur, stulte simpliciterque feruntur, quamuis præcipitium, & aliud quid simile subsit, infra concidunt incaute: Sic qui corruunt in peccatum, veluti praua ebrietate, actionis desiderio detenti, nesciunt quid faciunt, non præsentia, non futura præuidentes: velutiseruus fidelis, & prudens, conseruum inueniens fugientem, quasi quid ex domini bonis surripuerit, nusquam ab eo recedit milleque impedimenta ingerit recipientibus illum, quoad ipsum vendicans reducit. Sic & mare conseruum inueniens suum, nimirum Ionam, & cognoscens, mille impedimenta excitat, turbans, clamans, non in iudicium trahens, sed comminans omnem ipsius demergere cum nautis, nisi conseruum sibi prodiderit. *Ser. 1. de pœnit.*

Vt corpus vmbra: Ita animas peccata sequuntur, euidenter res gestas effigiantia. *Serm contra diuites.*

Quemadmodum incisionis, aut cauterij, medicus non est causa, sed morbus: Sic & ciuitatum dissipationes ex peccantium immodestia ortum habentes, Deũ omni accusatione liberant. *Apud Maxim. serm. 26.*

Vt fumus apes, & fœtor columbas fugat: Sic miserabile & putidum peccatum repellit vitæ nostræ custodem angelum. *Apud Anton. in Melissa part. 1. serm. 16.*

Iustinus martyr. Quemadmodum authore Apostolo, fidelis qui suæ rei non prospicit, Deum negauit, estque deterior infidelibus, qui non eum cognitione & fide & baptismate, etiam mores asciscat qui Christi doctrinam exprimant, sed habet speciem, eius autem virtute abnegata, deterior fit infidelibus: Ita tanto deterius est cum cognitione peccare, quam sine cognitione, quanto inexcusabile peccatum deterius est eo quod habet excusationem. *In responsionibus ad Orthodoxos, in responsione ad quæst. 3. fol. 271.*

Quemadmodum qui videt meretricem, & scit esse meretricem, non est scortator propter hanc cognitionem, ac ne quidem si cognitio excitauerit cupiditatis affectum, ne sic quidem scortator est: sed si consenserit cum affectione propositum, tunc est scortator aut actione aut affectione: Sic & bonorum & malorum hominum cognitio, non est in causa vt boni sint aut mali, sed propositum, quod elegit id quod ei visum est: id est, præferens alteri. *In responsionibus ad Orthodoxos. responsione ad quæstionem 8. fol. 273.*

Origenis. Neque aliquid amarius potest esse peccato, etiamsi dulcia quædam videantur in primis, sicut Salomon scribit: Sed in nouissimis (inquit) amarius felle inuenies, quod dulce in initiis videbatur, & acutius acie gladij. Iustitiæ vero natura contraria: in vitijs videtur amarior, in nouissimis vero melle dulcior inuenitur, cũ virtus fructus attulerit. *Hom. 14. in Io. Naue.*

Accipiam medicum ostendens eum vni membro non parcere, vt membris omnibus pareat. Accipiam ergo exemplum iudicis boni, pro vtilitate communi quibusdam non miserentis, vt perspicere possimus, quomodo multis parcens, vni non pareat Deus, verbi gratia dictum sit. Habeat iudex propositum, quietem ciuitati & pacem genti, cui præsidet, prouidere: huic si offeratur latro honesta forma, ætate satis integre: ex alio latere mater expansis crinibus deprecetur, vt senectutis suæ misereatur: ex alio vxor ne virum suum interficiat, lachrimabili voce deploret: circumsistent & paruuli liberi, cito orbi futuri. Quid hic faciet iudex: miserebitur latronis, an non? Quid in communo expedit ciuitati? Si misertus fuit, reuertitur homicida ad pristinum scelus: sin vero in iudicaria seueritate permanserit? vnus homo interibit, & vniuerso populo prouidebitur: Sic Deus si pepercerit peccatori, & miserens eius noluerit eum proijcere pro scelere, quis non accipiat licentiam? Quis malorum qui nunc saltem propter supplicia terrentur, non inuadet tempus, vt expleat quæcunque voluerit, & præceps feratur in vitia? *Hom. 9. in Hieremiam.*

Epiphanij. Sicut qui virginitatem amisit, corporaliter ipsam recuperare non potest, quum id naturæ impossibile sit: Sic etiam qui à lauacro in magna delicta collapsus est. Et quemadmodum qui à virginitate lapsus est, secundum honorem continentiam habet, ita & à lauacro in maiore delicto constitutus, secundam medelam habet, non eam virtuosam, velut primam, verum non rejectam à vita habet secundam quam acquisiuit. *lib. 2. tom. 1.*

Marci eremitæ. Quemadmodum pœnitentiam agente alienum est elato animo superbire: Sic sua sponte peccantem humilem esse impossibile est. *De lege spirituali.*

D. Augustini. Quomodo vt restis fit addito spartum sparto, non autem id rectum fit, sed torquetur: Sic omnia peccata facta, quæ sunt peccata, cum adduntur sibi, & addendo peccatum peccato, & peccatum ad peccatum annectitur, fit restis longa. Quorum semitæ prauæ, & flexuosi gressus eorum. Quo autem valet ista restis, nisi vt inde ligentur ei manus & pedes, & projiciatur

quisque in tenebras exteriores? Funiculis enim peccatorum suorum vnusquisque constringitur. Væ eis, qui trahunt peccata velut restem longam. *In Psal. 130.*

Sic est in animo beatitudo, vt in corpore sanitas. Quemadmodum in ipso corpore alia præcipitur medicina, ne bona valetudo amittatur, alia vero vt amissa recuperetur: Sic in toto statu hominis, alia tunc præcepta data sunt, ne amitteret immortalitatẽ: alia nunc præcipiuntur, vt eam recipiat. Et sicut in valetudine corporis si quis præceptis medici quibus eadem bona valetudo custodienda est, non obtemperando in aliquem morbum inciderit, accipit alia præcepta vt sanari possit, quæ sæpe non sufficiũt, si talis est morbus, nisi adhibeantur a medico quædam adiutoria plerumque aspera, & dolores importantia, quæ tamen valent ad recipiendam salutem. Vnde fit, vt homo quamuis obtemperans medico, patiatur tamen adhuc dolores, non solum de ipso morbo nondum sanato, verumetiam de adiutorio medicinæ: Ita homo per peccatum lapsus in huius vitæ morbidã & calamitosam mortalitatem, quia primo præcepto obtemperare noluit, quo sempiternam custodiret ac teneret salutem, secunda præcepta æger accipit: quibus obtemperans iam quidem non absurde dicitur iuste viuere, sed tamẽ molestias quas patitur, vel de ipso morbo nondum sanato patitur: vel de adiumento medicinæ, *Lib. 11. quæst. 82.*

Defectus iste, qui peccatum vocatur, si tanquam febris inuitum occuparet, recte iniusta pœna videretur, quæ peccantem consequitur, & quæ damnatio nuncupatur. Nunc vero vsque adeo peccatum voluntarium malum est, vt nullo modo sit peccatũ, si non sit voluntarium. Et hoc quidem ita manifestum, vt nulla huic doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat. *De vera religione.*

Illa dimitti volumus nobis peccata, quæ humanæ fragilitati quamuis parua tamen crebra subrepunt. Quæ si collecta contra nos fuerint, ita nos grauabunt, & opprimẽt, sicut vnum aliquod grande peccatum: Quid enim interest ad naufragium, vtrum vno grandi fluctu nauis operiatur & obruatur: an paulatim subrepens aqua in sentinam, & per negligentiam derelicta atque contempta, impleat nauem, atque submergat? *Epist. 108. ad Seleucianam.*

D. Hieronymi. Quod iuxta Hebraicum, & omnes alios interpretes, appellantur funiculi vanitatis, hoc significat, quod facientibus peccatum facile texitur, & tam inane & fuule est, vt aranearum fila texuntur, sed cum inde voluerimus exire, solidissimis vinculis nectimur, *Lib. 2. c. 5. in Esaiam.*

D. Cypriani Hæc sunt peccata lapsis, quod grãdo frugibus, quod turbidum sidus arboribus, quod armentis pestilens vastitas, quod nauigijs sæua tempestas. *Serm. 5. de lapsis.*

Hilary. Mos eorum est, qui nequaquam longis atque assiduis prælijs præualent, vt victorem exercitum, & firmis agminibus incidentem, a tergo adeant, & dorso, sicubi viam prætereat, insidias machinentur. Illic dolos fabricantur, illic omnia insidiarum artificia exercent. Ita & peccatores tentatos incassum fideles viros euntes iam in veritatis via, dorso insidiantur, dorso dolos concinnant. *In Psal. 127.*

Salomõ. Sicut bonus filius timet, ne vel in modico offendat oculos amantissimi patris; Sic & qui perfecti sunt in Ecclesia, timent ne peccando offendant oculos Dei. *In Parab. Sal. fol. 417.*

Martialis episcopi. Spinas cordis euellite, vt in suauitate Dei requiescatis. Hæ sunt enim spinæ, quæ per multas amaritudines & insidias & dolositates non sinunt gaudium & alienum Spiritus sancti in vobis dominari. *In Epistola ad Burdegalenses.*

D. Gregory. Esse sub sentibus delicias computabant, quia qui peccatorum delectationibus pressi ex affectu vitæ præsentis quam sint aspera quæ patiuntur, ignorant, lætantur sub sentibus: quia rebus quidem temporalibus gaudent, ea cura pungũtur miseri, qua premuntur. Manent sub sentibus, & hoc ipsum delicias putant: quia & dura quidem ex præsentis vitæ amore, tolerant, & tamen ex affectu nimiæ cupiditatis obligant, laborem eiusdem tolerantiæ voluptatem putant. *In Moralibus libr. 30. cap. 15.*

Ebrius quisque quod patitur, nescit: qui vero absynthio inebriatur & hoc quod sumpsit, amarum est, & tamen non intelligit eandem amaritudinem qua repletur: Ita omnis peccator per voluptates spontaneis tribulationibus traditus, absynthio est ebrius, quia amara sunt quæ pro vitæ huius amore tolerat, & tamen eandem amaritudinem, cæcitate cupiditatis, quasi insensibilitate ebrietatis, & discernere nequit quod amarũ est, quia ebrius absynthio est. *In Moral. lib. 30. c. 15.*

Vua acerba est peccatum, vua acerba est fructus ante tempus: quisquis præsentis vitæ delectationib. satiari desiderat, quasi fructus ante tempus edere festinat. Vt qui vuam acerbam comedent, dẽtes eius obstupescunt: Ita qui præsentis mundi delectatione pascitur, interim eius sensus ligantur, vt iam spiritualia mandere, id est, intelligere nequeat, quia vnde in exterioribus delectati sũt inde in intimis obstupescunt. Et dum peccato anima pascitur, panem iustitiæ edere non valet: quia ligati dentes, id est, sensus interni, ex peccati consuetudine, iustum quod intus sapit, edere nequaquam possunt. *Lib. vndecimo in Iob cap. 18.*

Homo peccator solum est, quod in paradiso ab arbore cecidit, qui tentationis vento rapitur, desideriorum flatibus leuatur. Mens hominis quot tentationes patitur, quasi tot flatibus mouetur, hanc ira perturbat, cum recedit ira, succedit inepta lætitia, superbia leuat, inordinatus timor in infirmis deponit. *Lib. 11. in Iob cap. 24.*

D. Bernardi: Si vidisti hominem scalpere manus, & vsque ad sanguinem confricare: euidẽtem habes in eo similitudinem animæ peccatricis expressam. Cedit siquidem voluptas illa dolori & succedit pruritui cruciatus. Neque id ignorabat, sed dissimulabat ille dum scalperet. Sic laceramus, sic exulceramus proprijs manibus animas infelices: nisi quod tanto grauius, quando excellentior est spiritualis creatura, & cui difficilius medeatur. *Ser. ad clericos cap. 4.*

Saluiani episcopi. Sicut illi solent, qui munitissimas vrbes obsident, aut firmissimas arces vrbium capere & subruere conantur, omnibus absque dubio ... eas & telorum, & machinarum generibus oppugnant: ita nos ad expugnandam misericordiam Dei omni peccatorum immanium scelere, quasi omni telorum genere oppugnamus, & iniuriosum nobis Deum existimamus, cum ipsi iniuriosissimi Deo simus. Omnis siquidem Christianorum omnium culpa, diuinitatis iniuria est. Nam cum illa quæ facere a Deo vetamur, admittimus, vetantis iussa calcamus, ac per hoc impie in calamitatibus nostris & ueritatem diuinam accusamus. *De vero iudicio & prouidentia Dei, lib. 4.*

Demosthen. Corporis morbus non tectus, nec laudatus sanatur: & animus malo custoditus non curatur. *Ant. & Max. serm. 175.*

Fugiunt, etsi nullo persequente, sibi metuunt; insipientes autem, licet nihil aduersetur ipsis fortuna, perturbantur. *Stob. ser. 4.*

Neque nauigantes præter loci commoditatem appellere tutum est: neque viuentes præter legem, vitam agere periculo vacat. *Ibid.*

Nec ignem vestimento occulere possibile est, nec fœdum peccatũ tempore. *Stob. serm. 6.*

Isocrates. Quemadmodum ex ciuitate bonis legibus instituta, hominem seditiosum: Sic ex anima cogitationem ad mala inclinantem fugare oportet. *Apud Antonium in Melissa parte prima sermon 64.*

Antony monachi. Quemadmodum ignis si tunica tegatur, celari quidem potest, sed ad tempus tantum: Sic turpe delictũ celari quidẽ potest, tempore autem suo detegitur. *Parte prima ser. 16. Melissa.*

Thimæi. Vt nemo mellitis venenis abstinuerit, nisi qui eorum perniciẽ præsciuerit; Ita nemo peccatum odio habebit, nisi qui eius turpitudinem, iniquitatem, periculumque perspecta habuerit. *In apoph. 19.*

Quemadmodum insanius multo est, corpus habere obtortum quam decoloratum: Sic animum dedecorat minus inscitia, quam peccatum. *In apoph. 44.*

Quemadmodum multi ideo morbos contemnunt, quod pericula ignorent: Ita multi euidenter peccant, quia turpitudinem peccati perspectam non habent. *In apoph. 46.*

Quemadmodum vbi cibus aliquis malus sua dulcedine inuitat, fere condimentis malitia eius corrigitur, & fit minus noxius: Ita minus peccat, qui cum quadam religione, quam contemptu Deorũ peccato fruitur. *In apoph. 123.*

Vt fere acuti morbi sunt, qui homines interimunt, aliqui tamen ex ijs in perpetuum securiorem ac firmiorum sanitatem præstant: Ita est vbi insignium quorundam peccatorum excessus pœnitentiã affert, sed sæpe suffocat. *In apoph. 168.*

Quemadmodum natura morbos quosdam obiter factos leuiter excludit, illis autem premitur, qui in habitum transierũt: Ita & peccatum dominatur, quod in consuetudinem venit. *In apoph. 169.*

Vt nullum medicamentum abstergit, quod non habeat saltem latentem acrimoniam. Ita neque nostra, neque aliena peccata possunt expurgari: citra corporis, vel (quod maius est) animi amaritudinem. *Ibid.*

Homo bonum iniuriam quidem remittit, sed inde detrimentum in hæreditate relicta prosequitur: Ita subinde Deus quidem peccatum condonat: sed mulctam a posteris, ie quartam sobolem expectat. *In apoph. 52.*

Parentes priores filios amant, veruntamen ingratos, perditosque abdicant: Ita & Deus gratis nos iustificauit, sed fornicatores, adulteros, comessatores suo regno excludit. *In apoph. 53.*

Æger facile cuiuis causæ, vel etiam leuissimæ succumbit: Es qui est obnoxius vni peccato, facillime a singulis inuaditur. *In apoph. 75.*

Nemo fert odorem allij, nisi qui & ipse lubenter allio vescitur: Et verisimiliter peccato obnoxius est, qui non vitat peccati aspergi nem. *In apoph. 85.*

Qui dolorem corporis negligit, animo laborat: Et qui periculum suorum peccatorum ignorat, huic mens stupet. *In apophtegmat. 92.*

Sæpe morbus qui dolore vacat, est periculosissimus: Ac fere periculosissima

issima peccata, de quibus parum anima conscientiæ. *In apoph.* 119

Pessima radix, non euulsa de terra perpetuo germinat: & peccatū cui quis indulget, quotidie nouas vires acquirit, & maximus peccatorum cumulus efficitur. *Anonym. lib. 5. collect. hieroglyphic.*

E X E M P L A   B I B L I C A.

Peccata punit Deus. *Exempla*, Salomon. 1 *Reg.* 11. *v.* 14. 23. Achab & Iezabel, 2. *Reg.* 9. *v.* 7. 25. 26. 2. *Paral.* 22. 7. Manasses, 2. *Reg.* 24. *v.* 2. 3. 4. Amasias, 2. *Paral.* 25. 20. Israelitæ, 4. *Esdr.* 3. *v.* 26. 27. 28. & 15. *v.* 5. 6. *Ier.* 13. 22. & 30. 15. *Ezech.* 14. 13. & 33. *v.* 25. 27. *Malac.* 22. Tobias, *Tob.* 13. 5. Bethuliani, *Iudith.* 7. 27. & 8. *v.* 26. 27. Esther, *Esth.* 14. 6. Patres, *Psal.* 106. *v.* 6. 7. Iudæi, *Es.* 3. *v.* 8. 9. & 5. *v.* 24. 25. Etiam in Sanctis castigat illa Deus, *Exempla.* In Mose & Aarone, *Num.* 20. *v.* 12. 53. Mose, 27. *v.* 12. 13. Heli Sacerdote, 1. *Sam.* 2. *v.* 27. 28. *&c.* Dauide, 2. *Sam.* 12. *vers.* 10. 11. Salomone, 1 *Reg.* 11. *v.* 11. 12. Roboamo, 2. *Paral.* 12. *v.* 7. 8. Ioramo, 21. 16. Iudæis, 34. *v.* 24. 25. Iudith, 5. 18. Iustis a iustitia se auertentibus, *Ezech.* 18. 24. Iona, *Ion.* 1. *v.* 3. 4.

E M B L E M A.

Alius peccat, alius plectitur.

Emblema CLXXIV. Andr. Alciat.

Arripit vt lapidem catulus, morsuque fatigat,
Nec percussori mutua damna facit:
Sic plerique sinunt veros elabier hostes,
Et quos nulla grauat noxia, dente petunt.

P E C V L A T V S.

D E F I N I T I O   E T   E T Y M O L O G.

PEculatus, furtum est rerum poblicarum. Hinc apud Iureconsultos in lib. ff. tit. est, ad leg. Iul. pecul. *Nebriss.* Peculator est, qui furtum facit pecuniæ publicæ. *Autor. Ascon. Iacob. Spiegel. in Lexico iurid.*

Peculium dicitur quicquid alicuius vel multorum labore & industria partum est. Peculator, qui quod a multis in Republicæ commoda, collectum & sepositum est, furatur.

A P O P H T H E G M A T A.

Diogenes Cynicus cum vidisset magistratus, qui Hieronnemones dicebantur, quendam deprehensum, quod ex ærario phialam furatus esset, adducentes: Magni, inquit, fures paruum ducunt. *Laert.*

M. Cato dicebat, priuatarum rerum fures in compedibus vitam agere, publicarum in auro & purpura conspicuos incedere: Olim simplex furtum non puniebatur capite, sed vincti compedibus præstabant operam. At longe grauius crimen est peculatus, quā furtum. Et tamen qui fiscum principis, qui Rempub. compilant, magnates fiunt. *Plut.*

Scæuola Septumuleio Anagnino, cui pro capite C. Gracchi aurum erat repensum, rogante vt se in Asiam præfectum duceret: Quid tibi vis, inquit, insane? tanta malorum est multitudo ciuium, vt tibi hoc confirmem si Romæ manseris, te paucis annis ad maximas pecunias esse peruenturum. Notauit auaritiam hominis præfecturam non ob aliud ambientis, nisi vt spoliaret prouinciales, ac ludens finxit, id citius consecuturum Romæ. Hoc dictum Fannius in annalibus ascribit Africano Aemiliano, qui dictus fuerit Iron. *P. M. lib. 6. apoph.*

Aufidius Modestus. L. Quintium in morbo sibi dicentem manus esse frigidas, hoc scommate taxauit. Atqui calidas, inquit, è prouincia retulisti, notans eum, quod proconsul administrans prouinciam, multa furatus esset. *Meminit Plut. in Symposiacis lib. 2. c. 40.*

Claudius Cæs. Narcissum ab epistolis, & Pallantem, à rationibus sic adamauit, vt eos non solum amplissimis præmijs, verum etiam quæstorijs prætorijsque ornamentis decreto senatus ornari libēter passus sit, ad hæc, tantum rapere & acquirere, vt illi querenti de fisci exiguitate quidam non absurde dixerit. Abundaturum fiscum, si a duobus libertis in consortium reciperetur. Hos Plinius fatetur Crasso fuisse ditiores.

Traianus Imp. Initio procuratores habebat rapaces, qui prouinciales calumnijs expilabant. Quorum vnus fertur, vnumquemque diuitem sic conuenire solitus: Quid habes? Vnde habes? Hæc vbi didicerat: addebat tertium, Pone quod habes. Sed admonitus a Pompeia Plotina vxore, cohibuit eiusmodi vexationes prouinciarum, addens vocem optimo iure laudatam, Fiscum esse lienē, quod eo crescente, reliqui artus contabescant. Sensit optimus princeps, iniquum esse, sic explere fiscum vnum vt nihil habeant subditi: præsertim quum boni principis sit quicquid habet populus. *P. M. lib. 8. apoph.*

Sigismund. Imp. interrogatus, cur apud liberas ciuitates peculatus crimen adeo frequens inueniretur? Idcirco respondit, quod nudos honores ciuibus commendant, populus autem ad lucrum inhiat. Indicat autem, magistratum ipsum in causa esse, quod peculatus crimine tam multa hodie inmulentur. Cum enim tam varia Reipublicæ sint officia, singulis certa & sufficientia stipendia deberent assignata esse, quo hi qui ad huiusmodi honores & officia vocantur, haberent vnde viuerent, sine vlla vel furti vel peculatus suspicione. Verum cum desunt hæc stipēdia, vel nimis sunt tenuia, fit vt plerique ex publico thesauro sibi per nefas prospiciant, & pauperes primum ad amplissimas opes veniant. *Aeneas Sil. lib. 2. comment. de reb. gest. Alphonsi.*

Vide Furtum.

P E C V N I A.

D E F I N I T I O   E T   E T Y M O L O G.

PEcunia, Græce, χρῆμα, ατος, τὸ, & χρηματικὸς, ἡ, ὁν pecuniarius: χρηματώδης, εος, ὁ, pecuniosus dicitur. De peculio autem, pecunia, variisque pecunijs apud Hebræos, Chaldæos, Syros, Græcos, à quibus nominibus, multa obseruatu digna leguntur in Etymologico trilingui, Lugduni edito, anno 1607. p. 582. 583. 584. 585. 586. 587. quæ cum proliziora sint, describere non licuit.

Est autem pecunia totum, quicquid homines habent in terra, omnia quorū domini sunt, seruus, vas, ager, arbor, pecus. Quicquid id horum est, pecunia dicitur, *secundum Aug. de doctrina Christiana, & habetur in decretis* 1 *q.* 3. *c. totum.* Pecunia, cuius diminutiuum est pecuniola, à pecu dicitur, quod olim diuitiæ omnes in agris, atque pecoribus esse æstimabantur. Vnde locupletes, & pecuniosi, appellati sunt diuites, quasi locorum & pecorum pleni. Et licet pecuniæ appellatione, non modo nummi, hoc est, numerata pecunia, sed omnes res, tam soli, quam mobiles, & tam corpora, quam iura continentur, vt etiam Hermogenianus Iurisconsultus affirmat, frequenter tamen pecunia, pro ea, quæ numerata est, ab auctoribus vsurpatur. A pecu pariter fit peculium, quod proprie significat rem, quæ in pecunia numerata consistit, vel in solo, vel in corporibus, vel in supellectile, nostro labore, & industria paratum, & a nobis ipsis lucrifactum. Virg. *Nec spes libertatis erat, nec cura peculi.* Hinc peculium Castrense dicitur vt ait Pomponius, quod a parentibus, & agnatis in militia degenti donatū est, vel quod filius in militia acquisiuit, quod, nisi militaret, acquisiturus non fuisset. Nam quod fuisset sine militia acquisiturus, id peculium eius castrense non dicitur. Peculium nonnunquam pro paruo patrimonio capitur: *secund. Vlpian.* Hinc deriuatur peculiaris, quod proprie significat rem, ad peculium pertinentem. Sed vsu iā receptū est, vt pro proprio, siue speciali, seu præcipuo ponatur, vnde peculiariter aduerbiū, hoc est specialiter, præcipue.

Pecunia dicta, *teste Plin. l.* 33. *c.* 3. Quod olim nummi pecudis effigie notari solebant.

Pecunia dicta est a peculio, quod est seruorum: & peculium dicimus, licet abusiue, pro patrimonio.

Pecuniam antiqui a pecore deduxerunt, quod vniuersa eorum pecunia in pecorum fructu esset, qua ratione & peculium dictum, quod quis sua industria acquirit. *Alciat. de verb. sig. in l. pecunia, & ibi Vlpianus.*

L O C I   B I B L I C I.

Pecunia non danda est ad vsuram, *Deut.* 23. 19.

Pecunia deposita apud amicum, *Exod.* 22. 7.

Data mutuo pauperibus, *Exod.* 22. 25.

Pecunia non computatur Spiritus sancti donum, *Act.* 8. 20.

Pecunijs confidentes, *Psal.* 49. *Marc* 10. 24. 1. *Timoth.* 6.

Pecunijs constituti sacerdotes, 1. *Reg.* 15. 33.

Pecudis nomen, pro pecunijs seu nummis, quibus pecudis imago fuit impressa, *Genes.* 33. 19. *Ios.* 24. 32. *Iob.* 42. 11. iuxta nonnullorum sententiam.

P A T R V M   S E N T E N T I Æ.

Pecunia facile consumitur, consilia exhauriri nesciunt, hæc vsu augentur, pecunia minuitur, & cito deficit: consilium autem collatum, quo in plures diffunditur, eo redundantius manat, & in suū fontem recurrit. *Ambr. l. de Offic.*

Hoc malum iam dudum humanis influxit mentibus, vt pecunia honori sit. & animi hominum diuitiarum admiratione capiantur. *Ambr. Offic. lib.* 2. *c.* 21.

Vbique pecunia vincit, omnes mendicitatem spernunt. *Isidor. Soliloq. l.* 2. *c.* 1.

Pulchrum est neglexisse fœda lucra pecuniæ. *Cassiod. l.* 5. *epist.* 13.

Pecunia cum labore acquiritur, acquisita cum timore seruatur, & tādem cum dolore grauissimo amittitur. *Cassiod. de dilect. Dei, c.* 5.

P O E T I C Æ   S E N T E N T I Æ.

Sophocles.

Τὰ χρήματ' ἀνθρώποισιν εὑρίσκει φίλους.
Pecunia hominibus amicos conciliant.

Menander in Menagyrta.

Μακάριον ἐστὶν οὐσίαν καὶ νοῦν ἔχειν
Χρῆται γὰρ οὗτος εἰς ἃ δεῖ ταύτῃ καλῶς.
Οὕτω μαθεῖν δεῖ πάντα καὶ πλοῦτον φέρειν.

Αχρημα-

Ἀχρημάτῳ μὲν γὰρ γλῶττ' ἔνεστι αὐτοῦ.
Felix, qui simul opes ac mentem habet.
Hic enim opibus vbi conuenit rectè vtitur.
Sic discenda sunt omnia, & diuitia ferenda.
Nonnullis enim fiunt causa indecentium facinorum.

Euripides in Erechtheo.

Τὰς οὐσίας γὰρ μᾶλλον ἢ τὰς ἁρπαγὰς
Τιμᾶν δίκαιον· οὔτε γὰρ πλοῦτός ποτε
Βέβαιος ἄδικος.
Opes (legitimas) magis quam rapinas
Colere decet, neque enim diuitia iniusta
Vnquam constantes sunt.

Ex Antholog. pecunijs cumulandis omnes nunc student.

Diuersas hominum videam cum sparsa per artes
Ingenia, est cunctis ars tamen vna viris.
Omnibus idem animus gratos sibi quærere nummos.
Omnis inexhaustas vndique poscit opes.
Nullus adest prisca virtutis cognitor, vlla
Religio superes vix putat esse Deos.
Nimirum ingenti congesta pecunia cura
Est Deus, humanas nunc regit ipse vices.

Ex epist. Horatij.

O ciues, ciues, quærenda pecunia primum.
Virtus post nummos, hac Ianus summus ab imo
Prodocet, &c.

Propert. lib. 3.

Ergo sollicita tu causa pecunia vita es.
Per te immaturum mortis adimus iter.
Tu vitijs hominum crudelia pabula prabes,
Semina curarum de capite orta tuo.

Iuuen. 6 Satyra.

Prima peregrinos obscœna pecunia mores
Intulit, & turpi fregerunt sæcula luxu.

Hor. lib. 10. Epist. 2.

Diuitijs melior.
Imperat aut seruit collecta pecunia cuique,
Tortum digna sequi potius quam ducere funem.

Iuuen. Satyr. 13.

Et maior domus gemitu maiore tumultu
Planguntur nummi quam funera.
Ploratur lacrymis amissa pecunia veris.
Interea pleno cum turget sacculus ore,
Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.
Et minus hanc optat, qui non habet.

Euripides in Phœnissis.

Τὰ χρήματ' ἀνθρώποισι τιμιώτατα,
Δύναμίν τε πλείστην τῶν ἐν ἀνθρώποις ἔχει.
Mortalibus nihil est carius pecunia,
Atque inter homines vna plurimum valet.

Item Aristophanes in Pluto.

Ὡς οὐδὲν ἀτεχνῶς ἐξ ἴσ' ἔστ' οὐδ' ὑγιές.
Ἀλλ' εἰσὶ τοῦ κέρδους ἅπαντες ἥττονες.
Probè vt nihil sanum reperias vspiam.
Sed pariter omnes seruiunt victi lucro.

Terent. in Adelphis.

Pecuniam in loco negligere, maximum interdum est lucrum.

Idem in Hecyra.

Quia paululum vobis accessit pecunia, animi sublati sunt.

Idem in Phormione.

Abi sis insciens, cum tu fidem in pecunia perspexeris, vereri ei verba credere. vbi quid lucri est te mihi fallere?

Plaut. in Curculione.

Qui homo mature quæsiuit pecuniam, Nisi eam mature parsit, mature esurit.

Hor. pecuniam reginam vocat.

Vxorem cum dote fidemq; & amicos,
Et genus & formam regina pecunia donat.

Versus ex Bellerophonte Euripidis.

Sine me vocari pessimum, vt diues vocer.
Nemo an bonus, an diues omnes quærimus.
Non quare, & vnde, quid habeas tantum rogant.
Vbi que tanti quisque quantum habuit fuit.
Quid habere nobis turpe sit quæris? Nihil.
An diues quærimus omnes, nemo an bonus.
Aut diues opto viuere aut pauper mori.
Bene moritur, quisque moriens dum lucrum facit.
Pecunia ingens generis humani bonum.

SENTENTIÆ PHILOSOPHICÆ.

Nimia pecuniarum collectio pro liberis, vt multi loquuntur, prætextus est auaritiæ, proprium ingenium arguens ac detegens. *Democritus apud Stob serm. 10.*

Pecuniæ grandior aceruus & priuatim & in ciuitatibus inimicitias seditionesque, parit; deficiens autem, vt plurimum seruitutem. Nemo igitur liberorum gratia pecunijs cumulandis incumbat, vt eos relinquat ditissimos. Neque enim id ipsis, neque ciuitati conducit. Sed census iuuenum tum adulatione vacuus, tum rerum necessariarum non indigens, omnium decentissimus & optimus est. Nam hic nobis ad omnia consonans accommodatusque vitam à doloribus tutam reddit. Liberis ergo non auri, sed pudoris multum oportet relinquere. *Plato lib. 5. de legibus.*

Qui pecuniam iniustè cupit, aut iniustè possidens non dolet, muneribus animum suum non exornat, sed ab hoc abest longissime. Quod enim venerabile pulchrumq; in animo est, exiguo pro auri aceruo prodit: quum quicquid super terram iacet, quodue sub terra latet aurum, compensari virtuti digne non possit. *Idem, ibid.*

Propter Pecuniarum possessionem omnia prælia nobis fiunt. *Plato in Phædone.*

Male enim res se habet, cum quod virtute effici debet, id tentatur pecunia.

Sed vt pecuniæ quærendæ non solum ratio est, verum etiam collocandæ, quæ perpetuos sumptus suppeditet, nec solum necessarios, sed etiam liberales: sic gloria & quærenda & collocanda ratione est. Quanquam præclare Socrates, ad gloriam hanc viam proximam, & quasi compendiariam dicebat esse, si quis id ageret, vt qualis haberi vellet talis esset. *Cic. lib. 2. Offic. 2.*

Nihil eorum, quæ virtuti debentur, emere pecunia licet. *Val. Max. lib. 4.*

Vnicæ filiæ pater Themistoclem consulebat, vtrum eam pauperi, sed ornato: an locupleti, parũ probato collocaret: Cui is inquit, Malo virum pecunia, quam pecuniam viro indigentem. Quo dicto stultum monuit, vt generum potius, quam diuitias generi legeret. *idem lib. 7. tit. Sapienter dicta aut facta.*

Primum omnium pecuniæ admiratio detrahatur, compescatur luxus, incitetur sobrietatis studium, accendatur mutua charitas, nõ per peccata quæstum fieri, sed virtutem esse vnicam virtutem. *Viues in epist. ad Henricum Angliæ Regem VIII.*

Pecuniæ est fugienda cupiditas: nihil est enim tam angusti animi, tamque parui, quam amare diuitias, nihil honestius, magnificentiusque, quam pecuniam contemnere, si non habeas: si habeas, ad munificentiam liberalitatemque conferre. *Cic. in Offic.*

Multos sæpe magnis incõmodis afficit pecuniæ cupiditas. *Cic. vet. Rhetor.*

Causa multorum bellorum est, quod reges non regant pecuniam, sed ipsi a pecunia regantur. *Ludou. Viu.*

Ex pecuniæ cupiditatibus factiones, dissensionesque nascuntur sæpe maximæ: tradit etiam cupiditas multos nonnunquam longius euocat. *Iulius Celsus lib. 6. de rebus gestis Cæsaris.*

Similiter pecuniarum prædiorumque, & census possessio se habet: excedens enim & priuatim, & in ciuitatibus inimicitias, seditionesque parit: deficiens autem, vt plurimum, seruitutem.

Pecuniarum cura vltimum honoris locum teneat. Quare pecuniarum, in quibus homines omne studium ponunt, vltimum ac tertium est, si recte habeatur pecuniæ studium, medium corporis, animi primum. *Idem lib. 4. de legib.*

Pecunia est effectrix multarum & magnarum voluptatum: pecuniæ voluptates pariunt. *Cic. 2. de Finib.*

Omnia pecunia effici possunt. *5. Act. in Verrem.*

Pecuniæ vsus duplex est: alius ad sumptus necessarios, alius ad sumptus liberales. *Idem.*

Pecunias comparare non inutile; iniustè autem id facere, multo pessimum est. *Aristoteles.*

In bello non solum armis, sed etiam pecunia opus est, qua fiunt arma vtilia. *Thucyd. lib. 1.*

Propter inopiam pecuniæ, res veterũ fuerunt imbecilliores. *Idem. ibid.*

Ad virtutem vna & ardua via est: ad pecuniam qua cuique libet nititur, & malis & bonis rebus ea creatur. *Salust. in fragm.*

Pecunia, maxima hominum pernicies. *Idem, ibid.*

Pecunia inter ciuiles discordias ferro validior. *Tacit. hist. lib. 2.*

Pecunijs acerbè conquirendis principes plus inuidiæ sibi quam virium addunt. *Idem, hist. l. 3.*

Qui primus pecuniam esse neruos rerum dixit, is præcipue bellum respexisse videtur. *Plut. in Cleomene.*

Pecuniam neruos esse principatus, Vespasianus Imperator dicere solebat. *Xiphilin. in Vespasiano.*

Pecunia, & orbitas bonis malisque temporibus iuxta valent. *Tacit. hist. lib. 1.*

Pecuniæ belli ciuilis nerui. *Idem, l. 2. hist.*

Quisquis admodum pecunijs delectatur, eum certo scias vehementer angi, quum sumptus facit. *Xenoph. de inst. Cyri, lib. 8.*

Præclarius est pecunia quam armis bene vti. *Plut. in Coriolano.*

Pecunias qui non ad necessitatem sit consecutus, bellum (vt reor) gerere nunquam satis commode poterit. *Procop. de bello Goth. lib. 3.*

Quidam ex antiquis pecuniam rerum neruos rectissime appellauit. *Nicetas in Manuele Commeno, lib. 5.*

Rerum vires neruique pecunia est. *P. Aemyl. lib. 8.*

Multo commodius atque facilius auro arcentur hostes, quam ferro ac viribus in ipso belli discrimine sustinentur: & ex rerum

vsu

vsu plerunque accidit, vt quæ pecuniæ parcendo remota pericu li negligere contemnereque solent, incumbentibus demum ma lis, desperato sæpe remedio grauiora detrimenta sentire consue uerunt. *P. Iouius, hist. l. 2.*

Pecuniæ bellorum nerui pacisque subsidia, *Idem lib. 13.*

Nemo virtute vel fortuna maximus Imperator res præclaras vnquam bello gesserit, si eum optimis artibus abunde instructum, pecuniæ, propria bellorum instrumenta, defecerint. *Idem lib. 18.*

Nunquam pecunias ciuitati alendo & sustinendo bello defecturas crediderim, si sit firmum apud ciues, quod rectè optare facilius quam sperare possumus, communis cōcordiæ studium. *Id. lib. 27.*

Pecuniosus ostentator lib. 4. rhetoricorum ad Herennium eleganti penicillo depingitur.

De amissa pecunia. DIAL. XIII.

Francisci Petrarchæ.

DOL.

Pecuniam amisi. R. Et cum illa curas multas, periculumque perpetuum. D. Perdidi pecuniam. R. Et laborem custodiæ, & perdendi metum. Sic perdendo pecuniam, duo bona, vnumquodque & præstantius amissa, securitatem, & requiem inuenisti. D. Pecuniam perdidi. R. Bene, si te illa non perdidit, quod ius multis possessoribus suis fecit. Noxia enim pecuniæ forma est, Venenosus fulgor, ac pestifer. Itaque velut serpens squamis aureis placens mulcendo oculos animam ferit. Proinde si hinc saluus es, gaude tibi ablatum vnde infici posses, teque illæsum inter pericula transiuisse, lætus stupensque recogita. Sin infectus, extirpatam mali causam scito, quo facilior ad salutem reditus sit. D. Amisi aurum atq; argentum. R. Quid cœlesti animo cum terrestribus purgamentis? qui virilius philosophantur, argentum atque aurum inter bona non numerant, qui mollius, bona dicunt, sed non animi, horum quicquid elegeris siue non bonum siue non tuum fuit, æque nulla tibi est materia querelarum. Nam vt omnino bonum dici velis quod multi magnique negant viri non tuum certe, sed fortunæ bonum, vel inuitus dices. ita nec tu de tuo aliquid, nec de suo illa quidem perdidit, sed transtulit D. Amisi pecuniam R. Vt non amisisses si tua esset, sic si tua non erat amittere nequiuisti, vere autem non tua, sed illius erat, quem secuta est, imo ne illius quidē, sed fortunæ (vt dixi) quæ eam cui visum fuerit, breuem ad vsum magno sub fœnore mutuat. Disce iam tandem à proprijs aliena secernere. D: Pecuniam amisi R. Si te adeo non tuæ quoque cruciant iacturæ, tibique vel alienum aliquid demi doles. Disce illa conquirere quæ tua sint propria, atque perpetua, quorum & acquisitio facilior. & possessio nobilior, certiorque. Virtutem si quæsieris non amittes: Vos autem sapientiæ contemptores, cultoresque & amatores pecuniæ, facti estis. Obsurduisse videmini salubribus consilijs, ac monitis. quæcunque per sanctos, atque eruditos viros contra hanc præsertim humanæ partem insaniæ dicta sunt Audistis Satyricum vestram protestantem. Nam diues qui fieri vult, & cito vult fieri: atq; his dictis addentem. Sed quæ reuerentia legum? Quis metus aut pudor est vnquam properantis auari? Hanc sententiam Hebræorum sapiens quam paucis absoluerat. Qui festinat ditari, inquit, non erit innocens. Audistis aliū ex vestris seu Satyricus fit ille, seu Lyricus, dicentem. Non domus aut fundus, nō æris aceruus & auri Aegroto domino deduxit corpore febres Non animo curas, dixerat hoc externus sapiens ille breuissime. Non proderunt diuitiæ in die vltionis. & addiderat quid prodesset. Iustitia enim, inquit, liberabit à morte. Cum ergo pecunia, quā amissā non lugeas. in necessitatibus summis nec corpori possit opem ferre. nec animo, miram cur tantopere vel optari absens valeat, vel amari præsens. His atque alijs motus orator vester: Nihil est, inquit, tam angusti animi, tamque parui quam amare diuitias. At orator ecclesiasticus, Auaro, inquit, nihil est scelestius, nihil est iniquius, quam amare pecuniam. Et quam multorum in hoc vnum consentit, immo quam nullius dissentit authoritas. Frustra quidem præualuit Sapientium sententijs, vulgi fulgor. Itaque vt nullum ardentius votum, quam pecuniæ est, vt ex qua pendere omnia, quæ optantur persuasum sit, clamāt ab aduerso doctissimorum voces hominum, clamat experientia & veritas, clamat vetus & recens exemplorum turba Magnam pecuniam nulli vidi em, multis fuisse pestiferam, cum peccato ac labore quærendam, sollicitudine ac pauore seruandam. Dicant pecuniæ amatores, quid vel in his verbis falsi, vel in suis opibus boni sit. Et vt vera sit æstimatio tam laudatæ rei, quid de hoc quisq; viderit aut legerit. integrum, ac sincerum, spretis vulgi clamoribus strepitibusque fulgoribus metallorum ad memoriam reuertatur. Quia vero non omnibus videndi experiendique fors eadē fuit, illa animum subeant, quæ famosis ab authoribus scripta nulli vnquam docto legendi, audiendique defuit facultas. Nonne ergo pecuniam peregrinos mores intulisse. & molles diuitiss turpi luxu sæcula prius integerrima fregisse? Nonne ipsas quoque diuitias auaritiam & abundantes voluptates, desiderium per luxum, atque libidinem pereundi, perdendique omnia inuexisse, & scriptum & re ipsa sæpe compertum est? Nonne auarum semper agere? Nonne nocens ferrum ferroque nocentius aurum, sacrāque auri famem nil non mortalia pectora cogere, pecuniæque aspectu debilitatos spiritus? Nonne aurum per medios ire satellites, & perrumpere saxa potentius ictu fulmineo, atque hinc pudicitiæ simul ac vitæ insidias prouenire? Imbre aureo Danaes expugnata virginitas, & vatis Amphiarai Argolici casus probat, auaræque simul coniugis, vna siquidē ruinæ duplicis causa fuit, aurum fatale, quod bene spretum Argiæ, Eriphilæ male optatum, male partum, illius penates irrupit, scelerumque ingentia semina mouit? Nonne opes falsas & caducas, neq; præstare posse quod spondeant, neque lenire animi sitim, sed accendere: neque curas fugare, sed accersere, neq; necessitates tollere sed augere, verissimeq; & proprie dictum: Crescit amor nūmi, quantum ipsa pecunia crescit: Et illud: Neminem pecunia diuitem facit: immo contra: Nulli non maiorem sui cupiditatem incussit. Neque illud minus, Crescentem sequitur cura pecuniam, maiorque fames Atque illud, Multa petentibus desunt multa. Et permultis eos indigere, qui permulta possideant, deniq; quicquid sint non esse perpetuū, nec longæuum quidem, vtq; id positum sit in manib. fortunæ sine intermissione volubilibus subiectum casibus, & saltem morte perdendum. Diues enim cum dormierit nihil secum auferet. Aperiet oculos suos, & nihil inueniet, neq; id ipsum suū nihil in quem volet transferet, quis in imagine pertrāsit homo, sed & frustra conturbatus thesaurisat, & ignorat cui congregabit ea. His ac mille similibus circumquaque tonantibus doctorum vocibus hominum obstruxit aures infinita cupiditas, vt iam frustra diuitibus huius sæculi præcipiatur, nō sublime sapere, nec sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo, qui præstat nobis omnia abunde ad fruendum bene agere, diuites fieri in operibus bonis. Nam qui volunt diuites fieri harum, scilicet quæ vulgo optantur diuitiarum, incidunt in tentationem, & laqueum diaboli, & desideria multa & inutilia & nociua, quæ mergūt homines in interitum, & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas. Non magis hunc audiunt consultorem quam qui ait, Nolite sperare in iniquitate, & rapinas nolite concupiscere, diuitiæ si affluant nolite cor apponere. Neque hunc magis quam ipsius filium dicentem: Qui confidit in diuitijs suis, corruet, neque rursus his omnibus magis illum, qui super omnes est, cuius doctrina cœlestis, nisi ab insanis plane que furentibus contemni nequit, qui profecto diuitias, & diuitiarum omnes voluptates, atque sollicitudines spinas dixit semen verborum salubrium suffocantes: dixit hoc cuius in ore non est inuentum mendacium, viua, inquam, hoc dixit veritas. Verumtamen putas inueniet fidem in terra? nullam prorsus aut raram. Quas iste dicit ille spinas saluitatem vnicam, atque dulcedinem mundi vocat. Et quod qui iam gemmas, & lapides, aurum & inutile summi, miseriam mali, summi omnis materiam boni putant, certatimq; omnes, vt summum bonum, præq; omnibus appetunt. Iamq; in vrbium plateis haud ironice proclamatur: *O ciues ciues: quærenda pecunia primum est. Virtus post nummos.* Atque illius alterius. Vnde animam lucro mercatur, atque excute totius, omne latus mundi. Sic nondum intellectum Dei munus, sed magnum Dei pauperies opprobriū iubet quiduis & facere & pati. Verumq; cordi te censetur quod ab alio dictum est. Pars vilissima rerum certamen mouerit, is opes. Quis enim quæso non hodie sceleris, insigni præmio, & occasione proposita fas omne abrumpit, Polydorum obtruncat, & auro vi potitur? pone fidos fratres, pone inanimes amicos in consilio, in cōuiuio, in chorea, dehinc medieū inter illos non dicā pomum aureum, sed pomi fructum iacta, discordia his olim armis vti solita, gladijs ferri, inciq; frangentur. Sicut autem auro nihil scelestius quæritur, sic vt ad rem redeam, nil mœstius perditur. Peccatum nempe ingens animæ iactura contemnitur, proximumq; illi famæ dānum spernitur & amissum tēpus inter leuia numeratur. Lente flentur fratres perditi, Lentius parentes. Lentissime cōiuges, sæpe vero læuissime. Solæ opes flentur acriter. Verissimumq; est illud, *Ploratur lachrimis amissa pecunia veris.* Sed multa iam diximus, de quo nunquam satis, nunquam parum, semper minus dicitur: quia pecuniæ ad amorē obstinatis animis. nil dicendo aliud quæritur nisi odium, aut contemptus, quicquid vulgaris obstat erroribus vel simolsrum creditur vel insanum. D. perdidi pecuniā. R. Experrectus es, re diuitem somniabas. D Pecunia, quam amabā perijt R. Pecuniæ neque amorem, neque odium, sed frugalitatis studium, auaritiæq; fugam laudo, vt amare pusilli animi, sic pati non posse aurum infirmi est patumque sibi fidentis atque auro succumbere metuentis: Magnus ille est, inquit Annæus, qui fictilibus sic vtitur quemadmodū argento: nec ille minor est, qui sic argento vtitur, quemadmodum fictilibus, vt intelligas seu vinum seu virtutem, non in rebus esse, sed in animis. Nec amatorē pecuniæ nec osorem, sed absentis contemptorem præsentisq; dispensatorem egregium, magnum putes. Hanc sententiam me dictante scripsit Cicero. Cum amorem n. diuitiarum angusti, paruiq; animi dixisset, adiunxit. Et nihil inquit honestius, magnificētiusq; quam pecuniā contemnere, si non habeas, & si habeas ad beneficentiam liberalitatemq; conferre. Vtor in te certa claris testibus. Et o vtinam mihi, simulque illis omnib. fides esset: Nusquam

quam enim humanum genus tam incredulum, seu tam surdum est? Inexhaustus labor hominum, quærendique ardor, terrasque & maria versans probat auaritia, atque amore, cultuque diuitiarum non modo virtutibus, sed vitæ odium inductum. D. Pecuniã magnam amisi. R. Magnum pondus, & durum & graue simul custodis officium vt incipiens dixi. Nam de dominis vos custodes imperiosa cupiditas fecit omnia facere, atque omnia pati iubes, sola vt pecunia cumuletur, ac seruetur: Ita quę inopportunitates viusque hominum inuenta erat, in metum, ac solicitudinem versa est. Timere & angi & circumspicere, domorum incendia, furũ insidias, & seruorum fugam, neque aliis prodesse neque sibi, sed exanimę tantum & inutile aurũ incubare: hæ diuitiæ vestræ sunt. D. Pecuniam domi dimissam abstulit, nescio quis. R. Vile & caducum est, & certe nõ proprium, quod furto, vel vi eripi potest. D. Pecuniam in loculis consignatã, non inuenio. R. Dicam tibi, nõ antiquam rem. Fuit nuper apud Italicos nobilis, & egregius quidam vir possessionum antiquarum diues satis, ditior virturum, sed pecuniæ non ita, vt cuius non custos sed dispensator, ac domi nus esse didicisset. Erat illi filius primogenitus sorti negotiis apprime industrius, qui vigili cura, & parsimonia ingenti magnas opes multumque auri quæsierat, & erat (mirum visu) in patre senex, iuuenilis largitas, in iuuene filio senilis tenacitas, sæpe illum pater hortabatur ne suum genium fraudaret, ne pietatis obliuisceretur, ac famę, neue in comparationẽ auri, & decus & debitũ, & naturalia sibi iura vilesceret. Deniq; vt sibimet, & annosæ matri, & fratribus paruis, & consanguineis & amicis, & egentibus prodesse aliquando diuitias suas vellet. In hos enim vsus, non in custodiam tantum ac supplicium partas esse dicebat, hoc pater, sed frustra vel surdo canitur, vel auaro. Contigit tandem pro repub. filium abesse & cum electis viris ad Romanum Pontificem proficisci, quo digresso statim pater, occasionem arrepta, nouis thalami arculæque clauibus introgressus, thesaurum nulli vt lẽm è latebris eruit, seque & coniugem & filios, familiamq; oẽm exquisitissime induit, emit equos ornatissimos, vasa argentea, supellectilem speciosam; vltimo domum amplam, sed minime cultã, nouis auxit ædificijs, & picturis insignibus adornauit, muniuitq; tebus oibus quas liberalis & lauta, & abundans vita exigit: multa præterea pauperibus dedit. Sacculos vero in quibus aurũ illud filij fuerat, arena, lapillisq, flumineis plenos, obstructosque, & obserata omnia, quoq; prius in statu fuerãt, dimisit. Quæ cuncta breuissimo tp gesta sunt, qđ & voluntas egregij senis, & pecunia própta effecit. Redeũti hoc filio, fratres obuij fuere. Quorũ ille occursu hæsit, indumẽta atque habitum miratus, qualẽ in tea non vidisset quæ sintque cuius essent requirvnde ille vestes? læti atque omnium ignari simplicitate puerili domini patris esse, multosque alios domi in stabulo substitisse dixerunt, vtrumque etiam pareorẽ mutiphei ae regio esse vestitu. Magis ille magisque singula mirari, Inde vbi paternæ domus limẽ attigit, vix parentes recognoscens, nec admiratione iã simplici sed stupore plenus, atque ecstasi thalamum, atque arculam sestinus adijt, vbi cu exterius nil mutatum cerneret, paruumper animo conquieuit. Et quoniam collegarum præsentia ac festinatio am, hus non finebant, raptim arculam aperuit, sacculisque conspectis solito more turgentibus, atque obstrusis iam securus abijt. mox negocio publico expedito domum rediens in thalamo se inclusit, arculã aperuit, sacculosque introspexit, aurumque in arcoani versum repericns exclamauit. Accurrit pater, & quid inquit rei est fili, quid quereris aut quid fles? Amisi inquit ille pecuniam quã multis quæsiuram vigilijs, multisque laboribus, in his sacculis dimiseram: spoliatus est sum in domo pater: Ad hæc genitor, quumodo ais spoliatus es, nonne sacculos oẽs plenos video? Ille autem gemens, Arena, inquit, pater, non pecunia est. Simul hæc dicens apertos, patri sacculos ostendebat. Tum senex fronte nihil mota. Quid hinc refert fili? apud te arena, an pecunia pleni sint? Memorabiles dictũ præclaræque sententiæ, siquidem apud multos ociosa pecunia est, nilque agit aliud, nisi quod locum occupat at que animum; apud plures male, atque improbe operosa, apud paucos demum fructuosa est. D. Amisi pecuniam, quam amabã. R. Turpi amore relaxatus es. Nam amor pecuniæ auaritia est. Minus hanc amabis, minus hanc optabis. Nam & illud Satyrieum experimento cognitum, quod minus hanc optat, qui non habet. Optanda autem amissio est magni & boni, e in inseparabiliter malum maius adiunctum sit. D. Amisi dulce vitæ præsidium. R. Qui scis an amarum potius exitium? Plures multo propter opes, quam propter inopiam periere.

A P O P H T H E G M A T A.

Pelopidas in præfectura rei militaris, cum amici dicerent illi rei necessariæ, videlicet pecuniæ colligendæ nullam esse curam, ita per Iouem: inquit, necessariæ, sed huic Nicomedi, ostendens hominem claudum & mancum. Sensit fortibus viris non opus esse pecunia.

Timotheus. pecunias sanguinem animamque mortalibus esse dicebat: quibus qui careat, mortuus inter viuos vidi. *Brus. lib. quinto, cap. 10.*

Democritus, nimiam pecuniarum collectionem pro liberis, præextum auaritiæ esse dicebat, proprium ingenium arguens & detegens. *Stob. ser. de iustitia.*

Demades. Suadentibus Demadi Atheniensibus & iubentibus vt deductas triremes nautis militibusq complerent, cum pecunias nul las haberent: Omnino, inquit Demades, primum pecunijs opus est. *Brus. ibid.*

Iul. Cæsar. Potentiam duabus rebus, pecunia scilicet & militibus parari, conseruari atque augeri, eaque se mutuo consequi dicere solebat. Exercitum commeatu retineri, rursum commeatum armis comparari, non tantum dicebat, sed sentiebat etiam. *Xiphilinus in Cæsare.*

Liberius. Quum Eusebius eunuchus auri summam vim Liberio episcopo Romano, à Constantio Cæsare in exilium misso, eiusdem Cæsaris iussu, commeatus causa attulisset, recusauit Liberius, dicens, Tu ecclesias orbis terræ expilasti, & iam mihi vt damnato & egenti affers eleemosynam? Abi primum & Christianus ipse fias. *Theodoret. Eccl. hist. l. 2. c. 16.*

In finibus Biturigum *Eusebius* eremita, Childeberto regi quinquaginta aureos offerenti dixit, Dato eos pauperibus: Ego pecunijs non indigeo. *Greg. Turon. c. 28.*

Fuerant Sigismundo Cæsari ex Hungaria allata quadraginta millia ducatorum. Quæ vbi nocte aduentante, in quos cõuerteret vsus sollicitè cogitaret per cubicularios ocius consiliarios omnes ac militum duces ad se vocauit, & aperta arca. Ecce (ait) vim illam auri ostendens, crudelissimi hi hostes ac carnifices somnium mihi eripuerunt: accipite & inter vos diuidite, vt mihi tranquille dormire liceat. Dist ibuta itaque pecunia inter eos, postquã abijssent, sic dixit, Iã recessit a me carnifex illa, quæ me flagellauit: nunc securus quiescam. *Aen. Silvius. l. 4. Comment. in Alphonsum.*

S I M I L I T V D I N E S.

Sudor prouocatus exercitijs, decentior est. Sic etiam diuitiæ proprijs laboribus acquisitæ *Socrates.*

Vt ægrotum lectus a reus nihil iuuat, sic neque stolidum insignis fortunæ fœlicitas. *Socrates.*

A D A G I A.

Pecuniæ omnia obediunt.

Tam omnibus nationibus in ore fuisse videtur hæc sententia, quam nunc etiã omnibus est in vsu. Pecuniæ obediunt omnia. Et refertur in Prouerbis Hebræorum apud Eccles. cap. 10. Nec eo secius a Græcis pariter & Latinis authoribus celebratur.

Pecuniæ vir. Χρήματα ἀνήρ.

Hoc est, tanti quisque fit, quantum possidet.

P R O P H A N A   E X E M P L A.

Archilochus tradit nummos sæpe cum minutis hinc inde corrasis nec sine sudore comparatos, πολλάκις εἰς πόρνης [illegible] κατάγειν, id est, in prostitutarum dolabi interranea frequenter.

Pecuniæ signatores tribuni ea titerimi: quod vel in decem virorum legibus ita lectum probatur. Tribuni sunto, domi pecuniam custodiunto, vincula sontium seruanto, capitalia vindicanto, æs, argentum, aurumve publice signanto.

Vide loc. de Auro, Diuitijs, Opibus, Paupertate.

PEREGRINVS.

LOCI BIBLICI.

Peregrinis benefaciendum, *Genes. 18. 2. Exod. 22. 21. & 23. 9. Leu. 19. 33. & 23. 22. Num. 15. 14. Deut. 10. 18 & 14. 21. & 24. 14. 17. & 26. 11. Ezech. 22. 29 & 47. 21. Zach. 7. 10.* suscipiendi sunt, *Exod. 23. 9* & alii ut, *Deut. 14. 29*, peregrini sumus & aduenæ in hac vita, *Gen. 15. 13. & 23. 4 & 47. 9. 1. Paral. 29. 15. Psal. 39. 13. & 119. 19 2. Cor. 6. 7. Philip. 3. 20. Hebr. 11. 13. 1. Pet. 2. 11.* peregrinus in aliqua ciuitate trãslat.ue dicitur, qui ignorat, quod cæteri illic norint, *Luc. 24. 18.* peregrinamur a Domino, *2. Cor. 5. 6.* peregrinatio est vita Iacob, *Gen. 47. 9.*

Peregrinus, Hebr. *Gher*. in aliis regionibus habitans, alienigena, aduena, incola. Sæpius legitur apud Mosen & prophetas. A verbo *Ghar, Gher, Ghur*, ita enim varie effertur, variasque habet pro locorum circumstantijs significationes: peregrinatus est, cessit de loco ad locum sicut peregrinus, incessit cum metu in loco peregrino, secessit in partes alienas ad habitandum, vagatus est sedibus incertis, traxit se aliquorsum ad peregrinandum, congregatus est ad habitandum. Cognationem habet cum *Agar*, congregauit, collegit: *Magar*, migrauit. *Magar*, traxit: eam peregrinari est se hinc inde trahere: est cum *Iagor*, horruit, recessit, & subtraxit se præ metu. Hinc χωρέω, cedo, cum compositis, ad superiores significationes accedentibus.

S E N T E N T I Æ   B I B L I C Æ.

Si habitauerit aduena inter vos, diligetis eum quasi vosmetipsos. *Leuit. 19.*

Peregrini enim sumus coram te & aduenæ, sicut patres nostri. Dies nostri

nostri quasi vmbra supra terram, & nulla est mora. 1. *Chron.* 29.

Aduena ego sum apud te. *Psal* 39.

Aduenam non contristabis, neque affliges eum. Viduæ & pupillo non nocebitis. Si læseritis eos, vociferabuntur ad me, & ego audiam clamorem eorum, & indignabitur furor meus: percutiamque vos gladio, & erunt vxores vestræ viduæ, & filij vestri pupilli. *Exod.* 22.

POETICAE SENTENTIÆ.

Ex Græcis Com.

Ξένους πένητας μὴ παραδράμῃς ἰδών.
Inopes peregrinos iuuare sis memor.
Ξένοις ἐπαρκῶν, τῶν ἴσων τεύξῃ ποτέ.
Eo peregrino quæ facis spera tibi.
Ξένον ἀδικήσῃς μηδέποτε καιρὸν λαβών.
Occasionem lædito nulla hospitem.
Ξένον [illegible] μᾶλλον [illegible] τοῖς ἔθος.
Maior peregrini ratio haberi solet.
Ξένος ὢν ἀπράγμων ἴσθι καὶ πράξεις καλῶς.
Peregrine, nullis te implica negotijs.
Ξένῳ μάλιστα συμφέρει τὸ σωφρονεῖν.
Esse moderatum maxime hospitem expedit.
Πλάνη βίον τίθησι σωφρονέστερον.
Moderationem peregrinatio docet.

SENTENTIÆ PHILOSOPHICAE.

Quibus domi nihil boni vsui est, dulcis est peregrinatio. *Plutarchus.*

Peregrini Deo curæ sunt. *Pythagoras.*

Peregrinis succurrens, pana obuenciet aliquando. Cum improbo viro ne facies iter. *Pub. Mim.*

Omnis peregrinatio obscura & sordida est ijs, quorum industria in patria potest esse illustris. *Ad Cætium Famil. lib.* 2. *Cic.*

Variatum aliquandiu sententijs in senatu, an peregre extra prouinciam mittendus iuuenis princeps. Magna namque pars procerū non solum superuacaneum, ac inutile fore censuit: sed etiam sumptuosum ac periculosum adolescentem principem in ignotas regiones, contra morem Germanicum educere: Germanos veteres indigenis artibus præcipue militia & agricultura contentos prorsus ab externorum commercijs abhorruisse, dicentes. Immo M. Catonem & alios priscæ integritatis viros palam conquestos semper fuisse, externas disciplinas, ac linguas frugalem populi Romani vitam ac masculam virtutem corrupisse: cum Græcis & peregrinis moribus in ciuitatem irrupisse mollitiem, luxum, gulam, ebrietatem, & omnia turpitudinis genera: idem & nostro sæculo contingere, rerum euentu disci. Iuuentutis Germanicæ in externorum principum regijs educatæ magnam partem, nil præter superbiam, luxum, pompam, ac splendidam vestium: nihil præter morbos, ac scabiem referre domum: ac nullas artes præter aleæ, & pilæ lusum, gladiatoriam, ac tripudiatoriam discere. Interea tamen omnes conterraneus præ se contemnere, quasi ciuilitatem rerumque prudentiam soli possiderent. Hos esse longarū peregrinationum fructus in adolescentibus: parentes autem, eorum experientia doctos intelligere in dies quantis in mercem damnosam impensis sit opus: quorum ob iacturam sæpe caput (vt prouerbio dicitur) scalpere eos videmus. Denique mille periculis obnoxias esse peregrinationes, & itinera longa. Occurrere vbique iuuentuti imperitæ, fraudes, insidias, errores, naufragia, lapsus, latrocinia, venena, cædes, morbos ac mortes immaturas inter ignotos. Quam triste, ac miserum infelicibus parentibus, si charus, exoptatusque filius post longam absentiam, maximisque sumptus factos, tandem in epistolio functo duntaxat nomine tenus, nigro Θ præfixo redeat, suspiria, lachrimas & planctus adferens? Si hæc priuatis metuenda, quid magno principi? qui nusquā latere, vel sibi viuere potest: qui semper in oculis æque prauorum technis ac insidijs, ac probitati bonorū sit expositus. Sed quanto hæc pars imbecillior illa est, hoc sæculo, his moribus, tanto maiora vbique pericula obuersari, quemlibet (nisi mēte sit captus) fateri debere. Non igitur consultum videri adolescentem principem tot casibus obijcere non sine immensis sumptibus. *Stephan. Vinan. Pigh. In Hercule Prodicio pag.* 131.

Homines peregrini, peregrinos etiam secum adferunt sermones, vnde rursus noua de rebus iudicia oriuntur, ex quibus fieri non potest quin affectus multi consiliaque nascantur, quæ ab instituta Reipub. ratione (quæ consonantiæ vocum similar habet) discrepent. *Plut. in Lycurgo.*

Vita quæ in errore agitur, inscitiam tanquam cæcitatis tenebras offundit ijs, qui in peregrinis terris & exteris nationibus versantur. *Heliodor. lib.* 7.

Peregrinationum consideratio multiplex apud Senecam Stoicum, epist. 28 & 104. & 123 & de tranquillitate animi, *cap.* 2.

APOPHTHEGMATA

Socrates cuidam querenti, quod peregrinationes sibi nihil profuissent. Non immerito, inquit Socrates, tibi istud euenit, tecū enim peregrinabaris: Multi putant longinquis peregrinationibus colligi prudentiam, quum Horatius clamet:

Cœlum non animum mutant, qui trans mare currunt.

Congressus sapientum confert prudentiam, non montes, aut maria. *P. M. ex Laert.*

Antisthenes putauit, omnia mala pro peregrinis habenda esse. Vulgus hominum ea tantum probat, quibus assueuit, ab exoticis autem abhorret: non quidem quod per se mala sint, sed quia peregrina. Verum sapienti viro nil peregrinum est, nisi quod cum vitio coniunctum est. *Laert lib.* 6. *c.* 1.

Democritus interrogatus, ad quid peregrinatio prodesset: respondit: Vitæ frugalitatem docet. Offa quippe & thorus herbaceus famis ac laboris dulcissimæ medullæ sunt. *Stob. serm.* 38.

Idem quamlibet terram homini sapienti peruiam esse dicebat: animæ namque fortis vniuersus mundus patria est. *Eod. serm.*

Laconibus peregrinari concessum non erat, ne morum peregrinorum vitæque incompositæ contagium attraherent. Quin & peregrinos vrbe exigebant, ne paulatim inundinantes, mali cuiuspiam ciuibus existerent magistri. Quisquis autem ciuium non sustinet liberorum suorum iuxta patrios ritus institutionem, iure ciuium priuabatur. Rursus narrant quidam, quicunque peregrinus Spartanæ ciuitatis institutis sustineret exerceri, cum ex Lycurgi sententia, admitti in eam ciuitatis portionem, quæ fuerat à prius ordinata. Cæterum vendere ius ciuitatis nulli fas erat. Perspexerat vir ille prudentissimus, commercijs exterorum ac negociatorum, ciuitates quamuis bene institutas corrūpi: quod ad nequitiam omnes sunt magis dociles, quam ad virtutem. Sed nulla mixtura perniciosior, quam quæ per imperij translationē prolationemve inuehitur. Sic influxu Græcorum nationum effeminata est Roma: sic barbarorum commercio tandem & Sparta ex sanctissima facta est corruptissima. *Plut. in Lacon.*

Lacones adolescentem ex eorum numero, qui exercebantur, increpuerunt quod viam nosset quæ ducit in Pyleam, adeo studebant suos à peregrinationibus ac rerum exoticarum cognitione seruare alienos: ne per occasionem à patrijs institutis degenerarent, præsertim cum Arcadia, cuius est Pylea, luxu delicijsque barbaricis esset corrupta. *Plut. in Lacon.*

Pausanias Plistonactis F. quum Lacedæmonios Tegeæ, vbi exulabat, laudaret, atque quidam dixisset. Cur igitur Spartæ non manebas? Quia, inquit, non apud sanos, sed vbi sunt ægroti, medici versari consueuerunt. *Pausan.*

Anonymus: Argiuus quidam cum Eudamidæ dixisset, Lacedæmonios peregrinationibus reddi deteriores, quod interim degenerent à maiorum legibus & institutis: At vos inquit, quum Spartam venitis, non deteriores, sed meliores euaditis. Dictum [illegible] in Argiuum: quia hoc dicens, magis suam gētem vituperauit, quam Lacedæmoniorum. *Plutarch. in Lacon.*

SIMILITVDINES.

Plutarchi: vt cochleæ semper domum suam secum circumferunt: Ita quidam horrent peregrinas regiones. *In Moralibus.*

Qui eos felices ducunt, qui per omnia vagantur maria terrasque, perinde faciunt, ac si quis stellas erroneas iudicet fortunatiores fixis: quamquam illis quoque suus orbis est, in quo voluuntur: nec soli licet suos egredi fines. *In Moral.*

Quemadmodum formicæ si semel antro, & apes si semel aluearibus eijci contingat, peregrinantur: Ita quidam si semel patriam exeant, exules se putant. *In Mor.*

P. M. vt aspalacus non nisi apud Bœotios viuit vbi nascitur, aliò translatus perit: Ita quidam peregre viuere non possunt, nulla instructi arte. *In simil.*

Empetron herba Latine calcifraga, quo propius abest à mari, hoc minus est salsa, quo longius, hoc amarior est: Ita quidam apud Gallos Germaniam spirant, apud Germanos Galliam: & quo longius absunt, hoc magis referunt eam gentem. *In similibus.*

Tarandus omnium arborum & fruticum, locorumque in quibus latitat colorem villis etiam imitatur: Ita rutior erit: qui ad quamcumque gentem se contulerit, eius ritus ac mores imitetur. *In similib.*

Sorba quæ magis blandiuntur specie, venenum habent: Ita blandiores amici magis cauendi, quam tristes atque asperi. *In similibus.*

Quidam fluuij per medios lacus erumpunt, vt illis non misceātur, sed ijdem eadem aquarum magnitudine post multa passuū millia exeunt, qua fuerant inuecti: Ita si in vitiosam incideris ciuitatem, ita ad tempus vtendum hospitio, vt idem exeas qui veneris. *In simil.*

Vt Africa Auster serenus est, Aquilo nubilus, præter aliarum regionem naturam: Ita quidam cum regione mutant ingenium ac mores. *In simil.*

Perse-

PERFECTIO.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Perfectio, Græce, τελειότης, vel τελείωσις, & τέλειος, perfectus, & τελειόω, perficio dicitur. Est autem perfectum, cui nihil deest. *secund. Arist. lib. 3. Phys. & lib. 1. de Cœlo & mundo.*

Perficere & absoluere, à quo perfecte aduerbium, hoc est absolute, integre. Estq; compositum de facio, sicut efficio, quod in hoc differt a facio, quod facere est in opere esse, efficere vero significat perfectionem, vnde effectus & efficax, quod est, quod ad aliquid agendum vim habet, & maxime conducit: a quo efficacia pro vi: & effecte, quod perfecte significat. A facio item componitur proficio, quod est profectum facere, & profectus. Plinius. *Nec minorem sub præceptore profectum fecit.* sic & præficio, præpono, vnde præfectus, præfectura, & multa alia quæ a facio componuntur.

Hebræa vox *Chelis*, ab vniuersitate deducta, procedit a radice *Chul*, vnde verbum *Chalas*, & nomen *Chalila*, perfectio: quæ suo sensu magis quadrat in Deum, quam Latina vox *Perfectus*, aut Græca τέλειος, voce enim Hebræa significatur id, in quo vniuersa sunt bona, ac proinde in quo nihil desideratur eorum, quæ ad eius naturam & perfectionem pertinent. Huc facit & alia vox Hebræa, *Tamim*, perfectus, sincerus, sine defectu, à verbo *Camam*, perfectus est omnibus modis. Hinc Græca ἔτυμος, verus, integer, perfectus. Nomini *Camim* per metathesin opponitur is qui *μάταιος*, vanus, futilis, Gall. *Mat*, & *Matois* appellatur. Plura vide in Etymologico trilingui Lugd. pag. 593.

Loci Biblici.

Perfecti comparate dicuntur ij qui præ reliquis in cognitione rerũ diuinarum profecerunt, & incorrupto sunt iudicio. *Matth. 5. 48. 1. Cor. 10. & 2. 6. & 13. 1. & 14. 6. Ephes. 4. 13. & 6. 12. Phil. 3. 15. Coloss. 1. 28. 2. Tim. 3. 17. 1. Pet. 1. 13.*

Perfecta *Ecclesia, Cant. 6. 8.* Perfecta lex & voluntas Dei, *Rom. 12. 1. Iacob. 1. 2. 5.* perfecta Charitas *1. Ioa. 2. 5. & 4. 12. 17.* pfecta plebs, i. e. bene instructa *Luc. 1. 17.* perfectus Deus pater *cælestis, Matth. 5. 48.* perfectus homo, *1. Tim. 3. 16. Iac. 1. 4. & 3. 2.*

Perfectus, pro eo qui se iactat perfectum, *Matth. 19. 21.* perfectus, qui est sicut magister Christus, *Luc. 6. 40* ad perfectionem exhortatio, *Gen. 17. 1. Deut. 18. 13. Matth. 5. 48. 1. Corin. 1. 10. & 14. 20. 2. Cor. 13. 11. Ephes. 6. 13. 1. Pet. 1. 13.*

Sententiæ Biblicæ.

Perfectio charitatis.

Qui autem seruat verbum eius, vere in hoc charitas Dei perfecta est. *1. Ioan. 2.*

Si diligimus inuicem, Deus in nobis manet, & charitas eius in nobis perfecta est. *4.*

In hoc perfecta est charitas Dei nobiscum, vt fiduciam habeamus in die iudicij, quia sicut ille est, & nos sumus in hoc mundo. *Ibid.*

Sinceritatis.

Ambula coram me, & esto perfectus. *Gen. 17.*

Perfectus eris, & absque macula cum Domino Deo tuo. *Deut. 18.*

Timete Dominum, & seruite ei perfecto corde, atque verissimo. *Ios. 24.*

Estote ergo vos perfecti *Matth. 5.*

Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes. *19.*

Non quod iam acceperim, aut iam perfectus sim. Quicunque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus. *Phil. 3.*

Corripientes omnem hominem, & docentes in omni sapientia, vt exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Iesu. *Coloss. 1.*

Omnis scriptura diuinitus inspirata, vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia: vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus. *2. Timoth. 3.*

Patientia autẽ opus perfectum habeat, vt sitis perfecti & integri, in nullo deficientes. *Iac. 1.*

Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir. *3.*

Patrum Sententiæ.

Curnam præcipitur homini ista perfectio cum eam in hac vita nemo habeat? non enim recte curritur, si quo currendum est nesciatur: quomodo ergo sciretur, si nullis præceptis ostenderetur? *Aug. l. de perfect. iustitia.*

Si vis perfectus esse, tu qui perfectũ te esse pollicitus es, quid aliud, quam perfectam sectatus es vitam? Perfectus autem seruus Christi præter Christum nihil habet, aut si quid præter Christũ habet pfectus non est, cum se perfecte Deo sit pollicitus, aut mentitus est. Os autem quod mentitur, occidit animam. Igitur vt concludam si perfectus, cur bona paterna desideras? si perfectus nõ es, Dominum fefellisti *ibid.*

Vende omnia, &c. Nec hoc ad perfectionem sufficit, nisi post contẽptas diuitias, Saluatorem sequatur, id est relictis malis faciat bona. Facilius enim sacculus contemnitur, quam voluptas. *ibid.*

Si qua fidelium hic esse potest perfectio, in eo consistit, vt se imperfectos esse agnoscant. *Idem.*

Hæc est in omnibus sola perfectio, suæ imperfectionis cognitio. *Hier. in epist. ad Theod.*

Plerunque hi, quos iam perfectos homines æstimamus, adhuc in oculis summi Opificis aliquid habent imperfectionis. Sic sæpe imperiti homines nedum perfecta sculpta sigilla conspicimus: & iam quasi perfecta laudamus, quæ tamen adhuc artifex considerat & limat: laudari iam audit: & tamen ea iandem meliorando non desinit. *Greg. lib. 4. dialogor.*

Tanto quisque perfectus est, quanto perfectius sentit dolores alienos. *In hom.*

Mons altitudinem virtutum signat, ad quam angelus hortatur: qui non viderit se posse conscendere, melius est, vt in Segor, id est in paruula remaneat, contentus laicali & communi vita, quam montem virtutis arripiat, & ad secularia redeat. Est ciuitas hæc iuxta, &c. iuxta dicitur, & tamen ad salutem tuta, quia actiua vita est, nec a mundi curis ex toto discreta, nec a gaudio æternæ salutis aliena. *in Gen. 19.*

Onus oneri additur, & minus onerat, & si oneri grauissimo legis accedens quadriga euangelij. & auxit perfectionem, & minuit difficultatem. *Bern. in ep. 72.*

Nemo perfectius, qui perfectior esse non appetit, & eo perfectiorem quisque se probat, quo ad maiorem tendit perfectionem. *in quadam ep.*

Bonum acquirit gradum, qui bene ministrauerit: meliorem forte, qui bene vacauerit Deo: optimum autem, qui perfectus est in vtroque *in serm.*

Deo, a quo nos sumus facti, nos reddamus, nec dominari nobis, ea quibus sumus naturaliter præpositi, permittamus. Dominetur vtilis ratio, subijciatur corpus animo, animus Deo: & impleta est tota hominis perfectio, sicut viuentia vita carentibus, sensibilia non sentientibus, immortalia mortalibus ratiocinando præponimus: ita bene viuendo voluptuosis vtilia, vtilibus honesta, honestis sancta, sanctis omnia perfecta præferamus. *Prosp. l. 3. de vita contempl.*

Si vis perfectus esse, &c. Ille, qui mutauit pro diuitiis paupertatem vt fieret perfectus, non in ipso tempore, quo tradidit bona sua pauperibus, fiet omnino perfectionẽ, sed ex illa die incipit speculatio Dei adducere eum ad omnes virtutes. *Origen. super Matth. 20*

Fiat voluntas tua. Voluntas Dei est, quam Christus & fecit & docuit, humilitas in conuersatione, stabilitas in fide: verecundia in verbis: in factis iustitia: in operibus misericordia: in moribus disciplina, iniuriam facere non nolle, & factam posse tolerare, cum fratribus pacem tenere, Deum toto corde diligere, amare in illo, quod pater est, timere, quod Dominus est. Christo nihil omnino præponere, quia nec nobis quicquam ille præposuit. *Cyp. ep. 5. de ora. dominica.*

Ieiunia, vigiliæ, meditatio scripturarum, nuditas ac priuatio omnium facultatum, non perfectio, sed perfectionis instrumenta sunt: quia non in ipsis consistit disciplinæ finis, sed per illa peruenitur ad finem. *Abbas Moyses in collationibus patrum, col. 5.*

Sunt qui euangelicam perfectionem simulare potius, quam in veritate arripere volunt, corum scilicet laudibus prouocati, qui vniuersis diuitijs mũdi perfectam Christi præferunt nuditatẽ. *Col. 6.*

Miserum est cuiuslibet artis & studii disciplinam quampiam profiteri, & ad perfectionem eius minime peruenire. *Abbas Io. in col. sua.*

Ad finem debeat perducere, quæ prudentum intentio visa est suscepisse: quia sicut perfecta laudem pariunt, ita & vituperationẽ generant, quæ in medijs conatibus ægra deseruntur. Defectu enim certum, aut consilium titubare, aut vires arguit defuisse. *Cass. l. 4. ep. 31.*

Philosoph. Sententiæ.

Totum nihil aliud est quam congregatio partium. *Arist. de Poet. 2.*

Totum & perfectum est, cui nihil deest. *Idem, Phys. 4.*

Qui rem in integrum restituere volunt, causam malorum inuestigare & tollere debent. *Idem 3.*

Vnumquodque tunc perfectum est, cum attingit propriam virtutẽ. *Arist. lib. 7. Phys.*

In animabus nostris semina virtutum innata sunt, quæ si bonus cultor crescere permitteret, ipsam naturam ad perfectionem deduceret. *Cic. lib. 3. Tuscul. quæst.*

Nec quicquam difficilius est, quã reperire in omni suo genere perfectum. *Cic. lib. de Amicitia.*

Nihil est similius, & gratiosius Deo quam vir animo perfecto bonus, qui in tantum homines cæteros antecellit, quantum ipse à Dijs immortalibus antecellitur. *Lucius Apuleius de Deo Socratis.*

Nihil in simplici genere natura omni ex parte beatum atque perfectum expoliuit, tanquam cæteris non habitura quod largiatur si vni omnia concessisset. *Cic. 2. de inuen.*

Ap-

APOPHTHEGMATA.

Crates. impossibile esse dicebat, quenquam inueniri, qui nunquam lapsus fuerit: veluti in malo punico granum quoque aliquod putrescere. *Laert.*

Apelles ætate complures erant in arte pingendi nobiles, quorum opera quum eo candore miraretur, collaudatis omnibus dicebat illis deesse vnam illam Venerem, quam Græci χάριτα vocāt, ingenue profitens, cætera omnia illis contigisse, in hac vna neminem ipsi parem esse: Simile quiddam est in phrasi, quæ alliciat ac remoratur lectorem aut auditorem, quum tamen non habeat nomen, nec arte præcipi possit. *P. M. lib. 8. apopht.*

SIMILITUDINES.

Origenes. Ad illam summam scientiam, vel ad perfectionem quæ in cœlestibus est ordinibus nullus potest inter homines perfectus dici vel esse: vt si dicamus in puerilibus studiis ad comparationē illius qui nuper imbuitur, & prima literarum suscipit elementa, magister ipse librarius appellatur perfectus, sed non est ita perfectus, vt ille qui grāmaticam docet: ipse vero grammaticus quānus perfectus sit, superior tamen & perfectior est rhetor. Et his omnibus longe eminentior philosophiæ doctrinæ perfectio: Cum in his omnibus sit literatura, doctrina, diuersus tamen gradus perfectionis & magisterii in vnoquoque hab. tur: Ita ergo potest fieri, vt cum Paulus dicit, Non quod iam acceperim, aut perfectus sim, ad illum apicem celestis perf. ctionis aspiciens, hæc videatur scribere: cum vero dicit, Quicunque ergo perf. cti sentiamus: ad humanæ tantum perfectionis respicit gradum. Sic ergo & in præsenti loco intelligendi sunt vel pace vel gaudio, vel bonitate vel scientia repleti, siue Romani, siue Corinthij, in quantum possibile est repleri eos qui docentur in Ecclesia, & sub perfectis doctoribus agunt. *Lib. 10. in epist. ad Romanos.*

Idem. Si quis fundamenta iactat domus, & vnum aut duos parietes extruat, aliquid etiam materiæ conuehat, nunquid dicetur fecisse domum, quamuis operatus videatur in domo? Sed ille dicetur domum fecisse, qui totius ædificii ad perfectum singula quæque membra produxerit. Ita arbitror & hic Apostolum dicere neminem fecisse bonitatem, hoc est, à nullo eam ad perfectum & ad integrum consummatam. Si autem requiramus qui sit vere bonus, & qui perfectam fecerit bonitatem: illum inueniemus solū qui dicit: Ego sum pastor bonus. Et iterum: Pastor bonus animā suam ponit pro ouibus suis. *In epist. ad Rom. lib. 3.*

D. Ambros. Perfecti viri est, quasi fortem militem grauissimorum casuum sustinere incursus, conflictus subire, & quasi prouidum gubernatorem, nauem in tempestate regere, atque occurrendo insurgentibus fluctibus magis vitare naufragium sulcando vndas, quam declinando. *Lib. de Iacob. & vita beata, c. 8.*

PERFIDIA.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Perfidia, fidei violatio, ἀπιστία. Perfidus, homo sine fide, ἄπιστος, proditor, qui aliud simulat, aliud agit, improbus, malitiosus. *Cicero 3. Offic.* Ergo & Pythius, & omnes aliud agentes, aliud simulantes, perfidi, improbi, malitiosi sunt. Hebr. *Baghadh* verbum significat, perfidus fuit, vel factus est, perfidè egit, violauit fœdus seu pactum, fidem fregit, fefellit, decepit, mentitus est. *Beghadh*, perfide agens, perfidus, deceptor, mendax. *Begodhim*, perfidi, mēdaces: *Beghedhah* perfida: *Beghedhoth* perfidæ: *Begedh*, Chald. *Beghadh*, perfidia, mendacium.

LOCI BIBLICI.

Varias acceptiones verbi, participij, nominō habes in V. T. 1. *Sam.* 14. 33. *Iob.* 6. 15. *Psal.* 78. 57. *Esa.* 24. 16. *Malach.* 2. 10. *Exod.* 21. 8. *Iudic.* 9. 23. *Ierem.* 3. 20. *Prou.* 21. 18. *Ierem.* autem 12. 1. *versi.* 1. verbum & nomen occurrunt: Quare (inquit Propheta) via peccatorum prospera est? quare felices sunt omnes (*Beghedhai Begiadh*) perfide agentes perfidiam.

Est aliud verbum, nempe *Paschahh*, id est, transgressus est legem malitiose, perfide egit, præuaricatus est maligne, fuit malitiosus, recessit, defecit a fide promissa, 2. *Reg.* 3. 7. & 8. 19. 22. *Esa.* 59. 13. *Ose.* 8. 1. *Amos* 4. 4. Ab hoc verbo fit nomen *Peschahh*, transgressio, præuaricatio, defectio, perfidia, rebellio, contumacia. *Psalm.* 32. 1. *Prou.* 28. 2. & 13. 22. *Amos.* 1. 3.

In nouo testamento, de perfidia, perfidis, ἀπίστοις, & infidis vnde *Luc.* 12. 40. *Tit.* 1. 15. *Apoc.* 21. 8. &c. vbi ἄπιστος infidelis fere semper & incredulus vertitur: quo nomine eum qui fidem vel Deo dare, vel datam seruare recusat: quæ præuaricatio mera perfidia dici potest & debet.

SENTENTIAE BIBLICAE.

Iustitiæ illius distributiuæ, quæ in societate politica præstari debet ad rempub. conseruationem pars præcipua est fides, quæ in pacto rum promissorumque obseruatione constanti consistit, quæ etiā constantia in pactis & promissis appellatur. Hæc virtus rara est admodum inter homines, vnde querela, *Psal.* 12. 2. & *Ierem.* 5. 1. Virtuti huic opponitur perfidia, quando quis non stat promissis & pactis conuenitque nulla iusta de causa.

Fugienda vero est perfidia, quia prohibita est a Deo in lege, *Exod.* 20. Non dices falsum testimonium contra proximum tuum Summopere Deo displicet, *Ose.* 4. 1. 2. & pœnam habet comitem, *Ibid.* 2. 3. Simul ita fides, seu astuta, fucata, variisque prætextibus ac humanis inhumanis commentis facata perfidia, quæ ex summo iure summam alijs sibique tandem creat iniuriam, in eo tota est, vt perfidus se esse & fore promissorum pactorumque obseruantem præ se ferat, hoc agens, vt tandem eludat eum cui se promisso aut pacto constrinxit. Fuerat illa perfidia Deo prorsus displicet. *Psal.* 12. 3. vt quibuscunque locis, vbi de homine, qui duplex cor habere dicitur, Scriptura meminit.

HISTORICAE SENTENTIAE.

Perfidos nunquam causa deficiet, cur pactis non stent. *Item.* Semper aliquam fraudi speciem iuris imponunt. *Liuius. lib.* 9 *Deca* 1.

Tristissimum & domesticum regibus omnibus pharmacum, liberorum, amicorum & exercitus perfidia. *Appian. lib. de bello Mithridat.*

Nullis meritis perfidia mitigari potest. *Curtius. lib.* 7.

Occultum & insidiosum malum perfidia, cuius efficacissimæ vires sunt mentiri & fallere: fructus in aliquo admisso scelere cōsistit, tum certus cum crudelitatem nefarijs vinculis circundedit, tantum incommodi humano generi afferens, quantum salutis bona fides præstat. *Val. Max. lib.* 9 *c.* 6.

Neque Legati audienda, neque conditiones accipiendæ sunt ab ijs, qui per dolum atque insidias, petita pace, vltro bellum intulerunt. *Cæsar. lib.* 4. *de bello Gall.*

Perfidi longe deteriores sunt vel ipsis manifestis hostibus, & longe grauiore pœna digni. Nam facile est cuius ab illorum insidijs sibi cauere, & eos hostiliter aggressos quiuis repellere potest: sed ab amicis qui perfide se gerunt, illi quidam sunt præuenti, eoque facile sibi cauere, neque eos propulsare possunt. *Dion. Halic. lib.* 3.

Virum qui virtutis sibi quippiam vendicet, principem præsertim, mentiri ac fidem fallere nequaquam decere existimo: quin etiam iusiurandum literis traditum violare, pactionesque receptas factas contemnere nec abiectissimis quidem hominibus decorum fuerit. *Procop. de bello Goth. lib.* 2.

Qui cum omnium miserrimis pactiones factas neglexerit, erga aliū quempiam nequit præstetere firmiorem animum, quin potius vt liri absurdioris naturæ indicium ad omnes qui sieum verfantur & circumferre videtur perfidiam. *Idem, lib.* 3. *eiusd. belli.*

Fœdera soluunt non qui iniuriam patientes à proximis desciscunt, sed qui fœderatos habere aliquos pollulaotes, eos deinde violant. *Idem de bello Vandalico, lib.* 2.

Qui fidem imperatori frangit, nunquid diris saeerdotum deuotus diuinam vltionem formidabit? *G. Pachymer. lib.* 2. *lib.* 1.

Hominibus perfrictæ frontis, infamiam negligentibus, humana quidem forma, sed belluinis animis, non est habenda fides. *Idem lib.* 5.

Perfidi aliquando datam fidem seruare solent, vt opportunius & maiori quidem cum lucro postea decipiant. *P. Iouius hist. lib.* 2.

POETARUM DICTA.

Sophocles in Oedipo Colon.

Θνήσκει δὲ πίστις, βλαστάνει δ' ἀπιστία.
Moritur fides: pullulat perfidia.

Menander.

Συγκέχυται πᾶσι τῶν πιστῶν καθ' ἡμᾶς βίος.
Ætate nostra fidei omnis confunditur.

Pindarus.

Πιστὸν δ' ἀπίστοις οὐδέν.
Perfidis nihil est fidum.

Ouidius, 1. Trist. 4. El.

Dum iuuat & vultu ridet fortuna sereno,
Indelibatas cuncta sequuntur opes.
At simul intonuit, fugiunt, nec noscitur villi.
Agminibus comitum qui modo cinctus erat.

Idem, Epist. 7.

Nec violare fidem tentantibus æquora prodest:
Perfidiæ pœnas exigit ille locus.

Silius Italic. lib. 11.

——stat nulla diu mortalibus vsquam
Fortuna titubante fides.

Idem, lib. 13.

——dubio sui frangere rerum
Gaudebis pacta, ac tenues spes linques amici,
Non illi domus, aut coniux, aut vita manebit
Vnquam expers luctus, lacrimaque, aget aequore semper
Ac tellure premens, aget egrum nocte dieque
Despecta ac violata fides.

Publius.

Fidem qui perdit, quo se seruet in reliquum?
Fidem nemo vnquam perdit, nisi qui non habet.

APOPHTHEGMATA.

Themistius nullam malitiam magis alienam a conuersatione hominum esse dicebat quam perfidiam, aduersus quam nulla custodia dari potest. Nam quod vnicum habemus confugium, nempe iusiurandum, hoc ipso maxime abutitur vir perfidus, quod commisit malum facinus inficiando. *Stob. serm. 12.*

Ludouicus XII. Franc. rex, cuidam referenti Cæsarem Borgiam, Valentinum, à Consaluo Hispano, violato iureiurando, perfide retentum, & ad Ferdinandum Hisp. regem missum esse, respondit. Ergo posthac pro Punica fide, Hispanicam celebraturi sumus. *lib. de Lud. XII. seu e dictis Alphonsi Aragoni apopht. adiuncto.*

ADAGIA.

Punica fides.

Abijt in prouerbium Pœnorum perfidia, quod ea gens peculiariter periurij vanitatisque notata sit.

Græca fides.

Nequaquam Græcia nouit fidem. πιςὸν Ἑλλὰς οἶδεν οὐδέν. *Euripides, Ausonius. Mutuatur ad Græcam fidem.*

Verbis conceptis peierare.

Olim iuraturo solennibus verbis præibatur, quo iusiurandum esset firmius, ne iurans postea perfide ageret. Interdum aram tenebat, attamen perfido eiusque veteres occinebant frequenter. Nec si aram tenens iuraueris, credam. Et nos improbo, perfido, dicimus, Nec si sacra Biblia aperta millies tetigeris, tibi fidem adhibeo.

Θρᾳκίζειν id est, perfide agere, decipere, & Thracijs dolis tractare.

Superauit dolum Troianum.

Ita Plautus in Pseudolo. Si non perfidus, dolosis artibus, quæ describuntur. Æneid. 2. Troianos perfidos dixit.

Altera scabit, altera ferit manu.
Altera fert aquam, altera ignem.
Altera lapidem, altera panem ostentat.

Tribus his adagijs depingitur perfidus, dolosus, versipellis, proditor insignis, qui verbis compositis homines demulcet, allicit, inescat, quos postea crudeliter euertit.

Ex eodem ore calidum & frigidum efflar.

Ex apologo veteri natum, Satyro hominem vidente & deferente, vtpote bilinguem, perfido, dubia fide, ingenioque futili & versatili prædito. Deinde ad inconstantes, apostatas, & eiusmodi male feriatos traductum. Huc refer adagium sacrum Apostoli Iacobi, ex eodem ore dulce & amarum.

Achitophel alter. Iudas alter.

Hæc duo adagia ex S. libris petita, duos omnium perfidorum perfidissimos, atque perditissimos dēmonstrant: quorum historia cunctis est notior, quam vt describi debeat.

Inimici hominis domestici eius.

Dictum in domesticorum perfidiam, quam Romanos sæpe etiam expertos fuisse, indicio est vetus adagium, Quot serui tot hostes. *Vide Mich. 7. 6. & Matth. 10. 36.*

Ab ea quæ dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui.

Adagium natum seu desumptum ex 7. c. Mich. v. 5. indicit maritis prudens silentium, ne malorum vxorum perfidiam experiri velint.

Qui in modico iniquus, & in maiori iniquus est.

Vulgo obijcitur ijs, quorum perfidiam, licet in rebus admodum exiguis, vel semel tantum deprehenderimus, vt post hac fidem omnem sibi abrogatam sentiant.

SIMILITVDINES.

Vide *Psalm. 78. 57. Ose. 6. 13. & 7. 16.* Nahum. 3. 17. & *Numer. 23. versicul. 19. 20.*

HIEROGLYPHICVM.

Scorpio hominem vafrum perfidum, cuique nulla sit habenda fides denotat. Non igitur nisi resecta cauda, in qua illi venenum stillātes aculei sunt, ab eius ictu quis tutus erit. Similiter ne hosti quidem vlli, cui arma erepta aut excussa nō sint, fidendū: multo minus ad colloquia cum eo veniendū est, aut ad fœdera, etiamsi per oīa sacra iurare paratus sit. Rectissime igitur, & Cicero legatus Cæsaris, respondit Neruijs, non esse consuetudinem Romani populi vllam, accipere ab hoste armato conditionem. Et memorabilis est ille apud Liuium, *lib. 33.* inter Philippum Macedonem & T. Quintium congressus, ex quo patet nullam fidem esse cum hoste ad colloquium congredi. Sic 2. Samuelis, 20. *cap.* Amasa sub pacis & amicitiæ prætextu a Ioabo interimitur non attendens cinctum eum gladio. Philippus quidem Comioæus sæpius monet, quantum sit periculi in congressibus magnorum principum, & quam dubia periculosaq; sint inter ipsos plerumque cō tracta fœdera atque habita colloquia. Et affert cū alia exemplarum imprimis *libro 3.* Ludouici regis Galliæ, Peronæ in Caroli Burgundi potestate periclitantis & *libro 6.* de Ioanne Burgundiæ duce a rege Carolo in mutua salutatione interempto: quæ exempla sunt illustria. Recte igitur Demosthenes in Philippicis ait, vrbibus ad custodiam multa quidem inuenta esse, valla, fossas, mœnia, &c. quæ tamen omnia manibus conficiantur, & sumptus postulent ingentes. At vnum commune munimentum à natura inesse animis hominum *εὐφυέσι τὸ* idque cum cæteris salutare esse, tum maxime plebi contra tyrannos, nempe diffidentiam, quæ est prudentiæ neruus firmissimus, Epicharmo teste. Cuicunque igitur hosti perfido, verbis vt astragalis ludenti, fidem obseruandam esse neganti, iuranti, peieranti, sub honesto pallio sclopetū, quo insontes interficiat, gestanti, occinat libertas publica.

Non nisi desecta, credam tibi, Scorpio, cauda
Armaque in pœnas fœdera nulla dabo.

APOLOGI.

Alexander Macedo cum ab Atheniensibus pacem quærentibus peteret, vt præcipuos quosdam suæ ciuitatis oratores virosque politicarum rerum peritos sibi traderent, *Demosthenes*, fabulam recensuit de ouibus, & quomodo canes gregis custodes, lupis dediderunt: qua se sociosque suos canibus assimilauit pro populo propugnantibus, atque vnicum Alexandrum Macedonem lupum appellauit. *Plut. in vita Demosthenis.*

Quum animaduerterent lupi, se non virtute canum, sed multitudine superari, hoc iniisse consilium perhibētur. Mittunt ad canes, qui ab ijs, quorum color non dissimilis luporum esset, quærunt, cur non potius secum coniungerentur, quibus natura ipsos conciliasset, id quod colorũ significaret similitudo? Quique illis dicerent: si luporum auxilio vti vellent aduersus alios canes colore discrepantes, postea sublatis illis, & ipsos solos rerum potituros, & in perpetua luporum amicitia futuros esse. Cum res stultitia canibus probata, & alij circumuenti atque iugulati fuissent, tum sine negotio & periculo istos etiam sibi concolores interfecerunt lupi. *Aesop. fabul.*

EMBLEMA.

Altilis allectator anas, & cærula pennis,
Assueta ad dominos ire redire suos,
Congeneres cernens volitare per aera turmas,
Garrit, in illarum se recipitque gregem,
Tractensa incautas donec sub retia ducat.
Obstrepitant capta, conscia at ipsa silet.
Perfida cognato se sanguine polluit ales,
Officiosa alijs, exitiosa suis.

PERICVLVM.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Periculum, Græce κίνδυνος, ου, ὁ, & ἐπικίνδυνος, ὁ, ἡ, periculosus, & κινδυνεύω, periclitor dicitur. Periculum interdum significat salutis discrimen: vnde periclitor verbum deducitur, quod modo significat periculum subeo, modo pro experior, siquidem & periculum pro experimento ponitur: Terent. *Fac periculum in literis, fac in palæstra.* Venit autem periculum a pereo, quod quidam ab intereo ita separant, vt perire leuius sit, & quod non omnium rerū finem denotet. Plaut. *Qui per virtutem perit, non interit.* Dicitur autem intereo, quasi in totum eo. Quando periculum experimentum significat, ab experior videtur deriuari.

LOCI BIBLICI.

Pericula pijs & Deum timentibus non sunt lethalia. *Exempla*, Noe in diluuio, Loth in Sodoma, Iacob in varijs peregrinationibus, Ioseph inter fratres & in Aegypto; Populus Israeliticus inter Aegyptios, ad littus maris rubri, in deserto & terra promissa, Iudices, Reges, socij Danielis in fornace ardente. Daniel in fouea leonum, &c. Apostoli, & innumeri Christiani ad hunc diem.

SENTENTIAE PATRVM.

Nimium præceps est, qui transire contendit, vbi conspexerit

alium

alium cecidisse: & vehementer infrænis est, cui non incutitur timor alio pereunte. Amor autem est salutis suæ, qui & vitat alienæ mortis incursum: & ipse est prouidus, qui solicitus sit cladibus cæterorum. *Aug. lib. de singularitate clericorum.*

Non quisquam sibi proponat, & dicat, habere volo, quod vincam: hoc est dicere, viuere desidero, & volo sub ruina. *ibid.*

Periclitatur castitas in delicijs, humilitas in diuitijs, pietas in negocijs, veritas in multiloquio, charitas in hoc mundo. *Bernar. in quodam serm.*

Philos. et Historic. Sentent.

Bona turpitudo est, quæ periculum vincat, citius inuenitur periculum, quum contemnitur, numquam periculum sine periculo vincitur. *Sen. in Prou.*

Pericula communia beneuolentiam inter commilitones mutuam excitant, ad quæ vbi peruentum est, nemo alijs, quibus ornatissima sunt arma, nemo gloriæ cupidis inuidet: sed potius & collaudant, & complectuntur huiusmodi sibi similes, quod eos secum in iuuanda Republica coniunctos existiment. *Xenoph. de instit. Cyri. lib. 3.*

Homines in fueri laboris, ob imminens periculum sic sunt animo consternari, vt omnia, quæ imperantur, sibi patienda, & perferenda existiment. *Cæsar. lib. 7. de bello Gall.*

Summæ amentiæ est ob res leues discrimen subire. *Appian. lib. de bello Hispan.*

Necessaria, nec prorsus voluntaria eligentes pericula Deus semper adiuuat. *Procop. de bello Persic. lib. 1.*

Semper indomitus furor periculorum cito obliuiscitur. *P. Diacon. hist. lib. 2.*

Difficile est ei, qui ægrè se ab imminentibus periculis tuetur, codē tempore aliorum periculis cauere. *Fr. Guicciard. hist. lib. 1.*

Contra remotiora pericula sæpe tempus non cogitata remedia afferre solet. *Fr. Guicciard. hist. lib. 16.*

Qui prudenti consilio certi, & tempori seruit, impendens periculum vitat. *G. Pachymer. hist. lib. 5.*

In magnis difficultatibus accidit, vt homines semper præsentia, tāquam maxime periculosa fugiant, in incognitis spem collocantes. *Plut. in Mario.*

Scio hanc rebus nouis inesse oportere constantiam, vt rapienda sint consilia non quærenda: verbis quinetiam plurimis abstinendum sit, atque sententijs, vbi res perurgent. *Iul. Capitol. in Maxim. & Balbino.*

Trepidat miles, Dux segnis & veluti captus animi, non lingua, nō auribus competit, neque alienis consilijs regitur, neque sua expedit, huc illuc hostium clamoribus circumagitur, quæ inferat vetat, quæ vetuerat iubet. Mox, quod in perditis rebus accidit, omnes præcipiunt, nemo exequitur. *Tacit. hist. lib. 3.*

Omnia sunt suspecta, & formidabilia, quæ in extremum periculum deueniunt. *Heliodor. lib. 9.*

Is qui in extremo versantur periculo, peculiare est, manium verborum figmenta ad dilationem proferre. *idem. lib. 10.*

In vnius exitio quisque imaginem periculi sui considerat. *Amm. Marcell. lib. 14.*

Vbi res in periculum vertitur, nihil magis expedit, quam in promptu optimum capere consilium. *Procop. de bello Persic. lib. 6.*

In exercitum hostilem multis post terga munitissimis locis, multis etiam in his fortissimis viris relictis proficisci, periculum est. *idem lib. 2.*

In periculum non necessarium sponte se conijcere, magna est dementia. *idem, eod. lib.*

Adhortatio, quæ fit imminente periculo, nullam fert admonēti vtilitatem, quod accusationis plerunque occasioni subijciatur. Homines enim si forte sibi ex sententia, quæ facta sunt eueniant, bene ac libenter ferre videntur: si vero secus, autorem cōsilij protinus accusant. *Idem de bello Vandal. lib. 1.*

In promptum velle apertumque discrimen ruere, cum liceat extra periculum consistendo seruari, dementia est. *Idem de bello Goth. lib. 2.*

Præsens periculū nihil habet morte grauius. *Nicetas. in Man. Comn. lib. 5.*

Nemo facile pericula euadet, nisi numine exorato, diuinitus custodiatur, malorumque leuamen impetret. *idem. lib. 6.*

Citius venit periculum, cum contemnitur. Item, Raro periculum sine periculo vincatur. *Ar. Feron. lib. 7.*

Sententias Poetarum.

Seneca in Hercule furente trag. 2.

Nemo se tute periculis offerre tam crebro potest.
Quem sæpe transit casus aliquando inuenit.

Terent. Comœd. 5.

Auribus lupum teneo.

Polyanthea Nouiss.

Ouid. Trist. lib. 1. eleg.

Terretur minimo penna stridore columba,
Vnguibus accipiter saucia facta tuis.
Non procul à stabulis audet decedere, si qua
Excussa est auidi dentibus agna lupi.
Vitaret cœlum Phaëthon, si viueret: & quos
Optarat stulte, tangere nollet equos.
Me quoque quæ sensi, fateor Iouis arma timere.
Me reor infesto, cum tonat, igne peti.
Quicumque Argolica de classe Capharea fugit.
Semper ab Euboicis vela retorquet aquis.
Et mea cymba semel vasta percussa procella,
Illum, quo læsa est, horret adire locum.

Ouid. de Pont. lib. 2. eleg. 7.

Sed me timor ipse malorum
Sæpe super vacuos cogit habere metus.
Da veniam, quæso nimioque ignosce timori:
Tranquillas etiam naufragus horret aquas.
Qui semel est læsus fallaci piscis ab hamo,
Omnibus vnca cibis æra subesse putat.
Sæpe canem visum longè fugit agna, lupumque
Credit, & ipsa suam nescia vitat opem.
Membra reformidant mollem quoque saucia tactum,
Vanaque sollicitis incitat vmbra metum.
Sic ego fortunæ telis confixus iniquis,
Pectore concipio nil nisi triste meo.

Idem de Arte amandi lib. 2.

Cum mora non tuta est, totis incumbere remis
Vtile, & admisso subdere calcar equo.

Tibullus lib. 1. eleg. 6.

Ne pigeat magno post didicisse malo.

Horat. lib. 1. epist. 16.

Cautus enim metuit foueam lupus, accipiterque
Suspectos laqueos, & opertum miluus hamum.

Apophthegmata.

Alcibiades accitus ab Atheniensibus è Sicilia, vt diceret causam capitis, abdidit sese, dicens: Eum esse fatuum, qui vocatus in ius nō quærat elabi, quum liceat vitare necat. Sentiens, consultius esse non committere se periculo, quam dare operam vt ingressus periculum temere expedias. Dictum Græcis sonat iucundius, ob vocum affinitatem, φεύγειν & ἀποφεύγειν. Græcis autem ἀποφεύγειν dicitur, qui iudicum sententijs absoluitur: φεύγειν qui vitat, aut fugit. *Plut. in vita Alcibiadis.*

Similitudines.

Plutarch. Vt pueris cum terrentur personis, damus eas in manus, & versatas ostendimus inanes, vt discant non timere: Ita cōuenier adhibita ratione, res specie terrificas excutere, vt cum viderimus non esse, quod apparent, contemnamus. *In Moral.*

Plin. Muræna non in capite, sed in cauda animam habet: Ita quod charissimum est, non ibi recondendum, vbi statim periculis sit obnoxium. *lib. 32. c. 2.*

Periculosiores sunt fontes, qui limpidis aquis blandientes, oculis tamen perniciem adferunt: minus formidandi, qui ipsa specie testātur aquas esse fugiendas: Ita difficilius vitantur mala, quæ boni prætextu fallunt. *lib. 31. c. 2.*

In Bœotia ad Trophonium Deum iuxta flumen Orchomenon duo sunt fontes, quorum alter memoriam, alter obliuionem adfert: Ita fere magno alicui bono, magni mali periculum est vicinum. *lib. 31. c. 2.*

Medici vetant vti halicacabo, quamquam dentibus firmandis prodest, si eius succo colluantur: propterea quod periculum est, ne si diutius id fiat delirationem gignat, & plus adferat incommodi, quam commodi: Ita non est vtendum his literis, quæ sic linguam expoliunt, vt mores inficiant: aut non conuenit sequi, quæ sic augent rem, vt famam lædant. *lib. 21. c. 13.*

P. M. Vti sæpenumero polypus dum conchæ carnem captat: ipse capitur ac tenetur: Ita sæpius dum alijs nocere studemus, nos ipsos in periculum adducimus. *in Simil.*

In Campania vites populos amplexæ, ipsa æquabāt cacumina, adeo vt vindemiator rogum, ac tumulum exciperet: ita qui in arduis versantur negocijs, periculi meminisse debent. *ibid.*

Thrasea. Qui periculorum quasi ineuitabilium difficultatem in hoc mundo culpat: Deum cum malo duce comparat, qui militis delectatur discrimine, aut exercitū in præcipitio collocat. *In apop. 50.*

Adagia.

De alieno ludis corio. *Apuleius.*

Prouerbio dicuntur, qui securius agunt, sed alieno periculo. vt apud Plautum, de meo tergo degitur corium. Von eines andern Leder ist gut Riemen schneiden.

Non est meum negocium: multũ valeat. οὐκ ἐστ' ἐμὸν τὸ πρᾶγμα, πολλὰ χαιρέτω.
Quoties negabimus nos laborare de re, quæ nihil ad nos pertineat.
Alienam metis messem. ἀλλότριον ἀμᾷς θέρος. *Aristoph.*
In hos, qui negocium non suum parum diligenter curant.
Innocuus alium aspiciam, meum habentem malum. ἐξάντης βλέψω ἐμὸν κακὸν ἄλλον ἔχοντα.
Hoc est, ex alterum malis ipse rebus meis consulam. Feliciter sapit, qui alieno periculo sapit.

F A B V L A.

Ictus ab apibus.

Quem apes spoliantem aluearia confixerant aculeis suis, quærentẽ & gementem alius audiens: cum illo, inquit, hoc tibi habendum fuit. Imo vero, inquit iste, hoc cum illo carendum potius.
Docet fabula, prudenter facere eos, qui ob non magnam voluptatem, magnum periculum adire, aut dolorem perferre nolint.

Vide supra, Discrimen, Fortitudo.

P E R I V R I V M.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Periurium, Græce ἐπιορκία ας, ἡ, & ἐπίορκος, ὁ, ὁ, periurus dicitur. Est autem periurium falsa iuratio, *secundum Hostien.*
Periurium est mendacium, iuramento firmatum, *secundum B. Thom. 4. dist. 39. q. 4.*
Periurium venit a peiero, quod est iuramentum infringo, vnde peierator, peieratrix, peieratio, deducuntur. Peiero autem ex per & iuro componitur, sicuti & coniuro, coniuratio, & adiuratio. Deierare est sancte & vehementer iurare, à quo deierator, deieratrix, & deieratio descendunt.
Periurium est, non quod quis ore linguave protulit, sed quod mente iurata concepit, & animo. *Arist. 1. Rhet. c. vlt.* Item Cicero 3. de Officijs docet, cum iusiurandum sit religiosa affirmatio, Regulum non debuisse conditiones, pactionesque bellicas, & hostiles perturbare periurio.
Periurium, Hebr. *Alah*, ab eodem verbo *Alah*, deierauit, obstrinxit se iuramento ad aliquid cum imprecatione mali, perditioni se obstrinxit, deierando imprecatus est sibi vel alij, vt pereat, & in nihilum redigatur, si fefellerit. Ideo cognationem habet cũ *Elil*, nihilum, & *Ialal*, vlulauit: rem enim annihilatam, & perditam sequitur vlulatus. Alludit quoque ad Dei nomen, *Eloha*. nam deierationes iiræ, imprecationes, & periuria cum horrenda nominis diuini profanatione fiunt, vt plurimum. Hinc ὀλλύω, & ὄλλω, ὄλλυμι, pereo, perdo.
Periurium prohibetur, *Exod. 20. 7. Leuit. 19. 12. Deut. 5. 11. Matth. 5. 3.* periurij & falsi crimẽ. *Exod. 8. v. 8. 15. 28. Leu. 5. 4. 1. Sam. 19. 6. 1. Reg. 8. 31. Ier. 7. 9. Zach. 5. 3. Malac. 3. 5. 1. Mach. 6. 62. & 7. v. 15. 18. & 11. 52. v. 17. 19. 2. Mach. 4. 34. & 12. 3. Matth. 26. 72. 1. Tim. 1. 10.* periurij pœna, *Malach. 3. 5.*

P A T R V M S E N T E N T I Æ.

Ille qui hominem prouocat ad iurationem, & scit eum falsum iuraturum esse, vincit homicidam: quia homicida corpus occisurus est, ille animam, imo duas animas, & eius animam quem iurare prouocauit, & suam. Scis verum esse, quod dicis, & falsum, quod ille dicit, & iurare compellis, ecce iurat, ecce peierat: tu quid inuenisti? imo & tu perijsti, qui de illius morte satiari voluisti. *August. in decollatione Ioannis Baptistæ, & hab. 22. q. 5. Ille qui.*
Quacumque arte verborum quis iuret, Deus tamen, qui conscientiæ testis est, ita hoc accipit, sicut ille, cui iuratur, intelligit. Dupliciter autem reus fit: quia & nomen Dei in vanum assumit, & proximum dolo capit. *Isidorus lib. 2. Sententiarum, & habet. 22. q. 5. Quacumque.*

P O E T I C A E S E N T E N T I Æ.

Chærillus in Perseide.

Ὅρκον δ' οὔτ' ἀδικον χρεὼν ἐμμεναι οὔτ' δίκαιον,
Οὐκ ἀνδρὸς ὅρκοι πίστις, ἀλλ' ὅρκων ἀνήρ.
Iusiurandum nec iniustum, nec iustum vsurpandum est,
Iuramenta non fidem adferunt viro, sed vir iuramentis.

Amphis.

Ὅστις γὰρ ὀμνύντι μηδὲν πείθεται,
Αὐτὸς ἐπιορκεῖν ῥᾳδίως ἐπίσταται.
Quisquis enim iuranti nihil credit,
Illemet facile peierare scit.

Antiphanes.

Δέσποιν', ὅταν τις ὀμνύοντος καταφρονῇ,
Ὁ μὴ συνειδὼς πρότερον ἐπιορκηκότι,
Οὗτος καταφρονεῖν τῶν θεῶν ἐμοὶ δοκεῖ,
Καὶ πρότερον ὀμόσας αὐτὸς ἐπιορκηκέναι.
Hera, cum aliquis contemnit iurantem,
Qui antea numquam commissi periurij non est conscius,
Tum ille mihi deos ipsos contemnere videtur,
Ac prius aliquando iurans ipsemet peierasse.

Sophocles in Hippodamia.

Ὅρκου δὲ προστεθέντος ἐπιμελεστέρα
Ψυχὴ κατέστη. δισσὰ γὰρ φυλάσσεται,
Φίλοις τε μέμψιν κεἰς θεοὺς ἁμαρτάνειν.
Apposito iureiurando cautior, & diligentior
Animus fit: à duobus enim sibi tum cauet.
Et ne lædat amicos, & ne peccet in deos.

Alexis in Olynthijs.

Οὐ τοῖς γὰρ ὅρκοις τὸν φρονοῦντα δεῖ,
Τοῖς πράγμασι δ' αὐτοῖσι πιστεύειν ἀεί.
Sapientem non oportet iurantibus,
Sed ipsis rebus semper habere fidem.

Euripides.

Συγγνώμονας μοι τοὺς θεοὺς εἶναι δοκεῖ,
Ἐάν τις ὅρκοις θάνατον ἐκφυγεῖν θέλῃ,
Ἢ δεσμὸν ἢ βίαια πολεμίων κακά.
Facilies mihi ad veniam dandam Dij videntur,
Si quis iurando mortem effugere cupiat,
Aut vincula, aut malam hostium violentiam.

Antiphanes.

Ὅστις δ' ὅρκον τῷ πονηρῷ μαίνεται.
Τοὐναντίον γὰρ νῦν ποιοῦσιν οἱ θεοί.
Ἐὰν ἐπιορκήσῃ τις, αὐτὸς ἀθῷος
Ὁ δοὺς τὸν ὅρκον ἐγένετ' ἐμβρόντητος,
Οἴεται δικαίως, ὅτι πιστεύει τινί.
Qui iuramentum à malo viro postulat, insanit.
Contrarium enim nunc Dij faciunt.
Nam si quis peierat, continuo
Ille qui postulauit iuramentum fit attonitus
Merito nimirum, quia credidit improbo viro.

Diphilus.

Ὅρκος δ' ἑταίρας ταυτὸ καὶ δημηγόρου.
Ἑκάτερος αὐτῶν ὀμνύει πρὸς ὃν λαλεῖ.
Idem est iuramentum meretricis, & popularem captantis auram,
Vterque enim iurat apud illum, quicum loquitur.

Hesiodus in Theogonia.

Ὅρκον θ', ὃς δὴ πλεῖστον ἐπιχθονίους ἀνθρώπους
Πημαίνει, ὅτε κέν τις ἑκὼν ἐπίορκον ὀμόσσῃ.
Et iusiurandum, quod quidem plurimum terrestres homines
Lædit, si quis ipsorum sponte peierauerit.

Euripides.

Οὐ γὰρ ἀσύνετον
Τὸ θεῖον, ἀλλ' ἔχει συνιέναι τοὺς κακῶς
Παγέντας ὅρκους καὶ κατηναγκασμένους.
Non enim intellectu caret
Numen, sed potest intelligere quænam sint male
Facta iuramenta, & necessitate coacta.

Hesiodus.

Ὃς δέ κε μαρτυρίῃσιν ἑκὼν ἐπίορκον ὀμόσσας
Ψεύσεται, ἐν δὲ δίκην βλάψας νήκεστον ἀασθῇ,
Τοῦ δέ τ' ἀμαυροτέρη γενεὴ μετόπισθε λέλειπται.
Ἀνδρὸς δ' εὐόρκου γενεὴ μετόπισθεν ἀμείνων.
Qui testimonijs sponte iusiurandum iurans
Mentietur, in eoque iustitiam lædens, immedicabiliter læsus est,
Huius obscurior proles in futurum relinquetur.
Viri autem vere iurantis proles in futurum melior.

Menander.

Θεὸν ἐπιορκῶν μὴ δόκει λεληθέναι.
Deum peierans ne putes latere.

Ouid. epist. 19.

Vt valeant aliæ ferrum patiuntur, & ignes;
Fert alijs tristem succus amarus opem.
Nil opus est istis, tantum periuria vita,
Teque simul serua, meque datamque fidem.

Tibullus 1. 9.

Ah miser, & si quis primo periuria celat,
Sera tamen tacitis pœna venit pedibus.

Claud. In Curetium.

In prolem dilatarunt periuria patris,
Et pœnam merito filius ore luit, &c.
Et quas fallacis collegit lingua parentis,
Has eadem nati lingua refudit opes.

Iuuen.

Iuuen. 13.

Sunt qui in fortunæ iam casibus omnia ponant,
Et nullo credant mundum rectore moueri,
Natura voluente vices, & lucis, & anni,
Atque ideo intrepidi quæcunque altaria tangunt.

Ὅρκους οἱ κακοὶ ποιοῦνται ἐν ἀνάγκῃσιν ἐόντες, οὐ τηρέουσιν. Οἱ φλαῦροι, ὅταν διαφύγωσιν.

Iuramenta, quæ iurant adacti necessitate, non seruant mali homines, postquam periculum euaserint. *Democritus.*

Δεῖ φίλοις καὶ τοῖς οἰκειοτάτοις βοηθεῖν, ἄχρι τοῦ μὴ ἐπιορκεῖν.

Eatenus amicis, & familiaribus auxiliandum est, quatenus periuriũ non admittitur.

Οἱ πολλοὶ τῶν ἀνθρώπων, τὸ εὐόρκους εἶναι αὐτοῖς παραινοῦσιν. ἐγὼ δὲ τὸ ἀρχὴν μηδ' ὀμνύναι ῥᾳδίως ἀνδρὸς εὐσεβοῦς ἡγοῦμαι.

Multi homines adhortantur, vt in iurando probi sint, & fideles: ego vero, ne principio quidem facile iurare, religiosi viri officiũ existimo. *Eusebius.*

Ὅρκον ἐπακτὸν προσδέχου διὰ δύο προφάσεις, ἢ σαυτὸν αἰτίας αἰσχρᾶς ἀπολύων ἢ φίλους ἐκ μεγάλων κινδύνων διασώζων. ἕνεκα δὲ χρημάτων μηδένα θεὸν ὀμόσῃς, μηδ' ἂν εὐορκεῖν μέλλῃς. δόξεις γὰρ τοῖς μὲν ἐπιορκεῖν, τοῖς δὲ φιλοχρήματος εἶναι.

Sacramentum oblatum tibi duabus de causis iurato, vel vt teipsum turpi suspicione liberes, vel vt amicos ex magnis periculis eripias. Pecuniarum vero gratia, & si vera dicturus sis, nullum Deũ iuraueris: sin minus, alijs periurus, alijs auarus videberis. *Isocrates ad Demonicum.*

Aio vnumquemque, qui voluntatem peierandi habere videtur, aut qui peierat verbis, etiam factum, quod comitatur periurium non contingat, siue per fortunam aliquam, siue quod noluerit ille, cuius erat postulare: nihilo secius periurum esse animo, & nõ minus meritum esse pœnam periuris præscriptam, quam ille qui ipsa re peierauit. *Ensiminus Ionicus.*

Fraude periurium astringitur, non soluitur. *Cic. lib. 3. Offic.*

Periurij pœna diuina exitium, humana dedecus. *Idem lib. 2. de Legibus.*

Dij sunt periuriorum vindices. *In Iustin. hist. lib. 4.*

Commissa periurio fraus in nepotes redundat. *Pausan. lib. 2.*

Periurium ad Dei contemptum refertur. *Niceph. Greg.*

Difficile est periurum hominem Deum latere. *Polyb. lib. 4.*

Qui iureiurando fallit hostem, hunc se metuere, Deum vero contemnere, fatetur. *Plut. in Lysandro.*

Similitudines.

Syracida. Iurationi non assuefaciat os tuum, & nominationi sancti non assuescas. Sicut enim seruus qui scrutatur assidue à vibice non minuetur: Sic iurans & nominans semper, non purgabitur à peccato. Vir multum iurans implebitur iniquitate, & non discedet a domo illius flagellum. *Eccl.* 23.

Chrysostom. Qui facit consuetudinem frequenter manu sua percutere, necesse est vt aliquando & inualide percutiat: Sic qui facit cõsuetudinem iurare in rebus idoneis, frequenter & in rebus superfluis etiam nolens, consuetudine trahente, periurat. *In c. 5. Matth.*

Numquid qui ignem portat, vnde conflatur incendium, alienus est ab illo incendio: aut qui gladium porrigit, vnde homicidium cõmittitur, nonne est socius homicidij illius? Sic & qui occasionẽ periurij præstat, collega fit periurij eius. *ibid.*

Ciromantij. Sicut seruus flagellatus assidue, à liuore non minuitur: Sic omnis iurans, & negocians, à peccato non purgabitur. *In 5. Matth. fol. 426.*

Historica Exempla.

Glaucus Delphos se contulit ad oraculum petendum: vtrum iureiurando pecuniam deprædaretur, ibi Pythia respõdit his versibus,

Γλαῦκ' Ἐπικυδείδη, τὸ μὲν αὐτίκα κέρδιον, οὕτω
Ὅρκῳ νικῆσαι, καὶ χρήματα ληΐσσασθαι.
Ὄμνυ', ἐπεὶ θάνατος γε καὶ εὔορκον μένει ἄνδρα.
Ἀλλ' ὅρκου πάϊς ἐστὶν ἀνώνυμος, οὐδ' ἔπι χεῖρες,
Οὐδὲ πόδες· κραιπνὸς δὲ μετέρχεται, εἰσόκε πᾶσαν
Συμμάρψας ὀλέσῃ γενεὴν καὶ οἶκον ἅπαντα.
Ἀνδρὸς δ' εὐόρκου γενεὴ μετόπισθεν ἀμείνων.

Glauce Epicydides equidem expedit ad breue tempus
Iurando superesse, interuertißeque nummos.
Deiura, & Euorcum quoniam manet exitus idem,
At Horci natus sine nomine, qui manibus, qui
Nullus est pedibus, rapide aduenit vsque adeo, dum
Corripiens omnem perdet prolemque domumque.
Cum sobole Euorci melius, sed postea agetur.

His auditis Glaucus veniam sibi eorum, quæ dixisset, vt daret, Deũ obsecrabat. Cui Pythia, inquit, idem pollere, tentare Deum, & facere. Glaucus deinde, accitis Milesijs hospitibus, pecunias reddidit, sed eius soboles, & familia ex Sparta radicitus extirpata sunt. Bonum est ergo nihil aliud de deposito cogitare, quam vt repetentibus reddatur.

Vide tit. Adiuratio, Iuramentum.

Polyanthea Noua.

Persecutio.

Definitio et Etymolog.

Persecutio, persecutionis, à verbo persequor, id est, ad extremũ vsque sequor, παρακολουθεῖν, & quando insectationem, vindictæ & excidij executionem denotat. Græci efferunt id verbo ἐκδιώκειν, διώκειν. Hebræis *Radaph.* Sectatus est, insequutus est, prosequutus est, insectatus est, verbum est medium.

Loci Biblici.

Persecutiones ex Dei ignoratione, *Ioan.* 16. 3. à Satana excitantur, 8. 44. *Apoc.* 2. 9. & 12. 13. 17. persecutionum vtilitas, *Act.* 8. 4. & 11. 20. Persecutionis magnæ exemplum in Ecclesia Ierosolymitana, *Act.* 8. 1. Persecutiones internæ interdum sunt: *Exemplum* in Isaac, *Gen.* 21. 9. *Gal.* 4. 29. Persecutionis piorum *Exempla:* Cain persecutus est Abelem, *Genes.* 4. 8. Tyranni Lothum in captiuitatem abductum, 14. 12. Ismael Isaacum, 21. 9. *Gal.* 4. 29. Esau Iacobum *Genes.* 27. v. 42. 43. Aegyptij Israelitas, *Exod.* 14. 8. *Deuter.* 26. 6. Saul Dauidem, 1. *Sam.* 23. *ver.* 14. 15. 10 & 24. *vers.* 1. 2. 3. &c. 25. 1. & 26. *vers.* 1. 2. &c. Absalom Dauidem, 2. *Sam* 15. 14. & 17. 21. Izabel Eliam, 1. *Reg.* 19. v. 1. 2. &c. Achab Michæam, 22 *vers.* 26 27. Amã Iudæos, *Esth.* 1. v. 8. 9. 10. Sennacherib Tobiam, *Tob.* 1. *vers.* 22. 23. Persecutionis piorum verbi diuini Ministrorum, & aliorum fidelium, *Ierem.* 37. 15. & 38. v. 4. 5. 6. Tribus iuuenibus idolum erectũ adorare detrectantibus, *Dan.* 3. v. 16. 17. &c. Danielis, *Dan.* 6. 16. & 24. 32. Iudæis quos Antiochus persequitur, 1. *Mach.* 1. v. 23. 33. & 6. 32 2 *Mach.* 5. 16. &c.

Christo quam multiplex excepit, & vexauit persecutio: *Primum* enim simul ac in lucem editur, fit exul, *Matth.* 2. 14. *Deinde* Satan immediate eum adoritur, idque insidijs, *Matth.* 4. v. 1. 2. &c. *Tertio.* Sacerdotes summi, atque infimi, Scribæ, Pharisæi eorum Ministri, Seniores populi, ac reliqua turba superiorum exempla secuta, interitum Christo minantur, *Matth.* 12. v. 14. & *alibi passim. Quarto.* Herodes Galilææ Tetrarcha, & Baptistæ carnifex cum suis ministris tendit Christo insidias, *Luca.* 13. 31. *Quinto.* Iudas Iscariotes, *Matth.* 26. 47. *Sexto.* Magistratus politicus ex vrbe Romana in Iudæam missus, *Matth.* 27. v. 1. 2. &c. *Marc.* 15. *vers.* 1. 2. &c. *Luca* 22. 66. & 23. 1. *Ioan.* 18. v. 28. 29. &c. *Septimo.* Milites & turba, *vt historia passionis Christi abunde declarat.*

Herodes persequitur, & necat pueros bimulos, *Matth.* 2. 16. Herodes Agrippa Ioãnem Baptistam, 14. 10. Pharisæi Lazarum, 12. 10. Gubernatores politici, & Ecclesiastici primitiuam, & nouellam Apostolorum Ecclesiam, *Actor.* 4. 3. &c. 5. *vers.* 18. 19. &c. Synagogici falsi testes, & concilium Stephanum, 6. *vers.* 12. 13. 14. & 7. v. 1. 2. &c. Persecutio in Ierosolymitana Ecclesia, 8. Saulus persequitur Christianos, *ibid.* &c. Iudæi Paulum a fide in Christi conuersum, 9. 23. Herodes Iacobum, 12. 2. *vers.* 12. Petrum, *versic.* 3. 4. Iudæi Paulum & Barnabam, 13. 50. Philippensis magistratus, & totus populus, 16. *vers.* 22. 23. Demetrius Paulum, Gaium, Aristarchum, Alexandrum, *Actor.* 19. v. 21. &c. Denique tota Actorum Apostolicorũ historia plena est persecutionis Pauli. Inter alios autem Pauli persecutores non postremus fuit Nero, quem Leonem appellat, 2. *Timoth.* 4. 17. Alexander faber ærarius, cuius etiã meminit, *versic.* 14.

Sententiæ Biblicæ.

Persecutio toleranda patienter propter Deum.

Cauete autem ab hominibus. Tradent enim vos in concilijs. & in synagogis suis flagellabunt vos, & ad Præsides, & reges ducemini, in testimonium illis, & gentibus. *Matth.* 10.

Sed ante hæc omnia inijcient vobis manus suas. *Luc.* 21.

Et eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum.

Sed quemadmodum tunc is, qui secũdum carnem natus fuerat persequebatur eum, qui secundum spiritum: ita & nunc. *Galat.* 4.

Et omnes qui pie volunt viuere in Christo Iesu, persecutionem patientur. 2. *Tim.* 3.

Et nunc, ecce ego alligatus spiritu, vado in Hierusalem. Sed nihil horum vereor, nec facio animam meam pretiosiorem, quã me, dummodo consummem cursum meum, & ministerium verbi, quod accepi à Domino Iesu. *Act.* 20.

Nemo autem vestrum patiatur, vt homicida, aut vt fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor: Si autem vt Christianus, non erubescat, glorificet autem Deum in isto nomine. 1. *Pet.* 4.

Gaudentes propter meritum.

Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam: quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati estis cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos mentientes propter me. Gaudete & exultate quoniam merces vestra copiosa est in cœlis, *Matth.* 5.

Si enim perſecuti ſunt prophetas, qui fuerunt ante vos. *ibid.*

Perſecutionem patimur, & ſuſtinemus. 1. *Cor.* 4.

Perſecutionem patimur, ſed non derelinquimur. 2. *Cor.* 4.

Id enim quod in præſenti eſt momentaneum, & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum, in ſublimitate æternum gloriæ pōdus operatur in nobis, non contemplantibus nobis, quæ vidētur, ſed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia ſunt, quæ autem non videntur, æterna. *ibid.*

Et in nullo terreamini ab aduerſarijs, quæ illis eſt cauſa perditionis, vobis autem ſalutis, & hoc à Deo. Quia vobis donatum eſt pro Chriſto non ſolum vt in eum credatis, ſed vt etiam pro illo patiamini. *Phil.* 1.

Et illi quidem ibant gaudentes a conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati. *Act.* 5.

Exhortanteſque vt permanerent in fide, & quoniam permultas tribulationes oportet nos intrare regnum Dei. 14.

Chariſſimi, nolite peregrinari in feruore, qui ad tentationem vobis fit, quaſi noui aliquid vobis cōtingat: ſed communicantes Chriſti paſſionibus gaudete, vt & in reuelatione eius gaudeatis exultantes. Si exprobramini in nomine Chriſti, beati eritis: quoniam quod eſt honoris, gloriæ, & virtutis Dei, & qui eſt eius Spiritus, ſuper vos requieſcet. 1. *Pet.* 4.

Deus autem omnis gratiæ, qui vocauit vos in æternam ſuam gloriā in Chriſto Ieſu modicum paſſos, ipſe perficiet, confirmabit conſolidabitque. 5.

Hi qui amicti ſunt ſtolis albis, qui ſunt? & vnde venerunt? Et dixit mihi: Hi ſunt qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt ſtolas ſuas, & dealbauerunt eas in ſanguine Agni. *Apoc* 8.

Qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei. *Zach.* 7.

Si tamen iuſtum eſt apud Deum retribuere retributionem ijs, qui vos tribulant, & vobis qui tribulamini requiem. 2 *Theſſ.* 1.

Itaque & hi, qui patiuntur ſecundum voluntatem Dei, fideli creatori commendent animas ſuas in benefactis. 1. *Pet.* 4.

Et cum aperuiſſet ſigillum quintum, vidi ſubtus altare animas interfectorum propter verbum Dei, & propter teſtimoniū, quod habebant. Et clamabant voce magna, dicentes: Vſquequo Domine, ſanctus & verus, non iudicas, & non vindicas ſanguinem noſtrum de his, qui habitant in terra? Et datæ ſunt illis ſingulæ ſtolæ albæ, & dictum eſt illis, vt requieſcerent adhuc tempus modicū, donec compleantur conſerui eorum, & fratres eorum qui interficiendi ſunt, ſicut & illi. *Apoc.* 6.

POETICÆ SENTENTIAE.

Antholog. Sacr. Iac. Billij.

Piorum perſecutio.

Quod plerumque mali in ſanctos ſæuire ſinuntur:
Quodque bonis praui ſæpe nocere queunt:
Abſque Dei nutu non eſt, qui corda ſuorum
Hic etiam bellis glorificanda probat.
Creſcunt virtutum palmæ, creſcuntque coronæ,
Mutantur mundi prælia pace Dei.

SIMILITVDINES.

D. Chryſoſtomi. Sicut qui ignem obligat in veſtimento quidem non extinguit, veſtem autem comburit: Ita etiam qui in virtute poſitos perſequebantur, comprehendebant, ac ſæpius colligabant: illos quidem ex his omnibus reddebant clariores, ſe autem omnino prodebant. *Homil.* 25. *Matth.*

Sicut in vernali flatu arbores laxantur in folia, & fructus: Sic perſequutionibus excitantur animæ ad virtutem. *In Matth.* 24. *homilia* 49.

Sicut tempeſtas ſuſcitat nubila, nubila autem cooperiunt ſolem: Sic impiorum perſequutio ſuſcitabit tranſgreſſionem, tranſgreſſio autem Chriſtianitatis obſcurabit candorem. *In* 24. *Matth. homil.* 49.

Sicut tubicina commiſſo bello pugnantem exercitum circuit, & bellicos cantus in tuba decantans milites animat ad virtutem: Sic & ſacerdos perſequutione imminente exponens, in populo fortiſſimorum martyrum glorioſa pericula, & inenarrabiles regni cœleſtis coronas vincentibus præparatas. *In* 24. *Matth. hom.* 51.

Durum eſt contra ſtimulum calcitrare: quia non ſtimulum retundes, ſed pedes recalcitrans lædis vulneribus. Neque fluctus qui ſaxo illiduntur, amplius aliquid proficient, quam vt ſemetipſos fracti diſſoluant, & in ſpumas extenuati depereant. Qui iuſtum hominem impugnare velit, tale eſt, ac ſi cœlo bellum meditetur. *homil. de Spiritu ſancto.*

Tamquam ſi [illegible] influens remiſſio animam tollit (nam omnium perſecutionem hoc grauiſſimum) & quod æſtas eſt, & hiems, hoc eſt perſecutio, & remiſſio. Vt autem vobis oſtendam, quod remiſſio peior eſt perſecutione, audi. Somnum enim infundit animæ, multum hiatum, & teporem, vndique vitia ſuſcitat: nam inuidiam, voluptates, &c. Sed in perſecutione nihil horum vexare ſolet: ſed timor ingreſſus, tamquam flagello quodam, latrantem canem acriter percutiens, has omnes peſtes ne clamare quidem permittit. Tunc eſt perſecutio, vitijs, tamquam feris, non vrgentibus, *homil.* 40. *de pœnitentia.*

D. Auguſtini. Sicut oliua & vua, priuſquam ad vſum valeant humanum, premi debent in torculari: Ita debet homo perſequutionē pati, priuſquam idoneus ſit ad regnum cœlorum. *lib.* 50. *homil. ſerm.* 8.

Hilarij. Quæ ſit ſerpentis prudentia, contuendum eſt. Neſcio quid in illo prudentiæ conſilijque extet, licet quædam hinc aliqui memoriæ mandauerint, quod vbi ſe in manus hominum veniſſe intelligat, omni genere abiectu caput ſubtrahat, idque aut collecto in orbem corpore contegat, aut foueæ immergat, cædique partē reliquam derelinquat: Noſque hoc exemplo oportere, ſi quid acciderit perſecutionum, caput noſtrum quod eſt Chriſtus, occulere: vt ablatis nobis in omnes cruciatus, fidem ab eo arceſſitam iactura corporis communiamus. *In Matth.*

Saluiani epiſcopi. Sane & ſi de cæteris, quas dicit virtutibus Apoſtolicis nihil facimus, in hoc tamen vno, vbi Apoſtolus ter naufragaſſe ſe dicit, etiam vincere poſſumus. Non enim ter tantummodo naufragauimus, quorum pene omnis vita naufragium eſt. In tantum quippe vitioſe ab omnibus viuitur, vt prope nullus Chriſtianorum ſit, qui non iugiter naufragare videatur. Sed dicit fortaſſe aliquis, non id eſſe nunc temporis, vt pro Chriſto perferamus, quæ tunc Apoſtoli pertulerunt. Verum eſt: non enim ſunt principes pagani, non tyranni perſecutores, non ſanguis ſanctorū funditur, nec fides ſupplicijs comprobatur. *De vero iudicio, & prouidentia Dei, lib.* 3 *fol.* 14.

Lactantij. Quomodo poteſt imperator militum ſuorum probare virtutem, niſi habuerit hoſtem? Et illi tamen aduerſarius exurgit inuito, quia mortalis eſt, & vinci poteſt. Deo autem, quia repugnari non poteſt, ipſe aduerſarios nomini ſuo excitat: non qui contra ipſum Deum pugnent, ſed contra milites eius, vt deuotionem, ac fidem ſuorum, vel probet, vel corroboret, donec preſſuræ verberibus defluentem corrigat diſciplinam. *lib.* 5. *cap.* 23. *de iuſtitia.*

Antonij abbatis. Vere fratres ſcitis, quod tempore ventorum proſperitatis, omnis gubernator plaudit ſibi: in contraria vero quaque ventorum, omnis gubernator manifeſtatur. Intelligite ergo tempus in quod aduenimus, quale ſit. *Epiſt.* 6.

Thriuerì. Vbi corpus, ibi aquilæ: Et ſemper imminet perſecutio Eccleſiæ. *In apoph.* 91.

EXEMPLA SACRA.

Perſecutorum Eccleſiæ Dei, & piorum eius ciuium pœnæ *exemplar.* Pharao, quem decem plagis afflixit Dominus, *Exodi* 7. *v.* 19. & 8. 1. *&c.* 9. 17. & 10. 4. tandem vero ſubmerſus in mari cum omni exercitu, 14. 28. Achab, 2. *Paral.* 18. *v.* 34. 38. *iuxta illud.* 1. *Reg.* 21. *v.* 21. 2. *Reg.* 6. *v* 7. Iezabel, 9. *v.* 33. 36 Aman, *Eſth.* 7. 10. Sennacherib, 2. *Reg.* 19. *v.* 35. 37. Nicanor, 1. *Mach.* 7. 47. Hoſtes Danielis, & ſociorum eius, *Dan.* 3. 22. & 6. 24. Ioachim, *Ier.* 36. *v.* 29. 30. *&c.* Ammonitæ, 49. *v.* 1. 2. *&c.* Chaldæi, *v.* 9. 10. 17. 18. 19. & 51. *v.* 20. 21. Montis Seir & Idumæorum deſtructio, quod populum Dei afflixerint, *Ezechiel.* 35. *v.* 3. 4 5. Edom, *Amos* 11. *Abd. v.* 18. Aegyptus, *Ioel.* 3. 19. Hoſtes Eccleſiæ, *Soph.* 3. *v.* 19 *Baruch* 4. *v.* 3. 32. Hoſtes Dauidis, *Pſalm.* 57. *verſ.* 4. 7. & 79. *v.* 10. 11. Antiochus, 2. *Machab.* 9. 28. Herodes Aſcalonita Chriſtum occidere tentans, pluri moſque pueros neci tradens, *Matth.* 2. 26. propter tyrannidem grauiter punitur à Deo, *vt legere eſt apud Ioſephum lib.* 17. *Antiq. Iudaic. c.* 7. *item lib.* 1. *de Bello Iudaico, c.* 21. Herodes Antipas præſtantiſſimum virum, ac peculiarem Meſſiæ præconem præter fas & æquum, capite truncans, & ipſi Chriſto inſidias tendens, *Matth.* 14. 10. in perpetuum exilium Lugdunum in Galliam relegatur. *teſte eodem Ioſepho lib.* 18. *Antiq. c.* 9. & *Euſebio lib.* 2. *c.* 4. Pontius Pilatus Chriſtum innocentem in gratiam Iudæorum condemnās, & alia multa in Iudæos tyrannice faciens, tamdem multis coactus angoribus, manus ſibi conſciuit, *vt Ioſephus lib.* 18. *Antiq. c.* 5. & *Eutropius lib.* 7. *narrant.* Herodes Agrippa fratrem Ioannis gladio feriens, iuſto Dei iudicio horribili morte perijt. *Act.* 12. *v.* 2. 22. 23. *legatur prolixius illa hiſtoria apud Ioſephum l.* 19. *Antiq. c.* 7. De Neronis quoque exitu quem Paulus Leonem vocat, 2. *Tim.* 4. *v.* 17. ſcribit Eutropius *lib.* 8. Senatus ſententia conſtitutum fuiſſe vt nudus per publicum ductus, furca collo eius inſerta, virgis vſque ad mortem cæderetur, atque ita è ſaxo præcipitaretur. Quā ſententiam etſi euaſit, tamen violentas ſibi inferre manus tamdem coactus eſt.

Domitianus perſecutor Ioannis Euangeliſtæ, non ſine ſanguine occubuit: nam in cubiculo à ſuis proprijs miniſtris, conſcia etiam vxore Domitia, multis vulneribus trucidatus eſt. Senatus autem Romanus cadauer eius populari ſandapila per Veſpillones contumelioſe more gladiatoris efferri iuſſit, *teſte Suetonio & Eutro.*

& Eutropio. Alij Imperatores Rom. Reges, principes & primarij viri, qui ab Apostolorum sæculo vsque ad nostrum Christi Ecclesiam afflixerunt, horrendis modis excisi sunt: vt historiæ, quam plurimæ Luculenter testantur.

Vide tit. de Afflictione, Cruce. & Tribulatione.

PERSEVERANTIA.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Perseuerantia, Græce καρτερία & ὑπομονή ... perseuero dicitur. Est autem perseuerantia in ratione bene instituta stabilis, & perpetua permansio, *secundum Ciceronem in Rhetor. & secundum Andronicum. ac B. Thom. 2.2.q.128. cap.*

Perseuerantia est virtus specialis, habens speciale obiectum, scilicet opus laboriosum, vt tolerabile diuturnitatis, *secundum eundem, 2.2.q.122. art. 1.*

Perseuerantia quid a fortitudine differat, Vide supra in Fortitudo.

Perseuerantiæ extrema sunt pertinacia, & leuitas: perseuerantia dicitur, a perseuero verbo.

Perseuerantia ab Hebræis voce fluit desumpta à verbo *Taradh*, id est, Continuus fuit, perseuerauit, nunquam desijt, vt stilla stillam sequitur: occupatus indesinenter, & sollicitus fuit, quæ omnia perseuerantiam denotant.

Perseuerantia Christiana, & salutaris, est in vera agnitione Dei, & viua fide in Christum constanter, & perpetuo vsque ad extremū vitæ spiritum permanere.

Est autem perseuerare cum quadam constantia, & quasi pertinacia perdurare. Dicunturque hæc à *seuerus*, quod aliquando significat grauem, & censorium, quasi semper verus, vel sequens verum & nulla gratia, nullis illecebris mutabilis. Virgil. *Curibusque seueris.* aliquando asperum. Idem, *Montemque seuerum:* Interdum sæuum, & vitabilem. Idem, *Amnemque seuerum Eumenidum* Nonnumquā tristem, & anxium. Vnde seueritas, hoc est, grauitas, constantia, asperitas, tristitia. Hinc asseuero verbum, quod est cum quadam vi ac motu animi, quasi cum seueritate aliquid affirmo: hinc asseueratio deriuatur. Quintilianus, *Altera ex asseueratione probatio est.*

LOCI BIBLICI.

Perseuerantia, *Gen. 19. v. 16. 17. Iob 2. 3. Prou. 3. 31. & 23. 17. Ezech. 18. v. 24. & 33. v. 13. Eccles. 2. v. 2. & 11. v. 11. & 35. v. 9. Matth. 10. ver. 22. & 15. v. 22. & 24. v. 13. Luc. 9. v. 54. Io. 6. v. 62. Actor. 2. ver. 42. & 11. v. 23. & 12. v. 43. & 14. v. 21. Hebr. 3. v. 1. 2. Pet. 2. v. 20. 1. Ioan. 2. v. 24. Apoc. 2. v. 16.* Perseuerantia Dei donum, *Act. 14. v. 23. 1. Cor. 1. v. 8. Ephes. 3. v. 13. & 6. v. 10. Phil. 1. v. 6. & 2. 13. 1. Thess. 5. v. 24. 2. Thess. 1. v. 21. Hebr. 13. v. 20. 21. 1. Pet. 5. v. 10. 1. Ioan. 3. v. 9.*

Perseuerantia cuique sua certa constare debet, *Psalm. 138. v. 7. Rom. 8. v. 38. 39. 1. Cor. 1. v. 9. & 15. v. 58. 1. Pet. 1. v. 3. 4. & 5. v. 12. 1. Ioan. 2. v. 19.* Perseuerantia in Sanctis necessaria est, *Matth. 10. ver. 12. & 24. v. 10. Marc. 13. v. 13. Luc. 22. v. 18. Rom. 2. v. 7. & 11. v. 22. Galat. 5. v. 1. Ephes. 4. v. 14. & 6. v. 18. Philip. 2. v. 16. & 3. v. 13. & 4. v. 1. Coloss. 1. v. 23. & 2. v. 5. 1. Thess. 1. v. 3. 10. & 2. v. 8. 1. Thess. 3. v. 13. 1. Timoth. 2. v. 15. 2. Timot. 2. v. 5. 10. & 3. v. 14. Hebr. 3. v. 6. 14. & 4. vers. 14. & 6. v. 11. 15. & 10. v. 23. Iacob. 1. v. 4. 2. Pet. 3. v. 18. 1. Ioan. 2. vers. 24. 2. Ioan. 2. v. 9. Apoc. 2. v. 10.*

Perseuerantia in precibus commendatur, *Eccles. 7. v. 9. Luca 11. ver. 5. 8. 9. & 18. v. 1. & 21. v. 19. Matth. 10. v. 22. Marci 13. v. 13. Rom. 12. v. 12. Ephes. 6. v. 18. 1. Thess. 5. v. 17. 2. Thess. 3. 1. Coloss. 4. v. 2. 3. 1. Petr. 4. v. 7. & 5. v. 9. Iuda v. 20.* Perseuerantiæ in precibus *Exempla:* Elias, *1. Reg. 18. v. 41.* Dauid, *Psalm. 77. 3. & 88. v. 2. 10.* Vidua, *Luc. 18. ver. 3.* Cæcus, *v. 39.* Apostoli, *Actor. 1. v. 14. & 2. 42.*

SENTENTIAE BIBLICAE.

Perseuerantia conseruatur bene agendo.

Et tenebit iustus viam suam. *Iob 17.*

Non te ventiles in omnem ventum, & non eas in omnem viam. Sic enim omnis peccator probatur in duplici lingua. Esto firmus in via Domini, & in veritate sensus tui, & scientia, & prosequatur te verbum pacis, & iustitiæ. *Eccl. 5.*

Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei. *Luc. 9.*

Quis enim ex vobis volens turrim ædificare: nonne prius sedens computat sumptus, qui necessarij sunt, si habeat ad perficiendum: ne postquam posuerit fundamentum: & non potuerit perficere: omnes qui vident incipiant illudere ei, dicentes: Quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare. 14.

Vide ergo bonitatem, & seueritatem Dei. In eos quidem qui ceciderunt, seueritatem: in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate: alioquin & tu excideris. *Rom. 11.*

Miror quod sic tam cito transferimini ab eo, qui vos vocauit in gratiam Christi in aliud Euangelium: quod non est aliud, nisi sunt aliqui, qui vos conturbant, & volunt euertere Euangelium Christi. *Galat. 3.*

In malo tolerando.

Væ his qui perdiderunt sustinentiam, & qui dereliquerunt vias rectas: & diuerterunt in vias prauas. Quid facient cum inspicere cœperit Deus? *Eccl. 2.*

Qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. *Matth. 10.*

Qui autem super petrosa seminatus est, hic est qui verbum Dei audit, & continuo cum gaudio accipit illud: Non habet autem in se radicem, sed est temporalis. Facta autem tribulatione propter verbum continuo scandalizatur. 13.

Qui autem sustinuerit in finem, hic saluus erit. *Marc. 13.*

Cupimus autem vt vnusquisque vestrum idem præstet studium, ad plenam spei certitudinem, vsque ad perfectionem. *Hebr. 6.*

In disciplina perseuerate. 12.

Ecce missurus est Diabolus aliquos ex vobis in carcerem, vt tentemini: & habebitis tribulationem diebus decem. Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. *Apoc. 2.*

A Deo remuneratur.

Nescitis quod ij qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium. Sic currite, vt comprehendatis. *1. Cor. 9.*

Itaque fratres mei dilecti, stabiles estote, & immobiles, & abundantes in omni opere Domini semper, scientes quod labor vester non est inanis in Domino. 15.

Confidens in hoc ipsum, quia qui cœpit in vobis opus bonum perficiet vsque in Iesu diem Christi. *Phil. 1.*

Ipse autem Deus sanctificet vos per omnia, vt integer spiritus vester & anima, & corpus sine querela, in aduentu Domini nostri Iesu Christi seruetur. Fidelis est, qui vocauit vos, qui etiam faciet. *1. Thess. 5.*

Christus vero, tamquam filius, administrauit domum ipsius, cuius domus nos sumus, si fiduciam, & gloriam spei vsque ad finem firmam retineamus. *Hebr. 3.*

Participes enim Christi effecti sumus, si tamen initium substantiæ vsque ad finem firmum retineamus. *ibid.*

Videte vosmetipsos, ne perdatis, quæ operati estis, sed vt mercedē plenam accipiatis. *1. Ioan.*

Cum sic loquitur Dominus, Timorem meum dabo in cor eorum, quid aliud est, quam Talis ac tantus erit timor meus, vt mihi perseueranter adhæreant. *Augustin. lib. de Bono perseuerantiæ, capit. 1.*

Est in nobis per Dei gratiam in bono recipiendo, & perseueranter tenendo, non solum posse, quod velimus, verum etiam velle, quod possumus. Quod non fuit in homine primo. Vnum enim horum in illo fuit, alterum non fuit: nempe vt reciperet bonū. Gratia non egebat, quia nondum perdiderat: vt autem in eo permaneret, egebat adiutorio gratiæ, sine quo id omnino non posset, & acceperat posse si vellet, sed non habuit velle, quod posset. Nam si habuisset perseuerasset. *Idem, lib. de corrept. & gratia. c. 11.*

Nunc vero Sanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis, non tantum tale adiutorium perseuerantiæ datur. Scilicet vt possint perseuerare, si velint, sicut datum fuit Adæ: sed tale, vt eis perseuerantia ipsa donetur: non solum vt sine isto dono perseuerantes esse non possint, verum etiam vt per hoc donum non nisi perseuerantes sint. Non solum enim dixit: Sine me nihil potestis facere: verum etiam dixit: Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vt eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat. Quibus verbis non solum iustitiam, verum etiam in illo perseuerantiam se dedisse monstrauit. Christo enim sic eos ponente vt eant, & fructum afferant, & fructus eorum maneat, quis audet dicere, forsitan non manebit? Sine pœnitentia sunt enim dona, & vocatio Dei: sed eorum vocatio, qui secundum propositū vocati sunt. Pro ijs ergo Interpellante Christo, ne deficiat fides eorum, sine dubio non deficiet vsque in finem, ac per hoc perseuerabit vsque in finem: nec eam nisi manentem, vitæ huius inueniet finis. *Idem, ibid. c. 12.*

Liberati à peccato serui facti sunt iustitiæ, in qua stabunt vsque in finem, donante sibi illo perseuerantiam, qui eos præsciuit, & prædestinauit, & secundum propositum vocauit, & iustificauit, & glorificauit. *ibid.*

Ipse ergo eos facit perseuerare in bono, qui facit bonos. Qui autem cadunt, & pereunt, in prædestinatorum numero non fuerunt. Quamuis igitur de omnibus regeneratis, & pie viuentibus loqueretur Apostolus. Tu quis es qui iudicas seruum alienum? suo Domino stat, aut cadit: continuo tamen respexit ad prædestinatos,

natos,& ait. Stabit autem. Et ne hoc ſibi arrogarent, Potens eſt enim Deus, inquit, ſtatuere eum. *ibid.*

Ac per hoc nec de ipſa perſeuerantia boni voluit Deus ſanctos ſuos in viribus ſuis, ſed in ipſo gloriari: qui eis non ſolum dat adiutorium quale primo homini dedit, ſine quo non poſſint perſeuerare, ſi velint: ſed in eis etiam operatur, & velle, vt quoniam non perſeuerabunt, niſi & poſſint, & velint, perſeuerandi eis volūtas, & poſſibilitas, diuinæ gratiæ largitate donetur, tantum quippe Spiritu ſancto accenditur voluntas eorum, vt ideo poſſint, quia ſic volunt: ideo ſic velint, quia Deus operatur vt velint. *Eodem libro, & capite.*

Subuentum eſt igitur infirmitati voluntatis humanæ, vt à diuina gratia indeclinabiliter, & inſeparabiliter ageretur: & ideo quāuis infirma, non tamen deficeret, neque aduerſitate aliqua vinceretur. *Item:* Dicente igitur Chriſto, Rogaui pro te, ne deficiat fides tua: intelligamus ei dictum, qui ædificatur. Atque ita homo Dei, non ſolum quia miſericordiam conſecutus eſt, vt fidelis eſſet, verum etiam quia fides ipſa non deficit, qui gloriatur, in Domino glorietur. *ibid.*

Quando rogauit Chriſtus, ne fides Petri deficeret, quid aliud rogauit, niſi vt haberet in fide liberrimam, fortiſſimam, inuictiſſimā, perſeuerantiſſimam voluntatem? *Deinde ſubdit id quod ad omnes fideles pertinet, dicens:* voluntas quippe humana non libertate conſequitur gratiam, ſed gratia potius libertatem, & vt perſeueret delectabilem perpetuitatem, & inſuperabilem fortitudinē. *Eiuſd. libri cap. 7.*

Credere verè, eſt credere inconcuſsè, firmè, ſtabiliter, fortiter: vt iam ad propria non redeas, & Chriſtum relinquas. *Tract. 106 in Ioann.*

Fides vera non eſt, ſi non ſit perpetua, ſed poſſit deficere. *Ambroſ. in 6. c. 2. ad Corinth.*

Patrvm Sententiæ.

Vos autem fratres exhortamur in Domino, vt propoſitum veſtrum in Domino cuſtodiatis, & vſque ad finem vitæ perſeueretis. *Auguſt. ad Eudoxium, & habet. 15. q 1. Vos autem.*

Quicquid cum neceſſitate fit, cito ſoluitur: quod voluntate accipitur, perſeuerat. *Hieron. & hab. de Conſ. diſt. Quicquid.*

Incaſſum quippe bonum agitur ſi ante vitæ terminum deſeratur: quia & fruſtra velociter currit qui priuſquam ad metas veniret, deficit. *Greg. in Moral. & eſt de pœnit diſt 3 can. Incaſſum.*

Pennata animalia minime reuertuntur, cum incedunt: quia prædicatores ſancti ſic a terrenis actibus ad ſpiritualia tranſeunt, vt ad ea, quæ reliquerant, vlterius nullatenus reflectantur. *Et paulo poſt.* Nemo mittens manum ſuam in aratrum, &c. Manum quippe in aratrum mittere, eſt quaſi per quemdam compunctionis vomerem, ad proferendos fructus, terram ſui corporis aperire: ſed retro poſt aratrum aſpicit, qui poſt exordia boni operis ad mala reuertitur, quæ dereliquit, quod quia electis Dei minime contingit, rectè nunc per Prophetam dicitur: Non reuertebantur cū incederent: *Et paulo poſt.* Vnde Paulus, Vnum vero quæ retro ſunt obliuiſcens, in ea quæ ſunt anteriora me extendens, ſequor ad patriam ſupernæ vocationis. In anteriora etenim extentus, eorum quæ retro ſunt oblitus fuerat: quia temporalia deſpiciens, quæ ſola ſunt æterna, requirebat. *Idem ſuper Ezech. & hab. de pœnit. diſt. 2 Pennata.*

Non reuertebantur cum incederent: quia electi ſic ad bona tendunt, vt ad mala perpetranda non redeant: qui enim perſeuerauerit vſque ad finem, hic ſaluus erit. Et ſic per Salomonem dicitur. Iuſtorum ſemita, quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit vſque ad perfectum diem. In eorum namque animo bonum deſiderium, atque intellectus lucis intimæ, iam pars diei eſt. Sed quia vſque ad finem vitæ in virtute proficiunt, ad perfectum diem tunc veniunt, quando ad cœleſtia regna perducti, in ea luce, quā deſiderant, iam minus aliquid non habebunt. *Idem in hom. 5. & habet de pœnit. diſt. 2. Non reuertebantur.*

Abſque perſeuerantia, nec qui pugnat victoriam, nec palmam victor conſequitur. Nutrix eſt ad meritum, mediatrix ad præmiū, ſoror patientiæ, conſtantiæ filia, amica pacis, amicitiarum nodus, vnanimitatis vinculum, ſanctitatis propugnaculum. Tolle perſeuerantiam, nec obſequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo. Sola eſt, cui æternitas redditur, vel potius quæ æternitati hominem reddit, dicente Domino: Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. *Bernard. in epiſt. 129.*

Malum cum perſeuerat augetur, & remediabile bonum eſt in peccato correctio. *Caſſiod. lib. 1. epiſt. 14.*

Vituperationem generant, quæ in medijs conatibus ægra deſeruntur. *Idem lib. 4 epiſt. 21.*

Alacriter incumbendum eſt inchoatis, cum vicinitas perfectionis affuerit, ſpes affectus, tædium laboris excludit. Magnum genus incitamenti eſt, credere deſiderata complere. *Idem l. 5. epiſt. 25.*

Perſeuerantia eſt vnica filia ſummi regis, finis virtutum, earumque conſummatio, totiuſque boni repoſitorium, & virtus, ſine qua nemo videbit Deum. *Bern. in quadam epiſt.*

Bonam vitam ego puto mala pati, & bona facere, & ſic perſeuerare vſque ad mortem. *in ſerm.*

Philos. et Historic. Sentent.

De Perſeuerantia in munere vario vitæ præſentis.

Nulla re vitiſ abſtinendum eſt propter apparentem difficultatem, ſed comparandus habitus, quo cuncta bona mortalibus comprehenſibilia redduntur, ea maxime, in quibus ſæpenumero ſumma ſalutis ſita eſt. *Polyb. l. 10.*

Nonnulli perinde atque imperiti, ac vecordes curſores, relicto primo feruore, cœptis deſiſtunt: aliqui vero hoc ipſo potiſſimum aduerſarios ſuperant, quod conſtanter perdurant in propoſito. *lib. 16.*

Perſeuerantia in omni genere militiæ, maxime tamen in obſidendis vrbibus, neceſſaria eſt: quarum pleraſque munitionibus, ac naturali ſitu inexpugnabiles, fame ſitique tempus ipſum vincit, atque expugnat. *Liu. Decad. 1. l. 5.*

Ad diſciplinam militiæ plurimum iuuet eſt, inſueſcere militem non ſolum parta victoria frui: ſed ſi res etiam lentior ſit, pati tędium, & quamuis ſeræ ſpei expectare exitum, ſi non ſit æſtate perfectum bellum, hiemem operiri: nec, ſicut æſtiuas aues, ſtatim autumno tecta, ac receſſum circumſpicere. Obſecro vos, venandi ſtudium, ac voluptas homines per niues, ac pruinas in mōtes ſilnaſque rapit: belli neceſſitatibus eam patientiam non adhibebimus, quam vel luſus, ac voluptas elicere ſolet? adeone effœminata corpora militum noſtrorum eſſe putamus, adeo molles animos, vt hiemem vnam durare in caſtris, abeſſe ab domo non poſſint? vt tamquam nauale bellum tempeſtatibus, captandis, & obſeruando anni tempore gerant? &c. *Idem, ibid.*

Perſeuerantia vi eſt efficacior, teſte Sertorio: multaque quæ vno impetu confici non poſſunt, paulatim abſoluuntur. Eſt enim aſſiduitatis vis inuicta, quæ omnem ſuperat excinditque potentiam tempus, quod plurimum auxilij fert ijs, qui prudenter occaſionē captant, idemque tempus infeliſſimum eſt ijs qui importuna feſtinatione vtuntur. *Plut. in Sertorio.*

Turpe eſt cedere oneri, & luctari cum officio, quod ſemel recepiſti. Non eſt vir fortis, ac ſtrenuus, qui laborem fugit, nec creſcat illi animus ipſa rerum difficultate. *Senec. in epiſt.*

Nihil eſt, quod non expugnet pertinax opera, & intenta, ac diligēs cura. *Epiſt. 1.*

Perſeuerandum eſt, & aſſiduo ſtudio robur addendum, donec bona mens ſit, quod bona voluntas eſt. *Senec. epiſt. 16.*

In exceſſo eſt vita beata, ſed perſeuerantia penetrabilis. *Idem Epiſtol. 65.*

Qui conſtans eſt, imperturbatus eſt, ſine triſtitia eſt. *epiſt. 99.*

Conſurgamus itaque aduerſus fortunam, & quicquid inciderit, ſciamus non eſſe tam magnum, quam rumore iactetur. *Idem epiſtol. 93.*

Sententiae Poetarvm.

Plaut. Rud. Prolog.

Iccirco moneo ego vos hac, qui eſtis boni,
Quique ætatem agitis cum pietate, & cum fide,
Retinete porro, poſt factum vt lætemini.

Ouid. Amor. 10.

Perfer, & obdura: dolor hic tibi proderit olim:
Sæpe tulit laſſis ſuccus amarus opem.

Sen. tragœdia 3.

Sed flecte mentem, pectus antiquum aduoca,
Victaſque magno pectore ærumnas doma:
Reſiſte. tantis in malis vinci malum eſt.

Idem tragœdia 6.

Haud eſt virile terga fortunæ dare.

Idem tragœdia 6.

Iuuenile eſt vitium, regere non poſſe impetum.

Ibidem.

Audax virago non tulit retro gradum.

Apophthegmata.

Chilon dicere ſolebat, tarde quidem aggredienda eſſe omnia, verū cum ſemel iam inceperis, conſtantiſſime in agendo perſeuerandum eſſe. *Stob ſerm. de Prudentia.*

Demoſthenes, cum Antipater intra Lamiam à Græcorum copijs eſſet concluſus, ac velut ob res feliciter geſtas, Athenienſes Dijs immolarent victimas: Demoſthenes ad quemdam amicorum nomine Ageſiſtratum, ait, ſibi non eamdem eſſe cum cæteris ſententiam. Noui enim, inquit, Græcos ſtadium pugnare, & leite, & poſſe, Dolichon autem non item. Dolichus autem continet vigintiquatuor ſtadia. Notauit ſuns, quod protinus vna contenti victoriola, deponerent bellādi ſtudium, quum oporteat eiuſmodi ſucceſſibus non frui, ſed vti ad maiorem rerum occaſionem. *P. M. lib. 8. apoph.*

Dionysius Episcop. Alexandr. cum à tortoribus vehementer vrgeretur, respondisse fertur: Quid infectando laboratis? Caput meum, pro quo magnopere fatigamini, ausulum ceruicibus sumite, & donum magnum ad tyrannum referte. *Eusebius lib. Eccles. histor. cap. 30.*

Dionysia matrona nobilis Hunerichi regis a tortorib. turpiter denudata grauiter virgis cædebatur. Inter ictus vero virgarum, dum riuuli sanguinis toto iam fluitarent corpore, libera voce dixit: Ministri Diaboli, quod ad opprobrium meum facitis, ipsa est laus mea. *Victor. in hist. Vandal. lib. 3.*

Silvanus. Constantium tyrannum ad fidei orthodoxæ defectionem eum hortantem, sibi mortem etiam minitantem audiens. Potestatem quidem habes, inquit, nos puniendi: nos autem partum statuta non ideo destruemus. *Theodoretus libro 5 Eccles. histor. cap. 24.*

Attalus, cum in sella ferrea prunis subterjectis torreretur, voce magna ad plebem clamauit: Ecce hoc est homines comedere, quod vos facitis, qui à nobis velut occultum facinus inquiritis, quod vos aperta luce committitis? Non enim neque comedimus homines, neque aliud quid mali fecimus. *Euseb Eccles. hist. c. 3.*

Mares Episcopus oculis ob senectutem orbatus, audiens Iulianum apostatam in Sacello Solis sacrificare Dijs gentilium, palam imperatorem obiurgauit, ad quem conuersus imperator cum dixisset: Abi tu potius ad Galilæum tuum (Christum intelligens) ac iube tibi aperire oculos, tum Mares respondit: Deo meo gratias pro excitate ago, qui ideo visum ademit, ne te apostatam in Deum blasphemum, & omni plane pietate nudatum, coram videre cogar. *Sozomenus in Tripartita histor. lib. 6. cap. 6. Alij hoc dictum Eguniario Episcopo quem Fulgosius libro 6 cap. 2. Inarium appellat, ascribunt.*

Romanus, quum iam carnifici ceruices porrexisset, nunciusque subito accurrisset, qui veniam ipsi ab Imperatore Iuliano afferebat, id ægerrimo animo tulit, atque his verbis vsus est: Scilicet indignus erat Romanus qui Christi martyr appellaretur. *Theodoret. lib. 3. hist E clesi c 16.*

Theodorus martyr, immanes cruciatus minantibus carnificibus, nisi fidem Christi abiuraret, in hanc præclaram vocem erupit. Pro fidei Christianæ confessione qui vulnerat, incidat, & qui verberat laceret: & qui cremare sam nam a rijciat: & qui his verbis offenditur, lingua m eximat. *Nyss. in vita Theodori.*

Victor proconsul Carthaginis, vir diues & clarus, ad veritatis negationem solicitatus à rege, & promissionibus multis ad defectionē inuitatus, respondit: Dicite regi vestro vt subijciat me ignibus, adigat bestijs, excruciet omni genere tormentorum. Si consensio, frustra sum in ecclesia baptizatus catholica. Nam si hæc præsens sola vita fuisset, & aliam, quæ vere est, non sperarem æternam, nec ita fecissem ad modicum, atque temporaliter gloriaer, & ingratus ei existerem, qui per fidem meam omnia sua mihi contulit. *Victor. lib. 3. Vandal. histor.*

D. Ambrosius. Calligonus, cubiculi præpositus, mandare aliquoties Ambrosio ausus est: Me viuo tu contemnis Valentinianum? Caput tibi tollo. Ambrosius respondit: Deus permittat tibi vt impleas quod minaris. Ego enim patiar, quod episcopi: tu facies quod Spadones. *Ambros. e ist. 33.*

Theodulus, cum ob fidei confessionem sub Iuliano apostata craticulis impositus esset, vt in omnium conspectu assaretur, ad præfectum in medijs cruciatibus dixisse fertur: Si assas carnes degustare cupis Amachi, in alterum latus me verte, ne semicrudus ad edendum parum suauis tibi reddar. Idem de Laurentio, Macedonio, atque Tatiano martyribus, alij etiam scribunt, *Nicephorus lib. 10. & 15 hist.*

Basilius Magnus cum a Valente Cæsare in exilium pro fide cogeretur, exhibitus est ad tribunal Præfecti, terroribusque & minis maximis sctus, vt nisi præceptis principis obediret, foret sibi impēdere interitum. Tum ille intrepidus, ac sine vlla animi perturbatione respondit Præfecto: Atque vtinam aliquid mihi esset digni muneris, quod offerrem huic, qui maturius Basilium de nodo follis huius absolueret. Cumque daretur ei nox, quæ erat media, ad deliberandum, denuo respondit: Ego crastino idem ero qui nunc, tu te vtinam non mutares. *Ecclesiast histor. lib. 1 5, cap. 9.*

Athanasius, cum sub Iuliano Apostata crudelissimo Imperatore, in maximo esset vitæ periculo, & populus nutum in modum contristaretur, alta voce clamans: Bono estote animo, inquit, nubecola tantum est, quæ mox euanescet splendente sole. *Sozomenus lib. 6. Tripart. hist. c. 26.*

Eusebius Samosatenus, cum nollet Cæsari Constantio mittere decretum Arrianorum contra Melitum factum: Cæsar minatus est, se abscissurum dextram eius manum, quo audito, Eusebius ambas porrexit, inquiens: Decretum non dabo, clarum Arrianæ pestis indicium. *Theodoret. in Tripartita hist. c. 49. l. 5.*

Polycarpus, cum fidei rationem redderet, atque constanter perseueraret: Herodi proconsuli ignem minitanti respondit: Ignem minaris hunc, qui ad momentum incenditur, & paulo post extinguitur. Verum ignoras futuri iudicij ignem æternum fore, qui ad perpetuas pœnas præparatus est impijs. *Euseb. lib. 4. cap. 5. Eccles. histor.*

Idem ab Herode proconsule admonitus vt iuraret fortunam Cæsaris, & conuiciaretur Christum, respondit: octoginta & sex annis seruio ei, & nihil me læsit vnquam: qua igitur conscientia maledicerem, & blasphemarem regem meum, qui salutem mihi dedit? Cumque rursus vehementius vrgeretur, vt per fortunam Cæsaris iuraret: Si hanc, inquit, iactantiam quæris vt ego fortunam Cæsaris iurem, & quis sim ego ignorare te simules, audi a me; Sum Christianus. Si vero cam rationem vis Christianæ religionis accipere, statue diem & audi. At cum proconsul diceret: Suade hoc populo, respondit Polycarpus: Tibi quidem respondi, quā doquidem principibus à Deo datis in primis honos debeatur, modo religioni non sit. Deoque contrarius: Populo autem furenti satisfacere, non fit possibile. *Euseb lib. 4. Eccl. hist. c. 5.*

Sanctus martyr. Diaconus quidam Ecclesiæ Viennensis, nomine Sanctus, tanta animi celsitate, & constantia carnificibus eum horrēdis tormentis à Christiana fide auertere conantibus, restitit, vt ne nomen quidem vel suum, vel gentis, vel ciuitatis vnde fuit, neque vtrum seruus an liber, illis vellet dicere; sed ad omnia rogata Latino sermone respondebat: Christianus sum: istudque pro nomine, pro ciuitate, pro genere, & denique pro re quauis iterum ac sæpius est eloquutus: nec aliam vocem ethnici ab eo elicere potuerunt. *Euseb. lib. 5. Eccl hist. c. 1.*

Lucius Sophista. Lucius ob religionis confessionem ab Vrbicio damnatus cum iam ad supplicium duceretur: Gratias ago, inquit, quod nequissimis dominis absolutum, ad summum cæli terræque regem remittas. *Euseb. lib. 4. Eccles hist. c. 17.*

SIMILITVDINES.

Beda. Sicut caro morbis emortua, si abscissa non fuerit, salutem reliquæ carnis putredinis suæ contagione corrumpit: Ita illi qui emendari despiciunt, & in suo morbo persistunt, si moribus depravatis in societate sanctorum permanserint, eos exemplo suæ perditionis solicitant. *De verbis Apostoli Iacobi. Confitemini alterutrum, &c.*

Laurentij Iustiniani Patriarchæ. Quemadmodum nullus ægrotus eo incurabilior est, quam qui sanum esse se putat: Ita & captiuo nemo miserabilior est illo, qui arbitratur esse se liberum. Nullum iste redemptorem quærit, redemptionis precium habere non curat, atque captiuitatis suæ damna non plangit. Ducitur, cæditur, trahitur, & insensibilis perseuerat. *De contemptu mundi, capite 1.*

Themist. Quemadmodum molestus est discipulus præceptori suo, qui perpetuo discit, & numquam proficit, molestior qui priora negligit: Ita apud Deum intolerabilis est, qui ad peiora semper decedit, & virtutis rudimenta amittit, quæ prius accepit. *In apophthegmat. 48.*

Chrysostom. Ne vero si semel atque iterum dederimus, existimemus nos totum beneficentiæ muneris explesse: Per omnem enim vitam hoc agendum: neque enim satis est, semel cum laude rem gerere, sed perpetuo. Etenim qui in stadio postquam decem dolichos cucurrit, si post defecerit, totam laudem perdidit. Et nos si semel aggressi bona opera, postea defecerimus, totum amisimus, totū perdidimus. *Homil. 1. ad Philippenses.*

Absurdum fuerit, aliquos in certaminibus olympicis quotidie à medio noctis vsque ad meridiem perdurare, expectantes vt videant, cui cessura sit corona, nudoque capite excipere solis radios, nec prius abscedere, quam de certamine fuerit pronunciatum. Nos vero nunc quum certamen sit non de vili corona, sed de corona immortali, defatigari, ac tædio affici. *Contra Iudæos oratione 2.*

Socratis. Vt statua basi: Ita vir bonus instituto innixus, ab honesto nullatenus decedere debet. *Apud Stob. serm 1. De prudentia.*

Laurentij Iustiniani Patriarchæ. Quemadmodum arcus ex studio distenditur, vt suo tempore cum vtilitate tendatur: qui si otium relaxationis non accipit, feriendi virtutem ipso vsu tensionis perdit. Sic in exercitatione spirituali: quum aliquando feruor, & virtus per discretionem temperatur, seruatur, vt tantum post vitia valenter feriat, ignauiamque excutiat, quantum ab exercitatione interitus prudenter cessat. *Libro de ligno vitæ, capite 4.*

Sicut oculis corporalibus necessaria est lux, vt suo persi uantur fine: Ita & omnibus prædestinatis, se vocatis ad regnum cœlorum necessaria est perseuerantia. Et sicut absque luce frustra apertur oculus: Eodem modo inaniter currit, qui vsque ad finem vitæ non perseuerat. *In ligno vitæ, c. 1. De perseuerantia.*

Victorum hæc est consuetudo, & commendabile propositum, ab incepto non desistere, dunec ad terminum, quo pergunt, perueniant. Hoc agunt strenui bellatores, quod non prius discedūt de loco certaminis, nisi adepta iam victoria. Sic in omni re, atque negocio perseuerādum ad finem vsque: Hoc fit in agricultura, hoc

in ædificijs conſtruendis, hoc in ſtudio literarum, hoc in morib. componendis, amplius vero in adipiſcendis virtutibus, &c. *in longa vita.cap.10.*

Exempla Biblica.

Perſeuerantiæ *exempla:* Dauid, *1.Sam.17.ver.32.Pſal.119.61.* Nehemias cum reducibus à captiuitate, *Nehem.4.v.21.& 6.v.1.15.& 9.10.* Mardochæus, *Eſth.3.v.2.& 5.v.9.* tres Adoleſcentes, *Dan.3.v.18.& 6.v.10.* Cæcus natus, *Ioan.9.v.17.31.* Apoſtoli, *Actor.4.v.13.& 5.v.24.* Antiochena Eccleſia, *11.v.23.* Iudęi, *13.v.43.* Paulus, *20.23.Rom.8.38.*

Vide tit. Conſtantia, Fortitudo.

PERSPICACIA.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

Perſpicacia, acumen, euideotia, πολυδέρκεια, ὀξύτης, Perſpicio, q.d. perfecte aſpicio. Hebr. *Keſem*, à verbo *Kaſam*, diuinauit, beoe conjecit, nam perſpicaces homines præ alijs, conijcere recte atque velut futura ſtolidis prorſus opera prædicere videntur.

Sententiæ Philosoph.

Perſpicacia non eſt idem cum ſcientia, non opinione, nec vna aliqua ex ſiogulis ſcientijs: nec de ijs, quæ ſemper ſunt, & motu careot: nec de ijs, quæ quomodolibet fiunt: ſed de qoibus dubitaret quiſpiam, atque conſuleret. *Ariſtot. Ethic. lib.6.c.10.*

Perſpicacia circa eadem ac prudentia verſatur: non tamen ſont eadem, prudentia enim præceptiua eſt: perſpicacia autem iudicatiua. *ibid.*

Perſpicacia, & ſcientia circa agenda verſantur, quæ ſunt particularia, & vltima omnium. *ibid.cap.11.*

Adagia.

Lynceo perſpicacior.

Sunt qui tradunt Lynceum primum reperiſſe fodinas metallorum, æris argenti, & auri. Et hinc vulgo natam fabulam, quod ea quoque videret, quæ ſub terra forent. Ariſtophanes in Pluto. Βλέπειν τ' ἀποδείξω σ' ὀξύτερον τοῦ Λυγκέως. *Id eſt: Faxo vt videas, vel Lynceo ipſo acutius.*

Serpentis oculus. ὄφεως ὄμμα.

De his dici conſueuit, qui acribus, & intentis intuerentur oculis. Ab animante ſumpta metaphora. Horatius.

> *Cur in amicorum vitijs tam cernis acutum*
> *Quam aut aquila, aut ſerpens Epidaurius?*

Ἐν πλάτει.

Ἐν πλάτει dictum, accipiendum interpretantur Græci, quum paululum vltra præſcriptum ſignificant eſſe concedendum, præſertim in his, quæ ſunt humanitatis.

Odorari.

Tranſlationes quæ ducuntur à corporis ſenſibus, omnes fere prouerbiales ſunt, Velut odorari, pro reſciſcere. Olfacere pro deprehendere. Subolere, pro ſuſpectum eſſe. Obolere, pro moleſtum eſſe aut eſſe in ſuſpicione.

Vel cæco appareat. καὶ τυφλῷ δῆλον.

De re vehementer perſpicua Euſebius aduerſus Hieroclem.

> Ἀλλὰ γὰρ καὶ τυφλῷ φασι δῆλον
> *Quin etiam vel cæco perſpicuum aiunt eſſe.*

Et puero perſpicuum eſt. καὶ παιδὶ δῆλον.

De re ſupra modum perſpicua confeſſaque. Ein Kind ſolte es mercken. Ein Kin[d] kan es verſtehen.

Notum lippis, ac tonſoribus. *Plato.*

Quæ iam in ora vulgi abierunt, omnibus tonſoribus, ac lippis nota dicuntur. Horatius.

> *Opinor*
> *Omnibus & lippis notum, & tonſoribus eſſe.*

Tamquam in ſpeculo, Tamquam in tabula. καθάπερ ἐν κατόπτρῳ καὶ ὥσπερ ἐν γραφῇ.

De re vehementer euidente perſpicuaque, Terentius: Denique inſpicere tamquam in ſpeculum vitas omnino iubeo.

Rudius ac planius.

Suidas admonet ſubeſſe prouerbium, quod hunc ad modum feratur, σαφέστερόν μοι καὶ ἀμαθέστερον φράσον Id eſt: Apertius mihi loquere, atque indoctius. Sumptum à quibuſdam ænigmatum inuolucris.

Electro lucidior. Ἠλέκτρου διαυγέστερος.

De re magnopere dilucida, Lucianus.

Velut è ſpecula. ὡς ἀπὸ σκοπιᾶς.

Dum quis rem velut oculis ſubiectam, totam vndique contemplatur.

Archimedes non poſſet melius deſcribere. *Cic.*

Archimedes Syracuſanus Geometra fuit celeberrimus, nuſquam non intentus figuris Geometricis, adeo vt pugnus ſit interfectus. Dicitur de re plana & explicata.

Mens videt, mens audit. νοῦς ὁρᾷ, καὶ νοῦς ἀκούει.

Locus erit adagio, vbi iubemus quempiam attentum eſſe quemadmodum dicimus.

Candidus ſermo. λευκὸς λόγος.

Græce dicitur oratio dilucida, perſpicuaque, à colore qui inter cæteros plurimum habet lucis. Vnde λευκότερον εἰπεῖν dicuntur, qui clarius efferunt, quam ſentiunt.

PERSONA.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Perſona, Græce πρόσωπον, נפש Hebr. *Nephesch*, & tunc accipitur pro corpore in quo eſt anima rationalis, a verbo *Nippaſch*, id eſt, animatus eſt reſpirando, reſpirauit, recreatus eſt, animo refrigeratus eſt, vt cum attrahitur ſpiritus placide, & vegetatur anima. Per Synecdochen, anima pro toto homine ſumitur, & Gallicè dicimus, *vne ame*, pro perſona, quæ anima, & corpore cõſtat. Eſt autem perſona ſecundum Theo. Naturæ rationalis indiuidua ſubſtantia.

Perſona proprie dicitur facies conficta, à perſonando in theatris, dicta *ſecundum S.Thom.* Longat autem penultimam, ſcilicet ſo, propter vocabuli formam. Hinc perſonati dicuntur, qui huiuſmodi perſonis tecti ſunt. Et per metaphoram perſona vſurpatur pro qualitate, qua alius ab alio differimus, tum in animo, tum in corpore, tum in extra poſitis, quæ à rhetoribus numerantur, in attributis perſonæ. Animi, vt quo ſtudio ſeſe exerceat, literarumne, an militaris diſciplinæ: & iracunduſne ſit, an mitis: luxurioſus, an temperans. Corporis, adoleſcenſne ſit, an ætate adultus, pulcher, an deformis: robuſtus, an debilis. Extrapoſitorum, vt opulẽtus, an pauper: clarus, an obſcurus: prolem habens, an orbus. Hinc perſona paraſiti, militis, patris, ſerui, domini, præceptoris, &c. A perſona fit perſonale, & imperſonale, & perſonaliter, & imperſonaliter. Et perſonalis actio, quam Iuriſconſulti vocant, quæ in perſonam fit: Realis quæ in rem, vel in bona.

Loci Biblici.

Perſona pro externa hominum ſpecie, ac denique pro toto habitu, *Matth.22.v.16.Marci 12.v.14.Luc.9.v.53.& 20.v.21.* πρόσωπον τῆς γῆς. Latinis ſuperficies, *Luc.21.35.*

Perſonæ in Deo plures, *Gen.1.v.26.& 3.v.22 & 11.ver.7.Matth.28.v.19.Marc.3.v.16.17.Luc.3.v.22.* Perſonarũ acceptio illicita, nec Deus perſonam reſpicit, *Leuit.9.v.15.Deut.1.v.17.& 10.v.17.v.2.1.Sam.16.v.7.2.Parol.19.7.Iob 34.v.19.Prou.18.v.5.& 24.ver.23.& 28.v.21.Sap.6.v.8.Eccleſ.35.v.15.16.Eſa 11.v.3.Malach.2.v.9.Matth.22.v.16.Marc.12.v.14.Luca 20.v.21.Actor.10.ver.34.Rom.2.v.11.Galat.2.v.6.Epheſ.v.9.Col.3.v.25.1.Pet.1.v.17.Iacob.2.v.1.9.*

Similitudines.

Chryſoſtomi. Quemadmodum ſi qui athletas deligit, ſiue naſo adunco, ſiue ſimos, ſiue nigros, ſiue candidos eligat: nihil refert ad probationem, ſed illud vnum ſpectandum eſt, vt validi doctique ſint: Ita qui aſcribendus eſt in nouum Teſtamentum, huic nihil nocent hæc omnia corporalia, ſi abſint, quemadmodum neque iuuant, ſi adſint. *In 5.ad Galatas.*

In milite deligendo exteriora, hoc eſt, corporis menſuram, & bonã carnis habitudinem, ſed & libertatem contemplamur. At cœli rex nihil tale requirit, ſed & ſeruos in ſuum exercitum ſuſcipit ſenes & iuuenes, tantum vt promptitudinem habeant ſe ſuſcipiendi. *Hom.25.ad Antiochenos.*

Cypriani. Si dies omnibus æqualiter naſcitur, ſi ſol ſuper omnes æquali, & pari luce diffunditur: quanto magis Chriſtus ſol & dies verus in Eccleſia ſua, lumẽ vitæ æternæ pari æqualitate largitur? Cuius æqualitatis ſacramentum videmus in Exodo eſſe celebratum, cum de cœlo manna deflueret, & futurorum præfiguratione alimentorũ panis cęleſtis, cibum Chriſti venturis oſtẽderet. Illic enim ſine diſcrimine ſexus, vel ætatis gomor à ſingulis æqualiter colligebatur. Vnde apparebat, Chriſti indulgẽtiã, & cœleſtẽ gratiã poſtmodum ſecuturam æqualiter omnibus diuidi, ſine ſexus varietate, ſine annorum diſcrimine, ſine acceptione perſonæ, ſuper omnem Dei populum ſpiritualis gratiã muneris infundi. Plane eadem gratia ſpiritualis, quæ æqualiter in baptiſmo à credentibus ſumitur, in conuerſatione, atque actu noſtro poſtmodum vel minuitur, vel augetur: vt in Euangelio ſemen æqualiter ſeminatur, ſed pro varietate terræ aliud abſumitur, aliud in multiformem copiam, vel triceſimi, vel quadrageſimi, vel centeſimi numeri, fructu exuberante cumulatur. *lib.6.Epiſt.7.*

Laurentij Iuſtiniani Patriarchæ. Patrisfamilias hoc ſolet eſſe propriũ, vt alia ſeruo, alia vero imperet filio. Seruo quidem dura imponit, ac aſpera, filio autem ſuauia impertitur, ac blanda. Cum imperio dominatur ſeruo: ſed filio cum charitate loquitur. Seruo denique pro mercede quotidiana, neceſſaria corpori præbet ſtipendia: filium vero omnium bonorum ſuorum facit hæredem. Sane quicquid operis, quicquid laboris, aut præmij vendicat ſeruus,

mus, totum à patru gratia filio prærogatur. Hæc quæ dicta ſunt, ugunt mortales moicalibus, atque carnales domini carnalibus ſeruis, ac filijs. Non autem ſic Dominus vniuerſorum, ac pater cœleſtis, apud quem eſt nullus plane perſonarum reſpectus, nul la generis, vel dignitatis prelata conditio. Sed in illo ſunt omnes creati, ab ipſo gubernati, atque directi, quos quidem vult (quantum in eo eſt) ſaluoi fieri, atque ad veritatis cognitionē venire. Hic ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, ac malos, iuſtos, ac iniuſtos. Nemiɳem gratiæ ſuæ exortem reddit, nullum reijcit credētem in ſe, &c. *De obedientia, cap. 3.*

Vide Acceptio perſonarum.

PERSVASIO.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

Perſuaſio, Græce πειθὼ &c. & πείθω, perſuadeo dicitur. Eſtque autem inter ſuadeo, & perſuadeo differentia, quod ſuadere eſt, accommodatis, & ſuauibus verbis aliquem in opinionem noſtram inducere conari, hoc eſt, hortari aliquem ad id quod Intēdimus. Cuius contrarium eſt diſſuadeo. Perſuadere vero eſt ſuadeodo, aut diſſuadeodo aliquid, homioem in opinionem noſtram deducere. A ſuadeo fit ſuaſio, ſuaſor, & ſuadela, ſuadibile, quod ſuaderi facile poteſt: ſuaſoriua adiectiuum: Vnde pars deliberatiua à rhetoribus ſuaſoria dicitor, & ſuaſorium munus, hoc eſt, officiū ſuadendi. Ita à perſuadeo, perſuaſor, perſuaſio, perſuadibile, perſuadere vero perficientis.

Perſuaſio Hebr. *Pethajtuh*, à verbo *Pathah*, & in a. coniug. *Pittah*, perſuaſit, illexit, induxit ſuadendo ad credendum aliquid. Hinc πειθὼ Græc. Hebr. etiam *Phattah*, hominem fatuum, imperitum, qui facile decipitur, & cui ſubito poſſumus perſuadere quidquid li bet. Hinc Latinum fatuus, & Gall. *fat.*

D I V I S I O.

Perſuaſoriæ artis duo genera publice & priuatim. Et priuata alia mercede fit, alia muneribus: vt amatoria venario munera etiam præbet. Quæ vero mercede fit: alia per gratiam conſeruatur, ei omnino per voluptatem ineſcationem facit, & mercedem ſibi ipſi per adulationem alimentum ſolum exigit, quæ delectandi dicitur ars, alia pars virtutis gratia conuerſationes habere profitetur, mercedemque exigens pecuniosa, quæ ſophiſtica appellatur. *Plato in Sophiſta.*

Perſuaſionis duæ ſunt ſpecies: Vnu quæ fidem facit abſque ſcientia; alia quæ fidem facit ex ſcientia. *Plato in Gorgia.*

P H I L O S O P H I C Æ S E N T E N T I Æ.

Perſuaſio proprie eſt in animo, nec. eſt in mente. *Plat En 5. lib. 3. cap. 6.*

Perſuaſio in re bellica magnam vim habet. *Franc. Patrit. de Repub. lib. 9. c. 2.*

Perſuadere qui vult, ſcire oportet contraria, non quia ea faciamus, ſed ne lateant. *Ariſt. 1. Rhetor.*

Perſuaſio ſufficere debet in Ethica, & Rhetorica. *Albert. Magn. in 2. Metaphyſ. c. 11.*

Perſuademus docendo, monendo, & conciliādo. *Dan. Barba. Rhetor. in procem.*

Perſuadere eſt opinari facere. *Idem in Thead.*

Perſuaſoriam artem decernimus cauſidicorum, concionatorum, & colloquentium. *Idem in Sophiſta.*

A P O P H T H E G M A T A.

Bion dicebat, ſuperbiam ſtudioſorum eſſe profectus obſtaculum. Indocilis enim eſt, qui inani perſuaſione eruditionis deluſus mauult doctus videri, quam eſſe. *Laert. l. 4. c. 7.*

Cum Crates apprehenſo Zenonis pallio, cum à Stilpone retrahere niteretur: Commodiſſime, inquit, ò Crates, Philoſophum auribus teneas: nam ſi per vim egeris, corpus erit apud te, animus apud Stilponem. *Laert. l. 7. c. 1.*

Socrates. Qui per vim, inquit, coacti ſunt, liberratē ceu magna re priuati, odio proſequuntur illos qui coegerunt: qui vero ſuadela inducti ſunt, ceu cum gratia mutati amant. *Xenophon. li. 1. commentar.*

S I M I L I A.

Clementis. Nihil grauius, quam ſi id quod ignorat quis ſcire ſe credat, & defendat verom eſſe quod falſum eſt: quod tale eſt, quale ſi quis ebrius ſobrium ſe putet, & agat quidem cuncta vt ebrius, ſobrium ſe tamen & ipſe putet, & dici à cæteris velit. Ita ſunt ergo & hi, qui ignorantes quod verum eſt, ſpeciem tamen alicuius ſcientiæ tenent, & mala quaſi bona gerunt, atque ad perniciem, quaſi ad ſalutem feſtinahe. *lib. 5. Recognitionum.*

P. M. Vt Camelopardalis ſiue Nabis, collo refert equum, pedibus & cruribus bouem, capite camelum, maculis tigrim, aut pardū: Ita quidam inæquales ſibi, varias hominum formas exprimunt: ſi cultum inſpicias, ſanctum aliquem exiſtimes: ſi orationem audias, ſatrapam loqui putes: ſi vitam expendas, nebulonem inuenies: ſi ſcripta, bubulcum. *in Simil.*

Sicut quo directius non ferit Sol radijs ſuis, hoc minor eſt vmbra noſtra: quo obliquius, hoc magis accreſcit vmbra corporis, ita quanto plus quiſque aſſecutus eſt veræ ſapientiæ, hoc minus magnifice de ſe ſentit: quo longius abeſt ab ea, hoc ſe magis dilatat ſtultiſſima perſuaſione ſapientiæ. *P. M.*

PERTINACIA.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Pertinacia, Græc. αὐθάδεια &c. & αὐθάδης, pertinax dicitur. Heb. *Nozkanim*, hominem obſtinato vultu, impudentem, mali propoſiti tenacem, appellant.

Eſt autem pertinax, qui tenet imprudenter propoſitum ſuum, quaſi omnino tenax. *ſecund. Iſid. lib. Etymol. & B. Thom. 2. 2. q. 138. art. 2.*

Pertinax venit à tenax, quod modo ſignificat id quod retinet, vel glutinum tenax: modo parcum, auarum. Apuleius, *Homo diues, ſed nimium tenax.* Modo conſtantem, & perſeuerantem. Horat. *Iuſtum & tenacem propoſiti virum.* Ab hoc fit tenacior, tenaciſſimus, tenaciter, tenaciſſime, tenacitas, ſiue tenacia, quod duritiam, obſtinationem animi, & perſeuerantiam ſignificat.

Peruicax idem quod pertinax, qui in ſuo propoſito ad victoriam perſeuerat. *ſecund. S. Thom. 2. 2. q. 138. art. 2.*

Pertinacia eſt nimia victoriæ ſtudij contentio, quum opere, vel ſermone magis quam par eſt pertinaciter concertamus. *Franc. Patric. de reg. l. 7. c. 14.*

S E N T E N T I Æ P H I L O S O P H O R V M.

Sunt quidem quoi pertinaces vocant, quales ſunt ij qui deſiſtune ægre à ſententia, nec diſſuaderi facile poſſunt. Hi ſimile quiddā habent continenti: vt prodigus liberali, & audax forti: cum ab eo abſint plurimum. *Ariſt lib 7 Ethic. c. 9.*

Pertinaces ſunt ſententiæ ſuæ defenſores, & indocti, & agreſtes: ac ſententiæ ſuæ defenſores, in eo vel voluptatem ſequuntur, vel dolorem. Voluptatem enim ex victoria percipiunt, ſi non dimoueantur de ſententia: & ferunt iniquo animo, ſi quæ quaſi decreta tollantur, & infirmentur. *ibid.*

Pertinacia qui errant, non ſunt facile curabiles. *B Thom. 11. Metaph. l. 6. lect. 1.*

Plerumque accidit, vt multi ea quæ ſunt impoſſibilia propter ſpes apparentes, concupiſcentia rationem ſingulorum ſuperante, appetant: & vbi rea ipſas opere aggreſſi ſunt, nullo pacto a propoſito declinare ſuſtineant, eo quod mente ſint obcæcati, & ſeducta, propter conatum impoſſibilitatem & moleſtiam eorum quæ occurrunt. *Polyb. l. 16.*

A P O P H T H E G M A T A.

Annibal. Cum Marcellus aliquot diebus continenter cum Annibale conflixiſſet vario Marte, dixit Annibal, ſibi rem eſſe cum hoſte, qui nec victus, nec victor noſſet quieſcere. *Plut.*

Euſebius Philoſoph. Plurimi, inquit, cum velint haberi quam conſultiſſimi, ſi qua in re familiarea & beneuoli ipſi homines eos dehortentur, nolunt à confirmato ſemel intra ſe propoſito recedere: ſed redarguuntur à conſilio ſuo tanquam prauo deſiſtere, permanent in propoſito, donec tandem inde profecta incommoda ſentiant. *Stob. ſerm. 23.*

Pertinacia licet in mediam partem plerumque ſumatur, huc tamen quedam referre licet, quæ ſunt ſub apophthegmata. *de Conſtantia, & Perſeuerantia.*

Vide Obſtinatio.

PERTVRBATIO.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Perturbatio, Græce ταραχὴ &c. & ταράττω, perturbo dicitur. Hebr. *Nebhkoth*, à verbo *Hhacar*, turbauit confundendo, perturbauit ordinem & diſpoſitionem. Inde Græce ταράττω, miſceo, confundo.

Eſt autem perturbatio, auerſa ratione contra naturam animi commotio. *ſecund. Cicer. lib. 4. Tuſcul. quæſt.*

Perturbatio eſt mutatio ordinis, & æqualitatis in ratione, & immoderata paſſio inferiorum potentiarum: quæ non fuit in Chriſto, nec in aliquo ſapiente. *ſecun. B. Thom 3. Sent. diſt. 15. q. 2. art. 2.*

P H I L O S O P H I C Æ S E N T E N T I Æ.

Perturbationes appello, vt cupiditatem, vt iram, vt exca odeſcentiam,

tiam, timorem, audaciam, vt inuidiam, gaudium, amicitiam, vel odium, desiderium, æmulationem, misericordiam, & omnino ea omnia, quæ vel voluptas consequitur, vel dolor. *Aristot. lib. 2. Ethic. cap. 5.*

Perturbationes quidem nec virtutes sunt, nec vitia: propterea quod ex perturbationibus nec probi, nec improbi nominamur: ex virtutibus & vitijs nominamur: quodq; perturbationes nobis nec laudi dantur, nec vitio. *ibid.*

Difficile factu est hanc perturbationem euellere omnino, quæ penitus in vita implicata insidet. *lib. 2. Ethic. c. 3.*

Videntur omnes animi perturbationes cum corpore cohærere: vt ira, vt clementia, vt metus, vt misericordia, vt audacia: præterea gaudium, amor, & tædium. *lib. 1. de animo, c. 1. T. 14.*

Perturbationes rationes sunt, & formæ cum materia coniunctæ. *ibid.*

Dicemus animi perturbationes esse, quæ a materia animalium, quã natura dederit, abesse non possunt. *ibid. T. 18.*

In perturbationibus ijsque rebus omnibus, quæ in perturbationib. versantur, mediocritates reperiuntur. *lib. 2. Ethic. c. 7.*

Quidam quia nihil se neque rationem consuluerunt, à perturbatione rapiuntur. Nonnulli enim, quemadmodum qui se prius ad titillationem confirmarunt, non titillantur: sic cum senserint & prouiderint, excitarintq; se & rationem: nunquam a perturbatione vincuntur, siue seorsum suauitate quadam demulceat, siue asperitate quadam deterreat. *Ethic. lib. 7. c. 7.*

Non omni ætati, sed pueritiæ conuenit perturbatio. *l. 4. Ethic. c. 9.*

Non omni actioni & perturbationi modus adhiberi & apponi potest. Sunt enim quędam quę statim nomine suo vitiosa declarari videtur: vt maleuolentia, vt imprudētia, vt inuidia: & in factis, vt adulterium, furtum, cędes. *Ethic. lib. 2. c. 6.*

Omnis perturbatio amplificata è statu suo naturam dimouet. *Topicor. lib. 6. cap. 3. 31.*

Ei potius ignoscendum est, qui perturbationes sequitur naturales. *Ethic lib. 7. c. 6.*

Omnia plerumque quæ absunt, vehementius hominum mētes perturbant. *Cæsar. lib. 7. de bello Gall.*

S I M I L I T V D O.

Basil. Vt in speculo non repurgato, imaginum species videri non possunt, sic animus perturbationibus, quæ carnis sensu suggeruntur, obtenebratus, Spiritus sancti illustrationem recipere non potest. *Apud Antonium in Melissa par. 2. serm. 77.*

Vide tit. de Affectibus.

P E S T I S.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

PEstis, λοιμὸς, Hebr. *Deber. Psal. 91. 6. Ose. 13. 14.* à verbo *Dabar*, quod in 3. coniugatione, habet *Hiddebber*. Subuertit, *Psalm. 18. 48. & Psal. 47. 4.* Pestis certè subuertit omnia. Est venenosus quidã vapor in aere concretus, vitali inimicus spiritui: non quod propter elementarem aliquam qualitatem sibi contrarietur, sed specifica quadam proprietate, non tamen vt secundum formam sit venenum, nam omnes interficeret: sed vt quæ facile in venenum naturam transeat. *Ficin. in Epidem. antidoto, cap. 1.*

Loci Biblici.

Pestilentia ob Dei contemptum immittitur, *Leuitici 26. versic. 25. Deuter. 28. 21.* pestilētia in Israele ob Dauidis facinus sęuit, *2. Sam. 24. 15. 1. Paralip. 21. 14.*

Philosophorum sententiae.

Pestis tempore fuge cito, procul, tarde reuertaris. *Ficin. in Epidemiarum antid. cap. 1.*

Pestis vapor venenosus corpori humano solũ applicatur, in quod apti ad febres erant humores, vt qui ad putredinem & inflammationem sunt dispositi, nam si vitalis spiritus eo est potentior, expellit procul à se, si debilior fugit eundem, suum veluti cõtrarium corpus, ideo est ex vsu aerem, humores & cor corrigere, purgare, & roborare. *Ficin in Epidem antid. c. 1.*

Pestis vapor cum veneni iam suscipit naturam, calcis vel arsenici qualitatem recipit, cuius effectus est putrefacere, rodere, ardere intus, & extra, quibus affectibus potissimum internis omni qua possumus industria resistendum est. *idem ibid.*

Pestis vapor accenditur, vbi maior est naturæ similitudo, & in corpore recrementis pleno, cum fœtidis intus & extra vaporibus, & in cibis humoribusque superfluis, ad inflammationemque, & putredinem aptis, & vbi calida est materia & humida, vel cor coitu debilitatum: & in corpore passionibus animæ defatigato, & vltra modum calido & quod balneis assuetum est, cuius pori sunt nimis patentes, seu multum oppilati. *Ficin. in Epidem. antidoto capit. 3.*

Pestis vapor omnem maculare potest humorem, sed potissimum sanguinem, secundo choleram, tertio phlegma, quarto Melancholiam: ideo sanguinei huic periculo subijciuntur: deinde cholerici, postea phlegmatici, postmodum melancholici: quia humor frigidus & siccus ad inflammationem & putredinem ineptus est, & strictos habet meatus. *idem ibid.*

Pestis vapor creatur in aere, vniuersalioris pestis tempore ex malignis quibusdam constellationibus præsertim ex Martis cum Saturno in signis humanis coniunctione, ex luminarium eclipsibus: & in his locis grassatur quæ ascendentem suum ob prædictos siderum aspectus infortunatum habent. In particularibus pestilentijs fit ea venus, & malignis lacunarum, & cloacarũ vaporibus, & pariter ex terræmotibus. Sed semper in aere crasso & paludoso, nubiloso & fœtido regnat: & cum ad aerem subtilē extenditur, penetrat & velocius interimit. Attamen, & frequentius in fœtido, crasso, calido & humido aere regnat. *Ficin. in Epidem. antid. c. 2.*

Pestis quę hominibus est venenum, non ideo est alijs animantibus mortis causa propter cęlestium signorum ac animalium specierum diuersitatem. *idem ibid.*

Pestis signa sunt nonnulla, id est febris continua absque ordinata, & manifesta declinatione, cum magna anhelitus & pectoris angustia, cum repentina pulsus debilitate, cum vniuersi corporis grauamine, præcipue capitis phrenesi, anxietatibus, ardore, siti, sanguineis maculis pluribus in locis cum vrina turbida crassa, qualis est iumentorum, quæ tamen signa interdum fallunt. *Ficin. in Epidem. antid. c. 4.*

Pestis tempore pueri vermium infirmitate laborantes pestilentia dici possunt infecti, quia est materia ad pestē disposita. *idem ibid.*

Pestis tempore omnis infirmitas in pestilentiam facile transire potest, præsertim febres furiosæ & continuæ: Vnde nulla ægritudo præter pestem apparet, quod si aliæ appareant, pestis cessat. *Ficin. in Epidem. antidoto, c. 4.*

Pestis vapor cum longo tempore in aere durat, aquam & terrę fructus inficit, Ideo tutius est aquam coquere, vel ferratam aquam conficere, & cum ea vinum lymphare, quia fumosum est, & non conuenit his temporibus purum. *Ficin. in Epidem. antidoto, c. 4.*

Peste laborantes omnes in principio aliquantulum in melius reddere videntur, quia natura in principio omnes in morbum colligit vires. *idem. ibid.*

Pestis tempore abstinendum est à rebus inflammantib. & appetitius nimis, quia facilius ad venenum suscipiendum disponunt, à facientibus oppilationem, & putrefactionem. *Ficin. in Epidem. antidoto, c. 5.*

Pestis tempore vitanda sunt quæ extra nos facile corrumpuntur, vt pisces, lac, fructus omnes, vtendum acetosis, acribus, & asperis. *idem ibid.*

Pestis tempore vtile est nisi calor offendat, primo cibo sumere ficus, rutam & nuces cum sale, & post cibum semina coriandri præparati, in cibo sumere saudalorum rubeorum vnciam dimidiam, cinnamomi electi drachmas tres, & dimidiam, croci drachmam dimidiam, & his puluere omnibus superspersa cibarijs vtere: mundare superfluitatibus, ignem mane adeas, odoribus domum suffumigato & vestimenta, & odora theriacam, citrum, & Zedoariam. *Ficin. in Epidemiarum antidoto, capit. 5.*

Pestis tempore cauendum est à rebus nimium sanguinem generãtibus, aut aquosum, grossum, turbidum, & a quacumque re stomacho nocente. *Ficin. in Epidem. Antidoto. cap. 5.*

Pestis tempore ab hominum turba te remoueto, præsertim existẽs ieiunus, & aerem nimis calidum declinato. *idem. ibid.*

Pestis tempore ablue sæpeos & manus aceto, & aliquando vino potente, & vtere odoribus frigidis cum calidis temperatis, ita vt frigidi prædominētur, & super hæc omnia æqualia parte permisce acetum rosaceum album, aquam rosarum cum vino albo potente, cum modico Zedoariæ, vel croci: & citri, & de hac sæpius aliquid bibe, & manus & faciem ea lauato: *Ficin in Epidem. antidot, c. 5.*

Pestis tempore Doctores nonnulli dant ieiuno stomacho vrinam pueri recens emissam: & licet iuuium detur pro remedio rusticis accommodato. *idem, ibid.*

Pestis tempore theriaca vtilissima est: accipiatur bis in hebdomada post cibum horis nouem, & ante horis sex, vel septem: prouectis drachmam vnam, alijs dimidiam vel vnum scrupulum, calido tempore post sumptam theriacam bibant qui calidæ sunt temperaturæ tertiam partem scyphi aquæ rosarum cum modico aceto rosato, alij alterius complexionis, & alio tempore cum vino albo permixto, cum aqua scabiosæ & melissæ: & loco theriacæ sumi potest mithridatium. Alijs diebus sume pilulas contra morbum, & ait Auicenna, & Auerroes, qui vtitur aloe, mirrha & croco, nunquam periclitabitur peste, *Ficin. in Epidem. antidoto, capit. 6.*

Pestis

Pestis tempore sanguineis extrahendus est sanguis ex basilica dextra, non excedendo pondus libræ. *Mar. Ficin. in Epidem. antidot. cap. 6.*

Pestis tempore ciuitatum gubernatores suffumigationes ex iunipero, myrrha, terebinthina, & thure mane, & sero ante posticas quarumque domorum, & ædium faciant, statim enim ea eo loco pestis expelletur. *Ficin. in Epidem. antid. c. 6.*

Pestis vel est in ipso sanguine, vel in humoribus sanguini permixtis, ideo extrahendus est sanguis omnibus ab annis quatuordecim vsque ad sexaginta. *Idem, ibid. c. 8.*

Peste laborans cito euacuandus, frequenter recreandus: & refrigeratiua, desiccatiua, & cordis confortatiua, quæ veneno resistant permisce. *Ibid. c. 11.*

Pestem magis curat bolus armenus, quam terra sigillata, cum in alijs venenis contrarium fiat. *Ficin. in Epidem. antid. c. 11.*

Peste laborantem opus est singulis sex horis ea omnibus pannis mutare, alioqui inficiuntur. *Idem ibid. c. 10.*

Pestis apostemata duo sunt, vnum appellatur anthrax, & carbunculus, aliud bubo, & glandula. *Ibid. c. 13.*

Peste semel liberatus non est liber, vt iterum non inficiatur hoc morbo. *Ibid. c. 24.*

Pestis venenum permanet in personis per bimestre, parietes, ferramenta per annum, vestes per tres annos & vltra nisi fumigentur, & lauentur, & ad solem ponantur, & ventum. *Ficin. in Epidem. antid cap. 24.*

Peste laborantem qui curat, quanto propinquior cum cognatione, complexione, naturæque & constellationis symbolitate, tanto maiori contagionis subiacet periculo. *Idem, ibid.*

Pestis venenum intrat per omnes corporis poros, maxime per eos, qui magis aperti sunt. *ibid.*

Pestis tempore iucunde viuendum, quia lætitia confortat vitalem spiritum: continenter, & sobrie viuas. *ibid.*

Pestis venturæ signa sunt, cum aer extra naturalem suam dispositionem esse videtur, declinando ad calidum, & humidum, cum nebulosus, nubes densæ, pulueru lentus, venti grossi, & tepidi, aquæ & agri fumant, & olent, & pisces sint mali saporis, & odoris, cum multa super terram apparent animalia, & fungi, & putridæ herbæ, terræ fructus, & animalia insipida sunt, & parum conseruantur, vina efficiuntur turbida, multa & terrestria, & aerea animalia ab eo loco recedunt, insolitæ oriantur febres, latentes, furiosæ, continuæ, fallaces, cum pectoris anxietate, cum pulsus prosternatione, phrenesis, Vrinarum turbulentia, palati, & intestinorum excoriationes, oculorum rubedo, vermes, multæ fœminarũ conturbationes, iræ, rabies, rixæ, dira bella, monstra naturæ inuisa & rara. *Ficin. in Epidem. antid. c. 25.*

Pestis tempore purificantur communiter homines spacio quatuordecim dierum, domus & lignamenta in vigintiuno, vestes & panni spacio dierum vigintiocto, si recte purificentur. *Ficin. in Epidemiar. antid. c. 25.*

Pestis tempore fuge hominum conuersationem, maxime cum es ieiunus, sis semper à socio remotus in aere aperto ad minus per spacium bicubiti, & ab infecto per sex cubitos: & caue ne ventus ab eo in te spiret & interre, & ipsum sint Sol, ignes, odores. *Idem, ib.*

De peste latissime sæuiente. DIAL. XCII.

Francisci Petrarchæ.

METVS.

Pestem latissime sæuientem horreo. R. Et hic quoque nil amplius quam mortis est metus, quo deposito plena securitas parta erit, quum non his magnis animis non depositus modo, sed ne admissus quidem esse debeat. Nam quid minus veri est, quam horrere communia? M. Pestem timeo. R. At quid aliud tibi si morieris ad vsitatũ genus moriendi pestis addiderit, quam vt comitatior moriare, sin euaseris, vt dulcior vita sit, tot circumfusis erepta periculis, si mori periculum non natura est, neque enim omnes pestis perimit. Alioqui, ea hac peste nouissima cui par à sæculis nõ fuit, nullus hominũ euasisset. Euaserunt multi, qui melius obijssent, hinc vt vides seges solita, nunc etiam mundus exuberat, quam nulla vnquam pestis, nulla mortis manus exhauriet, tam concreta est. M. Pestem metuo. D. Dic (quod est verius) mori times, de quo nobis, vt te video in querelas pronum, antequam res desinat disceptandum reor. præter hoc enim quid est, quod pestis nomen exhorreas cum potius (vt est dictum) solanij genus sit perire cũ plurimis? M. Pestem horreo. R. Si ad hoc te humani generis charitas quædam trahit, est quod laudem. Nihil est magis hominis, quam humana incommoda miserari, sin tui tantum, est quod arguam. Nam quid pestis nocitura mortali, nisi vt facias, quod facturus es, nisi illud inter damna connumeres non lugeri, quod in talibus accidit, & feliciores censes, qui multum fleti ad superos apud Vergilium memorantur?

SIMILE.

Artaxerxis regis. Morbus, qui nomine appellatur pestis, nostrum ionas sit exercitum: & cum plura sæpius fecissemus, remedium nullum hactenus est datum. Quare & omnino rogamus, vt aliquod adiumentum nobis quam primum transmittas, siue ex his quæ natura habentur, siue arte proueniunt, siue cuiusuis hominis peritia, quo morbus hic curari queat. Transmittas igitur quam primum potes, atque quantum potes hunc morbum coercere: quare nec impensæ, nec muneribus parcas. Nam per totum longe serpit, crassum quendam ac grauem spiritum. Et cum hostem, feram bestiam habeamus, non pugnãdo expugnamur. Quippe pecora interimit, & quam plurimos ita inficit, vt nulla cura sanari possint atque tela in dies acerbiora iaculando immittit. *In epist. ad Hippoc. med fol. 66.*

Vide Morbus, & Medicus.

PETITIO.

LOCI BIBLICI.

Petitiones, siue postulationes nostræ ad Deum, & eius voluntate verbo suo patefacta, concipi debent, 1. *Io.* 5. *v.* 14. Petitiones & orationes fidelium non vanæ, 1. *Sam.* 7. *v.* 8. 1 *Reg.* 17. *v.* 1. 2. *Reg.* 1. *v.* 10 & 4. *v.* 32. 33. 35. & 19. *v.* 4. 20. *Iob.* 42. *v.* 8. *Psal.* 3. *v.* 5. & 4. *v.* 2. 4. & 10. *v.* 17. & 22. *v.* 25. & 30. *v.* 3. & 31. *v.* 30. & 34. *v.* 5. 18. & 38. *v.* 16. & 40. *v.* 2. & 55. *v.* 17. & 69. & 34. & 77. *v.* 2. 3. & 79. *v.* 8. & 80. *v* & 86. *v.* 9. & 91. *v.* 15 & 99. *v.* 6 & 102. *v.* 18. & 118. *v.* 5. & 120. *v.* 1. & 138. *v.* 3. & 141. *v.* 1. & 145. *v.* 25. *Prou.* 15. *v.* 29. *Esa.* 30. *v.* 19. & 37. *v.* 2. 21 & 38. *v.* 5. & 49. *v.* 8. & 58. *v.* 9. & 65. *v.* 24. *Iere.* 29. *v.* 12. & 33 *v.* 3. *Dan.* 2. *v.* 19. *Io.* 2. *v.* 3. *Zach.* 10. *v.* 6. & 12. *v.* 10. *Matt.* 7. *v.* 8 & 18. *v.* 19. & 21. *v.* 22. *Marc.* 11. *v.* 24. *Luc.* 18. *v.* 7. *Io.* 9. 31. & 14. *v.* 13. 14. & 15. *v.* 7. & 16. *v.* 23. *Act.* 4. *v.* 31. & 7. *v.* 34. & 10. *v.* 4. & 16. *v.* 25. 26. 1. *Pet.* 3. *v.* 11. *Iac.* 1. *v.* 5. & 5. *v.* 17. 18. 1. *Io.* 3. *v.* 42. & 5. *v.* 14. 15. *Exempla.* Moses, *Exod.* 17. *v.* 11. 12. 13. Samuel, 1. *Sam.* 7. *v.* 8. 9. 10. Elias, 1. *Reg.* 17. *v.* 1. 2. *Reg.* 1. *v.* 10. 11. *Eccl.* 48. *v.* 3. *Iaco.* 5. *v.* 16. 17. Elisæ 5. 4. *v.* 33. Ezechias, 19. *v.* 3. 4 *etc.* Iob, *Iob* 42. 8. Dauid, *Psal* 3. *v.* 5. & 4. 2. & 10. 17. & 18. 7. & 22 25 & 30. 3. & 31. 32. & 34. 5. & 40. 2. & 77 2. & 86. 7. & 118. 5. & 120. *v.* 1. Israelitæ, *Psal.* 99. 7. Ionas, *Ion.* 2. 3. Paulus & Silas: *Act.* 16. *v.* 25. 26.

Vide Preces, Precatio.

PATRVM SENTENTIÆ.

Quum aliquid aliquando tardius dat Deus, commendat dona, non negat. Desiderata diu dulcius obtinentur, cito autem data vilescunt. Pete, quære, insta, petendo & quærendo crescas vt capias. Seruat tibi Deus, quod non vult cito dare, vt & tu discas magna magis desiderare. *Aug. de verb. Dom. c. 1.*

Male vsurus eo, quod vult accipere, Deo potius miserante non accipit, proinde si hæc ab illo petuntur, vnde homo læditur exauditus, magis metuendum est, ne quod posset non dare propitius det iratus, *In Ioan. c. 14.*

Sæpe vox nostra eo perficitur, quo differtur, & quum superficie tenus petitio negligitur, vota nostra altius in cogitationum radice solidantur: sic & semina messium gelu pressa solidãtur: & quo ad superficiem tardius exeunt, eo ad frugem multiplicatiora cõsurgunt. *Greg. lib. Moral.*

Desideria vtique nostra dilatione extenduntur, vt proficiant, vt ad hoc quod perceptura sunt, conualescant: excitantur in certamine, vt maioribus cumulentur præmijs. In retributione labor protrahitur pugnæ, vt crescat corona victoriæ. *ibid.*

Quum is, qui displicet, ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora prouocatur. *In past.*

Non impetrata Deo bonum, quod poscit, qui eius legi non obedit. Si enim id quod Deus præcipit, facimus, id quod petimus sine dubio obtinebimus. *Isid. lib. 3. de sum. bon.*

Petentis negligentia reprehenditur, vbi de dantis misericordia nõ dubitatur. *Chrysost. in Matth.*

Supplicatio est, quando desiderium mentis cum magna deuotione exprimitur. *Hugo.*

Iustum est, vt iugiter rogetur, qui si non petatur, offenditur. *Cass. in Psal.*

SENTENTIAE POETARVM.

Plaut. Amph.

Iustam rem & facilem esse oratam a vobis volo:
Nam iuste a iustis iustus sum orator datus.

Plaut. Pseud.

Stulti haud scimus frustra vt simus, cum quod cupienter dari
Petimus nobis, quasi quid in rem sit, possimus noscere.
Certa amittimus, dum incerta petimus, atque hoc euenit
In labore atque in dolore vt mors obrepat interim.

Ouid. 1. Pont. 9.

Ah nimium est quod amice petis, moderatius opta,
Et voti, quæso, contrahe vela tui.

Mart. 2.

Durum est: Sexte negare, cum rogeris,
Quanto durius, antequam rogeris?

Ouid.

Ouid.3.Pont.16.

Scilicet eiusdem est, quamuis pugnare videtur,
Supplicibus facilem, fontibus esse trucem.
Et pudet, & metuo, semperque eademque precari,
Ne subeant animo tadia iusta tuo.
Verum quid faciam? res immoderata cupido est,
Da veniam vitio mitis amice meo.

Philosoph. Sententiæ.

Qui timide rogat, docet negare. *Sen.*

Nil petas quod negaturus fuisti, nil negabis quod petiturus fuisti. *idem.*

Ingenuitatem lædes, cum indignũ roges. Negat sibi ipse, qui quod difficile est, petit. Petenti authoritas datur, quum credit dominum præstare posse quod petitur. *in Prouerb.*

Apophthegmata.

Thales, sciscitanti quid esset dulcissimum? Potiri, inquit. Nam ea demum delectant, quæ contingunt expetita. Quæ vltro obijciuntur, non perinde iuuant. *Laert lib.1.c.1.*

Socrates dicebat, à Dijs nihil petendum, nisi bona simpliciter: cum vulgus petat bene dotatam vxorem, opes, honores, regnum, longam vitam, quasi præscribentes numini quid oporteat facere. At Deus optime nouit, quod nobis bonũ sit, quid nõ. *P.M.l.3.apoph.*

Epicurus dicere solebat, Breui temporis spacio omnes homines perituros esse, si hominum preces sequeretur Deus. Nã subinde multa & acerba alij in alios precantur. *Max serm.14.*

Epictetus ad conuiuium, inquit, inuitati præsentibus vtimur. Quod si quis iuberet apponere sibi pisces, aut placentas, absurdos videretur. At nos in mundo petimus à Dijs, quæ non dant: cum multa interim sint quæ exhibuerunt. *Stob. serm.4.*

Anonymus poeta quidam cum amicos suos videret egentes, & petentes à Dijs quæ illis minime condocerent, cum tamen vtilia viderentur, pro omnibus sic ait: Iuppiter rex: optima quidẽ nobis & vouentibus & non vouentibus tribue. Mala autem poscẽtibus quoq; abesse iube. Cuius poetæ piam sententiam ex Platonis lib.6. sub persona Socratis, Erardus Schomberger, vir in omni scientiarum genere doctissimus, dum bonas literas in celeberrimo Heydelbergensium Gymnasio profiteretur, forib. habitationis suæ affixam, suis (quos priuatim docebat) discipulis semper inculcare solebat, his verbis descriptam.

Da bona, siue petare Deus, seu nulla petare.
Et procul a nobis mala quaque petentibus aufer.
Et mala, siue petare nega, seu nulla petare.

Leges autem hanc piam & Christianam poetæ sententiam apud Brus. quoque. *lib.5.c.14. & Val. Max. lib.7.c.2.*

Agesilaum Lacedæmoniorum regem cum quidam vrgeret, improbe postulando, vt promissum præstaret: Recte sane, inquit, siquidem iustum, quod petis, promisi: sin minus, non promisi, sed dixi. Quo dicto elusit flagitatoris improbitatem. Verum cũ efflagitandi finem nequaquam faceret, sed subijceret. Atqui decet reges præstare quicquid vel capite annuerint: Nihilo magis, inquit, quam eos qui reges adeunt, decet ea petere, loquique, quæ iusta & honesta sunt, spectantes simul & opportunitatem, & quid regibus conueniat. *Plut.*

Cambyses dicere solebat, haud fas esse è Dijs petere victoriam in equestri pugna, eos qui equitare nõ didicissent: neque sagittę ignaros superare illos sagittando, qui huiusmodi peritiam callent: neque eos qui frumenta non serunt, precari triticum pulcherrimũ nasci: neque salutem petere, qui sibi in bello non cauerent. *Ex Xenophonte & Brusonio lib.5.c.27.*

Diogenes, quum aliquando stipem posceret, ita ἐπαιτέρχην, id est, eum qui stipibus erogandis erat præfectus, Homerico carmine compellauit:

Τοὺς ἄλλους ἐνάριζε, δ' Ἕκτορος ἔχειν χεῖρας.
Despolia reliquos tenens sed ab Hectore dextram.

Dicti festiuitas in hoc est, quod pro ἐπαιτίζε dixit ἐνάριζε quorũ prius est, da stipem, alterum armis spolia, se Hectoris nomine signans. Spoliat autem qui negat egenti. Et solet hoc hominum genus esse furax. *Laert lib.6.*

Zeno Citticus, quum Cynicus quispiam dicens, in lecytho suo nihil esse olei, peteret a Zenone, Zeno negauit se daturum: sed tamen abeuntem admonuit, expenderet vter ipsorum esset impudentior. Postulatoris impudentiam impudenti negatione pensabat. *Laert. lib.7.c.1.*

Epaminondas, cum hominem nequam ob mediocre scelus in vincula coniecisset, Pelopidi efflagitanti, non dimisit, sed amicæ supplicanti concessit, dicens, Scorta decere, non imperatores eiusmodi dona accipere. *Plut.*

Phocion, quum populus Atheniensis flagitaret, vt Phocion copias in Bœotiam educeret, eamque rem Phocion non fore à Repub. iudicaret, edixit vt quotquot essent in ciuitate ab ephebis vsq; ad sexagenarios, se sequerentur. Hic reclamantibus senioribus, & ætatem excusantibus: Nihil, inquit, absurdi meo edicto continetur, quia ipse natus annos octoginta, vna cum ipsis dux profecturus sim. Hac arte temporarium multitudinis calorem retudit. *Plutarc. in apoph.*

Clisophus Atheniensis adulator, Philippo increpanti, cur semper aliquid peteret: Obliuiscor, inquit. Lepidus iocus, sed pugnãs cum laudatissima sententia: beneficij accepti meminisse, dati obliuisci oportet. *P.M. lib.6. apoph.*

Antigonus primus, cum frequenter Biantem moleste beneficia flagitantem tulisset, tandem victus tædio. Date, inquit, Bianti talentum, vel vi. Sentiens beneficium, non impetratum, sed improbitate extortum. *P.M. lib.4. apoph.*

Anonymus, quidam Antigoni amicus, cum ab eo petijsset talentum, nec accepisset, postulauit ab eo deductores, ac corporis custodes. Rogatus, quamobrem? Ne loquit, insidijs, impetar, affingens, se talentum humeris ferre. *P.M. lib.8 apoph.*

Scipio Africanus, quum à Scipione Africano quidam vetus affectator ex numero amicorum, non impetraret vt se præfectum in Africam duceret, & id ferret moleste: Noli, inquit, mirari, si tu à me hoc non impetras. Ego iam pridem ab eo cui meam existimationem charam fore arbitror, peto, vt mecum præfectus proficiscatur & adhuc impetrare non possum. *Cic. in Verr.*

Catullus censor. Catonem sibi arctissima iunctum necessitudine rogauit, vt quendam ipsius iudicio obnoxium (erat enim quæstor) missum faceret. Ille hunc in modum respondit: Turpe est nos qui iuuentutis recte instituendæ authores esse debemus, à lictorib. irrideri nostris. Negauit asperius, quod iniuste petebatur. *Plut. in Cato. vita.*

Augustus Cæsar. quum Galli donassent Augusto torquem aureum, centum pondo, ac Dolabella per iocum tentans illum, tandem huc produceret iocum, vt diceret, Imperator torque me dona. Malo te, inqt, ciuica donare. Festiuiter submouit postulatoris impudentiam, qui nunquam in bello fuisset: eoque magis illi conueniebat corona ciuica, quæ ex quernis ilignisque frondib. fieri consueuit, quemadmodum triumphalis ex auro. Quanquam & castrẽsis, & muralis, & naualis ex auro fieri solebat. *Qua de re vide A. Gellium lib.5. cap.6.* Ciuicam autem Augustus, vt honorificẽtiorem per iocum obtulit. Nam Suetonius refert, eum inter dona militaria aliquanto faciliius phaleras & torques, & quicquid auro argentoq; cõstaret, dare solitum quam vallares ac murales coronas, quæ honore præcellerent. Hoc nisi scias, friget Augusti iocus. Tametsi de materia coronarum variant Gellius & Sueto. *P.M. lib.4. apoph. & Brus. lib 3.c.16.*

Anonymus. Græculus quidam ita captare solitus est Cæsarem Augustum: descendenti à palatio, honorificũ aliquod epigramma porrigebat. Id cũ frustra sæpe fecisset, ne destiturum videret Augustus, epigramma bene Græcũ manu sua descripsit, & Græculo ad se venienti obuiam misit, veluti carmina carminibus pensaturus. Græcus acceptũ legit, ac non solum voce, verum & nutu gestuque corporis laudauit carmen, miratusq. est. Deinde cum accessisset ad sellam qua Cæsar vehebatur demissa in pauperem crumenam manu pauculos denarios protulit, Cæsariq; obtulit his verbis οὐ κατὰ τύχην τὴν σὴν σεβαστέ· εἰ πλέον εἶχον, πλέον ἐδίδουν. Id est, non iuxta fortunam tuam Auguste, si plus haberem plus darem. Sequuto omnium risu, dispensatorẽ Cęsar vocauit, & sestertium cẽtum millia Græculo numerari iussit. Bene cessit Græculo palam exprobata principi parsimonia. *Suet. in eius vita.*

Augustus Cæsar. Cum à Cæsare Augusto Romæ Pacinnius Laurus munus peteret, diceretq. populari rumore sparsum, pecuniam haud paruam ipsi à Cæsare datã: Sed tu inquit, noli credere: Lepido ioco significans, se non daturum. Alter expectabat, futurũ vt Cęsari ipsius pudori succurreret, ne si compertũ esset rumorẽ esse vanum, ipse ludibrio haberetur. Cæsar aliud indicauit remedium: fineret homines loqui quæ vellent, modo ne ipsi quod erat falsum persuaderent. *Macrob. lib.2. Saturn.*

Idem, præfectura equitum quidam submotus, insuper & salariũ ab Augusto postulare est ausus: hoc colore, vt diceret se non lucri causa salariũ petere: sed vt tuo, inquit, iudicio videar impetrasse munus, & ita credar non ab officio submotus, sed officiũ deposuisse. Tu, inqt Augustus, apud omnes prædica te accepisse, ego non negabo. Si nihil mouebat petitorem nisi metus ignominia, via cõmonstrata est, qua nihilo minus honori suo consulere posset, quam si pecuniam accepisset. *Macrob.*

Idem. Liuiæ vxori pro quodam Gallo petenti ciuitatem negauit, ac immunitatem obtulit, dicens, se facilius passurum fisco suo detrahi, quam honorem ciuitatis Romanæ vulgari: nimirum Reipub. dignitatem anteferens priuato commodo. *Suet.*

Idem. Cum miles quidam ab Augusto Cæsare impudenter peteret, ac Martianum videret accedentem, quẽ & ipsum aliquid improbe petiturum suspicabatur: Non magis, inquit, faciam commilito quod petis, quam quod Martianus a me petiturus est. *ibid.*

Fl. Vespasianus. Quum quidam è charis ministris munus ab eo pro quodã, quem fratrem esse assimulauerat, peteret, rem distulit,

lit, donec ab eo pro quo petebatur, pecuniam extorqueret, quā cum ministro fuerat pactus. Qua accepta interpellanti ministro vrbanissime respondit: Alium tibi quære fratrem: hic, quem tuū esse putas, meus est. *Bruf. lib. 2. c. 3.*

Hadrianus Imp. Romæ cum in spectaculo populus clamore flagitaret, vt aurigam qui placuerat, liberum esse iuberet, per tabellam respondit: Iniquum esse, quod peterent. Si enim seruum alienum libertate donaret, fieret iniuria domino. Dicas hunc abhorruisse ab omni violentia. *Dionys.*

Alphonsus. eques quidam, Ioannes Calaguritanus nomine, ab hostibus captus, & ab iisdem emissus carcere, Alphonsum regem adijt, & in solatium calamitatis multa postulauit ab eo, & impetrauit. Quo digresso, rex dicit ad familiares: Disperеam, inquit, ni metui ne vxorem etiam meam deposceret eques meus. *Panor. lib. 2. de reb. gest. Alphonsi, & P. M. lib. 8. apoph.*

Idem. Alius eques cum subinde ab Alphonso Aragonum rege munera peteret, & acciperet, omnia profudit, & alia deinde petij . Cui rex ait. Si pergam tibi dare, quæ petis, citius me pauperem effecero, quam te diuitem. *Panor. lib. 2. de reb. gest. Alphonsi.*

Fridericus Cæs. Iacobus de Sircla, episcopus Treuerensis, princeps elector, vir industrius, ac magni consilij, sed multum cupidus, & ad extollendam Ecclesiæ potentiam nimis attentus. Fridericum Cæsarem apud nouam ciuitatē cum adisset, & alia, atque alia petens impetrasset, sed plura tamen petendo instaret: Si non facis, inquit imperator, petendi finem ego certe negandi finem facile inuenіam. Quo dicto perquam lepido improbum petitorem cōpescuit. *Æn. Siluius lib. 2. Commentar. de reb. gest. Alphonsi.*

Ludouicus Bauarus. Albertus Marchio Brandemburgensis, cum ex Ludouico seniore Bauariæ duce (quem captiuum habebat) iniqua petijsset, ac negatum grauiores durioresque carceres minitasset, Ludouicus, Quæ poteris (inquit) ex me libero impetrare, eadem modo ex capto petito. Innuit autē, iniusta nec à capto, nec homine libero petenda esse. *Æneas Siluius lib. 3. Commentar. de reb. gestis Alphonsi.*

SIMILITVDO.

Seneca, quemadmodum nemo in amorem sui cohortandus est, quē cum nascitur, trahit: Ita ne ad huc quidem, vt honesta per se petat. *lib. 4. de Benefic.*

EXEMPLA BIBLICA.

Petitiones iustæ esse debent *Exempla:* Samson, *Iudic. 15. v. 18. 9.* Anna, *1. Sam. 1. v. 10. 11. 17.* Salomon, *1. Reg. 3. v. 10. 11. 12.* Elias, *2. Reg. 2. v. 9. 10.* Zacharias, *Luc. 1. 13.* Petitionum iniustarum, *Exempla:* Naas, *1. Sam. 11. 2.* Adonias, *1. Reg. 2. 17* Filij Zebedæi, *Matt. 20. 21. Marc 10. 37.* Herodiadas filia, *Marc. 6. 25.* Petitionis iniustæ pœnæ, *1. Reg. 2. 25.*

Vide Supra, Oratio.

PETVLANTIA.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Petulantia, Græce ἀσέλγεια, & ἀσελγὴς, petulans dicitur. Est autem petulantia, voluptas mentem à ratione ad Venerem reuocans, & cæteros illicitos trahens motus, lasciua subsultatio, & sine modestia proterua, ac procax loquendi, vel potius blaterandi consuetudo.

Petulantia est nimia quædam audacia, & procacitas à petendo dicta, quasi ex petantur, quæ absurda sunt, quemadmodum procacitas à procando dicitur. Procari enim veteres petere dicebant, vnde proci, petitores vxorum.

Petulantia, Hebr. dicitur *Chamas*, id est, violentia, iniustitia, rapina, fraus, calumnia, iniuria, à verbo *Chamas*. violauit, violenter surripuit, vim & iniuriam intulit, iniuriose tractauit, abstulit. Quæ omnes petulantibus hominibus sunt communia. Dicitur item *bhoschek*, à verbo *bhaschak*. defraudauit, fraude aliquid abstulit, fraudulenter verbis decepit aliquem, fraude & vi oppressit. Petulantiæ hi sunt characteres, cui quid libet licet: præsertim si viribus polleat.

SENTENTIÆ PHILOSOPHORVM.

Petulantia in anima vituperatur, quia in ipsa multiforme, & varium pectus vltra quam conuenit versatur. *Plat. de Repub. l. 9.*

Quæ natura occultauit, eadem omnes, qui sana mente sunt, remouent ab oculis: ipsique necessitati, dant operam, vt quam occultissime pateant: quarumque partium corporis vsus sunt necessarij, eas neque partes, neque earum vsus suis nominibus appellant: quodque tacere turpe non est, modo occulte, id dicere obscœnum est. Itaque nec aperta actio rerum illarum petulantia vacat: nec oratio obscœnitate. *Cic. lib. 1. de Offic.*

FABVLA.

De Sorice.

Inter mures sunt qui Sorices appellantur, exiliores quidē & acriores reliquis, atque putātur soli stridere clarius, cum aliorū voces non exaudiantur. Horum vnum quondam in cętu murium gloriatum de cantu & vocali sono ferunt, cui vetulus alius: Heus tu, dixerit, quid gloriaris stulte, quidve istum exitiosum tibi stridorem iactitas? An non audis de hoc etiam prouerbium natū inter homines: Soricē ipsum suo perire indicio? Ne tu igitur quod neque generi honestum est & saluti contrarium tuæ, quasi pulchrum & magni faciendum ostentes. Ridebat senem ferοculus iste, atque quam ante magis contentiusque stridebat. Itaque homines hoc signo mures in illo loco versari cum deprehendissent, operam dedere, vt eos insidijs circumuentos caperent. Captusq; in primis sorex, stridere tum quoque in dolore & perturbatione animi. Ibi vetulum illum suis paruis musculis cum præcepta daret moderationis & prudentiæ, hoc quoque dixisse accepimus: Detestabilem esse eam vocem quæ eadem & in lætitia ac felicitate, & tristitia atque miseria emitteretur.

Fabula narrari potest aduersus petulantes ineptias ostentationis, docetque vanitatis ac leuitatis exultationem, etiam misericordia destitui.

Vide Malitia, Improbitas.

PHILAVTIA.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

Philautia. φιλαυτία, αϛ, ἡ. Amor sui. Philautia amor est, quo corpus complectimur, rationi non consentaneus. *Max. de charitate, cent. 3. 56.*

SENTENTIÆ POETICÆ.

Hor. 2. Carm. 18.

Subsequitur cæcus amor sui,
Et tollens vacuum plus nimis gloria verticem.

Serm. 3.

Egomet mi ignosco. Mænius inquit.
Stultus, & improbus hic amor est, dignusque notari.

Ter. And. 2. 4.

Verum illud verbum est, vulgo quod dici solet,
Omnes sibi malle melius esse, quam alteri.

Idem Adelph.

Quenquam ne hominem in animo instituere, aut
Parare quod sit charius quam ipse sibi?

Idem Adelph. 1. 2.

Homine imperito nunquam quidquam iniustius,
Qui nisi quod ipse facit nihil rectum putat.

ADAGIA.

Philauti. φίλαυτοι.

Qui vehementer sibi placent. Vitium dicitur Philautia, quod apposite Horatius circumloquens dicit: Cæcus amor sui.

Non videmus manticæ quod in tergo est.

Hoc est, non videmus nostra ipsorum vitia, cum aliena curiosis oculis perspiciamus. Iactari potest in curiosos alienorum vitiorum Corycæos.

Quod volumus sanctum est. *Augustinus contra Cresconium Grammaticum.*

Dici potest in perditissimum illud genus hominum quod etiam hodie in mundo regnat, peccatum exigens non ad regulam Christi: sed ad suos affectus. Quicquid n. tales vehementer amant, hoc videri volunt etiam sanctum.

Papæ myxus. Βαβαὶ μύξος.

In gloriosos & iactabundos dici consueuit.

Amicos tragœdos æmulatur. τοὺς ἑταίρους τραγῳδοὺς ἀγωνίζεται.

Dici solitum de his, qui sese accommodarent ac morum seueritatem sumerent ad æmulationem aliorum.

Tragice loqui Τραγικώτερον λαλεῖν.

Est verbis uti magnificentioribus.

Ne magna loquaris. μὴ μεγάλα λέγε.

Admonet temperandum a magniloquentia. Horat.

Proicit ampullas & sesquipedalia verba.
Et spirat Tragicum, satis & feliciter audet.

Argenti fontes, ἀργύρου κρῆναι λαλοῦσιν.

In eos, qui stolide quidem atque indocte, sed arroganter tamen & confidenter loquuntur, opibus suis freti. Quadrabit in eos etiam, quorum oratio propter opum fiduciam plus satis libera atque audax videtur.

Colophonia ferocia. Κολοφώνια ὕβρις

In insolentes, qui ferociter decipiunt & affligunt humilioris fortunæ homines. Aut in eos quibus sua ferocitas exitium attulit.

Oleum in auricula ferre. *Martial. lib. 5. Epigram. 79.*

Narratur quidam belle dixisse Marulle,
Qui te ferre oleum dixit in auricula.

Videtur Poeta taxare hominem rigida atque supina aure. Referri etiam potest ad assentatores, qui velut oleum instillant in aurem, dum iucunda loquun-

loquuntur magis quam salutaria, quo & illud referendum est: Oleum vendere:

Aut minus animi: aut plus potentiæ. ἢ φρονεῖν δ' ἀλαζονεῖ δυνάμεως δεῖ μείζονος.

Conuenit in feroces, quorum arrogantia non suppetunt uires. Aut in eos, qui non timent irritare, quem uincere non possint.

Mendax atraphaxis. ψευδὴς ὢν πλέα ἀτράφαξις.

De tumidis & uentosis.

Quæ quis ipse facit, hæc vicinis vitio non vertit. ἃ γὰρ αὐτὸς ποιεῖ, ταῦτα τοῖς πέλας μὴ ἐπιτιμᾶν. *Arist. lib. 2. Rhet.*

Conuenit cum illo Terentiano. Homine imperito nihil quicquam iniustius, qui nil nisi quod ipse facit rectum putat. Sunt enim qui damnant, quæ quod ipsi non possint assequi.

Suus cuique crepitus bene olet.

Nemo est cui sua mala non uideantur esse optima. Plato.

Ipsis placet. αὐτοῖς ἀρέσκει.

Ubi rem parum nobis probari, aut tanquam nihil ad nos pertinere significamus.

Pedere thus. βδεῖν λιβανωτόν.

Accommodabitur in hos, quorum uitia placent aut ipsis aut alijs impendio amantibus. Dici etiam poterit in assentatores. Aristoph.

In armis accessat. ἐπὶ τοῖς ὅπλοις ἀκκίζεται.

In eum, qui sibi placet, sese que quasi contemplatur in armis, uis.

Et beduncket sich der beste Ham im Korbe.

Et mea me mater Pollucem vincere dixit. καί μ' ἔφα ἁ μάτηρ Πολυδεύκεος ἦμεν ἀμείνω. *Theocr. in Ecloga cui inscript. νομεῖς.*

Cum quis peruerso propter amorem iudicio anteponitur, aut æquatur ijs, cum quibus minime conferendus est.

Teipsum laudas. σαυτὸν ἐπαινεῖς.

Ubi quis sese laudat, neque buccinatorem agit.

Teipsum inspice. μὴ τὸν ἐμὸν ἀλλὰ καὶ τὸ σὸν φῦλον σκόπει.

Non meum sed tuum inspicito genus. Plutarchus. Stultum est in alterum dicere, quod in te possit retorqueri.

Besihe dich selbst. Fege vor deiner Thuer.

Multi te oderint si te ipsum laudas. πολλοί σε τοι μισοῦσιν ἂν σαυτὸν φιλῇς.

Ostendit adagium, nullos minus appositos esse ad mutuum amorem ac beneuolentiam, quam qui sese uehementer amant.

Sine riuali diligere.

Qui stulte mirantur, quod nemo alius concupiscat, sine riuali diligere dicuntur.

Non est beatus, esse qui se nesciat.

Innuit haud esse satis, ut adsit felicitas, ni felicitatem tuam intellexeris. Virgil.

O fortunatos nimium sua si bona norint,

Agricolas:

Ἀζυλος πλοῦτος.

Vocabatur, cum quis suas dotes ignoraret. Felicitatis uero haud minima pars est, ut sua quisque norit bona.

E M B L E M A.

φιλαυτία.

Emblema LXIX. Andreæ Alciati.

Quod nimium tua forma tibi Narcisse placebat,
In florem, & noti est uersa stuporis olus.
Ingenij est marcor, cladesque φιλαυτία doctos.
Qui pessum plures dantque dedantque uiros.
Qui ueterum abiecta methodo, noua dogmata quærunt,
Nilque suas præter tradere phantasias.

H I E R O G L Y P H I C V M.

Qui sit in prolem suam affectu *Simia*, vulgo notum est. Hinc illud oritur hieroglyphicum, vt *Suffenos Catullianos seu Baludos sui admiratores* per *fœtam Simiam* apte significari posse nonnulli contendant. *Pier. Val. lib. 6. pag. 59. 8.*

Vide supra, Amor sui.

PHILOSOPHIA.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Philosophia, Græca dictio est, φιλοσοφία, ας, ἡ, Est amor scientiæ. *Ioc. Aug. lib. 4. de Ciuitate Dei: & eundem contra Academicos & Boetium in Arithmetica.* Componitur autem ex φίλος, ου, quod est amicus, & σοφία, ας, ἡ quod est sapientia. Habet autem sophia penult. corrept. Martialis.

Cum tibi sit sophiæ par cura, & cura Deorum.

Hebræi philosophiam appellant *Cochmach*, i. sapientiam rerū diuinarum & humanarum: a verbo *Cacham*. Sapuit meote, sapiens fuit, sapienter egit, fuit præditus sapientia. Hinc per mutationem radicis est μάγος, magus sapiens, arcanorum diuinorū interpres: & μάγια, quam Persæ acceperunt pro sapienti perfectaq; rerum naturalium cognitione, vnde & magi ab illis appellabātur, quos Græci philosophos vocant, latini Sapiētes. Vide *Mat. 2. c. 1. &c.* postquam vero magi apud Persas diuini cultus prætextu, legib. omnibus vetitas artes exercuissent, in tantum aucta est eorū vanitas, vt non solum obseruatione siderum futura prædicere, sed actibus quibusdam & maleficijs, se omnia scire & facere posse profiterentur. *Cachasch*, sapiens, magus, industrius, in rerum diuinarum & humanarum cognitione exercitatus. *Cachama*, mulier sapiens industria. Vide *Prou.* 10. 1. 8. 14. *Eccl.* 2. 14. *Exod.* 35. 25. 2. *Sam.* 16. *Prou.* 14. 1. Vide *Sapientia.*

L O C I B I B L I C I.

Philosophia in reb. Dei fallax, *Col.* 2. 8. ideoq; damnatur ab Apostolo non simpliciter, vt qui principijs cum vera philosophia communibus sæpe vtatur, methodum quam accuratissime obseruet, philosophiam veram Dei donum esse sciat, & Episcopum velit esse ὀρθοτομοῦντα τὸν λόγον τῆς ἀληθείας, i. qui recte sermonem veritatis secet, 2. *Tim.* 2. 15. (quod sine mediocri liberalium artiū & philosophiæ cognitione fieri non potest) sed κατά τι quatenus nimirum illa sese intra fines suos non continet, nec ad gloriam Dei fertur.

S E N T E N T I A E P A T R V M.

Si quæ vera philophi dixerunt, ab eis sunt tanquam ab iniustis possessorib. vindicanda in vsum nostrum, *Augu. l. 2. de doct. Christiana.*

Non est religio a philosophis quærenda, qui eadem sacra recipiebant cum populis, & de suorum Deorum natura ac summo bono, diuersas contrariasque sententias in scholis personabant. *lib. de vera relig.*

Philosophi eo damnabilius colebant idola, quo illa quæ mendaciter agebant, sic agerent, vt cum populo veraciter agere existimarentur. *De ciuitate Dei.*

Res siquidem monstruosa est, philosophus curialis. & dum vtrumque esse affectat, neutrum est, eo quod curia philosophiā excludit, & ineptias curiales philosophus vsquequaque non recipit. *Chrysostomus lib. 1. de nugis curialium.*

Quicunq; scientiam comingere cupit, si relicta veritate artiū, reliquis se implicare voluerit, materiam laboris, vt ita dicam, infinitam plurimamq; inueniet, & fructum exiguum: quapropter mihi videtur primum operam dandam esse artibus, vbi fundamenta sunt omnium, & pura simplexq; veritas aperitur, & ideo errāt, qui relictis artibus, quasdam sibi scientias eligunt, in quib. se posse fieri perfectos putant. *Hug. in didasc. lib. 3.*

In philosophis. n. fuit venerabilis imago virtutis, cum sine fide & dilectione virtutis substantia esse nō possit, & vtinam, inquit, inueniatur in nobis, qui virtutis imaginem teneat. Quis vmbras virtutum induit. quos. n. videmus floruisse gentiles? Quis. n. Themistoclis diligentiam, Frontonis grauitatem, Socratis continentiā, Fabritij fidem, pudicitiam Scipionis, longanimitatē Vlyssis, Catonis pietatem imitatur? qui quasi quædam sæculorum suorum sidera splenduerunt, tempora sua illustrantes: Sed quia Christū non cognouerunt, in cogitationibus suis superbia tumescentes, vera humilitate carentes, humanam gloriam appetentes, & seipsos esse sapientes æstimantes & dicentes, stulti facti sunt. *ibid.* 2.

O felicia antiquorum tempora: in quibus ipsi Imperatores mundum regentes seipsos philosophiæ dederunt, vt patuit de Alexandro Macedone, de Iulio Cæsare, de Ptolomæo rege. Cuiuslibet enim regni gloria creuit in immensum, quamdiu artium liberalium studia in ipso floruerunt. Victoria enim militiæ, & gloria, & philosophia simul creuerūt. Et merito, quia philosophia vera docet iuste & recte regnare. Per me enim reges regnant, ait Sapientia. *ibidem.*

Pisces fortasse philosophos vocat, qui huius mundi naturam erratica curiositate pertractant: nā sicuti illi posita fronte itinera sibi resecant, pelagi inundatione confusa, ita & isti capite demisso venas rerū rōne humana assiduo labore perquirunt. *Cass. in Psal.*

Astrologiam sacrilegam summa intensione fugiamus, quam etiā nobilium philosophorum iudicia damnauerunt. *ibid.*

Diuina eruditio dialecticam, in qua oīs loquendi ratio continetur, non desiderat. quia non in lingua, sed in corde sapientia est, nec interest quali vtare sermone. Res tamen non verba quęrūtur: & nos non de grammatico, aut oratore, quorum scientia est quomodo loqui deceat, sed de sapiēte disserimus, cuius doctrinę est, quō viuere oportet. Quod si neque physica ratio necessaria est, neque hęc logica, quia beatum facere non possunt: restat vt in sola Ethica totius philosophiæ vis contineatur, ad quā se abiectis omnibus, Socrates contulisse dicitur, in qua etiam parte, quoniā philosophi errauerunt, qui summum bonum, cuius capiendi gratia generati sunt, non comprehenderunt, apparet falsam esse & inanem omnem philosophiam, quia non instituit ad iustitiæ munera nec officium hominis rationesque confirmat. *Lact. Firm. li. 3.*

S E N T E N T I A E P O E T I C A E.

De VII. sapientibus.

Ἑπτὰ σοφῶν ἐρέω κατ' ἔπος πόλιν ὄνομα φωνήν.
Μέτρον μὲν Κλεόβουλος ὁ Λίνδιος εἶπεν ἄριστον.

Χείλων

Χείλων δ' ἐν κοίλῃ Λακεδαίμονι γνῶθι σεαυτόν.
Ὃς δὲ Κόρινθον ἔναιε χόλου κρατέειν Περίανδρος.
Πιττακὸς οὐδὲν ἄγαν, ὃς ἔην γένος ἐκ Μιτυλήνης.
Τέρμα δ' ὁρᾶν βιότοιο Σόλων ἱεραῖς ἐν Ἀθήναις.
Τοὺς πλέονας κακίους δὲ Βίας ἀπέφηνε Πριηνεύς.
Ἐγγύην φεύγειν δὲ Θαλῆς Μιλήσιος ηὔδα.
Verba loquor ſeptem ſapientum.nomen & vrbem.
Optima menſura eſt,Cleobulus Lindius inſit.
Inque caua Chilon emet,Lacedæmone,noſce.
Et Periander agens ira moderare Corinthi.
Nil nimis eſt genitus qui Pittacus ex Mitylene,
Cerne Solon vitæ finem ſacris in Athenis.
Turba.Bias Priene genitus canit,ampla malorum.
Miletoque Thales ortus vadimonia linque.
Iacob.Bill.Antholog.ſacr.

In externarum literarum ſtudio conſeneſcendum non eſſe.

Dum puer eſt Moſes fruitur puerilibus annis,
Hunceque loco nati filia regis habet.
At cum maturos tandem peruenit ad annos,
Ad matrem & fratres confugit ille ſuos.
Externis cum des puerilia tempora Muſis.
Vt ſtudio caleas poſt meliore.vide.
Quin ſibi dum Phary puerum te filia regis
Vendicat,à vera lac quoque matre pete.

Sententiæ Philosophicae.

Iunior Dionyſius dicebatur multos alere ſophiſtas,non quod illos admiraretur,ſed quoniam per illos admirationi eſſe vellet: ejectus autem ex tyrannide cum interrogaretur: quid tibi Plato aut philoſophia profuit? Reſpondit, vt æquo animo facileque ferrẽ huiuſmodi fortunæ mutabilitatem. *Plut.in apoph.*

Vnde qui exiſtimant, nullis niſi philoſophantibus ineſſe virtutes, nullos præter Philoſophos beatos eſſe pronunciant. Agnitionem enim rerum diuinarum ſapientiam proprie vocantes,eos tantũmodo dicunt eſſe ſapientes, qui ſuperna acie mentis requirunt, & quærendi ſagaci diligentia comprehendunt, & quantum viuẽdi perſpicuitas præſtat,imitantur. Et in hoc ſolo eſſe aiunt exercitia virtutum,quarum officia ſic diſpenſant. Prudentiæ eſſe,mũdum, & omnia,quæ mundo inſunt, diuinorum contemplatione deſpicere:omnemque animæ cognitionem in ſola diuina dirigere. Temperantiæ,omnia relinquere, in quantum natura patitur, quæ corporis vſus requirit. Fortitudinis,animam non terreri,à corpore quodammodo ductu philoſophiæ recedentem, nec altitudinem perfectæ ad ſuperna aſcenſionis horrere. Iuſtitiæ,ad vnum ſibi huius propoſiti conſentire viam vniuſcuiuſque virtutis obſequium. Atque ita fit,vt ſecundum hoc tam rigidæ definitionis abruptum,rerumpub.rectores beati eſſe non poſſint. *Macrob.lib.1.ſuper Somnio Scip.c.7.*

Philoſophia vero omnium mater artium,quid eſt aliud,niſi,vt Plato ait,donum,vt ego,inuentum Deorum? Hæc nos primum ad illorum cultum,deinde ad ius hominum,quod ſitum eſt in generis humani ſocietate,tum ad modeſtiam magnitudinemque animi erudiuit;eademque ab animo,tamquam ab oculis,caliginem diſpulit, vt omnia ſupera, infera, prima, vltima, media videremus. Prorſus hæc diuina mihi videtur vis,quæ tot res efficiat, & tantas. Quid eſt enim memoria rerum,& verborum,quid porro inuentio? profectò id,quo nec in Deo quidquam maius intelligi poteſt. *Cic.lib.1.Tuſc.quæſt.*

Eſt enim philoſophia paucis contenta iudicibus,multitudinem cõſulto ipſa fugiens,eique ipſi,& ſuſpecta,& inuiſa.

In ipſa enim Græcia philoſophia tanto in honore numquam fuiſſet, niſi doctiſſimorum contentionibus diſſenſionibuſque viguiſſet.

Nam efficit hoc philoſophia: medetur animis, inanes ſolicitudines detrahit,à cupiditatibus liberat,pellit timores. Sed hæc eius vis non idem poteſt apud omnes: tum valet multum, cum eſt idoneam amplexa naturam.

Nam vt agri non omnes frugiferi ſunt,qui coluntur, falſumque illud,ac improbe.

Et ſi in ſegetem deteriorem ſunt datæ
Fruges,tamen ipſa ſuapte natura enitent:

Sic animi non omnes culti fructum ferunt,atque vt in eodem ſimili verſer,vt ager,quamuis fertilis,ſine cultura fructuoſus eſſe non poteſt,ſic ſine doctrina animus. Ita eſt vtraque res ſine altera debilis.

Cultura autem animi,philoſophia eſt: quæ extrahit vitia radicitus, & præparat animos ad ſatus accipiendos:eaque mandat his,& (vt ita dicam) ſerit, quæ adulta fructus vberrimos ferant. *Idem lib.2.*

Eſt profectò animi medicina philoſophia: cuius auxilium non vt in corporalibus morbis,petendum eſt foris, omnibuſque opibus, & viribus vt nosmetipſi nobis mederi poſſimus,elaborandũ eſt.

Magnum opus,& difficile,quis negat?quod autem præclarum,non idem arduum?ſed tamen id ſe effecturam philoſophia profitetur, nos modo curationem eius recipiamus. *idem.lib.3.*

O vitæ philoſophia dux, virtutis indagatrix,expultrixq; vitiorum, quid non modo nos, ſed omnino hominũ vita ſine te eſſe potuiſſet? Tu vrbes peperiſti: tu diſſipatos homines in ſocietatem vitæ conuocaſti, tu eos primo inter ſe domicilijs, deinde coniugijs, tum literarum & vocum communione iunxiſti: tu inuentrix legum, tu magiſtra morum & diſciplinæ fuiſti:ad te confugimus, a te opem petimus: tibi nos,vt antea magna ex parte,ſic nunc penitus,totoſque tradimus.

Pythagorã, vt ait auditor Platonis Ponticus Heraclides,vir doctus principe Phliuntem ferunt veniſſe,eumq; cum Leonte principe Phliaſiorum docte & copioſe diſſeruiſſe quędam:cuius ingeniũ & eloquentiam cum admiratus eſſet Leon, quæſiuiſſe ex eo,qua maxime arte confideret?at illũ, artem quidẽ ſe ſcire nullam, ſed eſſe philoſophum:admiratum Leontem nouitatẽ nominis, quęſiuiſſe quinam eſſent philoſophi,& quid inter eos & reliquos intereſſet? Pythagoram aũt reſpondiſſe, ſimilem ſibi videri vitam hominum,& mercatum eum,qui haberetur maximo ludorũ apparatu totius Gręcię celebritate. Nam vt illic alij corporib.exercitatis gloriam & nobilitatem coronæ peterent, alij emendi aut vendendi quæſtu & lucro ducerentur:eſſet aũt quoddam genus eorum,idq; vel maxime ingenuum,qui nec plauſum,nec lucrum quærerent, ſed viſendi cauſa venirent, ſtudioſeq; perſpicerent quid ageretur,& quomodo. item nos quaſi in mercatus quadam celebritate ex vrbe profectos aliqua, ſic in hanc vitam ex alia vita & natura profectos, alios gloriæ ſeruire, alios pecuniæ. raros eſſe quoſdam, qui cæteris omnib.pro nihilo habitis,rerum naturam ſtudioſe intuerentur:hos ſe appellare ſapientiæ ſtudioſos,id eſt philoſophos: & vt illic liberaliſſimum eſſet ſpectare, nihil ſibi acquirentem: ſic in vita longe omnib. ſtudijs contemplationem rerum cognitionemque pręſtare. *Cicero Tuſc.q lib vlt.*

Si oportet velle ſapere, dare operam philoſophiæ conuenit. *Cic. Rhet ver lib.1.*

Nullum bonum philoſophia præſtabilius,neque datum mortalium generi,Deorum conceſſu & munere,neque dabitur. *Cic.de Creat. cœli & mundi.*

Philoſophia rationib. progredi debet:duo hęc ſunt maxima in philoſophia,iudicium veri,& finis bonorum. *Cic.in Hortenſio.*

Conſideranti mihi ſæpe alias virtutes:Indagatrix,expultrixque vitiorum,diuinarum particeps rerum philoſophia videbatur,& nunc maxime cum naturæ increpatione, eum remotarum ab oculis rerum inueſtigationem ſibi vendicet. Nam cum cæteri magnitudine rei territi, eiuſmodi laborem arduum & profundum exiſtimarent, ſola philoſophia ſuum non deſpexit ingenium,nec indignam ſe exiſtimauit, cui diuinarum humanarumq; rerum diſceptatio deferatur. Quid enim mundo præſtantius? Lauda, quã putas ſpeciem,portio a te laudabitur mundi. *Lucius Apoleius de dogmate Platonis.*

Propter admiran,homines & nunc, & primo, cœperunt philoſophari.

Philomythes,id eſt,fabularum amator, eſt aliqualiter philoſophus, quia fabula ex mirabilibus conſtituitur.

Antiqui philoſophi acquiſitis neceſſarijs vitæ,inceperunt philoſophari. *Ariſt.lib.1.Metaphyſ.*

Appellari philoſophiam ſcientiam veritatis,recte ſe habet. *Ibidem libro 2.*

Tres partes ſunt philoſophiæ & ſcientiæ ſpeculatiuæ, ſcilicet Naturalis,Mathematica,& Diuina,id eſt,Metaphyſica. *Naturalis* conſiderat res coniunctas motui & materiæ ſecundum eſſe,& ſecundum rationem. *Mathematica* conſiderat res coniunctas motui,& materiæ,ſecundum eſſe,ſed ſeparatas à materia ſecundum rationem:& *Metaphyſica* conſiderat res ſeparatas,a materia,ſecundũ rationem. Idẽ vult commentator magis expreſſe:quod Theoricę ſcientię, id eſt, ſpeculatiuæ ſunt alijs ſcientijs deſiderabiliores, & metaphyſica,theoricis.

Si omnis ſubſtantia eſt mobilis:phyſica eſt philoſophia prima, ſed ſi aliqua ſubſtantia eſt immobilis: illa eſt prior quam phyſica. *idem lib.6.*

Philoſophus ſiue ſapiens naturaliter eſt virtuoſus, ſecundum omnes ſpecies virtutum moralium,quæ ſunt:iuſtitia,caſtitas,liberalitas,& ſimilia.

Liber phyſicorum eſt radix & principium philoſophiæ naturalis. *Commentator ſuper 1.Phyſic.*

Ratio vniuerſalis dicit,quod omni philoſopho eſt benefaciendum. *Themiſt.ſuper 3.de Anima.*

Naturalis philoſophi eſt,de ſanitate & infirmitate prima principia inuenire.

Naturalis philoſophus finit conſiderationem ſuam,ad ea,quæ ſunt conſiderationis medicinæ: ſed medicus incipit ab eis; quæ ſunt de conſideratione naturalis. vnde vbi philoſophus dimittit,ibi medicus incipit. *Ariſt.lib.de Senſu & ſenſato.*

Philoſophia habet delectationes admirabiles puritate & firmitate. *idem lib.10.Ethic,*

Sępius

Sæpius philoſophari, videtur mihi res diuina.

Philoſophia docet homines ſuum cognoſcere creatorem. *idem lib. de pomo & morte.*

Si ſine arte, & propter actionem, aliquid fieri poſſibile eſt, magis per artem, & curam & cauſam poſſibile eſt fieri. vnde vbi philoſophus fuerit præſes, ibi fœlix eſt ciuitas. *idem lib. 2. Rhet.*

Philoſophia omnium mater artium, quam Plato donum, Cicero inuentum vocat, abſque literis haud facile percipi poteſt. Hæc te primum ad diuinum cultum, deinde ad ius hominũ, quod ſitum eſt in generis humani ſocietate, tandem ad modeſtiam animum erudiet, & ab animo tanquam ab oculis caliginem remouebit, vt ſupra prima, media & vltima videas. Quis igitur literis inſudare noluerit, quando tantus ex his fructus percipitur, in quibus eſt boni ac mali notitia, quæ nobis præterita reſerant, præſentia moderentur, futura indicẽt? ſine literis omnis ætas cœca eſt. *Hæc Æneas Siluius, Pius II. P. M. poſtea dictus.*

Quid eſt per Deos optabilius ſapientia? quid præſtabilius? quid homini melius? quid homine dignius? hanc qui expetunt, philoſophi nominantur, nec quicquam aliud eſt philoſophia, quam ſtudium ſapientiæ: ſapientia autem eſt rerum diuinarum & humanarum cauſarumque, quibus eæ res continentur, ſcientia. *Cic. lib. 1. Offic.*

Philoſophia in tres partes eſt diſtributa: in naturæ obſcuritatem, in diſſerendi ſubtilitatem, in vitam atque mores. *1. de Oratore.*

Philoſophia nihil eſt aliud, ſi recte interpretari volumus, quam ſtudium ſapientiæ. *2. Offic.*

Philoſophia medetur animis, ſollicitudines detrahit, cupiditatibus liberat, pellit timores. *2. Tuſcul.*

Philoſophia mater eſt omnium bene factorum & bene dictorum.

Nunquam ſatis digne laudari philoſophia poterit, cui qui pareat, omne tempus ætatis poſſit ſine moleſtia degere.

Nullum bonum philoſophia optabilius, nullum præſtantius, neque datum eſt mortalium generi Deorum conceſſu, neque dabitur.

Nihil eſt dulcius otio literario, his dico literis, quibus infinitatem rerum atque naturæ, & in hoc ipſo mundum, cœlum, terras, maria agnoſcimus. *Declar. Orat.*

Philoſophi, virtutis magiſtri. *2. Tuſcul.*

Nemo philoſophiæ expers, idoneus eſt regno.

Delicati pueri ad philoſophiam non ſunt idonei.

Turpiſſimum eſt philoſopho, ſecus docere quam viuit.

Is vere liber eſt, quem philoſophia liberum facit.

Proprium eſt philoſophi mederi vitijs hominum.

Philoſophi libertas moleſta eſt omnibus.

Frugalitatem exigit philoſophia, non pœnam. *P. M. in apoph.*

Quid aliud philoſophia quam vitæ lex? *Idem epiſt. 95.*

Dicet aliquis. Quid mihi philoſophia prodeſt, ſi Fatum eſt? quid prodeſt, ſi Deus rector eſt? quid prodeſt, ſi Caſus imperat? nam & mutari certa non poſſunt, & nihil præparari poteſt aduerſus incerta, ſi aut conſilium meum Deus occupauit, decreuitque quid facerem, aut conſilio meo nihil fortuna permittit. Quicquid eſt ex his, Lucili, vel ſi omnia hæc ſunt, philoſophandum eſt, ſiue nos inexorabili lege fata conſtringunt, ſiue arbiter Deus vniuerſi cuncta diſpoſuit, ſiue caſus res humanas ſine ordine impellit & iactat. Philoſophia nos tueri debet, hæc adhortatur, vt libenter Deo pareamus, vt fortunæ contumaciter reſiſtamus, hæc docebit vt Deum ſequaris, feras caſum. *Seneca ad Lucill. epiſtol. 16.*

Hoc ſcio, neminem poſſe bene viuere, ſed nec tolerabiliter, ſine ſapientiæ ſtudio: cum omnia habueris, tunc & habere ſcientiam voles, & ſapientiam. hæc erit vltimum vitæ inſtrumentum. *ibid. epiſt. 17.*

Facere docet philoſophia, non dicere, & hoc exigit, vt ad legem ſuam quiſque viuat, ne orationi vita diſſentiat, vt ipſa inter ſe vita vnius, ſine omnium actionum diſſenſione, coloris ſit. Maximum hoc eſt & officium ſapientiæ, & iudicium, vt verbis opera concordent, vt ipſe vbique par ſibi, idemque ſit. *ibidem, capite 10.*

Relinque iſtum ludum literarium philoſophorum, qui rem magnificentiſſimam ad ſyllabas vocant, qui animum minuta docendo, demittunt & conterunt, & id agunt, vt philoſophia potius difficilis, quam magna videatur. Socrates qui totam philoſophiam reuocauit ad mores, hanc ſummam dixit eſſe ſapientiam, bona mala que diſtinguere. *Senec. epiſt. 72.*

Quis dubitat, quin Deorum immortaliũ munus ſit, quod viuimus, philoſophiæ, quod bene viuimus. Itaque tanto plus huic nos debere certum eſt, quam Dijs: quanto maius eſt beneficium bona vita, quam vita, pro certo haberetur, niſi ipſam philoſophiam Dij tribuiſſent.

Huius enim opus eſt, de diuinis humaniſq; vera inuenire. Ab hac nunquam recedit religio, iuſtitia, pietas, & omnis alius comitatus virtutum conſertarum, & inter ſe cohærentium. Hæc docuit colere diuina, humana diligere, penes Deum imperium habere, & inter homines conſortium: quod aliquamdiu inuiolatum manſit, antequam ſocietatem auaritia diſtraxit.

De illa philoſophia, loquor, quæ nullum bonũ putat, niſi quod honeſtum eſt, quæ nec hominis, nec fortunæ muneribus deleri poteſt. *Idem epiſt. 91.*

Philoſophia promittit mihi, vt me parem Deo faciat.

Omnia impedimenta dimitte, & vaca bene menti apud philoſophiam.

Ad philoſophiam totam mentem conuerte, huic aſſide, & hanc cole, & tunc ingens interuallum eſt inter te & homines. Omnes mortales tu antecedes, & Dij non multum te antecedẽt. *Idem lib. de Moribus.*

Veri philoſophi philoſophiam non verborum, ſed præclarorum facinorum exercitationem putant. *Dion. Halic. lib. 11.*

Illa vehemens & conſtans animi militia, literis pollens, venerabilium doctrinæ ſacrorum antiſtes Philoſophiæ, vbi pectore recepta eſt hominum, in honeſto atque inutili affectu diſpulſo, totos in ſolido virtutis munimento confirmat, potentiores metu ac dolore faciens. *Val. Max. lib. 3. c. 3.*

Doctores ſapientiæ ſola bona quæ honeſta, mala tantum quæ turpia, potentiam, nobilitatem, cæteraque extra animum, neq; malis annumerant. *Tacitus, hiſt. lib. 4.*

Florent ciuitates, ſi philoſophi imperant, aut imperatores philoſophantur. *Iul. capitol. in M. Ant. philoſopho.*

Illi ſi philoſophi (philoſophaſtri, vel philogaſtri) etiam in his libris quos de contemnenda gloria ſcribunt, nomen ſuum inſcribunt: vt in ipſo quo prædicationem nobilitatem deſpiciunt, prædicari de ſe ac nominari velint. *Amm. Marcell. lib. 22.*

Pythagorici vetant ne arcana philoſophiæ impuris adhuc animis communicentur. Nefas enim eſſe, vt ea quæ magnis laboribus parta ſint, cuius offerantur, præterea publice philoſophandi cõſuetudinem magnum apud mortales rerum ſublimium contemptum peperiſſe. *Niceph. Gregora, hiſt. lib. 8.*

Philoſophari eſt bene & commode ratiocinari circa ea quæ occurrunt: affectibus efferri, negligere vana cuncta & ſtulta, quæ ex cupiditatibus oriri ſolent, menſura quadam deduci ad opportuna peragenda. *Ariſt. in quæſt.*

Ludouicus XI. rex Franciæ idem philoſophis vſu venire dicebat quod his qui medendi curam ſibi vendicant, qui acutiſſime quidem de cauſis principijſque morborum diſſerunt, magnamque partem in his occupati ſunt: illa autem perexigua eſt oratio qua medentur ægris. *Arn. Ferron. lib. 3.*

Apophthegmata.

Thales facillimum eſſe dicebat philoſopho ditari: idque tali facto probauit. Omnem oleam antequam florere cœpiſſet, in agro Mileſio coemit. Animaduerterat enim præſcientia quadam, olearum vbertatem fore. Hoc pacto os obturauit ijs, qui iactabant, in philoſophis paupertatẽ non eſſe virtutis, ſed neceſſitatis. *Cic. lib. de Diuinatione.*

Bion cum male audiuiſſet, quod adoleſcentem quendam mollem in diſciplinam non recepiſſet: Tenellus, ait, caſeus, non attrahitur hamo: ſignificans, pueros delicatulos ad philoſophiæ ſtudia nequaquam eſſe idoneos. *Laert. lib. 4. c. 7.*

Idem, Rhodi cum Athenienſes darent operam rhetoricis, ipſe philoſophiam docebat. Ob id reprehenſus, ita reſpondit: Triticũ aduexi, & hordeum vendo: Sentiens, abſurdum eſſe ab ipſo requiri deteriora, cum attuliſſet meliora. Nam philoſophia, veluti triticum, cibus eſt hominum: hordeũ equorum, ſimul innuens ſolũ philoſophum loqui, rhetores hinnire potius. *ibid.*

Pythagoras dicebat, vitam humanam eſſe ſimilem panegyri, hoc eſt, ſolemni hominum conuentui, ad quem alij conueniunt certaturi, alij negociaturi, nonnulli ſpectatores modo futuri. Ac ceteros quidem omnes eſſe ſollicitos, ſolum ſpectatorem tranquillum frui celebritate, hũc ſpectatorem aiebat eſſe philoſophum, qui non ob aliud in hoc mundi theatro prodijſſet, quam vt naturam rerum, ac mores hominum contemplaretur. *Laert. libro 8. capite 1.*

Diogenes negabat illos debiles ac mancos appellandos qui ſurdi eſſent, aut cæci, ſed qui peram non haberent. Luſit autem affinitate vocum, nam ἀνάπηρος Græcis dicitur mãcus, aut mutilus: ἄπηρος qui pera caret. Innuens opinor, hominem ad omnem vitæ functionem inutilem eſſe, qui expers ſit philoſophiæ. Pera enim Cynicorum penus erat. *ibid.*

Idem, dicenti cuidam, quem ad ſapientiæ ſtudium hortabatur, Non ſum idoneus philoſophiæ. Quid igitur viuis, inquit, ſi tibi nulla recte viuendi cura eſt? Non enim in hoc viuit homo, vt viuat tantum, ſed vt diſcat recte viuere. Natura dat viuere, Philoſophia dat recte viuere. Nam gignit ad virtutum dociles, doctos nõ gignit. *Laert.*

Idem, percontanti, quid lucri caperet ex philoſophia? Vt nihil interim aliud, certe hoc, quod omnem fortunam ferre paratus ſum. *Laert. lib. 6.*

Idem,cu n Plato laudaret quemdam hoc nomine,quod erga omnes eſſet humaniſſimus: Quid,inquit Diogenes,illi tribuendum eſt, qui tot annos in philoſophia verſatus nullum hactenus affecit dolore? Sentiens,proprium philoſophi munus eſſe,mederi vitijs hominum, id autem fieri non poſſe, niſi metu ac dolore: metu propter,dolore præſentis ignominiæ.*ibid.*

Zeno Citticus,cum conſuluiſſet oraculum,quonam pacto vitam opti me inſtituere poſſet? reſpondiſſe fertur: Si concolor fieret mortuis.Ille igitur ſentiens ſe ad veterum incitari lectionem,animũ ad philoſophiæ ſtudium adiecit.*Laert.l.7.*

Idem aſcendens in theatrum, cythara canente Amœbeo,verſus ad diſcipulos,dixit:Eamus,vt pernoſcamus quam vocem,quemque concentum edant inteſtina,nerui,lingua,& oſſa,quibus adeſt ratio numerus & ordo.Si in rebus inanimis tantũ valent illa,quan to plus valebunt,ſi in omni hominis vita ſeruantur? *Idem l.9 c.5.*

Idem negociator porpuram vehens, naufragium fecit iuxta Piræũ, atque hac occaſione ſeſe contulit ad philoſophiam. Itaque ſolitus eſt dicere: Tum bene nauigaui,quum naufragium feci. Alij narrant,eum cum Athenis eſſet,audiſſetque merces periſſe naufragio,dixiſſe:Benefacis fortuna,quæ me ad philoſophiam (alij, ad pallium) appellas.*Laert.l.7.c.1.*

Anonymus,adoleſcens quidam,qui apud Zenonem philoſophiæ operam dederat domum reuerſus, cum à patre iuberetur ſpecimen ſuæ eruditionis edere,ait: Oſtendam paulo poſt quid incrementi fecerim. Verum cum nihil diceret, pater iracundus,exiſtimans impendium periiſſe,cœpit loris verberare filium. Eam parentis ſeueritatem quum æquo animo tuliſſet, ac rurſus efflagitanti patri,vt profectus documentum daret: Hoc,ait,ex philoſophia didici,vt poſſim iram,& verbera patris æquo animo perpeti, cum ſeeos faciant alij.*P.M.l.8.apoph.ex Ælian.lib.9.var.hiſt.*

Crates rogatus,quid illi è philoſophiæ ſtudio acceſſiſſet emolumenti? reſpondit:

Θέρμων τε χοίνιξ καὶ τὸ μηδενὸς μέλειν.
Chœnix lupini,& abſque cura viuere.

Sentiens, ſe minimo contentum, ob libertatem ſuauiter viuere. *Laert.lib.6.c.5.*

Idem rogatus,quoad eſſet philoſophandum? Donec,inquit,exercituum duces qui ſunt,videbuntur eſſe agaſones. Sentiens opinor ibi maxime opus eſſe philoſophia,vbi qui populo præſunt, ſtolidi ſunt,& indocti: & homines,quibus imperant,habent pro aſinis.*ibid.*

Idem dicebat,Philoſopho nulla re opus eſſe. Eoque pecuniam depoſuis apud trapezitam hac conditione, vt ſi liberi eſſent idiotæ,traderet eam illis:ſin Philoſophi nummos diſtribueret in plebem, quod indoctis opus eſſet pecunia: Philoſopho, nec opus, nec vtilis.*ibid.*

Ariſtippus rogatus,qui differrent docti ab indoctis? Quod,inquit eo qui domiti ab indomitis. Quemadmodum equus indomitus ad omnem vſum incommodus eſt ob inſcitiam, ac ferociam:ita qui rapitur affectibus,quos ſola domat philoſophia: ad omnem vitæ conſuetudinem inutilis.*Laert.l.2 c.8.*

Idem rogatus, quid fructus cepiſſet ex philoſophiæ ſtudio? Quod cum quibuslibet,inquit, libere loqui poſſim. Nec enim metuebat potentes,nec faſtidiebat humiles. Quoniam animum habebat ſpe pariter,ac metu liberum,nemini ſeruiebat,neque cuiquã aſſentabatur.*ibid.*

Idem iuſſus eſt aliquando è ſua philoſophia nonnihil dicere, cumque detrectantem vrgeret Dionyſius: Ridiculum, inquit, ſiquidem me vt de philoſophia loquar,rogas,& quando oporteat loquã ipſe me doces: Senſit,hoc ipſum eſſe Philoſophi, ſcire quando loquendum ſit, quãdo tacendum: at qui petit vt aliquid ex philoſophia,declaret ſe philoſophiam,à Philoſopho vel le diſcere,rurſus,qui cogit ad loquendum, is videtur ipſo Philoſopho doctior, vt qui melius norit loquendi tempus, quam Philoſophus ipſe.*ibid.*

Idem. Ariſtippus percontanti Dionyſio, quid eximium haberent Philoſophi præ cæteris hominibus? Vt inquit,etiam ſi omnes leges aboleantur,tamen æqualiter victuri ſimus. Vulgus legũ præſcriptis arcetur peccando:Philoſophus rationem habet pro legibus,non ideo quod rectum eſt faciens,quia lex iuſſit:nec à ſcelere temperans,quia lex vetuit: ſed quia omni illud per ſe rectum eſſe,hoc per ſe turpe *ibid.*

Idem, percontanti Dionyſio qui fieret, vt Philoſophi diuitum limina tererent, non contra? Quoniam,inquit, Philoſophi norunt quibus egeant, illi neſciunt. Philoſophi ſciunt abſque pecunia viui non poſſe: itaque petunt ab eis qui quod opus eſt dare poſſunt. Quod ſi diuites æque intelligerent ſe egere ſapientia,multo magis tererent philoſophorum limina. Miſerior eſt enim egeſtas animi,quam corporis:atque hoc miſerijs egeni ſunt diuites, quod non intelligant, quam precioſa,quamque neceſſaria te careant.*ibidem.*

Idem petijt talentum à Dionyſio, qumque rex redarguẽdi nactus occaſionem, diceret: Nonne tu prædicabas, Philoſophum non egere? Da,inquit,& poſtea de hoc diſputabimus. Cum accepiſſet pecuniam: Annon, inquit, rectè dixi Philoſophum non egere? Non eget,qui quum opus eſt,habet vnde accipiat.*Idem.*

Idem, quidam multa debacchatus in Philoſophos etiam hoc adiecit, quod conſpiceret illos ſemper obſidere fores diuitum, cui Ariſtippus: Et medici,inquit,ægrotantium domos frequentant, nemo tamen ægrotus eſſe mallet,quam medicus. Scite retorſit conuitium. Philoſophi prædicant felicitatem,quam vni ſapienti vindicant: & tamen aſſidue verſantur apud diuites: aliquid venantes ab alijs,vnde colligebat,diuites eſſe beatiores, quam Philoſophos. Sed ille interpretatus eſt, Philoſophos ideo potiſſimum colere diuites,quod ob luxum, ac delitias cæteris mortalibus, & ſtultiores, & corruptiores magis egerent præceptis ſapientiæ. Philoſophus autem animorum male habentium medicus eſt.Porro beatius eſt eſſe medicum,quam ægrotum. *Laert.lib. 2.c.8.*

Idem,in Aſia comprehenſus eſt ab Artapherne ſatrapa. Id temporis quum quidam eum interrogaret,num & illic haberet ſolitam animi fiduciam: Ineptè? inquit, quaſi vmquam fuerim fidentiore animo,quam nunc alloquuturus Artaphernem. Nimirum hoc illi præſtabat philoſophia, ne quem hominem metueret, ſed cum omnibus libere ageret.*ibid.*

Idem.Orator quidam Ariſtippum reum defendit in iudicio,vicitq; litem. Is cum velut artem ſuam præferens philoſophiæ,diceret: Quid tibi profuit Socrates, Ariſtippe? Hoc,inquit,quod oratio, quam pro me dixiſti,vera fuit. Defenderat vt virum bonum,& innocentem. Vt autem talis eſſet, qualis ab oratore prædicabatur,Socrates præſtiterat, à quo philoſophiam didicit. Orator id efficit vt quis ſit vir bonus: ſed vt talis videatur iudicibus, etiamſi non ſit. Præſtantius igitur eſt quod præſtat Philoſophus, quam quod orator.*ibid.*

Idem cuidam exprobranti, quod in propria cauſa oratore conductitio fuiſſet vſus: Nil mirum,inquit, & cœnam apparaturus coquum conduco. Alter videri volebat,ob hoc oratorem præſtantiorem Philoſopho, quod eius operam conduceret, ille retorſit in diuerſum, innuens, inferiorem eſſe qui conducitur: oratoris enim munus inferius eſt,quam vt Philoſopho conueniat.*ibid.*

Idem,eos qui liberalibus imbuti diſciplinis philoſophiam negligerent,dicebat eſſe ſimiles procis Penelopes: quod hi cum Melanthe & Polydora ancillis rem habuerint, & omnia potius ſe habituros ſperauerint,quam dominæ nuptias. Senſit,liberales diſciplinas eſſe velut, pediſſequas philoſophiæ moralis, quæ cum primis ſit adhibenda, & cuius gratia reliqua diſcuntur omnia. Simile quiddam dixiſſe fertur, & Ariſto de Vlyſſe,qui quum deſcendiſſet ad inferos,ait illum cum omnibus fere manibus fuiſſe colloquutum,cum ipſam reginam ne videre quidem potuerit. *Laer. lib.2.cap.8.*

Socrates Phyſiognomon Zopyrus, qui profitebatur ex habitu corporis, & oris lineamentis poſſe hominis ingenium certo deprehendere,inſpecto Socrate pronũciauit,illum eſſe hominem bardum,ac ſtupidum,tum mulieroſum, ac puerorum amoribus impurum,vinolentum,& intemperantem. Quum amici vehementer indignati minarentur homini:)Socrates illos cohibuit,dicẽs: Nihil,inquit,mentitus eſt:omnino talis eram futurus,niſi me philoſophiæ gubernandum tradidiſſem. *P.M.l.3.apophex Cic.3.Tuſc. quæſt.*

Plato,tum demum bene cum rebus humanis agi,dicere ſolebat,quãdo vel Philoſophi regnarent,vel reges philoſopharentur. *Polybius lib.12.hiſt.*

Zeno Citticus dicebat, pleroſque Philoſophos in multis *doctos eſſe*, id eſt, non ſapere: ſed in fortuitis vulgaribuſque rebus eſſe imperitos, & adjiciebat illud Scaphei, qui eum animaduerteret quemquam è diſcipulis vehementer inflatum, percuſſo illo dixit: Bonum non eſt in magno, ſed in bono eſt magnum: οὐκ ἐν τῷ μεγάλῳ τὸ εὖ κεῖσθαι, ἀλλ᾽ ἐν τῷ εὖ τὸ μέγα. Magnum enim eſt quicquid recte fit,at non ſtatim bonum eſt,quod magnum. *Laer. lib.7.cap.1.*

Ariſtippus, poſtquam Ariſtippus magnam pecuniarum vim ſibi comparaſſet, & admiratus Socrates diceret: Vnde tibi tam multa? Vnde,inquit,tibi tam pauca? Non enim minus admirandum arbitrabatur,quod Socrates tantus Philoſophus, & qui tantos haberet amicos,pauper eſſet, quam quod ipſe diues.*Idem.*

Idem interrogatus, cur ſic ipſum argueret Dionyſius? Eamdem,inquit,ob cauſam,ob quam cæteri. Significans,Philoſophi liberam omnibus eſſe moleſtam. *Laert.l. 2.c.8.*

Diogenes,cuidam procaciter interroganti, cur quum nihil ſciret, ſe Philoſophum profiteretur: Si Philoſophum, inquit, ſimulo, hoc ipſum eſt philoſophari. Subnotans philoſophiam rem eſſe vſque adeo difficilem, vt eam vel ſimulare, magna ſit philoſophiæ pars. Quemadmodum multum regis habet, qui ſcite regis perſonam poſſit gerere. Et qui ſimulat, imitatur: at imitari Philoſophos,eſt philoſophari,hoc eſt,philoſophiæ ſtudioſum eſſe.*Laert. lib.6.*

Idem, quodam die cum populus theatrum egrederetur,ipſe aduerſus populum nitens ingrediebatur, interrogatus, cur id face-

te? Hoc, inquit, in omni vita facere studeo. Sentiens, hoc esse philosophari, in omnibus actionibus, quam maxime a multitudine dissidere: propterea quod vulgus hominũ cupiditatibus agitur, non ratione. *ibid.*

Idem percontanti, cur cæteris mendicis benigne largiantur homines, Philosophis non item? Quoniam, inquit, sperant citius futurum, vt claudi cæcive fiant, quam Philosophi. Qui miserentur afflictorum, quales fere sunt mendici, faciunt hoc contemplatione communis hominum sortis: ita cæco opitulantur, cogitantes, hoc ipsum mihi poterit accidere, de Philosopho non item cogitant. Dictum festiuius est ob abusum verbi, sperant, vt Philosophus fias, sperari potest: cæcitatem aut claudicationem nemo sperat. *Laert.*

Idem interrogatus, an Philosophi placentis vescerentur? Omnibus, inquit, vt cæteri homines. Rursus hic aliud respondit, quam interrogabatur. Quærebat percontator, an conueniret Philosophis, frugalitatem profitentibus, vesci placentis, cibis delicatorum? Diogenes *εἰρωνικῶς* ita respondit, quasi Philosophi non essent homines, & tamen vescerentur cibis humanis. Siquidem animalia bruta non vescuntur quibuslibet: bos comedit fœnum, canis nequaquam, aues amant frondes salicum, equi auenam. Quędam aues pascuntur granis iuniperi, quædam carniuoræ sunt, quædam vescuntur piscibus. Huc allusit Diogenes. *ibidem.*

Demonax à quodam interrogatus, cuiusdam sectæ Philosophus esset? Quis, inquit, tibi dixit me Philosophum esse? & sic ridens abiit. Sed cum iterum rogaretur, cur risisset? respondit: Cur non riderem, cum tu me ex barba Philosophum esse iudicas, ipse autẽ barbam non habes? *P. M. lib. 8. apoph.*

Epictetus, eos qui barba, & pallio, verbisque magnificis Philosophos agebant dicere solebat esse Philosophos *ἄνευ τοῦ πράττειν μέχρι τοῦ λέγειν*, id est, factis procul, verbis tenus. *Gellius l. 17. c. 19.*

Timotheus Cononis F. quum floreret omnino rebus secundis, & facillime vrbes caperet, se fęlicem ac beatum esse prædicabat. Verum cum in Platonem Philosophum forte incidisset, hominemq; philosophantem diu audiuisset, omnia contemnens, in quibus felicitatem consistere vana opinione ductus, putauerat, proclamasse dicitur post Platonis disputationem: O vitam vere beatam, ac felicem! Audiuit Platonem disserentem non de diuitijs, non de triremibus, aut nauticis rebus, neque de supplementis, aut quemadmodum auxilium esset ferendum, nec de tributo sociorum, siue insulanis, neque de similibus nugis, ac nænijs: sed de illis quæ profitebatur Plato, quibus veram felicitatem (cõtemptis omnibus) attribuebat. *Ælian. l. 2. de var. hist.*

Aristoteles, percontanti, quid lucri cepisset ex philosophia? Vt ea, inquit, nullo imperante faciam, quę vulgus facit metu legum. Idiota a furto abstinet, quia lex minatur pœnam: Philosophus abstinet, quia per se turpe est, etiamsi liceat impune. *Laert. l. 5. c. 1.*

Lacones. Lacedæmonij literas quidem discebant ad vsum, cæteras vero disciplinas exoticas ejiciebant: nec minus homines harũ professores, quam ipsos libros. Hæc autem erat illorum eruditio, bene parere magistratibus, patientem esse laborum, & in prælio aut vincere, aut mori. Hoc animo fuerunt olim & Romanorum quidam, qui Philosophos Græcos vrbe pepulere, quod curiosis disciplinis auerterent iuuentutem ad ocium, & ignauiam, redderentque ad disserendum quidem instructos, ad agenda vero Reipub. munia inutiles. *P. M. ex Plut. in Lacon.*

Demonax, rogatus à sophista quopiam, Quod viaticum attulisset ad philosophiam? Admodum Cynice respondit, *ὄρχεις*, id est, testes: Significans, se nudum accessisse. *P. M. l. 8. apoph.*

Dionysius iunior posteaquam regno fuit expulsus, cuidam dicenti: Quid tibi Plato & philosophia profuit? Vt tantam, inquit, fortunæ mutationem facile feram. Neque enim sibi manus admouit, quod alij solent: sed Corinthi ludum literarium aperuit. *Plutarch.*

Demetrius Phal. cum exularet, ac Thebis inglorius humilisque viueret, audissetque Cratem Philosophum, qui ipsum inuiseret, multa placide prudenterque de moderate ferendo exilio disserentẽ. Male sit, inquit, negocijs & occupationibus, per quas hactenus talem virum non licuit cognoscere. *Laert. l. 5. c. 5.*

Philippus Alexandrum filium hortabatur, vt auscultaret Aristoteli, cui traditus erat instituendus, dareique operam philosophiæ: Ne, inquit, multa committas, quæ me fecisse nunc pœniteret. Perspexit egregius princeps, neminem philosophiæ expertem regno idoneum esse, nec puduit fateri, se multa per errorem fecisse peperam, quod à teneris vnguiculis philosophiæ præceptis non fuisset imbutus. Nam qui experimentis discunt administrare regnum, licet ingenio felicissimo nati sint, tamen & sero & magno Reipublicæ malo tamdem euadunt boni reges. At qui philosophiæ præceptis præmunitus accedit, si adsit mens integra, vix poterit ab honesto deflectere. *Plutarch. in apoph. regum & impera.*

Alexander, cum esset Corinthi, adijt Diogenem pro dolio sedentem, cumque eo multa collocutus est: à quo digressus, indignantibus amicis, quod rex illi cani tantum habuisset honoris, qui tanto principi, nec assurgere dignaretur: Imo, inquit, ni Alexander essem, Diogenes esse vellem. Adeo demiratus est animum illum liberum, ac rebus humanis omnibus superiorem, vt nihil regno similius esse iudicaret. Præcipua regum felicitas est, quod nulli seruiunt: sed quicquid volunt, facile efficiunt: tum quod nullius egeant: atqui hoc ipsum homini præstat philosophia multo verius, quam regnum monarchis. Quamquam Alexander maius quiddam existimabat, quam regem esse. *Laert. lib. 6.*

Polycletus dicere solebat, eorum opificium esse molestissimum quibuscumque lutum perueniret ad vngues. Plastas opinor, ac figulos notans: Admonuit autem, eas artes exercendas, vnde non conspurcaretur opifex. Tale nimirum est philosophiæ studium. *P. M. l. 6. apoph.*

Similitudines.

Nazianzeni. Arbor quædam est fabulosa, quæ excisa magis germinat, & contra ferrum decertat. Et si quid mirabilius in re mirabiliori dicere oportet, morte viuit, & abscissa pullulat, nec non cõsumpta augetur. Hoc referunt fabulæ, & arbusti illius natura talis est. Mihi autem manifeste videtur, tale quid Philosophum esse: qui per afflictiones clarescit, & ex grauibus materiam facit virtutis, ac in aduersis gloriatur, nec dextris iustitiæ armis extollitur, nec sinistris deprimitur, sed semper ille idem, licet non eisdem permanet, tamquam aurum in fornace igne examinatum. *In oratio. postquam reuerteret ex agro.*

Augustini. Quæ ista est secunda plaga: Ranæ in abundantia. In ranis hæretici intelliguntur, atque Philosophi. Habet congruenter signatam Philosophorum, vel hæreticorum prauitatem, si considerés ranarum loquacitatem. Ranæ sunt clamatores in paludibus limosis per superbiam, & inanes contentiones: strepitum vocum habere possunt, doctrinam veræ sapientiæ non possunt insinuare. Qui enim Christianæ veritati contradicunt, & in sua vanitate decepti, ranæ sunt, tædium afferentes auribus non cibos mentibus. *De conuenientia decem præceptorum, & decem plagarum, c. 2.*

Lactantij. Cum sæpe Philosophi per ignorantiam veritatis à ratione desciuerint, atque in errores inciderint inextricabiles, id solet his euenire, quod viatori viam nescienti, & non fatenti se ignorare, vt vagetur, dum percontari obuios erubescit. *De ira Dei, cap. 7.*

Plutarchi. Non quemadmodum parasitus conuitio tactus ab ijs, à quibus alitur, ridet, ac nihil commouetur: Ita a Philosopho reprehensus, debet esse affectus: sed nec offendi oportet, nec impudenter negligere. *In Mor.*

Vt tragœdi in theatris: Ita Philosophus in scholis est audiendus, nempe ad finem vsque. *In Mor.*

Seneca. Vt montium proceritas minus apparet procul intuentibus: vbi accesseris, tum apparet, quam sint in arduo: Ita nemo prospicit, quam excelsus sit animus Philosophi, quantumque supra res omnes humanas emineat, nisi propius contemplеris, & imitatione ad illum accesseris. *Apud P. M.*

Pliny. Aiunt Asiæ & Græciæ balneatores, cum velint turbam pellere, carbonibus iniicere semen æræ: quod id faciat vertigines: Ita Philosophi quoties volunt à suis libris submouere vulgus indoctum, mathematicos quosdam numeros, & figuras admiscent, vt ex ijs oborta vertigine capitis, librum abijciant. *libro 18. cap. 17.*

P. M. Vt auguria & auspicia non valent, nisi ijs qui quærunt, & obseruant: Ita præcepta philosophiæ non mutant nisi hos qui meliores fieri student, & hoc animo ad legendum accesserint. *In Simil.*

Vt Psylli in Africa, Narsi in Italia, non solum ipsi non læduntur a serpentibus, verum etiam contactu, ac saliua medentur alijs periclitantibus: Ita Philosophis non satis esse debet, si ipsi non corrumpantur vitiosis affectibus, verum oportet oratione alijs quoque cupiditates noxias eximere. *In Simil.*

Chrysostomi. Quemadmodum sepulchra extrinsecus ornata si exteriorem illam faciem amoueris, cadauerum & exesorum ossium plena reperiuntur: Itidem in Philosophorum opinionibus, detecta verborum superficie, & ornatu, multa inania absurdaque deprehenderis, maxime vbi de anima philosophantur, nunc honore, nunc contumelia, nullo modo, modestia ve adhibita, eam afficientes. *Hom. 2 in Joan.*

Basilij. Similes sunt noctuæ oculis, qui in philosophia inani sunt occupati: propterea quod noctu illius oculi acriter cernunt, sole autem splendente perobscurantur. Horum etiam mens ad rerum inanium contemplationem acutissima est, at ad veri luminis considerationem hebetissima, & caliginosissima. *Apud Maxim. sermone 17.*

Nazianzeni. Quemadmodum terra, & cœlum nec non aer, & similia, non ideo sunt contemnenda, quia quidam male his sunt abusi, pro Deo ea, quæ Dei non sunt, venerantes: Ita quicquid vtilitatis ex philosophia percipi potest, id omne ad vitæ vsum fructificare debemus: ita tamen vt periculum effugiamus, & nequa-

quam

quam contra creatorem creaturam; iuxta insipientes conetemus, sed ex opificio opificem deprehendamus: & sicut diuinus inquit Apollolus, omnem intellectum Christo captiuemus. *In oratione funebri de laudibus Basilij.*

Theodoret. Episcopi. Sicut aues vocales humanam quidē vocem imitantur, non tamen intelligunt quid loquuntur: Ita philosophi veritatem nescientes prodiderunt. *Serm. 1.*

Philonis Iudaei. Sicut apud medicos, quae dicitur logoiatria, multum abest, vt aegrotos adiuuet: remedijs enim & chirurgijs, & diaetis, non verbis morbi curantur: Sic & in philosophia, verba tantum quidam vendunt, & venantur, vitam autem morbis refertam curare, nec possunt, nec volunt. nec pudet eos à teneris annis ad vltimam vsque senectutem sententiolas friuolas oppugnare, propugnareque, tanquam felicitas in hominibus verbisque, & immo dici inanique curiositate sita sit, ac non potius in componendis moribus. *lib. de cogn. quaest.*

Philosophia rationem triplicem priscos aiunt agro assimilasse, ita vt Naturalem arboribus stirpibusque facerent similem: Moralem vero fructibus, propter quos sunt arbores: denique Rationalem sepi & maceriae. Quemadmodum enim maceria fructus plantasque agri conleruat, arcens irrumpendi nocendique cupidos: Sic & rationalis pars philosophiae praesidium munitissimum est reliquarum duarum, moralis atque naturalis. *De agricultura.*

Tyrij Platonici. Sicut Medici cum fastidientibus aegrotis porrecturi sunt sapores à nari medicamentum, dulci ipsum liquore aspergunt, atque adeo salutarem amaritudinem tegunt: Sic etiam illa philosophia vetus, sententijs suis, fabularum, carminum ac cantus amictu velatis, antiquos illos animos cepit, neque aliter quam dissimulata disciplinae molestia ad institutionem illexit. *Sermone 29.*

Pythagora. Quemadmodum medicinae nullus est vsus, nisi morbus à corporibus exterminet: Ita neque philosophiae, nisi animae vitia expellat. *Apud Stob. ferm. 80.*

Diogenis. Vt ignari nonnulli mel Ponticum gustare volunt: gustatū autem ceu minime dulci amaroque succenscentes, illico respuūt: Sic aliqui cuiosi philosophorum, & praesertim Diogenis periculum facere volebant, à quibus redarguti, statim dato tergo fugiebant. *In diatribis & apud Stob. ferm. 11.*

Plutarchi. Vt apicula ex flosculis succum mellis colligit, cū alij non delectentur, nisi colore, & odore: Sic philosophiae studiosus, & ex poetis inuenit, quod ad bene viuendum conducat, cum alij tantum voluptate deliniantur. *In Mor.*

Quemadmodum agricola siluestribus securim, aut ignem admouet, ac funditus extirpat: vineas vero, atque oleas, amputat cautim, ac circumspecte, ne forte superuacua resecās, laedat, & id quod sanum est: Sic Philosophus ex animo iuuenum libidinem, auaritiam, inuidiam penitus reuellet: caeterum pudorem immodicum cautim emendabit, ne simul omnem euellat verecundiam. *In Moralib.*

Vt statera non potest consistere, sed aut in hanc, aut in illam vergit partem: Sic in philosophia, qui non proficit ad bonam mentem, is reuoluitur ad malam mentem. *In Mor.*

Qui adhortantur, & excitant ad philosophiam, nec docent, nec tradunt eam, perinde faciunt, vt ij qui praemunguot lucernam, nec infundunt oleum. *In Moral.*

Quemadmodum Anacharsis dixit, Athenienses ad nihil aliud vti num misn isi ad numerandum: Ita quidam vtuntur philosophiae praeceptis tantum vt ostentent. *In Mor.*

Non fodit puteos, qui fontes habet, aut nouit: Sic non petit aliunde qualecumque consilium, qui ipse didicit philosophiam. *In Moralib.*

Iudex in causa nihil tribuens amori, tantum rem perpendit, ac secū dum eam pronunciat: At in audiendis Philosophis multis lapsibus candidè sauendum est. Vnde veteres iuxta Mercurij statuam, Gratiarum item ponere soliti sunt. *In Mor.*

Vt in curatione non sentitur morbi leuamen, nisi sincerus habitus inducatur: Sic in philosophia non proficitur, nisi paulatim aliquid decedat de stultitia, donec in absolutum habitum proficiat. *In Mor.*

In Philosophia studio, ceu per metamorphosin quandam, quidam velut aues facti conferunt se ad contemplationem naturae: quidam ceu catelli ad rixas, & morsus sophismatum, & quaestiuncularum. *In Mor.*

Qui nauem fregit, tamen spe vehitur: nam fieri potest, vt corpus natans in terram deferatur: At qui exedit à philosophia, totus perijt. *In Mor.*

Vt è vasis, cum ea plenius liquore, aer expellitur: Sic qui profecerunt in philosophia, veris implentur bonis, ac minus iam gloriantur barba, & pallio, minusque seuert sunt in alios in seipsos duriores. *In Moral.*

Qui subinde subsistit in via, minus proficit: At in philosophia etiam relabimur in malum, intermisso ad honesta cursu, ceu nauis, retrorsum a aestu. *In Mor.*

Lineae applicandus est lapis, non ad lapidem linea: Sic vita ad *Polyanthea Noua.*

Philosophorum decreta corrigenda est, non ea sunt ad mores nostros trahenda. *In Moral.*

Menedemus aiebat multos nauigare Athenas, qui primum essent sapientes, deinde fieri Philosophos, id est, sapientiae studiosos, dein de rhetores, postremo idiotas: Sic in philosophia quo magis pro fecerint, hoc minus turgebis fastu. *In Mor.*

Vt non medentur, qui vendunt pharmaca: Ita non sunt Philosophi, qui quicquid è philosophia sumpserint, id transferunt ad ostentationem. *In Moral.*

Seneca. Quomodo multum inter auaritiā, & pecuniam interest, cum illa cupiat, haec concupiscatur: Sic inter philosophiam, & sapientiam. *lib. 2. epist. 90.*

Vt semina bona si in solum bonum inciderint, similia origini prouenient, eadem humus sterilis, ac palustris necat: Sic philosophiae praecepta, si in bonum, aut prauum animum inciderint. *Apud P.M.*

Philosophus etiam eloquens perinde est quasi bonus gubernator etiam formosus sit. *Apud P.M.*

Vt primum est expurganda bilis, vnde nascitur insania, deinde monendus homo: alioqui qui furiosum admoneat quomodo debet procedere, quomodo se gerere in publico, furiosior hic ipso furioso: Sic primum animus est liberandus falsis opinionibus, postea tradenda praecepta philosophiae. *Apud P.M.*

Vt puerorum, dum primum discunt scribere, digiti tenentur, & aliena manu per literarum simulachra ducunt: Post iubentur imitari propositum: Sic primum animus ad praescriptum adiuuetur oportet, donec incipiat per se philosophari. *Apud P.M.*

Vt in corpore latet animus, vnde vim & impetum sumant omnia: & mysteria, quae est sacrorum pars optima, non patent, nisi initiatis: Ita philosophiae praecepta nota sunt omnibus, id vero quod in ea est optimum, latet. *Apud P.M.*

Alia remedia cum administrantur tristia, post sanitatem denique delectant: Philosophia pariter salutaris est, & dulcia. *Apud P.M.*

Lana quosdam colores statim imbibit, quosdam non nisi saepius macerata, & recocta: Sic alias disciplinas ingenia cum accepere, protinus praestant, Philosophia nisi alte descendit, & diu sedit, non colorabit animum. *Apud P.M.*

Ciceronis. Vt Medici toto corpore curando, minimae etiam parti si condoluit, medentur: Sic philosophia, eum vniuersam aegritudinem sustulerit, tamen si quis error aliunde extitit, si paupertas momordit, si ignominia pupugit, si quid tenebrarum offundit exilium, semper ad eundem fontem reuertendum est. *lib. 3. Tusc. quaest.*

Dictamnum herba sagittas educit è corpore, hanc cerui monstrauere: Ita philosophiae ratio, furtunae iacula eximit animis. *lib. 25. c. 8. & Theophrast. l 9. c. 16.*

Lauri baccae amarae quidem sunt, sed saluti conferunt: Ita philosophiae praecepta, salutaria magis quam blanda sunt, aut iucunda. *lib. 16. c. 30.*

Vt acetum acre quidem gustu, sed aduersus serpentium ictus mite valet: Ita praecepta philosophiae austera quidem illa, minimeque blanda, sed contra pestiferas animi cupiditates remedium adferunt praesentaneum. *lib. 23. c. 1.*

Sicuti nasturtium ad Venerem quidem reddit segniorem, sed animi vim acuit: Ita philosophiae studium, corporis curam ac vigorem ad animi vigorem traducit, vt hoc plus sapiat homo in terris aeternis, quo magis stupet ad ista corporea, crassaque. *libro 20. cap. 13.*

Politiani. Vt non ex omni ligno, veteri prouerbio, Mercurius fingitur: Ita profecto non cuiusuis naturae est, intima philosophiae adyta penetrare. *In praefatione in Charmidem Plato.*

Vt medicina corpus: Ita animum curat philosophia. *In Lamia.*

Quemadmodum in corpore visus, quamquam ipse opus nullum peragit, dum tamen aut indicat vnumquodque, aut iudicat, caeteras opifices iuuat, vt non plus manibus debere illi se quam oculis suis sentiant: Ita philosophia licet nihil agat, & contemplationi tantum vacet, modum tamen praescribit officio. *In Lamia.*

Ioannis Pici Mirandulae. Quemadmodum marmorea domus picturam non recipit, si opus albarium superinduxeris: sic autem adimes de dignitate, & pulchritudine: Non aliter & sapientia, & quae tractantur à Philosophis, tectorio non clarescunt, sed offuscantur. *In epist. ad Hermolaum Barbarum, quae est inserta Politiani epist. lib. 9.*

Solent qui thesauros occultare volunt, si non datur seponere, quisquilijs integere, vel ruderibus, vt praetereuntes non deprehendant, nisi quos ipsi dignos eo munere iudicauerint: Simile Philosophorum studium, celare res suas populum: à quo cum non probari modo, sed nec intelligi illos deceat, non potest non decedere, habere aliquid, quae ipsi scribunt, theatrale, plausibile, populare: quod demum multitudinis iudicio accommodare se videatur. *In epist. ad Hermolaum Barbarum, quae extat in Politiani epist. lib. 9.*

Iacobi Sadoleti Epiſcopi. Quod ſol iſte oculis, veritas mentibus lucem & diem affert: atque hic facit vt res, quales ſunt, tales etiam cernantur, illa, vt quod ſunt, id illud ipſum ſint. Sed hoc lumen & proprie & proxime philoſophia ipſa ſectatur: omnemque ſuam curam, omnem operam, ſtudiumque impendit in eo, vt huius luminis percipienda veritate fiat compos: quod cum apprehenderit, ſuumque & proprium tenuerit, iam ipſa in luce, & veritate habitans, attollit in altum circumcirca errantibus, vt communicatione lucis illi admoniti, minus ruant in tenebris, minus perturbentur, in quo maximus eſt concurſus mortalium, maxima varietas, hi enim quamquam luminis aliqua ex parte participes, vmbris tamen plurimis impediti, atque implicati, quæ quo longius abſunt ab editiore lumine, hoc volitant maiores, ſæpiſſime falluntur in eo quod appetunt, & pro bonis mala amplectuntur: cumque ſe pedem tuto ponere exiſtimauerunt, labuntur præcipites. Hoc lumen, quod eſt ſua cuique ratio, certiſſimis ſcientijs, ac doctrinis illuminata, & ſibi ipſa in omni conſilio actioneque progrediens, neque alieno indigens ductu, philoſophia ipſa continet: ad quam quod ſit rectum iter, tertia mox noſtræ inſtitutionis pars indicabit. Sed vt hoc lumine, & maxime veritas eſt, ſic in illo genere poſteriore virtutis, quod diſciplina, & moribus diximus comparari, quemadmodum luminis, ita & veritatis radius quidam ineſt: non principem, ſed accerſitam lucem, &c. *lib de recte inſtituendis lib. fol. 68.*

P. M. Vt pyrites gemma non aperit vim igneam, niſi ſi acteras, tum enim digitos adurit: Ita quorumdam malitiam non ſenties, niſi cum illis conſuetudinem, aut commercium habueris: aut non ſentias philoſophiæ vim, niſi exercueris. Ita ſuccina attritu vim attrahendi, & odorem produnt. *In ſimil.*

Vt Democrates medicus Conſidiæ mulieri, omnem curationem auſteram recuſanti, lac caprarum dedit, quas lentiſco paſcebat: Sic ijs qui prorſus à tetricis philoſophiæ præceptis abhorrent, fabellæ quædam amœniores proponendæ, ſed quæ philoſophiam reſipiant. *In ſimil.*

Vt aqua maris in imo dulcior eſt, quam in ſummo: Ita quo altius penetres in philoſophiam, hoc minus habet amaritudinis. *In ſimil.*

Sicut qui morbo laborant regio, ijs mel cæteris dulciſſimum, amarum eſt: Sic ſapientiæ præcepta pijs iucunda, triſtia ſunt ijs, qui prauis affectibus corrupti ſunt. *In ſimil.*

Fraxinum campeſtrem in tantum horrent ſerpentes, vt nec matutinas, nec veſpertinas illius vmbras quamuis longiſſimas, vnquã attingant, & ſi gyro frondibus huius arboris claudatur ignis, & ſerpens, citius in ignem fugiet, quam in fraxinum: Ita nihil conuenit vitijs, & ſtudio ſapientiæ, ſub cuius vmbra quiſquis ſe continuerit, tutus erit ab huius vitæ venenis. *In ſimil.*

Hedera pota neruis nocet, eadem foris adhibita prodeſt: Sic Philoſophiam ſi penitus imbibas, nocet ad pietatem: ſi leuiter & veluti foris admoueas, prodeſt ad eruditionem. *In ſimil.*

Vt vino non eſt aliud corporis viribus vtilius, ſi recte vtatis: nec eodem eſt quicquam pernicioſius, ſi modus abſit: Ita philoſophia ſalutaris res eſt, ſi modice adhibeas: peſtilentiſſima, ſi eius ſtudio temulentus, à communis vitæ munijs reddaris alienus. *In ſimil.*

A D A G I A.

Neque literas, neque natare nouit.
Conſule tit. Ignauia. Inſcitia
Philoſophari. φιλοσοφεῖν *Iſocrat.*
Qui ſententias ſeras dicunt, Græcis dicuntur φιλοσοφεῖν.

P R O P H A N A E X E M P L A.

Socrates, cum ſpectris, fabulis & ſuperſtitione refertam accepiſſet à Pythagora & Empedocle philoſophiam: atque ad miram inſaniam perductam, aſſueſecit in rebus ipſis prudentiam quærere, & ſobria ratione perſequi veritatem. *Plut. in Socr. dæmonio.*

Fridericus II. Imper. libros Ariſtotelis omnes, & pleraque alia, in ſacris, & prophanis literis, vniuerſamque philoſophiæ ſupellectilẽ, ex Græco atque Arabico ſermone, per interpretes doctiſſimos vertendam curauit, & Academijs legendam exhibuit. Quibus rebus ſe a teneris vnguiculis oblectatum fuiſſe profitebatur. *Auent. l. 7. Annal. Boiorum.*

Ergamenes Rex Æthiopum Græcis doctrinis, & philoſophiæ deditus fuit. *Diod. l. 3. c. 1.*

Scythæ philoſophos præſtantiores Taraboſteſcos: itẽ Pileatos olim appellabant: è quibus ſacerdotes, ac reges Aegyptiorum more creare conſueuerant. *Bonfinius l. 2. Dec. 1.*

Abderitæ, cum ciuem ſuum Democritum ob conſumptum patrimonium ampliſſimum multare decreuiſſent: poſteaquam philoſophiæ eius admiranda dogmata, in quæ opes tantas inſumpſiſſet, cognouere, laudatum dimiſere. *Athenæus l. 4. c. 20.*

Philippus Macedo Alexandro filio iuſſit, vt audiret Ariſtotelem, & philoſophiæ vacaret: ne, inquit, multa admittas, quorum me admiſſorum pœnitet. *Plut. in apoph.*

Dionyſius ſuperior, poeticæ admodum deditus, philoſophiam ſpernebat: itaque Platonem quoque in paruo habuit precio. *Plut. in Dione, & Cœlius l. 22. c. 17.*

Saluſtius à philoſophia dehortabatur adoleſcentes alterutra de cauſa: ſiue vt magiſtros offenderet, illorumque odio philoſophicis ſcholis inſidiaretur: ſiue quod magnitudinem illius vitæ inſtitutę reputans, omnes eo mortales inferiores ducebat. *Suidas.*

E M B L E M A.

Quæ ſupra nos, nihil ad nos.

Emblema CIII. Andr. Alciati.

Caucaſia æternum pendens in rupe Prometheus
Diripitur ſacri præpetis vngue iecur.
Et nollet feciſſe hominem: figulosque peroſus
Accenſam rapto damnat ab igne facem.
Roduntur varijs prudentum pectora curis,
Qui cœli affectant ſcire Deumque vices.

Vide Doctrina, Diſciplina, Inſtitutio.

P H Y S I O G N O M I A.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Phyſiognomia, vel vt alij malunt, Phyſiognomonia, φυσιογνωμονία, vel φυσιογνωμία, vel φυσιογνωμονική. Peritia naturas cognoſcendi, ſeu iudicandi de natura. Scientia qua naturæ hominum ex aſpectu corporis, ac præſertim vultus cognoſcuntur. *Henricus Stephan. Theſaur. Græcæ ling. T. 4. c. 279.* De qua ſcientia peculiaris extat libellus inter Ariſtotelis opera.

Phyſiognomia cum y Græco ſcribitur, dicitur ad verbum naturæ regula. Nam *teſte Gellio,* id verbum ſignificat mores naturaſque hominum coniectatione quadam, de oris, & vultus ingenio, deque totius corporis filo, atque habitu ſciſcitari. *Ioann. Tortell. in lit. P.*

Phyſiognomiæ ars quædam eſt, cum quia neceſſarium eſt, conſequi corpori talem formam, qua ſcientes circa vnumquodque animalium ex forma poſſunt conſiderare. *Ariſtot. Phyſiognom. cap. 1.*

Phyſiognomones priores autem tres modos aggreſſi ſunt hanc diſciplinam, quiſque iuxta vnum. Alij ex generibus animalium, ponentes ſecundum vnumquodque genus figuram animalis, & ſpeciei animam, alij in talibus corpori ſimilem habenti corpus, & animam ſimilem putabant. Alij autem quidam faciebant, non autem ex omnibus animalibus experiebantur, ſed diſtinguebant ex ipſo hominum genere ſecundum gentes quæcunque differunt: ſecundum Viſus & mores: vt Aegyptij, Thraces & Scythæ: Quædam autem moribus à parentibus, quales mores diſpoſitionem ſequantur: ſequũtur autem vnicuique mores iracundo, coeunti, & in vnaquaque aliarum paſſionum. *Ibidem, cap. 2.*

Phyſiognomizantes ex feris non recte ſignorum electionem faciunt: non enim eſt vtique dicere percurrentem formam vniuſcuiuſque animalium, quod quicumque vbi ſimilis huic corpore erit, & anima ſimilis erit. *Ariſt. Phyſiog. c. 2.*

Phyſiognomizanti ſigna communia nihil manifeſtabunt. *ibid.*

Phyſiognomia eſt circa naturales paſſiones eorum, quæ ſunt in intellectu, & eorum quæ ſuper acquiruntur, quæcumque aduenientia transmutant ſigna eorum, quæ phyſiognomizantur. *ibid. cap. 3.*

Phyſiognomiæ ſigna accipiuntur ex motibus, ex figuris, ex coloribus, & ex moribus in facie apparentibus, & ex lenitate, ex voce, ex carne, ex partibus: & ex figura totius corporis. *Ibidem.*

Phyſiognomizantis vnus eſt modus, nullus autem aggreſſus eſt. Vt ſi neceſſe ſit iracundum, & triſtem, & paruum ſecundum morem inuidum eſſe, & ſi non ſint inuidi ſigna: ex alijs tamen prioribus contingat vtique phyſiognomis & inuidum inuenire, maxime quidem, quando talis proprius modus fuerit eius, qui philoſophatus fuerit: poſſe enim quibuſdam exiſtentibus neceſſe eſſe proprium putamus philoſophiæ, quod eſt, quando contraria ſunt huic iuxta paſſiones, phyſiognomonizare etiam mala. *Ibidem.*

Phyſiognomi potiſſimum eſt, quando ſigna non ſunt confeſſa, ſed ſibi contrariantia, nihil ponere, niſi ſint diſcrepantium inter ſe quædam quibuſdam credibiliora. Et maxime quidem in ſpeciem, ſed non in toto genere referre decet: ſimiliora enim ſunt quæſito: non enim totum genus hominum phyſiognomizamus, ſed quoddam eorum, quod in genere. *Ariſtot. Phyſiogn. cap. 5.*

Phyſiognomiæ ſigna principaliſſima ſunt, quæ in principaliſſimo ſunt loco qui eſt circa oculos, frontem, caput & faciem. Secundus circa pectus, & humeros. Conſequenter circa crura, & pedes,

des, qui circa ventrem minimus. Omnino autem, vt sic dicam, illa loca manifestissima signa præbent: in quibus & prudentiæ plurimæ decor apparet. *ibid. c. 10.*

Physiognomiæ tota scientia est in hoc, vt per signa, & passiones cognoscamus. *Albert. Mag. in prior.*

Physiognomia non imponit necessitatem hominibus, sed inclinationem ostendens ex sanguine, & spiritu, quæ retineri possunt freno rationis. *De anim. lib. 1 tract. 2. c. 2.*

Physiognomia primo sexus differentiam scrutatur. *ibid.*

Physiognomiæ perfectio principaliter in oculis consistit. *Ibid. tract. 2. c. 3.*

Physiognomiæ vnum est fundamentum, quod illius animalis homo accipit operationes, cuius in vno, vel plurimis membris accipit figuram. *Ethic. c. 1 tract. 7. c. 2.*

Physiognomi debent considerare principalia, in quibus animæ principales conueniunt operationes, vt dispositio capitis in cranio, in quo sunt cellularum distinctiones, scilicet sensitiuæ, & syllogisticæ, & memorialis & motiuæ: & sicut est in dextro, & sinistro, per quæ totum corpus mouetur: & sicut est in dispositione manus, quæ est instrumentum intellectus practici. Nam talium enormis turpitudo, si ex natura fit, frequenter indicat animi peruersitatem. *Albertus Magnus Ethicorum 1. tractat. 2. cap 2.*

Vt notarum signorumque in corpore humano sensibus subiectorum plura sunt, ac diuersa genera, sic artium, quæ illa considerant, æstimant, atque interpretantur, non vnum genus. Aliæ notæ integram, aut affectam valetudinem referunt, ac declarant. Aliæ cõgenitam toti corpori, vel præcipuis partibus, temperiem, naturæque robur, ac firmitatem, vel languorem, atque imbecillitatem detegunt. Aliæ insitas à prima origine inflexiones propensionesque, ad certa morum, actionum, studiorum, affectuũ, genera, vel abditos animorum sensus affectionesque, & à natura constitutiones, ac conformationes arguunt, & ceu aperiunt, ac produnt. Aliæ, naturæ ductus, atque impulsus, ad euentus prosperos, aut contrarios, præsensionesve, & vim futuri præsagam patefaciunt. Σημειωτικὴ id est, coniectatio ex signis, sanitatis, aut inualetudinis signa pensitat, & examinat, & de tempore totius, ac partium singularium iudicium fert, ac sententiã. [Greek] præsagientia declarat somnia, & quæ illa vaticinentur, scrutari studet, atque explanare. De animorum moribus, constitutione, atque inclinatione, coniecturam facit, ex notis exterioribus, in toto corpore singulisque partibus φυσιογνωμονία, id est, naturæ notatio, & consideratio. Hæc naturales animæ affectiones, atque accidentia, quæ interueniunt, & Physiognomonica signa mutant, attente considerat, ac expendit. Signa quorum iudicio ductuque perducimur ad cognitionem affectionum ex oculis absconditarum commemorat Aristoteles, his verbis. Ex motibus de natura cuiusque & ingenio coniectant, & ex figuris, tum ex coloribus, & ex moribus, qui in facie apparent, & ex leuitate, & ex voce, & ex carne, & ex partibus, & effigie totius corporis. Ac sunt in vniuersum huiusmodi, quæ dicunt Physiognomones de vniuersis generibus signa.

Zopyrus physiognomiæ peritissimus, Socratem, cum habitum corporis inspexisset, vt legimus apud Ciceronem, & alios, stupidum pronunciauit, & bardum, quod iugula concaua non haberet, addidit etiam mulierosum. Tunc Alcibiades cachinnum sustulisse dicitur, cum in Socrate nihil horum esset obseruatum. Nam & errata naturæ emẽdarat, & ex naturalibus causis nata vitia edomuerat, ac compresserat voluntate, studio, disciplina, ad eum modum vt nemo vnquam in eo vllum eorum vestigium videril. Nouimus ipsi quosdam simulationum artifices, qui cum res poscebat, exuere naturam pristinam, & assumere nouam, eamque tanta fingere calliditate poterant, vt connatam quis nõ ascitam esse putaret. Cæterum cum hæc, aut consuetudine acquisita, aut consilio suscepta, impediant iudicia de naturalibus; recte monet Aristoteles, ne ex vno signo quicquam temere quis affirmet, sed inquisitis collatisque pluribus exploret, quæ consentiant, quæ discrepent, quæ idem arguant, quæ contrarium declarent. Si omnia vel plurima vni significato suffragentur, certius pronunciari posse: Si vnius cæterorumve motus cætera refragentur, cohibendam esse assertionem. Verum hæc ad diuinationes ipsas pertinent.

Apophthegmata.

Zeno Citticus videns adolescentem: Animi tui vestigia, inquit, satis explorati sunt mihi. Notans hominis lasciuiam: In Græco autem plusculum est gratiæ: θυμὸς enim non tantum animum significat, sed animi etiam concitationes. *Laertius libro 7. capi. 1.*

Diogenes interrogatus de quodam adolescente, qualis videretur? Arcadem esse respondit: Sic significans, illum esse stupido ingenio: siue, vt eruditi quidam malunt, mollem & pathicum, quod Arcades feruntur glandibus victitare, teste epigrammate.

Polyanthea Nouiss.

[Greek]

Glans autem apud Latinos interdũ obscœnam habet significationem. *P. M. l. 8. apoph.*

Stratonicus musicus cum esset Pellæ, & in puteum descendisset, rogauit, num esset aqua potabilis? cum dixissent, qui aquam hauriebant. Nos istam bibimus: Non est igitur, inquit, potabilis, quod illos videret pallidos, luridosque. Nam id interpretabatur malæ valetudinis argumentum, quam ex aqua contraxerant. *Athen.*

Cleanthes. Hominis mores ex conspectu deprehendi posse dicebat: Verum cum Philosophum (qui hoc audierant) cuperent, hominem cinædum, sed multis laboribus ab ineunte ætate exercitatum adducunt, vt artis suæ specimen ederet. Cleanthes igitur, cum hominis faciem, item manus callosas, & sole adustas vidisset, & aliquamdiu siluisset, iussit hominem abire foras. Ille cum discederet, sternutamento concussus est. Quo audito, Cleanthes, ait: Satis naturam hominis intelligo, mollis est. Non enim facile sternutant, qui sub dio laborant. *Laertius libro 7. capite. 2.*

Anonymus. Chalcidensis quidam, qui cum Orobazo descenderat. Syllæ vultum sæpius contemplatus, & ingenium motumque corporis inspiciens: Necesse est, ait, hunc fieri magnum virum, miror que quod omnium adhuc primus non sit. *Plutarchus.*

Similitudo.

P. M. Vt sunt quidam fontes, qui potu pecudum, atque etiam hominum cutem. & pilos tingunt albo nigrove: Ita elucet etiam in ipso hominis vultu, & fronte, quod aiunt, quibus præceptis imbutus sit, & quibus ex authoribus hauriat vitæ rationem. *In Simil.*

Vide Natura.

PICTOR.

Definitio et Etymolog.

Pictor, Græce [Greek] est formarum iudex, *Plato in Theet.* Hebr. verbum *Chakak*, effigiauit, delineauit, descripsit, cõstituit, seu statuit imaginem, & formas: dicitur non tantum de picturis imaginum, sed etiam de ductibus literarum, & omnium rerum lineamentis. Significatione congruit cum *Chikkah*, & *Chok*, id est, effigiauit, constituit effigiem. Hinc [Greek] effigio, [Greek] effigies. Inde *Mechakkeh* pictor, qui pingit quicquid libet, vnde Horatij dictum in Arte, *Pictoribus atque Poetis, Quodlibet audendi semper fuit æqua potestas.* Iisdem verbum *Kalahh* significat torquendo cauauit, cauam imaginem fecit, cælauit, in ære argẽtove, aut etiam in ligno, vel saxo sculpsit, pinxit, 1 *Reg. 6, 32.* *Kelahhim* cortinæ, vela, tapetes *Miklahhath*, cælaturæ, imagines, *Kalahh*, pictor, sculptor, seu pictor.

Pictor est imitator eius, quod opifex facit. *Idem de Republ. dialog. 10.*

Multa videns pictores in vmbris, & in eminentia, quæ nos non videmus. *Cic. 4. Acad.*

Sententiae Philosophor.

Pictor non minus bonus est, qui depicto exemplo qualis pulcherrimus homo fuerit, & omnibus in pictura satis expressis, demonstrare non possit etiam fieri posse, vt talis vir extet: sic nos de ciuitate non recte dicere putes, si non possumus demonstrare fieri posse, vt ciuitas ita habitetur, vt à nobis dictum est. *De Republ. Dial. 5. Plato.*

Picturas cum intuemur, procul aspicimus, cur colores partim cauo, partim deuexo repræsentantur? Si prope, eodem in plano omnes videmus: quia vis conspiciendi quoties in longum extenditur, languescit: & partem albiorem deuexam videt, nigriorem cauam. *Alexand. Aphrod. prob. l. 1. num. 49.*

Pictura non respicit ad id quod est: sed ad id quod videtur. *Plato Dialog. 10. de Repub.*

Pictor sutorem, ac cæteros artifices imitatur, etiamsi de sutoria arte nihil intelligat: ac ijs, qui non intelligunt, sutor esse videtur. *Plato, de Republ. dialog. 10.*

Pictura in totum imitatoria, cum procul à veritate abest, ipsius opus amat, & cum quadam in nobis parte procul a sapientia remota conuersatur, ipsique socia, ac amica est, ob nihil sani, aut veri. *ibid.*

Pictorum ars in singulis animalibus pingendis nullum alium finẽ habere videtur, quam vt colores inducat, & deducat, aut quomodocumque id pictores appellent, & nunquam ab exornando cessetur, donec nullum aliud incrementum supersit, vt pulchriores picturæ fiant. *Idem Plato de leg. dial. 6.*

Pictura est poesis tacens: & poesis est pictura loquens. *Franc. Patric. de Repub. lib. 1. c. 10.*

Apophthegmata.

Diogenes conspiciens duos centauros pugnantes in tabula pessime pictos. Vter, inquit, horum deterior est? Notans pictoris imperitiam: quasi dubitaret vter esset deterius pictus. Vsus est autem voce ambigua: nam χείρων & peior dicitur & in pugna inferior. *Laert. l. 6. Bruf. l. 5. c. 23.*

Anonymus. Quidam conspecta tabula, quæ picturam habebat quomodo Lacedæmonij trucidarentur ab Atheniensibus, dixit: Fortes Athenienses. Id Lacon audiens, subiecit: in tabula. Significans, ridiculum esse de pictura gloriari, quod ea non minus mentiri soleat, quam poetæ. *Plut. in Lacon.*

Apelles videns tabulam à Protogene pictam, quam Demetrius in bello seruarat deprecantibus Rhodijs: aliquamdiu præ stupore tacitus eam est contemplatus, tandem in hanc vocem erupit: Ingent labor, ac mirandum opus: desunt tamen Gratiæ, quæ hoc aliaque eiusdem auferant, atque in cœlo reponant, eam tabulã Protogenes nondum absoluerat. *P. M. l. 6. apoph.*

Idem tempestatis vi Alexandriam delatus, quidam eius æmuli subornarunt Planum, hoc est, scurram regium qui eum vocaret ad cœnam. Is non suspicans dolum, venit. At quum rex, qui illi erat infensus, indignaretur, & ostensis vocatoribus iuberet indicari à quo vocatus esset: Apelles arrepto carbone extincto foculo, imaginem delineauit in pariete, vt rex protinus ex inchoato opere agnosceret Planum suum. Eadem opera & artis suæ, & ciuilitatis suæ specimen dedit. Sit hoc, si libet, apophthegmatum. *Bruf. l. 5. c. 25. ex Plinio & Luciano.*

Idem. Alexandrum Fulminiferum pinxit, adeo expresse, vt diceretur: Duorum Alexandrorum, alterum Philippi nullis viribus vincibilem, alterum Apellis nullo artificio imitabilem. *Bruf. ex Plutarch.*

Anonymus Pictor quidam interrogatus, quem habuisset artis magistrum? digito populum ostendit: Sentiens, se ad multitudinis iudicium pingere: & obseruantem, quid quisque probaret, aut improbaret, artem fuisse cõsequutum. Idem ab Apelle factitatum legimus, qui post tabulam latitans, subauscultabat spectatorum censuras. *P. M. l. 8. apoph.*

Zeuxis certamen artis exercuit cum Parrhasio. Quum enim Zeuxis tam scite effinxisset vuas, vt in scenam aues aduolarent, Parrhasius detulit linteum pictum, ita veritate repræsentata vt Zeuxis alitum iudicio tumens, flagitaret, tandem remoto linteo ostendat picturam. Mox intellecto errore. Vicisti, inquit, Parrhasi. Nam ego aues fefelli, tu artificem. *Brufon. lib. 5. cap. 23. ex Plinio.*

Idem postea pinxit puerum vuas ferentem, ad quos quum aues aduolassent, processit iratus operi: vuas, inquit, melius pinxi, quam puerum. Nam si hoc consummassem, aues puerum timere debuerant. Ingenuitatis exemplum. At aues viderunt in puero nullum esse motũ: itaq; aut mortuũ, aut dormientem arbitratæ sunt. *Plin.*

Idem Agatharcho se laudanti, quod animalia facile celeriterque pingeret, 'animans celeritatem: Ego vero, inquit, Diu. *Plin.*

Protogenes Rhodi viuebat, eo Apelles videndi eius gratia profectus est: continuoque petit officinam, in qua tabulam magnæ amplitudinis in machina aptatam picturæ, anicula quædam custodiebat. Ea Protogenem negauit esse domi, rogauitque à quo quæsitum diceret reuerso? Ab hoc, inquit Apelles, arreptoque penicillo lineam ex colore duxit summæ tenuitatis, per tabulam. Reuerso Protogeni, quæ gesta erant anus indicauit. Ac lineam ille cõtemplatus, cõtinuo dixit. Profecto Apelles Rhodum venit: nec enim in alium cadit tam absolutum opus. Mox induxit alio colore lineam illa subtiliorem: atque mandauit, vt si rediret hospes, diceret ostensa linea, hic est quem quæris. Reuersus Apelles, & vinci erubescens, tertio colore lineas secuit, nullum relinquens amplius subtilitati locum. Protogenes victum se confessus, in portum deuolat, hospitem quærit, domumque ducit victus victorẽ. Ex minimo vestigio artifex agnoscit artificem. *Plin.*

Demetrius, quum Rhodum obsideret, & in suburbio cepisset tabulã quamdam, Protogenis clarissimi pictoris opus, in qua pinxerat Ialysum, id est, Bacchum, Rhodijs per caduceatores obsecrantibus vt tabulæ parceret, respondit: Se citius patris imagines, quã eam picturam oboliturum. Tantum honoris habuit arti rex. *Plut. in Demetrio.*

Anonymus. Romæ in foro pendebat tabula quædam, habens imaginem pastoris vetuli cum pedo, de hac Teutonum orator rogatus, quanti eam æstimaret? satis Germanice respondit, se nolle sibi dono dari talem viuum, ac verum. Barbarus non agnouit artificium, tantum spectabat formam. Atqui quæ natura deformia sunt, plus habent & artis, & voluptatis in tabula. *P. M. l. 8. apoph.*

Nealces. Arato destinanti tyrannorum communi odio abolere tabulam insignis artificij, quæ Aristratum in curru victorem habebat; Nealces supplex intercessit, vt opus incolume seruaretur, dicens, cum tyrannis, non cum tyrannorum imaginibus belligerandum esse. *P. M. l. 6. apoph.*

PIETAS.

Definitio et Etymolog.

Pietas, Græce εὐσέβεια, ας ἡ. & εὐσεβής, έος, ὁ, ἡ, pius dicitur. Est autem pietas, iustitia aduersus Deos, *secund. Cicer. lib. 1. de Nat. Deorum.* Pietatem Dei erga nos, misericordiæ, benignitatis, beneficentiæ, & eiusmodi nominibus Hebræi exprimũt. Nostram erga Deum, reuerentiæ, timoris, honoris, cultus nomine designant. Erga parentes, consanguineos, patriam, affines, amicos, Charitatis designatione.

Pietas est per quam sanguine coniunctis, patriæque & beneuolis officium, & diligens tribuitur cultus.

Pietas accipitur aliquando pro cultu diuino. Vnde pietas idem est, quod religio, Græce latria, seu theosebia, vnde proprie pietas est theosebia, id est, cultus Dei interior, qui proprie pertinet ad virtutes Theologicas. Religio vero est latria, quæ pertinet ad seruitutem diuinam exteriorem. *Hæc ex Aug. lib. 10. de Ciuit. Dei, c. 4.*

Pietas a vulgo sumitur pro actibus misericordiæ, quia Deus testatur hos actus sibi fieri, & ex hoc Deus dicitur pius. *Ex S. Thom. 2. 2. q. 101. art. 1.*

Pietas est specialis virtus, & principaliter est ad parentes, ad patriã, in quibus includuntur omnes consanguinei, ciues, amici patriæ. *Ex S. Thom. 2. 2. q. 80. art. 1.*

Loci Biblici.

Pietas, pro legitimo, & spirituali Dei cultu, *2. Pet. 3. 11.* cum quo corporantur corporis macerationes, *1. Tim. 4. 7. 8.* commendatur, *4. v. 7. 8. & 6. v. 6. 11. Tit. 2. 12.* pietas ditat. *Prou. 25. 5.* Pietas sperat vitam æternam, *Tit. 1. 1. 2.* Pietas, vel impietas, non Deo, sed homini prodest, vel nocet, *Iob. 5. 6. &c.* in pietate assidui esse debemus, *2. Pet. 3. 11.* pietas magnus quæstus est, *1. Tim. 4. 7.* pie volentes viuere in Christo, persecutionem patientur, *2. Timoth. 3. 12.*

Pij, aduenæ, hospites & peregrini in hoc mundo, *2. Cor. 5. 6. Heb. 13. 14. 1. Pet. 2. 11. 2. Pet. 1. 13. 14.* pij amici Christi, *Ioan. 15. 14.* Angelis similes futuri, *Matt. 22. v. 30. Marc. 12. v. 25.* Beneficij, *Psal. 37. 22.* Ciues regni cœlestis, *Ephes. 2. 19. Heb. 12. v. 22. 23 & 13. 14.* cohæredes Christi, *Rom. 8. 17.* consortes diuinæ naturæ, *2. Pet. 1. 4.* corpus vnum cum Christo, *Rom. 12. 5. 1. Cor. 10. 17. & 12. v. 13. 27. Eph. 4. v. 25. Col. 3. 15 Hebr. 13. 3.* creaturæ nouæ, *1. Cor. 5. 7. Galat. 6. 15. Ephes. 2. 10.* Diuites in fide, *Iac. 2. 5.* Filij lucis, *Ioan. 12. 36. Eph. 5. 8. 1. Thess. 5. 5.* filij obedientiæ, *1. Petr. 1. 14.* forma, seu exemplar debent esse alijs, *1. Thess. 1. 7.* Hæreditas Domini, *Psal. 28. 9.* Hæredes Dei, *Rom. 8. 17.* hæredes regni, *Iac. 2. 5.* hæredes terræ, *Psalm. 37. v. 11. 22. Prou. 2. 21.* hæredes vitæ æternæ, *Tit. 3. 7. 1. Petr. 3. 22.* Infantibus quomodo similes, *1. Pet. 2. 2.* inopes esse nequeunt, *Psal. 34. 10.* Lapides viui sunt, *1. Pet. 2. 5.* Misericordes, *Prou. 21. 26.* Piscibus bonis similes, *Matth. 13. 48.* velut portenta in mundo habentur, *Esa. 8. 18.* purgamenta mundi, *1. Cor. 4. 13.* Reges sunt, *Apoc. 1. v. 6. & 5. 10.* & regale Sacerdotium, *1. Petr. 2. 9.* quomodo Sacerdotes, *Esa. 61. 6. & 66. 21. Heb. 13. 15. Rom. 12. v. 1. Apoc. 1. 6. & 5. 10. & 20. 10.* spectaculum facti sunt mundo, angelis & hominibus, *1. Cor. 4. 9.* stulti habentur, *v. 10.* serui sunt iustitiæ, *Rom. 6. 18.* conferuntur semini, *Matth. 13. 28.* superiores futuri sunt hostibus suis, *Psal. 149. ver. 5. 6. 7. Esa. 41. 15. & 54. 17.* Terræ bonæ similes, *Matth. 13. 23. Marc. 4. 20. Luc. 8. 1. Heb. 6. 5. 7.* tritico conferuntur, *Matth. 3. 12. Luc. 3. 17.*

Pij Deo chari, & preciosi, *Esa. 43. 4. & 49. 16. Deut. 32. 10. Ps. 17. 8. Zachar. 2. 8. Matth. 10. 31. Luc. 12. 6. Ioann. 4. 21. 23. & 16. 27. & 17. 23. Ephes. 1. 6.* cur Deo chari, *Ioan. 16. 27.* à Deo cogniti, *1. Cor. 8. 3. 2. Tim. 2. 19.* Christo dilecti, *Ioann. 14. 21. & 15. 9. 14.* in mundo contempti, *Psal. 123. 4. 1. Cor. 4. v. 9. 10. 13.* Pij vno ac solo Deo contenti, *Psal. 73. 27.* in Dei laudem crediti, *Esa. 43. 7. 21.* interdum à Deo relicti, & omni consolatione destituti videntur, *Psal. 22. 2. & 88. 9. 19. & 148. 5. Esa. 51. 18. Matth. 27. 46. Marc. 15. 34. & 14. 37. Luc. 22. 45.* pij omnes à Deo edocti, *Esa. 54. 13. Ierem. 31. 34. Ioan. 6. 45.* mundo exosi, *15. 19. & 17. 14. 1. Ioan. 3. 13.* propter mundi odium non miseri, *Matth. 5. 11. Luc. 6. 22. Ioan. 7. 7. & 15. 18.* pij imitandi, *Phil. 3. 17.* peccato mortui, *Rom. 6. 2. 11. 1. Pet. 2. 24.* ludibrijs obnoxij, *Psal. 79. 4.* varijs ærumnis expositi, *Prou. 11. 31. Ecclef. 8. v. 14. Matth. 5. v. 12.*

A Deo plantati, *Esa. 61. 3.* pij cum impijs non puniendi, *2. Reg. 10. 23.* pij in cœlestibus sedentes, *Eph. 2. 6.* è mundo selecti, *Ioann. 15. 19. & 17. 6. 14. 16.* à Deo per Spiritum Sanctum signati, & vncti, *2. Cor. 1. 22. Eph. 1. 13. & 4. 30.* pij alijs vtiles ac fructuosi, *Prou. 11. 11. Ioan. 15. 4.* pij nihil aggrediuntur ex sese, *Ps. 119. 24. Act. 20. 22.* Spiritu Dei aguntur, *Rom. 8. 9. 14.* in Christo manent, *Ioan. 6. 56. & 15. 4.* pij seipsos probãt, *2. Cor. 13. 5.* pij in dies proficiunt, *Ioan. 13. 10. & 15. 2. Eph. 3. 19. & 4. 15. Phil. 3. 12. Col. 1. 9. 10. & 2. 7. 1. Thess. 1. 3.*

13.10.& 4.1.2.Theff.1.11.& 2.17.1.Pet.2.2. 2.Petr.5.11.& 3.1.1.Ioan,2.12.

Piorum conditio in hoc fæculo mifera,Pfal.139.109.Efa.41.14.& 51.21.23.Abac.1.3.4.13 Matt.11.18.Luc.2.7.& 6.23.Ioann.15.20.Rom.8.36.1.Cor.4.9.11.& 15.19.2.Cor.4.10.Hebr.10.33.& 11.35. piorum conditio poft vitam præfentem beata,Matt.13.43.& 22.30.Mar.11.25.Luc.18.30.Apoc.3.21.& 7.16.17.& 14.13. piorum coniunctio arctiffima,Ioan.16.11.22.confilia optima,Prou.12.20. confolatio,Pfal.119.51 76.Matt.5.5.12.Luc.6 22.& 12.31.2.Cor.1.5.7.1.Tim.4.10.1.Pet.4.13.conftantia in bono,Pf.119.51.69.cõfortia vtilia,Prou.13.20.corpora gloriofa futura.1.Cor.15.53.Philip.3.21.Defiderium,Pfal.119.17.4.Apoc.22.17. dignitas ac præftantia,Mat 10.31.Luc.8.21.Ioan.1.12.& 12.25.1.Cor.1.9.& 3.22.& 7.23.Eph.2.19.1.Pet.2.9.1.Ioan.3.1.2.domus benedicta,Prouer.14.11.& 15.7.domus cœleftis,2.Cor.5.1. Exercitium,Pf 119.15.27.48.76.Ephef.5.19.Col.3.16.1. Theff.5.11.1.Tim.4.8.2.Tim.2.22.Tit.2.12.Fortitudo,Mich.4.13.Gaudium,1.Paral.16.10.Pfal.5.12.& 9.3.15.& 13.6.& 14.7.& 16.9.& 3.8.& 32.11.& 33 21.& 35.9.27.& 40.17.& 48.12.& 51.9.& 53.7.& 58.11.& 63.6.8.& 64.11.89.17.& 90.15.& 92.5.& 95.1.& 97.8.9.11.12.& 100.1.& 104.34.& 105.3.& 107.42.& 109.28.& 116.14.54.74.162.& 122.1.c.126.2 c.149.1.2.5.Prou.13.9.& 21.15.& 19.1.6.Eccl.5.17.18.Cant.1.4.Efa.9.3.& 12.6.& 25.9 & 29.19.& 30.29.& 35.10.& 41.16.& 51.3.11.& 58.14.& 61.7.10.& 65.14.18.& 66.10.14.Ier.15.16.Ioel.2.23.Abac.3.18.Soph.3.14.Zach.2.10.& 9.9.& 10.6. Mat.5.12.& 28.8.Luc.1 14.& 2.10.29.& 6.23.& 10 20.& 13.17.& 16.6.37.& 21.28.& 24 41.52.Ioan.3.29 & 14.28.& 15.11.& 16.20.22.24.& 17.13.& 20.20.Act.2.25.46.& 5.41.& 8 8.39.& 11.23.& 12.14 & 13.48.51.& 3.31 Rom.12.12.15.& 14.17.& 16.19.2.Cor.6.10.& 13.11 Gal.1.22 Philip.4.4 & 22 18.& 4 4.Colof.3.15.1.Theff.1.6.& 5.10.Heb.10 34.Iac.1.2.1.Pet.1.6.9.& 4.13. 1.Ioan.1.4.2.Ioan v.4.13.3.Ioann.v.3.4.Apoc.18.20.& 19.7.Piorum gemitus,Rom.8.23. 2.Cor.5.2.4. gloria,1.12. piorum gloria in futuro fæculo,Matt.13.43 Phil.3.21.Col 3.4.2.Theff.1.7.Piorum hæreditas Deus,Pfal.73 26.Piorum hoftis perdenda,Pfal.37.22.Piorum iuftitia qualis effe debeat,Matt.5 20.Piorum labor minime inanis 1.Cor.15.58.Galat 6.9.Heb.6.10.Apoc.14 13.Laus,Deus.Ierem.17.14.liberi fancti, 1.Cor 7.14. Piorum liberationis fructus & finis.Pfal.30.12.13.& 40.2.4 & 56.43 & 106.47.& 118.17 Efa.37.20.Ier.33.9.Piorum libertas,1.Pet.2.16.lingua quod rectum eft, loquitur,Pfal.27.v.30.

Piorum Meditatio,Pfal 1.1.& 119.v.143 147.174.& 143.6.Prou.15.28. Piorum membra,Spiritus fancti templa,1.Cor 6.19.piorum memoria æterna Pfal.112.6.laudabilis, Prou.10.7.Marc.14.9. piorum mors quieta,Gen.15 14 & 25.8.piorum mors interdum præmatura,Efa.57.v 1.piorum multitudo.49.20.Hebr.12.1. mundities,in quo fita,Ioan.15 3.Act.15 9 piorum omnium nota, Ef.66.5.Ezech.5.6.Ioan.8.47 & 10.27 & 13.25 & 18 37.2.Tim.2.19.1.Ioan.4.7.Apoc.7.3. Piorum opera,Deo præcunte facta, Ioan.3.21. Piorum paucitas impiorum multitudinis refpectu, Efaia 8 16.& 53.1.Ioan 12.8.Mich 7.14.Matth.20.16.& 22.14.Luc.12.32.& 13.23.Rom.9.27.1.Pet.3 10.piorum Pax,Efa.57.19.Agg.2.10.pofteritas,Pfal.34.11.& 92.12.Efa.54.17.& 58.11 & 65.14. Zach.8.12. piorum imprimis habenda ratio,Rom.12.13.Galat.6.10.Eph.1.15.Colof 1.4.Heb.6.10.piorum ruina lethalis non eft,Prou.24.16.piorum Salus æterna,Efaia 45.17.gratuita eft, Ephef 2 verf.5.8.piorum liberatio cum impiorum interitu coniuncta,Efa.34.8.& 35.4.& 49.25.& 51.23.& 59.20.& 6.2 & 63 4. Ier 12.15.& 25.12.& 30.v.16.20.& 50.18.Thren.4.22.Ezech.28.26.Ioel.3.1.Abd.ver.17.Soph.2.9.& 3.19.Zach.1.15.& 2.8.& 10.11.& 12.6.& 14.12. Piorum fecuritas æterna,Pfal.1.3.& 15.5.& 31 21.& 112.7.Prouer.1.33.& 10.v 9.50.& 12.21.& 13.6 & 14.32.& 15 19.& 28.1.Efa.26.7.& 53.16.& 54.14.& 58.11.Ier.17.v.6.& 23.6.& 32.37.& 33.16.& 46.27.Ezech.28.26 & 34.28.& 38.8. Mich 4.4.Soph.3.13.Agg.2.v.10.Zach.14.11.Matt.7.25.& 11.29 Luc.11.38.Ioã.10.28.Rom.8.v.31.33.35 Col 3.35.Hebr.6.19.& 13.6.1.Petr.3.v.13.14.2.Pet.1.10.1.Ioan.3.21.& 4.17.Apoc.9.4.Piorum femen benedictũ,Iob 42 16.Pfalm.18.51.& 37.25.13.& 25.26.& 102.29.& 112.2.Prou.11.21.& 14.26.& 20.7.Efa.44.3.& 48.19.& 54.13.& 79.21.& 65 23.Ier.32.39.Zach.10.2.Act.3.39.Piorum ab impijs feparatio,Matth.13.v.41 49.& 25.32.Piorum focietas honorifica,1.Io.1.v.3.Piorum fpes Deus,Pfal.39.8.& 40.5.& 91.v.2.9.& 142.6.Ioel.3.16.Piorum fpes vna, Ephef 4.4. Piorum fpes minime vana,Pfal.9.19 & 17.7 & 21.8.& 25.v.2.20.& 28.7.& 31.2.& 71.ver.8.5.& 32.10.& 34.v.6.9.& 37.v 9.40.& 62.7.& 71.5.& 86.2.& 91.2.& 112.7.119.116.& 125.1 & 142.6.& 143.8.Prou.10.v 28.Efa.26.3.& 30.18.& 40.31.& 45.17.& 49.23.& 50.7.& 57.13.Ierem.31.17.Rom.5.ver 2.5.& 8.v.24 & 9.v.33 & 12.12.Hebr.6.19. Piorum ob impiorum felicitatem tentatio, Pfal.73.v.12.13.Efa.49.14.Piorum ob populi calamitatem triftitia,Efa.22.v.4. in lætitiam verfitur,Pfal.30.12 & 68 14.Efaia 61.3 & 65.20. Ier.31.13.Ioan.16.20.Piorum victoria,Pfalm.149.v.6.Efaia 41.15.& 54.17.Dan.7.22,Mich.4.13 & 5.9.Malach.4.3.Matth.16.18.Luc.1.71.Roman.8.37.& 16.20.1.Cor.15.57.1.Ioan.2.14.& 4.4.& 5.4. Apoc.12.11.Piorum victoriæ fructus,Apoc.2.11.& 3.verf.5.12.21.Piorum vita,Deo confecrata Rom.14.7.Coloff 3.3.Piorum vitæ terminus,Pfal.118.17.& 119.175.Efaia 43.7.& 60 21.& 61.3 piorum vnanimitas.Actor.4.32.& 5.12 & 15.12.Rom.15.6.piorum cum Chrifto vnitas,Ioan.17.11.piorum vocatio præftantiffima,1.Theff.2.12.& 4.7.1.Petr.2 21.& 3.9.& 5.10.piorum voluptas in Deo fito, Pfal.37.4.piorum zelus,119.139.Rom.12.11.

Polyanthea Nouifs.

Piorum & impiorum difcrimen,Genef.4.v 4.5.Exod.5.1.2.& 14.13.Pfal.1.v.4.5 6 & 20.8.& 34.16.27 & 37.17.& 109 28.& 125.5.Prou.10.v.3.25 28.30.& 11 v 23.24.31.& 12.v.21 22.c.13 25.& 14.13 & 24.16.Efa.60.2.c.65.14.Ofe.14.10.Ioã.2.9.Mich.4.5.Matth.3.12.Rom 8.5.2.Cor.2.16.Galat 4.29.Hebr.6 v.7 8.& 10.38.1.Pet.2 7.1 Ioan.2.19.& 3.10.& 4.6.& 5.10 2.Ioan v.11.Piorum fub Magiftratu impio,& ethnico degentium exempla: Abraham fub Pharaone in Aegypto,Gen.12.10.Ifraelitæ fub Pharaone,Exo.12.40.Iudæi fub Philifthæis Luc.15.11.parentes Dauidis fub Achis,1.Sam.22.3.Dauid cum fuis fub Achis,27.v.2.3. Elias cum feptẽ millibus piorum,qui non flexerunt genua ipfi Baal cum Achabo & Iezabel,1.Reg.19 18.

Pijs male effe non poteft,Efa 3.10. pijs benefaciendum,Iudic.5.v.12.Pfal.16.3. pijs fauendum, & eorum innocentia tuenda Exempla:Ionathas,1.Sam.20.v 32.Abimelech,22.ver.14. pijs liberatis interdum impij affliguntur,Efa.43.v.3 4.

Pios eripit Dominus è tentatione,2 Pet 2.9. nec finit eos vltra tentari,quam quod poffunt ferre,1.Cor.10.13. fola Dei mifericordia fidunt,Pfal. 2.10.

SENTENTIAE BIBLICAE.

Fili, honora Dominum, & valebis: præter eum vero ne timueris alienum.Prou.7.

Honora Dominum ex tota anima tua,ibid.

Ineptas & aniles fabulas deuita:exerce autem teipfum ad pietatem. Nam corporalis exercitatio ad modicum vtilis eft: pietas autem ad omnia vtilis eft, promiffionem habens vitæ, quæ nunc eft & futuræ.1.Tim.4.

Eft autem quæftus magnus,Pietas cum fufficientia.1.Tim.6.

Tu autem ò homo Dei hæc fuge: fectare vero iuftitiam,pietatem, fidem,charitatem,patientiam,manfuetudinem ibid.

Apparuit enim gratia Dei Saluatoris noftri omnibus hominibus: erudiens nos,vt abnegantes impietatem, & fæcularia defideria, fobrie & iufte,& pie viuamus in hoc fæculo,&c.Tit.2.

PATRVM SENTENTIAE.

Penes Deum,nec pietas fine iuftitia eft, neque fine pietate iuftitia, nec fine pietate cœlefti fenfus,fine bonitate æquitas.fine æquitate bonitas non habetur. Virtutes fi feparatæ funt, dilabuntur. Aequitas fine bonitate,fæuitia eft,& iuftitia fine pietate crudelitas eft.Petr.Chryfl.ferm.145.de generat.

Pietas amica eft parentibus,grata Deo,dominum conciliat, neceffitudines fouet: Dei cultura, merces parentum, filiorum ftipendium. Pietas,inquam,iuftorum tribunal,egenorum portus,miferorum fuffragium,indulgentia peccatorum.Ambrof.in Pfalm.118.

Neceffitudini generis diuinæ religionis pietas anteferitur: Nulla enim merces Deo melior ea,quæ habet pietatis munera. In lib.de viduis.

Volens difcipulus reuerti domum,& fuis omnia renunciare, magiftri voce prohibetur,fepultura patri non datur,& pietatis genus eft,impium effe pro domino.Hier.in epift.ad Marc.

Clades in fuos,pietas in Deum eft. Nemo pietatem debet anteferre religioni: qui amat filium,aut filiam fuper me, non eft me dignus.In epift.ad Paulum.

Ordinate in me charitatem. Rectus ordo eft,poft Deum,amare parentem,& amicos. Si tamen neceffitas venit, vt vtrumque feruari non poffit,odium in fuos,pietas eft in Deum.In Cant.

Ille bene agit, quæ pia funt, qui fetit prius feruare. quæ iufta funt: vt collatus in proximos riuus mifericordiæ de iuftitiæ fonte ducatur.Greg.lib.mor.

Sunt nonnulli, qui pietatis fuæ vifcera tendere vfque ad incognitos nefciunt,fed folum, quos per affiduitatem notitiæ didicerũt, miferentur: apud vos plus familiaritas,quam natura valet, dum quibufdam neceffaria, non quia homines, fed quia noti funt,largiuntur.ibid.

Beneficium debet exhiberi per pietatem, & bonum verbum tribui per humilitatem.ibid.

Penfemus,fi poffumus,difpenfationem fupernæ pietatis, ftantibus, fi ceciderint,minatur pœnam: lapfis vero, vt furgere appetant promittit mifericordiam:confiderantes namque quod iuftus eft, nolite negligere peccata veftra:confiderantes quod pius eft,nolite defperare.In quadam hom.

Nulla eft fcientia, fi vtilitatem pietatis non habet, & valde inutilis eft pietas,fi fcientia difcretione caret.lib Mor.

O clementiffima pietas! quæ non fua definit largiri beneficia,non folum vbi nullum inuenit meritum,fed plurimum etiam,vbi tõtum videtur contrarium.In quadam epift.

Pietas est ex benignæ mentis dulcedine grata omnibus auxiliatrix, affectio & diuini cultus religiosa deuotio. *Hugo in lib. de claustro animæ.*

Hæc enim est perfecta pietas, quæ antequam flectatur precibus, nouit considerare fatigatos. *Cass. in l. 4. epist.*

POETARVM DICTA.

Ouid. l. 4. Fast.

Hinc satus Æneas, pietas spectata per ignes,
Sacra patremque humeris, altera sacra, tulit.

Ibidem.

An magis hunc morem pietas Æneia fecit:
Innocuum victo cui dedit ignis iter.

Horat. 1. Carm. 2.

Integer vitæ scelerisque purus
Non eget Mauri iaculis, neque arcu,
Nec venenatis grauida sagittis,
Fusce, pharetra,
Siue per Syrtes iter æstuosas,
Siue facturus per inhospitalem
Caucasum, vel quæ loca fabulosus
Lambit Hydaspes.

Plautus Rud.

Supplicij facilius pius à Dijs supplicans,
Quam qui scelestus est, inueniet veniam sibi.

Hor. 1. Epist. 16.

Vir bonus est quis?
Qui consulta patrum, qui leges, iuraque seruat.

Idem ibidem.

Vir bonus, & sapiens audebit dicere, Pentheu,
Rector Thebarum, quid me perferre, patique
Indignum coges? adimam bona, nempe pecus, rem,
Lectos, argentum: tollas licet, in manicis, &
Compedibus sæuo te sub custode tenebo.
Ipse Deus, simulatque volam me soluet opinor
Hoc sentit, moriar, mors vltima linea rerum est.

Idem 1. Epist. 7.

Vir bonus & sapiens dignis ait esse paratum:
Nec tamen ignorat, quid distent æra lupinis.

Idem 1. Epist. 16.

Oderunt peccare boni virtutis amore.

Iuuenalis 13.

Rari quippe boni: numero vix sunt totidem, quot
Thebarum portæ, vel diuitis ostia Nili.

Ex Græcis Comicis.

Θεὸς σέβουσι πάντα πράξεις ἀγαθά.
Numen colens cuncta numen diriget.
Θεὸν σέβων καὶ πάντα πράξεις ἀγαθά.
Deum colendo cuncta facies prospere.
Θνητὸς πεφυκὼς μὴ φρόνει ὑπέρφρονα.
Ne supra numen sapere mortalis stude.

Anthol. Sac. Iac. Billij.

In pietatis magistros, parum pie viuentes.

Multa quidem interna multi de pace loquuntur,
Cum tamen in medio pectore bella gerant.
Quamque piæ menti Christus sit dulcis, at illi
Interea haud gustu, quod docuere tenent.
Mercurij vectum callem tibi monstrat imago:
Quam tamen ostendit non terit illa viam.
Huic stotus similem pietatis iure magistrum
Dixero, cui pietas nil tamen ipsa sapit.

De piorum spe.

Spes mala cuncta leuat, viuimque eduxit ab vndis,
Mellaque de rigida pinguia rupe trahit.
Spes quoque sancta pijs est ignea nocte columna,
Intus qua nullis frangitur illa malis.
Christicolæ sortem populi bis terque beatam,
Rebus in aduersis cui datur ista comes?
Hac duce nam quauis læta subit aspera mente,
Viuit & in medijs vt Salamandra rogis.

De mutuo piorum, & impiorum aduersum se iudicio.

Insanire putat mundus, quos mille labores,
Pauperiemque vides ferre, grauemque famem,
At contra iusti mundum, quod vbique sequatur
Quæ carni arrident, mente carere putant.
Sic igitur pugnant animis mundusque piique:
Nec, qui nunc litem finiat, vllus adest.
Ast illam Christus dirimet, cum venerit olim,
At mundo vincet sancta cadente manus.

Probos viros ab improbis lædi non posse.

Corporeo cerni virtus si lumine posset,
Mox eius caperet pectora nostra decor.
Quamque decore micet virtus, tam robore pollet,
Nam virtute nihil fortius esse potest.
Lædere qui tentat veræ pietatis alumnos,
Ingentem stuppa verberat ille rogum.
Stuppa mediâ rogo sese consumit: at ignis
Maiorem stuppa vim moriente capit.

Pietas periculosa, sed fœlix.

Impia pars mundi parti est infesta piorum,
Nec tolerare potest dissimiles animos.
Ridens volentes ouibus prosentibus vti,
Sperantesque sibi credita posse dare.
Sed spernenda hæc sunt populis opprobria sanctis,
Quæ stulto faciunt corda aliena Deo.
Nam spes nostra ex hoc visu fit certior omni,
Quod spondens, quidquid credimus, hoc Deus est.

Vita Christianis sit pia, & honesta.

Nec falsarum habitu virtutum ornata imitatur,
Perdit mens veri nescia, quidquid agit,
Nouerit ergo Deum sapiens totisque medullis
Diligat, idque ipso se quoque amator amet.
Sit bonus & iustus sit verax, atque benignus,
Sit forma, & speculum, lux & imago Dei.
In Christo factus nouus, & iam carne vetusta
Exutus, vilem mente relinquat humum.
Vt sacri templi quacumque in parte locetur,
Magnum erit in capitis corpore, quicquid erit.

Qua nota veri Dei filij agnoscantur.

Admouet ad solem pullos Iouis ales, adunca
Vngue tenens sobolem dum probat ipsa suam.
Si radios spectent illæso lumine, veros
Agnoscit: si non, deijcit atque necat.
Sic quoque germanæ sobolis falsæque periclum,
Æthereâ genitor qui manet arce, facit.
Nam veros censet, qui mentem ad sidera tollunt:
At spurios, quorum mens grauis ima petit.

PHILOSOPHICÆ SENTENTIÆ.

Pietas fundamentum est omnium virtutum, parentem vt Deum vereri, atque non multo secus ac parentes liberos amare debemus. *Cic. pro Plan.*

Pietate aduersus Deos sublata, fides etiam & societas humani generis, & vna excellentissima virtus, iustitia tollatur necesse est. *1. de Nat. Deor.*

Pietas est per quam sanguine iunctis patriæque beneuolis officium & diligens tribuitur cultus. *idem in Rhetor.*

Habet suos impetus pietas. *Quint. Dec. 6.*

Prima pietatis magistra natura est.

Mortalis cum sis, ne sapias, quæ supra Dei voluntatem sunt.

Deum cole, & omnia facies diuino instinctu.

De pietate, & loquere, & disce.

Nulla vis maior est pietate vera. *In hist. Sax.*

Si omnes mei familiares pietate erga Deum præditi essent, minus eos inter se aliquid patraturos, aut in ipsum, dicebat *Cyrus, teste Xenophonte, lib. 8.*

Eximia ciconijs inest pietas, nam quantum temporis impenderunt fœtibus educandis, tantum & ipsæ à pullis inuicem aluntur. *Solin. in l. de mir. mun.*

Leonum clementiæ indicia multa sunt, prostratis parcunt, in viros potius quam in fœminas sæuiunt, infantes non nisi magna fame perimunt, nec à misericordia superantur. *ibid.*

Pietati summa tribuenda laus est. *2. de Orat. Cic.*

Omnibus est amori pietas. *Cic. C. Cass. Fam. 15.*

Philosophis Aemilius Paulus testem se præbuit, qui pietatem scientiam esse colendi Numinis definierunt. *Plut. in P. Æmilio.*

Plus apud bonos pietatis iura, quam omnes opes valent. *Iustin. hist. lib. 3.*

Græci Aeneæ pietate oblectati vniuersas possessiones ei reliquerunt: confitentes erga eos, qui pietatem in Deos exercēt, quique parentes reuerenter colunt, etiā natura inimicos non posse non æquos, & placatos se præbere. *Ælian. var. hist. lib. 3. c. 24.*

Commendabilis est pietas, quæ parentibus præstatur. *Vales. Max. lib. 5. cap. 4.*

Diligere parentes, prima naturæ lex est. *idem. ibid.*

Cæteræ virtutes admirationis tantummodo multum, pietas vero in parentes amoris plurimum meretur. *idem. ibid.*

Prima & optima rerum natura pietatis est magistra, quæ nullo vocis ministerio, nullo vsu literarum indigens, proprijs ac tacitis viribus charitatem parentum pectoribus liberorum infundit. Quid ergo doctrina proficit? Vt politiora scilicet, non vt meliora fiant ingenia: quoniam quidem solida virtus nascitur magis, quam fingitur. *ibid.*

Vera & sola pietas est necessaria, qua conseruata ijs, qui recte viuere instituerunt cætera despicienda sunt. *G. Pachymer. hist. lib. 5.*

Mea

Mea sententia is prudentissime rebus suis cōsulet. qui primum suapte causa optima quæque fuerit amplexus, deinde liberis etiam, & cognatis suis prospexerit. Qui vero toto animo incertam gloriam aucupatur, & ijs casibus qui animum obruunt, nec constantiæ quicquam habent se subijcit, & iucūdissima optimis, sine sua & suorum causa anteponit, is miser mihi videtur, tum ob temeritatem, tum propter inane studium: quod præter Deum eius voluntati, & consilijs aduersantem, e vestigio etiam euidenter alia, quam sperarat experitur, & in extremas periclitatur miserias. *Niceph. Gregor. hist. lib. 5.*

Diuinum Numen omni modo, omni tempore, ipse cole, iuxta leges patrias, & alij vt colant effice. *Dion. lib. 55.*

Numquam dolor ita inualescet, vt memoriam Numinis ex animo meo excutiat. *Heliodor. lib. 2.*

SIMILITVDINES.

Chrysostomi. Quemadmodum qui in bello regia signa circumferunt, magnis indigent viribus, maximaque peritia, vt ne id hostibus prodant: Ita & qui Christi nomen portant, non in bello solum verum etiam in pace, summis viribus indigent, ne id maledicis linguis exponant, sed id strenue ferant, vexillo crucis armati. Ingenti enim profecto opus est robore, vt quis digne portet Christi nomen. Nam qui indignum aliquid vel dixerit, vel fecerit, aut etiam cogitauerit, Christi nomen non legitime portat, neque habet in semetipso Christum. Porro qui id portat, is triumphat non in foro, sed in cœlis: eique astant Angeli laudantes. *Hom. 3. de diuersis.*

Sicut mercator non sentit nauigationis laborem, lucrorum spe releuatus: & pugil generose fert capitis vulnera, coronam respiciens: Ita & nos quoque cœlum, & ad cœlestia intendentes bona, quæcunque inferantur grauia, generose cuncta, & feremus, bona futurorum spe roborati. *Homilia decima sexta. cum Princeps intrasset Eccles.*

Nazianzeni. Sicut variæ sunt vitæ electiones, ita & multæ apud Deum mansiones, quæ secundum dignitatem vnicuique diuiduntur, & distribuuntur: & hic quidem hanc excolit virtutem, alius vero aliam, quidam etiam plures, nonnulli quoque omnes: si saltem est possibile, tantummodo vltra pergat quisque, & anteriora concupiscat, ac vestigia insequatur eius qui recte deducit, & dirigit, quique per angustam viam, & portam ad latitudinē, quæ illic est perducit. *In oratione de paupertate.*

Aristea. Rudis adhuc animus, & quasi infans, maxime exornatur, cum initio pulcherrima quæque & rerum dignissima complectens pietatem lege infallibili, rationemque sequitur. *Ad Philocrat. fratrem.*

Marsilij Ficini Florentini. Sicut non potest quicquam ignis propinquatione fieri frigidissimum: Ita non potest homo, qui solus hæret Deo sapientissimo, beatissimoque, illustrissimus misterrimusque euadere. Neque etiam potest Deus, qui summa veritas, & bonitas est, humanum genus prolem suam decipere. Naturalis autem communisque opinio de Deo, inserta nobis est communi origine, ac principe naturarum. *libro de religione Christiana, cap. 1.*

P. M. Vt Apelles pictor queri solitus est perisse diem, in quo non duxisset lineam: Ita Christianus dolebit, si quoodie non euasit seipso melior in pietate. *In Simil.*

Vt ferrum aut chalybs cætera quidem duritie rigoreque superat, ab adamante vincitur: Ita res quidem potens est amor in liberos, sed hunc quoque superat pietas in Deum. *In Simil.*

Chrysostomi. Sicut mercenarius totum diem circa domini opus impendit, vnam autem horam circa suum cibum: Sic & nos omne tempus vitæ nostræ debemus impendere circa opus gloriæ Dei, modicam autem partem circa vsus nostros terreos. *In cap. 10. Matth.*

Sicut casta mulier, quæ virum suum amat, nullum amat alium: si autem alterum amauerit, iam non amat virum suum: Ita & homo si Deum amat, mundum non amat: si autem mundum amauerit, iam Deum ex toto corde non amat. *In Matth. hom. 42.*

Sicut in imagine sua rex honoratur: & contemnitur: Sic & Deus in homine, vel diligitur, vel oditur. *In 22. Matth. hom. 41.*

Ita non aliter factum est: quam cum a barbaro quidam in acie fortis vir dimisso telo periculose percussus, neque id semel, sed iterum atque grauius perpessus, non cesserit, sed vndique sanguine perfusus, magno in hostem impetu ruens, confestimque trucidauerit. Sic etiam Dauid, quanto magis saucium dices, tanto maioris illum animi ostendes: quæ postquam ita misere depressus fuit, atque deiectus, velociter surgere, ac ante primum aciem stare, percussoremque ipsum humi sternere potuit: quod quale quantumque sit, hi maxime non ignorant, qui in summas peccatorum ærumnas deciderunt, non enim ait magni excelsique animi ego iudico, si cum recte vadas, iter tuum fœlici cursu non perficias. *Homil. 27. in Matth.*

Quemadmodum quercus altius demissis radicibus, nullius venti viribus sternitur: Ita animam diuino confixam timore nullus tentationum ventus euellet. *Hom. 53. in Ioan.*

Quemadmodum ignis naturam talem esse videmus, vt si quis multas in vnum lampadas coegerit, splendidam reddat, & intendat lucem: Sic & in ipsis fidelib. a credulis viuuentit. Quum enim a nobis mutuo auulsi sumus, fit nescio quo pacto, vt mœstiores reddamur: quum autem mutuo nos conspicientes, membris domesticis hinc inde implicitis, fit vt magnam consolationem accipiamus. *Hom. 5. epist. ad Rom.*

Arbor cum in altum radices miserit, ne vehemens quidem illā procella agitare poterit: Si vero superficie tenus fibras perrexerit, neque ad profunda descenderit, paruus licet venti flatus irruat, eam à radicibus euulsit: Ita & in nobis. Si affixerimus diuino timore carnes nostras, nihil mouere nos poterunt: si vero verbo tantum diuinæ religionis sacramenta perceperimus, exigua pulsio totum perimit ac perdit. *Hom. 9. ad Titum.*

Quemadmodum homines vino & potationibus dediti, singulo quoque die simul ac surrexerunt, obambulant, curioseque disquirūt, vbi compotationes agantur, vbi conuiuia, vbi cœnæ, vbi commessationes, vbi temulentia, phialæ, crateres & pocula: Sic qui vere pij sunt, quotidie, simul ac surrexerunt, curiose perquirunt, vbi futura sit exhortatio, vbi salubris admonitio, vbi doctrina, vbi sermo ad pietatem veram Christique cognitionem conducens. *In orat. 2. aduersus Iudaeos.*

Quemadmodum nauis naucleri manu regitur, ne pereat tempestate maris: Sic timor Domini gubernaculis vitæ nostræ assistens, docet qua ratione futura nobis pericula vitanda sint. *Homil. 7. de fide Anna.*

Sicut in mare decidens immensum scintilla breuis, facile deletur: Sic quantacunque Deum timenti illidantur velut in vastum lætitiæ pelagus incidentia, extinguuntur & perduntur. *Hom. 18. Gaud. in Domino semper.*

Basilij Sicut faber securim faciens, aut falcem, meminit semper eius, qui opus iniunxit, & retinet in corde suo, cuius magnitudinis vel qualitatis vel formæ iniunxerit fieri securim: & illud semper intendens, quod sibi meminit a Domino opera iniunctū, ad hoc dirigit manuum ministerium, vt forma operis cum eius qui iniunxit animo ac voluntate conueniat: si autem obliuiscatur, quid vel quale sit quod sibi fuerat imperatū, sine dubio aliquid aliud quam sibi fuerat iniunctum faciet: Ita & Christianus omnem conatum, & omne studium in actibus suis adhibere debet, vt secundum voluntatem Dei qui opus iniunxit, suum quoque dirigat opus, vt actus sui ornentur, & possit eius qui præcipit voluntatem implere. Tunc etiam illud complere potest quod dictum est: Siue manducetis, siue bibatis, siue aliud quid faciatis, omnia ad gloriam Dei facite. Si vero declinet aliquis a regula, & corrumpat obseruantiam mandati, ex ipso arguetur quod sit immemor Dei. *De instit. monach. cap. 2.*

Procopij: Quemadmodum duces seu imperatores prius commeatū præbent militibus, & deinde signum pugnæ proponunt: Sic diuinæ virtutis milites spirituali capto cibo pergunt in hostem, auspicijs & ductu Iesu. *In eod.*

Marci eremitæ: Quemadmodum in aqua ignis durare non potest: Ita neque turpis cogitatio in corde Dei amante. Quoniam omnis qui Dei amator est, etiam laboris amans est. Cæterum labor voluntarius, naturaliter voluptati inimicus existit. *De lege Spir.*

Thalass. Sicut fluit cera a facie ignis Sic a timore Dei impurior cogitatio. *Ad Paulinum presbyterum.*

Maximi monachi: Quam rem aliquis amat, eandem etiam omnibus modis amplectitur, & omnia quæ illi erga illum impedimento sunt, aut obstaculo, contemnit, ne re adamata priuetur: Ita qui Deum diligit, puræ precationis curam habet, & omnem affectum illi erga hanc obstantem ex seipso eiectum abijcit. *Lib. 2. de charitate.*

Quem amat aliquis, hunc omnibus modis studet, & adproperat etiam reuerenter habere & colere. Itaque si quis Deum amat, omnino etiā ea, quę sibi maxime placitura sunt, festinat facere. cæterum sic qui carnem amat, ea, quæ carni voluptati sunt, facit. *Lib. 3. de charitate.*

Antonij Monachi: Quemadmodum solis radius per foramen illapsus, quicquid in domo est, illustrat, ita vt vel minima videantur, & puluis ipse volitans: Sic etiam timor Dei, cum discretione natus in corde omnia eius peccata prodit. *In Melissa parte prima, serm. 66. ex Ioan. Climaco.*

D. Augustini. Diligendo pulchri efficimur. Quid facit homo deformis & distorta facie, si amet pulchram? Aut quid facit, fęmina deformis, nigra & distorta, si amet pulchrum? Nunquid amando potest esse formosus? Quando in speculo videt, erubescit facē suam leuare ad illam formosam, quam amat. Quid facit vt pulchra sit? Expectat, & expectando senectus additur, & turpiorē facit. Nō est ergo quod det illi consilium, nisi vt cōpenset se, & non audeat amare impar imparem. Anima nostra fęda est per iniquitatē: amādo Deum pulchra efficitur. Qualis amor, qui reddat pulchrā amantem? Deus semper pater est, amauit nos fœdos, vt

ex

ex fœdis faceret pulchros. Erimus pulchri amando eum qui pulcher. Quantum in te crescit amor, tanto crescit pulchritudo, quia ipsa charitas animæ est pulchritudo. *In epist. Ioan. tract. 9.*

Plinius Vt vitiones tametsi in mari nascantur, tamen plus habent cognationis cum cœlo, cuius faciem reddunt: Ita pius ac generosus animus magis à cœlo pendet vnde ducit originem, quàm à terra in qua viuit. *lib. 9. cap. 35.*

Cedrus & iuniperus si oleo perungas, nec tineas sentiunt, nec cariem: Ita simul imburus diuini spiritus succo animus, nullã huius mundi sentit corruptelam. *lib. 16. c. 40.*

Themeri Ingratus vt & filius, qui mercedem a patre accipit: Ita & nos quoque vel nullo proposito præmio, sed solius pietatis studio Deum oportet colere. *In apoph. 109.*

Chrysostomus Sicuti ouis ad mortem ducitur, & non clamat: vita eius tollitur, & mansuetudo eius non immutatur: Sic & sancti maledicuntur, & non maledicunt: percutiuntur, & non repercutiunt: bona eorum diripiuntur & illi non contradicunt dolorem sentiunt, & clamorem non emittunt. *In Matth. 25. hom. 54.*

Animum in Olympicis certaminibus, athleta intra stadium certat, magister autem ludi foris considens, sermonibus affert auxiliũ, eatenusque dumtaxat certamen iuuat, quatenus acclamationib. sermonibusq; valet: oeque.n. vlla ei lege permittitur, manibus illum adiuuare. At secus rex habet in pietatis certaminibus. Idem enim est & athleta, & magister ludi: & idcirco nõ extra caueam sedet, sed ingressus ad certamina ipsa, firmat compugiles, dicẽs: Propter quod malis non succumbimus. *Homil. de resurrect.*

Sicut hi qui incorporali certamine pugnant, ante coronam & brauiũ in meditatione & palæstra ipsa magnam accipiunt mercedem, eo quod corpora sua firmiora & validiora exercirando faciunt: Ita & nos virtutis certamen certantes, priusquam aperiatur cœlum, priusqnam filius adsit, priusquam retributiones nobis dentur, magnam mercedem accipimus, eo quod anima sapientiæ fit amantior. *ibidem.*

Exempla Biblica.

Pietatis exempla: Abel. *Genes.* 4. v. 4. Henoch, 5. 22. Noah. 6. v. 9. & 7. v. 1. & 8. v. 20. Abraham, 12. v. 7. 8. & 13. v. 4. 18. & 18. v. 18. 19. & 21. v. 33. Abrahæ famulus, 24. v. 12. Isaac, 26. v. 25. Iacob, 28. v. 18. & 33. v. 20. & 35. v. 7. Ioseph. 42. v. 18. Moses, *Exod.* 17. v. 15. Iosias, 2. *Reg.* 22. v. 13. & 23. v. 2. Dauid, 1. *Paral.* 21. v. 26. Asa, 2. *Paral.* 14. v. 11. Iosaphat, 17. v. 3. Ezechias, 29. v. 20. *Esa.* 37. v. 1. Nehemias, *Nehem.* 8. v. 7. Iob. 1. v. 5. 20. quidam Ierosolymitani, *Act.* 8. v. 2. Cornelius, 10. v. 2. Barnabas, 11. v. 24. Lydia, 16. v. 14. Iustus, 18. v. 7. Lois & Eunice, 2. *Timo.* 1. v. 5. Onesiphorus, 16. electa illa Domina ad quam Ioannes suam secundam scripsit Epistolam, 2. *Ioan.* 1. v. 4.

Exempla Profana.

Agrippa Iudæorum Rex, patriæ rituum seruator religiosissimus, purus a contaminationibus mentis omnibus, cui nulla dies præteriebat sine sacrificio. *Ioseph. lib.* 19. c. 7.

Constantinus Magnus vir magni animi, & virtutis eximiæ fuit: atque inter omnes Imperatores hoc vno nomine maxime memorabilis, quod primus ex Imperatoribus non solum Christum amplexus fuit, sed Christianos etiam imperatores reliquerit. Eius mortis nuncia stella crinita fuit, quæ permultos ante dies clarissime fulsit. *Sigonius lib.* 4.

Theodosius posterior sui fui & nomen, & pietatem referens, instituit aulam suam veluti scholam, in qua ad pietatem se suosque exercuit: habens ordine distributa tempora lectionum, Psalmorum, ieiuniorum, imo & vigiliarum, *Socrat. lib.* 7. c. 22. *Theodoretus lib.* 5. c. 36. *Niceph. lib.* 14. c. 3.

Tiberius excubitorum comes sub Iustino II. ob pietatem erga Deũ & liberalitatem erga pauperes in tanta fuit gratia, vt à Iustino Imp. successor declararetur.

Leo V. pijssimus Imperator, filius Basilij Macedonis Imp. viuente patre Cæsar creatus: postquam Constantinus maior natu ante patrem discessit, philosophus (quod literis, ac potissimum Astronomiæ esset deditus) cognominatus fuit. *Cuspinianus.*

Honorius Imp. cum semper in Deum Opt. Max. imperaret, veræq; religionis studiosissimus esset, liberauit eum Deus à multis vndique insurgentibus tyrannis. *Sigeb. in Chron.*

Cerbonium Episcopum Populonij Totilas Gothorum Rex ob occultatos Romanorum milites, viso in circo obiecit: Verum Deus bestiam illam prohibuit, ne quidquam ei noceret, sed defle xa ceruice, demissoq; capite, pedes eius lamberet. *Sabellicus libro* 5. *Enn.* 8.

Stenkilus Sueciæ Rex, iustitia & religione insignis, temporum prosperum suorum tranquillitatem: & in pace (quod rarum est, regibus præsertim Aquilonis) quieuit, circa annum Christi plus minus. 1110. *Crantzius lib.* 5 *Suecia, c.* 12.

Hieroglyphica.

In antiquis operibus iuuenes duo subiecti iugo, currum trahere conspiciebantur: erant hi *Biton & Cleobis* fratres Hieroglyphicum id eorum indicabat pietatem, qui matrem currui impositã ad Iunonis templum veaerint. Historiam Pausanias & alij tradidere. *Pier. Val. lib.* 3. *pag.* 31. *E.*

Recte & *pietatem*, quæque mutuo mortales mortalibus officia debent, per *Formicam* expresseris: si commearc eas in formicarium spectes, *Formicas* alterius cadauer inferentes: prodite ex cauo aliquas, factaque obuiam retrocedere quasi consternatas: alias demũ vermiculos ab inferiori loco: vipote redemptionis præmia, quibus cadauer redimant, conuectare: alias vero tentare, si quæ difficilia fuerint, vt partes committant & cohærere faciant. &c. *Pier. Val. lib.* 8. *pag.* 69. *B.*

Ciconiam videre est passim in Hadriani Imper. nummis adiecta inscripti *Pietas Augusta*. Significat hæc hominem erga parentes piũ, & veræ charitatis insignem. *Pier. Val. lib.* 17. *pag.* 157. *B.*

Emblema.

Pietas filiorum in parentes.
Emblema CXCIV. Andr. Alciat.

Per medios hostes patria cum ferret ab igne
Æneas humeris dulce parentis onus:
Parcite dicebat: vobis sene adorea rapto
Nulla erit, erepto sed patre summa mihi.

Vide Virtus, Bonum, & Bonitas.

PIGRITIA.

Definitio et etymolog.

Pigritia, Græc. ὀκνηρία, & ἀεργία. ὀκνηρός piger dicitur. Est autem pigritia metus consequentis laboris. *secund. Cicer. libro* 4. *Tuscul. quæst.*

Pigritia venit à piger: piger vero dicitur quasi æger.

Loci Biblici.

Piger excitatur ad laborem, *Prouerb.* 6. 6. laborem fugiens in egestate erit, 20. 4. & 21. 5. cui similis, 26. 14. pigri lapidatio, *Eccl.* 22. v. 1. 2. in pigrum, *Prouer.* 21. v. 25. 26. & 22. v. 13. & 26. 15.

Pigritia damnatur, *Prouer.* 13. 4. & 19. v. 15. 24. & 20. 13. & 21. 25. & 25. 12. & 26. 13. *Eccl.* 11. v. 4. *Rom.* 12. 11. Pigritiæ mala, *Prouer.* 20. 4. & 21. 5. & 24. 30. &c. 28. 19. *Matth.* 13. 25.

Sententiae Biblicae.

Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum. Si quis in me non manserit, mittetur foras: sicut palmes, & arescet: & colligent eum, & in ignem mittetur & ardebit. *Ioan.* 15.

Scienti igitur bonum facere, & non facienti, peccatum est illi. *Iacob.* 4.

Maledictus, qui opus Dei facit negligenter. *Ierem.* 48.

Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excindetur, & in ignẽ mittetur. *Matth.* 7.

Vade ad formicam, o piger, & considera vias eius, & disce sapientiam, quæ cum non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem parat in æstate cibum sibi, & congregat in messe quod comedat. *Prouer.* 6.

Vsquequo piger dormies? quando consurges è somno tuo? *ibidem.*

Sicut acetum dentibus, & fumus oculis: sic piger his, qui miserunt eum in via. *Prouerb.* 10.

Vult & non vult piger: anima autem operantium impugnabitur. *Prouerb.* 13.

Pigrum deijcit timor: animæ autem effœminatorum esurient. *ibidem* 18.

Abscondit piger manum sub ascella, nec ad os suum applicat eam. *Prouerbio.* 19.

Propter frigus piger arare noluit: mendicabit ergo æstate, & non dabitur ei. *ibid.*

Omnis piger semper in egestate est. *Prou.* 27.

Desideria occidunt pigrum: noluit enim quicquam operari. *ibid.*

Poetarum Dicta.

Hesiodus.

Ὦ δ᾽ θεοὶ νεμεσῶσι καὶ ἀνέρες, ὅς κεν ἀεργὸς
Ζώῃ κηφήνεσσι κοθούροις ἴκελος ὀργήν,
Οἵ τε μελισσάων κάματον τρύχουσιν ἀεργοί.

Idest.

Id est.

Huic autem Dij indignantur & homines, quicunque piger
Viuit fucis occultantibus similis aculeum,
Qui apum laborem consumunt pigri.
Ἀεργίη δ' τ' ὄνειδος.
Pigritia autem vituperium.
Οὐ γὰρ ἐτωσιεργὸς ἀνὴρ πίμπλησι καλιήν,
Οὐδ' ἀναβαλλόμενος μελέτη δὲ τὸ ἔργον ὀφέλλει.
Αἰεὶ δ' ἀμβολιεργὸς ἀνὴρ ἄτῃσι παλαίει.
Non enim piger vir implet domum.
Neque differens studium sane opus auget.
Semper differens vir damnis luctatur.
Πολλὰ δ' ἀεργὸς ἀνὴρ κενεὴν ἐπὶ ἐλπίδα μίμνων,
Χρηΐζων βιότοιο, κακὰ προσελέξατο θυμῷ.
Multa autem piger vir vanam spem exspectans,
Indigens victus mala cogit suo animo.

Plaut. in Bacchid.

Sibi ne inuideatur, ipsi ignaui recte cauent.
Pigri in dies actiones suas procrastinant.

Pers. Sat. 5.

Cras hoc fiet, idem cras fiet, quid? quasi magnum
Nempe diem donas? sed cum lux altera venit.
Iam cras hesternum consumpsimus: ecce aliud cras
Egerit hos annos, & semper paulum erit vltra.
Nam quamuis prope te, quamuis temone sub vno
Vertentem sese frustra sectabere canthum,
Cum rota posterior curras, & in axe secundo.

Mart. lib. 5. epigr.

Cras te victurum, cras dicis Posthume semper.
Dic mihi cras istud Posthume quando venit?
Quam longe cras istud tibi est? aut vnde petendum?
Numquid apud Parthos Armeniosque latet?
Iam cras istud habet Priami vel Nestoris annos:
Cras istud quanti dic mihi possit emi?
Cras viues, hodie iam viuere Posthume serum est.

Curt. lib. 8.

Ille sapit quisquis, Posthume, vixit heri.

Phocylides.

Μηδ' αὕτως ἐπὶ πῦρ καθίσας μινύθειν φίλον ἦτορ.
Neque frustra apud ignem sedens minuas charum cor.

Plaut. Rud.

Opera
Haud fuit parcus mea, nimis homo nihili est, qui piger est.
Nimisque id genus odi ego male.

Antholog. Sacra.

De hominum in amplectenda virtute pigritia.

Sæpe quis instituit sceleratam abrumpere vitam,
Atque Dei toto pectore iussa sequi.
Sed tamen in vitijs hæret miser atque senescit:
Nec, quæ mente frequens parturit, illa parit.
Haud aliter quam qui somno grauiore sepultus,
Quem tenet, hunc frustra deseruisse cupit.
Ac si quis clamet, Pulso iam surge sopore,
Mox mox istud, ait: dormit at vsque tamen.

Sententiæ Philosophicæ.

Contemnuntur hi, qui nec sibi, nec alijs, in quibus, vt dicitur, nullus labor, nulla industria, nulla cura est. *Cic. lib. de Offic.*

Vbi pro labore desidia, pro continentia, atque æquitate libido, & superbia inuadunt, fortuna simul cum moribus mutatur.

Vbi socordiæ, atque ignauiæ te tradideris, nequaquam Deos implores, irati infestique sunt. *Sallust. in Catil.*

Grata est pigritia corporum fatigatis.

Pigri est ingenij, contentum esse ijs, quæ sunt ab alijs inuenta. *Quint. lib. 10.*

Apophthegmata.

Themistocles pigritiam hominis viui sepulturam vocauit: qui cum expletis centum & septem annis, se mori videret, dixisse fertur, se plurimum dolere, quod de vita tunc egrederetur quando sapere cœpisset. *Plut.*

Democritus. Perpetuam cunctationem actiones omnes imperfectas reddere dicebat. *Stob. ferm. de assiduit.*

Eusebius Philosophus. Ignauia, inquit, corpus tabefacit, animam socordia. Exercitatio vero, ad speciem Deo simillimam ipsam euehit. *Stob. serm. de Ocio.*

Anaxarchus dicebat, si quis alterum audiret imprecantem sibi manus & pedes inutiles, iratum illi procul dubio fore, diuites autē cum re ipsa manus suas pedesque faciant inutiles, interim ob hoc ipsum se beatos existimare. *Eod. serm.*

Exempla Sacra.

Pigritiæ *exempla*: Israelitæ, *Num.* 11, 4. & 21, 4. reduces à captiuitate, *Agg.* 1. 2. Operarij, *Matth.* 20. 3. Seruus nequam, 25. 26. Apostoli, *Marc.* 14. 40.

Hieroglyphica.

Multis hieroglyphicis elegantissimis Sapiens Salomon pigritiam traducit & detestandam exhibet, Prouerbiorum & Ecclesiastis libro. Tabellas bellissimas lectori vigilanti spectandas proponimus.

1. Vides, *Prouer. c.* 6. *v.* 9. 10. 11. pannis obsitum, lacerum, squallidum nebulonem, manibus complicatis dormitantem, quem egestas, vt viator armatus circum obsidet.
2. Alio loco, pigrum in mensa accumbentem intuere, manum applicans subaxilla, nec ad os applicantem, quod grauem laborem in eo positum esse putet. *Prouer.* 26. 15. Huc refer lepidos versus Cratetis comici apud Athenæū lib. 6. de votis cuiusdam ignauorum ignauissimi in Moeoma insula ridicule somniantis.
3. Propter frigus, inquit sapiens, *c.* 20. *v.* 4. piger arare noluit: mendicabit ergo æstate, & non dabitur illi.
4. Cum priori conuenit & illud, *Prouer.* 10. 5. Qui stertit æstate, filius est confusionis, huic opponitur filius sapiens, qui congregat in messe.
5. Piger apposite comparatur homini dormienti. *Prouerb.* 20. 13. Noli diligere somnum, inquit sapiens, ne te opprimat egestas: aperi oculos tuos, & saturare panibus.
6. *Cap.* 21. *v.* 25. 26. Desideria (inquit sapiens) occidunt pigrum: noluerunt enim quicquam manus eius operari. Tota die concupiscit & desiderat. Huic opponimus aureum dictum. *Ora & labora.*
7. Dicit piger, leo est foris, in medio platearum interficiar. *Prouerb.* 22. 13. dicit piger, leo est in via, & leæna in itineribus, *Prouer.* 26. 13. Vt sibi molliores delitias faciat, piger chymæras fingit & pericula, ne in publicum progredi, vel nōnihil operæ in vocatione honesta peragere cogatur.
8. Elegans aliud hieroglyphicon exhibet cap. 26. *Prouer. v.* 24. Ianua (inquit) vertitur in gyrum super cardine suo, & ignauus super lectum suum.
9. In pigritijs humiliatur contignatio, & in infirmitate manuum perstillabit domus. *Eccl.* 10. 18. Habes lector recondita & plane diuinæ sapientiæ hieroglyphica pigritiā suis coloribus pingentia, vide *l.* 5. *hierogl. collect. Lugduni editorum, anno* 1610. *p.* 145. 146. 147.

PODAGRA.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Ποδάγρα est, vbi imbecillitas atque humoris a natura alieni defluxio pedes occupant. *Leonardus Fuchsius instit. Medic. sect.* 1. *lib.* 3. *c.* 25. Sic dicta, quod pedicæ more, quam Græci ποδάγραν appellant, pedum vsum impediat. *Ouid.* Soluere nodosam nescit medicina podagram.

Philosophor. Sententiae.

De podagra. Dial. LXXXIV.

Francisci Petrarchæ.

Dol.

Turpi torqueor podagra. R. Nesciebas senectutis morem, incomitata non venit, magnam sæpe morborum aciem deducit. D. Podagra crucior molesta. R. Extrema & ignobili parte corporis laboras, quid si nobilissimis laborares, corde, vel capite? D. Pigra coerceor podagra. R. Vaga mens hominis fræno eget, hunc paupertas tenet, illum carcer, aut grauior morbus. Ludens te pedibus alligat fortuna non podagra, sed pedicæ sunt, iam disce consistere. D. Podagra inutilis factus sum. R. Ad cursum credo? Vel ad saltum, ad choreas, ad palæstram, an te autem ad hæc natum putas? ad alia si nescis altiora quædam officia natus es, quę si caput non ægrotat, exequi nil prohibet. Studere licet artibus ingenuis, dare operam pietati, seruare iustitiam, & fidem, fragile corpus, & fugacem mundum spernere, odisse vitia, amare virtutes, colere amicitias, consilio patriam iuuare. Hæc sunt viri boni munimina, quid hic pedibus loci est? D. Debilitatus sum podagra. R. Pugnare cum hostibus forsitan morbus vetet, non cum vitijs, quo neque facilius & certe crebrius est bellum: & quid scimus an hic ipse dolor corporis contra quem dimicas, tibi ad exercitium animi datus sit? D. Pedibus consistere nequeo. R. Vide quam de reliquo ædificio spem habeas, cuius fundamentum tam inualidum sentis. Vigila ne te incautum opprimat ruina. Contrahe sarcinulas, teque ad migrandum para. D. Podagra me ingens habet. R. Solet hic morbus (vt perhibent) diuitias comites habere. En tibi remedium aliud, bene spera, aut languoris amaritudinē opum dulcedo solabitur, aut inopiæ pellet asperitas, ita vel sola-

tium

tium aderit vel finis. Si hæc fallunt, veniet quæ non fallet. Illa vitæ malis omnibus finem dabit. D. Pedum premor ægritudine. R. Si salutem cupis, aut pauper sis oportet, aut vt pauper viuas. Multos hac ægritudine liberasse traditur paupertas, vera desiccatrix corporum: quosdam vero frugalitas, quam voluntariam, seu fictam & imaginariam paupertatem dixerim. Vidisti aliquos perpetua vini abstinentia curatos, ita fit, dolor dolore, clauus clauo pellitur, vt antiquo dicitur prouerbio. Vix molestum aliquid sine molestia curatur, vt præterea cum hoc morbo cumque alijs multis pacem habeas, non Baccho solum, sed & Veneri bellum indixisse profuerit. Sed quid agimus? animorum remedia promisimus, non corporum. Habes tamen quam puto vnicā morbi huius curam. Hanc si probas vtere, si minus, non te fallant opifices fomentorum. Patientia in aduersis efficacissimum atque optimū, & sæpe vnicū remedij genus est. D. Podagræ vitio curuatus sum. R. Ad iter inhabilis, manus idoneus ad laborem, non ineptus ad reliqua: gerere non rei modo familiaris, sed Reipublicæ & summi, si ita sors tulerit, imperij curam potes. Itaque memorandum valde Septimij Seueri Romani principis dictum vnum, qui senex ac podagricus dum coniurationem nobilium, quibus vino filium eius Augustum diaerant, deprehendisset: comprehensis authoribus seditionis ac filio, omnibusque ante solium eius diffusis, metuq; vltimi supplicij tremefactis, ac territis, ipse manu ad caput relata tandem inquit, sentitis caput imperare, non pedes. D. Podagra me miserum miris modis torquet. R. Noli sola asperitates rerum flere, sed memento si quid dulce, aut iucundum tibi obtigit, quo incommodum hoc solari possis. Vnus ex multis pessimis vulgo mos est, vt in aduersis querulum, atque impatientem, oblimiosum in prosperis, atque ingratum sit, quo nihil iniquius fieri potest. Nam quis æquis auribus audiat exempli causa vel Seuerum ipsum, quem diximus de podagra, vel Domitianum de caluicio, quod ægerrime dicitur tulisse, vel Augustum senem de fimili debilitate oculi, vel Iulium Cæsarem de timore nocturno, & quiete visis turbida, vel postremo alios fortunatissimos viros de vna, seu de altera naturæ (si dici licitum) aut fortunæ iniuria, sic querentes, vt imperij, atque opum victoriarum, ac tantorum ingratam, atque immemores sint honorum dum se homines meminerunt, quos plenam, perfectamque felicitatem hic sperare dementiæ sit, amara dulcibus temperare modestiæ, hoc podagræ proprium, hoc morborum omnium commune remedium inueniēs, tanumque consilium, sanctumque fateberis, senis illius læta multa adepti, dura multa perpessi, qui bonis de manu Dei licet late acceptis mala quæq; patienter suscipienda censebat, quaūis mali aliquid dare vel facere manus illa non nouerit, sed humanā respeat opinionem. D. Podagra me in lectulo nodis insolubilibus pressum tenet. R. Te iacente stare animus potest, cœlumque, & terras, ac maria permeare.

APOPHTHEGMATA.

Anaxarchus dicebat, si quis alterum audiret imprecantem sibi manus & pedes inutiles, iratum illi procul dubio fore. Diuites autem, cum reipsa manus suas pedesque faciant inutiles, interim ob hoc ipsum se beatos existimare. Notauit autem vir prudentissimus eos, qui ex otio varijsque delitijs podagram sibi ipsis parant. *Stob serm.* 28. *de Otio.*

Publius Syrus, cum esset orta inconsa quæstio, quodnam esset molestum otium, & alius aliud opinaretur, respondit, podagra. Otium vt rem suauissimam expetunt omnes, sed otium podagrici cum summo cruciatu coniunctum est. *Pontanus P. M. l. 6. apoph.*

Cicero in Vatinium, qui cum pedibus æger esset, volebat tamen videri commodioris valetudinis factus, dicebatque iam se bina millia passuum ambulare. Dies enim, inquit, longiores sunt. *Hoc Fabius tribuit Ciceroni Macrobius l. 4. c. 4. Saturn. Augusto.* Narratur, & nodie quiddam non minus facetum, si modo accederet vetustatis commendatio. Miles quidam in conuiuio iactabat sibi balistam esse, quæ iaculum eiaculetur ad spacium nulli credibile. Reclamantibus conuiuis omnibus affirmabat famulum suum id vidisse factum. Accersito famulo percontatus est illum, an non ipse vidisset quod narraret: Tum famulus, Verum, inquit, narras, here, sed tum vento secundo miseras sagittam. *P. M. l. 4. apoph.*

Alphonsus interrogatus, cur podagrici loquaciores cæteris essent? respondit, podagricos pedum vitio afflictos, ambulare non posse: ideoque lingua, velut ambulatione quadam eos crebrius vti solere. *Pan. lib. 3. de reb. gest. Alphons.*

Pet. Fundanus audiens quendam familiarem de pedum dolore eiulatus emittere, nec posse illos cōpescere, accurrit ad clamores: Ecquid, inquiens, alij de itinere queruntur assiduo laboribusque quam plurimis: de perpetua negotiorum quiete quereris atque otio, quod si tibi molestum est, exurge parum, & peregre proficiscere. *Pontanus.*

POENA.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

POEna, Græcum vocabulum esse videtur. Illi enim ποινὴν dicunt, licet Varro à pendendo dictam velit. Est autem pœna supplicium, quo quis ob delictum afficitur. Hebr. *honesch*, à verbo *Hanasch*, id est, mulctauit, puniuit, condemnauit.

Pœna est noxæ vindicta, *secundum Vlpian.* Octo pœnarum genera Cicero esse commemorat, scilicet, Damnum, Vincula, Verbera, Talionem, Ignominiam, Exilium, Seruitutem, Mortem. A pœna fit pœnitentia, siue pœnitudo, & punio, & impunitio, & pœnitet, & pœniteor.

LOCI BIBLICI.

Pœnæ impiorum in thesauris reconditæ, *Deut.* 32. 34. delinquentibus pœna à Iudicibus irroganda, 25. 1. pœna damni facti. *Exod.* 25. 5. furis, *v.* 1. *&c.* homicidij, 21. 12. idololatriæ, 22. per superbiam peccantis, *Num.* 15. 30. talionis, *Genes.* 9. 6. *Exod.* 21. 23. *Leuit.* 24. 17. *Deut.* 19. 19. pœnarū tria genera Dauidi proposita, 2. *Reg.* 13.

SENTENTIAE BIBLICAE.

Infernalis pœna horribilis ob absentiam omnis boni.

Sicut oues in inferno positi sunt: mors depascet eos. *Psal.* 49.

Peccator videbit & irascetur, dentibus suis fremet & tabescet: desiderium peccatorum peribit. 112.

Filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus & stridor dentium. *Matth.* 8.

Discedite a me omnes operarij iniquitatis, Ibi erit fletus & stridor dentium: cū videritis Abraham & Isaac & Iacob, & omnes prophetas in regno Dei: vos autem expelli foras. *Luc.* 13.

Eleuans autem oculos suos, cum esset in tormentis, vidit Abraham à longe, & Lazarum in sinu eius: & ipse clamans, dixit: Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. 16.

Propter præsentiam omnis mali.

Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferos nouissima. *Deut.* 32.

Ad nimium calorem transiet ab aquis niuium & vsque ad inferos peccatum illius. *Iob.* 24.

Pluet super peccatores laqueos, ignis, sulphur & spiritus procellarum pars calicis eorum. *Psal.* 11.

Pones eos vt clybanum ignis in tempore vultus tui. 21.

Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur. *Sap.* 11.

Stupa collecta synagoga peccantium, & consummatio illorū flamma ignis. *Eccl.* 21.

Concipietis ardorem & parietis stipulam: spiritus vester, vt ignis, vorabit vos. *Esa.* 33.

Audite qui longe estis, quæ fecerim, & cognoscite vicini fortitudinem meam. Conterriti sunt in Sion peccatores, possidebit timor hypocritas. *ibid.*

Quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante: aut quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis? *ibid.*

Et conuertentur torrentes eius in picem, & humus eius in sulphur. 34.

Ecce ego cibabo populum illum absinthio, & potum dabo eis aquā fellis. *Ierem.* 9.

Ecce enim dies veniet succensa, quasi caminus: & erunt omnes superbi, & omnes facientes impietatē, stipula: & inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus exercituum, quæ non derelinquet eis radicem & germen. *Malach.* 4.

Quantum glorificauit se, & in delitijs fuit, tantum date illi tormētum & luctum. *Apoc.* 18.

Et infernus & mors missi sunt in stagnum ignis. Hæc est mors secunda. 20.

Interminabilis.

Vermis eorum non morietur, ignis eorum non extinguetur, & erūt vsque ad satietatem visionis omni carni. *Esa.* 66.

Discedite à me maledicti, in ignem æternum, qui præparatus est diabolo, & angelis eius. Et ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam. *Matth.* 25.

Bonum est tibi luscum introire in regnum Dei: quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis, vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. *Marc.* 9.

Qui pœnas dabunt in interitu æternas a facie Domini, & à gloria virtutis eius, cum venerit glorificari in sanctis suis, & admirabilis fieri in omnibus, qui crediderunt in die illo. 2. *Thess.* 1.

Si quis adorauerit bestiam, & imaginem eius, & acceperit characterem

racterem eius in fronte sua, aut in manu sua, hic bibet de vino iræ Dei, quod mistum est mero. *Apoc. 14.*

Patrum Sententiæ.

Illa est pœna peccati iustissima, vt amittat vnusquisque illud, quo bene vti noluit, cum sine vlla difficultate posset, si vellet, id est, vt qui sciens recte non facit, amittat scire quid rectum sit: & qui rectum facere cum posset, noluit, amittat posse, cum velit. *Aug. l. 3. de lib. arb.*

Iussisti Domine, & sic est, vt pœna sit tibi omnis inordinatus animus. *lib. 1. conf.*

Mitissima omnium pœnarum erit eorum, qui præter peccatum, quod originale contraxerunt, nullum insuper addiderunt. *in Enchir. 95.*

Quia impunitum non debet esse peccatum, puniatur à te, ne tu pro illo puniaris. Peccatum tuum iudicem te habeat, non patronum. *De vtil. agendæ pœn.*

Sicut non impediunt iustum ab æterna vita quædam peccata venialia, sine quibus vita ista non geritur: sic ad salutem æternam nihil prosunt impio aliqua bona opera, sine quibus difficillime vita cuiuslibet pessimi hominis inuenitur. *In l. de sent. Prosperi.*

Cui dubium, quin inter tres peccatores, imo, impios, gentilem, hæreticum, ecclesiasticum, multo maioribus pœnis dignus sit, qui maioris fuerit dignitatis? *Hier. super Ezech.*

Tanto rectius maiori supplicio dignum iudicauerim animum, quanto vitijs subdit instrumenta virtutum. *Aug. in quadam Ep.*

Electos Dei cernimus, & pia agere, & crudelia tolerare. Hinc ergo colligitur: districtius iudex quanta illos feriat districtione, quos reprobat: si hic cruciat, quos amat. *Greg. in Moral.*

Sicut vno sole omnes tanguntur: nec tamen sic eo vno ordine omnes æstuamus, quia iuxta qualitatem corporis sentitur etiam pondus caloris. Sic damnans vna ill gehenna, quæ affligit, & tamen non omnes vno calore comburit: quia quod hic agit dispar valetudo corporum, hoc illic exhibet dispar causa meritorum. *ibid.*

Ad districti iudicij iustitiam pertinet, vt numquam careant supplicio, quorum mens in hac vita numquam voluit carere peccato, & nullus detur iniquo terminus vltionis, quia quamdiu valuit, habere noluit terminum criminis. *ibid.*

Nemo Dei longanimitatem negligat, quia tanto districtiorem iustitiam in iudicio exiget: quanto longiorem ante iudicium patientiam prorogauit. *Hom. 13. in Euang.*

Altissimus est patiens, redditor patiens dicitur, quia peccata hominum & patitur, & reddit: nam quos diu, vt conuertatur, tolerat, non conuersos durius damnat. *ibid.*

Anima illic posita bene esse perdidit, & esse non perdidit: ex qua re semper cogitur, vt & mortem sine morte, & defectum sine defectu, & finem sine fine patiatur: quatenus ei & mors immortalis sit, & defectus indeficiens, & finis infinitus. *lib. 4. dialog.*

Iniqui ideo cum fine deliquerunt, quia cum fine vixerunt. Nam voluissent vtique sine fine viuere, vt potuissent sine fine peccare. Ostendunt enim quia in peccato semper viuere cupiunt, qui a nunquam definunt peccare, dum viuunt. Ad magnam igitur iudicantis iustitiam pertinet, vt numquam careant supplicio, qui in hac vita numquam noluerunt carere peccato. *ibid.*

Iniustos quisquis eo atrocius in tormentis obruitur, quo altius in peccatis eleuatur, transit quod extollitur, permanet quod punitur. Qui honoratur in vita, in peruentione damnabitur: & quasi per amœna prata ad carcerem peruenit, qui per prosperos vitæ prospera ad interitum tendit. *In Mor.*

Pœna præsens, quæ iniusti animam a prauis desiderijs mutat, ab æternis supplicijs non liberat, quos mutat: nam quem præsentia mala non corrigunt, ad sequentia perducunt. *ibid.*

Iustum est, vt quos culpa simul inquinat, par etiam pœna adstringat: & qui vno quaquam dispari suot iniquitate polluti, nequaquam tormento crucientur dispari: quatenus simul damnatio contestat, quæ similes elatio sibleuabat. *ibid.*

Horrendo modo fit miseris mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu: quia & mors semper viuit, & finis semper incipit: & deficere defectus nescit. Mors perimit, & non extinguit: dolor cruciat, sed nullatenus pauorem fugat: flamma comburit, sed nequaquam tenebras excutit. *ibid.*

Ob hoc inflexibilis, & obstinatæ mentis malum punitur æternaliter, licet temporaliter perpetratum, quia quod breue fuit tempore rum, vel operamentum esse constat in pertinaci voluntate ita vt si numquam moreretur, numquam velle peccare desineret: imo semper viuere vellet, vt semper peccare posset. *Bernardus in epist. 254.*

Quid tam pœnale, quam semper velle, quod numquam erit, & semper nolle, quod numquam non erit? *Bern. de consid.*

Iustius est enim iniustum iuste euadere, quam iniustum iniuste puniri: quatenus, etsi semel euaserit, potest iterum perire, innocens autem, si semel perierit, iam non potest reuocari. *Chrysost. super Matth. cap. 1.*

Non quod plurimi solam pertimescant gehennam, ego autem illius gloriæ amissionem multo amarius, quam ipsius gehennæ dico esse supplicium: horribile valde quis ponit gehennas, nisi tale distantius est, quale est à beatæ illius gloriæ honore expelli, & esse exosum Christo. *In Matth. 6.*

Quis putas tunc mœror erit, quæ tristitia, quum separabuntur impij à consortio sanctorum, & a visione Dei, & traditi in potestate dæmonum ibunt cum ipsis in ignem æternum, ibique semper erunt sine fine in luctu & gemitu, vbi erit dolor intolerabilis, foetor incomparabilis, timor horribilis, mors corporis & animæ, sine spe veniæ & misericordiæ: vbi nec qui torquet, aliquando fatigatur, nec qui torquetur, aliquando moritur: sed sic morientur, vt semper viuant, & sic viuent, vt semper moriantur. *Aug. l. 1. de anima.*

Iuste puniuntur, qui licitis abutuntur: iustius vero puniuntur, qui aliena rapere conantur: sic Satanas cœlum, sic protoplastus perdidit paradisum. *ibid.*

Occultam culpam sequitur aperta percussio, vt malis exterioribus interna puniantur, & cor publice corruat, qui latenter peccabat. *Cass. in Psal.*

Poetarum Dicta.

Hor. 1. Serm. 3.

Adsit

Regula peccatis quæ pœnas irroget æquas:
Ne scutica dignum horribili sectere flagello.

Claud. Epig. Satisfact.

Me dolor incautus, me lubrica duxerit ætas,
Me timor impulerit, me diuinus egerit ardor,
Te tamen haud decuit paribus concurrere telis.

Ouid. epist. 5.

Leniter, ex merito quicquid patiare ferendum est,
Quæ venit indigne pœna, dolenda venit.

Claud. eod. Mallij.

Qui fruitur pœna, ferus est, legumque videtur
Vindictam præstare sibi cum viscera felle
Canduerint, ardet stimulis fertturque nocendi
Prodigus, ignarus causæ.

Sen. Troad.

Sic pœna petitur, qua peti grauior potest?
Famulare collo nobili subeat iugum.

Antholog. Sac. Iac. Bill.

Diuinas minas impijs contemptui esse.

Quid sibi vult, tumido quod dormit in æquore Ionas,
Quem tamen insequitur vindicis ira Dei?
At contra vigilant innoxia pectora, votis
Flebilibus, cum supplicibus, vocant.
Sic et hi Ionam referunt, ad iussa minasque
Numinis æterni quos sopor altus habet.
Ast alios illi, quos verba minacia terrent,
Cum tamen hæc tantum perfida corda premant.

Sententiæ Philosophicæ.

Nec domus, nec Respublica stare potest, si in ea nec recte factis præmia extent vlla, nec supplicia peccatis. *Cic. 3. de Nat. Deor.*

Legibus præmia proposita sunt virtutibus, & supplicia vitijs. *1. de Orat.*

Verus iustus, atque honestus labor, honoribus, præmijs, ac splendore decoratur: vitia autem hominum, atque fraudes damnis, ignominijs, vinculis, verberibus, exilijs, morte multantur. *1. de Orat.*

Improbis pœna statuenda est: nec minor vero ijs, qui secuti erunt alterum, quam ijs, qui ipsi fuerint impietatis duces. *In Lælio.*

Quos ipsa natura retinere in officio non potest, iis magnitudine pœna maleficio submoueri debent. *Pro Rosc. Amer.*

Quonsquisque tepericitur, qui impunitate proposita abstinere potest iniuria? impunitas peccandi maxima est illecebra. *3. Offic.*

Non satis est eum, qui lacesserit iniuriæ suæ pœnitere, vt ipse ne quid tale posthac committat, & cæteri sint ad iniuriam tardiores. *1. Offic.*

Est vtilius, vitius improbi supplicio multorum improbitatem coercere, quam propter multos improbos vni parcere. *5. Act. in Verr.*

Lento gradu ad vindictam sui diuina procedit ira, & tarditatē supplicij grauitate pensat. *Valer. l. 1.*

Facit non raro atrocitas pœnæ obedientiorem duci militem. *Liuius. decad. 1. l. 8.*

Pœnæ leues non possunt refrenare iuuentutis insaniam & ingenij ferocitatem, neque rerum honestarum contemptores ad temperantiam reducere. *Dionys. Halic. l. 2.*

Magnorum delictorum magnas oportet esse pœnas. *G. Pachymer. hist. lib 3.*

Satis pœnarum est pœnitere puniri: grauis tamen pœna est, quam facti pœnitet. *Sen. in prol.*

Apoph-

APOPHTHEGMATA.

Socrates Ciuitates optime gubernari dicebat, cum iniusti dant pœnas. *Plat. l. 2. de legib.*

Solon percontatus. Quid magis ad Reipubl. salutem prodesset? Respondit: Si boni præmijs inuitantur, mali autem pęnis coercentur. *Cic. ad Brut. Stob ser. 41.*

Idem interrogatus, quanam ratione nullum in vrbe scelus perpetraretur? dixit: Si tam indignarentur illi, quibus non est facta iniuria, quam quibus facta est. Sensit autē vir prudentissimus, tum demum saluam esse Rempub. cum qui boni viri sunt, malos pœnis coercent, ne insontes afficiant contumelia. *Stob. serm. 41.*

Pythagoras Ciuitatem optimam esse dixit, quæ postquam malos pęnis coerceret, viros tantum bonos admitteret. *Stob serm. 41.*

Theophrastus sciscitatus, quidnam vitam humanam conseruaret? Respondit: Beneficentia, Honor & pęna. *Stob. 41.*

Lycurgus dicere solitus est, duabus potissimum rebus contineri Rempublicam: Præmio. s. & pęna. Quo dicto eam demum Rempublicam saluam esse putauit, in qua boni præmijs inuitantur, flagitiosi vero pęnis afficiuntur. *Cic. in epist. ad Brut. & P. M. l. 1 apoph.*

Agesipolis Cleombroti F. quum quispiam ei dixisset ipsum cum æqualibus obsidem fuisse, filios vero, eorumque vxores minime: Merito, inquit, decet enim nos nostra peccata nostrasque pęnas ferre. *Brus. l. 5. c. 12. ex Plut.*

Anonymus. Chius quidam ira contra seruum, incensus: Non inquit, in pistrinum ego te detrudam, sed Olympiam ducam. Recte autem ille putabat, multo durius esse supplicium, si Olympiæ in conspectu à radijs solaribus coqueretur, quam si in molā ad molendum dederetur. *Ælia. l. 14. de var. hist.*

M. Cato dicebat, se omnibus peccantibus ignoscere, præterquam sibi ipsi. Multum dissimilis illi Mæuio, qui carpens alios sibi condonabat omnia. Sibi ignoscit, quem non pęnitet admissi: de se pęnas sumit, qui cura pensat, quod incogitantia commissum est. *Plut. in apoph.*

Idem frequenter dicere solebat, se malle pro collato beneficio nullam reportare gratiam, quam pro maleficio perpetrato non dare pęnam. Significans, nil esse magis perniciosum, quam si improborum mores pęna non coerceantur. *Plutarch. in apoph. & P. M. lib. 5. apoph.*

Idem solitus est dicere, iniuriam etiam si facienti nihil adferat periculi, vniuersis tamen periculosam esse. Quid aliud dicere voluit, quam pęnam delicti non negligendam esse, ne ex vnius iniuria multi porro contumelijs afficiantur ab improbis? *Plut. in Rom. apoph.*

Idem præterea dicebat, eos magistratus, qui maleficos pęnis non coercent, non tantum non ferendos, sed lapidibus obruendos esse, ne ex pęnæ neglectu salus Reipublicæ labefieret. *Plut. eodem loco.*

Alphonsus, cum equitem luxuriosum, & bonorum suorum decoctorem punire vellet, quibusdam a rege obnixe petentibus, ne in corpus lueret debita, quæ ille plurima per luxum libidinemque contraxerat: Respondit: Equidem hunc neque sui regis gratia, neque patriæ commodo, neque propinquorum & amicorū ære alieno suscepto tam grande patrimonium profusisse, sed omnem suam substantiam corpori indulsisse. In corpore igitur luere æquius esse, vt pęna malefactis ex æquo respondeat. *Panor. l. de rebus ob Alphon. rege gestis.*

Mares Florentinus cum meretrice deprehensus, quum pro more in perpetuam facti ignominiam (nam in Anglia, qui extra matrimonium mulieribus commiscentur, in conspectu populi retentis tantum femoralibus, nudi Ecclesiam circumire cogebantur) exueretur à sacerdotibus, femorali tantum concesso, omni parte nudus esse voluit, verum cum interrogaretur, an non puderet coram virginibus, mulieribus, omnique populo virilia ostentare? minime, inquit, gentium. Nam pudenda hæc, quæ peccauerunt, ea potissimum dare pęnas decet. *Æneas Silu. lib. de dictis Alphonsi.*

Alexander. Quum Græci, qui apud hostes stipendium faciebāt, venissent in potestatem Alexandri, Athenienses quidem iussit Alexander in compedib. seruari, quod quum ex publico stipendium haberent, tamē apud hostes meruissent: similiter & Thessalos, qđ regionem opimam nacti, non eam colerent. Thebanos vero dimisit dicens: His per nos nihil est reliquum, neque ciuitas, neque ager. Ita moderatus est pęnam, vt mortem commeritis non indiceret, nisi vincula: & culpam eorum qui necessitatem excusare poterant, in se transtulit. *Plut. in apoph.*

Sylla. milites in bello sociali quum Albinum virum prætorium fustib. mactassent, Sylla tam atrox facinus impunitum reliquit, dicēns, se illis posthac promptioribus vsurum in prælijs, dum peccatum, fortiter gerendo rem, studebunt pensare. *Plut. in Sylla.*

M. Cato. Ipso die comitiorum quendam è sponsoribus damnauit: ac pecuniam illi traditam in alium transtulit. At populus admiratus Catonis iustitiam damnato pęnā remisit, dicens, satis dedisse pęnarum, quod à Catone damnatus esset. *P. M. l. 5. apoph.*

SIMILITVDINES.

Dauidis regis. Impij peribunt interim, & inimici Domini non aliter quam adeps agnorum, qui adoletur super altare, finem capient, vna cum fumo deficient. *Psal 37.*

Christi Saluatoris. Quemadmodum agricolæ arbores infrugiferas, quarū sterilitas nullo pacto tolli potuit, è medio tollunt, & igni deputant: Sic Deus Opt. Max. impęnitentes, & homines qui dignos pęnitentiæ fructus non ferunt, perdet, ac in perpetuā damnationem conijciet. *Matth. 3.*

Chrysostomi. Sicut in sæcularibus in eo quod alter pauperascit, alter ditescit, & nisi alter descenderet: alter non ascenderet: Sic & in spiritualibus in eo quod alter confunditur, alius emendatur. *In Matth. 23. hom. 43.*

Philonis Iudæi, quemadmodum medicinæ filoa corporeo morbo laborantibus prodest. Sic & pęnæ insipientibus. *Ibi. de agricultura.*

D. Hieronymi. Sicut mare feruens quiescere non potest, sed redundant fluctus eius, & reuoluuntur ad littora, atque iterum resorbentur, & in se fracti lutum efficiunt quod pedibus conculcatur: Sic impij æternę conculcationi subiacebunt, quorum nullum est gaudium, & qui nulla pace requiescunt, in eo quod impij perseuerent. *In Esa. c. 57.*

Agapeti diaconi. Quemadmodum vmbræ corpora sectantur, sic animā flagitia comitantur, euidenti effigie actiones exprimentia: ideo non datur in iudicio negare. Ipsa enim vniuscuiusque opera obtestabuntur, haud sane vocem emittendo, sed talia prorsus sese repræsentando, qualia iam a nobis patrata sint. *De Offic. Regis.*

Dionis Nicæi. Veluti medici in sanandis hominum corporib. ea membra quæ putredini debita, omnes medelas respuunt adhibito ferro amputant, ne cętera membra inde inficiantur: Ita magistratus eos qui in Republ. omnibus dediti vitijs omnem admonitionem contemnunt, ferro etiam separabit, ne tanto maiorum consortio cæteri in pęnas etiam ruant. *In Aug.*

Plutarchi. Cantharides & scorpij in se circumferunt sui veneni remedium: At ipsi peccato inest sua pœna, suppliciumque. *In Moralib.*

Qui nos a[illegible] sagittare, non vetuit iaculari, sed vetuit ne aberraremus a scopo: Ita nō est interdicta punitio, sed in tempore & apte facienda. *In Moral.*

Vt qui diutina tabe conficiuntur, nō effugiunt mortem, sed lente moriuntur: Sic qui non statim puniuntur, non effugiunt pęnam, sed longa ducuntur pęna. *In Moral.*

Pigri remiges sereno cęlo desident in portu, deinde coguntur flantibus ventis nauigare cum periculo: Sic qui non punit, cum est animo sedato, cogitur aliquando vel iratus punire. *In Moralibus.*

Vt hienæ fel. & phocæ coagulum, atque aliæ pessimarum ferarū partes aduersus magnos morbos essicax habent remediū: Sic Deus pessimis tyrannis vtitur nonnunquam ad correctionem vitiorū. *In Moral.*

Ciceronis. Vt nec domus, nec Respublica ratione quadam & disciplina designata videatur, si in ea nec recte factis præmia extēt vlla, nec supplicia peccatis: Sic mundi diuina in homines moderatio profecto nulla est, si in ea discrimen nullum est bonorum ac malorum. *lib. 5. de Natura Deorum.*

Senecæ. Serpentes paruuli fallunt, nec publice insequuntur: vbi aliquis solitam mensuram transit, & in monstrum excreuit, vbi fontes potu infecit, & si afflauit, deurit, obteritque quacumque incessit, balistis petitur. Possunt verba dare: & euadere pusilla mala: ingentibus obuiam itur. Sic vnus æger nec domum quidem perturbat: at vbi crebris mortibus pestilentiam esse apparuit: conclamatio ciuitatis, ac fuga est, & Dijs ipsis manus intenduntur. Sub vno aliquo tecto flamma apparuit, familia vnicuique aquam ingerunt. At incendium vastum, & multas iam domos depastum, parte vrbis obruitur. *Libro 1. de clement. c. 25.*

Plinij. Vt arbor excisa repullulat, euulsa non refruticatur: Ita malū si penitus tollitur, non renascitur. *Lib. 22. c. 13.*

P. M. Vt melior medicus, qui morbum excludit & arcet, quam qui pharmacis expellat acceptum: Ita non paulo pręstabilius est efficere, ne facinora patrentur: quam si perpetrata puniantur. Id autem fiet, si caussas, ex quibus animaduerteris potissimum nasci flagitia, vel recidat, si queat, vel certe premat & attenuet. *De institutione princ.*

Ciconiæ quoties conuolant in campum, quam Pythonis comam vocant (is est locus in Asia) quæ vltima omnium aduenerit, eam lacerāt, atque ita discedunt, in vna omnium cessatione castigata: Ita multitudinis vitia, vnius insigni supplicio sunt vel sananda, vel arcenda. *In simil.*

In aspidis ictu nullum est remedium, nisi vt partes contactæ amputentur: ita quædam vitia sola morte sanari possunt. *ibid.*

Vt magis est probanda medicina, quæ vitiosas corporis partes

ſinat, quam quæ exarit: Ita melior magiſtratus, qui ciues impro bos corrigit, quam qui tollit è medio. *ibid.*

Sicut ex viperis, crocodilo, cæteriſque nocentiſſimis beſtijs medici remedia quædam aduerſus venenorum noxam, ac morbos efficacia quærunt. Ita animaduerſio in innocentes, multos vel arcet, vel reuocat a facinoribus. *ibid.*

F A B V L A.

Aſini lapſus.

Aſini poſt longam & probatam ſeruitutem ſuam, & multas onerũ, atque baiulationum egregias operas, quodam tempore, ſub valde graui onere, cum ad ſaxum improuiſum offendiſſet, in via cecidit. Tum accurrit agitator, & acerbiſſimis verbis, atque vehementibus etiam plagis illum petit. At aſinus ſecum & ſuam conditionem deplorare, & accuſare ingrati domini ſæuitiam, qui ob lieus omnium priorum, ob vnam fortuitam offenſam iam grauiter ſe affligeret.

Fabula ſignificat, fere homines quid quoque tempore fiat, nõ quid aliquando factum ſit, ſpectare, & vnum ſæpe delictum memoriã multorum egregie factorum inducere, ac delere.

POENITENTIA.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

POEnitentia, Græce μετανόησις. Dolor ex re aliqua commiſſa, vel prætermiſſa ſubnaſcens. Vel eſt pœnitentia, mala præterita plangere, & plangenda iterum non committere, *ſecund. Ambroſ. Gregor. & Theol. 4. Sent. diſt.* 14.

Pœnitentia eſt virtus, qua commiſſa mala cum emendationis propoſito plangimus, & odimus, & plangenda vlterius committere nolumus, *ſecund. Magiſt. Sent. diſt.* 14.

Pœnitentia eſt quædam dolentis vindicta, puniens in ſe, quod dolet commiſiſſe, *ſecund. Auguſt. & hab. de pœnit. diſt. 2 can. Pœnitentia.*

Pœnitet, vnde pœnitentia deducitur, dicitur quaſi pœna tenet. Pœnitere enim dicimus, cum quæ ipſi fecimus, aut quæ de noſtra voluntate, noſtroque conſilio facta ſunt, ea nobis poſt incipiunt diſplicere, ſententiamque in his noſtram demutamus. Et quoniã, quæ nobis tædio, vel pudori ſunt, pœnæ quædam eſſe videntur, fit vt pœnitet aliquando pro tædet accipiatur. Sane vt dicimus, me pœnitet, id eſt, pœna tenet, ita pœniteor, id eſt, pœna teneor dicimus. ſed pœna hic ablatiui caſus eſt.

L o c a B i b l i c i.

Pœnitere, pro dolorem capere, 2. *Cor.* 7. 8. Vide reſipiſcentia. Ad pœnitentiam cum ſpe veniæ inuitantur peccatores, *Leu.* 5. *v.* 5. 6. *Deut.* 4. *v.* 29. 31. *&* 30. 2. 1. *Sam.* 7. 3. 1. *Reg.* 8. *v.* 33. 34. 35. 37. 47. 48. 2. *Paral.* 7. 14. *&* 15. 4. *&* 20. 6. *&* 34. 26. *Nehem.* 1. 9. *&* 9. *v.* 27. 28. *Iob* 8. *v.* 5. 6. *&* 22. 23. *Pſal.* 32. *v.* 5. 6. *Prou.* 28. 13 *Eccleſ.* 17. 23. *Eſa.* 1. *v.* 16. 17. 18. *&* 30. 18. *&* 31. 6. *&* 45. 22. *&* 46. 8. *&* 55. 7. *&* 59. 20. *&* 61. *v.* 1. 2. *Ier* 3. *v* 1. 10. 12. 14. 17. 22 *&* 4. *v* 1. 14. *&* 7. 3. *&* 12. 15. *&* 18. *v* 8. 11. *&* 26. 13. *&* 29. 12. *&* 31. *v.* 18. 20. *&* 36. 3. *Thren* 3. 40. *Ezech.* 14. 6. *&* 18. *v.* 11. 21. 27. 13. 32 *&* 33. *v.* 11. 14 10. *&* 43. 9. *Dan.* 4. 24. *Oſe.* 3. 5. *&* 6. 1. *&* 11. 12. *&* 12. 6. *&* 14. *v.* 1. 3. 5 *Ioel.* 2. *v.* 12. 13. *Amos* 5. *v.* 4. *Ionan.* 3. 8. *Mich.* 7. 18 *Zach.* 1. *v.* 3. 4. *Malach.* 3. *ver* 7 17. 18. *&* 4. 6. *Matth.* 3. *v.* 2. 8. *&* 4. 17. *&* 11. 28. *&* 18. 14. *Mar.* 1. 4. *&* 6. 12. *Luc.* 3. *v.* 3. 8. *&* 4 18. *&* 5. 32. *&* 9. 13. *&* 13. 5 *&* 19. 10. *&* 24. 47. *Act.* 2. 38. *&* 3. 19. *&* 5. 31 *&* 8. 22. *&* 11. 18. *&* 14. 15. *&* 17. 30 *&* 19. 4. *&* 20. 21. *&* 26. *v.* 18. 20. *Rom.* 2. 4. *&* 6. 4. *v.* 22. 23 28. 1. *Tim* 2. 25. 1. *Pet.* 2. 1. 2. *Petr.* 3. 9. 1. *Ioann.* 1. 9. *Apoc.* 25. *&* 3. *v.* 3. 19. Pœnitentia dum ſani ſumus agenda eſt, *Eccleſ* 17. 24. *&* 18. 25. ſeria eſſe debet, 1. *Reg.* 8. 48. 2. *Paral.* 6 38. *Eſa.* 23. 18.

Pœnitentiæ capaces qui, *Luc.* 9 31. pœnitentiæ contemptus quam noxius, *Eſa* 22. *v.* 12. 13. 14 *Ier.* 5. 3 *Amos* 6. 6. *Agg.* 1. 18. *Matt.* 11. *v.* 21. *Luc* 10. *v.* 13. 2. *Cor.* 12. *v.* 21. *Apoc* 9. *v.* 10. 21. *&* 16 9.

S E N T E N T I A E B I B L I C AE.

Pœnitentia malum aufert.

Si pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo, quod loquutus ſum aduerſus eam, agam & ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitaui vt facerem ei, & ſubito loquar de gente, & regno, vt ædificem & plantem illud. Si fecerit malum in oculis meis, vt non audiat vocem meam, pœnitentiam agam ſuper bono, quod loquutus ſum, vt facerem ei. *Ier* 18.

Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Dei, & non in manus hominum. *Eccl.* 2.

Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium, & iuſtitiam, vita viuet, & non morietur. Omnium iniquitatum eius quas operatus eſt, non recordabor. Nunquid voluntatis meæ eſt mors impij, dicit Dominus, & non vt vertatur à vijs ſuis, & viuat? *Ezech.* 18. *&* 33.

Progenies viperarum, quis demonſtrauit vobis fugere à ventura ira? Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ. *Matth* 3.

Bonum confert.

Lauamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis, quieſcite agere peruerſe, diſcite bene facere, quærite iudicium, ſubuenite oppreſſo, iudicate pupillo, defendite viduam & venite & arguite me, dicit Dominus. Si fuerint peccata veſtra vt coccinum, quaſi nix dealbabuntur: & ſi fuerint rubra quaſi vermiculus, quaſi lana alba erunt. *Eſa.* 1.

Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cęlorum. *Matt.* 3.

Quoniam impletum eſt tempus, & appropinquauit regnum Dei: Pœnitemini, & credite Euangelio. *Marc.* 1.

Dico vobis, quod ita gaudium erit in cęlo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, quam ſuper nonaginta nouem iuſtis, qui non indigent pœnitentia. *Luc.* 15.

Sic oportebat pati Chriſtum: & reſurgere a mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remiſſionem peccatorum in omnes gentes. 24.

Nunc gaudeo, non quia contriſtati eſtis, ſed quia contriſtati eſtis ad pœnitentiam. Quæ enim ſecundum Deum eſt triſtitia, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur. 2. *Cor.* 7.

Pœnitemini igitur & cõuertimini, vt deleantur peccata veſtra. *Act.* 3.

Auditu auris audiui te, idcirco ipſe me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla & cinere. *Iob.* 42.

Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam. *Luc.* 5.

Impeditur diuinæ bonitatis contemptione.

Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, & ille abutitur eo in ſuperbiam. *Iob.* 24.

Et miſereris omnium, qui omnia potes, & diſſimulas peccata hominum propter pœnitentiam. *Sap.* 11.

Mundanæ voluptatis inhæſione.

Apprehenderunt mendacium, & noluerunt reuerti. Attendi & auſcultaui, nemo quod bonum eſt loquitur: nullus eſt qui agat pœnitentiam ſuper peccato ſuo, dicens: Quid feci? Omnes conuerſi ſunt ad curſum ſuum, quaſi equus impetu vadens ad prælium. *Ierem.* 8.

Et dedi illi tempus, vt pœnitentiam ageret, & non vult pœnitere. *Apoc.* 2.

Pœnitentia perficitur corde.

Et in omnibus his non eſt reuerſa ad me præuaricatrix ſoror eius Iuda in toto corde ſuo, ſed in mendacio: ait Dominus: Reuertere auerſatrix Iſrael, ait Dominus, & non auertam faciem meam à vobis, & non iraſcar in perpetuum. *Ier.* 3.

Et egreſſus foras fleuit amare. *Matth.* 26.

Et ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit quod Ieſus accubuit in domo Simonis leproſi, attulit alabaſtrum vnguenti, ſtans retro ſecus pedes eius, lachrimis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis ſui tergebat, oſculabatur pedes eius, & vnguento vngebat. *Luc.* 7.

Ore.

Sed quia patiens eſt Dominus, in hoc ipſo pœniteamus, & indulgentiam eius fuſis lachrimis poſtulemus. *Iud.* 8.

Sacrificium ſalutare, eſt attendere & diſcedere ab omni iniquitate. *Eccleſ.* 35.

Opere, vt ſit virtuoſa ſine mali admixtione.

Si iniquitatem, quæ eſt in manu tua, abſtuleris a te & non manſerit in tabernaculo tuo iniuſtitia, tunc lauare poteris faciem tuam abſque macula, & eris ſtabilis, & non timebis *Iob.* 11.

Pœnitentibus autem dedit viam iuſtitiæ. *Eccl.* 17.

Fili peccaſti, non adijcias iterum: ſed & de priſtinis deprecare, vt tibi dimittantur. *Eccl.* 21.

Quærite bonum & non malum, vt viuatis. Odite malum, & diligite bonum. *Amos.* 5.

Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ. *Luc.* 3.

Memor eſto itaque vnde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac. *Apoc.* 2.

Fructuoſa ſine procraſtinatione.

Septies enim in die cadet iuſtus, & reſurget: impij autem corruent in malum. *Prou.* 24.

Non tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem. *Eccleſ.* 5.

Hæc dicit Dominus: in tempore placido exaudiui te, & in die ſalutis auxiliatus ſum tibi. *Eſa.* 49.

Non eſt enim ei bene, qui aſſiduus eſt in malis, & eleemoſynas nõ danti, quoniam & Altiſſimus odio habet peccatores, & miſertus eſt pœnitentibus. 12.

Anguſtia ſuperueniente requirent pacem, & non erit. *Ezech.* 7.

P A T R V M S E N T E N T I Æ.

Pœnitentia aboleri peccata indubitanter credimus, & in vltimo vitæ ſpiritu admiſſorum pœniteat. *Aug. de eccl. dog. c.* 48.

In tribunal mentis tuæ aſcende contra te: & reum te conſtitue ante te, noli te ponere poſt te, ne Deus te ponat ante te. *In lib. de vtilit. agen pœn.*

Noli negligere, quod vos prius Dominus peccantes ſuſtinet: quia quanto diutius expectat vt emendetis, tanto grauius iudicabit, ſi neglexeritis. *ibid.*

Sunt

Sunt multi, quos peccare non pudet: o incredibilis insania: de vulnere ipso non erubescis, & de ligatura vulneris erubescis. Nonne vulnus fœtidum & putridum est? confugere ergo ad medicum: age pœnitentiam: dic, iniquitatem meam ego agnosco, & peccatum meum contra me est semper. Tibi soli peccaui: quia tu solus sine peccato. *ibid.*

Iustitia de cęlo prospexit tanquam Dei dicentis: Parcamus huic nomini, quia ipse sibi nõ pepercit, agnoscamus, quia ipse agnoscit: conuersus est ad puniendum peccatum suum, conuertar & ego ad liberandum eum. *In Psal.* 84.

Ad agendum pœnitentiam nõ sufficit mores in melius commutare, & à malefactis recedere, nisi & de his quæ facta sunt satisfacias Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis. *lib. de pœnit.*

Inanis est pœnitentia, quam sequẽs culpa coinquinat: nihil prosunt lamenta, si replicentur peccata. Nihil valet a malis veniam poscere, & mala de nouo iterare. *In solilog.*

Pœnitentia languores sanat, leprosos curat, & mortuus suscitat, sanitatem auget, gratiam conseruat, claudis gressum, aridis copiã, cæcis restituit visum, vitia fugat, virtutes exornat, mentẽ munit, & roborat. *lib. de pœn.*

Qui per pœnitentiam peccata diluit, angelicæ felicitatis consors in æternum erit. *lib. de mirac. sacr. script.*

Si quis positus in extrema necessitate suæ ægritudinis voluerit accipere pœnitentiam, & accipit, & mox reconciliatur, & hinc vadit: fateor vobis, non illi negamus, quod petit, sed non præsumimus quod bene hinc exit, si securus hinc exit, ego nescio, pœnitentiam dare possumus, securitatem autem non. Non quidem dico, damnabitur: sed nec dico, liberabitur. Vis ergo à dubio liberari? tene certum & dimitte incertum. Age pœnitentiam dum sanus es: si sic agis, dico tibi, quod securus es, quia pœnitentiam egisti, eo tempore, quo peccare potuisti. Si vis agere pœnitentiam quando iam peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa. *Serm.* 36.

Quia rogat eillos non delicti pœnitentia, sed mortis vrgentis admonitio compellit, nec dignus est in morte accipere solatia, qui se non cogitauit moriturum. *ibid.*

Peccauit Dauid quod solent reges, sed pœnitentiam gessit, fleuit ingemuit, quod non solent reges: confessus est culpam, & obsecrauit indulgentiam. *Amb. de Dauid, l.* 1.

Quod Dauid peccauit conditionis est, quod supplicauit, correctionis. Lapsos communis, confessio specialis. In culpam itaque incidisse naturæ est: dolere virtutis. *ibid.*

Qui pœnitentiam agit, paratus debet esse ad opprobria perferẽda, iniuriasque subeundas, nec commoueri, si quis ei peccati sui crimen obijciat. *lib. de Ioseph, c.* 36.

Nihil peccare, solius Dei est, emendare sapientis & corrigere erratum, & pœnitentiam agere de peccato: id tamen difficile est in hac vita homini. Quid enim tam rarum, quam vt inuenias virũ, qui seipsum coarguat, & factum condemnet suum? Rara itaque confessio de peccato, rara pœnitentia, rara in hominibus verbi huius assertio. Repugnat enim natura, repugnat verecundia: natura, quia omnes sub peccato: qui carnem gerit, culpæ obnoxius est. Ergo repugnat natura carnis, & illecebra sæculi, innocentiæ integritati. Repugnat etiam verecundia, quia erubescit vnusquisque propriam culpam fateri, dum præsentia magis quam futura cogitat. *Epist.* 3. *ad Simplician.*

Fidelior factus est Petrus, postquam fidem se perdidisse defleuit: atque ideo maiorem gratiam reperit, quam amisit. *In sermon. ad vincul.*

Quando sic pœnites, vt tibi amarum sapiat in anima quod ante dulce fuit in vita, & quæ te prius oblectabat in corpore ipsum te cruciat in corde, iam tunc bene ingemiscis ad Deum. *In quodam ser.*

Amaritudinem radicis dulcedo pomi compensat: pericula maris spe lucri delectant: dolorem medicinæ spes salutis mitigat: Qui desiderat nucleum, frangit nucem: pœnitentiamq; agit, qui vult æterno adhærere bono. Præconia Christi narrare possunt, qui ad palmam indulgentiæ meruerunt peruenire. *Hieron. in Matth.*

Apud Deum non tam valet mensura temporis, quam doloris, non abstinentia tam ciborum, quam mortificatio vitiorum, propter quod tempora pœnitentiæ pro fide & conuersatione pœnitentiũ abbreuianda præcipiuntur, & pro negligentia protelanda existimantur, quum pro quibusdam culpis modi pœnitentiæ sint impositi. *In quodam serm.*

Necessaria est pœnitentia, quæ aut æquet crimina, aut certe excedat. *In epist. ad Susan.*

Quum meotem Deus ingreditur, cnostat procul dubio, quod mox pœnitentiæ gemitus sequatur, vt ei iã salubriter flere libeat, quæ prius in iniquitatibus flenda iucunditate gaudebat: sed quo vberius culpa fletur, eo altius agnitio veritatis attingitur: quia ad videndum lumen internæ bonitatis polluta dudum conscientia, lachrimis baptizare renouatur. *Greg. in Mor.*

Apud misericordiæ iudicem ne ille fallax habebitur, qui ad veritatem reuertitur, etiam postquam mentitur, quia omnipotẽs Deus dum libenter nostram pœnitentiã suscipit, ipse iudicio, hoc quod errauimus, abscondit. *In hom.* 29.

Quot habuit in se oblectamenta, tot de se inuenit holocausta contertit ad numerum virtutum numerum criminum: vt totum seruiret Deo in pœnitentia, quicquid ex se Deũ contempserat in culpa. *In hom.* 33. *sup. Euang.*

Qui mala, quę perpetrauit, insinuat, sed flere, quæ insinuarat, recusat, quasi subiecta veste vulnus detegit, sed torpente mente medicamentum vulneri non apponit. *In Mor.*

Fit plerumque gratior Deo amore ardens vita post culpam, quam in securitate torpens innocentia. *In pag. c.* 54.

Quum in graue peccatum miser homo labitur, peccatum leue & modicum in corde affirmat: misericordiam prædicat, longum spatium vitæ promittit: permanere in peccato suggerit: vt sic in contemptum Dei & desperationem sui inducat, & pereat. *In quadam hom.*

Vnusquisque conscientia conuenitur, vt tanto maiora quærat bonorum lucra per pœnitentiam, quanto grauiora intulit dãna per culpam. *In Matth.* 3.

Quem vere pœnitet, laborem pœnitentiæ non abhorret: sed quicquid sibi pro culpa, quam odit, iniungitur, tacita conscientia amplectitur. *In hom quadam.*

Equum indomitum flagella domant, animam immitem contritia & assiduitas lachrimarum. *Bern. in quodam serm.*

Nunc lauandi tempus est, nunc purificationem patet esse necessariam: quoniam nemo mundus a sorde, nec infans, cuius vita est vnius diei super terram. *ibid.*

Quid leuius onere pœnitentiæ, quod non solum non onerat, sed & portat omnem, cui importandum imponitur? Mirum opus naturæ: vnde processit materia, inde sarcina leuigatur, & quantũ crescit in massa, tantum decrescit in pondere. *In epist.*

Qui perfecte sentiunt onus peccati & animi læsionem, aut parum sentit, aut ex tota non sentiet corporis pœnam, nec reputabit, quo peccata nouerit delere præterita, & cauere futura. *In quorum sermon.*

Fugite, inquit, de medio Babylonis & saluate animas vestras, & volate ad vrbes refugij: vbi possitis & de præteritis agere pœnitentiam, & in præsentia obtinere gratiam, & futuram gloriam fiducialiter præstolari. Non vos retardet conscientia, quia vbi peccata abundauerunt, superabundare consueuit & gratia: nec pœnitentiæ austeritas ipsa deterreat. Nec enim condignæ sunt passiones huius temporis ad futuram gloriam, & præteritam culpam quæ remittitur, nec ad præsentis gratiam consolationis, quæ immittitur, non ad futuram gloriam quę promittitur. Si verbis non creditis, operibus credite, exemplis acquiescite plurimorum, currunt vndique peccatores ad pœnitentiam, & natura, pariter, & consuetudine delicati, nil credentibus impossibile: nil amantibus difficile, nil asperum mitibus: nil humilibus arduum reperitur, quibus & gratia fit in auxilium, & obedicnt deuotio lenit imperium. *ibid.*

Si erramus, paruam pœnitentiam imponendo, melius est de misericordia Deo rationem reddere, quam de austeritate: vbi enim paterfamilias est largus, dispensator non debet esse auarus, & si Deus benignus, vt quid sacerdos austerus. *Chrysostom. in Matth.* 23.

Nunquam spernit Deus pœnitentiam, si ei sincere & simpliciter offeratur, & si ad summum quis peruenerit malorum, & inde tamẽ velit reuerti ad virtutis viam, suscipit libenter & amplectitur. Non enim temporis longitudinem, sed affectus sinceritate pœnitẽtium pensatur. *lib. de reparatione lap.*

Latro ille qui pendebat in cruce, non eguit prolixitate temporis, vt ingressum paradisi mereretur: sed tantum ei spatij suffecit quantum expedire potuit, donec verbum posset proferre sermonem: ita vt intra vnum momentum temporis totius vitæ sceleribus absolutus præcedere ad paradisum etiam apostolos mereretur. *ibid.*

Non dolere quia peccaueris, magis indignari atque irasci facie Deum, quam illud peccatum, quod ante perpetraueras. *In Matth.*

Tales sunt qui graue pondus venientibus ad pœnitentiam ponunt: quia dicunt, & non faciunt, sic dum pęna pœnitentiæ fingitur, pęna peccati futura contemnitur. Si enim fascem super humeros adolescentis, quem non potest baiulare, posueris: necesse habet vt aut fascem abijciat, aut sub pondere confringatur: sic & homini cui graue pondus pœnitentiæ imponis, necesse est, vt pœnitentiam reijciat, aut suscipiens, dum sufferre non potest scandalizatus amplius peccet. *ibid.*

Clerici peccantes difficile pœnitentiam agunt, erubescit enim aliquando fieri reus, qui semper fuerat iudex. *ibid.*

Qui aliquando videt clericum cito pœnitentiam agentem, & si deprehensus humiliauerit se: nõ ideo dolet, quia peccauerit, sed confunditur, quia perdit gloriam suam. *In Matth.*

Pœnitentia est medicamentum vulneris, spes salutis, per quam Deus ad misericordiam prouocatur, quæ non tempore pensatur

pensatur, sed profunditate luctus & lachrimarum: pœnitentia autem, non mensium ac temporum cursus pœna pensatur, sed pœna, qua anima cruciatur, & mortificatur caro. *Isidorus de summo bono lib. 3.*

Pœnitentia appellata quasi punientia, eo quod ipse homo in se pœnitendo punit, quod male admisit. Tria enim, quæ sunt in percussione pectoris, id est, pectus, sonus & manus, significant, quod pœnitentia est de his, quæ mente, voce & opere peccauimus. *Hug. l. 3. de myst. eccl.*

O pœnitentia: quid de te noui referam? omnia ligata tu soluis, omnia clausa tu reseras, omnia aduersa tu mitigas, omnia contrita tu sanas, omnia confusa tu lucidas, omnia desperata tu animas. *Cypr. de laud. pœn.*

Senario Psalmorum personam pœnitentis aptauit, quia sexta die homo creatus, Christus pro peccatis crucifixus, in ipso die primus homo peccauit. *Cass. in Psal. 6.*

Quid enim meruit latro, vt sic paradisum velociter introiret? quid publicanus, qui repente de téplo absolutus exiuit? ipse dedit cófessionis subitum votum, qui donauit & præmium. *Idem in Ps.*

Quis in sęculo peccauit enormius Paulo? quis in religione grauius Petro? illi tamen per pœnitentiam meruerunt assequi non solú ministerium, sed etiam magisterium sanctitatis. Memores igitur estote misericordiæ, quam filio prodigo reuertenti pater euangelicus legitur impendisse, & illud: Nolite ergo ante tempus iudicare, quo usque veniat tempus, &c. nam multa sunt, quæ de iudicio Dei homines ignorant: quia fortasse, quæ vos laudatis, ipse reprehendet: & quæ vos reprehenditis, ille laudabit. *Petr. Chrysologus in quodam serm.*

Agere autem pœnitentiam nihil aliud est, quam profiteri & affirmare, se vlterius non peccaturum. Ignoscitur itaque his, qui ad peccatú ignoranter, imprudenter, incauteq; labuntur: veniá nó habet, qui sciens peccat. *Lact. Firm. diuin. instit. l. 6. c. 13.*

Nec tamen deficiat aliquis, aut de seipso desperet, si aut cupiditate victus, aut libidini impulsus, aut errore deceptus, aut vi coactus, à iustitiæ via lapsus est. Potest enim reduci & liberari, si eum pœniteat actorum, & ad meliora, conuersus, satis Deo faciat.

Nemo potest esse tam prudens, tam circumspectus, vt aliquádo nó labatur. Et idcirco Deus imbecillitatem nostram sciens, pro sua pietate aperuit nobis portum salutis, vt huic necessitati, cui fragilitas carnis subiecta est medicina pœnitentia subueniret. Ergo quicunque aberrauerit, referat pedem, seque quam primum recipiat ac reformet.

Sed reuocare gradum superasque euadere ad auras,
Hoc opus, hic labor est.

Degustatis enim male iucundis voluptatibus, vix diuelli ab his possunt, facilius recta sequerentur, si earum suauitates non attigissent. Sed si eripiant se malæ seruituti, condonabitur his omnis error, si errorem suum vita meliore correxerint. Nec lucrari se quisquam putet, si delicti conscium non habebit, scit enim ille omnia, in cuius conspectu viuimus. Et si vniuersos homines celare possumus, Deum non possumus, cui nihil absconditum, nihil potest esse secretum. *Ibid. lib. 6. c. 24.*

SENTENTIAE POETICAE.

Menander.

Η μετάνοια γίνετ᾽ ἀνθρώποις κρίσις.
Pœnitentia est hominibus iudicium.

Periander.

Ἁμαρτὼν μετάβαλλε.
Cum peccaueris, subeat te pœnitentia.

Plaut. in Aulular.

Qui homo culpam admisit in se, nullus est tam parui pretij,
Quin pudeat, quin purget sese.

Ouid. l. 1. Remed. Amor.

Vtile propositum est sæuas extinguere flammas,
Nec seruum vitijs pectus habere suum.

Ibid.

Principijs obsta: sero medicina paratur,
Cum mala per longas conualuere moras.
Sed propera nec te venturas differ in horas?
Qui non est hodie, cras minus aptus erit.

Ibid.

Si cito sensisses, quantum peccare parabas,
Non tegeres vultus cortice myrrha tuos.
Vidi ego, quod fuerat primo sanabile vulnus,
Dilatum longæ damna tulisse moræ.
Sed quia delectat Veneris decerpere fructus,
Dicimus assidue, cras quoque fiet idem.
Interea tacitæ serpunt in viscera flammæ,
Et mala radices altius arbor agit.

Ouid. l. 1. de Ponto.

Talia cœlestes fieri præconia gaudent,
Vt sua quid valeant numina teste probent.
Sæpe leuant pœnas ereptaque lumina reddunt,
Cum bene peccati pœnituisse vident.

Hor. 3. Carm. 24.

Scelerum si bene pœnitet,
Eradenda Cupidinis
Praui sunt elementa.

Anthol. sacr. Iacob. Bill.

Spiritualis querela.

Quidnam optem infelix? vitamne, an funera? nam quo
Plus viuo scelerum plus mihi crescit onus.
Sed quid? si moriar, iam non delere licebit
Crimina per lachrymas, quas metanœa parit.
Quidnam igitur faciam, cum mens ab vtraque trahatur
Parte, nec expediat quid mihi scire queam?
Ad te confugio. supplex tibi brachia tendo:
Et maneo ad nutus, optime Christe tuos.

Conuersio non differenda.

Conuerti ad rectos mores, & viuere sancte
In Christo meditans, quod cupit acceleret.
Cedant virtuti vanarum obstacula rerum,
Ne perdat vots tempora lenta fides.
Quid iuuat in longum causas producere morbi?
Cur dubium expectas cras hodierna salus?
Scimus correctis veniam non esse negandam,
Sed nulli nostrum est vltima nota dies.

Qualis sit vera & seria pœnitentia.

Quem sceleris noxæque grauis bene pœnitet, illi
Perpetuus lachrimis obruit ora dolor.
Nam qui post lachrimas ad mania gaudia sese
Transtulit, ex lachrimis commoda nulla tulit.
Qui sua nunc fletu plectit sanoque dolore
Crimina, nunc risu diffluit immodico.
Est velut is, lachrimis qui cum celebrauit amici
Funera, mox epulis nubila mœsta fugat.

APOPHTHEGMATA.

Pausanias, cum in conuiuio quodam Simonidem Philosophum orasset, vt aliquid ex sapientię arcanis in medium adferret: Simonides dixisse fertur: Memento te hominem esse. Sed Pausanias in summa tum felicitate constitutus, non magnopere philosophi dictú curauit. Cum vero postea in Chalciœco cum fame luctaretur, iamque mortem omnium miserrimam ob oculos videret, magna voce exclamasse fertur: o Cee hospes, magnum quiddá in sermone tuo inerat: ego vero inani persuasione sum adductus, vt eum nullius momenti putarem. *Aelianus l. 1. de var. hist.*

Isæus sophista, cum primos pueritiæ suæ annos in omnibus voluptatibus contriuisset, vir factus in melius vitam instituit. Cum igitur forte cum amico deambulasset, qui ei formosam ostenderet puellam, interrogasset, verum formosa videretur: respondit Isæus: Nihil hîc iudico, quandoquidem desij laborare oculis. *Philostrat. in sophist.*

Theodosius Imp. dicere solebat: Nihil esse noui, si quis homo cum sit è vita excedat. Vnius autem Dei esse eum, qui semel mortuus sit, per pœnitentiam ad vitam reuocare. *Nicephorus Callistr. l. 14. c. 3. Eccles. hist.*

SIMILITVDINES.

Chrysostomi. Solent Reges nato sibi filio indulgentiam in regno suo donare: sed ante transmittunt acerbissimos exactores, qui omne, quod inuenerint, exigant, ita vt indulgentia ipsa crudelior esse videatur, quam ipsa exactio, vt nihil indulgentiæ habeat præter nomen, vt lugentes illam homines, & nudi suscipiant. Deus autem & nato sibi filio, volens donare in sæculo indulgentiam peccatorum, præmisit quasi exactorem Ioannem, exigentem, & dicentem? Facite fructus dignos pœnitentia. *In c. 3. Matth.*

Quemadmodum anima pigricans, & negligens, quanquam multum ad pœnitentiam temporis accipiat, nihil operatur magni, neq; sibi Deum per desidiam conciliat: Sic qui proposito excitato feruet, atque multa cum solertia pęnitentiam ostendit, breui temporis momento peccata delere poterit. *De pœnitent. serm. 1.*

Quemadmodum in corpore vulnera & medicinæ. Sic in anima peccatum & pœnitentia. In vulnere sanies, in medicina purgatio sanici. In peccato improperium, in peccato derisio. In pœnitentia fiducia, in pęnitentia libertas, in pœnitentia purgatio peccatorum. *De pœnit. serm. 3.*

Neque perinde amnium fontes floridos reddunt hortos, vt plantam deprecationis fontes lachrimarum irrigantes faciunt in summá altitudinem excurrere. *Hom. 8. de fide Annæ, & Sam. educatione.*

Cypriani, Sicut bonus dominus mali serui ministerio bonam facit eleemosynam: Ita & per alium licet impœnitentem misericors Dominus alium reuocare vult ad pęnitentiam. *De singul. cleric.*

Operari tu putas rusticum posse, si dixeris: Agrum petitia omni

Ttt rusti-

rusticitatis exercere cultu tuis diligenter insiste, sed nullam messem metes, nullam vindemiam premes, nullos olueti tui fructus capies, nulla de arboribus poma decerpes? Vel si cui demum vsum nauium suadens: Materiam de excellentibus siluis mercare fratet, catenam præualidis & electis roboribus intexe clauo, funib. velis vt fabricetur atque armetur nauis, operare: sed cum hoc feceris, fructum de actibus eius, & cursibus non videbis? Ita si tollas pœnitentiam, quis non statim pereat? quis non ipsa desperatione deficiat? *Lib. 5. epist. 2.*

Tertullian. Hoc pretio Dominus veniam addicere instituit, hac pœnitentiæ compensatione redimendam proponit impunitatem. *Lib. de pœnit.*

Si qui vendunt, prius nummum, quo paciscuntur, examinant, scalpus, ne se rasus, ne adulter sit: Dominum credimus pœnitentiæ probationem prius inire, tantum nobis mercedem percoois scilicet vitæ concessurum? *Lib. de pœnit.*

Hilary. Pœnitentiã suam Deus memorat ad pœnam, quia puniri desinerent, qui esse impij destitissent. Vt ergo figulo promptum est am istum vas ad eandem, vel quam volet, speciem reformare: Ita Deo facile est. quod vitiorum casus volentes se erigi, per doctrinæ suę institutionem ad pietatem ab impietate reparare. *In Ps. 2.*

Venanty Honory Clementiani. Sicut debitum a creditore requiritur merito: Ita peccatum a Deo in die iudicii necesse est exigatur. Nam nisi hic, dum viuimus, per pietatem eius indulgentiæ ista nobis exactio cõdonetur, actum erit de salute nostra. Vnde merito hic cuncta remitti a Patre cęlesti rogamus, vbi delicta cõmittimus: quando in futuro vt peccare non licet, ita nec vacat pœnitere. *In expesit. Dominic. orat.*

Vt aquila per senectutem tam curuum acquirit rostrum, vt vesci nõ possit, nisi ad lapidem dein percutiendo aduncitatem frangat: quo facto, rursus edit ac bibit, & reiuuenescere dicitur: Sic peccator, qui peccatis est prægrauatus, nil spirituale ei sapiat: oritur fame, nisi ad petram Christum per pœnitentiam se fortiter ac diu percutiat, vsque ad propositi mutationem, & duritiei abiectionem. *De circumcisione.*

Petri martyris Archiepiscopi Alexandrini. Iis, qui sibi cauerunt, ne quid eiusmodi paterentur, neque fructum aliquem fidei præbuerunt, sed spõte sua, formidineq; & timore instigati, ad iniquitatem deseruerunt, & nunc ad pœnitentiam redeunt, illis necessariũ est, congruam de sterili ficu parabolam accommodare, sicut Dominus arborem quidam in vineto suo plantauerat, & venit, vt fructum in ea quæreret, nulloque inuẽto, ait ad vinitorem Ecce tres anni, iam cum venio, & fructum in hac ficu quæro, nullumque inuenio. Excide eam: at quid enim terram occupauit? ille respondens, ait: Domine sine illam etiam hoc anno, donec fodiam iuxta eam, & stercora adiciam, si forte fructum adferat: id si minus, in posterum excides eam. Illo ante oculos proposito magis viui eruot, si interuallo tanti temporis dignum fructum pœnitentiæ ator erint. *In canonibus de pœnit.*

Chromaty. Sicut qui caliginem noctis emensus est, iam gestit proximam lucem: & qui choleram amaram digessit, escam concupiscit & potum: Sic & metus hominis Christiani, postquam per luctus & lachrimas sua peccata digesserit, iam solam Dei iustitiam esurit atque sitit, & merito eius, quam desiderat, satietate gaudebit. *De octo beatitudinib fol. 413.*

D. Bernardi. Christus alligatura non refugit: cum tamen vulnus non haberet: Nos vero, qui vulnerati sumus, obligari pœnitentia erubescimus. *serm. de circumcisione.*

Beda. Quid prodest spinis purgare agrum tuum, si non etiam aratro scindes eum, & feres in eo semen, vnde gaudeas in futuro? Ita & qui deserit peccata, & ea non plangit pœnitendo, nec bonũ post ea facere consuescit, nunquid fructuosum est peccata deserere, & bona non facere? *In verba Esaiæ, Lauamini, mundi estote.*

Qui plangit peccatum, & iterum admittit, quasi si quis lauet laterem crudum: quem quanto magis diluerit tanto amplius lutum facit. *In verba Dan. 9. Obsecro Domine Deus, &c.*

Beati Anselmi Quem magni alicuius pœnitet criminis, sibi esse agẽdum more arborem magnam succidere volentis. Sicut enim ille minora in circuitu arbusta prius curat succidere, nec sibi arborẽ ipsam succidenti, possint obesse: Sic & hic vitia minora illi criminj vicina, prius sunt extirpanda, ne qua sibi crimen ipsum destruenti, ferant impedimenta. *In simil. c. 145.*

Lactanty. Muta quoque animalia cum fraude decipiuntur, si aliquo se modo in fugam extricauerint, fiunt postmodum cautiora, vitántque semper ea omnia, in quibus dolos insidiasque senserũt: Sic hominem pœnitentia cautum ac diligentem facit ad euitãda peccata, in quæ semel fraude deciderit. *Lib. 7. c. 24. de cultu diuino*

Petri Aliaci Episcopi Cameracensis Cardinalis. Vera pœnitentia velut scala quædam est, qua homo peccator, qui secundum Euangelicam parabolam descendit de Hierusalem in Hiericho, rursum in Hierusalem (hoc est, ad pacis visionem) adscendit. Huius vero scalæ sunt septem gradus, quibus correspõdent septem Psalmi, qui pœnitentiales dicuntur. In quorum primo complectitur *Timor* pœnæ: in secundo, *Dolor* culpæ: tertio, *Spes* veniæ: quarto, *Amor* munditiæ: quinto, *Desiderium* cęlestis patriæ: sexto. *Diffidentia* virtutis propriæ. *In præfatione septem Psalmorum pœnit.*

Plutarch. Vt qui æstuãt febribus, æque calent siue vnam instraueris vestem, siue plures, tamen in solatium illorum multitudo vestiũ tollitur: Sic obseruandum, quibus mederi non possis. *In Moral.*

Thriuers. Quemadmodũ qui tam calidum, quã frigidum aliquando stomachum confirmant, tepidum semper robur ventris effœminant: Sic interim leuiora peccata minus promittunt pœnitentiã, quam grauiora. *In apoph. 46.*

Vt maximus nobis dolor innascitur, vbi vulnus infligitur, vel curatur: Ita sæuissima quoque ipsius carnis tempestas imminet, quando ab ipsa ad Deum conuertimur. *In apophe. 182.*

Quemadmodum nõ satis est morbum expurgati, sed intemperiem beneficio oppositorum oportet restitui, vt homo ex molesta ægritudine sanus fiat: Sic etiam & vitia nostra, quæ iam eruta sunt, necessarium est contrariis studiis immutari. Alioqui vt illic incerta conualescentia, ita hic erit suspecta pœnitentia. *In apopht. 171.*

ADAGIA.

Sero sapiunt Phryges. *Cicero.*

Conuenit in eos, quos stulte factorum sero pœnitet. Nachrevv ist Vveiber Revv.

Cumani sero sapiunt. ὀψὲ αἰσθάνονται οἱ Κυμαῖοι.

In adagium refertur à Strabon. Geograph. lib. 13. In illos, qui non nisi malo suo docti, parent recte monentibus.

Malo accepto stultus sapit.

Paulo diuersius extulit Hesiod.

> Δίκη δ' ὑπὲρ ὕβριος ἴσχει
> Ἐς τέλος ἐξελθοῦσα, παθὼν δέ τε νήπιος ἔγνω.
> *Tandem sua pœna nocentem*
> *Consequitur, passusque sapit tum denique stultus.*

Huc referendum & Plautinum illud in Mercatore.

Feliciter is sapit qui alieno periculo sapit. Narren soll man mit Kolben lauten.

Piscator ictus sapiet. ἁλιεὺς πληγεὶς νοῦν φύσει.

In eos, qui suo damno cautius agere discunt. Mit Schaden, oder mit Schãd vvird man vvEIS. Es ist besser mit Schaden vvitzig vverden als mit Schand.

Factum stultus agnoscit. ῥεχθὲν δέ τε νήπιος ἔγνω.

Vnde per quam eleganter Fabius apud Tit. Liuium, euentum stultorum magistrum appellat. Nec euentus doceat hoc, inquiens, qui stultorum magister est, sed ratio.

Mus picem gustans. μῦς δ' ἔτι πίσσης γεύεται

Non intempestiue dicetur in eum, quem pœnitet experimenti. Vorgethã vnd nachbedacht, Hat manchen in groß Leid gebracht.

Post acerba prudentiore. παρὰ τὰ δεινὰ φρονιμώτερος.

Idest, Post mala prudentior.

Serum in fundo parsimonia. δειλὴ δ' ἐνὶ πυθμένι φειδώ.

Admonet in tempore parcendum rebus necessarijs. Pers. Sat. 2.

> *Donec deceptus & expers,*
> *Nequicquam fundo suspiret nummus in imo.*

Post rem deuoratam ratio.

Quemadmodum de sera ope dicitur. Post bellum auxilia, ita de sera parsimonia dicitur. post absumptam rem supputatio.

Quod dedi, datum nollem.

Plautus Inter nouam rem, inquit, verbum vsurpabo vetus Quod dedi, non datum vellem signisicat se pœnitere. quod puelle fecerit copiam:

> Satius est recurrere, quam male currere.
> *Præstat mutare consilium in melius, quam in male institutis pergere.*

Es ist besser vmbkehren, dann vnrecht oder irre lauffen.

Optimum, aliena insania frui. *Plinius.*

> *Felix quem faciunt aliena pericula cautum.*

Admonet adagium, vt ex aliorum erratis ipsi cautiores efficiamur, & alienis periculis reddamur prudentiores. Es ist ein nuetzlich ding durch frẽbden Schaden vvitzig vverden.

Hedera post Anthisteria. κιττὸς μετ' Ἀνθεστήρια.

Quum sero quippiam adhibetur.

Atqui non est apud aram consultandum

Consultandum, antequam incipias, in ipso negotio sera consultatio.

EXEMPLA BIBLICA.

Pœnitentiæ contemptus *exempla.* Sedechias, 2. *Paral. 36. 13.* Sacerdotes & principes *v. 16.* Israelitæ, *Ier. 15. 7. Os. 7 10.* Chorazim & Bethsaida, *Matt. 11 20. Luc. 12. 13.* alter Iezabel, *Apoc. 2. 21* pœnitẽtiæ fructus, *Act. 12. 18* pœnitentiæ prędicatio in Christi nomine *Luc. 24. 47.* pœnitentiæ prædicatio omnib. oblata, *Act. 17. 30.* pœnitẽtiæ veræ & nõ fictæ *exẽpla.* In Patriarchis, *Gen. 42 21.* Israelitis, *Exo. 33. 4. Num. 14. 39. Iud 2. 4. & 19. 15. Ier. 50. 5.* Dauide, *2. Sam 12 13. & 24. 10.* Iosua. *2. Reg 22. 19.* Roboamo cũ pricipib. eius, *2. Par. 12. 7.* Ezechia, *32. 26 Es. 38. v. 2. 3* Manasse, *2. Paral. 33 v. 12. 13.* Esdra & populo, *1. Esdr. 10. v. 1. 2. 3.* Iob, *Iob. 42. 5* Bethulianis, *Iudit. 7 19.* Machab. & Iudæis, *2. Machab. 10. v 25. 26.* Niniuitis, *Iona 3. vers 5. 6. 7. 8. Matth 12. 41. Luc. 11. 32.* Petro, *Matt. 26. 75. Marc. 14. 71.* Muliere peccatrice, *Luc. 7. 37.* Prodigo filio, *15. v 17 18. 20.* Zachæo, *19. 8.* Iudæis, *23. 48. Actor 2. 37.* Samaritanis Philippo prędicante verbum Dei recipientibus & baptizatis, *8. 12.* Eunucho, *v 37.*

v.37. Paulo conuerso, *9.18.& 22.16.& 26.17.&c.* Lydda & Saron, *9.35.* Cornelio, *10.1.* carceris custode, *16.33.* Corinthiis, *1. Cor.6.11.2.Cor.7 9.*

Pœnitentiæ fictæ & hypocriticæ *exempla* Cain, *Genesis.4.13.* Pharao *Ex 9.27.& 10.16.* Israelitæ, *Deu.1.41.* Saul, *1.Sam,15.24.* Ieroboã *1. Reg.13.6.* Achab. *21.27.* Iudas proditor, *Mat 27.4.* Ananias & Sapphyra, *Act.5.1.&c.* Agrippa. *26.28.* Felix, *24.25.* Simon Magus, *8.13.* Elymas, *13.10.* Pœnitẽtiæ frustra quæsitæ *exemplum* Esau, *Gen. 20.38. Heb.12.17.* pœnitentiam agentes etiam pœnarum corporalium mitigationẽ impetrãt. *Exempla,* Abimelech. *Gen. 20.1.&c.* Maria pœnitentiam agens liberatur a lepra, *Num.12.11.* Israelitæ pœnitentiam agentes impetrant remedium cõtra serpentes ignitos, *21.7.* pœnitentiam agentibus promittitur liberatio a fame; peste, locusta, morbis, hostibus, captiuitate, &c. *1.Reg 8.28.&c. 2. Paral.61.&c.* Achab, *1.Reg.21.v.4.5.* Iosias, *2.Reg 22.v.19.20.* Dauid, *2.Sam.24.v.16.17.1.Paral 21.v 16.17.* Roboam, & principes eius, *2.Paral.12.v.6.7.* Ezechias. *32.26. Vide Ier 25.5.Dan.4.24.*

EXEMPLA PROFANA.

Scribit Theophrastus, *Platonem* iam ætate prouectiorem, quod non congruum terræ sedem vniuersitatis assignasset vmbilicum, pœnituisse. *Plut. in quæst. Plat.*

Otho Cæsar pœnitens imperii suscepti, postero die à cæde Galbæ, quum in augurando tempestate orta grauiter prolapsus esset, identidẽ obmurmurauit: *τί γάρ μοι μακροῖς αὐλοῖς,* quid me oportebat longis tibiis canere? *Sueton.*

Otho IV. Imperator anathematis fulmine ab Innocentio III. percussus, æmulum nactus est Fridericum II. nunquam postea felix, sub finem vitæ ineffabili contritione cõpunctus, in arce Hartesburg mansitabat, a Sifrido Hildeshemensi Episcopo absolutus, in pace quieuit: quam absolutionem Honorius Papa ratam habuit. Tanta autem fuisse fertur morituri pœnitudo, vt coquinariis suis iuberet collum suum calcaneis premere, & vilissimam Dei creaturam conculcare. *Crantz. lib.7 Saxon c.37.*

HIEROGLYPHICA.

Christiani Theologi *Crateriam Pœnitentiæ signum* posuerunt: non tamen hic tacitam meorum exulcerationem intelligentes, sed amaritudinem conscientiæ minime simulatam, manifestissimis vero conspicuam argumentis: quippe vbi luctu, lachrimis & lamentatione conficimur ob ea, quæ nequiter & improbe patrauimus. *Pier. Val. lib.34.*

Sunt etiam, qui *Salicem* de torrente, orationis & *Pœnitentiæ* hieroglyphicum esse velint ex loco Psalmi 137. *In salicibus, in medio eius suspendimus organa nostra, Idem lib.10.*

In diuinis literis sagittæ sæpissime ponuntur pro doloribus qui ex rerum perperam actarum conscientia cor stimulant, cõpungunt, exulcerantq;. Ita *Psal.38.* sagittæ tuæ infixæ sunt mihi. *Idem l.42.*

Vide Resipiscentia.

POETA.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Poeta, Græca dictio est, *ποιητής,* & *ποιητικός,* poeticus dicitur. Quid autem sit poeta, innuitur ab Horatio Sermonum 1. dicente, *Ingenium cui sit, cui mens diuinior, atque os Magna sonaturum, des nominis huius honorem.* Sane poeta dici Latine potest factor vel fictor: nã è *ποιέω,* quod est facio, vel fingo, deriuatur: & cũ apud Græcos prima sit diphthongus *οι* nos abijcientes *ι* retinemus o, euphoniæ causa. Ne conuersi in œ, diphthongum, quæ apud nos sonum habet solius e, & cum simpliciter secunda sit e, dissonantiam soni conficere videretur. Inde veniunt poema & poesis, ipsum figmentum, & poeticum, quod ad poetã attinet, & poetor verbum, quod est in poetica exerceor, siue poetam ago.

SENTENTIAE PATRVM.

Dæmonum cibus est carmina poetarum, sæcularis scientia, rhetoricorum pompa verborum. Nulla ibi saturitas veritatis, nulla iustitiæ refectio reperitur: studiosi eorum in fame veri & virtutũ penuria perseuerant.

Nugas tenemus, & fonte veritatis amisso opinionum riuulos consectamur.

Sacerdotes dimissis prophetijs, videmus comœdias legere, amatoria Bucolicorũ versuum cantare verba, *Hier. in epist. de duob. filijs.*

SENTENTIÆ POETARVM.

Homer. in α. Odyss.

Καλὸν ἀκουέμεν ἐστὶν ἀοιδοῦ
Τοιοῦδ' οἷος ὅδ' ἐστὶ θεοῖς ἐναλίγκιος αὐδήν.
Honestum est audire poetam
Talem qualis hic est, Dijs similis in voce.

Idem in θ. Odyss.

Πᾶσι γὰρ ἀνθρώποισιν ἐπιχθονίοισιν ἀοιδοὶ
Τιμῆς ἔμμοροί εἰσι καὶ αἰδοῦς, οὕνεκ' ἄρα σφέας
Οἴμας μοῦσ' ἐδίδαξε, φίλησε δὲ φῦλον ἀοιδῶν.
Apud omnes homines terrestres poetæ
Honoris participes sunt & reuerentiæ, quoniam certe illos
Polyanthea Noua fo.

Cantus Musa docuit, amatque genus poetarum.

Vrbes Homerum sibi vendicantes, secundum Aul. Gell. lib.3.c.11.

Ἑπτὰ πόλεις διερίζουσι περὶ ῥίζαν Ὁμήρου,
Σμύρνα, Ῥόδος, Κολοφών, Σαλαμίν, Χίος, Ἄργος, Ἀθῆναι.
Septem vrbes certant de stirpe insignis Homeri,
Smyrna, Rhodus, Colophon, Salamin, Chius, Argus, Athenæ.

Horat. Carm. 4. Od. 8.

Dignum laude virum Musa vetat mori:
Cœlo Musa beat.

Ibidem Od. 9.

Vixere fortes ante Agamemnona
Multi, sed omnes illachrymabiles
Vrgentur, ignotique longa
Nocte, carent, quia vate sacro,
Paulum sepultæ distat inertiæ
Celata virtus, non ego te meis
Chartis inornatum silebo,
Totve tuos patiar labores
Impune Lolli carpere liuidas
Obliuiones.

Idem de Arte poet.

Sumite materiam vestris qui scribitis æquam
Viribus, & versate diu quid ferre recusent,
Quid valeant humeri, cui lecta potenter erit res,
Nec facundia deseret hunc, nec lucidus ordo.
Quandoque bonus dormitat Homerus.
Vt pictura poesis erit: quæ si propius stes,
Te capiet magis, & quædam si longius abstes,
Hæc amat obscurum, volet hæc sub luce videri,
Iudicis argutum quæ non formidat acumen.
Hæc placuit semel, hæc decies repetita placebit.
Mediocribus esse poetis,
Non homines, non dij, non concessere columnæ.

Ibid.

Tu nihil inuita dices faciesque Minerua.
Id tibi iudicium est, ea mens: si quid tamen olim
Scripseris, in Metij descendat iudicis aures,
Et patris, & nostras, nonumque prematur in annum,
Membranis intus positis delere licebit
Quod non edideris, nescit vox missa reuerti,
Siluestres homines sacer, interpresque deorum
Cædibus, & victu fœdo deterruit Orpheus,
Dictus ob hoc lenire tigres, rapidosque leones.
Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis,
Saxa mouere sono testudinis, & prece blanda
Ducere quo vellet. fuit hæc sapientia quondam,
Publica priuatis secernere, sacra prophanis,
Concubitu prohibere vago, dare iura maritis.
Oppida moliri, leges incidere ligno.
Sic honor, & nomen diuinis vatibus, atque
Carminibus venit. post hos insignis Homerus,
Tyrtæusque mares animos in Martia bella
Versibus exacuit, dictæ per carmina sortes,
Et vitæ monstrata via est, & gratia Regum
Pierijs tentata modis, ludusque repertus,
Et longorum operum finis, ne forte pudori.
Sit tibi Musa lyræ solers, & cantor Apollo.
Natura fieret laudabile carmen, an arte?
Quæsitum est, ego nec studium sine diuite vena,
Nec rude quid prosit video ingenium, alterius sic
Altera poscit opem res, & coniurat amice.

Idem Serm. l.1. Sat.4.

Quem vis media erue turba,
Aut ob auaritiam, aut misera ambitione laborat.
Hic nuptarum insanit amoribus, hic puerorum,
Hunc capit argenti splendor, stupet Albius ære,
Hic mutat merces surgente a sole ad eum, quo
Vespertina tepet regio, quin per mala præceps
Fertur, vti puluis collectus turbine, ne quid
Summa deperdat metuens, aut ampliet vt rem.
Omnes hi metuunt versus, odere poetas
Fœnum habet in cornu longe fuge, dummodo risum
Excutiat sibi, non hic cuiquam parcet amico.
Neque enim concludere versum
Dixeris esse satis, neque si quis scribat, vti nos,
Sermoni propiora, putes hunc esse Poetam,
Ingenium cui sit, cui mens diuinior, atque os
Magna sonaturum, des nominis huius honorem.

Idem epist. l.2. epist.1.

Os tenerum pueri balbumque poeta figurat.
Torquet ab obscœnis iam nunc sermonibus aurem.
Mox etiam pectus præceptis format amicis.

Asperitatis, & invidiæ corrector, & iræ.
Recte facta refert, orientia tempora notis
Instruit exemplis, inopem solatur, & ægrum.
Castis cum pueris ignara puella mariti
Disceret unde preces, vatem ni Musa dedisset?
Poscit opem chorus, & præsentia numina sentit,
Cœlestes implorat aquas, docta prece blandus.
Avertit morbos, metuenda pericula pellit:
Impetrat & pacem, & locupletem frugibus annum.
Carmine Dij superi placantur, carmine manes.
Ille per extentum funem mihi posse videtur
Ire poeta, meum qui pectus inaniter angit,
Irritat, mulcet, falsis terroribus implet,
Ut magus, & modo me Thebis, modo ponit Athenis.

Catull.

Nam castum decet esse pium poetam
Ipsum, versiculos nihil necesse est.

Ouid. l. 2. artis amandi.

Carmina laudantur sed munera magna petuntur,
Dummodo sit dives, barbarus ipse placet.
Ipse licet venias Musis comitatus Homere,
Si nihil attuleris, ibis Homere foras.

Idem lib. 3.

Quid petitur sacris, nisi tantum fama poetis?
Hoc votum nostri summa laboris habet.
Cura ducum fuerant olim, regumque poetæ,
Præmiaque antiqui magna tulere chori.
Sanctaque maiestas, & erat venerabile nomen
Vatibus, & largæ sæpe dabantur opes.
Ennius emeruit Calabris in montibus ortus,
Contiguus poni Scipio magne tibi.
Nunc hedera sine honore iacent, operataque doctis
Cura vigil Musis nomen inertis habet.
Sed famæ vigilare iuvat, quis nosset Homerum,
Ilias æternum si latuisset opus?
Adde, quod insidiæ sacris a vatibus absunt,
Et facit ad mores ars quoque nostra bonos.
Est Deus in nobis, sunt & commercia cœli:
Sedibus ætheriis spiritus ille venit.

Idem Amor. li. 1. eleg. 10.

Scindentur vestes, gemmæ frangentur & aurum,
Carmina quam tribuent fama perennis erit.

Ouid. eleg. 15.

Ergo cum silices, cum dens patientis aratri
Depereant ævo, carmina morte carent.
Cedant carminibus reges, regumque triumphi,
Cedat & auriferi ripa beata Tagi.

Idem Amor lib. 3. eleg. 8.

At sacri vates, & divum cura vocamur.
Sunt etiam qui nos numen habere putent.

Poetarum fors dura & misera.

Heu miseram sortem, duramque a sidere vitam!
Quam dat doctiloquis vatibus ipse Deus.
Sive Deus seu fata ferant, seu nostra voluntas,
Sunt miseri, ingenio qui meruere suo.
Virgilius patrios miserandus perdidit agros,
Et fortunæ stabilis factus in urbe fuit.
Proscriptus Getico habitans Ovidius orbe,
Et procul a patria barbara regna tulit.
Tarpeia invisus fuerat sed Horatius urbi,
Solus Mecœnas verus amicus erat.
Ast ego Germano qui primus in orbe poeta,
Cui scripta est multis patria carminibus,
Et virtus laudata bonis, scelera exagitata,
Quæ pia posteritas non sine laude canet,
Me miserum quoties iniuria facta lacessit,
Innocuam vitam commaculare studens.
Forsitan hæc nobis Deus ad meliora paravit,
Ut pateat vitæ candida fama meæ.
Accedit nostris ingens nunc pondus ærumnis,
Infirmus lecto volvar ut ipse meo.
Iamque uxor tædio cunctis despectus amisit,
Dum mea paupertas vexat, & atra lues.
Scilicet adversis rebus se prodit amicus,
Ignotus lætis qui mihi rebus erat.
Solus ades, nostros poteris qui auferre dolores,
O Fusemane, malis unica cura meis.
Te mea Musa rogat, quæ te super æthera tollit,
Pollicitum ut regis iam mihi summa fiat.
Ni facias, veniet mea sub fera cœnara supellex,
Ut mihi iam miseros comparet ore cibos.

Ioan. Campan. de poetarum miseria.

Vade qua semper pedibus vagantur,
Qua manu ramis rapiunt ab altis,
Qua Notus spirat tenui susurro,
Vellera Seres.
Vade per silvas Arabum beatas,
Qui videat Phœbum gelidas ad Arctos,
Queis bis æstatem, totiesque brumam
Exhibet annus.
Aut agros illis madidos calentis,
Per gradum ad summos Zephyri volatus,
Quære per totum studiosus orbem
Diva Tridente.
Tu genus nullum reperis sub ipso
Siderum lapsu miserius poetis,
Vilius sacris nihil est Camœnis
Tempore nostro.
Quid manum prodest ferulæ minantis
Tot pati pœnas teneris sub annis,
Et metu sequi Samium bicornis
Tramite callem?
Quid iuvat longas vigilare noctes,
Igne secernis borea furentes,
Ducere & mœsta iuvenilis ævi
Tempus in umbra?
Scribimus longos veterum triumphos,
Consulum fastos, equitumque pugnas.
Carpimus luxum pariter docemus
Dogmata vitæ.
Vivit Argos dominus carina.
Hectoris vivit domitor superbus,
Vivit Actias superator arcis
Carmine Minos.
Phyllidis tristi lachrimantis umbra,
Pyramum Thysbes miserum vocantis,
Et pia durum Halcyonis amorem
Carmina servant.
Liberatorem patriæ Camillum,
Qui Numantinos Numidasque vicit,
Quique Cimbrorum domuit feroces
Milite turmas.
Carmen eversas Babylonis arces,
Ily muros, Tyriaque Thebes,
Alteram Thebem penitus ruentem
Stare coegit.
Nemo iam claro genitus parente:
Nemo iam clare probitate fuisse.
Mox edax quem non perimit vetustas,
Vate remoto.
Sed sui nunquam pretium laboris
Sentiunt vates, alios & aurum
Vestit & gemmæ, miseris petitis
Trita lacerna est.
Pictor ex picta pretio figura
Ære tuba vivit tibicen canora:
Pascit ars omnes sua, sola damno
Musa poeta est.
Iam palus tristes retinens arenas
Est, ubi fontes fuerant Medusæ,
Iam tuis rupes tibi sacra quondam
Mitis Apollo.
O duces magni, ingeniique reges,
Imperatores, et quicunque clari:
O boni damnosam taciturnitatem omnes:
Flete ruinam.
Ergo si misera est vatum fortuna, valete
Vos mea Pierides ad fora regredior.
Iam satis indulsimus, steriles sat verba dedistis,
Utiliora foro iurgia tristis erunt.
Exercete dolos, famasque incendite lites:
Ad vestrum redeo pessima turba forum.

Iacob. Mycilius.

Non bene conveniunt trepida cum carmine cura,
Non eadem versus cura, lucrumque facit.
Pierides silvas ac ocia libera quærunt,
Et tacitas inter flumina sacra vias.
At fora sollicita turba populosa frequentant,
Et strepitus vulgi, iudiciumque colunt.
Hinc est quod raro ætas habet ista poetas,
Et nostra nullum carmen ab urbe venit.
Divitias quando solum spectamus & aurum,
Curarum fontes, & caput omne mali:
Nec studium rectum, nec fas laudatur, & omnis
A pretio virtus famaque victa iacet.
Depositis vacuum Thalia pectus,

Et

Et curas fugit amica Clio.

Ouid. vl. lib. de Trist. Ad amicum, exhortantem vt carmina componat.

Scribis vt oblectem studio lachrimabile tempus,
Ne pereant turpi pectora nostra situ.
Difficile est quod amice mones: quia carmina lætum
Sunt opus, & pacem mentis habere volunt.
Denique non paruas animo dat gloria vires,
Et fœcunda facit pectora laudis amor.

Quomodo quis poeta fiat.

Vnde breui longum deducas tempore carmen,
Quoue modo fias Iuste poeta rogas?
Nulla sua ignauos sequitur mercera sponte
Reges. sed fortis est fama paranda manu.
Aeacides multos tolerauerat ante labores,
Quam meruit magni nomen habere ducis.
Multa tulit fecitque prius, quam contigit esse
Aeneæ gentem prisce Latine tuum.
Quam cupis, assiduo quærenda est fama labore,
Otia non vllos extolluere viros.
Sunt faciles musæ, est habitant in rupibus altis,
Has superare labor, cætera plana via est,
Vince modo rupes, nec duro parce labori:
Atque vltro veniens in tua fata Dea.
Ingenium non dura tibi natura negauit,
Et vincere potes, quæ docet arte pedes.
Cur studium & solum deprensas iusto laborem?
An quia non tanto carmina digna opere?
Carmina cœlestes possunt adducere Diuos,
Tartara carminibus flectere sæpe potes.
Carmina crudeles demulcent sæpe labores.
Hac magis innumeris artibus vna valent.
His quoque formosam potes exorare puellam,
Victa erit, & teneras porriget illa manus.
Cynthia carminibus quoties tibi capta Propertî?
Aut quoties lachrimas nec tibi victa dedit?
Fallitur immenso qui se spectabilis auro
Esse putat, nec spes immensa gloria fidem.
Carmina sola beant, sola addunt carmina famam.
Hac metuunt magni fulmina nulla Iouis.

Poetæ & natura & arte consummati fiunt, ex arte poetica Horatij.

Natura fieret laudabile carmen an arte,
Quæsitum est, ego nec studium sine diuite vena,
Nec rude quid prosit, video, ingenium, alterius sic
Altera poscit opem res, & coniurat amice.

Poema Horatij.

Ficta voluptatis causa sint proxima veris.
Omne tulit punctum qui miscuit vtile dulci,
Lectorem delectando pariterque monendo.

Musæ poetarum steriles.

Dispereant Latiæ steriles mea castra Camœnæ.
Dispereat fallax numen Apollo tuum.
Iam fas onerosis commisimus hordea fulcis,
Tutaque sunt vano sat mea colla fuco.
Tota fuit studio consumpta labore iuuenta,
Passaret vt vatem vita beata senem.
Imitatis amicis properas, nil Phœbe propinas,
Nil mihi dat Helicon, Pegasus vnda nihil.
Coccina fert humeris & serica quæque satelles,
Et Faber, leno, Pharmacopola, cocus.
Horum est quicquid nunc auditur in orbe moneta,
Nil aliud vates, quam bene dixit, habet.

Despecti poetæ.

Vix dederat placidam membris nox atra quietem,
Cynthius est nostro visus adesse thoro,
Et mihi Daphnæa cinctus sua tempora lauro
Edidit hæc mœsto Fuchsinage verba sono.
Quid sequeris nostras vatis miserande sorores,
Quid tua Cæsarijs laudibus ora teris?
Carmina da Scombris, doctas iam linque Camœnas,
Spongia sit multis versibus vna satis.
Prima nulla refert scriptor, vix tanta poeta
Atra sonant, tineæ comparet vnde libros.
Nullaque nunc curat Fridericus carmina, rarus
Cæsarea vates nunc ope diues erit,
Vis tua Rhenensi repleant marsupia nummi,
Vis tibi perpetua templa parare fide?
Vade citò domini fornaci ligna ministres,
Solus habet vestri Cæsaris Hayttar opes.
Consule iam misero (si qua est via) consule vati,
Qui mea nunc solus carmina sæpe rogas,
Sed quanam Phœbi melior sententia tam te
Polyanthea Nouisse.

Lincia vel linquam, vel calefactor ero.

Poetæ venerandi & non despiciendi sunt.

Faustus Andrelinus poeta.

Nomina doctiloqui non sunt spernenda poetæ,
Nomina non viles inter habenda viros.
Rebus in humanis nil est pretiosius illo,
Qui sua Gorgoneis ora rigauit aquis,
Cui tantum natura fauet, cui spiritus ingens,
Cui furor ætherea missus ab arce venit.
Inclita virtuti tribuit qui nomina famæ.
Quæ semel offenso quisquis ab hoste cadit.
Res tamen arcta domi est fateor. sed maxima vati
Gloria gemmiferis anteferenda vadis.
Nil habet, est ipsi contempta pecunia vati.
Charius est laudi consuluisse suæ.
Ignaui tumidos populi contemnunt honores,
Non faciunt doctos vulgus inane viros.
Nos silua, nos antra iuuant, nos densa tantum
Rura, nemus, fontes flumina riuus habet.
Sunt ea scribendis quæsita silentia rebus,
Aptior est multo silua nemusque foro.
Nulla tamen nostras eneruant otia mentes,
Maxima sunt vatos damna perisse dies.
Hic repetis primas veterésque ab origine causas;
Hic sua Phœbeos sub iuga ducit equos.
Conscius hic pigri tardi arcea · la · stra Boote,
Hic nunquam vetito sidera mersa mari.
Ille Giganteo sparsa est · bi sanguine tellus,
Hic noua magnorum commenta acta ducum.
Vos, quibus æterna scimus vatis murmura famæ,
Digna decet larga dona dedisse manu.
Exiguo, reliquis quæ dantur tempore restant,
Quæ data sunt vatis munera, semper habes.

Carmen veræ opes.

Cum fierit vacuis manibus capitale verendos
Cæsaris Assyrij crimen adire lares:
Scandere dux celsos ciuium mea musa penates,
Munere regifico ne comitata foret.
Copia nulla mihi sunt tibi nulla metalli
Cura nec occiduo ditior orbe viget.
Ergo det alter opes, ego princeps do tibi carmen,
Nec maius vates, quod dare possit, habet.
Gratius argento, fuluo pretiosius auro
Carmen, & hoc tanto principe digna magis.
Vera carmen opes, nam cætera, carmina præter,
Fortuna instabili datque rapitque manu.
Excipias igitur placido mea carmina vultu,
Parua nec audacis munera sperne viri.

Carmina præstant omnibus diuitiis.

Paule decus patriæ paruæ lux magna Naonis,
Natus Amaltheæ gloria prima domo.
Si tibi Pactolus fuluum sine fine metallum
Afferat, aut dites Lydius Hermus aquas.
Quicquid & Eoa medius legit Indus in vnda,
Ornet inauratos, accumuletque lares.
Ni dederis lepido, mihi crede, decentius vnquam
Carmine, non maius numina munus habent.
Est ratio, labuntur opes, sunt friuola rerum
Omnia: ab æterno carmen vbique viget.

Laus Carminum.

Magnanimo qui dat regi vel rura vel aurum,
Argentum, mensas, coccina, vasa, domos.
Dat cupido Curio crasso paruoque potenti,
Munera Fabritio perniciosa Mydæ.
Non aurum supiunt, pulchra, sed laudis honores
Et decus & clari nomina clara duces.
Carmina qui regi regum fert munera, vitam
Carmina post vita tempora Cæsar habet.
Carmine defunctus magnus nunc viuit Achilles.
Semper & Alcides carmine viuus erit.
Dices forte tuum carmen non viuit, at illud
Viueret vt fecisti sic voluisse fatis.

Carmina neminem interire sinunt.

Gloria præclaris ducibus post funera vatum
Carminibus doctis non moritura venit.
Se non tam clare referunt Carthaginis altæ
Mœnia se nobis igne perusta diu
Non celeris fuga bellantis, retecta retrorsum
Hannibalis noies, cladiferæque minæ,
Nota forent forsan non nouissemus & ipsum,
Africa quem misit nomine victa alio.
Est ea vis doctis o Cypre iocunde, poetis,
Illis vt illa les nulla nocere queat.

Pictura est poesis tacens: & poesis est pictura loquens. *Franc. Patric. de Repub. lib. 1. c. 10.*

APOPHTHEGMATA.

Diogenes conspiciens duos centauros pugnantes in tabula pessime pictos. Vter, inquit, horum deterior est? Notans pictoris imperitiam: quasi dubitaret vter esset deterius pictus. Vsus est autem voce ambigua: nam χείρων & peior dicitur & in pugna inferior. *Laert. l. 6. Brus. l. 5. c. 23.*

Anonymus. Quidam conspecta tabula, quæ picturam habebat quomodo Lacedæmonij trucidarentur ab Atheniensibus, dixit: Fortes Athenienses. Id Lacon audiens, subiecit: in tabula. Significans ridiculum esse de pictura gloriari, quod ea non minus mentiri soleat, quam poetæ. *Plut. in Lacon.*

Apelles videns tabulam à Protogene pictam, quam Demetrius in bello seruarat deprecantibus Rhodijs: aliquamdiu præ stupore tacitus tam est contemplatus, tandem in hanc vocem erupit: Ingens labor, ac mirandum opus: desunt tamen Gratiæ, quæ hoc aliaque eiusdem auferant, atque in cœlo reponant, eam tabulã Protogenes nondum absoluerat. *P. M. l. 6. apoph.*

Idem tempestatis vi Alexandriam delatus, quidam eius æmuli subornarunt Planum, hoc est, scurram regium qui eum vocaret ad cœnam. Is non suspicans dolum, venit. At quum rex, cui illi erat infensus, indignaretur, & ostensis vocatoribus iuberet indicari à quo vocatus esset: Apelles arrepto carbone extincto foculo, imaginem delineauit in pariete, vt rex protinus ex inchoato opere agnosceret Planum suum. Eadem opera & artis suæ, & ciuilitatis suæ specimen dedit. Sit hoc, si libet, apophthegmatum. *Brus. l. 5. c. 25. ex Plinio, & Luciano.*

Idem. Alexandrum Fulminiferum pinxit, adeo expresse, vt diceretur: Deorum Alexandrorum, alterum Philippi nullis viribus vincibilem, alterum Apellis nullo artificio imitabilem. *Brus. ex Plutarch.*

Anonymus Pictor quidam interrogatus, quem habuisset artis magistrum? digito populum ostendit: Sentiens, se ad multitudinis iudicium pingere: & obseruantem, quid quisque probaret, aut improbaret, artem fuisse cõsequutum. Idem ab Apelle factitatum legimus, qui post tabulam latitans, subauscultabat spectatorum censuras. *P. M. l. 8. apoph.*

Zeuxis certamen artis exercuit cum Parrhasio. Quum enim Zeuxis tam scite effinxisset vuas, vt in scenam aues aduolarent, Parrhasius detulit linteum pictum, ita veritate repræsentata vt Zeuxis alitum iudicio tumens, flagitaret, tandem remoto linteo ostendar picturam. Mox intellecto errore. Vicisti, inquit, Parrhasi. Nam ego aues fefelli, tu artificem. *Bruson. lib. 5. cap. 23. ex Plinio.*

Idem postea pinxit puerum vuas ferentem, ad quos quum aues aduolassent, processit iratus operi: vuas, inquit, melius pinxi, quam puerum. Nam si hunc consummassem, aues puerum timere debuerant. Ingenuitatis exemplum. At aues viderunt in puero nullum esse motũ: itaq; aut mortuũ, aut dormientem arbitratæ sunt. *Plin.*

Idem Agatharcho se laudante, quod animalia facile celeriterque pingeret, tantam celeritatem: Ego vero, inquit, Diu. *Plin.*

Protogenes Rhodi viuebat. Eo Apelles videndi eius gratia profectus est: continuoque petit officinam, in qua tabulam magnæ amplitudinis in machina aptatam picturæ, anicula quædam custodiebat. Ea Protogenem negauit esse domi, rogauitque à quo quæsitum diceret reuerso? Ab hoc, inquit Apelles, arreptoque penicillo lineam ex colore duxit summæ tenuitatis, per tabulam. Reuerso Protogeni, quæ gesta erant anus indicauit. Ac lineam ille cõtemplatus, cõtinuo dixit. Profecto Apelles Rhodum venit: nec enim in alium cadit tam absolutum opus. Mox induit alio colore lineam illa subtiliorem: abiitque mandauit, vt si rediret hospes, diceret ostensa linea, hic est quem quæris. Reuersus Apelles, & vinci erubescens, tertio colore lineas secuit, nullum relinquens amplius subtilitati locum. Protogenes victum se confessus, in portum deuolat, hospitem quærit, domumque ducit victus victorẽ. Ex minimo vestigio artifex agnoscit artificem. *Plin.*

Demetrius, quum Rhodum obsideret, & in suburbio cepisset tabulã quamdam, Protogenis clarissimi pictoris opus, in qua pinxerat Ialysum, id est, Bacchum, Rhodijs per caduceatores obsecrantibus vt tabulæ parceret, respondit: Se citius patris imagines, quã eam picturam obliturum. Tantum honoris habuit arti rex. *Plut. in Demetrio.*

Anonymus. Romæ in foro pendebat tabula quædam, habens imaginem pastoris vetuli cum pedo, de hac Teutonum orator rogatus, quanti eam æstimaret? satis Germanice respondit, se nolle sibi dono dari talem viuum, ac verum. Barbarus non agnouit artificium, tantum spectabat formam. Atqui quæ natura deformia sunt, plus habent & artis, & voluptatis in tabula. *P. M. l. 8. apoph.*

Nealces. Arato destinanti tyrannorum communi odio abolere tabulam insignis artificij, quæ Aristratum in curru victorem habebat; Nealces supplex intercessit, vt opus incolume seruaretur, dicens, cum tyrannis, non cum tyrannorum imaginibus belligerandum esse. *P. M. l. 6. apoph.*

PIETAS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Pietas, Græce εὐσέβεια, & εὐσεβὴς, pius dicitur. Est autem pietas, iustitia aduersus Deos, *secund. Cicer. lib. 1. de Nat. Deorum.* Pietatem Dei erga nos, misericordiæ, benignitatis, beneficentiæ, & eiusmodi nominibus Hebræi exprimũt. Nostram erga Deum, reuerentiæ, timoris, honoris, cultus nomine designant. Erga parentes, consanguineos, patriam, affines, amicos, Charitatis designatione.

Pietas est per quam sanguine coniunctis, patriæque & beneuolis officium, & diligens tribuitur cultus.

Pietas accipitur aliquando pro cultu diuino. Vnde pietas idem est, quod religio. Græce latria, seu theosebia, vnde proprie pietas est theosebia, id est, cultus Dei interior, qui proprie pertinet ad virtutes Theologicas. Religio vero est latria, quæ pertinet ad seruitutem diuinam exteriorem. *Hæc ex Aug. lib. 10. de Ciuit. Dei. c. 4.*

Pietas a vulgo sumitur pro actibus misericordiæ, quia Deus testatur hos actus sibi fieri, & ex hoc Deus dicitur pius. *Ex S. Thom. 2. 2. q. 101. art. 1.*

Pietas est specialis virtus, & principaliter est ad parentes, ad patriã, in quibus includuntur omnes consanguinei, ciues, amici patriæ. *Ex S. Thom. 2. 2. q. 80. art. 1.*

LOCI BIBLICI.

Pietas, pro legitimo, & spirituali Dei cultu, *2. Pet. 3. 15.* cum quo corporantur corporis macerationes. *1. Tim. 4. 7. 8.* commendatur, *4. v. 7. 8. & 6. v. 6. 11. Tit 2. 12.* pietas ditat. *Prou. 25. 5.* Pietas sperat vitam æternam, *Tit 1. 1. 2.* Pietas, vel impietas, non Deo, sed homini prodest, vel nocet, *Iob, 5. 6. &c.* in pietate assidui esse debemus, *2. Pet. 3. 11.* pietas magnus quæstus est, *1. Tim. 4. 7.* pie volentes viuere in Christo, persecutionem patientur, *2. Timoth. 3. 12.*

Pij, aduenæ, hospites & peregrini in hoc mundo, *2. Cor. 5. 6. Heb. 13. 14. 1. Pet 2. 11. 2. Pet. 1. 13. 14.* pij amici Christi, *Ioan. 15. 14.* Angelis similes futuri, *Matt. 22. v. 30. Marc. 12. v. 25.* Beneficij, *Psal. 37. 22.* Ciues regni cœlestis, *Ephes. 2. 19. Heb. 12. v. 22. 23 & 13. 14.* cohæredes Christi, *Rom. 8. 17.* consortes diuinæ naturæ, *2. Pet. 1. 4.* corpus vnum cum Christo, *Rom. 12. 5. 1. Cor. 10. 17. & 12. v. 13. 27. Eph. 4. v. 25. Col. 3. 15 Hebr. 13. 3.* creaturæ nouæ, *1. Cor. 5. 7. Galat. 6. 15. Ephes 2. 10.* Diuites in fide, *Iac. 2. 5.* Filij lucis, *Ioan 12. 36. Eph. 5. 8. 2. Thess 5. 5.* filij obedientiæ, *1. Petr. 1. 14.* forma, seu exemplar debent esse alijs, *1. Thess. 1. 7.* Hæreditas Domini, *Psal. 28. 9.* Hæredes Dei, *Rom. 8. 17.* hæredes regni, *Iac. 2. 5.* hæredes terræ, *Psalm. 37. v. 11. 22. Prou. 2. 21.* hæredes vitæ æternæ, *Tit. 3. 7. 1. Petr. 3. 22.* Infantibus quomodo similes, *1. Pet 2. 2.* inopes esse nequeunt, *Psal. 34. 10.* Lapides viui sunt, *1. Pet. 2. 5.* Misericordes, *Prou. 21. 26.* Piscibus bonis similes, *Matth. 13. 48.* velut portenta in mundo habentur, *Esa. 8. 18.* purgamenta mundi, *1. Cor 4. 13.* Reges sunt, *Apoc. 1. v. 6. & 5. 10.* & regale Sacerdotium, *1. Petr. 2. 9.* quomodo Sacerdotes, *Esa. 61. 6. & 66. 21. Heb 13. 15. Rom. 12. v. 1. Apoc. 1. 6. & 5. 10. & 20. 10.* spectaculum facti sunt mundo, Angelis & hominibus, *1. Cor. 4. 9.* stulti habentur, *v. 10.* serui sunt iustitiæ, *Rom. 6. 18.* conferuntur semini, *Matth. 13. 28.* superiores futuri sunt hostibus suis, *Psal. 149 ver. 5. 6. 7. Esa. 41. 15. & 54. 17.* Terræ bonæ similes, *Matth. 13. 23. Marc. 4. 20. Luc. 8. 1. Heb. 6. 5. 7.* tritico conferuntur, *Matth. 3. 12. Luc 3. 17.*

Pij Deo chari, & preciosi, *Esa. 43. 4. & 49. 16. Deut 32. 10. Ps. 17. 8. Zachar 2. 8. Matth 10. 31. Luc. 12. 6. Ioann. 4. 21. 23. & 16. 27. & 17. 23. Ephes 1. 6.* cur Deo chari, *Ioan. 16. 27.* à Deo cogniti, *1. Cor. 8. 3. 2. Tim. 2. 19.* Christo dilecti, *Ioann 14. 21. & 15. 9. 14.* in mundo contempti, *Psal. 123. 4. 1. Cor. 4. v. 9. 10. 13.* Pij vno ac solo Deo contenti, *Psal. 73. 27.* in Dei laudem crediti, *Esa. 43. 7. 21.* interdum à Deo relicti, & omni consolatione destituti videntur, *Psal 22. 2. & 88. 9. 19 & 148. 5. Esa. 51. 18. Matth. 27. 46. Marc. 15. 34. & 14. 37. Luc. 22. 45.* pij omnes a Deo edocti, *Esa. 54. 13. Ierem. 31. 34. Ioan 6. 45.* mundo exosi, *15. 19. & 17. 14. 1. Ioan. 3. 13.* propter mundi odium non inferi, *Matth. 5. 11. Luc. 6. 22. Ioan. 7. 7 & 15. 18.* pij imitandi, *Phil. 3. 17.* peccato mortui, *Rom. 6. 2. 11. 1. Pet. 2. 24* ludibrijs obnoxij, *Psal. 79. 4.* varijs ærumnis expositi, *Prou. 11. 31. Eccles. 8. v. 14. Matth. 5 v. 15.*

A Deo plantati, *Esa. 61. 3.* pij cum impijs non puniendi, *2. Reg. 10. 23.* pij in cœlestibus sedentes, *Eph. 2. 6.* è mundo selecti, *Ioann. 15. 19. & 17. 6. 14. 16.* à Deo per Spiritum Sanctum signati, & vncti, *2. Cor. 1. 22. Eph. 1. 13. & 4. 30.* pij alijs vtiles ac fructuosi, *Prou. 11. 31. Ioan. 15. 4.* pij nihil aggrediuntur ea sese, *Ps. 119. 24. Act. 20. 22.* Spiritu Dei aguntur, *Rom 8. 9. 14.* in Christo manent, *Ioan. 6. 56. & 15. 4.* pij seipsos probant, *2. Cor. 13. 5.* pij in dies proficiunt, *Ioan 13. 10. & 15. 2 Eph. 3. 19. & 4. 15. Phil. 3, 12. Col. 1. 9. 10. & 2. 7. 1. Thess. 1. 3.*

1.3.10.& 4. 1.2.*Thess.*1.11.& 2.17.1.*Pet.*2.2. 2.*Petr.*5.12.& 3.1.1.*Ioan.*2.12.

Piorum conditio in hoc sæculo misera, *Psal.*139.109. *Esa.*41.14. & 51.21.23. *Abac.*1.3.4.13. *Matt.*11.18. *Luc.*2.7.& 6.23. *Ioann.*15.20. *Rom.*8.36.1.*Cor.*4.9.11.& 15.19.2.*Cor.*4.10. *Hebr.*10.33. & 11.35. piorum conditio post vitam præsentem beata, *Matt.*13.43.& 22.30. *Mar.*11.25. *Luc.*18.30. *Apoc.*3.21.& 7.16.17.& 14.13. piorum coniunctio arctissima, *Ioan.*16.11.22. consilia optima, *Prou.*12.20. consolatio, *Psal.*119.51 76. *Matt.*5.5.12 *Luc.*6 22.& 12.31.2.*Cor.*1.5.7.1.*Tim.*4.10.1.*Pet.*4.13. constantia in bono, *Ps.*119.51.69. consortia vtilia, *Prou.*13.20. corpora gloriosa futura, 1.*Cor.*15.53. *Philip.*3.21. Desiderium, *Psal.*119.17.4. *Apoc.*22.17. dignitas ac præstantia, *Mat.*10.31. *Luc.*8.21. *Ioan.*1.12.& 12.25.1.*Cor.*1.9.& 3.22.& 7.23. *Eph.*2.19.1.*Pet.*2.9.1.*Ioan.*3.1.2. domus benedicta, *Prouer.*14.11.& 15.7. domus cœlestis, 2.*Cor.*5.1. Exercitium, *Ps.*119.15.27.48.78. *Ephes.*5.19. *Col.*3.16.1.*Thess.*5.11.1.*Tim.*4.8.2.*Tim.*2.22. *Tit.*2.12. Fortitudo, *Mich.*4.13. Gaudium, 1.*Paral.*16.10. *Psal.*5.12.& 9.3.15.& 13.6.& 14.7.& 16.9.& 3.8.& 32.11.& 33 21.& 35.9.27.& 40.17.& 48.12.& 51.9.& 53.7.& 58.11. & 63.6.8.& 64.11.89.17.& 90.15. & 92.5.& 95.1. & 97.8.9.11.12.& 100.1.& 104.34.& 105.3.& 107.42.& 109.28.& 116.14.54.74.162.& 122.3.c.126.2 c.149.1.2.5. *Prou.*13.9.& 21.15.& 19.4.6. *Eccl.*5.17.18. *Cant.*1.4. *Esa.*9.3.& 12.6.& 25.9 & 29.19.& 30.29.& 35.10.& 41.16.& 51.3.11.& 58.14.& 61.7.10.& 65.14.18.& 66.10.14. *Ier.*15.16. *Ioel.*2.23. *Abac.*3.18. *Soph.*3.14. *Zach.*2.10.& 9.9.& 10.6. *Mat.*5.12.& 28.8. *Luc.*1 14.& 2.10.29.& 6.23.& 10 20.& 13.17.& 16.6.37.& 21.28.& 24 41.52. *Ioan.*3.29 & 14.28.& 15.11.& 16.20.22.24.& 17.13.& 20.20. *Act.*2.26.46.& 5.41.& 8 8.39.& 11.23.& 12.14.& 13.48.52.& 3.31 *Rom.*12.12.15.& 14.17. & 16.19.2.*Cor.*6.10.& 13.11 *Gal.*1.22 *Philip.*4.4 & 22 18.& 4 4. *Colos.*3.15.1.*Thess.*1.6.& 5.10. *Heb.*10 34. *Iac.*1.2.1.*Pet.*1.6.9.& 4.13. 1.*Ioan.*1.4.2.*Ioan.* v.4.13.3.*Ioann.* v.3.4. *Apoc.*18.20.& 19.7. Piorum gemitus, *Rom.*8.23. 2.*Cor.*5.2.4. gloria, 1.12. piorum gloria in futuro sæculo, *Matt.*13.43 *Phil.*3.21. *Col* 3.4.2.*Thess.*1.7. Piorum hæreditas Deus, *Psal.*73 26. Piorum hosti a perdenda, *Psal.*37.22. Piorum iustitia qualis esse debeat, *Matt.*5 20. Piorum labor minime inanis 1.*Cor.*15.58. *Galat.*6.9. *Heb.*6.10. *Apoc.*14 13. Laus, Deus. *Ierem.*17.14. liberi sancti, 1.*Cor.*7.14. Piorum liberationis fructus & finis. *Psal.*30.12.13.& 40.2.4 & 56.43 & 106.47.& 118.17 *Esa.*37.20. *Ier.*33.9. Piorum libertas, 1.*Pet.*2.16. lingua quod rectum est, loquitur, *Psal.*27.v.30.

Piorum Meditatio, *Psal.*1.1.& 119.v.143 147.174.& 143.6. *Prou.*15.28. Piorum membra, Spiritus sancti templa, 1.*Cor.*6.19. piorum memoria æterna. *Psal.*112.6. laudabilis, *Prou.*10.7. *Marc.*14.9. piorum mors quieta, *Gen.*15 14.& 25.8. piorum mors interdum præmatura, *Esa.*57.v 1. piorum multitudo. 49.20. *Hebr.*12.1. mundities, in quo sita, *Ioan.*15 3. *Act.*15 9. piorum omnium nota, *Es.*66.5. *Ezech.*5.6. *Ioan.*8.47 & 10.27 & 13.25 & 18 37.2.*Tim.*2.19.1.*Ioan.*4.7. *Apoc.*7.3. Piorum opera, Deo placentia facta, *Ioan.*3.21. Piorum paucitas impiorum multitudinis respectu, *Esaia* 8.16.& 53.1. *Ioan* 12.8. *Mich* 7.14. *Matth.*20.16.& 22.14. *Luc.*12.32.& 13.23. *Rom.*9.27.1.*Pet.*3 10. piorum Pax. *Esa.*57.19. *Agg.*2.10. posteritas, *Psal.*34.11.& 92.12. *Esa.*54.17.& 58.11 & 65.14. *Zach.*8.12. piorum imprimis habenda ratio, *Rom.*12.13. *Galat.*6.10. *Eph.*1.15. *Colos* 1.4. *Heb.*6.10. piorum ruina lethalis non est, *Prou.*24.16. piorum Salus æterna, *Esaia* 45.17. gratuita est, *Ephes* 2 *vers.*5.8. piorum liberatio cum impiorum interitu coniuncta, *Esa.*34.8.& 35.4.& 49.25.& 51.23.& 59.20.& 6.2 & 63.4. *Ier.*12.15.& 25.12.& 30.v.16.20.& 50.18. *Thren.*4.22. *Ezech.*28.26. *Ioel.*3.1. *Abd. ver.*27. *Soph.*2.9.& 3.19. *Zach.*1.15.& 2.8.& 10.11.& 12.6.& 14.12. Piorum securitas 1 x1, *Psal.*1.3.& 15.5.& 31 21 & 112.7. *Prouer.*1.33.& 10.v 9.50.& 12.21.& 13.6 & 14.32.& 15.19.& 28.1. *Esa.*26.7.& 53.16.& 54.14.& 58.11. *Ier.*17.v.6.& 23.6.& 32.37.& 33.16.& 46.27. *Ezech.*28.26 & 34.28. & 38.8. *Mich* 4. 4. *Soph.*3.13. *Agg.*2.v.10. *Zach.*14.11. *Matt.*7.25.& 11.29 *Luc.*11.38. *Ioã.*10.28. *Rom.*8.v.31.33.35 *C.*13.35. *Hebr.*6.19.& 13.6.1.*Petr.*3.v.13.14.2.*Pet.*1.10.1.*Ioan.*3.21.& 4.17. *Apoc.*9.4. Piorum semen benedictũ, *Iob* 42 16. *Psalm.*18.51.& 37.25.13.& 25.26.& 102.29.& 112.2. *Prou.*11.21.& 14.26.& 20.7. *Esa.*44.3.& 48.19.& 54.13.& 79.21.& 65.23. *Ier.*32.39. *Zach.*10.2. *Act.*3.39. Piorum ab impijs separatio, *Matth.*13.v.41 49.& 25.32. Piorum societas honorifica, 1.*Io.*1.v.3. Piorum spes Deus, *Psal.*39.8.& 40.5.& 91.v.2.9.& 142.6. *Ioel.*3.16. Piorum spes vna, *Ephes* 4.4. Piorum spes minime vana, *Psal.*9.19 & 17.7 & 21.8.& 25.v.2.20.& 28.7.& 31.2.& 71.*ver.*1.5.& 32.10.& 34.v.6.9.& 37.v.9.40.& 62.7.& 71.5.& 86.2.& 91.2.& 112.7.119.116.& 125.1 & 142.6.& 143.8. *Prou.*10. v 28. *Esa.*26.3.& 30.18.& 40.31.& 45.17.& 49.23.& 50.7.& 57.13. *Ierem.*31.17. *Rom.*5.*ver* 2.5.& 8.v.24 & 9.v.33 & 12.12. *Hebr.*6.19. Piorum ob impiorum felicitatem tentatio, *Psal.*73.v.12.13. *Esa.*49.14. Piorum ob populi calamitatem tristitia, *Esa.*22.v.4. in lætitiam vertitur, *Psal.*30.12 & 68 14. *Esaia* 61.3 & 65.20. *Ier.*31. 13. *Ioan.*16.20. Piorum victoria, *Psalm.*149.v.6. *Esaia* 41.15.& 54.17. *Dan.*7 22. *Mich.*4.13 & 5.9. *Malach.*4.3. *Matth.*16.18. *Luc.*1.71. *Roman.*8.37.& 16.20.1.*Cor.*15.57.1.*Ioan.*2.14.& 4.4.& 5.4. *Apoc.*ia.

11. Piorum victoriæ fructus, *Apoc.*2.11.& 3.*vers.*5.12.21. Piorum vita, Deo consecrata *Rom.*14.7. *Coloss*3.3. Piorum vitæ fi 1, *Psal.*118.17.& 119.175. *Esaie* 43.7.& 60 21.& 61.3 piorum vnanimitas *Actor.*4.32.& 5.12 & 15.12. *Rom.*15.6. piorum cum Christo vnitas, *Ioan.*17.11. piorum vocatio præstantissima, 1.*Thess.*2.12. & 4.7.1.*Petr.*2 21.& 3.9.& 5.10. piorum voluptas in Deo sita, *Psal.*37.4. piorum zelus, 11 .139. *Rom* 12.11.

Piorum & impiorum discrimen, *Genes.*4.v 4.5. *Exod.*5.1.2.& 14.13. *Psal.*1.v.4.5 6.& 20.8.& 34.16.27 & 37.17. & 109 28. & 125 5. *Prou.*10.v.3.25 28.30.& 11 v 23.24.31.& 12.v.21 22.c.13 25.& 14.13 & 24.16. *Esa.*60.2.c.65.14. *Ose.*14.10. *Ioã.*2.9. *Mich.*4.5. *Matth.*3.12. *Rom* 8.5.2.*Cor.*2.16. *Galat* 4.29. *Hebr.*6 v.7 8.& 10. 38.1.*Pet.*2 7.1 *Ioan.*2.19.& 3.10.& 4.6.& 5.10 2.*Ioan* v.11. Piorum sub Magistratu impio, & ethnico degentium *exempla:* Abraham sub Pharaone in Aegypto, *Gen.*12.10. Israelitæ sub Pharaone, *Exo.*12.40. Iudæi sub Philisthæis *Luc.*15.11. parentes Dauidis sub Achis, 1.*Sam.*22.3. Dauid cum suis sub Achis, 27.v.2.3. Elias cum septẽ millibus piorum, qui non flexerunt genua ipsi Baal cum Achabo & Iezabel, 1.*Reg.*19 18.

Pijs male esse non potest, *Esa* 3.10. pijs benefaciendum, *Iudic.*5.v.12. *Psal.*16.3. pijs fauendum, & eorum innocentia tuenda *Exempla:* Ionathas, 1.*Sam.*20.v 32. Abimelech, 22.*ver.*14. pijs liberatis interdum impij affliguntur, *Esa.*43.v.3 4.

Pios eripit Dominus è tentatione, 2 *Pet* 2.9. nec sinit eos vltra tentari, quam quod possint ferre, 1.*Cor.*10.13. sola Dei misericordia fidunt, *Psal.* 2.10.

Sententiae Biblicae.

Fili, honora Dominum, & valebis: præter eum vero ne timueris alienum. *Prou.*7.

Honora Dominum ex tota anima tua. *ibid.*

Ineptas & aniles fabulas deuita: exerce autem teipsum ad pietatem. Nam corporalis exercitatio ad modicum vtilis est: pietas autem ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est & futuræ. 1.*Tim.*4.

Est autem quæstus magnus, Pietas cum sufficientia. 1.*Tim.*6.

Tu autem ò homo Dei hæc fuge: sectare vero iustitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem *ibid.*

Apparuit enim gratia Dei Saluatoris nostri omnibus hominibus: erudiens nos, vt abnegantes impietatem, & sæcularia desideria, sobrie & iuste, & pie viuamus in hoc sæculo, &c. *Tit.*2.

Patrum Sententiæ.

Penes Deum, nec pietas sine iustitia est, neque sine pietate iustitia, nec sine pietate cœlesti sensus, sine bonitate æquitas, sine æquitate bonitas non habetur. Virtutes si separatæ sunt, dilabuntur. Aequitas siue bonitate, sæuitia est, & iustitia sine pietate crudelitas est. *Petr.Chrysl.serm.*145.*de generat.*

Pietas amica est parentibus, grata Deo, dominum conciliat, necessitudines fouet: Dei cultura, merces parentum, filiorum stipendium. Pietas, inquam, iustorum tribunal, egenorum portus, miserorum suffragium, indulgentia peccatorum. *Ambros.in Psalm.*118.

Necessitudini generis diuinæ religionis pietas antefertur: Nulla enim merces Deo melior ea, quæ habet pietatis munera. *In lib.de viduis.*

Volens discipulus reuerti domum, & suis omnia renunciare, magistri voce prohibetur, sepultura patri non datur, & pietatis genus est, impium esse pro domino. *Hier.in epist.ad Marc.*

Clades in suos, pietas in Deum est. Nemo pietatem debet anteferre religioni: qui amat filium, aut filiam super me, non est me dignus. *In epist.ad Paulum.*

Ordinate in me charitatem. Rectus ordo est, post Deum, amare patrem, & amicos. Si tamen necessitas venit, vt vtrumque seruari non possit, odium in suos, pietas est in Deum. *In Cant.*

Ille bene agit, quæ pia sunt, qui scit prius seruare, quæ iusta sunt: vt collatus in proximos riuus misericordiæ de iustitiæ fonte ducatur. *Greg.lib.mor.*

Sunt nonnulli, qui pietatis suæ viscera tendere vsque ad incognitos nesciunt, sed solum, quos per assiduitatem notitiæ didicerũt, miserentur: apud vos plus familiaritas, quam natura valet, dum quibusdam necessaria, non quia homines, sed quia nati sunt, largiuntur. *ibid.*

Beneficium debet exhiberi per pietatem, & bonum verbum tribui per humilitatem. *ibid.*

Pensemus, si possumus, dispensationem supernæ pietatis, stantibus, si ceciderint, minatur pœnam: lapsis vero, vt surgere appetant promittit misericordiam: considerantes namque quod iustus est, nolite negligere peccata vestra: considerantes quod pius est, nolite desperare. *In quadam hom.*

Nulla est scientia, si vtilitatem pietatis non habet, & valde inutilis est pietas, si scientia discretione caret. *lib. Mor.*

O clementissima pietas, quæ non sua desinit largiri beneficia, non solum vbi nullum inuenit meritum, sed plurimum etiam, vbi totum videtur contrarium. *In quadam epist.*

Pietas est ex benignæ mentis dulcedine grata omnibus auxiliatrix, affectio & diuini cultus religiosa deuotio. *Hugo in lib. de claustro animæ.*

Hæc enim est perfecta pietas, quæ antequam flectatur precibus, nouit considerare fatigatos. *Cass. in l. 4. epist.*

Poetarum Dicta.

Ouid. l. 4. Fast.

Hinc satus Æneas, pietas spectata per ignes,
Sacra patremque humeris, altera sacra, tulit.

Ibidem.

An magis hunc meritum pietas Æacia fecit:
Innocuum victo, cui dedit ignis iter.

Horat. 1. Carm. 2.

Integer vitæ scelerisque purus
Non eget Mauri iaculis, neque arcu,
Nec venenatis grauida sagittis,
Fusce, pharetra,
Siue per Syrtes iter æstuosas,
Siue facturus per inhospitalem
Caucasum, vel quæ loca fabulosus
Lambit Hydaspes.

Plautus Rud.

Supplicij facilius pius à Dijs supplicans,
Quam qui scelestus est, inueniet veniam sibi.

Hor. 1. Epist. 16.

Vir bonus est quis?
Qui consulta patrum, qui leges iuraque seruat.

Idem ibidem.

Vir bonus & sapiens audebit dicere, Pentheu,
Rector Thebarum, quid me perferre, patique
Indignum coges? adimam bona, nempe pecus, rem,
Lectos, argentum: tollas licet, in manicis &
Compedibus sæuo te sub custode tenebo.
Ipse Deus, simulatque volam me soluet opinor
Hoc sentit, moriar. mors vltima linea rerum est.

Idem 1. Epist. 7.

Vir bonus & sapiens dignis ait esse paratum:
Nec tamen ignorat, quid distent æra lupinis.

Idem 1. Epist. 16.

Oderunt peccare boni virtutis amore.

Iuuenalis 13.

Rari quippe boni: numero vix sunt totidem, quot
Thebarum portæ, vel diuitis ostia Nili.

Ex Græcis Comicis.

Θεὸν σέβων ἅπαντα πράξεις δ' ἐξῆς.
Numen colens cuncta numen diriges.
Θεὸν σέβων ἅπαντα πράξεις ἐσθλῶς.
Deum colendo cuncta facies prosperè.
Θνητὸς πεφυκὼς μὴ φρόνει ὑπὲρ θεόν.
Ne supra numen sapere mortalis stude.

Anthol. Sac. Iac. Billij.

In pietatis magistros, parum pie viuentes.

Multa quidem interna multi de pace loquuntur,
Cum tamen in medio pectore bella gerant.
Quamque pia menti Christus sit dulcis, at illi
Interea haud gustu quod docuere tenent.
Mercurij vectum callem tibi monstrat imago:
Quam tamen ostendit non tenet illa viam.
Hunc statuæ similem pietatis iure magistrum
Dixero, cui pietas nil tamen ipsa sapit.

De piorum spe.

Spes mala cuncta leuat, viuumque educit ab vndis,
Mellaque de rigida pinguia rupe trahit.
Spes quoque sancta pijs est ignea nocte columna,
Intus quæ nullis frangitur ista malis.
Christicolæ fortem populi hic terque beatam,
Rebus in aduersis cui datur ista comes?
Hac duce nam quiuis læta subit aspera mente,
Viuit & in medijs vt Salamandra rogis.

De mutuo piorum, & impiorum aduersum se iudicio.

Insanire putat mundus, quos mille labores,
Paupertatemque videt ferre, grauemque famem,
At contra tristi mundum, quod vbique sequatur
Quæ carnis arrident, mente carere putant.
Sic igitur pugnant animis mundusque piique:
Nec, qui nunc litem finiat, vllus adest.
Ast illam Christus dirimet, cum venerit olim,
Ac mundo vincet sancta cadente manus.

Probos viros ab improbis lædi non posse.

Corporeo cerni virtus si lumine posset,
Mox tuis caperet pectora nostra decor.
Quamque decore micet virtus, tam robore pollet:
Nam virtute nihil fortius esse potest.
Lædere qui tentat vera pietatis alumnos,
Ingentem stuppa verberat ille rogum.
Stuppa micella rogo sese consumit: at ignis
Maiorem stuppa vim moriente capit.

Pietas periculosa, sed fœlix.

Impia pars mundi parti est infesta piorum,
Nec tolerare potest dissimiles animos.
Ridens nolentes ovibus præsentibus vti,
Sperantesque sibi credita posse dare.
Sed spernenda hæc sunt populis opprobria sanctis,
Quæ stulte iaciunt corda aliena Deo.
Nam spes nostra ex hoc visu fit certior omni,
Quod spondens, quidquid credimus, hoc Deus est.

Vita Christianis sit pia, & honesta.

Nec falsarum habitu virtutum ornata imitatur,
Perdit mens veri nescia, quidquid agit.
Nouerit ergo Deum sapiens, totisque medullis
Diligat, idque ipso se quoque amator amet.
Sit bonus & iustus sit verax, atque benignus,
Sit forma, & speculum, lux & imago Dei.
In Christo factus nouus, & iam carne vetusta
Exutus, vilem mente relinquat humum.
Vt sacri templi quacumque in parte locetur,
Magnum erit in capitis corpore, quicquid erit.

Qua nota veri Dei filij agnoscantur.

Admouet ad solem pullos Iouis ales, adunca
Vngue tenens sobolem dum probat ipsa suam,
Si radios spectent illæso lumine, veros
Agnoscit: si non, deijcit atque necat.
Sic quoque germana sobolis falsæque periclum,
Æthereæ genitor qui manet arce, facit.
Nam veros censet, qui mentem ad sidera tollunt:
At spurios, quorum mens grauis ima petit.

Philosophicæ Sententiæ.

Pietas fundamentum est omnium virtutum, parentem vt Deum vereri, atque non multo secus ac parentes liberos amare debemus. *Cic. pro Plan.*

Pietate aduersus Deos sublata, fides etiam & societas humani generis, & vna excellentissima virtus, iustitia tollatur necesse est. *1. de Nat. Deor.*

Pietas est per quam sanguine iunctis patriæque beneuolis officium & diligens tribuitur cultus. *Idem in Rhetor.*

Habet suos impetus pietas. *Quint. Dec. 6.*

Prima pietatis magistra natura est.

Mortalis cum sis, ne sapias, quæ supra Dei voluntatem sunt.

Deum cole, & omnia facies diuino instinctu.

De pietate, & loquere, & disce.

Nulla vis maior est pietate vera. *In hist. Sax.*

Si omnes mei familiares pietate erga Deum præditi essent, minus eos inter se aliquid patraturos, aut in ipsum, dicebat *Cyrus, teste Xenophonte, lib. 8.*

Eximia ciconijs inest pietas, nam quantum temporis impenderunt fœtibus educandis, tantum & ipsæ à pullis inuicem aluntur. *Solin. in l. de mir. mun.*

Leonum clementiæ indicia multa sunt, prostratis parcunt, in viros potius quam in fœminas sæuiunt, infantes non nisi magna fame perimunt, nec à misericordia superantur. *ibid.*

Pietati summa tribuenda laus est. *2. de Orat. Cic.*

Omnibus est amori pietas. *Cic. C. Cass. Fam. 15.*

Philosophis Aemilius Paulus testem se præbuit, qui pietatem scientiam esse colendi Numinis definierunt. *Plut. in P. Æmilio.*

Plus apud bonos pietatis iura, quam omnes opes valent. *Iustin. hist. lib. 3.*

Græci Aeneæ pietate oblectati vniuersas possessiones ei reliquerunt: confitentes erga eos, qui pietatem in Deos exercēt, quique parentes reuerenter colunt, etiā natura inimicos non posse non æquos, & placatos se præbere. *Ælian. var. hist. lib. 3. c. 24.*

Commendabilis est pietas, quæ parentibus præstatur. *Valer. Max. lib. 5. cap. 4.*

Diligere parentes, prima naturæ lex est. *idem ibid.*

Cæteræ virtutes admirationis tantummodo multum, pietas vero in parentes amoris plurimum meretur. *idem. ibid.*

Prima & optima rerum natura pietatis est magistra, quæ nullo vocis ministerio, nullo vsu literarum indigens, proprijs ac tacitis viribus charitatem parentum pectoribus liberorum infundit. Quid ergo doctrina proficit? vt politiora scilicet, non vt meliora fiant ingenia: quoniam quidem solida virtus nascitur magis, quam fingitur. *ibid.*

Vera & sola pietas est necessaria, qua conseruata ijs, qui recte viuere instituerunt cætera despicienda sunt. *G. Pachymer. hist. lib. 5.*

Mea sententia is prudentissime rebus suis cõsulet, qui primum suapte causa optima quæque fuerit amplexus, deinde liberis etiam, & cognatis suis prospexerit. Qui vero toto animo incertam gloriam aucupatur, & ijs casibus qui animum obruunt, nec constantiæ quicquam habent se subijcit, & iucũdissima optimis, sine sua & sine suorum causa anteponit, is miser mihi videtur, tum ob temeritatem, tum propter inane studium: quod præter Deum eius voluntati, & consilijs aduersantem, e uestigio etiam euidenter alia, quam sperarat experitur, & in extremas periclitatur miserias. *Niceph. Gregor. hist. lib 5.*

Diuinum Numen omni modo, omni tempore, ipse cole, iuxta leges patrias, & alij vt colant effice. *Dion. lib. 52.*

Numquam dolor ita inualescet, vt memoriam Numinis ex animo meo excutiat. *Heliodor. lib. 2.*

SIMILITUDINES.

Chrysostomi. Quemadmodum qui in bello regia signa circumferunt, magnis indigent viribus, maximaque peritia, vti ne id hostibus prodant: Ita & qui Christi nomen portant, non in bello solum verum etiam in pace, summis viribus indigent, ne id maledicis linguis exponant, sed id strenue ferant, vexillo crucis armati. Ingenti enim profecto opus est robore, vt quis digne portet Christi nomen. Nam qui indignum aliquid vel dixerit, vel fecerit, aut etiam cogitauerit, Christi nomen non legitime portat, neque habet in semetipso Christum. Porro qui id portat, is triumphat non in foro, sed in cœlis: eique astant Angeli laudantes. *Hom. 3. de diversis.*

Sicut mercator non sentit nauigationis laborem, lucrorum spe releuatus: & pugil generose fert capitis vulnera, coronam respiciens: Ita & nos quoque cœlum, & ad cœlestia intendentes bona, quæcunque inferantur grauia, generose cuncta, & feremus, bona futurorum spe roborati. *Homilia decimasexta, cum Princeps intrasset Eccles.*

Nazianzeni. Sicut variæ sunt vitæ electiones, ita & multæ apud Deum mansiones, quæ secundum dignitatem vnicuique diuiduntur, & distribuuntur: & hic quidem hanc excolit virtutem, alius vero aliam, quidam etiam plures, nonnulli quoque omnes: si saltem est possibile, tantummodo vltra pergat quisque, & anteriora concupiscat, ac vestigia insequatur eius qui recte deducit, & dirigit, quique per angustam viam, & portam ad latitudinẽ, quæ illic est perducit. *In oratione de paupertate.*

Aristot. Rudis adhuc animus, & quasi infans, maxime exornatur, cum initio pulcherrima quæque & rerum dignissima complectens pietatem lege infallibili, rationemque sequitur. *Ad Philocrat. fratrem.*

Marsilij Ficini Florentini. Sicut non potest quicquam ignis propinquatione fieri frigidissimum: ita non potest homo, qui soli hæret Deo sapientissimo, beatissimoque, stultissimus miserrimusque euadere. Neque etiam potest Deus, qui summa veritas, & bonitas est, humanum genus prolem suam decipere. Naturalis autem communisque opinio de Deo, inserta nobis est communi origine, ac principe naturarum. *libro de religione Christiana, cap. 1.*

P. M. Vt Apelles pictor queri solitus est perisse diem, in quo non duxisset lineam: Ita Christianus dolebit, si quotidie non euasit seipso melior in pietate. *In Simil.*

Vt ferrum aut chalybs cætera quidem duritie rigoreque superat, ab adamante vincitur: Ita res quidem potens est amor in liberos, sed hunc quoque superat pietas in Deum. *In Simil.*

Chrysostomi. Sicut mercenarius totum diem circa domini opus impendit, vnam autem horam circa suum cibum: Sic & nos omne tempus vitæ nostræ debemus impendere circa opus gloriæ Dei, modicam autem partem circa vsus nostros terrenos. *In cap. 10. Matth.*

Sicut casta mulier, quæ virum suum amat, nullum amat alium: si autem alterum amauerit, iam non amat virum suum: Ita & homo si Deum amat, mundum non amat: si autem mundum amauerit, iam Deum ex toto corde non amat. *In Matth. hom. 42.*

Sicut in imagine sua rex honoratur: & contemnitur: Sic & Deus in homine, vel diligitur, vel oditur. *In 22. Matth. hom. 41.*

Ita non aliter factum est: quam cum a barbaro quidam in acie fortis vir dimisso telo periculose percussus, neque id semel, sed iterum atque grauius perpessus, non cessero, sed vndique sanguine perfusus, magno in hostem impetu ruens, confestimque trucidauerit. Sic etiam Dauid, quanto magis saucium dices, tanto maioris illum animi ostendes: quæ postquam ita misere depressus fuit, atque deiectus, velociter surgere, ac ante primum aciem stare, percussoremque ipsum humi sternere potuit: quod quale quantumque sit, hi maxime non ignorant, qui in summas peccatorum ærumnas deciderunt, non enim ait magni excelsique animi ego id dico, si cum recte vadas, iter tuum fœlici cursu non perficias. *Homil. 27. in Matth.*

Quemadmodum quercus altius demissis radicibus, nullius venti viribus sternitur: Ita animam diuino confixam timore nullus tentationum ventus euellet. *Hom. 53 in Ioan.*

Quemadmodum ignis naturam talem esse videmus, vt si quis multas in vnum lampadas coegerit, splendidam reddat, & intendat lucem: Sic & in ipsis fidelib. a credulis vsuuenit. Quum enim à nobis mutuo auulsi sumus, fit nescio quo pacto, vt mœstiores reddamur: quum autem mutuo nos conspicientes, membris domesticis hinc inde implicati, fit vt magnam consolationem accipiamus. *Hom. 2. epist. ad Rom.*

Arbor cum in altum radices miserit, ne vehemens quidem illã procella agitare poterit: Si vero superficie tenus fibras porrexerit, neque ad profunda descenderit, paruus licet venti flatus irruat, eam à radicibus euulsit: Ita & in nobis. Si affixerimus diuino timore carnes nostras, nihil mouere nos poterunt: si vero verbo tantum diuinæ religionis sacramenta perceperimus, exigua pulsio totum perimit ac perdit. *Hom. 9. ad Titum.*

Quemadmodum homines vino & potationibus dediti, singulo quoque die simul ac surrexerunt, obambulant, curioseque disquirũt, vbi compotationes agantur, vbi conuiuia, vbi cœnæ, vbi commessationes, vbi temulentia, phialæ, crateres & pocula: Sic qui vere pij sunt, quotidie, simul ac surrexerunt, curiose perquirunt, vbi futura sit exhortatio, vbi salubris admonitio, vbi doctrina, vbi sermo ad pietatem veram Christique cognitionem conducens. *In orat. 2. aduersus Iudæos.*

Quemadmodum nauis nauclerі manu regitur, ne pereat tempestate maris: Sic timor Domini gubernaculis vitæ nostræ assistens, docet qua ratione futura nobis pericula vitanda sint. *Homil. 7. de fide Anna.*

Sicut in mare decidens immensum scintilla breuis, facile deletur: Sic quantacunque Deum timenti illidantur velut in vastum lætitiæ pelagus incidentia, extinguuntur & perduntur. *Hom. 18. Gau. in Domino semper.*

Basilij Sicut faber securim faciens, aut falcem, meminit semper eius, qui opus iniunxit, & retinet in corde suo, cuius magnitudinis vel qualitatis vel formæ iniunxerit fieri securim: & illud semper intendens, quod sibi meminit a Domino operis iniunctũ, ad hoc dirigit manuum ministerium, vt forma operis cum eius qui iniunxit animo ac voluntate conueniat: si autem obliuiscatur, quid vel quale sit quod sibi fuerat imperatũ, sine dubio aliquid aliud quam sibi fuerat iniunctum faciet: Ita & Christianus omnem conatum, & omne studium in actibus suis adhibere debet, vt secundum voluntatem Dei qui opus iniunxit, suum quoque dirigat opus, vt actus sui ornentur, & possit eius qui præcipit voluntatem implere. Tunc etiam illud complere potest quod dictum est: Siue manducetis, siue bibatis, siue aliud quid faciatis, omnia ad gloriam Dei facite. Si vero declinet aliquis a regula, & corrumpat obseruantiam mandati, ex ipso arguetur quod sit immemor Dei. *De instit. monach. cap. 2.*

Procopij: Quemadmodum duces seu imperatores prius commeatũ præbent militibus, & deinde signum pugnæ proponunt: Sic diuinæ virtutis milites spirituali capto cibo pergunt in hostem, auspiciis & ductu Iesu. *In eod.*

Marci eremitæ: Quemadmodum in aqua ignis durare non potest: Ita neque turpis cogitatio in corde Dei amante. Quoniam omnis qui Dei amator est, etiam laboris amans est. Cęterum labor voluntarius, naturaliter voluptati inimicus existit. *De lege Spir.*

Thalass. Sicut fluit cera a facie ignis Sic a timore Dei impurior cogitatio. *Ad Paulinum presbyterum.*

Maximi monachi: Quam rem aliquis amat, eandem etiam omnibus modis amplectitur, & omnia quæ illi erga illum impedimento sunt, aut obstaculo, contemnit, ne re adamata priuetur: Ita qui Deum diligit, puræ precationis curam habet, & omnem affectum illi erga hoc obstante ex seipso eiectum abijcit. *Lib. 2. de charitate.*

Quem amat aliquis, hunc omnibus modis studet, & adproperat etiam reuerenter habere & colere. Itaque si quis Deum amat, omnino etiã ea, quę sibi maxime placitura sunt, festinat facere. Cæterum sic qui carnem amat, ea, quæ carni voluptati sunt, facit. *Lib. 3. de charitate.*

Antonij Monachi: Quemadmodum solis radius per foramen illapsus, quicquid in domo est, illustrat, ita vt vel minima videantur, & puluis ipse volitans: Sic etiam timor Dei, cum discretione natus in corde omnia eius peccata prodit. *In Melissa parte prima, serm. 66. ex Ioan. Climace.*

D. Augustini. Diligendo pulchri efficimur. Quid facit homo deformis & distorta facie, si amet pulchram? Aut quid facit, fęmina deformis, nigra & distorta, si amet pulchrum? Nunquid amando potest esse formosus? Quando in speculo videt, erubescit faciẽ suam leuare ad illam formosam, quam amat. Quid facit vt pulchra sit? Expectat, & expectando senectus additur, & turpiorẽ facit. Nõ est ergo quod des illi consilium, nisi vt cõpenset se, & non audeat amare impar imparem. Anima nostra fęda est per iniquitatẽ: amãdo Deum pulchra efficitur. Qualis amor, qui reddat pulchrã amantem? Deus semper pater est, amauit nos fœdos, vt

ex

ex fœdis faceret pulchros. Erimus pulchri amando eum qui pulcher. Quantum in te crescit amor, tanto crescit pulchritudo, quia ipsa charitas animæ est pulchritudo. *In epist. Ioan. tract. 9.*

Plini. Vt vniones tametsi in mari nascantur, tamen plus habent cognationis cum cœlo, cuius faciem reddunt: ita pius ac generosus animus magis a cœlo pendet vnde ducit originem, quam à terra in qua viuit. *lib. 9. cap. 35.*

Cedrus & iuniperus si oleo perungas, nec tineas sentiunt, nec cariem: Ita simul imbutus diuini spiritus succo animus, nullã huius mundi sentit corruptelam. *lib. 16. c. 40.*

Thomeri. Ingratus vt & filius, qui mercedem a patre accipit: Ita & nos quoque vel nullo proposito præmio, sed solius pietatis studio Deum oportet colere. *In apoph. 109.*

Chrysostom. Sicuti ouis ad mortem ducitur, & non clamat: vita eius tollitur, & mansuetudo eius non immutatur: Sic & sancti maledicuntur, & non maledicunt: percutiuntur, & non repercutiunt: bona eorum diripiuntur & illi non contradicunt: dolorem sentiunt, & clamorem non emittunt. *In Matth. 25. hom. 54.*

Eiusdem. In Olympicis certaminibus, athleta intra stadium certat, magister autem ludi foris considens, sermonibus affert auxiliũ, eatenusque dumtaxat certamen iuuat, quatenus acclamationib. sermonibusq; valet: neque enim vlla ei lege permittitur, manibus illum adiuuare. At secus res habet in pietatis certaminibus. Idem enim est & athleta, & magister ludi: & idcirco nõ extra caueam sedet, sed ingressus ad certamina ipsa, firmat compugiles, dicẽs: Propter quod malis non succumbimus. *Homil. de resurrect.*

Sicut hi qui in corporali certamine pugnant, ante coronam & brauiũ in meditatione & palæstra ipsa magnam accipiunt mercedem, eo quod corpora sua firmiora & validiora exercitando faciunt: Ita & nos virtutis certamen certantes, priusquam aperiatur cœlum, priusquam filius adsit, priusquam retributiones nobis dentur, magnam mercedem accipimus, eo quod anima sapientiæ sit amantior. *Ibidem.*

Exempla Biblica.

Pietatis exempla: Abel. *Genes. 4. v. 4.* Henoch, 5. 22. Noah. *6. v. 9. & 7. v. 1. & 8. v. 20.* Abraham, 12. v. 7. 8. & 13. v. 4. 18. & 18. v. 18. 19. & 21. v. 33. Abrahæ famulus, 24. v. 12. Isaac, *26. v. 25.* Iacob, 28. v. 18. & 33. v. 20. & 35. v. 7. Ioseph. 42. v. 18. Moses, *Exod.* 17. v. 15. Iosias, 2. *Reg.* 22. v. 13. & 23. v. 2. Dauid, 1. *Paral.* 21. v. 26. Asa, 2. *Paral.* 14. v. 11. Iosaphat, 17. v. 3. Ezechias, 29. v. 20 *Esa.* 37. v. 1. Nehemias, *Nehem.* 8. v. 7. Iob. 1. v. 5. 20. quidam Ierosolymitani, *Act.* 8. v. 2. Cornelius, 10. v. 2. Barnabas, 11. v. 24. Lydia, 16. v. 14. Iustus, 18. v. 7. Lois & Eunice, 2. *Timo.* 1. v. 5. Onesiphorus, 16. electa illa Domina ad quam Ioannes suam secundam scripsit Epistolam, 2. *Ioan.* 1. v. 4.

Exempla Profana.

Agrippa Iudæorum Rex, patriæ rituum seruator religiosissimus, purus a contaminationibus mentis omnibus, cui nulla dies præteriebat sine sacrificio. *Ioseph. lib. 19. c. 7.*

Constantinus Magnus vir magni animi, & virtutis eximiæ fuit: atque inter omnes Imperatores hoc vno nomine maxime memorabilis, quod primus ex Imperatoribus non solum Christum amplexus sit: sed Christianos etiam imperatores reliquerit. Eius mortis nuncia stella crinita fuit, quæ permultos ante dies clarissime fulsit. *Sigonius lib. 4.*

Theodosius posterior aui sui & nomen, & pietatem referens, instituit aulam suam veluti scholam, in qua ad pietatem se suosque exercuit: habens ordine distributa tempora lectionum, Psalmorum, ieiuniorum, imo & vigiliarum, *Socrat. lib. 7. c. 22. Theodoretus lib. 5. c. 36. Niceph. lib. 14. c. 3.*

Tiberius excubitorum comes sub Iustino II. ob pietatem erga Deũ, & liberalitatem erga pauperes in tanta fuit gratia: vt a Iustino Imp. successor declararetur.

Leo V. pijssimus Imperator, filius Basilij Macedonis Imp. viuente patre Cæsar creatus: postquam Constantinus maior natu ante patrem discessit. philosophus (quod literis, ac potissimum Astronomiæ esset deditus) cognominatus fuit. *Cuspinianus.*

Honorius Imp. cum semper in Deum Opt. Max. imperaret, veræq; religionis studiosissimus esset, liberauit eum Deus à multis vndique insurgentibus tyrannis. *Sigeb. in Chron.*

Cerbonium Episcopum Populonij Totilas Gothorum Rex ob occultatos Romanorum milites, viso in circo obiecit: Verum Deus belluam illam prohibuit, ne quidquam ei noceret, sed deflexa ceruice, demissoq; capite, pedes eius lamberet. *Sabellicus libro 5. Enn. 8.*

Beonkeius Sueciæ Rex, iustitia & religione insignis, temporum promeruit summum tranquillitatem: & in pace (quod rarum est, regibus præsertim Aquilonis) quieuit, circa annum Christi plus minus. 1110. *Crantzius lib. 5. Sueciæ, c. 12.*

Hieroglyphica.

In antiquis operibus iuuenes duo subiecti iugo, currum trahere conspiciebantur: erant hi *Biton & Cleobis* fratres Hieroglyphicum id eorum indicabat pietatem, qui matrem curtui impositã ad Iunonis templum vexerint. Historiam Pausanias & alij tradidere. *Pier. Val. lib. 3. pag. 31. E.*

Recte & *pietatem*, quæque mutuo mortales mortalibus officia debent, per *Formicam* expresseris: si commeare casu formicarium spectes, *Formica* alterius cadauer inferentes: prodire ex cauo aliquas, factasque obuiam retrocedere quasi consternatas: alias demũ vermiculos ab inferiori loco: vtpote redemptionis præmia, quibus cadauer redimant, connectare: alias vero tentare, si quæ dissectæ fuerint, vt partes commutaut & cohærere faciant, &c. *Pier. Val. lib. 8. pag. 69. E.*

Ciconiam videre est passim in Hadriani Imper. nummis adiecta inscript. *Pietas Augusta.* Significat hæc hominem erga parentes piũ, & veræ charitatis insignem. *Pier. Val. lib. 17. pag. 157. E.*

Emblema.

Pietas filiorum in parentes.
Emblema CXCIV. Andr. Alciat.

Per medios hostes patria cum ferret ab igne
Æneas humeris dulce parentis onus:
Parcite dicebat: vobis sene adorta rapto
Nulla erit, erepto sed patre summa mihi.

Vide Virtus, Bonum, & Bonitas.

PIGRITIA.

Definitio et Etymolog.

Pigritia, Græc. ἀεργία, &c. ἀεργός, ὀκνηρὸς piger dicitur. Est autem pigritia metus consequentis laboris. *secund. Cicer. libro 4. Tuscul. quæst.*

Pigritia venit a piger: piger vero dicitur quasi æger.

Loci Biblici.

Piger excitatur ad laborem, *Prouerb.* 6. 6. laborem fugiens in egestate erit, 20. 4. & 21. 5. cui similis, 26. 14. pigri lapidatio, *Eccl.* 22. *v.* 1. 2. in pigrum, *Prouer.* 21. *v.* 25. 26. & 22. *v.* 13. & 26. 15.

Pigritia damnatur, *Prouer.* 13. 4. & 19. *v.* 15. 24. & 20. 13. & 21. 25. & 22. 13. & 26. 13. *Eccl.* 11. 4. *Rom.* 12. 11. Pigritiæ mala, *Prouer.* 20. 4. & 21. 5. & 24. 30. & c. 28. 19. *Matth.* 13. 25.

Sententiae Biblicae.

Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum. Si quis in me non manserit, mittetur foras: sicut palmes, & arescet: & colligent eum, & in ignem mittetur & ardebit. *Ioan.* 15.

Scienti igitur bonum facere, & non facienti, peccatum est illi. *Iacob.* 4.

Maledictus, qui opus Dei facit negligenter. *Ierem.* 48.

Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excindetur, & in ignẽ mittetur. *Matth.* 7.

Vade ad formicam, o piger, & considera vias eius, & disce sapientiam, quæ cum non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem: parat in æstate cibum sibi, & congregat in messe quod comedat. *Prouer.* 6.

Vsquequo piger dormies? quando consurges è somno tuo? *ibidem.*

Sicut acetum dentibus, & fumus oculis: sic piger his, qui miserunt eum in via. *Prouerb.* 10.

Vult & non vult piger: anima autem operantium impugnabitur. *Prouerb.* 13.

Pigrum deijcit timor: animæ autem effœminatorum esurient. *ibidem* 18.

Abscondit piger manum sub ascella, nec ad finum applicat eam. *Prouerbio.* 19.

Propter frigus piger arare noluit: mendicabit ergo æstate, & non dabitur ei. *ibid.*

Omnia piger semper in egestate est. *Prou.* 17.

Desideria occidunt pigrum: noluit enim quicquam operari. *ibid.*

Poetarum Dicta.

Hesiodus.

Ὧ δὲ θεοὶ νεμεσῶσι καὶ ἀνέρες ὅς κεν ἀεργὸς
Ζώῃ κηφήνεσσι κοθούροις ἴκελος ὀργήν,
Οἵ τε μελισσάων κάματον τρύχουσιν ἀεργοί.

Idest.

Id est.

Huic autem Dij indignantur & homines, quicunque piger
Viuit fucis oculeantibus similis aculeum,
Qui apum laborem consumunt pigri.
Ἀεργίη δ' τ' ὄνειδος.
Pigritia autem vituperium.
Οὐ γὰρ ἐτωσιοεργὸς ἀνὴρ πίμπλησι καλιήν,
Οὐδ' ἀναβαλλόμενος μελέτη ἔργον ὀφέλλει.
Ἀεὶ δ' ἀμβολιεργὸς ἀνὴρ ἄτῃσι παλαίει.
Non enim piger vir implet domum.
Neque differens studium sane opus auget.
Semper differens vir damnis luctatur.
Πολλὰ δ' ἀεργὸς ἀνὴρ κενεὴν ἐπὶ ἐλπίδα μίμνων,
Χρηΐζων βιότοιο, κακὰ προσελέξατο θυμῷ.
Multa autem piger vir vanam spem exspectans,
Indigens victus mala cogit suo animo.

Plaut. in Bacchid.

Sibi ne inuideatur, ipsi ignaui recte cauent.
Pigri indies actiones suas procrastinant.

Pers. Sat. 5.

Cras hoc fiet, idem cras fiet quid? quasi magnum
Nempe diem donas? sed cum lux altera venit.
Iam cras hesternum consumpsimus: ecce aliud cras
Egerit hos annos, & semper paulum erit vltra.
Nam quamuis prope te, quamuis temone sub vno
Vertentem sese frustra sectabere canthum,
Cum rota posterior curras, & in axe secundo.

Mart. lib. 5. epigr.

Cras te victurum, cras dicis Posthume semper.
Dic mihi cras istud Posthume quando venit?
Quam longe cras istud tibi est? aut vnde petendum?
Numquid apud Parthos Armeniosque latet?
Iam cras istud habet Priami vel Nestoris annos:
Cras istud quanti dic mihi possit emi?
Cras viues, hodie iam viuere Posthume serum est.

Curt. lib. 8.

Ille sapit quisquis, Posthume, vixit heri.

Phocylides.

Μηδὲ μάτην ἐπὶ πῦρ καθίσας μινύθειν φίλον ἦτορ.
Neque frustra apud ignem sedens minuas charum cor.

Plaut. Rud.

Opera
Haud fuit parcus mea, nimis homo nihili est, qui piger est.
Nimisque id genus odi ego male.

Antholog. Sacra.

De hominum in amplectenda virtute pigritia.

Sæpe quis instituit sceleratam abrumpere vitam,
Atque Dei toto pectore iussa sequi.
Sed tamen in vitijs haret miser atque senescit:
Nec, quæ mente frequens parturit, illa parit.
Haud aliter quam qui somno grauiore sepultus,
Quem sones, hunc frustra deseruisse cupit.
Ac si quis clamet, Pulso iam surge sopore,
Mox mox istud, ait: dormit at vsque tamen.

SENTENTIÆ PHILOSOPHICAE.

Contemnuntur hi, qui nec sibi, nec alijs, in quibus, vt dicitur, nullus labor, nulla industria, nulla cura est. *Cic. lib. de Offic.*

Vbi pro labore desidia, pro continentia, atque æquitate libido, & superbia inuadunt, fortuna simul cum moribus mutatur.

Vbi socordiæ, atque ignauiæ te tradideris, nequaquam Deos implores, irati infestique sunt. *Sallust. in Catil.*

Grata est pigritia corporum fatigatis.

Pigri est ingenij, contentum esse ijs, quæ sunt ab alijs inuenta. *Quint. lib. 10.*

APOPHTHEGMATA.

Themistocles pigritiam hominis viui sepulturam vocauit: qui cum expletis centum & septem annis, se mori videret, dixisse fertur, se plurimum dolere, quod de vita tunc egrederetur quando sapere cœpisset. *Plut.*

Democritus. Perpetuam cunctationem actiones omnes imperfectas reddere dicebat. *Stob. serm. de assiduit.*

Eusebius Philosophus. Ignauia, inquit, corpus labefacit, animam socordia. Exercitatio vero, ad speciem Deo simillimam ipsam euehit. *Stob. serm. de Ocio.*

Anaxarchus dicebat, si quis alterum audiret imprecantem sibi manus & pedes inutiles, iratum illi procul dubio fore, diuites autẽ cum re ipsa manus suas pedesque faciant inutiles, interim ob hoc ipsum se beatos existimare. *Eod. serm.*

EXEMPLA SACRA.

Pigritiæ *exempla:* Israelitæ, *Num.* 11, 4. & 21, 4. reduces à captiuitate, *Agg.* 1. 2. Operarij, *Matth.* 20. 3. Seruus nequam, 25. 26. Apostoli, *Marc.* 14. 40.

HIEROGLYPHICA.

Multis hieroglyphicis elegantissimis Sapiens Salomon pigritiam traducit & detestandam exhibet, Prouerbiorum & Ecclesiastis libro. Tabellas bellissimas lectori vigilanti spectandas proponimus.

1. Vides, *Prouer. c. 6. v. 9.* 10. 11. pannis obsitum, lacerum, squallidum nebulonem, manibus complicatis dormitantem, quem egestas, vt viator armatus circum obsidet.

2. Alio loco, pigrum in mensa accumbentem intuere, manum applicans sub axilla, nec ad os applicantem, quod grauem laborem in eo positum esse putet. *Prouer.* 26. 15. Huc refer lepidos versus Cratetis comici apud Athenæũ lib. 6. de votis cuiusdam ignauorum ignauissimi in Moroma insula ridicule somniantis.

3. Propter frigus, inquit sapiens, *c. 20. v. 4.* piger arare noluit: mendicabit ergo æstate, & non dabitur illi.

4. Cum priori conuenit & illud, *Prouer.* 10. 5. Qui stertit æstate, filius erit confusionis, huic opponitur filius sapiens, qui congregat in messe.

5. Piger apposite comparatur homini dormienti. *Prouerb.* 20. 13. Noli diligere somnum, inquit sapiens, ne te opprimat egestas: aperi oculos tuos, & saturare panibus.

6. *Cap. 21. v. 25. 26.* Desideria (inquit sapiens) occidunt pigrum: noluerunt enim quicquam manus eius operari. Tota die concupiscit & desiderat. Huic opponimus aureum dictum. *Ora & labora.*

7. Dicit piger, leo est foris, in medio platearum interficiar. *Prouerb.* 22. 13. dicit piger, leo est in via, & leæna in itineribus, *Prouer.* 26. 13. Vt sibi molliores delitias faciat, piger chymæras fingit & pericula, ne in publicum progredi, vel nonnihil operæ in vocatione honesta peragere cogatur.

8. Elegans aliud hieroglyphicon exhibet cap. 26. *Prouer. v.* 14. Ianua (inquit) vertitur in gyrum super cardine suo, & ignauus super lectum suum.

9. In pigritijs humiliatur contignatio, & in infirmitate manuum perstillabit domus. *Eccl.* 10. 18. Habes lector recondita & plane diuinæ sapientiæ hieroglyphica pigritiã suis coloribus pingentia, vide *l. 5. hierogl. collect. Lugduni editorum, anno* 1610. *p.* 145. 146. 147.

PODAGRA.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Ποδάγρα est, vbi imbecillitas atque humoris à natura alieni defluxio pedes occupant. *Leonardus Fuchsius instit. Medic. sect.* 1. *lib.* 3. *c.* 25. Sic dicta, quod pedicæ more, quam Græci ποδάγραν appellant, pedum vsum impediat. *Ouid.* Soluere nodosam nescit medicina podagram.

PHILOSOPHOR. SENTENTIAE.

De podagra. DIAL. LXXXIV.

Francisci Petrarchæ.

DOL.

Turpi torqueor podagra. R. Nesciebas senectutis morem, incomitata non venit, magnam sæpe morborum aciem deducit. D. Podagra crucior molesta. R. Extrema & ignobili parte corporis laboras, quid si nobilissimis laborares, corde, vel capite? D. Pigra coerceor podagra. R. Vaga mens hominis fræno eget, hunc paupertas tenet, illum carcer, aut grauior morbus. Ludens te pedibus alligat fortuna non podagra, sed pedicæ sunt, iam disce consistere. D. Podagra inutilis factus sum. R. Ad cursum credo, vel ad saltum, ad choreas, ad palæstram. an te autem ad hæc natum putas? ad alia si nescis altiora quædam officia natus es, quę si caput non ægrotat, exequi nil prohibet. Studere licet artibus ingenuis, dare operam pietati, seruare iustitiam, & fidem, fragile corpus, & fugacem mundum spernere, odisse vitia, amare virtutes, colere amicitias, consilio patriam iuuare. Hæc sunt viri boni munimina. quid hic pedibus loci est? D. Debilitatus sum podagra. R. Pugnare cum hostibus forsitan morbus vetet, non cum vitijs, quo neque facilius & certe crebrius est bellum: & quid scimus an hic ipse dolor corporis contra quem dimices, tibi ad exercitium animi datus sit? D. Pedibus consistere nequeo. R. Vide quam de reliquo ædificio spem habeas, cuius fundamentum tam inualidum sentis. Vigila ne te incautum opprimat ruina. Contrahe sarcinulas, teque ad migrandum para. D. Podagra me ingens habet. R. Solet hic morbus (vt perhibent) diuitias comites habere. En tibi remedium aliud, bene spera, aut languoris amaritudinẽ opum dulcedo solabitur, aut inopiæ pellet asperitas, ita vel sola-

tium

tium adeit vel finis. Si hæc fallunt, veniet quæ non fallet. Illa vitæ malis omnibus finem dabit. D. Pedum premor ægritudine. R. Si salutem cupis, aut pauper sis oportet, aut vt pauper viuas. Multos hac ægritudine liberasse traditur paupertas, vera desiccatrix corporum: quosdam vero frugalitas, quam voluntariam, seu fictam & imaginariam paupertatem dixerim. Vidisti aliquos perpetua vini abstinentia curatos, ita fit, dolor dolore, clauus clauo pellitur, vt antiquo dicitur prouerbio. Vix molestum aliquid sine molestia curatur, vt præterea cum hoc morbo cumque alijs multis pacem habeas, non Baccho solum, sed & Veneri bellum indixisse profuerit. Sed quid agimus? animorum remedia promisimus, non corporum. Habes tamen quam puto vnicā morbi huius curam. Hanc si probas vtere, si minus, non te fallant opifices fomentorum. Patientia in aduersis efficacissimum atque optimū, & sæpe vnicū remedij genus est. D. Podagræ vitio curuatus sum. R. Ad iter inhabilis, minus idoneus ad laborem, non ineptus ad reliqua: gerere non rei modo familiaris, sed Reipublicæ & summi, si ita sors tulerit, imperij curam potes. Itaque memorandum valde Septimij Seueri Romani principis dictum vnum, qui senex ac podagricus dum coniurationem nobilium, qui se viuo filium eius Augustum dixerant, deprehendisset: comprehensis authoribus seditionis ac filio, omnibusque ante solium eius diffusis, metuq; vltimi supplicij tremefactis, ac territis, ipse manu ad caput relata tandem inquit, sentitis caput imperare, non pedes. D. Podagra me miserum miris modis torquet. R. Noli solas asperitates rerum flere, sed memento si quid dulce, aut iucundum tibi obtigit, quo incommodum hoc solari possis. Vnus ex multis pessimis vulgo mos est, vt in aduersis querulum, atque impatiens, obliuiosum in prosperis, atque ingratum sit, quo nihil iniquius fieri potest. Nam quis æquis auribus audiat exempli causa vel Seuerum ipsum, quem diximus de podagra, vel Domitianum de caluicio, quod ægerrime dicitur tulisse, vel Augustum senem de sinistri debilitate oculi, vel Iulium Cæsarem de timore nocturno, & quiete visis turbida, vel postremo alios fortunatissimos viros de vna, seu de altera naturæ (si dici licitum) aut fortunę iniuria, sic querentes, vt imperij, atque opum victoriarum, ac tantorum ingrati, atque immemores sint honorum dum se homines meminerunt, quos plenam, perfectamque fęlicitatem hic sperare dementiæ sit, amara dulcibus temperare modestiæ, hoc podagræ proprium, hoc morborum omnium commune remedium inuenies, sanumque consilium, sanctumque fateberis, senis illius lętamulta adepti, dura multa perpessi, qui bonis de manu Dei licet læte acceptis mala quæq; patienter suscipienda censebat. quāuis mali aliquid dare vel facere manus illa non nouerit, sed humanā respeait opinionem. D. Podagra me in lectulo nodis insolubilibus pressum tenet. R. Te iacente stare animus potest, cęlumque, & terras, ac maria permeare.

Apophthegmata.

Anaxarchus dicebat, si quis alterum audiret imprecantem sibi manus & pedes inutiles, ratum illi procul dubio fore. Diuites autem, cum reipsa manus suas pedesque faciant inutiles, interim ob hoc ipsum se beatos existimare. Notauit autem vir prudentissimus eos, qui ex otio varijsque delitijs podagram sibi ipsis parant. *Stob. serm. 28. de Otio.*

Publius Syrus, cum esset orta iocosa quæstio, quodnam esset molestum otium, & alius aliud opinaretur, respondit, podagra. Otium vt rem suauissimam expetunt omnes, sed otium podagrici cum summo cruciatu coniunctum est. *Pontanus P. M. l. 6. apoph.*

Cicero in Vatinium, qui cum pedibus æger esset, volebat tamen videri commodioris valetudinis factus, dicebatque iam se bina millia passuum ambulare. Dies enim, inquit, longiores sunt. *Hoc Fabius tribuit Ciceroni Macrobius l. 4. c. 4. Saturn. Augusto.* Narratur & nodie quiddam non minus facetum, si modo accederet vetustatis commendatio. Miles quidam in conuiuio iactabat sibi balistam esse, quæ iaculum excuteret ad spacium nulli credibile. Reclamantibus conuiuis omnibus affirmabat famulum suum id vidisse factum. Accersito famulo percontatus est illum, an non ipse vidisset quod narraret: Tum famulus, Verum, inquit, narras, here, sed tum vento secundo miseras sagittam. *P. M. l. 4. apoph.*

Alphonsus interrogatus, cur podagrici loquatiores cæteris essent, respondit, podagricos pedum vitio affectos, ambulare non posse: ideoque lingua, velut ambulatione quadam eos crebrius vti solere. *Pan. lib. 3. de reb. gest. Alphons.*

Pet. Fundanus audiens quendam familiarem de pedum dolore eiulatus emittere, nec posse illos cōpescere, accurrit ad clamores: Ecquid, inquiens, alij de itinere queruntur assiduo, laboribusque quam plurimis: de perpetua negotiorum quiete quereris atque otio, quod si tibi molestum est, exurge parum, & peregre proficiscere. *Pontanus.*

POENA.

Definitio, et Etymolog.

POEna, Græcum vocabulum esse videtur. Illi enim *ποινήν* dicunt, licet Varro à peodendo dictam velit. Est autem pœna supplicium, quo quis ob delictum afficitur. Hebr. *honesch*, à verbo *Hanasch*, id est, mulctauit, puniuit, condemnauit.

Pœna est noxæ vindicta, *secundum Vlpian.* Octo pœnarum genera Cicero esse commemorat, scilicet, Damnum, Vincula, Verbera, Talionem, Ignominiam, Exilium, Seruitutem, Mortem. A pœna fit pœnitentia, siue pœnitudo, & punino, & impunitio, & pœnitet, & pœniteor.

Loci Biblici.

Pœnæ impiorum in thesauris reconditæ. *Deut.* 32.34. delinquentibus pœna à Iudicibus irroganda, 25.1. pœna damni facti. *Exod.* 25.5. furis, *v.* 1. *&c.* homicidij, 25.12. idololatriæ, 22. per superbiam peccantis. *Num.* 15.30. talionis, *Genes.* 9.6. *Exod.* 21.23. *Leuit.* 24.17. *Deut.* 19.19. pęnarū tria genera Dauidi proposita, 2. *Reg.* 13.

Sententiae Biblicae.

Infernalis pœna horribilis ob absentiam omnis boni.

Sicut oues in inferno positi sunt: mors depascet eos. *Psal.* 49.

Peccator videbit & irascetur, dentibus suis fremet & tabescet: desiderium peccatorum peribit. 112.

Filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus & stridor dentium. *Matth.* 8.

Discedite a me omnes operarij iniquitatis, Ibi erit fletus & stridor dentium: cū videritis Abraham & Isaac & Iacob, & omnes prophetas in regno Dei, vos autem expelli foras. *Luc.* 13.

Eleuans autem oculos suos, cum esset in tormentis, vidit Abraham à longe, & Lazarum in sinu eius: & ipse clamans, dixit: Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. 16.

Propter præsentiam omnis mali.

Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima. *Deut.* 32.

Ad nimium calorem transiet ab aquis niuium & vsque ad inferos peccatum illius. *Iob.* 24.

Pluet super peccatores laqueos, ignis, sulphur & spiritus procellarum pars calicis eorum. *Psal.* 11.

Pones eos vt clybanum ignis in tempore vultus tui. 21.

Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur. *Sap.* 11.

Stupa collecta synagoga peccantium, & consummatio illorū flamma ignis. *Eccl.* 21.

Concipietis ardorem & parietis stipulam: spiritus vester, vt ignis, vorabit vos. *Esa.* 33.

Audite qui longe estis, quæ fecerim, & cognoscite vicini fortitudinem meam. Contetriti sunt in Sion peccatores, possidebit timor hypocritas. *ibid.*

Quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante: aut quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis? *ibid.*

Et conuertentur torrentes eius in picem, & humus eius in sulphur. 34.

Ecce ego cibabo populum illum absinthio, & potum dabo eis aquā fellis. *Ierem.* 9.

Ecce enim dies veniet succensa, quasi caminus: & erunt omnes superbi, & omnes facientes impietatē, stipula: & inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus exercituum, quæ non derelinquet eis radicem & germen. *Malach.* 4.

Quantum glorificauit se, & in delitijs fuit, tantum date illi tormētum & luctum. *Apoc.* 18.

Et infernus & mors missi sunt in stagnum ignis. Hæc est mors secunda. 20.

Interminabilis.

Vermis eorum non morietur, ignis eorum non extinguetur, & erūt vsque ad satietatem visionis omni carni. *Esa.* 66.

Discedite à me maledicti, ite in ignem æternum, qui præparatus est diabolo, & angelis eius. Et ibunt hi in supplicium ęternum, iusti autem in vitam æternam. *Matth.* 25.

Bonum est tibi luscum introire in regnum Dei: quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis, vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. *Marc.* 9.

Qui pęnas dabunt in interitu æternas a facie Domini, & à gloria virtutis eius, cum venerit glorificari in sanctis suis, & admirabilis fieri in omnibus, qui crediderunt in die illo. 2. *Thess.* 1.

Si quis adorauerit bestiam, & imaginem eius, & acceperit characterem

racterem eius in fronte sua, aut in manu sua, hic bibet de vino iræ Dei, quod mistum est mero. *Apoc. 14.*

PATRVM SENTENTIÆ.

Illa est pœna peccati iustissima, vt amittat vnusquisque illud, quo bene vti noluit, cum sine vlla difficultate posset, si vellet, id est, vt qui sciens recte non facit, amittat scire quid rectum sit: & qui rectum facere cum posset, noluit, amittat posse, cum velit. *Aug. l. 3. de lib. arb.*

Iussisti Domine, & sic est, vt pœna sit tibi omnis inordinatus animus. *lib. 1. confess.*

Mitissima omnium pœnarum erit eorum, qui præter peccatum, quod originale contraxerunt, nullum insuper addiderunt. *in Enchir. c. 95.*

Quia impunitum non debet esse peccatum, puniatur à te, ne tu pro illo puniaris. Peccatum tuum iudicem te habeat, non patronum. *De vtil. agenda pœn.*

Sicut non impediunt iustum ab æterna vita quædam peccata venialia, sine quibus vita ista non geritur: sic ad salutem æternam nihil prosunt impio aliqua bona opera, sine quibus difficillime vita cuiuslibet pessimi hominis inuenitur. *In l. de sent. Prosperi.*

Cui dubium, quin inter tres peccatores imo, impio, gentilem, hæreticum, ecclesiasticum, multo maioribus pœnis dignus sit, qui maioris fuerit dignitatis? *Hier. super Ezech.*

Tanto tectius maiori supplicio dignum iudicaueris animum, quanto vitijs subdit instrumenta virtutum. *Aug. in quadam Ep.*

Electos Dei cernimus, & pia agere, & crudelia tolerare. Hinc ergo colligitur: districtus iudex quanta illic feriat districtione, quos reprobat, si hic cruciat, quos amat. *Greg. in Moral.*

Sicut vno sole omnes tanguntur: nec tamen eo vno ordine omnes æstuamus, quia iuxta qualitatem corporis sentitur etiam pondus caloris. Sic damnatis vna est gehenna, quæ affligit, & tamen non omnes vno calore comburit: quia quod hic agit dispar valetudo corporum, hoc illic exhibet dispar causa meritorum. *ibid.*

Ad districti iudicij iustitiam pertinet, vt numquam careant supplicio, quorum mens in hac vita numquam voluit carere peccato, & nullus detur iniquo terminus vltionis, quia quamdiu valuit, habere noluit terminum criminis. *ibid.*

Nemo Dei longanimitatem negligat, quia tanto districtiorem iustitiam in iudicio exiget: quanto longiorem ante iudicium patientiam protogauit. *Hom. 13. in Euang.*

Altissimus est patiens, redditor patiens dicitur, quia peccata hominum & patitur, & reddit: nam quos diu, vt conuertantur, tolerat, non conuersos durius damnat. *ibid.*

Anima illic posita bene esse perdidit, & esse non perdidit: ex qua re semper cogitur, vt & mortem sine morte, & defectum sine defectu, & finem sine fine patiatur: quatenus ei & mors immortalis sit, & defectus indeficiens, & finis infinitus. *lib. 4. dialog.*

Iniqui ideo cum fine deliquerunt, quia cum fine vixerunt. Nam voluissent vtique sine fine viuere, vt potuissent sine fine peccare. Ostendunt enim quia in peccato semper viuere cupiunt, qui anumquam desinunt peccare, dum viuunt. Ad magnam igitur iudicantis iustitiam pertinet, vt numquam careant supplicio, qui in hac vita numquam noluerunt carere peccato. *ibid.*

Iniustus quisquis eo atrocius in tormentis obruitur, quo altius in peccatis eleuatur, transit quod extollitur, permanet quod punitur. Qui honoratur in vita, in peruentione damnabitur: & quasi per amœna prata ad carcerem peruenit, qui per præsentis vitæ prospera ad interitum tendit. *In Mor.*

Pœna præsens, quæ iniusti animam a prauis desiderijs mutat, ab æternis supplicijs non liberat, quos mutat: nam quem præsentia mala non corrigunt, ad sequentia perducunt. *ibid.*

Iustum est, vt quos culpa simul inquinat, par etiam pœna adstringat: & qui nequaquam dispari sunt iniquitate polluti, nequaquam tormento crucientur dispari: quatenus simul damnatio conterat, quæ similes elatio subleuabat. *ibid.*

Horrendo modo fit miseris mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu: quia & mors semper viuit, & finis semper incipit: & deficere defectus nescit. Mors perimit, & non extinguit: dolor cruciat, sed nullatenus pauorem fugat: flamma comburit, sed nequaquam tenebras excutit. *ibid.*

Ob hoc inflexibilis, & obstinatæ mentis malum punitur æternaliter, licet temporaliter perpetratum, quia quod breue fuit tempore tum, vel operamentum esse constat in pertinaci voluntate ita vt si numquam moreretur, numquam velle peccare desineret: imo semper viuere vellet, vt semper peccare posset. *Bernardus in epist. 252.*

Quid tam pœnale, quam semper velle, quod numquam erit, & semper nolle, quod numquam non erit? *Bern. de consid.*

Iustius est enim iniustum iuste euadere, quam iustum iniuste puniri: quatenus, etsi semel euaserit, potest iterum perire, innocens autem, si semel perierit, iam non potest reuocari. *Chrysost. super Matth. cap. 1.*

Non quod plurimi solam pertimescant gehennam, ego autem illius gloriæ amissionem multo amarius, quam ipsius gehennæ dico esse supplicium: horribile valde quis ponit gehennas, nisi tale dicturus est, quale est à beatæ illius gloriæ honore expelli, & esse exosum Christo. *In Matth. 6.*

Quis putas tunc mœror erit, quæ tristitia, quum separabuntur impij à consortio sanctorum, & a visione Dei, & traditi in potestate dæmonum ibunt cum ipsis in ignem æternum; ibique semper erunt sine fine, in luctu & gemitu, vbi erit dolor intolerabilis, fœtor incomparabilis, timor horribilis, mors corporis & animæ, sine spe veniæ & misericordiæ: vbi nec qui torquet, aliquando fatigatur, nec qui torquetur, aliquando moritur: sed sic morientur, vt semper viuant, & sic viuent, vt semper moriantur. *Hug. l. 1. de anima.*

Iustè puniuntur, qui licitis abutuntur: iustius vero puniuntur, qui aliena rapere conantur: sic Satanas cœlum, sic protoplastus perdidit paradisum. *ibid.*

Occultam culpam sequitur aperta percussio, vt malis exterioribus interna puniantur, & corpublice corruat, qui latenter peccabat. *Cass. in Psal.*

POETARVM DICTA.

Hor. 5. Serm. 3.

Adsit.

Regula peccatis quæ pœnas irroget æquas:
Ne scutica dignum, horribili sectere flagello.

Claud. Epig. Satisfact.

Me dolor incautum, me lubrica duxerit ætas,
Me timor impulerit, me demens egerit ardor,
Te tamen haud decuit paribus concurrere telis.

Ouid. epist. 5.

Leniter, ex merito quicquid patiare ferendum est,
Quæ venit indigne pœna, dolenda venit.

Claud. cons. Manlij.

Qui fruitur pœna, ferus est, legumque videtur
Vindictam præstare sibi cum viscera felle
Canduerint, ardet stimulis ferturque nocendi
Prodigus, ignarus causæ.

Sen. Troad.

Sic pœna patitur, qua potest grauior potest?
Famulare collo nobili subeat iugum.

Anthol. Sac. Iac. Bill.

Diuinas minas impijs contemptui esse.

Quid sibi vult, tumido quod dormit in æquore Ionas,
Quem tamen insequitur vindicis ira Dei?
At contra vigilant innoxia pectora, votis
Flebilibusque, eum supplicibusque vocant.
Scilicet hi Ionam referunt, ad iussa minasque
Numinis æterni quos sopor altus habet.
Ast alios illi, quos verba minacia terrent,
Cum tamen hæc tantum perfida corda petant.

SENTENTIÆ PHILOSOPHICAE.

Nec domus, nec Respublica stare potest, si in ea nec recte factis præmia extent vlla, nec supplicia peccatis. *Cic. 3. de Nat. Deor.*

Legibus præmia proposita sunt virtutibus, & supplicia vitijs. *1. de Orat.*

Verus iustus, atque honestus labor, honoribus, præmijs, ac splendore decoratur: vitia autem hominum, atque fraudes damnis, ignominijs, vinculis, verberibus, exilijs, morte multantur. *1. de Orat.*

Improbis pœna statuenda est: nec minor vero ijs, qui secuti erunt alterum, quam ijs, qui ipsi fuerint impietatis duces. *In Lælio.*

Quos ipsa natura retinere in officio non potest, iu magnitudine pœna maleficio submoueri debent. *Pro Rosc. Amer.*

Quotusquisque reperietur, qui impunitate proposita abstinere possit iniuria? Impunitas peccandi maxima est illecebra. *3. Offic.*

Non satis est eum, qui lacesserit iniuriæ suæ pœnitere: vt ipse nequid tale posthac committat, & cæteri sint ad iniuriam tardiores. *1. Offic.*

Est vtilius, vnius improbi supplicio multorum improbitatem coercere, quam propter multos improbos vni parcere. *5. Act. in Verr.*

Lento gradu ad vindictam sui diuina procedit ira, & tarditatem supplicij grauitate pensat. *Valer. l. 1.*

Facit non raro atrocitas pœnæ obedientiorem duci militem. *Liuius. decad. 1. l. 8.*

Pœnæ leues non possunt refrenare iuuentutis insaniam & ingenij ferocitatem, neque rerum honestarum contemptores ad temperantiam reducere. *Dionys. Halic. l. 2.*

Magnorum delictorum magnas oportet esse pœnas. *G. Pachymer. hist. lib. 3.*

Satis pœnarum est potuisse puniri; grauis tamen pœna est, quam facti pœnitet. *Sen. in prol.*

APOPH-

APOPHTHEGMATA.

Socrates Ciuitates optime gubernari dicebat, cum iniusti dant pœnas. *Plut. l. 1. de legib.*

Solon percontatus. Quid magis ad Reipubli. salutem prodesset? Respondit: Si boni præmijs inuitantur, mali autem pœnis coercentur. *Cic. ad Brut. Stob. ser. 41.*

Idem interrogatus, quanam ratione nullum in vrbe scelus perpetraretur? dixit: Si iam indignaretur illi, quibus non est facta iniuria, quam quibus facta est. Sensit autē vir prudentissimus, tum demum saluam esse Rempub. cum qui boni viri sunt, malos pœnis coercent, ne insontes afficiant contumelia. *Stob. serm. 41.*

Pythagoras Ciuitatem optimam esse dixit, quæ postquam malos pœnis coerceret, viros tantum bonos admitteret. *Stob. serm. 41.*

Theophrastus sciscitatus, quidnam vitam humanam conseruaret? Respondit: Beneficentia, Honor & pœna. *Stob. 41.*

Lycurgus dicere solitus est, duabus potissi num rebus contineri Rempublicam: Præmio, s. & pœna. Quo dicto eam demum Rempublicam saluam esse putauit, in qua boni præmijs inuitantur, flagitiosi vero pœnis afficiuntur. *Cic. in epist. ad Brut. & P. M. l. 1. apoph.*

Agesipolis Cleombroti F. quum quispiam ei dixisset ipsum cum æqualibus obsidem fuisse, filios vero, eorumque vxores nimime: Merito, inquit, decet enim nos nostra peccata nostrasque pœnas ferre. *Brus. l. 5. c. 12. ex Plut.*

Anonymus. Chius quidam ira contra seruum, incensus: Non inquit, in pistrinum ego te detrudam, sed Olympiam ducam. Recte autem ille putabat, multo durius esse supplicium, si Olympiæ in conspectu a radijs solaribus coqueretur, quam si in molā ad molendum dederetur. *Ælia. l. 14. de var. hist.*

M. Cato dicebat, se omnibus peccantibus ignoscere, præterquam sibi ipsi. Multum dissimilis illi Mæuio, qui carpens alios sibi condonabat omnia. Sibi ignoscit, quem non pœnitet admisisse: se pœnas sumit, qui cura pensat, quod incogitantia commissum est. *Plut. in apoph.*

Idem frequenter dicere solebat, se malle pro collato beneficio nullam reportare gratiam, quam pro maleficio perpetrato non dare pœnam. Significans, nil esse magis perniciosum, quam si improborum mores pœna non coerceantur. *Plutarch. in apoph. & P. M. lib. 5. apoph.*

Idem solitus est dicere, iniuriam etiam si facienti nihil adferat periculi, vniuersis tamen periculosam esse. Quid aliud dicere voluit, quam pœnam delicti non negligendam esse, ne ex vnius iniuria multi porro contumelijs afficiantur ab improbis? *Plut. in Rom. apoph.*

Idem præterea dicebat, eos magistratus, qui maleficos pœnis non coercent, non tantum non ferendos, sed lapidibus obruendos esse, ne ex pœnæ neglecta salus Reipublicæ labefieret. *Plut. eodem loco.*

Alphonsus, cum equitem luxuriosum, & bonorum suorum decocto rem punire vellet, quibusdam a rege obnixe petentibus, ne in corpus lueret debita, quæ ille plurima per luxum libidinemque contraxerat: Respondit: Equidem hunc neque tut regis gratia, neque patriæ commodo, neque propinquorum & amicorū ære alieno susceptio tam grande patrimonium profusisse, sed omnem suam substantiam corpori indulsisse. In corpore igitur luere æquius esse, vt pœna malefactis ex æquo respondeat. *Panor. l. de reb. ab Alphon. rege gestis.*

Mares Furcenius cum meretrice deprehensus, quum pro more in perpetuam facti ignominiam (nam in Anglia, qui extra matrimonium mulieribus commiscentur, in conspectu populi retentis tantum femoralibus, nudi Ecclesiam circumire cogebantur) exueretur à sacerdotibus, femorali tantum concesso, omni parte nudus esse voluit, verum cum interrogaretur, an non puderet coram virginibus, mulieribus, omnique populo virilia ostentare? minime, inquit, gentium, Nam pudenda hæc, quæ peccauerunt, ea potissimum dare pœnas decet. *Æneas Siluius, lib. de dictis Alphonsi.*

Alexander. Quum Græci, qui apud hostes stipendium faciebat, venissent in potestatem Alexandri, Athenienses quidem iussit Alexander in compedibus tenari, quod quum ex publico stipendium haberent, tamē apud hostes merueran:: similiter & Thessalos, qd regionem opimam nacti, non eam colerent. Thebanos vero dimisit dicens: Ijs per nos nihil est reliquum, neque ciuitas, neque agri. Ita moderatus est pœnam, vt mortem commeritis non indiceret, nisi vincula: & culpam eorum qui necessitatem excusare poterant, in se transtulit. *Plut. in apoph.*

Sylla, milites in bello sociali quum Albinum virum prætorium fustib. mactassent, Sylla tam atrox facinus impunitum reliquit, dicens, se illis posthac promptioribus vsurum in prælijs, dum peccatum, fortiter gerendo rem, studebunt pensare. *Plut. in Sylla.*

M. Cato. Ipso die comitiorum quendam è ipsi toribus damnauit: ac pecuniam illi traditam in alium transtulit. At populus admiratus Catonis iustitiam damnato pœnā remisit, dicens, satis dedisse pœnarum, quod à Catone damnatus esset. *P. M. l. 5. apoph.*

SIMILITVDINES.

Dauidis regis. Impij peribunt interim, & inimici Domini non aliter quam adeps agnorum, qui adoletur super altare, finem capient. vna cum fumo deficient. *Psal. 37.*

Christi Saluatoris. Quemadmodum agricolæ arbores infrugiferas, quarū sterilitas nullo pacto tolli potuit, è medio tollunt, & igni deputant: Sic Deus Opt. Max. impœnitentes, & homines qui dignos pœnitentiæ fructus non ferunt, perdet, ac in perpetuā damnationem conijciet. *Matth. 3.*

Chrysostomi. Sicut in sæcularibus in eo quod alter pauperascit, alter ditescit, & nisi alter descenderet: alter non ascenderet: Sic & in spiritualibus in eo quod alter confunditur, alius emendatur. *In Matth. 23. hom. 43.*

Philonis Iudæi, quemadmodum medicinæ filua corporeo morbo laborantibus prodest. Sic & pœnæ insipientibus. *Inl. de agricultura.*

D. Hieronymi. Sicut mare feruens quiescere non potest, sed redundant fluctus eius, & reuoluuntur ad littora, atque iterum resorbentur, & ipsi fracti lutum efficiunt quod pedibus conculcatur: Sic impij æternæ conculcationi subiacebunt, quorum nullum est gaudium, & qui nulla pace requiescunt, in eo quod impij perseuerant. *In Esa. c. 57.*

Agapeti diaconi. Quemadmodum vmbræ corpora sectantur, sic animi flagitia comitantur, euidenti effigie actiones exprimentia, de eo non datur in iudicio negare. Ipsa enim vniuscuiusque opera obtestabuntur, haud sane vocem emittendo, sed talia pro sui sese repræsentando, qualia iam a nobis patrata sint. *De Offic. Regis.*

Dionis Nicæi. Veluti medici in sanandis hominum corporib. ea membra quæ putredini debita, omnes medelas respuunt adhibito ferro amputant, ne cætera membra inde inficiantur: Ita magistratus eos qui in Republ. omnibus deditis vitijs omnem admonitionem contemnunt, ictero etiam separabit, ne tanto maiorum consortio cæteri in pœnas etiam ruant. *In Ang.*

Plutarchi. Cantharides & scorpij in se circumferunt sui veneni remedium: At ipsi peccato inest sua pœna, suppliciumque. *In Moralib.*

Qui nos ... cuit sagittare, non vetuit iaculari, sed vetuit ne aberrare mus a scopo: Ita nō est interdicta punitio, sed in tempore & apte facienda. *In Moral.*

Vt qui diutina tabe consiciuntur, nō effugiunt mortem, sed lente moriuntur: Sic qui non statim puniuntur, non effugiunt pœnam, sed longa ducuntur pœna. *In Moral.*

Pigri remiges sereno cœlo desident in portu, deinde coguntur flantibus ventis nauigare cum periculo: Sic qui non punit, cum est animo sedato, cogitur aliquando vel iratus punire. *In Moralibus.*

Vt bouis fel, & phocæ coagulum, atque aliæ pessimarum ferarū partes aduersus nonnullos morbos efficax habent remediū: Sic Deus pessimis tyrannis vtitur non nunquam ad correctionem vitiorū. *In Moral.*

Ciceronis. Vt nec domus, nec Respublica ratione quadam & disciplina designata videatur, si in ea nec recte factis præmia extēt vlla, nec supplicia peccatis: Sic mundi diuina in homines moderatio profecto nulla est, si in ea discrimen nullum est bonorum ac malorum. *lib. 3. de Natura Deorum.*

Senecæ. Serpentes paruuli fallunt, nec publice insequuntur: vbi aliquis solitam mensuram transit, & in monstrum excreuit, vbi fontes potu infecit, & si afflauit, deurit, obteritque quacumque incessit, balistis petitur. Possunt verba dare, & euadere pusilla mala: ingentibus obuiam itur. Sic vnus æger nec domum quidem perturbat: at vbi crebris mortibus pestilentiam esse apparuit, conclamatio ciuitatis, ac fuga est, & Dijs ipsis manus intenduntur. Sub vno aliquo tecto flamma apparuit, familia vnicuique aquam ingerunt. At incendium vastum, & multas iam domos depastum, parte vrbis obruitur. *Libro 1. de clement. c. 25.*

Pliny. Vt arbor excisa repullulat, euulsa non refruticatur: Ita malū si penitus tollitur, non renascitur. *Lib. 22. c. 13.*

P. M. Vt melior medicus, qui morbum excludit & arcet, quam qui pharmacis expellat acceptum: Ita non paulo præstabilius est efficere, ne facinora patrentur; quam si perpetrata puniantur. Id autem fiet, si caussæ, ex quibus animaduerteris potissimum nasci flagitia, vel recidas, si queat, vel certe premat & attenuet. *De institutione prin.*

Ciconia quones conuolant in campum, quam Pythonis comam vocant (is est locus in Asia) quæ vltima omnium aduenerit, eam lacerāt, atque ita discedunt, in vna omnium cessatione castigata: Ita multitudinis vitia, vnius insigni supplicio sunt vel sananda, vel arcenda. *In simil.*

In aspidis ictu nullum est remedium, nisi vt partes contactæ amputentur: ita quædam vitia sola morte sanari possunt. *Ibid.*

Vt magis est probanda medicina, quæ vitiosas corporis partes sanat,

finat, quam quæ exurit: Ita mel or magistratus, qui ciues impro bos corrigit, qua a qui tollit è medio. *ibid.*

Sicut ex vipera, ex ocodilo, cæterisque nocentissimis bestijs medici remedia quædam aduersus venenorum noxam, ac morbos efficacia quærunt. Ita a maladuersio in innocentes, multos vel arcet, vel reuocat à facinoribus. *ibid.*

F A B V L A.

Asini lapsus.

Asini post longam & probatam seruitutem suam, & multas onerū, atque baiulationum egregias operas, quodam tempore, sub valde graui onere, cum ad saxum improuisa offendisset, in via recidit. Tum accurrit agitator, & acerbissimis verbis, atque vehementibus etiam plagis illum petit. At asinus sceum & suam conditionem deplorare, & accusare ingrati domini seuitiam, qui ob litus omnium priorum, ob vnam fortuitam offensam tam grauiter se affligeret.

Fabula significat, fere homines quid quoque tempore fiat, nō quid aliquando factum sit, spectare, & vnum sæpe delictum memoriā multorum egregie factorum inducere, ac delere.

POENITENTIA.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

POEnitentia, Græce μετάνοια. Dolor ex re aliqua commissa, vel prætermissa subnascens. Vel est pœnitentia, mala præterita plangere, & plangenda iterum non committere, *secund. Ambros. Gregor. & Theol. 4. Sent. dist. 14.*

Pœnitentia est virtus, qua commissa mala cum emendationis proposito plangimus, & odimus, & plangenda vlterius committere nolumus, *secund. Magist. Sent. dist. 14.*

Pœnitentia est quædam dolentis vindicta, puniens in se, quod dolet commisisse, *secund. August. & hab. de pænit dist. 2 can. Pœnitentia.*

Pœnitet, vnde pœnitentia deducitur, dicitur quasi pœna tenet. Pœnitere enim dicimus, cum quæ ipsi fecimus, aut quæ de nostra voluntate, nostroque consilio facta sunt, ea nobis post incipiunt displicere, sententiamque in his nostram demutamus. Et quoniā, quæ nobis tædio, vel pudori sunt, pœna quadam esse videntur, sit vt pœnitet aliquando pro tædet accipiatur. Sane vt dicimus, me pœnitet, id est, pœna tenet, ita pœnitor, id est, pœna teneor dicimus. sed pœna hic ablatiui casus est.

L o c i   B i b l i c i.

Pœnitere, pro dolorem capere, 2. *Cor.* 7.8. vide resipiscentia. Ad pœnitentiam eum spe veniæ inuitantur peccatores, *Leu.* 5. *v.* 5.6. *Deut.* 4. *v.* 29.31. & 30.2.1. *Sam.* 7.3. *Reg.* 8. *v.* 33.34. 35.37.47.48. 2. *Paral.* 7.14. & 15.4. & 20.6. & 34.26. *Nehem.* 1.9. & 9. *v.* 27.28. *Iob* 8. *v.* 5.6. & 22.23. *Psal.* 32. *v.* 5.6. *Prou.* 28.13 *Eccles.* 17.23. *Esa.* 1. *v.* 16. 17.18. & 30.18. & 31.6. & 45.22. & 46.8. & 55.7. & 59.20. & 61. *v.* 1.2. *Ier.* 3. *v.* 1.10.12.14.17.22 & 4. *v.* 1.14. & 7.3. & 12.15. & 18. *v.* 8.11. & 26.13. & 29.12. & 31. *v.* 18.20. & 36.3. *Thren* 3.40. *Ezech.* 14.6. & 18. *v.* 11.21.27.13.32 & 33. *v.* 11.14.10. & 43.9. *Dan.* 4.24. *Ose.* 3.5. & 6.1. & 10.12. & 12.6. & 14. *v.* 2.3.5 *Ioel.* 2. *v.* 12.13. *Amos* 5. *v.* 4. *Ioan.* 3.8. *Mich.* 7.18 *Zach.* 1. *v.* 3.4. *Malach.* 3. *ver* 7.17.18. & 4.6. *Matth.* 3. *v.* 2.3.8. & 4.17. & 11.28. & 18.14. *Mar.* 1.4. & 6.12. *Luc.* 3. *v.* 3.8. & 4 18 & 5.32. & 9.13. & 13.5. & 19.10. & 24 47. *Act.* 2. 38. & 3.19. & 5.31 & 8.22. & 11.18. & 14.15. & 17.30. & 19.4. & 20.21. & 26. *v.* 18.20. *Rom.* 2.4. & 6.4. *v.* 2.2.23 28. 1. *Tim* 2.15. 1. *Pet.* 2.5.2. *Petr.* 3.9. 1. *Ioann* 1.9. *Apoc.* 15. & 3. *v.* 3.19. Pœnitentia dum sani sumus agenda est, *Eccles* 17. 24. & 18 25. sera esse debet, 1. *Reg.* 8.48. 2. *Paral.* 6 38. *Esa.* 23.18.

Pœnitentiæ capaces qui, *Luc.* 9 31. pœnitentiæ contemptus quam noxios, *Esa* 22. *v.* 12.13.14 *Ier.* 3 *Amos* 6.6. *Ag.* 1.18. *Matt.* 11. *v.* 21. *Luc* 10. *v.* 13.2. *Cor.* 12. *v.* 21. *Apoc* 9. *v.* 20.21. & 16 9.

S e n t e n t i a e   B i b l i c a e.

Pœnitentia malum aufert.

Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, quod loquutus sum aduersus eam, agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitaui vt facerem ei, & subito loquar de gente, & regno, vt ædificem & plantem illud. Si fecerit malum in oculis meis, vt non audiat vocem meam, pœnitentiam agam super bono, quod loquutus sum, vt facerem ei. *Ier* 18.

Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Dei, & non in manus hominum. *Eccl.* 2.

Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium, & iustitiam, vita viuet, & non morietur. Omnium iniquitatum eius quas operatus est, non recordabor. Numquid voluntatis meæ est mors impij, dicit Dominus, & non vt vertatur à vijs suis, & viuat? *Ezech.* 18. & 33.

Progenies viperarum, quis demonstrauit vobis fugere à ventura ira? Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ. *Matth* 3.

Bonum confert.

Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite agere peruerse, discite benefacere, quærite iudicium, subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam & venite & arguite me, dicit Dominus. Si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur: & si fuerint rubra quasi vermiculus, quasi lana alba erunt. *Esa.* 1.

Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum. *Matt.* 3.

Quoniam impletum est tempus, & appropinquauit regnum Dei: pœnitemini, & credite Euangelio. *Marc.* 1.

Dico vobis, quod ita gaudium erit in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentia. *Luc.* 15.

Sic oportebat pati Christum: & resurgere a mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes. 24.

Nunc gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam. Quæ enim secundum Deum est tristitia, pœnitentiam in salutem stabilem operatur. 2. *Cor.* 7.

Pœnitemini igitur & conuertimini, vt deleantur peccata vestra. *Act.* 3.

Auditu auris audiui te, idcirco ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla & cinere. *Iob.* 42.

Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. *Luc.* 5.

Impeditur diuinæ bonitatis contemptione.

Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, & ille abutitur eo in superbiam. *Iob.* 24.

Et misereris omnium, qui omnia potes, & dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam. *Sap.* 11.

Mundanæ voluptatis inhæsione.

Apprehenderunt mendacium, & noluerunt reuerti. Attendi & auscultaui, nemo quod bonum est loquitur: nullus est qui agat pœnitentiam super peccato suo, dicens: Quid feci? Omnes conuersi sunt ad cursum suum, quasi equus impetu vadens ad prælium. *Ierem.* 8.

Et dedit illi tempus, vt pœnitentiam ageret, & non vult pœnitere. *Apoc.* 2.

Pœnitentia perficitur corde.

Et in omnibus his non est reuersa ad me præuaricatrix soror eius Iuda in toto corde suo, sed in mendacio: ait Dominus: Reuertere auersatrix Israel, ait Dominus, & non auertam faciem meam à vobis, & non irascar in perpetuum. *Ier.* 3.

Et egressus foras fleuit amare. *Matth.* 26.

Et ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit quod Iesus accubuit in domo Simonis leprosi, attulit alabastrum vnguenti, & stans retro secus pedes eius, lachrimis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat. *Luc.* 7.

Ore.

Sed quia patiens est Dominus, in hoc ipso pœniteamus, & indulgentiam eius fusis lachrimis postulemus. *Iud.* 8.

Sacrificium salutare, est attendere & discedere ab omni iniquitate. *Eccles.* 35.

Opere, vt sit virtuosa sine mali admixtione.

Si iniquitatem, quæ est in manu tua, abstuleris a te & non manserit in tabernaculo tuo iniustitia, tunc lauare poteris faciem tuam absque macula, & eris stabilis, & non timebis. *Iob.* 11.

Pœnitentibus autem dedit viam iustitiæ. *Eccl.* 17.

Fili peccasti, non adijcias iterum: sed & de pristinis deprecare, vt tibi dimittantur. *Eccl.* 21.

Quærite bonum, & non malum, vt viuatis. Odite malum, & diligite bonum. *Amos.* 5.

Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ. *Luc.* 3.

Memor esto itaque vnde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac. *Apoc.* 2.

Fructuosa sine procrastinatione.

Septies enim in die cadet iustus, & resurget: impij autem corruent in malum. *Prou.* 24.

Non tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem. *Eccles.* 5.

Hæc dicit Dominus: in tempore placido exaudiui te, & in die salutis auxiliatus sum tibi. *Esa.* 49.

Non est enim ei bene, qui assiduus est in malis, & eleemosynas nō danti, quoniam & Altissimus odio habet peccatores, & misertus est pœnitentibus. 12.

Angustia superueniente requirent pacem, & non erit. *Ezech.* 7.

P A T R V M   S E N T E N T I Æ.

Pœnitentia aboleri peccata indubitanter credimus, & in vltimo vitæ spiritu admissorum pœniteat. *Aug de eccl. dog. c.* 48.

In tribunal mentis tuæ ascende contra te: & reum te constitue ante te, noli te ponere post te, ne Deus te ponat ante te. *In lib. de vera & falsa pœn.*

Noli negligere, quod vos prius Dominus pecsentes sustinet: quia quanto diutius exspectat vt emenderis, tanto grauius iudicabit, si neglexeritis. *ibid.*

Suae

Sunt multi, quos peccare non pudet: o incredibilis insania: de vulnere ipso non erubescis, & de ligatura vulneris erubescis. Nonne vulnus fœtidum & putridum est? confuge ergo ad medicum: age pœnitentiam: dic, iniquitatem meam ego agnosco, & peccatum meum contra me est semper. Tibi soli peccaui: quia tu solus sine peccato. *ibid.*

Iustitia de cœlo prospexit tanquam Dei dicentis: Parcamus huic nomini, quia ipse sibi nō pepercit, agnoscamus, quia ipse agnoscit: conuersus est ad puniendum peccatum suum, conuertar & ego ad liberandum eum. *In Psal.* 84.

Ad agendum pœnitentiam nō sufficit mores in melius commutare, & à malefactis recedere, nisi & de his quæ facta sunt satisfacias Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis. *lib. de pœnit.*

Inanis est pœnitentia, quam sequēs culpa coinquinat: nihil prosunt lamenta, si replicentur peccata. Nihil valet a malis veniam poscere, & mala de nouo iterare. *In Soliloq.*

Pœnitentia languores sanat, leprosos curat, & mortuus suscitat, sanitatem auget, gratiam conseruat, claudis gressum, aridis copiā, cæcis restituit visum, vitia fugat, virtutes exornat, mentē munit, & roborat. *lib. de pœn.*

Qui per pœnitentiam peccata diluit, angelicæ felicitatis consors in æternum erit. *lib. de mirac. sacr. script.*

Si quis positus in extrema necessitate suæ ægritudinis voluerit accipere pœnitentiam, & accipit, & mox reconciliatur, & hinc vadit: fateor vobis, non illi negamus, quod petit, sed non præsumimus quod bene hinc exit, si securus hinc exit, ego nescio, pœnitentiam dare possemus, securitatem autem non. Non quidem dico, damnabitur: sed nec dico, liberabitur. Vis ergo à dubio liberari? tene certum & dimitte incertum. Age pœnitentiam dum sanus es: si sic agis, dico tibi, quod securus es, quia pœnitentiam egisti, eo tempore, quo peccare potuisti. Si vis agere pœnitentiam quando iam peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa. *Serm.* 36.

Quia rogare illos non delicti pœnitentia, sed mortis vrgentis admonitio compellit, nec dignus est in morte accipere solatia, qui se non cogitauit moriturum. *ibid.*

Peccauit Dauid quod solent reges, sed pœnitentiam gessit, fleuit, ingemuit, quod non solent reges: confessus est culpam, & obsecrauit indulgentiam. *Amb. de Dauid. l.* 1.

Quod Dauid peccauit conditionis est: quod supplicauit, correctionis. Lapsus communis, confessio specialis. In culpam itaque incidisse naturæ est: dolere virtutis. *ibid.*

Qui pœnitentiam agit, paratus debet esse ad opprobria perferēda, iniuriasque subeundas: nec commoueri, si quis ei peccati sui crimen obijciat. *lib. de Ioseph. c.* 36.

Nihil peccare, solius Dei est. emendare sapientis & corrigere erratum, & pœnitentiam agere de peccato: id tamen difficile est in hac vita homini. Quid enim tam rarum, quam vt inuenias virū, qui seipsum coarguat, & factum condemnet suum? Rara itaque confessio de peccato, rara pœnitentia, rara in hominibus verbi huius assertio. Repugnat enim natura, repugnat verecundia: natura, quia omnes sub peccato: qui carnem gerit, culpæ obnoxius est. Ergo repugnat natura carnis, & illecebra sæculi, innocentiæ integritatiq. Repugnat etiam verecundia, quia erubescit vnusquisque propriam culpam fateri, dum præsentia magis quam futura cogitat. *Epist.* 3. *ad Simplician.*

Fidelior factus est Petrus, postquam fidem se perdidisse defleuit: atque ideo maiorem gratiam reperit, quam amisit. *In sermon. ad vincul.*

Quando sic pœnites, vt tibi amarum sapiat in anima quod ante dulce fuit in vita, & quæ prius oblectabat in corpore ipsum te cruciat in corde, iam tunc bene ingemiscis ad Deum. *In quodam ser.*

Amaritudinem radicis dulcedo pomi compensat: pericula maris spe lucri delectant: dolorem medicinæ spes salutis mitigat: Qui desiderat nucleum, frangit nucem: pœnitentiamq; agit, qui vult æterno adhærere bono. Præconia Christi narrare possunt, qui ad palmam indulgentiæ meruerunt peruenire. *Hieron. in Matth.*

Apud Deum non tam valet mensura temporis, quam doloris, non abstinentia tam ciborum, quam mortificatio vitiorum, propter quod tempora pœnitentiæ pro fide & conuersatione pœnitentiū abbreuianda præcipiuntur, & pro negligentia protelanda existimantur, quum pro quibusdam culpis modi pœnitentiæ sunt impositi. *In quodam serm.*

Necessaria est pœnitentia, quæ aut æquet crimina, aut certe excedat. *In epist. ad Susan.*

Quum mentem Deus ingreditur, constat procul dubio, quod mox pœnitentiæ gemitus sequatur, vt etiā salubriter flere libeat, quæ prius in iniquitatibus flenda iucunditate gaudebat: sed quo vberius culpa fletur, eo altius agnitio veritatis attingitur: quia ad videndum lumen internæ bonitatis polluta dudum conscientia, lachrimis baptizare renouatur. *Greg. in Mor.*

Apud misericordiæ iudicem ne ille fallax habebitur, qui ad veritatem reuertitur, etiam postquam mentitur, quia omnipotēs Deus dum libenter nostram pœnitentiā suscipit, ipse iudicio, hoc quod errauimus, abscondit. *In hom.* 29.

Quot habuit in se oblectamenta, tot de se inuenit holocausta: conuertit ad numerum virtutum numerum criminum: vt totum seruiret Deo in pœnitentia, quicquid ex se Deū contempserat in culpa. *In hom.* 33. *sup. Euang.*

Qui mala, quę perpetrauit, insinuat, sed flere, quæ insinuarat, recusat, quasi subiecta veste vulnus detegit, sed torpente mente medicamentum vulneri non apponit. *In Mor.*

Fit plerumque gratior Deo amore ardens vita post culpam, quam in securitate torpens innocentia. *In pag. c.* 54.

Quum in graue peccatum miser homo labitur, peccatum leue & modicum in corde affirmat: misericordiam prædicat, longum spatium vitæ promittit: permanere in peccato suggerit: vt sic in contemptum Dei & desperationem sui inducat, & pereat. *In quadam hom.*

Vnusquisque conscientia conuertitur, vt tanto maiora quærat bonorum lucra per pœnitentiam, quanto grauiora intulit dāna per culpam. *In Matth.* 3.

Quem vere pœnitet, laborem pœnitentiæ non abhorret: sed quicquid sibi pro culpa, quam odit, iniungitur, tacita conscientia amplectitur. *In hom quadam.*

Equum indomitum flagella domant, animam immitem contritio & assiduitas lachrimarum. *Bern. in quodam serm.*

Nunc lauandi tempus est, nunc purificationem patet esse necessariam: quoniam nemo mundus a sorde, nec infans, cuius vita est vnius diei super terram. *ibid.*

Quid leuius onere pœnitentiæ, quod non solum non onerat, sed & portat omnem, cui importandum imponitur? Mirum opus naturæ: vnde processit materia, inde sarcina læuigatur, & quantū crescit in massa, tantum decrescit in pondere. *In epist.*

Qui perfecte sentiunt onus peccati & animi læsionem, aut parum sentit, aut ex toto non sentiet corporis pœnam, nec reputabit, quo peccata nouerit delere præterita, & cauere futura. *In quorum sermon.*

Fugite, inquit, de medio Babylonis & saluate animas vestras, & volate ad vrbes refugij: vbi possitis & de præteritis agere pœnitentiam, & in præsentia obtinere gratiam, & futuram gloriam fiducialiter præstolari. Non vos retardet conscientia, quia vbi peccata abundauerunt, superabundare consueuit & gratia: nec pœnitentiæ austeritas ipsa deterreat. Nec enim condignæ sunt passiones huius temporis ad futuram gloriam, & præteritam culpam quæ remittitur, nec ad præsentis gratiam consolationis, quæ immittitur, non ad futuram gloriam quę promittitur. Si verbis non creditis, operibus credite, exemplis acquiescite plurimorum, currunt vndique peccatores ad pœnitentiam, & natura, pariter, & consuetudine delicati, nil credentibus impossibile: nil amantibus difficile, nil asperum mitibus: nil humilibus arduum reperitur, quibus & gratia fit in auxilium, & obedienti deuotio lenit imperium. *ibid.*

Si erramus, paruam pœnitentiam imponendo, melius est de misericordia Deo rationem reddere, quam de austeritate: vbi enim paterfamilias est largus, dispensator non debet esse auarus, & si Deus benignus, vt quid sacerdos austerus. *Chrysostom. in Matthæ.* 23.

Nunquam spernit Deus pœnitentiam, si ei sincère & simpliciter offeratur, & si ad summum quis perueniat malorum, & inde tamē velit reuerti ad virtutis viam, suscipit libenter & amplectitur. Non enim temporis longitudine, sed affectus sinceritate pœnitudo pensatur. *lib. de reparatione lap.*

Latro ille qui pendebat in cruce, non eguit prolixitate temporis, vt ingressum paradisi mereretur: sed tantum ei spatij suffecit quantum expedire potuit, donec vnum posset proferre sermonem: ita vt intra vnum momentum temporis totius vitæ sceleribus absolutus præcederet ad paradisum etiam apostolus mereretur. *ibid.*

Non dolere quia peccaueris, magis indignari atque irasci facie Deum, quam illud peccatum, quod ante perpetraueras. *In Matthæ.*

Tales sunt qui graue pondus venientibus ad pœnitentiam ponunt: quia dicunt, & non faciunt. sic dum pœna pœnitentiæ fingitur, pœna peccati futura contemnitur. Si enim fascem super humeros adolescentis, quem non potest baiulare, posueris: necesse habet vt aut fascem abijciat, aut sub pondere confringatur: sic & homini cui graue pondus pœnitentiæ imponis, necesse est, vt pœnitentiam reijciat, aut suscipiens, dum sufferre non potest scandalizatus amplius peccet. *ibid.*

Clerici peccantes difficile pœnitentiam agnot, erubescit enim aliquando fieri reus, qui semper fuerat index. *ibid.*

Qui aliquando videt clericum cito pœnitentiam agentem, & si deprehensus humiliauerit se, nō ideo dolet, quia peccauerit, sed confunditur, quia perdit gloriam suam. *In Matth.*

Pœnitentia est medicamentum vulneris, spes salutis, per quam Deus ad misericordiam prouocatur, quæ non tempore

pensatur

pensatur, sed profunditate luctus & lachrimarum: pœnitentia autem, non mensium ac temporum cursus pœna pensatur, sed pœna, qua anima cruciatur, & mortificatur caro. *Isidorus de summo bono lib. 3.*

Pœnitentia appellata quasi punientia, eo quod ipse homo in se pœnitendo punit, quod male admisit. Tria enim, quæ sunt in percussione pectoris, id est, pectus, sonus & manus, significant, quod pœnitentia est de his, quæ mente, voce & opere peccauimus. *Hug. l. 3. de myst. eccl.*

O pœnitentia: quid de te noui referam? omnia ligata tu soluis, omnia clausa tu reseras, omnia aduersa tu mitigas, omnia contrita tu sanas, omnia confusa tu lucidas, omnia desperata tu animas. *Cypr. de laud. pœn.*

Senario Psalmorum personam pœnitentis aptauit, quia sexta die homo creatur, Christus pro peccatis crucifixus, in ipso die primus homo peccauit. *Cass. in Psal. 6.*

Quid enim meruit latro, vt sic paradisum velociter introiret? quid publicanus, qui repente de téplo absolutus exiuit? ipse dedit cõfessionis subitum votum, qui denotauit & præmium. *Idem in Ps.*

Quis in sęculo peccauit enormius Paulo? quis in religione grauius Petro? illi tamen per pœnitentiam meruerunt assequi non solũ ministerium, sed etiam magisterium sanctitatis. Memores igitur estote misericordiæ, quam filio prodigo reuertenti pater euangelicus legitur impendisse, & illud: Nolite ergo ante tempus iudicare, quousque veniat tempus, &c. nam multa sunt, quæ de iudicio Dei homines ignorant: quia fortasse, quæ vos laudatis, ipse reprehendet: & quæ vos reprehenditis, ille laudabit. *Petr. Chrysologus in quodam serm.*

Agere autem pœnitentiam nihil aliud est, quam profiteri & affirmare, se vlterius non peccaturum. Ignoscitur itaque his, qui ad peccatũ ignoranter, imprudenter, incauteq; labuntur: veniã nõ habet, qui sciens peccat. *Lact. Firm. diuin. instit. l. 6. c. 13.*

Nec tamen deficiat aliquis, aut de seipso desperet, si aut cupiditate victus, aut libidini impulsus, aut errore deceptus, aut vi coactus, à iustitiæ via lapsus est. Potest enim reduci & liberari, si eum pœniteat actorum, & ad meliora, conuersus, satis Deo faciat.

Nemo potest esse tam prudens, tam circumspectus, vt aliquãdo nõ labatur. Et idcirco Deus imbecillitatem nostram sciens, pro sua pietate aperuit nobis portum salutis, vt huic necessitati, cui fragilitas carnis subiecta est medicina pœnitentia subueniret. Ergo quicunque aberrauerit, referat pedem, seque quam primum recipiat ac reformet.

Sed reuocare gradum superasque euadere ad auras,
Hoc opus, hic labor est.

Degustatis enim male iucundis voluptatibus, vix diuelli ab his possunt, facilius recta sequerentur, si earum suauitates non attigissent. Sed si eripiant se malæ seruituti, condonabitur his omnis error, si errorem suum vita meliore correxerint. Nec lucrari se quisquam putet, si delicti conscium non habebit, scit enim ille omnia, in cuius conspectu viuimus. Et si vniuersos homines celare possumus, Deum non possumus, cui nihil absconditum, nihil potest esse secretum. *Ibid. lib. 6. c. 24.*

SENTENTIAE POETICAE.

Menander.

Ἡ μετάνοια γίνετ' ἀνθρώποις κρίσις.
Pœnitentia est hominibus iudicium.

Periander.

Ἁμαρτὼν μεταμελοῦ.
Cum peccaueris, subeat te pœnitentia.

Plaut. in Aulular.

Qui homo culpam admisit in se, nullus est tam parui precij,
Quem pudeat, quin purget sese.

Ouid. l. 1. Remed. Amor.

Vtile propositum est sæuas extinguere flammas,
Nec seruum vitijs pectus habere suum.

Ibid.

Principijs obsta: sero medicina paratur,
Cum mala per longas conualuere moras.
Sed propera nec te venturas differ in horas;
Qui non est hodie, cras minus aptus erit.

Ibid.

Si cito sensisses, quantum peccare parabas,
Non tegeret vultus cortice myrrha tuos.
Vidi ego, quod fuerat primo sanabile vulnus,
Dilatum longa damna tulisse mora.
Sed quia delectat Veneris decerpere fructus,
Dicimus assidue, cras quoque fiet idem.
Interea tacitæ serpunt in viscera flammæ,
Et mala radices altius arbor agit.

Ouid. l. 1. de Ponto.

Talia cœlestes fieri præconia gaudent.
Polyanthea Nouiss.
Vt sua quid valeant numina teste probent.
Sæpe leuant pœnas ereptaque lumina reddunt,
Cum bene peccati pœnituisse vident.

Hor. 3. Carm. 24.

Scelerum si bene pœnitet,
Eradenda Cupidinis
Praui sunt elementa.

Anthol. sacr. Iacob. Bill.

Spiritualis querela.

Quidnam optem infelix? vitamne, an funera? nam quo
Plus viuo scelerum plus mihi crescit onus.
Sed quid? si moriar, iam non delere licebit
Crimina per lachrymas, quas metanœa parit.
Quidnam igitur faciam, cum mens ab vtraque trahatur
Parte, nec expediat quid mihi scire queam?
Ad te confugio, supplex tibi brachia tendo:
Et maneo ad nutus, optime Christe tuos.

Conuersio non differenda.

Conuerti ad rectos mores, & viuere sancte
In Christo meditans, quod cupit acceleret.
Cedant virtuti vanarum obstacula rerum,
Ne perdat voti tempora lenta fidis.
Quid iuuat in longum causas producere morbi?
Cur dubium expectas cras hodierna salus?
Scimus correctis veniam non esse negandam,
Sed nulli nostrum est vltima nota dies.

Qualis sit vera & seria pœnitentia.

Quem sceleris noxæque grauis bene pœnitet, illi
Perpetuus lachrimis obruit ora dolor.
Nam qui post lachrimas ad mania gaudia sese
Transtulit, ex lachrimis commoda nulla tulit.
Qui sua nunc fletu planxit saucioque dolore,
Crimina, nunc risu diffluit immodico.
Est velut is, lacrimis qui cum celebrauit amici
Funera, mox epulis nubila mæsta fugat.

APOPHTHEGMATA.

Pausanias, quum in conuiuio quodam Simonidem Philosophum orasset, vt aliquid ex sapientię arcanis in medium adferret: Simonides dixisse fertur. Memento te hominem esse. Sed Pausanias in summa tum felicitate constitutus, non magnopere philosophi dictũ curauit. Cum vero postea in Chalcœco cum fame luctaretur, iamque mortem omnium miserrimam ob oculos videret, magna voce exclamasse fertur: o Cee hospes, magnum quiddã in sermone tuo inerat: ego vero inani persuasione sum adductus, vt eum nullius momenti putarem. *Aelianus l. 1. de var. hist.*

Isæus sophista, cum primos pueritiæ suæ annos in omnibus voluptatibus contriuisset, vir factus in melius vitam instituit. Cum igitur forte cum amico deambulasset, qui ei formosam ostenderet puellam, interrogasset, vtrum formosa videretur? respondit Isæus: Nihil hîc iudico, quandoquidem desij laborare oculis. *Philostrat. in sophist.*

Theodosius Imp. dicere solebat: Nihil esse noui, si quis homo cum sit è vita excedat. Vnius autem Dei esse eum, qui semel mortuus sit, per pœnitentiam ad vitam reuocare. *Nicephorus Callist. l. 14. c. 3. Eccles. hist.*

SIMILITVDINES.

Chrysostomi. Solent Reges nato sibi filio indulgentiam in regno suo donare: sed ante transmittunt acerbissimos exactores, qui omne, quod inuenerint, exigant, ita vt indulgentia ipsa crudelior esse videatur, quam ipsa exactio, vt nihil indulgentiæ habeat præter nomen, vt lugentes illam homines, & nudi suscipiant. Deus autem & nato sibi filio, volens donare in sæculo indulgentiam peccatorum, præmisit quasi exactorem Ioannem, exigentem, & dicentem? Facite fructus dignos pœnitentia. *In c. 3. Matth.*

Quemadmodum anima pigricans, & negligens, quanquam multum ad pœnitentiam temporis accipiat, nihil operatur magni, neq; sibi Deum per desidiam conciliat: Sic qui proposito excitato feruet, atque multa cum solertia pęnitentiam ostendit, breui temporis momento peccata delere poterit. *De pœnitent. serm. 1.*

Quemadmodum in corpore vulnera & medicinæ. Sic in anima peccatum & pœnitentia. In vulnere sanies, in medicina purgatio saniei. In peccato improperium, in peccato derisio. In pœnitentia fiducia, in pęnitentia libertas, in pœnitentia purgatio peccatorum. *De pœnit. serm. 3.*

Neque perinde amnium fontes floridos reddunt hortos, vt plantam deprecationis fontes lachrimarum irrigantes faciunt in summã altitudinem excurrere. *Hom. 8. de fide Annæ, & Sam. educatione.*

Cyprianus, Sicut bonus dominus mali serui ministerio bonam facit eleemosynam: Ita & per alium licet impenitentem misericors Dominus alium reuocare vult ad pęnitentiam. *De singul. cleric.*

Operari tu putas rusticum posse, si dixeris: Agrum petrina omni

rusticitatis exercetur in illis diligenter insiste, sed nullam messem metes, nullam vindemiam premes, nullos oliueti tui fructus capies, nulla de arboribus poma decerpes? Vel si cui demum vsum nauium suadens: Materiam de excellentibus siluis mercare frater, catenam præualidis & electis roboribus intexe clauo, funib. velis vt fabricetur atque armetur nauis, operare: sed cum hoc feceris, fructum de actibus eius, & cursibus non videbis? Ita si tollas pœnitentiam, quis non statim pereat? quis non ipsa desperatione deficiat? *Lib. 5. epist. 2.*

Tertulliani. Hoc pretio Dominus veniam addicere instituit, hac pœnitentiæ compensatione redimendam proponit impunitatem. *Lib. de pœnit.*

Si qui venditant, prius nummum, quo paciscuntur, examinant, scalptus, ne ue rasus, ne adulter etiam: Dominum credimus pœnitentiæ probationem prius inire, tantam nobis mercedem perennis scilicet vitæ concessurum? *Lib. de pœnit.*

Hilarij. Pœnitentiã suam Deus memorat ad pœnam, quia puniri desineren, qui esse impij destitissent. Vt ergo figulo promptum est ani ssum vas ad eandem, vel quam volet, speciem reformare: Ita Deo facile est, quod vitiorum casus volentes se erigi, per doctrinæ suæ institutionem ad pietatem ab impietate reparare. *In Ps. 2.*

Venanti Honorij Clementiani. Sicut debitum a creditore requiritur merito: Ita peccatum a Deo in die iudicij necesse est exigatur. Nam nisi hic, dum viuimus, per pietatem eius indulgentiæ ista nobis exactio cõdonetur, actum erit de salute nostra. Vnde merito hic cuncta remitti a Patre cœlesti rogamus, vbi delicta cõmittimus: quando in futurum vt peccare non licet, ita nec vacat pœnitere. *In expesit. Dominicæ orat.*

Vt aquila per senectutem tam curuum acquirit rostrum, vt vesci nõ possit, nisi ad lapidem dein percutiendo aduncitatem frangat: quo facto, rursus edit ac bibit, & reiuuenescere dicitur: Sic peccator, qui peccatis est prægrauatus, nil spirituale ei sapiat: orietur fame, nisi ad petram Christum per pœnitentiam se fortiter ac diu percutiat, vsque ad propositi mutationem, & duritiei abiectionem. *De circumcisione.*

Petri martyris Archiepiscopi Alexandrini. Iis, qui sibi cauerunt, ne quid ciuilnoui paterentur, neque fructum aliquem fidei præbuerunt, sed sponte sua formidineq; & timore instigati, ad iniquitatem deseruerunt, & nunc ad pœnitentiam redeunt, illis necessariũ est, congruam de sterili ficu parabolam accommodare, sicut Dominus ait: Ficum quidam in vineto suo plantauerat, & venit, vt fructum in ea quæreret, nulloque inuẽto, ait ad vinitorem: Ecce tres anni, iam sunt venio, & fructum in hac ficu quæro, nullumque inuenio. Excide eam: at quid enim terram occupauit? ille respondens, ait: Domine sine illam etiam hoc anno, donec fodiam iuxta eam, & stercora adiciam, si forte fructum adferat: id si minus, in posterum excides eam. Illo ante oculos proposito magis viui erunt, si interuallo tanti temporis dignum fructum pœnitentiæ attulerint. *In canonibus de pœnit.*

Chromantij. Sicut qui caliginem noctis emensus est, iam gestit proximam lucem: & qui choleram amaram digessit, escam concupiscit & potum: Sic & metus hominis Christiani, postquam per luctus & lachrimas sua peccata digesserit, iam solam Dei instituant clarit atque sitit, & merito eius, quam desiderat, satietate gaudebit. *De octo beatitudinib. fol. 413.*

D. Bernardi, Christus alligatura non refugit: cum tamen vulnus non haberet: Nos vero, qui vulnerati sumus, obligari pœnitentia erubescimus. *serm. de circumcisione.*

Beda. Quid prodest spinis purgare agrum tuum, si non etiam aratro scindes illum, & seres in eo semen, vnde gaudeas in futuro? Ita & qui deserit peccata, & ea non plangit pœnitendo, nec bonũ post ea facere consuescit, nunquid fructuosum est peccata deserere, & bona non facere? *In verba Esaie. Lauamini, mundi estote.*

Qui plangit peccatum, & iterum admittit, quasi si quis lauit laterem crudum: quem quanto magis diluerit tanto amplius lutum facit. *In verba Dan. 9. Obsecro Domine Deus, &c.*

Beati Anselmi, Quem magni alicuius pœnitet criminis, sibi esse agẽdum more arborem magnam succidere volentis. Sicut enim ille minora in circuitu arbusta prius curat succidere, nec sibi arborẽ ipsam succidenti, possint obesse: Sic & hæc vitia minora illi crimini vicina, prius sunt extirpanda, ne quæ sibi crimen ipsum destruenti, ferant impedimenta. *In simil. c. 145.*

Lactantij. Muta quoque animalia cum fraude decipiuntur, si aliquo se modo in fugam extricauerint, fiunt postmodum cautiora, vitãtque semper ea omnia, in quibus dolus insidiasque senserũt: Sic hominem pœnitentia cautum ac diligentem facit ad cuitãda peccata, in quæ semel fraude deciderit. *Lib. 7. c. 24. de cult. diuino*

Petri Aliaci Episcopi Cameracensis Cardinalis. Vera pœnitentia velut scala quædam est, qua homo peccator, qui secundum Euangelicam parabolam descendit de Hierusalem in Hiericho, rursum in Hierusalem (hoc est, ad pacis visionem) ascendit. Huius vero scalæ sunt septem gradus, quibus correspõdent septem Psalmi, qui pœnitentiales dicuntur. In quorum primo cõplectitur *Timor* pœnæ: in secundo, *Dolor* culpæ: tertio, *Spes* veniæ: quarto, *Amor* mundit iæ: quinto, *Desiderium* cœlestis patriæ: sexto. *Diffidentia* virtutis propriæ. *In præfatione septem Psalmorum pœnit.*

Plutarchi. Vt qui æstuat febribus, æque calent siue vnam instraueris vestem, siue plures, tamen in solatium illorum multitudo vestiũ tollitur: Sic obseruandum, quibus mederi non possis. *In Moral.*

Theriaca. Quemadmodũ qui tam calidum, quã frigidum aliquando stomachum confirmant, tepidum semper robur ventris effœminant: Sic interim leuiora peccata minus promittunt pœnitentiã, quam grauiora. *In apoph. 46.*

Vt maximus nobis dolor innascitur, vbi vulnus infligitur, vel curatur: Ita sæuissima quoque ipsius carnis tempestas imminet, quando ab ipsa ad Deum conuertimur. *In apophe. 182.*

Quemadmodum nõ satis est morbum expurgari, sed intemperiem beneficio oppositorum oportet restitui, vt homo ex molesta ægritudine sanus fiat: Sic etiam & vitia nostra, quum eruta sunt, necessarium est contrariis studiis immutari. Alioqui vt illic incerta conualescentia, ita hic erit suspecta pœnitentia. *In apophe. 171.*

A D A G I A.

Sero sapiunt Phryges. *Cicero.*

Conuenit in eos, quos stulte factorum sero pœnitet. Nachrevv ist Vveiber Revv.

Cumani sero sapiunt. ὀψὲ οἱ Φρύγες οἱ Κυμαῖοι.

In adagium refertur à Strabon. Geograph. lib. 13. In illos, qui non nisi malo suo docti, parent recte monentibus.

Malo accepto stultus sapit.

Paulo diuersius extulit Hesiod.

> Δίκη δ' ὑπὲρ ὕβριος ἴσχει
> Ἐς τέλος ἐξελθοῦσα. παθὼν δέ τε νήπιος ἔγνω.
> *Tandem sua pœna nocentem*
> *Consequitur, passusque sapit tum denique stultus.*

Huc referendum & Plautinum illud in Mercatore.

Feliciter is sapit qui alieno periculo sapit. Narren soll man mit Kolben lausen.

Piscator ictus sapit. ἁλιεὺς πληγεὶς νοῦν οἴσει.

In eos, qui suo damno cautius agere discunt. Mit Schaden, oder mit Schãd vvird man vveiss. Es ist besser mit Schaden vvitzig vverden als mit Schaden.

Factum stultus agnoscis. ῥεχθὲν δέ τε νήπιος ἔγνω.

Vnde per quam eleganter Fabius apud Tit. Liuium, euentum stultorum magistrum appellat. Nec euentus doceat hoc, inquiens, qui stultorum magister est, sed ratio.

Mus picem gustans. μῦς δ' ἔτι πίσσης γεύεται

Non intempestiue dicetur in eum, quem pœnitet experimenti. Vorgethã vnd nachbedacht, Hat manchen in gross Leid gebracht.

Post acerba prudentior. παρὰ τὰ δεινὰ φρονιμώτερος.

Idest, Post mala prudentior.

Serum in fundo parsimonia. δειλὴ δ' ἐνὶ πυθμένι φειδώ.

Admonet in tempore parcendum rebus necessariis. Pers. Sat. 2.

> *Donec deceptus & expers,*
> *Nequicquam fundo suspiret nummus in imo.*

Post rem deuoratam ratio.

Quemadmodum de sera ope dicitur. Post bellum auxilia, ita de sera parsimonia dicitur, post absumptam rem supputatio.

Quod dedi, datum nollem.

Plautus Inter nouam rem, inquit, verbum vsurpabo vetus Quod dedi, non datum vellem Significat se pœnitere, quod puellæ fecerit copiam.

> Satius est recurrere, quam male currere.
> *Præstat mutare consilium in melius, quam in male institutis pergere.*

Es ist besser vmbkehren, dann vnrecht oder irre lauffen.

Optimum, aliena insania frui. *Plinius.*

> *Felix quem faciunt aliena pericula cautum.*

Admonet adagium, vt ex aliorum erratis ipsi cautiores efficiamur, & alienis periculis reddamur prudentiores. Es ist ein nuetzlich ding durch frẽbden Schaden vvitzig vverden.

Hedera post Anthisteria. κιττὸς μετ' Ἀνθεστήρια.

Quum sero quippiam exhibetur.

Atqui non est apud aram consultandum

Consultandum, antequam incipias, in ipso negotio sero consultatio.

E X E M P L A B I B L I C A.

Pœnitentiæ contemptus *exempla.* Sedecias, 2. *Paral.* 36. 13. Sacerdotes & principes *v.* 16. Israelitæ, *Ier.* 15. 7. *Os.* 7. 10. Chorazim & Bethsaida, *Matt.* 11. 20. *Luc.* 12, 13. alter Iezabel, *Apoc.* 2. 21. pœnitẽtiæ fructus, *Act.* 12. 18 pœnitentiæ prædicatio in Christi nomine *Luc.* 24. 47. pœnitentiæ prædicatio omnib. oblata, *Act.* 17. 30. pœnitẽtiæ veræ & nõ fictæ *exẽpla.* In Patriarchis, *Gen.* 42. 21. Israelitis, *Exo.* 33. 4. *Num.* 14. 39. *Iud.* 2. 4. & 19. 15. *Ier.* 50. 5. Dauide, 2. *Sam.* 12. 13. & 24. 10. Iosua. 2. *Reg.* 22. 19. Roboamo cũ pricipib. eius, 2. *Par.* 12. 7. Ezechia, 32. 26. *Es.* 38. *v.* 2. 3. Manasse, 2. *Paral.* 33. *v.* 12. 13. Esdra & populo, 1. *Esdr.* 10. *v.* 1. 2. 3. Iob, *Iob.* 42. 5. Bethulianis, *Iudic.* 7. 19. Machab. & Iudæis, 2. *Machab.* 10. *v.* 25. 26. Niniuitis, *Iona* 3. *vers.* 5. 6. 7. 8. *Matth.* 12. 41. *Luc.* 11. 32. Petro, *Matt.* 26. 75. *Marc.* 14. 71. Muliere peccatrice, *Luc.* 7. 37. Prodigo filio, 15. *v.* 17. 18. 20. Zachæo, 19. 8. Iudæis, 23. 48. *Actor.* 2. 37. Samaritanis Philippo prædicante verbum Dei recipientibus & baptizatis, 8. 12. Eunucho, *v.* 37.

*v.*37. Paulo conuerso, 9.18. *&* 22.16. *&* 26.17. *&c.* Lydda & Sarona, 9.35. Cornelio, 10.1. carceris custode, 16.33. Corinthiis, 1. *Corin.*6.11.2. *Cor.*7.9.

Pœnitentiæ fictæ & hypocriticæ *exempla* Cain, *Genesis*.4.13. Pharao *Ex* 9.27. *&* 10.16. Israelitæ, *Deu.*1.41. Saul. 1. *Sam.*15.24. Ieroboã 1. *Reg.*13.6. Achab. 21.27. Iudas proditor, *Mat* 27.4. Ananias & Saphyra, *Act.*5.1. *&c.* Agrippa. 26.28. Felix, 24.25. Simon Magus, 8.13. Elymas, 13.10. Pœnitẽtiæ frustra quæsitæ *exemplum* Esau, *Gen.* 20.38. *Heb.*12.17. pœnitentiam agentes etiam pœnarum corporalium mitigationẽ impetrãt. *Exempla.* Abimelech. *Gen.* 20.1. *&c.* Maria pœnitentiam agens liberatur a lepra, *Num.*12.11. Israelitæ pœnitentiam agentes impetrant remedium cõtra serpentes ignitos, 21.7. pœnitentiam agentibus promittitur liberatio a fame; peste, locusta, morbis, hostibus, captiuitate, &c. 1. *Reg* 8.28. *&c.* 2. *Paral.*61. *&c.* Achab, 1. *Reg.*21. *v* 4.5. Iosias, 2. *Reg* 22. *v* 19.20. Dauid, 2. *Sam.*24. *v.*16.17.1. *Paral.*21. *v.*16.17. Roboam, & principes eius, 2. *Paral.*12. *v.*6.7. Ezechias, 32.26. *Vide Ier* 25.5. *Dan.*4.24.

EXEMPLA PROFANA.

Scribit Theophrastus, *Platonem* iam ætate prouectiorem, quod non congruum terræ sedem vniuersitatis assignasset vmbilicum, pœnituisse. *Plut. in quæst. Plat.*

Otho Cæsar pœnitens imperii suscepti, postero die à cæde Galbæ, quum in augurando tempestate orta grauiter prolapsus esset, identidẽ obmurmurauit: τί γάρ μοι μακροῖς αὐλοῖς, quid me oportebat longis tibiis canere? *Sueton.*

Otho IV. Imperator anathematis fulmine ab Innocentio III. percussus, æmulum nactus est Fridericum II. nunquam postea felix, sub finem vitæ ineffabili contritione cõpunctus, in arce Hartesburg mansitabat: a Sifrido Hildeshemensi Episcopo absolutus, in pace quieuit: quam absolutionem Honorius Papa ratam habuit. Tanta autem fuisse fertur morituri pœnitudo, vt coquinariis suis iuberet collum suum calcaneis premere, & vilissimam Dei creaturam conculcare. *Crantz. lib.*7 *Saxon. c.*37.

HIEROGLYPHICA.

Christiani Theologi *Craticulam Pœnitentiæ signum* posuerunt: non tamen hic tacitam mentis exulcerationem intelligentes, sed amaritudinem conscientiæ minime simulatam, manifestissimis vero conspicuam argumentis: quippe vbi luctu, lachrimis & lamentatione conficimur ob ea, quæ nequiter & improbe patrauimus. *Pier. Val. lib.*34.

Sunt etiam, qui *Salicem* de torrente, orationis & *Pœnitentiæ* hieroglyphicum esse velint ex loco Psalmi 137. *In salicibus, in medio eius suspendimus organa nostra. Idem lib.*10.

In diuinis literis sagittæ sæpissime ponuntur pro dolorib. qui ex rerum perperam actarum conscientia cor stimulant, cõpungunt, exulcerantq;. Ita *Psal.*38. sagittæ tuæ infixæ sunt mihi. *Idem l.*42.

Vide Resipiscentia.

POETA.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Poeta, Græca dictio est, ποιητής, *ab* ποιεῖν, poeticus dicitur. Quid autem sit poeta, innuitur ab Horatio Sermonum 1. dicente, *Ingenium cui sit, cui mens diuinior, atque os Magna sonaturum, des nominis huius honorem.* Sane poeta dici Latine potest factor vel fictor: nã è ποιῶ, quod est facio, vel fingo, deriuatur: & cũ apud Græcos prima sit diphthongus οι nos abijcientes ι retinemus o, euphoniæ causa. Ne conuersi in œ, dihpthongum, quæ apud nos sonum habet solius e, & cum simpliciter secunda sit e, dissonantiam soni conficere videretur. Inde veniunt poema & poesis, ipsum figmentum, & poeticum, quod ad poetã attinet, & poetor verbum, quod est in poetica exerceor, siue poetam ago.

SENTENTIAE PATRVM.

Dæmonum cibus est carmina poetarum, sæcularis scientia, rhetoricorum pompa verborum. Nulla ibi saturitas veritatis, nulla iustitiæ refectio reperitur: studiosi eorum in fame veri & virtutũ penuria perseuerant.

Nugas tenemus, & fonte veritatis amisso opinionum riuulos consectamur.

Sacerdotes dimissis prophetijs, videmus comœdias legere, amatoria Bucolicorũ versuum cantare verba, *Hier. in epist. de duob. filijs.*

SENTENTIÆ POETARVM.

Homer. in α. Odyss.

Καλὸν ἀκουέμεν ἐστὶν ἀοιδοῦ
Τοιοῦδ᾽ οἷος ὅδ᾽ ἐστὶ θεοῖς ἐναλίγκιος αὐδήν.
Honestum est audire poetam
Talem qualis hic est, Dijs similis in voce.

Idem in θ. Odyss.

Πᾶσι γὰρ ἀνθρώποισιν ἐπιχθονίοισιν ἀοιδοὶ
Τιμῆς ἔμμοροί εἰσι καὶ αἰδοῦς, οὕνεκ᾽ ἄρα σφέας
Οἴμας Μοῦσ᾽ ἐδίδαξε, φίλησε δὲ φῦλον ἀοιδῶν.
Apud omnes homines terrestres poetæ
Honoris participes sunt & venerantia, quoniam certe illos
Polyanth. Nouiss.

Cantus Musa docuit, amatque genus poetarum.

Vrbes Homerum sibi vendicantes, secundum Aul. Gell. lib.3. c.11.

Ἑπτὰ πόλεις διερίζουσι περὶ ῥίζαν Ὁμήρου,
Σμύρνα, Ῥόδος, Κολοφών, Σαλαμίν, Χίος, Ἄργος, Ἀθῆναι.
Septem vrbes certant de stirpe insignis Homeri,
Smyrna, Rhodus, Colophon, Salamin, Chios, Argos, Athenæ,

Horat. Carm. 4. Od. 8.

Dignum laude virum Musa vetat mori:
Cœlo Musa beat.

Ibidem Od. 9.

Vixere fortes ante Agamemnona
Multi, sed omnes illachrimabiles
Vrgentur, ignotique longa
Nocte, carent, quia vate sacro.
Paulum sepultæ distat inertiæ
Celata virtus, non ego te meis
Chartis inornatum silebo,
Totve tuos patiar labores
Impune Lolli carpere liuidas
Obliuiones.

Idem de Arte poet.

Sumite materiam vestris qui scribitis æquam
Viribus, & versate diu quid ferre recusent,
Quid valeant humeri, cui lecta potenter erit res,
Nec facundia deseret hunc, nec lucidus ordo.
Quandoque bonus dormitat Homerus.
Vt pictura poesis erit: quæ si propius stes,
Te capiet magis, & quædam si longius abstes,
Hæc amat obscurum, volet hæc sub luce videri,
Iudicis argutum quæ non formidat acumen,
Hæc placuit semel, hæc decies repetita placebit.
Mediocribus esse poetis,
Non homines, non dij, non concessere columnæ.

Ibid.

Tu nihil inuita dices faciesque Minerua.
Id tibi iudicium est, ea mens si quid tamen olim
Scripseris, in Metij descendat iudicis aures,
Et patris, & nostras, nonumque prematur in annum,
Membranis intus positis delere licebit
Quod non edideris, nescit vox missa reuerti,
Siluestres homines sacer, interpresque deorum
Cædibus, & victu fœdo deterruit Orpheus,
Dictus ob hoc lenire tigreis, rapidosque leones,
Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis,
Saxa mouere sono testudinis, & prece blanda
Ducere quo vellet fuit hæc sapientia quondam,
Publica priuatis secernere, sacra prophanis,
Concubitu prohibere vago, dare iura maritis.
Oppida moliri, leges incidere ligno.
Sic honor, & nomen diuinis vatibus, atque
Carminibus venit. post hos insignis Homerus,
Tyrtæusque mareis animos in Martia bella
Versibus exacuit, dictæ per carmina sortes,
Et vitæ monstrata via est, & gratia Regum
Pierijs tentata modis, ludusque repertus,
Et longorum operum finis, ne forte pudori.
Sit tibi Musa lyræ solers, & cantor Apollo.
Natura fieret laudabile carmen an arte?
Quæsitum est, ego nec studium sine diuite vena,
Nec rude quid prosit video ingenium, alterius sic
Altera poscit opem res, & coniurat amice.

Idem Serm. l.1. Sat.4.

Quem vis media erue turba,
Aut ob auaritiam, aut misera ambitione laborat.
Hic nuptarum insanit amoribus, hic puerorum,
Hunc capit argenti splendor, stupet Albius ære,
Hic mutat merces surgente a sole ad eum, quo
Vespertina tepet regio, quin per mala præceps
Fertur, vti puluis collectus turbine, ne quid
Summa deperdat metuens, aut ampliet vt rem.
Omnes hi metuunt versus, odere poetas.
Fœnum habet in cornu longe fuge, dummodo risum
Excutiat sibi, non hic cuiquam parcet amico.
Neque enim concludere versum
Dixeris esse satis, neque si quis scribat, vti nos,
Sermoni propiora, putes hunc esse Poetam,
Ingenium cui sit, cui mens diuinior, atque os
Magna sonaturum, des nominis huius honorem.

Idem epist. l.2. epist.1.

Os tenerum pueri balbumque poeta figurat.
Torquet ab obscœnis iam nunc sermonibus aurem.
Mox etiam pectus præceptis format amicis.

Asperitatis, & inuidiæ corrector, & iræ,
Recte facta refert, orientia tempora notis
Instruit exemplis, inopem solatur, & ægrum.
Castis cum pueris ignara puella mariti
Disceret vnde preces vatem ni Musa dedisset?
Poscit opem chorus, & præsentia numina sentit,
Cælestes implorat aquas, docta prece blandus.
Auertit morbos, metuenda pericula pellit:
Impetrat & pacem, & locupletem frugibus annum.
Carmine Dij superi placantur, carmine manes.
Ille per extentum funem mihi posse videtur
Ire poeta meum qui pectus inaniter angit,
Irritat, mulcet, falsis terroribus implet,
Vt magus, & modo me Thebis, modo ponit Athenis.

Catull.

Nam castum decet esse pium poetam
Ipsum, versiculos nihil necesse est.

Ouid. l. 2. artis amandi.

Carmina laudantur sed munera magna petuntur,
Dummodo sit diues, barbarus ipse placet.
Ipse licet venias Musis comitatus Homere,
Si nihil attuleris, ibis Homere foras.

Idem lib. 3.

Quid petitur sacris, nisi tantum fama poetis?
Hoc votum nostri summa laboris habet.
Cura ducum fuerant olim, regumque poetæ,
Præmiaque antiqui magna tulere chori.
Sanctaque maiestas, & erat venerabile nomen
Vatibus, & largæ sæpe dabantur opes.
Ennius emeruit Calabris in montibus ortus,
Contiguus poni Scipio magne tibi.
Nunc hedera sine honore iacent, operataque doctis
Cura vigil Musis nomen inertis habet.
Sed famæ vigilare iuuat, quis nosset Homerum,
Ilias æternum si latuisset opus?
Adde, quod insidiis sacris a vatibus absunt,
Et facit ad mores ars quoque nostra bonos.
Est Deus in nobis, sunt & commercia cæli:
Sedibus æthereis spiritus ille venit.

Idem Amor. lib. 1. eleg. 10.

Scindentur vestes gemmæ frangentur & aurum,
Carmina quam tribuent, fama perennis erit.

Ouid. eleg. 15.

Ergo cum silices, cum dens patientis aratri
Depereant æuo carmina morte carent.
Cedant carminibus reges, regumque triumphi,
Cedat & auriferi ripa beata Tagi.

Idem Amor lib. 3. eleg. 8.

At sacri vates & diuum cura vocamur.
Sunt etiam qui nos numen habere putent.

Poetarum sors dura & misera.

Heu miseram sortem, duramque ac si dare vitam!
Quam dat doctiloquis vatibus ipse Deus.
Siue Deus seu fata ferant, seu nostra voluntas,
Sunt miseri, ingenij qui meruere ius.
Virgilius patrios miserandus perdidit agros.
Et seruus stabilis factus in vrbe fuit.
Proscriptus Getices habitauit Ouidius oras,
Et procul a patria barbara regna tulit.
Tarpeia iussus fuerat sed Horatius vrbe,
Solus Mecœnas verus amicus erat.
Ast ego Germano qui primus in orbe poeta,
Cui scripta est multis patria carminibus,
Et virtus laudata bonis scelera exagitata,
Quæ pia posteritas non sine laude canet,
Me miserum quoties iniuria facta lacessit,
Innocuam vitam commaculare studens.
Forsitan hæc nobis Deus ad meliora parauit,
Vt pateat vitæ candida fama meæ.
Accedit nostris ingens nunc cumulus ærumnis,
Infirmus lecto voluar vt ipse meo.
Iamque miser tanto cunctis despectus amicis,
Dum me paupertas vexat, & atra lues,
Scilicet aduersis rebus se prodit amicus,
Ignotus læte qui mihi rebus erat
Solus ades, nostros poteris qui auferre dolores.
O Eusemane malis vnica cura meis.
Te mea Musa rogat, quæ te super æthera tollit,
Pollicita vt regis tam mihi summa fuat.
Ni facias, venere mea, iub fera cuara supellex,
Vt mihi iam miseros comparet ore cibos.

Ioan. Campan. de poetarum miseria.

Vade qua semper populis vagantur,
Quæ manu ramis capiunt ab altis,
Quæ Notus spirat tenui susurro,
Vellera Seres.
Vade per siluas Arabum beatas,
Qui videns Phœbum gelidas ad Arctos,
Queis bis est æstem, totiesque brumam
Exhibet annus.
Aut agros illis madidos calentis,
Per gradum ad summos Zephyri volatus,
Quære per totum studiosus orbem
Diue Tridente.
Tu genus nullum reperis sub ipso
Siderum lapsu inferius poetis,
Vilius sacris nihil est Camœnis
Tempore nostro.
Quid manum prodest ferulæ minantis
Tot pati pœnas teneris sub annis,
Et meum sequi Samium bicorne
Tramite callem?
Quid iuuat longas vigilare noctes,
Igne feruentis borea furentis,
Ducere & mœsta iuuenilis æui
Tempus in vmbra?
Scribimus longos veterum triumphos,
Consulum fasces, equitumque pugnas.
Carpimus iuxtum pariter docentus
Dogmata vitæ
Viuit Argoæ dominus carinæ,
Hectoris viuit domitor superbus,
Viuit Actæa superator arcis
Carmine Minos.
Phyllidis tristi lacrimantis vmbra.
Pyramum Thysbes miserum vocantis,
Et pia diuum Halcyonis amorem
Carmina seruant.
Liberatorem patriæ Camillum,
Qui Numantinos Numidasque vicit,
Quique Cimbrorum domuit feroces
Milite turmas.
Carmen euersas Babylonis arces,
Ilyricas, Tyriasque Thebes,
Alteram Thebem penitus tacentem
Stare coegit.
Nemo tam claro genitus parente:
Nemo tam clare probitate fulsit.
Mox edax quem non perimit vetustas,
Vate remoto.
Sed sui nunquam pretium laboris
Sentiunt vates, alios & aurum
Vestit & gemmæ: miseris poetis
Trita lacerna est.
Pictor ex picta pretio figuræ
Le tuba viuit tubicen canora:
Pascit ars omnes sua sola damno
Musa poetæ est.
Iam palus tristes retinens arenas
Est, vbi fontes fuerant Medusæ,
Iam ruit rupes tibi sacra quondam
Mitis Apollo.
O duces magni, ingenuique reges
Imperatores, e quibusque clari:
O boni dominusam Heliconis omnes:
Flete ruinam.
Ergo si misera est vatum fortuna, valete
Vos mea Pierides ad fora regredior.
Iam satis indultum, steriles sat verba dedistis,
Vtiliora fori iurgia tristis erunt.
Exercete dolos, fallaxque intendite lites:
Ad vestrum redeo pessima turba forum.

Iacob. Mycillus.

Non bene conueniunt crepida cum carmine cura,
Non eadem versus cura lucrumque facit.
Pierides siluas ac otia libera quærunt,
Et vacuas inter flumina sacra vias.
At fora sollicito cura populosa frequentant.
Et strepitus vulgi, iudiciumque colunt.
Hinc est quod raros ætas habet ista poetas,
Et nostra nullum carmen ab vrbe venit.
Diuitias quando solum spectamus & aurum,
Curarum fontes, & caput omne mali:
Nec studium recti, nec fas laudatur & omnis
A pectore virtus famaque victa iacet.
Depositi vacuum Thalia pectus,

Et

Et curas fugit otiosa Clio.

Ouid. vlt. lib. de Trist. Ad amicum, exhortantem vt carmina componat.

Scribis vt oblectem studio lachrimabile tempus,
Ne pereant turpi pectora nostra situ.
Difficile est quod amice mones: quia carmina lætum
Sunt opus & pacem mentis habere volunt.
Denique non paruas animo dat gloria vires,
Et fœcunda facit pectora laudis amor.

Quomodo quis poeta fiat.

Vnde breui longum deducas tempore carmen,
Quoue modo fias Iuste poeta rogas?
Nulla fuit ignaues sequitur victoria sponte
Reges, sed forti est fama paranda manu.
Aeacides multos tolerauerat ante labores,
Quam meruit magni nomen habere ducis.
Multa tulit fecitque prius, quam contigit esse
Aeneas generum prisce Latine tuum.
Quam cupis, assiduo quærenda est fama labore,
Otia non vllos extolluere viros.
Sunt faciles musæ, at habitant in rupibus altis,
Has superato labor, cætera plana via est.
Vince modo rupes, nec duro parce labori;
Atque vltro venient in tua fata Deæ.
Ingenium non dura tibi natura negauit,
Et vincere potes, qua decet arte pedes.
Cur studium & solum deprendas Iuste laborem?
An quia non tanto carmina digna opere?
Carmina cœlestes possunt adducere Diuos,
Tartara carminibus flectere sæua potes.
Carmina crudeles demulcent sæpe labores.
Hæc magis innumeris artibus vna valent.
His quoque formosam potes exorare puellam,
Victa erit, & teneras porriget illa manus.
Cynthia carminibus quoties tibi capta Propertii?
Aut quoties lacrimas nac tibi victa dedit?
Fallitur immenso qui se spectabilis auro
Esse putat, nec spes mittit ista fidem.
Carmina sola beant, sola addunt carmina famam.
Hæc metuunt magni fulmina auita Iouis.

Poetæ & natura & arte consummati fiunt, ex arte poetica Horatij.

Natura fieret laudabile carmen an arte,
Quæsitum est, ego nec studium sine diuite vena,
Nec rude quid prosit, video, ingenium, alterius sic
Altera poscit opem res, & coniurat amice.

Poetica Horatij.

Ficta voluptatis causa sint proxima veris.
Omne tulit punctum qui miscuit vtile dulci,
Lectorem delectando pariterque monendo.

Musæ poetarum steriles.

Desperant Latiæ steriles mea castra Camœnæ.
Desperet fallax numen Apollo tuum.
Iam sat onerosis commisimus hordea sulcis.
Tuta que sunt vane sat mea colla fuco.
Tota fui studio consumpta labore iuuenta,
Pascere vt vatem vix a beata senem.
Inuidis amicis properat, nil Phœbe propinas,
Nil mihi dat Helicon, Pegasus vnda nihil.
Coccina fert humeris & serica quæque satelles,
Et Pathicus, leno, Pharmacopola, cocus.
Horum est quicquid nunc auditur in vrbe moneta,
Nil aliud vates, quam bene dixit, habet.

Despecti poetæ.

Vix dederat placidam membris nox atra quietem,
Cynthius est nostro visus adesse thoro,
Et mihi Daphnæa cinctus sua tempora lauro
Edidit hæc mæste Fuchsinage verba sono.
Quid sequeris nostras vates miserande sorores,
Quid tua Cæsaris laudibus ora teris?
Carmina da Scombris, doctas iam linque Camœnas,
Spongia sit multis versibus vna satis.
Prima nulla refert scriptor, vix ista poeta
Atra fumant, sinus compares vnde liuros.
Nulla que nunc curat Fridericus carmina, vatis
Cæsarea vates nunc ope diues erit.
Vis tua Rhenenses repleant marsupia nummi,
Vis tibi perpetua templa parare fide?
Vade cito domitas fornacis ligna ministros,
Solus habet vestri Cæsaris Haytzer opes.
Consule iam misero (si qua est via) consule vati,
Qui mea nunc solus carmina sæpe rogas,
Sed quanam Phœbi melior sententia tam te
Polyanthea Nouiss.

Lintea vel linquam, vel calefactor ero.

Poetæ venerandi & non despiciendi sunt.

Faustus Andrelinus poeta.

Nomina doctiloqui non sunt spernenda poetæ,
Nomina non viles inter habenda viros.
Rebus in humanis nil est pretiosius illo,
Qui sua Gorgoneis ora rigauit aquis.
Cui tantum natura fauet, cui spiritus ingens.
Cui furor æthereo missus ab arce venit.
Inclyta virtuti tribuit qui nomina famæ,
Quæ semel offenso quisquis ab hoste cadit.
Res tamen arcta domi est fateor, sed maxima vati
Gloria gemmiferis anteferenda vadis.
Nil habet, est ipsi contempta pecunia vati.
Charius est laudi consuluisse suæ.
Ignaui tumidos populi contemnunt honores.
Non facit ad doctos vulgus inane viros.
Nos silua, nos antra iuuant, nos deuia tantum
Rura, nemus, fontes, flumina viuus habet.
Sunt ea scribendis quæsita silentia rebus,
Aptior est multo silua nemusque foro.
Nulla tamen nostras eneruant otia mentes,
Maxima sunt vatum damna perisse dies.
Hic reposuit primas rerumque ab origine causas;
Hic sua Phœbeos sub iuga ducit equos.
Conspicit hic pigri tardantia plaustra Bootæ,
Hic nunquam vetito sidera mersa mari.
Ille Giganteo sparsa est quibus sanguine tellus,
Hic nota magnorum condit acta ducum.
Vos, quibus æterna facimus vaga murmura famæ,
Digna decet larga dona dedisse manu.
Exiguo, reliquis quæ dantur, tempore restant,
Quæ data sunt vati munera, semper habet.

Carmen, veræ opes.

Cum fueris vacuis manibus capitale verendos
Cæsaris Assyrij vrimca adire lares:
Scandere dux celsos iminit mea musa penates,
Munere regifico ni comitata foret.
Copia nulla mihi fiaui tibi nulla metalli
Cura nec occiduo ditior orbe viges.
Ergo des alter opes, ego princeps do tibi carmen,
Nec maius vates quod dare possit, habet.
Gratius argento, fuluo pretiosius auro
Carmen, & hoc tanto principe digna magis.
Vera carmen opes, nam cætera, carmina præter,
Fortuna instabili datque rapitque manu.
Excipias igitur placido mea carmina vultu,
Parua nec audacis munera sperne viri.

Carmina præstant omnibus diuitiis.

Paule decus patriæ parui lux magna Naonis,
Natus Amaltheæ gloria prima domo.
Si tibi Pactolus fuluum sine fine metallum
Afferat, aut dites Lydius Hermus aquas.
Quicquid & Eoa mediis legit Indus in vada,
Ornet inauratos, accumuletque lares.
Ni dederis lepido, mihi crede, decentius vnquam
Carmine, nam maius numina munus habent.
Est ratio, labuntur opes, sunt friuola rerum
Omnia: ab æterno carmen vbique viget.

Laus Carminum.

Magnanimo qui das regi vel rura vel aurum,
Argentum, mensas, coccina, vasa, domos.
Dat cupide Curio Crasso paruoque potenti,
Munera Fabritio perniciosa Myda.
Non aurum cupiunt, pulchra, sed laudis honores
Et decus & clari nomina clara duces.
Carmina qui regi regum fert munera, vitam
Carmina post vitæ tempora Cæsar habet.
Carmine defunctus magnus nunc viuit Achilles.
Semper & Alcides carmine viuus erit.
Diues forte suum carmen non viuis, at illud
Viuere vt feci sic voluisse facis.

Carmina neminem interire sinunt.

Gloria præclaris ducum post funera vatum
Carminibus doctis non moritura manet.
Si non tam clare referunt Carthaginis altæ
Mœnia se nobis igne perusta duo
Non celeris fuga bellantis, victa retrorsum
Hannibalis nobis, cladiferæque minæ,
Nota forent forsan non nouissemus & ipsum,
Africa quem misit nomine victa alio.
Est ea vis doctis o Cyfre iocunde, poetis,
Illis vt clades mala nocere queant.

Charta si sileant si quid bene feceris ipsa,
Mercedem facti ceperis inde nihil.
Ilion euersum quid quæso laudis haberet?
Quæque futura tibi Romule terris erat?
Sic quoque qua nullo proceras reddere menti,
Antiqua ex libris discimus illa notis.
Sic virtus, vatum fauor, atque potentia linguæ
Ac acum ab infernis restituere locis.
Dulcibus hinc epulis summi Iouis impiger astat
Hercules, ac vna fercula grata capit.
Dignos laude viros infernas scandere noctes
Non fert, sed sedes ponit ad æthereas.

Carmina lætum animum & liberum à curis omnibus expetunt. Cymbriacus.

Et tu Castalidum cultor studiose Sororum
Phosmagone, hæc quondam carmina nostra leges.
Tum dices nostra sunt Cæsar tempore vates,
Ad cytharam numeris qui tua facta ferant.
Otia si dederis totus sacrata Camœnis,
Vt tibi securi plectra mouere queant.
Qualis erat quondam vafri laudator Vlyssis,
Tunc cum Smyrnæos scriberet Iliadas.
Qualis & Andinus vates, quum fèrret in oras
Aeneam Latias, Iliacasque Deas.
Aut cum marmoreis caneret Lucanus in hortis
Prælia ciuis gesta nefanda manu.
Aut cum laudaret lepidum Verona Catullum
Delia bella suum, Cynthia bella suum
Carmina prouenient numeris deducta serenis?
Esuriens certe non bene cantat olor.
Nec magno constant vates vilissima rerum
Pars cupide vobis plurima mentur opes.
Quæ pereunt vsu, quum longas carmina honores,
Et semper laudes in noua secla ferant.

Carminum nulla merces, nec honor est.
Ad Pergerium.

De quod carmina scruis, putata
Id causæ mihi Pergeri fuisse,
Quod non est pretium meis Camœnis:
Cum sint Cæsareis coquis honores.
Et tibicinibus satis potentes.
An se-ra, esuriet sacer poeta.
Qui de carminibus potest sonoris
Annos addere Cæsari Sibyllæ.
Parcarumque colos diu morari,
Et facta inclyta mittere ad nepotes?
Sed mi, dum vigilo, perit papyrus,
Et magni emptum oleum vorat lucerna.
Tum vestes nimio teruntur vsu,
Insomnes mihi pruriunt ocelli,
Dum noctes al s meas repono.
Verum hæc nemo hominum mihi resarcit,
Sic grati pereunt dies & anni,
Occultis pedibus venit senectus,
Dum Phœbum sequor, & nouem sorores,
Et plectris ferio lyram sonoris,
Impune o mala cacitat i eauentem
Versus sollicitat furens egestas:
Et grati tamen audiunt poetam.

Carmina nil commune habent cum curis.

Anxia mens hominum, curis confecta dolore,
Non potis est cantus pandere Pierios.
Carmina proueniunt cytharam pulsanda sonoram,
Tristia cum lætis non bene signa cadunt.

Ouid. 3. de Arte amandi.

Scilicet ingenium placida mollitur ab arte,
Et studio mores conuenienter eunt.

Horat. in arte poetica.

Aut prodesse volunt, aut delectare poetæ:
Aut simul & iucunda, & idonea dicere vitæ.

Carmina scripta potoribus aquæ non diu manent.

Prisco si credis, Mecœnas docte, Cratino,
Nulla placere diu, nec viuere carmina possunt,
Quæ scribuntur aquæ potoribus, vt male sanos
Ascripsit Liber Satyris Faunisque poetas,
Vina fere dulces oluerunt mane Camœnæ.
Laudibus arguitur vini vinosus Homerus.
Ennius ipse pater nunquam nisi potus ad arma
Prosiluit dicenda. forum putealque Libonis
Mandabo siccis adimam cantare seueris.
Hoc simul edixit. Nec cessauere poetæ
Nocturno certare mero, certare diurno,

Hinc Athenæus 2. Dipnosophist. lib.

Ὕδωρ δὲ πίνων, χρηστὸν οὐδὲν ἂν τέκοι.
Aquam bibens nihil probum & vtile paries.

Camœnis, parum amœnis, longum
VALEDICTVM.

Ite leues nugæ sterilesque valete, Camœnæ
Grataque Phœbeo Castalis vnda Choro.
Ite, sat est, primos vobiscum absumpsimus annos.
Optima pars vitæ deperitque meæ.
Quærite quem capiat ieiuna cantus in vmbra,
Quærite qui pota carmina cantet aqua.
Dulcibus illecebris tenerum vos fallitis æuum,
Dum sequitur blandæ carmen inerme lyræ.
Debita militiæ molli languescit in vmbra,
Et fluit ignauis fracta iuuenta sonis.
Ante diem curuos senium graue contrahit artus,
Imminet ante suum mors properata diem,
Ora notat pallor, macies in corpore tota est.
Et tetrica in vultu mortis imago sedet.
Otia dum captas præceps in mille labores
Irruis, & curis angeris vsque nouis.
Nocte leues somnos resolutus compede fossor
Carpit, & in mediis nauita quiescit aquis.
Nocte leues somnos carpit defessus arator,
Nocte quies ventis Ionioque mari.
Nocte tibi nigræ fuligo bibenda lucernæ,
Si modo Calliopes Castra sequenda putes.
Et tanquam Libyco seruus curuata metallo
Robora & Herculea poma ferenda manu,
Peruigil in lucem dicta atque relecta reuoluis,
Et putri excutis scripta sepulta situ.
Sæpe caput scalpis, & viuos raseris vngues,
Irata feries pulpita sæpe manu.
Hinc subitæ mortes, & spes prærepta senectæ,
Nec tibi fert Clio, nec tibi Phœbus opem, &c.

SENTENTIÆ PHILOSOPHICÆ.

Poetæ multa mentiuntur. *Arist. 1. Metaph.*

Poetæ non est facta propria narrare, sed vt geri quiuerint, vel omnino necessarium fuerit. *De poet. c. 7.*

Poeta vel est vir facilis ingenij, vel furore percitus. *De poet. c. 54.*

Poeta semper imitatur, vel qualia fuerunt, vel sunt, vel qualia dicuntur, videnturve, vel qualia esse oporteat. *De poet. c. 23.*

Poetæ peccatum duplex est: per se, & per accidens. per se est, quod proposuerit imitari, quod non est imitandum per accidens proponere non recte. *ibid.*

Poetæ leuius peccatum est: si ceruam cornua habere ignorarit: quam si non bona imitatione descripserit. *ibid.*

Poeta potius credibile eligere debet, licet fieri non queat, quam incredibile, etsi fieri queat. *ibid.*

Poetarum obiectiones quinque sunt: vel quæ fieri non possunt, vel vt rationis expertia, vel quæ lædentia, vel quæ contraria, vel quæ præter artis rectam normam existant. *Arist. de poet. c. 23.*

Poetæ propria poemata perinde ac filios supra modum amant. *9. Eth. c. 7.*

Poetica licet sit syllogistica, non vtitur tamen syllogismis in actu, nec est ei propria species, quæ ei commodetur. *Auer. epit. in log.*

Poetica ars est, qua existimatur homo, quod assimilet rem alicui rei perfectione qua potest. *ibid.*

Poesis omnis, & omnis fabula poetica in vituperandi, vel laudandi genere consistit. *In poet. c. 1.*

Poesis cum inducat hominem in admirationem, dat modum philosophandi. *Alb. Mag. in 1. metaph. tract. 2. c. 6.*

Poesis ratione metri, quo ad mensuram est sub Grammatica, & quod ad intentionem, logicæ est quædam pars. *ibid.*

Poetica sermone vtitur, prout modulus pronunciatus delectatione, vel ab imitatione prouocat audientem ad aliquid faciendum, vel fugiendum. Propter quod ex variis compositis & secundum fabulam fingit tentana mendacia, quæ audientes prouocent. *In proœ.*

Poetæ theologi fuerunt, Orpheus, Musæus, & Linus, tempore quo iudices erant in populo Iudæorum. *D. Tho. 1. metaph. lect. 87.*

Poetica nihil aliud est quam philosophia tempore vetusta. Consonantia metrica, argumento fabulosa & philosophia est poetica tempore iunior, harmonia expeditior, argumento apertior. *Max. Tyr. serm. 29.*

Poetæ quod pie & iuste dixerunt recipit Plato, quæ minus recte, detestatur. *Bess. Car. in calum. Plat. l. 3. c. 8.*

Poesin nemo qui reuera poeta est absque cœlesti afflatu prorsus consecutus est. *Mars. Fic. in Plat.*

Poeticum furorem consequi vult, vt homines diuinis moribus instruantur, & mysteria diuina canantur, animum futuri poetæ sic affectum esse oportet, vt quasi tener & mollis, & vt sit intactus. facillimus enim Deo formatori se exhibere debet, & immaculatus ne sit imbutus malis formis. *Idem in Plat. Phædr. cap. 4.*

Poetæ officium est, vt naturam moresque pingere valeat, verumque vidisse. *Fic. epist. lib. 3.*

Poetam

Poetam perturbatos animos acrius imitatorem, tanquam noxium iuuentuti iubet Plato vel mutato stylo constantem habitum imitari, vel ex vrbe procul abire. *Idem in Plat. de rep. dial. 3.*

Poeticas ad fores qui absque musarum instinctu accedit sperans quasi arte quadam poetam se bonum euasurum, inanem illũ quidem atque poesin esse videbit. *Idem epist. l. 1.*

Poetæ non prudentissimi quique, & ab ineunte ætate eruditissimi optimi euasere, sed potius insani, qualem fuisse constat Homerum, & Lucretium, aut rudiores, qualẽ se fuisse testatur Hesiodus & quales extitisse Ionem & Lynnicum Chalcidæum scribit Plato, qui præter artem subito in rebus poeticis mirandi prodierũt. *Fic. Plat. Theol. lib. 13. c. 2.*

Poetæ obsceni omnino negligendi sunt, bonos enim mores corrumpunt, & animum nequitiis imbuunt. *Franc. Petr. de regno. lib. 2. c. 9.*

Poetæ cum amorem ex Ione magnaque Venere ortum fuisse dixerunt, amorem honestum eleganter admodum descripsisse significasseque videntur. *Leo Hebr. de amor. dial. 3.*

Poetæ variis diuersisque rationibus præstantissimis viris diuinitatẽ attribuerunt. *Idem ibid. dial. 2.*

Poetarum commenta plures intentiones & allegoricos sensus inuoluere & comprehendere solent. *Ibid.*

Poetæ multiplici Deorũ appellatione varias quidem diuersasque scientias intendunt pertractare. *Ibid.*

Ne Euripides quidem Alcestidi tragico poetæ respondit, probabile apud quem cum quereretur quod eo triduo non vltra tres versus maximo impenso labore deducere potuisset, atque is se centũ perfacile scripsisse gloriaretur: Sed hoc inquit, interest, quod tui in triduum tantummodo, mei vero in omne tempus memoriæ metas current: alterius cunctante stylo elucubratum opus, per omne æui tempus plenis gloriæ velis feretur. *Valer. Max lib. 3. de fiduc. sui.*

Istæ ineptiæ poetis relinquantur, quibus aures oblectare propositum est, & dulcem fabulam nectere: sed qui ingenia sanare, & fidem in rebus humanis retinere, ac memoriã officiorum animis ingerere volunt, serio loquantur & magnis viribus agant. *Seneca lib. de benefic.*

Poetæ ex immortalitate Deos genitos asserunt, eosque atrociora facinora perpetrasse, tamen pertulisse asserunt, quam hominum nefariorum filios: talesque fabulas de ipsis commenti sunt, quales nemo contra suos inimicos dicere audeat. *De impie. poet. Isocrates in Busiride.*

Plato in dialogo, qui Ion inscribitur, carmina illa solum diuina, musica, musarumque furore infusa poetis existimat, quæ quando musica humana cantantur, & cantorem ipsum & audientes quodammodo concitant in furorem. *M. Fic. lib. 1. epist.*

Plato & Pythagoras Homerum Hesiodumque hominum cœtu ad inferos expulerunt, quod partim tanquam ingrati diuina ad homines, partim tanquam impii humana ad Deos transtulerint.

Atque sic à summis eruditissimisque hominibus accepimus: cæterarum rerum studia, & doctrina & præceptis, & arte constare, poetam natura ipsa valere, & mentis viribus excitari, & quasi diuino quodam spiritu inflammari. Quare suo iure noster ille Ennius sanctos appellat poetas, quod quasi Deorum aliquo dono atque munere commendati nobis esse videantur. Sit igitur Iudices sanctum apud vos humanissimos homines hoc poetæ nomen, quod nulla vnquam barbaria violauit, saxa & solitudines voci respondent. Homerum Colophonij ciuem suum esse dicunt. Chij suum vendicant. Salaminij suum reputant. Smyrnæi vero suum esse confirmant. Charus fuit Africano superiori noster Ennius: itaque etiam iam in sepulchro Scipionum putatur is esse constitutus. Quid noster hic magnus, qui cum virtute fortunã æquauit? Nonne Theophanem Mitylenæũ scriptorem rerum suarum, in concione militum ciuitate donauit: & nostri illi fortes viri, sed rustici milites, dulcedine quadam gloriæ commoti, quasi participes eiusdem laudis, magno illud clamore approbauerunt? *Cic. in oratione pro Archia poeta.*

Quid poetæ? nonne post mortem nobilitari volunt? vult ergo illud?

Aspicite o ciues, senis Ennij imaginis formam,
Hic vestrum pinxit maxima facta patrum.

Mercedem gloriæ flagitat ab his, quorum patres affecerat gloria. Idemque:

Nemo me lachrymis decoret, nec funera fletu
Faxit cur? volito viuus per ora virum.

Mihi vero ne hæc quidem notiora & illustriora carere vi diuina videntur, vt ego nec poetam graue plenumque carmen sine cœlesti aliquo mentis instinctu putem fundere, aut eloquentiam sine maiore quadam vi fluere, abundantem sonantibus verbis, vberibusque sententijs. *Cic. lib. 2. Tusc. quæst.*

Alexander Magnus inter spolia Darij Persarum regis vnguentorum scrinio capto, quod erat auro gemmisque ac margaritis pretiosum, varios eius vsus amicis demonstrantibus (quando tædebat vnguenti bellatorem & militia sordidum.) Imo hercule, inquit, librorum Homeri custodiæ detur: vt pretiosissimũ humani animi opus, quam maxime diuiti opere seruaretur. Idem Pindari vatis familiæ penatibusq. iussit parci, cum Thebas caperet. Aristotelis philosophi patriam suam condidit: tantæque rerum charitati, tam benignũ testimonium miscuit. Archilochi poetæ interfectores Apollo arguit Delphis. Sophoclẽ Tragici Cothurni principem defunctum sepeliri Liber pater iussit, obsidentibus mœnia Lacedæmonis: Lysandro eorum rege in quiete sæpius admonito, vt pateretur humari delitias suas. Requisiuit rex quis supremum diem Athenis obijsset: nec difficulter ex ijs quæ Deus significasset, intellexit: pacemque funeri dedit. *Plin. l. 7. c. 29.* *Polyanthea Nouiss.*

Sapientissimi, qui de poeticis quicquam eloquuti sunt, primã quandam philosophiam poeticam esse asserunt. Antiqui vero poeticã primã philosophiã quandã esse perhibẽt, quæ ab ineunte nos ætate ad viuendi rationes adducit, quæ mores, quæ affectiones edoceat, quæ res generosas cum iucunditate præcipiat: posteriores vero solum poetam ipsum sapientem esse asseuerunt. Quamobrem Græcorum ciuitates, ab ipso primordio, eorum liberos in poetica erudierunt, non vtique voluptatis, sed castæ moderationis gratia. Nunquid & poetarum auditoribus nihil confert ad virtutem, vt locorum multorum, & militiæ & agriculturæ gnari existant? *Strab. in primo.*

Denique credamus summis oratoribus, qui veterum poemata, vel fidem causarum, vel ad ornamentum eloquentiæ assumũt. Nam præcipue quidam apud Ciceronem frequentius tamen apud Asinium etiam & cæteros qui sunt proximi, vidimus Ennij ac Pacuuij, Lucilij, Terentij, Cæcilij, & aliorum inserri versus, summæ non eruditionis modo gratia, sed etiam iucunditatis, cum poeticis voluptatib. aures à forensi asperitate respirent. Quibus accedit non mediocris vtilitas, cum sententijs eorum velut quibusdam testimonijs quæ proposuere confirment. *Quin. lib. 1.*

Sententijs quidem poetarum nõ orationes modo sunt refertæ, sed libri etiam philosophorum. Et quanquam inferiora omnia præceptis suis ac literis credunt, repetere tamen authoritatem a pluribus versibus, non fastidierunt. *Idem lib. 5.*

Omnis oratio poetica vel est laudatio, aut vituperatio. *Arist. lib. 1. poetica.*

Doctissimum quemque sic poetica prodidisse animaduerto, veluti sit ea prima quædã philosophia, quæ nobis ab incunabulis quodam modo vitæ rationem commonstrent: quid agendum, quidve declinandum musica iucunditate præscribat, adeo vt nonnulli postea dicere minus addubitarint, poetam solum esse sapientẽ. Quo nomine Græcorum nobilissimi ab ineunte ætate sic instituebantur, non quia voluptatem toto impetu captarent, sed vt optimis statim moribus imbuerentur. Quoniam se esse morum magistros musici profiteantur, idque cum Pythagoricis comprobat Aristoxenus: item & Horatius *lib. 2. epist. 1.* sic inquiens, O tenerum pueri, &c. vide supra.

Homerus literarũ parens in Clytemnestræ custodia poetas, cantores & castigatores esse putat, vt qui philosophi sint, ac ex Musis ὁμοιασία t, quũ & sapientiæ magnitudine etiam vaticinij censeantur. *Ex Cœlio in antiq. lectionib. l. 7. c. 1 desumpta.*

Ennius sanctos appellat poetas, quod quasi aliquo Deorum dono atque munere commendati nobis esse videantur, proinde minus mirum si non alium esse poetam, quam virum bonum, statuunt prudentiores. Adeo autem multiplex poetarum eruditio est, adeo necessaria, summis coniuncta emolumentis, vt nec desint qui solutam orationem poetices videri imitationem, argumentis astruere nitantur, ceu poetæ primum prodierint, mox qui metrũ soluerint, Cadmus, Pherecydes, Hecateus, quod prima in Homerum scribit commentatione Eustathius. Et quia genus id orationis magnitudinem habet ac sublimitatem, estque, ἐποχούμενον est, equo vehitur, inde quæ talis non est oratio, ea humilitate pedestris dicitur, vt quæ ex alto in solum sit delapsa paulatim: ita vt Rhetoricæ elocutionis & artis dicendi fons, sit ipsa poetica. *Cic. in orat. pro Archia poeta.*

Plato in lib. 2. de Repub. poetas Deorum filios vocat: in Lyside adeo poetas admiratur, vt eos sapientiæ patres nuncupet, ac duces. Et in Ione carminis excellentis poetã non arte fieri scribit, sed afflatu diuiniore. Imo vero, inquit: Musa diuino instinctu concitat poetas: concitati poetæ, alios furore corripiunt, vt fiat annulorũ quodammodo mirus ordo, qualem creditur magnes efficere. Addit & paulo post: Nil aliud esse poetas, quã Deorum interpretes, dum afflantur furore. Porro idem in Phædro scribit, non hominũ esse inuenta præclara poemata, sed cœlestia munera. Argumẽto illud esse, quod nemo etiam si orbem doctrinarum obierit accuratissime, excellens euaserit poeta, ni cœlestis ille vigor & concitatio accesserit feruentior: vt vera fiat illa assertio ex Fast. 6.

Est Deus in nobis, agitante calescimus illo,
Impetus hic sacræ semina mentis habet.

Hanc diuinitatem poeticam & Democritus astruxit. Plato item in Cratylo scrutans, qui sint verorum nominum Doctores, Sophistas irridens poetas censet adeundos, nec quoslibet etiam ex

trivio, sed divinos. Ceu a Diis hi plane didicerint nomina rerum vera apud quos ea demum reperiantur.

Poetæ nomen inde propagatum scribit Eustathius, quod ποιεῖν significet ἐμμέτρως, cantare vel scribere. Fabius Quintilianus inquit, perito quodam initio infusum, & aurium mensura, & similiter decurrentium spatiorum observatione esse generatum, mox in eo repertos pedes. Aristoteles poesin ex imitatione natam primum ostendit: quoniam imitandi studium sit ab ineunte ætate hominis innatum, & eo a brutis differat. Mox subdit, Ad metrum natura proclives maxime paulatim produxisse poesin, ac genuisse, ἐκ τῶν αὐτοσχεδιασμάτων, quod non aliud sonare videtur, quam ex rudi Principio. Ex hac imitandi ratione, vnde poesis ortum ducit, divulsa disparataque ars est, ac abijt quodammodo in mēbra plura, sicuti hymnos alii, & laudes concinnarunt, alij lyrici, alii comici, quidam tragici vocantur: communi nomine omnes poetæ Lyrici dicti, quod ad Lyram eorum carmina concinuntur, vt Pindari principis in hoc genere. Monodorum peculiare est, sub vna tantum persona argumentum explicari quodlibet, quod illi dicunt μονοπροσώπως ἀπαγγέλλεσθαι. Est enim monodiæ, carmus lugubris: Comicorum, risus est proprius cum choris & personis: Tragicis, familiaris est miseria & calamitas. *Cælius lib. 7. Antiq. lectio. c. 4.*

Plurimum dicit oratori conferre Theophrastus lectionem poetarum, multique eius iudicium sequuntur, neque immerito: namq; ab ijs & in rebus spiritus, & in verbis sublimitas, & in affectibus motus & omnis decor petitur, præcipueque velut attrita quotidiano actu forensi ingenia optime rerum talium blanditia reparantur. Meminerimus tamen non per omnia poetas esse oratori sequendos, nec libertate verborum, nec licentia figurarum genus ostentationi comparatum: & præter id quod solam petit voluptatem, & eam non falsa modo fingendo, sed etiam quædā incredibilia sectatur, patrocinio quoque alieno iuvari, quod alligari ad certam pedum necessitatē, non semper vti proprijs possint, sed repulsi a recta via, necessario ad eloquendi quædam diverticula confugiant, nec mutare quædam modo verba, sed extendere, corripere, dividere cogantur. Nos vero armatos stare in acie, & summis de rebus decernere, & ad victoriam niti decet. *Hæc Quint. lib. 1 c. c. 1. de copia verb.*

Poetarum optimæ sententiæ discendæ, & quæ alij viri eloquentes vtiliter præceperunt, legenda sunt: nam vt apes videmus omnibus quidem flosculis insidere, sed de singulis vtilia carpere: sic eruditionis comparandæ studiosos nihil inexploratum relinquere, sed vtilia vndiq; colligere decet. *Isocrat. in Paranesi ad Demonic.*

APOPHTHEGMATA.

Gorgias dicebat tragœdiam esse deceptionem, qua qui alterum decepisset eo qui non decepisset: & qui deceptus esset, sapientior foret eo qui non esset deceptus. Fallit enim tragœdia tractās argumenta conficta, sed adeo scite, vt vera credantur. Iustior autē ille videtur, qui fallendo prodest: sapientior est, qui per fictas fabulas discit quid sit turpe: quid sit honestū. *Plut. de poetis audiendis*

Lacones nec comœdias nec tragœdias poetarum audiebant, vt poterant in quibus cōtra omnes leges, stupra, incestum, adulteria, iniuriæ, furta, cæteraque flagitia exprimantur. Nec placuit his quorundam excusatio, qui fabulas ad voluptatem fingi, non ad fidem veri dicunt: cum hæc voluptas imbellium animos corrumpat. Hanc ob causam Archilochum poetam cum venisset Lacedæmonem, ea hora expulerunt: quod intellexerant ab illo scriptum, satius esse abijcere arma quam mori. *Plutarchus in Lacon.*

Anonymus. Lacedæmonius quidam percontanti, quid ipsi videretur Tyrtæus poeta? Bonus, inquit, ad depravandos iuvenum animos. Quemadmodum Plato iudicabat Homeri poesin inutilem esse Reipubl. qualem instituere volebat: ita Lacedæmonij non recipiebant poetas, qui blanda scriberent potius quam salubria. *Plut. in Lacon.*

Demonax: Admeto poetæ insulso, iactanti epigramma monostichō quod testamento mandasset suæ addendum statuæ (carmē erat: *Corpus humus tegitur, Admetus ad astra volavit.*) respondit, adeo sibi placere carmen, vt magno emptum cuperet, si iam nunc esset ascriptum. Tecte optans illi mortem, qui vita indignus erat. *P. M. lib. 8. apoph.*

Attius poeta interrogatus, cur non ageret causas, quum in tragœdijs optime tractaret argumenta? Quoniam, inquit, in tragœdijs ea dicuntur, quæ ipse volo: in foro adversarii dicerent, quæ minime vellem. Idem fit in dialogis, vbi qui scribit opus, vnicuique tribuit orationem, qualem putat esse commodam: in iudiciis secus fit. *P. M. lib 6. apoph.*

Euripides, cuidam dicenti, Carmen condidisti ex modis ad tripudium accommodis: alio dictum hoc ridente, Nisi stupidus esses, inquit: non risisses, quod res serias Lydijs modis temperarim. Lydij modi lasciviores sunt. Porro quæ per se tristia sunt, ea decet arte exhilarare. Refert hoc Plutarchus libello περὶ τοῦ ἀκούειν. Quū Euripides choream agentibus succinuisset cantionem quandam modulatam, vnus illorum risit. Cui poeta: Nisi stupidus esses, & expers affectum, haudquaquam risisses me canente mixo lydium. *P. M. 6. apoph.*

Pinarius montanus Attilij Butæ carmen recitabat. Quumque quidam indignaretur, quod toto die recitasset, negaretque ad illius recitationem accedendum, Macte Pinarius ait: Nūquid possum liberalius agere? paratus sum illum audire ab exortu solis vsque ad occasum. Gaudebat enim is poeta subinde repetere ortus & occasus descriptionem. Notat autem & Horatius eos, qui ornatus gratia vel immodice, vel non suo loco affectant tales descriptiones:

Aut flumen Rheni aut pluvius describitur arcus.

P. M. lib. 8. apoph. ex Senec.

Varus. quum à Montano recitarentur versus, quibus exortus solis describebatur: Varus eques Romanus dixit: Incipit Buta dormire. Rursus quum succederet descriptio occasus. Qui dicit iam quit, iam nox est, ibo, & Butam salutabo, eodem scommate taxans & affectatum carminis decus, & Butæ præpostrram vitam. *P. M. ex Senec.*

Pausanias Cleombroti F. interrogatus, cur Tyrtæum poetam Spartæ civem fecisset: Ne quis, inquit, externus dux nobis fuisse videretur. Poetæ enim apud Lacedæmonios in nullo plane erant precio, sed ob lasciviam ex vrbe eiecerunt. *Plut. in Lacon.*

Philoxenus Dionysium sua carmina recitantem quum alij per assentationem laudarent, exclamavit, Abducite me in latomias. Subindicans hoc esse tolerabilius, quam audire laudareque eam mala poemata. Nam antea rex offensus, miserat illum in lapidicinas. *P. M. lib. 6. apoph.*

Sylla, quum ipsi libellum malus poeta de populo subiecisset: quod in eum epigramma fecisset, tantummodo versibus alternis longiusculis, statim ex his rebus quas tum vendebat, iussit ei præmium tribui, sub hac conditione, ne quid postea scriberet. Existimabat ille etiam mali poetæ operam aliquo dignam premio. Simul autem & silentium redemit ab eo qui scribere nesciret: quēadmodum facetus quidam apud nos, si quando incidisset in malum tonsorem, dabat duplum pretium, hac lege, ne raderet. *P. M. lib. 6. apophthegm.*

SIMILITVDINES.

Absolonis: Qui ingenium suum ad poetas & philosophos convertit, quasi qui aureum hamum mittit in lutosam aquam: quia pro re vili in profundo detinetur: nec potest iactura lucro piscis cōpensari. *in serm. 5. de Christi adventu.*

Plutarchi. Quemadmodum in vite luxuriantibus folijs ac palmitibus sæpe fructus occultantur: Ita in poematibus, figuris ac fabulis luxuriantibus, multa cognitu vtilia fallunt adolescentem. *In Moral.*

Non sic est parendum poetis aut philosophis, quemadmodum pueri obtemperant pædagogis, sed quemadmodum Cato puer parebat quidem pædagogo iubenti, sed rogabat quam ob causam. *In Moral.*

Vt Mandragora iuxta vites nascens vinum reddit lenius: Ita philosophiæ ratio admota poeticæ, moderatiorem efficit eius cognitionem. *In Moral.*

Quemadmodum, iuxta Philoxenum, suavissimæ sunt carnes, quæ non sunt carnes: & iucundissimi pisces, qui non sunt pisces: Ita maxime delectat admixta philosophiæ poesis, & poesi admixta philosophia. *In Moral.*

Vt Simonides dixit: stupidiores esse Thessalos, quam vt a se decipi possent: Ita qui feliciore sunt ingenio, citius a poetis corrumpuntur. *In Moral.*

Vt qui subito è summis tenebris in lucē educitur, magnopere perturbatur, nisi paulatim lumini assueverit: Sic in poetis prælegēdis, philosophorum opiniones inspergendæ in animos puerorum, ne postea ad tam diversas doctrinæ rationes perturbentur. *In Mor.*

Vt apes ex amarissimis floribus, & asperrimis spinis mel suavissimum ac lenissimum colligit: sic ex turpibus ac sceleratis fabulis vtcunque decerpi potest aliquid vtilitatis. *In Moral.*

Vt in his locis vbi multæ nascuntur herbæ ad remedium efficaces, in ijsdem multæ nascuntur lethales. Sic in poetis multa præclara, multa pestifera. *In Moral.*

Si multi inebrientur vino, non ob id incidendæ vites, ita vt fecit Lycurgus, sed propius admovēdi fontes. Ita si multi abutuntur poetica, non protinus abijcienda, sed adhibenda cautio, vt fiat salutaris. *In Moral.*

Non vt invenire licet sacra sine tibijs & choro: Ita poesim absque mendacio licet invenire. *In Moral.*

Quædam per se nō pulchra, quibusdam ob id bona sunt, quod apta: Ita laudantur in poetis quædā, quod congruunt personę tametsi alioqui fęda. Demonides claudus precabatur, vt crepidę quas furto amiserat, quadrarent ad pedes eius, qui sustulisset. *In Mor.*

Venenum admixtum cibis, pestilens sentētia admixta rebus vtilibus ac iucundis. *In Moral.*

Vt apicula ex flosculis succum mellis colligit, cum alij non delectē-

tur, nisi colore & odore: Sic philosophiæ studiosus & ex poetis inuenit quod ad bene viuendum conducat, cum alij tantum voluptate delectantur. *In Moral.*

Quemadmodum medici cantharidis, quæ lethale venenum est, pedibus tamen & alis ablatis ad remedium vtuntur: Ita licet ex eadē poesi decerpere, quo medearis illius veneno. Nam semper aliquid admisceat, quo significēt se damnare, quod narrat. *In Mor.*

Seneca: Quemadmodum nomenclatori memoriæ loco audacia est, & cuicunque nomen non potest reddere, imponit. Ita poetæ nō putant ad rem pertinere, verum dicere, sed aut necessitate coacti, aut decore corrupti, id quemque vocari iubent quod belle facit ad versum. *Lib. de Benefic. 1. c. 3.*

P. M. Qui biberint ex Clitorio lacu, ijs vini tædium oboritur: Ita qui semel gustarint poeticen, abhorrent à philosophiæ præceptis, aut contra, siue qui se mundanis voluptatibus ingurgitant, ab honestis illis ac veris oblectamentis. *In similibus.*

Sicut imitatitia vina quæ figmentis conficiuntur apud quosdam, hactenus assequuntur vina vim, quod inebriant, non tamen perinde reficiunt cordis vigorem: Ita quidam quod in poetis est vitij, id assequuntur, nempe obscœnitatem: cæterum eloquentiam, venustatem, eruditionem non possunt exprimere. *In Similibus.*

Hieroglyphica.

Aegyptij Sacerdotes poesin eroticam (nam de sua sanctius sentiebant) significaturi, *Polypi caput* effingebant: quod quidem esculentis appositum suauissimi saporis, ganeæque iucundissimum esse perhibetur: cæterum horrenda prodigiosaque somnia parere deprehensum est. Persimilem autem huic poeticen esse dictitabant, quæ fabulas amatoriasque illecebras sectaretur. ipso quidem dicendi lepore delectabiles, sed bonis moribus & honestiori disciplinæ maxime perniciosas. *Pier. Val. lib. 27.*

Boni quoque Poetæ symbolum est *Cygnus*. Nam veluti Cygni senio confecti, argutioribus ob gutturis exilitatem organis effectis, suauiorem simul & vocaliorem emittunt vocem: ita etiam boni poetæ, quo magis per ætatem profecerunt, scribere iidem solent elegantius & sapientius. *Pier. Val lib. 23 c. 2. &c.*

Omnium autem consensu receptum est per *apes* hieroglyphicon poeticam intelligere amœnitatem, vt Horat. lib. 1. Epist. 19. *fidis enim manare poetica mella Te solum, tibi pulcher*, & vt ait Varro, Apes causa Musarum dicuntur esse volucres, quod si quando displicatæ sunt, cymbalis, plausibus & numeris reducuntur in vnum locum. Mel, propterea quod dulcedine præstat, magnoque Apum labore conficitur, vim, artem, diligentiam partarum significat. Hinc lyricus vates, lib. de arte poetica.

> *Vos o Pompilius sanguis, carmen reprendite. quod non*
> *Multa dies & multa litura coercuit, & quod*
> *Perfectum decies non castigauit ad vnguem.*

Ipse autem de se canit, carm. lib. 4. od. 2.

Ego apis Matinæ more modoque. Reliqua vide apud *Pierium Valer. lib. 26. cap. 5.*

Lasciuos autem poetas & insulsos versificatores Adamantius Origenes & alij Ranis coaxantibus apposite compararunt. Nulli enim rei rana idonea vel vtilis comperitur, nisi quod improbis & importunis clamoribus ad negotiosorum atque otiosorum simul fastidium vsque obstrepat. Quid autem improbius vel magis importunum carmine impuro, ridiculo, barbaro, vel Volusianos annales referēte? Aliter sentit *Pierius*, malos poetas a laudatis haud distinguens, *lib. 29 c. 43.*

Quod vero Poetis hedera decerneretur, vt vna cum lauro coronā eorum perficeret, non tam perpetuus vtriusque viror, qui diuturna eorum opera significaret, in causa fuit, quam vt ostenderetur, eos qui digni hederis euasissent, laureamque meruissent, & ingenio & arte præcelluisse: per laurum enim insitam ingenio vim, ac venæ fœcunditatem Apollinis irradiatione locupletem intelligebant; per hederam vero artem & industriam peruigili labore partam. Cuius rei id est indicium, quod hedera suapte vi admodum imbecilla humi semper reperet, neque se vnquam attolleret: pertinaci tamen labore artificiosoque conatu peruincit, vt vel arboribus vel parietibus adhærescens, paulatimque irrepens, supra omnium fastigia victrix euadat, vt supremo in vertice dominetur: vtroque enim opus est, si quis velit excellere: nisi vero excelluerit, nihil quicquam profecit, quia teste Horatio, de arte poetica.

> *Mediocribus esse Poetis*
> *Non homines, non Dij, non concessere columnæ.*

Et sapienter idem eodem lib.

> *Ego quid ista sum sine diuite vena,*
> *Nec rude quid possit video ingenium: alterius sic*
> *Altera poscit opem res, & coniurat amice.*

In eandem sententiam cecinit Pindarus poetas lacte simul & melle pasci: quorum lac naturam facundiæ vbertate affluentē, mel artem laboriosumque proficiendi conatum ostendit. *Lib. 51. c. 18*

Philostratus, lib. 1. Iconum de Phaetonte, de Cygnis ait, *leni atque in- cogruo itinere ad cantum Fauonio vento vtuntur.* Et Gregorius Nazianzenus in epistola ad Celeusium, loquacitatem improbans, & cōtra commendans taciturnitatem, hæc habet: *Sed nos, quorum gracia quispiam vel in solitudinem concesserit, vt musicam audiat, si quando Zephyro spirante alas nostras permiserimus, iucundum quid & concinnum modulamur.* Præfert autem eo loco Cygnorum suauem, quamuis rarum, cantum hirundinum intempestiuæ garrulitati, ac introducit Cygnos eo modo hirundinibus respondentes. Hieroglyphicon illud viris literatis & doctis conuenit, præsertim poetis, quibus ad sua studia prosequenda & excolenda, doctrinaque monumenta præclara elaboranda, opus est Mecænatum fauore & auxilio, quibus ad omnia reddantur alacriores, iuxta dictum illud,

> *Sint Mecænates, non deerunt, Flacce, Marones.*

Et Seneca in Hippolyto:

> *Ingenia melius recta se in laudes ferunt,*
> *Si nobilem animum vegeta libertas alit.*

Et neotericus quidam scripsit:

> *Dulcisonum molles Zephyrus dum alces olorem,*
> *Et vatum stimulas pectora diues honos.*

Emblema.

Insignia Poetarum.

Emblema CLXXXIII. And. Alciati.

> *Gentiles clypeos sunt qui in Iouis alite gestant,*
> *Sunt quibus aut serpens, aut leo signa ferunt.*
> *Dira sed hæc vatum fugiant animalia ceras,*
> *Doctaque sustineat stemmata pulcher Olor.*
> *Hic Phœbo sacer, & nostræ regionis alumnus,*
> *Rex olim, veteres seruat adhuc titulos.*

Emblema CCIV. eiusdem.

> *Haudquaquam arescens hedera est arbuscula, Cisso*
> *Qua puero Bacchum dona dedisse ferunt.*
> *Errabunda, procax, auratis fulua corymbis,*
> *Exterius viridis, cætera pallor habet.*
> *Hinc aptis vates cingunt sua tempora sertis,*
> *Pallescunt studijs, laus diuturna viret.*

POLITICA.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Politica, πολιτική, ciuilis scientia. Cicer. in Rhet. ciuilitas Quintil. Ciuilis facultas. Arist. in Polit. πολίτης, ciuis, popularis, municeps, πολιτικός, ciuilis, ἄξιος, reipub. gerendæ peritus, ciuilibus negotijs implicitus, publicarum priuatarumque rerum administrationi accommodatus.

Politica societas originem trahit a Deo & natura hominis: quia ad societatem homo naturæ lege atque instinctu fertur, tanquam a causa impellente interna, ad quam deinde accessit mouens externa, nempe vitæ accommoditas, propter quam homines in societatem conuenerunt.

Humana societas certis gradibus ac progressionibus minorum societatū ad maiores peruenit: ita quidem, vt cū primo omniū sola foret societas inter maritum & vxorem: postea etiam tota domestica societas coaluerit, & ea domesticis societatibus integræ familiæ gentilitiæ, quibus & extraneæ additæ sunt, sic, vt distinctis locis habitantes primum vicos, deinde pagos, post oppida & vrbes, denique prouincias & regna constituerunt.

Status politici, siue Reipubl. septem formas docti tradunt. Harum tres vocantur simplices, nempe Monarchia, Aristocratia & Democratia. Reliqua quatuor mixtæ, nempe ex tribus temperatæ dicentur. Prima ex omnibus tribus simplicibus, secunda ex Monarchia Aristocratia; tertia ex Monarchia Democratia: quarta denique ex democratia & Aristocratia composita censetur.

Primus & perfectus status is est, in quo vnus regit, cæteri parent. Is dicitur Monarchia, quoniam in vnitate consistit, & multitudinē subditorum reducit ad naturalem vnitatem. Status est politicus maxime ordinatus, faciliusque finem reipublicæ propositum assequitur: quia facilior ibi est gubernatio, siue spectes intentionē consiliorum, siue eorundem executionem, atque adeo si attendas legum promulgationem, vel obseruationem.

Est item Monarchia reipublicæ status omnium firmissimus & ma-

xime diuturna: quia nempe maxime vnus & ordinatus est, quod autem maxime vnum est, difficulter diuiditur: quia vnum maxime repugnat diuisioni, siue multitudini, quæ diuisionis est mater. At si consideretur non quidem id quod sua natura præstantius est, sed quod humanæ vitæ, nec non imbecillitatum humanarum respectu vtilius est siue optabilius; nō semper aliis reipub. formis Monarchia præferri debet: quia imbecillitas humana nō semper concedit, vt vnus aliquis reperiatur, qui cæteris omnibus quos regere debet, virtute sit præstantior. Et si datur, non datur qui semper viuat.

Pro diuersitate obiectorū, monarchia est vel angustior, vel latior, neque enim tantum in prouinciis & regnis est monarchia, sed et in vrbibus esse potest, prout olim vrbes omnes sub Monarchia fuerunt. De persona & moribus Monarchæ, hic nobis indicimus silentium, vt & de successione electione & inauguratione eiusdem: nec non de regni legibus politicis, de monarchiæ administris varijs: de speciali cura Principis circa subditos in genere & in specie: de iudiciis, præmiis, priuilegiis, immunitatibus de reditibus: de aula monarchæ: de subditis. Item de causis primis mutationum in Repub. de bellis, de religione, &c. quæ omnia prolixam considerationem desiderant.

Status politicus imperfectior is est, in quo plures simul imperant: qui status polyarchicus dicitur. Polyarchia autem eatenus est laudabilis, quatenus habet in se similitudinem & repręsentationem monarchiæ, atque adeo quatenus illi plures qui imperant reducuntur ad iustam vnitatem, & sunt inter se vnanimes atque concordes. Est autem status polyarchicus simplex vel Aristocraticus, vel democraticus.

Aristocratia, siue status Optimatū est, quando coniunctim & indiuidue aliquot excellentioribus datur imperium & ius maiestatis in reliquos singulos & vniuersos. In hoc statu virtus imperantium maxime spectanda est, quæ nisi constanter seruetur, statim labescit Reipublicæ forma, & in Oligarchiam vel monarchiam mutatur.

Democratia est status reipub. quando populi siue ciuium, vel vniuersorum, vel magnæ partis nomine quidam alternatim cæteris omnibus singulis & vniuersis imperant, & secundum vsitata suffragia iura maiestatis summamque potestatem obtinent. Is status maxime omnium mutationibus est obnoxius. Nam si magistratus affectat Ochlocratiam vel monarchiam, tum necesse est mutare Democraticam formam: quia ratione hac populi robur per fraudes occultas minuitur. Quando etiam diuites & potentiores aliquod in populo rapiunt ad se imperium, exclusis pauperioribus, tunc democratia in Timocratiam conuertitur.

Vniuerso populo iuste per dilectos suos gubernanti opponitur Ochlocratia, quæ in Anarchiam seu status euersionem desinit: de qua Xenophon & Plato lib. de Atheniensium democratia conqueruntur: & res ipsa in populo Romano per seditiosos Tribunos plebis agitata monstrauit sæpissime. Mixtas Reipub. formas intactas relinquimus.

Santentiae Biblicae.

Vbi nullus gubernator, corruit populus. *Prou.* 11.14.

In multitudine populi dignitas regis & in plebis paucitate principis ignominia. *Prou.* 14.28.

Leo rugiēs & vrsus esuriens, princeps impius super populum pauperem. *ibid.* 28.15.

Cum impij sumpserint principatum, gemet populus: & in multitudine iustorum vulgus lætabitur. *ibid.* 29.2.

Quando prophetia defecerit dissipabitur populus: qui vero custodit legem beatus est. *Eiusd. cap* 29. *v.* 18.

Prouideat Dominus Deus Spirituum omnis carnis hominum qui præsit huic multitudini, qui possit egredi, & ingredi ante eos & educere eos vel introducere: ne sit populus Domini sicut oues sine pastore. *Numer.* 27.16.

Quando altissimus diuidebat gentes, & separabat filios Adami constituit terminos populorum. *Deut.* 32.8.

Excelsus dominatur super regnum hominum, & cuicunque vult dat illud. *Dan* 4.17. vide Dan. 7. de politiarum periodis.

Reges gentium dominantur eis, & qui potestatem habēt super eos benefici vocantur. *Luc.* 22.25.

Omnis anima potestatibus sublimioribus subiecta sit. Non est enim potestas, nisi a Deo: &c. *Rom.* 13.1.2. &c. vide 2. *Timoth.* 2.1. *Tit.* 3.1.1. *Petr.* 2.13.14.

Sententiae Patrum.

Rex vtique erat Dauid, nullis ipse legibus tenebatur, quia liberi sunt reges a vinculis, neque vllis ad pœnam vocantur legibus, tuti imperij potestate. Sed quamuis tutus imperio, deuotione tamen & fide erat Deo subditus, & legi eius subiectum se esse agnoscens, peccatum negare non poterat. *Ambros. in apol. Dauid. cap.* 10.

Iustum est, principem legibus obtemperare suis. Tunc enim sua iura ab omnibus custodienda existimet, quando & ipse præbet illis reuerentiam. *Isidor. lib.* 3. *de summo bono, cap.* 52.

Quantum potestate cæteris antecellis, tantum etiam factis lustris emicare, & ante alios enitere debes. Sic enim tibi persuasissimū, eam abs te postulari honestorum operationem, quæ magnitudini imperii ac potestatis, proportione sanctarum virtutum, respōdeat. *Agapetus Diaconus ad Iustinian.*

Christi milites non pila tractant ferrea, sed dolor, orationes, fletus & lachrymæ sunt arma & munimenta ipsorum. *Ambrosius.*

Sacerdotis est populum monere, non mouere arma: quia gladium mentis, non martis tenet. *Chrysost.*

Fortitudo, quæ bello tuetur à barbaris patriam, vel domi defendit infirmos, vel a latronibus socios, plena iustitia est. *Ambros. lib.* 1. *Offic. cap.* 26.

Philosophorum Dicta.

Quum ciuitatis administrandæ ratio sit id, quod summam in ciuitatibus auctoritatem obtinet, necesse est aut vnum, aut paucos, aut multos dominatum & hanc auctoritatem obtinere. *Aristot. lib.* 3. *Politic.*

Horum generum similitudo & exempla peti possunt a familiis, eo quod patrum cum filiis societas præ se regnum ferre videtur: viri atque vxoris communio optimatum potestati respondet: fratrum vero coniunctio populari in gubernatione cernitur. *Idem, Ethic. lib.* 8.

Easdem in sedes ac familias cum homines confluxissent, is qui ætate antecellit, naturali quodam iure ijs imperandi auctoritatem sibi vendicauit. *Plato, lib.* 3. *de legib.*

Aequissimum est, vt vni alicui excellenti viro libenter ac sponte ciues obtemperent. *Aristot. politic.* 3.

Omnium videtur esse æquissima & iustissima politia, quæ principē locum præstantissimo cuique defert, secundum illi, qui a proximus est. *Isocr. ad Nicol.*

Facilius est vnius viri iudicio ac voluntati satisfacere, quam operam dare, vt multis & variis ingeniis placeas. *idem, ibidem.*

Politia est ordo quidam incolentium ciuitatem, in dominatione & subiectione consistens. *Arist.* 3. *lib. Politic.*

Politica est architectonica omnium artium mechanicarum & doctrinarum moralium, *Albert. Magn. Ethicor.* 1. *lib.* 7. *capite* 8.

Vita politica tota videtur ordinata ad facilitatem speculatiuam, *D. Thomas, Ethic. lib.* 10. *lect.* 11.

Politiæ regimen duo exigit, rectam rationem, & potentiam. *Polit. lib.* 3. *lect.* 9.

Rectæ politiæ finis est, feliciter viuere *ibid. lib.* 11.

Quemadmodum ferro rubigo, ligno vermiculi ac teredines adnascentes perniciem adferunt, sic vt etiam cuncta externa nocumenta effugiant, ab illis tamen quæ adnata habent absumuntur: ita cuilibet Reipublicæ, pro natura ipsius, quædam adnascitur & adhæret peculiaris malitia: vt pote Regno tyrannis, Aristocratiæ Oligarchia: Democratiæ bestialis Chirocratia: vt fieri nequeat quominus cuncta temporum cursu mutent. *Polyb. lib.* 6.

Vide Tit. Aristocratia, Aula, Authoritas, Bellum, Ciuitas, Democratia, Iudex, Lex, Magistratus, Monarchia, Pax, Princeps, Rex, Populus, Subditi.

POLYGAMIA.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

POLYGAMIA, πολυγαμία nihil aliud est, si vocem spectes, quam coniugij multiplicatio. Eius duæ sunt species: prior probata, nempe quum soluto matrimonio ad secundas vel tertias nuptias legitima ratione fit transitus. Posterior, de qua hic agitur improbata, quando vno eodemque tempore plures vxores quacunque via id quis assequi studeat, ducuntur, seducuntur, retinentur.

Iuri Diuino, Naturali, Ciuili, Ecclesiastico, priuato denique posterior illa Polygamiæ species aduersatur. Ius diuinum consignatum est. *Genes.* 2.24. *Leuitic.* 18.18. *Deuteron.* 17.17. *Malach.* 2.14.15. *Matth.* 19.5.6.1. *Corint.* 6.16 & 7.2. *Ephes.* 5.25.32.1. *Tim.* 3 2. *Tit.* 1.6.

Natu.

Naturali iure polygamia damnatur 1. Deus vxorem daturus Adamo, vnam tantum costam, non duas ex illo eduxit: & formauit non plures, sed vnam tantum fœminam: neque ad illum multas, sed vnam tantum adduxit. *Genes.* 2. 21. 22. 23. Docuit igitur naturam humanam hoc postulare, vt vnus contentus sit vna, & vno viro vna mulier. Id ipsum Malachias disertis verbis inculcat, c. 2. 15. *Nonne* (inquit) *Deus vnum fecit, nempe hominē, & tamen Deo non deerat spiritus abundantia. Cur vnum fecit, quærens semen Dei?* Christus etiam Iudæos ad illud Dei factum, tanquam ad certam & immotam coniugij regulam reuocat, & verba Mosis, *Masculū & fœminam creauit eos*, expendit. 2. Confirmatur ius illud verbis Dei ad Noachum patriarcham paulo ante diluuium, iubentis vt paria hominum ac bestiarum, non autem vnum masculū & multas fœminas assumeret. 3. Contra naturæ legem est, vt quod tu tibi fieri non vis, alteri ne facias, velletne vir honestus vxorem suam alium habere virum? Contra legem naturæ fecerit, si aliā superinducat, si cum alia se scortatione, vel adulterio detestando polluat. 4. Contra legem Naturæ est, vt quod vnius est, ei rapiatur. Vxoris est corpus mariti. Non potest igitur alijs communicari, coniugio manente, quin delinquens grauiter peccet in naturæ legem. 5. Denique iuri naturali aduersari Polygamiam demonstrant coniugij fines: nempe honesta prolis generatio atq; educatio: vocationis communis & bonorum ad illum pertinentium ratio: & peccati debellatio.

Patronos polygamiæ patrum non audiendos esse Ius diuinum (cui nemo præscribere potest) satis superque demonstrat: siue finem istius polygamiæ, siue gentium consuetudinem, siue rerum post futurarum adumbrationem spectemus. Certe quicquid absolute malum est, id nulla ratione futurorum bonum dici debet. Prius est vt res censeatur per se bona, quam vt per accidens, & ab accidente remoto, vt fuit res adumbratæ. Et si patres non legimus de Polygamia fuisse reprehensos, illos tamen idcirco recte fecisse non consequitur. Hoc piorum institutioni sufficit, quod aliorum opera probanda vel improbāda deteguntur in Scripturis, quæ normam iudicij nobis offerunt, ad quam quicquid inter legendum occurrit, sinceramente referatur. Si quis Saræ & Agaris contentiones, Liæ & Rachelis, Annæ & Peninnæ rixas, in familias regum Iudaicorum luctuosas tragœdias expendat, quantū polygamia Deo displicuerit, facile percipiet.

Qui polygamiam *iure ciuili* damnari non credit, saltem Iurisconsultis, etiam Ethnicis fidem adhibeat, *Modestin. in Pandect. lib. 23. tit. 9. de ritu nuptiarum. lib.* 1. Diocletianus & Maximianus Imperatores Romani polygamiam damnant his verbis: *Neminem qui sub ditione sit Romani nominis binas vxores habere posse vulgo patet, quum etiam in edicto Prætoris huiusmodi viri infamia notati sint.* Extant & aliæ eiusmodi sanctiones: adeo quidem vt Arcadius & Honorius ne Iudæis quidem polygamiam concedant. Vide l. 2. *C. de incest. & inutil. nupt. l. 1. de ijs qui not. infam. l. eum qui. C. ad l. Iul. de adult. l. nemo c. de Iud.*

Polygamiam etiam passim damnant ac vetant *Leges Ecclesiasticæ*, vt videre est *Decret lib. 4. tit 19. de diuort c. 8. Gaudemus*. Patres etiam omnes improbarunt nulloque modo licere cuipiam duas simul habere vxores vnanimi consensu astruxerunt: *Clement. Alexand. Strom. l. 4. Aug. lib. 3. de doctr. Chr. cap. 18. & lib. 16. contra Faustum. Chrysost. in Matth. homil. 56.*

Quia ægritudini semper consulendum est, propterea si contigerit primo priuari coniugio, si voluerit secundas vel tertias inire nuptias, nullum de illis peccatum habebit, si eas caste seruauit, & si fuerit aliquis coniugalis excessus, qui tamen legitimum non violet thorum, habet nonnullum, sed veniale peccatum, *Aug. de fide ad Petrum.*

Iuri priuato polygamia aduersatur, vt par societatis inita est, ratio, prout in coniugio fit. Hinc illi ipsi damnarunt polygamiam, qui illam vsurpabant, quod videre est in Labane Iacobi socero: *Genes.* 31. 50. Cur enim generum obtestatur ne suis filiabus alias vxores superinducat, nisi quod iniuriam illis hoc modo factum iri existimabat? Obiectiones malefeńatorum quorundam pro infami illa polygamia relinquimus iurisconsultis & Theologis excutiendas, & supra dictis acquiescimus.

Vide Coniugium, Matrimonium, Diuortium, Nuptiæ.

PONTIFEX.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Pontifex, Græce, *ἱεράρχης, ἀρχιερεύς*, Hebr. *Cohen*, a verbo *Cihen*, functus est sacerdotio, ministrauit, administrator fuit in sacris officijs. Hinc *κοινωνία, ἱερουργία, διακονία*, ministerium sacrum. De triplici Pontificatu, nempe Legali, Euangelico, Ethnico, pauca quædam hic annotanda lectoribus apposuimus.

Pontifex *Legalis* dictus est proprie summus sacerdos, ex posteris Aaronis, habens perpetuum regimen totius ministerij Leuitici, præfectus sacrorum, tum officio, tum habitu a cæteris sacerdotibus distinctus, sicut Moses in Aaronis persona frequenter eum depingit. Exod. 28. &c. libro Leuitici passim. Hic apud Aggæum & Zachariam *summus Sacerdos*, & in nouo Testamento sæpe *Princeps Sacerdotum* appellatur. Alias nominantur hoc nomine Aaronis posteri sacerdotes, qui sub summi Pontificis regimine versabantur. Huius erat semel in anno sanctuarium ingredi, respondere de Dei voluntate indutus ipso Ephod. Alij a summo illo & secundarij sacerdotes habuerūt duos primarios duces: quorum præcipuus atque adeo principum cuiusque familiæ Leuiticæ caput quoddam, in Leuitarum præcipuorum (quales erant Caathitæ) prouinciam intentus erat. Alter vero, in inferiorum Leuitarum diligentiam inquirebat. Tales fuerūt Eleazar & Ithamar, viuente Aarone. *Num.* 3. & 4. *cap.* Duo illi inter Secundarios magis illustres ex hoc etiam insigni eorum munere, ita ad Aedis sacræ curationem cum summo ipso sacerdote coniunguntur, vt vna cum eo duces Aedis sacræ dicti sunt, 1. *Chron.* 24. 6.

Durante politia Ecclesiastica inter Iudæos, sub Iudicibus & regibus, totus ille Leuiticus & sacerdotalis ordo viguit. Post reditum ex captiuitate Babylonica instauratum, & deinde paulatim varijs artibus violatum & corruptum est: attamen ex sacris & profanis historijs apparet, præcipua quæque Politiæ huius fundamenta satis tecta conseruata fuisse. Habuerunt enim Ierosolymis ordinem aliquem sacerdotum, *Act.* 4. 6. *Luc.* 1. 5 inter quos vnus aliquis supereminerет, reliqui suas vices abirent, qui etiam *ἀρχιερεῖς* dicti sunt. Habuerunt & Leuitarum quendam ordinem, qui aliquando Leuitæ, aliquando etiam *ἱερεῖς* dici videntur: *Ioan.* 1. 19. Et ex indigenis sons prophetas habuerunt, quos *γραμματεῖς*, id est, scribas, & *νομοδιδασκάλους*, id est, legis peritos appellarunt, qui vna cum sacerdotum ordine de doctrina cognoscebant, & vna cum populi senioribus in mores inquirebant & ecclesiasticam iurisdictionem publice exercebant. *Matth.* 24. & 28. 17. Habuerunt item ex Iudæis exteris synagogas quasdam, seu collegia, in quibus illi ita docerentur, vt postea Iudæis popularibus suis docendis præficerentur. *Act.* 6. 9. & 24. 12. De his omnibus plura apud Sigonium & alios, qui de Pontificatu & ministerio legali scripserunt. Sacerdotum vero & Pontificis maximi discrimen quintuplex addo, 1. Summus sacerdos natu maximus erat inter posteros Aaronis: alij ætate inferiores. 2. Ille per totā vitam vnus erat: alij plures erant. 3. In Sanctuarium solus ingrediebatur, semel in anno: alij vero non ingrediebantur. 4. Alium ornatum gestabat ille: alium autem alij sacerdotes. 5. Moriente illo, fugitiui redibant ad suos: quod non fiebat in morte aliorum sacerdotum.

Abrahami tempore erat Sacerdos Dei altissimi Melchisedech, Rex Salem, typus Christi eximius, secundum cuius ordinem Christi est Sacerdos in æternum: *Genes.* 14. & 18 *Psalm.* 110. 4 *Hebr.* 5. 6. 10. 60. & 7. 3. 17. 21. Perpetui autem atque ordinarij fuerunt ante legem latam plerique Patriarchæ & primogeniti familiarum: post legem vero latam posteri patriarchæ Leui. Primogenitos familiarum, quos sibi Dominus consecrauerat, vt legitur. *Exod.* 13. 2. *Numer.* 8. 16. 18. &c. administrasse sacra, donec Leuitæ in eorundem locum assumerentur, tunc Moses, *Exod.* 19. 22. & 24. 5. *Item. Numer.* 8. 16. 18. &c. Pontifex legalis fuit itidē Christi typus, & (vt antea dictum) munus proprium eius fuit, quotannis semel, die nimirum anniuersariæ expiationis, ingredi in Sancta Sanctorum, & expiationem facere pro se, pro familia sua, & pro tota congregatione Israelis: *Leuit.* 16. 17. commune autem illi cum alijs sacerdotibus & Leuitis officium erat, legem populo explicare, populo benedicere, & causarum iura ex Mosaicarum legum præscripto in rebus dubijs, maxime sacris, declarare & dijudicare: *Leuit.* 9. 22. & 10. 10. 11. *Deuter.* 17. 8. &c. Sacerdotum aliorum officium erat, explicare in Synagogis populo legem, administrare sacras ceremonias a Deo per Mosen præceptas ac inprimis sacrificia, populo benedicere, causas ad ipsos delatas diiudicare, hortari milites in prælium aduersus hostes processuros, & clangere cum tubis clangoris contra hostes, *Malach.* 2. 7. & 1. 7. 8. 2. *Chronic.* 13. 19 11. & 19. 8. *Numer.* 6. 23. *Deut.* 20. 2. & 21. 5 2. *Chronic* v. 12.

Leuitarum officium erat, Sacerdotes adiuuare in peragendo cultu Dei, curare tabernaculum & omnia ad id pertinentia: causasque dubias vna cum sacerdotibus diiudicare. *Num.* 1. v. 50. & 3. v. 7. & 4. *vers.* 4. 22. 29. 2. *Chron.* 19. *vers.* 18.

Pontificatus Euangelicus, seu noui Testamenti immediate ad Christum pertinet, summum Ecclesiæ Pontificem & mediatorem; in cuius persona conditio duplex consideranda occurrit, Naturarum videlicet & qualitatis. Est Deus & homo, vna persona: nec aliter constaret eius sacerdotium: 1. *Tim.* 2. 5. Conditio qualitatis ea est, quod sanctus, impollutus segregatus sit a peccatoribus & cælis excelsior. *Hebr.* 7. 26. alioquin legem condemnantem non impleuisset, neque pro nostris peccatis de iudicio satisfacere potuisset. Officium eius est, nos Deo reconciliare, satisfacere pro peccatis nostris, nobis sua merita applicare, vt ipsi eius iustitia donati, satisfactione redempti, coram Dei throno cum æternæ salutis fiducia compareamus.

Partes

Partes huius pontificatus sunt docere, orare, offerre. Docemur ab eo, quod omnes resipiscentes velit in gratiam recipere; donare eos sua iustitia, viuificare ad vitam æternam: verbo, spiritu sancto & sacramentis in hac vita regere. Intercedit pro Ecclesia & petit Ecclesiam recipi propter sua merita, *Ioan. 19. 19.* Eius oblatio in Cruce fuit & est sacrificium propitiatorium placans iram Dei, atque satisfactorium pro culpa & pœna æterna. *Psal. 110. 4. Hebr. 5. 9. 8. 9. 10. c.* Præstantia victimæ est, quod semel Christus ingressus in sancta, satisfecerit pro omnibus mundi peccatis, inueneritque redemptionem perpetuo duraturam, & nunc coram facie Dei pro nobis appareat.

Pontifex igitur noster, est persona vna, Deus & homo Iesus Christus, ab omni peccato purus, φιλάνθρωπος, ex decreto Dei Patris proferens Euangeliū, offerens seipsum simul pro hominibus, persoluens λύτρον pro credentibus, pro quibus & intercedit apud Patrem, sua merita applicans, in redemptionem æternam.

De Sacerdotio Christianorum, & de Pontificatu ministeriali disputationes Theologis discutiendas relinquimus.

De Pontificibus inter Ethnicos, hæc: Veteres Pontifices apud Romanos de omnibus causis ad sacra pertinentibus iudicant, tam inter magistratus sacrificos, quam inter homines, nouasque leges de sacris condunt arbitratu suo, sicubi scriptis legibus destituuntur: magistratus, penes quos ceremoniæ sunt ac sacrificia, sacerdotesque omnes examinant: ministros sacrorum continent in officio, ne quid præter solemnes ritus faciāt: a profano etiam & imperito vulgo consulūtur de cultu Deorū ac geniorū, aliisque religionibus: quod si quem animaduertant præscripta sua contemnere, eum mulctant pro delicti magnitudine. Ipsi nullius potestati sunt obnoxij, nec senatui vel populo rationem reddere tenentur, id genus sacerdotes siue ἱεροδιδασκάλους aliquis appellare voluerit, siue ἱερονόμους, siue ἱεροφύλακας, siue (vt nos censemus) ἱεροφάντας, i. e. Sacrorum doctores, administratores, custodes, interpretes, a vero nō aberrauerit. Quorum si quis è vita excesserit, in defuncti locum alius solet subrogari, non populi suffragiis, sed qui collegio maxime videtur idoneus, ex omni ciuium numero eligitur: qui tum demum sacerdotium adit, si collegij iudicium felici augurio comprobetur. Hi ab vno suorū operum, reficiendo scilicet ponte Sublicio, Latina lingua vocantur Pontifices. *Dionys. Halic. lib. 2.*

Pontificum collegium vsque ad Theodosii senioris Imperatoris tēpora Romæ fuit: quibus religione Christiana iam omnia obtinēte, imperatoribus antiquæ superstitioni aduersantibus vno edicto sacerdotum omnium redditus fisco applicati sunt. Quare postea plane Pontifices, Augures, & reliqui sacerdotes (Ethnici) creari desierunt, cum redditibus omnibus mulctati essent, *Zonaras.* Minoribus Pontificibus creatis, Numa Pontificem deinde maximum Numam Marcium, M. F. ex Patribus legit, eique sacra omnia exscripta exsignataque attribuit: quibus hostiis, quibus diebus, ad quæ templa sacra fierent, atque vnde in eos sumptus pecunia erogaretur. Cætera quoque omnia publica priuataque sacra Pontificis maximi scitis subiecit, vt esset quo cōsultum plebs veniret, ne quid diuini iuris negligendo patrios ritus, peregrinosque adsciscendo, turbaretur. Nec cœlestes modo ceremonias, sed iusta funebria, placandosque manes, vt idem Pontifex edoceret, quæque prodigia fulminibus, alioue quo viso missa susciperēgur atque curarentur. *Liuius. Decad. 1. lib. 1.*

Multi tam Patricij quam Plebeii Pontifices Maximi creati fuerunt, vsque ad C. Iulium Cæsarem: huic successere Lepidus & Augustus, post quem omnes Cæsares Pontificatum maximum vel susceperunt, vel se Pontifices maximos appellari passi sunt. Primus autem omnium Gratianus edicto proposito titulum hunc repudiauit, & se Pontificem Maximum appellari vetuit: atque ita ea dignitas Ethnica defecit in Imperatoribus. *Zosimus.* Quomodo deinde, quo tempore, & a quibus nomen istud sit vsurpatum, quo sine & euentu historici demonstrant.

De Pontificatu. DIAL. CVII.

Francisci Petrarchæ.

G A V D.

Ad pontificatum veni. Rat. E tempestate in portum fugi solet. Tu è portu in tempestatem sponte fugis. Tu mirus nauta. Gaud. Pontificium sum adeptus. Rat. Parum ne difficilis, parum grauis vnius animæ tibi cura videbatur, nisi omnium curas in te vnum, atque omnium sarcinas transtulisses? Fortes humeri, an fortis ambitio, eo animos cogens, vbi male sibi futurum sciunt. Gaud. Ad pontificium ascendi. Rat. Quo tramite, videris. Duplex est enim via. Vtraque ad laborem. Altera vero etiam ad miseriam ducit, quacunque perrexeris, vel te miserum scito, sic qui ascendisse diceris, descendisti. Vnus iam illorum, quibus canitur propheticum illud: Qui descendunt in mare nauibus, facientes operationem in aquis multis, qui ascendunt vsque ad cœlos, & descendunt vsque ad abyssos, quorum animas in eis tabescentes, propter negotiorum multiplicium procellam turbati sunt, & victi sunt, sicut ebrius, & omnis sapientia eorum deuorata est. Gaud. Summi solium pontificatus ascendi. Rat. Quo mare altius, & venti plures, & periculosior tempestas. G. Romanus Pontifex factus sum. Rat. Quo maior vrbibus Roma est, eo maior te laborum moles manet, erunt qui te colant, qui adorent, qui obsideant, ac circumsistent, qui tibi serico terram sternant, auro niueos frænent equos, qui vina dapesque instruāt, ac prælambant priscis pontificibus inauditum obsequii genus, ex diuerso erūt, qui omissis propriis rebus in te figant oculos, te notent, de te iudicent, & quam iuste, Deus viderit, qui denique mores tuos arguant, verba distorqueant, famam lacerent, vitam carpant, quicquid vsquam mali erit, quasi è fonte vnico malorum, ex te prodiji. Te dicent populi, discordiarumque omnium vnus tu causa vocaberis, quomodo, inquient, sanum erit ecclesiæ corpus, quum ægrum ac lāguidum sit caput? Estne (oro te) tanti, vel aureum poculū, vel cubile purpureum, vel gemmatus vertex, vt quietis & famæ pretio quæri velis? Gaud. In summum pontificem sum electus: Rat. Versa ve libet, hac in re tam experta hodie, quod est totum, vel inane, vel durum est, vt non immerito quidam summi pontifices tædio rerum victi non supplicium aliud, quam felicitatem illam hostibus suis optauerint. Nam (vt paucis expediam) summus pontificatus, si recte geritur, summus est honor, summum onus, summa seruitus, summus labor. At si male, summum animæ periculum, summum malum, summa miseria, summus pudor, anceps ex omni parte negotium. Gaud. Summi pontificatus sedem teneo. Rat. Non tenebis diu. Breuis est hominum vita, regum breuior, pontificumque breuissima, eo quod propter pondus vastatricium curarum, ætas ipsa pontificis Romani tempus angustat, quæ ad hoc culmen nisi admodum fessa vix peruenit. G. Summi pontificatus in vertice sedeo. R. Quo sublimior sedes, en grauior cadis, vix ex alto sine periculo aut labore descenditur. Cura vt descendas sobrie, ne in illo grege reperiaris, de quo dictum est: *Tolluntur in altum, vt lapsu grauiore ruant.* Ex omni quidem mortali fastigio descendendum nemo dubitat, sed hoc interest, quia iustorum ac sapientum descēsus, reliquorum vero præcipitium ac ruina est. Ideoque Pœnus ille dux moriens, qui dixisse fertur, finis ad alta leuatis est ruere, non improprie ait, vt iniustus. G. Summi pontificatus arcem rego. R. Solebant primi ex hoc statu ad martyriū peti. Nunc ad delicias vocari credunt, ideoque certatim hic locus appetitur, & in hunc omnium ferme mortalium vota suspirant. Quis autem vel Romanum, vel quemcumque pontificatum aliam cupit ob causam, nisi quo potentior, ac ditior sit? Contra iustitiæ præceptum præesse quæritur, non prodesse, quodque sacrilegium, pudendumque vel dictu est, magis sæpe muneribus quin & pactis, & spōsionibus spes emitur sacerdotij pinguioris. O vertigo morum pessima: ad quod olim consueuerant & deberent cogi homines, inde nunc retrahi non possunt, & tam præceps feruet ambitio, vt non Christianus pudor, ac modestia videatur, sed ardor & peruicacia paganorum, quam in huiusmodi petitionibus tam fuisse didicimus, vt de Iulio Cæsare lectum sit, quod pontificatum maximum petijt non sine profusissima largitione, in qua reputans magnitudinem æris alieni, quum mane ad comitia descenderet, prædixisse matri osculanti fertur: Domum se nisi pontificem non reuersurum, nec fefellit. Pontifex est euersus. Liquet autem, quo imperij ille ambierit, quo non impetrato, vel moriendum sibi certe, vel exulandum esse decreuisset, hoc illi autem vtrumque licuerit, cui à prima ætate propositum sit regnare. Ita vt iniuriam suam putet, si qua est hoc orbe potestas altera, quam Cæsar, si tellus vlla duorum est. At Christiano homini, cui propositum sit seruire, dominique sui iugum ferre, pontificatum quomodo liceat ambire, non video non modo largitione profusissima, sed (quod non multo minus est turpe) blanditijs atque mendacijs, indignis viro artibus, sed communibus adeo, vt hæc fere iam vnica sit in altum via. G. Romanus pontifex sum. R. Seruorum seruus diceris. Caue ne dominorum dominus fieri velis. Memento professionis, Memento debiti, Memento Domini, qui merito nulli magis quam vicario læsus irascitur.

Vide Sacerdos.

P O P V L V S.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

POpulus. Græce, λαός, ὁ, & λαϊκός, ὁ, ὁ. popularis dicitur. Est autem populus, cœtus iuris consensu, & vtilitatis communione sociatus. *sec. Aug. l. 1. de ciuit. Dei.*

Populus est multitudo hominum iuris consensu & concordi communione sociata. *secundum B. Thom. prima part. 31. art. 1.* Differt autem populus a plebe, quod in populo omnis pars ciuitatis, omnesque

nesque ordines continentur: ex plebe autem excipiuntur nobiliores & patricii.

Populus, vt aliquibus placet, dicitur ἀπὸ τῶ πολλοῦ πλεῖστον, hoc est, multo pluribus, quod omnes ordines, vt dictum est, complectatur. Plebs vero ἀπὸ τῶ πλεῖστον, hoc est, a pluribus: plures .n. sunt plebeij, quam patricii. A populus diminutiuum fit popellus, hoc est, paruus populus, & popularis, hoc est, quod populi est. & aliquando charus, & populare, hoc est, amorem populi conciliare. A populus itē fit populor, hoc est, praedor, & depraedor: A quibus populatio & depopulatio. A plebs pariter fit diminutiuum plebecula, & plebeius de plebe.

Loci Biblici.

Populus vere beatus, *Psalm.* 33. 12. *Prouerb* 29. 18. Populus Dei qualis, *Esaia*, 62. 12. Populus Dei, Christiani, 1. *Petr.* 2. 9. In populum assumpti Israelitae. *Exod.* 6. 7 & 19. 5. 6. *Deutero.* 4. 20. & 7. 7. & 27. *vers.* 9. & 29. 13 2. *Samuelis* 6. 21. & 7. 8 2. *Reg* 8. 16. Populus Israel maris arenae par, 1. *Reg* 4. 29. a Deo redemptus, *Psalm.* 77 *versic.* 16.

Populi dissipatio vnde, *Prouerb.* 29. 18 Populus omnib. missus Christus *Luc.* 1. 31.

Populus, H.. *ham* Multitudo ingens, quae suo numero obtegit & obscurat terrae superficiem. A verbo *hamam*, i. obtexit aliquid multitudine seu densitate rei, obscurauit, obruit multitudine. Hinc Graec. λαός & λάω congrego, ἄμμος arena, cuius numerus innumerus, ἅμα simul, & δῆμος populus. Latine proprie significat coetum hominum vnius ciuitatis, Reipublicae, monarchiae iure & communione officiorum, Societatum, a quodam magistratu gubernatum. Praeterea Hebraeis etiam significat paucos homines vel multitudinem incompositam: aliquando etiam amplam familiam. Speciatim vero populus Israelis est numerosa proles Iacobi Patriarchae in 12. tribus distincta. Populi item seu populorum nomine frequenter apud Prophetas hostes Ecclesiae, & gentiles ad Christum conuertendi designantur. Nonnunquam, praesertim quum de Deo & Christo agitur, pronomen, quae suus, meus, tuus, vel nomē Dei appositum occurrit, Ecclesiam, vel ex Iudaeis tantum, vel ex iudaeis & Gentilibus constitutam indicat.

Philos. et Historic. Sentent.

Maximus magister, populus. *Cic. Thusc.*

Populus sine comparatione probat, & ... melius non sentit: illud, quod est qualecunque est, probat. *Declar. orat.*

Sic est vulgus: ex veritate pauca, ex opinione multa aestimat. *Pro Rosc. Com.*

Homines opinione non minus famae, quam aliqua certa ratione commoueri solent. *Pro Lege Manil.*

Fama, & multitudinis iudicio mouentur homines, vt id honestum putent, quod a plerisque laudetur. *2. Thusc.*

In imperita multitudine est varietas & inconstantia, & crebra tanquam tempestatum, sic sententiarum commutatio. *Pro Domo sua.*

Non comitiis iudicat semper populus, sed mouetur plerunque gratia, cedit precibus, facit eos, a quibus est maxime ambitus: denique si iudicat, non delectu aliquo, aut sapientia ducitur ad iudicandum: sed impetu nonnunquam, & quadam etiam temeritate. Non est enim consilium in vulgo, non ratio, non discrimen, non diligentia: semperque sapientes ea, quae populus fecisset, ferenda, non semper laudanda, duxerunt. *Pro Planc.*

Nullum fretum, nullus Euripus, tot motus, tantas, tam varias habet agitationes fluctuum, quantas perturbationes, & quantos aestus habet ratio comitiorum. Dies intermissus vnus, aut nox interposita saepe perturbat omnia, & totam opinionem parua nonnunquam commutat aura rumoris. Saepe etiam sine vlla aperta causa fit aliud atque existimamus, vt nonnunquam ita factum esse etiam populus admiretur, quasi vero non ipse fecerit. *Pro Murena.*

Populi potentiae transgressio prior est tyrannide, & paucorum potentia, nam peius est, si multi, quam si vnus, vel pauci dominantur. *Aspas. ethic. 8. c. 11.*

Populus ciuitatis manet idem specie, quamuis quidam moriantur. *D. Thom. de prod. gen. & cor. l. 1 5. tex 35.*

Populares viri videntur, qui liberi sunt dicendi fiducia, & licentia faciendi, quid quisque velit *Plat. de Rep. dial. 9.*

Popularis vir est, qui ex tenerifsima parco patre enutritus, cui lucrosas cupiditates solas colere, non necessarias autem, & lusus ac lasciuiae gratia repertas reprobaret. Ex conuersatione cum elegantioribus viris, & plenis supra dictarum voluptatum, progressus ad omnem petulantiam, & ad illorum speciem, ob paternae parsimoniae odium, sed meliore quam corruptores natura praeditus, dum in vtramque partem duceretur, constitit, in medio ambo rum morum, vt moderate, vel, vt putabat, singulis frueretur, & neque illiberalem, neque iniquam vitam degeret, popularis ex paucorum principatu factus. *Idem de Rep. dial. 9.*

Populus ingratus est leuiter alicuius rei fatur, mutabilis, crudelis, inuidus, ineruditus, vtpote ex plebis colluuie, & violentis ouganonibus collectus: & qui in huius societatem se adiungit, multo miserior est. *Plat in ... eocho.*

Populo famelico nihil periculosius. *Franc. Petr. de Rep. l. 3. cap 11.*

Popularis status differt a plebeio. nam popularis ab omnibus probatur, ac plebeius ab omnibus reiicitur: differt enim plebs a populo, quod species a genere, nam populus ciues vniuersos, patricios, & senatores quoque significat: plebs vero solum plebeios, patricijs & senatoribus remotis. *Idem de regno, lib. 1. c. 3.*

Populi videntes principem pietatis studiosum, & in omni religione liberalem cultu, arripiunt de maiestate eius sanctitate... perspectiorem sententiam. *Augu. S. Steuch de per. phil. libro 6. capit. 8.*

Populari multitudine nihil est neque insipientius, neque insolentius. Itaque: eos qui tyranni insolentiam fugiunt, in plebis effraenis insolentiam incidere, nequaquam tolerandum est. Nam tyrannus si quid facit, intelligens facit: ac plebi nulla intelligentia inest, vnde enim intelligentia ei adsit qui nec edoctus est, nec nouit honestum quicquam, nec ita quidem familia, & qui ad res agendas sine consilio praeceps ruit torrenti similis? *Herod. libro 3.*

Plebe imperante, fieri non potest quin malitia exoriatur. *idem, ibidem.*

Reliqua turba (populus) est ciuitatis corpus, vim ac robur ad virorum praestantissimorum consilia exequenda adinittens. *Dionys. Halic. lib. 3.*

Plerunque fieri comperimus in populo, vt consultores ipsi conjecta prius & explorata auditorum voluntate, sententias eo cunctas ad gloriam dirigant. Non quo rectores comprobat sermonem, quaue intentius dicendi affectando assistit, hic proeul dubio quid ipse sentiat, quidue potissimum eo petet insinuat. Nec enim ... ro... antis ... rbitratu voluntas multitudinis: sed pop... ... optima semper consulta trahunt, pro mo... ... ad consilia semper optima differenda. *Diodor Sicul. lib. 3. lib. 13.*

Illud mihi praeclare dictum videtur, hominem nimis Reipublicae administrationi deditum, & populari aura fidentem, haud vnquam feliciter diem extremum claudere. *Pausan. lib. 1.*

Potest aliquis facilius vrbem humilem, in rebus aduersis laborem, erigere, cum eam necessitas cogat sapientis consiliis obtemperare, quam populo secundis rebus elato ac ferocienti fraenum inijcere, quo eius petulantiam atque temeritatem compescat. *Pericles & Fab Max.*

Solet populus sublimes metuere, ideoque abiectos extollere: & non contemni se a potentioribus vulgus summi honoris loco habet. *idem, in Nicia*

Saue videtur populus rebus praesertim secundis insultare bonis viris, fortunae fauore & rerum statu lato elatus: contra tamen fieri solet. Nam res aduersae morosos semper multitudinis animos efficiunt, irritabilesque, & qui leuissimam ob causam iras concipiant: aures quoque difficiles & delicatas, ac quae ab omni sermone ac verbo vehementius laedantur. Peccata enim increpans aliquis, exprobrare eis infortunium videtur, & libere si loquatur contemnere. Ac quemadmodum vulneratas & exulceratas corporis partes mel offendit: ita saepenumero verus & prudens sermo nisi admixtam habeat lenitatem & obloquium, mordet & exasperat aduersam fortunam experti: atq; hoc est opinor, cur Homerus ea quae dulcia sint, animo obsecundantia dixerit, oempe quod ei animae parti quae voluptatem percipit concedant, neque ei repugnent. Atque vt oculus inflammatione laborans vmbrosos & obscuros colores libentius inspectat, splendidos & luminosos auersatur: Itidem ciuitas rebus parum prosperis vtens meticulosior est, & delicatior, quam vt perferre liberiores sermones possit, cum quidem hi maxime tum requirantur, quod correctionem eorum quae peccantur status rerum non admittit. Itaque eo tempore in Republica versari, periculosissimum est: nam & qui grata populo loquuntur, vna pereunt: & qui secus faciunt, ab eo perduntur. Quemadmodum igitur solē mathematici perhibent neque eodem quo coelum motu ferri, neque prorsus tamen contrario, sed obliquo & deflexo cursu leuiter incuruis circuitionibus conuerti, quibus temperat omnia quam rectissime & conseruat: ita in Republica etiam administrandae recti nimis, & vtique populari sententiae repugnans tenor, durus est & inhumanus, rursusque ad peccantem proclive est, obsequi per omnia, & vna cum peccantibus abripi se pati. Quae vero & morem gerit aliquando petentibus, & gratificatur aliquid gratiamque rursus commodi publici causa reposcere nouit gubernatio hominum, multis rebus placide atque vtiliter, si non pro imperio omnia exequi, cogantur, sibseruientium: ea demum vt salutaris, ita & perdifficilis est labor is grauitatem habens cum mansuetudine coniunctam. Quae dum si inter se commisceantur, nulla profecto modorum aut sonorum concinnior dici potest sua-

suauiorque harmonia: quomodo etiam Deus temperare mundũ dicitur, non cogendo, sed necessitatem obtemperandi persuadendo deliniens *Idem, in Phocione.*

Multitudo coalescere in vnius populi corpus nulla re potest, præterquam legibus. *Liuius, Decad. 1. lib. 1.*

Populi turba nouarum rerum est auida. *Idem. ibid.*

Multitudo semper ferme regenti est similis. *Liuius, Decad. 1. libro 5.*

Populus tantisper eum qui aliquid ipsis parauit, in memoria habet, dum nulla accessio recens superuenerit: semperque ad id quod de nouo partum est (quantumuis id priore minus sit) consuetam suam ob satietatem, nouarumque rerum cupiditatem, summa promptitudine se inclinat, inuidiaque adducta plebs omne id quod prius magna in existimatione fuit, euertit, propterque spes suas id quod se recens ostentat euehit. *Dion. lib. 39.*

Fastidiosus est in æstimandis bonis suis populus. *Valer. Max. lib. 5. capit. 4.*

Neminem illustrem populus sine æmulo sinit. *Tacitus. Annal. libro 14.*

Est nouarum rerum cupidus populus pauidusque. *Tacitus, Annal. lib. 15.*

Sunt procacia vrbanæ plebis ingenia, *Idem, hist. lib. 3.*

Nihil vltra verba audet. *Idem. ibid.*

Nihil audet principibus amotis, *Idem, 1. Annal.*

Magnitudine nimia communium curarum expers populus. *Idem. 1. Histor.*

Priuata cuique stimulatio, & vile decus publicum. *ibid.*

Populi qui auitis sedibus relictis nouas quærunt, fiunt degeneres, muti, & tandem imbelles, sicut in frugibus pecudibusque non tā tum semina ad seruandam indolem valent, quantum terræ cælique, sub quo aluntur, proprietas mutat. Macedones, qui Alexandriam in Aegypto, qui Seleuciam ac Babyloniam, quique alias sparsas per orbem terrarum colonias habent, in Syros, Parthos, Aegyptios degenerarunt. Massilia inter Gallos sita traxit aliquantum ab incolis animorum. Tarētinis quid ex Spartana dura illa & horrida disciplina mansit? Generosius in sua quicquid sede gignitur, insitum alienæ terræ in id quo alitur, natura vertēte se degenerat. *Liuius, Decad. 4. lib. 8.*

Nūquam volui populo placere. Nam quæ ego scio non probat populus: quæ probat populus ego nescio. Quis placere potest populo, cui placet virtus? Malis artibus popularis fauor quæritur: similem te illis facias oportet. Non probabunt, nisi agnouerint. Multo autem ad rem magis pertinet, qualis tibi videaris, quam qualis aliis. Conciliari nisi turpi ratione amor turpium non potest. Quid ergo illa laudata & omnibus præferenda artibus rebusque philosophia præstabit? Scilicet, vt malis tibi placere quā populo: vt æstimes iudicia, non numeres: vt sine metu Deorum hominumque viuas: vt aut vincas mala aut finias. Cæterum si te videro celebrem secundis vocibus vulgi, si intrāte te clamor, plausus & pantomimica ornamenta obstrepuerint, si tota ciuitate te feminæ puerique laudauerint, quid ni ego tui miserear, cum sciā quæ via ad illum fauorem ferat? *Seneca, epist. 39.*

Assiduus humani generis discursus est. Quotidie aliquid in tam magno orbe mutatur. Noua vrbium fundamenta iaciuntur. Noua gentium nomina extinctis prioribus, aut in validioris accessionem conuersis, oriuntur. Omnes autem istæ populorum transportationes, quid aliud quam publica exilia sunt? *Idem, consol. ad Heluiam, capit. 6.*

Per se populus est corpus sine pectore. Cor vitale ac spiritus populi, rex est. *P. Aemyl. lib. 8.*

Populus sæpe magis voluntatem quam rationem ducem sequitur. *Fr. Guicciardin. lib. 9. Hist.*

Suapte natura est ingratus rerumque nouarum cupidus populus. *idem, lib. 9.*

Populorum natura rerum nouarum cupida est, & hominum se à præsentibus malis liberandi tam ardens studium, vt quid postea futurum sit, non cogitent. *idem lib. 14.*

Interueniente populi voluntate & assensu, crescit robur & potentia regum, maiorque est ipsorum authoritas, & felicior progressus. *Ph. Comminæus, lib. 5.*

POETICÆ SENTENTIAE.

Euripides, in Supplicibus.

Quando præ ira populus in furorem agitur,
Atque ac ignis vehemens vix extingui potest.
Si quis autem ipsi sensim paulatim
Relaxans sequatur, occasionem obseruans,
Forsan interim spiritus sublimes remittet, quibus remissis
Facile impetrabis ab eo quantum volueris.

Idem in Iphigenia Aulid.

Τὸ πολὺ δεινὸν κακόν.

Multitudo graue malum.

Idem in Hecuba.

Δεινὸν τὸ πλῆθος, σὺν δόλῳ τε δύσμαχον.

Res valida est multitudo, & cum dolo inexpugnabilis.

Anonymus.

Ἰσχυρὸν ὄχλος ἐστὶ, νοῦν δ' οὐκ ἔχει.

Robusta res est turba, sed mente caret.

Pindarus in Pythiis.

Violenta est multitudo.

Item.

Populus maledicentia delectatur.

Menander apud Stob. Ser. 49.

Turba Audaces habens
Inter cogitandum imaginationes arduas,
In agendo autem, commodo occasione reperta
Inopinatam fraudem fabricant.

Virgilius.

Scinditur incertum studia in contraria vulgus.

Item.

Satis animis ignobile vulgus.

Horatius.

Bellua multorum est capitum.

Item.

Interdum vulgus rectum videt, est vbi peccat.

Item.

Populus stultus honores
Sæpe dat indignis, & famæ seruit ineptus,
Dum stupet in titulis & imaginibus.

Seneca in Hippolyto.

Tradere turpi fasces populus
Gaudet, eosdem colit atque odit.

Idem in Octauia.

Calcat iacentem vulgus, inuisum opprimis.

Ouidius.

Mobile sic sequitur fortunæ lumina vulgus.

Iuuenalis, Sat. 10.

Turba tremens sequitur fortunam semper & odit
Damnatos.

HIEROGLYPHICA ET EMBLEMATA.

Populum Aegyptij sacerdotes obsequentissimum Regi suo significare si vellent, Apem effingebant, illam vtique breuem, varium & in rotunditatem compactilem, quæ sola ex animalibus regē, more hominum, habet, quem vniuersum Apum agmen conlectatur, æque atque homines Regi obtemperantes. Rex vero vel aculeo caret, &c. Ac de populo quidem agnoscit Plotinus, lib. de suo cuiusque genio, qui ciuilem hominem, popularibus vtique studijs deditum, sed qui perfectam vitam minime consequi potuerit, ab obitu in apem mutari fabulatur. *Pierius, lib. 26. cap. 1.*

Populum lege coercitum hieroglyphico aliquo figurare qui vellent, Apem & apiastrum herbam proponebant, qua si perungātur aluearia, non fugere apes tradunt. *Idem, lib. 58. c. 56.*

Mali punici præcipuum symbolum erat, vt populos gentesque varias vno collegio congregatas significaret. Id ea de causa factū, quod grani mali huius folliculis quibusdam aliquo numero ab aliis segregata, prouinciarum veluti limites quosdam præ se ferre videantur, & singula hominum vel collegia, vel nationes populos ab aliis distinguere. *Idem lib. 54. c. 25.*

Cornicum mira inter se concordia vita est,
Mutua, atque illis intemerata fides.
Hinc volucres hæc sceptra gerunt, quod scilicet omnes
Consensu populi stantque caduntque duces,
Quem si de medio tollas, discordia præceps
Aduolat, & secum regia facta trahit.

Alciat. Embl. 38.

Idem in Emblemate 35. repetit quod a Plutarch. pridem scriptum est, Qui equos domant, iis primum adblandiuntur, ac mollissime tractant, vt assuescant freno: sic popularis multitudo lenitate retinenda est & excipienda ei, qui diu in pace regere cupiat.

Vide Ciuitas, Respublica, Magistratus, Princeps, Rex, Vulgus.

POTENTIA, POTESTAS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Potentia, vt & potestas, à verbo Possum deducitur, Græcæ *δύναμις, ἐξουσία.* Differunt autem secundum Priscianum Potentia & potestas, quod potestas magis pro vi accipitur, potentia pro dominatione. Potestas multa significat, vt Paulus Iurisconsult. inquit

inquit l. Poteſtatis, de verb. signific. Nam in persona magiſtratuum, imperium, in persona liberorum patriam authoritatem, in persona ſeruorum dominium denotat: praſenteis item corporis copiam & facultatem quando agimus de noxæ deditione cum eo qui ſeruum non defendit. Poteſtates etiam ipſi dicuntur, qui rerum potiuntur, atque populis præſunt. Has Græci *δυνάστας* vocant. Et hodie prætores vrbani apud Italos podeſtas appellantur. Varius admodum eſt vſus huius vocis apud Latinos.

Hebræis *Iachol*, verbum ſignificat potuit, potens fuit, præualuit robore. Cognationem habet cum *Achal*, comedit: nam qui alteri præualeſcit, comedit ſiue opprimit eum facile. Hinc per conuerſionem radicis *Agal*, *Axal*, & c. potentia: *Axul*, robur, *Axo*, poſſum, *Axiμos* fortis. Potentia *Iecholeth*. Dicitur etiam *Chenech*, robur, vis, facultas, potentia. Cognationem habet cum *Iachach*, validis & firmis arguit argumentis. Hinc *kixos* potentia, *kixus* firmus, potens, *kixus* poſſum, præualeo. Verbum item *Schalat*, ſignificat, poteſtatem exercuit, dominatus eſt: & cognationem habet cum verbo *Lataſch*, acuit, poliuit arma, vt armata manu ſub poteſtatem ſuam homines redigeret. Hinc *Sultan* Turcarum & Arabum. Schelatim, Scuta, clypei, peltæ: *Schallit* potens, qui dominatur, & poteſtate gaudet in alios: Dominus: & *Schalleteth*, Domina: item *Schilton*, poteſtas *Eccl. 8. v. 4. & 8.*

Potentia autem ſignificat id, quod eſt principium, non autem relationem eius *sec. B. Th 1. p. q 41. art 5.*

Poteſtas propriè nominat potentiam actiuam, cum aliqua præeminentia. *sec eund 4 sent d. 24 q 1. art 1.*

Potentatus Græce *δυναστείας*, *δυνάστης* potens dicitur. Eſt autem multiendo potentiæ, vel opus validum dominationis. *sec. B. Thom sup. Psal. 18. col. 4.*

Loci Biblici.

Potentia, pro eximiis & excellentibus donis Spiritus ſancti, *Actor. 6. 8.* potentia Dei, Hebraiſmus, pro potens Deus *Matt. 26. 64.* vt patet ex *Luc. 22. 69.* potentia Dei eſt Euāgelium, *Rom. 1. v. 16.* hoc eſt, organum Dei vere potens & efficax ad ſeruandum.

Poteſtas metonymicus non pro ipſo iure imperandi, ſed pro regionib. imperio ſubditis, *Luc. 4. 6.* pro poteſtatis & dominij ſymbolo, *1. Cor. 11. 10.* Poteſtas omnis a Deo. *Ioan. 19. 11. Rom. 13. v. 1.* Poteſtatis abuſus *exemplum* Pilatus, *Ioan. 19. 10.* Poteſtates in Eccleſia, *1. Cor. 12. 28.* Poteſtates & principatus tribuuntur etiam regno tenebrarum, *Col. 2. 15.* Poteſtas cœlorum, Hebraiſmus, pro potentibus cœli, *Matth. 24. 29.* Dicuntur autem cœli potentes, tū ob illorum corporum inenarrabilem firmitatem, tum etiam ob illorum minime vanam, in moderanda inferiorum corporum tēperie, facultatem.

Patrum Sententiae.

Acrius diuitibus, quam pauperibus, inuidetur, & non inopes, ſed locupletes inquietat infeſtatio ſæua latronum. Plus duces & principes, quam milites ab hoſtibus appetuntur in pugna, & violentius propulſantur ventis & turbinibus culmina quæcunque ſunt altiora, ideo magnopere, quo plus cæteris vnuſquiſq; poteſt, ſciat eſſe ſibi metuendum. *Aug. l de sing. cler.*

Optandum eſt itaque, vt poteſtas non detur, niſi contra vitiū: propter quæ vincenda potentes nolunt eſſe homines, & volunt propter vincendos homines, vt quid hoc niſi vt vere victi, falſo vincant: nec ſi ſint veritate, ſed opinione victores. Hanc igitur potētiam plane optet vnuſquiſque, eque appetat, vt potens ſit in ſeipſo, & miro modo aduerſus ſeipſum pro ſeipſo. *lib. 1. de Trinit.*

Quamuis quolibet in loco poſiti, cogitando, loquendo, agendo peccemus, hoc tamen per tria hæc animus effrænatius capitur, quā mundi, cuius proſperitate ſubleuatur, nam quum præire poteſtate ſe cæteros conſpicit, & quum authoritate vocis a nullo reſiſtitur lingua licentius per abrupta disfrænatur: quumque facere quodlibet licet, iuſte ſibi omne æſtimat licere quod libet. *Greg. l. Moral.*

Cogitatio ſi aſſiduè mentem excoquit omnem ſuperbiæ tumorem premit, & poteſtatem acceptam non honorem, ſed onus æſtimari facit. *ibid.*

Poteſtas namque quum habetur, & cogitanda eſt ad vtilitatem, & diſſimulanda propter timorem: quatenus qui vtitur, vt prodeſſe debeat, poſſe ſe neſciat. *ibid.*

Tunc ſolum poteſtas bene geritur, quum non amando, ſed timendo retinetur, quæ vt miniſtrari recte valeat, oportet primum, vt hanc non cupiditas, ſed neceſſitas imponat. *ibid.*

Bona eſt ordine ſua potentia, ſed cauta regentis indiget vita. *ibid.*

Summum in regibus bonum eſt, iuſtitiam colere, ac ſua vnicuique iura ſeruare, & in ſubiectos non ſæuire, non ſinere, quod poteſtatis eſt fieri, ſed quod æquum eſt, cuſtodiri. *In reg.*

Beatus Dauid ita erat in poteſtate ſitus, tanquam omnibus ipſe eſſet ſubiectus, & in ſolio regali erat quaſi vinctus in carcere, & in purpura quaſi in cilicio iacebat cinere conſperſus, & corde compunctus. Aula regalis erat ei tanquam eremi vaſtiſſima ſolitudo. *Chryſ. l. de compunct. cord.*

Qui poteſtatem non cupit adipiſci, nec ereptionem vtique eius veretur, atque non metuens cuncta, quæ cum ea fiducia & libertate, quæ Chriſtiano conuenit, exequetur, nam qui metuunt, & ne deponatur, tremunt, amaram ſuſtinent ſeruitutem, & quæ malis redundet innumeris, atque tam Deum quam homines frequenter coguntur offendere. *Petr. Chryſ. dial. lib. 3.*

Sicut potentes potenter tormenta patientur: ſic & iuſtitiæ præmijs fruentur plenius, ſi recte exercuerint poteſtatem, & tantam in futuro præ ſubditis habebunt gloriam, quanta virtute eis in magna delinquendi licentia præceſſerunt. *Libro de curys nugis.*

Semper enim grandis poteſtas maiori timori ſubiecta eſt, ſicut ramum arborum in excelſo poſitarum, etiam ſi leuis aura flauerit, mouet: ſic & ſublimes in culmine dignitatum exiſtentes, etiam leuis nuntij fama conturbat: humiles autem ſic in conualle, plurimumque in tranquillitate. *Chryſ. ſup. Matth. cap...*

Dicta Poetarum.

Lucan.

O male concordes nimiaque cupidine cæci,
Quid miſcere iuuat vires orbemque tenere
In medio? dum terra fretum terramque leuabit
Aer & longi voluent Titana labores
Noxque diem cælo totidem per ſigna ſequetur,
Nulla fides regni ſocijs omniſque poteſtas
Impatiens conſortis erit nec gentibus vllis
Credite nec longe fatorum exempla petantur,
Fraterno primi maduerunt ſanguine muri.

Ibidem.

Stimulos dedit æmula virtus.
Nec quenquam iam ferre poteſt Cæſarue priorem,
Pompeiuſue parem.

Claud. 3 Honor.

Luget auarities Stygijs innexa catenis,
Cumque ſuo demens expellitur ambitus auro,
Non dominantur opes non corrumpentia ſenſus
Dona valent: emitur ſola virtute poteſtas.

Sen. Thyeſt. act. 3.

Anxius ſceptrum tenet, & mouentes
Cuncta dynaſtas metuitque caſus
Mobiles rerum, dubiumque tempus.

Item Agam.

O regnorum magnis fallax
Fortuna bonis, in præcipiti
Dubioque nimis excelſa locas.
Nunquam placidam ſceptra quietem,
Certumue ſui tenuere diem.
Alia ex alijs cura fatigat,
Vexatque animos noua tempeſtas.
Non ſic Lybicis Syrtibus æquor
Furit alternos voluere fluctus.

Idem Herc. Oet. act. 2.

Tu quicumque es, qui ſceptra tenes,
Licet omne tua vulgus in aula
Centum pariter limina pulſet,
Cum tot populis ſtipatus eas,
Cum tot populis vix vna fides.
Tenet auratum limen Erynnys,
Et cum magnæ patuere fores,
Intrant fraudes, cautique doli.

Ouid. Met.

Nulla potentia longa eſt.

Sen. Thyeſt. act. 3.

Vos quibus rector maris, atque terræ
Ius dedit magnum necis atque vitæ,
Ponite inflatos tumidosque vultus.
Quicquid à vobis minor extimeſcit,
Maior hoc vobis dominus minatur.
Omne ſub regno grauiore regnum eſt.
Quem dies vidit veniens ſuperbum,
Hunc dies vidit fugiens iacentem.

Ter. Adelph. 3. 5.

Sed Demea, hoc tu facito cum animo cogites,
Quam vos facillime agitis quam eſtis maxime
Potentes dites, fortunati, nobiles
Tam maxime vos æquo animo æqua noſcere
Oportet ſi vos vultis perhiberi probos.

Claud.

Claud.2.Ruff.

Desinat elatis quisquam confidere rebus,
Instabilesque Deos, aut lubrica Numina discat.
Illa manus, quæ sceptra sibi gestanda parabat,
Cuius se toties submisit ad oscula supplex
Nobilitas inhumata iacet, miseroque repulsa
Corpore feralem quæstum post fata poposcit.
Adspicias, ne quis nimium sublata secundis
Colla gerat, truncusque calcandus spargitur, ecce
Qui sibi Pyramidas, qui non cedentia templis
Ornatura suos extruxit culmina Manes,
Et qui Sidonio velari credidit ostro,
Nudus pascit aues, iacet en qui possidet orbem,
Exigua telluris inops, & puluere raro
Per partes tegitur, nusquam totusque sepultus.
Senserunt conuexa necem, tellusque nefandum
Emolitur onus.

Boet.3.5.

Qui se volet esse potentem,
Animos domet ille feroces,
Nec victa libidine colla
Fœdis submittat habenis.
Etenim licet Indica longe
Tellus tua iura tremiscat,
Et seruiat vltima Thule,
Tamen atras pellere curas,
Miserasque fugare querelas
Non posse, potentia non est.

Ouid.2.Pont.3.

Conspicitur nunquam meliore potentia causa,
Quam quoties vanas non sinit esse preces.
Hoc nitor iste tui generis desiderat, hoc est
A superis orta nobilitatis opus, &c.
Hoc tecum commune Deus, quod vtrinque rogati
Supplicibus vestris ferre soletis opem.

Hor.3 Carm.29.

Ille potens sui,
Lætusque deget, cui licet, in diem,
Dixisse, vixi.

Sen.Med.

Nemo potentes aggredi tutus potest.

Senec.Herc.fur.

Ille superbos aditus Regum,
Durasque fores expers somni
Colit, ac nullo fine beatas
Componit opes gazas inhians,
Et congesto pauper in auro.

Ouid.3.Tryst.4.

Vsibus edocto si quidquam credis amico,
Viue tibi, & longe nomina magna fuge.
Viue tibi, quantumque potes, prælustria vita,
Sæuum prælustri fulmen ab arce venit.
Nam quanquam soli possunt prodesse potentes:
Non prosunt potius plurimum obesse solent.
Effugit hybernas demissa antenna procellas,
Lataque plus paruis vela timoris habent.

Idem.

Crede mihi, bene qui latuit, bene vixit, & intra
Fortunam debet quisque manere suam.
Non foret Eumenides orbus, si filius eius
Stulcus Achilleos non adamasset equos.
Nec natum in flamma vidisset, in arbore natas
Cepisset genitor si Phaethonta Merops.
Tu quoque formida nimium sublimia semper,
Propositique memor contrahe vela tui, &c.
Viue sine inuidia, mollesque inglorius annos
Exige, amicitias & tibi iunge pares.

Hor.1.Epist.10.

Si quid mirabere pones
Inuitus, fuge magna: licet sub paupere tecto
Reges, & Regum vita præcurrere amicos.

SENTENTIÆ PHILOSOPHICÆ.

Potentia est ad sua conseruanda, & alterius obtinenda, idonea earum rerum facultas. *Cic. in sua Rhetor.*

Potentia Domini non minor est in regno potentissimo conferendo, quam in tugurio pauperis tuertendo. Quis enim in Græcia potentior fuit Alexandro? ei tamen successisse legitur non suus, sed saltatricis filius. Successorem Iulio Cæsari fecit adoptio, non natura. Cęsareæ domus totum re lege & reuolue progressum, & inuenies, quam breuis preijt memoria corū, qui ad inferos descenderunt, quoniam a se scientiam Domini repulerūt, & ipsi repulsi sunt: eisque heroes, aut ignoti, aut extranei successerunt. *Petr. Chrysolog. in quodam serm.*

Si ipsis dignitatibus ac potestatibus inesset aliquid naturalis aut proprii boni, nunquam pessimis prouenirent. Neque enim sibi solet aduersa sociari: natura respuit, vt contraria quæque iungantur. Itaque cum pessimos plerunque dignitatibus fungi dubium non sit, illud etiam liquet, natura sui bona non esse, quæ se pessimis hærere patiuntur. *Boet. de consol. lib. 2.*

Firmior est potentia, non iniuria afficere æquales, quam ob præsens commodum attrahere pericula, etiamsi vires augeantur. *Thucydid. lib. 1.*

Magna potentia, eorum qui ipsam adepti sunt, ingenium mutat, & vecordiam, instabilesque & inhumanos mores efficit. *Plutarch. in Silla.*

Ea demum tuta est potentia quæ viribus suis modum imponit. *Val. Max. lib. 4. c. 1.*

Arduum est eodem loci potentiam & concordiam esse. *Tacit. Annal. lib. 4.*

Potentia tutius habetur cautis quam acrioribus consilijs. *Idem, Annal. lib. 11.*

Nunquam satis fida est potentia, vbi nimia est. *Idem hist. lib. 2.*

Fortunę vis licentiam nacta perniciosa libidine mortales agitat: quę diu quidem virtute, vti muro prohibita, postquam pene omnes flagitijs subacti sunt, etiam infimis genere instituoque publica permittit. *Aurel. Vict. libr. de Cæsarib.*

Sic est comparatum in rebus humanis, vt quorum augescere videmus potentiam, eos magis obseruemus, quam illos, qui in supremo gradu positi, amplius progredi non possunt. *Ph. Comman. lib. 10.*

Magis expetenda est potentia, quæ sponte & voluntate, quam quæ vi & necessitate conseruatur quia firmior, facilior, gratior, honestiorque est. *Fr. Guicciardin. lib. 16.*

Collegarum in publicis functionibus celsioribus, cum natura quodammodo, tū magis ex inuidia societas infida est; nec temere fit, vt multum, præsertim potentes cōsentiant. *Zonar. Annal. tom. 2.*

Vno diademate duo capita tegere, & imperium pluribus partiri, graue est, & perturbatione plenum. *G. Pachymer. hist. lib. 3.*

Ea est natura animorum humanorum, vt non iuuenes modo, verū ætate etiam prouectiores, postquam multum temporis in potestate transegerint, patrijs moribus haudquaquam sibi viuendū ducant. *Dion. lib. 36.*

De Potentia. DIAL. XCI.
Francisci Petrarchæ.
GAVD.

Potentia magna sum. RAT. Et in periculis multis. G. Potentia sum ingenti. R. Et laboribus infinitis, & inextricabilibus curis. G. Multa possum. R. Quo plus in alios potes, & plus alii in te. G. Potentiæ est plurimum. R. Quo potentiæ magis & maius in illam imperiū fortunæ. Tepide se exercet in paruis, vberem eligit materiam, in magna lignorum mole crepitantius sæuit incendium. Magna prosperitas magnæ viam facit aduersitati. Nec quenquam facile plane miserum videbis, qui non valde felix habitus fuerit. Non potest ignoti hominis nota esse calamitas. G. Quod volo, & possū. R. Cura ergo, ne quid mali velis, & scito, quo potentiæ plus, eo plus esse negotij, minus licentiæ. G. Potentia ingens sum. R. Quid scis, an diuturna? Piget exequi, qui potentes breui ad impotentiam, seu qui reges ad infamiæ seruitium sunt redacti. Vepricosi & lubrici sunt humanorum gradus ascensuum: tremulus vertex, præcipitium horrendum, ægre conscenditur ad eminentē statum, anxie ibi consistitur, grauiter inde & repente descenditur, id sic esse, non singuli tantum reges, aut populi, sed maxima etiam testātur imperia. G. Armis atque opibus potens sum. R. Vera & firma potentia in virtute fundata est, fundamētum si detraxeris, quo maior, eo periculosior structura. Quid implere opibus domos iuuat, arua ligonibus, maria classibus, si intus in terra domestici hostes animum oppugnant, atque expugnant? Vis, vt te potentem fatear, illos doma, finitimisq; tuis pelle, vince iram, vince cupiditatem, vince libidinem, vince teipsum famæ atque hostem animæ tuæ. Quænam ista potentia est, vincere alios, passionibus suis vinci? G. Fundata in solido potentia est. R. Quo pacto, quum vita ipsa mutetur assidue? O quid tumes imbecillum animal? de potentia disputas, de anima interim periclitaris, quam dicto citius vel naturæ vis occultior, vel exigui morsus animantis, vel extremi contemptissimiq. homines sæpe potentissimis abstulere. G. Potentia egregie stabilita est. R. Vbi quæso (vt perhibēt) fortunæ rota? quin tu amice male susceptam pone fiduciā. Nulla hic stabilis potentia, vtque vel improprie exprimam, quod sentio, nulla potentia potens est.

APOPHTHEGMATA.

Cotys, Thebanis gloriantibus, quod Lacedæmonijs imperarent: Vidi, inquit, torrentes perennibus fluuiis maiores factos, sed ad breue tempus. *Anton. in Meliss. p. 2 serm. 1.*

Nerua ad quendam ipsum consolari volentem hoc argumento quod diceret, genesin Veri non esse recte collectam, eoque spem esse illum non diu victurum: isthuc, inquit, tu [illegible] dicis, qui

qui matrimonij tui non Reipublicæ quæris hæredem. Sentiens, magni referre, vt bonus princeps, quam diutiſſime viuat. *Ex Dione Caſſio.*

Diogenes interrogatus, quomodo quis viuere debeat ſub poteſtate? Perinde atque igni vtendum eſſe dicebat: neque nimis prope accedendum, ne exuraris: neque nimium procul, ne rigeas. *Ant. in Meliſſ. par. 2 ſer. 1. Stob. ſer. 43. Idem apoph. tribuitur Antiſthení.*

Chryſippus rogatus, cur poteſtatem omnem in Repub. adeo fugeret? reſpondit: Quia ſi quis male reverit, Dijs pœnas dabit. Si bene odio à ciuibus habetur. *Stob. ſerm. 73.*

Demoſthenes audiens quoſdam in Rep. euehi cupere: Omnium difficillimum eſſe dixit, vehi, qui poteſtatem habeor in multos, multis placeant. *Stob.*

Idem dicere ſolebant, duabus vijs propoſitis, quarum altera ad pulpitum oratorium: altera ad inferos duceret: prudentem virum præoptaturum eſſe eam, quæ ad inferos ducit, potius quam quæ poteſtate hominem ſubleuat. *Stob.*

Eumenes fratribus ſuis crebro dicere ſolebat: Si me vt rege vſi fueritis, vobis tanquam fratribus gratificabor: ſin autem tanquam fratre, ego vobis vt rex. *Ant. in Meliſſ. par. 2. ſer. 5.*

M. Cato dicebat, potentes parce vti poteſtate debere, vt ſemper vti poſſint. *Stob. ſerm. de Magiſtratu.*

Licin. Varus. Cum Africano illi maiori corona ſæpius in conuiuio impoſita rumperetur, Licinius Varus accommodanti dixit: Noli mirari, ſi non conuenit, caput enim magnum eſt: Sentiẽs, hominem eſſe præpotentem, cui non quæuis corona congrueret. *P. M. lib. 6. apoph.*

Cn Lentulus Marcellinus Conſul in concione grauiter queſtus eſt de Magni Pompeij immodica potentia. Huius orationem cum populus clara voce acclamans approbaſſet: Acclamate, inquit, Quirites, dum licet. Iam enim vobis impune facere non licebit. Significans, illius potentiam breui eo magnitudinis euaſuram, vt nulla iam re rutum eſſet vllo pacto reſiſtere, ſi quid illi collibuiſſet. *P. M. lib. 8. apoph. Val. Max. l. 6. c. 2.*

Anonymus. Quum Pompeius graui laboraret inuidia propter immodicam potentiam, & ob vulnus faſcia linea tibiam vinctam haberet, dixit aliquis. Quid refert vbi geſtet diadema, in capite an in crure? nam candidum amiculum olim erat inſigne regum. *P. M. lib.. apoph.*

C. Cæſar. Proferentibus in medium, quod Sylla dictaturam depoſuiſſet, Cæſar perpetuam gereret, quod minimum aberat à tyrannide, reſpondit Iulius Cæſar: Syllam neſciſſe literas, eoque dictaturam depoſuiſſe. Dictant Grammatici diſcipulis, cum præeunt, aut recitant ſcribenda. Huc alludens, dixit, illum neſciſſe literas. *P. M. l. 4. apoph.*

Plut. Ne puero gladium, prouerbio dicitur. Ego vero dixerim, inquit: Ne puero diuitias, nec viro doctrinæ experti potentiã. *Stob. ſerm. de magiſtr.*

SIMILITVDINES.

Baſilij. Quemadmodum fluuij exiguo fonte orti, incrementis ſubinde acceptis, ita augeſcunt, vt reſiſtere illis nequeas, & violento impetu, quicquid obſtat ſecum trahunt: Ita etiam qui ad magnã potentiam euadunt, ex ipſis à ſe oppreſſis maiores ad nocendum vires accipiunt, & per eos, qui antea læſerunt, reliquos in ſeruitutem redigunt, & potentiæ incremento vberiorem facultatem male agendi nanciſcuntur. *Homil. contra diuites.*

Vt qui obtuſo fræno conatur equum domare, excutitur, equo cõtemnente frænum: Sic qui populum vincere conatur, non ſatis inſtructos potentia, ab imperio deturbatur. *Plut.*

Sol quum maxime tollitur in altum, arduus ad polum ſeptentrionalem, tum minimum mouetur: Ita quo maior eſt poteſtas, hoc magis coercenda eſt animi temeritas. *Plut.*

Vt in malis ſomnijs, non ulla turbat animum ægritudo, ſed præterea nihil efficiunt: ſic mali, ſed impotentes, non admodum lædunt. *Plut.*

Et acciſæ pennæ tempore renaſcuntur: ita niſi aſſidue premas, renaſcitur potentia. *P. M.*

Vt Caſtoris & Pollucis faces, ſi ſolitariæ appareant, dictum eſt oſtentum, ſin geminæ, ſalutare: Ita non oportet potentiam eſſe ſeiunctam à ſapientia, alioqui peſtilentem. *Plut.*

Vt quadam fulmina æs ac ferrum liquefaciunt, ne cera quidem contacta: Ita diuina vis, aut regia poteſtas in obſiſtentes ſæuit, mollibus parcit, & cedentibus. *Plut.*

Vt bruta fulmina montes feriunt irrito ictu: Ita ſtulta potentia ſuas vires, in quod nihil opus eſt, conſumit. *Plut.*

Sicut nec Aegyptus ob calorem, nec Scythia ob rigorem ſentit fulmina: Ita vel ingens potentia, vel extrema fortunæ humilitas tutum reddit à contumelijs. *Plut.*

ADAGIA.

In omnia potentes.

In eos, qui plurimum poſſunt, vel nocere, vel prodeſſe, quadrabit illud Heſiodi:

Ἐν τοῖς γὰρ τέλος ἐστὶν ὁμῶς ἀγαθῶν τε κακῶν τε.

Eſt enim in his pariter ſita ſumma boni malique.

Polyanthea Noua.

Accommodare licet, vel in hominem cuius ſit ſumma authoritas, vel in rē qua plurimum habeat momenti.

Nutu, atque renutu.

Cui ſummam potentiam aſcribimus, eius nutu, atque renutu cuncta geri dicimus.

Preces armatæ.

M. Tullius Πειθανάγκην appellat ſuaſionem cum neceſſitate vtique coniunctam, quales ſunt principum preces. Ouid.

Preciùuſque minas regaliter addit.

EXEMPLA HISTORICA.

M. Craſſus valebat gratia, & metu, verum metu præcipue. *Plutarc. in Craſſo.*

Nouguardia metropolis Ruſſiæ tam potens fuit: vt prouerbio circumferrent ciues eius: quis poteſt contra Deum, & magnam Nouguardiam? *Crantzius lib. 14. Vandal. c. 15.* At eam Ioan. Baſilius Moſchorum tyrannus ſui iuris effecit.

Patauium, Venetorum vrbs, cunctas eius regionis excelluit olim. Sub Auguſto in ea cenſi fuere quingenti equeſtris ordinis viri; antiquis autem annis C. & XX. militum millia miſiſſe conſtat. *Strabo lib. 5.*

HIEROGLYPHICVM.

Aegyptij Sacerdotes *potentiam* cuiuſpiam, quæ & focijs, & amicis omnibus pernicioſa eſſet, per *aquilæ pennas* ſignificabant. Huiuſmodi ſiquidem ea vis eſt aliarum auium plumas, ſi commiſceantur, interere, & quodammodo deuorare videantur. *Pierius Val. lib. 19. pag. 179. B.*

FABVLÆ.

Lepores.

Lepores ſuſcepto bello aduerſus aquilas, auxilium vulpium implorarunt. Qui reſponderunt, non ſe fuiſſe illis defuturos, niſi ſcirent, & qui ipſi eſſent, & quibus cum bellum gererent.

Docet fabula, eos negligere ſalutem ſuam, qui cum potentioribus inimicitias exerceant.

Leo, Iuuenca, Capra, Ouis.

Societatem iunxerant leo, iuuenca, capra, ouis. Parta autem præda, in portiones æquales quatuor diuiſa: *Leo*, prima, ait, mea erit: Debetur enim hæc præſtantiæ meæ: Tollam & ſecundam, quam meretur robur. Tertiam vendicat ſibi eximius labor, & defatigatio mea. Quartam qui ſuam eſſe voluerit, is ſciat ſe habiturum me inimicum. Quid facerent imbelles beſtiæ, aut quis refragari leoni, vel illum infeſtum habere ſibi vellet? Vniuerſam igitur ipſe prædam ſolus tenuit.

Hac fabula docemur, ijs, qui potentum conſuetudini implicentur, & inſolentiam horum ferendam eſſe.

Paſtores & Lupus.

Paſtores cæſa oue conuiuium intra tabernaculum agitabant. Quod cum lupus, qui prædandi cauſa caulas circumibat, fieri cerneret: Ego, inquit, ſi agnum rapuiſſem, quantus tumultus excitaretur? At iſti impune parentem vorant. Tum vnus his auditis; Noſtra enim (inquit) ſcelerate, non aliena oue epulamur.

Docemur hac fabula, & potentes impune peccare, & horum delicta non facile reprehendi à quouis debere. Narrant fabula eadem ſententia, & de mulierculis comedentibus gallinam, ac vulpe, quæ dixerit: Ego ſi hoc facerem, omnes iam canes in me incitarentur.

Vide Monarchia, Princeps, Rex. Vide quoque elegantem fabulam ſupra in loco de Euentu.

PRÆCEPTOR.

DEFINITIO ET ETYMOLGO.

Præceptor, à præcipio verbo, quod docere ſignificat, & inſtituere. Græce καθηγητής, Hebr. *Melammedh*, à verbo *Lamadh*, didicit, & in 2. coniugatione *Limmadh*, docuit. Hebræi ſtimulum aratoris *Malmadh* appellant ab eodem verbo deriuatum. Nam vt boues ſtimulis vrgentur ad agriculturam: ita iuuenes à præceptorum monitis excitantur ad ſtudia.

POETARVM DICTA.

Ex Borbonio.

Qui nunc me video eſſe pædagogum,
In pe aduitæ ſum domo moratus.
Contriuique bonos miſer eos annos
Guſtando mala gratiaſque agendo,
Sperando, ingenue que ſeruiendo.
Tantorum mihi præmium laborum
Sunt ſero ſapere, atque pænitere,
Tabeſque ſeuum. Ergo nunc ab aula
Ad caulam venio, quid eſt agendum?
Sola perfugium fidele, & vnum,
Si quas callem, literæ ſuperſunt,
Nec iam me pudet eſſe pædagogum.

SENTENTIÆ PHILOSOPHICÆ.

Quis eſt, qui neſciat æquum eſſe, vt à diſcipulis præceptor nedum

V u u virtu-

virtute discernatur, verum etiam grauiori quodam, & honestiori habitus priuilegio? partim quia discipulo maior est præceptor, partim quia modestia corporis ornamenta non paruo adiumento virtutibus animi sunt ad comparandam grauitatem, vt vulgaris tumultus, ac cupiditas reprimi possit, ac gubernari. *B. Montanus de vita beata.*

Primum memineritis, oportere vos eorum, quos accepistis instituendos, sic satagere, vt simul & docti fiant, & imbuantur moribus: quia, quo semel est imbuta recens seruabit odorem Testa diu: atque adeo à teneris assuescere multū est, nec solū rectores, magistrosque viuos esse adolescentiū, sed & parentes puretis: scitis. n. illud, qui præceptorē sancti voluere parentis esse locū: equidem bonos malosve vos esse tantū referre existimo, vt ausim dicere bonorū malorumque omniū, quę vbique fiunt terrarum, vos esse potissimam causam: nā Iurisconsulti, Philosophi, rectores vrbiū, principes, ducesque ac reges, nec nō monachi, sacerdotes, episcopi, Cardinales, ipsique summi pontifices, & denique quicumque vel solas literarum notas tenent, sub disciplina olim vestra fuere paruuli, à vobis instituti sunt, virtus vestra vitium ve eorum profuit, aut nocuit moribus. Tantum valet longa consuetudo, vt si cum sancto diu vixeris sanctus futurus sis: si cū peruerso, peruertaris. Siquidem (vt inquit Fabius) Leonides Alexandri pædagogus, quibusdam eum vitijs, imbuit quæ robustum quoque ac maximum regem ab illa institutione puerili sunt prosecuta. Quamobrem quantum boni, & sancti præceptores ciuitatibus prosint, non facile dixerim: quantum obsint praui, & vitiosi, non queo dicere. Quare non possum non multum mirari, nullam fere puerorum patribus, & rectoribus vrbium in eligendis præceptorū moribus esse curam. Non animaduertunt, quantum inde boni mali-ve infundatur in ciuitates: nam quales sunt, qui instituunt, tales & qui instituuntur, velint, nolint euadent longa die.

Longa dies homini docuit parere leones:
Longa dies molli saxa peredit aqua.

Videte igitur vos, qui & longo tēpore, & assidue teneros, & simplices adolescētulorum animos instituitis, quātū & prodesse potestis, & obesse hominibus. Quod si quisquā est sic oblitus sui ipsius, vt agnos suæ commissos fidei lupus deuoret: heu quanta illum pœna apud Manes vel breui expectat? nā qui ita perniciosi sunt, vt non solum obsint, quod ipsi corrumpuntur, sed & quod corrumpunt, plusque exemplo, quam peccato nocent: immatura morte, ne tantum obesse queant, decedunt. *Aldus Man. Roman.*

Cum inter Magistros aliquot proponerem de hypodidascalo, quidam non infimæ opinionis subridens Quis, inquit, sustineat in ea schola vitam agere inter pueros, qui possit vbiuis quomodo cumque viuere? respōdi modestius: Hoc munus mihi videri, vel in primis honestum, bonis morib. ac literis instituere iuuentutē: neque Christum eam ætatem contempsisse, & in nullū rectius collocate beneficium, & nusquam expectari fructum vberiorem, vtpote cum illa sit seges, ac silua reipub. addidi, si qui sint homines veri, pij, eos in hac esse sententia, vt putent, sese nullo officio magis demereri Deum, quam si pueros trahant ad Christum. *P. M. in Lep.*

Porro sortem tuam vt laboriosam non negauerim, ita tragicam (vt tu vocas) aut deplorandam esse prorsus inficior. Ludi literarij magistrum esse, proximum regno munus est. An tu putas sordidam esse functionem, primam illam ætatem tuorum ciuium optimis literis, & Christo statim imbuere, totque probos & integros viros patriæ tuæ reddere? stultorum opinione humilius est, re longe splendidissimum. Etenim si Ethnicis quoque semper præclarum magnificumque fuit de Repub. bene mereri, dicā audacter, nemo melius de ea meretur, quam rudis pueritiæ formator: modo doctus & integer: quæ duo sic in te paria sunt, vt nesciam vtro teipsum superes. Iam quod in salario diminutum est, Christus ipse de suo pensabit abunde: siquidem ipsa virtus satis amplum sui præmium est. Neque vero quicquā moueat animum tuum, quod vides quorumdam ignauissimo ocio, tantum annui census e publico decretum, qui sibi viuant, at non ex vsu reipub. ei vero, qui communis est omnium liberorum parens, & in re maxime omnium necessaria, tantis sudoribus agit publicum negocium, tam malignum stipendium exolui: integrum & incorruptum virum munus hoc requirebat, cuique vel gratuita pietas cordi sit. Itaque magnitudo salarij, dignitasque proposita sceleratissimum quemque ad hoc negocium pelliceret. Ipse, mi Sapide, dignitatē addes ex tuis dotibus muneri, si parum apud homines splendido, certe apud Christum magnificentissimo decoraberis. *P. M. Farragine Epist. ad Io an. Sapidum.*

Hæc, inquam, plebeia, si præstarent pro sua sorte principes, si in cōcionibus inculcarent sacerdotes, si pueris instillarent ludimagistri, potius quam erudita illa, ex Aristotelis & Auerrois desumpta fontibus, non sic perpetuis pene bellis tumultuaretur vndique res Christiana, non tam insano studio, per fas nefasque congerendi diuitias feruerent omnia, non tot litibus vbique perstreperent sacra pariter, ac prophana: denique non titulo tantū & cæremonijs differremus ab ijs, qui Christi philosophiam non profitentur. Siquidem in illis tribus hominum ordinibus præcipuum est Christianæ religionis, vel instaurandæ, vel augendæ negocium: In principibus, qui horum gerunt vices, magistratibus in episcopis, & horum vicarijs sacerdotibus, & in ijs, qui primum illam ætatem ad omnia sequacem instituunt. Quos, si omisso negocio suo, contingat ex animo conspirare in Christum, nimirum videremus, haud ita multis annis verum quoddam, vt & Paulus inquit, *γνήσιον* Christianorū genus passim emergere, quod Christi philosophiam non cæremonijs tantū, & propositionibus, sed ipso pectore, totaque vita referret. His armis longe citius pellicerentur ad Christi fidem Christiani nominis hostes, quam minis, aut armis, vt omnia iungamus præsidia, nihil ipsa veritate potentius. *P. M. in Parœcel. hæc de ludimagistris narrat.*

Externa sunt, magister & instrumentum: Magistro non satis est bene, quæ profitetur, scire, nisi expedite ea possit explicare, & artē dexteritatemque ad rem adiungat: quod si contingat, breuiter in magnam eruditionem docilis discipulus euadet.

Alterum præceptoris officiū est, emendare, ac corrigere, quod non minus est vtile, quam vmbratilis explicatio præceptorum, & eo magis si corrector, cur quicquam vel probet, vel reijciat, tum norit ipse, tum sciat tradere, & velit diligenter explicare. Vitamus enim damnata, pergimus qua videmus eum præire, ac nos ducere. Quod si solidi sit, & exacti iudicij præceptor, plus ab emendatione paratur iudicij, quam ex alijs omnibus scholæ exercitamentis. *Lud. Viues lib. de Anima, & tit. de ratione stud.*

Pædagogi graues sint imprimis, liberique ab omni vitæ crimine: dehinc egregie docti. Nam quemadmodum nutricum, quāto purius incorruptiusque lac fuerit, tanto infantium, qui eo aluntur, valetudo magis, atque robur adiuuatur. Ita ij, quo electiores literas & mores habuerint, eo etiam disciplinis firmiora relinquent probitatis, & doctrinæ altius demum surrectura vestigia. Nec dubitandum erit, quin à principio præstantissimus poeta doctor eligatur, licet imbuendum rudem adhuc ætatem mediocriter etiā doctus quisque ac gregarius sufficere videtur. Nam quo eruditior fuerit, eo faciliorem clarioremque doctrinam ministrabit, quæ puerorum maxime nutrit ingenia: iacent etiam in eis certiora literarum, ac rectiora fundamenta, quæ non aliter ac iacta fuerint, perpetuo secum sedebunt, atque infixa perdurabunt. Præstabit quoque eruditores eis præficere, placidi ac mitis ingenij. Nā præceptorum inhumanitas maxime impedit profectum, qui ad literas in ea ætate fit. Imitātur etiam facillime pueri mores, quos in maioribus suis assidue conspiciūt: in quo præclarum est, illud, quod apud Platonem educatum puerum, ad parentesque postea reductum, quum sublata voce excandescentem conspiceret patrem, dixisse ferunt: Numquam hæc apud Platonem vidi.

Catoni fuit pædagogus Sarpedon, homo comis, atque vrbanus; & qui verba magis, quam verbera in promptu haberet, quod illi ad modum ad literarum morumque rationem profuit, parebat ei Cato faciebatq. oīa illius iussa, singulas causas rōnesq. ab eo efflagitās, ac tāquā diuinū quoddā oraculū eum obseruās. Præstat igitur, vt magistri pueros sibi cōmēdatos nō aliter quā filios omni cura, & amore prosequātur, nullū denique refugientes in erudiēdis eis laborē, pro quibus, cum perfectā ad eruditionem euaserint, non minus gaudebūt, quā agricolæ pro plātatis arborib. vbi dulcē edunt fructum. *Hæc Philelph. li. 2. de educatione liberorum.*

Nullum munus Reip. afferre maius meliusve possumus, quam si doceamus, atque iuuentutem erudiamus, ijs præsertim moribus, atque temporibus, quibus ita prolapsa est, vt omnium opibus refrænanda, atque coercenda sit. *Cic. 3. de Diuin.*

Nulli bonarum artium magistri non beati putandi, quamuis consenuerint vires, atque defecerint. *Cato Maior.*

Pædagogi negligendi non sunt, sed quodammodo colendi. *In Lælio.*

Optimus quisque præceptor frequentia gaudet.

Præcipiamus omnia, vt saltem plura fiant.

Facile est cuiuis in genere præcipere. *Quintil. lib. 1.*

Docentes alios mentiri non debent. *Arist. Pol. 1.*

Hi solum docent, qui causas de singulis dicunt.

Signum scientis est, posse docere. *Idem Metaph. 1.*

Nemo est nostrum liberaliter educatus, cui non educatores, cui non magistri sui, atque doctores, cui non locus ille mutus, vbi ipse altus, aut doctus est, cum grata recordatione in mente versetur. *Cic. pro Planc.*

Ijdē erant antiquitus viuēdi præceptores, atque dicendi. *3. de orat.*

De excellenti Præceptore. DIAL. LXXX.

GAVD.

Excellenti præceptore glorior. R. Alieno nec dum desinis gloriari. Quid ad te enim excellentia præceptoris tui. Crede mihi (quod sæpe itero) intra te sit oportet, quod te faciat gloriosum. G. Præceptore glorior excellenti. R. Sine ipsum interim rebus suis, vt videretur, vti, &, si liber, etiam gloriari, quamuis, etsi excellens vere est, minime id facturus sit, de te autem post viderimus. G. Est mihi præceptor insignis. R. Qualis tu discipulus sis, expecto: ante enim quid pronunciem, non habeo, quam multos stultos, atque hebetes habuisse putas scholam Socratis, ac Platonis, in quibus multos absque præceptore vllo per seipsos in

altum

altum euolasse, vt præceptores fierēt aliorum, qui præceptoribus caruissent. Nullum Vergilio præceptorem legimus. Horatius Flaccus de suo nihil, nisi quod plagosum dixit, verberum puerilium credo memor erat. Cicero autem suum laudibus amplissimis celebrare noluit, nec valuit. Contra huius filius, quantis præceptoribus, patre scilicet & Crattippo, illius ætatis Philosophorum principe, si quid ipsi credimus Ciceroni, quantus nebulo, quamque famosæ ebrietatis euaserit, notum est, qui solo patris vel tacentis aspectu doctus, ac sobrius euasisse debuerit. Plato ipse, etsi vt supra memini, Socratis magisterio glorietur: maior tamen est gloria Socratem excessisse, quam sub Socrate didicisse. G. Scientificus præceptor est mihi. R. Scientia præceptoris discipulo vtilis esse potest, gloriosa esse non potest, quin etiam (quod mireris) est, qui tibi famam minuat, ignauiam exaggeret, iactantiæ, excusationibusque aditum præclusisti. Quicquid scieueris præceptori dabitur. Quicquid ignoraueris, tuum erit. Est ergo non vnde glorieris, sed vnde aspires ad gloriam. Habes & quem sequi velis, atque assequi, non quem te esse putes, quod discipulus eius sis. Est denique non quod habeas, sed quod habere cupias, & quod speres non sine ingenti tuo studio, ac labore. G. Est mihi præceptor assiduus, vir clarus. R. At illi, de quo diximus, Ciceronis filio, duo erant summi viri, quorum alter libris eminus, alter verbis comminus in eum incubuerat, & quid profecerint, audisti: quam multos vero è filijs principum præceptores simul quam plurimos habuisse comperimus: sed quid refert esse, qui doceat, si qui discat nemo sit. Patiente indisposito frustra nititur vis agentis. Certe si doctos viros propius spectare, vel alloqui doctos faceret spectatores, & si paucos virtutis, aut doctrinę cupidos videmus, magna circa eos esset tamen, & importuna frequentia.

De indocto Præceptore. DIAL. XI.

DOL.

Est mihi præceptor indoctus. R. Etsi doctum facere non possit indoctus, verumque sit commune illud signum scientis est posse docere. Sub indocto tamen præceptore doctus aliquis fieri pōt, vel per seipsum, vel (quod est verius) influentia cœlesti, atque inspiratione. Et, vt Ciceronis vtar verbo, aliquo afflatu diuino, sine quo nec doctum certe, nec bonum virum fieri posse credendū est. Hoc enim non solum vera religio sentit, sed gentilis quoque Philosophi consentit authoritas. D. Indoctum præceptorem nolens audio. R. At cœlestem præceptorem audi libens, qui fecit aures tibi, non has tantum, quas videmus, sed inuisibiles, alias intus in anima illud audi, qui docet hominem scientiam, sicut scriptum est, quo insuper tacente, frustra præceptor quicūque mortalis, quamuis doctissimus, laboraret. D. Præceptorem indoctum ægre fero. R. Vel ab illo fugiens alium quære, vel ad teipsum redi. & memento, Epicurum sæpe à Cicerone licet irrisum, visum tamen Senecæ magnum virum, non indoctum modo præceptorem habuisse, sed nullum, vt gloriabundus idem ipse commemorat. Augustinum vero, quod de seipso testatur, cui non omnia credere nefas est, & Aristotelicas categorias, quæ inter difficillima numerantur, & artes liberales, quas singulas à præceptoribus didicisse, magnum dicitur, nullo hominum tradente, vt idem ait, omnes intellexisse. Nouissimumque Bernardum virum doctrina & sanctitate clarissimum omnes suas literas, quarum inter cūctos sui temporis abundantissimus fuit, in siluis, & in agris didicisse, non hominum magisterio, sed meditando, & orando, nec vllos vmquam alios, vt de se etiam ipse ait præceptores habuisse, quā quercus & fagos. Hæc si facta sunt, cur non iterum fieri possint? Quod nisi sic esset, quid fecissent primi hominum, quibus nec præceptor vllus erat, nec reperti aliqui? mirando ergo, cogitando, assurgendo, & ingenium acuendo, ea ipsa, quæ vos cum omnibus præceptoribus vestris vix intelligitis inuenere. Aude & tu aliquid, neque magnis inserere ne diffidas. Si mortalis defuerit, æternus aderit præceptor, à quo sunt omnes, & omnia ille fecit ingenia, & scientias, & magistros.

APOPHTHEGMATA.

Diogenes. Olim in scholis pingi solebant Musæ, ceu studiorum præsides: ingressus igitur scholam Diogenes, cum videret multas Musas, discipulos admodum paucos, dixit præceptori: Cū Dijs multos habes discipulus, ludens ex ambiguo sermone. Nam Græci cum Dijs dicunt, pro eo quod nos dicimus, fauentibus Dijs. Interdum σὺν, id est, cum significat comitem. Cum multis te defendi, id est, multi mecum te defenderunt. *Laert. lib. 6.*

Idem, puerum conspiciens indecore se gerētem, pædagogum illius baculo percussit dicens: Cur sic instituis? Indicans, primæ ætatis formatoribus potissimum imputandum esse, si adolescentes euadunt male morati, aut secus. *Apthonius & Priscian.*

Socrates, quum Xenophontem obuium interrogasset, vbinam locorum variæ venderentur merces, quibus vulgo vtūtur homines? & prompte ad hoc respondisset Xenophon interrogauit iterum, vbinam homines fierent meliores? at quum adolescens respondisset, se id nescire: Me sequere, ait Socrates, & hoc ex me disces: Absurdum est, scire, vbi ea, quæ ad victum sunt venalia, reperias: vbi autem doctus, & probus euadas negligere. *P. M. l. 3. apoph.*

Polyanthea Nouiss.

Idem. Quum Aeschines ambiret esse de numero discipulorum Socratis, excusaretque verecundiæ paupertatem suam, ac moleste ferret, quod quum Socrati cæteri amici diuites multa largirentur, sibi nihil esse, quod daret, præter seipsum: An non intelligis, inquit, quam magnum munus mihi dederis, nisi forte teipsū paruo æstimas: Itaque mihi curæ erit, vt te tibi reddam meliorem, quā accepi. Alij Sophistæ, qui meras nugas docerent, nullū admittebant discipulum, nisi magna mercede, Socrates nihilo minus libenter recepit inopem, quā opulentos. *P. M. l. 3. apop. ex Seneca.*

Antisthenes rogatus, cur esset in discipulos tam seuerus? Et medici, inquit, ægrotos suos simili modo obiurgant. Significans, se in vitia seuire, & non in homines, aut discipulos, nec vitia lauari blandiendo. *Laert. lib. 6. c. 1.*

Agesicles. Cum Agasicli Lacedæmoniorum Regi diceret quidā, admirari se, quod cum esset auidus discendi, non adiungeret sibi Philosophanem sophistam, regali prorsus indole, respondit: Eorum volo esse discipulus, quorum sum & filius, significans, non minus interesse, quos nactus sis parentes, quam quos nactus sis præceptores. Etenim vt liberi ferme referunt maiorū, vnde progenati sunt, ingenium: ita præceptorum vitia demigrant in eos, quos instituunt. Et honestæ vitæ institutio potissimum ab illis petenda est, qui virtutem ipsis factis præstiterunt, non ab ijs, qui compositius arte verbis de virtute nugantur. At nunc summi orbis monarchæ futuri, Deum immortalem, quibus interdum viris à teneris annis formandi instituendique creduntur? cum principi non minus tam perniciosum sit, tum indecorum, ab inhonestis institui, quam nasci. Nec quælibet artes discendæ sunt principi, sed hæ duntaxat, quæ tradunt rationem recte administrandi regnum. *P. M. ex Plut. in Lacon.*

Anonymus. Laco quidam pædagogus pueri cura suscepta, cum interrogaretur, quid esset illum docturus? Efficiam, inquit, vt honestis delectetur, turpibus offendatur. Nihil efficacius ad verā felicitatem, quam amare virtutem propter se, odisse vitium propter se. *Plut. in Lacon.*

Alius Spartanus quidam interrogatus, quid cōferrent vtilitatis pueris adhibiti pædagogi? Efficiunt, inquit, vt quæ sunt honesta, eadem pueris fiant etiam iucunda. *Plut. in Lacon.*

Alexander Aristotelem, cui puer formandus fuerat traditus, summa veneratione prosequebatur, dicens, se illi non minus quam patri debere, quod à patre viuendi, à præceptore bene viuendi initiū accepisset. *Plut. in eius vita.*

SIMILITVDINES.

B. Anselmi. Dic quæso, si plantam arboris in horto tuo plantares, & mox illam ex omni parte ita concluderes, vt ramos suos nullatenus extendere posset, quum eam post annos excluderes, quales putas ramos extenderet? profecto inutilis arbor, rugosa, & gibbis plena, ramis suis incuruis perplexa. Hoc vtique facitis, ô vos puerorum magistri: de pueris vestris, qui plantati sunt per oblationem in Ecclesiæ horto, vt crescant, & fructificent Deo. Vos autem in tantum terroribus, minis, & verberibus vndique illos coarctatis, vt nulla penitus liceat sibi libertate potiri. *In similitudinibus, cap. 177.*

Lysidis Pythagorici. Quemadmodum tinctores ea vestimenta, quæ tincturam accipere debent, stringendo prius expurgant, vt indelebilem tincturam imbibant, & quæ expurgari numquā possit. Ad eumdem modum diuinus vir Pythagoras præparabat eos, qui amore philosophiæ tenerentur, ne fallerentur ab ijs, quos bonos honestosque futures esse, spem concepisset. Non enim adulterinam eruditionem tractabat, neque laqueos, quibus Sophistarum vulgus adolescentes implicat, nihil boni, aut veri docentes: sed diuinarum humanarumque rerum scientiam tenebat. Illi vero in prætextum adhibita eius doctrina, multa & mirabilia faciunt, irretitis non rite ac temere adolescentibus. Quæ causa est quamobrem difficiles, & imprudentes efficiant suos auditores? Inculcant enim moribus confusis, & turbidis theoremata, & orationes liberas. Quemadmodum si quis in profundum, cœno ac luto plenum infundat puram, ac limpidam aquam, & cœnū perturbat, & aquam in nihilum redigit: eadem etiam eorum, qui sic docent, & docentur, est ratio. Densi enim ac profundi cespites circa mentem, & cor eorum, qui non pure initiantur, innati sūt, quibus omnis mansuetudo, ac ratio obscuratur, quantumuis in conspectu quidem & foris aucta: ac subeunt hunc cumulum omnis generis malitiæ excrescentes, & impedientes, neque sinentes prospicere rationem. *In epist. ad Hipparchum.*

Plutarchi. Vt sacrificiis honorem habet ciuitas, quod commune omnium bonum à Dijs petant: Ita multo magis honorandus principis præceptor bonus, qui talem fingit, vt omnibus sit vtilis futurus. *In Moral.*

Vt non satis est soli bonitas, nisi accedat & cultor idoneus, & semina: Ita non sufficit ingenij felicitas, nisi accedat doctor, & institutor egregius, & præcepta idonea. *In Moral.*

Vt quidam crebris diuerticulis viam breuem reddunt longam: Sic nonnulli docentem crebris quæstiunculis nihil ad rem pertinentibus interpellantes, perpetuam interrumpunt doctrinā. *In Mor.*

Vt agricolæ vallos apponunt arbusculis, quo recte crescant: Ita qui instituit, addit monita, & præcepta ingenijs salubria, ne diuaricent in vitia. *In Moral.*

Vt pulli inter uolucres semper hiantes pēdent de ore alieno: Sic quidam molesti sunt docenti, quo necessarium sit eis omnia mansa in os serere, nihilque tradant ipsi. *In Moral.*

Dionysij Sophistæ Antiocheni. Neque pater vnquam liberos de se progenitos habere odio possit eruditionis, ac morum præceptor patre videri præstantior non debeat. Ille enim cum voluptate procreandis liberis operam dat, hic autem consilio bonos efficit. Perge igitur animum habere bonum, neque de meo in te amore dubita: quoniam artis pater est melior. Neque diffidere vnquam deprehendaris, numquis etiam fuerit: nam & qui natura sunt patres, commouere liberos aliquando ad iram solent: non tamē inter se belligerantur etiam. *in epist. ad Seuer fol.* 514.

Seneca. Quemadmodum præceptores suos veneratur, ac suspicit, quorum beneficio illis in vijs exit: Sic & hic, sub quorum tutela positus exercet artes bonas. *lib. 2. epist.* 74.

Pontani. Vt agricola vehementer exultat, vbi generosos fœtus ex arbore ipsa legit, quam suis quondam manibus conseuerat, ac diu multa cura produxerat: Ita præceptores, si eorum quos literis, & moribus bonis informarunt, ingenij fructu intueuntur. *lib. 6. epist. ad Francisc. Puccinum.*

Philippi Beroaldi. Sicuti parentes filiorum corpora effigiant: Ita præceptor discipulorum mentes format. Quæ res tanto preciosior videri solet, quanto homo interior homine est exteriore præstātior. *In epist. ad Martin. Bohemum.*

P.M. Vt maximi medici minores quoque morbos optime sanant: Ita doctissimi præceptores, & minima optime docent. *In simil.*

Vt boni agricolæ est nosse terram suam, quam colit: Ita præceptor diligens imprimis studeat cuiusque indolem, & ingenium cognoscere: neque enim eadem sunt omnibus adhibenda. *In simil.*

Thrineri. Facile ad virtutem erudiuntur, qui cum melioribus conuersantur: At magno compendio in literas veniunt, qui nusquā a doctoribus recedunt. *In apoph.* 945.

Vide Discipulus, Disciplina, Educatio, Institutio.

PRÆCEPTVM.

DEFINITIO ET ETYMOLGO.

PRæceptum, Græce [Greek illegible] dicitur. Est autem præceptum iussio, vel imperium faciendi aliquid. vel non faciendi.

Præceptum importat applicationem legis ad ea, quæ ex lege regulantur, *secund. S. Thom.* 1. 2. *q.* 90. *art.* 2.

Præceptum est actus rationis, quia importat motionem cum quadā ordinatione. *secund. eundem* 2. 2 *q* 47. *art.* 9.

Præcipere nonnumquam significat ante videre. Virgil. *Omnia præcepi, atque animo mecum ante peregi.* Aliquando præcipere est præuenire. Virgil. *Exultatque animis, & spe iam præcipit hostem.* Hinc præcipuum & præcipue, quasi ante omnia. Aliquando significat iubere. Idem: *Ipsi numerumque modumque carinis Præcipiant.* Interdum significat monere, & instituere. Vnde artium magistri præceptores dicuntur, & placita eorum præcepta.

LOCI BIBLICI.

Præcepta Dei filijs inculcanda, *Deut.* 6. *ver.* 20. Præcepta non bona, quomodo Israelitis data, *Ezech* 20. *v.* 25. præcepta Decalogi, *Exo.* 20. *v.* 1. *&c. Deut.* 5. *v.* 6. *&c.* in duabus tabulis scripta, *v.* 22. præcepta de charitate, *Prou.* 3. *v.* 27. *&c.* Præcepta fiant in agnitione Dei & charitate, 1. *Ioan.* 2. *v.* 3.

Præceptorum diuersorum *Exempla optima:* Manasses, 2. *Paral.* 33. *v.* 16. *iniquissima:* Saul. 1. *Sam.* 19. *v.* Achab, 1. *Reg.* 21. *v.* 9. 10. Ioas, 2. *Paralip.* 24. *v.* 21. Nabuchodonosor, *Dan.* 3. *v.* 19. Claudius, *Act.* 18. *vers.* 2. Princeps sacerdotum, 23. *v.* 2.

Præcepta custodientibus est Deus misericors, *Deut.* 7. *v.* 9. seruantibus benedictio: non seruantibus maledictio, *Exod.* 23. *v.* 5. 6. *Leuit.* 26. *v.* 3. 14 *Deut.* 7. *v.* 11 *&c.*

SENTENTIAE BIBLICAE.

Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, eo quod obedierit Abraham voci meæ, & custodierit præcepta, & mādata mea, & cęremonias legesque seruauerit. *Gen.* 20.

Si in præceptis meis ambulaueritis & mandata mea custodieritis, & feceritis ea, dabo vobis pluuias temporibus suis, & terra gignet germen suum, & pomis arbores replebuntur. Apprehendet messium tritura vindemiam, & vindemia occupabit sementem, & comedetis panem vestrum in saturitate, & absque pauore habitabitis in terra vestra. *Leuit.* 26.

Custodite mandata Domini Dei vestri, quæ ego præcipio vobis.

Custodi præcepta eius, atque mandata, quę ego præcipio tibi, vt bene sit tibi, & filijs tuis post te, & permaneas multo tēpore super terram, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi *Deut.* 4.

Custodite igitur, & facite, quæ præcepit Dominus Deus vobis. Non declinabitis neque ad dextram, neque ad sinistram: sed per viam, quam præcepit Dominus Deus vester, ambulabitis, vt viuatis, & bene sit vobis, & protelentur dies vestri in terra possessionis vestra. *ibid.* 5.

Audi Israel, & obserua, vt facias, quæ præcepit tibi Dominus, & bene tibi sit, & multiplieeris amplius, sicut pollicitus est Dominus Deus patrum tuorum tibi terram lacte, & melle manantem. *ibid.* 6.

Scies, quia Dominus Deus tuus ipse est rex fortis, & fidelis, custodiens pactum, & misericordiam diligentibus se, & his, qui custodiunt præcepta eius in mille generationes: & reddens odientibus se statim, ita vt disperdat eos, & vltra non differat, protinus eis restituens, quod merentur. Custodi ergo præcepta, & ceremonias, atque iudicia, quæ ego mando tibi hodie, vt facias. *ibid.*

Ama itaque Dominum Deum tuum, & obserua præcepta eius, & ceremonias, iudicia atque mandata omni tempore, &c. *ibid.* 11.

Custodiatis mandatum, & opere compleatis mandatum, & legem, quam præcepit vobis Moyses famulus Domini, vt diligatis Dominum Deum vestrum, & ambuletis in omnibus vijs eius, & obseruetis mandata illius, adhæreatisque ei, ac seruiatis in omni corde, & in omni anima vestra. *Ios.* 22.

Sit quoque cor nostrum perfectum coram Domino Deo nostro, vt ambulemus in decretis eius, & custodiamus mandata eius. 3. *Reg.* 8.

Custodite & perquirite cuncta mandata Domini Dei nostri, vt possideatis terram bonam, & relinquatis eam filijs post vos vsque in sempiternum. 1. *Paral.* 28.

Omnibus autem diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum, & caue aliquando peccato consentias, & prætermittas præcepta Dei nostri. *Tob.* 4.

Fidelia omnia mandata in sæculum sæculi, facta in veritate, & æquitate. *Psalm.* 110.

Increpasti superbos, maledicti, qui declinant à mandatis tuis. *Psalm.* 118.

Deum time, & mandata eius obserua. *Eccl.* 12.

Cogitatum tuum habe in præceptis Dei, & in manibus illius maxime assiduus esto: & ipse dabit tibi cor, & in concupiscentia sapientiæ dabitur tibi. *Eccl.* 6.

Quia rectæ viæ Domini, & iusti ambulabunt in eis, præuaricatores vero corruent in eis. *Ose* 14.

Qui ergo soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum: qui autem fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum. *Matth.* 5.

Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater, soror, & mater est. *idem* 12.

Quare & vos transgredimini mandatum Dei? *idem* 15.

Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Dicit illi: Quæ? Iesus autem dixit: Non homicidium facies. Non adulterabis. Non facies furtum. Non falsum testimonium dices. Honora patrem tuum & matrem tuam. Diliges proximum tuum sicut teipsum. *idem* 19.

Si diligitis me, mandata mea seruate.

Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Qui non diligit me, sermones meos non seruat. *Ioan.* 14.

Vos amici mei estis, si feceritis, quæ præcipio vobis. *idem* 15.

Et in hoc scimus, quoniam cognouimus eum, si mandata eius obseruemus. Qui dicit se nosse eum, & mandata eius non custodit, mēdax est, & in eo veritas non est. Qui autem seruat verbum eius, vere in hoc charitas Dei perfecta est. 1 *Ioan* 2.

Omnis, qui diligit eum, qui genuit, diligit & qui natus est ex eo: In hoc cognoscimus, quoniam diligimus natos Dei, cum Deum diligamus, & mandata eius faciamus. Hęc est enim charitas Dei, vt mandata eius custodiamus, & mandata eius grauia non sunt. *ibid.* 5.

PATRVM SENTENTIAE.

Cum ergo in naturali iure nihil aliud pręcipiatur, quam quod Deus vult fieri, nihilque aliud vetetur, quam quod Deus prohibet fieri: denique quum in canonica scriptura nihil aliud, quam quod in diuinis scripturis, & legibus inueniatur, diuinæ vero leges cū natura consistant: patet, quod quæcumque diuinæ voluntati, seu canonicæ scripturæ contraria probantur, eademque etiam naturali iuri inueniantur aduersa. Vnde quæcumque diuinæ voluntati, seu canonicæ scripturæ, seu diuinis legibus postponenda censentur, eisdem naturale ius præferri oportet. Constitutiones ergo vel ecclesiasticæ, vel sæculares, si naturali iuri contrariæ probantur, penitus sunt excludendæ. *August. ad Casulanum & habet. dist.* 9. *can. San* 1. *§. Cum ergo.*

Quæ contra mores hominum sunt flagitia, pro morum diuersitate sunt vitanda: vt pactum inter se gentis, aut ciuitatis consuetudine, vel lege firmatum, nulla ciuis, aut peregrini libidine violetur. Turpis est enim illis pars vniuersio suo non congruens. Cum autem Deus aliquid contra morem, vel contra pactu quorumlibet iubet fieri: si ibi numquam factum est, tamen faciendum est: & si omissum est, instaurandum est: & si statutum non erat, instituendum est. Si enim regi licet in ciuitate, cui regnat, iubere aliquid, quod neque ante ipsum quisquam, nec ipse vnquam iussetat, & si non est contra societatem ciuitatis eius, obtemperatur ei: imo contra societatem fit, si non obtemperetur ei: generale quippe pactum est societatis humanæ, obtemperare regibus suis. Quando magis Deo regnatori vniuersæ creaturæ suæ, ad ea, quæ iusserat, sine dubitatione seruiendum est? Sicut enim in potestatibus societatis humanæ maior potestas minori ad obediendum præponitur, ita Deus omnibus. *Idem l. 2. Confess. & hab. dist. 8. cau. Quæ contra.*

Quisquis præceptis non obtemperat, reus est, & debitor pœnæ, & paulo post: Nec pro Domino non obedire, peccatum est: & consilio si vt nolueris, minus boni adipisceris: non mali aliquid perpetrabis. *Idem in ser. de Monte. & hab. 24. q. 1. can. Quisquis.*

Illud breuiter admouendum puto, traditiones ecclesiasticas, præsertim, quæ fidei non officiant, ita obseruandas, vt a maioribus traditæ sunt: nec aliquorum consuetudinem aliorum contrario more subuerti. *Hieron. ad Lucian. & hab. dist. 12. can. Illud.*

Si quis prohibet vobis, quod a Domino præceptum est, vel rursus imperat fieri, quod Dominus prohibet: execrabilis sit omnibus, qui timent Deum. *Isidor. & habet. 11. q. 3. Si is qui, §. Si quis prohibet.*

Si quis præpostera festinatione temerarius remissionem peccatorum cunctis putat se dare posse, & audet Domini præcepta rescindere: non tantum nihil prodest, sed obest lapsis. Prouocasse enim iram Dei est, non seruasse sententiam: non misericordiam prius mi Domini deprecari, sed contempto Domino de sua facilitate præsumere. *Cyprian. de lapsis, & hab. dist. 50. cau. Si quis.*

POETICÆ SENTENTIAE.

Virg. Aeneid. lib. 2.

Nec præceptis parere recusa.

Horat. in arte poet.

Quicquid præcipies, esto breuis, vt cito dicta
Percipiantque animi dociles, teneantque fideles.

FABVLA.

Auiculæ præcepta.

Captam auiculam aiunt pollicitam aucupi, si se emisisset, daturam illi præcepta tria, quibus si vti vellet, beatam vitam viuere posset. Quum auceps hac spe, & conditione illam a se dimisisset, fugisset, de arbore hæc accinuisse auicula traditur: Crede parum: Tua serua: & quæ periere, relinque. Postea, Gratias ago tibi, magne (inquit, Iupiter) qui me de tuis manu liberaris. Nam in visceribus meis latet Smaragdus vncialis, quem si ille abditum intra me sciret, numquam viuam emitteret. Hoc audito, mirificus dolor aucupem inuasit, & pœnitere eum credulitatis suæ, qui tam facile auiculam dimisisset. Illa. Nisi sequatis præcepta mea, inquit, nihil tibi illa profuerunt. Nam cur tu nunc obsecro mihi credis, quæ vncialem gemmam mihi inesse dixi, cum vix semunciæ pondus habeam? Quod si verum sit, cur non seruabas iam? Sed quum & hoc neglexeris, restat scilicet, ne amissa, quæ recuperari nequeunt, frustra requiras, aut desiderio illorum consumaris, atque his dictis relicto aucupe auolauit.

Explicat fabula viles maxime sensus ad vitam cum quiete degendam: Et hoc etiam ostendit, præcepta bona multos audire, paucos sequi.

Vide Lex.

PRÆDA.

DEFINITIO, ET ETYMOL.

Præda, Græce λεία, ἁρπαγή, vel ἀπὸ λεηλασία ... prædor dicitur. Præda dicuntur corpora ipsa rerum, quæ capta sunt. Manubiæ vero appellantur pecuniæ, a quæstore ex venditione prædæ redactæ, *secund. Aul. Gell. lib. 13. Noct. Att. c. 23.* Dicitur autem præda, vt Varro placet, a præ, quasi parida, quod fit manu parta; vel dicamus a præ, quod est ante, & do, quod auferatur per vim, antequam detur a possidente.

LOCI BIBLICI.

Præda ex æquo diuidenda, *Deut. 20. 14. Num. 31. v. 26. 27. Iosu. 22. v. 8. 1. Sam. 30. 24. Exempla:* Moyses, *Num. 31. 27.* Iosua, *Ios. 8. v. 2. 27. & 11. 14. 22. 8.* Israelitæ, *1. Sam. 14. v. 31. 32.* Dauid, *30. v. 22. 24. 25.* Iosaphath, *2. Paral. 20. 25.* Viri Israel, *28. 14.* Iudæi, *2. Mach. 8. 30.* qui prædatur, etiam ipse prædabitur. *Esa. 33. 1.*

Polyanthea Noua.

Quia ad prædam, non plane eueisa hostium fortuna, se conferet, non miles bonus est, sed calo, quem ... vt mancipium cuius tractare licet. *Xenoph. de instit. Cyri l. 5.*

Ab hostibus parta abundantia non solum commeatuum, sed immortalem gloriam apud omnes mortales parere solet. *Idem, de reb. gest. Græc. l. 5.*

Quum veteres milites Romani e castris ad militiam egrediuntur, iurant omnes nihil se ex præda defraudaturos, sed fidem locum dum datum sacramentum seruaturos. Dum sic diuisi pars ad prædandum conuertitur, pars custodiæ gratia in acie remanet numquam Romanis aliqua discrimina in vniuersum auaritiæ vitio aboritur. Etenim nemo inter eos spe lucri fraudatur, sed dum alij prædam inhiant, alij cunctanter in acie permanentes istos custodiunt: nec vllus reperitur qui aciem deserat, vt quod alij postulant incommodare consueuit. Quandoquidem enim plurimi mortalium damnum accipiunt, & periclitantur lucri gratia, manifestum est, quod vbi illius occurrit occasio, ægre abstineant, & sese cohibeant, qui in acie, vel castris relinquuntur: propterea quod plerumque præda omnis in potestate eius sit, qui dominatur, si is omnino sit monarcha: si vero dux, licet accurate in commune cuncta lucri gratia comportentur, nihilominus tamen cuncti pro suo deputant quicquid abscondi, ac defraudari potest. Et quoniam plurimi prædæ inhiant, atque ita plerumque victoriam obtinere nequeunt, sit, vt de summa rerum periclitentur. Multis hoc accidit, vt licet facti sint voti compotes, & vel in castra hostium irruerint, vel ciuitates ceperint, attamen non solum eiecti sint, sed & totius causæ periculum, ac detrimentum incurrerint: ob nullam videlicet aliam, quam dictam iam causam. Quapropter nihil tantopere curandum, ac prouide disponendum est ducibus, atque hoc ipsum de quo loquimur, videlicet, vt quantum fieri potest, spes illa apud plerosque maneat, quod si eiusmodi meliat occasio, cunctis certa sit æqualis lucri partitio. *Polyb. hist. l. 10.*

Prædæ cupiditas multos longius enecat. *Cæs. l. 6. de bello Gal.*

Omnis cædes, & vulnera, & sanguis auiditate prædæ pensatur. *Tacit. hist. lib. 3.*

HISTORICAE SENTENTIAE.

Themistocles, quum aliquando ad mare visendi cadauera gratia accessisset, ac torques armillasque passim disiectas videret, ipse quidem præteriit, sed amico, qui sequebatur, dixit: Collige tu tibi, nam tu Themistocles non es. Ne tam olim tam quidem præda commouere potuit, vt quicquam ageret indignum egregio duce cui gloria debet esse satis magnum virtutis præmium. *Plut. in vita Themistocles.*

Alexander, cum in Arbelis de rerum summa periclitatus esset, conflicturus cum mille hominum millibus ad pugnandum instructis, audierunt illum milites aliquot ipsi bene volentes, deferebatque cæteros, quod in castris inter se mutarent sermones, conspirareque ne quid præ... in regium tentorium deportarent, sed ipsi totum in suum verterent lucrum. His auditis, fuit Alexander: Fausta, inquit, nunciatis: Siquidem audio sermones virorum ad vincendum, non ad fugiendum animatorum. Nec illum fefellit diuinatio: plurimi namque milites regem adeuntes dicentes: Bono animo esto rex, neque metuas hostium multitudinem, qui ne puluerem quidem nostrum ferre poterunt. *Plut.*

Annibal profugus apud Antiochum regem agebat. Is ostendit illi suum exercitum barbarico apparatu magnifice instructum, sed ad prædam magis, quam ad bellum: Hæc omnia cum diligenter esset contemplatus Annibal, rogauit Antiochus, num hæc omnia satis essent futura Romanis? Tum Annibal: Plane satis arbitror, etiamsi auarissimi sint Romani. Lusit Pœnus ab inexpectato. Rex de prælio sciscitabatur, ille respondit de præda. Quid enim aliud est miles imbellis, auro, argento, cæterisque rebus ad prædam inuitantibus instructus? *Plut.*

PRÆDESTINATIO.

DEFINITIONES.

Prædestinatio, Græce προορισμός, πρόθεσις, ... prædefinitio dicitur. Est autem prædestinatio, diuina voluntas per gratiam electio, *secund. Aug. l. lib. de libero arbitrio.*

Prædestinatio est quædam præordinatio Dei ab æterno, de his, quæ per gratiam Dei fienda sunt in tempore, *secund. eund. 3. par. q. 24. art. 1.*

Prædestinatio est ratio transmissionis creaturæ rationalis ad vitam æternam in mente Dei, *secund. D. Tho. 1. par. q. 23. art.*

Prædestinatio est cognitio futuræ beatitudinis hominum. Præscientia vero e contrario est cognitio futuræ damnationis.

LOCI BIBLICI.

Prædestinatio æternæ vocationis, & fidei causa est, *Rom. 8. v. 30. Ephes. 1. v. 4. 5. 11. 2. Tim. 1. 9. 1. Pet. 1. 2.* ob Prædestinationem non disputandum cum Deo, *Rom. 9. 20.*

SENTENTIAE BIBLICAE.

Prædestinatio diuina imperscrutabilis.

Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris, sed quæ præcipit tibi Deus, illa cogita semper. & in pluribus operib. eius ne fueris curiosus. Multos enim supplantauit suspicio illorum, & in vanitate detinuit sensus illorum. *Eccl.3.*

Nonne frater erat Esau Iacob? dicit Dominus, & dilexi Iacob: Esau autem odio habui. *Malach.1.*

Multi enim sunt vocati, pauci vero electi. *Matth.20.*

O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius! *Rom.11.*

Irreprehensibilis.

Nam quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis Filij sui. *Rom.8.*

Quos autem prædestinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iustificauit, &c. Quos autem iustificauit, &c. *ibid.*

Quid ergo dicemus? Numquid iniquitas est apud Deum? Absit. Moysi enim dicit: Miserebor cui misertus sum, & misericordiam præstabo cui miserebor. Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. *9.*

Dicis itaque mihi: Quid adhuc quæritur? voluntati eius quis resistit? O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit: Quid me fecisti sic? Annon habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidē vas in honorem, aliud vero in contumeliam? Quod si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam. *ibid.*

Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum, in ipsum, secundum propositum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ. *Ephes.1.*

In magna autem domo non solum sunt vasa aurea, & argentea, sed & lignea, & fictilia: & quædam quidem in honorem, quæ iam autem in contumeliam. Si quis ergo emundauerit, &c. *2. Tim 2.*

Audientes autem gentes gauisæ sunt, & glorificabant verbum Domini, & crediderunt, quotquot erant præordinati ad vitam æternam. *Act.13.*

PATRUM SENTENTIAE.

Nabuchodonosor pœnitentiam meruit fructuosam. Nonne post innumeras impietates flagellatus pœnituit, & regnū quod perdiderat, rursus accepit? Pharao autem ipsis in flagellis durior est effectus, & perijt? Hic mihi rationem reddat, qui diuinum consilium nimis altè sapienti quę corde dijudicat, cur medicamentum vnius medici manu confectum, alij ad interitum, alij valeret ad salutem, nisi quia Christi bonus odor alijs est odor vitæ in vitam, alijs est odor mortis in mortem? Quantum ad naturā, ambo homines erant, quantum ad dignitatem, ambo reges: quātum ad causam, ambo captiuum Dei populum possidebant: quantum ad pœnam, ambo flagellis clementer admoniti. Quid ergo fines eorum fecit esse diuersos, nisi quod vnus Dei manum sentiens, in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit: alter libero contra Dei misericordissimam veritatem pugnauit arbitrio? *August.& habet.23.q.4.can Nabuchodonosor.*

Vasis iræ numquam Deus redderet interitum, si non spontaneum inueniretur homo habere peccatum. Quia nec Deus peccāti homini iuste inferret iram, si homo ex prædestinatione Dei cecidisset in culpam. *ibid §. Vasis.*

Prædestinationem Dei, siue ad bonum, siue ad malum in omnibus operari ineptissime dicitur: vt ad vtrumque homines quædam necessitas videatur impellere, cum in bonis voluntas sit intelligenda, non sine gratia, in malis autem voluntas sit intelligenda sine gratia. Cum vero aliquos à Deo, aut traditos desiderijs suis, aut obduratus legimus, aut relictos magis in peccatis suis, hoc ipsos meruisse profitemur, quia talia eorum crimina præcesserunt, vt ipsi sibi pœnam debuerint, qua eis etiam supplicium verteretur in reatum: atque ita nec de iudicio Dei querimur, quo deserit meritos deseri, & misericordiæ eius gratias agimus, qua liberat non meritos liberari. Vires itaque obedientiæ non ideo cuiquam subtraxit, quia eum non prædestinauit, sed ideo eum non prædestinauit, quia recessurum ab ipsa obedientia esse præuidit. Prædestinatio quoque Dei semper in bono est: quæ peccatis sola voluntate hominis commissum, aut remittendum nouit cum laude misericordiæ, aut plectendum cum laude iustitiæ. In malis autem operibus nostris sola præscientia Dei intelligenda est: quia sicut præsciuit, & prædestinauit, quæ ipse fecit, & vt faceremus dedit: ita præsciuit tantum: non etiam prædestinauit, quæ nec ipse fecit, nec vt faceremus exigit. Si autem, de quibus dicitur: Ex nobis exierunt, sed non fuerunt ex nobis: si enim fuissent ex nobis, mansissent vtique nobiscum: voluntate exierunt, voluntate ceciderunt: & quia præsciti sunt casuri, non sunt prædestinati: Essent autem prædestinati, si essent reuersuri, & in sanctitate, ac veritate mansuri. Ac per hoc prædestinatio Dei multis est causa standi; nemini est causa labendi. *ibid. §. Prædestinationem.*

Duæ sunt necessitates, simplex vna: veluti necesse est omnes homines esse mortales: altera cōditionis: vt si aliquem ambulare quis scit, eum ambulare necesse est. Quod enim quisque esse nouit, id esse aliter, quam notum est, nequit. Sed hæc minime secum illam simplicem trahit. Hanc enim necessitatem non propria facit natura, sed conditionis adiectio. Nulla enim necessitas cogit incedere voluntate gradientem, quamuis eum tunc, cum gradiatur, incedere necessarium sit. Eodem igitur modo si quid prouidentia præsens videt, id necesse est esse: tametsi nullam naturæ habeat necessitatem. At quidem ea futura, quæ ex libertate arbitrij proueniunt, præscientia contuetur. Hæc igitur ad intuitum relata diuinum, necessaria fiunt per dispositionem diuinæ notionis. Per se vero considerata, absolutam naturæ libertatem non deserunt. Fiunt igitur procul dubio cuncta, quæ futura Deus esse præ noscit, sed eorum quædam de libero proficiscuntur arbitrio, quæ quamuis eueniant, existendo tamen naturam propriam nō amittunt, quæ priusquam fierent, etiam non euenire potuissent. *idem, & hab. ibid. §. Duæ sunt.*

De Tyrijs vero & Sidonijs quid aliud possumus dicere, quam non esse eis datum desuper, vt crederent? quos crediturus fuisse ipsa Veritas docet, si talia, qualia apud non credentes facta sunt, virtutum signa vidissent. Quare autem hoc eis negatum fuerit, dicāt, si possunt, qui calumniantur: & ostendant, cur apud eos Dominus mirabilia, quibus profutura non erant, fecerit, & apud eos, quibus erant profutura, non fecerit. Nos etenim, si ratione facti profunditatem iudicij eius penetrare non possumus: manifestissime tamen scimus, & verum esse, quod dixit, & iustum esse, quod fecit: & non solum Tyrios & Sidonios, sed etiam Corazim & Bethsaida potuisse conuerti, & fideles ex infidelibus fieri, si hoc voluisset in eis Dominus operari: neque enim vlli falsum videri potest, quod Veritas ait: Nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à patre meo. *ibid. §. De Tyrijs.*

Sicut tu quædam, quæ fecisti, meministi: nec tamen, quæ meministi, omnia fecisti: ita Deus omnia, quorum ipse actor est, præscit: nec tamen omnium, quæ præscit, ipse actor est, quorum autem nō est malus actor, iustus est vltor. *idem l. 3. de libero arbitr.*

Duæ sunt hominum societates, quarum vna prædestinata est in æternum regnare cum Deo, altera vero æternum supplicium subire cum Diabolo. *idem lib.15. de Ciuit. Dei, c.1.*

Quomodo illis dixit: Non estis ex ouibus meis, quia videbat eos ad sempiternum interitum prædestinatos, non ad vitam æternam sui sanguinis precio comparatos. *idem tract. 48. in Ioan.*

Nemo venit nisi tractus. Quare illum trahat noli velle iudicare, si non vis errare. Semel accipe, & intellige. Nondum traheris, ora, vt traharis. Ramum viridem ostendis oui, & trahis illam: nuces puero demonstrantur, & trahitur, & quo currit, trahitur, amando trahitur, sine læsione corporis trahitur, cordis vinculo trahitur. *idem super Ioan. homil. 27.*

Non quia futuros nōs tales esse præsciuit, ideo elegit, sed vt essemus tales per ipsam electionem suæ gratiæ, qua gratificauit nos in dilecto Filio suo. *idem lib. de prædest. sanct.*

Elegit igitur, quos voluit, gratuita misericordia. *idem lib. Retractationum.*

Prædestinatio, est diuinæ voluntatis per gratiam electio. *August. lib. de prædest. sanct.*

Sicut tu memoria tua, non cogis facta esse, quæ præterierunt: sic Deus præscientia sua non cogit facienda, quæ sunt futura. *lib.3. de lib. arbitr.*

Prædestinatio Dei multis est causa standi, nemini est causa labendi. *ibid.*

Præscientia est vnamquamque rem ante, quam veniat, videre, & id, quod futurum est, priusquam præsens sit, præuidere. *Gregor. in dialog.*

Obtinere nequaquam possunt, quæ prædestinata non fuerunt: sed ea, quæ sancti viri orando efficiunt, ita prædestinata sunt, vt precibus obtineant, nam ipsa quoque perennis regni prædestinatio ita est ab Omnipotenti Deo disposita, vt ad hoc electi ex labore perueniant: quatenus postulando mereantur accipere, quod eis Omnipotens Deus ante sæcula disposuit donare. *dial. lib. 1.*

Præfixi dies singulis ab æterna Dei præscientia, nec augeri possūt, nec minui contingat, vt ita præsignantur, vt aut optimis operibus longiores fiant, aut pessimis breuiores. *in Mor.*

Prouidentia Dei ita omnia disposuit, quod nihil ociosum remansit. Malitiam non fecit, cum tamen ab alijs inuentam prohibere possit, non prohibet. Si enim malitia non esset, virtus contrarium non haberet, nec claresceret, nec examinata fieret, non probata vero, nec examinata virtus esset. *Origen. sup. Num. 22.*

Fidenter fatemur, prædestinationem electorum ad vitam, & prædestinationem impiorum ad mortem. *Concil. Valētinum, anno 885. Can.3.*

Hæc est in sanctis causa prædestinationis diuinæ, præparatio scilicet iustificationis, & adoptionis indebitæ: quam quia non merebatur voluntas hominis mala, non est eius causa, nisi sola Dei voluntas bona. *Fulgentius l. 1. ad Monimum pag. 45. edit. Basi. in o.l. forma 1587.*

SIMI-

SIMILITVDINES.

Synesi. Deus non eas res instrumenta facit calamitatum, sed ijs sese vltro ad tale ministerium coaptantibus libens vtitur: Iam quia tu te ad id vtilem præbes, id ipsum est, quod te omnino à Deo abscindit. Ita quoque in vasis, aliud inhonestum, aliud honestum cẽsetur. Censura enim fit pro suo cuiusque ministerio. Mensa quidem sacra res, per quã Deus, & hospitij & amicitiæ præses honoratur. Quin & Abrahamum ipsa hospitalitas Dei conuiuatorem fecit. Flagellum contra, res abominabilis, iræ enim inseruit: & sæpe qui eo vsus est, in pœnitentiam vertitur. Deus certe eorum, qui castigantur, neque id paruum, dignum haberi à Deo, quem ipse velit inuisere, illiusque delicta adhibitis pœnis expurgare. Contra vero, vltricea res Deus maxime auersatur. Quicquid enim perniciale, & destructorium, opifici inimicum, & infestum habetur. Non enim eo affectu est vltor, siue dæmon, siue homo, vt Deo ministerium velit ad operam vllam exhibere: sed vitio ingenij indulgens, publicas calamitates persequitur. Non igitur te, quum ciuitas in aliquam cladem sit conijcienda, atque te id effeceris, iudicio elabi oportuerit. Nam hanc excusationem pro se etiam Iudas excusauerit: Necessum enim erat, Christum pro omnium peccatis patibulo affigi: verum necesse quidem erat, at tamen væ illi, per quem hoc perpetratur, vt ait Scriptura. Igitur quatenus videre licet, laqueus illius traditionem excepit. Quod autem non datur videre, nemo vmquam cogitatione complexus fuerit. Non enim capere potest humanus intellectus, quænã tormenta excipiãt Christi proditores. Iam igitur eo, quod oportebat fieri, operam dedisse, vt fieret non elegantis est excusationis. *in epist. contra Andronicum fol.* 380.

Augustini. Vua pendet in vitibus, & oliua in arboribus: his enim duobus solent torcularia præparari. Et quamdiu pendent in fructetis suis, tamquam libero aere perfruuntur, & nec vua vinũ est, nec oliua oleum ante pressuram. Sic sunt homines, quos prædestinat Deus ante secula, conformes fieri imaginis filij sui, qui præcipue in passione, magnus horrus expressus est. Eiusmodi ergo homines, antequam accedant ad seruitutem Dei fruentur in hoc sæculo, tamquam deliciosa libertate, velut vuæ, aut oliuæ pendẽtes, sed quoniam dictum est: Fili accedens ad seruitutem Dei, sta in timore, & præpara animam tuam ad tentationem: accedens quisque ad seruitutem Dei, ad torcularia se venisse cognoscat, contribulabitur, contereretur, comprimetur, non vt in hoc sæculo pereat, sed vt in apothecas Dei defluat. Exuitur carnalium desideriorum integumentis quasi vinarija: hoc enim illi contigit in desiderija carnalibus. In istis torcularibus posuit sumus filij Choræ, id est, calui (hoc enim sequitur in titulo Psal.) id est, Domini nostri Iesu Christi. *in Psal.* 83.

Si quispiam habens duos debitores, & alteri vellet dimittere debitum, alterum exigere: cui vult, donat, sed neminem fraudat: nec acceptio personarum est, quando iniquitas nulla est. Alioquin eis, qui parum intelligunt, potest acceptio personarum videri, vbi vineæ dominus operarijs, qui vna hora illic opus fecerunt, tantum dedit, quantum illis, qui pertulerunt pondus diei, & æstus æquales faciens in mercede, quorum tanta distantia fuerat in labore. An non licet ei, quod vult facere? Sicut ergo hic nulla est acceptio personarũ, vbi, quia sic alius honoratur gratia, vt alius debito non fraudetur: Sic etiam cum secundum propositum Dei vocatur alius, alius non vocatur: vocato datur gratuitum bonũ, cuius boni est vocatio ipsa Principium: non vocato redditur malum, quia omnes rei sunt ex eo, quod per vnum hominem peccatum intrauit in mundum. Cui vult miseretur: quem vult indurat: qui fecit aliud vas in honorem, aliud in contumeliam. *lib.* 2. *contra duas epist. Pelagian c* 7.

Sicut integre loquimur, cum de aliquo, qui in ciuitate solus est, dicimus: Omnes iste hic literas docet: non quia omnes discunt, sed quia nemo nisi ab illo discit, quicumque ibi literas discit: Ita recte dicimus. Omnes Deus docet ad Christum venire: non quia omnes veniunt, sed quia nemo aliter venit. Cur omnes non doceat, Apostolus aperuit, quantum aperiendum iudicauit, quia volens ostendere iram, & demõstrare potentiam suã, tulit in multa patientia vasa iræ suæ, quæ perfecta sunt, in perditionem, & vt notas faciat diuitias gloriæ suæ, in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam. *lib. de prædestinatione sanct. c.* 8.

PRÆDICATIO.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Prædicatio, Græce κήρυγμα, ατος, τὸ, & κήρυξ, κος, ὁ, prædicator dicitur. Hebr. *Misra*, à verbo *Kara*, vocant. Sublata voce, clamauit, legit, & vocali pronunciatione declarauit. Dicitur etiã *Emer.* Sermo, eloquium, à verbo *Amar*, dixit, edixit. Hinc ἑρμηνεύω, interpretor, ἑρμηνεία, interpretatio, dictionum expositio. Est autẽ prædicatio, vt hic sumitur, Euangelij in Ecclesia recitatio, quod *Polyanthea Nouiss.*

fit linguis loquendo, pertinet ad Diaconum: ad sacerdotes autẽ pertinet exponere, & exhortari, quod est prophetare. *Ex B. Tho.* 3. *par. q.* 97. *art.* 1. *& 4. sent dist.* 5. *q.* 2. *art.* 1.

Prædicare est principalissimus actus, & proprius Episcopi, & dignior, quam baptizare. *secund. eund.* 3 *par. q.* 67. *art.* 1.

Prædicare non licet nisi prælato, vel ex eius authoritate, *secundum eund.* 4. *sent. dist.* 19. *q.* 2. *art.* 2.

Prædicatio debet fieri propter gloriam Dei, & salutem hominum, non autem propter lucrum, vel laudem propriam, *secund. B. Tho. super epist. ad Rom.* 10. *lect.* 2. *col.* 4. *in fi.*

Prædicator habet octo nomina: scilicet Miles, Vinitor, Pastor, Bos, Arator, Triturator, Seminator, & Architectus templi. *Ex B. Tho.* 2. *ad Co.* 9. *col.* 3. 7. Reliqua vide plurima in libris Propheticis, & Apostolicis.

Prædicamus vt res sunt, laudamus cum extollimus, *secund. Donatum super Teren. in Eunuch.*

LOCI BIBLICI.

Prædicatio, prius ministerij Apostolici pensum, *Matth.* 28. *v.* 19. 20. *Marc.* 16. 15. prædicationis Apostolicæ summa, *Matth.* 10. 7. *Marc.* 6. 12. finis eius, 1. *Ioan.* 1. 5. prædicatio Pauli qualis, 1. *Cor.* 2. 4. 1. *Thess* 2. 3.

Prædicat Christus in naui, *Matth.* 13. 2. *Marc.* 4. 1. qui prædicat, prædicet Dei sermones, 1. *Petr.* 4 11. prædicauit Christus semper palam, *Ioan.* 18. 20. prædicare non possunt, nisi sint missi, *Rom.* 10. 15. prædicantibus Apostolis Deus dat incrementum, *Actor.* 2. 47. 1. *Cor.* 3. 6.

SENTENTIAE BIBLICAE.

Et ait Dominus, prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorũ similem tui, & ponam verba mea in ore eius, loqueturq; ad eos omnia, quæ præcepero illi. Qui autem ea, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego vltor existam. *Deut.* 18.

Esto mansuetus ad audiendum verbum Dei, vt intelligas: & cum sapientia proferes responsum verum. *Eccl.* 5.

Audies verbum ex ore meo, & annunciabis ex me. *Ezech.* 3.

Quam pulchri super montes pedes annunciantis, & prædicantis pacem. *Esa.* 52.

Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ, docentes omnes gentes, & baptizantes eos. *Matth. vlt.*

Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. *Luc.* 4.

Argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina, 2. *Tim.* 4.

PATRVM SENTENTIÆ.

Quia Angelus nuncius interpretatur: Quicumque Episcopus, vel presbyter, vel etiam laicus de Deo loquitur, & quomodo ad vitam æternam perueniatur, annunciat, merito Angelus dicitur. *Aug super Apoc. hom.* 2.

Prædicator laboret, vt intelligenter, vt libenter, vt obedienter audiatur, & hoc se posse magis pietate orationum, quam oratoris facultate non dubitet: vt orando pro se, ac pro illis, quos est allocuturus, sit prius orator, quam doctor. Et in ipsa hora accedens, priusquam exeat, proferat linguam ad Deum, leuet animam sitientem, eructet, quod biberit, vel quod impleuerit, fundat. *Idem de doctrina Christi. lib.* 4.

Si quis vult Pontifex esse, non tam vocabulo, quam merito, imitetur Moysen, imitetur & Aaron. Quid enim dicitur de ijs? Quod non discedunt de tabernaculo Domini. Erat ergo Moyses indesinenter in tabernaculo Domini? Quid autem ei opus erat? Vt aut à Deo aliquid disceret, aut ipse populum doceret. Hæc duo sunt pontificis opera, vt aut à Deo discat legendo Scripturas diuinas, & sæpius meditando: aut populum doceat, sed illa doceat, quæ à Deo ipse didicerit, non ex proprio corde, vel humano sensu, sed quæ Spiritus sanctus docet. *Hieron. in Leuit. & habet. dist.* 36. *can. Si quis vult.*

Si quis doctus, & eruditus in Lege Domini potest alios erudire, non debet suæ assignare prudentiæ, ingenioque, quod possidet, sed gratias agat primum Domino, qui cuncta largitur: deinde sacerdotibus eius, ac ministris, à quibus doctus est. Si enim nõ egerit gratias, sed scientiam vendicauerit sibi, in penuria maledicetur. Quod si intelligens largitorem Deum, & agens his gratias, per quos à Deo eruditus est, humiliauerit se, & in horreũ Dei intulerit cibos: hoc est, scripturæ alimenta in Ecclesija populis ministrauerit, statim aperientur super eum cataractæ cœli, & effundetur pluuia spiritualis, & mandabit nubibus suis, vt pluant super eum imbrẽ: & abundantia rerum omnium perfruetur. *Idem super Malachiam, & habet.* 16. *q.* 1. *can. Reuertimini.* §. *Si quis.*

Omnis doctor, qui austeritatem scripturarum, per quam potest audientes corripere, vertit ad gratiam, & ita loquitur, vt non corrigat, sed delectet audientes, vinum sanctarum scripturarum violat, atque suo corripit sensu. *idem super illud, Vinum tuum mistum est aqua.*

Notandum est, quod dicuntur verba sapientum pungere, non palpare, nec molli manu attrahere lachrimam, sed errantibus tardis pœnitentiæ dolores, & vulnus infligere. Si cuius igitur sermo

non pungit, sed oblectationem facit audientibus. iste sermo non est sapiens. *Idem super illud Ecclesiastes, Verba sapientum quasi stimuli.*

Nolo offendaris in Scripturis sanctis, simplicitate & quasi vilitate verborum, quæ vel vitio interpretum, vel de industria sic prolatæ sunt, vt rusticam concionem facilius instruerent, & in vna eademque sententia, aliter doctus, aliter audiret indoctus. Nõ sum tam petulans, & hebes, vt hæc me nosse pollicear, & eorum fructus capere in terra, quorum radices in cœlo fixæ sunt: sed velle fateor, sed enim me profiteor magistrum renuens, comitem spõdeo, petenti datur, pulsanti aperitur, quærens inuenit. Discamus in terris, quorum scientia nobis perseueret in cœlo. Obuijs te manibus excipiam, & vt inepte aliquid, ac de Hermagoræ tumiditate effundam, quicquid quæsieris, tecum scire conabor. *Idem ad Paulinum presbyt. Est & in prolego Bibliorum, c. 7.*

Docente in Ecclesia te non clamor populi, sed gemitus suscitetur, lachrimæ auditorum laudes tuæ sint. *Idem in epist. ad Nepot.*

Ille est doctor ecclesiasticus, qui lachrimas, non risum, mouet, qui corripit peccatores. qui nullum beatum, nullum dicit esse felicem. *Idem super Esaiam.*

Qui enim Christum annunciat, ab omni vitiorum incentiuo præstare se debet alienum. *Ambros. in serm. de ieiunio, & habetur dist. 35. can. Sexto die. § Qui enim.*

Aperi os tuum, sed prius, vt aperiatur implora. Vita enim verbum erigit, & acquirit. Sermo enim sine vita, non est Dei sermo. *Idem super Luc.*

Libere enim, & iuxta fidem veram. sine adulatione Christum prædicantes, & gesta prauæ vitæ arguentes, gratiam non habebant apud homines. *Idem super illud, 1. Cor. Vsque in hanc horam & esurimus, &c.*

Qualis debeat esse, qui euangelizat regnum Dei, præceptis euangelicis designatur, vt sine virga, sine pera, sine calceamento, sine pecunia, hoc est, subsidij sæcularis adminicula non requirens, fideque victus putet sibi, quo minus ista requirat, magis posse suppetere. *Idem super illud Lucæ 9. Quicumque non receperit vos &c.*

Alienum est prædicatorem regni Dei cursitare per domos. *Idem super Luc.*

Cuius vita despicitur, restat vt eius prædicatio contemnatur. *Greg. super Euang lib. 1. hom. 6.*

In hoc videtur insita sapientia magistrorum. Debet enim subtiliter is, qui docet, prospicere, ne plus studeat prædicare, quam capiatur ab auditore. Debet enim ad infirmitatem audientium, semetipsum contrahendo descendere, ne dum paruis sublimia, & idcirco non profutura loquitur, se magis curet ostendere, quam auditoribus prodesse. *Idem Moral. 20 super illud Iob 29. Super illos stillabat eloquium suum.*

Tunc enim est sermo viuus, & efficax, cum est prædicantis pura sanctitas, & virtuosa perfectibilitas. *Idem Moral. 30. in fi.*

Oportet, vt prædicatores sint fortes in præceptis, compatientes infirmis, terribiles tumidis, in exhortationibus blandi, in ostendendo magisterio humiles, in rerum temporalium cõtemptu dominantes, in tolerandis aduersitatibus rigidi. *Idem Moral. 30. super illud Iob 39. Numquid nosti tempus partus ibicum in petris.*

Censemus eos, qui Apostolorum figuram tenent, prædicare, baptizare, communionem dare, pœnitentes suscipere, peccata soluere. *Idem in Regist. lib. 7. in fine.*

Collocutionis vox corda torpentia excitat plus quam lectionis, & quasi quadam manu sollicitudinis, vt vigilent pulsat. *Idem super Euang lib. 1 hom. 2.*

Quid est hoc, quod Prophetæ iacenti dicitur: Sta supra pedes tuos, & loquar tecum? Qui enim iacenti loquebatur, cur non se nisi stanti promittit esse locuturum? Sed sciendum est, quia alia sunt, quæ iacentes, alia, quæ stantes, audire debemus. Iacenti enim dicitur, vt surgat, stanti autem præcipitur, vt ad prædicationẽ proficisci debeat. Adhuc enim nobis in infirmitatis confusione iacẽtibus præberi non debet authoritas prædicationis: sed cum iam in bono opere surgimus, cum iam recti stare cœperimus, dignũ est, vt ad lucrandos alios in prædicationem mitti debeamus. Stãs ergo Propheta, visionem spiritualem vidit, & cecidit: iacens vero admonitionis verba suscepit, vt surgeret: surgens autem præceptum audiuit, vt prædicaret. Nam qui adhuc ex superbiæ vertice stamus, cum iam de æternitatis timore aliquid sentire cœpe rimus, dignum est, vt ad pœnitentiam accedamus: & dum infirmitates nostras subtiliter agnoscentes, humiliter iacemus, per diuini verbi consolationem, ad fortiora opera resurgamus. *Idem super Ezech & hab. dist 59. can. Quid est.*

Vita prædicantium, & sonat, & ardet. Ardet desiderio, sonat verbo. Aes ergo candens est prædicatio accensa: sed de candenti ære scintillæ prodeunt, quia de eorum exhortationibus verba flãmantia ad aures audientium procedunt. Recte ergo prædicatorum verba scintillæ appellata sunt, quia eos, quos in corde tetigerint, incendunt. *Idem super Ezech hom. 3.*

Ille sermo ab audiente libente accipitur, qui à prædicante cum cõ passione animi profertur. Ille loqui veraciter nouit, qui prius bene facere didicit. *Idem hom. 11.*

Prædicationis vita semper debet in alto fixa permanere, vt, more narium discernat fœtores vitiorum, odoresque virtutum. *Idem super illud Cant 7. Nasus tuus sicut turris Libani.*

Nequaquam debent homines in ætate infirma prædicare, quia iuxta rationis vsum sermo doctrinæ non suppetit, nisi in perfecta ætate. Redemptor noster, cum cœli sit conditor, & Angelorum doctor, ante tricennale tempus, in terra magister noluit fieri hominum, vt videlicet præcipitatis vim saluberrimi timoris infunderet, cum ipse etiam, qui labi non posset, perfectæ vitæ gratiam non nisi perfecta ætate prædicaret. *Idem super Ezech, homil. 2. & in Pastorali.*

Ille vbere prædicatione fructus colligit, qui semina bonæ operationis promittit. Nam loquendi authoritas perditur, quãdo vox opere non adiuuatur. *Idem l. 1. Moral.*

Non debet prædicator infirmus insinuare cuncta, quæ sentit, nec debet prædicare rudibus, quanta cognoscit. *Idem lib. 17. Moralium.*

Lex ipsis prædicatoribus imposita est, vt ipsi viuendo illuminent, quæ loquendo suadere festinant, nam loquendi auctoritas perditur, quando vox opere non adiuuatur. *Idem Moral, lib. 19 super illud Iob 28. Quando ponebat pluuijs legem. & in Pastorali.*

Fructus etenim terræ absque pecunia comedere, est Ecclesiæ quidem sumptus accipere, sed eidem Ecclesiæ prædicationis pretiũ non præbere. Vere igitur fructus absque pecunia comedit, qui Ecclesiastica commoda ad vsum corporis percipit, sed exhortationis ministerium populo non impendit. Quid ad hæc nos Pastores dicimus, qui aduentum districti iudicis præcurrentes, officium quidem præconis suscipimus, at alimenta ecclesiastica muti manducamus? Exigimus, quod nostro debetur corpori, sed nõ impendimus, quod subiecto tum debemus cordi. *Idem lib. 21. exponens illud Iob 31. Si fructus terræ comedi absque pecunia.*

Hoc habet proprium doctrina arrogantium, vel humiliter nesciãt inferre, quæ docent, & recta quæ sapiunt, etiam recte ministrare non possunt. In verbis enim eorum proditur, quod cum docent, quasi in quodam sibi videntur summitatis culmine residere, eosque, quos docent, vt longe infra se positos, velut in imo respiciunt, quibus non consulendo loqui, sed vix nominando dignãtur. Recte autem his per prophetam Dominus dicit: Vos autem cũ austeritate imperabatis eis, & cum potentia. Cum austeritate enim & potentia imperant, qui subditos suos non tranquille ratiocinando corrigere, sed aspere inflectere dominando festinãt. At contra, vera doctrina tanto vehementius hoc elationis vitiũ fugit per cognitionem, quando ardentius verborum suorum iaculis ipsum magistrum elationis insequitur. Cauet enim, ne eum elatis moribus prædicet, quem in corde audientium sacris sermonibus insectatur. Ecce quare litigiosi prohibitionis. Lingiosi namque, vel adulationibus animos principum sibi conciliant, vel fratribus suis detrahendo, infamiæ notam ingerunt, vel inter fratres discordiam seminando, seditionem numquam facere cessant, quæ omnia in prælatis damnabilia esse probantur. *Idem Moral. lib. 24 par. 5. c. 11. & hab. dist, 46. Hoc habet.*

Qui ad veræ prædicationis verba se præparat, necesse est, vt causarum origines à sacris paginis sumat, vt omne, quod loquitur, ad diuinæ authoritatis fundamentum reuocet, atque in eo ædificiũ locutionis firmet. *Idem lib. 18. Moral.*

Vsurpaui mihi cotis officium, quæ ferrum reddit acutum, cum sit inutilis ad secandum. Pulchrum depinxi hominem pictor fœdus, aliosque ad perfectionis littus redigo, qui adhuc in delictorum fluctibus versor. *Idem in fine pastoral. loquens de seipso.*

Sermo dulcedinem non habet, quem vita reproba intra conscientiam remordet. Vnde necesse est, vt qui verba Dei loquitur, prius studeat scire, qualiter viuat, vt post ex vita colligat, quæ & qualiter dicat.

Ad prædicandum namque plus conscientia sancti amoris ædificat, quam exercitatio sermonis. Qui enim vitam suam interius pensat & exemplo suo foris admonendo alios ædificat, quasi in corde linguæ calamum tingit, in eo quod manu verbi proximis exterius scribit. *Idem super Ezech. homil. 10.*

Nisi Spiritus sanctus adsit cordi audientis, ociosus est sermo doctoris. Nemo ergo docenti homini tribuat, quod ex ore docentis intelligit: quia nisi intus sit, qui doceat, doctoris lingua exterius in vacuum laborat. *Idem in homil. 30. super Euang.*

Qui prædicationis suscipit officium, non oportet mollem quidem esse, atque resolutum, sed fortem, & per cuncta robustum. Nec etiam saltem attingere quisquam debet præclari huius muneris functionem, nisi paratus sit millies animam suam in mortem tradere. *Ioan. Chrys. de laudib. D. Pauli, hom. 6.*

S I M I L I T V D O.

Tollingeri. Quemadmodum serpens totum seipsum tradit, nec multum curat, si corpus inciditur, dummodo caput suum inte-

integrum feruet: Eodem modo & Euangelij prædicatores debēt omnes opes, ac fortunas, imo corpus ac vitam Tyrannis opponere, modo saluum sit Ecclesiæ caput Christus, salua fides. *In Matth. cap. 10.*

Huc refer ea, quæ sunt sub titulis de Concionatoribus atque Episcopis.

PRÆLATVS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Prælatus, Græcè ἐφορευτὴς & ἐπορέυς obscuro dicitur. Est autem prælatus, largè sumendo, omnis habens curam animarum, *secund. tamen in c. Firmiter de sum. Trin. & in c. Determinamus, de iud.*

Prælatorum maximum est periculum, triplici ratione: Quia prælatis incumbit Sacramenta dispensare, quæ nō nisi à mundo tractari debent. Et quia debent reddere rationem de proprijs, & de alienis, in quantum pertinent ad eos. *Ex B. Thom. 4. sent. dist. 17. q. 3. art. 3.*

Prælatus existens in peccato mortali, etiam occulto, corripiendo, vel quidquid aliud officij sui faciendo, peccat mortaliter. Non autem hoc agens, vt fratres. *Ex B Tho. 2. 2. q. 33. art. 3 & 4. sent. dist. 19. q. 2. art. 2. Vide Episcopus.*

PATRVM SENTENTIÆ.

Qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Exponere voluit, quid sit episcopatus: quia nomen est operis, non honoris.

Locus superior, sine quo populus regi non potest, etsi ita teneatur, & administretur, vt decet, tamen indecenter appetitur. *August. & hab. in decre. 8. q. 1. can. Qui episcopatum.*

Ante omnia peto, vt cogitet religiosa prudentia tua, nihil esse in hac vita, & maximo hoc tempore, facilius, & leuius, & hominibus acceptabilius, episcopi, aut presbyteri, aut diaconi officio, si perfunctoriè, atque adulatoriè res agatur: sed nihil apud Deum miserabilius, & tristius, & damnabilius. *Idem & Val. & hab. dist. 40. can. Ante omnia.*

Nihil est in hac vita, & maximè hoc tempore difficilius, laboriosius & periculosius episcopi, aut presbyteri officio: sed apud Deum nihil beatius, si eo modo militetur, quo noster imperator iubet. *Idem de verb. Dom.*

Primum itaque sine crimine iubetur esse Episcopus, quod alio verbo Timotheum irreprehensibilem nominatum puto: non quod eo tantum tempore, quo ordinandus est, sit sine vllo crimine, & præteritas maculas noua conuersatione diluerit: sed quod eo tempore, quo in Christum renatus est, nulla peccati conscientia mordeatur. Quomodo enim potest præses Ecclesiæ auferre malum de medio eius, qui in delictum simile corruit? Aut qua libertate peccantem corripere potest, cum tacitus ipse sibi respondeat, eadem se admisisse, quæ corripit? *Hieronym. epist. ad Tit. & habet. dist. 25. can. Primum.*

Olim idem erat presbyter, & Episcopus, & antequam Diaboli instinctu studia, vel schismata in religione fierent, & diceretur in populis: Ego sum Pauli, ego sum Apollo, ego autem Cephæ: communi presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernabantur. Postquam autem vnusquisque eos, quos baptizauerat, suos esse putabat, nō Christi, in toto orbe decretum est, vt vnus de presbyteris superponeretur: & schismatum semina tollerentur.

Sicut ergo presbyteri sciunt, se ex Ecclesiæ consuetudine ei, qui sibi præpositus fuerit, esse subiectos: ita episcopi nouerint, se magis consuetudine, quam dispensationis Dominicæ veritate presbyteris esse maiores, & in communi debere Ecclesiam regere. *Idem epist. ad Tit. & hab. di. 95. can. Olim.*

Esto subiectus pontifici tuo, & quasi parentem animæ ama. Sed episcopi sacerdotes sciant se esse, non dominos: honorent clericos quasi clericos, vt ipsis episcopis à clericis quasi Episcopis honor deferatur. Scitum est illud oratoris Domitij: Cur ego, inquit, te habeam vt principem, cum tu me non habeas, vt senatorē. *Idem ad Nepotian & hab. dist. 95. can. Esto subiectus.*

Illud inferendum est aduersus eos, qui de episcopatu intumescunt, & putant, se non dispensationem Christi, sed imperium consecutos: quia non statim omnibus his meliores sunt, qui cum eo episcopi non fuerint ordinati: & ex eo, quod episcopi electi sunt, ipsi se magis æstiment comprobatos: sed intelligāt propterea quod dam à sacerdotio remotos, quia eos vita liberorū impedierint. Si autem peccata filiorum ab episcopatu multum prohibent, quāto magis se vnusquisque considerans, & sciens, quia potentes potenter tormenta patientur: retrahit se ab hoc non tam honore, quam onere: & alijs locum, qui magis digni sunt, non ambit occupare. *idem & hab. 8. q. 1. can.*

Opus, in quit, non dignitatem, laborem nō delicias, opus per quod humilitate decrescat, non fastigio intumescat.

Tanta debet esse conuersatio, & eruditio pontificis, vt omnes motus & egressus, & vniuersa eius opera praedicatio sint, veritatē mente concipiat, & eam toto habitu resonet, & ornatu: vt quicquid agit, quicquid loquitur, doctrina sit populorum. *idem epist. 43. super illud Pauli ad Timoth. cap. 3. Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.*

Ecclesiæ Principes, qui delicijs affluunt, & inter epulas atque lasciuias pudicitiam seruare se credunt, propheticus sermo describit, quod ejicientur sunt de spatiosis domibus lautisque conuiuijs, & multo labore epulis cōquisitis. Et si vis scire, quo ejiciendi sunt, propter malas cogitationes, & mala opera sua, Euangelium legis in tenebras scilicet exteriores, vbi erit fletus & stridor dentium. Annon confusio & ignominia est, Iesum crucifixum, pauperem, & esurientem saturis prædicare corporibus: & ieiuniorum doctrinam rubentes buccas, tumentiaque ora proferre? Si in Apostolorum loco sumus, non solum sermonem eius imitemur: sed etiam conuersationem & abstinentiam. *Idem & hab. in decret. dist. 35. can. Eccl.*

Quid autem de episcopis, qui verberibus timeri volunt, canones dicant, bene fraternitas vestra nouit: pastores enim facti sumus, nō percussores. Egregius prædicator dicit: Argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina. Noua vero atque inaudita est illa Prædicatio, quæ verberibus exigit fidem. *Idem Ioanni episc. Constant. dist. 45. can. Quod autem.*

Ab imperitis pastorale magisterium quanta temeritate suscipitur: cum sit ars artium, regimen animarum. hoc est, magisterium disciplinæ, vt culpis discretè nouerit parcere, & pie resecare.

Nequaquam valet in culmine humilitatem discere, qui in imis positus, non desinit superbire, nec scit laudem, cum suppetit fugere, qui ad hanc didicit, cum deest, anhelare.

Tantum debet populi actionem actio transcendere præsulis, quantum distare solet à grege vita pastoris.

Si dilectionis testimonium est cura pastoralis, quisquis virtutibus pollens gregem Dei renuit pascere, summum Pastorem conuincitur non amare. *idem in Pastorali.*

Oportet sacerdotes, quibus Domini populus commissus est, cum magna constantia vigilare super domesticas oues, ne lupinis morsibus diaboli stimulis lanientur. *idem & hab. dist. 8. can. Oportet.*

Quicumque sacros ordines vendunt aut emunt, sacerdotes esse nō possunt. Vnde scriptum est: Anathema danti, anathema accipienti, hæc est Simoniaca hæresis: quomodo ergo, si anathematizati sunt, & sancti nō sunt, sanctificare alios possunt? & cum in Christi corpore non sint, quomodo Christi corpus tradere vel accipere possunt? Qui maledictus est, benedicere quomodo potest? *idē & hab. 1. q. 1. can. Quicumque.*

Nemo plus in Ecclesia nocet, quam qui peruerse agens, nomen vel ordinem sanctitatis habet: Delinquentem namque hunc redarguere nullus præsumit: & in exemplum vehementer culpa extenditur, cum pro reuerentia ordinis peccator honoratur. *idem in pastorali par. 1.*

Lux gregis est flamma Pastoris. Decet enim Dominicum Pastorem & sacerdotem, moribus & vita clarescere, quatenus in eo tanquam in vitæ suæ speculo plebs sibi commissa, & eligere, quod sequatur, & videre possit, quod corrigat. *Idem in reg. epist. 32.*

Talis debet esse dispensatio regiminis, vt is, qui præest, ea se circa sub meusura moderetur, quatenus arridens timeri debeat, & ita tus amari, ne eum nimia lætitia vilem reddat, aut immoderata seueritas odiosum. Miscenda est lenitas seueritati, faciendumque quoddam ex vtraque temperamentum, vt neque multa asperitate exulcerentur subditi, neque nimia benignitate soluantur. Hoc nimirum illa tabernaculi arca significat, in qua cum tabulis virga simul & manna erat, quia scripturæ sacræ scientia in boni rectoris sit pectore, sit virga districtionis, sit manna dulcedinis. Hinc Dauid ait: Virga tua & baculus tuus, &c. Virga enim percutimur, & baculo sustentamur. Sit ergo districtio virgæ, quæ feriat, sit & cōsolatio baculi, quæ sustentet. *idem l. 20. Mor.*

Quid nos, o Pastores, agimus, quando mercedem consequimur, & tamen operarij nequaquam sumus? Fructus quippe sanctæ Ecclesiæ in stipendio quotidiano percipimus, sed tamen pro æterna Ecclesia minime in prædicatione laboramus. Pensemus cuius damnationis sit, sine labore hic percipere mercedem laboris. Ecce ex oblatione fidelium viuimus, sed quid pro animabus fidelium laboramus? Illa in nostrum stipendium sumimus, quæ pro redimendis peccatis suis fideles obtulerunt, nec tamen contra peccata eadem vel orationis studio, vel prædicationis (vt dignum est) insudamus. *Idem hom. 7. super illud Luc. 10. Dignus est operarius mercede sua.*

POETICÆ SENTENTIAE.

Sen. Thyest. 8. 3.

PH. *Nec abnuendum si dat imperium Deus.*
TH. *Nec appetendum.* PH. *Frater, vt regnes, rogat.*

Iuuen. 15.

Quis enim bonus, & face dignus
Arcana, qualem Cereris vult esse sacerdos,
Vlla aliena sibi credat mala?

Claud.

Claud. 5. Honor.

Sis pius in primis, nam cum vincamur in omni
Munere sola Deos æquat clementia nobis:
Nec dubie suspectus agas, nec falsus amicis,
Rumorumve auidus. qui talia curat, inanes
Horrebit strepitus, nulla non anxius hora.
Non sic excubiæ, nec circumstantia pila,
Quam tuetur amor, non extorquebis amari
Hoc alterna fides, hoc simplex gratia donat.

Claud. 1. Stil.

Scilicet in vulgus manant exempla regentum:
Vtque Ducum lituos, sic mores castra sequuntur.

Claud. 4. Honor.

Hoc te præterea crebro sermone monebo,
Vt te totius medio telluris in orbe
Viuere cognoscas, cunctis tua gentibus esse
Facta palam, nec posse dari regalibus vsquam
Secretum vitijs, nam lux altissima fati
Occultum nil esse sinit, latebrasque per omnes
Intrat, & abstrusos explorat fama recessus.

Iuuen. 8.

Expectata diu tandem prouincia cum te
Rectorem accipiet, pone iræ frena, modumque
Pone & auaritiæ: miserere inopum sociorum.
Ossa vides regum vacuis exhausta medullis:
Respice, quid moneant leges, quid curia mandet,
Præmia quanta bonos maneant, quam fulmine iusto
Et Capito & Tutor ruerint damnante senatu,
Piratæ Cilicum.

Persius 2.

Ad vos
Dicite Pontifices, in sacro quid facit aurum?
Nempe hoc, quod Veneri donatæ a virgine puppæ.
Quin damus id superis, de magna quod dare lance
Non possit magni Messallæ lippa propago:
Compositum ius, fasque animi sanctosque recessus
Mentis, & incoctum generoso pectus honesto?
Hæc cedo, vt admoueam templis, & farre litabo.

SENTENTIÆ PHILOSOPHICÆ.

Prælatio simulationem aperit: illis enim difficile est in potestatibus temperare, qui per ambitionem se esse probos simulauere. Sunt enim non ex animo, sed ex fortuna, modo humiles, modo clari. Omnium enim rerum nihil ad prelationes tenendas melius, quã diligi, nec alienius, quam timeri. Tutius est volentibus, quam coactis imperare. *Cic in Rhet.*

P R AE L I V M.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

PRælium, conflictus dimicatio, certamen, pugna. Græce *μάχη, d. μαχὶα* Hebr. dicitur *Milch amah*, conflictus, in quo homines se inuicem cæuendo deuorant & absumunt: a verbo *Lacham*, i.e. incidit dentibus, vel ore gladij, proscidit, comedit, excedit manden do & concidendo. *Lechem*, panis, omnis cibus quem dentes incidunt. *Vide Bellum.*

Deus docet rationem prçliandi, vt Dauid fatetur, 2. *Sam.* 22.35. *Psal.* 18.35. & 144. Prælium in cçlo. *Apoc.* 12.7. Dauid ducit prælia Domini, est egregius miles Iehouæ exercituum, feliciter pugnans aduersus Philistæos, Amalechitas, aliosq; implacabiles Ecclesiæ Dei hostes: 1. *Sam.* 25.28. Prælia Israelitarum, *Deut.* 2.3. Iosue à 2. *c. ad* 11. Philistæorum, 1. *Sam.* 4.7.13.14.17. &c. 2. *Sam.* 1. &c. Dauidis & aliorum in Regum historijs.

Prælium a premendo quidam dictum volunt, quod in dimicando hostes se inuicem premant. Alij autem a prælo deduci malunt, eo quod in cruentis illis certaminibus sanguis è corporib. profluant non secus atque mustum è prælis.

SENTENTIÆ HISTORICÆ.

De prælijs & varia præliandi ratione.

Prçlia magis animis decernuntur, quam corporum viribus. *Xenoph. de instit. Cyri. l.* 3.

Hostes qui multitudine antecellunt, magis viribus quam consilio freti pugnam cient. His vero qui multo minorem exercitum habent, & non coacti pugnare, tamen non detractant pugnam, animum addit conscientia peritiæ suæ. *Thucyd. l.* 2.

Cum magna multitudine hostium, præsertim eo absente, qui summam imperij teneret, nisi æquo loco aut opportunitate aliqua data, ligato dimicandum Cæsar non existimabat. *Cæsar, l.* 3 *de bello Gall.*

Petreius & Afranius nocturna prælia esse vitanda censebant, quod perterritos miles in ciuili dissensione timori magis quam religioni consulere consueuerunt: at lucem multum per se pudorem omnium oculis, multum etiam Tribunorum mil. & centurionũ præsentiã afferre, quibus rebus coerceri milites, & in officio contineri soleant. *Idem, l.* 1. *de bello ciuili.*

Prospere gerendæ rei facultatẽ omittere, maxima dementia est, & in angustias vtique pugnandi compulsum, abstinere se prælio, pestiferum ignauiæ adferi exitum. Eorumque quç ista committunt, alter beneficio fortunæ vti, alter iniuria resistere nescit. *Valer. Max. l.* 7. *c.* 2.

Etiam in multis legionibus pauci sunt qui prælia profligent. *Tacit. Annal. l.* 14.

Belli momenta aut ducis virtute aut fortunæ felicitate constant. *Procop. de bello Vandalico, l.* 2.

In prælijs nihil quicquam aperte potest clamorib. denunciari, tum armorum prçcrepitu, tum bellantium sensibus præ turba ac formidine occupatis. *Idem, de bello Goth. l.* 2.

Præliorum euentus omnium actionum humanarum incertissimi sunt. *Franc. Guicciard. hist. l.* 5.

Plerumque accidit, vt prælia casu potius quam certo ducum decreto conserantur. *P. Iouius, hist. l.* 1.

Vbi ad manus & gladios ventum est, ibi Mars est atrocissimus. *Liuius, Decad. l.* 2.

In omni prælio non tam multitudo & virtus indocta, quam ars, & exercitium solent prçstare victoriam. *Veget. l.* 1. *c.* 1.

Prçlium tota nocte varium anceps, atrox: his, rursus illis, exitiabile. *Tacitus, hist. l.* 3.

Est sane res plena periculi, dimicare prælio, propter incertissimum euentum. Nam etiam vt modica sit accepta clades, fieri tamen non potest, quin aliqua fiat rerum conuersio, partim metu hostiũ partim contemptione & despectu illius, qui infeliciter pugnauit: oritur fremitus ex indignatione militum, qui & magnis iactatis conciliandi sunt. Optimum igitur est, vt qui prælium aduersum fecit, contineat se, quantum fieri potest, intra suas munitiones, & experiatur, si qua ratione non difficili possit recuperare amissam gloriam, vt suis animum addat, & eos metu liberet. Dici enim non potest, quantas secum incommoditates trahat aduersum præliũ: vbi qui victoriam adeptus est, authoritatẽ suam amplificat, & facile quiduis imperat, & militem habet ad quævis obsequentem. *Ph. Comineus, l.* 2.

Periculi res plena est facere aduersum prçlium. Nec est, nisi necessario, dimicandum & ante prælium de summa rei cogitandũ est. Nam qui meticulose aliquid faciunt & pauide, melius fere reb. suis prospiciunt, & sçpius vincunt quam illi, qui fastuose & superbe progrediuntur. *Idem, eod. l.* 2.

Nos de prælio cum hostibus conferendo agimus: ego vero, *inquit Triuultius*, illud maximorum Imperatorum firmamentum perpetuum semper esse, quod & ipse vsu verum esse comperi, nunquam nisi vel magna rei bene gerendæ occasio inuitet, vel necessitas cogat pugnæ fortunam esse periclitandam. *Fr. Guicciard. hist. l.* 9.

Conflictus publicus duarum vel trium horarum certamine diffinitur: postquam partis eius, quæ superata fuerit, spes omnis interecidit. Ideo omnia ante cogitanda sunt, ante tentanda, ante facienda, quam ad vltimum veniatur abruptum. Boni enim duces, non aperto marte prçlium, in quo est commune periculum, sed ex occulto semper attentant, vt integris suis, quantos possint hostes interimant certe vel terreant: in qua parte quæ necessaria admodum sunt, ab antiquis reperta perscribam.

Præcipua res, & vtilitas ducis est, vt adhibitos ex vniuerso exercitu scientibus belli. & sapientibus viris, de suis & hostium copijs sçpius tractet, omni (quæ plurimũ nocet) adulatione summota: vtrum maiorem numerum pugnatorum ipse, an hostes habeant, vtrum ipsius an aduersariorũ homines magis armati sint, & munitis: qui magis exercitati, qui sint necessitatibus fortioribus.

Quærendum est etiam, vtra pars equites, vtra pedites habeat meliores. Sciendumq; in peditibus vel maxime consistere robur exercitus: & inter ipsos equites, quis contatis, quis sagittarijs antecedat. Quis plures loricas induat, quis vtiliores equos adduxerit. Postremo loca ipsa, in quibus pugnandum est, vtrum inimicis an nobis videantur accommoda. Nam si equitatu gaudemus, campos debemus optare, si pedite, loca eligere angusta, fossis, paludibus, vel arboribus impedita, & aliquoties montuosa: cui magis victus abundet, aut desit, nam fames (vt dicitur) intrinsecus pugnat, & vincit sæpius quam ferrum.

Maxime autem tractandum est, vtrum expediat necessitatem protrahi, an celerius dimicari: interdum enim sperat aduersarius expeditionem cito posse finiri: & si dilata fuerit in longum, aut penuria marceratur, aut desiderio suorum reuocatur ad propria: aut nihil magnum faciens per desperationem abire compellitur. Tunc fracti labore & tædio plurimi deserunt, aliquanti produnt, aliquanti se tradunt: quia aduersis rebus fides rarior est, & nudari incipit, qui copiosius aduenerat.

Ad

Ad rem pertinet qualis ipse aduersarius, vel eius comites sint nosse: verum temerarij an cauti, audaces, an timidi, scientes artẽ bellicam, an ex vsu temere pugnantes, quæ gentes cum his fortes quæve ignauæ pugnauerint: nostra auxilia cuius fidei, quarũque sint virium, quos animos illius copiæ, quos habeat noster exercitus, quæ pars sibi magis victoriam repromittat. Eiusmodi enim cogitationibus virtus augetur, aut frangitur. Desperantibus autem crescit audacia adhortatione ducis, & si nihil ipse timere videatur. Crescit animus si ex insidijs, vel occasione aliquid fortiter feceris, si hostibus aduersæ res cœperint obuenire, si vel infirmiores, aut minus armatos ex inimicis potueris superare.

Cauendũ autẽ est ne dubitantẽ, aut formidãtem exercitum ad pugnã publicã aliquãdo producas. Interest, tyrones, an veteres milites habeas: verum ante breue tẽpus in expeditionibus fuerint, an per annos aliquot in pace durarint. Nam pro tyronibus accipiendi sunt, qui pugnare longo tempore desierunt. Sed cũ legiones, auxilia, vel equites ex diuersis aduenerint locis dux optimus, & separatim singulos numeros, per tribunos electos, quorum sciatur industria, omni genere armorum exercere debet: & post in vnum collectos, quasi depugnaturos conflictu publico, exercebit ipse: Sæpius tentabit quid artis possint habere, quid virium, quemadmodum sibi ipsi consentiant, vtrum ad tubarum monita, ad signorum indicia, ad præcepta, vel nutum suum diligenter obtẽperent. Si errant in aliquibus, exerceantur, atque doceãtur, quamdiu possint esse perfecti. Si vero in campicursione, in sagittando, in iaculando, in ordinanda acie ad plenum fuerint eruditi, ne sic quidem temere, sed occasione captata, ad publicam educendi sunt pugnam. Sed ante prælijs minoribus imbuendi.

Dux itaque vigilans, sobrius, prudens, tamquam de ciuili causa inter partes iudicaturus, adhibito consilio, de suis & aduersarij copijs iudicet. Et si multis rebus superior inuenitur, opportunum sibi ne differat inire conflictum. Si vero aduersarium intelligit potiorem, certamen publicum vitet. Nam pauciores numero & inferiores viribus superuentus, & insidias facientes, sub bonis ducibus reportauerunt sæpe victoriam. *Veget. l. 3. c. 9.*

In euentu aperti Martis victoriæ plenitudo consistit. Hoc ergo tẽpus est, quo tanto magis duces debent esse solliciti, quanto maior speratur diligentibus gloria, & maius periculum comitatur ignauos, in quo momento peritiæ vsus, pugnandi doctrina, consilium dominatur.

Veteribus sæculis mos fuit, parco cibo curatos milites ad certamẽ educere, vt citatiores sumpta esca redderet, & longiore conflictu non fatigarentur inedia.

Præterea obseruandum est præsentibus hostibus, siue ex castris, siue ex ciuitate producas ad prælium, ne dum per angusta portarum particulatim procedit exercitus, a collectis, & præparatis debilitetur inimicis. Ideoque prouidendum est, vt omnes milites egrediantur portas, & aciem constituant antequam hostes adueniant. Quod si intra ciuitatem manentibus parati aduenerint, aut differatur egressus, aut certe dissimuletur, vt cum aduersarij insultare cœperint his, quos non putant exituros, aut cum palã, vel ad redeundum conuerterint animum, & ordines soluerint, tunc illis stupentibus lectissimi prorumpant, & confertim aggrediantur ignaros.

Obseruandum autem, ne longo spacio fatigatum militem, neq; lassos post cursum equos ad publicum prælium cogas: multum virium labore itineris pugnaturus amittit. Quid facit, qui ad aciem anhelus aduenit? Hoc & veteres declinarunt, & superiori nostra ætate, cum Romani duces per imperitiam non cauissent (ne quid amplius dicam) exercitus perdiderunt. Impar enim conditio est, lassum cum requieto, sudantem cum alacri, currentem cum eo, qui steterit, subire conflictum. *Veget. lib. 3. c. 11.*

Ipsa die quo certaturi sunt milites, quid sentiant diligenter conuenit explorare. Nam fiducia, vel formido ex vultu, verbis, incessu, moribusque cernitur. Nec confidas satis, si tyro prælium cupit: inexperto enim dulcis est pugna. Et nouens te oportere differre, si exercitati bellatores dimicare metuunt. Monitis tamen ex oratione ducis exercitui virtus crescit, & animus: præcipue si futuri certaminis talem acceperint rationem, quasi sint facile ad victoriam peruenturi. Tunc inimicorum ignauia, vel error ostendendus est, vel si ante à nobis superati sunt, commemorandum. Dicenda etiam, quibus militum mentes in odium aduersariorũ, ira, & indignatione moueantur.

Animis penè omnium hominum hoc naturaliter euenit, vt trepident cum ad conflictum venerint. Sine dubio autem formidulosiores (id est, meticulosiores) sunt, quorum mentes ipse confundit aspectus. Sed hoc remedio formido lenitur, si antequam dimices, frequenter exercitum tuum locis tutioribus ordines, vnde & videre hostem, & agnoscere consuescant. Interdum audeãt aliquid ex occasione, aut fugent, aut interimant inimicos, mores aduersariorum, arma, equos recognoscant. Nam quę ex vsu sunt, non timentur. *idem, eod. lib. c. 12.*

Bonum ducem conuenit nosse magnam partem victoriæ, ipsum locum, in quo dimicandum est, possidere. Elabora ergo, vt conserturus manum, primum auxilium capies ex loco, qui tanto vtilior iudicatur, quanto superior fuerit occupatus, in subiectos enim vehementius tela descendunt, & maiore impetu obnitẽtes pars altior pellit. Qui aduerso nititur cliuo, duplex subit, & cum loco & cum hoste certamen. Sed illa distantia est, quod si de peditibus tuis victoriam speras contra equites hostium, loca aspera, inæqualia, montuosa debes eligere. Si vero de equitibus tuis cõtra aduersarij pedites victoriam quæris, sequi debes paulò quidem editiora loca, sed plana atque patentia, neque siluis, neque paludibus impedita. *eod. lib. c. 13.*

Ordinaturus aciem tria debet ante prospicere, Solem, puluerem, ventum. Nam Sol ante faciem eripit visum: ventus contrarius tua inflectit ac deprimit, hostium adiuuat tela. Puluis à fronte congestus oculos implet & claudit. Hæc momento eo, quo acies ordinantur, etiam imperiti vitare solent: sed duci prouido cauendum est in futurum, ne post paululum accedente die nocea t solis mutata conuersio, nec ventus aduersus hora solita eo pugnante nascatur.

Ita ergo constituantur ordines, vt hæc post occipitium nostrum sint, & (si fieri potest) aduersariorum impetant faciem. Acies dicitur exercitus instructus: frons, quæ aduersus hostem spectat. Hæc in pugna publica, si sapienter disponitur, plurimum iuuat: si imperite, quamuis optimi bellatores sint, mala ordinatione franguntur. *eod. lib. c. 14.*

Scire dux debet contra quos globos hostium quos equites oporteat poni. Nam nescio qua occulta ratione, imò pene diuina alij contra alios dimicant melius: & qui fortiores vicerant, ab inferioribus sæpe vincuntur. Quod si equites impares fuerint, more veterũ velocissimi pedites ad hoc ipsum exercitati ijdem miscẽdi sunt, quos expeditos velites nominabant. Quo facto quamuis fortissimi hostium venerint equites, tamen aduersus mixtum agmen pares esse non possunt. *c. 16.*

Optima ratio est, & ad victoriam plurimum confert, vt lectissimos de peditib. & equitib. cum vicarijs, comitibus, tribunisq; vacantib. habeat dux aciem in subsidijs præparatos: alios circa cornua, alios circa medium, vt sicubi hostis vehementius insistit, ne rumpatur acies, prouolent subitò, & suppleant loca, additaque virtute inimicorum audaciam frangant.

Quod si bellatorum tibi copia non abundat, melius est aciem habere breuiorem, dummodo in subsidijs colloces plurimos. *c. 17.*

Dux qui præcipuam sustinet potestatem, inter equites & pedites in parte dextra stare consueuit. Hic enim locus est, in quo tota acies gubernatur, ex quo rectus est liberque procursus. Ideoq; autem inter vtrosque cõsistit, vt & consilio regere, & authoritate tam equites quam pedites ad pugnam hortari possit. Hic de equitibus supernumerarijs, mixtis peditibus expeditis, aduersariorum sinistrum cornu, quod contra ipsum stat, circuire, & à tergo semper vrgere debet.

Clamor non prius debet attolli, quam acies vtraque se iunxerit. Imperitorum enim, vel ignauorum est, vociferari de longè, cum hostes magis terreantur, si cum telorum ictu clamoris horror accesserit.

Semper autem studere debes, vt prior instruas aciem, quia ex arbitrio tuo potes facere, quod tibi vtile iudicas, cum nullus obsistit: deinde & tuis auges confidentiam, & aduersarijs fiduciam minuis: quia fortiores videntur, qui prouocare non dubitant. Inimici autẽ incipiunt formidare, qui vident contra se acies ordinari. Huic additur maximum commodum, quia tu instructus paratusq; ordinantem & trepidum aduersarium præoccupas. Pars enim victoriæ est, inimicum turbare antequam dimices. *c. 18.*

Illud obseruandum est, quo nihil melius inuenitur, vt siue solo dextro cornu pugnare volueris, ibi fortissimos ponas: siue sinistro, ibi strenuissimos colloces: siue in medio cuneos facere volueris, per quos acies hostium rumpas, in cuneo exercitatissimos ordines milites. Victoria enim per paucos fieri consueuit. Tantum est, vt electi à duce sapientissimo, in his locis, in quibus ratio, & vtilitas postulat, ordinentur. *c. 20*

Plerique rei militaris ignari, pleniorem victoriam credunt, si aduersarios aut locorum angustijs, aut armatorum multitudine circumdederint, vt aditum non inueniant abscedendi. Sed clausis ex desperatione crescit audacia, & cum spei nihil est, sumit arma formido. Libenter cupit commori, qui sine dubio scit se moriturum. Ideoque Scipionis laudata sententia est, qui dixit, viam hostibus, qua fugiant, muniendam. Nam cum abscedendi aditu patefacto, mentes omnium ad præbenda terga consenserint, inulti more pecudum trucidantur. Nec insequentium vllum periculum est, cum victi (quibus defendi poterant) arma conuertesint. Hoc genere quanto maior fuerit exercitus tanto facilius multitudo prosternitur. Neque enim ibi requirendus est numerus, vbi animus semel territus, non tam tela hostium cupit declinare quam vultum. Cæterum clausi, licet exigui numero, & infirmi viribus, hoc ipso tamen sunt hostibus pares, quia desperantes sciunt aliud ibi licere non posse. Nam vna salus victis nullam sperare salutem. *c. 21.*

Vnum

Vnum superest docere, si consilium prælij displiceat, quemadmodum recedatur ab hostibus. Nam disciplinæ bellicæ & exemplorum periti nusquam maius periculum imminere testantur. Qui enim ante congressum recedit ex acie, & suis fiduciam minuit, & inimicis addit audaciam. Verum quia hoc sæpius necesse est euenire, quibus modis tuto possit fieri, declarandum est.

Primū, vt tui nesciant, ideo te recedere, quia declinas inire conflictum, sed credant arte aliqua ideo se reuocari, vt ad opportuniorem locū inuitetur hostis, ac facilius superetur, aut certe insequentibus aduersarijs secretiores collocentur insidiæ. Nā necesse est, ad fugam parati sint, qui ducem suum sentiunt desperare.

Illud quoque vitandum est, ne hostes te recedere sentiant, & statim irruant. Propterea plerique ante pedites, equites posuerunt, vt discurrentes aduersarios videre non sinerent, quando pedites abscedebant. Item articulatim incipientes à primis, singulas acies subducebant, retroque reuocabant, in gradu suo manentibus reliquis, quos sensim postea sensimque ad illos iungebant, quos primum subduxerant.

Aliquanti exploratis itineribus, noctu cum exercitu recedebant: vt hostes die orto, cum intellexissent, non possent comprehendere præcedentes. Præterea leuis armatura præmittebatur ad colles, sub quos subito totus reuocaretur exercitus: & si hostes insequi voluissent, à leui armatura, quæ ante occupauerat locum, additis equitibus, fundebantur. Nihil enim periculosius existimant, quā si inconsulte insequentes, ab his qui in subsessa fuerint, vel qui ante se parauerint, obseruentur. Hoc tempus est, quo opportunè collocantur insidiæ, quia aduersus fugientes maior audacia & minor cura est. Necessario autem amplior securitas, grauius solet habere discrimen.

Imparatis, cibum capientibus, in itinere lassis, equos suos pascentibus, ac nihil tale suspicantibus superuentus assolent fieri. Quod & nobis vitandum est, & hosti in eiusmodi occasionibus pernicies inferēda. Hoc enim casu oppressis, nec virtus potest, nec multitudo prodesse: quia qui in acie, publica vincitur pugna, licet & ibi ars plurimum prosit, tamen ad defensionem suam potest accusare fortunam. Qui vero superuentus & subsessas passus est, culpam suam non potest excusare: quia hæc & vitare potuit, & per speculatores idoneos ante cognoscere.

Cum receditur, talis fraus ita fieri consueuit. Recto itinere pauci equites consequuntur, valida manus occulte per alia mittitur loca: vbi ad agmen inimicorum peruenerunt equites, tentant leuiter atque discedunt. Illi credunt quicquid insidiarum fuerit, præterijsse, & sine cura resoluuntur in negligentiam. Tunc illa manus quæ secreto itinere destinata fuerat, superueniens opprimit ignorantes.

Multi cum ab hoste discedunt, si per siluas sunt ituri, præmittunt qui angusta vel abrupta occupent loca, ne ibidem patiantur insidias. Et rursus post se præmissis arboribus vias claudunt, quas cōcedes vocant, vt aduersarijs facultatem adimant persequendi & penè vtrique parti in itinere ad subsessas communis occasio est. Nam qui præcedit opportunis vallibus vel siluosis montib. post se relinquit insidias, in quas cū inciderit inimicus, recurrit ipse & adiuuat suos. Qui vero sequitur, aduersis semitis longe ante destinat expeditos vt præcedentem aduersarium arceat transitu, deceptumque à tergo, & à fronte concludat.

Dormientibus noctu aduersarijs, & qui præcessit potest regredi, & qui sequitur, quantumuis intersit, potest superuenire per fraudem. In trāsfretatione fluuiorum, qui præcedit, illam partem tētat opprimere, quæ prima transierit, dum reliqui alueo separantur: qui autem sequitur timore festinato, illos qui nondum potuerunt transire, conturbat. *Veget. l. 3. c. 22.*

Sciendum vero est, si pars exercitus vicerit, & pars fugerit, minime desperandum, cum in eiusmodi necessitate ducis constantia, totam sibi possit vindicare victoriam innumerabilibus hoc accidit bellis, & pro superioribus sunt habiti, qui minime desperarunt. Nam in simili conditione fortior creditur, quem aduersa nō frangunt. Prior ergo de cæsis hostibus spolia capiat, colligat campum, prior clamore ac buccinis exultare videatur. Hac fiducia perterrebit inimicos, & suis fiduciam geminabit, quasi victor ex omni parte discesserit.

Quod si aliquo casu omnis in acie fundatur exercitus, perniciosæ cladis tamen reparationis fortuna non defuit, & medicina quærenda est. Dux ergo prouidus sub ea cautela debet publico marte confligere, vt si quid pro varietate bellicorū, vel conditionis humanæ secus acciderit, absque graui detrimento liberet victos. Nam si vicini colles fuerint, si post terga munitio, si cæteris abscedentib. fortissimi quique restiterint, se suosq; seruabunt. Frequenter iam fusa acies, dispersos, ac passim sequentes, reparatis virib. interemit. Nunquam exultantib. maius solet esse discrimen, quam cum subito ferocia in formidinem commutatur.

Sed quicumque euentus fuerit, colligendi superstites bello erigendi adhortationi congruis, & armorum instauratione renouandi. Tunc noui delectus, noua quæruntur auxilia: & (quod amplius prodest) captis occasionibus in ipsos victores per occultas insidias impetus faciendus est, ac sic audacia reparanda. Nec opportunitas desit, cum pro felicitate superbius & incautius mentes efferantur humanæ. Si quis hunc casum vltimum putat, cogitet euentus omnium præliorum, inter initia contra illos magis fuisse, quibus victoria debebatur. *c. 25.*

In omnibus prælijs expeditionis conditio talis est, vt quod tibi prodest, aduersario noceat: quod illū iuuat, tibi semper officiat. Nunquam igitur ad illius arbitriū aliquid facere, aut dissimulare debemus, sed id solum agere, quod nobis vtile iudicamus. Contra te enim esse incipis, si imiteris quod facit ille pro se: & rursus quicquid pro tua parte tentaris contra illum erit, si voluerit imitari. *c. 26.*

In bello, qui plus in angarijs vigilauerit, plus in exercendo milite laborauerit, minus periculum sustinebit. *ibid.*

Nunquam miles in aciem producendus est, cuius antea experimenta non didiceris. *ibid.*

Aut inopia, aut superuentibus, aut terrore melius est hostem domare, quam prælio: in quo amplius solet fortuna potestatis habere, quam virtus. *ibid.*

Melius est post aciem plura seruare præsidia, quam latius militem spargere. *ibid.*

Difficile vincitur, qui verè potest de suis, & de aduersarij copijs iudicare. *ibid.*

Amplius iuuat virtus quam multitudo. *ibid.*

Amplius prodest locus sæpe, quam virtus. *ibid.*

Nunquam ad certamen publicum produxeris militem, nisi cū eum videris sperare victoriam. *eod. cap.*

Qui dispersis suis inconsulte sequitur, quam ipse acceperat, aduersario vult dare victoriam. *ibid.*

Qui multitudine & virtute præcedit, quadrata dimicet fronte. Qui imparem se iudicat, dextro cornu suo sinistrum pellat inimici. Qui sinistram alam fortissimam habere se nouerit, dextram alā hostis inuadat. Qui habet exercitatissimos milites, in vtroq. cornu pariter prælium debet incipere. Qui leuem armaturam optimam regit, vtramque alam hostis inuadat, ferentarijs ante mediam aciem constitutis. Qui nec numero militum, nec virtute confidit, si depugnaturus est, de dextra sua sinistram alam hostiū pulset, reliquis suis in similitudinem veru porrectis. Qui pauciores infirmioresque habere se nouit, ex vno latere aut montem, aut ciuitatem, aut mare, aut fluuium, aut aliquod debet habere subsidium. *eod. cap.*

Boni duces publico certamine nunquam nisi ex occasione aut nimia necessitate confligunt. *ibid.*

Quo genere depugnaturus sis, nesciant hostes: ne aliquibus remedijs resistere moliantur. *ibidem.*

PRÆMIVM.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

PRæmium, Græce [illegible] dicitur. Hebr. *Schochadh*, à verbo *Schachadh*, id est, munerauit, munus distribuit, dedit munus, largitus est donum. Cognationem habet cum verbo, *Schacath*, corrupit quam plerumque munera sunt corruptelæ, quæ hominum mentes excæcant.

Est autem præmium id quod redditur alicui in bonum eius. *sec. E. Thom. 3. sent. dist. 29. q. 4.*

Præmium & pretium sic differre videntur, quod præmium dumtaxat pro recte factis datur: Pretium vero non modo pro recte factis, sed etiam pro male gestis. Salust. *Vicit tamen in senatu pars illa, quæ vero pretium aut gratiam anteferebat.* Terent. *Ego pretium ob stultitiam fero.* Proprie tamen pretium est, quod re empta datur. Terent. *Pretium sperans illico produxit ac vendidit:* Hinc pretiosum, charum & magni pretij: & appretio, æstimo, pretium impono.

Præmium, vt quidam volunt, dicitur quasi præuium, quia primo præponitur, quod dandum est victori, deinde certatur. Ita & pretium, quasi præitium a præeundo, licet breuier primam, quoniam primo soluitur pecunia, deinde res empta apprehenditur.

APOPHTHEGMATA.

Socrates interrogatus, quęnam ciuitas rite gubernari possit, respondit: Cum boni inuitantur præmijs, iniusti dant pœnas. *Ex Plut. recitat Brus. 3. c. 8.*

Idem pręmia decreta ijs, qui in Olympijs aut Nemeis vicissent, cōtraxit, eaque maiora decreuit ijs, qui in bello pro patria fortiter occubuissent: dicens, illos & dum exercentur, magnis impendijs exerceri, & si vicerint, magis aduersus patriam, quam aduersus hostes coronari, & cum senuerint, ad nihil vtiles euadere, haud aliter quam detrita pallia: vt qui nec bello sint vtiles, nec gerendæ Reip. accommodi. *Laert. lib. 1.*

Tritantæchmes, quum post cladem acceptam à Persis, quidam ab Arcadia transfugissent, auxilia pollicentes, producti sunt in conspectum Xerxis. Ibi Persis percontantibus, quid agerent Græci? responderunt, eos celebrare Olympia, ac Gymnasia, equestriaque certamina spectare. Rursus percontantibus, quod esset certaminis præmium? responderunt, coronam oleaginam. Hic Tritantæchmes Artabani filius, versus ad exercitus præfectum: Papæ? inquit, Mardoni, in eiusmodi viros nos incitasti ad pugnandum, qui non pecuniarum gratia certamina agitant, sed virtutis, ac laudis? Ea vox tum visa est timida, vt sæpenumero prudentia habetur pro ignauia. *Herod. in Vrania.*

Lysander, interroganti Persæ, quam Rempub. maxime probaret: Eã, inquit, in qua fortibus viris, ac meticulosis congrua vtrisq; redduntur. Sensit, virtutem inuitari præmijs, ignauos excitari ignominia. Nimirum hoc est, quod apud Homerum stomachatur Achilles, tantum honoris haberi ignauis, ac fortibus. Ea sententia non solum habet locum in repub. verum etiam in priuatis familijs. Sunt enim hæc duo præcipua ad conseruandam cuiuslibet gregis disciplinam. Honos enim non solum alit artes, vt habet Prouerbium, verum etiam virtutem. Nec tam refert, monarchia sit, an aristocratia, an democratia, an aliqua Reipublicæ forma ex his temperata, quam vt in quacumque gubernatione discrimen habeatur publicum inter viros vtiles Reipub. & suu viuentes abdomini. *Plut. in Lacon.*

Galien. Imp. taurum ingentem, quum in arenam emisisset, prodissetque ad eum feriendum venator, neque productum decies potuisset occidere, Cæsar coronam venatori misit: mussitantibus cunctis quid rei esset, quod homo ignauissimus coronaretur. Galienus per Curionem dici iussit, Taurum toties non ferire difficile est. Ludens significauit, graue discrimen esse, toties Tauro occurrere, etiamsi non ferias. *Trebellius Pollio.*

S E N T E N T I Æ   H I S T O R I C Æ.

Nihil in rebus humanis inæqualius esse duco, quam & fortem, & ignauum æqualibus præmijs ornari. *Xenoph. de Cyri inst. lib. 2.*

Nihil non aggressuri sunt homines, si magna conantibus magna præmia proponantur. *Liu. Decad. 1, lib. 4.*

Sui laboris milites semper, euentu belli, præmia petiuerunt. *Cæsar. lib. 2 de bello ciuili.*

Vbi malos præmia sequuntur, haud facile quisquam gratuito bonus est. *Salust. in fragm. hist.*

Cum secum animus præmia reputat, simulque immensa pecunia, & potentia animo obuersantur, cedet fas & salus aliorum. *Tacit. Annal. lib. 15.*

Præmia bonorum malorumque bonos, ac malos faciunt. *Plin. secund. in panegyr.*

Leuanda est paupertas eorum hominum, qui diu reipub. viuentes pauperes sunt, & nullorum magis. *Fl. Vopisc. in Claudio.*

Certantes in stadio numerosior corona glorificat, & Olympicos cursus palma frequens nobilitat: sic vel in legibus reus gloriosior efficitur, cui frequenter præmia referuntur. *Cassiodor. lib. 8. epistol. 22.*

Præmijs magnorum etiam virorum animi excitantur. *Arn. Ferron. lib. 1.*

S I M I L I T V D I N E S.

Gregor. Nyssen. Vt agriculturæ finis est frugum perceptio: ædificationis ædium est habitatio, & nauigationis diuitiæ, certaminis corona: sic virtuosæ vitæ finis est, vt seruus Dei, & sis, & voceris. *in mystica Mosaica vitæ enarratione.*

Demosth. Vt si quis grauia supplicia sceleribus constituat, ipse quidem minime iniuriam facere paratus esse videtur: Sic si quis honores, & præmia benemeritorum tollat, ipse nihil boni facere paratus videbitur. *In orat. ad Leptinem.*

Cicer. Vt nec domus nec respublica ratione quadam, & disciplina designata videatur, si in ea nec recte factis præmia extent vlla, nec supplicia peccatis: Sic mundi diuina in homines moderatio profecto nulla est, si in ea discrimen nullum est bonorum, ac malorum. *lib. 3. de Nat. Deor.*

P. M. Eleganter Xenophon in Oeconomicis prodidit, cætera quoque animantia duabus rebus potissimum adduci ad obtemperandum cibo, si quod fuerit abiectius: aut delinimento si generosius, velut equus: & plagis, si contumacius, velut asinus. At homo cum sit animal omnium generosissimum, non tam minis, ac supplicijs cogi, quam præmijs oportebit ad officium inuitari legibus. *De instit. Princip.*

Themist. Corpus alimento, animus vero nutritur laude, honoribus, & præmio. *In apoph. 72.*

P R Æ S V M P T I O.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

PRæsumptio, Græcè, τόλμημα, ατος, τό vel τόλμησις dicitur. Est autem præsumptio aliquando in bono, quasi præ alijs sumptio, & nonnunquam in malo. *sec. S. Thom. 2. 2. q. 21. a. 1. 2.*

Præsumptio in malo dicitur immoderatio spei dupliciter: supra vires proprias, vel contra iustitiam Dei. *Prima* opponitur magnanimitati. *Secunda* vero est species blasphemiæ in Spiritũ sanctum. *Prima* oritur ex inani gloria. *Secunda* ex superbia.

L O C I   B I B L I C I.

Præsumptio sancta, *Ephes. 3. 12.* Præsumptio inanis damnatur, *Prou. 26. 12. & 29. ver. 25. 26. Gal. 6. 3.*

S E N T E N T I A E   B I B L I C A E.

Cum audace ne eas in desertum, quoniam quasi nihil est ante illum sanguis, & vbi non est adiutorium, elidet te. *Eccl. 9.*

Terribilis est in ciuitate sua homo linguosus, & temerarius in verbo suo odibilis erit. *Idem 9.*

P A T R V M   S E N T E N T I Æ.

Præsumunt Prælati, non debere se reprehendi, vel accusari, pro eo, quod canones non eos passim constituunt accusandos: quod tantum negatur solis criminosis, cum de reprehendendo veritas ipsa constituat: Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo, &c. *Aug. Sol. loq. 8. & hab. 2. q. 7. Can. Præsumunt.*

Aliter aliquid sapere, quam res se habet, humana tentatio est. Nimis autem amando sententiam suam, vel inuidendo melioribus, vsque ad præcidendæ communionis, & condendi schismatis vel hæresis sacrilegium peruenire, diabolica præsumptio. In nullo autem aliter sapere, quam res se habet, angelica perfectio est. Vita itaque homines sumus, sed spe angeli sumus, qui æquales in resurrectione futuri sumus. Quam diu ergo non habemus perfectionem angeli, non habeamus præsumptionem diaboli. *Idem de baptismo contra Donatum, l. 2.*

Multos impedit à firmitate præsumptio firmitatis. Nemo erit à Deo firmus, nisi qui à seipso sentit se infirmũ. *Idem de verb. Dom. cap. 14.*

Nulla præsumptio perniciosior, quam de propria iustitia aut scientia superbire. *Idem super illud Eccl. 7. Non te iustifices ante Deum, quoniam agnitor cordis est.*

Quamlibet doctrina mens polleat, grauis imperitia est, velle docere sapientiorem. Immensa enim præsumptio, a seniore sibi reuerentiam exigere, silentium imperare meliori.

Omni culpa grauius de commisso vitio superbire. Nã quamuis de virtute nasci elatio soleat, nonnunquam tamen stulta mens perpetrata nequitia se exaltat. *Greg. lib. 6. Moral.*

Lumen intelligentiæ humilitas aperit, superbia abscondit. Nam secretum quoddam pietatis est, & tanto minus animus ad id peruenit, quãto magis intumescit, quia eo ipso foras repellitur, quo minus inflatur. *Idem lib. 25. Moral.*

Quia prima stultitia angeli elatio cordis fuit, vera sapientiæ hominis efficitur humilitas suæ æstimationis, quam quisquis vel magna sapiendo deserit, eo ipso vehementer desipit, quo semetipsum nescit.

In præcipitium pedem porrigit, qui mensurarum suarum limitem non attendit. Et plerumque amittit quod poterat, qui audacter ea, quæ perongere non valet, arripere festinat.

Pia conditoris dispensatione agitur, vt de se confidens anima dispensatoria tentatione pulsetur, quatenus infirmata quid sit, inueniat, & præsumptionis propriæ fastum deponat. *Idem libro 28. Moral.*

Humiles cœlum petunt, dum se in terram deijciunt. Superbi infima petunt, dum despiciendo cæteros quasi altioribus extolluntur. Illi, dum se despiciunt, cœlestibus iunguntur. Isti dum se erigunt, a superioribus diuiduntur. Atque (vt ita dixerim) illi se eleuantes deprimunt, isti eleuantur deprimentes. *Gregor. libro 23. Moral.*

Præsumptuosus primus in conuentibus residet, in consilijs primus respondet, non vocatus accedit, non missus se intromittit, reordinat ordinata, reficit facta, quidquid ipse non fecit aut ordinauit, nec rectum factum, nec pulchre æstimat ordinatum, iudicat iudicantes, præiudicat iudicaturis. Si, cum tempus aduenerit, nõ promoueatur ad prioratum, suum abbatem aut inuidum iudicat, aut deceptum.

Quomodo præsumptuosus culpam suam confitebitur, qui nec esse putat, nec putari culpabilis patitur? propterea cum culpa ei imputatur, crescit, non amputatur.

O super-

O superba præsumptio: præsumptuosa superbia, quæ non solũ angelos Deo voluit adæquare, sed homines præsumpsit deificare. Porro quos erexit, depressit, & quos exaltauit, humiliauit. Hæc turrim euertit, linguam confudit, Goliath prostrauit, Aman suspendit. *Bern. de 12 gradib. humilitatis.*

Alios superbia non excedas, elationis pœnas non exigas. *Isidor. soliloq. lib. 2. c. 13.*

Superbus venit instituere, antequam instituatur, alios instituere cupit. & docere, antequam discat: priusquam erudiatur, promulgare vult leges: & antequam discat ordines syllabarum, philosophari incipit: priusquam subijciatur, vult habere subiectos: & antequam maiorum iussis obtemperet, eripit iubentis officium: & antequam instruatur, instruere ac mouere vsurpat. *Cass. lib. 1.*

Plerisque euenit, vt dum fratribus præesse festinant, nunquam senioribus ipsi subijciantur, & a superbia inchoantes, dum alios instruere cupiunt, nec discere ipsi, nec agere ea, quæ sunt docenda mereantur. Ostentationis nota non caret, qui se ingerit, sed qui ionitatur. *Idem in collatione Danielis.*

Omne malum execrabilius redditur, quando publica præsumptione tractatur. *In Psal.*

Constat eum de se præsumere: qui ad sacri ordinis cupit fastigia peruenire: Menta enim suggerunt bonæ apparentiæ visus, & qualitate desiderij potest mens honesta cognosci. Quis enim palæstricæ artis ignarus in stadium luctaturus introeat? aut quis, certamini misceatur, quod virtutis conscientia non suadetur? In ipsis conatibus ægra languescunt, quæ meritorum præsumptionibus non iuuantur. *Lib. 4. epist. 25.*

Cum non sit nostrum, quod sumus, quomodo nostrum est, quod habemus? Stultitiæ genus est, vt cum alijs debeas vitæ beneficium, tibi adscribas ornamenta virtutum. *Valer. Episcop. in quodam sermone.*

Magnus vnusquisq; esse studeat, si tamen aliquo modo esse nesciat, ne dum sibi magnitudinem arroganter tribuat, amittat. *Greg. in hom.*

Nimium præceps est, qui intrare contendit, vbi alios cecidisse viderit: Et vehementer infrenis, cui non incutitur timor alio pereunte. *lib. de sing. cler.*

Sententiæ Poeticae.

Menand.

Ἀνὴρ δ' ἄβουλος εἰς κενὸν μοχθεῖ τρέχων.
Vir temerarius in vanum laborat currens.
Ἀβουλίᾳ γὰρ πολλὰ βλάπτονται βροτοί.
Temeritate enim multum læduntur mortales.
Ἀνὴρ δ' ἄβουλος ἡδονῆς θηρεύεται.
Vir temerarius voluptatem venatur.
Προπέτεια πολλοῖς ἐστιν αἰτία κακῶν.
Temeritas multis est causa malorum.

Plaut. in Penulo.

Sine pennis volare haud facile est.

Ouid. de Ponto, lib. 4. Eleg. 11.

Sed neque prudentem solari stultior ausim,
Verbaque doctorum nota referre tibi.

Idem de arte amandi, lib. 3.

Odimus immodicos experto credite fastus,
Sæpe tacens odij semina vultus habet.

Catul. Eleg. 3.

Atqui nec diuis homines componere æquum est.

Iuuen. Satyr. 5.

Maxima quæque domus seruis est plena superbis.

Sententiæ Philosophicae.

Imperita rusticitas plura promittit, & credit se scire quam nescit. *Veget. de re militari. lib. 3.*

Aut qui priuatus intolerabili superbia fuerit, eum commodum & se cognoscentem videre in potestate quis poterit? *Cic. Rhetor. nouor. lib. 4.*

Temeritatis subiti & vehementes sunt impetus, quibus hominum mentes concussæ, nec sua pericula respicere, nec aliena facta iusta æstimatione prosequi valent. *Val. Max. lib. 9.*

Similitudo.

Seneca. Vt in corporibus morbus segnitie & lassitudine præsentitur: sic infirmus animus, priusquam opprimatur malis, præsumptione quatitur. *Apud P. M.*

Historicum Exemplum.

Rex Persarum Xerxes Græcis bellum indixit, cui familiarium vnus dicebat, Græcos aduentum nuncij belli non expectaturos, sed ad primam aduentus famam terga versuros: alius dicebat: Græciã non vinci, sed obrui mole exercitus: alius, timendum esse, ne vrbes vacuas vel desertas inueniret, non habiturum regem, vbi tantas vires exercere posset: alius dicebat: vix illi naturam rerũ sufficere, angusta esse classibus maria, militibus castra, explicandis copijs equestribus campestria, cœlum vix patere sagittis. Dum in hoc mundum regem æstimatione nimia sui furorem offuscarent: dixit Damaxatus: Multitudo ista, quæ tibi placet, tibi metuenda. verum est enim per magna nunquam posse regi: nec diu durare potest, quod regi non potest. Nihil tam magnum, quod perire non possit, sic contigit, vt dixit Damaxatus. Nam vt fugax animal pauido regressu regnum suum repetere est coactus. Multo enim ignorant vires suas: & dum credunt se tam magnos, sicut audiunt, attraxere superuacua bella, & in discrimine peruentura. *Valer. lib. 1.*

PRECES, PRECATIO.

Loci Biblici.

Precationum variæ formulæ Nuptijs benedicendi, *Genes. 24. 60. Ruth. 4. 11.* populo benedicendi, *Num. 6. v. 23. 24. 25.* Regem consecrandi, *1. Reg. c. 37.* salutandi & bene precandi, *Ruth. 2. Matth. 21. 9. & 28. 9. Marc. 11. & 6. Io. c. 2. 13.*

Precibus precari, repetitio est Hebraica, pro deuote & religiose precari. *Iac. 5. 17.*

Poeticae Sententiæ.

Iac. Bill. Anthol. Sac.

Inter mundana mala consistantia vita
Sæpe quidem Domini corripitur populus.
Qui tempestatum varia sua clade laborant,
Noscant se iusti ferre flagella Dei.
Atque ipsum toto gemitu planctuque precentur,
Vt qui scit miseris auxilietur ope.
Non etenim proprio arbitrio curabitur æger,
Nec vero leges ipse dabit medico.

Curandum esse, vt preces nostræ ab animo puro proficiscantur.

Cum pectus gratum est, tum sunt quoque munera grata,
Vestis ... primum est, postea dona Deo.
O quam falluntur sua qui iucunda Tonanti
Vota putant, cum sint pectore nata malo.
Non satis est serti careant quod vulnere flores,
Pura legentis enim debes & esse manus.
Sic quoque non satis est, quod sint tua vota precesque
Ni quoque mens pariter sit sine labe tua.

Non murmurandum esse, cum preces nostræ non statim exaudiuntur.

Cum gladios, cum ea ira Saul, cum cerneret hostes,
Attonitus fertur consuluisse Deum,
Cum nullam consulta darent oracula vocem,
Consilio a Stygio perfidus hoste petit.
Huic similis dici posse, quicumque Tonanti
Vota quidem, patitur dum mala multa, facit.
At nisi quam primum fugiant aduersa, relicto
Numine, mox vetitam perditus orat opem.

Vt preces nostræ Deo gratæ sint, carnis mortificationem adiungendam esse.

Et precibus, sanctis quanam solatio, quinam
Existant fructus, nemo referre potest.
At tua ne frustra pede claudo vota sequatur,
Fac tua cum vitijs vt caro morte cadat.
Ara duplex templi quondam hoc sine voce docebat,
Thus vna, at cæsas altera habebat oues.
Obtulit hic cæsas pecudes, qui membra necauit,
Qui pia vota facit, thus dedit ille Deo.

Apophthegmata.

Socrates nihil vltra petendum à Dijs immortalib. arbitrabatur, quã vt bona tribuerent, quoniam ij demum scirent, quid cuiq; esset vtile, nos autem plerumq; id votis expetere, quod non impetrasse melius foret. Etenim densissimis tenebris inuoluta mortalium mens, in quam late patentem errorẽ cæcas precationes tuas spargis? Diuitias appetis, quæ multis exitio fuerint: honores concupiscis, qui plures pessum dederunt: regna tecum ipsa voluis, quorum exitus sæpenumero miserabiles cernuntur. Splendidis coniugijs injicis manus: at hæc vt aliquando illustrant, ita nonnunquam funditus domos euertunt. Desine igitur stulta futuris malorum tuorum causis quasi felicissimis rebus inhiare, teq; totũ cœlestium arbitrio permitte: quia qui tribuere bona ex facili solent, etiam eligere aptissima possunt. *Val. Max. lib. 7. c. 2.*

Bias, eos, qui sibi mentem à Deo bonam largiri precarentur, nec tamen disciplinam capesserent: parum cordatos esse dicebat. Quãdo neque vt pictor quisq; bonus euadat, dari sibi a Deo bonos colores, & lineam exoptat, quin magis artem perdiscit. Sicut nec votis proficit, qui musicus esse cupit, nisi artem consectetur

tur. A deo nihil prodeſt, circa preces occupari, niſi rectè viuendi ſtudio tenearis. *Stob.*

Idem, aliquando cum impijs, ac ſceleroſis hominibus naui vehebatur, & quum omnes periclitarentur, impijs Deorum opem implorantibus: Silete, inquit Bias, ne D.j vos nebulones hic nauigare ſentiant. Deus autem impiorum precibus irritatur magis ad vindictam, quam ad opitulandum flectitur. *Laert. lib. 1. c. 6.*

Athenodorus, multum eos damnari debere aiebat, qui longis omnibus Deum fatigarent, eaque peterent, quæ peti ab eis homines ſcire nollent. Rogandumque ſolum de eis Deum eſſe, quæ minime moleſte homines ſcirent, etiamſi ab omnibus intelligantur. Addebat etiam, ita cum hominibus homines viuere debere, non ſecus ac ſi Deus eorum ſemper actiones intueretur. Hoc autem modo illos carpebat, qui inuiſa à Deo peterent: & ipſi ſibi, quo minus exaudirentur, impedimento eſſent. *Fulgoſi libro 7. cap. 2. ex Seneca, cuius verba hæc ſunt epiſt. 10.* Tunc ſcito (*inquit Athenodorus*) eſſe te omnibus cupiditatibus ſolutum, cum eo perueneris, vt nihil Deum roges, niſi quod rogare poſſis palam.

Lacones, ſi quando Dijs ſupplicarent, ſumma deprecationis hæc erat, vt Dij immortales bonis nihil aliud adderent, quam honeſta, prætereà nihil. Non aliud petebant virtutis præmium, quam honeſtam famam, cum multa alia ſint aliarum gentium vota: non ſolum multiloquia, verum etiam inutilia, nonnunquam & turpia à Dijs poſtulantium. *Plut. in Lacon.*

Similitudines.

Sicut thymiama bene confectum delectat hominem odorantem: Sic oratio iuſti ſuauis eſt ante Deum. *Chryſoſt. in cap. 6. Matth. homil. 13.*

Omnes Medici pecunijs: Deus autem ſola oratione placatur. *In cap. 2. Matth.*

Dic ſodes: Si ſtercore manus, atque cœno illitas haberes, auderesne ita fœdidus orare? Minime, inquies: atqui hoc tibi nullum damnum inferret. Illud omnium peſte pernicioſius eſt: ſcilicet cum ſordeſcat manus homicidio, operationibus malis, os maledictione, detractione, contumelia, iracundis verbis atque obſcœnis, diſſoluto riſu, atque ſcurrilitate. *Homilia 12. in Matth.*

Si quis pedes tuos ſtercore ſordidatis manibus ſupplicando tergeret, non modo non exaudires: verum etiam calcibus expelleres. Quo modo igitur audes tu hoc modo orare? Nam qui orat, quà manu lingua vtitur, quà genua Dei ſupplicando attingit. Nolite igitur ipſam maculare, ne Deus ad vos dicat: Si multiplicaueritis deprecationem, non exaudiam vos. Vita enim & mors in manibus linguæ. *Homil. 52. in Matth.*

Dic quo liberis operam dediſti legitime, quamuis crimen illud nõ ſit, orare tamen non audes: conuiciatus tem & contumeliatus, quod gehennam tibi præparat, antequam teipſum mundes, manum ad cœlum tollis: die quæſo, quomodo non inhorteſcis? Quod ſi ab incontaminato lecto reſurgens, times ad orandum accedere: cum in Diaboli lecto ſis, cur horribile Dei nomen audes inuocare? Diaboli quippe lectus eſt omne conuicium, ita, quaſi pernicioſus quidam adulter, occulta voluptate cum animo adulteratur, & ex pernicioſo ſpermate Diabolicas inimicitias parit, contraque matrimonium agens omnia, eos qui pacis vinculo in vnum coaptantur, in multas dirimit partes. Cum matrimonium in vna duos carne coniungat, nec coniunctos ſolum diſſeparat, ſed etiam ipſum animum ſcindit, & lacerat. Quare vt libere Deũ adire poſſis, coniunctionem hanc, atque adulterium furoris, quaſi rabidum canem procul animo tuo extermina. Sic Paulus etiã iuſſit: Leuantes puras manus ſine Ira, & diſceptatione. *Homil. 57. in Matth.*

Qui orant attentè, l inas poſſ det alas, quibus ventos ipſos volando præterue hitur: non enim oſcitat, non extenditur, non torpet orando, ſed igne ardentior, & terra ſuperior: quare terribilis hoſtibus redditur. Nihil enim homine probo orante potentius. Nam ſi mulier crudelem dæmonibus iudicem, qui nec Deum timebat, nec hominem reuerebatur, flectere potuit: multo magis prop itium Deum faciet, qui continuæ orationi adhæret, venti eam ſuperat, delicias ſpernit. *Hom. 58. in Matth.*

Sicut magiſtrum audiens balbutientem, & ſingulas literas diſcẽtem, non eum ignorare dicis, cum interrogat, vbi ſit illa litera, ſed quia non ignorans interrogat, ſed diſcipulum volens inſtituere: Sic & Deus non opus habens oratione orabaſcd te volens illi tuere, vt aſſiduus ſis ad orationem, vt ſobrie cum vigilantia ores: vigilans dico, cum intelligis, ad quem loqueris, quando mente ea percipis. *Hom. 27. in Epiſt. ad Hebræos.*

Quemadmodum ſol, lucem præbet corpori: Sic animæ lumen eſt precatio. *De diuerſis.*

Sicut cæco damnoſum eſt non intueri ſolem: Sic & multo grauius damnum Chriſtiano homini, non aſſidue deprecari. *De diuerſis.*

Non ſecus ac naum & domum ea, quæ ſubſtrata ſunt, validam reddunt, ac ne ſoluantur, continent: ita noſtram vitam orandi ſtudium continet, & vndique firmam reddit, adeo vt abſque hoc nihil boni contingat ad ſalutem conducens. *De diuerſis.*

Sicut arbores non valent fructus producere, niſi bibant humorem radicibus. Sic nec nos pietatis fructibus poterimus eſſe grauidi, niſi precibus irrigemur. *De diuerſis.*

Quemadmodum prædones & facinoroſi, conſpicientes gladium militis in caput ſuum vibrari, reſiſtunt: Sic maligni Spiritus conſpicientes communitos deprecatione, illico reſiliunt. *De diuerſis.*

Vt cum aſſiſtens terreno regi, omnibus modis molitur, vt plurimũ erga illum reuerentiam exhibeat, non ſolum ſpecie capitis, ſed totius corporis compoſitione, quo per maiorem erga eum illius beneuolentiam concilies: Sic nos in oratione vndequaque compoſiti, præſertim intus. *De diuerſis.*

Si hic, qui loquitur cum terreno rege, de his tantum mentionem facit, quæ voluerit libenter audire dominus: Multo magis coram omnium domino, de ſalute animæ poſtulandum, &c. *De diuerſis.*

Quod venatori cuſpis vel gladius, hoc preces homini afflicto: nõ tam lupis terribiles gladij, quam dæmonibus preces iuſtorum Hominum, quos valde exulcerat animus, ut quieſcunt, ſi diluculo, meridie, veſper, apud eos comparemus. Ac cum eis humili & continua conſuetudine conuerſemur: magis multo apud Deum, ſi frequens fueris in oratione, licet indignus, dignus tamen eris diuina familiaritate. *De diuerſis.*

Sicut corpus per neruos ſibijpſi cohæret & compaginatum currit, & ſtat, ſi nemo eſt, vinctiſi autem quis neruos amputet, omnem harmoniam corporis ſoluit: Ita animæ præſtantes in orando firmæ ſunt, curſum pietatis facile currunt. Si autem auferantur eis precationes, perinde eſt, ac ſi piſcem ex aqua traxeris, vt illi vita, aquæ, ita animæ preces. *De diuerſis.*

Templa Chriſti homi es ſunt. Vt auro, argento, gemmis, domus regiæ extruuntur: Ita oratione templa Chriſti, vt inhabitet in cordibus veſtris. *De diuerſis.*

Vt athleta à palæſtra ad coronam currit: Ita bonus ad orationem. Vt reginam ingredientem vrbem omnes diuitiæ comitantur. Ita oratio, quæ in animam intrat, omnes virtutes ſibi locat. *De diuerſis.*

Vt arbores, quæ radicem altius miſerint, quamuis ſummum ventorum excipiant impetum, non frangi aut euelli poſſunt: Sic orationes, quas animus Deo ſuo reddiderit, perquam tute affixæ, efferunt ſeſe in excelſum, nullaque percutiuntur aggreſſu cogitationum. *De diuerſis.*

In tranquillitate tu ora Deum, vt ipſa tibi tranquillitas ſtabilis maneat. Tempeſtatem vides grauem, ora Deum, vt auertat ipſam, & ex ipſa tranquillitatem faciat. Exauditus es: gratias age, quod exauditus es. No exauditus es: perſeuera, vt exaudiaris. Et ſi differt aliquando Dominus, non id odio facit, eque te auerſatur, ſed differendo, diutius te ſecum ſeruare vult: Sicut & patres filios indulgentius amantes, quo illos diutius apud ſe detineant, quos deſides vident, dedita opera morantur aliquid daturi. *Hom. de profectu Euangelij.*

Quemadmodum nullo pacto fieri poteſt, vt qui ſolis radijs fruitur, nõ effugiat tenebras: Ita nulla ratione fieri poteſt, quin qui cum Deo conſuetudinem agit, deſinat eſſe mortalis: ſiquidem ipſa dignitas ſublimitas non ad immortalitatem transfert. Etenim ſi qui cum Cæſare miſcent ſermonea, familiariterque cum eo verſantur, & hoc honoris ab illo ſunt adepti, non poſſunt eſſe pauperes: multo minus fieri poteſt, vt qui Deum deprecantur, cum eo familiariter colloquentes, animas habeant mortales. *l. 1. de orando Deum.*

Quemadmodum corpus hoc noſtrum, ſi non adſit anima, profecto mortuum eſt ac fœtidum: Sic anima, niſi ſeipſam incitet ad orandum, mortua eſt ac miſera, & grauiter olens. *libro primo, de orando Deum.*

Quemadmodum alij quidam Reges incolumitatis ſuæ ſpem ponere conſueuerunt in militum peritia, & arte belli gerendi, in ſagittarijs, in cataphractis, in equitibus. Ita magnus ille Dauid ſanctis precibus mœnium vice ſuum cinxit exercitum, nequaquam reſpiciens imperatorum, tribunorum, ac centurionum ferociam, neque pecunias colligens, nec arma comparans, ſed orando diuinam amaturam è cœlo deportans. *l. 1. de orando Deum.*

Quemadmodum in coronis non ſat eſt flores eſſe puros, niſi pura ſit & manus eas contexens: Sic & in ſacris hymnis oportet non verba tantum eſſe pia, verum etiam animum, hymnos concinentẽ. At is mihi impurus eſt, vacuæ fiduciæ, vtpote multorum plenus ſcelerum. *Hom. 4. cum presbyter eſſet deſignatus.*

Quemadmodum ignis extergit ærugineni: Sic preces peccatorum noſtrorum ſordes expurgant. *Apud Ant. par. 1. ſerm. 46.*

Thalaſſi. Vt continentia & charitas purificant cogitationes: Ita omnem ſuperbiam tollunt contemplatio, precumque puritas. *Ad Paulinum presbyterum.*

Auguſtini. Quemadmodum ſerpentis quoddam genus cum it ad bibendum,

…ndum, priusquam ad fontem venit, omne venenum euomit: … Christianus cum ad orandum accedit, omnem iracundiam … in proximi deponat. *Ad Iulianum comitem de perfect. vita.*

Absolonis. Vt incensum, quum incenditur, flammam, fumum, odorem exse mittit: Ita oratio Deo grata, fumum compunctionis ob peccata, flammam charitatis ob amorem cœlestium, odorē deuotionis per ascensionem mentis in Deum. *lib. de dedicatione Ecclesiæ.*

Bernardi: Oratio similis turturi, meditatio vero columbæ, quæ dulces querimonias submurmurant in foramina petræ. *Ser. de discipulis euntibus in Emaus.*

Ledis. Sicut iuxta Dei sententiam, vulneri medicamentum, si adhuc ferrum in eo manet, non proficit: Ita nihil proficit oratio illius, cuius adhue dol[illegible] in mente, vel odium manet in pectore. *in natali innocentium martyrum.*

Laurentij Iustiniani Patriarchæ. Veluti ex sonora vocum dulcedine psalterij vel organi docta agnoscitur artificis manus, & ex verborum ornata prolatione doctoris patet facundia: Sic effectibus varijs orationis illius percipitur excellentia. *in ligno vitæ, c. 2. de orat.*

Vt mens cibi auiditate laxata, perdit orationum vigorē, dum carnis nimia lassitudine prægrauata compellitur vomitare: Ita rursum nimietate voracitatis oppressa emittere ad Deum preces ac laudes non poterit. Nam per indiscretionis excessum debilitatum quemlibet ad illum statum vocari necesse est, in quem negligēs per incuriam deuenit. *lib. de ligno vitæ, c. 3.*

Quemadmodum qui terram colit, solerter sentes debet eradicare, vt vberiores valet colligere fructus: Ita qui concupiscit dulcedinem deuotionis in oratione gustare, summopere studeat ipsius impedimenta declinare. Quia frustra currit ad portum orationis, quisquis illi aduersantia non tota intentione refugit. Multa enim sunt orationis impedimenta. *in ligno vitæ, capit. 4. de oratione.*

In rebus humanis ille sagacior prudentiorque cognoscitur, qui in agendis negotijs proprijs vel alienis seruato modo, loco ac tempore, opus arreptum ad finem ducit. Æque in spiritualibus faciendum est: & præsertim in orationis actu. Quia quanto est excellentior actio, tanto prudentius debet fieri, *In ligno vitæ, capit. 9.*

Quemadmodum preces, quę attente à puro animo funduntur, à Domino reportant quod petunt: Ita despiciuntur leues, diffidentes, inutiles, ac sęculi curis anxiæ, rebus temporalibus implicitę, ac bonorum operum fructibus infœcundæ, *In ligno vitæ, cap. 9. de orat.*

Quemadmodum ignis, quanto magis in vnū colligitur, tanto amplius nutritur, & flammas euaporans sursum impetuosius erumpit: Ita & mens, cum diutius intra se commorata fuerit, & ardentius per amoris incendium vrit in se, & per desiderium eleuatur in Deum. Sed si tunc verba quædam protulerit, tota ignita, sapientiæ nectare condita, veritatis splendore irradiata, & diuinarum … suauitate plena erunt. *De disciplina & perfectione monastica c. 15.*

Eiusdem In Iuliani; Quemadmodum caput ac lingua implorat auxilium pro … quo corpore, se non mouente: Ita principis oratio … Dominum, quamuis populus alijs intendat. *In vita Laur. Iustin.*

Thrineri. Vt duplex est calida & frigida aduersus venenorum malignitatem alexipharmacorum differentia: Ita aduersus tentationem omnem oratio & patientia sunt remedia. *in apophthegmat. 218.*

Quæ cum illis sermonem solemus facere, quos contemptim alloquimur: Nec admodum erga Deum afficitur, qui aliud cogitat, aliud loquitur. *in apoph. 75.*

Principibus tam diligenter facimus supplices literas, quā verba: Cur ergo negligentius oramus Deum absentem, quem, si daretur, cōspiceremus præsentes? *in apoph. 109.*

Qui hostem oculis obseruat, nullas patitur insidias: Et qui in precib. assiduus est, nulla frangitur tentatione *in apoph. 110.*

Illib rale est petere, quod est iniquum: illiberalius est, recusare, quod est æquum & honestū. Sacrilegus igitur, & infideli deterior, qui æquum orat & dubitat. *in apoph. 122.*

Nunquam bonus vir detrectabit alteri dare iustum consilium: Nec fieri potest, vt Deus precantibus vnquam suum neget oraculū. *in apoph. 125.*

FABVLÆ.

Camelus.

Camelus repanda à Ioue petebat, vt cornibus armaretur. Cuius ille stolidis precibus irritus, etiam aures mutilauit, vt non solum inermis, sed etiam deformis de cætero esset.

Docet fabula, turpis precibus Deum non esse fatigandum.

Serpentum renouatio.

Venisse olim humanum genus ad Iouem ferunt, & petijsse ab illo, aliquod vt remedium repellendæ senectæ sibi impertiret. Nimis enim paucos annos valere atque vigere homines, neque illis spacium vel ad virtutis cursum perficiēdum, vel errata & delicta vitę corrigenda suppetere. Quod si senib. instauraretur adolescentia, futurum, multo vt melioribus & probiorib. hominib. vteretur. Annuit Iuppiter precibus, & quandam medicinam confecit illis senectæ, ac in vrne conditam tribuit. Hanc discedentes asino sarcinam imponūt, & læti reuertuntur. Tempus erat tempestiuum, & omnia solis ardore flagrabant. Magna igitur atque intolerabili siti corripitur asinus, & forte nemus opacum præteriens, statuit in illud deflectere iter, & paululum acquiescere. Ingressus, fontem ibi inuenit, quare mirifice delectatus, siccas fauces aquæ cupidissime intendere, & refrigerare vellet guttur aridum atque feruēs. At serpens custos fontis, immani corpore prouoluitur, & os sæuum oculosq. infestos in asinum intendens, micante lingua se illi copiam vndarum facturum gratuito negat. Asinus ita erat siti enectus, vt corij particulā non videretur recusaturus impendere pro potu. Rogat igitur, quid pretij poscat. Sarcinā inquit serpens, trado. Cape sane, inquit asinus, ita n. & onere me insuper liberaris. Senectæ igitur medicinam nactus serpens, in consilium & conuentum ciuium defert: Asinus redit vacuus ad homines. Illi sarcinam requirūt, hic amissam esse narrat. Tum ingens dolor omnes corripuit, neque Iuppiter largiri denuo medicinā velle, neque ipsi recuperare, a serpentibus posse: Itaq; nunc exuuijs veterib. positis iuuentam induunt serpentes, perniciosę hominibus bestiæ. Homines memores accepti mali & damni dati ab asino, delicias faciunt verberando miserum animal.

Docet fabula, inuerecundas preces, si maxime exauditas esse homines putent, fere tamen in ipsorum perniciem conuertere.

Vide supra Oratio.

PRINCEPS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

PRinceps, Græce ἀρχηγός & ἀρχικός, principatus dicitur. Princeps aliquando primum significat, & est adiectiuum, Macrob. *Qui gradus inter eos princeps habebatur.* Aliquando optimatem. Vnde ciuitatis princeps dicitur, qui Rempub. administrat.

Princeps dicitur, quasi primum caput. A quo principium, & principale, & principatum.

Hebræi varijs nominib. principem designant, I. *Naghid*, dux, princeps, præcipuus, eximius, qui corā populo est, & ei indicat quid sit faciendum: à verbo *Naghad*, indicauit coram, demonstrauit, & cum digito repræsentauit, ostendit, *Neghidim*, duces, principes, *Ps. 76. v. vlt. & Prou. 8. 6. Neghidim* pro rebus præcipuis & eximijs sumitur, *Nasi*, princeps, prælatus, persona super alios eminens, à verbo *Nasa*, leuauit, cuius passiuum *Nissa*, signif. eleuatus est, portatus est: vt in clypeis, curribus, equis viri principes attollebantur. *Neschijm* Principes, Excelsi, Eminentes viri, atq; velut ea alio ceteris hominib. imperātes. III. *Rosch*, caput, capitaneus, metaphorice, præcipuus, summus, qui est caput & initium alicuius rei. *Nu 14. 4. Roschon* primus, prior, anterior, *Iob 15 7. Esa. 44. Rischonim*, priores, *Reschith*, principiū, initiū, *Gen. 1. 1. Meraaschoth*, Ceruicalia, quæ ponuntur sub capite, & ornamenta capitis, vt cidaris, tiara, diadema, corona. Pauperē Hebræi vocant & *Rasch*. à verbo *Rosch*. Quid vero principē à paupere discernit? certe mors sceptra ligonib. æquat. IV. *Sar*, princeps, dux, primas, superior, *Exod. 2. 14. 2. Reg. 9. 5. Dan. 10. v. vlt. Sarim*, principes, *Ps. 148. 11. Sarah*, domina, Iudicum. 5. i. e. *Saroth*, dominæ principes mulieres. *1. Reg. 11. 3.* Nomen vxoris Abraham, *Sarah, Gen. 17. 14. Sar.* deducitur à verbo *Sara* Princeps fuit, principem egit, principatu functus est, superior fuit, præualuit. *Prouerb. 8. 16. Esther. 1. versic. vlt. Ose. 12. 4.*

Alias primatuum, principum, magistratuum nomina suis locis indicata sunt.

Princeps dicitur, qui aliquot vrbes seu ciuitates sub se tenet & possidet. Dictus princeps, quasi primum caput, & principatus, dominatus, vel imperium. Regna autem dicuntur, integrę regiones, quæ a rege possidentur. Hinc reges a regionibus possessis dicti: Ita Gallia regnum, & dicitur rex Galliæ, qui præsidet ei: item Bohemię, Vngariæ, Poloniæ, &c. dicuntur & principes, optimates ciuitatis, qui Rempublic. administrant. Nonnunquam Principes vocantur domini, sic Augustus primus, Nero princeps, Caius princeps notatur. Vnde principatus deriuatur pro dominatu, Græcis ἀρχός dictus, & ἀρχή principatus: vocatur & Imperator princeps, *ff. de constit. princ. per totum*, princeps, id est, primum locum tenens, *Extra de elect. capit. Capientes. in pan. libro 6. & ibi Io. Andr. C. de principibus agen. in reb. libro duodecimo.* Princeps ex diuina ordinatione ad regendū populum instituitur, *8. q. 1. c.* Ergo:

go. Et eius officium est cogitare de vtilitate communi, deinde singulorum. Item: prospicere illum oportet, vt subditi in pace securi, ac tranquilli viuere queant. *in Authent. de hered. & fal. cid. collat. 1. ubi, quod princeps.* princeps ciuitatis dicuntur magistratus, *ff. de excusat. l. Spadonum, §. si ciuitatis.* Item principes pro maioribus officialibus accipiuntur in iure, *C. de offic. diuer. iudic. l. fut.* Dicitur & Papa princeps, porro & prælatus, *extra de reg. iur. c. 2. 25. dist. cap. Ecclesiæ Principes. Vide Ægid. in tractatu de regimine principum.*

Loci Biblici.

Principes non irritandi, *Prou. 25. 16.* principes Dauidi ministrantes, *1. Paralip. 27. 1.* princeps Sacerdotum, *Matth. 2. 4. &c.* vocabantur, qui ex posteris Aaronis (nam ij soli Sacerdotes dicebantur) erãt familiarum suarum capita, sicuti post captiuitatem fuerat earum distributio instaurata, vt refertur, *Nehem. 11. & 12. c.* quamobrem etiam vocantur Principes Sanctuarij, *2. Paral. 24. 5.* princeps Sacerdotum, *36. 14.* principes Salomonis, *1. Reg. 4. 2.* principes mali, ob peccata populi, *Prou. 28. 2.* principes quomodo a Deo demententur, *Psal. 76. 13. Prou. 29. 12.* Ministri Dei sunt, *Rom. 13. 4.* quales esse oporteat, *Deut. 1. 13* principes ignorantes crucifixerũt Christum, *Act. 3. 17. 1. Cor. 2. 8.* multi ex Iudæis credunt Christo, non audentes tamen confiteri, *Ioan. 12. 42.* ad principes exhortatio, *Ezech. 45. 9.* in principes pauperum oppressores, *Amos 4. 1. & 6. 1. Soph. 3. 1.*

Principum & regum corda in manu Dei sunt, *Prou. 21. 1.* principum scelera minime dissimulanda *Exempla:* Esaias, *Esa. 1. 23.* Ioannes Baptista, *Matth. 14. 4. Marc. 6. 18.* principum placandorum expedita ratio, *Prou. 25. 15.* principum status mutantur, *Iob 12. 18.*

Principibus non maledicendum, *Exod. 22. 18. Eccl. 10. 20. Actor. 25. 5.* principibus magnis subijci, non semper est tutum, *Esa. 8. 6.* principatus omnis caput, Christus, *Col. 2. 10.* principatus tribuitur & regno tenebrarum, *Col. 2. 15.*

Principis impij, impij sunt & ministri, *Prou. 29. 12. Eccl. 10. 2.* principis peccatum quomodo expiandum, *Leu. 4. v. 22. &c.*

Sententiae Biblicae.

Iudices & magistratus constitues in omnibus portis tuis, vt iudicent populum recto iudicio, nec in alteram partem declinent. *Deut. 16.*

Audite ergo reges, & intelligite, discite iudices finium terræ. Præbete aures vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum. Quoniam data est à Domino potestas vobis, & virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur. Quoniam cum essetis ministri regni illius, non recte iudicastis, nec custodistis legem iustitiæ, neque secundum voluntatem Dei ambulastis. Horrende & cito apparebit vobis, quoniam iudicium durissimum in his, qui præsunt, fiet. Exiguo enim conceditur misericordia, potentes autem potenter tormenta patientur. Non enim subtrahet personam cuiusquam Deus, nec verebitur magnitudinem cuiusquam: quoniam pusillum, & magnũ ipse fecit, & æqualiter est illi cura de omnibus. Fortioribus autẽ fortior instat cruciatio. Ad vos ergo reges sunt hi sermones mei, vt discatis sapientiam, & ne excidatis. Qui enim custodierint iustitiam, iuste iudicabuntur: & qui didicerint iusta, inuenient quid respondeant.

Vere rex sapiens populi stabilimentum est.

Si delectamini in sedibus, & sceptris ò reges populi, diligite sapientiam. *Sap. 6.*

Leo rugiens, & vrsus esuriens, princeps impius super populum pauperem. Dux indigens prudentia multos opprimit per calumniã. *Prou. 28.*

Noli regibus dare vinum, quia nullum secretum est, vbi regnat ebrietas: Ne forte bibant, & obliuiscantur iudiciorum, & mutent causam pauperis. *ibid. 31.*

Diligite lumen sapientiæ omnes, qui præestis populis. *Sap. 6.*

Iudex sapiens iudicabit populum suum, & principatus sensati stabilis erit, &c. *Eccl. 10.*

Væ terræ, cuius rex puer est, & cuius principes mane comedunt, *Eccl. 10.*

Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. *Rom. 13.*

Sententiae Patrum.

Rex cum est iniustus, tyrannus est. *August. de Ciu. Dei. lib. 2. c. 20.*

Malus enim si regnat, seruus est tot dominorum, quot vitiorum. *idem li. 4. de Ciuit. Dei, c. 4.*

Rex seruit Deo, leges iustas præcipiendo, & contrarias abrogando. *idem in epist. 52.*

Neque nos Christianos quondam Imperatores ideo felices dicimus, quia vel diutius imperarunt: vel imperantes filios morte placida reliquerunt, vel hostes Reipublicæ domuerunt, vel inimicos ciues contra se insurgentes, & cauere, & opprimere potuerunt. Hæc enim & alia huiusmodi ærumnosæ vitæ vel munera, vel solatia, quidam etiam cultores dæmoniorum accipere meruerunt, qui non pertinent ad regnum Dei, quo pertinẽt isti. Et hoc de misericordia scilicet factum est, ne ab eis, qui in eum crediderunt, hæc tanquam summa bona desiderentur. Sed felices eos dicimus, si iuste imperant, si inter linguas se sublimiter honorantium, & nimis honorabiliter salutantium, & sibi nimis humiliter obsequẽtium, non extolluntur, si se homines esse meminerint, si potestatem suam ad Dei cultum dilatandum, maiestatique eius famulari faciunt, si Deum timent, diligunt, & colunt plus amant regnum illud, vbi non timent habere consortes, si tardius vindicant, facile ignoscunt. Si eamdem vindictam pro necessitate tuendaque Republica, non pro saturandis inimicitiarum odijs, exercent. Si eamdem veniam non ad impunitatem iniquitatum, sed ad spem correctionis indulgent. Si quod aspere coguntur plerumque decernere, misericordiæ lenitate, & beneficiorũ largitate compensant. Si luxuria in eis tanto castigatior, quanto potest esse liberior: & si hæc omnia faciant non propter fumũ inanis gloriæ, sed propter charitatem felicitatis æternæ. Si propter peccata sua humilitatis, & miserationis sacrificium Deo vero immolare non negligunt. tales Christianos Imperatores dicimus esse felices interim spe, postea reipsa futuros, cum id, quod expectamus, aduenerit. *idem l. 5. de Ciu. Dei, c. 24.*

Non terrena potestas vult esse victrix gentium, cum sit captiua vitiorum. *idem l. 5. de Ciuit. [illegible] c. 8.*

Authoritas belli est penes principem: ministerium exequendi est penes milites. *idem contra Faust. c. 32.*

In hoc seruiunt reges Deo, si in regno suo bona iubeant, mala prohibeant, non solum, quæ pertinent ad societatem humanam, sed quæ ad religionem diuinam. *idem lib. 3. super [illegible] Iosu.*

Quicumque proprium corpus subegerit, nec eius passionibus turbari animam suam rector sui congrua viuacitate permiserit, is bene regia quadam potestate se cohibens. Rex dicitur: quod regere se nouerit, & arbiter sui iuris sit, nec captiuus trahatur in culpam, nec præceps feratur in vitium. *Ambros. super illud Psalm. Anima mea in manibus.*

Nomine Gigantum potentes huius sæculi significantur, aquæ vero populi sunt. *Gregor. Moral. super illud Iob 26. Gigantes gemunt sub aquis.*

Principes dicuntur, qui magno consilij iudicio suis cogitationibus semper principantur, omnesque stultos motus potestate sapientiæ comprimunt. *Idem Moral 12. super illud Iob 12. Effundit despectionem super principes.*

Princeps enim non debet dominari, sed ratio.

Sæpe à disciplinæ metu resoluimus subditos, si nostro regimini hilaritatis frena relaxamus, quia dum nos quasi licenter lætos aspiciunt, audacius ipsi, ad illicita resoluuntur. *idem Moral. 20.*

Bene sancti viri scripturæ sacræ testimonio reges vocantur, quia prælati cunctis motibus carnis, modo luxuriæ appetitum frenant, modo æstum auaritiæ temperant, modo gloriam elationis inclinant, modo suggestione liuoris obruunt, modo ignem furoris extinguunt. Reges ergo sunt: quia tentationum suarum motibus non consentiendo succumbere, sed regendo præesse nouerunt. *idem lib. 46. Moral. super illud Iob 6. Reges in solio collocat in perpetuum.*

Summus locus bene regitur, cum is, qui præest, vitijs potius, quam fratribus dominatur. *idem 26. Moral.*

Reges, quia sua corpora bene regere sciunt, qui desideriorum motus in se temperant, subiectas cogitationes lege virtutis regulãt Reges, quia sibimetipsis præsident, & se regere sciunt. Ideo beata terra, cuius rex nobilis est. & væ terræ, cuius rex puer est. *Greg. super illud Iob 3. Cum regib. & consulibus terræ.*

Caput subiectorum sunt cuncti, qui præsunt. Et vt recta pedes valeant itinera carpere, hic procul dubio caput ex alto prouidet, ne à prouectu sui itinere pes torqueat, cum curua corporis rectitudine, caput sese ad terram declinat. *idem in Pastorali.*

Quid ouis in medio luporum? Quid columba in medio accipitrũ? &c. Impius enim princeps, siue dominus est, vt leo rugiens & vrsus esuriens super populum p[illegible] *Ioann. Chrys. super illud Matth. 10 Sicut oues in medio luporum, [illegible]m. 32.*

Reges à recte agendo vocati sunt: Ideoque recte faciendo Regis nomen tenetur, peccando amittitur. Recte ergo illi reges vocantur, qui tam in semetipsos, quam in subditos bene regendo modificare nouerunt. *Isidor. de summo bono, l. 3.*

Sententiæ Poeticae.

Homer. in 2. Iliad.

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη· εἷς κοίρανος ἔστω,
Εἷς βασιλεύς.
Non bonum multorum dominatio: vnus dominus,
Vnus rex.

Idem in 1. Odyss.

Οὐ μὲν γάρ τι κακὸν βασιλευέμεν· αἶψά τέ οἱ δῶ
Ἀφνειὸν πέλεται, καὶ τιμηέστερος αὐτός.
Non enim malum imperare statim ei domus
Diues fit & magis honoratus ipse.

Idem in ρ. Odyss.

Χαλεπαὶ δὲ τ' ἀνάκτων εἰσὶν ὁμοκλαί.
Molesta autem sunt regum mina.

Menander.

Ἀρχὴν ἐπετάχθης, ἴσθι ταύτης ἄξιος.
Principatum assecutus, sis hoc dignus.
Εἰκὼν δὲ βασιλεύς ἐστιν ἔμψυχος Θεοῦ.
Imago autem rex est animata Dei.

Eurip. in Medea.

Δεινὰ τυράννων λήματα, καί πως
Ὀλίγ' ἀρχόμενοι, πολλὰ κρατοῦντες,
Χαλεπῶς ὀργὰς μεταβάλλουσι.
Grauis tyrannorum superbia, & quodammodo
A minimo incipientes, multa possidentes,
Ægre iras mutant.

Periander.

Τοὺς ἡγεμόνας σέβου. *Principes time.*

Pittacus.

Μὴ ἄρχε πρὶν ἄρχεσθαι μάθῃς.
Noli imperare, antequam subditus esse discas.

Thales.

Τὸν κρατοῦντα τίμα.
Imperantem honora.

Hor. Carm. lib. 2. Ode 2.

Latius regnes auidum domando
Spiritum, quam si Lybiam remotis
Gadibus iungas, & vterque Pœnus
Seruiat vni.

Lucan. lib. 8. Pharsal.

Miserrima sors est,
Regnorum sub Rege nouo.
Exeat aula,
Qui vult esse pius: virtus & summa potestas
Non coeunt.

Claudian. alloquens Theodos.

Tu licet extremos late dominere per Indos,
Te Medus, te molles Arabs, te Seres adorent:
Si metuis, si praua cupis, si duceris ira:
Seruitij patiere iugum: tolerabis iniquas
Interius leges: tunc omnia iure tenebis,
Cum poteris rex esse tui: procliuior vsus
In peiora datur, suadetque licentia luxum,
Illecebrisque effrana fauet: tunc viuere casta
Asperius, cum prompta Venus: tunc durius ira
Consulimus, cum pœna patet: sed comprime motus.
Nec tibi quid liceat, sed quid fecisse decebit,
Occurrat, mentemque domet respectus honesti.

Ouid. l. 1. de Ponto eleg. 3.

Sit piger ad pœnas princeps, ad præmia velox,
Quique dolet quoties cogitur esse ferox.

Senec. Tragœd. 2.

Regem non faciunt opes,
Non vestis Tyriæ color,
Non frontis nota regiæ,
Non auro nitidæ trabes:
Rex est, qui posuit metus,
Et diri mala pectoris:
Quem non ambitio impotens,
Et nunquam stabilis fauor
Vulgi præcipitis mouet,
Quem non lancea militis,
Non strictus domuit Chalybs:
Qui tuto positus loco
Infra se videt omn…
Occurritque suo liber…
Fato nec queritur mori.
Reges conueniat licet,
Rex est qui metuit nihil,
Hoc regnum sibi quisque dat;
Non capit regnum duci,
Habere regnum casus est, virtus dare.

Idem Tragœd. 3.

Qui vult amari, languida regnet manu.

Idem Tragœd. 4.

Fraus sublimis regnat in aula.

Idem Tragœd. 5.

Quisquam ne regno gaudet? ô fallax bonum?
Quantum malorum fronte quam blanda tegis?
Dubia ore certis solent
Timere reges.

Idem Tragœd. 6.

Quos fortuna altius
Euexit ac leuauit humanas opes,
Hos se magis supprimere felicem decet,
Variosque casus tremere.

Idem Tragœd. 7.

Æquum atque iniquum regis imperium feras.
Hoc reges habent:
Magnificum & ingens, nullus quod rapit dies,
Prodesse miseris, supplices fido lare
Protegere,
Grauis ira regum est semper.

Idem Tragœd. 8.

Nec regna socium ferre, nec tædæ sciunt.
O regnorum magis fallax
Fortuna bonis, in præcipiti
Dubioque nimis excelsa loca,
Nunquam placidam sceptra quietem,
Certumve sui tenuere diem.
Alia ex alijs cura fatigat,
Vexatque animos noua tempestas.
Non sic Libycis æquor
Furit, alternos voluere fluctus
Vt præcipites regum casus
Fortuna rotat. Metui cupiunt,
Metuique timent: non nox illis
Alma recessus præbet tutos:
Non curarum somnus domitor
Pectora soluit.

Idem Tragœd. 9.

Decet timeri Cæsarem, at plus diligi.

Sen. Oct. Act. 2.

Consulere patriæ, parcere afflictis, fera
Cæde abstinere, tempus atque iræ dare,
Orbi quietem, sæculo pacem suo.
Hæc summa virtus, petitur hac cœlum via.

Virg. 6. Aeneid.

Parcere subiectis, & debellare superbos.

Ouid. 2. Pont. 9.

Regia, crede mihi, res est, succurrere lapsis.

Idem 1. Pont. 3.

Sit piger ad pœnas princeps, ad præmia velox,
Quique dolet, quoties cogitur esse ferox.

Mart. 8.

Principis est virtus maxima, nosse suos.

Claud. 4. Honor.

His tamen effectis nec fastidire minores,
Neu pete præscriptos homini transcendere fines.

Claud. 4. Honor.

Tu ciuem, patremque geras, tu consule cunctis,
Nec tibi, nec tua te moueant, sed publica vota.

Horat. 1. Epist. 17.

Principibus placuisse viris, non vltima laus est.

HISTORICAE SENTENTIAE.

Princeps se mortalem esse sciat, & hominum officia fungi, satisque habere, si locum principem impleat. Maioribus suis dignus, rerum quæ ad subditos pertinent prouidus, constans in periculis, offensionum pro vtilitate publica non pauidus esto. Hæc sint in subditorum animis, principi templa erecta, hæ pulcherrimæ effigies, & mansuræ. Nam quæ saxo struuntur, si iudicium posterorum in odium vertit, pro sepulchris spernuntur. *Tacit. Ann. l. 4.*

Principi rerum iudicium cœlitus datum, subditis obsequij gloria relicta est. *lib. 6.*

Nullis discordijs imbutus pari in omnes studio agere debet. *lib. 11.*

Princeps vnus est ciuium, & Senatus consensu impar. *l. 12.*

Minore discrimine sumitur princeps, quam quæritur. *Tac. hist. l. 1.*

Non solum non potest princeps omnibus placere, sed etiam quantumuis recte imperet, el multos irasci necesse est. Neque enim tam multi homines iusti sunt, quam ij, qui volunt iniuriam facere, quorum cupiditates expleri non possunt. Boni autem viri & virtute præditi, partim multa, & ea quidem magna expetunt, quæ non possunt assequi: partim quum habeantur alijs inferiores moleste ferunt: eamque ob rem vtique culpam in principem conijciunt. *Xiphilin. Cæs. Aug.*

Nerua vsque adeo bonus princeps fuit, vt aliquando dicere ausus sit, se nihil fecisse, quominus posset deposito imperio priuatus tuto viuere. *Dion in Nerua.*

Princeps sanus viuere debet, non debilis. *Spartian. in Æl. Vero.*

Prouincialibus grauis est comitatus principis etiam nimis parci. *Iul. Capitol. in Ant. Pio.*

Principis solus Deus iudex esse potest. *Dion. in M. Ant. Philosopho.*

Neque pecuniæ vis tyrannidis luxuriam explere, aut stipendia satellitum agmina tueri principem possunt, nisi illi ipsi quos regas, animum imperanti beneuolentiam accommodent. Quippe ij demum diuturnoque imperant, qui non metum ex crudelitate, sed amorem ex bonitate ciuium suorum animis instillant. *Herodian. in Commodo.*

Princeps

P

rincepa qui author malorum est, iniustus videtur: qui autem non vlciscitur acceptas iniurias ignauus. *Herod. in Seuero.*

Generis initia clara posteris, relinquere ipsum præstat, quam accepta à maioribus contaminare. *Herodian. in Macrino.*

Miser est Imperator (id est, *princeps*) apud quem vera reticentur: qui quũ ipse publice ambulare nõ possit, necesse est, vt audiat, & vel audita, vel à plurimis roborata confirmet. *Iul. Cap. in Gordiano.*

Nusquam gentium reperietur, qui possit penitus approbari. *Treb. Pollio in Posthum. 2.*

Ingens est gloria principis morientis Rempubl. magis amasse, quã filios. *Fl. Vopisc. in Tacito.*

Plus timetur de incertis moribus principis, maxime in Republ. recentibus confossa vulneribus. *idem in Caro.*

Potissima dos in principe liberalitas, & clementia. *Pomp. Lat. in Diocletiano.*

Hoc boni principis menti, hoc successibus congruit prosperis, vt integra omnium patrimonia, labore, & fortitudine sua seruet. *Amm. Marcell. lib. 17.*

Salus legitimi principis, propugnatoris bonorum, & defensoris, vnde salus quæritur alijs, consociato studio muniri debet cũctorum: cuius redimendæ causa validius, vbi maiestas pulsata defenditur, à quæstionibus, vel cruentis, nullam Corneliæ leges exemere fortunam. Sed exsultare mœstis casibus effrenate non decet, ne videantur licentia regi subiecti, non potestate. Imitandus sit Tullius, quum parcere, vel lædere potuisset (vt ipse affirmat) ignoscendi quærens causas non puniendi occasiones: quod iudicis lenti, & considerati est proprium. *lib. 19.*

Prudens princeps definiuit inimicorum minuere numerum, augereque amicorum sponte sua contendit, ac libens. *lib. 52.*

Pietatis eius summum, primumque munus est, Rempub. vt domum paternam diligere. *lib. 27.*

Boni est moderatoris, restringere potestatem, resistere cupiditati omnium rerum, & implacabilibus iracundijs: nosseque (vt Cęsar dictator aiebat) miserum esse instrumentum senectuti recordationem crudelitatis: ideoque de vita & spiritu hominis, qui pars mundi est: & animantium numerum complet, laturum sententiã diu multumque cunctari oportere, nec præcipiti studio vbi irreuocabile factum est, agitari. *lib. 19.*

Regenti imperium omnia nimia, velut prærupti scopuli, sunt deuitanda. *lib. 30.*

Vt principis mores sunt, ita res fere administrantur, vtpote à quo pendeant: qui si ignauus sit, ruunt in deterius: sin bonus est, & strenuus, eriguntur, & florent. *Nicet. in Ioan. Comn.*

Animi candori, quam ensiferæ manui: & ingenio in subtiliter exquirẽdis subditorũ delictis intẽto parere malumus homines. *id. ib.*

Eum qui late dominari velit, oportet excellenti quodam, & singulari præditum esse ingenio: idque totum pẽdet à beneficio Dei. *Ph. Comin. lib. 4.*

Princeps beneficus.

Ne Sol quidem desideratur, nisi radios suos, & terræ, & hominibus, & omnibus animantibus impertiat: neque princeps vere imperabit, nisi subditis suis benefecerit. Qui vero rex tenax est, & strictus ad largiendum: simulachrum regni, non regnum tractat. *G. Pachymer. hist. lib. 3.*

Beneficentia cum imperio natura est coniuncta. *idem, ibid.*

Qui cum magna spe ad magnum principem proficiscitur, non par est, vt expectatione minora consequatur. *idem. lib. 22.*

Principibus aliquando dolet, contulisse beneficium in aliquem, seque deinceps non tam faciles futuros esse dicunt, cum tamẽ proprium sit ipsorum munus, de quam plurimis bene mereri. Malum igitur iudicium faciunt, qui ita sentiunt: Nam eum, qui numquam circumuentus est, truncum esse dixeris, aut stipitem potius, quã hominem, propterea quod inter prauum, & vitiosum quid intersit, dijudicare non potest. Deinde non omnes sunt eodem ingenio, neque propter vnius, aut alterius improbitatem intermittẽdæ sunt bene de quamplurimis merendi occasiones. Hoc tamen fatebor, explorandum esse, cuiusmodi sint, qui beneficium petunt: nec enim omnes digni sunt, qui accipiant. & mihi absurdũ quiddam esse videtur, hominem prudentem esse ingratum. Quamobrem optimum est, vt principes adhibeant sibi viros magna virtute præditos. Sic enim existimabunt omnes, quandoquidem eiusmodi virorum consuetudine delectantur, ipsos quoque eisdem virtutibus esse ornatos, &, vt paucis absoluam, semper benefaciendum est alijs. Fieri enim potest, vt vnus aliquis, licet tenui sit beneficio affectus, insignem aliquam operam præstet, & reliquorum ingratitudinem cumulate resarciat, & compenset. *P. Comin. lib. 2.*

Princeps benignus.

Solet dexteritas, & benignitas morum, in altiore dignitatis gradu facile omnium animos sibi reddere obnoxios: quemadmodum verno tempore splendidi flores prætereuntium oculos in se conuertunt. Hoc illud est Indorum sapientum præceptum, principẽ quo natura sublimior est, eo humaniorem se inferioribus si præbuerit, charissimum populo futurum. *Niceph. Gregor. hist. l. 6.*

Volebat Heraclius potestatem non tantum timore quantum amore possidere. *P. Diacon. in Heracl.*

Princeps bonus.

Sæpenumero animaduerti, *inquit Chrysantas*, principem bonum à patre bono nihil differre. Nam & patres liberis prospiciunt, vt ne vmquam eos bona deficiant: & Cyrus (*boni principis imago*) mihi videtur ea consulere, de quibus perpetuam felicitatem maxime consequuturi sumus. *Xenoph. de instit. Cyri, lib. 8.*

Quum is qui summæ rerum præest, vir bonus est, etiam sincerius institutis maiorum statur: quum malus est, minus. *idem. eod. l. 8.*

Cyrus arbitrabatur sibi virtutem colendam esse. Nec enim fieri posse putabat, vt si quis ipse talis non sit, qualem oporteat, alios ad præclaras & laudabiles actiones excitet. *Eod. lib.*

Arbitrabatur Cyrus nemini conuenire imperium, qui non subditis esset melior. *Eod. lib.*

Subditos se maxime putabat ad præclaras, & laudabiles actiones excitaturum, si ipse cum esset in eos imperium, ostendere seniteretur supra omnes virtute ornatissimum. Videbatur enim animaduertere, meliores homines effici etiam legibus scriptis. At bonum magistratum arbitrabatur hominibus esse legem videntem: quippe qui ad ordinem reuocare queat, & ordinis negligentem cernere, ac punire. *idem. ibid.*

Dei simulachrum, bonus & sanctus Princeps. *G. Pachym. hist. l. 12.*

Princeps clemens.

Fabius Maximus inique comparatum iudicabat, si cum equites, & venatores cura, exercitatione, alimentisque potius, quam flagris & nonnullis contumaciam, & ferociam animalibus adimerent: hominibus aliquis imperans non maximam castigandi partem in gratia, & clementia poneret, asperiusve suos tractandos putaret, quam rustici caprificum, pirum siluestrem, aut oleastrum, quas illi arbores cultu mitescere, & in ficum, pirum, oleam cicures transire docent. *Plut. in Fab. Max.*

Quemadmodum Sol quibus affulserit, ijs calorem suum impertiri solet: ita etiam à principe clementia eis quos adspexerit, tribuenda est. *Zonar. in Leone magno.*

Decet regem hominem esse omnium, maxime humilibus, nequaquã insultare, nullo modo inuadere, ac violare eum volentibus. *Procop. de bel. Pers. l. 2.*

Ciuitatis, aut prouinciæ totius, cum mos geri potest, preces nõ sunt negligendæ. *G. Pachymer. hist. lib. 17.*

Cogitauit regulorum animos nulla re magis, quam humanitate, & facilitate sibi conciliari posse. *B. Facius. hist. l. 4.*

Alphonsus rex quũ Caietã graui obsidione premeret, & oppidanĩ eũ fame durissima luctarentur, præfectus omnẽ inutilem bello turbã, quod in extremis rebus fieri consueuit, ex vrbe eijciũdam curauit. Miserabilia horũ facies erat, macie simul ac pallore confecti, manus ad cęlũ suppliciter tendentes, cũ flebili voce humi procubuere. Quos vbi Alphõsus cõspicatus est, quãuis pene omnes consiliarij in vrbe reijciendos censerent, nec esset nescius se facere contra militarẽ disciplinã, quod protraheretur obsessis in aliquod tẽpus fames: magis tamen naturæ, & consuetudinis suæ, quã quid hostes de se meriti essent, rationem habere voluit: veniaque ijs data castra adeundi, & cibo, ac potu refectis, abeundi quo vellẽt fecit potestatẽ. Ea vero regis humanitas audita, incredibile est, quã multos tũ populos, tũ principes adhuc incertos q.d agerẽt, vtrãne partẽ sibi sequerentur, sibi cõciliauerit. Neque .n. prope vlla res est, quæ magis mortaliũ animos capiat, quã eorum qui calamitate aliqua premuntur, malis commoueri. *idem. eod. l.*

Præstantis regis est victis ignoscere, & sapientis, integræ quã euersæ ciuitati dominari malle. *idem, l. 7.*

Magni principis magis est ignoscere, & beneficijs afficere, quam imperij fines proferre. *Fr. Guicciard. hist. l. 16.*

Alexandri magni, & Iulij Cæsaris nomen clarius fecit animi illa magnitudo, qua hostibus veniam dederunt, victis regna restituerunt, quam tot victoriæ, totque trophæa, quorum exemplũ multo magis sequi debet is, qui quum non sibi vnicum finem statuat gloriam (& si ea maximum præmium sit) proprio & vero Christiani principis munere præcipue fungi cupit. *ibid.*

Princeps electus.

Paucis exceptis, & frustra ob aliorum multitudinem, & potentiam aduersantibus, cæteri omnes vno consensu Michaelem Palæologum Imperatorem exoptabant. Dicebant enim, Optimum esse regnum non hæreditariæ successionis: non fortia temeritate, sæpe etiam indignis obijci solitum, ac pessimis hominibus, quos bonus princeps vel seruorum habere loco dedignetur. Eum vere principatum rectissime commendari, ad quem spectata, & probata virtute euehatis: quod is demum populo prosit, qui id exequendum sibi putet, cuius gratia sit constitutus: Medicũ accersi non fortuito, non propter cognationem, cum valetudo agitur. Quod si gubernator naui propter necessitudinẽ proponatur, nõ eum gubernatorem nauis, sed euersorẽ fore. Hinc fieri posse, vt quem rectissime institutũ esse oportebat, is omnium sit deprauatissimus: quippe qui simul ac in lucem editus susceptusq; fuerit, regio luxu, ac delicijs corrumpatur, adulatione perpetuo vrgen-

te, veritate vero fugiente: cum turpissima quæque pulcherrimis nominibus ornentur. Adeo vt vetere prouerbio etiam certus tussiendi modus adulatorum materia fuerit apud eos principes, qui simul & imperant, & seruiunt. Vbi quis minimum monuerit, vt maleuolus, & sceleratus exagitetur ab ijs, qui admonitionem edictum censent: præterea eos etiam quos ille rerum status non delectes, nihilominus & ipsos principes supra modum efferendo assentari, ac fastum eius augere. Alios quasi in scena varias personas inducere, genus ad bene imperandum satis esse putare: quasi in primo semine regiæ quædam vires ad optime gubernandum inessent. *G. Pachym. hist. lib. 2.*

Princeps eruditus.

Antiquis temporibus mos fuit, bonarum artium studia mandare literis, atque in libros redacta offerre principibus. Quia neque recte aliquid inchoatur, nisi post Deum fauerit Imperator: neque quemquam magis decet, vel meliora scire, vel plura, quam principē, cuius doctrina omnibus potest prodesse subiectis. Quod Octauianum Augustum, ac bonos dehinc principes libēter habuisse, frequentibus declaratur exemplis. Sic regnantium testimonijs creuit eloquentia, dum non culpatur audacia. *Veget. prol. l. 1.*

Princeps exactor.

Ipsis tantum genuum fortunis inoperare, animis omnium semel acerbitate, tributorum alienatis, non optimi, sed impotentis, ac temporarij principis esse videtur. *P. Iouius, hist. l. 18.*

Princeps externus.

Etiamsi Princeps externus bene rem gerat, & commode gubernet, tamen quia moribus, & ingenio differt, nec eam erga populum repræsentare potest beneuolentiam, ac si esset indigena, faciles oriuntur occasiones dissensionis. Itaque fit, vt ille, quo principatum ad se delatum, suasque fortunas tueatur, aliunde militem, & copias adducat, eorumque se præsidio muniat, qui beneficijs deinde singulariter ab eo, & honoribus aucti, magnam multitudinis inuidiam, & odium in se concitant. Quocirca, qui externæ alicuius gentis imperium suscipit, nisi magna quadam, & eximia sis præditus dexteritate: multis haud dubie & longe grauissimis implicabitur difficultatibus. *Ph. Comm. l. 8.*

Princeps facilis.

Hiantes in magna fortuna amicorum cupiditates, ipsa principis facilitas incendit: cum apud infirmum, & credulum minore metu, & maiore præmio peccatur. *Tacit. hist. l. 1.*

Princeps felix.

Nulla maior felicitas principi cuipiam potest contingere, quam si consilia, è quibus propria gloria, & magnitudo proficiscitur, illa comitentur, & consequantur, ex quibus elucear ea non minus ad communem omnium vtilitatem, & salutem, verum multo etiam magis ad Reipubl. Christianæ dignitatem esse suscepta. *Fr. Guicciard. hist. lib. 1.*

Princeps ignauus.

Vicario ad bellum impulso curis luxum obtendit, non parat arma, non alloquio exercitioque militem format, nō in ore vulgi agit: sed vmbraculis hortorum *(inter scorta)* abditus, vt ignaua animalia, quibus si cibum suggeras iacent torpentque, præterita, instātia, futura, pari obliuione dimittit. *Tacit. hist. l. 3.*

Princeps inops.

Quanto longior vita sit inopi Principis, tanto plus est supplicij. *Tacit. Annal. l. 12.*

Princeps inuisus.

Inuisum semel principem, seu bene, seu male facta premunt. *Tacit. hist. lib. 1.*

Princeps iustus.

Qui iustus est, non alienam regionem affectat, sed sua est contentus, nec homines à quibus nihil lacessitus est in seruitutem redigit. *Herodot. lib. 3.*

Bonū principē ratus est videntē legem esse hominibus, quoniā cōponere, & ordinare, & eum qui incomposite, ac inordinate legerat, videre, atque adeo punire potest. *Xenoph. de pæd. Cyri. l. 8.*

Oportet principem non solum nihil facere per iniuriam, sed nec omnino facere videri. Nam priuatis quidem hominibus satis est, nil delinquere. principem vero decet ne suspectum quidem esse delicti. *Xiph. Cæs. August.*

Inferioris sortis hominibus iniuriam passis omni opera succurrere, ita tamen, vt eorum querelas haud temere accipias, sed rem ipsam per se intuearis, neque potentiores omnino suspectus, neque infirmioribus in omni re fidem habens. Operantes artibusque vtilibus deditos honoribus afficito: ociosos aut negocijs parum intentos odio habeto: vt illa vtilitatis gratia amplectentes, hæc propter damna omittentes, & priuatæ, & publicæ rei magis conducant. *Dion. lib. 52.*

Et si satis est priuatis hominibus nullam iniuriam facere, samē principem prouidere etiam oportet, ne cæteri faciant: propterea, quod nihil interest eorum, qui iniuriam patiuntur, à quo eam acceperint. *Xiphil. Galba.*

Princeps magnanimus.

Summis in Republica rebus aggressio, non iam fugienda est inuidia, quam quæreodus splendor, & potentia, quæ inuidiæ luminibus sua mole officiat. *Plut. in compar. Crassi cum Nicia.*

Princeps malus.

Humillimo cuique credulus, bonos metuens, trepidat rebus prosperis incertus, & inter aduersa melior. *Tacit. hist. l. 2.*

Princeps munificus.

Pulchrius est Principi exercitum, quam seipsum locupletare. & ab hostibus spolia potius, quam dona capere eniti. *Xenoph. Orat. de laudib. Agesilai.*

Princeps optimus.

Facere recte ciues suos princeps optimus faciendo docet. Quumq; sit imperio maximus, exemplo maior est. *Vell. Patercl. l. 2.*

Princeps prudens.

Imperium viro prudenti multarum, atque præclararum actionum lucum dat, in quo & magnifice Deum venerari licet & homines ad religionem facillime principis ductu possunt emolliri, atque adduci. *Plut. in Numa.*

Familiarium optimum quemque in honore habere oporter, quia id & decus tibi magnum, & securitatem afferet: nulli tamen nimia est indulgenda potentia, sed ita moderandum omnibus, vt ne quā in te reprehensionem conijciāt. Nam quæcumque vel recte, vel secus egerint, omnia tibi imputabantur: talemque te omnes iudicabunt, qualia eos facta exercere permiseris. Ergo potētibus omnibus iniuria alios afficiendi, calumniandique facultatem adimes, vt si nihil etiam delinquant, tamen ne posse quidem id culpari queant. *Dion l. 52.*

Huic salus propria, cum semper ad securitatem omnium, tum in bello maxime seruanda est. *P. Diacon. hist. l. 15. in Iuliano.*

Potentissimi regis, ac longe prudentissimi est, ex bello magis pacē, quam ex rebus quietis tumultum nihil sibi ac proximis profuturum excitare. *Procop. de bell. Pers. lib. 1.*

Princeps sapiens.

Expedit priuatorum ciuium controuersias, quam fieri potest maxime dirimere, ac quam celerrime cōponere: id vero magis adhuc præstat, populorum studia inhibere, ac quum vota facientes pro imperio, salute, & fortuna, cogere aliquos volunt, vt aliquid vltra facultates suas agant impendantur, id non concedere: præterea inimicitias eorum contētionesque penitus præcidere: neque concedere, vt inania cognomenta, aos alia vnde discordiæ incidere possint, sibi sumant. In quibus inque alijs omnibus, facilius sibi omnes, & priuatim, & publice parebunt, si nihil horum vlli præter alios permiseris. Nam inæqualitas etiam ea, quæ bene in vnū cohi. uerunt, dissipat. Itaque omnino pati non debet. vt qui horū quicquam a te petat, quod ei daturus non sis: sed hoc summopere conari debet, vt nequid vetitorum poscat quisquā. *Dion. l. 52.*

Aequitate quam sanguine, causa quam armis retinere parta maioribus princeps sapiens mauult. *Tacit. Ann l. 15.*

Sapientis est principis, in difficilibus molestisque consilijs, eam partem pro facili, atque optabili ducere, quæ aut necessaria sit, aut quæ difficultatis minus ac periculi habere videatur. *Fr. Guicciardin. hist. lib. 2.*

Princeps stultus.

Nihil arduum videtur in animo principis, cui non iudicium, non odium est, nisi indita, & iussa. *Tacit. Ann. lib. 12.*

Fractis rebus, nuncios cladis occultans, stulta dissimulatione remedia potius malorum, quam mala differt. Quippe confitenti consultantique supersunt spes viresque: è contrario læta omnia fingens, falsis ingrauescit. *Tacit. hist. lib. 3.*

Ignarus militiæ turbidus consilij, quis ordo agminis, quæ cura explorandi, quantus vrgendo trahendove bello modus, alios rogitans: ad omnes nuncios, vultu quoque & incessu trepidus, recentissimum quoque vulnus pauens, summi discriminis incuriosus: ita formatis auribus, vt aspera, quæ vtilia, nec quicquā nisi iucundum, & læsurum acciperet: æger animi, studijs militum, & clamoribus populi arma poscentis refouetur. voce, vultu, lachrimis misericordiam elicit, largus promissis, & (quæ natura trepidantium) immodicus, &c. *Tacitus*, de Vitellio verba faciens, *hist. lib. 3.*

Princeps tutus.

Nulla alia melior vel tutior principi potest esse custodia, quam vera & constans subditorum beneuolentia: cum enim adsueuerint plerique, & potentes non principem, sed principi suo metuere. multis ille oculis videt, multis auribus audit, præsentique ea, quę aguntur. *Plut. in Arato.*

Princeps fidelitate suorum, & fauore fortius tutiusve habet nihil. *idem, ibid.*

Princeps vigilans.

Homini priuato quoduis tempus ad cibum capiendum idoneum est, id præsertim cum assueuerit. Principi vero tot curis distracto si nomini suo respondere velit, satis est si vesperi curare corpus liceat. *Nicet. Isaac. Angel. l. 2.*

Principatus propter salutem subditorum constituuntur, vt ij nullum damnum capiant, non modo ab alienis, sed neque à suæ gentis hominibus: non autem vt à suis principibus vexentur, & affligantur. *Xiphil. Cæs. Aug.*

Princi-

Principatus scelere quæsitus non potest subita modestia, & prisca grauitate retineri. *Tacit. hist. lib. 1.*

Non vnius tantum hominis peculiaris possessio principatus est: sed communis totius populi: principibus viris autem huius dispensatio, atque administratio demandata est. *Herodian. in Maxim. & Balbino.*

Fateor naturam natu maioribus principatum deferre solere: Deum vero in designandis regibus aliam rationem plerumque sequi animaduerto. Cogitate Danidem, & statura, & ætate minimum fuisse inter fratres, &c. *Nicetas in Ioanne Comneno.*

Multorum principatuum, omnis imperij, & disciplinæ contemptus sequitur. *Idem, in Alexio Manuelis filio.*

Princeps locus haud facile aliter, quam aut summa vi, aut summa cum virtute, atque modestia libera ciuitate retinetur. *P. Iouius, hist. lib. 1.*

Principatus egregius.

Vespasianus acer militiæ anteire agmen, locum castris capere, noctu diuque consilio, ac (si res posceret) manu hostibus obniti, cibo fortuito, veste, habituque via à gregario milite discrepans, prorsus si auaritia abfuisset, antiquis ducibus par. Mucianum è contrario magnificentia, & opes, & cuncta priuatum modum supergressa extollebant: aptior sermone, dispositu prouisuque ciuilium rerum peritus, egregium principatus temperamentum, si demptis vtriusque vitijs, solæ virtutes miscerentur. *Tacit. hist. l. 2.*

Principatus immensus coercendus.

Nunquam permittendum est cuiusquam principatum in tantum crescere, vt de manifesta iustitia apud eum dubitare non liceat. *Polyb. lib. 1.*

Principatus noui.

Aurellianus principatu Romanorũ potitus, magnates rogauit, quo pacto imperandum esset? Quorum vnus ei respondit: Si Rempublicam rite administrare volueris, auro & ferro te munitum esse oportebit: ac ferro quidem contra hostes vti, tui vero obseruantes auro remunerare. *Zonar. Annal. to. 2. in Aureliano.*

Principatus retinendi studium.

Imperium retinere cogunt Metus, honor & vtilitas. *Thucyd. lib. 1.*

Principatus tutela, & conseruatio.

Rerum omnium nihil commodius est quicquam ad principatum tuendum, ac conseruãdum, quam ab his quibus imperamus amari potius, quam metui. Recte enim à prudentissimis hominibus dictum, Malum esse custodem diuturnitatis metum: contraque beneuolentiam fidelem esse, vel ad perpetuitatem. Erga potêtiores autem vehementer amorem populi commoueri opinione liberalitatis, beneficentiæ, iustitiæ omniumque earum virtutũ, quæ ad morum mansuetudinem pertinent. Habere fidê tum principi plebem, cum eum existimat adeptum cum iustitia prudentiam, admirarique quem videt excellentibus quibusdam & singularibus virtutibus excultum: quem abstinentem, non immersum voluptatibus, pecuniæ in loco contemptorem, æquitatis, & iustitiæ defensorem, intrepidum ad pericula, vbi res exigit, subeunda agnoscit: qui probe calleat, male impetu & familiaria, & publica negocia administrari, cuique vetus illud Tiberianum, tametsi vetustate iam protritum assidue tamen moderatoribus rerũ publicarum inculcandum, placeat. Boni pastoris esse tondere pecus, non deglubere: cuius animus non perpetuo agitetur errore, nec habeat ipse quid ab alijs pendens sequatur: qui regnũ plebis potius commodo, quam familiarium administret arbitrio: neque talis sit, qualê aulicorũ rapinis expediat esse, quique iustitiæ seruãdæ causa à Deo Opt. Max. se regno præpositũ sibi persuadeat, vt & prohibeat, iniuria tenuiores, & æquitate constituta summos cum infimis pari iure retineat. Olim ita erant morati, qui Cæsaribus adsidebant, vt vererêtur ipsi Cæsares à tali grauitate, & probitate prædita hominibus petere, quod minus pertineret ad decus & plebis vtilitatem: plurimum apud eos talium virorum bene suadêtium valebat authoritas, eaque ab ijs adhibeatur ad monendum, & aperte & prudenter, si res postulabat. Non illis aut animus abiectior erat, aut spes amplificandæ fortunæ fractior. Multum posse ad salutem miserorum, & afflictorum: decori magnis imperatoribus, parum potuisse ad perniciem: probro nemini vnquam fuisse: sæpe hæc ijsque similia auribus eorum inculcabant. Humanam conditionem sic ferre, vt cum fastigium suum longe supergressa videatur, continuo concidat. *Arn. Ferron l. 3.*

Principatus vincula.

Dionysium iuniorem, Siciliæ tyrannum, deperditum inscitia, moribusque profligatissimis Dio videns, hortatus est, vt se ad disciplinam conferret, summisque à Platone Philosophorum principe precibus contenderet, vt is veniret in Siciliam, eique se formandum, & virtute exornandum traderet. Ita fore, vt pulcherrimo exemplari, & diuino eius cui gubernanti vniuersum hoc obtemperans pro confusione ordinem constantiamque tuetur, conformatus plurimam, & sibi felicitatem, & ciuibus pareret, quibus se pro tyranno regem præberet: vt quæ ij tunc metu tyrannidis mœsti facerent, eadem porro, modestiam iustitiamque ipsius venerantes, itidem vt patri præstarent. Non enim (vt pater ei dixisset)

metum ac vim, non cateruam iuuenum stipantium, non immensum barbarorum satellitium, adamantina ista esse vincula: sed beneuolentiam, studium, gratificandique voluntatem virtutis reuerentia ciuibus ingeneratam, quæ vt rigidis istis, & duris vinculis molliora esse videantur, sunt tamen ad perpetuitatem regni firmiora. Porro autem principem, neque magno in honore, neq; vlla in admiratione esse, qui magno vestium, ac victus luxu se ostentans, in congressu, & colloquio nihil quemuis vulgarem hominem præstaret, neque animi partem regiam principi conuenienter excultam habere laboraret. *Plut. in Dione.*

Principatuum conseruatio.

Quidam putant alia ratione acquirendos esse principatus, & alia rursus seruandos. At ignorant eos demum optime principatus seruare, qui eamdem voluntatem, & mentem qua primum principatus sunt adepti firmiter retinent. Atqui palam est, & iam in multis obseruatũ, sic comparatos esse homines, vt sicubi prosperitas quædam occurrit, beneficentiam erga proximos exerceãt, & spem multam polliceantur: vbi vero quod appetebant, consequuti sunt, tum demum insolenter se gerant, & subditis dominorum more imperent. *Polyb. hist. l. 9.*

Principis aures, & oculi.

Multi regis, seu principis oculi, multæque aures existimãtur. Quod si quis arbitratur vnum esse debere regi oculum eximium, is rê non recte existimat. Nam vnus & videret, & audiret pauca: & ceteris quædam quasi negligentia esset indicta, si vni res mandata foret. Præterea quocumque regis oculum esse animaduerterent, eum cauendum scirent. Verum ita se res non habet, sed audit rex quemlibet, qui se vel inaudisse, vel vidisse quid operæprecium refert. Sic multæ regis aures, multi esse oculi existimantur, & vbique dicere metuunt ea, quæ regi non expediant, quasi si ipsius audiret, & metuunt facere non conducentia regi, quasi ipsius adesset. *Xenophon. de instit. Cyri, lib. 8.*

Principis maiestas.

Imperatori, cum Augusti nomen accepit, tamquam præsenti, & corporali Deo fidelis est præstanda deuotio, & impendendus peruigil famulatus. Deo enim vel priuatus, vel militans seruit, cum fideliter eum diligit, qui Deo regnat authore. *Veget. l. 2. c. 5.*

Principi non maledicendum.

Principem mendacij arguere, & insidiosæ, ac sycophanticæ administrationis rerum accusare, vt quæ nô licet. *G. Pachymer. hist. l. 10.*

Principis mores.

Mores principis vnusquisque sibi regulam vitæ suæ proponens, ipse etiam ea tantum exercet, vnde sine periculo priuatum locum speret: quo fit, vt plerique proprio tantum commodo intenti, omnes alios oderint, eorumque felicitatem suum damnum, infortunia, suum emolumentum putent. *Dion. lib. 52.*

Principis munus.

Quanta peruicacia in hostem, tanta beneficentia aduersus supplices vtendum: nam triumphi de populis regnisque integris adquiruntur. *Tacit. Annal. l. 12.*

Principis officium.

Ego arbitror decere principem subditis anteire non vita desidiosa, & laborum experte, sed eo quod rebus prouideat laboresque lubêter subeat. *Xenoph. de pædia Cyri. lib. 1.*

Decet principem non se bonum præstare duntaxat, verum etiam pro subditis vigilare, vt quam optimi euadant. *Idem l. 2.*

Principis partes sunt, vt præsertim ipsam Reipub. formam conseruet: quod non minus in eo positum est, vt ea ab omnibus ei non conuenientibus rebus abstineatur, quam vt omnis ad eam spectantia ei affatim adsint. Sed princeps, qui vel remittit, vel intendit suam potestatem, non iam regis, aut principis dignitatem tuetur: sed vel populo seruit, vel Dominus fit, eoque aut contemptũ sui, aut odium in subditis creat: quorum tamen peccatorum alterum ab æquitatis studio humanitateque, alterum a sui amore fastuque profectum iudicatur. *Plut. in compar. Thes. & Romuli.*

Cur princeps hoc nomine gaudet, si his quorum curam gerere debet non consulit, ac prospicit? *G. Pachymer. hist. lib. 4.*

Principis præstantia.

Decet principem non mollitie, sed tolerantia priuatis hominibus præstare. *Xenophon. orat. de laudib. Agesilai.*

Principes.

Hic est mos principum, vt nolint quemquam habere se potiorem. Nam ea, quæ facilem & exploratam victoriam videntur esse habitura, ipsi gerere statuunt: pessima vero quæque & difficillima, alijs committere. Quod si eueniat, vt opportuna negocia alijs mandare cogantur, grauiter & acerbe ferunt laudem, & gloriam eorum, qui ea gesserint: neque enim vinci eos volunt, aut parum esse fortunatos: at vero rerum præclare gestarum gloriam apud alios esse, non facile patiuntur. *Xiphilin. Cæs. Aug.*

Boni imperatores voto expetendi, qualescumque tolerandi. *Tacitus, hist. lib. 4.*

Duo sunt, quæ ab egregijs principibus expectantur, sanctitas domi, in armis fortitudo: Vtrobique prudentia. *Sex. Aurel. Victor. Traian.*

Qui modestiæ experimento ad imperium ascifcuntur, quasi partū labore tuentur semper, verenturque, & colunt quos consueuerant. *Herod. in Macrino.*

Dij auertant principes pueros, & patres patriæ dici impuberes, quibus ad subscribendum magistri literarij manus teneant, quos ad consulatus dandos dulcia, & circuli, & quæcunque voluptas pueriles inuitet. Quæ, malum, ratio est, habere imperatorem qui famam curare non nouerit, qui quid sit Respub. nesciat, nutritionem timeat, respiciat ad nutricem, manuum magistralium ictib. terrorique subiaceat; faciat eos consules, duces, iudices, quorum vitas, merita, ætates, familias gesta non norit? *Fl. Vopisc. in Tacit.*

Principum iras celsæ potestates aliquando molliuerunt. *Amm. Marcell. lib. 14.*

Principum diffusa potestas localibus subinde medetur ærumnis. *Eod. lib.*

Celsiores fortunas idem loqui decet, atque sentire. *lib. 17.*

Stultum est, quum ante caueri possit ne fiat, ad latus principis adscisci, quorum mores ignorantur, & voluntates. *lib. 20.*

Casuum aceruos, & mutationes varias accidentium principes ipsi quoque, vt homines, formidare debent. *lib. 26.*

Dignitatum apices maximi, licere sibi cuncta existimant, & ad fugillandum contrarios exturbandosque meliores pronius inclinati sunt. *idem, lib. 30.*

Habebat Ludouicus XI. suas virtutes, habebat quoque vitia, sicut omnes alij principes, quos ego quidem nouerim. sunt enim homines, ac in solum Deum cadit omnis perfectio. Verumtamen, quando quod prauum est, atque vitiosum fugiunt, & virtuti sese tradunt, magnam hac merentur laudē, eo quod indulgentius & mollius educantur, & natura fere propendent ad vehementiores affectus, quos nemo coercet: & postquā excreuerint, illorū & auribus, & ingenio moribusque plerique seruiunt. *Ph. Com. præfat.*

Principes.

Sic sunt Principes, vt paulatim crescat in ipsis ambitio, & cupiditas. & quo maioribus nituntur præsidijs, eo facilius captant simultatum, & dissensionum occasiones cum vicinis. *Ph. Comin. l. 4.*

Principes astuti.

Principes, illi præsertim qui non sunt inepti, suis negocijs aliquam semper honesti speciem prætexunt. *Ph. Comin. lib. 4.*

Principes benigni.

Tantum mansuetudo, atque benignitas principum potest, vt non solum cum sunt præsentes, verum etiam maximo interuallo disiuncti, quosdam quasi fomites amoris, & beneuolentiæ erga se in pectoribus hominum relinquant. *Polyb. lib. 4.*

Principes boni.

Bonis principibus salus ciuium, ac longa sui memoria cariora sunt: quæ non gloriæ modo, verum etiam ratione quadam posterorū felicitati proficiunt. *Aurel. Vict. lib. de Cæsarib.*

Vita bonorum principum Reipublicæ quies regitur. *idem, ibid.*

Principes clementes.

Eos qui cæteris præesse, vereque principes haberi contendunt, imprimis oportet non tam armis corpora sibi circum vndique munita protegere, quam bonis artibus, & clementia ad rerum fastigia subniti. Nam qui pauore coacti, & vi impulsi, imperata faciunt, cuncta ad id obseruantes momenta, cum primum per occasionem licet, repente inuisi imperij iugum ceruicibus excutere properant. Si quos vero mansuetis moribus, & ingenio miti principes nacti fuerint (ea est omnium animantium natura, mansuetudine magis quam vi gubernari) firmo in eo amore conciliati, non imperium modo, quod gesserint illis contingere, ac confirmare, verum longe in dies amplius reddere nituntur: perinde ac clementia, & virtute imperantium parendi voluntatem, & studia mortalibus exprimere. Quid enim aliud magis Medorum deleuit imperium, quam crudelitas, & superbia principum, patientia subditorum tandem demolita? Nam deficientibus primum Persarum populis, maxima reliquarum gentiū multitudo defecit. Quo namque modo Cyrus priuato quodam loco ortus, priuatus & ipse initio, post ad regium euectus culmen vniuersis Asiæ populis imperauit? eo sane dignitatis sola eum benignitas, & clemens administratio rerum prouexit. Gelon priuata familia progenitus, totius Siciliæ princeps creatus est, cunctis circum vndique populis, ac vrbibus in ditione sua sponte concedentibus. Inuitabat enim atque alliciebat cunctos homines eius viri comitas, & clemētia, quam in calamitatibus, & miserijs oppressorum maxime ostendebat. *Diodor Sicul. hist. l. 15.*

Stimulo quidem rex apum præditus est, verum ad vindictam eo nō vtitur. Sunt hæ leges quædam non scriptæ, sed ab ipsa profectæ natura: vt qui maximis imperijs potiuntur, ad puniendum tardi sint. *Mich. Glyca. Annal. par. 1.*

In principibus nihil gloriosius, nihil gratius, nihil denique admirabilius misericordia est. *Fr. Guicciard. hist. l. 7.*

Principes crudeles.

Principes à crudelitate oportet esse alienos, & praua consilia vitare. Nec enim raro fit, vt ipsorum familiares ad huiusmodi rea eos impellant, partim adulatione, partim metu ne offendant. sed huiusmodi consiliarijs nullum est genus hominum perniciosius. *Ph. Comin. l. 7.*

Principes ignaui, & ineruditi.

Temperare mihi non possum quin grauius aliquid dicam in Principes imperitos, & ignauos. Habent sibi plerique familiares aliquot iurisperitos, & quosdam, qui longiori veste discernuntur ab alijs: & recte quidem, quum sint viri boni, sed periculose admodum, & magno cum detrimento, quando sunt vitiosi. Cuiuscumque rei sermo inciderit, illico legem aliquam, aut historiam adferunt, plerumque & sæpenumero præter rem, dum ad suum sensum & affectum omnia detorquent; idque eo creberius, & audacius faciunt, quum Princeps ipse nullam habet rerum cognitionem, qui si vel ingenio valeret, vel librorum lectione quæsitam haberet aliquam prudentiam, non temere circumueniri posset, nec sic ludificationibus aliorum esset expositus.

Hoc enim certo statuendū est, Deū non condidisse regna, vt gubernarentur ab hominibus ineptis, & stolidis, qui friuola quadā, & misera iactatione solēt dicere, se, quod vsum literarū nō habeāt, suis familiaribus, & necessarijs omnē actionem committere, ac deinde, nulla probabili adducta ratione, cur ita loquantur, totos sese dedunt voluptatibus. Quod si bene fuissent à teneris annis educati longe aliā viam ingrederentur, & hoc darent operam, vt homines bene & præclare de ipsis sentirent. Neque tamē hoc eo dico quasi omnes Principes suis negocijs praua ingenia præficiant. Nec enim desunt, qui verū iudicium faciunt, & prudēter sibi deligunt optimum quēque, cuius vtantur opera. *Ph. Com. l. 3.*

Nulla maiori clade populum Deus affligere possit, quam si Principem ei præficiat stolidum, & imperitum: neque enim dici potest, quam multa hinc oriantur incommoda. Nam quia totus ab aliorum arbitrio ille pendet, neque per se quicquam ipse gerit, nascuntur factiones, diuiditur populus, diuiditur Senatus & regni proceres: inde bellum nascitur, atque ex bello rerum penuria, quā excipiunt deinde morbi, & varij generis ærumnæ. Iustā ergo & doloris, & querimoniæ causam habet populus, cum sui Principis liberos videt male institui, & ab hominib. vitiosis educari. *Id. ibid.*

In suos familiares omnia reijciunt, ipsi plane desides, & ad imperiū inutiles. Et vix est, vt amicos in necessitate subleuent. *Idem l. 9.*

Si in solio segnities, & inertia sedeat, vt dici verissime solet, etiam leones rege Ceruo vincuntur. *P. Æmil. l. 2.*

Principes illaudati.

Sunt omnino duo genera principum. Alij tam sunt acuti, & suspiciosi, vt ægre sustineri possint; fere enim est, vt se circumueniri putent, ac ludificari. Alij, suspicionibus quidem non indulgēt, verum ingenio sunt ita stupido, & ignauo, vt quid vtile sit, quid minus, non intelligant; atque in his parum est constantis animi: facile enim & ab amicitia discedunt, & ab odio transeunt ad amicitiam. Et quamquam illaudatum est vtrumque genus, vt in quo non possit acquiescere, cum Priori illo tamen malo mihi rem esse, quia multæ sunt rationes tuendi se apud illos, cum altero nihil recte perfeceris, eo quod ipsi rerum omnium securi in suos familiares omnia reijciunt. *Ph. Comin. l. 2.*

Principes imprudentes.

Fere fit, vt principes, nisi necessitate coacti, non agnoscant alij quid alijs præstent: magna enim ex parte, præsertim iuuenilibus annis, complectuntur eos, qui sunt ipsorum affectibus magis accōmodati, & cupiditatum ministri. Verum qui sapiunt, etiam si iudicio lapsi aliquando fuerint, sanare tamen student errorem, & ex virtute suos æstimant. *Ph. Comin. l. 2.*

Sane minus prudenter faciunt Principes, quum alterius potestati se permittunt, præsertim intercedente bello. Maximū itaque momētū adfert historiarū cognitio iuuenilibus annis percepta. Nā extant in ijs pulcherrimæ picturæ, quæ clare demonstrant, quā multa perfide sæpe & insidiose fiant in principū collocutionibus, & in quantas acerbitates aliquādo coniecti sint multi, eo quod suis aduersarijs nimiā habuissent fidem. Verum quidem est, oēs non perfidiose agere: sed vnius calamitate cōplures fieri possunt cautiores. Quantum enim longo rerum vsu potui cognoscere, qui iā per annos duodeuiginti versatus in maximis Regum negocijs, equidem sic arbitror, quemadmodum & vitæ diuturnitate, & robore corporis multo sumus inferiores priscis illis hominibus: ita quoque ab ipsorum fide, & integritate permultum nos degenerasse. Vix enim est, vt prouidere sibi aliquis diligenter satis possit, quo minus fallatur: & quo sunt potentiores principes, eo maior est insidijs, & improbitati locus. Nam & sua quadam sponte, illi eo propendent, vt quodlibet licere sibi putent: & qui sunt circū ipsos, quoniam aucupandæ modo gratiæ sunt intenti, plane seruiunt illorum cupiditatibus: & si quis eos ad meliorem frugem aliquando hortetur, magnas tempestates excitat. *Idem l. 3.*

Certe constat, nullum esse principem tam prudentem, qui non erret, & labatur aliquando: imo sæpenumero, si longior ei vita contingat. Vt ex illorum actionibus, ac consilijs, si vere perscriberentur omnia facile iudicari posset. Omnes profecto omnium temporum senatores, ac viri præstantes, qui vel fuerunt aliquando, vel hodie sunt, errarunt, & sæpe errare possunt, atque ibi.

Testatur

Testatur hoc experientia quotidiana. *idem, lib. 8.*

Insicienter faciunt Principes, ac inconsultè, quando suam priuatam sententiam multorum iudicijs anteferunt. Dici enim nõ potest, quantum sæpe malorum ex eo proueniat. *idem, l. 9.*

Venetijs Cameriacum progressus, vbi amanter exceptus sum à Sabaudiæ Duce, post Lugdunum perueni mense Decembri, cum Rex ante bimestre eo peruenisset. Qui molestè ferebant pacem nuper factam, ij cum verba nobis esse data viderent, magna fuerunt affecti lætitia, & stultis, atque gesticulationibus me deridebant, vt in eiusmodi rebus fieri consueuit. Quid egissem in ordine Regi commemorabam, & quas Veneti proposuerant pacis conditiones, eas eahibui descriptas, verum ipse & Cardinalis pro nihilo ducebant. Interiectis autem aliquot diebus, denuo interpellabam. Vtilius enim mihi videbatur, illa quæ deferebantur accipere, quam totum amittere. Nam quibus Rex omnem administrationem permittebat, ij non solum non erant tantis rebus gerendis idonei, verum etiam homines peritiores ad sua consilia vix vmquam admittebant: quod tametsi Rex non probaret, tamē eo fuit ingenio, vt quibus fidem, atque authoritatem tribueret, eos non auderet offendere. Hucigitur tamquam in speculum respiciant Principes, & assuescant sua ipsi tractare negocia: & alio rum quoque sententias audiant: suosque familiares quorum vtantur consilijs, in pari propemodum habeant honore. Nam si vnus aut alter tantam fidem apud Principem habeat, vt reliqui eum metuere, & obseruare cogantur, is reuera dominatur, & regnum obtinet, suisque rebus tantum ac facultatibus consulit, ac publicas commoditates negligit, quod Regi scimus euenisse. *Idem, lib. 5. de bell. Neapol.*

A principibus illi facile sapientes habentur, qui ad eorum sensum, & voluntatem magis accedunt, & loquuntur. *Franc. Guicciar. hist. lib. 2.*

Galeatius à Ludouico Sfortia Alexandriæ custodiendæ præfectus, quum Gallorum exercitum ad vrbem expugnandam accedere audisset, noctu clam aufugit, magnoque suo dedecore, nec minore Ludouici prudentiæ infamia, quamuis generosum equum tractare, aut ludicris equitum certaminibus publicisque spectaculis longas hastas vibrare (quibus in rebus cunctos Italos fugax ille superabat) & exercitui præesse inter se differant, & quanto cũ proprio detrimento principes, qui in iis quibus res grauissimæ committuntur eligendis, magis gratiam quam virtutem intuentur, & spectant, decipiantur, documento fuit. *idem, l. 4.*

Principes tuti.

Laudatorum principum vsus ex æquo, quamuis procul agentibus sæui proximis ingruunt. *Tacit. hist. lib 4.*

Principes iuuenes.

Ioannes Ducas Græcorum imperator, quamdiu vixit, Theodorum Lascarim filium, Imperatoris nomine appellari noluit, etiamsi benignissimus esset in eum, ob eam que alteri imperium destinasset. Sed obscuris adhuc subditorum voluntatibus, an iis volenobus, ac probantibus futurum esset viuens eum designate nullo modo voluerat, quod diceret: Tempus multa nouare solere, nisi quisque ita res administrasset, quemadmodum oportet. Nam adolescentiam suapte natura mobilem, & contumacem ad omnia, quæ concupisset temere ferri. Quod si spes ac nomen imperii accessisset, ob quas res delicatorum adolescentum comitatus accederet, ac omnium acclamationibus aures complerentur: idem accidere, quod homini ebrio, cuius neque pes, neque mens suum satis officium facit, si ad magnæ nauis gubernacula adhiberetur: cum nec ij à quibus eligeretur, rectè iudicarent: nec is, qui electus esset, quod fieri retur, quidve agendum esset, intelligeret. *Niceph. Gregoras, hist. lib. 3.*

Qui per ætatem temere multa sæpe faciunt, & rerum exitus non prævident, ij eo sanè sunt multum vituperandi, quod illos, quorum consilia sequi debent, aspernantur. *Ph. Comm. l. 7.*

Principes liberales.

Debent principes qui milites bello paceque perpetua liberalitate prosequuntur, ab his aliquando pro disciplina animi contineātia requirere: ne dum priuatim quæstui omnes studuerint, publicè postmodum ad sustinendos maiores sumptus, quum necessitatio bella ex bellis ducantur, opes desint. *P. Iouius, hist. l. 16.*

Principes mali.

Quæritur quidem, quæ res malos principes faciat. Iam primum nimia licentia, deinde rerum copia: amici præterea improbi, satellites detestandi, eunuchi auarissimi, aulici vel stulti, vel detestabiles, & (quod negari non potest) Rerumpublicarum ignoratia. Sed ego a patre meo audiui, Diocletianum principem, iam priuatum dixisse, *Nihil est difficilius quàm bene imperare.* Colligunt se quatuor vel quinque, atque vnum consilium ad decipiendum imperatorem capiunt: dicunt quid probandum sit. Imperator, qui domi clausus est, vera non nouit: cogitur hoc tantum scire, quod illi loquuntur: facit iudices, quos fieri non oportet, amouet à Republica quos debebat obtinere. Quid multa? vt Diocletianus ipse dicebat: Bonus, cautus, optimus venditur Imperator. *Fl. Vopisc. in Aureliano.*

Qui sunt male instituti Principes, quantum sit murus, quod acceperunt à Deo non intelligunt: & ipsorum familiares ne malam gratiam concilient sibi, dissimulant. Et vt ex omnibus forsasse sit vnus, qui fideliter admoneat, is tamen suæ sententiæ nullos habet approbatores, ac ferè fit vt ridiculus habeatur. Est sane quædam nobis innata prauitas, adeo magna quidem, vt nulla plane ratio nos ab iniurijs, & violentia coerceat. Potentiores, vbi castellum, aut oppidum eripuerunt alicui, quacumque de causa, nolunt à possessione deinde discedere: & vbi semel aliquem obduxerunt colorem, cur ita fecerint, accedit postea propinquorum, & adulatorum assensus, qui hæc omnia collaudant. Magna certe est malorum Principum iniquitas, qui pecuniam pro sua libidine suis imperant, & amplum alunt satellitium, vt miseram multitudinem in metu contineant: eamque pecuniam deinde temere & voluptuarie profundũt, nullo cum Reipublicæ bono, & de quotidianis sumptibus nihil remittunt, suos exhauriunt, & assentatorum stipam sustentant. Sed est Deus qui flagitium nullum sinit impunitum, & crudelitatem in primis detestatur, qui tametsi non loquitur hominibus hodierno die, sicut priscis illis temporibus, tamen quæ sit sua perpetua sententia, & quid à nobis fieri velit, clare perscriptum reliquit: ita quidem vt nemo plane, qui modo sit sanæ mentis, & qui ad ætatem aliquam peruenerit ætatem, excusandi sit habiturus locum.

Illi igitur qui vi & armis imperia sua continent, & quoties aliquid mandant, capitis constituunt pœnam, ad supremum illud tribunal Dei quomodo consistent? Multa sæpe crudeliter, & inique & insidiose faciunt, dum aliquã prætendunt iustitiæ speciem. Nam habent eos, qui ius dicunt, suarum cupiditatum plerumque ministros, & quantumuis leue delictum exaggerant. Si capitale nihil deprehendunt, rationes excogitant, vt cum, cui male volunt, immensis varijsque sumptibus fatigent, dum & accusatorem nõ sistunt, & testimonia non cognoscunt, & auide expectant, quod criminationem aliquis in eũ, qui captiuus detinetur, instituat. Quod si parum tuta videtur hæc via, neque satis ad ipsorum voluntatē accommodata, nouis vtuntur perfugijs: & præ se ferunt, exempli statuendi causa tali fuisse opus animaduersione.

Si quis autem est ipsorum cliens & beneficiarius, in eum multo sunt asperiores: ac contra officium & fidem, qua sit obstrictus, eum aliquid egisse confirmant, & eo totis viribus incumbunt, vt aut facultatibus omnibus eum exuant, aut alloqui varijs modis affligant. Et vicinis qui sunt potentiores, ac minime stolidi, eos sinunt vti pace: verum si quis est infirmior, eum sic perturbant, & exagitant, vt quo se tandem recipiat, vix habeat. Causam facile inueniunt: subministrarent ipsorum aduersarijs auxilia, vel tale aliquid. Quamobrem aut in ipsius ditionem, coactam aliquã militum manum adducent, vt ibi sumptu miserorum alantur, aut alienam aliquam litem aduersus eum suam facient: aut eius inimicos ope sublevabunt, aut quamcumque aliam nocendi rationem inuenient. Si quis ipsorum parentibus bonam, & fidelem operam præstitit, eum loco submouent, & nouos sibi parant beneficiarios.

Ecclesiastici ordinis hominibus molestiam de sacerdotijs creāt, vt saltem aliquid extorqueant, quo deinde locupletent, & augeant eos, qui plerumque nullum ipsis honestum exhibuerunt officiū. Nobilitatem multis varijsque laboribus, & impensis exhauriũt, quando bella pro sua arbitratu, & libidine suscipiunt, incõsultis ijs, quorum absque voluntate, & consensu nihil tale mouere debebant. Cum enim equestris ordinis homines, ac viri nobiles, nõ modo facultates omnes, verumetiam vitam, & sanguinem in bella profundant, æquissimum est profecto, vt prius quam suscipiatur bellum, eius rei consilia cum ipsis communicentur.

Quantum ad promiscuam, & miseram multitudinem attinet, nihil plane reliquum eis faciunt: & quum tributum ab eis præter omnem modum & æquitatem exigant, quominus ab equestribus etiam cohortibus, quas alunt, diuexentur, non cauent: quę quidem cohortes obequitant huc illuc perpetuo, & non modo viuunt sumptu miserorum, sed etiam proterue & insolenter in eos multa faciunt. Nec enim contenti sunt ijs, quæ passim in agris repetiunt, verum etiam miseris hominibus vim adferunt, eosque cogunt longius abire, & aliunde afferre cibaria delicatiora: mitto quod vxorum quoque & filiarum pudicitiam tentant. Huic autem incommodo facile posset occurri, si bimestri quouis dependerentur eis stipendia, quibus aluntur alioquin ex publico. Sic enim nullam essent habituri causam, qua se purgarēt de iniurijs illis quas inferunt, necessitate quadam, vt aiunt, eo quod ipsis sti pendium non persoluitur. Atque istud de Gallia prope dico, quæ præter omnem aliarum gentium morem, miserabiliter his direptionibus vexatur. Aliæ prouinciæ sua etiam habent incommoda. *Ph. Comin. lib. 10.*

Principes miseri.

Iuxta temporum casus, Princeps eo adigitur, vt multa præter animi sui sententiam exequatur. *Polyb. hist. lib. 17.*

Cum in curiam a Senatu Nerua gratanter exceptus esset, solus ex omnibus Arrius Antonius vir acer, eique amicissimus, condi-

tionem imperantium prudenter exprimens, amplexus eum, gratulari se ait Senatui, populo, prouincijsque, ipsi autẽ nequaquã; cum satius fuerat malos semper principes eludere, quam tãti oneris virum lusinentem, nõ modo molestijs periculisque subijci, sed famæ etiam inimicorum pariter, & amicorum: qui cum se mercari omnia præsumant, si quicquam non extorserint, atrociores sunt ipsis quoque hostibus. *P. Diacon. in Nerua hist. l. 10.*

Multa magni momenti sæpius eueniunt ex opinione aliqua leuiter suscepta maxime vero inter Principes, qui propter delatorum multitudinem, suspicionibus fere indulgent. *Ph. Com. l. 5.*

Miseri sunt omnes principes, qui metui volunt. Et hac in re quanta sit seruitus, quum ad senectutem peruenerunt, tunc demum aperte sentiunt, quia coguntur inuicem plurimos formidare. *Idem, lib. 10.*

Quod supra non semel diximus, certe nemini omnium licet absque populi consensu vllam pecuniam imperare. Sed in vtramque partem fere peccatur. Nam & Principes immoderate multa sæpe faciunt, & populus nonnumquam grauiter illos offendit, quando nec morem gerunt, & in necessitate deserunt, & rebellionem faciunt plane contra fidem, & iusiurandum. In Principibus autẽ conspicitur magis, & est illustrior Dei potentia, quam in hominibus priuatis, atque plebeis. Nam hi multis expositi sunt iniurijs, & nonnumquam præter ius & æquum mulctantur, vel prædæ consequendæ caussa, vel culpa iudicis, & error. Aliquando etiam iure plectuntur, in eoque nihil est reprehendendum.

Quando vero Principes eorumque familiares, aut ciuitates aliquid delinquunt, quis ea de re quæstionem habebit? & habita quæstione quis ad iudicem deferet? quis iudicis personam sibi sumet? quis pœnam constituet? Quænam est autem huius licentiæ, & prauitatis causa? Vel cur in deteriorem partem sic propèdemus omnes? Incredulitas nimirum hoc efficit. Nam si certo statuerimus esse Deum, qui scelus nullum sinit impunitum, esse perpetuas, & sempiternas pœnas quibus affliguntur impij: credibile est neminem fore, qui violenter, aut auare, vel crudeliter aliquid ageret.

Princeps captiuus quiduis facit, vt in libertatem restituatur: at vero nulli fere sunt, aut pauci admodum principes, qui posteaquã semel aliquid occuparunt quocumque modo, illud restituere velint. Nam neque ratio, neque iurisiurandi religio, neque metus diuini numinis, nec æquitas vlla, nec inferni cruciatus perpetui, mouere illos possunt, vt quod alienum est, quod à se mala fide sciunt possideri, restituant.

Interrogaui paulo ante, quis habiturus sit quæstionẽ de potẽtibus, quis illos accusabit, quis litẽ definiet, quis pœnã irrogabit? Certe querimoniæ, & lachrimæ miserorũ hominum, quos crudeliter vexarunt, item viduarum, & pupillorũ, quos maritis, atque parentibus inhumanis spoliarunt gemitus, atque suspiria, itemque eorũ quos afflixerunt, & fortunis omnibus denudarunt lamẽtationes atque plangor, erunt accusationis loco, quam illi corã supremo Dei tribunali sistent. Is magnitudine scelerum, non semper cõcedit diuturniorem impunitatem, sed illos aliquãdo verberat præsentibus pœnis, ita quidem euidenter, & clare, vt dubitari non possit ipsum esse iustissimũ impietatis nostræ vltorem. Plerique vero Principes, imperiti quidem illi, & inconsulti, quam diu prospera vtuntur fortuna, nihil tale metuunt: sed cum maxime securi sunt omnium rerum, tunc ecce Deus repente illis aduersarium aliquem excitat, de quo minime suspicati fuerant. *Idem, eod. lib.*

Quum Rex Carolus 8. Lugduni esset, nunciatum est ei de infirma valetudine sui filij quem habebat vnicum, ac triduo post allatum fuit de eius morte. Deplorauit quidem ille casum, sed leuiter. Erat puer ille annorum trium admodum formosus, & in loquendo audax, neque timebat ea, quæ reliqui solent. Rex igitur qui corpore erat exiguo, & ingenio parum exercitato, sed alioqui placidissimis moribus, eo leuius mortem eius ferebat, quod metueret ne grandior ille factus, gratiam & authoritatem sibi inter suos minueret. Hic autem mihi videtur esse magnorum Regum, atque Principum miserrimum, qui à suis ipsi liberis sibi metuunt.

Ludouicus vndecimus, cum esset annorum tredecim, facta coniuratione nobilitatis, arma sumpsit aduersus Patrem suum Carolum septimum: & cum exercuisset adeo vehementer cœpit ab eo diffidere, vt relicto Delphinatu, prouincia sua, reciperet se ad Philippum Burgundiæ Ducem. Et cum deinde graui valetudine affectaretur: ne filio quidem suo, qui tunc erat annorum circiter quatuordecim, fidebat.

Ita videlicet comparatum est in rebus humanis, vt omnes pariter aliquo afficiamur dolore. A condito enim mundo rerum omniũ fabricator Deus hoc ita constituit: neque licet cuiquam illius euitare decretum, sed differunt inter se cruciatus. Nam qui sunt animi, grauius vrgẽt, quam corporis: & quibus obnoxij sunt prudentes ij multo sunt tolerabiliores, quam insipientum, etsi diuersum nonnulli sentiant. Hi enim quo se consolentur, atque sustentent nihil habent.

Quod si principes atque potentiores, qui in maxima rerum omniũ copia vitam agũt, nullas acerbitates experiuntur, esset profecto spectatissima miserorum hominum conditio, qui labore quotidiano, maximisque vigilijs & ærumnis, vxorem, liberos, atque familiam alunt, & magistratui tributum pendunt. Sed longè secus quam vulgo putatur res habet. Nam si recensere velim, quam multos nouerim principes viros, atque fœminas, annis ab hinc triginta, qui in summis angoribus, atque tristitia vixerunt, non mediocrem sim conscripturus librum. Atque hi tamen, quum rebus omnibus affluerent, ijs qui non nouerant familiarius, videbantur esse omnium hominum beatissimi. Neque dici potest, quã tenues, ac infirmas plerumque sui mœroris causas haberent: magna enim ex parte nitebantur suspicionibus, & calumnijs. *Idem, lib 5. de bello Neapol*

Lautrechus exercitus Gallici in Insubria Dux, cum ei pecunia ex Gallijs non mitteretur ab Heluetijs auxiliarijs desertus adeo importunè, vt paulo post victoria, quam sperauerat spoliatus, & à Cæsarianis fusus fugatus est. Qua in re operæprecium est attendere quantum malignitas, & imprudentia apud principes possit, qui vel negligentia correpti negociorum curam deponunt, vel imprudentia in præceps pulsi bona consilia a malis per se non dignoscunt; nam cum trecenta coronatorum millia, quæ Lautrechio, (quemadmodum ei promissum fuerat) parata essent, regis mater non tam potentiæ eius augendæ cupida, quam vt proprij filij commodum obliuioni traderet, eam pecuniam rege inscio per quæstores in alios vsus conuerti curauit. *Franc. Guicciardin. hist. lib. 14.*

Carolum octauum filij pueruli mortem non ægrè tulisse quidam existimant. Ex quo omnibus sortem magnatum intuentibus, videri necesse est miserrimam, sic distrahuntur in contrarias voluntates eorum cupiditates à liberis, vt, eisque infantibus, sibi metuant. *Arn. Ferron. lib. 2.*

Principes profusi.

Maxima fisci & prouincialibus damna intulerunt principes, qui profuse temereque donando per ocia pacis vanis sumptibus paratos ad bellicas necessitates thesauros exhauserunt. *P. Iouius histor. lib. 14.*

Ob deprauatum hominum iudicium plerumque accidit, vt in regibus magis profusio, quamuis ei tenacitas sit annexa, quam parsimonia cum aliena abstinentia coniuncta, laudetur. *Franc. Guicciardin. hist. lib. 12.*

Principes prudentes.

Nihil prope quo summis angoribus atteri mortales solent, dici seu cogitari potest, quod non M. Antonino Vero Imperante læserit. Credo diuinitus attributum, vt dum mundi lex, seu natura aliquid hominibus incognitum gignit, rectorum consilijs, tamquam medicinæ remedijs leniatur. *P. Diacon. in M. Anton. histor. lib. 10.*

Principes Rerumpub. hostes.

Respublicas odio principes semper prosequuntur. *Franc. Guicciard. hist. lib. 4.*

Principes sapientes.

Qui ita se comparant, vt maximam temporis partem serijs occupationibus, reliquum autem liberalibus, & honestis oblectationibus impendant, magnam illi sane laudem merentur, & ò felicem populum, cui talem contingit habere Principem! *Ph. Cominaus, lib 9.*

Principes stolidi.

Dum oblectantur ocio, simulque diuitijs parent, quarum vsum affluentiamque æternitate maius putant, muniuere militibus, ac pene barbaris viam in se, ac posteros dominandi. *Aurel. Victor. lib. de Cæsarib.*

Stolidorum ingenia proinde agunt, vti monitores sunt. *Idem. ibid.*

Principes superbi.

Potentiores, ad iniuriam propensi, populo superbe insultant. *G. Pachymer hist. lib. 11.*

Carolus Burgundus re infeliciter aduersus Heluetios gesta, contristatus in ægritudinem incidit, & per eum morbum decessit ei mẽtis plurimum, & ingenij. Atque ad hunc modum vexantur omnes, qui moribus nollum inuenire possunt ingenium: in primis autem Principes fastuosi, & sublimes. Verum in eo rerum statu, primum est: vt ad Deum confugiamus, & peccatis veniam precemur. Alterum est, vt ex amicis, cui plurimum tribuimus nos patefaciamus totos, & animi vulnus quo affligimur denudemus. Nã ad reficiendum animi vires nihil est efficacius. Huc etiam si labores, & corporis exercitia, & honestæ accedant occupationes, magnum ea res momentum affert. Vt enim aliquo modo affectus illi consumantur, oportet. *Ph. Com. l. 7.*

Principes suspicaces.

Ad suspiciones quantum pertinet, obnoxij sunt ei morbo plerique omnes reges, maxime vero prudentiores, & illi qui multos habent aduersarios, & qui complures offenderunt. *Ph. Cominaus. lib. 9.*

Principes voluptuosi.

Nihil gerunt opportune & ex virtute, qui voluptatibus, & ocio dediti sunt. Ij cum authoritatem summam beneficio Dei teneant, maxime

maxime sane sunt vituperandi, quod officio suo desint. Qui furore, & amentia quadam vexantur, ijs exprobrari nihil potest: qui autem ingenio non sunt destituti, & commoda vtuntur valetudine, ij minime deplorari debent, quando per ignauiam, & ocium in calamitatem aliquam incidunt. *Ph. Comin. lib. 9.*

Principum aula.

Male in aulis principum consilia etiam de maximis rebus occultantur. *P. Iouius, hist. lib. 4.*

Principum coniugia.

Grauissimi labores quis princeps orbem terræ capessit, egent adminiculis, vt domestica cura vacuus in commune consulat. Nullum porro honestius censoriæ mentis leuamen, quam assumere coniugem prosperis dubijsque sociam, cui cogitationes intimas, cui paruos liberos tradat. *Tacit. Annal. lib. 12.*

Principum consilia.

Cæteris mortalibus in eo stant consilia, quid sibi conducere putent. Principum sors diuersa est, quibus præcipua rerum ad famam dirigenda. *Tacit. Annal. lib. 4.*

Principum contemptus.

Nihil quidquam est ad audaciam malis, ad spem bonorum bonis promptius, quam cum vel malus timetur, vel dissolutus contemnitur Imperator. *Trebell. Pollio in Galienis.*

Principum incuria.

Principes omnia facilius, quam sua cognoscunt, ac neque clam suos quicquam agunt, neque eorum res curiosè scrutantur. *Dion. libro 55.*

Principum mores.

Virtutibus Principum res facilè attolluntur vel afflictæ, eæque firmiores in præceps vitijs dantur. *Aurel. Vict. li. de Cæsarib.*

Magnorum principum mores popularibus minime similes sunt, nec tam facile cupiditatibus suis, ac homines priuati imperant: quoniam in suis regnis coli, & ad nutum intelligi, atque obediri assueti, non modo tumidi, & insolentes sunt, sed vt ea, quæ ipsis iusta videntur, non obtinerant, ferre non possunt: iusta autem illis videntur quæcumque expetunt, se vno verbo omnia impedimenta tollere, & rerum naturam superare posse existimantes, ideò ab suis cupiditatibus difficultate remoueri sibi dedecori ducunt, & plerumque res maiores eodem pede quo in minoribus vti consueuerunt, metiuntur, non ex prudentia, & ratione, sed ex libidine, atque arrogantia consilium capientes: quibus vitijs, omnibus qui alijs imperant communibus, nemo Galios affirmarit esse immunes. *Fr. Guicciard. hist. lib. 7.*

Est hoc in nostræ ætatis principum more positum, vt alter alterum vana spe, & fictis consilijs foueat: quæ cum tot annis exitum non habuerint, fatendum est, aut ea vel ficta fuisse, vel aliquam difficultatem (quæ explicari non possit) habere: nam vt hæc inter ipsos suspicio diffidentiaque tollatur, repugnat ipsa natura: sine quo fundamento societas inter ipsos constare non potest. *Idem, eod. lib.*

Principum ornamentum.

Duo sunt, quæ ab egregijs principibus exspectantur, sanctitas domi, in armis fortitudo, vtrobique prudentia. *Aurel. Vict. histor. August.*

Compertum est eruditionem, elegantiam, comitatem præsertim, Principibus necessarias esse: cum sine his naturæ bona, quasi incompta, aut etiam horrida, despectui sint, contraque ea Persarū regi Cyro æternam gloriam parauerint. *Idem libro de Cæsarib.*

Principum regula.

Si ea, quæ alio imperante tibi fieri velles ipse vltro feceris alijs, neque peccabis quicquam, & omnia feliciter administrabis, & suauissimè nulloque cum periculo ætatem deges. *Zonar. Annal. tomo 2. in Augusto.*

Philosophicæ Sententiæ.

Salomonis præclara est sententia, vbi inquit: Vbi non est gubernatio, dissipabitur populus. In omnibus profectò, quibus certus aliquis est propositus finis, in quibusque sic aut aliter procedere cōtingit, opus esse dirigente aliquo nemo dubitat, si modo ad præscriptum finem perueniendum fuerit. Neque enim nauis ventosum flatibus exposita aduersis in portum appellat vnquam, nisi id agat præsidentis industria. Sed homini esse finem quendā propositum, ad quem vita, & actiones tamquam scopum dirigatur, non est, opinor, qui ambigat. Etenim per intellectum agit, cuius ex fine diuersa est operatio. Diuerso autem calle ad eum ipsum homines perduci studiorum diuersitate, notissimum. Proinde assistat necesse est quispiam, à quo intendatur dirigaturque ad quē insito rationis lumine ferimur. Aptissimum igitur est, vnum aliquem esse debere, cuius consilio, & prudentiæ reliqua subijciatur multitudo. Alioqui multis cohabitantibus, & vnoquoque sua commoda procurante, nullo negocio dilaberentur res, ni princeps aliquis præsideret, qui publico bono, tamquam mitis parens, vt ab Homero dictum, consuleret. Sicut & hominum cæterarumq; animantiū diffluerent corpora, nisi vis aliqua foret excellentior, quæ assistens membrorum aleret custodiretq; compagem. Igitur necesse est præter id, quod mouet ad propriū vniuscuiusque bonum, esse item, quod commune omnium distribuat, componatve bonum. Nam & in omnibus, quæ in vnum ordinantur, disponunturq., quiddam pernoscitur, principis gerens vicē, siquidem in corporum vniuersitate corpus primum, id est, cœleste, reliqua corpora quodam diuinæ prouidentiæ munere, ordineque dispensat atque moderatur. Omnia vero animantia rationale animal regit, hominem ipsum diuinior anima. *Cælius lib. 24. c. 29. Antiquarum lectionum.*

Principis officium ac munus est, ita regnum gubernare, & ei præsidere, sicut corpori præsidet anima, & amplius, & veluti mundo Deus. Tum suborietur mansuetudinis & clementiæ lenitas dum singulos ipsi obnoxios perinde habet, ac corporis sui membra, cogitabitque id solum fulmen, quod Iuppiter mittit, placabile esse: per omnia solum id, quod deliberauit, & vt Seneca inquit, alijs quoque Dijs authoribus misit, quia Iouem, id est, regem, prodesse etiam solum oportet: nocere non nisi cum pluribus visum est. *Ægid. de regim. princip.*

Imperium gerens nullius mali opera ad gubernandum vtere, illius enim peccatorum causæ in te referentur. *Isocr. ad Demonicum.*

Impera, vbi prius didiceris parere. Regi enim cum didiceris, scies regere. *Solon Athenensis.*

Principatus & Imperij nomē verum mihi gerere videtur ille Princeps, qui auro inexpugnabilis, tauoni facilis captu sit, libertatē exerceat, magnanimitatem laudet, & contumaciam sibi vicinam caueat. *Themistius ex Philostrato.*

Illū qui alijs præest & præcipit, non potestate solum regendi ac imperandi, sed dignitate prudentiaque subditis antecellere conuenit.

Homines inobedientes sunt illi, qui cum iniuste viuant, alijs præesse volunt. Obedientiam autem facilem ad ea, quæ, princeps vel ipse, vel per alium præcipit, apud subditos efficiet quiuis, qui quę ipsum facere decet, diligenter exequitur, & eorum, quæ agere conuenit, subditis sese exemplum præbet.

Boni principis est hoc vnum proprium lucrum, & instar infinitorum aliorum, omnia sic facere, vt & in ipso imperij tempore, & post id iustiorum ac bonorum omnium à subiectis testimoniū habeat. *Eusebius Sardus.*

Vir princeps & priuatus quilibet intelligat, quod qualis fuerit ipsarum rerum actionum, quas agit, natura, talem quoque ex ipsis memoriam & famam, vel bonam, vel malam consecuturus sit. His consideratis ita demum alterutram viam ingrediatur, vel eam, quę perducit ad infamiam, vel quæ ad memoriæ splendorem: & illam, quæ ei melior futura videbitur, anteponat.

Principatum gerens, ne reminiscaris inimicitiarum & dissensionū, si quæ prius tibi cum aliquibus intercesserunt. Non enim ad regnandum promotus es, vt teipsum vlciscaris, verum vt imperio tuo subditos, etiam ab aliorum insidijs securos atque tutos custodires: & vt custos esses recti, & magnæ Deæ iustitiæ minister ac interpres. Itaque siquid admiseris præter eius sententiam aut decepens ipsam, velut in Deam maximam delinquens, tum ab ipsa, tum à constitutis circa eam genijs custodibus, & vltoribus pro factis vindictam expectato.

Si constitutus in magistratu inimicitiæ memor fueris, in deteriorē conditionem teipsum das: & grauitate ac sanctitate, quæ requiritur in principe, teipsum priuabis apud conscios tibi, quod inimicitiæ indulgeas. & pro sanctissimis nominibus, & pro iudice, inquam, ac principe causam agentium, hostis eorum turpissimo nomine appellandus sis.

Principatum, quem geris, ornes: teipsum vero non immutes. Neque enim per magistratum tibi quicquam accessit, neque eo deposito decedet.

Magistratum nactus non extollaris, sed idem permaneas: sic enim deposito quoq. magistratu non priuatus existimaberis, eo quod te illustrauerit.

Vir bonus, qui gentis alicuius, aut ciuitatis imperium suscepit, non propter fiscum, aut dona capiendi, & à diuitibus pecuniam comparandi causa, similis est hominis, qui preciosum aliquod depositum accepit, vt hic enim, quod datur, non retinendi, aut sibi vendicandi gratia sumit: sed vt custodiat, & integrum reddat ei, qui deposuit, quandocunque repetiuerit. Ita principem quoque non ob quæstum priuatum, sed salutem custodiamque subditorum, omnia facere oportet: sic vt ipsos, quoad efficere potest illæsos, & in felici statu ei, qui credidit, restituat. *Idem Eusebius Sardus.*

Homines meminerunt magis male quam bene factorum. Sic enim fieri decet: quemadmodum illum, qui reddidit depositum, laudari non oportet: qui vero non reddidit, is vituperari & puniri debet. Similiter de principe res habet: non enim ideo creatus est, vt læderet, sed vt iuuaret. *Democr.*

Imperio dignus fieri debes non Reipublic. statu, sed virtutis & animi erga subditos excellentia. Scias igitur te subditorum singu-

lis

lis præstare communi pro omnibus cura, & sollicita gubernatio ne pro vniuersa Reipub. *Sosipater in epist. ad Homestrum fratrem de gubernando imperio.*

Quos autem prius non cognoscebas, & nihil ad te pertinere putabas amplius, quàmquiuis homo communem hominum naturam: illos iam Princeps factus reuereri debes, eui iam notos & familiares, ac omnes tibi amicos esse videns, paterna beneuolentia complecti. Homero certe non satis fuit principem simpliciter subditorum Patrem appellasse: quamuis haud aliud nomen inter homines benignius inueniri posset: sed ad patris vocabulum adiunxit quoque mansuetum, simul & parentibus & bonis principibus huiusmodi nomenclaturam conuenire ratus.

Curam quidem & prouidentiam subditis debitam omnibus tribuere animum inducas: illos vero, quos vsu bonos esse cognoueris, morum quoque familiaritate tibi concilies. Fugienda est superbia & coniuncta ei vitia, vt sunt arrogantia, pertinacia: tanquã humilis vilisque animę affectus. Sui enim obliuisci, propter phantasiam breuis imperij, magnam pusillanimitatem arguit. Curandum est tamen, ne dum probrosos istos excessus malitiæ vitamus, in alteram improbitatis extremitatem turpiter impingamus: leuitatem dico, & humilem animi vilitatem, malos mores pro malis prioribus commutantes. Quamobrem oportet vere imperantem mansuetum simul & grauem erga subditos tum videri, tum esse.

Nec ira in subditos vtendum est, neque peccantibus institutũ suum reprehensione relinquendum: nam iracundia principem ab insanis nihil differre signum est: hoc vero leuitatem ad peccandum in subditis gignit.

Præbe teipsum simul & clementem, & malis infensum, lente quidem puniendo clementiam, malis autem indignando improbitatis odium præseferens: Vt hoc quidem fugienda esse mala illud autem non nimis implacabilem ijs, qui peccauerunt, esse fortunam, documento sit.

Abstinendum est etiam dicterijs vere imperantibus: nam qui ridiculis gaudet, imperij maiestatem imminuet.

Quin & a conuitijs purus sit princeps, hoc enim præcipitis imperitorum hominum iracundiæ signum est.

Admonitionum duo genera, alterum acriter obiurgans, alterũ leniter curans, argumenta mihi videntur probi principis.

Imperandi modum singulorum moribus decenter accommodato, cum probis moderate, cum supinis vehementer, cum audacibus acerbe, cum cautioribus denique leniter agens.

Oportet autem a peccatis arcere per necessitatem suadelæ coniunctam: his vero, qui deliquerunt, moderatam iustitiæ castigationẽ inferre: Ita vt parua quidem & vulgaria peccata dissimulentur (nec enim conducit & quælibet & omnia simpliciter punire, neque cognoscentem negligere.) Quæ vero iam ingrauescunt, ijs cura secundum leges adhibeatur.

Desiderandum quidem est, animam, quoad eius fieri potest, à vitijs puram esse: interim tamen cogitabis, homini congenitũ esse peccare. Quo circa qui punit homines tanquam impeccabiles, modum transgreditur rectæ & secundum naturam castigationis. Exhibeas autem teipsum magistratum ornamentum, non externis & temporaneis elucubrationibus gloriens.

Gratiæ & beneficia, quæ iustitiam transgrediuntur, ne gratiæ quidem mihi dici debere videntur. Amicas autem iustitię nemo reiecerit viro, qui modo non ex quercu aut petra natus sit. Quãdoquidem enim lex sæpiuscule duriores peccatis pęnas irrogat, ius quod æquum dicitur, austeram legum sentẽtiam mitigans, inculpata mihi videtur veræ & liberæ gratiæ occasio. Verum iudicia quidem, quæ occupantur circa iustitiæ emendationem in contractibus, omnino non agnoscunt gratiarum genus: quæ autem circa delicta versantur, mansuetam & humanam gratiarum faciem non recusant. *Idem.*

Cæterum oportet verum principem non recte tantum imperare scire ac posse, sed etiam humaniter. Turpe enim fuerit pastorem oues odisse, & pecoribus suis infensum esse. Quinetiã legitimus esse debet: sic enim demum principis dignitatem habuerit. Sciẽns enim recte iudicare poterit: potestate punire: humanitate beneficia conferre: denique ex legibus ista omnia secundum rationem facere. Optimus autem erit princeps, qui lege diuinissima vtetur, qualis futurus est, qui nihil sui gratia facit, sed omnia propter subditos. Nam lex quoque non sui, sed subditorum gratia est. *Archytas Pythagor. de Lege & Iustitia.*

Verus princeps magna cum dignitate & bonitate præest, magnifica bonorum munera subditis exhibet: victus abundantis salutis omnimodæ, & vitæ tranquillitatis author est. Hunc enim sibi finem proponit honestus princeps, vt subditos felices efficiat. Et tum sanè præ cæteris, qui ab eo gubernantur, in primis eximius est, cum illi beatam vitam agunt, qui seipsos ei commiserunt. Siquidem publica vtilitas non separata est à priuata: quin potius in vniuersali singulis etiam vtile continetur, & partes in toto seruantur, tum in animalibus & ciuitatibus, tum in alijs quoque naturis.

Inter omnia principum opera plurimi facio & admiror magnanimitatem & magnificentiam, & maxime cum bene merendo de hominibus, non exactis & auaris rationibus vtuntur, neque parcunt in largitionibus, nec tanquam in lance trutinæ æqualia pro æqualibus commutant, sed gratiam ingenue proferunt, non tantum ex vasis fundentes ipsas, vt Poetæ canunt. nec alijs huiusmodi organis inclusas: sed nudas, intectas, & sine velamentis externis continuas, sibique cohærentes, benigniter & beneuole porrigunt, vt decet, & gratiosum est. Huiusmodi enim gratiarũ decus merito coronam imperij appellauerim. *Iamblichus in epist. ad Dyscolum.*

Lex est commune bonum, sine quo nihil bonum fieri potest. Cæterum oportet Principem legibus præfectum, sincere purgatum esse iuxta summam legum rectitudinẽ, ac neque seductione aut fraude falli per ignorantiam, nec vim inferentibus concedere, nec vlla occasione iniusta allici. Nam seruatorem & custodem legum tam incorruptum oportet esse, quam summe fieri potest in humana natura. *Idem in epist. ad Agrippam.*

Ratio ex philosophia assidens Principi, & velut custos in mente recondita, quicquid in potentatu periculosum est, tãquam in athletico habitu demit, & salubre tantum relinquit. Verum multi regum ac principum sine mente, imperitos statuarios imitantur, qui Colossos putant ita demum magnos videri, si multum diuaricatos, distentos & hiantes fecerint. Nam & illi (Principes inquam) grauitate vocis, aspectus asperitate, difficultate morum & conuersandi aspernatione, magnitudinem & seueritatem imperij exprimere se putant.

Cæterum oportet: quemadmodum amussis, cum plane recta & minime peruersa fabricata est, cætera, quibus admouetur & accommodatur, dirigit: similiter quoque Principem, vbi primum didicerit imperare sibi ipsi, & animum suum recte instituerit, & mores habuerit bene compositos, ita demum subditos regere. Nec enim cadentis est currere, aut incompositi componere, aut parere nescij imperare.

Tot tantorumque bonorum & munerum, quæ Dij largiuntur, nullus est fructus, aut vsus rectus sine lege, iure, & Principe. Ius finis est legis: Principis opus, lex: Princeps autem, imago Dei cuncta administrantis. *Plut. ad imperitum ducem.*

Τὰ μὲν γὰρ σωφρόνων ἀρχόντων ἤθη σφόδρα μὲν εὐλαβῆ καὶ δίκαια καὶ σωτήρια, δριμύτητος δὲ καὶ τινος ἰταμότητος ὀξείας πρακτικῆς ἐνδεῖται.

Etenim prudentium Principum mores, valde cauti, iustique & salubres sunt: indigent vero etiam acrimonia quadam, & acri efficacique pertinacia: *Plato in Politicis.*

Ἐγὼ δὲ καὶ τοῦτο ἡγοῦμαι μέγα τεκμήριον ἄρχοντος ἀρετῆς εἶναι, ᾧ ἂν ἑκόντες ἕπωνται, καὶ ἐν τοῖς δεινοῖς παραμένειν ἐθέλωσιν.

Equidem & illud opinor magnum esse argumentũ virtutis in principe, si subditi ipsum libenter sequantur, & in periculis vna perseuerent. *Xenoph. in Oeconom.*

Πολλάκις μὲν δὴ ὦ ἄνδρες ἄλλοτε κατενόησα, ὅτι ἄρχων ἀγαθὸς οὐδὲν διαφέρει πατρὸς ἀγαθοῦ· οἵ τε γὰρ πατέρες προνοοῦσι τῶν παίδων, ὅπως μήποτε αὐτοὺς τὰ ἀγαθὰ ἐπιλείψει.

Verum ego, o viri, sæpenumero etiam alias cogitaui, bonum principem nihilo differre a bono patre. Nam & parentes filijs prouident, vt bona his nunquam sint defutura. Et Cyrus mihi videtur nunc ea nobis consulere, a quibus maxime in felicitate possimus ad vltimum vsque finem perseuerare. *Idem in l. 8. de Pædia Cyri.*

Qui imperare cupiunt, duo sibi proponere in primis debent: vnũ, vt sint liberales: alterum, vt clementes. Princeps enim, qui liberalitatem exercuerit, ex hostibus amicos, ex alienis suos, ex infidis fidos faciet: peregrinos etiam, & in extremis terris agentes, ad sese amandum alliciet: Vtraque autem princeps Deo maxime similis efficitur: cuius proprium est benefacere omnibus, parcere delinquentibus.

Qui alijs præest, omnino vacuus esse debet affectibus: Ita namque rectum quid sit cernere non patitur, odium ad iniqua impellit, amor iudicium impedit, iras hit ad vim inferendam libido, stimulat ad vindictam dolor, inuidia præcipitanter agit. Maxime autẽ hominis est, & eius præsertim hominis, qui principatum gerat, præsenti animo in aduersis vti, nec aduersanti fortunæ succumbere. *Pontan. Ioniman. de principe.*

Sententia Platonis est, Beatas fore Respublicas si eas vel studiosi sapientiæ regerent, vel earum rectores studere sapientiæ contigisset. *Boet. de consol. philos. l. 1. pros. 4.*

Principum crudelitas bellum est: Clementia in quancumque domum peruenerit, eam felicem & tranquillam parabit, sed in regia, quo rarior, eo mirabilior. Magni animi proprium est, placidũ esse tranquillumque, ac iniurias & offensas superando despicere. Muliebre enim est furere. Ita non decet regem. *Senec. l. 1. de Clementia, c. 5.*

Optime Deos exemplum principibus constituam, vt se tales ciuibus præbeant, quales sibi Deos esse volunt. *ibid.*

Si vis tibi omnia subijcere, subijce te rationi, Multos reges, si te ratio reget. *Idem epist. 34.*

Prin-

Princeps custodire debet iustum.
Principatus virum ostendit. *Arist. lib. 5. Ethic.*
Prudentia propria virtus principis. *Idem lib. 3. Polit.*
Similis est comparatio regis ad subditos, patris ad filios, pastoris ad oues. *Idem lib. 8. Ethic.*
Melius est, ciuitatem regi viro optimo, quam lege optima. *Idem lib. 3. Polit.*
Non de facili potest inuadi, qui est sobrius, sed qui ebrius. Neque qui est vigil, sed qui est dormiens. Quapropter princeps, ne inua sibilis sit, ebrietatem, & somnum debet euitare.
Periculosum est principi, subdito dare magnos honores.
Rex iustitiam conseruare debet.
Princeps Deicola debet esse, quia minus timent homines iniustum pati à principe, si Deicolam ipsum putant esse. *Idem libro 5. Politicor.*
Oportet principem bonos honorare, & ipsemet honores eis distribuere. Supplicia autem distribuere non per se, sed per alios. *Ibidem.*
Princeps nullum magnum virum totius sui dominij debet facere custodem.
Si princeps aliquem à potestate sibi tradita deponere velit, gradatim hoc debet facere, & non simul auferre totam potestatem. *Ibidem.*
Laudetur vero hic Imperator, aut etiam appelletur, aut hoc nomine dignus putetur? Quomodo? aut hic cui tandem libero imperabit, qui non potest cupiditatibus suis imperare? Refrenet primum libidines, spernat voluptates, iracundiam teneat, coerceat auaritiam, & cæteras animi labes repellat. Tum alijs incipiat imperare, cum ipse improbissimis dominis dedecori, aut turpitudini parere desierit. Dum quidem his obedit, non modo Imperator, sed liber habendus omnino non erit. *Cice lib. Paradoxorum.*
Nullus est, quem oporteat vel plura, vel meliora scire, quam principem, cuius doctrina debet omnibus prodesse subiectis. *Vegetius de re milit. ari.*
Si Regum, atque Imperatorum animi virtus in pace, vt in bello valeret, æquabilius atque constantius res humanæ sese haberent. *Sallust. in Catilin.*
Magnum est personam in Republ. tueri principis, qui non animis solum debet, sed oculis seruire ciuium. *Cic. Phil. 8.*
Si quis contentione principatus laborat, quæ nulla esse debet, stultissime facit, si vitijs cum virtute contendit: vt enim cursus cursu, sic in viris fortibus virtus virtute superatur. *Phil. 14.*
Non tantum mali est peccare principē (quanquam est magnum per seipsum malum) quantum illud, quod permulti etiam imitatores principum existunt. Nam licet videre, quæcumque mutatio morum in principibus extiterit, eamdem in populo secutam. Nobilium enim vita victuque mutato, mores ciuitatis mutari solent. Nec solum vitia concipiunt ipsi principes, sed ea infundunt in ciuitatem: neque obsunt, quod solum ipsi corrumpuntur, sed etiam quod corrumpant, plusque exemplo, quam peccato nocent. Pauci enim, atque admodum pauci, honore, & gloria amplificati, vel corrumpere mores ciuitatis, vel corrigere possunt. *3. de Leg.*
Studiose plerique facta principum imitantur. *1. Offic.*
Principem facere, quod ab alijs fieri velit, genus efficacissimum est exhortationis.
Principis officium est, erga rebelles audacia, erga subiectos beneuolentia vti.
Multo regalius est condere vrbes, quam demoliri.
Bono principi nihil iucundius ciuium concordia: ac tyranno nihil formidabilius.
Principis munus est vnicum, alijs prospicere, & publicis consulere commodis.
Principi tum maxime inuigilandum, quum populus maxime indulget genio: neque oportet vnquam principem genialiter viuere.
Principi nihil prius aut charius esse debet fidis amicis.
Principes publica potius, quam priuata curent. *P. M. in apoph.*

APOPHTHEGMATA.

Alexander. Cinesias videns Alexandrum Magnum à pharmaco, quod sumpserat, vehementer turbatum: Quid, inquit, nobis faciendum est, cum vos Dij talia patiamini? Alexander autem ægre attollens oculos: Quales, inquit, Dij sumus? metuo, ne Dijs inuisi. *P. M. lib. 6. apoph.*
Antiochus, quum in venatu quodam feram insequeretur, aberrans ab amicis, ac famulis, in casam pauperum quorumdam, quibus ignotus erat, introijt: atque inter cœnam iniecta mentione Regis, audiuit, quod cætera quidem probus esset, sed plerasque functiones mandaret amicis improbis, ipse ad eorum facta conniuens: tum quod immodico venandi studio, frequenter necessaria negligeret. Ad hæc tum temporis nihil respondit, nec quis esset prodidit: verum vbi diluculo satellites venissent ad casam, tamq; agnoscerent, allata purpura simul cum diademate: Age, inquit, ex quo vos indui, heri primum vera de me ipso audiui. Nam fere hoc studio est his, qui viuunt in aulis principū, ne quid audiant nisi blandum auribus. *Plut. in apoph.*
Cato maior, pessimum dicebat esse principem, qui imperare sibijpsi nequiret. *Stob. ser. 44.*
Galienus Imper. prouinciarum defectionem, quasi leuissimarum rerum iacturam, ioco solebat eludere. Cum enim nunciatum esset, Ægyptum defecisse: Quid, inquit, sine ligno Ægyptio esse non possumus? Quum vastatam Asiam Scytharum incursionibus accepisset, Quid, inquit, sine aphronitro esse non possumus? Perdita Gallia, arrisit dixitque: Non sine trabeatis sagis tuta Respublica est? Pessimi principis voces, cui quicquam potius est Republic. *Trebell. Pollio.*
Pythagoras ita imperandum esse principi dicebat, vt vereretur magis, quam metuatur. Reuerentiam enim admiratio, timor ē odium comitatur. *Stob. ser. 44.*
Cleobulus felicem existimabat principem, qui nemini conuersantiū sibi crediderit. *Stob. ser. eod.*
Pittacus eum demum principem laudem dignum existimabat, qui efficit, vt subditi metuant non ipsum, sed pro ipso. *ibid.*
Bias optimum principem pronunciabat esse, qui vtatur patriæ legibus. *ibid.*
Chilon, optimum esse regem dixit, qui operam dat, vt non metuatur. *eod. serm.*
Thales pronunciauit, principis felicitatem existimare se, si vitā obiret, postquam consueuisset iuxta naturam. *ibid.*
Socrates dicere solebat, eum esse optimum regem & principem, qui à proprijs affectibus temperaret. *Phauorin.*
Plato. Tum demum beatum terrarum orbem futurum prædicauit, cum aut sapientes regnare, aut reges sapere cœpissent. *Plato ipse epist. 7 Cic. epist. ad Q. Fratrum. Valer. Max. lib. 7. c. 1. Agapetus ad Iustinian. Cæs.*
Isocrates dicebat, optimum principem semper imitari eum, non qui maximum imperium acquisierit, sed qui optime præsentibus vsus sit. *Antonius Meliss. par. 2. serm. 1.*
Anacharsis, Bonum principem iudicabat eum esse, qui nō solus prudens sibi videretur, sed bono & iusto aliorū consilio lubens acquiesceret. *Stob.*
Philon. Eius dictum est. Si vis bonus esse rex, cum fortitudine benignitatem & mansuetudinem serua, vt non formidolosus sed reuerentia dignus tuis subditis videaris. *Phauor.*
Bion, Oportere bonum principem a magistratu discedentem nō ditiorem, sed clariorem euasisse dicebat. *Stob. ser. de magistr.*
Agathon dixit, principem oportere trium meminisse: primum quod imperet hominibus, deinde, quod secundum leges, tertio, quod non semper imperet. *eod. serm.*
Musonius dicebat, conandum esse principi, vt verendus potius subditis sit quam metuendus: illum enim grauitas sequitur, hunc inhumanitas. *Stob.*
Ad Agidem Archidami filium quum quidam dixisset, Philippum effecturum, ne Lacedemonis pateret iter in Græciam: Nobis, inquit, o hospes, nostra patria sufficit ad illic viuendum. Pectus ad vtrumque paratum: & ad proferendum imperium, si contingat, & ad boni consulendum fortunam licet mediocrem: cum plerique principes id, quod obtingit, male administrent, nec vllis satientur ditionis accessionibus. *Plut.*
Agesilaus, licet Lacedæmoniorum rex esset, post multa egregia facta, nequaquam sibi principatum, sed tum Rempubl. tum socijs & amicis Reipublicæ gerere dicebat. Quo dicto docere voluit, ita demum, qui potitur imperio, vere legitimeque imperare, cū & ipse paret imperio legum, & eorum, qui in Republica magistratu funguntur. *Plut. in Lacon. apoph.*
Idem. Illud assidue in ore habuisse fertur, principis esse non mollitie delicijsve, sed temperantia ac fortitudine priuatis hominibus antecellere. *Plut. in apoph. Lacon.*
Fredericus Imp. Tum demum saluam Rempub. fore dicebat, si senatores de rebus consultaturi, in vestibulo curiæ simulationem ac dissimulationem deponerent. Si enim & ipsi recte consulerent, & iudici inter consilia dijudicare non difficile esset. *Æneas Sil. lib. 3. comment. de reb. gest. Alphonsi.*
Idem interrogatus, quinam sibi charissimi essent? Qui, inquit, me nō magis quam Deum ipsum timent. Deprompta sanè ea Christiano pectore sententia: in primis enim timendus Deus, rex regum, & dominus dominantium. *Æneas Silu. 4. comment. in reb. gest. Alphonsi.*
Otho Siluius, quum videret aut deponendum imperium, aut magna ciuium suorum strage tuendum, statueret sponte mori: verū dehortantib. amicis negauit se tanti facere vitam suam vt ob hanc quenquam suorum interire cuperet. *P. M. lib. 8. apoph ex Plutarch.*
Alphonsus. Eos demum principes magnifaciēdos dicere solebat, qui iustitiam probe excolerent: hæc enim in quo fuerit, eius imperium æquo omnes animo patiuntur, illiusque moderationi sese etiam sponte subijciunt. Vt de Cyro illo legimus, quem non iu-

ftitiæ folum, fed omnium etiam regiarum virtutum exemplom fuiffe apud fuos, creditum eft. *Panor. lib. 5. de rebus geftis Alphonfi regis.*

Idem, Eum principem mirum in modum probabat, cuius fimplex verbum tantum ad fidem valeret, quantum priuatorum hominum iusiurandum. Senfit autem, non vulgarem principis virtutem effe, ftare verbis, & facto præftare id, quod verbo femel promifit. *ibid.*

Idem illud quoque affidue io ore babuiffe fertur: Tanto priuatis hominibus reges meliores effe debere, quanto honoribus & dignitate antecellerent. *Pan. l. 4. de reb. geft. Alphonfi.*

Idem, Apud Alphonfi aulicos cum de gerendo principatu effet cõtentio, rex perdifficilem rem fibi principatum videri, vel eo maxime dicebat, quod principum vita popularib. exemplo cedat, illis quidem ad vitia quam ad virtutes procliuioribus. *Pan. lib. 2. de Alphonfi rebus geftis.*

Idem. Cum præterea de principum vita & moribus difceptaffent, dixiffe fertur, Principibus non modo fua caufa à peccato abftinendum effe, fed multo etiam magis, ne fua vitia infundantur in ciues fuos. Quanto enim flagitium confpectius, tanto offendiculum grauius. *Panor. lib. 2.*

Idem, Præterea cum de fubditorum moribus difputarent, Alphonfus refpondiffe dicitur: Veluti ad folia motum, ita populares femper principũ mores verti atque formari. Vulgus enim imitatur, quod a principibus confpicit factitari. *ibid.*

Idem. Regem illiteratum ac indoctum nil aliud nifi afinum coronatum effe dicebat. *Æneas Silu. libro 1. comment. in Alphonfi res geftas.*

Idem, commemorantibus qoendam ex Hifpaniæ regibus dixiffe, non decere principes viros fcire literas, exclamauit: Eam vocem bouis effe non hominis. Non omnes literę cõueniunt principi: fed eæ, quæ politicen tradunt, aut ethicen, quæque recte ac fecus geftorum exempla commonftrant, id quod facit. *Hiftor. ibidem.*

Idem. audiens ab agricultoribus, mala punica, quæ natura acria effent, arte & diligentia fieri dulcia: Cur non etiam nos, inquit, ciues & populares noftros ingenio malo prauoq; præditos, induftria & labore meliores reddimus? Innuit autem, populi mores vix effe tam prauos, quin rite gubernanti ftudio, labore & induftria meliores reddi queant. *Pan. l. 4. de reg. geft. Alphonfi.*

Idem reprehenfus, quod parum regaliter incederet, refpondit. Malle fe moribus & authoritate regem videri, quam diademate aut purpura. *Pan. de reb. geft. Alphonfi & Æn. Silu. de eius dictis.*

Æneas Silu. Ant. audiens, Alphonfum Aragonum regem neminem ex fuis lædere, refpondit: Iufti principis effe, non folum afficere neminem iniuria, fed & eos, qui damna quibuflibet hominibus fine iufta caufa inferunt, fi poffit, prohibere. Nam, tefte Cicerone, qui aut non obfiftit, fi poteft iniuriæ, tam eft in vitio, quam fi patriam aut parentes deferat. *Æn. Sil. lib. 1. comment. de reb. geft. Alphonfi regis.*

Cafpar Schlick. Is trium Cæfarum Cancellarius optare fe dicebat: Omnes reges aliquando priuatos, pauperefque fuiffe. Neque. n. fatis miferetur, qui nunquam fuit mifer. *ibid.*

Leonidas Xerxes Leonidæ fcripferat: fi definas θεομαχεῖν, i. e. cum Dijs bellare, fed meis te copijs adiunxeris, potes Græciæ fieri monarcha, Huic refpondit Leonidas: Si nouiffes, quæ fiot in vita honefta, abftinuiffes à concupifcendis alienis. Mihi vero potius eft pro Græcia mori, quam in populares meos gerere monarchiam. Quid tam impium eft, quod mortalium vulgus non admittat ampli principatus gratia? At hic prius duxit honeftã mortem pro amicis liberandis oppetere, quam monarcha factus eos feruitute premere, à quibus venerat depulfurus feruitutẽ barbarorum. *Plut. in Lac. a.*

Theopompus, interroganti, quo pacto quis regnum tuto poffit tueri? Si, inquit, amicis concedat iuftam libertatem, pro virib. interim aduigilans, ne fubditi afficiantur iniuria. Multis principib. exitio fuit, quod amicis nihil non permitterent, ciues iniuria affectos negligerent. Hic temperantia adhibenda eft, vt princeps nec amicos abenet tyrannica fæuitia, nec patiatur illos regia familiaritate abuti ad quiduis audendum præter ius aduerfus plebeios; qui nimium irritati fæpe reges fuos excufferunt. *Plut.*

Idem, Theopompo Lacedæmoniorum regi quum dictum effet, eo tempore bene Lacedæmonijs effe, quod bene regere reges didiciffent: refpondit, id potius accidere, quod fubditi parere didiciffent. Oftendens, bonam populariũ vi bium adminiftrationẽ non tam in principum regimine, quam in populorum obedientia confiftere. Nam fi populi in diuerfum à principibus traherẽt, difficillimum arbitrabatur effe, vt principes optime gubernare poffent. *Plut.*

Cyrus dicebat: Neminem debere imperare, qui fubditis fuis non effe melior: principemque non decere effe inferiorem neque intelligendo quæ opus funt, neque gerendo quæ tempus expoftulat. *Plut.*

Pythagoras dicere fæpenumero folitus eft, fimilia effe boni paftoris & boni regis opera. Boni igitur paftoris cum fit bene pafcere gregem, omniaque mala ingruentia auertere: fic ad bonum regem fpectat, vt diligenter gubernet ciues fibi a Deo concreditos, omniaque legibus prohibeat, quæ in Reipub. perniciem ingruere videntur. *Xenophon.*

Xenophon. Iftud (inquit) opinor, magnum effe argumentum virtutis in principe, fi fubditi ipfum libenter fequantur, & in periculis vna perfeuerent. *In œconom.*

Philippus aiebat, oportere meminiffe principẽ, quod homo exiftens, poteftatem adeptus fit diuinam, vt res honeftas & diuinas inftituat, fermone autem humano vtatur. *Stob. fer. 46.*

Alexander interrogatus, quis optimus princeps effet? Qui, inquit, amicos donis retinet, & inimicos beneficijs amicos facit. *Ant. de Meliff. par. 2. fer.*

Alex. Seuer. cum ab amicis reprehenderetur, quod immemor Maieftatis Imperatoriæ, non pretiofo veftitu, auro, gemmifq; corpus etiam ornaret, refpondit: Principatum ac imperium in virtute effe, non in corporis decore. *ibid.*

Philifcus Ad Alexandrum aliquando dixiffe fertur: Ad gloriam incumbe, verũ ea conditione, ne fis peftis, vel magnus aliquis morbus, fed pax & fanitas. Affirmans, per vim & fæuitiam expugnare ciuitates, populos excindere, peftilentiam effe; Sanitatis vero, falutifque fubditorum rationem habere; ea enim funt pacis cõmoda. *Ælian. l. 14. de var. hift.*

Anaxilaus Rhegij princeps interrogatus, quid in principatu feliciffimum effet? refpondit, nũquam beneficia conferendo vinci. *Stob. fer. 46.*

Plutarchus, Tot (inquit) tantorumque bonorum & munerum, quæ Dij largiuntur, nullus eft fructus, aut vfus rectus fine lege, iure & principe. Ius finis eft legis: principis opus lex; princeps autem imago Dei cuncta adminiftrantis. *Lib. ad principem indoctum.*

Agefilaus. Celebratur & hoc illius dictum, principibus potiffimum edifcendum, Imperatoris officium effe, erga rebellantes audacia, erga fubiectos beneuolentia vti, quod idem Maro nobili carmine docuit.

Parcere fubiectis, & debellare fuperbos.

Neque enim vere victor eft, qui iracundiæ vindictam flagitanti frenum nefcit imponere. *Plut. in Lacon. apoph.*

Agefilaus. Si quid effet, quod per milites celeriter confici vellet, primus ipfe fub oculis omnium operas aggrediebatur, quo vel pudore ad induftriam extimularentur. Efficaciffimum exhortationis genus, principem hoc facere, quod ab alijs fieri velit. *P. M. ex Plut.*

Idem. Cum parum inftructus effet equitatu, Ephefum fefe recepit: ibi opulentis denunciauit, vt quicumque pro fe virum & equum præberet, a militia effet immunis. Hac arte factum eft, vt pro ignauis, ac timidis diuitibus breui colligeret & equos & viros ftrenuos, ac bello idoneos. Qua quidem in re dicebat fefe Agamemnonijs exemplum retuliffe, quod is, accepta equa generofa, virum diuitem, fed ignauum militia expuliffet. Hæ funt artes excellenti principe dignæ, quibus efficitur, vt quod ad Republ. dignitatem incolumitatemve neceffarium eft, non per violentiam inuidiofam extorqueat, fed ea dexteritate impetret, vt nec tenues grauet, & a ditioribus etiam gratiam ineat. *Plut. in Lacon.*

Agefilaus. cuidam ab eo fcifcitanti, quo pacto poffet aliquis tuto imperare, nullo ftipatus fatellitio? refpondit: Si fic imperet fuis, quemadmodum pater imperat liberis. Nemo plura dixit vnquam maiori compendio. Domini tantum timentur a feruis, & mali metu coercentur, quos non corrigit pudor. Pater quoniam liberis confulit potius, quam fibi, diligitur ab illis, fic vt authoritatem comitatur reuerentia. Aduerfus hos adeo non eft opus fatellitio, vt non aliud fit fatellitium fidelius illorum ftipatu. Quod fi rex beneuolentia ac benefactis adiongeret fibi ciuium animos, non effet opus barbarico conductitioq; fatellitio, fed nullos haberet corporis fui cuftodes tutiores, quam ciues, erga quos patris gereret affectum. Porro, quibus placet hoc dictum: Oderint, dum metuant, nullos magis habent fufpectos, quã quibus oportebat maxime confidere: ac multos metuat oportet, quem metuunt multi. *Plut.*

Sthenius. Pompeius Magnus, cum Mamertinos, quod hoftium partibus adhæfiffent, interficere omnes ftatuiffet: Sthenius eius ciuitatis princeps Pompeium adit, & his verbis affatus eft: Non æquum facis Pompei, qui propter vnũ noxium multos innoxios occidere paras. Quo audito, Mamertinis pepercit Pompeius, ciuitatem & Sthenium liberauit. Habes autem hic in Sthenio exemplum, quem animum erga Rempub. oporteat habere principem fi in periculum incidat: in Pompeio autem placabilitatis argumentum, qui viri boni maluerit habere rationem quam indulgere iræ. *Plut. in apoph.*

Liuia. Auguftus Imperator quum apud Liuiam vxorem folus conquereretur de hominum infidijs, quæ hinc inde etiam vigilantiffimo ftruerentur: Mirum non eft, refpondit Liuia, quod tibi

pateotur

parentur insidiæ, partim quod id non sit alienum à natura, partim quod magno imperio multa facias, ex quibus par est plerosque molestiam capere. Princeps enim non potest omnibus placere: sed etiam quantumuis recte imperet, et multos irasci necesse est. *Dion. in Augusto.*

Tiberius. Præsidibus onerandas tributo prouincias suadentibus, rescripsit: Boni pastoris est, tondere pecus, non deglubere. *Sueton. Dion.*

Hadrianus Imperat. in senatu frequenter dicere solebat, se sic gesturum principatum, vt sciret rem populi esse, non suam priuatam. Nimirum attigit hoc, quod vnum distinguit regem à tyranno. *Dion.*

SIMILITVDINES.

Chrysostom. Sicut ex choro ipsum principem auferas, nequaquam modulatus chorus, vel ordinatus existit. Et phalanx militum si ducem non habeat, nullo modo numerate acies illa, vel ordinate procedit: Et nauis, si gubernatore priuetur, pessum eat necesse est: & gregi si pastorem abstuleris, cunctus dispergetur, & peribit: Ita & malum, & multarum cladium est, & occasio confusionis, & turbationum principium, vbi nullus principatus, & est subuersionis argumentum. Verum si princeps malus existat, peius malum est, quam sine principe conuersari. Melius est a nullo quam à pessimo regi. Ille quidem saluatur aliquando, ac si in periculum decidat: ille autem omnibus modis periculo subiectus est, dum ad foueas, & ruinas impellitur. *Homil. lib. 34 Epistol. ad Hebraos.*

D. Augustin. Sicut dæmones nisi eos, quos fallendo deceperint, possidere non possunt: Sic & homines principes non sane iusti, sed dæmonum similes ea, quæ vana esse nouerunt, religionis nomine populis tamquam vera suadebant, hoc modo eos ciuili societati velut arctius alligantes, quo similiter subditos possiderent. Quis autem infirmus, & indoctus euaderet simul fallaces, & principes ciuitatis, & dæmones? *De Ciuitate Dei, libro 4. capite 32.*

Plutarc. Vt lapsus non potest erigere lapsum: Ita malus & stultus princeps non potest emendare populum. *In Moral.*

Vt in scena δορυφόρημα tantum ostenditur, nec loquens quicquam, nec agens: Sic princeps, qui vestitu, & titulo tantum principem agit, nil autem curat eorum, quæ vere sunt principum officia. *In Moralib.*

Plini. Vt solis defectus magnam mortalium perniciem trahit: Ita regis error, etiam leuis, magnam tamen in rebus humanis gignit perturbationem. *lib. 2. c. 10.*

P. M. Si quid inest animo mali, id à corporis contagio proficiscitur, quod affectibus est obnoxium. Quicquid autem habet corpus boni, id ab animo scatet, velut à fonte. Vt autem præposterum sit, ac præter naturam, si mala ab animo manent in corpus, & corporis bona animi vitio corrumpantur: Ita vehementer absurdum fuerit, si bella, seditiones, corrupti mores, prauæ leges, corrupti magistratus, & id genus aliæ Reipub. pestes, ab ipsis principibus exoriantur, quorum sapientia componi decebat motus, stultitia plebis coortos. At sæpenumero videmus, ciuitates populi industria bene constitutas, ac florentes principum euerti culpa. *De instit. princ.*

Quemadmodum corpora cœlestia, si vel paululum tumultuentur, aut recto cursu diuarient, non sine graui rerum humanarum pernicie id faciunt: id quod palam videmus in defectibus solis, ac lunę. Ita summi principes, si quid aberrent à honesto, aut si quid ambitione, ira, stultitiave peccent, id protinus ingenti totius orbis malo faciunt. *ibid.*

Princeps, qui nihil aliud agit, nihil aliud cogitat, nisi vt quam plurimum pecuniarum à ciuibus extorqueat, vt nummorum vim quã tam potest maximam irretiat legibus, vt quam plurimo vendat magistratus, & officia: quæso vtrum is princeps dicendus est, an negociator, an (vt verius dicam) prædo? *ibid.*

Si capite plectitur, qui principis monetam vitiarit: Quanto dignior est supplicio, qui principis ingenium corruperit? *Ibidem.*

Nullus cometes, nulla vis fatalis sic afficit res mortalium, vt vita principis rapit, ac transformat mores, & animos ciuium. *Ibidem.*

Ceruo, cum arrexere aures, acerrimi auditus sunt: cum remisere, surdi: Ita principes, si quid est, quod placeat, id procul etiam percipiunt: si quid secus, quantumuis clames, non intelligunt. *In similib.*

Vt ranæ vltra solitum vocales tempestatem significant imminẽtem: Ita cum plurimum valet apud principes oratio malorum, bonis tacentibus, tum instat rerum perturbatio. *ibid.*

Vt canicula pestilens est omnibus sidus: Ita principis mali potestas omnibus nocet. *In simil.*

Vt vitis, nisi amputes, late sese spargit, brachijs suis omnia complectẽs & implicans: ita ambitiosus princeps semper aliquid è proximis suo adiungit imperio, nisi subinde vindicetur. *In similibus.*

Agapeti diaconi. Sicut oculus innatus est corpori: ita Imperator mũdo adaptatus est, à Deo datus pro administratione eorum, quæ vsui sunt. Oportet igitur eum hominibus quasi proprijs membris prospicere, vt proficiant in bonis, neu malorum offendiculo illidantur. *De offic. regis.*

Solis profecto partes sunt, illustrare radijs orbem: Principis vero virtus est, egenorum misereri. Porro is clarior est Imperator, qui pius est. Ille namque cedit succedenti nocti, hic autem rapacitati prauorum non concedit indulgere quicquam, sed lumine veritatis iniquitatis occulta coarguit. *De offic. regis.*

Sicuti fit apud nauigantes, quum nauta errat modicum, affert nauigantibus nocumentum: quum vero ipse gubernator, totius efficit nauigij perniciem: Sic & in ciuitatibus, si quis ex subditis peccet, non tam Rempublicam, quam seipsum lędit: sin vero ipse princeps, vniuersæ infert Reipub. detrimentum. Is igitur vt non exiguam redditurus rationem, si quid neglexerit eorum, quæ facto opus sunt, cum exquisita diligentia & dictitet cuncta, & factitet. *ibidem.*

Maximi Monachi. Vt medici sunt ægrotantibus seruatores: sic & reges ijs, qui iniuriam patiuntur.

Dion. Nic. Vt bruta animalia, rationisque expertia, quæ licet robustissima sunt atque ferocissima, blanditijs tamen quibusdam capiuntur atque mansuefiunt. Ita subditi licet ab omni humanitate alieni, principis boni beneuolentia atq; humanitate facile gubernantur. *In Augusto.*

Quemadmodum medici eas partes corporis, quibus medicina adhiberi non potest, tollunt, ne alia quoque membra infestentur: Ita princeps in sua Republ. homines temerarios, molestos, iniquos, & postremos omnes, quorum vita est omnibus vitijs dedita, tollunt ex hominum commercio, ne boni viri eorum conuictu in peius ruant. *In Augusto.*

Plutarch. Musicus chordas dissonantes non statim abijcit, atque incidit, sed sensim intendens, aut remittens, ad concentum adducit: Its princeps leniter debet emendare peccantes, non protinus tollere. *In Moral.*

Plini. Rex apum solus aculeum non habet, aut certe non vtitur: ad hæc grandior est corpore, & specie decentior, sed alis quã cæteræ minoribus: Ita principem oportet esse clementissimum, & à sua ciuitate nusquam euolare longius. *Lib. 11. c. 17.*

Vt cometes nouus apparens, aut magnum bonum, aut ingens malum portendit mortalibus: Ita nouus princeps salutem affert rebus humanis, si bonus est, maximam pestem, si malus. *libro secundo, capit. 26.*

Sicuti leo citius sæuit in virum, quam in fœminam, pueros non nisi summa fame coactus attingit: supplicibus ac prostratis parcit: Ita potentes infirmioribus debent ignoscere, vires in alios experiri, quos vincere pulchrum sit. *Libro octauo, capite decimosexto.*

P. M. Sol iucundissimus est ijs, qui ipsum possunt intueri: Ita princeps ijs, qui amant iustitiam. *In simil.*

Rex apum ipse quidem non operatur, sed obambulans ac circumuolans alios, velut exhortatur: Its princeps non opera, sed consilio & iussis prodesse debet suis. *ibid.*

Theologia Christianorum tria præcipua quædam in Deo ponit: summam Potentiam, summam Sapientiam, summã Bonitatem. Hunc ternarium pro viribus absoluas oportet. Nam potentia sine bonitate mera tyrannis est: sine sapientia, pernicies, non regnum. Primum igitur des operam, vt quandoquidem potentiam fortuna dedit, quam maximam sapientiæ vim tibi compares, vt vnus omnium optime, quid expetendum, quidve fugiendum sit, perspicias, deque vt quam maxime prodesse studeas omnibus, nam id est bonitatis. Potestas autem ad hoc potissimum tibi seruiat, vt quantum cupis prodesse, tantumdem & possis, imo plus velis quam possis. Porro nocere hoc minus velis, quo magis potes. *De institu. princip.*

Deus vt pulcherrimum sui simulchrum in cœlo constituit solem: Ita inter homines euidentem ac viuam sui collocauit imaginem Regem. At sole nihil communius, ac cæteris item corporibus cęlestibus lucem suam impertit: Ita princeps publicis vsibus maxime debet esse expositus, & natiuum sapientiæ lumen habere domi, vt etiam si quid cœcutiant cæteri, nunquam tamen ille hallucinetur. *ibidem.*

Deus, cum nullis tangatur affectibus, tamen optime mundum administrat iudicio. Ad huius exemplum princeps in omnibus, quę gerit, exclusis animi motibus, rationem & animi iudicium debet adhibere. *ibidem.*

Vt Deum omnia moderantem, nemo tamen cernit, sed sentit, idque beneficio adiutus: Ita patria non sentiat principis vires, nisi cum illius sapientia bonitateque subleuatur. Contra tyranni nusquam sentiuntur, nisi omnium malo. *De institut. princip.*

Quemad-

Quemadmodum non vno supplicio dignus sit, qui fontem publicum, vnde bibant omnes, veneno inficiat: Ita nocentissimus est, qui principis animum prauis infecerit opinionibus, quæ mox in tot hominum perniciem redundent. *ibid.*

Bernardi. Vt colossi foris insignes Deum aliquem repræsentant, intus pleni luto, clauis, sordibus: Ita rex purpura, equis, auro, satellitio magnificus, in animo nihil habet præter sordidos affectus & inscitiam. *In Moral.*

Vt imperiti statuarij pulchram existimant statuam, quæ sit vastissima mole: Sic reges nonnulli fastu & asperitate se egregios principes videri putant. *In Moral.*

Princeps quid aliud est quam medicus Reipublicæ? Ad medico non satis est, si ministros habeat peritos, nisi sit ipse peritissimus ac vigilantissimus: Ita principi nõ sufficit, si magistratus habeat probos, nisi sit ipse probissimus, per quem illi & diligantur & emẽdantur. *ibid.*

Vt animi partes non omnes perinde valent, sed quædam imperant, aliæ parent, & tamen corpus tantum paret: Ita princeps summa Reipub. pars plurimum sapere, & ab oĩbus crassis affectibus alienissimum esse oportet. Ad hunc proxime accedunt magistratus, qui partim parent, partim imperant, parent principi, imperant principi. *ibid.*

Bonus princeps non alio animo debet esse in suos ciues, quam bonus paterfamilias in suos domesticos. Quid enim aliud est regnum, quam magna familia? Quid rex, nisi plurimorum pater? Excellit enim: sed tamen eiusdem est generis, homo hominibus, liber liberis imperans, nõ belluis, vt recte prouidit Aristoteles. Quod quidem intellexisse videntur & vetustissimi Poetæ, qui Iouem, cui totius mundi & Deorum (vt illi loquuntur) omnium tribuunt imperium, subinde notant his verbis: πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε, id est, pater hominumque Deumque. Et nos sic a Christo præceptore docti, Deum omnium haud dubie Principem patris vocabulo compellamus. *ibid.*

Princeps salutaris, vt erudite dictum est à Plutarcho, viuum quoddam est Dei simulachrum, qui simul & optimus est, & potentissimus: cui bonitas hoc præstat, vt omnibus prodesse velit: potentia, vt quibus velit possit quoque. *ibid.*

Quod cor est in corpore animantis, id est princeps in Republica: Si cor sincerum est, quoniam sanguinis spirituum fons est, vitam impartit vniuerso corpori: sin vitiatum fuerit, exitium adfert membris omnibus. Verum vt ea pars in corpore animantis omnium postrema solet corrumpi, & in hac extremas vitæ reliquias superesse putant: Ita decet principem, si quis morbus corripuerit populum, ab omni stultitiæ lue quam integerrimum esse. *ibidem.*

Vt in homine, quod præstantius est, imperat, nimirum animus: rursum in animo, quæ pars est optima, ea præsidet, nempe ratio: & quod dominatur in vniuerso, id omnium est optimum, nempe Deus: Ita quisquis in Republica, tanquam in magno corpore, imperandi partes occupauit, eum oportet bonitate, sapiẽtia, vigilantiaque cæteros anteire. Et quanto magistratus antecellunt plebi, tanto princeps antecedere debet magistratui. *Ibidem.*

Quemadmodum fidus ac doctus medicus non adhibet sectionem aut vstionem, si malagmate, aut potione tolli malum possit: nec vnquam ad illa descendit, nisi morbo coactus: Ita princeps omnia tentabit remedia, priusquam ad capitale supplicium perueniat, ita cogitans, Rempublicam vnum esse corpus: at vero membrum amputat, si diuersa via non possit sanitati restitui. *ibidem.*

Philonis Iudæi. Quemadmodum ad prosperam nauigationem opus est bono peritoque gubernatore: Sic etiam sapiente principe ad tuendam tranquillitatem bene constitutæ Reipubl. *Lib. de charitate, fol. 441.*

Engelberti Abbatis. Ponamus duos homines: vnum mediocrem statu suo, & rebus, alium vero prædiuitem, & magnum statu & rebus. Et ponamus illum mediocrem hominem se & sua recte gerentem & æstimantem, sua sibi bene sufficere, & pro tanto suis esse contentum, & alienis rebus non intentum, mente quietum, suis charum vicinis, gratum omnibus, æquum & placidum, ac nulli molestum, & sic semper liberum & securum: illum vero prædiuitem & magnum se & sua non recte gerentem, suis non esse contentum, & per consequens alijs inuidentem, & alienis rebus & honoribus inhiantem: & sic animo semper turbidum, mente inquietum, laboribus & insidijs plenum, occupatum, corpore & animo vexatum, semper formidolosum, suis grauem, & extraneis inuisum, & vtrisque odiosum, ac idcirco nunquam tutum, & nusquam securum. Nemo autem sanæ mentis, & rationis particeps, ignorat vel dubitat, vter horum duorum gaudeat felicitate, & vter eorum torqueatur miseria & infelicitate. A simili itaque illud regnum, & ille principatus in veritate poterit dici felix, cuius rex vel princeps se & suos recte regens, suis honoribus, iuribus ac rebus ac terminis est contentus, illis bene prouidens, & ipsis bene vtens; suos in suis non lædens, alienos iniuste non inuadẽs, pacificus cum vicinis, gratus & gratiosus suis, qui per consequens semper erit animo serenus, mente tranquillus, vbique tutus, & semper securus, vita incolumis, fama laudabilis & laudatus, & in sua gloria delectabilis & iucundus: & Econtra vero, infelix dici poterit illud regnũ, & ille principatus, cuius rex vel princeps se & suos nõ recte regens, & suis non prouidens, & ipsis male vtens, cogente necessitate suis non contentus, aliorum rebus rapiendis intentus, suos opprimens, vicinos inuadens, cum nullo pacificus, amicis ingratus, exteris odiosus, omnibus formidabilis & formidolosus, mente turbidus, animo inquietus, in semetipsum fremens, in alios amarus, spiritu vexatus, corpore tribulatus, timoribus anxius, sollicitudine dubius, insidijs perplexus, alijs grauis, sibi onerosus, & omnibus terribilis, nulli amabilis, nec iucundus. *De ortu & fine Romani Imperij, capite octauo.*

Sicut in natura rerum insensibilium inuenitur in omnibus & singulis quædam maioritas & minoritas, secundũ quam alia alijs sunt meliora, & per consequens digniora, sicut patet in corporibus cœlestibus, quæ sunt meliora & digniora rebus inferioribus, & in inferioribus ad se inuicem comparatis, in quibus agens semper nobilius est patiente: & per consequens, inferiora necessaria reguntur à superioribus, & patientia ab agentibus: & e contrario, inferiora necessario subiecta sunt & obedientia superioribus, & passiua actiuis. Eodem modo habet idem se in animalibus, & præcipue in his, quæ non sunt effera, sed gregalia: id est, quæ per greges sibi cohabitant, coambulant, & simul viuunt, vt in gregibus ouium & arietum, pecorum & equorum & in gregibus pullorum & apum: quod videlicet in singulis generibus ipsorum meliora præferuntur, & præsunt deterioribus, vt fortiora debilibus, & magis industria simplicioribus, & antiquiora iunioribus: & vltimo, vnum de toto grege præfertur & præest omnibus tanquam omnium cæterorum maius, fortius ac magis industrium, vt minora & debiliora, & simpliciora vel regantur, vel etiam saluentur per maiora, fortiora, & magis industria, quia natura omnibus, quæ fecit, prouidit ad salutem & conseruationem, vnicuique pro suo modo. Hoc ipsum etiam in siluestribus feris patet & in auibus, quia gregem ceruorum & ducit vnus. Similiter in capreis & ibicibus, & inter aues in ciconijs & gruibus: in siluis item & saltibus leo est rex ferarum, & in aere aquila est rex auium. Sic etiam inter homines ratio imitata naturam, præfecit maiores minoribus, & subiecit ad obediendum & obsequendũ minores maioribus, ad salutem & conseruationem minorũ per maiores. *De ortu & fine Rom. Imperij, cap. 5.*

Quin ex ipsis animantibus regis ac tyranni simulachrum colligere licet. Apum regi amplissimum cubile: sed in medio, vel vti tutissimo regi loco. Atque ipse quidem onere vacat, verum exactor est alienorum operum. Hoc amisso, totum examen dilabitur. Præterea insignis ei forma est, dissimilisq; cæteris, tum magnitudine, tum nitore. Sed hac, vt inquit Seneca, nota potissimum à cæteris distinguitur, quod cum apibus plurimum sit iracundiæ, adeo vt aculeos in vulnere relinquant: solus ipse rex aculeo caret. Noluit illum natura nec sæuum esse, nec vltionem magno constituram petere, telumque detraxit, & iram eius inermem reliquit. Exemplar hoc magnis regibus ingens est. *ibid.*

P. M. Cum cæteri mortales artem, quam profiteri parant, prius adhibito studio discant: Quanto maiori cura principem oportet administrandi rationem perdiscere? Ac cæteræ quidem artes quas sunt rebus potissimum constant: natura, præceptis, exemplis, vsu: in principe lene ac mansuetum ingeniũ requiritur. *Plato de instit. principis.*

Non licet dormitabundum esse, qui clauo assidet: & in tantis rerum periculis stertit princeps? Nullum mare tam graues habet tempestates vnquam, quam omne regnum assidue. Semper itaq; principi vigilandum est, ne quid erret, qui non nisi plurimorum pernicie delinquit. *ibid.*

Magnitudo nauis, aut mercium pretia, aut vectorum numerus haud facit elatiorem bonum nauclerum, sed attentiorem: Ita bonus rex, quo pluribus imperat, hoc vigilantior esse debet, non insolentior. *ibid.*

Seruus seruo præstantior, vt habet prouerbium, vt dominus domino potior: quod alia sit ars alia præclarior, alia functio alia melior. At principem in optimo sapientiæ genere oportet præcellere. Ea est ratio recte administrandi rempub. *ibid.*

Deus ipse, ne coactis imperaret, & angelis & hominibus liberum dedit arbitrium, quo splendidius & augustius redderet imperium suum. Et quisquam hoc nomine sibi magnus videtur, quod metu adactis ciuibus ceu pecudibus imperet? *De institutione Principis.*

Cum Respublica corpus quoddam sit, ex varijs membris compactũ, in quorum numero sit & princeps ipse, licet eximium ea moderatione conuenit vti, vt omnibus bene sit, non vt attenuatis cæteris vnum aut alterum vegetum ac saginatum euadat. Quod si princeps Reipubl. malis gaudet & alitur, neque pars est Reipub. neque princeps, sed prædo. *ibid.*

Si pictor

Si pictor ex tabula belle confecta voluptatem capit: si agricola, si olitor, si faber suis fruitur operibus: Quid principi debet esse iucundius, quam si contempletur rempublicam sua opera redditam meliorem, ac florentiorem? *ibid.*

Plato vetuit legibus suis, ne quis Deum vllius mali causam diceret, propterea quod natura bonus sit, ac beneficus. At Princeps Dei simulachrum quoddam est, si vere princeps sit. Quantum igitur abhorrent ab hoc exemplari: qui sic rem gerunt, vt quicquid malorum in Republica cooritur, id ipsorum vitio cooriatur. *ibid.*

D. Augustin. Paxillus nisi bene fixus fuerit, & aliculi fortiori adhæreat, omne, quod in eo pendet, cito dilabitur, & ipse solutus à rigore suę firmitatis cum oneribus ad terram dilabitur: Sic & princeps nisi suo cōditori pertinaciter adhæserit, & ipse & omnis qui ei consentit, cito deperit. *de 12. abusionib. gradu 6.*

Plutar. Vt rex mundi magna curat, parua relinquens fortunæ, quemadmodum dicit Euripides: Ita princeps non nisi in grauibus, & arduis negocijs exercebitur. *In Moral.*

Regula primum recta sit oportet, deinde quæ applicentur, corrigat: Ita princeps primum ipse vitijs careat necesse est, deinde alijs leges præscribat. *In Moral.*

P. M. Cybindus auis bellum internecinum gerit cum aquila, adeo vt cohærentes sæpenumero prędantur: Ita fit aliquoties, vt dum mutuum inter se odium pertinaciter exercent principes, vtrique subuertantur, tertio quopiam inuadente. *In simil.*

Vt sol non alius est pauperis, alius diuitis, sed omnibus communis: Ita princeps personam spectare non debet, sed rem. *In simil.*

Leo cunctis formidatum animal cantum, ac cristam galli formidat: Ita summi principes infimorum conuicia nonnunquam timere coguntur. *ibid.*

P. M. Vt periculosum est, Dæmones euocare, propterea, quod si quid erratum fuerit, magno conantis discrimine fiat; nam aiunt Tullum Hostilium ictum fulmine, quod ex Numæ libris Iouem deuocare conatus quædam parum rite fecisset: Ita periculosum est cum principibus habere commercium, aut cum morosis potentibus, quod offensi re qualibet leui, funditus subuertant hominem. *In simil.*

Plin. Cum maxime feruent apum inter se prælia, tum iactu pulueris sola res componitur: Ita grauissimi serum motus inter principes affinitate, aut simili re quapiam nugacissima finiuntur. *lib. 11. cap. 58.*

EXEMPLA BIBLICA.

Principum & Prælatorum malorum *Exempla*: Aaron, *Exodi* 32. *ver.* 21. Filij Israelitarum, *Num.* 23. *v.* 4. Filij Heli, 1. *Sam.* 2. *v.* 2. 12. Ieroboam, 1. *Reg.* 12. *v.* 19. 20. 28. 30. Achab, 18. *v.* 18. Manasses, 2. *Paral.* 33. *v.* 9. Nabuchodonosor, *Esa.* 14. *v.* 20. Reges Aegypti, 19. *v.* 13. Sodomi, 22. *v.* 15. Sedecias, *Ierem.* 38. 2. 5. Pilatus, *Matth.* 27. *v.* 18. 24. *Ioan.* 19. *v.* 13. Principes Sacerdotum, *Actor.* 4. *v.* 18. Magistratus Templi, 5. *v.* 18. 26. 40. Iudæorum Clerus, 6. *v.* 12. Magistratus Philippensis, 16. *v.* 22. Ananias, 23. *v.* 2. 3. Felix, 24. *vers.* 28. Festus, 25. *v.* 9. 12. Principes & Reges in populo Iudaico inaugurandi rite *Exempla*: In Iosua, *Num.* 27. *v.* 18. 19. Saule, 1. *Sam.* 10. *v.* 1. 2. Dauide, 16. *v.* 15. 52. 13. 2. *Sam.* 2. 4. & 5. *v.* 3. Salomone, 1. *Reg.* 1. *v.* 38. 39. Iehu, 2. *Reg.* 9. *v.* 1. 2. 3. *Ioan.* 11. *v.* 10. 11. 52. Ioachaz, 23. *v.* 30.

HIEROGLYPHICA.

Aegyptij sacerdotes, si *Principem*, aut legislatorem significare vellent, *Canis* Hieroglyphicum cum diademate, siue fascia, vel amiculo faciebant, reliqua corporis facie nuda, propterea quod velut *leni forma canum*, vt Lucretius ait, *fido cum pectore corda*. In Deorum simulacris diligenter obseruandis detinebatur: sic etiam princeps, qui tota sit sacratus, Regem, qui anteacto tēpore claruerit, nudum contemplare debet, &c. *Pier. Val. lib. 5. pag. 48. E.*

Ciuitatem ab *imbecillo recta principe* significare qui volunt, *vrsi caput* pingunt: inualidissimum est vrso caput, quod contra leoni fortissimum. *Pier. Val. lib. 12. pag. 107. A.*

EMBLEMA.

Princeps subditorum incolumitatem procurans.

Emblema CXLIII.

Titanij quoties conturbant æquora fratres,
Tum miseros nautas anchora iacta iuuat.
Hanc pius erga homines Delphin complectitur, imis
Tutius vt possit figier illa vadis.
Quam decet hæc memores gestare insignia Reges,
Anchora quod nautis se populo esse suo.

FABVLAE.

Leporinum caput.

Cocus iussus in cœnam parare leporem, detracta reliqui corporis pelle: cum in capite denudando plusculum illi negocij exhiberetur, carnificem, inquit, ad hanc partem aduocari oportuit.

Fabula docet, capita Reipubl. non facile neque libenter admittere castigationes, neque illa paulo durius tractare ciuibus tutū esse. Itaque illi prudentissimi senes in Tragœdia, sese principum facta animaduertere seu speculari negant.

Pauo & Monedula.

Cum haberent comitia volucres regi creando, petijt regnum pauo, quod se ob formam eximiam illo dignum præ cunctis esse diceret. Qui cum omnium suffragia laturus videretur: Hic tamen rex, inquit Monedula, si forte tu factus, & aquilam hostem habuerimus, quidnam opis auxilijve poterit adferre?

Monet fabula, in principibus legendis non speciem modo, sed etiā virtutem & sapientiam spectari oportere.

Vide etiā Gubernatio, Magistratus, Rex.

PRINCIPIVM.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

PRincipium, Græc. ἀρχὴ, Hebr. *Reschith*, à *Rosch*, Caput, nam principium est initium cuiusuis rei. Principium dicendi, pro orationis exordio. Accipitur interdum pro fundamento artis vel scientiæ, cui innituntur reliqua omnia quæ in ea traduntur, item, pro primo illo rerum omnium fonte, vnde cætera omnia fluxerunt, atque initium sumpserunt.

Principia externa Naturæ sunt, quæ nec ex alijs, nec ex seipsis inuicem, & ex ipsis alia visibilia corpora naturalia orta & cōstituta sunt, vt potè ad generationem & constitutionem eorum pertinentia. Ita nominantur vt à causa efficiente & fine, corporum naturalium externis principijs distinguantur. Ac Deus quidem est verum vereque primum & vnicum principium, à quo & propter quod omnia corpora naturalia orta sunt: quia ipse proprijssime est rerum omnium quæ in hac vniuersitate sunt tum causa efficiens prima, vniuersalis agens, mouens, exemplaris: tum finis vniuersalis, vltimus & supremus.

Principia interna Naturę visibilis, seu corporum naturalium visibilium duplicia sunt. *Constitutionis*, nempe ex quibus tanquam partibus naturale corpus constitutum est, & quę propterea in corpore constituto permanent, Suntque duo, nimirum materia & forma: deinde *transmutationis*, cuius principium naturale est Priuatio Physica, quæ est vacuitas seu carentia formæ in subiecto seu materia capace illius formæ: ac proinde materię constitutio talis, vt apta sit ad recipiendam formam.

Naturalia principia, sunt notitiæ a Deo humanę menti insitæ, veluti radij lucis & sapiētiæ diuinæ, vt sint testimonia de Deo & eius voluntate, discernāt nos a bestijs, regant vitam, gignāt honestas artes, scientias ac disciplinas, quarum vsus in vita necessarius est. Illa sunt Theorica & Practica. Theorica nominamus fontes præceptorum in artibus & scientijs ad cognitionem rerum. Practica moderantur mores & officia hominum, quia discernunt iusta & iniusta, honesta & inhonesta, æqua & iniqua, vt congruant voluntates & actiones nostrę cum voluntate Dei. Horum principiorum veluti λείψανα quædam occurrunt passim in scriptis etiā Gentilium, vt Homeri, Platonis, Aristotelis, & aliorum.

Principium omnium, sine principio, de seipso loquitur, *Esa.* 41. 4. & 43. 13. & 44. 6. & 4. 12. *Apocal.* 1. 8. 11. & 2. 8. & 21. 6. & 22. 13. Ante principium & ens illud, nihil est, & per illud omnia facta sunt, atque vt omnia intereant superstes manebit.

PHILOSOPHOR. SENTENTIAE.

Principij nulla est origo. Nam ex principio omnia oriuntur. *Cicero. 1 Tuscul.*

Omnium rerum principia parua sunt, sed suis progressionibus augentur. *Idem 5. lib. de fin.*

Principium primum rerum optimum est, & ipsum bonum, quod anima sequitur, quod lumen menti infundit, cuius vestigium passim concitat, mentem & animam ad se trahit, & ab errore reuocat, vt penes ipsum denique conquiescant, ab ipso omnia sunt, nihil melius ipso: per se sufficientissimum. *Plotin. Enn. 6. lib. 7. c. 23.*

Principium primum quid sit, oportet nos incerta mente hinc abire, nec quicquam vlterius indagare. Nam omnis quæstio quęrit, vtrum sit necne, vel quale, vel quid. Non propter quid, quia non est supra illud principium: non quale: quia nihil illi accidit. Quid declarat potius de illo non esse inquirendum: nec de eo dubitandum est. *Idem, Enn. 6. l. 8. c. 11.*

Principia rerum naturalium qui admiserunt, alij corporea simul & incorporea, spiritualia & materialia miscuere, Deum videlicet, ideas, & materiam: quam sortem plerique Platoni tribuunt. Aristoteles materiā formā & priuationem. Pythagoras ex numeris cōposuit principia. Mathematici nonnulli fines corporum posuere. Straton Physicus qualitatibus naturalibus solum contentus fuit. Democritus insensibilia corpora, Epicurus atomos, alij in numero principiorum varij fuerunt. Nam vnum, duo, tria, quatuor, & quin-

& quinque posita fuere: nec ita minor difficultas fuit in rei natura & qualitate. Qui enim vnum, alius terram, alius aquam, aerẽ alius, ignem alius, & sic de alijs: ita vt quidam infinita principia opinati sunt. *Ioan. Franc. Pico. Mirand. in examine vanitatis doctr. Gent. lib. 1. c. 10.*

De principijs rerum naturalium multa Plutarchus collegit. *Lib. 1. de placitis Philosophorum, cap. 3.*

Veteres quando principium (rerum agendarum) totius esse dimidium dicunt, in singulis rebus curandum esse monent, vt recte ordiamur. Quamuis autem per excessum id dicere videntur, mihi tamen minus ab illis quam ipsa veritas exposcat, dici videtur. Poterit enim quis confidenter dicere, non esse principium totius dimidium, sed & insuper requiri, vt ibi inchoaueris, ad finẽ quoque animo contendas. Etenim quomodo fieri poterit, vt recta quis ordiatur, nisi simul & consumationem propositi mente cõcipiat, sciatque quorsum & ad quid, & qua ratione quod conatur efficere queat? Rursus quomodo res cõpetenter cõsummari poterunt, nisi primum recte expendas, vnde, aut quomodo, vel propter quid, rem aliquam aggrediare? Quocirca non est putandũ ad dimidium dumtaxat extendenda esse principia, sed ad finem vsque: eaque de re summum habendum studium tam dicentibus quam audientibus. *Polyb. lib. 5.*

In omnibus publicis rebus principia diligenter consideranda sunt: propterea quod postea sine summo probro & periculo ab iam constitutis diuq; retentis, discedere non possunt homines. *Fr. Guicciard. lib. 8.*

POETARVM SENTENTIÆ.

Ouid. 1. Remed.

Sed tamen est artis tristissima ianua nostra,
Et labor est vnus tempora prima pati.
Adspicis vt prensos vrant prima iuga iuuencos?
Et noua velocem cingula lædat equum?

Ter. Heaut. 5. 5.

Hæc dum incipias grauia sunt,
Dumque ignores: vbi cognoris, facilia.

Hor. 1. Epist. 2.

Dimidium facti qui cœpit habet: sapere aude:
Incipe.

Auson. Epig. 83.

Incipe dimidium facti est cœpisse: superest
Dimidium, rursum hoc incipe, & efficies.

Idem Monol.

Incipe, quicquid agas, pro toto est prima operis pars.

Plaut. Pers.

Si quam rem accures sobrie aut frugaliter,
Solet illa recte sub manus succedere.
Atque edepol ferme, vt quisque rem accurat suam,
Sic ei procedit, post principia denique si malus,
Aut nequam est, male res vertunt, quas agit:
Sin autem frugi est, eueniunt frugaliter.
Hanc rem exorsus sum facete & callide,
Igitur prouenturam bene confido mihi.

Lucret. 1.

Cui nisi prima fides fundata valebit,
Haud erit occultis de rebus quo referentes
Confirmare animo quidquam ratione queamus.

SENTENTIÆ PHILOSOPHICÆ.

Principij nulla est origo. Nam ex principio oriuntur omnia. *Cic. 1. Tusc. & in som. Scipionis.*

Omnium rerum principia parua sunt, sed suis progressionibus vsa augentur. *5. de finib.*

Principijs cognitis, multo facilius extrema intelligũtur. *Pro Cluent.*

APOPHTHEGMATA.

Socrates dicebat, Bene incipere, non esse pusillum, sed iuxta pusillũ. Græca sic habent: τὸ ἀρχῆσθαι μικρὸν μὲν μὴ εἶναι, παρὰ μικρὸν δέ. Qđ Laertij interpres ita reddidit: Bene incipere paruum nõ esse, sed maximum. Quanquam aliud exprimunt verba Socratis, sed sentit, ni fallor, bene incipere, non esse quidem paruum, sed parui fieri, aut recte incipere, non esse pusillum, sed iuxta pusillum. Paulatim enim incipiẽdum, eo quod qui initio præproperi sunt: serius peruenιũt ad finem: vt alludat ad Hesiodum, iubentem, vt pusillum pusillo addamus. Dicti argutia est in Græcis vocib. eaque Latine reddi vix potest. *Laert. in eius vita.*

Pittacus illud decantatissimum frequenter dicere solebat: dimidiũ plus esse toto. Quo vir prudẽtissimus innuere voluit, omne quidem principium satis esse durum: verum si rem aggrediamur serio, facile nos peruenire ad rei finem. *Laert. lib. 1.*

Stratonicus Byzantij, cum cytharœdus quispiã belle cecinisset prooemium, cætera minus feliciter, surrexit, ac præconis in murẽ pronunciauit: Quisquis indicarit cytharœdum, qui bene cecinisset procœmium, drachmas accipiet mille. *P. M. l. 6. apoph.*

FABVLA.

Pater, & filius rusticus.

Vade, inquit Pater rusticus filio, & aruum nostrum accepto ligone perfodito, vt conseruetur. Filius egressus, & se clam spatioso aruo perfodiendo satis vnum non esse futurum, secum cogitabat: itaque illum diem, desperato laboris processu, cũ humi propter aruum se prostrasset, acquieuit. Idem postero & tertio die fecit. Tum pater opus inspecturus egreditur: & intactum adhuc aruum esse videns, de filio, quid illis diebus egisset, requirit. Nihil inquit hic, nam qui possim ego & tãtum aruum solus perfodere? Pater errore filij intellecto: At tu, inquit, singulis diebus spatiũ pedum octo vnum perfodito. Cum filius obsecutus patri aliquot diebus octonos pedes absoluisset, arui fodiendi spatium indies minus relinqui animaduertit, itaque annisus celeriter totũ illud vti iussus fuerat, perfodit.

Fabula significat, difficultatem in æstimandis laboribus & opus faciendum potius, quam metiendum.

PRIVATIO.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

PRiuatio, Græce στέρησις, εως, ἡ, & στερέω, priuo dicitur. Hebræ. *Schacol*, & *Schachol*, in prima coniugatione, Orbus fuit, orbatus est, priuatus est re aliqua. In secunda coniug. *Scicchel*, orbauit, priuauit. Inde *Schechol*, Orbitas, priuatio. Est autem priuatio negatio substantiæ ab aliquo determinato genere *secundum Arist. libro 4. Metaph.*

Priuatio duplex, scilicet in priuari, & in priuato esse: prima est contraria habitui, non autem secunda. *Ex B. Thom. in q. disputatis de malo. q. 1. art. 1. & q. 2. art. 9.*

PHILOSOPH. SENTENTIÆ.

Priuatio & repugnantia aduentitium quiddam est. *lib. 1. de Nat. c. 7. T. 66.*

Ex priuatione, quæ per se nihil est, etsi non inest, tamen aliquid fit. *lib. 1. de Nat. c. T. 75.*

Priuatio sæpe ei, qui animi aciem ad id malum, quod affert, intenderit, non esse omnino videbitur. *lib. 1. de Nat. c. 9. T. 80.*

In priuatione subiecta est natura quædam, de qua priuatio dicitur. *Lib. 7. 3. Metaph. c. 2. T. 4.*

Priuatio est habitus quodammodo. *Libro δ 4. Metaphysic. c. 12. T. 17.*

Priuatio est natura contraria vniuersæ speciei. *Plotin. 1. lib. 8. c. 11.*

Priuatio non est qualitas, vel qualis, immo qualitatis orbitas, vt silentium vocis vel alterius cuiuscumque vacatio: nam priuatio est negatio, quale in affirmatione consistet. *Idem Enn. 2. libro secundo, cap. 4. cap. 13.*

Priuationes, si illa, quorum dicuntur priuationes, sunt qualitates, ipsæ quoque qualitates erunt. *Idem Enn. 6 lib. 3. c. 19.*

Priuatio nec ipsa per vim propriam bono aduersatur, vniuersalis enim priuatio vim nullam habet. particularis non vt priuatio, sed qua ratione non est priuatio, vniuersam vim aliquam habet, quatenus enim particularis est defectus boni, nondum est malũ, quę si nõ sit vltra particularis, simul & ipse natura mali discessit. *Dion. Areopag. de diuinis nominib.*

Priuationes in affectis entis quodammodo sunt species, tamen non sunt: ad vnitiuam enim entis potentiam etiam ipsæ susceperant debilem quandam essendi imaginem. *Procl. el. Theolog. propos. 74.*

Priuationes quandoque eligimus magis, quam habitus ratione boni. *Pic. Plat. Parmen. c. 46.*

Priuationem absque habitu cõsiderare non possumus. *Idem in Plat. Sophist. c. 18.*

Priuatio ex habitu cognoscitur, & rectum & sui obliqui est index. *Ioan. Franc. Pic. Miran. de prænotione, lib. 7. c. 1.*

Priuationem vocat Moyses tenebras. *Ioan. Fran. Pic. Miran. in Heptap. lib. 1. c. 2.*

Priuationes sunt de genere nõ entium, cum de se sint alterum contradictionis extremum. *Ioan. Francisc. Pic. Miran. in epist. ad Ant. Fauentin.*

Priuatio in simplicis rei ortu, mutationis in materia causa est efficiens. *Iacob. Carpent. in Alcin. c. 7.*

PROBITAS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

PRobitas est prudens bonitas: qua mentes à se omnem extraneum prohibent rationis morum. Cuius contrarium, Facinus, vel Improbitas, vt opinantur quidam, flagitium: quoniam mentem solam tangit. Probum Festus hominem vocat, qui se prohibet a malefaciendo. Alij probum dici volunt: quasi probatũ, metaphora sumpta à metallis. Heb. Probus, vir bonus appellatur *Chasidh*, i. Sacer, prius beneficus, misericors, a verbo *Chassedh*,

Sacrauit

sacrauit, quod medils est *Chesedh*, probitas, pietas, misericordia, charitas: *Psal.63.v.vlt.& 136.vers.1.&c.* In contraria significatione indicat nefandum scelus: vt Leu. 20. 17. Ita Gallice dicimus affirmatione de probo viro: C'est vn homme de bien. Et ironice de impuro nebulone, per exclamationem, O l'homme de bien.

SENTENTIÆ POETICAE.

Ouid. de me. faeie.

Sufficit & longum probitas perdurat in æuum,
Perque suos annos hinc bene pendet amor,

Plaut. Trin.

Is probus est, quem non pœnitet, quam probus sit, & frugis bonæ.

Plaut. Trin.

Boni sibi hæc expetunt, fidem, honorem,
Gloriam & gratiã & hoc probis pretium est eo mihi magis lubet,
Cum probis potius, quam cum improbis viuere vanidicis.

Horat. Serm. 16.

Magnum hoc ego duco,
Quod placui tibi, qui turpi secernis honestum.
Non patre præclaro, sed vita, & pectore puro.

APOPHTHEGMATA.

Anonymus. Adolescens quidam cum venderetur, rogatus a licitatore, Erisne frugi, si fuero mercatus? etiam si non fueris mercatus, respondit: Nec fortuna quidem seruilis ducere potuit illum seruilia loqui. Qui enim natura probus est, vbiq; & apud omnes probus est. *Plut. in apoph. Lacon.*

Aeschylus. Cum hi versus, quos de Amphirao scripsit Aeschylus, in theatro, recitarentur apud Athenienses:

Οὐ γὰρ δοκεῖν ἄριστος ἀλλ' εἶναι θέλει,
Βαθεῖαν ἄλοκα διὰ φρενὸς καρπούμενος,
Ἀφ' ἧς τὰ κεδνὰ βλαστάνει βουλεύματα.
Neque enim videri, at esse studet vir optimus,
Segetem profundam mente studiosa colens,
Consilia quando hinc germinant salubria.

Totus populus in Aristidem vertit oculos, agnoscens hoc laudis in eum competere. *Plut. in Græc. apoph.*

Aristides creatus procurator fisci, quod munus sanctissime gesserat, tamen a Themistocle delatus est, ac repetundarum damnatus. Sed optimatum fauore non solum illi mulcta remissa est, verum etiam eidem reddita est muneri: quod per simulationem sic administrauit, vt omissa pristina seueritate, lenẽ se facilemque præberet ijs, qui publico malo gaudent ditescere. Horum opera factum est, vt populus tertio munus summis fauoribus eidem deferret Aristidi. Tum ille: Ob integre gestum munus damnastis: quoniam præter æquum multa concessi ciuitatis expilatoribus, honore dignum iudicatis. Hoc igitur honore delato, plus mihi dedecoris afferri puto, quam damnato ac mulctato irrogastis. Notat quibus artibus posset fieri gratiosus apud populum, nisi maluisset iustus esse, quam plausibilis. Hoc dicto notauit vulgi peruersum iudicium, quod ea, quæ profutura essent Reip. vbiq; damnat: quæ nocent, summis euehit laudibus. *Plut. in Themist.*

SIMILITVDINES.

Philonis Iudæi. Quemadmodum columnæ magnas domus sustinent: Sic boni viri populum totum confirmantes, ciuitates & respublicas fulciunt. *Apud Ant. in Meliss. part 2. serm. 31.*

Libanij Sophista. Quemadmodum omnis sapiens ei vitio vertit, qui turpem aliquem amat: Ita rursus illi laudi dabit, qui probum virum amore complectitur. *In epist. character fol. 22.*

Vide Bonum, Bonitas, Pietas, Virtus.

PRODIGALITAS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Prodigalitas, Græce ἀσωτία, & ἀσωτεύω [?], prodigus dicitur. Hebræi prodigalitatem verbo exprimunt, nempe *Achal*, deuorauit, consumpsit more ignis, quod proprium est intemperantiæ & prodigalitatis. Est autem prodigalitas incontinentia & ob intemperantiam pecuniarum profligatio. *Secundum Arist. lib. 4. Ethicor.*

Prodigalitas est circa possessiones pecuniæ, sicut deficiens, non autem sicut superabundans in eis. *Secund. B Thom. 2. 2 q. 119. art. 1.*

Prodigalitas semper est peccatum, non principaliter propter quantitatem, sed propter inordinationem dandi, quibus non debet dari, & propter quæ, & sicut debet. *Secundum eundem vbi supra.*

Prodigus est, qui sermone quidem videtur sapiens, sed factis tamẽ insipiens. *l. his qui § D Pius. ff. de tutor. & curator.* Et dicitur magis vanus quam malus *4. Ethicor.* Inter viles personas numeratur. *ff. de donation. l. nõ debet.* Et quis sit vere prodigus ac auarus. *lege Bar. Polyanthea Nouis.* *extra de consuetudin cap. Ex parte, & ff. ex quibus caus. l. penultima, & l. 1. C. eod.* Quomodo autem probetur quis prodigus ac auarus ex fama vicinorum, habes *ff. de Aedil. edict. l. sciendum. § illud. de minor. l. 3. § si minor. Et notatur in simili c. De iure dotium l. vbi.* Ad hęc delinquit prodigus in se tantum, non alium *gloss. singul. secundum Bald. in l. 1. § exigitur. ff. de bon. possess. secund. tab.* Quis sit prodigus. *Bart. in l. habet in princ. de tutor. l. si is qui ff. de tutor. & curator. dat.* Quomodo vero differat a furioso, *hab. in l. is cui ff. de testament.* & confertur pupillo in contrahendo, non autem peccando. *Bartol. in l. si curat. ver. vel ad secundum C. de restitutionibus in integrum l. si quis in tantum ver. quæro quid prodigi. C. vnde vi & ibi Alexand. atque Aretinus in l. si cui bonis ff. de verb. obl. Abbas & alij in c. Ex parte de consuet.*

Prodigalitas est motus curabilis, sed auaritia non. *Aegid. lib. 2. c. 18. de regimine principum.*

Lege 12. tabularum interdicitur furioso & prodigo bonorum suorum administratio, daturque vtrique curator: tamque diu erunt ambo in curatione, quamdiu vel furiosus sanitatem, vel prodigus sanos mores receperit. *Vlpian. ff. de curat. fur. dan.*

LOCI BIBLICI.

Prodigalitas damnatur, *Prou. 5. 9.* Prodigalitatis *Exemplum*, Prodigus filius. *Luc. 15. 13.*

SENTENTIÆ POETICÆ.

Hor. sat. 3. lib. 2. Sermon.

Quid ergo
Sensit cum summam patrimonij insculpere saxo
Hæredes voluit? quoad vixit, credidit ingens
Pauperiem vitium, & cauit nil acrius, vt si
Forte minus locuples vno quadrante periret,
Ipse videretur sibi nequior. Omnis enim res,
Virtus, fama, decus, diuina humanaque pulchris
Diuitijs parent, quas qui construxerit, ille
Clarus erit fortis, iustus sapiens, etiam & rex,
Et quicquid volet. Hoc veluti virtute paratum,
Sperauit magnæ laudi fore, quid simile isti
Græcus Aristippus? qui seruos proijcere aurum
In media iussit Libya, quo tardius irent
Propter onus segnes. Vter est insanior horum?

Menander.

Τοὺς τὸν ἴδιον γὰρ κατ[α]ναλοῦντας ἀλογίστως βίον,
Ὦ καλῶς ἀκούειν ταχὺ ποιεῖ πᾶσι κακῶς.
Si qui suas opes temere dilapidant
Laudibus extollunt, id obesse multis potest.

Euphron in Dioymis.

Ὁ γὰρ τὸν ἴδιον οἰκονομῶν κακῶς βίον,
Πῶς οὗτος ἂν σώσειεν τὸν ἔξω τινά.
Nam qui suam male gubernat rem familiarem,
Dic quæso quomodo seruabit is alienam?

Lucianus in Menippe.

Theron Menippi filius patrimonium omne adhuc iuuenis
Turpiter lasciuis sumptibus dissipauerat,
Postquam vero Euctemon paternus amicus ipsum vidit
Iam excruciari arida paupertate,
Illachrymans ad se recepit, & maritum
Suæ coniunxit filiæ, magnam dotem largiens.
Vt primum autem Theron præter spem ditatus est,
Statim pristinos sumptus repetebat.
Nihil non deliciarum indulgens veneri indecenter,
Ac insatiabili subseruiens libidini
Ita Theronem obruit secundo
Noxio paupertatis reciproca vnda.
Cæterum Euctemon denuo defleuit, non quidem illum,
Sed filiæ suæ dotem, & nuptias.
Cognouit autem, quod quisquis male vsus est
Rebus proprijs, non posse esse fideles in alienis.
Τοῖς ἰδίοις εἶναι πιστὸν οὐκ ἀλλοτρίοις.
Ἔγνω δ' αὖ οὐκ ὄντε κακῶς κεχρημένον ἄνδρα.

Euphron.

Ἔργον συναγαγεῖν σωρὸν ἐκ πολλῶν χρόνων,
Εἰς ἡμέραν δ' ἐμὲ διαφορῆσαι ῥᾴδιον.
Haud facile cumulus aceruatur etiam longo tempore,
Vno vero die facile dissipabitur.

Menand. Comicus.

Multi sic affecti sunt, vt ægre queant
Parcere quicquam vlterius quam pro vita præsenti.

Diphilus Poeta.

Si nauigatio forte quatriduo instituatur,
Prospicimus quæ necessaria sunt in dies.
At si quid parcendum in senectam sit,
Cur non viaticum parsimonia reponemus?

Pythagoras Samius.

Μὴ δαπανᾶν παρὰ καιρὸν ὁποῖα καλῶν ἀδαήμων,
Μηδ' ἀνελεύθερος ἴσθι· μέτρον δ' ἐπὶ πᾶσιν ἄριστον.
Ne sumptus temere & importune feceris,
Sed neque illiberalis esto. Modus in omni re optimum.

Vrsin a Vellus sic vertit.

Dilapidare caue nummos, ceu nescius vti,
Pelle tamen sordes. Modus optima regula rerum.

Philosophicæ Sententiæ.

Prodigalitas est intemperans ac nimia pecuniarum profusio, in dādis accipiendisque pecuniis mediocritas, liberalitas dicitur: quæ modum transit, prodigalitas: quæ ab eo deficit, auaritia. Prodigus largiendo modum transit, & accipiendo abest ab eodem. *Aristoteles 4. Ethicorum, c. 1.* Pecunias appellamus res omnes quarum numero ponderatur æstimatio. Sunt autem in pecuniarum vsu duo vitia, quorum alterum in exuperantia positum est, diciturque Prodigalitas: alterum in defectione, quæ appellatur Auaritia. Ac auaritiæ quidem crimen in eos semper transferimus, qui nimio pecuniarum studio tenentur. Prodigalitatem autem quandoque cum aliis vitiis confundimus: impotentes enim, & qui sumptus faciunt, profunduntque pecunias in eas res, quæ sunt intemperātiæ, prodigos dicimus. Non igitur proprio nomine appellatur. Est enim prodigus certo vitio implicatus, quod in effundendis pecuniis cernitur. Prodigus enim per se ipse perit, atque etiam videtur ipsius interitus quidam esse facultatum effusio, quod ex iis vita constet. Prodigalitatem igitur hoc pacto intelligimus.

Prodigalitas & auaritia exuperantiæ sunt ac defectus, versanturque ambæ in duobus: Largiendis accipiendisque pecuniis: sumptus enim referuntur ad largitionem: Prodigalitas largiendo, & minus accipiendo modum deserit: auaritia autem largitur parū, sed accipiendo nisi in paucis vltra modum progreditur: Prodigorum igitur non fere opes augeri solent: neque enim facile est, cū qui a nemine accipiat, largiri omnibus: celeriter enim desunt ad largiēdum facultates iis, qui priuati sunt, quales sunt fere prodigi. Atqui cum sit eiusmodi, tamen videtur multo melior auaro: facile enim ad sanitatē traduci potest, & progressu ætatis & inopia coactus, ad mediocritates peruenire possit. In eo enim sunt ea omnia, quæ sunt liberalis, quod & largitur, nec aliunde accipit: sed tamen neutrum faciens, nec decorum seruat, nec æquitatem: qui si ad huius mores reducatur, aut alias commutetur, iā erit liberalis. Nam & quibus largiendum erit, largietur, nec vnde iniquum erit accipiet: quocirca non videtur deprauatis, corruptisque moribus præditus: non enim scelerati est, aut ingeniosi, sed stulti largiendo, nec accipiendo finem modumque transire. His igitur moribus prodigus præditus est, auaro multo melior, cum ob eas causas, quas diximus, tū quod hic prodest omnibus, ille nemini, ne sibi quidem. *Stob.*

Omnino duo sunt genera largorum, quorum alteri Prodigi, alteri Liberales. Prodigi qui epulis, visceratonib. & gladiatorum muneribus, ludorum, venationumque apparatu pecuniam profundunt in eas res, quarum memoriam aut breuem, aut omnino nullā sint relicturi. Liberales, qui suis facultatibus aut captos a prædonibus redimunt, aut æs alienum suscipiunt causa amicorum, aut in filiarum collocatione adiuuant, aut opitulantur, vel in re quærenda vel augenda. *Cic. lib. sec. de officiis.*

Largitio non habet fundum. Significatur autem liberalitate stulta quantaslibet opes exhauriri. Translatum videtur a pertuso dolio Danaidum apud inferos. *Cic. l. 2. de offic.*

Apophthegmata.

Chilon, cum videret adolescentem liberaliter, vel profuse potius suum patrimonium aliis largientem, ait: Si sumptus magnos vbi non decet feceris, vbi decet mox exiguos facies. *Max. serm. 65.*

Bion, in quendam qui prædia sua deuorarat: Amphiaraum, inquit, terra absorpsit, tu terram. *Laert. l. 4. c. 7.*

Anaxagoras verissime dicere solebat: Magno cum negotio pecunias comportari, sed multo maiore opera conseruari ac custodiri. Cui & Poeta Ouid. astipulatur, qui ait:

Non minor est virtus, quam quærere, parta tueri.

Quemadmodum enim echinum, sic etiam nummos capere facilius est, retinere vero difficile. Sæpe enim pecunias, quas multo cum labore quis vnciatim vix comparserit, iuxta Archilochum, eas vniuersas semel in vnius scorti marsupium effundit homo ignauus, prodigus, & inutile terræ pondus. *Aelian lib. 4. Var. hist.*

Socrates videns quendam facile omnibus gratificari, nulloque delectu suppeditare: Male pereas, inquit, qui Gratias virgines vt scorta prostituisti. *Stob. serm. 14.* Hoc autem maximus, *ser. 8.* ascribit Democrito.

Idem à prodigo petebat minam. Ille miratus improbam postulationem, rogabat, cur, quum ab aliis obolum petere soleas, a me minam petis? Quoniam, inquit, ab aliis iterum me accepturum spero, à te vero an vnquam posthac accepturus sim, *θεῶν ἐν γούνασι κεῖται*, id est, in Deorum genibus situm est: attexuit enim hoc Homeri Hemistichium. Significabat autem, homini profuso periculum imminere, ne breui redigeretur ad extremā inopiam, vt ne obolum quidem haberet reliquum. *Laert. lib. 6. Stob. sermon. 13. Max. ser. 61.*

Idem præteriens prodigi cuiusdam ædes, inscriptionem habentes, Venales: Facile, inquit, diuinabam fore, vt præ immodica crapula domum euomeres. Iam enim domum absumpserat antequam venalem proscriberet. Vomitus igitur erat ille verius, quam vēditio. *Laert. lib. 6.*

Plut. Luxuriosorum vitam quasi quotidie morientem efferri dicebat. *Anton. & Maxim. ser. de prodigalitate.*

Idem diuitem prodigum contemplatus, oliuas edentem, & aquam bibentem: Si sic, inquit, prandisses, non sic cœnares. *Eod. sermone.*

Timotheus in Aristophontem prodigum grauissime inuehebatur, inquiens: Cui nihil satis est, eidem etiam nihil turpe. *Aelia. l. 12. de Var. hist.*

Epicurus dicere solebat, Cui pauca non sufficiunt, ei nihil satis esse. Alludens ad eos, qui cum habent, quæ ad vitam sustentandam necessaria sunt, non tamen sua sorte contenti, amplissimas diuitias ac opes petunt: quas si possiderent laborarent diebus ac noctib. quo parta, leuiter, otiose ac prodigaliter deglutirent ac concoquerent. *Aeli. l. 4. Var. hist.*

Alexandro puero Diis largius facienti suffitum, ac subinde ad thus accurrenti: Leonides illius pædagogus, qui tū aderat. Heus, puer, inquit, tum large facies suffitum, cum regionem deuiceris quæ thus gignit. Post cum eam regionem obtinuisset, memor eius dicti, hac sententia scripsit illi literas Mitto tibi thuris & cassiæ talenta aliquot, ne posthac parcus sis erga Deos: quum non ignores nos potitos regione odores gignente; *Plut. in apophe.*

M. Cato in Albidium, qui luxu facultates prodegerat, denique & ædes deuorarat, nouissime consequutum incendium, quod reliquū erat, absumpsit, ita iocatus est, vt diceret eum fecisse proterviā. Id erat priscum sacrificii genus, in quo si quid superfuisset, seruari religio erat, sed igni cremabatur. *Plutarch. in eius vita.*

Alphonsus, Equiti subinde aliquid flagitanti, sed mox quod acceperat profundenti: Si pergam, inquit, tibi dare quæ petis, citius me pauperem effecero, quam te diuitem: nam cui tibi donat, nihil aliud quam aquam infert pertuso dolio. *Panorm. de reb. gest. Alphonsi l. 2.*

Similitudines.

Plinij. Vt ager ferax, sed quem oporteat multo impendio colere, nō multum iuuat colonum: sic homo quæstuosus, sed idem sumptuosus, haud multum reponit hæredi profuturum. *l. 18. c. 5.*

Sorbo folia vniuersa decidunt, cum cæteris arboribus paulatim id accidat. Ita quidam subito nudantur, aut profundunt, aut genus vitæ commutant, cum sensim id fieri oporteat. *Plin. lib. 16. c. 15.*

Thraueri. Aer qui summo mane præcociter absorbet nebulam, fere affatim a prandio mittit pluuiam. Neque solent admodum retinere filii, quod coogesserunt parentes auari. *In apoph. 127.*

Adagia.

Calliæ defluunt pennæ. *Καλλίας πτερορρυεῖ.*

Dictum in Calliam apud Græcos, qui per luxum ac libidinem patrimonium abligurierat.

Gallorum incursare ventrem: *Ἀλεκτρυόνων μεμφθαι.*

Proteruiam fecit. *Macrob.*

De edacibus ac luxu multum absumentibus iactitatum.

Proteruia id sacrificij genus est in quo si quid reliquum esset id igni consumeretur. Vnde celebratur illud Catonis festiuiter dictum in Albidium quendam, qui patrimonium vniuersum luxu absumpserat vnis exceptis ædibus quæ incendio conflagrarunt Er sitzt im Schiff. Er hat außgewaschet. Er hat Feyrabend gemacht.

Relinque quippiam & Medis. *Λεῖπε τι καὶ Μήδοις. Plut.*

Prouerbialis iocus in eos, qui ex conuiuio nihil reliqui faciunt, aut qui facultates vniuersas abligurriunt.

E dolio hauris. *Ἐκ πίθου ἀντλεῖς.*

E dolio haurire dicebatur olim qui abundaret rebus optatis.

Vna cum causitep. *αὐτῷ κηρῷ.*

Quadrabit in eos, qui rem intemperanter profundunt deuorantque & abligurriunt. Zenodot.

Largitio non habet fundum. *Δόσις ἀπυθμένος.*

Quo dicto significabant, stulta liberalitate quantaslibet opes exhauriri, vel effluere potius Schencken teichet nicht. Es habē viel zu viel, aber niemand genug. Der Geitz hat kein Boden.

Ipso horreo.

Quod prolixe & affatim datur, ipso horreo dari dicitur.

Plena manu.

Pro eo, quod est ampliter, copiose prolixe minimeque maligne.

Cupidinum crumena porri folio vincta est. *πράσου φύλλῳ τὸ τῶν ἐρώντων δέδεται βαλάντιον. Plut.*

Suidas

Sed in eos derides dictum dari, qui per amorem immoderatos faciunt sumptus, luxui, ut indulgent.

Festo die si quid prodegeris. *Plaut.*

Festo die si quid prodegeris, profesto egere liceat, nisi pepercoris.

Admonet autem ne in sumptibus solennibus ita profusi simus, ut non suppetat, quo feramus quotidianos. Accommodabitur non perperam in eos, qui iuuenes rem prodigunt, esuriunt senes.

Bello parta. ἐκ πολεμίας.

Vbi quis immodice funderet. Solemus enim celerius ac temere profundere, si quid hostibus sit ereptum.

Glaucus alter ab equis deuoratus. Γλαῦκος ἄλλος ἱπποβρωτος.

Quadrabit in hominem, alendis equis exhaurientem facultates suas. A fabula natum.

Immolare boues. βουθυτεῖν.

Tanquam prouerbialiter dicebantur, qui amplos magnificosque sumptus facerent.

Caricum sepulchrum. καρικὸς τάφος.

De re magnifica sumptuosaque.

Cui multum est piperis, etiam holeribus immiscet: ὁ πολὺ ἔχων πέπερι, τίθησι καὶ τοῖς λαχάνοις.

Cui rei cuiuspiam largior est copia, ei profusius vtatur licebit. De pusillo parcius insumendum.

Non nauigamus ad Hippolaitas. οὐκ Ἱππολαΐτας πλέομεν πλοῦν.

Admonentis, parcius vtendum esse praesentibus. Herod.

Drachmæ grando. δραχμῇ χαλάζῃ.

De lucro, quod tanquam cælitus immissum obtigit.

Exempla Historica.

Cum Xerxes exercitum in Græciam traducere pararet, (vt auctor est apud Zenodotum Dicæarchus) Græci desperatis rebus facultates suas absumpserunt, ne multum reliquum fieret, quod hostis tolleret: ita dicentes: Hæc Medus non obseruauit: eaque vox in adagium abiit: vbi quis largius impenderet sua, ne venirent in aliorum manus. *P. M. in adag.*

C. Corn. Silla, quo corrumperet, & ad transitionem pelliceret aliorũ milites, prolixus & profusus fuit in suos. Itaque cum pariter alios ad proditionem, & suos peruerteret ad luxuriam, grandi pecunia opus habebat. *Plut. in Silla.*

Narrantur omnium Græcorum prodigalissimi fuisse *Thessali*, & in vestitu, & omni viuendi ratione: quæ etiam causa illis extitit: vt Persas in Græciam allicerent: quum Persæ delitus huiusmodi inuidissent. *Athen. lib. 12. c. 10. & lib. 14. c. 32.*

Asiaticus luxus à multis vbique proclamatur, à quibus omnes lautitiæ & immodici sumptus ad Romanos defluxerunt. *Valer. Max. lib. 2. c. de instit. antiq.*

Ctesippus, Chabriæ filius, paterni etiam sepulchri (in quod populus Atheniensis mille drachmas impenderat,) lapides prodegit. *Diphilus in Expiantibus.*

Quintus Fabius, Fabij Rutiliani filius, ob deuoratum in luxu patrimonium, *Gurges* cognominatus. *Macrob.*

Fabij Allobrogis filius, adeo luxuriosam perditamque egit vitam maioribusque indignam: vt Pompeius prætor vrbanus, paternis bonis ei interdixerit. *Valerius.*

M. Antonius vnius anni spatio 200. talentorum millia ex Asiæ tributis exacta absumpsit. *Plut. in Ant. & Sabellicus lib. 8. Ennead. 7.*

Formianus à Catullo vt decoctor ac magno ære alieno oppressus incessitur, vbi ita ait:

> *Ista turpiculo puella naso*
> *Decoctoris amica Formiani.*

M. Tigellius Hermogenes adeo fuit prodigus, vt tibicines, histriones, parasiti, gnathones, mimi, epulones, balatrones, mendici, vnguentarij, caupones, reliquique otiosæ & perditæ vitæ homines, mortem eius multis lachrimis defleuerint.

Horat. lib. 1. ser. satyr. 2.

> *Ambubaiarum collegia pharmacopolæ,*
> *Mendici, mimi, balatrones, hoc genus omne*
> *Mæstum, ac solicitum est cantoris morte Tigelli,*
> *Quippe benignus erat, &c.*

Filius Aesopi Tragœdi tanta fuit prodigentia, vt vniones aceto liquefactas cœnis apponeret.

Horat. lib. 2. Serm. satyr. 3.

> *Filius Aesopi detractam ex aure Metellæ,*
> *Scilicet vt decies solidum exsorberet, aceto*
> *Diluit insignem baccam.*

Martialis lib. 1. Epigrammatum notat *Bassam* fœminam, quod excrementa corporis aureo exciperet vase, vbi ait,

> *Ventris onus misero (nec te pudet) excipis auro,*
> *Bassa: bibis vitro, carius ergo cacas.*

Idem lib. 9. *Cinnæ* cuiusdam luxum ita arguit.

> *Nam tu dum metuis ne quid post fata relinquas,*
> *Hausisti patrias luxuriosus opes.*

M. Liuius cum omnia per luxum dilapidasset, suæ stultitiæ per iocũ illudebat, dicens, Se nihil cuiquam reliquisse, præter cœlum & cœnum, itaque cum pecunia egeret, multa per scelus commisit. *Polyanthea Nouiss.*

Nero princeps annis 14. quibus imperio præfuit, bis & vicies millies donationibus effudit, id est, quingenties, & quinquagies centena millia aureorum.

C. Caligula opes immẽsas a Tyberio congestas, ac vicies septies millies sestertium intra annum absumpsit.

Demetrius Antigoni & Stratonices filius, ducenta talenta scortis dariussit. *author Plutar.*

Apicius omnium fere luxum, ac prodigalitatem nepotinis helluationibus superauit. De quo Martial. lib. 5.

> *Dederas Apici, bis trecenties ventri,*
> *Sed adhuc supererat centies tibi laxum,*
> *Hoc tu grauatus, ne sitim & famem ferres,*
> *Summa venenum potione duxisti,*
> *Nil est, Apici tibi gulosius factum.*

Quod sic interpretatur Budæus. Apici sexcenties sestertium, id est, quindecies centena aureorum coronatorum millia inexplebili illa helluatus ingluuie, cum posses adhuc ducẽtis quinquagenis millibus (quod centies laxum poeta appellat) vitam cauto & eleganti victu producere, tamen venenum miser hausisti, ne patrimonio tanto superesses, quod iam non te decenturum videbatur.

Cleopatra vltima Aegypti regina cœnam parauit Antonio, in qua centies sestertium, id est, ducenta & quinquaginta millia aureorum vno ferculo secundę mensæ consumpta sunt: vnde Sidonius Cleopatricas dapes vocat.

Tantus fuit *Agrigentinorum* luxus, & prodigalitas in omni re: vt Platonem diceret eos ædificare, ac si victuri perpetuo forent, ita demũ conuiuari velut semper morituri. Vtebantur lecythis & xistris argenteis, habebant & lecticas totas ex ebore.

Singuli *Vitellij* apparatus non minus quadringentis millibus constiterunt. In cœna eidem a fratre data duo millia lectissimorum piscium, septem auium apposita traduntur. Idem Vitellius in suo principatu ducenis sestertiis condidit patinam, cui faciẽdæ fornax in campis ædificata erat: habuit autem in ea patina scarorũ iecinora, phasianorum & pauonum cerebella, linguas phœnicopterum, murenarum lactes a Carpathia vsque fretoque Hispaniæ petitarum. *Author est Suetonius Tranquillus in eius vita.*

Licinius Crassus cum omnia decoxisset, occurrentium tamen cachinnis vocabatur diues, his verbis. Qui in Parthos militauit, nõ fuit appellatus diues primus, sed hic.

Heliogabalus inuitatis ad prandium summis viris, croco mensam sternebat, dicens se fœnum pro eorum dignitate exhibere. Idem triclinia, lectos, & porticus omni florum genere strauit, liliis, violis, hyacinthis, & narcissis, quos flores pedibus conculcabat. Naues pretiosis mercib. onustas mergi in portum iussit: magni animi id esse dicens. Aureo vtebatur vase, ad corporis excrementa: gẽmas ab optimis sculptas artificib. in calceamentis ferebat, quę nunquam iterabat: pretiosas vestes sæpe conscidit: minxit etiam in Murrhinis & Onychinis vasis: omnibus meretricibus sine effectu libidinis, multos quandoque dedit aureos nummos.

L. Neratius homo egregie improbus, authore Gellio, cum pro delectamento haberet, os hominis liberi manus suæ palma verberare: seruum comitem habebat crumenam plenam assium portitãtem. Et quemcunque depalmauerat, numerari statim secundum 12. tabulas viginti quinque asses eidem iubebat.

Gallus fuit quidam, qui consectandis meretricibus vniuersum dilapidauit patrimonium: hinc per iocum dicebatur a scortis deplumatus.

Phocus Phocionis filius, cum paternas opes prodigo luxu dilapidasset, Atheniensibus vsque adeo factus est odiosus, vt occurrentes omnes diffamatorem sui generis illum nuncuparent.

Alphonsus Rex Neapolitanum, cum multa per luxum prodegisset, cõtractoque ære ingenti alieno, nõ iam haberet vnde creditoribus satisfaceret, dolore & ira permotus, plerosque suis spoliauit bonis.

Alexan. Macedo Promachum bibacissimum hominem, victorem in vini certamine, aurea corona donauit.

Belflorius Siculus homo priuatus, domum inchoauit tanto sumptu, vt fundamentis modice adhuc ab humo extantibus pecunia sit exhaustus, quam tamen multis annis improbo labore sibi comparauerat.

Cheopes Aegypti Rex, sumptu Pyramidis eo redactus inopiæ est, vt filiam exponere venalem ad meretricium quæstum coactus sit.

Galien. Imperator Valeriani filius gemmatas ferebat caligas, exemplo Caligulæ, qui inde traxit nomen.

C. Curio Tribunus plebis sexcenta æris alieni sestertia debuisse fertur. Author. Valer. Max.

Emblema.

Ei qui semel sua prodegerit, aliena credi non oportere.

Emblema LIV. And. Alciat.

> *Colchidos in gremio nidum quid congeris? eheu!*
> *Nescia cur pullos tam male credis auis*

Dira parens Medea suos sæuissima natos
Perdidit, & speras parcat vt illa tuis?

FABVLA.

Piscatores & Testudines.

Ad nauseam vsque saturi testudinum carne piscatores cum etiam multum adhuc illius superesset, prætereuntem forte Mercurium ad suas epulas inuitant. Qui non ignarus, quippe Deus, quo animo vocaretur, iussit suas ipsos testudines vel edere vel vomere, neque post sua demum fastidia conuiuas quærere.

Prodigorum stultitia notatur, qui ea aliis tribuunt quæ ipsi despiciunt, & paruipendunt etiam ea, quæ quantiuis interdum pretij sunt.

Vide tit. Luxus, Voluptas.

PRODIGIVM.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

PRodigium, Deorum minæ, vel iræ, *vt ait Non. Marcellus.* dictum, *vt idem vult*, a porro adigendum. Alij dictum putant quasi porrodicium: quod porro dicat: porro significet, & aliquid futurum esse portendat. *Author. diuus August. Tract. 15 in Ioan.* aliter tamen Alciat. Qui prodigium dicit, quod mores faciunt, per quod detrimentum expectatur. Id enim est prodigere. *De verbor. signif.* Gr. *τέρας* Heb. *Mopheth*, portentum persuasorium, signum persuasibile, quo quis mouetur ad credendum: *Deut. 13. 2.* a verbo *Iaphah*. splenduit, fulsit, illuxit. Hinc Gr. *φάω & φῶς*, lux, splendor. Prodigia enim perstringunt hominum oculos & mentes reddunt attonitas fulgore quodam extraordinario.

SENTENTIAE PHILOSOPHOR.

Prodigia in orbis principum contingentia nec fortuna contingūt, habent enim ordinem, nec a natura procedunt. diuersa enim inter se fiunt: vnde si nec a fortuna nec à natura procedunt, ab intelligentia ergo sublimi proficiscūtur naturæ vires omnino exuperante: & ad tria potissimum numina referenda sunt, est enim personæ genus dæmon familiaris homini, quem angelum custodem Theologi nominant: est & loci custos, & eius domus, ciuitatis, & regni, quem cognominant principatum: est insuper ordo sublimis chorusque numinum, vel dæmonum, vel angelorum, in quorum numerum, & sortem, per officij similitudinem excellens animus quasi ad stellam suam migraturus. est in eodem illic officio quasi collega futurus: & vt tres prodigiorū auctores, sic tria genera portentorum sublimis chorus crinitus accēdit, tonitrua ciet. fulgura iaculatur, flammas, & stellas cadentes: præfectum prouintiæ numen quatit, & diruit, machinas, oracula fundit, auguria & auspicia mouet. æstus designat custos familiaris somnia excitat, canumque latratus quasi malum dæmonium illinc arcētes, prima illa significant excellentissimos animos non extingui, non negligi, sed post obitum regnare cum superis: secunda calamitatem populi tanto viro destituti prænunciāt, & cauere imminentia subinde pericula monent, tertia & virum admonent moribundum, & suis indicant cœlestem fauorem, illo quidem morientem non mori, sed familiæ suæ post illum aspiraturū. *Fic. ep. lib. 1 t*

Iamblichi. Sicut Deus sæpe per fatuos homines loquitur sapientiā, declarans non hominem ibi loqui, sed Deum: Sic per vilissima quæque portendit futura, his ipse admodum supereminens, & per omnia nostrum instruens intellectum. *De myst.*

Sicut falluntur, qui confidunt ex inanimatis animam, & ex amentib. facere mentem: Ita qui ex rebus non diuinis diuina facere, & sine Dijs propria Deorum opera, qualia sunt vaticinia, miracula & similia, vt apparitiones & expiationes. *De mysterijs.*

Prodigium est Diuinæ iræ signum: quo vero pertineat, ad ea, quæ præterierint, an vero ad ea quæ instant, vtique ignoratur. G. *Pachymer. hist. lib. 6.*

Solemus quidem, terrores prodigiorum, spe & mora nobis ipsi blādientes, ad alios transferre. Verum apud quos malorum signum apparuerit, apud eos etiam euentum ratum fore constat. *Idem, eod. lib.*

Per prodigia diuinitus, non præsentia modo, sed etiam futura declarantur atque prædicuntur. *Mich. Glycas Annal.*

Prodigia sanas etiam mentes perturbare consueuerunt. *P. Iouius. hist. lib. 15.*

Vide miraculum.

PRODITIO.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

PRoditio, Græc. *προδοσία, ας, ἡ & προδότης, ου, ὁ*, proditor, *προδίδωμι* prodo dicitur. Est autem prodere, fallere & tradere. Sallust. *Antequam arcem proderet hostibus.* Vnde proditor, proditio, prodimentū. Prodere etiam manifestare. Vnde & proditores, a prodendis consiliis hostibus dici possunt. Hebr. Proditor *Nasghir* dicitur a verbo *Saghar*, inclusit. Solet enim proditor quos prodere vult verbis & variis artibus includere.

LOCI BIBLICI.

Proditio damnatur, 2. *Timoth.* 3. 4. proditio Euangelij causa, *Luc.* 21. 16. proditionis pœna, 2. *Paral.* 25. 3 & 33. 25. *Esth.* 2. 22.

SENTENTIAE PATRVM.

Iudas de Apostolatus fastigio in proditionis tartarum labitur, nec familiaritate conuiuij, nec intinctione buccellæ, nec obsequij gratia frangitur, ne hominem tradat, quem Filium Dei nouerat. *Hier. in Epist. ad Rust.*

Instrumento pacis mortem irrogat: seruus dominum, discipulus magistrum sic prodit, quasi, inquit, per instrumentum pacis perimis ipsam pacem, de osculo machinatis ipsam proditionem. *Amb. in Matth.* 26.

SENTENTIÆ POETICAE.

Claud. 2. Ruf.

Heu heu? quam breuibus pereunt ingentia caussis
Imperium tanto quæsitum sanguine tanto
Seruatum, quod mille Ducum peperere labores,
Quod tantis Romana manus contexuit annis,
Proditor vnus iners angusto tempore vertit.

Silius 13.

Illa autem, quæ tondetur præcordia rostro
Alitis, in quantum resonat plangentibus alis
Armiger ad pastus rediens Iouis, hostibus arcem
Virgo immane nefas, adamato prodidit auro
Tarpeia, & pactis reserauit claustra Sabinis.

SENTENTIÆ PHILOSOPHICAE.

Proditionem amo, sed proditorem non laudo. *Plut. in apoph.*

Proditor pro hoste habendus. *Demosthenes.*

Fœdera iniuste frangere impium est, sed hostes fallere non iustū est modo & honestum, sed iucundum quoque & lucrosum. *Plutarchus.*

De proditione. DIAL. LXXX.

Francisci Petrarchæ.

DOL.

Proditus sum ab amicis. R. Hostibus credo. Si amici enim essent nō te proderent. D. A familiaribus sum proditus. R. Ambiguum nomen & familiaris amicus & familiaris hostis dicitur, quo periculum maius vita hominum non habet. D. Proditus sum ab eis, quibus ante alios fidebam. R. Vix fallitur, qui non fidit. Enim vero quo maior quisque, eo minus potest tute fidere, eoque plus fidere ac pluribus est necesse. Vnde fit tum commune, tum vel maxime regium sit prodi, neque omnino vllum genus tam obnoxium huic malo. Proditus a suis, vt fama est, Priamus, proditus Minos, Nisus, Otthes, Agamemnon, Alexander, & ante ipsum Darius. Proditi ex nostris Romulus, Tarquinius Priscus, Seruius Tullus, Africanus minor, Magnusque Pompeius, & Iulius Cęsar, & mille alii, vel reges, vel regibus altiores & quid proditos loquor, quasi quęrendi sint? Quis autem non proditur, & in paruis cotidie, & in magnis, nisi cui nullus est penitus, a quo prodi possit? Proditus ad extremum Christus, nec regum peste terrestrium cœlestis ille rex caruit. D. Proditus sum, magisque meorum fraudibus quam propriis āgor incommodis. R. Pie id quidem, ac magnifice. Nam & Africanus ille cuius proxime memini, se territū non tam mortis metu quam insidiarum a suis apud Ciceronem dicit. Veruntamen neutro nimium tangi debes, quando enim ita iacta sors est, vt lucrum ac perfidia proditoris bona fides damnumque sit proditi, elige vtrum malis. D. Proditor me fefellit. R. Plus ille sibi nocuit quam tibi, se prodidit: te pupugit, se confodit: te dum spoliat, se perimit. Tibi enim, regnum forte vel opes, sibi animam, formam, conscientiæ quietem, conuictumque hominum eripuit. Nil scelestius proditore. Nil turpius sol videt, cuius obscœnitas tanta est, vt & qui artificio eius egent execrētur artificem, & qui cæterorum scelerum famam quærunt huius infamiam reformident. D. Proditus sum. R. Proderit forsan, ne iam facile iterum prodi possis. Multi sæpe paruis damnis admoniti, magnis occurrere didicerunt.

APOPHTHEGMATA.

Agis Archidami F. Cum Ephori dicerent, Proficiscere, iuuentutem tecum ducens ad huius patriam, nam is ipse te perducet in arcem: Et quid conuenit, inquit, ò Ephori, tot iuuenes ei credere, qui suam ipsius patriam prodidit? Grauiter admonens, nihil illis tuto credi, qui in patriam perfidi fuerint. *Plut. in Lacon.*

Theryeion Delphis rediens, quum videret in Isthmo angustias a Philippi copiis occupatas: Malos, inquit, o Corinthii portarum custodes vos habet Peloponnesus. Allusit eo, quod grauiter animaduerti solet in ciues, quibus vrbis portæ commissæ sunt, si eas indiligenter custodierint. Multo magis accusari merebantur

Corinthij

Corinthii, qui totius Peloponnensi portas Philippo prodidissent. *Plut. in Lacon.*

Theagenes. Cilicon quidam siue Achæus, Miletum patriam prodiderat Prienensibus. Quo nomine merito habebatur omnibus exosus, cuius perfidiam lanius quidam Theageoes sic vltus est. Cilicon adit Theagenem, in macello empturus carnes. Lanius dissimulato odio porrigit carnium partem, veluti resecturus quod superesset. Cilicon profert dextram ex aduerso retenturus carnes: Theagenes machæra sublata, proditoris manum amputauit, ac ne id videretur errore factum, addidit: Ista falsè manu posthac non proditurus es vllam ciuitatem. Applaudebatur lanio quod impium pro dignitate tractasset. Hinc adagium, Ciliconis exitium *quod in Chiliadibus recitat. P. M. lib. 5. c. 6.*

Nicostratus, cum ab Archidamo multis præmiis pollicitationibusq; ad proditionem tentaretur respondit: Archidame, te ab Hercule genus non ducere, satis intelligo. Hercules enim malo, pœna afficit: Archidamus vero, eos qui probi sunt, malis afficere solet. Notabat autem Archidami fraudes, qui proditionem hostibus imponere tentabat. *Plut.*

Philippus, interrogatus quos amaret præcipue, & quos maxime odisset: Respondit: Proditoros quidem in primis amo: eos vero qui iam prodiderunt, odi maxime. *Stob. serm. 52.*

Augustus Cæs. quum in conuiuio Rhymitalces Thracum rex, qui ab Antonio ad Augustum desciuerat, insolentius iactaret sua erga Cæsarem merita, ac fine fine exprobrans belli societatem molestus esset: Cæsar dissimulata illius petulantia, alteri cuidam regū propinans dixit, Proditionem amo, proditores non laudo. Significans, his qui proditione profuerunt, nihil deberi gratiæ, licet enim officium quod præstant pro tempore gratum est, ipsi tamē habentur pro malis ac fœdifragis. *Plut. in apoph.*

Cum Socrati rex Persarum magnam pecuniam, tentans eius animum in proditionem dirigeret: admitti legatos iussit, cum forte olera comederet, Audite, inquit, an hoc prandium proditorem facit. *Val. Max. lib. 7.*

EXEMPLA BIBLICA.

Proditionis *Exempla.* Cain, *Gen. 4. v. 8.* Simeon & Leuit. *34. v. 25. 27.* vxor Samsonis & Philisthæi, *Iud. 14. v. 17.* Dalila, *16. v. 9.* Saul. *1. Sam. 18. v. 15. 17. 25.* Doeg. *22. v. 9.* viri Ceila, *23. v. 5. 7. 12.* Ziphei *v. 19. & 26. v. 1.* Ioab. *2. Samuel. 3. v. 27. & 20. v. 10.* Rechab, *4. v. 6.* Dauid. *11. v. 14. 15.* Ammon, *13. v. 10. 15.* Absalom. *v. 18. & 15. v. 7. 10. 11.* Zābri, *1. Reg. 16. v. 10.* serui Ioas, *2. Reg. 12. v. 20. 2. Par. 24. v. 25.* Phacee, *2. Reg. 15. v. 25.* Sēnacherib filii, *19. 37.* serui Ammō, *21. v. 23. 2. Par. 33. v. 24.* Ismael filius Nathaniæ, *2. Reg. 25. 27. Ierem. 41. v. 2. 6. 7.* ciues Ierolo ymitani, *2. Paral. 25. v. 27.* Iudæorum hostes, *1. Esdr. 4. v. 2. Nehem. 6. v. 2.* duo Eunuchi, *Esth. 2. v. 21.* Dauidis hostes, *Psal. 35. v. 23. & 41. v. 10.* hostes Danielis. *Dan. 6. v. 11. 12.* Scribæ & Pharisæi, *Matth. 12. v. 10. Marc. 3. v. 2. Luc. 6. v. 7.* Iudas Iscariotes, *Matth. 26. v. 49. Marc. 14. v. 45. Luc. 22. v. 47. 48. Ioan. 18. v. 5.* Iudæi, *Actor. 7. v. 25. & 23. v. 15. Vide Doli Exempla.* Proditionis pœnæ exempla: Serui Ioas, *2. Paral. 25. v. 3.* serui Amon, *33. v. 25.* duo Eunuchi Regis Assueri, *Esth. 2. v. 2.* Iudas proditor, *Matt. 27. v. 5. Act. 1. v. 18.*

EXEMPLA HISTORICA.

Cilicon, cognomētum Achæi Meropis filii, a nutrico Cilissa, patriā Milesium Prienensibus prodidit, eum dux exercitus esset. *Suidas.*

Diognetus Erythræorum dux, proditor suorum militum, amore Polycritæ puellæ.

Phryno & Philocrates ambo proditores, alter ob proditionem Athenis exulauit: & ob lenocinium male audiit: Phryno autem ob prostitutum suum filium, quem ad Philippum Macedonem adduxerat. *Suidas.*

Aeneas & Antenor patriam Troiam Græcis, cum illos per portam, quæ equinam habuit affigiem, introduxissent noctu, prodidisse dicuntur rumore incerto. *Sabel. lib. 7. En. 1.*

Peloponnesiaco bello, quod inter Athenienses & Spartanos gestum est Agidi Lacedæmoniorum Duci, Xenias Eleus Elin ipsam tradere est aggressus. *Pausan. in Achaicis.*

Lasthenes, qui Philippo Macedonum regi Olinthum prodidit, quærebatur se ab illius amicis, vt proditorē infamari: ei Philippus: Macedones, inquit, natura rusticiores sunt ac rudes, & scapham dicunt scapham. *Cælius lib. 8. c. 3. Antiquarum lectionum.*

Præfectus Bruttiorum prodidit Q. Fabio Maximo Tarentum.

Eurybatum scribit Ephorus Ephesium fuisse, qui accepiam a Crœso pecuniam ad conducendum militem aduersus Persas, Cyro tradiderit. Hinc Eurybatos, improbos & proditores dici, *Suidas.*

Exhausti pudoris fuit M. *Iulij Philippi* proditio atque perfidia, qui cum iunioris Gordiani præfectura esset: ad Persicum bellum profectus, Mesoclem eius socerum veneno sustulit, exercitū alsu in loca arida & sterilia deduxit, Naues, quibus ad exercitum frumēta comportabantur, demersit: subornauit qui exercitum tumultuarētab exercitu Gordiano æquatus, imperij societate spreta, Gordiano caput adimi iussit, atq; ad Senatum scripsit Gordianū febre periisse. Et vt occultius perfidiam tegeret, in deorum numerum retulit. At quem non puduit tam insigni proditione, principem suum, eundemque non nocentem, cuius stipendio militabat tollere, Decius vna cum filio sustulit. *Pelyanthea Nouiss.*

Ptolomæus Macedonum rex cruenta proditione erga Arsinoem Reginam vsus est: nam cum eius regnum appeteret, & matrimonio cum ea egit, et si soror esset: quæ quanquam fratris crudelitatem suspectam haberet, vt filios tamen periculo liberaret, matrimonio est assensa. Matrimonia itaque confirmant, eo die quo Cassādriam perductus est, Lysimachum ac Philippum paruulos in matris Arsinoes gremio confodi iussit, atque eam regno ac filiis orbatam Samothraciam in exilium emisit.

FABVLA.

Lupi & canes.

Cum animaduerteret lupi, se non virtute canum, sed multitudine superari, hoc iniisse consilium perhibentur. Mittunt ad canes, qui ab iis, quorum color non dissimilis luporum esset, quærerent: Cur non potius secum coniungerentur quibus natura ipsos conciliasset, id quod coloris significaret similitudo? Quique illis dicerent: si luporum auxilio aduersus alios canes discrepantes colore, vti vellent, postea sublatis illis, & ipsos solos rerum potituros & in perpetua amicitia luporum futuros esse. Cū his stultis canibus probata & alii canes circumuenti atque iugulati fuissent: in fine negotio & periculo, istos etiā concolores sibi interfecerūt lupi.

Fabula narratur contra proditores, quibus tantisper honor habetur, dum requiritur opera illorum, at mox rebus perfectis plerumque ne parcunt quidem his neque abstinent illi ipsi, qui eos corruperunt.

PROLES.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

PRoles. Hebr. *Ieledh*, a verbo *Ialadh*, peperit genuit. Græc. γόνος, soboles, progenies.

SENTENTIÆ PHILOSOPHORVM.

De numerosæ prolis graui sarcina. DIAL. XII.

Francisci Petrarchæ.

DOL.

Numerosa prole prægrauatus sum. R. Auro etiam atque opibus imbecilles humeri premi possunt. Nemo tamen id quæritur, sed sic premi gaudet. Atqui prima inter vestræ felicitatis dona numeratur filij? His ne te igitur prægrauatum, & non potius sublevatū dicis? D. Multos inter filios inops sum. R. Imo vero filii diuitiæ tuæ sunt Quomodo inter diuitias sis pauper videris. Id enim non nisi auaris, & bonorum suorum ingratis accidit. D. Filiorum in turba egestate sordida laboro. R. filij non labor, sed requies sunt parentum, lenimen laborum, atque omnis solatium fortunæ, si boni sunt, alioqui non de numero, sed de moribus est querela. D. Filiorum acie coarctatus sum. R. Cur non potius constipatus, & vallatus & ornatus? Certe non tantum patres sed & matres ornamēta sua, filios vocant. Non audisti, vt Cornelia Africani magni filia, dum prædiues mulier Campana, quæ forte in domū eius hospitii iure diuerterat, muliebriter gloriabunda, illi longe pretiosissima sua ostentasset ornamenta, generosam velut ad æmulationem prouocata colloquium de industria produxit, donec a scholis filii eius remearēt parui tunc pueri, qui magni post fuere viri. Quibus illa conspectis versa in hospitam, ornamēta mea, inquit, hæc sunt. Præclare quidem, & vt tanti patris filiam decebat. Tu autem ornamenta hæc tua vocas impedimenta. D. Quis tot pascet filios? R. Is qui te a iuuentute tua pascit in senium. Qui nō solum homines, sed pisces & quadrupedes pascit & volucres D. Quis tot natorum corpora vestiet? R. Is qui non tantum animantia, sed agros herbis, ac floribus, & frondibus siluas vestit. Et quid scimus adhuc forsan si filii te non modo pascent, ac vestiēt, sed etiam, tuebuntur, sed etiam honestabunt, humanorum rerum vt a voluptate aliæ incipiunt in laborem ac dolorem desinunt, sic e contra aliæ amaro principio inceptæ dulci fine clauduntur. Qualis est fors virtuosarum omnium fere actionum, quæ ingressos cruciant, ac progressos mulcent. D. Pauper cum filiis multis sum. R. Miraris quasi fœcundam virorum non legeris paupertatē. Diuersa sunt operū genera, & varia dona fortunæ. Nulli omnia conting: nt, aliis vagæ merces, aliis rigetis telles, exangue aliis metallum: viuæ tibi diuitiæ obtigere filij, an vero boues, & pecudes. & asini, cameli, & profugæ apes, & colun bæ, & pulli, & pauones, serui denique & ancillæ in diuitiis habebuntur, soli filij excludentur? D. O quam multi mihi sunt filij? R. O quam plures aliis? Quinquaginta fuere Priamo. Triginta Orodi Parthorum Regi. Centum quindecim Regi Persarum Artaxerxi. Sepringenti autem Erothimio Regi Arabum, quorum fiducia fines hostiū alternis aggressus incursibus Aegyptū, Syriamque vastauit.

Et est sane potentiæ genus quoddam multos filios habere. Scio autem quid dicturus sis: Hi quos memoras, magni omnes Reges fuerant. Mihi longe alia sors est. Nunquid vero Rex fuit Appius Claudius? Profecto nec diues quidem prisco illo sæculo, videlicet, quo probitum diuitiæ habebantur, & paupertati cœcitas accesse sat ac senectus, & tamen de eo scribens Cicero, Quatuor inquit robustos filios & quinque filias, tantam domum, tantas clientelas Appius regebat & cæcus, & senex. neque id mirari est, quod priuata bene regeret, cum tot obsessus incommodis, ipsam quoque Rempubl. gubernaret. Humanorum defectuum magna pars in moribus non in rebus est. Non erat Appio sors regia, sed nec optabat sua sorte contentus, exiguos non lautitiis, sed virtutibus adornabat lares, & victu tenui amplam familiam nutriebat. Quodque multi Reges mœsti faciunt. & queruli, lætus ille & æquanimis faciebat. Non enim fortunam appetitui, sed fortunæ æquabat appetitum. Non erat Appio sors Crœsi Regis, nec conciuis quidem sui Crassi, sed felicior quædam alea, quamuis angustior sors, nec ad alienam sortem, sed sicut boni omnes faciunt, ad suã propriam se formabat ac suos. Certe nec ego exigo, vt tu sorte alia quam tua in tuis vtaris & in te. Neque vt cibo, aut amictu regio tuos pascas, aut vestias. Vescuntur lautius regii iuuenes, & vestiuntur insignius, sed non viuunt melius, nec diutius, nec lætius & (quod constat) nec securius, nec honestius, certe nec sanctius. Pro his omnibus vnum habent, quo excellant, pomposius hoc est stultius viuunt. Suus cuique viuendi modus, sua est mensura. Non iccirco melior, quo maior. Vnde fit, vt in tugurio sæpe lætos videas, mœstos in regia. Non est omnium vna capacitas, sed vnus est fons gratiæ, Vnus ille, cui dicitur: Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione. Quid ad rẽ vasorum seu magnitudo, seu paruitas, vbi est par omnium plenitudo? Sed multa desunt pauperibus. Quanto plura desunt regibus? Cum sit illud Flacci verissimum experiêque. Quod *multa petentibus, desunt multa*. D. Laboriosum negotium, multos filios genuisse. R. Quid sub cœlo mihi non laboriosum dabis? Præter vnam (vt creditur) voluptatem, qua tamẽ nihil est in fine laboriosius, nihil, quod tot in animis linquat aculeos, an non legis apud Flaccum, vt *nil sine magno vita labore dedit mortalibus?* An non audis quid Poeta alius non ineleganter hac in parte luserit? Cum enim bona omnia gratis nobis donata esse diuinitus pij omnes vnore fateantur, non donata dicit ille, sed vendita, & pretium statuit labores. Sic enim ait: *laborantibus vendunt dij nobis omnia bona* D. Molesta est tantorũ solicitudo filiorum. R. An non inter veras sententias illa est, non posse inueniri vitam hominis carentem molestia? Nec minus illam omnem vitam esse tormentum. Quid filii meruere, qui si desint, curæ aliæ subibunt? Crede mihi, quocunque te vertas, quemlibet fortunæ gradum arripias, & labores, & molestiæ, & difficultates vitę aderunt. Quid lamentis inanibus opus est? D. Filiis multis premor. R. Sic dicis quasi felicitate deprimaris tua & vota prima mortalium tibi cumulatius obuenisse feras grauiter, mirum genus impatientiæ. D. Quid vero tot faciam filiabus? Quis tot dotes expediet? R. Vnus est & fæminarum Deus, & marium. Is & filios tibi pascet, & filias. Vtque illis ingenium & viuendi artes, sic iis suis dotes dabit. Itaque sic scriptum est. *Spera in eo, & ipse faciet quod in se est.* Optimum dotis genus fuerit, sic filias formare, vt vel absque dote recto iudicio placere valeant, atque amari. Dotem habuit Romanum imperium Faustina. Scie quot teris indotatæ castiores, eaque feliciores fuerint? Non facit fultum coniugium dos, sed virtus. Fac si potes, vt tuarum non pecunia optabilis sit, sed pudor, modestia, sed integritas, patientia, fidelitas, his ornatæ gemmis filiæ tuæ, hoc onustæ auro, his ancillis comitatæ, limen adeant coniugum non diuitum, sed proborum, vbi tutior sæpius pudicitia, vitaque dulcior, quam in thalamis atque atriis regum fuit.

Vide, Filius, Liberi.

PROMISSIO.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

PRomissio Græc. ὑπόσχεσις, ὑπόσχομαι & ὑπισχνοῦμαι, promitto dicitur. Hebr. *dabar*, id est, verbum, inter bonos & probos verbum & promissio idem, atque etiam iuramentum. Gall. dicimus de bono viro, *C'est vn homme de parole*. Est autem promissio actus rationis, qui est enunciatio & ordinatio alicuius. *secund. D. Thom secunda secunda q 88. art. 22.*

Promittere est polliceri. Sed hoc differunt, quod pollicemur sponte, promittimus rogati.

Loci Biblici.

Promittere, facilius est, quam præstare. *Exo. 19. 8.* quod promiserimus Deo, reddendum. *Deut. 23 21.*

Promissio μετωνυμικῶς, pro promissionis pr̃statione: seu vt alii volũt, pro re ipsa promissa, per metonymiam, *Hebr. 11 8* Sic accipitur iuxta quosdam *& Galat. 3 22.* promissio Patris, Spiritus sanctus, *Actor. 4. & 2. 33.* promissio salutis ab æterno, *Ephes. 1. 4 & 5. 13* promissio Abrahæ facta, *Rom. 4. 13. & 9. 9.* promissionis Filij qui, *Rom. 9 8.* promissionis terra qualis, *Deuter. 8. 7.* Promissiones vitę præsentis, *1. Tim. 4. 8. 2. Petr. 3. 13.* promissiones Dei cum conditione fiũt *Deuter. 19. 8. & 28. 1. & c. 33. 4. Leu 26. 1. & c. 1. Reg 2 30. Ezech. 18. 1. & c. 33. v. 15. 16. Mar. 16. 16. Ioan. 3. 16. 36. & 6. 47. & 8. 32. & 13. 17 & 15. 7. 14. Rom. 8. 17. Coloss. 1. 23. Heb. 3. 14. 2. Petr. 1. 4. Apocal. 2. 3. c. & 21. 7.* Promissiones Dei in Christo sunt, Etia, & Amen, *2. Cor. 11. 1.* Promissiones Deo obiicit Moses, orans pro peccato populi Israel *Exod. 32. 13. Deuter 9. 27.* promissiones omnes adimpleuit Deus Iudæis, *Ios 21. 43 & 23. 15.* propter promissiones suas ad Abraham, &c. factas, omnia egit Deus erga Iudæos, *Exod. 2. 24. & 6 v. 5. 6. Leu. 26. 42. Deuteron. 4. 20. & 7. 8 1. Sam. 12. 22. 2. Sam. 7. 24 25. 2. Reg. 13 23. & 19. 24. & 20. 6.* promissiones suas adimpleuit Deus, misso suo Filio, *Actor. 3. 18. & 13. 33.* promissionum Dei memor Iacob. orat. *Gen. 32. 29.*

Promissis standum, *Prou. 25. 14. exemplum.* Domus Ioseph, *Iud. 1. 75.*

Sententiae Biblicae.

Promissio diuina firma.

Non est Deus quasi homo, vt mentiatur. Et quæ procedunt de labijs meis, non faciam irrita. *Num 23. Psal. 88.*

Fidelis Deus in omnibus verbis suis. 144.

In repromissione Dei non hæsitauit diffidentia: sed & confortatus est fide, dans gloriam Deo. *Rom. 4.*

Quam (scilicet vitam) promisit, qui non mentitur Deus. *Tit....*

Humana infirma.

Nubes & ventus & pluuiæ non sequentes, vir gloriosus, & promissa non complens. *Prou. 25.*

Est qui locupletatur parce agendo, & hæc est pars mercedis illius in eo quod dicit: Inueni requiem, bonisque meis nunc fruar assidue: inscius, quod tempus cum maneat, moritur ea relicturus. *Eccles. 11.*

Patrum Sententiae.

Est contra officium nonnunquam promissum soluere sacramentũ: sicut Herodes qui necẽ Ioanni præstitit, ne promissum negaret, *Aug. lib. 1 de Offic.*

Quid honestius, rem negare, aut longos terminos dare? terminum termino addere, negandi est hoc tempus, calliditas negandi. *Cass in quadam epist.*

Expectans expectaui Dominum, & intendit mihi. Sperabam quod daret effectum verbum suum, & gratiam quam verbis promiserat, operibus exhiberet, adhuc etiam promissam expecto gratiã, fortasse sicut Arctarum Britannia, sicut Iudæa Messiam. Magna enim debet esse in promissione assertio, quia iam promissio sæpe de amicis sibi comparat inimicos. *Pet. Chrys. in quadam epist.*

Timeo ne in nostra promissione illud vulgare prouerbium locum habeat: Dum herba crescit, equus moritur, & dum fugans canis mingit, fugiens lupus euadit, dubitatur etiam an sit beneficium, cuius dilatio cruciat expectantem. *Ibid.*

Sicut qui plura promittunt, & pauca reddunt, & eos quibus mentiendo promittunt, inimicos sibi faciunt. *Glos. supr. Eccl. 22.*

Sententiæ Poeticae.

Ouid. 1. Art.

Pollicitis diues quilibet esse potest.

Terent. And. 5. 2.

Immo enim quam maxime abs te oro, atque postulo Chreme
Vt beneficium, verbis initum dudum, nunc re comprobes.

Hor. 2. Epist. 2.

Multa fidem promissa leuant, vbi plenius æquo
Laudat venales, qui vult extrudere merces.

Ter. And. 4 1.

In denegando modo quis pudor paululum adest:
Post vbi tempus promissa iam perfici,
Tum coacti necessario se aperiunt.
Et timent, & tamen res premit denegare.
Ibi tum eorum impudentissima oratio est.
Quis tu es? quis mihi es? cur meam tibi?
Heus proximus sum egomet mihi, attamen vbi fides.
Si roges, nihil pudet, hic, vbi opus est,
Non verentur, illic, vbi nihil opus est, ibi verentur.

Ouid. Epist. 6.

Mobilis Aesonide, vernaque incertior aura,
Cur tua pollicitis pondere verba carent?

Antholog. lae. Iacob. Billij.

De Dei ac mundi pollicitationibus.

Vt mundus, sic sunt mundi promissa, quod ipse
Promittit fictum est, fictus vt ipse quoque est.
Vt Deus est sic sunt bona quæ promittit, & offert,
Certus vt est, certas sic dare nouit opes.

Quam

Quam nos leui igitur ? certo non fidimus, illi
Sudimus: at contra, quem dare verba iuuat.
Sic sumus huic similes, quem spe deludit inani
Perdix, dum pullis consulit ipsa suis.

SENTENTIÆ PHILOSOPHICÆ.

Pacta semper & promissa seruanda sunt, quæ nec vi, nec dolo malo facta sunt: illa seruanda non sunt, quæ non sunt iis ipsis vtilia, quibus illa promiseris. *Cic. 3. Offic.*

Illis promissis standum non est, quæ coactus quis metu, aut deceptus dolo promiserit. *Cic. 1. Offic.*

Promissa non sunt seruanda iis, quibus promiseris, inutilia si sint: nec si tibi plus noceant, quam illi prosint, cui promiseris. *Cic. 1. Offic.*

Scelerum promissio & iis, qui expectant, perniciosa est, & iis, qui promittunt. *Cic. Philip. 8.*

Semper in fide, quid senseris, non quid dixeris, cogitandum est. *Cic. 2. Offic.*

Quod affirmas, quasi Deo teste promiseris, id tenendum est. *Cic. 3. Offic.*

Quod ex animi tui sententia iuraueris, id non facere, periurium est. *Idem ibid.*

Quod ita iuratum est, vt mens conciperet fieri oportere, id seruandum est, quod aliter, id si non feceris, nullum periurium est. *Cic. 3. Offic.*

Priusquam promittas, delibera & quum promiseris facies: prius si negaueris, fecisse potius fallere est. Id ergo agat, vt ne quis merito tuo te oderit. *Stob. lib. de morib.*

Fit vt sæpenumero promptiores in promittendo homines sint, quam in exequendo. *Dion. lib. 38.*

APOPHTHEGMATA.

Pythagoras. age, inquiebat, res præclaras, nihil magnifici interim promittens. *Stob. ser. de virtute.*

Antisthenes. Adolescens quidam ponticus pollicebatur se rationem Antisthenis habiturum, si nauis ipsius quæ salsamenta vehebat, appulisset. Antisthenes accepto nouo vase, vna cum adolescente ibat ad mulierem quæ vendebat farinam: & impleto vase, cœpit onustus discedere. Mulieri vero poscenti farinæ pretium, commonstrato adolescente, Hic (inquit) dabit, si nauis cum salsamentis appulerit. Significans inanes esse in diem pollicitationes, quum farina quotidie sit præsenti pecunia emenda. *Laert. lib. 6. Brus. lib. 2. c. 2.*

Alcibiades apud Platonē in symposio ait, se, quoties Socrati occurrat, verecundia affici, quia promissa non seruauerit: atque cupere Socratem ob id è vita excedere.

Agesilaus, quum inducias per tres menses pactas Tissaphernes non seruasset, oratores ad eum misit, qui ageret gratias illi, quod promisso non seruato, Deos sibi hostes reddidisset. *Plutarchus.*

Agesilaum Lacedæmoniorum regem quum quidam vrgeret improbe postulando, vt promissum præstaret, atque hoc ipsum crebro repeteret: Recte sane, inquit rex. Siquidem iustum est, quod petis, promisi, sin minus, dixi, & non promisi. Quo dicto ostendit promissum nequaquam præstandum esse, quo is cui promissum est, lædi possit. *Plut. in Lac.*

Phocion dicere solebat, Non magna quidem hominibus promittenda, sed magna facienda esse. Verum eius dictum inuerterunt hodie, qui aureos montes ac Crœsi opes pollicentur hominibus, cum ne gry quidem præstent. *Stobæus serm. de Prudentia.*

Idem, Leosthenes cum ciuitatem Atheniensium ad bellum pepulisset, magnificis spebus ad nomen libertatis ac principatus erectā: Phocion illius verba dicebat esse cupressis similia, quæ sublimes quum sint ac pulchræ, fructum non habent. Nihil potuit dici accommodatius in sermonē splendide magnificeque pollicentem, sed infrugiferum: quemadmodum cupressus arbor sublimi cōpositoque in conum vertice, procul egregium quiddam pollicеri videtur, at vix vlla est sterilior. *Plut. in apopht.*

Scipio minor. Cum C. Lælio consulatum petenti suffragaretur, Pompeiusque, qui tibicinis filius putabatur, suffragaturū se esset pollicitus, atque longa expectatione Scipionem frustraretur (suam enim rem curabat) indignantibus cæteris, quod delusi essent. Scipio subridens: Stultitia (inquit) est nostra tanquam non hominis simus rogaturi, iam diu tempus terimus, tibicinem expectantes. *Plutarch.*

C. *Cato* dicebat sese operam suam, in eo quod non contra officium peteretur, solere polliceri omnibus, sed impertire iis apud quos optime poni arbitraretur. Sensit nulli promittendum quod esset præter honestum: nulli tamen negandum, quod non contra officium peteretur. Comitatis est benigne polliceri: sed quoniam omnibus opera præstari non potest, eligendi sunt quibus eam impertias. *Vtrumque refert Q. Cicero ad fratrem, de petitione consulatus, & Brus. lib. 1. c. 15.*

SIMILITVDINES.

D. *Augustin.* Promissorum suorum nobis chirographum fecit non debendo, sed promittendo: debitorem se fecit Deus, id est, non mutuo accipiendo: Non possumus ergo ei dicere: Redde quod accepisti, quoniam, quis prior dedit illi, & tribuetur ei? Non possumus dicere, Redde quod accepisti: sed, Redde quod promisisti. Inde est quod audemus dicere, Adueniat regnum tuum. Promisit patribus: sed cautionem fecit, quam legeremus & nos. *De verbis Domini secundum Lucam serm. 31.* *Polyanthea Nouiss.*

Plut. Quemadmodum cupressus arbor sublimi compositoque in conum vertice procul egregium quiddam polliceri videtur: at vix vlla sterilior est: Tales sunt illi, qui splendida ac magnifica oratione aureos pollicentur montes: nihil tamen horum præstant quicquam. *Hac similitudine irrisit Phocion Leosthenem, apud Plut. in Græcorum apoph.*

Gulielmi Parad. Sapientia moro arbori comparatur, quæ dicitur prouerbialiter sapientissima arborum. Nam vltima flores producit, prima vero vel in primis fructus: Ita non est diu antea ostentandum, quid possimus, vel velimus: tarde promittendum & mature tunc præstandum. *In summa virtutum.*

Timmeri. Cœlum mane rutilum fere tempestatem præsagit: Et quā minimū expectandū est ab eo qui plurima promittit. *In apoph.* lat

ADAGIA.

Aureus in Olympia stato. χρυσοῦς (σταθεὶς) ἐν Ὀλυμπίᾳ στάθητι. *Lucian. in Pseudolog.*

Quem summo premio dignum Græci significarent, ei, dicere solent, Aureus in Olympia statuere.

Aureos polliceri montes. χρυσᾶ ὄρη ὑπισχνεῖσθαι.

De iis qui immensa promittunt spesque amplissimas ostendunt.

Schone vvort fuellen den Sack nicht.

Viel geloben vnd vvenig geben, macht offt die Narren in freunden leben.

Montes frumenti, mare aureum

Ad rerum affluentem copiam transferuntur. Huc poterit referri quod supra adductum est. Tres ignis hecatœum. Plaut.

Solidos e clibano boues. ὅλους ἐκ κλιβάνου βοῦς.

Prouerbialis hyperbole de barbarica, siue de lautitiis affatim subministratis; antiquitus enim in delitiis erant cibi in clibano cocti. Aristoph.

Καπνός.

Καπνός. Id est. Fumus est cognominatus Theagenes, quod magnifice pollicеretur, quum esset pauper.

Charetis pollicitationes. αἱ Χάρητος ὑποσχέσεις.

Dici solitum, vbi quis facile ac benigne promitteret, iuxta illud Nasonis.

Promittas facito quid enim promittere lædit?
Pollicitis diues quilibet esse potest.

Bavvren vnd Kauffleuten gebueret zuhalten, vvas sie geloben.

Album panem tibi pinsit. λευκὴν μάζαν σοι φυρᾷ.

Dici solitum, vbi quis magnarum rerum spes amplas ostendit.

Ariolari.

Prouerbio dicebatur, qui nihil adferret certi, nihilque præsentis emolumenti; verum in diem modo polliceretur.

Ἐπαύλια δῶρα.

Dicebantur magnifica munera, quæ postero post nuptias die sponsæ pater adducebat sponso, pompa cuiusdam specie.

Modio dimetiar. μεδίμνῳ ἀπομετρῶ.

Ingens & cumulatum sperantis emolumentum.

Verba importat Hermodorus. λόγοισιν Ἑρμόδωρος ἐμπορεύεται.

In eum dicebatur, qui præter verba nihil adferret, Aut in eos qui verba vendunt pecunia.

Hesperidum mala. μῆλα Ἑσπερίδων δωρεῖται.

Mala Hesperidum largiri qui magna splendidaque largirentur. Virgil.

Aurea mala decem misi, cras altera mittam.

Alybantis hospitis munera.

Quoties fit, vt aliquis falso iactet se magna largiturum esse, seu verbis duntaxat non re præstet beneficium.

Adipileum vocare.

Ad libertatem inuitare, aut promissis ingentibus seditionem commouere.

Cillicon bona. ἀγαθὰ Κιλλικῶν.

Conuenit vbi quis maleficiis ac fœdis artibus sibi parauit opes. Suidas.

Ego faciam omnia more Nicostrati. ἐγὼ ποιήσω πάντα κατὰ Νικόστρατον.

Præto, quod est egregie.

Sponde, noxa præsto est. ἐγγύα, πάρα δ' ἄτη.

In est. Sponde, sed noxa præsto est. Nam qui pro altero fideiubet ac pollicetur; quod non in ipso sit præstare, nempe fidem alienam.

Buergen sol man vvuergen. Verheiss sicher vvas, vnd halts.

PRONVNCIATIO.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

PRonunciatio, Græce προφορά, φάσις, & προφέρω, pronuncio dicitur Hebræis milla, à verbo mala, pronuncio, eloquor, dicitur etiam dauar, à verbo dibber, loquutus. Est autem pronūciare

proferre. Vnde pronunciatio pro ipsa prolatione accipitur. Est etiam pronunciare decernere & statuere, de ijsque dicitur ius cognoscendi.

Apophthegmata.

Theocritus ad Grammaticum quendam ludimagistrum male pronũciantem accedens, rogauit, Qui fit, quod Geometriam non doceas? Is quum respondisset. Quoniam ignoro. Quid tum? dixit. Nam legere etiam nescis. Notauit autem pronunciationis vitium in Grammatico, qui non tantum ipse lingua promptus esse debet, sed aptus etiam vt aliorũ verba & voces formet. *Stob. serm. de Imprudentia.*

Demosthenes, cuidam percontanti, quid esset in eloquentia præcipuum? respondit, Actio. Roganti, quid proximum? respondit. Actio. Roganti, quid tertium? nihil aliud respondit quam Actio, tantum tribuens pronunciationi, vt in ea totum situm existimaret. Actio autem multa complectitur, vocis moderationem, oculorum vigorem, vultus habitum, & totius corporis gestum. *P. M. lib. 4. apoph. ex Quintilia.*

Pausanias sophista, Quoniam more suæ gentis crassa lingua sonabat, confundens consonantes, breues producens, productas corripiens, vulgo dictus est coquus, qui pretiosa obsonia male condiret. *Philost. in sophist. & Volat. l. 18. Vrban. com.*

Anonymus. Illaudatus rhetor, cum causam ageret pulchre vestitus, sed tumultu irruens in tribunalia, voce semi muliebri, lingua supina, quouis potius spectans, quam ad ea, quæ agebantur: auersatus dicentem imperator studuit illi os occludere, totaque actione aquam intercipiebat breues subinde percontatiunculas obijciens. Ad quas cum parum apposite respondisset Philiscus: Virũ inquit Imperator, arguit cæsaries, rhetorem vox. Græca plusculum habent leporis, τὸν μὲν ἄνδρα ἐδείκνυεν ἡ κόμη, τὸν δὲ ῥήτορα φωνή, notans illum quod attonsa cæsaries declararet virum, sed oratio non declararet esse rhetorem, sed fœminam potius. *Philost.*

C. Cæsar. Celebratur C. Cæsaris dictum, quod prætextatus adhuc deprompsisse fertur, in quendam modulatius orantem: Si legis, cãtas: si cantas, male cantas. Quidam latrant orantes, verius quam loquuntur. Sunt qui rhetoricam pronuntiationem affectantes, medij sunt inter canentem & loquentem. *Meminit huius Quin. Fap. & P. M. l. 8. apoph.*

Plutarchus. Exercitationem in arte oratoria dicebat rem esse nullius momenti, si pronunciationis negligeretur ratio. *Plutarch. in Demosth.*

Similitvdines.

Seneca. Quemadmodum per procliue currentium non vbi visum est gradus sistitur, sed incitato corporis pondere se rapit, ac longius quam voluit, effertur: Sic ista dicendi celeritas, nec in sua potestate est, nec satis decora philosophiæ, quæ ponere debet verba nõ proijcere, & pedetentim procedere. *Lib. 2. epist. 40.*

Quemadmodum iudex subsequi potest, aliquando etiam imperitus ac rudis: tum quoque cum illum aut ostentatio abstulit, aut affectus impetus sui, tantum festinet atque ingerat quantum aures pati possunt. *Ibid.*

Qui nimium incitatus fertur, non vbi vult sistit sese, sed longius effertur quam velit: Sic nimia in dicendo celeritas temere rapitur. *Apud. P. M.*

P. M. Bona fabula aliquando exsibilatur, vitio histrionis male agentis: Ita bona oratio displicet, si quis parum apte referat. *In Simil.*

Vt eodem halitu, sed aliter emisso calefacimus ac refrigeramus: ita eadem oratione aliter pronunciata mouebitur affectus, aut frigebit. *In Simil.*

Taurus auis cum sit pusilla, tamen bouis vocem imitatur: Ita nonnulli cum re sint exigui, tamen loquuntur reges ac satrapas. *In Simil.*

Exempla Historica.

Stentoris meminit *Homer. Iliad. ε.* cique ferream, hoc est, inuictam attribuit vocem.

> Στέντορι εἰσαμένη μεγαλήτορι χαλκεοφώνῳ,
> Ὃς τόσον αὐδήσασχ᾽ ὅσον ἄλλοι πεντήκοντα.

P. M. in adagys.

Thrasyllus dux classis, superauit vocis magnitudine omnes Atheniẽses sua tempestate. Hic auctor fuit, vt militari suffragio Alcibiades ab exilio reuocaretur. *Sab. lib. 8. Enn. 4.*

Basilius Magnus Cæsariensis Episcopus debili & exili voce fuit, atque difficili. Sed ad extremum priusquam expiraret, vocalior est facta & cygnorum instar cum verbis obdormiuit veritatis, *vt Nazianz. in orat. de Basilio testatur.*

Carolus Magnus voce quidem virili & clara fuit, sed quæ corporis formæ, seu proceritati non responderet. *Crantzius lib. 2. Saxon. c. 7.*

Pescennium Nigrum Imp. legimus voce adeo fuisse canora, vt in campo loquens, per mille passus audiretur, ni obstreperetur ventus. *Cœlius lib. 19. c. 12. AL.*

Erico II. Danorum regi robustissimo, & admodum procero, vox iã sonora fuit, vt in actionibus non solum a præsentibus, sed etiam a remotissimis liquido exaudiretur *Saxo lib. 12.*

Demosthenes, quia blæsus erat, in exprimendo ρ literam multum laborasse dicitur, pro qua λ proferebat. *Alexander lib. 6. c. 14.*

T. Manlius Torquatus ob ingenij & linguæ tarditatem a patre rus relegatus est. *Liuius lib. 6. D. 1. Valer. Max. lib. 6 c. 9.*

Michael Balbus Imp. adeo in literis componendis tardus erat, & syllabis conficiendis; vt librum alium facilius perlegeret, quam ipse sui nominis elementa recenseret. *Cedrenus.*

Ludouicus III. Caroli Calui ex Hirmentrude filius, quod impeditioris & tardioris linguæ esset, Balbus est cognominatus, *Cuspinianus.*

PROPHETIA.

Definitio, et etymolog.

Prophetia, Græca dictio est, προφητεία, ας, ἡ, & προφητεύω, ὁ propheta: & προφητεύειν, vaticinor dicitur. Heb. *Nebuah*, propheta *Nabi*, à verbo *Naba*, prophetauit, prædixit ventura. Est autem prophetia, diuina inspiratio rerum futurarum immobili veritate denuntians. *secund. Cassiodorum, ex D. Th. 2. 2. q. 171. art. 3.*

Sententiae Biblicae.

Propheta in propria patria contemnitur. *Matth. 13. v. 57. Luc. 4. v. 24. Ioan. 4. 44.*

Prophetæ triplex genus: *Primum* eorum, qui in Ecclesiæ gubernatione extraordinarie suscitati, de communibus eius necessitatib. Deum e regnata consulebant. Hi videntes dicebantur, *1. Samuelis 9. v. 9. 1. Paralip. 21. v. 9. & 26. v. 28. & 29. v. 29. 2. Paralipom. 9. v. 29. & 12. v. 15. & 16. v. 10. & 19. v. 2. & 26. v. 5. & 29. v. 15. 30. Secundum* genus prophetarum eos complectitur, qui cessantibus sacerdotibus ad legem interpretandam extraordinarie a Deo mittebantur, sua cuique assignata prouincia, *Esaia 1. v. 1. Ieremia 2. v. 3. Ezech. 1. v. 3. Osea 1. v. 1. Amos 1. v. 1. Abd. v. 1. Aba. 1. v. 1. Agg. 1. v. 1. Zach. 1. v. 1. Malach. 1. v. 1.* horum XII. minores vnum volumen efficiunt, *Actorum 7. v. 42.* Omnium huius generis prophetarum doctrinæ summa, *Matthæi 22. v. 20. Tertium* prophetarum genus eorum est, qui doctrinæ diuinæ explicandæ & applicandæ dono insigniuntur, *Actor. 13. 1. 1. Corinthiorum 12. v. 18. Ephes. 4. v. 12.* hinc prophetare, pro doctrinæ vtiam ædificationi, exhortationi & consolationi applicare. *1. Corint. 14. v. 1. 3.* & prophetia pro huiusmodi exercitio, *Rom. 12. v. 6. 1. Thessal. 5. v. 20.* huiusmodi forma describitur, *1. Corinth. 14. v. 29. 30. &c.* prophetæ varijs afflictionibus expositi. *Matth. 5. v. 12.* non a se ipsis loquuntur, *2. Paralip. 36. v. 12. Ierem. 26. v. 13. Matth. 12. v. 43. Act. 3. v. 18. 21. & 28. v. 21. Hebr. 1. v. 1. & 3. 7. & 10. v. 15. 1. Pet. 1. v. 15. 2. Petr. 1. v. 21.* De Christo locuti sunt omnes, *Luc. 24. v. 27. Ioan. 5. v. 39. & 12. v. 41. Act. 3. v. 24. & 10. v. 43. & 26. v. 22. 1. v. 1. v. 11.* a Deo missi. *Ierem. 7. v. 24.* ab Israelitis occisi. *Nehem. 9. v. 26. Matth. 5. v. 12. & 23. 37. Luc. 13. v. 14. & 21. v. 40. Act. 7. v. 51. 52. 1. Thess. 2. v. 15.* nobis exempla proponuntur, *Iac. 5. v. 10.*

Prophetæ omnium non solum subditorum, sed regũ etiam & principum peccata magno zelo & acri sermone corripuerunt. *Exempla.* Moyses grauiter obiurgat Aaronem & populum, *Exodi 32. v. 21.* populum, *Num. 24. v. 41. 42. Deuteronom. 9. v. 7. 8.* Rubenitas. *Num. 32. v. 6. 7.* Vir Dei grauiter obiurgat Heli sacerdotem, *1. Samuel. 2. v. 27. 28.* Samuel populum, *12. v. 12. 3. &c.* Saulem, *13. v. 13. 14.* Nathan Dauidem, *2. Samuel. 12. v. 7.* Gad Dauidem, *24. v. 13.* Vir Dei Ieroboamum, *1. Regum 13. v. 1. 2. 3.* Ahias Silonites Ieroboamum, *14. v. 9.* Iehu propheta Baasa regem, *16. v. 2. 3.* Elias populum ob idololatriam Baal, *18. v. 21. 22. & 19. v. 10.* Achabũ ob Naboth interfectum, *21. v. 19.* Ochoziam, *2. Reg. 1. v. 16.* Iorã Regem, *2. Paralipom. 21. v. 12. 13. 14.* Elisæus regẽ Israel, *2. Regum 3. v. 13.* prophetæ populum, *21. v. 10. 11.* Hanani propheta Asã regem Iuda, *2. Paralipom. 16. v. 7. 8.* Iehu propheta Iosaphatum, *19. v. 2.* Zacharias populum, *24. v. 20.* Azarias Oziam, *26. v. 18.* Dauid impios, *Psalm. 75. v. 5.* Oseas diuersos ordines populi, *Ose. 5. v. 1.* Esaias populum, *Esa. 1. v. 4. & 58. v. 1.* Ieremias omnium ordinum homines, *Ier. 1. v. 18. & 2. v. 8. 29. & 23. v. 11.*

De mutationibus imperiorum præmonuerant suos. *Exempla*, Samuel indicat regnum à Saule esse transferendum, *1. Sam. 15. 28.* Ahias prædicit Ieroboamo, quod scissurus sit Deus regnum in duas partes, *1. Reg. 11. 30. 31.* Elisæus prædicit Iosaphato regi Iuda victoriam cõtra Moabitas, *2. Reg. 3. 18. &c.* vaticinatur item Ioas regi quod tribus vicibus sit percussurus Syriam, *2. Reg. 13. 18.* propheta Domini indicat, Deum propter peccata Manassis deleturum

rum Ierosolymam, 21.11.12.13. Daniel multa prænũciat de monarchiarum mutaoonibus, *Dan.* 2.4.5.7.8.9.10.11. *capitib.*

Docuerunt de pœnis peccatorum. *Exempla*: Vir Dei prædicit Heli Sacerdoti, quibus pœnis esset affligendus a Deo, 1. *Sam.* 2.31.22. eadem repetit. 3.17.18. quæ etiam casus comprobauit, 4.17. Samuel prædicit Sauli pœnas ob neglectum Dei mandatum, 1. *Samuel.* 15.28. Nathan Dauidi indicat calamitates secuturas, 2. *Samuel.* 12.11. Gad similiter, 24.13. 2. *Paralip.* 21.10. Salomoni denunciatur ira Dei ob idololatriam, 1. *Reg.* 11. *versic.* 11. Ahias prædicit Ieroboamo mortem filij, & excidium totius familiæ, 14.10. Iehu prædicit Baasæ interitum cum tota familia, 16.2.3. Elias famem propter idololatriam Achab. 17.1. & homicidium, 21.9. ob dimissionem Benadad Achabum cum tota familia pœnas daturum prædicit, 20.42. Holda prophetissa prænunciat Ochosiæ mortem 6. *Reg.* 1.16. eadem mala ventura prænunciat Iosię, 2. *Paral.* 34.23.24. Ezechiel vaticinatur contra ciuitatem sanguinatiã, *Ezech* 12.3.4.

De specialibus euentibus vaticinati sunt, & eos prædixerunt, *Exempla*, Moyses, *Exod.* 16.12.13. *Num.* 14.39.40.41.42. Vir Dei, 1. *Reg.* 12 2.3. *Reg.* 23.20.21. Elias, 1. *Reg.* 17.3.14. Propheta Dei, 20.13. Michæa, 22 28. Elisæus, 2. *Reg.* 7.1.2. & 8.1.11.12. Esaias, 20.12. *Paralip.* 32 24. *Esa.* 38.1.

Liberationes prædixerunt *Exempla* Elisæus, 2. *Reg.* 7.1. Esaias, 19.19. &c 1. *Paralip.* 29.15.16. Iahaziel, 2. *Paralip.* 2.14.15. Ieremias, *Iere.* 9.8.29.

Vna cum alijs politicis viris consilijs iuuerunt externam etiam politiam. *Exempla* Moyses. *Exod.* 18. *v.* 13.14. Samuel, *Eccles.* 46. *v.* 17. 18. Elias, 2. *Reg* 2 12. Elisæus, 4.13. & 6. *v.* 9.12. & 13.14. Ioia la. 11. *v.* 15.16. &c. 2. *Paral.* 9.10. Sacerdotes Leuitæ, 19.5.6 7.8.9.10.11. Moyses, *Ose.* 12 13.

Hortati sunt homines ad bona opera. *Exempla*: Sacerdos regi exemplar libri Legis dare iubetur. *Deuteron* 17.18. Vide 1. *Samuel.* 14. *vers.* 36.37. Azarias, 2. *Paralip.* 15. *vers.* 1.2. Ieremias, *Ierem.* 17 *v.* 19.20.21. & 35. *v.* 14 15. Ezechiel, *Ezech.* 3. *v.* 17.18. &c. Oseas, *Osea* 10.12.

Prophetæ & Sacerdotes Dei iussa & mandata populo retulerunt, *Exempla.* Iethro *Exodi* 18.19. Samuel, 1. *Samuelis*, 15. *versic.* 16.17. Semeia, 2. *Paralipom.* 11. *versic* 2.3.4. Gad. 2. *Samuel* 24. *ver.* 19.20. Ieremias, *Ierem.* 1.17. & 17. *vers.* 15.16. Ezechiel, *Ezechiel* 2.8. & 3.17.

Prophetæ & Sacerdotes sinceri ac fideles, ab impijs afflicti, & interfecti sunt. *Exempla*: Abimelech vna cum octoginta septem sacerdotibus. 1. *Sam.* 22.18. Iehu, 1. *Reg.* 16.7. prophetæ a Iezabel, Elia excepto. 19.14. Michæas, 22. *v.* 24.25. 2. *Paral.* 18.26. Zacharias, 24.21. Hanani, 16.10. prophetæ, 4. *Esd.* 1.32. *Matth.* 23.37. *Luc.* 13. 24. 1. *Thess* 2.15. Ieremias, *Ierem.* 20.2. Daniel & socij eius, *Dan* 3. 20. & 6.16.

Prophetia & ministria omnia mala, & calamitates imputantur. *Exempla*: in Moyse & Aarone, *Exodi* 5 *vers.* 21. & 14. *versic.* 11.12. Eli, 1. *Regum* 18.17. Elisæo, 2. *Regum* 6. *vers.* 30.31. Ieremia, *Ierem.* 41. *vers.* 15.1517. prophetis propter vaticinia gratitudinis ergo munuscula dabantur. *Exempla*: Saul Samueli, 1. *Samuel* 9. *versic.* 1. Ieroboam Abiæ, 1. *Reg.* 14 3. Benadad Elisæo, 2. *Regum* 4.4 2. Viri Dei Elisęo, 8.8. Magister militiæ Ieremiæ. *Ieremia* 40. *vers.* 4 5.

Prophetarum contemptus, 1. *Paralipom.* 24. *ver.* 19 & 25.16. & 36. *ver.* 12.16. *Ieremia* 7. *vers.* 25. prophetarum filij, pro eorum discipulis, 2. *Regum* 4.38. & 6.1. prophetarum mos, gestu aut habitu alienam personam exprimere, *Ose* 2. *Mich.* 18. *Exempla*: Esaias, *Esa.* 5.1. & 2.2.3 4. Oseas, *Ose.* 3. & 2.23. *Rom.* 9. *v.* 25. prophetarum verorum & falsorũ discrimen, *Deut* 13.2. & 18 22. *Ierem.* 28.9. prophetarum penuria iræ Dei signum est. 74.9. *Ezech.* 7.26. Vulpi similes, 13.4.

Prophetarum & ministrorum verbi Dei in hoc mundo præmia. *Primo.* Accusatio. *Exemplum*: Oseas, 4 *versi.* 4 *Secundo.* Carcer. *Exempla*: Michęas, 1. *Reg.* 22.27. Ieremias, *Ierem.* 20.2. & 23. *vers.* 3.4. & 37.15. & 38 6. Hanani, 2. *Par.* 16.10. *Tertio*, Cõdemnatio, *Exemplum*: Ieremia, *Ierem.* 26.11. *Quarto*, Conuitia, *Exempla*: Elisæus, 2. *Reg.* 2. 23. prophetæ, qui viri rixarum & discordiæ appellantur in vniuersa terra, *Ieremia* 15.10. *Quinto.* Criminatio, quod sint seditiosi, turbulenti & blasphemi: *Exempla*: Elias, 1. *Regum.* 18.17. Ieremias, *Ierem.* 5.13. & 37.13. & 43. *ver.* 2.3. *Sexto.* Fames, *Exempla* Elias a coruis & a Sareptana tenuiter pastus, 1. *Reg.* 17. *vers.* 6 12. &c. Centum prophetæ ab Abdia abscondit, pane & aqua pasti, 18. *v.* 4. 13. *Septimo*, Insidiæ. *Exemplum*: Elias qui conqueritur sibi fieri insidias. 1. *Regum* 19. *versic.* 10 14. *Octauo.* Mors. *Exempla*: Iehu, 1. *Regum* 16.17. prophetæ Domini, 18.4. & 19.10. *Esd.* 1.32. *Matth* 5.12. & 23.17. *Luca* 13.34. 1. *Thessal.* 2.15. Vrias, *Ierem* 26. *ver* 20.26. Ioannes Baptista, *Matth.* 14.10. *Marcé* 6.27. Serui patrisfamilias, *Matt.* 21.35. *Marci* 12. *ver.* 3.4.5. *Luca* 20. *ver.* 9 10.11. Iacobus frater Ioannis, *Actorum*, 12. *versi.* 2 &c. Stephanus protomartyr. 7. *versic.* 59. *Nono.* Odium. *exempla.* Michæas, 2. *Paral.* 14.7. Dauid, *Psal.* 109. 5. *Decimo*, proditio: *Exempla*: Ieremias, qui proditur a Semeia, ob librum in Babylonem missum, *Ierem* 29. *versicul.* 24. &c. Amos, *Amos*, 7.10. *Vndecimo*, Subsannatio, *Exempla*, prophetæ & nũcij Dei, 2 *Paral.* 36. *vers.* 14.15. *Vide Ezech.* 12.6. & 14.24. 1. *Cor.* 4. *v.* 9 10. *Duodecimo*, Verbera, *exempla*, Michæas, 1. *Reg.* 23.24. Ieremias, *Ierem.* 20.2.

Prophetæ falsi lupis similes, *Matth.* 7.15. falsi prophetæ Achabi tẽporibus, 1. *Reg.* 18.20. ad sanguinem vsque seipsos lacerant, *ibid.* occiduntur, *v.* 40. falsi prophetæ reprehendi debent. *Ezech.* 13.2. & 22. *v.* 25.28. *Soph.* 3 4.

In prophetis loqui dicitur Deus, *Heb.* 1.1. prophetarũ spiritus quid vocet Paulus. 1. *Cor.* 14.32. prophetæ de re futura, tanquã de præsenti loquuntur, *Malach.* 3.1. *Marc.* 1.2. vt plurimum tempore præterito vtuntur, etiamsi de re futura loquantur, propter rei certitudinem. *Esa.* 9.6. & *alibi sæpe.*

Prophetam in nomine prophetæ recipere, si recipere, vt prophetam, & eo quod est propheta, *Matth.* 10.41. vt explicatur *Marci* 9.41.

Prophetæ, pro prædictionibus propheticis, *Matth.* 5.17. pro ipsorum libris, *Marci.* 1.2. pro Apostolis, ministris, & cæt. *Matth.* 24.34.

Prophetæ, pro futura vaticinari, *Matth.* 11.13. prophetias interpretari, 1. *Cor.* 11. *v.* 4.5. & 14.3.

Prophetia Dei donum, *Rom.* 12.6. 1. *Cor.* 12.10. prophetiæ donũ optandum, 15.1. &c. interpretatio a Deo, 2. *Pet.* 1. *v.* 20.21.

Pseudoprophetæ, & eorum punitio, quod non sint audiendi, *Deut.* 13.1. & 18.20. *Reg.* 13.11. & 18.40 & 22. *v.* 6.10 2 *Reg.* 10.19. *Prou.* 28.10. *Esa.* 3.11. & 28.7. & 56.10. *Ier.* 14. *v.* 13.15. & 23.1. &c. 27.9. & 28.1. &c. 29. *v.* 8.21.25 *Ezech.* 13. *v.* 1. &c. 14.9. & 22.25 & 44. *v.* 2.8.18. *Amos* 7.10. *Mich.* 3.5. *Zach.* 13.2. *Mat.* 7.15. & 24.11. *Mar.* 8.15. & 13.6. *Luca* 12.1 & 17.23. *Act.* 20 29. 1. *Cor.* 15.22. *Phil.* 3.2. *Col.* 2.8. 1. *Tim.* 4. *v.* 1.2. *Tim.* 2.17. & 3.1.2. *Pet.* 21. &c. *Iuda*, *v.* 4.8. &c. Pseudoprophetæ habentur, qui antequam mittantur, currũt. *Ierem.* 14. *v.* 14. & 23.32. & 27 15. *Ezech* 13.5.

Pseudoprophetarum merces ab impijs: *Primo.* auditorum frequentia & applausus, *Psal.* 73. *Ierem* 5 31. *Secundo.* Fauor & honor. Quadringenti quinquaginta prophetæ Baal de mensa Iezabel comedunt. 1. *Reg.* 18.19. Elias vero in maximis periculis versatur, 19. 10. & cum fame conflictatur, 17.4. &c. Illi in pretio habentur apud Achabum. 22.6. *Tertio* munera & ampla commoda: pseudoprophetæ Israel, *Esa.* 56. *v.* 10.11. *Ezech.* 13. *v.* 18.19. & 34. *v.* 3.4. pseudoprophetarum notæ duę: Falsa doctrina & mali mores. *Matth.* 7. *v.* 15.16. ideoque vitandi, *v.* 15. *Marc.* 8.15 *Luc.* 17.23.

SENTENTIÆ BIBLICAE.

Prophetæ boni à Deo mittuntur.

Priusquam te formarem in vtero, noui te: & antequam exires de vulua, sanctificaui te, & prophetam in gentibus dedi te. *Iere.* 1.

Quia non faciet Dominus Deus verbum, nisi reuelauerit secretum suum ad seruos suos prophetas. *Amos.* 3.

Et spiritus prophetarum prophetis subiecti sunt, 1. *Cor.* 14.

Prophetam suscitabo eis similem tui, ponamque verba mea in ore eius, loqueturque ad vos omnia, quę pręcepero illi: qui autem verba, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego vltor ex stam. *Deuter.* 18.

Mittebat autem Dominus Deus patrum suorum ad illos per manus nunciorum suorum: at illi subsannabant nuncios, 2. *Paralipom* 36.

Et misit Dominus ad vos omnes seruos suos prophetas, consurgẽs diluculo, mittensque, & non audistis, neque inclinastis aureis vestras, vt audiretis eum. *Ierem.* 25.

Iudicium mortis est viro huic, qui prophetauit aduersus ciuitatem istam, sicut audistis auribus vestris 26.

Et prophetis mandabitis dicentes: Ne prophetetis. *Amos.* 2.

Iesus autem dixit: Non est propheta sine honore, nisi in domo sua. *Matth.* 13.

Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui ędificatis sepulchra prophetarum. 23.

Tunc expuerunt in faciem eius, dicentes: prophetiza nobis quis te percussit. 26.

Prophetæ mali seipsos intrudunt.

Egrediar, & ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum eius. 3. *Reg.* 22.

Et dixi, a, a, a, Dominus Deus, prophetæ dicunt eis: Non videbunt gladium, & fames nõ erit vobis, sed pacem veram dabit vobis in loco isto. Et dixit Dominus ad me: Non misi eos, & non præcepi eis, neque locutus sum ad eos: visionem mendacem & diuinationem fraudulentam, & seductionem cordis sui prophetant vobis. *Ierem.* 14.3.

Non mittebam prophetas, & ipsi currebant: non loquebar ad illos, & ipsi prophetabant. 23.

Væ prophetis insipientibus: qui sequuntur spiritum suum, & nihil vident: Quasi vulpes in desertis, prophetæ tui Israel erant. Non ascenditis ex aduerso, neque opposuistis murũ pro domo Israel,

vt

vt staretis in prælio in die Domini. Vident vana, & diuinant mendacium, dicentes: Ait Dominus, cum Dominus non miserit eos, & perseuerauerunt confirmare sermonem. Nunquid non visionem cassam vidistis, & diuinationem mendacem loquuti estis? & dictis, ait Dominus: cum ego non sim locutus. *Ezech.* 13.

Simplices seducunt.

Si surrexerit in medio tui prophetes, aut qui somnium se vidisse dicat, & prædixerit signum atque portentum, & euenerit, quod locutus est, & dixerit tibi, eamus & sequamur Deos alienos, quos ignoras, & seruiamus eis: non audies verba prophetæ illius, vel somniatoris, quia tentat vos Dominus Deus vester, vt palàm fiat vtrum diligatis eum an non, in toto corde, & in tota anima vestra, *Deut.* 13.

Stupor & mirabilia facta sunt in terra, prophetæ prophetabant mendacium, & sacerdotes applaudebant manibus suis, *Ier.* 5.

Et in prophetis Hierusalem vidi similitudinem adulterantium, & iter mendacij: & confortauerunt manus pessimorum, vt nō conuertatur vnusquisque à malitia sua. 23.

Hæc dicit Dominus exercituum. Nolite audire verba prophetarū, qui prophetant vobis, & decipiunt vos. Visionem cordis sui loquuntur, non de ore Domini. *ibid.*

Audiui, quæ dixerunt prophetæ, prophetantes in nomine meo mendacium, dicentes: Somniaui, somniaui. Vsquequo istud est in corde prophetarum vaticinantium mendacium, & prophetantium seductiones cordis sui? *ibid.*

Prophetæ tui viderunt tibi falsa & stulta, nec aperiebant tibi iniquitatem tuam, vt te ad pœnitentiam prouocarent. *Threno.* 2.

Prophetæ autem eius liniebant eos absque temperamento, videntes vana, & diuinantes ei mendacium. *Ezech.* 22.

Scitote Israel stultum prophetam insanum virum spiritualem. Speculator Ephraim cum Deo meo: propheta laqueus ruinæ factus est super omnes vias eius: insania in domo Dei eius. *Osee* 9.

Surgent enim pseudochristi & pseudoprophetæ, & dabunt signa & prodigia. Nolite credere. *Matth.* 24.

Nam eiusmodi pseudoapostoli sunt operarij subdoli, transfigurantes se in apostolos Christi. 2. *Cor.* 11.

Videte ne quis vos decipiat per philosophiam & inanem fallaciā, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, & non secundum Christum, 2. *Coloss.* 2.

Fuerunt vero & pseudoprophetæ in populo, sicut & in vobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, & eū, qui emit eos, Deum negant. 2. *Pet.*

Hoc primum scientes, quod venient in nouissimis diebus illusores. 3.

Falsis se produnt.

Propheta autem, qui arrogantia deprauatus voluerit loqui in nomine meo, quæ ego nō præcepi illi, vt diceret, interficietur. *Deuteron.* 18.

Sacerdos & propheta nescierunt præ ebrietate, absorpti sunt a vino, errauerunt in ebrietate, nescierunt videntem, ignorauerunt iudicium. *Esa.* 28.

Prophetæ eius vesani, viri infideles, *Sophon.* 3.

Attendite a falsis prophetis. Nunquid colligunt de spinis vuas aut de tribulis ficus? *Matth.* 7.

Pœnam super se inducunt.

Propheta autem ille, aut fictor somniorum interficietur, quia locutus est, vt auerteret vos à Domino Deo vestro, qui redemit vos de domo seruitutis. *Deut.* 13.

Propheta docens mendacium, ipse est cauda. *Esa.* 9.

Idcirco hæc dicit Dominus de prophetis, qui prophetant in nomine meo, quos ego non misi, in gladio & fame consumentur prophetæ illi, & populi, quib. prophetant, erunt proiecti in vijs Hierusalem, præ fame & gladio. *Ierem.* 14.

Propheta namque & sacerdos polluti sunt, & in domo mea inueni malum eorum, dicit Dominus. Idcirco via eorum erit quasi lubricum in tenebris, impellentur & corruent in ea: afferam enim super eos mala, annum visitationis eorum, ait Dominus. 23.

Hæc dicit Dominus Deus: Super prophetas, qui seducunt populum meum, qui mordent dentibus suis, & prædicant pacem, & si quis non dederit in ore eorum quippiam, sanctificāt super eum prælium, propterea nox vobis pro visione erit, & tenebræ vobis pro diuinatione. *Mich.* 3.

Philosophicæ Sententiæ.

Prophetam videntē vocant prisci, quia per videntem sapiētes intelligunt, cum insipientes cæci sint. *Philo de migratione Abraham.*

Prophetæ, vt ait Auicenna, Angelorum species cernunt, & ipsorum audiunt voces. *Fic. in Apolog.*

Prophetiam falsam trifariam diuidere possumus, cum dæmonis ipsi, aut quæ reuelant norunt, aut a superioribus discunt dæmonibus, aut a bonis erudiuntur spiritibus. *Ioan. Fran. Pic. Mirand. de prænotione. l.* 4. *c.* 9.

Prophetæ falsi aut à bonis erudiuntur spiritibus, aut à malis, qui ea quæ falso prophetæ reuelant, a bonis hauserunt, & id bifariam: aut solum manifestant, quæ spirituali eorum naturæ sunt cognita, aut quæ à superioribus edocti sunt: primi generis Balaam, & Sybillæ. *idem.*

Prophetæ falsi ex dæmonum inspiratione vera prædicere possunt, nam ipsi ex oraculis interdum vera responderunt, possunt enim multa ferè vi naturæ, quæ reuelare possunt hominibus incognita, natura enim hominibus superiores sunt. *Io. Franc. Pic. Miran. de prænotione l.* 4. *c.* 6.

Prophetæ veri differunt à falsis in hoc, quia veri semper vera effantur, falsi non semper falsa, nam interdum vtunt Deum etiam malis, vt inde vtilitas veniat, & proprie fallax est, qui sciens & volens falsa prædicit. *idem ibid.*

Prophetia falsa differt a diuinatione, quia semper in falsa prophetia dæmones reuelant, in diuinatione non semper dæmones reuelare, sæpè expresso & suppresso pacto malo fit ea suas peragit superstitiones, illa expresso duntaxat pacto polluitur. *ibid.*

Prophetia est passio transiens, non enim semper prophetæ prophetantur. *Io. Franc. Pic. Mir. de prænotione, l.* 7. *c.* 10.

Prophetæ ex fructibus probandi sunt, & præcipuum est veritas non fucata, non adulterata, sed pura, & mixta, quam alussima gignit humilitas, quæ non mercatur illud non elata, non pertinax, non inquieta, non garrula, non auri aut honorum studiosa, nec vani fastus cupida, nec sapiens nouellis lustratione, authoritate bonorum, doctorumque virorū vtens. Porro, si tribulationibus vexatur, aut libenter patitur, aut certe desperatione non furit: si alijs prophetis conformes sunt, quorum alij odio habiti, & vexati, alij iniurijs affecti, alij inani regum vel populorum rabie trucidati, & demum si verax cognoscatur. *idem, ibid. l.* 9. *c.* 2.

Prophetis veris habere fidem munus est Dei, sicuque abrogare credulitatem. *idem, ibid. c.* 5.

Propheta animum oudum adeo ab omni cupiditate habere oportet. *ibid.*

Propheta ab eo dicta est, qui videre, & maxime futura, a se visa prædicaret. Idem apud Græcos prædicatio. *Ioan. Franc. Pic. Miran. de prænotione, l.* 2. *c.* 1.

Prophetæ a prædicendo dicti, nec omnis, qui prædicit, propriè Propheta habetur, nec omnes prophetæ veri sunt, sed aliqui falsi, & qui veri, semper numeris omnibus non intelligunt, quæ explicant, sed ambigue alij, alij sub ænigmate, alij clare & aperte. *Idem ibid.*

Prophetæ fuere manci, qui significationes illarum rerum quam videbant, non intellexerunt. *ibid.*

Prophetam constituit illustratio mentis, & occultorum superna reuelatio, etiamsi exteriores notas non viderit, & qui profert futura etiamsi nesciat, quæ proferat. *Ioan. Franc. Pic. Mir. Aud. de prænotione l.* 2. *c.* 2.

Propheta vere intelligitur, qui visionum apparitionumque, ac notarum menti inspiratarum significantiam ex reuelatione percepit, ea proferens, cum tempus expostulat: duo enim requiruntur acceptio seu appræsentatio & iudicium: cum naturale lumen ad futura contingentia per se proprie extendi non possit, supernaturale illabi necesse est, ex quo iudicium, & futurorum clara cognitio profluit, quæ reuelatio dicitur, *Idem, ibid.*

Prophetia interdū est, etsi non sint species, infunduntur enim quandoque intelligentiæ rerum ex lumine absque specie vlla sensibili, qui nobilissimus est modus. *Ioan. Franc. Pic. Mirand. de prænotione.* 2. *c.*

Prophetiam supernaturali lumine exactam haberi dicimus: quo illustratur prophetæ mens ad ea noscenda, quæ postmodum alijs insinuant, etsi quandoque quæ vident, non proferunt, semper enim non expedit, quamquam semper beneficentissimus Deus per reuelationes ipsas aut in vniuersum, aut in particulari hominum saluti consulat, non futura modo, sed & præsentia & præterita faciens. *Idem ibid.*

Prophetæ lumen ad diuinam essentiam intuendam non peruadit, vt enim luminis gloriæ, quod perfectius est, & fidei lumini succedit, officium est, quod exuberanter Deus beatis largitur. *Io. Franc. Pic. Mirand. de prænotione, l.* 3. *c.* 3.

Prophetiam aut natura aut studio acquiri posse falsum est, sed à solo Deo magna erga homines beneuolentia proficiscitur. *Io. Fran. Pic. Mirand. de prænotione. l.* 2. *c.* 4.

Prophetica vera reuelatio lumen est prophetæ intellectui diuinitus illapsum transeuntis influxu, saluti consulens, & maxima cum certitudine earum notas rerum ostendens, quæ humanæ potissimum cognitioni naturaliter occultantur. *Idem ibid.*

Propheta ex astris pendere non potest, aut ex siderum configurationibus prærsus sopitis hominibus, vt accidit ex diuina reuelatione eius luminis beneficio, quod futura monstrat, distinguit & iudicat. *ibid.*

Propheticæ reuelationis triplex est modus, aut enim per audi- cum

tum & visum exteriorem offeruntur obiecta, quæ rerum futurarum signa notæque sint aut mente colluceant, aut mediæ inter mentem & sensum exteriorem imaginariæ potestati se insinuant. *Ioa. Fran. Pic. Mir. de prænotione, lib. 2. c. 8.*

SIMILITVDINES.

D. Chrysostomi. pictores imitantur arte naturam, & colores coloribus permiscentes, visibiles corporum depingunt imagines. & faciunt homines, & animalia, & arbores, & reges, & rusticos, & barbaros, & pugnas, & rixas, torrentes sanguinum, & lanceas, & loricas, & scuta, & sedem regalem, & imperatorem sedentē, & barbarum, & subditum, & gladium acutum, & fluctus decurrentes, & campos varijs floribus adornatos, & omnia, quæ videntur per artem imitantes, mirabilem historiam videntibus præstant: Sic & prophetæ velut quidam pictores sunt virtutis ac malitiæ, describunt enim & illi peccatorem, iustum, pœnitentem, stantem, surgentem, titubantem. Et sicut faciunt pictores occidentes occisos, sic & prophetæ faciunt aliquando quidem insurgentia peccata, aliquando etiam allisa. Sicut habent imagines subscriptiones deorsum sia in minio colore, in quibus scriptum est, qui rex, quod prælium viceri. Ita in Psalmis desuper titulus situs est, quæ causa sit, quæue doctrina, & quapropter Psalmus sic dictus. *In proœm. Psal. 50. homil. 1.*

Sicut in turribus ... acula contra omnes hostes iactantur. Sic prophetici libris contra varias gentilium fabulas, & contra insanas hæreticorum disputationes, salutaria veritatis proponuntur exempla. *In e 5. Matth. homil. 10.*

Sicut nubes ... nt pluuiam, & effundunt eam super terram: Ita & Prophetæ & Apostoli accipiunt verba a Deo, & effundunt super ra ... abilem terram. *In 7. Matth. homil. 10.*

Sicut ... animalis viscera nemo manducat: ita viuentium prophetarum sermones suscepit nemo, sed post mortem. *In 7. Matth. hom. 20.*

Quemadmodum peritus medicus membrum in corpore putrefactum amputat, ne reliquum etiam corpus inficiatur: Sic prophetæ membrum ægrum peccatoris resecant, dum eacommunicant nefandis vitijs obnoxios, ne fidelium congregatio his morbis inficiatur. *Homil. 1. cum presbyter esset designatus.*

Athanasij. Quemadmodum nos conspicientes ea, quæ sunt sub oculis videndo non fallimur, non aliter videmus quam sunt, sed quemadmodum fiunt, ita videamus: Sic & prophetæ futura tanquam præsentia videbant, & quæ videbant, fieri erat necesse: namq; quæ fiebant, omnino videre oportebat. Et rursum quemadmodum nos quæ videmus oculis, omnino necesse est, vt sint, siquidem ea, quæ sunt, videmus, nec potest aliter fieri quam vt videmus: Sic & prophetæ, quæ præuidebant, oportebat omnino esse, nec aliter fieri poterat, quam quemadmodum præuiderant. Nisi fi futura non præuidissent, iam non fuissent prophetæ. *De passione Domini.*

Theodoreti Episcopi. Sicut in regiam militaremque viam reliqui calles a pagis agrisque proueniunt: Ita prophetæ (qui et viæ sunt) hanc Christũ viam esse crediderunt. *De Græco curat.*

Procopij. Etiam medicorum filij prædicūt morbos futuros, quos ipsi non pariunt: sed ipsorum professio est, morbis subuenire & curare. Hinc frequenter legimus in scriptura sacra, Deum iubere prophetas, vt prædicent pœnitentiam, fingentem se omnium inscium, quæ futura sunt. Id eo fit, siue pœnitentiam arripuerint vel reiecerint, ne existimetur per suam præscientiam causā ptę buisse, & occasionem audientibus, vt caderent & perirent. Quo circa alicubi alloquitur Hieremiam ad hunc modum: Fortassis audient, & pœnitentiam agent: quod si vellent, æque fieri posset, ac in peccato & luto hærere. Si quis præsciret, bonum se futurū, & sic mansurum vsque ad finem, certe nequaquam magna prom ptitudine repugnaturus esset vitijs. *In Gen c. 2.*

D. Augustini. Sicut in citharis & huiusmodi organis musicis, nō quidem omnia, quæ tanguntur, canorum aliquid resonant, sed tantū chordæ: cætera tamen in toto citharæ corpore ideo fabricata sunt, vt esset vbi vincirentur, vnde & a quo tenderentur illæ, quas ad cantilenæ suauitatem modulaturus & percussurus est artifex: Ita in his propheticis narrationibus, quæ de rebus gestis hominum prophetico spiritu dicuntur, aut aliquid iam sonant significatione futurorum: aut si nihil tale significant, ad hoc interponuntur, vt sit, vnde illa significantia, tanquam sonantia, connectantur. *Lib. 22. contra Faust. c. 44.*

Non sane omnia quæ gesta narrantur, aliquid etiam significare putāda sunt: sed propter illa, quæ aliquid significant, attexuntur. Solo enim vomere terra proscinditur: sed vt hoc fieri possit, etiam cætera aratri membra sunt necessaria. Et soli nerui in citharis atq; huiusmodi vasis musicis aptantur ad cantum: sed vt aptari possint, insunt & cætera in compaginibus organorum, quæ non percutiuntur a canentibus: sed ea quæ percussa resonant, his connectuntur: Ita in prophetica historia dicuntur & aliqua, quæ nihil significant, sed quibus adhæreant quæ significant, quodammodo religentur. *Lib. 16. de ciuit. Dei, c. 2.*

Felengij. Quemadmodum agricola bonus, cum viderit malam arborem, fructum bonum non ferentem, sine omni hæsitatione illā excidit, ac velut inutilem in ignem conijcit: sic magistratus vere Christianus cum falsos Euangelij pastores ac prophetas audit, deponit, & ea vinea Domini ejicit. *in Ps.*

Vide Sacerdos.

PROSPERITAS.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

Prosperitas, Græce εὐπραγία, εὐτυχία, & εὐοδία, prosperor dicitur. Prosperitas Heb. *Ascher*, felicitas: & *Schalom*, pax. Hæc enim sūt comites prosperitatis. est autem prosperitas felicitas & ad votū successus. Venit autem a spe, vnde & prosper. felix, felix, hoc est, qui spem nostram implet. Vnde pro pera sidera, tempora, loca, nes, actiones successus. Item felix, qui spe sua potitus est.

LOCI BIBLICI.

Prosperitas a Deo est, *Genes. 39. 2. 1. Samuel 18. 14. 2. Samuel 5. 10. 2. Reg. 18. 7. 1. Paral. 11. 9. & 17. 8. & 18. 6. & 22. 11. 2. Par. 1. 1. & 14. 6. & 15. 9. & 17. 3. & 20. 30. Psal. 23. v. 5. & 90. 17. Prou 3. 33. Eccles. 3. 13. Esa. 14. 3. & 26. 12. Ioel 2. 20. Zachar. 8. 12.* Prosperitas impiorū, & eorundem repentinus interitus, *Iob. 2. 11. &c. Psal. 37. v. 16. 35. 36. Esa. 41. 12.* prosperitas timentib. s Deum promissa, *1. Par. 22. v. 13. 2. Par. 19. v. 11. & 20. 20. & 26. 5. & 27. 6. & 31. 21. & 32. 30. 1. Esd. 8. v. 22. 23. Psal. 25. v. 13. 14. Esa. 1. 19. & 30. 23. & 48. 18. & 58. 8. Ier. 7. 23. & 22. 4. & 32. 39. Ose 2. 21.* Prosperitas in Ecclesia resti tuta, *Ier. 31. v. 12. 14.* prosperitas interdum periculosa, *1. Tim. 6. 17.*

PATRVM SENTENTIAE.

Nemo frangitur aduersitatum molestijs, qui prosperorū delectatione non capitur. *Aug. de verb. Dom. lib. 2.*

Nemo gratuletur homini, qui prosperatur in vita sua, cuius peccata desunt vltor, & adest laudator. Maior hic ira Domini est: irritat enim Dominum peccator: vt illi patiatur, id est, vt correctionis flagella non patiatur. *in Psal. 7.*

Magnæ virtutis est cum felicitate luctari, ne illicit, ne corrumpat, ne ipsa subuertat felicitas, magnæ, inquam, virtutis cum felicitate luctari: magnæ felicitatis est, a felicitate non vinci. *De verb. Dom. c. 13.*

Ideo Deus felicitatibus terrenis amaritudines miscet, vt illa quæratur felicitas, cuius dulcedo non est fallax. *super Matth. ser. 29.*

Prospera huius mundi asperitatem habent veram, iucunditatem fassam, certum dolorem, incertam voluptatem, durum laborem, timidam quietem, rem plenam miseriæ, spem beatitudinis inanem. *Epist 36.*

Nulla res longa mortalium, omnisque felicitas sæculi dum tenetur, amittitur, cuius tribulationis tēpus aduenerit, omne quod præteritum est, nihil adiuuat sustinentem *sup. Esa. l. 7.*

Difficile, imo impossibile est, vt præsentibus & futuris quis fruatur bonis, vt hic ventrem, & ibi mentem impleat, vt a delicijs ad delicias transeat, & in vtroque sæculo primus sit, vt in terra & in cę lo appareat gloriosus. *in epist.*

Si habeas sapientiam Salomonis, si pulchritudinem Absolonis, si fortitudinem Samsonis, si longæuitatem Enoch, si diuitias Crœsi, si felicitatem Octauiani, quid prosunt hæc, quum tandem caro datur vermibus, & anima dæmonibus, cum diuite sine fine cruciand. *in Matth. 27.*

Sancti viri quum sibi suppetere prospera huius mundi conspiciūt, pauida suspicione turbantur: timent enim, ne hic labori suo rum fructus recipiant: ne timent, quod diuina iustitia latens in eis vulnus aspiciat, & exterioribus eos vulneribus curans ab intimis repellat. *Gregor. Moral.*

Quem nec abundantia in superbiam eleuat, nec in necessitate cupiditas irritat, nouit abundare, nouit penuriam pati. *sup. Ezech.*

Manifestum perditionis indicium est, quando affectatis iniquitatibus subsequens fauet effectus, & nulla cōtrarietas impedit, quod mens peruersa concepit *in Moral.*

Quum quis positus in prosperitate diligitur, incertum est, vtrum prosperitas, an persona diligatur. Amissio autem felicitatis interrogat vim dilectionis: nec prosperitas quippe amicum iudicat, nec aduersitas inimicum celat. *ibid.*

Iustis amplius placeat ex aduersitate mala perpeti, quam ex prosperitate terrenæ dispensationis cura fatigari. *ibid.*

Sæpe Omnipotens Deus cum auaræ menti vehementer irascitur, prius ei permittit ad votum cuncta suppetere, & post hęc per visitionem subtrahit, vt pro eis debet supplicia æterna tolerare. *Greg. lib. 15. Moral.*

Præsentis vita prosperitas innocentiæ testis non est: quia multi ad perennem vitam per flagella redeunt, & plerique ad finita supplicia perducendi sine flagello moriuntur. *ibid.*

Præsentis vitæ prosperitas aliquando idcirco datur, vt ad meliorem vitam prouocet: aliquando, vt in æternum plenius damnet. *in T. 7.*

Solet

Solet rerum abundantia tanto magis a timore diuino mentem soluere, quanto magis huic exigit diuersa cogitare, *in homil. quadam.*

Præferendus ille, & magnus est, cui inter prospera saltem risus indecentior, aut sermo insolentior, aut immoderatior cura vestis vel corporis non irrepsit. *Bern. lib. 2. de consid.*

De diuitiis & floribus, & maiorum nobilitate gloriaris, de patria & pulchritudine corporis, & honoribus, qui tibi ab hominibus deferuntur, te exaltas: respice teipsum, quia mortalis es, & quia terra es, & in terram ibis, circumspice eos, qui ante te sidereis fulsere splendoribus. Vbi sunt, qui ambiebant ciuium potentatus? vbi insuperabiles Oratores? vbi qui conuenientius festa disponebant? vbi equorum splendidi nutritores? vbi exercituum duces? vbi satrapæ & tyranni? nonne omnia puluis? nonne omnia fauillæ? nonne in paucis versibus eorum vitę memoria est? Respice sepulchra, & vide, quis seruus, quis dominus, quis diues, discernere, si potes, victum a rege, fortem a debili, pulchrum a deformi. Memor itaque tui esto, ne aliquando extollaris: memor autē eris, si te ipsum respexeris. *Prosp. in suis sermonibus.*

Nouerca virtutis prosperitas, baiulis suis sic applaudit, vt noceat, & infelici successu sic fortunatis obsequitur, vt in fine perniciem operetur: conuiuis suis ab initio propinans dulcia & cum inebriati fuerint, lethale virus miscet, et si quid deterius est, quo specie sui clarescit, amplius eo stupentibus oculis densiorem infundit caliginem. *P. Chry. l. 1. de curialium nugis.*

Sæpius in altum quis attollitur, vt ruens fortius, conquassetur. Nam sæpe videtur fortuna in principio prospera nuntiare, sed m... iū & finem replet multis aduersitatibus, & concludit. *Raban. in quodam serm.*

In omni aduersitate fortunæ infelicissimum infortunij genus est, aliquando fuisse felicem. *Boet. de consol. lib. 2.*

Quam multis amaritudinibus humanæ felicitatis dulcedo respersa est. *ibid.*

Quem felicitas amicum, infortunium facit inimicum. *ibidem lib. 3.*

Ex rerum prosperitate luxuria, ex luxuria vero vitia omnia: sic impietas aduersus Deum nascitur. *Lact. Firm. lib. 2. c. 2. diuin. inst.*

Quod ad alteram philosophiæ partem, quam ipsi moralem vocant, in qua totius philosophiæ ratio continetur. in qua sola oblectatio est atque vtilitas, in qua nullus dissidio, nullus errori locus est, sed vnum sentire omnes oportet, vnum eligamus, ac potissimum quod est summum ac principale bonum, in quo totius sapientiæ cardo versatur. Et Epicurus quidem summum bonum in voluptate animi esse censet. Aristippus in voluptate corporis. Calliphon & Dinomachus honestatē cum voluptate iunxerunt. Diodorus in priuatione dolorum, summum bonum posuit. Hieronymus in non dolendo. Peripatetici autem in bonis animi, aut corporis, aut fortunæ. Herilli summum bonum esse in scientia. Zenonis cum natura congruenter viuere: quidam Stoicorum virtutem sequi. *idem lib. 5. cap. 7.*

SANTENTIÆ POATICÆ.

Ouidi. Trist. 4.

Dum iuuat & vultu ridet fortuna sereno,
Indelibatas cuncta sequuntur opes.
At simul intonuit, fugiunt, nec noscitur vlli,
Agminibus comitum qui modo cinctus erat.
Atque hæc exemplis quondam collecta priorum,
Nunc mihi sunt proprijs cognita vera malis.
Vix duo tresue mihi de tot superestis amici:
Cætera fortunæ non mea turba fuit.

Idem 1. Trist. 3.

Donec eris felix multos numerabis amicos:
Tempora si fuerint nubila solus eris.
Adspices vt veniant ad candida tecta columbæ,
Accipiat nullas sordida turris aues:
Horrea formicæ tendunt ad inania nunquam,
Nullus ad amissas ibit amicus opes.
Vtque comes radios per Solis euntibus vmbra est,
Cum latet hic pressus nubibus, illa fugit:
Mobile sic sequitur fortunæ lumina vulgus,
Quæ simul inducta nube teguntur, abit.

Publ. Aus.

Paucos amicos rebus aduersis proba.

Virg. 1. Æneid.

Nescia mens hominum fati, sortisq; futuræ,
Et seruare modum rebus sublata secundis.

Ouid. 1. Art.

Mens erit apta capi tunc, cum lætissima rerum,
Vt seges in pingui luxuriabit, humo,
Pectora dum gaudent, nec sunt adstricta dolore,
Ipsa patent, blanda tum subit arte Venus.
Tunc cum tristis erat, defensa est Ilion armis:
Militibus grauidum læta recepit equum.

Idem 2. Art.

Luxurians animi rebus plerunque secundis,
Nec facile est æqua commoda mente pati.

Sen. Oed.

Res secundæ non habent vnquam modum.

Idem Troad.

O tumide rerum dum secundarum status
Extollit animos?

Agam.

Prospera animos efferunt.

Silius 1.

Heu cæcæ mentes, tumefactaque corda secundis.

Idem 7.

Arrectæ spes Sidoniæ, feruetque secundis,
Fortuna tumenis.

Periand. per Aus.

Si fortuna iuuat, caueto tolli.
Si fortuna tonat, caueto mergi.

Terent. Phorm. 2. 1.

Quamobrem omnes cum secundæ res sunt maxime, tum maxime
Meditari secum oportet, quo pacto aduersam ærumnam ferant.
Pericula, damna, exilia peregre rediens semper cogitet.
Aut filij peccatum, aut vxoris mortem, aut morbum filiæ:
Communia esse hæc: fieri posse, vt ne quid animo sit nouum.
Quidquid præter spem eueniat, omne id deputare, esse in lucro.

Ouid. 4. Pont. 3.

Tu quoque fac timeas, & quæ tibi læta videntur,
Dum loqueris fieri tristia posse puta.

Hor. 1. epist. 10.

Quem res plus nimio delectauere secundæ,
Mutatæ quatient.

Horat. lib. 1. epist. 19.

Dum tua nauis in alto est,
Hoc age, ne mutata retrorsum te ferat aura.

Seneca in Thyest. tragœd. 2.

Nemo confidat nimium secundis,
Nemo desperet meliora lapsus.
Miscet hæc illis prohibetque Clotho
Stare fortunam, rotat omne fatum.
Nemo duos habuit fauentes,
Crastinum vt posset sibi polliceri.

Et prosperitates & calamitates præsentes pro insomnijs habendas esse.

Authol. Sac. Iac. Bill.

Quid bona, quid vanos mundi miraris honores,
Quid mala quid mundi dedecus ipse times?
Fac superas miseris opes, & commoda vitæ,
Fac mala pertimeas, quæ niger Orcus habet,
Cætera (siue tibi fortuna sit vsque nouerca,
Siue sit illa parens) somnia vana puta.
Somnia sunt, quæcunque fluunt, quæcunque repentur,
Vt veniunt, abeunt labilis instar aquæ.

Menander.

Ἀίκαιον δ' πράττοντα μεμνῆσθαι Θεοῦ.
Initium est feliciter agentem recordari Dei.
Κατ' ἰδίαν γνώμην οὐδεὶς εὐτυχεῖ.
Iuxta propriam sententiam nullus felix.
Κοινὸν γὰρ καλὸν ἐστι χρηστὸς εὐτυχῶν.
Commune autem bonum est bonus felix.
Οὐκ ἔστιν ὅστις πάντ' ἀνὴρ εὐδαιμονεῖ.
Non est qui in omnibus vir felix sit.
Πολλοὶ μὲν εὐτυχοῦσιν οὐ φρονοῦσι δέ.
Multi quidem feliciter agunt, non sapiunt quamuis.
Τὸν εὐτυχοῦντα καὶ φρονεῖν νομίζομεν.
Feliciter agentem & sapere putamus,
Τῷ γὰρ καλῶς πράσσοντι πᾶσα γῆ πατρίς.
Bene enim agenti omnis terra patria.
Τῶν εὐτυχούντων πάντες εἰσὶ συγγενεῖς.
Felicium omnes sunt affines.
Ὡς εὐκόλως πίπτουσιν αἱ λαμπραὶ τύχαι.
Quam facile cadunt splendidæ fortunæ?

Lucianus.

Θεῶν μὲν ἐκτὸς οὐδεὶς εὐτυχεῖ βροτῶν.
Dijs quidem sine nullus fortunatus est mortalis.

PHILOS. ET HISTORIC. SENTANT.

Cætera exempla fortunæ variantis innumera. Etenim quæ facit magna gaudia, nisi ex malis? aut quæ mala immensa, nisi ex ingentibus gaudijs. Nulla est profecto solida felicitas, quam contumelia vlla vitæ rumpit. *Plin. lib. 7. hist.*

Omnia, quæ superfluunt, nocent, segetem nimia sternit vbertas, ramonete franguntur, ad maturitatem non peruenit fœcunditas. Idem quoque animis euenit, quos immoderata prosperitas rumpit, quia non tantum in aliorum iniuriam, sed etiam in suam vtuntur. *Senec. 28. epist. ad Lucil.*

Ad omne fortuitum bonum suspiciosi & pauidi stare debemus, & fera & piscis spe aliqua oblectante decipitur: munera illa fortunæ reputamus, insidiæ sunt, beneficia illa visitata nos habere putamus. *ibid.*

Res est inquieta felicitas, ipsa se exagitat: mouet cerebrum non vno genere alios in aliud irritat. hos in potentiam, alios in luxuriam, hos inflat, hos mollit, in totos reuoluit. *epist. 7.*

Ipsa enim felicitas nisi temperetur, premit, vel præterit. Multarum vrbium in ipso flore luxuriosa imperia ceciderunt & quicquid virtute paratum erat, intemperantia corruit. *Epistola. 85.*

Neminem eo fortuna prouexit, vt non tantum minaretur illi, quantum promiserat. *Epist. 24.*

Ludit de suis fortuna muneribus, & quæ dedit aufert, quæ abstulit reddit: nec vnquam tutius est illam experiri, quam cum locū iniuriæ non habet. *Lib. 5 declam.*

Magni animi calamitatib. s magnis sæpius euertuntur: quietiora tempora pauperes habuimus, aurato capitolio bella ciuilia gessimus. Diuitias putas aurum & argentum: ludibria sunt fortunæ quæ inter iocum ipsis dominis veniunt. Omnis enim blandientis fortunæ speciosus de periculo nitor est: & sine causa fluit, & sine ratione destituit. Nulla certa felicitas est. Ille Crœsus inter reges opulentissimus vinctus post tergum manibus ductus est. *Lib. de sen. ætat.*

Non habet, vt putamus, fortuna longas manus: neminem occupat, nisi hærentem sibi. *in epist.*

Lætiores relinquit, quos nunquam fortuna respexit, quam quos deseruit. Noli huic tranquillitati confidere, in momento mare euertitur: eodem die, quo tibi luserant nauigia sorbentur, *Lib. de tranquil. anim.*

Minus diligenda sunt prospera, quæ à desperatione sumunt principium. *ibid.*

Quæ concessit fortuna temperet iustitia, quod iustitia inuenerit, temperet moderatio: si enim auxerit licentiam suam, minues gloriam. *ibid.*

Fortuna vt mediens ignarus multos excœcauit, non autem ipsa fortuna cœca est, sed eos cœcos plerumque efficit, quos complexa est. *Cic. de amic.*

Errant, qui in prosperis omnes impetus fortunæ putant fugisse: sapienter cogitant, qui temporibus secundis casus aduersos reformidant. *Lib. 2. Rhet.*

Vt aduersas, sic secundas res immoderate ferre, leuitatia est, præclaraque est æquabilitas in omni vita, & idem semper vultus, eademque frons. *Lib. 2. de Offic.*

Semper humanæ lætitiæ tristitia repentina succedit, & quod incipit a gaudio, desinit in mœrorem: Mundana quippe felicitas multis amaritudinibus est respersa: nouit ille, qui dixit, risus dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupat. *Innoc. de vilitate conditionis humanæ.*

Felicitas semper subiecta est inuidiæ, sola ergo miseria inuidia caret, dicebat Socrates.

Felicitatis index dies vltimus est, dicebat Solon. *Laert. Diog. de vita & moribus philos.*

Non enim hilaritate, nec lasciuia, nec risu, aut ioco, comitate & lenitate, sed sæpe etiam tristes firmitate & constantia sunt beati.

Beatus autem esse in maximarum rerum timore nemo potest.

Qui bonum omne in virtute ponit, is potest dicere, perfici beatam vitam perfectione virtutis. *Cic. lib. 2. de finibus bonorum & malorum.*

Quippe res secundæ animos sapientum fatigant. *Sallustius in Catilinar.*

Verum verbum est profecto, quod aiunt: Nihil quicquam homini tam prosperum diuinitus datum est, quin & admixtum sit aliquid difficultatis, vt etiam in amplissima quaque lætitia subsit quæpiam vel parua quærimonia, coniugatione quadam mellis & fellis. *Lucius Apul. floridorum lib 2.*

Vnum est temeritatis solatium, sola felicitas. *Quint. Curt. de gestis Alex lib. 9.*

Neque secundarum rerum prouentu insolenter abuti, nec aduersis propere debilitari oportet. *Valer. Max. lib. 8.*

Humanæ vitæ conditionem primus & vltimus dies continet: quia plurimum interest, quibus auspiciis inchoetur, & quo fine claudatur. Ideoque eum demum felicem fuisse indicamus, cui & accipere lucem prospere, & reddere placide contigit. Medij temporis cursus, prout fortunæ gubernaculum rexit, modo aspero, modo tranquillo motu peragitur, spe semper minor, dum & cupide votis extenditur, & fere sine ratione consumitur. *ibid. lib. 9. c. 12.*

Etenim plus reor hominibus aduersam, quam prosperam prodesse fortunam. Hæc enim spe felicitatis cum videtur blanda, mentitur: illa semper vera est, cum se instabilem mutatione demonstrat: illa fallit, hæc instruit: illa mendacium specie bonorum mētes fruentium ligat, hæc cognitione fragilis felicitatis absoluit. Itaque illam videas ventosam, fluētem, suique semper ignaram, hanc sobriam succinctamque, ac ipsius aduersitatis exercitatione prudentem. postremo felix a vero bono deuios blanditiis trahit, aduersa plerunque, ad vera reducens, velut vnco trahit. An hoc inter minima existimandum putas, quod amicorum tibi fidelium mentes hæc aspera, hæc horribilis fortuna detexit? Hæc tibi certos sodalium vultus ambiguosque secreuit, discedens, suos abstulit, tuos reliquit. Quanti hoc integer & (vt videbaris tibi) fortunatus emisses? *Boetius lib. 2. prosa 6.*

Nam illud quoque, quod improbis nunc tristia, nunc optata proueniunt, ex iisdem ducitur causis. Ac de tristibus quidem nemo miratur, quod eos male meritos omnes existimant: quorum quidem supplicia, cum cæteros a sceleribus deterrent, tum ipsos quibus inuehuntur, emendant. Læta vero magnum bonis argumentum loquuntur, quid de huiusmodi felicitate debeant iudicare, quam famulari sæpe improbis cernant. *Boet. de consolat philos. lib. 4. pros. 6.*

In fortunatis virtus refulget.

Sicut vna hirundo non efficit ver, nec vna calida dies, nec modicū tempus facit æstatem, nec vna virtus virtuosum hominem facit: sic nec vna dies, nec modicum tempus facit hominem felicem. *Arist. lib. 1. Ethic.*

Nullus est bonus, nec beatus nolens. *idem lib. 3.*

Sine quatuor virtutibus, quæ sunt Fortitudo, Temperantia, Prudētia & Iustitia, nemo dicitur beatus.

Felicitas perfecta est vsus virtutis. *Idem lib. 7. polit.*

Turpe est Deos fatigare. Quid vobis opus est? fac te ipse felicem. Facies autem si intellexeris bona esse, quibus admixta virtus est. Turpia, quibus malitia coniuncta est.

Tutum iter est, iucundum est, ad quod natura te instruxit. Dedit tibi illa, quæ, si non deserueris, par Deo surges. parem autem te Deo pecunia non faciet, Deus nudus est. Fama non faciet nec ostentatio tui, & in populos nominis demissa notitia. Nemo nouit Deum, multi de illo male existimant, & impune. Non turba seruorum, lecticam tuam per itinera vrbana ac peregrina portantium. Deus ille maximus potentissimusque ipse vehit omnia. Nec forma quidem & vires te beatum facere possunt *Seneca ad Lucil epist. 30.*

Tum beatum esse te iudica, cum ex te tibi gaudium omne nascetur: cum in his, quæ homines eripiuntur, optant, custodiunt, nihil inueneris, non dico quod malis, sed quod velis. *idem in epist. 126.*

Nihil infelicius eo, cui nihil accidit aduersi, quia male iudicauerūt Dij de ipso. *idem de prouidentia.*

Nondum felix es, si non te turba deriserit. Si beatus vis esse, cogita hoc primum contemnere, ab alijs contemni. *idem libro de moribus.*

Fugite delicias, fugite eneruatam felicitatem, qua animi marcescunt.

Cum omnia, quæ modum excesserint, noceant, periculosissima felicitatis intemperantia est, quæ in vanas mentem imagines euocat.

Illos quos merito dixeris miseros, qui nimia felicitate torpescunt, quos velut in mari lento tranquillitas iners detinet. *idem de prouidentia.*

Plerumque quæ secundum rationem hominibus prospera eueniunt, stabiliora sunt quam præter opinionem faciliusque prope dixerim esse propulsare aduersa quam tutari secunda. *Thucydid. libro 2.*

Omnis prosperitas maxime inuidiosa est, præsertim ea, in qua est contumelia & asperitas in homines afflictos ac miseros, ac in nostram potestatem redactos. *Dionys. Hal. l. 6.*

Res secundæ ingenio modico & submisso præditos attollunt, vt magni sibi videantur, cristasque erigant, cum excelso loco se constitutos cernunt. *Plut. in Eumene.*

Maximæ cuique fortunæ minime credendum est. *Liuius, Decad. 3. lib 10.*

Si in secundis rebus bonam quoque mentem darent Dij, non ea solum quę euenissent, sed etiam ea quæ euenire possunt, reputaremus. *Idem. eod. l.*

In secundis rebus nihil in quenquam superbe ac violenter consulere decet, nec præsenti credere fortunæ, cum quid vesper ferat incertum sit. *idem 5. l. 5.*

Ea quæ bona quibusdam esse videntur, quamplurimos commouēt ad iniuriam faciēdam. Nam nobilitas generis, copia diuitiarum, amplitudo dignitatum, fortitudo animi, & magnitudo potētiæ, in errorem homines inducunt. *Xiphil. in Cesare Aug.*

Princeps ingens gloria, eo est ferocior & subiectis intolerabilior. *Tacit. Annal. l. 11.*

Plerumque omnes fortuna aspirante felicem rerum suarum exitum nacti, inflantur, insolescunt, ac per superbiam humanos, & com-

communes casus parum considerant. Indeque non pauci conspiciuntur, secundam fortunam non secus ac grauissimum onus, minus commode sustinere. *Diodor. Sicul. hist. lib. 16.*

Secunda fortuna ad superbiam prolabimur. *Tacitus, Annal lib. 11.*

Rebus secundis etiam egregij duces insolescunt. *idem hist. lib. 2.*

Quanquam optatissimum est perpetuo fortunam quam florentissimam permanere: illa tamen qualitas vitæ non tantum habet sensum, quantum quum ex sæuis & perditis rebus ad meliorem statum fortuna reuocatur. *Ammon Marcell. lib. 15.*

Decere sapientes nihil ambigo (*Narsetis dictum*) ne cum fortuna simul secundis in rebus se efferant: sed quemadmodum facile præsentia hæc immutantur, ita & animum ad varios velim hi præparent casus. Nam his quidem qui hoc pacto se habent, suauissima apparebit felicitas, nec erit molestum si qua in re præter eorum sententiam vtcunque fallantur. *Agath histor. lib. 1.*

Qui ex seruitute insuetam libertatem propitia fortuna consecuti sunt, maxima perpetuo adsectantes, neque se in posterum calamitati vlli fore obnoxios opinantes, successibus & victoriis esfuse indulgent, pristini status obliti, præsenti vero læti & insolentes. *Nicet. in Balduino Flandro.*

Prosperi successus humana ingenia cum primis explorant, & vecordes homines tam insolentes reddunt, quam cordatos constantiæ, moderationis & grauitatis laudibus cumulant. *Niceph. Gregoras, hist. l. 9.*

Prosperitas est (vt aiunt) consimile quiddam graui plumbo: si hominem robustum non nanciscatur, qui oneri ferendo par sit, pronum in terram præcipitat & proterit. *Constant. Manass. Annal. pag. 160.*

Animus mortalium inexplebilis est præsentis fortunæ muneribus, semperque ad vlteriora contendit. *P. Aemil. l. 1.*

Quod vulgo dici solet, nimia prosperitate homines maiorem hostes non habere, verissimum est, ea enim illos effrenatos suique præfidentes, ad malum audaces, & proprij commodi nouis rebus turbandi cupidos facit. *Fr. Guicciardin. hist. lib. 13.*

Solent vrbes fieri insolentiores, cum exiguo labore insperata felicitas contigit: sed stabilior est fortuna, quæ ratione paratur, quam quæ casu offertur: ac facilius est aduersa propulsare, quam retinere res secundas. *Thucyd. l. 3.*

Neque cuiusuis est corporis multum merum citra ebrietatem ferre, neque temere inuenias, qui non in tanto rerum secundarũ affluxu de potestate rationis cadat. *Plut. in Lucul.*

Secundæ res sapientium animos fatigant. *Sallust. de coniur. Catil.*

Secundæ res acrioribus stimulis animum explorant: quia miseriæ tolerantur, felicitate corrumpimur. *Tacit. hist. l. 1.*

Humani animi rerum successibus certissime explorantur, quibus amentes tantum insolescunt, quanta prudentes laude moderationis cumulant. *Niceph. Gregoras, hist. l. 6.*

Memini ex te olim audisse, eidem a Dijs illum magis exorare quod velit, quemadmodum etiam ab hominibus, qui non quum angustijs vrgetur, tum assentetur, sed quum rebus secundis vtitur, tum reminiscatur Deorum. *Xenoph. de pæd. Cyri l. 1.*

Res secundæ, vbi animus continens ijs moderatur, perdurant: potentiaque mediocriter vsurpata, omnia bona conseruat, ac (quod potissimum est, minimeque ijs obtingit qui sine virtute viuunt) & viuentes sincero amore diligit, & defunctos veris laudibus ornari facit. *Dion, l. 43.*

Apophthegmata.

Socrates sciscitatus, quid bonis viris molestum esset? respondit, malorum prosperitas. *Anton. & Maxim. serm. de fortuna bona & mala.*

Diodorus Philosop. felicioris ingenij esse dicebat, infortunia cum dexteritate ferre, quam ingentem prosperitatem regere prudenter. *Eod. serm.*

Epicurus. Humilis, inquit, & paruus animus prosperitatibus effertur, aduersis autem rebus deprimitur. *ibid.*

Epictetus Hæc eius sunt de prosperitate scite dicta: Stultus prosperitatis tanquam ebrietatis voluptate omnium fruens, stultior euadit. Eorum qui prospere agunt, antagonista est inuidia, prosperitate, tanquam fructibus, autumni, dum adest, frui debemus. *in Enchiridio & de dissertationibus.*

Phauorinus, in prosperitate, inquit, ne superbias: & inops ne deijcias animum, Fortunæ vices fortiter ferre scias. *Ant. & Max. ser. de fortuna.*

Exempla Sacra.

Prosperitas superbiæ occasio, *Roman. 2 Exempla:* Israelitæ, *Deut. 32. 15.* prosperitas Christi tempore, *Mich 4. 4.* prosperitatis mala, *Prouerb. 30. vers. 9. Ierem 5. 7. Ezechiel. 16. vers. 49. Osea 13. vers. 6.* prosperitatis temporalis abusus, *exempla:* Israelitę, *Deuteron 32. vers. 15.* Gedeon, cum paruus esset homo, & in area frumentum excuteret, bonus fuit, Angelusque Domini visitauit eum, *Iudic. 6. ver. 12.* post obtentam autem & peractam victoriam prospera fortuna abusus est: Fecit enim ex inauribus aureis Ephod, & posuit illud in ciuitate sua Ephra, fornicatusque est omnis Israel in eo, & factum est Gedeoni & omni eius domui in ruinam, *Iudicum 8. v. 13. 14.* Dauid post bella multa, & victorias multas remanens quietus in Ierusalem committit adulteriũ, *2. Sam. 11. 4.* post adulterium etiam homicidium, *v. 15.* Occasione multitudinis subditorum in superbiam effertur, & populum numerandum curauit, *24. v. 1. 2.* Salomon. *1. Reg. 10. v. 16. 27. & 11. v. 1. 2. 4.* Ieroboam, antequam consequeretur dominum super decem Tribus, non legitur fuisse malus: sed post fecit vitulos aureos, &c. *1. Reg. 12. v. 20. 28.* Amasus postquam debellauit Edom, eleuatũ est cor eius, & voluit cõtra Ioas Regem Israel pugnare, *24. v. 7. 8. 9. &c.* Roboam, *2. Paral. 12. v. 13. 14.* Ozias, *26. v. 16. 17.* Manasses, *33. 9.* Israelitæ, *Nehem. 4. v. 25. 26.* Nabuchodonosor. *Dan. 4. 21.* Filij Zambri, *1. Machab. 9. 37. 40. 41.* Adolescens quidam, *Matth. 19. 22.* Diues stolidus, *Luc 12. 16. 17. 18. 19.* Villæ emptor. *14. 18. 19.* Diues epulo, *16. 19.* Herodes, *Act. 12. 21. 22.* Diuites huius seculi, *1. Timoth. 6. 17.* Prosperitas multos habet amicos, *Exempla.* Tobiæ amici, *Tobia. 11. v. 20. 21.* Fratres, sorores, & amici Iobi, *Iob. 24. vers. 10. 11. 12.*

Vide Felicitas.

PROVIDENTIA.

Definitio, et Etymolog.

Prouidentia, Græce πρόνοια, ας ἡ. & προνοητικὸς, ὁ prouidus, & προνοέω prouideo dicitur. Hebr. verbum *Schagach.* significat, prospexit considerare, intente aspexit, speculatus est cum inclinatione corporis. Inde *Gal. Sage*, nempe sagax & prouidus. vide Etym. trilingue Lugd. pag. 538.

Est autem prouidentia, per quam futurum aliquid videtur, antequã factum sit. *secund. Cic in Rhetor.*

Prouidentia est nouo futurum pertractans euentum. Cuius officiũ est ex præsentibus futura perpendere, aduersus aduenientem calamitatem se consilio præmunire. *secund. Aug. de spiritu & anima.*

Sententiae Biblicae.

Prouidentia diuina generalitas.

Quis præparat coruo escam suam, quando pulli eius clamant ad Deum vagantes, eo quod non habeant cibos *Iob. 29.*

Dominus regit me, & nihil mihi deerit, *Psal. 22.*

Homines & iumenta saluabis Domine. 35.

Lætentur & exultent Gentes: quoniam iudicas populos in æquitate, & Gentes in terra dirigis. 66.

Quoniam pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter cura est illi de omnibus. *Sap 6.*

In manu enim illius & nos, & sermones nostri, & omnis sapient. 7.

Attingit ergo a fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter 8.

Diligis enim omnia, quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti. 11.

Tua autem, Pater, prouidentia ab initio cuncta gubernat. 14.

Nonne duo passeres asse veneunt, & vnus ex illis non cadet super terram sine patre vestro? vestri autem & capilli capitis omnes numerati sunt. *Matth. 10.*

In ipso enim viuimus, & mouemur, & sumus, *Act. 17.*

Omnem sollicitudinem vestram proiicientes in eum, quoniam ipsi cura est de Vobis. *1. Petr 3.*

Aequitas in remuneratione bonorum.

Nihil in terra sine causa fit. *Iob. 5.*

Sed omnia in mensura, & numero, & pondere disposuisti. *Sapient. 11*

Volo autem & huic nouissimo dare sicut & tibi. An non licet mihi quid volo facere? *Matth. 20.*

In mutatione malorum.

Ecce Deus excelsus in fortitudine sua, & nullus ei similis ex legislatoribus. *Iob. 36.*

Non enim est alius Deus, quam tu, cui cura est de omnibus, vt ostendas, quoniam non iniuste iudicas iudicium. *Psal. 12.*

Cum ergo sis iustus, iuste omnia disponis. Virtus enim tua iustitiæ initium est. *ibid.*

Nunquid gloriabitur securis contra eum, qui secat in ea, aut exaltabitur serra contra eum, a quo trahitur? Quomodo si eleuetur virga contra eleuantem se, & exaltetur baculus, qui vtique ligneum est. *Esa. 10.*

Et intellexit, quod omnium operum Dei nullam possit homo inuenire rationem eorum, quæ fiunt sub sole, quanto plus laborauerit ad quærendum, tanto minus inueniat, etiamsi dixerit sapiens se nosse, non poterit reperire, *Eccl. ..*

Sunt iusti atque sapientes, & opera eorum in manu Dei, & tamen nescit homo, vtrum amore, aut odio dignus sit: sed omnia in futurum seruantur incerta, eo quod vniuersa æque eueniant iusto, &

lo,& implo, bono & malo, mundo & immundo, immolanti victimas,& sacrificia contemnenti. 9.

Prouidentia humana.

Gens absque consilio est,& sine prudentia. Vtinam saperent & intelligerent, ac nouissima prouiderent. *Deut.* 32.

Frustra autem iacitur rete ante oculos pennatorum. *Prou.* 1.

Audi consilium, & suscipe disciplinam, vt sis sapiens in nouissimis tuis 19.

Callidus videt malum,& abscondit se, paruuli transeuntes sustinuerunt dispendia. 22.

Astutus videns periculum, absconditur: simplices pertrumpunt, & damnum accipiunt. 27.

In die bona fruere bonis,& malum diem præcaue. *Eccl.* 7.

Cogitationes enim mortalium timidæ, & incertæ prouidentię nostræ. *Sap* 9.

SENTENTIAE PATRVM.

Vbicunque fuerit prouidentia, frustrantur vniuersa contraria: vbi autem prouidentia negligitur, omnia contraria dominantur. *Aug in l. de singul. cler.*

Quum viderimus aliquem seruum Dei prouidere, ne ista necessaria sibi desint, non iudicemus eum de crastino solicitum esse: nam & ipse Dominus propter exemplum loculos habere dignatus est: & in actis Apostolorum scriptum est: Ea, quæ ad victum sunt necessaria, procurata esse in futurum, propter imminentem famem. *l. de ser. Do. in monte.*

Prouidentia Dei omnia gubernantur, & quæ putatur pœna, medicina est. *Hier. in Ezech.*

Omnes sumus in minimis cauti, in maximis negligentes: hoc ideo fit, quia vbi vera vita sit, ignoramus. *Lib. de homine perfecto.*

Prudens dicitur quasi porro videns. Perspicax est enim,& incertos prouidet casus. *Isid. in l. ethi.*

Scopus ille vitandus est, vbi alter offendit: pecora ipsa vitare norunt, quæ læsisse cognoscunt, itinera illa non repetunt, vbi in foueam corruerunt. Tenaces laqueos auis capta declinat: in rete auis suspecta non incidet,& omnia quæ possunt habere contraria, faciliter casus assumerent, si curam salutis propriæ non haberent, *lib. 4 ep.*

Quanto maiora timentur esse dispendia, tanto promptior & perfectior debet esse cautela. *Petr. Chrys.*

SENTENTIÆ POETICAE.

Sophocles in Elect.

Ἔτι μέγας ἐν οὐρανῷ
Ζεὺς, ὃς ἐφορᾷ πάντα καὶ κρατύνει.
Est magnus in cælo
Iupiter qui inspicit omnia & imperat.
Προνοίας οὐδὲν ἀνθρώποις ἔφυ
Κέρδος λαβεῖν ἄμεινον οὐδὲ νοῦ σοφοῦ.
Prouidentia nullum hominibus possibile est
Lucrum capere melius, neque mente sapiente.

Ouid. 3. Amor. 8.

Cum rapiunt mala fata bonos, ignoscite fasso,
Sollicitor nullos esse putare Deos.
Viue pius, moriere pius, cole sacra, colentem
Mors grauis a templis in caua busta trahet,

Virg. Ecl. 8.

Nec curare Deum credis mortalia quenquam.

Claud. 1. Rut.

Sed cum res hominum tanta caligine volui
Adspicerem, lætosque diu florere nocentes,
Vexarique pios rursus labefacta cadebat
Religio, causæque viam non sponte sequebar
Alterius, vacuo quæ currere semina motu
Affirmat, magnumque nouas per inane figuras
Fortuna non arte regi, quæ numina sensu
Ambiguo, vel nulla putat, vel nescia nostri.

1. Ruff.

Abstulit hunc tandem Rufini pœna tumultum,
Absoluitque Deos, iam non ad culmina rerum,
Iniustos creuisse queror, tolluntur in altum,
Vt lapsu grauiore ruant.

PHILOS. ET HISTORIC. SENTENT.

Magis præuident fatui futura quam alij, quia eorum memoria non est occupata circa præsentia. *Arist. l. de somno & vigilia.*

Facta præterita certa documenta dant futuris.

Futura, si præsciuntur, leuius tolerantur,& prudentius amantur.

Consilium est oculus futurorum. *Idem de regim. princ.*

Si oculis cordis videre delectabile est, animæ oculis acute intueri mirabile est. *Idem in epistol. ad Alexand.*

In primis magna dissensio est, eaque nisi diiudicatur, in summo errore necesse est homines, atque in maximarum rerum ignoratione versari. Sunt enim philosophi,& fuerunt, qui omnino nullam habere censerēt rerum humanarum procurationem Deos. Quorum si vera sententia est, quæ potest esse pietas? quæ sanctitas? quæ religio? Hæc enim omnia pure ac caste tribuenda Deorum numini ita sunt, si animaduertuntur ab ijs,& si est aliquid à Dijs immortalibus humano generi tributum. Sin autem Dij neque possunt nos iuuare, nec volūt, nec omnino curant, nec quid agamus, animaduertunt, nec est, quod ab his ad hominum vitam permanare possit: quid est, quod vllus Dijs immortalibus cultus, honores, preces, adhibeamus? In specie autē fictæ simulationes, sicut reliquę virtutes, ita pietas inesse non potest, cum qua simul & sanctitatem,& religionem tolli necesse est. Quibus sublatis, perturbatio vitæ sequitur,& magna confusio, Atque haud scio, an pietate aduersus Deos sublata, fides etiam & societas generis humani,& vna excellentissima virtus iustitia tollatur. Sunt autē alij philosophi,& hi quidem magni atque nobiles, qui Deorum mente atque ratione omnem mundum administrari & regi censeant: neque vero id solum, sed etiam ab eisdem vitæ hominum consuli & prouideri. Nam & fruges,& reliqua, quæ terra pariat, & tempestates, ac temporum varietates, cęlique mutationes, quibus omnia, quæ terra gignat, maturata pubescant, a Dijs immortalibus tribui generi humano putant, multaque, quæ dicentur in his libris colligunt, quæ talia sunt, vt ea ipsi Dij immortales ad vsus hominum fabricare pene videātur. *Idem de natura Deor. in princ.*

Prouidere omnibus maxime ad Deum pertinet, qui ab omnibus segregatus existens, ob segregatam singularitatem vnum ipsum cognominatur,& ob vniuersalem prouidentiam Bonum. *Mars. Ficin. in Dion. Areopag. de diuin. nomin.*

Prouidere nil aliud est, quam subdita bene disponere,& ad bonum perducere. *Idem ibid.*

Prouidentiæ diuinæ tria sunt officia: primum quando composuit vniuersum suis quæque gradibus singula disponere: secundum res singulas, quo ordine naturaliter sunt dispositæ, conseruare, & si præuaricarentur, in ordinem denuo redigere: ternum ita regere, mouere singula, sua cuique dispensare, prout naturæ cuique conuenit. *ibid.*

Prouidentia Dei per medios spiritus hominibus sæpe agendorum oracula pandit, quos spiritus Dionysius Areopagita principatus nominat. *Fic. in Plat. Theo.*

Prouidentiam antiqui Theologi triplicem putant: vniuersalem in Deo, per quam omnibus omnia prospiciat ac præbeat, & minus vniuersalem in Dijs, per quam omnibus consultant, non omnia tamen munera, sed quædam omnibus exhibentes, particularem denique in dæmonibus, qua quędam quibusdam iam largiantur. *Fic. in apolog.*

Prouidentiæ diuinæ, quam Adrastiam appellat Plato, nihil vel oculos subterfugere potest, vel manus effugere. *Idem in Plat. de Repub. dial.*

prouidentia vniuersalis in Deo est, nam & in omnibus & omnia prouidet, & largitur vniuersalis etiam in mente diuina & anima mundi. In Dijs sequentibus, siue inuisibiles sunt, siue visibiles, prouidentia quodammodo vniuersalis est, sed conditione quadā particulari, aut rebus omnibus munera dant, sed quædam munera, aut dant quidem omnia, sed quibusdam. In dæmonibus particularis est prouidentia,& conditione particulari. *Fic. in Plot. En. 1 lib. 6. c. 7.*

Prouidentia omnia inferiora reguntur. *Fic. in Plot. En. 2. l. 3. c. 7.*

Prouidentia non tollit vsum, ne interea longum perdat ordinem causarum: non tollit malum, ne interim bonorum auferat amplitudinem: imo nefariarum collat ordinem specierum. *Idem in Plot. En 3. lib. 2. c. 9.*

Prouidentia non vegetalis solum more plantæ, sed etiam intellectualiter artis,& prouidentiæ more, sed naturalis, neque ad minima se diffundit. *In Plot. En. 3. lib. 2. c. 18.*

Prouidentia summa totius ad summum vniuersi decorem in ordine consistentem varia rerum genera, fore constituit, & innumerabilia indiuidua, & diuersas in quolibet genere species: & sic in animis fecit. *Idem in Plot. En. 4 lib. 3. c. 3.*

Prouidentia triplex est: prima in Deo: secunda, qua consulitur singulis animalibus, plantis, horum ortui, interitui, & cęteris mutationibus: tertia rebus humanis propria. Prima vis immutari non potest, nec vllo modo impediri: secundæ & tertiæ facile immutari possunt, quis motu causæ ad vnum effectum non determinatæ interueniunt. *Iac. Car. in Alc. par. post. distinctione 11.*

Prouidentiæ non est naturam peruertere, imo qua ratione est prouidentia, vniuscuiusque naturæ seruatrix. *Idem ad Alc. par. post distin. 12.*

Homerus in arduis inusitatisque rebus, & ad quas impetu quodam animi, ac furore quasi diuino opus est. Deum proponit non

qui

qui consilium nostrum tollat, sed moueat, neque impetus animo indat, sed visa & imaginationes obijciat, quæ impetum duces sunt: atque ita faciunt non inuoluntariam efficit actionem, sed voluntati initium præbet, eamque spe & confidentia confirmat. Ant enim omnino excludendus est ab omni principio causaque actionum nostrarum Deus: aut quisnam alius tandem sit modus quo hominū ille actiones adiuuet? non enim corpora nostra effingit, manusue, ad id quod facto opus est, aut pedes applicat: sed eam animi partem, quæ ad agendum est deligendumque nata, principijs quibusdam & visis, cogitationibusque obiectis excitat, aut contra auertit & inhibet. *Plutarch. in Coriolano.*

Ferunt Alexandrum in Aegypto Psammonem philosophum audiuisse, idque eius dictum maxime probasse, quo affirmabat, omnes homines a Deo regi: diuinum enim esse id, quod in vno quolibet præsit atque imperet. Ipsumque magis philosophice eadem de re sensisse, cum quidem Deum omnibus hominibus communem esse patrem, sed proprios sibi filios eos adsciscere, qui hominum essent præstantissimi diceret. *Idem, in Alexandro.*

Vsque adeo Natura non solum corpora hominum, verum etiam animos sui dissimiles finxit, vt sæpenumero vnus idemque homo non modo in rebus diuersis, hic quidem fortiter, illic segniter se gerit, sed in similibus quoque rebus modo inauditam celeritatem, alias incredibilem ignauiam ostendat: & aliquando quidem furiosissimus, nonnunquam vero timidissimus videatur. Non sunt autem ista paradoxa, sed consueta & nota illis qui animaduertere volunt. Quippe multos in venationibus cernimus aduersus sæuissimas feras audacissimos esse: quos si ad arma hostesque transtuleris, ignaui socordesque apparebunt. In rebus vero bellicis plerique singulari certamine sunt acerrimi, qui nullius pretij in acie, Thessalicos equites, conserto prælio, insuperabiles esse constat. Eosdem si per partes attentaueris, lacerare & capere facillimum erit. De Aetolis contrarium accidit. At Cretenses terrestribus ac naualibus prælijs ad insidias, furta, rapinas, nocturnos insultos, & omnia doli genera promptissimi apparent. In prælio vero dispositis cohortibus segnes, timidi ac inutiles prorsus. His plane contrarij sunt Achæi atque Macedones. *Poly. libro 4.*

Deorum beneuolentia præsente omnes res hominum in melius cedunt. *Dionys. Hal. lib. 2.*

Deorum indignatio omnibus superbis imminet. *Idem lib. eodem.*

Deorum beneficio omnes res præclare & bene gestæ acceptæ ferendæ sunt. *idem, lib. 3.*

Dijs, & genijs curæ sunt res mortalium. *lib. 4.*

Dijs curæ sunt res mortalium. *idem, eod. l.*

Diuina prouidentia semper & alias vrbem Romam ex periculis eripuit, & ad mea vsque tempora columem etiam tuetur. *libro quinto.*

Interesse rebus humanis cœleste Numen videtur. *Liuius, Decad. 1, lib. primo.*

Pro se quisque Deum tandem esse, & non negligere humana fremunt: & superbiæ crudelitatique & si feras, non leues tamen venire pœnas. *idem, lib. 3.*

Diuina prouidentia non inulta ea esse patitur, quæ preter ius & æquum fiunt. *Zonar. Annal. tom. 1.*

Eosmi prouidentia tardius inuadat iniurios, concesso pœnitentiæ spatio: tamen nisi a malitia discesserint, lento gradu eos assequitur, & pœnas exigit. *Idem, in Rom. Lacapeno, tom. libro tertio.*

Prouidentiæ diuinæ nutu res nostræ guberoantur. *Idem. in Const. Monom. tom. 3.*

Cupiens in futurum euehere aliquem, nullo resistere valente id per agit, neque viri dignitatem considerans, neque aliquid eorū quæ euentura speramus exequens, neque hominum querelas & accusationes curans: sed quod semel constituit, id exequitur. *Procop. de bell. Pers. lib. 2.*

Deus procul sumra respiciens præscribit vbi aliquando res casura sitar homines a spe sæpe decepti, ignorant se cecidisse, etiam si compotes sint aut recta eucurrerunt fortunæ via ferrentis ad ea bona quæ visa sunt prius. *Idem de bell. Vandalic. libro primo.*

Humana omnia procedunt, ita vt Deo placitum est. *Idem, de bell. Goth lib. 1.*

Laqueos, & retia diuinæ prouidentiæ nemo euadere potest. *Nicet. in Alex Comn Manuelis, F.*

Nō solet Deus eadem subinde ratione res humanas gubernare, sed ad varietatem admirabilem suam vniuersi declarandam regna & principatus aliter atque aliter transferre, ne minutissimis quidē rebus a sua cura exclusis. *Idem, Isaac, Ang. l. 3.*

Deus monstrat se esse horarum & temporum dominum, & a se itinera hominum vel prosperari, vel impediri. *Idem, Alexand, Angel. lib. 3.*

Cuncta gubernans prouidentia sæpius multitudini equorū & exercituum non sibi seruit: exiguis vero copiis & parum incuplete spe fretis magis adest, maximasque largitur victorias. Nam illorum spem arma sæpe & reliqui apparatus abundantia velut adulterat, nec furtum ferri ad vitæ necessitas dominum sinit, sed graui quadam pondere deorsum premit, humique versari cogit: horū contra fiduciam penuria expeditiorem facit, ac propemodum ad percurrendum cœlum impellit, & votis ardentioribus supernam dexteram euocat. Hinc est quod multi magna spe deiecti, contrarium experiuntur: alij vero ex inopia & sui desperatione maximos triumphos adepti sunt. *Niceph. Greg. hist. lib. 4.*

Prouidentia Numinis etiam arida reflorescunt, & pauperes ditantur, & imbecilles confirmantur, & parui amplificantur: contraque fit, eum diuts suis opibus glorietur, & potens suis viribus in tumescat, *idem, eod. 2.*

Ea quæ geruntur curæ sunt diuinæ prouidentiæ, & cuiusque rei exitus ab antegressis pendet causis: quas nos quidem molestiæ vitandæ causa quæ inde existit libenter obliuiscimur, vindicta vero suis pugillaribus inscriptas custodit: vt quemadmodum quisque sementem fecerit, ita & suo tempore metat. Nam ipsa eum to homo dnceri queat, ijs quæ diuinitus non prosperentur, & terram, & mare, & aerem aduersari, tanquam fugitiuum Dei & iustitiæ violatorem fortiter vlciscentia. Qui vbi sese cognorit, ipse sibi præcipere queat: non refragandum esse latæ diuinitus sententiæ. qualis ea cunque fuerit, neque violenter quicquam agendum, sed fure forti ac quiescendum fallendom tempus ac fatum adiuuandum potius quam impediendum, licet aliter agat nos quā vellemus. Longe sanè præstat quietum nobisqui fato, quam illi frustra nitendo veluti materiam præbere. Quod perinde fuerit, ac si quis flammæ impetum reformidans, ædes vndique circumdantis, non omni studio ne longius euagetur obstet, aut prorsus eam restinguere conetur: sed sarmentorum fasciculos enggerat, & multum olei effundat, aut si quis vehementi spirante Borea, & crebris fluctus excitante, nauicula exigua æstuanti pelago se committat vltro: ea enim sunt eiusmodi, vt aspectum minime iucundum præbeant, sed vnum ex infestis illis rebus, si accesseris, interitum adferunt. *idem, l. 7.*

Cum diuina prouidentia consilijs & actionibus humanis non suffragatur, malo & infelici exitu ea terminantur, nam & prudentes consilium & fortes virtus destituit, atque in contrarium conuertitur. *Eod. l. 7.*

Illud est animaduersione dignum, quod nihil humanarum rerum sine Prouidentia administratur, sed omnia aguntur arcana quadam ratione, licet nos ignari fedeamus, verba & prouidentia & veritate indigna facientes. Cum enim Deus aliquos ob vetera & recentia delicta mulctare vult, vt periti medici more incurabilibus morbis vstiones & sectiones, adhibet. Nos terram fortuna tam acr grauis infestat, aqua maris illi succenset, imputriuni venti eam exagitant, pestilentia grassatur: affliguntur viri boni & eruditi, qui mores suos ad Doricam (vt ita dicam) harmoniam composuerunt: quicquid institutum labascit, consilijs minimè respondet euentus, Deo sic euentum moderante contra calamitosi, obscuri, vecordes, & furiarum alumni, prosperam fortunam experiuntur, stulti potenter vincunt sapientes: sanniones & mancipia modestos & honestos superant. Tum & vrbium magistratus, & patresfamilias, & tribunos plebis, & ædiles, & prætores, & monachorum rectores omnes videas impudentiæ & petulantiæ seruire: nec ex officio quicquam facere aut posse, aut velle. *Idem libro 8.*

Quid opus est sacras prouidentiæ rationes recensere, quæ res nostras gubernans, eo fine concludere solet, quem ignoramus, nūc sperato, nunc insperato, & nunc cum appendice, nunc sine adiectione: non secus ac si quis Pirræo egressus Aegeum mare traijcere instituat, Septentrionum vero vi in Cretam & Sardiniam præter expectationem deferatur: Nam tali inconstantia & terræ & maria perpetuo concutiuntur. Quamobrem forsasse etiā deteriora metuenti, meliora cōtingent, & tristitiæ semen vberem lætitiæ messem producet. *Idem eod l. 8.*

Prouidentiæ vis est ineuitabilis. *Item,* Quod fieri oportet, Sapientiā omnem humanam oppugnat. *G. Pachym hist. l. 2.*

Inexpugnabilem diuinæ prouidentiæ vim nemo mortalium vnquā coarguere ceu vanam & inefficacem poterit. *Constant. Manass. Ann pag. 80.*

Non sinit Deus rem suæ potentiæ infidelium virtutem videri. *Paul. Diacon. in Arcad. & Honor.*

Quia multo intercictu seculorum Persarum & aliorum gesta exoleuerunt, facta sunt nobis exercitia ingeniorum, & oblectamenta fabularum: quanquam si quis intentius animum adhibeat, sese que ipso mentis affectu ipsis peoe causis belloque permisceat, ac rursus velut in arce spectaculi constitutus vtrunque in suis qualitatibus tempus permetiatur, facile dixerim, eum iudicaturum, neque illa nisi irato atq; auersato Deo posse tam infeliciter perturbari ac permisceri, oeque ista sic, nisi propitio & miserante, componi. *P. Oros. hist. l. 2. c. 1. 8.*

Qualiacunque tandem sint hominum consilia, Deus pro suo arbitratu

bittatu solus omnia moderatur. *Ph. Comln. libro 4.*

A Deo salus regnorum omnium, & tocrementum, & occasus, & initia dependent. *Ph. Comin. lib. 7.*

Deus principum & Regum voluntates gubernat, ita vt consilia sequantur accommodata ijs, quas cogitant deinde perficere, actio otbus, *Idem, lib. 8.*

Quamcunque partē Deus vult amplificari & florere, fit vt ibi quoque prudentes homines ac industrios excitet. *Idem, l. 9.*

Deus Optimus Maximus sui omnino iuris arbitrijque, vt omnia, ita & fortunam belli esse statuit. *P. Aemyl. l. 9.*

A P O P H T H E G M A T A.

Socrates dicebat, si quid cura potest, illud cures: at si Deus ipse te curat, cur tu sollicitus tibi sis? *Ant. & Max. ser. de prouidens.*

Plato, Vtrius, inquit, nec sub doctrinam cadit, nec est naturalis, sed diuino fato incil ijs, qui eam habent. *eod. serm.*

Idem, Deus omnia, inquit, & secundum Deum fortuna & occasio huma a gubernant vniuersa. *Ibid.*

Alphonsus. Cosmus Florentinus Alphonso Aragonum regi male pacatus, vir alioqui magnus & illustris, cum dono misisset regi Titi Liuij libros vtique praeclaros, reclamarunt ei à medicis regijs qui aderant, ne librum attrectaret ab hoste missum, quem veneno infectum in regis interitum putabant. Verum Alphonsus, eum aliquando videretur medicis assentire, demum Liuium manibus attrectans, hinc indeque legens & relegens quasdam historias, à suos conuersus ait: An ignoratis, regum animas non priuatorum libidini subiectas esse, sed sub cura Dei securas & laetas agere? Sensit vir prudentissimus, diuina prouidentia ea regantur omnia, cor regis (qui est Dei, vt Paulus ait, minister) semper esse in manu Domini, qui regit & flectit quo vult, cōtra omnia nostri consilia. *Anton. Panorm. de rebus gest. Alphensi & Aeneas Siluius de eius dictis.*

Chilon frequenter dicere solitus est: Caue tibi ipsi, & caue teipsum. Quorum primo admonuit, caute agendum esse cum hominibus, ne fraude circumuenti decipiamur. Deinde vouimquenque sibi suspectum esse oportere. Omnes enim fere cauent sibi ab alijs: tamen interdum nemo magis hostis est homini, quam homo sibi ipsi: quin sic, vt cum alijs imponimus, nosmetipsos perdamus. *Laert. in vita Chilon.*

Antisthenes dicere solebat, sapienti nihil esse nouum aut subitum: eo quod quicquid homini potest accidere, sit iam praemeditatus, vt nunquam dicat, non putaram. *Laert. l. 6. c. 1.*

Agesilaus. Tissaphernes Persarum dux cum Agesilao foedus non ex animo, sed metu percussit, hac lege, vt Graecas ciuitates sineret libere suisque viuere legibus, mox ingentibus copijs à rege suo accersitis, bellum illi denuntiauit, ni Asia decederet. Hoc fedus violatum libenter arripuit Agesilaus, legatus hilari vultu respōdens: se magnam habere gratiam Tissapherni, quod periurio suo & deos & homines sibi infensos reddidisset, aduet sa vero parti propitios. Recte sensit, absque prouidentia Dei nihil geri in rebus mortalium, magisque fidendum diuino fauori, quam humanis consilijs aut viribus. *Plutar. Lacon.*

Epaminondas. Sub Epaminonda Thebano duce nunquam euenit, vt exercitum inuaderet tumultus Panicus, qui subito praeter causam interdum oboriri solet: propter summam praestantissimi huius ducis prouidentiam. *Plut. in Graec. apoph.*

S I M I L I T V D I N E S.

Chrysostomi. Nemo solem dixerit oculis noxium, co quod nonnulli visu sunt hebetiori, sed quam accommodatissimum: & ex acute intuentibus eius vtilitas iudicatur. Neque mel quisquam amarum gustu iudicauerit, quoniam tale aegrotantibus videatur: Deum autem ex infirmorum vel ignorantium iudicio vel non esse, vel malum esse, aliquando humanis rebus prouidere, aliquando eas negligere opinari, non sani hominis, vel insani potius, at vltimo furore perciti, meo dixerimus: *Homil. 7. in Ioan.*

Synesij Cyrenai. Prouidentia est: cuius beneficio si non negligentes simus, sed veamur ijs, quae ab ipsa habemus, omnino beati esse poterimus. Neque enim prouidentia instar matris est modo in lucem editi infantis, quam occupari oportet in ambigendis ijs, quae adulare volunt, & effugere, cum inchoatus ille adhuc sit, neque à se aut intestinum praesidium habeat: Sed eius matris instar habet, quae cum vires foboli, & arma suppeditauit, vti his illam iubet, & mala propulsare. In his & philosophiam semper debes, & horum cognitioni nihil esse homini praeferendum, ducere. Qui enim pij sunt, & simul seduli homines, ij & prouidentiam esse statuent, & sese ipsi non negligent: neque existimabunt Dei aduersionem, & vsum virtutis, inter se dissidere & discordare. *De prouidentia lib. 1.*

Samius Pythagoras, omne sapientem, dicit spectatorem esse rerum, quae sint & sunt? Profectum enim ipsum in mundum, quasi ad sacrorum certaminum ludum seu celebritatem, vt spectet quid agatur. Ex eo igitur nos ratiocinemur, compositus spectator

Polyanthea Nouiss.

qui facit: numquid manifestum, si tamen, quod ante oculo est, eum emoram oportet, ille eū, qui suo loco expectet ea, quae exhibentur, prout sing la ordine sele de adeo proferunt. Si quis vero in scenam vi irrumpat, & quod verbo de hac re vsurpabatur per proscenium omnia *κατασκευάζειν* velit, eumque oculis lustret, quod apparatum simul vniuersum spectare velit: aduersus talem praefecti ludorum in Graecia curationi, qui sunt Hellanodice, flagelliferos armant: & saltans ille nihil liquido cognoscere poterit, cum vix videat, & confusa, & perturbata. I ll autem in more, quaedam in theatris praesignificare: & antequam producantur, oportet aliquem egressum populo narratione sua exponere, quid paulo post visurus sit. Is igitur non peccat: sed eius, qui ludos facit, admiraeiet est, à quo & edoctus illa sit, non per curiositatem scire laborauit: aut vt cognoscettet, monit aliquid eo tum quae non mouerit erat rebus: quae vero cognouit, ea tacere oportet, vsque dum publicandi tempus veniat. Quippe cum neque Initiationes semper actionis tempus scire, lex permittat, sed operiri hos aditum signum progressionis oportcat. Itaigitur, cū quo Deus abstrusos in natura viae, & ingenij communicauerit: is veneratus hunc honorem nihilominus, vel aliquanto etiam magis, quam qui nihil inaudiuit, silentium praestet. Qui enim vel ignarus est, coniecturis vtitur. Probabile autem, quia pletumque cedit, & quasi in motu est, difficillimum est omnium ad deprehendendum, vt constituatur de hoc aliquid: & multiplices de hoc disputationes existunt. Sed veritas & cog itio est determinata, & certa oratio: quae tamen & sapienter celabitur, commendante hanc ipsi, & concredente Deo. Nam & apud homines in odio sunt disputatores de rebus diuinis: quem autem Deus voluerit ex initiatis esse, is ne prosilientis treuat, neve auribus captet. *De prouidentia lib. 2.*

Ciceronis. Vt hominum membra nulla contentione, mente ipsa, ac voluntate mouentur: Sic numine Deorum omnia finguntur, mouentur, atque mutantur. *lib. 3. de Nat. Deor.*

Lactanty. Quis non sentiat, hunc mundum tam mirabili ratione perfectum, aliqua prouidentia gubernari? Quandoquidem nihil est, quod possit sine vllo moderatore consistere: Sic domus ab habitatore deserta dilabitur. Malus sine gubernatore abit pessum. Et corpus relictum ab anima defluit, ne dum quatenus tantam illam molem, aut construi sine artifice, aut stare sine rectore tamdiu posset. *lib. 3. c. 20. de sapientia falsa.*

E X E M P L A   B I B L I C A.

Exempla prouidentiae diuinae in Iosepho, *Genes. 45 vers. 5. 8. & 50. 20.* Moyse, *Exod 2. 5. Act. 7. 21.* Pharaone *Exod 17 29.* Israelitis, *Deut. 2. 7. & 8. 2. 3. 4. 7.* Dauide, *1. Sam. 16. 10. & 26. 8 2. Sam. 12. ver 11. 12. & 16 10.* Salomone, *1. Reg. 11 v. 14. 31* Roboamo, *12. v. 15. 22. 23. 24.* Elia & Sareptana, *17. v. 8. 9. &c.* Muliere de vxo ibus Prophetarum, *2. Reg. 4. v. 1. 2. 3. &c.* Achabo, *1. Reg 20. 13.* Naamano, *2. Reg. 5. 1.* Ezechia, *20. 1.* Ieroboamo, *2. Paral. 10. 15.* Ochozia, *22. 7.* Amasia, *2. Paral. 25. v. 21 22. 23* Iobo, *Iob 1. 12. & 2. v 3. 4. 5.* Leonibus, *3. 9. t.* Coruis, *v. 3. Psalm. 147. 9.* Vento, *Ican. 1. 4.* Iona, *Ion. 2. 4.* Magis, *Matth. 2 12.* Iosepho, *2. v. 14. 15.* Passeribus, *10, 29.* Pijs, *v. 30* Paulo & Timotheo, *Actor. 16. v. 6. 7 Rom. 1. 13.*

Vide Fatum, Fortuna, Necessitas.

P R O X I M V S.

L O C I   B I B L I C I.

Proximus qui habendus, *Luca 10. versic. 36. 37.* proximos non temere à nobis iudicandus, *14. 4. Iacobi 4. tt.* proximi dilectio Legis est complementum, *Romanorum 13 versicul. 8. 9. 10. Galat. 5. 14.*

Proximi dilectio praecipitur, *Leuitic. 19. 18. Matth 17. 19. & 22. 39. Marc. 12 31 Luc. 10, 27. Iacob 2. 8.* proximi dilectio sacrificijs praefertur, *Marc. 12. 33.*

Proximorum contemptores, *Malach 2. 10.*

Proximo placendum ad aedificationem, *Rom. 15. 2.*

Proximis etiam ignotis benefaciendum *Ex mplum*: Moyses, *Exod. 2. 17.* proximi contemptus damnatur, *Malach. 2. 10.*

P A T R V M   S E N T E N T I A E.

Non diligis proximum tuum tamquam teipsum, si non ad id bonū ad quod ipse tendis, adducis. *Aug. de mor. lib. 1.*

Qui ergo amat homines, aut quia iusti sunt, aut vt iusti sint, amare debet. Sic enim & semetipsum amare debet, aut quia iustus est, aut vt iustus sit. Sic enim diligit proximum tamquam seipsum sine vllo periculo. *Idem. de Trinit. c. 6.*

Proximos diligimus, sicut nosmetipsos, quum nulli malum facimus, & omnes similis, vt nosmetipsos, affectione tractamus. *Cass. super Psal. 33.*

SIMILITVDINES.

Chrysostomi. Vt lua, ita Christianus claritate vitæ nihil obscuritatis in se habens, non sibi tantum vtilis est, sed & alijs. Sal nisi salsum reddat, non est sal, sed aliud esse deprehenditur: Sic & fermentum in alios confert vtilitatem. Sic nos decet esse in proximos. *Hom, 51. in Ioan.*

Si mercator, vt rem familiarem amplificet, terroris plena maria nauigat: si opifices, vt rebus suis quicquam adijciant, duros tolerāt labores: & nos pariter saluti nostræ, salutem proximorum adijciamus, præsertim quum qui sua contentus, negligit aliena, nec suam quidem consequi potest. In prælio enim ea pedita acie, qui sibi solum consulit miles, nec aliud respicit, quam quomodo possit fugiendo animam suam seruare, is cæteros quoque milites ad perniciem trahit: quemadmodum e cōtra generosus miles, cum alios tutari conatur, se quoque ipsum defendit. *Hom. 60 in Matt.*

Si in rebus sæcularibus nemo sibi viuit solus, sicut opifex, miles, agricola, mercator, ad communem vsum proximi etiam omnes conferunt: multo magis in spiritualibus id faciendum, hoc etiam maxime vita est, alijs prodesse. Nam qui sibi viuit, cæteros negligēs, & vita eius superuacua est, & ipse superfluus, nec homo generis nostri. Ideo ratione, atque oratione nos Deus decorauit, mētem & ingenium concessit, manus, pedes, vires corporis dedit, vt his omnibus & nos, & proximos tuemur. *Hom. 79. in Matth.*

In corporibus multos sæpe videmus incurabili morbo laborātes, imponemus medicamenta. Quid podagra peius? Quid chiragra? incidemus membra? minime: sed aliquod remediū disquiremus, ea quo morbum soluere possimus. Hoc idem in fratribus faciamus, etsi grauissime ægrotent, curemus medicinam, & feramus inuicem onera: sic implebimus legem Christi, & promissa bona consequemur. *Hom. 67 in Ioan.*

Sicut is, qui absque compassione vulnera fratrum spectat, nullum inueniet, qui se dignetur venia, si quando & ipse peccauerit: Ita qui cum misericordia lapsum proximi iustificat, si quando & ipse supplantabitur, multos videbit manum porrectuos. *Serm. de habenda cura proximi.*

Plerumque nobis dormientibus, & negligentibus imponit, & idcirco præoccupatus ille magis dignus est, vt condonetur ei, quoniam à tentatore captus est. Non enim erat ei manifesta pugna, neque condictus dies belli, sed per ignorantiam deceptus, & superatus est. Sic nautæ quoque faciunt, cum per magnum & spaciosum mare nauigant, licet nauis secundo vento feratur, licet omni fruantur securitate; cum tamen viderint alios, vel a longe naufragium facere, non ad propriam spectantes vtilitatem, illorum contemnunt calamitatem: sed sistunt nauem, & eijciunt anchoram detrahunt vela, eijciunt funes, proijciunt tabulas, vt ille, qui à fluctibus mergitur, forte aliquo illorum arrepto emergat. *serm. de habenda cura proximi.*

Vide Charitas, Dilectio.

PRVDENTIA.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

Prudentia, Græce φρόνησις, ιος, φρόνιμος, ὁ, prudens dicitur. Hebræi voces varias vsurpant, qua sagacitatem, prouidentiam, multarum rerum peritiam, & prædictionem, seu coniecturam certam significant. Est autē prudētia, recta ratio agibiliū. *sec. Arist. 6 Eth.*

Prudentia est mentis virtus, qua de bonis, ac malis, quæ ad felicitatē pertinent, bene possumus consulere *secund. Arist. lib. 1. Rhetor.*

Prudentia est virtus dirigens ad rationis normam vniuersa, quæ cogitat, quæque agit, ac nihil præter rectum, vel laudabile facit. Prudentiæ insunt, Ratio, Intellectus, Circumspectio, Prouidētia, Docilitas, & Cautio *ex Macrobio.*

Prudentia est rerum bonarum, ac malarum scientia *secundum Cicer. libro 2. Rhetor.* Partes eius sunt, Memoria, Intelligentia, Prouidentia. Quid autem sit vnaquæque harum, suo loco videri potest.

Prudentia est appetendarum, & vitandarum rerum scientia. *secundum Aug. lib. 1. de lib. arbit.*

Prudentia vera, & perfecta est qua consiliamur, iudicamus, & præcipimus, quæ ad bonum finem totius vitæ humanæ pertinent, & solis bonis conuenit. *ex D. Thom. Secunda, Secunda, quæst. 47. artic. 13.*

Prudentia carnis est, qua quis inordinate afficitur, vel studium adhibet ad carnis delectationem consequendam. Et est peccatū mortale, si in delectationibus carnis finis totius vitæ constituatur; secus est veniale. Si autem propter honestam causam fiat, pura, cū studet comestioni propter corporis sustentationem, nullum erit peccatum, nec congruenter diceretur prudentia carnis.

Prudentia nomen sumit à prouidentia, sicut à principaliore eius parte. Quia omnia requisita ad prudentiam necessaria sunt, vt aliquid ordinetur in finem. *ex D. Thom. Secunda, Secundæ, quæst. 49. art. 6.*

Prudens & sciens ita differunt, quod prudens est, qui intelligentia sua aliquid cognoscit: sciens, qui alterius iudicio rem percipit, hoc est, prudens per se, sciens per alios. Terent. in Eunuch. *Et prudens & sciens, viuus vidensque pereo.* Ex Donato super Terent prudens dicitur, quasi prouidens, vel porro videns, id est, procul videns.

Prudentia virtus est de rationali parte manans, ad ea, quæ ad felicitatem tendunt, constituenda idonea. Vel: Est rerum bonarum, ac malarum scientia. *Cic. lib. 2. Rhetor.* Eius proprium est, vt omnia ratione, atque consilio agitentur, inde consultæ naturæ transigantur. Item munus eius est, in consilio res adhibere, bona malaque discernere, & omnia, quæ in humana vita deligenda fugiendaque sunt, præsentibus omnibus bonis honestis vti, opportunitates percallere, sermone & opera sagaciter vti, rerum omnium vtilium habere experientiam, & memoriam.

Prudentiæ contraria, Stultitia & Dementia.

DIVISIO.

PRVDENTIA, secund. D. Thom. secund. Secunda, quæst. 48.

- *Large sumpta, quæ includit etiam scientiam speculatiuam, cuius partes sunt,*
  - *Physica, sub qua comprehenduntur omnes scientiæ demonstratiuæ. Et est recta ratio ad scientiam causandam per demonstrationem.*
  - *Dialectica quæ est recta ratio ad faciendam opinionem ex probabilibus.*
  - *Rhetorica, quæ est recta ratio, ex quibusdam coniecturis ad suspicionem inducendum, vel aqualiter persuadendum.*
- *Stricte sumpta.*
  - *Vera q. 47. art. 13.*
    - *Imperfecta art. 13. cap.*
      - *Cum bonum quod capit pro fine, non est communis finis totius humanæ vitæ, sed alicuius particularis negocij vt prudens negociator, prudens nauta.*
      - *Cum deficit in principali actu prudentiæ, qui est præcipere, videlicet, cum qui recte consiliatur, & bene iudicat super pertinentibus ad totam vitam sed non efficaciter præcipit.*
    - *Perfecta, in bonis. q. 38. artic. 13.*
      - *Obiectum agibile, vt est consiliabile, vel sub ratione veri. Nam agibile, vt agibile, vel sub ratione boni, est materia aliarum virtutum. Ex D. Thom. Secunda Secunda, quæst. 47. art. 5. & 2 sent. dist. 33. quæst. 2. art. 2.*
      - *Actus*
        - *Consiliari id est, inquirere agenda.* — Oppositum, Præcipitatio.
        - *Bene præcipere de inquisitis & inuentis.* — Oppositum, Inconsideratio.
        - *Præcipere id est, applicare ad opus præconsiliata, & iudicata, & sollicitando ad prædictum actum pertinet* — Oppositū. Inconstantia. Negligentia.
      - *Partes. Secunda Secūda, q. 47, art. 8.*
        - *Integrales, q. 48. & 49.*
          - *Memoria. Docilitas. Ratio.* — Oppositum, Præcipitatio.
          - *Intellectus. Solertia. Prouidentia.* — Oppositum, Negligentia, & Inconstantia.
          - *Circumspectio. Cautio.* — Oppositum, Inconsiderantia.
        - *Subiectiua quæ, sunt species eius, q. 50. 8.*
          - *Monastica, Legispositiua, vel regnatiua, Politica.* — Oppositum, Imprudentia, harum quæque.

q. 49. Oeconomica, Militaris.

Potentiales adiuncta, Eubulia. Oppositum, Praecipitatio, siue Temeritas. Sinesis. Gnome. Oppositum, Inconsideratio. quast. 510.

Falsa, habens cum vera prudentia similitudinem. Et est per aliquem malum finem dispositio congruens illi fini. Haec dicitur prudens latro, ad latrocinandum conuenientes vias adinueniens. De qua Paulus ad Rom. 8. Prudentia carnis est. Haec autem est septuplex. Astutia, Dolus, Fraus, Prudentia carnis, Solicitudo temporalium superflua, Solicitudo futurorum,

Partes prudentiae quatuor sunt & oumerantur.

Astutia mentis est, qua rebus industrijs cautum capiatur consilium, & acute despicitur, atque iudicatur, quid bonum, quid malum, quid vtile, quid incommodum sit: *versutia* nomen assumit, quum in malum sese contulerit.

Memoria qua repetit animus, quae fuerunt, *Cicero in Rhetoricis. idem de memoria, & reminiscentia* est iterata resumptio alicuius apprehensi sensu, vel intellectu. Vel *secundum eundem*, est pars integralis prudentiae, non est autem futurorum, nec praesentium, sed praeteritorum tantum, sensus praesentium, spes futurorum.

Intelligentia est, per quam ea perspiciuntur, quae sunt, a qua sunt, qui non seiungant calliditatem, per quam mentea, quid cuique rei tractandae conueniat, callet: cuius contrarium ignorantia, vel socordia.

Prouidentia est, per quam futurum aliqoid spectatur, antequam factum est. Ex cunctis prudentiae partibus industriae omnes actionesque solerter tractatae, probitatis, & officij nomen assequuntur, & denique tria prudentiae tempora deputantur: vt Praeterita meminerit, Praesentia consideret, Futura coniectet. Sed veritatis partibus haec ascribi solent, & non iniuria: cunctis siquidem virtutibus moralibus moderatur prudentia, vt sine ipsa nomen vllum obtinere non possint, &c.

Loci Biblici.

Prudentia à Deo est, 1. *Paralip.* 22. 12 *Luc.* 1. 17 *Rom.* 8. 6. pijs omnibus necessaria, *Matth.* 10. 16. 1. *Pet.* 4. 7. sed pastoribus maxime, 1. *Tim.* 3. 2. & senibus, *Tit.* 2. v. 2. 5. in loquendo necessaria, *Prou.* 13. 3. & 17. 27.

Prudentia carnis & mundi damnatur, *Prou.* 3. 5. *Esa.* 29. 14. 1. *Cor.* 1. 19. *Rom.* 8. 6. & 12. 16 Prudentiae carnis argumenta, 2. *Pet.* 3. 4.

Prudens Dauid in omnibus, 1. *Sam.* 18. 14. Prudentes & simplices simus, *Matth.* 10. 16.

Sententiae Biblicae.

Fili mi, si susceperis sermones meos, & mandata mea absconderis penes te, vt audiat sapientiam auris tua, inclina cor tuum ad cognoscendam prudentiam. Si enim sapientiam inuocaueris, & inclinaueris, cor tuum prudentiae, si quaesieris eam, quasi pecuniam, & sicut thesauros effoderis illam, tunc intelliges timorem Domini, & scientiam Dei inuenies: quia Dominus dat sapientiam, & ea ore eius prudentia, & scientia. Custodiet rectorum salutē, & proteget gradientes simpliciter, seruans semitas iustitiae, & vias sanctorum custodiens. Tunc intelliges iustitiam, & iudiciū, & aequitatem, & omnem semitam bonam. Si intrauerit sapientia cor tuum, & scientia animae tuae placuerit, consilium custodiet te, & prudentia seruabit te, vt eruaris à via mala, & ab homine, qui peruersa loquitur. *Prou.* 2.

Beatus homo, qui inuenit sapientiam, & qui affluit prudentia. Melior est acquisitio eius negociatione auri, & argenti: primi, & purissimi fructus eius. Preciosior est cunctis opibus: & omnia, quae desiderantur, huic non valent comparari. *Prou.* 3.

Dic sapientiae, Soror mea es, & prudentiam voca amicam tuam. *ibid.* 7.

Vbi non est gubernator, populus corruet: salus autem, vbi multa consilia. *ibid.* 11.

Astutus omnia agit consilio: qui autem fatuus est, aperit stultitiam. *ibid.* 13.

Melior est sapientia, quam vires, & vir prudens, quam fortis. *Sapient.* 6.

Et si videris sensatum, euigila ad eum, & gradus ostiorum illius exterat pes tuus. *Eccl.* 6.

Seruo sensato liberi seruient, & vir prudens, & disciplinatus non murmurabit correptus, & inscius non honorabitur. *ibidem* 10.

Verba autem prudentum statera ponderabuntur, in ore fatuorum cor illorum, & in ore sapientum os eorum. *ibid.* 21.

Polyanthea Noua.

Filij enim huius saeculi prudentiores filijs lucis in generatione sua sunt. *Luc.* 16.

Prudentia carnis mors est.

Patrum Sententiae.

Qui sine saluatore salutem vult habere, & sine vera sapientia aestimat se prudentem fieri posse, non sanus, sed aeger, non prudens, sed stultus, in aegritudine assidua laborabit, & in caecitate noxia demens, & stultus permanebit. *Aug. 7. lib. de Ciuit. Dei, & habetur 26. q. 3. can. Qui sine.*

Fratres charissimi, non solum silentium tenere debetis in eremo, sed prudentiam rapere festinate. Prudentia enim vobis necessaria est, quia docet, quid fugiendum, & quid tenendum sit. Prudētia docet te, vt non superbias, nec mireris de rebus transitorijs, cum sint caducae, & ea, quae possides; tamquam aliena possidere aduertas. Prudentia docet te, vt quae non potes perpetuo tenere fructuose, permittas abire. Prudētia docet te, vt in cunctis idem sis, tam in prosperis, quam in aduersis: sicut manus, quae eadem est, & cum in palmam extenditur, & in pugnum restringitur. Ipsa te docet quomodo reprehensibilis sit nimia laudatio, & immoderata vituperatio, illa quidem adulatione, sed ista suspecta malignitate. Prudentia restituendo nomen veritati, non amicitiae reddit, prudenter cum discretione promittit, & promissum accelerat, & amplius, quam promisit, praestat. Prudentia docet, quomodo praesentia ordines, quomodo praeteritorum recorderis, & quotidie futura prouideas. *Idem ad Eremitas, in ser. de prouidentia.*

Estote prudentes, sicut serpentes, quia prudentia absque bonitate malitia est, & simplicitas absque ratione stultitia nominatur. *Hieron. super Oseam.*

Promptius nos iusto viro, quam prudenti committimus. *Ambros. lib. 2. Offic.* 8.

Animalia prophetica, & in circuitu, & intus plena oculis esse memorantur. Quisquis enim exteriora sua honeste disponit, sed interiora negligit, in circuitu oculos habet, sed intus non habet. Sancti vero homines semper & exteriora sua circumspiciunt, vt bona de se extra praebeant fratribus: & interiora sua vigilantia attendunt, quae se irreprobabiles interius iudicis obtutibus parant, ideo in circuitu oculos, & intus habere perhibentur. *Idem lib. 15. Moral.*

Sicut quibusdā visum est, vt de primis quatuor virtutibus loquar, Prudentia, Temperantia, Fortitudine, & Iustitia, quando perfectae sunt singulae tunc sibi sunt coniunctae, disiunctae autem perfectae esse nequaquam possunt: quia nec prudentia vera est, quae iusta, & temperans, & fortis non est: nec temperantia perfecta, quae fortis, iusta, & prudens non est: nec fortitudo integra, quae prudens, fortis & temperans non est. *Idem lib. 22. Moral.*

Mensuretur perfectorum fidelium vita per quadrum, & tamen habet spiritualia atrij latus vnum, quantum latera singula, quia vnusquisque tantum Prudens est, quantum Temperans, Fortis, & Iustus: tantum Temperans, quantum Prudens, Iustus, & Fortis fuerit. *Idem super Ezech par. 2. hom.* 10.

Scopulus ille vitandus est, vbi alter offendit. Pecora ipsa vitare norunt, quae se laesisse cognoscunt: itinera illa non repetunt, vbi in foueam corruerunt: tenaces laqueos auis capta declinat, retia auis suspecta non incidet, & omnia, quae possunt habere contrarias, facile casus assumeret, si curam salutis propriae non haberet. *Isidor. lib. 4 epist.*

Sapiens dictus à sapore, quia sicut gustus est aptus ad discretionem saporis ciborum, sic sapiens ad dignoscentiam rerum, atque earum causarum. *Idem lib. Etymologiarum.*

Poetarum Sententiae.

Aeschylus.

Α'δεῖ παρόν σ' ἀντιζητεῖν παρόν ἀπών.
Ο'χρησίμ' εἰδὼς, οὐχ ὁ πολλ' εἰδὼς, σοφός.
Quae opus est praesens despice, ne praesens absis.

Qui vtilia nouit, non qui multa nouit, sapiens est.

Menander.

Ἀγαθὸν μέγιστον ἡ φρόνησις ἐστ᾽ ἀεί.
Bonum maximum prudentia est semper.
Ἀνδρὸς χαρακτὴρ ἐκ λόγου γνωρίζεται.
Viri character ex sermone cognoscitur.
Ἂν δ᾽ ὀρθὰ φρονῇς, πάντα γ᾽ εὐδαιμονήσεις.
Si bene prudens sis, omnibus fortunatus eris.
Ἔνιοι κακῶς φρονοῦσι πράττοντες καλῶς.
Nonnulli non prudentes sunt agentes bene.
Εὐμήτης πεφυκὼς φεῦγε τὴν πανουργίαν.
Prudens natus fuge malignitatem.
Νοεῖν γὰρ δεῖ κρεῖττον ἢ σιγὴν ἔχειν.
Intelligere enim est melius, quam silentium habere.

Pythagoras.

Μηδ᾽ ἀλόγιστος ταυτὸ ἔχειν περὶ μηδὲν ἔθιζε.
Ἀλλὰ γνῶθι μὲν ὡς θανέειν πέπρωται ἅπασι.
Χρήματα δ᾽ ἄλλοτε μὲν κτᾶσθαι φιλεῖ ἄλλοτ᾽ ὀλέσθαι.
Ne imprudenter teipsum habere circa aliquid assuesce.
Sed cognosce, quod mors fato constitutum est omnibus.
Pecunias vero interdum acquirere velis, interdum perdere.
Βουλεύου δὲ πρὸ ἔργου ὅπως μὴ μωρὰ πέληται.
Consule ante opus ne stulta fiant.
Πρῆσσε δὲ ταῦθ᾽ ἅ σε μὴ βλάψῃ, λόγισαι δὲ πρὸ ἔργου.
Fac autem ea, quae te non laedant, sed cogita ante opus.

Periander.

Ὃ ἂν ὁμολογήσῃς, ποίει.
Quod vtique fateberis, fac.
Πρᾶττε ἀμεταμέλητα.
Fac non poenitenda.

Bias.

Νόει καὶ πρᾶττε.
Cogita & deinde fac.

Sophocles in Aiace.

Οἱ γὰρ κακοὶ γνώμαισι τἀγαθὸν χεροῖν
Ἔχοντες οὐκ ἴσασι πρὶν τις ἐκβάλῃ.
Homines enim mala mentis bonum pro manibus
Habentes non cognoscunt, antequam amittatur.

Plautus in Persa.

Si quam rem accures sobrie & frugaliter,
Solet illa recte sub manus succedere,
Atque edepol ferme, vt quisque rem accurat suam,
Sic ei procedit.

Virg. Aeneid. lib. 1.

Ac veluti populo in magno cum saepe coorta est
Seditio, saeuitque animis ignobile vulgus,
Iamque faces & saxa volant, furor arma ministrat;
Tum pietate grauem, ac meritis si forte virum quem
Conspexere, silent, arrectisque auribus adstant:
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.

Virg. lib. 12.

Quantum ipse feroci
Virtute exuperas, tanto me impensius aequum est
Consulere, atque omnes metuentem expendere casus.

Ouid. Metam. lib. 13. fab. 1. verba Vlyssis contra Aiacem.

Tibi dextera bello
Vtilis, ingenium est, quod eget moderamine nostro.
Tu vires sine mente geris, mihi cura futuri est.
Tu pugnare potes, pugnandi tempora mecum
Eligit Atrides: tu tantum corpore prodes,
Nos animo: quantoque ratem qui temperat, anteit
Remigis officium, quanto est dux milite maior,
Tantum ego te supero.

Homer. Odyss. ω.

Καὶ πολιοί περ ἐόντες ἀναγκαῖοι πολεμισταί.
Aetate cana quidem, sed adhuc idonea bello.

Borbonius Poeta.

Spernit turpe lucrum prudens, aedesque superbas,
Spernit inauratas marmoreasque trabes.
Spernit ebur, gemmas, argentum, aulea, tapetas,
Spernit opes vasta luxuriante gulae domus:
Spernit odoratas vestes auroque textas,
Spernit delicias Cypris amorque tuas.
Spernit composita damnosa impendia mensa,
Spernit res hodie quas rude vulgus amat.
Spernit & inuidiam, scelerata murmura linguae,
Spernit clamosi iurgia vana fori.
Omne malum (breuiter) prudens spernitque fugitque
Virtus inque bona gaudia mentis habet.
Contentusque vna hac mortales ridet honores,
Inque humili patiens nescit egere casa.
Omnia fert: & se casus conuertit ad omnes,
Quod loquitur lingua, pectore sentit idem.

SENTENTIAE PHILOSOPHICAE.

Rerum omnium alia absolute quodam modo se habent, vt terra, & coelum, & astra: alia erga nos modo quodam affecta sunt, vt bonum, malum: eligendum, fugiẽdum: voluptas, dolor. Vtrumque ratio complectitur. Superioris generis scientia est, & contemplatio: ex altero, quod videlicet nos respectat, deliberandi facultas oritur, & agendi: huius virtus est prudentia, illius vero sapientia. A sapientia autem differt prudentia in eo, quod a contemplandi genere actiuum, affectionibusque agitatum, conuersione, & respectu quodam facto, secundum rationem prudentia subsistit. Quapropter prudentiae fortuna est opus, sapientia vero ne consilio quidem eget ad suum finem consequendũ: in aeternis enim, & eodem modo semper se habentibus versatur. Et quemadmodum Geometria non consultat, verum triangulus ternos angulos habeat duobus rectis aequales, sed nouit: (sunt enim consilia earum rerum, quae alias aliter se habent, non autem firmarum, atque immutabilium) sic mens contemplatiua, prima stabilia, vnam, sempiternamque naturã habentia, nullisque obnoxia mutationibus, exercens, a capiendo consilio libera est. At prudentiam in rebus errorum, ac turbulentiae plenis immersam, saepe cum fortuitis misceri necesse est, & consultatione in rebus dubijs vti, & vbi consuluerit iam agere, irrationabili quoque assistente, atque praesente, & simul a iudicijs tracto.

Circa bonum prudentia quadrupliciter se gerit, cum aut adipiscitur bona, aut tuetur, aut adauget, aut prudenter vtitur. Hi prudẽtiae aliarumque virtutum sunt canones, quibus ad vtramq; vtendum est fortunam. *Plut. in lib. de morali virtute, quid differant inter se sapientia, & prudentia.*

Porro prudentia quidem non tam corporum, quam rerum est inspectio, priusquam ipsas res homo aggrediatur, vt quam commodissime eas obuias, & quasi incedentes excipiat, prospicit enim futura. Siquidem corpus anteriori solum parte oculis praeditum est, posteriori vero omnino caecum. Cognitio autem praeterita quoque memoriae beneficio conspicit. Hic enim est ille scriba, qui semper intus manet, & residet, vt Plato inquit: haec est animae pars, siue instrumentum, quod res transeuntes apprehendit, conseruat, sistit, & circulum facit, id quod praeterijt reflectens, vt cum praesenti iungatur, non permittens, vt in infinitum abeat, & in natura non consistat, neque cognitione comprehendatur. *Idem in lib. An vtilis sit praenotio futurorum.*

Prudentiae est, futuram iniuriam praecauere: indolentiae vero quod factum est non vlcisci. *Democritus.*

Prudentia virtutum princeps est, reliquisque omnibus vtitur, atque ipsarum ordinem, modum, & occasionem in praesentia, tanquam oculus quidam mentis vndequaque lucidissimus, ostendit. Generatur ergo haec primum a sincera perfectaque mente, atque sic genita in ipsam mentem intuetur, a qua perficitur, modumque & exemplar inde sibi pulcherrimum omnium suarum actionum habet. Quod si quae nobis etiam cum Dijs intercedit communitas, ea maxime virtutis huius gratia consistit, & per hanc imprimis ipsis assimulantur. Huius beneficio bona, & vtilia, honesta, & turpia discernimus, factaque conuenientia iudicamus, ac emendamus. Denique vt paucis omnia complectar, gubernatrix est hominum, & omnis inter ipsos constitutionis princeps. Quin etiam ciuitates, & familias, priuatamque singulorum vitam, ad exemplar diuinum referens, qua potest optima similitudine, depingit, hoc delet, illud inscribit, vtrobique assimulationis modo illudens. Merito igitur Deo similes facit sui possessores prudentia. *Iamblich. in epist. ad Aphalum.*

Prudens vir ad vitam quasi viam quamdam, non pretiosius viaticum, sed quod magis necessarium est, comparat. *Crito.*

Prudenter facta, tanquam in vas inane, alias alijs superinijcere oportet. *Socrates.*

Prudentia, & bona fortuna ita se habent inuicem, Prudentia res est rationem habens, & verbis effabilis, ordinata & definita. Fortuna vero neque sermone recte comprehenditur, neque rationem habet, inordinata omnino ac infinita: Illa prior est dignitate, & potentia: haec vtroque posterior. Solet enim illa gubernare, determinare: haec vero regi & terminari. Iunguntur tamen aliquando, & simul vtraque conueniunt, prudentia simul, & bona fortuna. Caeterum oportet semper naturam rationalem, & quae sermone definiri potest, habere quod terminet, ac disponat. Irrationalem autem, & verbis non effabilem, habere opus est alteram naturam, a qua definiatur, & ordinetur. Eadem enim vbique est ratio de infinita, & finiente natura: siquidem infinita, vt materiae, & substantiae, habentia rationem, terminari & disponi apta sunt, ab alijs ratione, & prudentia praeditis, quae cum artis efficientisque causae locum habeant, ordinare, ac finire caetera solent.

Prudentia est, quae res definit, ac infinita disponit: ideoque caeterarum quoque virtutum dux, & mater est. Etenim virtutes omnes ad praescriptum, & rationem prudentiae constituuntur. *Damippus Pythagoreus lib. de prudentia, & bona fortuna.*

Vir prudens hoc maxime pacto noscetur: Primum nactus sit oportet

oportet ingenium solers, memor & laboriosum: deinde statim à puero animum exerceat, ratiocinetur, circa mathemata, exactas speculationes, & rectam philosophiam versetur. Postea de Dijs, & legibus, & vitijs hominum experientiam indipiscatur. Duo n. sunt, quæ prudentiæ habitum gignunt: quorum alterum est, vt mens disciplinis, & cognitione sit munita: alterum spectacola, & negocia multa, quæ partim ipsummet vnumquemque spectasse oportet, partim alio modo percepisse. Nam neque is, qui mox ab incunabulis rationibus, disciplinis, ac exquisitis contemplationibus animum exercitauit, ad prudentiam sat idoneus est: neque ille, qui iam dictorum quidem nihil consecutus, sed in multis alijs historijs, & rebus experiundo versatus est. Prior enim ad singularia perpendenda cæcum habet animum, alter in vniuersalium contemplatione nihil videt. Quemadmodum enim aliquis computando partibus coniunctis totum ex ipsis resultans colligere potest: ita in rebus quoque ratio quidem speculationem vniuersalem delineat, experientia vero singularia iudicat.

Prudentia virtus est, de rationali parte manana, ad ea, quæ ad felicitatem tendant, constituenda idonea.

Eius proprium est, vt omnia ratione, atque consilio agitentur, inde consulta mature transigantur.

Item munus eius est in consilio res adhibere, bona malaque discernere, & omnia, quæ in humana vita deligenda fugiendaque sunt, præsentibus omnibus bonis honestis vti, bene cõquiescere, opportunitates percallere, sermone, & opera sagaciter vti, rerũ oĩum vtiliũ habere experientiam, & memoriam. Prudentiæ contraria stultitia, & demẽtia. *Archytas Pythagoreus in l. de viro bono, & felice.*

A prouidendo prudentia appellata est. *Cic l. 5. de leg. in fin.*

Versutos eos appello, quorum celeriter mens versatur.

Prudentia constat ex scientia rerum bonarum, & malarum. *idem l. 3. de Nat. Deor.*

Prudentes possumus dicere prouidentes. *idem l. 1. de diuin.*

Prudentia est calliditas, quæ ratione quadam potest habere delectũ bonorum, & malorum. Dicitur etiam prudentia scientia cuiusdã artificij, & appellatur prudentia rerum multarum memoria, & vsus quamplurimorum negociorum.

Prudentiæ partibus vtemur in dicendo, si commoda cum incommodis conferemus, cum alterum sequi, vitare alterum cohortemur. *idem Rhetor. nouorum lib. 3.*

Priusquam incipias consulto, vbi consulueris, mature facto opus est. *Salust. in Catilin.*

Præterea cuncta prudentes decet. *Lucius Apuleius de Nat. Deor.*

Nullis virtutis vsum absque prudentia vtilem esse, nullosque quicumque hi fuerint ciues, procul à prudentia posse, neque publicis, neque priuatis in rebus boni viri officium præstare: amicos quoque gratiores efficere prudentia, vt vtiliores ministros. *Pogghius lib. 2. de vita Cyri ex Xenophonte traducta.*

Nam sicut videtur esse fortissimus, qui plurimos hostium pugnando ceperit, ita cum quid est persuadendum, qui plores in suã traxit sententiam, eloquentissimus, ac prudentissimus æstimatur.

Solere enim homines, quem in procurandis sibi vitæ commodis prudentiorem putent, huius libenter consilijs vti, quod & alijs in moltis, & in corpore infirmis satis licet perspici, à quibus ad vnguem seruarentur medicorum præcepta. In mari quoque nautas omnes parere gubernatori; sic & viatores itinerum peritos sequi. *Idem lib. 4.*

Prudentis proprium est, examinare consilia, & non cito fallaci credulitate ad falsa prolabi: de dubijs non definias, sed suspensam tene sententiam. *Sen. 4. de virt.*

Bonum est in alieno malo fugienda intueri. Ruina præcedentium docet posteros, & cautio est semper in reliquum lapsus anterior, ex vitio enim alterius sapiens emendat suum, & ignauus nimis est, qui post exemplum inuenitur incautus. Indemnis autem est castigatio, quam persuaserunt extranei, iuxta illud: Felix quem faciunt aliena pericula cautum. *Idem in Prouerb.*

Ratio eorum, quæ aguntur in bono, est prudentia: eorum autem, quæ exercentur in vtilibus vitæ huius exterioris, vt Aristoteli placet, est ars. Ars est collectio generalium formularum ad vsum aliquem tendentium, quæ vero circumstantijs, seu negocijs variantur, ea sunt enim *[illegible]*, hoc est, locis, temporibus, personis, & eiusmodi circumspectionis sunt, seu prudentiæ, quam multi iudicium appellant. Item, solis hominibus ingenium est, & prudentia. *Viues l. 2. de Anima.*

Fortitudo vero cum prudentia quidem iuuit, sine vero hac magis habentes læsit. *Isoc. ad [illegible] em. serm. admonitorio.*

Qui prudens est, & temperans est: Qui temperans est, & constans est: Qui constans est, & imperturbatus est. Qui imperturbatus est, sine tristitia est. Qui sine tristitia est, beatus est, ergo prudens beatus est. *Seneca epist. 86.*

Si prudentiam amplecteris, vbique idem eris, & prout rerum, ac temporis varietas exigit, ita te accommodes tempori, nec te in aliquibus mutes, sed potius aptes: sicut manus, quæ eadem est, cũ in palmam extenditur, & cum in pugnum astringitur. *idem de quatuor virtutibus.*

Prudens, si terminos suos excedat, callidus inuestigator latentium, & scrutator qualiumcumque noxarum ostenditur, malus, fastu plenus, versipellis, & simplicitatis inimicus, commendator est culparum, & postremo vno nomine, à cunctis malus homo vocabitur. In has ergo maculas prudentia immensurata perducet.

Si prudens fuerit animus tuus, tribus temporibus dispensetur, præterita cogita, præsentia ordina, futura prouide. Vnde Arist. Alexandrum admonet, vt prædecessorum acta ad memoriam reducat. Inquit enim: Annales patrum discute, inde poteris bona exẽpla extrahere, quia acta præterita dant certum documentum in futuris. *idem lib. de benefic.*

Nihil est hominis prudentia dulcius, aut sagaci, ac bona mente melius. *Cic. in Tuscul.*

Non potest esse iucunda vita, a qua absit prudentia. *5. Tuscul.*

Omnibus artibus volumus attributam esse eam, quæ communis appellatur prudentia, quam omnes, qui cuique artificio præsunt, debent habere. *5. de Finib.*

In prudentia duo vitia vitanda sunt, vnum, ne incognita pro cognitis habeamus, hisque temere assentiamus. Quod vitium effugere qui volet (omnes autem velle debent) adhibebit ad considerandas res, & tempus, & diligentiam. Alterum est vitium, quod quidam nimis magnum studium, multamque operam in res obscuras, atque difficiles conferunt, easdemque non necessarias. *1. Officiorum.*

Vt quisque maxime perspicit, quid in quaque re verissimum sit: quique acutissime & celerrime potest, & videre, & explicare rationem, is prudentissimus, & sapientissimus rite haberi solet. *ibid.*

Prudentes quidem ex eo videntur esse, quod recte consilium in ijs capere possint, quæ è re sua sint, quæque non aliqua ex parte, sed omnino ad bene viuendi rationem pertinent. *Aristot. lib. 6. Ethic. cap. 5.*

Ob eam causam Periclem, cæterosque tales homines prudentes existimamus, quod suę aliorumque vtilitati cõsulere possunt: quo etiam ex genere esse rei familiaris, reique publicæ administrandæ vsu peritos, arbitramur. *ibid.*

Necesse est, prudentiam animi esse habitum, vera cum ratione coniunctum, qui vim habeat ad ea gerenda omnia, quæ ad vitam degendam pertinent. *ibid. & lib. 1. Magn. Moral. c. 34.*

In quibusdam belluis prudentiam inesse dicimus ijs, quæ vi quadã præditæ sunt ea prouidendi, quæ ad vitam degendam pertinent. *lib. 6. Ethic. c. 7.*

Cum animi partes sint duæ rationis participes: in altera insit prudentia necesse est, ea scilicet, in qua vis est opinandi. In ijs enim, quæ secus cadere possunt, & opinio versatur, & prudentia. *lib. 6. Ethic. cap. 5.*

Iis in rebus prudentia cernitur, quæ hominum sunt vitæ necessariæ, ijsque omnibus, quæ in deliberationem cadunt. *lib. 6. Ethicor. cap. 7.*

Prudentis dicimus esse maxime proprium, bene deliberare. *ibidem.*

Omnino is homo consultus dicitur, qui ratione potest, quod homini summum bonum agendum sit, exquirere.

Prudentis prudentiæque est, optima exoptare: atque semper deligere, ac agere. *lib. 1. Magn. Moral. c. 34.*

Non in vniuersis modo rebus prudentia versatur, sed notæ etiam esse debent res singulæ, cum in agendo posita sit, & in rebus singulis omnis actio consistat. *lib. 6. Ethic. c. 7.*

Prudentia, cum per se solaque est, nequaquam perfecta est. *lib. 5. Magn. Moral. c. 2.*

Percipit prudentia, cum ei sit propositum, quid agendum, aut non agendum sit, videre. *lib. 6. Ethic. c. 10.*

Si non ob has causas prudentia requiratur, vt sciamus, quæ recta sint, sed vt fiamus probi: profecto vsus illius ijs quidem, qui iam boni sunt, nullus futurus est. *lib. 6. Ethic. c. 12.*

Nec sine prudentia quisquam veræ probitatis, nec sine virtute, quæ more perficiatur, prudentiæ nomen obtinere potest. *lib. 6. Ethic. c. 13. & lib. 2. Mag. Mor. c. 3.*

Si prudentia vna adsit, iam continuo vna cum ea omnes virtutes aderunt. *ibid.*

Prudentes eosdem caotos, callidos, versutosque dicimus. *lib. 6. Ethic. c. 12.*

Ex eo prudens aliquis, & doctus euadit, quod in eius animo virtus quæ more perficitur confirmatur. *lib. 7. Ethic. c. 3.*

Prudentia est virtus intelligentiæ, & rationis, per quam in consulendo delectus haberi potest bonorum, & malorum, quæ pertinent ad felicitatem. *lib. 1. Rhet. c. 9.*

Recte prudentia, scientia, & opinio vera percipit: non recte, eorum contraria. *lib. 3. de Anim. c. 3. T. 152.*

Prudentia quidem prædita sunt animantia sine docilitate, ea omnia, quæ sonum audire nequeunt: vt apes, & si quod tale est genus animantium. *lib. 1. Metaphys. c. 1.*

Res tractat prudentia iustas illas, easdem & honestas, quæque hominis bona sunt: quas sane boni viri est gerere. *lib. 6. Ethic. c. 12.*

Quæ propriè appellatur virtus esse sine prudentia nullo modo potest. Itaque omnes virtutes prudentiæ nomine appellant. *lib. 6. Ethic. c. 13.*

Quod Socrates virtutes prudentias putauit esse, errauit: quod autē eas non sine prudentia censuit, præclare dixit. *ibid.*

Prudentia vna virtutum, eius propria est, qui imperat: quoniam reliquæ eis, qui præsunt, communes sunt, cum ijs, qui in eorum sūt imperio. In eo autem qui paret, non prudentia, sed vera tantum eius opinio desideratur. *lib. 3. de Repub. c. 3.*

Non potest quisquam, qui non idem bonus sit, prudens esse. *lib. 6. Ethic. c. 12.*

Sunt & ciuilis scientia, & prudentia ijdem animi habitus: ijsdem autem non est vis eadem: neque natura. *lib. 6. Eth. c. 8.*

Non est credibile virum prudentem respuere beneuolētiam exploratam, sed maxime obseruare. *Herod. l. 7.*

Vir ita demum fuerit optimus, si in deliberando quidem, omnem rem, quamcumque pati possit, reputans extimescat, in re autem agenda sit audax. *idem, eod. lib.*

Non temere incerta casuum reputat, quem fortuna numquam decepit. *Liu. Decad. 3. l. 10.*

Qui de malis minimum eligit, is prudens habetur, quique non ita spe deijcitur, vt vnico decreto suas spes omnes deferat. *Fr. Guicciard. hist. lib. 15.*

Hominum est prudentia præditorum amicis inimicitias condonare: contra, stultorum & barbarorum est, amicos cum inimicis tollere. *Dionys. Hal. l. 5.*

Homines, qui alios antecellunt prudentia, quam longa ætas longa affert experientia, antequam rem aggrediantur euentū eius spectandum putant, non aliterum tantum quem sibi aptant, sed eum etiam qui præter omnem expectationem accidere potest. *l. 8.*

Prudentes, & Reipub. administrandæ periti, publica commoda priuatis simultatibus potiora ducunt. *lib. 11.*

Prudentium est hominum, & eorum, qui religionem ac Deum rite colunt, pullulantis belli causas, præsertim cum amicissimis, protinus incidere. Contra vero imprudentium, ac Deum sibi maxime iratum querentium, tumultus occasionem excitare. Pacem enim soluentibus arma sumere nulla est mora, quando studia peruersissima, vel infimo hominum generi facilia factu rerum natura vult: bellum vero semel ingresso ad pacem rursus inclinare homini nequaquam facile ex ſtimo. *Procop. de bell. Perf. l. 2.*

Solent qui difficultates, & infortunia quandoque euaserint, prudētia hos longe superare, qui nondum fuerunt infelices. *idem, de bell. Goth lib. 2.*

Hominum est vere prudentium, non modo fines ipsos, sed etiam principia rerum expendere, temerariaque reijcere consilia. *Fr. Guicciard. hist. l. 3.*

Prudentes viros decet ex occasionibus fructum decerpere. *Idem, lib. 4.*

Non est compendiosior via, quam earum rerum quarum videri vis prudens, habere prudētiam. Quod si de ijs sigillatim consideres, facile cognoscas dici abs me vera: nam si videri velis bonus agricola, qui non sis bonus: aut eques, aut medicus, aut tibicen, aut aliud quippiam: cogita quot sint machinanda tibi quo videaris talis. Quod si tuo persuasu, & te multi laudent, quo authoritatem adipiscaris, & in eorum singulis bona feceris fundamenta, tum in præsentia deciperis, tum paulo post vbi de te factum fuerit periculum, qualis sis arguaris, tum ostentator præterea appareas. *Xen. de pædia Cyri, l. 1.*

Videntur mihi erratis homines interdum prudentiores euadere, præsertim si peccatis erudiantur. *idem, de reb. gest. Græc. l. 6.*

Nequaquam iniustum est, eum, qui in periculo magno versatur, sese munire, & suæ vtilitati consulere. *Thucyd. l. 1.*

Vt quisque aliqua in re minime peccat, ita maxima ex ea vtilitas sequitur. *idem, eod. lib.*

Oportet quæ diuinitus, necessario: quæ ab hostibus proficiscuntur, fortiter ferre. *idem. l. 2.*

Plerumque felix est prudentia. *idem, lib. 6.*

Nemo temere cuilibet fidem habere debet: nec propter rerum successum insolescere, sed cuncta expectare, quæ hominibus accidere possunt. *Polyb. hist. l. 8.*

Nemo bonus vir imperij cupiditate tenetur, sibive granium negociorum curam exoptat: & in huiusmodi re expedit munus impositum considerate subire, vt tuto idipsum liceat exequi. Multoties etenim temeritas in se aliquid recipientis præpropera in rebus agendis damnum affert: contra accurata consideratio ab initio adhibita, in actionibus perdurat, omnibusque emolumento cedit. *Dion lib. 36.*

Non facta modo eorum, qui iniuriam nobis inferre conantur, sed consilia quoque nobis defendenda, & præuenienda sunt, antequam cum nostro damno crescant: neque acceptum demum maleficium vlciscendum est. *idem. lib. 38.*

Duo hæc, eum qui suæ ipsius incolumitatis curam gereret obseruare conuenientiuum, vt negocio præfectus, difficultatem eius a sese remoueat: alterum, vt rei bene gestę nomē referret. *idem, l. 49.*

Prius, quam incipias, consulito, & vbi consulueris, mature facto opus est. *Sallust. de coniur. Catil.*

Negocijs difficillimis sæpe dispositio tempestiua prospexit, & statū mutationem rerum recto consilio in bonam partem accepto aliquoties diuina remedia repararunt. *Amm. Marcell. l. 16.*

Præsentibus vti bonis præstat, quam fugientia quærere. *Procop. de bel. Pers. l. 1.*

Securum antequam pericula veniant cogitare quid agendum, denique magnopere profecerit in rebus obeundis temporis vti opportunitate. *idem, de bello Vandal. lib. 1.*

Qui periculum sibi aliunde præmeditatum prænonerat, quum protinus queat insidias declinare, & præsens vtcumque propulsare discrimen, vt in posterum occursuris consideratius queat se comparare: profectò maiori sæuitiæ adscribetur, si tum primum tormenta ingesserit, & non potius sua sit potestate contentus, qua contra possit, quum velit, malum inferre. At vbi consilia suo ad rem ipsam deducta, & ad opem ferendam nihil sit temporis reliquum, sed è vestigio sint omnia peritura, & cum omnium communi salute dematur etiam huius spes omnis recuperandæ, hic nimirum sapientibus celeritas est præeligenda, ac ne quid indecennus patiantur, mox procurandum. *Agath hist. lib. 4.*

Minus prosperos rerum euentus, qui vel fortuna fiunt, vel manuum debilitate, atque ignauia, tunc forte & prudens aliqua cogitatio, & quæ coaptare casibus se nouerit, in ea transferre, quæ expediant, poterit: & si quid peccatum est confestim farcire. Verum vbi mens labat, & facile fallitur, ne ea, quæ in rem fiot internoscat, si eorum, quæ inconsultius fiunt aliquid acciderit, vndenam tibi desumpseris, quod sit saluti futurum, & præsens reuocare periculum queat, si forte præcipuum illud, quod hæc omnia pariter auertatur? *idem, lib. 5.*

Est prudentiæ, impendentes præcauere calamitates: & si quid notandum est ad grauiora mala auertenda, non cunctari. *Niceph. Greg. hist. l. 5.*

Oportet eos, qui citra periculum velint viuere, occurrere malis impendentibus: & sin præsecta crescentis plantæ radicem facile præcidere possis, non est cunctandum, neque expectandum, vt acceptam iniuriam vlciscaris, cum aduersarij male cogitantis conatus opprimere liceat. *idem, eod. lib.*

Irritæ sunt vires omnes sine prudentia. *G. Pachymer. hist. lib. 9.*

Insignis est prudentia, quod non facere non possis, id facere, vt libēter fecisse videaris. *idem, eod. lib.*

Super arduis rebus diu, multumque & grauiter est deliberandum, vt quod honestissimum est, & æquissimum amplectamur. Sed imprimis interpellandus est Deus, atque rogandus, vt quod optimū est nobis suggerat. *Ph. Comin. lib. 8.*

Tutius tua prius esse, atque præstantius, quam aliena cum periculo appetere. *P. Iouius, hist. lib. 14.*

Alios iustum duco idem facere (dicebat Hermocrates) quod ego facio: videlicet vt quantum cedere æquum est, id sponte potius faciant, quam deinde hostium armis coacti. *Thucyd. l. 4.*

Si quis errores hostium diligenter obseruat, & occasione captata suis copijs recte hostem adoritur, neque vires suas temere ostentat, aut aperte hostibus opponit, sed his pro præsentis temporis opportunitate vtitur: his plerumque rem præclarissime gerit, & huiusmodi in bello doli summam gloriam consequuntur, quibus & hostes maxime decipiuntur, & socij, atque amici præcipue iuuantur. *idem, lib. 5.*

Rumoribus fiant hominum sententiæ, & magis terrorem incutie, vt inuadere volenti prior occurras, quam vt te repugnaturum significes, quum se ille pari in discrimine sic fore existimet. *idem, lib. 6.*

In bellicis difficultatibus, quanta diligentia fieri potest prouidendum, vt potius in nocendo aliquid omittatur, quam cum aliquo detrimento militum noceatur. *Cæsar. l. 6. de bell. Gall.*

Neque prudentes suspicari oportet sibi parum credi, neque improbos scire se timeri: quod illis liceotiam timor augeat, alijs studia deminuat. *idem, lib. 2. de bel. ciuili.*

Loco sapientiæ est alienam stultitiam operiri, & quiete intueri hostem imprudentia ruentem. *Tacit. hist. l. 2.*

Timorem dissimulare, & profiteri, si modo suo id tempore fiat, quam multo exercitu, & ad meliorem traduxit fortunam. Strenue vero factorum celebritas his quidem, qui importunæ hæc gesserint, ad seruitutem procul dubio est ignominiam conceslura. *Procop. de bell. Goth. l. 1.*

Fugere hostem, qui damna fit ingesturus, nullum profecto in dedecus cedit: qui vero sese in promptissimam calamitatem ingesserit, vel si incolumis fiat, dummodo res ita eueniat, temeritatis est procul dubio, & dementiæ incusandus. Strenuus vero & generosus habebitur, si cum necessitas cogit, virilem se præbeat. *Idem, de bell. Goth. lib. 2.*

Tyrones legendi sunt de temperatioribus plagis, quibus & copia sanguinis suppetat ad vulnerum mortisque contemptum, & non possit deesse prudentia, quæ & modestiam seruat in castris, & nō parum prodest in dimicatione, & in consilijs. *Veget. lib. 1. c. 2.*

Ferre

Ferre multorum hominum delicta, magnæ prudentiæ est, atque potentiæ. Quod si quis omnibus sceleribus iustas, & debitas pœnas constituat, is certè magnam partem hominum breui temporis spacio videbitur perdidisse. *Xiphilin. Cæs. Aug.*

Contemne partem exiguam semper luctificam, & cruentam, vt cætera regas securus: ac prudenter reputa, medelarum quoque artifices vrere nonnunquam & secare, & partes corporum amputare, vt reliquis liceat vti integris, hocque bestias factitare, quæ quum aduertant cur maximopere capiantur, illud propria sponte amittunt, vt viuere possint impauidæ. *Amm. Marcell. lib. 17.*

Apophthegmata.

Socrates interrogatus, quid esset prudentia? Animæ (respondit) concionitas *Stob. serm. de prudentia.*

Idem. Vt nauis vacua, inquit, instrumentis conuenientibus: Sic vita prudentiæ affectibus munienda est, atque instruenda. *Stobæus ibidem.*

Idem. Nec equo, inquit, sine freno, neque diuitijs sine prudentia tuto quis vti potest. *Eod. serm.*

Idem. Soli prudentiæ, tamquam consultissimo tutori, vt vitam omnem, ita maxime iuuentutem credere conuenire, dicebat. *Eod. sermone.*

Idem. sciscitatus: Quinam prudentes essent? Qui non facile delinquunt, respondit. *Eod. serm.*

Idem, adhortabatur subinde suos discipulos, vt hæc tria in omni vita sibi pararent, vt in animo scilicet haberent Prudentiam, in lingua Silentium, & in vultu Verecundiam. *Max. ser. 41.*

Eius. Considera, inquit, & postea rem aggredere. Item: Aggredere cardus agenda, aggressus age constans. *Laert.*

Periander. Ea facito, inquit, quorum non te pœniteat. *Laert.*

Democritus dicebat, sapientiam, & prudentiam, quæ nihil admiraretur, omnium rerum esse dignissimam, & preciosissimam. *Stob. serm. 3.*

Periander, quærenti, quid in minimo maximum esset, respondit prudentea cogitationes animæ in corpore humano. *Stob. ibid.*

Iamblichus, prudentia, inquit, virtutum princeps est, reliquisque omnibus vtitur, atque ipsarum ordinem, modum & occasionem in præsentia, tamquam oculus quidam mentis vndequaque lucidissimus, ostendit, &c. Tandem addit, prudentia sui possessores efficit Deo similes. *Stob. serm. de prudentia.*

Criton. Prudens vir, inquit, ad vitam, quasi ad viam quamdam, non preciosius viaticum, sed quod magis necessarium est, comparat. *Eod. serm.*

Bion dicebat, prudentiam tanto cæteris virtutibus antecellere, quanto cæteris sensibus præstaret visus. Nam oculi prælucent toti corpori, nec vlla est virtus absque prudentia. Nam quomodo iustus redderet cuique suum, nisi prudentia commonstret quid cui debeatur? *Laert. lib. 4 c. 7.*

Antisthenes dicere solebat: Tutissimum esse murum prudentiam, quod is nec collabitur, nec proditur. Nulla quippe mœnia sunt tam munita, quin machinis, aut suffossionibus, aut vallorum proditione capiantur. Prudentis autem decreta sunt incapugnabilia. *Laert. lib. 6 c. 1.*

Isocrates dicebat: virum frugi, & prudentem debere Præteritorum meminisse, agere Præsentia, Futura cauere. *Stob. serm. 1.*

Agesilaus cum pugnaretur apud Mantineam, admonuit Lacedæmonios, vt cæteris omissis omnibus in vnum Epaminondam intenderent vim prælij, dicens, solos cordatos milites authores esse victoriæ. Quod cum fecissent, victoriam nacti sunt. Hac voce consuluit Agesilaus incolumitati suorum, qui fuerant sine dubio manu hostium perituri. Simul illud docuit, in bello plus habere momenti vnum vere prudentem, quam turbam imprudentum. *Plut. in Lacon. apoph.*

Archidamus cum bello Arcadas superasset, ob id laudatus à quodam: Præstantius erat, inquit, si illos prudentia, quam viribus superassemus. *Plut in Lacon.*

Scipio Minor iuuenis etiamnum, tantam habebat opinionem fortitudinis, & prudentiæ, vt Cato senior interrogatus de his, qui apud Carthaginem militarent, in quibus erat & Scipio iunior, Homerico versu responderit:

> *Ille sapit solus, volitant alij velut vmbra.*

De Tiresia dictum est apud Homerum Odyss. κ. *Plut. in apoph.*

Euripides. Celebratur illud Euripidis dictum: Vnicum consilium rectum magnam militum manum vincere. Quo prudenter admonuit non perinde referre, quam numerosum educas exercitum, sed quam cordati sint exercitus duces. In bello siquidem longe plus habent momenti prudentia, solertiaque, quam vires consilij expertes. *P. M. lib. 8. apoph.*

Gregorius Theolo. Qui serpentis prudentiam in malis columbinæ sinceritati circa bona miscuerit, is neque prudentiam sinet malignã fieri, neque simplicitatem stolidam. *Stob. serm. de prudentia.*

Lycurgus Lacedæmoniorum Rex, percontanti, quam ob causam non vterentur legibus scriptis: Quoniam, inquit, eruditi qui sunt beneque educati, probant quid pro ratione temporis expediat. *Plut. in Lacon.*

Polyanthea Noua.

Similitudines.

Philonis Iudæi. Sicut nostris corporibus interitum morbus, incolumitatem vero affert sanitas: Sic animas prudentia seruat, cum ipsa sit mentis sanitas: imprudentia vero interimit, cum sit morbus. *lib. de temulentia.*

Sicut metallorum omnium optimum, atque probatissimum est aurũ: Ita inter animæ virtutes prudentia habetur probatissima. *lib. 1. allegoriarum legis.*

Quemadmodum ciuitatum certissimum munimẽtum viri fortes sunt: Ita in vniuscuiusque nostrorum ciuitate, quæ constat ex anima, & corpore, pro firmissimo propugnaculo sunt cogitationes amicæ prudentiæ. *lib. de sacrificijs Abelis, & Caini.*

Archytæ Pythagorei. Quemadmodum exercitum ducit Imperator, gubernator nauigia, mundum Deus, animam ipsa mens: Sic ipsam felicitatem præsentis vitæ temperat, regitque prudentia. *lib. de doctrina morali. Meminit Stob. in serm. de virtute, qui est in ordine primus.*

Augustini. Prudentia te docet, vt in cunctis semper idem sis, tam in prosperis, quam in aduersis: Sicut manus, quæ eadem est, & quũ in palmam extenditur, & in pugnum restringitur. *Ad Eremitas in serm. de Prudentia.*

Laurentij Iustiniani Patriarchæ. Sicut ex fructibus cognoscitur arbor, ex claritate, ac candore aeris ortus solis: Ita ex multiplicibus efferatio, & qualitas non sinat nos suas claues claustris disparibus coaptare. *In prologo in Psalmorum librum.*

Arnobij. Vt non debet sumere cytharam, qui canendi sit imperitus: Ita non debet imperium sumere, qui non sit prudentia præditus. *Plut.*

Vt cicatrix admonet cauendum esse vulnus: Ita memoria præteritorum malorum reddit cautiores. *Plut.*

Vt Cyclops exoculatus, manus quoquo versum porrigat, nullo nititur certo scopo: Ita magnus rex, cui desit prudentia, quiduis aggreditur ingenti rerum tumultu, sed nullo iudicio. *Plut.*

Fibri Pontici genitalia sibiipsis amputant membra in venatu, quod ob hæc se peti intelligant: Ita prudentia est aliquando abijcere rem ob quam periclitatur. *Plin.*

Adagia.

Multorum festorum Iouis glandes comedit. *πολλῶν πανηγύρεων Διὸς βαλάνους ἔφαγεν.*

De sene longeque plurimarum rerum vsu docto, quasi dicas. Multas vixit Olympiadas. Er hat viel Oltereyer gessen.

Annosa vulpes haud capitur laqueo. *γέρων ἀλώπηξ οὐχ ἁλίσκεται πάγῃ.*

Dicendum in eum qui longa ætate, multaque rerum experientia callidior est, quam vt arte, dolisque capi queat.

Eum ausculta, cui quatuor sunt aures. *ἄκουε τοῦ τὰ τέσσαρα ὦτα ἔχοντος.*

Monet prouerbium audiendos esse illos, qui diuturno complurium rerum vsu, præ cæteris sapiunt, ita vt fere faciunt senes.

Anus subsultans multum excitat pulueris.

In eos dici solitum, qui ob rerum experientiam multum negocium aggrederentur.

Ætate prudentiores reddimur.

Si quando negabimus nobis eadem probari iam natu grandioribus, quæ quondam ob ætatis inscitiam arriserant, sed vsu rerum auctam prudentiam, congruet illud Homeri ex Odyss.

> Ἐγὼ δ' ἔτι νήπιος ἦα·
> Νῦν δ' ὅτε δὴ μέγας εἰμὶ καὶ ἄλλων μῦθον ἀκούω
> Πυνθάνομαι καὶ δή μοι ἀέξεται ἔνδοθι θυμός.
> *Eram adhuc puer, ast vbi iam sum*
> *Grandior, & reddit me aliorum ratio doctum,*
> *Ipseque grandescit mihi animus.*

Sine cortice nabis. *Horat.*

> *Qui iam per ætatem non egent custode morum.*

In senem plurimarum rerum vsu peritum quique multa meminerit superioribus acta seculis, quadrabit illud Homeri ex Odyss.

> Παλαιά τε πολλά τε εἰδώς
> *Qui antiquaque multaque norat.*

Senesco semper multa addiscens. *Γηράσκω δ' αἰεὶ πολλὰ διδασκόμενος.*

Significat vsu vitæ, multaque rerum experientia parari prudentiam. Sanctius idem.

> *Discipulus est prioris, posterior dies.*

Moderator negocij.

In eum, qui scientia, & authoritate sua negocium moderatur, hoc Homeri carmen Odyss. ε. conueniet.

> Αὐτὰρ ὁ πηδαλίῳ ἰθύνετο τεχνηέντως.
> *Ille ratem clauo scite doctèque regebat.*

Consilijs simul & facto valens.

In hominem consilio pariter, & viribus excellentem, conuenit illud Homeri Odyss. ζ.

Ο'ιος ἔην τὰ τ' ἔρδειν τε, τὰ τ' ἔειπεῖν τε.
Is eiusmodi erat, seu pugna consilioue.

Imperator idem robustus miles.

In eum qui nouit idem & alijs imperare quid sit agendum, & ipsa prosequi quum est opus. Iuxta Homerum.

Α'μφότερον βασιλεύς τ' ἀγαθὸς κρατερός τ' αἰχμητής.
Et iuxta ductor bonus, & certamine pollens.

Sunt enim, qui Imperatorem agere norunt, ac militem praestare non norunt.

A fronte simul & occipitio oculatus.

Quum indicabimus admirabilem virum omnium cognitionem aut singularem prudentiam, qua constat non praesentium modo scientia, sed & memoria praeteritorum, & futurorum perspicientia, recte versum Homericum vsurpabimus:

Οἶδε τά τ' ἐόντα, τά τ' ἐσσόμενα, πρό τ' ἐόντα.
Qui scit praeterita, ac praesentia postque futura.

Virgilius vertit ad hunc modum.
Quae sint, quae fuerint, quae mox ventura trahantur.

Alter Ianus. Ἄλλος ὁ Ἰανός.

Quadrabit vel in prouidum, ac circumspectum, vel in ancipitem, & perfidum Prosius.

O Iane, à tergo cui nulla ciconia pinsit.

Sapiens diuinat.

Lonatius in Hecytam, indicat prouerbium esse, diuinare sapientem, quod ex coniecturis prudenter collatis colligat verum non solum de praeteritis, verum etiam de futuris.

Mus non vni fidit antro.

Locus erit adagio, si quem admonebimus, vt sibi plures amicos paret, aut vna cum plebis studeat philosophia, vt si fortuna, quod suum est, eripiat, illa tamen sit praesidium. Es muss ein schlechte Mauss seyn, die nur ein Loch weiss.

Non potest hospitem semper hospitem esse. ἀεὶ τὸν ξένον, ξένον εἶναι.

Hospites dicuntur ignari eius loci, in quo viuunt. Sed turpe est in eadem ciuitate viuere, & semper esse peregrinum, ita turpe est in eadem disciplina esse versatum esse, & nihil scire.

A fronte, atque a tergo. πρόσω καὶ ὀπίσω.

Prouerbij vice receptum est, pro eo, quod est diligenter inspicere, & praeterita cum praesentibus, ac futuris conferre: id quod hominis est prudentis, ac circumspecti.

Sapiens non eget. Χρῆν δ' οὐδέν ἐστι τῷ σοφῷ τεχνάζειν. Arist.

Sine quod magna sint opes, habere bonam mentem, siue quod sapienti facile est ditescere si velit.

Tamquam de specula.

Qui futura longe prospiciunt priusquam eueniant, tamquam de specula praeuidisse dicuntur. Cic.

Qui bene coniectet, vatem hunc perhibeto optimum. μάντις δ' ἄριστος ὅστις εἰκάζει καλῶς.

Admonet adagium futurorum praescientiam, non è fortibus, aut augurijs petendam esse, sed à prudentia, siquidem qui prudentia sit praeditus, is ex praeteritorum, praesentiumque coniectura facile prospiciet, quid sit euenturum.

Acetum habet in pectore.

Plaut. Ecquid habet acetum in pectore? Pro eo, quod est, Num sapit? Num quid habet astutiae?

In holmo cubabo. ἐν ὅλμῳ εὐδήσω. Aristoph.

Dicebatur ab ijs, qui se quippiam diuinationis cognitum ire minitabantur.

Perendinum ventum perdiscere. τὸν τρίτην ἄνεμον πρυγνώσεσκειν.

Perendinum ventum prescire dicuntur, qui coniecturis, quod multo post euenturum sit, colligunt.

Amyris insanit. Α'μυρις μαίνεται. Zenod.

Prouerbialis allegoria, qua recte vtimur, vbi quis insaniae praetextu rebus suis consulit.

Non pluit post noctem, qua sus agrestis peperit.

Plutarchus refert hunc versiculum prouerbio iactatum.

Μὴ ἐπὶ νυκτὶ ὕει ἢν ἂν τέκῃ ἀγροτέρα σῦς.
Iam non nocte pluit, qua sus fetum edit agrestis.

Si quis significare velit ex octo vero, aut autumno serenitatem fore.

Lesbius Prylis. ὁ Λέσβιος Πρύλις.

Plutarchus tradit, hoc prouerbium per similitudinem sumptum: Prylin enim fuisse Mercurij filium, ac diuinandi peritum indicat.

EXEMPLA BIBLICA.

Prudentiae, & discretionis exempla: Abraham, Gen. 13. v. 9. & 25. 5. 6. Iacob, 30. 32. v. 37. Ioseph, 40. 14. & 41. 33. 38. Iethro, Exod. 18. 19. Rahab, Iosu. 2. 4. Iosue. 8. v. 15. Ioathani, Iudic. 9. 7. Galaaditae, 12. 16. Vndecim Tribus, 10. 32. Saul, 1. Sam. 10. 27. Dauid, 18. 5. 14. & 21. 13. Abigail, 25. 18. 36. Mulier Thecuitis, 2. Sam. 14. 5. Mulier Abelana, 20. 16. Bethsabea, 1. Reg. 1. 15. Salomon, 3. v. 9. 25. 26. 27. antiqui Roboami consiliarij, 12. v. 7. Ioiada, 1. Reg. 11. v. 4. 2. Paralip. 23. 1. populus Ezechiae, 2. Reg. 18. v. 36. Ezechias, Esa. 36. 21. 2. Paral. 32. 3. Nehemias, Neem. 2. 12. Esther, Esth. 4. 11. Mardochaeus, v. 12. Tobias, 4. 19. Iudith, Iudith 4. 10. & 11. 19. Christus, Matt. 51. 24. Marci 11. v. 29. Luc. 20. 3. Virgo Deipara, Luc. 1. 29. Villicus iniquitatis, 16. v. 8. Christus, Luc. 2. 47. & 20. 24. Ioan. 8. 7. Paulus, Act. 26. 37. Quidam Asiae princeps, 19. 31. Paulus, 22. 25. & 23. v. 6. 17. & 25. 11. Tribunus, v. 23. Prudentiae carnalis Exemplar Esau, Genes. 25. v. 31. Pilatus, Luc. 23. 16. 22. Ioan. 19. 1. Nicodemus, Ioann. 3. 4. Pharisaei, 7. 48. Iudaei, 8. 52. Prudentiae propriae non innitendum, Prou. 12. v. 15. & 17. 12. Esa. 5. 21. & 30. 1. Abd. v. 8. Prudentia spiritus, Rom. 8. 6.

EXEMPLA HISTORICA.

Artemisia Cariae regina, apud Xerxem in tanta fuit auctoritate in expeditione contra Graecos, vt illius consilio semper vteretur, ea prudentia, vt optima semper suaderet: quibus si Xerxes paruisset cladem ad Salaminem non accepisset. *Herod. lib. 8.*

Cyrus minor Persarum Rex, Aspasiae Hermotimi Phocensis filiae formosissimae, & optime educatae captus amore: cum eam in vxorem duxisset, saepenumero eam de rebus in consilium adhibuit: & quotiescumque sententiam eius secutus est, numquam poenituit. *Aelian. lib. 12. de var. hist.*

Iulia Mammaea, Alexandri principis mater, laudatissima foemina, Syra genere: cuius auspicijs filius puer orbem terrarum sapientissime rexit. *Volat. lib. 16. Antiorop.*

Dominica Valente Imp. marito a Vestogothis caeso, hostes Constantinopolim obsidentes prudentia sua sustinuit, ciues & precibus, & auro confirmauit. *Bonfin lib. 2. Dec. 1.*

Cyrus puer prudens, in Astyage auo luxuriam ciborum, & violentiam reprehendit. *Xenoph. lib. 1. Paedic.*

Nestor senex Graecis, qui duce Agamemnone Troiam obsidebant ve lentibus, & potantibus;

Texere sermones ante omnia coepit:

fuitque huic & inuitationis, & optimorum consiliorum regi auctor. *Plut. lib. 7. q. conuiual. 9.*

Vlysses, quem sapientiae nomine celebrat Homerus, dolo & calliditate gloriatur, non malo, sed quo vtile contra hostes vti pollemus. *Homer.*

Teribazus Persarum regis Artaxerxis dux fortissimus in consilijs ea vsus est dexteritate, vt quoties rex consilijs illius vsus est, numquam aberrarit. *Diod. lib. 1.*

Fama est Philippum Macedonem magis de prudentia, astu imperatorio, & successu, quem in conciliandis hominibus habuisset, quam de copiarum, & auxiliorum viribus gloriari solitum. *Diod. lib. 16.*

C. Iulius Caesar in obeundis expeditionibus dubium cautius ne fuerit an audentius? *Suet.*

Agebatur Romae occulte inter patres de Carthagine funditus delenda, existque ea consultatio in longam & difficilem disceptationem. Maiore Porcio Catone, cui ante Prisci nomen fuit, censente, Carthaginem esse delendam, vt Roma incolumis esset, & cum multi pedibus irent in eam sententiam, tum *Scipio* identidē testatus dicitur, videtent illi, qui tam cupide vellent Carthaginē excisam, ne populus Romanus aemulae, & inimicae vrbis metu liberatus, in domesticam laberetur discordiam. Quod malum multo prius prospexit *Nasica*, ac praedicauit, sed fatali necessitati ire obuiam non potuit. *Sabellicus e. 8. lib. 4. Florus lib. 49. in Liuium. Florus lib. 2. c. 15. de bello Punico tertio. Appianus in Libyca. Plutarchus in vita Catonis Censorij. Orosius lib. 4. c. 22. Plinius nat. hist. c. 18. Calius antiq. lec. lib. 27. c. 1.*

Aedificauerat Romae aedes ea tempestate magnificas, editoque in loco *Publius ille Valerius*, cui postea publici, ac popularis boni studio inditum cognomen est Publicola, ijs ex aedibus cum descendisset in forum, atque in curiam Valerius, & consulum primorum vrbis vltorem mos erat, magno passum, ac populi comitatu honoris gratia ducebatur, quae res visentibus regiae pompae similitudinem prae se ferebat: itaque cum ob hoc ipsum, quodque collegam minime fuffecisset, in suspicionem venisset affectati regni, elamque a quibusdam etiam maledictis diceptaretur, rei eius ab amicis admonitus, consilium è vestigio cepit diruendae domus, quae magna ex parte causam suspicioni videbatur afferre: nocte igitur non exigua manu fabrorum operariorumque conducta, domum omnem à fundamentis diruitanta festinatione iussit, vt illucescente iam die aedificium vniuersum aequatum iam solo iaceret. Hac itaque demolitione non suspicionem modo aboleuit omnem, verum in populo patribusque summam vitae integritatisque sibi admirationem peperit, maxima etiam cum gratia, ac beneuolentia, ex eoque maior indies est habitus. *Florus lib. 1. c. 9. Epitomatum, Valer. lib. 4. c. 1. de animi moderatione, Plut. in eius vita.*

Prudentia est bonorum malorumque scientia ad hominem pertinentium: sed scire est solius hominis: Ergo haec virtus huic vni animalium à natura est concessa. Huius non vulgare exemplum edidit vetustissimus ille Chananaeae regionis accola: Is cum Sara coniuge Aegyptum ingressus, gentis libidinem in alienas foeminas veritus, pro coniuge fratrem egit, haud ignarus id consilium, & ad mulierem pudicitiam tuendam, & ad suam ipsius salutem pert-

pertinere. Profuit haud dubie id hominis commentum, sed humana pietas, cuius ille erat diligens custos, vtrumque ab iniuria seruauit. *Pontan. de Prudentia.*

HIEROGLYPHICA.

Formicam prudentiæ hieroglyphicum faciebant, quia memor hyemis cibaria comparat, & recondit, & cellas promptuarias facit, semina interim ne nascantur morsu secat, abrosaque condit: ne rursus in fruges exeant è terra, atque inutilia inde sibi ad vsum alimenti fiant. *Pier. Val. lib. 8. pag. 68. F.*

Serpens etiam *prudentiæ* est hieroglyphicum. Nam & assertoris nostri dictum est, admonentis: Nos esse debere prudentes, sicut serpentes. *idem lib. 16. pag. 148. F.*

Neque desunt, qui *Gorgonis caput* pro Mineruæ pectore statutum, *prudentiæ* signum esse contendant, quæ locum habeat in pectore, qua qui præditi sunt, facile eos confundere, vel imperitiæ redarguere, saxeosque quodammodo reddere, vbi adhibuerit, possint. *Pier. Val. lib. 16 pag. 154. F.*

EMBLEMA.

Prudentes.

Emblema XVIII. Andr. Alciat.

Iane bifrons, qui iam transacta futuraque calles,
Quique retro sannas sicut & ante vides;
Te tot cur oculis, cur fingunt vultibus? an quod
Circumspectum hominem forma fuisse docet?

Emblema XVII.

Italica Samius secta celeberrimus auctor
Ipse suum clausit carmine dogma breui:
Quo prætergressus? quid agis? quid omittis agendum?
Hanc rationem vrgens reddere quemque sibi.
Quod didicisse [illegible] ex agmine fertur,
Arreptum [illegible] qua [illegible] dum [illegible]
Ne cessent, neu transuersas [illegible] flamina raptent.
Qua ratione hominum vita regenda fuit.

Prudens magis quam loquax.

Emblema XIX.

Noctua Cecropijs insignia præstat Athenis,
Inter aues sani noctua consilij:
Armiferæ merito obsequijs sacrata Mineruæ,
Garrula quo cornix cesserat ante loco.

FABVLÆ.

Senex & Iuuenis.

Senex quidam iuuenem sibi poma surripientem blandis orabat verbis, vt ex arbore descenderet, nec res suas auferre vellet, sed cũ incassum verba funderet. (iuuene eius ætatem, ac verba contemnente) non in verbis tantum, inquit, verum etiam in herbis audio esse virtutem. Herbas igitur vellere, & in illum iacere cœpit: quod iuuenis conspicatus, in vehementem risum effusus est, & senem delirare arbitrabatur, qui crederet eum ex arbore herbis posse depellere: tunc senex omnia experiri cupiens, quando, inquit, verborum & herbarum vires aduersus raptorem mearum rerum nullæ sunt, lapidibus agam, in quibus dicunt quoque esse virtutem, lapidesque, quibus gremium impleuerat, in iuuenem iaciens, illum descendere, & abire coegit.

Hæc fabula indicat, omnia prius prudenti tentanda, quam ad armorum confugiatur auxilium.

Duo bellatores.

Duo fide data inter se communia futura omnia, ad bellum proficiscebantur. Horum vnus æger in itinere remansit, alter vt instituerat iter ad militiam exequitur, atque re, & gloria parta redit ad socium, qui iam habebat meliuscule. Is gauisus prosperitate socij, quod lucrum parituram secum esse spectat, illum cum magna lætitia complectitur: neque diu post, vt pecuniam allatam, ita vt conuenisset, diuideret, petit. Faciam, inquit ille, sed alia etiam attuli, quæ communia esse oportet, vt omnia vndique exæquentur. Ille lætus, pretiosam vestem, aut supellectilem socium apportasse ratus, ita enim fieri, inquit, par est. Sed quidnam præterea attulisti? Vulnera, inquit alter, & cicatrices, quarum similes, atque æquales etiam tibi infigi debebunt. Nunc, inquit ille, hæc mihi placet societas. Ac pecunia etiam carebo potius, quam cum vulneribus, & cicatricibus habebo.

Fabula ostendit prudentes esse homines, qui pro leuibus commodis graues labores subire nolunt. Vt Marius laudatur, qui cum varicosus esset, & solutus vnum crus secandum præbuisset, alterum præbere noluerit, quod diceret *οὐκ ἄξιον εἶναι τὸ θεράπευμα τῆς ἀλγηδόνος*, id est, illam curationem dolore tanto indignam esse. Sed alio etiam sensu indicat fabula id quod seruus in Comœdia, aut Aut hæc cum illis sunt habenda, aut illa cum his amittenda sunt.

Catus & Mures.

Domo quapiam, quod perplures forent mures catus præsentiens illuc accessit, atque nunc vnum, nunc alium capiens, complures interimendo comedit: Verum mures cum se in diem consumi perciperent, ad vnum coacti, inquiunt secum, amplius inferius non esse descendendum, si nolumus perditum ire omnes, sed hic superius manendum, quo catus ascendere non potest: ac catus consilio murium percepto, simulans se mortuum esse, posterioribus pedibus se ad palum suspendit, qui hasti parieti erat, è muribus qui ipsum deorsum acute prospiciens, vt catum esse cognouit, haud inconsulte ait: Heus amice, & si te follem esse certo scirem, deorsum minime descenderem.

Significat virum prudentem, si semel fallitur, fictis & simulatis hominibus non amplius fidere.

Piscator.

Piscator quidam demissis in mare retibus, extulit pisciculum pusilli corporis, qui piscatorem obsecrabat, ne se tam pusillum & minutum caperet, sed abire & crescere permitteret, posthac grandiusculo potiturum, cui piscator: ego vero amens sim, si lucrum quod inter manus habeo, licet exiguum dimittam spe futuri boni quantumlibet magni.

Hæc fabula innuit stolidum esse, qui propter spem maiorem, rem præsentem & certam licet paruam, non amplectitur.

Glires.

Glires quercum arborem glandiferam dentibus et arte destinauerant, quo paratiorem haberent cibum, ne victus gratia toties ascendere & descendere cogerentur: sed quidam ex ijs, qui ætate & vsu rerum ac prudẽtia cæteros longe antecibat, eos absterruit, dicens: si nutricem nostram nunc interficiemus, quis futuris annis nobis ac posteris nostris alimenta præbebit?

Fabula hæc monet, virum prudentem debere, non modo præsentia intueri, verum etiam futura longe perspicere.

Canis & Gallus & Gallinaceus.

Canis & Gallus societate inita vna iter faciebant. Noctu in agro deprehensi, cum tenebræ viam obscurarent, sic acquiescendum statuere, vt Gallus in arboris ramis insideret, inferius autem in cauum truncum irreperet canis. Cantante autem suo more gallo, excitata vulpecula accurrit, atque illum hortatur, vt descendat: cupere enim sese complecti auem tam grata & suaui voce præditam. Cui respondit Gallus: Ianitorẽ, qui fores pandat, prius suscitandum esse, quam ipse descendere possit. Stulta Vulpecula non prouisa fraude ad arborem accedit propius, & ianitorem quanto potest altissimo gannitu ciet, ergo canis experrectus, subito in vulpeculam insilit, & correptam dilaniat.

Docet fabula, vim & iniurias inimicorum, quib. ipsi pares esse non valeamus, ad illos potentiores calliditate consilij auertẽdas esse.

Leo & Vulpes.

Leo senio confectus, cum vires non suppeterẽt ad victum parandum, callidum cepit consilium sustentandi vitam. Itaque in antro, quasi periculoso morbo correptus, decumbens, quod ad ipsum visendum passim animantes reliquæ aduenirent, prehensas illas deuorabat. Atque ita magna bestiarum multitudine à Leone absumpta, accedit tandem & vulpecula ad antrum, & ante illud substitit, hæsitans atque circumspectans. Tum Leo, quid cesset cur non adeat ad se, rogat. At illa, id quod Horatius versibus retulit, respondisse fertur:

Quia me vestigia terrent,
Omnia te aduersum spectantia, nulla retrorsum.

Fabula docet, prudentes ante pericula cauere sibi, & ea signa, quibus mala portendantur, notare, & hæc effugere.

Vespertilio & Feles.

Vespertilio delapsa in solum comprehensa fuit à fele. Quæ cum hanc dilaniatura esse videretur, petijt illa suppliciter vitam sibi vt cõcederet. At enim felis hoc facere posse negabat, quia esset capitalis hostis omnium auium. Tum vespertilio se non auem, sed murem esse dixit. Itaque dimissa fuit. Paulo post capta ab alia fele, similiter petijt sibi miseræ vitam relinqui. Ibi felis sibi hoc factu perdifficile esse ait, quæ cum omnibus muribus bellum gereret, vespertilio vero, se murem nequaquam esse affirmare, sed volucrem, Quare iterum periculum euasit & nomine mutato bis seruata fuit.

Instruit homines fabula ad prudentiam, vt pro tempore & loco mutare consilia discant, omnibus enim propositâ conseruatione salutis cum dignitate coniunctæ, non idem semper dici, sed idem spectari oportet. Alludunt ad fabulam hanc ea, quæ referuntur a Nonio ex Agathone Varronis: Quid multa? Factus sum vespertilio, neque in muribus plane, neque in volucribus sum.

Mustela.

Imbecillis iam & annis grauis mustela mures assequi non magis poterat. Hanc igitur excogitat fraudem: in frumenti manipulos se implicat, eodem veniunt & mures, fruges vt erodant, hos illa sine labore, & defatigatione capit atque deuorat.

Fabula docet, viribus deficientibus magnum in prudentia subsidium esse positum.

Lepus & Vulpes.

Anteponebat se vulpi lepus, cui pedum pernicitate præstaret. At vulpes dicere, se ingenio vincere, cuius esset multo & frequentior & præclarior vsus quam pedum.

Fabula incredibilem esse ait bonitatem prudentiæ, neque corporis maximas dotes, cum minimis animi dotibus comparari recte posse. Itaque & ab Apollonio [illegible] Amphion,

qui

qui suo cantu his tanto maiorem lapidem alliciat, quam niten-do summis viribus Zethus adferre potuisset.

Fluctum numerator.

Homo quisquam in littore assedit numerans fluctus, cum ventis mare agitaretur. Sed crebritate horum perturbatus animo angebatur, & affligebatur. Ad hunc accedens vulpecula, Quid moeres: inquit. Huic ille respondit, fluctus se numerare cupientem praeterlatos innumeros, quos non potuisse cōprehendi doleret. Tum vulpecula: praeteritos inquit, omitte, & numerare si vis vel ab hoc iam nunc ordire, & qui abiere eos missos facito.

Docet fabula, non ad praeterita, sed ad ea, quae restent in vita hac, respiciendum esse.

PVDICITIA.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Pudicitia, Graece αἰσχυντηλότης, & ἁγνότης, αἰδήμων pudicus dicitur. Est autem pudicitia animi virtus, qua quis verecundatur de actibus, de quibus homines magis verecundantur, vt sunt actus venerei, *secundum Aug. lib. 14. de ciuit. Dei.* Nec inuite auferri potest, *secundum eund. l. 1. de ciuit. Dei.*

Pudicitia dicitur à pudore, & est praecipue circa signa venereorū, vt sunt tactus, oscula, & huiusmodi. Castitas vero circa venereā commixtionem. *ex B. Thom. 2. 2. q. 143. a.*

Pudicitia Hebraeis dicitur *Taharah*, i. purificatio, mundatio, à verbo *Taher*, mundus fuit, purus fuit, expurgatus est à sordibus. Cognationem habet cum *Tabar*, formosus fuit, & cum *Hatar*, coronauit, & *Zakar* nituit. Quae omnia cum praeclara illa dote conueniunt. Hinc Graeci pro aspiratione leui crassiorem substituentes literam & metathesi facta dicunt καθαρός mundus sum, καθαρός, mundus, & καθαρότης mundities.

SENTENTIAE BIBLICAE.

Omnis enim ponderatio, non est condigna continentis animae. *Eccles. 26.*

Sicut sol oriens mundo in altissimis Dei, sic mulieris bonae species in ornamentum domus suae.

Gratia super gratiam mulier sancta & pudorata. *Ibid.*

PATRVM SENTENTIAE.

Pudicitia res est animi, virginitas corporis, deoque illa integra in anima permanente, potest illa corpore violenter auferri: cū ista integra manet corpori, potest illa in animo lasciui volūtate corrumpi. *August. contra Iulian. l. 4.*

Pudicitia est ornamentum nobilium, exaltatio humilium, nobilitas ignobilium, pulchritudo vilium, solamen moerentium, augmentum omnis pulchritudinis, decus religionis, minoratio criminum, multiplicatio meritorum, creatoris omnium Dei amica. *Cypr. d. 32. ainsienibus.*

DICTA POETARVM.

Propert. 2. 6.

Felix Admeti coniux, & lectus Vlyssis,
Et quaecumque viri foemina limen amat.

Tibul. 1. 9.

Ah miseri quoties auro ne pollue formam,
Saepe solent auro multa subesse mala.

Ouid. Epist. 1.

Me pater Icarius viduo discedere lecto
Cogit, & immensas increpat vsque moras.
Increpet vsque licet, tua sim, tua dicar oportet:
Penelope coniux semper Vlyssis ero.

Idem 3. Amor. 4.

Penelope mansit, quamuis custode careret,
Inter tam multos intemerata procos.

Propert. 2. 9.

Penelope potuit bis denos salua per annos
Viuere, tam multis foemina digna procis.
Coniugium falsa poterat differre Minerua,
Nocturno soluens texta diurna dolo.
Visura et quamuis nunquam speraret Vlyssem,
Illum expectando facta remansit anus.

Ouid. 4. Fast.

Supplicis alme tuae genetrix foecunda Deorum
Accipe sub certa conditione preces:
Casta negor, si tu damnas, meruisse fatebor:
Morte luam poenas iudice victa Dea.
Sed si crimen abest, tu nostrae pignora vitae
Te dabis, & castas casta sequere manus.
Dixit & exiguo funem conamine traxit
Mira sed & scena testificata loquar.
Mota Dea est, sequiturque ducem, laudatque sequendo,
Index laetitiae fertur ad astra sonus.
Claudia praecedit laeto celeberrima vultu,
Credita vix tandem teste pudica Dea.

Silius 17.

Hic prisca ducem Clausorum ab origine nomen
Claudia, non aequa populi male credita fama
In puppim versis palmisque oculisq, profatur.
Caelicolum genetrix numen, quod numina nobis
Cuncta creas, cuius proles terramque fretumque,
Sidera quoque & Manes regnorum sorte gubernat,
Si nostrum nullo violatum est crimine corpus,
Fellis Diua veni, & facilis me absolue carina.
Tum secura capit funem, fremitusq, leonum
Audire visus subito, & grauiora per auras
Nulla pulsa manu sonuerunt tympana Diua.
Fertur prona ratis ventos impellere credat,
Contraq, aduersas ducentem praeuenit vndas.

Ouid. Epist. 16.

At peccant aliae, matronaq, rara pudica est,
Quis prohibet raris nomen inesse meum?

Iuuen. 16.

Tarpeium limen adora
Pronus & auratam Iunonis caede iuuencam,
Si tibi contigerit capitis matrona pudici:
Pauca adeo Cereris vittas contingere dignae.

Plaut. Amph.

Non ego illam mihi dotem duco esse, quae dos dicitur;
Sed pudicitiam, & pudorem, & sedatum cupidinem.

Plaut. in Epidico.

Non minis potest
Pudicitiam quisque suam seruare filia.

Iuuen. Satyr. 30.

Rara est adeo concordia formae
Atque pudicitiae.

Ouid. Epist. Paridis ad Helenam.

Lis est cum forma magna pudicitiae.

Ouid. Epist. 5.

Nulla reparabilis arte
Laesa pudicitia est, deperit illa semel.

Mich. Verinus.

Aegre formosam poteris seruare puellam:
Nunc prece, nunc auro forma petita ruit.

SENTENTIAE PHILOSOPHICAE.

Quid, n. possumus eos, qui à stupro arcentur, infamię metu pudicos dicere? Cum ipsa infamia propter rei turpitudinem consequatur. Nam quid laudari rite, aut vituperari potest, si ab eo recesserit, quod aut laudandum, aut vituperandum putes? *Cic. l. de legib.*

Pudicae mulieris non concubitus modo, verum ne oratio publica esse debet, nec minus sermo, quam nudatio corporis est formidanda, & ab externis cauere debet, propterea quod affectus & mores ac dispositio animi in sermone plane conspiciūtur. *Idem.*

Pythagoras consecutus erat disputationum assiduitate, vt matronae auratas vestes, caeteraq; dignitatis suae ornamenta, velut instrumenta luxuriae deponerent, eaq omnia delata in Iunonis ędem ipsi Deae consecrarent, praeferentes, vera ornamenta matronarum pudicitiam, non vestes esse. *Iustin. hist. l. 20.*

Nil salui est mulieri, amissa pudicitia. *Liu. Decad. 1. l. 1.*

Pudicae est, non modo, vt ne quid peccet, sed ne suspicionem quidem vllam turpem de se praebeat. *Dion. l. 37.*

APOPHTHEGMATA.

Quidam Lacaenam misso nuntio sollicitauit, num assentiretur, vt ipsi sui faceret copiam? Cui illa respondit: Quum essem puella, parenti obedire didici, idque feci: mulier autem facta, viro. Itaque si me inuitat ad honesta, viro meo primum rem aperiam. *Plut. in Lacaen. apoph.*

Alia Lacaena rogata, num ad virū accessisset? Non, inquit, sed ille ad me. Significans, sese non libidinis causa cōmercium habere cum viro, sed parentib. ac legib. obtemperare. Turpissimum. n. esse foeminae, si vitum ad coitum solicitet. *Plut in Lacaen. apoph.*

Hieroni quidam exprobrabat oris graueolentiam. At ille cum vxore expostulauit, quod id sibi nunquam indicasset. Tum illa: Putabā inquit, viros omnes ad eundem olere modum. Eximium pudicitiae argumentum, quae nulli viro tam vicina fuerit, vt oris halitum sentire posset, praeterquam vni marito. *Plut. in apoph.*

Eubeidas audiens à quibusdam praedicari vxores alienas, non approbauit id factum, dicens: De moribus ingenioq, vxorum apud exteros nullam omnino faciendam esse mentionem. Qui non tulit laudari coniuges alienas, quid faceret vituperantibus? Prima laus pudicitiae matronalis est, nulli notam esse praeterquam suo viro. *P. M. in apoph.*

Argaeus, quibusdam non suas, sed aliorum quorundam vxores praedicantib. Per Deos: inquit de bonis & honestis mulierib. nihil temere loquendū est, sed in totū quales sint oportet ignorari, praeterquā solis maritis, quibuscū viuūt. Tam insignis erat apud priscos virginū & vxorū pudicitię, vt eas ab alijs quā à parentibus aut suis maritis

mariti's conspici, gradus aliquis ad impudicitiã haberetur: tãtaq; cautione cõsulebatur illarum famæ, vt parum pudica videretur, de qua rumor quamuis vanus oriri potuit: sed ea demũ summa matronalis pudicitiæ laus haberetur, si mulier adeo domi cõclusa viueret, vt nullus esset, qui de ea vel bene vel male loqui posset: propterea quod hoc ipsum, matronam versari in fabulis, trahique per ora hominum, prostitutionis genus putaretur. Etenim qui laudat alienam vxorem videtur habere cognitam cuius laudes prædicat, quod ipsum aliquid detrahit pudori fœmineo. Quid igitur vir ille præclarus sentiret de matronis, quæ sine maritis interesse gaudent iuuenum conuiuijs, quæ cursitant ad alienarum ciuitatum dies festos, & tempora, quæ ducunt choreas ex viris, ac fœminis alterne mixtas, quæ in balneis corpus nudum ostendunt quorumlibet virorum oculis? *P. M. lib. 6. apoph.*

Canna Sinorito Galatæ nupserat, eam Synorix iuuenis præpotens adamabat: & clam interfecto Sinorito, de nuptijs Cannam solicitare cœpit. Illa, quo coniugis mortem vlcisceretur, dissimulauit dolorem, & coniugij spem præbuit. Tamdem Synorigem ad se venire iubet in templum Dianæ, cui erat dicata, quasi vellet hanc esse coniugij testem, & astans altari, ceu Deæ libatura, è poculo bibit toxicum: moxque tradidit Synorigi, qui simulatque reliquum ebibisset, venerata Deam: Te, inquit, Dearum præstantissima testor, me huius tantum diei gratia hactenus Sinorito fuisse superstitem. *P. M. lib. 6. apoph. ex Plut. lib. de mulierum illust. rebus gest.*

Chiomara, cum misso precio à suis reduceretur, ac tribunus illam officij gratia ad flumen prosequeretur, clam mandauit vni seruorum, vt Romanum illum se prosequentem occideret. Is vbi caput præcisum Chiomaræ dedisset: illa sub veste tectum ad maritum detulit, & ad illius pedes abiecit, marito admirante, dicenteque, num præclarum duceret, seruare fidem? Præclarum, inquit: sed hoc præclarius, vnum dumtaxat qui mecum concubuerit viuere. Fœmina aliquanto prudentior Lucretia, quæ non sua, sed stupratoris nece, testata est suam pudicitiam. *Plut. cap. 25. de Claris mulieribus. Liu. lib. 38. Plut. c. 55. de Viris illustrib.*

Lucretia. Cum Collatinus cum paucis familiaribus ad Lucretiam venisset a Sexto Tarquinio vi stupratam, quærenti viro ex more Satin' saluæ? Minime, inquit Lucretia, quid enim salui mulieri amissa pudicitia? Vestigia alieni viri Collatine in lecto sunt tuo. Sed corpus tantum violatum est, animus insons est, mors testis erit. His dictis, cultrum quem abditum habebat, in corpore infixit, & collapsa est moribunda. *P. M. l. 6. apoph. ex Liuio.*

Bilia. Duillius, qui primus Romæ è nauali pugna triumphum obtinuit, iam senex, tremuloque corpore in iurgio quodam audiuit exprobrari sibi graueolentiam oris, rediji domum tristis, & expostulauit cum Bilia vxore, quam virginem duxerat: cur huius vitij numquam admonuisset, quo licuisset mederi? Admonuissem, inquit illa, nisi putassem omnibus viris ad eumdem modum olere animam. Si Bilia vere sensit, quod dixit, argumentum est insignis pudicitiæ: sin finxit, magna item tolerantia, quæ tamdiu pertulerit hoc incommodum absque fastidio. *P. M. lib. 8. apoph. Simile est ei, quod paulo supra de Hierone retulimus ex Plut.*

Phocias. In Ionia, parentibus honestis orta, ingenueque educata, ad Cyri regis cœnam cum alijs mulieribus admissa, cæteris regios iocos, ac lusus hilariter excipientibus, nec refugientibus ab illo tangi, sola tacite ingressa ad lectum constitit, nec vocanti Cyro paruit. Cubicularijs autem tentantibus illam adducere: Flebit, inquit, quisquis horum mihi manus admouerit. Ob hæc, quum à cæteris agrestis & incomis haberetur: Cyrus gaudens, & cum risu versus ad illum, qui mulieres adduxerat. Non intelligis, inquit, te hanc vnam ingenuam, & incorruptam adduxisse? Postea ad hanc in primis adiecit animum, vniceque adamauit, sapiẽtem appellans. Apud barbaros, mulieres attigisse, constuprasse erat. *Plut. in apoph.*

SIMILITVDO.

D. Hieron. Tenera res in fœminis fama pudicitiæ est, & quasi flos pulcherrimus cito ad leuem marcescit auram leuique flatu corrumpitur, maxime vbi & ætas consentit ad vitium, & maritalis deest authoritas, cuius vmbra tutamen vxoris est. *Ad Saluian.*

ADAGIA.

Hippolytum imitabor. Ἱππόλυτον μιμήσομαι.

Diogenianus in prouerbiorum collectaneis ait dictitatum de ijs, qui statuissent pure casteque viuere.

Melanione castior. Μελανίωνος σωφρονέστερος. *Aristoph.*

Dicebatur qui magnopere à mulierum congressibus abhorreret.

Pudor in oculis. Ἐν ὀφθαλμοῖς ἡ αἰδώς.

Horum nos pudet, quæ in propatulo sunt.

Pudebat recusare, & non audebant suscipere.

> Αἴδεσθεν μὲν ἀνήνασθαι, δεῖσαν δ' ὑποδέχθαι.
> *Detrectare pudor, formido subire vetabat.*

Quo vti licebit, quoties inciderit eiusmodi negotium, vt aliud suadeat honestas, aliud vtilitas: & dedecorosum sit suscipere prouinciam, rursum periculosum suscipere.

Pudor metus.

Quum abstinetur a re quapiam, quod ea tum inhonesta factu videtur, tum vero minime tuta, locum habebit illud Homeri ex Iliad. o.

> Ἴσχε γὰρ αἰδὼς καὶ δέος.
> *Nam pudor atque metus vetuit.*

Verecundia inutilis viro egenti.

> Αἰδὼς δ' οὐκ ἀγαθὴ κεχρημένῳ ἀνδρὶ παρεῖναι.
> *Verum homini pudor haudquaquam conducit egeno.*

Admonet autem abijciendum pudorem, quoties vrget necessitas. Du must das Schamhuetlein abziehen, vvilru etvvas ervverben.

Apud mensam verecundari neminem decet.

Prouerbium ex hac tanta antiquitate per manus traditum est hodieque versatur in ore omnium. Zu Tisch vnd Beth soll sich niemand schemen.

Tinctura Sardonica. Βάμμα Σαρδονικόν.

De colore præcellenti dicebatur præcipue purpura. Per iocum autem transfertur ad eam, quæ pudesit, aut quæ ob plagas sanguine tingitur.

Tinctura Cyzicena. Βάμμα Κυζικηνόν.

Dicebatur in eos, qui metu quippiam indecore fecerunt. Aristophan.

Vbi timor, ibi pudor. Ἵνα δέος, ἔνθα καὶ αἰδώς.

Cui similis ille Terentina: Omnes deteriores sumus licentia. Plato. Vvo Forcht ist, da ist auch ehr. Vvo Furcht ist, da ist auch Schã. Vvo Scham ist, da ist Ehr.

Aduersus solem ne meito.

Opinatur P. M. commendari verecundiam.

Ne pudeat artem.

Ne pudeat artem proloqui, quam factites. Multos tam non pudet turpi quæstu viuere, quam pudeat nomen eius quæstus profiteri.

PROPHANA EXEMPLA.

Musæ grauiter ferentes, quod Venus amoris stimulos sibi intentasset, pudicitiæ amissæ dolore, Adonidem interfecerunt, Veneris amasium. *Natalis comes Mythol. lib. 7. c. 15.*

Themisto Critonis Oeantis filia, pudicitiæ conseruandæ causa Philonem, Phricodemi tyranni filium, in lecto secum cubantem ense absçondito interimit: vt ne vxor quidem occisi audiretur. Inde ad mare progressa, soluens nauigauit in Græciam. *Polyænus. lib. 8.*

Chiorum fœmina tantæ castitatis, vt neque adulterium, neque illegitimum concubitum ibi accidisse vnquam proditum memoriæ sit. *Cælius lib. 25. c. 7. A. L.*

Paulina Saturnini vxor, amissæ per dolum Decij Mundi nobilis adolescentis pudicitiæ (qui eam sub persona Osiridis in eius templo compresserat) dolore mirifice excruciata fuit. *Ioseph. antiquit. lib. 18. c. 4.*

In Germanorum olim fœminis, mira fuit pudicitia, nulla spectandi illecebra, nulla conuiuiorum ratio: rara in tam numerosa gente adulteria: cuius conuictam mulierem, resectis capillis, nudatam coram propinquis maritus, domo exactam toto vico verberibus agebat. Profligatæ pudicitiæ nulla venia, non ætas: non forma, non spes, conuubium corruptis conciliare poterat. *Sabel. lib. 2. En. 6.*

Cum Thomæ II. Eboracensi Episcopo ægrotanti medici consulerent, vt fœminæ pro remedio misceretur: & amici idem vehementer vrgerent, ipseque assentiri videretur: adducta post decentis formæ fœmina noluit eam attingere, ab amicis reprehensus, respondit: propter salutem carnis tandem moriturę, immortale decus pudicitiæ non amittam. *Polyd. lib. 1. c. 3.*

HIEROGLYPHICA.

Præcipuæ *prætextata* significatum fuit, vt *pudorem* indicaret, quem scilicet ætas ea, quæ *prætextata* dicebatur, sibi proponere deberet: eiusque rei indicium esse *purpureum colorem*, vnde admonerentur *verecundiam* in dictis factisque omnibus amandam. *Pier. Valer. lib. 40. p. 392. D.*

Fabius Pictor dicit, *Ianum ad pudorem, & sanctimoniam*, domorum primum valuas, seras & claues excogitasse, ab eoque ianuas appellatas: vnde clauem in simulachris, in beneficijs huius memoriam gestet. *Pier. Valer. libro 48 pag. 477. A.*

EMBLEMA.

Pudicitia.

Andr. Alciat. Emblema. XLVII.

> *Porphyrio domini si incestet in edibus vxor,*
> *Despondetq; animum, præq; dolore perit.*

Abdita

Abdita in arcanis natura est causisque index:
Sincera hac volucris certa pudicitia.

Vide tit. de Pudore, Virginitate.

P V D O R.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

PVdor ab Arist. sic diffinitur, *αἰσχύνη ἐστὶ φόβος δικαίου ψόγου*, hoc est, pudor est timor iustæ vituperationis, qui affectus est honestissimus. Pudor, vt Stoici definiunt, est metus infamiæ, qui animum reprimit, ne procaciter, aut inordinate, vel turpiter, quid agat. Differt autem pudor a verecundia sic, vt aliquibus placet, quod pudor est rei turpiter actæ, verecundia vero etiam recte facti ac honesti. Hinc pudibundus: qui pudore ducitur, & pudenda virilia, quæ & verenda dicuntur, & depudico verbū, quo veteres vtebantur. Estque depudicare, violare, stuprare, & quasi pudicitiam auferre.

LOCI BIBLICI.

Pudor interdum vtilis est, 1. *Cor. 15. ver. 34. Ephes. 5. 12. 2. Thess. 3. 14.*
Pudor ex peccato. *Gen. 37.*

SENTENTIÆ POETICÆ.

Plaut. pœn.
Meretricem pudorem gerere magis decet, quam purpuram;
Magis quidem meretricem pudorem, quam aurum gerere condecet.

Virg. 8. Æn.
Tum pudor incendit vires, & conscia virtus.

Silius 2.
Tum pudor accendit mentem, nec conscia fallit
Virtus pressa loco?

Val. Flac. 1.
Rebus semper pudor absit in arctis.

Sene. Hip. act. 1.
Obstare primum est velle, nec labi via:
Pudor est secundus, nosse peccandi modum.

Proper. 6. 2.
Nam nihil inuitæ tristis custodia prodest:
Quam peccare pudet, Cynthia, tuta sat est.

Ouid. 1. Fast.
Proque metu populum sine vi pudor ipse regebat:
Nullus erat iustis reddere iura labor.

Senec. Agan.
Periere mores, ius, decus, pietas fides
Et qui redire nescit, cum perit pudor.

Val. Flac. 7.
Et non reuocabilis vnquam
Cessit ab ore pudor: propior implevit Erynnys.

Plaut. Bacch.
Nam ego illum perisse dico, cui quidem perijt pudor.

SENTENTIÆ PHILOSOPHICAE.

Metus, & pudor, sunt custodes sufficientes.
Magis placent iuuenes erubescentes, quam pallescentes.
Rubor virtutis color est. *Demosth. de Repub.*
Plures pudore peccandi, quam bona voluntate prohibitis abstinent. *Sen. epist. 84.*
Formam pudor honestat.
Illum ego perisse dico, cui quidem perit pudor. *Curt. l. 6.*
Pudore, modestia ac iustitia omnis ciuilis societas conseruatur. *Dionys. Halicarnass. l. 6.*
Næ simul pudere quod non oportet cœperit, quod oportet nō pudebit. *Liu. Decad. 4. l. 4.*
Euulgatus pudor non satietatem libidinis, sed incitamentum adfert. *Tacitus. Annal. l. 14.*
Quamuis rerum omnium prospero successu, pudore amisso tamen fortunatus quis esse potest, cum, eodem retento, cetera tolerabilia sint. *Aurel. Vict. l. de Cæsarib.*
Pudor sæpe adumbratā bonorum opinione cogitationem in contrariam sententiam deducit. *Procop. de bel. Pers. l. 2.*
Pudor ante omnia ob oculos militum in acie stantium versari debet: hæc vna res enim omnium fortissimos reddit. *Idem, de bell. Vandalic. lib. 2.*

D O I.

Francisci Petrarchæ.

Laudasse arguor indignum. R. Malum quidem quod est bona sæpe oritur radice. Boni enim & innocui, quales ipsi sunt, tales alios opinantur. Hinc ad laudandum, æquo etiam proniores sunt, & quamuis indignum laudare malum fatear, vituperare tamen immerito multo est peius. D. Laudaui indignum. R. Si id sciens reprehensibilis, ac si ignorans excusabilis. Minus est malum falli quam fallere. Falli enim alienum, fallere autem proprium fallentis est crimen. D. Aliena laus in meam vergit infamiam. R. Immo quidem tua vel culpa vel ignorantia. Ex alieno enim vt laus sic infamia nulla est. D. Laudasse indignum valde doleo. R. Vide ergo ne ipsum sæpe doleas. Caue ne temere ad laudandum vituperandumque prosilias. Est enim vtriusque rei libido, & (vt dicam proprie) morbus ac pruritus quidam linguæ mobilis, & inquietis illiciæ, cuius frenum ac custodia inter opera perfectionis eximię numerantur, dicente scriptura. Si quis in verbo non offendit, hic est perfectus vir. Qua in re nimis sæpe fallimini. Et heu: nimis illud eiusdem Apostoli verum sit, quod linguam nullus hominum domare potest, inquietum malum ad mentiendum ergo quotidie vos illa præcipitat, quos hinc suus vrget impetus, inde falsa rerum species trahit. Sunt enim qui aspectu vel eloquio vitia morum tegunt. Quod de Alcibiade accipimus, de multis vidimus. Sunt qui virtutes velo occultant contrario, seu id natura vultus scilicet aut sermonis austeritate insita, seu etiam arte quadam studioque aduersus id quod vulgo concupiscitur adhibito. Nā vt multi qui se bonos, sic aliqui qui se malos fingerent sunt reperti, quod vel humani fauoris pestilentem auram, vel inuisam bonorum temporalium sarcinam declinarent. Quod de Ambrosio lectum est. Accedit amor atque odium. Accedit ira & inuidia, Spes & metus, affectusque animi varij, & occulti, hisque ipsis interdum quorum sunt incogniti, semper autem iudicij veri hostes. Accedit quod ventis laus diuino eloquio propter vitæ mortalis inconstantiam prohibetur, quanto igitur magis vituperatio? Deinceps itaque ad laudandum tardus, ad vituperandum tardior veni, cū vterque enim (vt dixi) malus error sit, peior est vltimus. D. Laudando immeritum erraui. R. Errando discitur: & sæpe error vnus multis obstat erroribus, dumque errasse semel pudet ne similis iterum error obrepat occurritur. Laudasti incaute, linguam frena, hoc boni saltem illi insit malo. D. Indignum laudasse pudet, ac pœnitet. R. Pudor & præsentia, & dolor tesæ sunt, & gradus quidam ad resipiscentiam & salutem. Pauci sunt, qui ad rectum iter, nisi per deuia multa cespitando perueniant. multosque ideo voluptatis seruos in Iuuentute vidimus, qui virtutis amici in senio euaserunt.

APOPHTHEGMATA.

Lycurgus & Gorgo. Quum essent qui vitio darent Lycorgo, quod virgines in pompis ac ludis solemnibus nudas exhiberet oculis omnium, causamque cur id instituisset, requirerent: Vt ijsdem, inquit, cum masculis rationibus institutæ nihilo sint illis inferiores, vel salubritate corporum, vel animorum virtute ac generositate studioque verę laudis, vulgare autem gloriam contemnāt. Vnde tale quiddam fertur de Gorgone Leonidæ vxore. Cū quędam extera mulier illi dixisset, Solæ Lacænæ viris imperatis, respondit, Nimirum solæ viros parimus. Hoc exemplū nec in masculis nec in puellis imitandum censuerim: hactenus tamen conducit vt stultum pudorem, qui frequenter obstat honestis actionibus, ab ætate tenera excutiamus: statimq: discant, nihil esse vere pudendum, præter turpitudinem: Innumeras vero reperias quæ nudatæ vehementer erubescant: si quid præter honestum dixerint, fecerintve, non mutent colorem. Sunt item innumerę: quibus amictus vilior, cultusq; simplicior, genas rubore tingat. contra gloriosum esse ducant, si splendido vestitu prodeāt in publicum, negligentes earum rerum, quæ verum probrum veramque laudem afferant. *P. M. ex Plut. Lacon.*

Diogenes Adolescenti cuidam erubescenti, atque ob id perturbato: Bono animo es, inquit, fili, istiusmodi est virtutis tinctura. *Laert. in eius vita.*

Democritus. Eius præclara sententia hęc est: Malum, etiam si solus fueris, neque dixeris, neque feceris: Disce autem teipsum multo magis quam alios vereri. *Stob. ser. 29.*

Solon dixit, Hospitalem Deum inter homines, qui iusti pudoris participes sunt versari. *Bry. l. 5. c. 21.*

Demetrius Phal. admonebat adolescentes, vt domi parentes, in via obuios, in solitudine reuererentur seipsos. Pudor teneram ætatem optime deterret a peccando: qui nusquā non adest, si quis reuereatur seipsum. *Laert. l. 5. c. 5.*

Diogenes. Cuidam ambienti a Diogene sin Philosophiæ disciplinam recipi, admisso explorandi gratia pernam in via ferendam dedit, seq; iussit sequi. Ille præ pudore abiecto quod gestabat, furtim se subduxit. Aliquanto post forte fortuna illi factus obuius, ridens: Tuam (inquit) ac meam amicitiam perna diremit: Indicans, illū non esse idoneum philosophiæ discipulum: qui stupidum pudorem non posset contemnere. Neque enim turpe est gestare pernam, sed ab honesto recedere turpe est. *Laert. lib. 6.*

Paulus hoc ipsum paulo secus narrat. Quom quidam ambiens esse Diogenis discipulus dixisset illi: Impera mihi Diogenes: admisso in famulitium, caseli frustum portandum dedit. Id quum ille ob pudorem recusaret: Nostram, inquit Diogenes, amicitiam paululum casei diremit. *Brus. lib. 5. c. 27.*

Idem. Cuidam exciderat panis, eum, ut reliquit, quod pude et recipere. Hunc castigare volens Diogenes, iniecto fune collo, traxit vrceum per Ceramicum: hoc faciens in poculo, quod ille in pane facere erubescebat. *Laert. l. 6.*

Agesilaus, cum apud Spartanos Palladi rem diuinam faceret, ac pediculus eum momordisset, rex non auersus, arreptum coram omnibus occidere non erubuit, sed insidiatorem etiam in ipsa ara confodiendum esse duxit. *Plut. in Lacon.*

Demades aiebat, pudorem in muliere pulchritudinis arcem esse. *Stob. serm. 27.*

M. Cato aiebat, sibi magis placere iuuenes, qui rubescerent, quam qui pallescerent: quod rubor arguat probam indolem, pallor nō item. *Plut. in apoph.*

Brutus dicebat, sibi videri eum ætatis florem male collocasse, qui nihil negaret. Inutilis est verecundia, quæ obstat quo minus obsequium, ad inhonesta vocanti. *Plut. in Bruto.*

EMBLEMA.

In Pudoris statuam.

Emblema cxcvi. And. Alciat.

Penelope desponsa sequi cupiebat Vlyssem,
Ni secus Icarius mallet habere pater.
Ille Ithacam, hic esset Spartam manet anxia virgo,
Hinc pater, inde viri mutuus vrget amor.
Ergo sedens velat vultus obnubit ocelles:
Ista verecundi signa pudoris erant.
Queis sibi prælatum Icarius cognouit Vlyssem,
Hocque pudori aram schemate constituit.

PVERITIA.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

Pueritia, Græce παιδικὰς ἡ παιδικὴ ἡλικία, pueriles dicitur. Pueritia, Hebr. *Ialdouth* a verbo *Ialadh*, peperit, genuit. Pueritia est velut in fanti recens in lucem, producta. Pueritia autem modo ætatem puerilem significat, modo pro ... accipitur, Varro, *Ea erat matrona simplicitas, & pueritia, & honestas.* Puerilitas vero non ipsam ætatem ... aliquid puerile significat. Senec. *Qui pueritiam eius seu potius puerilitatem inducere.* Puerasco autem, id est puer fio, & repuerasco, quasi in ... ætatem reuertor, quæ omnia à puer deducuntur, Hebr. Puer *Bahur*, vel *Bachur*, molliore pronunciatione dicitur, nempe iuuenis, & ætatis electæ *Bar*, purus, clarus.

LOCI BIBLICI.

Puella vouens, quatenus votum teneatur, *Num. 30. v. 4. 5.*
Pueri tres de fornace ardenti illæsi exeunt, *Dan. 3. 93.* Pueri Elisæo illudentes, ab vrsis lacerantur, *4. Reg. 2. 24.* puer etenim, qui vult ingredi regnum Dei, *Matth. 18. 3.* puerum amplectitur Christus, *Marc. 9. 37. & 10. 16.* Pueri adducuntur ad Christum, *Matt. 19. 13.* non scandalizandi, *18. 6* Precantur Christo salutem, *21. 15.* Puerorum est regnum cœlorum, *19. 15.* Pueris Angeli custodes adhibiti, *18. 10.*
Pueritia amanda, *Matth. 18. v. 3. 4. 5. 1. Cor. 14. 20.* Pueritia, quæ fugienda, *Ibid.* Pueritia virgis coercenda, *Prouer. 13. 24. & 22. 15. & 23. 13. Hebr. 12. 7.*

SENTENTIAE POETICÆ.

Hor. Art.

Ætatis cuiusque notandi sunt tibi mores,
Mobilibusque decor naturis dandus, & annis.
Reddere qui voces iam scit puer, & pede certo
Signat humum: gestit paribus colludere, & iram
Colligit & ponit temere, & mutatur in horas.

Corn. Gallus.

Diuersos diuersa iuuant: non omnibus annis
Omnia conueniunt: res prius apta nocet.
Exsultat leuitate puer, grauitate senectus:
Inter vtrumque manens stat iuuenile decus.
Hunc tacitum tristemque decet: sit clarior ille
Lætitia, & lingua garrulitate sua.

Ter. Hec. 3. 1.

Pueri inter sese quam pro leuibus noxijs iras gerunt?
Quapropter? quia enim qui eos gubernat animus, infirmum gerunt.
Itidem illæ mulieres sunt ferme, vt pueri, leui sententia.
Fortasse vnum aliquod verbum hanc inter eas iram concinuerit.

Sen. Thy. st.

Tacita tam rudibus fides
Non est in annis: detegent forsan dolos.

Iuuen. 14.

Nil dictu fædum, visuque hæc limina tangat,
Intra quæ puer est: procul hinc procul inde puellæ
Lenonum, & cantus pernoctantis paras, iti.
Maxima debetur puero reuerentia, si quid
Turpe paras, nec tu pueri contempseris annos.

APOPHTHEGMA.

Cato Vticensis cum puer adhuc à Druso auunculo educaretur, Latinique Romam ad Drusum ... plebis eo tempore venissent, de Ciuitate impetranda acturi, Q. Pompeius Latinorū princeps Catonem orauit, vt pro foederis apud auunculum intercederet, vt id quod peterent, facilius impetrarent. Verum Cato puer se facturum hoe negauit, cumque semel it. rumque interpellatus eadem de re, omne denegasset officium, demum Pompeius in excelsam domus partem elatum ... præcipitaturum minatus est, nisi precibus & rogatis flagitatis obtemperaret. Verum eum ciues intelligerent, nec sic puerum moueri potuisse, egregiam eius indolem laudantes alta voce clamarunt, Gratulamur Latini nobis hunc esse tam paruum, quo senatore, ne sperare quidem ei vitatē licuisset. *Historiam refert Plutarchus in Catone, vbi Pompeium Sylonem vocat quem alij Papedium.*

SIMILITVDINES.

Plutarchi. Vt qui è vinculis emittuntur, licentius vagantur, quam ij qui nunquam fuerunt in vinculis: Sic pueritia cum à præceptoris gubernatione soluitur. *In Mor.*

Themist. Vt ad literas ... pueritia promptissima est: & raro in ea promouet adolescentia, nisi fundamentum iecerit pueritia. *In apoph. 7.*

Quemadmodum teneræ plantæ, multa æstate contabescunt: Ita & pueri amorem, quem erga parentes & familiares habent, fere spacio temporis cum adolescunt, mutant. *In apoph. 7.*

PROPHANA EXEMPLA.

Semiramis fœmina illustris, infans pene prius periclitata est, quam in lucem edita: iacuit infans circa Syriæ stagnum, alimoniæ defecta mox interitura, nisi aues alimenta ministrassent. Hinc sublata inter regios pastores alitur: adulta regia fit coniux, demū non modo regnum tenuit, sed insigniter auxit.

Vide Aetas.

PVLCHRITVDO.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

Pulchritudo, Græce καλλονή, ἡ, vel κάλλος, τό & καλλὸς ὁ, pulcher dicitur, Hebr. *Iophi*, pulchritudo, *Prou. 31. v. antepenult. & Psal. 45. 12.* a verbo *Iaphah*, pulcher fuit, venustus, formosus, speciosus, elegans fuit. Cognationem habet cum *Iaphahh*, fulsit, effulsit. Est autem pulchritudo corporis quædam apta figura membrorum, cum coloris quadam suauitate, *secundum Ciceronem libro 4. Tuscul quæst.*

LOCI BIBLICI.

Pulchritudo omnium pulcherrima, Christi Sponsi cœlestis, *Psal. 45. 4. Cant. 1. 16.* pulchritudo Sponsæ Christi, *Psal. 45. 12. Cantic. 1. 8. 10. 15. & 4. 1. 7. 10. & 5. 9. 17. & 6. 3. 9. & 7. 6.* Pulchritudo petulcosa, *Prou. 6. 25.* Pulchra tabernacula Ecclesiæ, *Num. 24. 5.* Vis sapientiæ pulchra, *Prou. 3. 17.* Mulier pulchra, & fatua, *Prou. 11. 22.* Pulchri pedes Euangelizantium, *Esa. 52. 7.* Pulchritudo tabernaculi. *Exod. 26. 31.*

PATRVM SENTENTIAE.

Pulchritudo corporis bonum Dei donum est, sed propterea id etiā largitur malis, ne malum bonum videatur bonis. *August. de ciuit. Dei, lib. 15.*

Iuuenem veteres fabulæ ferunt, cum propter admirabilem oris pulchritudinem in amorem incenderet fœminas, stigmatibus extraxisse vultum suum, eo qua eum amare posset. *Ambr. lib. 3. de Virg.*

SEN-

SENTENTIAE POETARVM.

Hor.lib.Epod.

Fugit iuuentus & verecundus color,
Reliquit ossa pellem amicta lurida.
Tuis capillus albus est odoribus.

Virg.in Bucolic.

O formose puer, nimium ne crede colori:
Alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur.

Ouid.Metam.l.13.fab.28.

Verba Polyphemi ad Galatheam.

Nec mea quod duris horrent densissima setis
Corpora, turpe puta, turpis sine frondibus arbor,
Turpis equus, nisi colla iubæ flauentia velent.
Pluma tegit volucres, ouibus sua lana decori est.
Barba viros, hirtæque decent in corpore setæ.

Idem lib.15.fab.3.

Labitur occiduæ per iter declive senecta.
Subruit hæc æui demoliturque prioris
Robora: fletque Milon senior cum spectat inanes
Illos, qui fuerant solidarum more ferarum
Herculeis similes fluidos pendere lacertos.
Flet quoque vt in speculo rugas conspexit aniles
Tyndaris. & secum cur sit bis rapta, requirit.
Tempus edax rerum, tuque inuidiosa vetustas,
Omnia destruitis, vitiataque dentibus æui,
Paulatim lenta consumitis omnia morte.

Idem Epist.Phædræ ad Hippolytum.

Sint procul à nobis iuuenes vt fœmina compti,
Fine coli modico forma virilis amat.

Ouid.de Arte lib.1.

Forma viros neglecta decet: Minoida Theseus
Abstulit a nulla tempora comptus acu.
Hippolytum Phædra, nec erat bene comptus, amauit,
Cura Deæ siluis aptus Adonis erat.
Munditiæ placeant fuscentur corpora campo,
Sit bene conueniens, & sine labe toga.
Linguaque ne rigeat, careant rubigine dentes,
Nec vagus in laxa pes tibi pelle natet.
Nec male deformet rigidos tonsura capillos,
Sit coma, sit docta barba resecta manu,
Et nihil emineant & sint sine sordibus vngues.
Inque caua nullus stet tibi nare pilus.
Nec male odorati sit tristis anhelitus oris,
Nec lædat nares virque paterque gregis.
Cætera lasciuæ faciant concede puellæ,
Et si quis male vir quærat habere virum.

Idem lib.2.

Forma bonum fragile est quantumque accedit ad annos,
Fit minor, & spacio carpitur illa suo.
Nec semper violæ, nec semper lilia florent,
Et riget amissa spina relicta rosa.
Et tibi iam venient cani formose capilli,
Iam venient rugæ quæ tibi corpus arent.
Iam molire animum, qui duret, & astrue formam:
Solus ad extremos permanet ille rogos.

Idem Trist.l.3.Eleg.7.

Ista decens facies longis vitiabitur annis,
Rugaque in antiqua fronte senilis erit.
Iniicietque manus formæ damnosa senectus,
Quæ strepitum passu non faciente venit?
Cumque aliquis dicet, fuit hæc formosa, dolebis,
Et speculum mendax esse querere tuum.

Iuuenalis Satyr.10.

Filius autem
Corporis egregij miseros, trepidosque parentes
Semper habet, rara est adeo concordia formæ
Atque pudicitiæ, sanctos licet horrida mores
Tradiderit domus, ac veteres imitata Sabinos
Præterea castum ingenium, vultumque modestum
Sanguine feruentem tribuat natura benigna
Larga manu: quid enim puero conferre potest plus
Custode & cura natura potentior omni?
Non licet esse viros: nam prodiga corruptoris
Improbitas ipsos audet tentare parentes.
Tanta in muneribus fiducia, nullus ephebum
Deformem sæua castrauit in arce tyrannus:
Nec prætextatum rapuit Nero loripedem, nec
Strumosum atque vtero pariter gibboque tumentem.
Nunc ergo iuuenis specie lætare tui, quem
Maiora exspectant discrimina, fiet adulter
Publicus & pœnas metuet quascunque mariti
Exigere irati, nec erit felicior astro
Martis, vt in laqueos nunquam incidat. exigit autem
Interdum ille dolor plus quam lex vlla dolori
Concessit, necat hic ferro, secat ille cruentis
Verberibus, quosdam mœchos & mugilis intrat.
Sed tuus Endymion dilectæ fiet adulter
Matronæ mox cum dederit Seruilia nummos,
Fiet & illius quem non amat, exuet omnem
Corporis ornatum: quid enim vlla negauerit vdis
Inguinibus, siue est hæc Hippia siue Catulla?
Deterior totos habet illic fœmina mores.
Sed casto quid forma nocet? quid profuit olim
Hippolyto graue propositum? quid Bellerophonti?
Erubuit nempe hæc ceu fastidita repulsa.
Nec Sthenobœa minus, quam Cressa excanduit, & se
Concussere ambæ: mulier sæuissima tunc est,
Cum stimulos odio pudor admouet.

Publius.

Formosa facies muta commendatio est.

Euripides.

Καλόν τι δυστυχές.

Pulchritudo, res infelix.

Propertius.

Nec forma æternum, nec cuiquam est fortuna perennis.

Tibullus.

Crudeles diui serpens nouus exuit annos;
Formæ non vllam fata dedere moram.

Olymp.Nemesianus.

Donum forma breue est, nec se tibi commodat annis.

Seneca in Herc.Oeto.

Nostra longum forma percurrens iter,
Deperdit aliquid semper, & fulget minus.

Idem in Hippolyto.

Raro forma viris, sæcula prospice,
Impune fuit.

Idem, ibidem.

Anceps forma bonum mortalibus,
Exigui donum breue temporis,
Vt velox celeri pede laberis:
Non sic prata nouo vere decentia
Æstatis calidæ despoliat vapor,
Sæuit solstitio cum medius dies,
Et noctem breuibus præcipitat rotis;
Languescunt folio lilia pallido,
Et gratæ capiti deficiunt rosæ;
Vt fulgor teneris qui radiat genis,
Momento rapitur, nullaque non dies
Formosi spolium corporis abstulit.
Res est forma fugax.

Ibidem.

Res est forma fugax, quis sapiens bono
Confidat fragili? dum licet, vtere:
Tempus te tacitum subruet, horaque.

Menander.

Μὴ κρῖν' ὁρῶν τὸ κάλλος, ἀλλὰ τὸν τρόπον.

Noli iudicare videns pulchritudinem, sed mores.

Ὡς ἡδὺ κάλλος ἦν ἔχῃ νοῦν σώφρονα.

Quam suauis res pulchritudo, quando habet mentem sapientem.

PHILOSOPHORVM ET HISTORICOR.

SENTENTIÆ.

Κάλλος μὲν γὰρ ἢ χρόνος ἀνάλωσεν ἢ νόσος ἐμάρανε.

Pulchritudinem quidem vel tempus consumpsit vel morbus languefacit. *Isocrates ad Demonicum sermo.admonitorio.*

Quod si, vt ait Arist. lynceis oculis homines vterentur, vt eorum visus quæque obstantia penetraret, nonne introspectis visceribus illud Alcibiadis pulcherrimum corpus turpissimum videtur? igitur te pulchrum videri, non tua natura, sed oculorum spectantiũ reddit infirmitas. *Boet.lib.3 pros.8. de Consol.*

Nobilitatis & pulchritudinis species atque consideratio ea vi pollet, vt prædonum ipsorum corda emolliat, moresque efferos ducat in obsequium. *Heliod.l.5.*

Formæ præstantia & excellentia multum addit ad proceritatis speciem. *Idem l.2.*

Pulchritudo neque sub terram occultato latuerit, sed etiam illinc in lucem prodiret. *Eod.l.*

Forma corporis, oris dignitas, frontis grauitas, vultus maiestas fulgor, vigor, ac lumen oculorum, spectantes mouet tenetque, admonet quenam species primi a summo artifice initio rerum

creati

creati hominis fuerit, qualesque quicumque iosti fuerint, futuri sintio illa felici immortalitate. Quod si corporis pulchritudo tâ tieft, vt quodam sui miraculo reliquos afficiat: quid sentiendum est de illa p..lchritudi:e, nempe de iustitia, quæ regem superis fa cit simillimum? *P. Æmil lib* 8.

Magnam vim ha:et ad conciliandam aspicientium beneuolentiam formæ venustas. *P. Iouius in 3. lib.* 4.

Formosos etiam barbaricæ manus verentur: & ad amabilem aspectum immanis oculus mansuescit. *Idem, lib.* 5.

Quid excolis formam? cum omnia feceris, à multis animalibus deco re vinceris. *Sen. in epist.* 125.

Sicut formosa pictura est, cuius nulla pars erat: sic & formosus ho mo, in quo nulla peccati macula est. *Idem in Prou.*

Formæ dignitat aut morbo deflorescit, aut vetustate extinguitur. *Ci. lib.* 4. *Rhet. nouorum.*

Socrates Philosophus vltro etiam suasisse fertur discipulis suis, crebro vt semet in speculo contemplarentur, vt qui eorum foret pulchritudine sibi complacitus, impendio procuraret, ne dignita tem corporis malis moribus dedecoraret: qui vero minus com mendabilem se forma putaret, vt virtutis laude turpitudinem te geret. *Lucius Apuleius de Magia lib.* 1.

Diogenes cum vidisset quendam decorum facie, & moribus inhonestum, ait: O quam bona domus, & malus hospes! *Laert. Diog. de Vita & Morib. Philos.*

Ἐπαινει τὰ καλὰ. *Lauda pulchra. Periander.*

APOPHTHEGMATA.

Agesilaus sciscitatos, cur Spartani comam alerent? Quoniam inter ornamenta, dixit, minimo constat. *Stob. sermone 63. de Pulchritudine.*

Aristoteles dicebat pulchritudinē hominis quauis epistola magis cō mendari. *Stob. eod. serm.*

Idem. Interroganti cur quæ pulchra sunt, amarentur? Cæci, dixit, hęc interrogatio est. *ibid.*

Xenophon. Ignis, inquit, tangentes solum vrit, pulchri vero etiam procul distantes inflammant. Visus enim veluti ansa est capiēdi amoris. *Plut. lib. de amore, apud Stob.*

Plutarchus. Nonne, inquit, hominum natura ex corpore, & anima composita est? An vero alterutrum nobit sufficit? Sed quomodo id fieri posset? Corpus enim nisi anima vireretur, non viueret: neque anima existeret, nisi haberet cui inniteretur. Cum igitur vtraque cognatis sibi virtutibus ornentur, anima quidem, iustitia, temperantia, prudentia: corpus autem viribus, forma, sanitate: an non admiratione dignum fuerit, corporeis neglectis, solius animæ bona recensere? *Stob. serm.* 63.

Idem. In speculo, inquit, te contemplare: & si pulcher appareas, ea fac quæ decent pulchrum: sin deformis, id quod faciei deest, honestate morum supple. *Ant. & Max. serm. de pulchritudine.*

Lucippe. Pulchritudo, inquit, acutius telo vulnerat, & per oculos in animam defluit. *Eod. serm.*

Diogenes. Pulchros & eosdem imperitos alabastris acetum continentibus similes esse dicebat. *ibid.*

Eteocles, cuidam ob pulchritudinem glorianti, dixit: Non pudet te superbire ob speciem pulchram, tibi ad exiguum tempus commissam. *ibid.*

Isocrates. Si pulchrum tibi corpus est, inquit, & anima mala, bonam nauim habet, & malum gubernatorem. *Eod. serm.*

EXEMPLA BIBLICA.

Pulchritudinis *exempla*: Sarai, *Gen.* 12. v. 11. 17. Filiæ hominum, 6. v. 2. Rebecca, 24. v. 16. & 26. 7. Rachel, 29. 17. Ioseph, 39. v. 6. & 49. v. 22. Moyses, *Exod.* 2. v. 2. Noemi, hoc est pulchra, *Ruth* 1. 29. Saul, 1. *Sam.* 9. 2. & 10. 24. Dauid, 16. 12. 18. & 17. 42. Abigail, 25. 3. Saul & Ionathas, 2. *Sam.* 1. v. 23. Ionathas, v. 26. Bersabee, 11. v. 2. Thamar Absalonis soror, 13. 1. Thamar Absalonis filia, 14. 25. Absalon, v. 25. 26. Abisag, 1. *Reg.* 1. 4. Adonias, v. 6. Vasthi, *Esth.* 1. *ver.* 1. Esther, *Esth.* 2. 7. Iudith, *Iudith* 8. 7. Filiæ Iob, *Iob* 42. 13. Daniel & socij eius, *Dan.* 1. v. 4.

Vide Forma.

PVNITIO.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Punitio est actus puniendi, Græce κόλασις, τιμωρία, & κολάζω puniò dicitur. Punitio in quantum pertinet ad iustitiam publicam, est actus iustitiæ commutatiuæ, vindicatiuæ vero in quantum pertinet ad immunitatem personæ singularis. *Ex D. Thom.* 2. 2. *q.* 80. *ar.* 1. Pro punio poenio, quasi poena afficio, dicebant veteres. Hinc impune, quod est sine poena, & impunitas. Seneca: *Quippe do..to..rum impunitas homines audaciores reddit ad malum.* Hinc pœna & pœnitentia, *de quibus supra.*

SENTENTIAE BIBLICAE.

Punitio Diuina fit quandoque per Angelos.

Factum est igitur in nocte illa, venit Angelus Domini, & percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia. 4. *Regum* 19.

Confestim percussit eum Angelus Domini, eo quod non dedisset honorem Deo: & consumptus à vermibus, expirauit. *Actorum* 12.

Per homines.

Væ Assur: virga furoris mei, & baculus ipse est. In manu eius indignatio mea. Ad gentem fallacem mittam eum, & contra populū furoris mei, mandabo illi, vt auferat spolia, & diripiat prædam, & ponat illum in conculcationem, quasi lutum platearum. Ipse autem non sic arbitrabitur, & cor eius non ita æstimabit: sed ad conterendum erit cor eius. *Esa.* 10.

Fili hominis, Nabuchodonosor Rex Babylonis seruire fecit exercitum suum seruitute magna aduersus Tyrum: & merces nō est red dita ei, neque exercitui eius de Tyro, pro seruitute qua seruiuit mihi aduersus eam. Propterea hæc dicit Dominus: Ecce: ego dabo Nabuchodonosor regem Babylonis in terra Aegypti, & accipiet multitudinem eius, & deprædabitur manubias eius, & erit merces exercitui illius, & diripiet spolia eius. *Ezech* 29.

Punitio malorum necessaria.

Maleficos non patieris viuere. *Exod.* 22.

Tolle cunctos principes populi, & suspende eos contra Solem in patibulis, vt auertatur furor meus ab Israel. *Num.* 25.

Impijs & peccatoribus reddet vindictam. *Eccl.* 12.

Noui opera tua, & fidem, & charitatem tuam, & ministerium, & patientiam, & opera tua nouissima plura prioribus. Sed habeo aduersus te pauca, quia permittis mulierem Iezabel, quæ se dicit prophetam, docere, & seducere seruos meos, fornicari, & manducare de idolothytis. *Apoc.* 2.

Ordinata.

Non occidentur patres pro filijs, nec filij pro patribus: sed vnusquis que pro peccato suo morietur. *Deut.* 24.

Maledictus qui accipit munera, vt percutiat animam sanguinis innocentis. 27.

Per quæ quis peccat, per hæc & torquetur. *Sap.* 11.

Verum sine iudicio nihil facias graue. *Eccl.* 33.

Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat. *Ioan.* 8.

Non haberes potestatem aduersum me vllam, nisi datum tibi esset desuper, ait Dominus Pilato. 19.

Fructifera.

Pestilente flagellato, stultus sapientior erit: si autem corripueris sa pientem, intelliget sapientiam. *Prou.* 19.

Liuor vulneris absterget mala, & plagæ in secretioribus ventris. *Prou.* 20.

Mulctato pestilente sapientior erit paruulus. 21.

Peccantes coram omnibus argue, vt cæteri timorem habeant. 1. *Timoth.* 5.

PATRVM SENTENTIAE.

Pœna episcopalis iudicij in Ecclesia nulla maior est. *Aug. & hab.* 24. q. 3. *can. Corripiantur.*

Quid ergo ait, contra Dominum cogitatis? ipse est qui creauit mundum, & consummationem eis faciet? Quod si vobis videtur crudelis, & rigidus, & cruentus, quod in diluuio genus deleuit humanum, super Sodomam & Gomorrham ignem & sulphur pluit; Aegyptios submersit in fluctibus, Israelitarum cadauera prostrauit in eremo: scitote eum ideo ad præsens reddidisse supplicia, ne in æternum puniret. *Hier. in Nahum proph. & hab.* 23. *quæst. can. Quid ergo.*

Achab Rex impijssimus vineam Nabuthæ cruore possedit: & cum Iezabel non tam coniugio sibi, quam crudelitate coniuncta Heliæ increpatione corripitur. Ad eumdem hæc dicit Dominus; Occidisti, & possedisti. Et iterum: in loco quo linxerunt canes sanguinem Nabuthæ, illi lingent sanguinem tuum, & Iezabel canes comedent, ante muros Israel. Quod autem eum audisset Achab, scidit vestimenta sua, & posuit saccum super carnem suā, & ieiunauit, & dormiuit in cilicio. Factus est sermo Domini ad Heliam dicens: Quia reueritus est Achab faciem meam, non inducam malum in diebus eius. Vnum scelus & Achab, & Iezabel commiserunt: sed tamen conuersus Achab ad pœnitentiam, pœna differtur in posteros, & Iezabel in scelere perseuerans, præsenti condemnatur iudicio. *Hieron. ad Rusticum, & hab. de pœn. dist.* 3. *c. Achab.*

Dominus priora delicta recentibus pœnarum exemplis cauenda monstrauit. *Hier. & hab.* 24. *q.* 1. *c. Non afferamus.*

Iniustus

Iniustus quisque eo atrocius in tormentis obruitur, quo altius peccatis eleuatur, transit quod extollitur, permanet quod punitur. Qui honoratur in via, in peruentione damnabitur, & quasi per amœna prata ad carcerem peruenit, qui per præsentis vitæ prospera ad interitum tendit. *Greg. lib. 6. Moral.*

Iustum est, vt quos culpa simul inquinat, par etiam pœna astringat, & qui nequaquam dispari sunt iniquitate polluti, nequaquã tormento crucientur dispari, quatenus simul damnatio cōterat, quos similis elatio subleuabat.

Horrendo modo fit miseris mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu, quia & mors semper viuit, & finis semper incipit, & deficere defectus nescit. Mors perimit, & non extinguit: dolor cruciat, sed nullatenus pauorem fugat: flamma comburit, sed nequaquam tenebras excutit. *Greg. lib. 9. Mor.*

Pœna præsens, quæ iniusti animum à prauis desiderijs mutat, ab æternis supplicijs nō liberat quos mutat: nam quem præsentia mala non corrigunt, ad sequentia perducunt. *Greg. l. 15. Moral.*

Contra Dominus ad Moysen: Ego sum Deus zelotes, qui visito peccata patrum in filios, vsque in tertiam & quartam generationem, licet non in æqualitate iudicij, sed magnitudine clemētiæ. *Greg. lib. 20. Mor. & hab. 1. q. 4. can. Homini.*

Ad districti iudicij iustitiam pertinet, vt numquam careant supplicio, quorum mens in hac vita numquam voluit carere peccato, & nullus detur iniquo terminus vltionis, quia quamdiu valuit, habere noluit terminum criminis. *Idem lib. 30. Moral.*

Quia sunt culpæ in quibus culpa est relaxare vindictam: quærenda semper est veritas, vt inquiri debeat vtrum accusatum noxa condemnet, an à pœna innocentia patefacta subducat. *Gregor. & hab. dist. 28. can. Quia.*

Iustius est enim iniustum iuste euadere, quam iustum iniuste puniri: quia reus etsi semel euaserit, si semel perierit, iam non potest reuocari. *Ioan. Chrys. super Matth. c. 1.*

Noui & plurimi solam pertimescunt gehennam: ego autem illius gloriæ amissionem, multo amarius, quam ipsius gehennæ dico esse supplicium horribile. Mille quis ponat gehennas, nihil tale dicturus est, quale est a beatæ illius gloriæ honore expelli, & esse exosum Christo. *Idem super illud Matt. 6. Excedetur & in ignem mit.*

Ob hoc inflexibilis, & obstinatæ mentis malum punitur æternaliter, licet temporaliter perpetratum: quia quod breue fuit tempore vel opere, longum esse constat in pertinaci voluntate: ita vt si numquam moreretur, numquam peccare desineret: imo semper viuere vellet, vt semper peccare posset. *Bern. Epist. 253.*

Iuste puniuntur, qui licitis abutuntur, iustius vero puniuntur, qui aliena rapere conantur: sic satanas cœlum, sic protoplastus perdidit paradisum. *Hugo lib. 2. de Anima.*

Occultam culpam sequitur aperta percussio, vt malis exterioribus interna puniantur, & cor publice corruat, quod latenter peccabat. *Cassiod. super Psal. Dixit insipiens.*

Non ergo illi, quos monemus agere pœnitentiam, quærant sibi comites ad supplicia, nec gaudeant, quia plures inueniant sibi similes: Nam propterea non minus ardebunt, quia cum multis ardebunt. *August. de pœn. & hab. 2. q. 1. can. Multi corriguntur, §. Non ergo.*

Dicta Poetarum.

Lucanus lib. 5. Pharsaliæ.

Quicquid multis peccatur inultum est.

Horat. serm. lib. 1. Satyra 3.

Adsit

Regula peccatis, quæ pœnas irroget æquas,

Nec scutica dignum horribili sectere flagello.

Horat. Epist. lib. 1. Epist. 17.

Oderunt peccare boni virtutis amore:

Oderunt peccare mali formidine pœnæ.

Iuuenalis Satyra 2.

Sed illos

Defendit numerus iunctæque vmbone phalanges.

Sententiæ Philosophicae.

Lento enim gradu ad vindictam sui diuina procedit ira, tarditatemque supplicij grauitate compensat. *Val. Max. lib. 1.*

Et pœnam semper ante oculos versari putent, qui peccauerunt. *Cic. pro Milone.*

At vero scelerum in homines, atque impietatum nulla expectatio est, itaque pœnas luunt non tam iudicijs, quæ quondam nusquã erant, hodie multifariam nulla sunt, vbi sunt ficta, tamen persæpe falsa sunt, vt eos agitent, insectenturque furiæ non ardētibus tædis, vt in fabulis, sed angore conscientiæ, fraudisque cruciatu. *Cic. lib. 1. de Legib.*

Sceleris etiam pœna tristis, & præter eos euentus qui sequuntur, per se ipsa maxima est. *Idem lib. 2. de Legib.*

Noxiæ par pœna esto, vt in suo vitio quisque plectatur. *Idem lib. 3. de Legib. in fine.*

Etenim nec domus, nec respublica, ratione quadam & disciplina designata videatur: si in ea nec recte factis præmia extent vlla, nec supplicia peccatis. *Idem l. 3. de Nat. Deor.*

Conspiratorum, ac sceleratorum, etsi paucitas contemni possit, tamen pertinacia magna pœna afficienda est, ne malo exemplo cæteri moueantur. *Paulus Oros. l. 8.*

Boni pastoris est, tondere pecus, non deglubere. *Suetonius in Tiberio.*

Satis pœnarum est potuisse puniri, grauis tamen pœna est, quod post facti pœnitet. *Seneca in Prouerbijs.*

Oportet bonos prouocare ad virtutes per præmia, malos autem per pœnam, insanabiles totaliter exterminare. *Aristot. lib. 10. Ethicorum.*

Communis omnium lex affirmat, iustè puniri hostem, qui te prior inuasit. *Thucyd. l. 3.*

Multum ad coercendam audaciam valet propositum punitionis exemplum, cum ipsa miseri præsens forma viuentis, & ad recordationem admonere conscios, & ad sciscitationem cogit ignaros. *P. Oros. hist. lib. 6. c. 11.*

Adagia.

Tibicen vapulat. *ὅτι ἀτύχει μάγειρος ἀδικήσας, τὸν αὐλητὴν λαβεῖν πληγάς.*

Id est: quicquid coquus peccauerit, tibicen accipere solet plagas. Nullus homo læso indemnis euasit coquo. Athenæus.

Canis vindictam.

Subaudiendum passus est: Macedonicum adagium in eos, qui præter expectationem pœnas dant ijs, quos aliquando læserunt.

Exempla Biblica.

Punitionis homicidarum *exempla:* Cain, *Genes.* 4. 11. *&c.* Simeon & Leui, 49. 5. Zebah & Salmunna, *Iudic.* 8. 19. Amalechita Saulis interfector, 2. *Sam.* 1. 15. 16. Baana & Rechab, 4. 10. 11. Fames propter Saulis homicidium, 21. 1. Ioab, 1. *Reg.* 2. 31. Achab, 20. 18. 19. Ioram, 2. *Reg.* 9. *v.* 24. 25. 26. Achab & Iezabel, 9. 7. 10. 35. filij Achabi homicidæ, 10. *vers.* 7. Athalia, 11. 16. 20. serui Amasiæ, 14. 6. Phacee, 15. *v.* 30. Ioachim, 24. 2. 3. 4. Sennacherib, 2. *Paral.* 32. 21. Andronicus, 2. *Machab.* 4. 34. 37. Antiochus, 9. 28. Nicanor, 15. 30. Herodes Agrippa, *Act.* 12. 13. Homicidij lex, *Exod.* 21. 12. *Num.* 35. 16. Homicidij vltor Deus, *Genes.* 9. *v.* 6.

Vide Pœna, Vltio.

PVSILLANIMITAS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Pusillanimitas, Græce *ἀνανδρία, μικροψυχία, ας, ἡ, & μικρόψυχος, καὶ ἄνανδρος* pusillanimis dicitur. Est autem pusillanimitas, vitius opposita magnanimitati per defectum, quia deficit pusillanimis à proportione suæ potentiæ, dum recusat in illud tendere, quod est commensuratum suæ potentiæ.

Pusillanimitas est contraria magnanimitati secundum defectum, præsumptio autem secundum excessum, ideo vtraque est peccatum. *Ex B. Thom.* 2. 2. *q.* 130.

Pusillanimitas, *secundum Arist.* est vitium quo impotentes videntur animi, ad felicitatem infelicitatemque, honorem, & dedecus sustinendum.

Sententiae Biblicae.

Pusillanimitas vituperabilis.

Noli esse pusillanimis in animo tuo. *Eccl.* 7.

Dicite pusillanimis, confortamini, & nolite timere. *Esa.* 35.

Consolamini pusillanimes. 1. *Thess.* 5.

Pusillanimorum *exempla:* Loth, *Gen.* 19. 19. Israelitæ, *Exod.* 14. 10. & 20. 19. Exploratores, *Num.* 13. 29. Saul, & populus, 1. *Sam.* 17. 11. & 28. 5. Roboam, 2. *Chron.* 13. 7. Ephraimitæ, *Esa.* 7. 2. Apostoli, *Matth.* 8. 26. Petrus, *Matth.* 14. 30. & 26. 58. Discipuli, *Matt.* 26. 56. Iuuenis, *Marc.* 14. 52. Nicodemus, *Ioann.* 3. 1. Cæci nati parentes, *Ioan.* 9. 22. Principes Iudæi, *Ioan.* 12. 42.

Sententiae Patrum.

Segnissimi est torpere, cum se ad profectum cognoscat inuitatum esse. *Cass. l. 1. Epist. 1.*

Deiectæ mentis est, qui familiaris rei meminit, quum vocatur ad regnum animus plumbeum asinulum thesauris regalibus anteponit, pauper sensus, qui panis incumbens perdit magna, & inhiās temporalibus perdit sempiterna. *Petr. Chrysol.*

Remissio quæ os prælati obstruit, quæ mentem eius deijcit, quæ adulatorem, & venditorem olei facit, dum sibi quietem, & honorificentiam venatur in fauorem principum, hæc miseros præcipitat in foueam scandalorum: hæc est remissio, per quam vnus ædificat parietem, & alius linit: per quam laudatur peccator in desiderijs animæ suæ, & iniquus benedicitur, imo per hanc canes muti non valentes latrare per consensus vniformitatem, faciem & similitudinem peccatorum assumunt, sicut scriptum est:

Vsquequo

Vsquequo iudicatis iniquitatem, & facies peccatorum sumitis? *Petr. Chrys. in quadam epist.*

Sententiæ Philosophicæ.

Qui bellum inferunt ijs quibus præesse se dignos putant, si spe frustrati, & sua quam præsumpserant opinione infirmiores succumbunt, horum mox animus, sicut antea supra vires, ita post modú infra vires est. *Thucyd. lib. 7.*

Talibus acceptis responsis, Romani nō abiecerunt animos, id quod solet ijs accidere, qui magnum aliquod bellum suscipiunt, & qui nullam auxiliorum spem habent. *Dionys. Halic. lib. 5.*

Qui nimia dominandi libidine, plura quam retinere possit amplectitur, minime laudandus est: verum haud minus vituperandus is est, qui nimia suspicione, & formidine seipsum magnis occasionibus, multis periculis, ac magno labore partis despoliat. Imo, quamuis vterque error sit grauissimus, magis vituperandum in magno principe est illud consilium, quod ex timore, & animi infirmitate, quam quod ex generositate magnitudineque animi proficiscitur: & laudabilius est cum periculo, immodica parare conari, quam periculi fuga rarissimas occasiones corrumpere. *Fr. Guicciard. hist. lib. 16.*

Contentus esto negocijs, quæ defendisti, nec luctare cum officio, quod semel cœpisti. Turpe oneri cedere. *Senec.*

Pusillanimitatis est non honorem, nec ignominiam, nec felicitatem, nec infortunia posse ferre, sed honoratum intumescere, & leui successu prospero auctum efferri, ignominiam autem ne minimam ferre posse, aberratio vero est infortunium non dijudicare magnum, conqueri de omnibus, & ægro animo ferre: præterea talis, vt omnes neglectus contumeliam, & ignominiam vocet etiam per imprudentiam, & obliuionem admissos, quam eon comitantur sordes, querimonia, diffidentia, humilitas. *Aristot. de virtut.*

Pusillanimus est paruorum membrorum, paruorum articulorum, macer, paruorum oculorum, & paruæ faciei, qualis fuit Leucadius Corinthius. *Arist. physiogn. c. 6.*

Pusillanimus est, qui minoribus se dignum, quam sit, esse arbitratur. *4. Ethic. c. 3.*

Pusillanimus est intelligens, & talis opinio peiorem ipsum reddit, ab honestis enim actionibus, & studijs vt indignus, & ab externis bonis abstinet. *Idem ibid. c. 3.*

Pusillanimi sunt, qui se submittunt, & magis, quam par est, abijciunt. *Mag. Mor. 1, c. 23.*

Pusillanimitas est vitium animæ, per quod neutram possunt formā ferre, nec honorem, nec ignominiam. *Idem de virtut.*

Exempla Profana.

Domitianus Cæsar oblatum à senatu nouum, & inexcogitatum honorem, quamquam omnium talium appetentissimus metu insidiarum recusauit, quo decretum erat, vt quoties gereret consulatum equites Rom. quibus sors obtigisset, trabeati, & cum hastis militaribus præcederent eum, inter lictores apparitoresque. *Suet.*

Ludouicus XI. Gallorum Rex Cotterij medici obiurgationes, quas vix mediastinus ab impotente domino ferret, tam stupida tulit patientia: vt qui erga omnes tyrannum se gerebat, medici mancipium esset: cuius arte se immortalem fore, stultissimus homo sperabat. *Phil. Cominaeus.*

Perseus Macedoniæ Rex à L. Paulo Aemilio captus, tam humilem se gessit, & contemptum, vt instar serui ad pedes victoris sese abiecerit, hocque ipso Aemilij victoriam per se splendidam, ignauiæ suæ ostentatione offuscarit. *Plut. in Æmil.*

Cn. Pompeius clade Pharsalica accepta, magnum se non esse amplius recordans, attonito similis, à castris absque comitatu se lento gradu ad mare contulit, pristini decoris, & magnanimitatis penitus oblitus. *Plut.*

Vide Magnanimitas.

FINIS LIBRI DECIMIQVARTI.

POLYANTHEAE NOVISSIMAE LIBER XV.

Q

QVÆSTIO.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Quæstio, Græce ζήτημα, ἀπορία, & ζητημάτιον τὸ, quæstiuncula dicitur. Quod quadrupliciter, scilicet, An est, Quia est, Quid est, & Propter quid est. Et duæ primæ reducuntur in eamdem, & aliæ duæ in vnam aliam. *Ex B. Thom. super 7. Met. lect. 5. 6. & Posteriorum lib. 2. lect.* 10. Dicitur autem quæstio a quæro, quod nihil aliud est, quam quærendo res aliqua inuestigare.

A quæro dicuntur quæstores, qui præpositi sunt pecuniæ publicæ quærendæ, hi & vectigalia exigunt, & ærarij curam habent. Hi aliquando rebus capitalibus præerant, & hi quæstores parricidij dicebantur, quorum lex 12. tabularum mentionem facit. Virgil. *Quæsitor Minos vrnam mouet.* Item à quæstus fit diminutiuum quæsticulus, quod significat lucellum, hoc est, paruum lucrum.

Quæstio, Hebræis *Koker*, Scrutatio, Scrutinium, inquisitio ad fundum vsque, a verbo *Kakar*, Perscrutatus est ad imum vsque, quæsiuit diligenter, perquisiuit vsque ad fundum, peruestigauit funditus. Scrutatus est negocij fontes, perscrutatus est todefincrtet. Sæpe dicitur de cordis inuestigatione. Cognationem habet cum verbo *Kor*: effodit, perfodit venam fontis. Quærendo enim & accurate inuestigando, reperitur veritas rerum. Hinc Gr. *κύρ, κυαρ* cor.

Loci Biblici.

Quæstiones variæ, & earum solutiones: Quæstio de vera Dei adoratione, *Ioann.* 4. 20. 21. 23. de cuiusdam cæcitatis causa, 9. 2. 3. de modo quo sit Christus conceptus à Maria, *Luc.* 1. 34. 31. An Iesus sit Christus, 22. 67. 69. 70. *Ioan.* 10. 24. 25. 26. 27. An sit Filius Dei, *Matth.* 22. 42. 43. 44. 45. *Marc.* 12. 45. *Luc.* 20. 42. 43. 44. de Christi discessu, *Ioan.* 13. 36. de carnis Christi manducatione, *Ioan.* 6. 52. 61. 62. 63. de vulgi opinione de Christo, *Matth.* 16. 13. 14. 15. 16. 17. *Marc.* 8. 27. *Luc.* 9. 18. de Christi potestate, *Matth.* 21. 23. *Marc.* 11. 28. 29. 30. 33. *Luc.* 20. 1. 3. 4. 7. 8. de Elia venturo, *Marc.* 9. 11. 12. 13. de gentibus, *Act.* 11. 3. 4. 17. de ieiunio, *Matth.* 9. 14. 15. *Marc.* 2. 18. 19. *Luc.* 5. 33. 34. de Ioannis baptismate, *Matth.* 21. 25. 27. *Marc.* 11. 30. 32. *Luc.* 20. 4. de Ioannis persona, *Ioan.* 1. 19. 20. 21. 22. de libertate, 8. 33. 34. 36. de præcipuo Legis mandato, *Matth.* 22. *v.* 36. 37. 38. *Marc.* 12. 28. 29. 30. de numero saluandorum, *Luc.* 13. 23. 24. de operibus Dei, *Ioan.* 6. *vers.* 28. 29. de potestate Apostolis collata, *Act.* 4. 7. 8. 10. de præmio discipulorum Christi, *Matt.* 19. 27. *Mar.* 10. 28. 29. 30. de Iudæorum purificatione, *Ioan.* 3. 25. 26. 27. de hominis regeneratione, *Ioan.* 3. 4. 5. 6. de restituendo Israelis regno, *Act.* 1. 6. 7. de primatu Apostolorum, *Matth.* 18. 1. *&c.* de futuro resurrectionis statu, 22. 28. 29. 30. *Marc.* 12. 23. *Luc.* 20. 33. quomodo resurgant mortui, 1. *Cor.* 15. 35. 36. num sabbathis benefacere liceat, *Luc.* 6. 9. 10. *&* 14. *v.* 3. 4. 5. de templi destructione, *Matth.* 24. *v.* 2. 3. 4. *Marc.* 13. 4. 5. de tributo petendo, & soluendo, *Matth.* 22. 17. 18. 20. 21. *Luc.* 2. 22. de instituenda vitæ ratione, *Luc.* 3. 10. 11. de vita æterna possidenda, *Matth.* 10. 16. 17. *Marc.* 10. 17. 18. 19. 20. 21. *Luc.* 20. 25. 26. 27. 28. de vxore relinquenda, *Matth.* 19. 3. *Marc.* 10. 2. 3. 4. 5. 10. 11. 12.

Quæstiones contentiosæ, vanæ, ac inutiles euitandæ, *Rom.* 14. 1. 2. *Cor.* 15. 3. 2. *Phil.* 2. 14. 1. *Tim.* 1. 4. *&* 6. 4. 2. *Tim.* 2. 14. 23. *Tit.* 3. 9. *Vide & Gen.* 3. 1. 6. *Prou.* 25. 27. *Eccl.* 7. 11. *Eccl.* 3. 1. *Matth.* 24. 3. *Ioann.* 6. 52. *&* 21. 21. *Act.* 1. 6. Quæstionarij descripti, 1. *Tim.* 6. 4. 5.

Sententiæ Philosophicae.

Quid boni est, nodos operose soluere, quos ipse vt solueres feceris? Sed quemadmodum quædam in oblectamentum, ac iocum sic alligantur, vt eorum solutio sit imperito difficilis, quæ ille qui implicuit sine vllo negocio separat, quia eorum difficultas eorum, & moras nouit; & nihilominus illa habent aliquam voluptatem, tentant enim acumen animorum, & intentionem excitant: ita hæc quæ videntur callida, & insidiosa, securitatem, torporem, ac segnitiem ingenijs auferunt, quibus modo campus in quo vagentur sternendus est, modo scabri aliquid & confragosi obijciendum, per quod crepant, & sollicite vestigium faciant. *Senec. de benef. lib. 5. cap.* 12.

Hoc me quærere, vtrum maior ætate fuerit Homerus an Hesiodus, non magis ad rem pertinet, quam scire, an minor Hecuba fuerit, quam Helena: & quare tam male tulerit ætatem? Quid, inquam, annos Patrocli, & Achillis inquirere ad rem existimas pertinere? Quæris Vlysses vbi errauerit, potius quam efficias neoos semper erremus? Non vacat audire vtrum inter Italiam, & Siciliam iactatus sit, an extra notum nobis orbem; neque enim potuit in tam angusto error esse tam longus. Tempestates animi nos quotidie iactant, & nequitia in omnia Vlyssis mala impellunt: non deest forma, quæ sollicitet oculos, non hostis: hinc monstra effera, & humano cruore gaudentia: hinc insidiosa blandimenta aurium: hinc naufragia, & tot varietates malorũ. Hoc me doce quomodo patriam amem, quomodo vxorem, quomodo patrem, quomodo ad hæc tam honesta, vel naufragus nauigem. Quid inquiris, an Penelope impudica fuerit, an verba sæculo suo dederit, an Vlyssem illum esse quem videbat, antequam sciret, suspicata sit? Doce me, quid sit pudicitia, & quantum in ea bonum, in corpore, an in animo posita sit. *Senec. epist.* 88.

Ad musicum transeo. Doces me, quomodo inter se acutæ, ac graues voces consonent, quomodo neruorum disparem reddentium sonum fiat concordia. Fac potius, quomodo animus secum meus consonet, nec consilia mea discrepent. Monstras mihi qui sint modi flebiles: monstra potius, quomodo inter aduersa non emittam flebilem vocem. Metiri me Geometres docet latifundia, potius doceat, quomodo metiar quantum homini sit satis. Numerare docet me Arithmetica, & auaritiæ commodare digitos, potius doceat, nihil ad rem pertinere istas computationes, non esse feliciorem, cuius patrimonium tabularios lassat, imo quam superuacua possideat, qui infelicissimus futurus est, si quãtum habeat, per se computare cogatur. Quid mihi prodest, scire agellum in partes diuidere si nescio cum fratre diuidere? Quid prodest colligere subtiliter pedes iugeri, & comprehendere etiã si quid decempedam effugit, si tristem me facit vicinus potens, & aliquid ex meo abradens. Doces me, quomodo nihil perdam ex finibus meis? at ego discere volo, quomodo totos hilaris amittam. *Ibid.*

Paterno agro, inquis, & auito expellor, quid? Ante auum tuum quis istum agrum tenuit? Cuius, non dico hominis, sed populi fuerit, expedire potes? Non dominus in isto, sed colonus intrasti. Cuius colonus es? si bene tecum agitur, hæredis. Negant iurisconsulti quicquam vsucapi, quod publicum est. Publicum est hoc, quod tenes, & quidem generis humani. O egregiam artem? scis rotunda metiri, in quadratum redigis quamcumque acceperis formã; interualla siderum discis: nihil est, quod in mensuram tuam non cadat. Si artifex es, metire hominis animum. Dic quam magnus sit: Dic quam pusillus sit. Scis quæ recta sit linea: quid tibi prodest, si quid in vita rectum sit ignoras? *Ibid.*

Vento nunc ad illum, qui cœlestium notitia gloriatur.

Frigida Saturni sese quo stella receptet,
Quos ignis cœli Cyllenius erret in orbes.

Hoc scire quid proderit? vt sollicitus sim, cum Saturnus, & Mars ex contrario stabunt, aut cum Mercurius vespertinum faciet occasum vidente Saturno. Potius hoc discam, vbicumque sunt ista, propria esse, non posse mutari. Agit illa continuus ordo fatorum, & ineuitabilis cursus. Per statas vices remeant. Effectus rerum omnium aut mouent, aut notant. Sed siue quicquid euenit faciunt, quid immutabilis rei notitia proficiet? siue significant, quid refert prouidere, quod effugere non possis? Scias ista, nescias, fient.

Si vero solem ad rapidum stellasq; sequentes
Ordine respicias, nunquam te crastina fallet
Hora, nec insidijs noctis capiere serenæ.

Satis abundeque prouisum est, vt ab insidijs tutus essem. Numquid me crastina non fallit hora? fallit enim quod nescienti euenit.

nit. Ego quid futurum sit, nescio: quid fieri possit, scio. Ex hoc nihil desperabo, totum expecto. Si quid remittitur, boni consulo. Fallit me hora, si parcit: sed nec sic quidem fallit. Nam quemadmodum scio omnia accidere posse, sic scio & non utique casura. Utique secunda expecto, malis paratus sum. *Idem. ibid.*

Prudentiæ est, rusticos non curiosis intricare quæstionibus, sed fiere, ve simpliciter beati fiant. Nam quantæ vecordiæ est eos commouere, & excitare, vt de controuersis articulis, circa religionem & fidem censuram ferre velint? Quid autem ederis, vestite in his rebus moderationem conseruet, qui præter ligonem, stiuam, & mertem vitam nihil nouit? *G. Pachymer. hist. lib. 5.*

S I M I L I A.

Plutarchi. Vt qui clave velit secare ligna, securi aperire ostium, vtrumque vsu sese priuat: Sic qui dicentem alienis, ac friuolis quæstiunculis perturbant, non solum nullum capiunt fructum ex his quæ dicuntur, verum etiam mali viri opinionem, atque odium lucrifaciunt. *In Moral.*

Vt apud Homerum Vlysses ridetur à procis, quod panis frustula peteret, non enses, neque lebetes: ita magis ridendi sunt, qui disserenti quæstiunculas objiciunt. *In Moral.*

Simiæ ludicris delectantur, & prætereuntes ridiculis saltationibus detinent: Ita Sophistæ leuibus quæstionibus cum veritati tùm bonis viris passim illudunt. *Anonym.*

H I E R O G L Y P H I C V M.

Canis obuios allatrans est impuri sycophantæ imprudentisque quæstionarij, & clamosi *rabulæ* hieroglyphicon.

Vide Disputatio.

QVÆRERE DEVM.

LOCI BIBLICI.

Deus est quærendus. *Deut. 4. 29.* vide Deus.

Quæritur Deus, *1. Sam 13. 14. Iob 7. 21. & 10. 6. & 31. 14. Psal. 159. 176. Esa. 62. 12 & 65. 5. Ierem. 50. 20. Ezech. 22. 30. Zachar. 12. 9. Malac. 2. 15. Ioan. 8. 50.*

Quærit Ecclesia Christum sponsum, *Cantic. 3. 1. 2. & 5. versicul. 6. 17.*

Quærit homo Deum, *1. Cor. 16. 10. 11. Psal. 9. 15. & 24. 6. & 69. 7. 33. & 70. 5. Esaia 75. 1. Lament. 3. 25. Dan. 2. 58. Ose. 3. 5. & 5. 6. 14. Malac. 3. 1. Rom. 10. 20.*

Quærit homo hominem, aliam rem creatam, vel arte factam, negocium, &c. *Gen. 37. 15. 16. Exod. 4. 19. 1. Sam. 9. 3. 5. Reg. 1. 2. Esther 2. 2. 15. Psal. 37. 10. 32. 36. Prou. 2. 4.*

Quærit homo salutaria sibi & meliorem vitam spectantia, *Matth. 6. 33. & 7. 7. 8. Coloss. 3. 1.*

Quærit Christus, *Luc. 13. 6. 7. & 19. 10. Ioan. 5. 30.* Quærit Deus patrem, *Ioan. 4. 23.*

Quærit Diabolus, *Matth. 12. 43. 11. 24. 1. Pet. 5. 8.*

Quærunt animantia sibi escam à Deo, *Psal. 104. 21.*

S E N T E N T I Æ   P A T R V M.

Quærite faciem eius semper. Si semper quæritur, quando inuenitur? An semper dixit, nempe in tota vita, qua hic viuitur? ex quo hic debere nos facere cognouimus, quando & inuentus quærendus est. Iam Deum inuenit fides: sed adhuc eum quærit spes: charitas autem & inuenit eum per fidem, & eum quærit habere per spem: vbi tunc sic inuenitur, vt vltra non quæratur? forte quum facie ad faciem eum videbimus, sicut est, adhuc perquirendus erit, & sine fine quærendus: quia sine fine amandus. *Augustin. in Psalm. 105.*

Quæramus inueniendum, quæramus inuentum, vt inueniendus quæratur, occultus est: vt inuentus quæratur, amandus est. *Idem, in Ioan.*

Si homo ita creatus est, vt per id quod in eo præcellit attingit illud quod cuncta præcellit, id est vnum verum optimum, sine quo nulla natura subsistit, nulla doctrina instruit, nullus vsus expedit: ipse quæratur vbi nobis secura sunt omnia: ipse cernatur, vbi omnia nobis certa sunt: ipse diligatur, vbi nobis recta sunt omnia. *Idem, de Ciuit. Dei.*

E cœlis misit ad nos epistolas pater noster, ministrauit nobis Scripturas Deus, quibus epistolis fieret in nobis redeundi desiderium: quia peregrinationem nostram diligendo, ad hostes faciem posueramus, & deorsum ad patriam. *Idem in Psal. 64.*

Quærite Dominum dum inueniri potest. Modo non videtur Dominus, & prope est. In iudicio videbitur, & prope non erit: nec diu in iudicio apparuit, & si quæratur, inuenitur. Nam vero modo quum in [illegible] apparuerit, & videri potest, & inueniri non potest. *Gregor. Moral. lib. 27.*

Nemo te, Domine, quærere valet, nisi qui prius inuenerit. Vis ergo inueniri, vt quæraris, quæri vt inueniaris: potes quæri, & inueniri, non tamen præueniri. *Bernard. de diligendo Deo.*

Si nolumus frustra quærere Dominum, quæramus veraciter, quæramus frequenter, quæramus perseueranter; Vt nec quæramus pro illo aliud, nec cum illo aliud, sed nec ab illo ad aliud conuertamur. Facilius enim est cœlum & terram transire, quam vt sic quærens non inueniat, sic petens non accipiat, & sic petenti non aperiatur. *Idem serm. 24.*

Si non vendideris omnia, nec emes: & si animam non habueris sollicitam, & quærentem, non inuenies. Duo enim oportet adesse: & a vitæ huius negocijs abesse, & vigilantem esse. *Chrysost. super Matth. 13.*

P H I L O S O P H O R V M   D I C T A.

Prope est à te Deus: tecum est: intus est. Ita dico, Lucili, sacer intra nos spiritus sedet, malorum bonorumque obseruator, & custos: hic prout à nobis tractatus est, ita tractat ipse nos. Bonus vir sine Deo nemo est. In vnoquoque virorum habitat Deus. *Senec. epist. 41.*

QVÆSTVS.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

Quæstus, Græce *ἐργασία, κέρδος, & ζήτησις*, quæro dicitur. Dicitur autem quæstus, omne quod ex opere cuiuscumque descendit, *l. Quæstus ff. pro socio.* Est & questus sine diphthongo de quo infra in Querela.

Quæstus, lucrum nummarium, *πόρος, πορισμὸς, χρῆμα*. Hebr. *Betsah*, & in malam partem sumitur, significat enim corrasionem, quæstum captatum, auaritiam, quæ per fas & nefas opes corradit, à verbo *Batsah*, corrasit, abrasit: auaritiæ studium pecunias corradendo. Cognationem habet cum verbo *Passah*, vulnerauit, & ideo euos *Hassah*, exitij: quia vt plurimum pecuniæ non congeruntur, sine vulnere, & afflictione pauperum. Vide *Prou. 15. 27. Ezech. 22. 12. 27. Iob 1. 7. 8. Ier. 22. 17.*

L O C I   B I B L I C I.

Quæstionarij quæstum ex Dei doctrina facientes, *1. Tim. 6. 5.*
Quæstus magnus est pietas, *1. Tim. 6. 6.*

S I M I L I T V D I N E S.

D. Cyprian. Ecce in nomine suo nihil quæstuarij peragunt exorcistæ, nec se eis deferre ipsi dæmones profitentur, se nomen Christi etiam per lucrorum sectatores suæ gloriæ retinent potestatem: & fiunt in talibus causis ministri mercenarij, sicut naues onerariæ, quæ per pelagus euehunt institores: quarum rectores, potius eorum quos ducunt, pecunijs inhiant, quam saluti. Et tamen mare huius sæculi, necessarios habet huiusmodi transuectores: alioqui cessabunt commercia, nec ex transmarinorum copia, aliorum inopia habebit subsidium, nec occurrent sibi solatia regionum, si vehicula tollantur, imo & pelagus immobile relinquatur. Bonis quippe sæpe malorum ministeria suffragantur. *Serm. de Baptism.*

Plin. Polypus stolidum alioquin animal, in captandis conchis incredibili vtitur solertia: Ita quidam ad solum quæstum suum sapiunt, alibi pecudes meræ. *lib. 9. c. 29.*

H I S T O R I C Æ   S E N T E N T I Æ.

Maximum quæstum Pomponius Atticus existimabat, memorem gratumque cognosci. *Corn. Nepos.*

Veteres oratores famam in posteros præmia eloquentia cogitauerunt pulcherrima: alioquin & bonarum artium principem sordidis ministerijs fœdari, nec fidem integram manere, vbi magnitudo quæstuum spectetur, quod si nullius mercedem negocia tueantur, pauciora fore: nunc inimicitias, accusationes, odia, & iniurias foueri, vt quomodo vis morborum precia medentibus, sic fori tabes pecuniam aduocatis ferat. *Tacit. Annal. libro 11.*

Seruantur hostes, non delentur, bella non conficiuntur, sed fouentur; Dum priuatis quæstibus duces student, & sanguine militum abutuntur. *P. Iouius, hist. lib. 52.*

Vide Lucrum, Mercatura. Item Auaritia.

QVERELA, QVERIMONIA.

DEFINITIO, ET ETYMOL.

QVerela,Græc.μεμψιμοιρία,vel θρῆνος,ου ὁ,& θρηνῳδία. queror dicitur, Est autem queror verbum deponens,idem quod lamentor,diciturque à quæ & res:nam lamentando,quæ res sit, quæ nos agitet,explicare solemus.Verum sine diphthôgo scribitur,& corripit primam, vt differat à quęror, quod est passiuum hujus verbi quæro. Hinc querimonia pariter,quod idem est,quod lamentatio,& questus pro lamentatione.Ouid.*Et quoties aliquos parat edere questus Sibilat,hanc illi vocem natura reliquit.*

SIMILITVDO.

Plutarchi. Quidam Homeri versus acephalos,id est,capite diminutos,& μείουρος, id est.cauda diminutos excerpunt,tam multa integra pulcherrimaque prætermittentes : Idem faciunt,qui de paucis vitæ malis queruntur,dissimulatis tot commoditatibus.*In Moralibus.*

EXEMPLA BIBLICA.

Querimoniæ *exempla:* Elias, 1.*Reg* 19.14.*Rom.*11 3. Ieremias ob destructam Ierusalem,*Thren.* 5.v.1. Querimoniæ iustæ *exempla:* Moyses.*Exod.* 5.22.Iosuah,*Ios.*7.7.Gedeon,*Iudic.*6.13. Populus.*Nehem.*5.1 Christus,*Matth.*27.46.*Marc.*15.34.

Vide Luctus,Dolor,Afflictio,Tribulatio.

QVIES.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

QVies,Græce ἀνάπαυσις,εως,ἡ.& ἀναπαύομαι,quiesco dicitur. Est autem quies, id quod est in re,de cuius aptitudine est, vt moueatur, non tamen est mota, *secund. Albert.Magn. in philosophia sua super libros Physicorum.*

Quies est priuatio motus in illo de cuius aptitudine est,vt moueatur,non tamen est motum.*secundum Auicennam.*

Quies. quod proprie somnum significat, dicta quasi qui tibi es, & nullo alio negocio destineris. Tunc enim cæteris negocijs non vacamus,cum dormimus.Propter quod etiam pro tranquillitate accipitur quies,à quo fit requies eiusdem significationis, & quietus,tranquillus,& quietudo,quiesco,& requiesco.

Requies,Græce ἀνάπαυσις.εως,ἡ. siue ἀνάπαυλα.ης,ἡ. & ἀναπαύομαι, quiesco dicitur. Est autem requies laboris intermissio, quæ omnino in hominum vita necessaria est,*vt testatur Aristot.lib.Ethic.*4. *cap.*8.

LOCI BIBLICI.

Quies continget populo Dei,*Hebr.*4.9. Quietem & pacatã terram consequentur iusti,*Sapient.*3.3.*&* 4.1. *Esa.*57.2. *Luc.*16.22.*Apocal.* 14.13 Quietem inuenire animæ suæ, *Ierem.*6.16.*Matth.*11.29.

Quiescendum à peccatis,*Rom.*6.6.*&c.Gal.*2.18.

Quieti simus,1.*Thess.*4.11.

Requies vera in Christo quærenda, *Matth.*11.29.requies pijs apparata,2.*Thessal.*1.7.*Hebr.*4.3.requies nulla inobedientibus, *Deuter.*28.65.

SENTENTIAE POETICAE.

Ouid.Epist.4.
Quod caret alterna requie,durabile non est.
Sen. Her.act.4.
Detur aliquando otium,
Quiesque fessis.
Ouid.Epist.4.
Hac reparat vires,fessaque membra leuat.
Arcus,& arma tua tibi sunt imitanda Diana.
Si numquam cesses tendere mollis erit.
In solo Deo quies.& tranquillitas.
Anthol.Sacr. Iacob.Bilhj.
Ancipitis vitæ qui vis superare labores,
Dilige,quod semper verus amator habet,
Instant terrenis infesta pericula rebus,
Feruent pro damnis prælia,proque lucris,
Et nihil est inter carnalia vera quietum,
Nec pax sollicitis,nec modus est cupidis.
In solo est mens tuta Deo,quem linquere nolens,
Numquam erit æterno non opulenta bono.

APOPHTHEGMATA.

Chilon dicebat,semper damnandam esse quietem,quoties datur honestum ocium.Nihil enim est, quod assiduum laborem perferre possit.*Laert.lib.*1.*c.*4.

Dion dicere solebat , oportere moderate dominari, & recreari cupientibus id permittendum esse.Remissiones enim & ab exantlatis laboribus quies,ad nouos labores homines præparant Et sicut arcus & lyra,ita & homines quiete vigent.*Stob.serm.de dominis ac seruis.*

Nemo adeo in arma promptus est , vt non idem precium quietis, quam periculi malit.*Tacit.hist.lib.*4.

SIMILITVDO.

Thriueri. Sicuti natura nusquam patitur vacuum : ita neque animus vsquam quietem.*In apoph.*

FABVLA.

Hirundo & Luscinia.

Hirundo quodam tempore in siluas longe euolauit, vbi reperit in solis locis suauissime cantantem lusciniam in sempiterno mœrore,atque luctu,ob Ityn filium suum,qui esset tam crudeliter puerili in ætate occisus.Hanc compellans hirundo:Mea charissima, inquit,tu,salue,quam ego hodie primum post Tracicam consuetudinem intueor oculis meis. Sed age,confer te ad homines, & nemora,atque siluas desere,ibi enim mecum multo commodius habitare poteris,vbi non feræ bestiæ, sed homines auscultẽt carmina tua.Respondit huic luscinia : Sine,mea soror,me hic in solitudine vitam degere. Nam ædificia,& hominum visus memoriam veterum calamitatum mihi renouarent.

Fabula docet, præstare foris, & in solitudine viuere quiete, quam in vrbibus,& frequentia hominum cum molestia.

Vide Solitudo,Tranquillitas.

FINIS LIBRI DECIMIQVINTI.

POLYANTHEAE NOVISSIMAE LIBER XVI.

R

RAPINA.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Rapina, Græce ἁρπαγμὸς & ἁρπαγὴ, ἅρπαξ rapax, ἁρπάζω rapio dicitur. Hebr. *Gazal*, præda, rapina, spolium, à verbo *Gazal*, vt rapuit, diripuit, spoliauit. Cognationem habet cum *Gazaz*, cuius fit, & *Gazah*, secuit item cum *Zalal*, profudit helluando. Est autem rapina, rei alienæ per vim iniusta ablatio, *secund. B. Thom. 2. 2 q. 66. art. 8.*

Rapere proprie est, cum impetu quodam & violentia auferre. Virgil. *Rapeas sine more Sabinas.* Punitur etiam pro vitiare, & proprie est de virginibus. Et sic raptus, vt est species luxuriæ, est quando puella de domo patris violenter abducitur, vt corrupta, matrimonio habeatur, siue ei, siue parentibus violentia inferatur, *secund. B. Thom 2. 2 q. 15. art. 4.*

Raptus quandoque est cum stupro, & quandoque sine eo, vt in raptu viduæ, vel nuptæ, vel corruptæ. Et quandoque stuprum est sine raptu, si defloretur virgo sine vi. *Ex B. Thom vbi supra.*

Raptus est illicitus concubitus cum violentia, *secundum B. Thom. 2. 2. q. 154. art. 8.*

Rapina, raptio, & raptus sic videntur differre, quod *raptio* ad personam refertur, *rapina* ad rem, *raptus* ad stuprum.

Rapacitas continetur sub violentia, cum sit species eius: quæ violentia est filia auaritiæ *Ex B. Thom. 2. 2. q. 118. art. 8.*

Raptor dicitur proprie, qui rapit res immobiles, prædo vero mobiles. Vnde rapina dicitur de rebus immobilibus, deprædatio autẽ de mobilibus, & se mouentibus, vt animalibus, & huiusmodi, *secundum Ioan. And.* Large vero raptores dicuntur omnes publice & violenter res alienas deprædantes, tam mobiles, quam immobiles.

Rapina quid à furto differat, vide supra in Furtum.

LOCI BIBLICI.

Rapina damnatur, *Prou. 21. 7 & 22. 16. Esa. 33* & *Ezech. 22. 25.* Rapinæ & intemperantiæ nomine intelliguntur, *Matth. 23. 25.* dapes ex alienis interuersis facultatibus ad luxum comparatæ.

SENTENTIAE PATRVM.

Si in ignem mittitur, qui non dedit rem propriam, vbi putas mittendus erit, qui inuasit alienam? Si cum Diabolo ardet, qui nudũ non vestiuit, vbi putas arsurus est, qui expoliauit? Non nocent mala præterita, si non placent. *Aug. de ver. Dom. c. 10.*

Si pœnale est clanculum auferre, multo maioris pœnæ est, violenter eripere. *In serm.*

Remota iustitia, quid sunt regna, nisi magna latrocinia? quia latrocinia quid sunt, nisi praua regna? hoc malum tantum crescit, vt & loca teneat, sedes constituat, ciuitates occupet, populos subiuget, & euidentius regni nomen assumit. Quod etiam in manifesto confert non dempta cupiditas, sed addita impunitas. Ideo eleganter & veraciter Alexandro Magno quidam pirata comprehẽsus, respondit, cum ab eo interrogaretur, quid sibi, vt mare haberet infestum; ille libera voce, quid tibi, inquit, vt orbem terrarũ? sed ego quia exiguo nauigio facio, latro vocor: quia tu magna classe, imperator. *De Ciu. Dei. l. 4.*

Nostri quoque principes cum pauperes delinquentes publice arguant, & confundant, diuitibus peiora peccantibus, nec nutũ faciunt, in quorum domibus rapinæ sunt, dum Ecclesiæ opes sibi thesaurizant, & in delicijs abutuntur, quæ ad sustentationẽ pauperum dantur: & sibi reseruant, nec propinquis distribuunt, & aliorum inopiam suas vel suorum faciunt diuitias. *In glo. sup. Isa. 3.*

Si sterilitas in ignem mittitur, rapacitas quid meretur, aut quid recipiet, qui alienum tulerit, si semper ardebit, qui de suo non dederit? Et si iudicium sine misericordia erit illi, qui non fecerit misericordiam, quale iudicium erit illi, qui fecerit & rapinam. *Fulgent.*

Sicut ouis tondentem se non increpat, ita nec iustus cupiditatem se expoliantis accusat. *Cass. in Psal. 8.*

Pauperibus non dare tulisse est, & merito: quando potest esurientibus subuenire, si non pascit, extinguit. Pudeat illis tollere, quibus iubemur offerre. Vltra omnes crudelitates est, diuitẽ velle fieri de exiguitate mendici. Amentur honesta lucra: horreantur damnosa compendia. Nullus audeat inde tollere, quod debet collectum dispergere, adde quod perdit, qui retinendo colligit, & paupertatem potius ad se trahit, si exigentium pecunias non repellit. *lib. 5. epist.*

Multi sine peccato putant esse, si alienum, quod inuenerint, teneãt, & dicunt Deus mihi dedit: cui habeo reddere? discant hoc peccatum simile esse rapinæ, si quis inuenta non reddat. *Hieron. in lib. Leuit. & hab. 14. q. 5 can. Multi.*

Nemo qui rapit, moriens (si habet vnde reddat) saluatur, si eos quorum fuit, inuenire non poterit, Ecclesiæ vel pauperibus tribuat. *Hieron. ibid can. Nemo qui.*

Si quis victum accipit, rapinam facit, vita non viuit. *Ambr. in l. de bono mortis, & hab. 1. 4. q. 4 can. Si quis.*

Rapinam emere non licet, nisi ea intentione, vt cui est ablata, restituatur. *Amb. ibid. q. 5 can. Rapinam.*

Pœnale est occulte auferre, multo maioris pœnæ est visibiliter eripere: auferre ergo nolenti, siue occulte, siue palam, habet præceptum suum. Furti enim nomine bene intelligitur omnis illicita vsurpatio rei alienæ. Non enim rapinam permisit, qui furtum prohibuit, sed vtique furti nomine in lege veteris testamenti, & rapinam intelligi voluit. A parte enim totum significauit, quicquid illicite rerum proximo aufertur. *August. lib. 4. Exod. & hab. 14. q. 5. can. Pœnale.*

Si quid inuenisti, non reddidisti, rapuisti: quantum potuisti, fecisti: quia plus non inuenisti, ideo plus non rapuisti: qui alienum negat, si posset, tolleret. Deus cor interrogat, non manum. *Ibid. c. Si quid.*

Forte aliquis cogitat, & dicit: Multi sunt Christiani diuites, auari, cupidi, non habebo peccatum, si suum illis abstulero, & pauperibus dedero. Vnde enim illi nil boni agunt, mercedem habere potero: sed huiusmodi cogitatio à Diaboli calliditate suggeritur. Nam si totum tribuat pauperibus, quod abstulerat, addit potius peccatum, quam minuat. *August. & habet. 14. quæst. 5. can. Forte aliquis.*

DICTA POETARVM.

Rapina.

Ouid. 1. Amor. 8.

Certior è multis, nec tam inuidiosa rapina est,
Præda venit cano de grege plena lupis.

Idem Amor. 10.

Carpite de plenis pendentes vitibus vuas:
Præbeat Alcinoi poma benignus ager.

Tibull. l. 1.

At vos exiguo pecori furesque lupique
Parcite: de magno præda petenda grege.

SENTENTIAE PHILOSOPHICÆ.

Quis dicat vtile, hominem incommodo alterius suum commodum augere, & alterum alteri aliquid detrahere? hoc est magis contra naturam, quam mors, quam paupertas, quam dolor. Nam principio conuictum hominum tollit. Si enim hæc affectio nobis insit, vt quisque propter suum emolumentum spoliet, aut violet alterum, necesse est dirumpi societatem humani generis, quæ est secundum naturam: vt si vnumquodque membrum putaret se plus valere, si proximi membri ad se valetudinem traduxisset, debilitari, & interire totum corpus necesse esset: ita est & in humana societate: nam sicut concessum est vt quisque malit sibi acquirere, quod ad vsum vitæ pertineat, quam alteri, & hoc natura non repugnante: ita non patitur natura, vt aliorum spolijs nostras facultates augeamus. Et si contra naturam magis detrahere alteri, sui commodi causa, quam mors, quam dolor, ita magis secundum naturam, pro omnibus, si fieri posset, labo-

tes & molestias in maximis voluptatibus ducere, & capessere. *Cicer. in Rhet.*

Rapina est, ex auida mentis impetu violenta alienarum rerum distractio. *ibid.*

Quæsitum erat à Socrate cur rideret? respondens ait: Video magnos latrones ducentes paruum latronem ad suspendium, qui digniores sunt suspendio. Sacrilegia, inquit, minuta puniuntur, sed magna in triumphis feruntur. *Val. Max. lib. 7.*

Nulli cui rapina feliciter cessit, gaudium rapti durauit in posterũ. *Senec. epist. 57.*

De rapinis. DIAL. LXI.

Francisci Petrarchæ.

DOL.

A prædonibus spoliatus sum. R. Quamuis ciuili lege (nisi fallor) scriptum sit, quod nullus for improbior, quam qui vi rapit, sunt tamen clandestini fures, me iudice viliores, illi enim fraude agũt, hi autem vi. Et ideo iuata sententiam Ciceronis, illi vulpeculis, hi leonibus assimilantur. Adde quod fures rebus spoliant, ingenuitatque suspiciones. At prædonibus spoliasse fere sat est, suspicionibus non relinquunt locum. D. In prædones incidi, qui me nudum reliquerunt. R. Incidit in prædones Cæsar, à quibus, non spoliatus modo, sed captus magno se tamdem precio redemit, suturus terrarum dominus, quamuis huic damno solatium vltio mox sequuta præbuerit, non exiguum leonem imuriatum. Incidit in manus hostium Regulus toties iam victor, qui magno cum Imperij vestri damno, atque discrimine eumdem immani supplicio peremerunt. Incidit in hostes quoque Valerianus Imperator, qui cum multo cum imperij dedecore fœde senili feruitio consenserunt. T si nihil vltra quam spoliatus es, & fortunæ tuæ prædonibus gratiam habe, qui tibi libertatem vitamque reliquere. Non est enim aliud beneficium latronum, quam quod Cicero ait in Philippicis, vt commemorare possint his se vitam dedisse, quibus non ademerunt. Fer igitur fortem tuam, communem tibi cum magnis his, atque alijs claris viris, & si compararet facilem etiam, atque optandam, neque feliciorem esse velis his, qui dicũtur felicissimi.

APOPHTHEGMATA.

Plato, furtum pecuniarum, inquit, res illiberalis est: rapina vero impudens. *Stob. serm. 10.*

Nero numquam cuiquam officium delegauit, nisi hæc adijceret: Scis quibus mihi est opus, & hoc agamus, ne quis quid habeat. Vox prædone, quàm principe dignior. *P. M. lib. 6. apoph.*

Fl. Vespasianus. Quoniam rapacissimum quemque promouere solebat, vt mox ditatos condemnaret, vulgo dictus est officiatos suos habere pro spongijs: quod (veluti spongias) & siccos madefaceret, & humentes exprimeret. *Suet.*

SIMILITVDINES.

Basilij. Ouium greges in vno & eodem monte pascuntur, qui magno cum numero ad carpendum pabulum in eodem campo errant, singuli singulis (quatenus opus est) vsum concedunt. Nos contra rebus communibus fines nostros facimus, & quæ multorũ sunt, soli retinemus. *Hom. de fam. & siccitate.*

Seneca. Canis quicquid accepit, protinus deuorat, & semper ad spem futuri hiat: ita quod expectantibus fortuna proiecerit, id sine vlla voluptate dimittimus, statim ad rapinam alterius erecti. *Apud P. M.*

Vt feræ mutuo laniatu viuunt: Ita quisquis potentior malo inferioris direcit, ac crescit. *Idem.*

Plinij. Lutarium piscem semper sequitur piscis nomine Sargus, qui illo cœnum fodiente excitatum deuorat pabulum: Ita sunt qui se miscent alienis negocijs, vt eis laborantibus fructum percipiant. *lib. 9. cap. 17.*

Vt fuci cum ipsi non mellificent, tamen apum insidiantur laboribus: Ita sunt qui nihil ipsi excudunt, sed aliorum vigilijs elaborata furto sibi vendicant. *lib. 11. c. 11. & c. 17. eod. lib.*

Sicut Polypus quicquid brachijs attigerit stricte tenet, & attrahit: Ita difficillimum est eruere de manibus quorumdam, si quid nacti fuerint. *lib. 8. c. 18.*

Qui tygridi catulos rapiet, bene fecum agi putat, si vel vnum insequenti matri auferat impune: Ita qui alienam inuasit possessionem, etiam si cogatur reddere, lucrum tamen facit, si vel portionem aliquam retineat. *lib. 8. c. 18.*

EXEMPLA BIBLICA.

Rapinæ & spoliationis *exempla*: Sichem, *Genes. 34. v. 2.* Israelitæ, *Exod. 12. v. 36. 39.* *Deut. 2. v. 32. 36.* Amalechitæ, *1. Sam. 3. 16.* Dauid, *v. 18. 19.* populus Israel, *1. Sam. 23. 10.* Achab, *1. Reg. 21. v. 15. 16.* Nabuchodonosor, *2. Reg. 24. v. 13* Philisthæi, *2. Paral. 10. 8.* Exercitus Asæ regis, *2. Paral. 14. 13.* Iosaphat & populus, *20. 25.* Filij Israel, *28. 8.* Achab, *v. 21.* populus Israel, *Iudith 15. vers. 13.* Antiochus, *1. Machab. 1. v. 3. 20. 13. & 6. 22.* Iudas Machabæus, *3. vers. 12. & 4. 23.* Simon, *5. 22.* Iudas, *v. 68.* Iudæi, *6. 6. & 7. 47. 12. 31.* *2. Machab. 8. 27. 28.* Ionathas, *1. Machab. 10. v. 84* Rapaces fugiendi, *1. Corint. 5. 11.* eorum merces, *Prou. 28. 10. Esa. 33. v. 1. 1. Cor. 5. 11. & 6. 10. Vide & Deut. 28. 31.*

PROPHANA EXEMPLA.

Cyrus Persarum Rex deuicta Asia, pondo XXXIV. millia inuenit, præter vasa aurea, aurumque factum, & in eo folia, ac platanum vitemque. Qua victoria argenti quingenta millia taler torũ reportauit, & craterem Semiramidis, cuius pondus quindecim talenta colligebat. Talentum autem Aegyptium pondo LXXX. capere, Varro tradit. *Plin. lib. 33. c. 3.*

Syracusa ciuitas est in Sicilia, vetusta fama, & opibus ingentibus: hãc obsedit per triennium M. Marcellus: tamdem expugnauit: tantumque ex ea prædæ congestum est, quantum vix capta Carthagine, quæ tum maxime floreb at, paribusque eum populo Romano viribus contendebat, fuisse. *L. Viues in Aug. de Ciuit. Dei, lib. 1. cap. 6.*

M. Ful. Nobilior Aetolos superauit: de quibus ouans vrbem ingressus triumphansque, multa argenti, ac auri pondera in ærarium intulit, præter signa tabulasque pictas, quas abstulit. *Volat. 16. Antropo.*

L. Corn. Lentulus proconsul, tulit ex præda XL III. millia pondo auri LXXX. millibus ex præda... ex asses viritim diuisit. *Liu. l. 41.*

L. Paulus Æmilius subacta Macedonia, tantum pecuniæ in ærarium intulit, vt deinceps censum pendere Romani desinerent, vsque ad Hircij & Pansæ consulatum, qui consules primo Antonij & Cæsaris bello fuere. *Plut. in Paulo.*

Saraceni, cum intellexissent, in Siciliam, prædam de Roma spoliata à Constante Imper. esse reductam, magna classe Alexandria soluẽtes, Syracusas occuparũt. Romanæ vrbis ornamenta intercepta secum Alexandriam auexerunt, sub Constantino Pogonato. Anno Domini 672. *Sigebertus in Chronic. Paulus Diac. lib. 5. c. 6 de gestis Longobard.*

Præda ex vrbe Constantinopolitana a Mahometto II. Turcarum Imper. capta, quibusdam quater millies millibus ducatorum æstimata est: externi tantum mercatores, Veneti damnũ passi sunt 50000. Genuenses 20000. Florentini 20000. Anconitani 15000. ducatorum, *Chalcondylas lib. 8.*

Cum primum Persæ in Eubœa militarunt, *Diomnestus* vir Eretrieus præter al thesaurorum custodiæ: omnibus vero mortuis, cum & nesciretur Diomnestus habere pecuniam, thesauros istos apud se retinuit. *Athen. lib. 12. c. 17.*

Vide Furtum, Sacrilegium.

RARITAS.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

Raritas, Græce ἀραιότης, ἀραιὰ & ἀραιόω, raresco: & ἀραιώσις, rarus dicitur. Est autem rarum id cuius partes distant à se inuicem. *secund. Arist. Prædic.*

Rarum est, in quo parum est de materia sub magnis dimensionibus, densum vero è contrario, *secundum B. Thom. 2. Sent. dist. 30. q. 2. artic. 3.*

Rarum interdum ponitur pro præstanti, quoniam omnia præclara rara sunt. A rarus fit raresco, id est, rarus fio. A rarus fit rere, *vt placet Varroni*, à quo reticulum diminutiuum: & irretio verbũ, quod significat retineo, capio: & irretitum dicimus aliqua fraude, aut blanditijs, aut dolo, quasi reti captum.

PHILOSOPHOR. SENTENTIAE.

Rarum cum leui, & subtili concurrere, & densum cum crasso, & pingui, existimauit Aristoteles. *Simp. in 1. physic. tex. 32.*

Rarum & densum comprehenduntur in corporibus naturalibus sensibilibus: magnum & paruum in corporibus naturalibus, & mathematicis. *Auer. in Physic. 1. tex 49.*

Rarum & densum, sunt contraria in quantitate, cum translatio corporis de raritate in densitatem fit, translatio fit de maiori quantitate in minorem, & è conuerso. *In physic. 4. tex. 84.*

Raritas, & densitas, quia sunt qualitates non actiue consequentes calorem & frigus, ideo præmittuntur hic ab Aristo. ele. *Idem 2. de gener. text. 15.*

Rarum est partium positio, non qualitas. *Boet. in præd.*

Rarum est cuius partes ita sunt separatæ, vt inter ipsas alieni generis corpus admitti possit. *Idem ibid.*

Rarum & densum non sunt principia actiua passionum, sed potius dispositiua, vt passiones in materia, & in partibus materiæ introducuntur. *Alb. Mag. in 1. de gene. & cor. tract. 2. c. 1.*

Rarum

Rarum & densum, cum sint primæ qualitates, dupliciter possunt intelligi. Primo, vt sint accidens compositi corporis ea materia, & forma, quod est causa variationis materiæ ad formas diuersas, in specie elementi, quod non facit euaporationem, & est in partibus aeris sicci. Secundo, quod inducit formam elementi in materia, & variat eam, per illud efficitur aqua sub aeris forma, & ideo est sub loco, & sub motu eius efficitur. Tale non potest esse in aere, sed primum, & hoc ideo, quia ignis non eleuat vaporem, sed consumit ipsum: nec aer est humidum vaporabile, quia est corporeale, aut medium inter corporale, & spirituale, sed potius humidum habet spirituale, quia subtilius est omni vapore, & ideo non vaporat. *Alb. Mag. in 1. meteor. c. 9.*

Raritas & densitas non faciunt perspicui naturam, & opaci. *Albert. Mag de sens. tract. 2. c. 5.*

Raritas omnis est aere plena. *Idem de Veget. & plant. l. 4. tract. 1. c. 1.*

Rarum & densum non sunt qualitates naturales, sed solum positio partium materiæ secundum propinquum in denso, & secundum remotum, in raro. *D. Thom 2. de gen. & cor lib. 7 T. 7.*

Rarum & densum non addunt super partes materiæ qualitatem, quæ proprie sit qualitas, sed potius partium situm. *Idem ibid.*

A D A G I A.

Phœnice rarior. *φοίνικος σπανιώτερος.*

De rebus aut etiam hominibus inuentu perquam raris. De Phœnice aut vide Plinium lib. 10. c. 2.

Vbi per hara fulgurauit. *ὅπου δὶς ψιάκας ἀστράψει.*

De ijs, quæ nimis cunctanter ac sero, aut admodum raro fiunt, aut cum nimis anxie ac superstitiose captatur rei gerendæ opportunitas.

Lac gallinaceum. *ὀρνίθων γάλα.*

De raris inuentu, atque ob id preciosis.

Rara auis.

Dicebatur res quæuis noua, & inuentu perrara. Ein seltzamer Vogel. Itẽ, Ein seltzam Vvildpractt.

Alba auis. *Ad nos oprit.*

Pro re noua, atque inauspicata. Ein Glueck vogel.

Coruus albus.

De raris inuentu dixit Iuuenalis. Coruo quoque rarior albo. Ein vueisser Raab, ein schvvartzer Schvvan.

Noctuinum ouum, *γλαυκεῖον ᾠόν.*

Sunt qui negent noctuarum oua inueniri. Prouerbium itaque in hominem quadrabit, vel in rem raram inuentu. Quidam etiam ad hominem nauci, nullius que frugis transferunt.

R A T I O.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

Ratio, Græce λόγος, unde & λογικός, rationabilis dicitur. Hebr. *Taham*, gustus, sapor, proprie: & metaphorice sensus, ratio, discursus: a verbo *Taham*, gustauit, translatio elegans à sensu externo ad internum. Dicitur etiam *Cheschbon*, à verbo *Chaschab*, i. cogitauit sapienter, excogitauit ingeniose, inuestigauit ratiocinando, computauit, ratiocinatus est. Cognationem habet cum *Chaschaph*, inuestigauit quærendo. Est autem ratio affectus mentis, quæ bonum malumque discernit, virtutes eligit, Deum diligit, *secund. August. lib. de Spiritu & Anima.*

Ratio est natura intellectualis obumbrata, *secundum B. Thom. 1. Sent. dist. 3. q. 4.*

Ratio & intellectus non sunt idem, quia ratio quandoque est recta, & quandoque non recta, tam in speculatiuis, quam in practicis: sed intellectus semper est rectus, *secundum eumdem 1. sent. dist. 1. q. 1. art. 1. & 4.*

Ratio & intellectus non distinguuntur, sicut duæ potentiæ, sed sicut diuersi actus eiusdem potentiæ: quia intelligere est intelligibilem veritatem simpliciter apprehendere. Ratiocinari autem est procedere de vno intellecto ad aliud intellectum, ad veritatem intelligibilem cognoscendam, *secund. eumdem 1. par. quæst. 79. art. 8.* Hinc ratiocinatio, quæ est discursus intellectus ab vno in aliud, à principio ad conclusiones, & in syllogismis, & consequentijs.

Ratio, vt est pars prudentiæ, est discursus intellectus, quo applicantur vniuersalia principia agibilium ad particularia, varia & incerta agibilia. Et sic eam ponit Macrobius. *in Commentarijs in somnium Scipionis, ex sententia Platonis.*

Ratio distinguitur in superiorem, & inferiorem, secundum diuersa officia. Nam ratio superior est, quæ intendit æternis conspiciendis, aut consulendis. Conspiciendis quidem, vt secundum quod ea in seipsis speculatur. Consulendis vero, secundum quod ex his accipit regulas agendorum. Ratio inferior est, quæ intendit temporalibus rebus. *ex August. lib. 12 de Trinit.*

Ratio est motus animi vera à falsis distinguens, à qua fit ratiocinatio, quæ à Græcis syllogismus συλλογισμὸς dicitur. *Vide Cic. lib. 1. de inuent. Rhetor.*

Rationem habere, si cum genitiuo iungitur, est habere respectum, *Polyanthea Nouiss.* vt *habenda est ratio honoris.* Si cum ablatiuo cum præpositione Cum, est habere negotium. Cicero; *Rationem habet cum terra, quæ nunquam recusat imperium.*

L O C I B I B L I C I.

Rationem reddat Deo quisque pro se oportet, *Matth. 12. 36. & 18. 23 & 25. 31. &c. Rom. 14. v. 12. 2. Cor. 5. 10.* Rationem spei nostræ cuilibet reddere parati esse debemus, *1. Pet. 3. 15.* Rationi propriæ non fidendum, *Deut. 12. 8. Prou. 3. 5. & 14. 12.*

Rationale iudicij quale, *Exod. 28. 15. & 39. 8.*

S E N T E N T I A E P A T R V M.

Si ratio consentiat, vt quod libido commonefaciendum esse decernat, ab omni vita beata, tamquam de paradiso expellitur homo, & iam peccatum imputatur, etiam si factum non sequatur, quia rea tenetur in confessione conscientia. *Aug cont. Manichæos.*

Paucos ratio capit, ac probabilis oblectat inuentio. Illud potius turba dicitur, quod ad remissionem curarum constat inuentum. *Cassiod. lib. 3. epist. 52.*

Semper viuamus, vt rationem nobis reddendam arbitremur. *Lactantius Firmianus lib 6. c. 4.*

Nam quicumque rationem hominis abiecerit, ac præsentia secutus in humum se ipse prostrauerit: tamquam desertor Domini, & Imperatoris, & patris sui, punietur. Intendamus igitur iustitiæ, quæ nos inseparabilis comes ad Deum sola perducet: &, dum spiritus hos regit artus, infatigabilem militiã Deo militemus: stationes, vigiliasque celebremus: congrediamur cum hoste, quẽ nouimus, fortiter: vt victores, ac deuicto aduersario triumphantes, præmium virtutis, quod ipse promisit, à Deo consequamur. *Idem lib. 7. c. vlt.*

S E N T E N T I Æ P O E T I C Æ.

Claud. 4. Honor.

Hanc alta capitis fundauit in arce
Mandatricem operum, prospecturamque laboris.

Manil. 2.

Nam neque decipitur ratio, nec decipit vnquam.

Claud. Manlij Th.

Dijs proximus ille est,
Quem ratio non ira mouet: qui facta rependens
Consilio punire potest mucrone cruento.

Persius 5.

Stat contra ratio, & secretam gannit in aurem,
Ne liceat facere id, quod quis vitiabit agendo.

Ouid. epist. 19.

Cur reus infelix absens ager? & mea cum sit
Optima non vllo caussa tuente perit?

S E N T E N T I Æ P H I L O S O P H I C Æ.

Ratio ergo hoc postulat, ne quid insidiose, ne quid simulate, ne quid fallaciter agatur.

Fortes enim non modo fortuna adiuuat, vt est in veteri prouerbio, sed multo magis ratio, quæ quibusdam quasi præceptis confirmat vim fortitudinis.

Est enim animus in partes distributus duas, quarum altera rationis est particeps, altera expers. Cum igitur præcipitur, vt nobismetipsis imperemus, hoc præcipitur, vt ratio coerceat temeritatem. Est in animis omnium fere natura molle quiddam, demissum, humile, eneruatum quodammodo, & lãguidum. Si nihil esset aliud, nihil esset homine deformius sed præsto est domina omnium, & regina Ratio, quæ connixa per se, & progressa longius, fit perfecta virtus: hæc vt imperet illi parti animæ, quæ obedire debet, id videndum est viro. *Cic. lib. de Offic.*

Irrideat si quis vult, plus apud me vera ratio valebit, quam vulgi opinio: neque ego vnquam dicam illum bona perdidisse, si quis pecus, aut supellectilem amiserit: nec non sæpe laudabo illum sapientem Biantem, cuius cum patriam Prienem cepisset hostis, cæterique ita fugerent, vt multa de suis rebus secum asportarent: cũ esset admonitus à quodam, vt ipse idẽ faceret: Ego vero, inquit, facio. Nam omnia mea mecum porto. Ille hæc ludibria fortunæ, ne sua quidem putauit, quæ nos etiam appellamus bona. *Idem in paradoxis.*

Domus ea, quæ ratione regitur, omnibus est instructior rebus, quã ea, quæ temere, & nullo consilio administratur. Exercitus is, cui præpositus est sapiens, & callidus imperator, omnibus partibus commodius regitur, quam is, qui stultitia, & temeritate alicuius administratur. *Idem Rhetor. veterum lib. 1.*

Lex vera, atque princeps, apta ad iubendum, & ad vetandum, est ratio recta. *Idem de legib. 2.*

Nihil est mente, & ratione melius. *Idem de Nat. Deor. l. 2.*

Rationis perfectio est virtus. *Idem de finib. bono, & malo.*

Rationi seruire libertas est. *Plut.*

Sola ratio incommutabilis, & iudicij tenax est: non enim seruit, sed imperat sensibus. *Seneca epist. 68.*

Bona illa sunt vera, quæ ratio dat, ac sempiterna, quæ cadere non possunt, ac decrescere quidem, ac minui. Cætera opinione bona fiunt, nomen quidem habent commune cum veris, proprietas autem boni in illis non est.

Ama rationem, huius te amor contra durissima armabit. *Seneca epist. 67.*

In homine quidem optimum ratio est, hæc antecedit animalia, Deos sequitur. Ratio autem perfecta bonum hominis proprium est, cætera illi cum animalibus satisque communia sunt. Valet homo, & leones: formosus est, & pauones: velox est, & equi: & ideo in his omnibus vincitur.

Nam cum sola ratio perficiat hominem, sola ratio perfecta beatum facit: hæc autem vnum bonum est, quo vno beatus efficitur scilicet virtus. *Seneca epist. 77.*

Nihil potest esse diuturnum, nisi cum subest ratio. *Quintus Curtius de gestis Alexandri lib. 4.*

Nihil est non dicam in hominibus, sed in omni cœlo, atque terra, ratione diuinius, quæ cum adoleuit, atque perfecta est, nominatur rite sapientia.

Societatis humanæ vinculum est Ratio & Oratio, quæ dicendo, cōmunicando, disceptando, iudicando conciliat inter se homines, coniungitque naturali quadam societate. Neque vlla re alia absumus à natura ferarum. *Cic. 1. de Legib.*

Plus apud nos vera ratio valet, quam vulgi opinio. *Parad. 1.*

In re magna vincat ratio authoritatem. *Plin. iun. lib. 1.*

Munus animi est ratione vti. *Cic. 3. Tusc.*

Domina omnium & regina, ratio: connexa per se, & progressa longius, fit perfecta virtus: hæc vt imperet illi parti animi, quæ obedire debet, id videndum est viro, velut seruo dominus, velut Imperator militi, velut parens filio. *2. Tusc.*

Bene adhibita ratio, cernit quid optimum sit: neglecta, stultis implicatur erroribus. *Cic. 4. Tusc.*

Grauior & validior est decem virorum bonorum sententia, quam totius multitudinis imperitæ. *Pro Planc.*

Sunt homines, qui rationem bono consilio à Dijs immortalibus datam, in fraudem malitiamque conuertunt. *Cic. 3. de Natura Deor.*

Rationi potius, quam iracundiæ parendum. *F. Pachymer. lib. 9.*

SIMILITVDINES.

Socrates dicebat, in nauigando gubernatori auscultandum esse: in viuendo autem illi, qui plus ratione valet. *Stob. serm. de prudent.*

Idem. Eiusdem dictum est: Nec equo sine freno, neque diuitijs sine ratione tuto quis vti potest. *Stob. serm. 3.*

Diogenes dicere solitus est, sæpius in vita parandum λόγον ἢ βρόχον, id est, sermonem quam laqueum. Qui despondent animum, ad laqueum confugiunt: quum ad consolatorium sermonem potius sit confugiendum. Nam animo ægrotanti medicus est oratio. Nec absurdus fuerit sensus, si λόγον accipias pro ratione: quasi diceret, qui despondent animum, confugiant ad rectam rationem. *Diogenis dictum extat apud Laert. l. 6. c. 2.*

Phocylides. Rationem homini telum ferro acutius esse, dicebat. *Stob. serm. 3.*

Aristoteles dicebat rationem recedere ab omnibus, quę per iram cōmittuntur, eamque fugere iracundiam tamquam acerbum tyrannum. *Stob. serm. 20.*

Epictetus. Eius dictum est, Turpe esse muneribus apum potionem edulcare: Rationem autem Deorum munus, non adhibere ad maliciæ dulcandam amaritudinem. *Stob. serm. 13.*

Idem. Quemadmodum, inquiebat, si conceptus aut natus esses in naui, non ideo statim eius gubernator fieri velles, neque enim natura ad rem nauis pertineret: sic neque opum abundantia, sed ratio. Id igitur quod tibi naturale, & cognatum est, videlicet rationē, proprium tibi censere, & eius curam suscipere debes. *Eod. ser.*

Idem. Non paupertas, inquit, molestiam facit, sed animi cupiditas. Neque diuitiæ à metu liberant, sed ratio. Si tibi rationem igitur comparaueris, neque diuitias desiderabis, neque paupertatem accusabis. *Ibid.*

APOPHTHEGMATA.

Chrysostomi. Si, qui solis radios corporeis cupit haurire luminibus, non modo quod quærit, non efficiet, neque quod instituit peraget: verum ipso quoque quo videt, priuabitur lumine, innumeraque sustinebit incommoda: Multo sane magis, qui in æternam illam lucem defigere obtutus quærit, eamque rationibus consequi mortalibus, hoc patietur. Nihil enim deterius esse potest; quam velle diuinas res humana ratione discernere, atque metiri. Ita enim ex fidei fundamento quisque decidit, & longo errore iactatur vagus, atque a luce deseritur. *Homil. 1. ad Hebræos.*

Sicut statera, si lancem loco motam habeat, pondera iuste non iudicat: Ita & animus, nisi rationis lancem stabilem, ac firmiter vim diuini timoris affixam, res sincere dijudicare non valet, sed circumfertur inquiet, atque deprimitur. *In 2. ad Tim. hom. 5.*

Quemadmodum a vernis nostris non exitus solum, sed etiam introitus rationem exigimus, exquirentes vnde hæc aut illa acceperint, à quibus & quando, & qualia, & quanta: Sic & Deus non sumptus modo, sed etiam possessionis rationem deposcit. *apud Max. serm. 45.*

Basilij. Vt feræ facile superantur, si demulceas: Sic cupiditates, iræ, timores, dolores, venenata animi mala, per quietem consopita, nec efferata perpetua irritatione, vt rationis facilius domari solent. *Apud Anton. par. 2. serm. 76. Melissa.*

Philonis. Sicut deterrimus quisque puer odit præceptores, ac pædagogos, & omnem bonum monitorem castigatoremque: Sic rectam rationem gubernare solitam, odit omnis affectuū amator. *lib. de sacrif. Abelis.*

Quemadmodum oculis ea, quæ aperta sunt, quæque in manibus comprehenduntur: Sic ratio sincera penetrat etiam ea, quæ sub oculos non cadunt, sed futura sunt. *Ibid.*

Thalasij. Sicut absurdum est, subesse bonum dominum improbo seruo: Ita & absurdum, corruptibilis corporis mancipium esse rationalem mentem. *ad Paulinum presbyterum.*

Sidonij Apollinaris. Sicut caro est inferior vita in creatione hominis: Sic vita ratione. *lib. 7. Epist.*

Tyrij Platonici. Quemadmodum diuersis animalium generibus diuersas itidem natura defensiones, ad tuendam propriam vitam salutemque constituit: vt leonibus vires, vt ceruis cursum, vt canibus venationes, vt aquatilibus natationem, volatilibus volatum, reptilibus cauernas: Ita hominum generi in cunctis huiusmodi defensionibus cæteris animalibus minori, vtpote quod vires tenuissimas habet, impeditissimum cursum, volatus est penitus immunis, natationem vix attingit, cauernariæ habitationis omnino est impos, rationem tradidit Deus, quasi donum quoddam, quod cunctis facultatibus illis æquipolleret, huicque amatorium desiderium subiecit, velut freno cuidam equum, velut sagittario arcum, temoni nauem, instrumentum opifici. *Serm. 10.*

Non vides, nauigationem in mari, vt vnus gubernator moderetur, tamquam corpus animus moderatur, vt nauis eius imperio pareat, vt animo corpus, vt venti nauem impellant, quemadmodum virtutes fortuna. Quid si tempestas oriatur, manente naui, incolumique gubernatore salutis numquam amittitur spes, siue nauis ipsa recto feratur cursu, siue arte tempestatem deuitet, dum tamen à gubernatore regatur. At si à gubernatore incipiens, ipsum abstuleris, inutilis efficietur nauis, etiam si firmitatem propriā seruat, inutilis afflatus ventorum etiam si fuerit secundus: propterea & in mari, & in naui, & in nauigatione preciosissimus est gubernator. Post gubernatorem, secundum accipit locum nauis: postremam sedem obsequia occupant extrinseca. Sed & in curriculo vitæ animus supremum sibi vendicat honorem, medium corpus, tertium fortuna. *Serm. 24.*

Socratis. Quemadmodum in nauigando gubernatori auscultandum est: Sic in viuendo illi, qui plus ratione valet. *apud Stob. serm. 1. de prudentia.*

Antonij monachi. Quemadmodum naui orta maris tempestate facile submergitur, nisi gubernator sua industria regat: Sic affectiones ad deteriora rapiunt hominem, nisi recta ratione gubernentur. *Serm. 76. par. 2. Meliss.*

Quemadmodum ad faustam nauigationem, gubernatore, & vento opus est: Sic ad felicitatem ratione, & fortuna. *In Meliss. serm. 70. par. 1. Maxim. serm. 38.*

Archytæ Pythagorici. Quemadmodum aliquis computando partibus cognoscit, totum ex ipsis resultans colligere potest: Ita in rebus quoque ratio quidem speculationem vniuersalem delineat experientia vero singularia iudicat. *lib. de viro bono, & felice. Recitat Stob. serm. 1.*

Hieroclis. Vt cylindrus à rectitudine deerrans, non firmatur ad axē circuli, qui circumducitur: Ita animus qui à recta ratione, ac propinquitate Dei decidit, non cōsequitur vera bona. *In aurea Pythagoræ carmina.*

Plutarchi. In magno fluctu non sistitur nauis, nisi pondus anchoræ retineat alto infixæ vado: Sic in magnis rerum procellis, summa debet ratio animum cohibere, ne ab affectibus auferatur. *In Moralib.*

Vt non æque cernunt cicadæ, & accipitres, neque similiter volant aquila & perdix: Ita non omnia, quæ rationis participia sunt, æque valent ratiocinandi acumine. *In Moral.*

Gubernator etiamsi multum conducit, tamen non potest sedare ventos & vndas: At ratio ac mentis habitus, non solum animi motus componit, verum & corporis morbos sæpe leuat. *Ibidem.*

Vt nauis cui firma est anchora, in quouis portu potest conquiescere: Ita animus si accedat recta ratio, quouis in loco tranquille valet. *Ibid.*

Nauis deserta recipit gubernatorem, si quis velit in portum reducere: At animus ita perditus non admittit gubernatricem rationē aliunde, nisi intus ratio clauum arripiat. *In Moral.*

Vt quemadmodum si sol non sit, per reliqua astra in nocte ageremus: Ita quantum ad reliquos attinet sensus, nihil differemus à brutis, nisi ratio adsit. *Ibid.*

Qui

Qui dimissi à pædagogis, suo relinquuntur arbitrio, non abijciunt imperium, sed mutant principem: nam pro pædagogo iam ratio ni parent. *ibid.*

Vt custos assi lens puero, cauet & admonet, ne quid peccet: sic ratio semper animo præsens, non finit vsquam abire aut peccare. *In Moral.*

Vt non satis est clauus, neque frenum, nisi adsit qui arte moderetur: Ita non sufficit eloquentia ad moderandum populum: nisi accesserit sermonis moderatrix ratio. *In Moral.*

Non satis est habere corpus sanum, verum & bonæ habitudinis ac robustum sit, oportet: sic ratio non solum pura debet esse, & à vitijs immunis nisi sit & robusta *ibid.*

Ciceronis. Vt equos propter crebras contentiones præliorum ferocitate exultantes, domitoribus tradere solent, vt ijs facilioribus possint vti: sic homines secundis rebus effrenatos, sibi præfidentes, tanquam in gyrum rationis & doctrinæ duci oportet, vt perspiciant rerum humanarum imbecillitatem, varietatemque fortunæ. *lib. 1. Offic.*

Lactantij. Rectæ rationis anima tam immutare naturam status sui non potest, quam ignis aut deorsum niti, aut in transuersum, fluminis modo, flammam suam fundere. *lib. 3. c. 19 de sapientia vera.*

Seneca. Nauis preciosa dicitur, non quæ pretiosis coloribus picta est, nec cui argentum rostrum est, nec cuius tutela ebore cælata est, nec quæ fiscis ac opibus regis pressa est, sed stabilis & firma, & iuncturis aquam excludentibus spissa, ad ferendum incursum maris solida, gubernaculo parens, velox, & non sentiens ventum. Gladium bonum dices, non cui deauratus est baltheus, nec cui vagina gemmis distinguitur, sed cui ad secandum subtilis acies, & mucro munimentum omne rupturus. Regula non quam formosa, sed quam recta sit, quæritur. Eo quoque laudatur cui comparatur, quodque illi proprium est. Ergo in homine nihil ad rem pertinet quantum fœneret, à quam multis salutetur, quam pretioso incumbat lecto, quam perlucido poculo bibat, sed quam bonus sit. Bonus autem est, si ratio explicita & recta est, & ad naturæ suæ voluntatem accommodata. *Lib. 2. epist. 77.*

Quemadmodum omnis natura bonum suum nisi consummata non profert: Ita hominis bonum non est in homine, nisi cum in illo ratio perfecta est. *Seneca lib. 2. epist. 125.*

Laurenty Iustiniani patriarchæ. Tolle ab homine rationem, & erit tanquam nauis in medio æquoris absque gubernaculo ac directore. Flatibus enim nauis impulsa, nunc impetit scopulos, nunc illiditur vndis, nunc iactatur in litore sui semper patiens detrimentũ, quoadusque omni ipsius dissoluta compage, effi[...]tur inutilis, mittatque propriam formam, transfretandi vsum, vtilitatemq; commercij *de contemptu mundi c. 1.*

Plinij. Cupressi semina adeo minuta sunt, vt quædam oculis cerni non possint, & tamen in eo tanta est arbor, tam procera. Ita ratio minimum quiddam est occultũ, sed eadem maxima est si prodeat, & vim suam explicet. *Lib. 17. c. 10.*

Vt ingentia pondera, quæ nullis hominum viribus tolli possunt, machinis facile tolluntur: Ita quod vi nequeas efficere, ratione & arte facile efficias. *In Simulib.*

Themist. Res præsentes longe magis mouent quam absentes. Hinc est, quod hodie ratio cedit sensibus, nam sensus vrgentur præsentibus: ratio vero (quæ natura superior) duntaxat innititur absentibus futurorum imaginibus. *In apoph. 108.*

Quanto fortior dextra manu sinistra: tanto potior est ratio ipsa experientia. *In apoph. 112.*

Vt dexter pes semper anticipat sinistrum: Sic ratio experientiam. *ibid.*

RATIOCINATIO.

SENTENTIÆ PHILOSOPHICAE.

Ratiocinatio est oratio in qua nonnulla ita ponuntur, vt diuersum quid ab his necessario efficiatur, quia ea ita sint: quod postremo indicat nullo extremo egere externo, vt necessaria sit consecutio. *Arist. lib. 1. de 1. Resolut. c. 1.*

Perfectam ratiocinationem appello, quæ nulla alia re eget præter ea quæ in ea sumpta sunt, quo colligendi necessitas sit euidens, ac perspicua. Imperfectam, quæ vna re aut pluribus eget; quæ etiam si ad extrema concessa & substrata consequantur necessario: non sunt tamen illæ in propositionibus expressæ. *ibid.*

Est ratiocinatio, oratio in qua quibusdam positis aliud quiddam, quam quæ posita sunt, ex ijs ipsis quę posita sunt, efficitur necessario *lib. 1. Topic. c. 11.*

Est ante demonstrationem de ratiocinatione disserendum, eo quod hæc latius patet: huius enim illa pars quædam est: hæc vero totum, atque in pluribus. *lib. 1. de prima Resolut. cap 4.*

Non efficitur ratiocinatio ex complexione & propositione vna, quod si assumatur altera, fiet, *lib. 1. de prima Resolut. cap 21.*

Ratiocinationes huiusmodi sunt primæ, quæ tribus verbis per vnum quod medium est concluduntur. *lib. 3. 4. Metaphysic. cap 3. T. 4.*

Syllogismus omnis duobus pronunciatis aut pluribus constat. *lib. 2. de prima Resolut c. 20.*

Cum in syllogismis alij in toto fiunt, alij in parte: qui in toto sunt, multa semper concludunt: qui vero in parte sunt, si affirment, plura quidem concludunt: si negent, vnam tantum conclusionem colligunt. *Arist lib 2. de prima Resolut. c. 1.*

Ratiocinatio principijs generalibus & vniuersis conficitur & progreditur. *lib. 6 Ethic. c 3.*

Inductio quidem verisimilior apertiorq; est, sensuumque iudicio familiarior & notior, ac sæpius in populi ore versatur. Ratiocinatio autem magis vrget ad eosque qui contradicunt refellẽdos potentior est. *Arist. lib. 1. Topic c. 10.*

Vera quidem tum ratio [...] ratio est, cum ex quibusdam positis quippiam ab ijs, quæ posita sunt, diuersum ob id necessario sequitur: quia illa sunt anteposita: *lib. 1 de Reprehens. Soph. cap. 1.*

Est *Philosophema*, ratiocinatio necessaria: Epicherema autem ratiocinatio probabilis: Sophisma autẽ ratiocinatio [...] *Aporema* ratiocinatio in vtramque partem disserendi, *lib. 8 Topic c. 4.*

In tractandis argumentationibus per ratiocinationem peccatur, cum aliquid pluribus ostenditur, quod paucioribus potest. Quæ etiam in argumentatione reperiuntur. *ibid.*

In omni ratiocinatione necesse est extremum alterum affirmari: vnum item in toto sumi: quippe cum sine vllo toto nullus plane fit syllogismus: vel certe ad propositum non pertinebit: aut propositam initio quæstionem postulabit. *lib. 2. de prima Resolut. cap 54.*

Perspicuum est in omni ratiocinatione quippiam vniuersale esse oportere; conclusionemque vniuersalem ex amborum finibus in toto probari. *Aristotelis libro primo de prima Resolutio. capitulo 24.*

Planum est in omni ratiocinatione, aut pronunciata ambo complexioni similia esse necessaria, vel certe alterum non modo in quã, quia aiat, aut neget: quin & qua necessarium sit, vel absolutum, vel accidens. *Idem lib. 1. de 1. Resolut. c. 54.*

Constat omnem in vniuersum demonstrationem, omnem item ratiocinationem ex tribus tantum finibus strui. Quod cum plane intelligatur, perspicuum quoque est, duobus tantum pronunciatis eam constare, non pluribus quippe cum tres fines duo tantum pronunciata efficiant, nisi quippiam extrinsecus accidat ad perficiendam ratiocinationem, vt ab initio à nobis dictum est. *lib. 1. de 1. Resolut c. 56.*

Luce clarius apparet in qua ratiocinatione pronunciata ea nõ sunt paria, ex quibus principalis conclusio efficitur, eam, inquam argumentationem aut nihil collegisse, aut plura postulasse, quam quæ ad quæstionem necessaria essent. *ibid.*

Necesse est demonstrationem ac ratiocinationem per tres illas figuras, quas exposuimus, effic. *lib. 1 de 1 Resolut. cap. 13*

In ijs ratiocinationibus quibus ad[...] [...] ostendit[...], nunquam medium extra extrema accipi potest. In ijs vero quæ negationem concludunt, in hac quidem figura prima nil etiam extra conclusionis attributum accipietur. *lib. 1 de Demonstrat. cap. 19. T. 38.*

In ratiocinationibus essentia principium est omnium: ex eo enim quod quid est, ratiocinationes sunt. *Metaphys. libro 6. capitulo 9. Tex. 31.*

Vt plus quam vna negatio in ratiocinatione sumatur, fieri negamus. *lib. 1. de Demonstr. c 21. T. 40.*

Omnis ratiocinatio vnum alteri conuenire per medium ostendit. *lib 2. de Demonstr. c. 4. T. 3.*

Omnis ratiocinationis vis posita est ex ijs, ex quibus constat sumptionibus. *lib 1. de Demonst. c. 2 T. 5.*

Quotiescunque nihil necessario colligitur, ex ijs sane ratiocinatio non fuerit. *lib. 1. de 1. de Resolut. c 4.*

Ne ratiocinatio quidem fuerit vbi primum in medio nullo reperietur: simul & hoc in postremo nullo. *libro primo de 1. Resolutio. cap. 4.*

Hoc loco nobis exponendum est non Dialecticas modo ratiocinationes ac Demonstrationes per figuras superiores effici: sed oratorias, ac omnem probationem in quauis oratione docendi. Res enim omnes probamus aut ratiocinatione, aut inductione. *lib. 2. de Resolut. c. 23.*

Illud quidem ex ijs quæ dicta sunt efficitur, nec demonstratione, nec vlla necessaria conclusione, quid quæque res sit probari posse: nihilominus tamen per aliquam demonstrationem & ratiocinationem apertum fieri quid res sit: *libro 2. de Demonstr. capitulo 5. T. 8.*

Sunt numero paria, & ea ex quibus argumentationes constant, & ea in quibus ratiocinationes versantur: quippe cum probationes ex propositionibus conficiantur, & ratiocinationes quæstionibus sint. *lib. 1 Topic. c. 3.*

Ratiocinationum essentia rei principium est. *Metaphysic. libro 12. cap. 4.*

Eorum

eorum omnium quæ vel medio continentur, vel conclusione vna est & eadem ratiocinatio: si hęc in conclusione ponantur, illa in medio, *lib. 2. de 1. Resolut. cap. 1.*

Potest fieri vt pronunciata vera sint ea, quibus constat ratiocinatio, nonnunquam etiam falsa: alterum vt verum sit, alterum falsum. *Lib. 2. de Resolut. cap. 2.*

Neque ratiocinatio efficietur, si pro habitu sumas res eas, quę ab habitu appellationem habent, vt si pro sanitate sanum collocetur, pro morbo ægrum. *lib. 1. de 1. Resolut. c. 36.*

Quoties aliquid ratiocinatione concludimus, non sumimus quid sit ratiocinatio, quandoquidem est ita semper affecta vnaquæque propositio, ex qua constat ratiocinatio ad alteram: vt illam veluti totum, aut veluti illius pars quædam respiciat. *lib. 2. de Demonstra. cap. 6 T. 5.*

Dialectici aut ratiocinatione, aut inductione disserunt. Veraque enim argumentatione ex ijs quę ante cognita sunt id quod quæritur, docetur. Illa quidem acceptis quibusdam quasi perceptis & cognitis ab ijs quibuscum disputatur, Hac vero, ob id quod res vniuersa efficitur per singularia, quę sunt vnicuique manifesta. *lib. 1. de demonstrat. c. 1. T. 1.*

Is qui scite ratiocinatur & concludit rebus non dubijs & perspicuis: id quod dubium est, aperit & ostendit. *lib. 8. T. c. 3.*

Eiusdem est tam quod credibile est, quam quod credibile videtur perspicere, vt Dialecticæ tam syllogismum, quam apparentem syllogismum. *Arist. lib. 1. Rhetoric. ad Theodect. c. 1.*

REBELLIO.

LOCI BIBLICI.

Rebellio dânatur. *Deut. 21. ver. 27. 1. Sam. 15. 23.* Rebellionis merces. *Esa. 45. 34.*

Rebelles in Mosen comburuntur, *Num. 16. v. 35.* Rebelles Israelitę, *Deut. 9. 24. & 31. 27.* Core, &c. *Num. 16. v. 1.*

EXEMPLA BIBLICA.

Rebellionis *exempla:* Israelitæ, *Exod. 16. vers. 20. Numer. 14. 4. & 26. 9. Deuter. 9. 23. 24.* Core, Dathan & Abiron, *16. 1. 2. 14.* Ierobnam, *1. Reg. 11. 26.* Zambri, *16. 9. 16.* Serui Benadad, *20. 32.* Osee, *2. Reg. 17. 4.* Ioachim, *25. 5.* Sedecias, *v. 20. 2. Paral. 36. 13. Ezech. 17. 15. 16.* Edom, *2. Paral. 21. 8. 9. 10.* Iudæi. *1. Esdr. 4. v. 12.* Subditi Alexandri, *1. Machab. 11. v. 14.* Philippus, *2. Machab. 13. v. 23.* Minatur etiam Deus se fame, peste, & gladio perditurum Sedeciam & populum Iudaicum, aliasque omnes gentes, quæ detrectent seruire regi Babel, *Iere. 27. 8. Ezech. 17. 15.* Alter Hebræorum litigantium, *Actor. 7. 27.* Israelitæ, *Rom. 10. 21.*

Rebellis dicitur, qui semel & iterum victus, atque in deditionem receptus, malitiose bellum instaurat, & legitimo domino obedire recusat. Is varijs nominibus, peruicaciam suam pingentib. ab Hebræis traducitur, vt à Latinis appellatur, apostata, defector, proditor, perfidus, &c.

RECONCILIATIO.

DEFINITIO, ET ETYMOL.

Reconciliatio, Græce καταλλαγὴ, διαλλαγὴ, & διαλλακτὴς reconcilio dicitur. Est autem reconciliatio amicitiæ reparatio. *secund. 6. Thom. 4. sent. dist. 15. q. 1. art. 5.* Venit autem reconciliatio à reconciliare, quod est in gratiam restituere, quoties, (.amici qui interposita aliqua offensa, aliquandiu inimici fuerint, in pristinam redeunt beneuolentiam & familiaritatem. Venit autem a concio, *quæ quid sit, vide supra in Concio.* Hinc sit concilium, multitudo populi consulendi gratia congregata, à quo conciliabulum locus in quo concilium congregatur.

LOCI BIBLICI.

Reconciliatio cum Deo per Christum, *Rom. 5. versic. 10. 11. Corinth. 5. v. 18. 19. Colossi. 1. vers. 20. 21.* Reconciliatio cum fratre præcipitur, *Matth. 5. 24. Luc. 5. v. 16.* Reconciliationis seu expiationis dies, *Leuit. 23. 27.*

PATRUM SENTENTIAE.

Si absens est, vade non pedib. corporis, sed animo humili te prosterne in conspectu eius, cui obtulisti es: si præsens est, reuocandus est ad mortem ab eo veniam petendo, si cum læsisti vel si te læserit, dimittendo cordis rancorem. *August. in Matth. 5.*

Sciendum quod ille recte delicti sui veniam postulat, qui prius hoc, quod io ipso delinquitur, relaxat. Munus enim non accipitur, nisi ante discordia ab animo pellatur, dicente veritate, Si offers munus tuum, &c. Qua in re pensandum est, cum omnis culpa munere soluatur, quam grauis est culpa discordię, qua nec munus accipitur, nec proximus reconciliatur. Debemus itaque ad proximum quamuis longe positum longeque disiunctum mente ire, eique animum subijcere, humilitate ac beneuolentia placere, *Gregor. dial. lib. 4.*

Si cogitatu offendisti, cogitatu reconciliare: si verbis, verbis, si factis. Non enim quem factis læsisti, sine factis placaueris. Sine causa oras Deum, sine causa eleemosynas facis de rebus, quibus alios spoliasti. Quid enim prodest, si vnus ad Deum pro te orat, & alius aduersum te Deum interpellet iuxta illud Ecclesiastici 34. Dona iniquorum non probat Altissimus, *Chrysost. hom. in Matth. 5.*

Frustra propitiari sibi Deum quærit qui cito placari in proximum negligit. *Ibid.*

Si tantummodo non lædas eum, qui te læsit, auertas tamen te ab eo, nec libenter eum videas, manet sine dubio vulnus in pectore, & dolor augescit in corde. Quod si est, nondum vtique, quod Christus mandauit, expleuit. Nunquid tu ita vis propitium tibi fieri Deum, vt non te quidem lædat, auertat se tamen à te, & peccatorum tuorum memoriam teneat, & videre te nolit? Igitur qualem vis erga te esse Deum, quum delictorum veniam poscis, talem te exhibere debes his qui deliquerunt in te. *lib. de compunctione cordis.*

Si ad mensam cuiusque potentis hominis, nemo præsumit cum sceissis vestibus & inquinatis accedere, quanto magis à conuiuio æterni regis, id est, ab altari domini debet se vnusquisque inuidiæ, vel odij veneno percussus, iracundiæ furore repletus, cum reuerentia & humilitate subtrahere, propter illud quod dicitur: Vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum. Et iterum: Amice quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem? *August. in serm. consecrationis Eccles.*

SENTENTIAE POETICAE.

Plaut. in Amph.

Nam in hominum ætate multa eueniunt huiusmodi,
Capiunt voluptates, mox rursum miserias.
Iræ interueniunt, redeunt rursum in gratiam.
Verum ira si qua forte eueniunt huiusmodi
Inter eos, rursum si reuentum in gratiam est,
Bis tanto amici sunt inter se quam prius.

Terentius.

Amantium iræ, amoris redintegratio est.

SENTENTIAE PHILOSOPHICAE.

Dissensio ab alijs, a te reconciliatio incipiat, cum ignoscis, ita beneficium tuum tempera, vt non ignoscere videaris, sed absoluere, quia grauissimum pœnæ genus est, contumeliosa venia. *Seneca lib. de Moralib.*

APOPHTHEGMATA.

Euclidi cum fratre simultas erat: Is quum minitans dixisset,
Dispeream ni te vltus fuero: Euclides contra. Dispeream (inquit) ni tibi persuasero. Hoc dicto soluta est simultas, & reditum est in gratiam. *P. M. lib. 6. apoph.*

M. Crassus. Quum Pompeius & Crassus in consulatu collegæ decessuri essent magistratu, sibi visum io somnia, Iouem iussisse ne prius se magistratu abdicarent, quam in gratiam redissent. Idem flagitante populo, Pompeius nihil motus est: at Crassus surgens, viro collegæ dexteram porrexit, dicens: Nihil, ô Quirites, me indignum facturus mihi videor, si prior cum Pompeio in gratiam rediero, quem vos etiamnum impuberem Magnum cognominastis, eique prius triumphum decreuistis, quam in senatum allectus esset. *Plut. in Crasso.*

Cicero. Crassus in Syriam profecturus, malens Ciceronem amicum quam inimicum relinquere, officiose salutato dixit, se apud illum velle cœnare: quem Cicero alacriter excepit. Post aliquot dies quidam amicorum egerunt apud Ciceronem, vt cum Vatinio quoque rediret in gratiam. Num, inquit, & Vatinius mecum cœnare vult? Significans, illum cœnam ambire potius quà amicitiam. *P. M. lib. 4. apoph.*

Ludouicus XII. Gall. Rex. Anna regina eius vxor, acrius & sæpe apud eum instabat, & tandem se adepturam sperabat, vt Claudiam filiam (postea Francisci Valesij coniugem) desponderet Carolo V. Maximiliani Cæsaris nepoti. Sed rex sapientissimus, veluti præsagiens inter Hispanos & Gallos nullam posse iniri reconciliationem, imo discordes perpetuo fore: Tu vis, inquit, fędus ferire inter feles & mures. *Ex lib. facete dictorum à Ludouico, qui commentarijs Æneæ Siluij de dictis & factis Alphonsi adiunctus est.*

SIMILITUDINES.

Nazianzen. Veluti si quis ramum arboris in aliam partem vi detorqueat aut inflectat, cum forte remiserit, in id quod fuerat ad matris pectus recurrit, & naturæ prioris obtinet locum, atq; often dit quod violenter quidem declinatus fuerit, non tamen redierit violenter: Ita qui contra naturā aut debitum segregati fuerunt, aut discessi, quanto diffusius separati fuerint, tanto ardentius & instantius adiuuantur. *Lib. 7. de reconciliatione.*

Casus*terit*

Cassiteris, id est, stanoom aut plumbum album, æs ruptum ferruminat, vtcumque contingens propter affinitatem, quam habet cũ vtroque: Ita amicus amicitiam, ac beneuolentiam disruptam reconciliare debet, vtrique se accommodans ex æquo. *Plutarch.*

Ignis facile accenditur in paleis, & pilis leporinis, sed idem mox extinguitur, si nihil addas: Sic iræ amantium, aut nuper coniugatorum, si nemo se admiscuerit. *Plut.*

Vt Crystalli fragmenta sarciri nullo modo possunt: Ita difficillimũ eos reconciliare, qui ex arctissima familiaritate in mutuum odiũ venerint. *ibid.*

Exempla Biblica.

Reconciliationis cum proximo offenso *Exempla*: Iudas, *Genes.* 38 *v.* 26. Fratres Ioseph, 50. *v.* 17. 18. 19. 20. Pharao *Exod.* 10. *ver.* 16. 17. Israelitæ, 1. *Sam.* 12. *v.* 18. 19. Semei, 2. *Sam.* 19. *v.* 19.

Vide Amicitia, & Venia.

RECORDATIO.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Recordatio est eorum, quæ in memoria existebant, quæ quasi collapsa, ac pene obliterata erant, resumptio, & instauratio.

Recordatio est notio rei alicuius à natura nobis ingenita, qua facile quædam percipimus, cum veris assentimur, & rerum diuersarũ formas ingenij dexteritate magna percipimus, earumdem recordari videmur, quæ mentis dexteritas Notio dicitur: & est quasi lux quædam mentis ad res percipiendas accommoda, qua illustratus animus solum natura duce, vel sine doctore multa cognoscit, vt Deum esse, vel res à magistris traditas facile percipit. *Sebastian. Foxius in Platonis Phædonem.*

Loci Biblici.

Vt recordemur beneficiorum Dei, exhortatio, *Deut.* 8. 2. Recordatur Deus nostri, cum nos liberat, aut aliquid donat, *Genes.* 30. *vers.* 29. 1. *Sam.* 1. *v.* 11.

Sententiæ Philosophicæ.

Recordatio tum denique accidit, & efficitur, cum motus vnus animi eam vim habet, vt alterum consequatur. *lib. de Memor. & Recor. cap.* 1.

Cum recordatur homo quodammodo potest per se moueri ad ea, quæ principium sequuntur: cum non potest per se, sed aliena vi, & ope eget, non iam meminit. *ibid.*

Facile eorum recordamur, quæ sæpe cogitamus. *ibid.*

Recordatio in nullo alio animantium, quæ nota sint, nisi in homine, reperitur, propterea quod recordatio ratiocinatio quædam est. *ibid.*

Recordatio memoriæ, receptio, aut susceptio non est.

Recordatione plus valent celeritate ingenij præditi, & dociles homines. *lib. de Memor. c.* 1.

Quæ in recordatione, & expectatione consistunt, a sensu etiam oriuntur: aut enim eorum, quæ ipsis euenerunt, recordatione homines lætantur: aut eorum, quæ sperant expectatione. *li.* 7. *de Nat. cap.* 3. *T.* 19.

Recordationem ponit Plato, Aristoteles præexistentem cognitionem in intelligendo, in qua re nulla est dissensio.

Recordatio etsi existat, tamen nihil in lucem educi potest, nisi sensuum perceptione.

Recordatio partim fit à simili, partim à dissimili, & cum à similibus recordatur, cogitat an hoc deficiat secundum similitudinem, aut non ab eo cuius recordatus est. *Plat. in Phæd.*

Recordatio est maxime cum alicui viso aliquo alterius quis meminit, cuius per tempus, & eo quod diu non conspexit oblitus est. *Idem, ibid.*

Recordatio fit cum quis aliud quid viderit, vel audierit, aut aliquo sensu perceperit, & non solum illud cognouerit, sed etiam de alio cogitauerit, cuius non eadem est scientia, sed alia. *ibid.*

Recordatio est cum anima ipsa in se ipsam resumit absque corpore, quod cum corpore anima pertulit, & cum deperdita memoria, seu sensu rei, quam didicit anima in se ipsa vertat. *Plat. in Phil.*

Recordatio non fit nisi quis prius hoc aliquando sciuit. *Idem ibid. Plat. in Phed.*

Recordatio est sapientiæ deficientis influxio. *Idem, de leg. dialog.* 5.

Recordari est repetere ipsam in se ipsum scientiam. *De virtut.*

Recordatio accommodatur rebus deliberatiuis, hoc est, ijs quæ præceptis artificialibus, & theorematibus percipiuntur. *Chalc. in Tim. Plat.*

Recordatio, vt ait Plato, est sapientiæ deficientis influxio, quæ influxio, tum à corpore, seu rebus corporeis, tum à virtute separata, eueni[?]. *Gabriel Buratelus de reminiscentia, lib.* 4.

Vide Contemplatio, Memoria, Oblivio.

RECREATIO.

Sententiæ Poeticæ.

Lucanus ad Pisonem.

Nec enim facundia semper
Adducta cum fronte placet: nec semper in armis
Bellica turba manet: nec tota classicus horror
Nocte diéque gemit: nec semper Gnossius arcu
Destinat excepto sed laxat cornua neruo:
Et galeam miles caput, & latus ense resoluit.

Idem.

Ignea quin etiam Superum pater arma recondit,
Et Ganymedea repetens conuiuia mensa,
Pocula sumit ea qua gessit fulmina, dextra.

Horat. 2. Serm. 6.

Quo bene, circa
Dum licet in rebus iucundis viue beatus.

Persius 5.

Indulge genio carpamus dulcia: nostrum est,
Quod viuis: cinis, & manes & fabula fies.

Martialis 7.

Viue velut rapto fugitiuaque gaudia carpe:
Perdiderit nullum vita fenerata diem.

Idem 10.

Gaudia tu differs: at non & stamina differt
Atropos, atque omnis scribitur hora tibi.

Tibullus 1. 8.

At tu, dum primi floret tibi temporis ætas,
Vtere, non tardo labitur illa pede.

Sen. Herc. fur.

Post multa virtus opera laxari solet.

Stat. 4. Sil. 4.

Nostra fatiscit
Laxaturque chelys, vires instigat, alitque
Tempestiua quies, maior post ocia virtus
Talis cantata Briseide venit Achilles
Acrior, & positis erupit in Hectora plectris.

Apophthegmata.

Anaxagoras publice decretis honoribus animo magno repudiatis, id sibi omnino postulasse commemoratur, vt quo die mortem obiret, pueris, qui disciplinis, & artibus operam darent permitteretur feriatos ociari, & ludere. Sensit enim vir doctissimus, ingenia adolescentium nimio studio frangi, refocillatione autem, aut recreatione ad nouos labores agiliores fieri. *Plut. in Politicis.* Vel potius ratione sibi famam comparare curauit.

Amasis Ægypti rex ab amicis reprehensus, quod perfunctus negocijs forensibus potaret, omnique voluptatum genere solueretur, respondit: Qui arcus habent, eos non intendere nisi quum opus est: quos si semper intendant, rumpendos esse, ac ne tum quidem fore vsui, quum exigit vsus. Ita qui nulla relaxatione curas suas soluunt, aut mente captos, aut corpore male affectos euadere. *Brus. lib.* 4. *c.* 18.

Similia.

Plutarchi. Vt sunt vices somni, & vigiliæ, noctis & diei, tempestatis, & serenitatis, belli & pacis: Ita labores leuandi ocio, & lusibus. *In Moralibus.*

Lyram & arcum remittimus, quo melius possint tendi: Ita recreandus ocio animus, vt ad labores reddatur vegetior. *Idem, ibid.*

Auriga non semper adducit habenas, sed aliquando remittit: Ita pueris nonnihil indulgendum. *ibid.*

Vt arcus tensus rumpitur: Sic animus remissus frangitur. *Apud P. M.*

Ciceronis. Quemadmodum volucres videmus procreationis, atque vtilitatis suæ causa fingere, atque construere nidos, easdemque autem cum aliquid effecerint, leuandi laboris causa passim, ac liberis solutas opere volitare: Sic nostri animi, negocijs, atque opere defessi gestiunt, & volitare cupiunt, vacui cura, & labore. *lib.* 2 *de Oratore.*

Seneca. Quemadmodum cælator oculos diu intentos, ac fatigatos remittit, atque reuocat, & (vt dici solet) pascit: Sic nos animum aliquando debemus relaxare, & quibusdam oblectamentis reficere, sed & ipsa oblectamenta opera sint, ex his quoque si obseruaueris, sumes quod possit fieri salutare. *lib.* 2. *epist.* 59.

Plinij. Vt nouales licet alternis interquiescant annis, tamen eam cessationem vbertate compensant: Ita relaxatio ingeniorum me-

diocris

diocris facit, vt ad studia reuersi, plus efficiamus vigore animi, licet breuiore temporis spacio. *lib.16.c.16.*

Vide Labor, Otium, Quies.

REDEMPTIO.

LOCI BIBLICI.

Redemptio, pro redemptionis signo aut indicio, *Exod.* 8.23. Redemptio per Christum facta, *Matth.* 20.27. *Marc.* 10.45. *Act.* 28. 28. *Rom.* 3.24 *&* 4.25. *&* 5. *v.* 6.9. *&* 8.1.1. *Cor.* 1.30. *Ephes.* 2.7. *Coloss.* 1.14.1. *Thess.* 1.10.1. *Tim.* 26. *Heb.* 9 12.1. *Pet.* 1. *v.* 18.19.2. *Petr.* 21. *Apoc.* 3.9. Redemptionis nostræ finis, *Luc.* 1. *v.* 74.75. *Eph.* 1. *v.* 4. 5.6. *Tit.* 2.14. *Heb.* 9.14. Redemptio Corporis nostri vocatur liberatio à corpore (id est, dissolutio) *Rom.* 8.23. quæ fit, vt spiritus à corpore liberatus, a Christo recipiatur, *vt Rom.* 14. *Phil.* 1.23. vel illa corporis ipsius instauratio, quæ futura est nostræ adoptionis consummatio, *Luc.* 21.28.

Redemptio noster Christus, 1. *Cor.* 1.30.1. *Timoth.* 2.6.

Redimere nouit Deus suos multis modis ex angustia, *Gen.* 19.1. *&c.* *Exod.* 14. *&c.* 18.6.1. *Sam.* 23. *v.* 14.26.2. *Reg.* 7.1. *&c.* 2. *Par.* 18.31. *&* 20.24.1. *Esd.* 8.22. *Esth.* 7.5 *Psal.* 4.9. *&* 91.9. *Esa.* 41.10. *&* 43.1. *Daniel.* 3.91. *&* 6. *v.* 21.23.2. *Pet.* 2.9.

SENTENTIAE BIBLICAE.

Redemptio à peccatis.

Domine adiutor meus, & redemptor meus. *Psal.* 28.

Redemptionem misit Dominus populo suo. 111.

Quia apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio, Et ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus eius. 130.

Ecce enim in iniquitatibus vestris venditi estis, & in sceleribus vestris dimisi matrem vestram, quia veni & non erat vir, vocaui & non erat qui audiret. Nūquid abbreuiata & paruula facta est manus mea, vt non possim redimere? aut non est in me virtus ad liberandum? *Esa* 50.

Solue vincula colli tui captiua filia Sion. Gratis venundati estis, & sine argento redimemini. *Esa.* 52.

Dignus es Domine accipere librum. & aperire signacula eius: quoniam occisus es, & redemisti nos Deus in sanguine tuo. *Apoc.* 5.

Gaudete & laudate simul deserta Hierusalem, quia consolatus est Dominus populum suum, redemit Hierusalem. *Esa.* 52.

Qui dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, *Tit* 1.

Vide Christus, Passio.

REFVGIVM.

LOCI BIBLICI.

Refugium nostrum Deus, 2. *Sam.* 22.3. *Ps.* 9.10. *&* 18.3. *&* 49. *&* 94.22. *&* 144.2. *Ierem.* 16.19.

Refugij ciuitates, *Exod* 21.13 *Nu.* 35.11. *Deut.* 4.41. *&* 19. *v.* 2.7. *Iosu.* 20.1. *&c.* 1. *Reg.* 1.50. *&* 2.28.

ADAGIA.

Abdera pulchra Teiorum colonia.

Strabo lib. Geographiæ 14. tradit Teios, cum Persarum contumelias ferre non possent, vrbe relicta Abderam Thraciam vrbem demigrasse. Atque hinc illud vulgatum fuisse, Ἄβδηρα καλὴ Τηΐων ἀποικία. Id est, *Abdera pulchra Teiorum colonia. Hoc Ænigmate significamus, non deesse quo confugiamus: si quis præter modum pergat esse molestus.* Germani solent canere. Die Vvelt ist noch vvett genug. Die Vvelt ist noch nich zu einem Betzermeel vvorden. In andern landen ist auch gut Brot essen.

Ne si ad Iouis quidem aulam, οὐδ᾽ ἂν πρὸς αὐλὰς Ζηνός.

Qui metuunt malum ad asylum confugiunt, verum a morte nullum est effugium. Prouerbij species est in illis verbis. Ne ad Iouis quidem atrium, quod pro tutissimo refugio posuit Sophocles.

FABVLA.

Exagitatus à canibus ad boues confugit ceruus, orans vt se tegere velint, & apud se delitescere patiatur. Non repudiant preces illius boues, sed monent, vt de tutioribus latebris sibi prospiceret, alioqui vereri se, ne in stabulo deprehendatur. Oēs periculū subiturum affirmantes, recipiunt, & fœno atq; stramine obruūt. Aduenit paulo post villicus, & negligenter ad boues se recipit atq; abit. Lætus ceruus se oē discrimen euitasse sperat, sed cognoscit à bobus, mox affuturum ipsum villæ & agrorum dñm, cuius diligentiam & inspectionem si euaserit, tum sibi certo salutem posse polliceri. Venit igitur paterfamilias, & ob male curatos boues indignatur, & quo quidq; conditum ac repositum loco sit, cognoscit & aspicit, ad pleraq; etiam manus ipse admonet. Inter hanc curam & attentionem apparent cornua cerui, & ipse latēs intra stramenta, & à gaudente patrefamilias capitur.

Fabula docet, qui ad alienos confugiant, si seruentur, singulare hoc fortunæ beneficio fieri, itaque malum haud fere euadere. Docet etiam, diligentem curam & considerationem rerum suarū vnicuiq; esse fructuosam, & nisi aspectu heri domus illustretur, omnia esse in caligine & tenebris, sin hanc Æschyli sententiam: Est domus oculus assidua heri in domo præsentia. Et præclare Plinius hoc scripsit. Ita est profecto, opera impensa cultura constat. Et ideo maiores. fertilissimum in agro oculum domini esse dixerunt: eademque sententia ex Aristotele citatur.

REGENERATIO.

LOCI BIBLICI.

Regeneratio Dei opus est. *Esa.* 19.26. *&* 43.1. & 44. *v.* 2.3.21.10. 1.13. *Eph.* 1.19. *&* 2.10.1. *Pet.* 1.3. interdum tamen ad ministerij commendationem hominibus tribuitur, 1. *Cor.* 4.15. *Phil.* *v.* 10. Paulatim fit, *Io.* 13.10. *Ephes.* 4.15. regeneratio necessaria est. *Gal.* 6.15. *Ephes.* 4.22. *Iac.* 1.18 1 *Pet.* 1.23. *&* 2.24. Regeneratio est immutatio carnis in spiritum, *Io.* 3.1. carnalium affectionum in spiritualem affectum, *R.* 8. *v.* 5.13. infidelitatis in fidem, *Io.* 1.12. *Gal.* 3.26.1. *Io.* 5.1. innouatio mentis per spiritum sanctum, *Tit.* 3.5. *Gal.* 4.6. atque adeo carnalis naturæ in diuinam naturam, 2. *Pet.* 1. 4. *Coloss.* 2.11. vt qui mali sumus sanctificemur. 1. *Corinth.* 6.11. *Eph.* 5.8.

Capitur regenerationis vocabulum, & pro illa iudicij extremi die, qua incipient electi nouam vitam viuere, id est, cum animo & corpore fruentur hæreditate illa cœlesti, *Matth.* 19.28. in futuro sęculo. Aut, si cum verbo, fecuti estis, coniungatur regenerationis vocabulum, apud Matthæum. *Math.* 19.28. regenerationis nomine ipsa Euangelij prædicatio erit intelligenda, quia tum veluti de integro conditus est mundus, cum illud Christus ipse in terras attulit.

Regenerationis nostræ finis. *Col.* 3 10.1. *Ioan.* 3.9.

Regenerati interius, etiam exterius in nouitate vitæ ambulare debent, *Rom.* 6.1. *&c.* *&* 7.6. *&* 12.1. *Ephes.* 4.22. *Col.* 3.9.1. *Cor.* 5.7.2. *Cor.* 5.15.1. *Pet* 4 2.

Vide Baptismus.

REGNVM.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

Regnum, Græce βασιλεία. et. à βασιλεύω, regno, & βασιλεύς, rex dicitur, vn regnatiua prudentia, quæ dirigit principē in ordine ad regnum. *secund. B. Tho.* 2.2. *q.* 50. *art.* 1. Regnum Heb. *Malchuth*, à verbo *malach*, regnauit: rex *Melech*. vel *Molech*. Regnum a regendo dicitur, ideo qui alios sub sua prouidentia habet, regnum dicitur habere, *Ex B. Tho.* 4. *Sen. dist.* 49. *q.* 1. *art.* 1.

LOCI BIBLICI.

Regnum cœlorum pro publica Euangelij prædicatione, *Matt.* 13. *v.* 24 44.47.52. *&* 16.18. *&* 20.1. *Secundo*, pro Ecclesiæ renouatione, *Matth.* 3.2. *&* 4.17. *&* 5.19. *&* 10.7 *&* 11.11. *&* 18.32. & 22.2. *Tertio*, pro rebus spiritualibus & cœlestibus, *Matt.* 13.11. *Quarto*, pro vita cœlesti ac æterna, *Matth.* 16.19. *&* 18. *v.* 1.3. *&* 19. *v.* 14. 23. *&* 23.13. *&* 25 34. *&* 26.29. *Luc.* 12.30. *Quinto*, pro officijs pietatis, *Matth.* 18.12. *sexto*. pro Ecclesia militante, & ministerio pastorum egente, *Matth.* 5. *v.* 19.20. quæ bonis mixta ac malis mixta est, quod adumbrauit Christus similitudinibus: *Matth.* 13 24. *&c.* agri scatentis lolio reticuli dominici. in quo cum bonis piscibus sordis sunt mixtæ. *v.* 47. Dicitur autem Ecclesia in his terris militans, regnum cęlorum, quia à Deo cęlesti modo regitur & administratur: & quia eius ciues, contemptis rebus mundanis ad cęlestia aspirant, illa meditantur & docent alios. *Septimo*, pro ipsa Dei recognitione thesauri absconditi nomine significata, *Matth.* 13.44. *Octauo*. pro externa professione Christianismi, *Rom.* 14.17. *Nono*. pro cœlo ipso & beatorum statu in cœlo post hanc vitam, *Matth.* 19.24. *Luc.* 13.29.

Regnum Christi æternū. 1. *Par.* 17. *v.* 12.14. *Psal.* 45.8. & 89. *v.* 4.35. 37. *Esa.* 9.7. *Dan.* 2.44. *Luc.* 1.33. *Heb.* 1.8. Traditurus ergo est Christus regnum Deo & patri, 1. *Cor.* 15.24. vltimo illo die quo profligatus omnibus ad vnum hostibus, omnes quos à patre gubernandos accepit, illi veluti in manus tradet, æterna gloria coronandos. Non quod abdicet se regno, sicut nec pater se abdicauit regno, cum illud traderet Filio, *Ps.* 2. *v.* 6.8.9. *&c.*

Regnum Dei spirituale, internum & æternum, *Gen.* 49.10. *Nu.* 24. 17. *Sam.* 2.10. *&* 7. *v.* 9.1. *Par.* 18.11. *&* 29. *v.* 4. *Psal.* 2 *v.* 2.6. *&* 9.8. *&* 22.28. *&* 45.7. *&* 72.1. *&* 110.1. *&c.* *&* 145.11. *Esa.* 9.6. *&* 11.2 *&c.* *&* 32.16 *&* 49. *&* 42.2. *Ierem.* 23. *v.* 5.6 *&* 33.1. *&c.* *Ezech.* 34. 23. *&* 37.24. *Dan.* 2.44 *&* 4.33. *&* 7. *v.* 14. 7. *v.* 9. *v* 24.25. *Psal.* 2 5. *Mich.* 4. *&* 5.1. *Zach.* 9.9. *Matth.* 13 1. *&c.* *Luc.* 1.28. *&* 12. *v.* 31.32 *&* 22.9. *&* 23.2. *Ioan.* 6.14. *&* 12. *v* 14.34 *&* 18. *v.* 33.36.1 *Tim.* 1.17. *Heb.* 1.8. *&* 2 9 Regnum Dei vim patitur, *Matth.* 11.12.

Regnum Israel calamitosum futurum, 2. *Par.* 15. 3. Regni Salomonis diuisio prædicitur, 1. *Reg.* 11. *v.* 11. 31. Regni bene instituti descriptio, *Esa.* 32. 1. Regni inuasio iniusta, eiusque pœna: Absalon, 2. *Sam.* 15. 4. *&* 18. 6. Adonias, 1. *Reg.* 2. *v.* 22. 23. 24. 25.

Regna & imperia omnia in manu Dei, 1. *Reg.* 11. 31. *Iob* 12. 18. *&* 34. 18, *Dan.* 4. *vers.* 14. 12. Regna & imperia Deus transfert & mutat, *Iob* 34. 24 *Dan.* 2. 21. *&* 4. *v.* 14. 19 *Ier.* 27. *ver.* 5. 6. *Exempla:* Regnum Saulis ad Dauidem, 1. *Sam.* 16. *v.* 1. 13. 1. *Par.* 10. *v.* 13. 14. Regni Roboami pars ad Ieroboamum, 1. *Reg* 11. 13 *&* 12. *ver.* 21. 22. 23. 24. Regnum Iuda ad Nabuchodonosorē, *Ier.* 27. *v* 4. 5. 6. 7. 8. Regnū Nabuchodonosoris ad Darium Medum, *Dan.* 2. *v.* 20. 21. *&* 4. *ver.* 11. 22. Regnum Balthasaris ad Darium Medum, 5. 31. De quatuor regnis mundi, *Dan.* 7. 1. *&c.*

Regnum Euangelicum vocatur felix illa de regno cœlorum nunciatio, *Matth.* 24. 14. Regnum Satanæ vocatur tyrannis illa, quam in homines exercet, *Matth.* 12. 26.

SENTENTIAE BIBLICAE.

Regnum terrenum peccato dissipatur.

Rex insipiens perdet populum suum, & ciuitates inhabitabuntur per sensum prudentium. *Eccl.* 10.

Ecce oculi Domini super regnum peccans, & conteram illud à facie terræ. *Amos* 9

Regnum Dei gratiose proponitur.

Simile est regnum cœlorum homini, qui seminauit bonum semen. *Matth.* 13.

Simile est regnum cœlorum grano sinapis. *ibid.*

Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro. Iterum: Simile est regnum cœlorum homini negociatori. Iterum: Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare. *ibid.*

Ecce regnum Dei intra vos est. *Luc.* 17.

Non enim in sermone est regnum Dei, sed in virtute. 1. *Cor.* 4.

Deinde finis, cum tradiderit regnum Deo, & patri. 15.

Virtuose percipitur.

Quærite ergo primum regnum Dei, & iustitiam eius *Matth.* 6.

A diebus autem Ioannis Baptistæ vsque nunc, regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. 11.

Simile est regnum cœlorum homini patrifamilias. Conuentione autem facta cum operarijs ex denario diurno, misit eos in vineam suam. 20.

Calicem quidem meum bibetis, sedere autem ad dexteram meam, vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à patre meo. *ibid.*

Qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum Filij dilectionis suæ, in quo habemus redemptionem, & remissionem peccatorum. *Coloss.* 1.

Nam si commortui sumus, conuiuemus: si sustinebimus, & conregnabimus. 2. *Tim.* 2.

Vitiose negligitur.

Dico autem vobis, quod multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob, in regno cœlorum, filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores. *Matt.* 8.

Amen dico vobis, quia publicani, & meretrices præcedent vos in Regno Dei. Venit enim ad vos Ioannes in via iustitiæ, & non credidistis ei, publicani & meretrices crediderunt ei. 21.

Simile est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo. 22.

Simile est regnum cœlorum decem virginibus, &c. 25.

Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos. Et misit seruum suum hora cœnæ dicere inuitatis, vt venirent, quia parata sunt omnia. Et cœperunt simul omnes excusare. *Luc.* 14.

An nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare: neque fornicarij, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnū Dei possidebunt. 1. *Cor.* 6.

Fructuose stabilitur.

In diebus autem regnorum illorum suscitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur. *Dan.* 2.

Et dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. *Luc.* 1.

PATRVM SENTENTIAE.

Recta domus, vbi vir imperat, fœmina obtemperat. Rectus ergo ille homo, vbi spiritus imperat, caro seruit. *Aug. in epi.* 1.

Omnia indigent Domino, & misera, & fœlicia, quia sine illo miser non subleuatur, & fœlix non regitur. *In Psal.* 31.

Quicumque proprium corpus subegerit, nec eius passionibus turbari animam suam rector sui congrua viuacitate permiserit, is bene regia quadam potestate se cohibens, rex dicitur, quod regere se nouerit, & arbiter sui iuris, ne captiuus trahatur in culpam, nec præceps feratur in vitium. *In Psal.* 118.

Magnopere curandum est, vt qui regendis hominibus præfertur, apud se intra sacrarium mentis in cathedra præsideat humilitas, quumque iudicanti ei à cæteris foris adsistitur, vigilanti oculo incessanter aspiciat, cui quandoque iudici ipse de his iudicandus adsistat. vt quanto nunc eum, quem nō videt, solicitius trepidat, tanto eum, quum viderit, securior cernat. *ibid.*

Bene sancti viri, scripturæ sacræ testimonio reges vocantur, quia prælati cunctis motibus carnis, modo luxuriæ appetitum infrænant, modo æstum auaritiæ temperant, modo gloriam inclinant, modo suggestiones liuoris obruunt, modo ignem furoris extinguunt: reges ergo sunt, qui tentationum suarum motibus non cōsentiendo succumbere, sed regendo præesse nouerunt. *ibid.*

Sæpe suscepta cura regiminis cor per diuersa diuerberat, & impar quisque inuenitur ad singula dum confusa mente diuiditur ad multa. *In Past.*

Reuera mihi videtur esse ars artium, & disciplina disciplinarum, hominem regere, qui certe est inter omnes animantes maxime, & moribus varius, & voluntate diuersus. *Nazianz. in apol.*

Sæpe à disciplinæ metu resoluimus subditos, si nostro regimini hilaritatis frena relaxamus: quia dum nos quasi licenter aspiciunt, audacius ipsi ad illecita resoluuntur. *Greg. in Mor.*

Summus locus bene regitur, quum is qui præest, vitijs potius, quā fratribus dominatur. *ibid.*

Caput quippe subiectorum sunt cuncti, qui præsunt, & vt recta pedes valeant itinera carpere, hic procul dubio caput ex alto prouidet, ne à profectus sui itinere pedes torqueat, quum curuata corporis rectitudine caput sese ad terram inclinat. *In Past.*

Quemadmodum certantibus ventis mare concutitur, sic regibus sibi aduersantibus populus regni vexatur. *Chrys. in Matth.* 2.

Principatus non sanguini debetur, sed meritis, & inutiliter regnat, qui rex nascitur, & non meretur. *ibid.*

Nulla gens est ita solicita circa regem suum sicut apes, vnde rege incolumi omnibus mens vna est. amisso rumpere fidem, constructaque mella destruere. & quando nequit volare, fert ipsum turba apum, meliorem pugna quærunt, & si moritur, moriuntur & ipsæ. *ibid. lib.* 7.

Non caret regia potestate, qui corpori suo nouerit rationabiliter imperare. Vere dominator est terræ, qui carnem suam regit legibus disciplinæ: nec potest fieri, vt non grandi pondere ruinæ super hominem voluntas propria cadat, si voluntati sui superioris extollendo eam præponat. *Prosper. in sent.*

Publici decoris mater, est mens regentis, & quale fuerit dominantis arbitrium, talem parit libertatis aspectum. Facilius est quippe, si dicere fas est, errare naturam, quam dissimilem princeps possit formare Rempublicam: is enim potest alios regere, qui se studuit sub decore tractari. *Cass. l.* 3. *epist.*

Tuta est conditio subiectorum, vbi viuitur sub æquitate regnantium: principis autem opinionem lōge lateque disseminat subiectorum custodita securitas. *ibid.*

Qui Reipublicæ statum, & generale cupit stare fastigium, ad vniuersa debet esse sollicitus: quia non est salus in corpore, nisi quā & membra potuerunt obtinere. *ibid.*

Gentes barbaras impatientesque alieni arbitrij facilius est regere, quam animum suum continere, & sibi reddere. *ibid.*

Simul ista mundi rector Deus posuit, odium atque regnum: qui ergo odia nimium timet, regnare nescit *ibid.*

Sicut hominibus reges, ita regibus dominandi desideria dominantur: hoc est regnum, nolle regnare cum possis. Vis ergo regnum tibi dari magnum? rege teipsum. *ibid.*

Illud regnum in gradu æterno facile steterit, vbi minimum virium Veneris pecuniæque cupido sibi vendicauerit. *Socrat. in exhortat.*

Qui multarum habet potestatem rerum, primum purgare conscientiam debet, vt quæ delicta corrigit, non admittat, vitetque quod vindicat. Stultum enim est, vt velit quis alijs imperare, cum sibi ipsi imperare non possit.

SENTENTIAE POETICÆ.

Regno fidere stultum, ex Troade Senecæ Hecubæ.

Quicumque regno fidit, & magna potens
Dominatur aula, nec leues metuit Deos,
Animumque rebus credulum lætis dedit:
Me videat, & te Troia: non vmquam tulit,
Documenta fors maiora, quam fragili loco
Starent superbi. columen euersum occidit
Pollentis Asiæ, cœlitum egregius labor.
Ille tot regum parens
Caret sepulchro Priamus, flamma indiget
Ardente Troia.

Reges debent esse humiles, ex Thyeste Senecæ.

Vos, quibus rector maris, atque terræ
Ius dedit magnum necis, atque vitæ
Ponite inflatos, tumidosque vultus:
Quicquid à vobis minor extimescit,
Maior hoc vobis Dominus minatur.
Omne sub regno grauiore regnum est.
Quem dies vidit veniens superbum,
Hunc dies vidit fugiens iacentem.
Nemo confidat nimium secundis,

Nemo

Nemo desperet meliora, lapsis.
Miscet hæc illis, prohibetque Clotho.
Stare fortunam, rotat omne fatum.
Nemo tam diuos habuit fauentes,
Crastinum vt posset sibi polliceri,
Res Deus nostras celeri citatas
Turbine versat.

Ex Oedip. Senecæ.

Quisquam ne regno gaudet? ò fallax bonum!
Quantum malorum, quam fronte blanda tegis!
Vt alta ventos semper excipiunt iuga,
Rupemque saxis vasta dirimentem freta,
Quamuis quieti verberant fluctus maris;
Imperia sic excelsa fortunæ subiacent.

Claudianus de quarto Honorij consulatu.

Quē terret, plus iste timet, sors ista tyrannis
Conuenit, inuideant claris, fortesque trucident.
Muniti gladijs viuant, septique venenis,
Ancipites habeant artes, trepidique minentur.
Tu ciuem patremque geras, tu consule cunctis.
Nec tibi, nec tua te moueant: sed publica vota.
In commune iubes: si quid censesque tenendum
Primus iussa subi, tunc obseruantior æqui
Fit populus, nec ferre vetat, quum viderit ipsum
Auctorem parere sibi. Componitur orbis
Regis ad exemplum, nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, quam vita regentis.
Mobile mutatur semper cum principe vulgus.
His tamen effectis, nec fastidire minores.
Nec pete præscriptos hominum transcendere fines.

Ex Troade Senecæ.

Est Regis alti spiritum Regi dare.
Cur dextera Regi spiritum eripuit tua?
Præferre patriam liberis Regem decet.

Cœlius lib. 24. c. 11. Ennius.

Nulla sancta societas, nec fides regni est,
Omnisque potestas impatiens consortis erit.

Seneca in Thyeste.

Regnum non duos capit, neque mundus duos soles.

Reges omnia timent. Ex Thyest. Senecæ.

Ille qui donat diadema fronti,
Quem genu nixæ tremuere gentes,
Cuius ad nutum posuere bella
Medus, & Phœbi propior Indus.
Et Daca Parthis equitem minanti,
Anxius sceptrum tenet, & mouentes
Cuncta dynastas, metuitque casus
Mobiles rerum dubiumque tempus.

SENTENTIÆ PHILOSOPHICAE.

Quo pacto quispiam, aut ius recte dicere, aut homines decenter iudicare posset, qui non vtrumque aduersariorum audierit? Sermones enim, quemadmodū purpura, & aurum, melius dijudicātur, si conferas inuicem. Nam qua gratia, vel dicendi tempus aduersariorum vtrique conceditur, aut curiudex vtrosque se similiter auditurum iurat, nisi existimasset legislator causas hoc modo iustius, ac melius à iudicib. posse iudicari? Tu vero mihi videris nec vulgare quidē istud dictum audijsse: *Μηδὲ δίκην δικάσῃς, πρὶν ἀμφοῖν μῦθον ἀκούσῃς*, id est, Iudicium non ante feras, quam audiueris ambos. Atque hoc non celebraretur ita, nisi recte decenterque dictū esset. Cōsulo itaque tibi, dixit, in posterum, ne tā præcipitāter homines, aut reprehendas, aut collaudes. *Plato in Demonico.*

Eum, qui pro ciuitate aliquid agit, ciuitatis ingenium imitari decet. Atqui huiusmodi nobis, ò Athenienses seruandi sunt: odio autem habendi, qui isti homini dissimiles fuerint. Siquidem qualescumque amare, & seruare videbimini (quod forte scientibus vobis, dicam tamen) talibus esse similes existimabimini. *Demosth. contra Androtionem.*

Negocia publica ciuitatis omnium existimare oportet maxima, vt feliciter augeantur: neque præter æquum contendere, neque potentiam sibi comparare priuatam præter publicum bonum. Ciuitas enim prospere agens, felicitas est maxima. In hac insunt omnia: hac salua cuncta seruantur: hac pereunte, nihil non pessum it. *Polyænus Macedo in lib. de re militari.*

Omnino putandum est, nihil tam esse malum, quam est inobedientia: homines enim diu incolumes durare non possunt, vbi nemo præest. De magistratu vero & subiectis ita sentiendum est: Magistratus quidem oportere non tantum prudentes esse, verum etiā benignos: subditos vero non morigeros tantum, sed amātes quoque magistratuum.

Porro singularum ætatum cura habenda, ita, vt pueri quidem in literis alijsque disciplinis exercerentur: iuuenes ciuitatis morum, atque legum diligenter essent studiosi: viri actionibus, publicisque muneribus incumberent: senes autem in meditationibus, iudicijs, & consilijs prudentissime versarentur. Sic futurum esse, vt pueri non habeant mores infantium, neque puerile iuuenes, neque viri iuuenile retineant ingenium, nec denique senes desipiant. Ad hæc assuescendum, vt statim à puero alimenta certo ordine modoque sumantur, ex quo ordo, ac modus vbique decorum & vtilitatem adferunt: contraria vero, vt turpia, sic noxia sunt. *Aristoteles.*

Imprimis autem Homeros (quem alienæ laudis diligentem præconem fuisse cōstat) subinde fingit suum *πολύτροπον καὶ πολύμητιν* Vlyssem summa luce in varietate consiliorum magnorum versari, atque pro communi salute in tot ac tantis dimicationibus multa prudentissimorum, & per omnis generis fortunæ vices exercitatorum ducum iudicio subijcere, mentem quoque ipsa cognitione summorum virorum, populorumque confirmare. *Matthias Agritius in Epist. Principem decere vigilantem esse.*

Nulla certe elegantior, nulla præstantior laus viris principibus obtingere potest, quam in Reipublicæ pulcherrimis muneribus prudentium, minimeq; ineruditorum hominum dulci conuictu frui: tempora etiam (vt sunt alia alijs vel quibusque rebus conficiendis accommodatiora) mitissima, & maxime opportuna consilijs capiundis, & in omnes partes versandis, adhibere. *Idem in sequentibus.*

Magnum regni columen sunt amici prudētes, ac liberi, quibus moderata potentia sustentatur: Rexque siue prudentiæ verecundia, siue melius suadentis monentisque oratione, atque authoritate, sese ad studia virtutis conuertit, tum populo vtitur sui simili, hoc est, optimo: regnumque quietum agit, minime studiosum rerum nouarum. *Viues in Epist. ad Henricum Angliæ Regem.*

Minima imperandi pars est, posse instruere aciem. Sed Imperatorē & præparandi ea, quæ ad bellum conferant, expertum esse oportet: & ad victum militibus necessaria reperiendi, machinandi, & operandi. Et ad hæc diligentem eum esse necesse est, corpore patientem, mitem, durum, simplicem, insidiatorem, cautum, furem, liberalem, rapacem, donandi plus, quam habendi amatorem, tutum, & alios aggredi aptum. Cæteraque multa sunt, quæ tum natura, tum doctrina illum habere oportet, qui bene imperaturus sit. Bonum vero est, aciem etiam ordinare scire: multo namque differt ordinatus ab inordinatu exercitu. Quemadmodum enim lapides, lateres, ligna, & tegulæ, inordinate quidem proiecta, ad nihil vtilia sunt: quum vero ordinentur deorsum & sursum, neque putrefiunt, nec fluunt lapides, ac testæ: in medio autem lapides & ligna, quemadmodum in ædificijs, componuntur, tum domos res pluris æstimanda efficitur. In bello autem illos primos, & vltimos ordinare oportet, qui fortitudine excellant: in medio vero peiores, vt a primis ducantur, ab vltimis vero impellantur. *Xenophon de dictis & factis Socratis.*

Qua de causa, inquit, arbitraris Homerum nuncupasse Agamemnonem *ποιμένα λαῶν*, id est, Pastorem populorum? Nonne quoniam, quemadmodum pastorem oportet curare, vt saluæ sint oues, ac habeant vnde viuant: sic etiam Imperatorem curare necesse est, vt exercitus saluus sit, illudque perficiat, cuius rei gratia militat? Militant vero, vt hostibus superatis feliciores ipsi sint. Cur namque ita laudasset Agamemnonem, atque vtrūque eū appellasset, regemque bonum, militemque robustum: *ἀμφότερον βασιλεύς τ' ἀγαθὸς κρατερός τ' αἰχμητής.* Nisi quod probet illum esse militem fortem, qui non solum aduersus hostes fortiter luctetur, sed omni etiam exercitui huius causa sit. Regemque bonum, qui non solum bene regeret se, sed illis, quos regat, felicitatis causa sit. Rex namque eligitur, non vt sui ipsius causam agat, & curam habeat, sed vt per ipsum, qui eum elegerunt, in felicitate degant? Similiter militant omnes homines, vt quam optima vita fruantur: Imperatores præficiunt, vt ad hoc eos conducant. Oportet igitur imperatorem prospicere, vt hoc idem eligētibus cōferat. Nec etiam aliud melius isto facile est reperire, nec contrario turpius. Et ad hunc modū considerans, quæ sit boni præfecti virtus, cætera quidem auferebat: illud autem solum relinquebat, videlicet, vt felices efficiat illos, quorum quisque dux effectus est.

Boni imperatores sunt, qui boni patresfamilias sunt: & eorū officiū est commune, subditos sibi obedientes facere, & præcipere cuilibet, quæ facere sciat: bonos præmijs afficere, malos autem pœnis. Id est, *καὶ μὲν τοὺς κακοὺς κολάζειν καὶ τοὺς ἀγαθοὺς τιμᾶν.* Socios autem atque auxiliares acquirere, custodire res suas, circa eas & diligētes, ac industrios esse. *Quare Agamemnō populorum pastor dictus.*

De amisso regno. DIAL. LXXIX.

Francisci Petrarchæ.

DOL.

Regno excidi. R. Iam solatij genus est filium non habere. D. Regno excidi. R. Vtilis casus, in præcipiti sedebas, saluus in plano depositus, & periculosam altitudinem post terga respiciens videbis te regni solio descendentem ad priuatæ vitæ requiem vitæ ascēdisse, etsi nulla est sine securitate iucunditas, nulla felicitas aliquando iucundius te, aliquandoque felicius, atque ita altius esse, quam fueras, cognosces. D. Regno depulsus sum. R. Habeto gratiam depellenti, durum auribus, animo liquidum, quod iu-

bro. D. Depulsos enim es, vnde erat abeundum, & quod sponte debueras, coactus facis. Optanda vis equidem, nō deflenda. Nā quis pudor hominem natum, aut regnum super homines optare, aut separem factū hominibus indignari, si excellere pulchrū, atque optabile, quid ni omnium pulcherrimæ rei excellentia optanda sit? Non superbiæ igitur, neque licentiæ, sed virtutis, ex qua vera diademata regum, non ex gēmis auroque fieri, nemo tam auri cupidus, aut gemmarum est, qui neget. Quis autem quæso hominū non videt inter homines principatum humanitati debitum, nō opibus, quæ opulentum hominem faciunt, non humanū magis, atque ita nec meliorem, certe, nec hominibus altiorem, sed hic ex multis erroribus vester is est in excellentiæ appetitu, quā in sua sede contentam, vbi non est quæritis non videntes consequentiā rerum veram, & causarum. Sicut enim inter diuites diuitijs, inter robustos viribus, inter formosos forma, inter disertos eloquētia, sic profecto inter homines humanitate præcellitur. D. Regia de sede cecidi. R. Si incolumis perrarum, solent enim qui sic decidunt perire, regnoque simul, atque anima spoliari, quibus illa relinquitur, tranquillior, gratiorque si sapiunt vita est, quod illos minime latuit, qui non collapsi, aut depulsi, sed & stantes, & volētes, aut imperio cessere, aut pontificatum iam sublimiorē regnis & imperijs reliquere. In quibus Diocletianus clarum nomen habet, qui diuissum vltro ad imperium reuocatus spreuit opes turbidas, ancipitque fastigium, & quæsitum ab alijs, quærendumque tantis cædibus rursus oblatum expertus exhorruit, & philosophice, grauiterque cum amicis iocās, oleribusque in hortulo suo quæ priuatus sibi ipse plantauerat posthabendum cēsuit. D. Regia arce detrusus sum. R. Latentium illa ditem nioum plena erat, inter quæ dudum cæcus animi, quibusdam velut aureis, nec minus vrgentibus, quam fulgidis manicis, atque compedibus tenebaris, quibus nunc solutus lumine reddito, quod fortuna sua auferre sequacibus solita est, illius circulatricis instabiles ludos vides, & quis auarus adeo, vt non auro visum redimat? eligatq; imo pem magis integritatem nobilissimi sensus, quam diuitem cæcitatem? Atqui non minus nobilis, sed sine comparatione nobilior animi visus est, quam corporis, illum gaude regni nutantis impēdio redemisse rem magnam paruo precio, neque rem vnam tantum. Non modo enim cæcitas cum regno abijt, sed libertas rediit: publico seruitio liberatus es. D. Regia exuor maiestate. R. Chlamys regia, sceptrumque & diadema (crede expertis) pōderosissima rerum sunt, multiplici leuatus fasce quiete defrue. D. Regnum amisi. R. Immo quidem euasisti, & nudus ex ingenti fastidio enatasti. Solent terræ redditi querelas premere, votaque soluere. D. Regni felicitatem perdidi. R. Seu felicitatem miserā, seu felicem miseriam dici mauis, hanc fateor perdidisti, seu vtrūque simul, falsam felicitatē, veramque miseriam. D. Regnum simul, ac potentiam, regiasque opes perdidi. R. Gaudendum perditis, quæ te perdere potuissent. D. Regni potestate careo. R. Et regni curis, & casibus, quorum tædio, atque odio quidam solio excedere voluerunt, quod vt vellet Augustum modestia, Neronem metus impulit. Nonnulli etiam excesserunt, vt paulo ante memoratum. Id qui velle non potest. (Sunt enim pertinaces, & indomitæ voluntates) necessitati saltem, victorique suo gratias agat, ad eū statum vi redactus, quem optasse debuerit. Primum boni animi votum esse debet honesta consilia libenter amplecti, proximum vel coacte. Quod magnum illum Syriæ regem non præterijt Antiochum, qui omni, quæ cis Taurū est Asia priuatus, Senatui Populoque Romano gratias agebat, quod eum magna nimis sollicitudine liberatum ad mediocria redegissent, facete quidem ille, si ficte: sapienter, grauiterque si vere. D. Regni è solio descendi. R. Dicebam superbiæ impudentis, addam & amentiæ negligentis esse cōditionis oblitum, fastidire quod sis, esse velle, quod nequeas. Non possunt omnes homines reges esse, sit satis esse homines, quibus non sui regni auidis sua sordet humanitas. Quiescite miseri, bene secum agi putent hi, qui reges esse desierint. Cū enim dura omnium mortalium, tum durissima regum sors, quorum & vita innocens labori, & scelerata infamiæ, atque vtraque periculis exposita, quocumque se verterit difficilium scopulos rerūque naufragia circa se videt, hinc erupisse tu miserum duces? nil vnquam tibi felicius accidit, quam quod miserrimum arbitraris. D. Regnum meum ad alium translatum doleo. R. Non tuum certe, sed fortunæ, quæ si donare illud tibi potuerat, cur auferre cum velit, & transferre non possit? Vide autem, ne præter transferentis voluntatem, quæ sola sufficiēs est, aliæ autem causæ fuerint transferendi. Illæ scilicet quas quidam sapiens vir expressit. Regnum, inquit, à gente in gentem transfertur, propter iniustitias, & iniurias, & contumelias, & diuersos dolos. D. Rex esse desij. R. Homo esse incipias, ea est enim regum insolentia, vt quod Christus esse dignatus est dici se homines dedignentur.

De regno & imperio. DIAL. XCVI.

GAVD.

Ecce autem iure Rex sum. R. Id enimuero occultum diu esse nō poterit. quid intersit inter regem tyrannumque iam diximus. Quid autem iuuat dici regem si tyrannus es? non in specioso cognomine, sed in vera iustitia Regis regniique salus sita est. Minus male reor iniquitatum dominum reformare, teque de reliquo sic agere, vt rex verus appareas quam regnum iure partum, in quo iuste successeris parenti tyrannica vexatione dirripere. Plus enim veræ laudis in progressu ac fine quam in principio regum est. G. Rex sum. R. Melius sub hoc iusto rege ageres atque tranquillius quam rex ipse. G. Regni solium conscendi. R. Locum late conspectum patentemque omnem iudicijs eoque periculosum ignauis, laboriosum vero difficilemque virtuti. Bonus enim rex seruus est publicus. G. Regni solio euectus sum. R. Vt meritus videare, tuas res, teque ipsum obliuiscere, populum tuum & Rempub. cogita, quo die primum rex factus, tibi moriens alijs viuere incœpisti (quodque durissimum est) ingratis & iniquis æstimatoribus laboris tui. G. In regiam veni. R. Aliquid ibi forsan perituræ gloriæ reperturus, sed quietis nihil. G. Iuste regno. R. Bene agis, gratissimamque rem Deo. Sero ante inferuire te querulis, & vix tibi ante obitum gratiam relaturis. Raro tam iustus quisquam regum fuit, vt non charior populo successor fuerit. Is cum venerit, alter optabitur. Hi sunt vulgi mores, odisse præsentia, vētura cupere, præterita celebrare. Quando ergo defuerint querelæ si omne præsens bonum sordet, nihilque omnium placet nisi quod cruciat, seu perditum, seu speratum. G. Sceptrum, & Diadema sortitus sum. R. Fulgidas compedes, clarāmque miseriam, quæ si plene omnibus nota esset: crede mihi non toties vno de solio litigarent duo, sed plura essent regna quam reges. G. Purpuram indutus sum. R. Non cultus exterior, sed interius habitus & mens regia regem facit. Alexandri Romani principis dictum fuit, Imperium in virtute, non in decore consistere. G. Ad regnum prouehor. R. Nunc in dubio vertitur subiectorum status, an felices ea quæ hic fingitur felicitas an miseri sint. Nempe mortalis regni felicitas rex bonus, tibi in dubio labor manet & graue negotium. G. Rex sum, nil non licet regi. R. Nihil minus, immo vero quod olim licuit, iam non licet. Et forte si de regno licentiam aucuparis, non te regem inuenis sed tyrannum. G. Rex sum, atque omnia possum. R. Immo nihil nisi quod decet regem, cuius (vt dixi) minor licentia quam priuati est. Sin hoc calle voluptatem petis, falleris & tota (vt aiunt) erras via. Voluptas à tergo longe est, hac ad laborem itur, & ad gloriam. G. Rex sum, erit iam mihi iam certa tranquillitas. R. Immo si qua olim fuit perijt, stultus nauta, qui relicto portu in altum vela facit tranquillitatem quærens. G. Atqui Romanus Imperator factus sum. R. Clarissimum nomen, sed durissimum officiū. Magna seruare difficile est, quid collapsa engere? sparsa colligere? recuperare perdita? deformia reformare? Et deserti cultura in ruris, multisque diu neglectam suscepisti, multis eget dura arua ligonibus, multis prata rimis attenta, æstuandum, algendumque tibi est si succedet. Tu hinc laudem, reliqua successor tuus metet, illi seueris, sera est in his, multas poscit ætates. GAVD. Ascendi imperium, iam quiescam & securus viuam. R. Falsa te habet opinio, nunquam minus, tu ne in excelsum montem vt ventos & fulmina euaderes, ascendisti? Non legisti Horatianum illud, *Sæpius ventis agitatur ingens pinus, Et celsæ grauiore casu decidunt turres feriuntque summos fulmina montes*. Et quanto aliter de hac status eminentia sentiebant experti principes, Augustus & Diocletianus, quorum alter (vt legimus) de dimittendo imperio cogitauit, alter autem dimisit imperium, nec reuocatus assensum dedit. Quanto aliter Marcus Aurelius & Pertinax, quorum primus adoptione ad spem imperij reuocatus solito tristior effectus, mirantibus amicis multa de malis imperij disputasse: Alter imperator effectus semper imperium horruisse memoratur. Magnus est ad imperium ascensus, magni in imperio labores, magnus quoque cum ascenderis ex alto casus. Si mihi non credis, Iulium Cæsarem interroga, Caium quoque Caligulam, & Claudium, & Neronem, & Albam, Othonem, Vitellium, Domitianum, Commodum, Pertinacem, de quo proxime dictum est, Bassianum præterea, & Macrinum cum filio Diadumeno, fœdissimumque omnium, Heliogabalum, longeq; dissimilem moribus Alexandrum, vtriusq; etiam (quod mireris) cum filio matrem, Maximinos quoq; & Maximianos, & Maximinos, & Gordianos. Præterea & Philippos, & Decium Gallumq; & Volusianum, & Valerianum insigni calamitate notabilem, & contemptorem paternæ miseriæ Galienum, & Aurelianū denique & Probum, Iulianum, & Licinium, & Constantium, & Valentē & Gratianum, Valentinianum, ac (ne ad fastidium cuncta complectar) totam illam tyrannorum simul & regum atque principum, terrē percussere, vno tibi ore omnes responsum dabunt. Eodem se calle ad ruinam, atque imperium ascendisse, & tu illic tibi requiē fingis ad securam vitam, vbi omnes periculum & labentem, inde miserabilem vitæ exitum inuenere. Non hoc sibi fingebant illi quatuor, quos ab initio nominaui. Non Antonini Pij principis maternus auus Arrius Antoninus homo sanctus, vt historiæ loquuntur, vt ego fateor, vir prudens, Neruam miseratus, quod imperium accepisset. Vere enim frustra principes premit inuidia, cū illis potius miseratio debebatur. G. Sū imperator, & vlcisci possum,

sam. R. In hostes publicos fortitan, non in tuos. Illis enim si vetus ea princeps, hoc tuo ascensu securitas parta est, priuatis affectibus pietas publica frenum stringet. Nō potes huius, aut illius hostis esse. ex quo pater omnium esse meruisti. Id in ciues principi iuris est, quod in filios patri. Iustus princeps pater patriæ est. Nullum ex omnibus titulis hoc gratius summus ille principum Augustus accepit, vt qui compresso adolescentiæ impetu patris nomē implere decreuerat. Tibi ergo qui hostes fuerant iam filij sunt. G. Imperator sum, vlcisci potero. R. Vti hac potentia nō debebis, & si, habe summi imperij potestatē excellentibus, & fortunæ paribus animis esse veniæ materiā, non vindictæ, cuius eo auidior quisq; quo vilior, infirmiorq; animi ac virium est. Qua in re meminisse proderit illud Adriani principis; q(vt scriptū) vni quem capitalem habuerat, factus imperator dixit, Euasisti: generosum plane verbum ac magnificum vereq; Cæsareum. G. Imperator sum, eritque iam thesaurus par impensæ. R. Ad rapinam vos hæc spectat: est vt aliarum rerum sic sumptuum fluxus quidam ac vorago, cui nihil est satis. Longum est mortalium hac in parte, sed inprimis Romanorum principum furores stylo æquare. Paucos tamen ea omnibus eorumque ipsorum pauca de multis attingam. Conspectissimus ille quidem Caij furor Baias atq; Puteolos ponte iungentis, atque illum tumidi maris sinum primum equis, mox quadrigis triumphaliter permeantis. Quid aceto liquefactas memorem margaritas pretij ingentis, appositosq; conuiuis panes aureos, atq; aureas dapes? quibus nō famem compescere conuiuarum (vt mos est) propositum illi esset, sed imperij opes spargere, atque illorum auaritiam irritare. Adde effusos in plebem nummos turbidoque & profundo mari iactas moles, durissimas rupes scissas, campos æquatos montibus, & campis iuga montiū, terra illic addita, hinc detracta, tam subito vt naturæ miraculum vim passæ cum celeritate certaret. (Nēpe cum dilati pretium operis mors esset) quibus prædecessoris sui Tiberij thesauro ingenti diuitijsque omnibus imperij intra anni spacium exhaustis ad inopiam fœdissimasq; rapinas est compulsus. Illud inter ista non numero, quod Corinthium montem Isthmum perfodi animo destinaret, etsi sumptuosissimum opus, tamen (vt perhibent) nauigantibus vtile, quo duo maria iungerentur, & à Brundusio Athenas, aut Chalcidem Byzantiumq; petentibus flexu ingens remitteretur Achaiæ. Huius comes ac victor amentiæ sequitur Nero, cuius enormium impensarū nullus est modus, in ædificando præsertim, in quo omnes prodigos & seipsum vicit. Nulla alia re dānosior, vt de illo scribitur. Vnus ex mille furoribus attingendus est, domus à Palatino ad Esquilinum collem porrecta, & magnam partem vrbis occupans, vt non immerito inter conuicia quibus liberrima plebis indignatione proscissus est illud quoque iactatum sit. *Roma domus fiet, Veios migrate Quirites, Si non & Veios occupat ista domus.* Hanc auream dici voluit, non inepte quidē signans nomine pretium, auro enim & gemmis crustata ac stellata domus fuit, tantæ altitudinis, vt in vestibulo colossus centum viginti pedum staret. Intus porticus atq; aulæ, laquearibus aureis atq; eburneis tabulatis, & cœnaa domorū cœli instar, vi propria sese sensim diebus ac noctib. sine intermissione voluentia. Stagnum quoq; maris æmulum, ædificijsque circumdatum littore vrbis in morem, rura præterea & pascua & vineta, & siluæ omnium generibus animalium refertę. In hac domo quantum coniecturis ad verum via est, illud quod colosseum vulgi dicitur medium fuit, cuius nunc etiam ruinæ stuporem spectantibus afferunt, & hæc omnia dum (quod miraculum rei auget) Romæ medio consummasset, ita (non dicam) excessisse, sed ne impleße quidem imperatoriæ domus modum visus est sibi, vt dedicans domum ipsam non amplius miraretur quam vt hoc solum diceret: Iam tandem quasi homo habitare incipio. Mitto illa leuia quod vestem nullam bis induit, nullum iter minus mille carrucis egit, calceatis argento vsus multis, aureo reti piscatus est, purpureis atq; coccineis funibus, ac reliqua fidem excedentia simul, & tædium paritura. Sed quis illa non stupens, legit, stupentiorq; aspicit? Vestigia enim extant, piscinam illam cœptam à Mileno monte, venturamque vsq; ad Auernum locum miris circumspectam confectamq; porticibus, fossamque illam ab Auerno vsque Hostiā, per tantum viæ spacium totq; obuios montes: vt inducto mari sine maritimis casib. nauigans & terræ laborem, & pelagi fastidium declinaret, longitudo quidem vt nunc incolæ metiuntur nota omnibus, vt Tranquillus numerat millia passuum centum sexaginta. Latitudo autem duarum capax quinqueremium ex aduerso iter agentium, neque se impedientium concursu, quod opus si expleßet, Italiam omnemque Rempub. exhausisset, tantis autem mundi malis mors sola consuluit. Hunc sequitur Aurelius Verus, qui (vt omittam cætera) cœnam illam fecit, cui si par prandium facere voluisset, nescio an Romana res sufficere potuisset. Quo audito frater eius Marcus Aurelius tam modestiæ amicus quam hic hostis, ingemuisse fertur Reipub. misertus & imperio collabenti. Linquo alios, nimis multi sunt enim nec me fallit posse ea vobis lōgiuscula hæc videri remedia breuiora pollicitis. Sed delectat interdum doctū seu doctrinæ deditum, frugique hominem stultorum insanias audire, quæ illi quasi pro contrario signo sint. Vnde sibi (vt aiūt) remis veloque fugiendum sciat. Hæc autem eo spectant vt recogites quid est, quod thesaurum impensæ parem speres. vt enim frugalitati & modestiæ haud sane magnis thesaurus est opus, sic prodigalitati & luxuriæ, neque thesauri, neq; imperia ipsa sufficiunt. Et hæc causa nō tandem mediocris fortunæ homines, sed principes quoque pene omnes eos dico, qui nepotino victui operam dedere, necessario in rapinas & prędam misit, quæ multis festinatæ miseræq; mortis occasio fuit. G. Nunquid vnius hominis impensæ, tot vrbes non sufficient? R. Hi tibi respondeant de quibus multa diximus innumerabilesque alii, quos par pestis pari dedit exitio. Ad summam vero, profundissimum hoc sumptuum (vt sic dicam) specus, quasi illud olim Curtij non opibus expleri vllis, sed virtutibus ante alias modestia cohiberi constringiq; pōt. In quo maxime proderit meminisse alienum esse quod prodigis, & hic quoque vnum aliud Adriani verbum sæpe ad memoriam reuocasse, quod sæpe ille & in concione & in senatu legitur dixisse. Ita se Rempub. gesturum, vt sciret populi rem esse, nō propriam, optimo principe dignum verbū. G. Regno, & vltio mea est. R. Tua quidem minime. neque enim mentitur is qui ait, mea est vltio. Profecto autem si verus es Rex, nihil tuum minus est quam vltio, nihil magis quam clementia. Natura vtinam vt apū sic hominum reges aculeo exarmasset, nunc libero animali exēplum dedit, non eripuit libertatem. Meum est quod illa non cogit hortari. Respice paruum illum sed diuinum animal, pone & tu non in vulnere sed ante vultus aculeū. Plebeium enim illud, hoc regium. Alioqui vt sine iustitia sic sine clementia rex non eris, ac ne homo quidem, sed (quod in fabulis dici solet) coronatus leo. G. Imperator sum Romanus. R. Habes Augustum, habes & Neronem, & Vitellium quem sequaris. Ad hos tres tota non modo omnium principum, sed hominum turba restringitur. Hic ergo tibi ducē elige. Si recentioribus delectaris, habes eiusmodi ordinis Traianum, Decium, Gallienum. G. Sum Romanus Imperator mundi dominus. R. Fuit quando id dici prope veraciter poterat, quorsum vero redierint res vides, aut intelligi detur quam sit tutum stultis & ignauis magna committere, quanta prouidētia quantum in furorem, quantus labor quantaque diligentia, quantum in torporem incidit. Non est amplius gaudij materia Romanum Imperiū, sed humanæ fragilitatis & fortunæ varietatis indicium. G. Imperio clarus sum. R. Clara nomina, res obscuræ. Mundi fraudes. Humana credulitas. Hi sunt voci, quibus huc illuc faciles animi trahuntur. Pulchrum imperij, pulchrum regni nomen, sed imperium & regnum difficillima omnium officia si ritè gerantur. Alioqui & periculosa prorsus & mortifera, neque de nihilo dictum illud regiū laudatur. Diadema nobilē potius, quam felicem pannum, plenum curis periculisque & miserijs multis, quem cognoscens nemo nō ambiat modo, aut parto gaudeat, sed nec oblatum vltro recipiat, aut obiectum humo leuet. Proinde expergiscimini aliquādo mortales, aperite oculos, neue semper falsis caligate fulgoribus. Vestra metimini atque æstimate corpuscula, circumspicite quibus septi estis angustijs. nolite geometras ac philosophos contemnere, terra omnis pūctus est. vos caduci ac fragilis & incerti exitus, & cum iuuenes & cum senes estis cum morte luctamini, & tum ascendere creditis, descenditis, & cum stare videmini, tum maxime ruitis, nec vllum animal magis suarum virium obliuiscitur. Ac sæpius vermes semimortui regna & imperia somniatis. Memento vos punctum perexiguum seu verius pictum (vt sic dixerim) puncto breuius, imo ne millesimā quidem puncti partē possidere. Hanc superbi incolæ premitis mox premendi, neque amplius ex vniuerso possessuri, quam quod frigentibus membris, ac pallidis occupatis. Ite nunc cæci & insani, elatoque vultu tumidi, quod natura angustat laxate animis, & vincti immensa, & moribundi immortalia cogitare, inque hoc nihilo ridiculosas & insanas insolētias, ad momentū rapidi temporis hic rapinas hic iniurias, hic vindictas, hic spes anxias, hic honores varios, hic cupiditates inexpletas, hic furores demū vestros, hic regna, principatus & imperia, hic classes, hic acies, hic bella molimini. Cum multum insanieritis, siue Imperatores fueritis, siue aratores, seu diuites, seu mēdici, corpus vestrū, putris terra, vita vestra fumus leuis magno flatu pulsus fuerit, & vix tandē sero quidē cognoscetis viam hanc fuisse, non patriā, totumque hoc regni & imperij falsum nomē. G. Imperator factus sum. R. Stulti cum Imperatores fiunt hoīes esse non recolunt aut fuisse. Quale est illud Tiberij Cæsaris, qui amicū volentem eum commemoratione quorundam actuū in memoriam pristinæ familiaritatis adducere, cum vir aperto ore hoc vnum verbū emisisset, ne meministi, præueniens interrupit, nec passus est explere quod cęperat, sed repēte ait: Quid fuerim non memini, vocem improbam ac superbam, nec amicitiarum modo, sed totius humanitatis immemorem. G. Ad Romanum Imperium ascendi. R. Quid hinc gaudes, & in lectulum, & in feretrum descenditur, & sæpius in imo quies habitat. Nonnullis opprobrium, multis supplicium, omnibus labor est scandere.

APOPH-

APOPHTHEGMATA.

Cyrus iunior. Cyro conflicturo cum hoste, loco qui dicitur Cunax, Clearchus suasit, vt se post Macedones conueneret, nec sese in belli discrimen coniiceret. Quid ais, inquit, Clearche? vides ne vt quum regnum appetam, regno me indignum ostendam? *Plut. in apoph.*

Dionysius senior. Quũ in initio regni regia ipsius obsideretur, coniuratis in illum ciuibus: & amici authores essent, vt imperium deponeret, ne mallet captus interfici: ille conspiciens bouem à coquo mactatum illico concidere, dixit: Quum mors adeo breuis sit, an non absurdum sit, nos metu mortis tale regnum relinquere? Quanta regnandi libido pectus illius occuparat, qui principatum morte bene emi putaret. *Plut. in apoph.*

Dionysius iunior. Cuidam percontanti, qui factum esset, vt cum pater ipsius tenui fortuna, ac priuatus sibi Syracusanæ ciuitatis principatum parauerit, ipse regis filius regnum hæreditate acceptum amiserit? Quoniam, inquit, pater rerum potitus est, quum iam in odium venisset popularis gubernatio: ego quum inuidia laboraret tyrannis principatum suscepi. *Plut. in apoph.*

Idem. Amico idipsum percontanti, compendio respondit. Pater, inquit, mihi regnum suum reliquit, non fortunam. Non omnia omnibus æque feliciter cedunt. *Plut.*

Philippus, vbi resciuit Alexandrum filium conqueri, quod pater ex pluribus fœminis gigneret liberos, sic illum hortatus est: Ergo quum plures habeas regni competitores, da operã vt honestus, ac probus euadas, vt non per me, sed per teipsum regnum obtinuisse videatis. Vir prudentia vere regia præditus, non eo solatus est filium, sed metum illius auxit, quo magis exstimularet ad virtutem: Iudicans, illi non aliter sperandum paternum regnum, nisi se successione dignum præberet: nec tam magnum esse regnum adipisci, quam regnum promeruisse. *Plut. in apoph.*

Agathocles figulo patre natus, quum Sicilia potitus esset, rexque declaratus, solebat in mensa fictilia pocula iuxta aurea ponere, eaque iuuenibus ostendens dicere: Quum antea talia fecerim commonstratis fictilibus, nunc per vigilantiam, ac fortitudinem talia facio: commonstrans aurea. Non puduit pristinæ fortunæ: sed gloriosius existimauit regnum virtute partum, quam si hæreditate obuenisset. Nam regem nasci nihil magni est, at regno dignum se præstitisse maximum est. *Plut. in regum apoph.*

Pyrrhus, quum à filijs etiamnum pueris interrogaretur: Cui nostrũ relinques regnum? Quicumque, inquit, vestrum acutiorem habuerit ensem. Significans, se non ætati daturum principatus successionem, sed virtuti. Hoc stimulo liberos omnes ad certamen fortitudinis excitauit. *Plut. in apoph.*

Pylades histrio Augusti temporibus celebris, quum Hylas discipulus, quem ad æqualitatis contentionem prouexerat, in scena canticum quoddam saltaret, cuius clausula erat: τὸν μέγαν Ἀγαμέμνονα, id est, magnum illum Agamemnonem, ac sublimem veluti metiretur, è cauea proclamauit, σὺ μακρὸν οὐ μέγαν ποιεῖς, id est, tu longum facis, non magnum. Tunc populus efflagitauit, vt Pylades idem canticum saltaret iterum. Quumque ad locum venisset quem reprehenderat, expressit Agamemnonem cogitabundum, nil magno duci iam conuenire ratus, quam pro omnibus cogitare. Ea res magnum ducem facit, non proceritas corporis. *P. M. lib 6. apoph.*

Alexand. Seuerus. Cum obiurgaretur à matre, & vxore, quod cõtemptibiliorem relinqueret imperij potestatem, quam ab antecessoribus suis accepisset: respondit. Sed securiorem & diuturniorem. *Brus. l. 3. c. 13.*

Iul. Cæsar. Quum ex Gallia prouincia aduersus Pompeium tenderet, Rubicone amne transmisso, dixit: Omnis iacta sit alea, significans, se de summa rerum velle periclitari. Is enim fluuius Galliã ab Italia dirimit. *Plut. in apoph.*

Idem. Alexandri Magni res gestas legens, non tenuit lachrimas, atque ad amicos: Hoc, inquit, ætatis qua nunc sum, Alexander deuicit Darium: mihi vero ad hunc vsque diem nihil præclari facinoris gestum est. Suetonius tradit id accidisse, quum prætor iure dicundo conuentus obiens apud Gades in templo Herculis vidisset Alexandri Magni statuam. Vtinam hoc ingenium ad imitandum potius quam ad maximi principis æmulationem properasset. *Plut. in apoph.*

Idem. Quum Africam petens, in egressu nauis prolapsus esset, omẽ sinistrum vertit in melius, dicens: Teneo te Africa. Frontinus id factum putat in conscensu nauis, eumque dixisse: Teneo te terra mater. Huc opinor alludens, quod cum quodam somnio perturbatus, quod sibi visus esset constuprare matrem, coniectores interpretati sunt, portendi totius orbis Imperium. *P. M. lib 4. apoph. ex Plut.*

Augustus Cæsar audiens, quod Alexander natus annos triginta duos, postquam plerasque mundi regiones peragrarat, dubitasset quid in reliquum vitæ tempus esset facturus: demirabatur, si Alexander non iudicasset maius opus, bene gubernare partum imperium, quam amplam ditionem comparasse: Recte notatur inexplebilem Alexandri ambitionem, qui nullam aliam functionem rege dignam existimasset, quã proferre ditionis terminos: quum multo tum pulchrius tum difficilius sit regnum, quod contigit, rectis legibus, sanctisque moribus exornare, quam armis regno regnum addere. *Plut. in Rom. lib. apoph.*

Agrippina. Quum genethliaci Agrippinæ matri Neronis respondissent Imperaturum quidem filium, sed occisurum matrem: Occidat, inquit, modo imperet. Tam impotens erat in fœmina dominandi sitis, & habuit, quod optauit. *Suet.*

Alex. Seuerus senio iam confectus, cum vrnam sibi præparasset, vt in ea mortuus sepeliretur, paulo antequam decederet e vita eamdem ad se perferri iussit, manibusque contrectauit: Tu, inquiens, virum capies, quem totus orbis terrarum capere numquam potuit. *Dion. Niceus. & Xiphilinus in eius vita.*

Rodulphus Cæs. interrogatus: Qui fieret, vt homines eas quas non didicerunt artes omnes recusarent, imperij autem gubernationem oblatam nemo? Non mirum, inquit, stultus enim putant, qui regnare nesciunt: stultum autem nemo sese indicat. *Æneas de dictis Frederici Imp.*

Alphonsus aiebat, olim inter Iouem, Neptunum & Plutonem omnium rerum partitionem trifariam esse factam, & horum vnumquemque sua sorte contentum esse, nec occupare aliena: at inter homines, neminem sua portione contentum esse, nec vllam partitionem esse stabilem, sed omnes πλεονεκτεῖν. Notabat autẽ ambitionem principum, & regnandi numquam satiandam libidinem. Quis enim hodie regum & principum est, qui sua sorte cõtentus, non cogitet, quo iure quave iniuria suis ditionibus plura adijciat? *Panor lib. de reb. gest. Alphon.*

Solon audiens quosdam principum mores inique reprehendentes: In rebus magnis administrandis difficiles dicebat esse, omnibus posse placere. Necesse enim est, vt qui multis imperat, non paucos offendat. *Laert.*

Plato. Neminem regem dicebat non ex seruis esse oriundum, neminem non seruum ex regibus. *Sen. epist. l. 41.*

Xenophon dicebat honestius esse regi beneficiorum, quam trophæorum numerum relinquere. *Stob. serm. 46.*

Socrates. Optimum regem esse dicebat, qui suis affectibus moderari posset. *Eod. serm.*

Cotys rex Thraciæ, acriter in subditos animaduertebat. Cum igitur amicorum quidam ad ipsum dixisset: Hoc Furor est, non Regnum, respondit: At meus hic furor subditos temperantes efficit. *Plut. in apoph.*

Leonidas cuidam dicenti: Excepto regno nulla re nobis præstas: At, inquit, ni vobis fuissem melior, non essem rex. Moderatissimo dicto & refellit conuicium, & suam dignitatem defendit. Etenim vbi reges non nascuntur, sed ciuium suffragijs eliguntur, hoc ipso publicis calculis princeps iudicatus est cæteris melior, quod ad regnum ascitus est. *Plut. in Lacon.*

Ariston cuidam laudibus vehementi dictum Cleomenis, qui rogatus, quid oporteat bonum regem facere, respondit: Amicis benefacere, inimicis male: At quanto præstantius est, inquit, vir optime, amicis benefacere, & ex inimicis reddere amicos? Hanc sententiam citra controuersiam primus omnium Socrates prodidit, & ad illum refertur. *Plut.*

Philippus Alexandro filio suadebat, vt eos qui in Republica pollerent authoritate, tum bonos, tum malos sibi cõciliaret amicos: ac bonis quidem vteretur, malis vero abuteretur. Præcipua regum ars est, nullum reijcere, sed ad publicam vtilitatem omnium operam accommodare. Quemadmodum Deus vnicus totius mũdi monarcha, malis genijs, ac impijs hominibus abutitur ad vtilitatem Ecclesiæ: ita principes cordati norunt, & probis, & improbis vti: non quod ipsi per malos mali quippiam faciant, sed quod per malos puniant malos. At multi sunt principes, qui præpostere bonis abutuntur, malis vtuntur. Ad tyrannica negocia viros adhibent sanctitatis opinione celebres, quo vulgus esse rectum, ac pium, quod agunt existimet. *Plut.*

Alexander habebat secum Eudemonicum Philosophum, qui cum aliquando tonaret vehementer adeo vt omnes expauescerent, dixit etiam Alexandro: Num tu tale quippiam facis Alexander? At ille non ferens Philosophi vocem, ridens ait: Nolo meis formidabilis esse, vt tu me doces, qui fati aparum, & regum capita me iubes super cœnam apponere. *Athenæus & Plut. in eius vita.*

Idem. Quum leuitate corporis, ac pedum celeritate polleret, patre hortante, vt in Olympijs stadium decurreret. Facerem, inquit, si reges habiturus essem certatores. Et hic agnoscas animum excelsum, nec cuiquam facile cessurum in certamine laudis, & imperij. Nundum erat rex, & tamen non dignabatur nisi cum regibus committi. *Plut. in apoph.*

Idem. Porus rex ab Alexandro deuictus, quum ab eo post pugnam rogaretur, dicente. Quomodo te tractabo? Regie ait. Rursus subijcienti Alexandro: Numquid etiam aliud? Omnia, inquit Porus, complectitur hoc verbum, Regie. Alexander & prudentiam, & fortitudinem viri admiratus, latiorem ditionem illi addidit ea, quam prius obtinuerat. Suppliei, & ad pedes

abiecto minus concessisset. Adeo diligebat animosus iuuenis impauidos animos. Q. Curtius aliquanto secus narrat, interrogatus Porus, quid ipse victorem statuere debere censeret? Quod hic, inquit, dies tibi suadet, quo expertus es, quam esset caduca felicitas. Subiunxit regem, vt modeste sua fortuna vteretur, memor ipsi posse accidere, quod acciderat Poro. *Historiam recitat Plut. in apoph.*

Meton quum in concione Tarentini tractarent de bello suscipiendo, & de Pyrrho asciscendo, sumpta corona, & face ardente praecedente tibicine, veluti ebrius, venit in forum: atque vt fit alijs applaudentibus, alijs ridentibus, nonnullis etiam ad canendum hominem inuitantibus, processit in concionem, ac tamquam cantaturus astitit. Silente vero turba dixit: Recte facitis viri Tarentini, qui iocari ludereque dum licet, qui velint permittitis. Atqui si sapitis, omnes hac ludendi libertate fruemini, priusquam Pyrrhus adueniat. Nam tum non nostro, sed illius arbitrio viuendum erit. *Plut in Pyrrho.*

Pyrrhus rex, quum Athenas venisset, & ingressus arcem Palladis, rē diuinam fecisset: eodem die descendens ex arce, collaudauit quidem Atheniensium erga se fiduciam: caeterum admonuit, si saperent, ne post hac cuipiam regum portas aperirent. Significans, omnibus regibus natura inuisam populi libertatem. *P. M. l. 4. apoph. ex Plut.*

Hieroni Siculo tyranno, cum quidam dixisset, potiorem esse regum vitam, quam priuatam, vtpote quae singulis sese expleat voluptatibus: Hiero respondit, voluptates ipsas melius frui in vita priuata. Nam vt de libidinosa voluptate prius dicatur, ostendit maiorem voluptatem concipi à priuatis, si quando potiuntur amica, quia spontaneus sit, atque mutuus amor, non coactus, quam tyrannorum, qui coacto, aut empto potiuntur amore. De voluptatibus ciborum ait: regibus nullam vmquam esse famem prae ferculorum multitudine, & ob id semper acidis vesci. In vita vero priuata semper subesse famem delectationemque. Addidit praeterea multa incommoda, quae regnantes circumueniunt, à quibus priuati sunt plane immunes. *Xenoph hac de re lege copiosius.*

Antigonus, quondam dicente, omnia regibus honesta iustaque esse: Sunt per Iouem, inquit, barbarorum duntaxat regibus, at nobis ea duntaxat honesta sunt, & ea tantum iusta quae iusta sunt. Grauiter retudit adulatricem vocem, volentis omnia licere regibus. Non enim rex est inhonesti iniustique regula, sed honesti iustiq; minister est. Atque vtinam similes voces non audiant Christianorum aures: aut si audiant, simili seueritate reijciant. Quid enim aliud dicunt, qui occinunt: Quod principi placuit, legis vigorem habet? aut negant principem teneri legibus: qui tribuunt illi geminam potestatem, ordinatam & absolutam, quarum altera possit, quod leges, pacta & foedera constituant, altera quodcumque libuit. *P. M. l. 4. apoph. ex Plut. in apoph.*

Scipio minor, iam tertium à senatu emissus, vt gentium, ciuitatum, ac regum inspector esset, postquam peruenit Alexandriam, nauiq; egressus, capite pallio tectus incederet: flagitabant vt caput nudaret, faciemque id desiderantibus ostenderet. Quum se nudasset, clamore & plausu testati sunt gaudium suum: cumque rex Alexandriae vix interim ob delicias, ac molliciem corporis aequaret Romanos incedentes: Scipio voce submissa Panaetio insusurrauit in aurem: Iam inquit, Alexandrini nonnihil ex nostra peregrinatione fructus ceperunt, quibus per nos contigit videre regē ambulantem. Nam Athenaeus ex authoritate Possidonij scribit, Ptolomaeum prae quam obeso corpore numquam antea pedibus ambulasse. *Plut. in apoph.*

S I M I L I T V D I N E S.

Diogenes Pythagorica secta Philosophus lyrae suis neruis decenter, ac omnifariam instructae comparat legibus bene constitutam Rempub. vel ciuitatem: eandemque mundi pulchram illam harmoniā imitari dicit, si Dei officium inter homines administrans rex, aut princeps bonus rationis, & aequitatis arte moduletur in eadem rite scilicet, vt in concentum dulcem varias hominum voluntates, ac discrepantes opiniones numerosos coniungens aptet, atque consensum suauissimum redigat. *Steph. Vinand. Herc Prodic. p. 560.*

Dionis Nicas. Vt minime quidem naucleros contristatur laboribus in mari: minime etiam agricola operibus circa agriculturam: minime quoque venator, quem oportet venatione laborare, tametsi vehementer laboriosa sit agricultura, valde etiam venatio. Non igitur respuit laborare, & molestias ferre aliorum gratia: neque in hac parte peius se viuere existimat, seipsum plurimos suscipere oporteat labores, multaque sustinere negocia. Videt enim & solem, nullo Deorum minorem, non cōtristari, quod hominum salutis, & victus gratia, perpetuo transigat quaecūque agit. Fortitudinem quidem & continentiam, & prudentiam, necessarias existimat, etiam illis qui iustitiam non curant, tyrannidemque affectant. Nam nisi hoc studeant tales quam ocyssime pereuntur. Quare tyrannus magis etiam his dat operam, quando se maxime videt his indigere. Quanto plures enim habet osores, pluresque insidiatores, & neminem fidum, & qui ipsi securā gerat, tanto magis (si modo tempus aliquod seruari vult) vigilandum sibi, & curis sibi insistendum esse videt, & si se velit vlcisci, ne deficiat rebus bellicis: & passus insidias, ne ignoret insidiatores: & abstinendum esse à voluptatibus, & ventre, & somno, rebusque venereis minime attendendum: quanto magis autem his opus est ei, qui diligitur ab omnibus, & neminem habet insidiatorem. *De regno orat. 1.*

Cernis vbique Deum ita ordinasse, vt id quod melius est, imperet, & prouideat inferiori: vt artem ei, quod est sine arte, infirmitati virtus: fatuoque fecit prouidere, & consilijs adesse id quod prudentia praeditum est. In omnibus autem hisce curis principatus nequaquam segnis est, neque molestia grauatus: neque plus adhaeret remissioni, & ocio, sed curis, & laboribus. Id quod inde facile colligere licet. Nam in naui licet quidem vectoribus absque cura agere, & ne aspicere quidem mare, quin etiam neque scire (qđ aiunt) vbinam terrarum sint: & multi hoc modo nauigant in serenitatibus, & hi quidem talis ludunt, illi autem canunt, alij conuiuantur tota die. Quando autem eos apprehenderit tempestas, inuoluti expectant euentum. Nulli autem & somno oppressi, nō ante surrexerunt, quam essent in portu. Nauclero autem necesse est aspicere in mare, necesse suspicere ad coelum, necesse prospicere ad terram: quin & ea, quae sunt in profundo, nō licet ei ignorare, nisi velit in saxa incidere sub aquis latentia, aut arenarū congeries. Illi soli noctu quidem minus licet obdormire, quam nauigantibus: interdiu autem, sicubi breuem aliquem somnum suffuratur, hunc tamen suspensum habet, & dubium, vt saepe exclamet, aut velum contrahi, aut clauum sisti, aut aliud aliquid rerū nauticarum: vt dormiens ille magis gerat nauis curam, quam alij valde vigilantes. Atque etiam in expeditionibus vnusquisque militum sui duntaxat curam gerit, armaque & escam non hic acquirere, sed parata habere cupit, vnius autem curam gerat sanitatis suae, vniusque salutis. Ducis autem munus est, curare vt omnes bene sint armati, omnesque satis habeant tegumenti: nec solum vt hominum ventres impleantur, sed etiam vt equorum. Quod si autem non omnes habeant necessaria, magis contristatur, quam si ipse aegrotet: atque illorum salutem non minoris aestimat, quam suam ipsius. Siquidem victoria acquiri nequit, nisi milites sint salui: pro victoria autem bonorum, multi mortem etiā oppetere eligunt. Rursus idipsum & in rebus singulis vniuscuiusque nostrum intelligi potest. Corpus enim vtpote fatuum, neque sibiipsi succurrere potest: neque vt sui ipsius curam gerat, à natura factum est: quandoquidem anima relinquente, neque modicum temporis potest subsistere, sed confestim soluitur, atque perit. Anima autem pro ipso omnia curat, omnesque machinas mouet, & plurimum discruciatur afflicta. Et corpus ipsum quidem praesentem duntaxat sentit dolorem: anima autem prius quā dolor adueniat, discruciatur: saepe etiam quādo tantum futurus est, trepidat. Mortemque corpus quidem numquam sensit: anima autem & hanc intelligit, permultaque patitur, eripiens corpus ex morbis, eripiens ex bello, eripiens ex mari. Sic vndique laboriosior anima est, magisque afflicta, quam corpus: attamen ea diuinior est, & ad regendum dignior. Praeterea omnes homines confitentur virum esse muliere robustiorem, & ad imperandū aptiorem: atqui illae domestica fere opera curant, & aetatem exiguo & sub tecto: inexpertae tempestatum, inexpertae bellorum, inexpertae periculorum. Viris autem congruit nauigare, congruit nauigandi sciētia, illisque necesse est sua opera sub dio perficere: sed per Iouem? non propterea beatiores quis dixerit mulieres viris. Quicunque autem tamdem propter debilitatem, vel molliciem amauerunt illarum vitam, quemadmodum Sardanapalus, turpitudine iam vbique sunt diffamati. Denique quod maximum est, solem vides; quanto praestat omnibus hominibus beatitudine, quū sit Dei, quod tamen non renuat nobis perpetuo subseruire, & nostrae salutis gratia facere vniuersa. Quid enim aliud quis dicat, solem perpetuo operari, quam ea quorum homines indigent? Facit & discernit horas, auget & nutrit omnia animantia, omnes plantas, suppeditat pulcherrimum, & suauissimum spectaculum, nempe lucem, sine qua caeterorum bonorum nulla est vtilitas, neque coelestium, neque terrestrium, imo neque ipsius vitae. Et haec omnia non grauatur gratis impartiri. An non enim seruitutem seruit, quis dicat, plane duram? Etenim si vel paulum fraudulenter agat suumque transgreditur ordinem, nihil prohibet omnes homines, omnemque terram, & omne mare disperire, & omnem hunc formosum, & beatum mundum turpissimam horribilissimamque immunditiem videri. Nunc autem tamquam in lyra cōcinne tractatis sonis, numquam excidit ex pura, & summa harmonia, vnam & eamdem progrediens viam. Et quoniam indiget terra tepore, ad generandum nascentia, atque augendum, & ad perficiendum: indigent & animalia, & corporum salutis gratia, & voluptatis naturalis: indigemus & nos omnium maxime, vt qui quam plurimo auxilio opus habeamus: ideo aestatem fecit, semper propius ad nostram accedens habitationem, vt omnia plantet, omnia nutriat, omniaque perficiat, diuinamque & admirabilem exhibeat hominibus laetitiam, festumque diem. *De regno orat. 3.*

P. M. in nauigatione non ei committitur clauus, qui natalibus, aut opibus, aut forma cætera antecellit, sed qui peritia gubernandi, qui vigilantia, qui fide superat: Ita regnum ei potissimum est cōmittendum, qui regijs dotibus anteit reliquos, nempe sapientia, iustitia, animi moderatione, prouidentia, studio commodi publici. *De institutione principis.*

Theriaca. Quemadmodum capitis morbi hebetant vniuersum corpus: Sic regum & imperantium delicta vniuersum lædunt populum. *In apoph. 227.*

Vt homo ante conceptionem nihil plane est, conceptus vero acquirit esse, nasciturque paruus, & inopsin terram, atque sensim tacitis auctibus grandescit, donec iustam attigit ætatis mensuram: ac deinde rursum incipit deficere, viribus corporis destitui, atque mentis vigore languescere, donec tamdem penitus in mortem resoluatur. Sic etiam regna monarchiæ, & magni principatus plerumque habent exilia principia: accipiunt paulatim incremēta, crescunt, roborantur, dilatantur, ac veluti per gradus ad summum adscendunt fastigium: & quāmdiu libet armis, legibus & consilijs ad tempus firmentur, tamen interim consenescunt, & tandem penitus concidunt *lib. 1. Cosmographiæ, c. 32.*

EXEMPLA PROFANA.

Diocletianus adhuc priuatus dicere solebat, nihil esse difficilius, quā bene imperare. Id Flauius Vopiscus in Aureliano tradit se audiuisse à patre suo, & addunt causam: Colligunt, inquit, se quatuor aut quinque, simul consilium ad decipiendum Imperatorem capiunt, dicunt quid probandum sit. Imperator, qui domi clausus est, vera non nouit, cogitur hoc tantum scire, quod illi loquūtur: facit iudices, quos fieri non oportet: amouet à Republica, quos debeat retinere. Ita, vt dixit Diocletianus, bonus, cautus, optimus venditur Imperator. At vulgus ad Imperatoris titulum satis esse putat nasci, aut eligi: nasci, vtcumque: eligi, empris suffragijs, ac solemnibus cæremonijs confirmari. *P. M. lib. 9. apoph.*

Scipio Maior, postquam Carthaginem armis cepisset, milites quidā virginem elegantem forma captam adduxerunt, eique tradiderūt: Hic ille, libenter acciperem, inquit, si essem priuatus, non Imperator. Iuuenis insigni puellæ forma corrumpi non potuit, quo minus meminisset, quid deceret Imperatorem. At multi hodie sunt, qui ob hoc ipsum sibi credunt tum licere, tum decora esse omnia, quod sunt Imperatores.

HIEROGLYPHICA.

Per *aquilam* solitudinem regni hierogly. hicce significari quidam volunt, quod regium esse dicant: vnum è filijs hæredem instituere: vni rerum habenas commendare: quandoquidem, vt ait Ouidius:

Non bene cum socijs regna Venusque manent.

Pier. Val. lib. 19. pag. 179. A.

Apertissime quidem *sceptrum*, siue *virgam* hieroglyphicum esse regni, illud in diuinis literis ost. ndit, quod sceptrum de manu Iudæ non auferendum pollicetur Dominus, *Genes. 49. Idem Pier. Val. lib. 41. p. 401. E.*

Thebis *iudicum imagines* visuntur *absque manibus* & *summi iudicis oculis conniuens*, eo quod iustitia, nec muneribus capiatur, nec hominum vultu flectatur. *Plut. in libello de Iside.*

Vide Rex, Princeps.

RELIGIO.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Religio, Græce θρησκεία, εὐσέβεια, & θρησκεύω religio sua dicitur. Est autem religio, quæ superioris cuiusdam naturæ, quam diuinam vocant, curam cæremoniamque affert, *secundum Cic. lib. 2. Rhet.*

Religio nihil aliud est, quam cultus diuinus, *secundum Aug. lib. 10. de ciuit. Dei.*

Religio est, qua se anima vni Deo, vnde se peccato separauerat, reconciliatione ligat, *sec. Aug. lib. de quantit. animæ.*

Religio est studium sapientiæ, *sec. eumdem lib. de vera religione.*

Religio dicta est eo, quod per eam vni soli Deo religamus animas nostras ad cultum diuinum animo seruiendi, *secund. Isidor. lib. 18. Etymolog.*

Religio dicitur à relegendo Deum, quem amiseramus negligētes, *secund. Aug. lib. 2. de ciuit. Dei.*

Religio, id est, cultus Dei, quatuor nominibus nuncupatur, duobus apud Græcos, quæ sunt latria & theosebia, id est, cultus diuinus vel bonus: & duobus Latinis. Sed differunt, quia theosebia respicit cultum Dei interiorē, qui proprie pertinet ad virtutes Theologicas: Latria vero respicit exteriorem seruitutem, quæ pertinet ad iustitiam, *ex B. Bonau. 3. Sent dist. 8. q. 2. art. 3.*

Religio dicta à relegendo, *secund. Cic. lib. 2. de Nat. Deorum*, cuius verba sunt hæc: Qui autem omnia, quæ ad cultum Deorum pertinerent, diligenter retractarent, & tanquam relegerent, dicti sunt religiosi, à relegendo.

Polyanthea Noviß.

Religio est, per quam reuerenti famulatu cæremoniæ diuini cultus exercentur. *sec. Cic. lib. 1. de Nat. Deor.*

Vt religio varia significatione à Latinis, ita ab Hebræis exprimitur. 1. *Æmunah*, id est, fides dicta est. 2. *Madhah*, opinatio, sensus. 3. *Dachala*, Dechila, Dechula, timor, veneratio, cultus. 4. *Tarik*, via, ratio vitæ. 5. *Irah*, reuerentia, pietas in Deum. 6. *Rachama*, intimus affectus, charitas. Quæ omnia nomina verum & sincerum veræ Religionis sensum adumbrant. Io nouo testamento varijs nominibus insignitur, nempe timoris, reuerentiæ, cultus, pietatis, &c.

LOCI BIBLICI.

Religionis Christianæ rudimenta, *Hebr. 6. 1.* Religionis semen humanis mentibus inditum. *2. Reg. 17. v. 26. 27.* Religionis externa professio requiritur, *Esa. 44. 5. & 45. 23.* Religioni Iudaicæ multi adiunguntur, *Esth. 8. 17.*

SENTENTIAE BIBLICAE.

Nunc audi præcepta, & iudicia, quæ ego doceo te, vt faciens ea viuas, & ingrediens possideas terram, quam Dominus Deus patrū vestrorum daturus est vobis. Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ab eo. Custodite mandata Domini Dei vestri, quæ ego præcipio vobis. *Deut. 4.*

Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino: nec addas quidquam, nec minuas. *Deut. 12.*

Qui ex Deo est, verba Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. *Ioan. 8.*

Si confessus fueris ore tuo Dominum Iesum, & credideris in corde tuo, quod illum Deus excitauit à mortuis, saluus eris. *Rom. 10.*

Tradidi imprimis vobis, quod et accepi, quod Christus mortuus fuerit pro peccatis nostris. *1. Cor. 15.*

Omnis spiritus, qui confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo est. *1. Ioan. 4. & 5.*

Et ligabis verba mea quasi signum in manu tua, scribesque ea in limine, & vestibulo domus tuæ. *Deut. 6.*

Ponite hæc verba mea in cordibus vestris, ac animis vestris, & suspendite ea pro signo in manibus, & inter oculos vestros collocate. *Deut. 13. per tot. ibid. 11.*

Beatus vir, qui meditatur in lege Domini die, ac nocte. *Psal. 1.*

Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. *Ibid. 118.*

Quomodo credent ei, de quo non audierunt? quomodo autem audient absque vlla prædicatione, vel prædicante? quomodo autē prædicabunt, nisi missi fuerint? Fides ergo per verbum Dei: si per verbum Dei, ita necessario concluditur, nullam esse fidē, quæ non subsistit in verbo Dei. *Rom. 10.*

Qui ex Deo est, verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis, Constat ergo, quod qui ex Deo non sunt, ea verbum audiunt: & contra, qui non audiunt, ex Deo nati non sunt. Qui vero ex Deo nati sunt, non ex voluntate viri, *Ioan. 1.*

Non ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo natē sunt, eius solius verbum audiunt, ex quo nati sunt: hoc enim est discrimen inter filios Dei, & filios carnis: quod qui Dei filij sunt, carnalia non cogitant, *Rom. 8.* Porro quicquid ex ore Dei nō est profectum, à filijs Dei non recipitur: habitans enim in eis Spiritus. Vnde postea fit, vt spiritualia omnia iudicet, omnia cognoscat, *1. Cor. 2.* Ipse vero à nemine iudicatur, non enim caro, aut sanguis est, qui iudicat, sed Spiritus. Loquimur autem de eis solū modo, qui Christi sunt, & qui Spiritum eius habent. *ad Rom. 8.*

Si quis autem putat se religiosum esse, non refrenans linguam suā à malo, sed seducens cor suum, huius vana est religio. Religio munda, & immaculata apud Deum hæc est, visitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire ab hoc sæculo. *Iacob. in epist. c. 1.*

PATRUM SENTENTIAE.

Amputetis occasionem turpium nundinarum, quibus existimatio vestra læditur, & infirmis offendiculum ponitur, & ostendite hominibus, non vos in otio facilem victum, sed per angustā, & arctam vitam regnum Dei quærere. *Aug. lib. de opere Monachorum.*

Vos autem fratres hortamur in Domino, vt propositum vestrum in Domino custodiatis, & vsque ad finem vitæ perseueretis: ac si qua opera vestra mater Ecclesia desiderauerit, nec elatione auida suscipiatis, nec blandiente desidia respuatis: sed miti corde obtemperetis Deo, cum mansuetudine portantes eum, qui vos regit mites in iudicio, qui docet mansuetos vias suas, nec otium vestrum necessitatibus Ecclesiæ præponatis: cui parturienti si nulli boni ministrare vellent, quomodo nasceremini, non inueniretis. *August. ad Eudoxium, & hab. 15. q. 1. can Vos autem.*

Extrus monasteria, multum à te per insulas Dalmatiæ pauperū numerus sustentatur, sed melius faceres, si & ipse sanctus inter sanctos viueres. *Hier. epist. 95. loquens ad Nepotianum.*

Procuratores, atque dispensatores domorum alienarum clerici quomodo esse possunt, qui proprias iubentur contemnere facultates? *Hier. epist. 32.*

Sunt aliqui de ordine nostro homines, qui ideo presbyteratum, & diaconatum ambiunt, vt mulieres licentius videant, omnibus his cura de vestibus, si bene oleant, si pes laxa pelle non folleat, crines calamistro rotentur, digiti annulis radient. Tales cum videris sponsos æstimato, non clericos. *Hieron. ad Eustochium.*

Sensus esse, quod diceris, monachus, id est, solus, quid facis in vrbi b[illegible] habeto simplicitatem columbæ, ne cuiquam machineris dolos, & serpentis astutiam, ne aliorum supplanteris insidijs. Non multum distat in vitio, vel decipere posse, vel decipi Christianũ. Quem senseris tibi aut semper, aut crebro de nummis loquentẽ (excepta eleemosyna, quæ indifferenter omnibus patet) institorem potius habeto, quam monachum, præter victum, & vestimẽtum, & manifestas necessitates nihil cuiquam tribuas, ne filiorũ panes canes comedant. *Idem ad Paulin. & hab. 16. q. 1. can. Si cupis.*

Latro est, & domum Dei conuertit in speluncam latronum, qui lucra de religione sectatur: cultusque eius non tam cultus Dei, quã negotiationis occasio est. *Hier. sup. Matth. lib. 4.*

Pulset dicere de caueneis cellularum, vt hem damnamus, in sacco, & cinere, veluti de ipsis sententiam ferimus. Quid facit sub tunica pœnitentis regius animus, qui alios vult regere, & alios iudicare, & à nemine regi, & à nemine iudicari? *Idem in epist. ad Marcum.*

Sunt ditiores monachi, quam fuerant sæculares, possident opes sub Christo paupere, quas sub locuplete Diabolo non habuerant: & sustinet eos Ecclesia diuites, quos tenuit mundus ante mendicos. Nepotianus noster aurum calcans, cellulam consectatur. *Idem in epist. ad Heliodor.*

Aegyptiorum monasteria hunc tenent morem, vt nullum absque opere, & labore suscipiant, non tam propter victus necessitatẽ, quam propter animæ saluationem. *Hieronymus in epistol. ad Rusticum.*

Natus in paupere domo, & in tugurio rusticano, qui vix milio, & pane cribrato rugientem satiare vẽtrem poteram, nunc similam & melle fastidio. *Idem ad Nepotianum de seipso loquens.*

Quia terreni principes magno se Deo humilitate substernunt, praui homines, qui dudum contra Ecclesiam in infidelitate positi, aperta aduersitate sæuiebant, nunc ad alia fraudis argumenta vertuntur. Quia enim illos religionem venerari conspiciunt, ipsi cultum religionis assumunt, & bonorum vitam sub despectis vestibus atque moribus premunt. Mundi quippe derelictores sunt, hocque in se quod homines venerentur, ostendunt, atque eis, qui vere semetipsos despiciunt, non mente, sed veste copulantur. Quia enim præsentem gloriam amantes assequi non possunt, quasi derelictores sequuntur, honores enim fugiunt, vt honoribus obuient. Multa de inchoata nullitate laudari appetunt, præesse cæteris melioribus concupiscunt, quos plerumque, dum iuxta votũ præsens prosperitas sequitur, multo quam fuerant, de sanctitatis habitu peiores fiunt. *Gregor. lib. 3 1. Moral.*

Sæpe enim de vita proximorum querimur, mutare locũ conamur, secretum vitæ remotioris eligere, videlicet ignorantes, quia si desit spiritus, non adiuuat locus. Idem enim Loth, de quo loquimur, in Sodomis sanctus extitit, in monte peccauit. Quia autem loca mentem non muniunt, ipse humani generis primus testatur parens, qui in paradiso cecidit. Sed minus sunt omnia, quæ loquimur, ex terra: nam si locus saluare potuisset, Satan de cœlo non caderet. *Idem super Ezech. hom. 9.*

Apparet, nullam aliam spem vitæ homini esse propositam, nisi vt abiectis vanitatibus, & errore miserabili, Deũ cognoscat, & Deo seruiat, nisi huic temporali renunciet vitæ, ac se rudimentis iustitiæ ad cultum veræ religionis instituat. Hac enim conditione gignimur, vt generanti nos Deo iusta, & debita obsequia præbeamus: hunc solum nouerimus, hunc sequamur. Hoc vinculo pietatis obstricti Deo, & religati sumus, vnde ipsa religio nomen accepit. *Lactant. Diuin lib 4 c 28.*

Non enim religio cœlestis ex rebus corruptis, sed ex virtutibus [illegible], qui oriuntur è cœlo. Hic verus est cultus, in quo mens [illegible] ipsam Deo immaculatam victimam sistit. Quisquis igitur præceptis cœlestibus obtẽperauerit, hic cultor est veri Dei, cuius sacrificia sunt, mansuetudo animi, & vita innocẽs, & actus boni: quæ omnia qui exhibet, toties sacrificat, quoties bonum aliquod [illegible]. Itaque in Aram Dei, quæ vere maxima est, quæ in hominis corde collata inquinari non potest sanguine, iustitia [illegible], patientia, fides, innocentia, castitas, abstinentia: hic est verissimus ritus, hæc illa lex Dei, vt a Cicerone dictũ est, præclara & diuina, quæ semper recta, & honesta iubet, vetat praua, & turpia, cui parentum sanctissimæ, ac certissimæ legi, iuste ac legitime necesse est viuere, cuius legis pauca equidem capita in sequentibus ponam: si quis autem omnia comprehendere volet, ex fonte ipso petat, vnde riuus iste manauit. *Idem li. 6. c. 2. & alibi.*

Religio esse non potest, vbi metus est. *Idem lib. de ira Dei, c. 8.*

Professionem tuam habitu, & incessu demõstra, vt sit in gressu tuo simplicitas, in motu puritas, in gestu grauitas, in incessu honestas. *Isidor. in Synonim.*

Qui ad ostensionem sanctitatis prætendit, vt alijs quandoque præesse desideret, ille non est discipulus Christi, sed prauitatis sectator existit: qui non pro Deo, sed sæculi honore studet portare crucis laborem. *Idem de summo. lib 3.*

Video (quod non parum doleo) post spretam sæculi pompam, nonnullos in schola humilitatis superbiam magis addiscere, & sub alijs mitis humilisque magistri grauius insolescere, & impatiẽtes amplius fieri in claustro, quam fuissent in sæculo.

Plerique in domo Dei non patiuntur in contemptu haberi, qui in domo sua non nisi contemptibiles esse poterant, vt quia videlicet, vbi a pluribus honores appetuntur, ipsi locum habere non meruerunt, saltem ibi honorabiles videantur, vbi ab omnibus honores contemnuntur. *Bern. hom. sup. Missus est.*

Abundans est pauperi religio, mediocri sufficiens, tolerabilis diuiti, infirmis larga, delicatis compatiens, fortioribus moderata, pœnitentibus misericors, peruersis seuera, bonis optima, hæc sunt beneficia religionis. *Hugo de claustr. anim. lib. 3.*

SENTENTIAE POETICÆ.

Hor. 3. Carm. 6.

Dij multa neglecti dederunt
Hesperiæ mala luctuosa.

Ouid. 1. Fast.

Prospera lux oritur, linguis, animisque fauete:
Nunc dicenda bono sunt bona verba die.
Lite vacent aures, insanaque protinus absint
Iurgia, differ opus liuida turba tuum.

Tibul. 2. 12.

Luce sacra requiescat humus, requiescat arator,
Et graue suspenso vomere cesset opus.
Soluite vincla iugis: nunc ad præsepia debent
Plena coronato stare boues capite.
Omnia sint operata Deo: non audeat vlla
Lanificam pensis imposuisse manum.

Ouid. 2. Pont. 1.

Dij quoque, vt à cunctis hilari pietate colantur,
Tristitiam poni per sua festa iubent.

Plaut. Mil.

Quod in diuinis rebus sumas sumptus, sapienti lucro est.

Persius 2.

At vos
Dicite Pontifices, in sacro quid facit aurum?
Nempe hoc quod Veneri donatæ à virgine pupæ.
Quin damus id Superis, de magna quod dare lance
Non possit magni Messallæ lippa propago:
Compositum ius, fasque animi, sanctosque recessus
Mentis, & incoctum generoso pectus honesto?
Hæc cedo, vt admoueam templis, & farre litabo.

Tibull. 2. 1.

Casta placent Superis: pura cum mente venite,
Et manibus puris sumite fontis aquam.

Virg. 2. Aeneid.

Tu genitor cape sacra manu patriosque penates
Me bello è tanto digressum, & cæde recenti,
Attrectare nefas, donec me flumine viuo
Abluero.

Ouid. 2 Fast.

Innocui veniant, procul hinc, procul impius esto,
Frater, & in partus mater acerba suos.
Cui pater est viuax, qui matris digerit annos,
Quæ premit inuisam socrus iniqua nurum.
Tantalidæ fratres absint, & Iasonis vxor,
Et quæ ruricolis semina tosta dedit.
Et soror, & Procne, Tereusque duabus iniquus,
Et quicunque suas per scelus auget opes.

Idem Epist 7.

Pone Deos, & quæ tangendo sacra profanas:
Non bene Cœlestes impia dextra colit.

Sitius 17.

Tum puppe è media magno clamore sacerdos:
Parcite pollutis contingere vincula palmis,
Et procul hinc moneo, procul hinc quæcunque profana
Ferte gradus, nec vos casto miscete labori.
Dum satis est monuisse Deos: quod si qua pudica
Mente valet si qua illæsi sibi corporis adstat.
Consecra, vel sola subeat pia munera dextra.

Anthol. Sacr. Iac. Bill.

Quanta ab ijs carnis mortificatio requiratur, qui Dei cultui totos se consecrarunt.

Dic precor, o sapiens vates, cur nam ipse cruorem
Exiguum cunctos spargis in Isacidas?
At tibi non satis est aram aspersisse cruore:
Verum ipsam ex omni parte cruore rigas.

Illorum

Illorum gerit ara typum, qui corpora Christo
Obsequio, atque animas exposuere suas.
Namque mori mundo prorsus rebusque caducis
Hos docet, vt possint viuere mente Deo.

In eos, qui Deum ignaue ac perfunctorie duntaxat colunt.

Munera dant gemini fratres, at munus Abelis
Excipitur, munus spernitur alterius.
Nam Cainus summo scelerata mente parenti
Vilia dans, retinet pinguia cuncta sibi.
Moribus hi Cainum referunt, qui non nisi corde
Ardenti faciunt vota, precesque Deo.
Vtunturque Deo tantum, contraque fruuntur
Mundo, qui miseros perdit, vt ipse perit.

Ibidem.

Non recte seruat legalia Sabbatha cultor,
Qui pietatis opus credit in otia verti.
Nulla dies actus hominum non damnat iniquos,
Omnia commaculant tempora iniustia,
Nec corrumpuntur virtutibus otia sancta,
Tantum a peccatis libera corda vacent.

De cultu Dei.

Sarcina cum soleat quauis onerosa videri,
Sola tamen Christi sarcina corda leuat.
Sic ambus leuitas ex pennis nascitur ipsis,
Nedum deprimat has & grauet istud onus.
Robora si multis addunt non parua clitellæ,
Hinc onerum melius pondera ferre solent.
Tale iugum est Christi, nihil illo lenius vsquam est.
Vtque laboris onus dulce sit omne, facit.

Ibidem.

Hac desiderij Deus est pietate colendus,
Iustitiæ vt merces tota sit ipse Deus.
Nam sperans alto se munere posse beari,
Non quod poscit, amat, sed quod habere cupit.

Studium religionis.

Ibidem.

Seruari leges possunt vtcumque quieti,
Si mundi a strepitu libera corda vacent.
Vt menti ergo pie studeas intenta tuentur,
Prælia diuinus carnea vincat amor.
Nam templum Domini per sacra silentia crescit,
Et tacite struitur non ruitura domus.

Non omnes diuini verbi auditores vtilitatem ex eo capere.

Ingens magnetis sit vis licet, haud tamen illo
Omnia sed ferri pondera sola trahit.
Vi quadam occulta ferrum graue tollit in altum,
Cum tamen haud vlla sustineatur ope.
Aetherei sic non quisquis demittit in aurem
Verba Dei fructum pretiumue inde capit,
Sed probus, ac pietate grauis, qui robore nexus
Infertus nullo, tendit ad astra leuis.

SENTENTIÆ PHILOSOPH.

Omnes religione mouentur, & Deos patrios, quos a maioribus acceperunt, colendos sibi diligenter, & retinendos arbitrantur. *C, 6, act in Verr.*

Religione vita constat. *Plin. sen. lib. 14.*

Omnia prospere veniunt sequentibus Deos: aduersa autem spernentibus. *Liuius lib. 5. 1. decad.*

Religiosi sunt, qui facienda & vitanda discernunt, *Macrob. Saturnal. lib. 3.*

Tantum autem studium antiquis non solum seruandæ, sed etiam amplificandæ religionis fuit, vt è florentissima tum & opulentissima ciuitate decem principum filij Senatusconsulto, singulis Etruriæ populis, percipiendæ sacrorum disciplinæ gratia traderentur. *Val. Max lib. 1. tit. de religione.*

Publica religione consecrata virtus nulla priuata laudatione indiget. *Val. Max. lib. 3.*

Ad diuos adeunto caste, pietatem adhibento, opes amouento, qui secus faxit, Deus ipse vindex esto.

Caste iubet lex adire Deos, animo videlicet, in quo sunt omnia, nec tollit castimoniam corporis: sed hoc oportet intelligi, quũ multũ animus corpori præstet, obseruenturque, vt casta corpora adhibeantur, multo esse in animo id seruandum magis. Nam illud vel aspersione aquæ, vel dierum numero tollitur, animi labes nec diuturnitate vanescere, nec manibus vllis elui potest.

Affert enim hæc opinio religionem vtilem ciuitatibus: siquidem & illud bene dictum est a Pythagora doctissimo viro: Tum maxime pietatem & religionem versari in animis, quum rebus diuinis operam daremus. Et quod Thales, qui sapientissimus inter septẽ fuit: Homines existimare oportere, Deos omnia cernere, Deorũ omnia esse plena: Fore enim omnes castiores: veluti que in fanis essent maxime religiosos. Est enim quædã opinione species Deorum in oculis, non solum in mentibus. Eandemque rationem Luci habent in agris.

Cum consulerent Athenienses Apollinẽ Pythium, quas potissimũ religiones tenerent, oraculũ editum est, eas quæ essent in more maiorũ: quo quum iterum venissent, maiorumq. morẽ dixissent: sæpe esse mutatum, quæsiuissentque, quem morem potissimum sequerentur è variis, respondit optimum. Et profecto ita est, vt id habendum sit antiquissimum, & Deo proximũ, quod sit optimũ.

Pœna vero violatæ religionis iustam excusationem non habet. *Cic. lib. 2. de legibus.*

Cultus autem Deorum est optimus, idemque castissimus atque sanctissimus, plenissimusque pietatis, Vt eos semper pura, integra, incorrupta & mente & voce veneremur.

Qui autem omnia, quæ ad cultum Deorum pertinent, diligenter retractarent, & tanquam relegerent, sunt dicti religiosi ex relegẽdo, vt eligentes ex eligendo, tanquam a diligendo diligentes, ex intelligendo intelligentes. *Cicero lib. 2. de Natura Deorum.*

Nec enim superstitione tollenda religio tollitur.

Nam & maiorum instituta tueri, sacris ceremoniisque retinendis, sapientia est.

Quamobrem vt religio propaganda etiam est, quæ est coniuncta cum cognitione naturæ, sic superstitionis stirpes omnes eiiciendæ. *Idem lib. 1. de Diuinat. in fin.*

Πρῶτον μὲν οὖν εὐσέβει τὰ πρὸς τοὺς θεούς, μὴ μόνον θύων, ἀλλὰ καὶ τοῖς ὅρκοις ἐμμένων· ἐκεῖνο μὲν γὰρ τῆς τῶν χρημάτων εὐπορίας σημεῖον, τοῦτο δὲ τῆς τῶν τρόπων καλοκαγαθίας τεκμήριον.

Primum quidem igitur cole quæ ad Deos, non solum sacrificans, sed iuribus iurandis permanens. Illud quidem enim pecuniarum abundantiæ signum, hoc autem morum probitatis coniectura.

Τὸν μὲν θεὸν φοβοῦ. Deũ quidẽ time. *Isocrates ad Demonicum ser. admon.*

Religione longe lateque propagata, miracula desinere necesse est, & scripturas S. teneri, quib. quasi manu ducti, ea præstemus quæ Deo grata sunt. *G. Pachymer. hist. lib. 6.*

De religione. DIAL. XIII.

GAVD.

Religione glorior perfecta. R. Religio optima, ac perfecta vna est, supra Christi nomen, supraque petram firmissimam fundata, reliquæ omnes superstitiones vanæ, & deuia, & errores sunt, quibus est iter ad tartarum, atque ad mortem, non hanc momentaneam, sed æternam. Et quot putas, quantique viri huius veræ religionis inopiam miserabilem passi sunt, cunctis in rebus aliis aliores? Habeant illi, quod æternum gemant, habes tu, vnde glorieris & gaudeas, non in te quidem, sed in eo, qui te summa in re tanto maioribus præire dignatus est, qua nil maius, nil melius tibi tribui poterat in hac vita, de qua loqui aliquid vberius non grauarer, ni res ipsa cœlesti lumine pene iam omnibus nota esset. G. Piis sacris initiatus sum. R. Pia sacra religionis huius sunt tantũmodo, reliquarum omnium sunt furores, ritusque sacrilegi. Neque tamen initiatum esse sufficit. Maius est forte, quam putas deuoto licet animo dulce negotium. Nõ enim Deum nosse satis est, quod & dæmones faciũt, qui oderunt. Amor, & cultus exigitur, his ex rebus constans, quæ vtinam tam bene implerentur ab hominibus, quam sciuntur. G. De vera religione mihi placeo. R. Placere sibi, superbire est. Hæc autem vera religio, quæ te Deo religat, Deum tibi, humilitatem piis mentibus inserit, insolentiam extirpat. Sic tibi igitur gaudere permissum, vt quanto lætior, quãtoque religiosior, tanto sis melior, & operibus bonis affluẽtior. Illi gratias agens, qui tibi ex hac mortali vita rectum iter ostendit ad æternam vitam. G. Veram religionem (Deo gratias) sum adeptus. R. Bene ais: Deo gratias. Custodi autẽ illam bene ab erroribus, a negligentia, a peccatis, & sic habe, si hanc assequutus es, & in ea te exerceas, vt dignũ est, cessare controuersiã, de qua modo litigauimus, cũ sit scriptum sacris in literis: *Pietas est sapientia.* & per aliũ. *Initium sapientiæ est timor Domini.* Neque id ipsum tacitum in prophanis. Cuius rei Lactantius meminit institutionũ secundo. Affirmat, inquit, Hermes, eos, qui cognouerunt Deum, non tantum ab incursibus dæmonum tutos esse: verũ etiam nec fato quidem teneri. Vna, inquit, custodia pietas. Etenim pius homo neque dæmoni pessimo, neq; fato subiacet. Deus enim liberat pium ab omni malo. Namque vnicum atque solum bonũ est hominibus pietas. Quid sit autem pietas, ostendit alio loco his verbis: Pietas enim scientia est Dei. Eandemque sententiam Asclepium in sermone quodam regio latius explicasse confirmat: Vides vt obstinatissimi ouo pagani vestram circumuelant veritatem, tanta est veri vis vt linguas sæpe hostium ad se trahat.

APOPHTHEGMATA.

Diogenes, quum in phano cœnaret, eique panes sordidi essent appositi, abiecit illos è phano, dicens: In templum nihil oportere ingredi sordidum. *Laert. lib. 6.*

Lycurgus, percontanti, cur instituisset, vt minutis ac vilibus rebus sacrificaretur? Ne vnquam, inquit Lycurgus, deficiat nos quo numen honoremus. Quis non diceret, in solenni Deorũ cultu magnificentiam ac splendorẽ adhibẽdum? At vir prudẽs intellexit, numen magis delectari frugalitate, quã optimis victimis, ne sub

religionis obtêtu luxus irreperet, aut ex re ethnoi penuria. Deus enim non eget nostris impendiis: amat autem homines, quorũ necessitati poterat illis impendiis succurri. *Plut. in Lacon.*

Demonax, cum apud Athenienses audisset, præfatione solenni à sacris submoueri Barbaros, rogabat, quam ob rem id facerent? cũ ea sacra tradidisset ipsis Eumolpus, natione Thrax, nimirum Barbarus. *P.M. lib. 8. Apoph.*

Agesilaus Athenienses ac Bœotios apud Coroneam cum suis sociis iter eius impedire conatos, graui prælio vicit, ei victorias per se magnificæ multum laudis apposuit, religionis exemplo. Multi e prælio confugerant ad templum Mineruæ, de his rogatus, quid vellet fieri Agesilaus, vetuit illos violari, quum in eo prælio vulnera aliquot accepisset; videretur que vehemẽter iratus omnibus qui tum arma aduersus ipsum tulerant: tamen plus apud illum valuit religio, quam ira. Neque hoc solum in Græcia fecit, vt templa Deorum haberet sancta; verum etiam apud Barbaros summa religione simulachra araque consecrauit, quasi in hæc nullum esset ius belli. Itaque præclare solitus est dicere, se vehementer admirari, eos non haberi sacrilegorum numero, qui læderẽt ipsos supplices, ac per Deos obtestantes: nec grauiores fuisse pœnas de his, qui religionem minuerent, qui templa spoliarent. Recte iudicans, Dijs esse chariorem hominum salutem, quam muta templorum ornamenta. *Aemilius Probus, & Eras. lib. 5. c. 26.*

Alexander consulto oraculo monitus est, vt eum, qui sibi portam egresso primus occurrisset, interfici iuberet, occurrit Agaso, iussus est arripi. Roganti, quid commeruisset? responsum est: Ita iussisse Deum. Si ita est, inquit, o rex alius designatus est ab oraculo, nam asinus tibi prior occurrit, Agaso enim sequitur asinum, vt impellat, alioqui non sequuturum. Alexãder delectatus hoc commento, asinum pro homine occidit. *P.M. lib 6 apoph.*

Idem, inter sacrificandum cum vtraque manu thura ad euaporandum assumpsisset, à Leonida ob id reprehensus est. Dicebat enim Leonidas: Cum ferentibus aromata terris imperaueris, copiose tunc thura adolebis, nunc vero parce parcius. Victa autem Saba, Alexander Leonide scripsit: Ad te thus myrrhamq; abunde trãsmisimus, vt eum Deis parcus esse desinas. *Plut.*

Valerio Publicola Iouis ædem dicanti, iamque ex more postem tenẽti, Marcus illius frater derepente funestum nuntium ingessit, dicens: O consul, filius tuus morbo periit in castris. Ob eum nuntium mœstis omnibus, Publicola nihil commotus; Cadauer, inquit, quolibet, abiicite, simulque dedicationem solenni ritu peregit. Nec tamen verum erat, periisse filium; sed data opera factũ est, vt a dedicatione reuocaretur, atque is honor ad alium transiret. *Quamquam Liuius lib. ab Vrbe condita secundo, hoc aliquanto diuersius narret.*

Demonax, Quum ob id accusatus esset, quod Mineruæ nunquam sacrificasset: Nunquam, respondit, putaui meis sacrificiis opus fuisse. *P.M. lib 8. apoph.*

SIMILITVDINES.

Iamblichi, Quemadmodum in harmonia si vna chorda frãgatur, tota subito dissonat: Sic vno prætermisso numine sine ritu, communis ipsa religio finem non habet optatum, dum hoc vno deficiente, sacrum opus structuram suam integritatemque non habet. *De mysteriis.*

Plutarchi, Qui diuos colunt metu alicuius mali, perinde faciunt vt ij, qui tyrannos venerantur, ac colunt, quos oderunt animo. *In Moral.*

Marsilij Ficini Florentini, Singulas generis humani dotes videmus in bestiis quibusdam, saltem secundum quandam similitudinem, excepta religione, apparere. Nulla bruta præ se ferunt religionis indicium, vt propria nobis sit mentis in Deum cœli Regem erectio: sicut corporis in cœlum erectio propria, cultusque diuinus: ita ferme hominibus naturalis, quemadmodum equis hinnitus canibusque latratus. *Libro de religione Christiana, c. 1.*

EXEMPLA SACRA.

Religionis contemptæ *exempla*. Gallio, *Actor.* 18.15. simulatæ, Absalon, *2. Sam* 15.7.

EXEMPLA PROFANA.

Antiochus Rex Syriæ Hierosolymorum templum sine sacrificiis nõ tulit: nam quum vrbem illam eo tempore obsideret, quo tabernaculorum festa celebrarentur, atque a populo Hierosolymitano rogaretur septem dierum inducias ad ea sacra colenda dare, non solum postulata concessit, sed etiam tauros auratis cornibus adornatos, magnamque thymiamatum & aromatũ vim, ac multa aurea vasa sacerdotibus ad portas vrbis cum pompa solenni ferre iussit, vt illa Deo offerrent: traditaque illorum sacerdotib. hostia, ipse in castra rediit. Iudæi vero Regis religiosã benignitatẽ admirati protinus à festo peracto in fidẽ illius sese dederunt. *Plut.*

Acer sui nominis vindex *Apollo*, Carthagine a Romanis oppressa, veste aurea nudatus, effecit, vt sacrilegæ manus abscissæ inuentæ fuerint.

Q. Fuluius, In censura quum tegulas marmoreas ex Iunonis Laciniæ templo in ædem Fortunæ transtulisset, statim mente concidit: quin etiam summa animi ægritudine laborãs expirauit cum duobus filiis.

Cambyses, Cyri filius quinquaginta hominum millia misit ad Iouis Ammonis templum diripiendum, & incendio fœdandum. Ac cum inter Oasim & Ammonios transissent, subita ventorum tẽpestate arenarum cumulis obruti sunt, nec ex tanto agmine nuntius repertus est.

EMBLEMA.

Ficta religio.

Emblema VI. Andr. Alciati.

Regali residens meretrix pulcherrima sella,
Purpureo insignem gestat honore peplum.
Omnibus & latices pleno e cratere propinat,
At circumcubitans ebria turba iacet.
Sic Babylona notant, quæ gentes illice forma,
Et ficta stolidas religione capit.

Vide, Deus Pietas.

REMEDIVM.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

REmedium, Græce [Greek, illegible] dicitur. Remedium autem duplex contra malum, scilicet, impediens futurum, & remouens malum præsens *ex B. Thom. 1. Secund. q. 42.*

SENTENTIA PHILOSOPHICA.

Remedia nulla iam sunt salutaria, quam quæ faciunt dolorem. *Lat. Carpent. in epist.*

ADAGIA.

Satius est initiis mederi, quam fini. *Persi.* 3.

Elleborum frustra quum iam cutis ægra tumebit,
Poscentes videas: venienti occurrite morbo.

Ouidius.

Sero medicina paratur,
Quum mala per longas inualuere moras.

Pueros admonet à vitiis arcendos, dum adhuc tenera ac tractabilis ætas; sarciendas item protinus offensas, ne in simultatem exolescant.

Sero venisti, sed in colonum ieo. [Greek, illegible]

In eos qui post tempus aduenerint, aut qui mercede quippiam facerent.

Post bellum auxilium. μετὰ τὸν πόλεμον ἡ συμμαχία.

Quoties serius adhibetur remedium.

Senem erigere. γέροντα δ᾽ ὀρθοῦν φλαῦρον ὃς νέος πέσοι.

Haud facile dediscuntur à senibus vitia, quæ pueri didicerint, & in omnem imbiberint vitam.

REPREHENSIO.

LOCI BIBLICI.

REprehẽsiones necessariæ & vtiles, 1. *Cor.* 4. 21, 2. *Cor.* 2. 4. *Ephes.* 5. v. 11. 13. 2. *Tim.* 3. 16. & 4. 2.

SENTENTIÆ POETICÆ.

Plaut. Bacch.

Eia Lyde leniter qui sæuiunt sapiunt magis.
Minus mirandum est illæc ætas si quid illorum facit.
Quam si non facit: feci ego isthæc itidem in adolescentia.

Plaut. Truc.

Rationem dicam quia qui
Alterum incusat probri, ipsum se intueri oportet.

Ouid. 6. Fast.

Sic agitur censura, & sic exempla parantur,
Cum iudex alios quod monet, ipse facit.

Claud. 4. Honor.

In commune iubes si quid censesque tenendum,
Primus iussa subi: tunc obseruantior æqui
Fit populus nec ferre vetat, cum viderit ipsum
Auctorem parere sibi.

Et infra.

Nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, quam vita regentis.

Hor. 2. Serm. 1.

Si quis
Opprobrijs dignum latrauerit integer ipse.
Soluentur risu tabulæ, tu missus abibis.

Iuuenal.

Loripedem rectus derideat, Aethiopem albus,
Quis tulerit Gracchos de seditione querentes?
Quis cœlum terris non misceat, & mare cœlo?
Si fur displiceat Verri, homicida Miloni?

Clodius

Clodius accuset mœchos, Catilina Cethegum;
In tabulam Sulla si dicant discipuli tres?
Thales per Auton.
Cum vero obiurgas, sic inimice iuuas.

Apophthegmata.

Demosthenes cuidam sciscitanti, quo tandem modo aliquis sibi præceptor fieri posset? respondit, si quæ in alijs reprehendit, in se maxime reprehendit. *Ant. & Max. ser. de admonitione.*

Eusebius philos. Hostis, inquit, vera dicens, amico ad gratiam simulanti omnino præponendus est. *Ant. & Max. de libertate reprehendendi.*

Idem Propter quæ alios, inquit (magistratum alloquens) vt mala, reprehendis, ea tu ne facere caue. *Stob. serm. 44.*

Santentiæ Historicæ.

Aliena facta reprehendere, vel cuilibet est facillimum. *Dion. Halic. lib. 10.*

Plerique mortales ad iudicandum satis ingenij habent, aut simulant: veruntamen ad reprehendenda aliena facta aut dicta ardet omnibus animus: vix satis apertum os aut prompta lingua videtur, quæ dicta pectore euoluat. *Sall. in fragm.*

Mansuetis ingenijs reprehensiones plus fere voluptatis adferunt quam doloris, eorúmque memoria scintillas in animis, velut ignē sub cineribus delitescentem ad cauenda in posterum similia delicta, excitat. *Nicet. lib. de Constantinop. statu.*

Similitudines.

Marci eremitæ. Quemadmodum ij qui mare nauigant, solis æstum libenter perferunt: Sic illi quibus odio sunt vitia reprehensionē diligunt. Ille enim ventis aduersatur, hæc vero affectibus. *De ys qui putant se operibus iustificari.*

Plutarchi, non quemadmodum parasitus conuitio tactus ab ijs a quibus alitur, ridetur, ac nihil commouetur: Ita a philosopho reprehensus, debet esse affectus: sed nec offendi oportet, nec impudēter negligere. *in Moral.*

Facile est demoliri, quod alius extruxit: at difficillimum, idem aut melius aliquid extruere: Ita aliorum orationem reprehendere in procliui est, at eodem modo meliusve dicere, non est perinde facile. *in Mor.*

Qui ac natura queritur, quod quædam genuerit homini noxia, dissimulatis tot bonis: perinde facit ac si quis Nilum calumnietur, alioqui frugiferum Aegypto, quod crocodilum habeat, aut aspidem; nec postea velit frui prognatis frugibus, sed tantum queratur de venenis, quæ nutrit. Aut si quis in copiosa oratoris oratione, quæ multis exuberet virtutibus, de pauculis temere elapsis cauilletur. *In Mor.*

Vt Lamias fabulæ narrant foris oculatas esse, domi oculis in vase reconditis, nihil videre: Ita quidam in alienis perspicaces sunt, ad sua cæcutiunt. *in Mor.*

Ciceronis: vt oculus, sic animus, se non videns alia cernit. *Lib. 1. Tuscul.*

Qui suos casus aliter ferunt, atque vt aliis authores fuerunt, non sunt vinosiores, quam fere plerique, qui auari auaros, gloriæ cupidos gloriosi reprehendunt. *3. Tusc. q.*

P. M. Cum æstate vehementius tonuerit, quam fulserit, vt inquit Plinius, ventos denuociat: Ita vbi quis vehementer inclamat in aliorum vita, ipse non perinde lucens morum integritate, indicium est animi magis ambitionis vento tumescentis, quam solide pij. *In Simil.*

Thimero: caniculi quidam hominis fimbriam possunt mordere, sed non audent inuadere: Ita hodie scioli quidam possunt doctorum commentarios mordere, sed nequeunt ipsam rem redarguere. *In apoph. 58.*

Exempla Historica.

Hyperbolus quidam in reprehendendo ita acerbus fuit: vt materiam Comicis pene omnibus perpetuam dicteriorum in Theatris præbuerit. *Plutar. in Alcibiade & Nicia.* Meminit eius etiam *Thucydides lib. 8.*

Clitum reor Alexandrum non tam inflammasse ex vino quam quod in frequentia amicorū corriperet. *Plutar. de discernendis adulatoribus.*

Eudoxia Arcadij Imp. vxor, cum reprehēsiones liberas D. Ioan. Chrysostomi Constantinopolitani Episcopi ferre non posset, bis in exilium curauit eiici virum sanctissimum.

Tamperens, rex Bergomensium, cum Ioannis Episcopi admonitionē libere in conuiuio ferre non posset: tum insidijs equi ferocissimi, eoi eum insidere fecit, e medio tollere frustra conatus est.

Lætus præfectus prætorij Pertinacem Imperatorem, quod sæpius ab eo reprehenderetur, in palatio confodit, sexto imperij mense, cum Electo & cæteris duobus cubicularijs. *Cuspinianus.*

Vide, Correctio.

Polyanthea Noviss.

Repulsa.

Philosophicæ Santentiæ.

De repulsis. Dial. XXXVIII.
Francisci Petrarchæ.

D o l.

Repulsam passus indignor. R. Vis ne igitur quæcunque poposcetis adipisci, ita vt negari tibi nihil possit? vide ne intolerandæ superbiæ sit hoc velle. Meminisse magni Pompeij decuisset: quo nescio, an maior vnquam fuit, de quo tamen scriptum est. Quæque dari voluit, voluit sibi posse negari, quam multa Cæsaribus supra humanam magnitudinem, summo etiam imperio gloriosis negata cognouimus, & tu grauiter vnam, aut alteram fers repulsam? Denique quam multa cotidie Deus poscit ab homine nullius rei indigens, nec impetrat? D. Non possum æquo animo repulsam pati. R. Cur petendi tibi arrogas licentiam, & negandi alijs carpis libertatem: Quid quod sæpe indigna petitio dignam repulsæ præbuit materiam? Quid quod sæpe etiam petenti repulsa vtilis, cui quod petierat impetrasse damnosum erat? D. Iniustam patior repulsam. R. Si iniusta est repulsa, iusta ergo petitio, gaude cuiuscunque potius culpam esse quam tuam. D. Vnde nō merui repulsam tuli. R. Multi se magna meritos putant, vnde penitus nil merentur. Hinc repulsæ dolor, hinc querelæ illæ, quib. orbis terræ & omnis vita hominum plena est. D. Pudendā patior repulsam. R. Pudendum nihil præter culpam: quem pudorē tibi inferre potuit, qđ tui non erat arbitrij? D. Repulsā patior, vnde nō credidi. R. Credulitas incerta est. certa autē res, nō posse quod petitur negare non est liberi, sed serui. Non posse repulsam pati non est ciuis, sed tyranni. D. Optatæ speratæque rei passus sū repulsam. R. Si quicquid sperant, cupiuntque homines assequerentur, dij essent omnes. Tu vero vt indignationes multas, ad dolorem fugias repulsarum, disce optare possibilia, & honesta, nō asséqui velle, quicquid inconsultus, & inexplebilis appetitus optauerit, quicquid spes vana suggesserit. Dol. Non tantum repulsus ego, sed indignus mihi antepositus fuit. Rat. Et quoties indigna dignissimis præferuntur, & quoties dignos indignissimi iudicant. alienarum seuerior suarū quisque fauorabilis rerum iudex. Multi se indignos dicunt, pauci credunt. D. Paruæ rei patior repulsā. R. Multis parua negata, magna vltro oblata vidimus. Si repulsis compensentur munera, fortunæ lances æquabuntur, sed vos illas indignatione angetis. Hæc obliuione, atque dissimulatione minuitis. D. Dignus eram (vt arbitror) non repelli. R. Vt sit ita, an tu omnia pro dignitate hominum dari existimas, ac negari? Vtinā ita esset, & vt plures bonos, spes præmij, & pauciores malos faceret metus pœnæ, sed non ita est. Amor, odium, spes, cupiditas, affectus inconditi, cuncta permiscuere. In te vno fortunæ stylum publicum vis mutari, & non te potius ad communem cursum humani moris inflecti? Dol. Quanto indignior mihi antepositus competitor. R. Et Lucius Flāminius mox ob indignum facinus iudicandus, & ordine senatorio amouendus Scipioni Nasicæ prælatus fuit, viro omnium optimo senatus & populi sententijs iudicato. Et Vatinius Catoni illaudatus laudatissimo, nō solum populi amicorum, simulque hostium iudicio, sed toto etiā Ciceroniano volumine. quid hic dicis, vt sint grauia, non sunt noua, quæ pateris. D. Multum sperabam. modicum non mereor. R. Vt multum quoque merearis dixi iā non omnia pro meritis dari. Quid quod semel negatum eidem id ipsum mox concessum vidimus? Quod in ipso de quo loquor Scipione accidit, repulsarum duritiem sæpe pertinax virtus infregit. Testes sunt Aemilius Paulus, Metellus Macedonicus, Lucius Mumius, qui consulatus repulsam passi omnes, ijdem speciosissimis consulatibus, ac triumphis postmodum honestati, suis ciuibus, quibus contemptui fuerant, spectaculo fuere, nunquam ad id peruenturi, si repulsas populi lamentis potius acerbare, quam virtutibus superare voluissent. Lucius Sylla, quamuis in finem ciuilibus discordijs irritatus, famam suam nota crudelitatis infecerit, nobilitate tamen & gloria insignis ciuis non consulatus, sed præturæ tanto minoris rei repulsam cum tulisset, summam reipublic. post adeptus, & præturas, & consulatum, & imperia non tantum consequi potuit, sed donare. Non debet repulsa spem auferre, sed afferre solicitudinem, ac virtutē acuere, quæ nil tam asperum, quod non leniat, idque etiamsi quādo non fecerit, non tamen ideo deserenda est, ne propter se ipsam suumque proprium finem culta videatur. Denique hi repulsas suas forti animo tulere. At Publius Rutilius repulsa fratris audita, quam erat passus in petitione cōsulatus, statim morte obijt repentina. Elige vtrum sequi malis.

Meminerint repulsi nefas non esse aliquid ab omnibus hominibus vbi negari: cum singuli sæpenumero cunctorum voluntatibus resistere fas esse duxerint. *Val. Max. lib. 7. c. 5.*

Hieroglyphica.

Antiqui, *hominem* qui vel candidatus turpem esset repulsam passus, vel partā dignitatē amisisset, Vatiniana aliqua affectus ignominia,

minia, ac propterea tanto perfusũ pudore: vt in loca frequentiora prodire non audeat, ostendere si vellent, *Ceruum marem sine cornibus* inter virgulta fruticesque abditum pingere soliti sunt. *Pier. Val lib. 7. pag. 6. 4 F.*

Per hominem etiam cornu obiectum destinatumve, aut quid aliud ita expositum, id hieroglyphico manifesto intelligimus, quod ignominiose repulsum fuerit eque conspectu submotum. *Idem li. 24. pag. 218. D.*

Vide locum de Honore & Ambitione.

R E S.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

RES, Græce πρᾶγμα, ατος τὸ, dicitur. Significat autem res statum ac conditionem, vnde respublica & res priuata dicitur, res meæ, tuæ, bonæ, malæ, vocantur Cicero. *In enim rebus nostris minime conducebat, hoc est, statui nostro.* Aliquando res est, quæ e persona distinguitur. Vnde argumentorum loci sunt a rebus & a personis. Interdum pro commercio. *Vetus est mihi cum homine multo.* Nonnunquam pro causa, vt ea re, qua de re, quamobrem, id est, propter quam causam, ea de re, ob eam causam, abs re, sine causa. Res comperendinata dicitur, cum causa huc est iudicium, in diem tertium constitutum est. Res imperium aliquando significat. Vergil. *Postquam res Asiæ &c.*

LOCI BIBLICI.

Rerum temporalium & spiritualium discrimen, 2. *Cor.* 4. 18.

Res ipsa non parum afficit, *Iud.* 19. 29. res proximi expendenda, priusquam damnetur, *Iof.* 22. *v.* 13. 30. res proximi perdita restituenda *Deut.* 22. 1.

SENTENTIÆ PHILOSOPH.

Res æternæ non sunt in tempore, hoc ipsu quod æternæ sunt. Neque enim eas amplectitur tempus, neque eorum rationem metitur. *Lib. 4. de Nat. c. 12. T. 117.*

Quod necessario est, id etiam simul ac continuo est sempiternum; præsertim quum id, quod esse necessarium est, non possit non esse: ita fit, vt si necessario est, æternum sit, & si æternum, necessario. *Lib. 2. de Ortu c. 11. T. 68.*

In rebus æternis posse & esse idem valent. *Lib. 3. de Nat. c. 4. T. 32.*

ADAGIA.

Nunc in regionem veni. αὐτ᾽ εἰς χώραν ἦλθον.

Ab ijs dicitur, fortuna qui tandem sua sponte illuc, quo oportuit peruenerint, cum data non quæserint.

Ipsum est ij limen tetigisti. αὐτὸν κέκρουκας τὸν καπυρὰ τῆς θύρας.

Dici solitum quoties ad rem ipsam peruenitur.

Rem acu tetigisti. *Plaut.*

Acu tangere perinde est, quasi dicas ipsissimum punctum attingere.

Du hast es eben getroffen.

Aedibus in nostris quæ praua aut recta geruntur, ὅττι τοι ἐν μεγάροισι κακόν τ᾽ ἀγαθόν τε τέτυκται.

Quo versu monemur, vt ea potissimum, quæ ad nos ipsos pertinent, curemus, externa atque aliena ne inquiramus. Huc referri potest & illud apud eundem Homerum solenne.

> Ἀλλ᾽ εἰς οἶκον ἰοῦσα τὰ σ᾽ αὐτῆς ἔργα κόμιζε.
>
> *Quin ad tecta abiens tua propria munera cura.*

Ein ieder kehr fuer seiner Thuer, so wird es auff der Gassen allenthalben sauber.

Ipsi curandum. αὐτῷ μελητέον· ἀλλ᾽ ἐπὶ τὸν οἶκον. *Homer.*

Græci scriptores torquent in eos qui rebus alienis liberius vtuntur, vt solent, qui in conducto habitant.

Omissis nugis rem experiamur.

Qui conuitijs omissis iubebis ipsa re periculum fieri, vter vincat aut vincatur, non inepte accommodaueris illud. Iliad. γ

> Ἀλλ᾽ ἄγετ᾽ αὖτ᾽ ἔριδος ξυνελαύνομεν ὅττι τάχιστα
>
> Εἴδομεν ἀμφοτέρω κεν ἐλεύσεται οὔχος ὀρέξῃ.
>
> *Sed prælia pugnam committere conemus, vt emox,*
>
> *Viri Iuppiter esse velit laudem, deatecusque perspicuum fiat.*

Pedem conferre.

Vbi propius acceditur ad rem, Cicero.

Ab vnguibus incipere.

Dici solitum, quoties a leuissimis, minimeque ad rem pertinentibus ordimur. Huic contrarium.

A capite incipere. Cum illud, quod præcipuum in causa est, aggredimur.

FABVLA.

Asinus & Leo.

Cum quodam tempore coniuncti fœdere & amicitia vna iter facerent leo & asinus, conspecta hic luporum caterua, procurrit audacius, & clamorem quam maximum edidit. Tum lupi, qui leonem etiã animaduertissent adesse, asinum quidem illi deseruerũt, sed celeriter se fuga subduxere. Asinus autẽ interroganti leoni, quænam tanti clamoris causa, & quid factum esset? Respondit. Se lupos conspectus absterrere voluisse, a quibus derisus fuisset, cũ tamen ipsum leonem visum statim fugissent. Recte, inquit leo: Non enim clamores, sed vim metuit lupus.

Fabula indicat, fortes & constantes viros non verbis, sed factis animum attendere.

RESIPISCENTIA.

LOCI BIBLICI.

Resipiscentes consolandi, 2. *Cor.* 2. *v.* 7. 8. Resipiscentia donum Dei, *Thren.* 5. 21. Resipiscentia Israelis, *Ierem.* 3. 22. *&c.* resipiscere omnes desiderat Deus, 2. *Pet.* 3. 9.

SIMILITVDINES.

Chrysostom. Sicut vas, quod leuiter cadit, & læditur, est quidem vas, sed ad vsum non proficit: quod autem dispersum fuerit, nec videtur esse vas: Sic Christianus peccator resurgit quidem, sed inter sanctos non ponitur: infidelis autem non resurget in iudicio. *In 21. Matth. hom. 40.*

Nazianzen. Magnum est neque ab initio peccare, aut saltem non in maximis delinquere: quoniam penitus a peccato liberum esse, Deus supra humanam naturam ordinauit. Secundo autem quemadmodum mihi videtur, magnum est, vt qui in re aliqua peccauere, & correpti sunt, ac deinde renouati, vt in sensu permaneant disciplinæ, fugiantque secundum ex secunda prauitate flagellũ. Quapropter & nos, quum diuinæ correptionis opere emersimus perpensi, ideo quæ postea sumus consequuti, Respondeamus ad calamitatem, quæ nos comprehendit, quoniam non vt maleficis gentibus traditi sumus, sed vt filii modestiores sumus facti. Non obliuiscamur tempestatis, postquam in serenam saluati sumus Hierusalem, nec Aegypti post Aegyptum memores simus, nec faciamus melius afflictionis tempus quam quietis. Ostendemus autem, si videbimur tunc quidem timore Dei correpti modeste egisse, & spes omnes in cœlum posuisse, nunc autem postquam laudem & relaxationem assequuti sumus, haudquaquam ad eadem rursus peccata recurrisse, ob quæ in euenientes nobis impegimus calamitates. *Orat. in Iulian. secunda.*

Origenes. Quum ceciderit iustus, non prosternitur, non permanebit in peccato, sed exiliet cito tanquam damula ex retibus, & tanquam auis de laqueo. *Hom. 5. in Psal. 36.*

Lactant. Sicut nihil prodest male viuenti anteacta vitæ probitas, quia superueniens nequitia iustitiæ opera deleuit: Ita nihil officiunt peccata vetera correcto, quia superueniens iustitia labem vitæ prioris aboleuit. *Lib. 7. c. 24. de cultu diuino.*

D. Augustin. Tales sumus quasi lippientes, cum producuntur ad videndum lumen, si forte antea visum omnium non habebant, & recipiunt eundem visum per diligentiam medicorum vtcunque reparare: & cum probare vult medicus, quãtum salutis eis accesserit, tentat & eis ostendere, quod videre desiderant, & non poterant. Et cum viderint fulgorem, in ipso reuerberantur quodammodo, & respondent medico demonstranti: Iam iam vidi, sed videre non possum. Quid ergo facit medicus? Reuocat ad solita, & addit collyrium, vt ad illud quod visum est, & eundem non potest, desiderium nutriat, & in ipso desiderio curetur plenius, & si qua mordacia reparandæ sanitati adhibentur, fortiter ferat, vt amore illius lucis accensus, dicat sibi: Quando erit, vt illud firmis oculis videam, quod saucius infirmisque non potui? Vrget medicũ, & rogat, vt curet. Ergo fratres, si forte tale aliquid fecistis est in cordibus vestris, si vtcunque erexistis cor vestrum ad videndum verbum, & ipsius luce reuerberati, ad solita recidistis, rogate medicũ, vt adhibeat collyria mordacia, præcepta iustitiæ. Est quod videas, sed non est vnde videas. Nõ mihi antea credebas, quia est quod videas: duce quodam rationis adductus propinquasti, intẽdisti, palpasti, refugisti. Scis certe enim, quod videas, sed idoneũ non te esse qui videas. Ergo curare. Quæ sunt collyria, noli mentiri, noli periurare, noli adulterari, furari. Sed consuesti, & cum aliquo dolore a consuetudine reuocaris: hinc est, quod mordet, sed sanitas. Nam dico tibi liberius ex timore & meo & tuo, si curari destiteris, & esse idoneus ad perfruendum hac luce neglexeris valetudinem oculorum tuorum, tenebras amabis, & amando tenebras, in tenebris remanebis, & remanẽdo in tenebris, etiam in tenebras exteriores proiicieris, ibi erit fletus & stridor dentiũ. *In Ioan tract. 18.*

Themist. Vt pater redeunti a sordibus filio occurrit, non exclusit, nulla pœna seuerius affecit, sed amplexus noua stola ornauit: Sic nec iis vincula ac carceres immanent, qui vltro ac libentes ad Deum redeunt: tantum ijs, qui quasi inuiti & tracti demigrant. *In apoph. 51.*

Quemadmodum natura infirma nequaquam sese ipsam purgat, sed medicamen, aut illa ipsa aliunde facta promptior: Ita nec vt animus sese emaculat, sed Christus primum nos eluit, Spiritus sanctus demum illustrat & confirmat. *In apoph. 50.*

Vide penitentia.

RE-

RESPONSIONES.

Loci Biblici.

Responsiones variæ duræ, *Iudic* 8.7. 2. *Reg.* 9.22. 2. *Paral.* 10.13. lioniez, *Iudic.* 6.31 *Dan.* 3.16.

Respondere, Hebraica phrasi, is etiam dicitur, qui non est rogatus, *Math.* 17.4. & est idem quod sermonem incipere aut ordiri, vt patet ex *Mar.* 11.14. hoc ponitur pro sermonem inchoare, nec semper præsupponit interrogationem. Sic *Matth.* 28 5. *Luc.* 8.40. respondere dicitur Christus, cum tacitas hominum cogitationes compellat.

Sententiæ Philosophicae.

Responsionem vnam ad duo rogata dare iniquum est. *Alex. Aphrod. in lib. elenchor.*

Responsio etsi vera sit, quæ simplex est, ad multiplicem interrogationem reprehendi debet. *Boet. lib. de incer.*

Responsio multiplex esse debet contra multiplicem interrogationem. *Boet. in lib. de incer.*

Responsionem quasi sententiam ab aduersario subtilitate interrogationis elicit dialecticus. *Idem de dif. cap. l.* 4.

Responsio securissima ad absurda curanda, quod quidquid maius est magnitudine maius, & quidquid minus est paruitate minus, & sic de omnibus. *Plato in Phædone.*

Responsio promptа potius esse debet, quam nimis exactati. *In Theæte.*

Apophthegmata.

Diogenes. Percontanti, Quidnam vellet, vt colaphum acciperet? Galeam, inquit. Respondit nab inexpectato datum. Ille enim quærebat quid mercedis peteret pro colapho. *Laert. l.* 5 *c.* 2.

Xenocrates de obscœnis quibusdam rebus, a quodam percontatus, tacuit: verum quū vrgeretur responsum, De talibus, inquit, rebus te hominem vanum interrogare decet, me autem respondere nequaquam. *Max serm.* 21.

Stratonicus, interrogatus, quod nauigiorum genus esset tutissimum, longorum, aut contractorum, respondit, Ea quę subducta sunt. Significans, tum demum nauigantes in tuto esse, cum nauis in siccum protracta fuerit. *Athenæus.*

Demonax. interrogatus, quidnam sentiret de conflictu duorum, quorum alter inepte proponebat, alter absurde respondebat? respōdit, sibi videri, alterum mulgere hircum, alterum supponere cribrum. *Plut. in apoph.*

Archidamus. Quidam cū archidamum intempestiuus rogasset, quot essent Spartanorum? Tot, inquit, sunt ò hospes, qui malos sufficiant arcere, vt tuti sint ab omni hostium periculo. *Plut. in apoph. & Brus. lib.* 3. *c.* 16.

Anonymus. Sciscitatus ab importuno quodam & loquace viro, Quis esset Spartanorum omnium optimus? Qui tibi (respondit) minime similis est. *Plut. in apoph. Lacon.*

Pædaritus. interrogatus, quid sentiret de eo qui fuerat in adulterio deprehensus? Tardus, inquit, mihi fuisse videtur, Ludens ab inexpectato: significansque, quod non fugisset in tempore. *P. M.* 6. *apoph.*

Mania. Rex cum Lamiam meretricem parum sobrie amaret, eaque iam senex in conuiuio tibijs cecinisset: Denique & Mania dicta est, interrogata a Demetrio, Quid videretur Lamia? Anus, inquit. Aliud respondens, atque expectabat rex. Nam ille sciscitabatur, quam scite videretur canere. *P. M. l.* 6. *apoph. ex Plut.*

Appius, quum in senatu ageretur de agris publicis, ac premeretur Lucilius ab his qui a pecore eius depasci publicos agros dicerēt: Non est, inquit, Lucilij pecus illud, erratis. Hactenus defendere videbatur, sed adiecit: Ego liberum puto, qua lubet pascitur. Iocus est ab inexpectato. Expectabatur enim, vt probaret hoc pecus non esse Lucilij, sed alterius cuiuspiam, ac reum subleuaret: nunc irrisum grauabat. *P. M. lib.*.. *apoph.*

M. Scipio Maluginensis. cum ex sua centuria renunciaret Accidinum consulem, & præco dixisset, dic de L. Manlio: Ego, inquit Scipio, virum bonum, egregiumque ciuem esse arbitror. Præco expectabat suffragium pro Manlio: Scipio respondit, quasi de moribus interrogatus. Nescio an hic Accidinus, nomine dictus sit L. Manlius, quumque Scipio postremum nomen tantū expectasset, præco admonuit, & illa addenda. Hinc Scipio iocandi occasionem arripuit. *P. M. l.* 6. *apoph.*

Fab. Maximus Salinator, cum Tarēto amisso, arcem tamen retinuisset, multaque ex ea præclara fecisset, eum aliquot post annus Maximus id oppidum cepisset, rogaretque eum Salinator, vt meminisset opera sua se Tarentum recepisse: Quid ni, inquit, meminerim? Nunquam ego recepissem, nisi tu perdidisses. *Cice. lib.* 2. *de Oratore. & Plut.*

C. Iulius Helio. Mancipio sępius obstrepenti sibi, dixit: Etiam ostendam qualis sis, & instanti, vt ostenderet qualis esset. Iulius digito demonstrat Gallum in Mariano scuto Cimbrico depictum, labijs distortum, eiecta lingua, buccis fluentibus, cui mancipium rum simile est visum. Taberna autem erat apud forum, ac scutum illud signi gratia positum: ingens omnium risus consecutus est. Expectabant enim, vt aliquid in mores illius obijceret. *P. M. lib.* 6 *apoph.*

Domitius Afer, in quendam patronum imperitum, sed splendido vestitu se venditantem, litigatoribus lepide dixit: Homo iste agit dis causis bene vestitus. Lusit ab inexpectato. Nam audiit pro vestitus expectabat instructus, aut exercitatus. *Ibid.*

Crassus. Quum Silius testis læsisset Pisonem eum, cui Crassus aderat prolato crimine, quod se in eum dictum audisse dicebat: Potest fieri, inquit Crassus, vt is vnde te audire dicis, iratus dixerit. Annuit Silius: Potest etiam, inquit, fieri, vt tu non rectè intellexeris. Quum id quoque toto capite annuisset Silius, vt se Crasso daret, subiecit Crassus, Potest etiam fieri, vt omnino quod audisse dicis, nunquam audieris. Hoc adeo præter expectationem, vt Silium testem omnium risus obrueret. *P. M. lib.* 6. *apoph.*

Cicero Cum testis Sexti Annalis reum læsisset: & instaret idētidem accusator rei, Dic Marce Tulli, si quid potes de Sexto Annali: protinus recitare cœpit versus ex sexto Ennij annaliū libro:

Qui potest ingentis causas euoluere belli, &c.

Scripsit enim, Ennius annales: & accusator vocabatur Sextus Annalis. *P. M. lib.* 4 *apoph.*

Cascellius, Consultori dicenti, Nauim diuidere volo: Perdes, inquit. Ille de pretio nauis mercibusque consulebat, hic aliud respōdit. Nam ipsam diuidere nauim, est nauim perdere. Macrobius ita refert. Si diuidis, nec tu nec socius habebitis. Erat autem duorum negotiatorum communis. *P. M.*

Apollonius. Nero cum in Gymnicis decertasset, rogatus à Tigillino Apollonius, Quid de Nerone sentiret? Melius, inquit, sentio quā vos Cantare enim vos illum dignum putatis, ego autem tacere. *Brus. lib.* 3. *c.* 13.

Similitudo.

Plutarchi. Vt pauperiores aliquando donant munuscula ditioribus, quo plus recipiant: Sic indoctiores prouocamus nonnullos, vt eruditiora vicissim illi respondeant. *In Moral.*

RESPVBLICA.

Definitio et Etymolog.

Respublica, Græce πολιτεία et πολιτεύματα rempublicam gero dicitur. Est autem respublica paucorum potestas, in qua census magistratus declaratur *secund. Arist. l.* 1. *Rhetor.*

Respublica est institutio ciuitatis, circa magistratus honoresq; publicos, quemadmodum debeant impartiri, & in quos potestas authoritasque summa debeant consistere: & quis sit finis cuiusq societatis *secund. Arist. lib* 4. *Rhetor.*

Respublica est res populi. *secund. Aug. l.* 1. *de ciuit. Dei.*

Respublica est quoddam corpus compaginatum ex membris, quod diuini muneris beneficio animatur, & summę æquitatis agitur nutu, & regitur quodam lumini rationis, *secundum Plat. instit. Traiani.*

Loci Biblici.

Respublica, iustis regnantibus, floret, *Prou.* 28. 12. & 29. 2.

Reipublicæ destructionis vera effigies. *Esa.* 3. *v.* 2. 3.

Sententiæ Poeticæ.

Plaut: Pers. 5.

Quid id quod vides? Ut munitum muro tibi visu'st oppidum?
Si incolæ bene sunt morati pulchre munitum arbitror,
Perfidia, & peculatus ex vrbe, & auaritia si exulant,
Quarta inuidia, quinta ambitio sexta obtrectatio,
Septimum periurium T. Euge. P. octaua indiligentia,
Nona iniuria, decimum, quod pessimum aggressu scelus.
Hæc nisi inde aberunt, centuplex murus rebus seruandis parum est.

Plaut. Trin.

Nihil est profecto stultius, neque stolidius,
Neque mendaci loquius, neque argutum magis,
Neque confidentiloquius, neque periurius,
Quam vrbani assidui ciues, quos scurras vocant &c.
Qui omnia se simulant scire, nec quicquam sciunt.
Quod quisque in animo habet, aut habiturus est, sciunt,
Id quod in aurem rex reginæ dixerit.
Sciunt, quod Iuno fabulata est cum Ioue.
Quæ neque futura, neque facta sunt tamen illi sciunt,
Falson' an vere laudent, culpent, quem velint,
Non flocci faciunt, dum illud quod lubeat sciant.

Philosophor. Sententiae.

Nec domus, nec respu. stare potest, si in ea nec recte factis præmia ex

extent vlla, nec supplicia peccatis. *Cic. 3. de Nat. Deor.*

Vt vtilius, vnius improbi supplicio multorum improbitatem coercere, quam propter multos improbos vni parcere. *5. Action. in Verr.*

Accusatores multos esse in ciuitate vtile est, vt metu contineatur audacia. Verum hoc ita est vtile, vt ne plane illudamur ab accusatoribus. *Pro Ros. Amer.*

Respublica nomen vniuersæ ciuitatis est, pro qua mori, & cui nos totos dare, & in qua omnia nostra ponere, & quasi consecrare debemus. *2. de legib.*

Eo omnis vitæ nostræ ratio transmittenda est, vt magnam nominis nostri famã, ex maximis in Remp. meritis collatis, posteris relinquamus. *in Vat.*

Omnibus bonis expedit saluam esse rempublicam. *Phil. 13.*

Laudandus est is, qui mortem oppetit pro Rep. qui doceat chariorẽ esse patriam nobis, quam nosmetipsos. Estq; illa vox inhumana & scelerata eorum, qui negant se recusare, quo minus ipsis mortuis terrarum omnium deflagratio consequatur. *3. de finib.*

Qui pro Republica vitam reddiderunt, nusquam me hercule eos mortem potius, quam immortalitatem assecuturos putant. *Pro Planc.*

Nihil est ex omnibus rebus humanis præclarius aut præstantius, quam de Republica bene mereri. *Ad Planc. Fam. 10.*

Omni timore deposito, debemus libere Reipubl. consulere. *Brut. ad Ci. Fam. 11.*

His maiores nostri, qui ob Remp. mortem obierant, pro breui vita diuturnam memoriam reddiderunt. *Phil. 9.*

Non potest cuiquam male de Republic. merendi iusta esse causa. *de Resp. Arusp.*

Respublicæ nullo munimento tutiores sunt quam virtute ciuium.

Publica vtilitas anteponenda est odio priuato.

In Republ. bene instituta omnia proficiunt in melius.

Animæ robur & vis naturæ magnæ vsui possunt esse Reipub.

Vnicuique pluris facienda est vtilitas communis, quam propria.

Quisquis alienam Rempub. vehementer adamat, suam quodammodo vituperat.

Ea Reipubl. species non est vtilis ciuitati, quam nemo velit esse in familia.

Respubl. duabus rebus continetur, præmio & pœna.

Respubl. male morata est, vbi licet impune maledicere nihil mali commeritis.

Tempore pacis magis quam belli Reipubl. viget authoritas, vt ius habet decernendi, quod ad tenendam ciuitatis tranquillitatẽ censuerit conducere.

Qui sunt iracundioris ingenij, ad disciplinas quidem idonei sunt, ad gerendam Remp. non item.

Multo absurdius est ei commendare Rempublic. qui gubernandi artes non tenet, quam si asinum pro equo adhibeas aratro.

Priuatæ simultas post habenda est Reip. commodis.

Non infirmum erga Remp. est meritum, si non solum ipse te præstiteris egregium virum, sed aliquem tibi similem gignas educesque patriæ.

Hoc præcipuum vulnus est omnium Rerumpublicarum, quod omnia munia per vicarios administrantur, interdum alteros ac tertios.

Priuati affectus vtilitati publicæ posthabendi sunt.

In omni negotio magni refert, quales sint, quibus gerendæ rei creditur authoritas.

Publicæ saluti priuata incolumitas est postponenda.

Reipublicæ corruptela non alia magis ex re nascitur, quam ex delicijs.

Qui præclaros viros eijciunt è ciuitate, Remp. lædunt potius, quam eos, quos expellunt.

Inutile est Reipu. subinde mutare duces, sed satius est, quem idoneũ ac fidum nactus sis, eum non mutare.

Non potest consistere Respub. vbi non est honos virtuti, nec pœna sceleratis.

Reip. dignitas præferenda est priuato commodo.

Tum aiunt, Rempub. optime se habuisse, quum modesti & prudentes viri ipsam administrabant. *Demosthenes ex oratione contra Theocrinem.*

Ciuitatis ego diuitias arbitror, socios, fidem, beneuolentiam. *De orat. 4. in Phil. & de reb. Cherson.*

Decet vos in armis & bello formidabiles, in iudicijs autem humanos esse. *Ex orat. de ordin. Reip.*

Nihil ingenue simpliciterque facere, non solum vobis indignum, & parum generosum, sed etiã maxima habet pericula. *Ex prima epist.*

Non rumore solum vos vestras res cognoscere, verum etiam præsentes spectare oportet. *Ex orat. in Phil.*

Res ciuitatis non ita tractabant, vt opes immensas pararent, sed Rẽpub. sibi amplificandam esse singuli putabant. *Olynt. 3.*

Oportet, Athenienses, eum, qui boni aliquid facere nostræ ciuitati cupiat, primum vestras aures sanare: corruptæ enim sunt, adeo falsa & multa & quæuis potius, quam optima, audire consueuistis. *Ex orat. de ordin. ciuitatis.*

APOPHTHEGMATA.

Ita sunt res humanæ, vt alias copia abundent, alias penuria laborent, & subinde aliter atque aliter sese habeant. Quare medicina illis non simplex, sed varia est adhibenda: & si hac minus successit, res alia via aggredienda. Est enim omnium rerum cognatio quædã, & similitudo, propterea quod ex eisdem elementis omnes constant. *Niceph. Greg. hist. l. 8.*

Quando res humanæ semel loco moueri, inclinarive sede sua cœptæ, quo maiores sunt, eo ægrius seriusque vestigio reponuntur sistunturve. *P. Æmyl. l. 9.*

Ex historijs constat innumeris mutationibus, haud secus quã mare ventis agitatum, res humanas esse obnoxias. *Fr. Guicc. hist. l. 1.*

Res maximæ nõ temporis breuitate, sed probo rationis consilio ac corporis labore gubernantur, quæ quidem hominibus non admodum repente succurrunt. *Procop. de bel. Pers. l. 1.*

Vilioribus & abiectioribus plerumque rebus vim eam Deus indidit, vt ea superarent quæ maximæ æstimationis essent inter homines. Nã & aceto vniones resoluuntur, & Adamantem lapidũ omniũ aduersus quemlibet ictũ pertinacissimum hirci sanguis tabefacit. Consimili modo Stygis aqua, quæ vasa omnia vitrea, fictilia, cornea, ossea, ferrea, ærea, stannea, argentea, frãgit, equi vngulam superare nequit: hac enim fusa ita continetur, vt vasculum non findat. *Pausan. l. 8.*

Reip. summa in publicorum & priuatorum ædificiorum ornatu & splendore sita non est. Neque enim in bellis externis profundæ altæque fossæ sunt munimenta satis idonea ad certam incolumitatis salutis spem hominibus inclusis afferendam, sed hoc tantum pollicentur, oppidanos repentina hostium incursione oppressos cladem nullam accepturos. *Dionys. Halic. l. 2.*

Bonis legibus & honestorum studiorum æmulatione, pia, temperans, iusta, & re bellica præstans Resp. redditur. *eod. l. 2.*

Respublica incolumis priuatas res facile saluas præstat, publica prodendo, tua nequicquam serues. *Liu. Decad. 3. l. 6.*

Nulla magna ciuitas diu quiescere potest. Si foris hostem non habet, domi inuenit: vt præualida corpora ab externis causis tuta videntur, sed suis ipsa viribus onerantur. *Liu. Decad. 3. l. 10.*

Principes sunt mortales. Resp. æterna est. *Tacitus Annal. l. 3.*

In senatu sæpe dixit Adrianus, Ita se Remp. gesturum, vt sciret populi rem esse, non propriam. *Spartian. in Adriano.*

Respublica quæ diuites & diuitiarum cupidos patitur, est misera. *Vulc. Gal. in Auid. Cassio.*

Sub principe optimo & forti Respublica bene regi potest. *Iul. Capitol. in Clod. Albino.*

Melior est Respubl. & prope tutior, in qua princeps malus est, ea in qua sunt principis amici mali: siquidem vnus malus potest a plurimis bonis corrigi: multi autem mali non possunt ab vno, quamuis bono vlla ratione superari. *Lampr. in Al. Seuero.*

Ex immensis opibus egentissima est tandẽ Respublica, per eos qui, vt augerent diuitias, docuerunt principes auro quiete a barbaris redempta redire. *Ammian. Marcel. l. 24.*

Laudibus extollenda est Respublica, quæ gratificando ciuibus veritatem non prodiderit: quæ etiam ijs non rarò summam rerum impertiuerit, qui nulla ipsis cognationis coniuncti essent, propter virtutem tamen honore dignissimis. *Ælian. var. hist. l. 14. c. 6.*

Apud nos imperat, & Senator est, ac Reip. consulit, alijsque honoribus fruitur, non qui multum opibus pollet, neque qui longam suorum maiorum indigenarum seriem potest ostendere, sed quicumque his honoribus fuerit dignus. *Dionys. Halic. l. 3.*

Rempublicam similem esse vni homini dicebat in quo per quandã proportionem ac similitudinẽ animus senatum, corpus vero plebem refert. Si igitur patiantur plebem dementẽ imperare Senatui, ita illos facturos dicebat, vt qui animũ corpori subijciunt, & qui non ex rationis præscripto, sed pro sua libidine viuunt. Quod si assuefecerint plebẽ vt patiatur se regi & duci a Senatu, ita facturos vt qui alio corpus subijciunt, vtraq; genus degunt & lectantur quod est optimum, non autẽ quod est iucundissimũ. *Idem. l. 5.*

Respub. quodammodo humano corpori similis videtur. Vtrumque enim est compositum, & constat ex multis partibus, quarum singulæ nec eandem vim habent, nec vsus pares exhibent, &c. *Dionys. Halic. l. 6.*

Quodnam maius infortunium Reipublicæ accidere potest, quam si optimi quique viri excindantur? *Idem. l. 10.*

Nullum narratur bellum, aut seditio, aut nouandarum rerum studium in Republica extitisse Numa regnante: neque aduersus ipsum inimicitia, aut inuidia, aut propter cupiditatem regni insidiæ conspiratiove oborta est: sed siue metus Deorum quos viri eius coram gerere opinarentur, siue reuerentia virtutis, siue fortuna, vitam sub eo integram scelerum puramque à malitia seruarunt. In quibus omnibus euidens fuit exemplum, argumẽtumq; Platonis illius dicti, quod ille haud paruo tempore autus fuit de

Repu-

Republica pronunciare: hac nimirum vnica ratione homines à malis liberari solutque posse, si diuino quondam fato in eodē homine animus philosophicus atque potentia regia concurrāt, eaque virtutem improbitate superiorem reddant. Nam profectò & ipsum ea virtute præditum regem, beatum fore, & omnes qui sermones ex eius ore exeuntes audiant: ac spem esse non fore opus vt aut minis ad regendam multitudinem: sed ipsos cum in illustri atque splendido exemplari principis virtutem propositam conspicient, vltro modestiæ operam daturos, ac se comparaturos ad id vitæ genus, in quo cum mutua amicitia & concordia iuste & moderatè, inculpati atque beati viuere possint, quo in genere vitæ finis pulcherrimus totius Reipublicæ constitutus est, isque verè pro omnibus alijs regiæ naturę homo, qui subditos in hanc sententiam adque hoc vitę institutum perducere suos potest. Hęc quidem Numa omnium maxime perfecta habuisse videtur. *Plut. in Numa.*

Bene sperandum est de bello, & de pace, vniuersaque republica, si bonos & fortes viros in magistratu habeat, concordibus iunctos animis, parere atque imperare iuxta paratos, laudemque potius conferentes in medium, quam ex communi ad se trahentes. *Liuius, Decad. 1. l. 6.*

Ego iudico florente patria melius esse priuatis quam florentibus priuatis in afflicta Republica. Nam etiamsi priuatus tenet opes, tamen euersa patria simul hęc omnia pereunt: sed in florente patria etiam pauper ciuis saluus esse potest. Quando igitur ciuitas priuatorū ciuium difficultates sustinere potest, nemo autem priuatus vnus Rempubl. laborantem sustentare potest, iustum est vniuersos ei opem ferre, & non perterritos priuatis iacturis deserere Rempublicam. *Thucyd. l. 5.*

Necesse est inuictam esse Rempublicam, cuius Imperator militari arte percepta, quantos voluerit faciat exercitus bellicosos. *Veget. l. 2. c. 4.*

Qui hominib. sceleratis Rempublicam administrandam credit, nō aliter agit, ac si quis ingentem nauim onerariam gubernatorib. imperitis, ineptis, committat. *Constant. Manass. Ann. p. 174.*

Turpe est pluris priuatim quempiam, quam ciuitatem facere vniuersam. *Xenoph. de rebus gest. Græc. lib. 1.*

Nemo omnium ita potest lętis rebus vti, vt non idem cum republica corruente pereat: at respublica, si prospero successu vtatur, etiam priuatorum omnes calamitates potest subleuare. *Dion. l. 38.*

Reipublicę potentissimę dignitas nulla re magis extinguitur, quam si in hominum mentibus opinio gignatur, animum aut vires ad propulsandas iniurias deesse, nec ad iustā vltionem magistratus esse paratos. *Fr. Guicciard. hist. l. 4.*

Duo sunt quibus quæuis Respublica seruatur, fortitudo videlicet aduersum hostes, & mutua inter se concordia. *Polyb. hist. l. 6.*

Vtrisque istis in vna mente vel ciuitate concurrentibus, fortitudine videlicet & temperantia, haud facilè fieri potest, vt militia vel ex ipsis nascatur, vel ex proximis aliunde attrahatur. *Idem, eod. l.*

Virtute quam pecunia Respublica melius stat. *Tacit. hist. l. 2.*

Non gloriæ studio, non opum, neque fortuito casu, vt quidam alij, ad tractandam Rempublicam delatus Cato minor, sed Consilio, quod hoc boni viri esse officium putaret, intentiorem se Reipublicæ, quam apem melli esse debere censuit. *Plutarch. in Catone Vticensi.*

In quę laboramus sola creuimus, diuitias, luxuriamque. *Liu. Decad. 1. l. 7.*

Tria sunt, *inquiebat Cleon*, imperijs minimè vtilia: Misericordia intempestiua, Orationum blanditiæ, & lenitas. Nam misericordia erga similes vtendum est, qui vicissim misericordia afficiuntur, nō aduersus eos qui in nos sæuiunt, & necessario ac semper hostili sunt ingenio. Oratores possunt in inferioribus causis voluptati inseruire, non autem in grauissimis negotijs, in quibus garriendi breuem voluptatem sequitur ingens detrimentū, sed vbi pro benedictis beneficia recipiant. Lenitate vero vtendum est erga sanabiles, qui postea magis morigeri erunt, non erga æquales & hostilem animum retinentes. *Thucyd. l. 3.*

Quemadmodum ferro rubigo, ligno vermiculi ac teredines adnascentes perniciem adferunt, sic vt etiam si externa nocumēta effugiant, ab istis tamē quę adnata habent absumantur: hoc pacto & Reipublicæ cuilibet pro natura ipsius quædam adnascitur & adhæret peculiaris malitia: vtpote regno monarchia. Aristocratię oligarchia, democratiæ belluina chirocratia & popularis, vt fieri nequeat quominus cuncta prædicta, temporis decursu, dicto iam modo mutentur. *Polyb. hist. lib. 6.*

Quando respublica multis ac magis periculis repulsis, summum aliquem gradum & potentiarum inexpugnabilem acquisiuit, manifestum est quod accedente, vt plurimum assolet, rerum prosperitate, victus soleat fieri sumptuosior, & viri plus æquo contentiosiores redduntur circa principatus & alia negocia. Quibus sic diutius progredientibus initium mutationis ad peiora subnascitur, philarchia videlicet, quæ species est ignominiæ, præterea & arrogantia, & luxus. Sentiet autem populus mutationis eius epigraphen, quando eorum adulationibus, à quibus videtur duci, propter philarchiam inflatur. Tunc enim ira percitus, & cuncta furore præsumēs, imperata facere detrectat, imò ne par quidem præpositis esse vult, sed omnem vt plurimum obtinere potestatem. Quo facto Respublica pulcherrimo quidem nomine libera ac democratica dicetur, re ipsa verò pessimo nomine ochlocratia vocari poterit. *Idem, eod. lib.*

Suis quique rebus intenti, Rempublicam minimè curant: suo tandem tempore pœnas daturi. *G. Pachym hist. l. 2.*

Ego cuiusuis Reipublicæ duo arbitror esse principia, propter quæ tam potentiam quam statum illius aut optabilem, aut detestabilem fieri contingit. Hæc autem sunt, mores ac leges. Optabilis ac selectus Reipublicæ status est, quo & priuata hominū talium vita sancta & integra, & publici ciuitatis mores placidi ac iusti redduntur. Detestabilis verò ac fugiendus, quo contrarium perficitur. Quemadmodum itaque si quando mores ac leges honestatē apud quosdam resipere viderimus, confidenter pronunciamus & viros eiusmodi Reipublicæ honestati fore conformes, ita & vbi priuatam quorundam vitam auaritiæ deditam, & publica negotia iniusta esse viderimus, manifestum est haud immeritò posse dici, quòd partim secundum leges, & partim secundū mores illorum deprauata sit tota eorum Respublica. *Polyb. hist. lib. 6.*

Semper ergo illa sum in sententia, vt quales sint præsides, tales & respublicas esse sentiam. *Xen. l. de vectigal.*

Occasio adiuuat aliquid aggressuros: quæ cū se offert præter opinionem, etiam si vires alioqui minores sunt, incitat vt periculum adeant, præcipuè ciuitates, quia hæ res maximas concupiscunt, videlicet libertatem & imperium, & singuli cum vniuersis ciuibus coniunctis maiora imaginantur. *Thucydid. l. 3.*

Hæ dicuntur beatissimæ respublicæ, quæ plurimo tempore in pace vixerunt. *Xenophon. l. de vectigal.*

Principibus vniuscuiusq; ciuitatis temere interfectis accidit vt eæ ciuitates maximis cædibus seditionibusq; vexentur. *Polyb. lib. 2.*

Mihi vetera facta dictaque maiorum nostrorum repetenti, cum & Genuensium Reipublicæ detrimenta intuenti, & aliarum ciuitatum non minores animo colligo calamitates, mirum videri solet, vnde tot nobilissimis ciuibus repentè inuecta sint incommoda, quòue tandem pacto, qui olim vltro exterum imperium expetebant, tam facilè repudient. Verisimillimum verò videbatur, superioribus sæculis viguisse domi forisq. industriam: honestam de omni virtute inter nobiles fuisse contentionem: certamen eis fuisse, domiuè antiquiores prudentia & consilio melius, an foris iuuentus magnitudine animi ac industria res bellicas gererent. Ita seniores, quorum virtus multis magnisq. rebus esset cognita, prouincijs regendis pręponebantur: iuuenes ad maxima pericula adeunda parati seniorum præmia expectabant: ipsiq. ita educabantur à maioribus, vt equitando, iaculando, semper aliquid agerent quo aleretur virtus.

Nunc instituuntur ad otium & illecebras choreas ducunt tam frequenter, vt ad ludum saltatorium & cymbala & crotalia, non ad militiam præparari videantur: epulis instituendis & Regiam imitantur magnificentiam. Inde procax & superbus fastus, pro rectis blanda vnoquoque suggerente: delitijs, languore, desidia inficiuntur, & vanis assentationibus opinionibusq; delinitorum animum molliunt, vt iam verissimū illud vetus reddiderint, quo dictum est, Aetatem parentum auis peiorem ferre nos nequiores, mox daturos progeniem vitiosiorem. Alea & fritillus in manib. est: pro magistris vitæ instruendæ, agmen canum & auium. Si qui adhibeantur rectores formandæ iuuentuti, obsequentiores quam par sit seruiunt ipsi temporibus. Ita dum sumptus fiunt ingentes, ad rapinas conuersi, tum freti malitia, peruertere vrbes & expilare, decoraq; omnia labefactare assuescunt.

Efferuntur fastidio & contumacia, efficiuntq; vt qui dixit, nihil esse insipiente fortunato intolerabilius, verè dixisse videatur. Valet apud eos plus quod illis nonnullorum est artificijs inculcatum, quam aut officium, aut necessitudo, aut vis decori. Tum demum ciuitates exteræ, dum ab his quos adsciscunt innocentiam abstinentiamq. expectant, & tranquilliorem Reipublicæ statum, nō modo id non adeptæ, sed in summas miserias direptionesq; se incidisse vidētes facilè dominatum nouum expetunt. Nec mirum, si, cum ita instituti ad gubernacula accedant, teneant clauum, sedeant in puppi, naufragia facta plerumq; audiamus.

Id quoq. indignissimū, vbi vel de re grauissima agatur, ita obseptū esse aditū, ad aures magnatū assidentib. semper, & occupantibus eorum latus eis, qui plus possunt, paucissimis, apud quos omnea stendant recidisse potentiā, vt nescias miserior ne sit eorum conditio quorū querelis occluduntur aures, an ipsius nominibus aliquot aut quatuor ita cingatur, vt mācipiorū, quæ duorum factæ sunt nexu, fractiq. animi & abiecti, & arbitrio cæteris suo, seruuli speciē potius q̃ eius ī quo elucere possit maiestas exhibeat: apud quē nihil minus polleat quā ipsius iudiciū & volūtas: circūagatur vero, & hac atq; illac impellatur paucissimorū susurris: qui cū esse quæstū in animū induxerūt maximū, quam maximè suis potius quàm publicis seruire cōmodis: neq. vllum qui se in eorū committat fidem, nisi captato vndique lucro subleuare: qui si magni-

magnitudine rei semel occuparint eius animos, difficilis postea atque haud scio an vllus aditus veritati relinquitur. *Arn. Ferron, libro 4.*

Rerumpublicarum renolutio & diligens consideratio.

Plurimi eorũ qui de Republica scripserunt, tria dicunt esse politiarum genera, harum prius regnum, alterũ Aristocratiam, tertium Democratiã vocant. Videtur aũt de istis haud immerito vehemẽter posse dubitari, an hasce Rerump. formas tanquã solas, vel tanquam reliquis potiores nobis exponant. Etenim vtrumq. ignorare mihi vnr. Siquidem manifestum est eam Reipub. formã optimam esse iudicandam, quæ omnib. quas prædiximus proprietatib. constat. Huius quippe rei experientiam nõ verbis modo, sed & opere ipso percipimus, ex eo ꝙ Lycurgus Lacedæmoniorum Remp. prius ad hũc modum constituit. Verũ nec illud sentiẽdum est, ꝙ hæ politiæ solæ existant. Iam.n. & monarchias quasdam & tyrannicas politias vidimus: quæ quamuis plurimum differant à regno, simile tñ aliquid cum illo habere videntur: id ꝙ & cuncti monarchę simulant, & ad hoc regni nomine pro virib. vtuntur. Præter ea Oligarchæ Respublicæ, quæ plures extiterunt, simile quiddam habere videntur cum Aristocraticis, quæ tñ (vt ita dicam) plurimum differunt. Idem & de Democratia sentiendũ est. Quod autem verum sit ꝙ dicitur, ex hisce manifestum redditur. Neque.n. mox quælibet monarchia regnũ dici debet, sed ea duntaxat, quæ voluntario subditorum consensu conceditur, & magis pro animi sententia, quam timore & violentia gubernantur. Neque etiam quæuis oligarchia pro aristocratia reputanda est, nisi ea tantum, quæ secundum electionem & iustissimis ac prudentissimis viris æqualiter administratur. Nec Democratia censeri debet, in qua cuncta multitudo quæcunque libet ac præsumuntur faciendi potestatem habet. sed in qua & patrium est & consuetum colere Deos, cum honore obsequi parentib. seniores reuereri, ac legib. obedire. Quando in eiusmodi multitudine quod pluribus probatur obtinet, tum recte democratia vocatur.

Quapropter, sex sunt politiarum dicenda genera: quorum tria decantata sunt omnib. de quib. iam est prædictum, tria reliqua istis sunt cognata. monarchia videlicet, oligarchia & ochlocratia, Prima ex istis Monarchia, sine certa constitutione natura quadã constat, hanc consequitur, & ex hac, intercedente constitutione, ac directione, nascitur regnum. Vbi vero Regnum in mala cognata, tyrannidem s. mutatur rursus ex horum destructione aristocratia prouenit, quæ tamen natura quædam in oligarchiã transmutatur. Cum vero multitudo iniustitiam eorum qui pręsunt ita percita vlciscitur, nascitur democratia. Rursus ingente plebis contumelia & iniquitate, temporis successu ochlocratia exurgit. De his autem perspicue cognosci poterit, quod quæ iam dixi reuera sic se habeant, si quis singularum politiarũ, secundum naturalem cursum & principia. & exortus, & mutationes cognouerit. Etenim quisquis singulas considerauerit, quomodo nascantur, is demum solus & incrementum, & vigorem & mutationẽ pariter ac finem singularum considerare poterit, quando videlicet, quomodo, & vbi alia in aliam desinat.

Maxime aũt Romanæ politiæ hunc differendi & exponendi modũ conuenire cogitaui, propterea ꝙ illa natura quadam inde ab initio & constitutionem sui & incrementum accepit. Exactius itaque apud Platonem forsan nonnullos alios philosophos, mutationes istæ politiarum, quib. alia desinit in aliã, discernuntur ac dilucidantur: verum quoniam varijs modis ac pluribus ab illis differuntur, fit vt à paucis intelligantur. Quapropter, quatenus ista vsum historiæ, cõmunemq. intellectũ cõducere iudicamus, eatenus illa certis capitib. cõplecti ac percurrere conabimur. Etenim ẽt si quid in præsenti propter vniuersalem ac generalem declarationẽ desiderati videbitur, abundẽ hoc resarciẽt ea, quæ in sequẽtib. per partes dicentur: Itaq quæ principia politijs assigno? & vnde illas primũ constitisse dico? Qñ vel propter aquarum inundationes, vel propter pestiferas calamitates, aut frugum sterilitatem, aut alias eiusmodi humano generi pernicies est illata (quales ẽt fuisse intelligimus. & in posterũ sæpenumero futuras esse, rerum narratio ostendet) cũ videlicet perditis quibusuis institutis & artib. cum velut ex relicto seminario hominum rursus multitudo temporum progressu incrementum accepit, & perinde atq; reliqua animantia solent, quæ (vt par est) sm generis sui similitudinem congregantur, propter naturę imbecillitatẽ consociantur necessariam est, eum, qui & robore corporis & animi fiducia reliquis est pręstantior, obtinere principatum & imperiũ, id ꝙ & in alijs ig obiliorum animantium generib. vsuuenire cernimus (est hoc ipsissimum censendum naturæ opus) inter quę indubitato ea quæ sunt robustiora reliquis præire videmus, vt pote tauros, capros, gallos gallinaceos, & quæ his sunt similia.

Est itaq vero simile talis esse principatus, & sic institui vitã mortalium, qui ad a[illegible] morem congregantur, & eos qui inter ipsos sunt robustissimi ac potentissimi sequuntur, quibus quidem principatus terminus est robur, quem tum rectè quis Monarchiã nominauerit. Vbi vero congregationib. istis temporum cursu conuictus & consuetudo accesserit, tum Regni principium nascitur: ac tunc primum mortales de honesto & iusto, & cõsimiliter de illis quæ hisce sunt contraria, cogitare incipiunt. Modus autẽ principij & originis iam dictarum politiarum talis est. Etenim quoniam cuncti mutuas coniunctiones sm naturam appetunt, indeq. prolis procreatio perficitur, vbi quisdam eorum qui iam sunt educati, & adultam ætatem consequuti, nullam gratiam rependunt neq; vices reddit illis à quib. est enutritus: sed per contrarium male illis vel dicere vel facere præsumit: manifestum est ægrè ferre hoc illos, atq. ostendi qui & præsentes sunt, & cõscij curæ, solicitudinis, ac molestiarum eorũ à quib. ille est genitus, & norunt quam illi accuratè filios suos aluerunt. Quoniam.n. genus humanum hactenus reliquis pręstantius est animantib. quatenus ipsi soli concessum est, vt mentis ac rationis particeps existat, par non esse liquet, vt dictam hanc corruptionẽ perinde atque in cæteris animantib. susque deq. faciant, sed huiusmodi factum obseruent pręsentes & improbent, futura præuidentes. ac ꝙ cuiq. ipsorum consimilia euentura sint colligentes. Imo si qñ acciderit, vt is qui subsidium & auxilium in aduersis consequutus est a quopiam, nullam rependat seruatori suo gratiam, sed illi alicubi incommodare ẽt conetur, liquet eos, qui id norunt, huiusmodi factum moleste ferre, illoq; offendi, ac primum quidem condolere proximo, deinde vero ad seipsos quoque referre quod ipsis est vicinum. Vnde & cogitatio quædã singulis suboritur de virtute & consideratione eius ꝙ vnumquemque pręstare decet, id quod & principium & finis est iustitiæ. Rursus cosimiliter, si quando quis in rebus aduersis prę omnibus quempiã vindicauerit, ac robustissimarum contra se bestiarum insultus sustinuerit ac pertulerit, par est, vt talis à multitudine gloriam benevolentiæ quam magistratus acquirat: is qui contraria fecerit, condemnationem ac detrimentum sortiatur.

Vnde rursus apud multos consideratio quędam dedecoris & honesti, ac differentię illorum suboritur: quorum alterum aemulationem & imitationem, propterea ꝙ commodum est & vtile, alterum vero auersationẽ meretur: qñ qui pręest, & maxima pollet potentia. prędictis secundum multorum sententiam simul incumbit: ac subditis ea subministrare vr, quę cuiusque conditioni cõpetunt: tum videlicet nullam amplius violentiam metuentes, sed vt plurimũ bene de illo sentientes, ea animi sententia sese submittũt, ac principatum illius tuentur: & si per oĩa sit veneratus, vnanimi sententia vlciscuntur, & impugnant eos qui potentatui illius insidiantur & aduersantur. Et hoc sane pacto ex Monarcha sensim fit Rex, qñ ratio principatum sortitur, quem antea possidebant ferocia, & potentia. Hęc prima est, natura quam, apud homines honesti ac iusti & ijs contrariorum cogitatio & consideratio: hoc vero regni principium & exordium. Neque.n. istis modo, sed & illorum posteris principatus honorem plerumq custodiũt, persuasi de illis qui & orti sunt ex talibus, & sub talib. educati, fore eos perinde atque maiores ipsorum animatos. Quod si aliqñ accidit, vt displiceant ipsis priorum Regum posteri, instituunt exinde principum ac Regum electionem, non amplius secundũ corporis vires, & animum magna audentum, sed secundum voluntatis & rationis differentiam, & diuersitatis vtrinq. experimentũ ex ipsis sumunt operib. Itaq; prisca consuetudine relicta, ij qui regno semel sunt destinati, & eam potestatem consequuti, præcipua quędam loca communiunt ac muris cingunt, regionemque regni possident: quorum alterũ securitatis gratia, alterum ad hoc faciunt, vt subditis quę necessaria sunt, largiter suppeditent. Cũ autem hisce studijs olim Reges immorarentur, nulli erant detractioni, nulli inuidię obnoxij, propterea ꝙ nec vestitu admodum, nec cibo ac potu à reliquis discrepabant, sed vitę conuersationẽ cæteris conformem seruabant, & perpetuo vna multis pariformiter agebant. Postea vero, vbi qui principatus per successionẽ & secundum generis prærogatiuam consequuti sunt, eatam parata habent quę ad securitatem retinendam, parata quoq; quæ ad sufficientiã & alimenta, vro supra ẽ: faciunt: tum deniũ concupiscentias suas propter rerum copiam sectantes, principib. cõpetere cogitant, vt pręstantius vestiantur quam subditi, præstãtiore quoque & vario ciborum apparatu & vsu fruantur, deniq; & vsum rei venereæ sine vlla contradictione cum illis habeant, quæ ipsis non conueniunt: vnde & inuidia nascitur, & offensio, & odium accedit, & implacabilis ira: fitq vt regnum commutetur in tyrannidem. Principium aũt dissipationis huius, & insidiosa aduersus principes conspiratio, non est ex infimi subsellij hominib. sed ex generosissimis, & ijs qui animi magnitudine & confidentia valent, propterea ꝙ tales imperantium sibi contumelias & insolentiam minimè ferre possunt. Plebs vero duces ad resistendum nacta, simul cum illis propter dictas iam causas ad hoc incumbit, vt principes reperiantur, atq; ita forma Regni Monarchiæ radicatus tollitur, & rursus Aristocratię factũ principium datur. Etenim multi, vt illis qui monarchas è medio sustulerunt, quasi gratiã quandã promptã & alacri studio rependãt, præsidio illorũ vtuntur, & seipsos illis cõmittunt. Illi vero tutelę huius cõmissionẽ ex aĩo primum in se recipientes, nihil prius ducũt, co ꝙ

publico

publico conducibile videtur, sed cuncta tam priuatam, quam publicam plebis vtilitatem concernentia, singulari prouidentia, & diligentia obeunt. Cum autem eamdem potestatem à parentibus filij acceperint filij, suntque tam rerum addictarum, quam politicæ æqualitatis, ac libertatis inexperti: iuxta vero inde ab initio in potestatis fuociè que quam patres ipsorum gesserunt, ac prærogatiuis educati, alij ad auaritiam, & iniquum pecuniæ studium, alij ad ebrietatem, & quæ hanc consequuntur immoderata conuiuia, alij ad mulierum constuprationem, ac puerorum rapinas degenerant, atque ita Aristocratiam in Oligarchiam commutant: ac cõsestim consimilia illis, de quibus antea diximus, in plebe designant: vnde & finem, ac catastrophen consequuntur, conformem infortunio, quod accidit tyrannis. Etenim sic vbi inuidiam quis & odium obseruat, quod in ciues aduersum illos alunt, ideoque & dicere aliquid & facere contra præsidentes audet, vniuersam statim plebem paratam, & instituti sui consortem, & adiutricem accipit. Deinde cum illis . . . neque Regem sibi præficere. superiorum adhuc iniustitiam veritæque pluribus Rempublicam committere audent: quod priorum ignauiæ recentia adhuc supersint vestigia, sola autem sincera spes, quæ in ipsis est, reliqua sit, ad hanc feruntur, & ex oligarchica politia democraticam constituunt, & Reipublicæ prouidentiam, ac fidem in seipsos recipiunt, & interea quidem nonnulli seruantur, qui supereminentiæ, ac potentiæ experientiam cœperunt. Hi præsenti Reipublicæ statu delectati, æqualitatem, ac libertatem plurimi faciunt. Postea vero, vbi iuniores successeru nt, ac nepotibus denuo tradita est democratia, illi æqualitatè, ac libertatè non amplius propter consuetudinem magnifaciuntes, reliquos excellere student: quo potissimum prolabuntur ij, qui opibus supereminent. Deinde cum principatum ambiunt, nec possunt illum per seipsos, ac propria virtute consequi, incipiunt opes prodigere, ac plebem quouis modo inescado corrumpere, & perdere. Hinc multis semel largitione propter ignauam munerum auiditatem corruptis, iũ rursus democratia destruitur, & in violentum, ac seditiosum politiæ statum conuertitur. Plebs quidem vbi alienis vesci, & spem ex bonis proximorum viuendi habere consueuit, accepto duce magnanimo, & audaci, qui propter rerum inopiã, ac honores reipublicæ legitime quidè aspirare nequeat, seditionem excitat, & in vnum collecta, ad cædem, profligandum, ac ditionem inter se partiẽdum ad populandum prorumpit, donec posita feritate rursus dominum inuenerit, & monarcham. Hæc illa politiarum reuolutio, hæc naturæ œconomia, secundum quam reipublicæ status mutatur, & transfertur, ac rursus in idem reuoluitur. *Polyb. hist. lib. 6.*

APOPHTHEGMATA.

Thales, optimam esse pronunciauit Rempub. quæ ciues, neque prædiuites, nec admodum pauperes contineret. *Plut. in conuiu. septem sapientum.*

Solon, Reipublicæ, inquit, is optimus status mihi esse videtur, & democratia in ea seruari maxime, in qua iniuriam auctorem ad ius trahunt, accusant, & puniunt non minus illi, qui iniuriam passi non sunt, quam is, qui passus est. *ibid.*

Bias dixit, optimam esse Rempub. in qua leges omnes perinde, ac ipsum dominum, & regem metuunt. *ibid.*

Periander eam iudicauit laudatissimam esse Remp. in qua cum reliqua æqualia existimentur, virtute quod melius, vitio autē quod deterius est, definiatur. *ibid.*

Cleobulus illam Rempub. maxime dixit bene compositam esse, vbi ciues magis infamiam, quam legem metuunt. *Plut. in conuiui. septem sapient.*

Pittacus. Ea est, inquit, Respublica bene instituta, à cuius gubernaculis mali remouentur. *ibid.*

Chilon, optimam asserui esse Remp. quæ maxime leges, minime autem rhetores audit. *ibid.*

Solon. Illam ciuitatem optime habitari dixit, in qua viros bonos honoribus affici, contra autem, improbos pœnis mos fuerit. *Stob. serm. 41. de republ.*

Pythagoras dicebat, primum luxuriam ciuitates ingredi, deinde satiratem, postea contumeliam, postremo exitium. *Eod. serm.*

Socrates interrogatus, quænam munitissima ciuitas esset? Respondit, quæ bonos viros habet. Idem, felicem illius Reipublicæ constitutionem esse dixit, in qua præfecti societate coniunguntur. Prouñ etiam rem optimam esse, in qua plurima virtuti præmia proposita sunt. *Eod. serm.*

Plato. Respublica, inquit, est hominum conuersatio: honesta quidē bonorum, inhonesta vero malorum. *In Menexeno.*

Zeno. Decorandas dicebat esse Respublicas non preciosis ornamentis, sed inhabitantium virtutibus. *Stob. serm. 41.*

Solon rogatus quomodo ciuitas optimo statu degeret, dixit: si ciues quidē magistratui obediant, magistratus autē legib. *eod. ser.*

SIMILITVDINES.

Philonis. Sicut gubernator pro ratione ventorum mutat nauigationis subsidia, non vno modo nauem dirigens: & medicus non vno ad omnes morbos vtitur remedio, ac ne in vno quidem morbo, si is variet, sed obseruans intensiones, remissiones, repletiones, vacuationes, causarum mutationes, multa ad salutē variat, nunc hoc, nunc illud experiens: Sic Reip. moderator debet esse multiformis, & multiplex: alius in pace, alius in bello, aliter se paucis, aliter multis opponens aduersarijs: contra paucos constanter agens, multos vero flectens persuasionibus. Idem vbi periculum publicum postulat, ipse rem agens ministerio vero, quæ labore tantum indigent, cedet alijs. *lib. de Ioseph.*

Epicteti. Quemadmodum si gubernare nauim conareris, omnino prius artem gubernandi perdisceres: Ita ciuitatem recturus, regendi disciplinam addiscito. Vt enim illic nauis vniuersæ fidei committitur: Ita hic tota Respublica tibi gubernanda erit. *Apud Stob. serm. 44. de magistratu.*

Vt nec axser clangore, nec ouis balatu perterretur: Ita neque te stolidæ multitudinis vox terrefaciat. *Apud Stob. ser. 44. de magistratu.*

Dionis Nicai. Quemadmodum medici raro veniunt ad vrendum, & secandum, ne morbos efficiant grauiores, sed potius vt eos mitibus medicamentis curent, atque molliant: Sic Reip. gubernator summa humanitate, ac beneuolentia tractabit suos, ne crudelitate roant in peius. *In Aug.*

Quemadmodum equi ancorae fortissimi videntur, quæ plurimum trahunt: Ita & ciuitates verisimile est optimas esse, quæ plurimum argenti soluunt. *Orat. 35. Bery Ithenica fol. 215.*

Procli. Vt mundus perfectus foret, sicut Timæus, ait, animalia cuncta, tam diuina, quam caduca sunt genita: Similiter in ciuitate recte disposita, partium omnium fines, fini ciuilis peritiæ seruiunt. *De anima, & demon. 433.*

Plutarchi. Qui sensim ac volentes descendunt in puteum, nihil læduntur: qui casu incidunt, valde lædun tur: Sic qui certo consilio accedunt ad Rempublicam moderate feruntur: qui se temere injiciunt, eos pœnitet. *In Moral.*

Qui simul & Rempublicam tractat, & artem exercet sedentariam: perinde facit, atque ille, qui mulierem ingenuam, ac probam, detractã stola, dat que præcinctorio, in officina detineat. *In Mor.*

Vt qui personatus in theatrum procedit histrio: Sic qui ad Rempublicam administrandam accedit, non vt ciuibus prosit, sed sibi gloriam compareet. *In Moral.*

Quemadmodum gubernant, aliena voce iussuque vtuntur: Sed qui Remp. gubernant, in seipsis sapientiam habeant oportet, vt nihil sit opus aliena voce. *In Moral.*

Vestalibus tempus erat præstitutum primum, in quo discerent: alterum, in quo exercerent: tertium, in quo docerent: idem fiebat in sacerdotibus Ephesiæ Dianæ: Itidem faciendum ij, qui Rempublicam gerunt. *In Moral.*

Gubernator quædam suis manibus facit, quædam per alios: & aliquãdo alijs ad clauum admissis, ipse to prorum demigrat: Sic in Rep. non debet vnus occupare omnia munia, sed alijs vicissim dare locum. Rectius enim fieri, quæ multorum manibus peraguntur. *In Moral.*

Gubernator optimos quærit nautas: architectus doctissimos quærit monitores: Et Princeps eos asciscet amicos, qui ad Remp. administrandam maxime sint idonei. *In Moral.*

Vt quibus domi nihil est boni, in foro plerumque versantur, & obambulant: Sic quidam, quia nihil habeant, quod priuatim agant, ad publica administranda conferunt sese. *In Moral.*

Vt qui animi causa nauim ingreditur, vt spectet, . . . tur in ea inambulet: deinde repente soluta, atque in altum reuulsa nauseans, ac vomens frustra foras prospectat: Sic qui leuiter, & quasi lusus gratia attingunt Remp. sed a semel suscepta non possunt sese explicare, negociorum vndis secum hominem, & inuitum trahentibus. *In Moralib.*

Vt vinum primum seruit, ac paret bibentibus paulatim admixtum venis, rapit hominem, ac traducit in sues mores: Ita qui Remp. administrat initio se populi moribus accommodat, post sensim eū ad sua trahit instituta. *In Moral.*

Ex aluearium strepitu, ac tumultu colligunt apes recte valere: Contra ex quiete Rempublicam. *In Moral.*

Vt periculosum est, annosas arbores, quæ iam late sparsere radices, reuellere locu, & alio transplantare: Ita Remp. longo tempore suis inueteratam institutis, ad aliam vitæ rationē traducere non licet citra maximos rerum motus. *In Mor.*

Vt nauis multis ictibus compingitur, clauis, paxillis: deinde ad tempus aliquantum relinquitur, donec cohærekant claui commissuræque: deinde tuto sulcat maria: Sic ciuitas multis sudoribus cōditur, donec aucta tempore, tutam ac tranquillam vitam præbeat ciuibus. *In Moral.*

Nonne infirmior manus, quod in digitos sit diffecta, sed ad operandum agilior: Ita negocia multis communicata, in Republ. plenius conficiuntur. *In Mor.*

Stobai. Quemadmodum bonos equorum domitor, probonos tantum pullos alit, feroces autem famelicos relinquit, sed ambos ex æquo nutrit, magis vero calligat alterum, & cogit similem fieri meliori: Sic etiam vir prouidus, & ciuilis facultatis peritus, bonos ciues beneficijs demereri, malos autem noxios non perdere curatur, sed de alimento quidem minus eis prospicit, instituit vero,

vero, & vrget vehementius illum qui rationi & legi obstiterit. *In Gnomologijs suis.*

Ciceronis. In corpore si quid est eiusmodi, quod reliquo corpori noceat, vri ac secari quod nocet patimur, vt membrorum aliquod potius, quam totum corpus intereat: Sic in Reip. corpore: vt totum saluum sit, quicquid est pestiferum, amputetur. *Phil.* 8.

Vt contemnendus est, qui in nauigando se mauult esse incolumem quã nauim: Ita vituperandus est, qui in Reip. discrimine, suę plus quã communi saluti consulit. *Lib. 4. ad Herennium.*

Vt leges omnium salutem, singulorum salute anteponunt: Sic vir bonus & sapiens, & legibus parens, & ciuilis officij non ignarus, vtilitati omnium plus quam vnius alicuius saluti cõsulit. *Lib. 3. de finib.*

Vt medici membrum sępe putrefactum incidunt, atque in totum eradicant, ne aliam corporis partem labefactare, aut corrumpere possit: Sic necesse est si Remp. saluam esse volumus, vt perditissimos homines ex vrbe penitus exstirpemus, ne corruptus integro, violatus casto labem infringat. *In Verrem.*

Vt tutela, sic procuratio Reipubl. ad vtilitatem eorum qui commissi sunt, non ad eorum quib. commissa est, gerenda est. *Lib. 3. Offic.*

Vt in nauigando tempestati obsequi artis est, etiamsi portum tenere nequeas, cum vero id possis mutata velificatione assequi, stultum est eum tenere cum periculo cursum, quem cęperis, potius quã eo commutato, quo velis tandem peruenire: Sic omnibus in administrand. Repub. propositum idem esse debet, cum dignitate ocium: non idem semper dicere, sed idem semper spectare debent. *Ad Lent. l. 1. fam epist.*

Seneca. Nec illum erit admissura Respu. si valetudo illum impediet: quomodo nauem quassam non deduceret in mare, quomodo nomen in militiam non daret debilis: Sic ad vitam quam inhabilem sciet, non accedet. *De vita beata, c.* 30.

Vt quidam sole & exercitatione curam corporis educunt, athletisq; vtilissimum est, lacertos suos, roburque cui se vendicauerũt, maiore temporis parte nutrire: Ita nobis animum ad rerum ciuiliũ certamen parantibus, in opere esse longe pulcherrimum est. *Lib. 1. de tranquil. vita, c.* 3.

P. M. Cum bruta solitum naturæ morem relinquunt, tempestatis indicium est: hoc est, cum mergi fugiunt maria aut stagna, cum abscondunt formicæ, aut oua progerunt, lumbrici e terra fugiunt, tempestatis præsagium est. Ita cum audent facinorosi, tacent integri, sapit vulgus, desipiunt principes, sacerdotes pro terrenis digladiantur: perniciem humanæ vitæ significat. *In similibus.*

Vt equus strigosus imputatur non equi culpę, sed equisonibus: Ita populus male moratus Episcopis aut Principib. *In simil.*

Sicut ex contrarijs elementis mira hàrmonia temperatus est mundus: Ita diuersis hominum studijs constat Respublica. *In similibus.*

Quemadmodum chorus est res elegans, si quidem ordine constet & harmonia: contra ridiculum spectaculum, si gesticulationes vna cum vocibus confundantur: Ita pręclara quędam res est ciuitas, aut regnum, si suus cuique datur locus, si suo quisque fungitur officio: Hoc est, si Princeps, quod se dignum est, agit. si magistratus suas obeũt partes, si plebs item bonis legibus & integris magistratibus obtemperat. *De instit. Princ.*

Thriueri. Qui multo tempore lecto affixus detinetur, nihilo minus lassatur, quam qui mediocri itinere fertur, & qui vult abstinere ab omnib. rebus publicis subinde magis inuenit inquietẽ, quam animi tranquillitatem. *In apoph.* 127.

Confunditur totius corporis ratio, quando principalia viscera ignauiora ignobilib. Ac misera est Respubl. vbi primates priuatis hominibus sunt peiores ac imprudentiores. *In apoph.* 117.

Contabescentibus extremis, paulatim emoritur & ipse venter: nec diu possunt constare principes, vbi contabescit. Resp. *In apoph.* 87.

E m b l e m a.

Respublica liberata.

Embleba c i. Andr. Alciat.

Cæsaris exitio, seu libertate recepta,
Hæc ducibus Brutis cusa moneta fuit.
Ensiculi in primis, quęis pileus insuper astat,
Qualem missa manu seruitia accipiant.

Vide Ciuitas, Magistratus, Politia, Rex.

R E S T I T V T I O.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

Restitutio, Græce *ἀποκατάστασις, ἡ, & ἀποκαθίστημι* restituo dicitur. Est autem restitutio in pristinum statum impositio. *Vt habetur ff. de verb. signif. l. restituere.*

Restitutio est actus iustitiæ communicatiuę, quia nihil aliud videtur esse, quam aliquem statuere in possessionem rei suę. *secund. D. Thom.* 2. 2. *q.* 62. *princ.*

Restitutio à restituo fit, restituo autem a statuo, Est autem restituere modo reddere. Terent. *Gnatum ei restituas:* Modo in pristinũ statum reducere. Iustinus, *Hunc regno a patre priuatum filius restituerat.* Hinc restitutio ipsa repositio dicitur. Caius Iurisconsultus, Restituere, inquit, plus est quam exhibere. Nam exhibere est præsentiam corporis præbere, restituere vero est etiam possessorem facere, fructusque reddere.

S e n t e n t i a e   P a t r v m.

Quod inuenisti, & non reddisti, rapuisti: quantum potuisti fecisti, quia non plus potuisti, ideo non plus fecisti. Qui alienum negat, si potuit, tollit. *Aug. de ver. Apost.*

Si res aliena propter quam peccatum est, cum reddi possit, nõ redditur, non agitur pœnitentia sed fingitur. Si autem non veraciter agitur, non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum: sed vt dixi, quum restitui potest. *Ad Maced.*

Multi sine peccato putant esse, si alienum, quod inuenerint, teneãt & dicunt. Deus mihi dedit cui habeo reddere? Discant ergo, peccatum hoc esse, simile rapinæ, si quid inuentum non reddant. *Orig. sup. Leuiticum.*

Vide Redemptio.

R E S V R R E C T I O.

DEFINITIO ET ETYMOLGO.

Resurrectio, Græce *ἀνάστασις, εως, ἡ, & ἀνίστημι* resurgo dicitur. Est autem resurrectio, a morte ad vitam reparatio Vel sic, Resurrectio est ab eo quod cecidit & dissolutum est iterata vnio.

Resurgo componitur ex re & surgo, surgo autem ex rursum & rego, quod proprie significat erigor. Surgere etiam pro crescere metaphoricos accipitur. Virgil. *Ascanium surgentem, & spes haeredis Iuli Respice.* Veteres surrego pro surgo dicebant vnde surrectio deriuatur. Resurgere est rursus surgere. Hinc resurrectio, quę proprie de defunctis dicitur.

L o c i   B i b l i c i.

Resurrectio, pro ipsa redemptione, aut vita immortali; quæ resurrectionem sanctorum consequitur, *Philip.* 3. 10. Nam alioquin etiã infideles resurgent. sed in perpetuas pœnas quę vocantur mors æterna: *μετανοματικῶς* pro ijs qui a mortis somno sunt excitati, *Act.* 26. 13. Resurrectio, fidelium scopus, 2. *Cor.* 4. 14. Resurrectio generalis prędicitur, *Dan.* 12. 2. certissima est *Iob* 19. *v.* 25. 26 *Esa.* 26. 19. & 65. 28. & 66. 14 *Ezech.* 37. *v.* 1. 2. *Dan* 12. 2 *Io.* 2. 11. *Soph.* 3. 8. *Matth.* 22. *v.* 31. 32. *Luc.* 14. 14 & 20. 35. *Io.* 5. *v.* 21. 28. & 6. 40. & 11. 24. *Act.* 24 15. & 26. *v.* 6. 8. *Rom.* 8. *v.* 11. 23 1. *Corint.* 12 *per totum caput*, 2. *Cor* 4. *v.* 10. 11. *Col.* 3. 4. *Gal.* 6. 6 *Philip.* 3. *v* 11. 21. & 4. 3. 1. *Thess.* 4. 14 2. *Tim.* 2. 11. *Apoc.* 20. 12.

Resurrectio, *generalis*, *Iob.* 19. 25. *Ezech.* 27. 1. *Dan* 12 2. *Esa* 26 19. *Matth.* 22. *v.* 31. 32. *Io.* 5. 28. & 11. 24. *Act.* 24 15. & 26. *v.* 6. 8. 1. *Cor.* 15. 12. *Phil.* 3. *v.* 11. 21. 1. *Thess.* 4. 14. *Specialis*, quæ singularia resurrectionis continentur *exempla*: Raptus Henoch in cęlum, est certissimum & infallibile resurrectionis argumentum, *Gen* 5. 24 *Ecclesi.* 44. 16. *Heb.* 11. 5. Raptus Elię, 2. *Reg.* 2. *v.* 9. 11. *Eccl.* 48. 12. Filius Sareptanæ viduæ, 1. *Reg.* 17. 22. Filius Sunamitidis: 2. *Reg* 4. 33. ad contractum ossium Elisæi resuscitatus, 11. 21. ossa arida resuscitata, *Ezech.* 37. 1. & c. Filia Iairi, *Matth.* 9. 25. *Marc.* 5. 42. Filius viduæ in Naim, *Luc.* 7. 15. Lazarus, *Io.* 11. *v.* 43. 44. Christus, *Matth.* 28. 6. *Marc.* 16. 7 *Luc.* 24. 5. *Io.* 20. *v.* 8. 12. 13. & 21. 14. *Ro.* 1 4. & 4. *ver.* 24. 25. & 6. 4. & 8. 11. & 10. 9. 1. *Cor* 6. 14. & 15. *v.* 4. 20. 2. *Cor.* 4. *v.* 5. 15. *Gal.* 1. 1. *Ephes.* 1. 20. *Phil.* 2. 9. *Col.* 2. 12. & 3. 1. 1. *Thes.* 1. 10 & 4. 14. *Heb.* 13. 20. 1. *Pet.* 1. 20. Passionis Christi tempore resuscitati, *Matth.* 28. *v.* 52. 53. Tabitha Ioppensis a Petro excitata, *Act.* 9. 40. Eutychus a Paulo excitatus, 20. 10.

Resurrectio pijs ac impijs communis, est, *Matth* 25. 32. *Act.* 24. 15. restringitur ad pios, *Luc.* 20. 36. quia sicut ij demum dicuntur victuri, qui æterna illa felicitate perfruentur. ita ij vere censentur resurgere, qui in vitam æternam resurgunt.

De resurrectione duo primarij Christi discipuli disceptant, *Marc.* 9. 10. Resurrectio carnis creditu difficilis, *Act.* 17. *v.* 18. 32. Resurrectio quando futura, *Iob* 14. 12.

Resurrectio Christi, resurrectio Iudicij, *Ioan.* 5. 29. Resurrectio iustorum, *Luc.* 14. 14. Resurrectio Christo tanquam fundamento nititur, 1. *Cor.* 15. 21. Resurrectio vitæ, pro ea resurrectione, quam perẽnis vita comitatur, quasi dicat. vitalis, Hebraismus, *Io* 6. 29.

Resurrectio duplex est, *prior. Actor.* 20. *v.* 5. 6. quæ animorum est, *Roman.* 6. *v.* 4. 5. 11. in qua qui partem habuerint. secunda mors in eos potestatem nõ habebit, *Apoc.* 20. 16. *posterior*, *Apoc.* 20. 13. quæ carnis est.

Resur-

Resurrectionis filij, *Luc.* 20.36. de resurrectione erronea opinio, 2. *Timoth.* 2.18.

Resurgunt in Christi morte corpora, *Matth.* 27. *vers.* 52. resurrexit Christus, 28.1. *&c.* propter iustificationem nostram, *Rom.* 4.25. resurgere cum Christo, 6.5. resurrexisse Christum testantur Apostoli, *Actor.* 4.45. resurrectio Christi à Dauide prædicta, *Act.* 2.25. resurrectionis Christi virtus, *Ose.* 13.14. in resurrectione Christi vita æterna, 1. *Petr.* 3.4. de resurrectione Christi, 1. *Cor.* 15.12. *&c.* Resurrectio & vita Christus, *Ioan.* 11.25. resurrectio mortuorum, & carnis ad gloriam facta mutatio, *Exod.* 3.6.4. *Esdr.* 2.26. *&* 14.35. *Iob* 14.13. *&* 19.26. *&* 21.30. *Esa.* 26.19. *&* 66.14. *Ezech.* 37. v. 1.9. *Dan.* 12.12. *Ion.* 2.11. *Soph.* 3.8. 2. *Mach.* 7. v. 6.14.23. *Matth.* 22. v. 13. 31. *Luc.* 20.35. *Ioan.* 5.21.28. *&* 6.39. *&* 11.24. *Actor.* 24.15. 1. *Cor.* 15. 1. *&c.* 2. *Cor.* 4.14. *&* 5.1. *&c.* ... *Cor.* 3.4. *Phil.* 3.21. *&* 4.3. 1. *Thess.* 4.13. 16. 2. *Tim.* 2.11. *Apoc.* 12.

SENTENTIAE BIBLICAE.

Resurrectio generalis sacra Scriptura comprobatur.

Scio, quod Redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum, & rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum (Saluatorem meum). *Iob* 19.

E cœlo ista possideo, sed propter Dei leges nunc hæc ipsa despicio, quoniam ab ipso me ea recepturum spero. 2. *Mach.* 7.

Nisi eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur, & vanum orare pro mortuis. 12.

De resurrectione mortuorum non legistis, quod dictum est à Deo, dicente vobis: Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob. Non est Deus mortuorum, sed viuentium. *Matth.* 22.

De mortuis quod resurgant, non legistis in libro Moysi? *Marci* 12.

Quia resurgant mortui, & Moyses ostendit secus rubum, sicut dicit Dominum, Deum Abraham, Deum Isaac, & Deum Iacob. Deus autem non est mortuorum, sed viuorum. Omnes enim viuunt ei. *Luc.* 20.

Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. In momento, in ictu oculi, in nouissima tuba. Canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur. 1. *Cor.* 15.

Et hi omnes testimonio fidei probati non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis melius aliquid prouidente, vt non sine nobis consummarentur. *Heb.* 11.

Quidam Epicurei, & Stoici Philosophi disserebant cum eo, & quidam dicebant: Quid vult seminiuerbius hic dicere? Alij vero, Nouorum dæmoniorum videtur annunciator esse, quia Iesum, & resurrectionem annunciabat eis. *Act.* 17.

Sadducæi dicunt non esse resurrectionem mortuorum: neque Angelum, neque spiritum: Pharisæi vero confitentur vtraque. 23.

Diuina potentia consummatur.

Viuent mortui, interfecti mei resurgent. *Esa.* 26.

Ecce ego aperiam tumulos vestros, & educam vos de sepulchris vestris, populus meus, & inducam vos in terram Israel. *Ezechiel.* 37.

Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei. Et procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ: qui vero mala egerunt, in resurrectionē iudicij. *Ioan.* 5.

Hæc est enim voluntas eius, qui misit me, Patris, vt omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in nouissimo die. 6.

Ego sum resurrectio, & vita. 11.

Quod si Spiritus eius, qui suscitauit Iesum à mortuis, habitat in vobis, qui suscitauit Iesum Christum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum eius in vobis. *Rom.* 8.

Nunc Christus resurrexit à mortuis primitiæ dormientium, Quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur. 1. *Cor.* 15.

Scientes, quoniam qui suscitauit Iesum, & nos cum Iesu suscitabit, & constituet vobiscum. 2. *Cor.* 4.

Si credimus, quod Iesus mortuus est, & resurrexit: & Deus eos, qui dormierunt per Iesum, adducet cum eo. 1. *Thess.* 4.

Pro meritorum conditione variatur.

Et multi de his, qui dormiunt in terræ puluere, euigilabunt, alij in vitam æternam, alij in opprobrium, vt videant semper. *Dan.* 12.

Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. *ibid.*

Si complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus. *Rom.* 6.

Sed dicet aliquis: Quomodo resurgent mortui? quali autem corpore venient? Insipiens tu quod seminas, non viuificatur, nisi prius moriatur. 1. *Cor.* 15.

Stella enim differt à stella in claritate. Sic & resurrectio mortuorum. *ibid.*

Nostra conuersatio in cœlis est: vnde etiam Saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum. *Phil.* 3.

Cum autem Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria. *Col.* 3.

SENTENTIAE PATRVM.

Resurgent sanctorum corpora sine vllo vitio, sine vlla deformitate, sine vlla corruptione, sine difficultate: in quibus tanta facilitas, quanta felicitas erit. *August. Enchirid.*

Surrexit Christus, exultet vniuersus mundus. Par etenim est, vt sicut omnis creatura lugubri doluit planctu in morte Creatoris sui, & quæ funere noctis obscuro prosecuta est exequias in cruce morientis, nunc triumphalem ab inferis reditum læta suscipiat resurgentis. *In quodam serm. de Paschato.*

Ecce surrexit ab antro sepulcri rediuiua caro Phœnicis, quam cinnamomum decoxerat pietatis: granum frumenti, quod solum in terra mortificatum est in passione, multum fructum attulit in resurrectione: solus enim mortuus est, sed solus minime resurrexit: quorum enim sepulchra in eius passione sunt patefacta, horū corpora Christo resurgente sunt de puluere suscitata: & sicut cum Domino surrexerunt, ita cum eo ascendente etiam ipsi ascendisse creduntur. *ibid.*

Tres mortuos inuenimus à Domino resuscitatos visibiliter, multos inuisibiliter, quos autem mortuos inuisibiliter suscitauerit, quis nouit? Non enim scripta sunt omnia signa, quæ fecit, quæ si scripta essent, arbitror totum mundum non posse libros capere. *ibid.*

Tres scilicet filiam archisynagogi adhuc in domo iacentem, iuuenem filium viduæ extra portam elatum, & Lazarum quatriduanum sepultum excitauit ex mortuis. Sunt ista genera peccatorū, quos hodie suscitat Christus, delectationis, operis, consuetudinis. *De verb.* ... *om*

Raptus est Dei Filius ab humanitate ad diuinitatem in assumptione, a passibilitate ad immortalitatem in resurrectione, a mortalitate ad Patris æqualitatem in ascensione: quia quantus fuit descensus à sinu Patris ad patibulum crucis, tantus fuit ascēsus à patibulo crucis vsque ad dexteram Patris. *In glo. super Apoc.* 12.

Venit Christus, & completa sunt in ortu eius, vita, dictis, passionibus, morte, resurrectione, ascensione, omnia præconia Prophetarum. *In epist. ad Volusian.*

Hæc est dies, quam fecit Dominus, &c. Quis dies? nempe ille, qui tribuit viuēdi principium, lucis exordium, author luminis ipse Dominus Iesus Christus, qui de seipso ait: ego sum, inquit, dies, qui per diem ambulat, non offendit. Est enim pascha vere anni principium, primi mensis exordium, nouella germinum reparatio a terræ hyemis nocte discussa, primi veris restituta iucunditas: in quo Deus de sua humo cœli machinam suspendens, diem Solis ardore radiauit, splendorem Lunæ solatio noctis attribuit, pendentem cœli cameram splendentium siderum decorauit ornatu. *Ambros. in Epist. de mysterio pascha.*

In ipso raptu mors præuenit, & quasi per soporem egressa anima in momento redditur. *Ambr. in* 1. *ad Thess.*

Cerne manus Iudæe, quas fixeras, cerne latus Romane, quod foderas: videte corpus, an idem sit, quod dicebaris clam tulisse discipulos. *Hier. in epist. ad Helued.*

Redemptor noster suscepit mortem, ne mori timeremus: ostendit resurrectionem, vt nos posse resurgere confidamus. *Greg. in Mor.*

Non casu factum est, vt discipulis Dominum videntibus post resurrectionem, dilectus ille discipulus tunc deesset, post autem veniens audiret, audiens dubitaret, dubitans palparet, palpans crederet. Non casu gestum est, sed viuendo, & palpando factus est testis veræ resurrectionis. *Hom. in Ioan.* 20.

Quod discipuli tarde crediderunt, non tam infirmitas illorum, quā nostra firmitas fuit: nam illis dubitantibus, resurrectio multis argumentis monstratur, quia & comedit, & se oculis videndum, & manibus palpandum, & contrectandum præbuit, quod de solo spiritu non potest. Minus Maria Magdalene præstitit, quæ statim credidit, quam Thomas, qui diu dubitauit. *in Matt.* 28.

Sunt nonnulli considerantes, quod spiritus à carne soluitur, quod caro in putredinem vertitur, quod putredo in puluerem redigitur, quod puluis in elementa soluitur, vt nequaquam ab humanis oc. lis videatur, resurrectionem fieri posse desperant, & dum arida ossa respiciunt, hæc vestiri carnibus, rursumque ad vitam virideſcere posse diffidunt: qui si resurrectione fidem ex obedientia non tenent, certam hanc tenere ex ratione debuerant. Quid enim quotidie nisi resurrectionem nostram in elementis suis mundus imitatur? Nam per momenta temporum cernimus arbusta viriditatem foliorum amittere, a fructuum prolatione post largitionem cessare, & ecce subito quasi ex arescenti ligno, velut quadam resurrectione veniente, videmus folia erumpere, fructus grandescere, & totam arborem rediuiuo decore vestiri. *In Moral.*

Consideremus paruum cuiuslibet arboris semen, quod in terra iacitur,

citur, vt arbor ex illo producitur, & comprehendamus si possumus, vbi in illa tanta paruitate seminis iam immẽsa arbor latuit, quæ ex illo processit, vbi lignum, vbi cortex, vbi viriditas foliorum, vbi vbertas fructuum. Nunquid non in semine tale aliquid videbatur, cum in terra iaceretur? Quid ergo mirum, si tenuissimum puluerem à nostris oculis in elementa redactum, quũ vult Deus in hominem reformat, qui ex tenuissimis seminibus immẽsa arbusta redintegrat? *Ibid.*

In omni re aut actu, virtus agẽdi spes est futuri. Qui enim arat, arat vt metat: qui pugnat, pugnat vt vincat. *& post pauca.* Tolle ergo spem resurrectionis, & resoluta est obseruantia omnis pietatis. *Chrysost. in Matth. 22.*

Si resurrectio non est, neque Deus est, neque prouidentia est, tunc casu omnia feruntur & aguntur. Videmus enim plurimos iustos esurientes & iniuriam patientes, peccatores autem & iniustos in diuitijs & in omni voluptate abundantes, sed quis vnqoam hoc iusti iudicij vel sapientis prouidentiæ opus bene sentiens suspicabitur? Erit ergo resurrectio: iustus enim Deus est, & his, qui confidunt in eum, mercedis retributor. *Damascen. lib. 4.*

Resurget iustus vt iudicet: peccator, vt iudicetur: impius, vt sine iudicio puniatur. *Cass. in Psal.*

Affligimur in eius passione, gaudeamus in eius resurrectione, sic enim possumus pij dici, si eius dispensationibus nitimur aptari. *Idem in Psal.*

Est in Christo homine vniuscuiusque nostrum caro, sanguis & portio; vbi ergo portio mea regnat, regnare me credo, vbi dominatur sanguis meus, dominari me sentio, vbi glorificatur caro mea, me gloriosum esse cognosco. *Max. in serm. de pa.*

Quia in paradiso mulier propinauit viro mortem, à sepulchro mulier viris annũciat vitam, vt sicut occasione sexus muliebris fuit introductio mortis, ita hic ex pietate sexus muliebris nunciatio vitæ, vt quæ viro transfuderat culpam, transfundat & gratiam. *Raba in Matth.*

Quod apostoli resurrexisse Dominum, mulieribus nunciantib. aut non credunt, aut deliramentum iudicasse referuntur, grauiter nemo arguat. Alte dubitat, qui altius credit, decipi non potest, qui non est facilis audire. Ignauus nimis est, qui post exemplum inuenitur incautus: rudis miles ad aciem concurrit qui causam belli nescit, vim bellatoris ignorat: perita autem est, non segnities, quum sensum miles veteranus accendit. *Pet. Chrysol. ser. 79.*

Tibi absit, quod ad resuscitanda corpora vitæq; reddenda nõ possit omnipotentia creatoris omnia reuocare, quæ vis bestiæ vel ignis absumpsit, vel quod in puluerem cineremve collapsum, vel in humorem solutum, vel quod in auras est exhalatum: absit vt sinus illud, secretumq; naturæ ita recipiat aliquid subtractũ sensibus nostris, vt omnium creatoris aut cognitionem lateat, aut refugiat potestatem. *Aug. de ciuit. Dei, l. 22.*

Sed infideles clamantes dicunt, Quomodo potest caro quæ putrefacta dissoluitur, aut in puluerem vertitur, et maria interdum profundo sorbetur, fluctibusque dispergitur, colligi rursum, & reintegrari in vnum corpus, & ex anima hominis reparari? Ad quos primam interim responsionem sermonib. Pauli faciamus, dicentis eis. Insipiens, tu quod seminas non viuificatur nisi prius moriatur: & quod seminas, non corpus quod futurum est seminas, sed nudum granum tritici, aut alicuius cęterorum seminum. Deus aũt dat corpus prout vult. Quod aũt in seminibus, quæ in terram iacis per annos singulos fieri vides, hoc in tua carne quæ lege Dei seminatur in terra, futurum esse non credis? Cur quęso tam angustus & inualidus diuinæ virtutis æstimator es, vt dispersum vniuscuiusque carnis puluerem in suam rationem colligi & reparari posse non credas? An non censes cum videas, quod etiã mortale ingenium demersas in profundum terrę metallorum venas rimetur, & artificis oculus aurum videt, in quo imperitus terram putat? Hæc cur quidem non concedimus ei, qui fecit hominem, qñ tantum is, qui ab ipso factus est assequi potest: & cum auri esse propriam venam & argenti aliam, æris quoque longe disparem, ferriq. ac plumbi diuersam intra speciem terrę latere, mortale deprehendat ingenium, diuina virtus inuenire posse ac discernere non putabitur vniuscuiusque carnis propriũ sensum, etsi videatur dispersus? Sed ad hęc tentemus animas, q̃ deficiunt in fide, naturalibus rationibus adiuuare. Si quis diuersa semina in vnum permisceat, & hęc indiscreta seminet, vel passim spargat in terram: nonne vniuscuiusque seminis granum, quocunq; loci iactum fuerit, competenti tempore, secundum naturæ suæ speciem germen producet, vt statum suæ formę suique corporis reparet? Ita ergo vniuscuiusque carnis substantia, quauis varie diuerseq; dispersa sit, ratio tamen ipsa quæ inest vnicuiq; carni, est immortalis: quia immortalis animæ caro est, ea eo tempore quo seminatis in terram corporib. primum veri Dei voluntate arrisit, collectum terræ attractatumq; substantiæ suæ sensum reddit ac reparat in illam speciem, quam mors aliquãdo dissoluerat. Et ita fit vnicuiq; animæ, vt non ad confusum aut extraneum corpus, sed ad suum quod habuerat, reparetur, consequenter potest pro agonib. præsentis vitæ cum anima sua caro vel pudica coronari vel impudica puniri. Et ideo satis caute ecclesia nostra fidẽ symboli docet, quæ in eo quod cæteris tradit, Carnis resurrectionem vno addito pronomine tradidit, Huius carnis resurrectionem. Huius sine dubio, quam haberis, qui profitetur signaculo crucis fronti imposito: quo sciat vnusquisque fidelium, carnem suam, si mundam seruauerit a peccato, futurum esse vas honoris vtile domino ad omne opus bonum paratum. Si vero contaminatam in peccatis, futurum esse vas iræ ad interitum. Iam vero de ipsa resurrectionis gloria, & de promissionis magnitudine si quis plenius scire desiderat, in omnib. pene voluminib. diuinis inueniet indicari. Ex quibus nos commonitionis tãtummodo gratia pauca præsenti loco memorantes: finem iniuncti a te opusculi faciemus. Igitur Apostolus Paulus, quod resurgat mortalis caro alijs multis asserit argumentis, dicens: Quod si resurrectio mortuorum non est, ergo nec Christus resurrexit: si autem Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra, vacua est, & fides nostra. Et paulo post. Nunc autem Christus resurrexit à mortuis initiũ dormientium, quoniam quidem per hominem resurrectio mortuorum: sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Christõ omnes viuificabuntur. Vnusquisque autem in suo ordine, initium Christus. Deinde hi, qui sunt Christi in aduentu eius, deinde finis. Et in sequentib. addit & hęc: Ecce mysteriũ dico vobis. Omnes quidem resurgemus, non omnes aũt immutabimur, (siue vt in alijs exemplarib. inuenimus: omnes quidem dormiemus, non omnes aũt immutabimur) in momento, in ictu oculi, in nouissima tuba. Canet. n. tuba, & mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur. Sed & ad Thessalonicenses nihilominus scribens, dicit: Nolo aũt vos ignorare fratres, de dormientib. ne contristemini, sicut cæteri qui spem non habent: nam si credimus quod Iesus mortuus est, & resurrexit: ita Deus eos, qui dormierũt per Iesum, adducet cum illo. Hoc. n. vobis dicimus in verbo Domini: quia nos qui viuimus, qui reliqui sumus, in aduentu Domini, non præueniemus eos, qui dormierunt, quia ipse Dominus iussu & in voce archangeli & tuba Dei descendet de cœlo, & mortui qui in Christo sunt, resurgent primi. Deinde nos qui viuimus, qui reliqui sumus, simul cũ illis rapiemur in nubib. obuiam Christo in aera, & ita semper cum Dño erimus. Verum ne existimes hæc Pauli solius quasi nouella prędicatione signati: Audi etiam quid Ezechiel propheta olim per Spiritum sanctũ prælocutus sit. Ecce, inquit, ego a, eriam sepulchra vestra, & educam vos de sepulchris vestris. Iob quoq; mysticis redundãs eloquijs, audi quã euidenter resurrectionem mortuorum prædicet. Est (inquit) arbori spes: si. n. abscissa fuerit, iterum pullulabit, & virgultum eius nũquam deficiet. Quod si senuerit in terra est radix eius? Si vero in petra emortuus fuerit truncus, ab odore aquæ reflorebit, & faciet fruticẽ sicut nouella. Vt vero si mortuus fuerit, abit? & mortalis si ceciderit, vltra non erit? Non tibi vr in verbis his cũ quodam pudore arguere hoĩes, & dicere, Itane stultum est hominũ genus, vt cum videant excisæ arboris truncum rursum pullulare de terra, & lignũ emortuum iterũ vitam recipere, ipsisne lignis quidem aliquid simile de semetipsis nec arborib. opinentur? Vt aũt scias q̃ velut interrogantis modo legendum sit quod dixit, mortalis aũt cum ceciderit, non resurget, de consequentib. probat. Subiũgit namq; statim: Si enim mortuus fuerit homo, viuet. Et paulo post dicit: Expectabo vsquequo iterum fiam. Et iterum idem dicit: Qui resuscitaturus est super terram pellem meã, quæ hæc nũc haurit. Hæc quidem ad probationem dicta sunt professionis nostrę: quia confitemur in symbolo huius carnis resurrectionem: quod enim adiunctum est, huius, vide quam consonum sit omnibus his, quæ diuinis voluminibus memorauimus. Quid enim aliud indicatur in dictis Iob, quæ superius exposuimus? Quia cum dicit, Resuscitabit pellem meam, quæ hæc nunc haurit, id est, quæ ista tormenta perpetitur: nonne aperte dicit huius carnis resurrectionem futuram? huius, inquam, quæ tribulationum & tentationum cruciamenta quæ sunt, nunc sustinet: sed & Apostolus cũ dicit. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatẽ. Nunquid non corpus suum quodammodo contingentis, & digito palpantis est vox? Hoc ergo quod nunc corruptibile corpus est, resurrectionis gratia incorruptibile erit: & hoc q̃ nunc mortale est, immortalitatis virtutibus induetur. Vt sicut Christus resurgens à mortuis, vltra iam non moritur, mors ei vltra non dominabitur: ita & qui in Christo resurgent, nec corruptionem sentiene vltra, nec mortem, non natura carnis abiecta, sed conditione eius, & qualitate mutata. Erit ergo corpus quod resurget a mortuis, incorruptibile & immortale, non solum iustorum, sed etiam peccatorum. Iustorum quidem, vt semper possint permanere cum Christo: peccatorum vero, vt absque intentione sua debitas luant pœnas. Quod autem iusti semper cũ Domino permaneant, iam in superioribus edocuimus, vbi ostendimus, quia Apostolus dicit. Deinde nos qui viuimus, qui reliqui sumus, simul cum illis rapiemur in nubibus obuiã Christo in aera, & ita semper cum Domino erimus. Nec miteris, si caro sanctorum in [illegible] gloriam ex resurrectione mutabitur, vt in occursum Dei

suspensa

suspensa nubibus & aëre vecta rapiatur, cũ ipse Apostolus: xponens, quantum conferat Deus his, qui diligunt eum, dicat: Qui transmutabit corpus humilitatis nostræ, conforme fieri corpori claritatis suæ. Nihil ergo absurdũ est, si sanctorum corpora dicantur nubibus in aera sustolli, cum ad formã corporis Christi quod in dextera sedet, dicantur reformanda. Sed & hoc sanctus Apostolus vel de se, vel de cæteris sui loci, vel merito addidit, & dixit. Quia consuscitabit nos cũ Christo, similiq; faciet sedere in cælestib. Vnde cum hæc & eorum similia q̃ plurima, sancti Dei in repromissionibus habeant in resurrectione iustorũ, non erit iam difficile credere, cũ illis quæ propheta prædixerat, quod iusti fulgebunt sicut sol, & sicut splendor firmamenti in regno Dei. Cui enim difficile videbitur eos fulgore Solis habituros ac siderum, ac firmamenti huius splendore decorandos, quibus vel vita, vel conuersatio angelorum Dei paratur in cęlis, vel cõformanda dicantur ad gloria corporis Christi. Ad quam gloriã saluatoris ore promissa respiciens sanctus Apostolus, dixit: Quia seminatur corpus animale, resurget corpus spiritale. Si enim verũ est, sicut certe verum est, quod iustos quoq; & sanctor angelorum consortijs sociabit diuina dignatio: certũ est, quod & corpora eorũ in spiritalis corporis gloriam vertet. Nec hoc tibi contra naturalẽ corporis rationẽ videatur esse promissum. Si enim credimus secundum ea, quæ scripta sunt, quod accipiens Deus limum terræ plasmauit hominem, & hæc fuit natura corporis nostri, vt voluntate Dei terra verteretur in carnem, tibi aut absurdum, aut contrarium videtur, si eidem rationibus quibus terra proficisci dicitur in corpus animale, rursum corpus aiale in corpus proficisci spirituale credatur? Hæc quidem atq; his similia multa inuenies in scripturis diuinis de resurrectione iustorum. Dabitur autem etiam peccatoribus (vt supra diximus) incorruptionis & immortalitatis ex resurrectione conditio, vt sicut iustis Deus ministrat ad perpetuitatem gloriæ: its peccatoribus, ad prolixitatẽ confusionis ministret, & pœnæ. Sic enim prophetica diffiniẽ eloquium, cuius & paulo ante meminimus, vbi dicit: Et multi resurgent de terræ puluere, hi quidem in vitam æternam: illi autem in confusionem & opprobrium æternum. *Hieron. Epist. 41. siue Ruffin. Aquilegi. ad Lauren. Papam.*

Sententiae Poeticae.

Virg. Ecl. 4.

Pauca tamen suberunt priscæ vestigia fraudis,
Quæ tentare Thetim ratibus, quæ cingere muris
Oppida, quæ iubeant telluri infindere sulcos.
Alter erit tum Typhis & altera quæ vehat Argo
Delectos heroas: erunt etiam altera bella,
Atque iterum ad Troiam magnus mittetur Achilles.

Val. Flaccus 3.

Rarae illis iam via lethi,
Atque iterum remeare licet: comes vna sororum
Additur, & pariter terras, & æquora lustrant.

Virg. 6. Æn.

Et pauci læta arua tenemus:
Donec longa dies perfecto temporis orbe,
Concretam exemit labem, purumque relinquit
Aetherium sensum, atque aurai simplicis ignem,
Has omnes, vbi mille rotam voluere per annos,
Lethæum ad fluuium Deus euocat agmine magno.
Scilicet immemores supera vt conuexa reuisant,
Rursus & incipiant in corpora velle reuerti.

Sen. Her. fur. act.

Iuxta immenso sinu
Placido quieta labitur Lethe vado,
Demitque curas.

Claud. 2 Ruff.

Quos vbi per varios annos per mille figuras
Egit lethæo purgatos flumine, tandem
Rursus ad humanæ reuocat primordia formæ.

Philosophor. Sententiae.

Est certe, ò Cebes, maxime omnium ita vt mihi videtur ex mortuis reuiuiscenter homines fiunt, mortuorum superfunt animæ, atque bonis melius est, malis vero peius. *Plat. in Phæd.*

Desinunt ista, non pereunt, etiam mors, quam pertimescimus ac recusamus, intermittit vitam non eripit. Veniet iterum qui nos in lucem reponat, dies æquo animo debet rediturus exire, obscura orbem rerum in se remeantium. Aestas abit, sed alter illam annus adducit, hiems occidit, referent illam sui menses. Solem nox obruit, sed ipsam statim dies abiget. *Sen. 36. Epist.*

Similitudines.

Chrysostomi. Semina nisi prius moriantur, & putrescant, & corrumpantur, non pariunt aristam. Sicut igitur qui videt ibi granũ quod corrumpitur, & dissoluitur, non dubitat de resurrectione, sed certissimam demonstrationem fecit: nã si ita maneret, & non corrumperetur, vel dissolueretur, certum quod nunquam resurgeret: Sic cogita & in corpore tuo: cum vides corruptionẽ, noc potissimum de resurrectione philosophare. Nã mors nihil aliud est, quam plena corruptionis consumptio. Neque enim mors simpliciter corpus sed corruptionem corporis absumit. Hoc etiã in metallorum materijs vides eueuire. Rudem enim glebam in qua aurum, eius artir gnari, & in conflatorium mittunt, circumponẽ do stannum & aliam materiam, & aurum non proferunt, donec purum excoquatur. Iam si tantum potest ignis potentia, cur non & diuina? *Homil. de resurrect.*

Damasceni. Resurrectio est secunda eius qui interijt statio. Nam animæ cum immortales sint, quomodo resurget? secundo? siquidem mortem diffinientes dicimus esse separationem animæ à corpore: resurrectio omnino erit coniunctio animæ & corporis, & secunda iteratioque eius, quod dissolutũ est, ierit que; essum, animalis restitutio: ipsum igitur corpus quod corrũpitur, resurget incorruptibile. Non impotens enim est is, qui in principio ex puluere terræ ipsum constituit, rursus resolutum & cõuersum in terram ex qua sumptum est (secundum conditoris dictum) iterato suscitare illud. Qui puluerem in corpus sola voluntate transmutat, qui paruam materiæ stillam, id est, semen in vere adolescere præcipit, & fecit illud multiforme, & multimodum corporis organum, nonne magis quod fuit, & defluxit, iterum suscitabit sola voluntate? Considera in falcis, tanquam in sepulchris, semina suffossa, quis illis radices imponit, & stipitem, & folia, & subtilissimos culmos, nõne qui vniuersorum artifex est, cuius precepto condita omnia? Sic crede & mortuorum resurrectionem fore diuina voluntate & nutu: concurrentem enim habet voluntati vicinitatem. *Lib. 4. c. 58. Orth. fidei.*

Olympiodori. Aqua hydriæ in fonte non perit, sed ad suam plenitudinem integritatemque accedit, in fonte ipso existentem: Quando igitur quod ex parte euacuatum fuerit, iuxta Apostolum, tunc veniet quod perfectum est. Particularis itaque nostra cognitio, quæ nunc nobis inest, tunc perfectionem suam accipiens, erit velut aqua hydriæ, ad plenitudinem fontis deuenientes fonti pertinens addita, qua foos prius exhibat. *In Eccles. 15.*

Ioannis Ludouici Viuis. Quemadmodum de nocte dormisti postea euigilasti: Sic nostra corpora recordare dormitura per mortem, hinc reddenda vitæ Christo, quum apparebit iudex viuorum & mortuorum. *In Introduct. ad Sap. c. 7.*

Epiphanij. Velut si quis summus opifex statuam pulchram ex auro aut alia materia à se constructam. & per omnia membra congruenter ad pulchritudinem exornatam, rursus confl. t. mutilatã deinde conspicatus à pessimo quodam homine, qui præ inuidia non tulit decoram esse statuam, eamque læsit, inanem voluptatis fructum capiens. Attende ò sapientissime Aglaophon: Quod si voluerit opifex ille non esse mutilam & vituperabilem eam, quæ cum tanto studio ac cura ab ipso elaborata est, rursus impellet ur vt conflet ipsam, ac talem faciat, qualis prius erat. Si vero non cõflarit, neque coegerit, verum manere fuerit, curans ipsam ac corrigens, necessum ignitam ac contractam statuam non amplius posse conseruari eandem, sed immutatam fieri ac distractã. Qua propter si voluerit opus ipsum pulchrum esse ac reprehensibile, confringi ac rursus conflari oportet: quo turpitudines & alterationes oẽs, quæ ex insidijs ac inuidia in ipso sunt, per refractionẽ ac conflationẽ pereant. Ipsa vero statua in speciem suã integra & inadulterata similima sibi ipsi fabricetur. Statuæ enim perire non contingit per artificem ipsius, etiamsi rursus in materiam resoluatur: restitui enim potest. Turpitudines autẽ & mutilationes perire contingit. Colliquescunt enim. Restitui autẽ non possunt eo quod in omni arte optimus opifex non ad turpia aut offensas, sed ad symmetriam rectitudinẽq; ac congruentiã operis respiciat. Idem fane videtur mihi etiam in nobis Deus dispositisse. Hominem enim decentissimum suum opificium insidijs, & inuidia male afflictum conspicatus, non sustinuit relinquere tale, quum benignus erga homines sit: vt ne in æternũ esset vituperatum immortale in se habens vituperium. Sed dissoluit rursus in materiam, quo per reformationem colliquescant ac dissipentur omnia in ipso vituperabilia. Nam illic cõflari statuam, est hic mori ac dissolui corpus: illic vero reformari materiam, ac suo nitori restitui, est hic post mortem resurgere. *Lib. 2. Tom. 1 fol. 159.*

Athanagora. Corpus sicut fuit animæ socium, in actionibus passionibusque tam virtutum quam vitiorum, & in sanctimonia & martyrio comes. Ita debet in pœna vel præmijs habere consortiũ. Est ergo corpus idem resurrecturum. Nisi enim præmia manerẽt vitæ sequentis, prouidentia, iustitiaque diuina traherentur in dubium. Homo quin etiam brutis foret miserabilior, quit religionis & iustitiæ gratia corporeis se priuat oblectamentis: & incõmoda subit innumera. Itaque virtus, religio, leges deliramenta forent, atque detrimenta. Nisi resurgant corpora, non habet iustitia diuina locum in corpore vel anima. Nõ in corpore: quia

iniustum, foret animam, habere præmia laborum, in quibus magnam partem perpessum est corpus, ipsum vero non habere in præmio partem: Non in animam solam dare pœnas peccatorū, quam plurimorum, quæ non commisisset, nisi corpus ei fuisset adiunctum. *De resurrectione.*

REVERENTIA.

DEFINITIO, ET ETYMOL.

Reuerentia, *αἰδὼς, σέβας, ἡ*, & *αἰδέομαι*, reuereor dicitur. Est autem reuerentia, honor exhibitus in testimonium virtutis.

Reuerentia est timor initialis, & castus, tamen capi potest in bono, & in malo, sicut etiam confusio, id est, erubescentia, *sec. B. Thom. sup. Psal. 34. col. 17.*

Reuereri est actus timoris, & vt debetur Deo, est actus latriæ, *sec. eumd. sec. q. 81. art. 2.*

Loci Biblici.

Reuerentia erga alios præcipitur, *Rom. 12. versic. 10. Philip 2. 3. 1. Pet. 5. 5.*

Sententia Biblica.

Omnes honorate, fraternitatem diligite: Deum timete, Regem honorificate. Serui subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis, & modestis, sed etiam dyscolis. *Petrus Apostolus 1. capit. 2.*

Sententiae Patrum.

Esto subiectus pontifici tuo, & quasi parentem animæ ama. Sed Episcopi Sacerdotes sciant se esse, non dominos: honorent clericos quasi clericos: vt ipsis Episcopis honor deferatur. Scitum est illud Oratoris Domitij: Cur ego, inquit, te habeam vt principē, cum tu non me habeas, vt senatorem? *Hieron. ad Nepot. & habet. dist. 35. can. Esto.*

Boni reuerendi sunt, ne offendantur: ne fortasse per eos ille prouocetur ad iram, qui eorum corda semper inhabitat. *Greg. sup. Ezech.*

Cham filij Noe sententia damnantur, qui suorum præpositorum culpas in publico produnt. *Isid. lib. 3. de summo bono.*

Cham nuditatem patris irrisit, & semen suum in seruitutem perpetuam damnauit. Absalon quoque Dauid de regno expulit, & concubinas eius incestauit, sed morte condignas pœnas luit. Helisæi caluitium pueri Bethel irriserunt, & duo vrsi de saltu ex eis quadraginta duos lacerauerunt. Quia pueritia stultitia Iudæorū in Caluariæ loco Christum crucifixum irrisit: sed quadragesimo secundo anno post ascensionem eius, duo vrsi Vespasianus, & Titus de saltu gentium egressi, illusores sæuissime laniauerunt. *Glossa Ecclesiast. 3. super illud: Honora patrem tuum, vt superueniat tibi bene, &c.*

Sententiæ Philosophicæ.

Dignitas, est alicuius cultu, & honore, & verecundia digna authoritas. *Cic. Rhet.*

Obseruantia est, per quam homines aliqua dignitate antecedentes cultu quodam, & honore veneramur. *ibid.*

Reuerentia, est virtus aliqua prælatione sublimitatis debitæ honorificationis cultum exhibens. *ibid.*

Veneratio est virtus, qua reuerentiam exhibemus maioribus in corporis humiliatione, gestu, nutu, & verborum emissione. *ibid.*

Pythagoræ tanta veneratio ab auditoribus tributa est, vt quæ ab eo acceperant, in disputationem deducere nefas putarent. Qui etiā interpellati ad reddendam causam, hoc solum respondebant, ipsum dixisse: magnus honor, sed scholasticus. *Val. Max. lib. 8.*

Non possumus ob honores reuerentia iudicare dignos, quos ipsis honoribus iudicamus indignos. *Boet. l. 3. de consol.*

Bonus vir sine Deo nemo est. Ille dat consilia magnifica, & recta. Magnorum fluminum capita veneramur, colimus aquarum calentium fontes, & stagna, quæ vel opacitas, vel immensa altitudo sacrauit. *Sen. 40. epist.*

Si hominem videris intrepidum, & inexpugnabilem periculis, intactum cupiditatibus, inter aduersa felicem, in medijs tempestatibus placidum, ex superiore loco homines videntem, non subijciet te veneratio eius? vis illuc diuina descendit. *ibid.*

Multum egerunt, qui ante nos fuerunt, sed non peregerunt, suscipiendi tamen sunt, & ritu Deorum colēdi: quam venerationem præceptoribus meis debeo, tandem illis præceptoribus generis humani, è quibus tanti boni initia fluxerunt. Si consulem video, aut prætorem, omnia, quibus honor haberi solet, faciam: equo desiliam, caput aperiam, semita cedam. Quomodo ergo M. Catonem, & Lælium sapientem, & Socratem cum Platone in animum meum sine dignatione summa recipiam? Ego illos veneror, & tantis nominibus assurgo. *Epist. 65.*

Apophthegmata.

Musonius dicebat, eum apud omnes maxima verecundia dignum iudicari, qui seipsum primo, & deinde alios reuereri didicisset. *Stob. serm. 29. de Verecundia.*

Demetrius Phal. Honestos adolescentes domi parentes reuereri debere dicebat: in via autem omnes, vt quisque se obtulerit: in solitudine autem seipsos. *Stob.*

Similitudo.

P. M. Apud Thessalos capitale est occidere ciconiam, non ob aliud, nisi quod serpentes interficit: patitur & apud Britānos miluijs, quod vrbem raptis extis pecudum repurgent: Ita quibusdam honos habendus, non quod ipsi digni sint, sed quod illorum opera nobis sit vsui. *In simil.*

Exempla Biblica.

Reuerentiæ *exempla*: Rex Israel, *2. Reg. 6. v. 21. 22.* Discipuli, *Marci 9. v. 32.* Elisabeth, *Luc. 1. v. 43.* Populus, *9. v. 45. Act. 5. v. 13.* Ecclesia gentium, *20. v. 36. & 21. v. 5.* Paulus, *16. v. 25. Rom. 12. v. 10.*

Vide Dignitas, Honor.

REX, REGES, REGNA.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

Rex, Græce *βασιλεύς, ἄναξ, ἀναξ τοῦ*, est nomen generis: Imperator nomen officij. Imperatores creantur, Reges nascuntur. Rex sacrificulus erat Romanis, qui sacrorum rex dictus, sine imperio, solo nomine rex, sacra, quæ penes reges erant, obiret, ac cæremonijs præesset, quem creatum, aut in locum decedentis suffectum, sicut reliquos sacerdotes inaugurari oportebat. *Alex. ab Alex. Gen. Dier. l. 3. c. 27.*

Reges a recte agendo vocati sunt, ideoque recte faciendo Regis nomen tenetur, peccando amittitur. Recte ergo illi Reges vocantur, qui tam semetipsos, quā subiectos bene regendo modificare nouerunt. *Isid. lib. de summo bono.*

Loci Biblici.

Rex qualis, & quorsum constituendus, *Deut. 17. v. 15.* Rex iustus regni stabilimentum, *Prou. 29. 4. 2.* à Deo est, *1. Sam. 22. 15. 1. Reg. 10. 9.* honore afficiendus, *Roman. 13. 1. & Pet. 2. 17.* Legem legere debet, *Deut. 17. v. 27. 19.* equos sibi multiplicare non debet, *v. 16.* Rex sæculorum immortalis, *1. Tim. 1. v. 17.*

Regis cor in manu Domini, *Prouer. 21. 1.* Regis ira periculosa, *17. 14. & 19. 12.*

Regum corda inscrutabilia, *Prou. 25. 3.* Regum & bonorum Principum officia, *1. Reg. 2. 3. Psal. 2. v. 10. 11. Prouerb. 20. v. 26. 28. Esaia 49. 23.* Regum ac Principum vitia non sunt dissimulanda, *Exempla:* Elias, *Reg. 18. 18.* Elisæus, *2. Reg. 13. 3.* Ioannes Baptista, *Matth. 14. v. 3. 4.*

Regibus quod debetur, reddendum, *Matth. 22. 21. Roman. 13. 7.* Regibus & Principibus Deorum nomen attribuitur, *Psalm. 82. 6. Ioan. 20. v. 34. 35. Primo*, eo quod iudicia Dei exerceant inter homines, *2. Paral. 19. 6.* hoc est, ratione officij, bona & iusta promouendi, mala puniendi, & tollendi. Ideoque naturam Dei imitari debēt, qui magos & Ariolos, *Leuit. 20. 6. Deut. 18. 10.* Parentibus honorē non deferentes, *Leuitic. 20. 9.* Illegitimo concubitus reos, *v. 11. 12. 13. 14. &c.* alios insigni facinore pollutos, vt sunt Idololatræ, *Exodi 22. 20. Deuter. 17. v. 5. 6.* & similes, tolli è medio vult. *Secundo*, Dij dicūtur, ratione formæ, quia notas aliquas sui Spiritus Deus iis imprimit, id est, dona quædam pene diuina illis communicat, vt patet ex *Num. 11. 17. 1. Sam. 16. v. 13. 24.* Dauid etiam petit se Spiritu principali confirmari, *Psal. 51. 14.* Zorobabelis quoque Spiritum à Deo excitatum legimus, *Aggæi 1. 14.* Finem, in quem constituti sunt Reges & Magistratus, exprimit Paulus, *1. Tim. 2. 2.* pro Regibus orandum, *ibid.*

Dicta Poetarum.

Thomas Morus.

Quæris vter melius, Rex ne imperet, anne Senatus?
Neuter (quod sæpe est) si sit vterque malus.
Sin sit vterque bonus, numero præstare Senatum,
Inque bonis multis plus reor esse boni.
Difficile est numerum forsan reperire bonorum:
Sic facile est vnum sæpius esse malum.
Et fuerit medius sæpe inter vtrumque senatus:
Sed tibi vix vnquam rex mediocris erit.
Consiliisque malus regitur meliore senatus:
Rex consultores sed regit ipse suos.

Alter

Alter vt eligitur populo sic nascitur alter.
Sors hic caca regit, certum ibi consilium.
Illeque se factum populo populum sibi factum,
Scilicet hic vt sine, quos regat ipse, putat.
Rex est in primo semper blandissimus anno,
Omni anno consul rex erit ergo nouus.
Rex cupidus longo populum corrodet auo:
Si consul malus est spes melioris adest.
Nec me nota mouet, qua pastam fabula muscam
Ferre iubet, subeat ne male pransa locum,
Fallitur, expleri regem qui credit auarum,
Numquam hac non vacuam mittet hirudo cutem.
At patrum consulta grauis dissensio turbat.
Regi dissentit nemo, malum hoc grauius.
Nam cum de magnis varia est sententia rebus,
Quæstio, sed tamen hæc nascitur vnde tibi?
Estne vsquam populus, cui regem siue senatum
Præficere arbitrio tu potes ipse suo?
Si potes hoc, regnas: nec iam cui consule tradas
Imperium: prior est quæstio, an expediat.

Thomas Morus Anglus.

Regibus ex multis regnum cui sufficit vnum,
Vix rex vnus erit, si tamen vnus erit.
Regibus è multis regnum bene qui regat, vnum,
Vix tamen vnus erit, si tamen vnus erit.

Ex vlt. Tragœd. Senecæ.

Tu quicumque es, qui sceptra tenes,
Licet omne tua vulgus in aula
Centum pariter limina pulset,
Cum tot populis stipatus eas,
In tot populis vix vna fides.
Pauci reges non regna colunt:
Plures fulget conuocat aula:
Cupit hic regi proximus ipsi,
Clarusque latat ire per vrbes,
Vrit miserum gloria pectus.
Cupit hic gazis implere famem.
Colit hic reges calcet, vt omnes,
Perdatque aliquos, nullumque leuet;
Tantum vt noceat cupit esse potens.

Ex Herc. fur. Senec.

Victima haud vlla amplior
Potest, magisque opima mactari Ioui,
Quam rex iniquus.

Quid regem faciat: ex Thyeste.

Quis vos exagitat furor,
Alternis dare sanguinem,
Et sceptrum scelere aggredi?
Nescitis cupidi artium,
Regnum quo iaceat loco:
Regem non faciunt opes,
Non vestis Tyriæ color,
Non frontis nota regia.
Non auro nitidæ trabes.
Rex est, qui posuit metus,
Et diri mala pectoris:
Quem non ambitio impotens,
Et numquam stabilis fauor
Vulgi præcipitis mouet,
Qui tuto positus loco,
Infra se videt omnia,
Occurritque suo libens
Fato, nec queritur mori.
Mens regnum bona possidet.
Rex est, qui metuit nihil,
Hoc regnum sibi quisque dat:
Stet, quicumque volet, potens
Aulæ culmine lubrico:
Me dulcis saturet quies.
Obscuro positus loco
Leni perfruar otio.
Nullis nota Quiritibus
Ætas per tacitum fluat.
Sic cum transierint mei
Nullo cum strepitu dies,
Plebeius moriar senex.

Matth. Agric. de insipiente princ. vel rege.

Sin quisquam princeps genus alto sanguine natum
Huius luctentem decoris fastigia ortum.
Heu quam funestos volues facto agmine motus:
Heu quantas strues ille aetes? quot funera letha
Sternet sanguinea? quos bella exhausta cicbit?
Cadibus horrescet tellus imbuta cruentis.

Polyanthea Noua.

Hinc comitatus volitans descendet ab armis
Collitaies grauis exuuijs spolijsque coactis:
Et quando insurget valves flagrante tumultu,
Tunc leges figet dubias, idemque refiget,
Exquirens culpas faciles subigensque fateri,
Iuraque confundet ferro temerata nefando.
Insontes cædes, pulsataque corpora franget
Indomito fastu: sic mens accensa furore
Percutiet matres: pendebunt oscula circum
Filioli, hi teneros vultus largo imbre rigabunt.
In mœrore trahent vitam, luctuque sepulti
Diffugient celeres multi, ac labentibus annis
Deserto explebunt inopem sub culmine vitam.
Pars vltro profugis, terris iactantur, & alto
Vix tibi constabit nimio mens fracta dolore.
Pars patrijs metis sectis, vitamque perosi.
Damnabunt fatum infelix tenuesque penates,
Multa mouens animo, furijs agitatus & ira,
Audebit quodcumque nefas immane mouere.
Ibit Tisiphone furiarum pessima iuxta,
Attolletque facem, & subter præcordia condet,
Quis luctus viduis homines in sedibus auget
Squallentes? at tu Diuum pulcherrime Rector
Nobis indulges roseam quibus ætheris arcem
(Nam tibi stellata seruit plaga lactea molis)
Adsis has furias, & monstra horrentia contra.

Moralis & ciuilis Sapientiæ præceptor, Monit. lib. 2.

Qui cado gaudens, regiamque rem putans
Sæuire, longe regia exerrans via:
Quum sit verendo rege dignius nihil.
Quam iuris atque moris humani memor
Clemensque pectus, inde maiestas trahit
Sublime lumen, nec magis potentiam
Vis vlla firmat, atque parentum fauor
Virtute patris, proximus tunc ad Deum
Bonos beando, non habet maius bonum
Fortuna regum, quam salutem plurimis
Quod fas habent donare, quod lethi metu
Leuare ciues, hoc adorea, hic honos
Præstat triumphis, omnibusque laureis.
Lanista, vilis lictor, improbus latro,
Cunctisque rex tyrannus his immanior
Eripere vitam gaudet, hoc idem solet
Cicuta, serpens, pestis ad pestem valens
Minuta quæque insecta, sed nemo minor
Dat lucis vsum, nemo ni victor potens
Victis pepercit, omne culmen attigit
Virtutis alte, qui timeri se timet
Amore fidens, qui patrem se non herum
Studet vocari. Non feretrio Ioui
Suspensa opima sic honestant inclitos
Fama duces, nec hostis occisi decus:
Vt illa seruans limina augusta domus
Corona, quæ pro ciue seruato datur.

SENTENTIÆ PHILOSOPHICAE.

Princeps, qui se hominem esse meminerit, numquam superbia efferetur, æqualitatem sectabitur, & quum omnia maxime è sententia cedere sibi videbit, tum maxime credet præesse rebus humanis Deum, cui superbia ipsa mirum in modum displiceat. Nihil antiquius veritate ipsa principi esse debere, declarat id, quod a maioribus nostris sapientissime institutum est, vt liber Euangeliorũ, quo diuina continetur veritas, diebus singulis osculandus principi offeratur, quum in re diuina adest, vt ex eo colendæ veritatis admonitus, meminerit studiosissimum se eius esse debere. In primis studere oportet, Vt qui te adeunt, facilem esse intelligant, nihil enim tam alienum est à principe, nec quod aliorum in se odiũ tantopere concitet, quam asperitas, & ea, quæ morositas dicitur: contra vero in omni vita maxime laudatur comitas grauitate temperata. Summa enim cura attendendum, vt iuri dicundo præfecti, auaritia cæterisque malis libidinibus animum liberum, atque inuictum gerant. Ius quoque ita prohibeatur, vt nullius rei acriorem, quam legum, ac liberalitatis defensorem se princeps ostendat: nihil nisi quod iustum, & honestum sit, ab vllo exigat. Ex quo fortuna principum in edito, & præclustri sita est loco, præbetque sese spectandam omnibus; studendum est, vt dicta factaque illius omnia eiusmodi sint, quæ non modo laudem, atque authoritatem pariant, sed familiares, & populares ipsos ad virtutẽ exciteont. Ad quam nulla eos res magis excitabit, quam spectata ipsius virtus, & mores quam probatissimi. Prudentissime igitur Claudianus Poeta:

Regis ad exemplum totus componitur orbis.

Et prouerbij locum tenet id ipsum: Dominus qualis sit, familiam ostendere. Pont. de princ.

Regem esse, à fortuna plerumque datur, verum eum regem esse, qui salutem, ac felicitatem suorum ciuium, quasi vnicum regnandi finem, rebus omnibus anteponat, id ab ipso tantum, atque à propria virtute proficiscitur. *Fr. Guicciard. hist. l. 1.*

Vide *princeps.*

Nulla quies ab armis datur à bellicoso rege, salubriora credente in ueorum corpora esse militiæ, quam domi. *Liu. 1. l. 1.*

Regis boni officium, mansuetum esse, omnes affirmāt. Nam cædes ac bella facere, ciuitates diripere, agros depopulari, alijs forte conuenit nominibus, bono nequaquam. *Procop. de bel. Pers. l. 2.*

Decet regem omnium hominum maxime humilibus neminem vllo modo inuadere, ac violare volentibus, nequaquam resistere. *Idem, ibid.*

Non debet rex erga subditos suos alius, quam verax esse: neq; quisquam subditorum aliter affectus esse debet, quam vt regem veracem esse credat. *Arrian. hist. lib. 6.*

Vbi virtus in rege elucebit magis, quam vbi animo suo imperat, suammet ipsius cupiditatem cruoris hauriendi frænat, coercet, inhibet? Quis cæteris digne imperabit, sibi imperare nescius? *P. Æmyl. lib. 8.*

Boni regis officium est, vt plurimis eos bonis cumulet, qui sub imperio suo constituti sunt. *Xen. orat. de Agesilai laudib.*

Regis nobilissimi, pacisque ac belli artibus gloriosissimi descriptio.

Xenophon, sapientissimus scriptor, varijs locis in institutione Cyri, præcipue vero in oratione de Agesilao, præstantissimi regis virtutes prolixe describit, quas ex longiori narratione colligere, & ad certa quædam capita, Agesilai nomine subiuncto, reuocare visum est, vt paucis quibusdam lineis, optanda miseris nostris temporibus effigies fausta feliciaque optantibus cordatis, & pacis publicæ amantibus viris, aliquatenus appareat.

1. De Regis gloriosissimi nobilitate, quid vel maius, vel honestius dici possit, quam quod commemorarit quotus inter eos, qui maiores ipsius appellantur fuerit: non illos certe priuatos homines, sed reges ortos ex regibus?

2. Regnum iuuenis adhuc consequutus est. Longe autem pulcherrimum esse iudicatum est, quod non de communi patria Græcia, sed de Asia aduersus exteros hostes certamen instituerer.

3. Bellum iustum aggressus hilari admodum vultu renunciare legatos Tissapherni hosti iussit, habere se magnam ipsi gratiam, quod periurio Deos sibi quidem infestos reddidisset, Græcis vero belli socios.

4. Militibus mox imperat, ad expeditionem vti se accingerent: oppidis autem, ad quæ ipsum hac in expeditione venire necesse erat, vt in Caria venalium sibi forum pararent, denunciat.

5. Omissa in Cariam profectione, statimque diuersam in partem se se flectens, Phrygiam petit, & occurrentes in itinere copias secū suas vna ducebat, & occupabat oppida, quodque præter expectationem irruisset, magnam pecuniarū vim capiebat. Atque hoc ipsius facinus dignum esse visum est imperatore: quod quum bellum esset denunciatum, atque ex eo fas & ius esset dolo vti: non solum Tissaphernem puerum esse declarasset hoc dolo, sed etiā singulari prudentia collocupletare amicos visum esset.

6. Quoniam magnæ opes captæ fuerant, vili omnia precio vendebantur. Ideo præmonebat amicos, vt multa coemerent: se enim celeriter exercitum ad mare deducturum. Sectoribus autem mādabat, vt quanti quid amici sui emerent, consignarent, simulque captas res ipsis traderent. Quo factum est, vt ipsius amici nihil ante numerantes, & commodo publico nulla re impedito, ingentes vniuersi facultates consequerentur.

7. Præterea quum transfugæ, ita vt fit, ad eum se recipientes, viam ad pecunias interuertendas commonstrare volebant: operam dabat, vt per amicos caperentur: quo illi simul & ditarentur, & maiore in hominum essent opinione. Has ob causas subito perficiebat, vt amicitiam ipsius multi expeterent.

8. Quum autem intelligeret regionem vastatam, & ad solitudinem redactam non posse diu copias ferre, quum cultus ager, & qui seritur perpetuum præbeat alimentum: curam adhibebat, vt non vi tantum aduersarios subigeret, sed etiam lenitate suas ad partes traduceret.

9. Militibus sæpenumero denunciabat, vt captos hostes non tamquam reos plecterent supplicijs, sed sicut homines custodirent. Si qui captiui ob senectutem relinquerentur, imperabat vt horum etiam haberetur cura, ne vel à canibus, vel lupis discerperētur. Quo fiebat, vt non tantum illi, qui hæc audiebant, sed etiam captiui beneuolo essent in ipsum animo.

10. Quascumque ciuitates caperet, eis adimebat ea ministeria, quæ serui heris suis præstant, eorumque loco imperabat, vt in illis dicto audientes essent, in quibus homines liberi magistratibus parent. Etiam oppida quædam nulla vi expugnabilia, suam in potestatem humanitate redigebat.

11. Visum est ei copias quasdam equestres instruendas esse, ne inter fugiendum dimicare cogeretur. Itaque ditissimos quosque in ijs vrbibus delegit, qui equos alerent. Prædixit etiam futurum, vt quicumque suppeditaret equum, arma, & spectata virtute virū, immunis esset à militia. Quare fecit, vt hæc quisque libenter sibi conquireret. Constituit item quibus ex vrbibus equites comparandi essent: quod existimaret ex illis vrbibus, quæ equos essent alture, mox etiam prodituros quosdam in re equestri maxime animosos.

Quin & illud admiratione dignum fecisse videtur, quod equitatum constituerit, continuo robustum, & acerrimum.

12. Proponebat etiam equestribus turmis præmia, quæcumq; ex ijs equitandi artē optime teneret: itidemq; pedestribus quæcūque corporib. esset egregie exercitatis. Sic & cetratis, & sagittarijs pmia proponebat, quicūq; præclare suis functi muneribus essēt.

13. Quum existimaret contemptum hostium robur quoddam in animis ad pugnandum excitare: præconibus edixit, vt capti à prædonibus barbari nudi venderentur. Itaque milites, qui albos quidem eos esse cernerent (quod nūquam exuere se consueuissent) sed pingues, nullisque laboribus exercitos (quod semper vehiculis vterentur) bellum non aliud fore putabant, atque si prælio cū fœminis decertandum esset.

Prædixit etiam militibus, mox se eos ducturum ad opulentissimam regionis partem via maxime compendiaria: vt ex ea re tum corpora, tum animi ad pugnam præpararentur.

14. Animaduertens pedites suos in periculo constitutos, equites opem ferre iubet. Hostes quum viderent copias auxiliares summitti, colligunt sese, ac vniuersas equestres turmas in aciem explicatas Græcis opponunt. Ibi vero Agesilaus secum ipse cogitans, nec dum hostibus peditatum adesse, sibi vero nihil eorum, quæ ad bellum parauerat, deesse: opportune se facturum arbitrabatur, si decernere prælio cum hoste posset.

Itaque cæsis victimis recta a phalangem aduersus instructos equites ducebat, mandans vt ex peditibus grauis armaturæ, qui annis decem excessetant, secum in hostem cursu ferrentur, & iussis itidem cetratis cursu subsequi. Equitatui quoque denunciat, vt in aciem aduersam impetum faceret, se cum copijs vniuersis subsequuturum pollicitus. Hostes vbi simul imminere omnia terribilia vident, acie inchoata partim recta in flumen decidunt, partim fuga sibi consulunt.

15. Quum perturbari vehementer hostes audisset, quod alter in alterum eius quod acciderat culpam conferret, confestim Sardes (primarium vrbem) exercitum ducit. Ibi simul ferro, & flamma, quæ circum vrbem erant vastabat, & significari per præconem iubebat, vt quicumque liberi esse vellent, ad se tamquam opitulatorem accederent. Sin qui Asiam sibi vindicarent, ad liberādum eos de quibus disceptaretur, armati adessent.

16. Præstabat quoque vt amicorum fines minime vastarentur, ipse hostili agro sic fruens, vt intra biennium decumam Delphico tēplo consecraret, centum talentis ampliorem.

17. Quum Imperator esset complurium in continente ciuitatum, atque etiam insularum, quippe cui patria classem quoque tradidit, iam auctus famæ celebritate, ac potentia, nactus potestatem vtendi multis commodis, præterea quod maximum erat, iam voluntas animo speque concipiens euersionem eius imperij, quod prius Græciam armis inuaserat: nihilominus ab harum rerū nulla vinci se passus est, sed postquam venisset ad eum nuncius à patriæ magistratibus, qui eum opitulari patriæ iuberet, parebat Reipublicæ, perinde ac si tum forte solus Ephororum in curia propter Quinqueuiros constitisset. Quo facto insigniter declarauit, non se vniuersam terram patriæ, nec aduentitios amicos veteribus, nec turpia lucra nullo cum periculo coniuncta honestis, ac iustis, quæ periculum habent, anteferre.

18. Qui non etiam hoc regis laude digni facinus sit, quod imperij sui tempore quum ciuitates omnes, quibus præfuturus domo nauigauerat, intestinis dissidijs laborantes accepisset, quod essent mutatæ respublicæ, postea quam ademptum Atheniensibus imperium fuerat: perfecerit vt absque exilijs, & cædibus (quam quidem diu aderat ipse) magna cum animorum concordia perpetuo administrarentur, & felices essent.

19. Posteaquam Macedonia peragrata Thessaliam ingressus sequēretur eum à tergo Larissæi, Cranonij, Cotusæi, Pharsalij, Bœotorū socij, omnesque adeo Thessali, agmen extremum carpebant. Ducebat ante hac Agesilaus copias quadrato agmine quum partē equitum dimidiam a fronte, dimidiam à tergo haberet. Tunc vero partem eorum, qui primo erant in agmine, itemque illorum quos penes se habebat, ad agmen vltimum mittit. Quūque acies essent vtrinq; instructæ, Thessali non satis commode se equestrī prælio congressuros cum grauis armaturæ peditib. arbitrati, terga dabant, ac pedetētim discedebant, Græcis eos imprudēter admodum persequētibus. Agesilaus erratis vtrorūque animaduersis equites quos secum habebat robustos admodum mittit, vt quo tum ipsi hostem summo persequerentur impetu, nec conuertendi se potestatem ei facerent, tum alij idem denunciarent, mandat. Eos quum præter opinionem equos adigere vellent Thessali, plene se non conuertebant, ac si quid facere conati fuissent, ab equitibus, quos transuersos habebant intercipiebantur.

20. Quum peruenisset ad Bœotorum fines, & in acie stantes aduersus se reperisset Thebanos, Athenienses, Corinthios, &c. nihil cunctatus, vt pugnam committeret aperte struebat aciem.

21. Sic armis instruebat suos milites, vt omnia, quæ gererent æs, ac purpura viderentur.

Dederat itidem operam, vt possent labores perferre, animosque ipsorum ea compleuerat ferocia, vt ad pugnandum aduersus quosuis satis essent idonei.

Præterea contentionem mutuam inter suos excitabat, vt singuli se fortissimos declararent.

Spe denique replebat omnes, futurum vt vniuersi multa bona adipiscerentur, si viros se fortes præstarent. Existimabat enim huiusmodi munitum hominibus promptissime hostem se debellare posse, quæ sane opinio ipsum minime fefellit.

22. In pugna ad Coroneam fortem virum fuisse Agesilaum haud dubie dicere possumus, quamquam tutissima non eligeret. Nam quum dimissis illis, qui elabi conabantur, sequi à tergo posset, & vltimos capere, non fecit: sed aduersa fronte cum Thebanis est congressus, quos vicit, & fusos fugauit.

23. Victoria quum esset potitus, & accepto vulnere ad phalangem allatus, quidam equites ei renonciant 80. hostes vna cum armis esse sub fano, quidque de his faciendum esset interrogabant. Ille vero quamquam multa accepisset vulnera toto passim corpore, atque ab omni telorum genere inflicta, non tamen Numinis obliuiscebatur, sed mandabat vti potestatem eis facerent abeundi quo vellent, neque lædi eos patiebatur. Quin equitibus etiam, quos penes se habebat, imperabat, vt eos deducerent, donec ad loca tuta peruenissent.

I. 24. Tanta erat in eo rerum diuinarum reuerentia, vt & hostes eius promissa, & fœdera maiorem fidem mereri arbitrarentur, quam ipsorum inter se amicitiam.

Spithridates Persa, quum Pharnabazum sciret id agere, vt filiam regis vxorem duceret, ac ipsius filia sine legitimis nuptijs potiretur: ratus hoc insignem esse contumeliam, se ipsum cum vxore, liberis facultatibus in manus Agesilao tradidit.

Cotys Paphlagonum præfectus, regi quidem dextram mittenti nō paruit, veritus ne si comprehenderetur, vel magnis pecunijs, vel etiam morte mulctaretur: verum idem Agesilai fœderibus fidē, quam adhibuisset, in castra eius venit, initaque societate cum Agesilao militare maluit, quum quidem equites mille, bis mille cetratos haberet.

Pharnabazus quoque cum Agesilao in colloquium venit aperteq; professus est, se, ni totius militiæ Persicæ fieret imperator, defecturum à rege. Sin imperator creer, inquit, mi Agesilae, fortissime bellum aduersus te geram, quam quidem diu potero. Atque hæc quum diceret futurum credebat, vt ipsi contra fœdera nihil accideret. Tanta tamque præclara res est quum in alijs vniuersis, tum in imperatore, religiosum esse, ac fidei seruantem, talemque cognitum esse.

II. 25. Iustitiæ Agesilai in re pecuniaria, hæc sunt argumenta.

Nemo vmquam ab Agesilao se vlla re spoliatum esse questus est: quū multi multa fateantur ab eo se accepisse beneficia. Cui vero volupe est sua ad hominū vtilitatē largiri, quinā is aliena rapere velit, quo male audiat? Nam si pecuniarū cupidus sit, multo minori fit cum negocio, vt sua quis seruet, quā vt aliena rapiat. At qui ingratus esse non vult in ijs quibus pœnæ nullæ constitutæ sunt, si quis gratiam non referat: qui in alijs ille gratias non referat, in quibus lex ingratum esse vetat? Agesilaus autem non tantum iniustum esse iudicabat, non referre gratias: sed hoc etiam, si is qui plus posset, non maiores quoque gratias referret.

Iam de peculatu qui possit aliquis eum insimulare merito, qui gratias sibi debitas patriæ fruendas concesserit? itidem quod quum bene mereri, vel de vrbe aliqua, vel amicis, pecunias largiendo volebat, ab alijs eas accipiendo prodesse poterat: an non hoc est ingens argumentum continentiæ ipsius circa pecunias? Nam si vendebat gratias, vel spe mercedis beneficus erat, nemo se quidquam ei debere statuebat. Nimirum qui gratis beneficium acceperunt, illi perlubenter benefactori seruiunt; partim quod adfecti sint beneficio, partim quod esse digni crediti sint, qui gratiæ depositum custodiant.

Iam qui minus habere malebat, vt ingenuus esset, quam plus cum iniustitiæ nota; qui non ille a turpis lucri cupiditate multo magis abhorreret? Agesilaus certe, quum ciuitatis iudicio facultates Agidis omnes ipsi essent addictæ, semissem earum cū matris suæ propinquis communicauit, quod eos premi paupertate videret: Id verum esse testis vniuersa Lacedæmoniorum est ciuitas. Quum vero dona ei complura Tithraustes offerret, si suis finibus excederet: Existimatur apud nos, inquit, honestius imperatori esse, Tithrausta, exercitum suum ditare, quam seipsum: & ab hostibus manubias potius, quam dona accipere.

III. 26. A quanam earum voluptatum, quibus multi succumbunt homines, Agesilaum quis superatum vidit? qui ab ebrietate perinde putabat abstinendum, atque ab ingluuie, ab intempestiuis cibis perinde atque ab ocio. Quoties portionem duplicem in conuiuijs accipiebat, non vtraque vescebatur: sed ijs hinc inde missis, neutram sibi reliquam faciebat. Existimabat enim regi eā duplicari, non causa satietatis cum fastidio coniunctæ: sed vt ea posset quem vellet honorare. Itidem somno non vt Domino sed eo qui negocijs ipsius pareret, vtebatur.

IV. 27. Quod si lectum inter familiares vilissimum non haberet, non obscurum erat ipsum pudore adfici. Existimabat enim imperatorum decere potius, vt tolerantia, quam mollicie priuatis hominibus præstet. Non tamen eum pudebat in his rebus maiorem sibi partem poscere, nimirum per æstatem, solis, per hyemem, frigoris. Quod si quando vsuueniret, vt laborandum exercitui esset, sponte sua cum alijs laborabat, quod arbitraretur eiusmodi omnia militibus esse solatio. Denique summatim vt dicam, inter laborandum quidem exultabat Agesilaus, ocium vero prorsus nullum admittebat.

V. 28. De ipsius in venereis rebus continentia, si non alia, saltem admirationis causa, mentio inijcienda est. Nā quod ab ijs, quæ nō expeteret abstinuerit, id humanitus factum quis dicere poterit.

Quod autem Megabaten Spithridatæ F. amans quum recepto apud Persas more osculandi eos quos in honore haberent, etiam Megabates Agesilaum osculari aggrederetur, quominus id fieret totis viribus repugnauerit: an non id sane pudicum quoddam facinus est? Postea quum Megabates, quasi qui se ignominia putaret adfectum, nō iam deinceps amplius eum osculari aggrederetur: quemdam ex socijs compellabat Agesilaus, qui Megabatæ persuaderet, vt rursum se honore adficeret. Eo quærente, si pareret Megabates, an ipsum osculaturus esset, tum vero subticuit Agesilaus, ac deinde: Minime, inquit, non si subito & venustissimus, & robustissimus, & celerrimus omnium hominum sim futurus. Sed tamen eamdem pugnam pugnare me malle Deos omnes testor, quam omnia, quæ cerno, aurea fieri.

Hæc quosdam admittere non ignoro: scire autem me arbitror, multo plures posse in vincendis hostibus, quam in eiusmodi rebus superiores euadere. Quum autem pauci hæc habeant cognita, fieri potest, vt fidem apud multos non inueniant. Id vero scimus omnes, quod quum minime occultum esse possit quicquid homines illustrissimi agunt: Agesilaum tamen huiusmodi quid designasse, nemo vmquam vel viderit, vel dixerit, ac ne probabiliter quidem dicere visus sit, si ex coniecturis iudicet. Nam iter faciēs, nullam in domum priuatim diuertebat, sed semper vel in fanum aliquod, vbi fieri non potest, vt eiusmodi patrentur, vel in propatulo, quo suæ pudicitiæ testes omnium oculos faceret. Quod si hæc ego coram Græcia sciente mentior, non iam ipsum laudo, sed meipsum vitupero.

VI. 29. Fortitudinis documenta non obscura mihi quidem dedisse videtur, quum semper ad gerendum aduersus hostes reipublicæ suæ, ac Græciæ potentissimos bellum se obtulerit, & in prælijs aduersus eos prima se in acie collocarit. Quod si hostes manum cum eo conferere vellent, non ipsis metu terga coactis dare, potitus est victoria: sed aduerso prælio superstes trophæum excitauit, immortalis suæ virtutis monumenta relinquens, atque ipse adferens iudicia non obscura, quod animose pugnaret: vt adeo non audiendo, sed intuendo liceret animū ipsius explorare. Agesilai vero trophæa non ea solum esse, quæ ipse statuit, putari æquum est: sed quæcunque in expeditionibus ab eo gesta sunt. Nā propterea nihilo vincebat minus, quod prælio decernere hostes aduersus eum nollent: sed victoria ponebatur magis experte periculi, & quum Reipublicæ tum socijs vtiliore. Sicut in certaminibus nihilominus ij, qui sine puluere, quam qui pugnando vincunt, coronantur.

VII. 30. Sapientiam Agesilai, quæ illius actiones non demōstrant? qui sic vtebatur patria, vt quum in primis beneuolo esset in eos socios animo, qui ipsi obsequerentur, amicos promptissimos sibi compararet: milites autem non modo dicto audientes, sed etiam sui amantissimos efficit. Et quonam pacto phalanx esse firmior possit, quam si propter obediendi studium in officio sese contineat, & propter amorem erga ducem fideliter ei præsto sit?

Hostes ergo ipsum erant sic affecti, vt vituperare quidem ipsum nō possent, odisse vero cogerentur. Semper enim hoc moliebatur, vt sui socij meliore essent conditione, quam hostes: quos quidem fraude circumueniebat, vbi ferret occasio: & anteuertebat si celeritate foret opus: delitescens etiam vbi hoc ex vsu foret. Denique aduersus hostes instituebat omnia illis contraria, quæ amicis præstaret. Nam nocte perinde ac die vtebatur, die perinde vt nocte: nonnumquam eusnescens, vt vbi esset, quo iret, quid faceret, non constaret. Quare perficiebat, vt ex munitis hostiū locis, non munita redderet partim prætereundo, partim superando, partim transeundo furtim.

Quoties iter faceret, & sciret hostibus pugnandi potestatem esse, si vellent: ita instructas ducebat copias, vt sibi ipsi posset in primis opitulari, & tranquille, instar modestissimæ virginis, incederet. Existimabat enim in hoc sitam esse quietem exercitus, & summam immunitatem ab omni terrore, perturbatione, pec-

catis,

catis,insidijs. Quare, dum ita sese gereret, hostibus erat formidini, & amicis fiduciam animique robur addebat. Quo factum, vt hostibus numquam esset contemptui, ab ciuibus non mulctaretur, ab amicis non vituperaretur: denique ab hominibus vniuersis plurimum diligeretur, & prædicaretur.

VIII. 31. Quam patriæ fuerit studiosus, sigillatim perscribere longum fuerit. Nam nihil ab eo gestum arbitror, quod eo non spectet. Atque vt breuiter dicam, scimus omnes Agesilaum, vbicun que se profuturum patriæ putaret, non labores subterfugisse, nō recusasse pericula, non pepercisse facultatibus, non corpori, nō senectutis vsum excusatione fuisse. Immo boni regis esse putabat, quam plurimis beneficijs subditos afficere.

Atque equidem in maximis commodis, quæ attulit patriæ, hoc etiā pono: quod quum in Republica plurimum posset, maxime tamen se legibus seruire declararet. Nam quis tandem obedire his noluisset, quum eis regem dicto audientem esse videret? quis noua res moliri tentasset, propterea quod ipse deteriori esset loco, quū regem pati sciret, vt sibi legitime imperaretur? qui quidem etiā in illos, qui ab eo dissentiebant in Republica non aliter se gerebat, atque pater erga filios consueuit. Nam si quid deliquissent, obiurgabat, honore prosequebatur, si præclare quid gessissent: serebat auxilium, si qua accidisset calamitas: hostis loco ciuem nul lum habebat, collaudare cupiebat omnes, seruari omnes lucrum esse ducebat, contraque iacturam, si quis etiam non magni precij homo periisset. Quod si sua peccare in legibus perstiterent, non obscure præ se ferebat, existimare se patriam semper beatam fore, eamdem tum fore potentem, si Græci sapere essent.

Iam si præclarum est, Græcum hominem, Græci nominis esse studiosum, quisnam alium Imperatorem vidit, qui vel vrbē capere noluisset, si eam se vastaturum putaret, vel pro calamitate duceret, in bello quod cum Græcis gereretur, potiri victoria? Qaum nūcius accepisset in pugna apud Corinthum Lacedæmoniorum octo, hostium vero decem millia fere periisse, nulla lætitiæ significatione data, Heu (inquit) Græcia, quanto quidem his, qui nunc interempti sunt, viui barbaros omnes praelio vincere potuissent. Idem quum exsules Corinthij dicerent vrbē deditione facturā, ac machinas ostenderent, quibus mœnia se occupaturos sperabat omnes: copias tamen admouere noluit, quod diceret Græcas nomi oles vrbes in seruitutem minime redigendas esse, sed castigandas. Quod si delinquētis, aie, è medio nostrum tollere volemus, cauendum est, ne quo barbaros superemus, non habeamus.

Rursus si præclarum est hostes communes Persas odio prosequi, propterea quod is, qui olim vixit, Rex Persicus, exercitū in Græciam duxit, vt eam in seruitutem redigeret: & qui nunc rerū potitur, auxilium fert ijs: quibuscum coniunctus maius se damnum illaturum existimat, munera dat illis, quos putat eis acceptis, Græcos maximo detrimento affecturos: pax vt constituatur adiuuat, ex qua nosmet inter nos maxime bellum gesturos censet: an quis alius vmquam excepto Agesilao, in hoc incubuit, vt vel aliqua natio regis illius à fide discederet, vel quæ defecisset nō periret, vel omnino vt rex malis pressus Græcis negocium facessere non posset? Idem patris sua bellum aduersus Græcos gerente, nihilominus publicum Græciæ commodum non neglexit, sed cum classe domum profectus est, barbarum illum pro suis viribus male mulctaturus.

IX. 32. Est etiam operæ precium comitatem ipsius silentio non præterire, qui quum honore, potentia, regno eoque sine insidijs, omnium cum amore potiretur, à nemine obnoxius esse iactantiæ visus est, quum eum suorum amantissimum, & in amicis colendis studiosum esse, quiuis vel aliud agens animaduertere posset. Perlubenter amatores sermones secum communicari ferebat, atque etiam amicis operam dabat, sicubi opus esset. Et quia bona spe plenus erat, alacrique & hilari animo efficiebat, vt multi eum familiariter conuenirent, non tantum vt aliquid impetrarent, sed vt iucundius diem exigerent. Præterea quum longissime abesset à iactantia, nihilominus haud grauatim audiebat eos, qui se ipsos prædicarent, quod eos nemini damno esse polliceri putaret, potiusque fore viros fortes futuros.

X. 33. Ne id quidem omittendum, quam opportune magnificentia quadam animi vteretur. Nam quum à rege Persarum ei litteræ redderentur, quas de necessitudine hospitij, & amicitia regis perscriptas Persa quidam attulerat, minime illas accepit: sed eū à quo illatæ fuerant, renunciare iussit regi, non esse quamobrem priuatim literas ad se mitteret: quod si Spartæ se amicum, & Græciæ beneuolum declararet, vicissim se quoque vehementer amicum ei fore: sin minus, non esse (inquit) quod se existimet me amicum habiturum, etiamsi permultas ab eo literas accipiā. Admiror hoc quoque, quod non vtter esset opulentior, ac pluribus imperaret, ei maiores esse gerendos spiritus existimaret: sed qui tum ipso melior esset, tum melioribus imperaret.

XI. 34. Laudo & prouidentiam ipsius, quod quum vtile duceret Græciæ, quamplurimos satrapas à rege deficere: neque à muneribus, neque à regis potentia victus fit, vt hospitij necessitudinem cum ipso contrahere vellet, sed omni studio cauerit, ne fidem ijs

non seruaret, qui ab rege deficere cogitabant. Et quis in ipso nō hoc quoque miretur?

Existimabat rex Persicus se, si amplissimas pecunias haberet, omnia redacturum in potestatem suam: ideoque quicquid esset inter homines auri, quicquid argenti, quicquid rerum maximi precij, totum id ad sese colligere nitebatur, Agesilaus contra sic domum suam instituerat, vt horum nullo egeret.

Quod si quis fidem nouis non habet, is velim adspiciat, qualis est domus satisfecerit, atque etiam fores intueatur. Nam suspicari quis possit, has ad huc illas ipsas esse, quas Aristodemus Herculis F. in patriam reuersus exstruxit. Idem domesticam supellectilem contempletur, quo pacto in sacrificijs epularetur, ipse secum cogitet, audiat eum Amyclas publico in Canathro (i. curru, qui erat e viminibus salignis textus tegebatur) profectum esse. Enimuero quum hoc modo sumptus ad census accommodaret, non cogebatur iniusti quidquam pecuniarum causa facere.

Præclarum quidam esse putatur, inexpugnabiles muros ab hostib. superari: verum ego multo præclarius esse iudico parare animū suum, vt à pecunijs, voluptatibus, metu sit inexpugnabilis.

XII. 35. Rex Persicus grauitatem quærebat ex eo, quod raro conspiceretur: Agesilaus eo ipso delectabatur, quod semper in hominum conspectu versaretur. Existimabat enim decere vitam facinorosam ac turpem, vt in obscuro sit: honestæ vero, lucem ipsam maius ornamentum conciliare. Deinde grauitatem ille præ se ferebat ex eo, quod difficilis ad ipsum esset accessus: hic gaudebat omnibus ad se aditum patere.

Putabat ille splendidum esse, quod negocia tardius conficeret: hic maxime tum lætabatur, quum homines id quod cupiebant celerrime consequutos dimitteret.

Operæprecium est etiam considerare, quanto faciliorem, ac parabiliorem voluptatem Agesilaus consectaretur. Nam Persicus rex quosdā habet, qui terrā vniuersam circumeunt, & quo rex potu iucunde vti possit inuestigāt: innumeri homines quo cū volupta te vescatur, excogitant: vt dormiat, dici nō potest, quā multa moliantur. Agesilaus vero, quod patiens laboris esset, quidquid aderat iucunde bibebat: quidquid oblatū forte fuisset, iucunde comedebat: vt suauiter somno frueretur, quiuis ei locus satisfaciebat.

Atque hæc se facere non modo gaudebat, sed etiam exultabat lætitia, quoties ad animum ei accederet se quidem in medijs voluptatibus versari: illum vero barbarum videret, si quidem absque dolore vellet viuere, necesse habere, vt ab extremis terræ finibus ea comportaret, de quibus voluptatem capturus esset.

Augebant ei lætitiam, & illa, quod se quidem sciret absque animi ægritudine posse diuina dispositione vti, scilicet in temporū anni vicissitudine: illū vero videret æstus, & frigora fugere, ac propter imbecillitatem animi non fortium virorum, sed debilissima tum bestiarum vitam imitari.

XIII. 36. Hoc quidem certe qui non præclarum, ac magnanimum erat, quod quum ipse virilibus factis, ac rebus domum suam ornaret, multosque canes venaticos, & equos ad bellum idoneos aleret: Cyniscam sororem, vt aleret iumenta persuasit, quæ curru iungendæ forent, eaque vincente demonstrauit, nihil facere ad strenuitatem illa alere, sed opum esse ostentationem.

Iam vero quis negет hoc generositati conuenire, quod censuit etiam si à priuatis hominibus curru vinceretur, nihilo se clariorē fieri: ac si patriam haberet amicissimam, amicos plurimos optimosque per vniuersum terrarum orbem compararet, patriam ac familiares beneficijs aduersarios vlciscendo superasset: reapse victorem se pulcherrimis, ac magnificentissimis certaminibus futurum, adeoque clarissimum nomen non in vita solum, sed etiam à morte consequuturum.

XIV. 37. Ob res huiusmodi laudo Agesilaum. Nam hæc non ita se habent, vt quis thesaurum forte nactus, opulentior quidem est, non tamen administrādæ rei familiaris peritior: vel si morbo hostes inuadente victoria potiatur, felicior quidem esse potest, nihilo tamen ab arte imperatoria instructior. Qui scilicet tolerantia laborum alijs præstat, vbi quidem res ita postulat: & fortitudine, vbi agendum est fortiter: & iudicio quum consilio quid sit sapiendum est: is mihi quidem videtur optimo iure omnino bonus esse putandus.

Quod si egregium inuentum est amussis, & regula, ad efficienda præclara opera: etiam mihi egregium exemplum Agesilai virtus esse videtur ijs, qui fortitudinem exercere volunt. Nam quis impius fiat, si hominem erga Deum religiose pium imitetur? quis iniustus, si iustum? quis petulans, si modestum? quis intemperans, si imitetur temperantem? Agesilaus enim non tam eo, quod aliorum rex esset, quam quod imperare sibi posset gloriabatur: neque tam quod aduersus hostes, quam quod ad omnem virtutem ciuium suorum dux esset.

XV. 38. Iure quidem Agesilaus beatus prædicetur, qui quum à puero incensus fuerit gloriosi nominis cupiditate, sic illud consequutus est, vt quisquam omnium ætatis suæ hominum. Idem quum honoris, ac dignitatis à natura in primis esset appetens, ex quo rex factus fuit, perpetuo inuictus exstitit. Quumque lon-

gissimam vitæ humanæ metam attigisset, sic è viuis excessit, vt nihil committeret dignum reprehensione, vel in eos quibus præerat, vel aduersus quos bellum gerebat.

Virtutum regiarum compendiosa descriptio.

39. Libet autem virtutes Agesilai summatim repetere, quo facilius nostra laudatio memoriæ inhæreat.

Venerabatur delubra etiam inter hostes sita, quod existimaret diuina auxilia non minus in hostico, quã amico solo imploranda esse.

Si qui Dijs essent supplices, eos non violabat, ne si hostes quidem essent: quod absurdum esse duceret eos, qui è fanis aliquid furto subtrahunt sacrilegos appellare: qui autem supplices ab aris auellant religiosos putare.

Numquam prædicare desinebat, quod Deos arbitraretur non minus religiosis factis, quam castis sacrificijs delectari.

Quinetiam quoties fortuna vtebatur prospera, non homines, oræ se contemnebat, sed Dijs habebat gratias: & fiduciæ plenus plures mactabat hostias, quam rebus suis metuens voueret.

Consuefecerat se, vt quoties in metu esset, hilaritatem præ se ferret: rebus contra secundis, mitis esset.

Ex amicis non eos qui plurimum poterant, sed qui promptissimi erant complectebatur.

Odio prosequebatur non eum, qui læsus sese vlciscebatur: sed qui beneficijs affectus ingratum sese declarabat.

Erat illi voluptati turpis quidem lucri auidos pauperes videre, iustos autem collocupletare: quod in iustitia cuperet fructuosiorem iustitiam facere.

Adsuefaciebat, vt cum omnis generis hominibus commercium haberet, bonorum autem opera vteretur.

Quod si quos aliquando vel vituperantes, vel laudantes alios audiret: existimabat non minus illorum se mores agnoscere, qui ea proferebant, quam eorum de quibus dicerent.

Quotquot ab amicis circumuenirentur, non vituperabat: qui autẽ ab hostibus deciperentur, eos maximopere reprehendebat.

Diffidentes fallere, sapientiæ tribuebat, at credentes iudicabat esse impium.

Si ab ijs laudaretur, qui vellent eũam vituperare, quæ displicerent, gaudebat: neque cuiquam illorum, qui in dicendo libertate vterentur infestus erat, ab ijs tamquam ab insidijs sibi cauens, qui mentem suam astute celarent.

Delatores maiore persequebatur odio, quam fures: quod maius esse detrimentum duceret amicis, quam facultatibus spoliari.

Priuatorum hominum errata miti animo ferebat, magistratuum vero magni esse momenti censebat: quod illos quidem exigua, hos magna tractare iudicaret.

Regno haud quaquam ignauiam, sed strenuitatem conuenire putabat.

A corporis imagine statuenda sibi abstinebat, multis in hoc ei gratificari volentibus, animi vero monumenta numquam elaborare desinebat. Arbitrabatur enim illud statuarij, hoc sui muneris esse, rursus illud opulentorum, hoc bonorum.

Facultatibus non iustè tantum, sed etiam liberaliter vtebatur: quod homini iusto satis esse duceret ab alienis abstinere: liberalem putaret etiam sua debere ad hominum conferre vtilitatem.

Semper religiosus erat, & honeste viuentes necdum felices, sed qui gloriose mortem oppetissent, eos iam beatos esse existimabat.

Maiorem esse calamitatem putabat, scientiam quam inscium præclaras res negligere.

Gloriæ nullius cupiditate ducebatur, cuius quæ essent propria nõ elaboraret.

Cum paucis hominibus videbatur virtutem non tolerantiam esse, sed voluptatem putare.

Laudatus certe magis gaudebat, quam si pecunias comparasset.

Fortitudinem plerumque potius cum consilio, quam periculis ostẽdebat: & re potius quam verbis exercebat sapientiam.

Erga amicos mitissimus, hostibus maximo terrori erat.

Quum labores egregie toleraret, familiaribus tamen periucundè cedebat: magis actiones pulchras, quam pulchra corpora desiderans.

Rebus secundis modestus, aduersis spei plenus esse videbatur.

Vrbanitatem non dicterijs, sed moribus studebat assequi.

Animi magnitudine non cum iniuria, sed iudicio vtebatur. Itaque spretis iactabundis hominibus modestis modestior. Etenim vili cultu corpus ornabat: ac potius in hoc erat, vt exercitus ornatus esset, ipse quam paucissimis egeret, amicis quam plurimum prodesse.

Præterea grauissimus erat aduersarius, vbi vero potitus esset victoria, lenissimus.

Ab hostibus non facile decipiebatur, ab amicis facillime de sententia deducebatur.

Semper hoc sibi propositum habebat, vt res amicorum in tuto locaret, hostium labefactaret.

Cognati eum appellabant officiosum erga propinquos: qui opera eius vtebantur, nihil recusantem: qui aliquid officij exhibuissẽt, memorem: per iniuriam læsi, opitulatorem in eodem periculo constitutis, post Deos seruatorem.

Videtur idem mihi solus inter homines declarasse, corporis quidem robur senescere, sed animi vires in fortibus viris senectutis expertes esse. Numquam despondit animum quominus magnam, ac præclaram gloriam expeteret. Corpus ferre animi robur poterat. Quæ igitur iuuentute ipsius senecta non præstabat? Quis ætate vegeta hostibus adeo terrori fuit, vt Agesilaus extrema in senectute? sublato, maiorem hostes voluptatem cepere, quam Agesilao, tametsi senex admodum mortuus sit? Quis tantum fiduciæ socijs præbuit, quantum Agesilaus, vtut ad ostiũ vitæ peruenisset? Quid amici iuuenes magis desiderarunt, quam Agesilaum, qui senex è viuis excesserat? Is adeo perfecte semper vtilis patriæ fuit, vt etiam fato functus, plurimum ea re patriæ profuerit, quod studio suo perfecerit, vt illa perpetuo incolatur. Monumenta quidem virtutis suæ per vniuersum terrarum orbẽ consequutus, & sepulturam regiam in patria nactus est. *Hæc Xenophon.*

Reges olim & quotquot à patre traditum regnum accepissent, & quos ipsa plebs sibi principes constituisset, consilium habebant quod ex optimatibus constabat: vt Homerus & antiquissimi poetæ testantur. Neque (vt nostro sæculo) regnum priscorum dominatus erat nimium sui iuris, neque ab vnius sententia pendebat. *Dionys. Halic. lib. 2.*

Reges non liberi solum impedimentis omnibus, sed domini rerum temporumque, trahunt consilijs cuncta, non sequuntur. *Liu. Decad. 1. l. 9.*

Regum maiestas difficilius ab summo fastigio ad medium detrahitur, quam à medijs ad ima præcipitatur. *Idem 4. l. 7.*

Reges seruã omnia & subiecta imperio suo esse volunt. *Idem, eod. lib.*

Plerumque regiæ voluntates, vt vehementes, sic mobiles, sæpe ipsæ sibi aduersæ. *Sallust. de bell. Iugurth.*

Reges, præter cætera hanc difficultatem habent, quod non solũ hostes (vt cæteri faciunt) sed etiam amicos, & necessarios timent, à quibus insidiæ multo pluribus factæ sunt (quippe qui nudi, & dormientes cum illis dies noctesque versentur, ab ijsque cibũ paratum, & potionem capiant) quam ab alienis, & externis hominibus. Possunt enim amicos, & familiares suos hostibus opponere, amicis autem possunt neminem. Itaque solitudo eis pariter, atque multitudo grauissima est: metuendumque est, esse sine custodia: sed multo etiam magis custodes metuendi sunt. Inimici quidẽ certe molesti sunt, sed amici multo magis, quod eos oporteat, quamuis non sint, amicos appellare. Quod si quis forte sic fidos amicos nactus, tamen eis tantam fidem non habet, vt cũ ijs possit sincere absque vlla suspicione versari. *Xiphilin. Cæs. August.*

Regibus æqua, nedum infima, insolita sunt. *Tacit. Annal. l. 2.*

Regibus bella gerentibus conuenire existimatur rerum tractatio. Nam dicendi studium, ac facultas ijs, qui in ocio vitam degunt, plurimum vtilitatis adfert. Rerum vero scientia, his qui armis præsunt optima magistra est, quæ facienda sint ad imitationem eorum, qui priscis temporibus vicerunt. *Polyænus Strateg. l. 5.*

In regnandi primordijs positum est rerum discrimen: ac vt initio animi popularium afficiuntur, ita fere deinceps reges, vel contẽnuntur, vel metuuntur. *P. Æmylius, lib. 2.*

Verus reges non solium, non satellites, non exercitus faciunt: perdunt interdum euertuntque. *Idem, lib. 2.*

Nomen regium, non in terris natum excogitatumve, sed è cœlo demissum nobis videri solet. Parens enim rerum Deus, cum genus humanum condidisset, summum quidem in illud imperium sibique penes se retinuit: sed vt mente in eum sublimes ferremur, vt illum cupidius quæreremus, vt spe, vt votis niteremur, idcirco in terris ipse palam degere, oculisque interea nostris obseruari noluit: Reges instituit, qui eius vice munereque fungerentur, quorum vt quisque probitate, quam proxime ad Deum Opt. Max. accederet, ita verissime Rex vocitaretur. Ita omnes eodem consilio dati, alia tamen alij via ad laudem contenderunt. Permulti singulis virtutibus inclaruere. Audeo prædicare nullũ dum omnibus anteiuisse. Non pauci certe compluribus præstitere. Magnus enim campus regibus patet ad gloriam: & ad eam cuncti mortales, sed maxime omnium Reges studio incitati feruntur. Dignissimum enim diademate censuerim, qui quidquid in cæteris pulchri passim, aut legerit, aut audierit, id omne sibi vniuersumque expetat. & quod desiderarit in alijs, id præterea ipse præstet. *Idem, lib. 8.*

Regum oculis in omni fortuna quædam supra humanam vim inest. *P. Iouius, hist. lib. 2.*

Reges, egregiè dissimulando, vt priora puniant, compressa in præsens iracundia, alicuius noui criminis occasionem expectare cõsueuerunt. *Idem, lib. 18.*

Eademum est regum omnium fides, vt pro libidine sanctissimas fœderum leges attrectare violareque nulli dubitent; quum semel

præsenti tantum commodo, atque ipsis temporibus seruiendum esse censuerint. *Idem, eod. lib.*

Regnandi causa regum fere omnium mos est, vt neque pietate, neque verecundia permoueantur. *Idem, lib. 3.*

Ex longe maximorum nostræ tempestatis regum ingenijs, & tum liquido, & multum antea præclare compertum est, nihil omnino sanctum & inuiolabile, vel in rite conceptis sancitisque fœderibus reperiri, quod in proferendis imperijs augendisque opibus, apud eos nihil ad illustria famæ decus interesset, dolone & nunquã sine fallacijs, an fide integra veraq; niterentur. *Idem hist. l. 11.*

Causa creandorum regum nulla fuit, nisi vt societas humana vnius alicuius capitis sapientia fideque coniuncta conspiransq; teneretur. Si leges per se audaciam coercere possent, illis semel incisis propositisq; satis cautum prospectumque generi humano videri potuisset. Cum vero nullus interdum iuris pudor, nulla sæpe legum reuerẽtia mortalibus esset, summi viri Reges instituti sunt, qui pro illarum imperio regimineq. arma ferrent. Datũ solium, datum sceptrũ, veraq; sacra vtique res, vt cognoscerent, vt statuerent, vt iura redderent, vt iudicia exercerẽt, vt Numinis munere ea in re ipsi fungerentur. Vbi parum maiestate, parum imperio hæ valerent, data sunt illis signa, dati exercitus. Inter bonos sanctissimum pignus vinculũque est fœdus proborum morum institutorũque. Scelerati terrore maloq; frenantur, aut tolluntur prorsus, si forte frenari, si cohiberi tãdem non queant. Nec regna vlla sunt diuturna, nisi præsidio legum firmata. *P. Æmylius, l. 8.*

Simonides poeta, teste Xenophonte, cum ad Hieronem qui ex priuato rex factus fuerat aliquoties accessisset, colloquium cum eodem instituit de regum, seu dominantium in populos cõmodis, & incommodis, quæ quum sapientissimus scriptor sub Hieronis persona ad viuum repræsentet, ea describere placuit. Itaque sic Hiero, Simonidi respondens. H. Reges multo minus delectationis capiunt, quam priuati homines, qui quidem vitam mediocrẽ agunt, ac multo plures maioresque molestias sentiunt. Quod autem multos, & quidem qui rerum periti maxime videntur, regnandi cupido incessit, inde fit, quod vtramque vitam non experti, de regia considerationem instituunt.

Primum autem, quum mecum ipse ratiocinando versor in ijs, quæ oculis cernuntur, deteriorem esse regum conditionem reperio. Sunt alijs atque alijs in regionibus alia spectatu digna, ad quæ singula priuati homines accedunt, tam in vrbes quas volunt, spectaculorum causa, quam in conuẽtus publicos, in quibus res esse spectatu dignæ putantur. Reges vero spectaculis non admodum occupantur. Nam neque tutum est ipsis eo pergere, vbi non superiores illis futuri sunt, qui illic adsunt: neque res ipsorum domi tam tuto sunt loco, vt ijs aliorum fidei creditis peregrè proficisci possint. Nam metuendum est, ne simul & imperio spolientur, & vlciscendi eos, à quibus sunt læsi facultatem amittant.

S. At enim spectacula nihilominus eis veniunt, etiam si domi maneant.

H. Sane quam pauca de multis: atque etiam quum huiusmodi sint, tanti venduntur regibus, vt qui aliquid exhibent, quidquid tandem id fuerit, multo maioribus præmijs acceptis à rege discedere volunt, quam per omnem vitam à cæteris hominibus vniuersis compararint.

Aurium voluptas.

S. Spectacula quod attinet, si deterior est regum conditio, saltem plus voluptatis auribus percipiunt. Nam quod vnũ est iucundissimum acroama, numquam laudes eis desunt. Omnes enim eorũ familiares omnia quæcumque vel dicunt, vel faciunt, prædicare solent. Quod vero longe molestissimum auditu quiddã est, cõuicia numquam audiunt. Nemo enim regem in os accusare vult.

H. At quid putas, voluptatis illos adferre, qui non maledicũt, quũ notum alicui est omnino, hos omnes qui tacent male de principe cogitare? Vel quid adferre putas illos laudatores, quum suspecti sunt, ne forte laudationes illas assentandi causa instituant?

Voluptas gustus.

S. Numquam persuadebis vllis hominum non multo magis reges ex ijs delectationis capere, per quæ homines aliuntur.

H. Noui equidem de hoc statuere maximam hominum partem suauius reges bibere, & vesci, quam priuatos: quod & ipsis videatur esse iucundius eam cœnam sumere, quæ regibus apponitur, quã quæ ipsis. Etenim quod vsitata excedit, id voluptates suppeditat. Quæ quidem est causa quamobrem vniuersi homines magna cũ voluptate festos dies opperiantur, extra solos reges. Nam illorũ mensæ semper instructæ magna rerum copia, nihil euentum festis diebus nullum habent. Quo fit, vt primum spei voluptate a priuatis hominibus superentur. Deinde scio te quoque expertum esse fieri, vt quanto quis plura apposuerit, quæ excedant ea, quæ satis fuissent, tanto citius satietas cibi nos capiat. Itaque ipso etiã tempore minus voluptatis percipitis, qui apponitis multa, quam quisquam eorum, qui modice victitant.

S. Profecto quamdiu admittit cibum animus, tamdiu maiorem voluptatem capiunt, qui sumptuoso apparatu nutriuntur, quam qui viliora quædam apponunt.

H. Annon putas eum, qui re aliqua delectatur, vehementissime ac maximo eius amore teneri?

S. Omnino.

H. An ergo vides maiori cum voluptate reges ad cibum ipsis paratum accedere, quam priuatos homines ad suum?

S. Nequaquam: imo etiam iniucundius, vt plerisque videri possit.

H. Quid? num multa illa magnaque arte elaborata considerasti, quæ regibus apponuntur, acria, mordacia, acerba, & quæ his germana sunt?

S. Maxime, & quidem mihi videntur esse præter hominum naturã.

H. Ergone putas hæc edulia esse quiddam aliud, quam mollis, & languentis præ delicijs animi voluptates? Nam certo scio, neque tu fortassis ignoras, eos qui iucunde vescantur illis artificiosis inuentis non indigere.

S. At vero, etiam sumptuosis illis odoribus, quibus vngimini, magis arbitror familiares vestros frui, quam vos ipsos. Quemadmodum tactus ingratos, & putidos non tam sentit is, qui edent, quã illi qui cum eo versantur.

H. Sic igitur qui varios cibos semper habet, nullos cum appetitione sumit: at cui raro quid obuenit, is vero is est, qui cum lætitia satiatur, quum quid ei obijcitur.

S. Videntur tamdem rei venereæ fruitiones in vobis regnandi cupiditates excitare. Nam hac in parte licet vobis, vt quodcumque pulcherrimum videritis, cum eo consuescatis.

H. Dixisti tu modo quiddam, in quo scire debes nos à priuatis hominibus superari.

Primum enim coniugium, quod cum maioribus contrahitur, nimirum & propter opes, & potentiam, longe pulcherrimum esse videtur, & ei qui ducit vxorem cum voluptate quamdam dignitatem suppeditare.

Altero loco est id, quod inter æquales contrahitur. Quod autem ex vilioribus constat, plane ignominiosum, & inutile putatur. Rex ergo si exteram non duxerit, ex inferioribus vxorem ducat necesse est. Quo fit, vt non admodum id consequatur quod contentus sit.

At vero a magnificentissime de se sentientibus fœminis coli, maxime voluptati est: ab ijs autem, quæ seruæ nostræ sunt, si colamur, non admodum satisfit animo: sin autem, graues ea res iras, ac molestias in nobis excitat.

Scimus omnes congressus venereos cum amore coniunctos eximiam voluptatem adferre. Verum amor in nullorum animis minus excitatur, quam regis. Non enim amori iucundum est illa expetere, quæ in promptu sunt, sed quæ sperantur. Itaque perinde atque is, qui sitim expertus non est, potu fruitur: sic etiam is qui amorem non expertus, longe suauissimæ Veneris est expers.

S. In illis multum inter priuatos homines, ac vos interest, quod & magnas res excogitatis, & celeriter conficitis. Habetis & abundantem rerum copiam, equos insigni virtute, arma pulchritudine eximia, mundum pro vxoribus egregium, ædes magnificentissimas easque maximi precij rebus instructas. Sunt item vobis famuli & numero, & artium cognitione præstantissimi. Potestas vobis est maxima, tum lædendi hostes, tum commodandi amicis.

H. Enimuero hominum vulgo à regno perstringi oculos equidem non miror. Nam vulgus hominum valde mihi opinionibus duci videtur, quum & beatos quosdam, & ærumnosos esse videt. At regnum eas res, quæ maximi precij esse videntur, explicatas palam, spectandas omnibus exhibet. Quæ vero molesta sunt, ea regum in animis occultata tenet, in quibus & felicitas, & infelicitas hominum sita est. Quamobrem hæc multitudinem latere nõ miror, vt dixi: sed vobis quoque ignota esse, qui animi iudicio maxima ex parte res pulchrius contemplari videmini, quã oculis: mihi quidem mirum est. Ego vero experiundo plane cognoui, ac tibi dico reges maximorum bonorum minime participes fieri, & grauissimorum malorum insignem habere copiam.

Non longe abierimus. Si pax magnum hominibus bonum esse videtur, quam minimum eius participes sunt reges. Si bellum ingens est malum, maxima eius pars ad reges pertinet.

Primum hominibus priuatis, si non ipsorum ciuitas bellum publicum suscipiat, quocumque lubet abire licet, nihil metuentibus ne quis eis vitam adimat. Reges vero vbique tamquam per hostium fines proficiscuntur. Itaque & ipsi necessarium putant, vt armati sint, & armatos semper secum circumducant.

Deinde priuati homines etiam si in agrum hostilem militatum abeant, nihilominus vbi domum redierunt, esse tutos sese arbitrantur. At reges posteaquam ad ciuitatem suam peruenerint, inter hostes plurimos se esse sciunt. Quod si qui potentiores aduersus vrbem aliquam expeditionem suscipiant, ac minus potentes forte extra mœnia fuerint: esse quidem illi videntur in periculo, verum posteaquam intra munitionem sese receperint, omnes in tuto se esse credunt. Princeps autem ne tum quidem, quum aulam ingressus fuerit expers est periculi, omninoque istic maxime sibi cauendum arbitratur.

Præterea priuati homines per fœdera, & pacem belli molestia liberantur:

rantur: principibus vero, neque pax ab ijs, qui premuntur ipsorū imperio conceditur: neque quisquam ipsorum confidenter fœderibus habere fidem ausit.

Sunt item bella quæ à ciuitatib. & alia quæ à principib. aduersus illos quos vi oppresserunt, geruntur. At ex his bellis quæcunque grauia molestaq; redeunt ad eum, qui ciuitatum partes sequitur, ea cadunt in principem. Nam vtrosq; etiam necesse est in armis esse, cauere sibi, adire pericula, & si quid calamitatis victis accidat, vtrique dolent. Atque hactenus paria sunt vtrisque bella.

Quæ vero illis iucunda acciduot, qui ciuitatum stant à partib. aduersus ciuitates, ea principes, & reges non habent. Etenim Respublicæ quum aduersarios pugna vincunt, dici facile non pōt, quantum voluptatis ex eo percipiant, quod in fugam hostes egerint, quantum in persequendo, quantum in trucidandis hostib. Quam ipsum ob facinus exultent, quam insignem gloriam consequantur, q̄ propterea gaudeant quo Remp. amplificasse se existimant. Arrogant quisq; sibi, q̄ & consilij particeps fuerit, & plurimos interfecerit. Ac difficulter inuenias, vbi non etiam falso quædam addant, quum plures se interemisse prædicant, quā reipsa ceciderint. Adeo res ipsis esse præclara videtur, ciuitatem victoria potiri. Princeps seuerus aūt, quum vel propter suspiciones suas, vel quod reuera quosdam aduersus se moliri quid deprehenderit, nonnullos interficit: totam se vrbem non amplificaturum nouit, & scit etiam paucioribus se imperaturum: neque pōt esse hilaris, neq; magnifice ob facinus ipsum sese offert. Imò quantū potest extenuat rem gestam, & inter agendum purgat sese quasi non per iniuriam id fecerit. Vsque adeo ne ipsi quidem honesta, quæ facit, esse videntur. Quod si etiam mortantur ij quos metuit, nihilo magis fidenti est animo, sed plus etiam sibi, quam prius, cauet. Atq; hoc modo bello perpetuo vexatur, vt indicaui.

Jam mihi velim ē amicitias, quarum illi participes sunt, inspicias.

Primum, an magnum amicitia bonū sit hominibus, consideremus. Nam si quis ab aliquibus diligatur, eum adesse sibi lubenter vident qui diligūt. Lubenter eidem benefaciunt, absentem desiderant, redeuntem iucundissimè excipiunt, voluptatem ex rebus ipsius prosperis communem percipiunt, opem vnà ferunt, si quid præter animi sententiam accidere videant.

Nec ignorant vrbes amicitiam maximum suauissimumq; bonū hominibus esse. Ita plerisq; in vrbibus ea lex valet, vt impunè adulteros occidere liceat: nimirum propterea, quod eos vxorum erga maritos amicitiæ corruptores esse existiment. Nam quum mulieres calamitate quadam congressu venereo sunt vsæ, nihilominus id quod attinet apud maritos in honore sunt, si quidem amicitia inter ipsos inuiolata constare putetur.

Tantum autem bonum esse iudico, amari, vt existimem ei qui diligitur, tum a Dijs, tum ab hominibus vltro bona quædam contingere. Atqui in hac tali possessione deterior in primis est principum & regnum, quam aliorum conditio. Quod sanum vera loquar vis scire, sic rem considerato.

Firmissimę videntur esse amicitiæ parentum erga liberos, liberum erga parentes, fratrum erga fratres, vxorum erga maritos sodalium erga sodales. Quod si ergo rem animaduertere voles, inuenies priuatos homines ab his maxime diligi: quum interim plures principes liberos suos occiderint, cōplures suis a liberis sint interfecti, multi fratres in regnorum & principatuum vsurpatione mutuis sec̨dibus confecerint, multi denique tum ab vxoribus suis, tum sodalibus qui amicissimi viderentur interempti sint. Qui ergo apud illos, quos vt maxime diligamus a natura comparatum est, vna legibus etiam ad hoc nos compellentibus, tanto sunt in odio: quo pacto existimandum est, eos ab alio quopiam diligi?

Præterea cui quam minimum fidei habetur, qui non magno in bono cæteris inferior est? Nam quæ tandem familiaritas absque fide mutua iucunda fuerit? quæ inter virum ac fœminam absq. fide consuetudo delectionem habere potest? quis minister gratus fuerit, si fides ei non habetur? Itaque hinc etiam, nimirum vt fidē quis alijs habeat, parum admodum ad principem pertinet, quando sic viuit, vt neque cibis neque potui fidem habere possit: sed primum famulos degustare hos iubet ante, quam Dijs primitiæ offerantur, idque propter diffidentiam, ne forte vel in his mali aliquid aut comedat aut bibat.

Quinetiam patriæ suæ quiq; reliquorum hominum maximo sunt in pretio. Nam ciues mutuo sese quasi satellitio sine stipendio aduersus mancipia tuentur, itemq; aduersus facinorosos, vt ne quid ciuium morte violenta e medio tollatur. Atque hac in custodia ciuium eo sunt progressi, vt a multis lata lex sit, qua sanciunt, vt ne is quidem purus habeatur, qui cum homicida versatur. Quo fit vt per suas patrias quisque ciuium tuto viuat.

At in malis regibus contraria ratio est. Tantum enim abest vt horum mortem ciuitates vlciscantur, vt etiā magnis honorib. eum adficiant qui istiusmodi dominatores interfecerit. Tantum item abest vt a sacris eos arceant, quemadmodum solent interfectores priuatorum hominum: vt etiam imagines tale quid designantium in templis statuant.

Quod si tu regem existimas propterea, quod fortunas, quam priuati hoīes, ampliores habeat, & maiorem ex eis voluptatem percipere: ne id quidē ita se habere putato. Sed quemadmodum athletæ, non quū imperitos ac rudes superant lætantur, verum vbi ab aduersarijs superantur, tum ingenti molestia adficiuntur: sic & rex non quum plura vī possidere q̄ priuati homines gaudent, sed magnum ex eo dolorem percipit, si minus quam cæteri potentes habęat. Nam hos in opibus aduersarios suos esse statuit.

Neque citius regi quod concupiscit obtingit, quam homini priuato. Homo. n. priuatus vel domū, vel fundum, vel seruum appetit: rex aūt, vel oppida, vel regionem amplam, vel portus, vel munitas arces: quæ quidem maiori cum difficultate ac periculo acquiruntur, quam quæ priuati homines concupiscunt.

Quinetiam non tam paucos inter homines priuatos pauperes videbis, quam multos inter reges & principes. Nam numero nec ea quæ multa sunt, nec quæ sufficiant, existimantur: sed ex vsu. Quo fit vt quæ superant vltra id quod satis est: multa sint: quę vero sunt infra id quod sufficit, pauca.

Regi igitur multis partib. plura minus ad necessarios sumptus sufficiunt, quam homini priuato. Nam priuatis licet præcidere sumptus quotidianos ex animi arbitratu, quod in principibus locum non habet. Nam maximos sumptus eosque summe necessarios in excubias vitæ faciunt, de quibus si quid decidatur, cum ipsorum exitio id coniunctum esse videtur.

Deinde, quicunque habere iusta ratione possunt quantū requirunt, cur eos misereatur vt inopes? at qui ob egestatem malum ac turpe quid moliri, de quo viuant, coguntur: cur non illos & miseros & pauperes esse meritò quis existimet? At enim principes plurimis rebus per iniuriam tum fama, tum homines spoliare coguntur, propterea quod ipsis ad sumptus necessarios semper alijs pecunijs opus sit. Perinde vt belli tempore, vel copias alant, vel seipsos perdant necesse est.

Exponam tibi ē quandam eorum sanè grauem calamitatem. Etenim non minus norunt quam priuati homines, quinam egregij viri sint, & sapientes, & iusti: verum hos quum admirari deberēt metuunt: fortes quidem, ne quid libertatis causa audeant: sapiētes, ne quid moliantur: iustos, ne plebs eos sibi præesse cupiat. Quum vero huiusmodi homines è medio propter metum sustulerint, quinam alij sunt ipsis reliqui, quorum, si opera vti possint, quam iniusti, intemperantes, seruiles? iniusti nimirum quorum fidei opera credantur, vt ne ad libertatem aspirant, ac ipsos suam in potestatem redigant, quippe quod iniusti principū instar metuantur: intemperantes ob præsentem potestatem seruiles, quod ne illi quidem liberi esse cupiant. Quapropter equidem arbitror hanc etiam calamitatem grauem esse, quod alios quidem viros bonos esse ducant, alijs vero vti cogantur.

Volo autem tibi etiam voluptates illas exponere, quibus, dum priuatus adhuc essem, vtebar: spoliatus eis, vt quidē animaduerto, postea quam regnum adeptus sum. Versabar cum æqualib. quorum ego consuetudine delectabar, sicut & illi mea: versabar, & mecum solo, si quando quietem expeterem. Aderam sæpenumero conuiuijs eo vsque, dum omnium obliuiscerer quæ in vita hominum molesta euenirent: sæpenumero dum cantilenis, hilaritatibus, choreis animum commiscerem: sępenumero quamdiu tum mihi, tum ijs qui aderant, collibitū fuisset. Nunc vero ijs spoliatus sum, quæ mihi iucunda erant, idque propterea quod amicorum loco seruorum sodalitate vtar. sum item spoliatus dulci eorum consuetudine, propterea quod nullam in eis amplius erga me beneuolentiam perspiciam. Vini multum vsum ac somnum non aliter atque insidias vito.

Iam quod hominum turbam metuam, quod contra solitudinem, q̄ custodum absentiam, quod ipsos etiam custodes, quod neq; inermes ipsos circum me habere volo, neque armatos lubenter adspicio: quo pacto non res est ærumnosa? Præterea plus externis habere fidei, quam ciuibus: barbaris quam Græcis: cupere hominibus ingenuis vt seruis vti contraque cogi ad concedendam seruis libertatem: hęc oīa non tibi esse videntur indicia periculorū à terroribus animi? Neq solum metus ipse in animis molestiam doloremque creat: sed etiam existit voluptatum omnium quoddam exitium, dum me comitatur.

Quod si tu quoque Simonides, res bellicas expertus es atque aliquando aduersus hostilem phalangem in acie constitisti; quantū id temporis cibi sumpseris recordare, qualique somno sis vsus. Nimirum quales tum molestias experiebaris, tales experiuntur qui alijs pręsunt, atque etiam grauiores. Non enim hostes solum ex aduerso, sed omni ex parte videre se putant.

S. Videris mihi quædam nimium quam bene dicere. Bellū enim terribile, quidem illud est: sed tamen nos quum militamus, excubijs ante castra collocatis, secure tum cœnamus, tum dormimus.

H. Ita est profecto, Nimirum leges ante ipsos excubant, quo fit vt & suo & vestro nomine in metu sint. At tyranni custodes habent stipendio conductos perinde ac messores. Et requirunt sanè potissimum ac illis custodibus fides: verum fidelem vnum multo difficilius inueneris, quam multos admodum operarios, quod-

quodcumque tamdem opus exerceant. Præsertim si custodes quos diximus, pecuniæ causa adsint, atque liceat eis interfecto Domino multo maiorem pecuniæ vim exiguo tempore cōsequi, quamdiu pro illo excubante, accipiant.

Iam quod felices nos prædicasti, vt qui amicos maxime beneficus afficere possimus, & hostes facillime nostram in potestatem redigere: ne id quidem ita comparatum est. Nam quo pacto existimare potes, vnquam de amicis bene te promeriturum, si plane noris eum, qui accipit à te plurima, lubentissime tuo ex conspectu abire, quam primum cupere? Quicquid enim à principe quis accipit, eius nihil suum esse arbitratur prius quam ex illius potestate euaserit.

Et quo pacto dicere possis, regibus facultatem in primis non deesse, redigendi hostes in potestatem ipsorum? quum certo sciāt omnes illos se hostes habere, qui eorum imperio subiecti sunt. At illos omnes neque occidere, neque vinculis cōstringere possunt. Nam si id fieret, in quos tamdem regis imperium esset? Nimirū necesse est eum non ignorantem se illos hostes habere simul & cauere sibi ab eis, & opera tamen ipsorum vti.

Hoc quoque scire debes, reges etiam illos ciues, quos metuant magna cum molestia viuos adspicere, neque cum minori occidere. Perinde atque equum, qui bonus quidem ille sit, metuatur autem ne quod immedicabile det malum, haud facile quis ob virtutem interficit, grauatare tamen eo vtitur, dum cauet ne quo in periculo malum insanabile ipsi creet. Itidem res aliæ, quæcumque molestiam quamdam cum vtilitate coniunctam habent, tum possidentibus tum abijcientibus eas dolorem adferunt.

S. Magnum esse quiddam honos videtur: quem qui appetunt, laborem omnem subeunt, omne periculum sustinēt. Vos quoque, ceu videtur, vtut tantum molestiarū principatus habeat, quantū commemoras, nihilominus præcipites ad eum imperij fertimini, vt nimirum honorem adipiscamini, atque vt vobis, omnes in omnib. quæ mandatis, inseruiant sine vlla recusatione omnes vndique spectent, de sellis adsurgant, de via cedant, omnes denique familiares vestri semper vobis tum verbis tum factis honorem deferant. Nam huiusmodi quidem certe quædam subditi dominis exhibent, atque etiam alij quemcumque honore adficiunt.

Etenim videtur cæteris ab animantibus in hoc mihi differre, qui vir est, quod honoris sit cupidus. Nam de cibis, potu, somno, re venerea, consentaneum est pari quodammodo animalia cuncta voluptatem percipere. Verum ambitio neque animantibus rationis expertibus à natura inest, neque cuiuis homini. Quibus autem honoris, ac laudis innata est cupiditas, illi vero sunt qui plurimum à pecudum natura differunt, ac viri plane, non homines solum existimantur. Quo fit, vt equidem arbitror merito vos omnia in principatu, quæ fertis, ferre: quando supra mortales cæteros vobis honos defertur. Nulla enim voluptas humana videtur ad diuinam accedere propius: quam ea, quæ ex honoribus percipitur, delectatio.

H. Principum & Regum honores illis mihi consimiles venereis cōgressibus esse videntur, cuiusmodi eos vti demonstrabam. Nā neque officia profecta ab ijs, qui non redamarent, pro gratificationibus habenda nobis esse videbantur: neque congressus venerei vi extorti, voluptatis vllam habere speciem. Eodem scilicet modo nec obsequia præstita ab illis, qui nos metuunt, pro honorib. haberi debent. Nam qui dicere possimus eos, qui vi coacti de sellis adsurgunt, ideirco surgere, quod homines iniustos honoribus adficere cupiant? vel eos qui superioribus de via cedunt, ideirco decedere, vt iniustos homines honore adficiant?

Plerique certe etiam ijs, quos odere munera largiuntur, idque tum maxime quum metuunt ne quid ipsis mali accidat. Verum hæc, mea quidem sententia, seruilia putari merito debent, quum honores ex ijs oriantur, quæ his sunt contraria. Nam quum hominum ea est opinio, vt existiment aliquem ad bene de ipsis promerendum satis esse idoneum, eiusque se bonis fruituros arbitrātur: tum vero si eum & prædicando in ore habeant, & vt bonum proprium singuli spectent, ac lubentibus animis ei de via cedant, de sellis adsurgant, cum beneuolentia, non metu virtutis: ac beneficentiæ publicæ causa corollis ornent, munera largiantur, videntur mihi & illi, quotquot hæc obsequia præstant, reuera ipsum honore prosequi: pariterque is quem his dignantur, reuera honore adfici.

Quinetiam illum, cui talis honos defertur, felicem prædico. Nam animaduerto ei insidias nullas fieri, sed alijs esse curæ, ne quid ipsi accidat: adeoque hunc metus, inuidiæ, periculi expertem beatum æuum agere, atamen neque noctu, neque interdiu viuit, ac si propter iniustitiam damnatus ad mortem ab hominibus vniuersis foret.

S. Qui vero fit, Hiero, quod quum tam mala res sit regno potiri, idque tu animaduerteris, tanto malo temet non liberes?

H. Quoniam, mi Simonides, hac ipsa in parte miserrimum quiddam est dominatio. Nec enim ea quis liberari potest. Nam qui tādem princeps quispiam tantum opum habeat, quantum satis sit ad persoluendum ijs quibus abstulit sua? qui compensare possit ijs vincula, quos vinculis constrinxit? qui tot animas ijs restituat, quos sustulit? Nimirum si vlli alij laqueo vitam vt finiat expedit, equidem reperio maxime regis è re esse, vt id faciat. Nam illi soli neque deponere mala, quæ sunt, expedit.

S. Te vero non æquo esse erga dominationem animo non miror. Quippe dum amari ab hominibus cupis, hanc esse tibi impedimento arbitraris. At ego posse me docere arbitror, imperium minime prohibere posse quominus quis diligatur: imo etiam in hoc priuatam vitam superare. Verum hac in consideratione non ad hoc respiciendum est, num is qui cum imperio est, propterea, quod maiorem potentiam habeat, præstare maiora possit beneficia: sed si paria faciant, homo priuatus & rex, cogites velim vter paribus beneficijs plus sit initurus gratiæ.

Ordiar autem minimis ab exemplis. Primum aliquem visum amanter tum princeps tum priuatus aliquis alloquatur: vtrius compellationem magis illi, qui audiat, gratam fore arbitraris? Age vero, si ambo aliquem laudent, vtrius prædicationem existimas eo magis pertingere, vt voluptati sit? Facta re sacra honore aliquē vterque adficiat, ab vtro putas exhibitum honorē maiorem mereri gratiam? Auersa valetudine laborantem vterque similiter curet, an non clarissime apparebit, profectas ab ijs, qui plurimū possunt curationes, & officia maximam quoque lætitiam adferre? Donentur æqualia, an non hic etiam perspicuum erit, profecta ab ijs, qui plurimum possunt, dimidia beneficia plus posse, quam totam hominis priuati largitionem?

Equidem puto diuinitus etiam fieri, vt hominem, qui cum imperio, & potestate sit, honor ac gratia quædam comitetur. Non tantum enim hominem pulchriorem efficit imperium, sed eumdem lubētius contemplamur, vbi iam nactus est imperium, quam quū priuatus esset: atque etiam magis auemus cum illis colloqui, qui eximio supra cæteros in honore sunt, quam cum alijs qui nobis sunt pares. Porro, quum ex paribus officijs maiores vos ineatis gratias, & multo plura, quam nos præstando iuuare possitis alios, atque etiam multo plura largiri: cur non magis vos amari consentaneum fuerit, quam priuatos homines?

H. Quia necesse est nos multo etiam plura ejusmodi agere, quam priuatos, ob quæ hominum in odio sumus. Exigendæ pecuniæ, siquidem ad res necessarias habere sumptus volumus: cogēdi quidam ad custodiendum ea, quæ custodia indigent: puniendi iniusti, & impediendi qui vim inferre volunt. Quod si celeritatem occasio temporis postulet, ad suscipiendam vel terra vel mari expeditionem, non ignauis res committenda est. Præterea mercenario milite opus est regi, in quo ea ponere animi ciues grauius ferunt, quam quidquam aliud. Arbitrantur enim non hos quidem ali, vt cum tyrannis pari sint in honore, sed auaritiæ causa.

S. Ego vero, mi Hiero, non nego harum omnium rerum curam suscipiendam esse: sed tamen videntur mihi curationes aliæ in odiū adducere, aliæ magna cum gratia coniunctæ esse. Nam docere, quæ optima sunt, & pulcherrime illa præstantem prædicare, atque in honore habere, ea vero curatio cum gratia quadam fit. At eum qui non recte aliquid agit, conuicijs incessere, cogere, multare, punire: hæc vero cum odio quodam fieri necesse est.

Quamobrem aio equidem id, quod necessitas requirit, debere illū, qui cum imperio est, alijs puniendum mandare: præmia vero per seipsum largiri. Quod sane recte fieri rerum euenta testantur. Nam quum choros decertare volumus, præmia quidem præfectus ipse proponit, congregandi autem ipsos munus choragis datur, itemque alijs docendi, & cogendi eos, qui non sat recte aliquid præstent. Ita statim hic quod cum gratia coniunctū est, per præfectum ipsum curatur: quæ vero dura sunt, per alios.

Quid igitur impedimento sit, quominus etiam res ciuiles cæteræ, consimili ratione peragantur? Diuisæ sunt enim vrbes vniuersæ partim in tribus, partim in classes, partim in manipulos, ac singulis partibus præfecti quidam sunt. Quamobrem si quis his quoque tamquam choris præmia proponeret ob insignem armaturam, ob ordinis obseruationem, ob rem equestrem, ob fortitudinem militarem, ob iustitiam in commercijs, consentaneum esset futurum vt etiam hæc omnia per contentionem acriter exercerentur.

Ac, ita me Deus amet, quo opus esset celerius impellerentur, si quidem honoris cupiditate ducerentur: itemque citius pecuniā conferrent, quando sic vsus postularet, & (quod quidem fructuosissimum est) quamquam per contentionem agi minime consueuerit, ipsa agricultura magnum incrementum sumeret, si quis per agros, vel per vicos optime terram excolentibus præmia constitueret, adeoque ciuibus, qui totis viribus in id incumberent, multa bona conficerentur. Nam & prouentus augescerent, & temperantia multo magis occupationum comes esset; ne dicam etiam facinora minus in ijs, qui opus faciunt, existere.

Quod si etiam mercatura reipublicæ commodum aliquod adfert, maior mercatorum numerus excitabitur, si is qui plurimum negociatur affectus honore fuerit. Quod si futurum pateat, vt qui sine aliorum molestia prouentum aliquem reipublicę escogitat, & ipse ornetur: ne illa quidem consideratio relinqueretur.

Deni-

Denique, summatim vt dicam, si in omnibus perspicuum esset, non cariturũ honore, si quis boni alicuius author extiterit: multos hoc etiam impelleret, vt studiose boni aliquid inuestigarent. Iam si multis reipublicæ commoda curæ sint, necesse est magis aliquid inueniri, & hominum studia excitari. Quod si metuis, Hiero, ne propositis inter multos præmijs magni sumptus fiant: cogitato nullas esse merces vtiliores quam quæ præmijs redimuntur. Vides in equestribus, & gymnicis, & scenicis certaminibus, quam exiguis præmijs ingentes sumptus, multiq; labores & studia hominum eliciantur.

H. Præclare tu quidem illa mihi dicere videris, Simonides. Cæterũ de mercenario milite num proferre quid potes, vt videlicet propter ipsos minus in odio simus: an ais principem virum amicitia hominum conciliata satellitum opera non amplius?

S. Imo egebit certe. Nam scio perinde vt equis, ita & hominib. quibusdam accidere, vt quanto magis ipsis necessaria suppetant, tanto sint petulantiores. Hos igitur magis modestos reddet ortos à satellitibus metus, è bonis autem egregijsque viris nulla re tantum mihi posse prodesse videris, quantum his ipsis mercenarijs militibus. Nam tui corporis custodes alis, & multi iam dudum heri suis à seruis vi sunt interempti.

Quod si primum hoc mercenario militi imperetur, vt succurrat omnibus, tanquam si essent satellites omnium ciuium, si quid animaduerterint: (& solent, vt scimus, existere facinorosi homines in ciuitatibus) & hos igitur si obseruare iubeantur, scient ciues hanc se vtilitatem ea eis percipere. Deinde ruri opus facientibus ac iumentis quoque consentaneum est, hos & fiduciam & securitatem præstare posse: idque perinde priuatim tuis, atque alijs qui passim in regione degunt. Possunt etiam ciuibus præstare otium, per quod liceat ipsis res suas curare, si loca opportuna custodierint.

Ad hostium præterea repentinas & occultas insidias vel præsentiendas, vel impediendas, quinam paratiores fuerint, quam illi qui semper armati sunt, & in acie instructi? Etiam ipsos in exercitu quid ciuibus est milite mercenario vtilius? Nam eos & ad laborandum pro alijs, & adeundum pericula, & excubandum promptissimos esse consentaneum est. Et finitimas ciuitates an nõ propter eos, qui semper armati sunt, necesse est etiam pacis maxime cupidas esse? Nam qui ad pugnam sunt instructi, maxime tum amicorum fortunas tueri, tum hostium persuadare possunt.

Iam si ciues intelligant hos nihil iniuste agentibus nonnocere, sed illos impedire qui alios lædere volunt, iniuriam passis succurrere pro ciuibus & sollicitos esse, & pericula obire: qui non eos necesse est lubentissime sumptum in hos conferre. Alunt certe priuatim custodes rerum etiam minoris momenti.

Necesse est etiam, vt boni publici causa de tuis facultatib. sumptus facere non recuses. Nam equidem arbitror ea quæ ciuitati impenduntur, vtilius expendi, quam quæ rea priuatim insumit. Consideremus sane rem singillatim.

Vtrum existimas domum, immenso sumptu elegantissime exstructam, ornamento tibi maiori esse, quam si vrbem vniuersam mœnibus, templis, columnis, foris, portubus instruas? Num si armis plane formidabilibus ipse ornatus sis, maiori hostibus terrori fueris, quam si ciuitas vniuersa præclare tibi sit armis instructa? Vtrum prouentus plures putas te habiturum, si tantum priuatim tua fiant: an si effeceris vt ciues vniuersi rebus suis agendis intenti sint?

Iam, quod omnium præclarissimum & magnificentissimum studiũ esse putatur, vtrum putas te magis præclare currus instructurum si vnus inter omnes Græcos maximam curruũ copiam instituas, & ad celebritates Græciæ mittas: an vero si maxima ciuium pars equos alat, & plurimi decertent? Vtrum esse putas pulchrius vincere curros præstantia, an vrbẽ, cui præes, felicitate? Equidẽ ne conuenire quidem aio, vt rea cum priuatis hominibus congrediatur. Nam si viceris, non eris in admiratione, sed inuidia, vt qui multorum ex re familiari sumptus facias; at si vincaris, maxime omnium irrisioni eris expositus.

Equidem tibi, mi Hiero, propositum esse certamen aio aduersos aliarum vrbium præsides, inter quos si tu ciuitatem, cui præes felicissimam præstiteris: scito te pulcherrimo & magnificentissimo inter homines certaminis genere victorem futurum. Primũ effeceris vt a subditis tuis diligaris, quod tu quidem expetis, deinde victoriam tuam non vnus publice indicabit, sed virtutem tuã homines vniuersi prædicabunt. Suspicieris itidem ac diligeris nõ solum priuatis ab hominibus, sed multis etiam vrbibus. Non priuatim eris in admiratione.

Licebit tibi, si voles, securitatem, quod attinet, aliquo proficisci: licebit & hic manenti hoc ipsum facere. Semper enim apud te esset cœtus frequens eorum, qui ostentare velint, si quid habet vel doctrinæ virtus, atque etiam inseruire tibi cupient. Quisquis aderit, socius tibi esse volet, & qui aberint, videre te cupiẽt. Adeoque non tantum ab hominibus diligeris, sed etiam amaberis. Nõ erit quod tibi metuas, sed potius alij, ne quid accidat tibi, metuent. Quod si quid erit periculi, non opitulares tantum, sed etiam propugnatores, eosque alacres cernes. Multis muneribus dignus iudicaberis, neque copia tibi deerit eius, cui bene tibi volenti vicissim illa impertias. Omnes ob commoda tua tecum gaudebunt, omnes pro bonis priuatim tuis, tanquam proprijs, dimicabunt. Omnes quæ apud amicos erunt opes, thesauri tui erunt.

Tu vero, amicos audacter collocupletato, quippe q temet sis ditaturus, & ciuitatem amplificaturus, & tibimetipsi potentiã adiuncturus. Comparato Reipublicæ belli socios, Patriam existimato domum tuam esse, ciues, socios, amicos, liberos tuos, liberos nihil aliud quam tuum ipsius animum. Atque hos omnes beneficijs superare contendito. Nam si amicos benefaciendo viceris, resistere tibi hostes minime poterunt. Denique, si hæc omnia præstiteris, scito plane quiddam te longe humanis in rebus præclarissimum felicissimumque consequuturum, vt tametsi beatus sis, tamen non experiaris inuidiam. *Hæc Xen. in Simonidis & Hieronis colloquio.*

Regum ea natura est, vt neminem vel hostem vel amicum habeant, sed eorum commodo amicitias inimicitiasque metiantur. *Polyb. lib. 2.*

Ea est consuetudo Regum, vt casus aduersos hominibus tribuant, secundos fortunæ suæ, quo facile fit vt impellantur ad eorum perniciem, quorum ductu res male gestæ nunciantur. *Æmyl. Probus in Datam.*

Regna.

Regna terrena sũt suspecta, infida, cruenta, incerta, serua, angusta, insatiabilia. *P. Æmyl. lib. 3.*

Prouidentia regum, fide popularium salus dignitasque Regnorum constat. *Idem lib. 9.*

Regna vt fortitudine comparantur, sic mansuetudine & humanitate conseruantur. *B. Facius, hist. lib. 7.*

Non ijsdem semper artibus reges magna imperia tueri possunt, quibus ea quæsierint. Ignoscendo, largiendo, indulgendòque regna læto admodum hospitio feliciter ineuntur. Cæterum, cum praua inquietaque hominum ingenia, audendo, moliendoque, insperatas ex occulto tempestates cient, tum denique seueritatem pro clementia, parsimoniam pro munificentia, pro facilitate autem ac liberalitate illiberalem durioremque naturã, vulia salutariaq; didiceris. *P. Iouius, hist. lib. 1.*

Neminem esse hominum arbitror, quem latere possit, quod hominem in hoc mundo Deus fecerit: vnde etiam peccante homine mundus arguitur, ac propter nostram intemperantiam comprimendam terra hęc in qua viuimus, defectu cæterum animalium, & sterilitate suorũ fructuum castigatur. Itaque si creatura Dei, merito & dispensatio Dei sumus: qui enim magis diligit quam ille qui fecit? Quis autem ordinarius regit, quam is qui fecit & diligit? Quis vero sapientius & fortius ordinare & regere facta potest, quam qui & facienda prouidit, & prouisa perfecit? Quapropter omnem potestatem à Deo esse, omnemque ordinationẽ, & qui non legerunt sentiunt, & qui legerunt cognoscunt. Quod si potestates a Deo sunt, quanto magis regna à quib. reliquę potestates progrediuntur? Si autem regna diuersa, quanto æquius regnum aliquod maximum, cui reliquorum regnorum potestas vniuersa subijcitur? *P. Oros. hist. lib. 2. c. 1.*

Nihil minus populare quam regnum est. *Liuius, Decad. 1. lib. 6.*

Multa decora, regni fœda cupiditas non ingrata solum, sed etiam inuisa reddidit. *idem ibid.*

Inuidia regni etiam inter domesticos infida omnia atque infesta facit. *Idem eod. lib.*

Maius est regnum fastidire quam accipere. *Curt. lib. 4.*

Regnum atque eius commoda magis expetunt ij, qui potentiam aliquam habent, quam qui egentiores sunt. *Xiphil. Cos. August.*

Regnum si affectes, non tam facile adipiscare, quam si habeas amictas. *P. Æmyl. lib. 3.*

Ludouicus Crassus cum fatalem sibi diem appetere sentiret, reuocauit filium è Vasconia: coramque hortatus est obtestatusq;, vt magis pie regnaret quam ipse fecisset: religionem coleret, egentibus consuleret, orbis pupillisq; prospiceret: paci communi dignitati ac saluti inseruiret: Regnum nihil aliud quam procurationem munusque publicum existimaret: cuius in vita administrati reddendam exacte rationem continuo post fata sciret, sedente in se immortali iudice, sua cuique facinori pacata præsenti sempiternaque mercede. *Idem lib. 5.*

Studia hominum quæ liberalitate atque iustitia facile comparantur, sunt regni opes firmissimæ. *P. Iou. hist. lib. 18.*

Aurum malum, regni cupido. *Liu. Decad. 1. lib.*

Non exercitus neque thesauri præsidia regni sunt: verum amici, quos neque armis cogere, neque auro queas, officio & fide parantur. *Sallust. de bell. Iugurt.*

A P O P H T H E G M A T A.

Philippus Macedonum rex in palæstra prolapsus, quum surgens in puluere vidisset corporis vestigium, Pape, inquit, vt minimam terræ

terræ partem natura fortiti, orbem appetimus vniuersum? Vtinã hoc dictum inhæsisset animo filij, cuius ambitioni orbis fuit angustus. *P. M. ex Plut.*

Alexander puer adhuc, cum parentis sui fortia facta intueretur, nequaquam tamen ijs gaudebat: sed inexplebilis, ad pueros æquales dicere solebat: Pater nil quicquam mihi relicturus est. Illis vero contradicentibus. Imo omnia parat tibi vt hæredi: Quid tũ postea, inquit? Ego interim nil habebo, quod agam. Quis non miraretur tantam regnandi cupiditatem puero insuisse, qui præter naturam eius ætatis, non fuit contentus imperio patris sui: imo ab ipsis statim cunabulis animum in id intendit, vt multorum dominus solus esset? *Plut. in apoph.*

Idem. Quum audisset Anaxagoram differentem innumerabiles esse mundos, illachrimasse dicitur. Rogantibus, num quid accidisset lachrimis dignum? An non videor, inquit, merito flere, qui quum mundi sint innumerabiles, nondum vnius dominus factus sum? *Plut. in vita Alexan.*

Idem. Miserat epistolam ad Antipatrum, per quendam nomine Athliam, quumque id temporis forte adesset Diogenes, Cynico more dixit: Athliam ad Athliam. Porro athlius Græce miserum sonat, multisq. laboribus afflictum: vnde & athletæ nomen. Sensit philosophus, principes ob ambitionem assiduis bellis tumultuãtes, vere miseros esse: æque autem miseros, qui illorum cupiditatibus inseruirent. *Laert. lib. 6. & P. M.*

Idem. Alexandro Magno Corinthij per legatos ius suæ ciuitatis detulerunt. Hoc officij genus quum risisset Alexander: quidam è legatis: Nulli, inquit, ciuitatem vnquam donauimus, præterquã tibi & Herculi. Hoc audito lubens accepit oblatum honorem, quẽ illi commendabat partim raritas, partim cum Hercule laudatissimo viro societas. *Plut. in Alexan.*

Idem. Edicto vetuit, ne à quoquam pingeretur, præterquã ab Apelle: aut à quoquam ære insculperetur, præterquam à Lysippo, artificibus illius ætatis præstantissimis, nã hoc quoque iudicabat ad principis dignitatem pertinere. Cum Chœrylo poeta pactus erat vt pro vnoquoque bono versu Philippicum acciperet aureũ, pro malo colaphum. *P. M. lib. 4. apoph.*

Demades. Quum Athenienses vellent Alexandro diuinos honores decernere: Videte, inquit Demades, ne dum cœlum custoditis, terram amittatis. Alexander enim ambiebat monarchiam. Abluдum autem erat, eos sic alium donare cœlo, vt ipsi terra pellerentur. *P. M. lib. 6. apoph.*

Cyneas, Pyrrhum Epirotarum Regem quum Italico bello imminere cerneret, fretus ingenij dexteritate, posse Pyrrhum de sententia deducere: Nostri, ait, Pyrrhe, Romanos imperio potẽtes, animo corporeq; pollere, multasque feras gentes domuisse. Si autem Dij fauerent nobis adeo, vt victoria poteremur, quid quæso tibi victoria agendum putares? respondente Pyrrho, se cum Romanis militibus in Siciliam tum traiecturum. Tum Cyneas: His etiam deuictis, ait, quid. Ita agetur? Aphricã traijcemur, inquit Pyrrhus. Cui Cyneas: Sed his demum partis, quibus rebus tempora nostra transigemus? Tum Pyrrhus: Læti vna inter festos dies, ludosque agemus. Cyneas autem, Quis prohibet, sine tantis laboribus ac periculis, quin vel hac ipsa hora, quum tu magnus atque opulentus Rex sis, læte simul viuamus? Argute simul sapienterq. hominum inexplebilem cupiditatem ostendens, quæ incognita, eos ad infinita pericula deducit. Huic si Pyrrhus obtemperasset, neq; in Italia vulnus accepisset, neque ab Argis postea oppressus vitã amisisset. Si alij quoque quos orbis terrarũ habet principes, ista, quæ Cyneas sapienter Pyrrhum monebat, meriti vellẽt, ambitiosas curas magis frenarent, atque sibi, terrarumq; orbi ad quietioris vitæ cursum rectius consulerent. Nunc prauos maiora habendi impulsus sequentes, non modo id assequuntur, vt anxij semper viuant: verum etiam vt in grauissimas calamitates, atque in ipsam mortem sine vllius remedij spe cum populorum perturbatione incurrant. *Ex Plutarcho in vita Pyrrhi.*

Annibal. Inter Scipionẽ Africanũ & Annibalem ortus est sermo de præstantia ducum. Quumq; Scipio rogasset, quẽ primum censeret? respondet, Alexandrum magnum. Quem secundum? Pyrrhũ Epirotarum regem. Quem tertiũ? seipsum nominauit. At quid, inquit Scipio, si me vicisses? Tum, inquid, me neque secundũ, neque tertium, sed omnium primum censuissem. *Plut. in Annib.*

Pompeius. Phraati Parthorum Regi per legatos postulãti, vt Euphratem Romanæ ditionis terminum esse vellet: imo, inquit, illud magis postulandum: vt Romanorum fines à Parthorum regno iustitia dirimat. Significans, Romanis non esse præscribendũ, quousque debeant proferre imperium, à quo propagando non mõtes aut flumina debeant arcere: sed ibi demum fore fines Romanæ ditionis, vbi ius non esset vlterius procedere. *Plut. in apoph.*

L. Sylla. Quum cogitaret de occidẽdo Cæsare, amicis, ne id faceret, dehortantib. indignum. n. esse talem necare puerũ: Desipitis, inquit, si in hoc puero non videtis multos inesse Marios. Deprehẽdit in eo ambitionem insatiabilem, vt qui vix dum pubescens sacerdotium ambierit. Idem populum Romanum subinde monere solebat: cauerent puerum male præcinctum. *P. M. in apoph.*

Cicero. Pompeio ac Cæsare inter se dissidentibus, Cicero: Quem fugiam, inquit, scio, quem sequar, nescio. Sentiens, ambos nõ pro Reipublicæ libertate, sed pro principatu dimicare. *Plut.*

SIMILITVDINES.

Procopij. Vt ignis est, vt vrat, & lucem præbeat: Sic regis est, vt benefaciat & puniat. *In Genes. c. 2.*

Orontis. Quemadmodum supputatorum digiti nunc infinitum numerum, nunc vnum tantum possunt ponere: Sic amici regũ nunc quiduis pollent, nunc quam minimum. *Dictum Orontis, qui fuit Artaxerxis regis gener. Apud Plut. in regum & imperatorum apoph.*

Plutarchi. Vt quibusdam, quum foris, in foro, aut in curia conspicui sint ac splẽdidi, domi morosa vxor contristat omnem vitam: Sic regno, ac diuitijs multa adsunt occulta mala. *In Moral.*

P. M. Vt quædam fulmina æs ac ferrum liquefaciunt, ne cera quidẽ confusa; Ita diuina vis, aut regia potestas in obsistentes sæuit, mollibus parcit & cedentibus. *In Simil.*

Vt vitis, nisi ampures, late sese spargit, brachijs suis omnia complectens & implicans: Ita princeps ambitiosus semper aliquid è proximis suo adiungit imperio, nisi subinde vindicetur.

ADAGIA.

Abstinenda vis à regibus.

Qui dicet haud temere manum immittendam in reges potentes aut vires Deo dicatos adducet illud ex Odyss. π.

> Δεινὸν δέ γένος βασιλήϊόν ἐστι
> Κτείνειν.
> *Rex dura ac plena pericli est*
> *Regale occidisse genus.*

Princeps indiligens.

Indiligens pædagogus corrumpit puerum: Malus præceptor vitiat discipulum: Rex improbus populum item corrumpit. Ad hanc sententiam facit illud Homeri:

> Αὐτὰρ μῆλα κακοὶ φθείρουσι νομῆες.
> *At corrumpit oues pastor malus.*

Dicitur ab Eumæo subulco ad caprarium.

Vvie der Hirt, so die Schaaff.

Cum principe non pugnandum.

Quo significabis arduum, Principem à priuato superari: aut difficillimũ vincere naturam: vsurpabis illud Homeri:

> Ἀργαλέος γάρ τ' ἐστὶ θεὸς βροτῷ ἀνδρὶ δαμῆναι.
> *Ardua res homini est mortali vincere Numen.*

Principum fauor necessarius.

Vbi quis inuitis principibus conatur extricare sese è malo quopiam, aut lite aliqua non possit explicari, nisi adiutus illorum fauore: conueniet illud dictum in Aiacem Oileum apud Homerum:

> Φῦρ' αὐτὴν ἰδὼν ἐξ ὕδατος
> Μέγα λαῖτμα θαλάσσης.
> *Iactabat sese spatiose ex aquoris altis*
> *Emersurum vndas inuito numine acuum.*

EXEMPLA BIBLICA.

Regis iræ *exempla*: Ioas, 2. *Paralip.* 24. 41. Nabuchodonosor, *Dan.* 2. *v.* 12. Reges ac Principes religionis curam suscipere debent, *Exempla*: Dauid, 2. *Sam.* 6. 2. & 7. 2. Iosaphat, 1. *Paralip.* 17. 7. & 19. 4. Ezechias, 27. 5. Iosias, 34. 8. Reges mortalis suæ conditionis commonefieri debent, *Psal.* 82. *v.* 7. Reges ac Principes nõ facile cedunt, *Exempla*. Dauid, 2. *Sam.* 19. 19. 5. *Paralip.* 21. 4. Roboam, 2. *Paral.* 10. 8. Asa, 16. 10. Amasias. 25. 16. Ozias, 29. 19. Iosias. 35. 22. Sedechias, 36. *v.* 12. 13. Ioachim, *Ier.* 36. 25. Herodes, *Marc.* 16. 17. Reges interdum clientum suorum metu indigna committunt. *Exempla*: Darius, *Dan.* 6. *v.* 14. Reges ob populi peccata mutantur, *Prou.* 29. 2. Reges Dei quid iussa ere debeant, *Deut.* 17. 19 *Sam.* 8. 1. & 1. *Reg.* 22. & 10. 9. 2. *Paralip.* 9. 1. & 19. 5. *Iob* 34. 30. *Psal.* 2. 10. & 101. 5. &c. *Prou.* 14. 28. & 19. 12. & 20. v. 8. 16. & 28. 15 & 19. v. 4. 14. & 13. 4. *Sap.* 6 *y. Ierem.* 2. 2.

EXEMPLA PROFANA.

Augustus, cuidam ipsi libellum trepide porrigenti, qui manum one porrigeret nũc retraheret: Quid, inquit, An putas te assẽ dare elephanto? Solent n. pueri inimicos nummos elephanto porrigere, quos ille nõ sine spectatorũ admiratione proboscide sic corripit, vt pueri manũ non lædat. Sic videmus pueros & in vrsorum rictum manum inserere, non sine metu. Ita molestum erat optimo principi, quod timeretur. *P. M. apoph.*

Optimo iure laudibus vehitur illa vox *Traiani*, qui amicis incusantibus, quod parum memor imperatoriæ maiestatis, nimium esset omnibus expositus, respondit: Talem præstabo imperatorem priuatis, qualem optarem ipse priuatus. *P. M. lib. 8 apoph.*

Constantius Chlorus, amicis admonentibus, quod in augendo fisco videretur indiligentior, respondit publicas opes rectius à priuatis

tis haberi, quam intra vnum claustrum reseruari. Bonus princeps, qui magis à suis diligitur quam timetur, habet quidquid ciues possident.

Theodosius iunior tam admirabili fuit ingenij lenitate, vt quum ab amicis rogaretur, quamobrem neminem eorum, à quibus lædebatur, supplicio capitis afficeret? Vtinã, inquit, mihi liceret & mortuos ad vitam reuocare. Ad priuatos oportet principem esse facilem ad ignoscendum: in ijs, qui lædunt Rempublicã, decet esse seuerum. *P.M.lib.8.apoph.*

Vopiscus in diuo Aurelio refert apophthegma scurræ cuiusdam, qui dixerat: In vno annulo bonos principes omnes sculpi posse. Sentiens, esse magnum imperatorum numerum, sed in his per paucos bonos.

Adrianus Cæsar in colloquijs etiam humillimorũ mire ciuilis erat, eosque detestari solebat, qui hanc humilitatis voluptatem ipsi inuiderent hoc prætextu, quod dicerent, principis maiestatẽ vbique seruandam. *P.M.lib.6.apoph.*

Adrianus Cæsar Commodum Ælium Verum iterum Consulem fecerat, eumq; imperio destinauerat. Quem quum cerneret nec corpore, nec animo satis validum, dicere solebat: In caducum parietem nos inclinauimus, ac perdidimus quater millies H.S. quod populo ac militibus pro adoptione dedimus.

Idem dicere consueuerat, sibi molestum esse, si quem videret tristẽ cum tamen omnes doctos quæstiunculis vexaret, sed vexatos donauit aliquo munere.

Illum transeuntem mulier quædam appellauit. Audi me Cæsar. Is cum respondisset: Non est otium. Illa clamauit: Noli ergo imperare. Ad hanc vocem restitit, & audiuit mulierem. *P.M.l.6.apoph.*

Rex quidam, cuius nomen supprimitur, nominari alioquin dignissimus, cum ipsi porrigeretur diadema, tenuit aliquamdiu manu, dixitque: O nobilem magis quam felicem pannum: quem si quis penitus cognoscat, quam multis periculis, sollicitudinibus ac miserijs sit refertus, ne humi quidem iacentem tollere dignetur. *idem lib.7.apoph.*

HIEROGLYPHICA.

Ægyptij Regem hominem per *Elephanti* simulachrum intelligebãt: non ea tantum de causa, quod cum gregatim semper ingrediantur, is qui maximus est natu, gregem ducit, quod in regibus eligendis multarum nationum ac gentium mos fuit, &c. *Pier.Val.li.2.p.15.E.*

Hominem Ægyptij amplieri aliqua dignitate tituloque honestatum, qui tamen nulla vel maiestatis, vel decori ratione habita, vilissima quæque sectaretur, sordesq; omnes perscrutaretur, significare si vellent, hieroglyphicum *Elephanti qui mures venaretur* proponebãt: indignus quidem tam vastu mole labor. *Pier.Valer.l.2.17.E.*

Si vero *Regem optimum* significare procurassent: *Anguem* vtque in orbem collectum effingebant, cauda mordicus apprehensa, sed regis nomen in spiræ medio describebãt. Quin etiam certã anguis speciem *ursus* cognominatam, huic significato adhibebant. Cur vero *Anguem* fingerent sibi caudam admordẽtem, auctores, quos sequitur, nusquam tradunt: sed si ariolari licet, indicabat: omnia vsque ad minima vltimaque curæ esse Regi, qui bonitatis nomẽ sit adepturus, cum ea præcipue de causa Sardanapalus, & plerique alij infames habiti sint: quod simulac ad principatum venerunt, omni abiecta cura sibimet tantum vacare, seque vinos curare instituerunt. *Idem Pier.Val.lib.25.p.240.E*

Quod si regem Ægyptij suum vel alium quempiam in obeliscis aut monumentis alijs, curam populi sui gessisse regiam attestarentur, eamque tutelarem fuisse commonerent, *Anguem* vigilem, vertice quippe surrecto, elatoque pectore sculpebant: cuiusmodi species adhuc plerisque locis inspicitur. Hic vero pro regio nomine, *Custos*, inscribebant: vtpote quod æque vigilantem esse deceat Regem, cui gentium regnique tutela sit curæ credita. *idem ibid.*

Vide, Imperium, Magistratus, Monarchia, Princeps, Regnum, Respublica.

RETHORICA.

DEFINITIO, ET ETYMOL.

RHetorica, Græce ῥητορικὴ, est vis & facultas percipiendi, inueniendive quid in quaq; re possit esse persuasibile: hoc nullus alterius artis opus est, quippe cũ reliquæ facultates omnes, atque disciplinæ vim suam docendi, persuadendique circa vnam quampiam rem subiectam obtineant. *l.2.Rhet.c.2.Arist.*

POETARVM SENTENTIÆ.

Euripidis in Lycimnio de Hercule,

φαῦλον, ἄκομψον, τὰ μέγιστ' ἀγαθόν
Πᾶσαν ἐν ἔργῳ περιλαμβάνοντα σοφίαν.
Κέχλιδ' ἀτρίβωνα.
Neglectum, inornatum, atque vt plurimum probum,
Re motiantem, non verbis sapientiam
Sermone nunquam palliato, vt simplici.

SENTENTIÆ PHILOSOPHICÆ.

Vis oratoris, professioque ipsa bene dicendi, suscipere & polliceri videtur: vt in omni re, quæcunque prope dixerim, posita sit, quicquid erit in quaque quod probabile videri possit, elicere sciat atque perdiscere. *ibid.*

Tria habentur quibus omnis institutio dicendi continetur, nam primum inuenire oportet, quibus fides fiat: deinde concepta, cogitataque eloqui: postremo inuenta commode atque apte disponere. *Lib.3.Rhetor.c.1.*

Vniuersa institutio dicendi ex opinione, ostentationeque pendet. *ibidem.*

Ars, quam Rhetoricam vocamus, ad Dialecticam refertur ceu sobolem eius, & tanquam membrum quoddam adnascens. *Lib.1. Rhetoric.cap.2.*

Rhetorica non de omnibus præcipit, sed de ijs, quæ in cogitationem, consultationem venire consueuerunt. *ibid.*

De origine, fine, ac viribus Rhetoricæ.

Rhetoricæ primum in Sicilia Corax & Cresias Syracusani, vt ait Cicero, simul & procemiorum & epilogorum ac argumentationũ, quas Græci agonas vocant, repertores fuere. Inde Athenas per Gorgiam Leontinum fluxit, cuius discipulum Isocratem Aristoteles tunc æmulatus, scholis pomeridianis cœpit præcipere, dictitans illud notum, αἰσχρὸν γὰρ σιωπᾶν, Ἰσοκράτην δ' ἐᾶν λέγειν. Eodem fere tempore Theodectes, post hos Hermagoras & Hermogenes, qui etiam de arte scripsit. Inde Rhodum per Æschinẽ exulem ars peruenit: postea deflorescentibus iam Athenis, Alexandriam migrauit, quamquã celebriore philosophiæ studio ea vrbs teneretur: postremo Massiliæ per Antoniorum tempora cũ huius facultatis, tũ reliquarũ artium studia viguere. Apud nostros vero Romæ Ciceronis temporibus, maxime floruit per Apollonium Molonem. Cicero initium orandi conditoribus vrbium & legislatoribus tribuit: negatque ante Periclem quicquam in ea, quod ornatum habuerit, reperiri. *Hæc ex Volaterrano.*

De orationis origine, deque eloquentiæ viribus.

Oris sonus ab initio olim confusus erat, qui tandẽ paulatim voces discernens res omnes suo nomine appellauit. Mercurium auctor apud Ægyptios primum verba in ordinem redegisse, multisq; rebus imposuisse nomina, fuisse quoque literarum inuentorem. Athenis autem primum se orator extulit, primumque etiam monumentis & literis oratio est cœpta mandari. Hæc vero omnium regina rerum: nam non modo inclinantem erigere, aut stantem inclinare, sed etiam aduersantem & repugnantem, vt imperator & fortis & optimus, capere potest.

Eloquentiæ vis & finis.

Cum duæ summæ sint in Oratore laudes; vna subtiliter disputandi ad docendum: altera, grauiter agendi ad animos audientium permouendos, ipsius autem eloquentiæ tanta vis est, omnium rerũ, virtutum, officiorum, omnisque naturæ, quæ mores hominum, quæ animos, quæ vitam continet, originem, vim, mutationesque teneat: eadem mores, leges, iura describat, rempu. regat, omniaque ad quamcumque rem pertineant, ornate copioseque dicat. Eloquentia probamus vera esse quæ defendimus: eloquentia conciliamus nobis eos, qui audiunt: eloquentia eorum animos, ad quemcunque motum causa postulabit, vocamus. Ea apud Romanos adeo floruit, vt nonnulli ex infima fortuna in ordinem senatorium, atque ad summos honores processerint. Cæterũ quia res nulla apud animos hominum plus quam ordo & ornatus orationis valet: & vt terra cultu, sic animus disciplinis melior vberiorque efficitur: nec vnquam solida & robusta fuerit eloquentia, nisi multo stylo vires acceperit, &c.

Finis Rhetoricæ, vt Aristoteli placet, non persuadere, sed tm̃ bene dicere, & ea nosse, quæ sint ad rem persuasibilia: veluti & medicinæ, non sanitatẽ quærere, sed bene medeni, & eo procedere arte quousq; fieri poterit. Cicero idẽ in arte sentit alijs verbis: Finẽ, ait, his apte dicere atque apposite, quæ faciunt ad persuadendũ.

Parem hanc virib. Dialecticæ Aristoteles facit, nisi q̃ illa strictior, hæc latior: ambarumq; nullius certe scientiæ, sed communẽ quẽdam modum omnium nosse. Aliarum quidem artium præter has, nulla inter se pugnantia syllogizat. Huius facultatis magna vis est, vt ait Quintilianus, nec vllt veterum satis pertractat: quam si quis rite sectatus fuerit, vngues tondere, aut capillos reponere nõ existimabit ad suã curã pertinere: quodq. mirum cum cæteræ artes iudiciũ doctorũ exquirant, hæc ẽt imperitorum. Quapropter ex Demosthenis sentẽtia: nulla huic rei magis q̃ pronuntia-

tio

tio confert, quæ corporis eloquentia putatur. Hac igitur vna vel indocti sæpe dicendi famam quærunt, atque clamant, ac e teram eleuant, multaque voce, anhelitu, actatione corporis contendunt, tam manum ad pectus reuocare, ferire caput, pede terram incutere, mire ad pullatum circulū facit. In his vero qui defecerit, vel doctissimus nihil scire putabitur. Quamobrem modestis tantum hæc faculras colenda vt virtutis, cæteris vt arrogantiæ instrumenta fugienda.

Archidamus Lacedæmonius interrogatus, an esset Pericle potentior, respondit, Quamuis Pericles in bello sit a me victus, ea tamen est facundia præditus, vt cum de his ratiocinetur, nō victus, sed victor appareat.

Eloquentia est cultura animi. Hæc vna est de summis virtutib. quæ sacra ac venerabilis, quæ rerum publicarum gubernatrix esse perhibetur: quam M. Tullius primam artem appellat, quam Cornelius Tacitus autumat cæteris aliarum artium studijs esse anteponendam, in qua præsidium simul & telum est, & quo pugnare pariter & nocescere possumus: quæ, ut exanima, quæ omnium rerū regina a luculentis scriptoribus nuncupatur: qua præditus est inter homines (vt ita dicam) Deus putatur: qua denique efficitur, vt reliquis hominibus tanto præstemus, quanto homines bellijs antecellunt.

Nihil cæteri natura doubus a brutis animātibus separamur: quid? quod & robore, & celeritate inferiores sumus, alijsque commoditatibus permultis. Verum insita nobis vi quadam inuicem persuadendi, explicandique quæcunque visum fuerit simul belluinā vitam exuimus, simul congregati, ciuitates condidimus, & leges inuenimus, & artes excudimus. *Isocrat. ad Nicocl.*

Commentus Mercurius κατὰ τὸ ἀμ ... Initium Rhetorica.

Ioinitio cum essent recens nati homines, magnus inter hos, ac reliqua animantia tumultus erat, perturbatioque super terram, propterea q non possent inuicem vi resistere, vila res intercedebat, quæ illos conciliaret, verū qui potentiores erant, opprimebant inferiores. Nec quæ sat erant id ei, vt reliquis animantib. resistere, nam omnibus illis omni ex parte inferiores erant, aliaque in re ab alijs vincebantur: velut ab vniuerso genere volucrum celeritate: vt de factum est, vt q ai Homerus, Pigmæis accidere à gruibus, id tum temporis passim a robustioribus auibus paterentur homines. Rursum, quantum ad vires attinebat, longe superabantur & à leonib. & ab apris, & alijs item compluribus: atque hunc in modū ilsemuo peribant, iam vero, quo ad munitionem ornatumq corporis, non corruis modo, verum ēt cochleis cedebant, neque cut quam ex ipso suppetebat, q ad tendam vita nerat opus: itaque quum ad eum modum interiret hominum genus, ac paulatim dilaberetur. Prometheus (vt semper est hominum studiosus) irator adscendit in cœlum, mortalium nomine non illic quidem missus ab ijs: neque ad temporis legatos vllos erat cernere: sed ipse vltroneus abijt. At Iupiter partim in gratiā Promethi, maxime qui iusta postulare videretur, partim negotio apud se considerato, filium suum Mercurium iubet ad homines descendere, Rhetoricen secum a deferentem. Ita vt autem, vt eam mortal b. impertiret, nō quemadmodum Prometheus omnibus ex æquo, sensus, reliquaque corporis membra, petende quasi thesaurum pecuniam dispertiens, vt omnes ex æquo Rhetorices essent participes, non aliter q am oculorum, manuū, ac pedum: sed vt præstantissimos quosq; generosissimos, & indole pollentissima præditos deligeret, atque ijs demum munus hoc impertiret, vt pariter & suam ipsorum, & aliorum incolumitatē tueri possent. Porro, postea quā Rhetorica iam ad mortales peruenisset, quum negotium, quod habebant cum bellius molestissimum, licebat effugere, tum vero defierunt vndequaq; inter se se simultatem exercere, reperto commerciorum initio. Digressique de montibus, alij in aliam orbis partem iungebantur, principio quidem sub dio viuentes: post autem, vbi verbis inter se cō muoicassent, & ciuitatem condiderunt, ac distributi sunt, non quemadmodum antea, temere, verum in ordines plebis ac belli duces, sanctisque legibus tum principes, tum Reipublicæ statum instituerunt: Dijs munera cœperunt offerre, primitias auspicantes ab oratione. Quibus nūc quoque vel maxime gaudere Deos consentaneum est: quandoquidem hac contingit, vt primū esse Deos cognoscerenus. Hinc deinceps, ita creuit homo, vt qui initio debilis fuerat atq; inualidus, postea in altum tolleretur, quique antea pro nihilo habitus, ac despectus erat, deinceps factus est omnium, quæ sunt in terra, dominus: cui quibus vti liberet, ios esset, non alio pinpugnaculo sit parato, quam oratione. Atque hic nobis sit fabulæ finis. *Hactenus Aristides, Extat consimilis apud Platonem de Protagora.*

Rhetorica commoda.

Sed quibus honoribus, quave dignitate Rhetoricam, i. eam, quam bene disserendi rationem appellant, prosequar, quū huic virtuti dudum vos ipsi bonam & magnam laudis partem attribueritis? Quantum n. apud cæteras artes valeat, etsi vobis omnibus, viri insignes, notum esse arbitror, illud tamen aliarum scientiaru pace dicam, q oēs veteres artes ac disciplinæ sine hac vna iacent, & non satis ornatæ habeantur: efficit quoq;, vt vna q ac scientiarum copiose & subtiliter disseramus, tantum vero nostris temporib. apud nos lumen & dignitatem attulit, vt non satis docti habeantur, qui in hac vna salte mediocriter eruditi non sunt. Nonnihil ēt ad animorum vim rōnemq; attinet: q facile videmus, si veterum exempla cōmemorare voluerimus: in ea cognouimus q plurimes omne studium adhibuisse, vt in aliqua eius parte florerē, audiuimus illos priscos Oratores, Catones atq; Gracchos, quorū eloquentia actum est, vt ea re summis honorib. & dignitatib. adaucti fuerint. Audiuimus alios, quorum eloquentia Imperio Romano profuit. Ciceronē imprimis, Crassumq;, Antonium, & alios quamplures: quib. tantum hodierno die debemus, quātum his, qui nostris temporib. summam laudem & ornamentum attulerunt.

Quum mihi in mentem venit, quanta oratoriæ facultatis tum dignitas, tum vtilitas sit, non possum non vehementer dolere, q his nostris t pibus nulla fere bonarum artium tam abiecta, atq contempta habeatur: nam etsi nonnullę liberalium artium, vt Geometria vt Arithmetica, & quæ huius generis sunt, omnino ab vsu ceciderunt, ne non multū eas ad humanitatem pertinere dicam, non summus in ipsis tantam passi iacturam, quantam in hac humanitatis artium præclarissima, maximeq; necessariam in illis quidem ita integra subtilissimorum scriptorum opera vsque ad præsens extant, vt nihil ei desit, qui proficere in eis desideret, nisi studium ac diligentiam hac vero dicendi copia quanto plures scriptorum elegantissimi libri à maiorib. nostris, tam Latinis q Græcis, relicti sunt, tāto paucior es vel potius nulli his perditis t pibus nostris repetuntur, q siue negligentia omnium, siue eorum, qui docent, quiq; orōnis copiam profitentur, ignorantia quadam aut perfidia factū sit, vnusquisq per se ipsum considerēt. Ego id existimo, nisi B tolus, Alani, aliorumq; huiusmodi libros (nescio an satis vtiles) iam scribere, ac his, qui docent, coacta esset posteritas, ant loco harum nugarum bonorum operam inuenirentur, aut saltē auditores non imbuti his debatiomb. nudos alios ad humanitatis doctrinas facilius applicarent, quib. nihil vnquam vtilius sit h ldigni s homini, a patre hominumque Deorumq tributum est: nam; philosophia quidem, qua oēs liberales artes continentur, si dicendi suauitate priuata sit, omnem orationis grauitatem restringatq concidit, rotumque ingenij succum asperitate imbibit nimia. Quod si oēs inutem esse, summum incommodum ai bitrantur (carere eo omni humanitate pro fecto videtur, qui loqui nō pōt) certe & male loquitur vero sum mo incommodo humanitatiq. priuationi proximum est: quare posse t p b is, locis, personis, causis, rebus, ornate, distincte, copiose atq; prudenter orationem accommodare, q huius artis officiū est, non paruę felicitatis existimauerim: q àtos vero honor, laus, dignitas, in eos, qui copiam dicendi adepti sunt, confluat, quę emolumenta, quæ commoda hoies eloquentia consequantur, nemo facile poterit explicare: nam & patriam fundare legib. tutari consilijs sententijs suis amplificare disertus poterit. & amicis præsidio, & suis ornamento futurus est: præterea inimicis timorem, hostib. terrorem incutiet: q Macedonum Reges, quum clarissimos oratores ab Atheniensib. peterent, vt facilius eos nudatā custodib. vrbem opprimere possent, ita esse declararunt. Neque nos terret, quod à nonnullis ignorantia dicitur, orationis copia, quod nonnunquam obfuisset ciuitatibus, ab omni bene instituta Republica exterminandam videri: nec n. vllam artem inuenies, quaquibus cum versantur detrimentum afferre non possimus. Quis ignorat, quanto facilius cæteris atque cautius fal. t m hominis medicus oppugnare possint; is nescit. Iurisconsultum acuta nimium interpretatione legum summum ius in summam iniuriam posse conuertere? at nemo est, qui aut legum scientiam, aut medicinæ doctrinam extermiinet: tanto magis, ante ut intertur, quanto ciuitatum ægritudines eadem arte, qua illatæ sunt, curari etiam solent. Preterea eloquentia expulsa (nisi mutus eff. malis, quod omnem societatem coniunctionemque hominum totamque Rempublicam funditus euertit) & in iudicijs, & in senatu, & apud populum nonnunquam dicendum est, vbi nisi dicendi copia valeas, a malis, & a loquacibus viris simul cum Republ. euertere. *Ex præfatione Trapezunt. in libros Rhetoricorum.*

Vtilitas eloquentia.

Non igitur obsunt Rebuspubl. hęc dicendi studia, sed prosunt: non comprimunt, sed constituunt: non auertirur, sed erigunt: nam si nulla essent, nihilominus improbi peruersique homines, ac tanto magis, quanto se tueri oratione boni non possent, rebus p o cerent. Quare, vt non medicina, sed perditi medici: vt nō iusti sed improbi iurisconsulti expellendi sunt: sic nec eloquentia ejicienda videtur. Sed hi, quum diserti sint, improbi sunt. Ac multo magis medicina & cæteris artibus eloquentia est retinenda: nam neque gubernari Respu. sine oratione poterit, nec improbos ciues arceri, & a gubernaculis ciuitatis depelleri nisi vi eloquentiæ. Huius ergo tam præclarissimę rerum publicarum tutricis studia tanto nobis ardentiore animo suscipienda, illustrandaque videntur

tur, quanto diutius iacuerunt: solet enim præclarissimarum artiũ iactura, nisi quis citius succurrat, non sufferendas calamitates, & publicas, & priuatas inuehere.

Sic iam vero domina, vt vos soletis dicere, eloquendi vis quam est præclara, quamque diuina, quæ primum efficit, vt ea, quæ ignoramus, discere, & ea, quæ scimus, alios docere possimus: deinde hac cohortamur, hac persuademus, hac cõsolamur afflictos, hac ducimus perterritos à timore, hac gestientes comprimimus, hac cupiditates iracundiasq; restinguimus: hæc nos iuris, legum, vrbiũ societate deuinxit, hæc à vita immani & fera segregauit, &c. *Cicero de Natura Deorum.*

Quibus est ratio ac iudicium citum, sed inefficax, ij loquaces esse possunt, eloquentes autem nullo modo. Eloquentiam voco absolutam expressionem eorum, quæ mente concepta, aptis atq; cõmodis verbis, quod positum est in perfecta cuiusque linguæ cognitione, tum connexione sermonis congruenti, & rationib. appositis, quod est iudicij non solum acutissimi: sed etiam solidi ac circũspecti. Sallustius de L. Catilina bene expressit, satis eloquentiæ, sapientiæ parum: & multos videas facundos in narrando, in argumentis plane infantes: sicut è contrario, expensio hæc eorum, quæ dicenda sunt, & circumspectio illorum, quæ adiacent: loci, temporis, personarum, atq; huiusmodi tardiloquos sæpe ac pauciloquos facit viros magni ingenij: Leues autem, & acutuli, quod nihil pensi habeant, quid profundant, verbosissimi sunt. *Ludouic. Viues lib. 2. de Anima.*

Apophthegmata.

Diogenes in caupona prandens, Demosthenem forte prætereuntem inuitauit, vt accederet: id cum ille pudore recusaret, Erubescis, inquit, Demosthenes, cauponam ingredi? Atqui hic herus tuus quotidie versatur. Innuit autem, Rhetores nihil aliud esse, quam populi mancipia, nec esse par, vt illic pudeat ferum populi videri, vbi populus assidue viueret. *P. M. lib. 8. apoph.*

Demosthenes interrogatus, quid præstare posset possessorib. suis Rhetorica? Homini, inquit, perdito præsentem potest ferre opem. *Stob.*

Isocrates sciscitatus quid esset Rhetorica? Ex paruis, inquit, facere magna, & magnis parua: Est n. hæc nonnulla Rhetorices pars: amplificare & extenuare, qua de re diligenter præcepit Fabius. Sed præstigij genus est, quod respondit Isocrates. Quin illud potius artis est, quæ magna sunt ita tractare, vt auditori quoq; magna videantur: & contra. *P. M. lib. 8. apoph.*

Anonymus. Cuidam iactanti de arte Rhetorica. At per Geminos, inquit Laco, ars nisi verum attigerit, nec est, nec vnquam erit. Notauit Rhetores, qui se profitentur verisimilia dicere, licet vera non sint. *Plut. in Lacon.*

Similitudines.

Plutarchi: Vt periculum fit, si omnes in idem inclinent latus nauis, sed alijs alio inflectentibus, nauis optime libratur: Sic seditio & dissensio inter Rhetores tutiorem reddit statum ciuitatis. *In Moralibus.*

Verdriculus fit cantor, qui rem grauem Lydijs efferat modis: Ita ridiculus qui de alijs, aut recte viuendo verba faciens, rhetoricis lasciuiat flosculis. *In Mor.*

Vide etiam Eloquentia, Oratio, Orator.

RIGOR.

Definitio et Etymolgo.

Rigor, Græce ῥῖγος, τὸ, ῥίγωσις, rigidus dicitur. Heb. *Tsinnah*, a verbo Rabinico *Tsanan*, frigescere. Item, *Kor*, a verbo eiusdem soni, quod significat effodit venas aquarum & *Karah*, à verbo *Karar*, frigidus fuit vehementer. Hinc κρύος frigus, quod & hebr. *Kor* dicitur, *Gen. 8. v. vlt.* Metaphorice vero, rigor est iuris excessus vel austeritas, qui quandoque statuitur ad terrorem aliorum. Rigor venit a rigeo, quod proprie est frigeo, & quoniã quæ frigent, horrent & durescunt, per metaphoram rigere, & rigescere pro indurari, accipitur. Hinc rigor non modo pro frigore, sed etiam pro duritie capitur & asperitate.

Historicae Sententiae.

Acerbis iudicijs vastantur magis ciuitates quam corriguntur. *Sallust. ad Cæsar.*

Nocet priscus rigor & nimia seueritas, cui iam pares non sumus. *Tacit. lib. 3.*

Salutaris rigor vincit inanem speciem clementiæ. *Am. Marcel. l. 27.*

Adagia.

Summum ius, summa iniuria.

Hoc est: Tum maxime discedit ur ab æquitate, quum maxime superstitiose hæretur in legum literis.

Zu viel Recht, ist Vnrecht.

Iemehr Gesetz, je weniger Recht.

A d viuum resecare.

M. Tull. lib. de Amicitia, ad viuum resecare dixit, pro eo, quod est nimis exacte. Eius quam sat est, ac morosius excutere.

Radit vsque ad cutem. Ξυρεῖ ἐν χρῷ.

De eo dicebatur qui nimium exacte videretur agere cum aliquo.

Ex syngrapha agere.

Pro eo quod est, rigide parumque ciuiliter, sed velut ex obligatione Cicero.

Ad libellam debere.

Qui pecuniam præsentem ac iustis ponderis debet, ad libellam debere dicitur.

Censoria virgula.

Tritissimum est apud eruditos. Censoriam virgam appellare iudicandi auctoritatem, præsertim cum supercilio.

Obtorto collo trahi.

Dicuntur, qui volentes nolentes ad aliquid adiguntur, Pro eodem dicitur nervo trahere.

Vide Clementia, Grauitas, Ius, Iustitia.

RISVS.

Definitio, et Etymol.

Risus, Græce γέλως, ὁ, γελαστικός, risibilis dicitur. Est autem risus, vox confusa lætitiæ, insultationem immoderata hilaritate denuncians. *secundum Cassiod. sup. Psal.*

Risus, Heb. *Tsechok*, *Gen. 21. 6.* a verbo *Tsachak*, & *Tsichek*, risit, derisit, illusit, bene & male exponitur. Item *Sechok*, à verbo *Sachak*, risit, irrisit, cachinnatus est. Inde καγχάζειν derideo, & per radices inuersionem καγχάζω, cachinor.

Loci Biblici.

Risus pro delitijs, *Iac. 4. 9.* risus impiorum maledictus, *Luc. 6. 26.* risus Saræ vitiosus, *Gen. 18. 13.*

Sententiae Poeticæ.

Ex Græcis Comicis.

Γελᾷ δ' ὁ μωρὸς κἄν τι μὴ γελοῖον ᾖ.
Ridet fatuus & nulla causa quum subest.
Γέλως ἄκαιρος ἐν βροτοῖς δεινὸν κακόν.
Malum graue est ridere non in tempore.

Sententiae Philosophicæ.

Ridet qui verberatur in sede præcordiorum. *Aristot. problem. sect. 35. tex. 6.*

Ridiculos vsus habent in contradictionibus. *Idem rhet. 3.*

Ridiculum aliquo pacto est peccatum & turpitudo sine dolore minime noxia. *Idem poetic. c. 1.*

Ridet solus homo, quia pellem habet valde tenuem & carnem valde subtilem, & tactum: Vnde quidam opinati sunt, quod si homo vulneretur in subascelaribus locis vbi mouetur panes, ridebit. *Alb. Magn. de anim. l. 3. tract. 1. c. 9.*

Risibile est proprium hominis, non autem ridere: ideo etsi non semper ridet, habet tamen semper potestatem ridendi. *Boet. in Porph.*

Risibile proprium quidem hominis est, risibilitas autem non est hominis proprium. *Alb. Mag. in prædicab.*

Risum cur minus retinere possumus, cum amicos nostros, & familiares videmus, quia volubilius quid clarius, atque suspensius est, at benevolentia formæ huiusmodi est, ergo merito tunc ad irridendum mouemur. *Arist. pr. bl. sect. 28. tex. 8.*

Risum mouet si alæ tanguntur, & sternutamentum si nares pẽna tentantur hominis, quia loca quædam venularum habemus, qui bus refrigerans, vel contra affectis venulæ ipsæ, vel humectantur, vel in spiritum ex humore dissoluuntur, vt si quis ceruici venas premat, lætitia gestieos concalefactio est, spiritum autem cũ redundat foras mittimus vniuersum. Sternutamenti quoque ratio illa eadem est: cum enim penna mouemus, & tepefacimus nares humor in spiritum soluitur, quem mox redundantem expellimus. *Ibid. sect. 35. tex. 8.*

Risum cur multi putant ex liene oriri hoc argumento ꝙ quib. lien scirrho, i. tumore duro vitiatur, non pennde sint ad ridendum cõparati, vt qui sunt incolumes, sed sint mœstiores. lien non proprie ac per se, sed ex accidente risus causa censendus est: quãdiu enim sanus omnino fæculentum, & melancholicum succum ex iecinore trahit: atq; ita dum sanguis purus, & defæcatus totum corpus cerebrumq; inuadit, naturam simul, & animum non aliter, ac vinum delectat & exhilarat, & in tranquillam constitutionem traducit, & inde risus excitatur. *Alexand. Aphrod. probl. 1. tex. 136.*

Risus maximarum rerum sæpe momenta versans tristes soluit affectiones, animum ab intentione, a labore, a societate ad interpirationem & quietem traducit. *Dan. Barb. 3. rhet. c. 12.*

Ridiculi sunt, qui cum ignorantes sint, putantes esse quod non sunt, cum debilitate & impotentia proni sunt ad vitium. *Plato in Phileb.* Ridicu-

Ridiculum in anima, est improbitas quædam, quæ habitus cuiusdã cognomen habet. *idem ibid.*

Ridiculi sunt, qui aliquid in manibus habentes quærunt id quod habent. *De rep. dial 4.*

Ridiculum illud est quod malum est, qui risum mouere conatur, ad aliud aliquid velut ridiculum respiciens quã quod insipiens & malum est, vanus est. *ibid.*

Ridicula discere oportet, vt nunquam per ignorantiam faciamus, aut dicamus quæ ridicula sunt, quum minime deceat, at seruis & externis mercede conductis talia imitari demandemus: *Plat. de leg. Dial 7.*

Ridere immodice non debent summæ auctoritatis viri. *Auer. in Remp. Plat. 1. tex. 1.*

Ridendo eludere quod refutare non possunt, sophistarum, non philosophorum mos est, *Iac. Carp. in Alc. in 1. d f. de anal. meth.*

Risu digni existimantur qui turpiter conantur. *Pla de Rep dial. 6.*

Risus est signum quo sese profert occultum mentis gaudium. *Phi. de pra & pæn.*

Risus est magnum leuitatis argumentum: *Sebast. Fox. in 3. Plat. de Rep.*

A P O P H T H E G M A T A.

Diogenis: Dicente quodam, Hi te risu prosequuntur. At ego inquit, minime ridiculus sum. *Brus. l. 5. c. 27.*

Myson mortales odio insectatus, in solitudinem se abdiderat, deprehensus autem a Lacone quodam ridens, rogatus ab illo, cur solus rideret: vrbane ad mores suos respiciens: Ob hoc ipsum ait, rideo. *Brus. l. 5. c. 27.*

Plato in risum nimium profusos damnabat. Nam effusum risum, inquit, vehemens mutatio sequitur. *l. 3. de Repub.*

Epictetus Risus, inquit, neq; multus sit, neque ob multa, neque solutus. *In enchiridio.*

Dion. philos. Risus continuus & intentus est deterior (inquit) iracundia. Idcirco maxime viget in scortis & pueris stolidioribus. Mihi sane facies magis ornari videtur lachrimis quam risu. Lachrimis enim vt plurimum bona aliqua doctrina coniungitur: risu vero lasciuia. Et flendo quidem nemo sibi concitauit authorem contumeliæ, ridendo autem spem dedecoris auxit. *Stob. serm. 72.*

Philemon. Ficus Philemoni paratas, in conspectu eius positas, asellus comedebat, puer inclamatus vt asinum abigeret, sero venit. Itaque consumptis omnibus: Quoniam, inquit, tam tardus fuisti, da nunc merum asello. Interim risus obortus hominem senem præfocauit. *P. M. l. 6. apoph. Verum alij hoc Chrysippo ascribunt.*

Philistarchus, Causidico quodam ridicula semper dicenti: Non cessabis, ait a ridiculis continue dicendis, ne ridiculus fias? vt qui assidue luctantur, luctatores, *Brus. lib. 5. c. 27. Plut.*

Cato Vticensis. Cicero consul, quum L. Murænam a Catone accusatũ defenderet, varijs modis Stoicos (quorum sectator erat Cato) philosophosque illudens, multum risum iudicibus iniecit. Et ipse quoque Cato subridens: Dij boni, ait, quam ridiculum habemus consulem. *Brus. lib. 5. c. 27. ex Plutarch.*

A D A G I A.

Intra labia risit, γέλασ' οἷς ἐπ' χείλεσι. *Theocritus.*

Simile est quod de risu Sardonio dicitur.

Risus Ionicus, γέλως Ἰωνικός.

In molles & voluptarios dicitur. Nam Ionum mollities perinde vt Sybaritarum fastus in prouerbium abijt, quod alteri Græcorum, alteri Barbarorum essent luxuriosissimi.

Risus Megaricus γέλως Μεγαρικός.

In eos dicendum, qui parum tempestiue iocantur, quique malunt aliquando amicum quam dictum perdere.

Risus Chius. γέλως Χῖος.

De molli lasciuoque risu.

Sardonius risus. Σαρδόνιος γέλως.

De risu ficto atque amarulento aut insano denique.

Aiacis risus. Αἰάντειος γέλως

In eos, qui temere ac vecorditer rident. Id quod apposite dicetur in homines mortiferis voluptatibus gaudentes, breui perituros: aut qui malefactis gaudent, mox pœnas daturi. Nec intempestiue torquebitur in eos, quibus risus oboritur nulla de causa.

Ἀχρειόγελως.

Prouerbiali nouoque composito verbo dicebatur nugator, quique rebus ineptis oblectaretur.

Risus syncrusius. γέλως συγκρούσιος.

Risum effusiorem, Græci συγκρούσιον vocant, quod hominem quatiat, quem eundem existimant Bardonium esse.

Stultior Melitide. μωρότερος Μελιτίδου.

Melitides vnus è felicissimis illis fatuis, quos Homerus suo carmine nobilitauit.

Emori risu.

Diffluere risu. Pro vehementer ridere.

F A B V L A.

Mons tumens, & ingemiscẽs, quasi partus instaret, maximos metus & terrores incusserat humano generi, cum subito mus prodijt. Itaque anxietas hominum risus euasit.

Polyanthea Noua.

Indicat fabula, expectationem singularem ad maximas sæpe nugas recidere. De qua re & prouerbio dici Horatianus versus solet:

Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus.

R I X A.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Rixa, Græcè ἀψιμαχία, ἐρίζω, rixor dicitur. Hebr. *Rib*, lis, disceptatio, iurgium, *Gen. 13. 7. Num. 27. 13. Iob. 29. 16.* à verbo *Rab*, vel *Reb*, vel *Rib*, quæ idem significant. nempe litigauit, disceptauit, siue priuatim cum aduersario, siue publice coram iudicibus, quod non fit siue rixa, varijsque verborum anfractib. Ideo hæc verba cognationem habent cum *Rabab & Rabam*, multiplicauit. Quid enim eiusmodi rixæ sunt aliud, quam verborum multiplicationes? Inde fortassis, quod Gall. dicunt *Riben. ribaine*, quoties, denotant aliquid vel nobis nolentibus actum vel agendum esse. Dicitur etiam Rixa Hebr. *matsisah. Iesai 58, 4. Prou, 17. 19. & Matsisah. 41. 12.* a verbo *Natsah.* inuolauit & in 3. coniugatione, *Hitsisah*, fecit inuolare, inuolauit alicui in capillum. Rixa enim tam cito oritur & accenditur, quam auis incitatur ad volatum. Vide *Num. 26. 9. & Psal. 60.*

a. Galli dicunt, de rixatore quod in proximi capillos inuolauerit, *Il s'apris au poil.*

Est autem rixa, audax voluntas vindicandi iniuriam factam *sec. Alb. Mag. l. 3. compendij, c. 17.*

Rixa videtur quoddam priuatum bellum, quod agitur inter personas priuatas, non ex aliqua publica authoritate, sed magis ex inordinata voluntate.

Rixa est contradictio in factis, scilicet mutua percussio, & particulare bellum, sine authoritate publica. Sed contentio est in verbis. *secund. D. Thom. 2. 2. q. 41. art. 1. c.*

Rixa a ringo dicitur. Est enim ringere siue ringi rostrum torquere, quod canes faciunt latraturi. Hinc ringi pro irasci capitur & tacitum stomachari. Terent. *Ille ringitur. tu rides.* A rixa fit rixor verbum, quod est iurgor, contendo. A quo contentiosus, rixosus.

L O C I B I B L I C I.

Rixæ opus carnis sunt, *Gal. 5. 20.* de rixarum suscitatione, *Prou. 10. 12. & 15. 18. & 17. 19. & 18. 6. & 23. 29. & 26. 27. & 29. 22.* de Rixantibus lex, *Exod. 21. 18.*

S E N T E N T I A E P O E T I C Æ.

Satius esse interdum cedere, quam rixari.

Anthol. Sac. Iac. Billij.

In rixis grauibus nonnunquam cedere præstat,
Quam nimium niti victor vt esse queas.
Sæpe etenim in lucta vincet, qui ludat vt hostem,
Quem præstare vides robore sponte cadat.
Æquore turbato præstat demittere vela,
Stultitia pœnas quam dare morte graues.
Esse iuuat facilem rapidus quod sæpe nequiuit,
Aphrieus, hoc Solis feruida flamma facit.

A D A G I A.

Rhodij sacrificium. Ῥόδιοι τὴν θυσίαν.

Vbi res iurgijs & verbis male ominantis peragitur. Refertur a Diogeniano.

Spirat Cæcias. καικίας πνεῖ.

Aristophanes. Cæcias autem ponitur pro turbis ac litibus.

Insania laurus adest.

Plin. lib 10. c. 45. Quadrabit in hominem rixarum authorem.

Lyndij sacrum. Λίνδιοι τὴν θυσίαν

Dicebatur in eos, qui inauspicato rem diuinam faciebant. Ad multos vsus accommodari poterit, vel ad rixosum conuiuium, vel ad rem quampiam male ominibus institutam.

Litem mouebit si vel asinus canem momorderit.

Quadrabit in eos, qui de re quantumuis exigua litem suscitant.

Canina facundia.

Dictum in quosdam qui tantum ad maledicendum eloquentiæ studium conferunt.

Litem incipere.

In eum, qui iam prouocatus aggreditur conuitijs agere. congruit illud Homeri ex Iliad. χ

Ἥλατο δ' ἀλκιμον ἔγχος μέγαν ὀξέϊ χαλκῷ.
Hastam coripuit robustam cuspide acuta.

Cui diuersum est illud. Hastam abiecit.

Ne allia comedas & fabas. ἵνα μὴ φάγῃς σκόροδα, μηδὲ κυάμους.

Pro eo quod est ne belles, neue in rixis adsis.

Ptolemaica lis. Πτολεμαϊκὴ δίκη.

Diogenianus indicat dici solitum in litium auidos.

Vltra Hyperbolum. ὑπὲρ τὸν ὑπέρβολον.

Conueniet in eos, qui similis laborant morbo.

Tetigit lapidem a cane morsum.

Plin. li. 29. c. 5. de veneno rapidi canis agens. Minus hoc miretur, (inquit) qui cogitet lapidem a cane morsum vsque in prouerbium discordiæ venisse.

Syrbenæ chorus Συρβηνῶν χορός.

De choreis incompositis, ac tumultuo (?) olim dicebatur. Tempestiuiter dicetur in homines inter se discordes & querulos, aut vbi offendet aures imperitorum cantorum Symphonia dissona.

Eretriensium Rho. Ἐρετριέων ῥῶ.

Videtur in homines præcipites ac violentos æstuare prouerbium, ρ enim siue R. canina litera est & iracundorum propria.

Vide, Bellum, Contentio, Ira,

ROBVR.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Robur est facultas mouendi alterum, vt vult: præcise est autem mouere alterum vel, trahendo, vel pellendo, vel tollendo, aut deprimendo, aut collidendo. *Arist. rhet. 1.*

Robur est in firmitate, & agilitate secundorum, quæ illis componuntur corporum *Alex Aphro. 2. de an. c. 43.*

Robur est vis vnumquodque in natura sua seruans, eo quod detrimenta vitat. *Speusip. in Plat. definit.*

Robur siue Robor, proprie est species arboris glandiferæ durissimæ. Per translationem vero sumitur pro animi fortitudine, & pro corporis firmitate; Græc. ἰσχὺς, καρτέρημα Heb. *Omets, Iob. 19. 9.* à verbo *Amatz*. Robustior fuit, corroboratus est, valde consolidatus est præ cæteris, erectus est fortitudine præ alijs. Cognationem habet cum verbo *Hatsam*, Osseus fuit, firmus fuit, instar ossium: vt robusti homines toti ex neruis & ossibus compacti videntur 2. *Ghebhurah*, fortitudo, robur animi & corporis, quo alius alium superat, *Psal. 89. 14. & 106. 2. & 147. 10. & 150. 2. Esai. 30. 2.* à verbo *Gabar*, superauit, præualuit, prædominatus est alijs virtute, potentia & autoritate superior fuit: & transitiue roborauit, fortificauit. Hinc κυβερνάω guberno, κυβερνήτης, gubernator, κυβέρνησις gubernatio. Gall. *gouuerner, gouuerneur, gouuernement*: in quibus robur animi, & corporis præsertim requiritur. 3. *Chozeh, Chozah, Chazhah,* à verbo *Chazah*, Præualuit, inualuit, præualidus fuit, fortis fuit, obfirmatus est. Hinc ἰσχύω valeo, fortis sum, robustus, sum, ἰσχὺς Robur.

LOCI BIBLICI.

Robur Dei, *Iob. 9. 4 Esdr. 4. 23.*

Deus robur suorum, *2. Sam. 2. 2. Psal. 18. 2. Ierem. 16. 19.*

Robur hominis, *Deut 8 17. Iud. 8. 21. 1. Sam. 2 9. 1. Chr. 8. 40. & 9. 13. & 12. 30. & 20 1. Ier 51. 30. 53. Ezech. 28. 5. Dan. 8, 12. Zach 4. 6.*

Robur panis & aquæ. *Esai. 3. 1.*

Robur regis, *Prouerb. 20. 28,*

Abraham robustus fide factus est, *Rom. 4, 20.*

Iosue & Israelitæ robusti quomodo facti: *Ios. 1. 6. &c. & 16, 23.*

Robur diuitis, *Prou, 18. 11.*

Robusta manus Dei, *Exod. 6. 1. & 32. 11, Deut. 4. 34. & 7. 19. & 11. 2, Ierem. 32. 21.*

Robusti homines. Vide infra, Robustorum Exempla.

SENTENTIAE SAPIEN. ETHNICORVM.

Robur mente carens in quoscunque inciderit, eius sepulchro tradit. *Menander.*

Præstat corpore quam animo languere, *Stob. Serm. 1.*

Robur cum prudentia iuuat, sine ea verò damno afficit possidentes. *Isocrates.*

Nimio robore membrorum vigor mentis hebescit, quasi abnuente natura vtriusque boni largitionem: ne supra mortalem sit felicitatem, eundem & valentissimum esse & sapientissimum *Valer. Max. l. 9. c. 12,*

Robur corpora quidem exercentium se ornat; animi vero studia obtenebrat *Isocrat Demonic.*

Hominum proprium robur in animi ratione consistit, qua & elephantos per siluas pedicis capit, frenat equos, subiugat boues aratris, volucres arundinibus deijcit, & in profundo submersa retibus extrahit. Hæc eius vis est quæ multo vberius se profert, cum ambitus terræ, cæli magnitudines, & stellarum circulos persequendo non fatigatur. Hæc erant Hercule digna. Quis enim non Vlysses quã Cyclops esse malit? *Plutarch. lib. contra vires corp. apud Stob Serm 51.*

Homines viribus tantum, robori & velocitati augendis student, & quo pacto hæc habentes ex ipsis solis clari fiant; animum vero per quem excellunt negligunt: ignorantes se illa solum excolere quæ cum brutis habent communia, & quidem imbecilliora quã multa ex brutis: diuinissimam vero sui partem, & secundum quam dijs aliquo modo similes reddi possunt, neglectui habere, *Eusebius eod. Serm.*

Animi præsentiam in periculis cum ratione coniunctam laudato, imperium vero ad ea sine ratione audaciam vocato, & oderis. *Idem, ibid.*

ADAGIA.

Alter Simson, vel, Simsone robustior.

Simsonis robur vel inde colligi potest, quod obuium leonem non aliter atque hœdulum nullo negotio propemodum ludibundus discerpserit, aliaque sic executus, quæ prodigiosum & supra humanam sortem robur testantur, Iudic. 14 15. 16. Capitib. Alter Simpson *dicetur quiuis firmissimo robore præditus*: eadem plane forma qua Ethnici dicunt, Alter Hercules, cuius fabulam ex Simpsonis historia Græci confinxerunt.

Alter Goliath. *Adagium in quemuis procera immanisque statura robustum bellatorem suo robore fretum atque fabuerosum & suis armis pergentem conueniet.*

APOPHTHEGMATA.

Diogenes. Crates Thebanus cum nudatus in certamine, ob corporis deformitatem derideretur. De oculis, inquit, ò Crates, reliquoque corpore bono animo esto. Nam istos qui nunc te derident, mox conspicies morbo contrahi: omnibusque viribus destitui. Significauit formam nihil omnino facere ad victoriam, sed robur, & laborum tolerantiam, qua cæteros antecedebat. *Laert. l. 6. cap. 5.*

Archidamus, quum vidisset filium suum nimis temere contra Athenienses pugnantem. Aut vires tibi augendæ sunt, dixit: aut minuenda audacia. *Plut in apoph. Lacon.*

Aratus, laudante quopiam virum desperatum & audacem, ac idcirco & in bellis eximium: differre dixit magni facere virtutem, & vitam nihili facere. *Plutarch.*

Anonyma. Anus quædam videns Iouinianum Romanorum Imperatorem corporis proceritate atque mole excellentem, sed mente captum: O crassam atque pinguem stultitiam proclamasse fertur. *Niceph lib. 19. c. vlt.*

Anonymus. Ex plebe præterea quidã in Hippodromo dicacitate eundem Iouinianum perstrinxit, & risum ingentem omnibus mouit. Inanem enim & frigidam proceritatem esse dixit. *Ibid.*

Maximinus exercebat lucta milites suos, multos ad terram prosternens. Itaque cunctis inuidentibus, tribunus quidam vasti corporis, notæque virtutis, atque ob hoc ferocior, dixit: Quid magni facis, si tribunos tuos milites vincis? Tum Maximinus: Visne cõgrediamur? Quum prodisset, palma pectori impacta supinum reiecit, dixitque: Date alium, sed tribunum. *Capitol.*

SIMILITVDO.

Arbores infœcundæ firmiores sunt fœcundis: Ita robustius est corpus his qui nihil pariunt in literis, quam qui sese laboribus exhauriunt. *P. M,*

EXEMPLA BIBLICA.

Robustorum *exempla*: Nimrod, *Gen. 10. v. 9. Iosue & Israelitæ, & Ios. 1. 10. & aliæ cap.* Moabitæ, *Iudic. 3. v. 29.* Samson, *14. v 14. 15.* Israelitæ & Beniamitæ, *22. v. 26.* Cis pater Saulis, *1. Sam. 9. v. 1.* Dauid *16. v 18. & 17. v. 34. 35. 36. 2 Sam. 16. v. 18.* Goliath, *1. Sam. 17. v. 45 &c.* Saul & Ionatan, *2. Sam. 1. 19. 23.* Robusti Duces in exercitu Dauidis numerantur, *2. Sam. 23 8. &c.* Abisai, *2. Sam. 23. v. 18. 1. Paralip. 11. v. 20.* Ioiada & Benaias. *2. Sam. 23. v. 20. 22. 1. Paralip. 11. v. 22.* Filij Vlam, *1. Paralip. 8. v 40. & 9. v. 13.* Iesbaam, *11. v. 11.* Eleazar, *v. 12.* vir de Gaddi, *12. v. 8.* filij Meselemiæ, *26. versi. 1. 2.* Robusti Ierusalẽ, *2. Paralip. 17. v. 13. 14.* Robusti de Israel, *25. v. 6.* Robusti iuuenes, *2. Machab. 12. v. 27.*

Vide, Fortitudo, Vires,

RVSTICVS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Rvsticus, ci, subiectum, proprie Agricola, siue ruri habitans; Græce ἀγροικός Heb. *Isch. Sadhe.* vir agri, ruricola, Rusticus, a, um. adiectiuum, quod ruris vel rustici est, vel ruri degit: Græc. ἐπάγροικος. Cicero pro Roscio Amer. Vita hæc rustica quam tu agrestem vocas, parsimoniæ & diligentiæ magistra est. Quandoque rusticus dicitur per translationem, homo rudis, moribus & vita incultus: & Rusticitas, ἀγροικία est morum inciuilitas, vrbanitati contraria Martial. lib. 7. *Quare aliquem Curios semper Fabiosque loquentem Hirsutum, & dura rusticitate trucem.* Ponitur quandoque pro inepta & timida verecundia, quam δυσωπίαν Græci vocant. Ouidius, *Et si rusticitas non vetat, ipsa rogat.* Item, *Hæc mihi rusticitas, non pudor ille fuit.* Rusticulus, qui genium rusticanum & mores agrestes aliquantum redolet Martial. l. 10. *Nec doctum satis & parum seuerum, sed non rusticulum nimis libellum facundo mea Plinio Thalia.*

SENTENTIÆ PHILOSOPHICÆ.

De laudatis viris rura rusticamque solitudinem olim colentibus, hæc *Cicero*: Multi sunt & fuerunt, qui eam quam dico tranquillitatem appetentes à negotijs publicis se remouerunt, ad otiumque profugerunt. In his & nobilissimi Philosophi longeq; Principes, & quidam homines seueri & graues, nec populi nec Principum mores ferre potuerunt. Vixeruntque nonnulli in agris delectati re sua familiari. His idem propositum fuit, quod & Regibus, vt ne qua re egerent, ne cui parerent: libertate vterentur, cuius proprium est sic viuere, vt velis. *Offic. lib. 1.*

Quo pacto

Quæpacto non magis secundum naturam fuerit ex ipsa terra, quæ parens & nutrix omnium est, quam aliunde nutriri? An non magis herile est ruri viuere, quã vt sophistæ in oppido desidere? Nõ ne salubrius est foris vitam degere, quam in vmbra educari? vtrum vero liberalius est, vnumquemque sibi necessaria compara re, aut ab alijs accipere? Multo sane honestius apparet non indigere alio ad res sibi necessarias, quam indigere alio ad res sibi necessarijs. Adeo autem egregia res, Deoque accepta ex agricultura viuere, modo cum honestatis studio coniuncta sit, vt Apollo Mysonem Thimæum sapientem, Aglaem Psophideum vero felicem appellauerit, quorum vterque ruri agens, suisque manibus laborans, vrbana habitatione abstinebat. *Musonius apud Stob serm.54.*

Rusticitatem vero vt & rusticum siue effecis moribus præditũ hominẽ depingit *Theophrastus* his verbis: Rusticitas, *ἀγροικία*, honestatis & decori ignoratio videri queat. At rusticus is est, qui hausto pharmaco in concionem nihilominus prodeat, quique vnguenta non suauius fragrare thymo dicat: calceos gestat pede grandiores: voce etiam alta loqui sueuit. Amicis necessarijsque suis parum confidens, de rebus maximis ad famulos refert: quæcunq. in concione audiuit omnia mercenarijs suis, qui ruri apud ipsum opus faciunt, enunciat. Sæpe etiam veste ita supra genu subducta sedet, vt denudatæ corporis partes conspici queant. In vita aliorum quidem nihil admiratur, neque vlla re obstupescit: sed si bouem, asinum aut hircum viderit, ibi homo gradum sistere, & contemplari. Quumque aliquid è promptuaria cella depromit, decerptum inde frustum vorat, & vinum meracius potat: diligenter interim ne hoc ancilla panifica resciscat, cauens. Deinde vero, cum illa molere, & quæ sunt ad victum necessaria, tum sibi, tum vniuersæ familiæ parare solet. Inter prandendũ iumentis pabulum obijcit: & si quis fores pulset, ipse auscultat. Vocato etiam cane, & eius rostro manu apprehenso, Hic (inquit) & agrum, & domum, quique in ea sunt omnes custodit. Argentum quod ab aliquo acceperit, quasi tenue, aut nimis asperum solet reijcere, & vt alio id sibi mutetur postulare. Aratrũ si cui forte vtendum dederit, aut cophinum, aut falcem, aut saccum, nocte intempesta illa repetet, si per insomnium fuerit eorum recordatus. In vrbem cum venit, obuium quemque interrogans, Quanti (air) pelles & salsamenta venibant? &, Nunquid hodie ludi nouam lunam adducunt? Dicit etiam, se simulac descenderit tonderi velle. Idem cantare in balneo, & clauis calceos suffigere, & quia eadem via erat, ab Archia salsamenta accipere, ac portare ipse, moris habet.

SENTENTIÆ POETICÆ.

Horatius Epist.1.3.epist.3.

Dimidium facti qui cœpit, habet sapere aude,
Incipe viuendi qui recte prorogat horam,
Rusticus expectat dum defluat amnis, at ille
Labitur, & labetur in omne volubilis æuum.

Virgilius, Ecl.2.

Rusticus es Corydon, nec munera curat Alexis.

In Culice, de bono rustico loquens.

Illi dulcis adest requies, & pura voluptas,
Libera simplicibus curis, hunc imminet omnis,
Dirigit huc sensus, hæc cura est subdita cordi,
Quolibet vt requie victu contentus abundet,
Iucundoque leuet languentia corpora somno.

Tibullus, l.1. Eleg.10.

Ipse suas sectatur oues at filius agnos,
Et calidam fessa comparat vxor aquam,
Sic ego sim, &c.

Claudianus.

Felix qui proprijs æuum transegit in aruis,
Ipsa domus puerum quem videt ipsa senem.
Qui baculo nitens, in qua reptauit arena,
Vnius numerat sæcula longa casæ.
Illum non vario traxit fortuna tumultu,
Nec bibit ignotas mobilis hospes aquas.
Non freta mercator timuit, non classica miles,
Non rauci lites pertulit ille fori.
Indocilis rerum, vicinæ nescius vrbis,
Aspectu fruitur liberiore poli, &c.

Concludit.

Erret & extremos alter scrutetur Iberos,
Plus habet hic vitæ, plus habet ille viæ.

Idem Lib.1. Ruf.

Hæc mihi paupertas augustior, hæc mihi tecta
Culminibus maiora tuis, ibi quæris inanes
Luxuries nocitura cibos, mihi donat inemptas
Terra dapes, rapiunt Tyrios tibi vellera succos,
Et picturata saturantur murice vestes.
Hic radiant flores, & prati viua voluptas,
Ingenio variata suo fulgentibus illic
Surgunt structa toris, hic mollis panditur herba,
Sollicitant curis non abrupturæ soporem,
Turba salutantum latas ibi perstrepit ædes:
Hic auium cantus, labentis murmura riui.

SENTENTIÆ PHILOSOPHICÆ.

Rustici & duri sunt, qui quæcunque ridicula non dicũt, nec aliquid dicentes audiunt. *Arist.4.ethic.c.8.*

Rusticus qui nec incessare vult, nec recte incessum ire existimat, sed excandescit. *idem mag.mor.1.c.28.*

Vide Agricola, Agricultura.

FINIS LIBRI DECIMISEXTI.

POLYANTHEAE NOVISSIMAE LIBER XVII.

S

SABBATVM.

LOCI BIBLICI.

Sabbatum à Deo benedicitur, *Genes* 2.3. propter hominem institutum est, *Marc.* 2, 27. Sabbatum perpetuum, *Esaia* 66.23. *Hebræorum*, 4.9. sabbatum terræ septimo quoque anno, *Exod.* 23, 11. *Leuit.* 25. 4. sabbatum alterum primum, pro festo plurium dierum vltimo, *Luc.* 6.1. sabbati obseruatio præcipitur, *Exod.* 16.29. & 20. *v.* 8.9. & 23.12. & 31. *v.* 14.16. & 34.21. & 35.3. *Leu.* 19. *v.* 30. & 23.3. & 26.2. *Deuter.* 5.12. *Esa.* 56.2. & 58. 13. *Ierem.* 17.21. *Ezech.* 20.3.

Causæ præcipue sanctificationis sabbati sunt quatuor: *Prima*, vt dies ille impendatur cultui diuino, quo die præsertim solebant agi conuentus publici, *Luc.* 4. 16. quæ consuetudo agendi conuentus in diem Dominicam translata est, *vt colligitur ex Act.* 20.7. 1. *Corinth.* 16 2. *Secunda*, vt ne continuis laboribus te aut tuos fatiges & conficias. *Exod* 23.12 *Deuter.* 5.14. *Tertia*, vt perpetuo recorderis operum Dei in creatione, *Genes.* 2. *ver.* 1.2. *Exod.* 29. *v.* 10. 11. *Vltima*, causa est, perpetua memoria liberationis à seruitute Aegyptiaca. *Deut.* 5.15. Addi his potest & liberalitas Dei in sexto, & cessatio manuum in septimo die, quā causam attingit Moses, *Exod.* 16.29.

Sabbati obseruati *Exempla*: Israelitæ *Exod.* 16. 30. Iudas Machabæus & Iudæi, 2. *Machab.* 8. *versic.* 24.25. 26. 27. Christus etiam studiose coluit sabbatum, ita vt plerumque sabbato in synagogis doceret, & miraculis se patefaceret, *Luc.* 4. *versic.* 16.17. *&c.* Paulus & Barnabas, *Actor.* 13. *versic.* 14. 15. 42. & 16.13. Paulus & Silas, 20.7.

Sabbati violationis, siue prophanationis, eiusque pœnæ *exempla*: Homo colligens ligna, *Numer* 15. 30. Israelitæ, *Nehem.* 13.15 *Ierem.* 17.27. sabbati Dominus Christus, *Marc.* 2.28. hoc est, in sua potestate habet sabbatum, vt possit pro suo imperio moderari. Sabbatum magnum vocabatur Iudæis, *Ioan.* 19. 31. cum in sabbatum dies Paschæ incideret: hoc est, valde solemne & celebre: concurrente videlicet duplici celebritate Sabbatum profanare dicuntur Sacerdotes, *Matth.* 12.5. sabbati sacrificia, *Ezechiel.* 46.4.

Sabbata, non quia pro septimo, vt alias sæpe, nec pro singulis hebdomadis diebus quos vulgo Ferias vocant, sed potius pro ipsis septimanis, *Leuit.* 25.8. & pro septimana ipsa, *Matth.* 28. 1. per synecdochen.

Sabbatum, id est, quies, seu quietis dies, à verbo Hebr. *Sabat*, quieuit. Hinc illa dies *ἀνάπαυσις* dicitur Græcis, & *σαββατισμὸς*, cessatio a labore corporis. Vide Etymologic. trilingue Lugdun. *pag.* 686.687.

SENTENTIAE BIBLICAE.

Sabbatum à Deo sanctificatur.

Et benedixit diei septimo, & sanctificauit illum: quia in ipso cessauerat ob omni opere suo. *Gen.* 2.

Requies sabbati sanctificata est Domino. *Exod.* 16.

Videte vt sabbatum meum custodiatis, quia signum est inter me & vos. 31.

Insuper & sabbata mea dedi eis, vt essent signum inter me & eos & scirent quia ego Dominus sanctificans eos. *Ezech.* 20.

A bono bene obseruatur.

Memento vt diem sabbati sanctifices: Sex diebus operaberis: Septimo autem die sabbatum Domini Dei tui est: non facies in eo omne opus, tu & filius tuus, & filia tua, seruus tuus & ancilla tua, iumentum tuum & aduena qui est intra portas tuas. *Exod.* 20. & 34.

Sex diebus operaberis, septimo die cessabis arare & metere. 34.

Sex dieb. facietis opus, dies septimus, quia sabbati, requies est & vocabitur sanctus. Omne opus non facietis in eo. *Leuit.* 23.

A vespere vsque ad vesperam celebrabitis sabbata vestra. *ibidem.*

Obserua diem sabbati, vt sanctifices eum. Non facies in eo quicquam operis. *Deut.* 5.

Si auerteris à sabbato pedem tuum, facere voluntatem tuam in die sancto meo, & vocaueris sabbatum delicatum, & sanctū Domini gloriosum, & glorificaueris eū dū non facis vias tuas & non inuenitur voluntas tua, vt loquaris sermonem: tunc delectaberis super Domino: & sustollam te super altitudines terræ. *Esa.* 58.

Custodite animas vestras & nolite portare pondera in die sabbati. Sanctificate diem sabbati. *Ier.* 17.

Si audieritis me, dicit Dominus, vt non inferatis onera per portas ciuitatis in die sabbati, & si sanctificaueritis diem sabbati, ne faciatis in eo omne opus, ingredientur per portas ciuitatis huius reges & principes, sedentes super solium Dauid, & habitabitur ciuitas hæc in sempiternum. *ibid*

Itaque licet sabbatis benefacere. *Matth* 12.

Sabbatum propter hominem factum est, & non homo propter sabbatum. Itaque Dominus est filius hominis etiam sabbati. *Marc.* 2.

Interrogo vos, si licet sabbatis benefacere an male, animam saluā facere, an perdere. *Luc.* 16.

Hypocritæ, vnusquisque vestrum sabbato non soluit bouem suum aut asinum à præsepio, & ducit adaquare? 13.

A malo male violatur.

Sex diebus facietis opus: septimus dies erit vobis sanctus, qui fecerit opus in eo, occidetur, *Exod.* 35.

Colligens ligna sabbato, præcepto Domini lapidatus fuit. *Numer.* 15.

Dies vestri conuertentur in lamentionem & luctum, *Tob.* 2.

Neomeniam & sabbatum, & festiuitates alias non feram: iniqui sunt cœtus vestri: Calendas vestras & solemnitates vestras odiuit anima mea. *Esa.* 1.

Si non audieritis me, vt sanctificetis diem sabbati, & ne portetis onus, & ne inferatis per portas Ierusalem in die sabbati, succendam ignem in portis eius, & deuorabit domos Ierusalem. *Ierem.* 7.

Odi & proieci festiuitates vestras, & non capiam odorem cœtuum vestrorum. *Amos.* 5.

Et conuertam festiuitates vestras in luctum, & omnia cantica vestra in planctum. 8.

SIMILITVDINES.

Procopij. Quemadmodum festos dies appellamus sanctos, quod contineant memoriā beneficij alicuius singularis a Deo nobis dati, sicuti & illud. Sanctificate ieiunium: id est, separate & ordinate ieiunandi tempus: Ita Iudæis imperauit supremum Numē, vt segregarent à cæteris diebus diem septimum, eumque destinarent cultui diuino: vt si obliuio Dei forte obrepserit, tamen inuitis tandem ex ipso die, quo quietem capiunt, in memoriam reuocetur & redigatur, quo omnia fecit, & die septimo requieuit. *in Genes. cap.* 2.

SACERDOS.

DEFINITIO, ET ETYMOL.

Sacerdos, Græce ἱερεύς, ἱερωσύνη sacerdotium dicitur. Est autem sacerdos is, qui Deo dicatus est ad sacrificia facienda. A quo sacerdotium ipsum, sacerdotis munus officiumque.

LOCI BIBLICI.

Sacerdos pro se & populo orat, *Leuit.* 9.7. & 16. *versicul* 6 17.18. à mortuorum ex quijs abstinet, barbam non radit, *versic.* 5. Virginem

nem vxorem ducit, v. 13. *Ezech.* 44. 21. Sacerdos noster Christus, *Hebr.* 5. 6. 7. 1. *&c.*

Sacerdotis ad populum præliaturum exhortatio. *Deuteron* 20. v. 2. 3. Sacerdotis filia fornicans, comburenda, *Leuit.* 21. 9. Sacerdotis peccatum, quomodo expiandum, 4. 3. Sacerdoti rebellis: morte plectendus, *Deut* 17. 12. Sacerdos, antequam Sanctuarium ingrediatur, obseruanda. *Leuit.* 16. v. 2. 3. Sacerdotes oblationis reliquias comedunt, *Leuit.* 10. 12. Sacerdotes quando à vino abstineant, v. 8. 9. *Ezech,* 44. 20. Sacerdotes mali arguuntur, 22. 26. *Osea.* 5. 1. *Soph.* 3. 4. *Malach.* 1. 6. *&* 2. 1. Sacerdotes mali, & eorum punitio, *Num.* 16. 1. *&c.* 1. *Sam.* 2. 22. *&c* 3. 13. 1. *Reg* 2. 26. *Esa.* 3. 11. *Ier.* 2. 5. *&* 8. 7. *Ose.* 4. 6 *Malach.* 2. v. 1. 8. 1. *Malach.* 7. v. 5. 9. Sacerdotes multi Christo credunt, *Act.* 6. 7. Sacerdotes veritatis hostes, 4. 1. Sacerdotes Baal occiduntur, 1. *Reg.* 18. 40. 2. *Reg.* 10. 18. *&* 23. 5. Sacerdotum auaritia, *Malac* 1. 10. authoritas, *Deut.* 17. 9. in populum benedictio, *Num.* 6. 42. eius efficacia, *Gen.* 14. 18. *Num.* 6. 26. Sacerdotium consecratio, *Exod* 28. 41. *&* 29. 1. coquinæ, *Ezech.* 46. 20. Hæreditas Deus ipse, *Deut.* 18. 2. Ignorantia, *Ezech.* 22. 26. inuidia, *Matth.* 27. 17. multitudo & numerus in veteri Testamento 1. *Par.* 24. 3. *vbi numerantur* 38000 Officium, *Exod* 26. 44. *&* 30. 7. *Leuit.* 10 v 1. 6. 9. 19. *&* 21. 1. *&c.* 22. 1 *&c.* 24 3 *Num.* 3. 10 *&* 4. v. 5. 21. *&* 10. 8. *&* 18. v. 1. 7. *Deut.* 20. 2. *&* 21 5 1. *Sam* 2. v. 24. 34. 1. *Par.* 6. 49. 2. *Par.* 26. 17. *Ezech.* 44. v. 20. 23. *Malach* 2. v. 4. 7. *Hebr.* 5 7. *&* 10. 11. ornamenta vestium & ordinatio. *Exod.* 28. 8. *&c.* 29. 1. *&* 39. 1. *&* 40. 12 *Leuit.* 8. v. 1. 8. terra fame grassante, minime vendita, *Genes.* 47. 22. Sacerdotum defunctorum viduæ, Sacerdotum vxores esse possunt. *Ezech* 44. 22.

Sacerdotū Leuiticorū & Christi discrimen, *Hebr.* 9. 25. *&* 10. 11. 12.

Sacerdotibus dabantur decimæ & primitiæ, *Num.* 5. v 9 10. *&* 18. v. 8. 11. *Deuter.* 8. 3. vt liberi a sollicitudine comparandi victus, possent vacare Legi Dei, 2. *Paral* 31. v 4. *&c.* Necessaria vitæ sustentationis assignabantur, *Exod.* 29 29 *Leuit.* 2. v 3. 10. *&* 5. 13. *&* 6. v. 9. 19. *&* 7. v. 6. 32. *&* 10. 13. *&* 24. 9. *Num* 3 48. *&* 5 9 *&* 18 v 8. 11. 28. *Deut.* 18. 1. 1. *Sam.* 1. 28. 2. *Reg.* 12. 16. 1. *Par.* 6. 54. 2. *Par.* 36. 4. 2. *Esdr.* 10. 36. *Eccl.* 45. 15. a Sacerdotibus Legem accipiat Rex. *Deut.* 17. 18.

Sacerdotium Leuiticum abrogatum, *Hebr.* 7. v. 11. 12. Christianum, quo spirituales hostiæ offeruntur per Christum, *Esaia* 69. 11. *Rom.* 51. 16. 1 *Petr.* 2. 5.

Sacerdotale Dei regnum, Israelitæ, *Exod.* 19. 6.

SENTENTIAE BIBLICAE.

Sacerdos bonus Deum pie honorat.

Sacerdotes qui accedunt ad Dominum sanctificentur, ne percutiā eos, *Exod.* 19. 28 30.

Accede ad altare, & immola pro peccato tuo. Offer holocaustum (ait Moses Aaroni) & deprecare pro te & pro populo. *Leuit.* 9. 10. 22. 22.

Et suscitabo mihi sacerdotem fidelem, qui iuxta cor meum & animam meam faciat. 1. *Reg* 2.

Omnis pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis. *Hebr.* 5.

Seipsum congrue ordinat in victu.

Vinum & omne quod inebriare potest, non bibetis tu & filii tui, quando intrabitis in tabernaculum testimonii, ne moriamini. *Leu.* 10.

Oportet episcopum: sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem non superbum, non iracundum, non violentum. *Tit.* 1.

Vestitu.

Sacerdotes tui induantur iustitia. *Psal.* 131.

Mundamini, qui fertis vasa Domini. *Esa* 52.

Et viduam & repudiatam, non accipient vxores: sed virgines de semine domus Israel. *Ezech* 44.

Te ipsum castum custodi. 1. *Tim.* 5.

Iuuenilia desideria fuge, sectare vero iustitiam, fidem, spem & charitatem, & pacem cum his qui inuocant Dominum de corde puro, 2 *Tim.* 2.

Proximum bene ædificat verbo.

Et nunc fratres quoniam vos estis presbyteri in populo Dei, & ex vobis pendet anima illorum, ad eloquium vestrum corda illorū erigite. *Iudith.* 8.

Et populum meum docebunt quid sit inter sanctum & pollutum, mundum & immundum ostendent eis: Et quum fuerit controuersia, & stabunt in iudicijs meis, & iudicabunt. *Ezech.* 44.

Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia angelus Domini exercituum est. *Malac.* 2.

Exemplo.

Sic nos existimet homo vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei, 1. *Cor.* 4.

Nemini dantes vllam offensionem, vt non vituperetur ministeriū nostrum, sed in omnibus exhibeamus nos sicut Dei ministros, in multa patientia 2. *Cor* 6.

Nemo adolescentiam tuam contemnat, sed exemplum esto fideliū. 1. *Tim.* 4.

In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum. *Tit.* 2.

Sacerdos verus ad officium rite vocatur.

Applica ad te Aaronem fratrem tuum cum filijs suis de medio filiorum Israel, vt sacerdotio fungantur mihi *Exod.* 28.

Aaronem & filios eius vnges, sanctificabisque eos mihi: vt sacerdotio fungantur mihi. 30.

Applicabis Aaronem & filios eius ad fores tabernaculi testimonij, & lotos aqua indues sanctis vestibus, vt mihi ministrent, & vnctio eorum in sacerdotium sempiternum proficiat. 40.

Quum sanctificans aspersisset altare septem vicibus, vnxit illud, & omnia vasa eius, labrumq; cum basi sua sanctificauit oleo. Quod fundens super caput Aaronis, vnxit eum, & consecrauit. *Leuit.* 8.

Quem cum immolasset Moyses, sumens de sanguine eius (arietis immolati) tetigit extremum auriculæ dextræ Aaronis, & pollicē manus eius dextræ, similiter & pedis *ibid.*

De ostio tabernaculi non exibitis septem diebus. Septem enim diebus finitur consecratio. *ibid.*

Homo de semine tuo, per familias (suas) qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo, nec accedet ad ministerium eius, si cæcus fuerit, aut claudus, aut gibbosus, aut vitiato oculo. Ego Dominus qui sanctifico eos 21.

Elegit sacerdotes sine macula, voluntatem habentes in lege Dei & mundauerunt templum, & tulerunt lapides contaminationis in locum immundum. 1. *Machab.* 5.

Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea, quæ desunt corrigas & constituas per ciuitates presbyteros, sicut & ego disposui tibi. *Tit.* 1.

Nec quisquam sibi sumit honorem, sed qui vocatur a Deo. *Hebr.* 5.

Quum constituissent illis per singulas Ecclesias presbyteros, commendauerunt eos Domino. *Act.* 14.

A bonis debitè honoratur.

Emit Ioseph omnem terram Ægypti, vendentibus singulis possessiones suas præ magnitudine famis. Subiecitque eam Pharaoni, & cunctos populos eius præter terram sacerdotum, quæ a rege tradita fuerat eis, quibus & statuta cibaria ex horreis publicis præbebantur. *Gen.* 47.

Qui superbierit nolens obedire sacerdotis imperio, morietur. *Deuter.* 17.

Presbytero humilia animam tuam. *Eccl.* 4.

In tota anima tua time Deum, & sacerdotes illius sanctifica. In omni virtute tua dilige eum qui te fecit, & ministros eius ne derelinquas. 7.

Honorifica sacerdotes. Da illis partem, sicut mandatum est tibi: Primitiarum & purgationis. *ibid.*

Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur. 1. *Tim.* 5.

Plene a Deo remuneratur.

Omnes primitiæ, quas offerunt filii Israel ad sacerdotem pertinent, & quicquid in sanctuarium offertur a singulis, & traditur manibus sacerdotis ipsius erit. *Num.* 5.

Ecce dedi tibi custodiam primitiarum mearum. Omnia quæ sanctificantur a filiis Israel, tibi tradidi, & filiis tuis, pro officio sacerdotali, legitima sempiterna. 18.

In terra eorum nihil possidebitis, nec habebitis partem inter eos. Ego pars & hæreditas tua, in medio filiorum Israel *ibid.*

Quamobrem non habuit Leui partem neque possessionem cum fratribus suis, quia ipse Dominus possessio eius est. *Deut.* 10.

Cæterum inter gentes non hæreditabit. Ipse enim est pars eius. *Eccl.* 45.

Non erit eis hæreditas: ego hæreditas eorum. Victimam & pro peccato & pro delicto ipsi comedent, & omne votum Israel, ipsorum erit. Et primitiua omnium primogenitorum, & omnia libamenta ex omnibus quæ offeruntur, sacerdotum erunt. *Ezech.* 44.

Impij Sacerdotes describi.

Sacerdotes eius contempserunt legem meam, & polluerunt sanctuaria mea. Inter sanctum & prophanum non habuerunt distantiam, & inter pollutum, & mundum non intellexerunt. *Ezech.* 22.

Semetipsos in probrum dant.

Coronas aureas habent super capita sua dij illorum: vnde subtrahunt sacerdotes ab eis aurum & argentum, & erogant illud in semetipsis. Dant autem & ex ipso prostitutis, & meretrices ornant: & iterum quum receperint illud a meretricibus ornant deos suos *Baru.* 6.

Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi. Et erit sicut populus, sic sacerdos. *Osea* 4.

Audite hæc sacerdotes, & attendite domus Israel, & domus regis auscultate iudicium: quoniam laqueus facti estis speculationi, & sicut rete expansum super Thabor, & victimas declinastis in profundum. 5.

Accingite vos & plangite sacerdotes, vlulate ministri altaris

tis. Ingredimini, cubate in facco ministri Dei mei, quoniam interit de domo Dei vestri sacrificium & libatio. *Ioel 1.*

Sacerdotes eius pro mercede docebant. *Mich. 3.*

Sacerdotes eius polluerunt sanctum, iniuste egerunt contra legem *Soph 3.*

Ad vos, sacerdotes, qui despicitis nomen meum, & dixistis, in quo despeximus? Offertis super altare meum panem pollutum. Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum: & munus non suscipiam de manu vestra. *ibid.*

Vos autem recessistis de via, & scandalizastis plurimos in lege, irritum fecistis pactum Leui. Propter quod & ego dedi vos contemptibiles, & humiles omnibus populis, sicut non seruastis vias meas, & accepistis faciem in lege. *2.*

Sacerdotium Spirituale.

Vos Sacerdotes Domini vocabimini; ministri Dei nostri, diceretur vobis. *Esa. 61.*

Vos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, vt virtutes annuncietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen suum. *1. Petr. 29.*

Qui dilexit nos & lauit nos a peccatis nostris in sanguine suo, & fecit nos reges & sacerdotes Deo patri suo. *Apoc. 16.*

Et fecisti nos Deo nostro regnum, & sacerdotes, & regnabimus super terram. *5.*

SENTENTIAE PATRVM.

Nemo in Ecclesia amplius nocet quam qui peruerse agens nomen vel ordinem sanctitatis vel sacerdotis habet. Delinquentem nam que hunc redarguere nullus praesumit, & in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reuerentia ordinis peccator honoratur. *Greg in pastorali.*

Contemplamini quid sit populo sancto praeesse, & considerate quale sit diuinis sacramentis insistere. Altari vacare debet, qui de altari viuit, & talis conuenit cui a syncer itatis sacramentis, qualia sūt sacramenta ipsa, quibus exhibent officia seruitutis, ne cōtra Deū offendant ipsa quae tractant, aut contra populum incipiant impedire quod praedicant. *Aug lib de singularitate cleri corum.*

Presbyteri, qui bene praesunt vt & doceant, digni habeantur a subditis duplici honore, scilicet vt spiritualiter eis obediāt, & exteriora bona ministrent. Boni enim dispensatores & fideles non solum honore sublimi praemiari debent, sed & terreno, vt nō cōtristentur indigentia sumptuum, & gaudeant obedientia spiritualiū. Instantior enim fit, si non humilietur inopia, & crescit in illo authoritas, quum videt se etiam in praesenti laboris fructum percipere, non vt abundet, sed vt non deficiat. *Gloss. Aug super 1. Tim.*

Qui animarum curam pro Domino suscipit, vt errantes doceat, vel consoletur moestos, vel temporalibus sustentet, vel renitentes ad remedia salutis protrahat, vel pastore destitutos gubernet, vt se cū plures ad Dominum perducat, sapiens sibi, ouia sibi, vt sublimius cum domino regnet, probatur. *Gloss super Prou. 11.*

Pastori Ecclesiae dicitur: diligenter adhibe curam eis, quibus te praeesse cognoscis, agnosce vultus & actus singulorum, si quid vitij in eis inuenies, citius castigare memento. *Gloss. sup. Prou. 17.*

Non enim tu semper pascendi dominicas oues potestatem habebis, sed aeternam percipies coronam, si suo tempore bene pauerís. *ibid.*

Sacerdotiam a tui [illegible] vitam, singulare pondus dignitas [illegible] sacerdotalis. *Am. Ep 26.*

Nihil in sacerdote tam periculosum apud Deum, tam turpe apud homines, quam quod sentit veritatem non libere pronuntiat. *in epist. ad Theod. imperat*

Ex inordinata & indisciplinata multitudine sacerdotum hodie datur contemptui redemptoris nostri venerabile sacramentum, nā qui deberent esse vicarii Apostolorum & filii Petri, facti sunt socij Iudae, & praeambuli Antichristi. *in quod fer.*

Grandis dignitas sacerdotum, sed grandis ruina, si peccant: laetamur ad ascensum, sed timeamus ad lapsum. Non est tanti gaudij excelsa tenuisse, quanti moeroris de sublimioribus corruisse: nec enim solum pro nostris delictis reddemus rationem, sed pro omnium quorum abutimur donis, & nequaquam fumus de eorum salute soliciti. *Hier. in Ezech. lib 2.*

Considera sacerdotum esse officium, de lege interrogatos respondere, si sacerdos est, sciat legem Domini: si ignorat legem Domini ipse se arguit non esse sacerdotem Domini: sacerdotis enim est scire legē, & ad interrogationē respondere de lege. *in Agg. proph.*

Conuiuia tibi vitanda sunt secularium, & maxime eorum, qui honoribus tument. Turpe est enim ante fores sacerdotis Domini & pauperis crucifixi, qui cibo quoque vescebatur alieno, lictores cōsulum iudicumque prouinciae, & milites excubare. Melius est apud te prandere, quam in palatio. *in Epist. ad Nepot.*

Infirmorum corda de mali presbyteri vita percutiuntur, securiores existentes, prolabuntur licentius in peccatum. *In quadam Epist.*

Penset ergo sacerdos, quia ad satisfaciendum districto iudici de sua tantummodo anima fortasse vix sufficit, & quot regendis subditis praeest reddendae apud Deum rationis tempore, vt ita dicam, tot solus animas habet. *In moral.*

Nihil tam onerosum ordini sacerdotum video, quam rigorem mentis compatiendo flectere, & cum personis superuenientibus animum mutare. *Hom. 6. sup. Ezech.*

Nos, qui ex oblationibus fidelium viuimus, quas illi pro suis peccatis obtulerunt, si comedimus & tacemus, corū procul dubio peccata manducamus. *In hom.*

Pensate fratres quantae damnationis est, sine labore percipere mercedem laboris: quanti criminis pretia peccatorum accipere & nihil contra peccatum praedicando dicere. *ibid.*

Semper in sacerdotali pectore cum terrore seueritatis custodiri debet virtus mansuetudinis, vt & iram mansuetudo custodiat, & mansuetudinem (ne forte dissoluta sit) zelus discretionis accendat. *ibid.*

Multi dum plus vitam sacerdotum, quam suam discutiunt, in erroris foueam delabuntur, minus considerantes, quod non eos vita sacerdotum laederet, si ipsi humiliter bonis sacerdotum admonitionibus aurem accommodarent: sed hypocritarum more magna trabe vulneratos habentes oculos, eamque negligentes festucam tenuem in aliorum oculis conspiciunt. *ibid.*

Causa sunt ruinae populi, sacerdotes mali. Quis enim se pro populi peccatis intercessor obuiat, si sacerdos, qui orare debuerat, grauiora committit? *In registro.*

Nullum ab aliis praeiudicium, quam a sacerdotibus tolerat Deus, quando eos, quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla prauitatis cernit, plerunque quod ed grauius, sacerdotes, qui propria dare debuerant, etiam aliena diripiunt plerunque, si quos humiliter, si quos continenter conspiciunt, irrident. *In homil.*

Nos qui sacerdotes vocamur, qui supra ea mala, quae propria habemus, alienas quoque mortes addimus, quia tot occidimus, quot ad mortem ire quotidie tepidi & tacentes videmus: & sequitur, tunc subiectus moritur sine te, quando in causa mortis te contradictor m perculerit [illegible] morti, cui non contradixeris, adiungeris. *Hom. [illegible] sup. Ezech.*

Quicquid praeter necessarium victum ac simplicem vestitum de altari retinet, tuum non est, rapina est, sacrilegium est. *Bern. in Epist. 2.*

Timeant clerici, timeant ministri Eccl. siae, qui in terris opes sanctorū, quas possident, tā iniqua gerunt, vt stipendiis, quae sufficere debeant, minime contenti, supe fluaquibus egeni sustentandi forent, impie sacrilegeque sibi retinent, & in vsus suae superbiae luxuriaeque victum pauperum consumere non verentur, dupliciprofecto iniquitate peccant, quod & aliena diripiunt, & sacris in suis vanitatibus & turpitudinibus abutuntur. *serm 24. sup. Cant.*

Heu, heu, Domine Deus, quia ipsi sunt in persecutione tua primi, qui videntur in Ecclesia tua primatū diligere, gerere principatum, arcem Simonis occupauerūt, apprehenderunt munitiones, & vniuersam deinceps libere & potestatiue tradunt incendio ciuitatem. Non est iam dicere, vt populus, sic sacerdos: quia nec sic populus, vt sacerdos. *Ibid.*

Multi sacerdotes, & pauci sacerdotes: multi nomine & pauci in opere. Videte ergo quomodo sedeatis super cathedram, quia cathedra non facit sacerdotem, sed sacerdos cathedram: non locus sanctificat hominem, sed homo locum. Qui bene sederit super cathedram, honorem accipit ab illa: qui male sederit, iniuriam facit cathedrae. In iudicio enim sedes, si bene vixeris & bene docueris, omnium iudex eris: Si autem bene docueris & male vixeris, tui solius. Nam bene viuendo & bene docendo populum, instruis quomodo viuere debeat: bene autem docendo & male viuendo Deum instruis quomodo debeat te condemnare. *Chrys. in Matt. 23.*

Ei qui vult alterum ad officiū sacerdotale pertrahere, sufficere non iudicio testimonium quod opinione collegerit, sed cum fauore illius bonae opinionis etiam ipsum animum eius qui ehgetur, noscat diligenter. *De Dignitate sacerdotali lib. 2.*

Sacerdotis aspicere dignitatem, agitur in terra, sed officium coelestibus ordinibus continet r. Non enim homo, non angelus, non archangelus, non aliqua alia creatura, non virtus, sed ipse Spiritus sanctus hoc ministerium instituit, atque adhuc manentes in carne my sterio fungi praestitit angelorum. *ibid.*

Sapientissimum esse oportet & perspicacem in omnibus sacerdotē, & mille, vt dicitur, ex omni parte oculos habentem: quippe qui non solum sibi, sed etiam populo viuit. *ibid.*

Qui ordinant indignos, eisdem subiacent poenis, quibus illi, qui indigni sunt ordinati, etsi dicant se eorum vitia ignorasse, vnde Apostolus ad Timotheum: Manus cito nemini imposueris, nec communicaueris peccatis alienis. Imo ex hoc grauius crimen efficitur, quoniam absolucrunt vel promoue-

runt

tone eum, quem ignorabant: atque id quod putabatur esse excusatio, fiet accusatio. *Ibid.*

Bene agente populo, vnusquisque pro suo merito remuneratur, sacerdos autem pro bonis om...um, habebit enim pro proprijs laureram pro acquisitione aliorum aureulam. *Chrysost. in Matth. 25.*

Vere magna confusio sacerdotum, & omnium clericorum, quando laici inueniuntur eis fideliores & iustiores. Quo modo non fit cōfusio esse inferiores laicis, quos æquales esse confusio est. *Idem in Matth.*

Melius est propter bonos etiam malos fouere: quapropter malos etiam bonos continemoere, propter bonos ergo sacerdotes etiam malos honora, ne propter malos etiam bonos contemnas. Melius est enim malis iniusta præstare, quam bonis subtrahere. *Ibidem.*

Sacerdotes pro populorum iniquitate damnantur, si eos aut ignorantes non erudiunt, aut peccantes non arguunt. Sicut enim per catorem conuenit, ita iustum non exulcerari. *Isidor. lib. 3. de sum. bon.*

Considera diligenter vultum pecoris tui. Vultum pecoris considerat, qui quid singuli subiectorum possint, non ignorat: cui per cōfessionem corda, per circumspectionem opera, per experimentum quid possit, per affectus quid velint, ratio manifestat, & vocem, inquit, meam audiunt. Tres sunt pastoris voces, scilicet suauis, dulcis, alta: Suauis ad infirmum, ad motiuorem dulcis, ad surdum pertinet alta. *Hugo de cla ust. anim. l. 2.*

DICTA POETARUM.

Ouid. 1. Pont. 1.

Vaticinor, moneo, quia locum date sacra ferenti:
Non mihi sed magno poscitur ille Deo, &c.
Talia ne dixisse facri præcordia fentias,
Vt sua quid valeant numina, te se probent.

Plaut. Ru.

Omis homo est tentaco fidentia,
Qui sacerdotem audeat violare?
At malo cum magno suo libere feci.

Tibul. 2. 1.

Vos quoque abesse procul iubeo, discedite ab aris,
Queis tulit hesterna gaudia nocte Venus.
Casta placent Superis pura cum veste venite,
Et manibus puris sumite fontis aquam.

Stat. 3. S. 3.

Procul hinc, procul ite nocentes:
Si cui corde nefas tacitum, fessique senectus
Longa patris, si quis pia fata conscius vnquam
Mortis, & infernas regi fum timet Æacon vrna,
Infontes, en, ipsque voco.

SIMILITVDINES.

D. Chrysostomi: Sacerdotes prælati sunt in populo, sicut stomachus in corpore hominis. Si stomachus dolet, corpus ægrotat, &c. *hom. 36. in Matth.*

Prius in vallibus fit obscuritas, die declinante ad occasum. Quando ergo colles videtis obscurari, quis dubitat, quin iam nox est? Sic primum in secularibus & laicis Christianis incipit præualere obscuritas peccatorum. Nunc autem quando iam vides, quod sacerdotes positos in summo vertice spiritualium dignitatum, qui montes & colles dicuntur, apprehenderit iniquitas tenebrosa, quomodo dubitetur quia finis est mundi. *In capit. 20. Matth.*

Sicut qui sutoriam, aut quamcumque aliam profitetur artem, etsi specialiter non spondeat, tamen per hoc ipsum quod sutoriam pro fessus est artem, & opificium vel magisterium artis eius aperuit, videtur tacite omnib. spopondisse, vt sine prehensione impleat, quam professus est artem: Sic sacerdos, & omnis clericus, etsi specialiter non promittat, tamen per hoc ipsum, quod doctor constituitur aliorum, statim promittere Deo videtur in omnib. obauditurum se Deo. *In c. 21. Matt. hom. 40.*

Sicut caput dignius est quam membra, quum nec membra sine capite, nec caput sine membris esse potest: Sic digniores sacerdotes quam populus, non tamen viliores: quia nec populus sine sacerdotib., nec sacerdotes sine populis esse possunt. *In 22. Matth. hom. 42.*

Si pars aliqua domus fuerit decisa, cum labore tamen possibile est, vt reparetur: si autem ipsum fundamentum fuerit conquassatū, quid faciat paterfamilias, nisi in aliquo loco nouam faciat fundamenta, & lapides de priori domo transferens, aliam sibi ædificet domum? Sic & in spiritualibus, si quidem populares peccaue rint, per pœnitentiam corriguntur: si autem dissipatum fuerit ipsum sacerdotium, quod est populi fundamentum, quid faciat Deus? *In 24. hom. 47.*

Si paterfamilias super possessionem suam villicum ponit, vt non cum singulis colonis habeat causam, sed de solo villico omnium exi-

Polyanthea Noua.

gat rationem: si ergo inter colonos aliqua indisciplinatio fuerit fœda, vnusquisque pro suo delicto reus efficitur, villicus autem pro omnium delictis, & si bene tecum iuuni recidet nr, vnusquisque quidem pro sua fide laudatur, villicus autē pro sidē omnium remuneratur: Sic & Deus in populo ideo ordinat sacerdotes, vt actuum corum ipsi discutiant rationem. Idemque peccante populo, vnusquisque quidem pro suo malo punitur, sacerdotes autem pro peccatis omnium, & bene agente populo, vnusquisque quidem pro suo bono remuneratur, sacerdos autem pro bonis omnium. *In Matth. 27. hom. 50.*

Alterum mandarum Dei sine altero esse potest, vt puta si interroget quis in ædificationem domorum, quæ pars melior dicis sui dadentur? Sed sicut ædificatio non potest esse, nisi fuerit fundamentum: ita nec fundamentum esse potest nisi ædificatio fuerit subsecuta. Sic ergo fundamentum dignius est ædificatione, non vilius. Sicut caput dignius quam membra, tamen nec membra si ne capite, nec caput sine membris: Sic digniores sacerdotes quā populus. *Hom. 37. epist. ad Hebr.*

Procli: Quemadmodum amatores ab ipsa pulchritudine, quæ circa sensum apparet, ad diuinam paulatim pulchritudinem ratione progrediuntur: Sic & sacerdotes antiqui, cum considerarent rebus naturalibus cognationem quandam compassionemque aliorum ad alia, & manifestorum ad vires occultas, & omnia in omnibus inuenirent, sacram eorum scientiam condiderunt, agnoue runt enim & in infimis suprema, & in supremis infima: in cœlo quidem terrena secundum causam, modoque cœlesti, in terra vero cœlestia, sed modo terreno. *De sacri & magia.*

Iamblichi: Sicut natura ex occultis rationibus manifesta facit: Ita sacerdos adhibet manifesta, vt occulta significet. Sacerdos operatur sæpe multa quibus aliquid simile proprium que diuinis efficiat, qua quidem cognatione aliquid diuinius attrahat. Interea operatur, & multa per quæ purificet animam, ac mala nobis auferat. *De mysterijs.*

Ignatij: Nemo potior est Deo, neque similis ei: neque Episcopo honorabilior in Ecclesia sacerdotium Deo gerenti pro mundi salute: neq; regi similis quis est in exercitu, pacem, & beneuolentiam omnibus principibus cogitanti. Qui cum honorat Episcopum, honorabitur à Deo: & qui inhonorauerit eum, à Deo inhonorabitur. Si enim quis cōtra regem insurgens, damnatione dignus est: quomodo vltionem euadere poterit, qui præter Episcopum aliquid egerit? Sacerdotium enim est summa omnium bonorum, quæ in hominibus consistunt, quod si quis inhonorauerit, Deum inhonorat, & Dominum Iesum Christum, primogenitum totius creaturæ, & solum natura principem sacerdotem Dei. *Incep. ad Smyrnenses.*

D. Augustini Si superbus fuerit minister, cum diabolo computatur: sed non contaminatur donum Christi, quod per illum fluit, purum est, quod per illum transit, liquidum est, venit ad fertilem terrā pura quia ipse lapideus est, quia ex aqua fructum ferre nō potest: per lapideum canalem transit aqua ad areolas in canali lapideo nihil generans, sed tamen hortis plurimum fructum affert. Spiritualis enim virtus sacramenti ita est, vt lux & illuminandis pura excipitur, & si per immundos transeat, nō inquinatur. *In Ioan. tract. 5.*

EXEMPLA BIBLICA.

Sacerdotum benedictioni, *exempla* Heli, 1. *Sam.* 2. *v.* 10. sacerdotum Regis Ezechiæ, 2. *Paral.* 30. *v.* 27.

HIEROGLYPHICVM.

Erat amiculi siue redimiculi species, cui nomen *Tutulo* prius, mox *Tutulo* fecerunt. ornamentum quippe capitis in tubinue fe. gens, purpurea vitta redimitum, instar *Conis* galeriue rotatur *ac Sacerdotem* hieroglyphyce significabat. Quin & vxores & ministræ Flaminis eo erant itidem insignes. *Pierius Valer. lib. 41.*

Vide Clericus, Minister, Pastor.

SACRAMENTVM.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

Sacramentum à sacrum venit, quod Græce *ἱερὸν* dicitur. Est inuisibilis gratiæ visibilis forma. *Secun. Aug.*

Sacramentum est materiale elementum, extrinsecus oculis suppositum, ex institutione figurans, & similitudinem repræsentans, ex sanctificatione aliquam gratiam inuisibilem conferens. *Secund. Hug. de sacram. l. 6. par. 9. a. 2.*

Sacramentum est sacræ rei signum, in quo sub tegmento visibiliū, diuina virtus salutem secretius operatur.

Sacramentum etiam est, quod in iurando: i sacratione interposita geritur, vnde sacramentum militare dicitur.

Loci Biblici.

Sacramenta Græcis μυστήρια dicta, à solis Ecclesiæ pastorib. & ser uis administranda, *Matth.* 28 19 1. *Cor.* 4. 1. a Christo separata, q. i valeant, *Heb.* 9. *v.* 9. 10. Sacramenta & alia externa in Ecclesia pijs & impijs communia, 1. *Cor.* 11. *v.* 27. 28. *Exempla:* Abraham & do mestici, *Gen* 17. 23. Sichem & Hemor, 34. 24. Absalom: Achito-phel, & populus, 2. *Sam.* 15 12. Iudas. *Luc.* 22. *v.* 21. Simon, *Act.* 8. 13. Sacramenta vetera typi fuerunt nouorum, 1. *Cor.* 10. 6.

Sententiae Patrum.

Ab ipsa Dei sapientia homine assumpto, à quo in libertatem voca-ti sumus, pauca sacramenta saluberrima constituta sunt, quæ so-cietatem Christiani populi, hoc est sub vno Deo liberæ multitu dinis continerent, sed quidam ipsam religionem nostram, quam que manifestissimis celebrationum sacramentis Dei misericor-dia noluit esse liberam, seruilibus premunt oneribus. *Aug. in l. de vera relig.*

Accedit verbum ad elementum & fit sacramentum, etiam ipsum tanquam visibile verbum. *Idem tract.* 80 *in Ioan.*

Neque in homine bono aliquis Dei sacramenta fugiat, neq; in ho mine malo, *Aug. contra Petil & hab.* 1. *q.* 1. *c Neque in homine.*

Omnia sacramenta obsunt indigne tractantibus, prosunt tamen per eos digne sumentibus, sicut & verbũ Dei. Vnde dictum est: Quæ dicunt, facite: quæ autem faciunt, facere nolite. *Idem contra epist. Parmeniani, & hab. ibid. can Omnia sacramenta.*

Multi sæcularium hominum cum plus sacerdotis vitam quam suā discutiunt in magnum contemptionis diuinorum sacramento-rum crimen incurrunt. Magna enim trabe habentes vulneratos oculos, eamque negligentes, festucam tenuem in aliorum con-spiciunt oculis: quam dum incaute festinant euellere, errones in in foueam delabuntur: minus quidem considerantes, quod non eos sacerdotum vita læderet, si ipsi humiliter bonis sacerdotum admonitionibus aures accommodarent. Sed dum hypocritarũ more, plus illorum famam, quam propriam vitam, vel vitæ negli gentiam dijudicant, spernunt sancta menta & spiritualia dona. Vnde fit, vt non solum ab eis dicta respuant, sed (quod est dete-rius) diuina etiam mysteria contemnant, vt nec corporis com-munionem, nec sanguinis Domini nostri Iesu Christi eorũ mi-nisterio confectam assumant, putantes hanc minus esse sanctifi-catam, si illorum fiat officio, quorum vita eorum oculis videtur ignobilis. Herin quam magnum laqueum incidunt, vt diuina & occulta mysteria plus ab aliis sanctificata posse fieri credant: cũ vnus idemq; Spiritus sanctus in Ecclesia diffusa per totum orbẽ terrarum incomprehensibiliter ea mysteria occulte atque inui-sibiliter & operando sanctificet, & benedicendo benedicat. My-sterium itaque fratres ob hoc dicitur, quod secretam & recondi tam habet dispensationem. Sacrificium autem, quasi sacrum fa-ctum, quia prece mystica consecratur pro nobis in memoriam dñicæ passionis. Sacramentum vero est in aliqua celebratione, cũ res gesta ita fit, vt aliquid sanctificate accipiamus, quod sancte accipiendum est. Sunt autem sacramenta baptisma, corpus & san guis Christi: quæ ob id sacramenta dicuntur, quia sub tegmento corporalium rerum diuina virtus secretius salutem eorũdem sa-cramentorum operatur, vnde a secretis virtutibus vel sacris, sa-cramenta dicuntur, quæ ideo fructuose penes ecclesiam fiunt, quia sanctus in ea manens spiritus, sacramentorum latenter o-peratur effectum, *Greg. & hab.* 1. *q* 1. *Multi sæcularium.*

Non nocet malitia episcopi neque ad baptismum infantis neque ad ecclesiæ consecrationem: quia baptisma à Deo datur, non ab ho mine venit. Sic & Eucharistia, & omnia quæ in altari ponuntur, non ab homine, sed a Deo sanctificationem accipiunt. *Idem & ha bet.* 1. *q.* 1. *Non nocet.*

Similitudines.

D. Chrysostomi. Sicut si canib. dederis sanctum, aut porcis margari-tas, nec sanctum canes sanctificat, nec margaritæ nutriunt por-cos: sed e contra canes coinquinant sanctum & porci margari-tas sordidant, vel confringunt: Sic si hominib. caninos vel porci-nos mores habentib sanctum dederis, aut mysteria sacra tradide ris: nec sanctum illos sanctificat, nec mysteria veritatis illos illu minant: sed è contra ipsi sanctum coinquinant, & mysteria veri-tatis blasphemant. *In c 7. Matth. hom.* 17.

Sicut cibus natura aliter nutritorius est ex tans, si in eum qui prauis ci bis corruptus est, incidat, omnia perdit & corrumpit, efficitur oc casio morbi: Sic enim ista quæ ad hæc terribilia pertinent sacra menta. *Hom.* 17 *ad Hebr*

Sicut cibus corporalis cum ventrem inuenerit aduersis humoribus occupatum, & amplius lædit, magis nocet & nullum præstat au-xilium: sic & iste spiritualis cibus, si aliquem reperit maligni-tate pollutum, magis eum perdet, non sua natura, sed accipien-tis vitio. *Hom.* 31. *in epist. ad Heb.*

Quemadmodum vox illa quæ dictum est, Crescite & multiplicamini, & replete terram, semel quidem dicta est, semper autem fit, ope-ri naturæ nostræ vim præbens ad generandum: ita hæc quoque vox (Hoc est corpus meum) semel dicta in singulis aris ex eo tē-pore vsque in præsentem diem, & vsque ad Christi aduentum, hoc sacramentum integre perficit *homil. de prodit. tradit.*

Cyrilli. Sicut si quis liquefactæ ceræ aliam ceram infuderit: alteram cum altera per totum commisceat necesse est: Ita si quis carnem & sanguinem Domini recipit, cũ ipso ita coniungatur, vt Chri-stus in ipso & ipse in Christo inueniatur. *lib. c.* 17. *in Ioan.*

Semel quum naturaliter dulce sit, ea dulcia facit quibus immisce-tur: Nonne stultum erit, viuificam verbi naturam putare non de-disse homini in quo habitat, viuificandi virtutem? *In Ioan. lib.* 3. *cap.* 39.

Vt panis hic terrestris facit, imbecillitatem carnis nostræ sustinens atque conseruans: Ita & ipse per Spiritum sanctum, spiritum no-strum viuificat, & corpus ipsum à corruptione liberat. *In Ioan. l.* 3. *c.* 39.

Ambrosii. Singuli accipiunt Christum Dominum, & in singulis por-tionib. totus est: nec per singulas minuitur, sed integrum se præ-bet in singulis. Sed quō impossibile videatur, vt caro verbi Dei, quæ multo spiritualior & potentior est verbo nostro, sit tota & integra in omnium sumentium: cum verbum nostrum, idemq. to tum & integrum, fit in aurib. omnium audientium? Quod. n. eui-dentius Christus in seipso manifestans, in cœna corpus & san-guinem suum discipulis suis distribuit, & cum ipse à singulis sumptus comederetur & biberetur in sacramento, ipse tamen viuus & integer mansit in seipso. Sed quid mirum, si Christus co meditur, & integer manet: cum Sarepthana vidua non minus o-leum comederit, quia testante sacra historia, lecythus olei nō im minutus: cum eadem scriptura dicat: Abijt, & fecit iuxta verbũ Heliæ, & comedit ipsa & domus eius. *Dominic* 5. *post Epiph.*

Augustini. Qui ea quæ non intelligunt, reprehendentes, lepram, vel scabiem, vel verrucas legis esse dicunt, promissiuas figuras sa cramentorum, similes sunt hominibus, quibus displicent ea, quo rum non capiunt vtilitatem: velut si surdus, videns moueri labia loquentium, tanquam superfluos oris motus, deformesque repre henderet: vel si quisquam cæcus, laudata sibi aliqua domo, vel-let palpando probare quod dicitur, & parietum leuitatem ma-nu pertractans, in fenestras corrueret, easque velut inconue-nientes illi æqualitati redargueret, cauernasque ruinosas putaret. *Lib.* 22. *cont. Faust. c.* 6.

Non polluunt mali bonos, in eodem agro, in eadem area, in eisdem pascuis, in eisdem sedibus constituti: quia non eis communi-cant boni, sed altari & sacramentis Dei. Communicant autem malis, qui consentiunt factis malorum. Scriptum est enim. Non solum qui faciunt, sed qui consentiunt facientibus. *contra Do nast. l. c.* 5.

Cum eadem luce & sani oculi perfunduntur & saucij: istis adiumen-tum est, illis tormentum. Idem cibus alias valetudines alit, alias lædit. Idem medicamentum hos curat, illos debilitat. Eadem ar-ma alios muniunt, alios impediunt. Eadem vestis alijs tegumen-to est, alijs impedimento. Sic & baptismus alijs valet ad regnũ alijs ad iudicium. *contra Cresc l.* 4. *c.* 34.

D. Cypriani. Sicut panis communis, quem quotidie edimus, vita est corporis: Ita panis iste supersubstantialis, vita est animæ, & sanitas mentis. *Serm. de Eucharistia*

Quomodo ad potandum vinum veniri non potest, nisi botrus calce-tur ante & prematur: Sic nec nos sanguinem Christi possemus bibere, nisi Christus calcatus prius fuisset, & pressus, & calicem prior biberet, quem credentibus propinaret. *Lib.* 1. *Epist. ad Colium.*

Quemadmodum grana multa in vnum collecta, & commolita, & cō-mixta, vnum panem faciunt: Sic in Christo, qui est panis cœle-stis, sciamus vnum esse corpus, cui coniunctus sit noster nume-rus, & adunatus. *Lib.* 1. *Epist.*

Mercator dum quicquã emit, & iam aliquod pignus recipit, tametsi merces suas nondum habeat, eas tamen habere se reputat: Deus suam gloriam nobis promisit in pignus, interim & filium suum in eucharistia dedit. *De sing. cleric.*

Non sic in sacramento salutari delictorum contagia, vt in lauacro car nali & sæculari, sordes cutis & corporis abluuntur, vt & sapone & nitris & cæteris quoque adiumentis, & dolio & piscina opus sit, quibus ablui & mundari corpusculum possit. Aliter pectus credentis abluitur, aliter mens hominis per fidei merita munda-tur. In sacramentis salutaribus necessitate cogente, & Deo indul gentiam suam largiente, totum credentibus conferunt diuina compendia *Lib.* 4 *epist. ad Magnum.*

Bertrami. Consideremus fontem sacri baptismatis, qui fons vitæ nō immerito nuncupatur, quia descendentes in se melioris vitæ no-uitate reformat, & de peccato mortuis viuentes iustitiæ donat. Num secundum quod aqua conspicitur esse elementum, illam potentiam obtinet a attamen nisi sanctificationis virtutem obti-nerer, labem vitiorum nequaquam diluere possit, & nisi vigorem

vitæ

vitæ contineret, nullo modo mortuis vitā præstare valeret: mortuis autē non carni, sed animæ. In eo tamen fonte si consideretur solummodo quod corporeus aspicitur sensus, elementum fluidum conspicitur corruptioni subiectū, nec nisi corpora lauando potestatem obtinet. Sed accedit S. Spiritus per sacerdotis consecratam virtus, & efficax facta est non solum corpora, verū etiam animas diluere, & spirituales sordes spirituali potentia dimovere. Ecce in vno eodem elemento duo videmus inesse sibi resistentia: id est, corruptioni subiacens incorruptionem præstare, & vitam non habens vitam contribuere. Cognoscitur ergo in isto fonte, & inesse quod corporis sensus attingit, & idcirco mutabile atque corruptibile: & rursus inesse quod fides sola conspicit, & ideo nec corrumpi posse, nec vitæ discrimen accipere. Si requiras quod superficie tenus lauat, elementum est: si vero perpendas quod interius purgat, virtus est, virtus sanctificationis, virtus immortalitatis. Igitur in proprietate humor corruptibilis, in mysterio vero virtus sanabilis.

Laurentij Iustiniani Patriarchæ. Consueuerunt laborantes in agris & in vineis post sudores operis, meridianis æstus ardorem declinare, vmbreas petere, atque virentia prata eligere: quatenus in ipso rum plantis & amœnitate residentes fessos corpori iucundius cibaria administrent. Habet etiam natura hoc proprium, vt post sedatas tempestates, post sulcata per tempus prolixum æquora quærant portum, solicite perlustrent littora, in quibus descendant, nauem religent, vela resarciant, atque quicquid venustate corruptum, aut procellis dissipatum est, resarciant, quatenus se in flante prospero vento marinis se fluctibus tradant. Campi ductores quoque, & exercituum principes a iustis hostes visibiles dimicaturi, disponunt sentoria, & quædam specialia deputat locaim quibus pro resumendis viribus, pro supplendis necessitatibus seu medendi causa accedere valeant bellatores. Sic quippe dux noster, sic spiritualium militum inuictissimus rex Christus, certantibus in hoc spirituali & inuisibili stadio militantis Ecclesiæ, spiritualia quædam ordinauit munita præsidia, ad quæ pugnantes confugiant: vt in illis resumptis viribus, vel fortes vulneribus, iterum in campum redeant acrius bellaturi. Hæc nempe tutissima & inexpugnabilia loca à Domino Iesu eius parata militibus, ad refocillanda corda, & ad detergenda animæ vulnera spiritualia sunt sacramenta. Per hæc namque datur lapsis requies, debilibus robur, formidolosis audacia, & semel prostratis fiducia dimicandi. *De disciplina & perfect. monast. c. 9.*

Est sacramentum hic tanquam cellarium quoddam omnium aromatum, in se continens preciositatem & virtutem. In ipsum qui ingreditur, refocillatur ab omni fatigatione, ne deficiunt, donec præsentis vitæ terminus finiatur. Est autem mysterium hoc quasi ingens arbor virentibus refertæ folijs, sub quam quicunque fugiunt laborantes & peregrinantes, proteguntur in ipsius vmbraculo ab diei æstu: à turbine quoque & pluuia. *De discip. & perfect. monast. c. 19.*

P. M. Vt pretiosa remedia maxime perniciem adferunt, nisi apte sumantur: Ita Christi sacramenta salutaria recte sumentibus, lethalia indigne accipientibus. *in simil.*

SACRIFICIVM.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Sacrificium, Græce θυσία à θύω mactō, sacrifico dicitur. Heb. victima *Zebach*, à verbo *Zabach*, sacrificauit, iugulauit, mactauit ad sacrificandum, victimam immolauit. Cognationem habet cum *Tabach*, mactauit pecudes: *Mizbbeah*, ara, altare. Sex genera sacrificiorum legalium describit luculenter Etymologicon trilingue Lugdunense, *pag. 690. 691. 692. 693. 694. 695.*

Est autem sacrificium proprie id quod factum in honorem debitū soli Deo ad eum placandum *D. Thom. 2. 2. q. 81. art. 4.*

Sacrificium & oblatio differunt. Quia oblatio est omne quod exhibetur in cultu Dei: Sacrificium, si inde fiet aliquod sacrum consumendum. Ex *2. Thom. 2. 2. q. 85.*

Sacrifico ex sacrificio venit, quod ita differt à lito: vt sacrificare sit veniam petere: litare vero propitiare & votum impetrare. Plaut. *Si hercle istuc vnquam factum est, tum me Iupiter faciat vt semper sacrificem, nunquam litem.* Ista tamen sæpe confunduntur, & vtrumque sumitur pro sacrificium facere. A sacrifico venit sacrificulus, rex sacrorum.

LOCI BIBLICI.

Sacrificandi ritus. *Leuit. 1. 2.* Deo non vbique sacrificandum, *Deuter. 12. 5.*

Sacrificium quale esse debet, *Exod. 19. 38. Leu. 1. 3. & 3. 1. & 22. v. 19. 20. Num. 28. 3. Leuit. 15. 21. & 17. 1. Eccl. 35. 14. Ezech. 43. Malach. 1. v. 8. 14.* sacrificium matutinum & vespertinum. *Exod. 29. v. 38. 39. Num. 28. 4. 5. Esdr. 3. 3.* sacrificium pacificum, *Leuit. 3. 1. & 7. v. 11. 12. 13.* sacrificium pro peccato, *Exod. 26. 36. Leuit. 7. 2. Num. 28. 22.* sacrificium quando spernat Deus, *Psal. 51. 18.* sacrificium laudis Deo gratissimum, *50. 14. & 69. v. 31. 32. & 107. 22. Ose. 14. 3. Hebr. 13. 15.* sacrificium verum & Deo acceptissimum, *Prou. 21. 3. Mich. 6. v. 6. 7.* sacrificium fidelium, *Rom. 12. 1. Psal. 2. 12. Heb. 13. v. 15. 16. 1. Pet. 2. 5.*

Sacrificij lex, *Leuit. 6. 14. Deut. 18. 3.*

Sacrificio manus imponenda. *Leuit. 5. 4.* sacrificio misericordia potior, *Ose. 6. 6. Matt. 9. 13. & 12. 7.* sacrificio dilectio maior, *Marc. 2. 33.*

Sacrificia ad quid instituta *Hebr. 10. v. 1.* sacrificia cum sale *Leuit. 2. 13. Macc. 9. 49.* sacrificia priuata à Deo prohibita, *17. v. 3. 4.* sacrificia igni cœlesti consumpta, *Gen. 4. 4. & 8. 20. & 15. 17. Leu. 9. 24. Iudic. 6. 21. & 13. 19. 1. Reg. 18. 38. 1. Paral. 21. v. 26. 2. Paral. 7. 1. 2. Mach. 1. 22. & 2. 10.* sacrificia quomodo a Deo respuantur, *Psal. 40. 7. & 50. v. 8. 9. Esai. 1. 11. Ier. 7. 21. Malach. 2. 12. Matth. 9. 13. & 12. 7. Hebr. 10. v. 5. 6.* sacrificia carnalium subsannantur, *Ose. 5. 6.* sacrificia fidelium, *Psal. 51. 18. Malach. 3. 16.* Iudæorum polluta, *Agg. 2. 13.* sacrificia quæ requirat Dominus, *Mich. 6. 6.* sacrificia veteris Legis reijcit Deus, *Psal. 50. 8. Ier. 6. 20. Malach.* sacrificia expiatoria non habuerunt vim purificandi, alioq in desijssent offerri, *Hebr. 10. v. 1. 2.* Dicuntur tamen expiare, *Leuit. 16. 30.* non ipsorum symbolorum, sed vicæ illius futuræ Christo oblationis respectu, quæ per illa quotannis, atque adeo singulis diebus per omnes ceremonias adumbrabatur.

Sacrificiorum & oblationum vocabula metaphorice a Paulo vsurpata, significant ipsos fideles, Deo deuotos, quicquid est in fidelibus, vel proficiscitur a fidelibus, Deo gratum, & eorum fides ac bona opera, vt *Rom. 12. 1. & 15. 16. Phil. 2. 17. & 4. 18. 1. Pet. 2. 5.*

POETARVM DICTA.

Ouid. Epist. 19.

Non bene mactato cœlestia numina gaudent,
Sed quæ præstanda est & sine teste fides.

Persius 2.

O curuæ in terris animæ, & cœlestium manes:
Quid iuuat hoc templis nostros immittere mores,
Et bona Dijs ex hac scelerata ducere pulpa?

Plaut. Rud. prolog.

Atque hoc scelestis illis in animum inducunt suum,
Iouem se placare donis hostijs,
Et operam & sumptum perdunt, ideo fit, quia
Nihil ei acceptum est à periuris supplicij.

Ouid. 2. Trist.

Sed tamen vt fuso taurorum sanguine centum,
Sic capitur minimo thuris honore Deus.

Horat. 2. Carm. 13.

Te nihil attinet
Tentare multa cæde bidentium,
Paruos coronantem marino
Rore Deos fragilique myrto.
Immunis aram si tetigit manus,
Non sumptuosa blandior hostia
Molliuit auersos Penates
Farre pio, & saliente mica.

Silius 4.

Insta ira pecuari
Timor pro, cadémque ferox ac ceruice virus.
Mitte, & cognatum est homini Deus.

Stat. 2. Sil. 2.

Quæ nunc tibi pauper acerra
Digna litem? nec si vacuet Meuania valles,
Aut præstant niueos Clitumna noualia tauros,
Sufficiam sed sæpe Deis hos inter honores
Cespes, & exigue placuerunt farra salino.

Ouid. 5. Fast.

Nos quoque tangit honos: festis gaudemus, & aris,
Turbaque cœlestes ambitiosa sumus.
Sæpe Deos aliquis peccando fecit iniquos,
Et pro delictis hostia blanda fuit.
Sæpe Iouem vidi, cum iam sua mittere vellet
Fulmina, thure dato sustinuisse manum.
At si negligimur magnis iniuria pœnis
Soluitur & iustum præterit ira modum.
Respice Thestiadem, flammis absentibus arsit,
Causa est, quod Phœbes ara sine igne fuit.
Respice Tantaliden, eadem Dea vela tenebat,
Virgo est, & spretos bis tamen vlta focos.
Hippolyte infelix velles coluisse Dianam,
Cum consternatis diriperetis equis.

Silius 15.

Dij vota, precésque
Ferte modo, & tepidos aris libate cruores.

Nec

Non date terga malis, &c.
Sed enim ante omnes altaria fument.

Apophthegmata.

Socrates. Sacrificia volebat quam minimis impẽdijs constare. Quod Dij, vt non egent rebus hominum, ita magis spectant affectus immolantium, quam diuitias. Alioqui cum improbissimi quiq. maxime abundent diuitijs, actum esset de rebus humanis, si malorũ potius quam bonorum victimis delectarentur. Eoqu versum hunc magnopere probare consueuit. *Καδ' δυνάμιν δ' ἔρδειν ἱερ' ἀθανάτοισι θεοῖσι.* Eandem frugalitatem adhibendam docuit. ex accipiendis hospitibus, eodem vtens versiculo, *καδ' δυνάμιν δ' ἔρδειν &c. P. M. lib. 3. apoph.*

Gelo. Debellatis apud Himeram Carthaginensibus, in pacis fœdere compulit illos & his acceptis cõditionibus subscribere, ne posthac filios suos Saturno immolarent. Solebat enim ea gens infantes suo æneæ Saturni statuæ cauæ & intus incensæ, in sinum ponere, qui velut in Dei complexu enecabantur. Id vt Saturno gratum putarent, effecit fabula, quæ narrat illum omnes vxoris filios deuorare solitum. Nam & Iouem deuoraturus erat, nisi pro puero saxum supposuisset. *Plut. in apoph.*

Similitudo.

Chrysostomi. Quemadmodum si medicus ille (nihil enim vetat eodem exemplo denuo vti) posteaquam indulsit appetitui laborantis, mox phiala è suis ædibus allata præscribat, vt ex hac sola bibat aquam, deinde persuasu ægroto clam ijs qui ministrant, præcipiat confringere phialam illam, vt eũ clam, nihil que suspicantem auocet ab illa cupiditate bibendi frigidam. Ita & fecit Deus permittendo sacrificia. *contra Iudaeos orat. 1.*

Quemadmodum medicus fracto vase ægrotum cohibet ab intemperato frigidi potus appetitu: Sic & Deus euersa ciuitate ipsa: adeoque funditus diruta, vt omnibus facta sit inaccessa, Iudæos à sacrificijs abduxit. *ibid.*

Non aliter quam medicus videns hominem febricitantẽ, morosum, minimeque sibi temperantem, si concupiscat frigidam bibere, ac ni accipiat, periturum, ac plane futurum, vt vel ad laqueum fugiat, vel e sublimi se præcipitem det, cum nequit maius excludere malum, permittit quod minus est, cupiens illum a violenta nece reuocare: Consimilem ad modum fecit & Deus, qui vidit Iudæos insanientes, anxios, concupiscentes victimarum oblationẽ, iamque nisi acciperent quod desiderabant, paratos vt ad idola se deflecterent: imo non solum paratos, verumetiam eo iam prolapsos, permisit immolationem victimarum. *ibid.*

Sicut regis imaginum statuæ, quia sine anima sunt, atque sermone, non vnquam ad se confugientibus hominibus, anima atque rationibus decorati subuenire consueuerunt, non quia sunt ex ære confectæ, sed quia retinent imaginem principalem: ita & sanguis ille animalium, qui irrationalis fuit, animas habentes homines liberauit: non quia sanguis fuit, sed quia Christi sanguinis signat adventum. *Hom. 25. epist ad Hebr.*

Philonis Iudæi. Sicut in area triticum hordeumque, & id genus alia seorsum separantur: aristæ vero & paleæ & huiusmodi quisquiliæ dissipantur aliò: Ita etiam apud nos alia sunt optima, vtilia, vero cibos præbentia, per quæ recta vita perficitur, quæ quidem offerenda Deo sunt: alia vero parum diuina relinquenda velut res & merita mortalis generis. *De sacrifie. Abelis & Caini.*

D. Augustini Quemadmodum vnus atque idem homo si Deo mane aliquid offerat, aliud vespere, pro congruentia diuersa temporis: non Deum mutat, non religionem sicut nec salutem, quæ alio modo mane alio vespere salutat: itiam in vniuerso tractu sæculorum, cum aliud oblatum est ab antiquis sanctis, aliud ab ijs qui nunc sunt, offertur: non humana præsumptione, sed auctoritate diuina, temporib. congrua, sacra mysteria celebrantur: nõ Deus aut regem commutatur. *lib. 6. Quæst. con. Perga q. 3.*

Vnde verus ille mediator in quantum formam serui accipiens, mediator effectus est Dei & hominum, homo Christus Iesus, cum in forma Dei sacrificium cum patre sumat, cum quo & vnus est Deus tamen in forma serui sacrificium maluit esse, quam sumere: ne vel hac occasione quisquam existimaret, cuilibet sacrificãdum esse creaturæ. Per hoc & sacerdos est, ipse offerens ipse & oblatio. Cuius rei sacramentum quotidianum esse voluit Ecclesiæ sacrificium, cum ipsius corporis ipse sit caput, & ipsius capitis ipsa sit corpus, tam ipsa per ipsum, quã ipse per ipsam suetus offerri. Huius veri sacrificij multiplicia variaque signa erant sacrificia prisca sanctorum, cum hoc vnum per multa figuraretur, tanquam verbis multis res vna diceretur, vt sine fastidio multũ commendaretur. Huic summo veroque sacrificia falsa cesserunt. *lib. 10. de ciuit. Dei, c. 20.*

Lactantij. Neque si vitatus aliquis oculorum acie clara, membris omnibus integris, corporis totius fortissima valetudine, tamen cum non dixerim sanum, si efferatur ira, superbia tumidus insletur, libidini seruiat, cupiditatibus inardescat: sed cum potius qui ad alienam felicitatem non attollat oculos, opes non admiretur, alienam mulierem sancte videat, nihil omnino appetat, non concupiscat alienum, non inuideat vlli, non fastidiat quemquã, sit humilis, misericors, beneficus, mitis, humanus, pax in animo eius perpetua versetur. Ille homo sanus, ille iustus, ille perfectus est. Quisquis igitur his omnibus Dei præceptis cœlestibus obtemperauit, hic est veri Dei cultor: cuius sacrificia sunt mansuetudo animi, & vita innocens, & actus boni. Quæ omnia qui exhibet, toties sacrificat, quoties bonum aliquid ac pium fecerit. *Lib. 6. c. 24. de vero cultu.*

Adagia.

Sacra celerius absoluenda.

In rebus diuinis atremium esse conuenit magis, quam diuturnum, ne veloscãt assiduitate. Ad id torqueri poterit illud ex Odyss. γ

Οὐδ' ἔοικεν,
Δηθὰ θεῶν ἐν δαιτὶ θαασσέμεν,
Ἀλλὰ νέεσθαι

Neque par est
In diuorum epulo sedisse diutius, imo

Surgere mature decet. Kurtze Predigen, lange Bratvvuerst haben dje Bavvren auch gern.

SACRILEGIVM.

Definitio et Etymolgo.

Sacrilegium, Græce *ἱεροσυλία, ας, ἡ, & ἱερόσυλος, ου,* sacrilegus dicitur. Est autem sacrilegium, sacræ rei violatio seu vsurpatio. Et accipitur ibi violatio, pro quacunque irreuerentia aut dehonoratione. Et dicitur *sec. Innoc.* sacrilegium quasi sacrilædium.

Sacrilegium omne est, quod fit ad irreuerentiam rei sacræ. *secun. B. Thom. 1. 2. q. 99.*

Sacrilegus est qui rem sacram, aut è sacro loco furatur, a quo tale furtum sacrilegium dicitur.

Sacrilegus is est, qui res Deo consecratas legit, id est, aufert, & qui rem profanam de loco sacro furatur.

Patrum Sententiae.

Non vndecunque tollere, hoc est sacrilegium committere, sed de Ecclesia qui aliquid furatur. Iudæ proditori comparatur. *Aug. in Io. & hab. 13. q. 4. can. Quid ergo voluit. § Non vndec.*

Amico rapere quicquam furtum est, Ecclesiam fraudare sacrilegiũ est. Accepisse aliquid erogandum pauperibus & esurientibus apertissimi sceleris est. Aliquid inde subtrahere, omnium prædonum cupiditatem superat. *Hieron epist. 3.*

Clericos autem illos conuenit Ecclesiæ stipendijs sustentari, quib. parentum & amicorum nulla suffragantur stipendia. Qui autem bonis parentum & opib. sustentari possunt: si, quod pauperũ est, accipiunt, sacrilegium profecto incurrunt & committunt: & per abusionem talium, iudicium sibi manducant & bibunt. *Idem Damaso Papæ. & hab. 16. q. 1. can. Quoniam quicquid. § Clericos.*

Sufficit ergo hoc quod vidimus, quod diuinitas nostra esse voluit. Nec vltra cognitio porrigenda est ne sacrilegus vnusquisque teneatur, quia cõcessos terminos fuerit cognitione egressus. *Idem epist. 5.*

Sacrilegium & contra legem est, si quid quod venerabilib. locis relinquitur, prauæ voluntatis studijs retrauerit suis compendijs retinere. *Greg. Sabin. subdiac & hab. 17. q. 4 can Sacrilegium.*

A sacrilegio quoque hoc facinus non dispar dixerim, cum id, quod sponte & sacro deliberationis arbitrio gratis fieri debuit, turpi pecuniæ pactione causatur. *Idem vniu. epis. Hisp. & hab. 1. q. 3 can. Audiui. § A sacril.*

Sententiae Poeticae.

Lucanus lib. 3.

Quis enim læsos impune putaret
Esse Deos?

Iuuen. Satyr. 4.

Nemo malus felix, minime corruptor & idem
Incestus, cum quo nuper vittata iacebat
Sanguine adhuc viuo terram subitura sacerdos.

Sententiae Philosophicae.

Sacrum sacroue commendatum qui dempserit rapueritque, parricida esto.

Sacrilegio pœna est, neque ei soli qui è sacro abstulerit, sed

etiam

etiam ei qui sacro commendatum, quod & nunc multis fit fauis. *Cic. l. 1. de legibus*

Sacrilegi dant pœnas, quamuis nemo vsque ad Deos manus porrigat. *Senec. de benef. lib. 5. c. 14.*

Sacrilegium in ijs obseruatur, quæ religio numini adscripsit. Iniuriam sacrilegus Deo quidem non potest facere, quem extra ictū sua diuinitas posuit: sed tamen punitur, quia tanquam Deo fecit. Opinio illum nostra ac sua obligat pœnæ. *Idem lib. 7. c. 7.*

Sacrilegia minuta puniuntur, Magna in triumphis feruntur, *Idem epist 87.*

Hoc sacrum est, quod nulla permittitur cōmotione violari. *Cassiod. lib. 3. ep. 4.*

Cum Dijs pugnant sacrilegi. *Q. Curtius, lib. 7.*

Philomenes primus inter confertissimos dimicans cecidit, & sacrilegii pœnas impio sanguine luit. *Iustin. hist. l. 8 7.*

Nam cum oppidum Tolosanum in terra Gallia Quintus Cepio consul diripuisset, multumque auri in eius oppidi templis fuisset, quisquis ex ea direptione aurum attigit, misero cruciabiliq; exitu perijt. *Aul. Gell. noct. Attic. l. 3. c. 9.*

Apophthegmata.

Diogenes cernens quendam male audientem, quasi monumenta spoliaret, Homeri carmine compellauit.

> Τίπτε σὺ ὦδε φέριστε
> ἤ τινα συλήσων νεκύων κατατεθνειώτων;
> *Quid huc venisti, vir præstantissime rerum fors*
> *Vt spolies aliquem horum quos mors occupat atra?*
> *Laer. lib. 6.*

Agesilaus præclare dicere solitus est, se vehementer admirari, eos non haberi in sacrilegorum numero, qui læderent eos, qui Dijs supplicarent, vel Deos venerarentur. Quo innuit vir prudentissimus, eos non tantum sacrilegos esse qui Deos ipsos aut templorum ornatum spoliarent: sed eos maxime, qui Deorum ministros & præcones contumelijs afficiunt. *Æmil. Prob.*

Dionysius senior sacrilegia sua solebat facetis dictis obtegere. Locris Proserpinæ templum spoliarat, mox quum classis illius secundo vento nauigaret: Videtis, inquit, quam prospera nauigatio a Dijs immortalibus detur sacrilegis. Ex hoc colligens, aut non esse Deos, aut illis non esse molesta sacrilegia. *Iusti. lib. 21. Val. Max. lib. 1. c. 2.*

Idem Epidauro Aesculapio barbam auream detraxit: quod negaret decorum, Apollinem imberbem, ipsum vero barbarum conspici. Aesculapius fingitur Apollinis filius, Apollinem autē semper imberbem facit theologia poetica, Aesculapium barbatum: significans, in medico requiri multam in rerum vsum. *Val. Max. lib. 1. c. 2.*

Idem Ioui Olympio detraxit magni ponderis aureum amiculū, quo eū Hieron è manib. Carthaginensiū ereptus ornauerat, proq; detracto aureo laneum illi pallium iniecit, ita cauillans: Aureum amiculum æstate graue est, hieme frigidum: Laneum ad vtrumq; anni tempus accommodatius est. *Val. Max. ibid.*

Idem. Mensas aureas atque æreas Dijs dicatas e phanis sustulit. Has, inscriptio ex more Græcorum testabatur esse, bonorum Deorum, ne quis manum admoliretur. At ille cauillatus est, se Deorum bonitate vti. Nam boni Dij dicuntur, quod omnibus benefaciant. *ibid.*

Idem, phialas aureas, pateras & coronas, quæ simulachra porrectis manibus sustinebant, velut offerentia tollebat, dicens, se oblata accipere, non eripere: addens, per absurdum esse, à quibus quotidie bona flagitamus, ab his vltro porrigentibus nolle accipere. *ibid.*

Ludouicus XII. Gall. rex, quum Iulius pontifex sacrilegii eum insimularet: atqui, inquit, absurdissimum est, vt qui donaria diuum ipse manibus gerit, alios sacrilegij arguat. *Annal. Franc.*

Similitudines.

Seneca. Si autem ex vrna sustuleris, quia illic & vipera est, non ideo mihi vrna aurum dat, quia viperam habet, sed aurum dat, cum & viperam habeat. Eodem modo ex sacrilegio lucrum fit, nō quia turpe & sceleratum est sacrilegium: sed quia lucrum habet: quē admodum in illa vrna vipera malum est, non aurum quo cum vipera iacet: sic in sacrilegio malum est, scelus, non lucrum. *Lib. 2 epist. 88.*

Themist. Nemo libenter audiret mulierem disserentem de fortitudine. Ecquis ergo ferret impium sacrilegum, adulterum, concionantem de virtute: *in apoph. 106.*

Adagia.

A sacris abstinenda manus.

Vulgo quoque creditum est, fatum instare ei, qui sacris rebus ac Deo dicatis manus iniecerit: aut qui pios homines, aut certe fungentes sacris ministerijs oppugnarit. Id propemodum iam olim dictum est ab Homero Iliad. ε.

> Ὅττι μάλ' οὐ δηναιὸς ὃς ἀθανάτοισι μάχηται. [Greek partly illegible]
> Ὅττ' οὐ δὴν ... [illegible]
> *Cum diuo certare vere simul atque cupit quis.*
> *Cui quae Deus bene vult, damnum huic certe imminet ingens.*

Vide Furtum: Rapina.

SALTATIO.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Saltatio, est corporum iactatio, quam vulgus tripudium vocat, à verbo Salto Græc. χορεία, chorea, & ὄρχησις. Hebr. *Chagh.* vox media, è verbo *Chagag.* festum celebrauit circuitionibus, Choreis, & alijs ceremonijs. De Choreis & Saltationibus sacris instituuntur historiæ Biblicæ: Profanarum exempla suppeditant seculares scriptores. De Saltationibus multa obseruatu digna profert etymologicon trilingue Lugdunense, *pag. 704. & 705.*

Loci Biblici.

Saltationis fit mentio in scriptura sacra, *Exod. 15. 20. & 32. 6 1. Sam. 18 7. 2. Sam. 6. 18. Eccl. 3. 4. Matt. 11. 17 & 14. 6. Marc. 6. v. 22. Luc. 7. ver. 31.*

Apophthegmata.

Lesbonax histriones ac gesticulatores appellare solebat χειροσόφους, quod manibus saperent, non lingua. Erat enim saltationis genus, quo graues etiam historiæ citra vocem vel recitantis, vel tibicinis, solo corporis gestu sic repræsentabantur, vt spectatores prope plus intelligerent ex saltatione, quam si quis recitasset. *P. M. lib. 8 apoph.*

Demetrius Cynicus damnabat artem saltatoriam, velut inutilem gesticulationem ad tibiæ modos. Cui gesticulator quidam nō imperitus, cupiens artis suæ vindicare gloriam, iussit vt submotis tibicinibus spectaret ipsum saltantem. Assensus est Demetrius. Ille saltauit Homericam fabulam, adulterium Veneris ac Martis, ambo Vulcani vinculis irretitos adamantinis, ac sole prodente, Dijs cæteris exhibitos, Venerem erubescentem, varios Deorum assantium affectus, Mercurium optantem talia vincula, Martem damnatum vt penderet mœchagria, ac præterea quicquid ad eam fabulam pertinet. Ibi Cynicus artem admiratus, dixit: Audio homo quæ facis: non video tantum, sed mihi manibus ipsis loqui videris. In huius artis laudem scripsit Lucianus. Plato non probat: tamen apud Christianos saltatur ineptius. *Cœlius Rhodiginus lib. 5. c. P. M. lib. 8. apoph.*

Hegesianax. Apud Antiochum regem, non amici solum regis pyrrhicham saltabant in cœnis, sed ipse etiam rex. Quum vero ad Hegesianactem historicum ordo choreæ peruenisset, assurgens dixit, Nunquid o rex, me male saltantem mauis aspicere, an potius mea quædam scripta bene pronunciantem audire? Quicum dicere iussus esset, ita regi placuit, vt inter eius amicos & familiares cooptaretur. *Athen. lib. 4.*

Clisthenes. Quum nobilem filiam haberet, præconem edici iubebat in Olympijs, qui se dignum esse Clisthenis generum ad sexagesimum diem ad Sicyonem veniret. Quo quum multi proci conuenissent, ex omnibus videbatur magis idoneus Hippoclides Atheniensis, Tisandri filius: sed cum supra mensam Laconicos Atticosque modos ad tibias saltasset, cruribusque ac brachijs nimis dulatus esset, stomachatus Clisthenes: Tisandri (inquit) fili, desaltasti matrimonium. *Brus. lib. 3.*

Albertus Imperator dicere solebat, venationem esse exercitationem virilem, saltationem autem muliebrem. Notauit autem mollitiem quorundam principum, qui quum se Hercule fortiores esse iactitent, & Hannibalis scientiam militarem sibijpsis ascribāt maiorem tamen vitæ partem, Sardanapalum imitantes, in conuersatione nobilium matronarum virginumque aulicarum inueniuntur ludentes, molliterque saltantes. *Æn. Sil. li. 4. Comm. in reb. gest. Alph. regis.*

Fridericus Imperator. Eum sæpenumero dicere solitum accepimus: Malle se febri teneri, quam saltationi operam dare. *Æn. Sil. lib. 1. Comm. de reb. gest. Alph.*

Alphonsus Gallos potissimum leues esse dicebat, qui quo magis ætate prouecti essent, eo magis saltationis insania se oblectarent. *Ant. Pan. lib. de reg. gest. Alphons. & Æn. Silu de eius dictis.*

Idem, cum forte mulierem quandam impudentius saltantem aspexisset: Expectate, inquit, mox Sibylla edet oraculum, Sentiens, saltationem insaniæ genus esse. Sibylla enim vates non edebat oraculum, nisi furore correpta. *Panor. lib. 2.*

Idem audiens Scipionem saltatione animum relaxasse, Saltatorem ab insano nihil differre dixit, nisi quod hic dum saltat, ille autem dum viuit, insanus est. *Pan. lib. 1. de reb. gest. Alph.*

Idem, Cum argueretur, quod cum à saltatione tantopere ipse abhorreret, in aduentu tamen Friderici Imperatoris tertij, cum ipso Imperatore, & Leonora Augusta saltitare palam visus esset, respondit, Eum quidem qui luxuriæ causa saltet, stultum & insanum merito esse, sed si honoris alicuius gratia fieret, reprehēsionem aliqua ex parte effugere, quando quidem cum magnis

viris insanire aliquando decorum videtur. *Panorm. lib. 2. de reb. gest. Alphonsi.*

SIMILITVDINES.

Chrysostomi. Si mille foenici voluptatibus abundare videantur, quãtis delectationum flumina illis adesse credantur, multis tamen amarissimis telis perfossi plerumque iacent. Sic saltatricis alicuius moribus captus quispiam fuerit omni malitia durius, omnisũ peregrinatione molestius tormentum subsitinebit, omnique obsessa ciuitate miseriores peraget dies. *Hom. 69. in Matth.*

Thriueri Virgines quæ in choris & tripudijs viros quærunt, nihilo probiores ijs qui beneficia lenocinijs mereantur, ambiunt. *In apoph. 124.*

EXEMPLA BIBLICA.

Populus coram vitulo conflato ludens & saltans, *Exod. 32. 6.* Filia Herodiadis in natalitijs Herodis saltans, *Matth 14. v. 6. Marc. 6. 22.* Choreas diuisas fuisse olim ratione sexus, hoc est, aliæ fuerũt mulierum, aliæ virorum choreæ. Nam Dauid solus saltat, non cum matronis aut puellis. Sic Maria inter mulieres & cum mulieribus saltat. Mulieres item pœna Dauidi canentes. Huiusmodi choreæ, aptè, decenter, honestè, piè suo loco & tempore, sine aliorum damno & scandalo actæ, tolerari a pijs possunt.

HISTORICA EXEMPLA.

Proditur memoria Theseum in Delum insulam appulsum ex Creta, ibi saltationem misse cum pueris, quæ Labyrinthi præferret errores orbibus orbes impediens, apud aram τέρατωνα ex sinistris modo compactam cornibus. *Cæl. lib. 5. c. 3.*

Lacedæmonij Trichoria vtebantur saltatione, instituto Lycurgi: constabat autem ea saltatio triplici choro: senum, puerorum, iuuenum *Senum prima erat cantio.*

> Αὐτοὶ ποτ' ἦμες ἄλκιμοι νεανίαι.
> *Nos olim fuimus strenui iuuenculi.*
> *Secunda puerorum.*
> Ἄμμες δέ γ' εἰμὲν αἰ δὲ λῇς αὐγάσδεο.
> *Praestantiores nos futuri olim sumus.*
> *Tertia iuuenum.*
> Ἀμμες δέ γ' εἰμὲν αἰ δὲ λῇς αὐγάσδεο.
> *At nos sumus: vel experire si velis.*
> *Plutarchus com. de laude sui ipsius.*

Aristonicum Carystium Alexandri fuisse sphæristen, prodit historia quem ob artis excellentiam ciues donarunt Athenienses, statua quoque erecta. *Cæl. lib. 4. c. 8. A. L.*

Pharsalia saltatrix Thessalica cum a Philomelo, Phocensium duce, (spoliato primo Delphico,) auream coronam Daphnes (Lampsacenorum donarium) accepisset, à Daphnes vatibus ad insaniam redactis in foro discerpta est. *Athen. l. 3. c. 28.*

In ludis à Nerone institutis Aelia Catula XXC. annos nata, nobilis, & ditissima saltauit. *Xiphilinus.*

C. Caligula Imperator saltatores vrbe à Tyberio exactos, non tantum reuocauit, sed ipse etiam plurimum saltauit, & cum aliquando de nocte accersiri diligenter principes senatus iussisset, tanquam de rebus necessarijs ab ijs esset consilium capturus: postquam conuenerunt, nihil aliud quã saltationẽ instituit. *Dion in eius vita.*

Pyrrhus Achillis filius, celebratus saltationis artificio vsque adeo est: quum speciem illi pulcherrimam adiecisset, Pyrrhichium sit ab eo nuncupatum. *Cæl. 5. c. ex Luc. de saltat.*

Epaminondas ex Thebanus bellicosissimus, probe saltasse, & censasse sæpe dicitur, existimans nimirum saltatione homines agiliores fieri vt si quando serio pugnandum esset, eo promptiores forent. *Alex. l. 2. c. 25.*

Dionysius tyrannus quum Syracusanorum in conuiuio iussisset, vt singuli in veste purpurea saltarent: *Plato* id facere recusauit, his trimetris, è fabula quapiam vsus.

> Οὐκ ἂν δυναίμην θῆλυν ἐνδῦναι στολήν,
> Ἄρρην πεφυκὼς καὶ γένους ἐξ ἄρρενος.
> *Muliebri ego haudquaquam indui queam stola,*
> *Vir natus ipse, ex virili germine.*

Cæterum Aristippus philosophus induitus purpura saltaturus, hos versus recitauit ex tempore:

> Καὶ γὰρ ἐν βακχεύμασιν
> Οὖσ' ἥ γε σώφρων οὐ διαφθαρήσεται.
> *Nam in Liberi patris sacris,*
> *Mens, quæ pudica est, ne, cest corrumpier.*
> *Laert. lib. 2. c. 8.*

HIEROGLYPHICVM.

Apud Philippum illum, qui Sacerdotum Aegyptiorum lemmata quædam Græce scripta posteritati tradidit, *saltationem hominem & tibijs deditum,* per *Turturem* significare legitur, neque quicquã aliud. Nam eam omnino tibijs sutrum in modum attici compertum est, quin etiã & cantu in insidias allici atque capi. *Pet. Val. lib. 2. p. 208. D.*

Vide Chorea, Luxuria, Intemperantia, Voluptas, &c.

SALVS.

DEFINITIO, ET ETYMOL.

Salus, Incolumitas, tum animæ, tum corporis: Græce σωτηρία, Heb. *Iesch. ah,* a verbo *Iasthab,* Saluauit, Seruauit, opitulatus est, præstitit salutem. IESVS σωτήρ. Seruator, Saluator, qui omnino eodam salutem suis confert. Vide trilingue etymologicon Lugd. *pag. 705 & 706.*

Salus alia ciuilis & politica est: alia Theologica. Huius, nẽpe Theologicæ, duplex ratio est, pro duplici temporis ratione: vna in hac vita, & statu gratiæ dicta, qua tenus Deo reconciliati, & iustificati firmiratem in ipsius gratia, gloriationem in aduersis, & pacem cum Deo in Iesu Christo habemus. Altera futura vitæ æternæ, in gloria consistit, hoc est, in gloriæ perfectæ perfecta possessione & fruitione.

LOCI BIBLICI.

Salus pro auxilio, *2. Sam. 10. 11. Psal 60. 13.* pro eo, qui seruandis electis destinatus est, *50. 23.* hoc est pro Messia, vnico salutis organo a Deo, non vni duntaxat Iudæorum genti, sed toti mundo exhibito, *Luc 3. 6.* Sic accipitur vulgo *& Gen. 49. 18.* pro doctrina Euangelij *Hebr. 2. 3.* pro quitheaurone, quæ in hac vita contingit, *Matth. 9. 22. Luc. 19. 9. Eph. 2. 8. 2. Tim. 1. 9. Tit. 3. 5.* pro æterna illa gloria, quæ post hanc vitam donatur, *Tim. 2. 23. Heb. 14. v. 5. 9. 1. Pet. 1. 9.* quam Paulus glorificationem appellat, *Rom. 8. 17.* salus a solo Deo, *Psal. 3. 8. & 18. v. 3. 4. & 27. 1 & 33. 16. & 44. v. 4. & 73. 25. Es. 27. 3. & 43. v. 3. 11. Ier. 3. 23. Osea 13. 4. Luc. 4. 12.* salus in solo Christi nomine, per solam Christi gratiam confertur, *Act. 4. 12. & 15. 14.* neque tamen pugnant cum his locis. *Abd. 1. 12. t. Tim. 4. 16. Iac. 5. 20.*

Salus ex Dei gratia & misericordia, *Ephes. 2. v. 5. 8. Tit 2. 11. Hebr. 7. 25. & 8. 8. & 10. 14.* salus in Ecclesia, *Esa. 46. 13 Ioel. 2. 32. Actd. v. 57.* salus ex Iudæis, *Io. 4. 22.* salus per Euangelium confertur, *Rom. 1. 16. Cor. 15. 2. Iac. 1. 21.* in se posita, *Rom 8. 24. Heb. 4. 8. 1 Pet 1. 3.* salus minime negligenda, *Heb 2. 3.* salus eadem omnes & Patribus communis, *1. Pet. 1. 10.* salus animarum, fidei finis, *1. 9.* salus piorũ æterna, *Esa. 45. 17. Hebr. 7. 25.* salus piorum quomodo promouea tur, *Rom. 8. 20.*

Salutis fidelium certitudo, *1. Thess. 5. 9. Heb 12. 13.* salutis galea, *Eph. 6. 17.* salutis partes omnes in Christi conuertuntur, *Coss. 1. v 3 14.* salutis via, cognitio veritatis. *1. Timoth. 2. 4.* salutem nostra cum timore & tremore conficere iubemur. *Epist. 2. 12.*

Saluator Deus solus, *2. Sam 10. 19. Tit. 2. 11.*

SENTENTIAE BIBLICAE.

Salus Spiritualis quomodo acquiratur.

Dominus Deus clamaui ad te, & sanasti me. *Psal. 29.*
Sana animam meam, quia peccaui tibi. 40.
Qui sanat contritos corde. 146.
Ecce Deus noster iste, expectabimus eum, & saluabit nos. *Esa. 25.*
Israel saluatus est in Domino salute æterna 45.
Deus iustus & saluans non est præter me *ibid.*
Sana me Domine, & saluabor: saluum me fac, & saluus ero, quoniã laus mea tu es. *Ierem. 17.*
Et saluabo eos in Domino Deo suo. *Osee 1.*
Qui voluerit animam suam saluam facere, perdet eam. Qui autem perdiderit animam suam propter me, inueniet eam. *Matt. 16.*

Ad quid requiritur.

Salus animæ in sanctitate iustitiæ, melior est omni auro. *Eccl. 30.*
Qui inuenit animam suam, perdet eam. *Matth 10.*
Qui enim voluerit animam, &c. Quid enim proficit homini, si lucretur totum mundum, se autem ipsum perdat. *Luc. 9.*
Qui amat animam suam, perdet eam: & qui odit animam suam, in vitam æternam custodit eam. *Ioan. 12.*

PATRVM SENTENTIAE.

Nullum credimus ad salutem, nisi Deo inuitante venire, nullũ inuitatum salutem, nisi Deo auxiliante operari: nullum nisi orantem auxilium pro mereri, nullum voluntate Dei perire, sed permissu. *Aug. in lib. de defin.*

Nullum omnipotenti Deo tale sacrificium, quale est zelus animarum *Greg homil. 12. sup. Eze. 2.*

Monstratur, quod non omnes diuites pereunt, nec pauperes saluan-

saluantur vniuersi: sed ex istis & illis saluantur & pereunt, *Chrysost. in Matth. 24.*

Sententiae Philosophicae.

Incredibile est alicui tantam ignauiam esse insitam, vt salutem suā negligat. *Demosth. 1. Olynth.*

Homines ad Deos nulla re propius accedunt, quam salutem hominibus dando. *Cicero pro Manil.*

Sententiae Poeticae.

Doctrina salutis pertinet ad omnes.
Anthol. Sac.

Exueret Deus, vt terra caligine mundum,
Doctrina accendit lumen Apostolica;
Quae nullis animis, nullis non congruit annis,
Lacte rigans paruos, pane cibans validos.
Non tempus, non sexus, huic non causa resistit.
Omnes curat, alit, vinificat, vegetat.
Sumite quae magna apposuit sapientia mensa,
Et varijs pasci discite delicijs.
Quarum pars totum est epulum, quo quisque innatur.
Inde capit vitam, quam parit vna fides.

Salutem velle, magnam saluos partem esse.

Pars mihi semper erit, seruari velle salutis,
Maxima, si cupiat, iam prope saluus erit.
Si modo velle tuum vehemens, & forte vatumque
Molle etenim lucri nil tibi velle feret.
Non vult, cui nimium leuis est, mollisque voluntas:
Imaque si superit pluris habenda putat.
Qui bene vult, volet hic caelum, caelumque volendo
Fortiter, huic facilis mox labor omnis erit.

Adagia.

Crotone salubrius. Κρότωνος ὑγιέστερον.

Dicitur de re nequaquam noxia sed vndiquaque salubri. Croton vrbs a genus, à quo animantes natum ad agrum existimat Zenodotus.

Cucurbita sanior. κολοκύντης ὑγιέστερος.

Dicitur itidem de re innoxia & salutifera: quod Cucurbita vel non facile laedatur aeris vitio, crusto qua tegitur munita: vel varijs remedijs efficax esse perhibeatur.

Sanior est pisce.

De bona firmaque hominis valetudine dicitur. Sumptum a piscibus quod creditum sit, hoc animantis genus non sentire morbos. Germani eadem fere verba. So gesund als ein fisch.

Valere Pancratice.

Plautus dixit pro eo, quod est firma esse valetudine. In Pancratiastis enim valetudo & robur corporis potissimum spectabatur. Hac pertinent etiam illa:

Valere athletice: Valere basilice.

Emblema.

Aere quandoque salutem redimendam.
Emblema CLII. And. Alciati.

Et pedibus segnis, tumida & propendulus aluo
Hac tamen insidias effugit arte fiber.
Mordicus ipse sibi medicata virilia vellit.
Atque abijcit, se gnarus ob illa peti.
Huius ab exemplo disces non parcere rebus,
Et, vitam vt redimas, hostibus aea dare.

Salus publica.
Emblema CXLIX.

Phoebigena erectus Epidaurius insidet aris,
Mitis, & immani conditur angue Deus.
Accurrunt aegri, veniatque salutifer orant.
Annuit, atque ratas efficit ille preces.

Adagia.

De Columbis.

Oppressa columbarum cohorte, quae ab vna quasi regina & domina candidissima columba ducebatur, reti aucupis, singulae strepere & alis plaudere & ferire rete, si qua erumpere possunt. Tum nō solum albam: sed etiam sapientem reginam ferunt illum impetum promiscuum & temerarium suarum columbarum verbis cōpescuisse, & hortatam esse, vt consociata & consentiente vi atque opera erumpere studerent: nā singulas non aliter seruari posse, quam seruatis vniuersis. Cum autem hae parerent ductrici suae, & pariter subuolare, impetu concordi omnes conarentur, sustulerunt rete, & in siluas aufugientes abstulere, vbi super arboribus laqueis relictis, ipsae omnes periculum euaserunt.

Fabula docet, communi salute singulorum salutem comprehendi, & obedientia subditorum, quae vocatur πειθαρχία à Graecis, nō solum publica, sed priuata etiam bona procurari.

Vide Felicitas, Prosperitas.

S A L V T A T I O.

Definitio, et Etymolog.

Salutatio, Salutandi actus, à Saluto. i. e. Salutem opto, dico. Graece ἀσπασμός. προσαγόρευσις. πρόσρησις. Heb. *Berachah*, i. e. benedictio, fausta precatio quae ad aliquem defertur cum salutatione & decenti corporis motu ac gestu, vt capitis inclinatione, geniculatione, &c. a verbo *Barac* precatus est, benedixit, beatū praedicauit, flexit genu. Hinc βρέχω flecto: & latinum precor: & per metathesin, μακαρίζω beatifico.

Loci Biblici.

Salutare in pace, *1. Sam.* 10. 4. in sancto osculo, *Rom. 16. 16. 1. Cor. 16. 20. 2. Corint. 13. 12. 1. Pet. 5. 14.* salutare in via prohibentur apostoli, *Luc.* 10. 4. quia locutione hyperbolica vtuntur Hebraei, cum alicui praecipitur vt celeriter, & nulla prorsus interiecta mora aliquid obeat, *vt 2. Reg.* 4. 29. alioquin comes & humanae salutationes inter Christiana quoq; officia numerantur passim. Nonnulli per synecdochen interpretantur, vt sit species pro genere posita, salutatio, pro colloquio, aut collocutione, quasi dicas; cum nemine colloquimini, quod sit vobis in moram. Sic & *2. Reg. 4. 29.*

Salutatio Angeli ad Mariam, *Luc. 1. 28.* salutationis Apostolicae & Christianae formula, *Matth. 10. 12. Luc. 10. 5.*

Exempla Sacra.

Salutationis *Exempla:* Moyses & Iethro *Exod. 18. 7.* Angelus salutat Gedeonē, *Iud.* 10. 12. Exploratores trib. Dan, *Iud.* 18. 15 Saul Samuelem, 1. *Sam.* 13. 10 Dauidis iuuenes Nabal, 25. 5. Dauid populum, 30. 21. Tou Dauidem, 2. *Sam.* 8. 10. populus Absalonem, 15. 5. Tobias Angelum, *Tob.* 5. 6. Nicanor, 1. *Mach.* 7. *v.* 29. 33. Ionathas & Rex Ioppe, 11. 6. Apostoli familiam ad quam ingressuri erant, *Matth.* 19. 12. *Luc.* 10. 5. Christus discipulos, *Matt.* 18. 9. *Luc.* 14. 36. populus Christum, *Marc.* 9. 15. Angelus Mariam, *Luc* 1. 28. Maria Elizabetham, *ver.* 40. Paulus Ecclesiam Caesareensem, *Act.* 18, 22. Paulus fratres, 21. *vers.* 17. 18. 19 Agrippa & Bernice Festum 25. 13. Paulus Priscillam, Aquilam & reliquos fratres, & sanctos, *Rem.* 16. *v.* 3. *&c.* Ecclesiae Asiae, &c. Corinthios, 1. *Cor.* 16. 19. *&c.* Corinthij se inuicem, 2. *Corint.* 13. 12. sancti Philippenses, *Phil.* 4. 21. *&c.* Aristarchus, Marcus, &c. Colossenses, *Col.* 4. 12. *&c.* Eubulus, &c. Timotheum *Timoth.* 4. *v.* 9. *&c.* Pauli Comites Titum, *Tit.* 3. 15. Epaphras, &c. Philemonem, *Philemon. v.* 23. Hebraei suos praepositos, *Hebr.* 13. 24. Ecclesia Babylone collecta sāctos, 1. *Pet.* 5. 13. Amici Caij, Caium, 3. *Io. v.* 15. salutandi superiores ritus: *Exempla:* Abraham, *Gen.* 23. 7. Ruth. *Ruth.* 2. 10. Abigail, 1. *Sam.* 21. *v.* 23. 24. Miphiboseth, 2. *Sam.* 9. 6. Ioab, 14. 22. Absalom, *v.* 33. Bethsabee, 1. *Reg.* 16. Filij prophetarum, 2. *Reg* 2. 15 salutationes in foro amabant Pharisaei & Scribae, *Matth.* 23. 7. *Luc.* 20. 46.

S A N C T I F I C A T I O, Sanctus, Sanctitas,

Definitio et Etymolgo.

Sanctificatio, Graece ἁγιασμός. ἁγιότης, dicitur. Et est munditia à peccato, vel confirmatio in bono, vel deputatio ad cultum Dei. Et tertium conuenit irrationalibus rebus, vt ecclesiae, vestibus, & huiusmodi. *secun. S. Thom.* 2. 2. *q.* 81 *art.* 8.

Sanctitas, Graece ἁγιωσύνη, ab ἅγιος i. e. sanctus dicitur. Est autem sanctitas scientia colēdorum Deorum *secund. Cic. lib. 1. de natura Deorum.*

Sanctitas est virtus faciens homines fideles, & seruantes ea, quae ad Deum sunt iusta *secund. Andronicum.*

Sanctitas est ab omni immunditia libera & perfecta, & omnino immaculata munditia. *secund. Dionysium de diuinis nominib. c.* 12. *& S. Thom.* 1. *Sent. dist.* 10 *q.* 4. *art.* 4.

Sanctitas a sancio venit. Sancire enim proprie est consecrare aliquid sub sanguine hostiae, vnde sanctum dicitur quasi sanguine consecratum, & sanctio proprie vocatur lex cum terrore poenae.

Sanctitas, sanctitudo, sanctimonia eiusdem significationis sunt.

Loci Biblici.

Sanctificare, pro purgare, 2. *Sam.* 11. 4. pro consecrare, *Luc.* 25. 10. pro laudem & gloriam tribuere, 1. *Pet.* 3. 15. sanctificat seipsum patri Christus pro nobis & immolat, *Io.* 17. 19. vt sanctificet Pater Apostolos, orat Christus, *Io.* 17. 17. sanctificemus nos, 1. *Io.* 3. 3. sanctificare Dominum coram populo, *Num.* 20. 12. *&* 27. 14. sanctificare festum, *Leuit.* 15. 10. sanctificari volt Deus, *Leu.* 10. 3. sanctificari, pro Sanctum habere & coli, *Matth.* 6. 9.

Sanctificatio, electionis testimonium, 1. *Pet.* 1. 2. sanctificatio nostra Christus, 1. *Cor.* 1. 30.

Sancti

Sanctificati Christiani per Christum, *1. Cor.* 1.
Sanctificator noster Deus, *Leuit.* 20. 8. *Ezech.* 37. 28.
De sancto qui comedere debeant, *Leuit.* 22. 11.
Sanctitas vera quæ, *1. Cor.* 7. 34. *2. Cor.* 7. 1. Sanctitas est electionis fructus, *Ephes.* 1. 4. Sanctitati studendum, *Exod.* 22. 31. *Leuit.* 11. *v.* 43. 45 *&* 19. 2. *&* 20. *v.* 7. 16. *&* 21. *v.* 6. 8. *Deut.* 7. 6. *&* 14. 2. *&* 26. 19. *Psal.* 139. 24. *Esa.* 52. 11 *&* 56. 1. *Matth.* 5. 16 *Luc.* 1. 75. *Rom.* 6. *v.* 4. 13. 19. *&* 12. 1. *Ephes.* 1. 4. *&* 5. *Philipp.* 1. 10. *&* 2. 15. *Col.* 1. 22. *&* 3. 12. 1. *Thess.* 3. 13. *&* 4. 3 *&* 5. 24. *Tit.* 1. 9. *Heb.* 9. 14. *Iac.* 1. 27. 1. *Pet.* 1. *v.* 15. 16 *&* 2. 9. 2. *Pet.* 1. 3. 1. *Ioan.* 3. 3. 1. *Apoc.* 22. 11.
Sanctum canibus non dandum, *Matth.* 7. 6. sanctum Domini, *Exod.* 35. 2. *Leuit.* 16. 1 *&c Psal.* 114. 2 *Matth.* 7. 6. *Luc.* 1. 37.
Sanctus est Deus, *Esa.* 6. 3. *Apoc.* 4. 8. sancti appellatio Christo tributa, 1. *Ioan.* 2. 20. qui etiam ... peculiariter dicitur etiam. *Luc.* 1. 35. immo vero peculiariter sanctus sanctorum, id est, sanctus sanctissimus. *Dan.* 9. 24. Sanctus Dei populus, Israelitæ. *Deut.* 14. 21. Sanctus panis, 1. *Sam.* 21. 4. Sanctus pro sua impietate orat, *Psal.* 32. 6. Qui sanctus est, sanctificetur adhuc, *Apoc.* 22. 11.
Sancti & mundi esse debemus, *Leuit.* 11. 44 *&* 19 2. *&* 20. *v.* 7. 26. *&* 21. 6. *Num.* 15. 40. *Deut.* 26. 19 *Ephes.* 5. 26 *&* 1. *Thess.* 4 3. 1. *Pet.* 1. 16. sancti Deo cultui, immundi, *Iob* 15. 15. sancti quatenus imitandi, 1. *Corinth.* 4. 16. *Galat.* 4. 12. *Philipp.* 3. 17. 1. *Thess.* 1. 6. 2. *Thess.* 3 7. sanctis in charitate exercenda reliquis hominibus præferendi, *Rom.* 12. 13. *Gal.* 6. 10. *Ephes.* 1. 15. *Heb.* 6. 10. sancti pro iis, qui absolute in Dei fœdere sunt, etiamsi vera & interiori sanctitate careant, *Rom.* 15. 16. 1. *Cor.* 7. 14. sancti mundum iudicabunt, *Sap.* 3. 8. *&* 5. 5. *Matth.* 19. 28 1. *Cor.* 6. 2. *Iud. v.* 14. sancti cum Christo in cœlo regnantes, *Io.* 12. 26. *&* 17. 24. 2. *Cor.* 5. 8. *Phil.* 1. 23. *Apoc.* 3. 21. *&* 7. 9. *&* 4. 13.
Sanctorum communio, 2. *Cor.* 8. 14. sanctorum ministerio aliquando tribuitur, quod soli Deo præcipue conuenit, *Matth* 18. *v.* 16. 18. *Io.* 20. 13. *Rom.* 11. 14. 1. *Cor.* 9. *v.* 20. 21. *Tim.* 4. 16. *Iac.* 5. 19. In sanctis suis Deus laudatur, *Psal.* 150. 1. pro sanctis Christianis semper orandum, *Ephes.* 6. 18. vt sanctos nos faceret & mundos, misit Deus filium suum, *Col.* 1. 22.

SENTENTIAE BIBLICAE.

Sanctitas gratiose a Deo datur.

Ne polluatis nomen meum sanctum. Ego Dominus qui sanctifico vos. *Leuit* 22.
Ipse Deus pacis sanctificet vos per omnia, vt integer spiritus vester, & anima, & corpus sine querela in aduentu Domini nostri Iesu Christi seruetur. 1. *Thess* 5.
In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel. *Heb.* 10. 1.
Propter quod & Iesus, vt sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. 13.
Et omnis qui habet hanc spem in eo, sanctificet se sicut & ille sanctus est. 1. *Ioan.* 3.

Studiose in bono ordinatur.

Vade ad populum, & sanctifica illos hodie, & cras, lauentque vestimenta sua, & sint parati in diem tertium. *Exod.* 19.
Descendit Moses de monte ad populum, & sanctificauit eū. Cumque lauissent vestimenta sua, ait ad eos: Estote parati in diē tertium, & ne appropinquetis vxoribus vestris. *ibid.*
Homo sensatus in sapientia manet sicut Sol. *Eccl.* 27.
Sanctifica eos in veritate. Et pro eis sanctifico meipsum, vt & ipsi sanctificati in veritate. *Ioan.* 17.

Fructuose in nobis conseruatur.

Sancti eritis quia ego sanctus sum *Leuit* 11.
Sancti estote, quia sanctus ego sum Dominus Deus vester, 19.
Sanctificamini & estote sancti, 20.
Eritis mihi sancti, quia sanctus sum ego Dominus. & separaui vos à cæteris populis, vt essetis sancti. *ibid.*
Et Dominus elegit te hodie, vt sis ei populus peculiaris. *Deut.* 26.
Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra. 1. *Thess.* 4.
Sanctus sanctificetur adhuc. *Apoc.* 22.

PATRVM SENTENTIAE.

Nullus sanctus & iustus caret peccato, nec tamen ex hoc desinit esse iustus vel sanctus, si affectu teneat sanctitatem. *Aug. de diffinitione Ecclesiæ dogmatum.*
Ille iuste & sancte viuit, qui rerum integer æstimator est. Ipse est, qui ordinatam habet charitatem, ne aut diligat, quod non est diligendum, aut non diligat quod est diligendum, aut amplius diligat quod minus est diligendū, aut minus diligat quod amplius est diligendum, aut minus, aut amplius quod æque diligendum est. *Idem lib. de doctrina christiana.*
Ista sunt, quæ sanctitatis causa seruanda sunt, Pudicitia corporis, Castitas animæ & veritas doctrinæ. *ibid.*
Si quis dixerit iustum iniustum, & iniustum iustum, abominabilis est vterque apud Deum. Similiter qui sanctum dicit non sanctum, & rursus non sanctum asserit sanctum, abominabilis est apud Deum.
Si quis hominem, qui sanctus non est, sanctum esse crediderit, & Dei eum iunxerit societati, Christum violat, cuius membra fe-mus. Et infra: Omnes credentes, secundum Apostolum, Christi corpus efficimur. Qui in Christi corpore errat & labitur, asserēs membrum eius esse sanctum, cum non sit: vel non esse sanctum cum sit, vide quali crimini obnoxius fiat: Esaias enim dicit: Væ his, qui dicunt dulce amarum, amarum dulce: ponentes tenebras in lucem, & lucem tenebras: Dulce puto esse sanctimoniā, amarum quod sanctimoniæ contrarium. *Hieron super epist. Pauli ad Phil. & hab.* 11. *q* 3. *can. Si quis dixerit.*
Nec rusticus, nec tantum simplex frater ideo se sanctum putet, si nihil nouerit, nec peritus & eloquens in lingua æstimet sanctitatem, multoque melius est de duobus imperfectis rusticitatē sanctam habere, quam eloquentiam peccatricem. *Idem in epist. ad Nepotianum.*
Sancta magis esse, quam videri, stude. Nihil prodest æstimari, quod non sis, & duplicis peccati reatus est, non habere quod crederis, & vt habueris simulare. *Idem epist. ad filiam Mauritij.*
Discamus ergo & sanctorum mundiam, vt imitemur patientiam, & cognoscamus illos naturæ præstantioris fuisse, sed obseruantiæ maioris, nec vitia nescijsse, sed emendasse. *Ambrosius l. de Ioseph.*
Si omnes sanctos & sanctas, cū hic viuerent, congregare possemus, & interrogare vtrum essent sine peccato, quantalibet fuerint excellentia sanctitatis: Si hoc interrogari potuissent, vna voce clamassent. Si dixerimus quia peccatū non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. *Aug. de natura & gratia, c.* 36.
Sancti viri, quo altius apud Deum virtutum dignitate proficiunt, eo subtilius indignos se esse deprehendunt, quia dum proximi luci fiunt, quicquid eos in seipsis latebat, inueniunt.
Sancti viri nec ex elatione sunt liberi, nec ex timore submissi: sed cum rectitudo eos ad libertatem vocis erigit, consideratio infirmitatis propriæ in humilitate custodit. *Greg. in Moral.*
Vita lectio est vita sanctorum. *Idem Moral.* 24.
Sanctorum virorum est, non inquirere mansionem, vbi clariores sunt viri, sed vbi fructiores. Nec gaudent, vbi epulæ largæ sunt, sed vbi sanctitas floret.
Quæ est illa iustitia, sanctos colere, & sanctitatem contemnere. Primus gradus pietatis est, sanctitatem diligere. *Ioan. Chrys. super Matth. c.* 24.
Ioannes virtutum schola, magisterium vitæ, sanctitatis forma, norma iustitię, virginitatis speculum, pudicitię titulus, castitatis exēplum, pœnitentiæ via, peccatorum venia, fidei disciplina, legis summa, Euangelij lectio, Apostolorum vox, silentium Prophetarum, lucerna mundi, officium præconis, præco iudicij, Domini testis, totius medius Trinitatis. *Idem de Ioan. Bapt. ser.* 8.
Qui peccat, de sanctis exit, non enim in locis sancta quęrenda sunt, sed in actib. & vitæ moribus quæ si secundum Deum sint, & secundum præceptum Dei habeantur, etiamsi in domo sis, etiamsi in foro. & quid dico in foro, etiā si in theatro inueniaris verbo Dei seruiens, in sanctis te esse non dubites. *Origenes hom.* 42. *super Leuit.*

DICTA POETARVM.

Iuuen. sat. 13.

Egregium sanctumque virum si cerno bimembri
Hoc monstrum puero, vel mirantis sub aratro
Piscibus inuentis, & fœtæ compare mulæ.

Anthol. Sacr. Iac. Bill.

Mens illa sanctissima nihil violato corpore perdit,
Si tamen carnis vulnera non maculant.
Nec crimen facti recipit non mixta voluntas:
Velle magis facinus quam tolerare, nocet.
Sic autem ad cordis penetralia cuncta recurrunt,
Vt plerumque animus sit sine carne reus:
Dum quod ab intacto semotum est corpore solus
Concipit, & tectis motibus intus agit.

SIMILITVDINES.

Chrysost. Quemadmodum si quis margaritam in luto conculcet, eius amplius demonstrat pulchritudinem: Sic virtus sanctorum, quocūque eam proieceris, declarat suā virtutem, in seruitute, in carcere, in prosperitate. *Hom.* 62. *in Gen.*
Sicut in corona, quum sit rotūda, nihil inuenis, quod videatur initium aut finis: Sic inter sanctos, quantum ad tempus in illo sęculo, nemo nouissimus dicitur, nemo primus. *In c.* 20. *Matt. hom.* 34.
Themist. Vt parum parētes refert is, qui parentum sepulchra colit, & ab ipsorum morib. degenerat: Sic præposterus homo, qui sanctorum statuas coronat, atque interim ipsorum virtutes oppugnat. *In apoph.* 42.
Nautas liberant litora ab inundatione aquarum, multoque impetu marinorum fluctuum: Sanctorum autem memoria fideles ad vestrorum festa confluentes a malignis spiritibus, immundis cogitationibus magna animarum reddantur tranquillitate. *ibid.*
Chrysost. Sicut schœnobatæ, qui in funibus sursum deorsumq extentis ascendere & descendere solent, si parum respexerint, præcipites in orchestram decidūt & pereunt: Ita & in hac vita ambulantes,

lantes, si parumper fuerint desides, in præceps fertitur. Via enim hæc & angustior, & directior, nec non & periculosior, quam funis ille, imo multo sublimior. *Ibid.*

D. Ambrosii. Sapientes se arbitrantur, qui rationes physicas inuestigare se putant, seruatores cursus siderum, & qualitates elementorum: Dóm autem horum sperNentes, ideo stulti sunt, quū hæc laudanda sint: quanto magis creator illorum? solent iñ pudorē passi, neglecto Deo, misera vti excusatione, ac dicere, per istos posse iri ad Deum, sicut per omnes peruenitur ad regem. Age, nunquid tam demens est aliquis, aut salutis suæ immemor, vt honorificentiam regis vendicet Comiti? quum de hac re, si qui eiā tractare fuerint inuenti, iure vt rei damnantur maiestatis. & isti se non putant reos, qui honorem nominis Dei deferunt creaturæ: relicto Domino, conseruos adorant, quasi sit aliquid plus, quod seruetur Deo. Nam & ideo ad regem per tribunos & comites itur, quia homo vtique est rex, & nescit, quibus debeat Rēpublicam credere. Ad Dominum autem, quem vtique nihil latet (omnium enim merita nouit) ad promerendum suffragatorem non est opus, sed mente deuota. *In Epist. ad Rom.*

Theimeri. Vt parum prudentes virgines erant, quæ potius à coætaneis & ementibus, quam parantibus expectabant oleum: Sic qui aliorum precibus post mortem fidunt, atque interim ipsi Deo nihil dignum faciunt. *In apoph.* 42.

Diuersæ sunt ad virtutem viæ, siquidem & margaritæ inter se differunt plurimum, vel si oēs idem sint nomen sortitæ, tō hæc fulgentior est, & rotunda, illa vero haud parem habet decorem, sed alium quendam & varium. Quemadmodum coralium artificio quodam productas in longum lineas aliquando habet, circumcisosq; angulos & expolitos, coloremq; à candido etsi diuersum, longe tamen delectabiliorem, viridis etiam iniectus color, præter omnem viriditatem iuuat. Item & flos quidam coniunctum habet cum innata fragrantia, & sanguinis colorem, & istiusmodi aliud autem, qui glaucus fuerit, glaucitate ipsa mare vincit. alius erit etiam purpureo colore splendidior, & istiusmodi alios plerosq; videmus, insuper & folia colorea varios esse, inuenire facile quia poterit? Sic & his similes dici viri sancti possunt, quorum nonnulli propria quadam exercitatione & industria sibijpsis, plerique vero Ecclesiæ proficere. *Homil. 29. de diuersis.*

Origenes. Sicuti cęli luminaria ac sidera in firmamento cœli à Deo collocata, cunctis indesinenter, quæ sub cœlo sunt, fulgent, atque omnibus, quæ super terram sunt, per tempora ac tempora, per generationes & generationes. mirabiliter relucent: alia quidem per noctem, vt luna & stellæ: alia nihilominus per diem, vt solis speciosissimi radij: Sic & sanctorum virtutis insignia, atque beatissimi eorum agones, omnibus in perpetuum singulariter fulgent, omnibus in æternum bonorum formam tribuunt, omnibus sub sole pietatis exemplum ostendunt. Quod autem sideribus atque luminaribus comparentur omnes sancti, demonstrat Apostolus, dicens: Stella differt à stella in claritate: sic erit & resurrectio mortuorum, procul dubio sanctorum. Sed & angelus ad Danielem: Tunc iusti effulgebunt vt luminaria cęli, & tanquam sol & luna, & tanquam stellæ in sæcula. Sic itaque effulgent atque emicant omnes sancti, non solum in tempore restitutionis, sed & nunc in tempore huius præsentis sæculi. Alius fide fulgent, vt Abraham: alius castitate, vt Ioseph: alius nihilominus mansuetudine, vt homo Dei Moyses. item vero alius constantia atque tolerantia vehementium dolorum, vt admirabilis Iob. *Homil. 1. in Iob.*

D. Augustini. Sic abscondita est apud Deum vita sanctorum, vt qui modo laborant in terra, quasi tempore hiemis arbores non habentes fructum & folia, illo apparente tanquam nouo sole exorto, illud quod in radice viuebat, in fructibus appareat, licet castiget, flagellet: amat iudicium, non derelinquet sanctos suos. *in Psal. 36.*

D. Cypriani. Sicut modica aquæ gutta multo vino infusa à se tota deficit, viniq; saporem & colorem induit: ferrum candens pristina propriaque forma exuitur, & igni simillimum efficitur: solis radio aer perfusus, in eandem transformatur luminis claritatem: & speculum radijs solaribus directe irradiatum, solis in se recipit similitudinem, idque putares alterum esse solem: Ita etiam beati, Dei charitate, in intimis suis totaliter penetrātur, sicque Deiformes effecti, in Dei similitudinem transformantur. *De singular. cleric.*

S A N G V I S.

DEFINITIO, ET ETYMOL.

SAnguis est humor calidus, & humidus, nutrimentum in habentibus sanguinem existens. Græc. *αἷμα* Hebr. *Dam*, sanguis color sanguineus, reatus sanguinis. Cognationem habet cum *Adam*, subrufus fuit: sanguis enim colorem subrufum refert. Lat. Domino, i. reum sanguinis iudico.

LOCI BIBLICI.

Sanguis pro homine occiso, *Iosu.* 20.5. pro cædis causa, *Leui.* 20.9. *Iosu.* 2.19. *Iud.* 9.24. 2 *Sam.* 1.16. 1. *Reg.* 2.38. *Ezech.* 18.13. *&* 32.4. *Act.* 18.6. quibus in locis sanguinis appellatione cædis cum omne exitij genus intelligitur, vnde est illa acclamatio Iudæorum, *Matth.* 27.25. cuius sensus est: si quid peccabitur in eo occidendo, nos & posteritas nostra pœnas luamus. Eadem formula species quædam obtestationis est apud Lucam, *Act.* 18.6. quasi dicat Paulus: verbo vos in perniciem vestram ruere: ego igitur hic Deum coram vobis testor, non me, sed vos vobis ipsis causam esse exitij, vt & Dauid loquitur, 2. *Sam.* 1. 16. pro cæde, 1. *Reg.* 2.5 2. *Reg.* 9.7. *Psal.* 116. 38. *Esa.* 1.15. *&* 9.5. *&* 26.21. *&* 33.15. *Ezech.* 2.5.17 *&* 14.19. *Osea* 1.4. *&* 2.4. *Mich.* 7. *Abac.* 2. *v* 8.12. pro socijs capitalibus, *Psal.* 51.16. pro impura nascentis hominis origine, *Io.* 1.13. pro cognatione, *Act.* 17.26. præterea sanguinis, & carnis appellatione, in scriptura sacra interdum intelligitur solum corpus, idq; non nudum, sed cum infirmitate adiuncta, 1. *Cor.* 15.50. vt apparet ex eo, quod subijcitur de corruptione: interdum vero totus homo, corpore & anima constans, quatenus est corruptus peccato, *Matth.* 16.17. *Gal.* 1.16. sanguinis omnis bruti anima est. *Leuit.* 17. *v.* 11.14. sanguis innoxius, ex Hebræorum idiotismo, dicitur homo insons, *Matth.* 27.4. sanguis innoxius ad Deum clamare dicitur, *Genes* 4.10. 4. *Esdr.* 15.8. *Heb.* 12.4. *Apoc.* 6.10. sanguis iustus cum venire super caput aliquorum dicitur, nihil aliud est, quam reos & obnoxios esse, vel in caput eorum redundare sanguinem iustū, *Matt.* 23.35. sanguis non comedendus ante Messiæ regnum, *Gen* 9.4. *Leu* 3.17. *&* 7.26. *&* 17.10. *&* 19.26. *Deut.* 12. *ver.* 16.23. *&* 15.23. 1 *Sam.* 14.33. eius vsus Christi aduentu cōcessus, propter fratrum infirmitatem ad tempus prohibetur, *Act.* 15. *v.* 20.29. *&* 21.25. sanguis Achab à canibus lingitur, 1. *Reg.* 22.38. sanguis fœderis, *Exod.* 24.8. *Heb.* 9.20. sanguis & aqua e Christi latere fluit, *Ioan* 19.34.

Sanguinis conspersio, *Exod.* 24.6. *&* 29.20. *Leu.* 1. *v.* 5.11. *&* 3. *v.* 2.8. 13. *&* 4. *v.* 6.16. *&* 7.2. *&* 8. *v.* 19.30. *&* 9.18. *&* 16. *v.* 14.18. *&* 17.6. 2. *Paral.* 30.16. *Ezec.* 43.20. *Heb.* 9. *v.* 13.14.19.21.22. sanguinis Christi conspersio, *Heb* 9.14. *&* 10.19. *&* 12.24. 1. *Pet.* 1.2. sanguinis innocentis effusio, *Deut.* 19. *v* 5.11. *&* 27.24. 2. *Sam* 20 9. 2. *Reg.* 21.13. 2. *Reg.* 21.16 *&* 24.4. 2. *Paral* 22. *Prou.* 6.17. *&* 28.17. *Esa.* 26. 2. *Iere.* 7.6 *&* 22 *Ezech.* 22.4. 4. *Esdr.* 1.31. *Matth* 23.54. *Luc.* 11.50. *Apocalip.* 6.10. *&* 8.24. clamat vindictam coram Deo, *Genes.* 4.10. 4. *Esdr.* 15.8. *Hebr.* 12.24. *Apocalip.* 6.19. sanguinis fluxus sistitur, *Matth.* 9.20.

Sanguine Christi empti sumus, 1. *Cor.* 6.20. *&* 7.23. *Act.* 20.28. 1. *Pet.* 18. *Apoc.* 5.9.

SENTENTIAE PHILOSOPHICÆ.

Sanguis est calidus & humidus. *Pet. de Aluer, de long. & breu. vita, l.* 3.

Sanguis si integer est, ruber, & dulcis saporis est, sed si natura, vel morbo fuerit vitiatus, atrior est: nec admodum crassus, nec tenuis, qui optimus est, humidus & calidus semper est, quamdiu in corpore animalis continetur, at vbi efflaxerit, concrescit: excepto ceruorum, & damarū, & si quid aliud est huiuscemodi. *Arist. hist. anim.* 3. *c.* 17.

Sanguis in iuuenili ætate saniem trahit, & largior est: in senectute crassus, niger & paucus: in media medium tenet. *Arist. hist. anim.* 3. *c.* 10.

Sanguis naturalis alius est, alius innaturalis: Naturalis in homine bonæ complexionis sanguis est rubens, sapor valde dulcis, boni odoris, & humidi existens & ille uarius est ratione ætatum, & locorum: namque Cholerici rubeum, incensum, inflammatum, siccum, odoris & saporis acuti, & spumosum, gracilis spumę sanguinem habent: Phlegmatici pallidum, aqueum, insipidum: Melancholici nigrum, spissum & terrestrem. *Alb. Mag de anim lib.* 3. *tract.* 2. *c.* 2.

Sanguis innaturalis est, qui à naturali dispositione est mutatus, tam in colore, quam in sapore & odore: & hoc duobus contingit modis, ex seipso solo, & ex alio remouente, cum propter mistionē à dispositione naturali. Ex se, cum aliqua qualitate actiua, uel passiua impeditur a dispositione naturali: ex alio humore dupliciter remouetur sanguis à naturali dispositione, quia humor alienus, uel a sanguine generatur, uel ab alio. Vnde in ipsum sanguinem intrat, & utrumque uel ad phlegma, uel ad choleram, vel ad melancholiam inclinare incipit: si ad phlegma, fit aquosus, si ad choleram, fit aliquantulum turbidus, si ad melancholiā, fœtidus. *Alb. Mag. de anim. l.* 3. *tract.* 2. *c.* 3.

Sanguis boni causa efficiens est calor naturalis digestiuus secundum proportionem, materialis causa est id, q̄ de cibis & potibus nutrientibus est temperatum; formalis est digestio conueniens: finalis nutrire corpus. *Alb. Mag. de anim. l.* 3. *tract.* 2. *c.* 4.

Sanguis est calidus per se, seu forte per accidens efficitur magni & intensi caloris. *Idem de anim. l.* 1. *tract.* 1. *c* 3.

Sanguis fęminæ est spissior & nigrior, propter frigiditatem maiorem, quam sit sanguis maris, ambobus in bona dispositione constitutis. *Alb. Mag. de anim. l.* 3. *tract.* 1. *c.* 6.

Sanguis in infante est tenuis, & aquosus, in iuuene est acurioris caliditatis: in ætate virili est constans bonæ dispositionis: & in omnibus his ætatibus est multus sanguis: in se autem paucus, spissus & niger. *Idem, ibid.*

Sanguis tactum nullum in genere sentit, vt excrementa in aluo cōtenta sensu carere certum est. *Arist. hist. an. 3. c. 17.*

Sanguis copia in primis animalibus his est, quæ animal & intra se formant, & in lucem edunt, mox iis sanguineis, quæ oua pariūt. *Idem ibid.*

Sanguis omnium animalium palpitat inter venas, pulsusque simul vndique mouetur solus omnium humorum sparsus per totū corpus animalium, & semper quandiu animal feruet. *Ibid. c. 19.*

Sanguis facile in corpore concrescit senibus, quod non venit iuuenibus. *Idem ibid.*

Sanguis tactu calidior est, quam aqua, aut oleum est, sed celerius congelascit. *De par. anim. 2. c. 1.*

Sanguis taurorum omnium celerrime coit & durescit, sed si fibras detraxeris, sanguis non coit. *Ibid. c. 4.*

Sanguis materiæ rationem obtinet, semen vero causæ effectiuæ. *Io. Gram. in 2. de gener. & corr. tex. 58. cor. 47.*

Sanguinem menstruum habere virtutem generatiuā, ait *Arist. quod & Galen. concedit. Aui. 1. de gener. an. c. 20.*

Sanguinis fluxus ab hæmorrhoidib. est innaturalis, propter connaturalitatē tamen sanguinis ad sperma raro nocturno somno polluuntur, & parum spermatizant, quib. fluūt hæmorrhoides. *Alb. Mag. de anim. l. 15. tr. 2. c. 7.*

Sanguinem habere, & non habere, non est causa longioris, vel breuioris vitæ. *Idem de mor & vit. tr. 2. c. 5.*

Sanguine è naribus fluente nonnullis aquam frigidam in faciē fundimus, quia calor ita intus se colligit, & circum obsistit, quod sanguinem suum reddit liquidiorem. *Arist prob. sec. 33. nu. 6.*

Sanguinis humor se. osus mua est. *Plat. in Tim.*

Sanguis spiritui seruit, spiritus sensibus, sensus rationi, & fit sanguis a virtute naturali, quæ in iecinore & stomacho viget. *Fic. de stud san. tuend. l. 1 c. 2.*

Sanguis purus extrahitur oriente sole, cholericus in meridie, melācholicus in occasum, phlegmaticus in medio noctis, prius posito clystere, & sumpta die præcedenti aliqua medicina non solutiua: & Galenus & Auicenna quanto magis exercuere medicinam, tanto semper timidiores circa phlebotomiam sunt facti, quia plus trahit phlebotomia ex naturali & bono, & ex spiritib. quam ipsa medicina, & minus temporis concedit ad discernendum malum sanguinem a bono. *Fic. in epid. antid. c. 6.*

Sanguis in se necessario habere debet pituitam, bilem, & atram bilem, tum ad ipsius temperamentum, tum ad membrorum his similium nutrimentum. *Fic in Plat. Tim. c. 87.*

SANITAS.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

SAnitas, bona valetudo, i. e. status corporis actiones omnes suas probe obeuntis: Græc. ὑγίεια, Heb. *Rephuah, Riphuth. Marpe*, i. e. medicina, remedium. sanitas, medela. a verbo *Rapha*. sanauit, medicatus est, curauit morbum. Cognationem habet cum *Rapha*. remisit, nam curando & sanando morbus fit remissior. Φαρμακεύω medeor.

Loci Biblici.

Sanat Deus animas, *Deut.* 32. 39. *Iob* 5. 18. *Psal.* 103. & 147. 3. *Prou.* 28. 25. *Esa.* 6. 10. & 19. 22. & 30. 26. & 57. 18. 19. *Ier.* 3. 22. & 17. 14. & 30. 17. *O*se. 6. 2. & 14. 5. *Matt.* 13. 15. *Io.* 12. 40. *Act.* 28. 27.

Sanat corpora, *Gen.* 20. 17. *Nu.* 13. 2 *Reg* 5. 8. *Psal.* 103. 3. & 107. 20. sanat aquas, 2. *Reg* 2. 21, sanat terram, 2. *Chron.* 7. 14. *Psal.* 60. 4.

Sanat Christus animas, *Esa.* 53. 5. *Luc* 4. 18. 1. *Pet.* 2. 24. Et corpora, *Matth.* 4. 23. & 21. 4. *Marc.* 3. 10. *P. Luc.* 6. 19. 21. *Act.* 9. 34.

Aquæ mysticæ sanatæ, *Ezech.* 47. 8 9.

Sanitas corporis, *Psal.* 38. 4. *Prou.* 14. 30. & 16. 24. *Matth.* 12. 13. 1. *Cor* 12. 9.

Sanitas spiritualis, Salus: *Prou.* 3. 8. & 12. 18 & 13. 17. *Esa.* 1. 6. & 58. 8. *Ier.* 14. 19. & 33. 6. & 46. 11. *Malach.* 4. 2. *Apoc.* 22. 2.

Sanitas pro pristinæ conditionis, dignitatis & roboris amplitudine, *Ezech.* 30. 21.

Sententiae Poeticae.

Sen. Hipp. Act. 2.

Precor furorem siste, teque ipsam adiuua,
Pars sanitatis velle sanari fuit.

Ouid. ad Liu.

Non mihi quam facile est, quamuis hoc contigit, omnes,
Alterius luctu fortia verba loqui.

Ter. Heat. 15.

Verum id facillimum est, et aliis consilium dare,
In te ipso, tua non posse auxiliarier?

Idem Andr. 2. 1.

Facile omnes, cum valemus, recta consilia ægrotis damus,
Tu si hic sis, aliter sentias.

Hor. 1. Epist. 12.

Si ventri bene, si lateri est, pedibusque tuis: nil
Diuitiæ poterunt regales addere maius.

Sententiae Philosophicae.

Dignitate, & tempore sanitas morbum præcedit, esse autem oscedimus, similarium, quas vocant, partium sanitatem, calidi, frigidi, humidi & sicci symmetriam, i. conuenientiam inter se quandam esse: instrumentalium vero similarium ipsarum compositione, numero, magnitudine, figuraq; constare.

Primum ad præsentium contemplationem pro hypothesi præsumptum esto: sanitatem non esse absolute elementorum, ex quib. constamus temperamentum (quam symmetriam appellant) quēadmodum omnibus fere, qui ante nos scripserunt, visum est, sed eam duntaxat, quæ similarium est partium. *Deinde* instrumentalium sanitatem in figura, numero magnitudine, ac compositione similarium consistere. *Tertio.* functionibus secundum naturā obeundis sanitatis habitum discerni. *Postremo* sanitatem quādam optimam esse, & (vt sic dicam) consummatam, atque summam quandam, ceu deficientem ab hac, nec plane absolutam perfectāve, atque hanc etiam latitudinem habere non paruam. *Galen. de sanitate tuenda, lib. 1.*

Sanus homo, & qui bene valet, & suæ spontis est, nullis obligare se legibus debet, ac neque medico, neque alipta egere: hunc oportet varium habere vitæ genus, modo ruri esse, modo in vrbe sæpiusque in agro, nauigare, venari, quiescere interdum, sed frequentius se exercere: siquidem ignauia corpus hebetat, labor firmat: illa maturam senectam, hic longam adolescentiam reddit, prodest etiam interdum balneo, interdum aquis frigidis vti, modo vngi, modo idipsum negligere: nullum cibi genus fugere, populus vtatur, &c. *Cornel. Cels. lib. 1. c. 1.*

Sanitas autem non cōsistit in indiuisibili: id apparet primo inducentibus in diuersa membra, quorum non est eadem sanitas, cum constet habere diuersas sanitates, quod rationi etiam conuenit, ex quo habent diuersas operationes: quæ omnia arguunt diuersam sanitatem. *Galenus tertio de Morbis.* Si quidem sanitas dispositio est factiua actus, atque hoc idem patet in consideratione diuersitatis ætatum.

Alcmaeon asserebat, continentem sanitatis causam in æqualitate facultatum esse, nempe humidi, sicci, calidi, dulcis, & reliquorū. Vna autem ea ipsis præpollente, morbum fieri.

Sanitas est bona dispositio corporis humani, per quam agit vel patitur actionem vel passionem et debitam secundum naturā, absque notabili læsione: atque hæc dispositio est primum in membris homogeneis, vt in osse, & carne, & consimilibus, & vocatur commensuratio in quatuor primis qualitatib. s, puta in calido, frigido, humido & sicco: secundo est in membris heterogeneis, seu officialib. s, puta in manu, pede, cerebro & corde. *Magnum medicus Mediolanensis auctor est.*

Nihil salubre est, nisi quod toto anno salubre est. *Plin. nat. l. 18.*

Animalia omnia noscunt sibi salutaria, præter hominem. Salutiæ argumentum placidi mores. *Idem l. 27.*

Optimum bene valere: secundum, formosum esse: tertium, diuitias habere nulla fraude quæsitas.

Bona valetudo maxime diuinum, suauissimumq; est condimentum.

Pauca voluptati debentur, multa sanitati.

In vniuersum præcox effugiatur Venus, si sanitate secunda frui exoptes.

Corpus requirit, ne famem, ne sitim, ne frigus patiatur. *Aristot. Pythagoricus.*

Τὴν ὑγείαν ἥδυς μαθὼν τατον εἶναι καὶ προσηνέστατον

Sanitatem, ait, maxime diuinum longeque blandissimum esse condimentum. *Plut. in salubribus præceptis.*

* Expendere non oportet, num recens sit piscis, num purus panis, num caleat balneum, num formosum scortum: sed seipsum quis cōsideret, fastidiosusve sit, aut parum tranquillus aut marcidus, aut perturbatus. Quod ni fiat, non secus ac si commessatores ebrii in ædes irrumpant luctu funestas: nihil hilaritatis neque voluptatis sint allaturi, quin eiulatū potius excitaturi: sic etiam Venus, obsonia, balnea, vinum, siquidem in corpore male præterque naturam affecto misceantur, his etiam humoribus qui non certum vitium, aut corruptionem acceperunt, phlegma bilemque mouent, exagitant, magis ac magis excitant. Igitur exacta quidem illa, & vehementer ad vnguem, vt dici solet, obseruata vitæ ratio, simul & corpus formidolosum reddit, ac periculis obnoxium, & animi frangit vigorem & alacritatem, dum omnia negotia refugit, dumque non audet, nec in voluptatibus nec in laboribus versari, cum omnem rerum administrationem suspectam habet, nec quidquam confidenter & intrepide aggreditur. Verum oportebit corpus non aliter quam naturæ velum neque contrahere sereno cœlo, neque vehementer premere, neque tur-

que tursus laxatis vti linteis & negligenter ac supine agere, cũ suspicio sit tempestatis, sed obsequi conueniet, ac leue corpus reddere. Vnde non in cibis solum & exercitationibus conueniet obseruare corpus, num præter solitum illis grauatum & illibẽter vtatur: aut contra, num sitieulosius, magisve famelicum sit, quam consueuerit: sed etiam illud obseruandum erit, si quãdo somnus nec perpetuus fuerit, nec placidus, sed inæqualis & interruptus. Quin insuper insomniorum etiam absurditatem conueniet animaduertere: nam si nefaria & insueta visa occurrerint, aut crassis humoribus plenum corpus, aut spiritus intus turbatos declarant. Quin & animi affectiones indicant, corpus ad morbũ esse propensum. Nam sæpe occupat quosdam tristitia, nullam ob causam idoneam suborta, aut metus repente spes extinguens: idque cum nihil appareat, cur sit metuendum. Redduntur autem & iracundi, sic vt facile commoueantur, & ob rem quãlibet leuem indoleant: lachrimantur ac mœrent, quoties mali vapores, & exhalationes a mate condensatæ, animi circuitus (vt loquit Plato) præpediunt, occupantque. Vnde optime dicitur, non sanari cibo, nõ refugere laborem, seminis substantiam conseruare, hæc tria saluberrima esse. Nam incontinentia circa Venerem, dum vires maxime resoluit, per quas alimentum elaboratur, magis excrementa & plenitudinem auget.

Corpus requirit, ne famem, ne sitim, ne frigus patiatur. *Pythagoras.*

Socrates monebat, vt cauerent sibi homines a cibis, qui non esurientes ad edendum: & à potibus, qui non sitientes ad bibendum alliciunt.

Hiemi quidem & fortiori exercitatione, & pleniore cibo vtendum est, præcipue si tempestas aquilonia fuerit: si vero australis, similiter exercitari oportet, sed cibo potionique aliquid demere, atque in totum per tempus humidum omnino aridum reddere corpus: per frigidum vero, calidius, ac tum carnes esse, olera que calidiora, atque vinum bibere meracius. Adueniente vere alius quidem per vomitum, alius per ventrem vacuetur, alius secta vena sanguinem mittat, prout cuiusque fuerit vel consuetudo, vel animi promptitudo. Aestate confert quies, exercitatio remissior, atque cibus exiguus, qui quidem ex frigidiore genere deligendus est: tum vero potioni adijcere, atque quicquid refrigerare humectareque possit, adhibere oportet. Per autumnum maiori cautela opus est, quippe qui vsquequaque & inæqualis & inordinatus est, multiformesque inducit morbos: itaque ne circa refrigerationem quid peccetur cauendum est: a Venere quoque & frigida potione abstinendum: neque vero aeri quis se credat, vel per matutinum frigus, vel per ardorem meridianum: pomis impleri noxium est, non ob satietatem tantum, verum etiam quoniam vitiosi humores inde nascuntur, atque flatum quoque excitant, si quidem omnium fructuum optimi ficus vuaque, & flatum pariunt, & alimenta corrumpunt, nisi ante alios cibos assumantur, præsumpti vero neque inflant, neque corrumpunt: quum frigescere cœpit aer, corpus pro frigoris ratione calefacere oportet, atque omnia facere, vt cum hiems iam processerit, nec ab re fuerit, reuoluto æquinoctio, vacuare corpus ex aliquo eorum, quæ diximus, ne redundantia quædam per hiemem retenta molestiam inferat. *Paulus Ægyneta de victus ratione quolibet anni tempore vtenda.*

De Sanitate restituta. D I A L. IV.

Francisc Petrarch.

G A V.

Longa ægritudine liberatus gaudeo. R. Gratiorem fateor sanitatẽ redditam, quam retentam. Ingratissimi mortales bona vestra vix aliter quam perdendo cognoscitis, & perdita ergo vos cruciant, & recuperata lætificant. G. Grauissima febris me destituit. R. Grauissimas febres medici dicunt, quæ ipsis in ossibus & medullis æstuant. Quanto illæ sunt grauiores, quæ in anima intus latent, his te maxime liberatum velim. G. Aegritudo abijt. R. Aegritudo præsens sæpe profuit, dum debilitatis viribus corporis, animæ sanitatem peperit. Cõsequenter igitur & digressa nocuit, & animæ lumen imminuit, & corporis auxit insolentiam quamuis mala, quamuis pessima ægritudo videatur. Optabile malum, tamen quod mali remedium sit maioris. G. Tandem ægritudo longior finem habet. R. O stultissime: sic tu reris mortẽ effugisse, ad quam curris assidue: nunc propinquior morti es, quam dum illi contiguus videbaris. Irremeabile vobis est iter, neque vlla eius in parte subsistitur, neque diuersorium, neque lentior vsque gressus, & somnus, & vigilia, & labor, & requies, & morbus, & sanitas, æque sunt gradus ad mortẽ. G. Ancipiti ægritudine absolutus sum. R. Creditricem habes infallibilem, dilata solutionis dies est, sed non cassa ratio. Habes ægrotare iterũ & mori.

A P O P H T H E G M A T A.

Pythagoras dicere solebat, tria a Dijs præcipue petenda: Formã, Diuitias, & bonam Valetudinem: eo quod homo cætera sibi præstare posset. Quanquam ὑγιείαν nõ tam ad animi sanitatem, quam ad corporis, referri possit. *P.M. lib. 8 apoph.*

Polyanthea Nouiss.

Idem Ad sanitatem corporis tria necessaria esse dicebat, videlicet, ne Famem, ne Sitim, ne Frigus patiatur. *Stob.*

Thales interrogatus olim, quisnam felix esset? respondit, Qui Corpore sanus est, Animo autem eruditus. *Laert. l. 1. c. 1.*

Socrates monebat, vt cauerent sibi homines a cibis, qui non esurientes ad edendum: & potibus, qui non sitientes ad bibendum alliciunt. *Stob. serm. 99. de sanitate, &c.*

Gorgias interrogatus, quonam vsus genere victus in tantam senectutem esset progressus? Nihil vnquam voluptatis gratia se aut comedisse, aut fecisse dixit. *Eod. serm.*

Hippocrates quærenti consilium de sanitate tuenda respondit: Σιτία, ποτὰ, ὕπνοι, ἀφροδίσια, πάντα μέτρια. Id est, Cibi, potus, somni, Venus, omnia moderata sint. *Eod. serm.*

Alcmæon asserebat, continentem sanitatis causam in æqualitate facultatum inesse: nempe, humidi, sicci, calidi, amari, dulcis, & reliquorum. Vna autem ex ipsis præpollente morbum fieri. *Stob. ibid.*

Plutarchus. Optime dictum est, inquit, non satiari cibo, non refugere laborem, seminis substantiam cõseruare: hæc tria saluberrima esse, &c. *In praeceptis de sanitate.*

Diogenes stomachabatur in eos, qui pro bona valetudine sacrificarent, & in ipso sacro epulis immodicis semet ingurgitantes, facerent bonæ valetudinis iacturam. *Laert. lib. 6.*

Idem dicebat, se mirari seruos, qui quum viderent dominos plus æquo voraces non illis eriperent cibos. Nam hoc esse dominorum valetudini consulere: & seruis magis conuenire edacitas. *Laert. l. 6.*

Democritus dicere solebat, homines precari quidem a Deo valetudinem, cuius tamen vim in semetipsis nesciant. Dum. n. inordinate viuunt, suæ ipsi valetudinis sunt proditores. *Max. sermone 27.*

S I M I L I T V D I N E S.

Thriueri. Iniucundus artifex, qui faberrimis instrumentis parum fabre vtitur: peior est, qui sanitate insolenter fruitur. *In apoph. 114.*

P. M. Olim in Capitolio certabant quadrigæ Latinis ferijs, victor absinthium bibebat: Ita salubria magis quærenda sunt, quam iucunda. *In sim.*

E X E M P L A P R O F A N A.

Persæ propter exercitationes pueriles modicas eam sunt consequuti corporis siccitatem, vt neque spuerent, neque emungerentur, nec sufflato corpore essent, inquit *Varro ex Xenophontis lib. 1. πaι-δείας. Victorius. lib. 10. c. 15.*

Indi incolumitatem exercitio quærunt, & perfrictionibus. Adhibẽtur strigilca præcipue corporum expolitioni, in qua deprehenduntur curiosiores. *Cœl. lib. 18. c. 31. A. L.*

M. Cato corporis constitutionem laborib. suis, sobrio victu, & expeditionib. in quib. a prima ætate adoleuit, per quam parauit habilem, ad robur & sanitatem iuxta comparatam. *Plut. in Cat.*

Apud Indos propter vitæ frugalitatem, & vini abstinentiam, aut morbi non sunt, aut si qui sunt, eos sophistæ curant. *Strabo l. 15.*

Singulis mensibus triduo purgant se Aegyptij vomendo atque intestina deluendo, gratia sanitatis conseruandæ: existimantes, omnes languores hominibus creari ex cibis. *Her. l. 2.*

M. Tull. Cicero haud temere ante occasum solis accumbebat, non tam districtus occupationibus, quã valetudinis caus., ob stomachi imbecillitatem. Fuit alioquin in corporis cura curiosus & nimius: vt ad certum numerum frictionibus, & ambulationib. vteretur. Ad hunc modum habitum validum & firmum ad labores conseruauit. *Plut in Cic.*

Vespasianus Imp valetudine prosperrima vsus est: quamuis ad tuendam eam nihil amplius quam fauces, cæteraque membra sibimet ad numerum in sphæristerio defricaret, inediamque vnius diei per singulos menses interponeret. *Sueton.*

Hadrianus VI. Pontif. per se cibi parcissimus erat, & in tuenda valetudine apprime diligẽs, & morosus, tanta horarum definitione: vt denunciante architriclino, paratas esse epulas, vel maximarũ rerum colloquia protinus abrumperet. *Iouius in Hadriano VI.*

In Taprobana insula longissimam uitam sine ullo languore traduci, Artemidorus testatur apud Plinium. *lib. 7. c. 2.*

H I E R O G L Y P H I C V M.

Pentagonum salutis vel sanitatis Symbolum fuisse testatur Lucianus in eo libello, in quo agit de quodam, qui lapsus erat inter salutandum: cuius rei origo talis commemoratur. Antiochus is, qui Σωτὴρ cognomento dictus est; quum aduersus Galatas pugnaret, nec satis ex sententia res succederet, essetque in discrimine: per quietem vel vidit, vel se vidisse simulauit, vt militum animos in spem erigeret: Alexandrum Magnum se monentem vt salutis symbolum assumeret, idq; pro tessera tribunis daret, eorumq. vestibus insueret: ea re fore, ut uictoria potiretur. Symbolum autem illi huiusmodi ostendisse: Triangulum triplicem inuicẽ intextum ex linea quinq. constantem, in quibus Ὑγίεια scriptum erat: sic enim salus sanitasve Græce appellatur: Vnde & hoc signum

gnum in veteribus Antiochi nūmis adhuc cernitur, quod signū mathematici a quinq; angulis *Pentagonum* vocant. *Erud. quidam, l. 3. Hieroglyph. p. 583. C.*

Vide Medicus, Morbus, Mors, Vita.

SAPIENTIA.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

SApientia, Græce σοφία, ας, ἡ, & σοφὸς, ὁ, ὁ, sapiens dicitur. Heb. Sapientia. *Chochmach* dicitur, a verbo *Chacham*, sapiens fuit, sapuit mente. sapienter egit.

Est autem sapientia multarum & mirabilium rerum scientia. *secun. Arist. lib. Rhetor.*

Sapientia est cognitio primarum & altissimarum causarum. *secund. Arist. lib. 1. Metaph.*

Sapientia est scientia sempiternorum. *secun. Apharab. lib. de diuis. philosoph.*

Sapientia est rerum diuinarum & humanarum scientia cognitioq; quæ causa cuiusq; rei sit, ex quo efficiatur, vt diuina imitetur. humana vero omnia virtute inferiora inducat. *sec. Cic. l. 4. Tusc. 4.*

Sapientia, qua formaliter sapienter sumus, est quædam participatio diuinæ sapientiæ, quæ est Deus. *sec. D. Thom. 2. 2. q. 23.*

Omnis sapientia est scientia, in quantum est de conclusionibus, sed differt à cæteris scientijs, in quantum est de principijs *secund. D. Thom. t. 2. q. 57. art. 2.*

Sapientia à scientia differre videtur; quia sapientia est rerum diuinarum cognitio: sciētia vero humanarum. Quare Aug. *super 1. ad Cor. c. 12.* ait: Sapientia est in contemplatione æternorum, scientia vero in occupatione temporalium. Idem Augus. *lib. de Trinit.* Hæc est sapientiæ & scientiæ recta distinctio, vt ad sapientiam pertineat æternarum rerum cognitio intellectualis, ad sciētiam vero temporalium rerum cognitio rationalis.

Sapientia à sapio dicitur, quod est recte sentio. Et qui eam profitētur, σοφοὶ hoc est, sapientes appellantur, quo nomine illi septem clarissimi viri vocati sunt: scilicet *Thales Milesius, Solon Salaminius Chilō Lacedæmonius, Pittacus Mitylenæus, Bias Pyrenæus, Cleobulus Lyndius, Periander Corinthius.* Sed postea Pythagoras primus non se sophum, sed philosophum appellauit, hoc est, non sapientē, sed sapientiæ amatorem. Ita scientiam ipsam non sophiam, sed philosophiam nuncupandam existimauit, quoniam nullus hominum sapiens esset, quod soli Deo conuenit.

LOCI BIBLICI.

Sapiens pro astuto, 2. *Sam.* 14. 2. sapientis, & stulti collatio, *Eccl.* 6. 8. sapiens audit consilia, & gaudet argui, *Prou.* 13. 1. & 25. 12. sapiēs vir artificiosus, *Exod.* 28. 3. & 35. 10. sapientes in bono, *Rom.* 16. 19. sui amantes, *Prou.* 26. 12.

Ne sapiamus alta, *Rom.* 11. 20, quomodo sapiendum, 12. 3. vt sapiant Iudæi, optat Deus, *Deut.* 32. 29.

Sapientia vera quæ, *Iob.* 28. 28. *Psal.* 107. & 111. 10. *Prou.* 1. 7. & 28. 7. *Esa.* 14. 10. *Ier.* 9. 23. 1. *Cor.* 1. 31. 2. *Cor.* 10. 17. *Rom.* 16. 19. *Ephes.* 5. 15. *Phil.* 1. 19. *Col.* 1. 28. & 4. 5. *Heb.* 8. 11. *Iac.* 1. 5. & 3. 17. sapientia vera donum Dei, 1. *Reg.* 3. v. 9. 12. & 4. 29. 2. *Par.* 9. 23. *Prou.* 2. 6. *Dan.* 2. v. 20. 21. *Iac.* 1. 5. sapientia iustificata, & à quibus, *Luc.* 7. 35. sapientia fortitudini præstat, *Eccl.* 9. v. 16. 18. sapientia nulla contra Dominum, *Prou.* 21. 30. sapientia carnis damnatur, *Rom.* 8. 7. sapientia mundi huius vana, & mera stultitia, ideoque fugienda, *Iob.* 5. 13. *Prou.* 3. 7. *Esa.* 44. 25. *Ier.* 4. 22. *Rom.* 1. 22. & 18. 25 & 12. v. 36. 1. *Cor.* 1. v. 9. 20. & 2. v. 5. 6. & 3. 19. 2. *Cor.* 1. 12. *Iac.* 3. 15. sapientia sermonis, pro eloquentia, 1. *Cor.* 1. 17. sapientia terrena, animalis, & diabolica. *Iac.* 3. 15.

Sapientiæ vera plantatio, *Prou.* 3. v. 11. 14. & 8. 12. & 16. 16. *Iac.* 3. 17. sapientiæ contemptus mors est, *Prou.* 8. 36. sapientiæ diuinæ origo, proprietas, laus, & vtilitas, *Deut.* 4. 6. & 29. 9. *Iob.* 28. 20 & 32. 7. *Eccl.* 7. 12 & 5. 13. *Sap.* 6. 13. & 16. 7. &c. & 8. 1. &c. 9. 10. *capitib. Eccl.* 1. 1. & 3. v. 1. 31. & 4. v. 12. 28. 29 & 21. 12. & 44. 1. &c. 39. 14. *Luc.* 21. 15. *Rom.* 11. 33. 1. *Cor.* 1. 17 & 26. & 3. 19. *Col.* 2. 3. *Iac.* 3. & 3. 15. sapientiæ initium timor Domini, *Psal.* 110. 10. *Prou.* 1. 7. sapientiæ & stultitiæ discrimen, *Eccl.* 2. 13.

SENTENTIAE BIBLICAE.

Sapientia diuina.

Est in illa spiritus intelligentiæ sanctus, vnicus multiplex. *Sap.* 7.

Omnibus nobilibus nobilior est sapientia. *ibid.*

Fons sapientiæ verbum Dei in excelsis, & ingressus illius mandata æterna. *Eccl.* 1.

Ego ex ore Altissimi prodiui primogenita ante omnē creaturā. 42.

Qui factus est nobis sapientia a Deo, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio. 1. *Cor.* 1.

Vera a Deo acquiritur.

Quia postulasti verbum hoc, & non petijsti tibi dies (ait Dominus Salomoni) multos, nec diuitias, aut animas inimicorum tuorum, sed postulasti tibi scientiam ad discernendum iudicium: ecce feci tibi secundum sermones tuos. 3. *Reg* 3.

Sapientia vbi inuenitur, & quis est locus intelligentiæ? Nescit homo pretiū eius, nec inuenitur in terra suauiter viuentiū. *Iob.* 28.

Trahitur sapientia de occultis. *ibid.*

Super inimicos meos prudentem me fecisti. *Psal.* 128.

Timor Domini principium sapientiæ. *Prou.* 1.

Fili mi, si susceperis sermones meos, & mandata mea absconderis penes te, vt audiat sapientiam auris tua, inclina cor tuum ad cognoscendam prudentiam. Si enim sapientiam inuocaueris, & inclinaueris cor tuum prudentiæ, si quæsieris eam quasi pecuniā & sicut thesauros effoderis illam, tunc intelliges timorem Domini, & scientiam Dei inuenies: quia Dominus dat sapientiam. & ex ore eius prudentia & scientia 2.

Principium sapientiæ timor Domini. 9.

Si retusum fuerit ferrum, & hoc non vt prius, sed hebetatum fuerit, multo labore exacuetur, & post industriam sequetur sapientia. *Eccl.* 10.

In maleuolam animam non introibit sapiētia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. *Sap.* 1.

Clara est, quæ nunquam marcescit sapientia, & facile videtur ab his, qui diligunt eam, & inuenitur ab his, qui quærunt illā. Præoccupat, qui se concupiscunt, vt illis se prior ostendat. 6.

Propter hoc optaui, & datus est mihi sensus, & inuocaui, & venit in me spiritus sapientiæ. 7.

Cum sit vna, omnia potest, & in se permanens, omnia innouat, & per nationes in animas sanctas se transfert. *ibid.*

Omnis sapientia à Domino est, & cum illo fuit semper, & est ante æuum. *Eccl.* 1.

Fili, concupiscens sapientiam, conserua iustitiam, & Deus præbebit illam tibi. *ibid.*

Si inclinaueris autem tuam, excipies doctrinam, & si dilexeris audire, sapiens eris. 6.

Non erudietur, qui non est sapiens in bono. 21.

Sapientiam scribe in tempore vacuitatis, & qui minoratur actu, sapientiam percipiet: quia sapientia replebitur. 38.

Sapientiam omnium antiquorum exquiret sapiens, & in prophetis vacabit. Narrationem virorum nominatorum conseruabit, & in versutias parabolarum simul introibit. 39.

Omnia Dominus fecit, & pie agentibus dedit sapientiam. 43.

Quis ascendit in cœlum, & accepit eam & eduxit eam de nubibus? Quis transfretauit mare, & inuenit illum. Non est qui possit scire vias eius. *Bar.* 3.

Sit nomen Domini benedictum a sæculo, & vsque in sæculum quia sapientia & fortitudo eius sunt. *Dan.* 2.

Confiteor tibi Pater Domine cœli & terræ, quia abscondisti hęc à sapientib. & prudentib. & reuelasti ea paruulis. *Matt.* 11.

A stulto despicitur.

Sapientiam atque doctrinam stulti despiciunt. *Prou.* 11.

Sapientiam & disciplinam qui abijcit, infelix est. *Sap.* 3.

Quam aspera est valde imperitis sapientia: nullus enim excors perdurat apud eam. *Eccl.* 6.

Non est enim populus sapiens, propterea non miserebitur eius qui fecit eum. *Esa.* 27.

Et populus non intelligens vapulabit. *Ose.* 4.

A bono exquiritur, quia bene ordinatur ad Deum.

Hæc est enim vestra sapientia & intellectus coram populis, vt audientes vniuersa præcepta hæc, dicant: En populus sapiens & intelligens, gens magna. *Deut.* 4.

Et dixit homini: Ecce timor Domini ipsa est sapientia: & recedere a malo, intelligentia. *Iob.* 28.

Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, & innitaris prudentiæ. *Prou.* 3.

Sapiens timet, & declinat a malo. 14.

Neminem diligit Deus, nisi eum, qui cum sapientia inhabitat. Est n. hæc speciosior sole. *Sap.* 7.

Initium sapientiæ timor Domini. *Psal.* 110.

Radix sapientiæ est timere Deum, & rami illius longæui. *Eccl.* 1.

Sapientia & disciplina, timor Domini. *ibid.*

Beatus vir, qui in sapientia morabitur *ibid.*

Et non est sapientia, nequitiæ disciplina: & nō est cogitatus bonus, peccatorum prudentia. 14. 19.

Consummatio timoris Dei sapientia & sensus. 21.

Sapiens non odit mandata & iustitiam. 33.

Cor suum tradet ad uigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum, & in conspectu Altissimi deprecabitur. Si enim Dominus magnus voluerit, spiritu intelligentiæ replebit illum, & in oratione confitebitur Domino. 39.

Videte fratres, quomodo caute ambuletis, non quasi insipientes.

tes,sed vt sapientes,redimentes tempus,quoniam dies mali sunt. *Ephes.5.*

Estote prudentes,& vigilate in orationibus. *1.Pet.4.*

Erga seipsum.

Ne sis sapiens apud temetipsum. *Prouer.3.*

Sapientia callidi est intelligere viam suam, & prudentia stultorum errans.14.

In facie prudentis lucet sapientia.17.

Scientia sapientis tanquam inundatio abundabit. *Eccl.21.*

Dico per gratiam, quæ data est mihi: Non plus sapere quam oportet sapere,sed sapere ad sobrietatem. *Rom.12.*

Nolite esse prudentes apud vosmetipsos. *ibid.*

Volo vos sapientes esse in bono,& simplices in malo. 16.

Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc seculo,stultus fiat,vt sit sapiens. *1.Cor.3.*

Ad proximum verbo.

Stude sapientiæ fili mi, & lætifica cor meum,vt possis exprobranti respondere sermonem. *Prouer.27.*

Tempus & responsionem cor sapientis intelligit. *Eccl.8.*

Verbo oris sapientis gratia.10.

In lingua sapientia dignoscitur, & sensus, & doctrina,& scientia in verbo sensati. *Eccl.4.*

Sapiens in verbis seipsum amabilem facit.20.

Sapiens in verbis producet seipsum,& homo prudens placebit magnatibus. *ibid.*

Sapientia abscondita,& thesaurus inuisus,quæ vtilitas in vtrisque? melior est,qui celat insipientiam suam,quã qui abscondit sapientiam suam. *ibid.*

Os prudentis quæritur in Ecclesia,& verba illius cogitabũt in cordibus suis.21.

Vir sapiens implebitur benedictionibus, & videntes illum, laudabunt.37.

Quia in o͠ibus diuites facti estis in o͠i verbo,& in o͠i sciẽtia. *1.Cor.1.*

Opere.

Sapiens corde præcepta suscipiet. *Prouer.10.*

Via stulti recta in oculis eius,qui aũt sapiens est , audit consilia.12.

Sapientia omnis lucet in vultu eius. *Eccl.8.*

Homo sapiens in omnibus metuit, & in diebus delictorum attẽdit ab inertia.Omnis astutus agnoscit sapientiam , & inuenienti eã dabit confessionem. *Eccl.18.*

Disciplinam in pace conseruate filij.41.

Quis sapiẽns & disciplinatus inter vos:Ostendat ex bona conuersatione operationem in mansuetudine sapientiæ. *Iac.3.*

Decorat in bonis gratia.

Beatus homo,qui inuenit sapientiam,& qui affluit prudentia. Melior acquisitio eius negotiatione auri & argenti primi & purissimi fructus eius. Pretiosior est cunctis opibus:& omnia , quæ desiderantur,huic non comparaui. *Prouerb.3.*

Si sapiens fueris,tibimetipsi eris.9.

Hoc plus habet eruditio & sapientia quod vitam tribuunt possessori suo. *Eccl.7.*

Super salutem & speciem dilexi illam,& proposui pro luce habere illam, quoniam inextinguibile est lumen illius. Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa,& innumerabilis honestas per manus illius. *Sap.7.*

Est sapiens animæ suæ sapiens , & fructus sensus illius laudabilis. *Eccl.37.*

Sapiens in populo hæreditabit honorem,& nomen illius erit viuẽs in æternum. *ibid.*

In bonis natura.

Si intrauerit sapientia cor tuum , & scientia animæ tuæ placuerit, consilium custodiet te, & prudentia seruabit te , vt eruaris a via mala,& ab homine,qui peruersa loquitur. *Prouer.2.*

Gloriam sapientes possidebunt.3.

Melior est sapientia cunctis opibus pretiosissimis, & omne desiderabile ei non potest comparari.8.

Vir sapiens & fortis est:& vir doctus, robustus & validus.24.

Vtilior est sapientia cum diuitijs.& magis prodest videntibus solem. *Eccl.7.*

Sapientia confortauit sapientem,super decem principes ciuitatis. *ibidem.*

Et si diuitiæ appetuntur in vita,quid sapientia locupletius,quæ omnia operatur? *Sap.8.*

Sapientia mala siue mundana Deum prouocat.

Melior est homo,qui minuitur sapientia,& deficiens sensu in timore Dei,quam qui abundat sensu , & transgreditur legem Altissimi. *Eccl.19.*

Væ qui sapientes estis in oculis vestris: & coram vobismetipsis prudentes. *Esa.5.*

Et fiduciam habuisti in malitia tua,& dixisti:non est qui videat me. Sapientia tua, & scientia tua hæc decepit te.47.

Quomodo dicitis : Sapientes nos sumus, & lex Domini nobiscum est? *Ier.8.*

Non alta sapientes,& humilibus consentientes, *Rom 12.*

P.eganteca Votula.

Perdam sapientiam sapientium , & sapientiam prudentium reprobabo. Nonne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi? Nam quia in Dei sapientia nõ cognouit mundus per sapientiã: Deum placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes. *1.Cor.1.*

Peccatum multiplicat.

Non est sapientia nequitiæ disciplina , & non est cogitatus bonus peccatorum prudentia. Est nequitia,& in ipsa execratio.& est insipiens, qui minuitur sapientia . Est solertia certa & ipsa iniqua. *Eccl.19.*

Sapientes sunt,vt faciant mala : bene aũt facere nescierunt. *Ier.4.*

Dicentes se esse sapientes,stulti facti sunt. *Rom.1.*

Prudentia carnis mors est: prudentia autẽ spiritus vita & pax. Quoniam sapientia carnis inimica est Deo: legi enim Dei non est subiecta,nec enim potest.8.

Scientia inflat,charitas vero ædificat.Si quis autem se existimat aliquid scire,nondum cognouit, quemadmodum oporteat eum scire. *1.Cor.8.*

Ipsum hominem infamat.

Vidisti neminem sapientem sibi videri, magis illo spem habet insipiens. *Prouer.26.*

Sapiens pauper scrutabitur diuitem.28.

Non erudietur , qui non est sapiens in bono . Est autem insipientia, quæ abundat in malo. *Eccl.21.*

Stultus factus est omnis homo a scientia. *Ier.51.*

Sapientia huius mundi stultitia est apud Deum. *1.Cor.3.*

Patrum Sententiae.

Qui se diligit stultum,non proficiet ad sapientiam:nec fiet quisquam qualis esse cupit,nisi oderit qualis est. *August.de ver.relig.*

Non aliam putes esse sapientiam, nisi veritatem, in qua cernitur & tenetur summum bonum,nullo loco est, nusquã deest,foris admonet,intus docet , demeotes in se omnes in melius commutat, a nullo in deterius commutatur: nullus de illa bene iudicat. *De liber.arbitr.*

Hæc tota scientia magna ho͠is,scire,quia ipse nihil est per se; & quoniam quicquid est,ex Deo est,& propter Deum est. *In Psalm.70.*

Hæc est sapientiæ & scientiæ recta distinctio,vt ad sapientiam pertineat æternarum rerum cognitio intellectualis,ad scientiam vero temporalium rerum cognitio rationalis. *lib.de Trin.*

Sapienti nihil alienum, nisi quod virtuti incongruum:quocumque accesserit,sua omnia, totus ei mundus possessio est:quoniam toto eo quasi suo vtitur. *Amb.epist.36.ad Constant.*

Vbicumque accesserit sapiens , vbique ciuis est , vbique sua esse intelligit , nusquam se peregrinum , nusquam hospitem se iudicat. *ibid.*

Qui thesauros effodit,terram reijcit, foueam in altum facit,sedulus insistit,donec inueniat,quod quærit:sic qui thesauros sapientiæ inuenire desiderat,omne pondus terrenum a se reijciat,in se fossam humilitatis faciat, nec quiescat,donec inueniat. *Glo.Hier.sup.Prouerb.2.*

Nihil magis ad spem percipiendæ sapientiæ mentes erigit , quam quum eos,quos in sapientia clarescere miramur,aliquando paruulos & indoctos fuisse meminimus. *Gl.in 4.2.Prouerb.*

Huius mundi sapiẽtia est,cor machinationibus regere, sensum verbis velare,quæ falsa sunt,vera ostendere:quæ vera sunt,falsa demonstrare:hæc nimirum prudentia vsu a iuuenibus scitur,hæc à pueris pretio discitur:hanc qui nesciunt,cæteros despiciendo superbiunt:hanc qui nesciunt, subiecti & timidi in alijs mirantur: hæc sibi obsequentibus præcipit honorũ culmina quærere,adepta temporalis gloriæ vanitate gaudere , irrogata ab alijs mala multiplicius reddere:quum vires suppetunt,nullis resistentib.cedere:quum virtutis possibilitas deest,quicquid per malitiã explere non valent,hoc in pacifica bonitate simulare. *Glos.in 1.Chron.*

Iustorum sapientia est,nil per ostentationem fingere, sensum verbis aperire:vera vt sunt diligere, falsa deuitare:bona gratis exhibere,mala libentius tolerare,quam facere,nullã iniuriæ vltionem quærere,pro veritate contumeliam lucrum putare:sed hæc iustorum simplicitas deridetur: quia & a mundi sapientib.puritas virtutis fatuitas creditur. Quid namque stultius videtur mundo,quam mentem verbis ostendere? nihil machinatione callide simulare? nullas iniurijs contumelias reddere?pro maledicentibus orare ? paupertatem quærere? possessa relinquere ? rapienti non resistere?percutienti maxillam alteram præbere? *Greg.10.cap.27.Moral.*

Ad veram sapientiam peruenire non possunt , qui falsæ suæ sapientiæ fiducia desipiunt. *in Mor.*

Summa cura prouidendum est,ne accepta sapientia,cum ignorantiæ tenebras illuminat,lumen humilitatis tollat:& iam sapientia esse nequit, quæ etsi locutionis virtute fulgebat,elationis tamẽ velamine cor loquentis obscurat. *ibid.*

Vera scientia afficit , non extollit , nec superbientes , quos impleuerit,sed lamentantes facit, qua quisque,quum repletus fue-

rit, priori loco, se scire appetit, & iam sui conscius, tanto post illā robustius sapit, quāto se infirmū in illa verius recognoscit. *in Mor.*

Prima sapientia est, vita laudabilis, & apud Deū pura mens, per q̄ puri puro iunguntur, & sancti sancto sociantur. *Naz. in apolog.*

Ille mihi videtur esse sapiens, qui pauca quidem de virtute animi commonet & proloquitur, plura autem in suis actibus atque operibus ostendit, & fidem verbis operum suorum stipulatione confirmat. *Greg. in Mor.*

Sapientia illa clara est, non quæ in verbis volat, sed quæ virtutibus constat. *ibid.*

Sæpe dum quosdam maior scientia erigit, à cæterorum societate se disiungunt, & quasi quo plus sapiunt, eo à concordiæ virtute desipiscunt: sed hi audiant, quid per semetipsam veritas dicat: Habete sal in vobis, & pacē habete inter vos. Sal quippe sine pace, non virtutis est donum, sed damnationis argumentum. Quo enim quisque melius sapit, eo deterius delinquit, & idcirco inexcusabiliter merebitur supplicium, quia prudēter, si voluisset, potuit vitare peccatum. *in past.*

Ille scire Deum familiarius appetit, qui præ amore pietatis nescire desiderat: quod carnaliter sciuit. *in Mor.*

Vides, quod non probat multa scientem, si modum sciendi nescierit. Vides, quomodo fructum & vtilitatē scientiæ in modo sciendi constituit. Quid ergo dicit? nisi vt scias, quo ordine, quo fine quæq; nosse oporteat: quo ordine? vt illud prius, quod maturius mouet ad salutem: quo studio? vt illud ardentius, quod vehementius ad amorem: quo fine? vt non ad inanem gloriam, curiositatem, aut aliquid simile, sed tantum ad tuam & aliorum ædificationem. *Bern. super Cant. serm. 36.*

O vtinam saperes, & intelligeres, ac nouissima prouideres. saperes, quæ Dei sunt: intelligeres quæ mundi sunt: prouideres quæ inferni sunt: profectò inferna horreres, superna appeteres, quæ ad manus sunt, contemneres. *In quadam epist.*

Nihil sapientia ardentius diligitur, nihil dulcius possidetur. Hinc est, quod sapientes homines esse volunt, pauci tamen sapientes esse possunt, iusti autem omnes esse potuissent, si esse iusti perfectè voluissent. Sapientiam & multum diligere potes, & ipsa carere potes: sed quanto amplius iustitiam dilexeris tāto iustior eris. *Richard. de contempl. c. 1.*

Otium stultitiam, labor scientiam generat. Scientiæ labor in tria diuiditur, scilicet in laborem disciplinæ, exercitij & doctrinę. In pueritia labor disciplinæ, in iuuentute exercitij, in senio doctrinæ: vt quæ nescit, in pueritia discat. quæ didicit, in iuuentute ad vsum ducat, quod ad vsum duxerit, in senio doceat. *Hug. de claust. anim. lib. 1.*

SENTENTIÆ POETICÆ.

Hesiodus.

Οὗτος μὲν πανάριστος, ὃς αὐτὸς πάντα νοήσει,
Φρασσάμενος τά κ' ἔπειτα καὶ ἐς τέλος ᾖσιν ἀμείνω.
Ἐσθλὸς δ' αὖ καὶ κεῖνος, ὃς εὖ εἰπόντι πίθηται.
Ὃς δέ κε μήτ' αὐτὸς νοέῃ, μήτ' ἄλλου ἀκούων
Ἐν θυμῷ βάλληται, ὁ δ' αὖτ' ἀχρήιος ἀνήρ.
Hic quidem optimus, qui per se omnia cognoscit,
Intelligens sequentia, & quæ in fine futura sint meliora:
Bonus autem rursus & ille, qui bene monenti pareat:
Qui vero neque per se cognoscet, neque alium audire
In animo proposuerit, hic sane inutilis vir.

Procylides.

Τὴν σοφίαν σοφὸς ἰθύνει, τέχνας δ' ὁμότεχνος.
Sapientiam sapiens dirigit, artes autem consors artifex.
Τῆς δὲ θεοπνεύστου σοφίης λόγος ἐστὶν ἄριστος.
A Deo inspiratæ sapientiæ sermo est optimus.
Βέλτερος ἀλκήεντος ἔφυ σεσοφισμένος ἀνήρ.
Ἀγροὺς καὶ πόλιας σοφία καὶ νῆα κυβερνᾷ.
Melior forti est sapiens vir.
Agros enim & ciuitates sapientia & nauem gubernat.

Menander.

Οὐκ ἔστι σοφίας κτῆμα τιμιώτερον.
Non est sapientia possessio pretiosior.
Σοφία γάρ ἐστι μαθεῖν ὃ μὴ νοεῖς.
Sapientia enim est, & discere quod nescis.
Σοφοῦ παρ' ἀνδρὶ πρῶτον εὑρεθῆ λόγος.
Sapientem apud virum primum inuentus est sermo.
Σοφὸς γὰρ οὐδεὶς ὃς ἅπαντα προσκόπτει.
Sapiens enim nullus, qui omnia offendit.
Σοφία δὲ πλούτου κτῆμα τιμιώτερον.
Sapientia diuitijs possessio pretiosior.
Σοφοῦ παρ' ἀνδρὸς χρὴ σοφόν τι μανθάνειν.
Sapienti à viro oportet sapientiam quid discere.
Σοφοὶ δὲ συγγινώσκουσιν οἰκείας βλάβας.
Sapientes autem occulunt propria damna.
Ἄριστόν ἐστι πάντ' ἐπίστασθαι καλά.
Optimum est omnia scire pulchra.
Μισῶ σοφιστὴν ὅστις οὐχ αὑτῷ σοφός.
Odi sapientem, qui non sibi ipsi sapiens est.

Boet. 4. 1.

Sunt etenim pennæ volucres mihi,
Quæ celsa conscendant poli:
Quas sibi cum velox mens induit,
Terras perosa despicit.

Horat. 1. Epist. 1.

Virtus est vitium fugere, & sapientia prima
Stultitia caruisse.

Iuuen. 13.

Magna quidem, sacris quæ dat præcepta libellis,
Victrix fortunæ sapientia.

Iuuen. 13.

Plurima felix.
Paulatim vitia, atque errores exuit omnes.
Prima docens rectum sapientia.

Lucret. 2.

Sed nil dulcius est, bene quam munita tenere
Edita doctrina sapientum templa serena.
Despicere vnde queas alios, passimque videre
Errare atque viam palantis quærere vitæ,
Certare ingenio, contendere nobilitate.
Noctes atque dies niti præstante labore.
Ad summas emergere opes, rerumque potiri.

Plaut. Trin.

Sapientia ætatis condimentum est: sapiens ætati cibus est.

Plaut. Trin.

Non ætate, verum ingenio adipiscitur sapientia.

Lucret. 1.

Quis potis est dignum pollenti pectore carmen
Condere pro rerum maiestate, hisque repertis?
Quisve valet verbis tantum, qui fingere laudes?
Pro meritis eius possit, qui talia nobis
Pectore parta suo, quæsitaque præmia liquit?
Nemo, vt opinor, erit mortali corpore cretus.
Nam si, vt ipsa petit maiestas cognita rerum,
Dicendum est. Deus ille fuit, Deus inclyte Memmi.
Qui princeps vitæ rationem inuenit eam, quæ
Nunc appellatur Sapientia, quique per artem
Fluctibus è tantis vitam, tantisque tenebris
In tam tranquillo, & tam clara luce locauit.
Confer enim diuina aliorum antiqua reperta.
Namque Ceres fertur fruges, Liberque liquoris
Vitigeni laticem mortalibus instituisse.
Cum tamen his posset sine rebus vita manere:
Vt fama est aliquas etiam nunc viuere gentes.
At bene non poterat sine puro pectore viui.
Quo magis hic merito nobis Deus esse videtur.
Ex quo nunc etiam per magnas dedita gentes
Dulcia permulcent animos solatia vitæ,
Herculis antestare autem si facta putabis:
Longius à vera multo ratione ferere.

Horat. 1. Epist. 8.

Ad summam sapiens vno minor est Ioue diues,
Liber, honoratus, pulcher, Rex denique Regum.

Sen. Hip. act. 2.

Qui sapiens bono
Confidit fragili: dum licet, vtere.

Teren. Phon. 5. 4.

Quam scitum est, eiusmodi parare in animo cupiditates,
Quas, cum res aduersa sient, paulo mederi possis.

Idem Hec. 3. 4.

Istuc est sapere, qui vbicunque opus sit, animum possis flectere.

Plaut. Bacch.

Nullus frugi esse potest homo, nisi qui & bene, & male facere tenet.
Frugi conuenit esse hominem, pectus cui sapit.
Bonus sit bonis, malus sit malis: vtcunq; res sit, ita animum habeat.

Teren. Adelph. 3. 4.

O Demea:
Illud est sapere, non quod ante pedes modo est
Videre, sed etiam illa, quæ futura sunt,
Prospicere.

Ter. Phor. 3. 3.

Ab re dictum sapienti sat est.

Ter. Eun. 4. 7.

Consilia omnia verbis prius experiri, quam armis, sapientem decet.

Manil. 2.

Hac ego diuino cupiam cum ad sidera flatu,
Ferre, nec in turbam, nec turba carmina condam, &c.
Sed exle noscenda canam mirantibus astris.
Et gaudente sui mundo per carmina vatis.
Vel quibus illa sacros non inuidere meatus
Notitiamque sui, minima est quæ turba per orbem.

Anthol.

Anthol. Sac. Iac. Bill.

Vera ſapientis, atque item mali viri definitio.

Quis mihi ſit dignus ſapientis nomine, quæris?
Accipe. cui virtus iam ſapit, ille ſapit.
Mille etenim videas, quibus eſt charißima virtus,
Nec tamen his virtus dulce per inde ſapit.
Quæris item, dicas quis poßit iure malignus?
Scilicet is vitij quem ſapor ipſe iuuat.
Nam rapit in vitium multos inſana libido.
Non ſapor, at vitij pernicioſus amor.

SENTENTIÆ PHILOSOPHICÆ.

Sapientem perfecte eſſe non poſſe dicit Plato, niſi cæteris ingenio præſtet, & artibus & prudentiæ partibus imbutus ſit. Deniq. ſapiens nec in ſecundis rebus effertur, nec contrahitur in aduerſis, cum ſe ornamentis ſuis inſtructum ſciat, vt ab his nulla vi ſegregetur: hunc talem non ſolum inferre, ſed nec quidē referre oportet iniuriam. *Luc. Apuleius de dem Plat.*

Nunc enim primum cenſes apud improbos mores laceſſitam periculis eſſe ſapientiam. Nonne apud veteres quoque ante noſtri Platonis ætatem, magnum ſæpe certamen cum ſtultitiæ temeritate, certauimus? Eodemque ſuperſtite, Præceptor eius Socrates iniuſte victoriam mortis, me aſtante promeruit. *Boet de conſol. philoſ. l. 1 proſ. 3.*

Atqui hanc ſententiam Platonis ore ſanxiſti, Beatas fore Reſpub. ſi eas vel ſtudioſi ſapientiæ regerent, vel earum rectores ſtudere ſapientiæ contigiſſet. Tu eiuſdem viri ore hanc ſapientibus capeſſendæ Reipubl. neceſſariam cauſam eſſe monuiſti, ne improbis flagitioſisq; ciuibus, vrbium relicta gubernacula, peſtem bonis ac perniciem inferrent. *Idem lib. 1. proſ 4.*

Veramque illam Platonis eſſe ſententiam liquet, ſolos eos quod deſiderent, facere poſſe ſapientes. Improbos vero exercere quidē quod libeat, quod vero deſiderent, explere non poſſe. Faciūt. n. quælibet dum per ea quibus delectantur, id bonum quod deſiderent, ſe adepturos putant. Sed minime adipiſcuntur, quoniā ad beatitudinem probra non veniunt. *Boet. lib. 4. proſ. 2.*

Magno & excellenti ingenio viri, cum ſe doctrinæ penitus dediſſent, quidquid laboris poterat impendi, contemptis omnibus & publicis & priuatis actionibus: ad inquirendæ veritatis ſtudium ſe contulerunt: exiſtimantes multo eſſe præclarius, diuinarū humanarumq. rerum inueſtigare ac ſcire rationem, quā aut ſtruendis opibus, aut cumulandis honoribus inhærere. Quibus rebus, quoniam fragiles terrenæq; ſunt, & ad ſolius corporis pertinēt cultum, nemo melior, nemo iuſtior effici poteſt. Erant quidē illi veritatis cognitione digniſſimi, quam ſcire tantopere cupierūt, atque ita, vt eam rebus omnibus anteponerent. *Lact an. Firm. de diu. inſtit. adu. gent. lib. 1. c. 1. prin.*

Non ergo pigeat ad percipiendum ſapientiæ diſciplinam, audiendi vel legendi patientiam commodare. *Idem Firm. ibid. c. 2.*

Non enim religio vlla ſine ſapientia ſuſcipienda, nec vlla ſine religione probanda ſapientia. *Idem lib. 1. c. 2.*

Primus ſapientiæ gradus eſt, falſa intelligere: Secūdus vera cognoſcere, qua cognitione veri, nulla eſt hoīum iucundior voluptas, ad quam cognoſcendam nunc propius accedamus. *Ibidem, ca. 23.*

Falſum intelligere, eſt quidem ſapientiæ, ſed humanæ: vltra gradū hunc ab homine procedi non poteſt. *Idem lib. 2. c. 2.*

Omnis ſapientia hominis in hoc vno eſt, vt Deum cognoſcat & colat. Hoc noſtrum dogma, hæc ſumma eſt. Quanta itaq; voce poſſum, teſtificor, proclamo, denuntio. Hoc eſt illud, quod Philoſophi omnes in tota ſua vita quæſierunt, nec vnquam tamen inueſtigare, comprehendere, tenere valuerunt: quia religionem aut prauam retinuerūt, aut totā penitus ſuſtulerunt. Qui vult igitur ſapiens ac beatus eſſe, audiat Dei vocem: diſcat iuſtitiam, Sacramentum natiuitatis ſuæ noſcat, humana contemnat, diuina ſuſcipiat, vt ſummum illud bonum, ad quod natus eſt, poſſit adipiſci. *Idem lib. 3. c. 30.*

Nihil ſapienti neceſſe eſt. *Sen. ad Luc. epiſt. 9.*

Non conturbat ſapientes publicos mores, nec populum in ſe, vitæ nouitate conuertet. *Idem epiſt. 17.*

Hoc ſcio, neminem poſſe bene viuere, ſed nec tolerabiliter ſine ſapientiæ ſtudio. Cum omnia habueris, tunc & habere ſcientiam volens & ſapientiam, hæc erit vltimum vitæ inſtrumentum. *Idem ad Luc. epiſt. 17.*

Quid eſt ſapientia? Semper idem velle atque idem nolle. Licet illam exceptiunculam nō adijciam, vt rectum ſit quod velis. *Idem epiſt. 20.*

Sapiens ad omnem incurſum munitus, & intentus eſt, non ſi paupertas, non ſi luctus, non ſi ignominia, non ſi dolor impetum faciat, pedem referet: Interritus contra illa ibi, & inter illa. Sapiēs plenus eſt gaudio, hilaris & placidus, & inconcuſſus, cū Dijs ex pari viuit. *Idem epiſt. 60.*

Non. n. viuere bonum eſt, ſed bene viuere. Itaque ſapiens viuit quātum debet, non quantum poteſt: videbit vbi victurus ſit, cū quibus, quomodo, quid acturus, cogitat ſemper qualis vita, nō quanta ſit. Sapiens enim vincit virtute fortunam. *Idem epiſt. 72.*

Polyanthea Noua.

Præcogitati mali mollis ictus venit, ideo ſtultis & fortunæ credentibus, omnis uidetur noua rerum & inopinata facies. Sapiens autem aſſueſcit futuris malis, & qui alij diu patiendo leuia faciunt, hic leuia facit diu cogitando. *Idem ad Luc. epiſt. 77.*

Sapientia rectrix dominaque eſt. *Idem epiſt. 86.*

Sapientis facilis victus eſt. *Idem epiſt. 29.*

Puto multos ad ſapientiam potuiſſe peruenire, niſi putaſſent ſe perueniſſe. Onerat diſcentem turba librorum, non inſtruit. multoq; ſanctius eſt paucis autoribus te tradere quam errare per multos. *Idem de tranquil. anim.*

Οὐ μεταβουλεύειν ἀλλὰ προβουλεύειν χρὴ τὸν ἄνδρα τὸν σοφόν.

Non re facta, ſed multo ante deliberandum eſt viro ſapienti. *Epicharm. Siculus.*

Τοῦ σοφοῦ στόματος ἀνοιχθέντος καθάπερ ἱεροῦ, τὰ τῆς ψυχῆς καλὰ βλέπεται ὥσπερ ἀγάλματα.

Quum ſapiens os ſuum aperuerit, tanquam templum, ibi animæ pulcherrima perſpiciuntur. *Sec. Io Stob. in ſerm. de viro.*

Ἡγοῦ τῶν ἀκουσμάτων πολλὰ πολλῶν εἶναι χρημάτων κρείττω· τὰ μὲν γὰρ ταχέως ἀπολείπει, τὰ δὲ πάντα τὸν χρόνον παραμένει· σοφία γὰρ μόνη τῶν κτημάτων ἀθάνατον.

Multas utiles doctrinas multis pecunijs præſtare ducito: nam hæ facile amittuntur, illæ nunquam deſerunt. Sola enim inter omnes poſſeſſiones ſapientia immortalis eſt. *Iſoc. ad Dem.*

At nos virtutem ſemper liberam volumus, ſemper inuictam, adeo vt nulla re unquam terreamur: ſemperque ſimus inuicti, ita ut nihil pœniteat, nihil deſit, nihil obſtet. Etenim ut ſtultitia, etſi adepta eſt, quod concupiuit, nunquam ſe tamen ſatis conſecutā putat: ſic ſapientia ſemper contenta eſt, quod adeſt, neque eam vnquam ſui pœnitet. *Cic. in l. 5 q Tuſc.*

Actiones naturales non ſunt ex animi bus uoluntatis noſtræ, ſed ex facultatis cuiuſque ſumma vi, ac potentia. In ſapiēte multo ſunt omnia diuerſa: is etenim nec in eligendo bona fallitur, & unum aliquod ſibi proponit, paucaſque ad illud uias, eaſq. te exploratas ac certas, nec permittit ſe regendum negotijs, ſed regit ipſe negotia, habetque ſe in ſuo iure ac poteſtate, ut ſurgentem ui naturæ affectum ſtatim rationis fræno compeſcat, cogatque recto iudicio cedere. *Lud. Viues lib. 2. De anim. c. de affect.*

Sapientes exiſtima non eos, qui de rebus minutis curioſe rixantur, ſed qui de maximis rebus egregie dicunt, nec eos, qui alijs felicitatem pollicentur, cum ipſi in maximis anguſtijs viuant, ſed qui mediocria de ſe profitentur, uerum & negotia dextre obire, & inter homines uerſari commode poſſunt: nec in uitæ mutationibus perturbantur, ſed pulchre & moderate res tam ſecūdas, quā aduerſas ferre norunt. *Iſoc. ad Nicoclem de regno.*

Immenſa illa ſapientia, quæ nec ipſo quidem uitæ exceſſu obliuiſci ſui poteſt. *Val. Max. lib 3.*

Σοφοῖς χρῶ Sapientibus utere. *Periander.*

Cenſeo ſapienti tria eſſe neceſſaria, Scientiam primum, deinde Opinionem, tertio Audaciam. *Plato in Greg.*

Conditus uero & compoſitus eſt homo in hoc, ut contempletur naturæ rerum, ipſiuſque ſapientiæ rationem: eidemq. labor iniunctus eſt comparandi contemplandiq. rerum, quæ extant, ſapientiam. *Perictyone Pythagorica, de ſapientia.*

Geometria & Arithmetica, reliquaque in ſpeculatione ſita & ſcientiæ ſunt, & circa entia uerſantur. At ſapientia circa omnia genera entium. Etenim occupata eſt ſapientia circa omnia, quæ ſunt, ceu viſus circa omnia uiſibilia, & auditus circa omnia audibilia. Accidentium uero entium, alia quidem in uniuerſum omnibus accidunt, alia uero eorum pluribus, alia uero ſingulis. Ea itaque, quæ in uniuerſum omnib. accidunt cognouiſſe & perſpexiſſe, ſapientiæ munus eſt: ea uero, quæ pluribus, Phyſicæ eſt ſcientiæ. Propria uero cuique rei accidētia noſſe, eſt circa quid ſeparatū ſcientiæ. Idcoque ſapientia entium omnium principia indagat. Phyſica uero eorum, quæ natura produxit. Geometria uero & Arithmetica & Muſica, quātitatis & conſonantiæ. Quiſquis igitur reſoluere potis eſt omnia genera ad unū idemque principium, rurſumq. ex eo cōponere & enumerare, hic & ſapientiſſimus eſſe, & veriſſimus uidetur: quin & pulchram ſpeculam inueniſſe in qua poterit & Deum contemplari, omniaq. in eadem ſcire, ſuæ & ordine, ab ipſo ſeiuncta. *Idem circa quæ verſetur ſapientia.*

Σωφροσύνην δ' ἀνδρὸς οὐκ ἂν ἄλλος ὀρθότερον τις κρίνειεν ὅστις τοῦ θυμοῦ ταῖς παραχρῆμα ἡδοναῖς ἐμφράττει αὑτὸς αὑτὸν κρατεῖν τε καὶ νικᾶν ἠδυνήθη αὐτὸς ἑαυτὸν· ὃς δὲ θέλει χαρίσασθαι τῷ θυμῷ παραχρῆμα θέλει τὰ χείρω ἀντὶ τῶν ἀμεινόνων.

Sapientem uirum non rectius alium iudicauerit, quam illum, qui ſe ſe contra momentaneam iræ titillationem munierit, & potuerit ipſe refrenare ac uincere ſeipſum. Contra, qui iræ voluerit indulgere, huic ſane deteriora pro melioribus placent. *Antiphon.*

Θεοῦ μὲν εὐδαιμονία καὶ βίος ἄριστος· τοῦ δ' ἀνθρώπου ἐξ ἐπιστήμης καὶ ἀρετῆς καὶ τῆς εὐτυχίας τὰ μὲν τοιαῦτα παραγίνεται· λέγω δ' ἐπιστήμην σοφίαν μὲν τῶν θείων καὶ ἀνθρωπίνων, φρόνησιν δὲ τῶν ἀνθρωπίνων καὶ τῶν περὶ τὸν βίον.

Dei quidem felicitas atque uita optima eſt, hominis, & ſcien-

tua & virtute, tertiaq; prospera fortuna coalescens prouenit. Appello autem sapientiam cognitionem numinis rerumq; diuinarum, ac prudentiam rerum humanarum, & eorum, quæ vitã spectant. *Arch. Pyth. in l. de viro bon.*

Illud quidem perspicuum est, sapientiam esse quæ in causis quibusdam principijsque cernatur. *lib. 1. Maior. Met. c. 1.*

Perspicuum est reliquis scientijs perfectione & absolutione, præstare sapientiam. *lib. 6. Eth. c. 7.*

Sapientis est, non solum ea intelligere, quæ principijs concluduntur: sed rerum etiam causas tenere: vt sit sapientia, intelligentia, & scientia: adeoque scientia, quæ quasi caput in ijs versatur, quæ sunt in rerum natura præstantissima. *lib. 6. Ethic. c. 7. & lib. 1. Magn. Moral. c. 34.*

Nonnullarum rerum eget sapiens demonstratione. *lib. 6. Ethicor. cap. 6.*

Est sapientis in re quaque officium, vt rogatus de ijs rebus, quarum habet scientiam, nil falsum dicat: vt si quem in errore versari senserit, illum coarguat, & de falsa opinione deducat. *lib. 1. de Rep. ob. Soph. cap. 2.*

Sapientem primum quidem penitus ac maxime omnia tenere quo ad eius fieri potest, censemus: ita tamen, vt ea singulari scientia minime comprehendat: deinde eum sapientem esse iudicamus, qui & arduas & difficiles possit cognoscere, & res eas quas non facile homo cognoscat. *lib. 1. Maior. Met. c. 2.*

Sapientiam in artibus ij. tribuere solemus: qui in quaque parte excellunt maxime, vt Phidiam sapientem lapidum sculptorem & Polycletum statuarium sapientem nominamus. In quo sapientiam nihil aliud esse significamus, nisi artis virtutem & præstantiam. *lib. 6. Eth. c. 7.*

Quoniam principari iucundissimum est: ideo sapere etiam iucundissimum videtur. Nã sapere principantis est. Sapientia aũt multarum ac mirabilium rerum scientia est. *l. 1. Rost. ad Theod. c. 11.*

Tribus rebus probitatem sapientiamque adipiscimur, Natura, More, atque Ratione. *lib. 7. de Repub. c. 13.*

Mater omnium bonarum artium est sapientia, à cuius amore Græco verbo Philosophia nomen inuenit, qua nihil à Dijs immortalibus vberius, nihil florentius nihil præstabilius hominum generi datum est. Hæc enim vna, nos cum cæteras res omnes, tum quod est difficillimum docuit, vt nosmetipsos nosceremus. Cuius præcepti tanta vis, tanta sententia est, vt ea non homini cuipiam, sed Delphic Deo tribueretur. Nam qui seipsum norit, primum aliquid se habere sentiet diuinum, ingeniumq; in se suum, sicut simulacrum aliquod putabit, tantoq; munere Deorum semper dignum aliquid, & faciet & sentiet: & cum se ipse perspexerit, totumque tentarit, intelliget quemadmodum à natura subornatus in vitam venerit, quantaque instrumenta habeat ad obtinendã adipiscendamque sapientiam: quoniam principio rerum omniũ quasi adumbratas intelligentias animo ac mente conceperit, quibus illustratus, sapientia duce, bonũ virum, & ob eam ipsam causam, cernat se beatum fore. *Cic. 1. de legib.*

Sapientia, ars viuenda putanda est, quæ mœstitiam pellit ex animis quæ exhorrescere metu non finit: qua præceptrice, in tranquillitate viui potest, cupiditatum ardore restincto. *1. de fin.*

Sapientia est sanitas animi. *3. Tusc.*

Sapientia sola est, quæ nos à libidinum impetu, & formidinum terrore vendicet, & ipsius fortunæ modeste ferre doceat iniurias, & omnes doceat vias, quæ ad quietem & tranquillitatem ferũt. *1. de finibus.*

Sapientia hominis est custos & procreatrix. *4. de finib.*

Hæc est vna omnis scientia, non arbitrari sese scire quod nesciat, ob eamque rem Socrates ab Apolline omnium sapientissimus esse dictus. *3. Academic.*

Sapientia nihil est optabilius, nihil præstantius, nihil homine dignius. Est que diuinarum rerum & humanarum scientia: cuius studium si quis vituperat, haud sane intelligo, quidnã sit, quod laudandum putet. *2. Offic.*

Illa est præstans & diuina sapientia, perceptas penitus & pertractatas humanas res habere: nihil admirari cum acciderit: nihil ante quam euenerit, non euenire posse arbitrari. *3. Tusc.*

Sapientia nihil est melius. *2. de Nat. Deor.*

Ad Rempublicam plurima veniunt commoda, si moderatrix omnium rerum præsto est sapientia: hinc ad ipsos, qui eam adepti sunt, laus, honor, dignitas confluit. *1. de inuent.*

Oculorum est in nobis sensus acerrimus, quibus sapientiam non cernimus: quam illa ardenteis amores excitaret sui, si videretur. *2. de finib.*

Laudem sapientiæ statuo maximam, non aliunde pendere, nec extrinsecus aut bene aut male viuendi suspensas habere rationes. *Ad Lucceium. l. 5. Famil.*

Nihil est turpius, quam sapientis vitam, ex insipientium sermone pendere. *2. de finib.*

Ignobilitas, aut humilitas, aut etiam popularis offensio, sapientem esse non prohibet. *5. Tusc.*

Quum sapiens & bonus vir, qualis fuit ille, suffragijs præteritur, non populus a bono Consule potius, quam ille a bono populo repulsam fert. *5. Tusc.*

Sapiens animus magnitudine consilij, tolerantia rerum humanarũ, contemptione fortunæ, virtutibus omnibus, vt mœnibus septus, vinci aut expugnari non potest. *Paradox. 4.*

Sapientis animus nunquam est in uitio, nunquam turgescit, nunquam tumet, nunquam sapiens irascitur. *3. Tusc.*

Est sapientis, quicquid homini accidere possit, præmeditari, & ferendum modice si aduenerit. *Philip. 11.*

Sapienti nihil potest uideri magnum in rebus humanis, cui æternitas omnis, totiusque mundi nota sit magnitudo. Nam quid aut in studijs humanis, aut in tam exigua uitæ breuitate magnum sapienti uideri potest? qui semper animo sic excubat: ut ei nihil improuisum accidere possit, nihil inopinatum, nihil omnino nouũ, atque idem ita in omnes partes aciem intendit, ut semper uideat sedem sibi, & locum sine molestia atque angore uiuendi, ut quẽ cunque casum fortuna inuexerit, hunc apte & quiete ferat. *3. Tusc.*

Sapientia est una quæ mœstitiam pellat ex animis, quæ nos exhorrescere metu non sinat, qua præceptrice in tranquillitate uiui potest, omnium cupiditatum ardore restincto. *5. de finib.*

Sapienti malum uideri nullum potest, quod uacet turpitudine: aut ita paruum malum, ut id obruatur sapientia, vixq; appareat: qui nihil opinione affingat, assumatque ad ægritudinem: neque id putet esse rectum, se quam maxime excruciari, luctuque cõfici, quo prauius nihil esse potest. *3. Tusc.*

Quisquis est, qui moderatione & constantia polleat, quietus animo est: sibique ipse placatur, ut neque tabescat molestijs, neque frangatur timore, nec sitienter quid expectans, ardeat desiderio, nec alacritate futili gestiens, deliquescat, is est sapiens. *4. Tusc.*

Vir temperatus, constans, sine metu, sine ægritudine, sine alacritate vlla, sine libidine, is est sapiens. *4. Tusc.*

Omnes qui in rerum contemplatione studia ponebant, sapientes & habebantur, & nominabantur. *5. Tusc.*

Qui omnibus uirtutibus instructi & ornati sunt, cum sapientes, tum boni uiri dicuntur. *5. Tusc.*

Sapientissimus est, cui quod opus sit, ipsi uenit in mentem. *Pro Cluent.*

Quicquid à sapiente proficiscitur, id continuo debet expletum esse suis partibus, nec est sapientia dicere, non putaram. *3. de finib.*

Qui ipse sibi sapiens prodesse nequicquam sapit: dicebat Ennius. *Ad Treb. Fam. 7. & 3. Offic. In apoph. 120.*

Sapiens non nisi cum res postulat, pluribus uerbis quam opus sit utitur.

Fallit tragœdia tractans argumenta conficta, sed adeo scite ut uera credatur: iustior autem ille uidetur, qui fallendo prodest: & sapientior est, qui per fictas fabulas discit quid sit turpe, quid sit honestum.

Vir eruditus ac sapientia præditus, non perit nisi graui Reipubl. dispendio.

Pro varietate occasionum uir probus & sapiens sæpenumero cogitur mutare consilium, quum scriptura nunquam mutetur.

Sapiens uir, uates est optimus.

Nulla mœnia tam sunt munita, quin machinis aut suffossionibus, aut ui nihil horum, proditione capiantur: at sapientis decreta sunt inexpugnabilia.

Sapienti nihil peregrinum esse debet, nisi quod cum uitio sit coniunctum.

Silentio stultitiam regere, est pars aliqua sapientiæ.

Sapiens secum in pectore circumfert, quo se commendet quibuslibet.

Insipientis est dolere amissis potius quam gaudere relictis.

Francisci Petrarchæ.

G A V.

Sapientiam consecutus sum. R. Rem magnam, si vera esset, & inseparabilem a uirtute. Si illam igitur apprehendisses, hæc probata esset, sed vtraque opinione al quanto facilior est quam re. G. Sapiens sum. R. Crede autem mihi: nunquam si vere esses, hoc diceres. Sapiens enim quantum est, quod sibi desit intelligit, non gloriatur itaque, sed suspirat. G. Sapientẽ me profiteor. R. Bene itẽ res, si tot essent sapientes, quot sapientiæ professores. Nunc illud perdifficile est, hoc vero facillimum. G. Sum sapiens. R. Si vere sapiens esse uis, noli id quidem opinari. Credere se sapientem primus ad stultitiam gradus, proximus est profiteri. G. Studio ad sapientiã perueni. R. Vtique sic ad illum peruenitur. Sed an tu perueneris, te cogita. Non est enim res studij breuis, egens aliquot annorum vt reliquæ artes, tota uel longissima opus est uita. Si quis (vt aiunt) tota die currens peruenit ad uesperam, satis est, non tum est illud Platonis, ut alia multa, præclarissimum, quod Ciceroni placet, & mihi, beatum, cui etiam in senectute cõtigerit, ut sapientiam, veraſque opiniones assequi possit. Has tu an calle me dio obuias habueris an nescio quo penato equo vectus ante tẽpus

pùs attigeris incertum, tam cito sapiens euasisti? G. Sapiētię perfectionem cęlitus accepi. R. Est fateor cęleste donum sapientia, sed magnus certe vir erat, & cęli amicus, qui dicebat, non quod iā acceperim aut perfectus sim. G. Sapientiam cupida mente cōprehendi. R. Vt pecuniæ rerumque militarum mala, sic sapientiæ cupiditas bona est. Sed an tu tantæ rei capax sis, video. Certe ille idem, Ego me, inquit, non arbitror comprehendisse, & ille quoque permagnus, qui cum Deo de seipso loquens sic aiebat. Imperfectum meum viderūt oculi tui. Hoc est proprium Sapiētis, imperfectionem suam noscere, ac fateri. G. Sapiens dicor. R. Non te tuæ, neque alienæ vnquam voces sapientem fecerūt, sed res ipsa. G. Sapiens vulgo dicor. R. Vulgus insanos sapientes dicere, & sapiens insanos, iure suo didicit, quod est, vt falsa pro veris, veraq; pro falsis habeat. Nihil est à virtute, vel a veritate remotius quam vulgaris opinio. G. Omnes prædicant me sapientem. Ad famam fortasse aliquid. Ad sapientiam nihil omnino. Sentio autem superscriptionibus inuitaris literarum, quibus nihil est liberalius: non satis est facere sapientes qui non sunt, sed egregios, & insignes faciunt, ac verecūdos, serenissimos insuper & illustres, vt iam simplex sapientiæ titulus sit pudori, qui quam paucis conueniat stupor est, obsoleuit tñ inter titulos clariores, quos qui scribendo sic accumulant, sciunt se mentiri. Sed vt bani vel mendacio fieri volunt. Vos qui legitis non verba modo, sed citra verum sistere illos rati publico errore fallimini. Nemo est qui de suis rebus interroget. Ōia alijs de se credunt. Vis autē noscere quam sis sapiens? verte oculos retro. Recordare quoties in hoc vitæ cursu cespitaueris, quoties aberraueris, quoties offenso pede cecideris, quot pudenda, quot dolenda, quot pęnitenda cōmisceris, tunc si audes, te dicito sapientem: credu autem non audebis. G. Scio me sapientem. R. Literatum forsan vis dicere. Sunt enim plane literati aliqui vere, licet pauci, sapientes autem pene nulli. Aliud est sapienter loqui, aliud sapienter viuere, aliud dici, aliud esse sapientem. Fuere qui dicerent sapientem nullum. Id q̄ verum falsumve sit non disputo. Certe omnis prærupta sententia est, & ad desperationem prona, & studio aduersa sapientiæ. Hebræi sapientem Salomonem suum prædicant, qui quā sapiens esset, turba coniugum, pellicumque testatur, multoque maxime Dijs alienis cultus exhibitus. Romani sapientem Lęlium, & Catonem. Græcia ipsa dum floruit septem habuisse dicitur sapiētes. Ii quoque hoc titulo indigni sequentibus visi erant. Qui excusant, dicunt non eos illum sibi titulum assumpsisse, sed aberrantib. populis traditum possedisse. Vnus tantum fuit, sua possessione, suoq; sapiens iudicio, stultissimus omnium Epicurus. Quem titulum cum Metrodoro participare voluit, nec honorificū amici donum ille respuit. Seque ēt sapientem dici æquanimiter tulit, vt sua illa qualis qualis gloria, error esset alterius. Vnus quoque sapiēns Socrates oraculo dictus Apollinis, forsan ideo, vt vnū illum sapienti proximum, falso testimonio, falsus Deus ad amentiam, atque insolentiam irritaret. Hæc de antiquis sapientibus dixerim. Felicior ætas nostra, quæ non vnum duosve, vel septem, sed in singulis vrbibus, ceu pecudum greges numerat sapientū. Nec mirum sane, multos esse, qui tam facile fiant. Venit iuuenis stultus ad tēplum, præceptores illum sui prædicant, celebrant, seu amore, seu errore, tumet ille, vulgus stupet, plaudunt affines & amici. Ipse iussus in cathedram scandit, cuncta iam ex alto despiciens, & nescio quid confusum murmurans, tunc maiores certatim, & ceu diuina locutum, laudibus ad cęlum tollunt, tinniūt interim campanæ, strepunt tubæ, volant annuli, figuntur oscula, vertici rotundus, & niger pannus imprimitur. His peractis descendit sapiens, qui stultus ascenderat. Mira prorsus transformatio, nec Nasoni cognita. Sic fiunt hodie sapientes. Verùm sapiens fit aliter. G. Sapiens sum. R. Solent qui de se magnifice sentiunt, præfidenter maiora virib. aggredi, inq; nisu medio prolapsi, suo vel periculo vel pudore condiscere, quam iusti rerum æstimatores fuerint suarum. Præstat igitur (mihi crede) falsas opiniones abijcere, insolentiam deponere, insipientiam circumspicere, & optare, ne qua experiendæ sapientiæ necessitas incidat, quæ declaret te de nihilo gloriatū. Hæc rectior tutiorq; quęrendæ sapientiæ via est. G. Credo ego me ad sapientiā peruenisse. R. At si mihi obsequeris, ad illam potius assurgēdo, nitendoq; peruenies quam credendo. Nihil altius ascendit, quā humilitas operosa.

SENTENTIÆ HISTORICÆ.

Sapiens secum ipse tantum & cum Deo colloquitur. *G. Pach. hist. lib. 2.*

Sapientium hominum est statuere res secundas esse incertas, vt res aduersas fortius ferat. *Thucyd. lib. 4.*

Sapientiæ studiosi neque facinus vllum, neque audaciam, neque victoriam, sed id vnum spectant atque magnifaciunt, si quis fortuna recte vtatur, & in magnis rebus versantem se moderatū præbeat. *Plut. in Dione.*

Velim nobis magnam præstantium virorum esse copiam: idque, si facto opus sit, optauerim. At quando res hæc non votis conficitur, neque forte fortuna hi obtingunt: sed vt ad hoc natus quispiam ita exercitatus sit, vt in omnibus rebus prosperam fortunā expertus (hæc autem vni viro omnia rarissime contingunt) necesse est, si quis talis vir à vobis repertus fuerit, eum a vobis omnibus vnanimi fauore ad dignitatem istam euehi, estq; vobis eo vel inuito vtendum, quæuis & ei qui infert & ei qui patitur est honestissima: dum alter per eam seruator, alter hoc modo ciues asserit, in quos bonus ac ciuitatis amans vir corpus vtramque suam promptissime impenderit. *Dion. lib. 36.*

Decet sapientes nō expectare dum quis se hostem profiteatur: sed pluris facta eius quam verba facere, nec propter prætextum fictæ amicitiæ veros firmosque amicos prodere. *Appian. lib. de bellis Mithrid.*

Desipientium est malis præteritis continenter indoluisse & angi: sapientium vero temerarios fortunæ casus prænosse, & rerum vicissitudini nihil commoueri, nec cum his simul, quibus priuati iam sumus, vel futurorum spem amittere. *Agath. hist. lib. 3.*

Non omnes homines sunt sapientes, imo paucissimi sunt qui sapiāt, & qui multum de alienis consilijs conijcere, nisi falli velit, non tam quid sapientem facturum verisimile sit, quam quod sit consilium capientis ingenium, eiusque natura cogitare debet. *Fr. Guicciard. hist. lib. 7.*

A sapientum consilio vehementer abhorret, se multa inuidia, & rerum nimio pondere grauare. *Fr. Guicciard. hist. lib. 3.*

Ad nimij timoris remedium, cogitandū est, omnes humanas actiones multis periculis esse obnoxias: verum homines sapientes cognoscere nequaquam omnia semper euenire, quæ accidere possint: fortunę beneficio pleraq; pericula euanescere: multa, prudētia atque industria vitari, idcirco timiditatem cum prudentia, q plerique rerum cum nomina tum naturam ipsam parum attendentes faciunt, confundendam non esse: nec ij sapientes dicendi, qui omnia pericula, quæ quidem dubia sunt pro certis habentes, atque ob id omnia formidantes, sua consilia sic gubernant, quasi omnia sint certo futura: neque enim vllo modo prudentes sapientesve illos habendos esse, qui quæ futura sunt supra quam par est timent: hoc nomen hancque laudem multo melius fortibus magnoque animo viris conuenire: qui pericula quidem cognoscentes, eaque ponderantes (in quo a temerarijs, qui ea nec cognoscunt nec ponderant differunt) tamen, quam sæpe homines nunc casu nunc virtute è multis difficultatibus sese explicent, etiam animaduertunt. *Idem eod. lib.*

Non efferri propter aduersos casus hostium, sapientia est. *Thucyd. lib. 6.*

Ad virum alijs insidiantem, qui aliud lingua promptum, aliud pectore clausum habet, cauendum, magna sapientia est opus: & Numinis auxilio. *Nicet. Manual. Comn. lib. 7.*

Sapientia, ingenij indoles est, quā nullus efficere vel creare sibi potest: naturæ bonum ac Dei donum est. *P. Æmil. lib. 8.*

Multi persuaserunt ciuitatibus, & ij quidem qui sapientissimi videbantur, aduersus eos bellum suscipere, a quibus illi qui ad bellū impulsi fuerant, interempti sunt. Multi etiam auxere multos & priuatos homines & respublicas, quorum amplificatio ijs maxima attulit mala. Multi quoque ij quibus poterant amicis vti per mutua beneficia, quum maluissent seruis vti quam amicis, ijs ipsis dedere pœnas. Multi item non contenti partem habētes suauiter viuere, quum voluissent omnium esse domini, propterea amiserunt etiam quæ habebant. Multi quoque vbi diuitias quas maxime optabant, adepti essent, propter illas perierunt. Et ita humana sapientia nihilo magis nouit quod sibi vtilissimum sit deligere, quam si quis de eo quod sibi agendum sit sortem ducat. *Xenophon. de pædia Cyri lib. 1.*

Nihil vsq; adeo cæteris istis (quæ vocamus) bonis fortuna cinxit atque circumsepijt, vt philosophia id oratioue que libera & acri non possit adiri. *Plutarc. in Alcibiade.*

APOPHTHEGMATA.

Pythagoras diligēter hoc perpendendū esse dicebat. Quod cum homines omnes maximum esse bonum in sapientia situm asserant, perpauci tamen intenti ad possessionem eius anniitantur. *Stob. ser. de prudentia.*

Archytas Pythagoreus, Appello, inquit, Sapientiam cognitionem numinis rerumque diuinarum, ac prudentiam humanarum rerum, & eorum quæ vitam spectant. *Stob. ser. 1. de virtute.*

Thales hominem ex sermonis serie iudicandum putauit sapientem, cum dicere solitus sit: Multa verba nequaquā arguunt sapiētem. Sapiens enim non nisi quum res postulat, loquitur, perpaucis ad interrogata respondet. *P. M. l. 6. apoph. 4. Laert. l. 6.*

Solon, Sapientiam aiebat tantum cæteris virtutibus antestare, quantum visus reliquos sensus excellit. *Ant. serm. de sapientia.*

Bias, eos qui inani sapientiæ vacant, similes esse noctuæ oculis dicebat. Huius enim oculi noctu quidem valent: sole autem splendente cæcutiunt. Et illorum mens acutissima quidem est in vanitate contemplanda, ad ueri autem luminis obiectum, mox obscuratur. *Stob. serm. 3.*

Diogenes dicebat faciles esse Deos ad donandum hominibus vitam: cæterum hanc ignorari ab his, qui quærunt unguenta & delicias, hi enim qui fruuntur, credant se vivere: quum veram vitam, tranquillam & suauem præstet sapientia. *Laert. lib. 6.*

Idem. Sapienti nihil deesse colligebat hoc syllogismo: Deorum amici sunt, Deorum autem amici sunt sapientes, & amicorum cõmunia sunt omnia, sapientum igitur sunt omnia. Sed eodem syllogismo rejici poterat, petens aliquid: Cur petis habens omnia? At respondisset, Non peto, sed repeto. *Laert. lib. 6.*

Antisthenes Atheniensis negabat sapientem viuere iuxta leges ab hominibus conditas, sed iuxta normam virtutis. Sapiens enim non ideo declinat a malo, quod legibus prohibitum fit, sed quod ipsa ratio dissuadet hoc agendum esse. *Laer. l. lib. 6.*

Xenophanes. Empedocle dicente, sapientem inueniri nõ posse: Et merito, inquit, nam sapientem esse oportet qui agnoscat sapientem, notans illum qui hoc dicebat, haud vtiquam inueniri sapientem. *Laert. lib. 9. c. 1. Ant. in Melis. par. 1. ser. 50.*

Aristot. dicebat, sapientem sibi sufficere, eo quod omnia quæ sunt aliorum, sunt & huius, qui cum omnibus habet amicitiam, & amicitia facit omnia communia. *La rt. lib. 6.*

Alexander videns Diogenem in dolio decumbentem: O vas, inquit, sapientia refertum: At Philosophus assurgens, Regum, inquit, omnium maxime, vnam abste fortunæ gutta n capere, vel diuinum hoc(quod vocas sapientiæ) s lum in h permaneat, sine quo parum feliciter cum sapientia agitur. *Stob.*

Dionysius dicere solebat, se a sapientibus amicis sibi cauere, quando certum haberet ea his esse mentem, qui non imperare mallet, quam seruire. *P. M. lib. 5 apoph.*

Cicero lusit in quendam, qui quum prius habitus esset stultissimus, post adeptam hæreditatem in primis rogabatur sententiam: Cuius, inquit, hæreditas, quam vocant sapientiam. In versu pro faculias, mutauit hæreditas. Apud Poetam enim versus sic habet: Cuius facultas, quam vocant sapientiam. Significauit autem, hæreditatem illi pro sapientia contigisse, & ob hæreditatem iã habitum sapientem. *P. M. lib. 4. apoph.*

Seneca sapientiam describens dicebat, esse idem velle atque nolle perfectum inuitem bonum mentis humanæ: a rerum natura nõ aberrare & ad illius legis exemplum formari. *In epi. 1. & l. de vita beata.*

Alphonso Aragonum rege cum quidam sciscitaretur, quomodo in tot diuitijs pauper effici posset? respondit, Si sapientia venderetur. Quo dicto ostendere voluit, se pluris sapientiam rerumque cognitionem facere quam diuitias & regnum. *Panorm in proœm. lib. 3. de reb. gest. Alph.*

Idem sapientiam Dei filiam appellare solitus est, eamque solam rerum omnium esse immortalem, atque ex omni genere animantium soli homini concessam. *Panorm. in proœm. libro 3. de rebus gest. Alphonsi.*

Cimbon, a gentilissime dixisse putatur, cum monuit hominum bonitatem ita auro probari, quemadmodum aurum Lydio lapide. Offendi enim permultos, qui alijs virtutibus illustrentur, opum desiderio multoties a virtutis tramite deduci. Ei qui aduersus opum improbitatem constans fuerit, cum facile de cæteris vitijs victoriã reportaturum. *Fulg. lib. 11. c. 2.*

Thales sciscitatus, quo pacto optime iustissimeque vi viuere possint? Si, inquit, quæ in alijs reprehendimus, ea ne faciat ipse. *Laert. lib. 1. cap. 1.*

Pyrrhus cum vouisset Palladi, in Atheniensis arce rem sacram facere: Athenienses libere eum in vrbem atque arcem receperunt. Verum postquam vrbe egressus fuit, dixisse fertur, Minum in modu gratam extitisse fidem, quam sibi Athenienses habuissent. Cæterum si saperent, in posterum regi, nemini portas aperturos esse. Quo dicto ostendit, non esse ex liberæ ciuitatis, in cuiusquam principis manu libertatem suam credere. Cuius consilio non tecum Athenienses, cum postea Cassandrum quoque in vrbe recepissent, magna atque innumerabilia mala ea eo tulerunt: re ipsa experti se a Pyrrho sapientissime monitos esse. *Fulg. lib. 6. c. 2.*

Scipio Afric. negabat aliter cum hoste cõfligi debere, quam si aut tei opportunitas obuenisset, aut dira necessitas. Nam & prosperam gerendæ rei facultatem omittere, maxima dementia esse: & in angustias vtique pugnandi compulsum, abstinere se prælio, pestiferæ ignauiæ afferre exitum: eorum, qui ita committunt, alter beneficio fortunæ vti, alter iniuriæ nescit resistere. *Val. Max. lib. 7. c. 1. Brus. lib. 2. c. 32.*

Metellus deuicta iam Carthagine, in senatu sapientissime nescire se dixit, plus ne boni vel mali Reipublicæ, illa victoria attulisset. Quoniam vt pacem restituendo profuisset, ita Annibalem submouendo nonnihil nocuisset. Eius enim transitu in Italiam dormientem populi Romani virtutem excitatam: metuitque debere ne acri æmulo liberata, in eundem somnum reuolueretur. *Valer. Maxim. libro 6. cap. 2.*

M. Cato affirmare solebat, insanos prudentibus longe vtiliores esse, quam insanis sapientes. Quippe qui sapientes, cum stultorum errata inspicerent, ob id in melius vitã mutare solerent: at amentes, cum discendi capaces non sint, ex sapientium benefactis fructum percipere nullum possunt. *Fulgos. lib. 7. cap. 2. & P. M. libro 5. apoph.*

Augustus Cæs. in omni verbo prudentissimus, eos qui leues ob causas se periculis exponerent, similes esse dicebat ijs, qui aureo hamo pisces capere tentarent. Hi enim amisso semel hamo, plus damni acciperent, quam ea multorum piscium captura lucri. *Ful. gos. lib. 7. cap. 2.*

L. Passienus is Neronis vitricus, a quo & Nero maxime ditatus est, dicere solebat, se malle quorundam iudicium quam beneficiũ, & quorundam beneficium quam iudicium, quo Seneca asserunt, se nihil subtilius atque insignius cognouisse in distinguendis maxime vitijs, atque curandis.

Anonyma. Abhorrens ab omni mulierum aspectu, cum aliquando fœminam obuiam haberet, quæ aperto supercilio eum intuebatur, increpans eam, in terram prospicere. Illa autem respondens, ait: Quomodo tandem ego intueat, cum æquius sit te eam intueri, qui ex ea conditus sis, quam me, ea te ortum habente? *Idem lib. 9. c. 16. Eccl. hist.*

Cosmus Medices. A Strossianis quandoque in exilium pulsus, ad Benacum, a misso ad se nuncio interrogatus quid ageret? prudenter fime sane respondit, se Gallinæ incubantis frequentem adesse, vt eius postea fructu potiretur. Cuius responso nuntius ille in triumconuersus, non animaduertit viri prudentissimi responsum eo tendere, vt de reditu in patriam assidue cogitaret, quam non multo post Senatus Veneti ope consequutus est. *Ioan. Bapt. Egnatius lib. 7. c. 2.*

Saladinus. Fuit Saladinus Princeps Aegyptius (id quod vix alicui pertuadeti possit) cum vir longe clarissimus. Namque imperij sui fines in primis auxit: & felicissime diu rerum potitus, Christianorum quoque opes ita in Oriente attriuit, vt Hierusalymis captis, Christianum nomen hinc vsque dum in Syria deleuerit. Ille vero moriens in lumina rerum fenectate testamento suo præcipue cauit, vt interula tunica linea, quam gestare solebat, verticæ præalongæ hastæ affigeretur, ac clamaretque assidue, qui hastam gereret, hanc vnam esse reliquam tuorum, quæ, illi ex tantis opibus, tantoque imperio superfuisset. O vocem præclarã: dignamque in primis, quam infolentissimi Principes frequentissime in animo repetant, nobis omnibus vita functis nihil omnino super esse, nisi quod bene sanctèque gesserimus. *Io. Bapt. Egnatius lib. 7. c. 2.*

Carolus V. Imper. Multa extant sapienter ab eo dicta. Inter hæc sequẽtia occurrunt. Anno 1540. ineunte, per Gallias in Belgium contendens, Lutetiam Parisiorum ingressus, grauis & celebri oratione exceptus est, exquisitas omnium virtutum summi Imperatoris laudes extollente. Orator paucis verbis respondens, dixit, Gratiam sibi esse regis animis erga se beneuolentiam, sed laudes istas sibi tributas arbitrari tot esse cõmonefactiones: Qualis esse deberet. Antonio Leuæ & alijs ducibus Iulij Cæsaris & Alexandri exempla laudantibus nec Carolum vti suis victorijs ad potentiæ & magnitudinis suæ amplificationem, quantum & posset & deberet, quærentibus respondit, Alexandro & Iulio in bellis gerendis vnum fuisse finem, honorem & gloriam: Christianis aũt Principibus duos esse propositos, honorem & animæ salutẽ. Ipse in cõparando exercitu, se caput sumere ab Italis, brachia, & manus ab Hispanis, pectus a Germanis, ventrẽ & pedes a reliqua gentium colluuie dicebat. Item e neruos belli esse pecuniã, commeatus, milites. Verum si ex ijs aliquo carendum esset, militem veteranum se electurum esse, cuius industria & fortitudine, rel qua duo ex a hoste comparaturum confideret. In castris ad Vitebergam cum de Hispanorum eruditate & libidinibus enormia quædam ipsi significata essent: Profecto, inquit, si quid aliquã mihi acciderit ingens infortunium, propter illorum nebulonum scelera accidit. Is postremo ex Germania discessit, Vlissingæ ventos nauigationi idoneos ex pectans, & in multam noctem cum Seldio fratris Ferdinandi legato locutus: cum ex familia in atrio partim dilapsa, partim dormiente, dato nola signo, nullus appareret, Carolus ipse lychnum Seldio quamuis excusanti præferret, eique per gradus deducto, Hoc tibi monumentum, ait, Cæsaris illius Caroli habeto, Seldi, tot exercitibus & excubijs quõ iam stipati, quem e unc solum & familia etiam desertum vides: & cui iam sot annos seruisti, is nunc tibi nam seruijt & lumen prætulit. Dixit etiam in postremis illis congressibus Seldio se ho hae mutatione suæ fortunæ agnoscere potentiam Dei, cui nequaquam velit repugnare. *D. Chytræus oratio de Carolo V. Imperatore.*

Similitudines.

Salomonis regis. Tantum inter sapientem & stultum interest, quantũ interest inter lucem & tenebras. *Eccl. c. 1.*

Verba sapientum sint veluti stimuli, & veluti claui studiosi, qui alijs inculcãt, quæ ab vno pastore Deo, vt illis excitentur, donata sunt ipsis. *Eccl. 12.*

Cognitio sapientis, tanquam inundatio abundabit, & consilium illius sicut fons purus vitæ. *Eccl. 21.*

Interiora

Interiora fatui quasi vas confractum, omnem cognitionem non tenebit in vita. *Eccl.c.21.*

D.Basilij. Quemadmodum infirmi egent medicina: Sic insipientes sapientia. *Apud Max ser.60.*

Philonis: Sicut Sol omnium oculis præditorum lux est: Sic etiam sapiens omnium qui rationali natura participant. *Lib.de somnijs, & apud Ant.in Meliss.par.1 ser.50.*

Quemadmodum gubernator in naui, magistratus in ciuitate, imperator in exercitu, anima in corpore, mens in anima. Sic reuera primus est sapiens in humano genere. *Lib.de Abraham.*

Sicuti oculi splendore solari: Sic mens illustratur sapientia. *Lib.de congr.quærend.*

Sicut odoramenta replent suaveolentia proximos: Eodem modo vicini sapientis & contermini ex afflatu eius latissime se diffundente meliores euadunt. *Lib.de somnijs.*

Olympiodori: Tenebræ ipsæ per priuationem lucis fiunt: Ita vt lux quidē reuera existat, tenebræ vero nihil penitus sint. Ita, inquit, igitur sapientia ad stultitiam, opera enim stultitiæ transeunt, perpetuam punitionem concilianita suis cultoribus: opera vero sapientiæ in perpetuum durant: æternaque cultores suos lætitia afficiunt. *In Eccl.*

Pythagoræ: Quemadmodum visus circa omnia visibilia, & auditus circa omnia audibilia versantur: Sic sapientia circa omnia genera entium. *De sapientia. Meminit & Stobæus ser.de virtute.*

Socrates: Quemadmodum ex templi ianua aperta, pulcherrima simulachra perspiciuntur: Sic ex ore sapientis, animi simulachra perspiciuntur. *Apud Stob.serm.eod.*

Aristonymi: Veluti gubernatores ventorum mutationibus se accommodant nauigaturi: Sic vir reuera sapiens animi sui affectus obseruat, ne ab his deiiciatur. *Apud Stobæum serm.1.de prudent.*

Plutarchi: Vt paulatim vmbra remissa sentimus nos magis esse in lumine: Ita sensim imminuta stultitia, in sapientia proficimus. *In Moral.*

Vt verus amor erga mulierem non desiderat testem, sed sat habet, si clam ea potiatur: Ita vir sapiens recti conscientia contentus. At qui ficte amant, ostentant & iactant. *In Moral.*

D.Augustini: Spiritus sapientiæ solus dat veram sapientiam, & sapidā facit scientiam, quæ cum alicui inest, inæstimabilis sapor iucundat & reficit, & de illa dictum est: Sapientia non intrat in maleuolam animam; hæc autem a solo Deo est, & sicut officium baptizādi Dominus concessit multis, potestatem vero & authoritatem in baptismo remittendi peccata, sibi soli retinet: vnde Ioannes antonomice & discretiue de eo dixit, Hic est qui baptizat in Spiritu sancto. Ita de eo possumus dicere: Hic est qui sapientiæ saporem dat, sapidam animæ facit scientiam: sermo datur siquidem multis, sapientia paucis, quam distribuit Dominus cui vult, & quo modo vult. *De scala Paradisi.*

Laurentij Iustiniani Patriarchæ: Sicut cæci corpore propter incurrentia incommoda indigent ductore: Ita & qui in regimine præsunt, opus habent sapientia. *De institutione & regimine prælato.*

Ciceronis: Vt stultitia, etsi adepta est quod concupiuit, nunquam se tamen satis consequutam putat: Sic sapientia semper eo contenta est quod adest, neque vnquam sui pœnitet. *Libr.5.Tusc.quæstio.*

Vt medicorum scientia nō ipsius artis, sed bonæ valetudinis causa probamus, & gubernatoris ars, quia bene nauigandi rationem habet, vtilitate, non arte laudatur: Sic sapientia, quæ ars viuendi putanda est, non expeteretur, si nihil efficeret: nunc expetitur, quia est tanquam artifex conquirendæ & comparandæ voluptatis. *Lib.1.de finibus.*

Quemadmodum sæpe fit, vt is qui commendatus sit alicui, pluris cū faciat, cui commendatus sit, quam illum a quo sit: Sic minime mirum, primum nos sapientiæ commendari, ab initijs naturæ, post autem ipsa in sapientiam nobis clariorem fieri, quam illa sint, a quibus ad hanc venieremus. *Lib.5.de finibus.*

Lactantij: Propositis bonis, malisque, tum demum opus suum peragit sapientia. & quidem bonum appetit ad vtilitatem, malum reiicit ad salutem. Ergo sicut bona innumerabilia data sunt homini, quibus frui posset, sic etiam mala quæ caueret. Nam si malum nullum sit, periculumque, nihil denique quod lædere hominem possit, tollitur omnis materia sapientiæ, nec erit homini necessaria: positis enim tantummodo in conspectu bonis, quod opus est cogitatione, intellectu, scientia, ratione: quocunque porrexerit manum, id naturæ aptum & commodum sit: vt si quis velit apparatissimam cœnam infantibus qui nondum sapiunt apponere, vtique id appetent singuli, quo vnumquemque aut impetus, aut fames, aut etiam casus attraxerit, & quicquid sumpserint, id illis erit vtile ac salubre. *Libro de ira, capite 13.*

Senecæ: Quomodo quorundam lapidum inexpugnabilis ferro duritia est, nec secari adamas, aut cælari vel teri potest, sed incurrentia vltro retundit: Quemadmodum quæ iam non possunt igne consumi, sed flamma circumfusa, rigorem suum habitumque conseruant: quemadmodum proiecti in altum scopuli mare frangunt, nec vlla sæuitiæ vestigia tot verberati procellis ostentant. Ita sapientis animus solidus est, & id roboris collegit, vt tam tutus sit ab iniuria, quam illa quæ retuli. *Lib.de ad Serenum c.3.*

Et pueri os parentum feriunt, & crines matris turbauit laceraultque infans, & sputo aspersit, aut nudauit in conspectu suorum tegenda, & verbis obscœnioribus non pepercit: & nihil horum contumeliam dicimus. Quare? quia qui fecit, contemnere non potest. Eadem causa est, cur nos mancipiorum nostrorum vrbanitas in dominos contumeliosa delectet: quorum audacia ita demum sibi in conuiuas ius facit, si cœpit a domino. Vt quisque contemptissimus, & vt maxime ludibrio est, ita solutissimæ linguæ est. Pueros quidem in hoc mercantur procaces, & eorum impudentiā acuunt, & sub magistro habent qui probra meditate effundunt. Nec has contumelias vocamus, sed argutias. Quanta autem dementia est, hisdem modo offendi, & rem ab amico dictum, maledictam vocare, a seruo iocularе conuicium? Quem animum nos aduersus pueros habebimus, hunc sapiens aduersus omnes, quibus etiam post iuuentam canosque puerilitas est. An quicquam illi profecerunt, quibus animi mala sunt, auctique in maius errores, qui a pueris magnitudine tantum formaque corporum differunt? Non immerito itaque illorum contumelias sapiēs, vt iocos accipit, & aliquando illos tanquam pueros, malo pœnaque admonet, & afficit, non quia accepit iniuriam, sed quia fecerunt, vt desinant facere. Sic enim & pecora verbere domantur: nec irascimur illis cum sessorem recusauerint, sed compescimus, vt dolor contumaciam vincat. *Libr.2 ad Serenum, cap.1.*

Quis phrenetico medicus irascitur? quis ne febricitantis & frigida prohibiti, maledicta in malam partem accepit? Hunc affectum aduersus omnes habet sapiens, quemadmodum aduersus ægros suos medicus: quorum nec obscœna si remedio egent, contrectare, nec reliquias & effusa intueri dedignatur, nec per furorem sæuientem excipere conuicia. Scit sapiens, omnes hos qui togati, purpuratique incedunt, valentes coloratosque male sanos esse, quos non aliter videt quam ægros intemperatos. Itaque ne succenset quidem, si quid in morbo petulantius ausi sunt aduersus medentem. Quo animo honores eorum nihilo æstimat, eodem parum honorifice facta. Quemadmodum non placet sibi, si illum mendicus obuerit, nec contumeliam iudicabit: si illi honor plebis vltimæ salutandi mutuam salutationem non reddiderit: Sic ne suscipiet quidem, si illum multi diuites suspexerint. *Ibid.*

Semen licet exiguum, tamen locum nactum idoneum vires suas explicat, & ex minimo in maximos actus diffundit: Sic ratio Sapiētiæ paucis constat verbis, in opere crescit. *Apud P.M.*

Omnipotentes imperio editi, & consensu seruientium validi nocere intentent, tam circa sapientem omnes eorum impetus deficient, quam quæ neruo, tormentisue in altum exprimuntur cum extra visum exierunt, citra cœlum tamen flectuntur. *Apud P.M.*

Vt nec mundus crescit, nec sol, nec luna, nec mare: Ita pares sunt omnes sapientes. *Apud P.M.*

Vt grando illisa tectis dissultat, magno quidem fragore, verum nulla noxa: Sic insultus fortunæ nihil potest in sapientem. *Apud P.M.*

Vt bonus artifex è quauis materia simulachrum fingit, nec in vna tantum materia artifex est. Ita sapiens quamuis fortunam sapienter administrabit. *Apud P.M.*

Vt pumilio etiam si in monte consistat, pusillus est: colossus etiam in puteo magnus: Ita sapiens in quacunque fortuna suis bonis magnus est: stultus & in summa fortuna humilis. *Apud P.M.*

Politiani: Quemadmodum in sensibus visus, in anima mens, & in sideribus sol: Sic sapientia in rebus omnibus excellit humanis. *In Lamia. ex Archita Pythagorico lib.de Sapientia.*

Plinij: Sicut Mercurius quam minimo spatio discedit a sole, licet alioqui vagus & errabundus: Ita non oportet longius ab honesto discedere sapientem. *Lib.2.c.17.*

Sicut mundus vndique teres ac rotundus sibi constat. Ita sapiens nihil extra se quærit, se ipso contentus. *Lib 2.c.2.*

Sicut Maroneum vinum, cuius meminit Homerus, vicies tantum aquæ mixtum, tamen vigorem suum seruat: Ita sapiens nullis soluitur voluptatibus. *Lib.14.c.4.*

Vt halcyones etiam media hyeme mare tranquillam præstant, non sibi solum, sed alijs quoque. Ita sapiens turbatissimis rebus non solum ipse euebitur animi tranquillitatem, sed alios concitatos componet ac sedabit. *Lib.10.c.23.*

Vt in culice non minus admiranda naturæ vis est, quam in elephante: Ita sapientia in maximis pariter ac minimis negotijs, magnum virum ostendit. Aut ingenij vis etiam in ludicro ac humili argumento elucet. *Lib.11.c.2.*

Vt cochleæ lente ingrediuntur, nec quicquam attingunt aut vsquam sese mouent, nisi cornibus prætentarint: Ita sapientem oportet esse cunctabundum minimeque præcipitem & pedetentim aggredi, gustu quodam prius sumpto. *Lib.9.c.32.*

Vt indomita vis adamantis, vnde & nomen additum gemmæ, adeo, vt nec calefcat igni, nec ferro cedat, quin magis ictum ita respuens, vt ferrum simul & incudes dissiliant: Sic sapientis animus aduersus omnem fortunæ sæuientis impetum inuictus. *Lib.37.c.4.*

Sicut animantia quædam etiam corporis partes amputant ob quæ pere-

periclitari se sciunt, veluti fiber: Ita sapientis est aliquando facultatum iactura, vitæ consulere. *Lib.8.c.30. & lib.36.c.16.*

Vt magnes occulta quadam & incognita vi ferrum ad se trahit: Ita sapientia, secreta quadam ratione trahit ad se animos hominum. *Lib.35.c.10.*

P.M. Tradunt Physici veteres, solem marinis aquis pasci, lunam dulcibus: Ita sapientes amara quærunt, modo vtilia: stulti, quæ delectant modo, sectantur. *In Similibus.*

Vt Deus plurimum sapiens & intelligens, minimum loquitur: Ita sapiens non nisi necessaria loquetur. *ibid.*

Sunt qui propius admota non cernunt, quæ longius absunt vident: Ita nonnulli plus sapiunt in rebus alienis, quam in his quæ ad se pertinent. *Ibid.*

Sicuti quo directius nos ferit sol radiis suis: hoc minor est vmbra nostri: quo obliquius, hoc magis increscit vmbra corporis. Ita quanto plus quisque assequutus est veræ sapientiæ, hoc minus magnifice de se sentit: quo longius abest ab ea, hoc se magis dilatat stultissima persuasione sapientiæ. *ibid.*

Vt ingentes obelisci magno quidem negotio statuuntur & collocantur ob immensum molis pondus, sed collocati semel infinitis durant seculis: Ita arduum est, virtutis ac sapientiæ parare famam, sed parata nunquam intermoritur. *Ibid.*

Arundinis radix contrita & imposita filicis stirpem corpore extrahit, item arundinem filicis radix. Ita vicissim & pecuniæ studium eximit animis amorem sapientiæ, & sapientiæ studium pecuniæ. *Ibid.*

Vt fulmen quodcunque animal protinus occidit, excepto homine: Ita fortunæ procellæ inductos ac brutos protinus animo deiiciunt, sapientem non item. *Ibid.*

Sicut Aquilo initio vehemens, desinit lenior: contra Auster initio lenior, desinit vehementior; Ita qui præcipites magno impetu aggrediuntur, frigescunt in processu contra qui consilio suscipit, magis ac magis accenditur operis progressu. *Ibid.*

Thriniri Nimius cibus sæpe inescat voraces. Et nimia sapientia subinde infatuat sapientes. Ergo oportet hic citra sobrietatem sapere, & illic citra appetitum cibum mittere. *In Apophtegmat.88.*

Pueri quos vitiauit parentum indulgentia, statim vbi voto excidunt, solent ringere. Idem euenit tandem sapientibus huius sæculi, qui omnia dixerunt pro suo arbitrio gerere, exemplo Aman & Achitophel *In apoph.89.*

Exempla Historica.

Hebræorum sapientia signum illud certissimum esse, Iosephus libr. 2. contra opinionem asserit: quod cum Græcorum philosophia in varias sit deducta sectas? Hebræorum semper vna permanserit. *Ioan. Metellus.*

Antiquitas Aegyptiorum sacerdotes tantopere fuit admirata sapientiæ nomine; vt præstantissimi Græcorum philosophi peregrinati sint, eruditionis causa. *Strab. lib.17.*

Chaldæi Babyloniorum antiquissimi, eum locum in sua Republica, quem in Aegypto sacerdotes obtinuere, hi per omnem vitam philosophari, astrorum peritiam tenere, nunc auguriis, nunc carminibus sacris, mala hominibus auertere, bono afficere, auguria, insomnia prodigiaque fida interpretatione explanare. *Sabell.lib.2.Enn. 2 ex Diodor lib 2.*

Septem sapientes Græcia habuit Solonis tempore, qui fuisse vna perhibentur Delphis, & post Corinthi: vbi communem quendam conuentum eorum & conuiuium Periander instruxerat.

Catharina virgo Costi Alexandriæ principis filia, sacris literis partim studio, partim diuini spiritus afflatu adeo fuit imbuta; vt accersitos a patre vndecunque doctissimos viros & philosophos ad persuadendam idololatriam, refellendamque vnius Dei religionem, viuacissimis terruerit argumentis, & in suâ opinionem pertraxerit.

Hieroglyphica.

Veluti Fortunam rotundo lapidi insidentem pingere veteres instituerunt, ita *Sapientiam in quadrato* statuebant, ex hoc hieroglyphico volubilem illam: huius vero firmam & inconcussam iudicantes. *Pier.Val.lib.39.pag.381 B.*

Sane vero cum Minerua consilii prudentiaque Dea diceretur, aliquot in ostentia *Noctua sapientia* signum fuit: vt quæ in Hieronis priuati adhuc hominis hasta consedisse conspecta est, primo bello, quo iniit, nam haruspices hinc eum cautum in consilio futurum prædixere, id quod sapientissimum totius eius vitæ regimê comprobauit; *Idem, lib.20.pag.188.*

Emblema.

Sapientia humana, stultitia est apud Deum
Emblema v. Ant. Alciat.

Quid dicam? quonam hoc compellem nomine monstrum
Biforme, quod non est homo, nec est draco?
Sed sine vir pedibus, summis sine partibus anguis
Vt anguipes dici, & homiceps anguis potest.
Anguem sedit homo, hominem eructans & anguis,
Nec finis hominis est, initium nec est feræ.
Sic olim Cecrops doctis regnauit Athenis;
Sic & gigantes terra mater protulit.
Hæc vafrum species, sed religione carentem,
Terrena tantum quoque curet, indicat.

Fabula.

Contemplans quidam noctu cœlum & stellas, in fossam, quam ante pedes traductam non viderat, incidit. Tum alius eadem iter faciens, cum de gemitu illius ac oratione, quod acciderat, cognouisset, Optime, inquit, tu qui os in cælum erigebas, terram potius intueri debueras.

Fabula ostendit, reperiri quosdam, qui futura prædicere non dubitent, cum quæ ante pedes sunt, non videant. Irridetur Thales a Thressa ancilla similiter apud Platonem, quamuis in laudem hoc Philosophiæ a Platone conuertatur. Sed sic res se habet, vt ille ait:

Crede mihi sapere est non nimium sapere.

De Vulpe & Passere.

Palumbium nidus erat super arbore, quo prius pulli quam euolarent venire consueuerat vulpes, & postulare mercedê quasique pensionem habitationis illius, quod diceret suam esse arborem, & a maioribus suis possessam, ac aui bus quoquo tempore ad nidulandum elocatam fuisse: petebat autem pullum vnum, qui nisi daretur, totum nidum se vastaturam, & illam palumbium familiam deleturam esse minabatur. Grandiores igitur palumbes sermonibus illius territi, pullum a se annis pluribus cæpi passi fuerant. Itaque incubans ouis mater semper mœsta erat cogitatione & dolore amittendi pulli. Hanc tristem conspiciens prætervolans passer, rogat quid rei sit, aut cur perturbetur eo tempore, quo lætari in spe fœtus deberet: cum palumbes, quem casum metuat & anxietate tenebatur, exponit vulpisque iniurias & totam rem edisserit. Hic vero palumbem simplicem irridere, & castigare stolidam verbis: Quid enim tu censes, inquit, vulpino generi vllam arborem a natura peculiarem procreatam esse? Minime hoc factum est, mihi crede, neque si quid proprium attribuere vellet natura rerum vulpibus, arbores, vt opinor, quas non possent illæ conscendere, sed specus & dumeta contulisset. Sed etiam tu cogita an recordari possis a matre tua audiuisse, mercedem vulpi, vt huic arbori insidere tuto liceret, datam esse. Verum si ita & Vulpes iure vtatur suo, quin tu tamê minas illius spernis, quippe quæ volucris sis & quam alleges pes omnes, quotquot sunt, nequeant. Quare ita facito, cum exclusi fuerint & vulpes ad pensionem auferendam affuerit, negato te illi quicquam debere: cumque solitas minas vsurparit, hoc modo respondeto: non te vereri, ne vulpes arbores ascendant cum tam ponderosis caudis. Paruit consilio palumbes, & vulpem paulo post cum superbia, & minis aduenientem ad mercedem sumendam ita ablegare, & ea oratione refutare cœpit, qua fuerat a passere instructa. Tum vulpes dolos fuctos sentiens, cum tamen palumbis ingenium ad talia explicanda non esse idoneum sciret, & alium fuisse architectum intelligeret, tentare se palumbi quicquid debeat sibi, & omni metu a se illam liberasse, deque suo iure decedere ait, modo indicet, a quo talem responsionem edocta, & illo consilio instructa fuerit. Palumbes nihil cunctata, passerem sibi præmonstratorem & suasorem fuisse dicit. Venit igitur ad passerem, vt forte in terra constiterat, vulpes, dissimulans se quicquam comperisse: &, sæpe, inquit, mecum admiror ac suspicio genus vestrum, cui natura tantam agilitatem tribuerit, vt in sublime alte euolare, & celeriter quocunque libuerit deferri, atque amnes & maria transire possitis. Sed vna videtur res, ventorum & procellarum vis, contraria, & molesta esse vobis, capitulis tam paruis & subtilibus præditis. Nihil, inquit passer, illa vis, quam memoras, nocere nobis potest: nam quoties hæc commota tempestate infertur, sub alas reclinata capita ita abdimus & protegimus. Hic simul recondit sub ala caput. Tum vulpes irruens de improuiso illum corripit, atque discerpens vlciscitur contra se subiecta palumbi consilia.

Fabula notat eos, qui aliis cauere & consulere soleant, sibiipsis nesciant.

SAPOR.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

SApor, Græce χυμὸς dicitur. Est autem sapor passio humidi a sicco, mediante calore, alteratiua gustus de potentia ad actum, *Secund. Arist. lib. de Sensu & sensato.*

Sapor consistit in humido aqueo aequaliter digesto: sicut odor consistit in sicco aereo aliqualiter contemperato. *sec. B. Th. super lib. de Anima secundo lect. 10. colum. quarta*, quod autem de externo sensu gustus dicitur, ad sapientiam seu animi gustum & iudicium metaphorice relatio est. Sapor Heb. *Taham*, & per translationem sensus, sententia, a verbo *Taham*, degustauit paululum. Græc. *Γεύομαι*, desidero, gustare cupio.

SENTENTIÆ PHILOSOPHOR.

Sapor est vnum quoddam tangibilium. *Aristotel. 2. de animal. text. 27.*

Sapor est, vt quoddam condimentum. *Ibi. tex. 29.*

Sapor est gustatiuæ partis passio. *de sens. & sensib. c. 1.*

Saporis genus manifestius est in nobis, quam odorum. *Ib. c. 4.*

Saporibus cognoscendis organum ita compactum esse oportet, vt neque actu humidum sit, nec potentia careat, qua humectari possit. *Alex. Aphrod. in 2. de ani. c. 17.*

Sapor tanquam accidens est in humido, aliquando tanquam forma in materia, vt sustinentis, & in seipsis formantis illam. *ib. in 2. de anima, c. 42. tex. 101.*

Saporum species, vt in coloribus simplices quidem contrariæ sunt, vt dulce, & amarum: dulce sequitur pingue, acerbum & aridum. *Arist. 2. de anim. c. 6. tex. 105.*

Sapor dulcis primas in alendo obtinet, cæteri pabulo commiscentur, non vt illi ipsis, sed vt salsus atq; acidus, solitarii alere queant per se, sed continenti causa extrinsecus introducantur. *Alex. Aphrod. de sens. & sens. sec. 3. c. 32.*

Saporis sensum nihil facit absque humiditate, aut actu, aut potentia. *Arist. 2. de anim. c. 6. tex. 102.*

Sapor qualitas, & affectio quædam humoris est non in eo, quod humor inest in illo sapore, sed quia in humore est sapor; quia si non est humor, non est sapor. *Thom. in 2 de anima capit. 35. text. 10.*

Sapor inuenitur in corpore mixto. *Auer. meteor. 1. c. 1.*

Saporum diuersitas in nulla est ita manifesta, vt in fructibus, succis plantarum. *Alb. Magn. de veg. l. 3. tract. 2. c. 1.*

Sapor consistit in humido aqueo æqualiter digesto. *D. Thom. in 2. de anima, lib. 19. tex. 95.*

Sapor potest corrumpere animal, non vt sapor, sed in quantum sapori coniungitur aliqua qualitas tangibilis, vt cum ei consequitur calor vel frigus vehemens. *Idem in 3. de anim. lib. 18. tex. 68.*

Sapor confert ad alimentum, vt est sequela complexionis. *D. Thom. in 3. de anim. l. 17. tex. 64.*

Sapor acerbus est, cum quæcunque ingressa sunt venas, quæ circa linguam sunt, ad rariores & teneras partes illabentia, dum terrestris quædam illorum pars colliquescit, venæ contrahuntur, & exsiccantur: si sunt asperiora, fit, vt dixi, sapor acerbus: si minus aspera, austerus. *Plato in Tim.*

Sapor amarus fit cum ea quæ extergunt, & circa linguam, quicquid est eluunt, si vltra mediocritatem id faciunt, & insuper quid assumunt, & corripiunt, adeo vt etiam de natura ipsius aliquid eliqueni, qualis est nitrorum facultas, etsi cum moderatione vtuntur, & nitri habitu inferiora sunt citra amaritudinem asperam, & magis grata apparent, fit salsus sapor. *idem, ibid.*

Sapor acris fit, cum quæ oris caliditate participant, & ab ipso leniGata efferuescunt, & rursus vicissim id quod calefecit accendunt & vrunt, & præ leuitate sursum & capitis sensum feruntur, & siccant omnia, quæ ipsis occurrunt. *Plato in Timæo.*

Sapor acidus fit, cum aeria præattenuata sunt a putredine, & in angustas venas, & partes, quæ isthic insunt terrestres, & eas quæ moderatum acorem habent ingrediuntur, ita vt motu suo efficiant, vt illæ inter se obuoluantur, & in alias ingredientes, alias causas efficiant his quæ ingressa sunt circumtensas, nimirum humectantes circa aerem caua circumtensa aliquando puta, quo humida vasa aeris, aquæ cauæ ac rotundæ fiant, & quæ quidem ex pura humiditate sunt pellucida consistant, bullarum nomine appellata, quæ vero ex terrestri quæ simul mouetur, & eleuatur bullitionis, & fermentationis nomine nominantur: quæ affectionum causa, vt dictum est, aciditas appellatur. *Plat. in Tim.*

Sapor dulcis fit cum ingressorum compages humida linguæ habitui ex natura cognata existens læuigat obliniens exasperata: quæ vero præter naturam comparata sunt, laxat, & quæ diffusa sunt contrahit, & omnia quam maxime secundum naturam firmat, ita vt quicquid eiusmodi est incũdum sit, ac gratum, & omnium violentorum medela. *Plato in Timæo.*

Saporum differentiæ sunt septem, Dulcis, Acer, Ponticus, Austerus, Salsus, Acutus, Amarus. *Aleiat. c. 19.*

Saporis dulcis natura omnium reliquorum saporum naturæ contraria est: nam dulcis humorem linguæ inhibitum perfundit & delinit, acer turbat, & dispergit, acutus inflammat, & ad supera eleuat, amarus vehementer abstergit, liquefacit, salsus lenius purgat & permollit, ponticus obstruit meatus linguæ & contrahit asperius, austerus idem facit, sed lenius: *Idem. ibid.*

Sapor acer, & austerus linguam arefacit & contrahit, ille magis, iste minus: amarus & salsus abstergit, ille magis, iste minus: acutus calefacit & diuidit & accendit: acidus lubrica subtilitate penetrans commiscet humores, crassioresque subtilioribus circumfundens facit ampullas, dulcis calidus & humidus tanquam naturæ consentaneus linguæ blanditur. *Ficin. in Pat. Tim. capite 60.*

Saporum suauium pars subtilis recreat vitalem cordis spiritum, crassior per digestionem in ventre, & iecore ipsum recreat spiritum vitalem. *idem. ibid.*

Saporem acidum qui maximi frigoris pene gustu stuporem inducẽtis perpetuo comes est, cum salso coniungere, & carnis generatione pro fermento ponere absurdum est in philosophia. *Iac. Carpen. in Alcin. defensione.*

Sapores Plato non voluit explicare per figuras, vt Pythagorici, & Democritus, sed ea sensuum affectionibus. *Idem in Alciat. cap. 35.*

Omnino sapor eius est partis animi affectio, quæ alendi vim habet. *Lib. de sens. c. 1.*

Euidentius est nobis saporum genus, quam odorum. *Lib. de sens. c. 4.*

Sapores omnes crassiori quadam natura constant. *ibid.*

Est Sapor ea affectio, quæ a siccitate in humore gignitur: quadam commutatione efficiens, vt gustatus qui esse poterat, reipsa sit. *ibid.*

Frigus & congelatio, tum sapores labefactant, tum odores, præsertim, cum calorem qui est causa efficiens & author, frigus geluque delent. *Lib. de sens. c. 5.*

Nihil saporis sensum facit sine humore, omniaque eius generis vel humida sunt reipsa, vel esse possunt: *Lib. 2. de Animo, c. 10. Tex. 102.*

Saporum genera colores ita imitantur vt simplices contrarii sint dulcis & amarus, quos sequantur illum quidem pinguis & crassus, hunc salsus: quibus interiecti sunt acer, austerus, acerbus & acidus. Hæc enim fere sunt saporum varietates. *Ibid. Tex. 105.*

Coniunctus est cum gustatu sapor. *Libr. 7. de natur. capite 2. Tex. 12.*

Vide, sensus.

SATANAS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Satanas aduersarius, Hebr. *Satan*, in nouo Testamento satanas & Satan, a verbo Hebræo *Satan* aduersatus est, aduersarius fuit, odiose alicui se opposuit, inimicus fuit. Tam de homine, quam de diabolo dicitur. *Sitnah*, aduersatio, aduersatiua oratio, rixa, inimicitia, odium, *Gen. 26. 21. Esdr. 4. 6.* Vide de Satanæ nomine quibusdam attributo, *Psal. 109. 20. & 71. 13.* item, *Num. 22. 23. 1. Sam. 29. 4. 2 Sam. 19. 23. 1 Reg. 5. 4. & 11. 14. 23. 25.*

LOCI BIBLICI.

Satanæ nomen etiam hominibus accommodatur, qui Dei voluntati aduersantur, vel obstinata malitia, vt Iudas, *Ioan 9. vers. 7.* vel incogitantia quadam aut arrogantia, vt Petrus, *Matth. 16. vers. 23.* Satanæ tradi, *1. Cor. 5. vers. 5. 1. Timoth. 1. vers. 20.* nihil aliud est, quam fieri sicut ethnicum & publicanum, *Matth. 8. vers. 17.* id est, ius Christianæ ciuitatis vsque ad resipiscentiam amittere, siue excommunicari, Satanæ denique mancipari, qui extra ecclesiam regnat. Satanas, Deus huius sæculi dicitur, *1. Cor. 4 vers. 4.* quia sese illi veluti Deo manciparunt homines huius sæculi. A Deo impetrata facultate, percutit Iobum, *Iob 1. vers. 12.* est spiritus mendax in ore omnium prophetarum Achab, *1. Reg 21. vers. 22.* Apostolos appetiuerat, *Luc. 21. vers. 31.* in Iudam proditorem ingreditur. *21. vers. 3.* vt fulgor e cœlo cadit. *Luc. 10. vers. 18.* in Angelum lucis transformatur, *2. Cor. 11. vers. 14.* Colaphis cædit Paulum, *12. vers. 7.* impedit Paulum, *1 Thess. 2. vers. 18.*

SIMILITVDINES.

Laurentij Iustiniani Patriarch. Quemadmodum inire satagentibus conflictum cum hostibus visibilibus, pernecessarium est, non solum scire quomodo euadant insidias inimicorum, ac detegant eorum machinamenta; sed etiam qualibus ei resistant viribus, atque prudentia illorum conterant vires atque contumaciam: Æque in spiritualibus certaminibus non ignorandum est, qua ratione Satanæ insultus euadas, eiusque vires diuino auxilio frangas. *In ligno vitæ. c. 5. de orat.*

Quemadmodum si quis stellas cœli, aut pluuiæ guttas, seu arenam maris dinumerare voluerit, casso consumitur labore: ita quicunque varias dæmonum fraudes ad plenum reserare conatus fuerit, in vanum desudabit, mille enim artifex est: ac licet artibus suis seipsum interdum prodat, instar tamen tortuosi colubri anfractibus suis, ex lubricis hominum manibus defluit, etiam dum teneri putatur. *De disciplina ac perfectione monastica c. 15.*

Consueuerunt vt plurimum homines, quandocunque aliquod difficile ag-

le aggressi sunt opus, cum ad id peragendum impares se viribus senserint, mox ab amicis ac domesticis subsidia quæritare: quatenus quæ propria nequeunt virtute perficere, alieno valeant adiutorio. Hac malitiæ arte, hoc sagaci ingenio vti etiam solet humani generis antiquus hostis, & seruorum Christi implacabilis inimicus. Cum enim ad debellandos atque exercendos piorum animos, ex superna dispensatione constitutus, sic tentare nonquam desinit: verum eum desinitus prohibeatur ne obsit piis, eos tamē per suos amicos ac domesticos vexare nititur, & ad tenendum humano vtitur instrumento, & potissimū aduersus eos, qui Christo associati sunt. *De disciplina Monastica, cap. 14.*

Vide, Diabolus, Dæmon.

SATELLES.

DEFINITIO, ET ETYMOL.

Satelles, miles mercede conductus, a latere principis, & custos Cæsaris: Gr. δορυφόρος. Hebr. *Scheuer*, scepttiger, qui gestat virgam, seu baculum. De satellite & de magistratu seu præf. ctο etiam intelligitur. Satelles item dicitur, qui omnibus capitis præest, qui & apparitor & viator dicitur. Horatius de viro probo dicit quod videtur & est. *Virtutis vera custos, rigidusque satelles.*

APOPHTHEGMATA.

Agesileus dicebat posse quemuis principem & regem fine satellitio regnare, qui sic subditis imperaret, vt filijs pater. *Plut. in Apoph.*

Sigismund. Imp. Albertus Austriæ dux (qui mortuo Sigismundo Cæsare, cuius erat gener regnum Hungariæ ac Bohemiæ cum Romano Imperio susceperat) cum cæteros principes amore ciuium cautos esse oportere, Sigismundus respondit: Et fida custodia infortunium excludit. Docuit autem Imperator potentissimus, non satis esse, vt principes fidos habeant subditos: sed addendos etiam esse satellites, & corporis custodes, præsertim in florentiori ætate. *Aeneas Sylvius libro commentariorum de reb. gestis Alphonsi.*

Alphonsus castigatus ab aulicis suis, quod regiæ maiestatis oblitus, sine satellitibus & satrapis prodiret in publicum: Non opus est, inquit, vt ipse multum sibi timeat, qui neminem habet, quem ita læserit, vt aliorum euam manu sit defendendus. Ostendit autem, superuacaneam esse satellitum turbam, si quis ita se erga subditos gerat, vt vbique sine iniuriæ timore solus esse possit. *Panor. lib. 2. de Alphonsi reb. gest.*

Thomas Pontanus subinde dicere solitus est: Amorem quidem inermen incedere, dormire autem loricatum. Notabat autem principes, qui licet beneuolentiam & amorem suorum non ignorent, habent tamen nocturno præcipue tempore, qui armati prope custodias agant, vt extra omne periculum somnum dulcissimum capiant. *Iacob. Spieg. in secund. Anea Silui librum de reb gest. Alphonsi.*

SCABIES.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Scabies, Græce ψώρα, ας, ἡ. & ψωρώδης ὁ, Scabiosus dicitur. Dicitur autem a scaber, quod est asper, quoniam scabies asperitatem in cute faciat. *Virg.*

Exesa inueniet scabra rubigine pila.

Hinc etiam scabrícies, asperitas, scabre, aspere.

LOCVS BIBLICVS.

Scabie percutiuntur inobedientes, *Deut. 28. v. 27.*

PHILOSOPHICÆ SENTENTIÆ.

De Scabie. Dial. Lxxxv.

Francisc. Petrarch.

GAVD.

Scabie premor importuna, Rat. Iam non miror si angores meros ægre fers: quando id luges cui dulce aliquid immixtum est. Dol. Gr. us vexur scabie. R. Sunt qui hane salubrem dicant: Ego autem ue tam mœstæ rei lætum nomen tribuam: aream potius salutis, sine ad salutem viam, dico: Mollis est qui asperitatem viæ breuem respuit: cuius exitus sit iucundus. Dol. Arida me scabies exercet. R. Iam horologio non egebis: erit tecum quæ te noctibus excitet: teque honesto culpiam fortassis officio vigilem reddat: nemo piger quem non scabies sollicitum faciat. D. Scabie torqueor. R. Morbus ignobilis: sed nobilis cura est: labor, ætas, balnea, priuilegium, diæta, si necista profuerint: ad patientiæ medicinam recurrendum erit: Illa omnibus morbis vtilissima est. D. Scabie crucior tædiosa & fœda. R. Neutrum negoo: vbi ergo Publius molestum otium podagrici pedes dixit: me linere potes addere: molestū negotium scabiosi manus: Sed quid dices, si quo fœdior morbus: eo pulchrior patientia est: quid si paruo ex malo bonum ingens elicis? Hæc nimirum vna est rerum quæ contēptum corporis maxime pariunt: quo nihil est melius mortali. D. Totum me scabies occupat. R. Totum te: verum est: id quidem metuo: sed plus est forsitan quod quæ dicere volusti, totū enim corpus intelligis: sed est vobis inuisibilis animorum scabies, cupiditas ac libido & pruritus quidam vlciscendi quærendique: qui quo magis scalpitur, acrius æstuat: hunc nec tolli, nec sentiri possitis nec sentitis quidem: tanto minor vobis est semper velit eutaq; e corporis.

Scabie, tabe, lippitudine capiuntur, qui appropinquantur, ab aqua autem intercute, febre, aut stupore attonito, aut aliquo ex nume ro cæterorum malorum capiuntur: a lippitudine quidem, quia oculus pars corporis nobilissima est: cæterum maxime omnium rei sibi obiectæ similis reddi potest, quippe facile moueatur ab eo, quod moueat: itaque fit, vt cum perturbatum adspicit oculum, facile eo am ipse perturbetur, & talis contagio ideo fit, quia spiritum vitiat, & grauem reddit: & omnes morbis iis etiam arripiuntur, qui spiritu corrupto proueniunt, quale est omne pestilens genus, & qui appropinquauerit talem trahit spiritum, qualem æger reddiderit. At scabies magis quam lepra, & cætera vitia eiusdem generis efficere potest, quoniam per summa corporis eat, & humore manet glutinoso: omne enim genus prurientium tale est: itaque id quod ipsum, quia per summa peruenit glutinosum, cætera per suam siccitatem persistere nequeant. *Aristot probl. sec. 7. nu. 4.*

Scabies, lippitudo, tabes, cur sunt mala contagiosa? febris, apoplexia, non transeunt in aliam: quoniam oculus humidans affectione opportune deprauatur: tabes expirand impurum aerem reddit, qui tractus ab homine sano, facile pulmonem vitiat, & scabies cum per summa corporis fit facile propagare potest, febris vero, & huiusce modi cum nihil putrefaciens emittunt, suum in alios vitium transmittere nequeunt. *Alex. Aphr probl. 2. nu. 43.*

Vide. morbus.

SCANDALVM.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Scandalum Græca dictio est σκάνδαλον, τό, ita & σκανδαλίζω. Et est dictum aut factum minus rectum præbens alteri ruinæ occasionem. *secund. B. Thom secunda, q. 43.*

Scandalum large sumitur pro quolibet impedimento alieni præsito in via aliqua, quam prosequi intendit, *secun. eund. secund. Secunda. q. 43 art. 1.*

Scandalum, πρόσκομμα, offendiculum, datum, vel acceptum. Hebr. *Michschol, Machschelah, Kischalon*, a verbo *Caschal*, Impegit, offendit, corrupit. Metaphora sumpta a pedum offensiculis varus & lapsu impingentium, ad lapsus animi.

LOCI BIBLICI.

Scandalum seu offendiculum proximo nec in vita nec in doctrina ponendum, *Leuit. 4. 3. Num. 31. v. 16. 2. Sam 12, 14. 1. Esd 8. v. 22. Prouerb. 28. v. 10. 2. Machab. 6. v. 24. Matth. 17. vers. 27. & 18. v. 6. Marc. 9. v. 43. Luc. 17. 1. Ioan. 16. 1. Rom. 14. ver. 1. 15. 1. Cor. 8. 1. & 10. 3. 2. Cor. 6. 3. 1. Thess. 5. 22.*

Scandali ex Christo occasionem capere, valde ooaium, *Luc. 7. versic. 23.*

SENTENTIAE PATRVM.

Sicut necesse est ignem calere, & niuem frigere, ita est necesse, vt iniquitas munei erroribus plena, scandala pariat, perfectorum vero charitas pietatis operibus luceat. *Hier. in Matth. 18.*

Qui scandalizatur, paruulus est, maiores enim scandala non recipiunt. *Ibid.*

In quantum possumus, fine peccato vitare proximorum scandalum debemus. Si autem de veritate scandalum oritur, vtilius scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur. *Gregor. in Ezech.*

Non omnium scandala æqua sunt lance pensanda: aliter namque accipienda sunt scandala pusillorum, & aliter Pharisæorum illorum

rum quippe scandalum de ignorantia, istorum de malitia descendit. Illi scandalizantur, quia veritatem nesciunt: isti quia oderũt. *Bern de precepto & disp.*

Constat, vbi veritas necessaria in causa non est, nec licite scandalũ quodlibet posse committi, nec iubere præcipi, nec innoxie consentiri *in epist.*

Nemini blanditur veritas, neminem palpat, nullum seducit, aperte denunciat, quoniam væ homini illi per quem scandalum venit, *super Cant. ser. 9.*

SIMILITVDINES.

Chrysostom. Sicut vbicunque fuerit triticum, necesse est, vt inueniatur illic & zizania: Sic vbicunque fuerit bonum Dei, illic erit & scandalum inimici, *in c. 6. Matth. hom 33.*

Sicut quod de alto cadit, grandem sonum facit, vt audiant omnes: Sic & qui de alto gradu cadit, ruina illius vbique auditur, *In Matth 21. homil.*

Sicut in corpore, aliquo quidem membro corrupto, non est magnũ damnum: oculis vero læsis, vel capite contento, totum corpus inutile redditur: Sic & qui in alta quadam tanquam virtutis specula, cum multa claritate constitutus, ab omnibus admirationi habitus, quando cecidit, magnam ruinam & iacturam facit, non tantum quia ex alto cecidit, sed quoniam aliis multis scandali materia est, id idipsum respicientibus. *Hom. 1. de verbis Apostoli. Modico vino vtere.*

EXEMPLA BIBLICA.

Scandali Pharisaici, siue accepti *exempla*: Quidam Scribæ, *Matth. 9. v. 2. 3.* Pharisæi. *v. 10 11. & 15. v. 12. Ioan. 7. v. 46. 52. Act. 9. v. 14.* Iudæi, *Marc. 6. v. 3 Ioan. 5. v. 17. 18. & 6 v. 51. 52 & 7. v. 41. 46. & 8. v. 44. 48. 56. 57. 59. Actor. 11. v. 2. 3* quidam Iudæi. *Act. 13. v. 42. 43. 44. 45. & 28. v. 28. 29.* Nazareni, *Matth. 13. v. 57. Marc. 6 v. 3.* Pharisæi & Scribæ, *Luc. 15. v. 2.* quidam ex discipulis, *Ioan. 6. v 60.* Consilium Ierosolymitanum, *Actor 4. v. 2. 3. 4. 5.* Scandali vitati, *exempla*: Christus & Petrus, *Matth. 17. v. 27.* Paulos, *Act. 16. v. 3. & 21. v. 24.* quicunque scandalo esse nobis possunt, vitandi, *Exod. 44. v. 12. Deut. 7. v. 2. 10. & 13. vers. 1. &c. Matth. 5. v. 29. & 6. 22. Marc. 9. v. 42. Rom. 16. v. 17.*

SCELVS.

SENTENTIÆ POETICÆ.

Senec. in Hippo.
Cur omnium sit culpa, paucorum scelus?
Idem in Troad.
Quid iussa cessas agere? ad autores redit
Sceleris coacti culpa.
Idem in Thyest.
Sæpe in magistrum scelera redierunt sua.
Idem in Herc. fu.
Prosperum ac felix scelus
Virtus vocatur.
Quis nomen vnquam sceleris errori dedit?
Sæpe error ingens sceleris obtinuit locum.
Iuuen. Sat. 13.
Nam scelus intra se tacitum qui cogitat vllum,
Facti crimen habet.

SENTENTIÆ PHILOSOPHICÆ.

Nullum est aliud latronum beneficium, nisi vt commemorare possint, iis se vitam dedisse, quibus non ademerint. *Cic. Phil. 2.*

Tuta esse scelera possunt, secura non possunt. *Senec. epist. 89.*

Difficillima est cuiusque grauissimi sceleris fides.

Scelera non habent consilium. *Quint. lib. 4.*

O superbiam inauditam? in facinore gloriari. *Cic. ad Brut.*

Facinore admisso, ad sanitatem reuerti pudet. *Cæs. de bell. Gallic.*

Occidi non est pœna, sed exitus.

Cædes manifesta expiatur saltem pecunia, *Liu lib. 1.*

Scelus quoddam esse timebimus arma in bello prælata a domesticis ad templum deferre, nisi Deus aliud dicat. *Plat. de rep. Dial. 5.*

Vide, Malitia, Vitium.

SCHOLA.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Schola, ludus literarius, gymnasium παιδευτήριον, διδασκαλεῖον φροντιστήριον, a verbo Græco σχολάζω vaco: quia cæteris rebus omissis liberalibus studiis pueri vacare debent: vel a vacatione seu relaxatione studiorum. Inde Ausonius, *Græco, Schola nomine dicta est, Iusta laboriferis tribuantur vt otia Musis.*

EXEMPLA BIBLICA.

Scholarum & Academiarum institutarum exempla in veteri testamento. I. Samuel Heli discipulus, Samuel apud Heli sacerdotem versabatur, *1. Sam. 3. v. 1.* II. Grex Prophetarum, *10. v. 5. & 6. v. 12.* III. Puer Elisæi, *2. Reg. 9. v. 1.* IV. Duodecim Apostoli, *Luc. 6. v. 13.* V. Septuaginta discipuli, *Luc. 10. v. 1.* Præter duodecim Apostolos, etiam septuaginta eligebat Christus discipulos, qui in sua Schola enutriti, & donis miraculorum ornati & instructi, ablegabantur, *Luc. 10. v. 1.* vt passim in Iudæa Euangelium Christi prædicarent. VI. Discipuli Ioannis, *Ioan. 1. ver. 28.* Ioannes Baptista quoque habuit scholam, in qua præ aliis quosdam discipulos habuit, quos in vera doctrina instituit: Patet id ex *Ioan. 1. v. 28.* VII. Schola Ierosolymitana, *Matth. 11. v. 13.* Scholam aliquam fuisse Ierosolymis, in qua iuuentus in studiis præsertim sacrarum literarũ informabatur, vel inde colligi promptum est, quod Pharisæi etiam suos habuerint discipulos, *Matth. 22. v. 15. 61.* VIII. Paulus Gamalielis discipulus, *Act. 22. v. 3.* vbi commemorat ipsemet Paulus se ad pedes Gamalielis legis doctoris diligenter in patria lege institutum esse. IX. Synagoga Libertinorum, *Act 6. v. 6.* vbi fit mentio eorum, qui fuerunt ex Synagoga Libertinorum, & Cyrenensium, & Alexandrinorum, & Cilicum, & Asianorum, disputantium cum Stephano. Vnde apparet diuersa scholarum genera fuisse Ierosolymis. X. Schola Atheniensium, *Act. 17. v. 18.* XI. Schola Corinthiaca, *Act. 19. v. 8.* Et Tyrannus quidam Corinthi scholam habuisse dicitur, *Act. 9. v. 8* XII. Domesticæ scholæ: Paulus, *Rom. 16. v. 5 & 1. Cor. 16. v. 19.* meminit congregationis, quæ fit in domo Nymphæ. XIII. Timotheus Pauli discipulus, *2. Tim. 3. v. 10. 14.* scholas Ecclesiasticas singulos Apostolos, vbicunque locorum egerint, aperuisse, non tamen eo videntur, quod passim in Synagogis docuerũt, *Act. 13. v. 14. 5. 42.* sed etiam quod suos semper habuerunt discipulos, quos in sacris literis instituerunt, & ad ministerium præpararunt. Paulus enim se Timotheum docuisse testatur, *2. Tim. 3. v. 14. & 2 v.* XIV. Schola Alexandrina ab antiquo fuisse scholam testatur *Eusebius lib. 5. c. 6.*

Vide, Doctrina, Disciplina, Institutio, Philosophia, Virtus.

SCIENTIA.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Scientia, Græce, ἐπιστήμη [illegible], sciens dicitur. Est autem scientia habitus demonstratiuus, *secund. Arist. lib. 6. Ethic.*

Scientia est determinatio intellectus ad alteram partem cum certitudine.

Scibile dicitur secundum potentiam, scientia vero secundum actũ vel habitum, ideo non sunt simul natura. *Ex B. Thom. 1. p. q. 13. art. 7.*

Scientia a scio dicitur. Scire autem proprie est rem ratione & per causam cognoscere: Quid autem a sapientia scientia differat vide supra.

Scientia est intelligentiæ, ingeniique viribus excitata ex vniuersalibus principalibusque veris ac necessariis, & primis ac immediatis.

Scientia, Hebr. *Dahath, m, ddahh*, a verbo *iadhahh*. nouit, sciuit, cognouit, agnouit. Hinc εἰδῶ, εἰδέω, scio, conspicio.

LOCI BIBLICI.

Scientia, pro doctrinæ cognitione, *2. Cor. 11. v. 16.* pro vsu & peritia, *7. v. 7.* Scientia vera quæ, *1. Cor. 2. v 2. Col. 2. v. 2. 3. 1. Tim. 6. 20. 1. Ioan. 5. v. 20.* scientia a Deo, *1. Sam. 2. v. 3. Dan. 1. v. 17.* scientia inflat, *1. Cor. 8. v. 1.* scientiam labor comitatur, *Eccl. 1. 18.* scientia particularis in piis requiritur, *Ioan. 11. v. 22. 2. Cor. 5 v. 1. Ioan. 1. v. 15. 18. & 5. v. 16.* scientia Iesu Christi, *Phil. 3. vers 8.* scientia salutis, *Luc. 1 v. 77.* scientia veritatis, *2. Tim. 3. v. 7.* scientia falso nominata, *1. Tim. 6. v. 20.*

Scientiarum Dominus est Deus, *1 Sam. 2. v. 3.*

PATRVM SENTENTIÆ.

Non omnis qui ignorat, immunis est a pœna. Ille enim ignorans potest excusari a pœna, qui, quod disceret, non inuenit. Illis autem hoc ignosci non poterit, qui, habentes a quo discerent, operam non dederunt, *August. lib. q. & habet distin. 37. can. Non omnis.*

Hæc tota scientia magna hominis, scire, quia ipse nihil est per se & quoniam quicquid est, ex Deo est, & propter Deum est. *Idem super psal. 70.*

Qui se dicit scire quod nescit, temerarius est: qui se negat scire quod scit, ingratus est, *Idem in ser. de Ascensione.*

Animæ

Animæ non imputatur ad reatum, quod naturaliter ſcire non poteſt, ſed quod ſcire non ſtuduit, & quod dignam facultati comparandæ, ad recta facienda operam non dedit. Loqui enim non poſſe, & ſcire non poſſe, infanti naturale eſt, quia ignorantia illo modo inculpabilis eſt, ſed & humanis affectibus blanda atque grata. Non enim vllo vitio illam facultatem comparare neglexit, aut vitio quam comparauerat, amiſit. *Idem lib. 3. de liber. arbitr.*

Vera ſcientia afficit, non extollit: nec ſuperbientes, quos impleuerit, ſed lamentantes facit, qua quiſque cum repletus fuerit, priori loco ſe ſcire appetit, & iam ſui conſcius tanto per illam robuſtius ſapit, quanto ſe infirmum, in illa verius recognoſcit. *Greg. lib. 23. Moral.*

Magna virtus boni eſt cognoſcere malos, & firma tutela ſalutis ſcire quod fugias. *Ioan. Chryſ. de Cognoſcibilibus ab homine.*

Præcedit enim ſcientia virtutis cultum. Quia nemo poteſt fideliter appetere quod ignorat, & malum niſi cognitum ſit, non timetur. *Idem in Politica lib. 3.*

Ad maioris culpæ tumultum pertinet, ſcire quenquam quid ſequi debeat, & ſequi nolle quod ſciat, *Iſid. lib. 2. de ſummo bono.*

Plerique accepta ſcientia literarum, non ad Dei gloriam, ſed ad ſuam laudem vtuntur, dum de ipſa extolluntur, & ibi peccat vbi peccata emendare debuerunt. *Idem lib. 3. de ſummo bon.*

Sunt qui ſcire volunt eo fine tantum vt ſciant, & turpis curioſitas eſt. Et ſunt qui ſcire volunt, vt ſcientiam ſuam vendant, verbi gratia, pro pecunia, pro honoribus: & turpis quæſtus eſt. Et ſunt qui ſcire volunt vt ſciantur ipſi, & turpis vanitas eſt. Et ſunt qui ſcire volunt vt ardentius ædificent, & charitas eſt. Et ſunt qui ſcire volunt vt ædificentur, & prudentia eſt. *Bernard. ſuper Cant. ſerm. 6.*

Vides quod non probat multum ſcientes, ſi modum ſciendi neſcierunt? Vides quomodo fructum & vtilitatem ſcientiæ in modo ſciendi conſtituit? Quid ergo dicit modum ſciendi, niſi vt ſcias? quo ordine, quo ſtudio, quo fine vnumquodque ſcire oporteat? Quo ordine? vt illud prius, quod maturius mouet ad ſalutem. Quo ſtudio? vt illud ardentius, quod vehementius ad amorem. Quo fine? vt non ad inanem gloriam & oſtentationem, ſed ad tuam & aliorum ſalutem. *Idem ſuper Cant. ſer. 36. exponens illud 1. ad Cor. 8. Si quis exiſtimat ſe ſcire.*

Scientia parit cognitionem amoris, amor frequentiam, frequentia familiaritatem, familiaritas fiduciam, fiducia facilem imperatorem. *Idem lib. Meditationum.*

Quia quæſiuiſti a me in Chriſto, mihi chariſſime Ioan. qualiter te ſtudere oporteat in theſauro ſcientiæ acquirendæ. Tale a me tibi ſuper hoc traditur conſilium, vt per riuulos non ſtatim in mare eligas introire, quia per faciliora ad difficiliora oportet deuenire. Hæc eſt ergo monitio mea, & inſtructio tua. Tardiloquum te eſſe iubeo, & tarde ad locutorium accedentem. Conſcientiæ puritatem amplectere. Orationi vacare non deſinas. Cellam frequenter diligas, ſi vis in cellam vinariam introduci. Omnibuſque te familiarem exhibe. Nihilque te penitus de factis aliorum intromittas. Nemini te multum familiarem oſtendas: Quia nimia familiaritas parit contemptum, & ſubtractionis ſubito materiam ſubminiſtrat. De verbis & factis ſæcularium nullatenus te intromittas. Diſcurſus ſuper omnia fugias. Sanctorum & bonorum veſtigia imitari non deſinas. Non reſpicias a quo audias, ſed quicquid boni dicatur memoriæ recommenda. Et quæ legis & audis, fac vt intelligas: De dubiis te certifices, & quicquid poteris, in armariolo mentis reponere ſatage ſicut cupiens vas implere. Altiora te ne quæſieris. Ita ſequens veſtigia, frondes & fructus in vinea Domini Sebaoth vtiles, quandiu vitam habueris proferes ac produces. Hæc ſi ſectatus fueris, ad id attingere poteris quod affectas. *S. Thom. de Aquino in epiſt. de modo acquirendi ſcientiam.*

Via ad Deum eſt ſcientia, quæ ad inſtitutionem recte & honeſte viuendi pertinet. Et diſciplinæ bonitas & beatitudo. Per ſcientiam itur ad diſciplinam, per diſciplinam itur ad bonitatem, per bonitatem ad beatitudinem, *Hugo de inſtructione nouitiorum.*

Si quis familiariter ſcientiam amare didicerit, & ei ſæpius vacare voluerit, iucundam valde reddit vitam, & maximam in tribulatione præſtat conſolationem. *Idem in Didaſcal. lib. 3.*

Quis enim ſcire contentus eſt, non expetens aliquem fructum ſcientiæ. *Lactan. Firmian. diuinar. inſtitut. lib. 3.*

Scientia eſt Deum noſcere: virtus colere, in illo ſapientia, in hoc iuſtitia continetur, *Idem lib. 6. c. 5.*

POETARVM DICTA.

Antholog. fac. Iac. Bill.
In quo vera ſcientia ſita ſit.

Pythagoras olim quid ſenſerit, aut quid acutus
Chryſippus, vel quid Priſcus Anaxagoras:
Scire etiam quid Protagoras, Zenoque Platoque,
Tradiderint, & quid magnus Ariſtoteles:
Scire etiam, quinam fuerint Bacchique Ioueſque,
Inſcitum ſcire hoc, & ſine fruge, voco.
Longe alia eſt multo & melior doctrina piorum:
Nam lacrimas imo pectore gignit eis.

Ibid.

Scit legem, doctoque tenet iuſſa omnipotentis,
Qui quod nouit agens, diligit id quod agit.
Non ſatis eſt Domini præceptum voluere lingua,
Bis meminit Legis, qui memor eſt operis.

PHILOSOPHICÆ SENTENTIÆ.

Sublata cognitione & ſcientia, tollitur omnis ratio, & vitæ degendæ & rerum gerendarum. *Cic lib. 1. de Finib. bonor. & malor.*

Scientia eſt in anima ſicut accidens in ſubiecto.

Multa ſunt ſcibilia, quorum non eſt ſcientia.

Scibile eſt prius quam ſcientia, & ſenſibile quam ſenſus.

Scientia eſt de numero permanentium & diſcibile mobilium.

Si quis mediocriter ſciuit ſcientiam, niſi grandis fiat permutatio ab ægritudine, vel aliquo huiuſmodi, non recedit.

Quod ſcientia feſtinata non creſcit, mediocriter autem ſumpta augmentatur & creſcit. *Boet.*

Quam magnos fructus affert ſcientia diuidendi ſtudioſis hominibus.

Scientia diuidendi reddit dociles auditores. *Idem libro Diuiſionum.*

Scientia eſt habitus demonſtratiuus, cum enim aſſentitur quiſque quodam certo genere, habetque penitus cognita principia: tum ſcire ac tenere rem dicitur. *lib. 6. Ethic. c. 3.*

Scientia quid ſit hinc perſpicuum eſt, ſi accurate diſputare, non cōſectari ſimilitudines placet, quod omnes exiſtimamus, quæ ſcimus, ſecus euenire non poſſe. *ibid.*

Quod ſub ſcientiam cadit, id omne neceſſarium eſt: ideoque æternum. *ibid.*

Scientia doceri videtur poſſe: & quicquid ſub ſcientiam cadit doceri. *ibid.*

Scientia in iis eſt quæ permanent, diuturnaque ſunt: etiamſi ſcientia aliquis ſit mediocriter inſtructus: niſi vi morbi aut alicuius eiuſdem generis permagna inciderit mutatio. *In Categorys, c. 8. de Qualitate.*

Scientia & artes eæ demum certiſſimæ ſunt: quæ in primis maxime verſantur. Quandoquidem quæ & paucioribus dicuntur: iis ſunt, quæ ex additione, certiores: vt Arithmetica, quam Geometria. Ea etiam quæ cauſas conſiderat, ad docendum eſt aptior: præſertim cum ij doceant qui cauſam cuiuſque rei afferunt. *lib. 2. t. maiore, Metaph. c. 2.*

Qui ſcientiam per ſe ſuaque cauſa ſequitur: is eam artem quæ hoc nomine digniſſima eſt, maxime expetit: cuiuſmodi eſt ea quæ in eo quod maxime ſub ſcientiam cadit, cernitur. *ibid.*

Eorum quæ caſu aut forte fortuna fiunt: nulla poteſt eſſe: quæ ex euidenti probatione oritur, ſcientia. *lib. 1. de Demonſtrat. cap. 24. T. 43.*

Vna ſcientia eſt, quæ in vno quodam genere verſatur, earum rerum quæ ex iiſdem primis initiis conſtare cernuntur: quorum initiorum aut partes, aut affectiones ſunt illa, quæ per ſe conuenire illi generi conſpiciuntur. Diuerſæ autem ſunt: quorum principia nec eadem ſunt, nec alia ſub aliis continentur. *lib. 1. de Demonſtrat. c. 23. T. 42.*

Omnino quod vnius ſcientiæ eſt, conuenire alteri non poteſt: niſi forte cum vna erit ad alteram affecta, vt in vna altera contineatur: quomodo ad Geometriam Optica, & ad Arithmeticam Muſica affecta eſt. *lib. 1 de Demonſtr. c. 7. T. 20.*

Ego ſcientiam appello, perceptionem illarum propoſitionum, quæ nullo medio confirmari poſſunt. *lib. 1. Demonſt. c. 26. T. 44.*

Omnes homines natura trahuntur & ducuntur, ad ſcientiæ cognitioniſque cupiditatem, *Metaph. lib. 1. maiore, c. 1.*

Omnis ars & ſcientia principia quædam & cauſas in quoque corū, quæ ei propoſita ſunt, quærit, *lib. 10. Metaphyſ. c. 6.*

In rebus præclaris, quæque in honore & pretio habentur, ſcientiā numeramus: & aliam alia maiorem ac præſtantiorem exiſtimamus: vel quod certior ſit: vel quod in rebus & præſtantioribus, & maiorem admirationem excitantibus verſetur. *lib. 1. de Anima, c. 1. T. 1.*

Illa eſt accuratior & prior ſcientia: quia ſimul & quod res ſit, & cur ſit, non autem quod ſit, tātum percipitur: quam ſi qua ſit, qua rei tantum cauſſa cognoſcatur. *lib. 1. de Demonſtr. c. 23. T. 42.*

Illa ſemper eſt certior ſcientia, quæ in eo ſubiecto verſatur, quod eſt omnino a ſenſuum iudicio diſiunctum: quam quæ in re verſatur ad ſenſum maxime accommodata. *ibid.*

Accuratior eſt ſcientia, quæ ſimplicioribus elementis conſtat, ea cuius elementa non niſi ex aliqua adiectione intelliguntur: qua ratione Geometriæ præſtat Arithmetica. *ibid.*

Perſpicuum eſt tria eſſe genera ſcientiarum, quę rem animo cernūt Phyſica, Mathematica & Theologia *lib. 10. Metaph. c. 6.*

Scire cur res ſit: nihil eſt, quam primam cuiuſque cauſſam noſſe *lib. 1 de Demonſtr. c. 10 T. 30.*

Scientiam & intelligentiam in arte potius in eſſe, quam in vſu & ex pe-

perienta censemus: sapientioresque eos qui arte prædici sunt ijs qui vsu artis valent, iudicamus: quod sapientia pro scientia & cognitione magis omnes sequatur. Id autem propterea fit, quod hi causas rerum cognitione habent, illi non item. *Maior libr. a. Metaph. c. 1.*

Quoniam id quod certo scimus, non potest se aliter habere, illud profecto sequitur, rem esse necessariam, quæ sub scientiam cadit demonstratiuam. Atqui scientia demonstratiua est, quantum habemus, cum mente percipimus alicuius rei demonstrationem. *lib. 1. de demonstr. c. 4. T. 7.*

Semper in ijs quæ priora & antiquiora sunt, ars & scientia versatur. *lib. u 2. Metaph. c. 2.*

Vnius rei hoc ipso quod vna sit, vna est scientia. *lib. 2. de demonstr. c. 3. T. 2.*

Scire tribus modis dicitur, nempe aut cognitione vniuersali: aut particulari: aut actu & operatione: quare totidem modis intelligitur hallucinari. *lib. 2. de prima Resolut. c. 21.*

Omne quod sub scientiam cadit, non potest aliter se habere: *lib. 1. de demonstr. c. 6. T. 15.*

Scire quamobrem res est, nihil est quam rei causam nosse. *lib. 1. de demonstr. c. 7. T. 19.*

Hoc inter sensum & scientiam interest: quod si scientia, amissa sit, rursum comparari potest: sensus semel erutus, & amissus, non potest recipi. *lib. 1. Top. c. 11.*

Qui scientia præditus est, is maxime in iis est, quæ cum aliquo conseruotur. Quod hinc scire licet, quia scientia nō oritur in nobis, cum alicuius partia motus antecessit: sed alicuius anticipatione. Experientia enim, quæ in parte versatur, vniuersæ rei scientiam adipiscimur. *lib. 7. de Natur. c. 3. T. 20.*

Quieuisse & institisse intelligentiam, id demum scire ac sapere dicimus. *ibid.*

Scientia quæ ex habitu actionem eduxit, omnino idē quod res quæ ei proposita est, valet: ea vero quæ in habitu solum posita est, ordine quodam temporis in vno homine illa antiquior est: omnino vero ne temporis quidem ordine *lib. 3. de Anim. c. 5. T. 20.*

Hoc est per se, & non per accidens scire; quando aliquid eo modo alteri conuenire intelligimus, quo illi conuenit: idque per principia, quæ sunt illi, quia illud ipsum est, Propria *lib. 5. de demonstr. c. 7. T. 23.*

Sunt tria illa natura in omnia scientia necessaria: res de qua aliquid concluditur: illud ipsum quod inesse alteri ostēditur: & ipsa principia ex quibus elicitur conclusio *lib. 1. de demonstr. cap. 8. T. 25.*

Nos id sæpe ad rem sciendam satis esse existimamus: si modo ex veris ac primis quibusdam sumptionibus constet ratiocinatio: cum tamen multo secus res habeat. Necesse est enim vt illa præterea cum iis, quæ in eo genere prima sunt, naturæ quadam coniunctione sint consociata. *lib. 2. de demonstr. c. 8. T. 14.*

In scientia non spectatur, quid rectum, cum ne peccatum quidem: & opinionis quod rectum est, appellatur veritas. *Ethic. lib. 6. cap. 9.*

Nec per sensum quidē vlla oritur scientia. *lib. 1. de demonstr. c. 24. T. 43*

Scientiam rerum mensuram dicimus, & sensum pari ratione quod ex iis aliquid cognoscimus. Quanquam mensura eorum alia sunt potius, quam ipsa aliorum. *lib. 1. 9. Metaph. c 3. T. 5.*

Omnis ars & scientia, quæ rationis & mentis est, vel rationis aliqua ex parte est particeps: in principiis ac causis, vel certionibus, vel minus talibus versatur. *lib. 1. 5. Metaph c. 1. T. 1.*

Vsu atque exercitatione hominibus ars & scientia comparatur. *lib. a. 1 maior. Metaph c 1.*

Sunt scientiæ propemodum infinitæ: Vnde etiam planum est, demōstrationes infinitas esse quæ eædem veræ sunt reprehensiones. *lib. 1. de repreh. Soph. c. 8.*

Scientia & ars quæ in rerum contemplatione cernitur, & id quod ei propositum est, eadem sunt. *lib 3. de animo, c. 4. T. 15.*

Nosse quidem quod res sit, est eorum qui eas artes exercent, quæ sensuum iudicio continentur: cur autem ipsa res sit intelligere, eorum est qui scientia & doctrina sunt perpoliti. Hi enim sunt qui perspectas habent singularum rerum ex suis causis demonstrationes, ac sæpe numero, quod res sit, ignorant. *lib. 1. de demonstr. c. 10. T. 30.*

Scientia & res quæ sub scientiam cadit, differt ab opinione & re opinabili, quod in rebus vniuersis iisque necessariis cernitur scientia: necessaria autem hic dicuntur, quæ se aliter habere non possunt. *lib. 1 de demonstr c. 27. T. 44.*

Earum rerum, quæ sub scientiam cadunt, vniuersa cognitio, est præstantior omni sensuum perceptione: imo vero & omni alia perceptione animi, si modo earum rerum sit, quæ causam aliquam habent. Nam de principiorum cognitione alia ratio est. *lib. 1. de demonstr. c. 24. T. 43.*

Cognitione vniuersali particularia cognoscimus: propria ac peculiaria nescimus. Quo fit ut in ijs hallucinemur, non tamen opinione contraria: sed dum cognitionem vniuersalem habemus, decipimur particulari. *lib. 2. de prima Resolu. c. 21.*

Cum omnium artium & scientiarum finis, & extremum in bonis est: tum vel maxime, atque in maximis bonis est finis eius quæ omnium tenet principatum, cuiusmodi est ciuilis scientia, *Lib. 3 de Repu. c. 8.*

SIMILITVDINES.

Philonis Iudæi. quemadmodum canes venatici a longinquo ad feras perueniunt odorem sequentes, cuius eximio sensu a natura sunt præditæ: eodem modo a iustitia, cæterisq; virtutibus exhalantes suaues auras amator scientiæ vestigat, cupiens originem tantæ voluptatis assequi, huc illuc cursitans. & vel ipso honestatis odore, tanquam sacro nidore se recreans, *Lib. de somnys.*

Sicut fontes salientes si multum aquæ auferatur, non tantum non diminuuntur, sed dulciores etiam multo redduntur. Ita scientia non decrescit, docendi officio, sed magis etiam magisque fit dulcior: nonnunquam etiam augetur, si in discipulos & familiares transfertur. *Lib. de somnys & lib. de gigantibus.*

Quemadmodum fax etiam si lucernas multas accenderit, semper manet eiusdem magnitudinis, & nequaquam ne tantillo quidem diminuitur. Sic etiam scientia in homine nequaquam diminuitur, licet docendi ratione in multos transfundatur. *Lib. de gigantibus.*

Ambrosii, sicut vinum non temperatum admixtione aquæ, mentem alienat: Ita & scientia superbum facit, nisi fuerit charitate tēperata. *Super epist. Pauli.*

Pij Pontificis, non vt pecuniæ, sic & scientiæ conseruatrix est auaritia: sed qui literas suas magis abscondit, is eas magis annihilat, *Lib. Epistolar. epist. 92.*

Eruditio amplissima est supellex, & hæreditas principatu melior: opes & potentatus & huius honores sæculi, bona fortunæ sunt fluxa, mutabilia, caduca, quæ vt fortuna vult, huc atque illuc ferantur. Illa enim mortale genus quasi in ludo habet, & hunc deprimit hominem, illum extollit. Nec enim magnum ex figulo regē, & rursus ex rege figulum facere. At animi bona, quæ sunt, Continentia, Castitas, Fortitudo, Iustitia, Moderatio, Intellectus, Ingenium, Memoria, &c. stabili quodam nexu adhærent homini, nec auferri a nobis nisi cum vita possunt: hæc vere nostra sunt bona, hæc dum luce inter mortales fruimur, vitam præstant suauiorem, postquam migramus ex hoc sæculo, spem dant felicitatis æternæ *Epist. lib. epist. 105.*

Sunt scientia sicut & lumina, qui de suo lumine lumen accendit, sese sibi retinet lucem, & accipienti tenebras aufert. *Epistolar. lib. epist. 120.*

Plutarchi. Vt agricolæ lubentius vident spicas inclinatas, quam erectas in altum: nam illas onustas fructu intelligunt, has inanes: Sic adolescentes priusquam profecerunt in philosophia, tument: vbi doctrinæ fructum perceperint, submittunt sese. *In Moral.*

Seneca. quærimus nonnunquam eos, quibuscum stamus: Ita quidam quod sciunt, se scire nesciunt. *Apud P. M.*

Vide, Ars, Disciplina. Philosophia.

SCORTVM, SCORTATIO.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

SCortum, Græce πόρνη [illegible] & πορνεύω. scortor dicitur. Est autē scortum meretrix, vel quod sicut pellicula subigatur, cum solum calceamentorum omnibus subiectum sit, vel quod in grabatulis pelles stratas tenere cōsueuissent. Hinc scortor. meretricor: & scorteum, quicquid expelle est. Heb. *Zonah.* vide Meretrix.

LOCI BIBLICI.

Scortatio damnatur, *Exod.* 20. 14. *Deut.* 23. *v.* 17. 18. *Prou.* 5. *v.* 5. *&* 6. *v.* 24. 2. *&* 7. 5 *&* 9. *v.* 13. 19. *&* 31. 3. *Matth.* 5. *v.* 27. 28. *Act.* 15. 20. *Rom.* 1. *v.* 28. 29 *&* 13. 13 1. *Cor.* 6. *v.* 15. 16. 18. *&* 10. 8. 2. *Cor.* 12. 21. *Gal.* 5. 19. *Ephes.* 5. 3 *Coloss* 3 5. 1. *Thess* 4. *v.* 3. 4 5. *Heb.* 13. 4. *Iac.* 2 11. *Apoc.* 2. 14. non solum in opere externo, sed & in affectu, *Exo* 10. 17. *Matth.* 5. 28. scortatio pro adulterio, *v.* 32.

Scortationis variæ species, *Matth.* 5. 28. scortationis mala: *Primo*, iram Dei prouocat. *Deut.* 22. 21. *Prou.* 23. 27 *Eccl* 19 3. *Ier.* 5. 7. *Oseæ* 4. 14. 1. *Cor.* 6. *v.* 9 15. *Coloss* 3. 5. *Hebr.* 13. 4. *Secundo*, corpus enervat & facultates absumit. *Iob* 31. 12. *Prouerb.* 23 27. *&* 29. 3. *&* 32. 3. *Eccl.* 9. 6. *Tertio*, infamiam adfert, *Eccl.* 9. 10. *&* 41. 21. scortationis etiam occasiones vitandæ, *Eccl.* 9 *v.* 4. 12. *&* 42. 12 scortationis pœna. *Deut.* 22. 21. *Ier.* 29. 23. *Ezech.* 22. 11. 1. *Cor.* 5. 9 *&* 6. *v.* 9, 10. *&* 10. 8. *Eph.* 5. *Apoc.* 21. 8.

SENTENTIAE POETICAE.

Faustus.

Non scortum est aliud nisi blanda & subdola Siren,
Quæ trahit humanum sub vada cæca genus.

APOPHTHEGMATA.

Antisthenes Atheniensis cum his mulieribus consuetudinem habendam dixit, quæ beneficium beneficio pensent, & quæ gratiam habituræ sint. Sentiens, abstinendum a meretricibus, quæ pretio & pecuniis vendunt inhonestam voluptatem, nec pariunt nec amant mutuum: aut a valetudinariis, deformibus & male moratis, quæ gignunt fœtus pœnitendos. *Eius dicterium extat apud Laert. lib. 6. c. 1.*

Diogenes scorta dicebat esse regum reginas, quod ab his quicquid collibuisset peterent & impetrarent. Nam ideo regum reginas appellabat, non quod essent pares vxoribus: sed quod in ipsos reges regnum exercerent. Reges a populo non semper obtinent quod exigunt, at scorto nihil negatur. *Laert. l. 6.*

Idem, formosa scorta similia dicebat mulso lethalibus venenis temperato, quod adferrent quidem initio voluptatem, sed quam perpetuus dolor consequeretur. *ibid.*

Idem conspiciens quendam meretrici supplicē, vt impetraret quod petebat: Quid, inquit, tibi vis miser? præstat non impetrare quod rogas. A scorto reiici præstat, quam admitti. Et tamen plerique animi & corporis iacturam ambiunt instanter, & magno emunt. *ibid.*

Idem, irridebat eos, qui cellas promptuarias obserant vectibus, seris & signaculis: corpus autem suum multis fenestris & ianuis aperiunt, per os, pudenda, aures & oculos. *Stob. serm. de intemperantia.*

Socrates, nec ignem vestimento occulere possibile esse dicebat, nec scortationem fœdum peccatum tempore. *Eod ser.*

Musonius, extremæ dicebat esse impudentiæ in subeundis vel instituendis laboribus meminisse imbecillitatis corporum. erga voluptates autem (id est, crapulam & scortationem) obliuisci, *Ibidem.*

Crates visa aurea imagine Phrynes scorti Delphis erecta, exclamauit, Ex Græcorum incontinentia trophæum. *Plut.*

Plutarch. scortationem detestatus, apposite dicebat, scortationem veluti alloquens: An coram omnibus scortaris? Imo tu teipsum etiam reueritus fugis, nocti solum & tenebris sine testibus contumeliam & libidinem committens, nemo quippe honestis actionibus caliginem obtendit, lucem earum testem reformidans. Immo totum mundum solem esse optaret, erga ea quæ præclare agit. Vnumquodvis autem crimen nudum conspici cauet: pertexes affectus. Iis ergo amputatis, nudas intueamur voluptates. Sunt ebriæ ad stuporem, scortantur perpetuo, dormiunt ad negotia, ciuitates negligunt, non curam gerunt parentum, non verentur leges. *Ex lib. contra voluptatem, apud Stob. ser. 6.*

Demosthenes. Fertur, aliquando Corinthum nauigasse Demosthenē, illectum fama nobilissimi scorti Laidis, vt & ipse famoso amore potiretur. At quum illa pro nocte stipularetur drachmarum decem millia, deterritus magnitudine pretij mutauit sententiam, dicens: *οὐκ ἀγοράζω τοσούτου τὸ μεταμελῆσαι*, Non emo tanti pœnitere: significans, inhonestæ voluptati paratam esse comitem pœnitentiam. *P. M. lib. 4 apoph.*

Demetrij legati. quum legatis a Demetrio ad Lysimachum missis Lysimachus per otium narraret aliquando, quomodo coactus ab Alexandro cum ferocissimo leone colluctatus fuisset, & cicatrices ostenderet in cruribus ac brachiis è feræ vnguibus relictas, legati dixerunt: Et noster rex graues feras: Lamiæ morsus in collo gestat. Notantes suauiorum amatoriorum vestigia, simul alludētes ad Lamiam belluam. *Plut.*

EXEMPLA BIBLICA.

Scortationis punitæ *exempla*: Sodomitæ, *Gen.* 19. 24. Sichimitæ, 34. *v.* 25. Israelitæ, *Num.* 25. *v.* 1. *&c.* Israelita quidam, *versic.* 6. Beniamitæ, *Iudic.* 20. *v.* 44. filii Heli, Ophni & Phinees, 1. *Sam.* 2. *v.* 22. 25. *&* 4. *v.* 17. Israelitæ, *Ier.* 5. *v.* 7.

Vide, Adulterium, Fornicatio, Libido, Voluptas.

SCRIBA, SCRIPTIO.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Scriba, *γραμματεύς*. Hebr. *Chotheb, Sopher, a Sepher* literæ scriba literarum, qui characteres & rerum nomina, partesque alias orationis, quæ literis includuntur, scripto consignat.

LOCI BIBLICI.

Scriba quidam Christum sequi instituit, *Matth.* 8. 19. Scriba tumultum sedat, *Actor.* 19. 35. Scribæ nomen publici muneris, Pharisæi autem sectæ nomen est, vt apparet ex *Act.* 23. 9. Scriba, in genere pro Doctore, *Matth.* 13. 52. comparatur prudenti patrifamilias, *ibi* Scribæ aduersus Christum murmurant, *Luc.* 5. 30. *&* 15. 2. & discipulos, *Matth.* 15. 2, *Marc.* 7. *versic.* 1. 2. signum petunt, *Matth.* 12. 38.

Scribarum genera tria reperiuntur in scriptura sacra. *Vnum* eorum, qui regibus apparebant quodcunque tandem eorum munus fuerit, 2. *Sam.* 8. 17. *&* 9. 3. *&* 20. 25. 2. *Regum.* 12. 10. *&* 22. 3. *Alterum* eorum, qui priuatorum contractus & instrumenta videntur descripsisse, quos notarios vocamus, cui rei operam solitos fuisse nauare Cinæos, nullam alioquin hæreditatem cum tribubus sortitos, liquere potest ex 1. *Paral.* 2. *versic.* 55. Eiusmodi etiam contractuum quis fuerit mos, colligi potest ex *Ierem.* 32. 11. quo videtur allusisse Propheta, *Psal.* 45. 2. *Tertio*, denique scribæ dicti sunt, iuris diuini periti, inter cæteros, (quo nomine laudatur Esdras, 1. *Esdr.* 7. *&* 11.) quorum munus fuit, tum in synagogis, tum in templo legem docere, qua de causa *νομικοὶ* appellati sunt, vt constare potest ex *Matth.* 7. *&* 29. *&* 17. 10. *&* 23. 13. *Marc.* 13. 28. *Luc.* 7. 30. *&* 11. 46. 1. *Corinthior.* 1. 20. Ex horum præterea numero selecti erant nonnulli, qui scribæ populi vocabantur, quorum fit mētio, *Matth.* 2. 4, Scribas ex eo sic dictos fuisse, quod legi scribendæ & interpretandæ vacarent, quasi sacrarum tabularum custodes, constare potest ex *Jer.* 8. *v.* 8. Scribarum mores notantur. *Matth.* 23, 34. *Marc.* 12. *v.* 38. 39. 40.

Scribit Deus legem ac mandata, *Exod.* 24. 12. scribatur verbum Dei in ostiis. *Deut.* 6. 9. *&* 11. 20.

Scriptores profani, quatenus vtiles, *Act.* 17. 28. citantur, 1. *Cor.* 15. 33. *Tit.* 1. 12.

POETICÆ SENTENTIÆ.

Ouid. 4. Trist. 1.

Innumeri montes inter me, teque, viaque,
Fluminaque, & campi, nec freta pauca iacent.
Mille potest causis a te quæ littera sæpe
Missa sit, in nostras rara venire manus.
Mille tamen causas scribendo vince frequenter,
Excusem ne te semper amice mihi.

Claud. epist. ad Olybrium.

Quid rear affatus quod non mihi dirigis vllos?
Nec redit alterno pollice ducta salus?
Scribendine labor? sed qua tam prona facultas,
Carmina seu fundis, seu Ciceronis tonas?
Cedere diuitijs animi fortuna fatetur.
Et tantas oris copia vincit opes.
An rarus, qui scripta ferat? quum tempore nullo
Cessant Flaminiæ puluerulenta via.
Cum faciles ingenium, cum sit qui dicta reportet,
Quæ nisi contemnor, causa relicta tibi?

Idem in Probinum.

Quem precor inter nos habitura silentia finem?
Quando dabit gratas litteras nostra vices;
Me timidum, vel te potius dixisse superbum
Conuenit: alterius crimen vtrumque tenet,
Transfluxere dies & dum scripsisse priorem
Pœnitet, æternas sunt in vsque moras.
Sed quid agam tempsisse vetat reuerentia vestris
Hinc amor hortatur scribere, vincat amor.

Ouid. 5. Trist. 14.

Vtque solebamus consumere longa loquendo
Tempora, sermoni deficiente die:
Sic ferat ac referat tacitas nunc litera voces,
Et peragant linguæ charta, manusque vices.
Quod tibi nē nimium videar diffidere, sitque
Versibus hoc paucis admonuisse satis:
Accipe, quo semper finitur epistola verbo,
Atque meis distent vt tua fata, vale.

Ouid. 1. Remed.

Scripta cauæ relegas blandæ seruata puellæ,
Constantes animos scripta relecta mouent.
Omnia pone feros, quamuis inuitus, in ignes,
Et dic, ardoris sit rogus iste mei.

Hor. 1. serm. 10.

Sæpe stylum vertas, iterum, quæ digna legi sint,
Scripturus: neque te vt miretur turba, labores,
Contentus paucis lectoribus.

Idem Art.

Si quid tamen olim
Scripseris, in Meci descendat iudicis aureis,
Et patris, & nostras: nonumque prematur in annum,
Membranis intus positis delere licebit,
Quod non ediderís.

Hor. Art.

Sumite materiam vestris qui scribitis æquam
Viribus, & versate diu, quid ferre recusent,
Quid valeant humeri, cui lecta potenter erit res,
Nec facundia deseret hunc, nec lucidus ordo.

Propert. 3. 7.

Quid me scribendi tam vastum mittis in æquor?
Non sunt apta meæ grandia vela rati
Turpe est quod nequeas capiti committere pondus
Et pressa infirmo mox dare terga genu.

Omnia non pariter rerum sunt omnibus apta,
Fama nec ex aequo ducitur vlla loco.

SENTENTIAE PHILOSOPHICAE.

Videtur quicquid literis mandatur, id commendari omnium erudi torum lectione decere. *Cic. 2. Tusc.*

Lectionem sine delectatione negligo. Mandare quenquam literis cogitationes suas, qui eas nec disponere nec illustrare possit, nec delectatione aliqua allicere lectorem, hominis est intemperanter abutentis & otio & literis. *Idem 1. Tusc.*

Quoniam vt libet non possum scribere, vt possum non libet. *Theocritus.*

Libri, muti magistri sunt. *Gel. lib. 14.*

Historias scribere magno vsui est. *Sallust.*

Historias scribenti mentiri turpe. *Cic. in Sall.*

Nullus liber tam malus est, qui non aliqua parte prosit.

Quatenus nobis denegatur diu viuere: relinquamus aliquid quo nos vixisse testemur.

Amicis scribendum subinde. *Plin. Iun. lib. 2. epist.*

De scriptorum fama DIAL. XLIV.

Francisc. Petrarch.

GAV.

Quid quod ipse libros scribo? R. Morbus publicus, contagiosus, insanabilis. Omnes sibi vsurpant scribendi officium quod paucorum est. Vnus hoc correptus malo, multos inficit: aemulatio enim pronum, imitari arduum, vnde in dies crescit aegrotantium numerus, singulque vis aegritudinis ingrauescit, quotidie, lures, quotidie peius scribunt, quoniam facilius quam assequi scitatur rego. compertum, & cum tempore clarius est illud sapientis Hebraeorum faciendi plures libros nullum est finis. G. Scribo. R. Sus vtinam se finibus tenerent homines, rerumque ordo constaret, qui mortalium temeritate confunditur, scriberent qui sciunt, & qui possunt, alij legerent vel audirent, ita ne parua enim animi voluptas intelligere est, nisi manus ad calamum praesumptuosa se. Atiner, & quisquis libri particulam intellexit, seu intellexisse visus est, sibi illico libros scribere videatur idoneus, haereret vtina memoriae vnum Ciceronis nostri dictum in Tusculani sui vestibulo, ne quem lateat claro scilicet ac patenti loco positum: fieri enim, inquit, potest, vt recte quis sentiat, & id quod sentit eloqui polite non possit, & sequitur: Sed mandare quemquam cogitationes suas literis, qui eas nec disponere nec illustrare possit, nec delectatione aliqua allicere lectorem, hominis est intemperanter abutentis & otio & literis. Sunt quidem Ciceroniana illa verissima, sed ea iam vsque adeo vulgaris abusio est, vt nemo non sibi vni dictum putet, quod illi olim sacratissimo exul, qui non de arce scentious riuulis, sed de ipso veri fonte potauerat, quae scribebat, dictum est & saepius repetitum, scribet, cui praecepto contempto res praeceptorum omnium oes obe. Inuit. oes scribunt, quod sin his qui a nemos scribunt libros magni dixim s esse periculi, quam ti putas in his qui proprios recenses, quib. dubias atque damnatas mundo inuehunt disciplinas? Seu quod in his malum est lenissimum stylo obtundunt incondito & agresti, sic vt cui desit ingenij iactura ldem temporis laborq; auriuni taedium; nō necet. Hic vestrarum hodie non alius fructus inuentionum, aut inficere, aut afficere, reficere autem aut nunquā aut perraro. Omnes tamen assidue libros scribunt, nec vlli erat tanta vel scribendi, vel differentium copia, tāta scientium atq; eloquentium fuit inopia. Horum de libris accidit, quod ibidem Cicero idem ait. Itaq; suos libros, inquit, ipsi legunt cum suis: nec quisquam attingit preter eos, qui eandem scribendi licentiam sibi permitti voluut, qd quidem Ciceronis, &c. Quis Ciceronis libros, aut Varronis enumeret? Quis Titi Liuij, aut Plinij opera metiatur? Graecorum vnus sex millia librorum edidisse traditur. O ardentem spiritum, si vera res est. O longum ocium ac tranquillum. Certe si vnum duosue aut omnino paucos libros bene scribere multi negotij est laboris, tot vnum millia scripsisse non tam facile est credere, quam mirari. Summi tamen attestantur authores, quibus nuq credere durum sit, quique hunc numerum non audita fit, nec visu solo, sed eorum librorum lectione compertum dicant, quos si vnum oēs legere potuisse mirabile, quanto mirabilius est scripsisse? Longum it est enumerare qui viri apud nos, qui vero apud Graecos, & quae scripserint, quorum nullus ad plenum studiorum fortunatus fuit. Sed horum atque aliorum antem magna pars, quorundā omnia periere. Tu da tuis quid praesagias videto. G. Scribo, & ea mihi inter im voluptas vnica. R. Si vt ingenium exerceas, scribendo quae aliis te doceas, si vt oblimiscaris temporum, praeteritique memoria praesens taedium effugias excuso, si vt scribendi morbo qui dem occulto & insanabili medeare, misereor. Sunt namque (si nescis) qui non scribunt nisi quia nequeunt desinere, & velut ex pre cipiti decurrentes volentesq; subsistere rapiuntur. G. Scribendi impetus ingens est. R. Melancholiae species infinitas ferunt, alij lapides iactant, alii libros scribunt, huic scribere furoris initium est, huic exitus. G. Scripsi multa & scribo. R. Si poster is prosuturus, nihil fatius, si tibi audiuni nomen quaesimus, nihil vanius. G. Multa scripsi, R. O praeclaram insaniam, & miramur si membranae solito chariores sunt. G. Scribo, & hinc famam spero. R. Dixi iam, melius forsitan arares aut foderes, messem sperans. Humi, n. satius, quam in vento seritur. Atqui famae studiū & pertinax scribendi opera, vt quosdam claros, sic innumerabiles stultos atque inopes in lucem misit, nud. & loquaces spectaculum vulgo fecit. Ecce dum scribitis, melioribus curis idoneum tempus elabitur. Extra vos raptos, opitique non aducitis, donec sero vos senectus excitet ac paupertas. G. Scribo tamen famae cupidus. R. Mirum studium de labore ventum quaerere. Certe ego ventos optare nauticum putabam.

SCRIPTVRA SACRA.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

Scriptura sacra, Graece ἱερογραφία dici potest. Sacra scriptura dicitur sancta tripliciter: a Spiritu sancto, a materia, & ab effectu *secundum B. Thom. super Epist. ad Rom. lect. 2. cā. 1.*

Scripturae sacrae effectus quadruplex: scilicet docere veritatem, arguere falsitatem, eripere a malo, inducere ad bonum, & perducere ad perfectum. *Secundum eundem super secundum ad Timoth. 3. f.*

LOCI BIBLICI.

Scriptura sacra *ἀντονομαστικῶς* pro scripturis sacris Propheticis & apostolicis, *Ioan. 20. 9.* pro lege, *Galat. 3. 22.* scriptura sacra vnde sit & quis scripsit eius, *Exod. 17. 14. & 34. 27. Deuter 4. 1. & 17. 18. & 31. 9. Iosu. 18. & 34. 16. Ier. 3. 20. & 36. vers. 2. 10. & 45. 1. Baruch. 1. v. 3. 14. & 41. Danie. 10. 21. Matth. 4. v. 4. & 22. 29. Luca 4. v. 4. & 16. 29. Ioan 5. 39. & 10. 44. & 20. 30. Act. 15. 21. & 17. 11. Rom. 1. 2. & 4. 23. & 15. 4. 1. Timoth. 9. v. 9. & 10. 11. & 15. 3. 2. Timoth. 3. 15. 2. Petr. 1. 20. & 3. 1. Apocal. 1. 10.* Scriptura sacra authore Deo tradita, *Exod. 20. 1. & 34. 1.* Data Angelorum ministerio, *Actor 7. 53. Galat. 3. 19. Hebr. 2. v. 2.* per Spiritum sanctum data, *2. 4. 2. Petr. 1. 21.* Scriptura sacra Satanae & hominum tentationibus opponenda, *Matt. 4. 7. 10. & 5. 18. & 9. 13. & 12. 3. 5. & 15. 4. & 19. 4. & 21. 13. Luc. 9. 46. Matth. 21. 42. & 22. v. 31. 32. & 24. 35. Marc. 7. 10. 10. v. 5. 7. & 12. 10. Luce 4. v. 4. & 10. 26. & 20. v. 17. 42. & 21. 33. Ioan. 10. v. 34. 35. Actor. 2. 25. & 8. 30. & 15. v. 15. & 17. 11. & 18. v. 24. 24.*

Scripturae abusus *Luca 4. 10.* scripturae cognitio a Christo, *Luca. 24. v. 45. 46.* scripturae corruptores puniendi, *2. Petr. 3. 16.* scripturae expositio plebi quam necessaria, *Prou 29. 18.* scripturae fini, praeci puus, *Rom 15. 4.* scripturae ignoratio, erroris causa, *Matth. 22. 29. Marc. 12. 24.* scripturae lectio quam necessaria est, *Ioan 5. 39. Roman. 15. 4. 1. Thessalonic. 5. 20. 1. Timoth. 4. 13. Heb. 5. 14. 2. Petr. 1. 9. & 3. v. 15. 16. Exempla. Moyses, Exod 31. 18.* Israelitae, *Nehem. 9. 3.* Daniel, *Daniel. 9. 2.* Ionathas & seniores Iudaeorum, *1 Machab. 12. 9.* Christus, *Luc. 4. v. 16. 1. 2.* qui scripturae authoritate confudit Satanam, *Matth. 4. v. 4. 7. 10.* Pharisaeos, *12. v. 1. 2. 3.* &c. & scripturae lectionem commendat, *Ioan. 5. 39.* Eunuchus Candaces reginae, *Actor. 8. 28.* Beroenses, *17. v. 10. v. 11.* Apollos, *18. v. 24. 25.* Timotheus, *1. Timoth. 4. 13. 2. 3. v. 14. 15. 16.* Scripturae praestantia seu adimpletio necessaria, *Matth. 5. 18. & 14. 34. & 26 v. 54. 56. Luc. 21. 22. & 22. 37. & 24. v. 44. 46. Ioan 10. 35. & 12. v. 16. 38. & 13. 18. & 15. 25. & 17. 12. & 19. v. 24. 28. 36. 37. Actor. 1. 16. & 3. 18. & 5. 27.*

SENTENTIAE BIBLICAE.

Scriptura sacra in veritate radicatur.

Iusti sunt omnes sermones mei, non est in eis prauum quid neque peruersum: recti sunt intelligentibus, & aequi inuenientibus scientiam. *Prou. 8.*

Omnis sermo Dei ignitus clypeus est omnibus sperantibus in se. Ne addas quicquam verbis illius, ne te redarguat, inueniaris que mendax. 30.

Habent Moysen & Prophetas, audiant illos. *Luc. 18.*

Amen, amen, dico tibi, quia quod scimus, loquimur: & quod vidimus, testamur: & testimonium nostrum non accipitis. *Ioan 3.*

Sermo tuus veritas est. *Ioan. 17.*

Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, & scripsit haec, & scimus, quia verum est testimonium eius. 21.

De qua salute exquisierunt atque scrutati sunt Prophetae, qui de futura in vobis gratia prophetauerunt, scrutantes in quod vel quale tempus significaret in eis Spiritus Christi, praenuntians

eas quæ in Christo sunt passiones, & posteriores glorias, quibus reuelatum est, quia non sibimetipsis, vobis autem administrabant ea, quæ nunc nuntiata sunt vobis per eos, qui euangelizauerunt vobis Spiritu sancto misso de cœlo, in quem desiderant Angeli prospicere. *1. Pet. 1.*

Non voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines, *2. Petri 1.*

Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto. Et si quis diminuerit de verbis libri huius, auferet Deus partem eius de libro vitæ *Apoc. 22.*

Ad bonitatem adhortatur.

Tolle volumen libri, & scribes in eo omnia verba, quæ locutus sum tibi aduersum Israel & Iudam, & omnes gentes. *Ier 36.*

Væ vobis legisperitis: qui tulistis clauem scientiæ, ipsi non introistis, & eos, qui introibant, prohibuistis *Luc. 11.*

Si Moysen & Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent. *16.*

Si crederetis Moysi, crederetis forsan & mihi: de me enim ille scripsit. Si autem illius literis non creditis, quomodo verbis meis credetis? *Ioan 5.*

Hæc omnia in figura contingebant illis: scripta sunt autem ad correptionem nostram. *1. Cor. 10.*

Omnis scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad docendum, arguendum, *2. Tim. 3.*

Qui susceperunt verbum cum omni auiditate, quotidie scrutantes scripturas, si hæc ita se haberent. *Act. 17.*

Vehementer Iudæos reuincebat publice, ostendens per scripturas, esse Christum Iesum, *18.*

Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat: & lucifer oriatur in cordibus vestris. *2. Pet. 1.*

Hanc, ecce vobis charissimi, secundam scribo epistolam, in quibus vestram excito in commonitione synceram mentem, vt memores sitis eorum, quæ prædixi, verborum e sanctis Prophetis, & Apostolorum vestrorum, præceptorum Domini & Saluatoris. *3.*

Virtuosis manifestatur.

Qui quærit legem, replebitur ab ea, & qui insidiose agit, scandalizabitur ab ea. *Eccl. 32.*

Vobis datum est nosse mysterium regni cœlorum, illis autem non est datum. *Matth. 13.*

Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis: vt videntes non videant, & audientes non intelligant. *Luc. 8*

O stulti & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt Prophetæ. Et incipiens a Moyse, & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis, quæ de ipso erant. *Idem 24.*

Tunc aperuit illis sensum, vt intelligerent Scripturas. *ibid.*

Scrutamini scripturas. *Ioan. 5.*

Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscet doctrinā vtrum ex Deo sit. *7.*

Vitiosis obuelatur.

Tu Daniel claude sermones, & signa librum vsque ad tempus statutum: Plurimi pertransibūt, & multiplex erit scientia. *Danielis. 12.*

Vade Daniel, quia clausi sunt signatique sermones vsque ad tempus. Et impie agent omnes impij, neque intelligent omnes impij: porro docti intelligent. *ibid.*

Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed Spiritum, qui ex Deo est: vt sciamus, quæ a Deo donata sunt nobis, quæ & loquimur non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina Spiritus, spiritualia spiritualibus comparantes. *1. Corinth. 2.*

Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei: spiritualis autem iudicat omnia, & ipse a nemine iudicatur. Nos sensum Christi habemus. *ibid.*

Litera occidit, Spiritus autem viuificat *2. Cor. 3.*

Si enim opertum Euangelium nostrum: in iis qui pereunt, est opertum: in quibus Deus huius seculi excæcauit mentes infidelium, vt non fulgeat illuminatio Euangelii gloriæ Christi, qui est imago Dei. *4.*

In captiuitatem redigētes omnem intellectum in obsequium Christi. *10.*

Stultas autem & sine disciplina quæstiones deuita. *2. Timoth. 2.*

Semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis peruenientes. *3.*

Hoc primum intelligentes, quod omnis prophetica scriptura non fit priuatæ interpretationis. *2. Pet. 1.*

PATRVM SENTENTIAE.

Tanta est Christianarum profunditas literarum, vt in eis quotidie proficerem, si eas solas ab ineunte pueritia vsque ad decrepitam senectutem maximo otio, summo studio, meliore ingenio conarer addiscere: in quibus latet altitudo sapientię, vt animosissimis, acutissimis, flagrantissimisque cupiditate discēdi hoc contingat, quod eadem scriptura quodam loco habeat. Quum consummauerit homo, tunc incipit. *Aug. 3. epist. ad Volusia.*

Modus ipse dicendi, quo sacra scriptura contexitur, quamuis omnibus accessibilis, paucissimis tamen penetrabilis. Nam quæ aperta continet, ea quasi amicus familiaris sine fucco ad cor loquitur indoctorum, atque doctorum. Ea vero, quæ in mysteriis occulta, nec eloquio ipso superbo erigit, quo non audeat accedere mens tardiuscula, & inerudita, quasi pauper ad diuitem: sed inuitat omnes humili sermone, quod non solum manifesta, sed etiam secreta exerceat veritate, hoc in promptis, quod in reconditis habens. Sed ne aperta fastidiretur eadem rursus aperta desiderantur, desiderata quodammodo renouantur, renouata suauiter intimantur, his salubriter & praua corriguntur, & parua nutriuntur, & magna oblectantur ingenia *ibid.*

Quæ disputationes, quæ literæ quorumlibet philosophorum, quæ leges quarumlibet ciuitatum duobus præceptis sunt comparandæ: ex quibus Christus dicit totam legem & Prophetas pendere, huiusmodi: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, & proximum tuum sicut teipsum: Ab his enim duobus mandatis lex pēdet. & Prophetæ. *ibid.*

Hic philosophia: quoniam omnes omnium naturarū causæ in Deo creatore sunt. Hic ethica: quoniam bona vita & honesta non aliū de reformatur, quam quum ea, quæ diligenda sunt, & quemadmodum diligenda sunt, diliguntur. hoc est, Deus & proximus. Hic Logica: quoniam veritas lumenque animæ rationalis non nisi Deus est: Hic etiam laudabilior Reipublicę salus: neque enim optime custoditur ciuitas, nisi fundamento & vinculo fidei, firmæque concordiæ, quum bonum commune quod diligitur, summum atque verissimum Deus est *ibid.*

Afferamus diuinam stateram de Scripturis sanctis, & in illis quid sit grauius appendamus. *Idem de bapt. contra Donat.*

Dominus nihil credi voluit aduersus confirmatam scripturarum authoritatem. *Contra Faust. l. 13. c. 5.*

Scriptura & creatura ad hoc sunt, vt ipse quæratur, ipse diligatur, & qui ipsam creauit, & qui illam inspirauit. *l. 2. de Trin.*

Hæc scientia nihil præcipit, nisi charitatem: nihil culpat, nisi cupiditatem. Quicquid ergo ad hoc pertinet, proprium eius est. Quicquid autem ad hoc non pertinet, fictum esse cognoscas. *lib. 3. de doctr. Christiana.*

Sic loquitur Scriptura, vt altitudine superbos irrideat, profunditate attentos terreat, virtute magnos pascat, affabilitate paruulos nutriat. *lib. 2. in Gen. c. 19.*

Quicquid homo extra didicerit si noxium est, hic damnatur, si vtile est, hic inuenitur: & cum ibi quisque inuenerit omnia, quæ vtiliter alibi didicit, multo abundantius ibi inueniet ea, quæ nusquam alibi inueniri potuit. *lib. de doctrin. Christ.*

Ciuitatem Dei dicimus, cuius scriptura ea testis est, quæ non in fortuitis animorum motibus, sed plane summæ prouidentiæ dispositione super omnes omnium gentium literas, omnia sibi genera humanorum ingeniorum diuina excellens authoritate subiecit. *De ciuit Dei l. 11. c. 1.*

Canon ecclesiasticus constitutus est, ad quem Prophetarum & Apostolorum libri pertinent, secundum quos de cæteris literis vt fidelium & infidelium iudicemus. *Contra Cresconium lib. 2.*

Maior est huius scripturæ authoritas, quam omnis humani ingenij perspicacitas. *lib. 15 super Gen. ad literam.*

Nec ego Nicænum, nec tu debes Ariminense tanquam præiudicaturus præferre concilium: nec ego huius authoritate, nec tu illius detineris Scripturarum authoritatibus res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione certet. *contra Maximum lib. 3 c. 14.*

Nec catholicis Episcopis consentiendum est, sicubi falluntur, vt contra Canonicas Scripturas aliquid sentiant, *De vnitat. Eccl. c. 10.*

Si in Scriptura sacra tantum essent, quæ facillime intelligerentur, nec studiose quæreretur, nec suauiter inueniretur veritas. *De vera relig.*

Ad dignitatem scripturæ pertinet, vt sub vna lite, multos sensus contineat: vt sic diuersis intellectibus hominum conueniens, vnusquisque miretur, se in diuina scriptura posse inuenire veritatem, quam mente conceperit, ac per hoc facilius contra infideles defenditur, dum, si aliquid, quod quisque ex sacra scriptura velit intelligere, falsum apparuerit, ad alium sensum recursum possit habere. *ibid.*

Quilibet, lector, qui expositurus sacram scripturam aggreditur, quum in sacrarum voluminibus literarum, aliqua velut diuersum sonante sententia sollicitatur, certa & inconcussa fide tenere debet, nusquam deesse veritatem, etsi non facile propter magnitudinem rei intellectus quærentibus occurrit. *de prædest. gratię. in princ.*

Sanctarum scripturarum authoritatibus colla subdenda sunt, vt ad intellectum quisque per fidem veniat. *de bapt. paru.*

Titubat

Titubat fides, si diuinarum scripturarum vacillet authoritas. Porro fide titubante, etiam ipsa charitas languescit. *De doctrina Christiana.*

Sufficiunt sanctæ & diuinitus inspiratæ scripturæ ad veritatis indicationem. *Athan. cont. idol.*

Bene habet, si eis, quæ scripta sunt, contenti simus. *Hilarius de Trin. lib. 3.*

Cælestium scripturarum eloquia discutere ac polire debemus, toto animo ac corde versantes, vt succus illi spiritualis cibi in omnes se venas animæ diffundat. *Amb. lib. de Cain & Abel.*

Vtere lectione diu na vice speculi, fœda corrigendo, pulchra conseruando, & pulchriora faciendo: scriptura enim speculum est, se da ostendens, & corrigi docens. *Hieron. in epist. ad Damas.*

De scripturis disputantem non decet Aristotelis argumenta conquirere: nec ex flumine Tulliano eloquentiæ ducendus est riuulus: nec aures Quintiliani flosculis & scholari declamatione mulcendæ: sed pedestris & quotidianæ similitudinis, & nulla lucubratione redolens oratio necessaria est, quæ rem explicet, sensum edisserat, obscura manifestet. *Epist. ad Democr.*

Si iuxta Apostolum Paulum Christus Dei virtus est, & Dei sapientia, qui nescit scripturas, nescit Dei virtutem eiusque sapientiã. Ignorantia scripturarum ignorantia Christi est. *In Isaiam.*

Ecclesia Christi in toto orbe Ecclesias possidens, spiritus vnitate coniuncta est, & habet vrbes Legis, Prophetarum, Euangelii & Apostolorum. Non est egressa de finibus suis, id est, de scripturis sanctis. *in Mich. lib. 1. c. 1.*

Qui absque authoritate & testimoniis scripturarum, qua traditione apostolica sponte confingunt, percutit gladius verbi Dei. *in Agg. c. 2.*

Meditatio legis est, non solum in legendis scripturis, sed in his etiã, quæ scripta sunt faciendis. *In Psal. 1.*

Solent & viri, solent & monachi, solent & mulierculæ hoc inter se habere certamen, vt qui plus ediscunt scripturas, in eis se putent esse meliores. *In Psal. 22.*

Ille plus didicit, qui plus facit. Cæterum, si quod tu edisceris, ego faciam, magis mea opera scripturas tenent, quam tuus sermo, qui vane resonat. *ibid.*

Exceptis Apostolis, quodcunque postea dicetur, abscindatur, nec habeat authoritatem. *In Psal. 86.*

Quicquid de scripturis authoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur, qua probatur. *In Matth. c. 23.*

Si quid dicitur absque scriptura, auditorum cogitatio claudicat. *Chrys. in Psal. 95.*

Sint scripturæ diuinæ semper in manibus, & iugiter mente voluantur, nec sufficere tibi putes mandata Dei memoria tenere, & operibus oblitisci, sed ideo illa cognosce, vt facias quicquid didiceris. Non enim auditores legis iusti sunt, sed factores, &c. *ibidem.*

Apostoli Euangelium præconizauerunt, postea vero per Dei voluntatem in scripturis nobis tradiderunt, fundamentum & columnam fidei nostræ futurum. *Iren. l. 3. c. 1.*

Aufer hæreticis, quæ cum Ethnicis sapiunt, vt de scripturis solis quæstiones suas sistant, & stare non poterunt. *Tertull. de resurr. carn.*

Nobis necesse est scripturas sanctas in testimonium vocare: sensus quippe nostri & enarrationes sine his testibus non habent fidẽ. *Orig. in Ierem.*

Sicut omne aurum extra templum non est sanctificatum: sic omnis sensus, qui fuerit extra scripturam, non est sensus. *In Matth. homil. 25.*

Manifestissimum infidelitatis argumentum, signumque superbiæ certissimum si quis eorum, quæ scripta sunt, aliquid velit reiicere, aut eorum, quæ non scripta sunt, introducere, cum Dominus noster dicat: Oues meæ vocem meam audiunt, alienum autem non sequuntur. *Basil. in. de vera ac pia fide.*

Quicquid vel dicimus vel facimus, id testimonio diuinarum literarum confirmari debet. *Idem in mor. regula 26.*

Si omne, quod ex fide non est peccatum est, fides autem ex auditu, auditus autem per verbum Dei: sine dubio quum quicquid extra diuinam scripturam fit, ex fide non sit, id peccatum est.

Stemus arbitratu inspiratæ a Deo scripturæ, & apud quod inuenientur dogmata diuinis oraculis consona, illis omnis veritatis adiudicetur sententia. *Idem epist. 80.*

Eorum, quæ apud nos in vsu sunt, tam verborum quam rerum, alia distinctè tradita sunt, in scripturis, alia prætermissa, scripta nullo modo omittenda sunt: de his autem quæ prætermissa sunt, regulã habemus a Paulo traditam, Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. *In reg. breuioribus.*

Noli contra diuina testimonia colligere calumnias ex episcoporũ scriptis, vt Hilarij, Cypriani, &c. quia hoc genus literarum ab authoritate canonis distinguendum est. Non enim ita leguntur, vt contra sentire non liceat, sicubi forte aliter senserint, quam veritas postulat. *Aug. epist. 48. ad Vincent.*

Ego solis iis scripturarum libris, qui iam canonici appellantur, dici hunc timorem honoremque deferre, vt nullum eorum authorum scribendo aliquid errasse, firmissime credam. alios autem ita lego vt quantalibet sanctitate doctrinæ præpolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt: sed quia mihi vel per illos authores canonicos, vel probabili ratione, quod a vero non abhorreat, persuadere poterunt. *Idem epist. 19. ad Hieron.*

Non omnia, quæ fecit Dominus, scripta sunt, sed quæ scribentes putauerunt sufficere, tam ad mores, quam ad dogmata. *Cyrill. in Ioan. li. 12. c. 68.*

Diuinas scripturas sæpius lege, imo nunquam de manibus tuis sacra lectio deponatur, in scripturis diuinis, per quas solas potes plane Dei intelligere voluntatem: prohiberi quædam, præcipi quædam, concedi aliqua, suaderi nonnulla prohibentur mala, præcipiuntur bona, conceduntur media, suadentur perfecta. *Greg. in Mor.*

Scriptura sacra mentis oculis quasi speculum quoddam opponitur, vt ibi interna facies nostra videatur: ibi enim fœda, ibi pulchra nostra conspicimus, ibi sentimus, quantum proficimus, quantũue a profectu longe distamus. *Greg. in prologo mor.*

Omnem scientiam atque doctrinam sacra scriptura transcendit, vt taceam, quod vera prædicat, quod ad cœlestem patriam inuitat, quod a terrenis desideriis cor legentis reuocat, quod dictis obscurioribus fortes exercet, & paruulis humili sermone blanditur. Nec igitur clausa est, vt pauescere debeat, nec sic patet, vt vilescat, sed vsu fastidium tollit, & tanto plus diligitur, quanto amplius meditatur. *In Moral.*

Tanta ac talis est diuinæ scripturæ sublimitas, vt non solum verba, quæ a sanctis vel ab ipso Domino dicta referunt, sed etiam circunstantiæ rerum, quæ simpliciter posita videntur, spiritualibus sint plenæ mysteriis. *In homil.*

In scripturis ignorans inueniet quid discat, contumax quid timeat, laborans præmia, pusillanimis medicinis salutis cibos, qui etsi pinguem non faciunt animam, mori tamen non permittunt. Qui autem magni est animi, inuenit ibi spirituales escas, quæ perducant eum prope ad angelorum naturam, qui vero est vulneratus a Diabolo, inuenit ibi cibos medicinales, & salutem per pœnitentiam. *Chrys. super Matth. c. 24.*

Qui sunt in Christianitate, conferant se ad scripturas, quia nulla alia probatio potest esse veræ Christianitatis, quam scripturæ diuinæ. *In Matth. hom. 49.*

Si quis eorum, qui dicuntur habere Spiritum sanctum, dicat aliquid ex se ipso, & non ex Euangeliis, ne credite. Manes dicit, quod Sol & Luna apifices sunt. Vbi legisti hæc? Ex quo non legit hæc scripta, sed a seipso loquitur, manifestum est, quod non habet Spiritum sanctum. *Idem de S. & ador. Spirit.*

Si quid vel discere, vel ignorare opus sit, in scripturis discemus. *in 2. ad Timoth. homil. 9.*

Cuncta, quæ tradita sunt per legem, per Prophetas, per Apostolos, per Euangelistas, suscipimus, cognoscimus, veneramur, nil vltra illa perquirentes. *Idem lib. 1. c. 1.*

Omnis latitudo scripturarum in Oratione Dominica & Symboli breuitate concluditur. *Isidor. lib. 1. de summo bono.*

Geminum confert donum lectio sanctarum scripturarum, siue quia mentis intellectum erudit, seu quod a mundi vanitatibus abstractum hominem ad amorem Dei perducit. *Ibid. lib. 3.*

Quanto magis quisque in sacris eloquiis assiduus fuerit, tanto ex eis vberiorem intelligentiam capit. *ibid.*

Quid prodest in mundanis proficere doctrinis, & marcescere in diuinis? caduca sequi figmenta, & cœlestia fastidire mysteria. Cauendi igitur sunt tales libri, & propter amorem sanctarum scripturarum vitandi: quod exterius eloquentia verborum nitent, & interius vacui virtutis sapientia manet. Eloquia autem sacra exterius incompta verbis apparent, intrinsecus autem mysteriorum sapientia fulgent. *Ibid. libris gentil.*

Patet, quod scriptura sufficienter continet doctrinam necessariam viatori. *Scotus in Lombard.*

Nihil in hac vita dulcius sentitur, nihil auidius sumitur, nihil ita mentem ab amore mundi separat, nihil sic animum contra tentationes roborat, nihil ita hominem excitat & adiuuat ad omne opus, & ad omnem laborem ac studium sacræ scripturæ. *Hugo lib. de anima.*

Ad sacræ scripturæ cognitionem opus est intima compunctione, potius quam profunda inuestigatione, suspiriis, quam argumentis, crebris gemitibus, quam copiosis argumentationibus, lachrimis, quam sententiis, oratione, quam lectione, gratia lachrimarum, quam scientia literarum, cœlestium potius contemplatione, quã terrestrium occupatione. *ibid.*

In refectorio sacræ scripturæ tres mensæ, id est, tres intellectus diuinæ scripturæ ponuntur, videlicet, historialis, mysticus & moralis. Prima mensa simplicibus, secunda doctoribus, tertia communis est vtrisque. In prima cibus est grossior, in secunda subtilior, in tertia dulcior. Prima continet saporem exemplorum, secunda vim mysteriorum, tertia dulcedinem mo-

rum. Prima pascit miraculis, secunda figuris, tertia verbis, *ibid. li.* 3

In sacra scriptura quicquid docetur, veritas, quicquid præcipitur bonitas, quicquid promittitur, felicitas est. Nã Deus Veritas est sine fallacia, Bonitas sine malitia, Felicitas sine miseria. *ibid.*

Vere coruscus liber Psalmorum, sermo lampalis, cura sauciati cordis, fauus interioris hominis, occultarum lingua virtutum, quæ superbos humilitati inclinat, reges pauperibus subdit, affabilitate paruulos nutrit *Cassiod. sup. Psalm. in prologo.*

Schola cœlestis, eruditio vitalis, auditorium veritatis, disciplina certissime singularis, quæ discipulos occupat sensibus fructuosis nõ inanium lenocinationẽ verborum. *Idem super Psal.* 15.

Alleluia, huius verbi tantus honor est, vt cum sit in Hebræa lingua reconditum, nullo tamen constet alio sermone translatum: hoc tenet cuncta natio terrarum; & quicquid est deditum Deitati, dignitatem huius nominis pia deuotione veneratur. *Super Psal.* 147.

Recurrendum est ad solas sacras scripturas, vt vitam æternam adipiscamur. *P. de Aliaco in sent.*

SCVRRILITAS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

SCurrilitas, Græce βωμολοχία, ας, ἡ, & βωμολόχος scurra dicitur. Est autem scurrilitas iocularitas, ex delectatione non volentis cohibere gestus exteriores *secund. B. Thom.* 2. 2. *q.* 148 *art.* 6. *c.* ... Turpis & procax dicacitas dici etiam potest scurrilitas, quæ neque locum, neque tempus, neque personas respicit, sed impudenter effutit quæ stultis risum, sapientibus dolorem excitant.

Scurra is dicitur, qui magis quam oportet risum mouet, & onerosus est. Nam risum secutus magis cogitat, quemadmodum moueri illum queat, quam quemadmodũ honeste loquatur, ne quemquam offendat *secund. Arist. lib.* 4. *Eth.*

Scurrilitas differt a stultiloquio: quia scurrilitas refertur ad lasciuiam affectionis; stultiloquium vero ad indiscretionem rationis. Et propter accepta est filia luxuriæ. De hac Paulus ad Ephes. 5. *non nominetur in vobis turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet, id est nullius est vtilitatis. ex Ale.* 2. *gu. eod.*

Scurrilitas pertinet ad verba ratione inhonestatis, multiloquium vero ratione superfluitatis. *secund. B. Tho.* 2. 2. *q.* 35. *art.* 5.

Scurra a sequendo dici videtur, quod domos diuitum sequatur, & est, qui risum ab audientibus captat, non salua dignitate personæ: a scurra dicitur scurrile, quod est ridiculum cum turpitudine, & scurrilitas turpis & procax dicacitas, & scurriliter, procaciter.

SENTENTIAE BIBLICAE.

Fornicatio autem, & omnis immunditia, aut auaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos, aut turpitudo, aut stultiloquiũ, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet; sed magis gratiarum actio. *Ephes.* 5. *v.* 4.

SENTENTIAE PHILOSOPHICÆ.

Scurræ & importuni sunt, qui ridiculis excidunt adeo, vt studeant potius mouere risum, quam honeste loqui, & dolore eum non afficere, quem cauillantur. *Arist.* 4. *Ethic. c.* 7.

Scurra est, qui cuncta, & omnino incessendum esse existimet. *Idem in ig. mor c.* 28.

SIMILITVDO.

Thymerri, Quemadmodum corpus inescatur variis condimentis, Sic animus intoxicatur scurrilibus iocis, & lasciuis cantilenis. *In apoph.* 13.

Vide, Ludus, Stultitia.

SECVLVM.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

SEculum proprie tempus & ætatem significat longam, quam æuum dicimus, & per syncopam seculum dicimus. Vnius hominis ætas: & aliquoties spatium centum annorum. A seculum fit secularis.

Secularis, Græce βιωτικός, οῦ, ὁ, & αἰών, ῶνος, ὁ, æuum dicitur. Seculum nihil aliud est, quam periodus cuiuslibet rei, pro quo aliquando ponitur æuum vel æuiternum *secundum B. Tho. prima parte q.* 10. *art.* 2.

LOCI BIBLICI.

Seculum, Græcis αἰών, Hebræis *olam. Primo*, interdum idem declarat, quod a condito mundo, *Actorum* 3. 21 *Secundo*, interdum ab æterno, seu tempus perpetuum & æternum. *Genes.* 9. 12. *Psal.* 89. 3. *Tertio* interdum non perpetuum, sed longum temporis spatium significat, aut multum, *Exod.* 21. 6. *Deuter.* 15. 17. vbi significat idẽ, quod vsque ad annum iubilæum, vt patet ex *Leuit.* 26. *v.* 39. 40. *&* *Ierem.* 2. 20. *Quarto*, interdum tempus vitæ alicuius, *Psal.* 89. 2. *&* 119. 52. Capitur etiam seculi vox pro deprauatissima illa hominum vita, & miserrima conditione extra Christum. 2. *Corint.* 4. 4. qua significatione sæpe solet mundi & tenebrarum nomen vsurpari. Pro hominibus etiam non renatis capitur, *Rom.* 12. *v.* 2. ad domum seculi. *Eccles.* 12. *v.* 5. id est, ad sepulchrum, quod est domus, in quo habitatur in seculum.

PATRVM SENTENTIAE.

Non mediocre periculum est, quum habeas tanta eloquia Dei, & Dei opera, quæ legis, illis prætermissis loquaris, quæ seculi sunt, audias quæ seculi sunt. Incumbit virtuti seculi, qui desperat de adiutorio Dei. *Ambr. in Psal.* 118.

Hunc mundus accipit, qui ad desideranda inuisibilia non surgit. Seculares enim mentes quanto magis foris per secularia desideria dilatant, tanto magis sinum cordis ab eius receptatione angustant *Greg. l.* 4. *mor.*

Sicut homo graues habens oculos melius in loco tenebroso, quam in sole positus videt; sic homo terrenus in terrenis est astutus, & in spiritualibus cæcus. *Chrys. super Matth.* 6.

Hi sunt martyres seculi, mundi professores, discipuli curiæ, milites eloquii, per multas siquidem tribulationes intrant iusti in regnũ cœlorum: hi autem per multas tribulationes promerentur infernum. *Petr. Rau.*

Vide, Aetas, Tempus.

SECVRITAS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

SEcuritas, Græce, ἀσφάλεια, ας, ἡ, & ἀσφαλής, έος, ὁ, ἡ, securus dicitur. Est autem securitas, perfecta quies animi a timore *secund. B. Thom. secunda Secund. q.* 129. *art.* 7.

Securitas opponitur timori, priuatiue tamen. Audacia vero contrarie. *secundum eundem prima Secund. q.* 45 *art.* 1.

Securitas non est idem quod fortitudo, sed est conditio eius, & magnanimitatis, si sit, quando, & in quibus debet. *secund. eundem secunda Secund. q.* 129. *art.* 7.

Securus dicitur, quasi sine cura, quasi seorsim a cura. Hinc aliquando pro contẽptore accipitur. Virg. *Securus amorum Germanæ.* Hinc secure aduerbium, & securitas, tranquillitas & quies.

LOCI BIBLICI.

Securitas nimia cauenda, *Prou.* 28. 14. securitas Satanæ aditum patefacit, *Matt.* 12. 44. vbi securitas & otium videntur allegorice designari, quorum illa aditum Satanæ patefacit, istud autem eum & ad se vltro allicit. Securitas vera ex legis obedientia, *Exod.* 34. 24 2. *Paral.* 20. 20. securitas mentis optima, *Prou.* 15. 15. securitas quibus promissa, *Leu.* 25. 18. *&* 26, 6.

PATRVM SENTENTIAE.

Senti de Augustino quicquid libet: sola me in oculis Dei conscientia non accuset. *Aug. ad Secundinum Manichæum, & hab.* 11. *q.* 3. *c. Senti.*

Nemo securus debet esse in vita ista, quæ tota tentatio nominatur, vt qui fieri potuit ex deteriore melior, non fiat etiam ex meliore deterior. *Aug. lib.* 16. *confess.*

Nemo securus est in his bonis, quæ potest inuitus amittere, veritatem autem atque sapientiam nemo amittit inuitus. *De lib. arbitr. lib.* 2.

Nunquam securus cum thesauro lato tenetur inclusus, nec infra vnam cauernam habitans cum lupo tutus est agnus. Ipse voluit penetrari, qui hostem proprium in suas partes induxit, & intestinũ sibi gladium ipse supponit, qui locum habitationis suæ aduersarii ingressibus reserauit. *Hier de cohab. cler. & mulier.*

Sæpe mens, dum virtutes suæ securitate resoluitur, insidiante aduersario inopinatæ culpæ telo perforatur, & inde a Deo in æternũ longe fit: vnde ei ad tempus sine cautelæ custodia propinquauit *Greg. in Mor.*

Incassum munita sunt cætera, quum locus vnus, de quo hosti patet aditus, non est munitus. *ibid.*

Sæpe quem tentationis certamen superare non valuit, sua deterius securitas strauit. *in Moral.*

Debet in spe esse securitas, sed etiam timor in conuersatione, vt & illa certantes foueat, & torpentes pungat. *ibid.*

Quibusdam sæpe magnitudo virtutis occasio fuit perditionis: vt cum de confidentia virium inordinate securi essent, per negligentiam inordinate morerentur. Mater enim negligentiæ solet esse securitas. Videndo ergo meretricem, id est, Magdalenam, de

cua

tua liberatione non desperes: sed etiam Iudam cogitando, securus esse non debes. Confidentia stātem cuertit, & desperatio post lapsum exurgere non dimittit. *in past.*

O vita secura? vbi absque formidine mors expectatur, imo & exoptatur cum dulcedine, & excipitur cum deuotione. *Bern. ad milites templi.*

Nusquam est securitas, fratres, nec in cœlo, nec in paradiso, multo minus in mundo. In cœlo enim cecidit angelus sub præsentia diuinitatis: in paradiso Adam de loco voluptatis: in mundo Iudas de schola Saluatoris. *in serm.*

Nihil potest esse securius, quam illa omnia committere, qui nouit suis cultoribus congrue profutura præstare. *Cass. in Psal. 72.*

Sic comedo, bibo, & dormio securus, quasi iam transierim diē mortis, & euaserim diem iudicii, & tormenta inferni: sic ludo & rideo, quasi iam regnem tecum in regno tuo. *Hugo lib. 3. de anima.*

PHILOSOPH. SENTENTIÆ.

Securitas est, incommoditates imminentes, & rei inchoatæ fines nō formidare. *Cic. in Rhet.*

Securitas magna portio est, nihil inique facere: confusam vitam & perturbatam potentes agunt, tantum metuunt, quantum nocēt. *Senec. 16. epist.*

In ipsa securitate animus ad difficilia se præparet, & contra iniuriā fortunæ inter beneficia firmetur. *Epist. 23.*

APOPHTHEGMATA.

Socrates interrogatus, qui secure viuerent? Qui, inquit, nihil sibi conscium mali. *Ant. & Max. serm. de curiosit.*

Euagrius, Præstat, inquit, in storea secure agere, quam in lecto aureo perturbari. *ibid.*

Pyrrho, in tempestate conspiciens cæteros animo esse deiectiores, cum ipse nihil moueretur: ostendit porcellum in naui secure edentem, dicens: oportere sapientem eam animantis imitari securitatem. *Laert. l. 9.*

Bion dicere solebat, impietatem malam esse contubernalem fiduciæ, & adducebat versiculum Euripidis.

Seruum facit quamuis ferocculum virum.

Sensit autem Philosophus clarissimus, nullam omnino securitatē habere locum, vbi male sana sit conscientia: nec aperte posse loqui, cui reuera impietatis vitium potest obiici: nec frui tranquillitate animi, qui Deos sibi non habeat propitios. *Laert. li. 4. c. 7.*

SIMILITVDINES.

Volkuini Abbatis: Nota, quod in naturalibus istis sic se habet generatio siue procreatio, vt nihil procreari possit sine his duobus, videlicet calore & humore. Vnde Ethnicus ait: Vapor humidus omnes res creat, id est, vapor & humor. Similiter in naturali seminali duo hæc concurrunt, scilicet calor & humor: sed vtrumque est gratia. Ipsa enim calefacit, ipsa humectat: calefacit, dum inflāmat ad appetendum: humectat, dum resoluit & habilitat ad satagendum. Quid igitur agendum est, dum culta est terra, iactum est semen, prodit germen, seges assurgit, proficit in messem: non tamen securus sis, non segniter agas, quia messis tua adhuc in herba est: hoc est, quandiu foris est, in campo est, sub dio, nec dū in horreo, nec dum in granario: hoc est, quādiu præsens vita agitur. Summa ergo opus est diligentia, summa custodia, ne messis tua pereat: quia multa emergūt pericula, circumstant detrimenta. Si enim venerit grando, conterit: si fulgur, exurit: si turbo, conquassat: si æstus, absumit: si tempestas, subuertit: si auis, vel locusta, deuorat: si denique bestia, conculcat. Hæc sunt, o homo, maxime tu spiritualis, aut religiose vir, cuiuscunque status, quæ te pro messe tua spirituali incessanter sollicitare debent. Timēdum est itaque tibi, ne veniat grando tempestatis grauiter & inimici sementis, ne coruscatio dolosi fratris subito & improuiso suffodientis, ne vētus inanis gloriæ, ne æstus carnalis immunditiæ, ne tempestas pusillanimitatis & impatientiæ, ne auis curiositatis & extollentiæ, ne locusta adulationis & incōstantiæ, atque hypocrisis, ne bestia crudelitatis & iniustitiæ. Propter hæc pericula monet Salomon diligenter agrum cordis custodiendum, & messem virtutis: Omni, inquit, custodia custodi cor tuum, ecce ager: quoniam ex ipso mors, ex ipso pericula, & vita procedit, ecce messis? Nō ergo dormiat cor tuum, ne perdas cor tuum. Vigilet mens tua, ne pereat messis tua. *Hom. in Euang. Matth. Simile est regnum cœlorum homini, qui semen bonum seminauit in agro suo, & superueniens inimicus homo, & superseminauit zizania fol. 627.*

ADAGIA.

Post principia.

Sumptum a bellis, in quibus summum periculum est iis, qui in prima stāt acie. Terent. in Eunucho Tu hosce instrue, hic ego ero post principia. Hinder dem Berg halten: *Item,* Hoch genug macht alte Krieg sleut.

Non vulgari anchora nititur. *ἐκ ἐπὶ τῆς αὐτῆς ὁρμεῖ τοῖς πολλοῖς.*

Significans aliquem nouis minimeque vulgaribus niti præsidiis. Aristot.

Quid Achiuos a turre iudicatis? *τί τοὺς Ἀχαιοὺς ἀπὸ τοῦ πύργου κρίνετε. Pelyantias Nouis.*

Concinne torquebitur ad eos, qui in tuto constituti, de iis iudicant, qui in periculo versantur.

Quasi millus cani.

In hunc modum certum firmumque præsidium significabimus.

Timidi mater non flet.

Animosi in bello contemnunt hostem, nihilque metuendum ducunt, quoniam sibi parum cauent: ferro pereunt, & matribus luctum adferunt cum orbitate. Contra qui nihil non metuit, neque quicquam omnino contemnit, is timoribus vtens consiliis, raro venit in periculum.

Legatus non cæditur neque violatur. *πρέσβυς οὔτε τύπτεται οὐδὲ ὑβρίζεται.*

Deflecti poterit ad bene monentem, siue recta consulentem, siue concionantem libere, Scholiastes Homeri.

Duabus anchoris fultus, *ἐπὶ δυοῖν ὁρμεῖ. Aristid.*

De firmis, immotis, & qui rem suam probe constabiliverunt.

Tanquam ad aram.

Quum extremum refugium intelligi volumus.

Ad asylum confugere. *Cicero.*

Cognatum est superiori: Hæc fiet venustiora, si ad animi res transferantur.

Arx. *ἀκρόπολις.*

Hac Metaphora tutissimum ac validissimum præsidium significamus.

Bonum duabus niti anchoris *ἀγαθαὶ δύ᾽ ἄγκυραι. Pind.*

Id est Bonum est duplici præsidio niti, vt si alterum destituat, altero innitamur.

Extra fumum, & vndam *τοῦ καπνοῦ καὶ κύματος ἐκτός.*

Verba sunt Calypsus adhortantis Vlyssem, vt neque nimium litori vicinus nauiget, fumum secutus, neque se profundo credat pelago, sed in medio fecit viam, quod ibi periculum sit a saxis & vadis, hic ab vadis.

E terra spectare naufragium.

Pro eo, quod est, in tuto spectare aliorum pericula. Simile illi: De muris iudicare Achiuos.

Mortuo leoni & lepores insultant. *καὶ αὐτοὶ νεκροῦ σώματα λέοντος ἐφυβρίζουσι λαγωοί.*

Sumptum ex Homero, vbi Hectorem ab Achille iam interfectum circumsistunt Græci mortuo insultantes, nec quisquam erat, qui cuiuncto non aliquod vulnus infligeret.

Primum apes abigendæ

Dictum est cuiusdam qui sensit primum hostium copias aduentantes esse submouendas quæ possint Asia potiri.

Pugno tenere. *δρὰξ ταῖν χεροῖν λαβέσθαι.*

Pugno stringere: Dicitur in eos, qui corporeas tantum substantias esse putant.

Testudo intra tegumen tuta est.

Docet hic Liuius, tutius esse domi manere, quam sua fortuna committere, & ad omnes ictus exponere. Vver vvill haben gemach, der bleib vnter seinem Tach.

Sarta tecta.

Pro consummatis, probeque curatis, & in quibus sit nihil omissum.

In portu nauigare. *ἐν λιμένι πλεῖν.*

Id est: in portu nauigare. Quo significamus nos iam a periculo abesse: Vergil.

Nunc mihi parta quies, omnisque in limine portus.

His Medus non insidiabitur. *τάδε Μῆδος οὐ φυλάξει.*

Vbi quis largius impenderit sua, ne venirent in aliorum manus.

Otiolus cito.

Si quem iubemus curare cuticulam, negotium aliis cura futurum accomodabimus illud Homeri ex Odyss. β

Μή τε τι σὺ ἄλλο

Ἐν στήθεσσι κακὸν μελέτω ἔργον τε ἔπος τε,

Ἀλλά μάλ᾽ ἐσθίεμεν καὶ πινέμεν ὡς τὸ πάρος περ.

Tute caueto.

Aut dicti aut facti cruciet tua pectora cura,

Quin tranquillus edasque bibasque ita vt ante solebas.

Chœnici ne insideas. *χοίνικι μὴ ἐπικαθίζειν. Pythag.*

Interpretatur D. Hier. de victu ne fueris sollicitus in diem crastinum. Plutarchus autem longe diuersius: puta, non indulgendum otio sed industria prospiciendum victum, ne desit in posterum.

Tymbra victitans. *θύμβραν τρώγων.*

Id est, Tymbra victitantes adagio dicebantur, qui vel tutius ac liberius vitam agerent, vel qui moribus essent parum blandis, vel qui hilariter citraque solicitudinem paruo contenti viuerent. quod Thymbra herbæ genus sit.

Rem factam habere.

Apud Martialem lib. 2. epist. 26. legitur, Rem factam habere, pro eo, quod est, certum atque indubitatum.

Hermionis vice. *ἀνθ᾽ Ἑρμιόνης.*

Valet autem perinde quasi dicas, Loco asyli tibi fuero, vel instar aræ.

In terra pauperem. *ἐκ γῆς πένεσθαι μᾶλλον ἢ πλουτοῦντα πλεῖν.*

Satius est paululum habere tuto, quam multum cum periculo.

Mœnia Semiramidis. *τείχη Σεμιράμιδος.*

De muris inexpugnabilibus dicebatur, egregieque munitis. Ouid.

Vbi dicitur altam

Coctilibus muris cinxisse Semiramis vrbem.

rit, priori loco, se scire appetit, & iam sui conscius, tanto p illa ro bustius sapit, quāto se infirmū in illa verius recognoscit. *in Mor.*

Prima sapientia est, vita laudabilis, & apud Deū pura mens, per q̄ puri puro iunguntur, & sancti sancto sociantur, *Naz. in apolog.*

Ille mihi videtur esse sapiens, qui pauca quidem de virtute animę commonet & proloquitur, plura autem in suis actibus atque operibus ostendit, & fidem verbis operum suorum stipulatione confirmat. *Greg. in Mor.*

Sapientia illa clara est, non quæ in verbis volat, sed quæ virtutibus constat. *ibid.*

Sæpe dum quosdam maior scientia erigit, à cæterorum societate se disiungunt, & quasi quo plus sapiunt, eo a concordiæ virtute desipiscunt: sed hi audiant, quid per semetipsam veritas dicat: Habete sal in vobis, & pacē habete inter vos. Sal quippe sine pace, non virtutis est donum, sed damnationis argumentum. Quo enim quisque melius sapit, eo deterius delinquit, & idcirco inexcusabiliter merebitur supplicium, quia prudēter, si voluisset, potuit vitare peccatum *in past.*

Ille scire Deum familiarius appetit, qui præ amore pietatis nescire desiderat: quod carnaliter sciuit. *in Mor.*

Vides, quod non probat multa scientem, si modum sciendi nesciērit. Vides, quomodo fructum & vtilitatē scientiæ in modo sciendi constituit. Quid ergo dicit? nisi vt scias, quo ordine, quo fine quæq; nosse oporteat: quo ordine? vt illud prius, quod maturius mouet ad salutem: quo studio? vt illud ardentius, quod vehementius ad amorem: quo fine? vt non ad inanem gloriam, curiositatem, aut aliquid simile, sed tantum ad tuam & aliorum ædificationem *Bern. super Cant. serm. 36.*

O vtinam saperes, & intelligeres, ac nouissima prouideres. saperes, quæ Dei sunt: intelligeres quæ mundi sunt: prouideres quæ inferni sunt: profectò inferna horreres, superna appeteres, quæ ad manus sunt, contemneres. *In quadam epist.*

Nihil sapientia ardentius diligitur, nihil dulcius possidetur. Hinc est, quod sapientes homines esse volunt, pauci tamen sapientes esse possunt, iusti autem omnes esse potuissent, si esse iusti perfecte voluissent. Sapientiam & multum diligere potes, & ipsa carere potes: sed quanto amplius iustitiam dilexeris tāto iustior eris. *Richard. de contempl. c. 5.*

Otium stultitiam, labor scientiam generat. Scientiæ labor in tria diuiditur, scilicet in laborem disciplinæ, exercitij & doctrinę. In pueritia labor disciplinæ, in iuuentute exercitij, in senio doctrinæ: vt quæ nescit, in pueritia discat, quæ didicit, in iuuentute ad vsum ducat, quod ad vsum duxerit, in senio doceat. *Hug. de claust. anim. lib. 1.*

Sententiæ Poaticæ.

Hesiodus.

Οὗτος μὲν πανάριστος, ὃς αὐτὸς πάντα νοήσει,
Φρασσάμενος τά κ' ἔπειτα καὶ ἐς τέλος ᾖσιν ἀμείνω.
Ἐσθλὸς δ' αὖ κἀκεῖνος, ὃς εὖ εἰπόντι πίθηται.
Ὃς δὲ καὶ μήτ' αὐτὸς νοέῃ, μήτ' ἄλλου ἀκούων
Ἐν θυμῷ βάλληται, ὃ δ' αὖτ' ἀχρήιος ἀνήρ.
Hic quidem optimus, qui per se omnia cognoscit,
Intelligens sequentia, & quæ in fine futura sint meliora:
Bonus autem rursus & ille, qui bene monenti pareat:
Qui vero neque per se cognoscet, neque alium audiens
In animo reposuerit, hic sane inutilis vir.

Phocylides.

Τὴν σοφίαν σοφὸς ἰθύνει, τέχνας δ' ὁμότεχνος.
Sapientiam sapiens dirigit, artes autem coartifex.
Τῆς δὲ θεοπνεύστου σοφίης λόγος ἐστὶν ἄριστος.
A Deo inspiratæ sapientiæ sermo est optimus.
Βέλτερος ἀλκήεντος ἔφυ σεσοφισμένος ἀνήρ.
Ἀγροὺς καὶ πόλιας σοφία καὶ νῆα κυβερνᾷ.
Melior forti est sapiens vir.
Agros enim & ciuitates sapientia & nauem gubernat.

Menander.

Οὐκ ἔστι σοφίας κτῆμα τιμιώτερον.
Non est sapientia possessio pretiosior.
Σοφία γάρ ἐστι μαθεῖν ὃ μὴ νοεῖς.
Sapientia enim est, & discere quod nescis.
Σοφοῦ παρ' ἀνδρὶ πρῶτον εὕρηται λόγος.
Sapientem apud virum primum inuentus est sermo.
Σοφὸς γὰρ οὐδεὶς ὃς τὰ πάντα προσκόπτει.
Sapiens enim nullus, qui omnia offendit.
Σοφία δὲ πλούτου κτῆμα τιμιώτερον.
Sapientia diuitijs possessio pretiosior.
Σοφοῦ παρ' ἀνδρὸς χρὴ σοφόν τι μανθάνειν.
Sapienti à viro oportet sapientem quid discere.
Σοφοὶ δὲ συγκρύπτουσιν οἰκείας βλάβας.
Sapientes autem occultant propria damna.
Ἄριστόν ἐστι πάντ' ἐπίστασθαι καλά.
Optimum est omnia scire pulchra.
Μισῶ σοφιστὴν ὅστις οὐχ αὑτῷ σοφός.
Odi sapientem, qui non sibi ipsi sapiens est.

Boet. 4. 1.

Sunt etenim pennæ volucres mihi,
Quæ celsa conscendant poli:
Quas sibi cum velox mens induit,
Terras perosa despicit.

Horat. 1. Epist. 1.

Virtus est vitium fugere, & sapientia prima
Stultitia caruisse.

Iuuen. 13.

Magna quidem, sacris quæ dat præcepta libellis,
Victrix fortunæ sapientia.

Iuuen. 13.

Plurima felix.
Paulatim vitia, atque errores exuit omnes.
Prima docens rectum sapientia.

Lucret. 2.

Sed nil dulcius est, bene quam munita tenere
Edita doctrina sapientum templa serena.
Despicere vnde queas alios, passimque videre
Errare atque viam palantis quærere vitæ,
Certare ingenio, contendere nobilitate.
Noctes atque dies niti præstante labore.
Ad summas emergere opes, rerumque potiri.

Plaut. Trin.

Sapientia ætatis condimentum est: sapiens ætati cibus est.

Plaut. Trin.

Non ætate, verum ingenio adipiscitur sapientia.

Lucret. 5.

Quis potis est dignum pollenti pectore carmen
Condere pro rerum maiestate, hisque repertis?
Quisve valet verbis tantum, qui fingere laudes
Pro meritis eius possit, qui talia nobis
Pectore parta suo, quæsitaque præmia liquit?
Nemo, vt opinor, erit mortali corpore cretus.
Nam si, vt ipsa petit maiestas cognita rerum,
Dicendum est. Deus ille fuit, Deus inclyte Memmi,
Qui princeps vitæ rationem inuenit eam, quæ
Nunc appellatur Sapientia, quique per artem
Fluctibus è tantis vitam, tantisque tenebris
In tam tranquillo, & tam clara luce locauit.
Confer enim diuina aliorum antiqua reperta.
Namque Ceres fertur fruges, Liberque liquoris
Vitigeni laticem mortalibus instituisse.
Cum tamen his posset sine rebus vita manere:
Vt fama est aliquas etiam nunc viuere gentes.
At bene non poterat sine puro pectore viui.
Quo magis hic merito nobis Deus esse videtur.
Ex quo nunc etiam per magnas dedita gentes
Dulcia permulcent animos solatia vitæ.
Herculis antestare autem si facta putabis:
Longius à vera multo ratione ferere.

Horat. 1. Epist. 8.

Ad summam sapiens vno minor est Ioue diues.
Liber, honoratus, pulcher, Rex denique Regum.

Sen. Hip. act. 2.

Qui sapiens bono
Confidit fragili: dum licet, vtere.

Teren. Phon. 5. 4.

Quam scitum est, eiusmodi parare in animo cupiditates,
Quas, cum res aduersa sient, paulo mederi possis.

Idem Hec. 3. 4.

Istuc est sapere, qui vbicunque opus sit, animum possis flectere.

Plaut. Bacch.

Nullus frugi esse potest homo, nisi qui & bene, & male facere tenet.
Frugi conuenit esse hominem, pectus cui sapit.
Bonus sit bonis, malus sit malis: vtcunq; res sit, ita animum habeat.

Teren. Adelph. 3. 4.

O Demea:
Illud est sapere, non quod ante pedes modo est
Videre, sed etiam illa, quæ futura sunt,
Prospicere.

Ter. Phor. 3. 3.

Abdictum sapienti sat est.

Ter. Eun. 4. 7.

Consilia omnia verbis prius experiri, quam armis, sapientem decet.

Manil. 2.

Hæc ego diuino cupiam cum ad sidera flatu,
Ferre, nec in turbam, nec turbæ carmina condam, &c.
Sed cœlo noscenda canam mirantibus astris,
Et gaudente sui mundo per carmina vatis,
Vel quibus illa sacros non inuidere meatus
Notitiamque sui, minima est quæ turba per orbem.

Anthol.

Anthol. Sac. Iac. Bill.

Vera sapientis, atque item mali viri definitio.

Quis mihi sit dignus sapientis nomine, quaeris?
Accipe: cui virtus iam sapit, ille sapit.
Mille etenim videas, quorum est charissima virtus,
Nec tamen his virtus dulce per ora sapit.
Quaeris item: dic quis possit vere malignus?
Scilicet is vitij quem sapor ipse iuuat.
Nam rapit in vitium multos insana libido.
Non sapor, at vitij perniciosus amor.

SENTENTIÆ PHILOSOPHICÆ.

Sapientem perfecte esse non posse dicit Plato, nisi cæteris ingenio præstet, & artibus & prudentiæ partibus imbutus sit. Deniq. sapiens nec in secundis rebus effertur, nec contrahitur in aduersis, cum se ornamentis suis instructum sciat, vt ab his nulla vi segregetur: hunc talem non solum inferre, sed nec quidē referre oportet iniuriam. *Luc. Apuleius de dom. Plat.*

Nunc enim primum censes apud improbos mores lacessitam periculis esse sapientiam. Nonne apud veteres quoque ante nostri Platonis ætatem, magnum sæpe certamen cum stultitiæ temeritate, certauimus? Eodemque superstite, Præceptor eius Socrates iniustæ victoriam mortis, me astante promeruit. *Boet. de consol. philos. l. 1 pros. 3.*

Atqui hanc sententiam Platonis ore sanxisti, Beatas fore Respub. si eas vel studiosi sapientiæ regerent, vel earum rectores studere sapientiæ contigisset. Tu eiusdem viri ore hanc sapientibus capessendæ Reipubl. necessariam causam esse nouisti, ne improbis flagitiosisq; ciuibus, vrbium relicta gubernacula, pestem bonis ac perniciem inferrent. *Idem lib. 1. pros. 4.*

Veramque illam Platonis esse sententiam liquet, solos eos quod desiderent, facere posse sapientes. Improbos vero exercere quidē quod libeat, quod vero desiderent, explere non posse. Faciūt. n. quælibet dum per ea quibus delectantur, id bonum quod desiderent, se adepturos putant. Sed minime adipiscuntur, quoniā ad beatitudinem probra non veniunt. *Boet. lib. 4. pros. 2.*

Magno & excellenti ingenio viri, cum se doctrinæ penitus dedissent, quidquid laboris poterat impendi, contemptis omnibus & publicis & priuatis actionibus: ad inquirendæ veritatis studium se contulerunt: existimantes multo esse præclarius, diuinarū humanarumq; rerum inuestigare ac scire rationem, quā aut struendis opibus, aut cumulandis honoribus inhærere. Quibus rebus, quoniam fragiles terrenæq; sunt, & ad solius corporis pertinēt cultum, nemo melior, nemo iustior effici potest. Erant quidē illi veritatis cognitione dignissimi, quam scire tantopere cupierūt, atque ita, vt eam rebus omnibus anteponerent. *Lact. an. Firm. diui. instit. adu. gent. lib. 1. c. 1 prin.*

Non ergo pigeat ad percipiendum sapientiæ disciplinam, audiendi vel legendi patientiam commodare. *Idem Firm. ibid. c. 2.*

Non enim religio vlla sine sapientia suscipienda, nec vlla sine religione probanda sapientia. *Idem lib. 1. c. 2.*

Primus sapientiæ gradus est, falsa intelligere: Secūdus vera cognoscere, qua cognitione veri, nulla est hoīum iucundior voluptas, ad quam cognoscendam nunc propius accedamus. *Ibidem, ca. 23.*

Falsum intelligere, est quidem sapientiæ, sed humanæ: vltra gradū hunc ab homine procedi non potest. *Idem lib. 2. c. 2.*

Omnis sapientia hominis in hoc vno est, vt Deum cognoscat & colat. Hoc nostrum dogma, hæc summa est. Quanta itaq; voce possum, testificor, proclamo, denuntio. Hoc est illud, quod Philosophi omnes in tota sua vita quæsierunt, nec vnquam tamen inuestigare, comprehendere, tenere valuerunt, quia religionem aut prauam retinuerūt, aut totā penitus sustulerunt. Qui vult igitur sapiens ac beatus esse, audiat Dei vocem: discat iustitiam, Sacramentum natiuitatis suæ noscat, humana contemnat, diuina suscipiat, vt summum illud bonum, ad quod natus est, possit adipisci. *Idem lib. 3. c. 30.*

Nihil sapienti necesse est. *Sen. ad Luc. epist. 9.*

Non conturbat sapiens publicos mores, nec populum in se, vitæ nouitate conuertet. *Idem epist. 17.*

Hoc scio, neminem posse bene viuere, sed nec tolerabiliter sine sapientiæ studio. Cum omnia habueris, tunc & habere scientiam volens & sapientiam, hæc erit vltimum vitæ instrumentum. *Idem ad Luc. epist. 17.*

Quid est sapientia? Semper idem velle atque idem nolle. Licet illam exceptiunculam nō adijciam, vt rectum sit quod velis. *Idem epist. 20.*

Sapiens ad omnem incursum munitus, & intentus est, non si paupertas, non si luctus, non si ignominia, non si dolor impetum faciat, pedem referet: Interritus contra illa ibit, & inter illa. Sapiēs plenus est gaudio, hilaris & placidus, & inconcussus, cū Dijs ex pari viuit. *Idem epist. 60.*

Non. n. viuere bonum est, sed bene viuere. Itaque sapiens viuit quātum debet, non quantum potest: videbit vbi victurus sit, cū quibus, quomodo, quid acturus, cogitat semper qualis vita, nō quanta sit. Sapiens enim vincit virtute fortunam. *Idem epist. 72.*

Præcogitati mali mollis ictus venit, ideo stultis & fortunæ credentibus, omnis uidetur noua rerum & inopinata facies. Sapiens autem assuescit futuris malis, & qui alij diu patiendo leuia faciunt, hic leuia facit diu cogitando. *Idem ad Luc. epist. 77.*

Sapientia rectrix dominaque est. *Idem epist. 86.*

Sapientis facilis uictus est. *Idem epist. 29.*

Puto multos ad sapientiam potuisse peruenire, nisi putassent se peruenisse. Onerat discentem turba librorum, non instruit. multoq; sanctius est paucis authoribus te tradere quam errare per multos. *Idem de tranquil. anim.*

Οὐ μεταγνοεῖν, ἀλλὰ προνοεῖν χρὴ τὸν ἄνδρα τὸν σοφόν.

Non re facta, sed multo ante deliberandum est viro sapienti. *Epicharm. Siculus.*

Τοῦ σοφοῦ σώματος ἀνοιχθέντος καθάπερ ἱεροῦ, τὰ τῆς ψυχῆς καλὰ βλέπεται ὥσπερ ἀγάλματα.

Quum sapiens os suum aperuerit, tanquam templum, ibi animæ pulcherrima perspiciuntur. *Soc. Io. Stob. in serm. de virt.*

Ἡγοῦ τῶν ἀκουσμάτων πολλὰ πολλῶν εἶναι χρημάτων κρείττω· τὰ μὲν γὰρ ταχέως ἀπολείπει, τὰ δὲ πάντα τὸν χρόνον παραμένει· σοφία γὰρ μόνη τῶν κτημάτων ἀθάνατον.

Multas utiles doctrinas multis pecunijs præstare ducito: nam hę facile amittuntur, illæ nunquam deserunt. Sola enim inter omnes possessiones sapientia immortalis est. *Isoc. ad Dem.*

At nos virtutem semper liberam volumus, semper inuictam, adeo vt nulla re unquam terreamur: semperque simus inuicti, ita ut nihil pœniteat, nihil desit, nihil obstet. Etenim ut stultitia, etsi adepta est, quod concupiuit, nunquam se tamen satis consecutā putat: sic sapientia semper contenta est, quod adest, neque eam vnquam sui pœnitet. *Cic. in l. 5 q. Tusc.*

Actiones naturales non sunt ex limitibus uoluntatis nostrę, sed ex facultatis cuiusque summa vi, ac potentia. In sapiēte multo sunt omnia diuersa: is etenim nec in eligendo bona fallitur, & unum aliquod sibi proponit, paucasque ad illud uias, easq; se exploratas ac certas, nec permittit se regendum negotijs, sed regit ipse negotia, habetque se in suo iure ac potestate, insurgentem ui naturæ affectum statim rationis fræno compescat, cogatque recto iudicio cedere. *Lud. Viues lib. 2. De anim. c. de affect.*

Sapientes existimo non eos, qui de rebus minutis curiose rixantur, sed qui de maximis rebus egregie dicunt, nec eos, qui alijs felicitatem pollicentur, cum ipsi in maximis angustijs viuant, sed qui mediocria de se profitentur, rerum & negotia dextre obite, & inter homines uersari commode possunt: nec in uitæ mutationibus perturbantur, sed pulchre & moderate res tam secūdas, quā aduersas ferre norunt. *Isoc. ad Nicoclem de regno.*

Immensa illa sapientia, quæ nec ipso quidem uitæ excessu oblivisci sui potest. *Val. Max. lib. 3.*

Σοφοῖς χρῶ Sapientibus utere. *Periander.*

Censeo sapienti tria esse necessaria, Scientiam primum, deinde Opinionem, tertio Audaciam. *Plato in Greg.*

Conditus uero & compositus est homo in hoc, ut contempletur naturæ rerum, ipsiusque sapientiæ rationem: eidemq. labor iniunctus est comparandi contemplandiq. rerum, quæ extat, sapientiam. *Perictyone Pythagorica, de sapientia.*

Geometria & Arithmetica, reliquaque in speculatione sita & sciētię sunt, & circa entia uersantur. At sapientia circa omnia genera entium. Etenim occupata est sapientia circa omnia, quę sunt, ceu visus circa omnia uisibilia, & auditus circa omnia audibilia. Accidentium uero entium, alia quidem in uniuersum omnibus accidunt, alia uero entium pluribus, alia uero singulis. Ea itaque, quę in uniuersum omnib. accidunt cognouisse & perspexisse, sapientiæ munus est: ea uero, quæ pluribus, Physicæ est scientiæ. Propria uero cuique rei accidētia nosse, est circa quid separatū sciētiæ. Ideoque sapientia entium omnium principia indagat. Physica uero eorum, quę natura producit. Geometria uero & Arithmetica & Musica, quantitatis & consonantiæ. Quisquis igitur resoluere potis est omnia genera ad unū idemque principium, rerumq. ea componere & enumerare, hic & sapientissimus esse, & verissimus uidetur: quin & pulchram speculam inuenisse, in qua poterit & Deum contemplari, omniaq. in eadem scire, sunt & ordine, ab ipso seiuncta. *Idem circa quæ versetur sapientia.*

[illegible]

Sapientem uirum non rectius alium indicauerit, quam illum, qui se se contra momentaneam iræ titillationem munierit, & potuerit ipse refrenare ac uincere seipsum. Contra, qui iræ noluerit indulgere, huic sane deteriora pro melioribus placent. *Antiphon.*

[illegible]

Dei quidem felicitas atque uita optima est, hominis, & scien-

aua & virtute, tertiaq; prospera fortuna coalescens prouenit. Appello autem sapientiam cognitionem numinis rerumq; diuinarum, ac prudentiam rerum humanarum, & eorum, quæ vitā spectant. *Arch. Pyth. in l. de vita bon.*

Illud quidem perspicuum est, sapientiam esse quæ in causis quibusdam principijsque cernatur. *lib. 1. Maior. Met. c. 1.*

Perspicuum est reliquis scientijs perfectione & absolutione, præstare sapientiam. *lib. 6. Eth. c. 7.*

Sapientis est, non solum ea intelligere, quæ principijs concluduntur: sed rerum etiam causas tenere: vt sit sapientia, intelligentia, & scientia: adeoque scientia, quæ quasi caput in ijs versatur, quæ sunt in rerum natura præstantissima. *lib. 6. Ethic. c. 7. & lib. 1. Magn. Mora. cap. 34.*

Nonnullarum rerum eget sapiens demonstratione. *lib. 6. Ethicor. cap. 6.*

Est sapientis in re quaque officium, vt rogatus de ijs rebus, quarum habet scientiam, nil falsum dicat: vt si quem in errore versari senserit, illum coarguat, & de falsa opinione deducat. *lib. 1. de Rep. ch. Soph. cap. 2.*

Sapientem primum quidem penitus ac maxime omnia tenere quoad eius fieri potest, censemus: ita tamen, vt ea singulari scientia minime comprehendat: deinde eum sapientem esse iudicamus, qui & arduas & difficiles possit cognoscere, & res eas quas non facile homo cognoscat. *lib. 1. Maior. Met. c. 2.*

Sapientiam in artibus ijs tribuere solemus: qui in quaque parte excellunt maxime, vt Phidiam sapientem lapidum sculptorem & Polycletum statuarium sapientem nominamus. In quo sapientiam nihil aliud esse significamus, nisi artis virtutem & præstantiam. *lib. 6. Eth. c. 7*

Quoniam principari iucundissimum est: ideo sapere etiam iucundissimum videtur. Nā sapere principiantis est. Sapientia aūt multarum ac mirabilium rerum scientia est. *l. 1. Rost. ad Theod. c. 12.*

Tribus rebus probitatem sapientiamque adipiscimur, Natura, More, atque Ratione. *lib. 7. de Repub. c. 13.*

Mater omnium bonarum artium est sapientia, à cuius amore Græco verbo Philosophia nomen inuenit: qua nihil à Dijs immortalibus vberius, nihil florentius nihil præstabilius hominum generi datum est. Hæc enim vna, nos cum cæteras res omnes, tum quod est difficillimum docuit, vt nosmetipsos nosceremus. Cuius præcepti tanta vis, tanta sententia est, vt ea non homini cuipiam, sed Delphico Deo tribueretur. Nam qui seipsum norit, primum aliquid se habere sentiet diuinum, ingeniumq; in se suum, sicut simulacrum aliquod putabit, tantoq; munere Deorum semper dignum aliquid, & faciet & sentiet: & cum se ipse perspexerit, totumque tentarit, intelliget quemadmodum à natura subornatus in vitam venerit, quantaque instrumenta habeat ad obtinendā adipiscendamque sapientiam: quoniam principio rerum omniū quasi adumbratas intelligentias animo ac mente conceperit, quibus illustratus, sapientia duce, bonū virum, & ob eam ipsam causam, cernat se beatum fore. *Cic. 1. de legib.*

Sapientia, ars viuenda putanda est, quæ mœstitiam pellit ex animis quæ exhorrescere metu non finit: qua præceptrice, in tranquillitate viui potest, cupiditatum ardore restincto. *1. de fin.*

Sapientia est sanitas animi. *3. Tusc.*

Sapientia sola est, quæ nos à libidinum impetu, & formidinum terrore vendicet, & ipsius fortunæ modeste ferre doceat iniuriam, & omnes doceat vias, quæ ad quietem & tranquillitatem ferūt. *3. de finibus.*

Sapientia hominis est custos & procreatrix. *4. de finib.*

Hæc est vna omnis scientia, non arbitrari sese scire quod nesciat, ob eamque rem Socrates ab Apolline omnium sapientissimus est dictus. *1. Academ.*

Sapientia nihil est optabilius, nihil præstantius, nihil homine dignius. Estque diuinarum rerum & humanarum sciētia: cuius studium si quis vituperat, haud sane intelligo, quidnā sit, quod laudandum putet. *2. Offic.*

Illa est præstans & diuina sapientia, perceptas penitus & pertractatas humanas res habere: nihil admirari cum acciderit: nihil antequam euenerit, non euenire posse arbitrari. *3. Tusc.*

Sapientia nihil est melius. *2. de Nat. Deor.*

Ad Rempublicam plurima veniunt commoda, si moderatrix omnium rerum præsto est sapientia: hinc ad ipsos, qui eam adepti sunt, laus, honor, dignitas confluit. *1. de inuent.*

Oculorum est in nobis sensus acerrimus, quibus sapientiam non cernimus: quam illa ardentes amores excitaret sui, si videretur. *2. de finib.*

Laudem sapientiæ statuo maximam, non aliunde pendere, nec extrinsecus aut bene aut male viuendi suspensas habere rationes. *Ad Lucceium, l. 5. Famil.*

Nihil est turpius, quam sapientis vitam, ex insipientium sermone pendere. *5. de finib.*

Ignobilitas, aut humilitas, aut etiam popularis offensio, sapientem esse non prohibet. *5. Tusc.*

Quum sapiens & bonus vir, qualis fuit ille, suffragijs præteritur, non populus a bono Consule potius, quam ille a bono populo repulsam fert. *5. Tusc.*

Sapiens animus magnitudine consilij, tolerantia rerum humanarū, contemptione fortunæ, virtutibus omnibus, vt mœnibus septus, vinci aut expugnari non potest. *Paradox. 4.*

Sapientis animus nunquam est in uitio, nunquam turgescit, nunquam tumet, nunquam sapiens irascitur. *3. Tusc.*

Est sapientis, quicquid homini accidere possit, præmeditari, & ferendum modice si aduenerit. *Philip. 11.*

Sapienti nihil potest uideri magnum in rebus humanis, cui æternitas omnis, totiusque mundi nota sit magnitudo, Nam quid aut in studijs humanis, aut in tam exigua uitæ breuitate magnum sapienti uideri potest? qui semper animo sic excubat: ut ei nihil improuisum accidere possit, nihil inopinatum, nihil omnino nouū, atque idem ita in omnes partes aciem intendit, ut semper uideat sedem sibi, & locum sine molestia atque angore uiuendi, ut quē cunq; casum fortuna inuexerit, hunc apte & quiete ferat. *3. Tusc.*

Sapientia est una quæ mœstitiam pellat ex animis, quæ nos exhorrescere metu non sinat, qua præceptrice in tranquillitate uiui potest, omnium cupiditatum ardore restincto. *5. de finib.*

Sapienti malum uideri nullum potest, quod uacet turpitudine: aut ita paruum malum, ut id obruatur sapientia, vixq; appareat, qui nihil opinione affingat, assumatque ad ægritudinem: neque id putet esse rectum, se quam maxime excruciari, luctuque cōfici, quo prauius nihil esse potest. *3. Tusc.*

Quisquis est, qui moderatione & constantia polleat, quietus animo est: sibique ipse placatur, ut neque tabescat molestijs, neque frangatur timore, nec sitienter quid expectans, ardeat desiderio, nec alacritate futili gestiens, deliquescat, is est sapiens *4. Tusc.*

Vir temperatus, constans, sine metu, sine ægritudine, sine alacritate vlla, sine libidine, is est sapiens. *4. Tusc.*

Omnes qui in rerum contemplatione studia ponebant, sapientes & habebantur, & nominabantur. *5 Tusc.*

Qui omnibus uirtutibus instructi & ornati sunt, cum sapientes, tum boni uiri dicuntur. *5. Tusc.*

Sapientissimus est, cui quod opus sit, ipsi uenit in mentem. *Pro Cluent.*

Quicquid à sapiente proficiscitur, id continuo docet expletum esse suis partibus, nec est sapientis dicere, non putaram. *3. de finib.*

Qui ipse sibi sapiens prodesse nequicquam sapit: dicebat Ennius. *Ad Trebat. Fam. 7. & 3. Offic. in apoph. 120.*

Sapiens non nisi cum res postulat, pluribus uerbis quam opus sit vtitur.

Fallit tragœdia tractans argumenta conficta, sed adeo scite ut uera credantur: at melior autem ille uidetur, qui fallendo prodest: & sapientior est, qui per fictas fabulas discit quid sit turpe, quid sit honestum.

Vir eruditus ac sapientia præditus, non perit nisi graui Reipubl. dispendio.

Pro varietate occasionum uir probus & sapiens sæpenumero cogitur mutare consilium, quum scriptura nunquam mutetur.

Sapiens uir, uates est optimus.

Nulla mœnia tam sunt munita, quin machinis aut suffossionibus, aut, ut nihil horum, proditione capiantur: at sapientis decreta sunt inexpugnabilia.

Sapienti nihil peregrinum esse debet, nisi quod cum uitio sit coniunctum.

Silentio stultitiam tegere, est pars aliqua sapientiæ.

Sapiens secum in pectore circumfert, quo se commendet quibuslibet.

Insipientis est dolere amissis potius quam gaudere relictis.

Francisci Petrarchæ.

G A V.

Sapientiam consecutus sum. R. Rem magnam, si vera esset, & inseparabilem a uirtute. Si illam igitur approbasses, hæc probata esset, sed vtraque opinione aliquanto facilior est quam re. G. Sapiens sum. R. Crede autem mihi: nunquam si vere esses, hoc diceres. Sapiens enim quantum est, quod sibi desit intelligit, non gloriatur itaque, sed suspirat. G. Sapientē me profiteor. R. Bene iret res, si tot essent sapientes, quot sapientiæ professores. Nunc illud perdifficile est, hoc vero facillimum. G. Sum sapiens. R. Si vere sapiens esse uis, noli id quidem opinari. Credere se sapientem primus ad stultitiam gradus, proximus est profiteri. G. Studio ad sapientiā perueni. R. Vtique sic ad illum peruenitur. Sed an tu perueneris, te cogita. Non est enim res studij breuis, egens aliquot annorum vt reliquæ artes, tota uel longissima opus est uita, Si quis (vt aiunt) tota die currens peruenit ad uesperam, satis est, notum est illud Platonis, ut alia multa, præclarissimum, quod Ciceroni placet, & mihi, beatum, cui etiam in senectute cōtigerit, ut sapientiam, verasque opiniones assequi possit. Has tu an calle medio obuios habueris an nescio quo pēnato equo vectus ante tē-

pus

pùs attigeris incertum, tam cito sapiens euasisti? G. Sapientię perfectionem cęlitus accepi. R. Est fateor cęleste donum sapientia, sed magnus certe vir erat, & cęli amicus, qui dicebat, non quod iā acceperim aus perfectus sim. G. Sapientiam cupida mente cōprehendi. R. Vt pecuniæ rerumque multarum mala, sic sapientiæ cupiditas bona est. Sed an tu tantæ rei capax sis, videto. Certe ille idem, Ego me, inquit, non arbitror comprehendisse, & ille quoque permagnus, qui cum Deo de seipso loquens sic aiebat. Imperfectum meum viderūt oculi tui. Hoc est proprium Sapientis, imperfectionem suam noscere, ac fateri. G. Sapiens dicor. R. Non se tuæ, neque alienæ vnquam voces sapientem fecerūt, sed res ipsa. G. Sapiens vulgo dicor. R. Vulgus insanos sapientes dicere, & sapiens insanos, iure suo didicit, quod est, vt falsa pro veris, veraq; pro falsis habeat. Nihil est à virtute, vel a veritate remotius quam vulgatis opinio. G. Omnes prædicant me sapientem. Ad famam forrasse aliquid. Ad sapientiam nihil omnino. Scntio autem superscripoonibus inuitatis literarum, quibus nihil est liberalius: non satis est facere sapientes qui non sunt, sed egregios, & insignes faciunt, ac verecūdos, serenissimos insuper & illustres, vt iam simplex sapientiæ titulus sit pudori, qui quam paucis conueniat stupor est, obsoleuit tū inter titulos clariotes, quos qui scribendo sic accumulant, sciunt se mentiri. Sed vrbani vel mendacio fieri volunt. Vos qui legitis non veros modo, sed citra verum sistere illos tari publico errore fallimini. Nemo est qui de suis rebus interroget. Oia alijs de se credunt. Vis autē noscere quam sis sapiens verte oculos retro. Recordare quoties in hoc vitæ cursu cespitaueris, quoties aberraueris, quoties offenso pede cecideris, quot pudenda, quot dolenda, quot pęnitenda cōmisceris. tunc si audes, te dicito sapientem: credo autem non audebis. G. Scio me sapientem. R. Lueratam forsan vis dicere. Sunt enim plaoe literati aliqui vere, lerpauci, sapientes autem pene nulli. Aliud est sapienter loqui, aliud sapienter viuere, aliud dici, aliud esse sapientem. Fuere qui dicerent sapientem nullum. Id ꝗ verum falsumve sit non dispuro. Certe minus præcrupta sententia est, & ad desperationem prona. & studio aduersa sapientiæ. Hebræi sapientem Salomonem suum prædicant, qui quā sapiens esset, turba coniugum, pellicumque testatur, multoque maxime Dijs alienis cultus exhibitus. Romani sapientem Lęlium, & Catonem. Græcia ipsa dum floruit septem habuisse dicitur sapientes. Ii quoque hoc titulo indigni sequentibus visi erant. Qui excusant, dicunt eos non illum sibi titulum assumpsisse, sed ab errantib. populis traditum possedisse. Vnus tantum fuit, sua possessione, suoq; sapiens iudicio, stultissimus omnium Epicurus. Quem titulum cum Metro doro participare voluit, nec honorificū amici donum ille respuit. Seque et sapientem dici æquanimiter tulit, vt sua illa qualis qualis gloria, et tot esset alterius. Vous quoque sapiens Socrates oraculo dictus Apollinis, forsan ideo, et vnū illum sapienu proximum, falso testimonio, falsus Deus ad amentiam, atque insolentiam irritaret. Hæc de antiquis sapientibus dixerim. Felicior ætas nostra, quæ non vnum duolve, vel septem, sed in singulis vrbibus, ceu pecudum greges numerat sapientū. Nec mirum sane, multos esse, qui tam facile fiant. Venit iuuenis stultus ad tēplum, præceptores illum sui prædicant, celebrant, seu amore, seu errore, tumet ille, vulgus stupet, plaudunt affines & amici. Ipse iussus in cathedram scandit, cuncta tam ex alto despiciens, & nescio quid confusum murmurans, tunc maiores certatim, & ceu diuina locutum, laudibus ad cęlum tollunt, tinniūt interim campanæ, strepunt tubæ, volant annuli, figuntur oscula, verrici rotundus, & niger pannus imprimitur. His peractis descendit sapiens, qui stultus ascenderat. Mira prorsus transformatio, nec Nasoni cognita. Sic fiunt hodie sapientes. Verus sapiens fit aliter. G. Sapiens sum. R. Solent qui de se magnifice sentiunt, præsidenter maiora virib. aggredi, inq; nisu medio prolapsi, sed vel periculo vel pudore condiscere, quam iusti rerum æstimatores, fuerint suarum. Præstat igitur (mihi crede) falsas opiniones abijcere, insolentiam deponere, insipientiam circumspicere, & optare, ne qua capiendæ sapientiæ necessitas incidat, quæ declaret te de obito gloriatū. Hæc rectior tutiorq; quęrendæ sapientiæ via est. G. Credo ego me ad sapientiā peruenisse. R. At si mihi obsequeris, ad illam potius assurgēdo, nitendoq; peruenies quam credendo. Nihil altius ascendit, quā humilitas operosa.

Sententiæ Historicæ.

Sapiens secum ipse tantum & cum Deo colloquitur. *G. Pach. hist. lib. 2.*

Sapientium hominum est statuere res secundas esse incertas, vt res aduersas fortius feratur. *Thucyd. lib. 4.*

Sapientiæ studiosi neque facinus vllum, neque audaciam, neque victoriam, sed id vnum spectant atque magnifaciunt, si quis fortuna recte vtatur, & in magnis rebus versantem se moderatū præbeat. *Plut. in Dione.*

Velim nobis magnam præstantium virorum esse copiam: idque, si facto opus sit, optauerim, At quando res hæc non votis conficitur, neque forte fortuna hi obtingunt: sed vt ad hoc natus quispiam sit exercitatus sit, vt in omnibus rebus prosperam fortunā expertus (hæc autem vni viro omnia rarissime contingunt) necesse est, si quis talis vir à vobis repertus fuerit, eum a vobis omnibus vnanimi fauore ad dignitatem istam euehi, estq. vobis eo vel inuito vtendum, quæuis & ei qui infert & ei qui patitur est honestissima: dum alter per eam seruatur, alter hoc modo ciues afferit, in quos bonus ac ciuitatis amans vit corpus vtramque suam promptissime impenderit. *Dion. lib. 36.*

Decet sapientes nō expectare dum quis se hostem profiteatur: sed pluris facta eius quam verba facere, nec propter prætextum fictæ amicitiæ vtere firmosque amicos prodere. *Appian. lib. de bellis Mithrid.*

Desipientium est malis præteritis continenter indoluisse & angi sapientium vero temerarios fortunæ casus prænosse, & rerum vicissitudini nihil commoueri, nec cum his simul, quibus priuati iam sumus, vel futurorum spem amittere. *Agath. hist. lib. 3.*

Non omnes homines sunt sapientes. imo paucissimi sunt qui sapiāt, & qui multum de alienis consilijs conijcere, nisi falli velit, non tam quid sapientem facturum verisimile sit, quam quid pro sui consilium sapientis ingenium, eiusque natura cogitare debet. *Fr. Guicciard. hist. lib. 7.*

A sapientum consilio vehementer abhorret, se multa inuidia, & rerum nimio pondere grauare. *Fr. Guicciard. hist. lib. 3.*

Ad nimij timoris remedium, cogitandū est, omnes humanas actiones multis periculis esse obnoxias: verum homines sapientes cognoscere nequaquam omnia semper euenire, quæ accidere possint: fortunæ beneficio pleraq; pericula euanescere: multa, prudētia atque industria vitari, idcirco timiditatem cum prudentia, q plerique rerum cum nomina rum naturam ipsam parum attendentes faciunt, confundendam non esse: nec ij sapientes dicendi, qui omnia pericula, quæ quidem dubia sunt pro certis habentes, atque ob id omnia formidantes, sua consilia sic gubernant, quasi omnia sint certo futura: neque enim vllo modo pro dentes sapienter ipse illos habendos esse, qui quæ futura sunt supra quam par est timent: hoc nomen hancque laudem multo melius fortibus magnoque animo viris conuenire: qui pericula quidem cognoscentes, eaque ponderantes (in quo a temerarijs, qui ea nec cognoscunt nec ponderant differunt) tamen, quam sæpe homines nunc casu nunc virtute è multis difficultatibus sese explicent, etiam animaduertunt. *Idem eod. lib.*

Non efferri propter aduersos casus hostium, sapientia est. *Thucyd. lib. 6.*

Ad virum alijs insidiantem, qui aliud lingua promptum, aliud pectore clausum habet, cauendum, magna sapientia est opus: & Numinis auxilio. *Nicet. Manual. Comn. lib. 7.*

Sapientia, ingenij indoles est, quā nullus efficere vel creare sibi potest: naturæ bonum ac Dei donum est. *P. Æmil. lib. 8.*

Multi persuasi sunt ciuitatibus, & ij quidem qui sapientissimi videbantur, aduersus eos bellum suscipere, a quibus illi qui ad bellū impulsi fuerant, interempti sunt. Multi etiam auxere multos & priuatos homines & respublicas, quorum amplificatio ijs maxima attolit mala. Multi quoque ij quibus poterant amicis vri per mutua beneficia, quum maluissent seruis vti quam amicis, ijs ipsis dedere pœnas. Multi item non contenti partem habēres suauiter viuere, quum voluissent omnium esse domini, propterea amiserunt etiam quæ habebant. Multi quoque vbi diuitias quas maxime optabant, adepti essent, propter illas perierunt. Et ita humana sapientia nihilo magis nouit quod sibi vtilissimum sit deligere, quam si quis de eo quod sibi agendum sit fortem ducat. *Xenophon. de pædia Cyri. lib. 5.*

Nihil vsq; adeo cæteris istis (quæ vocamus) bonis fortunæ cinaie atque circumsepiit, vt philosophia id oratioque libera & acri non possit adiri. *Plutarc. in Alcibiade.*

Apophthegmata.

Pythagoras diligēter hoc perpendendū esse dicebat. Quod cum homines omnes maximum esse bonum in sapientia firmiter afferant, perpauci tamen intentum ad possessionem eius annitantur. *Stob. ser. de prudentia.*

Archytas Pythagoreus, Appello, inquit, Sapientiam cognitionem omnium rerumque diuinarum, ac prudentiam humanarum rerum, & eorum quæ vitam spectant. *Stob. ser. 1. de virtute.*

Thales hominem ex sermonis serie iudicandum putauit sapientem, cum dicere solitus sit: Multa verba nequaquā arguunt sapiētem, Sapiens enim non tufi quam res postulat, loquitur, perpaucis ad interrogata respondet. *P. M. l. 6. apoph. 4. Laert. l. 6.*

Solon, Sapientiam aiebat tantum cæteris virtutibus anteſtare, quantum visus reliquos sensus excellit. *Ant. ferm. de sapientia.*

Bias, eos qui inani sapientiæ vacant, similes esse noctuæ oculis dicebat. Huius enim oculi noctu quidem vident, a sole autem splendente excæcantur. Et illorum mens acutissima quidem est in vani nitate contemplanda, ad veri autem lumina obiectum, mox obscuratur. *Stob. serm. 3.*

Diogenes dicebat faciles esse Deos ad donandum hominibus vitam; cæterum hanc ignorari ab his, qui quærunt unguenta & delicias, his enim qui fruuntur, credunt se vivere: quum veram vitam, tranquillam & suauem præstet sapientia. *Laert. lib. 6.*

Idem. Sapienti nihil deesse colligebat hoc syllogismo: Deorum amici sunt, Deorum autem amici sunt sapientes, & amicorum cōmunia sunt omnia, sapientum igitur sunt omnia. Sed eodem syllogismo rei ipse poterat, petens aliquid: Cur petis habens omnia? At respondisset, Non peto, sed repeto. *Laert. lib. 6.*

Antisthenes Atheniensis negabat sapientem viuere iuxta leges ab hominibus conditas, sed iuxta normam virtutis. Sapiens enim non ideo declinat a malo, quod legibus prohibitum fuerit, sed quod ipsa ratio diffuadet hoc agendum esse. *Laer. l. lib. 6.*

Xenophanes, Empedocle dicente, sapientem inuenini nō posse: Et merito, inquit, nam sapientem esse oportet qui agnoscat sapientem, notans illum qui hoc dicebat, sa vitio non inuenire sapientem. *Laert. lib. 9. c. 1 Ant. in Melis par. 1. ser. 50.*

Aristo. dicebat, sapientem sibi sufficere, eo quod omnia quæ sunt aliorum, sunt & huius, qui cum omnibus habet amicitiam, & amicis facit omnia communia. *Laert. lib. 6.*

Alexander videns Diogenem in dolio decumbentem: O vas, ait, sapientia refertum: At Philosophus assurgens, Regum, inquit, omnium maxime, vnam abs te fortunæ guttam expeto, ut dolium hoc (quod vocas sapientiæ) S'ubi in hoc permaneat, sine quo parum feliciter cum sapientia agitur. *Stob.*

Dionysius dicere solebat, sibi a sapientibus amicis sibi cauere, quando certum haberet ex his esse neminem, qui non imperare mallet, quam seruire. *P. M. lib. 5 apoph.*

Cicero lusit in quendam, qui quum prius habitus esset stultissimus, post adeptam hæreditatem primum rogabatur sententiam: Cuius, inquit, hæreditas, quam vocant sapientiam. in versu pro facultas mutauit hæreditas. Apud Poetam enim versus sic habet: Cuius facultas, quam vocant sapientiam. Sig nificauit autem, hæreditatem illi pro sapientia contigisse, & ob hæreditatem iā habitum sapientem. *P. M. lib. 4. apoph.*

Seneca sapientiam describens dicebat, esse idem velle atque nolle perfectum itrem bonum mentis humanæ: a cero natura nō aberrare & ad illius legis exemplum formari. *In epi. 20. & l. de vita beata.*

Alphonso Aragonum rege cum quidam sciscitaretur, quomodo locupletes diuitijs pauper effici posset? respondit, Si sapientia vendatur, Quo dicto ostendere voluit, se pluris sapientiam rerumque cognitionem facere quam diuitias & regnum. *Panorm. in prooem. lib. 3. de reb. gest. Alph.*

Idem sapientiam Dei filiam appellare solitus est, eamque solam rerum omnium esse immortalem, atque ex omnibus generæ xnimantium soli hominibus concessam. *Panorm in prooem. libro 3. de rebus gest. Alphonsi.*

Chilon sapientissime dixisse putatur, cum monuit hominum bonitatem ita a oro probari, quemadmodum aurum Lydio lapide. Ostendit enim permultos, qui alijs vitijs retineri, opum desiderio multoties a virtutis tramite deduci. Et qui adhuc opum improbitatem constans fuerit, cum facile de cæteris vitijs victoria referri iturum. *Fulg. lib. 12. c. 2.*

Thales sciscitatus, quo pacto optime sanctissimeque quis viuere posset? si, inquit, quæ in alijs reprehendit, ea ne faciat ipse. *Laert. lib. 1. cap. 1.*

Pyrrhus cum vouisset Palladi, in Atheniensis arce rem sacram facere: Athenienses libere eum in vrbem atque arcem receperūt. Verum postquam vrbe egressus fuit, dixisse fertur, Maiori se modo gratam extitisse fidem, quam sibi Athenienses habuissent. Cæterum si saperent, in posterum regi nemini portas apertures esse. Quo dicto ostendit, non esse ex re liberæ ciuitatis in cuiusquam Principis manu libertatem suam credere. Cuius consilium non secuti Athenienses, cum postea Cassandrum quoque in vrbe recepissent, magna atque innumerabilia mala ex eo tulerunt: re ipsa experti se a Pyrrho sapientissime monitos esse. *Fulg. lib. 6. c. 2.*

Scipio Africanus negabat aliter cum hoste cōfligi debere, quam si aut rei opportunitas obuenisset, aut dira postularet necessitas. Nam & prosperam gerendæ rei facultatem omittere, maxima dementia est: & in angustias vtique pugnandi compulsum, abstinere se prælio, pestiferæ ignauiæ affert exitum: eorum, qui ita committunt, alter beneficio fortunæ vti, alter iniuriæ nescit resistere. *Val. Max. lib. 7. c. 1. Bruss. lib 2. c. 32.*

Q. Metellus deuicta iam Carthagine, in senatu sapientissime nescire se dixit, plus ne boni vel mali Reipublicæ illa victoria attulisset. Quoniam vt pacem restituendo profuisset, ita Annibalem submouendo nonnihil nocuisset. Eius enim transitu in Italiam dormientem populi Romani virtutem excitaram: metuique debere ne acri æmulo liberata, in eundem somnum rei oluere tur. *Valer. Maxim libro 6. cap 2.*

M. Cato affirmare solebat, insanos prudentibus longe vtiliores esse, quam insanis sapientes. Quippe qui sapientes, cum stultorum errata inspicerent, ob id in melius vitā mutare solerent: at amen res, cum discendi capaces non sint, ex sapientium benefactis fructum percipere nullum pullum. *Fulgos. lib. 7. cap. 2. & P. M. libro 5. apoph.*

Augustus Cæs. is omni verbo prudentissimus, eos qui leues ob causas se periculis exponerent, similes esse dicebat ijs, qui aureo hamo pisces capere tentarent. Hi enim amisso semel hamo, plus damni acciperent, quam ex multorum piscium captura lucri. *Fulgos. lib. 7. cap. 2.*

L. Passienus, is Neronis vitricus, a quo & Nero maxime ditatus est, dicere solebat, se malle quorundam iudicium quam beneficiū, & quorundam beneficium quam iudicium: quo Seneca asserunt, se nihil subtilius atque insignius cognouisse: in distinguendis maxime vitijs, quæ curandis.

Anonymus. Abhorrens ab omni mulierum aspectu, cum aliquando seminam obuiam haberet, quæ aperto supercilio eum intueba tur, increpans eam, in terram prospicere. Illa autem respondens, ait: Quomodo tandem ego intuear? cum æquius sit te eam intueri, quæ ex ea conditus sis, quam me, ex re eorum habeare? *Idem lib. 9. c. 16. Eccl. hist.*

Cosmus Medices. A Strossianis quandoque in exilium pulsus, ad Benacum a misso ad se nuncio interrogatus quid ageret: prudentissime sanctegue respondit, se Gallinæ incubantis frequentem adesse, vt eius postea fructu potiretur. Cuius responso nuntius ille in risum conuersus, non animaduertit viri prudentissimi responsum cōcendere, vt de reditu in patriam assidue cogitaret: quam nō multo post Senatus Veneti ope consequutus est. *Ioan. Bapt. Egnatius lib. 7. c. 2.*

Saladinus. Fuit Saladinus Princeps Aegyptius (id qui vix alicui pertuadeat potius) cum vir longe clarissimus. Namque imperij sui fines in primis auxit: & felicissime diu rerum potitus, Christianorum quoque opes ita in Oriente attriuit, vt Hierosolymis captis, Christianum nomen in hunc vsque diem in Syria exciderit. Ille vero moriens in summo rerum fenicitate testamento suo præcipue cauit, vt interula tunica linea, quam gestare solebat, vertici prælongæ hastæ affigeretur, exclamaretque assidue, qui lanceam gereret, haec vnam esse reliquam tunicam, quæ, illi ex tantis opibus, tanto que imperio superfuisset. O vocem præclarā: dignamque in primis, quam insolentissimi Principes frequentissime in animo repetant, nobis omnibus vita functis nihil omnino superesse, nisi quid bene sanctéque gesserimus. *Io. Bapt. Egnatius lib. 7. c. 2.*

Carolus V. Imper. Multa extant sapienter ab eo dicta. Inter hæc sequētia occurrunt. Anno 1540. incunte, per Gallias in Belgium contendens, Lutetiam Parisiorum ingressus, grauis & celebri oratione exceptus est, exquisitas omnium virtutum summi Imperatoris laudes extribuente. Oratori paucis verbis respondens, dixit, Gratiam sibi esse regis animi erga se beneuolentiam, sed laudes illas sibi tributas arbitrari eo esse cōmo... cautiones: Qualis esse deberet. Antonio Leuæ & alijs ducibus Iulij Cæsaris & Alexandri exempla laudantibus nec Carolum vti suis victorijs ad potentiæ & magnitudinis suæ amplificationem, quantum & posset & deberet, quærentibus: respondit, Alexandro & Iulio in bellis gerendis vnum suisse finem, honorem & gloriam: Christianis aūt Principibus duos esse propositos, honorem & animæ salutē. Ipse in cōparando exercitu, se caput sumere ab Italis, brachia, & manus ab Hispanis, pectus a Germanis, ventre & pedes a reliqua gentium colluuie dicebat. Item neruos belli esse pecuniā, commeatus, milites, Verum si ex ijs aliquo carendum esse, militem veteranum se eligere, cuius industria & fortitudine, reliqua duo se ex hoste comparaturum confideret. In castris ad VVitebergam cum de Hispanorum crudelitate & libidinibus enormia quædam ipsi significata essent: Profecto, inquit, si quid aliquando militi accidit ingens infortunium, propter illorum nebulonum scelera accidit. In postremo ex Germania discessu, Vlissingæ ventos nauigationi idoneos expectans, & in multam noctem cum Seldio fratris Ferdinandi legato locutus: cum ex familia ipsius partim dilapsa, partim dormiente, dato nolæ signo, nullus appareret, Carolus ipse lychnum Seldio quamuis excusanti prætendit, eique per gradus deducto, Hoc tibi monumentum, ait, Cæsaris illius Caroli habeto, Seldi, tot exercitibus & excubijs quō iam sit pati, quem iam tunc solum & familia etiam desertum vides: & cui tanto annis seruitijs nunc tibi etiam seruire & lumen præferre. Dixit etiam in postremis illis congressibus Seldio se in hac mutatione suæ fortunæ agnoscere potentiam Dei, cui nequaquam velit repugnare. *D. Chytraeus orat. de Carolo V. Imperatore.*

SIMILITVDINES.

Salomonis regis. Tantum inter sapientem & stultum interest, quantū interest inter lucem & tenebras. *Eccl. c. 2.*

Verba sapientum sunt velut stimuli, & veluti claui studiosi, qui alijs inculcant, quæ ab vno pastore Deo, vt illis excreuere, donarę sunt ipsis. *Eccl. 12.*

Cognitio sapientis tanquam inundatio abundabit, & consilium illius sicut fons purus vitæ. *Eccl. 21.*

Interiora

Interiora fatui quasi vas confractum, omnem cognitionem non tenebit in vita. *Eccl.c.21.*

D.*Basilij*. Quemadmodum infirmi egent medicina: Sic insipientes sapientia. *Apud Max. ser.60.*

Philonis: Sicut Sol omnium oculis præditorum lux est: Sic etiam sapiens omnium qui rationali natura participant. *Lib. de somnijs, & apud Ant. in Meliss. par.1 ser.50.*

Quemadmodum gubernator in naui, magistratus in ciuitate, imperator in exercitu, anima in corpore, mens in anima. Sic reuera primus est sapiens in humano genere. *Lib. de Abraham.*

Sicuti oculi splendore solari: Sic mens illustratur sapientia. *Lib. de cogn. quærend.*

Sicut odoramenta teplent suaueolentia proximos: Eodem modo vicini sapientis & contermini ex afflatu eius latissime se diffundente meliores euadunt. *Lib. de somnijs.*

Olympiodori: Tenebræ ipsæ per priuationem lucis fiunt: Ita vt lux quidē reuera existat, tenebræ vero nihil penitus sint. Ita, inquit, igitur sapientia ad stultitiam, opera enim stultitiæ transeunt, perpetuam punitionem conciliantia suis cultoribus: opera vero sapientiæ in perpetuum durant: æternaque cultores suos lætitia afficiunt. *In Eccl.*

Pythagoræ: Quemadmodum visus circa omnia visibilia, & auditus circa omnia audibilia versantur: Sic sapientia circa omnia genera entium. *De sapientia. Meminit & Stobæus ser. de virtute.*

Socrates: Quemadmodum ex templi ianua aperta, pulcherrima simulachra perspiciuntur: Sic ex ore sapientis, animi simulachra perspiciuntur. *Apud Stob. serm. eod.*

Aristonymi: Veluti gubernatores ventorum mutationibus se accommodant nauigaturi: Sic vir reuera sapiens animi sui affectus obseruat, ne ab his deiiciatur. *Apud Stobæum serm.1. de prudent.*

Plutarchi: Vt paulatim vmbra remissa sentimus nos magis esse in lumine: Ita sensim imminuta stultitia, in sapientia proficimus. *In Moral.*

Vt verus amor erga mulierem non desiderat testem, sed sat habet, si clam ea potiatur: Ita vir sapiens recti conscientia contentus. At qui ficte amant, ostentant & iactant. *In Moral.*

D. *Augustini*: Spiritus sapientiæ solus dat veram sapientiam, & sapidā facit scientiam, quæ cum alicui inest, inæstimabilis sapor iucundat & reficit, & de illa dictum est: Sapientia non intrat in maleuolam animam; hæc autem a solo Deo est, & sicut officium baptizandi Dominus concessit multis, potestatem vero & authoritatem in baptismo remittendi peccata, sibi soli retinet: vnde Ioannes antonomice & discrete de eo dixit, Hic est qui baptizat in Spiritu sancto. Ita de eo possumus dicere: Hic est qui sapientiæ saporem dat, sapidam animæ facit scientiam: sermo datur siquidem multis, sapientia paucis, quam distribuit Dominus cui vult, & quo modo vult. *De scala Paradisi.*

Laurentij Iustiniani Patriarchæ: Sicut cæci corpore propter incurrentia incommoda indigent ductore: Ita & qui in regimine præsunt, opus habent sapientia. *De institutione & regimine prælato.*

Ciceronis: Vt stultitia, etsi adepta est quod concupiuit, nunquam se tamen satis consequutam putat: Sic sapientia semper eo contenta est quod adest, neque vnquam sui pœnitet. *Libr.5. Tusc. quæstio.*

Vt medicorum scientia nō ipsius artis, sed bonæ valetudinis causa probamus, & gubernatoris ars, quia bene nauigandi rationem habet, vtilitate, non arte laudatur: Sic sapientia, quæ ars viuendi putanda est, non expeteretur, si nihil efficeret: nunc expetitur, quia est tanquam artifex conquirendæ & comparandæ voluptatis. *Lib.1. de finibus.*

Quemadmodum sæpe fit, vt is qui commendatus sit alicui, pluris eū faciat, cui commendatus sit, quam illum a quo sit: Sic minime mirum, primum nos sapientiæ commendari, ab initiis naturæ, post autem ipsam sapientiam nobis clariorem fieri, quam illa sint, a quibus ad hanc venitemus. *Lib.5. de finibus.*

Lactantij: Propositis bonis, malisque, tum demum opus suum peragit sapientia. & quidem bonum appetit ad vtilitatem, malum reiicit ad salutem. Ergo sicut bona innumerabilia data sunt homini, quibus frui posset, sic etiam mala quæ caueret. Nam si malum nullum sit, periculumque, nihil denique quod lædere hominem possit, tollitur omnis materia sapientiæ, nec erit homini necessaria: positis enim tantummodo in conspectu bonis, quod opus est cogitatione, intellectu, scientia, ratione: quocunque porrexerit manum, id naturæ aptum & commodum sit: vt si quis velit apparatissimam cœnam infantibus qui nondum sapiunt apponere, vtique id appetent singuli, quo vnumquemque aut impetus, aut fames, aut etiam casus attraxerit, & quicquid sumpserint, id illis erit vtile ac salubre. *Libro de ira, capite 13.*

Senecæ: Quomodo quorundam lapidum inexpugnabilis ferro duritia est, nec secari adamas, aut cælari vel teri potest, sed incurrentia vltro retundit: Quemadmodum quæ iam non possunt igne consumi, sed flamma circumfusa, rigorem suum habitumque conseruant: quemadmodum proiecti in altum scopuli mare frangunt, nec vlla sæuitiæ vestigia tot verberati procellis ostentant. Ita sapientis animus solidus est, & id roboris collegit, vt tam tutus sit ab iniuria, quam illa quæ retuli. *Lib. de. ad Serenum c.3.*

Et pueri os parentum feriunt, & crines matris turbauit laceraùitque infans, & sputo aspersit, aut nudauit in conspectu suorum tegenda, & verbis obscœnioribus non pepercit: & nihil horum contumeliam dicimus. Quare? quia qui fecit, contemnere non potest. Eadem causa est, cur nos mancipiorum nostrorum vrbanitas in dominos contumeliosa delectet: quorum audacia ita demum sibi in conuiuiis ius facit, si cœpit a domino. Vt quisque contemptissimus, & vt maxime ludibrio est, ita solutissimæ linguæ est. Pueros quidem in hoc mercantur procaces, & eorum imprudentiā acuunt, & sub magistro habent qui probra meditate effundunt. Nec has contumelias vocamus, sed argutias. Quanta autem dementia est, hisdem modo offendi, & rem ab amico dictum, maledictam vocare, a seruo iocularem conuicium? Quem animum nos aduersus pueros habebimus, hunc sapiens aduersus omnes, quibus etiam post iuuentam canosque puerilitas est. An quicquam illi profecerunt, quibus animi mala sunt, auctique in maius errores, qui a pueris magnitudine tantum formaque corporum differunt? Non immerito itaque illorum contumelias sapiēs, vt iocos accipit, & aliquando illos tanquam pueros, malo pœnaque admonet, & afficit, non quia accepit iniuriam, sed quia fecerunt, vt desinant facere. Sic enim & pecora verbere domantur: nec irascimur illis cum sessorem recusauerint, sed compescimus, vt dolor contumaciam vincat. *Libr.2 ad Serenum, cap.1.*

Quis phrenetico medicus irascitur? quisue febricitantis & frigida prohibiti, maledicta in malam partem accepit? Hunc affectum aduersus omnes habet sapiens, quemadmodum aduersus ægros suos medicus; quorum nec obscœna si remedio egent, contrectare, nec reliquias & effusa intueri dedignatur, nec per furorem sæuientem excipere conuicia. Scit sapiens, omnes hos qui togati, purpuratique incedunt, valentes coloratosque male sanos esse, quos non aliter videt quam ægros intemperatos. Itaque ne succenset quidem, si quid in morbo petulantius ausi sunt aduersus medentem. Quo animo honores eorum nihilo æstimat, eodem parum honorifice facta. Quemadmodum non placet sibi, si illum medicus obuerit, nec contumeliam iudicabit: si illi honor plebis vltimæ salutandi mutuam salutationem non reddiderit: Sic ne suscipiet quiden, si illum multi diuites suspexerint. *ibid.*

Semen licet exiguum, tamen locum nactum idoneum vires suas explicat, & ex minimo in maximos actus diffundit: Sic ratio Sapiētiæ paucis constat verbis, in opere crescit. *Apud P. M.*

Cum potentes imperio editi, & consensu seruientium validi nocere intentent, tam circa sapientem omnes eorum impetus deficient, quam quæ neruo, tormentisue in altum exprimuntur cum extra visum exierunt, citra cælum tamen flectuntur. *Apud P. M.*

Vt nec mundus crescit, nec sol, nec luna, nec mare: Ita pares sunt omnes sapientes. *Apud P. M.*

Vt grando illisa tectis dissultat, magno quidem fragore, verum nulla noxia: Sic insultus fortunæ nihil potest in sapientem. *Apud P. M.*

Vt bonus artifex è quauis materia simulachrum fingit, nec in vna tantum materia artifex est. Ita sapiens quamuis fortunam sapienter administrabit. *Apud P. M.*

Vt pumilio etiam si in monte consistat, pusillus est: colossus etiam in puteo magnus: Ita sapiens in quacunque fortuna suis bonis magnus est: stultus & in summa fortuna humilis. *Apud P. M.*

Polemonis: Quemadmodum in sensibus visus, in anima mens, & in syderibus sol: Sic sapientia in rebus omnibus excellit humanis. *In Lamia. ex Archite Pythagoricis lib. de Sapientia.*

Plinij: Sicut Mercurius quam minimo spatio discedit a sole, licet alioqui vagus & errabundus: Ita non oportet longius ab honesto discedere sapientem. *Lib.2. c.17.*

Sicuti mundus vndique teres ac rotundus sibi constat. Ita sapiens nihil extra se quærit, se ipso contentus. *Lib. 2. c.2.*

Sicut Maroneum vinum, cuius meminit Homerus, vicies tantum aquæ mixtum, tamen vigorem suum seruat: Ita sapiens nullis soluitur voluptatibus. *Lib.14. c.4.*

Vt halcyones etiam media hyeme mare tranquillum præstant, non sibi solum, sed alijs quoque. Ita sapiens turbatissimis rebus non solum ipse tuebitur animi tranquillitatem, sed alios concitatos componet ac sedabit. *Lib.10. c.23.*

Vt in culice non minus admiranda naturæ vis est, quam in elephante: Ita sapientia in maximis pariter ac minimis negotiis, magnum virum ostendit. Aut ingenii vis etiam in ludicro ac humili argumento elucet. *Lib.11. c.2.*

Vt cochleæ lente ingrediuntur, nec quicquam attingunt aut vsquam sese mouent, nisi cornibus prætentarint: Ita sapientem oportet esse cunctabundum minimeque præcipitem & pedetentim aggredi, gustu quodam prius sumpto. *Lib.9. c.32.*

Vt indomita vis adamanti, vnde & nomen additum gemmæ, adeo, vt nec calescat igni, nec ferro cedat, quin magis ictum ita respuens, vti ferrum simul & incudes dissiliant: Sic sapientis animus aduersus omnem fortunæ sæuientis impetum inuictus. *Lib.37. c.4.*

Sicut animantia quædam etiam corporis partes amputant ob quæ peti-

periculitarisef sciunt, veluti fiber: Ita sapientis est aliquando facultatum iactura, vitæ consulere. *Lib.8.c.30.& lib.36.c.16.*

Vt magnes occulta quadam & incognita vi ferrum ad se trahit: Ita sapientia, secreta quadam ratione trahit ad se animos hominum. *Lib.35.c.10.*

P.M. Tradunt Physici veteres, solem marinis aquis pasci, lunam dulcibus: Ita sapientes amara quærunt, modo vtilia: stulti, quæ delectant modo, sectantur. *In Similibus.*

Vt Deus plurimum sapiens & intelligens, minimum loquitur: Ita sapiens non nisi necessaria loquetur. *ibid.*

Sunt qui propius admota non cernunt, quæ longius absunt vident: Ita nonnulli plus sapiunt in rebus alienis, quam in his quæ ad se pertinent. *Ibid.*

Sicuti quo directius nos ferit sol radiis suis: hoc minor est vmbra nostri: quo obliquius, hoc magis increscit vmbra corporis. Ita quanto plus quisque assequutus est veræ sapientiæ, hoc minus magnifice de se sentit: quo longius abest ab ea, hoc se magis dilatat stultissima persuasione sapientiæ. *ibid.*

Vt ingentes obelisci magno quidem negotio statuuntur & collocantur ob immensum molis pondus, sed collocati semel infinitis durant sæculis: Ita arduum est, virtutis ac sapientiæ parare famam, sed parata nunquam intermoritur. *Ibid.*

Arundinis radix contrita & imposita filicis stirpem corpore extrahit, item arundinem filicis radix. Ita vicissim & pecuniæ studium eximit animis amorem sapientiæ, & sapientiæ studium pecuniæ. *Ibid.*

Vt fulmen quodcunque animal protinus occidit, excepto homine: Ita fortunæ procellæ indoctos ac brutos protinus animo deiiciunt, sapientem non item. *Ibid.*

Sicut Aquilo initio vehemens, desinit lenior: contra Auster initio lenior, desinit vehementior: Ita qui præcipites magno impetu aggrediuntur, frigescunt in processu: contra qui consilio suscipit, magis ac magis accenditur operis prosequendi studio.

Thriiers Nimius cibus sæpe infestat voraces. Et nimia sapientia subinde infatuat sapientes. Ergo oportet hic citra sobrietatem sapere, & illic citra appetitum, cibum mittere. *In Apophthegmat.88.*

Pueri quos vitiauit parentum indulgentia, statim vbi voto exciderunt, solent ringere. Idem euenit tandem sapientibus huius sæculi, qui omnia didicerunt pro suo arbitrio gerere, exemplo Aman & Achitophel. *In apoph.89.*

Exempla Historica.

Hebræorum sapientia signum illud certissimum esse, Iosephus libr. 2. contra opinionem asserit: quod cum Græcorum philosophia in varias sit deducta sectas, Hebræorum semper vna permanserit. *Ioan. Metellus.*

Antiquitas Aegyptiorum sacerdotes tantopere fuit admirata sapientiæ nomine, vt, celeberrimi Græcorum philosophi peregrinationis eruditionis causa. *Strab. lib.17.*

Chaldæi Babyloniorum antiquissimi, cum locum in sua Republica, quem in Aegypto sacerdotes obtinuere, hi per omnem vitam philosophari, astrorum peritiam tenere, nunc auguriis, nunc carminibus sacris, mala hominibus auertere, bono afficere, auguria, insomnia prodigiaque fida interpretatione explanare. *Sabell. lib.2. Enn. 2. ex Diodor. lib 2.*

Septem sapientes Græcia habuit Solonis tempore, qui fuisse vna perhibentur Delphis, & post Corinthi: vbi communem quendam conuentum eorum & conuiuium Periander instruxerat.

Catharina virgo Costi Alexandriæ principis filia, sacris literis partim studio, partim diuini spiritus afflatu adeo fuit imbuta: vt accersitos a patre vndecunque doctissimos viros & philosophos ad persuadendum idololatriam, refellendamque vera Dei religionem, viuacissimis terruerit argumentis, & in suā opinionem pertraxerit.

Hieroglyphica.

Veluti Fortunam rotundo lapidi insidentem pingere veteres instituerunt: ita *Sapientiam in quadrato* statuebant, ex hoc hieroglyphico volubilem illam: huius vero firmam & inconcussam iudicantes. *Pier. Val. lib.39. pag.381 B.*

Sane vero cum Minerua consilii prudentiæque Dea diceretur, aliquot in ostentis *Noctua sapientia* signum fuit: vt quæ in Hieronia priuati adhuc hominis hasta consedisse conspecta est, primo bello, quo iniit, nam haruspices hinc eum eautum in consilio futurum prædixere, id quod sapientissimum totius eius vitæ regimē comprobauit; *Idem, lib.20. pag.188.*

Emblema.

Sapientia humana, stultitia est apud Deum
Emblema v. Andr. Alciat.
Quid dicam? quonam hoc compellem nomine monstrum
Biforme, quod non est homo, nec est draco?
Sed sine vir pedibus, summis sine partibus anguis
et anguipes dici, & homiceps anguis potest.
Anguem sedit homo, hominem eruit anguis,
Nec finis hominis est, initium nec est fera.
Sic olim Cecrops doctus regnauit Athenis;
Sic & gigantes terra mater protulit.
Hæc vafrum species, sed religione carentem,
Terrena tantum quoque curet, indicat.

Fabula.

Contemplans quidam noctu cœlum & stellas, in fossam, quam ante pedes traductam non viderat, incidit. Tum alius cadenti iter faciens, cum de gemitu illius ac oratione, quod acciderat, cognouisset, Optime, inquit, tu qui os in cœlum erigebas, terram potius intueri debueras.

Fabula ostendit, reperiri quosdam, qui futura prædicere non dubitent, cum quæ ante pedes sunt, non videant. Irridetur Thales a Thressa ancilla similiter apud Platonem, quamuis in laudem hoc Philosophiæ a Platone conuertatur. Sed sic res se habet, vtille ait:

Crede mihi sapere est non nimium sapere.

De Vulpe & Passere.

Palumbinum nidus erat super arbore, quo prius pulli quam euolarent venire consueuerat vulpes, & postulare mercedē quasique pensionem habitationis illius, quod diceret suam esse arborem, & a maioribus suis possessam, ac aubus quoque tempore ad nidulandum elocatam fuisse: petebat autem pullum vnum, qui nisi daretur, totum nidum se vastaturam, & illam palumbium familiam deleturam esse minabatur. Grandiores igitur palumbes fermonibus illius territi, pullum a se annis pluribus exigi passi fuerant. Itaque incubans ouis mater semper mœsta erat cogitatione & dolore amittendi pulli. Hanc tristem conspicatus prætereuolans passer, rogat quid rei sit, aut cur perturbetur eo tempore, quo lætari ipsi fœtus deberet. Tum palumbes, quem casum metuat & anxietate tenebatur, exponit vulpisque iniurias & totam rem edisserit. Hic vero palumbem simplicem irridere, & castigare stolidam verbis: Quid enim tu censes, inquit, vulpino generi vllam arborem a natura peculiarem procreatam esse? Minime hoc sic ictum est, mihi crede, neque si quid proprium attribuere velle natura rerum vulpibus, arbores, vt opinor, quas non possent illæ conscendere, sed pecus & ducatu contulisset. Sed etiam tu cogita an recordari possis a matre tua audiuisse, mercedem vulpi, vt huic arbori insidere tuto liceret, datam esse. Verum sit ita & Vulpes re vera tuo, quin tu tamē minas illius spernis, quippe quæ volucris sis & quam assequi vulpes omnes, quotquot sunt, nequeant. Quare ita facias, cum exclusi fuerint & vulpes ad pensionem auferendam affuerit, negato te illi quicquam debere: cumque solitas minas vsurparit, hoc modo respondeto: non te vereri, ne vulpes arbores ascendant cum tam ponderosis caudis. Paruit consilio palumbes, & vulpem paulo post cum superbia, & minis adeuntem tem ad mercedem sumendam ita ablegare, & ea oratione refutare cœpit, qua fuerat a passere instructa. Tum vulpes doles fractos sentiens, cum tamen palumbis ingenium ad talia explicanda non esse idoneum sciret, & alium fuisse architectum intelligeret, temittere se palumbi quod debeat sibi, & omni metu a se illam liberare, deque suo iure decedere ait, modo indicet, a quo talem responsionem edocta, & illo consilio instructa fuerit. Palumbes nihil cunctata, passerem sibi præmonstratorem & suasorem fuisse dicit. Venit igitur ad passerem, vt forte in terra consisterat, vulpes, dissimulans se quicquam competisse: Et, fare, inquit, me cum admiror ac suspicio genus vestrum, cui natura tātam agilitatem tribuerit, vt in sublime alte euolare, & celeriter quocunque libuerit deferri, atque amnes & maria transire possitis. Sed vna videtur res, ventorum & procellarum vis, contraria, & molesta esse vobis, capitalis tam pariis & subtilibus præditis. Nihil, inquit passer, illa vis, quam memoras, nocere nobis potest: nam quoties hæc commota tempestate infestur, sub alas reclinata capita ita abdimus & protegimus, vt simul recondi sub ala caput. Tū vulpes irruens de improuiso illum corripit, atque discerpens vlcisci tur contra se subiecta palumbi consilia.

Fabula notat eos, qui aliis cauere & consulere soleant, sibi ipsis nescient.

SAPOR.

Definitio et Etymolog.

Sapor, Græce χυμός dicitur. Est autem sapor passio humidi a sicco, mediante calore, alteratiua gustus de potentia ad actum. *Secund. Arist. lib. de Sensu & sensato.*

Sapor

Sapor consistit in humido aqueo aqualiter digesto: sicut odor consistit in sicco aereo aliqualiter contemperato. *fec. B. Th super lib. de Anima secundo lect. 10. colum quarta*, quod autem de externo sensu gustus dicitur, ad sapientiam seu animi gustum & iudicium metaphorice relatio est. Sapor Heb. *Taham*, & par translationem sensus, sententia, a verbo *Taham*, degustauit paululum. Græc. *Τεμάω* desidero, gustare cupio.

Sententiæ Philosophor.

Sapor est vnum quoddam tangibilium. *Aristotel. 2. de animal. text. 27.*

Sapor est, vt quoddam condimentum. *Ib. tex. 29.*

Sapor est gustatiuæ partis passio. *de sens. & sensib. c. 1.*

Saporis genus manifestius est in nobis, quam odorum. *Ib. c. 4.*

Saporibus cognoscendis organum ita compactum esse oportet, vt neque actu humidum sit, nec potentia careat, qua humectari possit. *Alex. Aphrod. in 1. de ani. c 17.*

Sapor tanquam accidens est in humido, aliquando tanquam forma in materia, vt sustinentis, & in seipsis formantis illam. *ibi. in 2. de anima. c. 42. tex. 101.*

Saporum species, vt in coloribus simplices quidem contrariæ sunt, vt dulce, & amarum: dulce sequitur pingue, acerbum & aridum. *Arist. 2. de anim c. 6. tex. 105.*

Sapor dulcis primas in alendo obtinet, cæteri pabulo commiscentur, non vt illi ipsis, sed vt salsus atq; acidus, solitarii alere queãt per se, sed continenti causa extrinsecus introducantur. *Alex. Aphrod. de sens. & sens. sic. 3. c. 32.*

Saporis sensum nihil facit absque humiditate, aut actu, aut potentia. *Arist. 2. de anim. c. 6. tex. 102.*

Sapor qualitas, & affectio quædam humoris est non in eo, quod humor inest in illo sapore, sed quia in humore est sapor; quia si non est humor, non est sapor. *Thom. in 2 de anima capit. 35. text. 10.*

Sapor inuenitur in corpore misto. *Auer. meteor. 1. c. 1.*

Saporum diuersitas in nulla est ita manifesta, vt in fructibus, succis plantarum. *Alb. Magn. de veg. l. 3 tract. 2. c. 1.*

Sapor consistit in humido aqueo æqualiter digesto. *D. Thom. in 2. de anima. lib. 19. tex. 95.*

Sapor potest corrumpere animal, non vt sapor, sed in quantum sapori coniungitur aliqua qualitas tangibilis, vt cum ei consequitur calor vel frigus vehemens. *Idem in 3. de anim. lib. 18. tex. 68.*

Sapor confert ad alimentum, vt est sequela complexionis. *D. Thom. in 3. de anim. l. 17. tex. 64.*

Sapor acerbus est, cum quæcunque ingressa sunt venas, quæ circa linguam sunt, ad rariores & teneras partes illabentia, dum terrestris quædam illorum pars colliquescit, venæ contrahuntur, & exsiccantur: si sunt asperiora, fit, vt dixi, sapor acerbus: si minus aspera, austerus. *Plato in Tim.*

Sapor amarus fit cum ea quæ extergunt, & circa linguam, quicquid est eluunt, si vltra mediocritatem id faciunt, & insuper quid assumunt, & corripiunt, adeo vt etiam de natura ipsius aliquid eliquent, qualis est nitrorum facultas, etsi cum moderatione vtuntur, & nitri habitu inferiora sunt citra amaritudinem asperam, & magis grata apparent, fit salsus sapor. *idem, ibid.*

Sapor acris fit, cum quæ oris caliditate participant, & ab ipso leuigata efferuescunt, & rursus vicissim id quod calefecit accendunt & vrunt, & præ leuitate sursum & capitis sensum feruntur, & siccant omnia, quæ ipsis occurrunt. *Plato in Timæo.*

Sapor acidus fit, cum acria præattenuata sunt a putredine, & in angustas venas, & partes, quæ isthic insunt terrestres, & eas quę moderatum acorem habent ingrediuntur, ita vt motu suo efficiant, vt illæ inter se obuoluantur, & in alias ingredientes, alias causas efficiant his quæ ingressa sunt circumtensas, nimirum humectantes circa aerem caua circumtensa aliquando puta, quo humida vasa aeris, aquæ cauæ ac rotundæ fiant, & quæ quidem ex pura humiditate sunt pellucida consistant, bullarum nomine appellata, quæ vero ex terrestri quæ simul mouetur, & eleuatur bullitionis, & fermentationis nomine nominantur: quæ affectionum causa, vt dictum est, aciditas appellatur. *Plat in Tim.*

Sapor dulcis fit cum ingressorum compages humida linguæ habitui ex natura cognata existens læuigat obliniens exasperata: quæ vero præter naturam comparata sunt, laxat, & quæ diffusa sunt contrahit, & omnia quam maxime secundum naturam firmat, ita vt quicquid eiusmodi est iucũdum sit, ac gratum, & omnium violentorum medela. *Plato in Timæo.*

Saporum differentię sunt septem, Dulcis, Acer, Ponticus, Austerus, Salsus, Acutus, Amarus. *Alciat. c. 19.*

Saporis dulcis natura omnium reliquorum saporum naturæ contraria est: nam dulcis humorem linguæ inhibitum perfundit & delinit, acer turbat, & dispergit, acutus inflammat, & ad supera eleuat, amarus vehementer abstergit, liquefacit, salsus lenius purgat & permollit, ponticus obstruit meatus linguæ & contrahit asperius, austerus idem facit, sed lenius: *Idem, ibid.*

Sapor acer, & austerus linguam arefacit & contrahit, ille magis, iste minus: amarus & salsus abstergit, ille magis, iste minus: acutus calefacit & diuidit & accendit: acidus lubrica subtilitate penetrans commiscet humores, crassioresque subtilioribus circumfundens facit ampullas, dulcis calidus & humidus tanquam naturæ consentaneus linguæ blanditur. *Ficin. in Pat. Tim. capite 60.*

Saporum suauium pars subtilis recreat vitalem cordis spiritum, crassior per digestionem in ventre, & iecore ipsum recreat spiritum vitalem. *Idem, ibid.*

Saporem acidum qui maximi frigoris pene gustu stuporem inducẽtis perpetuo comes est, cum salso coniungere, & carnis generatione pro fermento ponere absurdum est in philosophia. *Iac. Carpen in Alcin. de sensione.*

Sapores Plato non voluit explicare per figuras, vt Pythagorici, & Democritus, sed ex sensuum affectionibus. *Idem in Alciat. cap. 35.*

Omnino sapor eius est partis animi affectio, quæ alendi vim habet. *Lib de sens. c. 1.*

Euidentius est nobis saporum genus, quam odorum. *Lib. de sens. c. 4.*

Sapores omnes crassiori quadam naturæ constant. *ibid.*

Est Sapor ea affectio, quæ a siccitate in humore gignitur: quadam commutatione efficiens, vt gustatus qui esse poterat, reipsa fit. *ibid.*

Frigus & congelatio, tum sapores labefactant, tum odores, præsertim, cum calorem qui est causa efficiens & author, frigus geluque deleat. *Lib. de sens. c. 5.*

Nihil saporis sensum facit sine humore, omniaque eius generis vel humida sunt reipsa, vel esse possunt: *Lib. 5. de Animo, c. 10. Tex. 102.*

Saporum genera colores ita imitantur vt simplices contrarii sint dulcis & amarus, quos sequantur illum quidem pinguis & crassus, hunc salsus: quibus interiecti sunt acer, austerus, acerbus & acidus. Hæc enim fere sunt saporum varietates. *Ibid. Tex. 105.*

Coniunctus est cum gustatu sapor. *Libr. 7. de natur. capite 2. Tex. 52.*

Vide, sensus.

SATANAS.

Definitio et Etymolog.

Satanas aduersarius, Hebr. *Satan*, in nono Testamento satanas & Satan, a verbo Hebræo *Satan* aduersatus est, aduersarius fuit, odiose alicui se opposuit, inimicus fuit. Tam de homine, quam de diabolo dicitur. *Sit nah*, aduersatio, aduersatiua oratio, rixa, inimicitia, odium, *Gen. 26. 21. Esdr. 4 6.* Vide de Satanæ nomine quibusdam attributo, *Psal. 109. 50. & 71. 13.* item, *Num. 22, 23. 1. Sam. 59. 4. 2. Sam, 19. 23. 1. Reg 5. 4. & 11. 14. 23. 25.*

Loci Biblici.

Satanæ nomen etiam hominibus accommodatur, qui Dei voluntati aduersantur, vel obstinata malitia, vt Iudas, *Ioan 9. vers. 7.* vel incogitantia quadam aut arrogantia, vt Petrus, *Matth. 16. vers. 23.* Satanæ tradi, *1. Cor. 5. vers. 5. 1. Timoth. 1. vers. 20.* nihil aliud est, quam fieri sicut ethnicum & publicanum, *Matth. 8. vers. 17.* id est, ius Christianæ ciuitatis vsque ad resipiscentiam amittere, siue excommunicari, Satanæ denique mancipari, qui extra ecclesiam regnat. Satanas, Deus huius sæculi dicitur, *1. Cor. 4 vers. 4.* quia sese illi veluti Deo manciparunt homines huius sæculi. A Deo impetrata facultate, percutit Iobum, *Iob 1. vers. 12.* est spiritus mendax in ore omnium prophetarum Achab, *1. Reg 22. vers. 22.* Apostolos appetiuerat, *Luc. 21; vers. 31.* in Iudam proditorem ingreditur. *22. vers. 3.* vt fulgor e cœlo cadit. *Luc. 10. vers. 18.* in Angelum lucis transformatur, *2. Cor. 11. vers. 14.* Colaphis cædit Paulum, *12. vers. 7.* impedit Paulum, *1. Thess. 2. vers. 18.*

Similitudines.

Laurentij Iustiniani Patriarch. Quemadmodum inire satagentibus conflictum cum hostibus visibilibus, pernecessarium est, non solum scire quomodo euadant insidias inimicorum, ac detegant eorum machinamenta; sed etiam qualibus ei resistant viribus, atque prudentia illorum conterant vires atque contumacism: Æque in spiritualibus certaminibus non ignorandum est, qua ratione Satanæ insultus euadas, eiusque vires diuino auxilio frangas. *In ligno vitæ. c 5. de orat.*

Quemadmodum si quis stellas cœli, aut pluuiæ guttas, seu arenam maris dinumerare voluerit, casso consumitur labore: ita quicunque vanas dæmonum fraudes ad plenum referare conatus fuerit, in vanum desudabit, mille enim artifex est: ac licet artibus suis seipsum interdum prodat, instar tamen tortuosi colubri anfractibus suis, ex lubricis hominum manibus defluit, etiam dum teneri putatur. *De disciplina ac perfectione monastica c. 11.*

Consueuerunt vt plurimum homines, quandocunque aliquod difficile ag-

se aggressi sunt opus, cum ad id peragendum impares se viribus senserint, mox ab amicis ac domesticis subsidia quæritare: quatenus quæ propria nequeunt virtute perficere, alieno valeant adiutorio. Hac malitiæ arte, hoc sagaci ingenio vti etiam solet humani generis antiquus hostis, & seruorum Christi implacabilis inimicus. Cum enim ad debellandos atque exercendos piorum animos, ex superna dispensatione constitutus, sic tentare nunquam desinit: verum cum definitus prohibeatur ne obsit piis, eos tamé per suos amicos ac domesticos vexare nititur, & ad tenendum humano vtitur instrumento, & potissimú aduersus eos, qui Christo associati sunt. *De disciplina Monastica, cap. 14.*

Vide, Diabolus, Dæmon.

SATELLES.

DEFINITIO, ET ETYMOL.

Satelles, miles mercede conductus, a latere principis, & custos Cæsaris: Gr. *δορυφόρος*. Hebr. *Schoter*, sceptriger, qui gestat virgam, seu baculum. De satellite & de magistratu seu præfecto etiam intelligitur. Satelles item dicitur, qui sontibus capiédis præest, qui & apparitor & viator dicitur. Horatius de viro probo dicit quod videtur & est. *Virtutis vera custos, rigidusque satelles.*

Apophthegmata.

Agasicles dicebat posse quemuis principem & regem sine satellitio regnare, qui sic subditis imperaret, vt filijs pater. *Plut. in Apoph.*

Sigismund. Imp. Albertus Austriæ dux (qui mortuo Sigismundo Cæsare, cuius erat gener regnum Hungariæ ac Bohemiæ cum Romano imperio suscepit) cum diceret principes amore ciuium cautos esse oportere, Sigismundus respondit: Et fida custodia infortunium excludit. Docuit autem Imperator potentissimus, non satis esse, vt principes fidos habeant subditos: sed addendos etiam esse satellites, & corporis custodes, præsertim in florentiori ætate, *Aeneas Syluius libro commentariorum de reb. gestis Alphonsi.*

Alphonsus castigatus ab aulicis suis, quod regiæ maiestatis oblitus, sine satellitibus & satrapis prodiret in publicum: Non opus est, inquit, vt ipse multum sibi timeat, qui neminem habet, quem ita læserit, vt aliorum etiam manu sit defendendus. Ostendit autem, superuacaneam esse satellitum turbam, si quis ita se erga subditos gerat, vt vbique sine iniuriæ timore solus esse possit. *Panor. lib. 2. de Alphonsi reb. gest.*

Thomas Pontanus subinde dicere solitus est: Amorem quidem inermen incedere, dormire autem loricatum. Notabat autem principes, qui licet beneuolentiam & amorem suorum non ignorent, habent tamen nocturno præcipue tempore, qui armati prope custodias agant, vt extra omne periculum somnum dulcissimum capiant. *Iacob. Spieg. in secund. Aneæ Syluij librum de reb gest. Alphonsi.*

SCABIES.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Scabies, Græce *ψώρα, ας, ἡ, & λεπρά λιος, ὁ*, Scabiosus dicitur. Dicitur autem a scaber, quod est asper, quoniam scabies asperitatem in cute faciat. *Virg.*

Exa inueniet scabra rubigine pila.

Hinc etiam scabricies, asperitas, scabre, aspere.

Locus Biblicus.

Scabie percutiuntur inobedientes, *Deut. 28. v. 27.*

Philosophicæ Sententiæ.

De Scabie. Dial. LXXXV.

Francisc. Petrarch.

Gaud.

Scabie premor importuna, Rat. Iam non miror si angores meros ægre fers: quando id luges cui dulce aliquid immixtum est. Dol. Graui vexor scabie. R. Sunt qui hanc salubrem dicant: Ego autem ne tam mœstæ rei lætum nomen tribuam: arram potius salutis, siue ad salutem viam dico: Mollis est qui asperitatem viæ breuem respuit: cuius exitus sit iucundus. Dol. Arida me scabies exercet. R. Iam horologio non egebis: erit tecum quæ te noctibus excitet: teque honesto cuipiam fortassis officio vigilem reddat: nemo piger quem non scabies sollicitum faciat. D. Scabie torqueor. R. Morbus ignobilis: sed nobilis cura est: labor, ætas, balnea, priuilegium, diæta, si nec ista profuerint: ad patientiæ medicinam recurrendum erit: illa omnibus morbis vtilissima est. D. Scabie crucior tædiosa & fœda. R. Neutrum nego: vbi ergo Publius molestum otium podagrici pedes dixit: me sinere potes addere: molestú negotium scabiosi manus: Sed quid dices, si quo fœdior morbus: eo pulchrior patientia est: quid si paruo ex malo bonum ingens elicis? Hæc nimirum vna est rerum quæ contemptum corporis maxime pariunt: quo nihil est melius mortali. D. Totum me scabies occupat. R. Totum te: verum est: id quidem metuo: sed plus est forsitan quod quæ dicere voluisti, totú enim corpus intelligis: sed est vobis inuisibilis animorum scabies, cupiditas ac libido & pruritus quidam vlciscendi quærendique: qui quo magis scalpitur, acrius æstuat: hunc nec tolli, nec sentiri poscitis nec sentitis quidem: tanto minor vobis est semper vestri curaq; e corporis.

Scabie, tabe, lippitudine capiuntur, qui appropinquantur, ab aqua autem intercute, febre, aut stupore attonito. aut aliquo ex numero cæterorum malorum capi nequeunt: a lippitudine quidem, quia oculus pars corporis nobilissima est: cæterum maxime omnium rei sibi obiectæ similis reddi potest, quippe facile moueatur ab eo, quod mouéat: itaque fit, vt cum perturbatum adspicit oculum, facile etiam ipse perturbetur, & talis contagio ideo fit, quia spiritum vitiat, & grauem reddit: & omnes morbis iis cito arripiuntur, qui spiritu corrupto proueniunt, quale est omne pestilens genus, & qui appropinquauerit talem trahit spiritum, qualem æger reddiderit. At scabies magis quam lepra, & cætera vitia eiusdem generis efficere potest, quoniam per summa corporis eat, & humore manet glutinoso: omne enim genus prurientium tale est: itaque id quod ipsum, quia per summa peruenit glutinosum est, cætera per suam siccitatem persistere nequeant. *Aristot. probl. sec. 7. nu. 4.*

Scabies, lippitudo, tabes, cur sunt mala contagiosa? febris, apoplexia, non transeunt in aliam: quoniam oculus humidans affectione opportune deprauatur: tabes expirando imputum aerem reddit, qui tractus ab homine sano, facile pulmonem vitiat, & scabies cum per summa corporis sit facile propagare potest, febris vero, & huiusce modi cum nihil putrefaciens emittunt, suum in alios viuum transmittere nequeunt. *Alex. Aphr. probl. 2. nu. 43.*

Vide, morbus.

SCANDALVM.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Scandalum Græca dictio est *σκάνδαλον, τό*, ita & *σκανδαλίζω*. Et est dictum aut factum minus rectum præbens alieni ruinæ occasionem. *secund. B. Thom. secunda, q. 43.*

Scandalum large sumitur pro quolibet impedimento alieni progressu in via aliqua, quam prosequi intendit, *secun. eund. secund. Secunda, q. 43 art. 10.*

Scandalum, *πρόσκομμα*, offendiculum, datum, vel acceptum. Hebr. *Michschol, Machschelah, Kischalon*, a verbo: *Caschal*, Impegit, offendit, corrupit. Metaphora sumpta a pedum offendiculis varijs & lapsu impingentium, ad lapsus animi.

Loci Biblici.

Scandalum seu offendiculum proximo nec in vita nec in doctrina ponendum, *Leuit. 4. 3. Num. 31. v 16. 2. Sam 15. 14. 1. Esd 8. v. 22. Prouerb. 18. v. 10. 2. Machab. 6. v. 24. Matth. 17 vers. 27. & 18. v. 6. Marc. 9. v. 43. Luc. 17. 1. Ioan. 16. 1. Rom. 14. ver. 1. 15. 1. Cor. 8 1. & c. 10. 3. 2. Cor. 6. 3. 1. Thess. 5. 22.*

Scandali ex Christo occasionem capere, valde noxium, *Luc. 7. versic. 23.*

Santentiae Patrvm.

Sicut necesse est ignem calere, & niuem frigere, ita est necesse, vt iniquitas mundi erroribus plena, scandala pariat, perfectorum vero charitas pietatis operibus luceat. *Hier. in Matth. 18.*

Qui scandalizatur, paruulus est, maiores enim scandala non recipiunt. *Ibid.*

In quantum possumus, sine peccato vitare proximorum scandalum debemus. Si autem de veritate scandalum oritur, vtilius scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur. *Gregor. in Ezech.*

Non omnium scandala æqua sunt lance pensanda aliter namque accipienda sunt scandala pusillorum, & aliter Pharisæorum illo-

rum

rum quippe ſcandalum de ignorantia, iſtorum de malitia deſcendit. Illi ſcandalizantur, quia veritatem neſciunt: iſti quia oderūt. *Bern. de præcepto & diſp.*

Conſtat, vbi veritas neceſſaria in cauſa non eſt, nec licite ſcandalū quodlibet poſſe committi, nec iuſte præcipi, nec innoxie conſentiri *in epiſt.*

Nemini blanditur veritas, neminem palpat, nullum ſeducit, aperte denunciat, quoniam væ homini illi per quem ſcandalum venit, *ſuper Cant. ſer. 9.*

Similitudines.

Chryſoſtomi. Sicut vbicunque fuerit triticum, neceſſe eſt, vt inueniatur illic & zizania: Sic vbicunque fuerit bonum Dei, illic erit & ſcandalum inimici, *In c. 6. Matth. hom 33.*

Sicut quod de alto cadit, grandem ſonum facit, vt audiant omnes: Sic & qui de alto gradu cadit, ruina illius vbique auditur, *In Matth 21. homil.*

Sicut in corpore, aliquo quidem membro corrupto, non eſt magnū damnum: oculis vero læſis, vel capite corrupto, totum corpus inutile redditur: Sic & qui in alta quadam tanquam virtutis ſpecula, cum multa claritate conſtitutus, ab omnibus admirationi habitus, quando cecidit, magnam ruinam & iacturam facit, non tantum quia ex alto cecidit, ſed quoniam aliis multis ſcandali materia eſt, in idipſum reſpicientibus. *Hom. 1. de verbis Apoſtoli. Modico vino vtere.*

Exempla Biblica.

Scandali Phariſaici, ſiue accepti *exempla:* Quidam Scribæ, *Matth. 9. v. 2. 3.* Phariſæi, *v. 10 11. & 15. v. 12. Ioan. 7. v. 46. 52. Act. 9. v. 14.* Iudæi, *Marc. 6. v. 3. Ioan. 5. v. 17. 18. & 6 v. 51. 52 & 7. v. 41. 46. & 8. v. 44. 48. 56. 57. 59. Actor. 11. v. 2. 3* quidam Iudæi, *Act. 13. v. 42. 43. 44. 45. & 28. v. 28. 29.* Nazareni, *Matth. 13. v. 57. Marc. 6. v. 3.* Phariſæi & Scribæ, *Luc. 15. v. 2.* quidam ex diſcipulis, *Ioan. 6. v 60.* Conſilium Ieroſolymitanum, *Actor 4. v. 2. 3. 4. 5.* Scandali vitati, *exempla:* Chriſtus & Petrus, *Matth. 17. v. 27.* Paulus, *Act. 16. v. 3. & 21. v. 24.* quicunque ſcandalo eſſe nobis poſſunt, vitandi, *Exod. 44. v. 22. Deut. 7. v. 2. 10. & 13. verſ. 1. &c. Matth. 5. v. 29. & 6. 22. Marc. 9. v. 42. Rom. 16. v. 17.*

SCELVS.

Sententiæ Poeticæ.

Senec. in Hippo.

Cur omnium ſit culpa, paucorum ſcelus?

Idem in Troad.

Quid iuſſa ceſſas agere? ad autores redit
Sceleris coacti culpa.

Idem in Thyeſt.

Sæpe in magiſtrum ſcelera redierunt ſua.

Idem in Herc. fu.

Proſperum ac felix ſcelus
Virtus vocatur.
Quis nomen vnquam ſceleris errori dedit?
Sæpe error ingens ſceleris obtinuit locum.

Iuuen. Sat. 13.

Nam ſcelus intra ſe tacitum qui cogitat vllum,
Facti crimen habet.

Sententiæ Philosophicæ.

Nullum eſt aliud latronum beneficium, niſi vt commemorare poſſint, iis ſe vitam dediſſe, quibus non ademerint. *Cic. Phil. 2.*

Tuta eſſe ſcelera poſſunt, ſecura non poſſunt. *Senec. epiſt. 89.*

Difficillima eſt cuiuſque grauiſſimi ſceleris fides.

Scelera non habent conſilium. *Quint. lib. 4.*

O ſuperbiam inauditam? in facinore gloriari. *Cic. ad Brut.*

Facinore admiſſo, ad ſanitatem reuerti pudet. *Cæſ. de bell. Gallic.*

Occidi non eſt pœna, ſed exitus.

Cædes manifeſta expiatur ſaltem pecunia. *Liu lib. 1.*

Scelus quoddam eſſe timebimus arma in bello prælata a domeſticis ad templum deferre, niſi Deus aliud dicat. *Plat. de rep. Dial. 5.*

Vide, Malitia, Vitium.

SCHOLA.

Definitio et Etymolog.

Schola, ludus literarius, gymnaſium παιδευτήριον, διδασκαλεῖον φροντιστήριον, a verbo Græco σχολάζω vaco: quia cæteris rebus omiſſis liberalibus ſtudiis pueri vacare debent: vel a vacatione ſeu relaxatione ſtudiorum. Inde Auſonius, *Graio, Schola nomine dicta eſt, Iuſta laboriferis tribuantur vt otia Muſis.*

Exempla biblica.

Scholarum & Academiarum inſtitutarum exempla in veteri teſtamento. I. Samuel Heli diſcipulus, Samuel apud Heli ſacerdotem verſabatur, *1. Sam. 3. v. 1.* II. Grex Prophetarum, *10. v. 5. & 6. v. 12.* III. Puer Eliſæi, *2. Reg. 9. v 1.* IV. Duodecim Apoſtoli, *Luc. 6. v. 13.* V. Septuaginta diſcipuli, *Luc. 10. v. 1.* Præter duodecim Apoſtolos, etiam ſeptuaginta eligebat Chriſtus diſcipulos, qui in ſua Schola enutriti, & donis miraculorum ornati & inſtructi, ablegabantur, *Luc. 10. v. 1.* vt paſſim in Iudæa Euangelium Chriſti prædicarent. VI. Diſcipuli Ioannis, *Ioan. 1. ver. 28.* Ioannes Baptiſta quoque habuit ſcholam, in qua præ aliis quoſdam diſcipulos habuit, quos in vera doctrina inſtituit: Patet id ex *Ioan. 1. v. 28.* VII. Schola Ieroſolymitana, *Matth. 11. v. 13.* Scholam aliquam fuiſſe Ieroſolymis, in qua iuuentus in ſtudiis præſertim ſacrarum literarū informabatur, vel inde colligi promptum eſt, quod Phariſæi etiam ſuos habuerint diſcipulos, *Matth. 22. v. 15. 61.* VIII. Paulus Gamalielis diſcipulus, *Act. 22. v. 3.* vbi commemorat ipſemet Paulus ſe ad pedes Gamalielis legis doctoris diligenter in patria lege inſtitutum eſſe. IX. Synagoga Libertinorum, *Act 6. v. 6.* vbi fit mentio eorum, qui fuerunt ea Synagoga Libertinorum, & Cyrenenſium, & Alexandrinorum, & Cilicum, & Aſianorum, diſputantium cum Stephano. Vnde apparet diuerſa ſcholarum genera fuiſſe Ieroſolymis. X. Schola Athenienſium, *Act. 17. v. 18.* XI. Schola Corinthiaca, *Act. 19. v. 8.* Et Tyrannus quidam Corinthi ſcholam habuiſſe dicitur, *Act. 9. v 8* XII. Domeſticæ ſcholæ: Paulus, *Rom. 16. v. 5 & 1. Cor. 16. v. 19.* meminit congregationis, quæ fit in domo Nymphæ. XIII. Timotheus Pauli diſcipulus, *2. Tim. 3. v. 10. 14.* ſcholas Eccleſiaſticas ſingulos Apoſtolos, vbicunque locorum egerint, aperuiſſe, non tamen eo videntur, quod paſſim in Synagogis docuerint, *Act. 13. v. 14. 5. 42.* ſed etiam quod ſuos ſemper habuerint diſcipulos, quos in ſacris literis inſtituerunt, & ad miniſterium præpararunt. Paulus enim ſe Timotheum docuiſſe teſtatur, *2. Tim. 3. v. 1. 14. & 2 v.* XIV. Schola Alexandrina ab antiquo fuiſſe ſcholam teſtatur *Euſebius lib. 5. c. 6.*

Vide, Doctrina, Diſciplina, Inſtitutio, Philoſophia, Virtus.

SCIENTIA.

Definitio et Etymolog.

Scientia, Græce, ἐπιστήμη, ab ἐπίσταμαι, ſciens dicitur. Eſt autem ſcientia habitus demonſtratiuus, *ſecund. Ariſt. lib. 6. Ethic.*

Scientia eſt determinatio intellectus ad alteram partem cum certitudine.

Scibile dicitur ſecundum potentiam, ſcientia vero ſecundum actū vel habitum, ideo non ſunt ſimul natura. *Ex B. Thom. 1. p. q. 13. art. 7.*

Scientia a ſcio dicitur. Scire autem proprie eſt rem ratione & per cauſam cognoſcere: Quid autem a ſapientia ſcientia differat vide ſupra.

Scientia eſt intelligentiæ, ingeniique viribus excitata ex vniuerſalibus principalibuſque veris ac neceſſariis, & primis ac immediatis.

Scientia, Hebr. *Dahath, m, iddahh,* a verbo *iadhahh,* nouit, ſciuit, cognouit, agnouit. Hinc εἰδῶ, εἰδέω, ſcio, conſpicio.

Loci Biblici.

Scientia, pro doctrinæ cognitione, *2. Cor. 11. v. 16.* pro vſu & peritia, *7. v. 7.* Scientia vera quæ, *1. Cor. 2. v 2. Col. 2. v. 2. 3. 1. Tim. 6. 20. 1. Ioan. 5. v. 20* ſcientia a Deo, *1. Sam. 2. v. 3. Dan. 1. v. 17* ſcientia inflat, *1. Cor. 8. v. 1.* ſcientiam labor comitatur, *Eccl. 1. 18.* ſcientia particularis in piis requiritur, *Ioan. 11. v. 22. 2. Cor. 5 v. 1. Ioan. 1. v. 15. 18. & 5. v. 16.* ſcientia Ieſu Chriſti, *Phil. 3. verſ 8.* ſcientia ſalutis, *Luc. 1 v. 77.* ſcientia veritatis, *2. Tim. 3. v. 7.* ſcientia falſo nominata, *1. Tim. 6. v. 20.*

Scientiarum Dominus eſt Deus, *1 Sam. 2. v 3.*

Patrum Sententiæ.

Non omnis qui ignorat, immunis eſt a pœna. Ille enim ignorans poteſt excuſari a pœna, qui, quod diſceret, non inueniet. Illis autem hoc ignoſci non poterit, qui, habentes a quo diſcerent, operam non dederunt, *Auguſt. lib. q. & habes diſtin. 37. can. Non omnis.*

Hæc tota ſcientia magna hominis, ſcire, quia ipſe nihil eſt per ſe & quoniam quicquid eſt, ex Deo eſt, & propter Deum eſt. *Idem ſuper pſal. 70.*

Qui ſe dicit ſcire quod neſcit, temerarius eſt: qui ſe negat ſcire quod ſcit, ingratus eſt, *Idem in ſer. de Aſcenſione.*

Animæ non imputatur ad reatum, quod naturaliter scire non potest, sed quod scire non studuit, & quod dignam facultati comparandæ, ad recta facienda operam non dedit. Loqui enim non posse, & scire non posse, infanti naturale est, quia ignorantia illo modo inculpabilis est, sed & humanis affectibus blanda atque grata. Non enim vllo vitio illam facultatem comparare neglexit, aut vitio quam comparauerat, amisit. *Idem lib. 3. de liber. arbitr.*

Vera scientia afficit, non emollit: nec superbientes, quos impleuerit, sed lamentantes facit, qua quisque cum repletus fuerit, priori loco se scire appetit, & iam sui conscius tanto per illam robustius sapit, quanto se infirmum, in illa verius recognoscit. *Greg. li. 23. Moral.*

Magna virtus boni est cognoscere malos, & firma tutela salutis scire quod fugias. *Ioan. Chrys. de Cognoscibilibus ab homine.*

Præcedit enim scientia virtutis cultum. Quia nemo potest fideliter appetere quod ignorat, & malum nisi cognitum sit, non timetur. *Idem in Politica lib. 3.*

Ad maioris culpæ tumultum pertinet, scire quenquam quid sequi debeat, & sequi nolle quod sciat. *Isid. lib. 2. de summo bono.*

Pleri que accepta scientia literarum, non ad Dei gloriam, sed ad suam laudem vtuntur, dum de ipsa extolluntur. & ibi peccat vbi peccata emendare debuerunt. *Idem lib. 3. de summo bon.*

Sunt qui scire volunt eo fine tantum vt sciant, & turpis curiositas est. Et sunt qui scire volunt, vt scientiam suam vendant, verbi gratia, pro pecunia, pro honoribus: & turpis quæstus est. Et sunt qui scire volunt vt sciantur ipsi, & turpis vanitas est. Et sunt qui scire volunt vt ardentius ædificent, & charitas est. Et sunt qui scire volunt vt ædificentur, & prudentia est. *Bernard. super Cant. serm. 6.*

Vides quod non probat multum scientes, si modum sciendi nescierunt? Vides quomodo fructum & vtilitatem scientiæ in modo sciendi constituit? Quid ergo dicit modum sciendi, nisi vt scias? quo ordine, quo studio, quo fine vnumquodque scire oporteat? Quo ordine? vt illud prius, quod maturius mouet ad salutem. Quo studio? vt illud ardentius, quod vehementius ad amorem. Quo fine? vt non ad inanem gloriam & ostentationem, sed ad tuam & aliorum salutem. *Idem super Cant. ser. 36. exponens illud 1. ad Cor. 8. Si quis existimat se scire.*

Scientia parit cognitionem amoris, amor frequentiam, frequentia familiaritatem, familiaritas fiduciam, fiducia facilem imperatorem. *Idem lib. Meditationum.*

Quia quæsiuisti a me in Christo, mihi charissime Ioan. qualiter te studere oporteat in thesauro scientiæ acquirendæ. Tale a me tibi super hoc traditur consilium, vt per riuulos non statim in mare eligas introire, quia per faciliora ad difficiliora oportet deuenire. Hæc est ergo monitio mea, & instructio tua. Tardiloquum te esse iubeo, & tarde ad locutorium accedentem. Conscientiæ puritatem amplectere. Orationi vacare non desinas. Cellam frequenter diligas, si vis in cellam vinariam introduci. Omnibusque te familiarem exhibe. Nihilque te penitus de factis aliorum intromittas. Nemini te multum familiarem ostendas: Quia nimia familiaritas parit contemptum, & subtractionis subito materiam subministrat. De verbis & factis sæcularium nullatenus te intromittas. Discursus super omnia fugias. Sanctorum & bonorum vestigia imitari non desinas. Non respicias a quo audias, sed quicquid boni dicatur memoriæ recommenda. Et quæ legis & audis, fac, vt intelligas: De dubiis te certifices, & quicquid poteris, in armariolo mentis reponere satage sicut cupiens vas implere. Altiora te ne quæsieris. Ita sequens vestigia, frondes & fructus in vinea Domini Sabaoth vtiles, quandiu vitam habueris profeles ac produces. Hæc si sectatus fueris, ad id attingere poteris quod affectas. *S. Thom. de Aquino in epist. de modo acquirendi scientiam.*

Via ad Deum est scientia, quæ ad institutionem recte & honeste viuendi pertinet. Et disciplinæ bonitas & beatitudo. Per scientiam itur ad disciplinam, per disciplinam itur ad bonitatem, per bonitatem ad beatitudinem. *Hugo de instructione nouitiorum.*

Si quis familiariter scientiam amare didicerit, & ei sæpius vacare voluerit, iucundam valde reddit vitam, & maximam in tribulatione præstat consolationem. *Idem in Didascal. lib. 3.*

Quis enim scire contentus est, non expetens aliquem fructum sciẽtiæ. *Lactan. Firmian. diuinar. institut. lib. 3.*

Scientia est Deum noscere: virtus colere, in illo sapientia, in hoc iustitia continetur. *Idem lib. 6. c. 5.*

Poetarum Dicta.

Antholog. sac. Iac. Bill.
In quo vera scientia sita sit.

Pythagoras olim quid senserit, aut quid acutus
Chrysippus, vel quid Priscus Anaxagoras:
Scire etiam quid Protagoras, Zenoque Platoque,
Tradiderint, & quid magnus Aristoteles:
Scire etiam, quinam fuerint Bacchique Iouisque,
Infestum scire hoc, & sine fruge, voco.
Longe alia est multo & melior doctrina piorum:
Nam lacrimas imo pectore gignit eis.

Ibid.

Scit legem, doctusque tenet iussa omnipotentis,
Qui quod nouit agens, diligit id quod agit.
Non satis est Domini præceptum voluere lingua,
Bis meminit Legis, qui memor est operis.

Philosophicæ Sententiæ.

Sublata cognitione & scientia, tollitur omnis ratio, & vitæ degendæ & rerum gerendarum. *Cic. lib. 1. de Finib. bonor. & malor.*

Scientia est in anima sicut accidens in subiecto.

Multa sunt scibilia, quorum non est scientia.

Scibile est prius quam scientia, & sensibile quam sensus.

Scientia est de numero permanentium & discibile mobilium.

Si quis mediocriter sciuit scientiam, nisi grandis fiat permutatio ab ægritudine, vel aliquo huiusmodi, non recedit.

Quod scientia festinata non crescit, mediocriter autem sumpea augmentatur & crescit. *Boet.*

Quam magnos fructus affert scientia diuidendi studiosis hominibus.

Scientia diuidendi reddit dociles auditores. *Idem libro Diuisionum.*

Scientia est habitus demonstratiuus, cum enim assentitur quisque quodam certo genere, habetque penitus cognita principia: tum scire ac tenere rem dicitur. *lib. 6. Ethic. c. 3.*

Scientia quid sit hinc perspicuum est, si accurate disputare, non cõsectari similitudines placet, quod omnes existimamus, quæ scimus, secus euenire non posse. *ibid.*

Quod sub scientiam cadit, id omne necessarium est: ideoque æternum. *ibid.*

Scientia doceri videtur posse: & quicquid sub scientiam cadit doceri. *ibid.*

Scientia in iis est quæ permanent, diuturnaque sunt: etiamsi scientia aliquis sit mediocriter instructus: nisi vi morbi aut alicuius eiusdem generis permagna inciderit mutatio. *In Categorys, c. 8. de Qualitate.*

Scientia & artes eæ demum certissimæ sunt: quæ in primis maxime versantur. Quandoquidem quæ & paucioribus dicuntur: iis sunt, quæ ex additione, certiores: vt Arithmetica, quam Geometria. Ea etiam quæ causas considerat, ad docendum est aptior: præsertim cum ij doceant qui causam cuiusque rei afferunt. *lib. a. 1. maiore, Metaph. c. 2.*

Qui scientiam per se suaque causa sequitur: is eam artem quæ hoc nomine dignissima est, maxime expetit: cuiusmodi est ea quæ in eo quod maxime sub scientiam cadit, cernitur. *ibid.*

Eorum quæ casu aut forte fortuna fiunt: nulla potest esse: quæ ex euidenti probatione oriatur, scientia. *lib. 1. de Demonstrat. cap. 24. T. 43.*

Vna scientia est, quæ in vno quodam genere versatur, earum rerum quæ ex iisdem primis initiis constare cernuntur: quorum initiorum aut partes, aut affectiones sunt illa, quæ per se conuenire illi generi conspiciuntur. Diuersæ autem sunt: quorum principia nec eadem sunt, nec alia sub aliis continentur. *lib. 1. de Demonstrat. c. 23. T. 42.*

Omnino quod vnius scientiæ est, conueniri alteri non potest: nisi forte cum vna erit ad alteram affecta, vt in vna altera contineatur: quomodo ad Geometriam Optica. & ad Arithmeticam Musica affecta est. *lib. 1. de Demonstr. c. 7. T. 20.*

Ego scientiam appello, perceptionem illarum propositionum, quæ nullo medio confirmari possunt. *lib. 1. Demonst. c. 26. T. 44.*

Omnes homines natura trahuntur & ducuntur, ad scientiæ cognitionisque cupiditatem. *Metaph. lib. 1. maiore, c. 1.*

Omnis ars & scientia principia quædam & causas in quoque eorũ, quæ ei proposita sunt, quærit. *lib. 10. Metaphys. c. 6.*

In rebus præclaris, quæque in honore & pretio habentur, scientiã numeramus: & aliam alia maiorem ac præstantiorem existimamus: vel quod certior sit: vel quod in rebus & præstantioribus, & maiorem admirationem excitantibus versetur. *lib. 1. de Anima, c. 1. T. 1.*

Illa est accuratior & prior scientia: quia simul & quod res sit, & cur sit, non autem quod sit, tãtum percipitur: quam si qua sit, qua rei tantum caussa cognoscatur. *lib. 1. de Demonstr. c. 23. T. 42.*

Illa semper est certior scientia, quæ in eo subiecto versatur, quod est omnino a sensuum iudicio disiunctum: quam quæ in re versatur ad sensum maxime accommodata. *ibid.*

Accuratior est scientia, quæ simplicioribus elementis constat, ea cuius elementa non nisi ex aliqua adiectione intelliguntur: qua ratione Geometriæ præstat Arithmetica. *ibid.*

Perspicuum est tria esse genera scientiarum, quæ rem animo cernũt Physica, Mathematica & Theologia *lib. 10. Metaph. c. 6.*

Scire cur res sit: nihil est, quam primam cuiusque caussam nosse *lib. 1. de Demonstr. c. 10 T. 30.*

Scientiam & intelligentiam in arte potius in esse, quam in vsu & ex

pe-

perienta censemus: sapientioresque eos qui arte præditi sunt ijs qui vsu artis valent, iudicamus: quod sapientia pro scientia & cognitione magis omnes sequatur. Id autem propterea fit, quod hi causas rerum cognitione habent, illi non item. *Maior libr. α. Metaph. c. 2.*

Quoniam id quod certo scimus, non potest se aliter habere, illud profecto sequitur, rem esse necessariam, quæ sub scientiam cadit demonstratiuam. Atqui scientia demonstratiua est, quarum habemus, cum mente percipimus alicuius rei demonstrationem. *lib. 1. de demonstr. c. 4. T. 7.*

Semper in ijs quæ priora & antiquiora sunt, ars & scientia versatur. *lib. α 2. Metaph. c. 2.*

Vnius rei hoc ipso quod vna sit, vna est scientia. *lib. 2. de demonstr. c. 3. T. 2.*

Scire tribus modis dicitur, nempe aut cognitione vniuersali: aut particulari: aut actu & operatione: quare totidem modis intelligitur hallucinari. *lib. 2. de prima Resolut. c. 21.*

Omne quod sub scientiam cadit, non potest aliter se habere: *lib. 1. de demonstr. c. 6. T. 15.*

Scire quamobrem res est, nihil est quam rei causam nosse. *lib. 2. de demonstr. c. 7. T. 19.*

Hoc inter sensum & scientiam interest: quod si scientia amissa sit, rursum comparari potest: sensus semel erutus, & amissus, non potest recipi. *lib. 5. Top. c. 11.*

Qui scientia præditus est, is maxime in iis est, quæ cum aliquo conferuntur. Quod hinc scire licet, quia scientia nō oritur in nobis, cum alicuius partis motus antecessit: sed alicuius anticipatione. Experientia enim, quæ in parte versatur, vniuersæ rei scientiam adipiscimur. *lib. 7. de Natur. c. 3. T. 20.*

Quieuisse & institisse intelligentiam, id demum scire ac sapere dicimus. *ibid.*

Scientia quæ ex habitu actionem eduxit, omnino idē quod res quæ ei proposita est, valet: ea vero quæ in habitu solum posita est, ordine quodam temporis in vno homine illa ant quior est: omnino vero ne temporis quidem ordine *lib. 3. de Anim. c. 5. T. 20.*

Hoc est per se, & non per accidens scire: quando aliquid eo modo alteri conuenire intelligimus, quo illi conuenit: idque per principia, quæ sunt illi, quia illud ipsum est, Propria *lib. 1. de demonstr. c. 7. T. 23.*

Sunt tria illa natura in omnia scientia necessaria: res de qua aliquid concluditur: illud ipsum quod inesse alteri ostēditur: & ipsa principia ex quibus elicitur conclusio. *lib. 1. de demonstr. cap. 8. T. 25.*

Nos id sæpe ad rem sciendam satis esse existimamus: si modo ex veris ac primis quibusdam sumptionibus constet ratiocinatio: cum tamen multo secus res habeat. Necesse est enim vt illa præterea cum iis, quæ in eo genere prima sunt, naturæ quadam coniunctione sint consociata. *lib. 2. de demonstr. c. 8. T. 14.*

In scientia non spectatur, quid rectum, cum ne peccatum quidem: & opinionis quod rectum est, appellatur veritas. *Ethic. lib. 6. cap. 9.*

Nec per sensum quidē vlla oritur scientia. *lib. 1. de demonstr. c. 24. T. 43*

Scientiam rerum mensuram dicimus, & sensum pari ratione quod ex iis aliquid cognoscimus. Quanquam mensura eorum alia sunt potius, quam ipsa aliorum. *lib. 1. 9. Metaph. c. 3. T. 5.*

Omnis ars & scientia, quæ rationis & mentis est, vel rationis aliqua ex parte est particeps: in principijs ac causis, vel certioribus, vel minus talibus versatur. *lib. 1. 5. Metaph. c. 1. T. 1.*

Vsu atque exercitatione hominibus ars & scientia comparatur. *lib. α. 1 maior. Metaph. c. 1.*

Sunt scientiæ propemodum infinitæ: Vnde etiam planum est, demōstrationes infinitas esse quæ eædem veræ sunt reprehensiones. *lib. 1. de repreh. Soph. c. 8.*

Scientia & ars quæ in rerum contemplatione cernitur, & id quod ei propositum est, eadem sunt. *lib. 3. de animo, c. 4. T. 15.*

Nosse quidem quod res sit, est eorum qui eas artes exercent, quæ sensuum iudicio continentur: cur autem ipsa res sit intelligere, eorum est qui scientia & doctrina sunt perpoliti. Hi enim sunt qui perspectas habent singularum rerum ex suis causis demonstrationes, ac sæpenumero, quod res sit, ignorant. *lib. 5. de demonstr. c. 10. T. 30.*

Scientia & res quæ sub scientiam cadit, differt ab opinione & re opinabili, quod in rebus vniuersis atque necessariis cernitur scientia: necessaria autem hic dicuntur, quæ se aliter habere non possunt. *lib. 1 de demonstr. c. 27. T. 44.*

Earum rerum, quæ sub scientiam cadunt, vniuersa cognitio, est præstantior omni sensuum perceptione: imo vero & omni alia perceptione animi, si modo earum rerum sit, quæ causam aliquam habent. Nam de principiorum cognitione alia ratio est. *lib. 1. de demonstr. c. 24. T. 43.*

Cognitione vniuersali particularia cognoscimus: propria ac peculiaria nescimus. Quo fit ut in ijs hallucinemur, non tamen opinione contraria: sed dum cognitionem vniuersalem habemus, decipimur particulari. *lib. 2. de prima Resolu. c. 21.*

Cum omnium artium & scientiarum finis, & extremum in bonis est: tum vel maxime, atque in maximis bonis est finis eius quæ omnium tenet principatum, cuiusmodi est ciuilis scientia, *Lib. 3 de Rep. c. 8.*

Similitudines.

Philonis Iudæi. quemadmodum canes venatici a longinquo ad feras perueniunt odorem sequentes, cuius eximio sensu a natura sunt præditi: Eodem modo a iustitia, cæteriq; virtutibus exhalantes suaues auras amator scientiæ vestigat, cupiens originem tantæ voluptatis assequi, huc illuc cursitans, & vel ipso honestatis odore, tanquam sacro nidore se recreans, *Lib. de somnijs.*

Sicut fontes salientes si multum aquæ auferatur, non tantum non diminuuntur, sed dulciores etiam multo redduntur. Ita scientia non decrescit, docendi officio, sed magis etiam magisque fit dulcior: nonnunquam etiam augetur, si in discipulos & familiares transfertur. *Lib. de somnijs & lib. de gigantibus.*

Quemadmodum fax etiam si lucernas multas accenderit, semper manet eiusdem magnitudinis, & nequaquam ne tantillo quidem diminuitur. Sic etiam scientia in homine nequaquam diminuitur, licet docendi ratione in multos transfundatur. *Lib. de gigantibus.*

Ambrosij. sicut vinum non temperatum admixtione aquæ, mentem alienat: Ita & scientia superbum facit, nisi fuerit charitate tēperata. *Super epist. Pauli.*

Pij Pontificis, non vt pecuniæ, sic & scientiæ conseruatrix est auaritia: sed qui literas suas magis abscondit, is eas magis annihilat, *Lib. Epistolar. epist. 90.*

Eruditio amplissima est supellex, & hæreditas principatu melior: opes & potentatus & huius honores sæculi, bona fortunæ sunt fluxa, mutabilia, caduca, quæ vt fortuna vult, huc atque illuc ferantur. Illa enim mortale genus quasi in ludo habet, & hunc deprimit hominem, illum extollit Nec enim magnum ex figulo regē, & rursus ex rege figulum facere. At animi bona, quæ sunt, Continentia, Castitas, Fortitudo, Iustitia, Moderatio, Intellectus, Ingenium, Memoria, &c. stabili quodam nexu adhærent homini, nec auferri a nobis nisi cum vita possunt: hæc vere nostra sunt bona, hæc dum luce inter mortales fruimur, vitam præstant suauiorem, postquam migramus ex hoc sęculo, spem dant felicitatis æternæ *Epist. lib. epist. 105.*

Sunt scientia sicut & lumina, qui de suo lumine lumen accendit, sesibi retinet lucem, & accipiens tenebras aufert. *Epistolar. lib. epist. 120.*

Plutarchi. Vt agricolæ lubentius vident spicas inclinatas, quam erectas in altum: nam illas onustas fructu intelligunt, has inanes: Sic adolescentes priusquam profecerunt in philosophia, tument: vbi doctrinæ fructum perceperint, submittunt sese. *In Moral.*

Seneca. quærimus nonnunquam eos, quibuscum stamus: Ita quidam quod sciunt, se scire nesciunt. *Apud P. M.*

Vide, Ars, Disciplina, Philosophia.

SCORTVM, SCORTATIO.

Definitio et Etymolog.

SCortum, Græce πόρνη &c. & πορνεύω. scortor dicitur. Est autē scortum meretrix, vel quod sicut pellicula subigatur, cum solum calceamentorum omnibus subiectum sit, vel quod in grabatulis pelles stratas tenere cōsueuissent. Hinc scortor, meretricor: & scorteum, quicquid ex pelle est. Heb. *Zonah.* vide Meretrix.

Loca Biblici.

Scortatio damnatur, *Exod.* 20. 14. *Deut.* 23. *v.* 17. 18. *Prou.* 5. *v.* 5. *&* 6. *v.* 24. 2. *&* 7. 5 *&* 9. *v.* 13. 19. *&* 31. 3. *Matth.* 5. 2. 27. 28. *Act.* 15. 20. *Rom.* 1. *v.* 28. 29 *&* 13. 13 1. *Cor.* 6. *v.* 15. 16. 18. *&* 10. 8. 2. *Cor.* 12. 21. *Gal.* 5. 19. *Ephes.* 5. 3 *Coloss.* 3 5. 1. *Tim.* 4. *v.* 3. 4 5. *Heb.* 13. 4. *Iac.* 2 11. *Apoc.* 2. 14. non solum in opere externo, sed & in affectu, *Exo.* 10. 17. *Matth.* 5. 28. scortatio pro adulterio, *v.* 32.

Scortationis variæ species, *Matth.* 5. 28. scortationis mala: *Primo,* irā Dei prouocat. *Deut.* 22. 21 *Prou.* 23. 27 *Eccl.* 19 3. *Ier.* 5. 7. *Osee* 4. 14. 1. *Cor.* 6. *v.* 9 15. *Coloss.* 3. 5. *Hebr.* 13. 4. *Secundo,* corpus externat & facultates absumit. *Iob* 31. 12. *Prouerb.* 23 27. *&* 29. 3. *&* 32. 3. *Eccl.* 9. 6. *Tertio,* infamiam adfert, *Eccl.* 9. 10. *&* 41. 21. scortationis etiam occasiones vitandæ, *Eccl.* 9 *v.* 4. 12. *&* 42. 12 scortationis pœna. *Deut.* 22. 22. *Ier.* 29. 23. *Ezech.* 22. 11. 1. *Cor.* 5. 9 *&* 6. *v.* 9. 10. *&* 10. 8. *Eph.* 5. *Apoc.* 21. 8.

Sententiae Poeticae.

Faustus.

Non scortum est aliud nisi blanda & subdola Siren,
Quæ trahit humanum sub vada cæca genus.

Apophthegmata.

Antisthenes Atheniensis cum his mulieribus consuetudinem habendam dixit, quæ beneficium beneficio pensent, & quæ gratiam habituræ sint. Sentiens, abstinendum a meretricibus, quæ pretio & pecuniæ vendunt inhonestam voluptatem, nec pariunt nec amant mutuum: aut a valetudinariis, deformibus & male moratis, quæ gignunt fœtus pœnitendos. *Eius dictorum extat apud Laert. lib. 6. c. 1.*

Diogenes scorta dicebat esse regum reginas, quod ab his quicquid collibuisset peterent & impetrarent. Nam ideo regum reginas appellabat, non quod essent pares vxoribus: sed quod in ipsos reges regnum exercerent. Reges a populo non semper obtinent quod exigunt, at scorto nihil negatur. *Laert. l. 6.*

Idem, formosa scorta similia dicebat mulso lethalibus venenis temperato, quod adferrent quidem initio voluptatem, sed quam perpetuus dolor consequeretur. *ibid.*

Idem conspiciens quendam meretrici supplicē, vt impetraret quod petebat: Quid, inquit, tibi vis miser? præstat non impetrare quod rogas. A scorto reiici præstat, quam admitti. Et tamen plerique animi & corporis iacturam ambiunt instanter, & magno emunt. *ibid.*

Idem, irridebat eos, qui cellas promptuarias obserant vectibus, seris & sigoaculis: corpus autem suum multis fenestris & ianuis aperiunt, per os, pudenda, aures & oculos. *Stob. serm. de intemperantia.*

Socrates, nec ignem vestimento occulere possibile esse dicebat, nec scortationem fœdum peccatum tempore. *Eod. ser.*

Musonius, extremæ dicebat esse impudentiæ in subeundis vel instituendis laboribus meminisse imbecillitatis corporum, erga voluptates autem (id est, crapulam & scortationem) obliuisci, *Ibidem.*

Crates visa aurea imagine Phrynes scorti Delphis erecta, exclamauit, Ex Græcorum incontinentia trophæum. *Plut.*

Plutarch. scortationem detestatus, apposite dicebat, scortationem veluti alloquens: An coram omnibus scortaris? Imo tu teipsum etiam reueritus fugis, nocti solum & tenebris sine testibus contumeliam & libidinem committens, nemo quippe honestis actionibus caliginem obtendit, lucem earum testem reformidans. Immo totum mundum solem esse optaret, erga ea quæ præclare agit. Vnumquodvis autem crimen nudum conspici cauet: per texes affectus. Iis ergo amputatis, nudas inrueamur voluptates. Sunt ebriæ ad stuporem, scortantur perpetuo, dormiunt ad negotia, ciuitates negligunt, non curam gerunt parentum, non verentur leges. *Ex lib. contra voluptatem, apud Stob. ser. 6.*

Demosthenes. Fertur, aliquando Corinthum nauigasse Demosthenē, illectum fama nobilissimi scorti Laidis, vt & ipse famoso amore poiretur. At quum illa pro nocte stipularetur drachmarum decem millia, deterritus magnitudine pretij mutauit sententiam, dicens: οὐκ ἀγοράζω τοσούτου τὸ μεταμελῆσαι, Non emo tanti pœnitere: significans, inhonestæ voluptati paratam esse comitem pœnitentiam. *P. M. lib. 4 apoph.*

Demetrij legati, quum legatis a Demetrio ad Lysimachum missis Lysimachus per otium narraret aliquando, quomodo coactus ab Alexandro cum ferocissimo leone colluctatus fuisset, & cicatrices ostenderet in cruribus ac brachiis ē feræ vngulis relictas, legati dixeruot: Et noster rex graues feras: Lamiæ morsus in collo gestat. Notantes suauiorum amatoriorum vestigia, simul alludētes ad Lamiam belluam. *Plut.*

Exempla Biblica.

Scortationis punitæ *exempla*: Sodomitæ, *Gen.* 19. 24. Sichimitæ, 34. *v.* 25. Israelitæ, *Num.* 25. *v.* 1. *&c.* Israelita quidam, *versic.* 6. Beniamitæ, *Iudic.* 20. *v.* 44. filii Heli, Ophni & Phinees, 1. *Sam.* 2. *v.* 22. 25. *&* 4. *v.* 17. Israelitæ, *Ier.* 5. *v.* 7.

Vide, Adulterium, Fornicatio, Libido, Voluptas.

SCRIBA, SCRIPTIO.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Scriba, γραμματεύς. Hebr. *Chotheb, Sopher, a Sepher* literæ scriba literarum, qui characteres & rerum nomina, partesque alias orationis, quæ literis includuntur, scripto consignat.

Loci Biblici.

Scriba quidam Christum sequi instituit, *Matth.* 8. 19. Scriba tumultum sedat, *Actor.* 19. 35. Scribæ nomen publici muneris, Pharisæi autem sectæ nomen est, vt apparet ex *Act.* 23. 9. Scriba, in genere pro Doctore, *Matth.* 13. 52. comparatur prudenti patrifamilias, *ibi* Scribæ aduersus Christum murmurant. *Luc.* 5. 30. *&* 15. 2. & discipulos, *Matth.* 15. 2. *Marc.* 7. *versic.* 1. 2. signum petunt, *Matth.* 12. 38.

Scribarum genera tria reperiuntur in scriptura sacra. *Vnum* eorum, qui regibus apparebant quodcunque tandem eorum munus fuerit, 2. *Sam.* 8. 17. *&* 9. 3. *&* 20. 25. 2. *Regum*, 12. 10. *&* 22. 3. *Alterum* eorum, qui priuatorum contractus & instrumenta videntur descripsisse, quos notarios vocamus, cui rei operam solitos fuisse nauare Cinæos, nullam alioquin hæreditatem cum tribubus sortitos, liquere potest ex 1. *Paral.* 2. *versic.* 55. Eiusmodi etiam contractuum quis fuerit mos, colligi potest ex *Ierem.* 32. 11. quo videtur allusisse Propheta, *Psal.* 45. 2. *Tertio*, denique scribæ dicti sunt, iuris diuini periti, inter cæteros, (quo nomine laudatur Esdras. 1. *Esdr.* 7. *&* 11.) quorum munus fuit, tum in synagogis, tum in templo legem docere, qua de causa *sapientes* appellati sunt, vt constare potest ex *Matth.* 7. *&* 29. *&* 17. 10 *&* 23. 13. *Marc.* 13. 28. *Luc.* 7. 30. *&* 11. 46. 1. *Corinthior.* 1. 20. Ex horum præterea numero selecti erant nonnulli, qui scribæ populi vocabantur, quorum fit mētio. *Matth.* 2. 4. Scribas ex eo sic dictos fuisse, quod legi scribendæ & interpretandæ vacarent, quasi sacrarum tabularum custodes, constare potest ex *Ier.* 8. *v.* 8. Scribarum mores notantur, *Matth.* 22. 34. *Marc.* 12. *v.* 38. 39. 40.

Scribit Deus legem ac mandata, *Exod.* 24. 12. scribatur verbum Dei in ostiis. *Deut.* 6. 9. *&* 11. 20.

Scriptores profani, quatenus vtiles, *Act.* 17. 28. citantur, 1. *Cor.* 15. 33. *Tit.* 1. 12.

Poeticæ Sententiæ.

Ouid. 4. Trist. 1.

Innumeri montes inter me, teque, viæque,
Fluminaque, & campi, nec freta pauca iacent.
Mille potest causis a te quæ littera sæpe
Missa sit, in nostras rara venire manus.
Mille tamen causas scribendo vince frequenter,
Excusem ut te semper amice mihi.

Claud. epist. ad Olybrium.

Quid reus affatus quod non mihi dirigis vllos?
Nec redit alterno pollice ducta salus?
Scribendine labor? sed qua tam prona facultas,
Carmina seu fundis, siu Ciceroni tonas?
Cedere diuitijs animæ fortuna fatetur.
Et tantas oris copia vincit opes.
An rarus, qui scripta ferat? quum tempore nullo
Cessant Flaminiæ puluerulenta via.
Cum faueas ingenium, cum sit qui dicta reportet,
Quæ nisi contemnor, causa relicta tibi?

Idem in Probinum.

Quem precor inter nos habitura silentia finem?
Quando dabit gratas litera nostra vices?
Me timidum, vel te potius dixisse superbum
Conuenit: alterius crimen vtrumque tenet,
Transfluxere dies & dum scripsisse priores
Pœnitet, æternas itur in vsque moras.
Sed quid agam tempsisse vetat reuerentia vestri:
Hinc amor hortatur scribere, vincat amor.

Ouid. 5. Trist. 14.

Vtque solebamus consumere longa loquendo
Tempora, sermoni deficiente die:
Sic ferat ac referat tacitas nunc litera voces.
Et peragant linguæ charta, manusque vices.
Quod tibi nē nimium videar diffidere, sitque
Versibus hoc paucis admonuisse satis:
Accipe, quo semper finitur epistola verbo,
Atque meis distent vt tua fata, vale.

Ouid. 1. Remed.

Scripta cauē relegas blandæ seruata puellæ.
Constantes animos scripta relecta mouent.
Omnia pone feros, quamuis inuitus, in ignes,
Et dic, ardoris sit rogus iste mei.

Hor. 1. serm. 10.

Sæpe stylum vertas, iterum, quæ digna legi sint,
Scripturus: neque te vt miretur turba, labores,
Contentus paucis lectoribus.

Idem Art.

Si quid tamen olim
Scripseris, in Meci descendat iudicis aures,
Et patris, & nostras: nonumque prematur in annum,
Membranis intus positis delere licebit,
Quod non edideris.

Hor. Art.

Sumite materiam vestris qui scribitis æquam
Viribus, & versate diu, quid ferre recusent,
Quid valeant humeri, cui lecta potenter erit res,
Nec facundia deseret hunc, nec lucidus ordo.

Proper. 3. 7.

Quid me scribendi tam vastum mittis in æquor?
Non sunt apta meæ grandia vela rati
Turpe est quod nequeas capiti committere pondus
Et pressum inflexo mox dare terga genu.

Omnia

Omnia non pariter rerum sunt omnibus apta,
Fama nec ex agro ducitur ulla tuo.

SENTENTIÆ PHILOSOPHICÆ.

Videtur quicquid literis mandatur, id commendari omnium eruditorum lectione dicere. *Cic. 2. Tusc.*

Lectionem sine delectatione negligo. Mandare quenquam literis cogitationes suas, qui eas nec disponere nec illustrare possit, nec delectatione aliqua allicere lectorem, hominis est intemperanter abutentis & otio & literis. *Idem 1. Tusc.*

Quoniam vt libet non possum scribere, vt possum non libet. *Theocritus.*

Libri, muti magistri sunt. *Gel. lib. 14.*

Historias scribere magno vsui est. *Sallust.*

Historias scribenti mentiri turpe. *Cic. in Sall.*

Nullus liber tam malus est, qui non aliqua parte prosit.

Quatenus nobis denegatur diu viuere: relinquamus aliquid quo nos vixisse testemur.

Amicis scribendum subinde. *Plin. Iun. lib. 2. epist.*

De scriptorum fama DIAL. XLIV.

Francisc. Petrarch.

G A V.

Quid quod ipse libros scribo? R. Morbus publicus, contagiosus, insanabilis. Omnes sibi vsurpant scribendi officium quod paucorum est. Vnus hoc correptus malo, multos inficit, æmulari enim pronum, imitari arduum, vnde in dies crescit ægrotantium numerus, singulisque vis ægritudinis ingrauescit, quotidie plures, quotidie peius scribunt, quoniam sequi facilius quam assequi, scitum req; compertum, & cum tempore clarius est illud sapientis Hebræorum faciendi plures libros nullus est finis. G. Scribo. R. Suis vtinam se finibus tenerent homines, rerumque ordo constaret, qui mortalium temeritate confunditur, scriberent qui sciunt, & qui possunt, alij legerent vel audirent, itane parua cuiquam animi voluptas intelligere est, nisi manus ad calamum præsumptuosa festinet, & quisquis libri particulam intellexit, seu intellexisse visus est, sibi illico libros scribere videatur idoneus, hæreret vtinam memoriæ vnum Ciceronis nostri dictum in Tusculani sui vestibulo, ne quem lateat claro scilicet ac patenti loco positum: fieri enim, inquit, potest, vt recte quis sentiat, & id quod sentit eloqui polite non possit, & sequitur: Sed mandare quenquam cogitationes suas literis, qui eas nec disponere nec illustrare possit, nec delectatione aliqua allicere lectorem, hominis est intemperanter abutentis & otio, & literis. Sunt quidem Ciceroniana ista verissima, sed ea iam vsque adeo vulgaris abusio est, vt nemo non sibi vni dictum putet, quod illi olim sacratissimo exuli, qui non de arescentibus riuulis, sed de ipso veri fonte potauerat, quæ scribebat, dictum est & sæpius repetitum, scribes, cui præcepto contemptores præceptorum omnium oês obediunt, oês scribunt, quod si in his qui alienos scribunt libros magni diximus esse periculi, quanti putas in his qui proprios recentesq; quib. dubias atque damnatas mundo inuehunt disciplinas? Seu quod in his malum est leuissimum stylo obtrudunt inconditu & agresti, sic vt cui vis desit ingenij, iactura saltem temporis laborq; aurium tædiumq; nô deerit. Hic vestrarum hodie non alius fructus inuentionum, aut inficere, aut afficere, reficere autem aut nunquã aut perraro. Omnes tamen assidue libros scribunt, nec vlli ætati tanta vel scribentiũ, vel differentium copia, tãta scientium atq; eloquentium fuit inopia. Horum de libris accidit, quod ibidem Cicero idem ait. Itaq; suos libros, inquit, ipsi legunt cum suis: nec quisquam attingit præter eos, qui eandem scribendi licentiam sibi permitti volunt, quod quidem Ciceronis, &c. Quis Ciceronis libros, aut Varronis enumeret? Quis Titi Liuij, aut Plinij opera metiatur? Græcorum vnus sex millia librorum edidisse traditur. O ardentem spiritum? si vera res est. O longum otium ac tranquillum. Certe si vnum duosue aut omnino paucos libros bene scribere multi negotiũ est laboris, tot vnum millia scripsisse non iam facile est credere, quam mirari. Summi tamen attestantur authores, quibus non credere durum sit, quique hunc numerum non auditu sibi, nec visu solo, sed eorum librorum lectione compertum dicant, quos si vnum oês legere potuisse mirabile, quanto mirabilius est scripsisse. Longum est enumerare qui viri apud nos, qui vero apud Græcos, & quæ scripserint, quorum nullus ad plenum studiorum fortunatus fuit. Sed horum aliqua, illorum autem magna pars, quorundã omnia periere. Tu de tuis quid præsagias videto. G. Scribo, & ea mihi interim voluptas vnica. R. Si vt ingenium exerceas, scribendo que alijs te doceas, si vt obliuiscaris temporum, præteritique memoria præsens tædium effugias excuso, si vt scribendi morbo quidem occulto & insanabili medeare, misereor. Sunt namque (si nescis) qui non scribunt nisi quantequeunt desinere, & velut ex præ-

Polyant. 14 Nouiss

cipiti decurrentes volentesq; subsistere rapiuntur. G. Scribendi impetus ingens est. R. Melancholiæ species infinitas ferunt, alii lapides iactant, alii libros scribunt, hinc scribere furoris initium est, hinc exitus. G. Scripsi multa & scribo. R. Si posteris profuturus, nihil latius, si tibi nudum nomen quæsiturus, nihil vanius. G. Multa scripsi, R. O præclaram insaniam, & mirantur si membranæ solito chariores sunt. G. Scribo, & hinc famam spero. R. Dixi iam, melius forsitan arares aut foderes, messem sperans. Humi.n. tutius, quam in vento seritur. Atqui famæ studiũ & pertinax scribendi opera, vt quosdam claros, sic innumerabiles stultos atque inopes in lectum misit, nudosq; & loquaces spectaculum vulgo fecit. Ecce dum scribitis, melioribus curis idoneum tempus elabitur. Extra vos rapti, opitique non aduertitis, donec sero vos senectus excitet ac paupertas. G. Scribo tamen famæ cupidus. R. Mirum studium de labore ventum quærere. Certe ego ventos optare nauticum putabam.

SCRIPTVRA SACRA.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

Scriptura sacra, Græce ἱερὰ γραφὴ dici potest. Sacra scriptura dicitur sancta tripliciter: a Spiritu sancto, a materia, & ab effectu secundum *B. Thom. super Epist. ad Rom. lect. 2. col. 1.*

Scripturæ sacræ effectus quadruplex: scilicet docere veritatem, arguere falsitatem, eripere a malo, inducere ad bonum, & perducere ad perfectum. *Secundum eundem super secundum ad Timoth. 3. fi.*

LOCI BIBLICI.

Scriptura sacra, *ἀντονομαστικῶς* pro scripturis sacris Propheticis & apostolicis, *Ioan. 20. 9.* pro lege, *Galat. 3. 22.* scriptura sacra vnde sit & quis eius vsus, *Exod. 17. 14. & 34. 27. Deuter 4. 1. & 17. 18. & 31. 9. Iosu. 18. & 34 16. Ier. 3. 20 & 36. vers. 2. 10 & 45. 1. Baruch. 1. v. 3. 14. & 41. Daniel. 10. 21. Matth. 4. v. 4. & 22. 29. Luca 4. v 4. & 16. 29. Ioan 5. 39. & 10. 44. & 20. 30. Act. 15. 21. & 17. 11. Rom. 1. 2 & 4. 23. & 15. 4. 1. Corinth. 9. v. 9. & 10. 11. & 15. 3. 2. Timoth. 3. 15. 2. Petr. 1. 20. & 3. 1. Apocal. 1. 10* Scriptura sacra authore Deo data, *Exod. 20. 1. & 34. 1.* Data Angelorum ministerio, *Actor 7. 53. Galat. 3. 19. Hebr. 2. v. 2.* per Spiritum sanctum data. *2. 4 2. Petr. 1. 21.* Scriptura sacra Satanæ & hominum tentationibus opponenda, *Matt. 4. 7. 10. & 5. 18. & 9. 13. & 12. v. 3. 5 7. & 15. 4. & 19. 4. & 21. 13. Luc. 9. 46. Matth. 21. 42. & 22. v. 31. 32. & 24. 35. Marc. 7. 10. 10. v. 5. 7. & 12. 10. Luca 4. v. 4. & 10. 26 & 20. v. 17. 42. & 21. 33. Ioan. 10. v. 34. 35. Actor. 2. 25. & 8. 30. & 15. v. 15. & 17. 11. & 18. v. 24. 24.*

Scripturæ abusus *Luca 4. 10.* scripturæ cognitio a Christo, *Luca. 24. v. 45. 46.* scripturæ corruptores puniendi, *2. Petr. 3. 16.* scripturæ expositio plebi quam necessaria, *Prou 29. 18.* scripturæ finis præcipuus, *Rom 15. 4.* scripturæ ignoratio, erroris causa. *Matth. 22. 29. Marc. 12. 24.* scripturæ lectio piis necessaria est, *Ioan 5. 39. Roman. 15. 4. 1. Thessalonic. 5. 20. 1. Thimoth. 4. 13. Heb. 5. 14. 2. Petr. 1. 9. & 3. v. 15. 16. Exempla:* Moyses. *Exod. 31. 18.* Israelitæ, *Nehem. 9. 3.* Daniel, *Daniel. 9. 2.* Ionathas & seniores Iudæorum, *1. Machab. 12. 9.* Christus, *Luc. 4. v. 16. 12.* qui scripturæ sacræ authoritate confudit Satanam, *Matth. 4. v. 4. 7. 10.* Pharisæos, *12. v 1. 2. 3. &c.* & suo eius lectionem commendat, *Ioan. 5. 39.* Eunuchus Candaces reginæ, *Actor. 8. 28* Beræenses, *17. v. 10. v. 11.* Apollos, *18. v. 24. 25.* Timotheus, *1. Timoth. 4. 13. 2. 3. v. 14 15. 16.* Scripturæ præstatio seu adimpletio necessaria, *Matth. 5. 18. & 14. 34. & 26 v. 54. 56. Luc. 21. 22. & 22. 37. & 24. v 44. 46. Ioan 10. 35. & 12. v. 16. 38. & 13. 18. & 15. 25. & 17. 12. & 19. v. 24. 28. 36. 37. Actor. 1. 16. & 3. 18. & 13. 27.*

SENTENTIAE BIBLICAE.

Scriptura sacra in veritate radicatur.

Iusti sunt omnes sermones mei, non est in eis prauum quid neque peruersum: recti sunt intelligentibus, & æqui inuenientibus sciẽtiam. *Prou. 8.*

Omnis sermo Dei ignitus clypeus est omnibus sperantibus in se. Ne addas quicquam verbis illius, ne te redarguat, inueniarisq; mendax. *30.*

Habent Moysen & Prophetas, audiant illos. *Luc. 18.*

Amen, amen, dico uobis, quia quod scimus, loquimur: & quod vidimus, testamur: & testimonium nostrum non accipitis. *Ioan 3.*

Sermo tuus veritas est. *Ioan. 17.*

Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, & scripsit hæc, & scimus, quia verum est testimonium eius. *21.*

De qua salute exquisierunt atque scrutati sunt Prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetauerunt, scrutantes, in quod vel quale tempus significaret in eis Spiritus Christi, præsunitans

tas quæ in Christo sunt passiones, & posteriores glorias, quibus reuelatum est, quia non sibimetipsis, vobis autem administrabant ea, quæ nunc nunciata sunt vobis per eos, qui euangelizauerunt vobis Spiritu sancto misso de cœlo, in quem desiderant Angeli prospicere. *1. Pet. 1.*

Non voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines, *2. Petri 1.*

Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto. Et si quis diminuerit de verbis libri huius, auferet Deus partem eius de libro vitæ *Apoc. 22.*

Ad bonitatem adhortatur.

Tolle volumen libri, & scribes in eo omnia verba, quæ locutus sum tibi aduersum Israel & Iudam, & omnes gentes. *Ier 36.*

Væ vobis legisperitis: qui tulistis clauem scientiæ, ipsi non introistis, & eos, qui introibant, prohibuistis *Luc. 11.*

Si Moysen & Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent. *16.*

Si crederetis Moysi, crederetis forsan & mihi: de me enim ille scripsit. Si autem illius literis non creditis, quomodo verbis meis credetis? *Ioan 5.*

Hæc omnia in figura contingebant illis: scripta sunt autem ad correptionem nostram. *1. Cor. 10.*

Omnis scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad docendum, arguendum, *2. Tim. 3.*

Qui susceperunt verbum cum omni auiditate, quotidie scrutantes scripturas, si hæc ita se haberent. *Act. 17.*

Vehementer Iudæos reuincebat publice, ostendens per scripturas, esse Christum Iesum. *18.*

Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat: & lucifer oriatur in cordibus vestris. *2. Pet. 1.*

Hanc, ecce vobis charissimi, secundam scribo epistolam, in quibus vestram excito in commonitione synceram mentem, vt memores sitis eorum, quæ prædixi, verborum a sanctis Prophetis, & Apostolorum vestrorum, præceptorum Domini & Saluatoris. *3.*

Virtuosis manifestatur.

Qui quærit legem, replebitur ab ea, & qui insidiose agit, scandalizabitur ab ea. *Eccl. 32.*

Vobis datum est nosse mysterium regni cœlorum, illis autem non est datum. *Matth. 13.*

Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis: vt videntes non videant, & audientes non intelligant. *Luc. 8*

O stulti & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt Prophetæ. Et incipiens a Moyse, & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis, quæ de ipso erant. *Idem 24.*

Tunc aperuit illis sensum, vt intelligerent Scripturas. *ibid.*

Scrutamini scripturas. *Ioan. 5.*

Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscet doctrinā vtrum ex Deo sit. *7.*

Vitiosis obuelatur.

Tu Daniel claude sermones, & signa librum vsque ad tempus statutum: Plurimi pertransibūt, & multiplex erit scientia. *Danielis. 12.*

Vade Daniel, quia clausi sunt signatique sermones vsque ad tempus. Et impie agent omnes impij, neque intelligent omnes impij: porro docti intelligent. *ibid.*

Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed Spiritum, qui ex Deo est: vt sciamus, quæ a Deo donata sunt nobis, quæ & loquimur non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina Spiritus, spiritualia spiritualibus comparantes. *1. Corinth. 2.*

Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei: spiritualis autem iudicat omnia, & ipse a nemine iudicatur. Nos sensum Christi habemus. *ibid.*

Litera occidit, Spiritus autem viuificat *2. Cor. 3.*

Si enim opertum Euangelium nostrum: in iis qui pereunt, est opertum: in quibus Deus huius seculi excæcauit mentes infidelium, vt non fulgeat illuminatio Euangelii gloriæ Christi, qui est imago Dei. *4.*

In captiuitatem redigētes omnem intellectum in obsequium Christi. *10.*

Stultas autem & sine disciplina quæstiones deuita. *2. Timoth. 2.*

Semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis peruenientes. *3.*

Hoc primum intelligentes, quod omnis prophetica scriptura non fit priuatæ interpretationis. *2. Pet. 1.*

PATRVM SENTENTIAE.

Tanta est Christianarum profunditas literarum, vt in eis quotidie proficerem, si eas solas ab ineunte pueritia vsque ad decrepitam senectutem maximo otio, summo studio, meliore ingenio conarer addiscere; in quibus latet altitudo sapientiæ, vt animosissimis, acutissimis, flagrantissimisque cupiditate discendi hoc contingat, quod eadem scripturæ quodam loco habeat. Quum consummauerit homo, tunc incipit. *Aug. 3. epist. ad Volusia.*

Modus ipse dicendi, quo sacra scriptura contexitur, quamuis omnibus accessibilis, paucissimis tamen penetrabilis. Nam quæ aperta continet, ea quasi amicus familiaris sine fuco ad cor loquitur indoctorum, atque doctorum. Ea vero, quæ in mysteriis occulta, nec eloquio ipso superbo erigit, quo non audeat accedere mens tardiuscula, & inerudita, quasi pauper ad diuitem: sed inuitat omnes humili sermone, quod non solum manifesta, sed etiam secreta exerceat veritate, hoc in promptis, quod in reconditis habens. Sed ne aperta fastidiretur eadem rursus aperta desiderantur, desiderata quodammodo renouantur, renouata suauiter intimantur, his salubriter & praua corriguntur, & parua nutriuntur, & magna oblectantur ingenia *ibid.*

Quæ disputationes, quæ literæ quorumlibet philosophorum, quæ leges quarumlibet ciuitatum duobus præceptis sunt comparandæ: ex quibus Christus dicit totam legem & Prophetas pendere, huiusmodi: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, & proximum tuum sicut teipsum: Ab his enim duobus mandatis lex pēdet, & Prophetæ. *ibid.*

Hic philosophia: quoniam omnes omnium naturaiū causæ in Deo creatore suot. Hic ethica: quoniam bona vita & honesta non aliū de formatur, quam quum ea, quæ diligenda sunt, & quemadmodum diligenda sunt, diliguntur. hoc est, Deus & proximus. Hic Logica: quoniam veritas lumenque animæ rationalis non nisi Deus est: Hic etiam laudabilior Reipublicę salus: neque enim optime custoditur ciuitas, nisi fundamento & vinculo fidei, firmæque concordiæ, quum bonum commune quod diligitur, summum atque verissimum Deus est. *ibid.*

Afferamus diuinam stateram de Scripturis sanctis, & in illis quid sit grauius appendamus. *Idem de bapt. contra Donat.*

Dominus nihil credi voluit aduersus confirmatam scripturarum authoritatem. *Contra Faust. l. 13. c. 5.*

Scriptura & creatura ad hoc sunt, vt ipse quæratur, ipse diligatur, & qui ipsam creauit, & qui illam inspirauit. *l. 2. de Trin.*

Hæc scientia nihil præcipit, nisi charitatem: nihil culpat, nisi cupiditatem. Quicquid ergo ad hoc pertinet, proprium eius est. Quicquid autem ad hoc non pertinet, fictum esse cognoscas. *lib. 3. de doctr. Christiana.*

Sic loquitur Scriptura, vt altitudine superbos irrideat, profunditate attentos terreat, virtute magnos pascat, affabilitate paruulos nutriat. *lib. 2. in Gen. c. 19.*

Quicquid homo extra didicerit, si noxium est, hic damnatur, si vtile est, hic inuenitur: & cum ibi quisque inuenerit omnia, quæ vtiliter alibi didicit, multo abundantius ibi inueniet ea, quæ nusquam alibi inueniri potuit. *lib. de doctrin. Christ.*

Ciuitatem Dei dicimus, cuius scriptura ea testis est, quæ non in fortuitis animorum motibus, sed plane summæ prouidentiæ dispositione super omnes omnium gentium literas, omnia sibi genera humanorum ingeniorum diuina excellens authoritate subiecit. *De ciuit Dei l. 11. c. 1.*

Canon ecclesiasticus constitutus est, ad quem Prophetarum & Apostolorum libri pertinent, secundum quos de cæteris literis vt fidelium & infidelium iudicemus. *Contra Cresconium lib. 2.*

Maior est huius scripturæ authoritas, quam omnis humani ingenij perspicacitas. *lib. 15 super Gen. ad literam.*

Nec ego Nicænum, nec tu debes Ariminense tanquam præiudicaturus præferre concilium: nec ego huius authoritate, nec tu illius detineris Scripturarum authoritatibus res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione certet. *contra Maximum lib. 3 c. 14.*

Nec catholicis Episcopis consentiendum est, sicubi falluntur, vt contra Canonicas Scripturas aliquid sentiant. *De vnitat. Eccl. c. 10.*

Si in Scriptura sacra tantum essent, quæ facillime intelligerentur, nec studiose quærerentur, nec suauiter inuenirentur veritas. *De vera relig.*

Ad dignitatem scripturæ pertinet, vt sub vna lite, multos sensus contineat: vt sic diuersis intellectibus hominum conueniens, vnusquisque miretur, se in diuina scriptura posse inuenire veritatem, quam mente conceperit, ac per hoc facilius contra infideles defenditur, dum, si aliquid, quod quisque ex sacra scriptura velit intelligere, falsum apparuerit, ad alium sensum recursum possit habere. *ibid.*

Quilibet lector, qui expositurus sacram scripturam aggreditur, quum in sacrarum voluminibus literarum, aliqua velut diuersum sonante sententia sollicitatur, certa & inconcussa fide tenere debet, nusquam deesse veritatem, etsi non facile propter magnitudinem rei intellectus quærentibus occurrit. *de prædest. gratia. in prinç.*

Sanctarum scripturarum authoritatibus colla subdenda sunt, vt ad intellectum quisque per fidem veniat. *de bapt. paru.*

Tleubat

Titubat fides, si diuinarum scripturarum vacillet authoritas. Porro fide titubante, etiam ipsa charitas languescit. *De doctrina Christiana.*

Sufficiunt sanctæ & diuinitus inspiratæ scripturæ ad veritatis indicationem. *Athan. cont. idol.*

Bene habet, si eis, quæ scripta sunt, contenti simus. *Hilarius de Trin. lib. 3.*

Cęlestium scripturarum eloquia discutere ac polire debemus, toto animo ac corde versantes, vt succus ille spiritualis cibi in omnes se venas animæ diffundat. *Amb. lib. de Cain & Abel.*

Vtere lectione diuina vice speculi, fœda corrigendo, pulchra conseruando, & pulchriora faciendo: scriptura enim speculum est, fœda ostendens, & corrigi docens. *Hieron. in epist. ad Damas.*

De scripturis disputantem non decet Aristotelis argumenta conquirere: nec ex flumine Tullianæ eloquentiæ ducendus est riuulus: nec aures Quintiliani flosculis & scholari declamatione mulcendæ: sed pedestris & quotidianæ similitudinis, & nulla lucubratione redolens oratio necessaria est, quæ rem explicet, sensum edisserat, obscura manifestet. *Epist. ad Democr.*

Si iuxta Apostolum Paulum Christus Dei virtus est, & Dei sapientia, qui nescit scripturas, nescit Dei virtutem eiusque sapientiā. Ignorantia scripturarum ignorantia Christi est. *In Isaiam.*

Ecclesia Christi in toto orbe Ecclesias possidens, spiritus vnitate coniuncta est, & habet vrbes Legis, Prophetarum, Euangelii & Apostolorum. Non est egressa de finibus suis, id est, de scripturis sanctis. *in Mich. lib. 1. c. 1.*

Qui absque authoritate & testimoniis scripturarum, qua traditione apostolica sponte confingunt, percutit gladius verbi Dei. *in Agg. c. 1.*

Meditatio legis est, non solum in legendis scripturis, sed in his etiā, quę scripta sunt faciendis. *In Psal. 1.*

Solent & viri, solent & monachi, solent & mulierculæ hoc inter se habere certamen, vt qui plus ediscunt scripturas, in eis se putent esse meliores *In Psal. 22.*

Ille plus didicit, qui plus facit. Cæterum, si quod tu ediscis, ego facio, magis mea opera scripturas tenent, quam tuus sermo, qui vane resonat. *ibid.*

Exceptis Apostolis, quodcunque postea dicetur, abscindatur, nec habeat authoritatem. *In Psal. 86.*

Quicquid de scripturis authoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur, qua probatur. *In Matth. c. 23.*

Si quid dicitur absque scriptura, auditorum cogitatio claudicat. *Chrys. in Psal. 95.*

Sint scripturæ diuinæ semper in manibus, & iugiter mente voluantur, nec sufficere tibi putes mandata Dei memoria tenere, & operibus obliuisci, sed ideo illa cognosce, vt facias quicquid didiceris. Non enim auditores legis iusti sunt, sed factores, &c. *ibidem.*

Apostoli Euangelium præconizauerunt, postea vero per Dei voluntatem in scripturis nobis tradiderunt, fundamentum & columnam fidei nostræ futurum. *Iren. l. 3. c. 1.*

Aufer hæreticis, quæ cum Ethnicis sapiunt, vt de scripturis sola quęstiones suas sistant, & stare non poterunt. *Tertull. de resurr. carn.*

Nobis necesse est scripturas sanctas in testimonium vocare: sensus quippe nostri & enarrationes sine his testibus non habent fidē. *Orig. in Ierem.*

Sicut omne aurum extra templum non est sanctificatum: sic omnis sensus, qui fuerit extra scripturam, non est sensus. *In Matth. homil. 25.*

Manifestissimum infidelitatis argumentum, signumque superbiæ certissimum, si quis eorum, quæ scripta sunt, aliquid velit reiicere, aut eorum, quæ non scripta sunt, introducere, cum Dominus noster dicat: Oues meæ vocem meam audiunt, alienum autem non sequuntur. *Basil. tr. de ver. ac pia fide.*

Quicquid vel dicimus vel facimus, id testimonio diuinarum literarum confirmari debet. *Idem in mo. regula 26.*

Si omne, quod ex fide non est peccatum est, fides autem ex auditu, auditus autem per verbum Dei: sine dubio quum quicquid extra diuinam scripturam fit, ex fide non fit, id peccatum est.

Stemus arbitratu inspiratæ a Deo scripturæ, & apud quod inuenientur dogmata diuinis oraculis consona, illis omnis veritatis adiudicetur sententia. *Idem epist. 80.*

Eorum, quæ apud nos in vsu sunt, tam verborum quam rerum, alia distinctè tradita sunt in scripturis, alia prætermissa. scripta nullo modo omittenda sunt: de iis autem quæ prætermissa sunt, regulā habemus a Paulo traditam, Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. *In reg. breuioribus.*

Noli contra diuina testimonia colligere calumnias ex episcoporū scriptis, vt Hilarij, Cypriani, &c. quia hoc genus literarum ab authoritate canonis distinguendum est. Non enim sic leguntur, vt contra sentire non liceat, sicubi forte aliter senserint, quam veritas postulat. *Aug. epist. 48. ad Vincent.*

Ego solis iis scripturarum libris, qui iam canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, vt nullum eorum authorum scribendo aliquid errasse, firmissime credam. alios autem ita lego vt quantalibet sanctitate doctrinæ præpolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt: sed quia mihi vel per illos authores canonicos, vel probabili ratione, quod a vero non abhorreat, persuadere poterunt. *Idem epist. 19. ad Hieron.*

Non omnia, quæ fecit Dominus, scripta sunt, sed quæ scribentes putauerunt sufficere, tam ad mores, quam ad dogmata. *Cyrill. in Ioan. l. 12. c. 68.*

Diuinas scripturas sæpius lege, imo nunquam de manibus tuis sacra lectio deponatur, in scripturis diuinis, per quas solas potes plane Dei intelligere voluntatem: prohiberi quædam, præcipi quædam, concedi aliqua, suaderi nonnulla prohibentur mala, præcipiuntur bona, conceduntur media, suadentur perfecta. *Greg. in Mor.*

Scriptura sacra mentis oculis quasi speculum quoddam opponitur, vt ibi interna facies nostra videatur: ibi enim fœda, ibi pulchra nostra conspicimus, ibi sentimus, quantum proficimus, quantúue a profectu longe distamus. *Greg. in prologo mor.*

Omnem scientiam atque doctrinam sacra scriptura transcendit, vt taceam, quod vera prædicat, quod ad cęlestem patriam inuitat, quod a terrenis desideriis cor legentis reuocat, quod dictis obscurioribus fortes exercet, & paruulis humili sermone blanditur. Nec igitur clausa est, vt pauesci debeat, nec sic patet, vt vilescat, sed vsu fastidium tollit, & tanto plus diligitur, quanto amplius meditatur. *In Moral.*

Tanta ac talis est diuinæ scripturæ sublimitas, vt non solum verba, quæ a sanctis vel ab ipso Domino dicta referunt, sed etiam circunstantiæ rerum, quæ simpliciter positæ videntur, spiritualibus sint plenæ mysteriis. *In homil.*

In scripturis ignorans inuenit quid discat, contumax quid timeat, laborans præmia, pusillanimis mediocris iustitiæ cibos, qui etsi pinguem non faciunt animam, mori tamen non permittunt. Qui autem magni est animi, inuenit ibi spirituales escas, quæ perducant eum prope ad angelorum naturam, qui vero est vulneratus a Diabolo, inuenit ibi cibos medicinales, & salutem per pęnitentiam. *Chrys. super Matth. c. 24.*

Qui sunt in Christianitate, conferant se ad scripturas, quia nulla alia probatio poterit esse veræ Christianitatis, quam scripturæ diuinæ. *In Matth. hom. 49.*

Si quis eorum, qui dicuntur habere Spiritum sanctum, dicat aliquid ex seipso, & non ex Euangeliis, ne credite. Manes dicit, quod Sol & Luna opifices sunt. Vbi legisti hæc? Ex quo non legit hæc scripta, sed a seipso loquitur, manifestum est, quod non habet Spiritum sanctum. *Idem de S. & ador. Spirit.*

Si quid vel discere, vel ignorare opus sit, in scripturis discemus. *in 2. ad Timoth. homil. 9.*

Cuncta, quæ tradita sunt per legem, per Prophetas, per Apostolos, per Euangelistas, suscipimus, cognoscimus, veneramur, nil vltra illa perquirentes. *Idem lib. 1. c. 1.*

Omnis latitudo scripturarum in Oratione Dominica & Symboli breuitate concluditur. *Isidor. lib. 1. de summo bono.*

Geminum confert donum lectio sanctarum scripturarum, siue quia mentis intellectum erudit, seu quod a mundi vanitatibus abstractum hominem ad amorem Dei perducit. *Ibid. lib. 3*

Quanto magis quisque in sacris eloquiis assiduus fuerit, tanto ex eis vberiorem intelligentiam capit. *ibid.*

Quid prodest in mundanis proficere doctrinis, & marcescere in diuinis? caduca sequi figmenta, & cęlestia fastidire mysteria. Cauendi igitur sunt tales libri, & propter amorem sanctarum scripturarum vitandi: qui exterius eloquentia verborum nitent & interius vacui virtutis sapientia manēt. Eloquia autem sacra exterius incorrupta verbis apparent, intrinsecus autem mysteriorum sapientia fulgent. *Ibid. libris gentil.*

Patet, quod scriptura sufficienter continet doctrinam necessariam viatori. *Scotus in Lombard.*

Nihil in hac vita dulcius sentitur, nihil auidius sumitur, nihil ita mētem ab amore mundi separat, nihil sic animum contra tentationes roborat, nihil ita hominem excitat & adiuuat ad omne opus, & ad omnem laborem ac studium sacræ scripturæ. *Hugo lib. de anima.*

Ad sacræ scripturæ cognitionem opus est intima compunctione, potius quam profunda inuestigatione, suspiriis, quam argumentis, crebris gemitibus, quam copiosis argumētationibus, lachrimis, quam sententiis, oratione, quam lectione, gratia lachrimarum, quam scientia literarum, cęlestium potius contemplatione, quā terrestrium occupatione. *ibid.*

In refectorio sacræ scripturæ tres mensæ, id est, tres intellectus diuinæ scripturæ ponuntur, videlicet, historialis, mysticus & moralis. Prima mensa simplicibus, secunda doctoribus, tertia communis est vtrisque. In prima cibus est grossior, in secunda subtilior, in tertia dulcior. Prima continet saporem exemplorum, secunda vim mysteriorum, tertia dulcedinem mo-

rum. Prima pascit miraculis, secunda figuris, tertia verbis. *ibid. li.3*

In sacra scriptura quicquid docetur, veritas, quicquid praecipitur bonitas, quicquid promittitur, felicitas est. Nã Deus Veritas est sine fallacia, Bonitas sine malitia. Felicitas sine miseria. *ibid.*

Vere coruscus liber Psalmorum, sermo lampalis, cura sauciati cordis, fauus interioris hominis, ocularium lingua virtutum, quae superbos humilitati inclinat, reges pauperibus subdit, affabilitate paruulos nutrit *Cassiod. sup. Psalm. in prologo.*

Schola caelestis, eruditio vitalis, auditorium veritatis, disciplina certissime singularis, quae discipulos occupat sensibus fructuosis nõ inanium lenocinatione verborum. *Idem super Psal.15.*

Alleluia, huius verbi tantus honor est, vt cum sit in Hebraea lingua reconditum, nullo tamen constet alio sermone translatum: hoc tenet cuncta natio terrarum: & quicquid est deditum Deitati, dignitatem huius nominis pia deuotione veneratur. *Super Psal.147.*

Recurrendum est ad solas sacras scripturas, vt vitam aeternam adipiscamur. *P. de Aliaco in sent.*

SCVRRILITAS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

SCurrilitas, Graece βωμολοχία, *& βωμολόχος* scurra dicitur. Est autem scurrilitas iocularitas, ex delectatione non volentis cohibere gestus exteriores *secund. B. Thom. 2.2.q.148 art.6.c.* Turpis & procax dicacitas dici etiam potest scurrilitas, quae neque locum, neque tempus, neque personas respicit, sed impudenter effutit quae stultis risum, sapientibus dolorem excitant.

Scurra is dicitur, qui magis quam oportet risum mouet, & onerosus est. Nam risum secutus magis cogitat, quemadmodum moue re illum queat, quam quemadmodũ ho. este loquatur, ne quemquam offendat *secund. Arist lib.4. Eth.*

Scurrilitas differt a stultiloquio: quia scurrilitas refertur ad lasciuiam affectionis: stultiloquium vero ad indiscretionem rationis. Et proprie accepta est filia luxuriae. De hac Paulus ad Ephes.5. *non nominetur in vobis turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quae ad rem non pertinet, id est nullius est vtilitatis. ex Ale. 2. fo. eod.*

Scurrilitas pertinet ad verba ratione inhonestatis. Multiloquium vero ratione superfluitatis. *secund. B. Tho. 2.2.q.35. art.5.*

Scurra a sequendo dici videtur, quod domos diuitum sequatur, & est, qui risum ab audientibus captat, non salua dignitate personae: a scurra dicitur scurrile, quod est ridiculum cum turpitudine, & scurrilitas turpis. & procax dicacitas, & scurriliter, procaciter.

SENTENTIAE BIBLICAE.

Fornicatio autem, & omnis immunditia, aut auaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos, aut turpitudo, aut stultiloquiũ, aut scurrilitas, quae ad rem non pertinet: sed magis gratiarum actio. *Ephes.5.v.4.*

SENTENTIAE PHILOSOPHICAE.

Scurrae & importuni sunt, qui ridiculis excidunt adeo, vt studeant potius mouere risum, quam honeste loqui, & dolore cum non afficere, quem cauillantur. *Arist. 4. Ethic. c.7.*

Scurra est, qui cuncta, & omnino incessendum esse existimet. *Idem in ig. mor c.28.*

SIMILITVDO.

Thruncti, Quemadmodum corpus inescatur variis condimentis, Sic animus intoxicatur scurrilibus iocis, & lasciuis cantilenis. *In apoph.33.*

Vide, Ludus, Stultitia.

SECVLVM.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

SEculum proprie tempus & aetatem significat longam, quam aeuum dicimus, & per syncopam seculum dicimus. Vorus hominis aetas; & aliquoties spatium centum annorum. A seculum fit secularis.

Secularis, Graece βιωτικός, *& αἰών. Gree. ĩ.* aeuum dicitur. Seculum nihil aliud est, quam periodus cuiuslibet rei, pro quo aliquando ponitur aeuum vel aeternum *secundum B. Tho. prima parte q. 10. art. 2.*

LOCI BIBLICI.

Seculum, Graecis αἰών, Hebraeis *olam. Primo*, interdum idem declarat, quod a condito mundo, *Actorum 3.21. Secundo*, interdum ab aeterno, seu tempus perpetuum & aeternum. *Genes.9.12. Psal.89.3. Tertio*, interdum non perpetuum, sed longum temporis spatium significat aut multum, *Exod. 21.6. Deuter.15.17.* vbi significat idẽ, quod vsque ad annum iubilaeum, vt patet ex *Leuit.25.v.39.40. & Ierem.2.20. Quarto*, interdum tempus vitae alicuius, *Psal.89.2. & 119.52.* Capitur etiam seculi vaos pro deprauatissima hominum vita, & miserrima conditione extra Christum. *2. Corint.4.4.* qua significatione saepe solet mundi & tenebrarum nomen vsurpari. Pro hominibus etiam non renatis capitur, *Rom.12.v.2.* ad domum seculi. *Eccles 12.v.5.* id est, ad sepulchrum, quod est domus, in quo habitatur in seculum.

PATRVM SENTENTIAE.

Non mediocre periculum est, quum habeas tanta eloquia Dei, & Dei opera, quae fecit, illis praetermissis loquaris, quae seculi sunt, audias quae seculi sunt. Incumbit virtuti seculi, qui desperat de adiutorio Dei. *Ambr. in Psal.118.*

Hunc mundus accipit, qui ad desideranda inuisibilia non surgit. Seculares enim mentes quanto magis foris per secularia desideria dilatant, tanto magis sinum cordis ab eius receptione angustant *Greg. l.4. mor.*

Sicut homo graues habens oculos melius in loco tenebroso, quam in sole positus videt: sic homo terrenus in terrenis est astutus, & in spiritualibus cecus *Chrys. super Matth.6.*

Hi sunt martyres seculi, mundi professores, discipuli culpae, milites eloquii, per multas siquidem tribulationes intrant iusti in regnũ coelorum: hi autem per multas tribulationes promerentur inferorum. *Petr. Rau.*

Vide, Aetas, Tempus.

SECVRITAS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

SEcuritas, Graece, ἀσφάλεια, *ac ἡ & ἀσφαλής ὁ* securus dicitur. Est autem securitas, perfecta quies animi a timore *secund. B. Thom. secunda Secund. q.129. art.7.*

Securitas opponitur timori, priuatiue tamen. Audacia vero contrarie. *secundum eundem prima Secund. q.45 art.1.*

Securitas non est idem quod fortitudo, sed est conditio eius. & magnanimitatis, si si, quando, & in quibus debet *secund. eundem secunda Secund. q.129. art.7.*

Securus dicitur, quasi sine cura, quasi seorsim a cura. Hinc aliquando pro contẽptore accipitur. Virg. *Securus amorum Germana.* Hinc secure adoerbium, & securitas, tranquillitas & quies.

LOCI BIBLICI.

Securitas nimia cauenda, *Prou.28.14.* securitas Satanae aditum patefacit, *Matt.12.44.* vbi securitas & otium videntur allegorice designari, quorum illa aditum Satanae patefacit, istud autem eum ed ad se vltro allicit. Securitas vera ex legis obedientia, *Exod.34.24. 2. Paral.20.20.* securitas mentis optima, *Prou.15.15.* securitas quibus promissa, *Leu.25.18. & 26.6.*

PATRVM SENTENTIAE.

Sentl de Augustino quicquid libet: sola me in oculis Dei conscientia non accuset. *Aug. ad Secundinum Manichaeum, & hab. 11.q.3.c. Sent.*

Nemo securus debet esse in vita ista, quae tota tentatio nominatur, vt qui fieri potuit ex deteriore melior, non fiat etiam ex meliore deterior. *Aug. lib.10. confess.*

Nemo securus est in his bonis, quae potest inuitus amittere, veritatem autem atque sapientiam nemo amittit inuitus. *De lib. arbitr. lib.2.*

Nunquam securus cum thesauro lato tenetur inclusus, nec infra vnam cauernam habitans cum lupo tutus est agnus. Ipse voluit penetrari, qui hostem proprium in suas partes induxit, & intestinũ sibi gladium ipse supponit, qui locum habitationis suae aducsariis ingressibus reserauit. *Hier. de cohab. cler. & mulier.*

Saepe mens, dum virtutis suae securitate resoluitur, insidiante aduersario inopinatae culpae telo perforatur, & inde a Deo in aeternũ longe fit: vnde ei ad tempus sine cautelae custodia propinquauit *Greg. in Mor.*

Incassum munita sunt caetera, quum locus vnus, de quo hosti patet aditus, non est munitus. *ibid.*

Saepe quem tentationis certamen superare non valuit, sua deterius securitas strauit. *in Moral.*

Debet in spe esse securitas: sed atiam timor in conuersatione, vt & illa certantes foueat, & torpentes pungat. *ibid.*

Quibusdam saepe magnitudo virtutis occasio fuit perditionis: vt cum de confidentia virium inordinate securi essent, per negligentiam inordinatae morerentur. Mater enim negligentiae solet esse securitas. Videndo ergo meretricem, id est, Magdalenam, de tua

tua liberatione non desperes: sed etiam Iudam cogitando, securus esse non debes. Confidentia statim euertit, & desperatio post lapsum exurgere non dimittit. *in past.*

O vita secura? vbi absque formidine mors expectatur, imo & exoptatur cum dulcedine, & excipitur cum deuotione. *Bern. ad milites templi.*

Nusquam est securitas, fratres, nec in cœlo, nec in paradiso, multo minus in mundo. In cœlo enim cecidit angelus sub præsentia diuinitatis: in paradiso Adam de loco voluptatis: in mundo Iudas de schola Saluatoris. *in serm.*

Nihil potest esse securius, quam illa omnia committere, qui nouit suis cultoribus congrue profutura præstare. *Cass. in Psal. 72.*

Sic comedo, bibo, & dormio securus, quasi iam transierim diẽ mortis, & euaserim diem iudicii, & tormenta inferni: sic ludo & rideo, quasi iam regnem tecum in regno tuo. *Hugo lib. 3. de anima.*

PHILOSOPH. SENTENTIÆ.

Securitas est, incommoditates imminentes, & rei inchoatæ fines nõ formidare. *Cic. in Rhet.*

Securitas magna portio est, nihil inique facere: confusam vitam & perturbatam potentes agunt, tantum metuunt, quantum nocẽt. *Senec. 16. epist.*

In ipsa securitate animus ad difficilia se præparet, & contra iniuriã fortunæ inter beneficia firmetur. *Epist. 23.*

APOPHTHEGMATA.

Socrates interrogatus, qui secure viuerent? Qui, inquit, nihil sibi conscium mali. *Ant. & Max. serm. de curiosit.*

Euagrius, Præstat, inquit, in storea secure agere, quam in lecto aureo perturbari. *ibid.*

Pyrrho, in tempestate conspiciens cæteros animo esse deiectiores, cum ipse nihil moueretur: ostendit porcellum in naui secure edentem, dicens: oportere sapientem eam animantis imitari securitatem. *Laert. l. 9.*

Bion dicere solebat, impietatem malam esse contubernalem fiduciæ, & adducebat versiculum Euripidis.

Seruum facit quamuis feroculum virum.

Sensit autem Philosophus clarissimus, nullam omnino securitatẽ habere locum, vbi male sana sit conscientia: nec aperte posse loqui, cui reuera impietatis vitium potest obiici: nec frui tranquillitate animi, qui Deos sibi non habeat propitios. *Laert. li. 4. c. 7.*

SIMILITVDINES.

Vel Kuini Abbatis: Nota, quod in naturalibus istis sic se habet generatio siue procreatio, vt nihil procreari possit sine his duobus, videlicet calore & humore. Vnde Ethnicus ait: Vapor humidus omnes res creat, id est, vapor & humor. Similiter in natalino seminali duo hæc concurrunt, scilicet calor & humor: sed vtrumque est gratia. Ipsa enim calefacit, ipse humectat: calefacit, dum inflãmat ad appetendum: humectat, dum resoluit & habilitat ad satagendum. Quid igitur agendum est, dum culta est terra, iactum est semen, prodit germen, seges assurgit, proficit in messem: non tamen securus sis, non segniter agas, quia messis tua adhuc in herba est: hoc est, quandiu foris est, in campo est, sub dio, nec dũ in horreo, nec dum in granario: hoc est, quãdiu præsens vita agitur. Summa ergo opus est diligentia, summa custodia, ne messis tua pereat: quia multa emergũt pericula, circumstant detrimenta. Si enim venerit grando, conterit: si fulgur, exurit: si turbo, conquassat: si æstus, absumit: si tempestas, subuertit: si auis, vel locusta, deuorat: si denique bestia, conculcat. Hæc sunt, o homo, maxime tu spiritualis, aut religiose vir, cuiuscunque status, quæ te pro messe tua spirituali incessanter sollicitare debent. Timẽdum est itaque tibi, ne veniat grando tempestatis grauiter & inimici sementis, ne coruscatio dolosi fratris subito & improuiso suffodientis, ne vẽtus inanis gloriæ, ne æstus carnalis immunditiæ, ne tempestas pusillanimitatis & impatientiæ, ne auis curiositatis & extollentiæ, ne locusta adulationis & incõstantiæ, atque hypocrisis, ne bestia crudelitatis & iniustitiæ. Propter hæc pericula monet Salomon, diligenter agrum cordis custodiendum, & messem virtutis: Omni, inquit, custodia custodi cor tuum, ecce ager: quoniam ex ipso mors, ex ipso pericula, & vita procedit, ecce messis. Nõ ergo dormias cor tuum, ne perdas cor tuum. Vigilet mens tua, ne pereat messis tua. *Hom. in Euang. Matth. Simile est regnum cælorum homini, qui semen bonum seminauit in agro suo, & superuenit inimicus homo, & superseminauit zizania fol. 627.*

ADAGIA.

Post principia.

Sumptum a bellis, in quibus summum periculum est iis, qui in prima stãt acie. Terent. in Eunucho Tu hosce instrue, hic ego ero post principia. Hinder dem Berg halten: *item*, Hoch genug macht alle Kriegsleut.

Non vulgari anchora nititur. ἐκ τῆς ἐπὶ τῆς αὐτῆς ὁρμεῖ τοῖς πολλοῖς.

Significans aliquem nouis minimeque vulgaribus niti præsidiis. Aristot.

Quid Achiuos a turre iudicatis? τί τοὺς Ἀχαιοὺς ἀπὸ τοῦ πύργου κρίνετε

Polyantea Noua.

Concinne torquebatur ad eos, qui in tuto constituti, de iis iudicant, qui in periculo versantur.

Quasi millus cani.

In hunc modum certum firmumque præsidium significabimus.

Timidi mater non flet.

Animosi in bello contemnunt hostem, nihilque metuendum ducunt, quoniam sibi parum cauent: ferro pereunt, & matribus luctum adferunt cum orbitate. Contra qui nihil non metuit, neque quicquam omnino contemnit, is tutioribus vtens consiliis raro venit in periculum.

Legatus non cæditur neque violatur. πρέσβυς οὔ τύπτεται οὐδὲ ὑβρίζεται.

Deflecti poteris ad bene monentem, siue recta consulentem, siue concionantem libere. Scholiastes Homeri.

Duabus anchoris fultus, ἐπὶ δυοῖν ὁρμεῖ. *Aristid.*

De firmis, immotis, & qui rem suam probe constabilierunt.

Tanquam ad aram.

Quum extremum refugium intelligi volumus.

Ad asylum confugere. *Cicero.*

Cognatum est superiori: Hæc fiet venustiora, si ad animi res transferantur.

Arx. ἀκρόπολις.

Hac Metaphora tutissimum ac validissimum præsidium significamus.

Bonum duabus niti anchoris ἀγαθαὶ δύ᾽ ἄγκυραι. *Pind.*

Id est Bonum est duplici præsidio niti, vt si alterum destituat, altero innitatur.

Extra fumum, & vndam τοῦ καπνοῦ καὶ κύματος ἐκτός.

Verba sunt Calypsus adhortantis Vlyssem, vt neque nimium littori vicinus nauiget fumum secutus, neque se profundo credat pelago, sed in medio secet viam, quod ibi periculum sit a saxis & vadis, hic ab vndis.

E terra spectare naufragium.

Pro eo, quod est, in tuto spectare aliorum pericula. Simile illi: De muris iudicare Achiuos.

Mortuo leoni & lepores insultant. καὶ αὐτοῦ νεκροῦ σώματος λέοντος ἐφυβρίζουσι λαγωοί.

Sumptum ex Homero, vbi Hectorem ab Achille iam interfectum circumsistunt Græci mortuo insultantes, nec quisquam erat, qui extincto non aliquod vulnus infligeret.

Primum apes abigendæ

Dictum est cuiusdam qui sensit, primum hostium copias aduentantes esse submouendas quo possint Asia potiri.

Pugno tenere. ἀπρὶξ ταῖν χεροῖν λαβέσθαι.

Pugno stringere: Dicitur in eos, qui corporeas tantum substantias esse putant.

Testudo intra tegumen tuta est.

Docet hic Liuius, tutius esse domi manere, quam sua fortuna committere, & ad omnes ictus exponere. Wer will haben gemach, der bleib vnter seinem Tach.

Sarta tecta.

Pro consummatis, probeque curatis, & in quibus sit nihil omissum.

In portu nauigare. ἐν λιμένι πλεῖν.

Id est: in portu nauigare. Quo significamus nos iam a periculo abesse: Vergil.

Nunc mihi parta quies, omnisque in limine portus.

His Medus non insidiabitur. τάδε Μῆδος οὐ φυλάξει.

Vbi quis largius impenderet sua, ne venirent in aliorum manus.

Otiolus esto.

Si quem iubemus curare cuticulam, negotium aliis cura futurum accomodabimus illud Homeri ex Odyss. β

Μή τι τοι δ᾽ ἄλλο

Ἐν στήθεσσι κακὸν μελέτω ἔργον τε ἔπος τε,

Ἀλλὰ μάλ᾽ ἐσθιέμεν καὶ πινέμεν ὡς τὸ πάρος περ.

Tute caueto.

Aut dicti aut facti cruciet tua pectora cura.

Quin tranquillus edasque bibasque ita vt ante solebas.

Chœnici ne insideas. χοίνικι μὴ ἐπικαθίζειν. *Pythag.*

Interpretatur D. Hier. de victu ne fueris sollicitus in diem crastinum. Plutarchus autem longe diuersius: puta, non indulgendum otio sed industria prospiciendum victum, ne desit in posterum.

Tymbra victitans. θύμβραν τρώγειν.

Id est, Tymbra victitantes adagio dicebantur, qui vel tutius ac liberius vitam agerent, vel qui moribus essent parum blandis, vel qui hilariter citraque solicitudinem paruo contenti viuerent, quod Thymbra herba genus sit.

Rem factam habere.

Apud Martialem lib. 2. epist. 26. legitur, Rem factam habere, pro eo, quod est, certum atque indubitatum.

Hermionis vicem. ἀνθ᾽ Ἑρμιόνης.

Valet autem perinde quasi dicas, Loco asyli tibi fuere, vel instar aræ.

In terra pauperem. ἐν γῇ πένεσθαι μᾶλλον ἢ πλουτοῦντα πλεῖν.

Satius est paululum habere tuto, quam multum cum periculo.

Mœnia Semiramidis. τείχη Σεμιράμιδος.

De muris inexpugnabilibus dicebantur, egregieque munitis. Ouid.

Vbi dicitur altam

Coctilibus muris cinxisse Semiramis vrbem.

In tuo regno.
Quod cuiusque priuatum est, regnum eius dicitur.
In tuo luco & fano est situm.
Apud Plautum pro eo, quod est in tua potestate, tuo arbitrio, tua tutela, tua manu.
Intra tuas praesepes.
Plautus in Casina. Scis si id imperet, futurum quod amat, intra praesepes suas, pro eo, quod est, certum ac paratum.
Aliud cura.
Quum negabis esse causam, cur aliquis aut dubitet, aut solicitus sit, exempto scrupulo, Terent. atq. iam repert, aliud cura.
In diem viuere. Ex tempore viuere. *Persius.*
Ex praesentibus rebus contentum viuere, atque ex parato, minime solicitum de futuris. Qua vita Graecis dicitur καθημέριος βίος. & καθημερεύειν qui ad eum viuunt modum.
Canis, tanquam Delum nauigans. ...
Plato.
In supinum, otiosum, securum, ac voluptariam agentem vitam dicebatur.
Porrectis pedibus dormire. ... *Lucianus.*
Sublatis pedibus requiescere & supinus per otium, Et supinitatem negligentiam, incogitantiaque significamus.
In dextram aurem. *Plinius.*
Sic etiam admonent medici, vt in primo somno, qui profundissimus esse consueuit, in aurem dextram incumbamus.
In vtramuis aurem dormire. *Terent.*
Est animo otioso securo vacuoque esse.
In vtrumuis dormire ocul. m.
Plautus in Pseud. De ista re in oculum vtrumuis conquiescere. Est animo otioso esse.
Halcyonia sunt apud forum.
Extat in Graecorum commentarijs huiusmodi prouerbium: Ἀλκυονίδας ἡμέρας ἄγεις i. Halcyonias agis dies. De tranquillam & otiosam agentibus vitam. Ab aue quadam marina auctum adagium.
Vita mollis ...
Quidam indicat a lagium varie accipi. Quosdam vsurpare de vita priscorum, qui glandibus vescebantur, nonnullos de ijs, qui in magna rerum, quas de siderarent, affluentia vitam agerent.
Equus me portat, alit me Rex. ...
Horat.
Hinc natum: Iuuenis quidam sub Rege Philippo stipendia faciebat. Is quum admoneretur, vt missionem peteret, seseque a militia abdicaret, negauit se facturum, ille adagio.
Extra lutum pedes habes. ...
In eos, qui molestijs non inuoluuntur negotijs, vnde se nequeant explicare, sed extra periculum consistunt. Homero ascribitur.
Extra periculum ferox.
In obtrectatorem quendam alarium, qui coram non ausis congredi, Hom. Iliad. ...
Pugnare gnarus, verum eminus & procul hoste. Ein guter Kriegsmann hin der dem Ofen.
Procul a pedibus equinis. ... *Diogen.*
Vulgo dicitur quum significant fugiendum esse periculum. Auss den fuessen
Extra telorum iactum. ... *Terent.*
Pro eo, quod est: in tuto extraque periculum. Vveit ab, Vveit von dannen ist gut fuer den Schuss.
Procul a Ioue atque a fulmine. ...
Admonet, non esse agendum cum potentioribus, qui nutu possint perdere, si quã de lectat, maximus cum Regibus ac Tyrannis. Mit grossen Herren ist boess Kirschen essen.
In tranquillo est. *Terent.*
Qui et in scopulum et tranquillo auferat: & quod alibi diximus, Ego in portu nauigo.
In vado. *Terent.*
Omnis res in vado est. Vadum autem est aqua fundus, in quo quisquis consistens, ac iam effugit periculum, ne mergatur.

F A B V L A.

De Fauno & Essedo corruente.

Vehebatur forte cum alijs quibusdam faunus adhibitus risus & ioco rum gratia, is animaduertit clauiculum, qui ante rotam impactus fuisset de axe excidisse, & paulatim de hoc illam deuolui. Ita que intelligens, si rota prorsus deuoluta esset, futurum vt esse dum corrueret, subinde secum, sed sic facile, vt exaudireatur, mussitabat. Si diu pergeret esse dum, id sibi quidem gratum esse. Hoc dictum quum saepe murmure suo repetisset, atque alii non atten derent animum, alii deriderent, tandem deuoluta rota corruit esse dum, & qui vehebantur, effusi in terram, tum demum fero fatui sui cirudinem cognouerunt, perspicientes, & quae illa, & quod eo loquutus iam vana fuisset.

Fabula monet, ne in vllo quasi expedito rerum cursu nimis esse securi velimus. Itemque hoc subnectit: Solete homines incogitantes ... negligere atque deridere aliorum tanquam stolidorum solicitudinem & metum impendentium malorum, illa vero euentu comprobari.

Venator & Cerdo.

Cerdo ad Venatorem quodam tempore deuenisse dicitur, & petiisse ab eo, sibi vrsi pellem vt venderet: Venator sibi illo tempore vrsi pellem nō esse respondit, sed si vellet pecuniam numerare, curaturum se post dies paucos, vt haberet: quum vrsum cepisset, cuius lustrum iam sibi exploratum esset. Itane, inquit Cerdo, facile est vrsum capere? Mihi quidem, inquit venator, nequaquam difficile hoc fuerit inter feras & in filuis pene a puero versato. Licetne, inquit Cerdo, te comitari? nam mihi libet spectatorem esse talis venationis. Licet, inquit venator, mecum perendie in filuam abeas. Quo cum esset ventum apparuit statim vrsus, belua ingens, & horribilis. Cerdo tum celerter arborem conscendit. Venator adortus feram fortiter, cum tamen haec excussisset ictu: recordans quod audisset, non solere vrsos cadauera morsu attingere in terram se quasi mortuus esset, abiecit. Vrsus autem naribus ad os & aures illius admotis, captare anhelitum, & tentare an spiraret. Sed illo animam continente, vrsus mox discessit. Tum igitur & venator se erexit, & Cerdo de arbore descendit, atque iã animis receptis, inter alios sermones, percontari cerdo de venatore, quid in aures ipsius fera insusurrasset. Cui venator respondit, monuisse illam diligenter, ne posthac vnquam vrsi pellem, nondum capto & confecto ipso, vendendam existimaret.

Fabula haec, quod Graecum prouerbium: Non esse ante victoriam exultandum, admonet: ne securitate & temerariis animis dubia pro certis habeamus.

Vide Quies, Tranquillitas.

S E D I T I O.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Seditio, Graece στάσις, ... seditiosus dicitur. Est autem seditio speciale peccatum, scilicet mutua impugnatio inter partes multitudinis, vel praeparatio ad pugnam. Rixa vero est vnius ad vnum, vel paucorum ad paucos. Sed bellum est inter diuersas multitudines. Et vtrunque est pugna in actu, non praeparatio, *ex B. Thom. sec. Secund. q. 42. art. 10.*

Seditio est semper de se peccatum mortale. Et est grauius rixa. Et principaliter est in procurantibus, secundo in sequentibus, non autem in defendentibus bonum commune, *sec. B. Tho. sec. Secun. q. 42. art. 20.*

Seditio dicitur a seorsum se dando, vel, *vt Ciceroni placet*, a seorsum eundo.

Seditio est, cum populo secum discordante res ad manum vocatur, qualem ciuitatis statum Virg. describit 1. Aen.

Ac veluti magno in populo cum saepe coorta est Seditio.

Factio vero diutino ciuium in diuersa studia, vnde factiosi, qui primates ciuitatis discordantes sectantur, Cicero, *inter bonos amicitia, inter malos factio est.*

PHILOSOPHOR. SENTENTIAE.

Seditio duas ex vna ciuitates efficit. *Liuius lib. 6.*

Inter hostes seditionis serere cautas, sapientia est ducis.

Nulla quamuis sit minima natio, cito potest ab aduersariis deleri, nisi propriis simultatibus seipsam confecerit. *Vege. l. 3.*

Seditionis & discordiae principium est, aliquid commune tuum facere.

Concordia paruae res crescunt, discordia maximae dilabuntur. *Seneca in prouerb.*

Nihil ciuitati perniciosius quam diuisio, vt nihil melius quam vnio. *Plat. de Republ.*

Populares homines discordant propter inaequalitatem possessionis, generosi autem propter inaequalitatem honoris.

Nobilitas generis & diuitiae principia sunt seditionum. *Arist. Pol. 2. & 5.*

Seditione in ciuitate orta non est optandum, vt perditis alteris, alteris victoribus pax fiat, sed vt amicitia & pax ex reconciliatione fiat, & sic necessario contingat, vt in externos hostes animum intendant. *Plat. dial. 5. de legib.*

Seditio est bellum, quod in ciuitate oritur. *idem ibid.*

Seditio omnium bellorum grauissima est, & multo mitius est bellũ, quo aduersus alienigenas vtimur. *ibid.*

Seditione in graui vir fidus potior habendus est auro & argento. *ibid.*

Seditione qui agitantur, nullã requiem malorum habent. *idem epist. 7.*

Seditionibus maligna sunt conuiuia, & exercitationes, etsi ad multa alia prosunt ciuitatibus. *Dial. 1. de leg.*

Seditiones nunquam in ciuitate sedantur, nisi illi, qui superiores euaserunt, leges condant non magis ad voluptatem suam, quam eorum, qui succubuerunt spectantes, & illis legibus vel cogant & timore, & pudore; timore, quia & quod ipsi a superiores sunt, vim sua ...

suam ostentant: pudore, eo quod voluptatibus superiores apparent, & qui velint ac possint magis legibus seruire, & ii, qui superiores euaserunt, ista ipsos eligere & præferre debent viros optimos, & meliores, primum senes, & qui liberos & vxores domi habent, & qui omnes possessionem satis iustam obtinent: vt autem sint in ciuitate, quæ decem millia virorum continet, quinquaginta, satis est. Hi precibus, & honoribus maxime accersendi sunt è domo, & vocati iusiurandum præstent iudicandi & reddendi ius vniuersæ ciuitati, nō plus victis, quam victoribus tribuēdo.

His peractis, si victores magis obediant legibus quam victi, omnia bene se habent, sin secus, nihil spei erit. *Plat. epist. 7.*

Seditionem mouet incuria, & desidia eorum, qui ciuili societati præsunt. *Fr. Patric. de republ. l. 6. c. 5.*

Seditiones in Republica maxime mouentur, quia alii pares esse volunt iis, qui plus possunt, & nisi hoc fit, non acquiescunt: alii, se præstare dignos putantes indigne ferunt, nisi plus habeant. *idem ibid.*

Seditionis initia septem sunt, vel propter lucrum, vel propter honorem, non vt acquirant, sed quia vidēt alios partim iniuste plus habere, propter contumeliam, propter metum, propter impotētiam, propter contemptum, propter incrementorum excessum, & præterea propter verecundiam, propter negligentiam, propter pusillanimitatem, propter imparitatem. *Arist. Pol. 5. c. 2.*

Seditio fit propter metum, quum qui pœnas formidant ob maleficia commissa contra Rempublicam insurgunt. *idem Polit. 5. c. 3.*

Seditio fit propter impotentiam, cum maior fit, & potentior, vel vnus, vel plures: quam secundum Reipublicæ dignitatem, & potentiam Reipublicæ, & ex talibus fit vnius gubernatio violenta. *idem Pol. 5. c. 3.*

Seditio fit propter contemptum, vt in paucorum potentia cū plures sunt illi, qui a Republica excluduntur, potentiores enim se putant, in populari statu opulentos contemnentes inordinationem, & incuriam eorum, qui gubernant. *ibid.*

Seditio fit per fortunam, quum ex bello magna pars ciuium extenuata fit, & debet alia subrogari. *idem ibid.*

APOPHTHEGMATA.

Democritus. seditionem intestinam vtrinque nocere dicebat: etenim cum victoribus, tum victis pernicies est æqualis. *Stobæus serm. 41.*

Plato, remedium aduersus seditionem illud esse dicebat, vt nec extrema in aliquibus ciuium inopia sit, nec ingentes diuitiæ. *Eod. sermone.*

Secundus Sophista. cum tale argumentum esset propositum: Qui seditionem mouerit, moriatur, qui sedauerit, præmium ferat. Quidā & mouerat & sedauit, petiit præmium. Hanc quęstionem paucis absoluit: Quod est prius? mouisse. Quod posterius? sedasse. Itaque prius da pœnas motæ seditionis: ac deinde, si potes, accipe præmium recte factorum. *Philost.*

SIMILITVDINES.

Polybij. Quemadmodum in corporibus externas incommodi causas, vtpote, frigus, calor, labor, vulnera, & antequam fiant præcauere, & vbi factæ sunt, facile curare licet: quæ vero ex ipsis corporibus emergunt, vt scabies & morbi, difficile præuidentur, difficile etiam vbi prouenere curantur: Ad eundem etiam modum & de politiis, & de exercitibus sentiendum est. Etenim aduersus externas, quidem insidias & bella, in promptu est & præueniēdi modus, & auxilium, vbi ingruerint. Verum aduersus ea, quæ in ipsis politiis aduersa nascuntur, cōtra seditiones & collusiones difficilis est medela, & quæ magnam gerendarum rerum dexteritatem, & singularem quandam requirat industriam. *Lib. 11. histor.*

Dionis Nicæi: Neque ligna videlicet viridia quisquam componit ad comburendum, quum præsciat necesse esse multum & absurdū fumum exoriri: neque perturbatum populum in idem congregat prudens præses, nisi si qua maior necessitas incumbat. *Orat. 47. post. in concione 48.*

Ciceronis: Vt mare, quod sua natura tranquillum est, ventorum vi agitari videmus ac turbari: Sic populus sua sponte pacatus hominum seditiosorum vocibus, & violentissimis tempestatibus concitari solet. *in orat. pro Cluentio.*

Vt tempestates sæpe certo aliquo cœli signo commouentur, sæpe improuiso, nulla ex certa ratione, obscura aliqua ex causa concitātur: Sic in comitiorum tempestate populari sæpe intelligas, quo signo commota sit, sæpe ita obscura est, vt casu excitata videatur. *Pro Murena.*

Plinij: Salamandra non nisi magnis imbribus prouenit, serenitate deficit. Ita quidam non apparent, nisi statu ciuitatis bello aut seditione turbato, iidem rebus pace compositis, emoriuntur. *Lib. 10. c. 67.*

P. M. Sicut vulgo dicunt, Aquilonem noctu exortum nonquam ad tertium durare diem: Ita rerum motus, qui non ex altis initiis, sed facili causa subitaque proficiscuntur, facile sedantur, & conquiescunt in Republica. *in simil.*

Polyanthea Noua.

EXEMPLA BIBLICA.

Seditionis *exempla:* Core, Dathan & Abiron, *Num. 16. v. 12. 13.* Israelitæ, *v. 41. 42. & 20. 3.* Ephraimitæ, *Iud. 11. 12.* Absalon, *2. Sam. 15. v. 10. 11.* Semei *16. v. 6. 7.* Seba filius Bochri, & *v. 1. 2.* Adad Idumæus, *Reg. 16. 14.* Rason. *v. 23.* Ieroboam, *v. 26.* Zambri, *16. v. 9. 16.* Mallotæ & Tharsenses, *2. Mac 4. 30.* Barrabas, *Marc. 15. 7. Luc. 23. v. 18. 19.* Theudas, *Actor 5. v. 33. 36.* Iudas Galilæus, *v. 37.* quidam Iudæi, *25. v. 1. 2.* Demetrius cum suis, *19. v. 23.* Seditionis crimen Prophetis & Apostolis, aliisque piis hominibus publico docendi munere fungentibus sæpe sed falso ab impiis est obiectum. *Exempla:* Achab Eliæ, *1. Reg. 18. v. 17. 18.* Consiliarii Artaxerxis Iudęis. *1. Esd. 4. v. 12. 13.* Artexerxes Ierusalem, *v. 18. 19.* Aman Iudæis, *Esth. 3. 8. & 13. 4.* Amasis Prophetæ, *Amos 7. 10.* Alcimus Iudæis, *2. Mac. 14. ver. 5. 6.* Iudæi Christo: Christus enim duorum atrocissimorum criminum reus peragitur: blasphemiæ, *Marc. 16. 64. Luc. 22. v. 70. 71.* & seditionis *23. 2.* cum tamen omni culpa vacaret: adeo vt non vereretur omnium conscientias prouocare, *Iob 8. v. 46.* & cum videret turbam ipsum correpturum, & in Regē creaturum, secesserit, *Iob 6, 15.* Pontifices & Iudæi Apostolis, *Act. 4. 18 & 5. 28.* Tertullus, *24. 5.* Seditionis punitæ *Exempla.* Core, Dathan, & Abiron, cum 250. viris, *Numer. 16. 31 &c.* Absalon, *2. Sam. 18. 9. &c.* Seba Bochri filius, *20. 21.* Semei, *1. Reg. 2 v. 41. 42.* Zambri, *16. 18.* Sedechias, *2. Reg. 24. 20. & 25. v. 6. 7.* Theudas cum suis, *Act. 5. 36.* Iudas Galilæus cum suis, *v. 37.* Sublato seditionis autore, seditio aufertur, *Exempla:* Absalom, *2. Sam. 18. 10.* Seba, *20. 22.* Barrabas cum suis, *Luc. 23. 19.* Demetrius, *Act. 19. 29.*

Seditio, est motus subditorum contra legitimum magistratum, factus principaliter rapiendi & mutandi dominij causa, non propter necessariam defensionem, aut iustum dolorem. Hanc seuerissime damnat Deus, *Rom. 13. 1. &c. Et Prou. 24. 21.* Time dominū, fili mi, & regem, & cum seditiosis non commisceatis: quia repentinus veniet interitus eorum.

PROPHANA EXEMPLA.

Quo tempore Spartani Leuctrica calamitate a Thebanis affecti sunt, in Argiuorum vrbe tanta seditio & cædes orta est: quanta apud reliquos Græcos nunquam fuisse memoratur, *Diod lib. 15.*

Cum in bello, quod Romani contra Piratas gesserunt. Populus Romanus classem comparasset, huicque Pompeium præfecisset contra Senatus voluntatē, repugnantibus patribus: plebs seditionem mouit, atque in Senatores adhuc sedentes impetum fecit quos & ad vnum omnes interfecisset, nisi de loco, vitæ consulentes abiissent. *Historiam late describit Dion. Nicæus, & eius abbreuiator Xiphilinus in Pompeio.*

Anno Iustiniani septimo, Bizantij orta est seditio, quæ tesseram popularem dedit (hac enim nota se inuicem coniuncti agnouerunt) expulsique sunt ciues boni, & incensa ædificia, inter quæ & templū Sapientiæ fuit: sed repressa est a Iustiniano auxilio Belisarii, sublatis auctoribus Hypatio, & Pompeio, & trucidatis triginta millibus hominum. *Procop. Euagrius lib. 4. c. 13. Niceph. lib. 17. c. 10.*

Quarto Iustiniani anno. ob turpissimam Imp. auaritiam, & intolerabiles subditorum compilationes, seditio orta est Constantinopoli: in qua Imperator in vitæ discrimen venisse, & amplius quam triginta millia hominum cæsa scribuntur. *Procop. lib. 1. belli Persici. Zonaras tom. 3.*

Ludouicus XII. Francorum Rex, Scholæ Parisiēsis statum, studiosorum priuilegia reformare: furi pariter ac iudiciorum abusus emendare & tollere instituit, schola tumultuata seditionem mouit. *Ann. 1498. Auctor Chronici.*

L. Posthumius Tribunus militaris cum diripiendam Nolam Aequorū oppidum exercitui vt promiserat, non concederet: concitato in vrbe Roma tumultu, propter illatum eius scribæ vulnus ab exercitu suo dilapidatus est.

Insignis seditionis experimentum dedit *Mithridatis exercitus,* cum in eum Lucullus arma mouisset. Nam cum in Armeniorum castris esset nunciatum, Mithridatis duces a Luculli militibus fusos fuisse, adeo territus est exercitus, vt omnibus sua extra castra ferentibus ob strepitum Mithridates excitaretur, tētorioque egressus, vt quidnā id esset inspiceret, a suis solus & pedes relictus est. Cū autem ita omnia ob eam rem in castris perturbarentur, vt sublata imperii reuerentia, cui plus virium erat, is ex alieno plura raperet, omnisque Mithridatis pretiosa suppellex diriperetur, eo militaris temeritas progressa est, vt Dorbatis militaris præfectus ob id occideretur, vt ei insignem vestem, quam habebat, milites adimerent.

SENTENTIÆ HISTORICÆ.

Tres causæ sunt propter quas homines seditionem aduersus patriā & principes suos mouere præsumant: quando videlicet vel præsides suos culpant & ægre sustinent: vel rebus quæ aguntur offenduntur: vel quando spem rerum maiorum ac potiorum animo cōcipiunt. *Polyb. hist lib. 11.*

Omnis seditio in quauis ciuitate curari potest, si dissidiorum causæ tollantur. *Dionys. Halic. lib. 6.*

Pestilentia coorta, minacior tamen quam perniciosior, cogi-

tationes hominum a foro certaminibusque publicis ad domum curamque corporum auertit: minusque eam damnosam fuisse, quam seditio futura fuerit credunt. *Liu. Decad. 1. l. 4.*

Seditionis non remedia quam principia maiora sunt. *Curtius, li. 9.*

Vbi domestica quies seditionum agitata fluctibus est, priscæ consuetudinis auctoritas conuellitur: plusque valet quod violentia cogit, quam quod suadet & præcipit verecundia. *Valer. Max. li. 3. c. 8.*

Præcipuum pessimorum incitamentum, bonorum mæstitia. *Tacit. hist. l. 1.*

Ciuium seditio maximum bellum est. *G. Pachym hist. li. 12.*

Populi in magistratum conspirantis seditione nihil est atrocius: ne pe tunc corpus a capite defectum perditionem eius per quod spirat meditatur. *P. Diaconus, hist. l. 1.*

In ciuitate partibus infecta, omnis quantumuis exiguus metus, periculosissimus est. *Fr. Guicciardin. hist. l. 1.*

Exercitus plerunque contemplatus frequentiam suam a disciplina deficit, & quod agere se putat posse, rogare non sustinet. Seditio autem in exercitu partim seueritate, partim principis liberalitate discutitur. *Velleius Paterc. l. 2.*

Inter veteres Gallos pro diuisione prædæ orta seditio vsque adeo processit, vt non solum prædæ, verum etiam imperii magnam partem amiserint: quod frequenter Gallis accidere consueuit, ob immoderatas eorum crapulas atque ebrietates. *Polyb. lib. 2.*

Menenius Agrippa, vir facundus & plebi charus, in castra militum Romanorum tumultuantium intromissus, prisco illo dicendi & horrido modo nihil aliud quam hoc narrasse fertur: Tempore quo in homine non, vt nunc, omnia in vnum consentirent, sed singulis membris suum cuique consilium, suus sermo fuerit, indignatas reliquas partes sua cura, suo labore ac ministerio ventri omnia quæri, ventrem in medio quietum nihil aliud quam datis voluptatibus frui, conspirasse inde, ne manus ad os cibum ferrent, nec os acciperet datum, nec dentes conficerent: hac ira dum ventrem fame domare vellent, ipsa vna membra, totumque corpus ad extremum venisse; inde apparuisse ventris quoque haud segne ministerium esse, nec magis ali quam alere eum, reddentem in omnes corporis partes hunc quo viuimus vigemusque, diuisum pariter in venas confecto cibo sanguinem. Comparando hinc quam intestina corporis seditio similis esset iræ plebis in Senatum Romanum, seditiosorum mentes flexit. *Liu. Decad. 1. l. 2.*

Ea est humanarum felicitatum alioquin conditio vt momentaneæ sint, in quae diem durent: ac quanto quis maiora ab his incrementa acceperit, tanto facilius auræ instar concidit, idque præcipue in seditionibus. Quippe homines qui in perturbatis fluctuantibusque rebus versantur, parum aut nihil potius ab iis differunt, qui tempestate iactantur, eodem enim modo susque deque & in omnes partes abripiuntur: ac, si quid eos vel minimum fefellerit, prorsus submerguntur. *Dion. l. 38.*

In seditionibus & bellis omnia præter rationem eueniunt, vbi non iure, sed vtilitate sua ac necessitate amicos inimicosque suos, ij, qui rerum potiuntur, æstimant, ac pro opportunitate temporis eosdem & hostes & necessarios suos iudicant. *Idem l. 48.*

Nullum satis validum imperium est coercendis seditionibus populi, flagitia hominum ve ceremoniæ Deum protegentis. *Tacit. Ann. l. 3.*

Infestis ... ibus accidit, vt vnde plures erant, tandem omnes sint. *Idem hist. l. 1.*

Acerrima seditionum ac discordiæ incitamenta, homines sanguinarii, scelere & metu vecordes, miscere cuncta, modo palam turbidis vocibus, modo occultis ad principem literis. *Idem l. 2.*

Minore spe veniæ crescit vinculum sceleris. *Idem l. 4.*

In communibus iniuriis exercitus seuerius patiuntur. *P. Diacon. in Mauricio.*

In sedit onibus omne genus hominum confluere solet. *Procop. de bell. Vandalic. l. 2.*

Intestinæ seditiones continuo ex nimia felicitate nascuntur. *P. Iouius hist. l. 5.*

Interdum mouet tumultum ex diuersis locis collectus exercitus: & cum pugnare nolit, irasci se simulat, cor non ducatur ad bellum: quod ij præcipue faciunt, qui in sedibus ocio delicateque vixerunt. Nam asperitate insoliti laboris offensi, quem in expeditione necesse est sustinere, præterea metuentes prælium, qui armorum exercitia declinant, ad eiusmodi præcipitantur audaciam. Cui vulneri medicina multiplex medicina consueuit opponi, vt dum adhuc separati sunt, & in sedibus suis, tribunorum vel vicariorum, nec non etiam principum ad omnem disciplinam arctissima seueritate teneantur, nihilque aliud nisi deuotionem moderationemque custodiant. Campi cursionem (vt ipsi appellant) inspectionemque armorum assidue faciant, nullis commeatibus vacent. Ad nomen, ad signa obseruare non desinant. Ad sagittas iaciendas, ad missilia dirigenda, ad iactandos lapides vel funda vel manu, ad armaturæ gestum, ad vectes iactandos, pro similitudine gladiorum, punctim cæsimque feriendo, multo die, vsque ad sudorem, sunt frequentissime detinendi, &c.

Ita exercitati, & eruditi in sedibus milites, siue illi legionarii, siue auxiliares, siue equites fuerint, cum ad expeditionem ex diuersis conuenerint locis, æmulatione virtutis, prælium magis necesse est habeant optare quam ocium. Nemo cogitat de tumultu, qui fiduciam de arte vel viribus gerit.

Dux autem debet esse attentus, vt in omnibus legionibus, siue auxiliis vel vexillationibus, a tribunis, vicariis, principibusque, si qui turbulenti vel seditiosi sunt milites, non pro inuidia suggerentium, sed pro rerum veritate cognoscat, eosque prudentiori consilio segregatos a castris, ad agendum aliquid, quod ipsis prope videatur optabile: aut ad castella vrbesque deputet muniendas, atque seruandas, tanta subtilitate, vt cum abiiciuntur, videantur electi. Nunquam enim ad contumaciam pari consensu multitudo prorumpit, sed incitantur a paucis, qui vitiorum scelerumque impunitatem sperant peccare cum plurimis.

Quod si ferri medicinam necessitas extrema persuaserit, rectius est, more maiorum, in auctores criminum vindicari, vt ad omnes metus, ad paucos pœna perueniat. Laudabiliores tamen duces sunt, quorum exercitus ad modestiam labor & vsus instituit, quam illi, quorum milites ad obedientiam suppliciorum formido compellit. *Veget. l. 3. c. 4.*

Seditionum & seditiosorum in ciuitatibus ciuili bello agitatis, luculenta descriptio.

Græciæ vrbibus acciderunt multa atque atrocia in seditionibus, quæ solent fieri & fient semper, donec eadem erit hominum natura, magis aut minus crudeles & variæ, vt mutationum circumstantiæ erunt. Nam in pace & rebus secundis vniuersæ ciuitates & priuati homines mentes habent saniores. Quia non coguntur necessitate quærere vitæ præsidia malis modis: sed bellum copiam quotidiani victus subtrahens, violentus magister est, & ad præsentes occasiones multorum impetus incitat. Itaque ciuitates seditionum plenæ erant, & posteriora, eum prius facta audirentur, superabant illa nouitate consiliorum, cum in excogitandis artibus opprimendi alios, tum in pœnarum crudelitate. Vsitata rerum nomina permutabantur. Prætextus causa, furiosa temeritas nominabatur fortitudo socijs fidelis, considerata cunctatio nomina batur timiditatis excusatio: modestia ignauiæ velamentum; et circumspectio in vniuersum segnities dicebatur: præceps audacia, generositas, si quis tuto velle inuadere, tergiuersatio: accendens odia, fidelis: contradicens, suspectus: cui insidiæ successerant, astutus, qui sibi insidias struti senserat, adhuc astutior: qui nolebat esse in partibus, dissolutor sociorum & aduersarios formidans: quisquis alterum antevertisset in lædendo, laudabatur: sic etiam qui id consilium dederat non cogitanti. Cognati minus familiares erant aliis coniuratis, quia hi promptiores videbantur ad quoslibet impetus sine excusatione. Non enim coibant talia sodalitia legitimæ vtilitatis causa: sed contra leges, iniusta cupiditate, & inter se fides erant, non iure diuino, sed societate scelerum, & quæ bene dicebantur ab aduersariis recipiebant, non ingenuitate, sed metu, cum ipsis proderant. Gratius erat vlcisci eum, qui iniuriam fecisset, quam nulla iniuria esse affectum. Iuramenta induciarum propter præsens periculum facta valebant, quia nulla alia præsidia erant: sed cum altera pars sibi confidebat, videns aduersarios non munitos esse, dulcius erat decepta spe inducias nocere, quam aperte aliquid mouere: atque dicebatur esse tutius, & victoria fraudulenta sapientiæ laudem referebat. Improbi nominabantur industrii: boni, hebetes: quorum alterum probrum erat, alterum gloriosum. Horum omnium causa erat cupiditas iniustæ potentiæ & dominationis: inde contentiones inter partes oriebantur. Nam potentiores in ciuitatibus, vtrinque honesto nomine, alteri statum popularem, alteri authoritatem Senatoriam tribuentes: verbis quidem de Republica certabant: sed reipsa tanta erat acerbitas odiorum, vt alii alios penitus delere conarentur, & in pœnis finem statuebant, non iustitiam aut vtilitatem ciuitatis, sed potius suam vtrique voluptatem, seu in condemnatione per iniusta suffragia, seu in victoria vi oppressis aduersariis, æmulationi & cupiditati contentionis morem gerentes. Ita neutris curæ erat pietas: sed qui honesto colore aliquid lucri adepti erant laudabantur. Medii ciues ab vtraque actione perdebantur, partim quod non tulissent illis aut istis, partim inuidia, quod hactenus fuissent incolumes. Adeo propter seditiones in vniuersa Græcia omne genus sceleratum extitit. Simplicitas consiliorum, quæ maxime est in bonis naturis, cum risu explodebatur: sed diffidere inter sese, obseruare alios, & omnia suspiciose deprauare sapientia erat. Nulla enim oratio firma neque iuramentum erat, quod ad reconciliationem prodesset. Quia enim astute ratiocinabantur, nullam pacem firmam fore, prospicere malebant, ne quid paterentur, quam aliis confidere. Ac stulti sæpe erant superiores, quia enim metuentes insidias, & timerent fore vt astutiæ anteuerterentur, ipsi prorsus audacter vim inferebant. Sapientiores vero etiam si pericula præuidebant, tamen quia existimabant non vi tentanda esse, quæ possent consilio obtineri imparati opprimebantur. *Thucyd. l. 3.*

Qui in bello contra Imperatorem suum seditionem concitat, is in suam ipsius salutem seditiosus est. *Xenophon de expedit. Cyr. l. 6.*

Seruilius consul, senibus remedija aptior, concitatos animos flecti quam frangi, putabat cum tutius, tum facilius esse. *Liu. Decad. 1. lib. 5.*

Studiosis quieta mouere, magna merces videtur, *Sallustius de coniur. Catil.*

Pessimus quisque asperrime rectorem patitur. *Idem, oratio ad Caesarem.*

Miscere cuncta, & priuata vulnera Reipublicae malis operire statuunt. *Tacit. hist. l. 1.*

Seditiosissimus quisque ignauus. *idem, l. 4.*

Non fides, non constantia, nō gratitudo seditiosorum animis inest vlla, pœnitet eos praesentis semper imperij, gaudent nouis rebus, futura in expectatione habent, leuitas illorum dux est atque author ad postrema quaeque flagitia. Nō illos longae pacis otium, quae etiam eorum qui in militia educati sunt, relanguescere animos facit, non partae sub principe laudato plurimae diuitiae, quarum comes voluptas desidiaque esse consueuit, non belli facies ipsa, quae eo terribilior magisque formidolosa apparet, quo longior pax fuit: non denique agrorum securitas, ad quos relictis oppidis commigrandum est, aut eorum desiderium quae relinquenda sunt remorantur. *Io. Iou. Pont. 2. hist. lib. 1.*

Domestica illa factionum dominatio tristior est peregrino imperio. *Thucyd. l. 4.*

In Africa seditiosorum exercitus bellis fractus ad extremum tanta fame laborauit, vt alij aliorum corporibus vescerentur: numine eam vltionem dignam sceleribus quae in proximos patrarant inferente. *Polyb. lib. 1.*

Imprudentis est sperare, corruptissimo seculo: tantam vulgi moderationem fore, vt qui pacem belli amore turbauerunt, bellū pacis charitate deponant. *Tacit. hist. lib. 2.*

Non est mirandum, si seruus seditiosus eo domino sit superior, qui suum dominum, (nempe Deum) repudiet. *Zonar. in Gratian. to. 3.*

HIEROGLYPHICA.

Popularis seditionis studiosum hominem significare qui volunt, locustas duas marinas se inuicē incursantes pingunt. Videre enim est saepe vniuersas, tanquam gregis collegium celebrare, dimicare interim inter se cornibus, arietum modo, ac mutua flagellatione inuicem saeuire. *Pierius, lib. 28. c. 54.*

Ere corporis humani est putridum membrum maturè abscindere, ne pars sincera trahatur; & societatis humanae (quā cupimus saluam) interest, perniciosos ciues, seditiosorum capita, tollere de medio, ne malum paucorum serpat in totum corpus publicum. *Hierogl. Collect.*

Inter macerias & aedificiorum ruinas crescunt herbae noxiae: & inter regnorum ciuitatumque vastationes, caput tollunt seditiosi, qui fortes, pios, potentes, & bene meritos viros de gradu deijciunt, atq; facultatib. honorib. vita crudeliter spoliant. *Anonym.*

Vide Bellum, Discordia, Inimicitia.

SEDVLITAS.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

IVstitia particularis est virtus suum cuiq; tribuens. De publica hic non agimus. Priuata est, quam quisq priuatim praestare tenetur in ijs rebus in quib. peculiaris obligatio intercedit, idque vel in sua propria vocatione, vel in societate. In propria vocatione requiritur sedulitas, quae & diligentia, recta solicitudo, fidelitas, & festinatio lenta dici pōt. Consistit in laudata & exacta praestatione officij, sine dolo, sine fuco & simulatione. Eam Horatius officiosam cognominat. Graec. ἐπιμέλεια, ἀκρίβεια, ἀγρυπνία Hebr. *Deagbah*, solicitudo, cura anxia, metus moerorem ano adferens, a verbo *Daagh* solicitus fuit, solicite metuit, anxie curauit. Affinitatē habet cum *Daagh*, tabuit, & *Saagh* rugijt, nam solicitudo cordis & sedulitas acris in officij praestatione, homines efficit tabidos, elsmosos & morosos. Huic per metathesin, κήδω, κήδομαι, solicitus sum, curo, κῆδος, cura, solicitudo, sedulitas. 2. A verbo *Charedh*, trepidauit, motu corporis tremuit, loco consistere non potuit, deriuatur *Charadhah*, trepidatio, motus festinus. Ad sedulitatem, & diligentiam hominis ad rem attenti, & motu continuo agitati (*qui ne peut arrester en place*) refertur. 3. *SchoKed*, sedulus, diligens, a verbo *SchaKadh*, vigilauit attente, excubias egit, attendit vigilanter. Cognationem habet cum *SchaKat*, quieuit nā vigiles & sedulos viros oportet esse mente composita, nec non alienos a tumultibus & strepitu. Amygdalus, amygdalum, arbor & fructus, *SchaKedh*, nominatur, ab alacritate & maturitate sedula, quia ante alias fructus protrudit atque praeuenit caeteras arbores 4. *Tamidh*, 1. frequens, continuus, perpetuus, sedulus. Hinc θαμίζω frequento, θαμινός frequens.

Sedulitas vero virtus est, per quam labores nostri officij recte intellectos, libenter & diligenter exsequimur, vt Deo grata, hominibus vtilia praestemus. *Prou. 12. 4. 5. Rom. 12. 11. 2. Thess. 3, 10.* Requiritur praesertim in ecclesiae pastoribus, qui in rebus sacris sedulitatem summamque diligentiam adhibere debent: *Leuit. 19. 6. 7.* Hac virtute continemur in officio, ne eo deserto fiamus errones, qui huc illuc vagantur, lautiorem captantes conditionem. Iubemur manere in vocatione nostra, & munus nobis mandatum sedulo implere. *Psal. 37. 3. & 128. 2. 1. Cor. 7. 44. 17.*

Sedulitati in officio faciendo studēdum est, 1. quia à Deo mādatur *Gen. 3. 19. Ro. 12. 8. & 1. Thess. 4. 11. 2.* Quoniam ad eam impellere nos debet vitae nostrae breuitas, mortis certitudo, Dei iudicium, *2. Cor. 5. 6. &c. 3.* Etiam in hac vita vtilis est: facit enim ad rem parandam & abigendam paupertatem. *Prou. 10. 16. 4.* Hoc praestat, vt nos geramus decēter erga extraneos, & nullius indigeamus: *1. Thess. 4. 12. 5.* Quia ipsis etiam Gentilibus summopere probata fuit. Vnde apud illos admonitio, *Hoc age.* Opposita sedulitati est desidia, ignauia, curiositas.

EXEMPLA SACRA.

Sedulitatis *Exempla*: Iudaeorū reducum aduersarij. *1. Esdr. 4. 53.* Iudaei reduces, *Nehem. 4. 23.* Ioseph & Maria, *Matth. 2. 14.* Iudas proditor, *26. 47.* Principes Sacerdotum, & seniores populi, *27. 1.* Mulieres piae, maria Magdalena & aliae Mariae, *Luc. 24. 1.* duo discipuli euntes Emaus, *v. 32. 33.* Christus, *Luc. 4. v. 42. 43. Io. 8. 2.* Pharisaei, *7. v. 30. 31. 35.* Maria magdalena, *20. 1.* Petrus & alter discipulus, *v. 3.* credentes, *Act. 2. 44.* Sacerdotes & Magistratus, *4. 1.* Apostoli, *5. 21.* Iudaei, *9. v. 23. 24.* Petrus, *10. 9.* Paulus, *15. v. 35. 36. 40. 41. & 20, 16. Prou. 20. 13.*

Consule titulum de Diligentia, Labore, & Studio.

SENATVS.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

SEnatus, a senio & a sinendo: quod Senatores & viri aetate & iudicio graues, & quia magistratibus non plus licebat quam Senatus permitteret, Graece Γερουσία. *Schahhar*, porta quae propter munitionem, iudicia, & Senatū est austera & formidabilis. Olim enim inter Israelitas ius dicebatur in portis ciuitatus. *ZeKenim* etiam Senatores dicuntur, a verbo *ZaKen*, Senuit, senex fuit.

Senatus eligatur ex triginta duodenarijs, qui efficiunt 360. idoneos ad distributiones, distributis enim quatuor partibus secundum nonagenarium ex singulis censibus proferant senatores nonaginta, & qui primi, secundi & tertij census fuerint, prima, secunda & tertia die, proferat quicunque velit, alitter mulctetur mulcta prout visum fuerit, quartus quarta proferat & liber sit a mulcta qui non voluerit proferre, deinde qui ex secundo ac primo non profert, mulctetur, ita vt qui ex secundo censu est triplum primae mulctae persoluat, qui ex primo quadruplum: qui ex tertio & quarto impunis sit si proferre nolit. Quinta die cōscripta, & obsignata nomina ferant magistratus omnibus ciuibus conspicienda, ex his quiuis vir rursus proferat: aut prima mulcta mulctetur, centum vero & nonaginta viria ex vnoquoque censu delectis dimidium horum sorte probent, vt per annum sint hi senatores. *Plat. de legib. dial. 6.*

Senatores vt proprijs in rebus versentur, & res domesticas bene componāt, proinde duodecimam ipsorum partem in duodecim menses distributam, vt vna vni mensi distribuatur, ad custodiam constituemus. *Plat. in legib. dial. 6.*

Senatores curam habeant, vt si quis aliunde veniat, siue ex ipsa ciuitate accedat, prompte ipsum admittant, & siue quis nunciare aliquid velit, siue percunctari ex his quae ciuitatem alijs ciuitatib. respondere conuenit, & ex his quae pro responsione adferuntur, si ipsa ex alijs quid percūctata sit: sed & nouationum gratia, quae omnis generis semper oriri solent, in ciuitate pariat, ijdem sint, vt maxime quidem non fiant: si vero fiant, vt celerrime ciuitas sentiat, & curetur id quod factū est. Quapropter hanc praesidentem ciuitatis partem semper tum in conuentibus dominam esse oportet, tum in dissoluendis his facultatib. quae & secundum leges derepente accidunt ciuitati. *Plat. de legib. dial. 6.*

Senator in senatu auctor esse debet sententiarum Reipublicae conducibiliū, etiamsi parum iucundae auditu fuerint, & alijs in concione adulationis relinquendo, contentus rebus vtilibus, increpans, admonens, castigans, non arrogantem insanamque, sed sobriam libertatem proferens. *Phil. Iuda de Ioseph.*

Senatus consulta sunt, quae fuerunt senatus authoritate decreta. *Boet. in topic. Cic. lib. 2.*

ADAGIA.

Amphictyonum consessus. Ἀμφικτυονικὸν συνέδριον.

De frequente grauium virorum conuentu.

Legatus non caeditur, neque violatur. πρέσβυς οὔτε τύπτεται οὔτε ὑβρίζεται.

Id iure gentium receptum est, vt legati publica fide veniant & redeant incolumes.

Murus

Murus aheneus. *Horat.*

Hic murus aheneus esto:
Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.

Vsurpatur pro certo & immutabili animi decreto, schemate nimirum proverbiali.

E M B L E M A.

In Senatum boni Principis.
Dialogismus.
Emblema C X L I V. Andr. Alciat.

Effigies manibus trunca ante altaria diuum.
Hinc residens, quarum lumine capta prior.
Signa potestatis summa, sanctiq; Senatus
Thebanis fuerant ista reperta viris.
Cur resident? quia mente graues decet esse quieta
Iuridicos, animo nec variare leui.
Cur sine sunt manibus? capiant ne xenia, nec se
Pollicitis flecti muneribusue sinant.
Caecus at est Princeps, quod solis auribus, absq;
Affectu, constans iussa Senatus agit.

Vide Magistratus, Princeps.

S E N E C T V S.

DEFINITIO, ET ETYMOL.

SEnectus, Graece γῆρας, αος, τό, & γέρων, οντος, ὁ, senex, & γηράσκω, senesco dicitur. Hebr. *ZiKenah. Psal.* 71. 9. *ZeKunim*, dies omnes Senectutis, *Gen.* 37. 3. *ZoKen*, Seniū, *Gen.* 48. 10. *ZeKana*, vetula *ZaKen*, Senex. Item vir qui publico fungitur officio: Senator. a verbo, *ZaKen* Senuit, consenuit, senex fuit. Barba etiam *ZaKan*, dicitur, quae senes viros decet.

Est autem senectus, occasus vitae. *secun. Cic. in Topicis.*

Senectus est vltima aetas durans aliquando tantum, quantum omnes aliae aetates. *sec. S. Tho. 4. Sent. dist. 43. art. 3.*

Senex dicitur quasi seminex, hoc est, semimortuus, quod acta maiore aetatis suae parte iam morti propinquior sit. Nam senex mortem significat. Sisenna, *Quoniam neque mea nex, neque intercessio posse videtur illorum dementem reprimere audaciam.* Hinc deducitur neco: quod est interficio. A sene senectus, senecta, & senium vocium eiusdem fere significationis. A sene senatus dicitur quod & locum significat, in quo senatores conueniunt, & ipsos senatores. A senator senatorius deducitur, vt senatoria maiestas.

L O C I B I B L I C I.

Seniorum vocabulum, non tam aetatis, quam dignitatis est, & eos designat, qui adiecto nonnunquam epitheto, potissimum in nouo testamento, dicuntur Seniores populi, penes quos, Sacerdotibus & scribis selectis adiunctis, erant iudicia, quae Hebraei Graeco vocabulo *Sanhedrin*, i. συνέδρια, vocant, vt ij plane sint πρεσβύτεροι, quos Latine eadem ratione senatores vocant, *Matt.* 16. 21. & 27. 59. *Deut.* 21. 2. seniores pro maioribus, *Matth.* 15. 2. *Mar.* 7. 3. seniores septuaginta sibi allegit Moses, *Num.* 11. 16.

Seniorū praecepta, *Act.* 16. 4. visio. *Apoc.* 4. 4. senioribus traditur Deuteronomium, *Deut.* 13. 9. senes quomodo admonendi, 1. *Tim.* 5. 1. quales esse debeant, *Tit.* 2. 2. honorandi sunt. *Leuit.* 19. 32. *Iob.* 32. 6. *Prou.* 16. 31. sensibus florebunt, *Esa.* 65. 20. senum consiliū non aspernandum, 1. *Reg.* 12. 8.

S E N T E N T I A E B I B L I C A E.

Senectus virtuosa à bonis honoratur.

Coram cano capite consurge, & honora personam senis, & time Dominum Deum tuum. *Leuit.* 19.

In antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia. *Iob.* 12.

Corona dignitatis senectus, quae in vijs iustitiae reperitur. *Prou.* 16.

Dignitas senum canicies. 20.

Senectus venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata. Cani sunt sensus hominis, & aetas senectutis, vita immaculata. *Sap.* 4.

Ne spernas hominem in sua senectute, etenim ex nobis senescunt. *Eccl.* 8.

Quam speciosum caniciei iudicium. Quam speciosa veteranis sapientia, & gloriosus intellectus & consilium. Corona senum multa peritia, & gloria illorum timor Dei. 25.

Tu loquere, quae decent sanam doctrinam: senes vt sobrij sint pudici, prudentes, sani in fide, in dilectione, in patientia. *Tit.* 2.

A Deo remunerantur.

Adhuc multiplicabuntur in senecta vberi. *Psal.* 91. 92.

Corona senum filij filiorum. *Prouerb.* 17.

Vitiosa reprobatur.

Tres species odiuit anima mea, pauperem superbum, & diuitem mendacem, & senem fatuum, & insensatum. *Eccl.* 25.

Puer centum annorum morietur, & peccator centum annorum maledictus erit. 65.

Egressa est iniquitas de Babylone a senioribus iudicibus, qui videbantur regere populum. *Dan.* 13.

Inueterate dierum malorum. *ibid.*

S E N T E N T I A E P A T R V M.

Quum sibi homines optant senectutem, quid aliud optant, nisi longam infirmitatem? *Aug. de catechizandis rudi.*

Sit senectus nostra puerilis, & pueritia senilis, i. vt nec sapientia nostra sit cum superbia, nec humilitas sine sapientia. *in* 113.

Oportet vt senilis sermo non solum sit grauis, sed etiā breuis. *in ser.*

Infantia nostra innocentia sit, pueritia sit reuerentia, adolescentia patientia, iuuentus virtus, senium meritum, senectus nihil aliud, quam canus sapiensque intellectus. *ibid.*

Cum cuncta vitia in sene senescant, sola auaritia iuuenescit. *ibid.*

Quid naturam accusas, o homo: habet illa impedimenta quaedam, senectutem & infirmitatem: sed senectus ipsa in bonis moribus dulcior, in consilijs subtilior, ad constantiam subeundae mortis potior, ad reprimendas libidines fortior: Infirmitas corporis, sobrietas mentis est. *Am. in hex. lib.* 1.

Pascha, Hebraice dicitur transitus, sc. quia per hoc mysterium de peiorib. ad meliora transitur. Bonus transitus est, de peccato transire ad iustitiam, de vitijs ad virtutes, de senectute ad infantiam: infantiam autem dico, non aetatis, sed simplicitatis. *Pascha.*

Aetates quaedam sunt meritorum. Nam & senectus morum inuenitur in pueris, & innocentia infantium inuenitur in senib. *ibid.*

Nemo enim tam fractis viribus & decrepitae senectutis est, vt non se putet vnum adhuc annum esse victurum *Hier. in quadam epist.*

Omnes pene virtutes corporis mutantur in senibus. & crescente sola sapientia, decrescunt caeterae vires. *in epist. ad Nepot.*

Senectus eorum, qui adolescentiam suam honestis artib. instruxerunt, & in lege Domini meditati sunt die ac nocte, aetate fit doctior, vsu certior, processu temporis sapientior, & veterū studiorum fructus dulcissimos metit. *ibid.*

Inter abusiones huius seculi, sola maior senis obstinatio, qui morti proximus, mortis non abhorret aduentum, qui quasi ad ostium huius mundi positus, foris spectat, nec tamen vitae praesentis attendit egressum, nec futurę considerat. Audit nuncios mortis & credere non vult eis. Tres sunt enim nuncij mortis, Casus, Infirmitas, senectus. Casus dubia, infirmitas grauia, senectus certa nūtiat. Casus nuntiat mortem latētem, infirmitas apparentem, senectus praesentē. Ex incertitudine mortis timor, ex infirmitatis grauitate, color, ex certitudine senectutis non obstinatio, sed afflictio & humilitas sequi deberet. *Hugo de claustro animae. lib.* 2.

Canities tunc est venerabilis, quando ea gerit, quae canitiē decent: quum vero iuueniliter senex conuersatur, plus iuuenibus ridiculus erit. *Chrys. sup. epist. ad Rom. ser.* 7.

Plus omnibus religioni operam dare senibus conuenit, quos praesentis seculi florida aetas translacta deseruit. *Cyprian.*

Quid stolidius fieri potest, si mens ad perfectionē sellinare nō contendat? quando totius corporis habitu senectute confectus homo ad interitum properat, dum oculi caligant, aures grauiter audiunt, capilli fluunt, facies in pallorem mutatur, dentes lapsi numero minuuntur, cutis arescit, flatus non suauiter olet, pectus suffocatur, tussis cachinnat, genua trepidant, talos & pedes tumor inflat. Homo interior qui senescit, his omnibus aggrauatur, & haec omnia ruituram iam domum nostri corporis cito prę nunciant.

Quid superest, nisi dum huius vitae defectus appropinquat nil, aliud cogitare, quam quomodo futurae aditus prosperitatis cōprehendatur, quisq; senex appetat? Iuuenibus n. incertus huius vitae terminus instat: senibus vero cunctis maturior ex hac luce recessus. Cauendae ergo sunt homini duae particulae, quae in illius carne non veterascunt, & totum hominem ad peccandum trahunt, cor videlicet & lingua. *ibid*

Sicut non sunt omnes viuentes pari modo vel feruētes spiritu, vel disciplinis ac moribus optimis instituti: ita nec senes quidē cuncti uno modo, uel perfecti possunt, uel probatissimi reperiri. Diuitiae enim senum non sunt canities capitis, sed industria iuuentutis, ac laborum praeteritorum stipendijs metiendę. *Io. Cass. colla. abbatis Moysi, secunda. c.* 12.

Non omnium seniorum, quorum capita canities tegit, quosque vitae longaeuitas sola commendat, nobis sunt imitanda uestigia, vel spectanda, seu traditiones ac monita suscipienda, sed eorum quos laudabiliter vitam suam, ac probatissime cōperimus in iuuentute signasse, nec praesumptionibus proprijs, sed maiorū traditionibus institutos. *ibid.*

Sunt nonnulli, quorum etiam quod est lugubrius maior pars sine dubio reperitur, qui in tempore tuo, quae ab adolescentia sua coeperunt, atque ignauia senescentes, authoritatem sibi non maturitate morum, sed annorum numerositate, conquirunt. *ibid.*

Nihil est quod senectuti magis noceat, ac dies hominis abbreuiet, quam tristitia, languor animi atque ira. Nihil enim est hilari senectute iucundius. *Cass. in quadam epist.*

Sen-

SENTENTIAE POETICAE.

Phocylides.

Αἰδεῖσθαι πολιοκροτάφους, εἴκειν δὲ γέρουσιν
Ἕδρης καὶ γεράων πάντων, γενεῇ δ' ἀτάλαντον.
Venerare cana tempora habentes, cede senibus
In sedendo, & in officijs in omnibus nobilitatiq; aequaliter.
Πρέσβυν ὁμήλικα πατρὸς ἴσαις τιμαῖσι γέραιρε.
Senem coaetaneum patris aequalibus honoribus honora.

Menander.

Ἅπαντ' ἀφανίζει γῆρας ἰσχὺν σώματος.
Omnem delet senectus vim corporis.
Γνῶμαι δὲ ἀμείνους εἰσὶ τῶν γεραιτέρων.
Sententiae autem meliores sunt seniorum.
Καλὸν τὸ γηρᾶν καὶ τὸ μὴ γηρᾶν πάλιν.
Pulchrum senescere, & non senescere rursus.
Σκληρὸς ἀνήρ ἐστιν ἐν νέοις γέρων.
Molestus vir est inter iuuenes senex.
Πολιὰ χρόνου μηνυτὰ, οὐ φρονήσεως.
Canities temporis indicium non prudentiae.
Φοβοῦ τὸ γῆρας, οὐ γὰρ ἔρχεται μόνον.
Time senectutem, non enim venit sola.
Χαλεπὸν τὸ γῆρας ἐστὶν ἀνθρώποις βάρος.
Difficile senectus est hominibus onus.

Philo.

Αἱ πολιαὶ σὺν τῷ νῷ γεραρώτεραι, αἱ γὰρ ἄτερ νοῦ
Μᾶλλον τῶν πολλῶν εἰσὶν ὄνειδος ἐτῶν.
Canities cum mente honorabiliores. Quae enim sine mente,
Magis multorum sunt vituperium annorum.

Menecrates.

Γῆρας ἐπὰν μὲν ἀπῇ, πᾶς εὔχεται· ἢν δέ ποτ' ἔλθῃ,
Μέμφεται· ἔστι δ' ἀεὶ κρεῖσσον ὀφειλόμενον.
Senectus dum quidem abest, quilibet optat. Si vero vnquā accesserit,
Accusant. Est autem semper melius debitum.

Euripides in Phoenissis.

Ὦ τέκνον, οὐχ ἅπαντα τῷ γήρᾳ κακά.
Πρόσεστιν, ἀλλ' ἡ 'μπειρία τῶν γερόντων
Ἔχει τὸ δεῖξαι τῶν νέων σοφώτερον.
O fili, non omnia mala senectuti
Adsunt: sed experientia senum
Plus sapientiae demonstrare potest, quam iuuenes.

Idem in Bellerophonte.

Ὦ παῖ, νέων τοι δρᾷν μὲν εὔτονοι χέρες,
Γνῶμαι δ' ἀμείνους εἰσὶ τῶν γεραιτέρων.
Ὁ γὰρ χρόνος δίδαγμα ποικιλώτατον.
O fili, manus quidem iuuenilos ad agendum robustae sunt,
Seniorum autem sententiae sapientia praestant.
Tempus enim multam & variam doctrinam parit.

Menander Comicus.

Quamuis caetera longum tempus nobis auferre
Soleat, prudentiam tamen firmiorem facit.

Euripid. in Menalippe.

Παλαιὸς αἶνος· ἔργα μὲν νεωτέρων,
Βουλαὶ δ' ἔχουσι τῶν γεραιτέρων κράτος.
Vetus hoc dictum est, Opera quidem iuniorum,
Consilia autem seniorum vim habere.

Idem in Peleo.

Experientia vincit imperitiam.
Senectus, o fili, iuuentutibus annis
Sapientior est, atque tutior.

Sophocles in Lycone.

Γῆρας διδάσκει πάντα καὶ χρόνου τριβή.
Senectus omnia docet moraq; temporis.

Crates ex Antiphane.

Ὠνείδισάς μοι γῆρας ὡς κακὸν μέγα,
Οὗ μὴ τυχόντι θάνατός ἐστ' ἡ ζημία.
Οὗ πάντες ἱμειρόμεσθ'· ἂν δ' ἔλθῃ ποτέ,
Ἀσχάλλομεν· οὕτως ἐσμὲν ἀχάριστοι φύσει.
Τοῦ ζῆν γὰρ οὐδεὶς ὡς ὁ γηράσκων ἐρᾷ.
Exprobrasti mihi senectam ceu magnum malum:
Quam qui non assecutus fuerit, morte multatur.
Quam omnes desideramus. At si quando venerit,
Aegre ferimus, adeo ingrati natura sumus:
Nullus enim tam diligit vitam quam qui senescit.

Antiphanes ex Philocteta.

Σοφόν γε τοι πρὸς τὸ βουλεύειν ἔχει
Τὸ γῆρας, ὡς δὴ πολλὰ ἰδόν τε καὶ μαθόν.
Sapientia nonnihil ad consultationes habet
Senectus, vt quae multa viderit atque didicerit.

Corn. Gallus.

Stat dubius, tremulusq; senex, semperq; malorum
Credulus, & stulens quae facit ipse timet.
Laudat praeteritos, praesentes despicit annos,
Hoc tantum rectum, quod facit ipse putat.

Et intra.

Hae sunt primitiae mortis, his partibus aetas
Defluit, & pigris gressibus ima petit.
Non habitus, non ipse color, non gressus euntis,
Non species eadem, quae fuit ante, manet.
Labitur ex humeris demisso corpore vestis.
Quaeq; breuis fuerat, iam modo longa mihi est.
Contrahimur, miroq; modo decrescimus ipsi:
Diminui nostri corporis ossa putes.
Nec caelum spectare licet: sed prona senectus
Terram à qua genita est, & reditura videt.
Fitq; tripes, prorsus quae trupes, vt paruulus infans
Et per sordentem flabile serpit humum.
Ortus cuncta suos repetunt, matremq; requirunt,
Et redit ad nihilum, quod fuit ante nihil.
Hinc est quod baculo incumbens ruitura senectus,
Assiduo pigram verbere pulsat humum.
Et numerosa mouens certo vestigia passu,
Talia rugato creditur ore loqui:
Suscipe me genitrix, nati miserere laborum,
Membra velis gremio fessa fouere tuo.

Ouid. 15. Met.

Inde senilis hiems tremulo venit horrida passu,
Aut spoliata suos, aut quos habet alba capillos.
Nostra quoq; ipsorum semper, requieq; sine vlla
Corpora vertuntur, nec quod fuimusue, sumusue,
Cras erimus.

Ouid. 14. Met.

Sed iam felicior aetas
Terga dedit, tremuloq; gradu venit aegra senectus.

Corn. Gallus.

Se solum doctum, se iudicat esse peritum,
Et quod sit sapiens desinit ipse magis.
Multa licet nobis referens, eademq; reuoluens
Horret, & alloquium conficiet ipse suum.
Deficit auditor, non deficit ipse loquendo.
O sola fortes garrulitate senes:
Omnia nequicquam clamosis vocibus implet.
Nil satis est: horret quae placuere modo.
Arridet de se ridentibus, ac sibi plaudens
Incipit opprobrio laetior esse suo.

Corn. Gallus.

Turpe seni vultus nitidi, vestesq; decora,
Atque etiam est ipsum viuere turpe senem.
Crimen amare iocos, crimen conuiuia, cantus.
O miseri, quorum gaudia crimen habet.

Ouid. 8. Met.

Membra leuant baculis, tardiq; senilibus annis
Nituntur longa vestigia ponere cliuo.

Calpur. Ecl 5.

Aspicis, vt nobis iam crebro mille querelas
Adferat, & baculum premat inclinata senectus.

Horat. Art.

Multa ferunt anni venientes commoda secum.
Multa recedentes adimunt.

Corn. Gallus.

Tu me sola tibi subdis miseranda senectus.
Cui cedit quicquid vincere cuncta potest,
In te corruimus, tua sunt quaecunq; fatiscunt
Vltima quaeq; tuo conficis ipsa malo.

Chilon. per Auson.

Grata senectus homini, quae parilis iuuentae.

Iuuenal. 11.

Non praematuri cineres, nec funus acerbum
Luxuriae, sed morte magis metuenda senectus.

Ter. Lhor. 4. 1.

Senectus ipsa est morbus.

Horat. Art.

Multa senem circumueniunt incommoda, vel quod
Quaerit, & inuentis miser abstinet, ac timet vti:
Vel, quod res omnes timide, gelideq; ministrat,
Dilator, spe longus, iners, auidusq; futuri,
Difficilis, querulus, laudator temporis acti
Se puero, censor, castigatorq; minorum.

Iuuenal. 10.

Sed quam continuis, & quantis longa senectus
Plena malis: deformem & tetrum ante omnia vultum
Dissimilemq; sui, deformem pro cute pellem,
Pendentesq; genas, & tales adspice rugas,
Quales vmbriferos vbi pandit Trabraca saltus,
In vetula scalpit iam mater simia bucca.
Plurima sunt iuuenum discrimina: pulchrior ille
Hoc atque illo alto: multum hic robustior illo.
Vna senum facies, cum voce trementia labra,
Et iam leue caput, madidiq; infantia nasi.

Frangen-

Frangendus misero gingiua panis inermi.
Vsque adeo grauis vxori, gnatisq; sibiq;,
Vt captatori moueat fastidia Cosso.
Non eadem vini, atque cibi torpente palato
Gaudia.

Ibidem.

Præterea minimus gelido iam corpore sanguis
Febre calet sola: circumsilit agmine facto
Morborum omne genus, quorum si nomina quæras,
Promptius expediam, quot amauerit Hippia mœchos,
Quot Themison ægros autumno occiderit vno,
Quot Basilus socios, quot circumscripserit Hirrus
Pupillos.

Ibidem.

Ille humero, hic lumbis, hic coxa debilis ambos
Perdidit ille oculos, & luscis inuidet, huius
Pallida labra cibum capiunt digitis alienis.
Ipse ad conspectum cœnæ deducere rictum
Suetus, hiat tantum, ceu pullus hirundinis, ad quem
Ore volat pleno mater ieiuna, sed omni
Membrorum damno maior dementia; quæ nec
Nomina seruorum, nec vultum agnoscit amici,
Cum quo præterita cœnauit nocte, nec illos,
Quos genuit, quos eduxit.

Ibidem.

Vt vigeant sensus animi, ducenda tamen sunt
Funera gnatorum, rogus aspiciendus amatæ
Coniugis, & fratris, plenæq; sororibus vrnæ
Hæc data pœna diu viuentibus, vt renouata
Semper clade domus, multis in luctibus, inq;
Perpetuo mœrore, & nigra veste senescant.

Boet. I I.

Venit enim properata malis inopina senectus,
Et dolor ætatem iussit inesse suam.
Intempestiui funduntur vertice cani,
Et tremit effœto corpore laxa cutis.

Ouid. 3. Art.

Venturæ memores iam nunc estote senectæ,
Sic nullum vobis tempus abibit iners.

Ter. Hec. 3. 4.

Odiosa est hæc ætas adolescentulis.

Hor. 2. 1. pist. 2.

Non es auarus, abi. quid? cætera iam simul isto
Cum vitio fugere? caret tibi pectus inani
Ambitione? caret mortis formidine, & ira?
Somnia, terrores magicos, miracula, sagas,
Nocturnos Lemures, portentaq; Thessala rides?
Natales grate numeras? ignoscis amicis?
Lenior, & melior fis accedente senecta?
Quid te exempta iuuat spinis de pluribus vna?
Viuere si recte nescis, decede peritis.
Lusisti satis, edisti satis, atque bibisti:
Tempus abire tibi est, ne potum largius æquo
Rideat, & pulset lasciua decentius ætas.

Propert. 2. 25.

Miles depositis annosus secubat armis.
Grandæuiq; negant ducere aratra boues.
Putris, & in vacua requiescit nauis arena,
Et vetus in templo bellica parma vacat.

Ter. Adelph. 5. 3.

O noster Demea:
Ad omnia alia ætate sapimus rectius:
Solum vnum hoc vitium adfert senectus hominibus:
Attentiores sumus ad rem omnes, quam sat est.

Iuuen. 10.

Rex Pylius, magno si quidquam credis Homero,
Exemplum vitæ fuit a cornice secundæ.
Felix nimirum, qui per tot sæcula mortem
Distulit, atque suos iam dextra computat annos,
Quiq; nouum toties mustum bibit, oro parumper
Attendas, quantum de legibus ipse queratur
Fatorum, & nimio de stamine, cum videt acris
Antilochi barbam ardentem: nam quærit ab omni,
Quisquis adest socio, cur hæc in tempora duret.
Quod facinus dignum tam longo admiserit æuo.

Ouid. 5. Fast.

Magna fuit capitis quondam reuerentia cani:
Inq; suo pretio ruga senilis erat.

Iuuen. 13.

Improbitas illo fuit admirabilis æuo,
Credebant hoc grande nefas, & morte piandum,
Si iuuenis vetulo non assurrexerat, & si
Barbato cuicumque puer, licet ipse videret
Plura domi farra, & maiores glandis aceruos,
Tam venerabile erat præcedere quatuor annis,
Primaq; par adeo sacræ lanugo senectæ.

Ouid. ad Liuiam.

Ipse tibi emissus nebulosum litus Auerni:
Sic liceat, forti verba tot ore sonet.
Quid numeras annos? vixi maturior annis
Acta senem faciunt, hæc numeranda tibi.

Sen. Hip. Act. 2.

Lætitia iuuenem, frons decet tristis senem.

Ouid. 9. Met.

Iura senes norint, & quid liceatq; nefasq;,
Fasq; sit inquirant, legumq; examina seruent.

SENTENTIÆ PHILOSOPH.

Iucundissima est ætas deuexa iam non tamen præceps.

Amplectenda est & amanda senectus, plena est voluptatis, si illa scias vti. Gratissima sunt poma cum fugiunt. Deditos vino potatio extrema delectat. Quod in se iucundissimum hominis voluptas habet, in finem sui differt.

Nihil turpius quam senex, viuere incipiens. *Senec. ad Luc. epist. 21.*

Numera annos tuos, & pudebit eadem velle, quæ volueris. Morantur ante te vitia.

Turpis & ridiculosa res est elementarius senex. Desine eadẽ velle senex, quæ voluisti puer. Hoc opus sit, hoc cogitato imponere veteribus malis finem.

Quisquis senex ad sapientiam peruenit, annis peruenit.

Bene agitur cum senectute, si ad illam longo studio intentoq; peruenerit. *idem in epist.*

Iuueni parendum, seni obtemperandum. *Idem l. 8. de benefic.*

Infantes ita bene sentire, id est, iudicare non possunt sicut senes. *Arist. lib. 7. Physic.*

Puer, & multum senes sunt immemores, propter nimium motũ accidentem corporibus. *idem lib. de Memoria & reminiscentia.*

Senectus est frigida & sicca.

Labor exsiccat & senium inducit, vnde multum laborantes senescunt magis.

Animalia multum coeuntia cito senescunt, quia sperma est superfluitas nutrimenti, & amplius quam sustineri possit emissum exsiccat. Et propter hoc mulus est longioris vitæ quam asinus & equus, ex quibus fit, quia ipse non generat. *idem lib. de causa longitudinis & breuitatis vitæ.*

Complexio iuuenum calida est & humida, senum vero frigida est & humida. *Commentator super Arist. de causa longitudinis & breuitatis vitæ.*

Proprium hominis est canescere in senectute. *idem lib. 3. de Animalibus.*

In prima ætate & in seniori, & infirmis sperma non est. *ibid. c. 25.*

Senes increduli sunt, quia multis annis vixerunt, & in pluribus decepti fuerunt, & peccauerunt. *Arist. Eth. lib. 2. c. 16.*

Senes mali suspiciosi sunt propter incredulitatem. Senes neq; amãt valde, neque odiunt, propter inexperientiam. Sed secundũ Biantis additionem, & amant vt osuri: & odiunt vt amaturi.

Senes sunt pusillanimes, quia humiliati sunt à vita.

Senes formidolosi sunt omnia pertimescentes.

Senes seruiunt lucro. *Arist. Eth. lib. 2. c. 16.*

Verecundia nõ conuenit omni ætati, sed tantũ iuuenili. Vnde iuuenes verecundos laudamus, senem autem verecũdum nullus laudabit. *Idem lib. 2. Eth.*

Potentia autem est in iunioribus, prudentia in senioribus. *idem lib. 7. Polit.*

Senes non fiunt amici cito. *Idem lib. 8. Eth.*

Interrogatus Solon philosophus, qua spe fretus, tam audacter resisteret Pisistrato tyranno? ait senectute. *Laert. Diogenes de vit. & morib. Philosoph.*

Vt hydra serpens, vires arboreas necat, ita vetustas amplexu annorum necat. *Macrob. lib. 2. Saturn.*

Vetustas quidem nobis, si semper sapimus, adoranda est. *ibid. l. 3.*

Non sunt in senectute vires, nec postulantur quidem vires à senectute.

Quid mirum igitur in senibus, si infirmi sunt aliquando? cum id ne adolescentes quidem effugere possint.

Pythagoreo more, exercendæ memoriæ gratia, quodcunque die dixerim, audierim, egerim: commemoro vesperi. Hæ sunt exercitationes ingenij, hæc curricula mentis. Semper enim in his studijs laboribusque viuenti, non intelligitur, quando obrepat senectus.

Nihil est otiosa senectute iucundius.

Habet senectus honorata præsertim tantam authoritatem vt ea plus sit quam omnes adolescentiæ voluptates.

At sunt morosi, & anxij, & iracundi, & difficiles senes, si quærimus etiam auari. Sed hæc morum vitia sunt, non senectutis. Contemni se putant, despici, illudi.

Quin etiam illa ætas multo plures quam nostra mortis casus ha

bet:facilius in morbos incidunt adolescentes,grauius ægrotāt, titius curantur. Itaque perpauci veniunt in senectutem.

Mens enim ratio & consilium in senibus est, qui si nulli fuissent, nullæ omnino fuissent ciuitates.

At sperat adolescens diu se victurum, quod sperare idem senex nō potest: insipienter sperat. Quid enim stultius quam incerta pro certis habere,falsa pro veris?

At est meliore conditione quam adolescens, cum id quod ille sperat,hic consecutus est. Hic vult diu viuere,ille diu vixit.

Omnia vero,quæ secundum naturam fiunt, sunt habenda in bonis. Quid autem tam secundum naturam,quam emori senibus?

Itaq. adolescentes mihi mori sic videntur,vt aquæ multitudine flā mæ vi opprimitur. Senex autem,sicut sua sponte nulla vi adhibita consumptus ignis extinguitur: & quasi poma ex arboribus,cruda si sunt,vi velluntur,si matura & cocta,decidunt.

Sicut vitam adolescentibus vis aufert,sic senibus maturitas.

Omnium ætatum certus est terminus, senectutis autem nullus est certus terminus.

Ergo vt superiorum ætatum studia decidunt,sic etiam occidunt senectutis.

Leuis est senectus, non solum non molesta, sed etiam iucunda.

Moderati autem senes, nec difficiles, tolerabilem senectutem agunt.

Neque enim in summa inopia leuis esse senectus potest.

Aptissima sunt omnino arma senectutis,Scipio,& omnino artes exercitationesque virtutum,quæ in omni ætate cultæ,cum diu multumque vixeris, mirificos afferunt fructus non solum,quia nunquam deserunt hominem, ne extremo quidem tempore ætatis (quanquam id quidem maximum est) verum etiā quia conscientia bene actæ vitæ, multorumque benefactorum recordatio iucundissima est.

Est etiam quietæ,puræ,& eleganter actæ ætatis placida ac leuis senectus.

Sua enim vitia insipientes, & suam culpam in senectutem transferunt.

Nihil igitur afferunt, qui in re gerenda versari senectutem negant.

Non viribus aut voluptatibus aut celeritate corporum res magnæ geruntur:sed consilio, authoritate & sententia, quibus non modo orbari, sed etiam augeri senectus solet.

Consilium,ratio,sententia, constant in senibus, quæ nisi in illis essent, summum consilium maiores nostri non appellassent senatum.

Temeritas est videlicet florentis ætatis, prudentia senectutis.

At memoria minuitur:credo, nisi eam exerceas, aut etiam si sis natura tardior.

Neque vero quenquam senem audiui oblitum, quo loco thesaurū obruisset. Omnia,quæ curant,meminerunt.

Manent ingenia senibus, modo permaneat studium & industria. Neque ea solum in raris & honoratis viris,sed in vita etiam priuata & quieta.

Nemo est tam senex, qui se adhuc annum non putet viuere posse.

Aedepol senectus si nihil quicquam aliud vitij apporter, cum aduenit, vnum id sat est, quod diu viuendo, multa quæ non vult, videt.

Facit persæpe ipsa sibi audientiam,diserti senis compta & mitis oratio.

Quid enim iucundius senectute,stipata studijs iuuentutis?

Libidinosa enim & intemperans adolescentia, effœtum corpus tra dit senectuti.

Potest igitur exercitatio & temperantia,etiam in senectute conseruare aliquid pristini roboris, *Cic.lib. de Senectute.*

Omnia orta occidunt,aucta senescunt.*Sallust. in Iugurtha.*

Senectuti iuuenrus ita cumulatum & circumspectum honorē reddebat,tanquam maiores natu adolescentum communes patres essent.

Inuitati ad cœnam diligenter quærebant, quinam ei conuiuio essent interfuturi:ne seniorem aduentu discubitu præcurrerent:sublataque mensaque priores consurgere & abire patiebantur. Ex quibus apparet, cœnæ quoque tempore quam parco,& quam modesto sermone his præsentibus soliti sint vti.*Valerius Maxim. libro secundo.*

Validior enim ætas imperium Romanum rexit,& duplicauit.Senectus a excellentissimis iuuamentis decorata,in altissimo maiestatis fastigio fulsit.*Idem lib. 4.*

Ad meam sententiam explicandam me confero, existimans senes propter longum tempus & rerum per vitam actarum experientiam, erroribus non obnoxios esse:iuuenibus autem impedimento esse ad bona,cum vires corporis quibus illi freti,temere bellum capessunt,& maiora appetunt: tum in consideratione rerum velum. Atqui fuerit mihi testis illorum, quæ dixit Solon Atheniensis,qui lege sanxit,ne quis admodum iuuenis ad magistratum aut consultationes admitteretur, quamuis prudentissimus esset visus. Cæterum quod a cupiditatibus senes immunes sunt,& nihil amplius ab eis turbantur,hoc maximum & pulcherrimum a Deija donum hominibus datum esse reor, per quod diuinæ naturæ quodam modo similes fiant. Nam D j, *vt ait Homerus,*

Οὐ γὰρ σῖτον ἔδουσ' οὐ πίνουσ' αἴθοπα οἶνον.

Non comedunt fruges,non potant feruida vina.

Senes autem a superflua & molestiis abstinētes, ipsorum vsu nihil egent, indigentiæ molestiis liberati, & frugalis animi rebusque suis contenti voluptate fruentes. Etenim ab impetu & appetitu in Venerem ruente seiunctum esse,Dij boni,quāta vtilitas & furoris molestiæq; amissio ducenda est: quo tempore bruta & cupiditatibus obnoxia pars animæ inpotat improbos dominos effugit: rationalis vero pars oculis animæ pulchritudinis voluptate fruitur: deinde inutilium & lasciuarum rerum mentionem omnino facit nullam *Iunius de senectute.*

Similiter & senectus ad iuuentutē se habet. Hæc aggrediendo quippiam præualet: illa prouidendo nonquam seipsum fine mentis custodia relinquit: sed quid agat, aut quid egerit, considerat: ve futura præsentium, præsentia autem præteritorum collatione trutinans,ipsi sese rectè dirigere possit: ad præteritum tēpus memoriam accommodans: ad præsens,sensum:ad futurū vero prudentiam. Semper enim memoria nobis adest præteriti temporis,prouidentia futuri,præsentis autem sensus. Propterea hominem bene besteque victurum, non sensu solum & memoria,sed etiam prouidentia valere oportet. *Archytas Pythagoreus Philosophus,in lib. de viro bono & felice.*

Atqui Sophocles de senibus eleganter dixit,

Σμικρὰ παλαιὰ σώματ' εὐνάζει ῥοπή.

Vetusta paruo corpora momento sopiuntur.

Mors enim senis diuerso sorio similis est: iuuenilis autem,tanquam eiectio & naufragium est. Elabitur enim anima violenter e corpore. *Themistius de anima.*

Senectutem ob caloris defectum fieri. *Parmenides.*

Ἰσχὺς καὶ μορφὴ σώματος νεότητος ἀγαθά· γῆρας δὲ σωφροσύνης ἄνθος.

Robur & forma corporis bona sunt: Senectus autem flos est temperantiæ & prudentiæ.*Democritus.*

Bœotius quidam, cum iam natus annos plusquam septuaginta thesaurum reperisset, sublato crure ipsum cōtempsit,& prætereiit, vt qui non amplius vsui sibi futurus esset. Ita senectus animum & tranquillum reddit, & multæ pecuniæ studium & impensas adimit.*Phauorin. de Senectute.*

Ex omnibus humanis exercitius senectutis certamen in pretio habetur, nam & si gymnica exercitia pulchra sunt, ea tamen corpo sum certe sunt: senectutis vero certamen animorum bonorum præbet iudicium. Sed quantum corpori præstat animus, tantum etiam animorum exercitia corporis exercitijs potiora sunt. *Xenoph. de Rep. & legib. Lacedæm.*

Epicharmum aiunt, quum omnino esset ætate prouectus,cum quibusdam æqualibus sedentem in confabulationibus singulisque dicentibus,alio,mihi satis est quinquennio viuere:alio,mihi tres: tertio dicente mihi quatuor,respondentem cordatum senem dixisse. O viri optimi,quid mutuo litigatis & contenditis de paucis diebus? Omnes enim qui conuenimus, quodam fato propinqui sumus morti. Itaque tempus est nobis omnibus ocyus discedendi,antequam aliquod senile damnum experiamur. *Ælianus var. hist. lib. 2. c. 34.*

Miserum est instrumentum senectuti recordatio crudelitatis. *Am. Marc. lib. 29.*

Est ita natura comparatum, vt senes quæuis in re iunenibus aduersentur, atque imprimis obliti se iuuenes aliquando fuisse eorum sint affectibus oppido quam offensi. *Pausan. lib. 7.*

Senex intempestiuius voluptati quam rebus publicis vacat. *Plutar. in Pompeio.*

Lentiora sunt senum consilia. & omnia alia priusquam bellum experiri malunt. *P. Iouius hist. lib. 1.*

De Senectute. DIAL. LXXXIII.

Francisci Petrarch.

DOL.

Senui. R. Viuere optabat,& vixisse te penitet, an quid aliud rei est? D. Senui. R. Ibas assidue, & peruenisse te stupes, stupendum potius,nisi quo semper ires aliquando peruenires. D. Senui. R. Quid ni viuendo senesceres, & eundo procederes? An tu ætatem retrogradā expectabas,vt velox,vtque instabile,sic & irremeabile tēpus est. D. Velocissime senui. R. Dicebam tibi tempus fugere:iam credere incipis, dici nequit non modo inter opiniones hominū diuersorum, sed vnus eiusdem hominis quid intersit. Iuuenis ante oculos ætatem habeas longissimam opinator, hanc ipsam senior à

nior à tergo respiciens videt esse breuissimam. Semper futura præteritis longiora videntur, cum vel æque sint, vel breuiora, quo ad finem properantib. naturalis motus solet esse vehementior. D. Senui. R. Est vnde gaudeas, si tu non inter vitia senuisti, aut si vel ad vltimum surrexisti, bona tibi & vtilis est senectus, nec exiguum diuini fauoris indicium. Meministi, vt Aegyptium senem Cæsar alloquitur, nec ingratum Dijs ætatis asserit argumento. D. Senui. R. Hac in re saltem vnus ex paucis, ex tot. n. millib. millium eorum, qui nascuntur, quota pars illorum est, qui ad senium vsq; perueniant? Ex his ipsis paucissimi sunt, quib. iustum senectutis spacium explere datum sit. D. Senui valde. R. Prodigium, ac stupor valde senis occursus, metienti animo, quod ille periculosis passibus huc venerit. Insignis quidem senum raritas, ingens casuum vitæ mortalis argumentum est. D. Senui. R. Durum ac difficile stadium cucurristi, mirum nisi iam fessus; & quietis appetens læte proximam metam spectes. D. Cito senui. R. Vitæ cursus nunc breuis, nunc breuissimus, longus nunquam, durus semper asperque & ambiguus, huius vltima pars senectus, finis aut est mors. Quid hic habes querimoniæ singularis? senuisti? Peregisse iam debes vitæ munus, venisti ad exitum, quiesce. Amens viator est qui labore viæ exhaustus, velit ad initium remeare. Nihil fessis gratius hospitio. D. Senui. R. multum tibi placuit vitæ labor, si eum transisse fers grauiter. D. Senui. R. Si viuere delectabat, en vixisti, si oportebat, paruisti. Et quis sanæ mentis, vel quod fieri optauerit factum doleat, nisi male se optasse sentiat, vel quod neque omitti, neque sine multo labore agi poterat actum esse non gaudeat? Vndiq; igitur gaudendum tibi est, seu voti compos delectabilis, seu necessario & graui officio. D. Senui, & voluptates corporis fugauit ætas. R. Vtere animi voluptatib. quæ nec minores, & profecto stabiliores sunt, nec vnquam fugiunt, nisi cum anima, huic hærent, hanc sequuntur. At corporeæ voluptates venientes culpam serunt, abeuntes pœnitentiam pudorisq;, & doloris materiam relinquunt. His te caplitum, ac liberum gaudere debes, & liberatrici tuæ gratiam habere, quæ te manib. tuorum hostium eduxit tibiq; debitum munus, sed neglectum, dilatumq; suscepit. D. Senui, solitisq; voluptatib. careo. R. Nouis assuesce habet & senectus volu ptates suas, quas gustare vbi cœperis, quæ nunc doles amissas, fastidias, & reuerti nolis. D. Senui, & incanui. R. Boni senis verenda canities plus hēt non modo authoritatis, sed honestæ et voluptatis, quam fœdæ oēs iuuenum illecebræ. Neque vero mutati coloris te pœniteat. Nam quis tam corrupto sensu tamq; obliquo pōt esse iudicio, vt non candidorum calathos liliorum, quam nigrantium carbonum cistas aspicere, seq; si transformandus sit, cygno similem malit esse quam coruo? D. Senui. & squalentes arant vultum rugæ. R. Et tellus arata fructum fert vberius, & vitæ maturiores fructus bene culta in senectute prouenniunt. Rugæ te offendunt oris, vultum animi compone. Non illum rugæ occupant, non variant anni nisi vt formosior sit in dies. Denique tempore te, si non tu eum neglexeris, honestabit. D. Senui, rugisq; & informi situ obsitus vix me ipsum agnosco. R. Hoc tibi iam ab initio euenturum dixi, minus quidē aude speculo imminebis, minus tuis forsitā, minus haud dubie muliercularū oculis placebis, quib. placere velle maior ne vanitas an libido sit nescio. Atqui sidem, qui constantiam, qui prudentiam quærunt, certius inter has rugas q̄ in planis, ac mollib. maxillis se quod cupiunt reperturos sperent. D. Senui, meliorq; post tergum ætas remanet. R. Immo deterior. Non semper quæ delectant magis, atque optantur meliora sunt Multi malum suum concupiscunt quod non esset, nisi quia illud Satyrici verū est. *Pauci discernere possunt vera bona.* D. Senui, & lætiores abiere dies. R. Omnium ferme dies temporum inter se simillimi. Animi hominum diuersi, quin idemq; animus secum discors, hinc iuuentæ furor, hinc patientia senectæ talibus vitam impleuere iudicijs, vt melius putet esse, quod peius est, optimumque, quod pessimum. Cæterum dies omnes in se boni. Bonus. n. rex est. & conditor seculorum. Itaq; hic feruidus, hic gelidus. hic siccus, hic humidus, hic nubilus, hic serenus, hic turbidus, hic tranquillus, si ad vniuersi decorem naturæque ordinē aspicias: boni oēs. Ad vos aūt, vestriq; iudicium relati, ex æquo prope omnes mali, mœsti, dubij, sollicili, laboriosi, anxij, amari, queruli, flebilesq; ærumnosi. In his tu mihi nescio quos nominas lætos dies, qui dum aderant, tristes lamentisq; suis pleni erant, nunc vt læti videantur, nihil est causæ, nisi quod abierūt, quodque illis pretium, desiderium tibi auget irredituri, multaq; secum tibi olim segnius forsan amata rapuērunt. Stultus. n. nihil plene amat, nisi quod perdidit. D. Senui, O si dilapsa redeat iuuentus: R. O non minus stultum, quam inane votum: vt tu sentis. At si altius aspires, non inefficax, redibit. n. in tempore, & vt scriptum vides, renouabitur vt aquilæ iuuentus tua. D. Senui, & ætas bona retro est, R. Oīs ætas ut bona bonis, sic male utentibus mala, utrisque autem breuis prorsus & extremo proxima est, ubi uos manet hinc bonorum merces, hinc supplicium malorum, quænam hæc igitur ætas bona, ubique aspera, semperque fugax, nisi quantum ad æternitatem via est. Alioqui & si dulce aliquid inesset, omnē fuga dulcedinem extinctura uideretur. Quis enim fugiens degu-

stat? Fugienti Dario, fœtidæ atque obscœnæ potus aquæ suauissimus fuit. Sitis ut putat Cicero, ut ego sentio, gustum metus extinxerat. Vrgebat in tergum Alexāder Victor. Vos à tergo rapidū tempus premit. Anni celeres, præcipitesque dies, horæ volantes. Ante oculos aūt mors est, nec arctatis reditus, nec impulsis mora, nec præuentis est transitus. Viæ huius tot difficultatib. tantisque terrorib. obsessæ, quænam quæso pars bona est? sed intelligo nempe ætatem probris, ac libidinib. aptiorem, bonam dicitis. Est hic quidem fandi mos vt bonum dicatur quod affectui intentis aptissimum est, quamuis effectus ipse sit pessimus. Sic catenā prædo captis insontibus, sic tyrannus arcem libertati plebis impositam, sic veneficus præstantaneum aconitum, sic sicarius pugionem promptum cædib. bonum vocat. Sic vos igitur ætatem bonam, quæ ad id scilicet quod maxime cupitis apta est vocatis. Itaque neminem istorum, qui annos irreduces deplorant, pueritiā quidem vel infantiam videas optare, quæ profecto optimæ partes essent, si abesse quam longissime à senio bonum esset, vt memorant, sed nec adultam ac solidam iuuentutem, nec incipientē, nec adhuc viridem senectam pessimam omnes & periculosissimam vitæ partem, adolescentiam requirunt. O quintum & vigesimum annum, dicunt, vbi te reliquimus, ne quem lateat quā vos præteritarum pœniteat fœditatum, qui non nisi rēs apprime illis idoneis captatis. D. Senui, cur non cum Vergiliano rege suspirem. *O mihi præteritos referat si Iupiter annos*: R. At nil tale suspirantem legimus Socratem, nil Platonem, nil Fabium, nil Catonem, & fuere senes. Sed sunt fateor sapientes regibus rariores. Itaque si rex Euander fuit sapiens non æque sane illud Euandri suspirium iam commune nostris est senibus vulgatumque. Surdam stulti senes, & profugam adolescentiam reuocant, ac suspirant, nec suspirijs tantum, seu tacitis votis, sed medicaminib. irritis, atque inani artificio naturæ vis affertur indomitæ, qua in re facete admodum lusit Hadrianus princeps canescenti cuidam cui aliquid negauerat, eundem postea ad easdem partes medicamine tincto crine redeuntem ita repulit. Vade, inquit, hoc iam patri tuo negaui. D. Senui. O si mea nunc redeat iuuentus. R. Reuersuram modo illam dixi, iam reuersam dico. Si tam facile votorum omnium compos fias, nihil incassum voles, pauper certe diuitias optare potest, libertatem seruus, speciem deformis, sanitatem æger, fessus requiem, exul reditum. At iuuentam optare verus senex nequit, Puerile potius votum est. D. Senui, heu cur tam cito dulcis me iuuenta deseruit: R. Nunquam non cito deseruit, quod iuuabat, nunquam non propere affuit, quod angebat. Vanum autem exoptare quod haberi nequit, nociturque habitum, & si redeat nociturum sit, sed iam parce suspirijs dum hoc animo fueris cito canus fieri poteris. senex nunquam: desideriū enim iuuentutis in sene quid est aliud, quam quædam puerilis senectus? D. Senui, incuruatusque sum. R. Iam iam terram aspice, vnde venis, & quo pergis cogita, hinc egressus, huc redis. Natura te principij, simulque finis admunet. Poteras aberrare, publicum tibi iter ostenditur, sane id quidem est satis ingredi: vel curuatus intende. Solent cœci in viam manu retrahi. S. Subito senui, R. Immo sensim, pedetentim, paulatim, leniter, sed nihil cogitationib. omnia subito eueniunt, sicut e contra cogitantib. oīa nihil est subitum, quod si flenda tibi fuerat senectus, singuli dies vitæ flendi erant. Illis n. passib. ad hunc terminum ibas. D. Heu senui: R. O votorum instabilitas: Huc maxime anhelabas, huc peruenire optabas, huc non posse pertingere formidabas, quo cum peruentum esset ingemiscere, nostrum incredibile, nisi tam crebrum esset, senes fieri volunt omnes. senex esse vult nemo, immo vero senex esse ad miseriam, senes dici ad iniuriam trahunt, quasi sit probrum senuisse, quod profecto nullis videri debet, nisi quib. dedecus sit vixisse, quæ ingens non inficior turba est, cui te tamen exemptum esse oportet, vt nostro colloquio frui possis. Alioqui vt aurib. illabantur sana consilia, in animum non descendent. D. Tandem senui. R. Et quos ager, & quos æquor, & quos bellum, & quos alea decipit singula detrimenta dinumerat, tu vnus in finem expergisceris, & tu queri incipis, dum iuxta est quæ celatum finis omnium. D. Senui. R. Stultum est senectutem non cogitare, nisi cum venerit. Nam profecto si venturam, si assidue venientem prospexisses, præsentem imperturbatus aspiceres. D. Heu mihi iam senex sum: R. Hoc ne igitur defles? Durum ac difficile munus implesse, dumosumque iter ac scrupeum transisse: atque inamœnam hanc fabulam peregisse? Atqui comico more plaudendū erat. D. Senex sum. R. An oblitus es, vt nuper tibi perfamiliariter notus vnus modernorum sententiam rei huius ex tempore protulit non modernam, sed antiquis parem. Amico enim dicenti, compatior tibi, nam vt video iam senescis, esses velnam qualis eras quando te primum noui, subito ille respondit, Parum ne tibi ergo amens videor, nisi ampliorem mihi nunc etiam amentiam imprecaris? Noli quæso mihi compati. quod sim senex, sed compatere quod iuuenis fui. O quantum sensum regit breuis illa responsio, quod metiri nequit, nisi qui ætatis huius bona probauerit, & illius mala meminerit, bono tuo igitur gratulare. Quamquam illud quoque verum sit, quod sæpe bona in-

nitis

uitis eueniunt, & mala nol:nib. Viro aũt bono & virorum amico, & passionum hosti pluris est haud dubie dies vnus, huius ꝙ accusas temporis integer, quam illius alterius integer annus. D. Heu mihi: nam senui. R. Iam si perlitas tibi quinq; cum vulgo iure diceres non senuisse miserum, sed vixisse, ita vt hæc sub uitæ finẽ tam inepte diceres. Parcite aũt iam lamentis querulum genus, & volentes ite sub impetium naturæ. Nihil flendum ꝙ illius immortalex statuit, quid naturale aũt magis homini nato, quam viuentem senescere, senem mori? At vos conditionis immemores vtrumq; respuitis, cũ vel alterum vel vtrumq; necessario obeundum sit. Quod si neutrum volebatis, & tertio abstinendum erat, nascendum mihi credire non fuit. Patimini senescentibus statim membris animos aliquando senescere, neq semper iu vobis prouerbium vetum sit, posse vnum animum corpora multa consumere, finire sine murmure corpus simul, atque animum ad extremum ferri, simul intrauere, simul exeunt, neque altero ad metã properante alter retrorsum niti velit, alterumq; retrahere, frustra tergiuersamini, ire oportet, nec redire licet nec subsistere. Idque vobis facilius debet esse immortalitatem animæ & corporis instaurationem expectantib. quam cæteris quibuscunq, quibus vel horum alterum defuit vel vtrunque. Frustra, inquit, oblectamini humanumq iugum ꝙ nascendo subijstis excutitis. D. Senui & vires corporis imminutæ sunt. R. Si auctæ sunt vires animi bene est, feliciter permutasti. Maiora.n. gesta esse semper geri posse animi virib. quam corporis nemo nisi animi inops est, qui nesciat. Sin vires ẽt animi (vt sępe accidit) per ignauiam decreuere: fateor inutiliter vixisti, tuum crimen, non ætatis. D. Senui & res meas agere nequeo. R. Si quid animo est agendum, tanto id sene melius fieri constat, quanto & experientiæ illi plus est, rerumq. notitiæ, & passionũ minus ac malis vinculis expeditior animus. At res alias non agere senem decet, sed egisse, cui corporeus labor oĩs a tergo est, cui si nunc ẽtiul.æret, nec aut illi vult ridiculum illud antiquum renouat Romani senis, qui iussus a principe fori laborib. abstinere, quorum ferias imbecillis hinc ætas, hinc fortuna opulens merebatur, sic indoluit, vt se quasi mortuũ fleret, atque ab omni familia fleri vellet: mirus senex, qui quietem ceu speciem mortis horreret, cum nihil seni aptius quiete, nihilque sit turpius sene laborioso, ac sollicito, cuius vita oĩs tranquillitatis exemplar esse dẽt. Didicisse & potes a philosophis, quid est illud quamq, optabile senib. bonis viuere, vita vt memorant, peracta, qua maxima tñ pars mortalium ineaplera moritur? D. Senui & repente fuit ætas mea. R. Forma, valetudo, velocitas, vires vestra fere oĩa fugiunt, virtus manet, nec cessura senio, nec morti. Illi vni bono stabili ab initio insistendum erat, sed neglectum difficilius fuit ad extremum fateor, sed virtutis studium nulla ætas respuit, immo quo difficilior, eo clarior virtus, multi nosse seipsos ac sapere vix tandem in senio cępere, serum quidem at intempestiuum minime: & si enim non iam vitæ definendi, at instãti saltem morti vtile. Cur hercle vna horæ, vt sine horrore, mœstitiaq; transigi posset, si non vltimum modo sed totum vitæ tempus impenderetur, bene (nisi fallor) impensum esset. Nã nec frustra nascitur qui bene moritur, nec inutiliter vixit qui feliciter desijt. D. Senui, iam vicina mors est. R. Mors æque orbus vicina esse põt, & sæpe ibi quoq; vicinior est vbi vr̃ aolentur. Nemo tam iuuenis qui non possit hodie mori. Nemo tam senex, qui nõ possit annũ viuere. Si nihil aliud q̃ senectus incidat. D. Prorsus senui. R. Imo maturuisti, an hoc ueties? an poma cũ maturuerint quererentur si sensus illis ac sermo datus sit, & non potius gratularentur se ad id peruenisse ad ꝙ orta erant? Est vt cæterarum rerum, sic ætatis maturitas quædam, quæ senectus est, ꝙ vetra esse videas, & ætas & mors iuuenum acerba quidẽ & dr̃ & acerba est. Acerbitati aũt obiecta maturitas. quæ cum in pomis, ac frugib. bona sit, quid nisi in hoie sit optima, non ꝙ nesciam antequam maturescant multa marcescere, ea vero non ætatis culpa, sed pauersitas est naturæ, non quidem oĩum, sed multorum, qui ad bonum non magno nisu in aduersum tendunt. Maturuisse igitur debes, si quid in te succi nobilis fuit. Iam messoris tui manum securus expecta. Non mors illa q̃ metuis, sed laborum finis, ac principium vitæ est, non mors, in qua, sed difficilis vitę terminus, ad quẽ pauci tranquilla nauigatione perueniunt, sed pene oẽs nudi flentes, ac naufragi. Tu per mediam senectutem leue iter in finẽ prospero agens vento ẽ multis rerum fluctib. portum subis. Subducenda iam fessa puppis in terram tibi, & quocunq; flexeris de fine cogitandum, idq; vtilius fuerit quam ætatem bonam (quod stulti solent) & naturam matrem optimam accusare.

Apophthegmata.

Bion. Senectutem dicebat portum esse malorum; quod omnes huc confugerent, sperantes miseriarum finem. Mori autem vnicuiq, in promptu est. Id ethnici quidem existimabant esse præclarum. Christiana pietas docet esse nefarium scelus. *P. M. Laert. l. 4. c. 7. Cæterum Ant. in Meliss par. 2. serm. 57. & Max serm. 41. alij Soloni ad scribunt.*

Idem iocebat, nulli exprobandam esse senectutem, ad quam omnes optant peruenire. Absurdum.n. est alijs probro date, quod quis optat sibi contingere. *Laert. lib. 4. cap. 7.*

Zenon dicebat, turpe esse seni, aut prospicienti senectutem, ex commentario sapere. *Senec. epist. 33. qui alibi ait*, turpis & ridicula res est elementarius senex.

Cleanthes interdum, cum foderet, solebat seipsum increpare. Id forte admiratus Ariston: Quem, inquit, increpas? Tum Cleanthes ridens: Senem, inquit, qui canos quidem habet, sed mentem nõ habet. Seipsum innuens, *Laert lib. 7. c. 2.*

Eratosthenes vigentem ætatem Veri comparabat, declinantem æstati & autumno, senecturem hiemi. *Stob. serm. 113.*

Democritus, senecturem omnimodam imperfectionem esse, dicebat, eo quod omnia habeat, & omnibus indigeat *Stob. ser. 115.*

Diogenes, percontanti, quis esset in vita miserrimus? Senex, inquit, egenus. Siquidem vbi naturæ præsidia destituunt hominem, externis rebus fulcienda est ętatis imbecillitas *Laert. l. 4.*

Phauorinus dicebat, Pythagoram & Platonem sensisse, senectutem non esse finem curriculi huius terreni appellandam, sed potius beatæ vitæ initium. *Stob serm. 154.*

Theodectes dicebat, senectutem & nuptias res esse similes. Vtramq; enim (inquit) õsequi desideramus: postquam vero nacti sumus, tristamur. *Stob. serm. 66.*

Euripides. Archelaus rex opiparum lautumque conuiuium amicis suis parauerat, cumq in eo conuiuio Euripides proxime sibi assidentem Agathonem tragicum poetam iam senem, se plurimum amare diceret, Agesilao interrogante, cur amandus esset homo senex? Per Iouem, inquit, Ver non solum est bonorum optimũ, verum etiam autumnus. Comparat autem florentem iuuentutẽ verno tempori, quo omnia sunt in herba: senectutem autem autumno fœcundissimo. *Ælian. l. 11. de var. hist.*

Agesilaum regem cum quis interrogaret, cur per acrem hiemem solo pallio rectus obambularet absque tunica homo tam prouectę ætatis? Vt inquit, iuuenes hanc vitæ rationem imitentur, cum exemplum habeant & extremæ senectutis hominem, & principem. Sapienter admonens, senibus ita viuendum esse, vt adolescentibus exhibeant recte viuendi formam: & vulgus nihil imitari libentius, quam quod à viris principibus conspexerint factitari. *Plut. in Lacon.*

Alexander, cum senem quendam capillos inficientem vidisset, dixit: Non capillos, sed genas tinge. *Max serm. 41.*

M. Cato. Cũ senectuti adsint multa probra, dicebat non esse addendum malitiæ dedecus, sentiens, senectutem multis nominib. vulgo male audire: veluti cum audit, deformis, edentula, luxiosa, imbecillis, obliuiosa, indocilis. Hæc ferre satis est, vt non accedat crimen improbæ vitæ, quod omnibus quidem fędum, sed seni fędissimum. Alij narrant hoc ab illo dictum in senem obuium vitæ contaminatæ: Ne ætatis tuæ malis addas turpitudinem. *Plut. in Rom. apoph.*

Fridericus Imp. Cum in vrbe quadam præfectum, senem admodum, & ætate iam imbecillum dedisset, non defuerunt adolescentes, qui sibi præfecturam loci committi peterent. Cum igitur senem amouendum dicerent, Fridericus dixisse fertur: Senem amicum oppido, non amico oppidum commendamus, sentiens, dignum esse, vt senex iam à ciuibus ad mortem vsque foueretur. *Æn. Sil. lib. 4. de reb. gest. Alphonsi.*

Chilon Ausonius Chiloni hanc tribuit sententiam: Optabilem esse senectutem iuuenilem, molestam vero iuuentutem senilem. Maxima malorum pars, ob quæ male audit senectus, a vitijs hominum proficiscitur: habet autem ea sese nonnulla commoda, plurimarum rerum vsum, ac memoriam, consulendi facultatem, reuerentiam & authoritatem, hæc si adsint commoda, absintque incommoda, senectus optabilior est multorum iuuentute, vitijs & inertia marcente. Videas autem in nonnullis iuuenib. senilem imbecillitatem, senilem somnolẽtiam, senilem ignauiam, senilem morositatem: horum iuuentus peior est senectute. Nam cum senecta carent, senio tamen abundant. Ausonianі versus sic habent.

> *Grata senectus homini, quæ parilis iuuentæ:*
> *Illa iuuentus gratior, quæ similis senectæ.*

Cleanthes ad quendam contumeliæ causa obijcientem senectutem: Et ego, inquit, abire cupio: verum vbi reputo me omni ex parte sanum, siue legendum est, siue scribendum, rursum maneo. Significans, se quidem haudquaquam esse vitæ cupidum: verum ob senectutem neminem debere a vita decedere, donec vires suppetunt ad vitæ munia. *Laert. lib. 7. c. 2.*

Gorgias centesimum septimum agens annum, rogatus, quare tamdiu vellet in vita manere? Quia nihil, inquit, habeo quod accusẽs senectutem. *Cic. lib de senectute.*

Sophocles, iam extremæ senectutis, a filiis accusatus est dementiæ. At is pro apologia iudicibus recitauit tragędiam, quam proxime scripserat, rogans, num ea videretur delirantis. Fertur & hoc dixisse: Si sum Sophocles, non deliro: si deliro, non sum Soqhocles. Senuens, io eruditis ac sobrijs animi vim non elanguescere, sed

reui-

reuirescere potius vsu & exercitatione. *P.M.lib.. apoph.ex Cicerone.*

Cyrus apud Xenophontem moriens extremæ iam senectutis, negabat, se vnquam sensisse senectutem factam imbecilliorem, quam fuisset adolescentia. Maxima pars incommodorum, ob quæ vulgo male audit senectus, ab intemperátia vitę proficiscitur. *Bruss. lib.6.c.7.*

M. Crasso quum Parthi per legatos renunciassent, vt suæ ætati consuleros a bello abstineret, insolenter respondit: In Seleucia istis mandatis responsum dabimus. Hic Agisis, legatorum vnus sublata manu mediam palmam ostendens: Prius, inquit, in hac manu nascentur setæ, quam tibi Seleuciam conspiciendi sit futura potestas. *Plut. in Crass.*

Crasso conflicturo cum Parthis, exta è manibus deciderunt, hoc cæteris vt inauspicatum ostentum interpretantibus, ac prælium dissuadentibus: Huiusmodi, inquit, incommoda multa nobis senectus adfert. At arma mihi nunquam è manibus cadent. *Plut.*

Considius, Cæsare consulatum assequuto, adiuuantibus Pompeio & Crasso, quum omnia pro libidine gererentur, ac pauci senatores in Curiam conuenissent, Considius quidam natu pręgrandis, idcirco non venisse senatores dicebat, quoniam illius arma militesq; pertimescerent. Cui Cæsar: Quin tu, inquit, hoc quoq; reformidans domi te non cōtines? At Considius: Senectus, inquit, me facit intrepidum. Quum.n. vitæ pauxillum supersit, non est, cur magnopere sim sollicitus. *P.M.l 4. apoph.*

Pollio Romulus, qui centesimum excesserat annum, Augusto percontanti, qua tandem ratione illum corporis animique vigorem seruasset? Intus, inquit, mulso, foris oleo. Tradit Plinius, naturam hominibus duos dedisse liquores optimos, oleum foris adhibendum corpori, vinum intus. Mel autem ob humidam calidamque vim, admodum senibus accommodum est. Nunc mel in totum a mensis submouemus, & oleum corpori infundimus. *P.M. lib.8. apoph.*

Isocrates: Senectus, ait, adeo morosa & querula est, & pro minimis rebus anxia, vt iam sæpius meam ipse naturam culpauerim quá aliorum nemo contempsit. *Eod serm.*

Demonactis seni crura intumuerant, Id videns quidam: Quid isthoc, inquit, mali est, Demonax? Tum ille: Charon, inquit, me momordit. Pro cane dixit Charontem, innuens, senectutem morti vicinam. *P.M.lib.8.apoph.*

Alexis, cuidam videnti ipsum iam senio fessum ægre lenteque incedere, ac roganti, quid ageret? Paulatim, inquit, morior, siue pedetentim morior: significans, senes non viuere, sed lente mori. *Stob serm.115.*

Iosephus, Ptolomæo Oniam accusanti: Veniam, inquit, quæso præsta: non enim te latet, senes, puerosque eandem mentem habere. *Bruss.l.9.c.7.*

Chilon dicebat, honorem a iunioribus habendum senectuti: vt ipsi facti senes ab alijs habeantur in pretio: Ea res geminam habebat vtilitatem: Siquidem vt seorum authoritas ac reuerentiam temperabat ætatem lasciuam a peccando, ita senes cauebant, ne quid committerent, quo iuuenibus vel ob ineptiam ludibrio possent esse, vel ob turpitudinem pernitiosi: sed inter omnes iuuenes, omnesque senes ea esset reuerentia, quæ inter parentes ac liberos. *Laert.lib.1.c.4.*

Anonymus quidam profectus Lacedæmonem, quum vidisset honorem, quem iuniores præstant seniorib. In sola, inquit, Sparta expedit senescere. Paupertas onus est & miserum. & graue, vt ait Comicus: sed in hoc molestiarū maxima pars est, quod homines facit etiam ridiculos, vt ait Satyricus. Sic inter incommoda, quæ fert ætas ingrauescens, non minima pars est, quod senes fere cōtemptui sunt, ac ludibrio. Proinde Sparta visa est multis honestissimum virtutis domicilium. *Plut. in Lacon.*

Anonymus Senex in Olympijs cupidus erat spectandi certaminis, quod agebatur. Sed quum nulla vacaret sedes, ad varia loca sese conferens, ludibrio erat, ac scommatis petebatur, quod nullus eum exciperet, vt vero peruenit ad Lacedæmonios, ibi non solū pueri omnes assurrexerunt, verum etiam viri multi cesserunt illi locum. Id factum quum cæteri Græci, quotquot aderant, plausu comprobassent, patriumque morem supra modū collaudassent: senex

> *Concutiens canasq; genas & tempora cana,*
> *Ac fusis lachrymis.*

Heu miseriam, inquit, vt omnes Græci norint, quid sit honestū, sed soli vtuntur Lacedæmonij. *P.M ex Plut. in Lacon.*

Alexander, quū hieme duceret exercitū, assidens igni recognoscere prætereuntes copias cœpit, quumq; videret senem quendā horrentem frigore, & ad ignem stantem, considere loco suo iussit, ci... Si in Perside natus esses, in regia sella sedere tibi capitale foret, in Macedonia natio, conceditur. *P.M. lib.4. apoph. ex Curtio.*

Solon, Quum Pisistratus occuparet Remp. resq videretur ad manifestam spectare tyrannidem, neque quisquam auderet illius conatib. obsistere, Solon productis armis & ante ædes positis, cœpit inclamare ciues: at vbi Pisistratus ad illum mitteret, qui percontarentur, qua re fretus hoc auderet, Senectute, inquit. Alios senectus reddit formidolosiores: illi conciliauit audaciā, q paū vitæ superesset, etiamsi occideret. *Ita Plutarchus in commentario: An seni sit gerenda Respub. Diogenes Laertius rem aliquanto fusius narrat lib. 1. meminit & Cicero in Catone Maiore.*

Cesellius, cum triumuiris non obtemperaret, & multa libere de Cæsaris temporibus loqueretur, admonentibus amicis, vt sibi caueret: Duæ, inquit, res sunt, quæ cæteros reddunt formidolosos, mihi autem maximam suppeditant fiduciam, senectus & orbitas. Senex cito periturus est, etiamsi nemo occidat. Et orbus nec habet quos curet, nec habet pro quibus timeat. Solet enim vltra liberos propagari. *Val. Max. lib.6.c.2.*

M. Castritius, Placentiæ magistratum gerens, Cn. Carboni consuli iubenti decretum fieri, quo sibi obsides a Placentinis redderentur, non paruit, atque adeo minitanti dicentique, Multos habeo gladios: respondit, Et ego annos: Declarans, senectutis præsidio fretum, non metuere gladios. *Val. Max. l.6.c.2.*

SIMILITVDINES.

Olympiodori. Rationem tui habeto ante obitus diem, antequam tibi sol obtenebrescat, & luna, & stellæ: huiuscemodi enim tenebræ vnicuique contingunt in extremo vitæ obitu. Tu itaque curato salutem tuam, priusquam in aquam terramq; soluaris. Corpus enim hoc nostrum, quod veluti nubes quædam videtur animæ superincumbere, ac superpositum esse, defunctis nobis in similia elementa resoluitur, aquam scilicet atque aerem: In ipsa etiam mortis die domus, hoc est, animæ custodes commouentur, & obliquum declinant, ac remittuntur. quæ prius rectæ ac intēsæ fuerant rationis vires, quæ hoc loco vitia fortitudinis nuncupantur: dolent enim ac conturbantur in ipso formidabili a corpore nostro exitu. Possunt & custodes domus intelligi, corporis nostri materiales oculi ac sensibiles, qui in mortis articulo contuendi vires extingui sentiunt. Tunc etiam molentes otiosi fiunt, hoc est, dentes ipsi ac molares, qui inditos ori cibos molunt atq; comminuūt: non quod prorsus numero pauci fiant, sed quia ad paucitatem virtutis officijque deueniant: Pupillæ quoque oculorū, quæ veluti per foramina quædam prospiciūt, tenebris obducuntur, cum meatus omnes & operationum viæ, quibus vsi sumus in vita, penitus occludūtur: incipit enim tūc homo tenui vocis filo ac infirmo loqui, & cum in extremo respirat, voce vix ægreque per dentes resonante. Prius itaque quam te hæc mortis i. commoda comprehendant, cura, vt in officio sis, opereturq; virtutem. *In Eccl. c.12.*

Antiphanis: Vita nostra persimilis est vino, cū superest modice, acescit. *Apud Stob serm. 113.*

Plutarchi. Ibin, aiunt, vbi consenuit, iamque quod erat turbidum, expirauit, magis aromatice olere: sic gloria senum tranquillior, & consilia sedatiora. *In Moral.*

Vt gaudent, qui à furiosis dominis aufugerunt: Sic gaudere debent senes qui ætatis beneficio libidine non infestantur. *In Moral.*

Vt cantor senex non omittit artem, nec abijcit lyram, sed lemiores sequitur harmonias, & vocis fugitat contentionem, iuuenibus aptiorem: Sic in senectute non oportet a Republic. prorsus desistere, sed eligere negotia remissiora, quæ conueniunt ætati. *In Moralibus.*

Nouella vitiis copiosius gignit vinum, sed vetustior melius: Ita plura loquuntur iuuenes, sed vtiliora senes. *In Moral.*

Vt adolescentem in quo senile est aliquid: sic senem, in quo adolescentis probi est aliquid, laudamus. *ibid.*

Vt petulantia & libido magis est adolescentum, quam senum: nec tamen omnium adolescentum, sed non proborum: Sic ista senilis stultitia, quæ deliratio appellari solet, senum est leuium, non omnium. *ibid.*

Vt adolescentibus bona indole præditis sapientes senes delectantur, leuiorque fit eorum senectus, qui à iuuentute coluntur, & diligūtur: Sic adolescentes senum præceptis gaudent, quibus ad virtutum studia ducuntur. *ibid.*

Seneca. Quemadmodum in naue, quæ sentinam trahit, vni rimæ aut alteri obsistitur, vbi plurimis locis laxari cœpit & cedere, succurri non potest nauigio dehiscenti: Ita in senili corpore aliquatenus imbecillitas sustineri & fulciri potest, vbi tanquam in putri ædificio oīs iunctura dilabitur, & cum alia excipitur, alia discinditur, circumspiciendum est, quomodo exeas. *l.2. epist.30.*

Adspice illos, qui non aliter, quam quibus difficilis somnus, versant se, & hoc atque illo modo componunt, donec quietem lassitudine inueniant, statum vitæ suæ formando, subinde in eo nouissimo manent, in quo illos non mutandi odium, sed senectus ad nouandum pigra deprehendit. *Apud P. M.*

Plinij. Vti crocomas nemo aduenire sentit, sed aduenisse: nemo discedere, sed discessisse, quod noctu clanculumque fiat ant vtrumque: Ita iuuentutem nemo intelligi discedere, sed discessisse.

fisse: & senectē non sentimus aduenire, sed aduenisse. *lib.10.c.13.*

Hugonis Philonis. Clanculum ipsa subrepit senectus, in quam cōfluit, quicquid habet infelicis & incurabilis mali natura. Et nisi quis protinus velut æs alienum reddat vitam, natura ipsa more fœneratricis instat, & exigit pignora: ab hoc visum, auditum ab illo, & sæpe vtrumque. Quod si pertinacius resistit, dissoluit, mutilat, exactuat. Nonnulli ad extremam quidem ætatem vigēt, sed bis pueri tandem, iuxta prouerbium, consenescunt. *in Titiano, vel de scientia bene moriendi.*

P.M. Vt orbium diuersus in contraria nisus motum omnium temperat: Ita senum cunctatio iuuenum in Repub. feruorem ac præcipitantiam moderatur. *in simil.*

Vt a currente flumine tantum habes, quantū hauris: ita ex annis semper euntibus nihil accipis, nisi quod in res duraturas collocaris. *in simil.*

Themist. Pueros insolescere absente præceptore, est leuioris insolētiæ, sed iam iam ipso imminente, argumentum contemptus & malitiæ: Itidem Deus grauius punit desipientem adhuc senectutem, quam subnascentem iuuentutem. *in apoph. 70.*

ADAGIA.

Vno die consenescere. οἱ δὲ ποθοῦντες ἐν ἤματι γηράσκουσι, *Theoc.*

Verum quos amor angit, in vna luce senescunt. Quadrabat in eos, qui amore, odio, inuidia, similiue affectu laborant, aut grauiore aliqua animi cura pressi, ante tempus canescunt.

Ephemeri vita. Ἐφημέρου ζωή.

In eos qui statim moriuntur aut pereunt.

Ergini cani, *siue* Ergini canities. Ἐργίνου πολιαί.

De canitie quoque dicitur præpropera. Sed festiuius iacitur per ironiam in senes iam canos, qui tamen iuuenes etiam dum videre volunt.

Stopa seniculus. Στωπὸς γερόντιον.

Dicitur de sene viribus effœto.

Mala senium accelerant. *Homer. Odyss.* τ. αἶψα γὰρ ἐν κακότητι βροτοὶ καταγηράσκουσι.

Quippe repente homines curisq; malisq; senescunt.

In eos quadrabit, qui multis laboribus atque malis exerciti, ante diem senescunt.

Effœta senecta.

Quod in Odyss. λ. dictum est de mortuis, id ad hominem ob longæuitatem iam defectum viribus accommodare licebit, aut saltem qui consternetur animo.

Οὐ γὰρ ἔτι σάρκας τε καὶ ὀστέα ἶνες ἔχουσι.

Nam iam non neruis carnes atque ossa cohærent.

Senum prudentia.

De senibus quidem attamen ob rerum peritiam non idoneis ad negotium aliquod conficiendum, apte dicetur illud Homeri:

Καὶ πολλοὶ περ ἐόντες ἀναγκαίως πολεμισταί.

EXEMPLA BIBLICA.

Senectutis *exempla:* Abrahā, Sara, *Gen.* 18.11. & 24.1. Loth, 19.31. Isaac, 26.1. & 35.29. Iacob, 44.20. & 48.10. Iosuah, *Ios.* 29. v. 1. 2. Gedeon, *Iud.* 8.32. Senex in Gabaa, 19.16. &c. Noemi, *Ruth.* 1.12. Eli. 1. *Sam.* 2.22. & 4.18. Samuel, 8.1. & 12.2. *Isa.* 17.12. Beraellai, 2. *Sam.* 19. v. 31 32. Dauid, 1. *Reg.* 1.1. *Paral.* 23.1. Salomon, 1 *Reg.* 11.4. Propheta quidam, 13.11. Asa, 15.23. Ioiada, 2. *Paral.* 24.15. Tobias senior, *Tob.* 13.1. Iob, *Iob.* 42. v. 16. 17. Simon, 1. *Mach.* 16. v. 2. 3. Zacharias. *Luc.* 1.18. Paulus. *Philem.* v. 9. Ioannes, 2. *Ioan.* v. 2. & 3. *Ioan.* v. 1.

HIEROGLYPHICA.

Superuacuum videtur, per *Canos* senectutem, locorum vbique significatam, dicere: sed illud commemoratione non iniucundum fuerit, quo in hanc sententiam ostenta olim præmonstrauere. *Galba* siquidem, eum is prouinciam Hispaniam Tarraconensem ingressus sacrificaret, intra ædem publicam accidit: vt puero è ministris acerram tenenti, capillus repente toto capite canesceret: quod rerum mutationem significare Aruspices respondērūt, successurumque iuueni senem: nam is Neroni alterum & 30. nato annum septuagenario maior successit. *Pier. Val. lib. 32 pag.* 301, C. & 302. D.

Amygdali arboris hieroglyphicum in diuinis literis accipitur pro *Canitie*, quæ manifestū est senectutis indicium. Fertur ad hanc sententiam locus apud Salom. ad calcem Ecclesiastæ. *Florebit amygdalum, & pinguescet locusta, & dissipabitur capparis, atque hæc incepta- bunt, homine iam in domum æternitatis suæ profecturo,* hoc est, vt est apud Eucher. Canescet homo, tumebunt pedes, & concupiscentia frigescet. *Pier. Val. lib. 52, pag.* 501. C. & 502. D.

SENSVS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Sensus Græc. αἴσθησις, & αἰσθητός, οῦ, ὁ. sensibilis dicitur. Est autem sensus potentia passiua. *sec. B. Thom. 1. par. q. 76. art. 3.* sensus exteriores sunt tantum quinque, secundum modos immutationis ab obiectis, scilicet visus, auditus, olfactus, gustus, & tactus. *sec. B. Thom. 1. par q 78. art. 3.*

Sensus interiores, *secund. Arist.* sunt tantum quatuor, secundum quatuor modos operationum, scilicet sensus communis, imaginatiua, æstimatiua in aliis animalibus, siue cogitatiua in homine, & memoratiua, sensitiua: licet sint quinque. *sec. Auicennam*, scilicet sensus communis, imaginatiua, phantasia, æstimatiua, & memoratiua, sensitiua, *secund. eund. 1. par. q 78 art. 4.* De his sensibus tam interioribus, quam exterioribus. vide supra in arboribus animæ. A sensu dicitur sententia, de qua infra.

Sensibile proprium est, quod non contingit altero sensu sentiri, & circa quod non contingit errare. *secund. Arist. lib. 1. de anim.*

Sensualitas dicitur a sensu, est vis appetitiua sensitiuæ partis. *secund. B. Thom. 1. part. q. 81. art. 1.*

Sensualitas proprie nominat potentiam appetitiuam tantum. Sensibilitas vero comprehendit omnes vires sensitiuas, s. apprehensiuas & appetitiuas. *secun. eund. 2. sent. dist. 24. q. 2. art. 1.*

LOCI BIBLICI.

Sensus carnis pro humano iudicio, *Coloss.* 2.18. sensus piorum qualis, 1. *Ioan* 5 20. sensum Christi tenet Paulus, 1. *Cor* 2.16. sensum Dei nemo nouit, *Rom.* 11.34. non sensu at malitia pueri simus, 1. *Cor.* 14.20. in sensu abundet vnusquisque, *Rom.* 14.5. sensuum humanorum imbecillitas, *Luc.* 24.16.

SENTENTIÆ PHILOSOPHICÆ.

Sensus quædam est commutatio: & nihil sensum habet, quod non sit anima præditum. *lib. 2. de anim c. 4. T. 37.*

Vbi sensus est, eum dolor & volupras consequuntur. *lib. 2. de anim. c. 2. T. 21. & 3. T. 27.*

Duobus modis sensus dicitur: quorum vnus vis & facultas est: alter actio quædam. *lib. 2. de anim. c. 5. T. 53.*

Sensu aliquid percipere, est aliquo modo affici ac pati. *lib. 2. de anim c. 11. T. 118.*

Sensus est id, quod vim habet accipiendi, sine materia formas & species rerum sub sensum cadentium. *lib. 2. de anim. c. 12. T. 121.*

Omnes sensus in iis animantibus, quæ non imperfecta sunt nec debilia, reperiuntur. *lib. de anim. c. 2 T 131.*

Sensus semper verus est eorum, quæ sunt eius iudicij. *lib. 3. de anim. c. 3. T. 152.*

Sensus munere suo fungi non potest, postquam res, quæ vehementer sensum mouet, incidit. *lib. 3. de anim. c. 4. T 7.*

Nullum corpus, quod locum de loco mutat, animo sine sensu est præditum. *lib. 3. de anim c. 12. T. 62.*

Sensu ipso, animalis naturam a non animali distinguimus. *lib de sens. c. 1.*

Vno sensu duo res percipi non possunt, nisi inter se misceantur. *lib. de sens. c. 8.*

Sensu nec futura, nec præterita cognoscimus: sed modo præsentia. *lib. de Memor. c. 1.*

Sensus prouenit a corde: & sentire partes tantummodo possunt, quæ sanguinem obtinēt. Sensus etiam exquisitiores per partes, quæ sanguinem habent sinceriorem, absolui necesse est. *lib. 2. de partib. anim. c. 10.*

Quæ ante suas sensorias partes, productiores veluti aquæ ductus possident: hæc procul sentire possunt. *l. 5. de gener. animal. c. 2.*

Sunt sane sensus, qui plurimi habeantur, & supra quos nullū adesse alium generis sui nouerimus, numero quinque: visus, auditus, olfactus, gustus, tactus. *lib. 4 de hist anim. c. 8.*

Quæ sensu percipiuntur, intereunt, mouenturq; omnia. *lib. 8. 2. Metaph. c. 4 T. 12.*

Solent manum iniectantibus fatis sensus hominum hebetari & obscurari. *Am. Marcell. lib. 14.*

Largitionis, prædæ, & priuati dulcedine commodi, sensus publicorum malorum adimitur. *Liuius Decad. 1 l. 1.*

SENTENTIA.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Sententia, Græc. γνώμη, ... & διανόημα animaduerto dicitur. Est autem sententia determinata acceptio alterius partis contradictionis. *secund. B. Thom. 3. sent. dist. 23. q. 2. art. 2.*

Sentire, vnde sentētia deducitur, proprie est sensu percipere, quod ad corpus duntaxat pertinet, vnde quinque corporis sensus sunt appellati, de quibus supra. Interdum sentire ponitur pro intelligere. Nonnunquam iudicare. Hinc etiam sententia deriuatur, quæ & sic definitur.

Sententia est iudicialis definitio, quæ controuersiis finem imponit, pronunciatione competentis iudicis, condemnationem vel absolutionem continens. *secund. Gofred.*

Sentētia est appellatio iuris ad particulare factum. *secund. B. Thom. 1. 2. q. 96 art. 1*

Sententia est non de singularibus, sed de vniuersalibus enunciatio: nec de omnibus vniuersalibus, sed de quibuscunque operationes sunt, quæ ad agendum eligenda vel fugienda sunt. *secund. Aristot. lib 2. Rhetor.*

Sententia est æqui & boni viri iudicium rectum. *Arist. 6. Ethic. c. 11.*

SENTENTIAE PHILOSOPHICAE.

Sententia, perspicacia, prudentia, & intellectus, ad eosdem referentes dicimus: habitus enim omnes sunt ad idem tendentes: omnes enim hæ facultates vltimorum sunt, & particularium. *ibid.*

Sententia est pronunciatum non de singularibus, sed de vniuersalibus: nec de vniuersalibus omnibus, sed de his, quorum actiones sunt, eaq; persequimur, aut fugimus ad agendum. *Rhetor. 2.*

Sententiarum genera quatuor sunt: aut cum subiectione rationis, aut sine subiectione rationis: quæcunq; quidem confirmationem desiderant, sunt, quæ incredibile, aut controuersum aliquid continent, quæ nihil incredibile, sine subiectione rationis. Et harum quæ inferuntur, innotescunt: at quæ rationem subiectam habēt, aliæ partes enthymematis sunt: aliæ enthimematicæ quidē, sed non pars enthymematis, quę in primis quoque probantur: hę vero sunt, in quibus causa rei, quæ dicitur, extat. *Arist. Rhet.*

Sententiæ de incredibilibus aut controuersis non sine subiectione rationis ponendæ sunt: sed aut proponenda ratione sententiam pro conclusione adhibere oportet, aut hæc proposita priora subijcere, & etiam obscura, vt Laconica subijcienda. *ibid.*

Sententias de ijs rebus, quarum est peritus, grandiori natu dicere conuenit. *Arist. Rhet.*

Sententias & fabulas si adolescētes proferant, indecorum est. *idem ibid.*

Sententijs de re vniuersali in vniuersum dicere, in conquestione atque indignatione maxime conuenit, & in his, aut cum exordiris, aut postquam demonstraueris. *ibid.*

Sententiæ peruulgatæ & communes si sunt vtiles, vsurpandæ sunt: & aduersus ea, quæ in ore vulgi sunt, sententiæ proferendæ. *ibid.*

Sententiæ magnum ad dicēdum auxilium auferunt: vnum quidem propter vanitatem eorum, quam audiunt: quia lætantur, si quis in vniuersum loquens, in opiniones, quas ipsi in parte habent, inciderit. *Arist. Rhet. 2.*

Sententiæ morales reddunt orationes. *ibid.*

Sententiæ si probæ fuerint: etiam vt qui dicit bonis moribus videatur efficiunt *ibid.*

Sententijs vti debemus, & in narratione, & in fine. *idem Rhet. 3.*

Sententia est aduersus res omnes opinionis propriæ declaratio. *Arist. Rhet ad Alex c. 11.*

Sententiarum duo sunt genera: alterum credibile, alterum incredibile, cum incredibile dixeris, nullæ reddendæ sunt causæ, cū incredibile dixeris, causæ paucis dicendæ sunt, vt dicacitatē & incredulitatem fugias. *ibid.*

Sententiæ ex semper sunt afferendæ, quæ in rebus præsentibus quā consentaneæ, ne, quod dicitur inconcinnum & violentum appareat. Et eas multas faciemus, aut ex propria natura, aut ex super latione, aut ex similitudine. *ibid.*

Sententiæ a commendationibus differunt, quia ex solum ex contrarijs constant: sententias vero, & de repugnantijs, & simpliciter ipsas secundum se ostendere possumus. *Arist. Rhet. ad Alexand. c. 15.*

Sentētia in his versatur, quæ quomodo aliquis est, vel nō est, ostendunt, vel vniuersè enunciant. *idem de poet. c. 4.*

Sententias debet ostendere, soluere, perturbationes præparare: & exaggerare & diminuere. *ibid. c. 19.*

Sententia Aristotelis est minoris dubitationis omnium sententiarum, & magis conueniens, vt sit vera. *Auerr. in 12. met. tex. c. 18.*

Sententia est rationis decretum, quod secundum emergentes casus pro tempore & loco tunc est vltimum. *Alber. Mag. Ethic. 5. tract. 4. cap. 1.*

ADAGIA.

Palinodiam canere. Παλινῳδία.

Est diuersum ab his, quæ prius dixeris, dicere, atque in cōtrarium vertere sententiam. Plato. Sich selbst auff das Maul Klopffen. Vnder hinein liegen, was er zuvor beravss gelogen hatte.

Calculum reducere.

Est mutare factum, cuius te pœniteat, aut vertere consilium rei non satis commodè institutæ Cicero.

Vertere tela. Funem reducere.

Est in diuersum mutare sententiam. Persius.

Quæ dederam supra, repeto, funemq; reduco,

Horatius.

Nunc retrorsum

Vela dare, atque iterare cursus cogor relictos.

Consilium in melius commutandum.

Si quando mutamus mutare consilium, vtpote factum ac stultum, aut reprehendimus quippiam, vt inconsultè factum, vsui fuerit illud Homeri.

Τὶς τοίνυ θεῶν τι κατὰ ἐνὶ βουλήν

Εν θυμῷ ἔθηκε καὶ ἐ βάλε ὀπίσω ἐ θάλεε.

Quis tibi consilium submisit muneris tandem

Diuorum, sanamq, eximit pectore mentem:

Imitabor Nepam.

Imitari Nepam dicitur, qui retrocedit.

Reprehensio cogitationis.

Quum ipsi reprehendimus animi nostri consilium, aut cogitationem parum honestam, aut parum vtilem, locus erit huic Homeri versicule:

Ἀλλὰ τί ἦ μοι ταῦτα φίλος διελέξατο θυμός.

Sed mihi cur animus secum hæc in pectore versat?

Talum reponere. τὸ πτερὸν ἀναθεῖναι.

Dicebantur, qui quod parum ex sententia euenirat, curas, vt aiunt, posterioribus corrigebant.

Vide Philosophia, & Scientia.

SEPVLTVRA.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Sepultura, Græc. θάπτω, & θάπτω, sepelio dicitur. Hebr. *Kebhurah* sepultura, *Keber*, & *Kibhrah* sepulchrum, a verbo *Kabhar*, sepelit, occultauit sub terra, abscondit. Cognationem habet cum *RaKabh*, putruit: nam in sepulchro est putrefactio corporum: itē cum *Caphar*, forauit: quia in foramine terræ corpus mortui homini occultatur. Est autem sepultura locus concauus in loco ecclesiastico, vel cœmeterio factus, in quo corpus defuncti conquiescit. Vel sepulchrum est locus concauus, in quo ossa defunctorum conduntur.

Sepultura inuenta est, ne horror & fœtor sit viuis, & ad fidem resurrectionis futuræ. *ex D. Thom. 4. sent. dist. 15 q 2. art. 3.*

Sepultus non dicitur, quasi sine pulsu, vt quidam volunt, sed a sepeliendo. Sepelio vero a sepiendo, quia cadauer terra vel lapide, vel alio genere materiæ circumsepitur, sepultura modo ipsum sepulchrum significat, modo actum ipsum sepeliendi.

LOCI BIBLICI.

Sepelire mortuos opus misericordiæ, *Gen. 23. 19. & 25. 9. & 35. v. 19. 29. & 50. v. 5. 13. 25. Num. 20. 1. Deut. 10. 6. & 21. 23. Ios. 2. v. 4. 30. Iud. 1. 2. 7. 1. Sam. 25. 1. & 31. 23. 2. Sam. 2. 32. & 3. 32. 1. Reg. 2. v. 10. 31. 34. & 11. 43. & 13. 26. & 14. 31. 2. Reg. 13. 20. 1. Par. 16. 14. & 24. 16. & 35. 24 4. Esdr. 2. 23. Tob. 1. 20. & 2. v. 3. 7. & 4. v. 3. 18. & 8. 14. & 12. 12. & 14. v. 13. 16. Eccl. 7. 36. & 38. 16. Matth. 14. 12. & 27. 58. Ioan. 19. 39. Act. 13. 26. 1. Cor. 15. 4.*

Sepulchra concupiscentiæ. *Num. 11. 34.* sepulchrum Moysis ignoratur, *Deut. 34. 6.* sepulchra dealbata, *Matth. 23. 27.* sepulchrū Christi, *27. 57.* in sepulchra Prophetarum extruentes, *23. 29.*

PATRVM SENTENTIAE.

Nec aliquid nocet fidelibus, negata eorum corporibus sepultura, nec si exhibeatur, aliquid infidelibus prodest. *Aug. de cura agenda pro mortuis.*

Quibus peccata dimissa non sunt, à sacris locis post mortem adiuuari non possunt: quia quos peccata grauiora deprimunt, in sacris locis se sepeliri faciunt, restat, vt de sua præsumptione iudicentur: quia eos sacra loca non liberant, sed de culpa temeritatis accusant. *Aug. de ciuit. Dei, c. 12. lib. 1. & hab. 13. q. 2. can. Quibus peccata.*

Massagetæ & Derbices miserrimos putant, qui ægrotatione moriātur, & parentes, cognatos, propinquos, cum ad senectam venerint, iugulatos deuorare rectius esse dicentes, vt a se potius quā à vermibus comedantur. Tibareni, quos dilexerint senes, suspendunt in patibulis. Hircani volucribus & canibus semiuiuos proijciunt. Caspij bestijs mortuos proijciunt. Scythæ eos, qui a defunctis amati sunt, viuos infodiunt cum ossibus mortuorum. Bactriani canibus ad hoc ipsum nutritis obijciunt senes. Quod cum Alexandri præfectus Nicanor emendare voluisset, pene amisit prouinciam. *Hieron. contra Iouinian. c. 36.*

Vbicunq, sepeliamur, Domini est terra & plenitudo eius. Secundū quod oportet fieri, efficiatur. Lugere autem & deplorare, & lamentari eos, qui ab hac vita decedunt, ex pusillanimitate connatū hoc autem ex desperatione futuræ resurrectionis intelligitur. *Ioan. Chrysostom.*

SENTENTIAE POETICAE.

Lucan. lib. 7. Pharsal. in fin.

Libera fortuna mors est, capit omnia tellus

Quæ genuit: cœlo tegitur, qui non habet vrnam.

Agricius in Aurora.

Væ tibi cessatet demens: vecordia mentem

Franget, & incultam fœda sepulchra prement.

Sententiae Philosophicae.

At mihi quidem antiquissimum sepulturæ genus id fuisse videtur, quo apud Xenophontem Cyrus vtitur. Redditur enim terræ corpus, & ita locatum ac situm, quasi operimento matris obducitur, eodemque ritu in eo sepulchro, quo procul ad fontis aras regem nostrum Numam conditum accepimus, gentemque Corneliam vsque ad memoriam nostram hac sepultura scimus esse vsam. *Cicero.*

Ne hostes quidem sepulturam inuident. *Tacit. Annal. lib. 1.*

Illustrium virorum sepulchrum omnis terra est, & monumentum est, non tantum inscriptio in tumulo, sed etiam non scripta memoria, quæ in mentibus non in tumulis commoratur. *Thucyd. l. 2.*

Hominem mortuum, inquit lex in 12. tabulis, in vrbe ne sepelito, neue vrito. *Cic. lib. 2. de legib.*

Sed quid singulorum opiniones animaduertam, nationum varios errores perspicere cum liceat. Condiunt Aegyptii mortuos, & eos domi seruant. Persæ etiam cera circumlitos condiunt, vt quam maxime permaneant diuturna corpora. Magorum mos est, non humare corpora suorum, nisi a feris sint antea laniata. In Hyrcania plebs publicos alit canes, optimates, domesticos. Nobile autem genus illud canum scimus esse: sed pro sua quisque facultate parat, a quibus lanietur: eamque illi optimam esse censent sepulturam. *Cic. Tusc. quæst. lib. 1.*

Honesta sepultura erit, vbicunque pro filio Dei occubuerimus. *Nicetas in Man. Comn. lib. 1.*

Apophthegmata.

Socrates cicutam bibiturus, a quibusdam interrogatus, quomodo sepeliri vellet? Eo modo dixit, quo vobis facillimum fuerit. *Stob. serm. 160.*

Idem, Athenienses ridens, qui de sepulchris maiorum & ducum suorum gloriarentur, dicebat: Duces & plerosque maiores, de quibus superbiebant, extra fines suos sepultos esse, probra vero populi nostri Reipub. in publicis sepulchris. *Tales de exilio, apud Stobæum serm. 38.*

Diogenes proijci se inhumatum iussit. Tum amici. Volucribus ne & feris? Minime vero, inquit, sed bacillum prope me, quo abigam, ponitote. Qui poteris? Illi inquiunt: non enim senties. Quid igitur mihi ferarum, ait, laniatus oberit, nihil sentienti? *Laert. Cic. lib. 1. Tusc. quæst.*

Idem rogatus a Xeniade, quomodo sepeliri vellet? In faciem, inquit. Percontanti causam: Quoniam, inquit, paulo post futurum est, vt inferiora fiant superiora. huc alludens, quod id temporis Macedones rerum potirentur, atque ex humilibus fierent excelsi: quod si inuerterentur omnia, fore vt cadauer etiam ea prono fieret supinum. Fortassis illud sensit, nihil referre, quo statu corpus exanime sepeliatur: qua in re magna erat vulgi superstitio, porrectis enim in portam pedibus efferebantur: stantes cremabantur: & hodie stantes, vt audio, sepeliuntur Iudæi, certe supini sepeliuntur omnes Christiani. *P. M. Diogenis dictum extat apud Laer. lib. 6. & Brus. lib. 4. c. 10.*

Idem, dicebat, si canes cadauer suum laceraturi essent, Hircanam sepulturam fore: sin vultures, Iberam. At si nullum animal accederet, ipsum tempus pulcherrimam sibi fore sepulturam, corpore pretiosissimis rebus, sole, inquam, & imbribus, absumpto. *Stob. sermone 120.*

Idem interrogatus, num seruum ancillamve haberet, negauit: Cumque percontator adiecisset: Quis igitur te efferet, si moriaris? Cui domo, inquit, erit opus. Multi superstitiose soliciti sunt, quomodo & per quos efferantur. Hac cura prorsus vacabat Diogenes. non dubitans, quin futurus esset aliquis, qui cadauer eijceret, vel ob id, quod domum faceret vacuam. Quanquam illi contigit honorifica sepultura. *Laert. lib. 6.*

Anaxagoras, cum Lampsaci moreretur, quærentibus amicis, velletne Clazomenas in patriam efferri ibidemque sepeliri? Non necesse est, inquit: Vndique enim ad sepulchrum tantundem viæ est. *Cic. in Tusc. lib. 1. Laert. lib. 2. c.*

Anonymus. Quodam exuli Atheniensi cuidam exprobrante, ac dicente: In patria ne sepulchro quidem dignaberis, sed instar impiorum Atheniensium in Megarica. Imo (inquit) quemadmodum pij Megariensium in Megarica. *Tales de exilio apud Stobæum serm. 38.*

Euripides dicebat, mentes hominum insanire, cum sumptus inutiles pro mortuis profundunt. *Stob. serm. 122.*

Lycurgus. Lycurgus sepulchorum vniuersam superstitionem sustulit, permittens, vt non solum intra ciuitatem humarentur cadauera, verum etiam monumenta templis vicina haberentur. Submouit & funebres expiationes: nec concessit, vt quicquam vna cum cadauere sepeliretur (nam aliæ nationes, si quid fuisset viuo charissimum, id mortuo addebant in sepulchro, damnosa simul ac ridicula superstitione: quasi mortui sentiant aliquid) sed in puniceo amictu, & oleæ folijs ex æquo posito omnes sepeliri iussit. Vetuit etiam titulos & inscriptiones addi monumentis, præterquam eorum, qui in bello cecidissent. Sustulit autem & luctus & funebres nænias, quas reliquorum hominum vulgus incredibili sumptu & apparatu, etiam per conductos ploratores

Polyandrea Nouisi.

celebrare consueuit, magna specie dementiæ, quasi manium sit vllus sensus: aut si quid sentiunt, ijsdem rebus delectentur, quas in vita non iudicio, sed animi vitio dilexerunt. *P. M. ex Plut. in Lacon.*

Socrates. Eo die, quo Socrates bibiturus erat venenum, Apollodorus ei pallium multi pretij ad solatium obtulit, vt eo indutus moreretur. At ille recusans donum: Quid, inquit, hoc meum pallium quod viuenti conuenit, mortuo non conueniet? Damnans quorundam ambitionem, hoc miro studio prouidentium, vt quam honorificentissime efferantur ac sepeliantur. *P. M lib. 3. apoph.*

Cyrus. De sepultura sua cum ita statuisse ferunt: Meum corpus, o charissimi filij, cum moriar, neque in auro condite, neque in argento, neque in in alia re prorsus vlla: sed illud terræ reddite quam primum. Quid enim hac re beatius, quam terræ misceri, quæ pulchra & bona omnia gignit atque nutrit? *Xenophon. de Cyripædia, lib. 8.*

Semiramis. Constructo sibi monumento, inscripsit: Quicunque rex pecunijs indiguerit, aperto sepulchro, quantum opus est, capiat. Darius autem cum aperuisset, pecunias quidem non inuenit, sed in huiusmodi scripta incidit. Nisi vir malus esses, & pecuniarum inexplebili desiderio flagrares, haud sane loculos mortuorum commouisses. *Plut.*

Demonactem morientem amici rogabant, quomodo vellet sepeliri: Ne quid, inquit, ista res vos habeat sollicitos: fœtor me sepeliet. Et dicentibus: Indignum facinus, si talis viri corpus laceraretur a canibus: Quid, inquit, incommodi, si & mortuus alicui sim vsui? *P. M. lib. 8. apoph.*

Olympias. Alexandri mater Olympias, quum audiuisset, filij cadauer insepultum fuisse abiectum, inter lamenta dixit hoc quoque: O fili: qui studebas cœli particeps esse, hoc tanto impetu properans, ne ijs quidem potiri valuisti, quæ sunt mortalium omnium communia, terra ac sepultura. Alexander viuus ambiebat diuinos honores: defuncto nec vltimus ille contigit honos, quem quiuis homo persoluit homini, quamlibet humili. Narrant enim Q. Curtius, & Plutarchus, Alexandri corpus multis diebus insepultum iacuisse, ob graues procerum concertationes de successione principatus. Fuit & alter Alexander Epiri rex, Olympiadis frater, huius corpus amne in hostium castra deuectum est, itaque ab his fœde laceratum. Vnius tamen mulieris opera sepultum est, licet mutilum. *Refert Tit. Liuius Decad. 1. lib. 8.*

Neronem Imp. in fuga, quum Phaon libertus hortaretur, vt in specum egesta arena conderetur: negauit se viuum sub terram iturum. *Sueton. in vita Neronis.*

Zisca Hussitarum dux & Imperator fortissimus, iam moriturus, cum a militib. interrogaretur, quomodo sepeliri cuperet post mortem: Pellem, inquit, mortuo mihi detrahite, relictoque feris cadauere, ex cute tympanum facite, quo in prælijs vtamini. Et sic, vt hostes nostri viuentis aspectum non ferebant, ita mortui sonum, fugam adornantes, audire nequibunt. *Æn. Silu. lib. 3. comment. de reb. gest. Alphons. regis.*

Exempla Biblica.

Sepultorum honorifice, *exempla:* Sara, *Gen.* 23. *v.* 4. 15. Abraham, 25. *v.* 8. Debora nutrix Rebeccæ, 35. v. 8. Rachel, v. 16 & 48. *v.* 7. Iacob, 48. *v.* 29. *&c.* 50. *v.* 5. *&c.* Ioseph, *v.* 24. 26. *Exod.* 13. 19. Iosue, 24. 32. Rebecca, Lia, *Gen.* 49. *v.* 30. 31. Maria, *Num.* 21. Aaron, *v.* 28. *Deut.* 10. 6. Moyses, 34. *v.* 5. 6. Eleazar, *Ios.* 22. 33. Iosuah, 24. *v.* 29. 39. *Iud.* 2. *v.* 8. 9. Gedeon, 8. *v.* 32. Thola, 10. *v.* 1. 2. Lair, *v.* 5. Iephthe, 12. *v.* 7. Abesan, *v.* 10. Abialon, v. 11. Abdon, v. 15. Samson, 16. v. 31. Samuel, 1. *Sam.* 25. *v.* 1. & 28. 3. Saul & Ionathas, 31. 12. 2. *Sam.* 2. 5. & 21. *v.* 12. Asael, 2. *Sam.* 2. *v.* 31. 32. Abner, 3. 31. Isboseth, 4. 12. Architophel, 17. *v.* 23. Saul, Ionathas, & septem filii eius, 21. 12. Dauid, 2. *Reg.* 2. 10. Iacob, *v.* 34. Salomon, 11. *v.* 43. Propheta verbo Dei inobediens, 13. *v.* 29. 30. Filius Ieroboam, 14. *v.* 17. 18. Roboam, v. 31. Abia, 15. 8. Asa, v. 24. 2. *Paral.* 16. *v.* 13. 14. 3. *Esd.* 1. v. 30. 31. Baasa, 1. *Reg.* 16. 6. Amri, *v.* 29. Achab, 22. 37. Iosaphat, v. 51. Ioram, 2. *Reg.* 8. 24. Ochosias, 9. 28. Iehu, 10. 34. Ioas, 12. 21. & 14. 16. Ioachas, 13. 8. Elisæus, *v.* 14. Amasias, 14. v. 19. 20. Azarias, 15. v. 7. Ionatham, v. 38. Achas, 16. v. 20. 2. *Paral.* 28. v. 27. Manasses, 2. *Reg.* 21. v. 18. Amon, v. 26. Iosias, 23. v. 29. 30. & 35. v. 24. Ioiada, 2. *Paral.* 24. 16. Ozias, 26. *v.* 23. Ezechias, 32. 33. quidam Israelitæ, *Tob. v.* 1. 21. & 2. 3. Israelita iugulatus, 12. 12. Tobias senior, 14. 3. Raguel, *v.* 16. Manasses, *Iudic.* 8. 3. Iudith, 16. 28. Mathathias, 1. *Mach.* 2. 70. Iudas, 9. 19. Ionathas, 13. 25. Ioannes Baptista, *Matth.* 14. 12. Iesus, *Marc.* 15. 46. *Io.* 19. *v.* 38. 39. 40. Ananias, *Act.* 5. 5. vxor eius *v.* 9. 10. Stephanus, 8. 2. Sepultura honorifica carere, afflictionis & iræ diuinæ ac vindictæ signum *exempla.* Iezabel, 2. *Reg.* 9. 33. Israelitæ *Psal.* 79. 3. Ioram, 2. *Paral.* 21. 9. Iudæi, *Ierem.* 8. *v.* 1. 2. & 14. 16. *v.* 4. 5. 6. 7. & 25. 33. Ioachim, 22. *v.* 18. 19. Sedechias, 3. 4. 5. Antiochus, 2. *Mach.* 9. 28. Prophetæ Euangelici, *Apoc.* 11. 9. 2. pullorum ossa ex sepulchris euci, & ad solem expandi iræ diuinæ aduersus peccatores accensæ signum. *Ierem.* 8. *v.* 1. 2.

Vide Mors, Resurrectio.

SERMO.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Sermo, Græce, λόγος, &c. Est idem quod loquela. Dicitur autem à conserendis simul compositis & contextis verbis. Hinc sermocinor, loquor & sermocinatio, collocutio.

Sermo Hebr. *Omer*, *Emer*, dictum pronunciatum, eloquium, a verbo *Amar*, dixit, quod significat actum dicendi. Cognationem habet cum *Iamar* & *Mir*, mutatuum dum mutantur literæ, syllabæ, verba, tēpora, nomina, pro necessitate orationis. Hinc ἔμμερ, ἔμμερ interpres, ἔμμερ interpretor. ἐμμερεία dictio, dictionis expositio, a *Dabhar*, *Dibbrah*, verbum, eloquium. Sæpe pro re quæ verbis recitatur, quod Latinis est negotium, a verbo *Dabhar*, loquutus est, verbis reddidit sententiam & voluntatem animi sui, vertit sermonem ad omnem tropum orationis consuetæ. In sum ma significat rem animo conceptam prolixius enarrare omni tropo & genere loquutionis, vt ab audientibus recte intelligatur, & ideo sæpe vtendum est verbis & figuris loquutionibus ad nostram consuetudinem accommodatis, Cognationem habet cum *Rabbadh*, ornauit, strauit flosculis, seu tapetis, ad decorem seruitutibus, sic enim sermo noster refertus debet esse figuris ad maiorem intellectum.

LOCI BIBLICI.

Sermo, aut verbum, ex Hebræorum idiotismo: *Primo*: pro re quauis, aut indefinita particula, Vide VERBUM. *Secundo*, pro vna voce, aut libris conscriptis, 2. *Thess.* 2. 2. pro sponsione seu promissione, *Tit.* 1. 3. κατ' ἐξοχὴν pro doctrina Euangelica, *Act.* 16. 6. *Philipp.* 1. 14. quæ dicitur sermo Christi, *Coloss.* 3. 16. sermo vitæ, *Philip.* 2. 16. sermo veritatis, 2. *Cor.* 6. 7. sermo iustitiæ, quo docetur iustitia; hoc est, Euangelium. *Hebr.* 5. 13. quam significationem obtinet iustitiæ vox, *Rom.* 1. v. 17. 18. sermo vnus omnibus, ante extructam turrim Babel, *Gen.* 11. v. 1.

Sermo pro fucata dicendi ratione, 2. *Cor.* 11. v. 6. proprietatis doctrina, *Gal.* 6. v. 6. sermo damnandus, *Ephes.* 4. 29. *Coloss.* 3. 8 sermo laodandus, *Prouer.* 15. v. 1. 23. & 16. 21. & 25. 5. sermo piorum qualis, *Matth.* 5. 37. & 12. 36. *Ephes.* 4. 29. & 5. 3. *Coloss.* 3. 8. 1. *Pet.* 3. 10. Vide P. 11. Sermo caro factus est, *Ioan.* 1. v. 14. hoc est, homo factus est, per synecdochen, ut *Esa.* 45. *Ioel.* 2. v. 28. sermo auditionis Hebræis, pro sermone auribus percepto, *Thess.* 2. v. 13. sermonem Dei quærere, 1. *Reg.* 22. *vers.* 5. Vt in sermone confirmet nos Deus, orat Paulus, 2. *Thess.* 2. v. 17. sermones Dei loquatur, quisquis, 1. *Pet.* 4. v. 11. sermones Dei proijcere, 1. *Sam.* 15. v. 26.

POETICÆ SENTENTIÆ.

Sil. 4. v. 6.

Nobis verus amor, medicaq; Heliconepetitus
Sermo, hilaresq; ioci brumalem absumere noctem
Consueuere, mollesq; oculis expellere somnum.

Horat. Art.

Omne tulit punctum, qui miscuit vtile dulci.

Ausonius Edyll. 11.

Est & non, cunctis monosyllaba nota frequentant:
His demptis nihil est, hominum quod sermo volutet.
Omnia in his & qui ab his sunt omnia, siue negoti,
Siue oti quidquam est, seu turba siue quietis &c.
Qualis vita hominum, duo quam monosyllaba versant.

Virg. 8. Aeneid.

Ibat rex obsitus æuo,
Et comitem Æneam iuxta natumq; tenebat,
Ingrediens, variaque viam sermone leuabat.

Virg. 1. Aeneid.

O Dea si prima repetens ab origine pergam,
Et vacet annales nostrorum audire laborum,
Ante diem clauso componet Vesper Olympo.

Ouid. 15. Met.

Desinet ante dies & in alto Phœbus anhelos
Æquore tinget equos, quam consequar omnia dictis,
In species translata nouas.

Plaut. capt.

Si ego item memorem, quæ me erga multa fecisti bene,
Nox diem adimat.

PHILOSOPHICA PLACITA.

Verba inuenta sunt, non quæ impedirent, sed quæ indicarent voluntatem. *Cic. pro A. Cæcin.*

Interpres mentis est oratio, verbis discrepans, sententijs congruens. 2. *de leg.*

Sermone eo debemus vti, qui notus est nobis, 1. *Offic.*

In primis prouideamus, ne sermo vitiū aliquod indicet inesse moribus: quod maxime tum solet euenire, cum studiose de absentibus detrahendi causa, aut per ridiculum, aut seuere, aut maledice, contumelioseque dicitur. 1. *Offic.*

Quoties aliquid aut dicimus, aut loquimur, toties de nobis indicatur. 1. *de Orat.*

Diligentissime linguam continere, mihi virtus interdum non minor videtur, quam omnino non irasci. *Cic. ad Q. Frat.*

Id ipsum dicere nunquam est non ineptum, nisi quum est necessarium, 1. *de Orat.*

Habent suum modum, quæcunq; opportuna dicuntur. 3. *de Fin.*

Tacere noli, vbi non oportet. *Pro Rosc. Comœd.*

Oratio debet esse ornatior sententijs, quam verbis *par. orat.*

Non tam copia quam modus in dicendo quærendus est. *Pro leg. Manil.*

Decorus est sermo senis, quietus, & remissus, facitque perse ipse sibi audientiam diserti senis compta oratio & mitis. *Cato maior.*

Difficile est dictu, quantopere conciliat animos hominum comitas affabilitasq; sermonis. 2 *Offic.*

Quidam nimium dicunt, nec tamen totum. *Quint. lib.* 5.

Nisi maxima rerum versantur momenta, non debemus de rebus esse soliciti.

Verba honesta moribus perdidimus.

Sermone hominem, vt æra tinnitu dignoscimus. *idem lib.* 8.

Viue moribus præteritis, & vtere verbis præsentibus.

Tanquam scopulum, sic fugias inauditum atque insolitum verbum,

Multo magis viua vox efficit,

Melius eadem pronunciat, qui peperit. *Gell lib.* 1.

Sermo senilis libenter audiendus.

Euitanda est sermonis curiositas. *Plat. de Repub.*

Quod bene dicitur, repetere non nocet. *idem in Regno.*

Omnia sermo, si breuior fuerit, quam oportet, obscurat intellectum; si longior, difficilis erit retentio, & discipulo obliuionem inducit.

Sermo dicentis non interrumpendus. *Arist. Polit.*

Quod facere institueris, noli prædicare, nā si facere nequiueris, ridebĕris.

Noli cito loqui, est enim insaniæ indicium.

Dicenda sunt, quæ vtilia futura sunt & dicenti & auditori.

Celeritas sermonis non habet iustitiam, tardi vero sermones multum proficiunt ad sapientiam.

Aut silere oportet, aut meliora silentio adferre.

Sermonis vitium in lingua est, facti vero in animo. *Pythag.*

Hominis sermonem Themistocles aulæis assimilabat. Quemadmodum enim ea si explicemus figuras ostenduot integras, sin contrahantur easdem occultant: idem & orationi vsu venire. *Plut. in Themist.ocle.*

Vobis sub tyrannide periculosa est libertas. *idem in Arato.*

Quicunque potentiori impotens desiderium aperte impugnat, illud magis adauget: at qui suaui sermone applaudit, imperum illum a mite retundit, & dum quædam pollicetur, frenat cupidinē, *Heliodor. l.* 1.

Quam rarissime, & iucunde apud hominem loquendum est vitæ potestatem & necis in acie linguæ porrantem. *Am. Marcell. l.* 18.

Orationem quæ nobis cordi est, facile comprobare solemus. *Zonar. in Alex. Comn.*

Vt eorum hominum leuium & inconstantium orationem futilem ac inanem habent, atque temere huc illuc errare, sine pondere vllo aut honore. Contra vero quem fidei quempiam rationem maximā habere consideret, eius orationem, si quid rogans, tantum valere quam illorum vim. Eundem si quem quam ad officium reuocare velit, minando id facilius quam alios puniendo consequi posse, sperare plus proficere promittendo, quam alios statim dando. *Xenoph de expedit. Cyri l.* 7.

APOPHTHEGMATA.

Solon, sermonem operum simulachrum esse dicebat. Ea quippe, quæ in opus prorumpunt, prius animo cōcepta, verbis indicantur. *Max. serm.* 14.

Thales dicere solebat, multiloquium non ostendere hominem sapiētem, Sapiens enim non nisi quum res exigit, loquitur, & paucissimis suum ostendit animum. Stultus autem, etiam necessitate non efflagitante, loquendi finem nō facit. *P. M. l.* 7. *apoph. ex Laert. lib.* 1. *c.* 1.

Epicurus, sapiens sermonem dicebat magnificentiorem esse in grabato, panno & stramentis: tunc enim non tantum vera esse præceptorem, sed testem. *Senec. epist.* 20.

Isocrates, Duo (inquit) tibi tempora dicendi præscribe, vel vt de rebus indubie tibi perspectis, vel necessarijs verba facias, in istis enim solis oratio præstat silentio: io alijs vero tacendum potius quam loquendum. *Stob serm.* 34.

Romulus dicere solebat, vasa fictilia sono & percussu hominem vero sermone explorandum esse. *Max serm.* 15.

Cenopidas, Qualis cuiusque esset natura, talem esse dicebat sermonem. *Max. ferm.* 15.

Demonax solitus est dicere, in speculia vultus figuram, in colloquijs autem animi naturam & imaginem cerni posse. *Max. serm* 15.

Idem dicebat, orationem ac sermonem hominis quasi figulum animi formam effingere & proferre. *ibid.*

Pythagoras,

Pythagoras, Optabilius (inquiebat) sit tibi lapidem temere proijcere, quam sermonem otiosum. *Stob. serm.* 34.

Democritus, sermonem τῆς πράξεως σκιὰν, vitæ simulachrum quandamque velut vmbram esse, dicebat. Qua quidem sententia nihil dici potuit verius. Nam nullo in speculo melius expressiusque relucet figura corporis, quàm in sermone pectoris imago repræsentatur. Neque homines ex sermone secus, quam ærea vasa tinnitu dignoscuntur. *Laert.*

Idem. Audiens adolescentem varijs de rebus assidue loquentem, ait: In speculo faciei figura, in verba autem animi qualitas vniuscuiusque hominis deprehenditur. *Stob.*

Zeno Citticus, Adolescenti confidenter loquenti. Non dixerim, inquit, o adolescens, quæ mihi succurrunt. Subnotauit vir prudentissimus, è sermonis procacia æstimari morum impudicitiam. *Laert. lib.* 7. *c.* 1.

Musonius, Fontem & originem male viuendi esse, dicebat non refugere obscœna & turpia loqui. *Stob. serm. de intemperantia.*

Cleostratus, sermone faceto tanquam sale, patere viendum esse dicebat. *Stob serm.* 34.

Diogenes aiebat, sibi videri mirum, quod quum olla aut operculum non emerent homines, nisi pulsu aut tinnitu exploratum, m emendo homine solo aspectu essent contenti. Significans hominem nulla ex re melius cognosci, quam ex oratione. Vt igitur, qui vas fictile terunciο parant emere, digito pulsant, atq. ex tinnitu reddito dignoscunt, sitne integrum, probæ argillæ, ac bene coctum: ita priusquam minus aliquot emant hominem, oportebat ad dicendum prouocare, atq. ex oratione deprehendere, qualis sit. *Laert. lib.* 6.

Socrates dicere solebat, qualis homo est, talis etiam eius erit oratio, orationi autem facta simillima, facta vitam. *Cic. l.* 5. *Tusc. q.*

Idem In bello quidem ferrum, dicebat, auro præstare ad defendendum se, in vita autem, sermo eruditus diuitijs. *Stob. serm. de literis.*

Idem, Sermonem eruditum, tanquam bonum figulum, elegantiſpe cie animam ornare dicebat. *eod. ferm.*

Idem, Quum diues quidem filium adolescentem ad Socratem misisset, vt indolem illius inspiceret: ac pædagogus diceret, Pater ad te, o Socrates, misit filium, vt eum videres: tum Socrates ad puerum: Loquere igitur, inquit, adolescens, vt videam. Significans, ingenium hominis non tam in vultu relucere, quam in oratione: quod hoc sit certissimum, minimeque mendax animi speculum. *P. M. lib.* 3. *apoph. ex Apuleio, Florid. lib.* 1.

Chrysippus interrogatus, quid esset mens hominis? sermonis fontem esse, respondit: quemadmodum enim riuuli ex fonte fluunt, sic sermo ex corde & mente hominis procedit. *Stob. ser.* 1.

SIMILITVDINES.

D. Chrysostomi. Sicut ignis de modica scintilla magnum conflat incendium: ita & sermo malus de leui occasione magnam succendit inimicitiam. *in cap.* 5. *Matth. homil.* 9.

Nazianzeni. Qui male loco separantur, sermone vero colligantur, tanquam: inuicem discordant, quantum oculi strabi, idem videntes, & non visu sed positione dissidentes, quibus etsi quod strabi sint, obijci possit, non tamen quod cæci. *De Pentecoste.*

Quemadmodum in harmonia artificiali & musica alius est sonus intensus ac remissus, quum alia quædam chorda pulsatur, omnia autem vnius sunt moderatoris & artificis, ad vnam harmoniæ suauitatem tendentia: Ita & in his opifex & magister sermo, in alijs quidem alius euiusdam opificij aut artis proposuit virtute: cuncta autem in medium posuit, omnibus communi ac humano commercio vti volentibus, vitam nostram colligans, illamq. ted dens humaniorem. *contra Iulianum.*

Quemadmodum aqua, quæ non certis canalium marginibus dirigitur, sed per areæ diffunditur planitiem, euanescit: Ita & res per sermonis vastitatem diffusa, lectorem fallit. *libro* 3 *de Theologia.*

Philonis Iudæi. Quemadmodum doloribus, timoribus, alijsque malis pressos fauor, sedulitas, dexteritasque amicorum sæpe refouet: Sic non sæpe, sed semper, grauissima onera, quæ nobis imponit vel corporis coniuncti necessitas, vel externus casus aliquis ex improuiso irruens, dimouit præsentissimum sermonis rationisve remedium: qui socius & amicus familiarissimus a natura nobis est non tam additus, quam adglutinatus, vt visibiliter, hic insolubiliter. *Lib. de sermonis fol.* 371.

Sicut ea, quæ in tenebris abdita sunt, celantur, donec lux affulgens ea indicet: Ad eundem modum cogitationes meas recondi in loco inuisibili, donec vox lucis more cunctas retegat. *Lib. Quod. det. pot. insi.*

Synesij Cyrenæi. Mentis quasi vestitus quidam verba sunt, quibus induta ea incedit, & vel male vel bene adornatur: quemadmodum & in corpore: hic autem speciem, aut deformitatem hominibus conciliat. *De prouidentia lib.* 1. *fol.* 72.

Photij Patriarchæ. Speculo similis est sermo: & sicut in illis representantur species corporis & formæ, ita in colloquijs animæ forma expressa conspicitur. *Apud Antonium part.* 1. *sermone* 48. *Melissa*

Pyr Pontifici. Sicut qui longo tempore coniecti in vinculis fuerint, si posterius soluantur, ob vinculorum consuetudinem, nequeunt ambulare. Ita qui sermonem diutius astrinxerunt, si quan do loquendum ex improuiso fuerit, commutescunt. *Epistolarum lepist.* 414.

Romyli. Quemadmodum vas fictile sono & tinnitu: sic homo sermone probatur. *Apud Anton Meliss. par.* 1. *serm.* 48.

Demosthenis. Vt in speculis vultus figura: sic in colloquijs animi character cernitur. *Apud Max. serm.* 15.

Plutarchi. Vt ædium ostio carentium, & crumenarum absque vinculis nulla est vtilitas: Ita multo magis oris claustro carentis nullus est vsus. *in Moral.*

Vt in calamitatibus firmissimi atque optimi amici adsunt vtiliter: sic & sermones optimi. *in Moral.*

Qui in Platone & Demosthene nihil quærunt, nisi puritatem Attici sermonis, quid aliud agunt, quam ij, qui in pharmacis nihil amant, nisi fragrantiam & nitorem, vim purgandi seruandiq; negligunt. *in Moral.*

P. M. Quemadmodum Protogenes Pictor Apellem ex vnica linea cognouit, nunquam alioqui visum: Ita ea vnico responso ingenium & prudentiam viri deprehendet, qui sit ipse sapiens. *in similib.*

E voce agnoscimus hominem, facie non conspecta, nam sua cuique vox: Ita ex oratione licet hominis vitam coniectare. *in similibus.*

Nouella vitis copiosius gignit vinum, sed vetustior melius: Ita pluta loquuntur iuueoes, sed vtiliora senes. *in similib.*

Taurus aus, cum sit pusilla, tamen boum vocem imitatur: Ita nonnulli, cum re sint exigui, tamen loquuntur reges ac satrapas. *in similib.*

Thriueri. Vt placet vbique cibus citra saturitatem: sic sermo intra sobrietatem. *in apoph.* 114.

HIEROGLYPHICA.

Sermonis efficaciam persuadendique vim ostentare vetere si voluissent, *Mercurij simulachrum* gradiori iam ætate, barbatum & effœto propemodum corpore, natura tamen obscœnius excitata, eaque tantum parte validissimum faciebant. *Pier. Valer. li.* 34. *pag.* 323. *A.*

Sermonem viro inanem ostendere volentes, *Mercurium* eundem iunio ri specie ac prorsus impubi cum effinxissent, attr. ctâ illi pudenda vel desidentia faciebant. In his enim, qui nondum ea ephebis excessissent, infœcundam & imperfectam esse orationē animaduerterant. vt pote quod ætas illa ad prudentiam nondum esset idonea. *Pier. Val. lib.* 34. *pag.* 323. *B.*

Oculum etiam inuenimus *sermonis* esse hieroglyphicum apud sacerdotes Aegyptios: sermonem ipsum dupliciter considerari. Vno modo, quatenus a natura loquendi facultem consequimur: altero, quo in hoc vel illud idioma linguam inflectimus, & in proprio artem & elocutionem adhibemus. Illum simplicem sermonem per linguam tantum figurari: sed si cultum & elegantiam accessisse innuere vellent: linguæ oculum subsanguineum subijciendum. *Pier Val l.* 33 *pag.* 306. *E.*

Vide, Oratio, pro sermone, & tit. de Lingua.

SERVITVS.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

Seruitus Græce δουλεία et δουλοσύνη & ἰδουλεύω seruus dicitur. Seruitus Hebr. *Hebbodhah*. Dicitur seruitium & cultus a verbo *Habhab*, seruit alicui tanquam seruus hero suo, coluit, opus seruile fecit. Cognationem habere cum verbo *Habhat*, mutuatus est: nam vti alterius seruitute, est mutuari eius laborem. Est autem seruitus humana institutio iuris gentium, qua quasi Domino alieno contra naturam subijcitur, *vt habetur In §it. de iure Personarum*, *§ Seruitus*. Dicitur autem seruus, quod in bello serui non necabantur, sed viui seruabātur. Eius diminutiuum est seruulus, & ab hoc seruilis, & aduerbium seruiliter: seruitus & seruitium, quod in singulari est ipsa seruitus. *Terent. Ego hoc tibi pro seruitio debeo conari manibus & pedibus.* In plurali vero intet dum ipsi serui. *Sallust. Interea seruitia repudiabat.*

LOCI BIBLICI.

Seruire duobus dominis impossibile, *Matth.* 6. *versi.* 24. seruire Deo. *Ios.* 22. *v.* 27. Deo & Dæmonibus, 1. *Reg.* 17. *v.* 28. seruiendum soli Deo, *Exod.* 23. *v.* 25. *Deuter.* 6. *v.* 13. & 10. 12. & 11. 13. & 13. 4. *Matt.* 4. 10. *Luc.* 4. 8. 1. *Timoth.* 1. 9. vt seruiamus ei, redemit nos Christus, *Thessalon.* 1. *vers.* 9. seruiamus inuicem, *Galat.* 5. *v.* 13.

Seruitus ex peccato, *Genes.* 9. 25. seruitus peccati, *Ioan.* 8. 34. *Roman.* 6. seruitus sanctimoniæ, *versicul.* 18. 19 *Galat.* 5. 13. 1. *Petr.* 2. 16.

seruitus pro coniugalis vinculi obligatione, 1. *Corint.* 7. 15. seruitutis & adoptionis spiritus, vocatur à Paulo ipse Spiritus sanctus, *Rom.* 8. 15. seruitius est circumcidi, *Galat.* 2. 4. seruitium Dei, quale, *Luc.* 1. 74. à seruitute Diaboli liberati, *Deut.* 5. 6. Legis, *Hebr.* 2. 15.

Seruus quomodo à pueritia tractandus, *Prou.* 29. *v.* 15. 21. seruus Hebræus quousque detinendus, & quomodo tractandus, *Exod.* 21. 2. *Leu.* 25. 39. *Deut.* 15. 12. *Ierem.* 34. 14. serui, qui perpetuæ se addixit seruituti, subula auris est perforanda, *Exod.* 21. 6. *Deut.* 15. *v.* 17. (*vide Psal.* 40. 7. *Hebr.* 10. 5.) seruus fugiens, *Deut.* 23. *v.* 15. seruitus inutilis damnatur, *Prou.* 14. 35. seruus laudandus, *v.* 15. 35. & 17. 2. & 27. 18. serui nomen tribuitur etiam Christo, *Esa.* 42. *v.* 1. *Matth.* 12. 18. iuxta illud *Phil.* 2. *v.* 7. quatenus fuit Minister, & quidem Prophetarum caput. Seruus Dei, κατ' ἐξοχὴν pro Moyse, *Apoc.* 15. *v.* 3. vt describitur, *Deut.* 34. *v.* 10. serui fidelis descriptio, *Matth.* 24. *v.* 45. mali, *v.* 48. seruus Christianorum, 20. *v.* 26. 27. seruus Dei esse nequit, qui quærit hominibus placere. *Galat.* 1. *v.* 10. seruus Dei Moyses, *Num.* 12. *v.* 7. seruus fidelis, seruus Abraham, *Gen.* 24. 2. &c. seruus omnium Paulus. 1. *Cor.* 9. *v.* 19. seruus probus Iacob. *Gen.* 31. *v.* 39. seruus non est maior domino suo. *Ioan.* 15. 20.

Serui Dei Israelitæ, *Leuit.* 25. 42. serui Dei omnes nos, quibus talenta data sunt, *Matth.* 25. 14. serui Dei sumus inutiles. *Luc.* 17. *v.* 10. serui Dei sumus, liberati a peccato, *Ioan.* 8. *v.* 36. *Rom.* 6. 12. serui Diaboli, liberati per Christum, *Deut.* 6. 12. serui Iudæorum, peregrini, *Leuit.* 25. 44. serui peccati, *Ioan.* 8. *v.* 34. serui Regis omnes, 1. *Sam.* 8. *v.* 17. serui quales esse debeant, *Ephes.* 6. *v.* 5. *Coloss.* 3. *v.* 22. 1. *Timoth.* 6. *v.* 1. *Tit.* 2. *v.* 9. 1. *Pet.* 2. *v.* 18. serui sumus iustitiæ, *Rom.* 6. *v.* 22. de seruis emendis, *Exod.* 21. 2. *Deut.* 15. 12.

Seruorum conditio, *Exod.* 21. *v.* 20. 1. *Cor.* 7. *v.* 21. 1. *Timoth.* 6. *v.* 1. seruorum & famularum consolatio, & erga dominos ac dominas suas officium, *Gen.* 16. *v.* 4. 6. 9. & 24. *v.* 1. 2. &c. & *v.* 15. & 31. *v.* 4. & 39. *v.* 1. 6. *Exod.* 2. *v.* 20. 2. *Reg.* 5. *v.* 20. 25. *Prou.* 14. 35. & 17. 2. & 19. *v.* 10. & 29. 19. *Eccl.* 2. *v.* 7. *Eccl.* 22. & 10. *v.* 28. *Ierem.* 34. *v.* 9. *Ioel.* 2. *v.* 19. *Luc.* 12. *v.* 37. 45. *Act.* 12. *v.* 13. 1. *Cor.* 7. *v.* 22. *Ephes.* 6. *v.* 5. 6. 8. *Coloss.* 3. *v.* 22. 1. *Timoth.* 6. *v.* 1. 2. *Tit.* 2. *v.* 9. 1. *Pet.* 2. *v.* 18. 19. seruis Dei fides habenda, *Exod.* 4. *v.* 5. *Deut.* 18. *v.* 15. 2. *Paralip.* 20. *v.* 20. seruis Dei confirmatio necessaria, *Exempla:* Elias, 2. *Reg.* 1. *v.* 15. Paulus, *Act.* 27. *v.* 24.

SENTENTIAE BIBLICAE.

Seruitus diuina singularis.

Dominum Deum tuum timebis, & illi soli seruies, *Deut.* 3. & 10.

Vsquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini eum, 3. *Reg.* 18.

Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies, *Matth.* 4.

Nemo potest duobus dominis seruire: Aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget, aut vnum sustinebit, & alterum contemnet, 6.

Domino Christo seruire, *Coloss.* 3.

Virtualis.

Dixit Samuel ad populum: Nolite timere, vos fecistis vniuersum malum hoc: verumtamen nolite recedere a tergo Domini: sed seruite Domino in omni corde vestro. 1. *Reg.* 12.

Timete Dominum, & seruite ei in veritate, & ex toto corde vestro. *ibid.*

Tu Salomon fili mi, scito Deum patris tui, & serui ei corde perfecto, & animo voluntario, 2. *Paral.* 28.

Seruite Domino in timore, *Psal.* 2.

Seruite Domino in lætitia. 99.

Seruus tuus sum ego, da mihi intellectum. 118.

Ecce sicut oculi seruorum. Sicut oculi ancillæ. 138.

Fili, accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem. *Eccl.* 2.

Seruus meus es tu, elegi te, & non abieci te. *Esa.* 41.

Quis vestrum habens seruum, arantem aut pascentem boues, qui regresso de agro dicat illi: Statim transi, & recumbe: & non dicit: Para quod cœnem, & præcinge te, & ministra mihi, donec manducem & bibam, & posthæc tu manducabis & bibes? Nunquid gratiam habet seruo illi, qui fecit, quæ imperauerat? Non puto, *Luc.* 17.

Sic & vos, cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: Serui inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus. *ibid.*

Liberati a peccato, serui facti estis iustitiæ. Humanum dico, propter infirmitatem carnis vestræ. Sicut enim exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem. *Roman.* 6.

Nunc soluti sumus a lege mortis, in qua detinebamur: ita vt seruiamus in nouitate Spiritus, & non in vetustate literæ. 7.

Sic nos existimet homo vt ministros Christi. 1. *Cor.* 4.

Non estis vestri. Empti enim estis pretio magno. Glorificate & portate Deum in corpore vestro. 6.

Cum liber essem ex omnibus, omnium me seruum feci, vt plures lucrifacerem. 9.

In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa patientia, 2. *Cor.* 6.

Regnum immobile suscipientes, habemus gratiam, per quam seruiamus placentes Deo, cum metu & reuerentia. *Hebr.* 12.

Vos scitis a prima die, qua ingressus sum Asiam, qualiter vobiscum per omne tempus fuerim, seruiens Deo cum omni humilitate, *Actor.* 20.

Salutaris.

Custodit Dominus animas seruorum. *Psal.* 97.

Filij seruorum tuorum habitabunt, & semen eorum in sæculum dirigetur. 102.

Perdes omnes, qui tribulant animam meam, quoniam seruus tuus ego sum. 143.

Ecce intelliget seruus meus, & exaltabitur, & eleuabitur, & sublimis erit valde. *Esa.* 52.

Nunc liberati a peccato, serui autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam. *Roman.* 6.

Seruus malus profectum Domini negligit.

Quis est omnipotens, vt seruiamus ei? *Iob.* 21.

Huiuscemodi Christo Domino nostro non seruiunt, sed suo ventri. *Rom.* 16.

Malum pœna incurrit.

Si dixerit malus seruus in corde suo: Moram facit Dominus meus venire: & cœperit percutere conseruos suos, manducet autem & bibat cum ebriosis: veniet Dominus serui illius in die, qua nõ sperat, & hora, qua ignorat, & diuidet eum, partemque eius cum hypocritis. *Matth.* 24.

Ille seruus, qui cognouit voluntatem domini sui, & non fecit secũdum voluntatem eius, vapulabit multis: qui autem non cognouit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis. *Luc.* 12.

Seruitus peccati in se vitiosa.

Amen amen dico vobis, quia omnis, qui facit peccatum, seruus est peccati. *Io.* 8.

An nescitis, quoniam cui exhibetis vos seruos ad obedientiam, serui estis eius, cui obeditis, siue peccati ad mortem, siue obeditionis ad iustitiam. *Rom.* 6.

Libertatem illis promittentes, quum ipsi serui sint corruptionis. A quo enim quis superatus est, huius & seruus est. 2. *Pet.* 2.

Homini damnosa.

Seruus non manet in domo in æternum. *Io.* 8.

Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentijs eius. *Rom.* 6.

Quum enim serui essetis peccati, liberi fuistis iustitiæ. Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors est. *ibid.*

Seruitus humana onerosa.

Euigilans Noe ex vino, quum didicisset, quæ fecerat ei filius suus minor, ait: maledictus puer Chanaan, seruus seruorum erit fratribus suis. *Genes.* 9.

Duæ gentes sunt in vtero tuo, & duo populi (ait Dominus Rebeccæ) ex tuo ventre diuidentur, Populusq; populum superabit, & maior seruiet minori. 25.

Eme nos in seruitutem regiam, & præbe semina, ne pereunte cultore redigatur terra in solitudinem. 47.

Manus fortium dominabitur: quæ autem remissa est, tributis seruiet.

Pretio empti estis, nolite fieri serui hominum. 1. *Cor.* 7.

Seruus bonus fideliter operatur.

Filio doloso nihil erit boni; seruo autem sapienti prosperi erunt actus, & dirigetur via eius. *Prou.* 14.

Seruus sapiens dominabitur filijs stultis. 17.

Seruo sensato liberi seruient. *Eccl.* 10.

Serui obedite dominis carnalibus cum timore & tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo: non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes, sed vt serui Christi. *Ephes.* 6.

Serui obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis, timentes Deum. Quodcunque facitis, ex animo operamini, sicut Domino, & non hominibus, scientes, quod a Domino accipietis retributionem hæreditatis. *Coloss.* 3.

Quicunq; sunt sub iugo serui, dominos suos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini & doctrina blasphemetur. Qui autem fideles habẽt dominos, nõ contemnant, quia fratres sunt, sed magis seruiant, quia fideles sunt & dilecti. 1. *Timoth.* 6.

Seruos Dominis suis subditos esse, in omnibus placentes, non contradicentes, non fraudantes, sed in omnibus fidem bonam ostendentes. *Tit.* 2.

Admone

Admone illos principibus & potestatibus subditos esse, dicto obedire, & ad omne opus bonum paratos esse. 3.

Serui subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis & modestis, sed etiam dyscolis. 1. *Pet.* 2.

A domino suo utiliter remuneratur.

Acceptus est regi minister intelligens. *Prou.* 14.

Vides ut prompti ad gerendum negotia in aulis regum ministrant, & non apud priuatos aut obscuros. 22.

Non lædas seruum in veritate operantem, nec mercenarium dantem animam suam. *Eccl.* 7.

Seruus sensatus sit tibi dilectus quasi anima tua: non defraudes illum in libertate, neque inopem derelinquas illum. *ibid.*

Si est tibi seruus fidelis, sit tibi quasi anima tua, si læseris eum iniuste, in fugam conuertetur. 33.

Et vos domini eadem facite illis, remittentes minas, scientes, quia illorum & vester Dominus est in cœlis. & personarum acceptio non est apud eum. *Eph.* 6.

Domini, quod iustum & æquum, seruis præstate, scientes, quoniam & vos Dominum habetis in cœlo. *Col.* 4.

Seruus malus oscitanter operatur.

Cibaria, & virga, & onus asino: Panis, & disciplina, & opus seruo. Operatur in disciplina, & quærit requiescere, laxa manum illius, & quærit libertatem. *Eccl.* 33.

A domino decenter coarctatur.

Seruus uerbis non potest erudiri, quia quod dicis, intelligit: & respondere contemnit. *Prou.* 9.

Qui delicate a pueritia sua nutrit seruum suum, postea sentiet eum contumacem. *ibid.*

Iugum & lorum ceruicem subigunt, neruus & tormenta seruum malitiosum. Mitte illum in opus, ne vacet: otium enim multa vitia docuit. Adige eum ad opus, quod officium eius postulat. Quod si non obaudierit suis, grauia illum compedibus. *Eccl.* 33.

Patrum Sententiæ.

Vis vt seruiat caro tua animæ tuæ? Deo seruiat anima tua: debes regi, vt possis regere. *Aug. super Ioan.*

Quum mihi accidit, vt me amplius cantus, quam res, quæ canitur, moueat, pœnaliter me peccare confiteor, & tunc mallem non audire cantantem. *lib.* 10. *confess.*

Prudenter sibi Deus seruiri vult, non vt nimietate sua debiles fiant, & postea medicorum suffragia requirant. Temperandum est. n. vt si fieri potest, cœptum obsequium magis prouehatur, quã per inconsideratiã minuatur: intemperãtia. n. ipsam aĩam inquietã facit, vt quum de infirmitate sollicita est, non tantum dedita sit diuinis seruitijs. Damnum ergo affert improuidentia. Anima. n. in tranquillitate posita totum cor extollit ad Deum, integro cõsilio obsecrans, quæ petenda sunt. *Ambr. in* 1. *epist. ad Tim.*

Qui accingi in diuino seruitio properat, quid aliud, quam se contra antiqui aduersarij certamen parat? vt liber in certamine ictus suscipiat, quietus sub tyrannide in captiuitate seruiat. Vnde cum Deo pax robustior oritur, nobis ab aduersarijs durior pugna reseruatur. *Greg. in Mor.*

Nemo potest in vna & eadem re Omnipotenti Deo seruire, atque eius hostibus gratus existere. Nam Deo amicum se denegat, qui eius placet inimico. *In hom. super Ezech.*

Reuelatur seruo Dei potestas, mercenario felicitas, filio veritas. Seruus dicit: Vadam ad portas inferi. Mercenarius: non videbo Dominum Deum in terra viuentium. Filius, psalmos nostros cantabimus, &c. *Bern. in quodam serm.*

Decorem domus non dicit pulchritudinem parietum, aut ministrorum pretiosissimos apparatus, sed ipsorum actuum beatissimam qualitatem, quibus cuncta gaudet Ecclesia, sc. in Psalmorum iubilatione, in precum sanctitate, in Christiani populi deuotione subiungens: quia vbicumque habitat Deus, gloria est, gloriosum efficit, quicquid inhabitare dignatur. & ab hospitib. merito crescit hospitij magnitudo. *Cassiod. sup. Psal.* 25.

Quamuis hoc non a laicis videatur exceptum specialiter tamen sacerdotibus probatur impositum. vt tales ministros habeant: qui diuinis regulis non repugnent. *super Psal.* 100.

Deus sustinet, vt corrigat, flagellat, vt erudiat, probat, vt præstet, si fas. vt cælum non cooperiat terram, non potest fieri, vt Deus nõ protegat sibi purissime seruientem. *Super Psal.* 102.

Mutat quaslibet largitates malorum seruientium manus, quia sicut fontis puritas per limosa corrumpitur: sic affluentia boni principis malis distributoribus immutatur. *lib. epist.* 15.

O extrema conditio seruitutis: natura liberos genuit, sed fortuna seruos constituit, seruus cogitur pati, & nemo finitur cõpati, dolere compellitur, & nemo condolere permittitur. Sic ipse vero seruus est, aliena viuere quadra. *Inn. de vilit. condit. humana.*

Seruit, quicunque vel metu frangitur, vel delectatione irretitur, vel cupiditatibus ducitur, vel indignatione exasperatur, vel mœrore deijcitur, seruilis enim est omnis passio. *Ambr. de Iacob & vita beata, l.* 2.

Manebat, inquit, ante vini inuentionem omnibus inconcussa libertas. nemo sciebat a consorte naturæ suæ obsequia seruitutis exigere. Non esset hodie seruitus, si ebrietas non fuisset. *Præclara D. Ambrosij sententia.*

Bonus etiamsi seruiat, liber est: malus autem, si regnat, seruus est: nec vnius hominis, sed quod grauius est, tot dominorum, quot vitiorum. *Aug. l.* 4. *de ciuit. Dei.*

Conditio seruitutis iure intelligitur imposita peccatori. *August. ibid. l.* 20.

Est sapienti seruire libertas. Ex quo colligitur, quod stulto imperare seruitus est: & quod peius est, quo paucioribus præsit, pluribus dominis & grauioribus seruit. Seruit enim proprijs passionibus, seruit suis cupiditatibus, quarũ dominatio nec nocte nec die fugari potest, quia intra se dominos habet, intra se seruitium patitur intolerabile. *Hier. in epist. ad Simplicianum.*

Poetarum Dicta.

Phocylides.

Γαστρὸς ὀφειλόμενον δασμὸν παρέχου θεράποντι.
Ventris debitam mercedem præbe seruis.
Δούλῳ τακτὰ νέμοις ἵνα τοι καταθύμιος εἴη.
Seruo pacta tribuas vt tibi beneuolus sit.
Στίγματα μὴ γράψῃς ἐπονειδίζων θεράποντα.
Notas ne inuras vituperans seruum.
Αἰδ... καὶ βουλὴν παρ' οἰκέτου εὖ φρονέοντος.
Cape etiam consilium a famulo bene sentiente.

Menand. Stob. serm. 60.

Οὐδὲν κτῆμα κάλλιον βίῳ
Ὅταν τύχῃ τις εὐνοοῦντος οἰκέτου ἐστιν.
Quum quis incidit in seruum bonum,
Nulla est possessio melior.

Menand.

Μακάριος ὅστις μακαρίοις ὑπηρετεῖ.
Beatus qui beatis seruit.

Sen. Troad. Act. 4.

Durum, inuisum, & graue est
Seruitia ferre.

Plaut. Capt.

Decet innocentem seruum atque innoxium
Confidentem esse, suum apud herum potissimum.

Propert. 3. 4.

Omnis enim debet sine vano nuncius esse.
Maioremq. timens seruus habere fidem.

Plaut. Mil.

Nam homini seruo suos
Domitos oportet habere oculos, & manus
Orationemque.

Plaut. Epid.

Sed tacitum optimum est plus scire satius est,
Quam loqui seruum hominem: ea sapientia est.

Plaut. Asi.

Non decet superbum esse hominem seruum.

Plaut. Pers.

Qui hero suo seruire vult, bene seruit seruitutem.
Na edepol illum multa in pectore suo collocare oportet,
Quæ hero placere censeat præsenti, atque absenti suo.

Plaut. Menæch.

Clientes sibi omnes volunt esse multos: bonine an mali sient,
Id haud quæritant. res quæritur magis, quam clientum fides.
Quoiusmodi cluat si est pauper, atque haud malus,
Nequam habetur: sin diues est, habetur is cliens.
Frugi, qui neque leges, neque æquum, neque bonum vsquam colunt,
Sollicitos patronos habent, datum denegant, quod datum est.

Claud. 3. Stil.

Fallitur, egregio quisquis sub principe credit
Seruitium. nunquam libertas gratior extat,
Quam sub rege pio.

Plaut. Menæch.

Homines captiuos qui catenis vinciunt,
Et qui fugitiuis indunt compedes,
Nimis stulte faciunt, mea quidem sententia,
Namque homini misero si ad malum accedit malum,
Maior libido est fugere & facere nequiter.
Nam se ex catenis eximunt aliquo modo,
Tum compediti annum lima præterunt,
Aut lapide excutiunt clauum.

Famulus, & mores illius quales esse oporteat.

Ioannes Campanus.

Scis mihi qua, Polydore, potes ratione placere,
Si qua præscribam præcipiamque facis.
Lex igitur sit prima: Fidem seruato: deinde

A domini mundas rebus habere manus.
Odi mendacem, non possum ferre proteruum.
Nec tu maiorem credo placere mihi.
Odi qui multum sese mihi iactat: & odi
Alterius famam qui lacerando premit.
Displicet indocilis animum mihi displicet ille,
Qui multo semper murmure iussa facit.
Non est quod durum, non est quod lis te amantem,
Contactum non est inuidia, quod amem.
Assentatorem non plane dilige, nec qui
Desidia fuerit deditus atque gula.
Quis toleret famulum domini secreta volentem
Scire: quis elatum, multiloquumque ferat:
Fallacem fugio cen tartara, deniq; cunctum
Ingenuis hominem moribus esse volo.

Claudianus.

Si metuis, si praua cupis si duceris ira:
Seruitij patiere iugum, tolerabis iniquas
Interius leges, tunc omnia iura tenebis,
Si poteris rex esse tui.

Iuuenalis.

Maxima quaque domus seruis est plena superbis.

Idem in Meleagro.

Ὡς ἡδὺ δούλοις δεσπότας χρηστοὺς λαβεῖν. καὶ δεσπόταισι δοῦλον εὐμενῆ δόμοις.
Quam iucunda res est seruis, bonos dominos nancisci:
Et dominis seruum in aedibus beneuolum.

Euripides in Alcmaeone.

Μέτεστι τοῖς δούλοισι δεσποτῶν νόσου.
Δούλῳ γὰρ οὐχ' οἷόν τε τ' ἀληθῆ λέγειν,
Εἰ δεσπόταις μὴ πρέποντα τυγχάνοι.
Serui dominorum morbis inficiuntur.
Seruo enim non fas est verum dicere,
Quod hero fuerit incommodum.

Idem in Eurystheo.

Πιστὸν μὲν εἶναι χρὴ τὸν διάκονον,
Τοιοῦτον τ' εἶναι καὶ στέργειν τὰ δεσποτῶν.
Fidum oportet esse ministrum,
Et talis cum sit, res heriles amare.

Sophocl.

Εἰ σῶμα δοῦλον, ἀλλ' ὁ νοῦς ἐλεύθερος.
Et si corpus seruum sit, mens tamen est libera.

Nemo bonus seruus est.

Antholog. Sacra Iacob. Bill.

Oppressis quoties impiis dominantur iniqui,
Non est ut poenas supplicium meruit.
Sed virtus si act sub tali examine crescit,
Nec seruile graui et libera corda iugum.
Solus peccatur seruus male qui licet amplo
Vtatur regno, fit miser est famulus:
Quem anime carnalis immunis dominante tyranno,
Est ferale sceptris dedita, quot vit ...

Plaud. in Pleud.

Plagigera hominum genera, quorum haud quidquam in mentem venit, vt recte faciant.
At cum est occasio data, rape, clepe, rape: hoc est eorum opus, vt mamillas lupos apud oues relinquere, quam hos domi custodes.

Sententiae Philosophicae.

Δουλεία γὰρ καὶ ἐλευθερία, ὑπερβάλλουσα μὲν ἑκατέρα, πάγκακον, ἔμμετρος δ' οὖσα πανάγαθον. μετρία δ' ἡ θεῷ δουλεία, ἄμετρος δ' ἡ τοῖς ἀνθρώποις. Θεὸς δ' ἀνθρώποις σώφροσι νόμος.

Tam libertas enim quam seruitus, si modum excedant, pessimae sunt moderatae vero, perquam bonae. Est autem moderata seruitus, quae Dijs obnoxia fuerit: immoderata, quae hominibus: Deus vero hominibus sobrijs lex est. *Plat. in legib.*

Ὁ μὴ δουλεύσας, οὐδ' ἂν δεσπότης γένοιτο ἄξιος ἐπαίνου.

Qui nunquam seruiuit, etiam dominus laude dignus fieri nequit. *Idem legum 6.*

Πρὸς δὲ τοῦ βασιλεῦ. καὶ τόδε ἐς θυμὸν βάλλευ, ὡς τοῖσι μὲν χρηστοῖσι τῶν ἀνθρώπων κακοὶ δοῦλοι φιλέουσι γίγνεσθαι, τοῖσι δὲ κακοῖσι χρηστοί.

Praeterea, o Rex, & illud considerabis, quod bonis hominibus mali serui obtingere solent: malis vero boni. *Herodotus l. 8.*

Qui etiam mores actionesq. seruorum, nihil vnquam facit impie, nihil inique, atque ita in eis se seruat immaculatum, ad producendas virtutis fruges erit aptissimus. Idem quoque domino & tyranno, omnique potentiore aduersus imbecilliores recte dici potest. Castigandi caedendique semper iure sunt serui, neq; ita monendi vt liberi, ne molliores fiant. Alloquutio omnis ad seruos quodammodo imperium sit, neque iocus vllus cum ipsis seu foeminis, siue masculis habeatur: quod multi stulte facientes, dum delicatius eos nutriunt, difficiliorem vitam & sibi ad imperandum, & illos ad obediendum reddunt. *Plato in 6. de legib.*

Τοῖς δὲ παρὰ φύσιν δοκεῖ τὸ δεσπόζειν. νόμῳ γὰρ τὸν μὲν δοῦλον εἶναι τὸν δ' ἐλεύθερον, φύσει δ' οὐδὲν διαφέρειν, διόπερ οὐδὲ δίκαιον, βίαιον γάρ.

Videtur nonnullis esse dominatio praeter naturam. Lege namque institutum est, vt serui habeantur aliqui, liberi autem alij: at natura nullum prorsus esse discrimen, proinde nec est iustum quidem, quando non abest violentia.

At enim cum sine necessarijs impossibile sit viuere, & bene viuere nam & in artibus necessarium est propria inesse instrumenta, si opus modo confici debeat. Equidem in re familiari idem contingere in confesso est. At *τῶν δ' ὀργάνων τὰ μὲν ἄψυχα, τὰ δ' ἔμψυχα.* id est, Instrumenta autem alia inanimata sunt, alia animata: vt enim gubernatori clauus inanimatus est, is autem, qui proram gubernat, animatus (minister enim instrumenti speciem gerit in artibus) sic opes instrumenta sunt, quae ad vitam sunt necessaria, & possessio. Commoditatum copia, & seruus animata est possessio, & minister omnis est quasi instrumentũ, modo munus, quod iuberetur, aut quod praesentisceret, exequi posset, vt quemadmodum aiunt: Daedali statuas, aut Vulcani tripodes (quos inquit Poeta sponte sua ad praelia Deorum venisse) sic & pectines texerent, & plectra lyrã pulsarent, haud esset sane, quod vel architecti ministros, vel domini seruos requirerent. *Aristoteles 1. Politic. inquit.*

Seruitutem esse omnium postremum non modo bello, sed etiam morte fugiendum, a celeberrimis authoribus pronunciatum est. Spinosa vita est, & multis obicibus praepedita: quoniã, vt inquit Imperator, Libertatis incomparabile pretium est, cõtemptibilis quoque, nam & iure ciuili serui pro nullo habentur, nec caput habent, imo vero etiam miserrima. Etenim, quid miserius, aut infelicius, quam addici alicui, & qui vitae, & necis in te habeat potestatem: & si quid acquiras, domino acquiras. Sed & vates nobilissimus, lib. Odyss. 7. & 10. ita canit: *ἥμισυ γάρ τ' ἀρετῆς ἀποαίνυται εὐρύοπα Ζεὺς ἀνέρος, εὖτ' ἄν μιν κατὰ δούλιον ἦμαρ ἕλῃσι.* Quibus dimidium ei virtutes perire confirmat, quem seruilis obuallarit necessitas. Inde factum puto, seu premente vi, cum qua ne Dij quidem (sicuti dicitur) pugnant: siue educatione praua, seu vtroque potius, vt parte plurima serui de prima malitiae ac vafritiae nota sint, & habeantur. quod furciferi appellatio indicat: & quia malis moribus homines, & lingua procaci, ab hoc fere genere vernaculi nuncupantur. Hinc dira excogitata supplicia ad reprimendam aestuantis mali & increscentis audaciae vim proruptã, nimio plus grassantem, ac in domini perniciem subinde assultantem: quae cum materno lacte vitiorum (vt sic loquar) segetẽ hausisse videri potest. *Cael. Rhod. l. 7. lect. antiq.*

Οἱ *ἀγαθοὶ οἰκέται ἐλεύθεροι· οἱ πονηροὶ ἐλεύθεροι δοῦλοι πολλῶν ἐπιθυμιῶν.*

Boni famuli, liberi sunt: improbi vero liberi multis cupiditatib. seruiunt. *Bion l. de seruitute.*

Οἰκέτῃσιν μέρεσιν τοῦ σκήνεος χρῶ, ἄλλῳ πρὸς ἄλλο.

Seruis vt partibus corporis, alio ad aliud vtere. *Democr.*

Oportet seruis dare operam, & victum sufficientem, quia sine mercede impossibile est dominari. Victus autem est merces seruo.

Impossibile est, negligentibus dominis, seruos sollicitos esse. *Arist. l. Oeconom.*

Quis neget, oẽs leues, omnes cupidos, omnes denique improbos esse seruos? An ille liber mihi videtur, cui mulier imperat, cui leges imponit, praescribit, vetat, iubet quod videtur, qui nihil imperanti negare potest, nihil recusare audet? Si poscit, dandum est: si vocat, veniendum: si eijcit, abeundum: si minatur, extimescendũ. Ego vero non istum modo seruum, sed nequissimum seruum, etiamsi in amplissima familia natus sit, appellandum puto. An etiam eorum seruitus dubia, qui peculij cupiditate nullam conditionem recusant durissimae seruitutis? haereditatis spe, quid iniquitatis in seruiendo non suscipitur? quem nutum locupletis orbi senis non obseruat? loquitur ad eius volũtatem: quicquid denũciatum sit, facit, assentatur: assidet, inuitat. Quid horum est liberi? Quid denique serui non inertis? Quid iam illa cupiditas quae dicitur esse liberalior honoris, & imperij prouinciarum quã dura est domina, quam imperiosa, quam vehemens. Iudex vero quantum habet dominatum, quo timore nocentes afficit. An nõ est omnis metus seruitus omnis? an debilitas? an humilis & fracti timiditas seruitus est? *Cic. lib. Paradox.*

Seruitus esse ex ijs videtur, quae praeter naturam fiunt. Ita sancit Imperator, item & Iureconsultus Pomponius, ff. de verborum & rerum significatione. Florentius ff. de statu hominum. Seruitus ẽ constitutio iuris gentium, qua quis dominio alieno contra naturã subijcitur. Serui ex eo appellati, quod captiuos vendi Imperatores iuberent, ac per hoc seruare, nec occidere: qui & mancipia dicuntur, eo quod ab hostib. manu caperentur. Seruos porro nasci tradunt, aut fieri: nasci quidem ex ancillis nostris: fieri autem iure gentium, hoc est, captiuitate: aut iure ciuili, quum homo liber maior viginti annis, ad pretium participandum, sese venundari passus est. Instit. de iure personarum. §. Seruitus. *Calius Rhodiginus lib. 25. c. 17.*

Cum

Cum seruis familiariter viuere decet prudentiam tuam. Serui sunt? immo homines. Serui sunt? immo contubernales. Serui sunt? immo humiles amici. Serui sunt? immo conserui, si cogitaueris tantundem in vtrosque licere fortunæ. Itaque rideo istos, qui turpe existimant cum seruo suo cœnare. Quare? nisi quia superbissima consuetudo, cœnantem dominum stantium seruorum turba circumcingi, maiestatis suæ diminutionem putare, ad eandem mensam cum seruo accedere. *Seneca epistola 47. alloquens Imperatorem.*

Seruitus est obedientia fracti animi & abiecti, arbitrio carëtis suo. *Cic. Parad. penult.*

Omnibus grauc seruientis iugum esse debet in libertate educatis. *Antequam iret in exilium.*

Omnis est misera seruitus. *Phil.* 10.

Nihil est fœdius seruitute: ad decus & libertatem nati sumus. *Philip.* 12.

Cum omnis seruitus est misera, tum vero intolerabile est seruire impuro, impudico, effœminato *Phil.* 3.

Mors est seruitute potior. 1. *Phil.* 10.

Mors seruituti turpitudinique anteponenda. 1. *Offic.*

Qui seruitutem contempserit, in qualibet turba dominantium liber est. *Senec.* 28 *epist.*

Infelicibus seruis mouere labia, nec hoc quidem, vt loquantur, licet: sed sic fit, vt isti de domino loquantur, quibus coram domino loqui non licet. At illi, quibus nō tantum coram dominis, sed cum ipsis erat sermo, quorum os non consuebatur, parati erant pro domino porrigere ceruicem: in conuiuiis loquebantur, sed in tormentis tacebant. *Idem epist.* 47.

Vis tu cogitare illum, quem seruum tuum vocas, ex eisdem seminibus ortum, eodem frui cœlo, æque spirare, æque viuere, æque mori? tam tu illum ingenuum videre potes, quam ille te seruum. Stare ante limen Callisti dominum suū vidi, & aliis intrantibus excludi. Mariana clade multos splendidissime natos fortuna depressit: alium ex illis pastorem, alium custodem casæ fecit. *ibid.*

Sic cum inferiore viuas, quemadmodum superiorem tecum viuere velis. Quoties in mentem venerit, quantum tibi in seruum liceat, veniat in mentem tantū in te domino tuo licere. At ego, inquis, nullum habeo dominum: bona ætas est, forsitan habebis. Nescis qua ætate Hecuba seruire cœperit, qua Crœsus, qua Darii mater, qua Plato, qua Diogenes. *ibid.*

Seruus est, sed fortasse liber animo. Seruus est, ostende, quis non sit; alius libidini, alius auaritiæ, alius ambitioni, omnes timori. Nulla seruitus turpior est, quam voluntaria *ibid.*

Paucos seruitus, plures seruitutem tenent. *Epist.* 55.

Qui in seruos suos irascitur, & crudelis est, satis ostendit potestatem aduersus alienos sibi defuisse. *Lib. de moribus.*

Seruis tuis hilarem te præstes, non superbum. superiorem te colāt potius, quam timeant. *Epist.* 47.

Si quis existimat, seruitutem in totum hominem descendere, pars eius melior est excepta: corpora obnoxia sunt & adscripta dominis, mens quidem sui iuris est. *Lib. 3 de benefic.*

Plerique hominum stulti sunt, qui seruiles cibos, & seruilem fugiūt vestem, seruiles mores non fugiunt. *De morib.*

Liberi seruique personam veritas separat, seruum liberumque mendacium miscet. *ibid.*

Cum Diogenes e libertate in seruitutem venderetur, & eum quidam emere vellet, quid seruitutis sciret, percontatus est? Respondit: Noui, inquit, hominibus liberis imperare, sat ille eum manumisit, filiosque ei tradens: Accipe, inquit, liberos meos, quibus imperes. *Aul. Gell. l.* 5.

Non solum causa est seruitutis qui ipse alios opprimit: sed etiam qui, cum possit, non defendit socios. *Thucyd. l.* 5.

Nihil contumeliosius viris ad arma natis, quam inermes ac prope nudos sub custode & pretio coire. *Item.* Etiam fera animalia, si clausa teneas, virtutis obliuiscuntur. *Item,* haud facile libertas, & domini miscentur. *Item,* Quomodo lucem noctemque omnibus hominibus, ita omnes terras fortibus viris natura aperuit. *Tacit. hist. lib.* 4.

Non tam delectat libertas, quam seruitus offendit. *Herodianus in Pertinace.*

Quicunque vel seruitute, vel aliquonis dehonestamento obducti in aciem prodeunt, in ipso profecto certamine, si se grauiter gesserint, geminatam sortiuntur felicitatem. Nam si victores euaserint, a malis se & infortuniis vindicant; victi vero id solatii referunt, quod deteriorem non victo fortunam sequuntur. Qui vero cum liceat, sibi sine belli discrimine liberos fieri, & alioquin ad certamen descendunt, firmiorem sibi vt pariant seruitutem, hi procul dubio vel si potiti forte victoria sint, vel in admodum necessariis rebus falluntur, & ipso in bello longe pauciora ac ipsi vellent incolumes euadendo, cum cæteris infortuniis, vel eo maiorem sunt habituri calamitatem quod bello vincuntur. *Proco de bell. Hol.* 1.

Quæ est ista seruitutis necessitas, qua minus quod velis, dicere liceat? *G. Pachym. hist.* 1.

In vrbe, in qua munia loca & iuris administratio in aliorum potestate sunt, nulla libertatis pars cognoscitur. *F. Guicciard. hist. l.* 4.

Viri fortes emori potius liberi, quam serui cum ignominia viuere didicerunt. Et si per se indignū est & miserum, alienæ libidini seruire, et illud longe grauissimum honestis viris videtur eorū ferre iugum, qui neque vetustate originis, neque bellica virtute, neque vlla in re sibi omnino conferendi esse videntur. *P. Iou. hist. lib.* 3.

Suspecta maioribus nostris fuere ingenia seruorum, etiam cum in agris aut domibus iisdem nascerentur, charitatemq; dominorū statim exciperēt. Postquā vero nationes in familiis habemus (dictum Dassij Senatoris) quibus diuersi ritus, externa sacra aut nulla sunt, colluuiē istam non nisi metu coerceueris. *Tacit. annal. l.* 14.

Crassus ipse docendis instituendisque seruis præerat, docens Domino maxime conuenire curam seruorum, qui rei domesticæ animata sunt instrumenta. Non male Crassus, siquidem ita sensit vt diait, reliqua a seruis debere, ipsos a domino gubernari. Etenim rationem familiæ administrandæ videmus cum in tractandis rebus inanimis quæstuaria sit, in hominibus instituendis ciuilem rationem fieri. *Plut. in Crasso.*

Seruo vtilius est parere dicto, quam afferre consilium: quum illos, qui pareant, idem quod cæteros maneat: qui vero suadent, proprium periculum. *Curt. l.* 7.

Noli inter eos ambulare, quorum potes esse adhuc seruus, *Spartian. in Adr.*

De seruis malis. DIAL. LXIX.

Francisc. Petrarcha.

D o l.

Malis seruis obsideor. R. Nunc recte ais, obsideor: olim tibi circumfultus videbare, sed obsessus eras, non familiari solum exercitu, sed hostili. D. Indomitis seruis premor. R. Tuæ acies contra te militant, insuaue negotium. D. Superbis seruis obsessus sum. R. Eosque, qui te obsident, pascere cogeris, inamœna necessitas. D. Seruis obsideor pessimis, voracibus, furibus, mendacibus, impudicis. R. Quid seruorum epithetis afflueere est opus? Seruos dic, omnia dixeris. D. Seruis obsideor, quid consulis? R. Quid consulam, seu quid dicam, nisi Terentianum illud: *Quæ res in se neque modum, neque consilium habet vllum, eam consilio regere non potes* Nota sunt tibi hac in re Senecæ consilia: Viuendum cum seruis familiariter, comiter, clementer, familiarem esse iubet: at quib. nempe his, quorum familiaritas contemptus est genitrix. Adde: Non verbum, sed verborum castigatione vtendum, eis surdos scilicet, torpentesque, dominicamque mansuetudinem duro pede calcantes. Admittendos præterea in sermonem, in consilium, in conuictum. Et quos, quæso? vtrique procaces, stultos, ebrios, perfidos, insolentes, qui neque sermonem teneant, neque consiliū habeant, & conuictū fœdent, salutis vitæque domini & patrimonii, & famæ segnes, gulæ autem propriæ atque libidinis vigilantissimi curatores. Verum ille ideo fortassis hoc consuluit, quia in seruo verum opinatur, qđ iā ante de amico dixerat. Fidelem si credideris, facies. Credo, nō cogitas ex optimo genere hominū amicos esse solitos, seruos ex pessimo. Equidem non si mille annis lupū agno credideris, agnus fiet. D. Obsideor seruis. Quid consilii affers? R. Nunquam aliunde quæsieris, quod in te est, non obsidebant, nisi dum voles, neq. vero nūc obsiderent, nisi quod in vrbibus male pacatis accidit, vna pars animi, quasi factio seditiosorum ciuium, obsidentibus faueret. Vis hoc malo liberari? purga animi tui statum. Seruos enim fugare, neque his Senecæ consiliis, neque aliis potes. Te si velis componere nemo vetuerit. Pompas abiice, pelle superbiam. Ita enim vel fugabis seruorum inimicā aciem, vel imminues. D. Multis seruis obsideor. R. Bene, si strepitus, vel inanis quæritur iactātia, sin obsequium, aut iucunditas, nil peius. Serui etsi boni sint, quod inter prodigia numerem, nunquam tamen multi bene seruiunt. Inter se enim dissident, murmurant, altercantur. Alter ad alterius respiciens manus, ipse interim otiosus, complosisq. suis sedēs manibus, domini habitum induisse, suum decus existimat, & nil censet honestius, quam nihil agere cuncta pollicitus: de his namque nunc loquimur, qui falsa professione ventris ignaui negotium agentes, seruitio humili non tantum voluntate, sed importune sese offerunt, innumerabilis turba, sed vilis. qui, quū tot pateant artes, abiectissima elegerunt. Nempe illorum, quos non voluntas propria, sed aliena vis, & sua sors, & seruitium traxit, vt numerus rarior: ita crebrior virtus, & honor fides. Nimirū aliud est seruire velle, aliud cogi. Hi ergo fortunæ memores, vt eosdē se in omni statu præbeant, neu virtutem cum libertate perdiderint, quod multi faciunt, aliquando fideliter faciunt, quum id nequeant, quos volentes somnus, venter, gula, cui cupiditas malitiæ ces in seruitium perduxere, in quo mirum non est, si ducibus suis student, atque id agunt, quod sequuti, falsum simul, atque humilē titulum seruitutis assumpserant. Contra hi, qui tale nihil quod se quererentur, habuere, naturam sequuti, ac fortunam, sæpe quod liberi fuerant serui, ostendunt. Et si fortasse de talibus intellexit, possum inoffensis auribus Senecam audire. D. Multi domum serui occu-

rui occupant. R. Multæ igitur lites, multa bella, de re qualibet pugna erit. Noua quotidie crimina proferantur ac purgentur, & inter partes sedeas oportet. Iudex factus ex domino, non potes litigium domo expellere, litigantes potes. D. Obsideor famulis, sine quibus viuere nequeo, quid agam? R. Si eo vsq; peruentum est, vt sine hostibus tuis esse non audeas: paucitate illorum, ac vilitate tibi consule. Pelle formosos, pelle comptos, ac callidos, pelle vel facie sibi placentes, vel ingenio, vel genere. Inter paucos, eosq; hebetes atque incultos rustica ages, non quia meliores, sed quia minus ausuri, quod velut hieme serpentes coacta vis venenum, atq; vtilis inertiæ torpor obstrinxerit. Denique hæc summa est, vt in seruo sola quidem, aut certe prima fides æstimāda sit. Si quid hac in parte prætuleris, crede mihi magno cum fœnore victurū, qualiscunque illa breuis tibi veniat voluptas, quia sane petrara est fidea, proximum remedii genus, ipsa, quam dixi, paucitas vilitasque, non plus habens boni, sed minus audaciæ.

De seruitute. DIAL. VII.

D o l.

Seruus in hanc vitam intraui. R. Ne doleas, liber egredicre, velis modo, sicut multi, qui ex diuerso intrarunt liberi, serui exibunt. D. Seruiliter natus sum. R. Liberaliter viue, meliore tui parte liberum esse nil prohibet, vna est peccati seruitus grauissima, sed quæ premere nescit inuitos. Illam excute, liber eris. D. Seruum fieri voluit fortuna. R. Potest velle contrarium. Etsi moribus vtitur, scis quid spetes. Nosti monstrum illud, nosti ludos & præstigias, non liber modo, sed domini tui dominus fieri potes, quanquam quid velit, aut quid nolit, nihil ad rem, vt sit inexorabilis (quod interdum est) nullum illa tamen in animum ius habet. In omni autem aduersus illam certamine ab illius hoste poscendum auxilium. Sæpe quem fortuna seruum, liberum virtus fecit. D. Seruitio premor graui. R. Iugum qui fert volens, leue efficit. Ostendā tibi lenimen vnicum, ac peculium immortale, dominique tui, quāuis potensis, arbitrio exemptum, quod te liberum, atq; ipso domino ditiorem faciet. Sapientiæ studio incumbe, illa te in libertatem asseret, dictum Catonis est a Cicerone firmatum: Solus sapiens liber est, ea scilicet libertate, qua certior nulla est. D. Sub durissimis dominis vitam traho. R. Nulla re melius, quam fide & obsequio mollientur, & fortassis adeo, vt (quod multis accidit) inde obi ventura sit libertas, vnde te seruum luges, forsan & aliunde. Hunc siquidem temporalia dominus liberat, huoc æternus. Scis quanto periculo Malchus minas heri persequentis euaserit, sed euasit tamen. Interim de domino sic cogita. Hic te nutrit, tuisque curam omnem in se transtulit, cum libertate sollicitudinem amisisse, quid nisi vile damnum voces? Multis serua libertas, multis est libera seruitus. Non tam graue iugum hominum, quam curarum est. Qui hoc excusserit, illud ferat æquanimis. Huic tu seruus, huic vni es deditus, immo hic tibi, Hic tuus est dominus, immo procurator tuus. Non habebis honores equidem, nec labores publicos, non simultatum studiis, non forensibus procellis, & consiliorum volubilitate rotaberis, non nauigii tarditas, non agri sterilitas, aut annonæ caritas te torquebit. Has molestias domino tuo linquens, sæpe illo dormies vigilante. D. Difficilis & imperiosus est dominus. R. Non sine causa illi in sortem obuenisse te in animo tuo pone. Quicquid igitur iustum iubet, Deum ipsum iubere credito. Sin iniustum aliquid, maioris domini meminisse cōuenit, qui vt te ad honesta, quamuis difficilia, seruum patitur, sic ad inhonesta vult liberum. Sic intelligo, quod gloriosorū terræ, veræque fidei principum alter seruos dominis earū ab his obedire per omnia, alter vero subditos esse in omni timore dominis præcipit: Illud adiiciens, vt hoc non tantum bonis & modestis exhibeant, sed etiam dyscolis, neque enim de domino iudicare seruum decet, sed mores eius qualescunque perferre. Quo enim immitior dominus, eo clarior patientia serui est. Et hæc est gratia, cuius apud horum alterum fit mentio, nec tamen vt mores pati, sic & imperia exequi semper oportet. Sunt enim, quæ iustissime recusentur, si imperio domini superioris aduersa sint. Cui si conferatur hic tuus dominus, non dominus, sed conseruus habebitur. Sic ergo per omnia dominis obediant serui, si iusta præcipiunt, non difficultas retrahat, non labor, non obsequia, vel negata præmia, vel (quod in rebus amarissimum) irrogata supplicia. In omnibus obediant, modo iniustitia, atq; inhonestas abfuerit, alioqui contumacia, & libertas, atque ipsum pectus & iugulum iniquis præceptis ac turpibus opponendus est, seruandumque memoriter, quod præmissorum alter ait, qui cum seruos obedire per omnia dominis præcepisset, addidit, non ad oculum seruientes: quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis timētes dominum. Ex his vides, status tui conditio quænam sit. Non totus est seruus, qui ad magna imperia cogi nequit. D. Superbo domino seruio. R. Quid scis, an ille superiori suo domino seruiat? Forsan vxori meretriculæ, forsan his ipsis, quibus imperat. Quot suorum seruorum seruos vndique cernimus? Postremo (quæ durissima omnium est seruitus) forsan & ipse sibi, hoc est, vitiis & passionibus ac violentis affectibus suis seruit. Quid vis dicam? pauci in veritate sūt liberi, & si qui sūt, eo illis laboriosior vita est, quo altior. Multo enim citius, multoque facilius fidelis serui quām illi regis implentur officia. Diocletiani iam priuati, & de præterito iudicantis, & experientia edocti dictum memorabile est. Nihil difficilius, quā bene imperare, propter quod videri potest ipsum quidem imperium dimisisse. Tu igitur sortē tuam lætus amplectere, fuscam fateor, atque humilem, sed facilem ac trāquillā, nisi forte feliciorem reris in spectaculo anhelantem, quam in cubiculo quiescentem. D. In seruitium mea me sors impulit. R. Libens facito quod oportet, & est illud quoque notissimum, ac necessitatibus humanis aptissimum consilium. Cupias quodcunque necesse est, sic vim ipsam necessitatis eluseris. Fer fortunæ sarcinā patienter, quam quidam etiam sponte subiere, vtq; alios seruitio liberarent sibi seruitium delegere. In quibus est clarissimum Paulini nomen Nolani præsulis, cuius spontaneæ seruitutis exitus felix, vt debuit, fuit. Quidam paruo se pretio vendidere, vt serui effecti suos dominos peccati vinculis absoluerent, atque ad veram reducerent libertatem, in quibus Serapion quidā Aegyptius eremicola nobilitatus est. Hæc tibi magis exempla profuerint, quam lamenta. Experire & tu tale aliquid, quo vel vtilis alteris, vel facilis tibi saltem seruitus tua fit. Non id quidem, quod non habeas optare, sed eo quod habeas bene vti sapientis est. Illud omnibus contingit, hoc paucis. D. Mortali domino mortalis seruio. R. Immortali inseruire incipe, ille tibi & libertatem spondet & regnum, quamuis & in hoc statu nec honestis artibus operā dare, nec sperare meliora sit vetitum. Et Terentius seruus fuit, & didicit haud seruili quidem ingenio, & comœdias scripsit haud seruili stylo, quo & libertatem, & inter poetarum duces meruit locum. Quomodo ergo virtutem solidum animę bonum seruitus impediet, quæ nec adueniticia studia, nec externam gloriam impedire potest? Plato ipse in seruitutem delatus, tamen (vt scriptū est) quia philosophus maior emente se fuit: generosa professio, quæ maiorem domino seruum facit. Et est haud dubie seruus eruditus eo maior indocto domino, seruos qualibet maior est animus, & in libero corpore serua mens habitat, & in seruo libera. Obstare seruitus potest fori actibus, non animi. Curia seruum cespuit: At non virtus, non industria, non fides. Tyro Ciceronis seruus fuit, sed his artibus libertatem adeptus elegantem de patroni iocis librum posteris liquit. Non potest seruus imperator exercitus, aut senator esse. At philosophus, aut orator, at vir bonus potest. Aliquando etiam discusso seruitio imperator & rex quoque. neque ad regnum modo, & imperium ab hoc gradu peruenisse aliquos nouimus, sed ad cęlum ipsum. Non potest seruus militare homini, Deo potest, cuiusque militiæ stipendium est regnare. Dei seruus Rex est omnium socius Angelorum, horror dęmonum. Dei autem seruus, & seruus hominis esse potest, atq; ita cęlesti felicitati terrena seruitus nihil nocet. D. Seruus sum. R. Si semper fuisti, consuetudo luctum leniat. Si minus, spera posse te iterum non esse, quod quandoque non fueris. D. Seruus sum. R. Si speras mali finem, minuat spes dolorem, si desperas patientia. Neque malum malo cumules, neque te angas superuacue sciens voleosque, quæ totius humanæ dementiæ summa est. Sed certe nihil est desperandum. Si cuncta defuerint, mors aderit, quæ te iniusto domino dissoluat ac liberet.

A P O P H T H E G M A T A.

Diogenes. Erat Diogeni seruus nomine Manes, is quum profugisset a domino, admonuerunt amici, vt fugitiuum inuestigaret. At ridiculum, inquit Diogenes, si Manes absque Diogene viuat, Diogenes absque Mane viuere non possit. At multi seruos insequuntur, vt vlciscantur. Diogenes spectabat vsum. Melior autem philosophus est, qui paucioribus eget. Nolebat itaque hic seruo videri deterior. *Laert. l. 6.*

Idem. Quum esset emptus Diogenes, perinde quasi ipse Xeniadem emisset, dixit illi: Vide vt iussis meis pareas. Cumque ille diceret, *ἄνω ποταμῶν*, significās rem præpostere agi, si seruus imperet hero. Si medicum, inquit Diogenes, emisses æger, non illi præscribēti obtemperares? an diceres, *ἄνω ποταμῶν*? Si herus corpore male affectus auscultat seruo rei medicæ perito: multo magis decet animo ægrum auscultare seruo philosophiæ perito: quod enim ars medica præstat corpori, hoc philosophia præstat animo: illa medetur febri, hæc prauis cupiditatibus. Quanto autem animus præstat corpori, hoc illius morbi sunt, quā huius, grauiores. Laertius addit, quum a præcone rogaretur, quo titulo vellet prædicari, isque respondisset, scire imperare liberis: vbi vidisset prætereuntem quendam bene cultum, Huic, inquit, me vende: nam is eget Domino.

Idem dicebat, inter seruos ac dominos malos præter vocabula nihil aliud interesse, nisi quod mancipia seruirent dominis, domini cupiditatibus, significans vtrosque esse seruos: miseriorem seruitutem seruire dominos, quam mancipia, si sint improbi. Nam qui ducitur affectuum arbitrio, & multos habet dominos, & turpes, & inclementes. *Laert. l. 6.*

Anti-

Antigonus. Quum Athenienses seruum Antigoni, honoris gratia, per se de ut ingenuum in ciuium numerum ascripsissent: Nequaquã, inquit Antigonus rex, velim vnum Atheniensem a me loris cædi: significans, per illos factum, vt vnum ciuem Atheniensem posset loris cædere, quippe seruum: sed Athenis esse plures vno commeritos, vt a rege loris cæderentur, qui seruum alienum, quod in ipsis fuit, manumitterent. *Plutarchus in apoph.*

Hadrianus Imp. quum seruum suum videret inter duos senatores ambulantem, misit, qui illi colaphum impingeret, diceretque: Noli inter eos ambulare, quorum adhuc potes esse seruus, simul senatoriæ dignitati consulens, & serui castigans insolentiam, quam de Cæsare hero sumpserat. *Ex Dione Cassio.*

Alex. Seuerus nunquam vtebatur cursore, nisi seruo suo, dicens, ingenuum currere nisi in sacro certamine non debere. *Aelius Lampridius.*

Bion dicebat, bonos seruos esse liberos: improbos autem libertinos multis cupiditatibus seruire. *Stob. serm. 2. & 60.*

Callicratidas interrogatus, quod genus hominũ essent Iones? Liberi, inquit, mali, sed serui boni: significans, illos nescire imperare, ac libertate vti, sed seruitutem æquo animo ferre: videlicet referendos ad secundum hominum genus, iuxta distinctionem Hesiodi, qui per se quidem non sapiunt, sed parent recte sapienti. *Plut. in Lacon.*

Anonyma. Lacæna quædam captiua, quum interrogaretur, quid sciret probe, inquit, regere domum. Et hæc non vulgaris ars est in muliere. *Plut. in Lacænarum apoph.*

Alia. Quædam a licitatore interrogata, num esset futura proba, si ipsam emeret? etiam, inquit, si me non emeris. *Plut.*

Alia. Quum in auctione præco rogaret illam, quid sciret? Libera, inquit, esse: significans, sese captiuam quidem esse, cæterum ad illiberalia iussa non parituram. Itaque quum emptor imperasset quædam non conuenientia liberæ: Plorabis, inquit, qui tibi ipsi talem inuideris possessionem, moxque sibi necem consciuit. *Plut. in apoph. Lacænarum.*

Anonymus. Puer Spartanus captus ab Antigono rege, ac sub hasta venditus in cæteris omnibus, quæcunque putabat ab ingenuo decenter fieri posse, obsequens erat ei, qui ipsum fuerat mercatus: cæterum iussus afferre matulam, haud sustinuit, dicens: Non seruiã: At quum instaret herus, puer conscenso tecto, dixit, Senties, cuiusmodi mercatum feceris: moxque sese è sublimi præcipitem dedit, ac periit. Captiuus esse poterat, seruilia facere non poterat, ac semet in libertatem morte asseruit. *Plut. in Lacon.*

Idathyrsus Scytharum rex, in quem arma mouit Darius, suasit Ionum regibus, vt Histrici pontis iunctura soluta, fugientes sese in libertatem vindicarent; qui quum id facere recusarent, ne violarent fidem, qua Dario erant obstricti, vocauit illos frugi mancipia, & ἀδράποδα, hoc est, qui fugere nollent. Nam hæc non minima laus est seruorum, nolle fugere, si liceat: at nolle tyrannicam seruitutẽ commutare libertate, si detur opportunitas, animi seruilis est. *Plut. in apoph.*

Antigonus conspiciens, filium suum eos, in quos habebat imperium, ferocius tractantem, atque insolentius: An ignoras, inquit, fili, regnum nostrum esse splẽdidam seruitutem? Nihil dici potuit cordatius. Nam princeps non minus obseruire cogitur populo, quã populus principi; nisi quod princeps id facit cum dignitate. alioqui reuera mutua seruitus est. *Plut.*

Anonymus quidam in seruum furacem ita iocatus est, vt diceret, eũ solum esse, cui domi nihil esset nec signatum, nec occlusum. Id si de frugi seruo dicas, laus est: si de furaci, iocus. Intelligimus enim illi nec seras nec signa obstare, quo minus furetur. Scrinia claudimus: olim & cadi & lagenæ solebant obsignari. *P. M. l. 6. apoph.*

Anonymus. Aetoli quondam ingressi regionem Laconicam, abduxerunt quinquaginta seruorum millia, vnde Lacon quispiam senior festiuiter dixisse fertur: Magno bono fuerunt hostes Laconicæ, quam tanta turba leuarunt. *Plut. in Lacon.*

Anonymus. Cum Thebani irrupissent in Laconicam, & inter captiuos captiuasque multos etiam abduxissent Helotas, iusserunt illos Terpandri, Alcmanis ac Splendontis Laconica carmina canere, illi recusarunt, dicentes, id nolle filias heriles; adeo plus apud illos valuit conceptiuarum puellarum authoritas, quam iussa victoris. Hinc probarunt quidam, esse verum quod vulgo dicere tur: liberum Spartæ maxime liberum esse, contra seruum maxime seruum. *Plut. in vita Lycurgi.*

Alcmenes, percontanti cuidam, cur Lacedæmonii Helotibus committerent colendos agros, ac non ipsi potius eos colerent? Quoniam, inquit, non ipsorum causa, sed nostra, Helotas nobis comparanimus. Videlicet stultitiam eorum taxans, qui mancipia ad ostẽtationem alunt otiosa, & seruos socios ac ministros voluptatum habere malũt, quam frugiferis operibus occupatos. *Plut. in Lacon.*

M. Crassus ille diues magnam seruorum turbam domi alebat, quorũ præcipuam agebat curam, discentibus astans interdum & ipse docens eos, dicens: hanc oportere præcipuã esse patrisfamilias sollicitudinem, nosse, quot sint rei familiaris animata instrumenta.

Diogenes, Conspicatus delicatum quendam a seruo calceari: Nondũ, inquit, sat beatus es, nisi te etiam abstergat, id erit, si mancus fueris. *Laertius lib 6.* Visum est Diogeni, non multo minus absurdum, in calceatu abuti opera famuli, si quis ipse sibi hoc præstare valeat, quam si post exoneratam aluum adhibeat famulum abstergendo podici. Quanquam intelligi potest & de abstergendo naso. Philosopho Ethnico prodigiosæ deliciæ videbantur, ethnicũ calceari a famulo At ego noui Christianum sacerdotem, ac Theologum, cui cum nullum esset membrum mancum, tamen aditurus latrinam, famulos accersebat, qui soluerent ligulas: item reuersus, qui alligarent. Id ego videns, sic mecum cogitabam: Vtinam adesset spectator Diogenes.

Demonax, videns quendam seruum suum crudeliter verberantem: Desine, ait, ne seruo tuo similis fias. Iudicauit vir prudentissimus, reuera seruum esse, qui affectibus suis imperare non possit. *P. M. l 8. apoph.*

Gorgo Cleomenis filia, cum videret Aristagoram a quopiam è famulis calceari: Quid, inquit, pater. Hospes ille manus non habet? Existimabat non ferendas viri delicias, qui in eo abutebatur famuli opera, quod ipse suis manibus facere sibi poterat. Et non pudet quosdam, quibus vestiendis comendisque vix decem famuli sufficiunt. Opus est famulo, qui ventrem exoneraturo soluat ligulas, qui fœnum aut lanam porrigat extersuro, ac minimo minus, qui abstergat. *P. M ex Plut. in Lacon.*

Gillias hospitio exceptus apud hominem durum & vndecunque facientem quæstum, qui ne dormire quidem famulis permittebat, sed alius aliud operabatur noctu: eundem & ipse postea quum Agrigentum venisset, suscepit, & conuocatis famulorum pueris (qui permulti erant) nuces & carycas distribuit. Interrogante autem hospite, vnde tot pueri? A famulis meis, dixit, mihi generantur. Voluit autem ostendere, ita tractandos esse seruos, vt ad procreandos etiam liberos legitime sint apti. *Stob. serm. 62.*

SIMILITVDINES.

Saluiani Episcopi. Sicut solent hi, qui hostium terrore compulsi ad castra se conferunt, aut qui perdito ingenuæ incolumitatis statu ad asylum aliquod desperatione confugiunt: Ita & illi, qui habere amplius vel sedem, vel dignitatem suorum natalium non queunt, iugo se inquilinæ abiectionis addicunt: in hanc necessitatem redacti, vt exactores non facultatis tantum, sed etiam conditionis suæ. atque exulantes non a rebus tantum suis, sed etiam a seipsis, ac perdẽtes secum omnia sua, & rerum proprietate careãt, & ius libertatis amittant. Et quidem quia ita infelix necessitas cogit ferenda vtcunque erat extrema sors eorum, si non esset aliquid extremius. Illud grauius & acerbius, quod additur huic malo seruilius malum. *De vero iudicio & prouidentia Dei. lib 5. fol. 50.*

Plutarchi. Si miserum est seruire: Multo miserrimum est seruire iis, quos non possis effugere. *In Moral.*

P. M. Vt attagen alias vocalis, captus obmutescit, Ita quibusdam seruitus adimit vocem, qui liberi loquebantur. Aut sponte loquuntur, aut canunt nonnulli: si cogas, reticescunt. *In similibus.*

Formicæ triticum arrodunt ea parte, qua germinare incipit, ne sibi reddatur inutile: Sic potentes, quo ministris perpetuo vtantur, premunt, ne si emerserint, tædio seruitutis relinquant aulam. *Ibid.*

EXEMPLA BIBLICA.

Seruorum frugi *Exempla.* Seruus Abrahæ, *Gen 24. v. 10. 12.* Iacob, *30. v. 29.* Ioseph. *36 v. 8.* serui Dauidis, *2. Sam. 15. v 15.* Ethai, & qui cũ eo erant, *v. 22.* serui hominis peregre profecti, *Matth 25. v. 16. 17.* Nobilis cuiusdã serui, minas habentes, *Luc. 19. v. 16. 18.* serui Cornelii, *Act. 10. v. 7.* seruorum in re mala facilius obtemperantium *Exempla:* Serui Pharaonis, *Exod. 9. v. 34. 35. & 14. v. 5.* serui Saulis, *1. Sam. 18. v. 22. 23. & 19. v. 11. & 28. v. 6. 7.* Doeg Idumæus *22. v. 17. 18.* serui Dauidis, *2. Sam. 11. v. 4.* Ioab. *v. 15. 16 & 24. v. 4.* serui Absolonis, *13. v. 28. & 14. v. 29 30.* seniores Israel, *1. Reg. 21. v. 9. 10. 11.* Vrias sacerdos, *4 Reg. 16. v. 10. 11.* serui Ioas, *2. Paral. 24. v. 21.* serui Nabuchodonosor, *Daniel 3. v. 19. 20. &c.* cursores Assueri. *Esth. 3. v. 13.* serui Holofernis, *Iudit. 6. v 7. 8,* satellites Herodis, *Marc 6. v. 17.* Custos carceris, *Act. 16. v. 24.* Seruorum malorum, *Exempla:* Pincerna & pistor Pharaonis. *Gen. 40. v. 1.* serui Semei, *3. Reg. 2. v. 39* Giezi, *4. Reg. 5. 21. 22.* serui Ioas regis Iuda. *12. v. 20. 21. 2. Paral. 24. v. 25.* serui Amon regis Iuda, *21. v. 22. 23.* serui Assueri, *Esth. 2. v. 21.* seruorum malorum descriptio, *Matt. 24. v 48. Luc. 12. v. 45.*

EXEMPLA HISTORICA.

Cum Carya ciuitas Peloponnesi cum Persis hostibus aduersus Græciam consensisset, eamque quantum in se fuit, Xerxi prodidisset: Græci oppido bello capto, virisque interfectis, Caryatides mulieres in seruitutem abduxerunt. *P. Herodius ex M. Vitruuio Pollione.*

Lacedæmonii Helos oppido Messeniæ capto, ciues omnes in seruitutem

tem rapuere. Hinc quosuis iure belli captos Helotas siue Ilotas dixere. *Pausanias.*

Lacedæmoniorum ancillæ Chalcides: Argiuorum Gymnetæ: Sicyniorum Corynephori id est, Clauigeri, a claue. siue Catanocophoti: Arcadum Prosfpelatæ. *Alex. lib. 3. c. 20.*

Apud Romanos animaduersum, ciuibus bellis captos, velut hostes in prædam verti, & venum ire non licuisse: semperque leuius serui tium apud Romanos deditis, quam captis fuisse: Græcosque perraro seruitutem seruisse: quare illorum nullus mercatoribus dabatur locus. *Alex. lib. 2. c. 20.*

C. Marius, qui vitas Imperatorū scripsit, ait, eos omnes probos fuisse principes, qui quamquam ipsi mali, probos apud se libertos ac seruos administratores haberent: cōtra vero, bonos natura principes nequaquam bene regere, vbi malis rem committerent. *Volater. lib. 30. Philologia, de dominis & seruis.*

M. Antonium oratorem accusatum stupri, seruus captus minime prodidit, ex quo Plautus ait, Superbum esse decet fidelem seruum apud dominum suum.

Populus Rom. in clade Cannensi captos redimere nullo modo voluit: Cumque in summam penuriam esset redactus, ergastula soluit, seruorum vndecim millium auxilium quæsiuit, ciuium contempsit: & existimauit eos potius iuuari libertatem, qui nunquam habuissent.

Volsinienses, cum seruos temere omnes manumitterent, ab eis postea oppressi sunt, multaque indigna passi: quibus auxilia petentibus, missus Decius Mus Libertinos omnes partim necauit, partim dominis in seruitutem pristinam restituit.

Seruile bellum in Sicilia terrorem Romanis attulerat, nisi celeriter per Perpennam, & rursus renouatum per M. Aquilium confectū fuisset.

Cum *Cleopatra* intellexisset, Antonium suspicari ipsius culpa cladē fuisse acceptam, eius iram verita in sepulchra se recepit, misitque qui Antonio nunciarent, eam esse mortuam. Antonius Cleopatræ morte commotus, quæ leuiter de suspicione nunuo crediderat, *Heronem seruum* vocauit, iussitque, vt eum occideret. At Hero, domini vitæ quam suæ studiosior, arrepto gladio, dum fingit Antonium percutere, in seipsum gladium conuertit.

Cum missi fuissent a Domitiano milites, qui L. Pisonem interimerent, tunc Africæ Proconsulem, & Carthaginem ingressi, ad Pisonis ædes venissent, Vbi Piso esset, petierunt: *Pisonis seruus*, re perspecta, se Pisonem mentitus est.

Gorgianus Persa, cum in India immensas opes comparasset, inuidia apud Iudicem accusatus falso crimine, occidi iussus est. Duo eius serui eo occiso a Rege vocati, vt domini pecuniam indicarent, statim vt iacentem herum mortuum viderunt, spreta vita animo vnanimes cultellis, quos secum habebant, Regem occiderunt.

HIEROGLYPHICA.

Rasitatio capitis, apud Græcos pariter & Latinos, *seruitutis* indicium fuit. *Pier. Valer lib. 32.*

Quod etiam *annulus* sit *seruitutis* hieroglyphicum, tam maritale signum attestatur, quod addictam esse viro sponsam indicat: quam Pythagoræ symbolum exponit, dum nos arctum annulum gestare vetat: quod ex D. Hieronymi interpretatione: non esse anxie viuendum admonet: quippe cauendum, ne nos in eam seruitutē conijciamus, quæ dura sit & incommoda. *Pier. Valer. lib. 56.*

FABVLA.

Columba & Cornix.

Columba, quæ in columbari nutriebatur, iactitabat fœcunditatem suam: audiens hoc cornix, at tu, inquit, nequicquam ea re superbis, de qua tibi plurimum doloris & luctus colligitur. Quantum enim tibi pullorum, tantum tristitiæ paritur.

Fabula docet, in seruitute miseriam augeri fœcunditate.

Vide Dominus, Libertas.

SEVERITAS.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

SEueritas, Græc. σεμνότης, αὐστηρία, ἀποτομία, & ἀποτομος, ὁ, ἡ, seuerus dicitur. Hebr. *Perech*, austeritas, ferocitas implacabilis, *Exod. 1. 13. 14.*

Hic φρίσσω horrifico, φρίξ, φρίκη horror, & Lat. ferox, ferocia. Dicitur etiam *Kescha* a verbo *Kaschah*, durus fuit, difficilis fuit. Est autem seueritas virtus inflexibilis circa inflictionem pœnarum, quādo recta ratio requirit hoc. *Sec. B. Thom. 2. 2. q. 157 art. 2.*

Seuerus aliquando significat grauem & censorium, & dicitur quasi semper verus, nec vlla gratia, aut illecebris mutabilis. Virg. *Amnemque seuerum Eumenidum aspicies.* Nonnunquam tristem, solicitum. A seuerus fit seueritas, h. e. grauitas, constantia in iudicando & imperando, austeritas, rigiditas, asperitas, tristitia. Hinc etiam asseuero verbum, quod est cum vi quadam ac motu animi quasi cum seueritate aliquid affirmo, a quo asseueratio deriuatur. Item perseuero, quod est cum quadam constantia, & quasi pertinacia duro. Hinc perseuerantia, hoc est, constantia & pertinacia, de quibus supra.

LOCI BIBLICI.

Seueritas interdum necessaria, 2. *Cor. 7. 8. & 13. 2. Tit. 2. 15. Iuda. v. 22.* Seueritas Dei in Iudæos, *Rom. 11. 22.*

SENTENTIÆ PHILOSOPHICÆ.

Seueritas in ciuitate nonnunquam salutaris est, sæuitia vero semper pestifera. *Franc. Patr. de Repub. l. 6. c. 5.*

Seueritas Regem decet, maiestatem præstat, & dignitatem auget. *Idem de regno lib. 8. c. 6.*

Seueri in puniendo, in gratiis postea concedendis, & beneficijs cōferendis liberales plerunque existere solent. *Leo Hebr. de amore, dial. 2.*

APOPHTHEGMATA.

Cato senior millia quinque famulos habebat, quorum vnus tria captiua corpora emit. Quod vbi sensit rescisse Catonem, priusquam in eius conspectum veniret, seipsum laqueo præfocauit. Adeo quæstum oderat in milite, adeo veniam desperabat, qui peccauerat.

C. Sulpitius Gallus vxorem repudiauit, quod aperto capite fuisset foris: Lex, inquiens, tibi meos vnius præfinit oculos, quibus formā tuam approbes: his ornamenta comparato: his esto speciosa, aliis velle videri formosam, in suspicione & in crimine hæreat necesse est. *P. M. l. 6. Apoph.*

Pescennius Niger, Palæstinis rogantibus, vt ipsorum census leuaretur, eo quod regio esset grauata, satis inclementer respondit: Vos terras vestras leuare vultis, ego etiam aerem vestrum censere cuperem. *Ael. Spart.*

Alphonsus admonitus ab amicis, ne nimium lenis erga suos esset, & ob id in contemptum apud suos incideret: Magis, ait, hoc, cauendum mihi est, ne nimia mihi seueritas conciliet inuidiam: *P. M. l. 8 Apoph.*

Paulus Aemilius, Cum Perseus captiuus deprecaretur, ne in triumpho duceretur: Isthuc, inquit, in te situm erat. Significās, illi licuisse in bello perire. *Plut. in vita Aemil.*

SIMILITVDINES.

Chrysostomi, Quemadmodum qui perpetuo mitigat in medicando, remissum hominem facit: Ita semper asperis vti sermonibus, magis exacerbat hominem. Eoq; bonum est vbique moderatis vti. *In 4. c. ad Galat.*

Verum hunc in modum non loquitur, sed aliter: parcit enim illis, nec vult ferire, nec vulnera vulneribus addere, quemadmodum eruditi medici eos, qui in longum incidunt morbum, non protinus ac semel, sed ex interuallo curant, ne despondentes animum pereant: Sic & hic beatus. Nam & hi parturientis dolores hoc sunt acriores, quo maior erat affectus charitatis. *Ibid.*

P. M. Vt echinus in spinis ingreditur, quod spinas secum circumfert: Ita quibusdam in omni negotio acerbitas est, propterea quod animo secum afferant asperitatem, etiamsi res ipsa nihil habeat incommodi. *In simil.*

Vt Euripus in Eubœa septies in die defluit, ac toties refluit mira celeritate: at idem tribus diebus vno quoque mense stat immotus, septima, octaua nonaque luna: Ita quidam inæquales sibi, aut nimium præcipites sunt, aut nimium lenti, in vtramque partē plus satis vehementes. *Ibid.*

EXEMPLA BIBLICA.

Seueritatis Dei *exempla*: erga Euam, *Gen. 3. 16.* Adamum, *v. 17.* Amalechitas. *Exo. 17. v. 8. 9.* Israelitas, vitulum aureum adorantes, 32. *v. 26. &c.* blasphemum, *Leu. 24. 10. &c.* populum Israeliticū, *Num. 11. v. 32. 33.* Mariam, 12. *v. 9. 10.* Israelitas, 14. *v. 28. 29 30 & 21. v. 5. 6.* colligentem ligna sabbatho, 15 32. *&c.* Moysen & Aaronem, 20. *v. 11. 12.* Tribum Beniamin, quæ iubente Domino tota exceptis sexcētis viris, est deleta, *Iud. 20. 47.* Samuel. 1. *Sam 13. v. 13 &c.* Filios Saulis, 2. *Sam. 21. 19.* Oziam, 2. *Paralip. 26. 19.* Ezechiam, 2. *Reg. 20. v. 16. 17.* Saraim, Sophoniam, & tres Ianitores 25. *v. 18. 19.* Ierosolymitanos, *Es 3. 16* Babylonem, *Ier 51. 1 &c.* Heliodorum, 2. *Mach. 3. v. 23. 24.* Antiochum, 9 *v. 8. 9.* seruum nequam, *Matth. 18. 34.* seruum inutilem, 25. 30. Ananiam, *Act. 5. v. 5. 6.* Sapphiram, *v. 10.* Herodem, 12. 22.

SIGNVM.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

SIgnum, Græce σημεῖον, ου, τὸ, & σημαίνω, significo dicitur. Signum quantum est in se, importat aliquid manifestum, quo nos, quasi manu ducimur in cognitionem alicuius occulti. *secund. B. Thom. 4. sent. dist. 1. q. 1. art. 1.*

Signum proprie est quædam parua nota, indicans totius rei qualitatem,

tem. Ter. *Vide num eius color pudoris signum vsquam indicat.* Est etiam signum opus sculptile, & ad alicuius animalis effigiem formatũ. vnde & signa & tabulas pro cælatis operibus atque depictis dicimus. Hinc duodecim signa cœlestia, quæ in Zodiaco sunt, quia notæ quorundam animalium sunt, quæ in his versibus continẽtur:

Sunt aries, taurus, gemini, cancer, leo, virgo,
Libraque, scorpius, arcitenens, caper, amphora, pisces.

L o c i B i b l i c i.

Signa varia a Deo hominibus data: Noacho arcus cœlestis in nubibus, *Gen. 9. v. 12. 13.* Abrahæ clibanus fumans, & lampas ignis, 15. 17. Abrahæ & eius posteritati, Circumcisio, 18. *v. 9. 10.* Moysi virga, *Exod. 4. v. 2. 3. &c.* Aaroni virga germinans, *Num. 17. 8.* Israelitis serpens æneus, 21, *v. 6. 7. &c.* Gedeoni, *Iudic. 6. v. 17. 18.* eidem vellus *v. 36.* Ezechiæ commoda rerum copia sine cultura, *2. Regum 19. 29.* eidem horologium, 20. 9. *Esa. 38. 7.* Achaz Regi promissio Messiæ *7. v. 11. 12. 13. 14.* Domui Israel later & sartago ferrea, *Ezech. 4. v. 1. 2. 3.* Viris gementibus Thau in frõtibus, *6. v. 6. 7.* Scribis, Pharisæis, & aliis incredulis & obcæcatis signum Ionæ Prophetæ, *Matth. 12. 39. & 16. 4. Marc. 8. 12. Luc. 11. 29.* Signum Ionæ Prophetæ, pro, simile signo Ionæ Prophetæ. Sic peccata Manassis, *2. Regum 24. 3.* munus vel collecta Mosi, *2. Paralip. 24. 6.* iniquitas Patrum, *Exod. 34. 7.* contradictio Core, & error Balaam, *Iudæ, v. 11.* aliaque plurima τροπικῶς, quasi eadem essent, eodem modo appellantur. Signa è cœlo, *Matth. 16. 1.* vocantur, qualia edidit Iosue, Solem sistens, *Iosue 10. 13.* Samuel tonitrua eliciens, *1. Sam. 12. 17.* Esaia vmbram regredi iubens in solario, *2. Regum 20. 11.* vel potius Moyses, quum Mannam Deus cœlitus plueret, quod esse verisimilius videtur, *ex Ioan. 6. 30. 31. 32. 33.* colligi posse. Signum pro insigni aliquo Domini facto, siue quo consoletur, siue etiam quo puniat. vt *Deuter. 28. 37. 1. Cor. 14. 22.* signum Circumcisionis, pro ipsa Circumcisione, *Rom. 4. 11.* signum Filii hominis, *Matt. 24. 30.* signa Diuinorum quam vana. *Esa. 44. 25.* signa mœroris, *Esth. 4. v. 1. 3.* signa appellationem à rebus, quas significant, mutuãtur, *Gen. 17. 13. Exod. 12. 11. Ezech. 5. v. 1. 5. Matt. 26. v. 26. 28. Ioan. 15. 1. 1. Cor. 5. 7. & 10. 4. & 11. v. 42. 25.* signa fidem in Christum subsequentia, *Marc. 16. v. 17. 18.* signa multo plura a Christo edita, quã literarum monumentis commendata. *Ioan. 20. 30.* signa externa ad quid prosint, *Ierem. 51. 63. Ezech. 4. 3. Matt. 10. 14. Luc. 10. 11.* signorum eiusmodi vsus, *Marc. 9. v. 36. 37. Actor. 4. 31. & 12. 51. & 16. 26. & 18. 6. & 21. 11.* signa aduentus Christi diem præcessura, *Matth. 24. v. 4. 5. Marc. 13. v. 4. 5. 6. Luc. 21. v. 8. 9.* signa futurorum, *Gen. 9. 12. Exod. 32. 13. Iof. 2. 18. 1. Sam. 2. 34. & 10. 2. 2. Sam. 5. 24. 2. Reg. 19. 29. Tob. 5. 3. Esa. 38. 7. Luc. 2. 12.* signa in memoriam præteritorum, *Exo. 12. v. 3. 8. Num. 15. 38. & 16. v. 38. 40. & 17. 10. Iof. 4. v. 6. &c.* signa & miracula fiunt, vt per illa omnipotentia, veritas iustitia, & bonitas Dei innotescat, *Exod. 4. v. 2. 6. & 7. 17. & 16. 12. Iosu. 3. v. 10. 14. 1. Reg. 13. 4. & 17. 14. & 18. 38. & 20. v. 13. 28. 2. Reg. 5. 14. & 20. 9. Matt. 8. 26. & 9. 2. & 14. 28.* signo certificatur Ionathas, *1. Sam. 14. v. 14.* confirmatur Saul, *10. v. 1.*

P h i l o s o p h. S e n t e n t i æ.

Signis congrue vtimur in hac vita ad diuina: & ex his ad simplicẽ, & vnitam intelligibilium spectaculorum varietatem modo quodam proportionis assurgimus, & post nostram omnem intelligentiam diuinorum sistentes intellectuales actiones nostras ad sublimiorem essentiam radium, quantum fas est, conscendimus. *Dion. Areop. l. g. de diuin. nom.*

Signis & figuris melioribus apud Platonem meliora recte significantur. *Ficin. in Plat. de Repub. dial. 8. c. 16.*

Signa sex a Cancro exordientia, quia recte procedunt, horas duas vel paulo plus occupant ascendendo: sex reliqua, quæ a Capricorno incipiunt, quoniam exoriuntur oblique, citra duas horas ascendunt. *Idem in Plot. En. 1. lib. 3. c. 7.*

Signa cœlestia in corpus numina, quæ illis præsunt, in animam vires suas ad singulas artes infundunt. *Ficin. in Platon. conuiuium. or. 5. c. 3.*

Signorum mutatio, vt quæ in firmamento sunt, non subsint iis, quæ sunt in nona Sphæra, maxima rerum mutationem affert; idem faciunt mutationes per accessum imaginum ad meridiem, & per recessum multis seculis restitutum: nec prius pristinam recuperabunt felicitatem, quam ad pristinum reuertantur. *Idem in Plot. in En. 2. l. 3. c. 16.*

Signa cœlestia quadrata, vel opposita cõtrarias habent qualitates, quadrata vtrasque, vel agentes saltem, opposita altera tantum qualitate saltem: *Io. Pic. Mirand. in Astrol. l. 3. c. 16.*

Signa iis iuncta sunt & diuersa, vt non quærant naturæ proprietatea. sed numeros ad supputandum opportuniores. *Id. ib. l. 9. c. 4.*

Signa, & fines alii apud alios fuere, & nihil decretum, Abraham libro de natiuitatibus duplex fieri thema præcipiebat, alterum ad mobilia signa, alterum ad immobilia: qua thematis varietate tota prædictionum ratio variatur. *ibid.*

Signorum, quæ sunt in partibus, fortiora sunt ea, quæ accipiuntur in motibus manifestis, & secundum motus & figuram. *Arist. Physic. c. 5.*

Signorum vnum ita se habet, vt singulare ad vniuersale: alterum vt vniuersale aliquod ad particulare: & horum quod necessarium est, tecmirium appellatur, quod non necessarium, caret nomine. *Rhetor. 1.*

Signum est alterius alio d: non quoduis cuiusuis, neque omnis omne, sed quod aut ante fuerit, aut in ipso negotio, aut post fieri cõsueuit. *Arist. Rhet. ad Alex. c. 12.*

Signa alia efficiunt opinionem, alia scientiam. *ibid.*

Signorum nobis copia erit, ex singulis, quæ dicuntur, quæ geruntur, & videntur, & ex testimoniis, testificatis, ex nostris, ex aduersariorum fautoribus, ex ipsis illis, ex prouocationibus, ex temporibus, & ex aliis multis. *ibid.*

Signa a probabili, ab argumento, coniectura, & sententia differũt, quia reliqua opinionem faciunt: signorum autem quædam, vt ẽt perspicue hi cognoscant, efficiunt: & signa plurima suppeditare solent, quod reliqua facere non possunt, signa opinionem faciunt aliquam, argumenta omnem veritatem docent. *Arist. Rhet. ad Alex. c. 14.*

Signum semper rem consequitur: accidens potest etiam extrinsecus aduenire. *Alex. & Eust. in 2. Post.*

Signum in coniecturam & æquiuocum signum diuiditur: & est vel rei existentis vel cum re signum, vel posterius. *Ioan. Gram. in 2. Prior. c. 27.*

Signum dicitur proprie, & metaphorice. Proprie est idem quod imago. Metaphorice dicitur ad imaginis similitudinem. *Albert. Magn. in Prior.*

Signum colligimus ex naturalibus passionibus loco mediorum enthymematibus positis. *ibid.*

Signum ostenditur per passionem, & per viam sensus. *ibid.*]

S I L E N T I V M.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Silentium, Hebr. *Demamah.* Domitura, & *Dumam*, sepulchrum, locus silentii, vbi corpora mortuorum perdomita silent: a verbo *Damam*, domitus est, redactus est in alienam potestatem, non respondit, 2. *Cheresch.* a verbo *Charasch*, quod in 3. coniugatione est *Cherisch.* tacitus secũ cogitauit, siluit. Dicitur surdus *Cheresch*, quod auditus eius sileat, 3. *ScheKet.* quies tuta dicitur silentium, a verbo *SchaKat*, Quieuit sub scuto alicuius, secure & quiete vixit, tutus & tranquillus fuit. Silentium certe est plerunque modestis ingeniis scutum aduersus mundi tumultus tutissimum.

L o c i B i b l i c i.

Silentium pro sedata expectatione, & vt ita dicam, pro conquiescẽtia, *Esa. 30. 15.* sic accipiunt nonnulli & *Psalm. 65. 2.* Silentium suo tempore seruandum, *Prou. 25. 29. Iac. 1, 19.* silere vtile est, *Prou. 17. 26. Eccl. 3. 26. 6. & 32. 12.*

P a t r v m S e n t e n t i æ.

Silendi patientia, opportunitas loquendi, & contemptus diuitiarum, sunt maxima fundamenta virtutum. *Ambr. l. 1. de Offic.*

Ille scit recte dicere, qui & ordinate nouit tacere. *Greg. in Moral.*

S e n t e n t i æ P o e t i c æ.

Comici Græci.

Οὐδὲν σιωπῆς ἐστι χρησιμώτερον.
Vtilior haud est vlla res silentio.
Σιγὴ ποτ' ἐστὶν αἱρετωτέρα λόγου.
Ἐνίοτε τὸ σιγᾶν ἐστι κρεῖττον τοῦ λόγου.
Aliquando verbis melius est silentium.
Κρεῖττον σιωπᾶν ἢ λαλεῖν ἃ μὴ πρέπει.
Καὶ δεῖ σιωπᾶν καὶ λαλεῖν, ὅτε χρεών.
Satius tacere, quam loqui quæ non decet.
Et in loco tacere, & in loco loqui.
Ἢ λέγε τι σιγῆς κρεῖττον, ἢ σιγὴν ἔχε.
Sile, meliora, vel loquere silentio.
Πολλοῖς ἀπόκρισις ἡ σιωπὴ τυγχάνει.
Plerisque responsi vice est silentium.
Ἔστι καταφρονητικὸς ὁ σιγηρὸς τρόπος.
Taciturnitas est plurimi contemptui.
Ἡ γλῶσσα πολλῶν ἐστιν αἰτία κακῶν.
Plerisque lingua dat malis originem.
Ἡ γλῶσσα πολλοὺς εἰς ὄλεθρον ἤγαγεν.
Plerosque lingua funditus pessum dedit.

S e n t e n t i æ P h i l o s o p h i c æ.

Nihil æque proderit, quam quiescere, & minimum cum aliis loqui, & plurimum secum. *Senec. 16. epist.*

In hoc incumbe, vt libentius audias, quam loquaris: quod tacitum velis, nemini dixeris. Auribus libentius quam lingua vtere.

Quicquid dicturus es, ante quam aliis, tibi dixeris. *Sen. de morib.*

Taciturnitas stulto homini pro sapientia est: tacere qui nescit, nescit loqui. *Idem in Prou.*

Res omnium difficillima, tacere & audire. *Gel. l. 1.*

Nis

Mire silentio, & tenebris animus alitur. *Plin. in l. 9.*

Loqui ignorabit qui tacere nescit. *Pittacus.*

Grues cum ex Cilicia deuolant, lapillos in os sumunt, atque ita Taurum montem aquilis plenum tuto transuolant, idque docti ita tutissimum vbique silentium. *Plut.*

Silentium mulieri præstat ornamentum. *Arist. pol. 1.*

Nunquam me poenituit tacuisse, quod locutus sum. *Simonid.*

Silentium sapientibus responsi loco est. *Euripid.*

Obsigna verba silentio, silentium autē occasione. *Demetrius Phaler.*

Pauca loquentibus paucis legibus opus est. *Plutarchus de educat. liber.*

Nemo stultus tacere potest. *Diogen. l. 1.*

Apophthegmata.

Pythagoras. Eius de silentio scite dicta sunt hæc: Aut sile, aut affer meliora silentio. Aut silentium tempestiuum, aut orationem vtilem habeas. Verba silentio, silentium tempestiuitatem claudas. *Stob. ser. 34.*

Socrates admonebat suos discipulos, vt tria præcipue in omni vita haberent: In animo Prudentiam, in vultu Verecundiam, & in lingua Silentium. *Max. serm. 12.*

Pittacus præcipiebat, vt ea quæ facturi sumus, non aperiamus loquaciter aliis: ne, si male perfecerimus, digne derideamur. *Maxim. serm. 20.*

Solon, inter pocula tacitus, interroganti Periandro, an propter verborum inopiam, aut ob stultitiam taceret? respondit: At qui nullus stultorum in conuiuio silentium præstare potest.

Idem, sermonem silentio, silentium autem temporis occasione obsignandum esse dicebat. *Stob. serm. 3.*

Chilon rogatus, quid esset difficile? Arcanum, inquit retiecere. Tanta est linguæ, omnium maxime volubilis, incontinentia, cum alioqui nihil videatur facilius, quam silere. *Laert.*

Bias, apprime decorum illi esse silentium, dicebat, quibus indecora impuraque esset vita. *Stob.*

Democritus, quum animaduertisset quendam multa imperite disputantem: Hic, inquit, non dicendi peritus mihi videtur, sed omnino tacendi imperitus. *Max. serm. 20.*

Diogenes ad quendam, qui se contentiose philosophum profitebatur: Vah miser! inquit, cum id quod optimum est in vita philosophi corrumpas, verbis tamen audes te philosophum iactare. Est autem philosophi etiam munus silere, cum res responsione digna non est. *Stob. serm. 31.*

Cleanthes. Cuidam ab eo petenti dictum aliquod, quod crebro occineret filio suo, protulit ex Electra, σῖγα σῖγα, λεπτὸν ἴχνος, id est, Tace, tace, tenue vestigium. Innuens pueris maxime conuenire silentium. *Laert. l. 7.*

Idem, cum quidam ad tacentem Cleanthem dixisset, Tu quid taces? atqui iucundum est cum amicis confabulari. Iucundum quidem respondit Cleanthes: sed quo iucundius est, eo magis in hoc amicis oportet concedere. *Stob. ser. 31.*

Zeno Citticus. Ptolemæi legatis, qui multos eruditos ad conuiuium inuitarant, percontantibus, quid de ipso regi suo essent renunciaturi, Vidisse vos senem, qui in conuiuio tacere nouerit. Cum enim cæteri ad ostentationem multa dixissent, vnus Zeno perpetuum tenuit silentium. *Laert. lib. 7. c. 1. Stob. ser. 32. Max. serm. 20.*

Simonides dicere solebat, nunquam se pœnituisse silentii, sermonis autem sæpius. *Anton. in Meliss. par. 1. ser. 74. Max. ser. 20.*

Idem dicebat, eorum hominum, quorum indecora vita est, maximū decus esse silentium. *Anton. in Meliss. par. 1. ser. 73.*

Xenocrates, cum in conuiuio cæteris multa garrientibus, solus nihil diceret: interroganti, cur vnus omnium sileret? Quoniam, inquit, loquutum fuisse pœnituit aliquando, siluisse nunquam. *Hoc Plut. in libello περὶ τῶν ὑγιεινῶν, tribuit Simonidi. Sed Laer. 4. c. 2. Xenocrati tribuit, & Valer. Max. etiam l. 7. c. 2.*

Idem. Singulas diei partes diuidens in actiones certas, suam etiam silentio partem reddebat. Docens, silentii rationes vtique adhibendas esse. *Max. ser. 20.*

Heraclitus rogatus a quibusdam, cur taceret? Vt vos, inquit, loquamini. *Brus. cont. lib. 6. c. 6. exemplorum.*

Anaxarchus. Multarum rerum cognitionem homines aut valde iuuare, aut valde lædere dicebat. Iuuare enim virum dextrum & cō modum: lędere vero illum, qui facile quęuis sermonem & apud quosuis eloquitur. Oportet autem occasionis modum nosse, is. n. sapientis terminus est. Qui vero intempestiue cantilenam musicam quamuis docte cecinerint, illi non approbantur, sed crimen stultitiæ subeunt. *Stob. ser. 32.*

Arist. Callistheonem, auditorem suum ad Alexandrum mittens, monuit, vt cum eo quam rarissime aut quam iucundissime loqueretur. Quo scilicet apud regias aures vel silentio tutior, vel sermone esset acceptior. *Plut. in Alex. Laer. in Arist. Val. Max. l. 7. c. 2.*

Idem, cum percontaretur, quid esset in vita difficillimum? Tacere, inquit, quæ loqui non decet. *Max. ser. 20.*

Idem dicere solitus est: Qui silere non nouit, is neque loqui admodū scit. Nam quærente quodam, quæ res homini in vita esset difficillima, ait, Silere tacenda. *Stob.*

Idem interrogatus quam obrem, cum alios doceret loqui, ipse taceret? respondit: Cos quidem ipsa non scindit, cultros autem acuit. *Anton. in Meliss. p. 1. serm. 73. Verum hoc Isocrati adscribit Max. ser. 20.*

Idem, interrogatus a quodam, quis arcanum sermonem continere posset? respondit: Qui carbonem quoque ignitum lingua retinere potest. *Ant. eod. serm.*

Dion, naturam probe egisse dicebat, quæ geminas aures, & linguam vnicam nobis fabricarit: quo ad audiendum essemus quam ad loquendum promptiores. *Stob.*

Isocrates, duo dicendi tempora statuenda dicebat: Vel de iis quæ certo nouimus, vel de quibus dicere est necessarium. In his enim solis oratio silentio præstat, in aliis melius est silere quam loqui. *Max. ser. 20.*

Idem dicere solebat, improbi hominis, quasi taciturni canis silentiū magis quam vocem timendam esse. *ibid.*

Demosthenes, cum adolescens quidam inter pocula multas nugas effutiret, & tacere nollet: Adolescens: dixit, quomodo non didicisti tacere ab illo, à quo didicisti loqui? *Anton. in Meliss. part. serm. 75.*

Apollonius, summo studio adnitendum dicebat, ne temere nobis verba parum decentia elabantur. Constat enim quam inurbanum sit silere non posse: tum effutire palam eum turpitudine, quæ honestiua obticuisses. *Stob.*

Idem dicebat, cum in alios atque alios errores & pericula homines elabi palam sit: mirum, quantam securitatem præstare queat taciturnitas. *Stob.*

Euripides: cuidam opprobranti grauolētiam oris: Multa nimirum, inquit, in illo occulta computruerunt: Significans se posse continere arcana. Solent autem res in occulto congestæ computrescere. *P. M. l. 8. apoph. Idem Demosthenis ab aliis attributum.*

Epictetus, in omni negotio nihil adeo prospiciendum esse dicebat, quam vt tutum securumque sit quod agitur. Est autem tutius, inquit, tacere quam loqui. *In Enchiridio.*

Isocrates. Garrulo loquaculus volebat ab Isocrate oratore erudiri. Sed is duplicem mercedem mihi dari, inquit, posco: alteram, vt loqui, alteram, vt tacere discas. *Stob.*

Plutarchus. Verborum, rei leuissimæ, inquiebat, grauissima pœna, & apud Deum & apud homines, comes esse solet. Silentium vero cū vbique culpa vacet, tum maxime in aliorum conuiciis, nescio quid egregium, Socraticum, aut potius Herculeum præ se fert. Siquidem & Hercules, ne gry quidem odiosa verba curabat. *Libro, quomodo quis ab hostib. iuuetur.*

Philippidi Atheniensi, qui ob virtutem charus ac perquam familiaris Lysimacho regi erat, Lysimachus cum dixisset, Num quid rerum suarum expeteret? respondit: Solum, o rex, ne arcanorum tuorū quidquam mihi credas. *Plut.*

Epaminondas, audiendi potius quam loquendi cupidum esse hominē debere putabat: Quod sciret, ex audiendo doctrinam, ex loquacitate autem pœnitentiam nasci. De eo etiam dictum, Neminem vnquam visum esse, qui plura sciret & pauciora loqueretur. *Plut.*

Hieron, arcana enunciantes iniuriam facere dicebat, eis etiam quibus enunciarent. Odimus enim non solum eos qui effutierint, verum eos etiam, qui quæ nolumus audierint. *Maxim. serm. 20.*

Cæcilius Metellus, quum in bello omnia proprio & subito consilio ageret, amico cuidam interrogāti quidnam iam acturus esset, post Abrachos in Macedonia subactos? Tunicam, inquit, meam exurerem si eam consilium meum scire existimarē. Quo dicto docuit: non temere animi nostri propositum effutiendum esse omnibus, sed silendum ad suum vsque tempus. *Plin. c. 61. de viris illustribus. Plut. in apoph. Rom. Front. l. 1. &c.*

Quum Catoni, qui post dictus est Vticensis, etiam num puero vitio daretur taciturnitas (nec enim cum pueris exercebatur, nec a quoquam audiri volebat) ait: Carpant taciturnitatem, modo vitam probent. Et addidit. Tum demum abrumpam hoc meum silentium cum ea loqui potero, quæ sunt indigna silentio. *Plut. & Brus. l. 9. c. 6.*

Tiberius. Cum aliquando percontaretur, cur sua consilia non cum aliorum quoque, qui ei non male vellent, consiliis communicaret? respondit: Principis animum aut nemini, aut paucis cognitum esse oportere. Sensit autem, non omnia credenda iis, qui se amicos esse venditent: quibus quum aliquid secreti commiseris, temere rimarum pleni effutiunt: non cogitantes, principes loquaculorum garrulitate sæpenumero aut periclitari, aut prodi prorsus. *Dion.*

Similitudines.

Plutarchi: vt vas experiamur, aquam, non vinum infundimus: Ita friuolum quiddam aliquando committendum amicis, quo silentii fidem experiamur, vt si effutiant, nihil sit periculi. *In Moral.*

Vt egregius artifex iaculandi, statim scopum petit. Ita sapit, qui pauca loquitur, sed ad rem. *Ibid.*

Vt mysteria cum silentio spectantur: Ita quædam melius laudantur silentio, quam oratione. *ibid.*

Grues cum ex Cilicia deuolant, lapillos in os sumunt, atque ita Taurum montem aquilis plenum tuto transuolant: idque noctu, ne vox prodat: Ita tutissimum vbique silentium. *In Moral. & Plin. l. 10. c. 23. atque Arist. de nat. l. 6. c. 10.*

Plin. Muta cicada pro miraculo est, quod ipsum genus sit garrulũ: sunt autem huiusmodi in agro Rhegino: Sic magis admiramur cõstantiam & silentium in fœmina, quod ipsum genus mutabile sit & loquax. *l. 11. c. 27.*

Themist. Vt est insane, vbique multa effutire. Ita est illiberale, vbique triste silentium agere. Nam qui nouit opportunitatem tacendi, idem nouit etiam vicissitudinem loquendi. *In apophth.*

EXEMPLA BIBLICA.

Silentii & taciturnitatis *exempla*: Aaron, *Leuit.* 10. 3. Anna, 1. *Sam.* 1. 13. Samuel, 3. 15. Saul, 10. v. 16. 27. Abigail, 25. 36. Elisæus, 2. *Reg.* 2. 3. populus Iudaicus, 18. 39. *Nehem.* 5. 8. Tobias senior verba iniuriosa gemitu & lachrymis excepisse legitur, *Tob.* 2. 22. *&* 3. 1. Esth. *Esth.* 2. v. 10. 20. Iob, *Iob* 2. 9. *&* 39. 36. Dauid, *Psal.* 32. 3. Sobna cum collegis, *Esa* 36. 21. Dominus, 42. 14. Christus, *Matth.* 26. 63. *&* 27. 14. *Marc.* 15. 5. Deipara virgo, *Luc.* 2. *ver.* 19. 48. Petrus, Iacobus & Ioannes, Apostoli, 9. 36. Iudæi, *Act.* 13. 16. *&* 21. 40. Sororis Pauli filius, 23. 21.

PROPHANA EXEMPLA.

Angerona Dea, Præses silentii, obsignato ore antiquitus efficta est, sanctéque semper a Romanis culta: vt silentio apto nil melius esse ostenderent. *Alex. l. 4. c. 16.*

Apud Eleusinios capitale erat, quicquam ex mysteriis in vulgus efferre: pariter apud Romanos in sacris Bonæ deæ. *P. M.*

Numa Pompilius quum vaticiniorum plurima ad Musas referre consuesset, vnam ex iis præcipue à Romanis coli voluit de silentii ratione, Tacitam nomine. *Cælius l. 21. c. 45. A. L.*

Belgæ quod publico concilio statuendum erat, miro silentio decernebant: si quis autem fremeret aliquo cõcionante, parte vestis mulctabatur. *Alex. lib. 4. c. 11.*

Apollonius Tyaneus, quinquennium integrum ne verbum quidem locutus traditur. *Phil.*

Medicorum taciturnitatem iureiurando adstringit Hippocrates: ne ea quæ celanda sunt ægrorum vitia, quæ fidei concredita, cuiquã exoterico effutiant.

In Pythagoræ schola quinquennale silentium indicebatur auditoribus, quam ἐχεμυθίαν vocant, à cohibendo sermone: ne quæstionibus & altercationibus implicarentur: neque a temeraria prouocatione: sed & a sobrio & attento silentio sapientiam auspicarentur. *Laer. l. 2. c. 2.*

In Turcorum castris noctu tam pertinax silentium, vt patiantur captiuos dilabi, ne tumultus excitetur. *Conspicimus.*

Euricylea nutrix Vlyssem xx. demum anno domum reuersum ex cicatrice, dum pedes eius lauat, agnouit, & ne eum proderet, sed silentium teneret, rogata respondit.

Ἕξω δ' ὥς ὅτε τις στερεὴ λίθος ἠὲ σίδηρος.

Susanna, de flagitii crimine pertinaci silentio se purgauit, non meditata oratione. *Lud. Viues de Christiana fœmina lib. 1.*

EMBLEMA.

Silentium.

Emblema xi. Andr. Alciati.

Cum tacet haud quidquam differt sapientibus amens
Stultitiæ est index linguaque voxque sua.
Ergo premat labia, digitoque silentia signet
Et sese Pharium vertat in Harpocratem.

Vide tit. Lingua, Taciturnitas, Sermo.

SIMILITVDO.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Similitudo, Græce ὁμοιότης ητος, ἡ. & ὅμοιος, ὁ, ἡ, similis dicitur. Est autem similitudo relatio æquiparantiæ: non tamen semper denominat vtrumque extremorum, sed tantum quando forma est æqualiter & eadem ratione in vtroque extremorum. *Ex B. Thom. 1. p. q. 4. art. 3.*

LOCVS BIBLICVS.

Similitudinis & figuræ vocabulis interdum ipsa rei veritas significatur, *Philip.* 2. 7.

POETICÆ SENTENTIÆ.

Plaut. Menæch.

Namque ego hominem homini similiorem nunquam vidi alterum.
Neque aqua aquæ, nec lac est lacti, crede mihi vsquam similius,
Quam hic tui est, tuque huius.

Hor. 1. Epist. 18.

Oderunt hilarem tristes, tristemque iocosi,
Sedatum celeres, agilem gnauumque remissi.

Plaut. Merc.

Postremo si dictis nequis perduci, vt vera hæc credas,
Mea dicta ex factis nosce. rem vide, quæ sim, & quæ fui ante.
Nihilo ego, quam nunc tu, amata sum, atque vni modo gessi morem
Qui pol me, vbi ætate hoc caput colorem commutauit,
Reliquit, deseruitque me tibi idem futurum credo.

Ouid. 2. Pont. 5.

Scilicet ingenijs aliqua est concordia iunctis,
Et seruat studii fœdera quisque sui.
Rusticus agricolam, miles fera bella gerentem,
Rectorem dubiæ nauita puppis amat.

APOPHTHEGMATA.

Anonymus. Proconsul quidam Romanus in Sicilia, conspicatus quendam adolescentem admodum sui similem, rogauit similitudinis causam, num pater suus vnquam adisset Siciliam, At meus, inquit, Romam frequenter accessit. Iocum retorsit Siculus, nihil veritus secures ac virgas proconsulis. *Brus. l. 6.*

Anonymus. Augusto Cæsari perquam similis Romam venerat, & ita similis, vt omnium ora in se conuerteret. Produci ergo Cæsar hominem iussit, visumque interrogat: Dic sodes, adolescens, fuitne aliquando mater tua Romæ? Excepit adolescens, & hoc in modum Augusto respondit: Mater mea nunquam fuit Romæ, sed pater persæpe. *Macrob. Plut. in Rom. apoph. P. M. l. 4. apoph.*

ADAGIA.

De grege illo est.
Id est: Eiusdem factionis aut contubernij.

Eiusdem farinæ. *Item.* Nostræ farinæ.
De ijs, inter quos indiscreta est similitudo. Huc illa quoque refer.

Eadem cera. Idem puluis. Eiusdem notæ. Eines Schlags.

Non eras in hoc albo.
Hoc est. Non eras in hoc numero. Translatum ab albata tabula, in qua quondam scribebantur nomina iudicum.

Non sum ex istis heroibus. Οὐκ εἰμὶ τούτων τῶν ἡρώων.
Id est: Non sum ex eorum numero, qui propensiores sunt ad lædendum quam ad bene merendum.

Patris est Filius. τοῦ πατρός ἐστι τὸ παιδίον.
In eos, qui mores imitantur paternos, patribusque sunt similes. Er schlecht seinem Vatter nach.

Aphyarum honos. Ἀφύων τιμή.
Vtemur, quoties humilibus exiguus quispiam honos contingit.

Terra amat imbrem. ἐρᾷ μὲν ὄμβρου γαῖα.
Vbi quis desiderat ea, quæ sibi nouit esse accommoda conducibiliaque.

Vno tenore.
Tenorem rei progressum vocant. Vnde quæ sui similia sunt, sibique veluti perpetua succedunt serie, horum eundem esse tenorem dicimus.

Boni ad bonorum conuiuia vltro accedũt. αὐτόματοι δ' ἀγαθοὶ ἀγαθῶν ἐπὶ δαῖτας ἴενται *Plato.*
Vtendum, vbi boni vltro ad bonos sese aggregant, etiam non inuitati aut vocati.

Simile gaudet simili. Ὅμοιον ὁμοίῳ φίλον *Aristot.*
Plana est significatio. In eandem sententiam Martialis.
Vxor pessima pessimus maritus.
Miror non bene conuenire vobis. Gleich vnd gleich gesellet sich gern.

Malus cũ malo colliquescit voluptate. κακὸς κακῷ συντέτηκεν ἡδονῇ.
In malorum seu improborum consortia. Arist.

Aequalis æqualem delectat. ἧλιξ ἥλικα τέρπει.
Similitudo est beneuolentia, consuetudinis & familiaritatis conciliatrix.

Aequalem tibi vxorem quære. τὴν κατὰ σαυτὸν ἔλα.
Monet adagium, ne quis cupiditate aut ambitione allectus potentiorem se vxorem ducat, cuius non sit maritus & dominus futurus sed minister aut mancipium. Potest etiam longius trahi, ad negotium videlicet suscipiendum, cuius sit conficiendo par & idoneus. Vber vveibe dich nicht. Item, Vver freyen vvill, der neme seines gleichen.

Iugum idem trahere.
Hoc est: negotij vices pariter sustinere. Translatum a bobus arantibus.

Cicada cicadæ chara, formica formicæ. Τέττιξ μὲν τέττιγι φίλος, μύρμακι δὲ μύρμαξ.
Nota est formicarum politia, & cicadarum concentus, Theocr.

Ouum ouo simile. *Velut aliq.*

Non tam ouum ouo simile.
De rebus indiscretæ similitudinis. Cic. Eiusdem significationis sunt.

Quam apes apum similes. Non tam aqua similis aquæ. Non tam lacte lacti simile. Er ist ihme so gleich, als vvere er ihme auß der Haut geschnitten. Item. Eyer seindt Eyern gleich.

Furem fur cognoscit, & lupum lupus. ἔγνω δὲ φὼρ τε φῶρα, καὶ λύκος λύκον.
In commotionem & familiaritatem improborum iactari potest. Amant enim vulgo sese mutuo qui similibus laborant vitijs. Aristot. Ein schalck vveiß, vvie dem andern vmbs hertz ist. Item, Ein Dieb kennet den andern, vnd ein vvolff den andern.

Semper similem ducit Deus ad similem. αἰεὶ τὸν ὁμοῖον ἄγει θεὸς πρὸς τὸν ὅμοιον.

Duo

Duo inter se similes plerunque bene conueniunt. Aristot. Germani dicunt: vie der Vvirth ist, also bescheret ihm Gott gaest.

Semper graculus assidet graculo. ἀεὶ κολοιὸς πρὸς κολοιὸν ἱζάνει. *Diogenian.*

De familiaritate similium. Graculorum conuentus olim notos fuisse testatur M. Varro de re rustica.

Similior ficu. ὁμοιότερος σύκου.

Per iocum dicebatur de vehementer inter se similibus.

Aut ipse fuisti, aut tui simillimus.

Si quando per iocum indicabimus eundem aliquem fuisse, qui tamen se fuisse eat inficias.

Omnia similia ἅπαντ' ὅμοια.

Eadem est conditio mortalium. Sie seindt alle gleich. Item, sie seindt alle einander gleich.

Crobyli iugum. Κρωβύλου ζεῦγος.

De societate duorum pari improbitate dici potest. Huren vnnd Buben ein gespan. Es seind vier Hosen eines Tuchs.

Eadem cera. Idem fauus. ἐν κηρίον.

Dicebantur qui vno ore idem affirmarent.

Ficus post pisces. σῦκον μετ' ἰχθῦς.

Quadrabit vbi dicemus alijs alia congruere. Quemadmodum post carnes ca-seum, post pisces apponere nuces vulgo iubent.

Ouo prognatus eodem. *Horat.*

De ijsdem dicitur, qui vultu, moribus, ingenio & factis similes sunt.

Catulæ dominas imitantes. τὰς δεσποίνας αἱ κύνες μιμούμεναι.

Vsus erit, quoties ii, qui subsunt, eorum exprimunt mores, sub quorum imperio degunt.

Similes habent labra lactucas. *Hieron.*

Vbi similia similibus contingunt: vel quoties mala malis digna dignis eueniūt. Natum adagium ab asino carduo pascente.

Qualis hera, tales pedissequę. οἵα ἡ δέσποινα, τοῖαι καὶ θεραπαινίδες.

In personas similibus laborantes vitiis. Vie die Fravv, so die Magdt. Vie der Herr, so der Knecht.

Aspis a vipera. *Tertullian.*

Vtemur, quoties pessimus a pessimo sumit quippiam.

Sequitur parca leptam.

Dictum de improborum societate.

Dignum patella operculum.

Cum significamus superiores ad improbos inferiorum mores accommodatos esse. Auff einen solchen Hafen gehoert ein solcher Deckel.

In matellam immeiere. εἰς τὴν ἀμίδα ἐνουρεῖν.

Quum sordide tractantur, aut ad munus aliquod parum honestum adhibentur ij qui non indigni videantur, vtpote ipsi sordidi, quasique ad contumelias ferendas facti.

Conto nauiga, κοντῷ πλεῖν.

In eos, qui ijs rebus vtuntur, quemadmodum vti conueniebat, qui vitæ genus sequuntur suo accommodatum ingenio.

Surdaster cum surdastro litigabat, & iudex erat surdior. δύσκωφος δυσκώφῳ ἐκρίνετο, ὁ δὲ κριτὴς ἦν κωφότερος.

Locum habebit, cum res agitur inter vndequaque ridiculos ac stultos.

Caseus Caseam ducit.

Quoties similis similem delectat. Vetulus vetulam; deformis deformem.

Omnia idem puluis. πάντα μία κόνις.

De indiscreta similitudine vtitur Lucian. Alludens ad defunctorum cineres inter quos nihil apparet discriminis.

Omnia sub vnam Myconum. πάνθ' ὑπὸ μίαν Μύκωνον.

Dictum in eos, qui res natura diuersas eodem titulo complectuntur.

Conuenerunt Attabas & Nomenius. Συνῆλθον Ἀτταβᾶς καὶ Νουμήνιος.

Dici solitum quoties improbus aggregatur cum improbo. Diogenianus tradit, hos insigne par furum fuisse.

Eundem calceum omnium pedi inducere.

In eos qui rem eandem ad quosuis solent accommodare. Veluti si eadem remedia omnibus agris præscribat imperitus aliquis medicus. Alle Schuhe vber ein Leist machen.

Noui Simonem & Simon me. οἶδα Σίμωνα καὶ Σίμων ἐμέ.

De ijs dicebatur qui pares essent.

Nauson Naucrati. Ναύσων Ναυκράτει.

Quoties aliqui similia vnicem respondent, Veluti si nebulo compellatus, nebulonem vicissim compelles. Idem fere, Cretensis Cretensem, Subaudi pronoeat, vel simile quippiam, quod sententia commodum erit. Vvie man in dē Vvaldt schreyet, also schallet es vvider herauss. Item, gut gruss, gibt gut Antvvort.

Cretensis cum Aegineta. Κρὴς πρὸς Αἰγινήτην.

Subaudiendum, agit. Quadrabit in pariter improbos, qui mutuis inter se fallacijs agunt.

Ver hiemem sequitur.

Significat rerum vices. Et tristibus lætiora succedunt.

Cretiza cum Cretensi. πρὸς Κρῆτα κρητίζειν.

Hoc est: Aduersus mendacem mendacijs vtere. Græcis enim κρητίζειν, mentiri est. Plut. Schaelcke muss man mit schaelcken fahen.

Chium ad Coum Χῖος πρὸς Κῷον.

De comparatione vehementer inæquali dicebatur.

Vulpinari cum vulpe. ἀλωπεκίζειν πρὸς ἑτέραν ἀλώπεκα.

Cum astutis agendum astutijs Horat.

Nunquam te fallant animi sub vulpe latentes. Man muss Fuechss mit fuechssen fahen, Item, Vver ein Schalck fahē vvil, der muss ein Schalck an die Luecken stellen.

Clauum clauo pellere. ἥλῳ τὸν ἧλον ἐκκρούειν.

Cum malo malum pellimus. Boess mit boesem vertreiben.

Cum Care Carizas. πρὸς Κᾶρα καρίζεις.

Hoc est rustice agit cum rustico: crasse cum crasso. Diogen.

Mali thripes, mali ipes. κακὰ μὲν θρῖπες, κακὰ δ' ἶπες.

De duplici malo dici solitum, vt non magni referas, vtrum elegeris. Diogen. Gurr als Gaul.

Balbus balbum rectius intelligit.

Hoc est: barbarus barbari orationem facilius percipit quam doctus aliquis. Ad res alias accommodari quoque potest. Hieron. Ein Kindt verstehet das ander am besten.

Bithus contra Bacchium.

In eos, qui pares sunt arte, pares audacia: vt hoc par gladiatorum fuit. Huc etiam illud pertinet. Eternius cum Placidiano: *qui & ipsi gladiatores erant per omnia pares.*

Ab vno diagrammate. ἀφ' ἑνὸς διαγράμματος.

De eadem re & vniformi, quasi dicas, de eadem formula. Plut.

Eodem in ludo docti.

Dicuntur similibus laborantes vitijs, & improbitate pares. Sie haben alle einen Meister gehabt.

Eiusdem musæ æmulus.

Hoc est: eiusdem artis et disciplinæ studiosus. Græci ὁμοτέχνους appellant, eiusdem artis opifices. Gellius.

Iisdem vescentes cepis. ταὐτὸν θύμον φαγόντες.

Congruit in pauperes ac bonos viros inter sese amicos.

Mars haud concutit sua ipsius arma. Ἄρης τὰ αὑτοῦ ὅπλα οὐ σαλεύει.

Docet adagium cōmode ferri a nobis ea, quibus assueuimus: quæque nobis quadrant etiam si sint grauissima.

Stultus stulta loquitur. μωρὰ γὰρ μωρὸς λέγει.

In homines, quorum vita moribusque deprauatis oratio parum probata respondet. In eandem sententiam dicimus. Er redet vvie er vvers ist: Narrē reden vvie Narren.

Hominis figura oratione agnoscitur. ἀνδρὸς χαρακτὴρ ἐκ λόγου γνωρίζεται.

Inanium inania consilia. κενοὶ κενὰ βουλεύονται.

Quum quis sua spe frustratur.

Malo nodo malus quærendus est cuneus.

Eo licebit vti, quoties malum simili malitia retundimus. Hieron.

F A B V L A.

Asinus iudex.

Contendentes de cantus bonitate cuculus & luscinia, iudicem cepere asinum. Asinus iubet canere lusciniam: illa vt potest suauissimum carmen, & omni varietate distinctum modulatur. Mox iudex cuculum & ipsum promere, quod meditari videretur, iubet. Ille suos cantus notos & æquabiles, & vniusmodi profert. Cum finem fecisset, Hunc, inquit asinus, victorem pronuncio, te luscinia, quæ intricata & varia canis, victam esse statuo: hæc mea sententia est.

Docet fabula, id quod prouerbium, Asinum lyræ cantus audire, nō intelligere. Et item hoc, quod alterum dictum in Asinum mandētem tribulos, similes habere labra lactucas.

S I M O N I A.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

Simonia, Græce ἱερεμπορία dici potest. Et est studiosa voluntas emendi vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum, opere subsecuto. *secund. Panorm. in cap. Nemo extra eo. & B. Thom. secun. Secund. q. 100. art. 10.*

Simonia dici videtur a Simone Mago, qui donum Spiritus Sancti emere voluit, vt ea venditione signorum, quæ per eum fierent, multiplicatam pecuniam lucraretur. Et sic illi qui spiritualia vendunt, conformantur Simoni Mago in intentione, in actu vero illi qui emere volunt. Illi autem qui in actu vendunt, imitantur Giezi discipulum Helisæi, de quo legitur 4 Reg. c. 5. quod accepit pecuniam a leproso mundato. Vnde venditores spiritualium possunt dici non solum Simoniaci, sed etiam GIezitæ. *ex B. Thom. secund. secund. quæst. 6.*

Lo-

LOCI BIBLICI.

Vendi non debent dona Dei, 2. *Reg.* 5. *v.* 22. 26. *&c. Daniel.* 5. *vers.* 57. *Matt.* 10. *v.* 8. *Act.* 8. *v.* 20. *&* 20. *v.* 35. 1. *Cor.* 19. 15. 2 *Cor.* 11. *v.* 9. *&* 12, 13.

SENTENTIAE BIBLICAE.

Simonia bonis spiritualibus abutitur.

Gratis accepistis, gratis date. *Matth.* 10.

Quum vidisset Simon quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus sanctus, obtulit eis pecuniam dicens: Date & mihi hanc potestatem, vt cuicũque imposuero manus, accipiat Spiritũ S. Petrus autem dixit ad eum: Pecunia tua tecum sit in perditionẽ: quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri. *Act.* 8.

Pœnis grauibus percutitur.

Nunc igitur accepisti argentum, sed & lepra Naaman adhærebit tibi & semini tuo. Et egressus est ab eo leprosus quasi nix 4. *Reg.* 3.

Non est tibi pars neque sors in sermone isto: Cor enim tuum non est rectum coram Deo. Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua, & roga Deum si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. *Act.* 8.

PATRUM SENTENTIAE.

Sicut Eunuchus fuit qui Ioseph comparauit: ita qui gratiam mercatur viuum semen non habet siccis genitalibus. Sic quoque ignis sacrificii, qui per septuaginta annos Babylonicæ captiuitatis sub aqua vixerat, extinctus est Antiocho Iasoni vendente sacerdotium: quod significauit Spiritus sancti ignem non lucere in simoniacorum sacramentis. *Aug. & hab.* 1. *q.* 1. *c. Sicut.*

Reperiuntur quamplurimi negotiationem muneris mercari velle gratiam Spiritus sancti, dum illi pretium donant, vt pontificalis ordinis sublimitatem accipiant, obliti verborum Petri, qui dixit ad Simonem: Pecunia tua tecum sit in perditionem: quia existimasti donum Dei posse pecunia possideri. *Amb. in lib. Past. & hab.* 1. *q.* 1. *Reperiuntur.*

Cum ordinaretur episcopus, quod dedit, aurum fuit: quod perdidit, anima fuit. Cũ alium ordinaret, quod accepit, aurũ fuit: quod dedit, lepra fuit. *Amb. de ministeriis & hab* 1. *q.* 1. *can. Cum ordinar.*

Presbyter si per pecuniam Ecclesiam obtinuerit, non solum ecclesia priuetur, sed etiam sacerdotij honore spolietur: quia altare & decimas & Spiritum sanctum emere vel vendere simoniacam hæresim esse, nullus fidelium ignorat. *Greg. in Registro, hab.* 1. *q.* 1. *can. Presbyter.*

Quicunque sacros ordines vendunt aut emunt, sacerdotes esse non possunt. Vnde scriptum est. Anathema danti, anathema accipienti: hæc est simoniaca hæresis. Quomodo ergo si anathematizati sunt, & sancti non sunt, sanctificare alios possunt? & cum in Christi corpore non sint, quomodo Christi corpus tradere vel accipere possunt? qui maledictus, benedicere quomodo potest? *Greg. ibi. can. Quicunque.*

Cum omnis auaritia idolorum sit seruitus, quisquis hanc (& maxime in dandis ecclesiasticis honoribus) vigilanter non præcauet, infidelitatis perditioni subiicitur, etiam si tenere fidem verbis, quam negat factis, videatur. *Ibid. c. Cum omnis.*

Qui ergo sacros ordines tribuit, tunc ab omni munere manus excutit, quando in diuinis rebus non solum pecuniam nullam, sed nec etiam humanam gratiam requirit. *Greg. in tract. Euangelior. & hab* 1. *q. Sunt nonnulli.*

Lepram quam Giezi a sancto suscepisse se credant Elisæo, qui gradũ sacerdotalem se æstimant pecuniis comparare. *Amb. in suo pastor.*

Sicut validioribus morbis capite vitiato, reliquum necesse est corpus inundatione superioris morbi lethaliter irrigari: ita & hi, qui caput habentur Ecclesiæ, morbo pestifero fraterum vitiant corpus, ita vt videas in Ecclesia passim, quos non merita, sed pecuniæ ad episcopatus ordinem prouexerunt. *ibid.*

Nempe hoc est, quod doleo, quod Archiepiscopus carnaliter Episcopum fecit: nam propter pecunias specialiter leprosum ordinauit. Pecunia, inquit, tua tecum sit in perditionem: quia donum sãcti Spiritus gratiæ pretio comparasti, & commercium mirabile in animarum exitium peregisti. *ibid.*

Oculis quidem carnalibus videtur quis Episcopus magnus, & diuinis obtutibus inspicitur leprosus magnus, qui per pecuniã acquisiuit in debitum ordinem, & apud Deum perdidit interiorem hominem, caro suscepit dignitatem, & anima perdidit honestatem. *ibid.*

Sæpe sinistra principia ad felicem perueniunt exitum: vt Iacob per supplantationem peruenit ad benedictionem: vt fruges, quæ leprosa manu seruntur, munda tamẽ metitur. Vt ex adulterino cõcubitu pulchra soboles nascitur, sic & pecunia, quæ parsimonia acquiritur, felicem exitum habet, quum pauperibus profutura erogatur: sed nihil horum simoniacis patrocinatur. *Hieron. in epist.*

Sicut Episcopum non decet manum, quam imponit, condere: ita minister vel Notarius non debet in ordinatione sui vocem vel calamum venundare. *Greg. in registro.*

Simoniæ hæresis contagium iam olim in Balaam pullulauit: qui diuinationis pretio proposito, ad maledicendum populum Dei perrexit. [illegible] huius dum leguntur authores emersisse: alter sub Prophetica, alter sub Apostolica doctrina. Primus Giezi magister esse vendentium, deinde Simon videtur emptor. Horum autem sectatores sicut non sunt in errore diuersi: ita nec in damnatione diuisi. *Hugo.* 1. 2. *de sacra. par.* 10.

Certe acceptior est apud Deum iustitia, quam præbenda. Ideo cum in vtraque possit Simonia committi, damnabilior tamen est omnis venalitas in exhibitione iustitiæ, quam in venditione decimæ aut præbendæ. *Pet. Rau. in epist.*

Vide Tit. Munus.

SIMPLICITAS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Simplicitas, Græce ἁπλότης, -ητος, ἡ, & ἁπλοϊκῶς simplex dicitur. Heb. *Pethaiuth*. Vide Etymol. Trilingue Lugdun. in voce simplex. *pag.* 772. Est autem simplicitas virtus, ad quam pertinet directe præseruare se a deceptione. *secund.* 2. *Th.* 2. 2. *q.* 3. *art.* 3.

Simplicitas duplex est: quædam enim est contraria discretioni, quæ reprobatur: quædam contraria dolositati, quæ bona est: de qua in Euangelio: Estote simplices sicut columbæ.

LOCI BIBLICI.

Simplicitas laudatur, *Prou.* 28. *vers.* 6. 18. simplicitas vera quæ, *Matt.* 10. 16. *Act.* 2 46. *Rom.* 12. 8. *&* 16 19 2. *Cor.* 1. 12. *&* 8. 2. *&* 11 3. *Phil.* 2. 15. *Col.* 3. 22. simplicitas omnibus piis necessaria est, *Matt.* 5. *v.* 8. 37 *&* 6. 4 *&* 10. 16. *&* 12. 33. *Actor.* 2. 46. *&* 13. 10. *Ro.* 16 19. 2. *Cor.* 13 4 *&* 14. 20. 2. *Cor* 8. 2. *&* 9. 11. *&* 11. *v.* 3. 13. *Phil* 2. 15.

Simplex & rectus, *Genes.* 20 6. *&* 25. 27. *Iob.* 1. *v.* 1 8. *Matt.* 10 16. *Act.* 2. 46. *Rom.* 16. 18. *Ephes.* 6. 5. *Col.* 3. 22. simplici corde diligendum, 1. *Pet.* 2. 22. simplices in malo, *Rom.* 16. 19. simplicibus & humilibus reuelat subinde Deus, quod abscondit iis, qui sibi videntur sapientes, *Esa.* 29. *v.* 18. 24. *&* 32 4. *Eccl.* 9. 15. *Matth.* 11. 25 *Luc.* 2. 9. & 5 8. *&* 10. 21. *Act.* 4. 13. 1. *Cor.* 1. 24. *&* 2. 1. ad simplicitatem hortatur Christus, *Matt* 10. 16. in simplicitate conuersatus Paulus, 2. *Cor.* 1. 12. in simplicitate tribuendum, *Rom* 12. 8.

SENTENTIAE BIBLICAE.

Simplicitas in bono perficitur.

Vir erat in terra Hus nomine Iob. Et erat vir ille simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens a malo. *Iob.* 1.

Nunquid considerasti seruum meum Iob, quod non sit ei similis in terra, homo simplex & rectus. *Ibid.*

Fortitudo simplicis, via Domini. *Prou.* 10.

Iustitia simplicis diriget vitam eius. 11.

Sentite de domino in bonitate, & in simplicitate cordis quærite illum. *Sap.* 1.

Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuũ lucidum erit. *Mat.* 6

Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ 10.

Sed volo vos sapientes esse in bono, & simplices in malo. *Rom.* 16.

A Domino respicitur.

Deus non proiiciet simplicem. *Iob.* 8.

Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter. *Prou.* 10.

Abominabile cor prauum, & voluntas eius in his, qui simpliciter ambulant. 11.

Iustus, qui ambulat in simplicitate sua, beatos post se filios relinquet. 20.

Qui ambulat simpliciter, saluus erit. 28.

SENTENTIAE PATRUM.

Habere simplicitatem columbæ, ne quicquam machineris dolis, & astutiam serpentis, ne aliorum supplanteris insidiis, quia non multum distat in vitio, aut decipi posse. *Hier. ad Rustic.*

Prudentia absq. simplicitate malitia est, & simplicitas absque ratione stultitia nominatur, *Hier super Oseam.*

Simplex eris, si te mundo non implicaueris, sed explicaueris: explicando enim te a mundo, simplex: implicando, duplex eris. *Aug. hom.* 2. *in Ioan.*

Nihil diuitius viro simplici. Quid enim simplicitate diuitius? quæ sicut bonus paterfamilias satis sibi abundat, & sua puritate contenta, non quærit alienum: nec abrodit, sed de cæteris fingit, nec se in artes varias sæpe commutat, sicut astutia, quæ vt sit cauta, timet omnia, nec suis consiliis credit, versat ipsa suas sententias, simplicitas autem timere nil nouit. *Hier. super Oseam.*

Vtraque bene in admonitione conuertit, vt simplicitatem columbæ astutia serpentis instrueret: & rursus serpentis astutiam columbæ simplicitas temperaret. *Greg. in mor.*

Nihil simplici corde felicius: quia ex quo innocẽtiam erga alios exhibet, nihil est, quod pati ab aliis formidet. Habet enim quasi artẽ quandam simplicitatem suam: nec suspectus est pati, quod se fecisse non meminit. At contra mens praua semper in laboribus est quia aut molitur mala, quæ inferat: aut metuit, ne sibi hæc ab aliis inferantur. *ibid.*

Omnibus nobis in conuersionis initio nulla virtus magis necessaria est, quam simplicitas humilis, & grauitas verecunda. *Bern. in quodam serm.*

D. beato Iob dicitur, quod erat vir simplex & rectus. Simplex vide licet per innocentiam mansuetudinis: rectus per cautelam discretionis: simplex, quia nullum lædere, immo prodesse desiderabat: rectus quia se a nullo corrumpi permittebat. *Bed. de temp. Sal. l. 1.*

Simplicitas sine rectitudine dissoluta est & stulta: rectitudo autem sine simplicitate austera nimirum exsistit & dura, verum vtraque virtus coniuncta perfectum reddit hominem. *ibid.*

SENTENTIÆ PHILOSOPHOR.

Simplex perpetuo non facit ad ea, quæ nunquam simplicia sunt. *Plato de regno.*

Simplex primum, ad quod resoluuntur omnia, nunquam caret omni forma propria, per quam res existunt, alioquin non subsisteret quum esset vacuum formis: sed quum aufertur vna forma, succedit altera: quare recipiendo formam subinde a suo primo motore efficitur etiam ipsum. *Arist. Theologia Aegyptia l. 4 c. 2.*

Simplex dicitur dicitur: vnum quale subiectum primum primordium omnium corporum, susceptiuum formarum, mentionum trium, & quatuor qualitatum, & ex aliquibus non compositum, & ideo est simplex absolute: alterum est simplex comparatu rerum ex eo compositarum, ve clementa. *Idem ibid l. 12 c. 6.*

Simplex res nulla nobis occurrit, sed omnes mixtæ: nam nec colores a nobis percipiuntur, sed temperatura constans ex subiectis & lumine: nec odores, sed exhalationes ex corpore & aere: nec sapores, sed id, quod conficitur e re gustabili, & humore saliuæ. *Philo de temulentia.*

Simplicitate nihil potest superius cogitari: hæc autem ipsa vnitas: vnitas igitur non solum est primo omnium, sed etiam est ipsa primitas, cuius ratione cætera sunt vbique priora: per hac & ipsum ens prius est sequentibus, per vnitatem coniugatam sibi, & ipso superiorem. *Ficin. in Plot. En. 9. l. 9. c. 1.*

Simplex natura ipse debet supra rei compositæ multitudinem: ab vno numerus, simplici composita omnis conflatur. *Idem in Plat. comm. in c. 6. r. 15.*

Simplicitas suprema super æternitatem extat, a qua in diuinis mentibus integra fit æternitas, & in animalibus rationalibus æternitas tempori mixta, & in mundi sphæris sempiternitas temporalis, in his autem, quæ sphærarum motu virtuteque fiunt quædam portio temporis. *Ficin. in Plat. Tim. c. 7.*

Simplex quod non est, non est primum, & quod primum est, non est simplex. *Idem in Plot. En. 2. l. 9. c. 1.*

Simplicia & indiuidua cōposita & diuiduis sunt priora. *Idem Tusol. Plat. l. 1. c. 3.*

Simplicia cognoscuntur vel definitione, vel descriptione: non definitione Deus cognoscitur, quia nec genus, nec species, nec differentia est: non descriptione, quia nec affectiones, nec propria, nec communes sunt. *Iacob. Carpent. in Alcin. c. 9.*

Simplicia præcedunt naturam compositorum. *Simpl. in 5. de cœlo text. 12. co. 1 a.*

Simplices motus sunt simplicium corporum, & quot simplices motus, tot simplicia corpora. *Idem 3. de cœlo tex. 52. ca. 47.*

Simplicia aut sunt clementa, aut elementorum retinent officium, & rationem: secundo sua composita præcedunt. *Io. Gra. in 1. prio.*

Simplicis famosior intentio est illa, quæ significat hominem absolutum. *Auer. in 12. Metaph. text. .. co. 37.*

Simplex omne non est in materia. *Idem ibid. text. .. co. 49.*

Simplex dicitur duobus modis, quod vnum est, quod non est compositum ex multis partibus, tamen est compositum ex materia: & hic dicitur de quatuor corporibus, quod sunt simplicia. Aliud dicitur de eo, quod nō est compositum ex materia & forma, quæ mutatur ad formam in potentia: & est corpus celeste. Et præterea simplex dicitur, cuius definitio totius & partis est eadem, licet compositū sit ex quatuor elementis. *Auer. ex de Insuf. disput. 3.*

Simplex quod est, caret potentia, & quod caret potentia, simplex est. *Auer in 8. phys text. 78.*

Simplex vnum non habens aliud & aliud in potentia agendi, vel patiendi, est penitus impassibile: quia potentia actiua & passiua sūt diuersæ secundum principia. *Alb. magn. in 9. Metaph. tract. 5. c. 2.*

Simplex in natura nihil est, nisi quod est destructum est, & determinatum. *Idem de prædicab.*

Simplex est id, quod caret parte essentiali, & secundum quantitatē. *in 1 physic c. 13.*

Simplex per decoctionem totum rarius efficitur. *Alb. Magn. in 2. Meteor. tract. 3 c 26.*

Simplex per leipsum acceptum magis sentitur, & fortiori motu mouet sensum, quam ipsum idem cum alio commistum: & simplex vocatur, quod est per modum habitus immistum. non autem per modum priuationis: & hoc sit, quia mista se inuicem obscuraut, dum miscentur. *Idem de sen & sen. c 3.*

Simplicia aut omnino intelliguntur, aut omnino ignorantur. *D. Th. 9. metaph. 11. text. 22.*

Simpliciora quæ sunt notiora naturæ, & priora, cadunt in cognitionem nostram per posterius: & hinc est, quod prima principia, & Deum non discimus per posteriora. *in 10. metaph. l. 4. c. 9.*

Simplicius quanto magis aliquid est: tanto ex paucioribus constat. *Alex. de Ales in 1. metaph. text. 1.*

EXEMPLA BIBLICA.

Simplicitatis *exempla*: Abimelech, *Gen. 20. v. 4 5*. Iac ob. *25. v. 27. & 29. v. 25. 28.* Populus, *2. Sam. 15. v. 2*. Dauid, *1. Reg. 9. 4. 1. Par. 29. v. 23.* Naaman, *2. Reg. 5. 23.* Iob, *Iob. 1. 1. 5. & 31. v. 5. 6.* Iudæi, *1. Macch. 2. v. 37.* Daniel, *v. 6 22.* Gedolias, *Ierem. 40 v. 16* Nathanael, *Ioan. 1. v. 48.* Fideles, *Act. 2. v. 46.* Paulus, *2. Cor. 1. 12.*

SIMVLACRVM.

LOCI BIBLICI.

Simulacrorum seruitus, auaritia, *Coloss. 3. versic. 5.* cultus eorum fugiendus, *Act. 15. v. 20.*

SENTENTIAE POETICÆ.

Mart. 8.

Qui fingit sacros auro vel marmore vultus,
Non facit ille Deos qui colit, ille facit.

Stat. 2. Theb.

Nulla autem effigies nulli commissa metalla
Forma Dei, mentes habitare & pectora gaudet.

Ouid. 2. Pont. 8.

Felices illi, qui non simulacra, sed ipsos,
Quique Deum coram corpora vera vident.

Idem: Pont. 8.

Quos dedit ars, vultus effigiemq; colo.
Sit homines merere Deos quos arduus æther
Occuluit, & colitur pro Ioue forma Iouis.

SIMVLATIO.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Simulatio, Græc. ὑπόκρισις, εἰρωνεία, & ὑποκριτὴς ὁ, simulator dicitur. Hebr. *Chanoph, Esa. 32. 6.* a verbo *Chanaph*, Obnoxius est, velatus fuit, nubilus & obscurus fuit, simulatione est vsus. Hypocrita, nebulo, malitiam cordis sui obnubi, præ se ferendo speciem probitatis. *Chanuphah* etiam simulatio dicitur, Iere. 23. 15. ab eodem verbo. Hinc νέφος nubes, νεφέλη nebula, & Lat. nubo, obnubo. Nā vt cœli facies obnubilata nobis alia apparet: ita simulator varios vultus induit. Est autem simulatio propriè mendacium, in signis factorum exterioribus, ideo semper est peccatum. Sed late sumitur pro fictione. *secund. & Tho secunda, Seq. q 111. art. 1.*

Simulo & dissimulo ita differunt, Simulamus enim esse ea, quæ non sunt: Dissimulamus ea non esse, quæ sunt. A simulo fit simultas, hoc est, odium, quod qui simultates exercent, inter se simulata loquuntur: vel dicitur a contrario, quia minime sunt simul. Hinc simulo verbum, hoc est, simultatem exerceo, & odium. A simulo fit etiam simulacrum, quod fit ficta imago alicuius.

LOCI BIBLICI.

Simulat Dauid insaniam, *1. Sam. 21. 13.*

Simulatio & hypocrisis cauenda, *Eccl. 1. 36. Iob. 15. 34. Esa. 32. 6. Ier. 9. 6. 2. Macch. 6. 24. Matt. 23. 1. &c.* abesse debet a Christianis, *1. Petr. 2. 1.*

APOPHTHEGMATA.

Charondas. Inter leges, quas tulit Catanensibus, hæc reperitur scitu digna: Vnusquisque eorum se temperantem potius quam sapientem videri studeat. Nam simulare sapientiam magnum est imperiti & vilis animi signum. Temperantiæ autem simulatio debet esse vera: neque vllus egregia facta simulet, qui reipsa & mentis & actionum bonarum nihil habeat. *Stob. serm. 24.*

Diogenes, cum in conuiuio placentam ederet, diceretque conuiuatum quispiam: Quid comedis Diogenes? Suspicās, Cynicum Philosophum nescire, quid esset placenta. Panem, inquit, bene pistū. Dissimulans se scire, quid esset aliis placenta. *Laert. l. 6 c 2.*

Polydorus. Quum in Messeniorum regionem eduxisset copias Polydorus, rogaret cuipiam: Num aduersus fratres essent pugnaturi? Non, inquit, sed in eam agrorum partem proficiscimur, quę nondum sortito diuisa est. Elusit percontatorem, dissimulans consilium suum. *Plut. in Lacon. apoph.*

Demosthenes. Postquam Demosthenes metu Antipatri profugisset in Calauriam insulam, seque in Neptuni templo contineret, & Archias ex tragœdiarum histrione potens, illi blandis sermonibus persuadere conaretur, vt sese in Antipatri fidem committeret, non modo nihil passurum mali, verum etiam amplissimis muneribus honorandum, Io scena, inquit, mihi nunquā placuisti histrio, neque nunc persuadebis orator. At vbi commotus Archias minaretur, se detracturum illum è templo: Tandem, inquit, oracula Macedonica aperuisti, nā prius histrionē more simulabas. *Plut. in Demosth.*

Metellus, cum Scipioni viuenti fuisset inimicus, mortem tamen illius grauiter tulit, iussitque filijs, vt subeuntes pheretrum, funus Scipio-

Scipionis efferrent: addens, se Romanæ ciuitatis nomine gratiam habere diis, quod Scipio apud alios non esset natus. Sentiens, Romam non futuram fuisse incolumen, si talem ducem habuissent hostes. Simultatem oportet morte finire, amicitiam non item. *Plut. in Rom. apoph.*

Cic. L. Cotta Censore, qui vini auidissimus habebatur, quum Cicero consulatum petens sitisset, bibissetq; septus vndique amicis: Recte, inquit, timetis, ne Censorem habeam infensum, quod aquam bibo. Simulauit Cicero se credere, ob id circumstare frequentes amicos, ne Censor videret illum bibentem aquam: Simile enim simili amicum. *P. M. lib. 4. apopht.*

Domitius Afer, dum causam ageret, & is, qui diuersam agebat partē, subinde repeteret, Celsinam hoc dicere: cum probe nouisset fœminam præpotentem, simulans se credere Celsinam virum esse, rogauit, quis esset ille Celsina? Obiter notans ineptiam illorum, qui tantum authoritatis opum gratia tribuerent fœminæ, vt illius dicta roties citarent pro testimoniis. *P. M. lib. 6. apophtheg.*

Iulius Cæsar, cum testis ad exaggerandum iniuriam diceret, fœmina sua a reo ferro petita. Quid enim faceret, inquit, quum tu galeam & loricam haberes? Non ignorabat, cur illam partem potissimū vulnerare voluisset: sed hue dissimulato, iocari maluit. Galea & lorica omnia tegunt, præter feminam. *P. M. lib. 4. apoph.*

Anonymus. Tiberio Cæsari cunctanter & ægre suscipienti delatum imperium quidam in os ausus est dicere: Cæteri quod pollicentur, tarde præstant: tu quod præstas, tarde polliceris. Notata est illius simulata cunctatio, detrectantis quod cupiebat. *P. M. lib. 6. apopht.*

Fridericus Imp. posteaquam Senatores omnes in curiam vocasset, optauit, vt antequam ingrederentur, duas res deponerent, & tum fieri posse, vt iudicio neminem fallerent. Percontatus autē, quænam res illæ essent? Simulatio & dissimulatio, respondit. Nam quæ res est, qua homines decipiuntur magis, quam si aliud cogites, aliud dicas? *Aen. Sylu. de dictis Frider. Imp.*

Sigism. Imp. dixisse memoratur ignarum esse regnandi, qui simulare nesciret. Innuit autem, præcipuam principum virtutem esse clementiam, quæ docet, simulanda interdum esse ea, quæ non magni sunt momēti, commodi maioris gratia. *Aen. Silu. lib. comment. in res gest. Alphonsi.*

Ramirus. Is Hispanorum rex mire fuit probus, & in moribus simplex. Ob eam rem cum irrisui aulicis esset, & dicteriis identidem peteretur, ad extremum exarsit, & vndecim viros nobiles ad se vocatos in Osca vrbe, gladio perimi iussit, addito dicto, Nescit vulpecula cum quo ludat. Reipsa scilicet ostendit, periculosum valde leonem vellicare. *Histor. Hispan.*

S I M I L E.

P. M. Vt vitrum quia pellucidum, nihil celat: Ita quidam nihil tegere nihil dissimulare norunt: quicquid in animo est, id protinus omnibus palam est. *In simil.*

A D A G I A.

Salem & fabam. ἅλα καὶ κύαμον.

Subaudiendum proposuerunt Diogenian. admonet dici solitum de iis, qui fingerent se scire quippiam, quod nescirent.

Multi Thyrsigeri, pauci Bacchi. πολλοὶ τοι ναρθηκοφόροι, παῦροι δέ τε βάκχοι.

Quo significatum est, compluribus mortalium adesse virtutis insignia, aut & famam, qui tamen vera virtute vacent.

Es seind nit alle gute Landsknecht, die lange Spiess tragen.

Die Kutte macht keinen Muench.

Multi qui boues stimulant, pauci aratores. πολλοὶ βουπλῆγες, παῦροι δέ τε γῆς ἀροτῆρες.

Multi præ se ferunt, quod non sunt.

Non omnes qui habent citharam, sunt citharœdi. *Varro.*

Huc ascribendum videtur, quod lepide scripsit Seneca: Quendam personā malle quam faciem Faciem vocat, vbi quis talis videtur, qualis est: personam quum præ se fert aliquis, quod non est. Es seind nit alle Koech, die lange Messer tragen.

Asinus apud Cumanos, ὄνος παρὰ Κυμαίοις.

Competit in eos, qui cum sint inepti, ridiculiq; tamen apud ignotos ipsa nouitate habentur in pretio. Aut in eos, quibus bonos aliquos præter meritum additus a fortuna tumorem & insolentiam, ita vt fere fit, conciliat. Demosthenes. Τὸ γὰρ εὖ πράττειν παρὰ τὴν ἀξίαν ἀφορμὴ τοῦ κακῶς φρονεῖν τοῖς ἀνοήτοις γίνεται, id est, Felicitas enim & rerum successus, qui contigerit immerenti, stultis vesaniæ causam præbere solet.

Flere ad nouercæ tumulum. πρὸς τὸν μητρυιᾶς τάφον δακρύειν.

Est simulare gestu dolorem quum te gaudeas.

Megarensium lachrymæ. Μεγαρέων δάκρυα.

Dicebantur vel ficta nec ex vero dolore profecta, vel adacta.

Alia Leucon, alia asinus illius portat.

Effertur apud quosdam ad hunc modum: Ἄλλα μὲν Λεύκων, ἄλλα δ' ὄνος φέρει, id est: Alia Leucon, alia Leuconis asinus portat. In eos dicebatur, quo Polyanthea Nuusa.

rum oratio dissentiret a factis.

Paries dealbatus, τοῖχος κεκονιαμένος.

Paulus Apostol. in Actis, Ananiam sacerdotem fictum & fucatum, parietem dealbatum appellat. Christus sanctimonia simulatores, Sepulchra dealbata vocat.

Non omnibus dormio.

Non omnibus dormire dicuntur, qui non omnibus inseruiunt, neque per omnia gerunt morem. Ich bin nit einem ieden gevvachsen.

Effertur etiam. Non omnibus seruio. Ich bin nit aller Heiligen Knecht.

Lepus dormiens. λαγὼς καθεύδων.

Quadrabit in eum qui quod non facit, id facere sese simulat, aut quod facit, se facere dissimulat. Er schlaefft den Hasen schlaff.

Mortuus iacet pedens. τεθνηκὼς βδέων.

Dici solitum si quando pauper dissimularet opulentiam.

Crocodyli lachrimæ. Κροκοδείλου δάκρυα.

De iis, qui se se simulant grauiter angi incommodo cuiuspiam, cui perniciem attulerant ipsi.

Beneuolus trucidator. εὔνους σφάκτης.

Conuenit in hos, qui quum summam adferant perniciem, tamen beneuolentiæ speciem admiscent.

Consine est illud, quod alibi recensuimus: Intempestiua beneuolentia nihil a simultate differt.

Extra quærere sese. ἔξω βλέπειν.

Persius Satyra 1.

Examenque improbum in illa
Castiges trutina, nec te quæsiueris extra.

Hoc est. Tuis te facultatibus metiaris, non populari opinione.

Tecum habita.

Aesopicus graculus. Αἰσώπειος κολοιός.

Dicitur, qui aliena sibi vsurpat, aliorumque bonis se vindicat. Hor.

Moueat cornicula risum,
Furtiuis nudata coloribus.

Aurum subæratum. ὑπόχαλκον χρυσίον.

Dicitur homo nequaquam syncerus sed aliud præ se ferens, aliud intus occultans.

Diu dissimulatum aperientis.

In eum, qui quod dissimulauit, tandem irritatus eloquitur, non inconcinne detorquebitur illud Homeri:

Ἀλλ' ὅτε δὴ ὄπα τε μεγάλην ἐκ στήθεος ἵει.
Ast vbi iam promit pergrandem è pectore vocem.

Scytha accersans Asinum. Ἀκκίζεται Σκύθης τὸν ὄνον.

Aduersum eos, qui verbis auersantur, quod re cupiunt.

Mons cum monte non miscetur. ὄρος ὄρει οὐ μίγνυται.

Impariter elatos, inter quos nunquam conuenit. Zvveen harte Stein mahlen selten rein.

Accisare. ἀκκίζειν.

Scribunt, Accomulierem fuisse quampiam nota stultitia, quæ solita sit ad speculum cum imagine sua perinde atque cum alia muliere confabulari: vt hinc vulgo, qua, iubentes aut inepteus aliquid dicerent, Accisare dicerentur.

Hæsitantia cantoris tussis. ἀπορία ψάλτου βήξ.

Dictum videtur, quoties non suppetit, quod dicamus, idq velut, aliud agentes dissimulamus.

Tussis pro crepitu. βὴξ ἀντὶ πορδῆς.

Dici solitum, quoties aliquis perplexus aliud pro alio simulat.

Cretensis mare. ὁ Κρὴς τὴν θάλασσαν. *Strabo.*

Subaudiendum, nescit, aut metuit. In eos, qui nescire fingerent, quod egregie callerent.

Conniuere. παραθημυκτεῖν.

Prouerbialis metaphora conniuere dicuntur: qui pridentes culpam quam intelligunt indulgentia tamen ac studio dissimulant.

Simia fucata. πίθηκος ἐντετριμμένος ψιμυθίῳ.

De deformi annu fucata tamen, & meretriciis culta lenociniis. Potest & ad rem accommodari, veluti si quis turpem causam orationis pulcre adornet, vt honesta videatur.

Simia barbata seu caudata.

Dici solitum de ridiculis

Sileni Alcibiadis. Σιληνοὶ Ἀλκιβιάδου.

Quo licebit vti, vel de re quæ in speciem, & prima (quod aiunt) fronte vilis ac ridicula videatur, tamen interius ac propius contemplanti sit admirabilis.

Esurienti vulpi somnus obrepet. πεινώσῃ ἀλώπεκι ὕπνος ἐπέρχεται. *Diogen.*

Vbi quis me piacebi dormie. Neq; perperam dicetur & in illos, qui dissimulāt, conniuentq; ad quædam, vt per occasionem aliquid commodi ferant.

Audiens non audit.

Sunt quidam, qui si quid parum placet, id scire dissimulant. Idem dissimulans audiuisse.

Illo respiciens, sed hic remitte bona. ἐκεῖσε βλέπουσα, δεῦρ' ἀφίει τὰ ἀγαθά. *Aristoph.*

Conuenit quum aliud præ nobis ferimus, aliud facimus: aut quum aliis verbis adblandimur, in alios re beneficium conferimus. Eines ists Vvort, der ander der Korb.

Patrocli occasio. Πατρόκλου πρόφασις.

Diogen. ostendit, dici solere de iis, qui cum ob metum non ausint

proprias deplorare calamitates, deflent eas sub praetextu ludus alieni.

Mellitus gladius.

In perniciosam adulationem dici solitum. Ein Angel legen, Ein verdeckt essen, Ein Vvolffsgrub machen. Ein Iuda Kuss geben.

Altera manu fert lapidem, altera panem ostentat. *Plaut.*

Torquebitur in eos qui coram blandiuntur, clam obtrectantes: palam amicos agunt, clanculum nocent: aut qui hic prosunt, illic ladunt. Simile huic est; altera manu scabit caput, altera malam ferit. Es seint boese Kazen, die vornen lecken, vnd hinden Kratzen.

Charadrion imitans. Χαραδριὸν μιμούμενος *Greg. Theolog.*

Dici solitum de dissimulante, ac rem vtil. in occultante

De reduuia quaeritur maiori obnoxius malo. περὶ τῆς παρωνυχίας μέμφεται ὁ τῷ μείζονι ἔνοχος κακῷ.

Vbi quis prauo pudore leuissimis malis quarit remedium, dissimulās maiora.

Simia in purpura. πίθηκος ἐν πορφύρᾳ.

Lepide transfertur in eos, qui barba palioque simulant sanctimoniam.

Pollicodile: δὸς τὸν κύνα καὶ ἀποχώρει.

Dicit et qui furtum aint, alijs sese subducent. In hos congruet quos pudet τῶν ... sed dissimulanter transferunt in alienam sententiam Hinder der Thür vrlaub nehmen.

Barba tenus sapientes.

Sic appellantur Philosophi & Sophistae, ἐκ πώγωνος σοφοί id est, Barba tenus sapientes. Recte torquebitur in hos, qui vniuersam vita sanctimoniam non in animo, neque in moribus, sed in cultu constituunt.

Prophana Exempla.

M. Tullius Tusculanarum quaestionum quinto scribit Epicurum tantummodo personam induisse Philosophi. *P. M. in Adagijs.*

Vlysses, ne ad Troianum bellum iret, boue & asina iunctis terrā proscindere, & sal serere coepit, sed astum eius Palamedes detexit. *Cic. 3. Offic.*

Meton Athemensis Astronomus, cum infelicem euentum Siculae expeditionis praeuideret, mente se captum finxit, & domum succēdit, Itaque insanus iudicatus, libere dimissus est. *Aelianus lib. 13.*

L. Iun. Brutus simulata mentis impotentia, Tarquiniorum insidias euitauit. *Liuius.*

Ramirus ex monacho quintus Arragoniae Rex rumorem diuulgauit; se campanam iam magnam conflaturum, cuius sonus per totam Hispaniam audiretur. Excitos ea fama proceres, a quibus imperitiae nomine contemnebatur, comprehendit & interfecit. *Marianus lib. 8.*

Romanus scurra Cabba (siue Calba) inuitauit ad coenam Mecenatē, inde eum & vxorem suam cernens inter se annictantes leui capitis inclinatione dormire simulauit. Interea cum quidam ea seruis foris arreperet ad mensam, ac vinum interciperet, circūspiciens, nescis infelix inquit, soli me dormire Mecoenati? *Plut. serm. amator.*

Dionysius Syracusiorum tyrannus hospiti cuidam bono dedit talentum, praetextu, quod ab eo audisset insidiatorum quorundam indicia. Eo rumore alterriti fuere insidiatores, ne conceptam iam coniurationem perficerent. *Plut. in regum apoph.*

Vide Hypocrisis.

SIMVLTAS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Simultas, vt Festus scribit, odium est Dicta ex contrario, quia minime sunt simul, qui se inuicem oderunt: & quia simulata loquuntur porcell & a Simulatione dicta videtur. *Ioan. Tislin. comment. in orat. pro M. Cael.* Gr. ἔχθρα, inimicitia latens, Hebr. *Ebah,* inimicitia tum tecta, tum aperta, *Gen 3. 16.* A verbo *Afabh,* inimicatus est, inimicitias exercuit, infestauit.

Apophthegmata.

Chilonis dicterium est: Sic ama, tanquam osurus: sic oderis, tanquam amaturus. Hoc dicto admonuit, nec simultates tam acriter exercendas, vt praecludatur omnis in gratiā reditus: nec amicis adeo fidendum, vt illis committas, quod si fiant inimici, possint te perdere. *Gel.*

Aristides e concione quadam, in qua frustra Themistocli obstiterat, discedens clara voce testatus est, res Atheniensium incolumes esse non posse, nisi & ij sum & Themistoclem in barathrū conijcerent; prius habens, morte affici, quam ob duorum simultatem minus recte consuli publicis commodis. *Plut. in Aristide.*

Cratides. Lysandro defuncto, quum de societate belli nata esset controuersia, Agesilaus adiit Lysandri domum, inquisiturus super hac re literas, quas Lysander apud se detinuerat. Reperit autem praeterea librum Lysandro conscriptum de nouando Reipub. statu, quod oporteret regnum ab Eurytionidis & Agide ablatum (nam ex his tantum familijs fas erat creare Reges) in commune ponere, ac Regē eligi ex optimis: quo videlicet hoc honoris decerneretur non his, qui genus duxissent ab Hercule, sed ijs, qui tales essent virtute, qualis fuisset Hercules, quandoquidem virtute, non generis commendatione, & ille ad diuinos honores subuectus est. Hanc orationem Agesilaus nitebatur apud ciues euulgare, cupiens per eam ostendere, qualis eius clanculum fuisset Lysander, non sine calumnia eorum, qui Lysandro fauerant. Sed ferunt, Cratidem, qui tum inter Ephoros primas tenebat, veritum, ne lecta oratio persuaderet, reuocasse ab eo consilio Agesilaum, ac dixisse; non solum non esse refodiendum Lysandrum, sed ipsū potius orationem cum illo defodiendam, quod callide, & ad persuadendum accommodate composita videretur. Hoc factum declarat Lysandri peruersam ambitionem, qui nihil intentatum reliquerit ad regnum adipiscendum: sed idem arguit Agesilai moderationem, qui priuatam simultatem posthabuit vtilitati Reipublicae. *Plut. in Lacon.*

Bibulus, quum Pompeio esset inimicus, prius tamen in Senatu rogationem tulit, vt vnicus cōsul Pompeius decerneretur: Aut enim (inquit) Respublica ab imminente procella per illū liberabitur, aut optimo parendum erit. Egregius animus, qui priuatam simultatem posthabuit Reipubl. commodis. *P. M. l. 6 apoph.*

Similitudines.

Plut. Sicut is, qui Prometheum Thessalum cogitabat occidere, casu tuber ita percussit ac dissecuit, vt seruaret hominem, ruptoque tubere periculo liberaret: Ita non raro fit, Vt conuitium per simultatem & odium impactum medeatur animi morbo, vel ignorato vel neglecto. *De vtilitate capienda ab inimicis.*

Vt inueterata consuetudo, etiamsi laedas, tamen haud facile propellitur: Ita simultas inuidiam, zelotypia mali memoriam in animo relinquit *In Moral.*

Vide Odium, Inimicitia.

SITIS.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

Sitis, Graece, δίψα, & δίψος, sitio dicitur. Heb. *Tsamah, Tsimeah, Tsimmaon,* a verbo *Tsamah,* sitiuit, quod cognationem, habet cū *Masat.* & *Mutsah,* emulsit liquorem ad siccitatem, nam siccitas, vel locus aridus dicitur sitire. Hinc μύζω, sicco, emulgeo, exhaurio. Est autem sitis appetitus frigidi, & humidi. *secund. Arist. lib. 2. de Anima.* Ponitur etiam pro nimia auiditate cuiuscunque rei. Maior famae sitis est, quam virtutis. Hinc dicitur sitio verbum, & siticulosus, qui semper sitit: & sitibundus, hoc est, sitiens: & situla, vas ad hauriendam aquam, quod aquam sitiat.

Loci Biblici.

Sitiens Christus potatur aceto, *Ioan. 19. v. 20.* sitienti Dauidi potus adfertur, *2. Sam. 17. v. 27.* sitiens vitam aeternam, *Ioan. 7. v. 37.*

Sitit inobedientibus. *Deut. 28. v. 48.*

Sententiae Poeticae.

Ouid. 6. Met.

Haustus aqua mihi nectar erit, vitamque fatebor
Accepisse, simul vitam dederitis in vndis.

Ibidem,

Non ego nostros
Abluere hic artus lassataque membra parabam;
Sed releuare sitim: caret os humore loquentis,
Et fauces arent, vixque est via vocis in illis.

Sententiae Philosophicae.

Sitim ex calescēte corpore nasci certum est. *Arist. probl. sect. 26. num. 30.*

Sitiūt, qui timent, quia eos pulso sanguine siccitas tenet. *ibid. num. 3*

Sitim cur minus quam famem tolerare possumus? vel quia sitis est magis anxia, vel quia calor, quo viuimus, humidum magis quam siccum desiderat: vel quia sitis est libido potionis & cibi, fames vnius tantum: vel quia siti magis contristamur, quam fame. *Problem. sect. 18. num. 5.*

Sitiunt vehementer hi, quorum venter inferiorem fluxionem exercet, quoniam humoribus deorsum collapsis stomachus resiccatur: sitis enim non nisi per siccitatem oriri solet. *Alexander Aph. probl. 2 num. 100.*

Sitis magis agit quam fames, *D. Th. in 5. de coel. l. 22. text. 80.*

Sitis est appetitus humidi naturalis. *Pet. de Alu. de iuuent. & senect. vit. & mort. resp. lib. 5.*

Sitis calidi potus, aut frigidi, aut multi, aut pauci est, aut etiam in summa qualis cuiusdam potionis. *Plat. de Repub. dial. 4.*

Siti si caliditas quaedam adfuerit, frigidi cupiditatem insuper adduxerit, si vero frigiditas calidi, si ob multitudinis praesentiā multa sitis fuerit, multi cupiditatē inducet: si vero pauca, pauci. *Idem ib.*

Sitis

Sitis est amplioris cuiusdam cupiditas in anima. *ibid.*

Sitire quoquam est alterius cupiditas quam eius, cuius a natura est, ipsius potus, & ipsum esurire cibi. *Plato de Rep. dial. 4.*

Sitis non est nec multi, nec pauci, nec boni, nec mali, neque in summa qualis cuiusdã est, sed ipsius potus solũ natura sitis est. *eiusdem ib.*

Sitientis anima in quantum sitit, non aliud quid vult quam bibere, & hoc appetit, & ad hoc festinat. *ibid.*

Sitis naturalis liquorem appetit, priusquam sensu sentire non agnoscimus, sed postq. à agnoscimus, rursus appetimus: appetitus, qui sensum sequitur, imaginarius est, & a substantia nostra remotior, antecedens vero substantiæ nostræ: ideo quum liquorem gustu consequimur: non sequentis propriæ, sed antecedentis appetitus virtute complectimur, & in substantiam nostram perfecte transferimus. *Ficin. Plat. Theol. l. 10 c 3.*

EXEMPLA BIBLICA.

Sitis Exempla: Agar & eius filius, *Gen 21. v. 14. 15.* Israelitæ, *Exod. 17. v. 12. Nehem. 9. v. 20 Num 20 v. 2.* Sisera, *Iud 5. v. 18.* exercitus Regum Israelis & Iuda, & Edom, *2. Reg. 3. v. 9.* Bethulian, *Iudith. 7. v. 13. 14.* Iudæi, *Esa. 5 v. 13.* lactantes paruuli, *Thren. 4 v. 4.* Christus *Psal. 69. v. 22. Ioan. 19. v. 23.* Apostoli, *1. Corint. 4. vers. 11.* Paulus, *2. Cor. 11. v 9.*

Consule sequentem tit. de Sobrietate.

SOBRIETAS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

SObrietas, Græce σωφροσύνη, νηψις & σώφρων, ενηφών sobrius dicitur. Sobrietas proprie est circa potum inebriantium: large vero est circa omnem materiam. *sec. S Thom 2. 2 q. 143. c. princ.*

Sobrius est, qui in cibo & potu temperans est, quasi sine ebrietate. Sobrietatis nomine etiam temperantia significatur.

LOCI BIBLICI.

Sobrietas commendatur, *Luc 21 34. Rom 13. 14. 1. Thess 5. 6. 1 Tim 3. 2 2. Tim. 4. 5. Tit 1. 8. & 2. v. 2. 3. 5. 12* sobrietas animi commendatur, *Rom 12. 3. 2. Cor. 5. 13. 1. Thess 5 v. 6. 8 1 Pet. 1. 13. & 4. 9. & 5. 8.* ad sobrietatem sapiendum, *Rom. 12. 3* Sobrius, temperans, qui suis affectibus imperat, tum ebrio speciatim, tum intemperanti generatim oppositus. *2 Cor. 5. 13. 1. Thess. 5. 6. 1. Tim. 3. 2. 11. Tit. 1. 8. & 2. 2. 5. 6. 1. Petr. 1. 13. & 5. 8.*

PATRVM SENTENTIAE.

Sobrietas est mentis & sensus, membrorum omnium, corporisque tutela, castitatis pudicitiæque munimentum, pudoris proxima amicitiæ pacisque serua, honestatique semper coniuncta, criminumque & vitiorum omnium profuga. *Aug.*

Sobrietas est recti iudicii tenax, memoriæ recordationisque inseparabilis sapientiæ, secretorum custos, arcani velamen, lectionum & doctrinæ capax, studiorum & artium bonarum disciplina, pariter & magistra ingeniorum, & capiendorum pedissequa, bonæ famæ semper auida, salubria atque vtilia creans, virtutis singulare auxilium, cuncta cum ratione disponens, in congregatione honestorum se semper ingerens. *ibid.*

Sobrietas temeritatem fugit, pericula cuncta declinat, mutuis officiis obtemperat, superbiam detestatur, domum familiamque cũ moderatione gubernat, fidem sibi committentibus seruat. *idem.*

Sobrietatis perseuerantia inæstimabilis est animi fortitudo, omnes eam virtutes, & omnes laudum tituli concupiscunt: quia sine ipsa ornari aut placere non possunt. *idem.*

Sobrietas omnium virtutum mater est, sic è contrario ebrietas omnium vitiorum origo. *Orig. hom. 87.*

Sobrietas felix, satietas salutaris, quæ quanto copiosius sumitur, tanto magis sobrietatem mentibus donare dignatur. *Cassiod. super Psal. 59.*

Si quod naturæ satis est, replere indigentiam velis, nihil est, quod fortunæ affluentiam petas, paucis minimisque natura contenta est, cuius satietatem si superfluis velis vrgere, aut iniucundũ, quod infuderis, fiet, aut noxium. *Bern. de cons.*

SENTENTIAE POETICAE.

Horat. 2. serm. 2.

Accipe nunc victus tenuis quæ quantaque secum
Afferat. in primis valeas bene, nam variæ res
Vt noceant homini, credas, memor illius escæ,
Quæ simplex olim tibi sederit.

Ibid.

Vides vt pallidus omnis
Cœna desurgat dubia? quin corpus onustum
Hesternis vitiis animum quoque prægrauat vna,
Atque affigit humo diuinæ particulam auræ.
Alter, vbi dicto citius curata sopori
Membra dedit, vegetus præscripta ad munia surgit.

Lucan. lib. 4.

Discite quam paruo liceat producere vitam,
Et quantum natura petat. non erigit ægros,
Nobilis ignoto diffusus Consule Bacchus,
Non auro murrhaq. bibunt. sed gurgite puro
Vita redit: satis est populis fluuiusq. Ceresque.

SENTENTIÆ PHILOSOPHICÆ.

Hanc sanam ac salubrem formam vitæ tenete, vt corpori tantum indulgeatis, quantum bonæ valetudini satis est, cibus famem sedet, potio sitim extinguat, vestis frigus arceat, domus munimentum sit aduersus infesta corporis, hanc vtrum cespes erexerit, an varius lapis gentis alienæ, nihil interest. Scitote tam bene hominem culmo quam auro tegi. Cogitate nihil præter animum esse mirabile, cui magno nihil magnum est. *Senec. ep. l. 5.*

Sine fastidio impletus est venter. Quid enim ad rem pertinet quid accipiat, perditurus quicquid acceperit? *Ep. l. 21.*

Sobrietas virtus est appetentis, per quam prauæ voluptates non appetuntur quæ lent. *Arist. de virtut. & vit. diuis.*

Sobrietas est affectus moderationis contra incentiua crapulæ, & diluuium ebrietatis. *Cic. de Offic.*

Sobrietas & animabus vtilissima est ac etiam corporibus. *Phil. de verbis, Resipuit Noe.*

Sobrietas est cibi & vini optima moderatrix, qua qui caret, omnes aliæ virtutes obscurantur. *Franc. Patr. de reg. l. 6. c. 26.*

Sobrietas & continentia est Dei cultus. *Aug. Steuch. de pere philo. lib. 10. c. 79.*

APOPHTHEGMATA.

Musonius. Delicatulos picam experius mulieribus non dissimiles esse aiebat. Nam & ipsi, inquit, velut illa familiarissimos cibos fastidiunt, ore ventriculi corrupto. Itaque vt ferrum inutile acie noua semper eget, similiter & illorum stomachi inter edendũ acui nunquam nõ postulant, siue mero, siue aceto, siue acerbo aliquo condimento. *lib. de alimen. apud Stob.*

Anonymus. Lacon quidam conspiciens quendam pretiosam auiculã sibi appositam præ fastidio renuentem: at mihi, dixit, etiam vultur & hircus sapiunt. *Stob. serm. 13.*

Zeno Citticus ne per morbum quidem cibo magis delicioso vti voluit. Igitur medico columbinum pullum consulente, ipse consilium patiens, non secus quam mancipium nomine Manem, si ægrotaret, curari se iussit. Si enim, inquit, absque sumptuosis alimentis recuperare sanitatem seruus potest, quid idem mihi futurum prohibet? *Laert.*

Archidamus. Quodam Archidamo pollicente vinum suaue: Quorsum, inquit, opus? quandoquidem & plus absumetur, & quæ fortes decent viros, ea reddet inutiliora. O verum a culum animum & omnium deliciarum contemptorem. *Plut. in Lacon.*

Demades prandens apud Phocionem, cum apparatum admodum tenuem videret: Demiror, inquit, o Phocion, te Rempubl. administrare, cum possis ad illum prandere modum. Bis terque, & quod lucri tantum causa putaret adeundam Rempubl. & quod luxum probaret in eo, cui maxime conueniebat sobrietas: Sed Demades alios è suis moribus æstimabat: Erat enim & pecuniarum auidus, & lusui deditus. *P. M. lib. 6. Apoph.*

Leotychidas percontanti cuidam, quamobrem Spartiatæ parcissime biberent? Ne, inquit Leotychidas, pro nobis alii, sed nos pro vs pro aliis cõsultemus. Salsissime notans temulentos non esse ad consultandum idoneos, at salubrium consiliorum parens est sobrietas. *Plut.*

Cyrus maior, cum ad hospitem diuertisset, rogareturque, quid sibi cœnæ vellet apponi, respondit: Panem tantum, & sperare se prope fluentem aquæ riuulum cœnaturum. Hic suos etiam monere solebat, vt aquã bibere consuescerent, & fierent Hydropotæ, quod vinum omnibus bonis rebus inimicaretur. *Xenoph.*

Romulus legitur vini fuisse parcissimus. Is ad cœnam vocatus, quum ibi minimum bibisset, eo quod postridie negotium haberet, dicẽte illi familiares: Si ad istum modum bibant omnes homines, vinum esse vilius, ille respondit: imo vero carius si quantum quisque volet, bibat, nam ego bibi quantum volui. *P M. lib. 6. apoph.*

Epaminondas. Legati venerunt a Persarum Rege ferentes aurum, animo corrumpendi muneribus Epaminondam: Inuitati sunt igitur ad prandium ab ipso: intelligebat enim, qua gratia appulissent. Iussit vero a prandio, vt causam aduentus explicarent. Apposita: est mensa vilis, bibebant vinum acidum, neque habebant quod ad hæc dicerent. Tum ille subridens: Abite, inquit, & domino vestro mea prandia narrate, vt intelligat, iis me contentum non facile ad proditionem allici posse. *Aemil. Probus. Stob serm. 5 Idem de Xenocrate Alexandri Macedonis quinquaginta auri talenta recusante refertur.*

Piscennius Niger. militib. vinum ab eo petẽtibus: Nilum habetis, inquit, & vinum quæritis? Docuit autem, vinolẽtiam militibus ceu pestem fugiendam esse, qui tum demum ad res gerendas prompti sunt, quum ratio mero non peruertitur. *Ælius Spartianus.*

Idem, Romanis a Saracenis victis, dicentibusque, Vinum non accepimus, pugnare non possumus: idem inquit: Erubescite, nam qui nos vincunt, nil aliud quam aquam bibunt. *Spart.*

Fridericus Imp. studiosissimus temperantiæ ac sobrietatis cultor fuisse dicitur. Is quum audisset, Leonoram vxorem (quæ pa-

terna in domo nunquam vinum gustauerat) facile filios parituram, si in Germania, tam frigida regione, vinum biberet: dixisse fertur, malle se sterilem vxorem habere, quam vinolam. Non ignorauit autem Imperator fortissimus, quam multa vinolentiam mala comitentur: & tum præsertim, quum fœmineum genus nimio vino obruitur. *Aen. Silu. lib. 2. comment. de reb. gest. Alphons.*

Alphonsus, cum interrogaretur, cur vini expers viueret, aut vino dilutissimo contentus sitim expleret, contra omnium Regum & aulicorum morem? respondit: Vino sapientiam obscurari, ideoque non decere regem, vt hac immodica compotatione in animo extinguat, sine quo imperatoris, ac regis nomen rite tueri non posset. *Panorm. l. 2. de reb. gest. Alphonsi.*

Idem, interrogatus, quid sibi vellet, quod vinum aqua dilueret? Ne ebrius fiam, respondit: non enim ignoro, quantum vini intemperantia Alexandri Macedonum Regis gloriæ obfuerit. *Panorm lib. 2. de dictis & factis Alphonsi Regis.*

Idem, ab amico etiam percontatus. Cur adeo ebrietatis vitium damnaret? Ideo, inquit, quia furorem & libidinem ebrietatis filios esse haud ignoro. *Panorm. lib. 2.*

Exempla Biblica.

Sobrietatis & abstinentiæ *exempla*: Moyses. *Exod.* 24. *v.* 18. vxor Manoah, *Iud.* 13.4. Israelitæ, 22. *v.* 26. 1. *Sam.* 4. *v.* 10. & 7. *v.* 6. & 14. *v.* 26. *Nehem.* 9 *v.* 1. *Dan.* 1 *v.* 8. & 9. *v.* 3. Dauid, 2. *Sam.* 23. *versic.* 17. Achab, 1. *Reg.* 21. *v.* 27. Rechabitæ, *Ier.* 35. *v.* 6. 14. Ezec. *Ezech.* 4. *v.* 9. Daniel, *Dan.* 1. *v.* 8. & 9 *v.* 3. & 10. *v.* 3. Esd. 8. *v.* 21. Nehemias, *Nehem.* 1. *v.* 4. Iosaphat, 2. *Paral.* 20. *v.* 3. Iechonias & populus, *Baruch.* 1. *v.* 5. Ioannes Baptista, *Matth.* 3. *v.* 4. *v.* 11. & 18. Anna Prophetissa. *Luc.* 1. *v.* 27. Apostoli, *Luc.* 16. *v.* 7. *v.* 24. & 42. *Ioan.* 21. *v.* 13. Iesus Christus, *Matt.* 4. *v.* 5. *Luc.* 4. *v.* 2. Paulus & Barnabas, *Act.* 14. *v.* 23.

Hieroglyphica.

Virum perpetuo sitientem per *Orygis animalis* effigiem significabant veteres; quin & remedia sitientibus ex eo comparabant liquore quodam in eius corpore haustus saluberrimi reperto. *Pier. Valer. li.* 10 *p.* 90 *F.*

Neque desunt, qui *Amethystum* pro *Sobrietate* poni dicant: quod eiusmodi lapidem contra ebrietatem stare compertum est. Nō enim vino tentari potest, qui eum gestat: in quo præter nomen, quod eius est significationis, nihil certi habeo: plerisque tamen qualecunque sit commentum, placet. *Idem lib.* 42. *pag.* 404. *E.*

Vide Ebrietas, Temperantia.

SOCIETAS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Societas, Græce *κοινωνία* ac *ἑταιρεία*, *ὁ*, socius dicitur. Societas Hebr. *Cheber, Chebrah*, & *Chabbereth*, a verbo *Chibbar*, consociatus est, in 2. coniug. in 1. *Chabbar*, proprie dicitur de consociatione partium, quæ sunt eiusdem speciei & conditionis, vt quando mulieres mulieribus coniunguntur, aut cortinæ cortinis copulantur. Est autem societas duorum pluriumve coniunctio, contracta ob commodiorem vsum & vberiorem quæstum.

Societas est adunatio hominum ad aliquid perficiendum, ideo multiplicatur in se. *Illud ex B. Thom. opusc. contra religionis impugnatores, c.* 5 *col.* 3. *fin.*

Socius proprie dicitur qui in re seria ac laboriosa alicuius pars est: vnde socii populi Romani dicebantur, ita cum is fœdere coniuncti, vt pacis & belli participes essent. Dicitur autem socius, quod secet & diuidat laborem alterius, vel quod eum in re laboriosa sequatur.

Socius, comes, & sodalis ita differunt, quod comes est, qui cum alio simul it, & tanquam ducem sequitur, sodales in rebus leuioribus, & fere in conuiuiis: dicunturque sodales: quasi simul edales, sicut comites, quasi simul euntes. Vel sodales, quasi simul in mensa sedeant: vel quod inter se ludeant, quod commodum est.

Loci Biblici.

Societas bona consectanda, mala fugienda, *Gen.* 10. 15. *Leu* 7. 19 *Nu.* 16. 25 & 25. 4 *Ios.* 23. 12. 1. *Sam.* 22. 27 2. *Paral.* 19. 2. *Iob* 31. 1. *Psal.* 26 *v.* 4 8 & 37. 1 *Psal.* 18. *v.* 26. 27 *Prou.* 1. *v.* 10. 15 & 4. 14 & 6. 25. & 13. 20. & 22. *v.* 5. 24 & 24 1. & 29. *v.* 27. *Ier* 16. 8. *Eccl.* 6. 35 & 8. *v.* 1. 18. & 9 21. & 12. 10. & 13. *v.* 1. 20. *Tob.* 1. 5 *Matth.* 7. 15. *Act.* 19 9 2. *Cor.* 6. 14. *Ephes.* 5. 1. 2. *Tim.* 4. 14. *Apoc.* 18. 4. Societatis commoda, *Eccl.* 4. *v.* 9. Societas spiritualis, quam pii cum Deo habent, 1. *Cor.* 6 *v.* 17 1 *Ioan.* 1 6. Societatis bonæ fructus, *Gen.* 18. 32 & 30. *v.* 30. & 35 3 & 39. 5. *Ios.* 5 15. 2. *Reg.* 3. *v.* 14. 15. *Dan.* 2. *v.* 17. 18. *Act.* 2. *v.* 1. 44. & 9. 20. & 27. *v.* 24.

Sententiae Biblicae.

Vir amicabilis ad societatem magis amicus erit, quam frater. *Prou.* 18

Melius est duos esse quam vnum: Habent enim emolumentum societatis, si vnus ceciderit, ab alio fulciatur. *Eccles.* 4.

Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea: & qui communicauerit superbo induet superbiam: pondus super se tollit, qui honestiori se communicat, & ditiori te non socius fueris. *Eccl.* 12.

Sicut socii passionum estis, sic eritis & consolationis. 2. *Cor.* 1.

Patrum Sententiae.

Societas nullo modo fit maior accedente siue permanente consorte possessionis bonitatis: imo possessionem bonitatis quanto latius, tanto concordius indiuidua sociorum possideat charitas. Non habebit denique illam possessionem, qui eam noluerit habere communem, & tanto eam reperiet ampliorē, quanto amplius sibi potuerit amare consortem. *Aug. de ciuit. Dei.*

Non turbatur nauis quæ Petrum habebat, sed turbatur illa, quæ Iudam habebat, & si multa illorum discipulorum merita naufragabant: tamen adhuc perfidia proditoris agitabatur, in vtraque Petrus. sed qui suis meritis firmus est, turbatur alienis. Caueamus igitur perfidum, caueamus proditorem, ne per vnum plurimi fluctuemus. *Ambr. super Luc. l.* 4.

Voluit Christus deseri, voluit prodi, voluit ab Apostolo suo tradi: vt cum sis desertus a socio, proditus ab ipso, moderate feras tuū errasse iudicium, periisse beneficium. *ibid. lib.* 5.

Tolerandi vbique sunt proximi: quia Abel fieri non valet, quē Cain malitia non exercet. Vnum vero est, potentia qua vitari societas malorum debeat, ne, si fortasse corrigi non valent, ad imitationē trahant, & quum ipsi sua malitia non mutantur, eos, qui sibi coniuncti fuerint, peruertant. *Greg. in hom.* 9 *super Ezechiel.*

Bonus sic malo connectitur, vt aut pares reddantur, aut cito ab inuicem separentur. Amicitiæ enim pares aut quærunt aut faciunt. *Chrys. super Matth.*

Rerum natura sic est, vt quoties bonus malo coniungitur, non ex bono malus melioretur, sed ex malo bonus contaminetur; diuersitas enim rerum nunquam potest habere cōcordiam, & multas sollicitat societas nefanda. *ibid.*

Vinosus conscientias vitiosorum non refugit, & vbi omnes sordēt, vnus minime forte sentitur. *Bernar. lib. de consideratione.*

Ante ignem consistens, etiamsi ferreus sis, aliquando dissolueris, proximus periculo diu tutus non erit. Per assiduitatem cito peccat homo. Sæpe familiaritas impleauit, sæpe occasionem peccandi dedit, sæpe quod voluntas non potuit, assiduitas superauit. *Isidor. lib.* 2. *soliloquior.*

Melius est habere malorum odium, quam consortium. Sicut bona multa habet communia vita sanctorum, sic plurima mala societas affert malorum. *ibid.*

Amabilis socius omnibus est officiosus, & nulli onerosus, quia deuotus ad Deum, benignus ad proximum, sobrius ad mundum, Domini seruus, proximi socius, mundi dominus, superiora habet ad gaudium, æqualia ad consortium, inferiora ad seruitium. *Hugo. l.* 3. *de anima.*

Ipsi quoque homini duplices manus, socias aures, oculos geminos Diuina tribuerunt, vt robustius perageretur officium, quod duorum fuerat societate complendum. *Cassiod. lib.* 2. *Epist.*

Melior est societas simplicis inter sapientes nutriti, quam prudentis cū peccatoribus educati. Dulcior est sapientis aspera vita inter sapientes, quam dulcis inter insipientes. *Pet. Chrysost.*

Sententiae Philosophicae.

Humanitas vetat superbum esse apud socios, vetat auarum verbis, rebus, affectibus communem se facilemque omnibus præstat: nullum alienum malum putat, bonum autem suum ideo maxime quod alicuius bonum futurum esse amat. *Senec. epist.* 11.

Omnium societatum nulla præstantior est, nulla firmior est, quam cum viri boni, moribus similes, sunt familiaritate coniuncti. *ibid.*

Nulla res magis animos inhonestos, & in prauum inclinabiles reuocat ad rectum, quam bonorum virorum conuersatio. Paulatim enim descendit in pectora, & vim præceptorum obtinet, frequenter aspici, frequenter audiri. *ibid.*

Conuictor delicatus paulatim eneruat & emollit, necesse est, aut imiteris, aut oderis: vtrunque autem deuitandum est, ne aut similis malis fias, quia multi sunt: ne vel inimicus multis, quia dissimiles sunt. Cum his conuersare, qui te meliorem facturi sunt, illos admitte, quos tu potes facere meliores. *ibid.*

Nullius rei sine socio iucunda est possessio. Non magis vulicati est ager cum redditibus amplis, quam vicinus æqualis cum moribus bonis: sit tibi erga singulos falsi libra sermonis, ac te blandum pueri, comem iuuenes, grauem senes metiantur. *ibid.*

Ante circumspiciendum est, cum quibus edas & bibas, quam quid edas & bibas *ibid.*

Comes facundus in via pro vehiculo est. *In Prou.*

Socii putandi sunt, quos inter res communicata est. *Cic. Act. in Ver.*

In rebus minimis sociorum fallere turpissimū est, propterea quod auxilium sibi se putat adiunxisse, qui cum altero rem communicauit. *Pro Rosc. Amer.*

Nemo

Nemo fere credit, nisi ei, quem fidelem putat: Perditissimi est igitur hominis, & amicitiam dissoluere, & fallere eum, qui læsus non esset, nisi credidisset. *ibid.*

Literas ad se ab amico missas, offensione aliqua interposita, in medium proferre, palamque recitare, nihil est aliud, quam tollere è vita vitæ societatem, tollere amicorum colloquia absentium: multa enim iocosa esse solent in epistolis, quæ prolata si sint, ineptæ esse videantur: & multa seria: neque tamen vllo modo diuulganda. *Philip.* 2.

Aeque perfidiosum ac nefarium est, fidem frangere, quæ continet vitam, & pupillum fraudare, qui in tutelam peruenit, & socium fallere, qui se in negotio coniunxit. *Pro Rosc. Com.*

Necesse est, qui socium fama & fortunis spoliare conatus est, vanum se & perfidiosum & impium esse fateatur. *Pro Quint.*

Tecti ad alios esse possumus: sociis vero cauere qui possumus? quem etiam si metuimus, ius officii lædimus. Vnde maiores eum qui socium fefellisset, in virorum bonorum numero non putarunt haberi oportere. *Pro Rosc. Amer.*

Nihil præter laudem bonis atque innocentibus ex sociis reportandum est. 3. *de Legib.*

Sunt societates omnes quædam velut partes ciuilis societatis. Conueniunt enim homines emolumenti alicuius causa, & vt aliquid suppeditent, quod ad vitæ vsum cultumque pertinet. Societatem autem ciuilem iam ab initio vtilitas & conciuit, & continet. *Arist. l.* 8. *Eth. c.* 9.

Homo aptus est ad cœtus societatemque natura *lib.* 1. *Eth. cap.* 7.

Nonnullæ societates voluptatis causa constitui solent, vt eorum qui choros ducunt. *lib.* 8. *Eth. c.* 9.

Sodalitia omnibus placet vtiles esse bene constitutis ciuitatibus. *lib.* 7. *de Repub. c.* 10.

Omnem ciuitatem societate quadam contineri videmus: omnemque societatem vtilitatis alicuius causa constitutam. *lib.* 1. *de Repub. c.* 5.

Cum omnes societatem bonum quoddam, tum vel maxime ea, quæ principatum tenet, cæterasque omnes continet: qualis est ciuitas ciuilisque societas, summum bonum inuestigant. *ibid.*

Si quis est, qui congressus & societates hominum ferre non possit, aut nullo egeat, quod seipso contentus sit, is profecto in parte ciuitatis non est habendus. Ita vel bellua, vel Deus putandus est. *lib.* 1. *de Repub. c.* 2.

Nobis quidem insitus est a natura societatis & communionis appetitus, quam qui primus instituit, is optime de genere hominum meritus est. *ibid.*

Exempla Biblica.

Societatis bonorum & eius fructus *Exempla*: Si decem iusti inuenti fuissent in quinque peccatricibus ciuitatibus, pepercisse Deus vniuersis, propter illos, *Gen.* 18, 32. Laban cum Iacobo, *Gen.* 30. *v.* 30. Dei cum Iacobo, 35. *v.* 2. 3. Iosephi cum Putiphare, 39. 5. Israelitarum cum Deo, *Ios.* 24. 31. Ducum Issaschar cum Debora, *Iud.* 5. 15. Saulis cũ Samuele & Prophetis, 1. *Sam.* 19. *v.* 20. 21 *&c.* Elisæi cum Iosaphato, propter quem impetrauit aquas dari exercitui, in quo erant alij duo reges, 2. *Reg.* 3. *v.* 14. 17. Tobiæ cum timentibus Deum, cum quibus conuersabatur & conuiuabatur. *Tob.* 2. *v.* 1. 2. Saræ Raguelis filiæ, cum honestis conuersantis, 3. 16. Propter Danielem bene fit Magis, &c. *Dan.* 2. *v.* 24. 25. propter Iudæos Scythopolitanis, 2. *Macch.* 12. *v.* 30. 31. Spiritus sancti cum fidelibus. *Act.* 2. *v.* 3. *&c.* Pauli cum Apostolis, 9. 26. nauigantibus cum Paulo bene est propter Paulum, 27. 24. Societatis malæ fructus, *Gen* 4. 8. *&* 11. 31. *&* 15. 7. *&* 19. 4. *Num.* 16. 16. *&* 33. 55. *Ios.* 7. 1. *Iudic.* 1. 28. *&* 2. *v.* 1. 2. 3. 2. *Sam.* 13. *v.* 3. 5. *&* 15. 13 *&* 21. 1. 1. *Reg.* 22. 32. 2. *Par.* 19. 2 *&* 25. 7. *Iob.* 30. 29. *Psal.* 120. 5. *Esa.* 6. 5. *&* 7. 2. *Ezech.* 2. 6. *Luc.* 13. 12. *Actor.* 2. 40. *&* 13. 8. *&* 14. *v.* 18. 19. *Phil.* 2. 15. Societatis malæ fructuum *exempla*: Cain, Abel, *Gen.* 4. *v.* 8. Thare, Abraham, Chaldæ., 11 31. *&* 15. 7. Sodomitæ, Loth, 19. 4. Ismael, Isaac, 21. 9. Esau: Iacob: Iacob non voluit vna progredi cum fratre suo Esau, 33. *v.* 12. 13. Israelitæ, Dathan, &c. *Num.* 16. 24. *&c.* Israelitæ, Chananæi, 33. *v.* 51. 52. propter Achan Israelitæ percutiuntur, *Ios* 7. 5. Amnon a Ionadab amico suo corrumpitur, 2. *Sam.* 13. *v.* 3. 4. 5. Iosaphat reprehenditur a Propheta ob societatem cum Ochozia initam. 2. *Paral.* 20. 37. *Iob.* 30. 29. *Psal.* 120. 5. *Esa.* 6. 5. *Ezech* 2. 6. cęcus natus non fuit inter Christi fideles: donec eiectus nõ fuit ex Pharisæorum synagoga, *Ioan.* 9. 34. iubemur etiam nos seruare a generatione mala, *Act.* 2. 40. *Phil.* 2. 15. societatem habere cum Deo, 1. *Ioan.* 1. 3.

Prophana Exempla.

Ex quo Romani in regni societatem & in ciuitatem Italos vocarunt, decretum est & Gallis Cisalpinis, & Venetis idem honoris impartire, vniuersosque Italos Romanos vocare. *Strabo lib.* 5. *Geographia.*

Didas & Garagammon Aegyptij pugiles deprehensi sunt de vna & eadem palma inter se pacta, & pecunia soluta Ioui simulacra erexisse. *Pausan. lib.* 5. [*Polyanthea Noviss.*]

Hieroglyphica.

Licet in *duabus consertis manib.* fidei fœderumque hieroglyphicum locupletius habeatur: non est tamen illud dissimulandum, quod de pollicibus est a Cornelio Tacito traditum: more quippe fuisse regibus quorundam Barbarorum: quoties in societatem coirent, applicare dexteras, pollicesque inter se vinciri, nodoque constringere: & vbi mox sanguis in artus extremos perfluxisset, leui vulnere cruorem eliciebant, atque inuicem lambebant: idque fœdus arcanum, quasi mutuo cruore sacratum haberi solitum. *Pier. Valer. lib* 36. *pag.* 341.

Vide Fœdus.

SOCORDIA.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

Socordia, vel secordia, q. d. sine corde, ignauia, inertia, segnities, stultitia, incogitantia, stupor, Gr. ῥᾳθυμία. ab Hebræis varie designatur & perstringitur, præsertim in *Prou. Salomonis.*

Loci Biblici.

Socordia excutienda, *Gen.* 42. *v.* 1. 2. *Exod.* 12. 11. *&* 18. 22. *Leuit.* 19. 13. *&* 20. *v.* 4. 5. *Num.* 23. 24. *Deut.* 4. 9. *&* 31. *v.* 6. 7. *Ios.* 18. 3. *Iud.* 7. 3. 1. *Sam.* 7. 3. 1. *Reg.* 18. 21. 2. *Reg.* 4. *v.* 28. 29. *&* 12 7. 2. *Paral* 19. 11. *et* 29. 11. *Nehem.* 4. *v.* 14. 19. 20. 21. *Psal.* 95. 2. *Prou.* 1. 24. *&* 3. 28. *&* 6. *v.* 3. 4. 5. 6. *&* 8. 17. *&* 10. 27. *&* 13. 4. *&* 18. 9. *&* 19. *v.* 15. 24 *&* 20. *v.* 4. 13. *&* 21. 25. *&* 22. 13. *&* 24. *v.* 30 31. 31. 33. 34. *&* 26. *vers.* 13. 14. 15. *&* 27. 23. *&* 31. 15. *Ezech.* 3. 19. *Rom.* 8. *v.* 12. 13 *&* 11. 20. *&* 12 8. 1. *Cor.* 10. 12. *&* 16. 13. 2. *Cor.* 7. *v.* 1. 22. *Gal.* 6. 5. *Ephes.* 6. *v.* 10 12. 13. *Phil.* 2. *v.* 12. 13. *&* 3. 10. 1. *Thes.* 5. *v.* 3. 6. 8. 10. 1. *Tim.* 4. 15. *&* 5. 6. 2. *Tim.* 1. *v.* 6. 14. *&* 2. 1. *&* 4. 2. *Hebr.* 2. 5. *&* 3. *v.* 12. 13. *&* 4. 1. *&* 9. *v.* 10. 11 *&* 6. *v.* 3. 7. 12. 12 *&* 13. 22. *Iac.* 1. 19. *&* 3. 17. *&* 4. 13. 1. *Pet.* 2. 11. *&* 3. 5. *&* 5. *v.* 2. 7. 2. *Pet.* 1. *v.* 5. 13. *&* 3. *v.* 1. 2. 10. 13. 1. *Ioan.* 5. *v.* 4. 15. *Iuda v.* 5. *Apoc.* 3 3.

Sententiæ Philosophicæ.

Nullus socors in celebrem virum euadit. *Euripides.*
Socordia nemo immortalis factus. *Sal. in Iug.*
In suo quisque negotio hebetior est quam in alieno. *Cur. lib.* 7.
Socors pectus est, quod nullis precibus excitatur. *In inst. Sax.*
Secundæ res socordiam inducunt. *Liu. lib.* 2.

Vide Pigritia, Otium.

SODOMIA.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Sodomia est turpitudo in masculum facta, *vt habet* 32. *q.* 7. *can. Vsus* Sodomia, id est, coitus masculorum, est species luxuriæ contra naturam. *ex S. Thom.* 2. 2. *q.* 142. *art.* 4.

Sodomia & idololatria simul inceperunt, & simul creuerunt. *secund. eund.* 4. *sent. d.* 1. *q.* 2. *art.* 4.

Sententiæ Biblicæ.

Qui dormierit cum masculo coitu fœmineo, vterque operatus est nefas, morte moriantur, sit sanguis eorum super eos. *Leu.* 20.
Neque masculorum concubitores regnũ Dei possidebunt. 1. *Cor.* 6.

Patrum Sententiæ.

Adulterij malum vincit fornicationem, vincitur autem ab incestu: peius est enim cum matre quam cum aliena vxore concumbere: sed omnium horum est pessimum, quod contra naturam fit: vt si vir mẽbro mulieris non ad hoc concesso voluerit vti: vsus enim naturalis, si vltra modum prolabatur, in vxore quidem veniale peccatum est, in meretrice damnabile. Sed istud, quod contra naturam est, execrabiliter fit in meretrice, sed execrabilius in vxore. Tantum enim valet ordinatio Creatoris, & ordo creaturæ, vt in rebus ad vtendum concessis, cum modus exceditur, longe tolerabilius sit, quam in eis, quæ concessa non sunt, vel vnus, vel rarus excessus. *Aug. lib. de adulterinis coniug. & hab.* 32. *q.* 8. *can. Adulterij.*

Vsus naturalis & licitus est, sicut in coniugio: & illicitus, sicut in adulterio: contra naturam vero semper illicitus, & procul dubio flagitiosior atque turpior. Quem sanctus Apostolus & in masculis & in fœminis arguebat, damnabiliores volens intelligi, quam si in vsu naturali vel adulterãdo, vel fornicando peccarent. *Idem contra Iouinian. l.* 1. *& hab. ibid. can. Vsus.*

Flagitia, quæ sunt contra naturam, vbique & semper repudianda atque punienda sunt, qualia Sodomitarum fuerunt: quæ si omnes gentes facerent, eodem criminis reatu diuina lege tenerentur: quæ non sic fecit homines, vt se illo vterentur modo. Violatur quippe ipsa societas, quæ cum Deo nobis esse debet, cum eadem natura, cuius ipse author est, libidinis peruersitate polluitur. *Idem confess. lib. 3. & hab. ibid ca. 1. Flagitia.*

Offerebat S. Loth filiarum pudorem. Nam etsi illa quoque flagitiosa impuritas erat, tamen minus erat secundum naturam coire, quam aduersus naturam delinquere: præferebat domus suæ vere cunctæ hospitalem gratiam, & apud barbaras gentes inuiolabilem. *Ambr. lib. de Patriarch. & hab. tur 32. q. 7. can. Offerebat.*

Quid potest sanctum esse ijs, qui ætatem imbecillam, & præsidio indigentem, libidini suæ depopulandam, & fœdandamque subijciunt? Non potest hæc res pro magnitudine sceleris enarrari. Nihil amplius istos appellare possum, quam impios & parricidas, quibus non sufficiat sexus a Deo datus, nisi & suum profane ac petulanter illudant. Hæc tamen inter illos leuia, & quasi honesta sunt. Quid dicam de ijs, qui abominandam non libidinem, sed insaniam potius exercent? Piget dicere. Sed quid his forte credamus, quos non piget facere? & tamen dicendum est, quia fit. De istis loquor, quorum teterrima libido & execrabilis furor ne capiti quidem parcit. Quibus hoc verbis, aut qua indignatione tantum nefas prosequar? Vincit officium linguæ sceleris magnitudo. Quum igitur libido hæc edat opera, & hæc facinora designet, armandi aduersus eam virtute maxima sumus. Quisquis affectus illos frenare non potest, cohibeat eos intra præscriptum legitimi thori, vt & illud, quod auide expetit, assequatur, & tamen in peccatum non incidat. *Lact. Firm. l. 6. c. 23. de vero cultu.*

SENTENTIAE POETICAE.

Ouid. 1. de Arte amandi.

Odi concubitus qui non vtrinque resoluunt.
Hoc est, cur pueri tangar amore minus.

Tibullus.

O fuge te tenero puerorum credere turbæ,
Nam causam iusti sibi semper amoris habent.

Vide Adulterium, Fornicatio, Scortatio, Amor Venereus.

SOLENNITAS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Solennitas, Græce ἑορτασμός dici potest. Dicitur que solenne, quod fit, quod omnibus annis præstari debet, a solus & annus, hoc est, anniuersarium. Quare solennes ceremonias dicimus, quæ sunt anniuersario sacrificio religiosæ: tempore sacra solennia, quæ in certis & statutis temporibus fiunt.

LOCI BIBLICI.

Solennitates Hebræorum præcipuæ tres, *Exod. 23. v. 14. 17. Leu. 23. 1. & c. Deut. 16. 1. & c.* solennitas Azimorum, *Exod. 23. 15. & 34. 18. Leu. 23. v. 5. 6. Num. 28. 17. Deut. 16. v. 1. 2. 5.* solennitas Expiationis, *Leu. 16. 30. & 23. 27. Num. 29. v. 7. 8.* solennitas Hebdomadarum. *Exod. 34. 22.* solennitas Messis seu Pentecostes, *Exod. 23. 16. & 32. 22. Num. 28. 26. Leui. 23. v. 15. 16. Deut. 16. v. 9. 10. Ioan. 5. 1. Act. 2. 1. & 20. 16. 1. Corinth. 16. 8.* solennitas Primitiarum, *Leui. 23. 10.* solennitas Epularum, *Esth. 9. 13.* solennitas Tabernaculorum. *Exod. 23. 16. Leu. 23. v. 39. 41. Num. 29. 12. Deut. 16. 13. & 31. 10. 2. Esth. 3. v. 4. Nehem. 8. 18. 2. Macab. 1. 9. & 10. 5. 6. Ioan. 7. 2.* solennitas Tubarum *Leui. 23. 24. Num. 29. v. 1. 2. Paral. 5. 3* solennitas Neomeniæ. *Num. 28. 11. 1 Sam. 20. 5. Ezech. 45. 18.* solennitatum seu festorum violatio quæ grauiter puniatur. *Num. 15. 32.* In solennitate diei festi quare non capitur Christus, *Matth. 26. 5.*

PATRVM SENTENTIAE.

Si quæras, cur Christianus non obseruat otium Sabbati, cum Dominus non venerit soluere legem, sed implere? Respondeo: Illud non obseruat Christianus, quia quod ea figura profitebatur, iam ipse impleuit. In isto habemus Sabbatum, qui dicit: Venite ad me omnes, qui laboratis, & inuenietis requiem animabus vestris. *Aug. contra Faust. l. 3.*

Sacrum Sabbatum est antiquis Patribus præceptum, quod nos Christiani spiritualiter obseruamus, quum ab omni seruili opere, i. ab omni peccato abstinemus, & habemus quietem in corde, & spiritualem tranquillitatem. *Idem sup. Ioan. serm. 20.*

Toties dies natalitios sanctorum celebramus, quoties virtutes eorum recolimus, qui claruerunt in terris, vt ad gloriam illius, a quo totum habuimus, referamus. *Aug. in quodam serm.*

Melius faceret Iudæus in agro suo aliquid vtile, quam in theatro seditiosus existeret, & melius fœminæ eorum die Sabbati lanam nerent, quam tota die in neomeniis suis impudice saltarent. *ibid. de decem chordis.*

Dominico die a labore terreno cessandum est, atque omnimodo orationibus insistendum, vt si quid negligentiæ per sex dies agitur, per diem resurrectionis dominicæ precibus expietur. *Greg. in registro.*

Quid prodest interesse festis hominum, si côtingat deesse festis Angelorum? *Hom. 33. in Euang.*

Si desinas ab omnibus secularibus operibus, & nihil mundanum geras, sed spiritualibus operibus vaces, ad Ecclesiam conuenias, lectionibus diuinis aurem præbeas, de cœlestibus cogites, de futura spe solicitudinem geras, venturum iudicium præ oculis habeas, non respicias ad præsentia & visibilia, sed ad inuisibilia & futura: hæc est obseruatio Sabbati Christiano. *Orig. sup. Exod. Homil. 69.*

SENTENTIAE POETICAE.

Virg. Georg. lib. 1.

Quippe etiam festis quedam exercere diebus
Fas & iura sinunt. riuos deducere nulla
Religio vetuit, segeti prætendere sepem,
Insidias auibus moliri, incendere vepres,
Balantumque gregem fluuio mersare salubri.
Sæpe oleo tardi costas agitator aselli
Vilibus aut onerat pomis lapidemque reuertens
Incusum, aut atræ massam picis vrbe reportat.

Ouid. de Pont. lib. 2. Eleg. 1.

Dij quoque vt a cunctis hilari pietate colantur,
Tristitiam poni per sua festa iubent.

Tibull. lib. 2. Eleg. 1.

Luce sacra requiescat humus, requiescat arator,
Et graue suspenso vomere cesset opus.
Soluite vincla iugis: nunc ad præsepia debent
Plena coronato stare boues capite.
Omnia sint operata Deo, non audeat vlla
Lanificam pensis imposuisse manum.
Vos quoque abesse procul iubeo, discedite ab aris,
Queis tulit hesterna gaudia nocte Venus.
Casta placent superis: pura cum veste venite,
Et manibus puris sumite fontis aquam.

SENTENTIAE PHILOSOPHICAE.

Scæuola consultus, quid ferijs agi liceret, respondit: quod prætermissum noceret. Quapropter si bos in specum decidisset, eumque paterfamilias adhibitis operis liberasset, non est visus ferias polluisse: nec ille, qui trabem tecti fractam fulciendo ab imminenti vindicauit ruina. Vnde & Maro olim disciplinarum peritus, sciens lauari ouem, aut lanæ purgandæ, aut scabiei curandæ gratia, pronunciauit tunc ouem per ferias licere mersare, si hoc remedii causa fieret: Balantumque gregem fluuio mersare salubri. Adijciendo enim salubri, ostendit auertendi morbi gratia tantummodo, non etiam ob lucrum purgandæ lanæ causa fieri concessum. Vnde si per sacra solênia salubri fluuio mersare oues fas & iura permittunt, si riuos deducere religio nulla prohibetur: non religionis honor putetur, sacris dicatæ diebus sacrum studiū literarum? *Macrob. lib. 1. Saturnal. c. 16.*

Vide Festum.

SOLERTIA.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

Solertia, Græce ἀγχίνοια, εὐστοχία & εὐσυγχωσία. solers dicitur. Est autem solertia, subtilitas quædam in non perspecto tempore inueniendi medii, *secund. Arist.* vel est habitus ex repentino inueniens, quod conuenit, *secund. B. Thom. 2. secu. d. 3 q. 49. art. 1.*

Solertia est quædam subtilis, & facilis, & prompta coniecturatio medii, propter quod aliquid venit, & hoc quando non habet magnum tempus ad perspiciendum & deliberandum. *secund. B. Thom. super Post. lect. 4. circa fin.*

POETARVM DICTA.

Claud. 3. rapt.

Prouocet vt segnes animos, rerumque remotas
Ingeniosa vias paulatim exploret egestas,
Vtque artes pariat solertia, nutriat vsus.

Manil. 1.

Manil. 5.
Omnia conando docilis solertia vincit.
Nec prius imposuit rebus finemq; manumq;,
Quam cælum ascendit ratio, cepitque profundis
Naturam rerum causis, vidit q; quod vsquam est,

Plaut. Rud.
Opera haud fui parcus mea nimis homo
Nihili est, qui piger est, nimisque id genus odi ego male.

Sententiae Philosophicæ.

Solertia est perspicacitas quædam, per quam cuiusque rei medium & causa nobis statim occurrit. Veluti, si quis videns semper lucidam partem lunæ ad solem esse conuersam, continuo excogitaret, cur ita sit, nempe quod luna solis lumine illustratur. *Arist. l. 1. de demonstr. c. 27. T. 44.*

Solertia est quædam bona coniectatio in non perfecto tempore medij. *Arist. post. l. 1. c. 27. T. 44.*

Solers videns causas medias cognoscit extremas. *ibid.*

Solertia est quædam coniectatio bona. *lib. 6. Ethic. c. 9.*

Solertia est subtilitas quædam medij inueniendi parua deliberatione. *Alb. Mag. in Post.*

Solertia est bona dispositio, velociter inueniendi causas multas. *in 3 de anim. c. 12. tract. 3.*

Solertia est artificiosa quædam disceptatio, quæ fit maioris vtilitatis gratia. *Franc. Patr. de regn. l. 6. c. 16.*

Apophthegmata.

Alphonsus Rex. Quum essent apud Alphonsum Aragonium, qui caulam bestiarum contra homines defenderent, & modo turturis castitatem, modo cornicis (quæ mortuo compare nouem hominũ ætates vidua perdurat) modo formicarum prouidentiam, modo canum sagacitatem, modo ciconiarum pietatem, modo apum in regem obseruantiã, & id genus multa pro animalibus e Plinio, Plutarcho, Aeliano & alijs petita afferrent in medium: Alphonsus, siue, inquit, id brutis inclinatione naturæ, siue Dei dono datũ sit, certe non alia de causa concessum esse existimo, quam vt homines turpiter nequiterq; viuentes, erubescant a brutis & rationis expertibus superari. *Panormit. lib. 3. de reg. gest. Alphonsi.*

Antisthenes. Adolescentes Socratem videre cupientes, philosophorum omnium sapientissimum, duxit ad Anyti domum, dicens, illum Socrate multo esse sapientiorem, vt qui Socratem accusasset. Ex hoc dicto reuocatum est ciuibus extincti Socratis desiderium, & Anytum expulerunt. *Laert. l. 6. c. 1.*

Agesilaus, Lacedæmoniorum Rex, in compotatione quadam fortibus ex more conuiuij dux factus, quum percontaretur a pincerna, quantum vnicuique vini adponere deberet? Si multum, inquit, vini paratum est, dato cuique quantum postulat: sin parum cunctis diuidito æquis portionibus. Et hac solertia vnice prospexit, ne parata vini copia deesset, quibus largior placeret potatio, vel ad bibendum vrgerentur, quibus grata esset sobrietas. *Plut. in Lacon.*

Agis primus vicerat Argiuos prælio, qui post integratis viribus rursum ferociores illi occurrebant. Agis autem videns, multos e socijs turbari: Sitis, inquit, bono animo, viri, quum n. nos, qui vicimus, trepidamus, quid facere censetis eos, qui a nobis victi sũt? Et ea solertia addit animum suis. *Plut. in Lacon.*

Quum inter Aristippum & Æschinem incidisset simultas, quidam autem diceret: Vbi nunc illa vestra amicitia? Dormit, inquit, sed rã excitabo. Itaque simultatem Aristippus commoda lib. taque appellatione facile sustulit. Ne silentio malum, vt solet, incrudesceret, vltro adiit Aeschinem: Num, inquit, quamprimũ redibimus in gratiã, ac nugari desinemus? an potius expectabimus, vt scurris inter pocula de nobis loquendi materiam præbeamus? Cui quum Aeschines respondisset, se lubenti animo, rediturum in gratiam: Memento igitur, inquit Aristippus, quod quum essem natu maior, prior ad te venerim. Tum Aeschines: Ne tu profecto vir me longe melior. Siquidem a me simultatis, abs te sarciendæ gratiæ fuit initium. Hoc pacto redintegrata est inter illos amicitia. *Laert. l. 2.*

Aristides. Cum inter Aristidem & Themistoclem magna esset simultas, tamen legati simul missi, vt Reipublicæ negotia expedirent: Vis, inquit, Themistocles, vt in his montibus inimicitias relinquamus? Nam si videbitur, cum reuersi fuerimus, illas resumemus. Docuit vir prudentissimus, omnem simultatem deponendam esse.

Brasidas, quum murem in caricis comprehendisset, morsus ab eo dimisit captum, mox que ad eos, qui aderant: vt nullum, inquit, est animal iam minutum, quin seruari possit, modo ausit vlcisci inuadentes. Et hoc dicto fortis & animosus dux suis animum contra hostes addidit. *Plut. in Lacon.*

Pisistratus, quum multi ab eo defecissent, qui Pylen occuparant, venit ad illos, stragulas in sarcinam colligatas ipse portans. Cæterum illis, quid sibi vellet, percontantibus: Vt, inquit, si persuasero, reducam vos: si non persuasero, maneam vobiscum. *P. M. in apoph.*

Vide Diligentia, Labor, Ingenium.

SOLICITVDO.

Definitio et Etymolog.

Solicitudo, Græce ἀκριβεια, ας, ἡ, & ἀκριβὴς, ἐος, ὁ, ἡ, diligens dicitur. Est autem solicitudo ægritudo animi cum cogitatione. *sec. Cic. l. 4. Tuscul. quæst.*

Solicitudo est rationabile studium, adhibitum ad aliquid consequẽdum, quod maius est vbi est timor, minus est, vbi est securitas. *ex B. Thom. 2. 2. q. 55. art. 6. c.*

Solicitudo temporalium futurorum est irrationabile studiũ, quo quæruntur futura tanquam fines, & vltra necessitatem præsentis vitæ, de qua Christus Matthæi 6. Nolite soliciti esse in crastinum.

Solicitudo temporalium tripliciter est illicita: Primo, cum temporalia quærimus tanquam finem. Secundo, cum in eis procurandis adeo superfluum adhibetur studium, vt homo retrahatur a spiritualibus, quibus principaliter inseruire debet. Tertio, cũ faciendo quis quod debet, timet, ne sibi necessaria desint. De qua Christus Matth. 6. Nolite soliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut bibemus, &c. *ex B. Thom. 2. 2. q. 55. art. 6.*

Solicitudo venit à solicito verbo, quod dicitur a solo & cito, quasi solo cito, hoc est, loco dimoueo. Est enim solum, quicquid alicui rei subiacet. Virgil. naulum solum dixit esse mare, cum dixit, substrahiturque solum.

Loci Biblici.

Solicitudo nimia, *Exod 34 21. Leuit. 25. 20. Deut. 8. 3. Iob. 7. 16. Psal. 55. 23. & 145. v. 15. 16. Prou. 10. 3. &* 15. 25. *Matth. 6. 25. & 10. v. 9. 23. & 13. 22. & 16. 7. Luc 8 14. & 12. 22. & 14. 18. & 21. 34. 1. Cor. 7. 32. Phil. 4. 6. Heb. 13. 5. 1. Pet. 5. 7.* solicitudo immoderata conuicta, dãnatur, quum scilicet homo siue fide & spe auxilij diuini animo angitur de futuris euentis, eum priuatis, tum publicis. *Matt. 6. v. 25. 31. 34. & 13. 22. Marci 4 19. Luca 8. 14. & 12. v. 11. 22. Phil. 4. 6. 1. Tim. 6 8. 1. Pet. 5. 7. Psal. 55. 23.* hæc Græcis μέριμνα dicitur.

Solicitudo vocationis, Græcis σπουδή dicta, præcipitur, quum scilicet quis euenta quælibet Deo commendat, interim tamen labores sibi mandatos suo loco & tempore pro sua vocatione sedulo vrget, *Rom. 12. 11.* talis solicitudo Pauli pro Ecclesia, *2 Cor. 7. 12.*

Solicitus Deus pro Abrahamo, *Gen 12. 17.* soliciti simus seruare vnitatem spiritus vinculo pacis *Ephes 4. 3.*

Patrum Sententiae.

Amant peruersi homines pro huius mundi gloria tribulationes, cũctisque pro ea sudoribus libenter seruiunt, & grauium laborum iugo deuotissime colla subiiciunt, quod bene sub Ephraim specie, Osea prophetante, describitur, qui ait, Ephraim vitula docta diligens trituram. Vitula enim trituræ laboribus assueta, relaxata, plerumque ad eundem laboris vsum etiam non compulsa reuertitur. Ita prauorum mens huius mũdi seruitio dedita, & rerum temporalium fatigationibus assueta, etiamsi sibi libere vacare liceat, subesse tamen terrenis sudoribus festinat. *Greg. in Moral.*

Cessationem Dominus a mundi laboribus imperat, sanctæ quietis dulcedinem persuadet, & tamen vesana iniquorum mens plus se affligi aspera carnaliter, quam tenere blanda spiritualiter gaudet: Plus acerbitate fatigationis, quam quiete dulcedinis pascitur. *ibid.*

Qui per porra & cępas exprimitur, quę plerunq; qui comedunt, lachrimas emittunt, nisi difficultas vitæ præsentis, quæ a dilectoribus suis, etsi non sine lucta agatur, tamẽ cum lachrimis agitur? Manna sibi deferẽtes cum peponibus ac carnibus porra cępasque quæsierunt, quia videlicet peruersæ mentes dulcia per gratiam quietis dona despiciunt, & pro carnalibus voluptatib. laboriosa huius mundi itinera etiam lachrimis plena concupiscunt, contemnunt habere, vbi spiritualiter gaudeant, & desideranter appetunt, vbi carnaliter gemant. *ibid.*

Plus in hoc mundo honor quam despectio occupat, & magis prosperitatis sublimitas quam necessitatis aduersitas grauat. Mens dum pro blanda occupatione premitur, libens ad exteriora deriuatur. *ibid.*

Qui rebus tẽporalibus occupantur, tunc bene exteriora disponunt, quum solicite ad interiora refugiunt, quum nequaquam perturbationum strepitus diligunt, sed apud semetipsos intus in tranquillitatis sinu requiescunt. *ibid.*

Nonnunquam qui quietus alicuius esse meriti creditur, positus in qualibet actione diuiditur. *ibid.*

Sæpe qui contemplari Deum quieti poterant, occupationib. pressi

ceciderunt,& sæpe, qui occupati bene vsibus humanis viuerent gladio suæ quietis extincti sunt. Nonnulli hominum ita otiosæ mentis sunt, vt eos labor occupationis excipiat,& in ipsa operis in choatione succumbant. *ibid.*

In istis visibilibus, quæ intuemur, cor nostrum extra se spargitur, & quicquid de se intrinsecus agatur, obliuiscitur, dum extrinsecus occupatur. *ibid.*

Occupatio secularium dignitatum tanto facilioribus vitijs premitur, quanto maioribus curis grauatur. *ibid.*

Sæpe misericors Deus, quos suos tenere diligit, eos solicite ab exterioribus actionibus custodit. Nam & plerunq; paterfamilias ad eum laborem seruos dirigit, a quo subtiles filios suspendit. *ibid.*

Præoccupatum quippe secularibus desiderijs animum delectatio sancta declinat, nec misceri poterunt vana veris, æterna caducis, spiritualia corporalib. summa imis: vt pariter sapiat, quæ sursum sunt, & quæ super terram. *Bern in quadam serm.*

Cor meum, quando futurum non curat gaudium, implicatur amore terrestrium: cumq; illis inuoluitur, vanitas recipit, curiositas deducit, voluptas inficit, cupiditas afficit, luxuria inquinat, torquet inuidia, cruciat tristitia, turbat iracundia, sicque miser casibus, vitijs omnibus, & quasi per multa mens dispergitur, quærit, nec inuenit, vt requiescere possit. *ibid.*

Nequaquam vlterioris cura diei te conterat: cuius enim diei spatiis te visurum ne scis, quam ob causam illius solicitudine torqueris? *Chrys. sup. Matth. 6.*

O infelix anima quid solicita es erga plurima? porro cum Vnum sit necessarium, dilige vnum, in quo sunt omnia, & ibi fige cor tuum, & desiderium. Nam felices illius ciuitatis ciues, cuius participes in idipsum: mundus enim transit & concupiscentia eius. *Rich. de sanct. Vict.*

Solicitus dicitur, quasi solers citus, in quantum scilicet aliquis ex quadam solertia animi velox est ad prosequendum ea, quæ sunt agenda. *Isid. n. 2. Etymol.*

Sicut homo nunquam inuitus bene seruit, ita nec occupatus bene commodata custodit. *Max. Episc.*

SIMILITVDINES.

Chrysostomi, Sicut oculus quanto mundior fuerit, tanto longius videt: Sic & anima, quanto longior fuerit a solicitudine mundiali, tanto amplius Deo proximor est. *in c. 5. Matth. hom. 10.*

Sicut viator in via nihil solicitus est, nisi quod necessarium habet ad vsum: Ita & homo in hoc transitu mundi nihil debet esse solicitus, nisi quod opus habet ad vsum. *in c. 13. Matt. hom. 31.*

Quemadmodum fieri non potest, vt qui nauigant, absq; cura sint: Ita & hi, qui vitam hanc fragilem viuunt, absq; solicitudinis angore esse non possunt. Si diues fuerit, plurimæ illi mœstitiæ occasione: si rex, curis distinetur innumeris. *in 2. ad Tim. hom. 1.*

Thriueri, Solicitudo hominē extenuat, & sub inde res illius Deus quam maxime prosperat, qui minime curat. *in apoph. 103.*

ADAGIA.

Tantali lapis. Ταντάλου λίθον.

Tantali lapidem vocant imminens capiti periculum.

Mens est in tergoribus. ὁ νοῦς ἐστιν ἐν τοῖς σκύτεσιν.

De sollicitis dictitari solitum, quique malum aliquod imminens timere videntur. Hesych.

Ναυκυσσορεῖν.

Dicebatur, qui studio quippiam eleuarent.

Σκύτη βλέπει.

Id est, vt verbum verbo reddam, Tergora tuetur. Consine proximo, quo significabant quempiam præseferentem, actu, quod mali quippiam instare suspicaretur, idq; coniecturis aliquibus colligeret.

Animus est in corijs.

Interpres admonet huius prouerbij σκύτη βλέπει, de his, qui iam ad bellum spectant. Licebit vti, quum ob solicitudinem erit aliquis ad id, quod agitur, in præsentia parum attentus.

Similes videntur captiuis ex Pylo. ἐοίκασι τοῖς ἐκ Πύλου ληφθεῖσι τοῖς Λακωνικοῖς.

Dici solitum de ijs, qui vulentum ferandi: nempe pallidi, squalidi, macilenti. Sie sehen, als vveren sie auss dem Grab kommen, oder von den Todten aufferstanden.

Arctum annulum ne gestato. μὴ φορεῖν στενὸν δακτύλιον.

Hoc est: (interprete D. Hieronymo) Ne vixeris anxie.

Cor ne edito. μὴ ἐσθίειν τὴν καρδίαν.

Hoc est, ne curis tuam ipsius animum excrucies. Lass die Voeglein sorgen. Item, Nage dir das Hertz nicht selbst ab.

In via ne seces ligna.

Non esse discruciandam vitam curis, & anxijs cogitationibus, quidam exponunt.

Vide Cura, & Curiositas.

SOLITVDO.

DEFINITIO.

Solitudo, Græce ἐρημοσύνη, dicitur, & non est de essentia perfectionis, sed est instrumentum congruum contemplationi, non autem actioni, *secundum Beatum Thomam secunda, secundæ, quæstio. 188. art. 8.*

LOCVS BIBLICVS.

Solitarij molestia vana. *Eccl. 4. v. 7. 8.*

SANTENTIAE PATRVM.

Minus voluptatibus stimulatur, qui non est, vbi frequentia voluptatum, & minus auaritia molestias patitur, qui diuitias non videt. *Aug. lib. de singular. Cler.*

Sapiens nunquā solus esse potest, habet enim secū omnes, qui sunt, & qui fuerunt boni, & animum liberum quocunq; vult, profert & transfert, & quod corpore non potest, cogitatione complectitur, & si hominum inopia fuerit, loquitur cum Deo, nunquā bonus solus erit. *Hier. contra Iouinian.*

Infinita eremi vastitas te terret, sed tu paradisum mente deambula, quotiescumque cogitatione ac mente illuc conscenderis, toties in eremo non eris, scabra sine balneo contrahitur cutis, sed qui in Christo semel lotus est, non illi necesse est iterum lauari. *Hier. in epist. ad Heliodo.*

Solitariam vitam nunquid reprehendimus? minime, quippe quam sæpe laudauimus, sed de monasterijs his nolumus egredi milites quoque eremi dura rudimenta non terreant, qui speciem conuersationis multo tempore dederunt, qui omnium fuerunt minimi. vt primi omnium fierent: quos nec esuries, nec satietas aliquādo superauit, qui paupertate lætantur, quorum habitus, sermo, incessus, vultus, doctrina virtutum est. *Epist. ad Rustic.*

Qui corpore remotus viuit, sed tumultibus conuersationis humanæ terrenorum desideriorum cogitatione se infert, non est in solitudine: si vero prematur aliquis corporaliter popularibus turbis, & tamen nullos secularium curarum tumultus in corde patiatur, non est in vrbe. *Greg. lib. 30. Moral.*

Malum, quod nemo videt, nemo arguit, vbi autem non timetur reprehēsor, securus accedit tentator, licentius perpetratur iniquitas. In conuentu vero, si quæ bona agis, nemo prohibet. Malum autem facere si vis, non licet: si ergo de fatuis virginibus es, congregatio tibi necessaria est. si de pluribus, tu cōgregationi. *Bern. ad Sophiam virg.*

Quamdiu quis permistus est turbis, & in multitudine fluctuantium volutatur, non vacat soli Deo, nec segregatus est a vulgo, nec potest esse sanctus. *Orig. hom. 8. super Leuit.*

Solitudo sicut nouit emendatis moribus contemplationem purissimam reserare, & intuitu syncerissimo spiritualium sacramentorum scientiam reuelare: ita eorum, qui minus emendati sunt, vitia non solum seruare, sed etiam exaggerare consueuit. Tamdiu patiens sibi quisque videtur & humilis, donec nullius hominum commisceetur consortio, ad naturam pristinam reuersurus quum interpellauerit cuiuslibet occasionis commotio. *Ioan. Cassiod. de instit. monach. l. 8.*

Ioannes est princeps Monachorum, ipse monachus statim vt natus est, in eremum iuit, in eremo nutritur, Christum expectat in solitudine. *Ioan. Chry. super Ioan.*

Sicut difficile est, arborem iuxta viam positā fructus vsque ad maturitatem seruare: sic difficile est virum iuxta hunc mundum viuentem, id est, in actibus mundi, iustitiam immaculatam vsque ad finem tenere: recede ergo de via, & planta te in loco secreto, vt nec mundus tecum habeat aliquid commune, nec tu cū mundo. *idem super Matth.*

POETARVM SENTENTIÆ.

Senec. in Hippolyt.

Non alia magis est libera, & vitio carens,
Ritusque melius, vita, quæ priscos colat,
Quam quæ relictis mœnibus syluas amat.

SENTENTIÆ PHILOSOPH.

Proijce, quæcunque cor tuum laniant, quæ si aliter extrahi nequirent, cor ipsum cum illis euellendum erat. *Senec. l. 2. epist.*

Quidam adeo in latebras refugiunt, vt putent in turbido esse, quicquid in luce est. *Epist. 2.*

Lugentem viuentemque custodire solemus, ne solitudine male vtatur. Nemo est ex imprudentibus, qui relinqui sibi debeat. Illud enim, quod solitudo habet commodum, est non timere iudicem. *Epist. 10.*

Quid potest recondere se, & oculos hominum aures que vitare? Bona conscientia turbam aduocat, mala in solitudine anxia est atq; solicita. Si honesta sunt, quæ facis omnes sciant: si turpia, quid refert neminem scire, cum tu scias? O te miserum: si contēnis hunc testem. *Epist. 91.*

Qui res & homines fugit, ille est, quem cupiditatum suarum infelicitas relegauit. qui alios feliciores videre non potuit, qui se velut timidum atque iners animal metu occultauit: ille sibi non viuit, sed quod turpissimum est, ventri, somno, libidini, non sibi viuit, qui nemini. *Epist. 56.*

Viuit is, qui multis vsui est, viuit is, qui se vtitur: qui vero latitant & torpent, mortem suam antecesserunt. *Epist. 61.*

Omnia nobis mala solitudo persuadet, nemo est, cui non sanctius sit cum quolibet esse, quam secum. *ibid.*

Licet

Licet foris resonent omnia, dum intus tumultus non sit, dum inter se non rixentur cupiditas & timor: dum auaritia luxuriaq; non dissideant, nec altera alteram vexet, bene est animo. Nam quid prodest totius regionis silentium, si affectus fremunt? *ibid.*

Quid tibi præcipue vitandum existimes, quæris? turbam. Nunquam illi tute committeris, nunquam à turba mores, quos extuli, refero. Aliquid ex eo, quod composui, turbatur, aliquid ex his, quę fugaui, redit, inimica est multorum conuersatio: nam aut aliquid vitij nobis ingerit, aut commodat, aut imprimit: quo maior est populus, cui miscemur, hinc periculi plus est. *epist.* 7.

Nihil tam damnosum bonis moribus, quam in spectaculo considere, tunc enim per voluptatem facilius vitia subrepunt. *ibid.*

Secessi non tantum ab hominibus, sed a rebus, & imprimis a rebus meis. Qui nihil videntur agere, maiora agunt. *epist.* 68.

Tumultuosam probates vitam, quotidie cum difficultatibus rerum magno animo colluctatur. Sapiens feret illa, non eliget. & mallet esse in pace, quam in pugna. *ibid.*

Iucundum est esse secum, cum quis se dignum diutissime quo fruatur efficit. *epist* 5.

Animalia quædam, ne inueniri possint, sua circum ipsa cubilia confundunt. Idem tibi faciendum est, alioquin non deerunt, qui persequantur: Multi aperta transeunt, condita & astrusa rimantur, furem signata solicitant, vile videtur, quicquid patet. *epist.* 10.

Amplectendum est otium, quod inter Deus agitur, quod Deos facit, sed fortè conqueteris virtutem abscondi. Nulla virtus latet, & latuisse non ipsius damnum est. *epist.* 7.4.

Solitudinem quærit, qui vult cum innocentibus viuere. Optimus animus & pulcherrimus Dei cultor est. *Lib de morib.*

Non viuas aliter in solitudine, aliter in foro. *ibid.*

Fuge multitudinem, fuge paucitatem, fuge & vnum. Vnus pro populo mihi est. & populus pro vno. Mihi satis est vnus, satis est nullus. *in epist.*

Solitario difficilis est vita. *Arist. l.* 9. *Ethic.*

Homo solitarius, aut Deus, aut bestia. *idem lib. Politic.*

Surgit occupatus, infelix habitator vrbiũ, nocte media somno vel suis curis, vel clientum vocibus interrupto. Sæpe etiam lucis metua: sæpe nocturnis visis exterritus, mox infelici scamno corpus applicat, animum mendacijs. In illis est totus, seu ille mercibus pretium facere, seu socium, seu pupillũ fallere, seu vicini coniugem pudicitia armatam expugnare blanditijs, seu litigio iniusto iustitiæ, vel nefando prætendere, seu denique publici priuatiue aliquid corrumpere meditatur. Nunc ita præceps, nunc ardens desiderio, nunc desperatione gelatus. Ita pessimus artifex ante lucem diurni telam negotij orditur, qua se sæpe atq; alios inuoluat.

Surgit solitarius, atq; felix otiosus, modica quiete recreatus, somnoque breui non fracto, sed explero & interdum pernoctantis philomelæ cantibus expergefactus, toroque vix dum leniter excussus, pulsisq; temporibus, quietis horis psallere incipiens ianitorem suorum labiorum, vt aggressuris inde matutinis laudibus aperiat, deuotus exposcit. & cordis sui dominum in adiutorium vocat. Nihilque iam viribus suis fidens, & imminentium conscius metuensque discriminũ, vt festinet, obsecrat nullius texendis fraudibus intentus, sed Dei gloriam, & sanctorum laudes nõ in dies tantum, sed in horas, & indefesso linguæ famulatu, & pia mentis obsequio repetens, ne quando forsan ingrato animo, diuinorum munerum memoria euanescat. et sæpe inter ea (mirum dictu) securi timoris, ac tepidę spei plenus, memorq; pręteriti, ac futuri præuidens: læto dolore, felicibus lachrimis abundat: quę festum nulla voluptas occupatorum, nullæ vnquam vrbanæ deliciæ, nulli regnorum fastus æquauerint. Inde suspiciens cęlum ac stellas, ac illic habitantem Dominum Deum suum, tota mente suspirans, & patriam cogitans, de exilij sui loco protinus ad honestæ cuiuspiam iucundæque lectionis studium conuertitur. Atque ita cibis pastus amœnissimis, multa cum pace animi, venturæ lucis initium præstolatur. *Franciscus Petrarcha de vita solitaria lib.* 1 *c.*2.

Vita procul dubio singularis ac solitaria, non modo trãquillior, sed altior est atque securior. *ibid. c.*4.

Solitudo veræ lætitiæ alumna videtur. In hac bonæ mentes senserunt delectationem sitam esse: In ha. Tullio omnis sermo cum literis erat, in qua mentem a mœrore & solicitudine recreabat: extra hanc dolores intestinos quasi fouere visus. *Matth. Agric. in alt. edit. Aurora.*

Apophthegmata.

Cleanthes conspiciens quendam solitarium, ac secum loquentem: Haud, inquit, loqueris cum homine malo. Quidam ita referunt: Vide, ne cum homine improbo loquaris: Malis enim periculosa est solitudo. *Laert. l.* 7. *c.* 2.

Pyrrho deprehensus aliquando solus, ac secum loquens, rogatus, quid solus ageret? Meditor, inquit, esse probus. Sentiens, ad id vtilem esse solitudinem, inutilem turbam. *Laert l.* 9. *c.* 11.

Antisthenes ridere solebat Athenienses, subinde glorianes, quod essent autochthones, hoc est, indigenæ: eo quod non aliunde eo commigrassent, nec patriam sedem mutassent vnquam, dicens, hoc laudis illis esse cum testudinibus cochleisque commune. Nã & hæc animantia nunquam mutant domicilium, in quo nascuntur. *Laert. lib.* 6 *c.* 1.

Idem rogatus, quid emolumẽti cepisset ex philosophia? Vt mecum, inquit, loqui, sic et viuere possim. Doctus, etiamsi solus sit, nõ sentit tædium solitudinis, sed multa præclara secũ animo versans, quasi secum loquitur: indoctis molestissima est solitudo, atque etiam inuisis. *Laert lib.* 6. *c* 1.

Myson incertæ patriæ μισάνθρωπος fuisse traditur, non alienus a moribus Timonis Atheniensis Hunc quum quidam forte deprehendisset in solitudine ridentem, rogabat, quid rideret, quum esset solus? Atqui ob hoc ipsum, inquit, rideo, subindicans, sibi gratissimam esse solitudinem. *Laert l.* 6. *c.* 10.

Antonius, magnus ille Aegypti monachus, quem ob insignem pietatem Constantinus Imperator plurimum amasse fertur, adeo vitam solitariam dilexit, vt frequenter dicere solitus sit. Quod piscis in arido, hoc monachus in oppido. Putant autem, lethalem esse piscibus extra vndas conuersationem: nec minus monachũ in periculum cœlestis vitæ & perfectionis sanctioris amittendæ venire, si moras in vrbibus trahat. *Niceph. Callistus lib* 8. *cap.* 4. *Eccles. histor.*

Similitvdines.

D. Chrysostomi. Cum athleta tantisper, dum domi se continet, ac cum nemine manus confert, imbecillitatem infirmitatemque suam occultare alijs potest: vbi vero nudato corpore in arenam decertaturus descenderit, tum facile apparet, quid ille possit: Eadem ratione, qui priuatam hanc & quietam vitam viuunt homines, solitudinem habent suorum vitiorum tanquam velamen quoddam: ijdem rursus, cum in medium prodeunt, solitudinem illam, sicut vestem exuere, ac per externos aduentiosque motus suos ipsorum animos nudos exhibere coguntur. *libro* 2. *de sacerdotio.*

Senec. Vt in aperto posita & exposita negliguntur ac prætereũtur, abstrusa petuntur insidijs: Ita qui valde latet, & vulgo remotus est, in huius vitam inquirunt homines, *apud P. M.*

P. M. Vbi complures vna faciunt iter, si quis fuerit lentior, ab aliis pergentibus vtcumq. protrahitur: si quis æquo properantior, à cæteris retardatur. Cõtra, qui solus facit iter, aut studio perueniẽdi nimiũ festinat, aut tædio itineris residet, & obdormiscit alicubi. Rursum qui solus ambulat, nonnunquã aberrat. Inter multos si quis aberrat, non deest, qui commõstret viam. Idem accidit in vita solitaria & gregaria. *in scholijs in epist ad Rusticum monachum.*

Adagia.

Ne musca quidem. *Plaut. in Trucul.*

Significamus autem hac prouerbiali hyperbole maximam solitudinem.

Nullum animal quod animal. *M. T. Cic. ad Attic.*

Terent. vestigium nullam agnou. Menagenes ex toc peryt. Forte iter per possessionem in quo animal nullum erat Id est, Maxima solitudo.

Scytharum solitudo. Σκυθῶν ἐρημία.

Et de solitudine insigni & de summis calamitatibus exitioque dicitur.

Ingens rerum multitudo.

Quum admirandam hominum aut rerum seu malorum multitudinem indicare volumus: congruit illud homeri:

Ὅσσα τε φύλλα καὶ ἄνθεα γίγνεται ὥρῃ.
Ἠΰτε μυιάων ἁδινάων ἔθνεα πολλά.
Quot frondes & quot sunt verno tempore flores,
Vtque globatarum muscarum examina multa.

Historica Exempla.

Tatia Tatij filia, qui Romuli fuit collega in regno, postquam in Numæ Pompilij matrimonio tredecim annos fuisset, decessit: hinc Numa relicta vrbana vita plerumque rusticari & errare solitus fuit, egitque in lucis Deorum, sacrisque pratis ac solitudinibus. *Plut. in Numa.*

Pythagoras anno integro in subterraneo quodam specu latuit, vt hominibus aliquando prodesset, ab hominum commercio tãtisper abstinere, Deorumque colloquio frui voluit. *Laert lib* 6.

Timon Nicaeus gaudebat hortorum secessib. ac solitudine. Vnde Hieronymus Peripateticus de illo dixisse fertur: quemadmodum apud Scythas, & qui fugiunt, & qui insequuntur tot queot sagittas; ijdem inter philosophos, alios persequendo discipulos, alios fugiendo, sequitur fama fugientem, & ob idipsum auidius expetitur, qui celebritatem vitat. *Laert. l.* 9 *c.* 12.

Timoleon Corinthius, cum fratrem Timophanem tyrannidem affectãtem occidi curasset, eiusque rei nomine a matre diris deuoueretur, oppressus dolore, instituit se conficere inedia. *Plut. in Timoleonte & Diod. lib.* 16.

M. Anto-

M. Antonius post cladem Actiacam in Aegyptum vectus, relicta vrbe, & amicorum consuetudine, domicilium sibi in mari ad Pharum extruxit, proiecto in altum aggere, idque Timonium vocauit, atque ibi extorris ab hominibus egit. *Plut. in Anton.*

Vide Otium, Quies, Silentium. Item Monachus.

SOMNIVM, SOMNVS.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

SOmniũ Græce ὄνειρος, ὁ, τό, dicitur. Heb. Et est phantasma in somno factum, id est, apparitio phantastica in somno facta. *secun. Arist. l. de somno & vigilia.*

Somnium a Chrysippo sic diffinitur: Somnium est vis cernens & explanans, quæ a Dijs hominibus significantur in somnis. *Ex Cicer. lib. de diuinatione.*

Somnus, Græce ὕπνος, ὁ. & ἐνύπνιον, τό, somnium dicitur. Hebr. *Sehenah* & *Tardemar*. Est autem somnus primi sensitiui comprehẽsio, vt homo possit agere in necessitate quidem facta. *sec. Arist. lib. de somno & vigilia.*

Somnus est ligamentum omnium sensuum. *secund. Arist. lib. de somno & vigilia.*

Somnus est impotentia sentiendi, propter excessum vigilandi.

Somnus est passio naturalis, & conuentus caloris intrinsecus, vel naturalis reciprocatio, facta ex euaporatione vaporum a nutrimento, ingrossata à frigiditate cerebri, propter salutem animalis tuendam.

Somnus est quies animalium virtutum, cum intentione naturalium. *sec. Auicen.* Vel est priuatio dispositionis animæ imperantis sensibus, & virtutibus exterioribus, in qua anima conuertitur ab exterioribus ad interiora.

LOCI BIBLICI.

Somnia olim seruis Dei familiaria, *Num. 12. 6.* Somnia & visiones, in quibus Deus nonnunquam suam voluntatem aperiebat, *Gen. 20. 3 & 28. 12 & 31. 24 & 37. v. 5. 9. & 40 8. & 41. 1. & 46. 2. Num. 12. 6 Iud 7. v. 13. 15. 1 Sam 3. v 4. 8. 11. & 28. 6. 2. Sam. 7. 4. 1. Reg. 3. v. 5. 15. Iob. 7. 13. & 33. 15. Dan. 2. 1. & 7. 1. 2. Mach. 15. v. 11. 14. Matt. 1. 20 & 2. v 12. 13. Act 16. 9. & 18. 9. & 23. 11. & 27. 23.* somnia & visiones, quæ non consentiunt cum verbo Dei, & doctrina Ecclesiæ sunt contemnenda, *Deut. 13. 2. Eccl. 5. 2. Eccl. 34. 1. & Iere. 23. v. 16. 25. & 27. 9. & 29. 8.* somniorum interpretatio a Deo est, *Gen. 41. v. 16. 39. Dan. 1. 17. & 2. 23.* somnijs non inhærendum. *Eccl. 5. v. 2. 6.*

Somnus quibus suauis, *Ecclesiast. 5. 11.* somno non indulgendum, *Prouerb. 20. 13.*

SENTENTIÆ BIBLICAE.

Custodi legem atque consilium, & sequitur. Si dormieris, nõ timebis; quiesces, & suauis erit somnus tuus. *Prou. 3.*

Dulcis est somnus operanti. *Eccl. 5.*

Securus dormiens requiesces, & non erit, qui te exterreat. *Iob. 11.*

Somniorum consideratio vana.

Multas curas sequuntur somnia. *Eccl. 3.*

Vbi multa sunt somnia, plurimæ sunt vanitates, & sermones innumeri. Tu vero Deum time. *Ibid.*

Somnia extollunt imprudentes. Quasi qui apprehendit vmbram, & persequitur ventum: sic qui attendit ad visa mendacia. Ante faciem hominis similitudo alterius hominis, *Eccl. 34.*

Obseruatio prophana.

Non augurabimini, nec obseruabitis somnia, *Leuit. 19.*

Et sicut parturientes cor tuum phantasias patitur, nisi ab Altissimo fuerit emissa visitatio, ne dederis in illis cor tuum: multos enim errare fecerunt somnia, & exciderunt sperantes in illis. *Eccl. 34.*

PATRVM SENTENTIAE.

Consuetudinem meam nosti, breuissimo somno vtor, & quasi interuigilo, satis mihi vigilare desiuisse, aliquando dormiuisse me sentio, aliquando suspicor. *Hier. lib. illustrium virorum, epist. 87. loquens de seipso.*

Cum somnia contingũt, aut ventris repletione, aut inanitione, aut illusione, aut cogitatione simul, & illusione, aut reuelatione aut cogitatione simul, & reuelatione cogitationes sanctiores, cælestiores, virtuosiores, sequũtur somnia blandiora & delectabiliora. *Greg. Moral. 8. super illud Iob. 7. Terrebis me per somnia.*

Iturus in somnum aliquid tecum defer in memoria & cogitatione, in quo placide obdormias, quod etiam somniare iuuet. Sic, tibi nox vt dies illuminatur, & nox illuminatio tua in delicijs tuis placide obdormies, in pace quiesces, facile euigilabis: surgens facilis eris ad redeundum in id, vnde non totus discessisti.

Caue, serue Dei, quantum potes, ne totus quandoque dormias, ne sit somnus tuus, non quies lassi, sed sepultura corporis suffocati: non reparatio, sed spiritus extinctio.

Quantum ad debitum continui processus, nihil temporis tam perit de vita nostra, quam quod somno deputatur. *Bernardus ad fratres de monte.*

DICTA POETARVM.

Homer. in α Iliad.

Καὶ γάρ τ' ὄναρ ἐκ Διός ἐστιν.
Etenim somnium a Ioue est.

Idem in ξ Iliad.

Ὕπνε ἄναξ πάντων τε θεῶν, πάντων τ' ἀνθρώπων.
Somne rex omniumque Deorum, omniumque hominum.

Idem in ν Odyss.

Ἥδιστος θανάτῳ ἄγχιστα ἐοικώς.
Suauissimus morti proximo similis

Menander.

Ὕπνος δὲ τοῦ θανάτου προμελέτημά ἐστι.
Somnus mortis præmeditatio est.
Ὕπνος δὲ πᾶσιν ἐστιν ὑγίεια βίου.
Somnus autem omnibus est valetudo vitæ.
Ὕπνος τὰ μικρὰ τοῦ θανάτου μυστήρια.
Somnus parua mortis mysteria.
Ὕπνος πέφυκε σώματος σωτηρία.
Somnus est corporis salus.
Ὕπνος δὲ πεινῶν τὴν κακὴν χαλεπὸν δαμᾷ.
Somnus autem famem mala sinit domat.

Ouid. 11. Met.

Est prope Cimmerios longo spelunca recessu,
Mons cauus, ignaui domus, & penetralia somni,
Quo nunquam radijs oriens, mediusue cadensue
Phœbus adire potest: nebulæ caligine mixtæ
Exhalantur humo dubiæque crepuscula lucis.
Non vigil ales ibi cristati cantibus oris
Euocat auroram, nec voce silentia rumpunt,
Sollicitiue canes, canibusue sagacior anser:
Non fera, non pecudes, non mota flamine rami,
Humanæue sonum reddunt conuicia linguæ.
Muta quies habitat, saxo tamen exit ab imo
Riuus aquæ Lethes: per quem cum murmure labens
Inuitat somnos crepitantibus vnda lapillis.
Ante fores antri fœcunda papauera florent,
Innumeræque herbæ, quarum de lacte soporem
Nox legit, & spargit per opacas humida terras.
Ianua, ne verso stridorem cardine reddat,
Nulla domo tota est, custos in limine nullus.
At medio torus est ebeno sublimis in antro
Plumeus, vnicolor, pullo velamine tectus,
Quo cubat ipse Deus membris languore solutis.
Hunc circa passim varias imitantia formas
Somnia vana iacent totidem, quot messis aristas,
Silua gerit frondes, eiectas littus arenas.

Sen Herc. fur.

Vera miscens falsa futuri
Certus, & idem pessimus auctor,
Pater o rerum, portus vitæ,
Lucis requies, noctisque comes,
Qui par regi famuloque venis,
Placidus fessum, lenisque foue,
Pauidum leti genus humanum,
Cogis longam discere mortem.

Sen. Herc. fur. act. 4.

Volucer matris genus Astreæ,
Frater duræ languide mortis.

Sen. Herc. Act. 4.

Tuque o domitor
Somne malorum, requies animi,
Pars humanæ melior vitæ.

Plaut. Most.

Non bonus est somnus hominis de prandio.

Sen. Oct. Act. 4

Quacunque mentes agitat infestus vigor,
Ea per quietem sacer, & arcanus refert,
Veloxque sensus.

Claud. præfat. 4. Honor.

Omnia quæ sensu voluuntur vota diurno,
Tempore nocturno reddit amica quies.
Venator defessa toro cum membra reponit,
Mens tamen ad syluas & sua lustra redit.
Iudicibus lites, aurigæ somnia currus,
Vanaque nocturnis meta cauetur equis.

Furto gaudet amans, permutat nauita merces,
Et vigil elapsas quærit auarus opes:
Blandaque largitur frustra sitientibus ægris
Irriguos gelido pocula fonte sopor.
Me quoque Musarum studium sub nocte silenti
Artibus assiduis sollicitare solet.
Namque poli media stellantis in arce videbar
Ante pedes summi carmina ferre Iouis.

Hor. 3. Carm.

Somnus agrestium.
Lenis virorum non humiles domos
Fastidit.

Sen. Herc. Fur.

Veris miscens falsa, futuri
Certus, & idem pessimus author.

Ouid. 2. Amor. 9.

Tu leuis es, multoq; tuis ventosior alis,
Gaudiaque ambigua dasque negasq; fide,

Tibul. 3. 4.

Somnia fallaci ludunt temeraria nocte,
Et pauidas mentes falsa timere iubent.

Plaut. in Rudente.

Nam qui dormiunt libenter sine lucro & cum male quiescunt,

Virg. Aeneid. lib. 6.

Pressitque iacentem
Dulcis & alta quies placidæque simillima morti.

Ouid 6. Fastorum.

Alliciunt somnos tempus, motusque merumque.

Item lib. 11 Metam. fab. 10.

Somne quies rerum, placidissime somne Deorum,
Pax animi quem cura fugit, qui corpora duris
Fessa ministerijs mulces, reparasq; labori.

Ouid. Amor. lib. 2 eleg. 9.

Infelix, tota quæcunque quie scere nocte
Sustinet & somnos semina magna vocat,
Stulte quid est somnus gelidæ nisi mortis imago,
Longa quiescendi tempora fata dabunt.

Thomas Morus.

Non es, dum in somno es, dum nec
Felix at somnus ne vera es, miser es,
Qui felix igitur forte indulgente superbit,
Inflatusq; suis prosperitate tumet:
Nox quoties venit, aut toties iam desinit esse
Felix, aut toties incipit esse miser.

De somno æquante pauperem cum diuite.

Somne quies vitæ, spes & solamen egenis,
Diuitibus nostra quos facis esse pares.
Tristitia mulcens lethæo pectora rore,
Excutis & sensum tristis inde mali,
Læta benignus opes inopi per somnia mittis,
Quid falsas vides diues opes inopis.
Diuitibus vere curas, tormenta, dolores.
Pauperibus falsa gaudia vera ferunt,

SENTENTIÆ PHILOSOPH.

At multa somnia falsa, immo obscura fortasse nobis, sed sint falsa quædam: contra vero quid dicimus? quæ quidem multo plura euenirent, si ad quietem integri iremus, nunc onusti cibo & vino, perturbata & confusa cernimus. Vide, quid Socrates in Platonis politia loquatur. Dicit. n. Quum dormientibus ea pars animi, quæ mentis & rationis particeps sit, sopita langueat: illa autem, in qua feritas quædam sit, atque agrestis immanitas, quum sit immoderato obstupefacta potu, atque pastu, exultare eam in somno, immoderateq; iactari. Itaque huic omnia visa obijciuntur, a mente ac ratione vacua, vt aut cum matre corpus miscere videatur, aut cum quouis alio vel homine, vel Deo, sæpe belua: atque etiã trucidare aliquem, & impie cruentari, multaq; facere impure atque tetro, cum temeritate atq; impudentia. At qui salubri & moderato cultu, atque victu quieti se tradiderit, ea parte animi, quę mentis & consilij est, agitata, & erecta saturataque bonarum cogitationum epulis, eaque parte animi, quæ voluptate alitur, nec inopia enecta, nec satietate affluenti, quorum vtrumq; perstringere aciem mentis solet, siue deest naturæ quippiam, siue abundat atque effluit. Ita enim tertia parte animi, in qua iratum existit ardor, sedata atque restincta, tum eueniet, duabus animi temerarijs partibus compressis, vt illa tertia pars rationis & mentis eluceat, & se vegetam ad somniandũ, acremque præbeat: tum ei visa quietis occurrent tranquilla, atque veracia.

Iubet igitur Plato sic ad somnum proficisci corporibus affectis vt nihil sit, quod errorem animis perturbationemq; afferat, ex quo etiam Pythagoras interdictũ putatur, ne faba vescerentur, quod habet inflationem magnam: is cibus tranquillitatẽ mentis quęrenti est contrarius. Quum ergo est somno seuocatus animus a societate, & contagione corporis, tum meminit præteritorum, præsentia cernit, futura præuidet: iacet enim corpus dormientis, vt mortui: viget autem & viuit animus, quod multo magis faciet post mortem, cum omnino ex corpore excesserit. *Cic. lib. 1. de diuinat.*

Necesse est omne quod vigilat dormire.

Melancholici maxime vera somniant.

Somnus causatur ex vaporatione cibi, quæ vadit ad cerebrum, & ibi infrigidata descendit, & fit somnus, vnde post cibum fortes, sunt somni.

Animalia magis nutriuntur & augmentantur dormiendo, quam vigilando.

Somnia non sunt missa a Deo, quia alia animalia somniant.

Si Deus emitteret somnia, euenirent sapientibus in die. *Arist. lib. de somno & vigilia.*

Somnus videtur esse medium inter viuere & non viuere. *Arist. lib. 19. de animal.*

De inquietudine somniorum. DIAL. LXXXVI.

Francisc. Petrarcha.

D O L.

Somnijs inquietor. R. Si verum est, quod sapiens quidam ait, multas curas sequuntur somnia, quod vestri quoque approbant authores, radicem mali ampuita, curas pelle, somnia quoque pepuleris, quo enim quæso tot curas, & tam nihil profutura, in tã breui vita, de qua iã ab initio promissum est, quid torquetis iuuat? & turbatã curis vitam, & infestam somnijs quietem vestra vobis facit amentia, diuinam prouidentiam vestro vultis superare consilio, neque sentitis, vt ex alto vestræ rideantur insaniæ, vestræq; deliberationes illo de tempore, quod non solum extra vestrum arbitrium, sed etiam extra notitiam vestram est. Neque auditis Flaccum exclamantem, prudens venturi temporis exitum caliginosa nocte premit Deus, ridetq;, si mortalis vltra fas trepidat. Omne tempus in vestram trahitis perniciem, de præterito mœsti, de præsenti anxij, de futuro pauidi, trepidique, deque his curis superuacuis dignos metitis manipulos, laborem vigilantes, consopiti somnia. Sin illud forte verum est, quod vacantem quoque curis animam inquietã somnijs esse, vel natura hominis, vel peccatum cogit. Nonne cum ex mille somnijs nec vnum verum esse, verum sit, postquam alterutro falli oportet, sanius est inquietari somnijs, quam mulceri, & amara somniare, quam dulcia, mœsti enim somnij fallacia læta est, læti autem mœsta. De somnijs fatigor. R. Sperne totam hanc ineptiam, & quiesces, si nequis, his te solare comitibus, qui similia passi sunt: his duobus nominatim, quos modo dicebam, dum de vigilia quereraris.

APOPHTHEGMATA.

Diogenes conspiciens adolescentem quendam neglectius dormientem, baculo pungens illum, dixit carmen Homeri:

Ἔγρεο, μή τίς σοι εὕδοντι μεταφρένῳ ἐν δόρυ πήξῃ.
Surge, Ne quis, dum dormis, a tergo infixerit hastam

Laert. l. 6.

Democr. diurnum somnum, aut corporis molestiam aliquam, aut animæ anxietatem, aut segnitiem, aut imperitiam arguere dicebat, *Ant. & serm. de somno.*

Æschines, somnum diuturniorem, quam deceat, dicebat mortuis potius, quam viuis conuenire, *eod. serm.*

Philo sciscitatus, quid esset somnus? respondit, imago mortis. & cessatio sensuum *ibid.*

Plato. Somnum multum neque corporibus, neque animis, neque rebus gerendis conducere affirmabat. Nemo enim, dum dormit, alicuius pretij est, non magis, quam si non viueret. Quare quicunque viuere & sapere cupit maxime, quam longissimo tempore vigilet, sola sanitatis commoditate seruata. *lib. 7. de legib.*

Gorgias extremæ iam ætatis, quum sentiret somnum lethalem obrepere, amico, qui assidebat, percontanti, Quo pacto haberet? Somnus, inquit, iam incipit me fratri suo commendare. Homerus. n. somni fratrem appellat mortem. *Ælianus l. 2.*

Epaminondas quempiam è vigilibus somno oppressum quum offendisset, gladio hominem transfixit. Obiurgantibus autem ob tantã seueritatem: Talem, inquit, cum reliqui, qualem inueni. Sensit autem Imperator bellicosissimus, hominem somno oppressum, ac mortuum, in eadem esse sorte ac conditione. *Brus. l. 6. c. 8.*

Alexander, cum Deus ab adulatoribus vocaretur, se mortalem esse dicebat, cum id deprehenderet ex somno, qui mortis imago est. *Plut. in vita Alex.*

Diogenes considerans hominum vitam & mores, ac videns ciuitatum gubernatores philosophos, & alios huius notæ homines, dicebat nullum animal homine sapientius esse. Idem si videret somniorum

norum interpretes, coniectores, &c. aiebat, sibi nihil homine videri stultius. *Laert. l. 6. & P. M. l. 3. apoph.*

Idem, Superstitionem hominum, qui in somnijs terrerentur, hoc pacto irridebat: Quæ vigilantes, inquit, agitis, ea non curatis: quæ vero dormientes somniatis, scilicet per quiritis. Ad felicitatem enim aut infelicitatem hominis non tam refert, quid patiatur in somnijs, quam quid agat vigilans. Ibi quoties aliquid turpe committitur oportebat metuere Deorum iram, actristem euentum, non si quid dormientibus sit visum. *Laert. l. 6.*

Thales interrogatus, quantum distaret à mendacio veritas? Quantum, inquit, oculi ab auribus. Sentiens, ea demum esse indubitatæ fidei, quæ conuemur oculis: fabulis hominum haud tuto credi. Eodem pertinet Homericum figmentum de somnijs, quorum quæ subeo'ant per portam corneam, vera sunt: quæ per eburneam, vana. Corneæ portæ inuolucro designans oculos ob coloris similitudinem; eburneæ, os, ob candorem dentium. *P. M. l. 8. apoph.*

Zeno Eleates dicebat, è suis quemque in somnijs deprehendere posse, quantum in philosophia profecisset, si nihil illic vel appeteret, vel faceret nefarium rei. Tum enim animus in profunda tranquillitate constitutus, veros aff. ctus prodit. Contra quæ vigilantes non audet profari, aut agere, ea noctu occurrunt in somnijs. *Laert. l. 9. c. 5.*

Anonymus, Quidam somniarat, se videre ouum ex lecti cubicularis fascia pendens alligatum. Id somnium retulit ad coniectorem: is iussit, vt eo loco foderet, defossum enim esse thesaurum. Fodit, & inuenit, & argenti paululum detulit ad coniectorem, de auro dissimulans. Tum coniector: Quid: nihilne de vitello? Somniator inuenerat aurum argento circundatum in oui speciem, nec id latuit coniectorem. *P. M. l. 6. apoph.*

SIMILITVDINES.

Plu. Heraclitus dixit, vigilantibus vnum communem esse mūdum sopitos in suum quemque discedere. At superstitiosus nec vigilans quidem communi cum alijs mundo fruitur, semper somniante cogitatione. *in Moral.*

Comici venuste dixit de ijs, qui lectos inaurant ac deargentant: Cū Dij nihil nobis gratis dederint, nisi somnum, cur id sibi magno volunt constare? At cum Dij somnum nobis dederint curarum & laborum delinimentum, superstitiosus sibi illum reddit carnificium. *in Moral.*

Syracida, Quasi qui apprehendit vmbram, & qui persequitur ventos: Sic qui intendit in somnijs. *Eccl. c. 34.*

Chrysostom. Quemadmodum pueri vilium rerum spectacula admirantur & obstupescunt, pilis, trochis, & talis inhiant, magnas autem res ne cogitatione quidem capere possunt: Ita & peccatores præsentia reputant, mirantur ad somnia. *Hom 70. in Ioan.*

Gregor. Nysseni, Vt terra humida, radijs solis calidioribus calefacta, vapores quidem nebulosi ex alto excitantur: Sic fit prope ad eundem modum in nostra terra, quum cibus naturali calore feruefactus fuerit. Nam cum vapores secundum naturam sint aerei, & in sublime ferantur, ad superiorem locum rursum aspirantes in capite consident, ex quibus somnia nascuntur. *Apud Max. serm. 19.*

ADAGIA.

Endymionis somnum dormis. Ἐνδυμίωνος ὕπνον καθεύδεις.

In utraque dormit, qui se immodico somno saginat: aut qui diutine in otio versentur: nec villis se negotijs exercent, sed mollem socordiamque agunt vitam. Arist.

Vltra Epimenidem dormis. Ὑπὲρ τὸν Ἐπιμενίδην καθεύδεις.

In eos qui perpetuum agunt otium, somno & ignauia prorsus dediti. Gellius.

Salem vehens dormis. Ἅλας ἄγων καθεύδεις.

Quadrabit in eum, qui in re pericolosa socorditer atque indulgenter agit.

Non decet principem solidam dormire noctem. Οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα.

Monet adagium, vigilantiam ac solicitudinem maxime conuenire principibus. Home.

EXEMPLA BIBLICA.

Somniorum reuelationum per illa factarum, *exempla*: Abimelech, *Gen. 20. 3. Iacob. 28. 12. & 31. 11.* Laban, *v. 24.* Iosephi, interpretis somnij Pincernæ & Pistoris, 40. 5. Pharaonis, 41. 1. cuiusdam Danitæ, *Iud. 7. 13.* Esdræ, 4 *Esdr. 11. 1.* Mardochæi, *Esth. 10. 5. & 11, v. 5.* Nabuchodonosor. *Dan. 7. 1.*

EXEMPLA PROFANA.

Apud Lucianum Mycillus, per somnium opulentissimus expergefactus, cerdo erat, Iro pauperior.

Atlantes Africæ populi, nulla insomnia vident. *Herodot. l. 4.*

Nero Cæsar nunquam somniare solitus, nisi post interfectam matrem. *Sueton.*

Otho Imp. dicitur ea nocte, quæ cædē Galbæ subsecuta est, per quietem pauefactus gemitus maximos edidisse: repertusque a cōcursantibus humi ante lectum iacens, per omnia piaculorum genera manes Galbæ, a quo deturbari expellique se viderat, propitiare tentasse. *Sueton.*

In Suecia septentrionali Gulo animal voracissimum capitur, pellis eius pretiosissima. Dormientibus sub harum pellium tegumentis euenire solent somnia eius animalis naturæ conformia, quo ad ingluuiem & insidias bestiarum. *Olaus, l. 18. c. 8.*

Theseus, Herculis consobrinus, virtutis eius vsque adeo æmulus, vt præclara illius facta etiā in somnis sibi occurrerent. *Plut. in Thes.*

Themistocles Miltiadis Persica tropæa non modo somnū adimebant, sed & somnia condebant. *Plut.*

M. Marcellus Cos. cum Annibale dimicando eo ferebatur studio: vt sæpe etiam in somnis singulari certamine cum eo sibi videretur congredi. *Plut. in eius vita.*

SOPHISTICA, SOPHISTÆ.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

Sophistica, logicæ veræ aduersaria, plus ostentationis habens quā veritatis, qua præceptorum nefariorum stulti discipuli docentur fallacibus cōclusiunculis aduersarium irretire, atque argutias captiones nectere, quibus quæ falsissima sunt vera esse videantur.

SENTENTIÆ BIBLICAE.

Dicentes se esse sapientes stulti facti sunt. *Rom. 1. 22.*

Ne quis sapiat supra quam oportet sapere, sed sapiat ad sobrietatē. *Rom. 12. 3.*

Scientia inflat, charitas vero ædificat. Si quis autem se existimat scire aliquid, nondum quicquā nouit, sicut oportet scire. *1. Cor. 8. 2.*

Si quis videtur contentiosus, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesiæ Dei. *1. Cor. 11. 16.*

Non qui seipsum commendat ille probatus est, sed is quem dominus commendat. *2. Cor. 10. 18.*

Ne simus amplius pueri fluctuemus & circumferamur quouis vento doctrinæ, in hominum alea, in veteratoria ad insidiose fallendum versutia. *Eph. 4. 14.*

Nihil gerite per contentionem neque per inanem gloriam. *Phil. 2. 3.*

Horum Deus venter, & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt. *Phil 3. 19.*

Videte ne quis vos decipiat per philosophiam & inanem fallaciā. *Coloss. 2. 8.*

Improbi homines & impostores procedent in peius, tum seducentes alios, tum seducti ipsi. *2. Tim. 3. 13.*

Vniuersos domos subuertunt, docentes quæ non oportet turpis lucri gratia. *Tit. 1. 11.*

Doctrinis varijs & peregrinis nolite abduci. *Heb.*

SENTENTIAE PATRVM.

Philosophiam nomine habituque profitentur quidam, qui nihil præstantē dignum hac professione. *Iustin. Martyr in 2. Apol. pro Christianis.*

Veteratorie instructa persuadendi arte, seducunt mentes imperitorum. *Item.* Verborum artificio simplices eo probabiliter adducūt, vt aliquo modo loquirant: sed probabiliter ipsos perdunt, dum aduersus summum opificem impiam reddunt & blasphemam ipsorum mentem: ita vt ne verum quidem a falso discernere possint. *Irenæus, in pref. l. 1. adu. hæreses.*

Non ostenditur per imposturā, ne nuda deprehendatur: sed amictu verisimili callide ornata, ita vt imperitioribus videatur externa specie se ipsa veritate veriorem exhibere. *Idem ibid.*

Sophistæ verborum magis volunt esse, quam discipuli veritatis. *Idem l. 3. c. 40.*

Quidam te ipsos erigentes calumnias verbis inuenire contendunt, contentiosas comparantes quæstiunculas, dissertatiunculas venatores, pusillarum quæ[illegible] artium æmulatores, litigatores & iurgiorum consarcinatores. Ob hanc artem efficientes se sophistæ infelices, canoris quibusdam suis nugis garrientes, cum in nominum delectu & certa dictionum compositione accommoda ne tota vita laborant, cicadis apparent loquaciores. *Clem. Alexa. Stromat. l. 1.*

Sophistarum elocutiones non solum multorū oculos perstringunt, eosque seducunt: sed nonnunquam etiam vim adferentes, caducam reportant victoriam. *Idem eod. lib.*

Inani sapientiæ opinione elati perpetuo litigant, aperte ostendentes, se magis curare vt videantur, quam vt philosophētur. *Id. l. 7.*

Loquacitatem facundiam existimant: impudentiam constantiam deputant: & maledicere singulis officium bonæ conscientiæ iudicant. *Tertul. l. adu. Hermogenem, c. 1.*

Hæreticorum patriarchæ sunt philosophi. *c. 8.*

Ijs fere mos est, simplicia quæque torquere. *c. 19.*

Simplicitatē communiū verborum torquent in quæstionem. *c. 17.*

Quoniam

Quoniam sophisticen didicerunt, & præclara mirantur quæ didicerunt, obseruationes ex vana philosophia, eque inani deceptione sumptas, ad simplicem artificijque ignaram doctrinā transferunt. *Idem ibid. c. 3.*

Nihil hominib. adeo suaue est & iucundum, quam de reb. altis & alijs orationem habere, si vel beneuolentia quadam, vel odio trahantur, a quib. vera plerumq; surripi solent. *Greg. Naz. or. 26.*

Melior est pauper in simplicitate sua, & q sermonis ac scientiæ inopia laborat, simplicibusque verbis innititur, atque in illis tanquā in parua & tenui rate salutem assequitur; quam curiosus factus & peruersus labijs, qui disputationibus & sophisticis elenchis iocore atque imperite confidit, ac Christi crucem, rem omni sermone sublimiorem, per disserendi facultatem euacuat, vbi probationes & argumentorum infirmitas veritatem imminuit & labefactat. *Idem ibid.*

Vbi veritas exulat, perturbata & confusa Sophistica sedet ad gubernacula, vbi nulla ratio nec veritatis inuestigatio & communicatio. *Cyrillus.*

Propositum est hominibus improbis, in quorum animis inexplebilis honoris & pecuniæ cupiditas insita est, vt Ecclesijs, quæ plus habere videntur dignitatis, insidientur, qui per varias ac multiplices vias sinceram Ecclesiæ pietatem oppugnare non cessant. Nam impulsu diaboli, qui vim suam in eorum animis exercet, in furorem acti, ad voluptates, quæ forte se offerunt, præcipites feruntur, atque ab omni pietate auersi timorem diuini iudicij procterunt. *Theodoret. hi. t. Eccl. lib. 1 c. 4.*

Vituperare & carpere bonos ac bonum, quomodo quis potest, nisi sophistice? quis potest nisi malus & sophista? Hic enim vt conuicietur, vt calumnietur, aut addit, aut detrahit, aut peruertit, & immutat: quod est sophistarum vel excellentissimum artificium. *Socrat. hist. lib. 6. c. 10.*

Qui disputat, verū discernit a falso. quod qui non possunt, & tamen Dialectici videri volunt, per insidiosas interrogationes captant sneautorum assensiones: vt ex eorum responsionibus concludant, vnde illos vel aperta falsitate deceptos rideant, vel occultam falsitatem deceptis persuadeant, quam plerumque etiam existimant veritatem. *Aug. contra Crescon. lib. 1 c. 15.*

Nisi hoc dicant, quod crude. tunc si dicant, non habent omnino, quod dicant. *Idem lib. de vnitate Eccl. c. 15.*

Literiones potius quam literati appellandi sunt, qui legendo literis nihil sapere didicerūt. *Idem, lib. 1 contra aduers. legis & proph. cap. 24.*

Quando animositatem qua tenentur vicerint, tunc veritatem poterunt tenere qua vincuntur. *Idem lib. vlt. contra Iulian. c. 13.*

SENTENTIAE PHILOSOPHICAE.

Sophistica est venatio iuuenem diuitum acclamatrix, quæ fit per artem conciliandi, capiendi, acquirendi, priuatim mercedem expetentem, pecunias exigentem, eruditionem ostentantem. *Plato in Sophista.*

Sophista, est genus hom. lucro deditum, campo disciplinarum animæ, iuuenum & diuitum mercenarius venator, cōcordiæ hostis, contentiosus, contradicens, clamosus, litigator, habet scientiam in opinione constitutam, ad tenebras eius quod non est aufugit. *Idem eod. dialogo.*

Sophista est rerum vanarum imitator, & impostor. *ibid.* Ludit cum hominibus propter nominum differentiam, supplantans & euertens illos, eorum more, qui sedere volentibus scabella subtrahunt, & delectantur ac rident, supinum iacentem intuentes. *Idem in Euthydemo.*

Sophista maxima pernicies est, & pestis eorum, qui cum ipso conuersantur. *Plato de virtute.*

Sophista à Philosopho tam modo quam materia discrepat. *Alcin. cap. 34.*

Sophista philosophiæ est adulator, & omnium adulatorum pessimus. *Max. Tyrius, serm. 4.*

Sophistex ille est, qui simulatione & specie sapientiæ, non vera sapientia quæstum facit. *Alex. Aphrod. lib. Elench.*

Sophisticæ redargutiones nullo modo sapientiam gignunt, sed impedimenta ac molestias afferunt. *Idem.*

Sophistica solū simulata & adumbrata est sapientia. *lib. 7. 3. Metaph. c. 2. T. 5. Arist.*

Sophistica speciem modo habet, non veritatem. *ibid.*

Contentiosis cum hominibus plane ita non pugnandum est, quasi cum ijs, qui videatur morbo coarguere, non vere coarguant. *lib. 2. de repreh. sophist. c. 2.*

Vt in certaminibus, qui quauis ratione victores esse volunt, nihil non mouent, nil non aggrediuntur: ita hic in disputatione idem faciunt, qui sunt supra modum litigiosi. Atque ex iis quidē, qui tantam adhibent contentionem, quicunque sibi victoriam proponunt: illi sunt, qui proprie litigiosi, & contentionis amatores censentur. Qui vero gloriam, ex qua quæstum faciant, aucupantur, sophistæ. *lib. 1 de repreh. sophist. c. 10.*

Est sophisticæ ratio quæstus faciendi ex sapientiæ simulatione. *ibid.*

Est sophisticæ simulata, & non vera sapientia: & sophista is dicitur: qui ex ea, quam præsefert, non vera, sed simulata sapientia quæstum facit. *lib. 1. de repreh. sophist. c. 2.*

Quibusdam illud est ingenium, vt se operæpretium maius facturos existiment, si sapientes videantur, nec sint, quam si sint, nec videantur. *ibid.*

Contentionis studiosi homines multū dissimiles sunt ijs, qui pseudographos faciunt: vt qui non ea principijs, quæ alicuius generis propria sint, fallaces conclusiones efficiant: sed late vagantes in omni rerum genere versentur. *lib. 1. de repreh. sophist. c. 11.*

Plato quodāmodo non male id, quod non est, sophisticæ attribuit. Versantur enim sophistarum ratiocinationes & disputationis in accidente ex omnibus maxime: idemne sit Musicus & Grammaticus: & Coriscus Musicus, & Coriscus? & num omne, quod est, non tamen semper factum est. *lib. 5. Metaph. c. 2. T. 4.*

Necesse est, vt qui sophistæ munere probe fungi velit, fallacium argumentorum genus, quod petitur ex rerum vocabulis, in primis exquirat: quandoquidem in eo tantum est momenti, vt hæc se vna ratio, qua sapientiæ opinionem, in qua illi sunt omnia, consequi possit, si talium argumentorum facultate instructus sit. *lib. 1. de repreh. sophist. c. 2.*

Qui primum argentum acceperunt: deinde nihil præstant eorum, qui professi sunt propter promissorum magnitudinem: iure sunt illi quidem vituperandi. Neque. n. exsoluunt, quod promiserunt: quod certe coguntur sophistæ facere. *lib. 9. Ethic. c. 1.*

Sophistarum ratio fallax ancipitem habet curam cogitandi. *lib. 7. Ethic. c. 2.*

Miror eos qui Sophistæ vocantur, quod se iuuenes prouehere dicant ad virtutem eorum multi, quos ab ea prorsus auertunt. Nā hominem nusquam vidimus, quem nostri temporis Sophistę bonum fecerint, qui ne libros quidem tradant, ex quibus bonos euadere oportet. Sed ab his multa de inanibus rebus conscripta in quibus iuuenes virtutem nō reperient, sed voluptates inanes. Atque in his quidem tempus iucunde terunt, qui fructum aliquem ex ijs se capere posse sperarunt, impediuntur autem ad alia vtiliora, & interim mala condiscunt. Vitia igitur eorum maiora magis vitupero: scripta vero, quod verba quidem illa exquisita sunt, rectas autem sententias quib. iuniores ad virtutem instituerentur, negligunt.

Equidem vulgaris homo sum, scio tamen optimum esse ab ipsa natura, id quod bonum est, perdiscere: proximum, ab ijs potius qui vere boni alicuius scientiam tenent, quam ab ijs qui fallendi artem profitentur. Itaque verbis forsitan non eleganter (nā hæc non affecto) sed recta cupio dicere præcepta, quibus ad virtutē vtor, educati iuuenes vtantur. Neque enim verba, sed sententiæ, si honestæ fuerint, vitam instituunt.

Vituperant autem & alij multi Sophistas istos nostri sęculi, nō philosophos, quod in nominibus callidi, in rebus ipsis nulli sint, interim non me latet pulchrum esse ordine scribi: etiamque eis facile, tum cito, tum quæ non recte scripsi reprehendere: sed tamen ita scripta sunt vt honesta sint, nec sophisticos, sed bonos & sapientes faciant. Neque enim hæc ipsa videri malo quam esse vtilia, vt nunquam reprehendi possint. Sophistæ vero ad fallendum dicunt & scribunt, vt lucrum faciant, & nihil cuiquam prosunt. Nam ex his nec fuit, nec est sapiens vllus: sed habet quisque satis vt sophista vocetur, quod apud sanæ mentis homines dedecus est.

Moneo igitur Sophistarum præcepta vitanda esse, philosophorum vero sententias non aspernendas. Nam Sophistæ aucupantur eos qui diuites sunt, & iuuenes: philosophi omnibus cōmunes sunt & amici, fortunas autem hominum ut non obseruant, ita neque contemnunt. Neque vero probauerim illos, qui lucrum temere sequuntur: siue publicum siue priuatum, considerans optimus quidem ex illis, propter ea quę bene faciunt, sed assiduis laboribus inclarescere: malos vero & malę se habere, & suis vitiis innotescere: qui quum & priuatorum res & reipublicæ sibi vindicent, ad communem salutem minus adiumenta afferunt quam priuati, & corporibus ad bellum ignaui & indecori sunt, quia laborem tolerare nequeunt. *Xenoph. de venat. circa finem.*

APOPHTHEGMATA.

Socrates, Euclidi contētiosarum argutationum admodum studioso: Sophistis, inquit, o Euclides, uti poteris, hominib. non poteris, iudicās, sophisticen inutilem ad publicas functiones, quas quis affectat, eum non oportet gryphis, & inanibus argutiis ludere, sed hominum moribus semet accommodare. *P. M. apoph.*

Plato, quum a Dionysio filio diceretur, poposcit congrediendi copiā, ea data, hunc in modum disseruit: Si quem sentires in Siciliam appulisse, hoc animo, ut tibi malefaceret, qui tamen non data opportunitate nihil mali faceret, an hunc impune dimitteres? Quum Dionysius respondisset, nequaquam, o Plato: Oportet enim hostium non facta solum, verum & animi propositum vlcisci. Plato subiecit: Tum si quis tibi bene uolens uenisset in Siciliam, ut tibi boni quippiam adferret, non faciat autē, destitutus occasione, num par esset hunc nulla relata gratia contemptum abijcere? Dionysio percontāte, quis esset ille? Aeschines, inquit,

vir

vir morum sanctimonia cum quouis amicorum Socratis conferendus: & qui possit dicendi meliores reddere, cum quibus habet consuetudinem. Is eum huc multum maris emensus adnauigarit, vt suam philosophiam tibi impertiret, hactenus neglectus est. Hæc tam commoda oratio effecit, vt rex & Platonem, cui prius erat infensior, amplecteretur, & Aschinem splendide magnificeque retractaret. *Laert. lib. 3.*

Hippodamus Pythagoreus, Examinandos probandosque sophistas esse dicebat, an secundum leges & instituta ciuilia, idoneumque seu proprium viuendi genus, vtilia proloquantur. Non mediocrem enim, inquit, sed maximam infelicitatem hominum animis sophistarum dissertationes ingenerant; si quid ausi fuerint innouare præter commune iudicium, in diuinis humanisque rebus, quo admisso, neque veritas maior, neque vita tutior honestiorve futura est, sed maior potius caligine atq; perturbatione inuoluenda. *Stob. serm. 41.*

Diogenes, cuidam sophisticis argutationibus colligenti, quod Diogenes haberet cornua, frontem & tempora manu contrectans: Atqui (inquit) ego non video. Maluit philosophus irridere friuolũ enthymema, quam soluere. *Laert. l. 6. c. 2.*

Idem. Plato sic definierat hominem: Homo est animal bipes, implume. Ei definitioni, quum discipuli Platonis applauderent, Diogenes gallum gallinaceum pennis ac plumis nudatum produxit in scholam: En, inquiens, hic est homo Platonis. Itaque definitioni adiectum est, latis vnguibus, quod aues eiusmodi non haberent, *Laert. lib 6.*

Idem. Sophista quidam volens apud Diogenem ostentare acumen ingenij, hunc in modum ratiocinatus est: Quod ego sum, tu non es. Cum annuisset Diogenes: ego, inquit, sum homo, igitur tu nõ es homo. Tum Diogenes: A me, inquit, incipe, & recte colliges. Non dignatus est aperire, quid haberet vitij ratiocinatio: sed maluit ridere, de tam friuolis nugis sibi placentem. Si sic sumpsisset: Tu es homo: sequebatur, sophistam non esse hominem. *Laert. lib 6.*

Zeno. Quum Zeno in scholis differens, acutissimis rationibus probaret, nullum esse motum, necesse posse: Diogenes surgens, cœpit inambulare. Id admiratus Zeno: Quid, inquit, agis Diogenes? Confuto, inquit, tuas rationes. Taxans interim inanem ingenij ostentationem. *Laert. l. 6.*

Stilpo. Colebat argutias Dialecticas, quarum vna parum illi feliciter cessit. De statua Mineruæ, quam Phidias finxerat, ita percontatus est: Num Iouis minerua Dea est? Quum respõsum esset, est; At hæc, inquit, non est Iouis, sed Phidiæ. Id quum esset concessum, collegit. Non est igitur hæc Dea. Ob hanc vocem apud Areopagitas impietatis reus peractus est. Ille vero sic conatus est elabi, vt diceret, non negasse illam esse Deam, sed Deum hoc est, masculum: nam θεὸς apud Atticos communis est generis, attamẽ iussus est ire in exilium. Theodorus autem cognomento ἄθεος his auditis: Vnde hoc nouit Stilpo, nisi forte sublatis vestibus inspexit Mineruam. *Laert. l. 2. c. 11.*

Hipparchia Metroclis soror Theodorum impium, cui cognomen erat ἄθεος, huiusmodi sophismate constrinxit; Quod faciens Theodorus non dicitur iniuste agere, idem si faciat Hipparchia non dicetur iniuste agere? Quum audisset ille, subiecit: sed Theodorus seipsum percutiens non diceretur iniuste agere, nec igitur Hipparchia si idem faceret? Ad id Theodorus nihil respõdit, sed sustulit illius pallium, vt enudaret pudenda. Quum illa nihil hac re turbaretur, obiecit ei versu iambico, quod e muliebrib. officijs ad virile institutum defecisset.

Τὰς παρ' ἱστοῖς ἐκλιποῦσα κερκίδας.

Radios apud telas reliquit fœmina.

Cui illa: Num tibi videor mihi consuluisse, quæ quod temporis impensura fueram telis, impendi disciplinis? *P. M in Laert. l. 6.*

Aristarchus dicere solitus est: Olim vixerant septem sapientes, nũc haud facile totidem inuenias idiotas. Notans sophistarum turbã, qui se pro sapientibus iactabant, vt vix superesset qui se profiteretur indoctum. *P. M l. 6. apoph.*

Ariston dicere solebat Dialecticorum argutias similes esse telis aranearum, quod plurimum haberent artificij, minimum vtilitatis. Nam is cum cæteris Cynicis putabat logicen ac physicen a philosophia submouendam, solam ethicen diligenter excercendam. Huius sententiæ Princeps fuit Socrates. *P. M. l. 8. apoph.*

Menedemus, percõtanti cuidam Alexino, an patrem cædere desijsset? respondit: Neque cecidi, neque desij. Quum alter subiecisset, oportere soluere ambiguitatem per ναὶ & οὔ, aut affirmãdo, aut negando: Ridiculum, inquit, est vestras sequi leges, quum liceat in portis occurrere. Alter captabat illum insidiosa percontatione: siue enim respondisset, Desij siue non desij, agnouisset crimen. Ille hoc præsentiens, exclusit sophisticum cauillum. Sic & Socrates apud Platonẽ obiurgatur a sophistis, quod secus respondeat, quam ipsis esset commodum. *Laert. l. 2. c. 18.*

Demonax, Adolescenti lasciuius culto, qui quæstionem sophisticam proposuerat, nihil aliud respondit, quam *περαίνει* ... Vox anceps est, ad conficiendum, quod colligit: & ad obscœnũ sensum. Quemque adolescens indignatus respondisset. At ego tibi virũ ostendam: Demonax admiranti similis, Quid, inquit, num etiam virum habes? *P. M. l. 8. apoph.*

Ludo. XII. Gall. rex. Franciscanus quidam magni nominis argutissimis disputationibus coram rege concionem clauserat. Rex eo audito & sophistam detestante, testatus est, qui magis deliraret se vidisse neminem: & futurum, vt posthac a concionibus de religione abstineret, nisi concionatores inter se lites eas bona fide componerent. *Annal. Francia.*

S I M I L I T V D I N E S.

Nazianzeni. Athenis ex iuuenibus quamplurimi, imo modestiores etiam circa sophisticam desipiunt, non ingeniosiores solum & nomine obscuri, sed generosiores iam & clariores, non secusque ac multitudo in se decertant, quum moribus præditi sint iuuenilibus, & haud facile cohiberi possint: ac ideo video idem illis accidere, quod & equorum ac spectaculorum amatoribus, in cursu equorum aduersariorum. Saltant enim, clamant, puluerem in cœlum spargunt, in aurigas sedentes aerem verberant, equos digitis, tanquam flagellis cum coniungentibus coniugunt: & quum nullius sint domini, facile inuicem concedunt aurigas, equos, stationes, equorum præfectos: ac quinam sunt illi? vt plurimum indigentes ac pauperes, & qui nec tantũ habent, vt vno sustineantur die: eodem modo & ij, in his admodum pro doctoribus suis conflictantur, & aduersarijs indignantur: quo ipsi plures existãt, ac doctores, quorum illi curam gerunt præcipuam, locupletiores reddant; quæ res admodum absurda est pariter, & infelix. *De laudibus Basilij.*

Olympiodori. Quæsiui ego scite, quænam hæc sit multorum sophistarum stultitia & turbatio, & inconstans error, mentisque circumductio: & inueni demum, hanc ipsorum sapientiam persimilem adulteræ mulieri. Sicut enim illa blandis sermonibus ac dolosis iuuenes lactat, ita & hæc stultos venatur, irretitos syllogismorũ laqueis & sagenis. At sicut illa molli contrectatione animã frangit, fractamque deuincit: Ita hæc mala eadem adducit titillanti orationis concentu. *in Eccl. c. 7.*

Dionis Nicæi. Quemadmodum indoctæ & lasciuæ in venatione canes, non intelligentes neque cognoscentes vestigia, decipiunt alias voce & forma: ex scientibus autem atque videntibus, multæ eas sequuntur, stultiores propemodum, quam illæ, quæ frustra latrant: Ex illis hæ, quæ vocem non emittunt: sed silent, ipsę tantum decipiuntur: hæ vero petulantissimæ & stultissimæ sunt, quę priores imitantur, tumultum excitantes: atque eo imitantur, vt alias seducant. Eiusmodi quiddã inuenias & circa eos, qui dicuntur sophistæ, quos interdum multa sequitur turba stolidorum hominum: & intelliges, quod nihil homo sophista ab libidinoso eunucho differat. *De regno, orat. 4.*

Seneca. Vt præstigiatorum fraudes fallunt, & cum voluptate: Sic sophisticis argutijs capi ridiculum est, non periculosum.

Plinij. Vt bonoso cornua oneri sunt tantum, nulli autem vsui, adeo sunt in se reflexa: Ita sophistę Dialecticen habent, sed qua neminem retinere possint, adeo est intorta. *l. 1. c. 55.*

P. M. Vt cibi male olentes non videntur male olere his qui ederint: Ita spureæ Scotistarum & sophistarum literæ, cum alios melioribus imbutos literis vehementer offendant, ac nauseam moueãt eos qui nugas istiusmodi imbiberunt, nihil offendunt, imo bellæ videntur & elegantes. *in simil.*

Vt Panthera bene olet, sed non nisi bestijs, quas ad se trahit, hominibus item non olet: Ita Scotus bonis ingenijs grauis est, stupidis istis & bardis quouis aromate gratior, *in simil.*

Themist. Sophistæ, qui in veterum Dialecticas commentarios scribunt: similes indoctis pictoribus, qui, dum veterum picturas illustrare volunt, in ipsis omne artificium peruertunt, *in apophthegm. 99.*

Sophista, similes pueris nequam, qui gaudẽt pugnas & rixas inter æquales conciere, sed nequeunt pugnantes dirimere: nam illi magis possunt opiniones varias congerere, quam dirigere aut componere. *in apoph. 110.*

Aues, quæ possunt expedire se magnis retibus, nunquam hærebunt in aranearum telis. Et qui veram nouit artis difficultatem, facile explicabit se nugacibus sophismatibus, *in apophthegm. 120.*

P O E T A E   V E R S V S.

In Sophistas.

Hegesander.

Ὀφρυανασπασίδαι, [illegible]

Σακκογενειοτρόφοι, καὶ λεκανο[illegible]

Ιμα[illegible]

Γμάτευν πὶ βάλλουσι,ὧν λίπον ἐμβλεπέλανι
Νυκτιλαθαροδγαγονυκταπαταπλάγιοι.
Μειρακιεξαπάται κρυσυλλαβοπαλοιλαβηταὶ
Δοξοματαιόσοφοι ζητηματητιαδαι.

Id est, ea lepidissima eruditissimi viri versione, ad verbum:

Silonis caperones, vibr ssas pet menti,
Maurs obarbicola, ex tenebropatina,
Obsuff arcuamicti, p. am lucerni tuentes,
Nocti lateantinors, nocti dolo studij,
Pull. premop agy, fustolocaptiotrica,
Rumigeraucupida, nugi canoricrepa.

Eiusdem.

De disputatoribus seu Riaatoribus Sophistis,

Epigramma.

Quo te ambulando cumque vertas gentium,
Vbiq: non est disputatorum genus.
Pugnax, proteruum, factiosum garrulum,
Quos pacis hostes vltima hac ætas tulit:
Qui nocte dicant, nigra vertunt candidis,
Et quæstionum eri, istato condiunt
Natas in vsum sobrij toti dapes.
Hos nec decorum est, nec tutum, refellere.
Tali hoste victo, quis triumphus te manet?
Luctante eodem pugna glisc t acrior:
Nec dignitatem fronte ferrea pudor
Expressus auget, alacritatem nec dabit
Externa vox s ertia. In nugis.
Vicisse nolle, cum queas, victoria est.

Aliud.

Buccis tumidos neglige spumeis sophistas,
Bullas stolida nebula, somnijque plenas,
Infanti crepis cymbala rauca facta nugis:
Quorum strepera sic pote est vlciscere bombos.
Raddas neque gry mutantibus, & tacito ridens.

HIEROGLYPHICA.

Sacerdotes Aegyptij cum nihil æque abhorrerent, quam inanes sophistarum nugas, & cauillosas verborum argutias, argumentorumque decipulas in naturę viribus indagandis, eiusmo i no tæ homines per suis amicæ, hieroglyphicum significabant. Eodem intellectu apud Hebræos suilla abstinere præceptum asserit Philo, admonitosque nos ea lege diuina, vt Sophistas euitaremus, per euitabilem huiusmo i animalis impuritatem: illi enim acutissimis tantum accuratissimisque rerum distinctionibus, quæ per bifidam animalis vnguam interpretantur, quasi luto inhæsitantes, ita illis adhærescunt, vt inde numquam auelli possint, sed ad extremam vsque senectutem ibidem computrescunt. nā & porci nihil illuitie, nihil purum, nihil limpidum amant, sed turbida tantum, spissa, sordida, & feculenta sectantur, inque his præcipuam statuunt voluptatem. *Io. Pierius Valer. Hieroglyph. lib. 9. cap. 5.*

Hydræ significatum, cuius vno præciso anguineo capite, alia atq; alia è vestigio repullularent, multi alijs atque alijs modis interpretati sunt: Nos ea contenti esse possumus expositione, quam Plato in Euthydemo posuit, vbi per eam perinde ac per Cancrum, Sophisticas ait nugas significari. *Idem, lib. 36. c. 36.*

Sophistas significare qui volunt, Cancrum pingunt: eos enim huic animali persimiles Plato dicit, quos vbi validiori aliqua ratione deuictos comprehensosque putes, tunc recto fugaci cursu elapsi per diuerticula atque subterfugia maiorem priore tibi laborem in erant, si vilem, se inanem prorsus curam eos consectandi susceperis. *Idem lib. 28. c. 43.*

Est & in sacris nostrorum literis mystica de ranis Aegyptiacis mētio perquam frequens, quæ ingiter in Aegypto pluerint. Sophistarum nugas, & Dialecticorum garrulitatem per eas doctores quidam intelligunt: siue ob nullius significantiæ vocem tam argutam, tamque pertinacem: siue quod in luto voluptuosa sit earum habitatio, quorum vtrumque Sophistis attribuitur. *Idem, lib. 39. cap. 45.*

Ranarum nocturnam, & molestam coaxionem, fulgentis Lampadis splendore illis repente obiecto reprimi, cunctasque illico, vtpote quibus oculos inopinatus fulgor perstrinxit, conticescere, experientia ostendit. Vt ranis clamor obstreperis, & cœni amor est familiaris, ita Sophistis loquentiæ multum, sapientię parum inest, & omnis ad theatricam pompam, atque inanem ostētationem actio ipsorum composita apparet. Vt igitur ranæ face noctu accensa obmutescere coguntur: sic Sophistis etiam, detectis ipsorum argutijs, & resolutis fallaciarum strophis irrefragabili veritatis luce, tandem adeo os oculiq. cōfunduntur, vt omnibus sincere iudicantibus ludibrio sint pariter & odio. *Collect. Hierogl. lib. 6. in vocula Sophista.* Cui additum est distichon

Lumine percussæ cessant maledicere ranæ,
Et visus veri luce Sophista tacet.

Polyanthea Nouiss.

Varietas Lunæ, quæ tot faciebus quotidie faciebus, adeo conspicua, ansam dedit, vt nonnulli Sophistas per Lunæ Hieroglyphicum intellexerint: & Aegyptij Sophistæ, quandoquidem Luna Aegyptis Symbolum est, cuius prouinciæ Isis Domina perhibetur, toto opere notantur. *Pier. lib. 44. hierogl. c. 20.*

SORS. SORTILEGIVM.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Sors, sortis, fœm. gen. a serie, secundum Varronem, sumitur tum in bonam, tum in sinistram partem. Nam in rebus sacris Ecclesiasticis, politicis & œconomicis, sors pie & commode vsurpatur: at quum ad nefarias sortes sortilegorum opera varijs modis relata est, damnatur, & merito. Rei euentum & casum, vel probatum, vel improbatum, significat. *Cic. lib. 2.* de Diu. de sortibus partim politicis, partim improbatis agēs. Quid (inquit) sors est? Idem propemodum quod micare, quod talos iacere, quod tesseras: quibus rebus temeritas, & casus, non ratio nec consiliū valet. Tota res est inuēta fallacijs, aut ad quæstum, aut ad superstitionem, aut ad errorem. Sunt aliæ significationes huius voculæ: his tum duas addimus. 1. Sors est fatalis necessitas, cuius mentio frequens apud Poetas. 2. Oracula seu responsa dicebantur Sortes, quæ a Dijs eorumve sacrificatis vnicuique consultori reddebantur. Hinc *Val. Max. lib. 1.* Cuius rei explorandæ gratia, legati ad Delphicum oraculum missi, retulerunt præcipi sortibus, vt aquam eius lacus emissam per agros diffunderent.

Sors, Græc. κλῆρος dicitur, Hebr. *Ghorial.* Huius meminit scriptura S. *Leu. 16. 8. 9. 10. Num. 29. 55. 56. Ios. 17. 14. 16. & 18. 7. 8. 10. 11. & 19. 1. 10. 17. 24. 40. 51. & c. Psal. 16. 5. & 125. 3. Nehem. 11. 1.* In historia Esther, *ca. 3. 7. & 9. 26. 28. 31.* occurrit vox Persica *Pur*, i. Sors. & numero plural. *Purim*, sortes, quorum festum etiamnū, 27. & 28. Februarij celebratur a Iudęis, qui tūc historiam Esther legunt. Et quoties mentio fit Hamani, pugnis & malleis synagogarum suarum scamna subselliaque pulsant, & feriunt, ac si caput Hamani contunderent. Distinctiones sortium piarum, mediarum, impiarum, paucis describit, sed accurate Etymologicō trilingue Lugdunense, anno 1607. editum, prolixe vero Peucerus, comment. de varijs diuinationum generibus. Ibi sortes sacræ, cuius exempla ad finem huius sectionis occurrunt, explicātur politicæ dein variæ veteres, & recentiores. Ibi multa de tesseris, seu alea, calculis, talis. Sortium profanarum vanitas detegitur, & refellitur, Herculanæ, Prenestinæ, Antiatinæ, Aponanæ, Vergilianæ, Lyciæ, & Deliæ traducuntur. De geomantia, onomomantia, arithmomantia, logarithmomantia, Cabalistica, Tephramantia, Botanomantia, Ceromantia, abunde satis depinguntur, & damnantur.

Sortilegium vero, Græc. κληρομαντεία & κληρομαντεία, magicas superstitiones, & diuinationes abominabiles significat. Quando de sortibus probatis agitur, sortitionis voce vtimur. Hic reponenda est lex Dei, *c. 18. Deut. v. 10 & 11.* Ne inueniatur in te, qui lustret filium suum, aut filiam, ducens per ignem, aut qui ariolos sciscitetur, & obseruet somnia, atque auguria, nec sit maleficus, nec incantator, neque qui pythones consulat, nec diuinos, & quærat a mortuis veritatem: omnia enim hæc abominatur Dominus. Augurorum nomine sortilegij variæ species intelliguntur. Gall. *Sorcelleries.*

Sortilegi sunt, qui nomine fictæ religionis per quasdam, quas Sanctorum seu Apostolorum vocant sortes, diuinationis scientiam profitentur, aut quarumcumque scripturarum inspectione futura promittunt. *see Isidor. l. 4. etymolog. & hab. 26. q. 1. Sortis.*

Sortilegium est per sortes diuinatio. Sortilegi vero, qui per sortes futura pronunciant, vel qui aliquid eligunt per sortem (sortem enim fortuitum alicuius rei euentum dicimus) a quo fit verbum sortior, quod est sortes facio, siue sortes recipio, seu per sortem aliquid decerno, vel eligo. *Vide Etymologic. trilingue Lugdun. pag. 781. 782.*

Sors proprie dicitur, cum aliquid fit, vt eius euentu considerato, aliquid occultum innotescat, *secund. B. Tho. 2. q. 5. art. 8. c.*

LOCI BIBLICI.

Sortes a Deo reguntur, *Prou. 16. 33.* sortium missionis praxis, *Ios. 18. 10. 1. Sam. 10. 20. & 14. 42. Esth. 3. 7. Psal. 22. 19. Matth. 27. 35. Ione 1. 7. Act. 1. 26.*

SENTENTIAE PATRVM.

Varro dixit, quatuor esse diuinationis genera, terram, aquam, aera & ignem: hanc geomantiam, hydromantiam, aeromantiam, & pyromantiam, dictam consilat. Diuini dicti sunt, quasi Deo pleni: diuinitate enim se plenos simulant, & astutia quadam fraudulenta hominibus futura coniectant. Duo sunt autem genera diuinationis, ars & furor. Incantatores dicti sunt, qui peragunt ver-

bis artem, sunt harioli, sunt haruspices, sunt augures: qui & auspices & sortilegi, auspicia, & auguria: sunt pythones, georthliaci, sunt salisatores, sunt & præsbgia. Cuncta autem hæc sunt a Christiano vitanda, & omni penitus execratione repudianda, atque damnanda: In bis omnibus ata dæmonum est ex quadam pestifera societate homioum, & malorum Angelotum exorta. *Ex Aug. in 10. q. 26.*

Qui sine Saluatore salutem vult habere, & sine vera sapientia æstimat se prudentem fieri posse, non sanus, sed æger, non prudẽs, sed stultus in ægritudine assidua laborabit, & in cœcitate noxia stultus, & demens permanebit. ac proinde omnis inquisitio, & omnis curatio, quæ a diuinis, & Magis, vel ab ipsis dæmonijs in idolorum cultura expetitur, mora potius dicenda, quam vita. *Aug. lib. de ciuit. Dei.*

Illos planetarios, quos mathematicos vocant, plane consulere non desistebam, quod quasi nullum eis sacrificium, & nullæ preces, ad aliquem spiritum ob diuinationem dirigeretur, quod tamen Christiana, & vera pietas consequenter expellit, & damnat. *lib. 2. confess.*

Huiusmodi artes nugatoriæ, vel noxiæ superstitionis, ex quadam pestifera societate hominum, & dæmonum, quasi peccata infidelis, & dolosæ amicitiæ constituta, penitus sunt repudiandæ, & fugiendæ Christiano *lib. 1. de doctrina Christiana.*

Non est absurdum credere, aliqua dispensatione permissum fuisse, vt non dominante arte magica, sed dispensatione occulta, quæ py honissam, & Saulem latebat, se ostenderet spiritus iusti aspectibus regis, diuina eum sententia percussurus: vel non vere spiritus Samuelis a requie sua excitatus est, sed aliqđ phantasma, & illusio imaginaria diaboli machinationib. facta, quam Scriptura Samuelem appellat, sicut solent imagines rerum suarum nominibus appellari. *Epist. ad Simpl.*

Non debemus sub exemplo Ionæ sortibus credere, vel illud de Actis Apostolorum huius testimonio copulare, vbi sorte Mathias in Apostolatum eligitur. *Hier super Ionam.*

Si quis ariolos, aruspices, vel incãtatores obseruauerit, aut phylacterijs vsus fuerit, anathema sit. *Greg & ponitur 26. q. 5. § si quis.*

Non exemplo Matthiæ, vel quod Ionas Propheta sorte deprehensus sit, indifferenter sortibus est credendum, cum sint priuilegia singulorum. Si qui tamen necessitate aliqua compulsi, Deum putant sortibus Apostolorum exemplo esse consulendum, videãt hoc ipsos Apostolos, non nisi collecto fratrum cœtu, & precibus ad Deum fusis egisse. *Beda super Acta Apostolorum.*

Sortilegium est quoddam genus culturæ idolorum ex dæmonum consultationibus futura prædicendo. *Isidorus libro Etymologiarum.*

SENTENTIÆ PHILOSOPHICÆ.

Sortis cuiusdam potius, quam scientiæ est vere iudicare de sorte, cum iudicium per signa ita confunditur, quod ex diuersis sortis nostræ primordijs, & causis inter se oppositis, rebusque contrarijs complurima inter se discrepantia trahuntur iudicia, imo ex alijs quasi vestigijs confunduntur. *Ficin. in Plot. En. 2. lib. 3. c. 15.*

Sortium multa sunt genera, vt in talorum iactu, in tesseris proijciendis, in figuris chartaceo ludo pictis, & quæcũque prior venerit expectandis, in eruendis longiorib. paleis, in oculorũ iactu super paginis: & aliquãdiu quæ per voces fiebant respõsa, sortes appellatæ sunt, & aliquando nõ voces, sed quæ per voces significantur, sortes appellatæ sunt. ad tria tamen rediguntur: nam qui sortibus vtitur, aut diuidendæ rei cuiuspiam: cuius aduentus expectatur, aut ex fortuna, & casu, aut ex spirituali causa: qui fortunæ, & casui confidunt, vani sunt, quia confidunt ei, quæ & consilio, & rationi aduersatur, qui spirituali causæ. cum vel a bono, vel malo spiritu euentus deriuari possit, si vltimum des, deprestandum est, vt & alia omnia vel occulta, vel expressa cum dæmonibus inita fœdera: si a bono spiritu, multifariam aberrare poteris: si nulla necessitate ad curiositatẽ refertur, si sine Dei reuerentia, precibusque porrectis, si ad vitæ vanitates, sæculique negocia perpetranda, si ad Ecclesiasticas lectiones perficiẽdas, ad ipsum paras, a recta via flectis. *Ioannes Franciscus Picus Mirandula de præn. lib. 6. c. 6.*

Sortes quædam faciendæ in nuptijs, vt viles non principes, sed fortunam culpent. *Plato de Repub. dialog. 5.* Sortis æqualitate in republica vti necesse est, ad multorum offensas vitandas, ita vt Deum & bonam fortunam etiam tunc in precationibus innocentes, vt ipsi sortem ad id, quod iustissimum est, dirigant. *Idem de leg. dial. 6.*

Sortes appellat Plato dispositionem vniuersi, qualis tunc erat, cũ animæ aggressæ sunt ingredi corpus, & significatur in hoc & eiusmodi corpus ingredi, & talib. parentibus, in tali regione nasci, cuncta vero facta, & conuoluta per vnam Parcam, Clotho tã in cunctis, quam singulis demonstratur, in Lachesi ipsa adducit in medium, postrema Atropos efficit necessario, vt concurrentia hæc omnia peragantur. *Plot. En. 2. lib. 3. c. 15.*

Sors ad felicitatem non ad virtutem attinet. *Phil. de creatione Principis.*

SIMILITVDINES.

Plutarchi Vt in democratia, cui sorte contigit imperium, eum oportet imperare: cui non contigit, eum oportet æquo animo ferre: Sic in vita hominum, quod sors dederit, boni consulendum est. *In Moral.*

P. M. Vt suus cuique morbus videtur atrocissimus: Ita suum cuique incommodum maxime dolet. *In simil.*

EXEMPLA BIBLICA.

Sortium missionis *exempla*: Super duobus hircis, *Leuit. 16. v. 8.* in diuidenda terra, *Num 26 v. 54. 55. 56. & 33. v. 54. & 36. 2. Deut. 1. v. 38. & 31. v. 7.* in explorãdo furto de anathemate, *Ios. 7. v. 14.* sors filiorum Iuda & Caleb, *15. v. 1. &c.* filiorum Ioseph, *16. v. 1.* tribus Manasse, *17. v. 1.* septem tribuum, *18. v. 10.* filiorum Aaron, &c. *21. v. 4.* in eligendo rege, populo Israel, *1. Sam. 10. ver. 20. 21.* sors inter Saulem & Ionathan, *14. v. 41. 42.* sortes filiorum Aaron, &c. in assignandis officijs, *1. Paral. 24. v. 5.* in ordinandis cantoribus, &c. *25. 8.* in ordinandis ianitorib. templi, *26. v. 13.* ad fungendum sacerdotio, *Luc 1. v 9* in eligendo Matthia, in locum Iudæ, *Actor. 1. v 26.* sors magica, seu sortilegium, *Esth. 3, 7.* sors extraordinaria, *Ion. 1. 7.* sors profana, *Matth. 27. 35.*

Vide Electio, Fortuna.

SPECTACVLVM.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Spectaculum, Græce θέαμα, & θέαμα, specto dicitur. Inde theatrum, & amphitheatrum deducuntur.

Hebr. *Roi*, conspectus, spectaculum, a verbo *Raah*, vidit, intuitus est, aspexit, oculis, & animo comprehendit aliquid. Cognationem habet cum verbo *Or*, splenduit, l. cem emisit: nam videre est apprehendere lucem. Hinc ὁράω video, ὅραμα visus, ὅρασις, visio, &c.

Spectacula saltantium clerici debent vitare. *34. dist. Presbyt.*

Spectacula custodientes die solemni, & ecclesiam contemnentes sunt excommunicandi. *de consec. dist. 1. Qui die.*

Spectaculum facti mundo Apostoli. *1. Cor. 4. 9.*

PHILOSOPH. SENTENTIÆ.

De varijs spectaculis. DIAL. XXX.

GAV.

Delector varijs spectaculis. R. Circo forsan & theatro, quæ duo loca bonis semper aduersa moribus fuisse notissimum, quo quisquis malus ierit, redibit pessimus. Nam boni iter illud ignotũ est, qui casu aliquo ignari adeant, contagio non carebunt. G. Circo delector atque arena. R. Atqui delectationes aliæ vanum, seu libidinosum aliquid habuere, hæc vtrumque superadditamque sæuitiam, & inhumanitatem habet, bonis animis rem indignam. Neque excusat, quod his ipsis Romani olim, flos hominum, delectati sunt, recto namque iudicio vrbs illa alioqui abundantissima bonorum omnium, atque illustrium exemplorum, nihil omnino reprehensibilius habuit, reliquisque deformius, sibiq; inuicem, quam hinc discordiarum ciuilium, hinc ludorum studium immodicum, quasi non sufficeret bellorum cruor domi, militiaque, nisi cruenta pax esset, cruentæque etiam voluptates, nisi, id circo fortassis honestius quis theatrum dixerit, cui pariter inhiãtes videas non modo populum, sed senatum, atque ipsos mundi dominos Imperatores Romanorum; sic spectaculis capiebãtur illi etiam, qui humano generi speculum facti erant, rem mirabilem dicam, sed cognitam vulgatamque. Sic cunctorum animos theatralis furor illic peruaserat, vt non modo coniuges Cæsarum, aut filias, sed virgines quoque vestales in publicum, atque in turbas educeret, quarum pudicitia nihil exactius, nihil fama seuerius, nihil conseruatione secretius, vsque adeo, vt in eis omnis motus, omnis cultus, omnis sermo lasciuior, nota dignius, ac supplicio haberetur, & tamen his in theatro locum assignasse legitur, non quicumque, sed summus, atque optimus principum, Augustus Cæsar. Neque minor est ideo error is, quo magni errant, sed maior potius, atque conspectior. G. Libenter scenicos ludos specto. R. Rem, quæ nec honeste geritur, nec honeste cernitur, nec facile dictu est, an lusor infamior, an spectator, & an scena sit turpior, an orchestra, nisi quod in illam sæpe quidem paupertas, in hanc vero semper vanitas trahit. In omni sane delicto plurimum interest, vtrum inopia, an libidine, seu superbia quis delinquat. G. Amphitheatri spectaculis oblector. R. Damnosa vndique & publice priuatimque nocens delectatio, quod facile colliges, si in animum redeat ex historijs

flotijs rei huius initium progressusque, q. .auso publice e fus im penuio, quantaque insaniæ proamia ducū cura, quanto demum populi studio, ac labore constiterit. Equidē & tut vana diuturne iare difficile est, & tā vulgata superfluum, mille simul gladiatorum paria non ludo iantit satis multa, sed prælio elephātorum, tigridumque, & leonum, ac pardorum greges, onagrorum quoque, equorumq. ferocium, atque animalium diuersissimi generis è toto orbe transmisso omnium terrarum filuis, omnibusque gentium venatibus Romano famulantibus theatro. Adde illam ædificandi luxuriem exemplo carentem, non imitatione caritu. ram, conuectis terra, pelagoq. marmoreas colūnas 10 ludorum vsum, & artificum summis ingenijs expolitas, & verticib. superbas, auro rutilante frondentibus, cuius princeps insanię nominandus est Scaurus. Is, qui ædilis in theatri scenā opus dierum paucorū, & φ paucis signis, ac funib. attolli poterat, suffecturū oculis populi talib gaudentis, trecentarum ferè agmina talium columnarum monstra intulit, fecitq. opus (vt scriptum tenes) maximum omnium, quæ vnquam fuere humana manu facta, non aemporanea mota. verum etiam æternitatis destinatione, quo promeruit, vt veriss me diceretur, proscriptione primū grani ci ues idem post ædilitate leuissi na mores bonos in exilium pepulisse, vt qui multi per sitit temporis inani plebeculæ, multarūque inutilium impensarum, Rom Pop. author & exemplum fuit. Sed o mirum dictu! nox furorem hunc vicere sequentium furores, quibus eff ctum est, vt miraculo operū, ac numero fateri oporteat, præter Romā nihil mirandum fuisse in toto orbe terrarū. Nam & hoc indem scriptum vides, penetrata terræ intima, per fossæ silices, egestæ rupes abditæ, auersi amnes, & in fistulas coacti, inclusum, & exclusum molib. iratum æquor, suspensa iuga montiū, tentatiq. marium recessus, denique stratum sare, signatumque nepotibus iter infantendi, & impleta in vobis spes auorum, nū quam defuturam esse luxuriam. Et vt cumulatius maū sit, publices damn s accedit calamitas priuatorum, qui spectādi cupiditate compedit; & quotidiani interim quæstus immemores, neque diem Labi sentiunt, neque armatam tergo q. infitatem respiciunt egestatem: sic vicissim & priuata in publicā, & publica pernicies in priuatam vertitur. Neque vero patrimoniorū ia ctura grauior, quam morum, vbi libido discitur: humanitasque dediscitur. Proinde quid de spectaculis sperāris, iā inde ab exordio primus regum vestrorum Romulus omen fuit, qui in his rigidam tetricamque illam Sabinarum pudicitiam circumuenit. Esti vtcumque matrimonij honor texit iniuriā, at quam multis hoc postmo tum non ad coniugium, sed ad stuprum vagamque licentiam fuit via? Ad summam enim hoc teneas velim, pudicitiam spectaculis sæpe stratam, semperq. impugnatam. Et vt sileam viros, quibus is scelerum furor eil, vt pene iam adulterio gloriētur, multarum ibi fama penit, pudorque, multæ inde domū impudicæ, plures ambiguę redierc, castior autem nulla. Iam vero, quæ corp rum clades, ne quid prorsus desit infortunij, qu æve non singulorum modo, sed populorum strages, indieto sunt, & risus subito versus in gemitum, relataq. funera theatris, & plau denuum choris mixtæ luge tium cohortes. Audisti, vt Curio is, qui ciuili bello pro Cæsaris partib. in Africa occubuit, Scaurū, que n opibus æquare nō poterat, ingenio superaret, nō marmoreum, (vt ille) sed ligneum theatrum, duplex tamen, & pensile meditatus, populum victorem, gentiū ludis victum, & periculis plaudentem suis mira arte suspendit, vt ridentes interius, stupētesque ipsi exterius spectatoribus risui fierent, ac stupori. Et miramur Imperij spe obiecta vnius, licet magni caulis animū flectere potuisse, qui oculorū leui breuique voluptate proposita, tot millia ciuium volubili spectaculo circūuoluit. At nemo ibi perijt, dicet aliquis: sed perire potuere, & periere alibi innumeri. Neuc attinga nouas simul ac veteres ruinas, quib. sæpe multi mortem simul ac tumulum inuenere, sub Tyberio principe celebri spectaculo apud Fidenā vrbē amphitheatri lapsu oppressa viginti hotum millia meministi. Hic spectaculorum fructus, hi sunt exitus. G. Spectaculis cum voluptate detineor. R. Aut fictis amoribus, aut veris odijs. Primum equidem non est vir. Secoodum vero oec hominis spectate. Quis ferrum iugulo latus exceperit? Quis feruido vulnere plus cruoris effuderit? Qui nimis conspecta morte palluerit? Quid crudelitatis ad scholā ire iuuat? Non egetis præceptoribus, nimis dociles malorum estis. Plura per vos domi discitis, quam necesse est. Quid si tam prompt is ingenijs artifices scelerum, ac magistra eorum plebs accesserit? Multos, quos mites natura fecerat, sæuitiam spectacula docuere. Mens hominis io vitium prona non vrgenda vtique, frænāda est, si sibi linquitur, ægre stabit, si impellitur, præceps ruet. Multum mali aurib. iouehitur, sed multo plus oculis, illis, quasi fenestris bipatentib. in aoimam mora irrumpit, nil potentius in memoriam descendit, quā quod visu subit: facile audita præter uolant, conspectarum imagines rerum hærent etiā inuitis. nec se iamnenisi volentibus ingerunt, nisi perraro atque ocyus abi aurę. Quo pergis igitur? Qui te rapit impetus? vt ad horā gaudeas, vnde semper doleas, vt videas semel, quod vidisse milles po.. ..eat, tugahs rei re ro hominem, aut ferarum dentib. vnguisque discerpi, aut tale aliquid, quod & vigilem turbet, & sopitum terreat. Nescio, quid hic ulce, seu non quid potius amarū, aut triste sentias, nec vllum in votis maius insaniæ argumentum vi deo, quam quod cotidie vos ad mortem miseris delinimentis il lectos, & velut Illygio sopore demersos dulcedo amara, & delectatio inamœna præcipitat. Vna est enim vobis lex rerum ferme omnium. Quicquid cupitis, quicquid molimini, quicquid agitis, contra vos est. *Polyanthea Noviss.*

APOPHTHEGMATA.

Diogenes, Dionysiaca certamina, quæ Athenis in honorem Bacchi magnis impendijs, pompaq. celebrabantur, appellabat magna stultorum miracula, quod in his nihil non ridiculum ageretur. *Laert. l. 6. c. 2. P. M. l. 3. apoph.*

Demonax, cum videret Athenienses hoc agere, vt Barbarorum exēplo gladiatorū spectaculis in vrbem inducerent: Nolite, inquit, ò canes, istam crudelitatem prius admittere in ciuitatem vestrā, quam misericordiæ aram sitis demoliti. Significans, non conuenire in ea ciuitate, in qua Misericordia pro Dea coleretur, spectari plus quam ferinam crudelitatem. *P. M lib. 8. apoph.*

Anacharsis aiebat, se demirari, qui conueniret, vt Græci, qui legibus suis violentiam, & iniuriam puniunt, athletas ob hoc ipsum honorent, quod se mutuo percuterent. Sese damnans eundem populi voluptatem, ac in moribus inconstantiam. Quod enim iniustum est, semper iniustum est. *P. M. lib. 7. apoph. ex Laert. lib. 1.*

SPECVLVM.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Speculum, Instrumentum ex vitro, chalybe, stanno, argentove ... imaginem repræsentans: cuius inuentionem, nempe inter Græcos, Aesculapio assignat *Cicero lib. 2. de nat. Deor.* Græc. κάτοπτρον ... Hebr. *Rei*, à verbo *Raah*, vidit, de quo supra in voce *Spectaculum*. A speculo dicitur speculatio, non autem à specula. Et reducitur ad meditationem, quia est visio causæ per effectum *fec. b Thom. 2. 2. q. 180 art 3.*

Speculum est, in quod aspicimus, ac speciem, hoc est effigiem nostram contemplamur: quod datum nobis à natura fuit, non vt pilos è supercilijs, aut barbā velleremus, non vt faciem colorib. inficeremus, sed vt nosmetipsos noscetemus, & formosi deuitaremus infamiā, & desormes remediū sciremus esse virtutibus, quidquid corpori deesset. Quapropter Socrates hortari adolescētes solebat, vt sese frequenter in speculo intuerentur. Nam si formosi estis, elaborandum est, vt digni ea specie sitis: sin autem desormes, vt eam deformitatem virtute, ac bonis artib. regatis.

LOCI BIBLICI.

Speculi similitudine Paulus dupliciter vtitur. *Primo* vocat speculum, *2. Cor. 3. 18.* Filium Dei in carne manifestatum, qui nobis in ipsius Euangelio spectandus proponitur, & Moysi velato opponitur: Et simul notitiam nostram per Euangelium, non per partes, sed semel totam considerans, conferensq. cum cognitione ex lege, quod limpidissimum Christi speculum velatæ Moysis faciei opponit. *2. Cor. 3. 18. Secundo*, speculum vocat notitiā Dei, quam nunc habemus, illamque cum futura longe perfectiore comparat, *1. Cor. 13. 12.* ac dicit, nos in hac vita mortali non plene Deum ipsum, qualis est, sed quasi in speculo imaginem eius quamdam conspicere.

PHILOSOPH. SENTENTIÆ.

Speculum vt quinq; modis præcipue præparatur ad imagines in vultu suscipiendas, natura vitrea, perspi uitate, leuitate, resistentia, & positione: sic animæ nostræ ad influxus numinum præparantur: primo, quod intellectuales naturæ sunt, vt illa, secundo, quando per intellectum fide illis hæret indubia, tertio, per voluntatem amore in illa sese ardentissimo transferunt, quarto, tota in illis firmiter memoria sperant, quinto, si corpus habeāt & natura illis accommodatum, & diligentia præparatum, tum io mentes nostras à superis labuntur instinctas, vt à fidibus lyræ in fides similiter temperatas: tunc prodigia, somnia, vaticinia, oracula veniunt. *Fic. in Plat. de leg. dial. 5.*

Speculis nullas imagines inesse, vt nec in Iride colores alij putāt, sed ipsa aspici corpora, oculorum acie retorta, & in se rursus reflexa: illi in his simulachra cerni putant, id est, corporum nostrorum figuras à nostris corporibus per aerem sparsas, & in illis exceptas. *Iac. Car. in Alci. c. 10.*

Specula aliqua non solum colores, sed & figuras ostendunt: alia autem colores tantum, & hęc sunt parua, & nullam habent sensibilem diuisionem. *Arist meteor 3. c. 1.*

Specula vitrea persplendent plurimum, quoniam stanni natura, quo intus illinuntur, & perlucida, & vitro permixta magis resplendet. *Alex. Aphr. prob 5. num. 132*

Speculis cur notam faciem videmus? quoniam radij oculorum in corpora lucida profecti refringantur, ac suam repetant sedem

species enim nostram iam sibi habent obductam, postquam refracti sunt, itaque illam conspiciunt. *ibid. num.* 133.

Speculum non tantum manifestam imaginem rei, sed etiam distantiam a speculo, quia sibi longe distat, videt in profundo: si prope, in superficie. *Albert. Magn. in 3. meteor. tract. 4. c. 9.*

Speculum duobus modis sumitur: Primo, quod habet naturã speculi, vt est splendidum, tersum, & aliquo modo spissitudinem habens, & tenens ea, quæ sibi imprimuntur, licet sit peruium, & sic in aere, & aqua. Aliud est, quod omnes proprietates habet speculi terminati, quod distincte reflectit imaginem in ipsum intuentem, & sic nec aer nec aqua sunt speculum. *ibid. c.* 15.

Speculum planum recipit in propria quantitate formas, rotũdum in minori quantitate. *idem de anim. lib. 1. tr. 1. c. 7.*

Speculum quæcumque ostendit, ideo nobis apparent, quia immutatio medij repercutitur ad speculum. *D. Thom. in post.*

Speculi opificium est repræsentare, quæ ei obuiam fiunt. *Plat. de rep. dial.* 10.

Speculum imagines repræsentat, vt eadem circa omnia illustria, & leuia aspectu apparent, quia ex interna, & externa ignis vtriusque inter se communione, rursus vno circa leuitatem subinde oriente, & multis modis adaptato talia omnia necessario apparent, dum qui circum faciem est ignis, cum eo qui circa visum est igne circa læue, vel illustre compingitur: dextera vero conspiciuntur sinistra, eoque contrarijs visus partibus cõtrarias partes attingimus, præter solitum occursus morem, cõtra vero dextera dextera, & sinistra sinistra videntur, cum lumen compactũ transierit ab eo, cum quo compingitur: hoc contingit, cum speculorum læuitas hinc atque illinc altitudines adepta, dextrã visus partem in sinistram detruserit, & alteram in alteram. At vero secundum longitudinem faciei conuersum speculũ idẽ hoc totum vt supinum efficit, vt quod infernam splendoris partẽ ad supernam, & supernam ad infernam detrusit: & hęc omnia sunt causæ adiuuantes, quibus Deus ministris vtitur ad optimi ideã, quantum fieri potest, absoluendam. *idem in Timæo.*

Speculum in modum sectæ concauæ sphæræ formatum, facit, vt maiores veris vultus appareant, vndique se fundente radij lumine. *Chalcid. in Plat. Timæum.*

Speculorum duorum, si alterum ante vultum, alterum a tergo ponatur ita obliquatum, vt a corpore nõ impediatur visus, tũc in ambobus non inspicimur: q fieri nequit, nisi radius visualis in anteriori speculo facto angulo recurrat in posterius. *Idem ibid.*

Speculi figura si erit concaua, & tornata in modum scaphij quadrati, vel imbricis, dehinc intueamur speculum ita conuersum, vt rectus cernatur imbrica, margines vero eius, seu supercilia hinc & hinc prolatoribus assistant, tunc, opinor, radius incidens, & infractus ob læuem speculi, & rigidam soliditatem in proximũ eius latus delabitur in decumani apicis effigiem, ita dextri lateris imagine in sinistrum, sinistri in dextrum, ob eminentiã marginis vtriusque directe dextræ partis, nostræ etiam in speculo dextræ, sinistræ item sinistræ videbuntur; & erit imaginis falsæ falsa imago remedium: & hoc speculum, si erit aduersum nos locatum, vt eminentium marginum alter superior, alter inferior sit, nec rectus, sed obliquus cernatur imbrex, resupinas ostendit imagines, & simulachra præpostera, ob similem lapsum fracti radij per accliuia, directus quippe visus ad speculi supercilia, cũ superiorem conspexerit eminentiam, deijcitur simulachrum ad ima resupinum, cum inferiorem facit saltum vultus ad imaginẽ superiorem. *Chalcidius in Plat. Tim.*

Speculorũ diuersitas apparet, quia lumina ad partes alteras reflectuntur a conuexo repulsa, & dispersa, & in concauum coniuncta, iuxta diuersitatem speculorum, vel concauorum, vel conuexorum, vel oblongorum: quapropter in quibusdam dextera, & sinistra controuersa videntur, in alijs pari modo, in nonnullis supera ad infera, ac vice versa ad supera infera conuertuntur. *Alcinous c* 18.

Specula imagines quasdam resultare facere ea ipsis, etsi nonnulli negant. Theophrastus tamẽ in libris de anima, vt Iamblichus, & Priscianus exponunt, cum Platone consentit, & Proclus in sea de republica probat. *Fic. in Plat. Tim. c.* 30.

Demosthenes orator, cum a Platone Philosopho facundiam hausisset, ab Eubulide dialectico argumentationes didicisset, nouissimam pronunciandi cõgruentiam a speculo petiuit. Et si enim in omnibus manu faciendis imaginibus opera diutino sumitur, numquam tamen similitudo æque ac in speculis comparet. Deest enim & luto vigor, & saxo color, & picturæ rigor, & motus omnibus, qui præcipua fide similitudinem repræsentat. Cum eo visitur imago mire relata, vt similis, ita mobilis, & ad omnẽ nutum hominis sui morigera. Eadem semper contemplantibus æquæua est ab ineunte pueritia ad obeuntem senectam, tot ætatis vices induit, tam varias corporis habitudines participat, tot vultus eiusdem lætantis, vel dolentis imitatur. *Apul. in apolog.* 1.

Socratis visum speculi suis auditoribus commendantis ratio est cui uis literato notissima.

SPES.

DEFINITIO.

Spes, Græce ἐλπὶς, ἐλπίζω spero dicitur. Hebr. *Bitchah, Mibtach, & Bitthachon*, fiducia, spes, confidentia, *Psalm. 65. 6. & 71. 5. Esa. 30. 15. & 37. 4.* a verbo *Batach.* Confisus est, fiduciam habuit, confidens fuit, sperauit fiducialiter. Cognationem habet cum *Nabbat*, aspexit confidenter. Nam qui sperant, & confidunt se aliquid accepturos, semper intuentur suis oculis in datorem. Hinc πέποιθα fido, confido: spes igitur & fiducia reciprocantur. Est autem spes de futura beatitudine, sicut de vltimo fine, & potest etiam esse, & de auxilio gratiæ, sunt de eo quod ducit ad finem, secundum illud *Psal 27.* In Deo sperauit cor meũ, & adiutus sum, inquit, *D. Thom. in sum. Theol. 1. 2. qu. 69. art. 2. in conclus. & respond. ad 1. obiect.*

Spes est, qua quis ad id, quod credit, se peruenturum præsumit, *secund. Aug. lib. de Ciuit. Dei.*

Spes est certitudo appetitus in appetibile, *secund. S. Tho. 3. sent. dist. 16. q. 1. art.* 10.

Spes est appetitus excellentis boni, cum fiducia obtinendi.

Spei obiectum habet quatuor conditiones, scilicet bonum, arduum, futurum, & possibile, *secundum B. Thom. prima, Secund. q. 40. artic.* 10.

Spes quid a fiducia differat, *vide supra in Fiducia.*

LOCI BIBLICI.

Spes pro fide, *Hebræor. 6. 11. 1. Petr. 3, 15.* pro re sperata per Metonymiam, *Roman. 8. 24. Gal. 5. 5 Phil. 1. 5. Ephes 1. 18. Coloss. 5. Tit. 2. 13.* spes ex probatione, *Rom. 5. 4.* spes anchoræ similis, *Hebr. 6. 19.* donum Dei est, *Rom. 15. 13. 2. Thessal. 2. 16.* galea salutis est, *1. Thess. 5. 8.* omnibus pijs necessaria, *Rom. 12. 12. Tit. 3. 7. 1. Pet. 1. 1. v. 3. 13. Ioan. 3. 3.*

Spes impiorum euanescet, & in quibus confidunt, vana sunt omnia, *2. Reg. 18. 21. Iob 8. 13. & 11. 20. & 14. 19. & 22. 4. Prou. 10. 28. & 11. v. 7. 23. & 25. 19. Sap. 5. 15. Eccl 5. v. 1. 10. Esa. 28. v. 15, 18. & 30. v. 2. 12. & 37. 11. Ier. 9. 12. & 17. 7. 1. Mach. 2. 62.*

Spes, quæ differtur, molesta est, *Prou. 13. 12* spes ad finem vsque retinenda, *Heb. 3. 6.* spes non confundit, *Psal. 22. v. 5. 6. & 37. 9. Rom. 5. 5.* spes timorem expellit, *Psal. 56. v. 4. 5.* hominem beatum reddit, *Psal. 2. 12. & 34. 9 & 48. 3.* spes iustorum non in temporalibus rebus, sed in Deo, eiusque promissionibus fundatur, *Gen 26. 4. Iudic. 7. v. 2. 4. 1. Sam. 4. 3. & 17. 45. & 22. 1. 1. Reg. 20. 28. 2. Par. 19. 13. 2. Paral. 25. 7. & 16. 7. & 20 v. 15. 20. Iudith 4. 13. Psal 9. 11. & 14. 6. & 22. v. 5. 10 & 5. 2 & 31. 2. & 40. 5 & 62. 1. & c. 71. 1. & 91. 2. 114. v. 9. 10. 11. & 142. 6. & 146. 5. Prouerb. 3. 5. & 22. 19. & 28. 25. & 30. 5. Sap. 3. v. 4. 9. Eccles. 2. v. 6. 12. & 13. 9. & 33. 9. & 34. 14. Esa. 26. 4. & 29. 19. v. 30. v. 1. 15. & 31. 1. & 36. 7. & 40. 30. Ierem. 2. 33 & 7. 4. & 9. 22. & 17. 7. & 39. 18. Thren. 3. 24. Ezech. 29. 6. Ose. 12. 6. Mich. 7. v. 5. 7. Nahum 1. 7. 2. Mach. 3. 18. Matth. 10. 37. & 11. 21.*

SENTENTIAE BIBLICAE.

Spes in Deo esse debet singularis.

Salutare tuum expectabo Domine. *Gen.* 49.

Quoniam non derelinquis, qui spem in te collocarunt: sua vero virtute gloriantes deprimis. *Iudith* 6.

Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo. *Iob* 13.

Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo. *Prou.* 3.

Qui sperat in Domino beatus est. 16.

Qui timetis Dominum, sperate in illum, & in oblectationem veniet vobis misericordia. *Eccl.* 2.

Confide in Deo, & mane in loco tuo. Facile est in oculis Dei subito honestare pauperem. 11.

Domine miserere nostri, te enim expectauimus, esto brachium nostrum in mane, & salus nostra in tempore tribulationis. *Esaia* 33.

Benedictus vir, qui confidit in Domino: & erit Dominus fiducia eius. *Ierem.* 17.

Pars mea Dominus, dixit anima mea, propterea expectabo eum. Bonus est Dominus sperantibus in illum, animæ quærẽti illum. *Thren.* 3.

Ego ad Dominum aspiciam, expectabo Deum Saluatorem meum, audiet me Deus meus. *Mich.* 7.

Virtualis.

Lætentur omnes, qui sperant in te Domine. *Psal.* 5.

Sperent in te, qui nouerunt nomen tuum. 9.

Expecta Dominum, viriliter age. 27.

Viriliter agite, & confortetur cor vestrum, omnes qui speratis in Domino. 31.

Sapien-

Sapientiam qui abijcit, & disciplinam, infelix est, & vacua est spes illorum. *Sap.3.*

Metuentes Dominum sustinete misericordiam eius, & ne deflectatis ab illo, ne cadatis. *Eccl.2.*

In semita iudiciorum tuorum Domine sustinuimus te: nomen tuū & memoriale tuum in desiderio animæ. Anima mea desiderauit te in nocte, sed & spiritu meo in præcordijs meis de mane vigilabo ad te. *Esa.26.*

Spe salui facti sumus. Spes autem, quæ videtur, non est spes: Nam quod videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus, speramus, per patientiam expectamus. *Rom.8.*

Spe gaudentes. 12.

Fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendā propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam, ac firmam, & incedentem vsque ad interiora velaminis, vbi præcursor pro nobis introiuit Iesus, secundum ordinem Melchisedech Pontifex factus in æternum. *Hebr.6.*

Vtilis, conferens bonum.

Sperantem in Domino misericordia circumdabit. *Psal 31.*

Beatus vir, cuius est nomen Domini spes eius. 39.

Sperate in eo omnis congregatio populi, effundite coram illo cor da vestra. 61.

Mihi adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam. 72.

Qui sperat in Domino, saluabitur. *Prou.28.*

Si coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est. *Sap.3.*

Qui confiduot in illo, intelligent veritatem. *ibid.*

Crede Deo, & recuperabit te, & dirige viam tuam, & spera in illum. *Eccl.2.*

Felix, qui non habuit animæ suæ tristitiā, non excidit a spe sua. 14.

In silentio, & spe erit fortitudo vestra. Beati omnes, qui expectant Dominum. *Esa 30.*

Scies, quia ego Dominus, super quo non confundentur qui expectant eum. 49.

Qui fiduciam habet mei, hæreditabit terram, & possidebit montē sanctum meum. 57.

Omnes qui sperant in eum, non infirmantur. *1. Mach.2.*

Nolite amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem. *Hebr.10.*

Auferens malum.

In Domino sperant non infirmabor. *Psal.26.*

Si exurgat aduersum me prælium in Domino sperabo. 26.

Redimet Dominus animas seruorum suorum. Filij hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt. 33.

Spes, quæ differtur, affligit animam, lignum vitæ desiderium veniens. *Prou.13.*

Desiderium si compleatur, delectat animam. *ibid.*

Si desperaueris lapsus, in die angustiæ minuetur fortitudo tua. 24.

Bonus Dominus, & confortans in die tribulationis, sciens sperantes in se. *Nahum 1.*

Ipsi in nobis ipsis responsum mortis habuimus, vt non simus fidentes in nobis, sed in Deo, qui suscitat mortuos. *2.Cor.1.*

In homine vituperabilis.

Nolite confidere in principibus, neque in filijs hominum, in quibus non est salus. *Psal. 145.*

Væ filij desertores! dicit Dominus, vt faceretis consilium, & non ex me: & ordiremini telam, & non per spiritum meum, vt adderetis peccatum super peccatum, qui ambulatis, vt descendatis in Aegyptum, & os meum non interrogastis, sperantes auxiliū in fortitudine Pharaonis, & habentes fiduciam in vmbra Aegypti, & erit vobis fortitudo Pharaonis in confusionem, & fiducia vmbræ Aegypti in ignominiam. *Esa.30.*

Maledictus homo qui cōfidit in homine, & ponit carnem brachiū suum, & a Domino recedit cor eius. Erit enim quasi myricæ in deserto, & non videbit, quum venerit bonum, sed habitabit in siccitate in deserto in terra salsuginis, & inhabitabili. *Ierem.17.*

Fugite, saluate animas vestras, & eritis quasi myricæ in deserto. Pro eo enim, quod habuisti fiduciam in munitionibus tuis, & in thesauris tuis: tu quoque capieris. 48.

Habentes, fratres, fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi, quem initiauit nobis viam nouam, & viuentem, per velamen, id est, carnem suam, & sacerdotem magnum super domum Dei, accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, abstersi corda a conscientia mala, & abluti corpus aqua munda. teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem. Fidelis est enim, qui repromisit. *Hebr.10.*

Spes impiorum abominabilis.

Spes hypocritæ peribit. *Iob 8.*

Oculi impiorum deficient, & effugium peribit ab eis, & spes illorum abominatio animæ. 11.

Spes impiorum peribit. *Prou.10.*

Non habent futurorum spem mali, lucerna impiorum extinguetur. 24.

Spes impij tamquam lanugo est, quæ a vento tollitur, & tamquam spuma gracilis, quæ a procella dispergitur, & tamquam fumus, qui a vento diffusus est. *Sap.5.*

Ingrati spes tamquam hibernalis glacies tabescet, & more inutilis aquæ diffluet. 16.

Vana spes mendacium viro insensato. *Eccl.34.*

Non est, qui inuocet iustitiam, neque est, qui iudicet vere, sed confidunt in nihili, & loquuntur vanitates. *Esa.59.*

PATRVM SENTENTIAE.

Mihi magis videtur fidei filius, qui nouit, a quo speret, quod nondum habet: quam qui sibi tribuit, quod habet. *August. de spiritu & litera.*

Vita vere mortalis, spes est vitæ immortalis. *In Psal. 3.*

Qui gaudet in spe, tenebit & rem: qui autem spem non habet, ad rem non poterit peruenire: spes & charitas erunt idem. *De charitate.*

Fides credit: spes & charitas orant, sed sine fide esse non possunt: at per hæc & fides orat. *in Enchirid.*

De diuina miseratione tunc sperandum amplius est, cum præsidia humana defecerint. *Amb. in Hexam.*

Spes cōmmodi furatur labores, & metum abscondit periculi. *In Psalm.*

Omne opus lene fieri solet, cum eius preciū cogitatur, & spes præmij solatium fit laboris. *Hier. in Epist.*

Spes in æternitatem animum erigit, & idcirco nulla mala exteriua, quæ tolerat, sentit. *Greg. in Mor.*

De spe incassum præsumit, qui timere Deum in suis operibus tem nit. *ibid.*

De Creatore desperare est, spem in creatura ponere. *ibid. lib.3.*

Tu ea Domine, spes mea. Quicquid agendum, quicquid declinandum, quicquid tolerandum, quicquid optandum, tu es, Domine, spes mea, hæc vna mihi omnium promissionum causa, hæc tota ratio meæ expectationis: prætendat alter meritum, sustinere se iactet pondus diei, & æstus, ieiunare bis in sabbatho se dicat, postremo non esse sicut cæteros hominum glorietur. Mihi autem adhærere Deo bonum est, & ponere in Domino Deo spem meam. *Bern. serm. 9. sup. Qui habitat.*

Si mihi præmia promittuntur per te obtinenda, sperabo: si insurgunt aduersum me prælia, si sæuiat mūdus, si fremat malignus, si ipsa caro aduersus spiritum cōcupiscat, in te ego sperabo. *ibid.*

Vt quidem cunctamur omnino abijcere spes miseras, vanas, inutiles, seductorias, & huic vni, tam solidæ, tam perfectæ, tam beatæ spei tota deuotione animi, toto feruore spei inhærere. *ibidem.*

Dicit fides, parata sunt magna inexcogitabilia bona a Deo fidelibus suis: dicit spes, mihi illa seruantur, nam tertia quidem charitas, curro ego, ait, ad illa. *idem serm. 10. Psal. 91.*

Tria considero, in quibus tota spes mea consistit: Charitatem adoptionis, Veritatem promissionis, Potestatem redditionis. Non est via ad regnum sine præmijs regni, nec sperare potest cœleste regnum, qui nec super propria regnare membra adhuc donatur. *ibid.*

Tu es Patiētia mea: si tribulatio infertur, per te sperabo, tu es spes mea: si præmia promittūtur, per te obtinebo: si insurgat hostis, non nisi in te sperabo. *ibid.*

Futurorum spes laborantibus requiem parit, sicut in agone positis dolorem vulnerum mitigat spes coronæ. *Origen. super Exod. hom. 9.*

Sibi ipsi fidere non fidei, nec confidentiæ, sed diffidentiæ magis in semetipso habere fiduciam. Is vere fidelis est, qui nec sibi credit, nec in se sperat, factus sibi tamquam vas perditum: sed fit perdens animam suam, vt in vitam æternam perdat eam. *Bern. ser. 5. in vigil. natiuit. Christi.*

POETICAE SENTENTIAE.

Hesiodus.

Ἐλπὶς δ᾽ οὐκ ἀγαθὴ κεχρημένον ἄνδρα κομίζει.
Spes non bona indigentem virum sequitur.

Theocritus.

Θαρσεῖν χρὴ φίλε Βάττε· τάχ᾽ αὔριον ἔσσετ᾽ ἄμεινον,
Ἐλπίδες ἐν ζωοῖσιν, ἀνέλπιστοι δὲ θανόντες.
Χ᾽ ὁ Ζεὺς ἄλλοκα μὲν πέλει αἴθριος, ἄλλοκα δ᾽ ὕει.
Fidere, amice, decet, melius cras forsan habebit,
Sperandum est viuis, non est spes vlla sepultis,
Nunc pluit, & clarus nunc Iupiter æthera surgit.

Iulius Polyenus.

Ἐλπὶς ἀεὶ βιότοιο κλέπτει χρόνον· ἡ πυμάτη δὲ
Ἠὼς τὰς πολλὰς ἔφθασεν ἀσχολίας.
Spes vitæ semper furatur mentem: extrema autem
Aurora, multa præuenit negocia.

Sophocles.

Ἐλπὶς γάρ ἡ βόσκουσα τοὺς πολλοὺς βροτῶν.
Spes enim alit homines plurimos.

Euripides in Hypsipyle.

Ἄσκοπον οὐδὲν πάντα δ᾽ ἐλπίζειν χρεών.

Nihil insperatum: omnia vero speranda sunt.

Idem in Protesilao.

Πολλ' ἐλπίδες ψεύδουσι κ' ἀλόγους βροτούς.
Spes temerariæ plerumque fallunt homines.

Idem in Oedipo.

Ἐκ τῶν ἀέλπτων ἡ χάρις μείζων βροτοῖς
Φανεῖσα μᾶλλον ἢ τὸ προσδοκώμενον.
Ex rebus insperatis gratia maior hominibus
Apparet, potius quam expectatis.

Pictorius Poeta.

Pressus ab exemplo, discat sperare secunda,
Cuncta ubi spe stabili supplicat ore Deum.

Linus Poeta.

Ἔλπεσθαι χρὴ πάντ', ἐπεὶ οὐκ ἔστ' οὐδὲν ἄελπτον.
Ῥᾴδια πάντα Θεῷ τε λέσαι κ' οὐδὲν ἀνήνυτον.
Speranda sunt omnia: nihil non enim sperari potest,
Omnia Deo factu facilia sunt, & nihil impossibile.

Apollodorus.

Οὐδέποτ' ἀθυμεῖν τὸν κακῶς πράττοντα δεῖ.
Ἄνδρες τὰ βελτίω δὲ προσδοκᾶν δεῖ.
Numquam oportet animum despondere hominem infortunatum.
O viri, meliora vero semper expectare.

Euripid. in Inone.

Ἐλπίσιν χρὴ τοὺς σοφοὺς ἔχειν βίον.
Sapientibus vita spe confirmanda.
Μήτ' εὐτυχοῦντα πᾶσαν ἐκδίδου χαλήν.
Κακῶς τε πράττων ἐλπίδος καλῆς ἔχου.
Neque bona aspirante fortuna totam laxes habenam,
Et a malo successu bonam spem concipias.

Ouid. Epist. 16.

Tale nihil timeo sed nec Medea timebat.
Fallitur augurio spes bona sæpe suo.

Plaut. Rud.

Nam multa præter spem scio multis bona euenisse.
S. At ego etiam qui sperauerint spem decepisse multos.

Ouid. 1. Pont. 7.

Quamuis est igitur meritis indebita nostris,
Magna tamen spes est in bonitate Dei.

Horat. 1. Carm. 11.

Et spatio breui
Spem longam reseces: dum loquimur, fugit inuida
Aetas: carpe diem, quam minimum credula postero.

Ter. Adelph. 2. 2.

Ego spem precio non emo.

Sen. Herc. fur.

Turbine magno spes sollicitæ
Vrbibus errant, trepidique metus.

Ter. And. 2. 1.

Væ misero mihi!
Vt animus in spe, atque in timore vsque antehac attentus fuit:
Ita, postquam adempta spes est, lassus, cura confectus stupet.

Ouid. 1. Pont. 7.

Spes igitur pœnæ meæ, Gracine, leuanda
Non est ex toto nulla relicta mea.
Hæc Dea, cum fugerent sceleratas numina terras,
In Dijs inuisa sola remansit humi.
Hæc facit, vt viuat fossor quoque compede vinctus,
Liberaque a ferro crura futura putet.
Hæc facit, vt videat cum terras vndique nullas,
Naufragus in medijs brachia iactet aquis.
Sæpe aliquem solers medicorum cura reliquit,
Nec spes huic vena deficiente cadit.
Carcere dicuntur clausi sperare salutem,
Atque aliquis pendens in cruce vota facit.
Hæc Dea quam multos laqueo sua colla ligantes,
Non est proposita passa perire nece.
Me quoque conatum gladio finire dolorem
Arguit, iniectas continuitque manus.

Tibull. 2. 6.

Iam mala finissem letho: sed credula vitam
Spes fouet, & melius cras fore semper ait.
Spes alit agricolas: spes sulcis credit aratis
Semina, quæ magno fœnore reddat ager.
Hæc laqueo volucres, hæc captat arundine pisces,
Cum tenues hamos abdidit ante cibus.
Spes etiam valida solatur compede vinctum,
Crura sonant ferro, sed canit inter opus.

Ter. And. 2. 2.

Ita, postquam adempta spes est, lassus, cura confectus stupet.

Stat. 1. Theb.

Spes anxia mentem
Extrahit, & longo consumit gaudia voto.

Idem 2. Theb.

Et quæ magna graues mortalibus addidit curas,

Spes vbi longa venit.

Sen. Med.

Qui nihil potest sperare, desperet nihil.

Plaut. Most.

Insperata accidunt magis sæpe, quam quæ speres.

Silius 7.

Spes heu fallaces, oblitaque corda caducum.
Mortali quodcumque datur.

Ouid. Epist. 6.

Alternant spesque timorque fidem.

Media via inter præposteram spem, & desperationem incedendum esse.

Anthol. Sacr. Iac. Bill.

Tu quem nocte dieque animus male conscius vrget,
Vt pateant aures ad tua vota Dei:
Sis studio semper modica hac perfundere luce:
Nullus enim hac vitiat splendor, & immodicus.
Omni luce caret, qui nec commissa fatetur
Crimina, nam tenebris obrutus illa videt,
At nimio contra obruitur splendore, videt qui
Tanta ea, desperet protinus vt veniam.

Spes de malis habenda.

Anthol. Sac. Iac. Bill.

Vt morbo oppressis præstanda est cura medendi,
Donec in ægroto corpore vita manet.
Sic prauis multa & vitiorum mole grauatis
Sanctarum pietas est adhibenda precum.
Vt dum possibile est mutari corda malorum,
Horrescat noctis dempta luce amor:
Conuersisque nouam mentem det gratia Christi,
Qua fiunt homines iustificante boni.

SENTENTIÆ PHILOSOPH.

O fallacem hominum spem fragilemque fortunam? & inanes nostras contentiones? quæ in medio spacio sæpe franguntur, & corruunt, & ante in ipso portu obruuntur, quam portum conspicere potuerunt. *Cic. 3. de orat.*

Sola spes hominem in miserijs consolari solet. *Idem in Catil.*

Spes est vltimum aduersarum rerum solatium, memoriæ minimum tribuit quisque, spei plurimum. *Senec. in quadam Epist.*

Spe bonorum, quicquid indignitatis imponitur, ferre conuenit; remedium bonorum futura spes est, nec innocentem debilitat conscientiam, quum in aduersis solatium est, non meruisse quæ patitur. Fortuna innocentem deserit sæpe, at bona spes numquam. *In Prouerb.*

De spe bona. DIAL. CIX.

Francisc. Petrarch.

GAV.

Quicquid in re sit, spem mihi nullus eripiat. R. Hanc auferre pôt nemo, ipsa sese sensim eripit, & inopinis euentibus sæpe lusa cõsumitur. G. Spero multa. R. Et multa metuas oportet. Sine metu enim spes non habitat. G. Spero bona. R. Mala igitur times, vt enim opposita spes timori est, sic aduerso de fonte oritur, & necesse est, quod sperare cœperis: eius contrarium vt formides. G. Spero læta. R. Sed incerta quorum studio certa negligere dementia certa est, qui equidem quod nõ habet sperat, quod habet obliuiscitur. G. Sperare meliora non prohibeor. R. Quid si difficilia? Quid si impossibilia? venturaq; numquam? Quid si peiora, si pessima sunt, quæ speras: & meliora tibi fingis? G. Iuuat in spe viuere. R. Dic verius in spe mori. Nam & futura cogitantib. præsentia dilabuntur, & qui longinqua prospiciunt, quæ sub oculis sunt nõ vidẽt, & q cras viuere destinãt hodie nõ viuunt. Nõdũ est cuius inuoum sperator. Ita cum spes omnis boni absentis expectatio sit, consequens est sperantem pro ea saltem parte qua sperat, mali aliquid pati. G. Dulce est sperare. R. Audio quidem multos hoc dicere, sed hanc ego dulcedinem non agnosco. Nũ si sperare, & optato carere etiã dulce est, quod q dixerit, haud dubie gustu caret. G. Sperare delectabile est. R. Ergo & pẽdere, & affici, & torqueri, spes est, & longi supplicij longa spes est, nil sic animum fatigat, nil sic senium præcipitat. Itaque sæpe vir sapiens spem perditam lucrum vocat, seq. infinita cupidine liberatum ab expectationibus vanis ad gaudendum bonis suis cogi gaudet. G. De euentu sors viderit, ego in spe gaudeo. R. Vide autem ne quando forsan in re doleas, & optasse, & sperasse, & sperata cõsecutus esse pœniteat. Multos quos suspensa diu torserat ad extrẽũ spes ducta pessundedit. Multi votiuis, & valde licet nõ sat satis longæ spei periere successibus. G. Nemo mihi tollat spẽ. R. Nemo tibi tollat tædium, ac laborem animi. Audisti vetere dici solitum prouerbio, Magnus labor expectare. G. Rei bonæ expectatio blanda est. R. Sed & fallax, & anceps, & anxia. Si hoc negas numquam aliquid expectasti, sed se fallentium inextimabilis turba est, quibus ad id quod agunt nihil prorsus inefficax sese offert, nihil respicit, nulli se negat flecti facilis, & falli prona credulitas. Argumentum vero leuitatis ingens, atque amentiæ

riç dixerim passim obuias spes amplecti, & his illico certis vt bo nis pasci, ad quas docti omnes, & experti rerum tardi sunt. G. Bo nam interim spem habeo. R. Interim dicis. Credo dum te illa fe fellerit, nisi te eoim mos, inuiti spem deponitis, nunquam illam relicturi, nisi vos illa relinqueret, qui cum vos sæpe reliquerit (mirum dictu) iterum atque iterum redeuntem cupide semper excipitis, progressique obuiam, quasi subsit veteri nouis arma tam dolis inclusit ones cordis arce reponitis. G. Spem horâ vsque ad vltimam nô deseram. R. Quid si diu ante illa te deserat? An ne illam rettahes, an sequeris, an expectabis vt redeat? Age autem spera, quando nihil est dulcius, quam falli. Nooego tibi spem, quam mordicus tenes, eripiam, tantū illud admonco, non esse spem bonam, quam tu teris. Non est spes bona, quæ bonum sibi propoluit, sed quæ bene. Bonum quidem ip. rare scelestissimi quoque homines possunt, immo & solent. Vere itaque bona spes est, quæ de vero bono rite concepta est. Hanc qui habet stringat, teneat, neque abire eam vel in vltimis sinat, fortorsique illi suas iungat, charitatem, fidem, hæc spes læta, dulcis, verax, felix est, quęq; nec sperantem fallit, nec confundit, sed ad optimū prouehit, animūq; interim spetati boni anticipatione lætificat. At vos seu verum bonum male meriti speratis, seu malis veris falsum boni nomen imponitis, lare igitur vestra expectatio antequam veniat mœsta est, mœstior, cum venerit. G. Humanū sapio, & de his loquor, quæ ho nines vocant bona. R. Humusmodi nos doctos olim inter homines longa lis fuit, quæ adhuc pendet, pendebitq; æuum in omne, his vouum in rebus contra autē illis bona multa ponentib. G. Linquamus ista Philosophis. Ego quæ vulgus dicit bona spero. R. Malum igitur tuū speras, quod vel dilatione te cruciet, vel falce opprimat exoptatio, fac, succedat enim quod ad corpus attinet hosti arma paraueris, quod ad fortunam variæ, & immitis dominæ sibi eris iugum, quod ad animum vero ipsum magna etiam pars in cladem, ac perniciem verti queat, quoniam quæ delectant animum, sæpe lædunt. G. Ieci ego spei bonæ anchoram, nec mouebo. R. Atqui solent nautæ tempestate orta nauis anchoram præcidere, si diuelli nequit, relictamq; illam fugam capere, non enim quod tranquillo mari apud poetam, Dente tenaci anchora fundabat naues, id magnis quoque pelagi motibus accidit, vbi non naues fundat illa, sed alligat, & naufragio vinctas tradit. Nec hercle aliter inter procellas humanarum rerum spes affixa, & tenax malorum in extium traxit, qui abscissa vnq; & abiecta spe incolumes euasisset. Sæpe igitur subtrahenda spei anchora, vel si hæreat euellenda, sine id quidem liceat, abscindenda, rerumque fuis fluctib. relinquenda est, vt liberam vitæ p̄oram gubernaculo prouidentiæ dirigas ad salutis portum. G. Bene spero. R. Bene sperando, & male habendo transit vita mortalium.

De multiplici spe. DIAL. CIX.
Francisc. Petrarch.
GAV.

Multa spero. R. Multa in spe multa est vanitas, multusque fallendi aditus fortunæ. G. Spero multa. R. Spem multiplicem, multa de frenum. Qui modicum sperat iter casib. arctauit, atque nô nihil obstruxit. R. Valetudinem bonam spero. R. Mortalitatis obliuio nem. G. Spero longam vitam. R. Diuturnum carcerem, vbi multas feras, multa videas, quæ nolis. G. Membra viuacia. R. Vincla tenacia, grata tamen, vnde metuas absolui. G. Formam corporis elegantem. R. Voluptatum stimulos. G. Annorum prosperos exitus. R. Pudendi materiam dolendique. G. Amice conuentam mortem. R. Breue, fœdumque nescio quid. G. Peccandi licentiā. R. Infelix gaudium, pœnitentiam longæuam. G. Vltionis occasionem. R. Aditum sæuitiæ. G. Agile corpus, ac validum. R. Mancipium contumax, & rebelle. G. Diuitias multas. R. Grauem sarcinam ex lappis, & tribulis. G. E diuersis æquoribus venturas naues. R. Late dispersam sortem intra monstra maris, ac scopulos, agitatam fluctibus, tractam funibus, pulsam venus. G. Lucrum de concepti, mercibus. R. Escam quæ te perpetua solicitudine capiat, luctoque vnico in multa credu'um damna præcipitet, mercator nouus est facilis ad credendum, expertus multa circū spicit. G. Honestas filiæ nuptias, filioue. R. Nulla ferme res tam crebro fallit, & tam grauiter. G. Magnam potentiam. R. Inuidio sam miseriam, opulentam inopiam, pauidam fuperb. iam. G. Regnum & imperium. R. Præcipitium & procellas, & sub stellanti diademate fuscum supercilium, cor anxium, infestem vitam. G. Honores fori. R. Puluerem & strepitum. G. Coniugium & natos. R. Litigium & curas. G. Mihi militiam, & vxorem filio. R. Tibi laborem, ac dilecto pœnam. G. Vetulæ obitum vxoris; & coniugem iuniorem. R. Atrcito laqueo dissolui, vt nouo & valido vinciaris. G. Ingenium, linguam, literasque. R. Incudem, malleum, & massam, quibus tibi & alijs somnum angas. G. Laudatio nem funeri. R. Philomelam surdo. G. Aurcam Pyramidem. R. Domum pictam cæco. G. Gloriam post mortem. R. Leues auras post naufragium. G. Nomen apud posteros. R. Testimonium ab ignotis. G. Hæredem meum. R. Patrimonio amicum tuo, & tibi redeas.

De spe vincendi. DIAL. XII.
Francisci Petraten.
GAV.

Bello victoriam spero. R. Cum fallax vbilibet, tum in bello fallacissima spes est. Nihil ex præmeditato agitur. Inopine eunt omnia. Prudentissimus atque exercitatissimus militarium rerū fuit, qui dixisse fertur, nusquam minus quam in bello euentus respōdere. G. Victoriam spero. R. Pacem haberes velius, eiusdem ducis verbum memorabile traditur; Melior tutiorq. est certa pax quā sperata victoria. G. Bello victor ero. R. Quid si victus? Hæc spes multos in exitium egit, fine victoriæ spe, nemo volēs in aciem descendit. G. Bello superior euadam. R. Futuri verbum temporis. Omnis enim de futuro spes, & futura omnia semper ambigua. G. Bello victor remeabo. R. O spes hominum inanes! nec victor fortasse, nec victus remeabis, sic tibi reditum spondes, apertumq. inter gladios iret acri deuotum classico Maro caput? G. Esse victor spero. R. Est qui contrarium speret, vel vtrūq. vel alterutrum fit necesse. Potest vel alter, vel vterq. dux patrium, seu aliter, seu mutuis vulnerib. simul occumbere, quod & sæpe credo alibi. & quod nunc meminerim Thebis vltimo inter fratres impios congressu, & Romæ primo post exactos reges accidisse prodirum est bello, vt Superbi regis filiū Brutus consul, ad inferos prosecutus est. Amisso a tē spiritu iā victoria nulla est, quo seruato, spe tamen ex acie pari Marte discessum tenes. Vtrobique igitur ambos duces spe victoriæ fraudatos constat. Vnum nēpe fraudari tam cōe, tamque condianum est, quā in aciē proficisci. Quid scis autem an vnus ille tu sis, hac quæ tibi blandiris victoriæ spe fraudandus? G. Bello vincam. R. Vt anceps semper sic sæpe tristis, & sanguinolenta victoria est. Nō habetur gratis, quod vitæ discrimine quæritur, care emitur cuius sanguis est precium, carius cuius mortes fieri potest vt pars victrix ducem perdat, ita tuis vincentibus vinci potes. Quid de victoriæ scelerib. dicam? Non sunt tot victi miseriæ, quot sunt peccata victoris. Quod si peccato miserius nihil est, nec victus eo quod vincitur victore miserior, sed eo minus miser, quo minorum rerum damnis afficitur. G. Vincam. R. Vt ad summam redigam, & ao vincas & an melius sit vinci, si videri in dubio est.

HISTORICAE SENTENTIAE.

Vt plurimum spes maxima præbet maximam audaciam, & promptitudinem ad inuadendum. *Thucyd. l. 7.*

Humanus affectus est, memoria fortunæ pristinæ sperare ad eam reditum. *Appian. in l. de bel. Pun.*

Nihil est efficacius spe, ad subleuandam hominum lassitudinem. *Appian. l. 2. de bel. ciuil.*

Diuina lenitas aliquam in aduersis plerumque spem salutis reliquam facit. *Pausan. l. 5.*

Spem necesse est virtute, & innocentia tutari: alia enim præsidia, vt vetus nobilitas, maiorum fortia facta, cognatorum, & affinium opes, multæ clientelæ, infirma sunt. *Sall. de bel. Iugurt.*

Vna in audacia spes salutis. *Tacit. hist. l. 4.*

Suus cuique animus ex conscientia spem præbet. *Sallust. in Fragm.*

Magnæ mentis signum est sperare semper. *L. Flor. l. 4. c. 8.*

Non est omnino desperandum, quin in omni sæculo semper meliora sperare liceat, donec ipsæ hominum fortunæ fuerint, & quæ dictu factuque difficilia, ac fieri posse minime videntur, audentib. sæpe ad effectum deducuntur: ita vt admiratione multa sint digna. *Procop. de bel. Vand. l. 2.*

Omnis spes non est incertæ Martis aleæ committenda. *Nicet. Manuel. Comn. l. 6.*

Quod spei inanes transiliſt, a corde & mente facile relinquitur. *Heliod. lib. 1.*

Fortunæ conditio, numque æquitas spem successus secundi fundāt. *Amm. Marcel. l. 17.*

Si quis frequenter bonorum expectationes iniiciens fefellerit, vir huiusmodi ne tum quidē potest persuadere, cum spem veram attulerit. Atque quis certo compertum non habet, ea nequaquam dicar cauere debet & nonnunquam alij illa dicentes, idē efficere possint, adhortationem autem suam ad maxima pericula feruet quam maxime fide dignum opus est. *Xenoph. de pad. Cyri l. 1.*

Vbi homines religiose pietatem colunt, & bellicis in rebus exercentur, & se vt dicto sint audientes condocefaciunt: qui non illic consentaneum sit, optima spe cuncta plena esse? *Xen. Orat. de Agesilao.*

Spes quæ in periculis animum addit, etiam si aliquoties damno afficit, non tamen euertit vt etres ipsa pro viribus: sed ab his quī omnes facultates simul periculo exponunt (spes enim natura prodiga est) tunc primum deprehenditur, quando ipsi iam sunt frustrati, & nondum concedit facultatem in posterum cauendi, vbi quis semel eam cognouerit. Id vos (*Atheniensium ad Melios dictum*) qui imbecilles estis, & vnico momento potestis euerti, nolite experiri. Neque imitemini vulgus hominum, qui cum fuæ saluti humano more consulere possent, postquā rebus aduersis premuntur, & manifestis spes eos destituit, ad obscuras spes confugiunt, nēpe ad oracula, & diuinationes, & alia, quæ homines spe illectos

illectos in exitium pertrahunt. *Thucyd. lib. 5.*

Fallaces sunt hominum spes, & incerta rerum futurarum iudicia. *Tacitus hist. lib. 4.*

Angliæ regis liberi tres cum tranquillo mari ex Normannia soluissent in medio cursu atroci exorta tempestate, naufragio periere: tristi suis, sed salutari ad posteros exemplo, spem regiæ simul vniuersam, fortunæ discrimini ventorumq; ludibrio credendam non esse. *P. Aemyl. lib. 5.*

Plerumque hominum proprium est, quod ratione difficile cognoscunt, id sibi cupiditate, & spe facile fingere. *Fr. Guicciardin. histor. lib. 4.*

Vbi homines pietatem colunt, belli artes tractant, magistratibus obtemperant, qui non hic conueniat, affatim omnia bene sperare? *Xenoph. orat. de Agesilai laudib.*

APOPHTHEGMATA.

Thales sciscitans, quid maxime cōmune esset omnibus? Spes, respōdit. Hanc enim etiam illi habent, qui aliud nihil. *Stob. ser. 109.*

Bias, roganti cuipiam, quid esset dulce hominibus? Spes, ait. *Brus. lib. 6. c. 11.*

Anonymus. Rhodius quidam, ob intempestiuam libertatem a tyranno, coniectus in caueam in qua more nocentis bestiæ alebatur ad cruciatum, & ignominiam, amputatis naribus, ac fœdata vulneribus facie, quum ab amicis admoneretur, vt inedia sibi malorum finem quæreret: Cuncta, inquit, homini quoad viuit speranda sunt. Citius illum laudarim, quam illos, qui ob causas non admodum graues confugiunt ad laqueum, aut ad præcipitium. *P. M. lib. 8. apoph.*

Democritus. Eius circumfertur talis sententia: Spes recte sapientium voti compos fieri potest, insipientium vero impossibilis est. *Stob. serm. 109.*

Socrates dicere solebat, neque mulierem sine viro, neq; spem bonā absque labore quicquam vtile parere. *Stob. serm. 19. & ser. 1.*

Neque nauem vnica anchora, neque vitam vna spe fultam esse oportere dicebat. Id postea dictum est ab Epicteto. Item. Improbæ spes, quemadmodum mali viæ duces, in errorem inducunt. *Max. serm. de Spe.*

Idem dicere solebat, Spem malam nihil aliud esse, quam pessimū vitæ ducem, grauissima quæque peccata. *Stob. serm. 109.*

Plato. Spem vigilantium somnium appellabat. Ad quod allusisse videtur Virgilius, quum ait,

An qui amant ipsi sibi somnia fingunt?

Nam dictum verum est, quam vastas imaginationes patiantur in animo illi, qui vehementer sperant aliquid. Atque hi inanibus figmentis pene semet oblectant, ac si iam tenerent, quæ sibi polliceantur. *Aelian. l. 13. de var. hist.*

Diogenes percunctatus quidnam in vita extremum esset? Spes, dixit. *Stob. serm. 109.*

Herodes, ad confirmandos aduersus Arabas suorum animos: Fallax, inquit, spes est, quæ non suis viribus nititur, sed alienis aduersis. *Brus. lib. 6. c. 11.*

Plutar. dicebat spes eruditorū esse stabiles, vt quæ in rationis portu conquiescerent. Item. Item præstat scaphæ impulsæ infirma anchora, quam spes innitens malo consilio. *Max. ser. de spe.*

Alexander apud Granicum, Martem experturus, hortabatur Macedones, vt affatim pranderent, veluti postridie ex hostium commeatu cœnaturi. Præsens animus, ac de belli euentu fidens, ac securus *Plut. in apoph. reg. & imp.*

Idem. Postea quam in expeditionem profectus regias opes pene omnes in milites, ac duces distribuisset, roganti Perdiccæ. Quid tibi nunc rex superest? Spes, inquit. Hic Perdicca: Hæc, inquit, nobis commilitonib. tuis futura cōmunis est, & prædium quod ipsi designarat: Alexander recusauit. Tanta erat fiducia, bene successuram expeditionem. *Plut. in Alex.*

M. Cato de spe sic prædicasse narratur, *authore Plutarcho*, quod quæ magna essent, pusilla faceret: quæ pusilla prorsus nulla, sentiēs, opinor, de periculis. Victoriæ spes extenuat omnia, quæ solent deterrere. *P. M.*

Iul. Cæsar. Obsecrantibus Cæsarem amicis, vt præsidio corpus muniret, multisque ad id operam suā pollicentibus, negauit se hoc facturum: Satius esse dicens semel mori, quam assidua spe, & expectatione pendere. *Plut.*

SIMILITVDINES.

Chrysostomi. Sicut malitia, & viuentes, & mortuos affligit, & torquet: ita virtus ante cœlestis regni participationem, sectatores suos & spe bona, & incredibili fouet voluptate. *Hom. 39. in Ioan.*

D. Augustini. Spem iam in terram tanctam quasi anchoram præmisimus, ne in isto mari turbati naufragaremus. Quemadmodum ergo de naui, quæ in anchoris est, recte dicimus, quod iam in terra sit, adhuc tamen fluctuat: sed in terra quodam educta est contra ventos, & tempestates: Sic contra tentationes huius peregrinationis nostræ, spes nostra fundata in illa ciuitate Hierusalem, facit nos modo abripi in saxa. *In Psal. 64.*

Laurentij Iustiniani patriarchæ. Spes est quasi columna, quæ totum spirituale ædificium fulciebat: qua deficiente ædificium corruit, ac in barathrum desperationis cōcidit. Est etiam anchora animæ, eam seruans, ne a procellis tentationum irrumpatur. De qua Apostolus: Firmissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenēdam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam, ac firmam, &c. *In ligno vitæ, c. 2. de spe.*

Plut. Quemadmodum Aegyptij lege iubebantur expectare, donec peperisset, si qua grauida morbo fuisset correpta: Ita non facile abijcienda spes in hominum erratis. *In mor.*

Themist. Decet amico gratiam reponere: Sed stulta idololatria est, hominem spe beneficiorum colere. *In apoph. 83.*

ADAGIA.

Aegroto dum anima est, spes est.

Admonet, ne in afflictionibus quidem abijciendam esse spem.

Spes alunt exules. αἱ ἐλπίδες βόσκουσι φυγάδας.

Vbi quis excussus a pristina fortuna, semper id agit, vt restituatur.

Adhuc cœlum voluitur.

Quoties significabimus adhuc superesse spem, & nondum tempus, quod melioris fortunæ solet occasionem adducere, exactum esse, conueniet illud Theocriti.

Οὔπω τοῦτο ἐγὼ τὰ κακὰ ὤρανος ἀδ' ἐνιαυτός,

Non est lassatum voluendis mensibus anni

Cœlum.

Adhuc aliquis Deus nos respicit.

Quum in rebus vehementer afflictis negabimus nos prorsus abiecisse animū, verum esse spes nonnihil, conueniet illud Homeri.

Ἀλλ' ἔτι τις καὶ ἐμοῖο θεῶν ὑπερέσχετο χεῖρα.

Numen adhuc aliquod dexteram mi obtendit amicam.

Der alte Gott lebet noch.

Spes firmat afflictos. *Ouid.*

Spes bona dat vires, animum quoque spes bona firmat:

Ἐλπὶς γηροτρόφος. *Pindar.*

Spes altrix senectæ.

In herbis.

In herbis esse dicuntur, quæ nondum maturuerunt: sed spem modo bonam de se præbent.

Spes tenuis.

Spem infirmam incertamque Poetæ tenuem vocant.

Ab ipsa re esse.

Agit de his, qui vel commodis, vel spe commodorum detinentur, quæ minus fere explicent ἀπὸ ἐργου, quasi deserturi agrum cum instat messis.

Coruum delusit hiantem.

Dicitur in captatorem spe sua frustratum. Horat.

Thesaurus carbones erant. ἄνθρακες ὁ θησαυρὸς πέφηνεν.

In eos competit, qui spe sua frustrantur, quique magnificis rebus expectatis, meras nugas reperiunt.

Bolus ereptus è faucibus.

Dicitur quoties commoditas aliqua, quæ iam propemodum tenebatur, præter expectationem subito præripitur. Terent.

Murem pro leone ostendit. μῦν ἀντὶ λέοντος ἀπέδειξε.

Prouerbiali allegoria dictum, pro eo, quod est, ingentia pollicitus, & fortia, longe diuersa exhibuit.

Concupiuit assam farinam. ἐπεπόθει τῶν ἀλφίτων.

In eum dicebatur, qui domesticam tenuitatem pertæsus, apud alios lautiorem vitam quæsisset. Theocritus.

Ne per somnium quidem. οὐδ' ὄναρ.

Græcis prouerbialiter dictum est pro eo, quod est, nulla ratione, nullo tempore, ne sperare quidem audeas. Lucian.

Alterna facis. ἀλλ' ἄττεις βάλλεις.

Quoties parum ex animi sententia res cadit, vsurpabitur. Diog.

Larus parit. λάρος τίκτει.

Vsus vbi quis magna præ se fert, pusilla præstiturus. Aristoph.

Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus. ὤδινεν ὄρος, εἶτα μῦν ἀπέτεκεν.

Dici solitum in homines gloriosos qui promissis, vultu, voce, gestu, miram de se mouent expectationem tandem vero meras nugas adferunt.

Lupus circum puteum chorum agit. λύκος περὶ φρέαρ χορεύει.

In eos dicitur qui sumpta inaniter opera spe sua frustrantur. Er gehet herumb, wie die Katz vmb einen heissen Brey.

Lupus hiat. λύκος ἔχανεν.

Dicebatur si quis re multum sperata, multumque appetita frustratus discederet.

Aurificem te futurum credebas. χρυσοχόος ἔσεσθαι ᾤου.

In eos, qui frustraneos labores suscipiunt, ac spe sua frustrantur.

Quærens oblonium, vestem perdidit. ζητῶν γαρὸν, τὸ ἱμάτιον ἀπώλεσεν.

Vbi res pessime cadit, aut cum pusilla quædam captantes, maiora perdimus. Suidas.

Cadere in cursu.

Est expectata laude frustrari.

Ne quære mollia, ne tibi contingant dura. μὴ τὰ μαλακὰ μῶσο, μὴ τὰ σκληρὰ ἔχῃς.

Congruit in eos, qui dum nimis improbe ac morose petunt: quæ volunt offensi, ea, a quibus petunt, accipiunt ea quæ nolunt. Aut in eos,

in eos, qui dum præter modum captant voluptatem incidunt in inopiam. Plutarchus.

Duos insequens lepores, neutrum capit. δύο πτῶκας διώκων οὐδέτερον καταλαμβάνει.

Hoc est: qui simul duplex captat commodum, utroque frustratur.

Er ist zuu sche.. zweyen Baencken nidergesessen.

Hic funus nihil attraxit. οὔτι μοι ἡ κηλὶς οὐδέν ἐπέσπασεν.

Significabant hoc adagio operam frustra sumptam, neque ex sententia euenisse, quod quis conabatur. Aristoph.

Inani spe flagrat. κεναῖσιν ἐλπίσι θερμαίνεται.

In eum qui frustra sibi magna pollicetur.

Fluuius non semper feret secures. οὐκ ἀεὶ ποταμὸς ἀξίνας φέρει.

Occinendum ijs, qui quod alijs feliciter cessit, idem sibi quoque protinus ex animi sententia cessurum sperant. Aesop.

Spem pretio emere.

Hoc est, lucrum incertum, certo affectare damno. Terent. in Adelph.

Sēper agricola in nouū annū diues. ἀεὶ γεωργὸς εἰς νέωτα πλούσιος.

De ijs dictum, qui spe futuri compendij sunt diuites, ac sibimet expectatione rerum amplissimarum blandiuntur.

Cretenses sacrum. οἱ Κρῆτες τὴν θυσίαν.

Dicetur, ubi quis non fruitur ijs, quæ parauit. Zenodot.

Nucleum amisi, reliqui pignori putamina.

Ubi quis ea per impudentiam aut temeritatem amittit, ex quibus fructum expectabat, retentis ijs, ex quibus emolumenti nihil potest capere. Plaut. in Capt.

Præuertit anchoræ iactum Deus. ἀλλ' ἀντέπνευσε πρὶν ἐπ' ἀγκύραν Θεός.

Usus cum res præter spem euenit.

In caducum parietem inclinare.

Qui fenus præsidio nititur, qui forma superbit, qui in caducis fortunæ bonis vitæ præsidia collocat, recte dicitur in caducum inclinare parietem.

Fœdum est & mansisse diu, vacuumq; redisse. αἰσχρόν τοι δηρόν τε μένειν κενεόν τε νέεσθαι.

Conuenit ubi quis longam de se concitauit expectationem, cui postea non respondeat. Homer. Iliad. β

Non omnia eueniunt, quæ in animo statueris. ἀλλ' οὐ Ζεὺς ἄνδρεσσι νοήματα πάντα τελευτᾷ.

Recte utimur quoties significamus, non euenire protinus, quidquid spe votisque conceperimus. Homer.

Scipione a iunceo inniti.

De eo qui spes suas figit in his, qui non solum non possunt esse præsidio, verum etiam noceant de titulo.

EXEMPLA BIBLICA.

Spei in Deum *exempla*. Ezechias 2. *Reg.* 18. v. 5. Filij Iuda. 2. *Paral.* 13. v. 18. Iosaphat, 17. v. 34. & 20. v. 13. Dauid 2. *Sam* 22. v. 2. *Psal.* 18. v. 3. & 7. v. 2. & 13. v. 5. 6. & 16. v. 1. & 18. v. 1. 2. & 22. v. 10. & 25. v. 26. & 27. v. 1. 2. & 28. v. 8. & 31. v. 1. 2. & 38. v. 16. & 52. v. 10. & 55. v. 24. & 56. v. 11. & 57. v. 1. & 69. v. 4. & 71. v. 1. & 72. v. 10. & 51. v. 9. & 130. v. 5. & 141. v. 5. & 142. v. 6. & 144. v. 1. Patres, *Psal.* 22. v. 5. Domus Israel & Aaron, 115. v. 9. 10. Tobias. *Tob.* 2. v. 55. 16. 17. Iudith. *Iudit.* 15. v. 17. 18. Iob, *Iob* 53. v. 15. & 19. v. 25. 26. 27. Ieremias, *Ierem.* 17. v. 17. *Thren.* 3. v. 21. Susanna, *Dan.* 13. v. 60. Tertius & quartus fratres, 2. *Machab.* 7. v. 11. 14. Machab. 15. v. 17. Paulus, *Actor.* 24. v. 14. 15. *Tim.* 4. v. 50. *Ephes.* 1. v. 12. *Philip.* 2. v. 10. 1. *Pet.* 1. v. 13. Spes ex præterius, & iam compertis beneficijs concipienda. *Exempla*, Iacob. *Gen.* 32. v. 10. 11. Israelitæ *Deuter.* 7. v. 18. & 10. v. 11. Dauid 1. *Sam.* 17. v. 34. 37. Iosaphat, 2. *Paral.* 20. v. 7. Dauid, *Psal.* 3. v. 8. & 22. v. 10. & 32. v. 5. & 34. v. 7. 8. & 71. v. 6. 17. & 77. v. 12. & 86. v. 7. & 142. v. 8. & 143. v. 5. Paulus, 1. *Cor.* 1. v. 8. 9. 2. *Cor.* 1. v. 10. *Phil.* 1. v. 6. 1. *Thess.* 5. v. 25. 2. *Tim.* 4. v. 18. Petrus, 2. *Pet.* 1. v. 5.

Spes bona de pijs concipienda *exempla*. Paulus. *Rom.* 15. 14. 2. *Thess.* 3. 4. Apostolus. *Hebr.* 6. 6. spes ex scripturis haurienda. *Rom.* 15. 4. *exempla*. Dauid. *Psal.* 116. v. 42. 47. spes nec in hominibus, nec in alijs creaturis locanda est, 2. *Paral.* 16. 7. & 25. 8. *Ps.* 26. v. 8. 9. & 44. 7. & 73. 28. & 118. v. 8. 9. & 127. v. 1. 2. & 146. v. 3. 5. & 147. 30. *Prouerb.* 11. 28. & 21. 31. & 28. 25. *Esa.* 20. 6. & 30. 2. & 31. 1. & 36. 6. & 40. 7. *Ierem.* 7. 4. & 17. 5. & 48. 7. *Ezech.* 29. 6. *Osea* 5. 13. & 7. 11. & 9. 3. & 12. 1. *Amos* 6. 1. *Mich.* 5. 10. & 7. 5. *Abac.* 1. 17. & 2. 3. *Marc.* 10. 24. 1. *Tim.* 6. 17. Spes in Deo solo locanda, 2. *Paral.* 36. 7. & 20. 12. & 25. 8. *Iob* 13. 53. *Psal.* 2. 12. & 9. 11. & 11. 1. & 13. 6. & 20. 8. & 27. v. 10. 14. & 31. 2. & 71. 5. & 33. 18. & 37. v. 3. 5. & 42. v. 6. 12. & 43. 5. & 55. 24. & 62. 7. & 65. 6. & 78. 7. & 84. 29. & 86. 2. & 91. v. 1. 14. & 118. 9. & 119. 81. & 126. v. 2. 3. & 130. 6. & 131. 3. & 147. 11. *Prou.* 3. 5. & 16. 20. & 28. 25. *Esa.* 8. 16. & 10. 20. & 14. 32. & 26. v. 3. 4. & 40. 31. & 50. 10. *Ierem.* 11. 20. & 57. 7. & 31. 17. 39. 18. *Thren.* 3. 21. *Osea* 12. 6. *Ioel.* 3. 16. *Mich.* 4. 5. & 7. 7. 2. *Corinth.* 1. 9. 2. *Tim.* 21. 1. *Pet.* 1. 21. & 5. 7.

EXEMPLA HISTORICA.

Alexander Macedo proficiscens in Asiam possessiones domesticas, & vectigalia regia amicis pleraque diuisit. Unus nihil ex illius largitione accepit Perdiccas sed rogauit: tibi vero quid Alexander relinquis? qui ut respondit: Spes meas. Ergo harū, inquit, nos quoque erimus consortes: neque enim nos tua capere, sed prædam expectare Darij decet. *Plutarch. orat. 2. de Alexan. fortuna.*

Rhodius quidam ob intempestiuam libertatem à tyranno cōiectus in caueam, in qua more nocentis bestiæ alebatur ad cruciatum, & ignominiam, amputauit manibus, ac fœdata vulneribus faciē, cum ab amicis admoneretur, ut inedia sibi malorū finē quæreret: cuncta, inquit, speranda sunt. *P. M. lib. 8. apophthegm.*

Aristippum, Philosophum Socraticum ferunt aliquando ad Rhodiensium littus graui naufragio eiectum, amissis omnibus, vidisse in harena figuras quasdam geometricas, atque ad comites, mœrore posthabito, hilari vultu exclamasse: bene sperandum est, nam & hic quoque hominum vestigia cernimus. *Laertius.*

C. Marius, obscuro genere natus, facinorum militarium commendatione ad Rempubl. accessit. Ac primum maiorem petijt ædilitatem. Ubi sensit ea spe frustrari sese, eodem die minorē adijt & hac frustratus, haud tamē desperauit, se Romanæ ciuitatis primatem fore: docens, quantum in rebus humanis valeat improbitas. *Plut. in Rom. apoph.*

Idem VI. Consul Roma pulsus à L. Sylla, & proscriptus grandi pecunia in caput eius pronunciata, varijs erroribus & periculis agitatus, oraculo se potissimū solabatur, quod acceperat, septies se consulem futurum. Neq. eum spes fefellit. *Sabellic. l. 3. En. 6.*

Fœminis sua spes blandita est, æternitatemq; pollicita, *vt Semiramidi*, quam compulit vt virilem sexum mentiretur, ad amplissimos ducendos exercitus. Itaq; nisi quā tot adijsset labores, tot pericula suscepisset, nisi aliud esse persuasum haberet, quod ultra hoc quod viuimus, stabile esset atq; perpetuum mansurum.

HIEROGLYPHICA.

Hominem, qui fugitiuam rem aliquam nulla consequendi spe sectaretur, indicare si voluissent veteres, *Anguillam*, pingebant, quam manus à cauda prehenderet, tanta enim est lubricitate prædita, vt de prensantium manibus elabatur quam facillime, difficulterque contineri possit. *Pier. Val. l. 29. p. 273. C.*

Quod si certam esse *Spem* de ambigua re quapiam ostendere voluissent, obuolutam eam ficulneo folio pingebant: quod scabritie sua prensa nisi admodum, nequaquam irrit, vnde prouerbium: τὴν θρίῳ τὴν ἔγχελυν. *idem ibid.*

EMBLEMATA.

Spes proxima.
Emblema XLIII. Andr. Alciati.

Innumeris agitur Respublica nostra procellis,
Et spes venturæ sola salutis adest:
Non secus ac nauis medio circum æquore venti
Quam rapiunt, salsis iamq; fatiscit aquis.
Quod si Helenæ adueniant lucentia sidera fratres,
Amissos animos spes bona restituet.

Illicitum non sperandum.
Emblema XLVI.

Spes simul & Nemesis nostris altaribus adsunt,
Scilicet vt speres non nisi quod liceat.

In dies meliora.
Emblema XLV.

Rostra nouo mihi, iam gero sui obtusa anno,
Hæc quæ strena veteri xenia, dixit habe.
Pręceditur semper, nec a tergo respicit unquam,
Gramma cum pando trorsus ore vorax.
Cura viris eadem est ne spes sublapsa retrorsum
Cedat, et vt melius sit quod et vlterius.

In simulachrum Spei.
Emblema XLIV.

Quæ Dea tam læto suspectans sidera vultu
Cuius tenuis sed lita imago fuit?
Elpidis, effecit manus. Ego nomine quæ sim,
Quæ miseris promptam Spes bona præstat opem.
Cur viridis tibi palla? quod omnia me duce vernent.
Quid manibus mortis tela refracta geris?
Quod viuos sperare docet, præciso sepultis.
Cur in doliolo segmine pigra sedes?
Sola domi mansi volitantibus vndiq; noxis,
Ascræi vt docuit Musa veranda senis.
Quæ tibi adest volucris? Cornix fidissima oscen,
Est bene cum nequeat dicere dicit erit.
Qui comes est bonus Euentus, præcepsq; Cupido.
Quis præcunt Vigilum somnia vana vocant.
Quæ tibi tancta astat? scelerum Rhamnusia vindex,
Scilicet vt sperem nil, nisi quod liceat.

Spiritus

SPIRITVS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

SPiritus, Græce πνεῦμα, ατος, τὸ & πνέω spiro & πνευματικὸς, ἡ, ὸν, spiritualis dicitur. Spiritus dicitur septupliciter, aer, vel ventus, corpora beatorũ, animæ beatorũ, virtus imaginatiua, mẽs, Deus, *secund. B. Th.* 1. *p. q.* 4. *ar.* 3. & 1. *sent. dist.* 12. *q.* 4. *c.*

Spiritus sanctus est tertia persona in diuinis à patre filioque procedens: competit autem ei definitio personæ. Nã persona est, *sec. Boet. lib. de duabus naturis*, rationalis naturæ indiuidua substantia.

Spiritus, Hebr. *Nephesch*, anima, anhelitus, spiritus vitalis, pars nobilior, qua homo viuit, alitur, sentit, aut ratiocinatur. Hæc omnia brutis sunt communia nobiscum præter rationem. Item *Nephesch*, sumitur pro vita animali, seu vegetatiua, quæ constat anhelitu & respiratione: ideoque sæpe vox illa intelligitur de corpore, in quo est anima seu habitus. Deinde per Catachresin pro corpore exanimi, in quo fuit halitus, iam emissus. A verbo *Nippasch*, Animatus est respirando, respirauit, recreatus est, animo refrigeratus est, vt cum attrahitur spiritus placide, restauratur & vegetatur anima. Hinc per aphæresin ψύχω, ψυχόω, animo, viuifico, recreo. 2. A verbo *Nascham*, anhelauit, anhelitum emisit, exhalauit, suspirauit (cognationem habente cum verbo *Nasschab*, flauit, & *Nasschaph*, efflauit) deriuatur nomen *Nesschamah*, halitus, anhelitus, & anhelatio. *Gen.* 2. 7. *Deut.* 20. 16. *Iob.* 27. 3. *Esai.* 57. 16. 3. *Ruach*, Spiritus, frequenter occurrit, nomen deriuatum à verbo *Roach*, Spirauit, efflauit ventum seu halitum. Est verbum actiuum & cognationem habet cum verbo neutro *Ranach*, fuit, respirauit ad aerem, vnde ἀὴρ. & latinum aura: item cum *Riach*, odoratus est respirationem. Hinc ἀὴρ, aër, ventus, Gal. *L'air*, apud Prophetas, de Deo, de Spiritu sancto, de anima humana, de angelis, de plagis mundi, ex quibus venti spirant, occurrit vox *Ruach*, in numero singulari, & *Ruchoth*, in plurali. *Psal.* 31. 6 & 33. 6. & 104. 4. *Esai.* 11. 2. 1. *Sam.* 16. *v. vlt. Ezech.* 37. 9. *Ierem.* 49. *circa finem*, *Zach.* 2. 10.

BIBLICI LOCI.

Spiritus *Primo*, pro affectu, impulsu seu afflatu, & animi motu siue bono, qui à Spiritu sancto proficiscitur, siue vitioso, qui a Diabolo excitatur, *Dan.* 4. *vers.* 5. 6. & 5. *vers.* 11. 14. *Luc.* 4. *vers.* 33. & 99. 55. *Eph.* 2. 2. vnde factum est, vt dona Dei vocentur spiritus: & e contrario, vitia quoque spiritus nomen sortiantur, vt, spiritus auaritiæ, superbiæ, furoris, &c. *Secundo*, pro animo. 1. *Paral.* 5. 26. *Luc.* 10. 21. *Ioan.* 13. 21. *Tertio*, pro anima immortali, *Eccl.* 12. 7. *Matth.* 16. 50. *Ioan* 19. 30. *Act.* 7. 59. 1. *Cor.* 2. *vers.* 11. & 6. 20. 2. *Cor.* 7. 1. *Hebr.* 12. 9. Spiritus, id est, anima, in morte Deo commendatus, *Exempla*: Dauid, *Psal.* 31. 6. Christus, *Luc.* 23. 46. Stephanus, *Act.* 7. 59. *Quarto*, Spiritus per mimesin, pro commentis & somnijs hominum, quibus spiritus prætexitur, 2. *Thess.* 2. *v.* 2. *Quinto*, pro spirituali Dei cultu. *Philip.* 3. 3. *Sexto*, in genere, pro omnibus Spiritus sancti donis & gratijs spiritualibus, 2. *Cor.* 11. *versi.* 4. quibus prædicati Christi vis ac potentia in animis credentium, testibus etiam infidelibus obsignabatur, *Marc.* 16. 20. *Actor.* 8. 15. & 18. 2. 1. *Cor.* 1. *vers.* 5. 7. & 14. 12. *Gal.* 3. 2. *Septimo*, pro Euangelio, 2. *Corint.* 3. *versi.* 6. & spirituali Euangelij efficacia, *Gal.* 3. 2. *Octauo*, pro hominis parte regenerata, *Rom.* 7. 6. *Ioan* 3. 6. *in posteriori parte versus*, hoc est, pro toto homine spirituali, Spiritus sancti gratia Christo insito, ac proinde in eo renouato, qui & ipse spiritus dicitur, vt natura eius perennis, puta ac immortalis significetur, quamuis adhuc superstite lucta carnis, adeo viuens & idem homo fidelis, quamdiu hic versatur, & caro & spiritus diuersis respectibus dicitur. Quod suo exemplo elegantissime describit Paulus, *Rom.* 7. 21. *Nono*, pro altera parte hominis regenerati, videlicet anima, *Rom.* 8. 10. *Decimo*, pro cœlesti & integra, terrenæ siue peccati iugo mancipatæ naturæ opposita, *versic.* 14. *Vndecimo*, pro mente seu rationis sede, τῷ νοΐ, 1. *Cor.* 2. *vers.* 11. & 16. *versic.* 18. 2. *Corinth.* 2. 12. & 7. *vers.* 1. 12. 1. *Thess.* 5. 23. *Hebræorum* 4. 12. *Duodecimo*, pro diuina Christi potentia, & efficacia Deitatis in humanitate assumpta, *Matth.* 12. 28. *Roman.* 1. 4. 1. *Timoth.* 3. *versi.* 16. *Hebraeor.* 9. 14. 1. *Pet.* 3. *vers.* 18. 19. sic accipitur [illegible], & 1. *Ioan.* 5. 8. *Decimotertio*, pro Deitate Christi, *Ioannis* 6. 63. in posteriore parte versus, & 1. *Petr.* 2. 18. *Decimoquarto* pro ijs qui se spiritu præditos dicunt ad obeundum prophetiæ munus, μεταφορικῶς, 1. *Timoth.* 4. 1. 1. *Ioan.* 4. 1. *Decimoquinto*, pro spiritualibus exercitijs, *Galat.* 6. *versic.* 8. spiritus mandato oppositus, *Ioan.* 4. 23. quod carnale dicitur, *Heb.* 7. *versic.* 16. in se videlicet consideratum, & signo seipsa subiunctum.

Spiritus adoptionis, *Rom.* 8. 15. Spiritus compunctionis, 11. 8. dæmonij, aut dæmoniacus, pro Diabolus, Hebraismus, *Luc.* 4. 33. dilectionis, 2. *Timoth.* 1. 7. erroris, *ibidem*. Filij, *Galat.* 4. *versic.* 6. Dicitur autem Spiritus sanctus peculiariter Filij spiritus, cum patris & filij, & spiritus, eo, quod per eum obsignatur nostra in Christum adoptio. Spiritus ex fide, *Galat.* 4. 5. dicitur spiritus qui fidem gignit, seu qui fidelibus datur. Spiritus gratiæ, *Hebr.* 10. *versi.* 29. gratię & precum, *Zach.* 12. *u.* 10. infirmitatis pro morbo a Satana inflicto, *Luc.* 13. 11. vt explicatur, *ver.* 16. sapientiæ, intelligentiæ, consilij, fortitudinis, scientiæ & timoris. *Es.* 11. *versic.* 2. Spiritus sapientiæ pro dono sapientiæ per Spiritum sanctum infuso. *Ephes.* 1. 17. spiritus lenitatis, pro spiritu leni vel leniter affecto, Hebraismus, 1. *Corinth.* 5. 2. spiritus sanctificationis *Rom.* 1. 4.

Spiritus seruitutis, *Rom.* 6. 15. sobrietatis, 1. *Tim.* 7. Promissionis, *Ephes.* 1. 13. sic dicitur, quia non affert legis, & seruitutis terrorem, sed promissionem gratuitę adoptionis suis donis obsignat in credentium animis Spiritus mundi. 1. *Corinth* 2. 12. sic dictus a Paul. quia doceat quæ mundus curat, & quorum capaces sunt homines quadam naturæ spõte: Prophetarum, hoc est, pro doctrina quam adferunt Prophetæ spiritu Dei afflati, 1. *Cor.* 14. 32. veritatis, *Ioan.* 14. *versic.* 17. vocatur sic, non tam quia in sese verax est, vtpote Deus æternus, quam ab effectu, quod veritatem inspiret, *Ioan.* 16. 13. Prophetæ etiam & Doctores vocantur spiritus veritatis, 1. *Ioan.* 4. 6. quasi dicat, spiritus veridici, sicut contra spiritus erroris, vocantur spiritus errantes, & alios in errorem adducentes. Spiritus virtutis, 2. *Tim.* 1. 7. vitæ, pro vita animalis, *Apoc.* 11. 11.

Spiritus, numero multitudinis, pro interioribus animi conceptionibus, 1. *Cor.* 12. 10. spiritus septem, Dei maiestati adiunguntur quasi stipatores, *Apocal* 1. 4. non quasi illos Ioannes vlla ex parte, vel Deo exæquet, vel cum Christo conferat: sicut etiam Paulus testes vna citat Deum, Christum & Angelos, 1. *Tim* 5. 21. Nã quod septem hos spiritus nonnulli pro Spiritu sancto acceperunt, cuius septiformis (vt loquuntur) sit gratia, quibusdam minime placet, & refellunt illam interpretationem ex *Apocal.* 5. 6. vbi idẽ spiritus, agni cornua & oculi, quod est, ministri dicũtur.

Spiritus sanctus: Spiritus sanctus pro spiritualibus eius donis μετωνυμικῶς, *Luc.* 2. 25. *Ioan.* 7. 39. *Actor* 8. *versic.* 15. 17 & 10. 44. & 11. *versic.* 15. & 15. 8. & 19. *versic* 2. 6. 1. *Corinth.* 14. 12. pro vi & efficacia Christi, quam per Spiritum sanctum exerit in nobis viuificandis & sanctificandis, *Matth.* 3. *u.* 11. Spiritus sanctus pro tertia in sancta Triade persona, quæ vna cum Patre & Filio coessentia, & Deitate idem est, Deus disertè appellatur, *Esa* 26. *u.* 8. 9. *Acto.* 28. *v.* 25. 26. & 5. *v.* 3. 4. 1. *Cor.* 3 *v.* 6 & 6. *v.* 19. 20. 2. *Cor.* 6 16.

Deus probatur: quia æternus est, *Gen.* 1. 2. *Hebr.* 9. *versicul.* 14 *quia* cum in solus Dei nomen sit baptizandum, in Spiritus sancti nomen baptizare iubemur, *Matth.* 28. 19 *Marc* 6 *versic.* 15 *quia* cum nemo sit bonus nisi Deus, *Matth.* 19. 17. *Marc* 10. 10. *Luc.* 18. 19. Spiritus sanctus bonus dicitur, *Psalm.* 143. 10. *quia* ecclesiæ præest, dat illi Apostolos, & Doctores, omnium bonorum fons, atque author est. *Esa.* 48. *v.* 16. *Actor.* 13. 2. & an. 28. *Rom* 15. 13. 1. *Corint.* 12. *versic.* 6. 11. *quia* illa sua bona pro libertate sua voluntate omnibus prout vult distribuit, & communicat, 1. *Corinthior.* 12 *versic.* 4. 5 7. 8. 9. 10. 11. vbi etiam manifeste a suis donis discernitur, *quia* creator est, *Iob* 26. 13. & 33. 4. *Psal.* 33. 6. & vitam in rebus quibuslibet creat, *Psalm.* 104. 30 *quia* arcanæ Dei patris voluntatis conscius, 1. *Corinth.* 2. *versic* 10. 11. *quia* cum omnis consolationis author Deus sit, *Rom.* 15. 5. 2. *Corinth.* 1. *versic.* 3. Spiritus sanctus consolatur corda credentium, vnde & Consolator appellatur, *Ioan.* 14. *versic.* 16 16. & 15. 16. & 16. 7 *quia* cum Patre & Filio connuogitur, *Matth* 28. 16 2 *Corinth.* 13 13. *quia* cũ non nisi a Deo doceantur fideles interius, *Esa.* 54. 13 *Ioan.* 6. 45. Spiritus sanctus docere dicitur, *Luc.* 12. 12. *Ioan.* 14. 26. & 16. 13. 2. *Ioan.* 2 27. 1. *Quia* Dominus dicitur & Deus, 1. *Corint.* 12. 4. 5. Atqui si donum tantum aut motus esset, Dominus minime diceretur: motus enim & donum Dominus, appellari non potest. *Quia* cum solus Iehoua, verus Deus eduxerit populum ex Aegypto, *Exod.* 20. 2. Spiritus sanctus doctor populi ex Aegypto dicitur, *Esa.* 63. 14. *quia* mouet corda intrinsecus vt oreons, *Roman.* 8. *versic.* 26. *quia* cum liberos facere sit Dei opus. Spiritus sanctus liberos facit, 1. *Corinth.* 3. *versic.* 17. *quia* cum solius Dei sit iustificare, *Roman.* 4. 5. Spiritus sanctus iustificare dicitur, 1. *Corinth.* 6. 1 *quia* nostræ regenerationis tanquam parens est, *Ioan.* 3. *versic.* 6. 8. *quia* peccatum in eum admissum, blasphemia, id est, impium in diuinitatem delictum dicitur, *Matth.* 12. 31. *quia* cum populi Israelitici rebellio cõtra solum verum & æternum Deũ facta fuisse legatur passim in Scriptura: populus Israeliticus in Spiritum sanctum rebellis fuisse dicitur, *Psalm* 78. 40. *Esa.* 63. 10. *Quia*, cum sanctificare sit solius Dei proprium, Spiritus sanctus dicitur spiritus sanctificationis, id est, sanctificans. *Rom.* 1. 4. *Quia* cum omnis sapientia, & loquendi facultas sit solius veri Dei, ac proinde ab ipso petenda, *Exod.* 4 11. *Iac.* 1. *v.* 5 17. Spiritus sanctus, & sapientiam, & loquendi facultatem conferre dicitur, *Matt.* 10. *versic.* 19. 20. *Marc.* 13. 11. *Luc.* 12. *versic.* 24. 15. *Ioan.* 14. 26. *Actor*

15. *Act.* 2. 4. 1. *Cor.* 2. 13. & 12. 8. *Quia* cum præcipiatur ne Deum tentemus, *Deut.* 6. 16. *Matth.* 4. 7. ne Spiritus sanctus tentetur, iubetur, *Act.* 5. 9. sicut nec Christus tentandus est, 1. *Cor.* 10. 9. *Quia* cum solius Dei verbum sit audiendum, & in præceptis ipsius ambulandum *Ezech.* 20. *vers.* 18. 19. *Luc.* 11. 28. verba spiritus sancti audienda præcipiuntur. *Apoc.* 2. *vers.* 7. 17. 29. *Quia* Christus virtute spiritus Dei edidisse miracula dicitur, *Rom.* 15. 19. *Quia* veritas est, 1. *Ioan.* 5. 6. non secus ac Filius, *Ioan.* 14. eiusdem ergo essentiæ cum Filio. *Quia* verba illa quæ prophetæ palam Deo exercituum attribuunt, *Leuit.* 26. 12. 13. *Psal.* 95. 7. 8. *Esa.* 6. 7. 9. spiritui sancto attribuuntur, *Act.* 28. 25. 26. 1. *Cor.* 3. 16. & 6. 19. 2. *Cor.* 6. 16. *Hebr.* 3. 7. 8. 9.

Quod autem creatura non sit, probatur: *Quia* omnis creatura vanitati subiecta est. *Roman.* 8. 20. ergo idem & de spiritu sancto dicendum foret, si creatura esset, quod est ἀσύστατον, prorsus, & absurdum, cum vbi spiritus, ibi sit libertas, 2. *Cor.* 3. 17. & spiritus sanctus sit æternus, *Hebr.* 9. 14. *Quia* cum ab increato procedat, *Ioan.* 15. 26. increatus vt sit, necesse est. Quod autem spiritus sanctus vltimo loco ponitur. *Matth.* 28. 19. 2. *Cor.* 13. 13. neminẽ conturbet, nam & primo loco positus legitur. 1. *Cor.* 12. 4. *Quia* etiam profunditates Dei inuestigat, 1. *Cor.* 2. 10. Atqui id creaturæ non competit. *Quia* habitat in nobis, *Rom.* 8. 9. 1. *Cor.* 3. 16. & 6. 19. 2. *Cor.* 6. 16. 2. *Tim.* 1. 14. quod est solius veri Dei proprium, *Leu.* 26. 12. 2. *Cor.* 7. 16. *Quia* filios Dei facit eos in quibus habitat. *Rom.* 8. 14. quod creatura efficere non potest: *Quia* viuificat, *Ro.* 8. 2. atqui viuificare nulla creatura potest: *Quia* Christum in desertum & in Galilæam abduxit, *Luc.* 4. 1. 14. atqui Christus, vnigenitus Dei filius, non fuit ita imbecillis, vt creati spiritus virtute indigeret: *Quia* renascimur per spiritum sanctũ. *Ioan.* 3. 5. 1. *Pet.* 1. 23. quod creaturæ tribui non potest.

Quod autem motus aut donum tantum non sit, sed verba hypostasis seu persona, probatur è proprietatibus personæ subsistenti competentibus: *Quia* tribuitur illi vox, *Act.* 13. 2. *Apoc.* 2. 7. 17. 29. libera voluntas, 1. *Cor.* 12. 11. vbi etiam manifeste distinguitur à suis donis. 4. 5. 6. &c.

Spiritus sanctus aquæ nomine significatur. *Esa.* 44. 3. *Ioan.* 3. 5. *Hebr.* 10. 22. & ignis, *Matth.* 3. 11. ab ipsius in nobis effectu. Spiritus sanctus Arrhabo. 2. *Cor.* 1. 22. & 5. 5. *Gal.* 4. 6. *Ephes.* 1. 13. 14. Quia in cordibus nostris futuræ hæreditatis certitudinem suo testimonio stabilit, confirmat & obsignat, *Rom.* 8. 15. Spiritus sanctus, diuinorum donorum distributor, 1. *Cor.* 12. 11. Digitus Dei. *Luc.* 11. 20. piorum doctor. *Matth.* 10. 20. *Ioan.* 14. 26. *Actor.* 6. 10. 1. *Cor.* 2. 12. 1. *Ioan.* 2. 27. Piorum dux *Roman.* 8. 9. semen dicitur. 1. *Ioan.* 3. 9. Ab effectu, quod eius virtute tanquam ex semine quodam noui homines efficiamur. Sigillum, 2. *Cor.* 1. 21. *Ephes.* 4. 30. σφραγισθέντες, quod & Christo tribuitur, sed diuersa prorsus quam Spiritui Sancto ratione. Testis Christi *Ioan.* 15. 26. 1. *Ioan.* 5. 7. Virtus ex alto, *Luc.* 24. 49. vnctio, 1. *Ioan.* 2. 20. 27.

Spiritus sanctus minime contristandus. *Ephes.* 4. spiritus sanctus Apostolis datus *Ioan.* 20. 22. *Act.* 2. 3. 4. 33. in fideles copiose effusus est, *Tit.* 3. 5. spiritus (id est, lumen & afflatus Dei in mentibus refulgens) minime extinguendus, 1. *Thess.* 5. 19. Per os Dauidis locutus est, 2. *Sam.* 23. 2. *Act.* 1. 16. in Prophetis locutus dicitur, 28. 25. *Hebr.* 3. 7. & 10. 15. 1. *Pet.* 1. 11. 2. *Pet.* 1. 21. spiritus sanctus, Ecclesiæ promissus, *Esa.* 44. 1. 3. *Ezech.* 11. 19. & 36. 27. & 39. 29. *Ioel.* 2. 28. *Zach.* 12. 10. *Matth.* 3. 11. *Luc.* 11. 13. & 24. 49. *Ioan.* 7. 39. & 14. 16. 26. & 15. 26. & 16. 7. *Actor.* 1. 4. & 2. 17. spiritus sanctus non tangendus. 5. 9. Quomodo agnoscitur, 1. *Ioan.* 4. 2. super Christum descendit. *Matth.* 3. 16. *Ioan.* 1. 32. 33. In pijs habitat, *Rom.* 8. 9. 1. *Cor.* 3. 16. 2. *Tim.* 1. 14. 1. *Ioan.* 3. 24. & 4. 13. Interpellat pro nobis, *Rom.* 8. 29. Non quod apud Patrem, vel Filium ipse sit Mediator, sed quia nos ad preces instigat, atque adeo veluti verba & suspiria nobis intus dictat. Sic dicitur clamare, *Gal.* 4. 6. Quoniam facit ipse vt clamemus, quemadmodum explicatur, *Rom.* 8. 15. Spiritus viuificat, 6. 63.

Spiritus sancti personæ propria attributa. *Ioan.* 15. 26. & 16. 7. 8. 13. 14. 1. *Cor.* 12. 3. 4. 2. *Cor.* 1. 21. 22. & 13. 13. *Eph.* 1. 13. 14. 1. *Thess.* 5. 19. *Tit.* 3. 5. *Iacob.* 1. 25. & 4. 5. 1. *Ioan.* 2. 27. & 5. 8. spiritus fructus, *Gal.* 5. 22. spiritus nouitas, *Ioan.* 7. 6. spiritus prudentia. 8. 8. spiritus cum carne pugna, *Gal.* 6. 17. spiritus vnitas seruanda, *Eph.* 4. 1. 3.

Spiritu ambulare, *Gal.* 5. 16.

Spiritus significationes varias, accurata quadam distinctione cõsignatas, quæ præcedentium veluti compendia dici possunt subiicimus. *Spiritus* igitur, essentialiter acceptus, Deus est, Pater filius, spiritus sanctus incorporea, spiritualis essentiæ, indiuisibilis, simplex. *Ioan.* 4. 21. Personaliter acceptus, est tertia persona in essentia diuina, spiritus Dei & domini, nempe Patris & filij, verus etiam Deus & æternus, consubstantialis, omnipotens. &c. 2. Spiritus, pro diuina Christi natura, *Rom.* 1. 4. *Corinthior.* 15. 45. 1. *Tim.* 3. 16. 1. *Pet.* 3. 18. spiritus, efficax præsentia spiritus sancti totũ corpus Christi mysticum permanentis, 1. *Cor.* 6. 17. *Eph.* 4. 4. Spiritus pro sapientia summa in Deo, quiduis in mundo, & Ecclesia irreprehensibiliter extra supraque humanam censurã agente, *Malach.* 2. 15. Nomine spiritus intelliguntur affectus illi quos S. Scriptura Deo humanitus tribuit. *Exo.* 15. 8. 2. *Sam.* 22. 16. *Iob* 4. 9. & 15. 30. *Psalm.* 33. 6. *Esa.* 30. 28.

3. Spiritus deorum, id est, eximius, & diuinus quidam spiritus, mortali homini concessus, *Dan.* 4. 5. 6. & 5. 11. 14. spiritus, is qui Spiritus sancti dono peculiari se præditum esse asserit, 1. *Ioa.* 4. v. 1. 2. 3. 6. spiritus pro organo per quod sanctus spiritus vitam infundit, & operatur in electis Dei, *Ioan.* 6. 63. spiritus, pars regenerata in electis, carni opposita. *Rom.* 8. v. 6. 6. 9. 10. *Gal.* 5. 17.

4. Spiritus, pro pietatis studio a sancto spiritu profecto. *Galat.* 5. 8. pro reuelatione a Spiritu sancto prolata, 2. *Thess.* 2. 2. pro hominibus, prophetia dono ornatis, 1. *Tim.* 4. 1. pro spirituali dono, 1. *Corinth.* 4. 12. pro eo qui adoptionis gratia præditus est, *Ioa.* 3. 6. pro spirituali modo, legali, & externo cultui oppositus. *Ioan.* 4. 14. 24. *Phil.* 3. 3. pro spirituali ratione, & vi fidei quæ diuinis promissionibus innititur, *Gal.* 4. 19. Pro verbo Christi, *Esa.* 11. 4. 2. *Thess.* 2. 8.

5. Spiritus nominantur Angeli boni, *Iob* 4. 15. *Actor.* 13. 8. *Hebr.* 1. 14. Et Angeli mali *Iudic.* 9. 23. 1. *Sam.* 16. 14. 1. *Reg.* 22. v. 21. 22. *Matth.* 8. 16. *Ephes.* 2. 2. *Apoc.* 16. 13. & 18. 2. Spiritus immundus, vide Satan. Spiritus mutus, & surdus cacodæmon nominatur ab effectu, quoniam mutum, & surdum reddiderat hominem. *Marc.* 9. 17. &c. Spiritus, id est, ij qui in Ecclesia iactant, se spiritualibus donis esse præditos, vt suas hæreses facilius spargant, probandi sunt. 1. *Cor.* 14. 29. 1. *Thess.* 5. 21. 1. *Ioan.* 4. 1. Spiritus, anima rationalis, & immortalis *Ps.* 52. 6. *Zach.* 12. 1. *Matth.* 27. 50. *Act.* 23. 8. 1. *Pet.* 3. 19. Animus humanus, in quo sedes voluntatis, & affectuũ, *Gen.* 41. 28. *Luc.* 1. 47. *Ioan.* 11. 33. *Act.* 17. 16. 1. *Cor.* 11. 2. *Cor.* 7. 13. 1. *Petr.* 3. 4. Affectus & motus spiritualis, boni, vel mali, *Num.* 3. 14. *Os.* 14. 12. *Luc.* 9. 55. *Rom.* 11. 8.

6. Spiritus vitalis, pro animantium habitu, *Gen.* 9. 17. *Ps.* 78. 39. & 104. 29. *Apocal.* 11. 11. & 13. 15. pro visione mentali, *Ezech.* 37. 1. *Apoc.* 1. 10. & 4. 2. & 17. 3. & 21. 10. pro creatura omni, quæ vitali spiritu, & habitu prædita est, *Psalm.* 110. 6. Spiritus mundi, 1. *Cor.* 2. 12. Spiritus erroris, 1. *Tim.* 4. 1. Spiritus pro spectro, *Luc.* 24. v. 37. 39. Spiritus oris dicitur Rex, & Princeps cuius beneficio subditi respirare, & vitam tradere videntur, *Lament.* 4. 20. Spiritus, pro concentu, & strepitu, *Exec.* 26. 13. pro vento, *Gen.* 8. 1. *Psalm.* 104. 4. & 147. 18. pro vanitate, *Mich.* 2. 11. Spiritualis, & spirituales, 1. *Corinth.* 2. v. 13. 15. *Galat.* 5. 1.

SENTENTIÆ BIBLICÆ.

O quam bonus, & suauis est, Domine, spiritus tuus in omnibus! *Sapien.* 12. 1.

Quicunque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro. *Matt.* 12.

Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei. 1. *Cor.* 2.

Hæc omnia operatur vnus atque idem spiritus, diuidens singulis prout vult. *Ibi.* 12.

Vbi spiritus Domini, ibi libertas, 1. *Cor.* 3.

Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per spiritum S. qui datus est nobis. *Rom.* 5.

Nam quid oremus sicut oportet, nescimus, sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. *Ibid.* 8.

Accepistis spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus, Abba pater. *Ibid.*

Signati estis Spiritu sancto promissionis qui est pignus hereditatis nostræ. *Eph.* 1.

Spiritus sanctus docebit vos in ipsa hora, quid oporteat vos dicere. *Luc.* 12.

SENTENTIAE PATRVM.

Sanctum semper opus in me spira, vt cogitem: compelle, vt faciã: suade, vt te diligam: confirma me, vt te teneam: custodi me, ne te perdam. *Au. in Epist.*

Spiritus sapientiæ negligentiam impigre repellit, spiritus intellectus diligentiam rationabiliter quærit, spiritus consilij diuinã prouidentiam prudenter inuenit, spiritus virtutis instigationes fortiter recondit, spiritus scientiæ obliuionem lubricam diuersæ integre non sinit, spiritus pietatis humanam fragilitatem clementer indulget, spiritus timoris Dei improuidam ignorantiam ardenter decoquit, & bene replet. *Hieron. super Matt.*

Porro ad faciendum bonum quid in nobis bonus spiritus operatur? profecto monet, mouet, & docet: monet memoriam, mouet voluntatem, & docet rationem: nec minimam paleam infra cordis, quod possidet habitaculum patitur residere, sed statim igne subtilissimæ circumspectionis, & compunctionis exurit spiritus dulcis, & suauis. *Greg. in mor.*

Habitare in corpore animam, probant vitales sensus corporis; habitare

habitare anima spiritum, probat vita spiritualis. Illud ex ... u, & auditu dignoscitur, istud ex charitate, & humilitate, cæterisque virtutibus. *Ibid.*

Spiritus sanctus in linguis igneis apparuit, quia omnes, quos repleuit ardentes pariter, & loquentes fecit. *In Hom.*

Quia Dominus discipulos, & zelo succensos, & verbo eruditos lotus reddit, foras linguas igneas ostendit: in significatione admota sunt elementa, vt ignem, & sonitum sentirent corpora, igne vero inuisibili, & voce siue sonitu docerentur corda. Foris ergo fuit ignis qui apparuit, sed intus qui scientiam dedit. *In moralib.*

Idcirco Spiritus sanctus in igne, & columba nobis mõstratus est, quia videlicet omnes, quos implet, & columbæ simplicitate mãsuetos, & igne zeli ardentes exhibet. Nequaquam ergo Spiritus sanctus plenus est: qui aut tranquillitate mansuetudinis feruorem æmulationis deserit, aut rursus in æmulationis ardore virtutem mansuetudinis amittit. *Ibid.*

Spiritus sanctus contra singula tentamenta erudit, & in septem virtutibus temperat: nempe contra stultitiam sapientiam, cõtra hebetudinem intellectum, contra præcipitationem consilium, contra timorem fortitudinem, contra ignorantiam scientiã, cõtra duritiem pietatem, contra superbiam Dei timorem. *Ibid.*

In terra datur spiritus, vt diligatur proximus, e cęlo datur Spiritus, vt diligatur Deus, sicut ergo vna est charitas, & duo præcepta, ita vnus spiritus, & duo dona. *Hom. 26.*

Considero patres noui, & veteris testamenti, Dauid, Danielem, Amos, Petrum, & Paulum, & Matthæum, & apertis oculis fide intueor: implet namque Spiritus sanctus puerum citharædum, & Psalmistam facit: implet abstinentem puerum, & iudicem senum facit: implet pastorem armentarium, & prophetam facit: implet piscatorem, & principem Apostolorum facit: implet persecutorem, & doctorem gentium facit: implet publicanum, & Euangelistam facit: quam ergo insani sumus, qui hunc spiritum non quærimus. *sup. Ezech.*

Absque vlla dubitatione conuenienter accipitur, vel Spiritu sancto ductus creditur, vt illuc eum fons Spiritus duceret, vbi eũ ad tentandum spiritus malignus inueniret. *super Matth.*

Cum absque corporis adminiculo nec bestialis spiritus, nec seruus, conditionis debitum soluere, nec spiritualis cœlestisq. creatura implere ministerium pietatis, nec rationalis anima, tam proximo, quam etiam sibi sufficiat consulere ad salutem, liquet omnem creaturæ spiritum siue vt iuuet, siue vt iuuetur, siue simul vt iuuet, & iuuetur, corporeo prorsus indigere solatio. *Ber. super cant. serm. 5.*

Spiritus Paraclitus dat pignus salutis, robur vitæ, scientiæ lumen, pignus salutis, vt ipse reddat testimonium spiritui tuo, quod filius Dei sit. Robur vitæ, vt quod per naturam tibi est impossibile per gratiam eius non solum possibile, sed etiam facile fiat. lumen scientiæ, vt cum omnia bene feceris, te seruum inutilem putes: & quicquid boni in te inueneris, illi tribuas, a quo omne bonum est. In trib. istis Spiritus sanctus docebit te omnia, quę pertinent ad salutem. *In sermone 2. Pentecost.*

Spiritus sanctus multiplex dicitur, quia multipliciter filijs inspiretur, conceditur enim ad vsum, ad miraculum, ad salutem, ad auxilium, ad solatium, ad feruorem. Ad vsum vitæ bonis, & malis communia bona abundantissime tribuens. Ad miraculum, in signis, & prodigijs. Ad salutem, quum toto corde reuertitur ad dominum Deum. Ad auxilium, quum in omni colluctatione adiuuat infirmitatem nostram. Ad solatium, quum testimoniũ perhibet spiritui nostro, quod filij Dei sumus. Ad feruorem quũ in cordibus perfectorum vehementius spirans validum ignem charitatis accendit, vt non solum in spe filiorum Dei, sed etiam tribulationibus glorientur, contumeliæ gloriam reportantes. *ser. 15. Pentecost.*

Spiritus Iesus, spiritus bonus, spiritus sanctus, spiritus rectus, spiritus dulcis, spiritus fortis infirma roborans, aspera planans, corda purificans, quicquid in hoc sęculo nequam videtur, difficile, & angustum, leue facit, & hic illatum opprobrium gaudium iudicat, despectionem exaltationem esse persuadet. *Bernardus.*

O quam velox est sermo sapientiæ! & vbi Deus magister est, cito discitur quod docetur. Non est adhibita interpretatio ad audiendum, non consuetudo ad vsum, non tempus ad studium, sed spirante, vbi voluit spiritu veritatis, propriæ singularum gentium vitæ euangelicæ prædicationis intonuit, ab hoc die imbres charismatum, flumina benedictionum omne desertum, & vniuersam aridam rigauerunt. *Leo Pap. in ser. de Pentecost.*

Nulla in discendo mora est, vbi Spiritus sanctus doctor adest. *Beda Hom. 9. in Luc.*

Septem graduum erat ascensus ciuitatis, sunt enim multi, qui iam per septem gradus, id est, per sancti Spiritus septiformem gratiam, aditum vitæ cœlestis inueniunt: per timorem Dei humiles, per pietatis studium misericordes, per scientiam discreti, per mentis fortitudinem liberi, per consilium cauti, per intellectum prouidi, per sapientiam maturi. *sup. Ezech.*

Spiritus sanctus in columba, & igne apparuit, quia omne cor, quod eius gratia tangitur, & mansuetudinis lenitate tranquillum, & zelo iustitiæ fit accensum. *In hom.*

SIMILITVDINES.

Laurentij Iustiniani patriarchæ. Dum terreni reges, & gentium principes vrbium suarum possessores pacifici fieri appetũt, hac prudentia, & hmõi ingenij calliditate vtuntur, vt videlicet de ciuitatibus amoueant, & condemnent quotquot sui principatus suspectos habent, ac suæ dominationi aduersarios effici posse formidant: quatenus ablatis seditionis fautorib. tute & absque metu valeant dominari. Consueuit quoque doctus agricola vomere radicitus sentes ex agro diuellere: ne forte si non iniscerent: seminatæ segetis immaturum prærocarent fructum. Sic quilibet Christi seruus: sic quisquis animi sui inordinatis motibus pacifice principari desiderat, & spiritualem fructum Deo amabilẽ ex agro interioris, exteriorisq. hominum perferre cupit, agere nõ desistat. Studeat namque solerter abdicare a se omnem cordis sui fictam, & coinquinatam intentionem, & affectionem: atque supprimere perniciosum, & inordinatũ vsum membrorum corporalium: vt segregata, & sopita per virtutis habitum, & continentiæ, magisterium vtriusque hominis carnali, & vitiosa cõsuetudine Deo patiente & suauiter vacare queat dominatrix aĩa, atque per laudabilia spiritualis exercitationis opera fructũ ex se valeat vberem producere iustitiæ. Habent quippe cuncta corporis membra, actuum suorum reprehensibiles motus, habent spiritui aduersantes nostrasque concupiscentias, de quib. innumerabilia generantur delicta: quæ nisi disciplinæ rigore diligẽter conculcentur, graue animæ pondus inferunt, miserabilemque ruinam. *De disciplina ac perfectione monastic. c. 15.*

Puerorum mos est, cuncta secundum sensum eligere. Nihil enim sapiunt, nisi quod pulchrescit visu, mulcet auditu, lenocinatur odoratu, sapit gustu, ac mollescit attactu. At spiritualis homo omnia dijudicans, hæc parui pendens, sola spiritualium examinatione delectatur. *In ligno vitæ, c. 8. oratione.*

Christi Saluatoris. Spiritus vbi vult spirat, & vocem eius audis, sed nescis vnde veniat, & quo vadat: Sic & omnis qui natus est è spiritu. *Ioan. 5.*

Pauli Apostoli. Quis hominum nouit ea, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui est in eo? Sic & ea quæ sunt Dei, nemo nouit, nisi spiritus Dei. *1. Cor. 2.*

Chrysostomi. Sicut non est possibile, vt ex sola pluuia fructificetur terra, nisi flauerit super eam ventus: Sic non est possibile, vt sola doctrina corrigat hominem, nisi cooperatus fuerit spiritus sanctus in corde ipsius. *In 7. Matth. hom. 20.*

Spiritus sanctus ignis est, vt excitamentum, & feruorem gratiæ, & peccatorum absumptionem significet. Aquam dicit eum, vt ablutionem, & refrigerium, quibus ipsum accipientes animi fruãtur. Etenim tamquam hortum virentem, & semper florentibus arboribus comantem, ita promptam animam disponit, vt nulla anxietate, nullis satanæ insidijs distrahi sinat, sed omnia ardentia malitiæ tela extinguat. *Hom. 31. in Ioan.*

Sicut si quis fontem intus habeat, nunquam sitiret: Ita & qui hanc aquam habuerit. *ibid.*

Si rex missis literis iubeat vinctos è carcere dimitti, gaudium est ac lætitia. Deus autem mittit spiritum è cœlis, non reliquias pecuniæ debitæ, sed vniuersa peccata condonans: & omnes fletis & eiulatis? *Hom. 2. in Acta Apost.*

Sicut in commercijs qui acceperit arrhabonem fidem habet, & securus est de toto reliquo: Ita & tu cum acceperis arrhabonẽ spiritus dona, inquam, non iam dubitare debes de cæteris bonis tibi repositis. *Hom. de resurrectione.*

Quemadmodum milites in multitudinem erupturos, nemo patitur exire, priusquam armati fuerint, neque quisquam equos sinit a carcere prosilire, priusquam aurigã nacti sint: Ita nec Christus discipulos suos passus est in acie conspici, priusquam descenderet Spiritus, ne facile caperentur, & abducerentur a multitudine. *Hom. 1. in Acta. Apost.*

Sicut nauis, quæ prospero flatu fertur in pelãgo, non potest impediri, neque demergi vsquequo prospero vento, ac perseuerante perfruitur, sed etiam post nauigationem gloria eis magna contingit, siue nautis, siue vectoribus: illis quidem requiem tribuens, quod labore remigationis non fuerint fatigati: illis autem quod eos maris molestia liberauit, & nauigationem illam hilarem fecit, & velut spectaculum illis iucundum ipsam prosperitatem cursus attribuit: Sic etiam anima a diuino adiuta spiritu, omnibus rebus superior existit, & omnibus fluctuationibus vitæ huius eminebit, & ad vitam in cœlum ducentem vehementius quam illa nauis incedit, vtpote quæ non vento impellitur, sed ab ipso paracleto fertur, munda vela possidens, & plena prosperis flatibus omnem remissionem, & dissolutionem a sua mente discutiens. Sicut enim in velis iactatis ventus incidens nihil

operatur

operatur: Sic etiam spiritus sanctus in aolma remissa & regni non patitur permanere. *Hom. 24. in epist. ad Hebraeos.*

Sicut aranearum stamina flatum vento noo suscipiunt. Sie neque anima secularis oeque homo animalis gratiam poterit Spiritus sancti suscipere. *Hom. 24. epist. ad Hebr.*

Da mihi navim vacuam, gubernatorem, nautas, funes, anchoras, omnia dispositá & nusquam esse spiritum venti: oonne tardat omnis quantuscunque est apparatus, si desit operatio spiritus? Ita fieri solet licet sit sermonis ampla suppellex, & mens profunda, & eloquentia, & intelligentia: & non adsit Spiritus sanctus, qui vim suppeditet, ociosa sunt omnia. *De sancto adorando spiritu.*

Basil. Quemadmodum vultuum imagines nó in qualibet materia redduntur, sed in ijs duntaxat, quae laeuorem & pelluciditatem quandam habent. Ita non in quibuslibet mentibus operatio Spiritus, sed ijs quae nihil habent obliquum, oihil obtortum. *In Esaiam.*

Quemadmodum ars est in eo qui nactus est illam: sic gratia Spiritus in eo qui recepit, semper quidem praesens, at non perpetuo operans. Nam & ars potentia quidem est in artifice, actu vero tum, quum secundum illam operatus. Itidem Spiritus semper quidem adest dignis, sed operatur in illis iuxta vtilitatem, aut in prophetijs, aut in sanationibus, alijsque miraculorum operationibus. *De Spiritu S.*

Quemadmodum si in nocte tollis lucernam é domo, superest, vt nihil videant oculi, nihil perentur virtutes, nec agnoscatur rerum dignitas, sed per ignorantiam aurum perinde cóculcetur, ac si ferrum esset. Itain intelligibili gubernatione, impossibile est illam in stitiam manere vitam absq. Spiritus: nihilo proiecto magis, quam exercitus in recto ordine manere potest absente duce, aut chorus in consonantia, nisi adsit chori praefectus, qui temperet harmoniam. *ibid.*

Sicut quia iuxta floridos colores posita sunt, é splendore promanante colorantur & ipsa: Sic qui euidenter intendit oculos in Spiritum, ex illius gloria quondam modo tráosformatur, vt fiat illustrior, dum veritate à Spiritu promanaote, ceu luce, corda illuminantur. *De Spiritu S.*

Spiritus S. Sic omnes participes sunt, vt ipse maneat integer, tadij solis in mote: cuius beneficium si adest ei qui fruitur, quasi soli adsit, quum & terram illustret, & mare, & aeri miscetur: Eodem & Spiritus sanctus, vnicuique capacium quum adsit, quasi soli, omnibus sufficientiam & integram gratiam infundit, quo fruuntur, quaecunque de illo participant, non quantum ipsa sua natura possunt capere, sed quantum potest ille. *De Spiritu sancto.*

Quemadmodum corpora illustria perlucidaque contracta radio solis, fiunt & ipsa supra modum splendida, & alium fulgorem ex sese profundunt: Sic & animae Spiritu afflatae ac Spiritu illustratae, fiunt & ipsae spirituales, & in alios gratiam emittunt. Hinc futurorum praesensio, arcanorum intelligentia, occultorum comprehensio, donorum distributiones caelestis conuersatio, cum angelis choreae: hinc gaudium nunquam finiendum, hinc in Deo perseuerantia, hinc similitudo cum Deo, & quo nihil sublimius expeti pôt, hoc est vt Deus fias. *De spiritu sancto.*

Quemadmodum in speculo impurgato, rerum imagines intueri non possunt: Sic homo Spiritus sancti illustrationem recipere non potest, nisi peccatum & carnis affectionem abijciat. *Apud Maximum.*

Nazianzen. Quin neque Spiritus eiusne scruteris processum, sufficit mihi quod filius, quod ex patre: & quod hic sit pater. ille vero filius: & nihil in his curiose scrutor, ne in vocibus quae penitus omnem elocutionem superant humanam, mihi accidat quod visui, quum in radios dirigitur solares. Quãtum enim quis plus & diligentius videre voluerit, tanto magis sensu laeditur: & dum intimum cernere quaerit, etiam illo quod plus est priuatur, quum res quae videri debet, longe etiam visum exuperet, si illam totam videre volueris, & non ita quemadmodum cernere est tutum. *In oratione de Hæro episcopali.*

Quemadmodum lucis radij habitum inter se iuxta naturam habene indiuisibilem, & nec à luce segregantur, aut inuicem abscindunrur, sed ad nos vsque gratiam luminis mittunt: Eodem etiam modo Saluator noster, & Spiritus sanctus geminus patris radius, ad nos vsque veritatis lumen subministrat, Patriq; communicat. *Ad Euagrium de Deitate.*

Origenis. Si nauiges, & in naui positus vides terras ac promontoria & montes transeuntia, non quod illa continuo moueantur, sed quia tu vento prospere flante transis illa, se subducere videntur ac ferri: Ita & in hoc seculo, sancto Spiritu mentem tuam perflante & spirante, secundo ac prospero oauiges cursu: per transibis sensu tuo omnia haec quae videntur, quia temporalia sunt, & intueris illa quae aeterna sunt, sine dubio dices: Quia haec omnia quae videntur, iam non sunt, quia oec futura sunt. *Homil. 5. in Psal. 36.*

Didymi Alexandrini. Quomodo disciplinae, & virtutis assumptor, signaculum & figuram (vt ita dicam) in suum sensum recipit, eius scientiae, quam assumpsit. Sic & is qui Spiritus sancti particeps efficitur, per communionem eius fit spiritualis pariter & sanctus. *Lib. 1. de Spiritu sancto.*

Pamphili martyris. Quomodo qui aliqua disciplina plenus est, qui perfecte eam habet, erudite, & subtiliter potest de ea proferre sermonem: Sic qui Spiritum sanctum consummate acceperunt, ita vt impleantur eo, cum fiducia verbum Dei loquuntur, quia praesens Spiritus sanctus dignam Deo vocem ministrat. *Li. de Spiritu S.*

Tertulliani. Aspice ipsam creaturam paulatim ad fructum promoueri. Granum est primo, & de grano frutex oritur: & de fruti ce arbuscula enititur. Deinde rami, & frondes inualescunt, & totum arboris nomen expanditur: inde germinis tumor, & flos de germine soluitur, & de flore fructus aperitur. Is quoque rudis aliquandiu, & infirmis, paulatim aetatem suam dirigens, eru ditur in mansuetudinem saporis. Sic & iustitia (nam idem Deus iustitiae, & creaturae) primo fuit in rudimentis oaturae Deũ metuens. Dehinc per Legem, & Prophetas promouit in infantiã. Dehinc per Euangelium efferbuit in iuuentutem. Nunc per paracletum componitur in maturitatem. Hic erit solus à Christo magister, & dicendus, & verendus: Non enim ab se loquetur: sed quae mandantur a Christo. Hic solus antecessor, quia solus post Christum. Hunc qui receperunt, veritatem consuetudini anteponunt. *De velandis virginibus.*

D. Augustini. Vbi sanctus non adiuuat Spiritus, inspirans pro concupiscentia mala concupiscentiam bonam, hoc est, charitatem diffundens in cordibus nostris, profecto illa lux, quamuis bona auget prohibendo desiderium malum. Sicut aquae impetus, si in eam partem cesset influere, vehementior fit ubire apposito, cuius molem cum euicerit, maiore cumulo praecipitatur, violentius per prona perueluitur. *De Spiritu ac litera, ad Marcellinum, c. 4.*

Spiritus sanctus est patris, & filij amor, & connexio: ad ipsum pertinet Ecclesia, qua efficimur vnum corpus vnici filij Dei. Sicut n. vnum corpus hominis multis constat membris, & vegetat omnia membra voa anima, faciens in oculo vt videat, in aure vt audiat, & sic in caeteris: Ita Spiritus sanctus mẽbra corporis Christi, quod est ecclesia, cortinet, & vegetat. Et sicut humani corporis membrum praecisum formam quidem qua membrum fit cognosc. itur, retinet, sed nequaquam Spiritus sanctus sequitur, quo praeter vnitatem corporis viuat: Sic quicũq. a praedictae pacis vnitate diuisus est, sacramentum quidem tanquam formam refuter, sed Spiritu praeter vnitatẽ non viuit. Frustra er go foris de forma gloriatur, nisi intus Spiritu vegetentur. *Lib. de Gratia.*

Sicut corpus carnis nihil est aliud quam caro: Sic donum Spiritus sancti nihil est aliud quam Spiritus sanctus. *Lib. 15. de Trinit. c. 19.*

D. Hieronymi. Mare certe immensum est, & capacitas eius Deo soli oota: ea hoc si quis velit multis hominibus, secundum id quod gestare queunt, tradere, necesse est, vt ad mensuram vnicuique tribuat, & partes eius mensuram recipiant, cuius solidum immensurabile est. Ita & Spiritus sanctus immensus quidem est, & oullo fine concluditur: tamen vnicuique datur secũdum quod expedit. *In 2. ad Ephes. c. 4.*

Quemadmodum in vulneribus putridis, ne cancer serpat, & emortuum corpus viuas carnes depascatur, medici statim vulnus, & vruot cauterio, vel puluere caustico: Ita Spiritus Dei, finem posuit mendacio, ne vltra populus Dei pseudoprophetarum vocibus subuertatur. *In c. 1. Michae.*

Martialis episcopi. Nulla fit in nobis inuidia: per hanc enim Spiritus sanctus mentem derelinquit. Recedente autem Spiritu sancto a tabernaculo mentis euacuatur homo dulcedine, & impletur omni amaritudine: nullusque locus ei est in coelo: quia alienũ se fecit a bonitate: Efficitur cubile draconum, & habitatio immundorum spirituum. Inde ab auaritia sorbetur: & ab omni dulcedine infructuosus, & sterilis constabelcit miser, & derelictus. *In Epist. ad Burdegalenses.*

Paschasij. Sed interrogas, vt ú semper spiritus ex patre procedat? semper cum illo sicut calor ex igne. Ita sine intermissione proffertur, vt egredi finat. *de Spiritu S.*

Quod Spiritus S. in singulos leoiste memoratur, id caussae est, vt intelligatur per plures non fuisse diuisus, mansisse in singulis totus, sed sicut scintibus mos est. Hanc enim (vt nouimus) habet naturam ignis accensus, vt quanti ad eum, quanti ad eminem purpuret splendoris aspexerint, tantis visum suae lucis impertiat, tantis ministerium sui muneris tribuat, & nihilominus in sui integritate permaneat: Ita sancti Spiritus virtus quantum libet effluat, quantumlibet in plurimos gratia diuinae largitatis exuperet, sicut probatur recipere mensuram, ita oullam sentit expensam. *De Spiritu S.*

Theodoreti. Non sunt omnes haeredes, qui in eadem sunt familia: tantum qui ab ijsdem profecti sunt parentibus. Neque statim Christiani, aut Christi filij, qui sub vmbra latent Ecclesiae, sed qui genuinum Christi acceperunt spiritum. *In Adelph. 65.*

Lucilij Veronij. Quemadmodum nauis in medio maris: secundo

vento

vento moltum agitatur, velociter summitei conficit, atque in tutum portum se recipit: Ita homo in his mundi miserijs, atque impetuoso calamitatum omnium mari perielirans, motu & afflatu Spiritus sancti agitatur, vt recta via ingrediator, atque in tutum demum veræ beatitudinis portum sese recipiat. *In Memorabilibus.*

Origenes. Sicut cognationem sui adinoicem gerunt visibilia, & inuisibilia, terra, & cœlum, anima, & caro, corpus, & spiritus, ex huiusmodi coniunctionibus constat hic mundus: ita etiam S. scripturam credendum est ex visibilibus, & inuisibilibus constare, veluti ex corpore quodam, literæ scilicet quæ videtur, & animæ sensus, qui intra ipsam deprehenduntur. Ex spiritu secondum id, quod etiam quædam in se cœlestia teneat (vt Apostolus dicit) quia exemplari, & vmbræ cælestium deseruiunt. Quia ergo hæc ita se habeat, inuocantes Deum qui fecit Scripturæ animum, & corpus, & spiritum: corpus quidem his, qui ante nos fuerunt, animam nobis, spiritum autem ijs, qui in futuro hæreditatem vitæ æternæ consequentur, per quam perueniat ad regna cælestia: eam nonc, quam diximus, legis animam, requiramus *Homil. 5. in Leu.*

Theimeri. Neque pictores, neque statoarij animam insuodunt, sed alius colorem appingit, alios membra affingit: Eodem discrimine distant Spiritus, & litera, lex vetus, & noua. Nam hæc vitam exhibet, illa vero mortem redolet: s. spiritus robur adjicit, viuificat: lex vero præterqoam quod nullam gratiam affuodit, etiam exorbitantem morte mulctat, *In apoph. 63.*

Pueri dom gressum tentant, primum aut ferulæ innitontur, aut manu ducuntur: Ita ante Christum Iudæi quibusdam etiam cæremonijs qoasi pædagogo ad virtutem erudiebantur: verum qui spiritum Christi acceperuot, ad virtutem vltro accenduntur nec legalibus indigeot. *In apoph. 46.*

SPONSA. SPONSALIA.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Sponsa, Græce νύμφη, *&* νυμφευτική, sponsus, ac νυμφικός, *&c.* sponsalis dicitur. Sunt enim sponsalia promissio futurarum nuptiarum, & fiunt absolute quadrupliciter, scilicet nulla promissione, datia arrhis sponsalitijs, annuli subarrhatione, & interueniente iuramento. Et fiunt cum conditione quadrupliciter, scilicet, quia aut conditio honesta de bonis simpliciter, aut de bonis vtilibus per modum dotis, aut de bonis vtilibus per modum pœnæ, aut conditio inhonesta contraria bonis matrimonij, *secun. B. Thom. Sent. dist. 17. q. 1. art. 2.*

Sponsalia sunt futurarum nuptiarum promissio, *vt hab. 30. qu. 5. c. Nostrates,* dicta a spondeo. Vnde sponsus quasi promissus, & sponsa quasi promissa. Quare post contractum matrimonium per verba de præsenti dicuntur vxor, & maritus, non sponsus, nec sponsa.

Sponsa. Hebr. *Callah,* tota pulchra, sic dicta ab omnimodo ornatu in nuptiarum solemnitate: a verbo *Calat,* consummauit ex toto, absoluit in vniuersum, perfecit ex omni parte. Proprie autem de pulchritudine, & forma omnino egregia, & consummata dicitur. Cognationem habet cum *Calah,* consummatus est quod intransitiue accipitur. Hinc καλλωπίζω, orno ex omni parte, καλλωπίζομαι pulcher sum, κάλλος, pulchritudo, &c. Lat. collo, cultus, nempe corporis, &c. Verbum *Eras,* vel *Aras.* Hebr. significat desponsauit sibi puellam in matrimonium, subarrhauit vbi vir, & mulier inuicem dant pignora sponsalitia. Hinc ἀρραβών, arrha, & ἐνεχυράζω pignus capio. Gal. *arrhera, arrester.*

Loci Biblici.

Sponsaliorum, & Sponsarum in patriarcharum, & Israelitarum historijs frequens mentio. Sponsa filij Dei. *Psal. 45. 11, 12, 13 Ezech. 16. 8. Ose. 2. 19. Matth 6. 15 2. Cor. 11. 2. Ephes. 5. 32. Apoc. 19. 7. et 21. 2. 9.* Immaculata, pulchra, dilecta, sæpius compellata in Salomonis cantico. A sponso suo mandata. *Ephes 5. 26. 27.*

Sponsus Ecclesiæ Christus, *Esa. 54. 1. & 62. 4. Ierem. 31. 22. Ezech. 16. 8. Matt 9. 15. & 25. 1. Mar. 2. 19. & Luc. 5. 24. Ioan. 3. 29. 1. Cor. 11. 2. Eph. 5. 24. Apoc. 19. 7. & 21. 2.*

Sententiæ Philosophicæ.

Desponsa alteri adiudicata. Dial. XVII.

Francisci Petrarchæ.

Dol.

Sponsam mihi sententia iudicialis eripuit. R. Ast alijs fraus, alijs vis aperta. D. Iudiciali sententia sponsam amisi. R. Quidam dolis, ferro alij, quidam (quod fœdissimum genus) auro ipsas coniuges amittere. Nihil proprium est homini, hinc furta, & insidiæ, hinc rapinæ, hinc preces, hinc pretia, hinc vltima rerum mors, per hanc totam temporalium bonorum dominia voluuntur, quodque est vnius, fit alterius, mox ad alios transiturum, quod in rebus vtilibus ferendum, in damnosis ac grauibus plaudendum est. Quid miri autem volui humanum? homo ipse voluitur, & non stat, sed vt scriptum est, quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra, & nunquam in eodem statu permanet. Tu sponsam quereris amisisse, qui fugiendo, & in horas decrescendo assidue te amittis. D Sponsam in iudicio amisi. R. In campo alij tutius est iure congredi quam bello, legibus decertare, quam gladijs, legisti apud Vergilium inter illos Lauiniæ competitores quanta lis & quis belli finis? Victorem sponsa sequitur, victum mors: tibi sponsa perdita, salua est vita. D. Iudex me priuauit sponsa. R. Adulter aut raptor forsan te priuasset. Leuius est sponsam amisisse quam coniugem. In illa. n. spes perditur, in hac res. Minor est aut speratæ quam possessæ rei, siue vt alicet idem, leuior spei iactura quam rei. D. Amisi sponsam in iudicio. R. Non amisisti, sed tuam non esse didicisti. D. Amisi sponsam. R. Qui amittit coniugem, multiplici ægritudine liberatur. At qui sponsam, præseruatur, vtrumq; bonum, sed secundum melius. Quid ni autem sit melius nullum pati vulnus, quam inflicto vulneri remedium inuenisse? sed vos amatorum impulsu (Satyricus ait) & magna cæcaq; cupidine ducti coniugium optatis, quod adepti perpetuis tædijs & immortalibus agitetis querimonijs, & tum facti pœniteat, quum non factum esse non potest, quandoq; inefficax pœnitentia, & inanis est. D. Sponsam, & spem prolis amisi. R. Noli lamenta miscere. Illa. n. pars est altera præcipitis mortalium voti. Sic. n. ait coniugum optatis, partumq; vxoris. At non semper placitura, sed profutura dant superi. Tenes apud Apuleium. Madaurensem, vt latronum lapsa in manus misella illa virguncula vnam triuij in parte, vbi periculi plurimum, loco flectit eum cui insederat asellum, ille in aduersum nititur, quia securum iter erat & incautam puellam in sua damna tendentem tacitus arguit, quibus ita luctantibus latrones, quos euasisse videbantur, interueniunt, a quibus in captiuitatis miserias virgo in suam perniciem studiosa retrahitur? Haud absimilis inter diuinam prouidentiam, & humanam stultitiam de ionere vitæ huius est quæstio. Illa futuri præscia eo vos agit, vbi dulcia & secura sunt omnia. Hæc obnititur cœca quidem & miserijs suis fauens. Inter moras sæpe quæ vitari poterant obsequendo, & credendo inopina vos mala corripiunt. D. Succubui in iudicio, & amisi sponsam. R. Dignus es vicisse. Nam duobus de vna muliere certantibus, qui mulierem habet, is perdidit, qui vicitis, est victus, qui vincitur is est victor & liber.

Exempla Biblica.

Sponsa ambiendi ritus *exempla,* Seruus Abrahæ Isaaco, *Gen. 24. v. 48.* Hemor Sichem filio suo, *34. 8.* Tobias Saram, *Tob 6. 52. 12. 13.* Raguel filiam suam, *Tob 7. 13. 14. 15.* Dauid Abigail, *1. Samuel 25. 39. 40.* Sponsis discedentibus bene precandi formula: Parentes & cognati Rebeccæ bene precantur ipsi, *Genes. 24. 60.* totus populus, & seniores ipsi Ruth, *Ruth. 4. 15* Seruitutis propter sponsas *exemplum,* Iacob pro Lia & Rachel, *Gen. 29. 17. &c.* Fortitudinis & insignis facinoris, propter sponsas præstiti *exempla.* Othoniel, *Iudic. 2. 13* Dauid, *1. Sam. 18. v. 27.*

Vide Coniugem, Nuptias, Matrimonium.

SPVRIVS.

DEFINITIO, ET ETYMOL.

Spurios, Græce νόθοι, à nonnullis putatur, sed non est qui Græco vocabulo dicitor nothos, hoc est, ex adulterio natus: nam is Latinum vocabulum non habet, ideoq. vtimur peregrino, sed incerto patre natus, quem Modestinus Vulgo conceptum, appellari scribit, siue qui eum patrem habet, qoem habere non licet. Vnde spurios etiam versus dicimus alterius ac incertis authoris. Ausonius de Aristarcho.

Quique nothos spurijs versibus apposuit.

Spurius, iceerto patre natus, ἀπὸ τῆς σπορᾶς, i. à semine, propterea qood de semine patris nulla sit certitudo: vel (vt alij volunt) quod è meretrice publica, aut quæ se multis clam prostituit, sit natus. Hebr. *Tame.* i. contaminatus, immundus, spurcus, (vnde spurius) pollutus, à verbo, *Tamah,* vel *Tame,* Immundus fuit, contaminatus est. Inde Lat. Tamino, contamino. Cognationem habet cum *Tamam,* abscondit, item cum *domen* Sterquilinium. Nam spurij originem suam, vt contaminatam abscondunt. Dicitur etiam *Mamzer,* i. natus ex aliena muliere, natus ex adulterio: *Deut. 23. 4. Zach. 9.*

Zach.9.6. à verbo *Mazar*, illegitime procreatus est, ex adulterio conceptus est, ex alieno fluxu seminis prognatus est. Verba hæc non leguntur, *Manseribus Scortum, sed mœcha nothis dedit ortum*, inquit Hostiensis. Vide Etymologic. trilingue. *pag.790.*

SENTENTIÆ PHILOSOPHORVM.

De filio qui alienus inuentus est. DIAL. L.

Francisci Petrarchæ.

DOL.

Et (quod morte grauius) qui meus credebatur, alienus est filius. R. Si ad communem spectaretis patrem (Comici consilio) humani nil à vobis alienum putaretis. D. Diu alienum filium, vt meũ, paui. R. Suum filium pauisse natura fuerit, alienũ charitas: modo post factũ non pœniteat, sed delectet. D. Filius ille meus dictus alienus apparuit. R. Aperta tibi, ad magnũ, & singulare meritũ via est, si hunc ipsum, vt hactenus, sic deinceps quasi tuũ paueris. Id illi quidẽ longe gratius, atq. acceptius Deo est. Solẽt enim grati filij, ceu sibi naturali quodã iure debita, patrũ alimenta contemnere, & præterea scelus est amare filiũ, qui ex te genitus sit, & à Deo creatũ hominem non amare. Ita vndique apud Deum, atq. homines pietatem eximiã tibi quæsieris ex alieno flagitio. D. Paui pro filio, qui non erat filius. R. Pauisti vt filiũ, pasce iã, si non vt filiũ, at vt fratrem, omniũ qui sunt, quiq. erũt, fuerunt ve, vnus est parens, vnus rector. Noli te per insolentiã dissimulare, aut per inuidiã, atq. odium sacrum naturæ vinculũ rescindere. Omnes inuicẽ fratres estis. D. Filiũ quẽ putabam meũ non esse audio. R. Vide à quo audias & cui credas. Multi.n. malis stimulis impulsi falsos rumores studio confingunt. Alij linguæ fluxu quodã effrenoiq. impetu, & quæ sciunt, & quæ nesciũt pari loquuntur audacia. Difficilis est aũt de filiatione fides. D. Filiũ qui meus dicebatur alienum esse audio. R. Cur hoc alijs potius q. vxori credis, quæ, hoc vnũ saltem nemo certius nouit? Illa tibi certe filium dedit, quẽ nunc alij nituntur eripere. Audisti credo vt patrũ memoria vir illustris fuit, cui forma & genere par vxor obuenerat, sed fama pudicitiæ ambigua. Ex hac vnicus infans pulcherrimus natus erat, quẽ cum die quodã in gremio habens mater grauẽ curis, & suspirantem virũ animaduertisset, quæsiuit, quæ tanti eã suspirij. Rursus ille suspirãs. Vellẽ, inquit, dimidia dominij mei parte pacisci vt ita mihi cõstaret hũc puerũ meum, sicut tibi cõstat esse tuum. Ad hæc illa nihil frõtem ostentã, vel ai. Enimuero, inquit, nequaquã tanto precio est opus. Da mihi censũ prati iugera, vbi greges meos pascã, & de hoc ipso certũ ego te factam. Cumq. ille impossibile prorsus id diceret: conuocatis qui prope aderant proceribus & sponsione interposita natũ illa vlnis extulit, & est ne, inquit, hic vere meus? Cumq. vir annuisset, illa brachijs protentis et puerũ porrexit, & accipe ait, dono eũ tibi: iã haud dubie tuus est. Risu astantiũ oborto, pro vxore diffinitũ, & vir omnium sententijs condemnatus est. Crebræ nimis inter homines huius generis lites, ac lamenta sunt. Proni in nuptias, immo lobtici, ac ruentes, vix videre diẽ creditis, quo mariti, hoc est, viri sitis, quasi aliter non possitis. Dehinc perfusi in gaudia, seu verius in furores cõiugij dies primos in strepitu inter epulas & choreas agitis inter epithalamia, & iocos, & cãtus, & tympana, reliquã vitã oẽm inter suspiciones, & iurgia, vtrobiq. reprehensibiles. Nã rem neque adeo ancipitẽ sic amare, neq; tã inseparabilẽ sic horrere, neq; tã amabilẽ sic odisse decuerat, coniecturisq; fallacib. apud hoiem sanctissima diuinæ atq; humanæ domus iura cõfundere, atq; arctissima vitæ huius vincula dissoluere. D. Quidquod meũ vxor non esse ipsa confessa est? R. Singulare velut aliquid narras: cotidiana sunt hæc. Aliæ viuentes hoc fatẽtur, aliæ morientes, quarũ aliquæ nunciandũ viris post obitũ reliquerũt. D. Nõ esse meũ filium ipsa mihi fassa est coniux. R. Passa est idẽ Olympias Philippo magno viro magni filij iacturã, nec fletum, nec suspiriũ, nec querelã legimus. Nunc fabellam accipe ridiculam, sed manceriæ non ineptam. Circa littus Oceani, quod Britanniam ab aduerso conspicit, ante non multos annos fama est fuisse mulierculam inopem, sed forma appetibili, & insigni lasciuia, hęc duodecim paruos filios, totidem ea viris genitos habebat annuis ætatũ interstitijs inter se distãtes. Instante aũt mortis hora, vocari propere virum iubet: & non est, inquit, amplius ludi tẽpus, nullus horum puerorum ad te spectat præter maiorem solum, primo.n. anno nostri connubij casta fui. Sedebant tunc forte pueri omnes humi circa ignem more gentis aliquid manducantes. Stupente igitur viro, atque illis rei nouitate suspẽsis, Illa singulorum patres ordine nominat, quod audiens omnium minimus, qui triennis erat, panem dextera, & rapam quam habebat in manu altera, in terram posuit, ac tremens desiderio, & ambabus manibus in altum erectis adorantis in morem, Da, inquit, quæso mihi genitrix, aliquem bonum patrem? Cumque illa in fine verborum patrẽ paruuli nominasset, & famosum quẽdam diuitemq. hominem crassumpto in manibus cibo: Bene habes, inquit, Bonus est pater.

Vide adulterium, Fornicatio, Scortatio.

STATVRA.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Statura, æ. Corporis magnitudo. Gr. μέγεθος, Hebr. *Ghodel*, magnitudo, granditas, a verbo *Gadhal*. magnus fuit, magnus apparuit, magnificatus est, succreuit in staturam magnam, seu proceram, & longam. Turris excelsa, dicitur *Migdal*, ab eadem radice.

LOCI BIBLICI.

Staturæ magnæ, & proceræ homines: Filij Enac, *Numer.13.34.* Saul, *1.Sam.10.23.& 16.7.* Goliath, *17.4.* ad staturam suam cubitum vnum nemo addere potest. *Matth.6.27. Luc.12.25.*

In bello non tam staturæ militis rationem habere conuenit, quam virium. *Veget.l.1.c.5.*

Ex vultu, ex oculis, ex omni conformatione membrorum, milites elige. *Idem, c.6.*

ADAGIA.

Colossi magnitudine. Κολοσσοῦ τὸ μέγεθος.

In hominem prægrandi corporis mole præditum.

Caliga Maximini.

Notantur hoc adagio homines immodicæ proceritatis & insulsi.

Iul. Poll. Groß vnd faul ist zwey facher schadt.

Clematis Aegyptia. κληματὶς Αἰγυπτία.

In eos qui corpore sunt præter modum procero, & atro colore.

Amens longus. ἄνους μακρός, Sophoc.

Hoc est quod vulgo dictitant, prælongis mentem deesse, pusillis adesse animum.

Nullus malus magnus piscis. οὐδεὶς κακὸς μέγας ἰχθύς.

In homines prægrandi quidem corpore cæterum ingenio nullo.

Athenæus Groß vnd vngeschickt.

Pinguis venter non gignit tenuem sensum. παχεῖα γαστὴρ λεπτὸν οὐ τίκτει νόον.

Admonet adagium luxu corporis hebescere mentis aciem. Hier.

Pusillus quantus Melon. μικρὸς ἡλίκος Μήλων.

Iactatum in vehementer breui statura homunciones. Suid.

Tredecim cubitorum vir. ἀνὴρ τρεισκαιδεκάπηχυς.

Notantur hoc prouerbio homines etiam prælongi, & insulsi.

Longurio.

Prisci prælongos homines ridiculi causa longuriones appellabant. Varro in Tripalo apud Nonium. Ego nihil narro, adeo hæc ita curat, qui ante me sit, nescio qui longurio.

STATVAE.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Statuæ sunt simulachra ex ligno, lapide, quouis metallo, quæ alicui, vel mortuo, vel etiam viuenti antiquitus decernebãtur: & in foro, aut aliquo loco conspicuo collocabantur, ad alicuius rei bene gestæ memoriam. Gr. ἀγάλματα Hebr. *Massecoth.* Statuæ, *Ezec.16.17.* frequens harum mentio apud Mosem. In singulari numero *Macsebah.* Et *Pesilim*, Sculptilia, Latumia, vbi lapides cæduntur, & dolantur, Lapicidinæ. *Pesel* Sculptile, statua dedolata ex ligno, vel lapide: vel ex metallo etiam conflata. Generalius nomen imaginum esse quam statuarum nonnulli existimant, quum picta etiam tabellas imagines vocemus, ad quas statuarum appellatio extendi non potest. *Suet. in Tiber.* Etiam statuas, atque imagines, nisi permittente se poni prohibuit. *Cicero Philip.9.* Maiores quidem nostri (inquit) statuas multis decreuerunt, sepulchra paucis: sed statuæ intereunt tempestate, vi, vetustate, sepulchrorum autem sanctitas in ipso solo est, quod nulla vi moueri, neque deleri potest.

LOCI BIBLICI.

Statuæ religionis causa non erigendæ. *Deut.16.22.* Statua iussu Nabuchodonosor erecta, *Dan.3.1.* ei diuinus cultus exhiberi edicit, 4.5. pœnam recusanti statuit, 6.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

De statuis. DIAL. XLI.

Francisci Petrarchæ.

GAV.

At delector statuis. R. Artes variæ, furor idem ipsarumque fons vnus artium, vnus finis, diuersa materia. G. Delectant statuæ. R. Ac-

eux. R. Accedunt hæc quidem ad naturam propius quam pi-
cturæ. Illæ. n. videntur tantum, hæ autem, & tanguntur, integri-
que, ac solidum eoque perennius corpus habent, quam ob cau-
sam picturæ veterum nullæ usquam cum adhuc innumerabiles
supersint statuæ, unde hæc ætas (ut in multis) erronea picturæ
inuentrix vult videri, siue quod inuentioni proximum, elegan-
tissima co summatrix limatrixq. cum in genere quolibet scul-
ptura, cumq. in omnib. signis, ac statuis longe impar eam se ne
gare (temeraria quamuis, impudensque) non audeat. Cum præ
terea pene ars una, vel si plures, vnus ut dix. mus fons artium
Graphidem dico, atque ipsæ proculdubio sint coæuæ pariterq.
floruerint. Si quidem vna ætas, & Apellem, & Pyrgotelem, &
Lysippum habuit, quod huic patet, quia hos simul ex omnibus
Alexandri Magni tumor maximus delegit, quorum primus eũ
pingeret, secundus sculperet, tertius fingeret, atq. in statuam ex
cuderet, edicto vetitis vniuersis qualibet ingenij artisq. si ducta
faciem regis attingere, nec minor hic iden furor quam reliqui.
Immo vero omnis morbus eo functior, quo stabilior e mate-
ria subnixus. G. At me statuæ delectant. R. Non te solum aut
plebe is comitibus errantem putes, quanta olim dignitas statua
rum, quantumue apud antiquos clarissimosq. hominum studiũ,
desideriumq. rei huius fuerit, & Augusti, & Vespasiani, ac reli-
quorum, de quib. dicere nunc longum esset, & Imperatorum Cæ
sarum, ac Regum virorumq. secundi ordinis illustrium solers
inquisitio, & repertarum cultus, & custodia, & contrectatio indi
cio sunt. Accedit artificum fama ingens, non vulgo, aut mutis
duntaxat operibus, sed late sonãtib. scriptorum literis celebrata,
quæ tã magna vtiq. parua de iudice nasci posse non videtur.
Non fit de nihilo magnũ nomen, magnum esse, vel videri opor
et, de quo serio magni tractant. Sed his omnib. supra respõsum
est. ... aũt spectans, ... quanto nisu obtinendum tam
vetusto, & ... valida, sit error. G. Varijs delector statuis. R.
Harum quippe artium ... naturam imitantiũ vna est, quam
plasticem dixere. Hæc gyp. n, & cetis operatur, ac tenaci argil-
la, quæ ceteris ... cunctis amicior fit virtuti, aut certe
minus inimicis, modeltiæ imprimis, & ... quæ magis fi-
ctiles, quam aureas deum, atq. hoium form as probant. Quid
hic tamen delectabile? Quid cum cereos, aut ter eos vultus a-
mes non intelligo. G. Nonnullis statuis delector. R. Auaritiæ
consilium agnosco: precium vt augurer non ars placet. Vnã tu
auream artificij mediocris multis æneis, aut marmor. is, mul-
to q. maxime plasticis præferendam duxeris. Hsud insulse quidẽ
vt se hec ex illi natio rerum pręsens, hoc est aũt aurum amare,
non statuam, quæ vt ex vlli materia nobilis, sic puro rudis ex au
ro fieri põt. Quanti vero tu statuam extimares siue illam regis
Assyrij ex auro sexaginta cubitorum, quam non adorasse capi-
tale fuit, quamquam hodie multi vltro suam, vt facerent adora-
rent, siue illam cubitorum quatuor quam ex ingenti topazio,
(rarum dictu) reginæ Aegyptiæ factã legis, puto nõ anxie quæ
reres cuius esset artificis, contentus de materia quæsiuisse. G. Ar
tificiosæ oculos delectant statuæ. R. Fuere aliquando statuæ in
signia virtutum, nunc sunt illecebræ oculorum. Ponebantur his
qui magna gessissent, aut mortem pro Republ. obijssent. Qua-
les decretæ sunt legatis a Rege Vetentium interfectis. Quales
liberatori Italiæ Africano, qua illius magnitudo ait, ac spectata
modestia non recepit, quasq. post obitum recusare non potuit,
Ponebantur ingeniosis, ac doctis viris, qualem positam legimus
Victorino: nunc ponitur diuitib. magno pretio marmora pere-
grina mercantib. G. Artificiosæ placent statuæ. R. Artificiũ fe
re o is, recipit materia. Sentin aũt vt tua hęc nis delectatio plena
sit ingenij, materiæq. nobilitas iuncta perficiet. Neq. hic tamen
aurum quamuis Phidias confecerit, vera delectatio vlla est,
aut vera nobilitas. Fea terre licet rutila, incus, mallei, forcipes,
carbones, ingenium, laborque mechanici. Quid hinc virn opta-
bile, vereq. magnificum fieri possit cogita. G. Non delectari sta
tuis non possum. R. Delectari hominum ingenijs si modeste
fiat, tolerabile, his præsertim, qui ingenio excellunt. Nisi enim
obstet liuor, facile quisque quod in se amat, in alio veneratur.
Delectari quoq. sacris imaginib. quæ spectantes beneficij cœ-
lestis admoneant, pium sæpe, excitandisq. animis vtile. Propha-
næ autem etsi interdum moueant, atque erigant ad virtutem,
dum repentes animi rerum nobilium memoria recalescunt, a-
mandæ, aut tamen colendæ æquo amplius non sunt, ne aut stul
titiæ testes, aut auaritiæ ministræ, aut fidei sint rebelles, aut alli
gnini veræ, & præcepto illi famosissimo, Custodite vos a simu
lacris. Profecto autem si hic quoq. illum aspicis, qui solidam ter
ram, fretum mobile, volubile cœlum fecit, quiq. non fictos, sed
veros, viuosq. homines, & quadrupedes terræ, pisces mari, cœ-
lo volucres dedit, Puto vt Protogenem, atque Apellem, sic etiã
Polycletum spernes, & Phidiam.

APOPHTHEGMATA.

Alexander, cum multas statuas Mileti vidisset eorum, qui in Olym
pijs, ac Pythijs vicerant, easque prægrandes. Vbi, inquit, erant
tam magna corpora, cum barbari vestram vrbem obsiderent?

Salse taxauit illorum stultam ambitionem, & in statuis tantum
posita n virtutem, in corde vero timiditatem. *Plutarch. in apoph.*

Cato senior conspiciens multorum erigi statuas: Malim, inquit,
vt de me quærãt homines, qua obrem Catoni non sit posita
statua, quã quare sit posita. Sentiens, se malle res præclaras ge-
rere, vt olim scientes illum promeruisse statuam, mirentur
non positam. *Plutar. in apoph. Plin. lib. de Vribus illustrib.*

Scipio Afric. Corinthijs pollicentibus se illi statuam posituros eo
loco quo cæterorũ Imperatorũ: respõdit, sibi displicere tur-
males. Sentiẽs in turba occultari quod additur. Turma proprie
equitũ est, i. bello. Id trãstulit ad statuas armatas. *P. M. lib. 6. apoph.*

Socrates aiebat se mirari, quod qui statuarum artifices id summo
studio conniterentur, vt lapis q̃ simillimus homini redderetur,
non pariter hoc curarent, ne ipsi lapidib. similes & viderentur
& essent. Sunt aũt qui putent, Socratem priusquã ad otiũ philo
sophiæ sese conferret, statuarũ opificem fuisse. *P. M. l. 3. apoph.*

Diogenes dicebat bonos viros deorũ esse simulachra. Deorum quĩ
filosophi i, naturæ proprium est, benefacere omnibus; nocere
nemini. Hæc imago melius relucet in sapientibus, & bonis viris
quam in statuis, quum dij sint incorporei: *Laert. lib. 6.*

Idem solitus est interdum adire statuas, & aliquid ab illis petere.
Demirantibus, cur id faceret: vt cõsuescam, inquit, non cõmo-
veri, si quãdo ab hominibus non impetro quod peto. *Ibidem.*

Scipio iunior. cum Carthaginem iam expugnatam comperisset, sta-
tuis Deorum Græcanicis ac monumentis e Sicilia deportatis,
omniũ referti ssimã, per præconẽ edixit, vt qui illarũ esset vrbiũ,
agnosceret illa, ac referret domũ. De pecunijs vero nec seruũ
nec libertũ passus est quidq̃ capere, ac ne emere quidẽ, quum
aliogui quilibet passim ferrent, gererentque. *Plut. in Rom. apoph.*

Plato nius. Eius statuam æream Athenienses deiecerat, eo quod Ha
driano Cæsari infensissimus fuisset. Id postea q̃ philosopho nũ-
ciatum est, nihil plane commotus, dixit: vtilius erat Socrati ab
Athenienfib. ærea priuari statua, quam haurire cicutam. Con-
sẽpsit vir prudentissimus statuæ gloriam vita incolumi. *Philost.*

Agesilaus. Et cum nationes, quæ tum Græcia incolebant, decreuis-
sent, in clarissimis quibusq; ciuitatibus honoris cã statuas erigi,
rescripsit illis hunc in modũ: Mei nulla sit imago, neq pictane-
que ficta neque vllo alio artificio parata. Negligebat adulatio-
nes hoc ũ vir prudentissimus, malẽs insculpi prudẽtiũ & bono-
rum hoium pectoribus. *Plutarch. in apoph. Lacon. P. M. l. 1. apoph.*

Idem, Cum descendisset ab Ægypto, patriã repetens, morbo impli
citus in portu Menelai est, ac breui post moriens, mãdauit ijs q
aderant, ne q fictilẽ aut alias imitatã corporis sui imaginẽ face
rent: Si quod, inquit, præclarũ facinus gessi, hoc erit monumen-
tũ mei: sin minus, ne omnes quidem statuæ, cum sint vilium ac
nullius rei opificum opera, illustrabunt meã memoriã. Quis non
miretur in bellatore pectus tam philosophicum? *Plut. in Laco.*

SIMILITVDO.

Dionis Nicei. Quemadmodum inter eos qui in annoom magistratũ
eliguntur, si quis fit indignus magistratu, cum tamen annum
in quem electus est, perfungitur magistratu: Sic & in statuis tẽ-
pus valere oportet, in quod positæ sunt: est autem illud omne
reliquum sequens tempus. *Oratione 37. Corinthiaca.*

STATVS.

DEFINITIO, ET ETYMOL.

STATVS, Græce κατάστασις, firmus dicitur. *Nahomad*,
Hebr. i. status, constitutio officiorum seu ministeriorum: a ver
hamadh, stetit immotus, perstitit firmiter. Status proprie perti-
net ad libertatem vel seruitutem in temporalibus, vel spirituali
bus, qua significat immobilitatem & obligationem personæ ho
minis *secund. B. Th. sec secund. q. 238. art. 10.*

Status a sto, stas dicitur, stare autem significat positionẽ natura-
lem hominis cum immobilitate. *secundum eundem ibidem.*

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

De ambiguo statu. DIALOG. LXXVI.

Francisci Petrarchæ.

DOL.

Ambiguo in statu sum. R. Quid est quæso de quo ambigis? Mo-
riendumne mortalibus, an spernẽda q̃ futura sunt & nulla m in
prosperis spem habendam, an ineuitabiles casus rerum esse,
sed

sed tolerabiles, nec flecti quidem, sed frangi posse fortuna? At hæc omnia certa sunt. D. Ambiguo in statu positus, quid de me futurum, nescio. R. Vbi, quando, qualiter moriaris ambigere quidem potes, mori autem oportere, nec male mori posse qui vsque in finem bene vixerit, ne cito mors quibusuis tu spacijs vitæ viri boni munus impleuit, vel si id non licuit, at spem dedit, nec alibi, quam in patria, qui mundum omnem sibi patriam fecit, nec alibi, quam in exilio, qui veram suspiras ad patriam, dubitare (nt desipis) nullo potes modo. Vnde igitur illæ ambages? de fortuna forsitan? ast tibi fidem, quod vix vlli vnquam fecit? an suns potius mores sequi, tam quam pelagus procellosum, nunc ficta tranquillitate fallax, nunc fluctibus altis minax, nunc horrenda naufragijs. Ne de hoc quidem ipso, si qua tibi experientia rerum est, dubitatio vlla supererit: quamuis enim euentus ambigui, ipsa tamen ambiguitas, ipsa & virtus, quæ te inter certa certum faciet, certa est, cui cum te totum dederis prouisa omnia, nihil erit ambigui. D. Ambiguus status est mihi. R. At non ambiguus Deus, id sat est, illi te ipsum fidens crede, & dic ei: in manibus tuis sortes meæ. Id cum pie feceris, pone metum, pone ambiguitatem, pone sollicitudinem. Ille scis quid de te acturus sit, nullius rei dubius, parua quidem, sed firma in nauicula, magnum sulcas mare. Fidus tuæque salutis amantissimus gubernator est. Quid refert an viam vector ignoret, si magistro nauigij nota est?

Vide Fortuna.

STERILITAS.

Philosophicae Sententiae.

Sterilitatis causa cum ætas, & viro, & mulieri præcesserit, si inter se congressi non gignunt, interdum in vtrisque, interdum in altero tantummodo est. *Arist. hist. anim. 10. c. 1.*

Sterilitas ijs, si in emittendo simul non conueniunt vir & fœmina, sed longe inter se discrepent, & in viro causa esse dignoscitur, si cum alijs non procreat. *ibid. c. 7.*

Sterilitatis causæ multæ sunt nam alijs a primo ortu naturæ locis, ad coitum commodum oblæsis, steriles. & viri, & mulieres redduntur, vt alteræ non pubescant, alteri non barbescant, alijs in processu ætatis idem accidit affectus, & gignuntur mulieres viragines, quibus menstrua desunt, & viri fœmineares, quibus semen exile, frigidumque est. *de gener. anim. 2. c. 8.*

Sterilitatis causæ in spermate sunt, quod male sit cõplexionatum calido, & frigido excellenti, vel humido, & sicco, ideo impedias virtutem generatiuam: & vitrus in communicatiua spermatũ, & infantis, & nauseatiuam satietatem patienus frequenter, aut ebrij frequentius, aut senis, & cuius non sunt membra sana. *Alb. Mag. de anim. l. 10. tract. 2. c. 1.*

Sterilitatis causæ ex parte mulieris, sunt præcipue si sit frigida frigore cõstringente poros, ne menstruet, & humiditas multa, & quia matrix ex partu discontinuata non bene est readunata, ideo non retinet sperma: & quum est adeps multus super zirbum, & comprimit matricem. *Idem ibid.*

Sterilitatis causæ ex parte membri genitalis sunt, si debilia sunt vasa spermatis, aut abscissa, vt si abscindantur venæ post auriculas, quia hic non spermatizat amplius, aut si ementulatur, aut neruũ genitaliũ læditur, tus emplastrantur, impediẽ eius qũ nigor: & vuluæ nimia amplitudo, & arctitudo nimia, & veretrum est nimis breue & nerui virga tortura. *Albert. Magn. de anim. lib. 10. tract. 1. c. 1.*

Sterilitatis causæ ex errore situs sunt, si mulier in latere disponitur, aut mulier virum supergreditur, aut sistat. & si posterius cognoscatur, quia natium spissitudo impedit ne ad matricis os accedat sperma. *Idem ibid.*

Sterilitatis causa, quæ est per se, est destitutio spermatis a virtute generatiua, quæ secundum naturam est in ipso. At per accidens sterilitatis causæ sunt multæ. *Idem de anim. lib. 16. tract. 2. c. 5.*

De sterilitate annua. Dial. lvii.

Francisci Petrarch.

Dol.

Sterilitate premor annua. R. Iam tibi fertilitas gratia erit, optime res omnis contrarij collatione cognoscitur. D. Fefellit ager meam spem. R. Non te ager fallit, sed improbitas, cupiditasque animi, cuncta vobis ad votũ successura promisitis insolentes, vestro digni iudicio, quibus ipsa rerum pareat natura, quę si suũ ius seruare ausa profundam semel auaritiæ vestræ præruptamque voraginem, cui nihil est satis, inexpletam liquerit, insolens vobis, & auara, atque iniuriosa videbitur. Non sunt hæ autem iustæ nec modestæ spes, sed immodici figmenta desiderij, ea quidem singulis euentura, quæ cupitis, si quid deest damnum dicitur, tuus ager suum morem tenuit, & tu tuum tenes. Terræ re enim vbertas, & sterilitas alterna, sed cupiditas vestra perpetua est. Vos iniquissimi omnium interpretes, cum illam grate, ac sobrie, hanc patienter, ac fortiter ferre debueritis, illam contemnitis, hanc defletis. Illa tumidos facit, hæc querulos. D. Ager meliora pollicitus me fefellit. R. Terram bobus, ac rastris, cœlum votis, ac precibus fatigatis. Ventorum spiritus opportunitas imbrium, germinum decor, agri species, puluis hybernus, lutum vernum, æstiui soles, maturitas autumnalis, omnia cupidos in spem trahunt, vt arentem stupam flamma omnis incendit, vt inanem puluerem flatus omnis impellit, sic auarum animum lucrum omne suspendit, atque erigit, omnisque non rei modo, sed vel tenuis spei iactura confundit, ac deijcit. Sed frænate miseri motus inconditos, infinitam concupiscentiam coercete, & spẽ credulam mille tandem delusam successibus castigate, quid nunc cœlum, terramque respicitis? Non aliunde fertilitas, quã a Deo est, illum mortales agere sinite, & videte, quod agitur, & laudate, sinite opificem operari, & vnius artificij perito homini exhibendam reuerentiam non negetis Deo. Pudeat terrea vascula cælestem figulum arguere, sed in omnibus illi voce, atque animo gratias agite, qui necessitatum conscius vestrarum, neque cupiditatum nescius illis succurrit, his occurrit. Vtrobique misericors, vtrobique terribilis in consilijs super filios hominum, vt de illo scriptum est: Sperate iam tandem, non in agris vestris, sed in Domino, & facite bonitatem, & inhabitate terrã, & pascimini in diuitijs eius, delectamini in Domino, & dabit vobis petitiones cordis vestri, quæ vbi cœperitis in Domino delectari, auaræ esse non poterunt, neque iniustæ. Reuelate Domino viam vestram, & sperate in eo, & ipse faciet, iactate super Dominum curam vestram, & ipse vos enutriet, qui cœlesti manu editi non nisi terram cogitatis, terramque diligitis? Nolite has sacras voces, vt soletis, spernere. Nolite auras, pluuiasque & tẽpestates idoneas aucupari, aut precari. Nolite in terra spem habere, sed in illo qui respicit terram, & facit eam tremere, qui de saxo durissimo fontes liquidos elicit, qui te denique ab Angelo suo falli passus est, vt in illo spem poneres, qui non fallit. D. Multum solitæ de copia demptum est. R. Id modo subducitur, quod plus æquo vel dederũt anni præcedentes, vel sequentes dabũt, modestæ quantulumcumque sat est. Auaritia lucro crescit, eoque fit pauperior, quo plus habet. Magna vitiorum genitrix, magna nutrix, atque hortatrix est copia. Patere malis tuis demi aliquid, quo minus copiæ, minus erit insolentiæ, minusque libidinis. Atque quod hæc tui ruris inopia apud multos beneficium, ac largitas haberetur, atque ipse si assueuisses inopiæ, vbertatẽ hanc & copiam iudicares, in iudicio rerum semper consuetudo præiudicat, tantamque vim habet, nunc quid mirum, si temperata fastidiunt qui superuacuis assueuere, qua nulla maior procella modestiæ est? D. Sterilitas vrget insolita. R. Sæpe quidem fortiores viros plaga facit sterilis, fertilior molliores neq; fert modo, sed facit, atque alibi natos durat, aut mollit. Sic molliuit Gallos primum, post Romanos Asia, Alexandrum Babylon, Hannibalem Capua. Contra vero Romanam indolem durauit, & cotis in morem acuit illa arens, & scopulosa pars Ligurum, te quem copia molliebat dolet inopia? Sobrietatem te doceat ager tuus, & quod libri vberes nequiuere, glebæ faciant aridulæ. Nemo despiciendus est magister disciplinæ vtilis. Disce bene viuere, disce vel senex, disce vel nolens. Disce denique vel indignans.

STVDIVM.

Definitio et Etymolog.

Studium, Græce σπουδὴ ῆς, ἡ, & σπουδαῖος, α, ο, studiosus, σπουδάζω studeo dicitur. Est autem studium, vehemens applicatio animi cum magna volontate ad aliquid agendum, *secundum Cic. lib. 2. Rhetor.*

Studium importat vehementem applicationem mẽtis ad aliquid, & principaliter ad cognitionem. Secundario autem ad ea, in quibus homo per cognitionem dirigitur, *secundum B. Thom. 2. 2. q. 166. art. 10.*

Studiositas est virtus, cuius principalis materia est cognitio, secundario autem alia, *secund. eund. ibid. q. 166. art. 2.* Dicuntur autem hæc a studeo, quod est do operam, incumbo.

Studium, Hebr. *Halilah*, & *Mahala*, a verbo *Halal*, infantiliter loquutus est, ausus, & conatus est aliquid infantium, & balbutientium more. Quid enim aliud, sunt humana studia, & molimina quam infantiles nugæ, & meræ vanitates?

Sententiae Patrvm.

Sedulo monendi sunt scholastici, vt humilitate induti Christiana

stiana

stiana discant non contemnere, quos cognoscunt morum vitia, quam verborum, amplius deuitare, sed casto corde linguam exercitatam non conferre audeant, quam etiam præferre consueuerant: his enim maxime est vtile nosse, ita esse præponenda verbis sententia, vti præponitur animus corpori. Ex quo fit, vt ita malle debeant veriores, quam discretiores inuenire sermones, sicut malle debent prudentiores, quam formosiores habere amicos. *August. in lib. de catechizandis rud.*

Quid est inuenire, nisi in id venire, quod quæritur? quæ autem vltro occurrunt menti, non dicuntur inuenta, quamuis dicantur cognita: quia non tendebat anima ad illa quærenda. *lib. 9. de Trinit.*

Legimus aliqua, ne negligantur, legimus, ne ignoremus, legimus, non vt teneamus, sed vt repudiemus. *Ambr. super Lucam lib. 1.*

Sit ipsa lectio temperata, cui finem constituat, non lassitudo imponat. Nam, vt immoderata ieiunia, & ardor abstinentiæ, & inordinatæ vigiliæ, intemperantiæ coarguuntur, & nimietate sua pereunt, vt hæc ipsa postea quidem, nec mediocriter fieri possint: ita studium intemperans lectionis in reprehensionem cadit, & quod laudabile est in genere suo, fit nimietate sui culpabile. *Hier. ad Demetr. virg.*

Idcirco & destudiolus ingenium sæpe accipit, vt de negligentia iustius puniatur: quia quod sine labore assequi potuit, scire contempsit; & ideo nonnumquam studiosus tarditate intelligentiæ premitur, vt eo maiora præmia retributionis inueniat, quo magis in studio inuentionis elaborat. Nihil ergo est in terra sine causa, quando & studioso tarditas ad præmium proficit, & desidioso velocitas ad supplicium crescit. *Greg. in mor.*

Omnino iniquum est, nobiliora ingenia, studijs dehonestari minoribus, & eos quos ardua, & grauiora expectant officia, voluptatis, & vanitatis occupationibus agitari. *Petr. Chrysost. de curial. nug. lib. 1.*

Omnis profectus ex lectione, & meditatione procedit, quæ enim nescimus, lectione discimus: quæ didicimus, meditationibus cõseruamus. *Isid. lib. 3. de summo bono.*

Punge, & dabit lachrimas: stringe mentem, & dabit intellectum. Nihil enim tam incredibile, quod non dicendo fiat probabile. *Orig. super Exod.*

Tria sunt studentibus necessaria: Natura, Exercitium, Disciplina. In natura consideratur, vt facile audita percipiat, & percepta firmiter retineat. In exercitio, vt labore, & sedulitate naturalẽ sensum excolat. In disciplina, vt laudabiliter viuens, mores cum scientia componat. *Hug. lib. 3. Didasc.*

Tria sunt, quæ præcipue studijs legentium obesse solent: Negligẽtia, Imprudentia, Fortuna. Negligentia est, quando ea quæ discenda sunt, vel prorsus prætermittimus, vel minus studiose discimus. Imprudentia est quando congruum ordinẽ in his, q̃ discimus, non seruamus. Fortuna est, in euentu casuum, siue naturaliter contingentium: quando vel paupertate, vel infirmitate, vel naturali tarditate, siue etiam doctorum raritate, a proposito nostro retrahimur. In his autem tribus de primo, id est, negligẽtia lector admonendus est, de secundo vero, id est, prudentia instruendus, de tertio, id est, fortuna iuuandus. *ibid. lib. 1.*

Noli contemnere minima, quia paulatim defluxit, qui minima contemnit. Si primo alphabetum discere contempsisses, nunc inter Grammaticos tantum nomen non haberes. Scio quosdam esse, qui statim philosophari volunt: quorum scientia formæ asini similis est, noli huiusmodi imitare. Paruis imbutus, tentabis grandia tutus. *lib. 6.*

Sapiens ille vir Græciæ Demosthenes cum expletis 107. annis se mori cerneret, dixisse fertur, se dolere, quod egrederetur de vita, quando sapere cœpisset. Plato octuagesimo anno scribens, mortuus est. Socrates nonagesimumoctauum in docendi, & scribendi labore compleuit. Refert Homerus, quod de lingua Nestoris iam vetuli, & pene decrepiti dulcior melle oratio fluxerit. *lib. 3.*

Prudens lector vel auditor omnes libenter audit, omnia legit, nõ scripturam, non personam, non doctrinam spernit, ab omnibus indifferenter, quod sibi deesse videt, quærit, non quantum sciat; sed quantum ignoret, considerat. *ibid.*

Studium est assidua, ac sagax retractatio cogitationis aliquid incognitum explicare nitens, vel scrutans penetrare occultum. *ibid.*

Meditatio est frequens cogitatio, modum & causam, & rationem vniuscuiusque rei inuestigans. *ibid.*

Studium, est animæ assidua, & vehemens applicatio ad aliquid agendum, cum summa voluntate occupata. *ibid.*

P o e t i c æ S e n t e n t i æ.

Tibul. 1. 8.

At tu dum primi floret tibi temporis ætas,
Vtere, non tardo labitur illa pede.

Claud. 4. Honor.

Interea Musis animus dum mollior instet,
Et quæ mox imitere legas, nec desinat vmquam
Tecum Graia loqui, tecum Romana vetustas.

Horat. Epist. 2.

Si non
Intendes animum studijs & rebus honestis:
Inuidia, vel amore vigil torquebere.

Ouid. 1. Trist. 1.

Quot frutices silua, quot flauas Thybris arenas,
Mollia quot Martis gramina campus habet:
Tot mala pertulimus: quorum medicina quiesque
Nulla, nisi in studio est, Pieridumque choro.

Ouid. 1. Pont. 6.

Scilicet est cupidus studiorum quisque suorum,
Tempus & assueta ponere in arte iuuat.
Saucius eiurat pugnam gladiator, & idem
Immemor antiqui vulneris arma capit.
Nil sibi cum pelagi dicit fore naufragus vndis,
Et ducit remos, qua modo nauit aqua.

Auson. Epig. 44.

Emptis quod libris tibi bibliotheca referta est,
Doctum & Grammaticum te Philomuse putas?
Hoc genere & chordas, & plectra, & barbita conde:
Hoc die mercator, cras citharœdus eris.

Ouid. 4. Pont. 2.

Da veniam fasso, studijs quoque frena remisi,
Ducitur & digitis littera rara meis.
Impetus ille sacer, qui vatum pectora nutrit,
Qui prius in nobis esse solebat, abest.

Pers. 1.

At te nocturnis iuuat impallescere chartis:
Cultor enim iuuenum purgatas inseris aures
Fruge Cleanthea.

P h i l o s o p h. S e n t e n t i æ.

Quia pauci studia non honorant, simul & naturali iudicio fixum est, & radicatum pectoribus humanis, vt qui non intelligunt artes, non mirentur artifices. *Sedu. lib. 5. epist.*

Studia te clarum & nobilem efficient, hoc studio æger est animus: Singula (inquit Epicurus,) tangeris, notiorem te epistolæ meæ faciunt, quam omnia ista, quæ colis, & propter quæ coleris: studijs ingeniorum crescit dignatio, nec ipsis tantum honor habetur, sed quicquid illorũ memoriæ adhæsit, excipitur. *Sen. epist. 21.*

Studio me dabo, omnia alia negligenda sunt: vt huic assideamus, cui nullum tempus satis magnum est: etiamsi a pueritia vsque ad longissimos ætatis terminos vita perducatur, resisteodum est occupationibus. *epist. 23.*

Omne quidem tempus idoneum est studio salutari, multi vero inter ista non student, propter quæ studendum est. *ibid.*

Studia etiam saluti corporis prosunt. In remedium enim cedunt honesta solatia, & quicquid animum erexerit, etiam corpori prodest. Cogito quam multi corpora exerceant: ingenia quam pauci, quantus ad spectaculum lusorum, vel luctatorum fiat cõcursus, quanta sit mentis bonæ solicitudo, quam imbecilli animo sicut quorum lacertos humerosque mirantur. *epist. 81.*

Ocium sine literis, mors est, & viui hominis sepultura. Alit lectio ingenium, & studio fatigatum, non sine studio tamen reficit, nec scribere tantum, nec legere debemus: altera res contristabit vires, & exhauriet: de stylo dico, altera soluet, ac diluet, inuicem hoc & illo commutandum est, & alterum altero temperandum, vt quicquid lectione collectum est, stylus redigat in corpus. *epist. 86.*

Apes debemus imitari, quæ vt vagantur, & flores ad mel faciendũ idoneos carpunt: deinde quicquid attulere, disponunt, ac per fauos digerunt: Ita debemus quæcumque ex diuersa lectione congessimus separare, melius enim distincta seruantur: deinde ad debitam facultatem ingenij in vnum saporem varia illa libamẽta confundere, vt etiam si apparuerit vnde sumptum est, aliud tamen esse, quam vnde sumptum est, appareat. *ibid.*

Quod in corpore nostro videmus operari naturam, alimenta quæ accepimus, quamdiu in sua qualitate perdurant, & solida innatant stomacho, oneri sunt: at cum ex eo quod erant, mutata sũt, tunc demum in vires, & sanguinem transeunt. Idem in his, quibus aluntur ingenia, præstemus, vt quæcumque hausimus, non patiamur integra esse: ne aliena sint, coquamus illa: alioquin in memoriam non ibunt, non in ingenium; Nostra illa faciamus. Vnum quidem fiet ex multis. hæc faciat animus noster, omnia quibus est adiutus, abscondat, ipsum tamen ostendat, quod efficit. *ibid.*

Quicquid facies, redi a corpore ad animum: illum diebus ac noctibus exerce, labore modico colitur ille, hanc exercitationem nõ frigus, non æstus impediet, nec senectus quidem, neque ego te iubeo semper imminere libro, aut pugillaribus, dandum est aliquod interuallum animo, ita tamen vt non resoluatur, sed mittatur. *epist. 15.*

Solet plus prodesse, si pauca sapientiæ præcepta teneas, sed illa in promptu, vt in vsu tibi sint, quam si multa quidem didiceris, & illa ad manus non habeas. *lib. 1. de benef.*

Non refert quam multa sciat luctator, si scit quantum victoriæ satis est. Sic in studio multa delectant, pauca vincũt, licet nescias, quæ ratio Oceanum effundat, & reuocet, quid sit, quod geminorum conceptum separet: partum tamen iungat, vtrum vnus concubitus spargatur in duos, an toties concubuerit, cui pariter natus sis fato nõ tibi nocebit transire, q̃ nec licet scire, nec prodest: quicquid enim nos meliores beatosque facturum est, aut in aperto, aut in proximo posuit. *ibid.*

Certis ingenijs nutriri, & immorari oportet, si velis aliquid trahere, quod in animo fideliter sedeat. *epist. 2.*

Vitam in peregrinatione agentibus hoc euenit, vt multa hospitia habeant, nullas amicitias: idem accidit his, qui nullius ingenio se familiariter explicant, sed omnia cursim & properanter transeunt. Non prodest cibus, qui statim sumptus emittitur. Nihil ita sanitatem impedit sicut remediorum crebra mutatio. Non conualescit planta, quæ sæpe trãsfertur. Nihil ita vtile est, quod in transitu prosit, sed modo (inquis) hunc librum euoluere volo, modo illum, fastidientis stomachi est, multa degustare, quæ vbi varia sunt, & diuersa, inquinant, nõ alunt. Quum igitur multa percurreris, vnum excerpe, quod illa die concoquas. *ibidem.*

Labor scholasticus ocium est, sed negociosum, & quod animum reddit ad honesta sollicitum. *in epist.*

Studijs & diuitijs pariter vacare non potes, nec animam illam dignatur habitare sapientia, quam videt infectam desiderijs, & curis temporalibus inuolutam. *epist. 17.*

Si vis vacare animo, aut pauper sis, aut pauperi similis. Multis enim ad philosophandum obstitere diuitiæ, paupertas autem expedita, est secura. *ibid.*

Omnibus quidem prodest subinde animum relaxare: excitatur enim ocio vigor, & omnis tristitia, quæ continuatione studij pertinacis adducitur: feriarum hilaritate discutietur. Studia enim leniter tacta delectant, contracta, & propius admota fastidio fiunt. *Sen. 1. Rhet.*

Studium vnicum doloris leuamentum est. *Plin. iun. lib. 8.*

Vt in vita, sic in studijs pulcherrimum, & humanissimum existimo seueritatem comitatemque miscere, ne illa in tristitiam, hæc in petulantiam procedat. *ibid.*

Tantus est innatus in nobis cognitionis amor, & scientiæ, vt nemo dubitare possit, quin ad eas res hominum natura nullo emolumento inuitata rapiatur. Videmus ne vt pueri, ne verberibus quidem a contemplandis rebus perquirendisque deterreantur, aut pulsi requirant, & aliquid se scire gaudeant, vt alijs narrare gestiant? Quid vero, qui ingenuis studijs, atque artibus ita delectantur, vt nec valetudinis, nec rei familiaris habeant rationẽ: omniaque perpetiantur ipsa cognitione, & scientia captos, & cũ maximis curis, & cum laboribus compensare eam, quam ex discendo capiant voluptatem. *5. de Fin.*

Est insita quædam, vel potius innata cupiditas scientiæ: natique sumus ad congregationem, ad societatem, ad communitatemque generis humani. *4. de Fin.*

Omnes trahimur & ducimur ad cognitionis, & scientiæ cupiditatem, in qua excellere pulchrum putamus: labi autem & errare, nescire & decipi, & malum, & turpe ducimus. *2. Offic.*

Cum sumus necessarijs negocijs, curisque vacui: tum auemus aliquid videre, audire, discere: cognitionemque rerum aut occultarum, aut admirabilium ad bene beateque viuendum necessariam ducimus. *1. Offic.*

In ipsis rebus, quæ discuntur, & cognoscuntur, Inuitamenta insunt, quibus ad discendum, cognoscendumque mouemur. *5. de Finibus.*

Optimus & grauissimus quisque confitetur se multa ignorare, & multa sibi etiam, atque etiam esse discenda. *2. Tusc.*

Omnia scire cuiusmodi sint cupere, curiosum est: duci vero maiorum rerum contemplatione, summorum virorum est putãdum. *5. de Finib.*

Qualia sunt publica ciuitatum studia, talis est etiam priuatorum vita. *Dionys. Hal. lib. 5.*

In magna copia rerum, aliud alij natura iter ostendit. *Sallust. de coniurat. Catil.*

Multi militia, quidam exercendo agros tolerarunt vitam. Nihil a quoquam expetitur, nisi cuius fructus ante prouiderit. *Tacitus Annal. lib. 11.*

Fieri non potest, vt qui rebus nullius precij operam diligentem nauat, possit magnis, & præclaris vllis negocijs vacare. Cum enim omnis cogitatio in illa conferatur, necesse est, vt ea negligat, quæ reuera sunt admiratione digna. *Aelia. var. hist. l. 2. c. 27.*

Natura infirmitatis humanæ tardiora sunt remedia, quam mala: & vt corpora lente augescunt, cito extinguuntur, sic ingenia studiaque oppresseris facilius, quam reuocaueris. Subit quippe etiam ipsius inertiæ dulcedo: & inuisa primo desidia, postremo amatur. *Tacit. in vita Agric.*

Magnos profecto & longe honestissimos optimorum studiorum fructus, illi ante alios in hac vita cœpisse existimantur, qui omnes ingenij facultates in id maxime opus sanctissimo fine propositio contulerunt, quo & prodesse bonis mortalibus ingenuo labore possent, & sui memoriam præclaro literarum testimonio posteris commendare mererentur. Quando in hac vita, quam natura incertis breuis æui angustijs humano generi præscripsit, nihil beatius esse potest, quam ocium tam famam immortalib. inuicti animi monumẽtis ad non incertam spem sempiternæ laudis extendisse. *P. Iouius, præfat. in lib. hist.*

Cum peregrinos quosdam diuites Romæ forte vidisset Cæsar, canum & simiarum catulos in gremijs circumferre, ijsque sese oblectare, percontatus est: Ecquid apud ipsos mulieres liberos nõ parerent? Digna mehercle principe vox, qua erroris admonuit eos, qui a natura inditum nobis affectus, quibus ad amorem hominum incitamur, in bestias absumerent. Verum animo nostro non tantum discendi spectandique aliquid innata est cupiditas, (quam in canum etiam simiarumque catulis animaduertimus) sed præterea ratio etiam, quæ eos reprehendat, qui illa cupiditate ad audiendas spectandasque res nullius precij abutantur, ijs neglectis, quæ pulchræ sunt, & conducibiles. Sensus quidem cũ ab obiecto quocumque afficiatur, atque moueatur, forsitan necesse sit omne id quod oculis offertur, siue id inutile sit, siue vtile apprehendere: intellectus autem ea est natura, vt quæ velit possit contemplari, & ab ijs, quæ non probat, sese nullo negocio auertere. Ergo ad contemplandum ea sunt deligenda, quorum consideratione mens ipsa quoque alatur. Vt enim oculis cõmodus est color floridus, & elegans, qui dum simul ipsum etiam visum exsuscitat, atque alit: ita intelligentia ijs rebus considerandis adhibenda est, quæ cum delectatione simul ipsum etiam ad suum bonum appetendum prouncẽt, nimirum ad virtutis actiones, quæ dum cognoscuntur vna æmulationem quamdã, ac studium imitandi in animis excitant. In cæteris sane rebus non sẽper admirationem eius, quod factum est, cupiditas idem efficiendi comitatur: & quidem plerumque contra fit, vt cum opus laudemus, opificem contemnamus. Verbi gratia, vnguentis & purpura delectamur: at vnguentarios, & tinctores pro illiberalibus ac sordidis hominibus ducimus. Quapropter recte Antisthenes cum Ismeniam egregium tibicinem audiret prædicari, Atqui homo est prauus, inquit: alioquin enim tantum in hac arte nõ præstaret. Philippus filio suo, quod suauiter & artificiose quodã in loco cecinisset fidibus: Non te, inquit, pudet, tam belle cytharã pulsare? Regi enim satis est tantum ocij sibi sumere, vt alios canentes audiat: multumque tribuit Musis, si spectatorem alijs se horum certaminum præbeat. Qui vero ipsi in rebus vilibus elaborant, eo ipso testatum faciunt, se non magnam præclararum rerum curam gerere. Neque vero quisquam bonæ indolis adolescens, viso Olympio Ioue, Phidias fieri cupit, neque visa ea, quæ est Argis Iunone Polycletus; & verũ virtutis actiones eo modo afficiunt contemplantem, vt confestim & miretur eas, & authorem imitari cupiat. *Plut. in Pericle.*

SIMILITVDINES.

Plinij. Luscinijs tantum est canendi studium, vt certantes emoriantur, spiritu citius deficiente, quam cantu: Ita nonnulli literarum immodico amore valetudinem extinguunt, & dum a nullis vinci volunt eruditione, pereunt in ipso conatu. *lib. 10. c. 29.*

P. M. Notatus Protogenes, alioqui summus in pictura artifex, quod nesciret manum tollere de tabula: Ita quidam scriptores immodica diligentia peccant, quibus nihil vnquam satis emendatum videtur. *in simil.*

Vt feris alijs aliunde victus: sic hominibus alijs aliunde viuendi ratio: alius philosophatur, alius militat. *Plut.*

Vt Androgyni sic vtrosque imitantur, vt neutrum sint, nec mares, nec fœminæ: Ita quidam dum & Theologi volunt esse, & rhetores, a neutris agnoscuntur. *P. M.*

Vt a Seribus mollissima vellera, & ab ijsdem durissimum ferrũ mittitur: Sic a quibusdam diuersa proficiscuntur. *idem.*

Crocodilus anceps animal nunc in terris agit, nunc in aquis: in terra ponit oua, in aqua prædatur, & insidiatur: Ita quidam simul & aulici sunt, & Ecclesiastici, & vtrobique pestilentes.

Vino modico nerui, & oculi iuuantur, eodem copiosiore læduntur: sic literis modice gustatis adiuuatur vita, eadem læditur, si quis immodice incumbat. *P. M.*

EXEMPLA HISTORICA.

Pomponius libro Pandectarum 40. de fideicommiss. libert. apud Iulianum, inquit: ego discendi cupiditate, quam solam viuendi rationem optimam, in octauum, & septuagesimum annum ætatis duxi, memor sum huius sententiæ, quam dixisse fertur *Solon*: Etsi alterum pedem in sepulchro haberem, adhuc discere quædam vellem. *P. M. in adagijs.*

Michael Imperat. Constantinopolitanus studio aurigandi neglexit imperium. Cum enim quodam tempore in curru consedisset, iamque equi essent carceribus emittendi, nuncius allatus

fuit ab Amete Sarraceno præfecto, Meliceni imminere magnū malum. Tum Imperator torvo vultu, quonam modo tu, inquit, ausus es, scelerate, mihi tam necessario certamine occupato, molestus esse, cum in hoc vnum incumberem: vt cum qui medium te nec [illegible] in partem auertam, de quo meus totum hoc certamē est. *Cedren.*

Vide Diligentia, Philosophia, Ars, Scientia.

STVLTITIA. STVLTILOQVIVM

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Stultitia. Græce *μωρία*, *ας* & *μωρὸς*, *ἡ*, stultus dicitur. Stultitia, Hebr. *Iuueleth*, stultitia, fatuitas, vecordia. *Euil*, stultus, stolidus, delirus, qui insipienter res suas gerit, dissolutus est moribus, & temerarie se obstringit. Hinc *ἠλιθιάζειν*, delirare, *ἠλίθιος*, stultus. Dicitur etiam stultitia, *Kesel*, id est, Obliquitas, tortuositas; & stultus, *Chesil*, obliquus, tortuosus, incunstans, a verbo *Casal*, obliquus, & inconstans fuit. Cognationem habet cum *Sacal*, prauus fuit, deprauatus est. Denique stultitia nominatur ab Hebr. *Nebalah*, & stultus, *Naual*, id est, vilis, *εὐτελὴς fol*, vel *fatua*, a verbo *Nabel*, flauus fuit, emarcuit, & per metaphoram palluit, viluit. Nam vt flores naturali humore destituti pallescunt, flaccescūt, & decidūt, ita stultus vigore iudicij, & rationis exutus, vilis est in oculis Dei, & hominum putum. Est autem stultitia in factis dictisque per ignorantiam recti, ac boni erratio, *secundum Lactant. l. 3. diuinarum instit.*

Stultitia importat hebetudinem sensus spiritualis. Fatuitas autem totalem priuationem eius. Ideo prima opponitur contrarié sapientiæ: secunda vero priuate. *Ex B. Thom. secunda, secundæ, q. 46, 8. art. 6.*

Stultitia dicitur a stupore: Quia stultus est, qui propter stuporem non mouetur *secundum Arist. lib. 2. Eth. & q. 46. Thom. secunda, secundæ art. 1.*

Stultiloquium, Græce *μωρολογία*, *ας*, *ἡ*, dicitur significatque peruersam sententiam verborum, per quæ quis præfert delectationes luxuriæ alijs bonis, *secundum B. Thom. secunda, secundæ, q. 113, art. 5.*

BIBLICI LOCI.

Stultiloquium damnatur, *Rom. 1. 30. Eph. 5 v 4.*

Stultitia. *Prou. 14. 29 & 20 3 & 26. 1. & 27 22 Eccl. 10. 2. Eccl. 33. 5. Baruch 3. 23. Matth 7. 26. & 25. 2. Marc. 7. 22. Ephes. 4. 5.* Stultitia quæ laudanda, *1. Cor. 3. 18.* stultus stultitiam deserere nō potest, *Prou. 27. 33.* Stultus felicitate vti non potest, *26. 1.* Stulti iraquā noxia, *27. 3* Stulto quando respondendum, *Prou. 26. 4.* Stulto nihil prodest diuitiæ, *17. 16.* Stulti contentionum authores, *Prou. 18. 6.* sapientes sibi videntur, *26 v. 16.* itaque castigatione vix emendantur, *17 10.* & tamen castigandi sunt, *10. 13. & 26. 3.* Stulta mundi cur a Deo eliguntur, *1 Cor. 1. 27.* Stultorum corda, in ore eorum sunt: sapientum ora e contrario in corde sunt, *Eccl. 21. 23.* stultorum infinitus numerus est, *Eccl. 1. v. 25.* Stultis silentium imponendum. *Prou. 26. 10. 1. Pet. 2 16.*

SENTENTIÆ BIBLICÆ.

Sapientiam atque doctrinam stulti despiciunt. *Prou. 1.*

Filius sapiens lætificat patrem: Filius vero stultus mœstitia est matris. *ibid 10.*

Stultus irridet disciplinam patris sui: Qui autem custodit increpationes, astutior fiet. *ibid. 13.*

Plus proficit correctio apud prudentem, quam centum verbera apud stultum. *ibid. 17.*

Stultorum infinitus est numerus. *Eccl. 1.*

Sicut sonitus spinarum ardentium sub olla: sic risus stulti. *ibidem 7.*

Arenam & salem, & massam ferri facilius est ferre, quam hominē imprudentem, & fatuum, & impium. *Eccl. 22.*

PATRVM SENTENTIÆ.

Rescindenda Insipienti potestas est, non adijcienda libertas. Insipientis in libertate ruina vehementior est. *Ambros. [illegible]*

Stulti tanto intensius de aliquo iudicant, quanto sua profundius ignorant. *Greg. in mor.*

Stultus viator est, qui in via amœna prata conspiciens obliuiscitur quo tendebat. *ibid.*

Tanto quisque intus amplius stultior fit, quanto conatur exterius sapiens videri. *ibid.*

Stultus est, qui per ignominiam non commouetur ad dolorem, & qui non mouetur ad iniuriam. *Isid.*

Qui [illegible] non proficies ad sapientiam. *August. de vera relig.*

Qui ea, quæ Dei sunt, sapiunt, a Domino sapiuntur: qui ea, quæ Dei sunt, nesciunt, a Domino nesciuntur: Paulo attestante, qui ait: Si quis ignorat, ignorabitur. Idem: Quicunque stultus est in culpa, erit sapiens in pœna. *Gregor. in moral. & hab. dist. 38. can. Qui ea.*

DICTA POETARVM.

Sophocles.

Οἱ γὰρ κακοὶ γνώμαισι τἀγαθὸν χεροῖν
Ἔχοντες οὐκ ἴσασι πρίν τις ἐκβάλῃ.
Homines enim mala mentes bonum præ manibus
Habentes non cognoscunt, antequam amittatur.

Horat. pist. 1.

Virtus est vitium fugere, & sapientia prima,
Stultitia caruisse.

Ausper Aus.

Quid stulti proprium? non posse, & velle nocere.

Plaut. Amph.

Non tu scis: Bacchæ bacchanti si velis aduersarier,
Ex insana insaniorem facies, feriet sæpius,
Si obsequare, vna resoluas plaga, &c.
Irritabis crabrones,

SENTENTIÆ PHILOSOPH.

Stulti desiderant absentia: præsentia vero, etsi meliora præteritis, negligunt. *Democ. apud Stob.*

Stultus diues, mancipium aureum. *Socr. ibid.*

Omnium malorum stultitia est mater. *Cic. de Pet. Cons.*

Multa sunt incommoda, quæ sapientes commodorum compensatione leniunt, stulti nec vitare venientia possunt, nec ferre præsentia. *Cic. 2. de Nat. Deor.*

Inter cætera mala, hoc quoque habet stultitia: semper incipit viuere. *Sen. 13. epist.*

Stulto nulla re opus est, nulla enim vti scit, sed omnibus eget, omnis stultitia laborat fastidio sui. Nemo est ex imprudentibus, qui relinqui sibi debeat. *Epist. 10.*

Humilis est stultitia, res abiecta, sordida, seruilis, multis affectibus & sæuissimis subiecta. *Sen. 36. epist.*

Si quando fatuo delectari volo, non est mihi longe quærendus, me video. *ibid.*

Sapientissimus quisque æquissimo animo moritur, stultissimus iniquissimo. *Cic. Paradox.*

Stulti, malorum concientia torquentur: Sapientes bona præterita renouata grata recordatione delectant. *1. de Finib.*

Nullus stultus beatus, & sapiens non beatus. *ibid.*

Multarum & grauium calamitatium multis hominibus stultitia causa est. *Ex orat. de Rhodiorum libertate. Demost.*

Stultum est, ipsos res vestras negligentes dicere, alienarum rerum curam vos habere, & præsentia contemnentes, de futuris alios terrere. *Ex orat. 3. in Philip.*

Stultitia maius est malum, quam omnia mala, & fortunæ, & corporis. *Cic 3. de Nat. Deor.*

Insipientia nullum maius malum est. *3. Tusc.*

Miserius stultitia quid dicere possum? *Cic. 1. de Nat. Deor.*

Quid abiectius stultitia dici potest? *de Leg.*

Omnes stulti insaniunt. *Cic. 4. Tusc.*

Est proprium stultitiæ, aliorum vitia cernere, obliuisci suorum. *3. Tusc.*

Stultorum plena sunt omnia. *Cic. Papy. Pæto Famil. 9.*

Omnium stultorum id semper est ingenium, vt quum quis ipsis assentatur, magnifice de se sentiant: at quum terror illis incutitur sapiant. *Dion. Halic. l. 5.*

Scitis omnes stultos (præsertim vero vulgus) in humiles arrogantes, erga superbos demisse solere se gerere. *idem l. 6.*

In medijs certaminibus pœnitere cœptorum consueuere, qui inconsideratius res ipsas aggrediuntur. *Procop. de bel. Goth. l. 1.*

Stultorum est, innumeris velle calamitatibus ob gratiam repentinæ contentionis, & pernicaciæ affici, nec vllam molestiarum solutionem denique inuenire. *idem lib. 2.*

Miserum est, quum anteuertere incommodum possitis, admittere, vt id vobis eueniat, ac deinde pœnitentia corripi. *Dion. l. 45.*

Ludere ijs in rebus, in quibus serio agendum, & circa eas multum sudare, in quibus haud quicquam proficere possis. *G. Pachymer. histor. l. 4.*

Epimethei pedissequa pœnitentia. *idem l. 3.*

Michael Palæologus mentis eum compotem esse negabat, qui non suo, sed alieno consilio suis in rebus vtatur. *G. Pachymer. histor. lib. 4.*

Nullum ad retinenda bona certius, quam memoria est ærarium, Immemoribus enim & stupidis ea cum tempore effluūt.

Itaque

Itaque nihil seruãtes, in perpetuum vacui bonorum, spe pleni, futura, præsentibus dimissis, spectant. Et vero cum illa possint a fortuna impediri, hæc eripi non queant, ij tamen dona fortunæ præsentium, tamquam aliena abijciunt, futura & incerta somniant. Id quod euenire ijs consentaneum est, quãdo externa bona, priusquam rationis, & disciplinæ opera illis sedẽ, atque fundamentum locauerint, congerẽtes, atque coaceruantes, insatiabilem animi cupiditatem explere non possunt. *Plut. in Mora.*

Ingentia detrimenta, & insanabilia pati, continenterque & sine molestia ferre, atque nulla vel indecenti, vel absurdissima commouer, non sapientis esse asseuerauerim, sed calamitosi, & timidi, eius denique, qui sub imperitiæ nomine delictum in Republ. velit. *Agat. Hist. lib. 3.*

A P O P H T H E G M A T A.

Bion interrogatus, quid esset stultitia? respondit: proficiendi impedimentum. *Stob. ferm. 4. de imprudentia.*

Crates stultos homines dicebat terebris esse similes, quod nisi vinculis, & alias coacti officium suum non faciunt. *ibid.*

Socrates dicebat stultos temulentos debacchari, aduersante fortuna insanire. *ibid.*

Idem. Stultis (inquiebat) sicut infantibus, vtcumque leuis occasio satis est ad ductum. *eod. ferm.*

Democritus. Huius in stultitia præditos homines, extant hæc dicta apud Stobæum: Stulti cum vitam oderint, tamen viuere volunt mortis metu. Viuunt nõ delectati vita. Desiderant iuuentutem, cum nullo iuuentutæ commodo fruantur. Desiderant absentia: præsentia vero, etsi meliora præteritis, negligunt. Nihil approbant per totam vitam. Mortem timentes, senescere cupiunt.

Idem. Timidum contra seipsum arma gerere dicebat, stultum autem pecunias. *Stob.*

Idem. Dicta eiusdem in stultos hæc occurrunt apud Stobæum. Neque Achillis arma Thersiti, neque animi bona homini stulto cõueniunt. Victus ægroti, & bona fortuna stulti multum continet molestiæ. Tonitrua pueros in primis, & minæ stultos terrent.

Epicurus dicebat inter cætera mala hoc quoque habere stultitiam, quod semper viuere incipiat. Id est, homines quotidie noua vitæ fundamenta ponunt, & nouas spes etiam in exitu vitæ inchoant. *Senec. epist. 13. ad Lucil. & epist. 15.* Stulti vita (inquit) ingrata est, trepida est, tota in futurum fertur.

Xenophon. Diuitem stultum sordes inargentatas esse dicebat. *Max. ferm. de diuitijs, & paupertate.*

S I M I L I T V D I N E S.

Salomonis Regis. Sicut muscæ in vnguentum quantumuis fragrans collapsæ, si illic moriantur, vnguentum corrumpunt, & bullis veluti scabie obducunt: Sic parua sæpe stultitia homini ob sapientiam, & reliquas naturæ dotes claro, multum existimationis adimit. *Eccles. c. 9.*

Rota currus præcordia fatui, & quasi axis versatilis cogitatio illius. *Eccles. c. 33.*

D. Basilij. Quemadmodum ægri, & debiles, rebus vtuntur ad curandum aptis: Sic & stulti sapientia indigent, meliusque longe ipsam quam argenti, & auri thesauros mercari, longeque item carior lapidib. preciosis, & omne admodum preciosum ipsa prorsus dignum non est. *In Iulitannum martyrem.*

Maximi monachi. Crates stultos terebris similes esse dicebat, quod nihil eorum, quæ recta sunt, sine vinculo, & necessitate facere velint. *Serm. 60. & apud Anton par. 1. ferm. 9. Meliss. & apud Stob. ser. 2. de Imprudentia.*

Antonij Monachi. Quemadmodum iubar fulgens a Solis lumine, caligo superueniens occultat: Ita sæpenumero intellectum quoque nostrum veluti in ipsa meridie splendentem, & luce sua cõspicuum, stultitia vel amentia superueniens obscurat. *in Meliss. par. 1. ferm. 10.*

Socrates. Vt ægrotantem lectus aureus nihil iuuat: Sic neque stolidum insignis felicitas, & opes amplissimæ. *Apud Stob ferm. 95.*

Homeri. Vt Cyclops exoculatus, manus quoque versum porrigebat, nullo certo scopo: Ita magnus rex cui desit prudentia, quod vis aggreditur ingẽti rerum tumultu, sed nullo iudicio. *Odyss 9.*

Isocratis. Quemadmodum infantes leuissimas ob causas luctus causam arripiunt: Sic stultus quoque re nullius momenti commouetur. *Apud Stob. ferm. 2. de Imprudentia.*

Seneca. Quomodo homo omnes sensus habet, nec ideo tamen omnes homines aciem habent Lyncеo similem: Sic qui stultus est, tam acria, & cõcitata habet omnia, quam quidam quædam. Omnia in omnibus vitia sunt, sed non omnia in singulis extant. *lib. 4. de Beneficijs, c. 27.*

Plinij. Si fœmina inter aues saliat fœminam, nascuntur quidẽ oua, sed ex quibus nihil nascatur: ita consilium quod animo conceperis, non accedente ratione, friuolum est, & inutile. Oua sic nata Hypenemia, hoc est, subuentanea vocant: dicuntur & Zephyria, quæ vento concipiuntur. Sic euanidum est, quicquid imaginatione, non certo iudicio instituitur. *lib. 10, c. 58. & Arist. lib. 6. c. 2. de nat. anim.*

Struthiocamelus, auium maxima, sed stolidissima: nam vbi collum occultarit frutice, latere sese existimat: Ita qui tam ingenti mole corporis onusti, minimum habent ingenij. *lib. 10. c. 1.*

Vt conchylia crescente luna augescunt, decrescente marcescunt: Ita stultus a fortuna pendens, nunc magnus est, nunc pusillus, nunc clarus, nunc supplex, vtcumque Rhamnusia mutauerit sese. *lib. 2. c. 1002.*

Mugiles si caput condiderint, putant se totos occultari: Ita quidam si sua vitia dissimularint ipsi, putant ab alijs non animaduerti: qui mos idem & pueris est. *lib. 9. c. 71.*

Gulielmi Paral. Sagitta infixa fœmori canis, sic verbum in corde stulti: Sic enim canis non quiescit, donec eiusmodi remouerit è fœmore suo: Ita nec stultus quiescere potest, donec verbum malum, quod de proximo audiuit, alijs retulerit. *Eccles. 19.*

E X E M P L A B I B L I C A.

Stultorum & stultitiæ, seu stulte factorum *exempla*: Aaron & Maria, *Num. 12. v. 11.* Israelitæ, *Deut. 31. v. 6.* Saul, *1. Sam. 13. v. 13. & 26. v. 21.* Dauid, *21. 13. 2. Sam. 24. 10.* Nabal, *1. Sam. 25. v. 25.* Assa, *2. Paral. 16. 9.* Vxor Iob, *Iob 2. v. 10.* Principes Sion, *Esaia 19. 11.* Iudæi, *Ier. 4. 22. & 5. 21.* Pharisæi, *Matth. 23. v. 16. 17.* Diues quidam, *12. 20.* duo discipuli, *24. 25.* Gentes, *Rom. 1. 21. Gal. 3. 1.*

P R O F A N A E X E M P L A.

Thraces, quorum tanta perhibetur vecordia, vt vltra quatuor numerare nequeant, cum viderent ducem suum plurimas scalas fabricare, quibus minabatur se ad Iunonem ascensurum, illamque accusaturum, metu perculsi, ea quæ imperauerat, fecerunt.

Troiani pariter & Græci ob vnius Menelai, & Paridis stultos amores, pro Helena adultera decennali bello contendentes manifestæ stultitiæ ab Horatio in Epistolis damnantur, vbi de Iliade Homeri scribit:

Fabula, qua Paridis narratur, propter amorem
Græcia barbariæ lento collisa duello:
Stultorum regum & populorum continet æstus.

Arcades olim male audierunt ob stuporem ingenij, de quorum immanitate multa Athenæus lib. 14. qui primi musicam omnem in ciuitatem recipere noluerunt: nec vllas liberales disciplinas, quarum cultu mansuescunt hominum ingenia. *P. M. in Pr. verb. Arcadicum germen.*

Lesbij & Cumani in Aeolide supra Lesbum notati sunt stoliditatis, vt indicat. *Stephanus.*

Athenienses populi stultitiam ipsorummet poetæ, & oratores perstrinxere: sic *Aristophanes in Nubibus.*

[illegible]
Læua consilia ferunt huic adesse ciuitati.

Abderitæ in stuporis insaniæque fabulam abiere, quod perspicuum est ex epigrammate *Martialis lib. 10.*

Abderitanæ pectora plebis habes.

Sannas fatuus a Cratino comœdo introducitur: vnde & Latini subsannationem, & Græci stultos Sannos vocant. *Eustathius Odyss. x.*

Athen., Callicon cognomine, fictile vas puluinaris loco capiti supponebat. Verum quia duritie illius offendebatur, paleis impleuit, vt mollius haberet cubile: cognomen Calliconis obtinuit, [illegible] hoc est, [illegible] per antiphrasim. *Eustathius Odyss. x.*

Xerxes Persarum rex Hellesponto stigmata, & verbera inflixit, atque ad montem Athon misit epistolas. noli diuine Atho, qui nubes attingis vertice, operibus meis præbere lapides vastos, & parum tractabiles: alioquin ipsum te excindam, & in altũ proijciam. *Plut. de non irascendo.*

E M B L E M A T A.

Fatuitas.

Emblema LXV. Andreæ Alciati.

Miraris nostro, quod carmine diceris Otus:
Sit vetus a proauis cum tibi nomen Otho?
Aurita est, similes & habet cum noctua plumas,
Saltantemque auceps mancipat aptus auem.
Hinc fatuos, captu & faciles, nos dicimus otos:
Hoc tibi conueniens tu quoque nomen habe.

Vide sequentem tit. de Stupiditate.

S T V P I D I T A S.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Stupiditas, Stupor, *ἀναισθησία.* Hebr. *Schammah,* a verbo *Schamem,* Desolatus est cum stupore, propter reatum, aut pœnam.

SENTENTIÆ POETICAE.

Anthologia sacra Iac. Billij.

De hominum stupiditate, miseriam suam non agnoscentium.

Veris ego citius flores, & sidera cœli
Enumerem, vitæ quam mala cuncta meæ.
Corpus enim morbis quatitur, frigorque calorque;
Sæpe fames illud, sæpe sitisque premit.
Mens quoque nunc tapitur fursi, atque æstuat ira:
Nunc timet, aut lacrimis lota iacet.
Quodque malæ caput est, tam sim miser, vt miser ipse
Cum sim, me miserum non tamen esse sciam.

Quid de ijs sentiendum sit, qui grauissima animi vulnera non sentiunt.

Impia cum Christi traiecit lancea pectus,
Et sensu, & vitæ munere captus erat.
Idne nihil signare putas, quod lumine cassus,
Pectore tam durum vulnus ab hoste capit?
Scilicet vt viuus dederat præcepta salutis
Plurima: sic functus nos quoque morte docet.
Saucia nam quod mens, sensum quæ perdidit omnem,
Non inter viuas iam sit habenda, docet.

PHILOSOPHICAE SENTENTIÆ.

Qui omnes voluptates prætermittit, & cauet, vt solent agrestes, is sensus omnis expers iudicandus est *lib. 2. Ethic. c. 2.*

Qui a voluptatibus nimium abhorreant, non admodum multi reperiuntur: vt ne nomen quidem habuerint. Appellentur sane omnis sensus expertes, & stupidi, *lib. 2. Ethic. c. 7.*

Qui parum, aut minus, quam æquum sit, voluptate afficiantur, pauci admodum reperiuntur. Non enim propria est hominis huiusmodi sensus vacuitas, & in voluptatibus aspernandis immanitas. *lib. 3. Ethic. c. 11.*

Si quis eiusmodi cui nihil voluptatem afferat, quiq. nihil putet interesse inter aliam rem, atque aliam: Is profecto procul absit a natura hominis hominemq. ex homine exuerit necesse est. Talis, quia non admodum reperitur, vacasset nomine. *Ibidem.*

SIMILITVDINES.

Plin. Quemadmodum gemma Chalazias, etiamsi in ignem conijciatur, tamen natiuum frigus suum retinet: Ita quidam sic frigent ad literas, ac virtutem, vt nullis exemplis, aut honoribus inflammare possis. *Lib. 37. c. 11.*

Vt Tarandi cutis ferro impenetrabilis: Ita quosdam nihil queas dictis lacessere. *Lib. 8. c. 34.*

Struthiocamelus avium maxima, sed stolidissima: nam vbi collum occultarit frutice, latere sese existimat: Ita quidam ingenti mole corporis onusti, minimum habent ingenij. *Lib. 10. c. 1.*

ADAGIA.

Terebintho stultior. Τερεβίνθου ἀφρονέστερος.

In stupidum sibique placentem, quod arbor ea late, porrigat ramos, quod est insolenter ostentantium sese, adhæc, nigrore insignis folijs crassis, succo item pingui, & resinoso, tum alias alia specie.

Cœcus auribus.

Tu simul, & aure, & mente, & oculis cæcus es. Quadrat in hominem plane stupidum.

Bis pueri senes. δὶς παῖδες οἱ γέροντες *Varro.*

Quadrabit in eos qui prouectiore quam sint ætate, tamen puerilibus quibusdam studijs intempestiuius atque indecore tenentur.

Squillas a sepulchro vellas. Σκίλλας ἀπὸ σήματος τίλλειν.

Squillas a sepulcro vellere videbantur, qui parum sanæ mentis esse videntur.

Minus habet mentis, quam Dithyramborum poeta. Διθυραμβοποιῶν νοῦν ἔχεις ἐλάττονα.

In stupidos, ac furiosos torquetur.

Pistillo retusius. *Hieronym.*

Pro eo quod est minime acutum.

Embarus sum. Ἔμβαρός εἰμι

Dictum est olim de insano deliroque.

Phryx plagis emendatur.

In barbaros seruilique ingenio homines dicitur, qui non pudore, neque monitis, sed verberibus redduntur meliores. Esel, Nussbaum vnd Vveiber, vvoellen geschlagen seynn, sollen sie vvas nutzes schaffen.

Messena seruilior. δουλότερος Μεσσήνης.

De minime liberis dicebatur, & alieno viuentibus arbitrio.

Stultior Corœbo. ἠλιθιώτερος Κοροίβου.

In stupidos, ac vecordes.

Stultior Morycho. μωρότερος τοῦ Μορύχου.

Siculum prouerbium in eos, qui ridiculene stulteue quippiam facerent.

Stupidior Praxillæ Adonide. ἠλιθιώτερος Πραξίλλης Ἀδώνιδος.

In vehementer stupidos.

Vernecea statua.

Plautinus Hegio seruum stupidum appellat verniceam statuam, quasi dicas, brutum, ac mutum hominem.

Corpus sine pectore.

Horatius.

Non tu corpus eras sine pectore, Dij tibi formam,
Dij tibi diuitias dederant, artemque fruendi.

Nam sapientiam & ingenium in pectore constituunt. Es ist ein schoene Mounia, es mangelt nur Heiligthumb darinnen vvere.

Antronius asinus. Ἀντρῶνος ὄνος.

Quem dicebatur, qui deformi, prægrandique mole corporis esset, cæterum ingenio stupido, tardoque. Er ist ein rechter Palm Esel.

Naribus trahere. τῆς ῥινὸς ἕλκειν.

Est enim indicium alieno arbitratu quouis abduci.

Arcadicum germen. Ἀρκαδικὸν βλάστημα.

De grandibus ac ignauis dici, aiunt.

Arcades imitantes. Ἀρκάδας μιμούμενοι.

Dictum in eos, qui alijs, non sibi laborant.

Asinum in rupes protrudere.

Horatius.

Qui male parentem in rupes protrusit asellum.

Quadrabit in quosdam peruerso natos ingenio, qui quum ipsi non sapiant, nolunt tamen bene consulentium monitis obtemperare.

Feles Tartessia. γαλῆ Ταρτησσία.

De magnis ac ridiculis dicebatur.

Non inest illi dentale. γόμφος οὐκ ἔνεστιν αὐτῷ.

Dici consueuit de quopiam ad rem aliquam parum vtili.

Stulto ne permittas digitum.

Nihil permittendum imprudentibus quantumuis pusillum.

Vver Narren und Kinder die Finger in das Maul steckt, der vver gern gebissen.

Septennis quum sit, nondum edidit dentes. ἑπταετὴς ὢν ὀδόντας οὐκ ἔφυσεν.

Quadrare videtur in eum qui natu grandis, tamen adhuc quasi puerum agit. Er ist noch gelb umb den Schnabel

Stultitia est Iouem putare esse. τῆς μωρίας τὸν Δία νομίζειν ὄντα τινὰ

κτόνον.

In eum accommodari potest, qui grandis natu dicit, aut facit absurdum quippiam, quem propter ætatem nihil oporteat ignorare.

Vt Bagas constituisti. Βάγας ἐστηκας. *Plutarchus.*

In stupidum & elinguem dicebatur.

Desertum obtuen. ἐρημον ἐμβλέπειν. *Aristophan.*

Desertum intueri dicebatur, qui fixis & attonitis intueretur oculis.

Ede nasturtium. ἔσθιε κάρδαμον.

In socordem, ignauum, hebetem, stupidum olim dicebatur.

Nihil ab Elephante differs. Ἐλέφαντος διαφέρεις οὐδέν.

In magnos ac stupidos dicebatur. etiamsi primam ingenij laudem Plinius tribuit Elephantis, sed inter bruta.

Sacer piscis. ἱερὸς ἰχθύς.

Per iocum dici poterit in hominem prægrandem, & in pretio habitum, qui sit stupidus & infans.

Tanagræus catus. Ταναγραῖος κῆτος.

Obesum ac prægrandi corporis mole. Ταναγραῖον κῆτος appellabant.

Loquax talpa. *Ammian.*

Homo nullius indicij, sed tamen impendio verbosus, loquax talpa, dictus est populari conuitio.

Bos marinus. Βοῦς ἐνάλιος.

De magnis, insulsis, & ad nihil vtilibus, quales sunt Phocæ, tantum pascentes, nec operi, nec esui vtiles, contraque boues terrestres.

Mens non est in centauris. νοῦς οὐκ ἔνεστι κενταυρίοις.

In vecordes & stultos dicebatur. & qui conarentur, quod efficere non possent.

Beccesilenus. Βεκκεσέληνος. *Aristoph.*

Prouerbio dicebatur stupidus ac delirus, sideratus, aut admodum senex.

Saturni podex. Κρόνου πυγή.

De carnibus vetulis, iamque marcidis & sensu vacantibus. Quicquid enim putre iam & effœtum intelligi volebant olim, id Saturnium vocabant.

Capitut vacuum cerebro. ὦ οἵα κεφαλὴ καὶ ἐγκέφαλον οὐκ ἔχει id est: *O quale caput, & cerebrum non habet. Natum ex apologo Æsopico. De his qui corporis specie præcedunt, ingenio carentes.*

Er hat Kein Hirn in Kopf.

Rana Gyrina sapientior.

Sumptum est adagium ab informi partu ranarum, quem Græci γυρῖνον vocant. Porro quum ranis tribuitur loquacitas, quæ stoliditatis solet esse comes, minimum mentis inesse oportere Gyrinis, quos vix deprehendas animal esse, nisi mouerentur.

Ouium nullus vsus si pastor absit. προβάτων οὐδὲν ὄφελος ἐὰν ὁ ποιμὴν ἀπῇ.

Admonet adagium, ἀναρχίαν rem esse omnium perniciosissimam. Nihil recte faciunt multitudines stupidi præsertim ac vecordes si herus absit.

Ouium mores. προβάτων ἦθος.

In stupidos ac stolidos iaci solitum.

Margites. Μαργίτης.

Margitem pro stupido dixit Lucianus.

Fœnum esse, Ambrosia alendus,

Verumque

Vtrumque prouerbiali figura dixit M. Tullius: alterum in indoctos, ac brutos homines, alterum in egregios, vt intelligas illos pecudibus, hos Dijs æquandos.

Ne quis vmquam Megarensis sit prudentior. μηδέποτε μηδεὶς Μεγαρέων γένοιτο σοφώτερος.

Stomma prouerbiale iaci solitum in stupidos.

Midas auriculas asini. Μίδας ὄνου ὦτα.

Recte dicetur, vel in stolidos, & crassis auribus pinguique iudicio homines.

Fungus.

Plautus in Bacch. Fungum dixit pro stupido, impensèque credulo.

Aut regem aut fatuum nasci oportere. *Seneca.*

Dictum quod ferme huiusmodi fuerint Barbari reges apud veteres. Prouerbium apud Romanos natum videtur, apud quos regis cognomen erat inuisum, vtpote barbarum ac Tyrannicum, & pugnans cum publica vtilitate, quam illi vel imprimis tum sectabantur.

Stultior Melitide. μωρότερος Μελιτίδου.

Melitides vnus è felicissimis fatuis, quos Homerus suo carmine nobilitauit.

Hic, iam euersa Troia, venisse legitur auxilium laturus Priamo.

Nescit capitis, & inguinis discrimen.

Qui eo impudentia deuenerunt, vt nullum prorsus faciant discrimen inter honestum, ac turpe, hi nescire dicuntur, quid intersit inter caput, & inguen. Iuuenalis.

Quid enim Venus ebria curat?

Inguinis & capitis, quæ sint discrimina nescit.

Terræ intestina. γῆς ἔντερα. *Diogen.*

Dicebantur vilia, nulliusque precij. Saxa vero terræ viscera dicuntur, simile illi: Telluris inutile pondus. Erden last.

Κορυβαντιᾶν.

Pro insanire.

Lucerna pinguior, Pinguior Lecytho, λιπαρώτερος λύχνου. λιπαρώτερος λυκύθου.

Videtur stomma prouerbialis in eos, qui quum sint edaces, nihilo tamen inde fiunt habiliores. Non absurde deflectetur in homines crasso iudicio, aut luxui deditos.

Bœotica sus. ἡ Βοιωτία ὗς. *Pindarus.*

Scomma cessit in prouerbium, vt primum in Bœotos diceretur, ab his, in quosuis indoctos, inconditos, moribusque rusticanis homines torqueretur.

Bœoticum ingenium.

Quicquid insulsum esset, ac stultum, id Bœoticum dicebant.

Bœotica cantilena. Βοιώτιος νόμος.

Dicebatur si quibus initia tranquilla, ac prospera fuissent, posteriora turbulenta, ac tristia.

Bœotica auris. Βοιώτιον οὖς.

In hominem pingui iudicio quadrat. Du hast dicke Ohren.

Asinus stramenta mauult, quam aurum. ὄνος σύρματ' ἂν ἕλοιτο μᾶλλον ἢ χρυσόν.

Aristoteles libro Moralium Nicomachiorum decimo citat Heraclitum, qui dixerit: Ονος σύρματ' ἂν ἕλοιτο μᾶλλον ἢ χρυσόν. ἥδιον γὰρ χρυσοῦ τροφὴ ὄνοις, id est, Asinos stramenta malle quam aurum, quod asinus pabulum auro sit iucundius. In homines stupidos, qui voluptates brutas liberalibus disciplinis anteponunt.

Colophonium calceamentum. Κολοφώνιον ὑπόδημα.

Quadrabit in hominem stolidum, incompositum, & rusticanum. Per lutum itur, conuenit tale calceamentum. Venuste dixeris, in sordidis authoribus versanti, opus est calceis Colophoniis.

In nauibus educatus. ἐν ναυσὶν τεθραμμένος.

In nauibus educatus dicebatur qui rudis esset, & alienus a moribus liberalibus, sensuque communi.

Vasis instar. ἀγγείου δίκην.

Vasis instar loqui dicitur, qui quum ob imperitiam ex se nihil possit adferre, ab alijs audita profert. Fons ex se liquorem habet, vas, nisi aliunde infundatur, siccum est.

Mittere sanguinem.

Olim militibus, si quid grauius deliquissent, ignominiæ causa incidebatur vena. Id appellabant sanguinem mittere.

Tredecim cubitorum. *Theocrit.*

Sic in Syracusanis Praxinea de marito loquitur. Ἀνὴρ τρεισκαιδεκάπηχυς. id est: Vir tredecim cubitorum. hyperbolice significans enormiter procerum quum esset tam insulsus, vt è mercatu pro nitro salem attulerit.

Salsitudo non inest illi. ἅλμη οὐκ ἔνεστιν αὐτῷ. *Lucianus.*

In facetos fatuos, ac stupidos. Er ist vveder gesaltzen, noch geschmaltzen. Er ist vveder zu sieden noch zu braten, noch rohe zu essen, er taugt gar nichts. Er vveiss vorneo nicht, dass er dahinden lebt.

Bibe elleborum. πῖθι ἐλλέβορον. *Lucian.*

Quo dicto significatum est, insanire quempiam.

Nauiget Anticyras.

De insano dicitur apud Horatium, quique mentis morbo laborat.

Strychnum bibit. Στρύχνον ἔπιεν.

In insanos non compote, a Strychni herba natura, quæ vel gustata statim insaniam parit.

Porcum immola.

Plautus in Menæchmis porcum, incertum, & sacrum immolare iubet eum, quem mente captum significat.

Saturniæ lemæ. Κρονικαὶ λῆμαι.

In caecutientes ac stupidos dicitur, præsertim in eos, qui ætatis vitio desipiunt.

Auris Batauа.

Martialis epigrammatum lib. 6. Batauam autem dixit agrestem, inelegantem, tetricamque.

Abderitica mens. *Cicer.*

Abderita in stuporis insaniaque fabulam abiere. Abderitanis autem natura peculiarem fuisse mentis stuporem indicat M. Tullius &c. Martial. libro 10. Epigr. 25.

Abderitanæ pectora plebis habes.

Vide plura supra, tit. Cæcitas & Cæcutientia.

STVPOR.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Stupor, Græce θάμβος, τὸ θαμβεῖν. stupeo dicitur. Est autem stupor, admiratio vehemens, *secund. Arist. lib. Topic.*

Stupor est timor inconsuetæ imaginationis, *secundum B. Thom. 3. Sent. q. 26, art. 3.*

Stupor a stupeo venit, stupeo autem a stupa. Dicitur autem stupor eo, quod sensus constipentur. Est enim stipare, rimas obturare; quia in hoc stupa vti solemus, stipare pro densare, & componere ponitur. Virg. *Stipatque carinis Ingens argentum Dodonæosque lebetes.*

EXEMPLA BIBLICA.

Stuporis *exempla*: Isaac, *Gen. 27. v. 33.* Regina Saba, *2. Paral. 9. v. 3. 4.* Israelitæ, *Esa. 28. v. 10. & 29. v. 11. Ierem. 5. v. 3.* Ozias & Presbyteri, *Iudit. 10. v. 7.* Explorantes Assyriorum, *v. 14.* Daniel, *Dan. 8. v. 27.* Turba, *Matth. 12. 23. Luc. 9. v. 43. Ioh. 12. 37.* Capharnaitæ, *Marc. 1. v. 22.* Pilatus & Iudæi, *Matth. 27. v. 23.* Discipuli, *Marc. 6. v. 49. 52. Luc. 18. v. 34.* Petrus, *5. 9. Actor. 12. 6.* Pharisæi & Legis Doctores, *Luc. 5. v. 26. & 2. v. 47.* Paulus, *Act. 9. v. 6.* Comites Pauli, *v. 7.* Impij, *Ephes. 4. 18.*

Vide Amentia, Stultitia, Sensus, Stupiditas.

SVBDITVS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Subditus, Græc. ἀρχόμενος, ὁ, & subdo, ὑποτάσσω. dicitur. Subditi proprie dicuntur, qui ratione domicilij subijciuntur *Gloss. in Clem. vnic. de foro compet. de ver. subditos.*

SENTENTIAE PATRVM.

Tales sese, qui præsunt, exhibeant, vt quibus subiecti occulta quoque sua prodere non erubescant, & quum tentationum fluctus paruuli tolerant, ad pastoris mentem, quasi ad patris sinum recurrant. *Greg. in past.*

Curandum est, vt rectorem subditis, & matrem pietas, & patrem exhibeat disciplina: atque inter hæc sollicita circumspectione prouidendum, ne aut districtio rigida, aut pietas sit remissa. *Ibid.*

Sit erga subditos sollicitudo laudabilis: exhibeatur cum mansuetudine disciplina, sit cum discretione correctio: iram benignitas mitiget, benignitatem zelus exacuet: & ita alterum conducitur ex altero, vt ne immoderata vltio, plus quam oportet, affligat; nec iterum frangat rectitudinem disciplinæ remissio. *Ibid.*

Non erit caro subiecta animæ, nec vitia rationi, si animus non est subditus Creatori. Tunc autem recte nobis subijciuntur omnia, quæ sub nobis sunt, si non subijciuntur ei, a quo nobis illa subiecta sunt. *Isid. lib. 1. sum. bon.*

Talis vicissitudo recipitur, qui amanti domino seruire noluerunt, audientibus inimicis iusto iudicio probarentur esse subiecti. *Cass. sup. Psal. 104.*

EXEMPLA BIBLICA.

Subditi Principem facile imitantur, *Prouer. 29. 2. Eccles. 10.* *Exempla*: Populus Saulis, *1. Sam. 15. 9.* Subditi Ieroboam, *1. Reg. 12. v. 18. 30. & 14. 16.* Maiores natu Israel, *2. Reg. 10. 5.* Subditi Manassis, *21. v. 9. 22.* Subditorum erga Regem amor & reuerentia, *Exempla*: Dauidis militea, *2. Sam. 21. 27.*

Subditorum erga magistratum officia: I. Agnoscere gubernatores suos, non casu, sed Dei consilio præfectos esse *Exempla*: Dauid agnoscit Saulum pro Christo Domini, *Sam. 24. vers. 5. 6. 7. & 26. vers. 9.* Abisai similiter Dauidem, *2. Sam. 10. 21.* Mephibosheth,

v.26.27. Adonias, 1. Reg. 2.15. Populus Israel, 3.28. Daniel, Dan. 2.37. II. Fauore & amore eos prosequi Exempla: Iacob, Gen. 27. v.7.10. Mulier Thecuitis, 2. Sam. 14. v.4.5. &c. v.22. Ethai, 15.21. Chusai, v.31.32.33. Berzellai, 19. v.31.32. Esaias, 2. Reg. 19.6. & 29.7. Mardochæus, Esth. 2. v.21.22. Daniel, 6.21. III. Præstare legibus, & mandatis eorum pietati & honestati consentaneis debitam obedientiam, Exempla: Rubenitæ & Gaditæ, Ios. 2. v.16.17. & 21. v.1.2.24. Isai. 16. v.17.18. serui Dauidis, 2. Sam. 15. v.13.14. Banaias, 1. Reg. 2.25. Nuncius Asa, 15.22. Milites Iehu 2. Reg. 10. 25. IV. Conferre sumptus ad gubernationem necessarios, tributum, vectigal, census, decimas, & similia pro diuersa politiarum ratione, 1. Sam. 8. v.15. &c. Matt. 22.21. Rom. 13.7. V. Aequo animo accipere eorum sententiam, & iustas pœnas, propter violatas leges Exempla: Semei, 2. Sam. 19. v.19. Miphiboseth, v.27.28. VI. Timere eos, & leuiora quædam errata ijs condonare, accelerare eorum iniurias, & sibi temperare ab eorum cæde Exempla: Israel, Ios. 4.14. populus Saulis, 1. Sam. 12.7. Dauid, 24. v.9.10.11. & 26.6. Gentes, 1. Paral. 14.17. VII. Petere a Magistratu auxiliũ, & defensionem Exempla: Mulier Thecuitis, 2. Sam. 14.4. Mulier quædam, 2. Reg. 26. Sunamitis, 8.3. VIII. Exterois gestib. suam erga Magistratum declarare reuerentiam Exempla: Iacob, Gen. 28. 4.47.7. Fratres Ioseph, 50. v.18. Nathan & Bethsabe submisso in terram vultu adorant Dauidem, 1. Reg. 1. v.23.31. IX. Imitari pietatem & cæteras virtutes bonorum gubernatorum Exempla: Israelitæ, Ios. 24.31. Subditi Iosiæ, 2. Paral. 34.33. Eccl. 1c. 2. X. Orare pro Magistratu, & felicissima quæq; ei precari Exempla, Subditi Saulis, 1. Sam. 10. v.24. Bananias, 1. Reg. 1. v.47. Subditi Salomonis, v.30. Subditi Ioas, 2. Reg. 11. v.11.12. Chaldæi, Ier. 29. v.7. Satrapæ Regis, Dan. 3. v.9. Regina Baldasar, 5. v.10. Satrapæ Darij, 6. v.6. Daniel. v. Baruch 1. v.11. 1. Tim. 2. v.1.2.

SENTENTIAE HIST.

Aduersum fortuita subditi solent aspectu principis refoueri. Tacit. Ann. lib. 15.

Non ij quos necessitas seruire cogit, sed quos obtemperare sua quemque voluntas adegit, suoi in agendo patiendoque a suspicione omnia assentationeque vacui: nunquamque imperia detrectant, nisi violenter contumelioseque sint habiti. Herod. in Commono.

Subditi, quantum licet, principum sequuntur cupiditates: idque lex eis est, & honor, quod principibus visum fuerit. Niceph. Greg. hist. lib. 2.

Non animaduertit, nihil neque arma, neque multitudinem subditorum, sine eorumdem beneuolentia conducere: quinimo hæc ipsa, si fides absit, tanto minus tuta esse, quanto sunt plura. Dion. lib. 37.

Princeps qui dominatum prius amissum, armis inuadit, truculentior, quam antea in subditos, tamquam aduersus defectores, & in tempore rebellaturos apparet. Illi autem, quamuis seruitio fuerit, patientiam abrumpunt, armisque principem circumueniunt, cui nec aliud subsidium est, quam pernicitas equorum, quis seque & suos aufert. Tacit. Annal. lib. 12.

Quomodo sterilitatem, aut nimios imbres, & cætera naturæ mala, ita luxum, vel auaritiam dominantium tolerate. Vitia erunt donec homines: sed neque hæc continua, & meliorum interuentu pensantur. Tacit. hist. lib. 4.

Omnino præstat, Deoque gratius est, vt subditi pro legitimo Imperatore pugnent, quam cum seditioso, ac ciuilis belli authore se coniungant. Nicet. Isaac: Angel. lib. 1.

Omnibus meliorem sortem desiderare permissum est: sed debet etiam vnusquisque quod cuique dedit sors patienter tolerare: alioqui si cuiuis alterius imperio subiecto ad libertatem aspirare liceat, omnia dominatus, atque imperiorum iura peruerti, atq; confundi necesse est. Fr. Guicciard. hist. l. 2.

Vide Magistratus, Princeps, Rex.

SVBSTANTIA.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Substantia, Græce [illegible] dicitur. Est autem substantia, quæ proprie & principaliter, & maxime substare dicitur: & quæ neque in subiecto est, neque de subiecto dicitur, secundum Arist. lib. Prædicam.

Substantia est res habẽs quidditatem, cui debetur esse per se, & nõ in alio scilicet subiecto, secundum S. Th. 1. par. q. 3. ar. 5.

PHILOSOPH. SENTENTIÆ.

Essentia est rei forma, cuius ratio definitio est, ac id essentia cuiusque dicitur. Metaph. l. 4. c. 8. T. 15.

Essentiam materiei expertem rationem appello. Metaph. l. 6. cap. 7. T. 23.

Quod quidque est, id est eius essentia. Metaph. l. Z. 1. c. 4. T. 12.

Vt hoc verbum est, omnibus conuenit, non tamen eodem modo, sed huic primum & maxime: illis vero secundo loco; sic etiam aliquid esse, & plane & omnino cathegoriæ essentiæ conuenit: quadam ex parte cæteris. ibid. T. 14.

Substantia, quæ & proprie & primum, & maxime appellatur, ea est quæ nec de subiecto vllo dicitur, nec in subiecto vllo inest: vt quidam homo, quidam equus. Secundo autem loco substantiæ vocantur species eæ, in quibus quæ primæ nominantur, naturæ insunt, itemque rerum formarum genera. In Cathegor. cap. 5. de substant.

Sublatis primis naturis, atque substantijs, nihil loci relinquitur cæteris omnibus. Porro secundarum substantiarum species magis substantia est, quam genus: quoniam ad primam naturam propius accedit. ibid.

Primæ substantiæ, quia cæteris subiectæ sunt, reliqua que omnia de ijs dicuntur, aut in eis sunt: idcirco maxime substantia naturaq; nominantur. ibid.

Essentia dicitur esse simplicia corpora, vt terra, vt ignis, vt aqua, & si qua sunt generis eiusdem; & vno nomine corpora, & quæ ex his constant animalia, & dæmonia, eorumque partes. Hæc autem omnia ex eo essentiæ vocantur: quod non de subiecto dicatur, sed de eis cætera. Metaph. l. δ. 4. c. 8. T. 15.

Duobus modis essentia dicitur, tum id quod postremo non subijcitur, quod quidem iam de alio non dicitur: tum id quod hoc aliquid est, nec separari, ac seiungi potest: qualis est cuiusque rei forma ac species. ibid.

Tres sunt essentiæ: Materia, quæ hoc aliquid est, hoc ipso quod videtur, quæ enim tactu vnum sunt, non copulatione, ea materia sunt, atque subiectum: Natura, quę & hoc aliquid est, & habitus quidam, ad quam ortu peruenitur: tertia quæ ex his cõstat, quæ eadem est in rebus singulis, vt Socrates, vt Callias. Metaph. lib. λ. 11. c. 3. T. 14.

Fit vt species magis, quam genus nomen obtineat substantiæ. At vero species nulla earum, quæ genera non sunt, magis quam altera substantia est, in Categor. c. 5. de Substant.

Iure post primas essentias, species sola ac genera essentiæ secundæ nominantur. Hæc enim sola eorum, quæ dicuntur, quæ vis sit primæ substantiæ, explicant atque declarant. ibid.

Quoniam cæteris omnibus primæ substantiæ subiectæ sunt, quoniamque reliqua de eis omnia dicuntur, vel insunt in ipsis: ob eam causam principales dicuntur. ibid.

Hoc omni substantiæ commune est, non inesse in subiecto. ibid.

Hoc essentijs ipsis & differentijs tributum est, vt de quibus ipsæ dicuntur, [illegible] dicuntur. Omnes enim quæ ex illis dicuntur dicendi rationes, aut de indiuiduis, aut de formis dicuntur. ibidem.

Hoc substantiæ est proprium maxime, vna eademque cum sit numero, vim habere accipiendi contraria: ita vt cæterorum omnium, quæ non sint substantiæ, nihil quisquam afferre possit, quod vnum idemque manens contraria possit accipere. In Catheg. c. 5. de Substant.

Naturæ ac essentiæ hoc proprium est, vim habere accipiendi cõtraria immutatione sui, cum vnum & idem numero maneat. ibidem.

Hæc sunt, quæ substantiam, & id quod vnum est maxime consequuntur, significare hoc aliquid & vnam quamdam numero naturam. l. 1. de repreh. Soph. c. 6.

Essentia dicitur, si minus pluribus modis, at certe quatuor maxime. Nam & rei natura, & quod vniuersale est, & genus vniuscuiusque essentia videtur esse, & quartum horum id quod subijcitur. Subijcitur autem siue subiectum est id, in quo cætera dicuntur: ipsum vero in alio iam non dicitur. Metaph. lib. Z. 6. cap. 3. T. 7.

Id quod primum subijcitur, essentia videtur esse maxima: qualis quodãmodo materia dicitur: alia vero forma: tertium id quod ex his constat. ibid.

Essentiæ tres sunt; vna quæ sensibus subijcitur: cuius alia æterna est, alia interit, quam omnes esse concedunt: quo in genere ea sunt, quæ stirpibus nituntur, & animalia. Aeterna vero in qua elementa necessario habenda sunt, siue vnum, siue multa sint. Alia autem est immobilis: hanc quidem separari seiungiq; posse dicunt, quorum partim in duas diuidunt: partim naturam vnam esse statuunt species, resque Mathematicorum: partim ex his Mathematicas tantummodo. Ac illæ quidem quoniam mouentur, Physicæ propositæ sunt, in quibus versetur: hæc autem alij Philosophiæ, si nullum eis commune principium est. Essentia vero quæ sub sensum cadit, est mutabilis. Metaph. lib. λ. 11. c. 1. T. 5. & 6.

Absurdum est, aut potius fieri non potest, vt quod essentia nõ est, essentiæ principium efficiatur, eamque antecedat: præsertim cũ Cathegoriæ omnes ea posteriores sint. Metaph. lib. ν. 13. c. 1.

Ex essentiæ ratione cætera esse dicuntur, tum id quod qualitate præditum est, tum id quod quantitate, cæteraque omnia, quæ hoc modo dicuntur. Omnia enim essentiæ rationem in se continent. Metaph. l. θ. 8. c. 1. T. 1.

Essentiæ

Essentiæ, & naturæ videntur esse corpora maxime, eaque naturalia. Hæc n. cæterorum sunt principia. *li. 2. de Anima, c. 1. T. 3.*

Caussa cur sint omnia, essentia est. *li. 2. de Anima, c. 4. T. 37.*

Primum quidem multis modis dicitur, sed tamen, primum omniũ essentia est, & ratione, & cognitione, & tempore, & natura. Aliarum enim categoriarum nihil seiungi potest, hæc sola potest. *Metaph. lib. ζ. 6. c. 1. T. 4.*

Essentia in corporibus inesse clarissime videtur. Itaque, & animantia, & ea quæ oriuntur e terra, eorumque partes, essentias, ac naturas esse dicimus, naturaliaq. corpora: vt ignem, aquam, terram, & vnumquodque eiusdem generis, quæque vel horum partes sunt, vel ex his sunt vt partibus, aut nonnullis, aut omnibus: veluti cœlum, & eius partes stellæ, luna & sol. *Metaphys. li. ζ. 6. c. 2. T. 5.*

Perspicuum est nec eorum quæ vniuersæ dicuntur, quicquam essentiam esse, nec essentiam vllam constare ex essentijs. *Metaph. li. 3. 6. c. 16. T. 58.*

Si omnino verum est, quod modo dicebamus, naturam essentiamque nullam æternam esse, quæ re ipsa, & actione non sit: elemẽta autem essentiæ materia sunt: nullius æternæ essentiæ elementa erunt, ea quibus insitis constet. *Metaph. li. 13. c. 2.*

Cuius differentiæ magis rem aliquam declarant, id essentia est potius: cuius autem priuationem, id eius quod non est magis rationem subit: vt calor attributum est quoddam, & forma, frigus autem priuatio. *li. 1. de Ortu, c. 3. T. 18.*

Omnis substantia quiddam hoc, vel illud significat. Ac in primis quidem essentijs non est id dubium, sed verum est eas hoc quidem significare, vel illud: præsertim cum indiuiduum, quodq. vnum numero est, declaretur illis, & exprimatur: secundæ autem videntur illæ quidem similiter figura appellationis hoc quippiam significare, cum dicitur homo, vel animal: non tamẽ id verum est: sed qualitatem potius significant. *In categor. cap. 5. de Substant.*

Genus, & species cum substantia, qualitatem adsignificant: significant enim talem aliquam substantiam. *ibid.*

Hoc substantijs insitum est: vt ipsis nihil sit contrarium. *ibidem.*

Illud substantijs conuenit, vt nec elationem nec summissionem suscipere possint. Quod non ita dictum velim, quasi substantia alia, alia nec magis, nec minus substantiæ nomen obtineat: hoc enim concessum est: sed hoc volo, nullam substantiam idipsum quod suapte natura est, nec magis, nec minus sibi vendicare. *ibid.*

Essentia, nec magis, nec minus essentia nominatur. *ibid.*

Ex his intelligi licet, proprium essentiæ antecedere semper oportere aliam essentiam, quæ re ipsa sit, & faciat: vt exempli caussa animal, si animal gignitur: quale autem aliquid, aut quantum non est necesse, nisi vi, & potestate solum antecedere. *Metaph. li. ζ. 6. c. 9. T. 31.*

Essentia quidem est, cuius ratio, & definitio esse potest: ea scilicet quæ concreta est, siue sub sensum subiecta sit: siue animo, & ratione cernatur. *Metaph. li. n. 7. c. 3. T. 9.*

Nihil eorum, quæ communia sunt hoc aliquid significat, sed qualitatem. Essentia autem hoc aliquid declarat. *Metaph. li. 2. cap. 6. T. 20.*

Substantia, & omnia quæ hoc aliquid significant, aliud nihil sunt, quam idipsum quod sunt. *li. 1. de demonst. c. 4. T. 9.*

SVMPTVS.

Apophthegmata.

Diogenes taxabat in hoc hominum insaniam, quod res pretiosas minimo emerent, venderentque vilissimas plurimo. Statuam enim tribus nummum millibus emi, quum farinæ chœnix duobus æreis veniret. At statua nihil opus ad vitam, sine farina viuere non licet. Conueniebat igitur farinam multo statuis esse cariorem. Philosophus pretia rerum æstimabat vi naturali, vulgus æstimat stulta persuasione. *Laert. lib. 6.*

Cratetis celebratur ephemeris, ad hunc habens modum: Ponito coquo minas decem, medico drachmam: adulatori talenta decem, consiliario fumum, scorto talentum, philosopho triobolum. Notabat hominum stultitiam, qui in res honestas, & cum primis necessarias minimum sumerent impendij, ad turpia prodigi. *Laert. lib. 6. c. 5.*

Carilus, vel *Charilaus*, rogatus cur comam Lacedæmonij gestarẽt? quia ex omnibus, inquit ornatibus hic est minime sumptuosus. *Brusson. lib. 6. c. 12. in fine.*

Scopas Thessalus statuarum artifex, demiranti cur in ædibus suis Apelles tantum haberet rerum superuacanearum, & inusitatarum? imo, his inquit, superuacaneis felices sumus, ac beati, non illis necessarijs. Quum ea quæ sunt vitæ necessaria, sint suapte natura pretiosissima tamen quia quotidiana sunt, multisq. communia, contemnuntur. Cæterum, quanti sint pretij, declarat extrema necessitas: quæ si incidat, quilibet libens omnes gẽmas, aulæa & aurum suum vno pane commutet. Cætera magis ad ostentationem pertinent, quam ad salutem. *P. M. lib. 6. apoph.*

Herodes sophista, viginti pueris ob virtutẽ compluribus in locis statuas posuerat. Hac de re quum accusaretur à Quintilijs Græciæ præfectis, quod superuacaneis impendijs indulgeret: Quid, inquit, vobis incommodi est, si ego ludo de saxis meis? *Philost.*

Leotychidas, quum cœnaret apud quendam, cerneretque tectũ domus sumptuoso apparatu factum, ac lacunaribus ornatum, rogauit hospitem, num ligna apud eos quadrata nascerentur? Luxuriam & superuacuum sumptum notans.

Heliogabalus emebat sibi pretia rerum, quæ mensæ apparabantur, maiora quam essent: dicens conuiuijs oreaim: quod magis illa iuuant, quæ pluris emuntur, vt ait Satyricus. *Aelius Lampridius*

Adagia.

Hipparchi murus, Ἱππάρχου τεῖχος.

Dicebatur res quæpiam, quæ magnis constaret impensis.

Edax triremis, *ἀδηφάγος τριήρης.*

Dicuntur quod magnis constant impendijs. Lepide trãsferetur ad hominem prodigum immodicique impendij Lysias.

In beatis omnia beata, ἐν ὀλβίῳ ὄλβια πάντα.

A diuitibus omnia magnifice fiunt, à senibus frugaliter, vsus erit si dicas ab homine docto omnia docte fieri, à pio pie, à rege regaliter.

Saliares dapes.

Pontificales dixit Horatius, ponens speciem pro genere. Opiparum autem conuiuium ac magnificum, Saliare dicitur.

SVPELLEX.

Sententiæ Philosophicæ.

De Supellectili pretiosa. DIAL. XXXVI.

Francisci Petrarchæ.

GAVD.

IN ampla domo supellex eximia est. R. Superuacuo in spatio pondus inutile. Illa furibus latebras dabit, hæc prædam, vtraq. periculum tibi, alimentum incendio, atque liuori. G. In domo speciosa supellex copiosa est. R. Illa cum te loco moueris deserẽda est. Hæc si vti volueris, sæpissime transferenda est, & plus difficultatis allatura, quam voluptatis. & plus oneris quam honoris. G. Multa mihi varij generis supellex domi est. R. Ingens bellum non cum furibus modo, sed cum murib. tineisq. & araneæ, & rubigo, fumusque, & puluis, & imber in vos dimicant. O diuites delicati, quib. armis hos hostes arcebitis? G. Pretiosissima est supellex. R. Non rei pretium, sed contemptus diuitẽ facit. Alioquin, & quærendo cupiditas crescit, & paupertas cupiẽdo. Ita fit vt nihil magis inopẽ faciat quam auari opes, quarũ si æstimatio exacta, verique iudicij sequax cõtemptus accesserit, ea demum veris diuitijs vera est via. Ego te diuitem dum varia miraberis non putabo, quamuis aurea, stellantique gemmis ardentibus tectum omne supellectili opertum refertumq. tibi videam. G. Inuidiosa supellex, & præfulgida est. R. Pro captu oculorum, seu forsitan animorum, vere autem onerosa rerum colluuies ac turbida. Sed auaritia nihil vsquam iniquius, nihilque miserius, cuius famem & quærenda excitant & quæsita non sapiunt, dumque sperata fulgebant, possessa sordescunt. Itaque sæpe diuitias dum quæsiuisse putaueris, sollicitudinẽ & nauseã quæsiuisti, hæ nunc tibi caræ sarcinæ, si vel cariores aliæ sentiẽderint, vel stuporem assiduitas dempserit, viles erunt. Esto autem caræ sint, & maneat stupor, nonne etiam error manet, isq; difficilis, atque perpetuus? Si quidem quærendi studium vnum fuit, seruandi labor est multiplex, nunquam deerit quod reuisas, quod numeres, quod complices, quod excurias, quod abstergas, quod oculos simul & mulceat, & offendat. G. Supellex immensa est. R. O hominem! qui impedimentorum suorum magnitudine delectetur.

Apophthegmata.

Socratis. Quemadmodum equus non generosus iudicãdus est, qui instructus apparatu magnifico fuerit, sed q. ab ipsa natura ac indole egregius est: Sic nec vir bonus ea pretiosa supellectili, sed ea aio gñoso iudicãdus est. *Apud Stobæum, serm. 1. De prudentia.*

Musonij. Quemadmodum equus paruo pretio emptus, & multis vsibus seruiens, præferendus est illi, qui magno constiterit, & ad pauca vtilem operam præstet: Sic enim supellex vilior, sed multis vsibus commodior, maioris facienda est, quam contraria. *Lib. De supellectile. Meminit Stob. serm. 83.*

Superbia,

SVPERBIA.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

SVperbia, Græce, ὑπερηφανία, ας, ἡ, & ὑπερήφανος, ου, ὁ, superbus, & ὑπερηφανεύομαι superbio dicitur, ἀλαζονεία, ἀγηνορία. Hebr. *Ghaon Gheuth.* à verbo *Ghaah.* Gloriatus est, intumuit, superbuit. Hinc γαίω glorior, & γαιῶ, lacesso, irrideo superbiam.

Est autem superbia peruersæ celsitudinis appetitus. *secund. Au. lib. 14. de Ciuitate Dei.*

Superbia est amor propriæ excellentiæ. *secund. Hugon lib. 2. de Sacramentis, & Isido. lib. Etymol.*

Superbia proprie est inordinatus appetitus excellentiæ, cui debetur honor & reuerentia. Vel superbia proprie respicit defectu subiectionis hominis ad Deum, secundum quod aliquis se extollit supra id, quod est sibi præfixum, secundum diuinam regulam vel mensuram. *Ex S. Thom prima Secund. q. 84. art. 2. & secun. Secund. q. 77. art. 5. cap.*

DIVISIO.

SVPERBIA.
- *Inclinatio ad superbiendum ex flexibilitate naturæ & fomitis corruptione.*
- *Actualis contemptus præceptorum Dei, vel diuinæ legis, per quam prohibemur à peccando.*
- *Inordinatus appetitus propriæ excellentiæ, & est peccatum, secunda Secundæ, quæ. 162. art. 2.* (*Prima secunda, q. 84. art. 2.*)
  - *Generale, per redundantiam in alia peccata, quæ ex ea oriri possunt. secund. Secunda, quæst. 162. art. 2.*
    - *Directe, & per se, in quantum potest appeti in quolibet bono, aliqua excellentia, quæ inordinate appetitur. Prima secundæ, q. 84. art. 4.*
      - *Prosequendo inordinate bonum.*
        - *Interius,*
          - *Animæ, quod consistit in sola animæ apprehensione, vt laus, honor, gloria, quam inordinate appetit: Inanis gloria.*
          - *Corporis pertinens ad conseruationem.*
            - *Indiuidui, vt cibus & potus, quos inordinate appetit: Gula.*
            - *Speciei, vt actus venerei, quos inordinate appetit: Luxuria.*
        - *Exterius, vt diuitiæ, quas inordinate appetit. Auaritia.*
      - *Fugiendo inordinate bonum, propter aliquod annexum malum.*
        - *Proprium & spirituale, quod inordinate fugit: Acedia.*
        - *Alienum*
          - *Sine insurrectione, quod inordinate fugit. Inuidia.*
          - *Cum insurrectione quod inordinate fugit: Ira.*
    - *Indirecte, & quasi per accidens remouendo prohibentia, in quantum scilicet homo per superbiam Dei legem contemnit, per quam prohibetur à peccando. art. 2.*
  - *Speciale, propter specialem rationem obiecti, quod est excellentia. Cuius inordinatus appetitus est peccatum. sec. Sec. q. 162.*
    - *Mortale de genere suo semper Quia quandocunque deliberate & secundum consensum rationis, quis se extollit supra id quod est sibi præfixum secundum diuinam regulam vel mensuram, est peccatum mortale. art. 5.*
    - *Veniale. Quando est actus imperfectus, quia præuenit iudicium rationis, dum ei ratio non consentit.*
    - *Distinctum S. Gregor. 3. Moral. in species 4. dicente. Quatuor quippe sunt species, quibus omnis tumor arrogantis demonstratur, art. 4.*
      - *Quando bonum à semetipsis habere se existimant.*
      - *Quando, etsi sibi datum desuper credunt, pro suis hoc accepisse meritis putant.*
      - *Quando iactant se habere quod non habent.*
      - *Quando despectis cæteris, singulariter videri appetunt habere quod habent.*

BIBLICI LOCI.

Superbi semper contentiosi, *Prou.* 13. *v.* 10. fugiendi, 16. *v.* 19. deprimendi, & humiliandi, *Leu.* 26. *v.* 19. 2. *Reg* 19. *v.* 28. *Iob* 20. *v.* 6. 7. & 24. *v.* 24. & 40. *v.* 6. 7. 8. *Ps.* 18. *v.* 28. & 31. *v.* 18 & 75. 24. & 37. *v.* 33. 36. & 55. *v.* 20. & 59. & 13. 14. & 73. *v.* 18. 19. 20. 11. & 89. 11. & 147. 6. *Prou.* 11. 2. & 15. 25. & 16. 18. & 29. 23. *Es.* 2. *v.* 11. 12. & 3. *v.* 16. 17 & 5. 15. & 7. 8 & 9. 9. 11. & 10. *v.* 12. 33. & 13. *v.* 11. & 14. *v.* 11. 12. 14. 15. & 16. *v.* 6. 7. & 22. *v.* 19. & 23. 9. & 25. 12. et 26. 5. & 28. 1. 3. & 29. 4. & 37. 29. & 47. *v.* 7. *Ierem.* 13. *v* 9. & 48. *v.* 17. 15. & 49. *v.* 15. 16. & 50. *v.* 12. 31. 32. & 51. *v.* 53. *Ezec.* 7. 24. & 21. 26. & 24. 21. & 28. *v.* 6. 7. & 29. *v.* 3. 4. 5. & 30. *v* 6. & 31. 10. & 32. *v.* 19. & 33. *v* 28. *Dan.* 5. *v.* 20. 22. *Os.* 4. 7. & 5. 5. & 7. 20. *Amos* 8. 10. *Abd.* 3. *v* 4. *Nah.* 2. 2. *Abac.* 2. *v.* 4. 5. *Soph.* 1. *v.* 3. & 2. 10 & 3. 11. *Zach.* 5. *v.* 6. & 10. 11. *Malac.* 4. *v.* 1. *Matt* 23. *v* 12. *Luc.* 1 *v* 51. 52. 15. & 16. 15 & 18. 14. *Iac.* 4. *v.* 6. 1. *Pet.* 5. *v.* 5. Superbus non credens Euangelio, 1. *Tim.* 6. 4 superbi, deiecti a Deo, *Esa.* 29. 20. non superbe de se sentiendum *Phil.* 2. 3.

Superbia damnatur, *Num.* 15. *v.* 28. *Deut.* 8. *v.* 14. & 17. *v.* 13. 20. 2. *Sam.* 22. 28. *Ps.* 75. 5. & 101. *v.* 5. 7. & 119. *v* 21. *Prou.* 6. 17. & 8. *v.* 13. & 14. 3. & 16. 5. & 21. *v.* 29. & 25. 6. *Os.* 13. *v.* 6. *Abac.* 2. 5. *Matt.* 18. 3. *Luc.* 14. *v.* 8. *Rom.* 1. 30 & 11. *v.* 18. & 12. *v.* 16. 1. *Cor.* 4. 7. & 13. 5. 2. *Cor.* 12. 20. *Gal.* 5. 26. *Philip.* 2. *v.* 3 1. *Tim.* 3. *v.* 6. 2. *Tim.* 3. *v.* 2. 4. *Tit.* 1. 7. *Iac.* 4. 16. Superbia impios confundit, Abac. 2. 5.

PATRVM SENTENTIAE.

Magna est miseria, superbus homo, sed maior misericordia, humilis Deus. *Aug. de catechizandis rudibus.*

Cætera vitia in male factis valent, sola superbia etiam in recte factis est cauenda. *de nat. & gratia.*

Audeo dicere, superbis vtile esse cadere in aliquod apertum, & manifestum peccatum, vnde sibi displiceat, qui iam sibi placendo ceciderant. Salubrius enim Petrus displicuit, quando fleuit, quam sibi placuit, quando præsumpsit, hoc dicit sacer Psalm. imple facies eorum ignominia. &c. *In Ps.* 19. *De Ciuit. Dei, li.* 14.

Quonam delicto alio, nisi superbia? non est enim maius peccatum, quam apostatare a Deo: quod est initium superbiæ hominis. Et vere iste immaculatus est, qui etiam hoc delicto caret, quia hoc est vltimum redeuntibus ad Deum, quod recedentibus primum fuit. *In Ps.* 19.

Vitia quippe cætera in peccatis, superbia vero in recte factis timenda est: ne illa, quæ laudabiliter facta sunt ipsius laudis cupiditate amittantur. *In epist. ad Dioscorum.*

Si vix toleratur diues superbus, pauperem superbum quis ferat? *ser.* 19.

Vermis diuitiarum est superbia. Difficile est, vt non sit superbus, qui diues est. Tolle superbiam, & diuitiæ non nocebunt. *ser.* 31.

Quid prodest, dispergendo dare pauperibus, pauperem fieri, cum anima misera superbior efficitur diuitias contemnendo, quam fuerit possidendo? *Lib. de vita cler.*

Humilitas homines sanctis angelis similes facit, & superbia ex angelis dæmones facit: & vt euidenter ostendam, ipsa est omnium peccatorum initium, & finis, & causa, quia non solum peccatum est ipsa superbia, sed etiam nullum peccatum potuit, aut potest, aut poterit non esse superbia. *In epist.*

Præcipe diuitibus huius, sæculi ante omnia non superbe sapere. Nihil est enim quod sic generent diuitiæ, quomodo superbiam, omne pomum, omne granum, omne frumentum, omne lignum habet vermem suum, & alius vermis mali, alius pyri, alius fabæ, alius tritici. Vermis diuitiarum superbia, ergo præcipe diuitib. huius mundi non superbe sapere, excludit vitium, docet vsum. *serm. de verb. Dom.*

Superbia, & cupiditas in tantum est vnum malum, vt nec superbia sine cupiditate, nec sine superbia possit cupiditas inueniri. *Ber. ser* 17. *ad fratrem.*

Superbia dicit: Ecce multis, imo pene omnibus meliores, verbo, scientia, diuitijs, honorib. & cunctis, quæ carnalib. vel spiritualib. suppetunt charismatib. Cunctos ergo despice, cunctis teme tipsum superiorem attende. *Aug. li. de conflictu vitior. & virtutum.*

Alia quæcunque iniquitas in malis operib. exercetur, vt fiant: superbia vero in bonis operib. insidiatur, vt pereant. *Aug. in Reg.*

Fit

Fit miris modis in anima hominis, vt de falsa humilitate magis inflетur, quàm si apertius superbiret: & nonnunquam deijcit Deus occultam mentis superbiam per carnis manifestam luxuriam. *Aug. in quadam epist.*

Superbia natione excellis, sublimium appetit mentes, & quasi ad proprios reuolans ortus, appetit gloriam, & potestatem hominum transcendere, quæ de gloria & puritate angelorum erupit, vt quos inuenit participes naturæ, faciat consortes ruinæ. *Hier.*

Quia, aut superbum, quid tam ingratum videri potest, quam aduersus eius viuere voluntatem, a quo ipsum viuere acceperis: quam illius præcepta despicere, qui ideo aliquid imperat, vt causam habeat remunerandi? *Hier. in epist.*

Multo illa deformior est superbia, quæ sub quibusdam humilitatis signis latet. Nescio enim quomodo turpia sunt vitia, quum virtutum specie celantur. *Hier. in Marcum.*

Aliquando minus est in corruptionem cadere, quam cogitatione tacita deliberata elatione peccare: sed quum minus turpis superbia creditur, minus vitatur. Luxuriam vero eo magis erubescunt homines, quo simul omnes turpem nouerint, vnde fit plerumque, vt nonnulli post superbiam in luxuriam corruentes, ex aperto casu malum culpæ latentis erubescant, & tunc etiam maiora corrigant, quum postrati in minimis grauius confunduntur. *Greg. in mor.*

Plerumque latet superbia, & castitas innotescit, atque ideo tentata diu castitas, circa finem vitæ perditur: quia cooperta superbia vsque ad finem incorrecta retinetur. *ibid.*

Superborum mens semper est ad irrogandas contumelias valida, ad tolerandas infirma, ad obediendum pigra, ad lacessendum alios importuna, ad ea, quæ facere debet & præualet ignaua: ad ea autem quæ nec facere debet, nec præualet, parata, hoc in eo quod sponte non appetit, nullis exhortationibus flectitur. Ad hoc autem quod latenter desiderat, quærit vt cogatur, quia dum metuit ex desiderio suo vilescere, optat vim in sua voluntate tolerare. *ibid.*

Omnis superbia eo ipso in imo iacet, quo in alto se erigit, vt inde magis supposita cunctis sit, appetit superesse. *ibid.*

Vitium superbiæ ab ipsa radice secandum est, vt quum latenter oritur, tunc vigilanter abscindatur, ne prouectu vigeat, nec vsu roboretur. *ibid.*

Radix quippe cuncti mali & regina omnium vitiorum superbia est, de qua scriptura attestante dicitur. Initium omnis peccati superbia. Septem principalia vitia de superbiæ virulenta radice proferuntur: scilicet inanis gloria, inuidia, ira, tristitia, auaritia, ventris ingluuies, & luxuria. Nam quia his septem superbiæ vitijs nos captos diabolus tenuit, ideo redemptor noster ad spirituale liberationis bellum, septiformis gratiæ venit. *ibid.*

Plerique mali eo magis contra Deum superbiunt, quo ab eius largitate & contra meritum ditantur: & qui prouocari bonis ad meliora debuerunt, donis peiores fiunt. *ibid.*

Vicina esse potentibus solet superbia, & pene semper rebus affluentibus elatio sociatur; quia & sæpe honoris abundantia durities mentis. *ibid.*

Quum is, qui de terrena prius gloria superbiebat, postmodum de sanctitate extollitur, nequaquam elatio corpus eius deseruit, sed ad eum consueta veniens: vt cognosci nesciat, vestem mutauit. *ibid.*

Quatuor sunt species, quibus omnis tumor arrogantium demonstratur, quum bonum aut à semetipsis habere se æstimant: aut sibi datum desuper credunt, & pro suis se hoc accepisse meritis putant: aut certe quum iactant se habere quod non habent: aut despectis cæteris, singulariter videri habere appetunt quod habent. *ibid.*

Quæ maior superbia, quam vt vnus homo toti congregationi iudicium suum præferat, tanquam ipse solus habeat spiritum Dei? *Bern. serm. 2. in resur.*

Magna superbia, & delictum maximum est, vti datis tanquam innatis, & acceptis beneficijs gloriam vsurpare beneficij. *De diligendo Deo.*

Septempliciter occupauit nos lepra superbiæ, in proprietate possessionum, in gloria vestium, in voluptate corporum, in ore quoque dupliciter, similiter & in corde trin ore, quum in aduersis murmuramus, & in prosperis arroganter commendamus: in corde propria voluntas, & proprium consilium. *Ber. in ser. 3. in resur. Dom.*

Superbia de superis cœlestibus ad ima præcipitat: humilitas abimis ad alta leuat. Angelus in cœlo ad tartara corruit, homo in mundo ad cœlum ascendit. *In serm.*

Trabs in oculo grandis, & grossa in mente superbia est, quæ quasi corpulentia sui vana non sanat, tumida non solidat, oculum sentis obscurat, & veritatem obumbrat. *ibid.*

Videas plerosque in ecclesia de ignobilibus nobiles, de pauperibus diuites factos subito intumescere, pristinæ obliti abiectionis, genus quoque suum erubescere, & infimos dedignari parentes. Videas & homines perniciosos ad honores quoque ecclesiasticos peruolare, & mox sibi applaudere sanctitatem, ex vestium mutatione, non mentium: & dignos se æstimare dignitate, ad quam ambiendo peruenerunt, quodque (non audeo dicere) a septi sunt nummis, attribuere meritis. *Idem super, Miss. est, c. 4.*

Quosdam superbos diuites rerum copia facit elatos, quorum non sunt opes in vitio, sed voluntas, nam crimen in rebus non est, sed in vsu agentis, & est elatio pauperum, quos non diuitiæ eleuant, sed voluntas sola in eis superbia est. *Lib. 4. lib. 1. de sum. bon.*

Superbus dictus est, qui supra vult videri, quam est: qui enim vult supergredi, superbus est. *Lib. etymol.*

Omni vitio deterior est superbia, seu quia à summis personis assumitur, seu quod de opere iustitiæ, & virtutis nascitur minusque culpa eius sentitur. Luxuria vero carnis ideo omnibus notabilis est, quoniam statim per se turpis est: & tamen pensante Deo superbia minor est. *Lib. 3. de sum. bon.*

Arrogantia est animi motus, quo quis mouetur ad iactandum se habere, quod non habet. *Lib. etymol.*

Quid superbit terra, & cinis? vt homo arrogantia subleuetur, oblitus quid erit, & quam fragili vasculo contineatur, & quibus stercoribus immersus sit, & qualia semper purgamenta de sua carne proijciat. *Orig. Hom. in Ezech.*

Iactantia est, fastu mentis id agente, meiora quam sunt de se promittere. *Hugo.*

Superbia, est elatio vitiosa, quæ inferiorem despiciens, superioribus, & paribus satagit dominari. *Idem.*

Superbia in cœlo nata est, sed velut immemor qua via inde recidit, illuc postea redire non potuit. *Hug. lib. 1. de anima.*

Cætera vitia solas illas virtutes impetunt, quibus ipsa destruuntur, vt luxuria pudicitiam, ira patientiam, sola vero superbia contra cunctas animi virtutes se erigit, & quasi generalis, & pestifer morbus omnes corrumpit: signa autem superbiæ hæc sunt, clamor in locutione, amaritudo in silentio, dissolutio in hilaritate, furor in tristitia, honestas in imagine, inhonestas in actione, rancor in reprehensione. *Ibid lib. 2.*

Quatuor enim sunt, quæ trahunt elationis currum: amor dominandi, amor propriæ laudis, contemptus, & inobedientia. Rotæ vero sunt, iactantia mentis, & arrogantia, verbositas, & leuitas: auriga in hoc curru est spiritus superbiæ: amatores mundi sunt, qui feruntur in hoc curru: infrenes sunt equi, volubiles rotæ, auriga peruersus, & qui portatur, infirmus. *Hug. de claust. anim. l. 1.*

Superbia de angelo diabolum fecit, & homini mortem intulit, & concessa beatitudine vacuauit, omnium malorum mater, scelerum fons, vena nequitiæ. *Cass. sup. Ps. 18.*

Mansueti suscipiuntur in cœlum, superbi proijciuntur in terram, vt permutatione vicaria vnde humilis leuatus est, ibi superbus corruat: & vnde Satanas elatus cecidit, fidelis homo subleuatus ascendat. *In Psal. 147.*

Familiare est hominibus extolli, quum bene de se cognouerint æstimari. *In epist.*

Superbia turrim euertit, linguam confundit, prostrauit Goliam, suspendit Aman, interfecit Nichanorem, peremit Antiochum, Pharaonem submersit, & Sennacherib interemit, sedes ducum superborum destruxit Deus, & radices gentium superbarum arefecit. *Ibid. sum. de vilitate conditionis human.*

Omnis fere vitiosus diligit sibi similem, solus superbus odit elatum, vnde inter superbos semper sunt iurgia. *Ibid.*

Heu, hominum vnde iste fastus, illa superbia a cuius ærumnosa necessitas, culpa vitam laboriosa deuoluit pœnalitas, cuius pœnalitatem pœnalior mortis concludit necessitas? cui esse momentum, vita naufragium, mundus exilium, cui vita aut abest, aut spondet absentiam, mors aut instat, aut minatur instantiam. *Ibid.*

POETICÆ SENTENTIÆ.

Periander.

Μηδ' ἐπαίρου ἐπὶ δόξῃ.
Noli te extollere ob famam.

Cleobul.

Μὴ ὑπερήφανος γίνου.
Ne superbus sis vnquam.
Τὸν ἐλάττονα μὴ καταφρόνει.
Minorem ne despicias.

Palladas.

Βέλτερόν ἐστι τύχης καὶ βλάσφημον ἀνέχεσθαι
Ἢ τῶν πλουτούντων τὰς ὑπερηφανίας.
Melius est fortunam, & proteruam tolerare,
Quam diuitum superbiam.

Menander.

Ἀλαζονείας οὔτις ἐκφεύγει δίκην.
Superbia nullus euitat pœnam.
Ὅτ' εὐτυχεῖς μάλιστα, μὴ μέγα φρόνει.
Quando fortunatus es maxime, ne superbias.

Sophocles in Aiace.

Ἀλλ' ἄνδρα χρή, κἂν σῶμα γεννήσῃ μέγα,
Δοκεῖν πεσεῖν ἂν κἂν ἀπὸ σμικροῦ κακοῦ.
Sed virum oportet, etsi corpus nactus fortius sit magnum,
Existimare posse cadere, etiam à paruo incommodo.

Plautus in Asinaria.

Non decet superbum hominem esse seruum.

Idem

Idem in Sticho.

Secundas fortunas decent superbiæ.

Terentius comœdia 5.

Omnib. nobis, ut res dant sese, ita magni atq. humiles sumus.

Euripid. 5.

Βαρὺ τὸ φρόνημ' εἴωθεν ἀνθρώπου κακοῦ.

Grauis fastus ex improbi hominis opinione nascitur.

Idem in Glauco.

Ὅστις γὰρ αὐτῶν πλεῖον ἔχειν ζητῶν ἀνὴρ

Φίλοις τ' ἄμικτός ἐστι καὶ πάσῃ πόλει.

Quicunq. enim uir arrogans fuerit,

Is nec amicis, nec toti ciuitati familiarem se præbet, ac affabilem.

Idem.

Quum uideris in sublime quempiam elatum,

Splendidis glorianiem opibus, ac genere,

Superciliumq. supra fortem suam fastuosum,

Illius celerem diuinitus expecta breui uindictam.

Idem in Andromache.

Qui ualde sunt inflati, superiorum sermones

Aegre ferunt ab inferioribus audire.

Demosthenes.

Θνητοὶ γεγῶτες, μὴ φρονεῖθ' ὑπὲρ θεούς.

Mortales cum sitis, ne supra deos uos erexeritis.

Menander in Gubernatoribus.

Ὦ τρισάθλιοι ἅπαντες οἱ φυσῶντες ἐφ' ἑαυτοῖς μέγα·

Οὗτοι γὰρ οὐκ ἴσασιν ἀνθρώπου φύσιν.

O miserrimi terq. quaterq.

Omnes! qui de sese magnifice sentiunt inflati.

Ignorant enim illi hominis conditionem.

Πᾶς ὁ μὴ φρονῶν

Ἀλαζονείᾳ καὶ ψόφοις ἁλίσκεται.

Omnis insipiens

Arrogantia, & plausibus capitur.

Sophocles in Aiace flagellifero.

Video nos nihil aliud esse præter

Simulacra quædam, quotquot uiuimus, aut umbram leuem.

Hæc igitur considerans, fastuosum.

Nullum unquam dixeris in deos uerbum.

Nil aliqua modo superbieris, si quippiam

Aut polles manibus, aut copia diuitiarum amplius.

Euripides in Alcmæone.

Ταπεινὰ γὰρ χρὴ τοὺς κακῶς πεπραγότας

Λέγειν, ἄπ' ὄγκου δ' οὐκ ἀναβλέπειν τύχης.

Oportet eos, quibus aspirauit aura fortunæ sinistra, hic similiter

Loqui, non fatum superiores usurpare fortes.

Socrates Atheniensis Comicus.

Quamuis rex natus fueris, audi tamen ut mortalis,

Quod tum, quod procul expulit multa aliunde ad pituita,

Vestem elegantem fortitas nunc uincula prius habuit.

Aurum gerit hæc fortuna inconstans est potentia.

Opibus affluit? hæc uis est unius temporis.

Superbus? huiusmodi est stulta iactantia, uel hinnitus.

At si temperantiam feceris, diuinum donum est.

Fit autem temperantia si teipsum metiaris.

Menander in Empimpramene.

Ἐφ' ὑπερφρονεῖς μέγιστον ἁ πόλει τοῦτ' ἐστί.

Τὸ δοκεῖν τιν' εἶναι, καὶ γὰρ ἄλλους μυρίους.

Quæ tibi maxime places, idipsum te pessundabis:

Nempe opinio, qua tibi aliquis esse uideris: perdidit enim alios etiam infinitos.

Isidorus Philosophus, & Orator.

Θνητὸς πεφυκὼς, τἀπίσω πειρῶ βλέπειν.

Quum sis mortalis, operam da, ut quæ retro sunt, uideas.

Menander.

Humilitas tua si qua gratiam accesserit, pulchra

Apud alios uidebitur, o chare uir: sin tute feceris

Abiectum teipsum, & pro nihilo duxeris,

Domi sicce contemptui, & ludibrio apparebis.

Εὐδαίμονι ἔοικεν ὑπερηφανίας πεσεῖν.

Descriptio superbiæ elegans.

Culmen ad superos mittit, cœloq. propinquum

Is grauis, & raro incessu uestigia profert.

Strimonia de more grues, quæ semina campis

Iacta legens, aque tepido sub sidere libra:

Et uicina feras, gressum per rura uiator,

Tela ferens, arcumq. manu, caput ardua tollens

Clangit, & ingentis motus internodia passu,

Paulatimq. uiam suspenso gutture carpit,

Quum bellator equus domini frenatus habenis

Ostentans pectus latum, ceruice sub alta,

Conglomerat bibulo lentos in puluere gressus,

Nunc hac nunc illac oculos, & colla retorquens

Spectare gaudet; Libycesq. æquare leones

Viribus, Albanosue canes, dum se putat annis,

Colligit, & latis imitatur naribus Eurum.

Non secus hac rabies uentosæ inflatior uero,

Cum graditur uibrans alternis motibus armos;

Ardua subinde circumfert lumina frontis,

Miratur uanamq. proceri corporis umbram;

Et tacitis ardens curis, sublimia semper

Mente agitat, tumidoque sedes sub corde uenenum,

Contemptrix inopum, uilibus elata futuros:

Inflatoque tetans surgentia gutture uerba,

Ferre nequit iuga, maiorem indignata paremque:

Imperia usurpat regnique libidine feruet.

Immansueta, ferox, miseris aduersa, minaxque,

Moribus elatis contraria, nescia pacis,

Nescia amicitiæ, rixarum & litis origo,

Dura, ingrata, duplex animo, uiolenta, rebellis,

Improba: quid pietas, quid sit clementia nescit.

Perfida, fœdifragam dubio sub pectore mentem

Versat, ab excelso fugientia culmina semper

Saxa mouet; laudum semper uesana libido,

Sollicitum pectus curis flammantibus urget.

Nec uitæ ratio, nec opum, nec honoris in omne

Sponte scelus præceps ruit implacabile monstrum.

Ex Ecclesiast. cap. 10. quædam carmine reddita.

Nam domino res est exosa superbia cœli,

Nec minus his quotquot terrea regna tenent.

Heu mihi quid iactas, quid puluis & umbra superbis,

Immundum in uiuis dum datur esse lutum.

Sæpe licet medicus quassata sarciat ægri

Membra, uelut fumi præterit umbra tamen.

Et qui rex nuper uario fulgebat amictu,

Mox iacet mista uile cadauer humo.

Viperios nutrit defuncto corpore dentes,

Grataque fit pastu uermibus esca feris.

Prouenit ex prima scelerata superbia causa,

Diuina si quis de bonitate cadit.

A factore suo declinans perdita corda

Desciscit, uerum deserit atque Deum.

Illaque cunctorum radix est prima malorum,

Ex illo uitium prouenit omne lacu.

Plenaque sunt cuius tumido præcordia fastu,

Multa damna dabit, maxima dira feret.

Inde superborum turbam regnator Olympi

Priuauit, nullo passus honore frui,

Deiecit fastum, quibus ipse agnouit inesse,

Destruxit solitos nil nisi magna loqui.

Grandia spirantes summa de sede tyrannos

Rex summus pœna præcipitauit acri:

Illorumque uices humilis concessit habendas,

Submissis animo sceptra gerenda dedit.

Sic extirpauit gentes radicitus omnes,

Nulla quibus dominum noscere cura fuit,

Ipse suis humilis dextera infouit, & illos

Crescere iussit ouo luxuriante minus.

Euertit populos, & prorsus perdidit omnes,

A se compositos qui coluere Deos.

Ex domino nulla gens hæc exaruit almo,

Nomen & in terris non licet esse malum.

Non etenim ad fastum genus est mortale creatum,

Præcipuum ire opus trux decet ira Dei.

Humano cunctis exornantur femine nati,

Qui puro dominum corde timere solent.

Simon Nanquerius.

Quid miser, o homines, tanto turgescere fastu?

Non certe heroes, semideique sumus.

Nostra nec è limo terra processit origo;

Solus ab æthereo spiritus arce uenit.

Nonne caro ex terra est, demessa subdita falci,

Ossa quoque ex illo cuncta creata loco?

Et fortes neruos rugosa pelle uolutos?

Denique terrestris uiscera totus homo est?

Concipitur fœda primorum sorde parentum,

Nascitur & nudus, plorat & ortus humi.

O miser: interitus secreta mente reuoluas.

Caue quid humana uilius esse potest?

Cum ueniant omni dulces ex arbore fructus.

Plurima cum ualeant bruta liquore bono.

Cerno quid emittant nares; cunctique meatus

Corporis assidua sorde fluente tua.

Inspice quam fragilis, quam paupee, quamque misellus

Viuas, tuta dies ut tibi nulla datur.

Aspice uel prorsus quid sis, nisi putre cadauer.

Quod tandem miseris uermibus esca datur.

Bapti-

Baptista Mantuanus in lib. de calamitatibus temporum sic scribit.

Exul et horrisono rapidi Phlegetontis ab amne,
Ingentis alarum stridente superbia ductu,
Sic illam dixere, etenim super aethera sese
Tollit, & extenso socios supereminet ore,
Omnia conuoluens caeca de sede Barathri.
Criminum ingentem post se trahit omnia pompam.
Huius ab ardenti vitiosus anhelitus ore
Fumat, & obscuris oriens à faucibus humor
Defluit Hippomanes, aconyta, canisque virentem
Tanar spumam superans, omnemque venenum
Mortiferum radicem. Stygis Lex una profunda:
Se superum genus esse putat, veterumque Deorum
Semen, & à magno se iactat Apolline natam,
Ardua frons, vnoque oculo velata, rotunda
Circuitus medioque sedens in luminis orbe,
Diffundit spatijs aequalibus vndique centrum,
Hoc in igne patris Phoebique ardentis imago,
Dissidet vultu graditur gestuque maligno,
Innocuos mitesque animos irridet & odit,
Quum videt eternis illa stram laudibus altum,
Per virtutis iter veri conscendere honoris.

Mantuanus de calamitatibus.

Scilicet omne Deo contra intente superbum
Euanescit opus, sicut cum surgit in auras
Eructantis aqua flatus, mox vertice presso
Decidit & spumas alto demergit in amne,
Atque humiles inter sine nomine praeterit vndas.

Claud. 4. Honor.

Inquinat egregios adiuncta superbia mores.

Claud. 2. Stil.

Quin ipsa superbia longe
Discessit, vitium rebus solenne secundis,
Virtutumque ingrata comes.

Ouid. 6. Met.

Sum felix, quis enim neget hoc? felixque manebo:
Hoc quoque quis dubitet? tutam me copia fecit.
Maior sum quam cui possit fortuna nocere.

Senec. Herc. fur. Act. 2.

Dominare tumidus, spiritus altos gere:
Sequitur superbos vltor à tergo Deus.

Ex Graecis Comicis.

Οὐ τοῖς εὐτυχέσι μάλιστα μεγαλοφρονεῖν.
Minus insolesce quo magis res prospera.
Ἀλαζονείας ἥττες ἐκτίνουσι δίκην.
Poenam arrogantia effugit nemo sua.

Anthologia sacra Iacob. Billij.

Superbia vbique noxia.

Omne genus virtutum probe tantum valet actu,
Et per actus suam quaeque gerunt speciem,
Sola est omnis actis armata superbia telis,
Cum possit vires & bene gesta dare.

Superbiam atque inanem gloriam à probis operibus abesse debere.

Tu, sedoma quaecunque fuga damnata relinquens
Montana verentis culmina summa tenes,
Ne retro fer ne fugis res cum prole, caueto,
Nam que sua nunc geniti arces ab ade Dei.
Quin etiam pulchra si mens sua prole parentem
Te faciat, foetus prodere parce tuos,
Reges enim id Pharij si permanarit ad aures,
Niliacis natos praecipitabit aquis.

De superbia, quae peccatorum omnium caput est.

Criminis est omnis caput, & certissima radix,
Fastus: eo victo, crimina cuncta ruunt.
Per fastum primos paradisi sede parentes
Depulit astuta perfidus arte Satan.
Ergo Palaestinas acies si frangere cura est,
Immanis Goliath fac cadat ense caput.
Namque inimica phalanx, duce caeso, protinus armis
Abiectis, & celeri tendit abire fuga.
Iungere se tantum fastus virtutibus audet,
Caetera cum fugiant crimina cuncta procul.
Scilicet vt fructum peior as corrumpat earum,
Non secus ac Cereris munus auena solet.
Quam vere scriptura canit, cum denique quenquam
Ordiri cum iam culmina summa tenet?
Quandoquidem cum quis vitiorum caetera fregit
Agmina, tum fastus praelia dira mouet.

Aduersus humanam superbiam.

Fine quid est nostro, nostro quid vilius ortu?
Gignimur è fluxis, vermibus esca sumus,
At medias supremo partus, quam turgida vano
Sine fasta, quisnam commemorare queat?
Quae tanta in medio vtriusque animo finis?
Siccine lethaea mens tenebratur aqua?
Vt tibi non ortus tumidum de pectore fastum
Excutiat, mortis non meditata dies?

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Παρὰ τοῖς τύφῳ καθάπερ παρὰ κακῷ πλάστῃ, διεστραμμένας τὰς τῶν πραγμάτων εἰκόνας ἰδεῖν ἐστιν.
Apud superbum ceu apud malum signum, aut statuarium, peruersas rerum imagines videre est, *Socr.*
Ἡ δεισιδαιμονία, καθάπερ πατρὶ τῷ τύφῳ πείθεται.
Superstitio superbiae tanquam parenti est morigera. *Idem.*
Tantum abest, vllum illorum qui solide docti sunt, quidquam de sese gloriosius dicere vt alio id dicente erubescant, Qui vero longius a vera, quam sibi vendicant, doctrina absunt, propter inscitiam verba molestissima audiendo de seipsis proferunt. *Demosth.*
Φρονήσεις μὲν οὖν μηδέποτε ἐπὶ σεαυτῷ μέγα ἀλλὰ μηδὲ καταφρονήσεις σεαυτοῦ.
Nunquam quidem de re superbam opinionem concipies: neque contra nimium de re humiliter senties. *Phanor.*
Arrogantis nomen vsurpari mihi recte videtur in illis, qui se simulant esse ditiores, & fortiores, quam sint: & ea se facturos promittunt, quae praestare nequeunt, idq. manifeste facere videntur, accipiendi quippiam, & lucrandi gratia. Caeterum ij, qui risum moliuntur inter conuersantes, neque suum ob quaestum, neq. auditorum iacturam, aut vllum aliud damnum, quo pacto illi nō vrbani potius, & faceti, quam arrogantes nominabuntur. *Xenoph.*
Vides eximia animalia vt fulminet Deus, neq. suis opinionib. vti sinat: exigua vero facile fert. Vides etiam vt in aedificia maxima semper, & celsissimas arbores caelestia tela inguant. Solet enim Deus eminentia quaeuis castigare. Ideoq. magnus exercitus ab exiguo quoq. stermitur, cum Deus inuidens, aut metum ipsis iniecerit, aut tonitrua, vnde in condignam se perditionem incidunt. Non sinit.n. Deus alium, praeter se, altum sapere. *Herod. l. 1. Hist.*
Deorum indignatio omnib. superbis imminet. *Dion. Hal. l. 2.*
Omnes qui superbi sunt, & qui supplicum preces cum contumelia repellunt, in deorum indignationem incurrere, & tandem in miseras calamitates incidere animaduerti. *Idem l. 8.*
Nonnunquam id obtigisse conspeximus, vt qui potentia praestarent, quiq. quondam hostes suos longe viribus opibusque vicissent, momento temporis eo fastigio deturbatos, in deteriorem longe conditionem ruisse, qui tamen olim luxu insolentiaque fortunae alios proterere solebant. *Diod. sic. bibl. l. 15.*
Partam felicitatem spernentib. numen irasci consueuit. *Proc. de bel. Vand. l. 1.*
In repentinis calamitatib. homo superbus non minus animo quā consilio destituitur. *F. Guicciardin. in l. l. 4.*
Ita praesenti rerum successu tumebant Athenienses, vt nihil sibi iā amplius resistere posse putarent. Et possibilia pariter atq. impossibilia, seu magno, seu paruo apparatu se confecturos esse confiderent. Causa huius fiduciae erat insperatus in rebus plurimis successus: is in eis ita spem confirmabat, & augebat. *Thucyd. l. 4.*
Vides (*Artabani dictum*) vt praegrandia animalia fulmine Deus ferit, nec sinit insolescere, parua vero ne vellicat quidem? Vides vt magna semper aedificia magnasq. arbores huiusmodi fulminum tela percutiunt? Gaudet.n. Deus eminentissima quaeq. deprimere. Vnde & ingens exercitus ab exiguo profugatur. quoties Deus in quibus infensus est, aut metum incutit, aut fulmen immittit. Propterea quidam secus, ac sua dignitas postulabat, in calamitatem inciderunt, quia Deus neminem alium quam seipsum sinit magnifice de se sentire. *Herodot. l. 7.*
Qui frequenti successu in bellis vtitur, hic infida ferocia inflatus, quae sunt cogitanda non cogitat. Multa.n. male consulta, hostibus inconsultius agentibus, prospere euenerunt, & multo plura quae bene consulta videbantur, turpiter in contrarium reciderunt: quia nemo tali opere rem exequitur, quali credulitate deliberat: sed cum fiducia certa de futuris securi sumus, cum timore autem in actione deficimus. *Thucyd. l. 1.*
Solet vsu venire ciuitatib. praesertim ijs, quibus breui, & insperato felicitas contigit, vt ad insolentiam conuertantur. *Idem. li. 3.*
Etiam cum innoxia est superbia, molesta esse nō desinit. *Idem. eo. li.*
Superbum supraque modum insolentissimum videtur, & temerarium, de hostis supplicio ante victoriam, veluti praeoccupata belli victoria, decernere. *Diodor. Sic. hist. li. 13.*
Multis exemplis compertum est, mortales quoscunque superbiae immanitas extra se modum conditionis humanae insolentes rapuerit, dijs iuxta hominibusq. summe inuisos esse, ac veluti perniciem quandam execrabiles haberi. *Idem. lib. 13.*
Ex re bene gesta superbia negligentiaq. oritur. *Liu. Dec. 1. li. 4.*
Superbiam, verborum praesertim, iracundi oderunt, prudentes irrident: vtique, & si inferioris aduersus superiorem est, capitali poena nemo vnquam dignam iudicarit. *Idem Decad. 5. l. 5.*
Ira atque superbia, mala inuicta. *Curt. l. 3.*

Superbia commune nobilitatis malum. *Salu. de bel. Iug.*

Bellorum præmijs referri, aut ditium familiarium hæredes facile magnum animum induunt. *Tacit. Annal. 11.*

Conspectum habeo, humillimos quosque, maxime ubi alia accesseru[n]t, superbia atque ambitione immodicos esse. Hinc Marius parrum memoria, hinc Diocletianus nostra, commouens habitum supergressi sunt, dum animus potentiæ expers tanquam inedia refecti insatiabilis est. Nec mihi mirum videtur, Nobilitati plerosque in superbiam dare, que genti Patriciæ memor, molestiarum quib. agitatur remedio, eminere paululum pluris habet. *Aurel. Vict. de Cæsarib.*

Superbia est opulentiæ comes. *T. Liu. hist. l. 5.*

Fit sæpe enumero superbia, atq. æmulatione, communi vitio ducū, vt plerique in ipsis consilijs ea maxime oolint, quæ alios summis etiam rationibus velle cognouerint: vtroq. alpera, & duriora subeant, ne aliena consilia sequi videantur. *Idem lib. 15.*

Qui non statuit felicitati modum, nec cohibet eff. renrem se forto nam quanto altius elatus est, eo fœdius corruit. *Liu. Dec. 3. li. 10.*

Superbi est, famæ spe æternitatem præsumere. *Tacit. Ann. li. 11.*

De superbia, DIAL. CXI.

Francisci Petrarchæ.

DOL.

Superbia extollor. R. Quid superbis autem terra, & cinis? tunc tā totum malorum fasce obrutus atq. oppressus extolleris? qui si te omnib. malis explicitus virtutum oīum alis euectus attolleres, hoc vno bona oīa corrupisses. Nihil est. n. odiosius Deo quā superbia. Per hanc. n. ille pulcherrimus creatus captim corruit, per quam tu peccator vis ascendere. Si fie illi ob id vnum accidit, quid per hoc alijs culpis adiunctum tibi eventurum arbitraris, malum sat cinis tuis cumulum superimposuisti. D. Superbia vehor. R. Cur quæso? an non te mortalem, an non assidue fatiscentem, an non peccatorem, an non mille casib. expositum, an non morti obnoxium incerta: an non deniq. te miserum memini sti? & non famosissimum illud Homericum audisti, Nihil mi serius terra nutrit homine? scire velim, quid te horum potissime ad superbiam cohortatur, an fragilitas membrorū, an vitæ breuitas, an cæcitas animi, inter spes vanissimas, metulq. perpetuos fluctuantis, an præteritorum obliuio, an ignorantia futurorum, ac præsentium, an hostium insidiæ, an mortes amicorū, an aduersitas p. rseuerans, an fugitiua prosperitas? Hæ non aliæ vobis funead superbiam quam scalæ, his ascenditis ad ruinam. Atqui cætera hominum pericula. & forsitan aliquam tamen excusationem, superbia, & inuidia nullam habet. D. Doleo me superbum. R. de peccato dolere primus ad salutem gradus est, & sicut superbia est exto lere, sic humilitas est dolere, seq. s. b. mittere, facile fiet quod quidem erit, mox vt oculos in ceipsum tota intentione reflexeris: quod et m ita fit, nolo tibi ne oportet librorum partes scriptas aduersus peccata congerere, hæc satis est, cuncta arbitrij tui esse, dilectis illico, vt bona fide volueris, vtq. aiunt receptui ceciueris, teq. ad tua figna conuerreris, quod ad præsens malum attinet, vnum illud adiecerim: Superbiam esse ægritudinem miserorum, ac stultorum: tales nempe sunt haud dubie qui superbiunt, neq. n. aliter superbirent; neq. vero sine causa in libro sapientiæ scriptum est, Omnes insipientes, & infelices, supra modum animæ suæ superbi sunt. Certe animæ suæ, si saperent, modus erat humiliari conditionis imbecillitate cogita. Sic. n. eodem libro scriptum legis. Rex hodie est, & cras morietur. Cum. n. morietur homo, hæreditabit serpentes, & bestias, & vermes. Initium superbiæ hominis apostatare a Deo, quoniam ab eo qui fecit illum, recessit, quoniam initium omnis peccati est superbia. Nota sunt reliqua, quib. acriter circumspectis monstrum est superbus homunico.

APOPHTHEGMATA.

Demeratus iam senex ascendens in arcem Athenis per quam aohe lolus: Idem se facere dixit, quod vniuersa ciuitas Atheniensium soleret. Nempe se magnum quidem spirare, parum autem valere. *Stob. ferm. 22.*

Democritus definere dicebat in malam infamiam, eum qui eum supra se contendit. *Stob. eod ferm.*

Antisthenes, quum Platonis superbiam notare cuperet, forte in pompa equum hinnientem fremententemque aspiciens, ad Platonem versus, ait: Tu profecto meo iudicio præclarus fuisses equus, est enim equus animal superbissimum. *Erus. 6. 5.*

Zeno Citticus in quendam circa formæ curam studiosiorem quam deceret virum, quum imbricem leote, ac circumspecte transiret: Merito, inquit, suspectum habet lutum, in quo non potest seipsum, vt in speculo cernere. *Laert. l. 7. c. 1.*

Aristoteles adolescentulum superciliis sublatis superbientem conspicatus, sed nulla scientia præditum: Adolescentule, inquit, vtinam talis essem, qualis ipse tibi videris: qualis autem reuera es, tales hant hostes mei. *Anton. in Meliss. p. 2. fer. 72.*

Socrates Alcibiadem inanitus ob diuitias inflatum, & superbientem opibus prædijque, in quendam ciuitatis locum duxit eum, in quo suspensa erat tabula terræ circuitum complexa. Iussit igitur Alcibiadem Atticam in ea requirere, quam vt inuenit, sua etiam prædia inspicere præcepit. quæ cum Alcibiades nusquā esse picta diceret: Cur igitur, Socrates inquit, ob illa superbis, q̄ circa nullā terræ partem existunt? *Stob. ex Aelian.*

Plato, quum aliquādo conscendisset equum, mox descendit, dicēs, se vereri μὴ ἱπποτυφίᾳ ληφθῇ, id est, ne equestri fastu corriperetur. Superbū animal est equus: & equitare quiddam habet magnificum, parumque philosopho dignum. *Laertius lib. 3*

Idem. Exhauriendam esse dicebat ex animis iuuenum falsam opinionem & superbiam: sicut aerem ex vtribus vtile quippiam infusuri exhauriunt: secus. n. inflatione & spiritu turgentes nihil admittunt. *Anton ferm. de superbia.*

Aesopus à Chione rogatus, Quid faceret Iupiter? Excelsa, inquit, deprimit, extollit humilia. *Brusonius lib. 6. c. 5. ex Stobæo.*

Idem Comatulum iuuenem nimium affectato ornatu conspicuum intuitus: Si te, inquit, tam exquisite comas virorum gratia, pla ne ludis operā, sin mulierum, iniquus es: aut improbus. *Stobæus.*

Phocionis vxor interrogata, quamobrem sola ex al js in conuentu non gestaret ornatum aureum, dixit, Quoniam pro ornamento mariti virtus mihi sufficit. *Stob. fer. 72.*

Epictetus. Nulla debes aliena præstantia gloriari. Equus quidem elatus, si de ipso iactabundus diceret. Quaor sum egregius foret vtiq. id tolerabile. At si tu dicas. Næ equū egregium possideo, nihil aliud q̄ de bono superbis. Tuum aūt q. d est? Nēpe solus opinionū vsus, quem si fecundum naturā habueris, tū gloriare: ita demum. n. de propria excellentia gloria. *In Enchiridio.*

Anonymus. Laconem hospes, uē pridie declinauerat, postridie stragulis mutuo sumptis splendide excepit: at ille stragulis conculcatis dixit: Propter has heri ne stores quidē indormire licuit. Lepide risit illorum morē, qui cum sint tenues, tū affectāt videri diuites, corrogata aut conducta supellectile: qd maxime solent in excipiendis hospitibus, in nuptijs aut alioqui solennibus epulis. Porro quam ineptum sit ostentare tuas diuitias: quanto magis ridiculū est ostentare supellectilē alienā, interdū ab vsurarijs sumptā? At Lacedæmonij non solum oratores regum, verum ipsos Et reges ad sua Phiditia inuitabant, eam frugalitatem sibi magno & honori futuram existimantes. *Plut. in Lacon.*

Demosthenes Phal. In hominem s. perbum, & multo fastu turgidum, dicebat altitudinem circumcidi oportere, sensumque reliqui. *Brus. l. 6. c. 5.*

Artabanus dissuadens Xerxē ab expeditione cōtra Græcos: Vides, ait, vt prægrandia aīalia fulmine Deus feriat, nec insolescere sinat: parua vero nihil lædat. Vides, vt magna sæpe ædificia, magnasq. arbores hmōi fulminibus ictu percutiunt. Gaudet. n. Deus, eminentia quæque deprimere. *Herodotus & Brus. l. 6. c. 5.*

Thais glorioso cuidā amatori, qui quum multa pocula sumpsisset cōmodato, dicerets se velle illa confringere, aliaq. pararet: Perdes, inquit, quod cuiq. proprium est. Ambigui sermone norās commodatitia. Poterat autem intelligi, si confr entur, periret quod cuique poculo proprium est. *P. M. lib. 6. apoph.*

Philiphus. Si videris, inquit, improbum in altum gradum euectū, magnisq. opib. & fortuna exultantem, superciliaque sup. fortunam extollentem, eius celerrimam expecta mutationem: tollitur enim altissime, vt maiore casu ruat. *Ant. ser. de superbia.*

C. Sulpitius vxorem suam repudiauit, eo quod comam ... nans, ex ædibus egressa esset, inquiens: Lex tibi meos vnius prodit oculos, quibus formam tuam approbes: his ornamenta com parato, his esto speciola: aliis vero videri formosam, in suspicione & crimine hæreat necesse est. Probe castigauit mores vxoris f. æ Sulpitius, qui putabat ornatum vxoris eo spectare, vt alijs viris melius quam marito placeat. *P. M lib. 6. apoph.*

Socrates dicebat superstitionē superbiæ tanq. à parenti esse morigerā. Etsane omnis superstitiosus est superbus: nec fine sup bia prodierunt tot superstitiones, falsæ sententiæ circa religionē, & detestandi cultus à superstitione inuecti *Stobæus ferm. 22.*

Iulia Augusti F. cum vltra modum superbiret omni corporis cultu, admonita à patre, vt se ad paternæ frugalitatis exemplum componeret, respōdit, Pater obliuiscitur se Cæsarem esse, ego vero memini me Cæsaris esse filiam. *Ibid.*

Euagrius sciscitatus, quid esset superbus animus? respondit, Virtutis ventilatore, cisterna aquis destituta, diuersorium latronum. *Anton. ferm. de superbia.*

Io. Climax. Vt fures, inquit, solem detestantur, ita superbi modestos despiciunt. *Eod. ferm.*

Idem dicebat, difficile esse superbiæ seu inanis gloriæ dæmonem effugere: quicquid. n. inquit, molitus fuerit, vt hanc detrahas, ipsum erit alterius inanis gloriæ initium. *Eodem ferm.*

Pambo quidam apud Athanasium cum Alexandriæ esset, vidissetq. mulierem maximo vestitus apparatu superbientem, fleuit. At interrogatus, cur tantopere lachrimas effunderet: respōdit: Due res sunt quæ me mouent. Vna quidem, quæ est huius mulieris p̄dino. Altera vero, quod ego, qui nomen Christiani profiteor, non tantum studeo placere Deo vitæ innocentia, quantum hęc molier turpibus placere cupit hominibus. *Eccl. hist. l. 8. c. 1.*

Diogenes

Diogenes quam vidisset Olympiam, & Rhodiacos quosdam adolescentes preciosis magnificisque vestibus amictos, cum risu loquit, Hoc nihil est præter fastum. Deinde cum incideret in Lacedæmonios laceris squalentibusque tunicis amictos, Hæc, inquit, longe est alia superbia. Vidit autem philosophus, superbi animum non semper splendido & ornatissimo vestitu elucere, sed in sordibus etiam, dum homines opulentissimi sæpenumero vilissimo vestitu incedentes, hominum ex eo laudem superbientes venantur. *Aelian l.9. de Var. hist.*

S i m i l i t u d i n e s.

Abacus Propheta: Quo vinum potantem decipit: Sic erit vir superbus, & non decorabitur, qui dilatauit quasi infernus animã suã, & ipse quasi mors, & non adimpletur & congregabit ad se omnes gentes, & coaceruabit ad se omnes populos. *c.2.*

Syracida. Perdix capta in cauea: Sic cor superbi, & vt prospector ascendens ad casum: nam bonam mala conuertens insidiatur, & in dictis im ponit maculam. *Eccles. c.*

Chrysostomi. Nihil arrogantia atq superbia peius, q mentis quoque vires catuta hominio concessas ita deijcit, vt amentes ea prudentia, ac aio stolidos efficere videatur. Nã quemadmodum si quis cum stat vt a cubitus sit, instar montium, imo et altiorẽ se putet, ac ideo se ipsum, quasi montes excesserunt erigat, nulli aliud argm insaniæ suæ quærenus: Sic cum inflatum hominem videris, qui meliorem se cæteris arbitretur, contemnitque opinetur, si cæteris conferatur, nullum aliud signum vecordiæ hominis requiras. Tanto q ppe ridiculo sor is est, qui natura insanit, quanto ipse hunc sibi morbum inijcit: nec hac te solũ misser, sed quia in miseriæ fundum se detrusit, vt nihil sentiat: Qũ enim is peccata sua vt oportet cognoscet? Quando omnium se delinquere sentiet? Certe quasi vile mancipium, & miserũ captiuum diabolus eum adduxit, agit atque mille verberibus & contumeliis quocu. que velit. *Hom. 59. in Matth.*

Quam autem tu altius volare oportaris? At eam, quæ cum per aera feratur arundines aucupis atque retia non formidat: au eã, quæ tam vel sine arundine ac visco quoniam humi serpat, potius quam volat, manibus facile capitur? Huiusmodi certe insolens arrog ns animus est, qui cum humi serpat, in omnem laqueum incidit. Vt vermis in stercore; Ita superbus in passionibus suis inuoluitur. *Hom. 66. in Matth.*

Velut si quis domum vt sit præclaro opere atque honesto mirabilis, caute prouideat, eos vero qui hanc habitant, negligat: ita qui corpus ornant, anima neglecta. *In 2. ad Tim. hom. 2.*

Sicut oculis captus, ab omnibus offendi pot facile: ita & superbus quoque dominum nesciens (principium n. superbiæ est, nescire Dominum) etiam ab hominibus facile capi potest, vt pote lumine summo orbatus. *Serm. 9. de Ozia, & Hom. de diuersis.*

Plutarchus: Si quid io vtera velis infundere boni, ventum atque aerẽ amouere oportet: Sic fastum ac tumorem animis oportet ab animo eius, quem velis docere. *In Mor.*

D. Augustinus: Medicus quando ægritudinem discutit, si curet quod per aliam causam factum est, & ipsam causam per quam factũ est, non curet, ad tempus videtur mederi. Causa manente, morbus repetitur. Verbi causa, apertius hoc dicam. Humor in corpore scabiem vel vlcera gignit: in corpore fit magna febris & non paruus dolor. Adhibentur quædam medicamenta, quæ scabiem compescant, & feruorem illum vlceris sedent: & adhibetur, & proficiunt. Vides hominem qui fuit vlcerosus & scabrosus, sanatum: sed quia humor ille non eiectus est, rursum ad vlcus redit. Cognoscens hoc medicus, purgat humorem, detrahit causam, & nulla erunt vlcera. Vnde ergo abundat iniquitas: Per superbiam. Cura superbiam, & nulla erit iniquitas. Vt ergo causa omnium morborum curaretur, id est, superbia, descendit, & homo factus est filius Dei. *Tractatu 28.*

D. Hieronymus: Quomodo vinum contra potantem facit. & postquã fuerit exreptum, neque pes, neque mens suum officium tenent. omnique lætitia & mentis exhilaratio vertitur in ruinam: Sic vir superbus non decorabitur, nec voluntatem suam perducet ad finem. *In c. 2. Abac.*

Ciceronis: Vt membrum turgidum ac tumidum vitiose se habet: Ita & flatus animus & tumens io vitio esse. *Lib. 3. Tuscul. quæst.*

Pelargus: Quemadmodum fumus alta & lucida, quunquam ipse obscurus sit & ater, naturaliter appetit, veruto in medio ipso turbulento suo conatu resoluitur in aerem, prorsusq euanescit, & amplius fumus non est: Ita homo superbus licet obscurus sit, inter cæteros tamen se extollit & quasi in medio tamẽ cursu sæpenumero præcipitatur, & quasi in nihilũ resoluitur. *In Psal. 74.*

Quemadmodum ex vlcere putrido, sanies & putredo ebulliunt: sic ex superba mente atque ambitiosa, omnia peccata ebulliunt. *In Psal. 74.*

Tiberius: Honores ac diuitiarũ abũdantia q̃d simile cum fungis habent, id peius obtinent. Etenim hi tãtũ ventrem inflant, & aliquando leuiter mentis periculum vexant. Honores vero, diuitiarumq. copia vniuersum hominem reddunt tumidũ, nec tantũ intellectus partẽ tantum, sed totã vitiant animam. *In apoph. 45.*

Quemadmodum ignis omnia extenuat, & annihilat: Ita superbus nullius alterius societatem tolerat. *In apoph. 18.*

Vt modicum fellis, optimum quemq. succum vitiat dulcissimum: Ita superbia omnem virtutem labefactat. *In apoph.*

Vt agrotus quispiam quo a sua natura discesserit longius, eo laborat periculosius: Sic animus elatus, ac superbus procul ab omni humanitate dis. edit, & in brutum denium vertitur. *In apoph. 69.*

Vt pessimum est venenum, quod dissimulata sua indole, aut cum mel. le fermentatum, gratiam exhibet: Ita maxima est superbia quæ fuco humanitatis regitur Absoloois exemplo. *In apoph. 75.*

E x e m p l a B i b l i c a.

Superbiæ punitæ *exempla:* In Adamo, & Eua. *Gen. 3. 16. & Eccl. 16. v. 14.* Aedificatorib. turris Babylonicæ. *Genes. 11. 5.* & Agar 16. v. 5. 6. Sodoma, *19. v. 24. Ezech. 16. 49* Maria, *Num. 12. v. 8. 9.* Core. Dathan, & Abiron, *16. v. 31. 32.* Israelitis, *Deut. 1. v. 43. 44.* Gaal Filio Obed, *Iudic. 9. v. 37. 38* Goliath, *1. Sam. 17. 50.* Nabal, *25. 37.* Saule, *31. 4.* Seba filio Bocuri, *2. Sam. 20. v. 21.* populo Dauidis, ob superbam populi numerationem, *24. 15.* Adonia, *1. Reg. 1. 5.* Banadad, *20. v. 19. 29.* Rabsace, & Sennacherib, *2. Reg. 19. v. 28. 35.* Amasia, qui insigniter humiliatur, *2. Paral. 25. 23.* Ozia côtra vocationem superbe Sacerdotis officium sibi vsurpante, *26. 15.* Ezecnia, *32. v. 24. 25.* Holoferne, *Iudith. 13. 10.* Aman, *Esth. 7. 10.* Damasco, *Esa. 8. 4. & 17. 1.* Assur, *10. v. 12. 25.* Rege Babylonis, *14. v. 13. 15.* Babylone, *v. 11. 12. Ierem. 50. 31. & 51. v. 1. 2. 52. 53.* Moab, *16. v. 6. 7.* Tyro, *23. 8. Ezech. 28. v. 2. 3. 4.* Ephraim, *Esa. 28. 1.* Israel, *Ezech. 34. v. 21.* Pharaone Rege Aegypti, *29. v. 3. 4. & 31. v. 10. 11. & 12.* Nabuchodonosor, *Dan. 4. v. 19. 20. 21.* Baldasar Chaldæorum Rege, *5. 22. & c.* Israelitis, *Ose. 5. v. 5. & 7. 10.* Capharnaitis, *Matt. 11. 23. Lu. 10. v. 15.* Pharisæo, *18. v. 14.* Superbiæ *exempla:* Adam, & Eua: Duabus. n. potissimum rebus moti delinquunt: *Prima*, quod se deos fore crederent: *Secunda*, quia impulit eos, & pellexit, fuit gula, & formosa pomorum species, *Gen. 3. v. 5. 6. Eccl. 10. 14.* Aedificatores turris Babylonicæ. *Gen. 11. v. 4.* Agar. *16. 4.* Fratres Ioseph. *37. v. 8.* Aaron, & Maria, *Num. 12. v. 1. 2.* Core, Dathan, & Abiron, *Num. 16. 1.* Gaal, Filius Obed, *Iud. 9. 28.* Abimelech, *v. 31. 45. 1. Sam. 13. 2. & 15. v. 19. 20. 30* Goliath, *17. v. 42.* Nabal, *25. v. 10. 11.* Absalom, *2. Sam. 15. 4.* Seba filius Bocchri, *20. 1.* Dauid, *24. 1.* Adonias, *1. Reg. 1. 5.* Roboam, *12. 14.* Ieroboam, *13. v. 4.* Benadad *20. 18.* Rabsaces, *2 Reg. 18. 24.* Amasias, *2. Paral. 25. 19.* Ozias, *26. 16. Zech. 32. 29.* Pharao. & seruientes. *Nehem. 9. v. 15. 16.* Patres, & Israelitæ, *v. 29.* Nabuchodonosor, *Iudith. 1. 7. & 2. 1. 6. & Dan. 4. 27. & 5. 2.* Aman, *Esth. 3. 6. & 16. 13.* Filiæ Sion. *Esa. 3. 16.* Rex Babylon *5, 14. v. 13. 24* Moabitæ. *16. 6.* Rex Assyriorum, *47. 7.* Azarias, & Ioathan, *Ier. 43. 2.* Tyrus, *Esa. 23. v. 9. Ezech. 27. 3 & 28. 2.* Baltassar. *Dan. 5. v. 20. 22. & 8. 29.* Antichristus, *11. 36. 2. Thess. 2. 4.* Israelitæ *Ose. 7. 10 & 13. 6.* Amos, *6. 8.* Idumæi, *Abd. versicul. 3.* Antiochus, *1. Mach. 1. 23. 2. Mach. 9. 4. & 3. 21.* Iosephus *1. Mach. 5. v. 55. 56. 57.* Nicanor, *2. Mach. 9. v. 9. 16.* Pharisæus, *Luc. 18. 11.* Pharisæi, *Ioan. 5. 44.* Iudæ, *9. 34.* Simon Mag. *Act. 8. 9.* Herodes *12. 21.* Agrippa, & Berenicæ, *25. 23.* Babylonica Meretrix, *Apoc. 7. 2. et 18. 7.* Superbię mala, *Pro. 11. 2. 2. 5*

E x e m p l a P r o f a n a.

Pausanias Lacedæmoniorum dux, ad Plateas victor, contra Mardonium, quum de manubijs tripodem aureum Delphis votum soluisset, suumque nomen inscriberet. Lacedæmonij perrasi insolentiam, epigramma induxerunt, & ciuitatum nomina inscripserunt. *Herod.*

Iulianus Imp. quinquenalia edens, ambitioso diademate vsus est, gemmarum fulgore distincto: cum initio principatus coronam vilem gessit conueniret, se Constantij hostem aperte profiteri cœpit. *Sigonius l. 6. Imp. occid.*

Maximinus tonsor in salutationibus superbissimus erat. & genua sibi osculari patiebatur, nonnunquam etiam pedes: quod nunquam passus est senior Maximinus, qui dicebat: Dij prohibeant, vt quisquam ingenuorum pedibus meis osculum figat. Cũ puer plerisque honoratis assurgeret: ille residebat. Vsus est, & aurea lorica exemplo Ptolomæorum: vsus est argentea: vsus, & clypeo gemmato inaurato: & hasta inaurata. Fecit, & spatas argenteas, fecit etiam aureas: omnino quicquid eius pulchritudinem posset ionare. Fecit, & galeas gemmatas: fecit, & bucculas. *Capitolin. in Maximino iuniore.*

Rhemnius Palæmon Grammaticus gloriabatur secum natas esse literas, ac secum interituras. Idem Marc. Vari. Principem linguæ Latinæ porcum appellare solebat. *Crinit. l. 11. c. 10.*

Paulus Samosatenus hæreticus, diues factus e paupere excreuit in superbiam intolerabilem. Nam incedens per vicos, & compita, doctrinam, & literas ostentabat publice, & notarijs in propatulo, quidquid primum in buccam venisset, dictabat.

Athila Rex Pannonia superbus incessu, huc atq. illuc oculos circumferens, vt elata potentia in ipso corporis motu appareret.

Dem-

Domitianus iactabat in senatu, patri se, & fratri imperium dedisse, illos sibi reddidisse. Gaudebat appellatione Domini, atq. etiam Dei: vnde Eusebius, Primus, inquit, Domitianus Dominum se, & Deum appellari iussit: hinc effluxerunt cuiusdam duo versiculi poetæ assentatoris.

Edictum Domini, Deique nostri,
Quo subsellia certiora fiunt.

Vnde institutum est ab eo, vt ne scripto quidem, aut sermone cuiusquam aliter appellaretur. Statuas sibi in Capitolio non nisi aureas, & argenteas poni permisit. Septembrem, & Octobrem menses ex appellationib. Germanicum, Domitianumq. transferre minauit, quod altero suscepisset imperium, altero natus esset.

Maximinus iunior tanta fuit arrogantia, vt manus, ac pedes senatoribus præberet osculandos.

Caius princeps seipsum inter duos retulit, & Iouis maximi nomine statuas eripi sibi imperauit.

Sabor Rex Persarum, vocauit se regem regum, principem siderum, fratrem Solis, & Lunæ. *Herod. l. 2. histor. Plin. 6. natur. histor.*

Salmoneus tonitrua mentitus est, vt Deitatis opinionem sibi vendicaret, sed a Iouis fulmine ad inferos demersus.

Cyrus immani superbia elementa irasci, atque ab ijs reuerentiam exigere non est veritus. Cum.n. ad Babylonicam expeditionē proficisceretur, Gangem fluuium magnitudinis immensæ, in trecentos, ac sexaginta paruos alueos diuisit, affirmans se, ita diminuiturum amnem, vt etiam prægnans fœmina pedibus sine labore eum traiectura esset.

Cambyses [Persarum Rex cum Præxaspem interrogasset, quid de Cambyse populi sentirent, respondit: Cambyses in omnibus laudatur, sed vini appetentior æquo est. Arcum itaque quem in manu habebat, tetendit, & sagittam in filij pectus direxit. Pro superbia cū audiendi patiens nō esset, in amicū ita seuere seuijt.

Appion Grammaticus Alexandrinus tanta fuit arrogantia, vt ei immortalitatem polliceretur, cui opera sua nuncupasset.

Demetrius Poliorcetes, Antigoni Macedoniæ regis filius, tanta fuit arrogantia, & insolentia, vt Atheniensium legatos biennium suspensos tenuerit sine colloquio, ac demum re infecta, reuerti iusserit.

Menecrates medicus nullam ab his mercedem solebat accipere quibus medebatur: sed hoc tantum petebat, vt liberati seipsius seruos esse faterentur, eumq. Iouem dicerent.

Nestorius hæreticus, factus præsul Constantinopolitanus, orationē postero die habuit ad populum, arrogantiæ plenam, & superbiæ, qua cęlum se vnicuique daturum promittebat.

C. Neuius Comœdiographus, superbiam suam testatus est Epitaphio, quod sepulchro suo inscribi iussit.

HIEROGLYPHICVM.

In Diuinis sane literis pro arrogantia, atq. superbia *ceruix* accipi-tur: quare *Psal. 130. Impiorum concisa ceruices*, legas pro edomita superbia. *Pier. Val. l. 32. p. 303. B.*

EMBLEMA.

Superbia.

Emblema LXVII. And. Alciat.

En statua statua, & dictum de marmore marmor,
Se conferre Deis ausa procax Niobe.
Est vitium muliebre superbia, & arguit oris
Duritiem, ac sensus qualis inest lapidi.

FABVLAE.

Aquila, & Aues.

Quodam cœtu alitum, plerique illorum de se, & virtutib. suis magnifice loquebantur, celeritatem accipitres, cantum luscinię, olores gloriam augurij, formam pauo, calliditatem perdices, audaciam trochilus, remigandi scientiam anates, præsensionē tempestatis ardea iactabat. Tum aquila nugæ, inquit, istæ sunt, nam quod est optimum, & plurimi fit in hac vita, eo facile omnes vos antecello, vt acutissimo visu oculorum vtar. Quod si quis minus credit verum esse, age conscēdat supra ceruicē meā, & illi ostendam de tam sublimi spatio, vnde ipse vix terram conspicere possit, me certe omnia, & haud fallente luminis acie cotueri, &c. Mussitantib. alijs, regulus in aquilam incubans, iubet subuolare, vt experiatur verum vera gloria illa sit: Cum sub nubes penetrasset aquila, Quid, inquit, cernis infra regule? Vix illo terram sibi apparere dicente: At ego isthic, inquit, clare ouē conspicor, & quidem albam mutilata cauda, inq. eam, vt quod dixi tibi certius probem, mox ē tuuolabo. Sed illam ouem grandib. volucribus escam proposuerat auceps, qui laqueis positis intra frondes prope latitabat atque illatam impem aquilam cepit, & strangulauit. Hoc regulus videns: falso, inquit, gloriata fuisti de perspicacia oculorum, quę caudam mutilatam diceres te cernere, & laqueos atque insidiatorem aucupem non aspexeris.

Fabula coercet elationem, & superbiam animi: Et docet cupiditates acute cernere in ijs modo, q appetunt, ad reliqua esse cæcas.

Galli Gallinacei.

Duo Galli acriter inter se pro gallina dimicabant, ita vt ambo fatigarentur, sed finito prælio, qui victus fuerat, is pudore, & dolore affectus latebras quæsiuit, victor autem in altum parietem euolauit, & quanta maxima voce potuit, canere & alis strepere cœpit. Hunc de improuiso aquila prætervolans rapuit, ita alter, qui se dudum abdiderat, postea sine æmulo galliorum consuetudine frui potuit.

Docet fabula, Deum ipsum superbis aduersari, mites autem apud illum in gratia esse, &c.

Olla;

Expositum sub dio ollam fictilem vt lutum prius arescerct. q in fornace torreretur, interrogabat imber. Quid nā rei sit? Illa vero, se dolium esse respondit. Dolium, inquit imber, in quo vinū cōdi solet, q̄d̄ nos aquæ odimus? Peribis igitur, & illā difiecit.

Contra superbiā & fastum: & stultas elationes aiorum hæc fabula narratur. Sæpe.n. fit, vt magnarum rerum professiones, & arrogantia dignitatis, hoīes imperitiores euertat atque perdat. Itaque Vlysses ad tantarum rerum effectionem non extollitur, neque splendescit, sed abijcitur & deformatur, idq. diuinitus.

De Nuce & Vepribus.

Nux stirpe pcera & patulis ramis, ppe viā enata, ac iā sub autūni ips fructibus grauis, vicinas vepres spernebat præ se, & verbis infectabatur, vt humiles & infructuosas, infelicesq; ac miseras vocabat. In illa deorum hominūq; neglectione, Quæ est, inquit, & q̄ detestanda contorsio, & deprauatio vrā? Quis autē vos non simul atq. tetigit, mox execratur vobisq; maledicit? Mea vero, videtis. q̄ lignis sit firmitas, q̄ ramorū densitas. q̄ foliorū amplitudo, q̄ fructuū copia, atq; his dictis cōcusso comā te vertice, tacentes vepres superbissime despiciebat. Venīūt mox hoīes omnis ætatis ac sexus, viri, mulieres, virgines, pueri, ac si stib. saxisq. nucē petunt, maturosq. fructus decutiūt, & lōgis perticis verberāt, neq; folia modo dissipāt, sed ramos ēt diffringūt atque lacerant, spoliatamq. ipsam male mulcatā discedentes relinquunt. Tum vepres non quidem acerpta occasione illam derisisse in calamitate, quod inhumanissimū esse scirent, sed in casuum & fortunæ incertæ atque dubiæ consideratione, hūc Menandri versum inter se memoresse accepimus, huius sententiæ.

Beatus est enim bona & res obtigit.

Illinc vero hos Euripidis.

Ὄλβου δ' ἐπὶ ἴσ' ὑπ' τις εὐτυχεῖ τις
Ἄλλος ἄλλου μᾶλλον... [illegible]

Aliunde etiam hæc.

Multorum opes malorum hominibus caussa fiunt.

Vide, Arrogantia.

SVPERFLVITAS.

DEFINITIO, ET ETYMOL.

Superfluitas, Græce περισσότης, & περιουσία, superfluus dicitur. Venit autem superfluitas a superfluo, quod est superabundo, estque superabundantia quædam.

PATRVM SENTENTIAE.

Nihil tam necessarium, quam cognoscere quid tibi necessarium. *Amb. ad Vercellen.*

Simplex vestimentum dicimr, quidquid necessarium est alicui secundum qualitatem loci, vel temporis. Duplex autem quod extra necessitatem est: non enim duas dicit, vt quis in locis Scotię glaciali niue rigentibus vnica tunica debeat esse cōtentus: sed quomodo in tunica vestimentum intelligimus ne alio vestitu aliud nobis futurorum timore seruemus. *Hieron. in Matth. 10.*

Quicquid corpora nostra defendere potest, & humanæ succurrere imbecillitati, quos nudos natura produxit, hæc vna appellanda est tunica, & quicquid in præsentibus alimentis est necessarium, hoc vnius diei victus appellatur. *Hier. 23. ad Fabiolam.*

SVPERSTITIO.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Superstitio, Græce δεισιδαιμονία & δεισιδαιμοσύνη, superstitiosus dicitur. Est autem superstitio vitium religioni oppositū secundum excessum. *secund. S. Th. 2. 2. q. 92. ar. 1.*

Superstitio est vitium contrarium religioni, non quia plus exhibeat in cultum diuinum, quam vera religio: sed quia exhibet cultum diuinum, vel cui non debet, vel eo modo, quo nō debet.

SENTENTIAE HIST.

Vt perniciosa est incredulitas, & contemptus signorum diuinitus oblatorum; ita superstitio etiam noxia est, quæ tum aquæ instar ad subsidia delabentis animum trepidum stolida timiditate cōplet. *Plutar. in Alex.*

Humanarum mentium ludibrium superstitio. *Curtius, lib. 6.*

Nihil in specie fallacius est q̄ praua religio, vbi deorū numen prętenditur sceleribus subit animum timor, nec fraudib. humanis vindicādis, diuini iuris immixtum aliquid videmus. *Liuius, Decad. 4. l. 9.*

Sunt

Sunt mobiles ad superstitionem perculsæ semel mentes. *Tacit. Annal. lib. 1.*

Multa vana sub nomine celebri vulgantur. *Idem, Ann. l. 6.*

Quicumque a vero aberrant, misericordia potius quam odio digni sunt. Non enim hi vel capiuntur, vel labuntur volentes, sed boni forsitan ducti cupiditate, & si alioquin iudicio falsi, conceptis opinionibus, qualescumq; sint pertinacius hæreant. *Agat. l. 1.*

In ostentorum, & prodigiorum consideratione nimiam, & credulitatem, & incredulitatem periculosam efficit humana imbecillitas, cum ea non intra certos terminos se continet, sed effertur vel ad superstitionem, inanitatisque de ijs sentiendum, vel ad contemptum religionis. Optimum est cautionem adhibere, ac ne quid nimis. *Plut. in Camil.*

A P O P H T H E G M A T A.

Leotychidas. Cum portæ Leotychidi proavitæ clauem draco circumvolutus esset complexus, idque augures affirmarent esse portentum: Mihi, inquit, nequaquam videtur: sed si clauis fuisset circumplexa draconem, portentum erat. Lepide irrisit hominum superstitionem, qui terrentur his quæ casu, nec præter naturam accidunt. Hunc mortalis ingenij morbum alunt augures, arioli, aruspices, ac diuini. Verum vbi quis præter rectum, & honestum instituit nefaria consilia, tum oportebat horrere portentum, & aliquid mali sequuturum expectare. *Plut.*

Pericles. Quum vrgeret belli necessitas, Palladis ornamenta vendidit quadraginta talentis auri, & admirantibus ab illo rem sacrilegam admitti, respondit: Ex hostium manubijs posse illi reddi cultum nihilo deteriorem *P. M. l. 8 apoph.*

Idem. Ad bellum profecturus, cum suam ipse triremem conscenderet, solis deliquium accidit, tenebræque obortæ in prodigium magnum tractæ omnium animos consternauerunt. Ibi Pericles cum videret gubernatorem ingenti timore captum, oculis eius chlamydem prætendit, percontatusque est, an horribile aliquid id effectum, aut portentum eo facto putaret? neganti. At quid interest, ait, inter istas & has tenebras? nisi quod maius est id a quo illæ sunt inductæ. *Plut.*

Idem. Aegrotans, amico cuidam eum inuisenti, ostendit amuletum collo sibi circumligatum a mulieribus, addens pessime se affectum esse qui talem stultitiam in se admisisset. *Plut. in Pericle.*

Agesilaus rex quum adstantem aræ Palladis, cui apud Spartanos ab æreo delubro χαλκιοίκου cognomen est, vt bouem immolaret, momordisset pediculus, non auersus est, sed arreptum palam omnibus occidit: Per Deos, inquiens, occidam insidiatorem lubens, vel in ipsa ara, videlicet declarauit animum, nec inepto pudori, nec superstitioni obnoxium. *Plut. in Lac.*

Idem. Philippus quidam erat profitens Orphei mysteria, & his alios initiare solitus: is quum esset extremæ paupertatis, tamen apud Leotychidã dicebat, eos qui apud ipsum Orphei sacris initiati essent post obitũ fore beatos: Quin igitur, inquit, ò demens, q̃ ocyssime vitã abrumpis, vt desinas infelicitatem tuam, ac inopiã deplorare? O animum ab omni superstitione liberum? Post hanc vitam felices erunt, qui hic pie iusteque vixerint, non qui fictis cæremonijs fuerint initiati. Hoc persuasum erat Lacedæmonijs, qui hic pie vixissent eos ab obitu fieri diuos. *Plut. in Lac.*

Epaminondas cum aliquoties ad hostem cum copijs accederet, & tonitru natum esset: interrogantibus suis quid significari eo tonitru putaret, respondit, superstitionem eorum irridens, Deũ attonitos reddidisse hostes, stuporemque ijs iniecisse, qui cum prope apta loca essent, iniquo loco castra ponerent. *Plut. in apoph.*

Lucullus quum in Armeniam cum decem millibus armatorum, & mille equitibus aduersus Tigranem tenderet, centum quinquaginta hominum millia habentẽ in exercitu, pridie nonas Octobris, quo die prius Scipionis copiæ deletæ fuerant, quodam admonentẽ, quod Romani diem illam vt nefastum, & inauspicatum metuerent: Ergo, inquit, hodie alacriter pugnemus, vt hũc quoque diem ex nefasto funestoque Romanis hilarem, & auspicatum reddamus. *Plut. in Rom. apoph.*

M. Crasso conflicturo cum Parthis, cista è manibus deciderũt: hoc tum cæteris, vt inauspicatum interpretantibus, ac prælium dissuadentibus: Huiusmodi, inquit, incommoda multa nobis senectus adfert: at arma tamen numquam e manibus mihi ceciderunt. *Plut. in Crasso.*

M. Cato. Vetus illud Catonis admodũ scitum est, qui mirari se aiebat, quod non rideret aruspex, aruspicem eum vidisset. Quota enim res quæque euenit, prædicta ab illis? aut si euenit quippiã quid adferri potest, cur non casu euenerit. *Cic. l. 2. de Diuin.*

Alphonsus cum triumphalem currum ascenderet, non defuerunt qui admonerent, vt triumphantium more vultum minio illiniret. Verum rex cum hoc contemneret, dixisse fertur miniũ Baccho soli conuenire, qui non solum triumphi, sed vini etiam repertor extitisset. *Ant. Pauor. de reb. gest. Alphonsi.*

Pythagoras dicebat sacrificia stultorum ignis esse alimenta, eorũq; anathemata victum sacrilegis suppeditare. *Stob. ser. 4.*

Demonax accusatus, quod numquam sacrificasset Mineruæ: Numquam, inquit, existimaui illi meis victimis opus esse. Notãs inepram vulgi superstitionem, qui putabat Deos hostiarum nidore delectari. *P. M. l. 8. apoph.*

Idem. Cuidam dicenti: Eamus in Aesculapij templum, ò Demonax, pro filij salute deprecaturi Deum: Adeone, inquit, surdastrum existimas Deum, vt nos nisi in templo non sit auditurus? *P. M. l. 8. apoph.*

Polyanthea Noui.

S I M I L I T V D I N E S.

Plutarchi. Vt tremunt qui vrsorum, aut draconum lustra adeunt: Sic superstitiosi cum tractant diuina, existimantes Deos semper paratos ad nocendum. *in Moral.*

Non timet mare qui non nauigat, non bellum, qui non bellat, non latrones domi manens, non calumniatorem pauper, non inuidiam priuatus: non terræmotum, qui est in Galatia, non fulmẽ qui est in Aethiopia: At superstitiosus omnia timet, terram, mare, aerem, cœlum, tenebras, lumen, strepitum, silentium, somnium. *In Moral.*

Si fieri potest, lippitudinem auferimus ab oculis: si id non licet, non tamen eruimus oculum: Ita si superstitio tolli protsus non põt, non tamen protinus credendum, nullos esse Deos. *in Mor.*

Licet seruis quibus spes non est libertatis, ad principis statuam cõfugere, venditionem postulare, mutare dominum, si durius habiti sunt, quam ferre possint: Superstitiosis nec hoc, cum omnes Deos metuant. *in Moral.*

Gubernator videns insurgere tempestatem, Deorum auxilium implorat, nihilo segnius interim clauum moderans, & antennam derrahens: At superstitiosus despondet animum. *in Moral.*

Polycratis tyrannus non erat formidabilis, nisi Sami, Periander Corinthi, desinebat metuere, qui illinc in liberam ciuitatem emigrasset: At superstitiosus non habet quo confugiat, vt metu liberetur. *In Moral.*

Serui cum dormiunt, non timent heros, vincti obliuiscuntur compedum in somno: vlcera, carcinomata, & grauissimi etiam cruciatus conquiescunt: Sola superstitio eam dormientem infestat. *In Moral.*

Quidam dum stulte fugiunt latrones, aut feras, in auia incidunt, & in barathra, aut præcipitia: Sic quidam superstitionem ita fugiunt, vt incidant in impietatem, cum in medio sit pietas. *In Mor.*

P. M. Latrones aut fugitiui, si aram, aut statuam apprehenderint, tuti sunt: At hic maxime trepidat superstitiosus. *In similibus.*

Carbunculi ignis, & nomen & speciem habent, cum ignem non sentiant, vnde & apyrustæ dicti: Ita quidam pietatis opinionem, & imaginem obtinent, cum a re sint alienissimi. *In simil.*

P R O F A N A E X E M P L A.

Hetrusci Romanæ superstitionis magistri fuerunt: ad quos sex patriciorum filij singulis annis religionis addiscendæ ergo mittebantur. *Val. Max. l. 1. c. 1.*

Cum ipsas fœminas superstitionis duces & auctores esse existimans. Eæ enim sunt, quæ viros ad Deorum cultus, ad dies festos, ad venerationes, ad preces inuitent amplius: rarumque est, vt vir quispiam sine vxoribus solus degens, talis reperiatur. *Strab. l. 7. ex Menandro.*

Romæ publice Febri fanum in palatio dicatum est: Orbonæ ad ædẽ Larium ara: & Malæ fortunæ Exquilijs. Quamobrem maior cœlitum populus etiam, quam hominum intelligi potest, cum singuli quoque ex semetipsis totidem Deos faciant, Iunones Geniosque adopsando sibi. *Plin. l. 2. c. 7.*

Nationem esse omnium Gallorum admodum deditam religionibus scripsit. *Cæs. l. 6. de Bello Gall.*

De Polonorum & Slauorum idololatria ante susceptum Christianismum. *Cromerus l. 3.* disserit.

Lituani olim superstitiosissimi fuere: Ignem, Fulmen, Lucos, Arbores proceras: Viperas item & Serpentes colebant. *Cromerus l. 15.*

Qui sub polo habitãt Arctico, Solem & Lunam adorant: pannum quin etiam rubeum in pertica suspensum: nonnulli quicquid primo dilucido in cœlo, terra, vel aquis viuum apparuerit, hoc ipsum vsque ad crepusculum eiusdem diei pro numine adorant. *Olaus magnus, l. 3. c. 2.*

Indi omnes, multos diuersosque Deos colunt: eos habent pictos fictosve statuis: nempe ligneis, terreis, argenteis &c.

Peruana regio Deos, auium forma, tygridum, ceruorum, & aliorum animalium exhibet: interdum etiam caudatos Satyrorum specie. *Ioan. Metellus.*

Vide Religio.

S V P P L I C I V M.

L o c a B i b l i c a.

Supplicιorum genera quadruplicia fuerunt apud Iudæos: Strangulatio, Gladius, Lapidatio, & Combustio, antequam Herodes, & post Herodem Romani, totum hunc ordinem perturbasset, quorum postremum non dubium est, quin fuerit grauissimum. Inde etiam factum, vt æternas illas pœnas cum ignis supplicio passim Scriptores comparent. *Vide Matth. 5. 22.*

Culpa quam pœna tempore prior, emendari quam peccare posterius est. *Tacit. Ann. l. 15.*

Maius exemplum est viuentis miserabiliter criminosi, quam occisi. *Vulc. Gallic. in Auid. Cassio.*

Humilium supplicia necessaria sunt vbi res postulat: sed de nobilibus sontibus illustres pœnæ propalam sumptæ, oculos animosque mortalium magis mouent, splendidioreque exemplo afficiunt. Magnorum virorum peccata vulgo proposita sunt ad imitandum, & vt publico fœdere, communique causa, idem cæteris, quod illis ius fasque videtur. Necesse est igitur & monumenta plectendorum scelerum terroresque in clarissimis ceruicib. statui: vt quod vindicatum in summis est, id in se dissimulatum minime iri vulgus sentiat: & qui metus malis est, bonis saluriq; publicæ sit fiducia: quibus duabus rebus communis vita cõstat. *P. Aemil. l. 8.*

Magnitudo pœnæ non deterret homines a sceleribus incitatos vehementi cupiditate, & magna spe. Est quidem in omnibus ciuitatibus constituta pœna mors, etiam leuioribus delictis, quam est defectionis crimen, & fœderum infractio: sed tamen homines spe incitati adeunt pericula, neque quisquam ruit in periculum, si firmiter sibi persuaserit, se non euasurum esse. Natura omnes publice & priuatim proni sumus ad delinquendum: nec lex aut pœna quidem a leuioribus pœnis ad summas peruentũ sit, vt audacia sceleratorum frenaretur. Consentaneum enim est, olim mitiores pœnas summorum scelerum fuisse, quæ cum homines a sceleribus patrandis minime deterrerent, ventum est ad mortem, quæ tamen & ipsa homines a male agendo non reuocat. Aut igitur alius excogitandus est terror vehemẽtior, aut ne quidem capitali pœna homines coerceri possunt. Sed mouet homines in pericula, impulsi vel necessitate, vel petulantia, vel ira. Pauperes necessitate mouentur: petulanti satis causæ est licẽtia: ira occasio est, vt quisque insanabili affectu tenetur. Deinde vincuntur homines cupiditate, & spe, quarum altera dux est, altera comes: altera ad aggrediendum incitat, altera viam monstrat: & expetita bona, quamquam incerta, tamen plus mouent animos, quam certæ pœnæ, quæ sunt in conspectu. Adiuuat & occasio aggressuros aliquid: quæ cum se offert præter opinionem, etiam si vires alioqui minores sint, incitat, vt periculum adeant, præcipue ciuitates, quia hæ res maximas concupiscunt, videlicet libertatem, & imperium, & singuli cum vniuersis ciuibus coniunctis maiora imaginãtur. Quare simpliciter impossibile, & stultum est, metu legum, aut pœnarum humanam naturam cupiditate ardentem deterrere. *Thucyd. l. 3.*

Si sceleratus dominus flagellatur, serui resipiscent: & vt subditi in illaudatis rebus principem imitari solent; ita etiam si is flagellatur, & publicæ vtilitati seruire cogatur, hi eum vt matrem filius sequent. *r. Nicetas in Andronic. Comn. l. 2.*

Vide Pœna, Punitio.

SVSPICIO.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

SVspicio, Græce ὑποψία, ας, ἡ, & ὕποψος, ου, ὁ suspectus, dicitur. Est autem suspicio, acceptio vnius partis cum formidine alterius, *secundum Ciceronem.*

Suspicio est opinio mali ex leuibus signis, *secundum S. Thom. 2. 2. q. 60. art. 4. c.*

SANTENTIÆ PATRVM.

Sicut difficile aliquem suspicatur malum, qui bonus est: sic difficile aliquem suspicatur bonum, qui ipse malus est. *Chrysost. super Matth.*

Omnis homo ex se æstimat alterum: fornicarius neminem putat castum, castus de fornicario non facile suspicatur, superbus neminem putat humilem, humilis neminem putat esse superbum: sic qui non est ex Deo sacerdos, neminem putat sacerdotem ex Deo. *ibid.*

Facilius vitia vniuscuiusque quam virtutes intendimus: nec quid boni quisque gesserit, agnoscere, sed quid mali egerit perscrutamur. *Isid. l. 3. de sum. bono.*

Fidelem si putauerit, facile quidem fallere docuerunt, dum timent falli, & illius peccati occasionem suspicando fecerunt. *Senec. epist. 2.*

Hoc habet omnis affectus: vt in quod ipse insanit, in idem putet cæteros insanire. *l. de moribus.*

POETICÆ SENTENTIAE.

Suspicio vitanda ea qua corruptum iudicium.

Anthol. Sacr. Iac. Bill.

Culpare in quoquam, quæ non sunt nota, malignum est,
Præsertim si, quæ cognita sunt, bona sunt,
Non pateant faciles fusis rumoribus aures.
Quæ nescire iuuat, credere non libeat.
Linquantur secreta Deo, qui si quid opertum est
Inspicit, & nullis indiget indicibus.

APOPHTHEGMATA.

Lysander militem, qui de via deflexerat, castigauit. Ei dicenti ad nullius rei rapinam se ab agmine recessisse, ne speciem quidem, inquit, raptori præbeas volo. *P. M. l. 6. apoph.*

Phocion. Athenienses cum ex oraculo intellexissent, in ciuitate vnicum tantum esse virum, qui cunctorum sententijs aduersaretur, populus vociferãs, iubebat illum statim inquiri, vt occideretur. Phocion autem cum varias suspiciones esse in viros bonos intelligeret: Ego sum ille, inquit, de quo dixit oraculum. Et hæc quidem ideo dixit in summo constitutus periculo, ne suspicio ad innocentem aliquem deuolueretur. *Plut. in Græc. apoph.*

Olympias. Quum accepisset Alexandrum filium (vt alij, Philippum maritum) adamare fœminam, a qua putabatur amatorijs veneficijs corruptus, accersiuit ad se mulierem: quumque præter insignem formam comperisset in ea mores liberales, & ingenium egregie dextrum: Valeant, inquit, qui te insimulant veneficij, Nam tute quidem pharmacum in teipsa ac philtrum habes. *P. M. lib. 6. apoph. ex Plut.*

SIMILITVOINES.

Plutarchi. Vt morbus in corpore non admittente, quod proprium est, multarum noxiarum, & absurdarum rerum gignit appetentiam: Ita calumnia suspicioque aduersus cognatos, & domesticos, malas & nouas aliorum necessitudines inducit. *In Moral.*

Theruori. Quemadmodum qui vlceribus laborant, timidissime tactum omnem reformidant, ac refugiunt: Sic male conscij homines, vbique prompta laborant suspicione. *in apoph. 231.*

EXEMPLA BIBLICA.

Suspicionis *exempla*: Abraham, *Gen.* 20. v. 11. Laban, 31. 20. Iacob, 37. 33. Putiphar, 39. 19. Fratres Ioseph, 43. 18. Filij Israel, *Ios.* 22. 11. 12. Socer Samsonis, *Iud.* 15. 2. Eli, 1. *Sam.* 1. 13. Saul, 20. v. 30. & 22. 8. Principes Philisthæorum, 29. 4. Principes filiorum Ammon, 2. *Sam.* 10. 3. 1. *Paral.* 19. 3. Rex Syriæ, 2. *Reg.* 5. 5. Assuerus, *Esth.* 3. 11. & 7. 8. Ierias portæ custos, *Ier.* 37. 2. Azarias, 43. 2. 3. Tortores Eleazari, 2. *Mach.* 6. 22. 29. Discipuli, *Matth.* 14. 25. 26. *Act.* 9. 26. Simon Pharisæus, *Luc.* 7. 39. Iudæi, *Actor.* 2. 13. & 21. v. 29. Plebs & Magistratus, 16. 22. Lysias, v. 38. Barbari, 28. 4.

FINIS LIBRI DECIMISEPTIMI.

POLYANTHEAE NOVISSIMAE LIBER XVIII.

T

TABVLA.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

TAbula, Græce *σανὶς, ἰδος ἡ* dicitur. Tabula secunda post naufragium, peccatorum est pœnitentia, & verecundia, *secundum B. Thom. 3. par. q. 84. art. 6.*

LOCI BIBLICI.

Tabulæ testimonij Mosi datæ, *Exod. 31. 18. & 32. 15.* lapideæ erant, & digito Dei scriptæ, *31. 18. & 32. 16. Deut. 9. 10.* Tabulæ lapideæ, *2. Cor. 3. 3.* Adumbrabant humani ingenij summam duriciem, a qua cor hominis non regenerati lapis denominatur, *Ezech. 11. 19. & 36. 26.* cui opponitur cor carneum, non quod in carne versatur, sed e contrario, quod vi Spiritus Dei factum est mollius, vt in eo tamquam nouis tabulis Euangelij gratia possit insculpi, vt prædictum fuit, *Ier. 31. 31.*

Tabulæ testimonij franguntur, *Exod. 32. 19. Deut. 9. v. 17.* Dei iussu alteræ fiunt, *Exod. 34. vers. 14.* in arca reconduntur, *Deut. 10. 5. Hebr. 9. 4.*

SENTENTIÆ PHILOSOPHICÆ.

De tabulis pictis. DIAL. XL.

Francisci Petrarch.

DOL.

Pictis tabulis delector. R. Inanis delectatio, nec minor vanitas, q̃ magnorum hominum sæpe fuit, nec tolerabilior, quam antiqua. Siquidem omne malum exemplum tunc fit pessimum, quando illi vel authorum pondus adiungitur, vel annorum vndecumque ortæ consuetudinis robur ingens consenuerit, & vt bona in melius, sic mala in peius ætas prouehit. Sed vtinam, qui maiores nostros vanis in rebus facile vincitis, eosdem in serijs æquaretis, virtutemque cum illis & gloriam miraremini, cum quibus pictas tabulas sine fine miramini. G. Valde vtique pictas tabulas miror. R. O mirus humani furor animi omnia mirantis nisi se, quo inter cuncta non solum artis, sed naturæ opera nullum mirabilius. G. Pictæ delectant tabulæ. R. Quid de hoc sentiam ex iam pictis intelligere potuisti. Omnis quidem terrena delectatio si consilio regeretur, ad amorem cœlestis erigeret, & originis admoneret. Nam quis vnquam quæso riui appetens fontem odit: At vos graues, humi accliues, affixique cœlum suspicere non audetis, & obliti opificem illum solis ac lunæ tanta cũ voluptate tenuissimas picturas aspicitis, atque vnde transitus erat ad alta dispositus: illic metam figitis intellectus. G. Pictis tabulis delector vnice. R. Penicillo, & coloribus delectaris, in quibus & precium, & ars placet, ac varietas, & curiosa dispersio. Sic exanguium viui gestus, atque immobilium motus Imaginũ & postibus erumpentes effigies, ac vultuum spirantium lineamenta suspendunt, vt hinc erupturas paulo minus præstoleris voces, & est hac in re periculũ, quod his magna maxime capiuntur ingenia. Itaq; vbi agrestis læto & breui stupore prætereat, illic ingeniosus suspirans, ac venerabundus inhæreat. Operosũ sane, neque tamen huius est operis ab initio artis originem, ac incrementa retexere, & miracula operum, & artificum industrias, & principum insanias, & enormia precia, quibus hæc trãsmaria mercati Romæ in templis Deorũ, aut Cæsarum in thalamis, inque publicis plateis, ac porticibus consecrarunt, neque id satis nisi ipsi huic arti dextras, atque animos maiori exercitio debitos applicarent; quod iam ante nobilissimi Philosophorum Græciæ fecerant. Vnde effectum vt pictura diu quidem apud vos vt naturæ coniunctior ante omnes mechanicas in precio esset. Apud Graios vero (si quid Plinio creditis) in primo gradu liberalium habetur. Mitto hæc, quoniam & intentæ breuitati, & præsenti proposito, quodammodo sunt aduersa, videri enim possunt morbum ipsum, cuius remedium pollicebar alere, & rerum claritas stupentis amentiam excusare. Sed iam dixi, nihil errori detrahit errantium magnitudo. Immo hæc quidem ideo attigerim, vt liqueret mali huius quanta vis esset, ad quam tot tantisq. sit ingenijs conspiratum, cui & vulgus errorum princeps, & cõsuetudinum genetrix longa dies, cumulusq. ingens omniũ malorum semper authoritas, accesserint, vt voluptas stuporq. animos ab altiore furti contemplatione dimoueat, distrahatq;. Tu autem, si hæc ficta, & adumbrata fucis inanibus vsque adeo delectant, attolle oculos ad illum, qui os humanum sensibus, animã intellectu, cœlum astris, floribus terram pinxit, spernes quos mirabaris artifices.

TACITVRNITAS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

TAciturnitas, Græce *ἐχεμυθία, σιωπηλότης, ητος ἡ & σιωπάω, ταῶ* ceo dicitur. Hebr. *Dom*, & *Demamah*, a verbo *Damah*, domuit, compescuit, subiecit. Hinc *δαμάω, δαμάζω*, & Lat. domo, domas, domare. Victoria magna, compescere linguam prudenti, & pertinaci silentio. Est autem taciturnitas, qua mentes circumspicientes quid deceat, & quid non, silent cogitabundæ: nec putant proferendum, antequam mature cuncta, examussim disputarint, ne ex ore magis quam ea pectore erumpat oratio. Huius oppositum est linguacitas. Vnde dicaces, locululeij, blaterones, linguaces, bambalones, & futiles a veteribus sunt nominati.

Taciturnitas in dicendis, & locutio in tacendis est peccatum, *secund. B. Thom. 2. 2. q. 73. Art.*

Taciturnitas est obseruantiæ genus, in silentio, ac secreta seruando constituta. Terent. in And. *Sed ys, quas semper in te intellexi sitas, & fide & taciturnitate.*

Tacitus, qui tacet, & scit tenere secreta. Taciturnitas, qui natura facile tacet. Diminutiuum, taciturnulus.

LOCA BIBLICA.

Taciturnitas laudatur, *Prou. 10. 19. & 17. 27. Eccl. 20. 1.*

SENTENTIAE PATRVM.

Quam plures vidi loquendo in peccatum incidisse, vix quemquam tacendo: Ideoque tacere nosse difficilius est, quam loqui. Scio loqui plerosque cum tacere nesciant. Rarum est tacere quemquam, cum sibi loqui nihil prosit: sapiens est ergo, qui nouit tacere. *Ambr. l. 1. de offic.*

Silendi patientia, opportunitas loquendi, & contemptus diuitiarum, sunt maxima fundamenta virtutum. *ibid.*

Diu considera quid loquendum sit, & adhuc tacens, prouide, ne quid dixisse pœniteat: sapiens vt loquatur, multa prius considerat: quid aut cui, quo loco, vel tempore dicat. *Hieronym. in quadam Epist.*

Ille scit recte dicere, qui & ordinate nouit tacere. *Gregor. in Moral.*

Plerumque nimis taciti, quum iniuste aliqua patiuntur, eo in acriorem dolorem prodeunt, vulnera quippe clausa plus cruciant, quia quum putredo, quæ intus feruet, eijcitur, ad salutẽ dolor aperitur. *In past.*

Sancti viri, quum prodesse audientibus nequeunt, etiam despicita centes volunt. *In quadam homil.*

Quasi quoddam nutrimentum verbi est censura silentij: & recte quandoque excrescentiam sermonis accipit, qui prius ordinate per humilitatem tacet. *In Ezech.*

Sicut incauta locutio in errorem pertrahit, ita indiscretum silentium eos, qui erudiri poterant, in errore relinquit. *In past.*

Vtinam recedendo, vel tacendo compesceret, quos respondendo non potuit: quia malitia nõ docetur sermonibus, sed excitatur, vnde malum hominem tacendo melius, quam respondẽdo vincere potes. *Chryss. sup. Matth. c. 21.*

Et loqui, & tacere, perfectio est. Est autem vtriusque partis, causa, verborum tenuisse mensuram. Aliquoties nimia taciturnitas stultitiæ adscribitur, sicut verborum nimietas ad furorem refertur, secundum illud sapientis: est tacens non habens sensum,

loquelæ, & est tacens sciens tempus apti temporis: de qua re si nostri sententiam requiras arbitrij iam malo aliquis in tacendo stultus, quam nimium loquendo iudicetur insanus. *Val. Episcop. in quodam serm.*

Hirundinem in domo non suscipiendam, id est, garrulos & verbosos sub eodem tecto non habendos, dicebat Aristot. *Hieron. l. 3. contra Ruffinum.*

Hæc regalis procul dubio virtus celerius necessaria sentire, & tardius in verba prorumpere: nescit enim pœnitenda loqui, qui proferenda suo prius tradit examini. *Cassiod. l. 3.*

Natura compertum est, vt omnibus artibus hoc sit scientiæ preciosior pompa, quo rarior.

Pythagoras discipulis aduenientibus, prius legitur tacendi patientiam, quam loquendi monstrasse doctrinam, & sic incipientem quemque inter disputantium coætaneorum cathedras mutuum sustinuisse quinquennium, vt etiam celeriora quorumpiam ingenia non liceret ante laudari, quam deberent agnosci. Quia donec scientiam non cõbiberis, non maior est gloria dixisse, quod noueris, quam siluisse quod nescias. *Sidon. epist. lib. 7.*

Pythagoras hanc in studijs suis consuetudinem seruasse legitur, vt vsque ad septennium iuxta numerum septem liberalium artiũ nullus discipulorum suorum de his, quæ ab ipso dicebantur rationem poscere auderet, sed fidem dare verbis magistri, quousque omnia audiuisset: Scholares vero nostri, aut nolunt, aut nesciunt modum congruum in discẽdo seruare, & idcirco multos studentes, paucos sapientes inuenimus. *Hug. in didascalicon. l. 3.*

Malum hominem melius potest tacendo aliquis vincere, quam respondendo. Quia malitia non instruitur sermonibus, sed excitatur. Ideo dominus recedendo compescere studuit, quos respondendo non compescuit. *Ioan. Chrysost. super Matth.*

Sint tua verba pauca. Tolle verbositatem sermonis superflui. Multiloquium non effugiet culpam. Linguosus homo imperitus est. Sapiens vero paucis vtitur verbis. *Isidor. Soliloquior. c. 31.*

Qui ociosa verba non reprimit, ad noxia cito transit. Si sermo tuus irreprehensibilis, expectatione audientiũ vtilis est. *ibid. 2.*

Sententiæ Poeticae.

Lucian.

Ἄῤῥητον ἐπίκειν γλώσσῃ σφραγῖδα φυλάττειν,
Κρείσσων γὰρ μύθων ἢ κτεάνων φυλακή.
Arcanorum verborum linguæ sigillum imponatur,
Præstantior enim sermonum quam possessionum custodia.

Palladas.

Ἡ μεγάλη παίδευσις ἐν ἀνθρώποισι σιωπή.
Μάρτυρα Πυθαγόραν τὸν σοφὸν αὐτὸν ἔχω,
Ὃς λαλέειν εἰδὼς ἑτέρους ἐδίδασκε σιωπᾶν,
Φάρμακον ἡσυχίης εὑράμενος κρατερόν.
Magna eruditio inter homines silentium.
Testem Pythagoram sapientem ipsum habeo.
Qui loqui sciens docebat tacere:
Remedium quietis potens inueniens.

Incertus Interpres.

Non mediocre bonum seruata silentia trahunt,
Huius Pythagoras non leuis author erat.
Qui fari callens alios reticere docebat.
Inueniens mentis corda quieta suis.
Πᾶς τις ἀπαίδευτος φρονιμώτατός ἐστι σιωπῶν,
Τὸν λόγον ἐγκρύπτων ὡς πάθος αἴσχιστον.
Quilibet indoctus prudentissimus est tacens;
Sermonem occultans veluti passionem turpissimam.

Alciatus expressit.

Quum tacet haud quicquam differt sapientibus amens:
Stultitiæ est index linguaque voxque suæ.
Ergo premat labium, digitoque silentia signet,
Et sese Pharium vertat in Harpocratem.

Borbonius.

Nobile lingua bonum, si fari in tempore nouit;
Nobile lingua malum, si fari in tempore nescit.

Menander.

Γλώσσης μάλιστα πανταχοῦ πειρῶ κρατεῖν.
Lingua maxime vbique conare imperare.
Γλώσσης ματαίας ζημία προσγίγνεται.
Linguam stultam damnum subsequitur.
Διὰ δὲ σιωπῆς πικρότερον κατηγορεῖς.
Per silentium autem amarius accusas.
Ἐνίοις τὸ σιγᾶν ἐστι κρεῖττον τοῦ λέγειν.
Nonnullis tacere est præstantius, quam loqui.
Εὐκαταφρόνητόν ἐστι σιγηρὸς τρόπος.
Contemptibile quid est taciturnus mos.
Ἡ γλῶσσα πολλοὺς εἰς ὄλεθρον ἤγαγεν.
Lingua multos ad internicem attraxit.
Ἢ λέγε τι σιγῆς κρεῖττον ἢ σιγὴν ἔχε.
Vel dic aliquid silentio præstantius, vel silentium habe.
Πολλοῖς ἀπόκρισις ἡ σιωπὴ τυγχάνει.
Multis responsio silentium est.
Ἡ γλῶσσα πολλῶν ἐστιν αἰτία κακῶν.
Lingua multorum est causa malorum.
Ἢ δεῖ σιωπᾶν, ἢ λέγειν ἀμείνονα.
Vel oportet tacere, vel dicere meliora.
Κρεῖττον σιωπᾶν ἢ λαλεῖν ἃ μὴ πρέπει.
Melius est tacere quam loqui, quæ non decent.
Οὐδὲν σιωπῆς ἐστι χρησιμώτερον.
Nihil silentio est vtilius.
Σιγὴ ποτ' ἐστὶν αἱρετωτέρα λόγου.
Silentium interdum eligibilius sermone.
Ἔστιν σιωπᾶν καὶ λαλεῖν ὅπου χρεών.
Est vbi oporteat tacere, & loqui vbi oporteat.
Νοεῖν γὰρ ἐστι κρεῖττον ἢ σιγὴν ἔχειν.
Considerare melius, quam silentium habere.

Plautus in Cistellaria.

Tacere nequeo, quod tacito vsus est.

Idem in Rudente.

Tacita mulier est bona semper, quam loquens.

Terent. in comœd. 5.

Tua quod nihil refert, percunctari desinas.

Ouid. Art. lib. 2.

Exigua est virtus præstare silentia rebus.
At contra grauis est culpa, tacenda loqui.

Idem lib. 3. Amorum.

Quis furor est, quæ nocte latent in luce fateri?
Et quæ clam facias, facta referre palam?

Martialis lib. 5. ad Posthumum.

Quæ mihi præstiteris memini semperque tenebo,
Cur igitur taceo Posthume, tu loqueris?
Incipio quoties alicui tua dona referre:
Protinus exclamat, Dixerat ipse mihi.
Non belle quædam faciunt duo: sufficit vnus
Huic operi: si vis vt loquar, ipse tace.
Crede mihi quamuis ingentia, Posthume, dones:
Authoris pereunt garrulitate sui.

Hor. Epist. lib. 1. 19. ad Lollium.

Protinus vt moneam (si quid monitoris eges tu)
Quid de quoque viro, & cui dicas, sæpe videto.
Percontatorem fugito: nam garrulus idem est.
Nec retinent patulæ commissa fideliter aures,
Et semel emissum volat irreuocabile verbum,

Idem serm. lib. 1. Sat. 4.

Absentem qui rodit amicum
Qui non defendit alio culpante, solutos
Qui captat risus hominum famamque dicacis,
Fingere qui non visa potest, commissa tacere
Qui nequit: hic niger est, hunc tu Romane caueto,

Pit. per Auson.

Loqui ignorabit, qui tacere nescit.

Plaut. Pers.

Ne hoc quicquam homini dicerem, edictum est mihi
Magnopere, ne quicquam homini crederem, omnes muti vt prius
Loquerentur hoc quam ego,

Auson. Paulino, Epist. 12.

Vnde istam meruit non felix charta repulsam,
Spernit tam longe cessatio quam tua fastu?
Hostis ab hoste tamen per barbara verba salutem
Accipit, & saluæ medijs internenit armis.
Respondent & saxa homini, percussus ab antris
Sermo redit, redit at nemorum vocalis imago,
Littoreis clamant scopulis, dant murmura riui,
Somniferumque canit sepes depasta susurrum,
Est & arundineis modulatio Musica ripis.
Atque arguta suis loquitur coma pinea ventis,
Incubuit folijs quoties leuis Eurus acutis.
Dindymaque Idæo respondent cantica luco,
Nil mutum natura dedit, non aeris ales,
Quadrupedesue silent: habet & sua sibila serpens,
Et pecus æquoreum tenui vice vocis anhelat.
Cymbala dant flatu sonitum: dant pulpita solea
Tacta pedum: tentis reboat caua tympana tergis.
Isiaces agitant Mareotica sistra tumultus
Nec Dodonæi cessat tinnitus aheni,
In numerum quoties radijs ferientibus ictæ
Respondent dociles moderato verbere pelues.
Tu velut Oebalijs habites taciturnus Amyclis,
Aut tua Sigalion Aegyptius oscula signet,
Obnixus Pauline taces.

Terent. in Eunuch.

Tu pol si sapis, quod scis, nescias.

Hor. lib. 1. Epist.

Arcanum neque tu scrutaberis vllius vnquam
Commissumque teges, & vino tortus & ira,

Ex Carcino, de Taciturnitate.
περὶ σιωπῆς.

Πολλοῖς γὰρ ἀνθρώποισι φάρμακον κακῶν
Σιγὴ μάλιστα δ᾽ ἐστὶ σώφρονος τρόπου.
Multis enim hominibus pharmacum malorum est
Taciturnitas, qua secularis est frugi moribus.

Sophocles.

Ὦ παῖ σίγα· πόλλ᾽ ἔχει σιγὴ καλά.
Γλώσσης μάλιστα πανταχοῦ πειρῶ κρατεῖν.
O puer tace, multa continet bona silentium.
Linguam imprimis vbique moderari conaris.

Silentium & continentia linguæ omni vacant periculo.

Καὶ γέροντι καὶ νέῳ τιμὴν φέρει
Ἡ γλῶσσα σιγὴν καιρίαν κεκτημένη.
Tam seni, tum iuueni conciliat honorem
Compos silentij lingua tempestiui.

Anthenodorus.

Ἔστι καὶ τῷ σιγῆς ἀκίνδυνον γέρας.
Silentij præmium periculo vacat.

Amphis.

Οὐκ ἔστι κρεῖττον τοῦ σιωπᾶν οὐδέν.
Nihil est quidquam præstantius quam tacere.

Philonides.

Κρεῖττον σιωπᾶν ἐστὶν ἢ λαλεῖν μάτην.
Satius est tacere, quam temere loqui.

Euripides in Hippolyto.

Σιωπῆς οὐδὲν ἔργον ἐν κακοῖς.
Silentio non est opus in malis.

Sententiæ Philosophicæ.

Nihil æque proderit, quam quiescere, & minimum cum alijs loqui & plurimum secum. *Sen. epist. 16.*

In hoc incumbe, vt libentius audias, quam loquaris: quod tacitum velis, nemini dixeris. Auribus frequentius, quam lingua vtere. Quicquid dicturus es, antequam alijs, tibi dixeris. *Idem de Moribus.*

Taciturnitas stulto homini pro sapientia est: tacere qui nescit, nescit loqui. *Idem in Prou.*

Iam olim in prouerbio est nobilis illa Simonidis sententia, quæ celebratur & apud Latinos prouerbij loco: Nam nulli tacuisse nocet, nocet esse locutum. Etiam Valerius Maximus *lib. 6. c. 2.* sententiam hanc tribuit Xenocrati: Quid, inquit, Xenocratis responsum? quam laudabile? Quum maledico sermoni quorumdam summo silentio interesset, vno ex eis quærente, cur solus linguam cohiberet? Quia dixisse me, inquit, aliquando pœnituit, tacuisse nunquam. *P. M. in Chil. 3 cen. 5.*

Zenon perpessus est omnia potius, quam conscios delendæ tyrannidis indicaret. *Cic. Tusc. q. l. 2.*

Nihil æque proderit, quam quiescere, & minimum cum alijs loqui, & plurimum secum. *Senec. epist. 16.*

Tardiloquum te esse iubeo. *Idem epist. 39.*

Nemo quod audierit tacebit. Nemo quantum audierit, loquetur.

Qui rem non tacuerit, non tacebit authorem. *Idem in Epistola 107.*

Alium silere quod voles, prius sile. *Idem in Hippolyto.*

Silentium præstat ornatum. *Arist. l. Poeticorum.*

Hæc est vna de virtutibus philosophiæ. Quia cum orator non aliter nisi orando probetur, philosophus non minus tacendo pro tempore, quam loquendo philosophatur. *Macrob. l. 7. Satur. cap. 1.*

Numquam enim patres conscripti taciturnitatem optimum, ac tutissimum administrandarum rerum vinculum labefactari volebant. *Val. Max. lib. 3. tit. de institutis antiquis.*

Adeo magna patriæ charitate tenebantur, vt arcana patrum conscriptorum, multis sæculis nemo senatorum enunciauerit. *ibid. lib. 2. c. 1.*

Ἃ ποιεῖν αἰσχρὸν, ταῦτα νόμιζε μηδὲ λέγειν εἶναι καλόν.

Quæ factu turpia, hæc puta neque dicto esse pulchra.

Μᾶλλον τήρει τὰς τῶν λόγων ἢ τὰς τῶν χρημάτων παρακαταθήκας· δεῖ γὰρ τοὺς ἀγαθοὺς ἄνδρας τρόπον ὅρκου πιστότερον φαίνεσθαι παρεχομένους.

Magis serua sermonum, quam pecuniarum deposita. Nam boni viri officium est, ita se gerere, vt eius mores plus fidei, quam aliorum deierationes mereantur.

Δύο ποιοῦ καιροὺς τοῦ λέγειν, ἢ περὶ ὧν οἶδας σαφῶς, ἢ περὶ ὧν ἀναγκαῖον εἰπεῖν. ἐν τούτοις γὰρ μόνοις ὁ λόγος τῆς σιγῆς κρείττων, ἐν δὲ τοῖς ἄλλοις ἄμεινον σιγᾶν ἢ λέγειν.

Duo fac tempora dicendi, vel de quibus scis manifeste, vel de quibus necesse est dicere. In his enim solis sermo silentio melior: In alijs vero præstantius tacere, quam loqui. *Isocrates ad Demonicum.*

Καλὸν ἡσυχία. Pulchrum taciturnitas. Periander.

Λάλει ὀλίγα. Loquere pauca. Bias.

Numquam me pœnituit tacuisse: quod loquutus sim, sæpe. *Plut. in opusc.*

Polyanthea Nouiss.

Magna est sapientia tempestiuum silentium, & omni certe sermone præstantius. *ibid.*

Quid Xenocratis responsum? quam laudabile? cum maledico sermoni quorumdam summo silentio interesset, vno ex his quærente, cur solus linguam cohiberet? quia, inquit, dixisse me aliquando pœnituit, tacuisse numquam. Et illud, Nam nulli tacuisse nocet, nocet esse locutum. *Val. Max. lib. 7.*

Loqui ignorabit, qui tacere nescit, sapienti expedit tacere pro se, quam loqui contra se. *Seneca de Sent. orat.*

Xenocrates loquaci cuidam: Audi, inquit melius: os vnum a natura, aures duas accepimus. *ibid.*

Persæ magnam rem sustineri posse non credunt ab eo cui tacere graue sit, quod homini facillimum voluerit esse natura. *Curt. libro 4.*

Optimum ac tutissimum administrandarum rerum vinculum, taciturnitas. *Valer. Max. lib. 2. c. 2.*

Mulieri taciturnitas conuenientior, oblocutio vero virum decet. *Heliodor. lib. 1.*

Sermo in castris circumlatus, arcana conseruare non nouit, quoniam velociter procurrens vsque ad hostes diffunditur. *Procop. de bello Pers. lib. 2.*

Sunt ij æmuli obseruandi, qui ingenijs apparent illiberalibus, & moribus occultis præditi linguaque pollent ab animo dissentiente: ac custodia muniendum os, ne effundenda est lingua temere extra dentium septum, & labiorum munitionem euagari, quibus a natura quasi duplici vallo est inclusa. *Nicet. Man. Com. lib. 1.*

Apophthegmata.

Cleanthes. Cum quidam ad tacentem Cleanthem dixisset: Tu quid taces? atqui iucundum est cum amicis confabulari. Iucundum quidem, respondit Cleanthes: sed quo iucundius, eo magis id hoc amicis oportet concedere. *Stob. serm. de taciturnitate.*

Apollonius. annitendum esse dicebat, & quidem sedulo, vt nihil indecens loquamur. Est enim, inquit, viri plane imperiti, non posse tacere, & quæ non decet efferre. *eod. serm.*

Diogenes ad quemdam qui se Philosophum profitebatur, interrogabat vero contentiose, dixit: Vah, miser, cur id quod optimum est in vita Philosophi corrumpis, & verbis audes te Philosophum iactare? *ibid.*

Aristoteles quidnam in vita difficillimum esset sciscitatus, respondit: Tacere quæ dicenda non sunt. *Stob. serm. de arcan.*

Idem interrogatus, quamobrem cum alios doceret loqui ipse taceret? dixit: Nempe nos quidem ipsa non scindit, cultros autem acuit. *Ant. & Max serm. de taciturnitate.*

Theophrastus iuuenem in conuiuio tacentem, animaduertens, dixit: Si imperitus taces, peritus es: sin vero peritus, imperite taces. *Eod. serm.*

Democritus cum animaduertisset quemdam multa imperite disputantem: Hic, inquit, non dicendi peritus mihi videtur, sed omnino tacendi imperitus. *ibid.*

Plutarchus. Nemini, inquit, dixeris quod vis tacere. Quomodo enim ab alio postulabis silentij fidem, quam tute tibi non præstitisti. Item. Tacere non solum sitim prohibet, teste Hippocrate, sed tristitiam quoque & dolorem. Item, silentij neminem, sermonis plurimos pœnituit. Item, Taciturnitas vbique tutum ornamentum est iuueni. *in Moral.*

Basilius Magnus. Dicenda tacendaque nosse debemus: non enim diuina omnia linguæ verbis explicanda sunt, ne mens sicut oculus totum solem intueri volens, id etiam quod habet luminis perdat. *Ant. & Max serm. de tacitura.*

Similitudines.

Maximi monachi. Vt corpora modicis laboribus augescunt: Sic animus honestis, & serijs sermonibus. *Serm. 15.*

Plutarchus. Vt monas non exit suum finem, sed semper in vno manet, vnde & nomen habet: dyas autem initium differentiæ infinitorum, protinus enim per se duplicatur ad multitudinem: Ita sermo donec apud vnum manet, vere arcanus est, & secretus: quod si ad alterum transierit, iam spargitur in famam. *In Moral.*

Adagia.

Mutus Hipparchion. *Ἄφωνος Ἱππαρχίων.*
Vbi quis repente obmutescit, quum maxime vox illius expectatur, id quod non raro consueuit quibusdam in cœtu doctorum euenire, vt subito, velut attonitis, vox faucibus hæreat.

Ne gry quidem. *μηδὲ γρῦ φθέγγεσθαι.*
Pro eo, quod est, ne tantulum quidem.

Acanthia cicada. *Ἀκάνθιος τέττιξ.*
In indoctos, atque infantes, aut musices ignaros torqueri prouerbio solitum.

Reddit Harpocratem.
Catullus dixit, pro eo, quod est, imposuit silentium.

Statua taciturnior.
In hominem vehementer infantem, ac tacitum. Horat.
Statua taciturnior exit.
Itidem Iuuenalis idiotam quempiam, sed infantem, & indo-

ctum, Mercurij statua similem facit. Truncoque simillimus Hermæ.

Taciturnior Pythagoreis.

De vehementer taciturnis. Sumptum a Pythagoræ schola, in qua quinquennale silentium indicebatur auditoribus.

Amyclas perdidit silentium. τὰς Ἀμύκλας ἀπώλεσεν ἡ σιγή.

Si cui sua taciturnitas fuisset incommodo.

Doryphorematis ritu.

Græci δορυφόρημα vocant Satellitium illud ex barbarorum fece conductum, quod olim Tyranni ad custodiam corporis adhibebant. In tragœdijs sic addebatur Regum personis δορυφόρημα, vt astarent modo, nihil etiam loquerentur.

Caput sine lingua.

Competit in eos, qui in consultationibus, aut disceptationibus ipsi quidem nihil habent, quod dicant, verum alienum sententiæ annuunt. Gellius.

Muta persona. κωφὸν πρόσωπον. Martial.

Quadrabit in eos, qui in consessu deliberantium, aut disputantium, aut etiã in conuiuijs, cæteris loquentibus soli tacent.

Muti Magistri.

Mutos magistros Gellius libros vocat, qui loquuntur quidem nobis.

Mutus magis quam scapha. ἀφωνότερος σκάφης.

De ijs dici consueuit, qui propter humilitatem conditionis apud præstantiores non audent inserere.

Silentij tutum præmium. σιγῆς ἀκίνδυνον γέρας.

Horatius: Est & fideli tuta silentio merces. Silendo nemo peccat, loquendo persæpe.

Nam nulli tacuisse nocet, nocet esse loquutum.

Schvveigen vnd denken, Kan niemand Kraencken. Man hat sich ehe verredt dann verthan.

Mulierem ornat silentium. γυναιξὶ κόσμον ἡ σιγὴ φέρει.

Mulier animal natura loquax, nulla de re magis cohonestatur, quam silentio; maxime apud viros, quum de rebus serijs agitur.

Alia committenda, alia celanda.

Nec temere quiduis apud quemuis effutiendum, at nec familiaribus arcana omnia proferenda sunt. Ad hanc sententiam quadrat illud Homeri ex Odyss.

Ἀλλὰ τὶ μὲν φάσθαι, τὶ δὲ γ' αὖ κεκρυμμένον εἶναι.

Dicendum est aliud, contra est aliud reticendum.

Quod scis, nescis.

Terentius in Eunucho: Tu pol si sapis, quod scis, nescis. Idem in Heautont. Nescias quod scis, si sapis. Prouerbio certam in tacendo fidem significamus, dum quis quod scit, perinde continet ac dissimulat, quasi nesciat.

Qui obticescit.

In eum, qui metu attonitus, aut stupefactus admiratione tacet, quadrabit illud Homeri:

Τὸν δ' ἀμφασίη ἐπέων λάβε.

Illum corripuit stupor, atque infantia linguæ.

In sinu gaudere.

Est tacitam apud se voluptatem sentire.

Qui sapit, in tacito gaudeat ille sinu. Homer.

Ἐν θυμῷ γηθεῖ χαῖρε, γέρον, ἴσχεο.

In tacito longum sinu preme gaudia nutrix.

Qui continet arcanum.

In eum, qui celat arcanum, neque cuiquam effutit, quadrabit illud Homeri ex Odyss. Θ.

Τῇ δ' ἄπτερος ἔπλετο μῦθος.

Huic penitus dictu carebant.

Hoc est, haud longius auolabant.

Muti citius loquentur.

Plautus in Persa: Muti prius loquentur quam ego. Ne hoc, inquit, cuiquam homini dicerem, edictum est mihi magnopere, nec cuiquam homini crederem, omnes muti vt prius loquerentur hoc, quam ego. Ein Schvvaetzer hette es bald gesagt.

Areopagita taciturnior.

Dicebatur qui commissum arcanum optime contineret.

Manum ad os apponere.

Hoc gestu significamus nos scire quippiam, quod tamen nolumus effutire.

Bacchæ more. Βάκχης τρόπον. Diog.

De tetricis ac taciturnis dictitari solitum, quod essent huiusmodi Mænades illa Bacchico afflata furore. At Iuuenalis retulit ad vitam intemperantem:

Qui Curios simulant, & Bacchanalia viuunt.

Mutus magis quam piscis. ἀφωνότερος τῶν ἰχθύων.

De vehementer infantibus atque infacundis. Conuenit in hominem immodica taciturnitatis. Pisces enim nullam edunt vocem. Stumm vvie ein Stock, stummer als ein Fisch im VVasser.

Gall. Plus muet qu'vn poisson.

Rana Seriphia. βάτραχος ἐκ Σερίφου.

Exempla Profana.

Exemplar taciturnitatis, honesta D. Maria virgo. hanc virgines, hanc fœminæ omnes imitentur: pauciloquam quidem, sed ad miraculum sapientem. *Lud. Viues de Christian. fœmina lib. 1.*

Disertissimum Homerus Vlyssem, maxime taciturnitatem expressit, filiumque eius & coniugem, & nutricem; siquidem audis eam dicentem:

Ἕξω δ' ὡς ὅτε τις στερεὴ λίθος ἠὲ σίδηρος.

Non secus ac fortis quercus ferrumue tacebo.

Apud *Spartanos* in Phiditijs natu maximus commõstratis foribus: ταύτῃ οὐκ ἐξέρχεται λόγος, audientibus omnibus proclamabat. *Plut. lib. 2. conuiu. & in Lycurgo.*

Quum M. *Catoni* Vticensi, etiamnum puero, vitio daretur taciturnitas (nec enim cum pueris exercebatur, nec a quoquam audiri volebat) ait: carpant taciturnitatem: modo vitam probent. Et addidit: tum demum abrumpam hoc meum silentium: cum ea loqui potero, quæ sunt indigna silentio. *Plut.*

Leæna meretricula, cum nullis tormentis adduci potuisset, vt consilia Harmodij, & Aristogitonis tyrannicidarum detegeret: statuam apud Athenienses æneam meruit. Iphicratis opus. Leæna scilicet, cui ob taciturnitatem lingua adempta esset. *Alexand. ab Alex. l. 1. c. 30. ex Plin. l. 34. c. 8.*

Papyrius, ob taciturnitatem eorum, quæ in Senatu consultabãtur, puer etiamnum prætexta a Roman. Senatu donatus est. *Macrob. 1. lib. Saturn. c. 6. & Gellius lib. 1. c. 23.*

Caius Cæsar libertinæ mulieri, quod tormentorum nullo cruciatu adigi potuisset, vt patroni crimen proderet, octingenta talenta donauit. *Suet.*

Dogma Pythagoræ philosophi excellentissimi fuit, præter Palingenesiam, & μετεμψύχωσιν, id est, regenerationem, & transanimationem, item abstinentiam ab esu carnium, & fabarum: de quibus Oui. lib. 15. Metam. & Virg. in 6. scribunt, & ἐχεμυθίαν, id est, taciturnitas illa, qua discipulos elinguabat toto quinquennio, vt apud se docere discerent, & loqui dediscerent.

Philippus Beroaldus in comment. in Quæst. Tusculan. lib. 5. Diogenes, Laert. lib. 8. de vitis Philosophorum, Raphael Volaterranus libro 28. Philologiæ. Rauisius Textor refert, triennium præscriptum fuisse silentium, in secunda parte, cap. Taciturnitas in officina.

Hieroglyphicum.

Per numerum 1095. Aegyptij soliti sunt Taciturnitatem indicare, causas vide apud *Pier. Valer. l. 38. pag. 362. F.*

Vide supra, Lingua, Sermo, Silentium.

TACTVS.

Definitio et Etymolog.

Tactus, Græce ἁφὴ, ab ἅπτομαι, tango dicitur. Est autem tactus sensus eorum, ex quibus componitur animal, & per quæ corrumpitur, *secundum B. Thom. in quæst. de veritate, quæst. 26. artic. 3. cap.*

Tactus a tango venit, vnde tangibile.

Philosophicæ Sententiæ.

Omnes animantes sensus tangendi participes sunt. *lib. 2. de anim. c. 2. T. 17.*

Sine tangendi sensu nullus alius extare potest: cum tactus sine alijs adsit. *lib. 2. de anim. c. 3. T. 31.*

Cum cæteris sensibus a bestijs longe multumque superemur: tamen tactus iudicium in nobis, quam in plerisque alijs, acrius est. *lib. 2. de anim. c. 9. T. 94.*

Tactus & rei est, quæ sub tangendi sensum cadit, & rei quæ non cadit. *lib. 2. de anim. c. 11. T. 120.*

Si solus nobis tactus datus esset: vnum duo esse iudicaremus. *lib. de Somnijs, c. 2.*

Ea pars in qua inest tangendi principatus, terrena est: ea vero qua gustamus, quædam species tactus est, ob eamque causam, & tangendi, & gustandi sensus cordi adiunctus est, & annexus. *lib. de Sensu, c. 2.*

Tactus in parte corporis similari consistit, vt carne. *lib. 1. de Hist. cap. 4.*

Tactus multipliciter dicitur, & quod multipliciter dicitur, vel dicitur æquiuoce, vel altera ab alteris, in prioribus. *Arist. in 1. de gen. & corr. c. 2. T. 14.*

Tactus proprie dicitur de habentibus positionem. *Arist. in 1. de gen. & cor. c. 2. tex. 44.*

Tactus qui est in Mathematicis, dicitur secundum posterius a vero tactu, qui est in animalibus. *Auerroes in primo de gen Text. 44.*

Tactus tripliciter consideratur, vt est tactus tantum, vt est sensus tantum, & tactus, vel, prout est sensus, & tactus, & huius com-

pleaionati,

plexionati, & vt est tactus non accipitur nisi per coniunctionē materiæ. *Alb. Magn. in 3. Eth. tract. 3. c. 4.*

Tactui quid sit vnum subiectum, non est manifestum vt auditui sonus. *Arist. in 2. de anim. c. 7.*

Tactus est rerum tactilium susceptio, atque deprehensio, quæ tunc fit, cum id, quod contrectandi potentiam habet, ad similitudinem rei tactilis immutatur. *Alex. Aphr. in 1. de anim. c. 18.*

Tactus est abiectissimus, & infimus omnium sensuum. *Tho. in 2. de anim. c. 3. T. 27.*

Tactus non est vnus sensus, quia circa plura paria contrariorum versatur. *Idem in 2. de anim. c. 39. T. 16.*

Tactus in mediocritate tangibilium qualitatum consistit. *In 3. de anim. c. 70. T. 60.*

Tactus & gustus non indigent medio, reliqui vero sensus medio indigent. *Auer. de sens. & sens.*

Tactus nō sentit rē, nisi per mediū intrinsecum, nec aliquid, quod sibi non sit coniunctum. *Albert. Magn. de princ. mot. process. tract. 1.*

Tactus est quasi subiectum non omnium sensuum, ad quem omnes sensus quasi referuntur. *Idem in 2. de cœl. tract. 1. c. 4.*

Tactus eorum est, quæ in materia permista sunt. *Idem in 10. Ethi. tract. 1. c. 10.*

Tactus est sensus præcipuus eorum, quæ pertinent ad consistentiā animalis, ex quibus animal constat, & nutritur. *D. Thom. in 2. de anim. lib. 6. T. 72.*

Tactus in parte corporis similari consistit. vt in carne: denique in parte sanguinea, vel in ea, quæ sanguineę proportione respondet. *Arist. hist. anim. 1. c. 4.*

Tactum omnia animalium genera habent. *Idem hist. 4. c. 8.*

Tactus sensorium primum incertum est, nam non est caro, non pars eiusdem aliqua. sed aliquod intimum. *Idem de par. an. c. 10.*

Tactus sensus omnibus primo inest, & vt vegetatiuum potest separari a tactu, & omni sensu, sic & tactus ab alijs sensibus. *Arist. in 2. de anim. c. 2. T. 17.*

Tactus & gustus sensorium, est cor: quia est oppositum cerebro, & calidissimum. *Arist. de sens. & sens. c. 2.*

Tactus & gustus, vt tactus solus necessarius est animali, & necessarium est sine quo res non est id quod est, & propter quod est; aut omnes sensus animali sunt necessarij, vt necessarium intelligitur illud, sine quo res præseruari nequit. *Albert. Magn. de sens. & sens. tract. 1. c. 2.*

Tactum omnia animalia habent, quia est magis necessarius, quam alij sensus, etsi visus sit perfectior. *D. Th. in c. 1. Metaph. l. 1.*

Tactus & gustus immediate tendunt ad cor, & alij sensus fundantur in sensu tactus. *Pet. de Alnor. de iuuent. & senect.*

Tactum certissimum habet homo, vnde prudentissimus omnium animalium est, in hoc enim omnia animalia superat, cū in alijs sensibus a pluribus superetur. *Arist. in 2. de anim. c. 5. T. 94.*

Tactu homo egregie sentit, eo quod temperatissimum corpus habet. *Alex. Aphr. in 1. de anim. c. 16.*

Tanguntur præsentia, & non absentia. *Idem ibid. c. 18.*

Tactus sequitur bonitatem discretionis in homine, non autem sic alius sensus. *Auer. in 2. de anim. T. 94.*

Tactum bonum qui habent, ac mollem carnem, ingeniosi sunt. *D. Thom. in 2. de anim. lib. 19. T. 94.*

Tactum meliorem habet animal, quando reductam habet complexionem ad medium. *ibid. lib. 23. T. 119.*

Tactus est homini excellentissimus, quia proportionatæ, vt nobilissimæ formæ: & tanto inter homines magis aptus mente, quanto est melioris tactus. *Idem de sens. & sens. lect. 9.*

Tactui affectiones omnes corporum tribuunt, secundum inclinationem autem ad locum. Vitales enim facultates iudicat, caliditatem, frigiditatem, siccitatem, humiditatem, lenitatem, asperitatem, cedentia, retinentia, mollia, dura, graue, & leue tactus prę iudicat: ratio vero decernit, per mutationem a medio, & ad medium. *Tim. Loc. de anim. mund. & nat.*

Tactus non solum nunciat, atque tangit, quod aliquid sit propinquum, sed etiam quasi passus tangibilis ipsius nunciat differentias, ac nisi quid obstiterit, id etiam sentiat è longinquo. *Plot. En. 4. lib. 4. c. 4.*

Tactus vbi acutissimus est, declarat optimam corporis inesse complexionem. *Marc. Fic. in Plat. Theol. lib. 12. c. 4.*

Tactus terræ ascribitur, cum per omnes terreni corporis partes fiat, in neruis, qui terreni maxime sunt expleatur, facillime tangat, quæ soliditatem habent, & pondus quod terra corporibus tribuit. *Idem in Plat. conuiu. or. 5.*

Tactus & gustus non tam facile mouenti cedunt, vt visus, & auditus, sed motorem fortius sunt vehementem, ideo obtusius sentiunt, sed sæpe dolorem, & voluptatem vehementiorem habent, quæ passionis vehementia iudicium sensus impedit. *Idem in Plat. Timæum. c. 59.*

Tactus & gustus quatuor connumerant medici gradus, primū qui vix sensu percipiatur, Secundum qui manifeste percipiatur, sed non offendat, tertium iam offendentem, & lædentem, quartum breui interimentem. *Idem in Plat. leg.*

Polyanthea Noviss.

Tangere quod aliquid debet, deinceps ab illo, quod tangere debet situm esse oportet, ita vt contiguum locum teneat illi in quo ipsum est. *Plat. in Parmen.*

Tangendi sensus a Dijs genitus est, vt calida, frigida, mollia, dura, leuia, grauia, lenia, & aspera dignoscat. *Alcin. c. 19.*

TARDITAS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

TArditas, cunctatio, mora, pigritia, Græce *βραδύτης*, Hebr. *Hatslah*, *Hatsluth*, a verbo *Hatsal*, piger fuit, & *Orech*, a verbo *Arac*, protractus est, longus fuit.

SENTENTIÆ PHILOSOPHICAE.

De graui ingenij tarditate. DIAL. C.

Francisci Petrarch.

DOL.

At graui duroque sum ingenio. R. Grauedo molestior, sed hæc quoque minuitur, si diligenter intenderit. D. At pigro obtusoq; sum ingenio. R. Quid tu igitur huic morbo indignatione an lamentis succurrendum putas? Longe alio remedio res eget. non est indulgendum somno, non libidini, non cibo, non vino, non inanibus fabulis, non captandæ excusationum causæ, & reflexa in naturam culpa inertiæ succumbendum. sed vigilandum, cogitandum, suspirandum, anhelandum, enitendum, assurgendum, incitanda vis animi, excutiendus torpor, propellenda segnities, abstinendum voluptatibus, incumbendum studijs. Nil tam graue quod non leuet, nil tam durum, quod non leniat. nil tam obtusum, quod non acuat, nil tam pigrum, quod non vrgeat, nil denique tam defossum, tamque abstrusum, quod non eruat, tam sopitum, quod non excitet intentio. D. Ingenio tardo sum. R. Qui velocitatem ingenij laudent dicunt, tarditatem dicturos infamiam certe scio. Malim tamen ingenium tardum, ac modestum, quam velox, & præruptum. Nam vt inde non insignis gloriæ, nec spes operum magnorum, ita hinc errorum grauium, & turpis ignominiæ metus est, tolerabilius autem multo est fieri inglorium, quam infamē. D. Ingenio segni sum. R. Quod equis segnibus fieri solet, stimulos adhibe, non hinc tibi corporis excusatio, sed laboris occasio data est. Sunt qui statim, quod non vltro prouenerit deserendum putent, at tu preme, insta, contende. Generosum animum difficultas erigit, alit labor, illic maxime nititur, idque pluris æstimat, vbi resistentiæ plus inuenerit. Factum studio ingeniosum Socratem legis, disertumque Demosthenem, & quamuis idem accidit, singulare quidem nomē pauci occupant. Rarior est fama, quam meritum. D. Ingenio hebes sum. R. Non tibi profectus ideo spes erepta, sed industriæ iouenta necessitas. Gloriosius autem tanto est studio prouehi, quā natura, quanto sanus proposito loqui, boni aliquid agere, quā casu. D. Ingenio tardo prorsus, & inualido sum. R. Si literis non potes, at virtuti stude. Nemo ad illam satis ingeniosus, vbi non acumen quæritur, sed voluntas, ad quam quidam literas nihil prodesse, alij obesse etiam opinati sunt, ideoque desertis studijs in solitudines abiere, & eximiæ illis scientiæ loco fuit ignorantia literarum, de quorum iudicio pronunciare difficile est. Idem (de quo constat) extremum accipe. Nemo te fallat, nec te vulgi stupor, nec stultorum voces moueant. Maius tutiusque est virtute, quam literis clarum fieri. Itaque semper illud optabile, & sæpe illud formidabile res ostendit, quod si ad virtutē animi literarū lux accesserit, tum demū consummatū quiddam, atq; perfectū est ea quidem, si qua in rebus humanis potest esse perfectio.

SIMILITVDO.

P. M. Vt in inserendo calamus altius depressus, tardius fert, sed durat fortius: Ita præstat sic rem aggredi, vt firmior sit, ac durabilior potius, quam vt præsens spectes lucellum. *In simil.*

ADAGIA.

Interuallo perit fames, & optime perditur. *Διὰ μέσου καὶ λιμὸς ἀπόλλυται καὶ κάλλιστ' ἀπόλλυται.*

Mora multis rebus adfert remedium.

Summis ingredi pedibus.

Qui clanculum, & cautim, aut pedetentim, vt aiunt, conantur aliquid, summis pedibus ingredi dicuntur.

Pulmo prius venisset. *Plautus.*

Dictum est olim in lentos, ac cessatores.

Coruus aquat. *κόραξ ὑδρεύει.*

Dici solitum, vbi quis non citra negocium, atque ingenium consequeretur ea, quæ cuperet, Aut vbi quis rem nouis artibus tentaret efficere.

Profectus ad Apaturia, reddit Maio. *Ἀπιὼν εἰς Ἀπατούρια, ἐπανῆκε Θαργηλιῶνα.*

Dici solitum in eos, qui licentius immorarentur negocio cuipiam.

Callipides. *Καλλιππίδης.*

Olim prouerbio dicebatur, qui in moliendis negotiis, cum multa se facturum minaretur, nihil tamen conficeret, aut quemadmodum ait Terentius: qui sedulo mouens sese, nihil promoueret. Callipides hist rio fuit.

Diu delibera. δηρὸν βούλευε.

Lente consultandum, at vbi statueris, mature, quod opus facto, faciendum est.

Sic est ad pugnæ partes, re peracta, veniendum. πολέμου καὶ μάχης χρὴ ὧδε μεταλαγχάνειν.

Iocus erat prouerbialis, vbi quis negocio peracto, tum demum adueniret.

Ad aras. ἐπὶ βωμοῦ. Plut.

Equidem opinor perinde valere, quasi dicas, in ipso negocio: iuxta prouerbium, quo vetamur ad aras consultare.

Amæa Azesiam reperit. Ἀμαία τὴν Ἀζησίαν μετῆλθεν.

Dies consueuit de re diu multumque quæsita, desiderataque.

Zozopol ονοδεσ Et similia.

Plutarchus in Symp. ostendit, olim cognomina quadam prouerbiali ioco iactata fuisse in eos, qui serius ad conuiuium accederent.

Hercules hospitatur. Ἡρακλῆς ξενίζεται. Athenæus.

Dictitatum, vbi quis diutius in conuiuio commorari videretur.

Expecta anus. μένοιγ᾽ ἂν ὁμώς σε παῖδ᾽ α ἀναλύοντα.

Expecta anus meum filium, te funaturum. Nam priusquam adolescat puer, illa decesserit. Adhibebimus spem seram significaturi.

Expecta bos aliquando herbam. μένε βοῦ ποτὲ βοτάνην.

Finitimum illi: adhuc tua messis in herba est, quo itidem spes tarda significatur.

Intercæsa & porrecta.

Videtur significare cunctationem, & ancipitem hæsitantiam, ac veluti intervallum illud, inter omittendum quod cœptum est, & incipiendum quod nouari oportet.

Hyperberetæa. Ὑπερβερεταῖα.

Dicebantur olim admodum serotina, quæque vix tandem adueniebant. Apud Macedones, extremus anni mensis Ὑπερβερεταῖος appellabatur.

Quæ sero contingunt, sed magnifica.

Quoties intelligi volumus, famam aut præmium aliquod serius quidem contingere, verum hoc præstantius ac durabilius, quo diutius dilatum, vt tarditatem stabilitate, perpetuitateque compenset. Homerus.

Ὀψιμον ὀψιτέλεστον, ὅου κλέος οὔποτ᾽ ὀλεῖται.

Tarda & sera nimis sed fama, & laude perenni. Die traegen VvercK vverden gern gut. Vvas baldt auffgehet, fellet balt. Vvas vvol anfetzt, left gern gute letzt.

Mysorum vltimus nauigat. ἔσχατος Μυσῶν πλεῖ.

Prouerbiali ioco dicebatur qui frustra laboraret, vel vbi dura quæpiam imperarentur, factuque difficilia.

Bunas iudex est. Βούνας δικάζει.

Dicitur autem tum Bunas iudicare cum lis in longum profertur, nec vnquã explicatur. Zenodotus.

Accessit luna. Ἀνεκάλει σελήνη.

Dictum in comperendinatores, qui nouam subinde causam comminiscuntur, quod negotium propositum in aliud differre tempus possint. Diogenianus.

Laconicæ lunæ. Λακωνικαὶ σελῆναι.

Subaudiendum, Causaris. Dicitur autem hoc de promissis, aut pactis incertis atque infirmis.

Ἐπιδειπνίδες.

Quasi conuiuiorum appetens. Hoc nomine Cæsar appellabat eum, qui quum tardius ad cœnam veniret occupatus negocijs, tamen ob cœnarum cupiditatem, non recusaret ijs, a quibus rogaretur.

Τριχεδειπνοι.

Vocabantur apud antiquos τριχέδειπνοι, qui cunctantius ad conuiuium veniebant, κατ᾽ ἀντίφρασιν (vt apparet) ipsis acribus celeritatem tribuentes apud Athenæum.

Μελλονικιᾶν. More Niciæ cunctari.

Traducebatur enim Nicias, quod cunctator esset inter militari. Hinc μελλονικιᾶν vox ex μέλλειν quod est cunctari, & Nικίας *qui fuit dux Atheniensibus.*

Placide bos. ἀτρέμας βοῦς.

Id est: Lente bos subaudi, incedit, aut simile quippiam. Congruet in illos, qui placide & paulatim rem conficiunt.

Caudæ pilos equinæ paulatim vellere.

Dicitur de eo, qui tempore atque assiduitate conficit id, quod viribus, atque impetu fieri nequit. Hinc Horatius in Epistolis.

Vtor permisso caudæque pilos vt equinæ
Paulatim vello.

Quisquis tarde venit ad cœnam vocatus: aut claudus: aut non dat symbolas. ὅστις ἐπὶ δεῖπνον ὀψὲ κληθεὶς ἔρχεται, ἢ χωλός ἐστιν ἢ δίδωσι συμβολάς.

Et idem: An quoquam ad cœnam properas conuiua vocatus.

Nemo nos insequitur. οὐδεὶς ἡμᾶς διώκει. *Plato libro septimo de legibus.*

Hoc prouerbium etiam hodie tritum manet, cum significamus liberum esse, diutius in re quapiam immorari. Nemo nos, inquiunt, impellit. Personne ne nous presse, Germani eodem modo. Es jaget vos niemandt, vvas haben vvir zu eylen

Festina lente. σπεῦδε βραδέως.

Quadrat in illos, qui præpropere famam affectant, maluntque paratam, ac magnam, quam solidam, & perpetuam. Cum hoc & illud Catonis conuenit: Sat cito, si sat bene. *Assez tost si assez bien.* Eyle mit vveil.

Pedetentim. κατὰ πόδα βάσις. Terent.

Dici solet de ijs, qui non præcipitanter, atque inconsiderate, sed sensim & cunctanter negocium aggrediuntur, & arte magis quam impetu rem gerunt. Pas a pas.

Tacito pede. ἡσύχῳ ποδί.

Seu Lento pede. Vsus: cum lente ac pedetentim ad rem aliquam accedimus. Apud Latinos aliquando, Tacito pede, pro furtim ac clanculum vsurpatur, teste Ouidio.

Sero venisti. ὀψὲ ἦλθες.

Aduersus eos, qui serotde aliquid faciunt, aut post tempus adueniunt. Du bist zu spaat Kommen.

Post festum venisti. κατόπιν τῆς ἑορτῆς ἥκεις.

Dicitur in eos, qui negocio alicui egregio non interfuerunt. Legitur & hoc pacto: Post Panathenæa: *Item.* Post Pythia venisti. Du Kommest, vvann der Ablaß gebeo ist.

Testudinis gradus.

Quadrat hoc prouerbium in eos, qui lente & cunctanter negocium aliquod aggrediuntur. Huic opponitur, Grallatorius gradus. Cum quis præpropere & festinanter aliquid suscepit. Plautus.

Celerius Elephanti pariunt.

Licebit his verbis quorundam nimis lenta molimina, aut etiam cunctationem immodicam significare.

Annus est. Sæculum est.

Atque id genus alia. *Terentius: Et nosti mores mulierum, dum comuntur, dum poliuntur, annus est. Et: Sæculum est, quod tibi: abs te literarũ redditur.* Item: *Iamdudum ætatem, pro admodum dudum. Et tempus perlongum huiusmodi significamus.*

F A B V L A.

Rusticus.

Qui in arborem ascenderat rusticus, de illa delapsus grauiter femur dextrum læsit. Huic alius forte prætereunt se consilium daturum dixit, quo vsus numquam de arbore caderet. Vtinam, inquit ille, ante casum meum dedisses. sed proderit tamen etiam in posterum, dic igitur. Tum ille alter: caue inquit, ne velocius terram repetas, vnde ascendisti, quam in arborem euaseris.

Fabula docet, sæpe cunctationem, & moram esse laudabilem, maxime ijs in rebus, in quibus festinatio damnosa esse posset.

Vide Mora, Cunctatio.

T E M E R I T A S.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Temeritas, Græce ἀβουλία, ας ἡ. & ἄβουλος, ου ὁ. temerarius dicitur, & προπέτεια. Et temerarius is censetur, qui leuiter, nullo consilio adhibito, sine vlla causa aliquid aggreditur, Græce ἄβουλος, ἀπερισκέπτως, παράβολος, θρασύς. Hebr. *Zedh*, & Temeritas, *Zedhon*, a verbo *Zodh*, efferbuit, intumuit, superbiuit, temerarius fuit, temere egit. Hinc ζέω, ferueo, & Lat. æstuo, item æstus. Est autem temeritas, cum inconsiderata dolorum perpessione gladiatoria periculorum susceptio, *secund. Cic. lib. 4. Rhet.*

Temeritas, siue præcipitatio, est defectus consilij, & species imprudentiæ. *secund. B. Thom. 2. 2. q. 45. ar. 25. rap. fin.*

Temeritas est per quam fieri dicuntur, quæ ratione non geruntur, vel propter impetum voluntatis, vel passionis, vel ex contemptu, quæ causatur ex superbia. ideo continetur sub præcipitatione, quæ respicit vtrumque, sed magis primum. *ex B. Thom. 2. 2. q. 55. art. 3.*

Temerarius est ille, qui nihil omnino formidat, sed aduersus omnia vadit, *secund. Arist. lib. 2. Ethic.*

L O C I B I B L I C I.

Temeritas damnatur, *Prouerb. 15. 22. 14.*

Temeritatis *exempla*: Israelitæ, *Num. 14. 40. 41. Deut. 1. 42. 43.* Iosaphat, *2. Chron. 20. 22.* Iosias, *2. Chron. 35. 22.* Petrus, *Matth. 26. 51.* Thomas, *Ioan. 11. 16.* Exorcistæ, *Act. 19. 13. 16.*

Temeritatis punitæ *exempla*, Israelitæ, *Num. 14. 45. Deut. 1. 44.* Iosaphat, *2. Chron. 20. 37.* Iosias, *2. Chron. 35. 23.* Ioseph, & Azarias, *1. Mach. 5. 59. 60.*

Temeritas cupiens cognoscere, quæ Deus non patefecit, vel non necessaria, vel ad nos non pertinentia, fugienda, quia hoc vitiũ prohibitum est a Deo, *Rom. 11. 20. & 12. 3. 16. 1. Tim. 6. 17.* Redarguitur item a Christo, *Ioan. 14. 22. 23. & 21. 22. Act. 1. 6. 7.*

Temeritas literata, seu apparentis sapientiæ studium, vitium

cit.

est, nempe quum quid falsam sapientiam, id est, malas, aut vanas artes sectatur. Ideo fugiendum, quia noxium, *Pro. 9. 18. Ier. 10. 2.*

PATRVM DICTA.

Temeritas asserendæ incertæ dubiæque opinionis, difficile sacrilegij crimen etiam. *Aug. de Gen. ad lit. c. 1.*

Temeritas insciriæ fœtus. *Naz. ora. 6.*

Quibus temerarium consilium est, cadunt sicut folia. *Ant. ser. 30.*

Temeritate sua capiuntur præuaricatores. *Idem ibid.*

Qualis ciuitas est, cuius diruta sunt mœnia, talis est vir, qui non omnia cum consilio agit. *ibid.*

Temeritas est, quando quis ita percitus conuiciatur, modo qui neminem decet, aut seipsum vlciscitur, aut aliquo pacto iniuste quicquam audet. *Chry. in ep. ad Phil. hom. 5.*

Non intelligentes docemus, & nescientes arguimus, & dicta Dei homines emendamus. *Hilar. de Trin. l. 10.*

Vides fortitudinis matrem esse prudentiam, nec fortitudinem, sed temeritatem esse quemlibet ausum, quem non parturiuit prudentia. *Bern. de consider. li. 2.*

PHILOSOPH. SENTENTIÆ.

Omnis actio vacare debet temeritate, & negligentia. *Cic. 1. Of.*

Nihil est temeritate turpius, nec quicquam tam indignum sapientis grauitate, & constantia, quam aut falsum sentire, aut quod non satis explorate perceptum sit, & cognitum, siue vlla dubitatione defendere. *1. de Nat. deor.*

Nihil est a grauitate sapientis, errore, leuitate, temeritate disiunctius. *4. Acad.*

Satius est idipsum de quo ambigitur, concedere, quam impudenter resistere. *1. de Nat. deor.*

Quid est tam futile, quam quicquam approbare non cognitum? *1. Acad.*

Insignis est temeritas: cum aut falsa, aut incognita res approbatur. Nec hoc quicquam est turpius, quam cognitioni, & perceptioni assertionem approbationemq. præcurrere. *1. Acad.*

Quid est stultius, quam incerta pro certis habere, ac falsa pro veris? *Cato maior.*

Ne cui rei temere, aut arroganter assenserimus. *2. de Inuent.*

Ipsa cõsuetudo assentiẽdi periculosa esse videtur, & lubrica. *1. Of.*

Temere affirmare de altero, est periculosum, propter occultas hominum voluntates, multiplicesq. naturas. *Cic. Br.*

Cauendum est ne incognita pro cognitis habeamus, iisque temere assentiamus, sed adhibeamus ad considerandas res, & tempus, & diligentiam. *1. Offic.*

Plerique errare malunt, eamque sententiam quam adamauerunt, pugnacissime defendere, quam sine pertinacia, quod constantissime dicatur, exquirere. *4. Acad.*

Audaciæ, & temeritati potius sero, quam nunquam obuiandum est. *Liuius Dec. 1.*

SENTENTIAE HISTORICAE.

Temerarij longe facilius audentes vocantur, quam cauti, & prudẽtes. Qui enim præter officium sit quippiam ausus, ex aliorum beneuolentia, quibus forte vir accessit visus, honorem. Is vero qui prudenter, & caute periculum subterfugerit, nec tamẽ pro votis rem gesserit, incidentium proculdubio rerum subiturus est noxam, & si quid eius ex animo, ac sententia egerit, nihil prorsus fecisse imperitis videbitur. *Procop. de bel. Goth. li. 3.*

Vbi primum impetum effudit, velut quædam animalia amisso aculeo, torpet. Et licet felicitas aspirare videatur: tamen ad vltimum temeritati non sufficit. *Cur. li. 4.*

Hostium temeritas commodam dimicandi facultatem præbet. *Cæs. li. 6. de bel. Gall.*

Ego id verum esse existimo, quod dici solet, temeritatem sæpenumero homines ad insaniam, & ad nihilum adducere solere. *Poly. li. 4.*

Pericli contra sexaginta armatorum Peloponnesiorum, ac Bæotorum dimicandum nullo modo visum est, etiam si de ipsis Athenis ea dimicatio fuisset futura: ideo ciues suos pugnam poscentes indigneque hostium populationes ferentes, verbis mitigauit, docendo, arboribus quidem excisis facile alias enasci, hominum iacturam reparatu haud ita procliuem esse. Præterea populum nequaquam in concionem aduocauit, ne aliquid præter animi sui sententiam agere cogeretur. Ac quemadmodum nauis rector, vento mari incũbente, omnibus recte curatis instructisque armamentis, arte sua vtitur, valere iussis eorum, qui naui vehuntur, periculumque, & nauseam non ferunt, lachrimis precibusque, ita Pericles vrbe tum clausa, omnibusq. locis præsidio firmatis, sua consilia secutus est, parui faciens obiectationem indignationesq. ciuium. Enimuero, & ex amicis multi precibus cum vrgebant, inimici minis, ac criminationibus territabant, multi cantilenis, ac dicteriis imperium eius exagitabant, mollitiem, & proditionem obijcientes: verum his omnibus nihil motus Pericles, æquo animo, & tacitus ignominiam odiaq. tolerauit, missaq. in Peloponnesum classe centum nauium, ipse in vrbe remansit, resq. domi ministrauit tantisper dum hostes discesserunt. *Plutar. in Pericle.*

Dies me deficiat, si reges imperatoresq; temere in hostium terras transgressos cum maximis cladibus suis exercituumq; suorum enumerare velim. Athenienses, prudentissima ciuitas, bello domi relicto, authore æque impigro ac nobili iuuene, magna classe in Siciliam transmissa, vna pugna nauali florentem rempubl. suam in perpetuum afflixerunt. Externa & nimis antiqua repeto. Africa & M. Attilius, insigne vtriusq; fortunæ exemplum, nobis documento sint. *Liu. Decad. 3. lib. 8.*

Non semper temeritas est felix. *idem, ibid.*

Impetus immodicus temerariusq; ab initio, facile euanescit, parumque temporis viget. *Dion. lib. 58.*

Temeritatis subiti & vehementes sunt impulsus: quorum ictibus hominum mentes concussæ, nec sua pericula dispicere, nec aliena facta iusta æstimatione prosequi valent. *Val. Max. l. 9. c. 8.*

Nõnullis quidẽ hominibus temere agere, simulq; perire cõtingit, quod ex nullo ante oculos exẽplo conijcere possint quemnam finem eorũ temeritas sit habitura. *Procop. de bello Vandalico, lib. 3.*

APOPTHEGMATA.

Demonax aliquando in balneis, cum refugeret ingredi aquam feruentiorem, & alius illum appellares meticulosum: Quid, inquit, an hoc pro patria passurus essem? Sentiens, temeritatis esse, non fortitudinis, subire periculum, nisi ob causam grauem & honestam fiat. *P. M. l. 8. apoph.*

Demosthenes. Quum Athenienses gestirent Harpalo ferre suppetias, iamque Alexandrum armarent, derepente apparuit Philoxenus, quem Alexander maritimis negotijs præfecerat: hic, quum populus metu attonitus conticesceret: Quid facerent, inquit Demosthenes, si solẽ videant, qui non possunt obtueri lucernã? Ita populo temerarios motus exprobrauit, *P. M. l. 4. apop. ex Plut.*

Antigonus cum audiuisset filium in extraordinario conflictu ab hostibus interfectum esse, nil aliud dixit, quam: Sero nimis interijsti, mi fili, qui tam temere in hostes te conieceris, neq. tuæ salutis, nec meorum monitorum memor. Sensit vir prudentissimus, eum merito perire, qui nec suæ salutis, nec bonorum virorum monitorum memor, temere in periculum se conijciat. *P. M. in Declamatione de morte.*

Fabius Max. audiens Minutium collegam, qui feliciter nonnullos hostes iam deiecerat, multum laudari, ait, se magis secundam Minutij collegæ fortunam, quam aduersam pertimescere. Sentiens, illius temeritatem periculosissimam esse Reip. quam si rerum successus attolleret, in extremum discrimen adducturam vniuersum populum Romanum: sed aduersis casibus futuram moderatiorem. *Plut. in Rom. apoph.*

Idem Minutius, cum Fabium tanquam cunctatorem in senatu insimulasset, quod præ timore pugnam detrectaret, partitusq; esset cum Fabio copias, eoque inito prælium cũ Annibale iniisset: Ita est, inquit Fabius, non celerius quam timui deprehendit fortuna temeritatem. *Brus. l. 3. c. 16. ex Plut.*

Scipio Africanus dicere solebat, in re militari turpe verbum esse, Non putaram: quod alijs in rebus interdum locus datur, male instituta posterioribus consilijs melioribus corrigere: cæterũ quæ ferro peraguntur, ea non oportere temere aggredi, quod hic error fere est inemendabilis. Idem dictum locum habet & in his quæ semel facta mutari non possunt: vt in ducenda vxore, in sacris ordinibus. *Plut. in eius vita.*

Augustus Cæs. eos qui leuem ob causam periculis se exponerent, similes aiebat esse aureo hamo piscantibus: qui plus damni amisso semel hamo acciperent, quam multarum capturarum lucro posset reparari. *Fulgos. lib. 7. c. 2.*

Philo. Quæ absque ratione fiunt, inquit, omnia sunt turpia. Quę vero cum ratione, omnia decora. Item, citra doctam contemplationem nihil decore fieri potest. Scientia enim à bono consilio nascitur: at inconsulta temeritas malorum omnium scaturigo est. Item, Meditatio sera lucrum non habet, & in exitu rei inutilis est pœnitudo. *Ant. serm. de temerario consilio.*

SIMILITVDINES.

Plutarchi. Sol cum maxime tollitur in altum, arduus ad populũ septentrionalem, tum minimum mouetur. Ita quo maior est potestas, hoc magis coercenda est animi temeritas. *in Moral.*

Paul. Man. Columbo ie volatu pernicitas: sed dum plaudit in aere, sibi placens, implicatus strepitu pennis capitur ab insidiante alicubi accipitre: ita multi dum ostentant suas vires, magis quã vtuntur, obliti sui præda fiunt inimicis. *In Simil.*

Thesaur. Quemadmodũ nulli magis submerguntur q̃ qui natandi valent cõsuetudine: Sic in malis rebus quo quisq; est maior artifex, eo in certioribus versatur periculis *in apoph. 1 c 4.*

ADAGIA.

Oportet remum ducere, q̃ didicit. [illegible] *Plu.*

Vnumquemque decet eam artem exercere, quam antea doctus sit. Horat. in arte poetica.

Ludere qui nescit, campestribus abstinet armis,
Indoctusque pilæ, discive, trochive quiescit.

Qui lusus non nouit legem, abstineat.

Ex ij nulla ratio. ἀλλ' ἐμοὶ δεῖ λέγειν. *Idem.*

Hoc sentimus, quum immineat nobis fatale exitium, Deum adimere consilium ac rationem.

Ne præceps fueris ad iurandum.

Habebit prouerbij speciem, si quis hominem post acceptū malum admoneat.

Quam quisque nouit artem in hac se exerceat. *Cic.*

Horatius.

Nauem agere ignarus nauis timet, abrotanum agro
Non audet, nisi qui didicit dare, quod medicorum est,
Promittunt medici, tractant fabrilia fabri. Ein ieglicher warte des seinen.

Cœnare me doce. *δειπνεῖν με δίδασκε. Aristophanes.*

Tempestiuiter vsurpatur, si quando docere, praire, aut etiam refellere conatur aliquem imperitus negotij, de quo discrepatur.

Non suscipiendum negotium temere.

In proposito item, & cum quo non sit suscipienda simultas, aut lis, nisi magno aliquo præsidio fulciaris, quadrabit illud Homeri.

Οὐκ ἄν τις μιν ἔτυχθε ἄτερ θεοῦ...
Νόσφι θεῶν.
Huic certaturus non interit obuius vllus.
Absque Deis.

Illotis manibus, ἀνίπτοις χερσίν. *Diogen.*

Pro eo, quod est, irreuerenter atque imparatè. Mit vngewäschenen Haenden.

Illotis pedibus ingredi. ἀνίπτοις ποσὶν ἀναβαίνειν. *Lucianus.*

Id est: Illotis pedibus ingredi est confidenter atque imperitè rem egregiam aggredi, tanquam prophanè & irreuerenter. Er fellt mit den füssen darein.

Andabatæ.

Conuenit in eos, qui temere nulloque iudicio insectantur quippiam, aut repugnant alicui.

Aedilitatem gerit sine populi suffragio.

Vbi quis imperiosior est in alieno negotio, aut in aedibus alienis.

Er hat vil Zuschaffen, vnd ist ihm wenig befolhen. Item. Er hat vil Zuschaffen, aber wenig aufzurichten. Item Er hat vil Zu regieren in anderer Leut Haeuser.

Inscitia confidentiam parit: prudentia vero cunctationem.

Hieronymus ad Euagrium ita refert, Imperitia confidentiam, eruditio timorem creat. Plinius: Recta ingenia debilitat verecundia, peruersa confirmat audacia.

De cœlo ad Synagogam. *Tertull.*

Suspicor dici solitum, vbi quis demittit sese à summa tranquillitate in summos tumultus, aut vbi quis statim aggreditur negotium,

Ne incalceatus in montes.

Theocritus, ἐν εἰδυλλ.

Εἰς ὄρος μὴ χ' ἕρπειν ἀνυπόδητος ἔρχεο Βάττε.
Ἐν γὰρ ὄρει ῥάμνοι τε καὶ ἀσπάλαθοι κομόωντι.
Batte, caue pedibus nudis perreptere montem,
Quippe rubis, tribulisque viret mons vndique densis.

Qui suscipit aliquod vitæ genus, armet sese aduersus occursura incommoda, ne prænitias suscepti.

EXEMPLA PROFANA.

Apud *Romanos* ignominiæ causa militibus audacioribus qui nec animi, nec consilij satis haberent, vena soluebatur: quæ non tam pœna, quam medicina fuit: vt superflua sanguinis parte defluxa, se magis intra gyrum rationis continerent. *Alexan. ab Alex. lib. 2 c. 13.*

Seruilius Cæpio Consul cum Cn. Manlio, qui quū contra Cimbros in Italiam irruentes, temerarie pugnans, de exercitu xxc. M. hominum amisisset: ex iussu populi Romani, bona eius publicata, eique imperium primo post Tarquinium abrogatum: ipse in publicis vinculis extinctus: indetractus & discerptus est ad scalas Gemonias. *Liu. l. 67.*

Socrates frugalem & rebus suis contentum animi habitum similē esse dicebat viæ breui & amœnæ, multum enim gratiæ & parū laboris habet. *Laert.*

Idem quærenti, quis ditissimus esset? paucissimis contentus, respondit. Virtus enim suis rebus contenta naturæ opulentia est. *Stobæus.*

Crates cum in forum incidisset, alios ementes, vendentes alios cōtemplatus: illi, inquit, quod rem inter se contrariam agunt, se beatos iudicant: at ego me, quod vtrusque, tum emendi, tum vendendi sum immunis. *Stob. & Laert.*

Babinorum iudicium non solum stultum, sed sibi ipsis perniciosum fuit, qui Sextum Tarquinium temere credendo ex hoste hospitem fecere, ex hospite ducem, quo non tantum victi, sed libertate & fortunis omnibus exuti fuere.

Mithridatis ingens ea temeritas fuit, qua imperium Asiæ animo concipiens, vt diligentius suū inspiceret, ipse solus eam peragrauit, periculoque se obiecit, vt illuc sermus deduceretur, vbi imperiū quærebat. Cū periculo et domestica mala accesserūt: Laodice enim soror ac coniux, eum mortuum cum esse arbitraretur, multis per adulterium se commiscuit, ipsiusque reditum veritā, operam dedit vt rediens interimeretur. Q. Sertorius cū aduersus Cimbros vna cum Mario pugnaret, mutata veste in hostium castra penetrauit, vt illic hostium consilia, atq. ordines exploratores; quippe nimis magno periculo inter feras gentes id ager aggressus est, quod per alios viliori fortunæ homines minore Reip. periculo assequi potuisset.

HIEROGLYPHICA.

Temerariorum hieroglyphica tabella is est, qui equum ferocissimum conscendit. Raptans illum fert equus, nec descendere patitur. Huic quidam obuius, & quærens qui iam festinanter abit, respondet miser, equum digito demonstrans, verbaque in auras euanescenda spargens, quo isti placet. Temerarios etiam si quis interroget. Quo ferimini? respondebunt si vera fateantur. Quo nostris placet cupiditatibus, nempe voluptati, ambitioni, auaritiæ. *In Hier. collect. li. 6.*

Non te quæsieris extra, inquit, *Pers. Sat. 1.* Hieroglyphicon illud à Cochlea testa sua inclusa petitur, & temerarijs principibus atque rebus publicis (aliorum potentiorum principum respectu) non multum valentibus, ac quibus quies tuta damnosaque, & exitiosa temeritas est, apprime conueniens. Monet autem eos Satyricus, ne immature prodeant cum certo vitæ suæ periculo. Audiat ergo turba imbellis monitum, Cochleæ aptatum. *Non tibi tela nocent latitanti, erumpere at ausum Configunt, &c. ibid.*

Icarus, Ixion, & Phaethon, a poetis decantati temeritatis infelices exitus proponunt.

EMBLEMATA ALCIATI.

In Temerarios.

Dum dormit, dulci recreat dum corpora somno,
Sub picea, & clauam cæteraq. arma tenet,
Alciden Pymæa manus prosternere lætho
Posse putat, vices non bene docta suas.
Excitus ipse, velut pulices, sic proterit hostem
Et saui implicitum pelle leonis agit.

Aliud.

In præceps rapitur, frustra quoq. tendit habenas,
Auriga, effrenū quem vehit ire equus.
Haud facile huic credas, ratio quem nulla gubernat,
Et temere proprio ducitur arbitrio.

Aliud.

Aspicis aurigam currus Phaethonta paterni
Ignicomos ausum flectere Solis equos:
Maxima qui postquam terris incendia sparsit,
Est temere insesso lapsus ab axe miser.
Sic plerique rotis fortuna ad sidera Reges
Euecti, ambitio quos iuuenilis agit:
Post magnam humani generis cladem q. suamq.
Cunctorum pœnas denique dant scelerum.

FABVLA.

Tigris.

Venator iaculis, & sagittis feras persequebatur, quibus fugitantibus, tigris se bellum solam sustentaturam esse profitetur: in barius, de latebris suis, femur, sagittam venator conijcit. Tum illa grauiter ingemiscere, & circumspicere, ac quærere authorem vulneris. Cui obuiam facta vulpecula: Quis te læsit? o fortissima (inquit) ferarum? Nescio, inquit illa, sed sentio viri robusti adhibitam manum fuisse.

Refutat fabula temeritatem audacium. Qui autem viribus præstant, plerumque incautiores esse consueuere. Docemus igitur hoc, vt intelligamus, victoriam non tam virium esse, quam prudentiæ.

Vide Audacia, Fortitudo.

TEMPERANTIA.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Temperantia, Græce σωφροσύνη, ἐγκράτεια, σωφρονισμός &c. sæpe ratua dicitur. Temperantia quorundam iudicio dicta est ad Hebr. *Dober*, i. modus rei, μετριότης, a verbo *Dabar*, loquutus est. Nam vt in sermone modus obseruari debet, ita in singulis alijs vitæ partibus, quæ sine temperantia constare nequeunt. Et *Mezeg*, mixtura, si quis vinum generosius aqua temperat, commode bibit, ita temperantiam, & eorum qui affectus moderātur vita longe melior apparet. Et de homine iracundo admitiorē mētem reuerso dicere solemus, *Ha mis de l'eau en son vin.* Est autem temperantia, rationis in libidinem, atq. alios non rectos impetus, animi summa, & moderata dominatio. *secund. Cic. lib. Rhetor.*

Temperantiæ partes sunt. Continentia, Clementia, & Modestia, *secun. eund.*

Temperantia est moderatio cupiditatum rationi obediens, *secund. eun. li. 2. de fin. bonor. & mal.*

Temperantia est mediocritas circa voluptates corporis. *secun. Arist. li. 3. Ethic.*

Temperantia est affectio coercens, & cohibens appetitum ab his quæ turpiter appetuntur, *secun. Aug. de lib. arb.*

Temperantia est virtus specialis: si sumatur antonomasticè, vt refrenat

refrenata maxime allicientibus. Sed est virtus generalis eo q. muniter. *secund. B. Th. 2. 2. q. 141. art. 5. 5. 9.*

Temperantia, *inquit Arist.* virtus est de concupiscibili nascens parte, ob quam animi turpibus non subijciuntur voluptatibus.

Temperantiæ proprium est, corporis voluptates non suspicere turpisq. voluptatis vsus nequaquam cupidum esse, ac iustam et vereri licentiam, componiq. animo in paruis, vt in magnis, quæ ad vitam humanam pertinent, rebus. Ad temperantiam vero accedit animi compositio, munditia, verecundia, reuerentia.

Temperantia est ratio in libidinem atque in alios non rectos motus animi firma, & moderata dominatio. Cuius extrema sunt, intemperantis, & insensibilitas. Græce *σωφροσύνη* vocatur.

Temperantia est affectio coercens, & cohibens appetitum ab his quæ turpiter appetuntur. *D. Aurel. Aug. de lib. arbit. Item de morib. Ecclesiæ dicit,* munus temperantiæ esse in coercendis, sedandisque cupiditatibus, quæ nos à recto, & bono auertunt. Eius officium est, contemnere omnes corporeas illecebras, laudemque popularem.

D I V I S I O.

- TEMPERANTIA virtus. *Ex S. Thom. 2. 2.*
  - *Specialis vt refrenat a maxime allicientibus.*
    - *Materia*
      - *Circa quam.* — *Obiectum, & est bonorum delectabilium in concupiscentijs tactus, secundum modum rationis, vel legis diuinæ.*
      - *In qua* — *Subiectum, & est appetitus sensitiuus, vel concupiscibilis, & irascibilis.*
    - *Partes. Prima Secundæ quæst. 61. art. 4. q. 143.*
      - *Integrales.*
        - *Verecundia, per quam aliquis refugit turpitudinem temperantiæ contrariam.*
        - *Honestas, per quam aliquis amat pulchritudinem temperantiæ.*
      - *Subiectiua.*
        - *Abstinentia a cibo.*
        - *Sobrietas a potu.*
        - *Castitas, quantum ad delectationem principalem coitus.*
        - *Pudicitia, quantum ad circumstantes delectationes, vt in osculis, tactibus, & amplexibus.*
      - *Potentiales.*
        - *Continentia, quæ refrenat motum voluntatis, commota ex impetu passionis, ex qua fit, vt licet homo immoderatas concupiscentias patiatur, voluntas tamen non vincatur.*
        - *Humilitas, quæ refrenat motum spei, & audaciæ.*
        - *Mansuetudo siue Clementia, quæ refrenat motum iræ tendentis in vindictam.*
        - *Modestia, quæ refrenat motus, & actus corporales.*
        - *Bona ordinatio: ad quam pertinet discernere quid sit faciendum, quid dimittendum, & quid ordine sit agendum, & hoc firmiter persistere.*
        - *Ornatus quo homo obseruat decentiam in eo quod agit.*
        - *Austeritas in colloquijs amicorum, vel quibuscunq. alijs.*
        - *Parcitas secundum Macrobium, vel per se sufficientia secundum Andronicum, qua superflua non requiruntur.*
        - *Moderatio secundum Macrobium, vel simplicitas secundum Andronicum, qua homo non nimis exquisita requirit.*
    - *Actus duplex. q. 141. art. 4.*
      - *Principalis & proprius, qui est moderari concupiscentias delectabilium tactus.*
      - *Secundarius, qui est moderari alias concupiscentias.*
  - *Generalis dicitur, quia nomen temperantiæ significat quandam temperiem, id est, moderationem, quam non ponit in humanis operationibus, & passionibus, quod est commune, & in omni virtute morali.*

Partes temperantiæ sunt.

Mansuetudo, Liberalitas, Grauitas, Tristitia, Seueritas, Verecundia, Vrbanitas, Amicitia, Beneuolentia, Concordia, Amor, Pax, Continentia, Clementia, Pudor, Castitas, Pudicitia, Honestas, Moderatio, Taciturnitas, Frugalitas, Parsimonia, Bonitas, Puritas, siue Innocentia.

Mansuetudo est verborum suauitas, erga aliquos lenitatem mentis ostendens, motumq; facilitas, obuiaq. voluntatis suæ in aliquê offensio. Cuius extrema. *Irritatio, & immobilitas.*

Partes mansuetudinis sex sunt.

Comitas, est cum aĩ verborum suauitate, quadam vultus hilaritate, non grauate aliqd se agere, aut acturos ostẽdũt, aut pollicẽtur.

Benignitas, cum animi excitantur ad facile excipiendum, quæ ab alijs dicuntur. Hinc Plautinum illud: *Mihi ad argumentum hoc enarrandum est comitas, si ad auscultandum vestra erit benignitas*, quum benigne alicui operam nostram præstamus planeq. iuuamus. Cuius contrarium *Malignitas.*

Facilitas, est animi quædam benignitas, qua sese submittunt acquiescuntq. alterius sententiæ, nihil elatum de se significantes. Cuius contrarium est *Pertinacia*

Humanitas est qua animi, humana id natura postulante, erga omnes iuuandos aliqua in re commouentur, præsertim quos videant calamitosos: Cuius contrarium, *Inhumanitas*, tum etiam insolentia. Est tamen etiam videre vbi humanitas pro eruditione sumatur: quod discere proprium sit hominis.

Humilitas est, qua aĩ, vbi expediat, honestumq. sit, tum verbis, tum corporis gestu prudenter se suaque submittunt, nihil de se, aut arroganter fieri, aut dici volentes. Cuius contrarium, *Superbia.*

Tranquillitas est qua mites, & sedati ab omni perturbatione animi sunt, sumpta translatione a fluctibus. Cuius contrarium est *Atrocitas, vel fluctuatio.*

Liberalitas virtus est, ingenue, vbi honestas exigit, impendens. Liberalitas, *inquit Arist.* est defectum pecuniarum in rebus laudabilibus adhibere impensas, vbi decor postulet, insumere: auxiliũ ferre, vbi res postulet, non auferre, vnde non decet. Est autem, *inquit*, liberalis amictu mundus si non lautus, & domicilio ornatus, & præparatus circa ea, quæ honesta, quæque viuendo suauitatem habeant, vnde etiam nulla expectetur vtilitas: qui alit animalia, vnde capiatur animus delectatione, aut aliqua nascatur admiratio. Liberalitatem comitatur humilitas, benignitas, humanitas, & esse misericordem, amicis iucundum, hospitalẽ honestum, & honesti amatorem: deniq. ad sumptum faciendũ vbi oporteat, & quando necesse sit, nihil grauate facientis, ac libere liberalis. Cuius extrema, *Auaritia. & Prodigalitas.* Partes autem, benignitas de qua supra dictum, munificentia, hospitalitas, beneficentia, abstinentia. Græcis appellatur *ἐλευθεριότης*. *Egregium librum de liberalitate scripsit Iouianus Pontanus ad Actium Sincerum.* Versatur autem in eroganda recte pecunia.

Partes Liberalitatis sunt quatuor.

Munificentia est, qua aĩ, vbi & quando opus est, & quanta, & quib. conuenit, erogant munera. Cuius extrema, *Largitio & Tenacitas.*

Hospitalitas est, quum vltro, & miti, & humano inducti animo, nullo nostro allecti commodo hospites accipimus. Cuius extrema. *Hospitandi ostentatio, & in hospites Odium*, quo vitio fere vilissimi quique in ciuitatibus, & domibus flagrant, idque præcipue, si quid ex ipsorum sententia cesserit, qui hospitio admittuntur Græcis *φιλοξενία* vocatur.

Beneficentia est, qua mitis animos ad cuiuis benefaciendum commouetur. Cuius extremum vel contrarium est. *Maleficentia*: & qui ei vitio alligatur. maleficus appellatur. Græcis vocatur *εὐεργεσία* dicta quod alijs benefaciendo prosit.

Abstinentia est, qua inducuntur animi, vt ab alienis abstineant reb. Cuius contrarium *Rapacitas.* Vel, est secundum quosdam cohibitio gulæ, luxuriæ, cupiditatis, auaritiæ, ambitionis, & superfluitatis, Græcæ *ἐγκράτεια.*

Grauitas est, per quam loco, tempori, ac personæ animus consentaneus inter morositatem, & delectationem versatur, talem etiã corporis, ac sermonis habitum gerit eum dignitate. Cuius extrema *Morositas, & Abiectio*, vt Apuleius fingit, placentia. Partes ipsius, tristitia, & seueritas: vel, Grauitas est firmitas ac constantia animi, & in vultu, moribus, verbis, rebus agendis quædam seueritas, Græce *σεμνότης* nominata.

Partes grauitatis duæ.

Tristitia est habitus siue totius corporis quidam (si sic fas est loqui) vultus, nec in secundis rebus gaudibundus, nec aduersis concussus, in dolorem, nempe nullo tempore se immutans, aut attollendo, aut submittendo. Cuius contrarium. *Lasciuia.*

Seueritas est mentis quædam iusta duritia, & corporis facie, & factis, tam in se, quam in alios, prout res postulare videatur, nullũ delictum remittens, legibus nimium atrociter obtemperãs, legum,

Superbia commune nobilitatis malum. *Sallu. de bel. Iug.*

Bellorum præmijs referti, aut diuitum familiarium hæredes facile magnum animum induunt. *Tacit. Ann. l. 15.*

Compertum habeo, humillimos quosque, maxime vbi alia accesseruit, superbia atque ambitione immodicos esse. Hinc Marius patrum memoria, hinc Diocletianus nostra, communem habitum supergressi sunt, dum animus potentiæ expers tanquam inedia refectus insatiabilis est. Nec mihi mirum videtur, Nobilitati plerosq. in superbiam dare, quę gentis Patricię memor, molestiarum quib. agitatur remedio, eminere paululum plus habet. *Aurel. Vict. de Cæsarib.*

Superbia est opulentiæ comes. *P. Iou. hist. l. 5.*

Fit sæpenumero superbia, atq. æmulatione, communi vitio ducũ, vt pleriq. in ipsis consilijs ea maxime nolint, quæ alios summis etiam rationibus velle cognouerint: vtroq. aspera, & duriora subeant, ne aliena consilia sequi videantur. *Idem li. 15.*

Qui non statuit felicitati modum, nec cohibet efferentem se fortunam quanto altius elatus est, eo fœdius corruit. *Liu Dec. 3. li. 10.*

Superbi est, famæ spe æternitatem præsumere. *Tacit. Ann. li. 15.*

De superbia, DIAL. CXI,

Francisci Petrarchæ.

DOL.

Superbia extollor. R. Quid superbis autem terra, & cinis? nunc tãtorum malorum fasce obrutus atq. oppressus extolleris? qui si te omnib. malis explicitus virtutum oium alis euectus attolleres, hoc vno bona oia corrupisses. Nihil est. n. odiosius Deo quã superbia. Per hanc. n. ille pulcherrimus creatus raptim corruit, per quam tu peccator vis ascendere. Si sic illi ob id vnum accidit, quid per hoc alijs culpis adiunctum tibi euenturum arbitraris, malum facinus tuis cumulum superimposuisti. D. Superbia vehor. R. Cur quæso? an non te mortalem, an non assidue fatiscentem, an non peccatorem, an non mille casib. expositum, an non morti obnoxium incertæ: an non deniq. te miserum meministi? & non famosissimum illud Homericum audiuisti, Nihil miserius terra nutrit homine? scire velim, quid te horum potissime ad superbiam cohortatur, an fragilitas membrorũ, an vitæ breuitas, an cæcitas animi, inter spes vanissimas, metusq. perpetuos fluctuantis, an præteritorum obliuio, an ignorantia futurorum, ac præsentium, an hostium insidiæ, an mortes amicorũ, an aduersitas perseuerans, an fugitiua prosperitas? Hæ non aliæ vobis sunt ad superbiam quam scalæ, his ascenditis ad ruinam. Atqui cætera hominum pericula, & si multam, aliquam tamen excusationem, superbia, & inuidia nullam, habẽt. D. Doleo me superbum. R. de peccato dolere primus ad salutem gradus est, & sicut superbia est extollere, sic humilitas est dolere, seq. submittere, facile sactu quod quidem erit, mox vt oculos in teipsum tota intentione reflexeris: quod cum ita sit, nolo tibi nec oportet librorum patres scriptas aduersus peccata congerere, hæc satis est, cuncta arbitrij tui esse, desitura illico, vt bona fide volueris, vtq. autor receptui cecineris, teq. ad tua signa conuerteris, quod ad præsens malum attinet, vnum illud adiecerim: Superbiam esse ægritudinem miserorum, ac stultorum: tales nempe sunt haud dubie qui superbiunt, neq. n. aliter superbirent; neq. vero sine causa in libro sapientiæ scriptum est, Omnes insipientes, & infelices, supra modum animæ suæ superbi sunt. Certe animæ hæ, si saperent, modus erat humiliari conditionis imbecillitate cognita. Sic. n. eodem libro scriptum legis. Rex hodie est, & cras morietur. Cum. n. morietur homo, hæreditabit serpentes, & bestias, & vermes. Initium superbiæ hominis apostatare a Deo, quoniam ab eo qui fecit illum, recessit, quoniam initium omnis peccati est superbia. Nota sunt reliqua, quib. acriter circumspectis monstrum est superbus homuncio.

APOPHTHEGMATA.

Demorates iam senex ascendens in arcem Athenis per quam anhelolus: Idem se facere dixit, quod vniuersa ciuitas Atheniensium soleret. Nempe se magnum quidem spirare, parum autem valere. *Stob serm. 22.*

Democritus desinere dicebat in malam infamiam, eum qui cum superiore contendit. *Stob. eod. serm.*

Antisthenes, quum Platonis superbiam notare cuperet, forte in põpa equum hinnientem frementemque aspiciens, ad Platonem versus, ait: Tu profecto meo iudicio præclarus fuisses equus, est enim equus animal superbissimum. *Bruſ. 6. 5.*

Zeno Citticus in quendam circa formæ curam studiosiorem quam deceret virum, quum imbricem lente, ac circumspecte transiret: Merito, inquit, suspectum habet lutum, in quo non potest seipsum, vt in speculo cernere. *Laert. l. 7. c. 5.*

Aristoteles adolescentulum superciliis sublatis superbientem conspicatus, sed nulla scientia præditum: Adolescentule, inquit, vtinam talis essem, qualis ipse tibi videris: qualis autem reuera es, tales fiant hostes mei. *Anton. in Meliss. p. 2. ser. 72.*

Socrates Alcibiadem inuitus ob diuitias inflatum, & superbientem opibus prædijsque, in quendam ciuitatis locum duxit eum, in quo suspensa erat tabula terræ circuitum complexa. Iussit igitur Alcibiadem Atticam in ea requirere, quam vt inuenit, sua etiam prædia inspicere præcepit. quæ cum Alcibiades nusquã esse picta diceret: Cur igitur, Socrates inquit, ob illa superbis, q̃ circa nullã terræ partem existunt? *Stob ex Aelian.*

Plato, quum aliquãdo conscendisset equum, mox descendit, dicẽs, se vereri μὴ ἱπποτυφίᾳ ληφθῇ, id est, ne equestri fastu corriperetur. Superbũ animal est equus: & equitare quiddam habet magnificum, parumque philosopho dignum. *Laertius lib. 3*

Idem. Exhauriendam esse dicebat ex animis iuuenum falsam opinionem & superbiam: sicut aerem ex vtribus vtile quippiam insusuri exhauriunt: secus. n. inflatione & spiritu turgentes nihil admittunt *Anton serm. de superbis.*

Aesopus à Chione rogatus, Quid faceret Iupiter? Excelsa, inquit, deprimit, extollit humilia. *Brusonius lib. 6. c. 5. ex Stobæo.*

Idem Comatulum iuuenem nimium affectato ornatu conspicuum intuitus: Si te, inquit, tam exquisite comas virorum gratia, plane ludis operã, sin mulierum, iniquus es: aut improbus. *Stobæus.*

Phocionis vxor interrogata, quamobrem sola ex alijs in conuentu non gestaret ornatum aureum. dixit, Quoniam pro ornamento mariti virtus mihi sufficit. *Stob. ser. 72.*

Epictetus. Nulla debes aliena præstantia gloriari. Equus quidem elatus, si de ipso iactabundus diceret. Quam sum egregius? foret vtiq; id tolerabile. At si tu dicas. Næ equũ eg regium possideo, nihil aliud q̃ de bono suꝑbis. Tuum aũt q̃ est? Nẽpe solus opinionũ vsus, quem si secundum naturã habueris. tũ gloriare: ita demum. n. de propria excellentia gloria. *In Enchiridio.*

Anonymus. Laconem hospes, quẽ pridie declinauerat, postridie stragulis mutuo sumptis splendide excepit: at ille stragulis conculcatis dixit: Propter has heri ne storeis quidẽ indormire licuit. Lepide risit illorum morẽ, qui cum sint tenues, iñ affectãt videri diuites, corrogata aut conducta supellectile: qđ maxime solent in excipiendis hospitibus, in nuptijs aut alioqui solennibus epulis. Porro quum ineptum sit ostentare tuas diuitias: quanto magis ridiculũ est ostentare supellectilẽ alienã, interdũ ab vsurarijs sumptã: At Lacedæmonij non solum oratores regum, verum ipsos Et reges ad sua Phidina inuitabant, eam frugalitatem sibi magno ẽt honori futuram existimantes. *Plut in Lacon.*

Demetrius Phal. In hominem superbum, & multo fastu turgidum, dicebat altitudinem circumcidi oportere, sensumque relinqui. *Bruſ. l. 6. c. 5.*

Artabanus dissuadens Xerxẽ ab expeditione cõtra Græcos: Vides, ait, vt prægrandia aialia fulmine Deus feriat, nec insolescere sinat: parua vero nihil lædat Vides, vt magna sæpe ædificia, magnasq. arbores hmõi fulminis ictu percutiat? Gaudet. n. Deus, eminentia quæque deprimere. *Herodotus & Bruſ. l. 6 c. 5.*

Thais glorioso cuidã amatori, qui quum multa pocula sumpsisset cõmodato, diceret se velle illa confringere, aliaq; parare: Perdes, inquit, quod cuiq. proprium est. Ambiguo sermone notãs commodantia. Poterat autem intelligi, si confringeretur, periret quod cuique poculo proprium est. *P. M. lib. 6. apoph.*

Philistion. Si videris, inquit, improbum in altum gradum euectũ, magnisq. opib. & fortuna exultantem, superciliaque sup. fortunam extollentem, eius celerrimam expecta mutationem: tollitur enim altissime, vt maiore casu ruat. *Ant ser de superbis.*

C. Sulpitius vxorem suam repudiauit, eo quod comam probe ornatus, ex ædibus egressa esset, inquiens: Lex tibi meos vnius prǽfinit oculos, quibus formam tuam approbes: his ornamenta compara, his esto speciosa: alijs velle videri formosam, in suspicione & crimine hæreat necesse est. Probe castigauit mores vxoris suæ Sulpitius, qui putauit ornatum vxoris eo spectare, vt alijs viris melius quam marito placeat. *P. M lib. 6. apoph.*

Socrates dicebat superstitionẽ superbiæ tanquã parenti esse morigerã. Et sane omnis superstitiosus est superbus: nec sine suꝑbia prodierunt tot superstitiones, falsæ sententiæ circa religionẽ, & detestandi cultus à superstitione inuecti. *Stobæus serm. 22.*

Iulia Augusti F. cum vltra modum superbiret omni corporis cultu, admonita à quodam, vt se ad paternæ frugalitatis exemplum componeret, respõdit, Pater obliuiscitur se Cæsarem esse, ego vero memini me Cæsaris esse filiam. *ibid.*

Euagrius sciscitatus, quid esset superbus animus? respondit, Vitium ventilator, cisterna aquis destituta, diuersorium latronum. *Anton. serm. de superbis.*

Io. Climax. Vt fures, inquit, solem detestantur, ita superbi modestos despiciunt. *Eod. serm.*

Idem dicebat, difficile esse superbiæ seu inanis gloriæ dæmonem effugere: quicquid. n. inquit, molitus fuerit, vt hanc detrahas, idipsum erit alterius inanis gloriæ initium. *Eodem serm.*

Pambo quidam apud Athanasium cum Alexandriæ esset, vidissetq; mulierem maximo vestitus apparatu superbiẽtem, fleuit. At interrogatus, cur tantopere lachrimas effunderet: respõdit: Duę res sunt quæ me mouent. Vna quidem, quæ est huius mulieris ꝑditio. Altera vero, quod ego, qui nomen Christiani profiteor, non tantum studeo placere Deo vitæ innocentia, quantum hęc mulier turpibus placere cupit hominibus. *Eccl. hist. l. 8 c. 5.*

Diogenes

Diogenes quum vidisset Olympiam, & Rhodiacos quosdam adolescentes preciosis magnificisque vestibus amictos. cum risu inquit, Hoc nihil est præter fastum. Deinde cum incideret in Lacedæmonios laceris squalentibusque tunicis amictos, Hæc, inquit, longe est alia superbia. Vidit autem philosophus, superbum animum non semper splendido & ornatissimo vestitu elucere, sed in sordibus etiam, dum homines opulentissimi sæpenumero vilissimo vestitu incedentes, hominum ex eo laudem superbientes venantur. *Aelian. l.9. de Var. hist.*

S I M I L I T U D I N E S.

Abacuc Propheta: Quo vinum potantem decipit: Sic erit vir superbus, & non decorabitur, qui dilatauit quasi infernus animã suã, & ipse quasi mors, & non adimpletur & congregabit ad se omnes gentes, & coaceruabit ad se omnes populos. *c. 2.*

Syracida. Perdix capta in cauea: Sic cor superbi, & vt prospector ascendens ad cælum: nam bona in mala conuertens insidiatur, & in dictis imponit maculam. *Eccles. c.*

Chrysostomus. Nihil arrogantia atque superbia peius, q̃ mentis quoque vires naturæ hominis concessas ita deijcit, vt amentes ex prudentia, ac aio stolidos efficere videatur. Nã quemadmodum si quis cum statura cubitus sit, instar montium, imo et altiorẽ se putet, ac ideo seipsum, quasi montes excesserunt erigat, nullũ aliud argũ insaniæ suæ quæremus: Sic eum inflatum hominem videris, qui meliorem se cæteris arbitretur, contemnique opinetur, si cæteris conferatur, nullum aliud signum vecordiæ hominis exquiras. Tanto quippe ridiculosior is est, qui natura insanit, quanto ipse hunc sibi morbum inicit: nec hac te solũ mi-ser, sed quia in miseriæ fundum se detrusit, vt nulli sentiat: Qui enim is peccata sua vt oportet cognoscet? Quando nimium se delioquere sentiet? Certe quasi vile mancipium, & miserũ captiuum diabolus cum adduxit, agitatque mille verberibus & contumeliis quocunque vult. *Hom. 59. in Matth.*

Quam autem tu altius volare opinaris? Au eam, quæ cum per aera feratur arundines aucupis atque retia non formidat: an eã, quæ iam vel sine arundine ac visco quoniam humi serpat, potius quam volat, manibus facile capitur? Huiusmodi certe insolens arrogans animus est, qui cum humi serpat, in omnem laqueum incidit. Vt vermis in stercore: Ita superbus in passionibus suis inuoluitur. *Hom. 66. in Matth.*

Veluti si quis dominum vt sit præclaro opere atque honesto mirabilis, caute prouideat, eos vero qui hanc habituri, negligat: Ita qui corpus ornant, anima neglecta. *In 2. ad Timoth. hom. 2.*

Sicut oculis captus, ab omnibus offendi pót facile: Ita & superbus quoque dominum nesciens (principium enim superbiæ est, nescire Dominum) etiam ab hominibus facile capi potest, vtpote sani ne summo ornatus. *Serm. 9. de Ozia. & Hom. de diuersis.*

Plutarchus: Si quid in vases velis infundere boni, ventum atque aerẽ amouens oportet: Sic fastuum & tumorem eximas oportet ab animo eius, quem velis docere. *In Mor.*

D. Augustinus: Medicus quando ægritudinem discutit, si curet quod per aliam causam factum est, & ipsam causam per quam factũ est, non curet, ad tempus videtur mederi. Causa manente, morbus repetitur. Verbi causa, apertius hoc dicam. Humor in corpore scabiem vel vlcera gignit: in corpore fit magna febris & non paruus dolor. Adhibentur quædam medicamenta, quæ scabiem compescant, & feruorem illum vlceris sedent: & adhibetur, & proficiunt. Vides hominem qui fuit vlcerosus & scabiosus, sanatum: sed quia humor ille non eiectus est, rursum ad vlcus redit. Cognoscens hoc medicus, purgat humorem, deerahit causam, & nulla erunt vlcera. Vnde ergo abundat iniquitas? Per superbiam. Cura superbiam, & nulla erit iniquitas. Vt ergo causa omnium morborum curaretur, id est, superbia, descendit, & homo factus est filius Dei. *Tractatu 25.*

D. Hieronymus: Quomodo vinum contra potantem facit & postquã surrexerit, neque pes, neque mens suum officium tenent, omnisque lætitia & mentis cahilaratio vertitur in ruinam: Sic vir superbus non decorabitur, nec voluntatem suam perducet ad finem. *In c. 2. Abac.*

Ciceronis: Vt membrum turgidum ac tumidum vitiose se habet: ita inflatus animus & tumens in vitio est. *lib. 3. Tuscul. quæst.*

Theologus: Quemadmodum fumus alta & lucida, quanquam ipse obscurus sit & ater, naturaliter appetit, verum in medio ipso turbulento suo conatu resoluitur in aerem, prorsusque euanescit, & amplius fumus non est: Ita homo superbus licet obscurus sit, inter cæteros tamen se extollit, & euehit, in medio tamẽ cursu suo pene mere præcipitatur, & quasi in nihilũ resoluitur. *In Psal. 74.*

Quemadmodum ex vlcere putrido, sanies & putredo ebulliunt: sic ex superba mente, atque ambitiosa, omnia peccata ebulliunt. *In Psal. 74.*

Theodoretus: Honores ac diuitiarũ abũdantia q̃d simile cum fungis habent, & peius obtinent. Etenim hi tãtũ ventrem inflant, & aliquando leuiter mentis periculum vexant. Honores vero, diuitiarumq; copia vniuersum hominem reddunt tumidũ, nec intellectus partẽ tantum, sed totã vitiant animam. *In apoph. 45.*

Quemadmodum ignis omnia extenuat, & annihilat: Ita superbus nullius alterius societatem tolerat. *In apoph. 18.*

Vt modicum fellis, optimum quemq; succum vitiat dulcissimum: Ita superbia omnem virtutem labefactat. *In apoph.*

Vt ægrotus quispiam quo a sua natura discesserit longius: eo laborat periculosius: Sic animus elatus, ac superbus procul ab omni humanitate discedit, & in brutum deuium vertitur. *In apoph. 69.*

Vt pessimum est venenum, quod dissimulata sua indole, aut cum mel, le fermentatum, gratiam exhibet: Ita maxima est superbia quæ fuco humanitatis regitur Absolonis exemplo. *In apoph. 75.*

E X E M P L A   B I B L I C A.

Superbiæ punitæ *exempla:* In Adamo, & Eua. *Gen. 3. 16. & Eccl. 16. v. 14.* Ædificatorib. turris Babylonicæ, *Genes. 11. 5. &c.* Agar 16. v. 5. 6. Sodoma, 19. v. 24. *Ezech. 16. 49* Maria, *Num. 12. v. 8. 9.* Core, Dathan, & Abiron, *16. v. 31. 32.* Israelitis, *Deut. 1. v. 43. 44.* Gaal Filio Obed, *Iudic. 9. v. 37. 38* Goliath, *1. Sam 17. 50.* Nabal, 25. 37. Saule, 31. 4. Seba filio Bochri, *2. Sam. 20. v. 21.* populo Dauidis, ob superbiam populi numerationem, 24. 15. Adonia, *1. Reg. 1. 5.* Benadad, 20. v. 19. 29. Rabsace, & Sennacherib, *2. Reg. 19. v. 28. 35.* Amasia, qui insigniter humiliatur, *2. Paral. 25. 23.* Ozia cõtra vocationem superbe Sacerdotis officium sibi vsurpante, 26. 15. Ezechia, 32. v. 24. 25. Holoferne, *Iudith. 13.* Aman, *Esth. 7. 10.* Damasco, *Esa. 8. 4. & 17. 1.* Assur, 10. v. 12. 23. Rege Babylonis, 14. v. 13. 15. Babylone, *v. 1. 12. Ierem. 50. 31. & 51. v. 1. 2. 52. 53.* Moab, 16. v. 6. 7. Tyro, 23. 8 *Ezech. 28. v. 2. 3. 4.* Ephraim, *Esa. 28. 1.* Israel, *Ezech. 34. v. 21.* Pharaone Rege Aegypti, 29. v. 3. 4. & 31. v. 10. 11. 12. Nabuchodonosor, *Dan. 4. v. 19. 20. 21.* Baldasar Chaldæorum Rege, 5. 22. &c. Israelitis, *Ose. 5. v. 5. & 7. 10.* Capharnaitis, *Matt. 11. 23. Lu. 10. v. 15.* Pharisæo, 18 v. 14. Superbiæ *exempla:* Adam, & Eua: Duabus in potissimum rebus moti delinquunt: *Prima*, quod se deos fore crederent: *Secunda*, quæ impulit eos, & pellexit, fuit gula, & formosa pomorum species, *Gen. 3. v. 5. 6. Eccl. 10. 14.* Ædificatores turris Babylonicæ, *Gen. 11. v. 4.* Agar. 16. 4 Fratres Ioseph. 37. v. 8. Aaron, & Maria, *Num. 12. v. 1. 2.* Core, Dathan, & Abiron, *Num. 16. 1.* Gaal, Filius Obed, *Iud. 9. 28.* Abimelech, v. 31. 45. Saul, *1. Sam. 13. 2. & 15. v. 19. 20.* 30 Goliath, 17. v. 42. Nabal, 25. v. 10. 11. Absalom, *2. Sam. 15. 4.* Seba filius Bochri, 20. 1. Dauid, 24. 1. Adonias, *1. Reg. 1. 5* Roboam, 12. 14. Ieroboam. 13. v. 4. Benadad 20. 18. Rabsaces, *2. Reg. 18. 24.* Amasias, *2. Paral. 25. 19.* Ozias, 26. 16. 7. ch. 32. 29. Pharao, & serui eius, *Nehem. 9. v. 15. 16.* Patres, & Israelitæ, v. 29. Nabuchodonosor, *Iudith. 1. 7. & 21. 1. &c. Dan. 4. 27. & 5. 2.* Aman, *Esth. 3. 6. & 16. 15.* Filiæ Sion, *Esa. 3. 16.* Rex Babylon 14. v. 13. 24 Moabitæ. 16. 6. Rex Assyriorum, 47. 7. Azarias, & Ioathan, *Ier. 43. 2.* Tyrus, *Esa. 23. v. 9. 9. Ezech. 27. 3. & 28. 2.* Baltassar, *Dan. 5. v. 20. 22. & 8. 29.* Antichristus, *11. 36. 2. Thess. 2. 4.* Israelitæ *Ose. 7. 10. & 13. 6.* Amos, 6. 8. Idumæi, *Abd. versicul. 3.* Antiochus, *1. Mach 1. 23. 2. Mach. 9. 4. & 3. 21.* Iosephus *2. Mach. 5. v. 55. 56. 57.* Nicanor, *2. Mach. 9. v. 9. 16.* Pharisæus, *Luc. 18. 11.* Pharisæi, *Ioan. 5. 44.* Iudæi, 9. 34. Simon Mag. *Act. 8. 9.* Herodes 12. 21. Agrippa, & Berenicæ. 25. 23. Babylonica Meretrix, *Apoc. 17. 1. et 18. 7.* Superbiæ mala, *Pro. 11. 22. 5*

E X E M P L A   P R O F A N A.

Pausanias Lacedæmoniorum dux, ad Plateas victor, contra Mardonium, quum de manubiis tripodem aureum Delphis votum fol-uisset, suumque nomen inscriberet. Lacedæmonij pertæsi insolentiam, epigramma iuduæ runt, & ciuitatum nomina inscripserunt. *Herod.*

Iulianus Imp. quinquennalia edens, ambitioso diademate visus est, gemmarum fulgore distincto: cum initio principatus coronam vilem gestare consueuisset, se Constantij hostem aperte professe cœpit. *Sigonius l. 6. Imp. occid.*

Maximinus tutor in salutationibus superbissimus erat, & genus sibi osculari patiebatur, nonnunquam etiam pedes: quod nunquam passus est senior Maximinus, qui dicebat: Dij prohibeant, vt quisquam ingenuorum pedibus meis osculum figat. Cũ pater plerisque honoratis assurgeret: ille residebat. Visus est, & aurea lorica exemplo Ptolomæorum: visus est argentea: visus, & clypeo gemmato inaurato: & hasta inaurata. Fecit, & spatas argenteas, fecit etiam aureas: omnino quicquid eius pulchritudinem posset iuuare. Fecit, & galeas gemmatas: fecit, & buccculas. *Capitolin. in Maximino iuniore.*

Rhemnius Palæmon Grammaticus gloriabatur secum natas esse literas, ac demum secum morituras. Idem Marc. Vari, principem linguæ Latinæ porcum appellare solebat. *Crinit. l. 11. c. 10.*

Paulus Samosatenus hæreticus, dux factus è paupere excreuit in superbiam intolerabilem. Nam incedens per vicos, & compita, doctrinam, & literas ostentabat publice, & notarijs in propatulo, quidquid primum in buccam venisset, dictabat.

Attila Rex Pannonum superbus incessu, huc atq; illuc oculos circumferens, vt elata potentia in ipso corporis motu appareret.

Domi-

Domitianus iactabat in senatu, patri se, & fratri imperium dedisse, illos sibi reddidisse. Gaudebat appellatione Domini, atq. etiam Dei; vnde Eusebius, Primus, inquit, Domitianus Dominum se, & Deum appellari iussit: hinc fluxerunt cuiusdam duo versiculi poetæ assentatoris.

Edictum Domini, Deique nostri,
Quo subsellia certiora fiunt.

Vnde institutum est ab eo, vt ne scripto quidem, aut sermone cuiusquam aliter appellaretur. Statuas sibi in Capitolio non nisi aureas, & argenteas poni permisit. Septembrem, & Octobrem menses ex appellationib. Germanicum, Domitianumq. transnominauit, quod altero suscepisset imperium, altero natus esset.

Maximinus iunior tanta fuit arrogantia, vt manus, ac pedes senatoribus præberet osculandos.

Caius princeps seipsum inter duos retulit, & Iouis maximi nomine statuas eripi sibi imperauit.

Sabor Rex Persarum, vocauit se regem regum, principem siderum, fratrem Solis, & Lunæ. *Herod. l. 2. histor. Plin. 6. natur. histor.*

Salmoneus tonitrua mentitus est, vt Deitatis opinionem sibi vendicaret, sed a Iouis fulmine ad inferos demersus.

Cyrus immani superbia elementis irasci, atque ab ijs reuerentiam exigere non est veritus. Cum .n. ad Babylonicam expeditionē proficisceretur, Gangem fluuium magnitudinis immensæ, in trecentos, ac sexaginta paruos alueos diuisit, affirmans se, ita diminuiturum amnem, vt etiam prægnans fœmina pedibus sine labore eum traiectura esse.

Cambyses Persarum Rex cum Præxaspem interrogasset, quid de Cambyse populi sentirent, respondit: Cambyses in omnibus laudatur, sed vini appetentior æquo est. Arcum itaque quem in manu habebat, retendit, & sagittam in filij pectus direxit. Præ superbia cū audiendi patiens nō esset, in amicū ita seuere sęuijt.

Appion Grammaticus Alexandrinus tanta fuit arrogantia, vt ei immortalitatem polliceretur, cui opera sua nuncupasset.

Demetrius Poliorcetes, Antigoni Macedoniæ regis filius, tanta fuit arrogantia, & insolentia, vt Athenensium legatos biennium suspensos tenuerit sine colloquio, ac demum re infecta, reuerti iusserit.

Menecrates medicus nullam ab his mercedem solebat accipere quibus medebatur: sed hoc tantum petebat, vt liberati se ipsius seruos esse faterentur, eumq. Iouem dicerent.

Nestorius hæreticus, factus præsul Constantinopolitanus, orationē postero die habuit ad populum, arrogantiæ plenam, & superbiæ, qua cęlum se vnicuique daturum promittebat.

C. Nenius Comœdiographus, superbiam suam testatus est Epitaphio, quod sepulchro suo inscribi iussit.

HIEROGLYPHICVM.

In Diuinis sane literis pro arrogantia, atq. superbia *ceruix* accipitur: quare *Psal. 130. Impiorum concisas ceruices*, legas pro edomita superbia. *Pier. Val. l. 32. p. 303. B.*

EMBLEMA.

Superbia.

Emblema LXVII. And. Alciat.

En statua statua, & dictum de marmore marmor,
Se conferre Deis ausa procax Niobe.
Est vitium muliebre superbia, & arguit oris
Duritiem, ac sensus qualis inest lapidi.

FABVLAE.

Aquila, & Aues.

Quodam cœtu alitum, pleriq. illorum de se, & virtutib. suis magnifice loquebantur, celeritatem accipitres, cantum lusciniæ, oscines gloriam augurij, formam pauo, calliditatem perdices, audaciam trochilus, remigandi scientiam anates, præsensionē tempestatis ardea iactabat. Tum aquila nugæ, inquit, istæ sunt, nam quod est optimum, & plurimi fit in hac vita, eo facile omnes vos antecello, vt acutissimo visu oculorum vtar. Quod si quis vestrum credit verum esse, age consideto supra ceruicē meā, & illi ostendam de tam sublimi spatio, vnde ipse vix terrā conspicere possit, me certe omnia, & haud fallente luminis acie cōtueri, &c. Mussitantib. alijs, regulus in aquilam incubans, iubet subuolare, vt experiatur verum vera gloria illa sit: Cum sub nubes penetrasset aquila, Quid, inquit, cernis infra regule? Vix illo terram sibi apparere dicente: At ego isthic, inquit, clare ouē conspicor, & quidem albam mutilata cauda, inq. eam, vt quod dixi tibi certius probem, mox ēt inuolabo. Sed illam ouem grandib. volucribus escam proposuerat auceps, qui laqueis positis intra frondes prope latitabat atque illatam impetu aquilam cepit, & strangulauit. Hoc regulus videns: falso, inquit, gloriata fuisti de perspicacia oculorum, quę caudam mutilatam diceres te cernere, & laqueos atque insidiatorem aucupem non aspexeris.

Fabula coercet elationem, & superbiam animi: Et docet cupiditates acute cernere in ijs modo, q̄ appetunt, ad reliqua esse cæcas.

Galli Gallinacci.

Duo Galli acriter inter se pro gallina dimicabant, ita vt ambo sauciarentur, sed finito prælio, qui victus fuerat, is pudore, & dolore affectus latebras quæsiuit, victor autem in altum parietem euolauit, & quanta maxima voce potuit, canere & alis strepere cœpit. Hunc de improuiso aquila prætervolans rapuit, ita alter, qui se dudum abdiderat, postea sine æmulo gallinarum consuetudine frui potuit.

Docet fabula, Deum ipsum superbis aduersari, mites autem apud illum in gratia esse, &c.

Olla.

Expositam sub dio ollam fictilem vt lutum prius aresceret, q̄ in fornace torreretur, interrogabat imber. Quid nā rei sit? Illa vero, se dolium esse respondit. Dolium, inquit imber, in quo vinū cōdi solet, qd nos aquæ odimus? Peribis igitur, & illā diffecit.

Contra superbiā & fastum: & stultas elationes aiorum hæc fabula narratur. Sæpe.n. fit, vt magnarum rerum professiones, & arrogantia dignitatis, hoies imperitiores euertat atque perdat. Itaque Vlysses ad tantarum rerum effectionem non extollitur, neque splendescit, sed abijcitur & deformatur, idq. diuinitus.

De Nuce & Vepribus.

Nux stirpe pcera & patulis ramis, ppe viā enata, ac iā sub autūni tps fructibus grauis, vicinas vepres spernebat præ se, & verbis insectabatur, vt humiles & infructuosas, infelicesq ac miseras vocabat. in illa deorum hominūq; neglectione. Quæ ista, inquit, & q̄ detestanda contorsio, & deprauatio vr̄a? Quis autē vos non simul atq tetigit, mox execratur vobisq; maledicit? Mea vero, videtis, q̄ stipitis sit firmitas, q̄ ramorū densitas, q̄ foliorū amplitudo, q̄ fructuū copia, atq; his dictis cōcusso comāte vertice, iacentes vepres supbissime despiciebat. Veniūt mox hoies omnis ætatis ac sexus, viri, mulieres, virgines, pueri, ac fustib. saxisq. nucē petunt, maturosq. fructus decutiūt, & lōgis pticis verberāt, neq; folia modo dissipāt, sed ramos ēt diffringūt atque lacerant, spoliatamq. ipsam male multatā discedentes relinquunt. Tum vepres non quidem arrepta occasione illam derisisse in calamitate, quod inhumanissimū esse scirent, sed in casuum & fortunæ incertæ atque dubiæ consideratione; hūc Menandri versum inter se memorasse accepimus, huius sententiæ.

Beatus est cui mens bona & res obtigit.

Illinc vero hos Euripidis.

Ὄλβου δ' ἐπιρρυέντος εὐτυχέστερος
Ἄλλου γένοιτ' ἂν ἄλλος, εὐδαίμων δ' ἂν οὔ.

Aliunde etiam hæc.

Multorum opes malorum hominibus caussa sunt.

Vide, Arrogantia.

SVPERFLVITAS.

DEFINITIO, ET ETYMOL.

Superfluitas, Græce [illegible], superfluus dicitur. Venit autem superfluitas à superfluo, quod est superabundo, estque superabundantia quædam.

PATRVM SENTENTIAE.

Nihil tam necessarium, quam cognoscere quid sibi necessarium. *Amb. ad Vercellen.*

Simplex vestimentum dicimr, quidquid necessarium est alicui secundum qualitatem loci, vel temporis. Duplex autem quod extra necessitatem est: non enim duas dicit, vt quis in locis Scoticę glaciali niue rigentibus vnica tunica debeat esse cōtentus: sed quomodo in tunica vestimentum intelligimus ne alio vestiti; aliud nobis futurorum timore seruemus. *Hieron. in Matth. 10.*

Quicquid corpora nostra defendere potest, & humanæ succurrere imbecillitati, quos nudos natura profudit, hæc vna appellanda est tunica, & quicquid in præsentibus alimentis est necessarium, hoc vnius diei victus appellatur. *Hier. 23. ad Fabiolam.*

SVPERSTITIO.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Superstitio, Græce δεισιδαιμονία & δεισιδαίμων, ονος, ὁ, superstitiosus dicitur. Est autem superstitio vitium religioni oppositū secundum excessum, *secund. S. Th. 2. 2. q. 92. ar. 10.*

Superstitio est vitium contrarium religioni, non quia plus exhibeat in cultum diuinum, quam vera religio: sed quia exhibet cultum diuinum, vel cui non debet, vel eo modo, quo nō debet.

SENTENTIAE HIST.

Vt perniciosa est incredulitas, & contemptus signorum diuinitus oblatorum; ita superstitio etiam noxia est, quæ cum aquæ instar ad subsidia delabentis animum trepidum stolida timiditate cōplet. *Plutar. in Alex.*

Humanarum mentium ludibrium superstitio. *Curtius, lib. 6.*

Nihil in speciē fallacius est q̄ praua religio. vbi deorū numen prætenditur sceleribus, subit aīum timor, nec fraudib. humanis vindicadis, diuini iuris immistum aliquid videmus. *Liuius, Decad. 4. l. 9.*

Sunt

Sunt mobiles ad superstitionem perculsæ semel mentes. *Tacit. An nal.lib.1.*

Multa vana sub nomine celebri vulgantur. *Idem, Ann.l.6.*

Quæcumque a vero aberrant, misericordia potius quam odio digni sunt. Non enim hi vel captantur, vel labuntur volentes, sed bom furfitan ducti cupiditate, & si alioquin iudicio falsi, conceptis opinionibus, qualescumq; sint peruiocius hæret. *Agat.l.1.*

In ostentorum, & prodigiorum consideratione nimiam, & credulitatem, & incredulitatem periculosam efficit humana imbecillitas, cum ea non intra certos terminos se contineat, sed effertur vel ad superstitionem, inflatusque de ijs sententiam, vel ad contemptum religionis. Optimum est cautionem adhibere, ac ne quid nimis. *Plut.in Camil.*

APOPHTHEGMATA.

Leotychidas. Cum portæ Leotychidi proximæ clauem draco circũuolutus esset complexus, idque augures affirmarent esse portentum: Mihi, inquit, nequaquam videtur: sed si clauis fuisset circũplexa draconem, portentum erat. Lepide irrisit hominum superstitionem, qui terrentur his quæ casu, non præter naturam accidunt. Hunc mortalis ingenij morbum alunt augures, arioli, auspices, ac diuini. Verum vbi quis præter rectum, & honestum instituit nefaria consilia, tum oportebat horrere portentum, & aliquid mali sequuturum expectare. *Plut.*

Peri les. Quum vrgeret belli necessitas, Palladis ornamenta vendidit quadraginta talentis auri, & admirantibus ab illo rem sacrilegam admitti, respondit: Ea hostium manubijs posse illi reddi cultum nihilo deteriorem *P.M.l.8 apoph.*

Idem. Ad bellum profecturus, cum suam ipse triremem conscenderet, solis deliquium accidit, tenebræque obortæ in prodigium magnum tractæ omnium animos consternauerunt. Ibi Pericles cum videret gubernatorem ingenti timore captum, oculis eius chlamydem prætendit, percontatusque est, an horribile aliquid id effectum, aut portentum eo facto putaret? negauit. At quid interest, ait, inter illas & has tenebras? nisi quod maius est id a quo illæ sunt inductæ. *Plut.*

Idem. Aegrotans, amico cuidam eum inuisenti, ostendit amuletum collo sibi circumligatum a mulieribus, addens pessime se affectum esse qui talem stultitiam in se admisisset. *Plut in Pericle.*

Agesil. aus rex quum adstantem aræ Palladis, cui apud Spartanos ab æreo delubro χαλκιοίκου cognomen est, vt bouem immolaret, mordisset pediculus, non adnersus est, sed arreptum palam, omnibus occidit: Per Deos, inquiens, occidam insidiatorem lubens, vel in ipsa ara, videlicet declarauit animum, nec inepto pudore, nec superstitioni obnoxium. *Plut.in Lac.*

Idem. Philippus quidam erat professor Orphei mysteria, & his alios initiare solitus: is quum esset extremæ paupertatis, tamen apud Leotychidã dicebat, eos qui apud ipsum Orphei sacris initiati essent post obitũ fore beatos: Quin igitur, inquit, o demẽs, q̃ocyssime vitã abrumpis, vt desinas infelicitatem tuam, ac inopiã deplorare? O animum ab omni superstitione liberum! Post hanc vitam felices erunt, qui hic pie iusteque vixerint, non qui fictis ceremonijs fuerint initiati. Hoc persuasum erat Lacedæmonijs, qui hic pie vixissent eos ab obitu fieri diuos. *Plut.in Lac.*

Epaminondas cum aliquoties ad hostem cum copijs accederet, & tonitru exaudiretur interrogantibus suis quid significaret eo tonitru putaret, respondit, superstitionem eorum irridens, Deũ attonitos reddidisse hostes, stuporemque incussisse, qui cum pæpe apta loca essent, iniquo loco castra ponerent. *Plut.in apoph.*

Lucullus quum in Armeniam cum decem millibus armatorum, & mille equitibus aduersus Tigranem tenderet, centum quinquaginta hominum millia habentẽ in exercitu, pridie nonas Octobreis, quo die prius Scipionis copiæ deletæ fuerant, quodam admonẽte, quod Romani diem illum vt nefastum, & inauspicatum metuerent: Ergo, inquit, hodie alacriter pugnemus, vt hunc quoque diem ex nefasto funestoque Romanis hilarem, & auspicatum reddamus. *Plut.in Rom.apoph.*

M.Crass. confecturo cum Parthis, cẽtra è manibus deciderũt: hoc tum cæteris, vt inauspicatum interpretantibus, ac prælium dissuadentibus: Huiusmodi, inquit, incommoda multa nobis senectus adfert: at arma tamen numquam e manibus mihi ceciderunt. *Plut.in Crasso.*

M.Cato. Vetus illud Catonis admodũ scitum est, qui mirari se aiebat, quod non rideret aruspex aruspicem cum vidisset. Quota enim res quæque euenit, prædicta ab istis? aut si euenerit quippiã quid adferri potest, cur non casu euenerit. *Cic.l.2.de Diuin.*

Alphonsus cum triumphalem currum ascenderet, non defuerunt qui admonerent, vt triumphantium more vultum miniolli[...]ret. Verum rea cum hoc contemneret, dixisse fertur miniũ Baccho soli conuenire, qui non solum triumphi, sed vini etiam repertor extitisset. *Ant.Panor.de reb.gest.Alphonsi.*

Pythagoras dicebat sacrificia stultorum ignis esse alimenta, eorũq; anathemata victum sacrilegis suppeditare. *Stob.ser.4.*

Demonax accusatus, quod numquam sacrificasset Mineruæ: Numquam, inquit, existimaui illi meis victimis opus esse. Notãs inepiam vulgi superstitionem, qui putabat Deos hostiarum odore delectari. *P.M.l.8.apoph.*

Idem. Cuidam dicenti: Eamus in Aesculapij templum, o Demonax, pro filij salute deprecaturi Deum: Adeone, inquit, surdastrum existimas Deom, vt nos nisi in templo non sit auditurus? *P.M.l.8.apoph.*

SIMILITVDINES.

Plutarch. Vt tremunt qui vrsorum, aut draconum lustra adeunt: Sic superstitiosi cum tractãt diuina, existimantes Deos semper paratos ad nocendum. *in Moral.*

Non timet mare qui non nauigat, non bellum, qui non bellat, non latrones domi manens, non calumniatorem pauper, non inuidiam priuatus: non terræmotum, qui est in Galatia, non fulmẽ qui est in Aethiopia: At superstitiosus omnia timet, terram, mare, aerem, cœlum, tenebras, lumen, strepitum, silentium, somnium. *In Moral.*

Si fieri potest, lippitudinem auferimus ab oculis: si id non licet, non tamen eruimus oculum: Ita si superstitio tolli protsus non põt, non tamen protinus credendum, nullos esse Deos. *in Mor.*

Licet seruis quibus spes non est libertatis, ad principis statuam cõfugere, venditionem postulare, mutare dominum, si durius habiti sunt, quam ferre possint: Superstitiosis nec hoc, cum omnes Deos metuant. *in Moral.*

Gubernator videns insurgere tempestatem, Deorum auxilium implorat, nihilo segnius interim clauum moderans, & antennam detrahens: At superstitiosus despondet animum. *in Moral.*

Polycrates tyrannus non erat formidabilis, nisi Sami, Periander Corinthi, desinebat metuere, qui illinc in liberam ciuitatem emigrasset: At superstitiosus non habet quo confugiat, vt metu liberetur. *In Moral.*

Serui cum dormiunt, non timent heros, vincti obliuiscuntur compedum in somno: vlcera, carcinomata, & grauissimi etiam cruciatus conquiescunt: Sola superstitio eõam dormientem infestat. *In Moral.*

Quidam dum stulte fugiunt latrones, aut feras, in ea incidunt, & in barathra, aut præcipitia: Sic quidam superstitionem ita fugiunt, vt incidant in impietatem, cum in medio sit pietas. *In Mor.*

P.M. Latrones aut fugitiui, si aram, aut statuam apprehenderint, tuti sunt: At hic maxime trepidat superstitiosus. *In similibus.*

Carbunculi gignis, & nomen & speciem habent, cum ignem non lentiant, vnde & apyrotæ dicti: Ita quidam pietatis opinionem, & imaginem obtinent, cum a re sint alienissimi. *In simil.*

PROFANA EXEMPLA.

Hetrusci Romanæ superstitionis magistri fuerunt: ad quos sex patriciorum filij singulis annis religionis addiscendæ ergo mittebantur. *Val. Max. l.1.c.1.*

Cum in feminas superstitionis duces & auctores esse existimant. Ex enim sunt, quæ viros ad Deorum cultus, ad dies festos, ad venerationes, ad preces inuitent amplius: rarumque est, vt vir quispiam sine vxoribus solus degens, talis reperiatur. *Strab.l.7.ex Menandro.*

Romæ publice Febri fanum in palatio dicatum est: Orbonæ ad ædẽ Larium ara: & Malæ fortunæ Exquilijs. Quamobrem maior cœlitum populus etiam, quam hominum intelligi potest, cum singuli quoque ex semetipsis totidem Deos faciant, Iunones Geniosque adoptando sibi. *Plin.l.2.c.7.*

Nationem esse omnium Gallorum admodum deditam religionibus scripsit. *Cæs.l.6.de Bello Gall.*

De Polonorum & Slauorum idololatria ante susceptum Christianismum. *Cromerus l.3.differit.*

Lituani olim superstitiosissimi fuere: Ignem, Fulmen, Lucos, Arbores proceras: Viperas item & Serpentes colebant. *Cromerus l.15.*

Qui sub polo habitãt Arctico, Solem & Lunam adorant: pannum quin etiam rubeum in pertica suspensum: nonnulli quicquid primo diluculo in cœlo, terra, vel aquis viuum apparuerit, hoc ipsum vsque ad crepusculum eiusdem diei pro numine adorant. *Olaus magnus l.3.c.2.*

Indi omnes, multos diuersosque Deos colunt: eos habent pictos fictosve statuis: nempe ligneis, terreis, argenteisve.

Peruana regio Deos, aulum torna, gryphum, ceruorum, & aliorum animalium exhibet: interdum etiam caudatos Satyrorum specie. *Ioan. Metellus.*

Vide Religio.

SVPPLICIVM.

LOCI BIBLICI.

Supplicιorum genera quadruplicia fuerunt apud Iudæos: Strangulatio, Gladius, Lapidatio, & Combustio, antequam Herodes, & post Herodem Romani, totum hunc ordinem perturbasset, quorum postremum non dubium est, quin fuerit grauissimum. Inde etiam factum, vt æternas illas pœnas cum ignis supplicio passim Scriptores comparent. *Vide Matth.5.22.*

Culpa quam pœna tempore prior, emendari quam peccare poſterius eſt. *Tacit. Ann. l. 15.*

Maius exemplum eſt viuentis miſerabiliter criminoſi, quam occiſi. *Vulc. Gallic. in Auid. Caſſio.*

Humilium ſupplicia neceſſaria ſunt vbi res poſtulat: ſed de nobilibus ſontibus illuſtres pœnæ propalam ſumptæ, oculos animoſque mortalium magis mouent, ſplendidioreque exemplo afficiunt. Magnorum virorum peccata vulgo propoſita ſunt ad imitandum, & vt publico fœdere, communique cauſa, idem cæteris, quod illis ius faſque videtur. Neceſſe eſt igitur & monumenta plectendorum ſcelerum terroreſque in clariſſimis ceruicib. ſtatui: vt quod vindicatum in ſummis eſt, id in ſe diſſimulatum minime iri vulgus ſentiat: & qui metus malis eſt, bonis ſalutiq; publicæ ſit fiducia: quibus duabus rebus communis vita cõſtat. *P. Aemil. l. 8.*

Magnitudo pœnæ non deterret homines a ſceleribus incitatos vehementi cupiditate, & magna ſpe. Eſt quidem in omnibus ciuitatibus conſtituta pœna mors, etiam leuioribus delictis, quam eſt defectionis crimen, & fœderum infractio: ſed tamen homines ſpe incitati adeunt pericula, neque quiſquam ruit in periculum, ſi firmiter ſibi perſuaſerit, ſe non euaſurum eſſe. Natura omnes publice & priuatim proni ſumus ad delinquendum: nec lex aut pœna quidem a leuioribus pœnis ad ſummas peruentũ ſit, vt audacia ſceleratorum frenaretur. Conſentaneum enim eſt, olim minores pœnas ſummorum ſcelerum fuiſſe, quæ cum homines a ſceleribus patrandis minime deterrerent, ventum eſt ad mortem, quæ tamen & ipſa homines a male agendo non reuocat. Aut igitur alius excogitandus eſt terror vehemẽtior, aut ne quidem capitali pœna homines coerceri poſſunt. Sed ruunt homines in pericula, impulſi vel neceſſitate, vel petulantia, vel ira. Pauperes neceſſitate mouentur: petulantiæ ſatis cauſæ eſt licẽtia: ira occaſio eſt, vt quiſque inſanabili affectu tenetur. Deinde vincuntur homines cupiditate, & ſpe, quarum altera dux eſt, altera comes: altera ad aggrediendum incitat, altera viam monſtrat: & expetita bona, quamquam incerta, tamen plus mouent animos, quam certæ pœnæ, quæ ſunt in conſpectu. Adiuuat & occaſio aggreſſuros aliquid: quæ cum ſe offert præter opinionem, etiam ſi vires alioqui minores ſint, incitat, vt periculum adeant, præcipue ciuitates, quia hæ res maximas concupiſcunt, videlicet libertatem, & imperium. & ſinguli cum vniuerſis ciuibus coniunctis maiora imaginãtur. Quare ſimpliciter impoſſibile, & ſtultum eſt, metu legum, aut pœnarum humanam naturam cupiditate ardentem deterrere. *Thucyd. l. 3.*

Si ſceleratus dominus flagellatur, ſerui reſipiſcent: & vt ſubditi in illaudatis rebus principem imitari ſolent; ita etiam ſi is flagellatur, & publicæ vtilitati ſeruire cogatur, hi eum vt matrem filius ſequentur. *Nicetas in Andronic. Comn. l. 2.*

Vide Pœna, Punitio.

SVSPICIO.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Svſpicio, Græce ὑποψία, ας, ἡ, & ὑπόψομαι ſuſpectus, dicitur. Eſt autem ſuſpicio, acceptio vnius partis cum formidine alterius, *ſecundum Ciceronem.*

Suſpicio eſt opinio mali ex leuibus ſignis, *ſecundum S. Thom. 2. 2. q. 60. art. 4.*

SENTENTIAE PATRVM.

Sicut difficile aliquem ſuſpicatur malum, qui bonus eſt: ſic difficile aliquem ſuſpicatur bonum, qui ipſe malus eſt. *Chryſoſt. ſuper Matth.*

Omnis homo ex ſe æſtimat alterum: fornicarius neminem putat caſtum, caſtus de fornicario non facile ſuſpicatur, ſuperbus neminem putat humilem, humilis neminem putat eſſe ſuperbum: ſic qui non eſt ex Deo ſacerdos, neminem putat ſacerdotem ex Deo. *ibid.*

Facilius vitia vniuſcuiuſque quam virtutes intendimus: nec quid boni quiſque geſſerit, agnoſcere, ſed quid mali egerit perſcrutamur. *Iſid. l. 3. de ſum. bono.*

Fidelem ſi putaueris, facile quidem fallere docuerunt, dum timent falli, & illius peccati occaſionem ſuſpicando defecerunt. *Senec. epiſt. 2.*

Hoc habet omnis affectus: vt in quod ipſe inſanit, in idem putet cæteros inſanire. *l. de moribus.*

POETICÆ SENTENTIAE.

Suſpicio vitanda ex qua corruptum iudicium.

Anthol. Sacr. Iac. Bill.

Culpare in quoquam, quæ non ſunt nota, malignum eſt,
Præſertim ſi, quæ cognita ſunt, bona ſunt,
Non pateant faciles ſunt rumoribus aures.
Quæ neſcire iuuat, credere non libeat.
Linquantur ſecreta Deo, qui ſi quid opertum eſt
Inſpicit, & nullis indiget indicibus.

APOPHTHEGMATA.

Lyſander militem, qui de via deflexerat, caſtigauit. Ei dicenti ad nullius rei rapinam ſe ab agmine receſſiſſe, ne ſpeciem quidem, inquit, rapturi præbeas volo. *P. M. l. 6. apoph.*

Phocion. Athenienſes cum ex oraculo intellexiſſent, in ciuitate vnicum tantum eſſe virum, qui cunctorum ſententijs aduerſaretur, populus vociferãs, iubebat illum ſtatim inquiri, vt occideretur. Phocion autem cum varias ſuſpiciones eſſe in viros bonos intelligeret: Ego ſum ille, inquit, de quo dixit oraculum. Et hæc quidem ideo dixit in ſummo conſtitutus periculo, ne ſuſpicio ad innocentem aliquem deuolueretur. *Plut. in Græc. apoph.*

Olympias. Quum accepiſſet Alexandrum filium (vt alij, Philippum maritum) adamare fœminam, a qua putabatur amatorijs veneniis corruptus, accerſiuit ad ſe mulierem: quumque præter inſignem formam comperiſſet in ea mores liberales, & ingenium egregie doctum; Valeant, inquit, qui te inſimulant veneficij, Nam tete quidem pharmacum in te ipſa ac philtrum habes. *P. M. lib. 6. apoph. ex Plut.*

SIMILITVDINES.

Plutarchi, Vt morbus in corpore non admittente, quod proprium eſt, multarum noxiarum, & abſurdarum rerum gignit appetentiam: Ita calumnia ſuſpicioque aduerſus cognatos, & domeſticos, malas & noxias aliorum neceſſitudines inducit. *In Moral.*

Thriueri. Quemadmodum qui vlceribus laborant, timidiſſime tactum omnem reformidant, ac refugiunt; Sic male conſcij homines, vbique prompta laborant ſuſpicione, *in apoph. 231.*

EXEMPLA BIBLICA.

Suſpicionis *exempla:* Abraham, *Gen. 20. v. 11.* Laban, 31. 20. Iacob, 37. 33. Putiphar, 39. 19. Fratres Ioſeph, 43. 18. Filij Iſrael, *Ioſ. 22. 11. 12.* Socer Samſonis, *Iud. 15. 2.* Eli, *1. Sam. 1. 13.* Saul, 20. *v.* 30. & 22. 8. Principes Philiſthæorum, 29. 4. Principes filiorum Ammon, *2. Sam. 10. 3. 1. Paral. 19. 3.* Rex Syriæ, *2. Reg. 5. 5.* Aſſuerus, *Eſth. 3. 11. & 7. 8.* Ierias portæ cuſtos, *Ier. 37. 2.* Azarias, 43. 2. 3. Tortores Eleazari, *2. Mach. 6. 28. 29.* Diſcipuli, *Matth. 14. 25. 26. Act. 9. 26.* Simon Phariſæus, *Luc. 7. 39.* Iudæi, *Actor. 2. 13. & 21. v. 29.* Plebs & Magiſtratus, 16. 24. Lyſias, *v.* 38. Barbari, 28. 4.

FINIS LIBRI DECIMISEPTIMI.

POLYANTHEAE NOVISSIMAE LIBER XVIII.

T

TABVLA.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Tabula, Græce *σανὶς, ἴδος, ἡ*, dicitur. Tabula secunda post naufragium, peccatorum est pœnitentia, & verecundia, *secundum B. Thom. 3. par. q. 84. art. 60.*

Loci Biblici.

Tabulæ testimonij Mosi datæ, *Exod 31. 18. & 32. 15.* lapideæ erant, & digito Dei scriptæ, *32. 18. & 32, 16. Deut. 9. 10.* Tabulæ lapideæ, *2. Cor. 3. 3.* Adumbrabant humani ingenij summam duriciem, a qua cor hominis non regenerati lapis denominatur, *Ezech. 11. 19 & 36, 26.* cui opponitur cor carneum, non quod in carne versatur, sed e contrario, quod vi Spiritus Dei factum est mollius, vt in eo tamquam nouis tabulis Euangelij gratia possit insculpi, vt prædictum fuit, *Ier. 31. 31.*

Tabulæ testimonij franguntur, *Exod. 32. 19, Deut. 9. v. 17.* Dei iussu alteræ fiunt, *Exod. 34. vers. 14.* in arca reconduntur, *Deut. 10. 5. Hebr. 9. 4.*

Sententiæ Philosophicæ.

De tabulis pictis. Dial. XL.

Francisci Petrarch.

D O L.

Pictis tabulis delector. R. Inanis delectatio, nec minor vanitas, quam magnorum hominum sæpe fuit, nec tolerabilior, quam antiqua. Siquidem omne malum exemplum tunc fit pessimum, quando illi vel authorum pondus adiungitur, vel annorum vndecumque ortæ consuetudinis robur ingens consenuerit, & vt bona in melius, sic mala in peius ætas prouehit. Sed vtinam, qui maiores nostros vanis in rebus facile vincitis, eosdem in serijs æquaretis, virtutemque cum illis & gloriam miraremini, cum quibus pictas tabulas sine fine miramini. G. Valde vtique pictas tabulas miror. R. O mirus humani furor animi omnia mirantis nisi se, quo inter cuncta non solum artis, sed naturæ opera nullum mirabilius. G. Pictæ delectant tabulæ. R. Quid de hoc sentiam ex iam pictis intelligere potuisti. Omnis quidem terrena delectatio si consilio regeretur, ad amorem cœlestis erigeret, & originis admoneret. Nam quis vmquam quæso riui appetens fontem odit: At vos graues, humi accliues, affixique cœlum suspicere non audetis, & obliti opificem illum solis ac lunæ tanta cũ voluptate tenuissimas picturas aspicitis, atque vnde transitus erat ad alta dispositus: illic meram figitis intellectus. G. Pictis tabulis delector vnice. R. Penicillo, & coloribus delectaris, in quibus & precium, & ars placet, ac varietas, & curiosa dispersio. Sic exanguium viui gestus, atque immobilium motus imaginũ & postibus erumpentes effigies, ac vultuum spirantium lineamenta suspendunt, vt hinc erupturas paulo minus præstoleris voces, & est hæc in re periculũ, quod his magna maxime capiuntur ingenia. Itaq; vbi agrestis læto & breui stupore prætereat, illic ingeniosus suspirans, ac venerabundus inhæreat. Operosũ sane, neque tamen huius est operis ab initio artis originem, ac incrementa retexere, & miracula operum, & artificum industrias, & principum insanias, & enormia precia, quibus hæc trãs maria mercati Romæ in templis Deorũ, aut Cæsarum in thalamis, inque publicis plateis, ac porticibus consecrarunt. neque id satis nisi ipsi huic arti dexteras, atque animos maiori exercitio debitos applicarent; quod iam ante nobilissimi Philosophorum Græciæ fecerant. Vnde effectum vt pictura diu quidem apud vos vt naturæ coniunctior ante omnes mechanicas in precio esset. Apud Graios vero (si quid Plinio creditis) in primo gradu liberalium habetur. Mitto hæc, quoniam & intentæ breuitati, & præsenti proposito, quodammodo sunt aduersa. videri enim possunt morbum ipsum, cuius remedium pollicebar alere, & rerum claritas stupentis amentiam excusare. Sed iam dixi, nihil errori detrahit errantium magnitudo. Immo hæc quidem ideo attigerim, vt liqueret mali huius quanta vis esset, ad quam tot tantisq. sit ingenijs conspiratum, cui & vulgus errorum princeps, & cõsuetudinum genetrix longa dies, cumulusq. ingens omniũ malorum semper authoritas, accesserint, vt voluptas stuporq. animos ab altiore furti contemplatione dimoueat, distrahatq;. Tu autem, si hæc ficta, & adumbrata fucis inanibus vsque adeo delectant, attolle oculos ad illum, qui os humanum sensibus, animã intellectu, cœlum astris, floribus terram pinxit, spernes quos mirabaris artifices.

TACITVRNITAS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Taciturnitas, Græce *ἐχεμυθία, σιωπηλότης, ητος, ἡ* & *σιωπάω*, taceo dicitur. Hebr. *Dom.* & *Demamah*, a verbo *Damah*, domuit, compescuit, subiecit. Hinc *δαμάω, δαμάζω*, & Lat. domo, domas, domare. Victoria magna, compescere linguam prudenti, & pertinaci silentio. Est autem taciturnitas, qua mentes circumspicientes quid deceat, & quid non, silent cogitabundæ: nec putant proferendum, antequam mature cuncta, examussim disputarint, ne ex ore magis quam ex pectore erumpat oratio. Huius oppositum est linguacitas. Vnde dicaces, locutuleij, blaterones, linguaces, bambalones, & futiles a veteribus sunt nominati.

Taciturnitas in dicendis, & locutio in tacendis est peccatum, *secund. B. Thom. 2. 2. q. 73. art.*

Taciturnitas est obseruantiæ genus, in silentio, ac secreta seruando constituta. Terent. in And. *Sed ijs, quas semper in te intellexi sitas, & fide & taciturnitate.*

Tacitus, qui tacet, & scit tenere secreta. Taciturnitas, qui natura facile tacet. Diminutiuum, taciturnulus.

Loci Biblici.

Taciturnitas laudatur, *Prou. 10. 19. & 17. 27. Eccl. 20. 1.*

Sententiæ Patrum.

Quam plures vidi loquendo in peccatum incidisse, vix quemquam tacendo: Ideoque tacere nosse difficilius est, quam loqui. Scio loqui plerosque cum tacere nesciant. Rarum est tacere quemquam, cum sibi loqui nihil prosit: sapiens est ergo, qui nouit tacere. *Ambr. l. 1. de offic.*

Silendi patientia, opportunitas loquendi, & contemptus diuitiarum, sunt maxima fundamenta virtutum. *ibid.*

Diu considera quid loquendum sit, & adhuc tacens, prouide, ne quid dixisse pœniteat: sapiens vt loquatur, multa prius consideret: quid aut cui, quo loco, vel tempore dicat. *Hieronym. in quadam Epist.*

Ille scit recte dicere, qui & ordinate nouit tacere. *Gregor. in Moral.*

Plerumque nimis taciti, quum iniuste aliqua patiuntur, eo in acriorem dolorem prodeunt, vulnera quippe clausa plus cruciant, quia quum putredo, quæ intus feruet, eijcitur, ad salutẽ dolor aperitur. *In past.*

Sancti viri, quum prodesse audientibus nequeunt, etiam despicita centes volunt. *In quadam homil.*

Quasi quoddam nutrimentum verbi est censura silentij: & recte quandoque excrescentiam sermonis accipit, qui prius ordinate per humilitatem tacet. *In Ezech.*

Sicut incauta locutio in errorem pertrahit, ita indiscretum silentium eos, qui erudiri poterant, in errore relinquit. *In past.*

Vtinam recedendo, vel tacendo compesceret, quos respondendo non potuit: quia malitia nõ docetur sermonibus, sed excitatur, vnde malum hominem tacendo melius, quam respondẽdo vincere potes. *Chrys. sup. Matth. c. 21.*

Et loqui, & tacere, perfectio est. Est autem vtriusque partis, causa, verborum tenuisse mensuram. Aliquoties nimia taciturnitas stultitiæ adscribitur, sicut verborum nimietas ad furorem refertur, secundum illud sapientis: est tacens non habens sensum,

loquelæ, & sit tacens sciens tempus apti temporis: de qua re si nostri sententiam requiras arbitrij iam malo aliquis in tacendo stultus, quam nimium loquendo iudicetur insanus. *Val. Episcop. in quodam serm.*

Hirundinem in domo non suscipiendam, id est, garrulos & verbosos sub eodem tecto non habendos, dicebat Aristot. *Hieron. l. 2. contra Ruffinum.*

Hæc regalis procul dubio virtus celerius necessaria sentire, & tardius in verba prorumpere: nescit enim pœnitenda loqui, qui proferenda suo prius tradit examini. *Cassiod. l. 3.*

Natura compertum est, vt omnibus artibus hoc sit scientiæ preciosior pompa, quo rarior.

Pythagoras discipulis aduenientibus, prius legitur tacendi patientiam, quam loquendi monstrasse doctrinam, & sic incipientem quemque inter disputantium coætaneorum cathedras mutuum sustinuisse quinquennium, vt etiam celeriora quorumpiam ingenia non liceret ante laudari, quam deberent agnosci. Quia donec scientiam non cōbiberis, non maior est gloria dixisse, quod noueris, quam siluisse quod nescias. *Sidon. epist. lib. 7.*

Pythagoras hanc in studijs suis consuetudinem seruasse legitur, vt vsque ad septennium iuxta numerum septem liberalium artiū nullus discipulorum suorum de his, quæ ab ipso dicebantur, rationem poscere auderet, sed fidem dare verbis magistri, quousque omnia audiuisset: Scholares vero nostri, aut nolunt, aut nesciunt modum congruum in discēdo seruare, & idcirco multos studentes, paucos sapientes inuenimus. *Hug. in didascolicon. l. 3.*

Malum hominem melius potest tacendo aliquis vincere, quam respondendo. Quia malitia non instruitur sermonibus, sed excitatur. Ideo dominus recedendo compescere studuit, quos respondendo non compescuit. *Ioan. Chrysost. super Matth.*

Sint tua verba pauca. Tolle verbositatem sermonis superflui. Multiloquium non effugiet culpam. Linguosus homo imperitus est. Sapiens vero paucis vtitur verbis. *Isidor. Soliloquior. c. 31.*

Qui ociosa verba non reprimis, ad noxia cito transis. Si sermo tuus irreprehensibilis, expectatione audientiū vtilis est. *ibid. 2.*

SENTENTIÆ POETICAE.

Lucian.

[illegible Greek]
[illegible Greek]
At cauorum verborum linguæ sigillum imponatur,
Prestantior enim sermonum quam possessionum custodia.

Palladas.

[illegible Greek]
[illegible Greek]
[illegible Greek]
[illegible Greek]
Magna eruditio inter homines silentium.
Testem Pythagoram sapientem ipsum habeo.
Qui loqui sciens docebat tacere:
Remedium quietis potens inueniens.

Incertus Interpres.

Non mediocre bonum seruata silentia prabent,
Huius Pythagoras non leuis author erat,
Qui fari callens alios reticere docebat.
Inueniens mentis corda quieta suis.
[illegible Greek]
[illegible Greek]
Quilibet indoctus prudentissimus est tacens,
Sermonem occultans veluti passionem turpissimam.

Aleatur expressit.

Quum tacet haud quicquam differt sapientibus amens:
Stultitiæ est index linguaque voxque sua.
Ergo premat labium digitoque silentia signet,
Et sese Pythiam vertat in Harpocratem.

Borbonius.

Nobile lingua bonum, si fari in tempore noris:
Nobile lingua malum, si fari in tempore nescis.

Menander.

[illegible Greek]
Lingua maxime vbique conare imperare.
[illegible Greek]
Linguam stultam damnum subsequitur.
[illegible Greek]
Per silentium autem amarius accusat.
[illegible Greek]
Nonnullis tacere est præstantius, quam loqui.
[illegible Greek]
Contemptibile quid est taciturnus mos.
[illegible Greek]
Lingua multos ad interitum attraxit.
[illegible Greek]
Vel dic aliquid silentio præstantius, vel silentium habe.
[illegible Greek]
Multis tegmen est silentium est.

[illegible Greek]
Lingua multorum est causa malorum.
[illegible Greek]
Vel oportet tacere, vel dicere meliora.
[illegible Greek]
Melius est tacere quam loqui, quæ non decent.
[illegible Greek]
Nihil silentio est vtilius.
[illegible Greek]
Silentium interdum eloquentius sermone.
[illegible Greek]
Est vbi oporteat tacere, & loqui vbi oportet.
[illegible Greek]
Considerare melius, quam silentium habere.

Plautus in Cistellaria.

Tacere nequeo, quod tacito vsus est.

Idem in Rudente.

Tacita mulier est bona semper, quam loquens.

Terent. in comœd. 5.

Tua quod nihil refert, percunctari desinas.

Ouid. Art. lib. 2.

Exigua est virtus præstare silentia rebus.
At contra grauis culpa, tacenda loqui.

Idem lib. 3. Amorum.

Quis furor est, quæ nocte latent in luce fateri?
Et quæ clam facias, facta referre palam?

Martialis lib. 5. ad Posthumum.

Quæ mihi præstiteris memini semperque tenebo,
Cur igitur taceo Posthume, tu loqueris?
Incipio quoties alicui tua dona referre:
Protinus exclamat, Dixerat ipse mihi,
Non belle quædam faciunt duo: sufficit vnus
Huic operi: si vis vt loquar, ipse tace.
Crede mihi, quamuis ingentia, Posthume, dona:
Authoris pereunt garrulitate sui.

Hor. Epist. lib. 1. 19. ad Lollium.

Protinus vt moneam (si quid monitoris eges tu)
Quid de quoque viro, & cui dicas, sæpe videto.
Percontatorem fugito: nam garrulus idem est.
Nec retinent patulæ commissa fideliter aures.
Et semel emissum volat irreuocabile verbum.

Idem serm. lib. 1. Sat. 4.

Absentem qui rodit amicum
Qui non defendit alio culpante, solutos
Qui captat risus hominum famamque dicacis,
Fingere qui non visa potest, commissa tacere
Qui nequit: hic niger est, hunc tu Romane caueto.

Pit. per Auson.

Loqui ignorabit, qui tacere nescit.

Plaut. Pers.

Ne hoc quicquam homini dicerem, edictum est mihi
Magnopere, nec quicquam homini crederem: omnes muti vt prius
Loquerentur nec quam ego.

Auson. Paulino, Epist. 12.

Vnde istam meruit non felix charta repulsam,
Spernit tam longe cessatio quam tua fastu?
Hostis ab hoste tamen per barbara verba salutem
Accipit, & salue mediis intelligit armis.
Respondent & saxa homini, percussus ab antris
Sermo redit, redit et nemorum vocalis imago.
Littorei clamant scopuli, dant murmura riui,
Somniferumque canit sepes depasta susurrum,
Est & arundineis modulatio Musica ripis.
Atque arguta suis loquitur coma pinea ventis,
Incubuit folijs quoties leuis Eurus acutis.
Dindymaque Idæo respondent cantica luco,
Nil mutum natura dedit, non aeris ales,
Quadrupedesue silent: habet & sua sibila serpens,
Et pecus æquoreum tenui vice vocis anhelat.
Cymbala dant flatu sonitum: dant pulpita saltu
Icta pedum: tentis reboant caua tympana tergis.
Isiacos agitant Mareotica sistra tumultus
Nec Dodonæi cessat tinnitus aheni,
In numerum quoties radijs ferientibus ista
Respondent doctæ moderato verbere peluis.
Tu velut Oebalijs habites taciturnus Amyclis,
Aut tua Sigalion Aegyptius oscula signet,
Obnixus Pauline taces.

Terent. in Eunuch.

Tu pol si sapis, quod scis, nescias.

Hor. lib. 1. Epist.

Arcanum neque tu scrutaberis illius vnquam
Commissumque teges, & vino tortus & ira,

Ex

Ex Carcino, de Taciturnitate.
περὶ σιωπῆς.

Πολλοῖς γὰρ ἀνθρώποισι φάρμακον κακῶν
Σιγὴ μάλιστα δ᾽ ἐστὶ σώφροσιν τρόποις.
Multis enim hominibus pharmacum malorum est
Taciturnitas, quæ peculiaris est frugi moribus.

Sophocles.

Ὦ παῖ σιώπα, πόλλ᾽ ἔχει σιγὴ καλά.
Γλώσσης μάλιστα πανταχοῦ πειρῶ κρατεῖν.
O puer tace, multa continet bona silentium.
Linguam imprimis vbique moderari conetis.

Silentium & continentia linguæ omni vacant periculo.

Καὶ γέροντι καὶ νέῳ τιμὴν φέρει
Ἡ γλῶσσα σιγὴν καιρίαν κεκτημένη.
Tum seni, tum iuueni conciliat honorem
Compos silentij lingua tempestiui.

Anthenodorus.

Ἔστι καὶ τὸ σιγῆς ἀκίνδυνον γέρας.
Silentij præmium periculo vacat.

Amphis.

Οὐκ ἔστι κρεῖττον τοῦ σιωπᾶν οὐδὲν.
Nihil est quidquam præstantius quam tacere.

Philonidea.

Κρεῖττον σιωπᾶν ἐστιν ἢ λαλεῖν μάτην.
Satius est tacere, quam temere loqui.

Euripides in Hippolyto.

Σιωπῆς οὐδὲν ἔργον ἐν κακοῖς.
Silentio non est opus in malis.

SENTENTIÆ PHILOSOPHICÆ.

Nihil æque proderit, quam quiescere, & minimum cum alijs loqui & plurimum secum. *Sen. epist. 16.*

In hoc incumbe, vt libentius audias, quam loquaris: quod tacitum velis, nemini dixeris. Auribus frequentius, quam lingua vtere. Quicquid dicturus es, antequam alijs, tibi dixeris. *Idem de Moribus.*

Taciturnitas stulto homini pro sapientia est: tacere qui nescit, nescit loqui. *Idem in Prou.*

Iam olim in prouerbio est nobilis illa Simonidis sententia, quæ celebratur & apud Latinos prouerbij loco: Nam nulli tacuisse nocet, nocet esse locutum. Etiam Valerius Maximus *lib. 6. c. 2.* sententiam hanc tribuit Xenocrati: Quid, inquit, Xenocratis responsum? quam laudabile? Quum maledico sermoni quorumdam summo silentio interesset, vno ex eis quærente, cur solus linguam cohiberet? Quia dixisse me, inquit, aliquando pœnituit, tacuisse nunquam. *P. M. in Chil. 3 cen. 5.*

Zenon perpessus est omnia potius, quam conscios delendæ tyrannidis indicaret. *Cic. Tusc. q. l. 2.*

Nihil æque proderit, quam quiescere, & minimum cum alijs loqui, & plurimum secum. *Senec. epist. 16.*

Tardiloquum te esse iubeo. *Idem epist. 39.*

Nemo quod audierit tacebit. Nemo quantum audierit, loquetur. Qui rem non tacuerit, non tacebit authorem. *Idem in Epistola 107.*

Alium silere quod voles, prius sile. *Idem in Hippolyto.*

Silentium præstat ornatum. *Arist. 1. Poeticorum.*

Hæc est vna de virtutibus philosophiæ. Quia cum orator non aliter nisi orando probetur, philosophus non minus tacendo pro tempore, quam loquendo philosophatur. *Macrob. l. 7. Satur. cap. 1.*

Numquam enim patres conscripti taciturnitatem optimum, ac tutissimum administrandarum rerum vinculum labefactari volebant. *Val. Max. lib. 2. tit. de institutis antiquis.*

Adeo magna patriæ charitate tenebantur, vt arcana patrum conscriptorum, multis sæculis nemo senatorum enunciauerit. *ibid. lib. 2. c. 1.*

Ἃ ποιεῖν αἰσχρόν, ταῦτα νόμιζε μηδὲ λέγειν εἶναι καλόν.
Quæ factu turpia, hæc puta neque dicto esse pulchra.

Μᾶλλον τήρει τὰς περὶ λόγων ἢ τὰς περὶ χρημάτων παρακαταθήκας· δεῖ γὰρ τοὺς ἀγαθοὺς ἄνδρας τρόπον ὅρκου πιστότερον φαίνεσθαι παρεχομένους.
Magis serua sermonum, quam pecuniarum deposita. Nam boni viri officium est, ita se gerere, vt eius mores plus fidei, quam aliorum deierationes mereantur.

Δύο ποιοῦ καιροὺς τοῦ λέγειν, ἢ περὶ ὧν οἶσθα σαφῶς, ἢ περὶ ὧν ἀναγκαῖον εἰπεῖν. ἐν τούτοις γὰρ μόνοις ὁ λόγος τῆς σιγῆς κρείττων, ἐν δὲ τοῖς ἄλλοις ἄμεινον σιγᾶν ἢ λέγειν.
Duo fac tempora dicendi, vel de quibus scis manifeste, vel de quibus necesse est dicere. In his enim solis sermo silentio melior: In alijs vero præstantius tacere, quam loqui. *Isocrates ad Demonicum.*

Καλὸν ἡσυχία. *Pulchrum taciturnitas. Periander.*

Λάλει ὀλίγα. *Loquere pauca. Bias.*

Numquam me pœnituit tacuisse: quod loquutus sim, sæpe. *Plut. in opusc.*

Magna est sapientia tempestiuum silentium, & omni certe sermone præstantius. *ibid.*

Quid Xenocratis responsum? quam laudabile? cum maledico sermoni quorumdam summo silentio interesset, vno ex his quærente, cur solus linguam cohiberet? quia, inquit, dixisse me aliquando pœnituit, tacuisse numquam. Et illud, Nam nulli tacuisse nocet, nocet esse locutum. *Val. Max. lib. 7.*

Loqui ignorabit, qui tacere nescit, sapienti expedit tacere pro se, quam loqui contra se. *Seneca de Sent. orat.*

Xenocrates loquaci cuidam: Audi, inquit melius: os vnum a natura, aures duas accepimus. *ibid.*

Persæ magnam rem sustineri posse non credunt ab eo cui tacere graue sit, quod homini facillimum voluerit esse natura. *Curt. libro 4.*

Optimum ac tutissimum administrandarum rerum vinculum, taciturnitas. *Valer. Max. lib. 2. c. 2.*

Mulieri taciturnitas conuenientior, oblocutio vero virum decet. *Heliodor. lib. 1.*

Sermo in castris circumlatus, arcana conseruare non nouit, quoniam velociter procurrens vsque ad hostes diffunditur. *Procop. de bello Pers. lib. 2.*

Sunt ij æmuli vbi seruandi, qui ingenijs apparent illiberalibus, & moribus occultis præditi linguaque pollent ab animo dissentiente: ac custodia iniiciendum os, nec sinenda est lingua temere extra dentium septum, & labiorum munitionem euagari, quibus a natura quasi duplici vallo est inclusa. *Nicet. Man. Com. lib. 1.*

APOPHTHEGMATA.

Cleanthes. Cum quidam ad tacentem Cleanthem dixisset: Tu quid taces? atqui iucundum est cum amicis confabulari. Iucundum quidem, respondit Cleanthes: sed quo iucundius, eo magis in hoc amicis oportet concedere. *Stob. serm. de taciturnitate.*

Apollonius. annitendum esse dicebat, & quidem sedulo, vt nihil indecens loquamur. Est enim, inquit, viri plane imperiti, non posse tacere, & quæ non decet efferre. *eod. serm.*

Diogenes ad quemdam qui se Philosophum profitebatur, interrogabat vero contentiose, dixit: Vah, miser, cur id quod optimum est in vita Philosophi corrumpis, & verbis audes te Philosophum iactare? *ibid.*

Aristoteles quidnam in vita difficillimum esset sciscitatus, respondit: Tacere quæ dicenda non sunt. *Stob. serm. de arcan.*

Idem interrogatus, quamobrem cum alios doceret loqui ipse taceret? dixit: Nempe cos quidem ipsa non scindit, cultros autem acuit. *Ant. & Max. serm. de taciturnitate.*

Theophrastus iuuenem in conuiuio tacentem, animaduertens, dixit: Si imperitus taces, peritus es: sin vero peritus, imperite taces. *Eod. serm.*

Democritus cum animaduertisset quemdam multa imperite disputantem: Hic, inquit, non dicendi peritus mihi videtur, sed omnino tacendi imperitus. *ibid.*

Plutarchus. Nemini, inquit, dixeris quod vis tacere. Quomodo enim ab alio postulabis silentij fidem, quam tute tibi non præstitisti. Item, Tacere non solum sitim prohibet, teste Hippocrate, sed et tristitiam quoque & dolorem. Item, silentij neminem, sermonis plurimos pœnituit. Item, Taciturnitas vbique tutum ornamentum est iuueni. *in Moral.*

Basilius Magnus. Dicenda tacendaque nosse debemus: non enim diuina omnia linguæ verbis explicanda sunt, ne mens sicut oculus totum solem intueri volens, id etiam quod habet luminis perdat. *Ant. & Max. serm. de taciturn.*

SIMILITVDINES.

Maximi monachi. Vt corpora modicis laboribus augescunt: Sic animus honestis, & serijs sermonibus. *Serm. 15.*

Plutarchi. Vt monas non exit suum finem, sed semper in vno manet, vnde & nomen habet: dyas autem initium differentiæ infinitum, protinus enim per se duplicatur ad multitudinem: Ita sermo donec apud vnum manet, vere arcanus est, & secretus: quod si ad alterum transierit, iam spargitur in famam. *In Moral.*

ADAGIA.

Mutus Hipparchion. *ἄφωνος Ἱππαρχίων.*
Vbi quis repente obmutescit, quum maxime vox illius expectatur, id quod non raro consueuit quibusdam in coetu doctorum euenire, vt subito, velut attonitis, vox faucibus hæreat.

Ne gry quidem. *μηδὲ γρῦ φθέγγεσθαι.*
Pro eo, quod est, ne tantulum quidem.

Acanthia cicada. *Ἀκάνθιος τέττιξ.*
In indoctos, atque infantes, aut musices ignaros torqueri prouerbio solitum.

Reddit Harpocratem.
Catullus dixit, pro eo, quod est, imposuit silentium.

Statua taciturnior.
In hominem vehementer infantem, ac tacitum, Horat.

Statua taciturnior exit.

Itidem Iuuenalis diuitem quempiam, sed infantem, & indo-

ctum, Mercurij statua similem facit. Truncoque simillimus Hermæ.

Taciturnior Pythagoreis.

De vehementer taciturnis. Sumptum a Pythagoræ schola, in qua quinquennale silentium indicebatur auditoribus.

Amyclas perdidit silentium. τὰς Ἀμύκλας ἀπώλεσεν ἡ σιγή.

Si eis sua taciturnitas fuisset incommoda.

Doryphorematis ritu.

Græci δορυφόρημα vocant Satellitium illud ex barbarorum face conductum, quod olim Tyranni ad custodiam corporis adhibebant. In tragœdijs sic addebatur Regum personis δορυφόρημα, vt astarent modo, nihil etiam loquerentur.

Caput sine lingua.

Competit in eos, qui in consultationibus, aut disceptationibus ipsi quidem nihil habent, quod dicant, verum alterum sententijs annuunt. Gellius.

Muta persona. κωφὸν πρόσωπον. Martial.

Quadrabit in eos, qui in consessu deliberantium, aut disputantium, aut etiã in conuiuijs, cæteris loquentibus soli tacent.

Muti Magistri.

Mutos magistros Gellius libros vocat, qui loquuntur quidem nobis.

Mutus magis quam sepha. ἀφωνότερος σηπίας.

De ijs dici consueuit, qui propter humilitatem conditionis apud præstantiores non audent inserere.

Silentij tutum præmium. σιγῆς ἀκίνδυνον γέρας.

Horatius: Est & fideli tuta silentio merces. Silendo nemo peccat, loquendo persæpe.

Nam nulli tacuisse nocet, nocet esse loquutum.

Schvveigen vnd dencken, Kan oiem. aod Kraencken. Man hat sich ehe verredt dann verthon.

Mulierem ornat silentium. γυναιξὶ κόσμον ἡ σιγὴ φέρει.

Mulier animal natura loquax, nulla de re magis cohonestatur, quam silentio; maxime apud viros, quum de rebus serijs agitur.

Alia committenda, alia celanda.

Nec temere quæduis apud quemuis effutiendum, at nec familiaribus arcana omnia proferenda sunt. Ad hanc sententiam quadrat illud Homeri ex Odyss.

Ἀλλὰ τὸ μὲν φάσθαι, τὸ δὲ καὶ κεκρυμμένον εἶναι.

Dicendum est aliud, contra est aliud reticendum.

Quod scis, nescis.

Terentius in Eunucho: Tu pol si sapis, quod scis, nescis. Idem in Heauton. Nescias quod scis, si sapis. Prouerbio certum in tacendo fidem significamus, dum quis quod scit, perinde continet ac dissimulat, quasi nesciat.

Qui obticescit.

In eum, qui metu attonitus, aut stupefactus admiratione tacet, quadrabit illud Homeri:

Τὸν δ' ἄρ' ἀμφασίη ἐπέων λάβε.

Illum corripuit stupor, atque infantia linguæ.

In sinu gaudere.

Est tacitam apud se voluptatem sentire.

Qui sapit, in tacito gaudeat ille sinu. Homer.

Ἐν θυμῷ γέρον χαῖρε, καὶ ἴσχεο.

In tacito longum sinu preme gaudia mutrix.

Qui continet arcanum.

In eum, qui celat arcanum, neque cuiquam effutit, quadrabit illud Homeri ex Odyss. θ.

Τῷ δ' ἄπτερος ἔπλετο μῦθος.

Huic pennis dicta carebant.

Hoc est, haud longius auolabant.

Muti citius loquentur.

Flaccus in Persa: Muti prius loquentur quam ego. Ne hoc, inquit, cuiquam homini dicerem, edictum est mihi magnopere, nec cuiquam homini crederem, omnes muti vt prius loquerentur hoc, quam ego. Ein Schvvaetzer hette es balde gesagt.

Areopagita taciturnior.

Dicebatur qui commissum arcanum optime contineret.

Manum ad os apponere.

Hoc gestu significamus nos scire quippiam, quod tamen nolumus effari.

Bacchæ more. Βάκχης τρόπον. Diog.

De secretis ac taciturnis dictitari solitum, quod essent huiusmodi Mænades illæ bacchico afflatæ furore. At Iuuenalis retulit ad vitam intemperantem:

Qui Curios simulant, & Bacchanalia viuunt.

Mutus magis quam piscis. ἀφωνότερος τῶν ἰχθύων.

De vehementer infantibus atque infacundis. Conuenit in hominem immodicæ taciturnitatis. Pisces enim nullam edunt vocem. Stumm vvie ein Stock, stummer als ein Fisch im VVasser.

Gall. Plus muet qu' vn poisson.

Rana Seriphia. βάτραχος ἐκ Σερίφου.

EXEMPLA PROFANA.

a

Exemplar taciturnitatis honesta D. Maria virgo, hanc virgines, hanc fœminæ omnes imitentur: pauciloquam quidem, sed ad miraculum sapientem. *Lud. Viues de Christian. fœmina lib. 1.*

Disertissimum Homerus Vlyssem, maxime taciturnitatem expressit, filiumque eius & coniugem, & nutricem; siquidem audis eam dicentem:

Ἕξω δ' ὡς ὅτε τις στερεὴ λίθος ἠὲ σίδηρος.

Non secus ac fortis quercus ferrumue tacebo.

Apud *Spartanos* in Phiditijs natu maximus commõstratis foribus: διὰ ταύτης οὐκ ἐξέρχεται λόγος, audientibus omnibus proclamabat. *Plut. lib. 2. conui. & in Lycurgo.*

Quum M. *Catoni* Vticensi, etiamnum puero, vitio daretur taciturnitas (nec enim cum pueris exercebatur, nec a quoquam audiri volebat) ait: carpant taciturnitatem: modo vitam probent. Et addidit: tum demum abrumpam hoc meum silentium: cum ea loqui potero, quæ sunt indigna silentio. *Plut.*

Leæna meretricula, cum nullis tormentis adduci potuisset, vt consilia Harmodij, & Aristogitonis tyrannicidarum detegeret: statuam apud Athenienses æneam meruit, Iphicratis opus. Leæna scilicet, cui ob taciturnitatem lingua adempta esset. *Alexand. ab Alex. l. 2. c. 30. ex Plin. l. 34. c. 8.*

Papyrius, ob taciturnitatem eorum, quæ in Senatu consultabãtur, puer etiamnum prætexta a Roman. Senatu donatus est. *Macrob. 1. lib. 1. Saturn. c. 6. & Gellius lib. 1. c. 23.*

Caius Cæsar libertinæ mulieri, quod tormentorum nullo cruciatu adigi potuisset, vt patroni crimen proderet, octingenta talentis donauit. *Suet.*

Dogma Pythagoræ philosophi excellentissimi fuit, præter Palingenesiam, & μετεμψύχωσιν, id est, regenerationem, & transanimationem, item abstinentiam ab esu carnium, & fabarum: de quibus Ouid. lib. 15. Metam. & Virg. in 6. scribunt, & ἐχεμυθία, id est, taciturnitas illa, qua discipulos elinguabat toto quinquennio, vt apud se docere discerent, & loqui dediscerent.

Philippus Beroaldus in comment. in Quæst. Tusculan. lib. 5. Diogenes, Laert. lib. 8. de vitis Philosophorum, Raphael Volaterranus libro 28. Philologiæ. Rauisius Textor refert, triennium præscriptum fuisse silentium, in secunda parte, cap. Taciturnitas in officina.

HIEROGLYPHICVM.

Per numerum 1095. Aegyptij soliti sunt Taciturnitatem indicare, causas vide apud *Pier. Valer. l. 38. pag. 362. F.*

Vide supra, Lingua, Sermo, Silentium.

TACTVS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Tactus, Græce ἀφὴ ἡ, & ἅπτομαι, tango dicitur. Est autem tactus sensus eorum, ex quibus componitur animal, & per quæ corrumpitur, *secundum B. Thom. in quæst. de veritate, quæst. 26. artic. 3. cap.*

Tactus a tango venit, vnde tangibile.

PHILOSOPHICAE SENTENTIÆ.

Omnes animantes sensus tangendi participes sunt. *lib. 2. de anim. c. 2. T. 17.*

Sine tangendi sensu nullus alius extare potest: cum tactus sine alijs adsit. *lib. 2. de anim. c. 3. T. 31.*

Cum cæteris sensibus a bestijs longe multumque superemur: tamen tactus iudicium in nobis, quam in plerisque alijs, acrius est. *lib. 2. de anim. c. 9. T. 94.*

Tactus & rei est, quæ sub tangendi sensum cadit, & rei quæ non cadit. *lib. 5. de anim. c. 11. T. 120.*

Si solus nobis tactus datus esset: vnum duo esse iudicaremus. *lib. de Somnijs, c. 2.*

Ea pars in qua inest tangendi principatus, terrena est: ea vero qua gustamus, quædam species tactus est, ob eamque causam, & tangendi, & gustandi sensus cordi adiunctus est, & annexus. *lib. de Sensu, c. 2.*

Tactus in parte corporis similari consistit, vt carne. *lib. 2. de Hist. cap. 4.*

Tactus multipliciter dicitur, & quod multipliciter dicitur, vel dicitur æquiuoce, vel altera ab alteris, in prioribus. *Arist. in 1. de gen. & cor. c. 2. T. 14.*

Tactus proprie dicitur de habentibus positionem. *Arist. in 1. de gen. & cor. c. 2. tex. 44.*

Tactus qui est in Mathematicis, dicitur secundum posterius a vero tactu, qui est in animalibus. *Auerroes in primo de gen Text. 44.*

Tactus tripliciter consideratur, vt est tactus tantum, vt est sensus tantum, & tactus, vel, prout est sensus, & tactus, & huius complexio...

plexionati, & vt est tactua non accipitur nisi per coniunctioné materiæ. *Alb. Magn. in 3. Eth. tract. 3. c. 4.*

Tactui quid sit vnum subiectum, non est manifestum vt auditui sonus. *Arist. in 2. de anim. c. 7.*

Tactus est rerum tactilium susceptio, atque deprehensio, quæ tunc fit, cum id, quod contrectandi potentiam habet, ad similitudinem rei tactilis immutatur. *Alex. Aphr. in 1. de anim. c. 18.*

Tactus est abiectissimus, & infimus omnium sensuum. *Th. in 2. de anim. c. 2. T. 27.*

Tactus non est vnus sensus, quia circa plura paria contrariorum versatur. *Idem in 2. de anim c. 39. T. 116.*

Tactus in mediocritate tangibilium qualitatum consistit. *In 3. de anim. c. 70. T. 60.*

Tactus & gustus non indigent medio, reliqui vero sensus medio indigent. *Auer. de sens. & sens.*

Tactus nō sentit rē, nisi per mediū intrinsecum, nec aliquid, quod sibi non sit coniunctim. *Albert. Magn de princ. mot. process. tract. 1.*

Tactus est quasi subiectum non omnium sensuum, ad quem omnes sensus quasi referuntur. *Idem in 2. de cœl. tract. 1. c. 4.*

Tactus eorum est, quæ in materia permista sunt. *Idem in 10. Ethi. tract. 1. c. 10.*

Tactus est sensus præcipuus eorum, quæ pertinent ad consistentiā animalis, ex quibus animal constat, & nutritur. *D. Thom. in 2. de anim. lib. 6. T. 72.*

Tactus in parte corporis similari consistit, vt in carne: denique in parte sanguinea, vel in ea, quæ sanguineę proportione respondet. *Arist. hist. anim. 1. c. 4.*

Tactum omnia animalium genera habent. *Idem hist. 4. c. 8.*

Tactus sensorium primum incertum est, nam non est caro, non pars eiusdem aliqua, sed aliquod intimum. *Idem de par. ad c. 10.*

Tactus sensus omnibus primo inest, & vt vegetatiuum potest separari a tactu, & omni sensu, sic & tactus ab alijs sensibus. *Arist. in 2. de anim. c. 2. T. 17.*

Tactus & gustus sensorium est cor, quia est oppositum cerebro, & calidissimum. *Arist. de sens. & sens. c. 2.*

Tactus & gustus, vt tactus solus necessarius est animali, & necessarium est sine quo res non est id quod est, & propter quod est; aut omnes sensus animali sunt necessarij, vt necessarium intelli gitur illud, sine quo res præseruari nequit. *Albert. Magn. de sens. & sens. tract. 1. c. 2.*

Tactum omnia animalia habent, quia est magis necessarius, quam alij sensus, etsi visus sit perfectior. *D. Th. in c. 1. Metaph. l. 5.*

Tactus & gustus immediate tendunt ad cor, & alij sensus fundan tur in sensu tactus. *Pet. de Aluer. de mouen. & sensib.*

Tactum certissimum habet homo, vnde prudentissimus omnium animalium est, in hoc enim omnia animalia superat, cū in alijs sensibus a pluribus superetur. *Arist. in 2. de anim. c. 5. T. 94.*

Tactu homo egregie sentit, eo quod temperatissimum corpus habet. *Alex. Aphr. in 1. de anim. c. 16.*

Tanguntur præsentia, & non absentia. *Idem ibid. c. 18.*

Tactus sequitur bonitatem discretionis in homine, non autem sic alius sensus. *Auer. in 2. de anim. T. 94.*

Tactum bonum qui habent, ac mollem carnem, ingeniosi sunt. *D. Thom. in 2. de anim. lib. 19. T. 94.*

Tactum meliorem habet animal, quando reductam habet comple xionem ad medium. *ibid. lib. 23. T. 119.*

Tactus est homini excellentissimus, quia proportionatæ, vt nobilissimæ formæ: & tanto inter homines magis aptus mente, quan to est melioris tactus. *Idem de sens. & sens. lect. 9.*

Tactui affectiones omnes corporum tribuunt, secundum inclinationem autem ad locum. Vitales enim facultates iudicat, caliditatem, frigiditatem, siccitatem, humiditatem, lenitatem, asperitatem, cedentia, renitentia, mollia, dura, graue, & leue tactus pręiudicat: ratio vero decernit, per mutationem a medio, & ad me dium. *Tim. Loc. de anim. mund. & nat.*

Tactus non solum nunciat, atque tangit, quod aliquid sit propinquum, sed etiam quasi passus tangibilis ipsius nunciat differentias, ac nisi quid obstiterit, id etiam sentiat è longinquo. *Plot. En. 4. lib. 4. c. 4.*

Tactus vbi acutissimus est, declarat optimam corporis inesse com plexionem. *Marc. Fic. in Plat. Theol. lib. 12. c. 4.*

Tactus terræ ascribitur, cum per omnes terreni corporis partes fiat, in neruis, qui terreni maxime sunt expleatur, facillime tangat, quæ soliditatem habent, & pondus quod terra corporibus tribuit. *Idem in Plat. conuiu. or. 5.*

Tactus & gustus non tam facile mouenti cedunt, vt visus, & auditus, sed motorem fortiū sunt vehementem, ideo obtusius sentiunt, sed sæpe dolorem, & voluptatem vehementiorem habent, quæ passionis vehementia iudicium sensus impedit. *Idem in Plat. Timaeum. c. 59.*

Tactus & gustus quatuor connumerant medici gradus, primū qui vix sensu percipiatur, Secundum qui manifeste percipiatur, sed non offendat, tertium iam offendentem, & lædentem, quartum breui interimentem. *Idem in Plat. leg.*

Polyanthea Noviss.

Tangere quod aliquid debet, deinceps ab illo, quod tangere debet situm esse oportet, ita vt contiguum locum teneat illi in quo ipsum est. *Plat. in Parmen.*

Tangendi sensus a Dijs genitus est, vt calida, frigida, mollia, dura, leuia, grauia, lenia, & aspera dignoscat. *Alcin. c. 19.*

TARDITAS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Tarditas, cunctatio, mora, pigritia, Græce βραδύτης. Hebr. *Hatzlah, Hatzlut*, a verbo *Hatzal*, piger fuit, & *Orech*, a verbo *Arac*, protractus est, longus fuit.

SENTENTIÆ PHILOSOPHICAE.

De grauis ingenij tarditate. DIAL. c.

Francisci Petrarch.

DOL.

At graui duroque sum ingenio. R. Grauedo molestior, sed hæc quo que minuitur, si diligenter intenderit. D. At pigro obtusoq; sum ingenio. R. Quid tu igitur huic morbo indignatione an lamentis succurrendum putas? Longe alio remedio res eget, non est indulgendum somno, non libidini, non cibo, non vino, non inanibus fabulis, non captandæ excusationum causæ, & reflexa in naturam culpa inertiæ succumbendum, sed vigilandum, cogitan dum, suspirandum, anhelandum, enitendum, assurgendum, incitanda vis animi, excutiendus torpor, propellenda segnities, abstinendum voluptatibus, incumbendum studijs. Nil tam graue quod non leuet, nil tam durum, quod non leniat, nil tam obtusum, quod non acuat, nil tam pigrum, quod non vrgeat, nil denique tam desossum, tamque abstrusum, quod non eruat, tam sopitum, quod non excitet intentio. D. Ingenio tardo sum. R. Qui velocitatem ingenij laudem dicunt, tarditatem dicturos infamiam certe scio. Malim tamen ingenium tardum, ac modestum, quam velox, & præsumptum. Nam vt, inde non insignis glo riæ, nec spes operum magnorum, ita hinc errorum grauium, & turpis ignominiæ metus est, tolerabilius autem multo est fieri inglorium, quam infamē. D. Ingenio segni sum. R. Quod equia segnibus fieri solet, stimulos adhibe, non hinc tibi corporis excu satio, sed laboris occasio data est. Suot qui statim, quod non vitro prouenerit deserendum putent, at tu preme, insta, contende. Generosum animum difficultas erigit, alit labor, illic maxime niteur, idque pluris æstimat, vbi resistentiæ plus inuenerit. Factum studio ingeniosum Socratem legis, disertumque Demo sthenem, & quamuis idem accidit, singulare quidem nomē pauci occupant. Rarior est fama, quam meritum. D. Ingenio hebes sum. R. Non tibi profectus ideo spes erepta, sed industriæ inuen ta necessitas. Gloriosius autem tanto est studio prouehi, quā natura, quanto satius proposito loqui, boni aliquid agere, quā casu. D. Ingenio tardo prorsus, & inualido sum. R. Si literis non po tes, at virtuti stude. Nemo ad illam satis ingeniosus, vbi non acu men quæritur, sed voluntas, ad quam quidam literas nihil prodesse, alij obesse etiam opinati sunt, ideoque desertis studijs in solitudines abiere, & eximiæ illis scientiæ loco fuit ignorantia literarum, de quorum iudicio pronunciare difficile est. Idem[de quo constat] extremum accipe. Nemo te fallat, nec te vulgi stupor, nec stultorum voces moueant. Maius tutiusque est virtute, quam literis clarum fieri. Itaque semper illud optabile, & sæpe illud formidabile res ostendit, quod si ad virtutē animi literarū lux accesserit, tum demū consummati quiddam, atq; perfectū est ea quidem, si qua in rebus humanis potest esse perfectio.

SIMILITVDO.

P. M. Vt in inferendo calamus altius depressus, tardius fert, sed durat fortius: Ita præstat firmum aggredi, vt firmior sit, ac durabilior potius, quam vt præsens spectes lucellum. *In simil.*

APOPHTH. A.

Interuallo perit fames, & optime perditur. Διὰ μέσου γὰρ λιμὸς ἐξ αἴρει καὶ κάλλιστ' ἀπόλλυται.

Mora multis rebus adfert remedium.

Summis ingredi pedibus.

Qui clanculum, & cautim, aut pedetentim, vt aiunt, conantur aliquid, sum mis pedibus ingredi dicuntur.

Pulmo prius venisset. *Plautus.*

Dictum est olim in lentos, ac cessatores.

Coruus aquat. κόραξ ὑδρεύει.

Dici solitum, vbi quis non citra negocium, atque ingenium consequeretur ea, quæ cuperet. Aut vbi quis rem nouis artibus tentaret efficere.

Profectus ad Apaturia, reddit Maio, Ἀπελθὼν εἰς Ἀπατούρια, ἐπανῆκεν εἰς Θαργηλιῶνα.

Dici solitum in eos, qui licentius immorarentur negocio cuipiam.

Callipides. Καλλιππίδης.

Olim prouerbio dicebatur, qui in moliendis negotijs, cum multa se facturum minaretur, nihil tamen conficeret, aut quemadmodum ait Terentius: qui sedulo mouens sese, nihil promoueret. Callipides histrio fuit.

Diu delibera. Δῆρον βούλευε.

Lente consultandum, at vbi statueris, mature, quod opus facto, faciendum est.

Sic est ad pugnæ partes, re peracta, veniendum. πολέμου καὶ μάχης χρὴ οὕτω μεταλαγχάνειν.

Iocus erat prouerbialis, vbi quis negotio peracto, tum demum adueniret.

Ad aras. ἐπὶ βωμοῖς. *Plut.*

Equidem opinor perinde valere, quasi dicat, in ipso negocio: iuxta prouerbium, quo vtamur ad aras consultare.

Amæa Azesiam reperit. Ἀμαία τὴν Ἀζησίαν μετῆλθεν.

Dici consueuit de re diu multumque quæsita, desiderataque.

Zozepol enodes Et similia.

Plutarchus in Symp. ostendit, olim cognomina quadam prouerbiali ioco iactata fuisse in eos, qui serius ad conuiuium accederent.

Hercules hospitatur. Ἡρακλῆς ξενίζεται. *Athenæus.*

Dictitatum, vbi quis diutius in conuiuio commorari videretur.

Expecta anus. μένε γραῦ ἐμὸν υἱὸν παῖδα θελήσοντα.

Expecta anus meum filium, te sauiaturum. Nam priusquam adolescat puer, illa decesserit. Adhibebimus sponsionem significaturi.

Expecta bos aliquando herbam. μένε βοῦς ποτὲ βοτάνην.

Finitimum illi: adhuc tua messis in herba est, quo itidem spes tarda significatur.

Inter cæsa & porrecta.

Videtur significare cunctationem, & ancipitem hæsitantiam, ac veluti interuallum illud, inter omittendum quod cœptum est, & incipiendum quod nouari oportet.

Hyperberetæa. Ὑπερβερεταῖα.

Dicebantur olim admodum serotina, quaque vix tandem aduenirent. Apud Macedones, extremus anni mensis Ὑπερβερεταῖος appellabatur.

Quæ sero contingunt, sed magnifica.

Quoties intelligi volumus, famam aut præmium aliquod serius quidem contingere, verum hoc præstantius ac durabilius, quo diutius dilatum, vt tarditatem stabilitate, perpetuitateque compenset. Homerus.

> Ὀψιμον, ὀψιτέλεστον, ὅου κλέος οὔποτ' ὀλεῖται.

Tarda & sera nimis sed fama, & laude perenni. Die traegen VVerck vverden gero gut. Vvas balde auffgehet, fellet balt. Vvas vvol ansetzt, lest gern gute letzt.

Mysorum vltimus nauigat. ἔσχατος Μυσῶν πλεῖ.

Prouerbiali ioco dicebatur qui frustra laboraret, vel vbi dura quapiam importarentur, factuque difficilia.

Bunas iudex est. Βούνας δικάζει.

Dicitur autem tum Bunas iudicare cum lis in longum profertur, nec vnquam explicatur. Zenodotus.

Accessit luna. Ἀνέστη σελήνη.

Dictum in comperendinatores, qui nouam subinde causam comminiscuntur, quod negotium propositum in aliud differre tempus possint. Diogenianus.

Laconicæ lunæ. Λακωνικαὶ σελῆναι.

Subaudiendum, Cunctatio. Dicitur autem hoc de promissis, aut pactis incertis atque infirmis.

Ἐπιδειπνίδειπνος.

Qui est conuiuiorum appetens. Hoc nomine Cæsar appellabat eum, qui quum tardius ad cœnam veniret occupatus negotijs, tamen ob cœnarum cupiditatem, non recusaret ijs, a quibus rogaretur.

Τριχίδειπνοι.

Vocabantur apud antiquos τριχίδειπνοι, qui cunctantius ad conuiuium veniebant, κατ' ἀντίφρασιν (vt apparet) cessatoribus celeritatem tribuentes apud Athenæum.

Μελλονικιᾶν. More Niciæ cunctari.

Traducebatur enim Nicias, quod cunctator esset in re militari. Hinc μελλονικιᾶν ex μέλλειν, quod est cunctari, & Νικίας, qui fuit dux Atheniensibus.

Placide bos. ἀτρέμας βοῦς.

Id est: Lente bos subaudi, incedit, aut simile quippiam. Congruet in illos, qui placide & paulatim rem conficiunt.

Caudæ pilos equinæ paulatim vellere.

Dicitur de eo, qui tempore atque assiduitate conficit id, quod viribus, atque impetu fieri nequit. Hinc Horatius in Epistolis.

> *Vtor permisso caudæque pilos vt equinæ*
> *Paulatim vello.*

Quisquis tarde venit ad cœnam vocatus: aut claudus: aut non dat symbolas. ὅστις ἐπὶ δεῖπνον ὀψὲ κληθεὶς ἔρχεται, ἢ χωλός ἐστιν ἢ οὐ δίδωσι συμβολάς.

Eiusdem: An quoquam ad cœnam properas conuiua vocatus.

Nemo nos insequitur. οὐδεὶς ἡμᾶς διώκει. *Plato libro septimo de legibus.*

Hoc prouerbium etiam hodie tritum manet, cum significamus liberum esse, diutius in re quapiam immorari. Nemo nos, inquiunt, impellit. Personne ne nous presse, Germani eodem modo. Es jaget vns niemandt, vvas habeo vvir zu eylen.

Festina lente. σπεῦδε βραδέως.

Quadrat in illos, qui præpropere famam affectant, maluntque paratam, ac magnam, quam solidam, & perpetuam. Cum hoc & illud Catonis conuenit: Sat cito, si sat bene. *Assez tost si assez bien.* Eyle mit vveil.

Pedetentim. κατὰ πόδας βάσεις. *Terent.*

Dici solet de ijs, qui non præcipitanter, atque inconsiderate, sed sensim & cunctanter negocium aggrediuntur, & arte magis quam impetu rem gerunt. Pas a pas.

Tacito pede. ἡσύχῳ ποδί.

Seu Lento pede. Vsus: cum lente ac pedetentim ad rem aliquam accedimus. Apud Latinos aliquando, Tacito pede, pro furtim ac clanculum vsurpatur, teste Ouidio.

Sero venisti. ὀψὲ ἦλθες.

Aduersus eos, qui mercede aliquid faciunt, aut post tempus adueniunt. Du bist zu spaat Kommen.

Post festum venisti. κατόπιν τῆς ἑορτῆς ἥκεις.

Dicitur in eos, qui negocio alicui egregio non interfuerunt. Legitur & hoc pacto: Post Panathenæa: *Item.* Post Pythia venisti. Du Kommest, vvann der Ablass geben ist.

Testudinis gradus.

Quadrat hoc prouerbium in eos, qui lente & cunctanter negocium aliquod aggrediuntur. Huic opponitur, Grallatorius gradus. Cum quis præpropere & festinanter aliquid suscepit. Plautus.

Celerius Elephantes pariunt.

Licebit his verbis quorundam nimis lentam inclinationem, aut etiam cunctationem immodicam significare.

Annus est. Sæculum est.

Atque id genus alia. *Terentius: Et nosti mores mulierum, dum comuntur, dum poliuntur, annus est. Et: Sæculum est, quod nihil abs te literarum redditur.* Item: *Iamdudum ætatem, pro admodum dudum. Et tempus perlongum huiusmodi significamus.*

F A B V L A.

Rusticus.

Qui in arborem ascenderat rusticus, de illa delapsus grauiter femur dextrum læsit. Huic alius forte prætereiens se consilium daturum dixit, quo vsus numquam de arbore caderet. Vtinam, inquit ille, ante casum meum dedisses, sed proficerit tamen etiam in posterum, dic igitur. Tum ille alter: caue inquit, ne velocius terram repetas, vnde ascendisti, quam in arborem euaseris.

Fabula docet, sæpe cunctationem, & moram esse laudabilem, maxime ijs in rebus, in quibus festinatio damnosa esse posset.

Vide Mora, Cunctatio.

T E M E R I T A S.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Temeritas, Græce ἀβουλία, ας, ἡ. & ἄβουλος, ου, ὁ, temerarius dicitur, & προπέτεια. Et temerarius is censetur, qui leuiter, nullo consilio adhibito, sine vlla causa aliquid aggreditur, Græce ἀπερίσκεπτος, ἀπερίσκεπτος, παράβολος, θρασύς. Hebr. *Zedh*, & Temeritas, *Zadhon*, a verbo *Zodh*, efferbuit, intumuit, superbiuit, temerarius fuit, temere egit. Hinc ἀζεῖν ferueo, & Lat. æstuo, item æstus. Est autem temeritas, cum inconsiderata dolorum perpessione gladiatoria periculorum susceptio, *secund. Cic. lib. 4. Rhet.*

Temeritas, siue præcipitatio, est defectus consilij, & species imprudentiæ, *secund. B. Thom. 2. 2. q. 45. ar. 25. cap. fin.*

Temeritas est per quam fieri dicuntur, quæ ratione non geruntur, vel propter impetum voluntatis, vel passionis, vel ex contemptu, quæ causatur ex superbia. Ideo continetur sub præcipitatione, quæ respicit vtrumque, sed magis primum. *ex B. Thom. 2. 2. q. 55. art. 3.*

Temerarius est ille, qui nihil omnino formidat, sed aduersus omnia vadit, *secund. Arist. lib. 2. Ethic.*

L o c a B i b l i c a.

Temeritas damnatur, *Prouerb. 15. 22. 14.*

Temeritatis *exempla*: Israelitæ, *Num. 14. 40. 41. Deut. 1. 42. 43.* Iosaphat, *2. Chron. 20. 22.* Iosias, *2. Chron. 35. 22.* Petrus, *Matth. 26. 51.* Thomas, *Ioan. 11. 16.* Exorcistæ, *Act. 19. 13. 16.*

Temeritatis pœnæ *exempla*, Israelitæ, *Num. 14. 45. Deut. 1. 44.* Iosaphat, *2. Chron. 20. 37.* Iosias, *2. Chron. 35. 23.* Ioseph, & Azarias, *1. Mach. 5. 59. 60.*

Temeritas cupiens cognoscere, quæ Deus non patefecit, vel non necessaria, vel ad nos non pertinentia, fugienda, quia hoc vitiū prohibitum est a Deo, *Rom. 11. 20. & 12. 3. 16. 1. Tim. 6. 17.* Redarguitur item a Christo, *Ioan. 14. 22. 23. & 21. 22. Act. 1. 6. 7.*

Temeritas literata, seu apparentis sapientiæ studium, vitium est,

est, nempe quum quid falsam sapientiam, id est, malas, aut vanas aries sectatur. Ideo fugiendum, quia noxium, *Pro.9.18.Ier.10.2.*

PATRVM DICTA.

Temeritas afferendæ incertæ dubiæque opinionis, difficile sacrilegij crimen etiam. *Aug. de Gen. ad lit. c.1.*

Temeritas iosciniæ fœtus. *Naz. ora.6.*

Quibus temerarium consilium est, cadunt sicut folia. *Ant. ser.30.*

Temeritate sua capiuntur præuaricatores. *Idem ibid.*

Qualis ciuitas est, cuius diruta sunt mœnia, talis est vir, qui non omnia cum consilio agit. *ibid.*

Temeritas est, quando quis ita percitus conuiciatur, modo qui neminem decet, aut seipsum vlciscitur, aut aliquo pacto iniuste quicquam audet. *Chry. in ep. ad Phil. hom.5.*

Non intelligentes docemus, & nescientes arguimus, & dicta Dei homines emendamus. *Hilar. de Trin. l.10.*

Vides fortitudinis matrem esse prudentiam, nec fortitudinem, sed temeritatem esse quemlibet ausum, quem non parturinit prudentia. *Bern. de consider. li.2.*

PHILOSOPH. SENTENTIÆ.

Omnis actio vacare debet temeritate, & negligentia. *Cic. 1. Of.*

Nihil est temeritate turpius, nec quicquam tam indignum sapientis grauitate, & constantia, quam aut falsum sentire, aut quod non satis explorate perceptum sit, & cognitum, sine vlla dubitatione defenderet. *1. de Nat. deor.*

Nihil est a grauitate sapientis, errore, leuitate, temeritate disiunctius. *4. Acad.*

Satius est idipsum de quo ambigitur, concedere, quam impudenter resistere. *1. de Nat. deor.*

Quid est tam futile, quam quicquam approbare non cognitum? *1. Acad.*

Insignis est temeritas: cum aut falsa, aut incognita res approbatur. Nec hoc quicquam est turpius, quam cognitioni, & perceptioni assertionem approbationemq. præcurrere. *1. Acad.*

Quid est stultius, quam incerta pro certis habere, ac falsa pro veris? *Cato maior.*

Ne cui rei temere, aut arroganter assenserimus. *2. de Inuent.*

Ipsa cõsuetudo assentiẽdi periculosa esse videtur, & lubrica. *1. Of.*

Temere affirmare de altero, est periculosum, propter occultas hominum voluntates, multiplicesq. naturas. *Cic. Br.*

Cauendum est ne incognita pro cognitis habeamus, iisque temere assentiamus, sed adhibeamus ad considerandas res, & tempus, & diligentiam. *1. Offic.*

Plerique errare malunt, eamque sententiam quam adamauerunt, pugnacissime defendere, quam sine pertinacia, quod constantissime dicatur, exquirere. *4. Acad.*

Audaciæ, & temeritati potius sero, quam nunquam obuiandum est. *Liuius Dec.1.*

SENTENTIAE HISTORICAE.

Temerarij longe facilius audentes vocantur, quam cauti, & prudẽtes. Qui enim præter officium sit quippiam ausus, ex aliorum beneuolentia, quibus forte vir accessit visus, honorem. Is vero qui prudenter, & caute periculum subterfugerit, nec tamẽ pro votis rem gesserit, incidentium proculdubio rerum subiturus est noxam, & si quid eius ex animo, ac sententia egerit, nihil prorsus fecisse imperitis videbitur. *Procop. de bel. Goth. li.3.*

Vbi primum impetum effudit, velut quædam animalia amisso aculeo, torpet. Et licet felicitas aspirare videatur; tamen ad vltimum temeritati non sufficit. *Cur. li.4.*

Hostium temeritas commodam dimicandi facultatem præbet. *Cæs. li.6. de bel. Gall.*

Ego id verum esse existimo, quod dici solet, temeritatem sæpenumero homines ad insaniam, & ad nihilum adducere solere. *Poly. li.4.*

Pericli contra sexaginta armatorum Peloponnesiorum, ac Bœotorum dimicandum nullo modo visum est, etiam si de ipsis Athenis ea dimicatio fuisset futura; ideo ciues suos pugnam poscentes indigneque hostium populationes ferentes, verbis mitigauit, docendo, arboribus quidem excisis facile alias enasci, hominum iacturam repararu haud ita procliuem esse. Præterea populum nequaquam in concionem aduncauit, ne aliquid præter animi sui sententiam agere cogeretur. Ac quemadmodum nauis rector, vento mari incũbente, omnibus recte curatis instructisque armamentis, arte sua vtitur, valere iussis eorum, qui naui vehuntur, periculumque, & nauseam non ferunt, lachrimis precibusque, ita Pericles vrbe tum clausa, omnibusq. locis præsidio firmatis, sua consilia secutus est, parui faciens obiectationem indignationesq. ciuium. Enimuero, & ex amicis multi precibus eum vrgebant, inimici minis, ac criminationibus territabant, multi cantilenis, ac dicteriis imperium eius exagitabant, mollitiem, & proditionem obijcientes: verum his omnibus nihil motus Pericles, æquo animo, & tacitus ignominiam odiaq. tolerauit, missaq. in Peloponnesum classe centum nauium, ipse in vrbe remansit, resq. domi ministrauit tantisper dum hostes discesserunt. *Plutar. in Pericle.*

Dies me deficiat, si reges imperatoresq; temere in hostium terras transgressos cum maximis cladibus suis exercituumq; suorum enumerare velim. Atheniensis, prudentissima ciuitas, bello domi relicto, authore æque impigro ac nobili iuuene, magna classe in Siciliam transmissa, vna pugna nauali florentem rempubl. suam in perpetuum afflixerunt. Externa & nimis antiqua repeto. Africa & M. Atilius, insigne vtriusq; fortunæ exemplum, nobis documento sint. *Liu. Decad. 3. lib.8.*

Non semper temeritas est felix. *idem, ibid.*

Impetus immodicus temerariusq; ab initio, facile euanescit, parumque temporis viget. *Dion. lib.58.*

Temeritatis subiti & vehementes sunt impulsus: quorum ictibus hominum mentes concussæ, nec sua pericula dispicere, ne aliena facta iusta æstimatione prosequi valent. *Val. Max. l.9. c.8.*

Nõnullis quidẽ hominibus temere agere, simulq; perire cõtingit, quod ex nullo ante oculos exẽplo conijcere possint quemnam finem eorũ temeritas sit habitura. *Procop. de bello Vandalico, lib.3.*

APOPTHEGMATA.

Demonax aliquando in balneis, cum refugeret ingredi aquam feruentiorem, & alius illum appellaret meticulosum: Quid, inquit, an hoc pro patria passurus essem? Sentiens, temeritatis esse, non fortitudinis, subire periculum, nisi ob causam grauem & honestam fiat. *P. M. l.8. apoph.*

Demosthenes. Quum Athenienses gestirent Harpalo ferre suppetias, iamque Alexandrum armarent, derepente apparuit Philoxenus, quem Alexander maritimis negotijs præfecerat: hic, quum populus metu attonitus conticesceret: Quid facerent, inquit Demosthenes, si solẽ videant, qui non possunt obtueri lucernã? Ita populo temerarios motus exprobrauit. *P. M. l.4. apop. ex Plut.*

Antigonus cum audiuisset filium in extraordinario conflictu ab hostibus interfectum esse, nil aliud dixit, quam: Sero nimis interiisti, mi fili, qui tam temere in hostes te conieceris, neq. tuæ salutis, nec meorum monitorum memor. Sensit vir prudentissimus, cum merito perire, qui nec suæ salutis, nec bonorum virorum monitorum memor, temere in periculum se conijciat. *P. M. in Declamatione de morte.*

Fabius Max. audiens Minutium collegam, qui feliciter nonnullos hostes iam deiecerat, multum laudari, ait, se magis secundam Minutij collegæ fortunam, quam aduersam pertimescere. Sentiens, illius temeritatem periculosissimam esse Reip. quam si rerum successus attolleret, in extremum discrimen adducturam vniuersum populum Romanum: sed aduersis casibus futuram moderatiorem. *Plut. in Rom. apopht.*

Idem Minutius, cum Fabium tanquam cunctatorem in senatu insimulasset, quod præ timore pugnam detrectaret, partitusq; esset cum Fabio copias, eoque inuito prælium cũ Annibale inijsset: Ita est, inquit Fabius, non celerius quam omni deprehendit fortuna temeritatem. *Brus. l.3. c.16. ex Plut.*

Scipio Africanus dicere solebat, in re militari turpe verbum esse, Non putaram: quod alijs in rebus interdum locus datur, male instituta posterioribus consilijs melioribus corrigere: cæterũ quæ ferro peraguntur, ea non oportere temere aggredi, quod hic error fere est inemendabilis. Idem dictum locum habet & in his quæ semel facta mutari non possunt: vt in ducenda vxore, in sacris ordinibus. *Plut. in eius vita.*

Augustus Cæs. eos qui leuem ob causam periculis se exponerent, similes aiebat esse aureo hamo piscantibus: qui plus damni amisso semel hamo acciperent, quam multarum capturarum lucro posset reparari. *Fulgos. lib.7. c.2.*

Philo. Quæ absque ratione fiunt, inquit, omnia sunt turpia. Quæ vero cum ratione, omnia decora. Item, citra doctam contemplationem nihil decore fieri potest. Scientia enim à bono consilio nascitur: at inconsulta temeritas malorum omnium scaturigo est. Item, Meditatio sera lucrum non habet, & in exitu rei inutilis est pœnitudo. *Ant. serm. de temerario consilio.*

SIMILITVDINES.

Plutarchi. Sol cum maxime tollitur in altum, arduus ad populũ septentrionalem, tum minimum mouetur. Ita quo maior est potestas, hoc magis coercenda est animi temeritas. *in Moral.*

Paul. Man. Columbo in volatu pernicitas: sed dum plaudit in aere, sibi placens, implicatus strepitu pennis capitur ab insidiante alicubi accipitre: ita multi dum ostentant suas vires, magis quã vtuntur, obliti sui præda fiunt inimicis. *In Simil.*

Timnaeus. Quemadmodũ nulli magis submerguntur q̃ qui natandi valent cõsuetudine: Sic in malis rebus quo quisq; est maior artifex, eo in certioribus versatur periculis *in apoph.* 114.

ADAGIA.

Oportet remum ducere, q̃ didicit. *Ἕρδοι τις ἣν ἕκαστος εἰδείη τέχνην.* *Plu.*

Vnumquemque decet eam artem exercere, quam antea doctus sit. Horat. in arte poetica.

Ludere qui nescit, campestribus abstinet armis,
Indoctusque pilæ, discive, trochive quiescit.

Qui lusus non nouit legem, abstineat.

Exitij

Superbia commune nobilitatis malum. *Salust. de bel. Iug.*

Bellorum præmijs referri, aut ditium familiarum hæredes facile magnum animum induunt. *Tacit. Ann. l. 11.*

Compertum habeo, humillimos quosque, maxime vbi alta accesserint, superbia atque ambitione immodicos esse. Hinc Marius patrum memoria, hinc Diocletianus nostra, communem habitum supergressi fuere, dum animus potentiæ expers tanquam inedia refectus, insatiabilis est. Nec mihi mirum videtur, Nobilitati plerosq. in superbiam dare, quæ genus Patriciæ memor, molestiarum quib. agitatur remedio, eminere paululum plus habet. *Aurel. Vict. de Cæsarib.*

Superbia est opulentiæ comes. *P. Iou. hist. l. 1.*

Fit sæpenumero superbia, atq. æmulatione, communi vitio ducum, vt plerique in ipsis consilijs ea maxime nolint, quæ alios summis etiam rationibus velle cognouerint: vltroq. aspera, & duriora subeant, ne aliena consilia sequi videantur. *Idem li. 15.*

Qui non statuit felicitati modum, nec cohibet efferentem se fortunam quanto altius elatus est, eo fœdius corruit. *Liu. Dec. 3. li. 10.*

Superbi est, famæ spe æternitatem præsumere. *Tacit. Ann. li. 11.*

De superbia, DIAL. CXI.

Francisci Petrarchæ.

DOL.

Superbia extollor. R. Quid superbis autem terra, & cinis? tunc tantorum malorum fasce obrutus atq. oppressus extolleris? qui si te omnib. malis explicitus virtutum omnium alis euectus attolleres, hoc vno bona oĩa corrupisses. Nihil est. n. odiosius Deo quã superbia. Per hanc. n. ille pulcherrimus creatus raptim corruit, per quam tu peccator vis ascendere. Si sic illi ob id vnum accidit, quid per hoc alijs culpis adiunctum tibi euenturum arbitraris, malum sarcinis tuis cumulum superimposuisti. D. Superbia vehor. R. Cur quæso? an non te mortalem, an non assidue senescentem, an non peccatorem, an non mille casib. expositum, an non morti obnoxium incertæ: an non deniq. te miserum meministi? & non famosissimum illud Homericum audiuisti, Nihil miserius terra nutrit homine? scire velim, quid te horum potissime ad superbiam cohortatur, an fragilitas membrorũ, an vitæ breuitas, an cæcitas animi, inter spes vanissimas, metusq. perpetuos fluctuantis, an præteritorum obliuio, an ignorantia futurorum, ac præsentium, an hostium insidiæ, an mortes amicorũ, an aduersitas perseuerans, an fugitiua prosperitas? Hæ non aliæ vobis sunt ad superbiam quam scalæ, his ascenditis ad ruinam. Atqui cætera hominum pericola, & si multam, aliquam tamen excusationem, superbia, & inuidia nullam, habẽt. D. Doleo me superbum. R. de peccato dolere primus ad salutem gradus est, & sicut superbia est extollere, sic humilitas est dolere, seq. submittere, facile factu quod quidem erit, modo vt oculos in teipsum tota intentione reflectaris: quod cum ita sit, nolo tibi nec oportet librorum partes scriptas aduersus peccata congerere, hæc satis est, cuncta arbitrij tui esse, desitura illico, vt bona fide volueris, vtq. animi receptui cecineris, teq. ad tua signa conuerteris, quod ad præsens malum attinet, vnum illud adiecerim: Superbiam esse ægritudinem miserorum, ac stultorum: tales nempe sunt haud dubie qui superbiunt, neq. enim aliter superbirent; neq. vero sine causa in libro sapientiæ scriptum est, Omnes insipientes, & infelices, supra modum animæ suæ superbi sunt. Certe animæ hæ, si saperent, modus erat humiliari conditionis imbecillitate cogitata. Sic. n. eodem libro scriptum legis. Rex hodie est, & cras morietur. Cum. n. morietur homo, hæreditabit serpentes, & bestias, & vermes. Initium superbiæ hominis apostatare a Deo, quoniam ab eo qui fecit illum, recessit, quoniam initium omnis peccati est superbia. Nota sunt reliqua, quib. acriter circumspectis monstrum est superbus homuncio.

APOPHTHEGMATA.

Democrates iam senex ascendens in arcem Athenis per quam anhelus: Idem se facere dixit, quod vniuersa ciuitas Atheniensium soleret. Nempe se magnum quidem spirare, parum autem valere. *Stob. serm. 22.*

Democritus desinere dicebat in malam infamiam, eum qui cum superiori contendit. *Stob. eod. serm.*

Antisthenes, quum Platonis superbiam notare cuperet, forte in põpa equum hinnientem frementemque aspiciens, ad Platonem versus, ait: Tu profecto meo iudicio præclarus fuisses equus, est enim equus animal superbissimum. *Brus. 6. 5.*

Zeno Citticus in quendam circa formæ curam studiosiorem quam deceret virum, quum imbricem lente, ac circumspecte transiret: Merito, inquit, suspectum habet lutum, in quo non potest seipsum, vt in speculo cernere. *Laert. l. 7. c. 1.*

Aristoteles adolescentulum superciliis sublatis superbientem conspicatus, sed nulla scientia præditum: Adolescentule, inquit, vtinam talis essem, qualis ipse tibi videris: qualis autem reuera es, tales hostes mei. *Anton. in Meliss. p. 2. ser. 72.*

Socrates Alcibiadem intuitus ob diuitias inflatum, & superbientem opibus prædijsque, in quendam ciuitatis locum duxit eum, in quo suspensa erat tabula terræ circuitum complexa. Iussit igitur Alcibiadem Atticam in ea requirere, quam vt inuenit, sua etiam prædia inspicere præcepit. quæ cum Alcibiades nusquã esse picta diceret: Cur igitur, Socrates inquit, ob illa superbis, q̃ circa nullã terræ partem existunt? *Stob. ex Aelian.*

Plato, quum aliquãdo conscendisset equum, mox descendit, dicẽs, se vereri μὴ ἱπποτυφίᾳ ληφθῇ, id est, ne equestri fastu corriperetur. Superbũ animal est equus: & equitare quiddam habet magnificum, parumque philosopho dignum. *Laertius lib. 3*

Idem. Exhauriendam esse dicebat ex animis iuuenum falsam opinionem & superbiam: sicut aerem ex vtribus vtile quippiam infusuri exhauriunt: secus. n. inflatione & spiritu turgentes nihil admittunt. *Anton. serm. de superbis.*

Aesopus à Chilone rogatus, Quid faceret Iupiter? Excelsa, inquit, deprimit, extollit humilia. *Brusonius lib. 6. c. 5. ex Stobæo.*

Idem Comatulum iuuenem nimium affectato ornatu conspicuum intuitus: Si te, inquit, tam exquisite comas virorum gratia, plane ludis operã, sin mulierum, tu quia es aut improbus. *Stobæus.*

Phocionis vxor interrogata, quamobrem sola ex alijs in conuentu non gestaret ornatum aureum, dixit, Quoniam pro ornamento mariti virtus mihi sufficit. *Stob. ser. 72.*

Epictetus. Nulla debes aliena præstantia gloriari. Equus quidem elatus, si de ipso iactabundus diceret. Quam sum egregius? foret vtiq. id tolerabile. At si tu dicas. Næ equũ egregium possideo, nihil aliud q̃ de bono supbis. Tuum aũt quid est? Nẽpe solus opinionũ vsus, quem si secundum naturã habueris. tũ gloriare: ita demum. n. de propria excellentia gloria. *In Enchiridio.*

Anonymus. Laconem hospes, quẽ pridie declinauerat, postridie stragulis mutuo sumptis splendide excepit: at ille stragula conculcans dixit: Propter has heri ne storeis quidẽ indormire licuit. Lepide risit illorum morẽ, qui cum sint tenues, tñ affectãt videri diuites, corrogata aut conducta supellectile: qđ maxime solent in excipiendis hospitibus, in nuptijs aut alioqui solennibus epulis. Porro quum ineptum sit ostentare tuas diuitias; quanto magis ridiculũ est ostentare supellectilẽ alienã, interdũ ab vsurarijs sumptã: At Lacedæmonij non solum oratores regum, verum ipsos Et reges ad sua Phiditia inuitabant, eam frugalitatem sibi magno & honori futuram æstimantes. *Plut. in Lacon.*

Democritus Phil. In hominem superbum, & multo fastu turgidum, dicebat altitudinem circumcidi oportere, sensumque reliqui. *Brus. l. 6. c. 5.*

Artabanus dissuadens Xerxẽ ab expeditione cõtra Græcos: Vides, ait, vt prægrandia animalia fulmine Deus feriat, nec insolescere sinat: parua vero nihil lædat. Vides, vt magna sæpe ædificia, magnasq. arbores hmõi fulminib. cœlũ percutiunt? Gaudet. n. Deus, eminentia quæque deprimere. *Herodotus & Brus. l. 6 c. 5.*

Thais glorioso cuidã amatori, qui quum multa pocula sumpsisset cõmodato, diceret se velle illa confringere, aliaq. parare: Perdes, inquit, quod cuiq. proprium est. Ambiguo sermone notãs commodatitia. Poterat autem intelligi, si confringeretur, periret quod cuique poculo proprium est. *P. M. lib. 6. apoph.*

Philistion. Si videris, inquit, improbum in altum gradum euectũ, magnisq. opib. & fortuna exultantem, superciliaque sup. fortunam extollentem, eius celerrimam expecta mutationem: tollitur enim altissime, vt maiore casu ruat. *Ant. ser. de superbis.*

C. Sulpitius vxorem suam repudiauit, eo quod comam probe ornatus, ex ædibus egressa esset, inquiens: Lex tibi meos vnius pfinit oculos, quibus formam tuam approbes: his ornamenta comparato, his esto speciosa: alis velle videri formosam, in suspicione & crimine hæreat necesse est. Probe castigauit mores vxoria suæ Sulpitius, qui putabat ornatum vxoris eo spectare, vt alijs viris melius quam marito placeat. *P. M lib. 6. apoph.*

Socrates dicebat superstitionẽ superbiæ tanquã parenti esse morigerã. Et sane omnis superstitiosus est superbus: nec sine supbia prodierunt tot superstitiones, falsæ sententiæ circa religionẽ, & detestandi cultus à superstitione inuecti. *Stobæus serm. 22.*

Iulia Augusti F. cum vltra modum superbiret omni corporis cultu, admonita à quodam, vt se ad paternæ frugalitatis exemplum componeret, respõdit, Pater obliuiscitur se Cæsarem esse, ego vero memini me Cæsaris esse filiam. *ibid.*

Euagrius sciscitatus, quid esset superbus animus? respondit, Virtutis ventilatio, cisterna aquis destituta, diuersorium latronum. *Anton. serm. de superbis.*

Io. Climax. Vt fures, inquit, solem detestantur, ita superbi modestos despiciunt. *Eod. serm.*

Idem dicebat, difficile esse superbiæ seu inanis gloriæ dæmonem effugere: quicquid. n. inquit, molitus fueris, vt hanc detrahas, idipsum erit alterius inanis gloriæ initium. *Eodem serm.*

Pambo quidam apud Athanasium cum Alexandriæ esset, vidissetq. mulierem maximo vestitus apparatu superbiẽtem, fleuit. At interrogatus, cur tantopere lachrimas effunderet: respõdit: Duę res sunt quæ me mouent. Vna quidem, quæ est huius mulieris pditio. Altera vero, quod ego, qui nomen Christiani profiteor, non tantum studeo placere Deo vitæ innocentia, quantum hęc mulier turpibus placere cupit hominibus. *Eccl. hist. l. 8 c. 1.*

Diogenes

Diogenes quum vidisset Olympiam, & Rhodiacos quosdam adolescentes preciosis magnificisque vestibus amictos. cum risu inquit, Hoc nihil est præter fastum. Deinde cum incideret in Lacedæmonios laceris squalentibusque tunicis amictos. Hæc, inquit, longe est alia superbia. Vidit autem philosophus, superbū animum non semper splendido & ornatissimo vestitu elucere, sed in sordibus etiam, dum homines opulentissimi sæpenumero vilissimo vestitu incedentes, hominum ex eo laudem superbientes venantur. *Aelian l.9. de Var. hist.*

S I M I L I T V D I N E S.

Abacuc Propheta: Quo vinum potantem decipit: Sic erit vir superbus, & non decorabitur, qui dilatauit quasi infernus animā suā, & ipse quasi mors, & non adimpletur & congregabit ad se omnes gentes, & coaceruabit ad se omnes populos. *c.2.*

Syracida. Perdix capta in cauea: Sic cor superbi. & vt prospector ascendens ad calum: nam bona in mala conuertens insidiatur, & in dictis imponit maculam. *Eccles. 1.*

Chrysostomus. Nihil arrogantia atq; superbia peius, q̃ mentis quoq; vires natura hominis concessas ita deijcit, vt amentes ex prudentia, ac a in stolidos efficere videatur. Na quemadmodum si quis cum statura cubitus sit, instar montium, imo ēt altiorē se putet, ac ideo seipsum, quasi montes excesserunt erigat, nullū aliud argūi insaniæ suæ quæremus: Sic cum inflatum hominem videris, qui meliorem se cæteris arbitretur, contemnique opinetur, si cæteris conferatur, nullum aliud signum vecordiæ hominis exquiras. Tantoq; appe ridiculosior is est, qui natura insanit, quanto ipse hunc sibi morbum iniecit: nec hac te solū miser, sed quia in miseriæ fundum se detrusit, vt nihil sentiat: Qu enim is peccata sua vt oportet cognoscet? Quando nimium se delinquere sentiet? Certe quasi vile mancipium, & miserū captiuum diabolus eum adducit, agitarque mille verberibus & contumeliis quocunque vult. *Hom. 59. in Matth.*

Quam enim tu altius volare opinaris? An eam, quæ cum per aera feratur arundines aucupis atque retia non formidat: an eā, quæ iam vel sine arundine ac visco quoniam humi serpat, potius quam volat, manibus facile capitur? Huiusmodi certe insolens arrogans animus est, qui cum humi serpat, in omnem laqueum incidit. Vt vermis in stercore; Ita superbus in passionibus suis inuoluitur, *Hom. 66. in Matth.*

Velum si quis domum vt sit præclaro opere atque honesto mirabilis, caute prouideat, eos vero qui hanc habitant, negligat: Ita qui corpus ornant, anima neglecta. *In 2. ad Tim. hom. 2.*

Sicut oculis captus, ab omnibus offendi pōt facile: Ita & superbus quoque dominum nesciens (principium.n. superbiæ est, nescire Dominum) etiam ab hominibus facile capi potest, vtpote sani ac summo ornatus. *Serm. 9. de Ozia, & Hom. de diuersis.*

Plutarchus: Si quid in vases velis infundere boni, ventum atque aerē amoueas oportet: Sic fastum ac tumorem eximas oportet ab animo eius, quem velis docere. *In Mor.*

D. Augustinus. Medicus quando ægritudinem discutit, si curet quod per aliam causam factum est, & ipsam causam per quam factū est, non curet, ad tempus videtur mederi. Causa manente, morbus repetitur. Verbi causa, apertius hoc dicam. Humor in corpore scabiem vel vlcera gignit: in corpore fit magna febris & non paruus dolor. Exhibentur quædam medicamenta, quæ scabiem compescant, & feruorem illum vlceris sedent: & adhibētur, & proficiunt. Vides hominem qui fuit vlcerosus & scabrosus, sanatum: sed quia humor ille non eiectus est, rursum ad vlcus redit. Cognoscens hoc medicus, purgat humorem, detrahit causam, & nulla erunt vlcera. Vnde ergo abundat iniquitas? Per superbiam. Cura superbiam, & nulla erit iniquitas. Vt ergo causa omnium morborum curaretur, id est, superbia, descendit, & homo factus est filius Dei. *Tractatu 28.*

D. Hieronymus: Quomodo vinum contra potantem facit & postquā surrexerit, neque pes, neque mens suum officium tenent, omnisque lætitia & mentis exhilaratio vertitur in ruinam: Sic vir superbus non decorabitur, nec voluntatem suam perducet ad finem. *In c. 2. Abac.*

Ciceronis: Vt membrum turgidum ac tumidum vitiose se habet: Ita inflatus animus & tumens in vitio est. *lib. 3. Tuscul. quæst.*

Polangy: Quemadmodum fumus alta & lucida, quanquam ipse obscurus sit & ater, naturaliter appetit. verum in medio ipso turbulento suo conatu resoluitur in aerem, prorsusq; euanescit, & amplius fumus non est: Ita homo superbus licet obscurus sit, inter cæteros tamen se extollit & euehit, in medio tamē cursu sæpenumero præcipitatur, & quasi in nihilū resoluitur. *In Psal. 74.*

Quemadmodum ea vlcere putredo, sanies & putredo ebulliunt: Sic ex superba mente, atque ambitiosa, omnia peccata ebulliunt. *In Psal. 74.*

Theruan: Honores ac diuitiarū abūdantia q̃d simile cum fungis habent, sed peius obtinent. Etenim hi tātū ventrem inflant, & aliquando leuiter mentis periculum vexant. Honores vero, diuitiarumq. copia vniuersum hominem reddunt tumidū, nec intellectus partē tantum, sed totā vitiant animam. *In apoph. 45.*

Quemadmodum ignis omnia extenuat, & annihilat: Ita superbus nullius alterius societatem tolerat. *In apoph. 18.*

Vt modicum fellis, optimum quemq. succum vitiat dulcissimum: Ita superbia omnem virtutem labefactat. *In apophe.*

Vt ægrotus quispiam quo a sua natura discesserit longius: eo laborat periculosius: Sic animus elatus, ac superbus procul ab omni humanitate discedit, & in brutum demum vertitur. *In apoph. 69.*

Vt pessimum est venenum, quod dissimulata sua indole, aut cum melle fermentatum, gratiam exhibet: Ita maxima est superbia quæ fuco humanitatis regitur Absolonis exemplo. *In apoph. 75.*

E X E M P L A B I B L I C A.

Superbiæ punitæ *exempla*: In Adamo, & Eua. *Gen. 3. 16. & Eccl. 16. v. 14.* Aedificatorib. turris Babylonicæ, *Genes. 11. 5. &c.* Agar 16. v. 5. 6. Sodomis, 19. v. 24. *Ezech. 16. 49* Mariæ, *Num. 12. v. 8. 9.* Core. Dathan, & Abiron, 16. v. 31. 32. Israelitis, *Deut. 1. v. 43. 44.* Gaal Filio Obed, *Iudic. 9. v. 37. 38* Goliat, *1. Sam. 17. 50.* Nabal, 25. 37. Saule, 31. 4. Seba filio Bochri, *2. Sam. 20. v. 21.* populo Dauidis, ob superbiam populi numerationem, 24. 15. Adonia, *1. Reg. 1. 5.* Banadad, 20. v. 19. 29. Rabsace, & Sennacherib, *2. Reg. 19. v. 28. 35.* Amasia, qui insigniter humiliatur, *2. Paral. 25. 23.* Ozia côtra vocationem superbe Sacerdotis officium sibi vsurpante, 26. 15. Ezechia, 32. v. 24. 25. Holoferne, *Iudith. 13. 10.* Aman, *Esth. 7. 10.* Damasco, *Esa. 8. 4. & 17. 1.* Assur, 10. v. 12. 23. Rege Babylonis, 14. v. 13. 15. Babylone, v. 11. 12. *Ierem. 50. 31. & 51. v. 1. 2. 52. 53.* Moab, 16. v. 6. 7. Tyro, 23. 8 *Ezech. 28. v. 2. 3. 4.* Ephraim, *Esa. 28. 1.* Israel, *Ezech. 34. v. 21.* Pharaone Rege Aegypti, 29. v 3. 4. & 31. v. 10. 11. 12. Nabuchodonosor, *Dan. 4. v. 19. 20. 21.* Baldasar Chaldæorum Rege, 5. 22. &c. Israelitis, *Ose. 5. v. 5. & 7. 10.* Capharnaitis, *Matt. 11. 23. Lu. 10. v. 15.* Pharisæo, 18 v. 14. Superbiæ *exempla*: Adam, & Eua: Duabus. n. potissimum rebus moti delinquunt: *Prima*, quod se deos fore crederent: *Secunda*, quæ impulit eos. & pellexit, fuit gula, & formosa pomorum species, *Gen. 3 v. 5. 6. Eccl. 10. 14.* Aedificatores turris Babylonicæ. *Gen. 11. v. 4* Agar. 16. 4 Fratres Ioseph. 37. v. 8. Aaron, & Maria, *Num. 12 v. 1 2.* Core, Dathan. & Abiron, *Num. 16. 1.* Gaal, Filius Obed, *Iud. 9. 28.* Abimelech. v. 31. 45. Saul, *1. Sam. 13. 2. & 15. v. 19. 20. 30* Goliath, 17. v. 42. Nabal, 25. v. 10. 11. Absalom, *2. Sam. 15. 4.* Seba filius Bochri, 20. 1. Dauid. 24. 1. Adonias, *1. Reg. 1. 5* Roboam, 12. 14 Ieroboam. 13. v. 4. Benadad 20. 18. Rabsaces, *2 Reg. 18. 24.* Amasias, *2. Paral. 25. 19.* Ozias, 26 16. 7. ch. 31. 29. Pharao, & serui eius, *Nehem. 9. v 15. 16.* Patres, & Israelitæ, v. 29. Nabuchodonosor, *Iudith. 1. 7. & 21. 1. &c. Dan. 4. 27. & 5. 2.* Aman. *Esth. 3. 6. & 16. 13.* Filiæ Sion. *Esa. 3. 16.* Rex Babylon 2, 14. v 13. 24 Moabitæ. 16. 6. Rex Assyriorum, 47. 7. Azarias, & Ioathan, *Ier. 43. 2.* Tyrus, *Esa. 23. v. 9. 9. Ezech. 27. 3 & 28. 2.* Baltassar. *Dan. 5. v. 20. 22. & 8. 29.* Antichristus, 11. 36. *2. Thess. 2. 4* Israelitæ *Ose. 7. 10 & 13. 6.* Amos, 6. 8. Idumæi, *Abd. versicul. 3.* Antiochus, *1. Mach. 1. 23. 2. Mach. 9. 4. & 3. 21.* Iosephus *1. Mach. 5. v. 55. 56. 57.* Nicanor. *2. Mach. 9. v 9. 16.* Pharisæus, *Luc. 18. 11.* Pharisæi, *Ioan. 5. 44.* Iudæ, 9. 34. Simō Mag. *Act. 8. 9.* Herodes 12. 21. Agrippa, & Berenicæ. 25. 23. Babylonica Meretrix, *Apo. 17. 1. et 18. 7.* Superbię mala, *Pro. 11. 2. 5*

E X E M P L A P R O F A N A.

Pausanias Lacedæmoniorum dux, ad Plateas victor, contra Mardonium, quum de manubijs tripodem aureum Delphis votum soluisset, suumque nomen inscriberet. Lacedæmonij pertæsi insolentiam, epigramma induxerunt, & ciuitatum nomina inscripserunt. *Herod.*

Iulianus Imp. quinquennalia edens, ambitiosa diademate vsus est, gemmarum fulgore distincto: cum initio principatus coronam vilem gestare consueuisset, se Constantij hostem aperte profiteri cœpit. *Sigonius l. 6. Imp. occid.*

Maximinus iunior in salutationibus superbissimus erat. & genua sibi osculari patiebatur, nonnunquam etiam pedes: quod nunquam passus est senior Maximinus, qui dicebat: Dij prohibeant, vt quisquam ingenuorum pedibus meis osculum figat. Cū pater plerisque honoratis assurgeret: ille residebat. Vsus est, & aurea lorica exemplo Ptolomæorum: vsus est argentea: vsus. & clypeo gemmato inaurato: & hasta inaurata. Fecit, & spatas argenteas, fecit etiam aureas: omnino quicquid eius pulchritudinem posset iouare. Fecit, & galeas gemmatas: fecit, & buccula. *Capitolin. in Maximino iuniore.*

Rhemnius Palæmon Grammaticus gloriabatur secum natas esse literas, ac demum secum morituras. Idem Marc. Varr. principem linguæ Latinæ porcum appellare solebat. *Crinit. l. 11. c. 10.*

Paulus Samosatenus hæreticus, diues factus e paupere excreuit in superbiam intolerabilem. Nam incedens per vicos, & compita, doctrinam, & literas ostentabat publice, & notarijs in propatulo. quidquid primum in buccam venisset, dictabat.

Athila Rex Pannoniæ superbus incessu, huc atq. illuc oculos circumferens, vt elata potentia in ipso corporis motu appareret.

Domi-

Domitianus iactabat in senatu, patri se, & fratri imperium dedisse, illos sibi reddidisse. Gaudebat appellatione Domini, atq. etiam Dei; vnde Eusebius, Primus, inquit, Domitianus Dominum se, & Deum appellari iussit: hinc fluxerunt cuiusdam duo versiculi poetæ assentatoris.

Edictum Domini . Deique nostri ,
Quo subsellia certiora fiunt .

Vnde institutum est ab eo, vt ne scripto quidem, aut sermone cuiusquam aliter appellaretur. Statuas sibi in Capitolio non nisi aureas, & argenteas poni permisit. Septembrem, & Octobrem menses ex appellationib. Germanicum, Domitianumq. transnominauit, quod altero suscepisset imperium, altero natus esset.

Maximinus iunior tanta fuit arrogantia, vt manus, ac pedes senatoribus præberet osculandos.

Caius princeps seipsum inter duos retulit, & Iouis maximi nomine statuas eripi sibi imperauit.

Sabor Rex Persarum, vocauit se regem regum, principem siderum, fratrem Solis, & Lunæ. *Herod. l. 2. histor. Plin. 6. natur. histor.*

Salmoneus tonitrua mentitus est, vt Deitatis opinionem sibi vendicaret, sed a Iouis fulmine ad inferos demersus.

Cyrus immani superbia clementis irasci, atque ab ijs reuerentiam exigere non est veritus. Cum .n. ad Babylonicam expeditionē proficisceretur, Gangem fluuium magnitudinis immensæ, in trecentos, ac sexaginta paruos alueos diuisit, affirmans se, ita diminuiturum amnem, vt etiam prægnans fœmina pedibus sine labore eum traiectura esse.

Cambyses Persarum Rex cum Præxaspem interrogasset, quid de Cambyse populi sentirent, respondit: Cambyses in omnibus laudatur, sed vini appetentior æquo est. Arcum itaque quem in manu habebat, tetendit, & sagittam in filij pectus direxit. Præ superbia cũ audiendi patiens nõ esset, in amicũ ita seuere sæuijt.

Appion Grammaticus Alexandrinus tanta fuit arrogantia, vt ei immortalitatem polliceretur, cui opera sua nuncupasset.

Demetrius Poliorcetes, Antigoni Macedoniæ regis filius, tanta fuit arrogantia, & insolentia, vt Atheniensium legatos biennium suspensos tenuerit sine colloquio, ac demum re infecta, reuerti iusserit.

Menecrates medicus nullam ab his mercedem solebat accipere quibus medebatur: sed hoc tantum petebat, vt liberati se ipsius seruos esse faterentur, eumq. Iouem dicerent.

Nestorius hæreticus, factus præsul Constantinopolitanus, orationē postero die habuit ad populum, arrogantiæ plenam, & superbiæ, qua cœlum se vnicuique daturum promittebat.

C. Nenius Comœdiographus, superbiam suam testatus est Epitaphio, quod sepulchro suo inscribi iussit.

HIEROGLYPHICVM.

In Diuinis sane literis pro arrogantia, atq. superbia *ceruix* accipitur: quare *Psal. 130. Impiorum concisas ceruices*, legas pro edomita superbia. *Pier. Val. l. 32. p. 303. B.*

EMBLEMA.

Superbia.

Emblema LXVII. And. Alciat.

En statua statua , & dictum de marmore marmor,
Se conferre Deis ausa procax Niobe .
Est vitium muliebre superbia, & argutt oris
Duritiem, ac sensus qualis inest lapidi.

FABVLAE.

Aquila, & Aues.

Quodam cœtu alitum, pleriq. illorum de se, & virtutib. suis magnifice loquebantur, celeritatem accipitres, cantum lusciniæ, oscines gloriam augurij, formam pauo, calliditatem perdices, audaciam trochilus, remigandi scientiam anates, præsensionē tempestatis ardea iactabat. Tum aquila nugæ, inquit, istæ sunt, nam quod est optimum, & plurimi fit in hac vita, eo facile omnes vos antecello, vt acutissimo visu oculorum vtar. Quod si quis minus credit verum esse, age considuo supra ceruicē meā, & illi ostendam de iam sublimi spatio, vnde ipse vix terrā conspicere possit, me certe omnia, & haud fallente luminis acie cõtueri, &c. Mussitantib. alijs, regulus in aquilam incubans, iubet subuolare, vt experiatur verum vera gloria illa sit: Cum sub nubes penetrasset aquila, Quid, inquit, cernis infra regule? Vix illo terram sibi apparere dicente: At ego isthic, inquit, clare ouē conspicor, & quidem albam mutilata cauda, inq. eam, vt quod dixi tibi certius probem, mox ēt inuolabo. Sed illam ouem grandib. volucribus escam proposuerat auceps, qui laqueis positis intra frondes prope latitabat atque illatam impetu aquilam cepit, & strangulauit. Hoc regolus videns: falso, inquit, gloriata fuisti de perspicacia oculorum, quę caudam mutilatam diceres te cernere, & laqueos atque insidiatorem aucupem non aspexeris.

Fabula coercet elationem, & superbiam animi: Et docet cupiditates acute cernere in ijs modo, q̃ appetunt, ad reliqua esse cæcas.

Galli Gallinacei.

Duo Galli acriter inter se pro gallina dimicabant, ita vt ambo sauciarentur, sed finito prælio, qui victus fuerat, is pudore, & dolore affectus latebras quæsiuit, victor autem in altum parietem euolauit, & quanta maxima voce potuit, canere & alis strepere cœpit. Hunc de improuiso aquila præteruolans rapuit, ita alter, qui se dudum abdiderat, postea sine æmulo gallinarum consuetudine frui potuit.

Docet fabula, Deum ipsum superbis aduersari, mites autem apud illum in gratia esse, &c.

Olla.

Expositam sub dio ollam fictilem vt lutum prius aresceret, q̃ in fornace torreretur, interrogabat imber. Quid nã rei sit? Illa vero, se dolium esse respondit. Dolium, inquit imber, in quo vinũ cōdi solet, q̃d nos aquæ odimus? Peribis igitur, & illã disiecit.

Contra superbiã & fastum: & stultas elationes aĩorum hæc fabula narratur. Sæpe.n. fit, vt magnarum rerum professiones, & arrogantia dignitatis, hoĩes imperitiores euertat atque perdat. Itaque Vlysses ad tantarum rerum effectionem non extollitur, neque splendescit, sed abijcitur & deformatur, idq. diuinitus.

De Nuce & Vepribus.

Nux stirpe ꝓcera & paruulis ramis, ꝓpe viã enata, ac iã sub autũni ips fructibus grauis, vicinas vepres spernebat præ se, & verbis insectabatur, vt humiles & infructuosas, infelicesq. ac miseras vocabat. in illa deorum hominũq; neglectione. Quæ est n. inquit, & q̃ detestanda contorsio, & deprauatio vr̃a? Quis autē vos non simul atq. tetigit, mox execratur vobisq; maledicit? Mea vero, videtis. q̃ stipitis sit firmitas, q̃ ramorũ densitas. q̃ foliorũ amplitudo, q̃ fructuũ copia, atq; his dictis cōcussio comante vertice, tacentes vepres superbissime despiciebat. Veniũt mox hoĩes omnis ætatis ac sexus, viri, mulieres, virgines, pueri, at fustib. saxisq. nucē petunt, maturosq. fructus decutiũt, & lõgis perticis verberãt, neq; folia modo dissipãt, sed ramos ēt diffringũt atque lacerant, spoliatamq. ipsam male mulctarã discedentes relinquunt. Tum vepres non quidem arrepta occasione illam derisisse in calamitate, quod inhumanissimũ esse scirent. sed in casuum & fortunæ incertæ atque dubiæ consideratione, hũc Menandri versum inter se memorasse accepimus, huius sententiæ.

Beatus est cui mens bona & res obtigit.

Illinc vero hos Euripidis.

Ολβου δ'ἐπιρ'ρύεντος [illegible]
Αλλ [illegible]

Aliunde etiam hæc.

Multorum opes malorum hominibus caussa sunt.

Vide, Arrogantia.

SVPERFLVITAS.

DEFINITIO, ET ETYMOL.

SVperfluitas, Græce [illegible], superfluum dicitur. Venit autem superfluitas a superfluo, quod est superabundo, estque superabundantia quædam.

PATRVM SENTENTIAE.

Nihil tam necessarium, quam cognoscere quid tibi necessarium. *Amb. ad Vercellen.*

Simplex vestimentum dicitur, quidquid necessarium est alicui secundum qualitatem loci, vel temporis. Duplex autem quod extra necessitatem est: non enim duas dicit, vt quis in locis Scythię glaciali niue rigentibus vnica tunica debeat esse cõtentus: sed quomodo in tunica vestimentum intelligimus ne alio vestiti; aliud nobis futurorum timore seruemus. *Hieron. in Matth. 10.*

Quicquid corpora nostra defendere potest, & humanæ succurrere imbecillitati, quos nudos natura profudit. hæc vna appellanda est tunica, & quicquid in præsentibus alimentis est necessarium. hoc vnius diei victus appellatur. *Hier. 23. ad Fabiolam.*

SVPERSTITIO.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

SVperstitio, Græce [illegible], superstitiosus dicitur. Est autem superstitio vitium religioni oppositũ secundum excessum, *secund. S. Th. 2. 2. q. 92 ar. 10.*

Superstitio est vitium contrarium religioni, non quia plus exhibeat in cultum diuinum. quam vera religio: sed quia exhibet cultum diuinum, vel cui non debet, vel eo modo, quo nõ debet.

SENTENTIAE HIST.

Vt perniciosa est incredulitas, & contemptus signorum diuinitus oblatorum; ita superstitio etiam noxia est, quæ cum aquæ instar ad subsidia delabentis animum trepidum stolida timiditate cõplet. *Plutar. in Alex.*

Humanarum mentium ludibrium superstitio. *Curtius. lib. 6.*

Nihil in speciē fallacius est q̃ praua religio. vbi deorũ numen prætenditur sceleribus subit animum timor, nec fraudib. humanis vindicādis, diuini iuris immistum aliquid videmus. *Liuius, Decad. 4. l. 9.*

Sunt mobiles ad superstitionem perculsæ semel mentes. *Tacit. Annal. lib. 1.*

Multa vana sub nomine celebri vulgantur. *Idem, Ann. l. 6.*

Quicumque a vero aberrant, misericordia potius quam odio digni sunt. Non enim hi vel capiantur, vel labuntur volentes, sed boni forsitan ducti cupiditate, & si alioquin iudicio falsi, conceptis opinionibus, qualescumq; sint pertinacius hæret. *Agat. l. 1.*

In ostentorum, & prodigiorum consideratione nimiam, & credulitatem, & incredulitatem periculosam efficit humana imbecillitas, cum ea non intra certos terminos se continet, sed effertur vel ad superstitionem, ita lamque de ijs sentiendum, vel ad contemptum religionis. Optimum est cautionem adhibere, ac ne quid nimis. *Plut. in Camil.*

APOPHTHEOMATA.

Leotychidas. Cum portæ Leotychidi pro aimæ clauem draco circumuolutus esset complexus, idque augures affirmarent esse portentum: Mihi, inquit, nequaquam videtur: sed si clauis fuisset circumplexa draconem, portentum erat. Lepide irrisit hominum superstitionem, qui terrentur his quæ casu, nec præter naturam accidunt. Hunc mortalis ingenij morbum aluot augures, arioli, aruspices, ac diuini. Verum vbi quis præter rectum, & honestum instituit nefaris consilia, tum oporrebat horrere portentum, & aliquid mali sequuturum expectare. *Plut.*

Pericles. Quum vrgeret belli necessitas, Palladis ornamenta vendidit quadraginta talentis auri, & admirantibus ab illo rem sacrilegam admitti, respondit: Ex hostium manubijs posse illi reddi cultum nihilo deteriorem *P. M. l. 8 apoph.*

Idem. Ad bellum profecturus, cum suam ipse triremem conscenderet, solis deliquium accidit, tenebræque obortæ in prodigium magnum tractæ omnium animos consternauerunt. Ibi Pericles cum videret gubernatorem ingenti timore captum, oculis eius chlamydem prætendit, percontatusque est, an horribile aliquid id effectum, aut portentum eo facto putaret: neganti. At quid interest, ait, inter illas & has tenebras? nisi quod maius est id a quo illæ sunt inductæ. *Plut.*

Idem. Aegrotans, amico cuidam eum inuisenti, ostendit amuletum collo sibi circumligatum a mulieribus, addens pessime se affectum esse qui talem stultitiam in se admisisset. *Plut. in Pericle.*

Agesilaus rex quum adstantem aræ Palladis, cui apud Spartanos ab æreo delubro χαλκιοίκου cognomen est, vt bouem immolaret, momordisset pediculus, non aduersus est, sed arreptum palam omnibus occidit: Per Deos, inquiens, occidam insidiatorem lubens, vel in ipsa ara, videlicet declarauit animum, nec incepto pudori, nec superstitioni obnoxium. *Plut. in Lac.*

Idem. Philippus quidam erat profitens Orphei mysteria, & his alios initiare solitus: is quum esset extremæ paupertatis, tamen apud Leotychidã dicebat, eos qui apud ipsum Orphei sacris initiati essent post obitũ fore beatos: Quin igitur, inquit, o demẽs, q̃ ocyssime vitã abrumpis, vt desinas infelicitatem tuam, ac inopiã deplorare? O animum ab omni superstitione liberum? Post hanc vitam felices erunt, qui hic pie iusteque vixerint, non qui fictis cæremonijs fuerint initiati. Hoc persuasum erat Lacedæmonijs, qui hic pie vixissent eos ab obitu fieri diuos. *Plut. in Lac.*

Epaminondas cum aliquoties ad hostem cum copijs accederet, & tonitru exiliret: interrogantibus suis quid significari eo tonitru putaret, respondit, superstitionem eorum irridens, Deũ attonitos reddidisse hostes, stuporemque ijs iniecisse, qui cum prope apta loca essent, iniquo loco castra ponerent. *Plut. in apoph.*

Lucullus quum in Armeniam cum decem millibus armatorum, & mille equitibus aduersus Tigranem tenderet, centum quinquaginta hominum millia habentẽ in exercitu, pridie nonas Octobreis, quo die prius Scipionis copiæ deletæ fuerant, quodam admonentẽ, quod Romani diem illam vt nefastum, & inauspicatum metuerent: Ergo, inquit, hodie alacriter pugnemus, vt hũc quoque diem ex nefasto funestoque Romanis hilarem, & auspicatum reddamus. *Plut. in Rom. apoph.*

M. Crasso conflicturo cum Parthis, tela è manibus deciderũt: hoc tum cæteris, vt inauspicatum interpretantibus, ac prælium dissuadentibus: Huiusmodi, inquit, incommoda multa nobis senectus adfert: at arma tamen numquam e manibus mihi ceciderunt. *Plut. in Crasso.*

M. Cato. Vetus illud Catonis admodũ scitum est, qui mirari se aiebat, quod non rideret aruspex, aruspicem cum vidisset. Quota enim res quæque euenit, prædicta ab illis? aut si euenit quippiã quid adferri potest, cur non casu euenerit. *Cic. l. 2. de Diuin.*

Alphonsus cum triumphalem currum ascenderet, non defuerunt qui admonerent, vt triumphantium more vultum minio illiniret. Verum rex cum hoc contemneret, dixisse fertur miniũ Baccho soli conuenire, qui non solum triumphi, sed vini etiam repertor extitisset. *Ant. Panor. de reb. gest. Alphonsi.*

Pythagoras dicebat sacrificia stultorum ignis esse alimenta, eorũq; anathemata victum sacrilegis suppeditare. *Stob. ser. 4.*

Demonax accusatus, quod nunquam sacrificasset Mineruæ: Numquam, inquit, existimaui illi meis victimis opus esse. Notãs ineptam vulgi superstitionem, qui putabat Deos hostiarum nidore delectari. *P. M. l. 8. apoph.*

Idem. Cuidam dicenti: Eamus in Aesculapij templum, o Demonax, pro filij salute deprecaturi Deum: Adeone, inquit, surdastrum existimas Deum, vt nos nisi in templo non sit auditurus? *P. M. l. 8. apoph.*

SIMILITVDINES.

Plutarchi. Vt tremunt qui vrsorum, aut draconum lustra adeunt: Sic superstitiosi cum tractant diuina, existimantes Deos semper paratos ad nocendum. *in Moral.*

Non timet mare qui non nauigat, non bellum, qui non bellat, non latrones domi manens, non calumniatorem pauper, non inuidiam priuatus: non terræmotum, qui est in Galatia, non fulmẽ qui est in Aethiopia: At superstitiosus omnia timet, terram, mare, aerem, cœlum, tenebras, lumen, strepitum, silentium, somnium. *In Moral.*

Si fieri potest, lippitudinem auferimus ab oculis: si id non licet, non tamen eruimus oculum; Ita si superstitio tolli prorsus non pot, non tamen protinus credendum, nullos esse Deos. *in Mor.*

Licet seruis quibus spes non est libertatis, ad principis statuam cõfugere, venditionem postulare, mutare dominum, si durius habiti sunt, quam ferre possint: Superstitiosis nec hoc, cum omnes Deos metuant. *in Moral.*

Gubernator videns insurgere tempestatem, Deorum auxilium implorat, nihilo segnius interim clauum moderans, & antennam detrahens: At superstitiosus despondet animum. *in Moral.*

Polycrates tyrannus non erat formidabilis, nisi Samij, Periander Corinthi, desinebat metuere, qui illinc in liberam ciuitatem emigrasset: At superstitiosus non habet quo confugiat, vt metu liberetur. *In Moral.*

Serui cum dormiunt, non timent heros, vincti obliuiscuntur compedum in somno: vlcera, carcinomata, & grauissimi etiam cruciatus conquiescunt: Sola superstitio etiam dormientem infestat. *In Moral.*

Quidam dum stulte fugiunt latrones, aut feras, in auia incidunt, & in barathra, aut præcipitia: Sic quidam superstitionem ita fugiunt, vt incidant in impietatem, cum in medio sit pietas. *In Mor.*

P. M. Latrones aut fugitiui, si aram, aut statuam apprehenderint, tutuio sunt: At hic maxime trepidat superstitiosus. *In similibus.*

Carbunculi ignis, & nomen & speciem habent, cum ignem non sentiant, vnde & apyrustæ dicti: Ita quidam pietatis opinionem, & imaginem obtinent, cum a te sint alienissimi. *In simil.*

PROFANA EXEMPLA.

Hetrusci Romanæ superstitionis magistri fuerunt: ad quos sex patriciorum filij singulis annis religionis addiscendæ ergo mittebantur. *Val. Max. l. 1. c. 1.*

Cum iis feminas superstitionis duces & auctores esse existimant. Eæ enim sunt, quæ viros ad Deorum cultus, ad dies festos, ad venerationes, ad preces inuitent amplius: rarumque est, vt vir quispiam sine vxoribus solus degens, talis reperiatur. *Strab. l. 7. ex Menandro.*

Romæ publice Febri fanum in palatio dicatum est: Orbonæ ad ædẽ Larium ara: & Malæ fortunæ Exquilijs. Quamobrem maior cœlitum populus etiam, quam hominum intelligi potest, cum singuli quoque ex semetipsis totidem Deos faciant: Iunones Geniosque adoptando sibi. *Plin. l. 2. c. 7.*

Nationem esse omnium Gallorum admodum deditam religionibus scripsit. *Cæs. l. 6. de Bello Gall.*

De Polonorum & Slauorum idololatria ante susceptum Christianismum. *Cromerus l. 3.* disserit.

Lituani olim superstitiosissimi fuere: Ignem, Fulmen, Lucos, Arbores proceras: Viperas item & Serpentes colebant. *Cromerus l. 15.*

Qui sub polo habitãt Arctico, Solem & Lunam adorant: pannum quin etiam rubeum in pertica suspensum: nonnulli quicquid primo dilucido in cœlo, terra, vel aquis viuum apparuerit. hoc ipsum vsque ad crepusculum eiusdem diei pro numine adorant. *Olaus magnus, l. 3. c. 2.*

Indi omnes, multos diuersosque Deos colunt: eos habent pictos fictosve statuis: nempe ligneis, terreis, argenteisve.

Peruana regio Deos, aulum forma, tygridum, ceruorum, & aliorum animalium exhibet: interdum etiam caudatos Satyrorum specie. *Ioan. Metellus.*

Vide Religio.

SVPPLICIVM.

LOCA BIBLICA.

Supplicioum genera quadruplicia fuerunt apud Iudæos: Strangulatio, Gladius, Lapidatio, & Combustio, antequam Herodes, & post Herodem Romani, totum hunc ordinem perturbassẽt, quorum postremum non dubium est, quin fuerit grauissimum. Inde etiam factum, vt æternas illas pœnas cum ignis supplicio passim Scriptores comparent. *Vide Matth. 5. 22.*

Culpa quam pœna tempore prior, emendari quam peccare poſterius eſt. *Tacit. Ann. l. 15.*

Maius exemplum eſt viuentis miſerabiliter criminoſi, quam occiſi. *Vulc. Gallic. in Auid. Caſſio.*

Humilium ſupplicia neceſſaria ſunt vbi res poſtulat: ſed de nobilibus ſontibus illuſtres pœnæ propalam ſumptæ, oculos animoſque mortalium magis mouent, ſplendidioreque exemplo afficiunt. Magnorum virorum peccata vulgo propoſita ſunt ad imitandum, & vt publico fœdere, communique cauſa, idem cæteris, quod illis ius faſque videtur. Neceſſe eſt igitur & monumenta plectendorum ſcelerum terroreſque in clariſſimis ceruicib. ſtatui: vt quod vindicatum in ſummis eſt, id in ſe diſſimulatum minime iri vulgus ſentiat: & qui metus malis eſt, bonis ſalutiq; publicæ ſit fiducia: quibus duabus rebus communis vita cõſtat. *P. Æmil. l. 8.*

Magnitudo pœnæ non deterret homines a ſceleribus incitatos vehementi cupiditate, & magna ſpe. Eſt quidem in omnibus ciuitatibus conſtituta pœna mors, etiam leuioribus delictis, quam eſt defectionis crimen, & fœderum infractio: ſed tamen homines ſpe incitati adeunt pericula, neque quiſquam ruit in periculum, ſi firmiter ſibi perſuaſerit, ſe non cauſurum eſſe. Natura omnes publice & priuatim proni ſumus ad delinquendum: nec lex aut pœna quidem a leuioribus pœnis ad ſummas peruentũ ſit, vt audacia ſceleratorum frenaretur. Conſentaneum enim eſt, olim mitiores pœnas ſummorum ſcelerum fuiſſe, quæ cum homines a ſceleribus patrandis minime deterrerent, ventum eſt ad mortem, quæ tamen & ipſa homines a male agendo non reuocat. Aut igitur alius excogitandus eſt terror vehementior, aut ne quidem capitali pœna homines coerceri poſſunt. Sed ruunt homines in pericula, impulſi vel neceſſitate, vel petulantia, vel ira. Pauperes neceſſitate mouentur: petulantia ſatis cauſæ eſt licẽtia: ira occaſio eſt, vt quiſque inſanabili affectu tenetur. Deinde vincuntur homines cupiditate, & ſpe, quarum altera dux eſt, altera comes: altera ad aggrediendum incitat, altera viam monſtrat: & expetita bona, quamquam incerta, tamen plus mouent animos, quam certæ pœnæ, quæ ſunt in conſpectu. Adiuuat & occaſio aggreſſuros aliquid: quæ cum ſe offert præter opinionem, etiam ſi vires alioqui minores ſint, incitat, vt periculum adeant, præcipue ciuitates, quia hæ res maximas concupiſcunt, videlicet libertatem, & imperium. & ſinguli cum vniuerſis ciuibus coniunctis maiora imaginãtur. Quare ſimpliciter impoſſibile, & ſtultum eſt, metu legum, aut pœnarum humanam naturam cupiditate ardentem deterrere. *Thucyd. l. 3.*

Si ſceleratus dominus flagelletur, ſerui reſipiſcent: & vt ſubditi in illaudatis rebus principem imitari ſolent, ita etiam ſi is flagellatur, & publicæ vtilitati ſeruire cogatur, hi eum vt matrem filius ſequent. *Nicetas in Andronic. Comn. l. 2.*

Vide Pœna, Punitio.

SVSPICIO.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Suſpicio, Græce ὑποψία, ας, ἡ, & ὕποπτος, ου, ſuſpectus, dicitur. Eſt autem ſuſpicio, acceptio vnius partis cum formidine alterius, *ſecundum Ciceronem.*

Suſpicio eſt opinio mali ex leuibus ſignis, *ſecundum S. Thom. 2. 2. q. 60. art. 4. c.*

SENTENTIAE PATRVM.

Sicut difficile aliquem ſuſpicatur malum, qui bonus eſt: ſic difficile aliquem ſuſpicatur bonum, qui ipſe malus eſt. *Chryſoſt. ſuper Matth.*

Omnis homo ex ſe æſtimat alterum: fornicarius neminem putat caſtum, caſtus de fornicario non facile ſuſpicatur, ſuperbus neminem putat humilem, humilis neminem putat eſſe ſuperbum: ſic qui non eſt ex Deo ſacerdos, neminem putat ſacerdotem ex Deo. *ibid.*

Facilius vitia vniuſcuiuſque quam virtutes intendimus: nec quid boni quiſque geſſerit, agnoſcere, ſed quid mali egerit perſcrutamur. *Iſid. l. 3. de ſum. bono.*

Fidelem ſi putaueris, facile quidem fallere docuerunt, dum timent falli, & illius peccati occaſionem ſuſpicando deſecerunt. *Senec. epiſt. 5.*

Hoc habet omnis affectus: vt in quod ipſe inſanit, in idem putet cæteros inſanire. *l. de moribus.*

POETICAE SENTENTIAE.

Suſpicio vitanda ex qua corruptum iudicium.

Anthol. Sacr. Iac. Bill.

Culpare in quoquam, quæ non ſunt nota, malignum eſt,
Præſertim ſi quæ cognita ſunt, bona ſunt,
Non pateant faciles ſanis rumoribus aures.
Quæ neſcire iuuat, credere non libeat.
Linquantur ſecreta Deo, qui ſi quod opertum eſt
Inſpicit, & nullis indiget indicibus.

APOPHTHEGMATA.

Lyſander militem, qui de via deflexerat, caſtigauit. Ei dicenti ad nullius rei rapinam ſe ab agmine receſſiſſe, ne ſpeciem quidem, inquit, raptuſi præbeas volo. *P. M. l. 6. apoph.*

Phocion. Athenienſes cum ex oraculo intellexiſſent, in ciuitate vnicum tantum eſſe virum, qui cunctorum ſententijs aduerſaretur, populus vociferãs, iubebat illum ſtatim inquiri, vt occideretur. Phocion autem cum varias ſuſpiciones eſſe in viros bonos intelligeret: Ego ſum ille, inquit, de quo dixit oraculum. Et hæc quidem ideo dixit in ſummo conſtitutus periculo, ne ſuſpicio ad innocentem aliquem deuolueretur. *Plut. in Græc. apoph.*

Olympias. Quum accepiſſet Alexandrum filium (vt alij, Philippum maritum) adamare fœminam, a qua putabatur amatorijs veneficiis corruptus, accerſiuit ad ſe mulierem: quumque præter inſignem formam comperiſſet in ea mores liberales, & ingenium egregie dextrum: Valeant, inquit, qui te inſimulant veneficij, Nam tute quidem pharmacum in te ipſa ac philtrum habes. *P. M. lib. 6. apoph. ex Plut.*

SIMILITVDINES.

Plutarchi. Vt morbus in corpore non admittenti, quod proprium eſt, multarum noxiarum, & abſurdarum rerum gignit appetentiam: Ita calumnia ſuſpicioque aduerſus cognatos, & domeſticos, malas & noxias aliorum neceſſitudines inducit. *In Moral.*

Thriueri. Quemadmodum qui vlceribus laborant, timidiſſime tactum omnem reformidant, ac refugiunt: Sic male conſcij homines, vbique prompta laborant ſuſpicione. *in apoph. 231.*

EXEMPLA BIBLICA.

Suſpicionis *exempla*: Abraham, *Gen.* 20. *v.* 11. Laban, 31. 20. Iacob, 37. 33. Putiphar, 39. 19. Fratres Ioſeph, 43. 18. Filij Iſrael, *Ioſ.* 22. 11, 12. Socer Samſonis, *Iud.* 15. 2. Eli, 1. *Sam.* 1. 13. Saul, 20. *v.* 30. & 22. 8. Principes Philiſthæorum, 29. 4. Principes filiorum Ammon, 2. *Sam.* 10. 3. 1. *Paral.* 19. 3. Rex Syriæ, 2. *Reg.* 5. 5. Aſſuerus, *Eſth.* 3. 11. & 7. 8. Ierias portæ cuſtos, *Ier.* 37. 2. Azarias, 43. 2. 3. Tortores Eleazari, 2. *Mach.* 6. 28. 29. Diſcipuli, *Matth.* 14. 25. 26. *Act.* 9. 26. Simon Phariſæus, *Luc.* 7. 39. Iudæi, *Actor.* 2. 13. & 21. *v.* 29. Plebs & Magiſtratus, 16. 22. Lyſias, *v.* 38. Barbari, 28. 4.

FINIS LIBRI DECIMISEPTIMI.

POLYANTHEAE NOVISSIMAE LIBER XVIII.

T

TABVLA.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Tabula, Græce σανὶς, ἴδος, ἡ, dicitur. Tabula secunda post naufragium, peccatorum est pœnitentia, & verecundia, *secundum B. Thom. 3. par. q. 84. art. 6.*

Loci Biblici.

Tabulæ testimonij Mosi datæ, *Exod. 31. 18. & 32. 15.* lapideæ erant, & digito Dei scriptæ, *31. 18. & 32. 16. Deut. 9. 10.* Tabulæ lapideæ, *2. Cor. 3. 3.* Adumbrabant humani ingenij summam duritiem, a qua cor hominis non regenerati lapis denominatur, *Ezech. 11. 19 & 36. 26.* cui opponitur cor carneum, non quod in carne versetur, sed e contrario, quod vi Spiritus Dei factum est mollius, vt in eo tamquam nouis tabulis Euangelij gratia possit insculpi, vt prædictum fuit, *Ier. 31. 31.*

Tabulæ testimonij franguntur, *Exod. 32. 19, Deut. 9. v. 17.* Dei iussu alteræ fiunt, *Exod. 34. vers. 54.* in arca reconduntur, *Deut. 10. 5. Hebr. 9. 4.*

Sententiæ Philosophicæ.

De tabulis pictis. Dial. XL.

Francisci Petrarch.

Dol.

Pictis tabulis delector. R. Inanis delectatio, nec minor vanitas, quam magnorum hominum sæpe fuit, nec tolerabilior, quam antiqua. Siquidem omne malum exemplum tunc fit pessimum, quando illi vel authorum pondus adiungitur, vel annorum vndecumque ortæ consuetudinis robur ingens consenuerit, & vt bona in melius, sic mala in peius ætas prouehit. Sed vtinam, qui maiores nostros vanis in rebus facile vincitis, eosdem in serijs æquaretis, virtutemque cum illis & gloriam mitaremini, cum quibus pictas tabulas sine fine miramini. G. Valde vtique pictas tabulas miror. R. O mirus humani furor animi omnia mirantis nisi se, quo inter cuncta non solum artis, sed naturæ opera nullum mirabilius. G. Pictæ delectant tabulæ. R. Quid de hoc sentiam ex iam pictis intelligere potuisti. Omnis quidem rerum delectatio si consilio regeretur, ad amorem cœlestis erigeret, & originis admoneret. Nam quis vmquam quæso riui appetens fontem odit: At vos graues, humi accliues, affixique cœlum suspicere non audetis. & obliti opificem illum solis ac lunæ tanta cũ voluptate tenuissimas picturas aspicitis, atque vnde transitus erat ad alta dispositus: illic metam figitis intellectus. G. Pictis tabulis delector voice. R. Penicillo, & coloribus delectaris, in quibus & precium, & ars placet, ac varietas, & curiosa dispersio. Sic exanguium vini gestus, atque immobilium motus imaginũ & postibus erumpentes effigies, ac vultuum spirantium lineamenta suspendunt, vt hinc erupturas paulo minus præstoleris voces, & est hac in re periculũ, quod bis magna maxime capiuntur ingenia. Itaq; vbi agrestis læto & breui stupore prætereat, illic ingeniosus suspirans, ac venerabundus inhæreat. Operosũ sane, neque tamen huius est operis ab initio artis originem, ac incrementa retexere, & miracula operum, & artificum industrias, & principum insanias, & enormia precia, quibus hæc trãs maria mercati Romæ in templis Deorũ, aut Cæsarum in thalamis, inque publicis plateis, ac porticibus consecrarunt. neque id satis nisi ipsi huic arti dextras, atque animos maiori exercitio debitos applicarent; quod iam ante nobilissimi Philosophorum Græciæ fecerant. Vnde effectum vt pictura diu quidem apud vos vt naturæ coniunctior ante omnes mechanicas in precio esset. Apud Graios vero (si quid Plinio creditis) in primo gradu liberalium habetur. Mitto hæc, quoniam & intentæ breuitati, & præsenti proposito, quodammodo sunt aduersa. videri enim possunt morbum ipsum, cuius remedium pollicebar alere, & rerum claritas stupentis amentiam excusare. Sed iam dixi, nihil errori detrahit errantium magnitudo. Immo hæc quidem ideo attigerim, vt liqueret mali huius quanta vis esset, ad quam tot tantisq. sit ingenijs conspiratum, cui & vulgus errorum princeps, & cõsuetudinum genetrix longa dies, cumulusq. ingens omniũ malorum semper authoritas, accesserint, vt voluptas stuporq. animos ab altiore furti contemplatione dimoueat, distraharq;. Tu autem, si hæc ficta, & adumbrata fucis inanibus vsque adeo delectant, attolle oculos ad illum, qui os humanum sensibus, animã intellectu, cœlum astris, floribus terram pinxit, sperne quos mirabaris artifices.

TACITVRNITAS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Taciturnitas, Græce ἐχεμυθία, σιωπηλότης, ητος, ἡ & σιωπάω, taceo dicitur. Hebr. *Dom*, & *Demamah*, a verbo *Damah*, domuit, compescuit, subiecit. Hinc δαμάω, δαμάζω. & Lat. domo, domas, domare. Victoria magna, compescere linguam prudenti, & pertinaci silentio. Est autem taciturnitas, qua mentes circumspicientes quid deceat, & quid non, silent cogitabundæ: nec putant proferendum, antequam mature cuncta, examussim disputarint, ne ex ore magis quam ex pectore erumpat oratio. Huius oppositum est linguacitas. Vnde dicaces, locutuleij. blaterones, linguaces, bambalones, & futiles a veteribus sunt nominati.

Taciturnitas in dicendis, & locutio in tacendis est peccatum, *secund. B. Thom. 2. 2. q. 73. art. ..*

Taciturnitas est obseruantiæ genus, in silentio, ac secreta seruando constituta. Terent. in And. *Sed ys, quas semper in te intellexi sitas, & fide & taciturnitate.*

Tacitus, qui tacet, & scit tenere secreta. Taciturnitas, qui natura facile tacet. Diminutiuum, taciturnulus.

Loci Biblici.

Taciturnitas laudatur, *Prou. 10. 19. & 17. 27. Eccl. 20. 1.*

Sententiae Patrum.

Quam plures vidi loquendo in peccatum incidisse, vix quemquam tacendo: Ideoque tacere nosse difficilius est, quam loqui. Scio loqui plerosque cum tacere nesciant. Rarum est tacere quemquam, cum sibi loqui nihil prosit: sapiens est ergo, qui nouit tacere. *Ambr. l. 1. de offic.*

Silendi patientia, opportunitas loquendi, & contemptus diuitiarum, sunt maxima fundamenta virtutum. *ibid.*

Diu considera quid loquendum sit, & adhuc tacens, prouide, ne quid dixisse pœniteat: sapiens vt loquatur, multa prius considerat: quid aut cui, quo loco, vel tempore dicat. *Hieronym. in quadam Epist.*

Ille scit recte dicere, qui & ordinate nouit tacere. *Gregor. in Moral.*

Plerumque nimis taciti, quum iniuste aliqua patiuntur, eo in acriorem dolorem prodeunt, vulnera quippe clausa plus cruciant, quia quum putredo, quæ intus feruet, eijcitur, ad salutẽ dolor, aperitur. *In past.*

Sancti viri, quum prodesse audientibus nequeunt, etiam despicit tacentes volunt. *In quadam homil.*

Quasi quoddam nutrimentum verbi est censura silentij: & recte quandoque excrescentiam sermonis accipit, qui prius ordinate per humilitatem tacet. *In Ezech.*

Sicut incauta locutio in errorem pertrahit, ita indiscretum silentium eos, qui erudiri poterant, in errore relinquit. *In past.*

Vtinam recedendo, vel tacendo compesceret, quos respondendo non potuit: quia malitia nõ docetur sermonibus, sed excitatur, vnde malum hominem tacendo melius, quam respondẽdo vincere potes. *Chrys. sup. Matth. c. 25.*

Et loqui, & tacere, perfectio est. Est autem vtriusque partis, causa, verborum tenuisse mensuram. Aliquoties nimia taciturnitas stultitiæ adscribitur, sicut verborum nimietas ad furorem refertur, secundum illud sapientis: est tacens non habens sensum,

loquelæ, & est tacens sciens tempus apti temporis: de qua re si nostri sententiam requiras arbitrij, iam malo aliquis in tacendo stultus, quam nimium loquendo iudicetur insanus. *Val. Episcop. in quodam serm.*

Hirundinem in domo non suscipiendam, id est, garrulos & verbosos sub eodem tecto non habendos, dicebat Aristot. *Hieron. l. 2. contra Ruffinum.*

Hæc regalis procul dubio virtus celerius necessaria sentire, & tardius in verba prorumpere: nescit enim pœnitenda loqui, qui proferenda suo prius tradit examini. *Cassiod. l. 3.*

Natura compertum est, vt omnibus arobus hoc sit scientiæ preciosior pompa, quo rarior.

Pythagoras discipulis aduenientibus, prius legitur tacendi patientiam, quam loquendi monstrasse doctrinam, & sic incipientem quemque inter disputantium coætaneorum cathedras mutuum sustinuisse quinquennium, vt etiam celeriora quorumpiam ingenia non liceret ante laudari, quam deberent agnosci. Quia donec scientiam non cōbiberis, non maior est gloria dixisse, quod noueris, quam siluisse quod nescias. *Sidon. epist. lib. 7.*

Pythagoras hanc in studijs suis consuetudinem seruasse legitur, vt vsque ad septennium iuxta numerum septem liberalium artiū nullus discipulorum suorum de his, quæ ab ipso dicebantur, rationem poscere auderet, sed fidem dare verbis magistri, quousque omnia audiuisset: Scholares vero nostri, aut nolunt, aut nesciunt modum congruum in discēdo seruare, & idcirco multos studentes, paucos sapientes inuenimus. *Hug. in didascolicon. l. 3.*

Malum hominem melius potest tacendo aliquis vincere, quam respondendo. Quia malitia non instruitur sermonibus, sed excitatur. Ideo dominus recedendo compescere studuit, quos respondendo non compescuit. *Ioan. Chrysost. super Matth.*

Sint tua verba pauca. Tolle verbositatem sermonis superflui. Multiloquium non effugiet culpam. Linguosus homo Imperitus est. Sapiens vero paucis vtitur verbis. *Isidor. Solilequior. c. 31.*

Qui ociosa verba non reprimit, ad noxia cito transit. Si sermo tuus irreprehensibilis, expectatione audientiū vtilis est. *ibid. 2.*

SENTENTIÆ POETICAE.

Lucian.

Ἄῤῥητον ἐπέων γλώσσῃ σφραγὶς ἐπικείσθω,
Κρεῖσσον γὰρ μύθων ἢ κτεάνων φυλακή.

Arcanorum verborum linguæ sigillum imponatur,
Præstantior enim sermonum, quam possessionum custodia.

Palladas.

Ἡ μεγάλη παίδευσις ἐν ἀνθρώποισι σιωπή.
Μάρτυρα Πυθαγόραν τὸν σοφὸν αὐτὸν ἔχω,
Ὃς λαλέειν εἰδὼς ἐδίδασκε σιωπᾶν,
Φάρμακον ἡσυχίης εὑράμενος ἀκρίβες.

Magna eruditio inter homines silentium.
Testem Pythagoram sapientem ipsum habeo.
Qui loqui sciens docebat tacere:
Remedium quietis potens inueniens.

Incertus Interpres.

Non mediocre bonum seruata silentia praebent,
Huius Pythagoras non leuis author erat.
Qui fari callens alios reticere docebat.
Inueniens monitis certa quieta suis.

Πᾶς τις ἀπαίδευτος φρονιμώτατός ἐστι σιωπῶν,
Τὸν λόγον ἐγκρύπτων ὡς πάθος αἴσχιστον.

Quilibet indoctus prudentissimus est tacens,
Sermonem occultans veluti passionem turpissimam.

Alciatus expressit.

Quum tacet haud quicquam differt sapientibus amens:
Stultitiæ est index linguaque voxque sua.
Ergo premat labium digitoque silentia signet,
Et sese Pharium vertat in Harpocratem.

Borbonius.

Nobile linguæ bonum, si fari in tempore nouit:
Nobile linguæ malum, si fari in tempore nescit.

Menander.

Γλώσσης μάλιστα πανταχοῦ πειρῶ κρατεῖν.
Lingua maxime vbique conare imperare.
Γλώσσῃ ματαίᾳ ζημία προστρίβεται.
Linguam stultam damnum subsequitur.
Διὰ δὲ σιωπῆς πικρότερον κατηγορεῖς.
Per silentium autem amarius accusas.
Ἐνίοις τὸ σιγᾶν ἐστι κρεῖττον τοῦ λέγειν.
Nonnullis tacere est præstantius, quam loqui.
Εὐκαταφρόνητόν ἐστιν ἀγρυπνὸς τρόπος.
Contemptibile quid est taciturnus mos.
Ἡ γλῶσσα πολλοὺς εἰς ὄλεθρον ἤγαγεν.
Lingua multos ad exitium attraxit.
Ἢ λέγε τι σιγῆς κρεῖττον ἢ σιγὴν ἔχε.
Vel dic aliquid, silentio præstantius, vel silentium habe.
Πολλοῖς ἀπάντησις ἡ σιωπὴ τυγχάνει.
Multis responsio silentium est.
Ἡ γλῶσσα πολλῶν ἐστιν αἰτία κακῶν.
Lingua multorum est causa malorum.
Ἡ δεῖ σιωπᾶν ἢ λέγειν ἀμείνονα.
Vel oportet tacere, vel dicere meliora.
Κρεῖττον σιωπᾶν ἐστιν ἢ λαλεῖν μάτην.
Melius est tacere quam loqui, quæ non decent.
Οὐδὲν σιωπῆς ἐστι χρησιμώτερον.
Nihil silentio est vtilius.
Σιγὴ ποτ' ἐστὶν αἱρετωτέρα λόγου.
Silentium interdum eligibilius sermone.
Δεῖ σιωπᾶν καὶ λαλεῖν ὅπου χρεών.
Est vbi oportet et tacere, & loqui vbi oportet.
Νοεῖν γὰρ ἐστι κρεῖττον ἢ σιγὴν ἔχειν.
Considerare melius, quam silentium habere.

Plautus in Cistellaria.

Tacere nequeo, quod tacito vsus est.

Idem in Rudente.

Tacita mulier est bona semper, quam loquens.

Terent. in comœd. 5.

Tua quod nihil refert, percunctari desinas.

Ouid. Art. lib. 2.

Exmia est virtus præstare silentia rebus.
At contra grauis culpa, tacenda loqui.

Idem lib. 3. Amorum.

Quis furor est, quæ nolle lateat in luce fateri?
Et quæ clam facias, facta referre palam?

Martialis lib. 5. ad Posthumum.

Quæ mihi præstiteris memini semperque tenebo,
Cur igitur taceo Posthume, tu loqueris?
Incipio quoties alicui tua dona referre:
Protinus exclamat, Dixerat ipse mihi.
Non belle quædam faciunt duo: sufficit vnus
Huic operi: si vis vt loquar, ipse tace.
Crede mihi quamuis ingentia, Posthume, dones:
Authoris pereunt garrulitate sui.

Hor. Epist lib. 1. 19. ad Lollium.

Protinus vt moneam (si quid monitoris eges tu)
Quid de quoque viro, & cui dicas, sæpe videto.
Percontatorem fugito: nam garrulus idem est.
Nec retinent patula commissa fideliter aures.
Et semel emissum volat irreuocabile verbum.

Idem serm. lib. 1. Sat. 4.

Absentem qui rodit amicum
Qui non defendit alio culpante, solutos
Qui captat risus hominum famamque dicacis,
Fingere qui non visa potest, commissa tacere
Qui nequit; hic niger est, hunc tu Romane caueto.

Pit. per Auson.

Loqui ignorabit, qui tacere nesciit.

Plaut. Pers.

Ne hoc quicquam homini dicerem, edictum est mihi
Magnopere, nec quicquam homini crederem: omnes muti vt prius
Loquerentur hoc quam ego.

Auson. Paulino, Epist. 12.

Vnde istam meruit non felix charta repulsam,
Spernit tam longo cessatio quam tua fastu?
Hostes ab hoste tamen per barbara verba salutem
Accipit, & salue mediis intercurrit in armis.
Respondent & saxa homini, percussus ab antris
Sermo redit, redit et nemorum vocalis imago,
Littorei clamant scopuli, dant murmura riui,
Somniferumque canit sepes depasta susurrum,
Est & arundineis modulatio Musica ripis.
Atque arguta suis loquitur coma pinea ventis,
Incubuit foliis quoties leuis Eurus acutis,
Dindymaque Idæ respondent cantica luco,
Nil mutum natura dedit, non aeris ales,
Quadrupedesue silent: habet & sua sibila serpens,
Et pecus æquoreum tenui vice vocis anhelat.
Cymbala dant flatu sonitum: dant pulpita saltu
Tacta pedum: tentæ reboant caua tympana tergis,
Isiacos agitant Mareotica sistra tumultus
Nec Dodonæi cessat tinnitus aheni,
In numerum quoties radijs ferientibus icta
Respondent dociles moderato verbere peluis.
Tu velut Oebalijs habites taciturnus Amyclis,
Aut tua Sigalion Aegyptius oscula signet,
Obnixus Pauline taces.

Terent. in Eunuch.

Tu pol si sapis, quod scis, nescias.

Hor. lib. 1. Epist.

Arcanum neque tu scrutaberis vllius vmquam
Commissumque teges, & vino tortus & ira,

Ex

Ex Carcino, de Taciturnitate.
περὶ σιωπῆς.

Πολλοῖς γὰρ ἀνθρώποισι φάρμακον κακῶν
Σιγὴ μάλιστα δ' ἔστι σώφρονος τρόπου.
Multis enim hominibus pharmacum malorum est
Taciturnitas, quæ peculiaris est frugi moribus.

Sophocles.

Ὦ παῖ σιώπα· πόλλ' ἔχει σιωπὴ καλά.
Γλώσσης μάλιστα πανταχοῦ πειρῶ κρατεῖν.
O puer tace. multa continet bona silentium.
Linguam imprimis vbique moderari conare.

Silentium & continentia linguæ omni vacant periculo.

Καὶ γέροντι καὶ νέῳ τιμὴν φέρει
Ἡ γλῶσσα σιγῆς χαρίεν κεκτημένη.
Tum seni, tum iuueni conciliat honorem
Compos silentij lingua tempestiue.

Anthenodorus.

Ἔστι καὶ τὸ σιγῆς ἀκίνδυνον γέρας.
Silentij præmium periculo vacat.

Amphis.

Οὐκ ἔστι κρεῖττον τοῦ σιωπᾶν οὐδὲν.
Nihil est quidquam præstantius quam tacere.

Philonides.

Κρεῖττον σιωπᾶν ἐστὶν ἢ λαλεῖν μάτην.
Satius est tacere, quam temere loqui.

Euripides in Hippolyto.

Σιωπῆς οὐδὲν ἔργον ἐν κακοῖς.
Silentio non est opus in malis.

SENTENTIÆ PHILOSOPHICÆ.

Nihil ęque proderit, quam quiescere, & minimum cum alijs loqui & plurimum secum. *Sen. epist. 16.*

In hoc incumbe, vt libentius audias, quam loquaris: quod tacitum velis, nemini dixeris. Auribus frequentius, quam lingua vtere. Quicquid dicturus es, antequam alijs, tibi dixeris. *Idem de Moribus.*

Taciturnitas stulto homini pro sapientia est: tacere qui nescit, nescit loqui. *Idem in Prou.*

Iam olim in prouerbio est nobilis illa Simonidis sententia, quę celebratur & apud Latinos prouerbij loco: Nam nulli tacuisse nocet, nocet esse locutum. Etiam Valerius Maximus *lib. 6. c. 2.* sententiam hãc tribuit Xenocrati: Quid, inquit, Xenocratis respõsum? quam laudabile? Quum maledico sermoni quorumdam summo silentio interesset, vno ex eis quærente, cur solus linguam cohiberet? Quia dixisse me, inquit, aliquando pœnituit, tacuisse nunquam. *P. M in Chil. 3 cen. 5.*

Zenon perpessus est omnia potius, quam conscios delendæ tyrannidis indicaret. *Cic. Tusc. q. l. 2.*

Nihil æque proderit, quam quiescere, & minimum cum alijs loqui, & plurimum secum. *Senec. epist. 16.*

Tardiloquum te esse iubeo. *Idem epist. 39.*

Nemo quod audierit tacebit. Nemo quantum audierit, loquetur.

Qui rem non tacuerit, non tacebit authorem. *Idem in Epistola 107.*

Alium silere quod voles, prius sile. *Idem in Hippolyto.*

Silentium præstat ornatum. *Arist. l. Poeticorum.*

Hæc est vna de virtutibus philosophiæ. Quia cum orator non aliter nisi orando probetur, philosophus non minus tacendo pro tempore, quam loquendo philosophatur. *Macrob. l. 7. Satur. cap. 1.*

Numquam enim patres conscripti taciturnitatem optimum, ac tutissimum administrandarum rerum vinculum labefactari volebant. *Val. Max. lib. 3 tit. de institutis antiquis.*

Adeo magna patriæ charitate tenebantur, vt arcana patrum conscriptorum, multis sæculis nemo senatorum enunciauerit. *ibid. lib. 2. c. 1.*

Ἃ ποιεῖν αἰσχρὸν ταῦτα νόμιζε μηδὲ λέγειν εἶναι καλόν.
Quæ factu turpia, hæc puta neque dicto esse pulchra.

Μᾶλλον τήρει τὰς τῶν λόγων ἢ τὰς τῶν χρημάτων παρακαταθήκας. δεῖ γὰρ τοὺς ἀγαθοὺς ἄνδρας τρόπον ὅρκου πιστότερον φαίνεσθαι παρεχομένους.
Magis serua sermonum, quam pecuniarum deposita. Nam boni viri officium est, ita se gerere, vt eius mores plus fidei, quam aliorum deierationes mereantur.

Δύο ποιοῦ καιροὺς τοῦ λέγειν, ἢ περὶ ὧν οἶσθα σαφῶς, ἢ περὶ ὧν ἀναγκαῖον εἰπεῖν. ἐν τούτοις γὰρ μόνοις ὁ λόγος τῆς σιγῆς κρείττων, ἐν δὲ τοῖς ἄλλοις ἄμεινον σιγᾶν ἢ λέγειν.
Duo fac tempora dicendi, vel de quibus scis manifeste, vel de quibus necesse est dicere. In his enim solis sermo silentio melior: In alijs vero præstantius tacere, quam loqui. *Isocrates ad Demonicum.*

Καλὸν ἡσυχία. *Pulchrum taciturnitas.* Periander.

Λάλει ὀλίγα. *Loquere pauca.* Bias.

Numquam me pœnituit tacuisse: quod loquutus sim, sæpe. *Plut. in opusc.*

Magna est sapientia tempestiuum silentium, & omni certe sermone præstantius. *ibid.*

Quid Xenocratis responsum? quam laudabile? cum maledico sermoni quorumdam summo silentio interesset, vno ex his quærente, cur solus linguam cohiberet? quia, inquit, dixisse me aliquando pœnituit, tacuisse numquam. Et illud, Nam nulli tacuisse nocet, nocet esse locutum. *Val. Max. lib. 7.*

Loqui ignorabit, qui tacere nescit, sapienti expedit tacere pro se, quam loqui contra se. *Seneca de Sene. orat.*

Xenocrates loquaci cuidam: Audi, inquit melius: os vnum a natura, aures duas accepimus. *ibid.*

Persæ magnam rem sustineri posse non credunt ab eo cui tacere graue sit, quod homini facillimum voluerit esse natura. *Curt. libro 4.*

Optimum ac tutissimum administrandarum rerum vinculum, taciturnitas. *Valer. Max lib. 2. c. 2.*

Mulieri taciturnitas conuenientior, oblocutio vero virum decet. *Heliodor. lib. 1.*

Sermo in castris circumlatus, arcana conseruare non nouit, quoniam velociter procurrens vsque ad hostes diffunditur. *Procop. de bello Pers. lib. 2.*

Sunt ij æmuli obseruandi, qui ingenijs apparent illiberalibus, & moribus occultis præditi linguaque pollent ab animo dissentiēte: ac custodia muniendum os, nec sinenda est lingua temere extra dentium septum, & labiorum munitionem euagari, quibus a natura quasi duplici vallo est inclusa. *Nicet. Man. Com. lib. 1.*

APOPHTHEGMATA.

Cleanthes. Cum quidam ad tacentem Cleanthem dixisset: Tu quid taces? atqui iucundum est cum amicis confabulari. Iucundum quidem, respondit Cleanthes: sed quo iucundius, eo magis in hoc amicis oportet concedere. *Stob. serm. de taciturnitate.*

Apollonius. annitendum esse dicebat, & quidem sedulo, vt nihil indecens loquamur. Est enim, inquit, viri plane imperiti, non posse tacere, & quæ non decet efferre. *eod. serm.*

Diogenes ad quemdam qui se Philosophum profitebatur, interrogabat vero contentiose, dixit: Vah, miser, cur id quod optimum est in vita Philosophi corrumpis, & verbis audes te Philosophum iactare? *ibid.*

Aristoteles quidnam in vita difficillimum esset sciscitatus, respõdit: Tacere quæ dicenda non sunt. *Stob. serm. de arcan.*

Idem interrogatus, quamobrem cum alius doceret loqui ipse taceret? dixit: Nempe eos quidem ipsa non scindit, cultros autem acuit. *Ant. & Max serm. de taciturnitate.*

Theophrastus iuuenem in conuiuio tacentem, animaduertens, dixit: Si imperitus taces, peritus es: sin vero peritus, imperite taces. *Eod. serm.*

Democritus cum animaduertisset quemdam multa imperite disputantem: Hic, inquit, non dicendi peritus mihi videtur, sed omnino tacendi imperitus. *ibid.*

Plutarchus. Nemini, inquit, dixeris quod vis tacere. Quomodo enim ab alio postulabis silentij fidem, quam tute tibi non præstitisti. Item, Tacere non solum sitim prohibet, teste Hippocrate, sed tristitiam quoque & dolorem. Item, silentij neminem, sermonis plurimos pœnituit. Item, Taciturnitas vbique tutum ornamentum est iuueni. *in Moral.*

Basilius Magnus. Dicenda tacendaque nosse debemus: non enim diuina omnia linguæ verbis explicanda sunt, ne mens sicut oculus totum solem intueri volens, id etiam quod habet luminis perdat. *Ant. & Max serm. de taciturn.*

SIMILITVDINES.

Maximi monachi. Vt corpora modicis laboribus augescunt: Sic animus honestis, & serijs sermonibus. *Serm. 15.*

Plutarchi. Vt monas non exit suum finem, sed semper in vno manet, vnde & nomen habet: dyas autem initium differentiæ infinitum, protinus enim per se duplicatur ad multitudinem: Ita sermo donec apud vnum manet, vere arcanus est, & secretus: quod si ad alterum transierit, iam spargitur in famam. *In Moral.*

ADAGIA.

Mutus Hipparchion. ἄφωνος Ἱππαρχίων.
Vbi quis repente obmutescit, quum maxime vox illius expectatur, id quod non raro consueuit quibusdam in certis dictaturis euenire, vt subito, velut attonitis, vox faucibus hæreat.

Ne gry quidem. μηδὲ γρῦ φθέγγεται.
Pro eo, quod est, ne tantulum quidem.

Acanthia cicada. Ἀκανθίας τέττιξ.
In indoctos, atque infantes, aut musices ignaros torqueri prouerbio solitum.

Reddit Harpocratem.
Catullus dixit, pro eo, quod est, imposuit silentium.

Statua taciturnior.
In hominem vehementer infantem, ac tacitum. Horat.
Statua taciturnior exit.
Itidem Iuuenalis diuitem quempiam, sed infantem, & indo-

ctum, Mercurij statuæ similem facit. Truncoque simillimus Hermæ.

Taciturnior Pythagoreis.

De vehementer taciturnis. Sumptum a Pythagoræ schola, in qua quinquennale silentium indicebatur auditoribus.

Amyclas perdidit silentium. τὰς Ἀμύκλας ἀπώλεσεν ἡ σιγή.

Si cui sua taciturnitas fuisset incommoda.

Doryphorematis ritu.

Græci δορυφόρημα vocant Satellitium illud ex barbarorum fæce conductum, quod olim Tyranni ad custodiam corporis adhibebant. In tragædijs sic addebatur Regum personis δορυφόρημα, ut astarent modo, nihil etiam loquerentur.

Caput sine lingua.

Competit in eos, qui in consultationibus, aut disceptationibus ipsi quidem nihil habent, quod dicant, verum aliorum sententijs annuunt. Gellius.

Muta persona, κωφὸν πρόσωπον. *Martial.*

Quadrabit in eos, qui in consessu deliberantium, aut disputantium, aut etiã in conuiuijs, cæteris loquentibus soli tacent.

Muti Magistri.

Mutos magistros Gellius libros vocat, qui loquuntur quidem nobis.

Mutus magis quam seapha. ἀφωνότερος σκάφης.

De ijs dici consueuit, qui propter humilitatem conditionis apud præstantiores non audent loqui.

Silentij tutum præmium. σιγῆς ἀκίνδυνον γέρας.

Horatius: Est & fideli tuta silentio merces. Silendo nemo peccat, loquendo persæpe.

Nam nulli tacuisse nocet, nocet esse loquutum.

Schvveigen vnd dencken, Kan oien and Kraencken. Man hat sich ehe verredt dann verthon.

Mulierem ornat silentium. γυναιξὶ κόσμον ἡ σιγὴ φέρει.

Mulier animal natura loquax, nulla de re magis cohonestatur, quam silentio, maxime apud viros, quum de rebus serijs agitur.

Alia committenda, alia celanda.

Nec temere quibus apud quemuis effutiendum, at nec familiaribus arcana omnia proferenda sunt. Ad hanc sententiam quadrat illud Homeri ex Odyss.

Ἀλλὰ τὸ μὲν φάσθαι, τὸ δὲ καὶ κεκρυμμένον εἶναι.

Dicendum est aliud, contra est aliud reticendum.

Quod scis, nescis.

Terentius in Eunucho: Tu pol si sapis, quod scis, nescis. Idem in Heautont. Nesciat quod scit, si sapis. Prouerbio certam in tacendo fidem significamus, dum quis quid scit, perinde continet ac dissimulat, quasi nesciat.

Qui obticescit.

In eum, qui metu attonitus, aut stupefactus admiratione tacet, quadrabit illud Homeri:

Τὸν δὲ μὲν ἀμφασίη ἐπέων λάβε.

Illum corripuit stupor, atque infantia linguæ.

In sinu gaudere.

Est tacitam apud se voluptatem sentire.

Qui sapit, in tacito gaudeat ille sinu. Homer.

Ἐν θυμῷ γρηῦ χαῖρε καὶ ἴσχεο.

In tacito longæua sinu preme gaudia nutrix.

Qui continet arcanum.

In eum, qui celat arcanum, neque cuiquam effutit, quadrabit illud Homeri ex Odyss.

Τῇ δ' ἄπτερος ἔπλετο μῦθος.

Huic pennis dicta carebant.

Hoc est, haud longius auolabant.

Muti citius loquentur.

Flauens in Persa: Muti prius loquentur quam ego. Ne hoc, inquit, cuiquam homini dicerem, edictum est mihi magnopere, nec cuiquam homini crederem, omnes muti ut prius loquerentur hoc, quam ego. Ein Schvvaetzer hette es balde gesagt.

Areopagita taciturnior.

Dicebatur qui commissum arcanum optime contineret.

Manum ad os apponere.

Hoc gestu significamus nos scire quippiam, quod tamen nolumus effari.

Bacchæ more. Βάκχης τρόπον. *Diog.*

De tetricis ac taciturnis dictitari solitum, quod essent huiusmodi Mænades illæ Bacchico afflatæ furore. At Iuuenalis retulit ad vitam intemperantem:

Qui Curios simulant, & Bacchanalia viuunt.

Mutus magis quam piscis. ἀφωνότερος τῶν ἰχθύων.

De vehementer infantibus atque infacundis. Conuenit in hominem immodica taciturnitatis. Pisces enim nullam edunt vocem. Stumm vvie ein Stock, stummer als ein Fisch im Vvasser.

Gall. Plus muet qu' vn poisson.

Rana Seriphia. βάτραχος ἐκ Σερίφου.

Exempla Profana.

Exemplar taciturnitatis honesta D. Maria virgo, hanc virgines, hanc fœminæ omnes imitentur: pauciloquam quidem, sed ad miraculum sapientem. *Lud. Viues de Christian. fœmina lib. 1.*

Disertissimum Homerus Vlyssem, maxime taciturnitatem expressit, filiumque eius & coniugem, & nutricem; siquidem audis eam dicentem:

Ἕξω δ' ὡς ὅτε τις κρατερὴ δρῦς ἠὲ σίδηρος.

Non secus ac fortis quercus ferrumue tacebo.

Apud *Spartanos* in Phiditijs natu maximus commõstratis foribus: ταύτῃ οὐκ ἐξέρχεται λόγος, audientibus omnibus proclamabat. *Plut. lib. 2. conui. & in Lycurgo.*

Quum M. *Catoni* Vticensi, etiamnum puero, vitio daretur taciturnitas (nec enim cum pueris exercebatur, nec a quoquam audiri volebat) ait: carpant taciturnitatem modo vitam probent. Et addidit: tum demum abrumpam hoc meum silentium: cum ea loqui potero, quæ sunt indigna silentio. *Plut.*

Leæna meretricula, cum nullis tormentis adduci potuisset, vt consilia Harmodij, & Aristogitonis tyrannicidarum detegeret: statuam apud Athenienses æneam meruit. Iphicratis opus. Leæna scilicet, cui ob taciturnitatem lingua adempta esset. *Alexand. ab Alex. l. 5. c. 30. ex Plin. l. 34. c. 8.*

Papyrius, ob taciturnitatem eorum, quæ in Senatu consultabãtur, puer etiamnum prætexta a Roman. Senatu donatus est. *Macrob. 1. lib. 5. Saturn. c. 6. & Gellius lib. 1. c. 23.*

Cinnus Cesar libertinæ mulieri, quod tormentorum nullo cruciatu adigi potuisset, vt patroni crimen proderet, octingenta talentis donauit. *Suet.*

Dogma Pythagoræ philosophi excellentissimi fuit, præter Palingenesiam, & μετεμψύχωσιν, id est, regenerationem, & transanimationem, item abstinentiam ab esu carnium, & fabarum: de quibus Oui. lib. 15. Metam. & Virg. in 6. scribunt, & ἐχεμυθία, id est, taciturnitas illa, qua discipulos elinguabat toto quinquennio, vt apud se docere discerent, & loqui dediscerent.

Philippus Beroaldus in comment. in Quæst. Tusculan. lib. 5. Diogenes, Laert. lib. 8. de vitis Philosophorum, Raphael Volaterranus libro 28. Philologiæ. Rauisius Textor refert, triennium præscriptum fuisse silentium, in secunda parte, cap. Taciturnitas in officina.

Hieroglyphicum.

Per numerum 1095. Aegyptij soliti sunt Taciturnitatem indicare, causas vide apud *Pier. Valer. l. 38. pag. 362. F.*

Vide supra, Lingua, Sermo, Silentium.

TACTVS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

TActus, Græce ἁφὴ ἀπὸ τοῦ ἅπτομαι, tango dicitur. Est autem tactus sensus eorum, ex quibus componitur animal, & per quæ corrumpitur, *secundum B. Thom. in quæst. de veritate, quæst. 26. artic. 3. cap..*

Tactus a tango venit, vnde tangibile.

Philosophicæ Sententiæ.

Omnes animantes sensus tangendi participes sunt. *lib. 2. de anim. c. 2. T. 17.*

Sine tangendi sensu nullus alius extare potest: cum tactus sine alijs adsit. *lib. 2. de anim. c. 3. T. 35.*

Cum cæteris sensibus a bestijs longe multumque superemur: tamen tactus iudicium in nobis, quam in plerisque alijs, acrius est. *lib. 2. de anim. c. 9. T. 94.*

Tactus & rei est, quæ sub tangendi sensum cadit, & rei quæ non cadit. *lib. 2. de anim. c. 11. T. 120.*

Si solus nobis tactus datus esset: vnum duo esse iudicaremus. *lib. de Somnijs, c. 2.*

Ea pars in qua inest tangendi principatus, terrena est: ea vero qua gustamus, quædam species tactus est, ob eamque causam, & tangendi, & gustandi sensus cordi adiunctus est, & annexus. *lib. de Sensu, c. 2.*

Tactus in parte corporis similari consistit, vt carne. *lib. 1. de Hist. cap. 4.*

Tactus multipliciter dicitur, & quod multipliciter dicitur, vel dicitur æquiuoce, vel altera ab alteris, in prioribus. *Arist. in 1. de gen. & cor. c. 2. T. 14.*

Tactus proprie dicitur de habentibus positionem. *Arist. in 1. de gen. & cor. c. 2. tex. 44.*

Tactus qui est in Mathematicis, dicitur secundum posterius a vero tactu, qui est in animalibus. *Auerroes in primo de gen Text. 44.*

Tactus tripliciter consideratur, vt est tactus tantum, vt est sensus tantum, & tactus, vel, prout est sensus, & tactus, & huius complexionati,

pleaionari, & vt est tactus non accipitur nisi per coniunctionē materiæ. *Alb. Magn. in 3. Eth. tract. 3. c. 4.*

Tactui quid sit vnum subiectum, non est manifestum vt auditui sonus. *Arist. in 2. de anim. c. 7.*

Tactus est rerum tactilium susceptio, atque deprehensio, quæ tunc fit, cum id, quod contrectandi potentiam habet, ad similitudinem rei tactilis immutatur. *Alex. Aphr. in 1. de anim. c. 18.*

Tactus est abiectissimus, & infimus omnium sensuum. *Tho. in 2. de anim. c. 3. T. 27.*

Tactus non est vnus sensus, quia circa plura paria contrariorum versatur. *Idem in 2. de anim. c. 39. C. 116.*

Tactus in mediocritate tangibilium qualitatum consistit. *In 3. de anim. c. 70. T. 60.*

Tactus & gustus non indigent medio, reliqui vero sensus medio indigent. *Auer. de sens. & sens.*

Tactus nō sentit rē, nisi per mediū intrinsecum, nec aliquid, quod sibi non sit coniunctim. *Albert. Magn. de princ. mot. process. tract. 1.*

Tactus est quasi subiectum non omnium sensuum, ad quem omnes sensus quasi referuntur. *Idem in 2. de cœl. tract. 1. c. 4.*

Tactus eorum est, quæ in materia permista sunt. *Idem in 10. Ethi. tract. 1. c. 10.*

Tactus est sensus præcipuus eorum, quæ pertinent ad consistentiā animalis, ea quibus animal constat, & nutritur. *D. Thom. in 2. de anim. lib. 6. T. 72.*

Tactus in parte corporis similari consistit, vt in carne: denique in parte sanguinea, vel in ea, quæ sanguineę proportione respondet. *Arist. hist. anim. 1. c. 4.*

Tactum omnia animalium genera habent. *Idem hist. 4. c. 8.*

Tactus sensorium primum incertum est, nam non est caro, non pars eiusdem aliqua, sed aliquod intimum. *Idem de par. ad c. 10.*

Tactus sensus omnibus primo inest, & vt vegetatiuum potest separari a tactu, & omni sensu, sic & tactus ab alijs sensibus. *Arist. in 2. de anim. c. 2. T. 17.*

Tactus & gustus sensorium est cor: quia est oppositum cerebro, & calidissimum. *Arist. de sens. & sens. c. 2.*

Tactus & gustus, vt tactus solus necessarius est animali, & necessarium est sine quo res non est id quod est, & propter quod est; aut omnes sensus animali sunt necessarij, vt necessarium intelligitur illud, sine quo res præseruari nequit. *Alber. Magn. de sens. & sens. tract. 1. c. 2.*

Tactum omnia animalia habent, quia est magis necessarius, quam alij sensus, etsi visus sit perfectior. *D. Th. in c. 1. Metaph. l. 5.*

Tactus & gustus immediate tendunt ad cor, & alij sensus fundantur in sensu tactus. *Pet. de Aluer. de iuuent. & senect.*

Tactum certissimum habet homo, vnde prudentissimus omnium animalium est, in hoc enim omnia animalia superat, cū in alijs sensibus a pluribus superetur. *Arist. in 2. de anim. c. 5. T. 94.*

Tactu homo egregie sentit, eo quod temperatissimum corpus habet. *Alex. Aphr. in 1. de anim. c. 16.*

Tanguntur præsentia, & non absentia. *Idem ibid. c. 18.*

Tactus sequitur bonitatem discretionis in homine, non autem sic alius sensus. *Auer. in 2. de anim. T. 94.*

Tactum bonum qui habent, ac mollem carnem, ingeniosi sunt. *D. Thom. in 2. de anim. lib. 19. T. 94.*

Tactum meliorem habet animal, quando reductam habet complexionem ad medium. *ibid. lib. 23. T. 119.*

Tactus est homini excellentissimus, quia proportionatæ, vt nobilissimæ formæ: & tanto inter homines magis aptus mente, quanto est melioris tactus. *Idem de sens. & sens lect. 9.*

Tactui affectiones omnes corporum tribuunt, secundum inclinationem autem ad locum. Vitales enim facultates iudicat, caliditatem, frigiditatem, siccitatem, humiditatem, lenitatem, asperitatem, cedentia, retinentia, mollia, dura, graue, & leue tactus prę iudicat: ratio vero decernit, per mutationem a medio, & ad medium. *Tim. Loc. de anim. mund. & nat.*

Tactus non solum nunciat, atque tangit, quod aliquid sit propinquum, sed etiam quasi passus tangibilis ipsius nunciat differentias, ac nisi quid obstiterit id etiam sentiat è longinquo. *Plot. En. 4. lib. 4. c. 4.*

Tactus vbi acutissimus est, declarat optimam corporis inesse complexionem. *Marc. Fic. in Plat. Theol. lib. 12. c. 4.*

Tactus terræ ascribitur, cum per omnes terreni corporis partes fiat, in neruis, qui terreni maxime sunt capiatur, facillime tangat, quæ soliditatem habent, & pondus quod terra corporibus tribuit. *Idem in Plat. conuiu. or. 5.*

Tactus & gustus non tam facile mouenti cedunt, vt visus, & auditus, sed motorem fortius sentiunt, sed sæpe dolorem, & voluptatem vehementiorem habent, quæ passionis vehementia iudicium sensus impedit. *Idem in Plat. Timæum, c. 59.*

Tactus & gustus quatuor connumerant medici gradus, primū qui vix sensu percipiatur, Secundum qui manifeste percipiatur, sed non offendat, tertium iam offendentem, & lædentem, quartum breui interimentem. *Idem in Plat. leg.*

Polyanthea Noua.

Tangere quod aliquid debet, deinceps ab illo, quod tangere debet situm esse oportet, ita vt contiguum locum teneat illi in quo ipsum est. *Plat. in Parmen.*

Tangendi sensus a Dijs genitus est, vt calida, frigida, mollia, dura, leuia, grauia, lenia, & aspera dignoscat. *Alcin. c. 19.*

TARDITAS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Tarditas, cunctatio, mora, pigritia, Græce βραδύτης, Hebr. *Hatslah, Hatsluth*, a verbo *Hatsal*, piger fuit, & *Orech*, a verbo *Arac*, protractus est, longus fuit.

SENTENTIÆ PHILOSOPHICAE.

De grauis ingenij tarditate. DIAL. C.

Francisci Petrarch.

DOL.

At graui duroque sum ingenio. R. Grauedo molestior, sed hæc quoque minuitur, si diligenter intenderit. D. At pigro obtusoq; sum ingenio. R. Quid tu igitur huic morbo indignatione an lamentis succurrendum putas? Longe alio remedio res eget, non est indulgendum somno, non libidini, non cibo, non vino, non inanibus fabulis, non captandæ excusationum causæ, & reflexa in naturam culpa inertiæ succumbendum, sed vigilandum, cogitandum, suspirandum, anhelandum, enitendum, assurgendum, incitanda vis animi, excutiendus torpor, propellenda segnities, abstinendum voluptatibus, incumbendum studijs. Nil tam graue quod non leuet, nil tam durum, quod non leniat, nil tam obtusum, quod non acuat, nil tam pigrum, quod non vrgeat, nil denique tam defossum, tamque abstrusum, quod non eruat, tam sopitum, quod non excitet intentio. D. Ingenio tardo sum. R. Qui velocitatem ingenij laudem dicunt, tarditatem dicturos infamiam certe scio. Malim tamen ingenium tardum, ac modestum, quam velox, & præruptum. Nam vt, inde non insignis gloriæ, nec spes operum magnorum, ita hinc errorum grauium, & turpis ignominiæ metus est, tolerabilius autem multo est fieri inglorium, quam infamē. D. Ingenio segni sum. R. Quod equis segnibus fieri solet, stimulos adhibe, non hinc tibi corporis excusatio, sed laboris occasio data est. Sunt qui statim, quod non vltro prouenerit deserendum putent, at tu preme, insta, contende. Generosum animum difficultas erigit, alit labor, illic maxime nititur, idque pluris æstimat, vbi resistentiæ plus inuenerit. Factum studio ingeniosum Socratem legis, disertumque Demosthenem, & quamuis idem accidit, singulare quidem nomē pauci occupant. Rarior est fama, quam meritum. D. Ingenio hebes sum. R. Non tibi profectus ideo spes erepta, sed industriæ inuenta necessitas. Gloriosius autem tanto est studio prouehi, quā natura, quanto satius proposito loqui, boni aliquid agere, quā casu. D. Ingenio tardo prorsus, & inualido sum. R. Si literis non potes, at virtuti stude. Nemo ad illam satis ingeniosus, vbi non acumen quæritur, sed voluntas, ad quam quidam literas nihil prodesse, alij obesse etiam opinati sunt, ideoque desertis studijs in solitudines abiere, & eximiæ illis scientiæ loco fuit ignorantia literarum, de quorum iudicio pronunciare difficile est. Idem (de quo constat) extremum accipe. Nemo te fallat, nec te vulgi stupor, nec stultorum voces moueant. Maius tutiusque est virtute, quam literis clarum fieri. Itaque semper illud optabile, & sæpe illud formidabile res ostendit, quod si ad virtutē animi literarū lux accesserit, tum demū consummatū quiddam, atq; perfectū est ea quidem, si qua in rebus humanis potest esse perfectio.

SIMILITVDO.

P. M. Vt in inserendo calamus altius depressus, tardius fert, sed durat fortius: Ita præstat sic rem aggredi, vt firmior fit, ac durabilior potius, quam vt præsens spectes lucellum. *In simil.*

ADAGIA.

Interuallo perit fames, & optime perditur. Διαλείπουσα ἀπόλλυται λιμὸς καὶ κάλλιστ' ἀπόλλυται.

Mora multis rebus adfert remedium.

Summis ingredi pedibus.

Qui clanculum, & cautim, aut pedetentim, vt aiunt, conantur aliquid, summis pedibus ingredi dicuntur.

Pulmo prius venisset. *Plautus.*

Dictum est olim in lentos, ac cessatores.

Coruus aquat. κόραξ ὑδρεύει.

Dici solitum, vbi quis non citra negocium, atque ingenium consequeretur ea, quæ cuperet, Aut vbi quis rem nouis artibus tentaret efficere.

Profectus ad Apaturia, reddit Maio. Ἀπατούρια ἐπανῆλθε Θαργηλιῶνι.

Dici solitum in eos, qui licentius immorarentur negocio cuipiam.

Callipides. Καλλιππίδης.

Olim prouerbio dicebatur, qui in moliendis negotijs, cum multa se facturum minaretur, nihil tamen conficeret, aut quemadmodum ait Terentius: qui sedulo mouens sese, nihil promoueret. Callipides histrio fuit.

Diu delibera. βουλεύου βραδέως.

Lente consultandum, at vbi statueris, mature, quod opus facto, faciendum est.

Sic est ad pugnæ partes, re peracta, veniendum. πολέμου καὶ μάχης χρὴ οὕτω μεταλαγχάνειν.

Iocus erat prouerbialis, vbi quis negocio peracto, tum demum adueniret.

Ad aras. ἐπὶ βωμοῖς. Plut.

Equidem opinor perinde valere, quasi dicas, in ipso negocio: iuxta prouerbium, quo vetamur ad aras consultare.

Amæa Azesiam reperit. Ἀμαία τὴν Ἀζησίαν μετῆλθεν.

Dies consueuit de re diu multumque quæsita, desiderataque.

Zozepol ome det Et similia.

Plutarchus in Symp. ostendit, olim cognomina quadam prouerbiali ioco iactata fuisse in eos, qui serius ad conuiuium accederent.

Hercules hospitator. Ἡρακλῆς ξενίζεται. Athenæus.

Dictitatum, vbi quis diutius in conuiuio commorari videretur.

Expecta anus. μένε γραῦ ἕως ὁ παῖς ἐλθόντα.

Expecta anus meum filium, te fuaniaturum. Nam priusquam adolescat puer, illa decesserit. Adhibebimus spem seram significanti.

Expecta bos aliquando herbam. μένε βοῦ ποτὲ βοτάνην.

Finitimum illi: adhuc tua messis in herba est, quo itidem spes tarda significatur.

Inter cæsa & porrecta.

Videtur significare cunctationem, & ancipitem hæsitantiam, ac veluti internallum illud, inter omittendum quod cœptum est, & incipiendum quod nouari oportet.

Hyperberetæa. Ὑπερβερεταῖα.

Dicebantur olim admodum serotina, quæque vix tandem aduenirent. Apud Macedones, extremus anni mensis Ὑπερβερεταῖος appellabatur.

Quæ sero contingunt, sed magnifica.

Quatice intelligi volumus, famam aut præmium aliquod serius quidem contingere, verum hoc præstantius ac durabilius, quo diutius dilatum, vt tarditatem stabilitate, perpetuitateque compenset. Homerus.

Ὀψιμον ὀψιτέλεστον, ὅου κλέος οὔποτ᾽ ὀλεῖται.

Tarda & sera nimis sed fama, & laude perenni. Die traegen VVerck vverden gern gut. VVas baldt auffgehet, fellet balt. VVas vvol ansetzt, lest gern gute letzt.

Mysorum vltimus nauigat. ἔσχατος Μυσῶν πλεῖ.

Prouerbiali ioco dicebatur qui frustra laboraret, vel vbi dura quapiam imperaremus, factuque difficilia.

Bunas iudex est. Βούνας δικάζει.

Dicitur autem tum Bunas iudicare cum lis in longum profertur, nec vnquam explicatur. Zenodotus.

Accessi lunæ. Ἀκκεστοῦ σελήνη.

Dictum in comperendinatores, qui nouam subinde causam comminiscuntur, quod negocium propositum in aliud differre tempus possint. Diogenianus.

Laconicæ lunæ. Λακωνικαὶ σελῆναι.

Subaudiendum, Causaris. Dicitur autem hoc de promissis, aut pactis incertis atque infirmis.

Ἐπιδειπνίδας.

Quasi conuiuiorum appetens. Hoc nomine Cæsar appellabat eum, qui quum tardius ad cœnam veniret occupatus negocijs, tamen ob cœnarum cupiditatem, non recusaret ijs, a quibus rogaretur.

Τριχέδειπνοι.

Vocabantur apud antiquos τριχέδειπνοι, qui cunctantius ad conuiuium veniebant, κατ᾽ ἀντίφρασιν (vt apparet) cessatoribus celeritatem tribuentes apud Athenæum.

Μελλονικιᾶν. More Niciæ cunctari.

Traducebatur enim Nicias, quod cunctator esset in re militari. Hinc μελλονικιᾶν ex μέλλειν, quod est cunctari, & Νικίας, qui fuit dux Atheniensibus.

Placide bos. ἀτρέμας βοῦς.

Id est: Lente bos subaudi, incedit, aut simile quippiam. Congruit in illos, qui placide & paulatim rem conficiunt.

Caudæ pilos equinæ paulatim vellere.

Dicitur de eo, qui tempore atque assiduitate conficit id, quod viribus, atque impetu fieri nequit. Hinc Horatius in Epistolis.

Vtor permisso caudæque pilos vt equinæ
Paulatim vello.

Quisquis tarde venit ad cœnam vocatus: aut claudus: aut non dat symbolas. ὅστις ἐπὶ δεῖπνον ὀψὲ κληθεὶς ἔρχεται, ἢ χωλός ἐστιν ἢ δίδωσι συμβολάς.

Eidem: An quoquam ad cœnam properas conuiua vocatus.

Nemo nos insequitur. οὐδεὶς ἡμᾶς διώκει. *Plato libro septimo de legibus.*

Hoc prouerbium etiam hodie tritum manet, cum significamus liberum esse, diutius in re quapiam immorari. Nemo nos, inquiunt, impellit. Personne ne nous presse. Germani eodem modo. Es jaget vns niemandt, vvas haben vvir zu eylen?

Festina lente. σπεῦδε βραδέως.

Quadrat in illos, qui præpropere famam affectant, maluntque paratam, ac magnam, quam solidam, & perpetuam. Cum hoc & illud Catonis conuenit: Sat cito, si sat bene. *Assez tost si assez bien.* Eyle mit vveil.

Pedetentim. κατὰ πόδας βάσει. *Terent.*

Dici solet de ijs, qui non præcipitanter, atque inconsiderate, sed sensim & cunctanter negocium aggrediuntur, & arte magis quam impetu rem gerunt. Pas a pas.

Tacito pede. ἀψόφῳ ποδί.

Seu Lento pede. Vsus: cum lente ac pedetentim ad rem aliquam accedimus. Apud Latinos aliquando, Tacito pede, pro furtim ac clanculum vsurpatur, teste Ouidio.

Sero venisti. ὀψὲ ἦλθες.

Aduersus eos, qui mercede aliquid faciunt, aut post tempus adueniunt. Du bist zu spaat Kommen.

Post festum venisti. κατόπιν τῆς ἑορτῆς ἥκεις.

Dicitur in eos, qui negocio alicui egregio non interfuerunt. Legitur & hoc pacto: Post Panathenæa: *Item.* Post Pythia venisti. Du Kommest, vvann der Ablass geben ist.

Testudinis gradus.

Quadrat hoc prouerbium in eos, qui lente & cunctanter negocium aliquod aggrediuntur. Huic opponitur, Grallatorius gradus. Cum quis præpropere & festinanter aliquid suscipit. Plautus.

Celerius Elephanti pariunt.

Licebit his verbis quorumdam nimis lenta molimina, aut etiam cunctationem immodicam significare.

Annus est. Sæculum est.

Atque id genus alia. *Terentius: Et nosti mores mulierum, dum comuntur, dum poliuntur, annus est. Et: Sæculum est, quod nihil abs te literarum redditur.* Item: *Iamdudum ætatem, pro admodum dudum. Et tempus perlongum huiusmodi significantur.*

F A B V L A.

Rusticus.

Qui in arborem ascenderat rusticus, de illa delapsus grauiter femur dextrum læsit. Huic alius forte præteriens se consilium daturum dixit, quo vsus nunquam de arbore caderet. Vtinam, inquit ille, ante casum meum dedisses, sed proficerit tamen etiam in posterum, dic igitur. Tum ille alter: caue inquit, ne velocius terram reperas, vnde ascendisti, quam in arborem euaseris.

Fabula docet, sæpe cunctationem, & moram esse laudabilem, maxime ijs in rebus, in quibus festinatio damnosa esse posset.

Vide Mora, Cunctatio.

T E M E R I T A S.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Temeritas, Græce ἀβουλία, ας, ἡ. & ἄβουλος, ου, ὁ, ἡ, temerarius dicitur, & προπέτεια. Et temerarius is censetur, qui leuiter, nullo consilio adhibito, sine vlla causa aliquid aggreditur, Græce ἄβουλος, ἀπερίσκεπτος, παράβολος, θρασύς. Hebr. *Zedh*, & Temeritas, *Zadhon*, a verbo *Zodh*, efferbuit, intumuit, superbiuit, temerarius fuit, temere egit. Hinc ζέω, ferueo, & Lat. æstuo, item æstus. Est autem temeritas, cum inconsiderata dolorum perpessione gladiatoria periculorum susceptio, *secund. Cic. lib. 4. Rhet.*

Temeritas, siue præcipitatio, est defectus consilij, & species imprudentiæ, *secund. B. Thom. 2. 2. q. 45. ar. 25. cap. fin.*

Temeritas est per quam fieri dicuntur, quæ ratione non geruntur, vel propter impetum voluntatis, vel passionis, vel ex contemptu, quæ causatur ex superbia. Ideo continetur sub præcipitatione, quæ respicit vtrumque, sed magis primum. *ex B. Thom. 2. 2. q. 55. art. 3.*

Temerarius est ille, qui nihil omnino formidat, sed aduersus omnia vadit, *secund. Arist. lib. 2. Ethic.*

L O C I B I B L I C I.

Temeritas damnatur, *Prouerb.* 15. 22. 14.

Temeritatis *exempla*: Israelitæ, *Num.* 14. 40. 41. *Deut.* 1. 42. 43. Iosaphat, 2. *Chron.* 20. 22. Iosias, 2. *Chron.* 35. 22. Petrus, *Matth.* 26. 51. Thomas, *Ioan.* 11. 16. Exorcistæ, *Act.* 19. 13. 16.

Temeritatis punitæ *exempla*, Israelitæ, *Num.* 14. 45. *Deut.* 1. 44. Iosaphat, 2. *Chron.* 20. 37. Iosias, 2. *Chron.* 35. 23. Ioseph, & Azarias, 1. *Mach.* 5. 59. 60.

Temeritas cupiens cognoscere, quæ Deus non patefecit, vel non necessaria, vel ad nos non pertinentia, fugienda, quia hoc vitiũ prohibitum est a Deo, *Rom.* 11. 20. & 12. 3. 16. 1. *Tim.* 6. 17. Redarguitur item a Christo, *Ioan.* 14. 22. 23. & 21. 22. *Act.* 1. 6. 7.

Temeritas literata, seu apparentis sapientiæ studium, vitium

cit.

est, nempe quum quid falsam sapientiam, id est, malas, aut vanas artes sectatur. Ideo fugiendum, quia noxium, *Pro. 9. 18. Ier. 10. 2.*

PATRVM DICTA.

Temeritas asserendæ incertæ dubiæque opinionis, difficile sacrilegij crimen etiam. *Aug. de Gen. ad lit. c. 1.*

Temeritas inscitiæ socius. *Naz. ora. 6.*

Quibus temerarium consilium est, cadunt sicut folia. *Ant. ser. 30.*

Temeritate sua capiuntur præuaricatores. *Idem ibid.*

Qualis ciuitas est, cuius diruta sunt mœnia, talis est vir, qui non omnia cum consilio agit. *ibid.*

Temeritas est, quando quis ita percitus conuiciatur, modo qui neminem decet, aut seipsum vlciscitur, aut aliquo pacto iniuste quicquam audet. *Chry. in ep. ad Phil. hom. 5.*

Non intelligentes docemus, & nescientes arguimus, & dicta Dei homines emendamus. *Hilar. de Trin. l. 10.*

Vides fortitudinis matrem esse prudentiam, nec fortitudinem, sed temeritatem esse quemlibet ausum, quem non parturiuit prudentia. *Bern. de consider. li. 2.*

PHILOSOPH. SENTENTIÆ.

Omnis actio vacare debet temeritate, & negligentia. *Cic. 1. Of.*

Nihil est temeritate turpius, nec quicquam tam indignum sapientis grauitate, & constantia, quam aut falsum sentire, aut quod non satis explorate perceptum sit, & cognitum, sine vlla dubitatione defendere. *1. de Nat. deor.*

Nihil est a grauitate sapientis, errore, leuitate, temeritate disiunctius. *4. Acad.*

Satius est idipsum de quo ambigitur, concedere, quam impudenter resistere. *1. de Nat. deor.*

Quid est tam futile, quam quicquam approbare non cognitum? *1. Acad.*

Insignis est temeritas: cum aut falsa, aut incognita res approbatur. Nec hoc quicquam est turpius, quam cognitioni, & perceptioni assertionem approbationemq. præcurrere. *1. Acad.*

Quid est stultius, quam incerta pro certis habere, ac falsa pro veris? *Cato maior.*

Ne cui rei temere, aut arroganter assenserimus. *2. de Inuent.*

Ipsa cõsuetudo assentiẽdi periculosa esse videtur, & lubrica. *1. Of.*

Temere affirmare de altero, est periculosum, propter occultas hominum voluntates, multiplicesq. naturas. *Cic. Br.*

Cauendum est ne incognita pro cognitis habeamus, ijsque temere assentiamus, sed adhibeamus ad considerandas res, & tempus, & diligentiam. *1. Offic.*

Plerique errare malunt, eamque sententiam quam adamauerunt, pugnacissime defendere, quam sine pertinacia, quod constantissime dicatur, exquirere. *4. Acad.*

Audaciæ, & temeritati potius sero, quam nunquam obuiandum est. *Liuius Dec. 1.*

SENTENTIÆ HISTORICAE.

Temerarij longe facilius audentes vocantur, quam cauti, & prudẽtes. Qui enim præter officium sit quippiam ausus, ex aliorum beneuolentia, quibus forte vir accessit visus, honorem. Is vero qui prudenter, & caute periculum subterfugerit, nec tamẽ pro votis rem gesserit, incidentium proculdubio rerum subiturus est noxam, & si quid eius ex animo, ac sententia egerit, nihil prorsus fecisse imperitis videbitur. *Procop. de bel. Goth. li. 3.*

Vbi primum impetum effudit, velut quædam animalia amisso aculeo, torpet. Et licet felicitas aspirare videatur: tamen ad vltimum temeritati non sufficit. *Cur. li. 4.*

Hostium temeritas commodam dimicandi facultatem præbet. *Cæs. li. 6. de bel. Gall.*

Ego id verum esse existimo, quod dici solet, temeritatem sæpenumero homines ad insaniam, & ad nihilum adducere solere. *Poly. li. 4.*

Pericli contra sexaginta armatorum Peloponnesiorum, ac Bœotorum dimicandum nullo modo visum est, etiam si de ipsis Atheniis ea dimicatio fuisset futura: ideo ciues suos pugnam poscentes indigneque hostium populationes ferentes, verbis mitigauit, docendo, arboribus quidem excisis facile alias enasci, hominum iacturam reparatu haud ita procliuem esse. Præterea populum nequaquam in concionem aduocauit, ne aliquid præter animi sui sententiam agere cogeretur. Ac quemadmodum nauis rector, vento mari incũbente, omnibus recte curatis instructisque armamentis, arte sua vtitur, valere iussis eorum, qui naui vehuntur, periculumque, & nauseam non ferunt, lachrimis precibusque, ita Pericles vrbe tum clausa, omnibusq. locis præsidio firmatis, sua consilia secutus est, parui faciens obuectationem indignationesq. ciuium. Enimuero, & ex amicis multi precibus eum vrgebant, inimici minis, ac criminationibus territabant, multi cantilenis, ac dicteriis imperium eius exagitabant, mollitiem, & proditionem obijcientes: verum his omnibus nihil motus Pericles, æquo animo, & tacitus ignominiam odiaq. tolerauit, missaq. in Peloponnesum classe centum nauium, ipse in vrbe remansit, resq. domi ministrauit tantisper dum hostes discesserunt. *Plutar. in Pericle.*

Dies me deficiat, si reges imperatoresq; temere in hostium terras transgressos cum maximis cladibus suis exercituumq; suorum enumerare velim. Athenienses, prudentissima ciuitas, bello domi relicto, authore ẹque impigro ac nobili iuuene, magna classe in Siciliam transmissa, vna pugna nauali florentem rempubl. suam in perpetuum afflixerunt. Externa & nimis antiqua repeto. Africa & M. Attilius, insigne vtriusq; fortunæ exemplum, nobis documento sint. *Liu. Decad. 3. lib. 8.*

Non semper temeritas est felix. *Idem, ibid.*

Impetus immodicus temerariusq; ab initio, facile euanescit, parumque temporis viget. *Dion. lib. 58.*

Temeritatis subiti & vehementes sunt impulsus: quorum ictibus hominum mentes concussæ, nec sua pericula dispicere, nec aliena facta iusta æstimatione prosequi valent. *Val. Max. l. 9. c. 8.*

Nõnullis quidẽ hominibus temere agere, simulq; perire cõtingit, quod ex nullo ante oculos exẽplo conijcere possint quemnam finem eorũ temeritas sit habitura. *Procop. de bello Vandalico, lib. 3.*

APOPTHEGMATA.

Demonax aliquando in balneis, cum refugeret ingredi aquam feruentiorem, & alius illum appellaret meticulosum: Quid, inquit, an hoc pro patria passurus essem? Sentiens, temeritatis esse, non fortitudinis, subire periculum, nisi ob causam grauem & honestam fiat. *P. M. l. 8. apoph.*

Demosthenes. Quum Athenienses gestirent Harpalo ferre suppetias, iamque Alexandrum armarent, derepente apparuit Philoxenos, quem Alexander maritimis negotijs præfecerat: hic, quum populus metu attonitus conticesceret: Quid facerent, inquit Demosthenes, si solẽ videant, qui non possunt obtueri lucernã? Ita populo temerarios motus exprobrauit. *P. M. l. 4. Apop. ex Plut.*

Antigonus cum audiisset filium in extraordinario conflictu ab hostibus interfectum esse, nil aliud dixit, quam: Sero nimis interijsti, mi fili, qui tam temere in hostes te conieceris, neq. tuæ salutis, nec meorum monitorum memor. Sensit vir prudentissimus, eum merito perire, qui nec suæ salutis, nec bonorum virorum monitorum memor, temere in periculum se conijciat. *P. M. in Declamatione de morte.*

Fabius Max. audiens Minutium collegam, qui feliciter nonnullos hostes iam deiecerat, multum laudari, ait, se magis secundam Minutij collegæ fortunam, quam aduersam pertimescere. Sentiens, illius temeritatem periculosissimam esse Reip. quam si rerum successus attolleret, in extremum discrimen adducturam vniuersum populum Romanum: sed aduersis casibus futuram moderatiorem. *Plut. in Rom. apopht.*

Idem Minutius, cum Fabium tanquam cunctatorem in senatu insimulasset, quod præ timore pugnam detrectaret, partitusq; esset cum Fabio copias, eoque inuito prælium cũ Annibale iniisset: Ita est, inquit Fabius, non celerius quam timui deprehendit fortuna temeritatem. *Brus. l. 3. c. 16. ex Plut.*

Scipio Africanus dicere solebat, in re militari turpe verbum esse, Non putaram: quod alijs in rebus interdum locus datur, male instituta posterioribus consilijs melioribus corrigere: cæterũ quæ ferro peraguntur, ea non oportere temere aggredi, quod hic error fere est inemendabilis. Idem dictum locum habet & in his quæ semel facta mutari non possunt: vt in ducenda vxore, in sacris ordinibus. *Plut. in eius vita.*

Augustus Cæs. eos qui leuem ob causam periculis se exponerent, similes aiebat esse aureo hamo piscantibus: qui plus damni amisso semel hamo acciperent, quam multarum capturarum lucro posset reparari. *Fulgos. lib. 7. c. 2.*

Philo. Quæ absque ratione fiunt, inquit, omnia sunt turpia. Quæ vero cum ratione, omnia decora. Item, citra doctam contemplationem nihil decore fieri potest. Scientia enim à bono consilio nascitur: at inconsulta temeritas malorum omnium scaturigo est. Item, Meditatio sera lucrum non habet, & in exitu rei inutilis est pœnitudo. *Ant. serm. de temerario consilio.*

SIMILITVDINES.

Plutarchi. Sol cum maxime tollitur in altum, arduus ad populũ septentrionalem, tum minimum mouetur. Ita quo maior est potestas, hoc magis coercenda est animi temeritas. *in Moral.*

Paul. Man. Columbo in volatu pernicitas: sed dum plaudit in aere, sibi placens, implicatus strepetu pennis capitur ab insidiante alicubi accipitre: ita multi dum ostentant suas vires, magis quã vtuntur, obliti sui præda fiunt inimicis. *In Simil.*

Themist. Quemadmodũ nulli magis submerguntur q̃ qui natandi valent cõsuetudine: Sic in malis rebus quo quisq; est maior artifex, eo in certioribus versatur periculis *in apoph.* 124.

ADAGIA.

Oportet remum ducere, q̃ didicit. *Δεῖ κώπην ὃ ἔμαθεν ἑλκύειν. Plu.* *Vnumquemque decet eam artem exercere, quam antea doctus sit. Horat. in arte poetica.*

> *Ludere qui nescit, campestribus abstinet armis,*
> *Indoctusque pilæ, disciue, trochiue quiescit.*

Qui lusus non nouit legem, abstineat.

Exiij nulla ratio. ἀλλ' οὐδεὶς λόγος. *Idem.*
Hoc sentimus, quum imminet nobis fatale exitium, Deum adimere consilium ac rationem.

Ne præceps fueris ad iurandum,
Habebat prouerbij speciem, si quis hominem post acceptũ malum admoneat.

Quam quisque nouit artem in hac se exerceat. *Cic.*

Horatius.

Nauem agere ignarus nauis timet, abrotanum ægro
Non audet, nisi qui didicit dare, quod medicorum est,
Promittunt medici, tractant fabrilia fabri. Ein ieglicher vvarte dess seinen.

Cœnare me doce. δειπνεῖν με δίδασκε. *Aristophanes.*
Tempestiuiter vsurpatur, si quando docere, praire, aut etiam refellere conatur aliquem imperitus negotij, de quo discrepatur.

Non suscipiendum negotium temere.
In proposito item, & cum quo non sit suscipienda simultas, aut lis, nisi magno aliquo præsidio fulciaris, quadrabit illud Homeri.

Οὐκ ἄν τις μὲν ἐφυκάνοι ἀντιβολήσας.
Νόσφι θεῶν.
Huic certaturus non ierit obuius vllus.
Absque Deis.

Illotis manibus, ἀνίπτοις χερσίν. Diogen.
Pro eo, quod est, irreuerenter atque imparate. Mit ungevvaschenen Haenden.

Illotis pedibus ingredi. ἀνίπτοις ποσὶν ἀναβαίνειν. *Lucianus.*
Id est: Illotis pedibus ingredi, est confidenter atque imperite rem egregiam aggredi, tanquam prophane & irreuerenter. Er fellt mit den fussen darein.

Andabatæ.
Conueniet in eos, qui temere nulloque iudicio insectantur quippiam, aut repugnant alicui.

Aedilitatem gerit sine populi suffragio.
Vbi quis importunior est in alieno negotio, aut in ædibus alienis.
Er hat vil Zuschaffen, vnd ist ihm vvenig befolhen. Item. Er hat vil Zuschaffen, aber vvenig ausrichten. Item Er hat vil Zu regieren in anderer Leut Haeuser.

Inscitia confidentiam parit: prudentia vero cunctationem.
Hieronymus ad Euagrium ita refert, Imperitia confidentiam, eruditio timorem creat. Plinius: Recta ingenia debilitat verecundia, peruersa confirmat audacia.

De cœlo ad Synagogam. *Tertull.*
Suspicor dici solitum, ubi quis demittit sese à summa tranquillitate in summos tumultus, aut vbi quis statim aggreditur negotium.

Ne incalceatus in montes.

Theocritus. ἐν νομεῦσι.

Ἐς ὄρος ὅκχ' ἕρπῃς, μὴ ἀνάλιπος ἔρχεο Βάττε,
Ἐν γὰρ τῷ ὄρει ῥάμνοι τε καὶ ἀσπάλαθοι κομόωντι.
Batte, caue pedibus nudis perrepere montem.
Quippe rubis, tribulisque viret mons vndique densis.

Qui suscipit aliquod vitæ genus, armet sese aduersus occursura incommoda, ne pæniteat suscepti.

EXEMPLA PROFANA.

Apud *Romanos* ignominiæ causa militibus audacioribus qui nec animi, nec consilij satis haberent, vena soluebatur: quæ non tam pœna, quam medicina fuit: vt superflua sanguinis parte defluxa, se magis intra gyrum rationis continerent. *Alexan. ab Alex. lib. 2 c. 13.*

Seruilius Cæpio Consul cum Cn. Manlio, qui cum contra Cimbros in Italiam irruentes, temerarie pugnans, de exercitu xxc. M. hominum amisisset: ex iussu populi Romani, bona eius publicata, eique imperium primo post Tarquinium abrogatum: ipse in publicis vinculis extinctus: inde tractus & discerptus est ad scalas Gemonias. *Liui. l. 67.*

Socrates frugalem & rebus suis contentum animi habitum similẽ esse dicebat viæ breui & amœnæ, multum enim gratiæ & parũ laboris habet. *Laert.*

Idem quærenti, quis ditissimus esset? paucissimis contentus, respondit. Virtus enim suis rebus contenta naturæ opulentia est. *Stobæus.*

Crates cum in forum incidisset, alios ementes, vendentes alios cõtemplatus; illi, inquit, quod rem inter se contrariam agunt, se beatos iudicant: at ego me, quod vtriusque, tum emendi, tum vendendi sum immunis. *Stob. & Laert.*

Sabinorum iudicium non solum stultum, sed sibi ipsis perniciosum fuit, qui Sextum Tarquinium temere credendo ex hoste hospitem fecere, ex hospite ducem, quo non tantum victi, sed libertate & fortunis omnibus exuti fuere.

Mithridatis ingens ea temeritas fuit, qua imperium Asiæ animo concipiens, vt diligentius suũ inspiceret, ipse solus eam peragrauit, periculoque se obiecit, vt illuc seruus deduceretur, vbi imperiũ quærebat. Cum periculo ẽt domestica mala accesserũt: Laodice enim soror an coniux, cum mortuum eum esse arbitraretur, multis per adulterium se commiscuit, ipsiusque reditum verita, operam dedit vt rediens interimeretur. Q. Sertorius cũ aduersus Cimbros vna cum Mario pugnaret, mutata veste in hostium castra penetrauit, vt illic hostium consilia, atq. ordines exploratores: quippe nimis magno periculo inter feras gentes id ager aggressus est, quod per alios vilioris fortunæ homines minore Reip. periculo assequi potuisset.

HIEROGLYPHICA.

Temerariorum hieroglyphica tabella is est, qui equum ferocissimum conscendit. Raptans illum fert equus, nec descendere patitur. Huic quidam obuius, & quærens qui tam festinanter abit, respondet miser, equum digito demonstrans, verbaque in auras euanescentia spargens, quo illi placet. Temerarios etiam si quis interroget. Quo ferimini? respondebunt si vera fatentur. Quo nostris placet cupiditatibus, nempe voluptati, ambitioni, auaritiæ. *In Hier. collect. li. 6.*

Non te quæsiueris extra, inquit, *Pers. Sat. 1.* Hieroglyphicon illud a Cochlea testæ suæ inclusa petitur, & temerarijs principibus atque rebus publicis (aliorum potentiorum principum respectu) non multum valentibus, ac quibus quies tuta damnosaque, & exitiosa temeritas est, apprime conueniens. Monet autem eos Satyricus, ne immature prodeant cum certo vitę suæ periculo. Audiat ergo turba imbellis monitum, Cochleæ aptatum. *Non tibi tela nocent latitanti, erumpere ne ausam Configunt, &c. ibid.*

Icarus, Ixion, & Phaethon, a poetis decantati temeritatis infelices exitus proponunt.

EMBLEMATA ALCIATI.

In Temerarios.

Dum dormit, dulci recreat dum corpora somno,
Sub picea, & clauam cæteraq. arma tenet.
Alciden Pygmæa manus prosternere lætho
Posse putat, vices non bene docta suas.
Excitus ipse, velut pulices, sic proterit hostem
Et saui implicitum pelle leonis agit.

Aliud.

In præceps rapitur, frustra quoq. tendit habenas,
Auriga, effrenis quem vehit ire equus.
Haud facile huic credas, ratio quem nulla gubernat,
Et temere proprio ducitur arbitrio.

Aliud.

Aspicis aurigam currus Phaethonta paterni
Ignivomos ausum flectere Solis equos:
Maxima qui postquam terris incendia sparsit,
Est temere insesso lapsus ab axe miser.
Sic pleriq. rotis fortunæ ad sidera Reges
Euecti, ambitio quos iuuenilis agit:
Post magnam humani generis cladem q. suamq.
Cunctorum pœnas denique dant scelerum.

FABULA.

Tigris.

Venator iaculis, & sagittis feras persequebatur, quibus fugientibus, tigris se bellum solam sustentaturam esse profitetur: in huius, de latebris exiens, femur, sagittam venator conijcit. Tum illa grauiter ingemiscere, & circumspicere, ac quærere authorem vulneris. Cui obuiam facta vulpecula: Quis te læsit? o fortissima (inquit) ferarum? Nescio, inquit illa, sed sentio viri robusti adhibitam manum fuisse.

Refutat fabula temeritatem audacium. Qui autem viribus præstant, plerumque incautiores esse consueuere. Docemur igitur hoc, vt intelligamus, victoriam non tam virium esse, quam prudentiæ.

Vide Audacia, Fortitudo.

TEMPERANTIA.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Temperantia, Græce σωφροσύνη, κ. ἐγκράτεια, i. σωφρονισμός, d. i., tẽperatus dicitur. Temperantia quorundam iudicio dicta est ad Hebr. *Dobor*, i. modus rei, μετριότης, a verbo *Dabar*, loquutus est. Nam vt in sermone modus obseruari debet, ita in singulis alijs vitæ partibus, quæ sine temperantia constare nequeunt. Et *Mezahg*, mixtura, si quis vinum generosius aqua temperat, commode bibitura temperantiam, & eorum qui affectus moderãtur vita longe melior apparet. Et de homine iracundo admitiorẽ mẽtem reuerso dicere solemus, *Il a mis de l'eau en son vin.* Est autem temperantia, rationis in libidinem, atq. alios non rectos impetus, animi summa, & moderata dominatio. *secund. Cic. lib. Rhetor.*

Temperantiæ partes sunt. Continentia, Clementia, & Modestia, *secun. eund.*

Temperantia est moderatio cupiditatum rationi obediens, *secund. eun. li. 2. de fin. bonor. & mal.*

Temperantia est mediocritas circa voluptates corporis. *secun. Aristo. li. 3. Ethic.*

Temperantia est affectio coercens, & cohibens appetitum ab his quæ turpiter appetuntur, *secun. Aug. de lib. arb.*

Temperantia est virtus specialis: si sumatur antonomastice, vt

refrenat

refrenata maxime allicientibus. Sed est virtus generalis communiter. *secund. D. Th. 2. 2. q. 141. art. 1. 2. 9.*

Temperantia, *inquit Arist.* virtus est de concupiscibili nascens parte, ob quam animi turpibus non subijciuntur voluptatibus.

Temperantiæ proprium est, corporis voluptates non suspicere, turpisq. voluptatis vsus nequaquam cupidum esse, ac iustam et vereri licentiam, componiq. animo in paruis, vt in magnis, quę ad vitam humanam pertinent, rebus. Ad temperantiam vero accedit animi compositio, munditia, verecundia, reuerentia.

Temperantia est ratio in libidinem atque in alios non rectos motus animi firma, & moderata dominatio. Cuius extrema sunt, intemperantia, & insensibilitas. Græce *σωφροσύνη* vocatur.

Temperantia est affectio coercens, & cohibens appetitum ab his quæ turpiter appetuntur. *D. Aurel. Aug. de lib. arbit. Item de morib. Ecclesiæ dicit*, munus temperantiæ esse in coercendis, sedandisque cupiditatibus, quæ nos à recto, & bono auertunt. Eius officium est, contemnere omnes corporeas illecebras, laudemque popularem.

DIVISIO.

TEMPERANTIA virtus. *Ex F. Thom. 2. 2.*

- *Specialis vt refrenat a maxime allicientibus.*
  - *Materia*
    - *Circa quam.* — *Obiectum, & est bonorum delectabilium in concupiscentijs tactus, secundum modum rationis, vel legis diuinæ.*
    - *In qua* — *Subiectum, & est appetitus sensitiuus, vel concupiscibilis, & irascibilis.*
  - *Partes. Prima Secundæ quæst. 61. art. 4. q. 143.*
    - *Integrales.*
      - *Verecundia, per quam aliquis refugit turpitudinem temperantiæ contrariam.*
      - *Honestas, per quam aliquis amat pulchritudinem temperantiæ.*
    - *Subiectiuæ.*
      - *Abstinentia a cibo.*
      - *Sobrietas a potu.*
      - *Castitas, quantum ad delectationem principalem coitus.*
      - *Pudicitia, quantum ad circumstantes delectationes, vt in osculis, tactibus, & amplexibus.*
    - *Potentiales.*
      - *Continentia, quæ refrenat motum voluntatis, commota ex impetu passionis, ex qua fit, vt licet homo immoderatas concupiscentias patiatur, voluntas tamen non vincatur.*
      - *Humilitas, quæ refrenat motum spei, & audaciæ.*
      - *Mansuetudo siue Clementia, quæ refrenat motum iræ tendentis in vindictam.*
      - *Modestia, quæ refrenat motus, & actus corporales.*
      - *Bona ordinatio: ad quam pertinet discernere quid sit faciendum, quid dimittendum, & quid ordine sit agendum, & hoc firmiter persistere.*
      - *Ornatus quo homo obseruat decentiam in eo quod agit.*
      - *Austeritas in colloquijs amicorum, vel quibuscunq. alijs.*
      - *Paruitas secundum Macrobium, vel per se sufficientia secundum Andronicum, quæ superflua non requiruntur.*
      - *Moderatio secundum Macrobium, vel simplicitas secundum Andronicum, quæ homo non nimis exquisita requirit.*
  - *Actus duplex. q. 141. art. 4.*
    - *Principalis, & proprius, qui est moderari concupiscentias delectabilium tactus.*
    - *Secundarius, qui est moderari alias concupiscentias.*
- *Generalis dicitur, quia nomen temperantiæ significat quandam temperiem, id est, moderationem, quam non ponit in humanis operationibus, & passionibus, quod est commune, & in omni virtute morali.*

Partes temperantiæ sunt.

Mansuetudo, Liberalitas, Grauitas, Tristitia, Seueritas, Verecundia, Vrbanitas, Amicitia, Beneuolentia, Concordia, Amor, Pax, Continentia, Clementia, Pudor, Castitas, Pudicitia, Honestas, Moderatio, Taciturnitas, Frugalitas, Parsimonia, Bonitas, Puritas, siue Innocentia.

Mansuetudo est verborum suauitas, erga aliquos leuitatem mentis ostendens, motumq; facilitas, obuiaq. voluntatis suæ in aliquē ostensio. Cuius extrema. *Irritatio, & immobilitas.*

Partes mansuetudinis sex sunt.

Comitas, est cum aĩ verborum suauitate, quadam vultus hilaritate, non grauate aliqd se agere, aut acturos ostēdūt, aut pollicētur.

Benignitas, cum animi excitantur ad facile excipiendum, quæ ab alijs dicuntur. Hinc Plautinum illud: *Mihi ad argumentum hoc enarrandum est comitas, si ad auscultandum vestra erit benignitas*, quum benigne alicui operam nostram præstamus planeq. iuuamus. Cuius contrarium *Malignitas.*

Facilitas, est animi quædam benignitas, qua sese submittunt acquiescuntq. alterius sententiæ, nihil elatum de se significantes. Cuius contrarium est *Peruicacia*

Humanitas est qua animi, humana id natura postulante, erga omnes iuuandos aliqua in re commouentur, præsertim quos videant calamitosos: Cuius contrarium, *Inhumanitas*, tum etiam insolentia. Est tamen etiam videre vbi humanitas pro eruditione sumatur: quod discere proprium sit hominis.

Humilitas est, qua aĩ, vbi expediat, honestumq. sit, tum verbis, tum corporis gestu prudenter se suaque submittunt, nihil de se, aut arroganter fieri, aut dici volentes. Cuius contrarium, *Superbia.*

Tranquillitas est qua mites, & sedati ab omni perturbatione animi sunt, sumpta translatione a fluctibus. Cuius contrarium est *Atrocitas, vel fluctuatio.*

Liberalitas virtus est, ingenue, vbi honestas exigit, impendens. Liberalitas, *inquit Arist.* est defectum pecuniarum in rebus laudabilibus adhibere impensas, vbi decor postulet, insumere: auxiliū ferre, vbi res postulet, non auferre, vnde non decet. Est autem, *inquit*, liberalis amictu mundus si non lautus, & domicilio ornatus, & præparatus circa ea, quæ honesta, quæque viuendo suauitatem habeant, vnde etiam nulla expectetur vtilitas: qui alit animalia, vnde capiatur animus delectatione, aut aliqua nascatur admiratio. Liberalitatem comitatur humilitas, benignitas, humanitas, & esse misericordem, amicis iucundum, hospitalē honestum, & honesti amatorem: deniq. ad sumptum faciendū vbi oporteat, & quando necesse sit, nihil grauate facientis, ac libere liberalis. Cuius extrema, *Auaritia, & Prodigalitas.* Partes autem, benignitas de qua supra dictum, munificentia, hospitalitas, beneficentia, abstinentia. Græcis appellatur *ἐλευθεριότης*. *Egregium librum de liberalitate scripsit Iouianus Pontanus ad Actium Syncerum.* Versatur autem in eroganda recte pecunia.

Partes Liberalitatis sunt quatuor.

Munificentia est, qua aĩ, vbi & quando opus est, & quanta, & quib. conuenit, erogant munera. Cuius extrema, *Largitio & Tenacitas.*

Hospitalitas est, quum vltro, & miti, & humano inducti animo, nullo nostro allecti commodo hospites accipimus. Cuius extrema, *Hospitandi ostentatio, & in hospites Odium*, quo vitio fere vilissimi quique in ciuitatibus, & domibus flagrant, idque præcipue, si quid ex ipsorum sententia cesserit, qui hospitio admittuntur. Græcis *φιλοξενία* vocatur.

Beneficentia est, qua mitis animus ad cuiuis benefaciendum commouetur. Cuius extremum vel contrarium est. *Maleficentia*: & qui ei vitio alligatur, maleficus appellatur. Græcis vocatur *εὐεργεσία* dicta quod alijs benefaciendo prosit.

Abstinentia est, qua inducuntur animi, vt ab alienis abstineant reb. Cuius contrarium *Rapacitas.* Vel, est secundum quosdam cohibitio gulæ, luxuriæ, cupiditatis, auaritiæ, ambitionis, & superfluitatis, Græcæ *ἐγκράτεια.*

Grauitas est, per quam loco, tempori, ac personæ animus consentaneus inter morositatem, & delectationem versatur, talem etiā corporis, ac sermonis habitum gerit cum dignitate. Cuius extrema *Morositas, & Abiectio*, vt Apuleius singit, placentia. Partes ipsius, tristitia, & seueritas: vel, Grauitas est firmitas ac constantia animi, & in vultu, moribus, verbis, rebus agendis quædam seueritas. Græce *σεμνότης* nominata.

Partes grauitatis duæ.

Tristitia est habitus siue totius corporis quidam (si sic fas est loqui) vultus, nec in secundis rebus gaudibundus, nec aduersis concussus, in dolorem, nempe nullo tempore se immutans, aut attollendo, aut submittendo. Cuius contrarium. *Lasciuia.*

Seueritas est mentis quædam iusta duritia, & corporis facie, & factis, tam in se, quam in alios, prout res postulare videatur, nullū delictum remittens, legibus nimium atrociter obtemperās, legum,

gum, iuriique vim victo nullis precibus animo complectens. Cuius contrarium, *Licentia*. Temperantiæ partes aliæ suis locis & titulis continentur.

Loci Biblici.

Temperantia in cibo, potu & continentia, *Tob. 6. 15. Eccl. 3. 3. 6. Eccl. 31. 18. & 32. 7. Dan. 1. 8. 11. Rom. 13. 13. & 14. 17. 1. Cor. 7. 4. 5. &c. Gal. 4. 23. 1. Tim. 3. 2. 2. Tim. 1. 7. & 2. 6. 12. 1. Pet. 1. 13. & 5. 8. 2. Pet. 1. 6.*

Temperantiæ nomen interdum stricte accipitur pro sobrietate, vel pro castitate interdum late pro complexu plurium virtutū particulariū, & in hunc modum definitur. Temperantia est virtus quæ animi nostri motum & affectionem in voluptatib. corporis appetendis fugiēdisve regit & moderatur, sic vt illis fruamur, prout diuinæ voluntati, naturæ, & rectæ rationi. ordini itē personarum, locorum & temporum consentaneum est.

Officia temperantiæ & sic temperantis duo sunt: 1. honestas & licitas voluptates corporis absentes moderate expetere, & præsentibus moderate frui. 2. illis voluptatibus sic vti & frui, ne qd propter eas committat, quod possit vel famam. vel valetudinē, vel rem familiarem lædere.

Virtuti huic continenter studendum, I. Quia mandata est à Deo in Decalogo. *Exod. 20. 1. Pet. 3. 7.* omnibus quidem omnium ordinum & ætatum hominibus: 1. *Tim. 3. 2. Tit. 1. 8. & 2. 1. 2. 5. 6.* itē 2. *Tim 2. 9. 11.* Debita est pro redemptione nostri per Christū, & illuminatione per Euangelium; *Tim. 2. 11. 12.* III. Vna cum iustitia & pietate requiritur ad expectationem plenæ redēptionis per Christum tandem perficiendæ. *Tit. 2. 13.* IV. Præclaros effectus habet, siue corpus, siue animā hominis spectes. Cōseruat enim sanitatē hominis & pulchritudinem: in anima aūt cōfirmat & conseruat ingenium, iudicium ac memoriam, adhæc prudentiam fouet, vnus nomen σωφροσύνης accepit, & in primis reddit & conseruat hominem aptum ad cultum diuinum. Huic opposita est intemperantia, sensuum cupiditas, & hypocritica eorum temperantia, qui Curios simulant & Bacchanalia viuunt.

Partes Temperantiæ sunt continentia, parsimonia, verecundia, honestas. Continentia sobrietatem complectitur, vigilantiam, pudicitiam, castitatem. De quibus omnibus suis locis actum est.

Patrum Sententiae.

Minus temperantiæ est in coercendis sedandisque cupiditatibus: quibus contrariamus in ea, quæ nos auertunt à legibus Dei, & à fructibus bonitatis eius, cuius officium est contemnere omnes corporeas illecebras laudemque popularem. *Aug. lib. de mor. Eccl.*

Vir temperatus in rebus huius vitæ habet regulam vtroque Testamento confirmatam, vt eorum nihil deligat, nihil per se appetendum putet. *ibid.*

In temperantia maxime honesti cura, decoris consideratio spectatur & quæritur. *ibid.*

Qui acceptis rebus non extollitur, qui eas ad vsum vanæ gloriæ non intorquet, qui nō solus possidet qđ accepit, sed hoc indigētibus misericorditer diuidit, scit abundare. Qui acceptis alimētis non ad ingurgitationem ventris vtitur, sed ad reparationem virtutis, nec plus carni tribuit, quam necessitas petit, scit satiari. Qui autem alimentorum inopiam sine murmuratione tolerat, nec pro necessitate victus agit aliquid, vnde anima laqueū peccati incurrat, scit esurire, quum vides diuitias, aut gloriam, aut mundanam potentiam, considera labilitatem ipsorum, & illecebras effugies. *Ambr. de offic. Greg. hom. 1. in Ezech.*

Si omni peccato vis esse superior, res alienas ne curiose inquirito: multa enim in te sunt de quibus alium suspectum habes. Feliciter agentes ride, infelicibus vero condole: alterum enim felicitatis merces est, alterum vero Philosophiæ est documētum. *ibid.*

Vbi vera temperantia, nisi in Christi vita? soli temperantes dicendi sunt, qui eius vitam imitari student. Incassum quis laborat in acquisitione virtutum, si aliunde eas sperandas putat quam à Domino virtutum, cuius doctrina seminarium prudentię, misericordia opus iustitiæ, vita speculum temperantiæ, mors fortitudinis insigne. *Bern. sup. Cant. serm. 23.*

Non est temperantia in solis resecandis superfluis, est & in admittendis necessarijs. *Item*, Temperantiam non absurde definit, qui hanc nec præcedere necessitatem, nec excedere dicat, iuxta illud Philosophi, ne quid nimis. *Idem de Consider. lib. 1.*

Temperantia est modus vitæ in omni verbo vel opere. Hæc autē sobrietatis & verecundiæ seu modestiæ comes est: humilitatis regulam custodit, seruat animi tranquillitatem, continentiam & castitatem diligit, decus fouet & honestatem, restringit rationē appetitum, iram contemnit, nec rependit cōtumeliam. *Idem lib. de ordine vitæ.*

Temperantia est refrenatio cupiditatis aduersus ea, quæ carnaliter delectant. Item, ea sic nos solicitat dicens, videte ne grauentur corda vestra crapula & ebrietate, & curis huius mundi. *Idem hom. de vill. comq.*

De lætitia & tristitia nascitur temperantia, cuius est tristitia causa, lætitia fructus. *Item*: Comitetur lætitiam tristitia, quia moderate læta amplectitur, qui tristitia reminiscetur. Temperet ergo lætitiam tristitia, temperata lætitia nihil aliud est quam temperantia. *Idem in paruis sermonibus serm. 6.*

Nec velis delicate viuere, neque dite licere, & gloriæ cupidus esse: ista enim sunt vitæ corruptio, nos vero non sumus corruptibiles. *ibid.*

Temperantia facit abstinentem, parcum, sobrium, moderatum, pudicum, tacitum & verecundum: hæc virtus si in animo habitat, libidines frenat, affectus temperat, desideria sancta multiplicat, vitiosa castigat, oīa inter nos confusa ordinat, cogitationes prauas remouet, scientiam inserit, ignem libidinosæ voluptatis extinguit, mentem placida tranquillitate componit, & totam ab omni semper tempestate vitiorum defendit. *Prosper de vita contemplat.*

Satius est temere mittere lapidem, quam verbum, pessima res est omnibus seruire cupiditatibus. Attendamus nobis ipsis, & alios non reprehendemus: multa enim in nobis sunt, propter quæ alios carpimus. *Nilus in sententijs.*

Cohibe oculum: eum enim non attenderis, circumuoluitur. Parce vtere lingua: sæpe enim profert, quæ melius fuisset celari, solum quantum indiget impende, delicate viuere ne eligas, amorem enim huius vitæ conciliat: inimicitia autem aduersus Deū ex vtroque nascitur, aduersare in vita gaudium: ipsum enim lubricum est, præcipitat exultantes. *idem ibid.*

Diuitias si habes, distribue: si vero non habes, ne collige, necessarium existima suis rebus contentum esse: permitte autem Deo eius rei curam. Iram compesce: nimia enim insaniam parit. Quando te voluptatis affectus inuaserit, oppone ipsi metū hominum & Dei offensam. Munito aures & oculos: per illa enim ingrediuntur omnia tela malitiæ. *ibid.*

Ita exerce corpus, vt motus carnis cōpescas: &, si æger fueris corpus cura, vt sanitatē adipiscatur, nō vt delicijs euertetur. Nihil tutum est qđ modum excedit: modum autem seruare conuenit. Quando vides diuitias, aut gloriam, aut mundanam potentiā, considera labilitatem ipsarum, vt illecebras fugias. *ibid.*

Si omni peccato vis esse superior, res alienas ne curiose inquirito: multa enim in te sunt, de quibus alium suspectum habes. Feliciter agentes ride, infelicibus autem condole, alterum enim felicitatis merces est, alterum vero philosophiæ documentum. Discere, nec gloriæ cupidus esse: ista enim sunt vitæ corruptio, nos vero non sumus corruptibiles. *ibid.*

Poetarum Dicta.

Pythagoras.

Κρατεῖν δ' εἰθίζεο τῶνδε.
Γαστρὸς μὲν πρώτιστα, δ' ὕπνου, λαγνείης τε, καὶ θυμοῦ.
Imperare assuesce te his:
Veneri quidem primum, & somno libidiniq. & iræ.

Plautus in Pœnulo.

Hoc vnum tamen cogito,
Modus omnibus in rebus optimus est habitus.
Nimia omnia nimium exhibent negotium hominibus ex se.

Seneca

Quod vult habet, qui velle quod satis est potest.

Claudianus.

Semper inops quicunq. cupit, contentus honesto
Fabricius paruo spernebat munera regum.

Horatius.

Pauperies immunda domus procul absit, ego vtrum
Naue ferar magna an parua, ferar vnus & idem.

Lucretius.

Quod si quis vera vitam ratione gubernet;
Diuitiæ grandes homini sunt viuere parce,
Aequo animo, neq; enim est vsquam penuria parui.

Philosoph. Santentiæ

Temperantia voluptatibus imperat, alias odit atq; abigit, alias dispensat, & ad sanum modum dirigit, nec vnquā ad illas propter ipsas venit. Scit optimum esse modum cupidorum, non quantum velis, sed quantum debeas sumere. *Seneca in Epis.*

Temperantia est enim, quæ in rebus aut expetendis, aut fugiēdis, rationem vt sequamur, monet. Nec enim satis est iudicare, quid faciendum non faciendumve sit; sed stare etiam oportet in eo, quod sit iudicatum. Plerique autem quod tenere, atque seruare id, quod statuerunt, non possunt, victi & debilitati, obiecta specie voluptatis, tradunt se libidinibus constringendos, nec quid proventurum sit, prouident, ob eamque causam propter voluptatem, & paruam, & non necessariam, & quæ vel alios pa-

rarctur,

tarentur, & qua etiam carere possent sine dolore, tum in morbos graues, tum in damna, tum in dedecora incurrunt. Sæpe etiam legum iudiciorumque pœnis obligantur. Qui autem ita frui volunt voluptatibus, vt nullos propter eas dolores consequantur, & qui suum iudicium retinent, vt voluptate victi faciant id, quod sentiunt non esse faciendum: hi voluptatem maximam adipiscuntur prætermittenda voluptate: Iidem etiam dolorem sæpe perpetiuntur, ne, si id non faciant, incidant in maiorem. Ex quo intelligitur, nec intemperantiam propter se fugiendam esse, temperantiamque expetendam, non quia voluptates fugiat, sed quia maiores consequatur. *Cic. libro primo de Finibus bonorum & mal.*

Temperantia constat ex prætermittendis voluptatibus corporis. *Idem lib. 3. de Nat. deor.*

Satius est securam vitam degere stramentis incubantem quã perturbationibus agitari, aureum habentem cubile.

Gratia est habenda naturæ beatæ, quod ea quæ necessaria sunt, parabilia fecerit: quæ autem non facile parantur, minime necessaria. *Pythagoras.*

Septem sapientum Apophthegmata.

Modus optimus omnium.

Genitorem oportet vereri.

Libenter audire quidem oportet, non quæuis tamen temere.

Linguam bene ominantem non maledicam, habere conuenit.

Virtutis est proprium, iniustitiam odisse, pietatem custodire, ciuibus optima consulere.

Cum vxore neque lites, neque blanditias, præsentibus alijs exercere conuenit. Famulos ebrius ne castigaueris, si minus, ebrius ipse videberis.

Vxorem duc ex æqualibus: Si enim ex superiori familia duxeris, non affines tibi, sed dominos comparabis.

In diuite fortuna ne superbias: Pauper, non animo deijciaris.

Nequid nimis.

Voluptatem fuge, parit enim tristitiam.

Sermonem obsigna silentio: silentium autem occasione.

Amicos non cito comparabis: quos autem comparaueris, non statim reijcies.

Parere cum didiceris, imperare scies.

Deos Consule. Amicos cole. Quod noueris, non statim dic. Sciens tace. In tuos mansuetus sis.

Nosce teipsum. Inter pocula non multum loquere: delinques enim.

Ad amicorum conuiuia tardus accede: ad calamitates autem cito.

Nuptias frugaliter celebra. Bene ominare de homine mortuo.

Nam maiorem reuerere. Curiosum in alienis oderis.

Iactura turpi lucro præferenda. Calamitosum ne irriseris.

Domum tuam guberna. Fac ne tibi lingua mentem præcurrat.

Iracundiæ moderare. Impossibile ne desideres. In via non acceleres pergendo, neque manum moueas: insanientis enim indicium est. *Cleobulus.*

Mensam sumptuosam quidem fortuna, frugalem autem temperantia apponit.

Temperantia quæ iucunda sunt auget, & voluptatem maiorem efficit.

Patris temperantia maximum est liberis præceptum. *Democritus.*

Si quem efficere diuitem velis, nihil pecuniarum adde, sed de cupiditate detrahe. *Epicurus.*

Temperantia est, quæ in rebus aut expetendis aut fugiendis, vt rationem sequamur, monet, quæ animi pacem affert, & eos quasi quadam concordia placat, ac lenit. *Cic. 1. de finib.*

Temperantia facit abstinentem, parcum, sobrium, moderatum, pudicum, tacitum, & verecundum, hæc virtus si in animo habitat, libidines frenat, affectus temperat, desideria sancta multiplicat, vitiosa castigat, omnia intra nos confusa ordinat, cogitationes prauas remouet, scientias inserit, ignem libidinosæ voluptatis extinguit, mentem placida tranquillitate componit, & totam ab omni semper tempestate vitiorum defendit. *Prosper de vita contempl.*

Eas tres virtutes, fortitudinem, iustitiam, prudentiam, frugalitas est complexa. *Cic. 3. Tusc.*

Non potest temperantiam laudare is, qui ponit summum bonum in voluptate: Est enim temperantia, libidinum inimica. *Idem 3. Offic.*

In omnibus adhibendus est modus necessarius. Nam & gratia, si nimia est, & immodica, ita & mores, si multi, ac varij: & verba, si perpetua, & infinita, & obtundentia: & fama, si magna & inquieta, & inuidiosa fit, nec laudabilia, nec vtilia sunt. *Gell. lib. 4.*

Nihil tam æque tibi proderit ad temperantiam omnium rerum, quam frequens cogitatio breuis æui, & huius incerti: quicquid facies respice mortem. *Senec. epist. 115.*

Nihil est tam præclarum, tamque magnificum, quod non moderatione temperari desideret. *Max. lib. 1.*

Numquam fama periclitati sunt, qui temperantiam inter copiam seruare cœperunt. *Veget. l. 4.*

Magna pars libertatis est, bene moratus venter. *Seneca epistola 114.*

Temperantiam exigit Philosophia, non pœnam. *Idem epist. 5.*

Frugalitas paupertas voluntaria. *Idem epist. 17.*

Frugalitas producere senectutem potest. *Idem epist. 59.*

Temperantiæ officium est, nequaquam prosternere libidinib. modestiam seruare: itaque ijs conuenit, qui corpus despiciunt, & in Philosophia viuunt. *Plat. in Phædon.*

Hoc mihi videtur esse signum, ad quod prospicientes dirigere vitam debemus, omnia tam publica quam priuata ad hoc referentes, vt iustitia & temperantia illi adsit, qui futurus sit felix: non autem cupiditatibus omnia sunt permittenda: quas explere conari, inexplebile malum est, latronisque more vitam agere. *Plat. in Gor.*

Temperatis hominibus lex est Deus, intemperatis vero voluptas. *Idem 1. de legib.*

Hoc modo versandum est in conuiuio, circumacto disco si aliquid ad tuum locum peruenerit, manu extensa modeste attinges: si præterierit, noli retinere: si nondum appropinquauerit, ne nimium appetitum extendas: sed expecta donec ad te venerit. Eodem animo ad diuitias, magistratus, & nuptias affici debes, eritque deorum conuiuio dignus. *Epictetus.*

Socratis admirabilem doctrinam approbare debemus, qui diuitias ex vsu metiri iubeat: non. n. immensas possessiones diuitias vocabat: sed tantum, quantum requiritur ad vsum decentem. Mouebatur autem ne iudicio falleremur, & eos pauperes, non qui possessionis, sed animi penuria laborarent, existimaremus. *Zenophanes, seu Xenophon in fragm. epist.*

Qui se a corporis voluptatibus abstinet, eoque ipso lætatur, is temperans: qui id moleste acerbeque fert, is intemperans putandus est. *Arist. Ethic. lib. 2. c. 3.*

Et temperans voluptates fugit, & prudens sequitur id quod dolore vacat: non quod voluptatem efficit. *Ethic. lib. 7. c. 11.*

Ex eo temperantes efficimur, quod & nos a voluptatibus abstinemus, & cum ij sumus, ab ijs facillime abstinere possumus, *lib. 2. Ethic. c. 2.*

Temperantia intemperantiæ, & insensibilitatis medietas existit. *lib. 1. Mag. Moral. c. 21.*

In voluptatibus & doloribus, non omnibus quidem, sed ad corpus pertinentibus, ijsque potissimum quæ tactu percipiantur, minus etiam in doloribus modus est temperantia & nimium intemperantia. *Arist. lib. 2. Eth. c. 7.*

Et præclarum officium & opus, ab ea quæ aliena sit, vxore, abstinere se propter temperantiam. *lib. 2. de Repub. c. 3.*

Haeret in voluptatib. corporis temperantia necesse est, nec tamẽ omnibus. Qui enim delectantur ijs, quæ sub aspectum cadunt, itemque ijs quæ subiecta sunt odoratui, nec ij quidem qui ijs rebus gaudent, quæ subiectæ sunt auditui, temperantes appellantur, nisi improprie. *lib. 3. Ethic. c. 10.*

Cupiditates malæ & vehementes non solent existere in temperante. *lib. 7. Ethic. c. 2.*

Temperantis voluptates sunt quædam propriæ. *libr. 7. Ethicor. cap. 12.*

Temperantia & iustitia & in negotijs gerendis necessaria est: & in otio, ponusque otiosos & quietos attingit. *lib. 7. de Republic. cap. 15.*

Temperantia est per quam, ita vt lex præcipit, domitæ cupiditates habentur: cui intemperantia aduersatur. *lib. 1. Rhetoric. cap. 9.*

Σωφροσύνην id est, temperantiam hoc appellamus nomine, *ως σώζουσαν τὴν φρόνησιν*, id est, quasi seruantem prudentiam, *lib. 6. Ethic. cap. 5.*

Debet in moderato viro & temperante rationi congruere ea pars animi, quæ cupiditatum est sedes. *Arist. lib. 3. Eth. c. 12.*

Appetit temperans quæ debet omnia: & quemadmodum etiam ratio præcipit. *ibid.*

Temperans quis appellatur, propterea quod nec se priuari voluptate doleat, nec abstinere. *lib. 3. Ethic. c. 11.*

Versantur in ijs voluptatibus omnibus temperantia & intemperantia, quarum reliquæ sunt participes animantes. Itaque seruiles eas belluinasque esse constat: cuiusmodi sunt quæ gustatu tactuque capiuntur, *Ethic. lib. 3. c. 10.*

Temperans si cum homine stupido conferatur intemperans, si cum intemperante, nullius sensus videbitur particeps. *Ethic. lib. 2. cap. 8.*

Nec temperantes belluas dicimus, nec intemperantes, nisi per metaphoram: etiamsi aliud animantium genus alij præstet, petulantia, contrectatione, & libidine omnia vorandi. *Ethic. l. 7. c. 6.*

Superbia commune nobilitatis malum. *Sallu. de bel. Iug.*

Bellorum præmijs referri, aut diuum familiarium hæredes facile magnum animum induunt. *Tacit. Annal. 11.*

Compertum habeo, humillimos quosque, maxime vbi alia accesserit, superbia atque ambitione immodicos esse. Hinc Marius patrum memoria, hinc Diocletianus nostra, communem habitum supergressi sunt, dum animus potentiæ expers tanquam inedia refectus insatiabilis est. Nec mihi mirum videtur, Nobilitati plerosq. in superbiam dare, quæ gentis Patriciæ memor, molestiarum quib. agitatur remedio, eminere paululum plutis habet. *Aurel. Vict. de Cæsarib.*

Superbia est opulentiæ comes. *P. Iou. hist. l. 1.*

Fit sæpenumero superbia, atq. æmulatione, communi vitio ducũ, vt plerique in ipsis consilijs ea maxime nolint, quæ alios summis etiam rationibus velle cognouerint: vtroq. aspera, & duriora subeant, ne aliena consilia sequi videantur. *Idem li. 15.*

Qui non statuit felicitati modum, nec cohibet efferentem se fortunam quanto altius elatus est, eo fœdius corruit. *Liu. Dec. 3. li. 10.*

Superbi est, famæ spe æternitatem præsumere. *Tacit. Ann. li. 11.*

De superbia, DIAL. CXI.

Francisci Petrarchæ.

DOL.

Superbia extollor. R. Quid superbis autem terra, & cinis? tune tantorum malorum fasce obrutus atq. oppressus extolleris? qui si te omnib. malis explicitus virtutum omnium alis euectus attolleres, hoc vno bona omnia corrupisses. Nihil est. n. odiosius Deo quã superbia. Per hanc. n. ille pulcherrimus creatus raptim corruit, per quam tu peccator vis ascendere. Si fit illi ob id vnum accidit, quid per hoc alijs culpis adiunctum tibi euenturum arbitraris, malum sarcinis tuis cumulum superimposuisti. D. Superbia vehor. R. Cur quæso? an non te mortalem, an non assidue facescentem, an non peccatorem, an non mille casib. expositum, an non morti obnoxium incertæ: an non deniq. te miserum meministi? & non famosissimum illud Homericum audiuisti, Nihil miserius terra nutrit homine? scire velim, quid te horum potissime ad superbiam cohortatur, an fragilitas membrorũ, an vitæ breuitas, an cæcitas animi, inter spes vanissimas, metusq. perpetuos fluctuantis, an præteritorum obliuio, an ignorantia futurorum, ac præsentium, an hostium insidiæ, an mortes amicorũ, an aduersitas perseuerans, an fugitiua prosperitas? Hæ non aliæ vobis sunt ad superbiam quam scalæ, his ascenditis ad ruinam. Atqui cætera hominum pericula, & si multam, aliquam tamen excusationem, superbia, & inuidia nullam, habẽt. D. Doleo me superbum. R. de peccato dolere primus ad salutem gradus est, & sicut superbia est extollere, sic humilitas est dolere, seq. submittere, facile factu quod quidem erit, mox vt oculos in teipsum tota intentione reflexeris: quod cum ita sit, nolo tibi nec oportet librorum partes scriptas aduersus peccata congerere, hæc satis est, cuncta arbitrij tui esse, destitura ideo, vt bona fide volueris, teq. aiunt receptui cecineris, teq. sd tua signa conuerteris, quod ad præsens malum attinet, vnum illud adiecerim: Superbiam esse ægritudinem miserorum, ac stultorum: tales nempe sunt haud dubie qui superbiunt, neq. .n. aliter superbirent; neq. vero sine causa in libro sapientiæ scriptum est, Omnes insipientes, & infelices, supra modum animæ suæ superbi sunt. Certe animæ suæ, si saperent, modus erat humiliari conditionis imbecillitate cognita. Sic. n. eodem libro scriptum legis. Rex hodie est, & cras morietur. Cum. n. morietur homo, hæreditabit serpentes, & bestias, & vermes. Initium superbiæ hominis apostatare a Deo, quoniam ab eo qui fecit illum, recessit, quoniam initium omnis peccati est superbia. Nota sunt reliqua, quib. acriter circumspectis monstrum est superbus homuncio.

APOPHTHEGMATA.

Democrates iam senex ascendens in arcem Athenis per quam anhelolus: idem se facere dixit, quod vniuersa ciuitas Atheniensium soleret. Nempe se magnum quidem spirare, parum autem valere. *Stob. serm. 22.*

Democritus definere dicebat in malam infamiam, eum qui cum superiore contendit. *Stob. eod. serm.*

Antisthenes, quum Platonis superbiam notare cuperet, forte in põpa equum hinnientem frementemque aspiciens, ad Platonem versus, ait: Tu profecto meo iudicio præclarus fuisses equus, est enim equus animal superbissimum. *Brus. 6. 5.*

Zeno Cittieus in quendam circa formæ curam studiosiorem quam deceret virum, quum imbricem lente, ac circumspecte transiret: Merito, inquit, suspectum habet lutum, in quo non potest seipsum, vt in speculo cernere. *Laert. l. 7. c. 1.*

Aristoteles adolescentulum superciljs sublatis superbientem conspicatus, sed nulla scientia præditum: Adolescentule, inquit, vtinam talis essem, qualis ipse tibi videris: qualis autem reuera es, tales hanc hostes mei. *Anton. in Meliss. p. 2. ser. 72.*

Socrates Alcibiadem intuitus ob diuitias inflatum, & superbientem opibus prædijsque, in quendam ciuitatis locum duxit eum, in quo suspensa erat tabula terræ circuitum complexa. Iussit igitur Alcibiadem Atticam in ea requirere, quam vt inuenit, sua etiam prædia inspicere præcepit. quæ cum Alcibiades nusquã esse picta diceret: Cur igitur, Socrates inquit, ob illa superbis, q̃ circa nullã terræ partem existunt? *Stob. ex Aelian.*

Plato, quum aliquãdo conscendisset equum, mox descendit, dicẽs, se vereri μὴ ἱπποτυφίᾳ ληφθῇ, id est, ne equestri fastu corriperetur. Superbũ animal est equus: & equitare quiddam habet magnificum, parumque philosopho dignum. *Laertius lib. 3*

Idem. Exhauriendam esse dicebat ex animis iuuenum falsam opinionem & superbiam: sicut aerem ex vtribus vtile quippiam infusuri exhauriunt: secus. n. inflatione & spiritu turgentes nihil admittunt. *Anton serm. de superbis.*

Aesopus à Chilone rogatus, Quid faceret Iupiter? Excelsa, inquit, deprimit, extollit humilia. *Brusonius lib. 6. c. 5. ex Stobæo.*

Idem Comatulum iuuenem nimium affectato ornatu conspicuum intuitus: Si te, inquit, tam exquisite comas virorum gratia, plane ludis operã, sin mulierum, iniquus es: aut improbus. *Stobæus.*

Phocionis vxor interrogata, quamobrem sola ex alijs in conuentu non gestaret ornatum aureum: dixit, Quoniam pro ornamento mariti virtus mihi sufficit. *Stob. ser. 72.*

Epictetus. Nulla debes aliena præstantia gloriari. Equus quidem elatus, si de ipso iactabundus diceret. Quam sum egregius? foret vtiq: id tolerabile. At si tu dicas. Næ equũ egregium possideo, nihil aliud q̃ de bono sup̃bis. Tuum aũt q. d est? Nẽpe solus opinionũ vsus, quem si secundum naturã habueris, tũ gloriare: ita demum. n. de propria excellentia gloria. *In Enchiridio.*

Anonymus. Laconem hospes, quẽ pridie declinauerat, postridie stragulis mutuo sumptis splendide excepit: at ille stragulis conculcatis dixit: Propter has heri ne storeis quidẽ indormire licuit. Lepide risit illorum morẽ, qui cum sint inopes, tñ affectãt videri diuites, corrogata aut conducta supellectile: qđ maxime solent in excipiendis hospitibus, in nuptijs aut alioqui solenoibus epulis. Porroq. cum ineptum sit ostentare tuas diuitias: quanto magis ridendũ est ostentare supellectilẽ alienã, interdũ ab vsurarijs sumptã: At Lacedæmonij non solum oratores regum, verum ipsos Et reges ad sua Phiditia inuitabant, eam frugalitatem sibi magno ẽi honori futuram existimantes. *Plut. in Caton.*

Democritus Phil. In hominem superbum, & multo fastu turgidum, dicebat altitudinem circumcidi oportere, sensumque relinqui. *Brus. l. 6. c. 5.*

Artabanus dissuadens Xerxẽ ab expeditione cõtra Græcos: Vides, ait, vt prægrandia aĩalia fulmine Deus feriat, nec insolescere sinat: parua vero nihil lædat. Vides, vt magna sæpe ædificia, magnasq. arbores hmõi fulminũ tela percutiunt? Gaudet. n. Deus, eminentia quæque deprimere. *Herodotus & Brus. l. 6 c 5.*

Thais glorioso cuidã amatori, qui quum multa pocula sumpsisset cõmodato, diceret se velle illa confringere, aliaq. pararet Perdes, inquit, quod cuiq. proprium est. Ambiguo sermone notãs commodatitia. Poterat autem intelligi, si confringerentur, periret quod cuique poculo proprium est. *P. M. lib. 6. apoph.*

Philistion. Si videris, inquit, improbum in altum gradum euectũ, magnisq. opib. & fortuna exultantem, superciliaque sup. fortunam extollentem, eius celerrimam expecta mortem: tollitur enim altissime, vt maiore casu ruat. *Ant. ser. de superbis.*

C. Sulpitius vxorem suam repudiauit, eo quod comam probe ornatus, ex ædibus egressa esset, inquiens: Lex tibi meos vnius p̃finit oculos, quibus formam tuam approbes: his ornamenta comparato, his esto speciosa: alijs velle videri formosam, in suspicione & crimine hæreat necesse est. Probe castigauit mores vxoris suæ Sulpitius, qui putauit ornatum vxoris eo spectare, vt alijs viris melius quam marito placeat. *P. M lib. 6. apoph.*

Socrates dicebat superstitionẽ superbiæ tanquã parenti esse morigerã. Et sane omnis superstitiosus est superbus: nec sine sup̃bia prodierunt tot superstitiones, falsæ sententiæ circa religionẽ, & detestandi cultus à superstitione inuecti. *Stobæus serm. 22.*

Iulia Augusti F. cum vltra modum superbiret omni corporis cultu, admonita à quodam, vt se ad paternæ frugalitatis exemplum componeret, respõdit, Pater obliuiscitur se Cæsarem esse, ego vero memini me Cæsaris esse filiam. *ibid.*

Euagrius sciscitatus, quid esset superbus animus? respondit, Virtutis ventilator, cisterna aquis destituta, diuersorium latronum. *Anton. serm. de superbis.*

Io. Climax. Vt fures, inquit, solem detestantur, ita superbi modestos despiciunt. *Eod. serm.*

Idem dicebat, difficile esse superbiæ seu inanis gloriæ dæmonem effugere: quicquid. n. inquit, molitus fuerit, vt hanc detrahas, id ipsum erit alterius inanis gloriæ initium. *Eodem serm.*

Pambo quidam apud Athanasium cum Alexandriæ esset, vidissetq. mulierem maximo vestitus apparatu superbiẽtem, fleuit. At interrogatus, cur tantopere lachrimas effunderet: respõdit: Duæ res sunt quæ me mouent. Vna quidem, quæ est huius mulieris p̃ditio. Altera vero, quod ego, qui nomen Christiani profiteor, non tantum studeo placere Deo vitæ innocentia, quantum hæc mulier turpibus placere cupit hominibus. *Eccl. hist. l. 8 c. 1.*

Diogenes

Diogenes quam vidisset Olympiam, & Rhodiacos quosdam adolescentes preciosis magnificisque vestibus amictos, cum risu inquit, Hoc nihil est præter fastum. Deinde cum incideret in Lacedæmonios lacera squalentibusque tunicis amictos, Hæc, inquit, longe est alia superbia. Vidit autem philosophus, superbu animum non semper splendido & ornatissimo vestitu elucere, sed in sordibus etiam, dum homines opulentissimi sæpenumero vilissimo vestitu incedentes, hominum ex eo laudem superbientes venantur. *Aelian l.9. de Var. hist.*

SIMILITUDINES.

Abacuc Propheta: Quo vinum potantem decipit: Sic erit vir superbus, & non decorabitur, qui dilatauit quasi infernus animã suã, & ipse quasi mors, & non adimpletur & congregabit ad se omnes gentes, & coacervabit ad se omnes populos. *c.2.*

Syracida. Perdix capta in cauea: Sic cor superbi, & ve prospector ascendens ad casum: nam bona in mala conuertens insidiatur, & in dictis imponit maculam. *Eccles.11.*

Chrysostom. Nihil arrogantia atq; superbia peius, q mentis quoqi vires naturas hominis concessas ita deijcit, vt amentes ex prudentia, ac ab stolidos efficere videatur. Nã quemadmodum si quis cum statura cubitus sit, instar montium, imo et sibi o se putet, ac ideo seipsum, quasi montes excelsiorum erigat, nullu aliud argmtũ insaniæ suæ quærenus: Sic cum inflatum hominem videris, qui meliorem se cæteris arbitretur, contemnique oportetur, si cæteris conferatur, nullum aliud signum vecordiæ hominis causitas. Tanto quippe ridiculosior is est, qui natura insanit, quanto ipse hunc sibi morbum iniecit: nec hac te solũ miser, sed quia in miseriæ fundum se detrusit, vt nihil sentiat: Qñ enim is peccata sua vt oportet cognoscet? Quando nimium te delinquere sentiet? Certe quasi vile mancipium, & miserũ captiuum diabolus eum adducit, agitatque mille verberibus & contumelijs quocunque velit. *Hom.59 in Matth.*

Quam autem tu altius volare opinaris? An eam, quæ cum per aera feratur arundines aucupis atque tela non formidat: an eã, quæ iam vel sine arundine ae visco quoniam humi serpat, potius quam volat, manibus facile capitur? Huiusmodi certe insolens ar rogans animus est, qui cum humi serpat, in omnem laqueum incidit, Vt vermis in stercore; Ita superbus in passionibus suis inuoluitur. *Hom.66. in Matth.*

Veluti si quis domum vt sit præclaro opere atque honesto mirabilis, ca ore prouideat, eos vero qui hanc habitant, negligat; Ita qui corpus ornat, anima neglecta. *In 2. ad Tim. hom.2.*

Sicut oculis captus, ab omnibus offendi pot facile: Ita & superbus quoque dominum nesciens (principium n. superbiæ est, nescire Dominum) etiam ab hominibus facile capi potest, vtpote licet summo ornatus. *Serm.9. de Ozia, & Hom. ad diuers. ss.*

Plutarchus: Si quid in vtres velis infundere boni, ventum atque aerẽ amouere oportet: Sic fallum ac tumorem e animo expellere ab animo eius, quem velis docere. *In Mor.*

D. Augustin. Medicus quando ægrotantium discurit, si curet quod per altam caulam factum est, & ipsam causam per quam factu est, non curet, ad tempus videtur mederi. Causa manente, morbus repetitur. Verbi causa, apertius boc dicam. Humor in corpore scabiem vel vlcera gignit: in corpore sit magna febris & non paruus dolor. Adhibentur quædam medicamenta, quæ scabiem compescant, & feruorem illum vlceris sedent: & adhibetur, & proficiunt. Vides hominem qui fuit vlcerosus & scabiosus, sanatum: sed quia humor ille non erectus est, rursum ad vlcus redit. Cognoscens hoc medicus, purgat humorem, detrahit causam, & nulla erunt vlcera. Vnde ergo abundat iniquitas: Per superbiam. Cura superbiam, & nulla erit iniquitas. Vt ergo causa omnium morborum curaretur, id est, superbia, descendit, & homo factus est filius Dei. *Tractatu 28.*

D. Hieronym. Quomodo vinum contra potantem facit. & postquã surrexerit, neque pes, neque mens suum officium tenent. omnisque lætitis & mentis exhilaratio vertitur in rumam: Sic vir superbus non decorabitur, nec voluntatem suam perducet ad finem. *In c.2. Abac.*

Ciceronis: Vt membrum turgidum ac tumidum vitiose se habet: Ita inflatus animus & tumens in vitio est. *lib.3. Tuscul. quæst.*

Pelagij: Quemadmodum fumus alta & lucida, quanquam ipse obscurus sit & ater, naturaliter appetit, verum in medio ipso turbulento suo conatu resoluitur in aerem, protinus euanescit, & amplius fumus non est: Ita homo superbus licet obscurus sit, inter cæteros tamen se extollit & euchit, in medio tamẽ cursu sæpenumero præcipitatur, & quasi in nihilum resoluitur. *In Psal.74.*

Quemadmodum ea vlcere putredo, sanies & putredo ebullit: ita ex superba mente, atque ambitiosa, omnia peccata ebulliunt. *In Psal.74.*

Theodoret: Honores ac diuitiarũ abũdantia q̃d simile cum fongis habent, sed peius obtinent. Etenim hi taũ ventrem inflant, & aliquando leuiter mentis periculum vexant. Honores vero, diuitiarumq; copia vniuersum hominem reddunt tumidũ, nec mentẽ tantũ, sed totã vitiant animam. *In apoph.45.*

Quemadmodum ignis omnia extenuat, & annihilat: Ita superbia nullius alterius societatem tolerat. *In apoph.18.*

Vt modicum fellis, optimum quemq; succum vitiat dulcissimum: Ita superbia omnem virtutem in se facta. *In apoph.*

Vt ægrotus quispiam quo a sua natura discesserit longius: eo laborat periculosius: Sic animus elatus, ac superbus procul ab omni humanitate discedit, & in brutum demum vertitur. *In apoph.69.*

Vt pessimum est venenum, quod dissimulata sua indole, aut cum mel, le fermentatum, gratiam cahiber: Ita maxima est superbia quæ fuco humanitatis regitur Absolonis exemplo. *In apoph.75.*

EXEMPLA BIBLICA.

Superbiæ punitæ *exempla:* In Adamo, & Eua. *Gen.3.16. & Eccl.16.v.14.* Aedificatorib. turris Babylonicæ, *Genes.11.5. &c.* Agar 16.v.5.6. So loma, 19.v.14, *Ezech.16.49* Maria, *Num.12.v.8.9.* Core. Dathan, & Abiron, *16.v.31.32.* Israelitis. *Deut.1.v.43.44.* Gaal Filio Obed, *Iudic.9.v.37.38* Goliat, *1.Sam.17.50.* Nabal, 25.37. Saule, 31.4. Seba filio Bocori, *2.Sam.20.v.21.* populo Dauidis, ob superbam populi numerationem, 24.15. Adonia, *1.Reg.1.5.* Banada, *1.20.v.19.29.* Rabsace, & Sennacherib, *2.Reg.19.v.28.35.* Amasia, qui insigniter humiliatur, *2.Paral.25.23.* Ozia cõtra vocationem superbe Sacerdotis officium sibi vsurpante, 26.15. Ezechia, 32.v.24.25. Holoferne, *Iudith.13.10.* Aman, *Esth.7.10.* Damasco, *Esa.8.4. & 17.1.* Assur, *10.v.12.23.* Rege Babylonis, 14.v.13.15. Babylone, *v.14.12. Ierem.50.31. & 51.v.1.2.52.53.* Moab, *16.v.6.7.* Tyro, *23.8 Ezech.28.v.2.3.4.* Ephraim, *Esa.28.1.* Israel, *Ezech.34.v.21.* Pharaone Rege Aegypti, *29.v.3.4. & 31.v.10.11.12.* Nabuchodonosor, *Dan.4.v.19.20.21.* Baldasar Chaldæorum Rege, *5.22.&c.* Israelitis, *Ose.5.v.5. & 7.10.* Capharnaitis, *Matt.11.23. Lu.10.v.15.* Pharisæo, *18.v.14.* Superbiæ *exempla:* Adam, & Eua: Duabus enim potissimum rebus mori delinquunt: *Prima,* quod se deos fore crederent: *Secunda,* quæ impulit eos, & pellexit, fuit gula, & formosa pomorum species, *Gen.3.v.5.6. Eccl.10.14.* Aedificatores turris Babylonicæ, *Gen.11.v.4.* Agar, 16.4. Fratres Ioseph. *37.v.8.* Aaron, & Maria, *Num.12.v.1.2.* Core, Dathan, & Abiron, *Num.16.1.* Gaal, filius Obed, *Iud.9.28.* Abimelech, *v.31.45.* Saul, *1.Sam.13.2. & 15.v.19.20.30.* Goliath, 17.v.42. Nabal, *25.v.10.11.* Absalom, *2.Sam.15.4.* Seba filius Bochri, *20.1.* Dauid, *24.1.* Adonias, *1.Reg.1.5.* Roboam, *12.14.* Ieroboam, *13.v.4.* Benadad *20.18.* Rabsaces, *2.Reg.18.24.* Amasias, *2.Paral.25.19.* Ozias, *26.16.* Ezech. *32.25.* Pharao, & ferui eius, *Nehem.9.v.15.16.* Patres, & Israelitæ, *v.29.* Nabuchodonosor, *Iudith.2.7. & 11.4. &c. Dan.4.27. & 5.2.* Aman, *Esth.3.6. & 16.13.* Filiæ Sion, *Esa.3.16.* Rex Babylon *s.14.v.13.14.* Moabitæ. *16.6.* Rex Assyriorum, *47.7.* Azarias, & Ioathan, *Ier.43.2.* Tyrus, *Esa.23.v.9.9. Ezech.27.3. & 28.2.* Baltassar, *Dan.5.v.20.22. & 8.29.* Antichristus, *11.36.2. Thess.2.4.* Israelitæ *Ose.7.10. & 13.6.* Amos, 6.8. Idumæi, *Abd.versicul.3.* Antiochus, *1.Mach.1.23. 2.Mach.9.4. & 3.21.* Iosephus *1.Mach.5.v.55.56.57.* Nicanor, *2.Mach.9.v.9.16.* Pharisæus, *Luc.18.11.* Pharisæi, *Ioan.5.44.* Iudæ. *9.34.* Simõ Mag. *Act.8.9.* Herodes *12.21.* Agrippa, & Berenicæ, *25.23.* Babylonica Meretrix, *Apoc.7.2. et 18.7.* Superbiæ mala, *Pro.11.2.&*

EXEMPLA PROFANA.

Pausanias Lacedæmoniorum dux, ad Plateas victor, contra Mardonium, quum deo anubijs tripodem aureum Delphis votum fo missent, suumque nomen inscriberet. Lacedæmonij pertæsi insolentiam, epigramma induxerunt, & ciuitatum nomina inscripserunt. *Herod.*

Iulianus Imp. quinquennalia edens, ambitioso diademate visus est, gemmarum fulgore distincto: cum initio principatus coronam vilem gestare consueuisset, se Constantij hostem aperte profiteri cœpit. *Sigonius l.6. Imp. occid.*

Maximinus iunior in salutationibus superbissimus erat, & genua sibi osculari patiebatur, nonnunquam etiam pedes: quod nunquam passus est senior Maximinus, qui dicebat: Dij prohibeant, vt quisquam ingenuorum pedibus meis osculum figat. Cũ pater plerisque honoratis assurgeret: ille residebat. Visus est, & aurea lorica exemplo Ptolomæorum: visus est argentea: visus, & clypeo gemmato inaurato: & hasta inaurata. Fecit, & spatas argenteas, fecit etiam aureas: omnino quicquid eius pulchritudinem posset iuuare. Fecit, & galeas gemmatas: fecit, & bucculas. *Capitolin. in Maximino Iuniore.*

Rhemnius Palæmon Grammaticus gloriabatur secum natas esse literas, ac demum secum morituras. Idem Marc. Varr. principem linguæ Latinæ porcum appellare solebat. *Crinit. l.11. c.10.*

Paulus Samosatenus hæreticus, dioecesis factus e paupere excreuit in superbiam intolerabilem. Nam incedens per vicos, & compita, doctrinam, & literas ostentabat publice, & notarijs in propatulo, quicquid primum in buccam venisset, dictabat.

Attila Rex Pannonum superbus incessu, huc atq; illuc oculos circumferens, vt elata potentia in ipso corporis motu appareret.

Domi-

Domitianus iactabat in senatu, patri se, & fratri imperium dedisse, illos sibi reddidisse. Gaudebat appellatione Domini, atq. etiam Dei: vnde Eusebius, Primus, inquit, Domitianus Dominum se, & Deum appellari iussit: hinc fluxerunt cuiusdam duo versiculi poetæ assentatoris.

Edictum Domini. Deique nostri,
Quo subsellia certiora fiunt.

Vnde institutum est ab eo, vt ne scripto quidem, aut sermone cuiusquam aliter appellaretur. Statuas sibi in Capitolio non nisi aureas, & argenteas poni permisit. Septembrem, & Octobrem menses ex appellationib. Germanicum, Domitianumq. transnominauit, quod altero suscepisset imperium, altero natus esset.

Maximinus iunior tanta fuit arrogantia, vt manus, ac pedes senatoribus præberet osculandos.

Caius princeps seipsum inter duos retulit, & Iouis maximi nomine statuas eripi sibi imperauit.

Sabor Rex Persarum, vocauit se regem regum, principem siderum, fratrem Solis, & Lunæ. *Herod. l. 2, histor. Plin. 6. natur. histor.*

Salmoneus tonitrua mentitus est, vt Deitatis opinionem sibi vendicaret, sed a Iouis fulmine ad inferos demersus.

Cyrus immani superbia elementis irasci, atque ab ijs reuerentiam exigere non est veritus. Cum. n. ad Babylonicam expeditionẽ proficisceretur, Gangem fluuium magnitudinis immensæ, in trecentos, ac sexaginta paruos alueos diuisit, affirmans se, ita diminuiturum amnem, vt etiam prægnans fœmina pedibus sine labore eum traiectura esse.

Cambyses Persarum Rex cum Præxaspem interrogasset, quid de Cambyse populi sentirent, respondit: Cambyses in omnibus laudatur, sed vini appetentior æquo est. Arcum itaque quem in manu habebat, tetendit, & sagittam in filij pectus direxit. Præ superbia cũ audiendi pœna nõ esset, in amicũ ita seuere sæuijt.

Appion Grammaticus Alexandrinus tanta fuit arrogantia, vt ei immortalitatem polliceretur, cui opera sua nuncupasset.

Demetrius Poliorcetes, Antigoni Macedoniæ regis filius, tanta fuit arrogantia, & insolentia, vt Atheniensium legatos biennium suspensos tenuerit sine colloquio, ac demum re infecta, reuerti iusserit.

Menecrates medicus nullam ab his mercedem solebat accipere quibus medebatur: sed hoc tantum petebat, vt liberati se ipsius seruos esse faterentur, eumq. Iouem dicerent.

Nestorius hæreticus, factus præsul Constantinopolitanus, orationẽ postero die habuit ad populum, arrogantiæ plenam, & superbiæ, qua cęlum se vnicuique daturum promittebat.

C. Nenius Comœdiographus, superbiam suam testatus est Epitaphio, quod sepulchro suo inscribi iussit.

HIEROGLYPHICVM.

In Diuinis sane literis pro arrogantia, atq. superbia *ceruix* accipitur: quare *Psal. 130. Impiorum concisas ceruices*, legas pro edomita superbia. *Pier. Val. l. 32. p. 303. B.*

EMBLEMA.

Superbia.

Emblema LXVII. And. Alciat.

En statua statua, & dictum de marmore marmor,
Se conferre Deis ausa procax Niobe.
Est vitium muliebre superbia, & arguit oris
Duritiem, ac sensus qualis inest lapidi.

FABVLAE.

Aquila, & Aues.

Quodam cœtu alitum, pleriq. illorum de se, & virtutib. suis magnifice loquebantur, celeritatem accipitres, cantum lusciniæ, oscines gloriam augurij, formam pauo, calliditatem perdices, audaciam trochilus, remigandi scientiam anates, præsensionẽ tempestatis ardea iactabat. Tum aquila nugæ, inquit, istæ sunt, nam quod est optimum, & plurimi fit in hac vita, eo facile omnes vos antecello, vt acutissimo visu oculorum vtar. Quod si quis minus credit verum esse, age consideo supra ceruicẽ meã, & illis ostendam de tam sublimi spatio, vnde ipse vix terrã conspicere possit, me certe omnia, & haud fallente luminis acie cõtueri, &c. Mussitantib. alijs, regulus in aquilam incubans, iubet subuolare, vt experiatur verum vera gloria illa sit: Cum sub nubes penetrasset aquila, Quid, inquit, cernis infra regule? Vix illo terram sibi apparere dicente: At ego isthic, inquit, clare ouẽ conspicor, & quidem albam mutilata cauda, inq. eam, vt quod dixi tibi certius probem, mox ẽt inuolabo. Sed illam ouem grandib. volucribus escam proposuerat auceps, qui laqueis positis intra frondes prope latitabat atque illatam impetu aquilam cepit, & strangulauit. Hoc regulus videns: falso, inquit, gloriata fuisti de perspicacia oculorum, quę caudam mutilatam diceres te cernere, & laqueos atque insidiatorem aucupem non aspexeris.

Fabula coercet elationem, & superbiam animi: Et docet cupiditates acute cernere in ijs modo, q̃ appetunt, ad reliqua esse cæcas.

Galli Gallinacei.

Duo Galli acriter inter se pro gallina dimicabant, ita vt ambo sauciarentur, sed finito prælio, qui victus fuerat, is pudore, & dolore affectus latebras quæsiuit, victor autem in altum parietem euolauit, & quanta maxima voce potuit, canere & alis strepere cœpit. Hunc de improuiso aquila præteruolans rapuit, ita alter, qui se dudum abdiderat, postea sine æmulo gallinarum consuetudine frui potuit.

Docet fabula, Deum ipsum superbis aduersari, mites autem apud illum in gratia esse, &c.

Olla.

Expositam sub dio ollam fictilem vt lutum prius aresceret, q̃ in fornace torreretur, interrogabat imber. Quid nã rei fit? Illa vero, se dolium esse respondit. Doliũm, inquit imber, in quo vinũ cõdi solet, qđ nos aquæ odimus? Peribis igitur, & illã disiecit.

Contra superbiã & fastum: & stultas elationes aiorum hæc fabula narratur. Sæpe. n. fit, vt magnarum rerum professiones, & arrogantia dignitatis, hoĩes imperitiores euertat atque perdat. Itaque Vlysses ad tantarum rerum effectionem non extollitur, neque splendescit, sed abijcitur & deformatur, idq. diuinitus.

De Nuce & Vepribus.

Nux stirpe ꝓcera & paruulis ramis, ꝓpe viã enata, ac iã sub autũni tẽps fructibus grauis, vicinas vepres spernebat præ se, & verbis insectabatur, vt humiles & infructuosas, infelicesq. ac miseras vocabat, in illa deorum hominũq; neglectione. Quæ etẽ, inquit, & q̃ detestanda contorsio, & deprauatio vr̃a? Quis autẽ vos non simul atq. tetigit, mox execratur vobisq; maledicit? Mea vero, videtis q̃ stipitis sit firmitas, q̃ ramorũ densitas, q̃ foliorũ amplitudo, q̃ fructuũ copia, atq; his dictis cõcusso comæ vertice, tacentes vepres supbissime despiciebat. Veniũt mox hoĩes omnis ætatis ac sexus, viri, mulieres, virgines, pueri, ac fustib. saxisq. nucẽ petunt, maturosq. fructus decutiũt, & lõgis ꝑticis verberãt, neq; folia modo dissipãt, sed ramos ẽt diffringũt atque lacerant, spoliatamq. ipsam male multatã discedentes relinquunt. Tum veprea non quidem arrepta occasione illam derisisse in calamitate, quod inhumanissimũ esse scirent, sed in casuum & fortunæ incertæ atque dubiæ consideratione, hũc Menandri versum inter se memorasse accepimus, huius sententiæ.

Beatus est cui mens bona & res obtigit.

Illinc vero hos Euripidis.

Ὄλβου δ' ἐπιρ'ρ'υέντος οὐ τυχὲς σφοῦ
Ἄλλου γένοιτ' ἄν ἄλλος, εὐδαίμων δ' ἂν οὔ.

Aliunde etiam hæc.

Multorum opes malorum hominibus caussa fuere.

Vide, Arrogantia.

SVPERFLVITAS.

DEFINITIO, ET ETYMOL.

Superfluitas, Græce [illegible]. superfluus dicitur. Venit autem superfluitas a superfluo, quod est superabundo, estque superabundantia quædam.

PATRVM SENTENTIAE.

Nihil tam necessarium, quam cognoscere quid sibi necessarium. *Amb. ad Vercellen.*

Simplex vestimentum dicitur, quidquid necessarium est alicui secundum qualitatem loci, vel temporis. Duplex autem quod extra necessitatem est: non enim duas dicit, vt quis in locis Scotię glaciali niue rigentibus vnica tunica debeat esse cõtentus: sed quomodo in tunica vestimentum intelligimus omne aliud vestitus; aliud nobis futurorum timore seruemus. *Hieron. in Matth. 10.*

Quicquid corpora nostra defendere potest, & humanæ succurrere imbecillitati, quos nudos natura profudit. hæc vna appellanda est tunica, & quicquid in præsentibus alimentis est necessarium, hoc vnius diei victus appellatur. *Hier. 23. ad Fabiolam.*

SVPERSTITIO.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Superstitio, Græce δεισιδαιμονία & δεισιδαίμων. i. superstitiosus dicitur. Est autem superstitio vitium religioni oppositũ secundum excessum. *secund. B. Th. 2. 2. q. 92 ar. 10.*

Superstitio est vitium contrarium religioni, non quia plus exhibeat in cultum diuinum, quam vera religio: sed quia exhibet cultum diuinum, vel cui non debet, vel eo modo, quo nõ debet.

SENTENTIAE HIST.

Vt perniciosa est incredulitas, & contemptus signorum diuinitus oblatorum; ita superstitio etiam noxia est, quæ cum aquæ instar ad subsidia delabentis animum trepidum stolida timiditate cõplet. *Plutar. in Alex.*

Humanarum mentium ludibrium superstitio. *Curtius. lib. 6.*

Nihil in speciẽ fallacius est q̃ praua religio. vbi deorũ numen prętenditur sceleribus, subit animum timor, nec fraudib. humanis vindicãdis, diuini iuris immistum aliquid videmus. *Liuius, Decad. 4. l. 9.*

Sunt

Sunt mobiles ad superstitionem perculsæ semel mentes. *Tacit. Annal. lib. 1.*

Multa vana sub nomine celebri vulgantur. *Idem, Ann. l. 6.*

Quicumque a vero aberrant, misericordia potius quam odio digni sunt. Non enim hi vel capiantur, vel labuntur volentes, sed boni forsitan ducti cupiditate, & si alioquin iudicio falsi, conceptis opinionibus, qualescumq; sint pertinacius hærēt. *Agat. l. 1.*

In ostentorum, & prodigiorum consideratione nimiam, & credulitatem, & incredulitatem periculosam efficit humana imbecillitas, cum ea non intra certos terminos se continet, sed effertur vel ad superstitionem, ut iam usque de ijs sentiendum, vel ad cōtemptum religionis. Optimum est cautionem adhibere, ac ne quid nimis. *Plut. in Camil.*

APOPHTHEGMATA.

Leotychidas. Cum portæ Leotychidi proximæ clauem draco circumuolutus esset complexus, idque augures affirmarent esse portentum: Mihi, inquit, nequaquam videtur: sed si clauis fuisset circūplexa draconem, portentum erat. Lepide irrisit hominum superstitionem, qui terrentur his quæ casu, nec præter naturam accidunt. Hunc mortalis ingenij morbum alunt augures, arioli, aruspices, ac diuini. Verum vbi quis præter rectum, & honestum instituit nefaria consilia, tum oportebat horrere portentum, & aliquid mali sequuturum expectare. *Plut.*

Pericles. Quum vrgeret belli necessitas, Palladis ornamenta vendidit quadraginta talentis auri, & admirantibus ab illo rem sacrilegam admitti, respondit: Ex hostium manubijs posse illa reddi cultum nihilo deteriorem. *P. M. l. 8 apoph.*

Idem. Ad bellum profecturus, cum suam ipse triremem conscenderet, solis deliquium accidit, tenebræque obortæ in prodigium magnum tractæ omnium animos consternauerunt. Ibi Pericles cum videret gubernatorem ingenti timore captum, oculis eius chlamydem prætendit, percontatusque est, an horribile aliquid id effectum, aut portentum eo facto putaret? neganti. At quid interest, ait, inter istas & has tenebras? nisi quod maius est id a quo illæ sunt inductæ. *Plut.*

Idem. Aegrotans, amico cuidam eum inuisenti, ostendit amuletum collo sibi circumligatum a mulieribus, addens pessime se affectum esse qui talem stultitiam in se admisisset. *Plut. in Pericle.*

Agesilaus rex quum adstantem aræ Palladis, cui apud Spartanos ab æreo delubro χαλκιοίκου cognomen est, vt bouem immolaret, momordisset pediculus, non aduersus est, sed arreptum palam omnibus occidit: Per Deos, inquiens, occidam insidiatorem lubens, vel in ipsa ara, videlicet declarauit animum, nec inepto pudori, nec superstitioni obnoxium. *Plut. in Lac.*

Idem. Philippus quidam erat profitens Orphei mysteria, & his alios initiare solitus: is quum esset extremæ paupertatis, tamen apud Leotychidā dicebat, eos qui apud ipsum Orphei sacris initiati essent post obitū fore beatos: quin igitur, inquit, ô demēs, q̄ ocyssime vitā abrumpis, vt desinas infelicitatem tuam, ac inopiā deplorare? O animum ab omni superstitione liberum? Post hanc vitam felices erunt, qui hic pie iusteque vixerint, non qui fictis cæremonijs fuerint initiati. Hoc persuasum erat Lacedæmonijs, qui hic pie vixissent eos ab obitu fieri diuos. *Plut. in Lac.*

Epaminondas cum aliquoties ad hostem cum copijs accederet, & tonitru extitisset: interrogantibus suis quid significari eo tonitru putaret, respondit, superstitionem eorum irridens, Deū attonitos reddidisse hostes, stuporemque ijs iniecisse, qui cum prope apta loca essent, iniquo loco castra ponerent. *Plut. in apoph.*

Lucullus quum in Armeniam cum decem millibus armatorum, & mille equitibus aduersus Tigranem tenderet, centum quinquaginta hominum millia habentē in exercitu, pridie nonas Octobreis, quo die prius Scipionis copiæ deletæ fuerant, quodam admonentē, quod Romani diem illam vt nefastum, & inauspicatum metuerent: Ergo, inquit, hodie alacriter pugnemus, vt hūc quoque diem ex nefasto funestoque Romanis hilarem, & auspicatum reddamus. *Plut. in Rom. apoph.*

M. Crasso conflicturo cum Parthis, exta è manibus deciderūt: hoc tum cæteris, vt inauspicatum interpretantibus, ac prælium dissuadentibus: Huiusmodi, inquit, incommoda multa nobis senectus adfert: at arma tamen numquam e manibus mihi ceciderunt. *Plut. in Crasso.*

M. Cato. Vetus illud Catonis admodū scitum est, qui mirari se aiebat, quod non rideret aruspex, aruspicem cum vidisset. Quota enim res quæque euenit, prædicta ab illis? aut si euenit quippiā quid adferri potest, cur non casu euenerit. *Cic. l. 2. de Diuin.*

Alphonsus cum triumphalem currum ascenderet, non defuerunt qui admonerent, vt triumphantium more vultum minio illiniret. Verum rex cum hoc contemneret, dixisse fertur miniū Baccho soli conuenire, qui non solum triumphi, sed vini etiam repertor extitisset. *Ant. Panor. de reb. gest. Alphonsi.*

Pythagoras dicebat sacrificia stultorum ignis esse alimenta, eorūq; anathemata victum sacrilegis suppeditare. *Stob. ser. 4.*

Demonax accusatus, quod numquam sacrificasset Mineruæ: Numquam, inquit, existimaui illi meis victimis opus esse. Notās ineptam vulgi superstitionem, qui putabat Deos hostiarum nidore delectari. *P. M. l. 8. apoph.*

Polyanthea Noua.

Idem. Cuidam dicenti: Eamus in Aesculapij templum, o Demonax, pro filij salute deprecaturi Deum: Adeone, inquit, surdastrum existimas Deum, vt nos nisi in templo non sit auditurus? *P. M. l. 8. apoph.*

SIMILITVDINES.

Plutarchi. Vt tremunt qui vrsorum, aut draconum lustra adeunt: Sic superstitiosi cum tractant diuina, existimantes Deos semper paratos ad nocendum. *in Moral.*

Non timet mare qui non nauigat, non bellum, qui non bellat, non latrones domimaneos, non calumniatorem pauper, non inuidiam priuatus: non terræmotum, qui est in Galatia, non fulmē qui est in Aethiopia: At superstitiosus omnia timet, terram, mare, aerem, cœlum, tenebras, lumen, strepitum, silentium, somnum. *In Moral.*

Si fieri potest, lippitudinem auferimus ab oculis: si id non licet, non tamen eruimus oculum: Ita si superstitio tolli prorsus non pōt, non tamen protinus credendum, nullos esse Deos. *in Mor.*

Licet seruis quibus spes non est libertatis, ad principis statuam cōfugere, venditionem postulare, mutare dominum, si durius habiti sunt, quam ferre possint: Superstitiosis nec hoc, cum omnes Deos metuant. *in Moral.*

Gubernator videns insurgere tempestatem, Deorum auxilium implorat, nihilo segnius interim clauum moderans, & antennam detrahens: At superstitiosus despondet animum. *in Moral.*

Polycrates tyrannus non erat formidabilis, nisi Sami, Periander Corinthi, desinebat metuere, qui illinc in liberam ciuitatem emigrasset: At superstitiosus non habet quo confugiat, vt metu liberetur. *In Moral.*

Serui cum dormiunt, non timent heros, vincti obliuiscuntur compedum in somno: vlcera, carcinomata, & grauissimi etiam cruciatus conquiescunt: Sola superstitio etiam dormientem infestat. *In Moral.*

Quidam dum stulte fugiunt latrones, aut feras, in auia incidunt, & in barathra, aut præcipitia: Sic quidam superstitionem ita fugiunt, vt incidant in impietatem, cum in medio sit pietas. *In Mor.*

P. M. Latrones aut fugitiui, si aram, aut statuam apprehenderint, in tuto sunt: At hic maxime trepidat superstitiosus. *In similibus.*

Carbunculi ignis, & nomen & speciem habent, cum ignem non sentiant, vnde & apyrustæ dicti: ita quidam pietatis opinionem, & imaginem obtinent, cum a re sint alienissimi. *In simil.*

PROFANA EXEMPLA.

Hetrusci Romanæ superstitionis magistri fuerunt: ad quos sex patriciorum filij singulis annis religionis addiscendæ ergo mittebantur. *Val. Max. l. 1. c. 1.*

Cum infœminas superstitionis duces & auctores esse existimant. Eæ enim sunt, quæ viros ad Deorum cultus, ad dies festos, ad venerationes, ad preces inuitent amplius: rarumque est, vt vir quispiam sine vxoribus solus degens, talis reperiatur. *Strab. l. 7. ex Menandro.*

Romæ publice Febri fanum in palatio dicatum est: Orbonæ ad ædē Larium ara: & Malæ fortunæ Exquilijs. Quamobrem maior cœlitum populus etiam, quam hominum intelligi potest, cum singuli quoque ex semetipsis totidem Deos faciant: Iunones Geniosque adoptando sibi. *Plin. l. 2. c. 7.*

Nationem esse omnium Gallorum admodum deditam religionibus scripsit. *Cæs. l. 6. de Bello Gall.*

De Polonorum & Slauorum idololatria ante susceptum Christianismum. *Cromerus l. 3.* disserit.

Lituani olim superstitiosissimi fuere: Ignem, Fulmen, Lucos, Arbores proceras: Viperas item & Serpentes colebant. *Cromerus l. 15.*

Qui sub polo habitāt Arctico, Solem & Lunam adorant: pannum quin etiam rubeum in pertica suspensum: nonnulli quicquid primo dilucido in cœlo, terra, vel aquis viuum apparuerit, hoc ipsum vsque ad crepusculum eiusdem diei pro numine adorant. *Olaus magnus, l. 3. c. 2.*

Indi omnes, multos diuersosque Deos colunt: eos habent pictos fictosve statuis: nempe ligneis, terreis, argenteisve.

Peruana regio Deos, aulum forma, tygridum, ceruorum, & aliorum animalium exhibet: interdum etiam caudatos Satyrorum specie. *Ioan. Metellus.*

Vide Religio.

SVPPLICIVM.

LOCI BIBLICI.

SVppliciorum genera quadruplicia fuerunt apud Iudæos: Strangulatio, Gladius, Lapidatio, & Combustio, antequam Herodes, & post Herodem Romani, totum hunc ordinem perturbassēt, quorum postremum non dubium est, quin fuerit grauissimum. Inde etiam factum, vt æternas illas pœnas cum ignis supplicio passim Scriptores comparent. *Vide Matth. 5. 22.*

Culpa quam pœna tempore prior, emendari quam peccare poſterius eſt. *Tacit. Ann. l. 15.*

Maius exemplum eſt viuentis miſerabiliter criminoſi, quam occiſi. *Vulc. Gallic. in Auid. Caſſio.*

Humilium ſupplicia neceſſaria ſunt vbi res poſtulat: ſed de nobilibus ſontibus illuſtres pœnæ propalam ſumptæ, oculos animoſque mortalium magis mouent, ſplendidioreque exemplo afficiunt. Magnorum virorum peccata vulgo propoſita ſunt ad imitandum, & vt publico fœdere, communique cauſa, idem cæteris, quod illis ius faſque videtur. Neceſſe eſt igitur & monumenta plectendorum ſcelerum terroreſque in clariſſimis ceruicib. ſtatui: vt quod vindicatum in ſummis eſt, id in ſe diſſimulatum minime iri vulgus ſentiat: & qui metus malis eſt, bonis ſalutiq; publicæ ſit fiducia: quibus duabus rebus communis vita cõſtat. *P. Aemil. l. 8.*

Magnitudo pœnæ non deterret homines a ſceleribus incitatos vehementi cupiditate, & magna ſpe. Eſt quidem in omnibus ciuitatibus conſtituta pœna mors, etiam leuioribus delictis, quam eſt defectionis crimen, & fœderum infractio: ſed tamen homines ſpe incitati adeunt pericula, neque quiſquam ruit in periculum, ſi firmiter ſibi perſuaſerit, ſe non euaſurum eſſe. Natura omnes publice & priuatim proni ſumus ad delinquendum: nec lex aut pœna quidem a leuioribus pœnis ad ſummas peruentú ſit, vt audacia ſceleratorum frenaretur. Conſentaneum enim eſt, olim mitiores pœnas ſummorum ſcelerum fuiſſe, quæ cum homines a ſceleribus patrandis minime deterrerent, ventum eſt ad mortem, quæ tamen & ipſa homines a male agendo non reuocat. Aut igitur alius excogitandus eſt terror vehemẽtior, aut ne quidem capitali pœna homines coerceri poſſunt. Sed ruunt homines in pericula, impulſi vel neceſſitate, vel petulantia, vel ira. Pauperes neceſſitate mouentur: petulanti ſatis cauſæ eſt licẽtia: ira occaſio eſt, vt quiſque inſanabili affectu tenetur. Deinde vincuntur homines cupiditate, & ſpe, quarum altera dux eſt, altera comes: altera ad aggrediendum incitat, altera viam monſtrat: & experita bona, quamquam incerta, tamen plus mouent animos, quam certæ pœnæ, quæ ſunt in conſpectu. Adiuuat & occaſio aggreſſuros aliquid: quæ cum ſe offert præter opinionem, etiam ſi vires alioqui minores ſint, incitat, vt periculum adeant, præcipue ciuitates, quia hæ res maximas concupiſcunt, videlicet libertatem, & imperium. & ſinguli cum vniuerſis ciuibus coniunctis maiora imaginãtur. Quare ſimpliciter impoſſibile, & ſtultum eſt, metu legum, aut pœnarum humanam naturam cupiditate ardentem deterrere. *Thucyd. l. 3.*

Si ſceleratus dominus flagellatur, ſerui reſipiſcent: & vt ſubditi in illaudatis rebus principem imitari ſolent, ita etiam ſi is flagellatur, & publicæ vtilitati ſeruire cogitur, hi eum vt matrem filius ſequentur. *Nicetas in Andronic. Comn. l. 2.*

Vide Pœna, Punitio.

SVSPICIO.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Suſpicio, Græce ὑποψία, ας, ἡ, & ὑπόψ[illegible] ſuſpectus, dicitur. Eſt autem ſuſpicio, acceptio vnius partis cum formidine alterius, *ſecundum Ciceronem.*

Suſpicio eſt opinio mali ex leuibus ſignis, *ſecundum S. Thom. 2. 2. q. 60. art. 4.*

SENTENTIAE PATRVM.

Sicut difficile aliquem ſuſpicatur malum, qui bonus eſt: ſic difficile aliquem ſuſpicatur bonum, qui ipſe malus eſt. *Chryſoſt. ſuper Matth.*

Omnis homo ex ſe æſtimat alterum: fornicarius neminem putat caſtum, caſtus de fornicario non facile ſuſpicatur, ſuperbus neminem putat humilem, humilis neminem putat eſſe ſuperbum: ſic qui non eſt ex Deo ſacerdos, neminem putat ſacerdotem ex Deo. *ibid.*

Facilius vitia vniuſcuiuſque quam virtutes intendimus: nec quid boni quiſque geſſerit, agnoſcere, ſed quid mali egerit perſcrutamur. *Iſid. l. 3. de ſum. bono.*

Fidelem ſi putaueris, facile quidem fallere docuerunt, dum timent falli, & illius peccati occaſionem ſuſpicando defecerunt. *Senec. epiſt. 2.*

Hoc habet omnis affectus: vt in quod ipſe inſanit, in idem putet cæteros inſanire. *l. de moribus.*

POETICÆ SENTENTIAE.

Suſpicio vitanda ex qua corruptum iudicium.

Anthol. Sacr. Iac. Bill.

Culpare in quoquam, quæ non ſunt nota, malignum eſt,
Præſertim ſi quæ cognita ſunt, bona ſunt,
Non pateant faciles ſatis rumoribus aures,
Quæ neſcire iuuat, credere non libeat.
Linquantur ſecreta Deo, qui ſi quid opertum eſt
Inſpicit, & nullis indiget indicibus.

APOPHTHEGMATA.

Lyſander militem, qui de via deflexerat, caſtigauit. Ei dicenti ſe nullius rei rapinam ſe ab agmine receſſiſſe, ne ſpeciem quidem, inquit, rapturi præbeas volo. *P. M. l. 6. apoph.*

Phocion. Athenienſes cum ex oraculo intellexiſſent, in ciuitate vnicum tantum eſſe virum, qui cunctorum ſententijs aduerſaretur, populus vociferãs, iubebat illum ſtatim inquiri, vt occideretur. Phocion autem cum varias ſuſpiciones eſſe in viros bonos intelligeret: Ego ſum ille, inquit, de quo dixit oraculum. Et hæc quidem ideo dixit in ſummo conſtitutus periculo, ne ſuſpicio ad innocentem aliquem deuolueretur. *Plut. in Græc. apoph.*

Olympias. Quum accepiſſet Alexandrum filium (vt alij, Philippum maritum) adamare fœminam, a qua putabatur amatorijs veneniſ corruptus, accerſiuit ad ſe mulierem: quumque præter inſignem formam comperiſſet in ea mores liberales, & ingenium egregie dextrum: Valeant, inquit, qui te inſimulant veneficij, Nam tute quidem pharmacum in teipſa ac philtrum habes. *P. M. lib. 6. apoph. ex Plut.*

SIMILITVDINES.

Plutarchi. Vt morbus in corpore non admittente, quod proprium eſt, multarum noxiarum, & abſurdarum rerum gignit appetentiam: Ita calumnia ſuſpicioque aduerſus cognatos, & domeſticos, malas & noxias aliorum neceſſitudines inducit. *In Moral.*

Theuueri. Quemadmodum qui vlceribus laborant, timidiſſime tactum omnem reformidant, ac refugiunt: Sic male conſcij homines, vbique prompta laborant ſuſpicione. *in apoph.* 231.

EXAMPLA BIBLICA.

Suſpicionis *exempla*: Abraham, *Gen.* 20. *v.* 11. Laban, 31. 20. Iacob, 37. 33. Putiphar, 39. 19. Fratres Ioſeph, 43. 18. Filij Iſrael. *Ioſ.* 22. 15. 12. Socer Samſonis, *Iud.* 15. 2. Eli, 1. *Sam.* 1. 13. Saul, 20. *v.* 30. & 22. 8. Principes Philiſthæorum, 29. 4. Principes filiorum Ammon, 2. *Sam.* 10. 3. 1. *Paral.* 19. 3. Rex Syriæ, 2. *Reg.* 5. 5. Aſſuerus, *Eſth.* 3. 11. & 7. 8. Ieniasportæ cuſtos, *Ier.* 37. 2. Azarias, 43. 2. 3. Tortores Eleazari, 2. *Mach.* 6. 28. 29. Diſcipuli, *Matth.* 14. 25. 26. *Act.* 9. 26. Simon Phariſæus, *Luc.* 7. 39. Iudæi, *Act.* 2. 13. & 21. v. 29. Plebs & Magiſtratus, 16. 22. Lyſias, v. 38. Barbari, 28. 4.

FINIS LIBRI DECIMISEPTIMI.

POLYAN.

POLYANTHEAE NOVISSIMAE LIBER XVIII.

T

TABVLA.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

TAbula, Græce *σανὶς, ἰδος, ἡ* dicitur. Tabula secunda post naufragium, peccatorum est pœnitentia, & verecundia, *secundum B. Thom. 3. par. q. 84. art. 60.*

LOCI BIBLICI.

Tabulæ testimonij Mosi datæ, *Exod* 31. 18. *&* 32. 15. lapideæ erant, & digito Dei scriptæ, 31. 18. *&* 32. 16. *Deut.* 9. 10. Tabulæ lapideæ, 2. *Cor.* 3. 3. Adumbrabant humani ingenij summam duritiem, a qua cor hominis non regenerati lapis denominatur, *Ezech.* 11. 59 *&* 36. 26. cui opponitur cor carneum, non quod in carne versatur, sed e contrario, quod vi Spiritus Dei factum est mollius, vt in eo tamquam nouis tabulis Euangelij gratia possit insculpi, vt prædictum fuit, *Ier.* 31. 31.

Tabulæ testimonij franguntur, *Exod.* 32. 19, *Deut.* 9. v. 17. Dei iussu alteræ fiunt, *Exod.* 34. *vers.* 14. in arca reconduntur, *Deut.* 10. 5. *Hebr.* 9. 4.

SENTENTIÆ PHILOSOPHICÆ.

De tabulis pictis. DIAL. XL.

Francisci Petrarch.

DOL.

Pictis tabulis delector. R. Inanis delectatio, nec minor vanitas, q̃ magnorum hominum sæpe fuit, nec tolerabilior, quam antiqua. Siquidem omne malum exemplum tunc fit pessimum, quando illi vel authorum pondus adiungitur, vel annorum vndecumque ortæ consuetudinis robur ingens consenuerit, & vt bona in melius, sic mala in peius ætas prouehit: Sed vtinam, qui maiores nostros vanis in rebus facile vincitis, eosdem in serijs æquaretis, virtutemque cum illis & gloriam miraremini, cum quibus pictas tabulas sine fine miramini. G. Valde vtique pictas tabulas miror. R. O mirus humani furor animi omnia mirantis nisi se, quo inter cuncta non solum artis, sed naturæ opera nullum mirabilius. G. Pictæ delectant tabulæ. R. Quid de hoc sentiam ex iam pictis intelligere potuisti. Omnis quidem terrena delectatio si consilio regeretur, ad amorem cœlestis erigeret, & originis admoneret. Nam quis vnquam quæso riui appetens fontem odit: At vos graues, humi accliues, affixique cœlum suspicere non audetis, & obliti opificem illum solis ac lunæ tanta cũ voluptate tenuissimas picturas aspicitis, atque vnde transitus erat ad alta dispositus: illic meram figitis intellectus. G. Pictis tabulis delector vnice. R. Penicillo, & coloribus delectaris, in quibus & precium, & ars placet, ac varietas, & curiosa dispersio. Sic exanguium viui gestus, atque immobilium motus imaginũ & postibus erumpentes effigies, ac vultuum spirantium lineamenta suspendunt, vt hinc erupturas paulo minus præstoleris voces, & est hac in re periculũ, quod his magna maxime capiuntur ingenia. Itaq; vbi agrestis læto & breui stupore prætereat, illic ingeniosus suspirans, ac venerabundus inhæreat. Operosũ sane, neque tamen huius est operis ab initio artis originem, ac incrementa retexere, & miracula operum, & artificum industrias, & principum insanias, & enormia precia, quibus hæc trãsmaria mercati Romæ in templis Deorũ, aut Cæsarum in thalamis, inque publicis plateis, ac porticibus consecrarunt, neque id satis nisi ipsi huic arti dextras, atque animos maiori exercitio debitos applicarent; quod iam ante nobilissimi Philosophorum Græciæ fecerant. Vnde effectum vt pictura diu quidem apud vos vt naturæ coniunctior ante omnes mechanicas in precio esset. Apud Graios vero (si quid Plinio creditis) in primo gradu liberalium habetur. Mitto hæc, quoniam & intentæ breuitati, & præsenti proposito, quodammodo sunt aduersa, videri enim possunt morbum ipsum, cuius remedium pollicebar alere, & rerum claritas stupentis amentiam excusare. Sed iam dixi, nihil errori detrahit errantium magnitudo. Immo hæc quidem ideo attigerim, vt liqueret mali huius quanta vis esset, ad quam tot tantisq. sit ingenijs conspiratum, cui & vulgus errorum princeps, & cõsuetudinum genetrix longa dies, cumulusq. ingens omniũ malorum semper authoritas, accesserint, vt voluptas stuporq. animos ab altiore furti contemplatione dimoueat, distrahatq;. Tu autem, si hæc ficta, & adumbrata fucis inanibus vsque adeo delectant, attolle oculos ad illum, qui os humanum sensibus, animã intellectu, cœlum astris, floribus terram pinxit, spernes quos mirabaris artifices.

TACITVRNITAS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

TAciturnitas, Græce *ἐχεμυθία, σιωπηλότης, ητος, ἡ* & *σιωπάω*, taceo dicitur. Hebr. *Dom.* & *Demamah*, a verbo *Damah*, domuit, compescuit, subiecit. Hinc *δαμάω, δαμάζω.* & Lat. domo, domas, domare. Victoria magna, compescere linguam prudenti, & pertinaci silentio. Est autem taciturnitas, qua mentes circumspicientes quid deceat, & quid non, silent cogitabundæ: nec putant proferendum, antequam mature cuncta, examussim disputarint, ne ea ore magis quam e pectore erumpat oratio. Huius oppositum est linguacitas. Vnde dicaces, locutuleij, blaterones, linguaces, bambalones, & futiles a veteribus sunt nominati.

Taciturnitas in dicendis, & locutio in tacendis est peccatum, *secund. B. Thom.* 2. 2. *q.* 73. *art.* ..

Taciturnitas est obseruantiæ genus, in silentio, ac secreta seruando constituta. Terent. in And. *Sed ijs, quas semper in te intellexi sitas, & fide & taciturnitate.*

Tacitus, qui tacet, & scit tenere secreta. Taciturnitas, qui natura facile tacet. Diminutiuum, taciturnulus.

LOCI BIBLICI.

Taciturnitas laudatur, *Prou.* 10. 19. *&* 17. 27. *Eccl.* 20. 1.

SENTENTIAE PATRVM.

Quam plures vidi loquendo in peccatum incidisse, vix quemquam tacendo: Ideoque tacere nosse difficilius est, quam loqui. Scio loqui plerosque cum tacere nesciant. Rarum est tacere quemquam, cum sibi loqui nihil prosit: sapiens est ergo, qui nouit tacere. *Ambr. l.* 1. *de offic.*

Silendi patientia, opportunitas loquendi, & contemptus diuitiarum, sunt maxima fundamenta virtutum. *ibid.*

Diu considera quid loquendum sit, & adhuc tacens, prouide, ne quid dixisse pœniteat: sapiens vt loquatur, multa prius considerat: quid aut cui, quo loco, vel tempore dicat. *Hieronym. in quadam Epist.*

Ille scit recte dicere, qui & ordinate nouit tacere. *Gregor. in Moral.*

Plerumque nimis taciti, quum iniuste aliqua patiuntur, eo in acriorem dolorem prodeunt, vulnera quippe clausa plus cruciant, quia quum putredo, quæ intus feruet, eijcitur, ad salutẽ dolor, aperitur. *In past.*

Sancti viri, quum prodesse audientibus nequeunt, etiam despicit tacentes volunt. *In quadam homil.*

Quasi quoddam nutrimentum verbi est censura silentij: & recte quandoque excrescentiam sermonis accipit, qui prius ordinate per humilitatem tacet. *In Ezech.*

Sicut incauta locutio in errorem pertrahit, ita indiscretum silentium eos, qui erudiri poterant, in errore relinquit. *In past.*

Vtinam recedendo, vel tacendo compesceret, quos respondendo non potuit: quia malitia nõ docetur sermonibus, sed excitatur, vnde malum hominem tacendo melius, quam respondẽdo vincere potes. *Chrys. sup. Matth. c.* 25.

Et loqui, & tacere, perfectio est. Est autem vtriusque partis, causa, verborum tenuisse mensuram. Aliquoties nimia taciturnitas stultitiæ adscribitur, sicut verborum nimietas ad furorem refertur, secundum illud sapientis: est tacens non habens sensum,

loquelæ, & est tacens sciens tempus apti temporis: de qua re si nostri sententiam requiras arbitrij iam malo aliquis in tacendo stultus, quam nimium loquendo iudicetur insanus. *Vul. Episcop. in quodam serm.*

Hirundinem in domo non suscipiendam, id est, garrulos & verbosos sub eodem tecto non habendos, dicebat Aristot. *Hieron. l. 2. contra Ruffinum.*

Hæc regalis procul dubio virtus celerius necessaria sentire, & tardius in verba prorumpere: nescit enim pœnitenda loqui, qui proferenda suo prius tradit examini. *Cassiod. l. 3.*

Natura compertum est, vt omnibus artibus hoc sit scientiæ preciosior pompa, quo rarior.

Pythagoras discipulis aduenientibus, prius legitur tacendi patientiam, quam loquendi monstrasse doctrinam, & sic incipientem quemque inter disputantium coætaneorum cathedras mutuum sustinuisse quinquennium, vt etiam celeriora quorumpiam ingenia non liceret ante laudari, quam deberent agnosci. Quia donec scientiam non cõbiberis, non maior est gloria dixisse, quod noueris, quam siluisse quod nescias. *Sidon. epist. lib. 7.*

Pythagoras hanc in studijs suis consuetudinem seruasse legitur, vt vsque ad septennium iuxta numerum septem liberalium artiũ nullus discipulorum suorum de his, quæ ab ipso dicebantur rationem poscere auderet, sed fidem dare verbis magistri, quousque omnia audiuisset: Scholares vero nostri, aut nolunt, aut nesciunt modum congruum in discẽdo seruare, & idcirco multos studentes, paucos sapientes inuenimus. *Hug. in didascalicon. l. 3.*

Malum hominem melius potest tacendo aliquis vincere, quam respondendo. Quia malitia non instruitur sermonibus, sed excitatur. Ideo dominus recedendo compescere studuit, quos respondendo non compescuit. *Ioan. Chrysost. super Matth.*

Sint tua verba pauca. Tolle verbositatem sermonis superflui. Multiloquium non effugiet culpam. Linguosus homo imperitus est. Sapiens vero paucis vtitur verbis. *Isidor. Soliloquior. c. 31.*

Qui ociosa verba non reprimit, ad noxia cito transit. Si sermo tuus irreprehensibilis, expectatione audientiũ vtilis est. *ibid. 2.*

SENTENTIÆ POETICAE.

Lucian.

Ἀῤῥήτων ἐπέων γλώσσῃ σφραγὶς ἐπικείσθω,
Κρεῖσσον γὰρ μύθων ἢ κτεάνων φυλακή.
Arcanorum verborum linguæ sigillum imponatur,
Præstantior enim sermonum, quam possessionum custodia.

Palladas.

Ἡ μεγάλη παίδευσις ἐν ἀνθρώποισι σιωπή.
Μάρτυρα Πυθαγόραν τὸν σοφὸν αὐτὸν ἔχω,
Ὃς λαλέειν εἰδὼς ἑτέρους ἐδίδασκε σιωπᾶν,
Φάρμακον ἡσυχίης ἐγκρατὲς εὑράμενος.
Magna eruditio inter homines silentium.
Testem Pythagoram sapientem ipsum habeo.
Qui loqui sciens docebat tacere:
Remedium quietis potens inueniens.

Incertus Interpres.

Non mediocre bonum seruata silentia præbent,
Huius Pythagoras non leuis author erat,
Qui fari cunctis alios reticere docebat.
Inuenient monitis corda quieta suis.
Πᾶσι τοῖς ἀπαιδεύτοις φρονιμώτατόν ἐστι σιωπᾶν,
Τὸν λόγον ἐγκρύπτοντα ὡς πάθος αἴσχιστον.
Quilibet indoctus prudentissimus est tacens,
Sermonem occultans veluti passionem turpissimam.

Alciatus expressit.

Quum tacet haud quicquam differt sapientibus amens:
Stultitiæ est index linguaque voxque sua.
Ergo premat labium digitoque silentia signet,
Et sese Pharium vertat in Harpocratem.

Borbonius.

Nobile lingua bonum, si fari in tempore nouit:
Nobile lingua malum, si fari in tempore nescit.

Menander.

Γλώττης μάλιστα πανταχοῦ πειρῶ κρατεῖν.
Linguæ maxime vbique conare imperare.
Γλώσσης ματαίας ζημία προστρέχεται.
Linguam stultam damnum subsequitur.
Ἀεὶ δὲ σιωπῆς πικρότερον κατηγορεῖς.
Per silentium autem amarius accusas.
Ἐνίοις τὸ σιγᾶν κρεῖττόν ἐστι τοῦ λέγειν.
Nonnullis tacere est præstantius, quam loqui.
Εὐκαταφρόνητόν ἐστι σιγηρὸς τρόπος.
Contemptibile quid est taciturnus mos.
Ἡ γλῶσσα πολλοὺς εἰς ὄλεθρον ἤγαγεν.
Lingua multos ad exitium attraxit.
Ἢ λέγε τι σιγῆς κρεῖττον, ἢ σιγὴν ἔχε.
Vel dic aliquid silentio præstantius, vel silentium habe.
Πολλοῖς ἀγαθὸν ἡ σιωπὴ τυγχάνει.
Multis bonum est silentium.

Ἡ γλῶσσα πολλῶν ἐστιν αἰτία κακῶν.
Lingua multarum est causa malorum.
Ἢ δεῖ σιωπᾶν, ἢ λέγειν ἀμείνονα.
Vel oportet tacere, vel dicere meliora.
Κρεῖττον σιωπᾶν ἐστὶ ἢ λαλεῖν ἃ μὴ πρέπει.
Melius est tacere, quam loqui, quæ non decent.
Οὐδὲν σιωπῆς ἐστι χρησιμώτερον.
Nihil silentio est vtilius.
Σιγὴ ποτ' ἐστὶν αἱρετωτέρα λόγου.
Silentium interdum eligibilius sermone.
Δεῖ σιωπᾶν καὶ λαλεῖν ὅπου χρεών.
Est vbi oporteat tacere, & loqui vbi oportet,
Νοῦν ἐστι κρεῖττον ἢ στόμα ἔχειν.
Considerare melius, quam silentium habere.

Plautus in Cistellaria.

Tacere nequeo, quod tacito vsus est.

Idem in Rudente.

Tacita mulier est bona semper, quam loquens.

Terent. in eunuch. d. 5.

Tua quod nihil refert, percontari desinas.

Ouid. Art. lib. 2.

Exigua est virtus præstare silentia rebus.
At contra grauis est culpa, tacenda loqui.

Idem lib. 3. Amorum.

Quis furor est, quæ nocte latent in luce fateri?
Et quæ clam facias, facta referre palam?

Martialis lib. 5. ad Posthumum.

Quæ mihi præstiteris memini semperque tenebo,
Cur igitur taceo Posthume, tu loqueris?
Incipio quoties alicui tua dona referre:
Protinus exclamat, Dixerat ipse mihi.
Non belle quædam faciunt duo: sufficit vnus
Huic operi: si vis vt loquar, ipse tace.
Crede mihi quamuis ingentia, Posthume, dones:
Authoris pereunt garrulitate sui.

Hor. Epist. lib. 1. 19. ad Lollium.

Protinus vt moneam (si quid monitoris eges tu)
Quid de quoque viro, & cui dicas sæpe videto.
Percontatorem fugito: nam garrulus idem est.
Nec retinent patulæ commissa fideliter aures.
Et semel emissum volat irreuocabile verbum,

Idem serm. lib. 1. Sat. 4.

Absentem qui rodit amicum
Qui non defendit alio culpante, solutos
Qui captat risus hominum famamque dicacis,
Fingere qui non visa potest, commissa tacere
Qui nequit: hic niger est, hunc tu Romane caueto.

Pit. per Auson.

Loqui ignorabit, qui tacere nesciet.

Plaut. Pers.

Ne hoc quicquam homini dicerem, edictum est mihi
Magnopere, nec quicquam homini crederem: omnes muti vt prius
Loquerentur, nec quam ego.

Auson. Paulino, Epist. 12.

Vnde istam meruit non felix charta repulsam,
Spernit tam longo cessatio quam tua fastu?
Hostis ab hoste tamen per barbara verba salutem
Accipit, & sane medijs tacet nemo armis.
Respondent & saxa homini, percussus ab antris
Sermo redit, redit & nemorum vocalis imago,
Littoreæ clamant scopuli, dant murmura riui,
Somniferumque canit sæpes depasta susurrum,
Est & arundineis modulatio Musica ripis.
Atque arguta suis loquitur coma pinea ventis,
Incubuit foliis quoties leuis Eurus acutis.
Dindymaque Idæo respondent cantica luco,
Nil mutum natura dedit, non aeris ales,
Quadrupedesque silent: habet & sua sibila serpens,
Et pecus æquoreum tenui vitæ vocis anhelat.
Cymbala dant flatu sonitum: dant pulpita saltu
Icta pedum: tentis reboant caua tympana tergis.
Isiacos agitant Mareotica sistra tumultus
Nec Dodonæi cessat tinnitus aheni,
In numerum quoties radijs ferientibus icta
Respondent docties moderato verbere peluis.
Tu velut Oebalijs habites taciturnus Amyclis,
Aut tua Sigalion Aegyptius oscula signet,
Obnixum Pauline taces.

Terent. in Eunuch.

Tu pol si sapis, quod scis, nescias.

Hor. lib. 1. Epist.

Arcanum neque tu scrutaberis vllius vnquam
Commissumque teges, & vino tortus & ira,

Ex Carcino, de Taciturnitate.
περὶ σιωπῆς.

Πολλοῖς γὰρ ἀνθρώποισι φάρμακον κακῶν
Σιγὴ μάλιστα δ᾽ ἐστὶ σώφροσιν τρόπου.
Multis enim hominibus pharmacum malorum est
Taciturnitas, quæ peculiaris est frugi moribus.

Sophocles.

Ὦ παῖ σιώπα· πολλ᾽ ἔχει σιωπὴ καλά.
Γλώσσης μάλιστα πανταχοῦ πειρῶ κρατεῖν.
O puer tace, multa continet bona silentium.
Linguam imprimis vbique moderari conaris.

Silentium & continentia linguæ omni vacant periculo.

Καὶ γέροντι καὶ νέῳ τιμὴν φέρει
Ἡ γλῶσσα σιγὴν καιρίαν κεκτημένη.
Tum seni, tum iuueni conciliat honorem
Compos silentij lingua tempestiui.

Anthenodorus.

Ἔστι καὶ τῷ σιγῆς ἀκίνδυνον γέρας.
Silentij præmium periculo vacat.

Amphis.

Οὐκ ἔστι κρεῖττον τοῦ σιωπᾶν οὐδέν.
Nihil est quidquam præstantius quam tacere.

Philonides.

Κρεῖττον σιωπᾶν ἐστιν ἢ λαλεῖν μάτην.
Satius est tacere, quam temere loqui.

Euripides in Hippolyto.

Σιωπῆς οὐδὲν ἔργον ἐν κακοῖς.
Silentio non est opus in malis.

Sententiæ Philosophicæ.

Nihil æque proderit, quam quiescere, & minimum cum alijs loqui & plurimum secum. *Sen. epist. 16.*

In hoc incumbe, vt libentius audias, quam loquaris: quod tacitum velis, nemini dixeris. Auribus frequentius, quam lingua vtere. Quicquid dicturus es, antequam alijs, tibi dixeris. *Idem de Moribus.*

Taciturnitas stulto homini pro sapientia est: tacere qui nescit, nescit loqui. *Idem in Prou.*

Iam olim in prouerbio est nobilis illa Simonidis sententia, quę celebratur & apud Latinos prouerbij loco: Nam nulli tacuisse nocet, nocet esse locutum. Etiam Valerius Maximus *lib. 6. c. 2.* sententiam hanc tribuit Xenocrati: Quid, inquit, Xenocratis responsum? quam laudabile? Quum maledico sermoni quorumdam summo silentio interesset, vno ex eis quærente, cur solus linguam cohiberet? Quia dixisse me, inquit, aliquando pœnituit, tacuisse numquam. *P. M in Chil. 3 cen. 5.*

Zenon perpessus est omnia potius, quam conscios delendæ tyrannidis indicaret. *Cic. Tusc. q. l. 2.*

Nihil æque proderit, quam quiescere, & minimum cum alijs loqui, & plurimum secum. *Senec. epist. 16.*

Tardiloquum te esse iubeo. *Idem epist. 39.*

Nemo quod audierit tacebit. Nemo quantum audierit, loquetur.

Qui rem non tacuerit, non tacebit authorem. *Idem in Epistola 107.*

Alium silere quod voles, prius sile. *Idem in Hippolyto.*

Silentium præstat ornatum. *Arist. l. Poeticorum.*

Hæc est vna de virtutibus philosophiæ. Quia cum orator non aliter nisi orando probetur, philosophus non minus tacendo pro tempore, quam loquendo philosophatur. *Macrob. l. 7. Satur. cap. 1.*

Numquam enim patres conscripti taciturnitatem optimum, ac tutissimum administrandarum rerum vinculum labefactari volebant. *Val. Max. lib. 2. tit. de institutis antiquis.*

Adeo magna patriæ charitate tenebantur, vt arcana patrum conscriptorum, multis sæculis nemo senatorum enunciauerit. *ibid. lib. 2. c. 1.*

Ἃ ποιεῖν αἰσχρόν, ταῦτα νόμιζε μηδὲ λέγειν εἶναι καλόν.

Quæ factu turpia, hæc puta neque dicto esse pulchra.

Μᾶλλον τήρει τὰς τῶν λόγων ἢ τὰς τῶν χρημάτων παρακαταθήκας, δεῖ γὰρ τοὺς ἀγαθοὺς ἄνδρας τρόπον ὅρκου πιστότερον φαίνεσθαι παρεχομένους.

Magis serua sermonum, quam pecuniarum deposita. Nam boni viri officium est, ita se gerere, vt eius mores plus fidei, quam aliorum delectationes mereantur.

Δύο ποιοῦ καιροὺς τοῦ λέγειν, ἢ περὶ ὧν οἶδα σαφῶς, ἢ περὶ ὧν ἀναγκαῖον εἰπεῖν. ἐν τούτοις γὰρ μόνοις ὁ λόγος τῆς σιγῆς κρείττων, ἐν δὲ τοῖς ἄλλοις ἄμεινον σιγᾶν ἢ λέγειν

Duo fac tempora dicendi, vel de quibus scis manifeste, vel de quibus necesse est dicere. In his enim solis sermo silentio melior: In alijs vero præstantius tacere, quam loqui. *Isocrates ad Demonicum.*

Καλὸν ἡσυχία. Pulchrum taciturnitas. Periander.

Ἀεὶ λόγια λέγε. Loquere panca. Bias.

Numquam me pœnituit tacuisse: quod loquutus sim, sæpe. *Plut. in opusc.*

Magna est sapientia tempestiuum silentium, & omni certe sermone præstantius. *ibid.*

Quid Xenocratis responsum? quam laudabile? cum maledico sermoni quorumdam summo silentio interesset, vno ex his quærente, cur solus linguam cohiberet? quia, inquit, dixisse me aliquando pœnituit, tacuisse numquam. Et illud, Nam nulli tacuisse nocet, nocet esse locutum. *Val. Max. lib. 7.*

Loqui ignorabit, qui tacere nescit, sapienti expedit tacere pro se, quam loqui contra se. *Seneca de Sent. orat.*

Xenocrates loquaci cuidam: Audi, inquit melius: os vnum a natura, aures duas accepimus. *ibid.*

Persæ magnam rem sustineri posse non credunt ab eo cui tacere graue sit, quod homini facillimum voluerit esse natura. *Curt. libro 4.*

Optimum ac tutissimum administrandarum rerum vinculum, taciturnitas. *Valer. Max. lib. 2. c. 2.*

Mulieri taciturnitas conuenientior, oblocutio vero virum decet. *Heliodor. lib. 1.*

Sermo in castris circumlatus, arcana conseruare non nouit, quoniam velociter procurrens vsque ad hostes diffunditur. *Procop. de bello Pers. lib. 2.*

Sunt ij æmuli obseruandi, qui ingenijs apparent illiberalibus, & moribus occultis præditi linguaque pollent ab animo dissentiente: ac custodia muniendum os, nec sinenda est lingua temere extra dentium septum, & labiorum munitionem euagari, quibus a natura quasi duplici vallo est inclusa. *Nicet. Man. Com. lib. 1.*

Apophthegmata.

Cleanthes. Cum quidam ad tacentem Cleanthem dixisset: Tu quid taces? atqui iucundum est cum amicis confabulari. Iucundum quidem, respondit Cleanthes: sed quo iucundius, eo magis in hoc amicis oportet concedere. *Stob. serm. de taciturnitate.*

Apollonius. annitendum esse dicebat, & quidem sedulo, vt nihil indecens loquamur. Est enim, inquit, viri plane imperiti, non posse tacere, & quæ non decet efferre. *eod. serm.*

Diogenes ad quemdam qui se Philosophum profitebatur, interrogabat vero contentiose, dixit: Vah, miserrime id quod optimum est in vita Philosophi corrumpis, & verbis audes te Philosophum iactare? *ibid.*

Aristoteles quidnam in vita difficillimum esset sciscitatus, respondit: Tacere quæ dicenda non sunt. *Stob. serm. de arcan.*

Idem interrogatus, quamobrem cum alios doceret loqui ipse taceret? dixit: Nempe cos quidem ipsa non scindit, cultros autem acuit. *Ant. & Max serm. de taciturnitate.*

Theophrastus iuuenem in conuiuio tacentem, animaduertens, dixit: Si imperitus taces, peritus es: sin vero peritus, imperite taces. *Eod. serm.*

Democritus cum animaduertisset quemdam multa imperite disputantem: Hic, inquit, non dicendi peritus mihi videtur, sed omnino tacendi imperitus. *ibid.*

Plutarchus. Nemini, inquit, dixeris quod vis tacere. Quomodo enim ab alio postulabis silentij fidem, quam tute tibi non præstitisti. Item. Tacere non solum sitim prohibet, teste Hippocrate, sed tristitiam quoque & dolorem. Item, silentij neminem, sermonis plurimos pœnituit. Item, Taciturnitas vbique tutum ornamentum est iuueni. *in Moral.*

Basilius Magnus. Dicenda tacendaque nosse debemus: non enim diuina omnia linguæ verbis explicanda sunt, ne mens sicut oculus totum solem intueri volens, id etiam quod habet luminis perdat. *Ant. & Max serm. de taciturn.*

Similitudines.

Maximi monachi. Vt corpora modicis laboribus augescunt: Sic animus honestis, & serijs sermonibus. *Serm. 15.*

Plutarchi. Vt monas non exit suum finem, sed semper in vno manet, vnde & nomen habet: dyas autem initium differentiæ infinitum, protinus enim per se duplicatur ad multitudinem: Ita sermo donec apud vnum manet, vere arcanus est, & secretus: quod si ad alterum transierit, iam spargitur in famam. *In Moral.*

Adagia.

Mutus Hipparchion. *ἄφωνος Ἱππαρχίων.*

Vbi quis repente obmutescere, quum maxime vox illius expectatur, id quod non raro consueuit quibusdam in ætate dicturis euenire, vt subito, velut attoniti, vox faucibus hæreat.

Ne gry quidem. *μηδὲ γρῦ φθέγγεται.*

Pro eo, quod est, ne tantulum quidem.

Acanthia cicada. *Ἀκάνθιος τέττιξ.*

In indoctos, atque infantes, aut musices ignaros torqueri prouerbio solitum.

Reddit Harpocratem.

Catullus dixit, pro eo, quod est, imposuit silentium.

Statua taciturnior.

In hominem vehementer infantem, ac tacitum. Horat.

Statua taciturnior exit.

Itidem Iuuenalis dicitur quempiam, sed infantem, & indo-

ctum, Mercurij statua similem facit. Truncoque simillimus Hermæ.

Taciturnior Pythagoreis.

De vehementer taciturnis. Sumptum a Pythagoræ schola, in qua quinquennale silentium indicebatur auditoribus.

Amyclas perdidit silentium. τὰς Ἀμύκλας ἀπώλεσεν ἡ σιγή.

Si eis sua taciturnitas fuisset incommoda.

Doryphorematis ritu.

Græci δορυφόρημα vocant Satellitium illud ex barbarorum face conductum, quod olim Tyranni ad custodiam corporis adhibebant. In tragœdijs sic addebatur Regum personis δορυφορήματα, vt astarent modo, nihil etiam loquerentur.

Caput sine lingua.

Competit in eos, qui in consultationibus, aut disceptationibus ipsi quidem nihil habent, quod dicant, verum alterum sententiæ annuunt. Gellius.

Muta persona. κωφὸν πρόσωπον. *Martial.*

Quadrabit in eos, qui in consessu deliberantium, aut disputantium, aut etiā in conuiuijs, cæteris loquentibus soli tacent.

Muti Magistri.

Mutos magistros Gellius libros vocat, qui loquuntur quidem nobis.

Mutus magis quam scapha. ἀφωνότερος σκάφης.

De ijs dici consueuit, qui propter humilitatem conditionis apud præstantiores non audent hiscere.

Silentij tutum præmium. σιγῆς ἀκίνδυνον γέρας.

Horatius: Est & fideli tuta silentio merces. Silendo nemo peccat, loquendo persæpe.

Nam nulli tacuisse nocet, nocet esse loquutum.

Schvveigen vnd dencken, Kan nieman Kraencken. Man hat sich ehe verredt dann verthon.

Mulierem ornat silentium. γυναιξὶ κόσμον ἡ σιγὴ φέρει.

Mulier animal natura loquax, nulla de re magis cohonestatur, quam silentio; maxime apud viros, quum de rebus serijs agitur.

Alia committenda, alia celanda.

Nec temere quiduis apud quemuis effutiendum, at nec familiaribus arcana omnia proferenda sunt. Ad hanc sententiam quadrat illud Homeri ex Odyss.

Ἀλλὰ τὸ μὲν φάσθαι, τὸ δὲ καὶ κεκρυμμένον εἶναι.

Dicendum est aliud, contra est aliud reticendum.

Quod scis, nescis.

Terentius in Eunucho: Tu pol si sapis, quod scis, nescis. Idem in Heautont. Nescias quod scis, si sapis. Prouerbio certam in tacendo fidem significamus, dum quis quod scit aperiendo contemnit ac dissimulat, quasi nesciat.

Qui obticescit,

In eum, qui metu attonitus, aut stupefactus admiratione tacet, quadrabit illud Homeri:

Τὸν δὲ μετ᾽ ἀμφασίη ἐπέων λάβε.

Illum corripuit stupor, atque infantia linguæ.

In sinu gaudere.

Est tacitam apud se voluptatem sentire.

Qui sapit, in tacito gaudeat ille sinu. Homer.

Ἐν θυμῷ γηθεῖ χαῖρε καὶ ἴσχεο.

In tacito longaua sinu premo gaudia nutrix.

Qui continet arcanum.

In eum, qui celat arcanum, neque cuiquam effutit, quadrabit illud Homeri ex Odyss. Θ.

Τῷ δ᾽ ἄπτερος ἔπλετο μῦθος.

Huic penna dicta carebant.

Hoc est, haud longius auolabant.

Muti citius loquentur.

Flautus in Persa: Muti prius loquentur quam ego. Ne hoc, inquit, cuiquam homini dicerem, edictum est mihi magnopere, nec cuiquam homini credetum, omnes muti vt prius loquerentur hoc, quam ego. Ein Schvvaetzer hette es bald gelagt.

Areopagita taciturnior.

Dicebatur qui commissum arcanum optime contineret.

Manum ad os apponere.

Hoc gestu significamus nos scire quippiam, quod tamen nolumus effari.

Bacchæ more. Βάκχης τρόπον. *Diog.*

De tetricis ac taciturnis dictatum fertum, quod essent huiusmodi Mænades illæ Bacchico afflata furore. At Iuuenalis retulit ad vitam intemperantem:

Qui Curios simulant, & Bacchanalia viuunt.

Mutus magis quam piscis. ἀφωνότερος τῶν ἰχθύων.

De vehementer infantibus atque infacundis. Conuenit in hominem immodicæ taciturnitatis. Pisces enim nullam edunt vocem. Stumm vvie ein Stock, stummer als ein Fisch im VVasser.

Gall. Plus muet qu'vn poisson.

Rana Seriphia. βάτραχος ἐκ Σερίφου.

EXEMPLA PROFANA.

Exemplar taciturnitatis, honesta D. Maria virgo, hanc virgines, hanc fœminæ omnes imitentur: pauciloquam quidem, sed ad miraculum sapientem. *Lud. Viues de Christian. fœmina lib. 1.*

Disertissimum Homerus Vlyssem, maxime taciturnitatem expressit, filiumque eius & coniugem, & nutricem; siquidem audis eam dicentem:

Ἕξω δ᾽ ὡς ὅτε τις στερεὴ λίθος ἠὲ σίδηρος.

Non secus ac fortis quercus ferrumve tacebo.

Apud *Spartanos* in Phiditijs natu maximus commôstratis foribus: ταύτῃ οὐκ ἐξέρχεται λόγος, audientibus omnibus proclamabat. *Plut. lib. 2. conu. & in Lycurgo.*

Quum M. *Catoni* Vticensi, etiamnum puero, vitio daretur taciturnitas (nec enim cum pueris exercebatur, nec a quoquam audiri volebat) ait: carpant taciturnitatem: modo vitam probent. Et addidit: tum demum abrumpam hoc meum silentium: cum ea loqui potero, quæ sunt indigna silentio. *Plut.*

Leæna meretricula, cum nullis tormentis adduci potuisset, vt consilia Harmodij, & Aristogitonis tyrannicidarum detegeret: statuam apud Athenienses æneam meruit. Iphicratis opus. Leæna scilicet, cui ob taciturnitatem lingua adempta esset. *Alexand. ab Alex. l. 1. c. 30. ex Plin. l. 34. c. 8.*

Papyrius, ob taciturnitatem eorum, quæ in Senatu consultabâtur, puer etiamnum prætexta a Roman. Senatu donatus est. *Macrob. l. lib. 1. Saturn. c. 6. & Gellius lib. 1. c. 23.*

Caius Cæsar libertinæ mulieri, quod tormentorum nullo cruciatu adigi potuisset, vt patroni crimen proderet, octingenta talenta donauit. *Suet.*

Dogma Pythagoræ philosophi excellentissimi fuit, præter Palingenesiam, & μετεμψύχωσιν, id est, regenerationem, & transformationem, item abstinentiam ab esu carnium, & fabarum: de quibus Ou. lib. 15. Metam. & Virg. in 6. scribunt, & ἐχεμυθία, id est, taciturnitas illa, qua discipulos elinguabat toto quinquennio, vt apud se docere discerent, & loqui dediscerent.

Philippus Beroaldus in comment. in Quæst. Tusculan. lib. 5. Diogenes, Laert. lib. 8. de vitis Philosophorum, Raphael Volaterranus libro 28. Philologiæ. Rauisius Textor refert, triennium præscriptum fuisse silentium, in secunda parte, cap. Taciturnitas in officina.

HIEROGLYPHICUM.

Per numerum 1095. Aegyptij soliti sunt Taciturnitatem indicare, causas vide apud *Pier. Valer. l. 38. pag. 362. F.*

Vide supra, Lingua, Sermo, Silentium.

TACTVS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Tactus, Græce ἁφή ab ἅπτομαι, tango dicitur. Est autem tactus sensus eorum, ex quibus componitur animal, & per quæ corrumpitur, *secundum B. Thom. in quæst. de veritate, quæst. 26. artic. 3. cap...*

Tactus a tango venit, vnde tangibile.

PHILOSOPHICÆ SENTENTIÆ.

Omnes animantes sensus tangendi participes sunt. *lib. 2. de anim. c. 2. T. 17.*

Sine tangendi sensu nullus alius extare potest: cum tactus sine alijs adsit. *lib. 2. de anim. c. 3. T. 31.*

Cum cæteris sensibus a bestijs longe multumque superemur: tamen tactus iudicium in nobis, quam in plerisque alijs, acrius est. *lib. 2. de anim. c. 9. T. 94.*

Tactus & rei est, quæ sub tangendi sensum cadit, & rei quæ non cadit. *lib. 2. de anim. c. 11. T. 120.*

Si solus nobis tactus datus esset: vnum duo esse iudicaremus. *lib. de Somnijs, c. 2.*

Ea pars in qua inest tangendi principatus, terrena est: ea vero qua gustamus, quædam species tactus est, ob eamque causam, & tangendi, & gustandi sensus cordi adiunctus est, & annexus. *lib. de Sensu, c. 5.*

Tactus in parte corporis similari consistit, vt carne. *lib. 5. de Hist. cap. 4.*

Tactus multipliciter dicitur, & quod multipliciter dicitur, vel dicitur æquiuoce, vel altera ab alteris, in prioribus. *Arist. in 1. de gen. & cor. c. 2. T. 14.*

Tactus proprie dicitur de habentibus positionem. *Arist. in 1. de gen. & cor. c. 5. tex. 44.*

Tactus qui est in Mathematicis, dicitur secundum posterius a vero tactu, qui est in animalibus. *Auerroes in primo de gen Text. 44.*

Tactus tripliciter consideratur, vt est tactus tantum, vt est sensus tantum, & tactus, vel, prout est sensus, & tactus, & huius complexionati,

plexionati, & vt est tactus non accipitur nisi per coniunctione materiæ. *Alb. Magn. in 3. Eth. tract. 3. c. 4.*

Tactui quid sit vnum subiectum, non est manifestum vt auditui sonus. *Arist. in 2. de anim. c. 7.*

Tactus est rerum tactilium susceptio, atque deprehensio, quæ tunc fit, cum id, quod contrectandi potentiam habet, ad similitudinem rei tactilis immutatur. *Alex. Aphr. in 1. de anim. c. 18.*

Tactus est abiectissimus, & infimus omnium sensuum. *Tho. in 2. de anim. c. 2. T. 27.*

Tactus non est vnus sensus, quia circa plura paria contrariorum versatur. *Idem in 2. de anim c. 39. C. 116.*

Tactus in mediocritate tangibilium qualitatum consistit. *In 3. de anim. c. 70. T. 60.*

Tactus & gustus non indigent medio, reliqui vero sensus medio indigent. *Auer. de sens. & sens.*

Tactus nõ sentit rẽ, nisi per mediũ intrinsecum, nec aliquid, quod sibi non sit coniunctum. *Albert. Magn de princ. mot. process. tract. 1.*

Tactus est quasi subiectum non omnium sensuum, ad quem omnes sensus quasi referuntur. *Idem in 2. de cœl. tract. 1. c. 4.*

Tactus eorum est, quæ in materia permista sunt. *Idem in 10. Ethi. tract. 1. c. 10.*

Tactus est sensus præcipuus eorum, quæ pertinent ad consistentiã animalis, ea quibus animal constat, & nutritur. *D. Thom. in 2. de anim. lib. 6. T. 72.*

Tactus in parte corporis similari consistit, vt in carne: denique in parte sanguinea, vel in ea, quæ sanguineę proportione respondet. *Arist. hist. anim. 1. c. 4.*

Tactum omnia animalium genera habent. *Idem hist. 4. c. 8.*

Tactus sensorium primum incertum est, nam non est caro, non pars eiusdem aliqua, sed aliquod intimum. *Idem de par. ad c. 10.*

Tactus sensus omnibus primo inest, & vt vegetatiuum potest separari a tactu, & omni sensu, sic & tactus ab alijs sensibus. *Arist. in 2. de anim. c. 2. T. 17.*

Tactus & gustus sensorium, est cor: quia est oppositum cerebro, & calidissimum. *Arist. de sens. & sens. c. 2.*

Tactus & gustus, vt tactus solus necessarius est animali, & necessarium est sine quo res non est id quod est, & propter quod est; aut omnes sensus animali sunt necessarij, vt necessarium intelligitur illud, sine quo res præseruari nequit. *Alber. Magn. de sens. & sens. tract. 1. c. 2.*

Tactum omnia animalia habent, quia est magis necessarius, quam alij sensus, etsi visus sit perfectior. *D. Th. in c. 1. Metaph. l. 1.*

Tactus & gustus immediate tendunt ad cor, & alij sensus fundantur in sensu tactus. *Pet. de Aluer. de iuuent. & senect.*

Tactum certissimum habet homo, vnde prudentissimus omnium animalium est, in hoc enim omnia animalia superat, cũ in alijs sensibus a pluribus superetur. *Arist. in 2. de anim. c. 5. T. 94.*

Tactu homo egregie sentit, eo quod temperatissimum corpus habet. *Alex. Aphr. in 1. de anim. c. 16.*

Tanguntur præsentia, & non absentia. *Idem ibid. c. 18.*

Tactus sequitur bonitatem discretionis in homine, non autem sic alius sensus. *Auer. in 2. de anim. T. 94.*

Tactum bonum qui habent, ac mollem carnem, ingeniosi sunt. *D. Thom. in 2. de anim. lib. 19. T. 94.*

Tactum meliorem habet animal, quando reductam habet complexionem ad medium. *ibid. lib. 23. T. 119.*

Tactus est homini excellentissimus, quia proportionatæ, vt nobilissimæ formæ: & tanto inter homines magis aptus mente, quanto est melioris tactus. *Idem de sens. & sens. lect. 9.*

Tactui affectiones omnes corporum tribuunt, secundum inclinationem autem ad locum. Vitales enim facultates iudicat, caliditatem, frigiditatem, siccitatem, humiditatem, lenitatem, asperitatem, cedentia, retinentia, mollia, dura, graue, & leue tactus prę iudicat: ratio vero decernit, per mutationem a medio, & ad medium. *Tim. Loc. de anim. mund. & nat.*

Tactus non solum nunciat, atque tangit, quod aliquid sit propinquum, sed etiam quasi passus tangibilis ipsius nunciat differentias, ac nisi quid obstiterit, id etiam sentiat è longinquo. *Plot. En. 4. lib. 4. c. 4.*

Tactus vbi acutissimus est, declarat optimam corporis inesse complexionem. *Marc. Fic. in Plat. Theol. lib. 12. c. 4.*

Tactus terræ ascribitur, cum per omnes terreni corporis partes fiat, in neruis, qui terreni maxime sunt expleatur, facillime tangat, quæ soliditatem habent, & pondus quod terra corporibus tribuit. *Idem in Plat. commu. or. 5.*

Tactus & gustus non tam facile mouenti cedunt, vt visus, & auditus, sed motorem fortiõ sunt vehementem, ideo obtusius sentiunt, sed sæpe dolorem, & voluptatem vehementiorem habent, quæ passionis vehementia iudicium sensus impedit. *Idem in Plat. Timæum. c. 59.*

Tactus & gustus quatuor connumerant medici gradus, primũ qui vix sensu percipiatur, Secundum qui manifeste percipiatur, sed non offendat, tertium iam offendentem, & lædentem, quartum breui interimentem. *Idem in Plat. leg.*

Polyanthea Nouiss.

Tangere quod aliquid debet, deinceps ab illo, quod tangere debet situm esse oportet, ita vt contiguum locum teneat illi in quo ipsum est. *Plat. in Parmen.*

Tangendi sensus a Dijs genitus est, vt calida, frigida, mollia, dura, leuia, grauia, lenia, & aspera dignoscat. *Alcin. c. 19.*

TARDITAS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Tarditas, cunctatio, mora, pigritia, Græce *βραδύτης*, Hebr. *Harslah, Harsluth*, a verbo *Harsal*, piger fuit, & *Orech*, a verbo *Arac*, protractus est, longus fuit.

SENTENTIÆ PHILOSOPHICAE.

De grauis ingenij tarditate. DIAL. 6.

Francisci Petrarch.

DOL.

At graui duroque sum ingenio. R. Grauedo molestior, sed hæc quoque minuitur, si diligenter intenderit. D. At pigro obtusoq. sum ingenio. R. Quid tu igitur huic morbo indignatione an lamentis succurrendum putas? Longe alio remedio res eget, non est indulgendum somno, non libidini, non cibo, non vino, non inanibus fabulis, non captandæ excusationum causæ, & reflexa in naturam culpa inertiæ succumbendum. sed vigilandum, cogitandum, suspirandum, anhelandum, enitendum, assurgendum, incitanda vis animi, excutiendus torpor, propellenda segnities, abstinendum voluptatibus, incumbendum studijs. Nil tam graue quod non leuet, nil tam durum, quod non leniat, nil tam obtusum, quod non acuat, nil tam pigrum, quod non vrgeat, nil denique tam defossum, tamque abstrusum, quod non eruat, tam sopitum, quod non excitet intentio. D. Ingenio tardo sum. R. Qui velocitatem ingenij laudem dicunt, tarditatem dicturos infamiam certe scio. Malim tamen ingenium tardum, ac modestum, quam velox, & præruptum. Nam vt, inde non insignis gloriæ, nec spes operum magnorum, ita hinc errorum grauium, & turpis ignominiæ metus est, tolerabilius autem multo est fieri inglorium, quam infamẽ. D. Ingenio segni sum. R. Quod equis segnibus fieri solet, stimulos adhibe, non hinc tibi corporis excusatio, sed laboris occasio data est. Sunt qui statim, quod non vltro prouenerit deserendum putent, at tu preme, insta, contende. Generosum animum difficultas erigit, alit labor, illic maxime nititur, idque pluris æstimat, vbi resistentiæ plus inuenerit. Factum studio ingeniosum Socratem legis, disertumque Demosthenem, & quamuis idem accidit, singulare quidem nomẽ pauci occupant. Rarior est fama, quam meritum. D. Ingenio hebes sum. R. Non tibi profectus ideo spes erepta, sed industriæ maior ta necessitas. Gloriosius autem tanto est studio prouehi, quã natura, quanto satius proposito loqui, boni aliquid agere, quã casu. D. Ingenio tardo prorsus, & inualido sum. R. Si literis non potes, at virtuti stude. Nemo ad illam satis ingeniosus, vbi non acumen quæritur. sed voluntas, ad quam quidam literas nihil prodesse, alij obesse etiam opinati sunt, ideoque desertis studijs in solitudines abiere. & eximiæ illis scientiæ loco fuit ignorantia literarum, de quorum iudicio pronunciare difficile est. Idem (de quo constat) extremum accipe. Nemo te fallat, nec te vulgi stupor, nec stultorum voces moueant. Maius tutiusque est virtute, quam literis clarum fieri. Itaque semper illud optabile, & sæpe illud formidabile res ostendit, quod si ad virtutẽ animi literarũ lux accesserit, tum demũ consummatũ quiddam, atq; perfectũ est ea quidem, si qua in rebus humanis potest esse perfectio.

SIMILITVDO.

P. M. Vt in inserendo calamus altius depressus, tardius fert, sed durat fortius: Ita præstat sic rem aggredi, vt firmior sit, ac durabilior potius, quam vt præsens spectes lucellum. *In simil.*

ADAGIA.

Interuallo perit fames, & optime perditur. *Διαλείπουσα καὶ λιμὸς ἀπόλλυται καὶ κάλλιστ' ἀπόλλυται.*

Mora multis rebus adfert remedium.

Summis ingredi pedibus.

Qui clanculum, & cautim, aut pedetentim, vt aiunt, conantur aliquid, summis pedibus ingredi dicuntur.

Pulmo prius venisset. *Plautus.*

Dictum est olim in lentos, ac cessatores.

Coruus aquat. *κόραξ ὑδρεύει.*

Dici solitum, vbi quis non citra negotium, atque ingenium consequeretur ea, quæ cuperet. Aut vbi quis rem nouis artibus tentaret efficere.

Profectus ad Apaturia, reddit Maio. *Α'παιτεῖς Α'πατούρια, ἐπανῆκ' ἐν Θαργηλιῶνι.*

Dici solitum in eos, qui licentius immorarentur negocio cuipiam.

Callipides. *Καλλιππίδης,*

Olim proverbio dicebatur, qui in moliendis negocijs, cum multa si facturum minaretur, nihil tamen confeceret, aut quemadmodum ait Terentius: qui sedulo movens sese, nihil promoveret. Callipides histrio fuit.

Diu delibera. *Super* βούλευε.

Lente consultandum, at ubi statueris, mature, quod opus facto, faciendum est.

Sic est ad pugnæ partes, re peracta, veniendum. πολέμου καὶ μάχης χρὴ οὕτω μεταλαγχάνειν.

Iocus erat proverbialis, ubi quis negocio peracto, tum demum adveniret.

Ad aras. ἐπὶ βωμοῖς. *Plut.*

Equidem opinor perinde valere, quasi dicas, in ipso negocio: iuxta proverbium, quo vetamur ad aras consultare.

Amaza Aaesiam reperit. Ἀμάζα τὴν Ἀ(?)... εὗρεν.

Diu consuluit de re diu multumque quæsita, desiderataque.

Zetepolomedes. Et similia.

Plutarchus in Symp. ostendit, olim cognomina quædam proverbiali ioco indita fuisse iis eos, qui sermo ad convivium accederent.

Hercules hospitatur. Ἡρακλῆς ξενίζεται. *Athenæus.*

Dictitatum, ubi quis diutius in convivio commorari videretur.

Expecta anus. μένε γραῦ ἄχρι τὸ παῖδα ὁλλύοντα.

Expecta anus meum filium, et fuat maturum. Nam priusquam adolescat puer, illa decesserit. Adhibebimus spem futuram significantes.

Expecta bos aliquando herbam. μένε βοῦ ποτὲ βοτάνην.

Finitimum illi: adhuc tua messis in herba est, quo etidem spes tarda significatur.

Inter cæsa & porrecta.

Videtur significare cunctationem, & ancipitem hæsitantiam, ac veluti internallum illud, inter omittendum quod cœptum est, & incipiendum quod menari oportet.

Hyperberetæa. Ὑπερβερεταῖα.

Dicebantur olim admodum serotina, quæque vix tandem advenirent. Apud Macedones, extremus anni mensis Ὑπερβερεταῖος appellabatur.

Quæ sero contingunt, sed magnifica.

Quoties intelligi volumus, famam aut præmium aliquod serius quidem contingere, verum hoc præstantius ac durabilius, quo diutius dilatum, ut tarditatem stabilitate, perpetuitateque compenset. Homerus.

Ὀψὲ μὲν ἀλλ' ἐτέλεσε, σύν τε μεγάλῳ ἀπέτισαν.

Tarda & sera venit sed fama, & laude perenni. Die traege so VVerck vverden gero gut. VVas baldt auff gehet, fellet balt. VVas vvol ansetat, lest gern gute letat.

Mysorum ultimus navigat. ἔσχατος Μυσῶν πλεῖ.

Proverbiali ioco dicebatur qui frustra laboraret, vel ubi dura quæpiam impar venirent, fastuque deficisset.

Bunas index est. Βουνᾶς δικάζει.

Dicitur autem tum Bunas indicare cum lis in longum proferatur, nec umquam explicatur. Zenodotus.

Accessit luna. Ἀπεστάσε σελήνη.

Dictum in comperendinatores, qui novam subinde causam comminiscuntur, quod negocium propositum in aliud differre tempus possint. Diogenianus.

Laconicæ lunæ. Λακωνικαὶ σελῆναι.

Subaudiendum, Causaris. Dicitur autem hoc de promissis, aut pactis incertis atque infirmis.

Ἐπιδειπνίσεται.

Quasi conviviorum appetens. Hoc nomine Cæsar appellabat eum, qui quum tardius ad cœnam veniret occupatus negocijs, tamen ob cœnarum cupiditatem, non recusaret ijs, a quibus rogaretur.

Τριχάζειντων.

Vocabantur apud antiquos τριχάζοντας. qui cunctantius ad convivium venebant, κατ' ἀντίφρασιν (ut apparet) cessatoribus celeritatem tribuentes apud Athenæum.

Μελλονικιᾶν. More Niciæ cunctari.

Traducebatur enim Nicias, quod cunctator esset in re militari. Hinc μελλονικιᾶν ex μέλλειν. quod est cunctari, & Νικίας, qui fuit dux Atheniensibus.

Placide bos. ἀτρέμας βοῦς.

Id est: Lente bos fusandi, incedit, aut simile quippiam. Congruet in illos, qui placide & paulatim rem conficiunt.

Caudæ pilos equinæ paulatim vellere.

Dicitur de eo, qui tempore atque assiduitate conficit id, quod viribus, atque impetu fieri nequit. Hinc Horatius in Epistolis.

Utor permisso caudaque pilos ut equinæ
Paulatim vello.

Quisquis tarde venit ad cœnam vocatus: aut claudus: aut non dat symbolas. ὅστις ἐπὶ δεῖπνον ὀψὲ κληθεὶς ἔρχεται χωλὸς ἐστιν ἢ οὐ δίδωσι συμβολάς.

Etidem, an quo quam ad cœnam properat convivia vocatus.

Nemo nos insequitur. οὐδεὶς ἡμᾶς διώκει. *Plato libro septimo de legibus.*

Hoc proverbium etiam hodie tritum manet, cum significamus liberum esse, diutius ut re quapiam immorari, Nemo nos, inquiunt, impellit. Personae ne nemo presse. Germani eodem modo. Es jaget vns niemandt, vvas haben vvir au eylen?

Festina lente. σπεῦδε βραδέως.

Quadrat in illos, qui præpropere famam affectant, malumque paratam, ac magnam, quam solidam, & perpetuam. Cum hoc & illud Catonis convenit: Sat cito, si sat bene. *Afferunt* ja sat benEyle mit vveil.

Pedetentim. κατὰ πόδ' ἐς ἔδωσι. *Terent.*

Dici, soles de ijs, qui non præcipitanter, atque inconsiderate, sed sensim & cunctanter negocium aggrediuntur, & arte magis quam impetu rem gerunt. Pas a pas.

Tacito pede. ἀψόφῳ ποδί.

Seu Lento pede. Usus: cum lente ac pedetentim ad rem aliquam acceditur. Apud Latinos aliquando, Tacito pede, pro furtim ac clanculum usurpatur, teste Ovidio.

Sero venisti. ὀψὲ ἦλθες.

Adversus eos, qui mereri de aliquid faciunt, aut post tempus adveniunt. Du bilt au spaat Kommen.

Post festum venisti. κατόπιν τῆς ἑορτῆς ἥκεις.

Dicitur in eos, qui negocio alicui egregio non interfuerunt. Legitur & hoc ab illo: Post Panathenæa: *Item.* Post Pythia venisti. Du Kommest, vvann der Ablass geben ist.

Testudineus gradus.

Quadrat hoc proverbium in eos, qui lente & cunctanter negocium aliquod aggrediuntur. Huic opponitur, Grallatorius gradus. Cum quis præpropere & festinanter aliquod suscepit. Plautus.

Celerius Elephanti pariunt.

Licebit his verbis quorumdam nimis lenta molimina, aut etiam cunctationem immodicam significare.

Annus est. Sæculum est.

Aliquid genus alia. *Terentius:* Et nosti mores mulierum, dum componuntur, dum poliuntur, annus est. *Et:* Sæculum est, quod nihil abs te literarum redditur. *Item:* Iamdudum ætatem, pro admodum diu dum. Et tempus perlongum huiusmodi significamus.

F A B U L A.

Rusticus.

Qui in arborem ascenderat rusticus, de illa delapsus grauiter femur dextrum læsit. Huic alius forte prætereuns te consilium daturum dixit, quo usus numquam de arbore caderet. Vtinam, inquit ille, ante casum meum dedisses, sed profuerit tamen etiam in posterum, dic igitur. Tum ille alter: caue inquit, ne velocius terram repetas, unde ascendisti, quam in arborem euaseris.

Fabula docet, sæpe cunctationem, & moram esse laudabilem, maxime ijs in rebus, in quibus festinatio damnosa esse possit.

Vide Mora, Cunctatio.

T E M E R I T A S.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Temeritas, Græce θρασύτης, & προπέτεια. temerarius dicitur, & προπετής. Et temerarius is censetur, qui leuiter, nullo consilio adhibito, sine ulla causa aliquid aggreditur, Græce ὁ προπετὴς ἀσκέπτως παραβάλλεται. Hebr. Zedh, & Temeritas, Zadhon, a verbo Zedh, efferbuit, intumuit, superbiuit, temerarius fuit, temere egit. Hinc ζεῖν, ferueo, & Lat. æstum, item æstus.

Est autem temeritas, cum inconsiderata dolorum perpessione gladiatoria periculorum susceptio, *secund. Cic. lib. 4. Rhet.*

Temeritas, siue præcipitatio, est defectus consilij, & species imprudentiæ *secund. B. Thom. 2. 2. q. 45. art. 13. cap. fin.*

Temeritas est per quam fieri dicuntur, quæ ratione non geruntur, vel propter impetum voluntatis, vel passionis, vel ex contemptu, quæ causatur ex superbia. ideo continetur sub præcipitatione, quæ respicit vitium, quæ magis pertinet. *ex B. Thom. 2. 2. q. 53. art. 3.*

Temerarius est ille, qui nihil omnino formidat, sed aducessus omnia vadit, *secund. Arist. lib. 2. Ethic.*

L O C I B I B L I C I.

Temeritas damnatur, *Prouerb.* 15. 22. 14.

Temeritatis *exempla:* Israelitæ, *Num.* 14. 40. 41. *Deut.* 1. 42. 43. Iosaphat, 2. *Chron.* 20. 22. Iosias, 2. *Chron.* 35. 22. Petrus, *Matth.* 26. 51. Thomas, *Ioan.* 11. 16. Exorcistæ, *Act.* 19. 13. 16.

Temeritatis pœnæ *exempla*, Israelitæ, *Num.* 14. 45. *Deut.* 1. 44. Iosaphat, 2. *Chron.* 20. 37. Iosias, 2. *Coron.* 35. 23. Ioseph, & Azarias, 1. *Mach.* 5. 59. 60.

Temeritas cupiens cognoscere, quæ Deus non patefecit, vel non necessaria, vel ad nos non pertinentia, fugienda, quia hoc vitium prohibitum est a Deo, *Rom.* 11. 20. & 12. 3. 16. 1. *Tim.* 6. 17. Redarguitur item a Christo, *Ioan.* 14. 22. 23. & 21. 22. *Act.* 1. 6. 7.

Temeritas literata, seu apparentis sapientiæ studium, vitium est,

est, nempe quum quid falsam sapientiam, id est, malas, aut vanas artes sectatur. Ideo fugiendum, quia noxium, *Pro.9.18. Ier.10.8.*

PATRVM DICTA.

Temeritas asserendæ incertæ dubiæque opinionis, difficile sacrilegij crimen etiam. *Aug. de Gen. ad lit. c.1.*

Temeritas inscitiæ foetus. *Naz. ora.6.*

Quibus temerarium consilium est, cadunt sicut folia. *Am. ser.30.*

Temeritate sua capiuntur præuaricatores. *Idem ibid.*

Qualis ciuitas est, cuius dirota sunt moenia, talis est vir, qui non omnia cum consilio agit. *ibid.*

Temeritas est, quando quis ita percitus conuiciatur, modo qui neminem decet, aut seipsum vlciscitur, aut aliquo pacto iniuste quicquam audet. *Chry. in ep. ad Phil. hom.5.*

Non intelligentes docemus, & nescientes arguimus, & dicta Dei homines emendamus. *Hilar. de Trin. l.10.*

Vides fortitudinis matrem esse prudentiam, nec fortitudinem, sed temeritatem esse quemlibet ausum, quem non parturiuit prudentia. *Bern. de consider. li.2.*

PHILOSOPH. SENTENTIÆ.

Omnis actio vacare debet temeritate, & negligentia. *Cic.1. Of.*

Nihil est temeritate turpius, nec quicquam tam indignum sapientis grauitate, & constantia, quam aut falsum sentire, aut quod non satis explorate perceptum sit, & cognitum, siue vlla dubitatione defendere. *1. de Nat. deor.*

Nihil est a grauitate sapientis, errore, leuitate, temeritate disiunctius. *4. Acad.*

Satius est idipsum de quo ambigitur, concedere, quam impudenter resistere. *1. de Nat. deor.*

Quid est tam futile, quam quicquam approbare non cognitum? *1. Acad.*

Insignis est temeritas: cum aut falsa, aut incognita res approbatur. Nec hoc quicquam est turpius, quam cognitioni, & perceptioni assertionem approbationemq. præcurrere. *1. Acad.*

Quid est stultius, quam incerta pro certis habere, ac falsa pro veris? *Cato maior.*

Ne cui rei temere, aut arroganter assenserimus. *1. de Inuent.*

Ipsa cōsuetudo assentiēdi periculosa esse videtur, & lubrica. *1. Of.*

Temere affirmare de altero, est periculosum, propter occultas hominum voluntates, multiplicesq. naturas. *Cic. Br.*

Cauendum est ne incognita pro cognitis habeamus, iisque temere assentiamus, sed adhibeamus ad considerandas res, & tempus, & diligentiam. *1. Offic.*

Plerique errare malunt, eamque sententiam quam adamauerunt, pugnacissime defendere, quam sine pertinacia, quod constantissime dicatur, exquirere. *4. Acad.*

Audaciæ, & temeritati potius sero, quam nunquam obuiandum est. *Liuius Dec.1.*

SANTENTIAE HSSTORICAE.

Temerarij longe facilius audentes vocantur, quam cauti, & prudētes. Qui enim præter officium sit quippiam ausus, ex aliorum beneuolentia, quibus forte vir accessit visus, honorem. Is vero qui prudenter, & caute periculum subterfugerit, nec tamē pro votis rem gesserit, is ideo tum proculdubio rerum subiturus est noxam, & si quid eius ex animo, ac sententia egerit, nihil prorsus fecisse imperitis videbitur. *Procop. de bel. Goth. li.3.*

Vbi primum impetum effudit, velut quædam animalia amisso aculeo, torpet. Et licet felicitas aspirare videatur: tamen ad vltimum temeritati non sufficit. *Cur. li.4.*

Hostium temeritas commodam dimicandi facultatem præbet. *Cæs. li.6. de bel. Gall.*

Ego id verum esse existimo, quod dici solet, temeritatem sæpenumero homines ad insaniam, & ad nihilum adducere solere. *Poly. li.4.*

Pericli contra sexaginta armatorum Peloponnesiorum, ac Bœotorum dimicandum nullo modo visum est, etiam si de ipsis Athenis ea dimicatio fuisset futura; Ideo ciues suos pugnam poscentes indigneque hostium populationes ferentes, verbis mitigauit, docendo, arboribus quidem excisis facile alias enasci, hominum iacturam reparatu haud ita procliuem esse. Præterea populum nequaquam in concionem aduocauit, ne aliquid præter animi sui sententiam agere cogeretur. Ac quemadmodum nauis rector, vento mari incūbente, omnibus recte curatis instructisque armamentis, arte sua vtitur, valere iussis eorum, qui nauí vehuntur, periculumque, & nauseam non ferunt, lachrimis precibusque, ita Pericles vrbe tum clausa, omnibusq. locis præsidio firmatis, sua consilia secutus est, parui faciens obiectationem indignationesq. ciuium. Enimuero, & ea amicis multi precibus cum vrgebant, inimici minis, ac comminationibus terrebant, multi cantilenis, ac dicteriis imperium eius exagitabant, mollitiem, & proditionem obiicientes: verum his omnibus nihil motus Pericles, æquo animo, & tacitus ignominiam odiaq. tolerauit, missaq. in Peloponnesum classe centum nauium, ipse in vrbe remansit, resq. domi ministrauit tantisper dum hostes discesserunt. *Plutar. in Pericle.*

Dies me deficiat, si reges imperatoresq; temere in hostium terras transgressos cum maximis cladibus suis exercituumq; suorum enumerare velim. Athenienses, prudentissima ciuitas, bello domi relicto, authore æque impigro ac nobili iuuene, magna classe in Siciliam transmissa, vna pugna nauali florentem rempubl. suam in perpetuum afflixerunt. Externa & nimis antiqua repeto. Africa & M. Attilius, insigne vtriusq; fortunæ exemplum, nobis documento sint. *Liu. Decad. 3. lib.8.*

Non semper temeritas est felix. *idem, ibid.*

Imperiis immodicus temerariusq; ab initio, facile euanescit, parumque temporis viget. *Dion. lib.58.*

Temeritatis subiti & vehementes sunt impulsus: quorum ictibus hominum mentes concussæ, nec sua pericula dispicere, ne aliena facta iusta æstimatione prosequi valent. *Val. Max. l.9. c.8.*

Nōnullis quidē hominibus temere agere, simulq; perire cōtingit, quod ex nullo ante oculos exēplo conijcere possint quemnam finem eorū temeritas sit habitura. *Procop. de bello Vandalico, lib.3.*

APOPTHAGMATA.

Demonax aliquando in balneis, cum refugeret ingredi aquam feruentiorem, & alius illum appellaret meticulosum: Quid, inquit, an hanc pro patria passurus essem? Sentiens, temeritatis esse, non fortitudinis, subire periculum, nisi ob causam grauem & honestam fiat. *P. M. l.8. apoph.*

Demosthenes. Quum Athenienses gestirent Harpalo ferre suppetias, iamque Alexandrum armarent, derepente apparuit Philoxenus, quem Alexander maritimis negotijs præfecerat: hic, quum populus metu attonitus consilesceret: Quid facerent, inquit Demosthenes, si solē videant, qui non possunt obtueri lucernā? Ita populo temerarios motus exprobrauit. *P. M. l.4. apop. ex Plut.*

Antigonus cum audiuisset filium in extraordinario conflictu ab hostibus interfectum esse, nil aliud dixit, quam: Sero nimis interiisti, mi fili, qui tam temere in hostes te conieceris, neq. tuæ salutis, nec meorum monitorum memor. Sensit vir prudentissimus, cum merito perire, qui nec suæ salutis, nec bonorum virorum monitorum memor, temere in periculum se conijciat. *P. M. in Declamatione de morte.*

Fabius Max. audiens Minutium collegam, qui feliciter nonnullos hostes iam deiecerat, multum laudari, ait, se magis secundam Minutij collegæ fortunam, quam aduersam pertimescere. Sentiens, illius temeritatem periculosissimam esse Reip. quam si rerum successus attolleret, in extremum discrimen adducturam vniuersum populum Romanum: sed aduersis casibus futuram moderatiorem. *Plut. in Rom. Apopht.*

Idem Minutius, cum Fabium tanquam cunctatorem in senatu insimulasset, quod præ timore pugnam detrectaret, partitusq; esset cum Fabio copias, eoque inuito prælium cū Annibale iniisses: Ita est, inquit Fabius, non celerius quam timui deprehendit fortuna temeritatem. *Brus. l.3. c.16. ex Plut.*

Scipio Africanus dicere solebat, in re militari turpe verbum esse, Non putaram: quod alijs in rebus interdum locus datur, male instituta posterioribus consilijs melioribus corrigere: cæterū quæ ferro peraguntur, ea non oportere temere aggredi, quod hic error fere est inemendabilis. Idem dictum locum habet & in his quæ semel facta mutari non possunt: vt in ducenda vxore, in sacris ordinibus. *Plut. in eius vita.*

Augustus Cæs. eos qui leuem ob causam periculis se exponerent, similes aiebat esse aureo hamo piscantibus: qui plus damni amisso semel hamo acciperent, quam multarum capturarum lucro posset reparari. *Fulgos. lib.7. c.2.*

Philo. Quæ absque ratione fiunt, inquit, omnia sunt turpia. Quæ vero cum ratione, omnia decora. Item, citra doctam contemplationem nihil decore fieri potest. Scientia enim à bono consilio nascitur: at inconsulta temeritas malorum omnium scaturigo est. Item, Meditatio sera lucrum non habet, & in casu rei inutilis est pœnitudo. *Ant. serm. de temerario consilio.*

SSMSLITVDINES.

Plutarchi. Sol cum maxime tollitur in altum, arduus ad populū septentrionalem, tum minimum mouetur. Itaquo maior est potestas, hoc magis coercenda est animi temeritas. *in Moral.*

Paul. Man. Columbo in volatu pernicitas: sed dum plaudit in aere, sibi placens, implicans strepitu pennis capitur ab insidiante alicubi accipitre: ita multi dum ostentant suas vires, magis quā vtuntur, obliti sui præda fiunt inimicis. *In Simil.*

Themist. Quemadmodū nulli magis submerguntur q̄ qui natandi valent cōsuetudine: Sic in malis rebus quo quisq; est maior artifex, eo in certioribus versatur periculis *in apoph.* 114.

ADAOSA.

Oportet remum ducere, q̄ didicit. [illegible] *Plu.*

Vnumquemque decet eam artem exercere, quam antea doctus sit. Horat. in arte poetica.

Ludere qui nescit, campestribus abstinet armis,
Indoctusque pilæ, discive, trochive quiescit.

Qui lusus non nouit legem, abstineat.

refrenat a maxime allicientibus. Sed est virtus generalis communiter. *secund. B. Th. 2.2.q.141.art. 2.a.9.*

Temperantia, *inquit Arist.* virtus est de concupiscibili nascens parte, ob quam animi turpibus non subijciuntur voluptatibus.

Temperantiæ proprium est, corporis voluptates non suspicere turpisq. voluptatis vsus nequaquam cupidum esse, ac iustam etiam yererí licentiam, componiq. animo in paruis, vt in magnis, quæ ad vitam humanam pertinent, rebus. Ad temperantiam vero accedit animi compositio, munditia, verecundia, reuerentia.

Temperantia est ratio in libidinem atque in alios non rectos motus animi firma, & moderata dominatio. Cuius extrema sunt, intemperantia, & insensibilitas. Græce σωφροσύνη vocatur.

Temperantia est affectio coercens, & cohibens appetitum ab his quæ turpiter appetuntur. *D. Aurel. Aug. de lib. arbit. Item de morib. Ecclesiæ dicit.* munus temperantiæ esse in coercendis, sedandisque cupiditatibus, quæ nos à recto, & bono auertunt. Eius officium est, contemnere omnes corporeas illecebras, laudemque popularem.

D I V I S I O.

- **TEMPERANTIA virtus.** *Ex F. Thom. 2. 2.*
  - *Specialis vt refrenat a maxime allicientibus.*
    - *Materia*
      - *Circa quam.* *Obiectum, & est bonorum delectabilium in concupiscentijs tactus, secundum modum rationis, vel legis diuinæ.*
      - *In qua.* *Subiectum, & est appetitus sensitiuus, vel concupiscibilis, & irascibilis.*
    - *Partes. Prima Secundæ quæst. 62. art. 4. q. 143.*
      - *Integrales.*
        - *Verecundia, per quam aliquis refugit turpitudinem temperantiæ contrariam.*
        - *Honestas, per quam aliquis amat pulchritudinem temperantiæ.*
      - *Subiectiuæ.*
        - *Abstinentia in cibo.*
        - *Sobrietas in potu,*
        - *Castitas, quantum ad delectationem principalem coitus.*
        - *Pudicitia, quantum ad circumstantes delectationes, vt in osculis, tactibus, & amplexibus.*
      - *Potentiales.*
        - *Continentia, quæ refrenat motum voluntatis, commota ex impetu passionis, ex qua fit, vt licet homo immoderatas concupiscentias patiatur, voluntas tamen non vincatur.*
        - *Humilitas, quæ refrenat motum spei, & audaciæ.*
        - *Mansuetudo siue Clementia, quæ refrenat motum iræ tendentis in vindictam.*
        - *Modestia quæ refrenat motus, & actus corporales.*
        - *Bona ordinatio: ad quam pertinet discernere quid sit faciendum, quid dimittendum, & quid ordine sit agendum, & hoc firmiter persistere.*
        - *Ornatus quo homo obseruat decentiam in eo quod agit.*
        - *Austeritas in colloquijs amicorum, vel quibuscunq. alijs.*
        - *Parcitas secundum Macrobium, vel per se sufficientia secundum Andronicum, qua superflua non requiruntur.*
        - *Moderatio secundum Macrobium, vel simplicitas secundum Andronicum, qua homo non nimis exquisita requirit.*
    - *Actus duplex. q. 141. art. 4.*
      - *Principalis, & proprius, qui est moderari concupiscentias delectabilium tactus.*
      - *Secundarius, qui est moderari alias concupiscentias.*
  - *Generalis dicitur, quia nomen temperantiæ significat quandam temperiem, id est, moderationem, quam non ponit in humanis operationibus, & passionibus, quod est commune, & omnium virtutum moralium.*

Partes temperantiæ sunt.

Mansuetudo, Liberalitas, Grauitas, Tristitia, Seueritas, Verecundia, Vrbanitas, Amicitia, Beneuolentia, Concordia, Amor, Pax, Continentia, Clementia, Pudor, Castitas, Pudicitia, Honestas, Moderatio, Taciturnitas, Frugalitas, Parsimonia, Bonitas, Puritas, siue Innocentia.

Mansuetudo est verborum suauitas, erga aliquos leuitatem mentia ostendens, morumq. facilitas, obuiaq. voluntatis suæ in aliquē ostensio. Cuius extrema. *Iritatio, & immobilitas.*

Partes mansuetudinis sex sunt.

Comitas, est cum aī verborum suauitate, quadam vultus hilaritate, non grauate aliqd se agere, aut acturos ostēdūt, aut pollicētur.

Benignitas, cum animi excitantur ad facile excipiendum, quæ ab alijs dicuntur. Hinc Plautinum illud: *Mihi ad argumentum hoc enarrandum est comitas, si ad auscultandum vestra erit benignitas*, quum benigne alicui operam nostram præstamus planeq. iuuamus. Cuius contrarium *Malignitas*,

Facilitas, est animi quædam benignitas, qua sese submittunt acquiescuntq. alterius sententiæ, nihil elatum de se significantes. Cuius contrarium est *Peruicacia*

Humanitas est qua animi, humana id natura postulante, erga omnes iuuandos aliqua in re commouentur, præsertim quos videant calamitosos: Cuius contrarium, *Inhumanitas*, cum etiam insolentia. Est tamen etiam videre vbi humanitas pro eruditione sumatur: quod discere proprium sit hominis.

Humilitas est, qua aī, vbi expediat, honestumq. sit, tum verbis, tum corporis gestu prudenter se suaque submittunt, nihil de se, aut arroganter fieri, aut dici volentes. Cuius contrarium, *Superbia.*

Tranquillitas est qua mites, & sedati ab omni perturbatione animi sunt, sumpta translatione a fluctibus. Cuius contrarium est *Atrocitas, vel fluctuatio.*

Liberalitas virtus est, ingenue, vbi honestas exigit, impendens. Liberalitas, *inquit Arist.* est defectum pecuniarum in rebus laudabilibus adhibere impensas, vbi decor postulet, insumere: auxiliū ferre, vbi res postulet, non auferre, vnde non decet. Est autem, *inquit*, liberalis amictu mundus si non lautus, & domicilio ornatus, & præparatus circa ea, quæ honesta, quæque viuendo suauitatem habeant, vnde etiam nulla expectetur vtilitas: qui alit animalia, vnde capiatur animus delectatione, aut aliqua nascatur admiratio. Liberalitatem comitatur humilitas, benignitas, humanitas, & esse misericordem, amicis iucundum, hospitalē honestum, & honesti amatorem: deniq. ad sumptum faciendū vbi oporteat, & quando necesse sit, nihil grauate facientis, ac libere liberalis. Cuius extrema, *Auaritia, & Prodigalitas.* Partes autem, benignitas de qua supra dictum, munificentia, hospitalitas, beneficentia, abstinentia. Græcis appellatur ἐλευθεριότης. *Egregium librum de liberalitate scripsit Iouianus Pontanus ad Actium Sincerum.* Versatur autem in eroganda recte pecunia.

Partes Liberalitatis sunt quatuor.

Munificentia est, qua aī, vbi & quando opus est, & quanta, & quib. conuenit, erogant munera. Cuius extrema, *Largitio & Tenacitas.*

Hospitalitas est, quum vltro, & miti, & humano inducti animo, nullo nostro allecti commodo hospites accipimus. Cuius extrema. *Hospitandi ostentatio, & in hospites Odium*, quo vitio fere vilissimi quique in ciuitatibus, & domibus flagrant, idque præcipue, si quid ex ipsorum sententia cesserit, qui hospitio admittuntur Græcis φιλοξενία vocatur.

Beneficentia est, qua mitis animus ad cuiuis benefaciendum commouetur. Cuius extremum vel contrarium est. *Maleficentia:* & qui ei vitio alligatur, maleficus appellatur. Græcis vocatur εὐεργεσία dicta quod alijs benefaciendo prosit.

Abstinentia est, qua inducuntur animi, vt ab alienis abstineant reb, Cuius contrarium *Rapacitas.* Vel, est secundum quosdam cohibitio gulæ, luxuriæ, cupiditatis, auaritiæ, ambitionis, & superfluitatis, Græcæ ἐγκράτεια.

Grauitas est, per quam loco, tempori, ac personæ animus consentaneus inter morositatem, & delectationem versatur, talem etiā corporis, ac sermonis habitum gerit cum dignitate. Cuius extrema *Morositas, & Abiectio*, vt Apuleius fingit, placentia. Partes ipsius, tristitia, & seueritas: vel, Grauitas est firmitas ac constantia animi, & in vultu, moribus, verbis, rebus agendis quædam seueritas. Græce σεμνότης nominata,

Partes grauitatis duæ.

Tristitia est habitus siue totius corporis quidam (si sic fas est loqui) vultus, nec in secundis rebus gaudibundus, nec aduersis concussus, in dolorem, nempe nullo tempore se immutans, aut attollendo, aut submittendo. Cuius contrarium. *Lascivia.*

Seueritas est mentis quædam iusta duritia, & corporis facie, & factis, tam in se, quam in alios, prout res postulare videatur, nullū delictum remittens, legibus nimium atrociter obtemperās, legum,

gum, iurisque vim victo nostris precibus animo complectenda. Cuius contrarium, *Licentia*. Temperantiæ partes aliæ suis locis & titulis continentur.

Loci Biblici.

Temperantia in cibo, potu & concubitu, *Tob. 6. & 5. Eccl. 3. 3. 6. Eccl. 31. & 8. & 32. 7. Dan. 1. 8. 11. Rom. 13. 13. & 14. 5. 7. 1. Cor. 7. 4. 5. & c. Gal. 4. 23. 1. Tim. 3. 2. 2. Tim. 1. 7. & 2. 6. 12. 1. Pet. 1. 13. & 5. 8. 2. Pet. 1. 6.*

Temperantiæ nomen interdum stricte accipitur pro sobrietate, vel pro castitate interdum late pro complexu plurium virtutū particulariū, & in hunc modum definitur. Temperantia est virtus quæ animi nostri motum & affectionem in voluptatib. corporis appetendis fugiēdisve regit & moderatur, sic vt illis fruamur, prout diuinæ voluntati, naturæ, & rectæ rationi, ordini itē personarum, locorum & temporum consentaneum est.

Officia temperantiæ & sic temperantis duo sunt: 1. honestas & licitas voluptates corporis absentes moderate expetere, & præsentibus moderate frui. 2. illis voluptatibus sic vti & frui, ne qd propter eas committat, quod possit vel famam, vel valetudinē, vel rem familiarem lædere.

Virtuti huic continenter studendum, I. Quia mandata est à Deo in Decalogo, *Exod. 20. 2. Pet. 3. 7.* omnibus quidem omnium ordinum & ætatum hominibus: *1. Tim. 3. 2. Tit. 1. 8. & 2. 1. 2. 5. 6.* itē *1. Tim 2. 9.* II. Debita est pro redemptione nostri per Christū, & illuminatione per Euangelium, *Tim. 5. 11. 12.* III. Vna cum iustitia & pietate requiritur ad expectationem plenæ redēptionis per Christum tandem perficiendæ. *Tit. 2. 13.* IV. Preclaros effectus habet, siue corpus, siue animā hominis spectes. Conseruat enim sanitatē hominis & pulchritudinem; in anima aūt cōfirmat & conseruat ingenium, iudicium ac memoriam, adhæc prudentiam fouet, vnus nomen *σωφροσύνης* accepit, & in primis reddit & conseruat hominem aptum ad cultum diuinum. Huic opposita est intemperantia, sensuum cupiditas, & hypocritica eorum temperantia, qui Curios simulant & Bacchanalia viuunt.

Partes Temperantiæ sunt continentia, parsimonia, verecundia, honestas. Continentia sobrietatem complectitur, vigilantiam, pudicitiam, castitatem. De quibus omnibus suis locis actum est.

Patrum Sententiæ.

Minus temperantiæ est in coercendis sedandisque cupiditatibus quibus contrahimus in ea, quæ nos auertunt à legibus Dei, & à fructibus bonitatis eius, cuius officium est contemnere omnes corporeas illecebras laudemque popularem. *Aug. lib. de mor. Eccl.*

Vir temperatus in rebus huius vitæ habet regulam vtroque Testamento confirmatam, vt eorum nihil diligat, nihil per se appetendum putet. *ibid.*

In temperantia maxime honesti cura, decoris consideratio spectatur & quæritur. *ibid.*

Qui acceptis rebus non extollitur, qui eas ad vsum vanæ gloriæ non intorquet, qui nō solus possidet qd accepit, sed hoc indigētibus misericorditer diuidit, scit abundare. Qui acceptis alimētis non ad ingurgitationem ventris vtitur, sed ad reparationem virtutis, nec plus carni tribuit, quam necessitas petit, scit satiari. Qui autem alimentorum inopiam sine murmuratione tolerat, nec pro necessitate victus agit aliquid, vnde anima laqueū peccati incurrat, scit esurire, quum vides diuitias, aut gloriam, aut mundanam potentiam, considera labilitatem ipsorum, & illecebras effugies. *Ambr. de offic. Greg. hom. 1. in Ezech.*

Si omni peccato vis esse superior, res alienas ne curiose inquirito: multa enim in te sunt de quibus alium suspectum habes. Feliciter agentes ride, infelicibus vero condole: alterum enim felicitatis merces est, alterum vero philosophiæ est documētum. *ibid.*

Vbi vera temperantia, nisi in Christi vita? soli temperantes dicendi sunt, qui eius vitam imitari student. Incassum quis laborat in acquisitione virtutum, si aliunde eas sperandas putat quam à Domino virtutum, cuius doctrina seminarium prudentię, misericordia opus iustitiæ, vita speculum temperantiæ, mors fortitudinis insigne. *Bern. sup. Cant. serm. 53.*

Non est temperantia in solis resecandis superfluis, est & in admittendis necessarijs. *Item*, Temperantiam non absurde definiuit, qui hanc nec prætergrediendi necessitatem, nec excedere dicat, iuxta illud Philosophi, ne quid nimis. *Idem de Consider. lib. 1.*

Temperantia est modus vitæ in omni verbo vel opere. Hæc autē sobrietatis & verecundiæ seu modestiæ comes est: humilitatis regulam custodit, seruat animi tranquillitatem, continentiam & castitatem diligit, decus fouet & honestatem, restringit rationē appetitum, iram contemnit, nec rependit cōtumeliam. *Idem lib. de ordine vitæ.*

Temperantia est refrenatio cupiditatis aduersus ea, quæ carnaliter delectant. Item, ea sic nos solicitat dicens, videte ne grauentur corda vestra crapula & ebrietate, & curis huius mundi. *Idem tom. de vill. coniug.*

De lætitia & tristitia nascitur temperantia, cuius est tristitia causa, lætitia fructus. *Item*: Comitatur lætitiam tristitia, quia moderate lata amittitur, qui tristitia reminiscetur. Tempera ergo lætitiam tristitia, temperata tristitia nihil aliud est quam temperantia. *Idem in paruis sermonibus serm. 6.*

Nec velis delicate viuere, nec ditescere, & gloriæ cupidus esse: ista enim sunt vitæ corruptio, nos vero non sumus corruptibiles. *ibid.*

Temperantia facit abstinentem, parcum, sobrium, moderatum, pudicum, tacitum & verecundum: hæc virtus si in animo habitat, libidines frenat, affectus temperat, desideria sancta multiplicat, vitiosa castigat, omnia intra nos confusa ordinat, cogitationes prauas remouet, scientiam inserit, ignem libidinosæ voluptatis extinguit, mentem placida tranquillitate componit, & totam ab omni semper tempestate vitiorum defendit. *Prosper de vita contemplat.*

Satius est temere mittere lapidem, quam verbum, pessima res est omnibus iterare cupiditatibus. Attendamus nobis ipsis, & alios non reprehendamus: multa enim in nobis sunt, propter quæ alios carpimus. *Nilus in sententijs.*

Cohibe oculum: cum enim non attenderis, circumuoluitur. Parce vteri linguæ: sæpe enim profert, quæ melius fuisset celari, solum quantum indiget impende, delicate viuere ne eligas, amosem enim huius vitæ conciliat: inimicina autem aduersus Deū ea vtroque nascitur, aduersatur in vita gaudium: ipsum enim lubricum est, præcipitat exultantes. *idem ibid.*

Diuitias si habes, distribue: si vero non habes, ne collige, necessarium existima sufs rebus contentum esse: permitte autem Deo eius rer curam. Iram compesce: nimia enim insanum parit. Quando te voluptatis affectus inuaserit, oppone ipsi metū hominum & Dei offensam. Munien aurea & oculos: per illa enim ingrediuntur omnia tela malitiæ. *ibid.*

Ita exerce corpus, vt motus carnis cōpescas: & si æger fueris cor pus cura, vt sanitatē adipiscatur, nō vt delitijs eneruetur. Nihil tutum est q modum excedit: modum autem seruare conuenit. Quando vides diuitias, aut gloriam, aut mundanam potentiā, considera labilitatem ipsarum, vt illecebras fugias. *ibid.*

Si omni peccato vis esse superior, res alienas ne curiose inquirito: multa enim in te sunt, de quibus alium suspectum habes. Feliciter agentes ride, infelicibus autem condole, alterum enim felicitatis merces est, alterum vero philosophiæ documentum. Ditescere, nec gloriæ cupidus esse: ista enim sunt vitæ corruptio, nos vero non sumus corruptibiles. *ibid.*

Poetarum Dicta.

Pythagoras.

Κρατεῖν δ' εἰθίζεο τῶνδε·
Γαστρὸς μὲν πρώτιστα, καὶ ὕπνου, λαγνείης τε καὶ θυμοῦ.
Imperare assuesce te his:
Ventri quidem primum, & somno libidiniq; & iræ.

Plautus in Pœnulo.

Hoc vnum tamen cogito,
Modus omnibus in rebus optimus est habitus.
Nimia omnia nimium exhibent negotium hominibus ex se.

Seneca.

Quod vult habet, qui velle quod satis est potest.

Claudianus.

Semper inops quicunq; cupit, contentus honesto
Fabricius paruo spernebat munera regum.

Horatius.

Pauperies immunda domus procul absit, ego vtrum
Naue ferar magna an parua, ferar vnus & idem.

Lucretius.

Quod si quis vera vitam ratione gubernet;
Diuitiæ grandes homini sunt viuere parce,
Aequo animo, neq; enim est vsquam penuria parui.

Philosoph. Sententiæ.

Temperantia voluptatibus imperat, alias odit atq; abigit, alias dispensat, & ad sanum modum dirigit, nec vnquā ad illas propter ipsas venit. Scit optimum esse modum cupidorum, non quantum velis, sed quantum debeas sumere. *Seneca in Epist.*

Temperantia est enim, quæ in rebus aut expetendis, aut fugiēdis, rationem vt sequamur, monet. Nec enim satis est iudicare, quid faciendum non faciendumve sit: sed stare etiam oportet in eo, quod sit iudicatum. Plerique autem quod tenere, atque seruare id, quod statuerunt, non possunt, victi & debilitati, obiecta specie voluptatis, traduntur se libidinibus constringendos, nec quid proueniturum sit, prouident, ob eamque causam propter voluptatem, & paruam, & non necessariam, & quæ vel alios pararctus,

rantur, & qua etiam carere possent sine dolore, tum in morbos graues, tum in damna, tum in dedecora incurrunt. Sæpe etiam legum iudiciorumque pœnis obligantur. Qui autem ita fruı volunt voluptatibus, vt nullos propter eas dolores consequantur, & qui suum iudicium retinent, vt voluptate victi faciant id, quod sentiunt non esse faciendum: hi voluptatem maximam adipiscuntur prætermittenda voluptate: Iidem etiam dolorem sæpe perpetiuntur, ne, si id non faciant, incidant in maiorem. Ex quo intelligitur, nec intemperantiam propter se fugiendam esse, temperantiamque expetendam, non quia voluptates fugiat, sed quia maiores consequatur. *Cic. libro primo de Finibus bonorum & mal.*

Temperantia constat ex prætermittendis voluptatibus corporis. *Idem lib. 3, de Nat. deor.*

Satius est securam vitam degere stramentis incubantem quã perturbationibus agitari, aureum habentem cubile.

Gratia est habenda naturæ beatæ, quod ea quæ necessaria sunt, parabilia fecerit: quæ autem non facile parantur, minime necessaria. *Pythagoras.*

Septem sapientum Apophthegmata.

Modus optimus omnium.

Genitorem oportet revereri.

Libenter audire quidem oportet, non quævis tamen temere.

Linguam bene ominantem non maledicam, habere conuenit.

Virtutis est proprium, iniustitiam odisse, pietatem custodire, ciuibus optima consulere.

Cum vxore neque lites, neque blanditias, præsentibus alijs exercere conuenit. Famulos ebrios ne castigaueris, si minus, ebrius ipse videberis.

Vxorem duc ex æqualibus: Si enim ex superiori familia duxeris, non affines tibi, sed dominos comparabis.

In diuite fortuna ne superbias: Pauper, non animo deijciaris.

Ne quid nimis.

Voluptatem fuge, parit enim tristitiam.

Sermonem obsigna silentio: silentium autem occasione.

Amicos non cito comparabis: quos autem comparaueris, non statim reijcies.

Parere cum didiceris, imperare scies.

Deos Consule. Amicos cole. Quod oderis, non statim dic. Sciens tace. In tuos mansue us sis.

Nosce teipsum. Inter pocula non multum loquere: deliquies enim.

Ad amicorum conuiuia tardus accede: ad calamitates autem cito.

Nuptias frugaliter celebra. Bene ominare de homine mortuo.

Nam maiorem reuerere. Curiosum in alienis oderis.

Iacturam turpi lucro præferenda. Calamitosum ne irriseris.

Domum tuam guberna. Fac ne tibi lingua mentem præcurrat.

Iracundiæ moderare. Impossibile ne desideres. In via non acceleres pergendo, neque manum moueas: insanientis enim indicium est. *Cleobulus.*

Mensam sumptuosam quidem fortuna, frugalem autem temperantia apponit.

Temperantia quæ iucunda sunt auget, & voluptatem maiorem efficit.

Patris temperantia maximum est liberis præceptum. *Democritus.*

Si quem efficere diuitem velis, nihil pecuniarum adde, sed de cupiditate detrahe. *Epicurus.*

Temperantia est, quæ in rebus aut expetendis aut fugiendis, vt rationem sequamur, monet, quæ animum pacem affert, & eos, quasi quadam concordia placatos, ac lenit. *Cic. 1. de finib.*

Temperantia facit abstinentem, parcum, sobrium, moderatum, pudicum, tacitum, & verecundum, hæc virtus si in animo habitat, libidines frenat, affectus temperat, desideria sancta multiplicat, vitiosa castigat, omnia intra nos confusa ordinat, cogitationes prauas remouet, scientias inserit, ignem libidinosæ voluptatis extinguit, mentem placida tranquillitate componit, & totam ab omni semper tempestate vitiorum defendit. *Prosper de vita contempl.*

Eas tres virtutes, fortitudinem, iustitiam, prudentiam, frugalitas est complexa. *Cic. 3. Tusc.*

Non potest temperantiam laudare is, qui ponit summum bonum in voluptate: Est enim temperantia, libidinum inimica. *Idem 3. Offic.*

In omnibus adhibendus est modus necessarius. Nam & gratia, si minima est, & immodica, ita & mores, si multi, ac varij: & verba, si perpetua, & infinita, & obtundentia: & fama, si magna & inquieta, & inuidiosa fit, nec laudabilia, nec vtilia sunt. *Gell. lib. 4.*

Nihil tam æque tibi proderit ad temperantiam omnium rerum, quam frequens cogitatio breuis æui, & huius incerti: quicquid facies respice mortem. *Senec. epist. 115.*

Nihil est tam præclarum, tamque magnificum, quod non moderatione temperari desideret. *Max. lib. 1.*

Numquam fama periclitati sunt, qui temperantiam inter copiam seruare cœperunt. *Veget. l. 4.*

Magna pars libertatis est, bene moratus venter. *Seneca epistola 114.*

Temperantiam exigit Philosophia, non pœnam. *Idem epist. 5.*

Frugalitas paupertas voluntaria. *Idem epist. 17.*

Frugalitas producere senectutem potest. *Idem epist. 59.*

Temperantiæ officium est, nequaquam prosternere libidinib. modestiam seruare: itaque iis cõuenit, qui corpus despiciunt, & in Philosophia viuunt. *Plat. in Phædon.*

Hoc mihi videtur esse signum, ad quod prospicientes dirigere vitam debemus, omnia tam publica quam priuata ad hoc referentes, vt iustitia & temperantia illi adsit, qui futurus sit felix: non autem cupiditatibus omnia sunt permittenda: quas explere conari, inexplebile malum est, latronisque more vitam agere. *Plat. in Gor.*

Temperatis hominibus lex est Deus, intemperatis vero voluptas. *Idem 1. de legib.*

Hoc modo versandum est in conuiuio, circumacto disco si aliquid ad tuum locum peruenerit, manu eatenus modeste attinges: si præterierit, noli retinere: si nondum appropinquauerit, ne nimium appetitum extendas: sed expecta donec ad te venerit. Eodem animo ad diuitias, magistratus, & nuptias affici debes, eritque deorum conuiuio dignus. *Epictetus.*

Socratis admirabilem doctrinam approbare debemus, qui diuitias ex vsu metiri iubeat: non. n. immensas possessiones diuitias vocabat: sed tantum, quantum requiritur ad vsum decentem. Mouebatur autem ne iudicio falleremur, & eos pauperes, non qui possessionis, sed animi penuria laborarent, existimaremus. *Zenophanes, seu Xenophon in fragm. epist.*

Qui se a corporis voluptatibus abstinet, eoque ipso lætatur, is temperans: qui id moleste acerbeque fert, is intemperans putandus est. *Arist. Ethic. lib. 2. c. 3.*

Et temperans voluptates fugit, & prudens sequitur id quod dolore vacat: non quod voluptatem efficit. *Ethic. lib. 7. c. 11.*

Ex eo temperantes efficimur, quod & nos à voluptatibus abstinemus, & cum ij sumus, ab ijs facillime abstinere possumus, *lib. 2. Ethic. c. 2.*

Temperantia intemperantiæ, & insensibilitatis medietas existit. *lib. 1. Mag. Moral. c. 21.*

In voluptatibus & doloribus, non omnibus quidem, sed ad corpus pertinentibus, ijsque potissimum quæ tactu percipiuntur, minus etiam in doloribus modus est temperantia & intemperantia. *Arist. lib. 2. Eth. c. 7.*

Et præclarum officium & opus, ab ea quæ aliena sit, vxore, abstinere se propter temperantiam. *lib. 2. de Repub. c. 3.*

Hæret in voluptatib. corporis temperantia necesse est, nec tamẽ omnibus. Qui enim delectantur ijs, quæ sub aspectum cadunt, itemque ijs quæ subiecta sunt odorationi, nec ij quidem qui in rebus gaudent, quæ subiecta sunt auditioni temperantes appellantur, nisi impropriè. *lib. 3. Ethic. 10.*

Cupiditates malæ & vehementes non solent existere in temperante. *lib. 7. Ethic. c. 2.*

Temperantis voluptates sunt quædam propriæ. *libr. 7. Ethicor. cap. 12.*

Temperantia & iustitia & in negotijs gerendis necessaria est: & in otio, ponitque otiosos & quietos attingit. *lib. 7. de Republic. cap. 15.*

Temperantia est per quam, ita vt lex præcipit, domitæ cupiditates habentur: cui intemperantia aduersatur. *lib. 1. Rhetoric. cap. 9.*

Σωφροσύνην id est, temperantiam hoc appellamus nomine, *ὡς σώζουσαν τὴν φρόνησιν.* id est, quasi seruantem prudentiam, *lib. 6. Ethic. cap. 5.*

Debet in moderato viro & temperante rationi congruere ea pars animi, quæ cupiditatum est sedes. *Arist. lib. 3. Eth. c. 12.*

Appetit temperans quæ debet omnia: & quemadmodum etiam ratio præcipit, *ibid.*

Temperans quis appellatur, propterea quod nec se priuari voluptate doleat, nec abstineret. *lib. 3. Ethic. c. 11.*

Versantur in ijs voluptatibus omnibus temperantia & intemperantia, quarum reliqua sunt participes animantes. Itaque seruiles eas belluinasque esse constat: cuiusmodi sunt quæ gustatu tactuque capiuntur, *Ethic. lib. 3. c. 10.*

Temperans si cum homine stupido conferatur intemperans, si cum intemperante, nullius sensus videbitur particeps. *Ethic. lib. 2. cap. 8.*

Nec temperantes belluas dicimus, nec intemperantes, nisi per metaphoram: cuamsi aliud animantium genus alij præster, petulantia, contrectatione, & libidine omnia vorandi. *Ethic. l. 7. c. 6.*

H 1-

Hist. Sententiæ.

Cyrus, quum suam ipsius temperantiam ostenderet, faciebat, vt eá magis omnes exercerent. Quum.n. videnr homines, eum cui maxime licet vti contumelia, hunc viuere tẽperanter, tanto magis ij qui sunt imbecilliores nulla vti contumelia videri volũt. At pudorem, & temperantiam ita distinguebat. quod pudentes quæ turpia in propatulo essent fugerent. temperantes verò ac pudentes etiam quæ in obscuro. Et continentiam quoque hoc pacto maxime arbitrabatur exercendam, si sese ipse ostenderet minime per præsentaneas voluptates abstrahi à bonis actionibus, sed potius labitem sumere cum honestate coniunctũ velle sese prius quam voluptates. *Xenoph. de pædia Cyri, lib. 8.*

Ob temperantiam & iustitiam homines se minus mutuo lædẽtes, magis sunt concordes, & felicitatem non fœdissimis voluptatibus, sed honestate metiuntur. *Dionys. Halic. lib. 2.*

Nullum est maius donum, quod acceptum bonitati musarum homines ferre debeant, quam quod doctrina & disciplina emolliuntur & mitigantur ingenia, modumque tenere, & nimia omnia vitare discunt. *Plut. in Coriolano.*

Animos eosdẽ in omni fortuna viri moderati ferunt, neq; eos res secundæ extulerunt, nec aduersæ minuerũt. *Liuius, Decad. 4 l. 7.*

Ij penates, ea ciuitas, id regnũ æterno io gradu facile steterit, vbi minimũ vitium Veneris pecuniæque cupido sibi viodicauerit. Nam quo istæ generis humani certissimæ pestes penetrauerint, ibi iniuria dominatur, infamia flagrat. *Valer. Max. lib. 4. c. 3.*

Temperantia nulli est inuisa. *Tacit. Annal. l. 51.*

Sanctius est inopem Rempubl. obtinere, quam ad diuitiarum cumulum per discriminum atque dedecorum vestigia peruenire. *Iul. Capitol in Pertinace.*

Natura paucis contenta est, & bona corporis habitudo quouis cibi genere æque conseruatur. *Nicet. Man. Comm. l. 4.*

Nihil est quod in animum adfectionum expertem ius habeat: nõ ignis, non fera, non flumen vorticosum. Si rex eris adfectionũ animi, peccatique Dominus, super basiliscos & truculentas feras incedes, leonem humiliabis, mansuefacies tigrim. *Constan. Manass annal. pag. 9.*

Quo iniuriæ maiores sunt, quoque magis non commouent, eo magis proprium prudentiæ est, iustam indignationem iudicij maturitate & vtilitatis ac publici commodi, consideratione moderari: quoniam seipsum temperare, & proprias cupiditates vincere, quo pauciores sunt qui id possint, & quo iustiores sunt causæ, quibus hominum indignatio & appetitus concitatur, tanto maiorem habet laudem. *F. Guicciar. hist. lib. 4.*

Apophthegmata.

Pythagoras. Quibus, inquiebat, à corpore solutus non egebis, illa omnia contemne, & quibus etiam defuncto erit opus, illis tibi vacãti, Deos adiutores precib. aduoca. *Stob. serm. de temperantia.*

Alexander à quibusdam hortatus vt Darij vxorem & filias forma præstantes inuiseret & spectare vellet, respondit, Turpe futurũ eos qui vicissent viros à mulieribus vinci. *Curtius.*

Crates alios in foro vendentes, alios ementes contemplatus, illi (inquit) quod rem inter se contrariam agunt, se beatos iudicant: at ego me, quod vtriusque, tum emendi, tum vendendi necessitate sum immunis. *Stob. & Laert.*

Antisthenes. Voluptatem in tantum execrabatur, vt diceret se malle insanire, quam voluptate affici. Insaniam aufert medicus voluptas quoniam æque mentem eripiat homini, vix sanabile malum est. *Laert. l. 6.*

Democritus dicebat, Cœnas lautas & sumptuosas suppeditare potest fortuna: at contra faciles, & quæ sufficiant necessitati temperantia. *Stob.*

Idem, Optimum dicebat homini vitam agere animo vt plurimum læto, rarissime tristi: quod fieri poterit, si voluptates non in peritutis rebus locentur. *Stob. serm. de temperantia.*

Idem, Mensam preciosam fortuna (inquiebat) apponit, frugalem & contentam temperantia. Item, Patris temperantia, optimũ liberis preceptum. Item, Temperantia quæ iucunda sunt auget, & voluptatem maiorem facit. *Eod. serm.*

Socrates dicebat oportere voluptates non ex alijs, sed ex nobis ipsis aucupari: corpus autem vt decet præparatum & compositum esse volebat. Item, Nulla re indigere Dei esse, quam paucissimis autem Deo proximum. Item, interrogatus quibusnam rebus maxime abstinendum esse respondit, Turpibus & iniustis voluptatibus. *Stob.*

Socrates, Frugalem & rebus suis contentum animi habitum similẽ esse dicebat vitæ breui & amœnæ: multum enim gratiæ & parum laboris habet. *Laert.*

Idem, quærenti, quis ditissimus esset? paucissimis contentus, respondit. Virtus enim suis rebus contenta naturæ opulentia est. *Stobæus.*

Pythagoras Temperantiam robur animæ esse dicebat. Hæc enim animæ passionum expertis lumen est. *Laert.*

Diogenes, indignum esse aiebat athletas, & citharœdos vincere, & voluptatibus superiores esse, hos vocis, & illos corporis gratia: propter temperantiam vero neminem ista contemnere. *Laer.*

Antisthen. Qui turpia, inquit, neque cupinit, neque attigit, is nõ est temperans. Nihil enim existit a quo sibi temperauerit, aut modestus, & temperans dici mereatur. *Stob.*

Isaus, Sacrificium maximum iudicabat, vitam quotidie modestam, & temperantem præstare. *Stob.*

Iamblichus, Temperantia, inquit, cum extermine1 a nobis quicquid imperfectum, & perturbationibus obnoxium reperit, quomodo non perfectos nos redderet? Quod autem ita se res habeat, vel ex Bellerophontis fabula cognosces, qui cum temperantia auxiliatrice, Chimæram, i. belluinum, agreste ferumq. voluptatum genus omne confecit. Item, Bona illa moderatio, qua voluptates intra certos limites coercentur, familias simul, & ciuitates secundum Cratetis sententiam, conseruat: imo ad Deorũ naturam propius iam accedit. Quamobrem Perseus ad summã temperantiæ laudem aspirans, duce Minerua, Gorgonis caput, cupiditatem nimirum, quæ deorsim in materiam trahit, & saxeos efficit homines, stolidis affectibus repletos, amputauit. *Ex Epist. de temperantia apud Stob.*

Anonymus, Temperantiam esse dixerunt animæ partium mutuam confusionem. Imperium in voluptates, vniuersale cognomen omnium virtutum: item, vocarunt eam Columnam fortitudinis, galeam contra lasciuiam, oculorum aurigam, beneuolẽtiæ custodem, cogitationum circumcisionem, luxuriæ castrationẽ, effervescentis animi hostem, opera turpia impedientem, continentiæ promotricem, cordis consiliariam, precum, & votorum directricem. *Stob. serm. de temperantia.*

Demosthenes, Nullum homini malum accidere posse affirmabat, qui sapientiæ fundamenta temperantiam, & continentiam iecerit. *Stob. serm. de temperantia.*

Aeschines. Temperantis viri vitam tam puram, eamq. sinceram esse oportere dicebat, vt ne turpitudinis quidem suspicionem de se præbere possit. *Stob eod. serm.*

Agesilaus. Quod ad corporis curam attinebat, nulla in re melius habebat, quam hi quibuscum viuebat: a saturitate quidem, & crapula in totum abstinens: somno vero sic vtebatur, non vt ille dominaretur, sed vt seruiret negotijs: aduersus æstum autem, & frigus sic erat instructus, vt quatuor anni temporib. vnica rã tum veste vteretur. Cæterum quum in tentorijs inter milites ageret, velut vnus quilibet e numero, nihilo meliorem culcitrã habebat quã cæteri. Illud assidue habebat in ore: Principis esse non mollitie delitijsve, sed temperantia, ac fortitudine priuatis hominibus antecellere. *Plut. in Lacon. apoph.*

Similitudines.

Chrysostomi. Quot curam canum habent, ne plus quam expedit, impleantur, vt veloces sint, & venatici, dum fame premuntur: se vero non curant, ne crapulentur? Et bruta quidem temperanter agere docent, nisi vero ad brutorum feritatem deducũtur. An non videtur tibi esse opus temperantiæ, cum canis qui fame medetur, postquã venatu aliquid ceperit, a præsenti se continere esca, & appositam cernens mensam, licet vrgente fame, dominum expectat? Reuereamur nosmetipsos. Vestros docere ventres ita philosophari. Canis futuræ voluptatis spe, præsentem contemnit: tu non vis præsentia contemnere, spe futurorũ bonorum. *Chrys. hom. 47.*

Iustini philos. & martyr. Fugienda, & liguritio contento paucis, ac necessarijs: Nam sicut corpus morbidum, multis varijsq. opus habet remedijs: sic male affecta anima, tantum non corijs vesci appetit: *in Epist. ad Zenam, & Serenam fratres.*

Hierocles. Vt animum nostrum doctrina, ac virtute ornare decet, vt cum ijs quæ perpetua, ac diua sunt, cohabitare possit: sic splendidum corpus, purum, ac sine materia oportet potare, vt cœlestium corporum societatem sortiatur. *In aurea Pythagora carmina.*

Vt Athenienses nunquam de pace consultabant nisi pullati, quemadmodum dicebat Demades: Ita nobis non venit in mentem moderatior victus, nisi iam febri æstuantibus, & admotis pharmacis. *Plut.*

Vt nautæ sereno cælo nonnihil laxant vela, cum est suspicio tempestatis, contrahunt: Ita corpori recte affecto nonnihil permittendum, contra si quid timebitur morbi, cautius agendum, *Plut.*

Vt tranquillitate corpus expeditum redditur aduersus imminentem tempestatem: Ita tenui victu, parcaq. vt medici loquuntur, diæta viuendum, vt si incidat inopiparum conuiuium possis enatare. *Plutar.*

Adagia.

Zenone moderatior. Ζήνωνος ἐγκρατέστερος.

Testatur, & Laertius in Zenonis vita, philosophum hunc tum in victu, tum in voluptatibus Venereis vsque adeo patientem, ac

parcum

parcum fuisse, vt crudis duntaxat vesceretur, ac pallio praetenus tegeretur.

Philosophari,

Qua sententias ferias dicunt, Graeci dicunt φιλοσοφεῖν. Philosophari pro temperare affectibus, & aduersus res acerbas infracto esse animo.

PROFANA EXEMPLA.

Aegyptiorum sacerdotum mores praeparci in victu, ac frugi prorsum boni, & contemplationi dedita mens, in stuporem vsque à Chaeremone Stoico narrantur. *Calsarli. 13.c.25. ex D.Hier. & Diod.Sic.l.2.c.2.*

Pythagoras philosophus olusculis tantum, & frugibus vescebatur, carnibus abstinebat, potum illi fons tribuit. Caltus in matrimonio vixit: moxin coelibatu Damam suam filiam ad virginitatis votum induxit. *Laert.*

Demonax philosophus Hadriani tempore, inter alias animi dotes vitam quoq. continentissimam egit. *Volater.lib.15. Anthrop.*

Cleomenes Leonidae F. vt in coniugio cum Agiatide Agidis fuit successor: ita quoque studiorum imitator, luxus & voluptatis omnis hostis. *Theat.Zuing.*

Numa Pompilius secundus Rex Romanorum vitam egit frugalissimam: otio non ad voluptatem & delicias, non ad quaestum: sed ad Deorem immortalium cultum, & ad ipsorum naturam, quantum poterat, cognoscendam, vtens. *Plut.*

M.Catonis abstinentiae testis Epirus, Achaia. Cyclades insulae, maritima pars Asiae, prouincia Cypros: vnde cum pecuniae deportandae ministerium sustineret, tam auersum animū ab omni Venere, q̃ à lucro habuit, in maxima vertute intemperātiae versatus materi. *Valer.l.4.c.5. Plutar.in eius vita, & Florus in Epitome.*

Tacitus vir consularis senex & grauis, factus est Roman. Imp. omnium assensu: vir temperans, sobrius, & librorum lectioni intentissimus. Frugales mensas oluculis, & leguminibus Pythagoricis instructas, multo lautiores esse dicebat, quam Milesiorum sumptuosa fastidia. *Guido Bituricensis.*

Alexander inuicti cognomen affectus Diogenis temperantiam vincere cupiens, ad eum in sole sedentem accessit, admonens vt si quo egeret, indicaret. Mox, inquit, de caeteris: interim velim vt à sole mihi non obstes. Quamobrem facilius Darium armis quam Diogenem diuitijs vicit.

Epaminondas fama motus *Artaxerxes Persarum Rex*, cum sibi amicū eum facere cuperet, Diomedontem cum quinque talenta ad eum misit, qui ducem hac de re compellare non ausus, iuuenti cuidam munus tribuit. Epaminondas autem via auditis verbis primis, Diomedontem vocari iussit, dixitque sibi pecunia opus non esse: quoniā si de bona re apud Thebanos eius opera desideraretur, ipsa sine praemio facturus esset. Qd si mala foret, totius orbis aurum, vt ab ipso obtineretur, non effecturum.

Socrates neque risit in vita neque fleuit, quin vno semper eodē vultu visus est. Quam videri potest quod eamiam illā animi temperantiam, neque nuptialis laetitia variare potuit, neque tristitia illius diei quo venenum hausit.

Alexander cum Darij hostis coniugem omnium foeminarū, quae aetate illa florebant, pulcherrimam, filiasque cum castris cepisset: tam sanctè penes eas se habuit, quam sorores ac filias, ac Postremo filiam vnam sibi iunxit matrimonio.

Apollonius Tyaneus diuitias non ambiens, scientiae cupidus, pecuniae contiuens inter epulas abstemius & sobrius, aquam semper bibit neglecto vino. Dicebat enim potiones aqua leniorem somnum capere, neque vertigines vllas pati, & facilius conspicere per somnia vaticinationem.

Temperantissimus *Iulianus Imperator* fuit, qui mortua Helena coniuge quamquam iuuenis admodum, multos annos in caelibatu, absque vllo Veneris commercio egisse creditur, captaque in Perside vrbe Maiozamalcha, in qua formosae permultae mulieres erant, non modo nulla abusus est, verum, vt continentior esset, ipsarum quoque conspectum effugit.

EXEMPLA SACRA.

Ioseph, Iacobi patriarchae filius, Iuuenis omnium temperantissimus, à Mose diuino scriptore graphice depingitur, *Gen.c.39.41.45.52.*

Moses toto guberuationis suae curriculo exemplum est mirae temperantiae: Vide *Exod.14.43. & 15.25. & 16,8. & 18.24. Nu.c.r. 29. & 12.3.13. &c.16.22.46.*

Iob patriarcha temperantia, praesertim *c. 29. & 31.* elegantissime descripta legitur. *Samuelis* item *1.Sam. 14.1.3.4.&c. Dauidis*, vt patet, ex *I.Sam. 18.13. & 24.7. 10.12. & 25.32. & 26.15.*

His adiungimus, *Paulum* Apostolum, cuius temperantia praesertim innumeris testimonijs approbatur, teste Luca in Actis Ap. Ex historia Eccl. pauca quaedam exempla subijcere libet, alijs fere innumeris omissis.

Gregorius cognom. Thaumaturgus, quum pro consuetudine in Alexandria Aegypti cum doctis atque delectis viris, in habitu graui, & honesto, de quadam quaestione Philosophica disputaret, vnaq. se cum illis exerceret, meretrix accedit ineptis gestibus formam ostentans, & mollitiem luxumq. prae se ferens, atq. per omnia quae dicebat, & quae faciebat, sese consuescere eum eo simulans: tandem se mercede fraudatam esse cōquerebatur. At cum illi, qui vitae Gregorij puritatem, & continentiam non ignorabant, indignarentur, & ita aduersus meretricem commouerentur, ipse neque vna perturbatus est cum ijs, qui ipsius nomine stomachabantur, neq. quidquam huiusmodi dixit, eum calumnijs premerent, quale pronunciare par esset eum, qui grauiter molesteque rem ferret: non testes vitae aduocauit, non iure iurando probrum ab se reiecit, non malitiam eorum qui hęc ad uersus eum machinati erant, conuicit, sed submissa, atque sedata voce, conuersus ad quendam familiarem. Heus tu, inquit, numera ei pecuniam, ne diutius importunitate sua propositae quaestionis tractatum conturbet. Quum autem is, cui hoc iniungebatur, à meretricula suscitatus, quantam pecuniam ab illo posceret, sine mora oēm adnumerasset, atq. ab lasciuis, & proteruis nebulonib. aduersus sobrium, & continentem insidiç patefactae essent, & iam in maotb. illius infamis lucrum esset: tunc diuinitus adolescentis Gregorij continentia probatur, & çqualiū calumnia patefit. Simul, n. atq. manu pecuniam accepit, spiritu infelici, atq. maligno correpta fremitu q. immani, atq. fetali, diuerso à voce humana sono ingemiscens, collabitur prona in medio coetu congregatorum: spectaculum horrendum atq. terribile praesentibus repente facta, quum & capillus, quem suis manibus vellebat, dilaceratus, atq. disiectus, & oculi inuersi essent, & os spumas emitteret. At nō prius à daemonio suffocari desijt, quam magnus ille Gregorius pro ea Deum inuocasset, atq. placasset. *Greg. Nyss. in vita Greg. Thaumaturgi.*

Alia quae subijcimus exempla ex *Socrat.hist. Eccles.lib.4.cap.18.* desumpta sunt, quae veterum Christianorum ab impia, crudeli, impurissimaq. Gentilium societate segregatorum, & in solitudine Deo sacrata viuentium, temperantiam laudabilem produnt. 1. *Ammon* nunquam seipsum nudum aspexit, dicere solitus, turpe esse monacho suum ipsius corpus nudum contemplari. 2. *Pior* inter ambulandum comedere solebat: atq. cuidam interroganti cur ita faceret respondit, se in cibo sumendo non quasi opus facere, sed quasi superuacaneum quiddam. Item, ne animus, inquit, dum comedo, afficiatur voluptate corporea. 3. *Macarius* erga illos qui in ipsius congressum venirent seueritate cum renentia temperata vtebatur 4. *Euagrius*, inquit, quendam monachum dixisse andiorem tenuioremque victus rationem, eamq. semper çqualiter obseruatam, modo cum charitate iungeretur, monachum breui ad portum ἀπαθείας, id est, vacuitate ab omnibus animi perturbationibus perducturam. 5. *Quidam* in ipso meridiei articulo siti vehementer oppressus, ad Macarium accedens, aquam postulauit, qua sitim leuaret. Et Macarius, vmbra (inquit) contentus esto. Nam multi qui vel terra iam iter faciūt, vel nauigio mare transmittunt, sunt ista quidem penitua destituti. 6. *Alius*, audito patris obitu, nuncium sic alloquutus est, ita compellans: Desine loqui blasphemias: nam pater meus est immortalis. 7. *Pambo*, vir illiteratus, ad quendam accedens vt Psalmum disceret, & eum primum versum Psalmi trigesimi octaui audiuisset, nempe, Dixi, custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea, secundum audire noluit, sed discedens, Vnus hic, inquit, versus sufficit, si modo eum re ipsa, & opere discere potuero. Illi postea qui versum docuisset, quaerenti quod per integrum semestre nō vidisset discipulum, Pambo respondit, se versum Psalmi nondum reipsa didicisse. Longo dein aetatis spano percursio, cuidam ex notis sciscitanti verum versum didicisset, respondit, se decem & nouem annis integris vix didicisse eum opere explere. Et haec quidem exempla de varijs temperantiae speciebus refert *Socrates* historicus Eccl.

HIEROGLYPHICA.

In sacris priscorum literis id erat temperantiae signum, quod in salutari victima lumbos eximi mos erat, tanquam impuros, ait Philo. propter conniteandae libidinis titillatum, semine per eos irriguo. Diuino autem praecepto lumbos praecingi iubemur, cū sacra illa solennia ferimus, quae tūc temporis instituta sunt, cū exeuntes ex Aegypti captiuitate, hoc est, ex voluptatib. & deliciarum illecebris, agnū, i. puritatem edere admonemur, & in castimoniae conuictu discumbere. *Io. Pier.l.34.*

Sacrae literae temperantiam, & moderationem significant per cingulum, & zonam, qua fluxae animorum cupiditates coercentur, luxurianda compescuntur, & modus denique imponitur. *Idem l.40.*

Hieroglyphicum cubiti vna cum fraeno manu praetento, temperantiam prae se fert. *Idem l.36. & 48.*

Capricus fuit etiam Aegyptijs temperantiae symbolum. Ea siquidem collo tauri quantumlibet lasciuientis alligata, animal fero cite minime permittit, sed lasciuia eius atque petulantia omni cohibita eum obtemperantem reddit, neque quicquam fiuirim modestius facere, *Idem l.52.*

Templum

TEMPLVM.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Templum, propriè locus, vel in cælo notatus ab augure, vel in terra a tuendo i. conspiciendo dictum, quod ea omni parte, vel quod ex eo omnis pars aspici possit, vt ait Donatus. Primo autem cęlum ipsum dictum est templum, quia ipsum primo aspectu intuemur. In terris templum dictum est quilibet locus inauguratus, religiosi cultus gratia. Gr. *ναός, ναὶς, ἱερόν, ἀνάκτορον.* Hebr. *Hechlal*, id est, palatium splendidum, quod dicitur tum de templo, tum de aula principis: nomenque ducit à pulchritudine consummata, & perfecta præ cæteris ædificijs. Hinc Græc. *αἴγλη*, splendor. Vide de templo, seu palatio. *Ps.* 5.8. *&* 18.7. *&* 45.9. *&* 144. *etc. fin. Prou.* 30.28. *Ier.* 7.4.

LOCI BIBLICI.

Templum pro illo templi atrio, quod populi atrium dicitur, *Matt.* 25. *v.* 12. templum ab atrio manifeste distinguitur. *Lu.* 1.9. templum Domini extrui incipit, 1. *Reg* 6.1. 2. *Par.* 3.1.2. quando quã to tempore, & qua forma sit extructum, 1. *Reg* 6.1. *&c.* 7.1. *&c.* 2. *Par.* 3.1. *&c.* 4.1. *&c.* quorsum extructum, 6. 19. dedicatur, 1. *Reg.* 8.63. caligine impletur, *v.* 11. a Ioa Rege Israel expilatur. 2. *Reg.* 14.14. Ioæ regis Iuda iussu instauratur, 2. *Par.* 24.5. profanatur per Achaz, 28.21. consecratur per Ezechiam, 21. *v.* 1. *&c.* profanatur, & consecratur denuo per Manassen, 37.7.15. exuritur, 2. *Reg.* 25.9. prout prædictum erat. 2. *Par.* 7.20. iterum extruitur, 1. *Esd.* 1.3.4.5. capitur, 6. *v.* 3.7. spoliatur, & accoditur, 1. *Mach.* 1.23.33 profanatur, *v.* 49.57. mondatur, & consecratur, 4. 36. 2. *Mach.* 10.1. eius deuastatio. *Dan.* 9.26. *Matt.* 24.2. *Mar.* 13.2. *Luc.* 19. *v.* 41. contra templum prophetatur. *Leu.* 29.31. 1. *Reg.* 9.7. 2. *Reg.* 21.12 2. *Par* 7.20. *Ps.* 74.6. *Esa.* 66.1. *Ier.* 7. *v.* 3.17. *&* 26. *v.* 6 12. *Amos* 9.1. *Mich.* 5.2. *Zach.* 11.2.

Templum orationis domus, 2. *Paral.* 6.21. *Esa.* 56. *v.* 7. *Matt.* 21.15. ibi oratur, & exaudit Deus, 1. *Reg.* 8.29 *&* 9.3. 2. *Para.* 6.19. *Matt.* 21.13. templum Dei, Patris domus, *Ioan.* 2.16. templum spirituale, & domus Dei, 2. *Sam.* 7.13. *Prou.* 9.1. *Agg.* 2. *v.* 8. *Matt.* 7.24. *&* 16.18. *Ioan* 2. *v.* 19 1. *Cor.* 3.16 *&* 6.19. 2. *Cor.* 6.16. *Eph.* 2.20. 1. *Tim.* 3.15. *Heb.* 3.6. 1. *Pet.* 2.5. templum Dei, singuli fideles dicuntur, 1. *Cor.* 3.16. *&* 6.19. 2. *Cor.* 6.16. eo quod Deus per Spiritum sanctũ ipsos in Christo sanctificarit, & quasi apud eos domicilium delegerit. Eadem ratione Ecclesiæ etiam idem nomen tribuitur. *Eph.* 2.21. cum fideles vnus in omnem quasi ædificium compingantur. Templum Dei violare, i. vt rem sacram polluere ac cõtaminare dicuntur Paulo, 1. *Cor.* 3.17. qui carnali facundia puritatem Euangelij inquinabant, quiq. factionib. scindebãt Ecclesiam, quod neq. sunt impune laturi. Templum sacrificiorum domus, 2. *Paral.* 7.12. vestigiorum Dei locus, *Ezec.* 43.7. locus sanctus, *Gen.* 28.10. *Exod.* 3. *v.* 5. spelunca latronum fit, *Ier.* 7.11. *Matt.* 21. *v.* 13. a Chaldæis succenditur, 2. *Reg.* 25.9. *Ps.* 74.7. *Ier.* 12.13.

Templi instaurandi dispositio, *Ezech.* 41. *v.* 1. instauratio, 2. *Esd.* 3. 9. impeditur, 4. *v.* 4.24. continuatur, 6. 14. dedicatur, *v.* 16. eius destructio prædicitur. 2. *Par.* 7.70. *Luc.* 21.6. templi secundi gloria, gloriæ prioris præstat. *Agg.* 2. 10. templi profanatio, *Ioan.* 2.14. profanatores a Deo puniuntur. *Es.* 56.5. 2. *Mach.* 3.25.26. *Matt.* 21.12. *Ioann.* 2.15. templi religio, & sanctitas, 2. *Reg.* 11.15. *Marc.* 11.16.

Templa manu facta non inhabitat Deus, quasi ijs concludi possit, vel ijs indigeat, vt homo ædibus. 1. *Reg.* 8.27. 2. *Par.* 6.18. *Es.* 66.1. *Ier.* 23.24. *Act.* 7.48. *&* 17.24. alioquin Deus in templis materialibus habitare dicitur, 1. *Reg.* 6. *v.* 13. *&* 8. *v.* 12. 2. *Par.* 23.25. *Ps.* 78. 90. *&* 132.13. *Ier.* 7.3.7. *Matt.* 23.21. *Act.* 7.46. templa idolorum, 1. *Sam.* 5.2. *&* 39. 1. *Reg.* 17. 2. *Reg.* 10.21. *&* 17.32. *&* 19.37. 1. *Par.* 21.10. *Bar.* 6.16.30. *Es.* 37.18. *Ier.* 43.12. *Dan.* 14.1. *&c.* 1. *Mach.* 1.50. *&* 6.2. *&* 10.83. *Act.* 19.27.

Templorum vsus. *Esa.* 56. 7. in Templo frequenter versabantur Christus & fideles, *Matt.* 21.1. *Marc.* 11. *v.* 11. *&* 13.45. *Luc.* 2.37. *&* 16.45. *Act.* 2.46. *&* 3.1. *&* 5.20.22. *&* 21.26. *&* 22.17.

SENTENTIÆ BIBLICÆ.

Templum spirituale virtute decoratur.

Sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate. *Psal.* 64.

Nescitis, quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis? 1. *Cor.* 3.

An nescitis quoniam membra vestra templum, &c. Qui consensus templo Dei cum idolis? Vos estis templũ Dei viui. Propter quod exite de medio eorũ, & separamini, dicit Dominus. *Idē* 6.

Iam non estis hospites, & aduenæ, sed estis ciues sanctorum, & domestici Dei, superædificati super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu: In quo omnis ædificatio constructa, crescit in templum sanctum in Domino, in quo & vos coædificamini in tabernaculum Dei in Spiritu sancto. *Ephes.* 2.

Deus qui fecit mundum, & omnia quæ in eo sunt, hic cœli & terræ cum sit Dominus, non in manu factis tēplis habitat. *Act.* 7.

Iniquitate fœdatur.

Si quis templum Dei violauerit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. 1. *Cor.* 3.

An non cognoscitis vosmetipsos, quia Christus Iesus in vobis est, nisi forte reprobi estis. 2. *Cor.* 13.

Templum materiale.

Diuinis mysterijs dedicatur.

Facient mihi sanctuarium, & habitabo in medio eorum, iuxta omnem similitudinem tabernaculi, quod ostendam tibi, & omnium vasorum in cultum eius. *Exod.* 25.

Inde præcipiam, & loquar ad te. *ibid.*

Ibi præcipiam filijs Israel, & sanctificabitur altare in gloria mea. Sanctificabo vt tabernaculum testimonij cum altari, & Aaron cum filijs suis, & sacerdotio fungantur mihi. Et habitabo in medio filiorum Israel. 29.

Assumpto vnctionis oleo, voges tabernaculum cum vasis suis vt sanctificetur altare holocausti, & omnia vasa eius. 40.

Non facietis ita Domino Deo vestro: sed ad locum quem elegerit Dominus Deus vester, venietis, & offeretis in loco illo victimas. & holocausta. *Deut.* 12.

Quæ sanctificaueris & voueris Domino, tolles, & venies ad locũ quem elegerit Dominus, & offeres oblationes. *ibid.*

Stetit Salomon ante altare Domini. 3. *Reg.* 8.

Quis poterit præualere: vt ædificet ei dignam domum? Si cęlum & cœli cœlorum capere eum nequeunt, quantus ego sum, vt possim ei ædificare domum? Sed ad hoc tantum, vt adoleatur incensum coram illo. 2. *Paral.* 2.

Ergone credibile est vt habitet Deus cum hominibus super terram? Si cœlum, & cœli cœlorum non te capiunt, quanto magis domus illa, quam ædificaui? 6.

Ad hoc tantum facta est, vt respicias orationem serui tui, & obsecrationem eius, Domine Deus meus. *ibid.*

Holocausta eorũ & victimę placebunt mihi super altari meo, quia domus mea domus orationis vocabitur cunctis populis. *Esa.* 56.

Cœlum sedes mea, & terra scabellum pedum meorum, dicit Dominus, *idem.* 66.

A bonis hominibus veneratur.

Introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo. *Psal.* 5.

Introibo in domum tuam in holocaustis. *Psal.* 65.

Introibimus in tabernaculum eius, adorabimus in loco, vbi steterunt pedes eius. 131.

Custodi pedem tuum ingrediens domum Dei, & appropioqua vt audias. *Eccles.* 4.

Quia domus mea deserta est, & vos festinastis vnusquisque in domum suam. Propter hoc super vos prohibiti sunt cœli, ne darent rorem. & terra prohibita est, ne daret germen suum. *ibid.*

Saluator Iesus cum esset duodecim annorum, in templo sedens in medio doctorum, inuentus est: ibique frequenter docuit. *Luc.* 2.

A malis violatur.

Et sanctuarium meum metuite, ego Dominus. *Leuit.* 19.

Nunquid spelunca latronum facta est domus ista, in qua inuocatũ est nomen meum in oculis vestris? *Ierem.* 7.

Propter malitiã adinuētionũ eorũ de domo mea eijciã eos *Osea* 9.

Intrauit Iesus in templum Dei, & eijciebat omnes vendentes & ementes in templo, & mensas nũmulariorum, & cathedras vendentium columbas euertit, & dicit eis: Domus mea, domus orationis vocabitur: vos aũt fecistis illam speluncam latronum, *Matth.* 21. *Marc.* 11. *Luc.* 19.

SENTENTIAE PHILOSOPH.

Delicta maiorum immeritus lues,
Romane, donec templa refeceris,
Aedesq; labentes Deorum, &
Fœda nigro simulachra fumo.

Proper. 3.11.

Torrida sacrilegum testantur lumina Brennum;
Dum petit intonsi Pythia regna Dei.
Aut mons laurigero concussus vertice diras
Gallica Parnassi sparsit in arma niues.

APOPHTHEGMATA.

Stratonicus versans apud Malissam, quum videret templa multa, homines paucos, stans in medio foro, clamauit: Audite templa. *P. M. l.* 6. *apoph. ex Athen.*

Phryne Delphis Venerem auream dicauit, eam videns Diogenes, asscripsit elogium: Ex Græcorum intemperantia. Arguebat. n. Græcos, supra modum libidini deditos esse, quod scortum è turpi quæstu tantum auri collegisset. *Laert. l.* 6.

Tempus

T E M P V S.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

TEmpus, Græce χρόνος & καιρός, temporalis dicitur. Hebr. *Heth*, tempus, opportunitas temporis. Hine ἔτος, annus, spatium seu tempus vnius anni. Item Lat. ætas, quod spatium etiam sæpe pro tempore accipitur. *Itteoh*, tempora, opportunitates temporis: *Hattah*, Nunc, iam, modo, aduerbium temporis. Hinc Græc. ἤδη iam, νῦν, nunc, εἶτα, postea, deinceps: ὅτι, ὅταν. Dicitur etiam Hebr. *Zeman*, constitutio temporis, tempus definitum, constitutum: a verbo *Zamam*, induxit in animum, cogitauit, decreuit, præsumpsit, statuit apud se. vide *Eccl.* 3. 1. *Nehem.* 2. 6. *Esther* 9. 26. Est autem tempus numerus motus, secundũ prius & posterius. *Arist. l.* 4. *Physicorum.*

Tempus est in primo motu cœli, & sicut in subiecto, & primo mẽsurato, *secund.* B. *Thom.* 1. *p. q.* 10. *art.* 6.

LOCI BIBLICI.

Tempus, pro certo temporis articulo, *Matth.* 16. 3. rebus omnibus constitutum, *Eccl.* 3. 1. *&c.* tempus redimendum, *Eph.* 5. 16. *Col.* 4. 5. tempus Euangelij, 2. *Cor.* 6. 2. tempus extremum, 1. *Cor.* 10. 11. *Heb.* 1. *v.* 1. 2. *&* 9. 26. 1. *Pet.* 1. 5. 20. 1. *Ioan.* 2. 18. tempus extremum periculosum, & Antichristi seductionibus obnoxium, 2. *Tim.* 3. *v.* 1. 2. *Pet.* 2. 2. *Iudæ* 17. 18. tempus horæ, pro exiguo temporis interuallo, 1. *Thess.* 2. 17, tempus plenitudinis, pro pleno tempore, & in cuius sunt omnia peracta spacia, *Gal.* 4. 4. *Ephes.* 1. 10. tempus præsens pro præterito, 1. *Ioan.* 2. *v.* 8. tempus præsens pro futuro, *Col.* 3. 6. 1. *Thess.* 4. 15. præteritum pro præsenti, *Roman.* 8. 30. præteritum pro futuro, *Esa.* 65. *v.* 1. *Rom.* 10. *v.* 12. *Iudæ* 14.

Tempori habenda ratio *Exemplum:* Gedeon, *Iudic.* 6. 27. temporé vtendum, & temporis opportunitas in omnibus seruanda, *Eccl.* 31. *&* 8. 5. *&* 20. 6. *&* 32. 20. *Rom.* 12. 11.

Tempora sæcularia, 2. *Tim.* 1. 9. *Tit.* 1. 2. ita vocari existimatur a plerisque annorum series, quia sæculorum origine fluxerunt, vt idem prorsus significet, Ante tempora sæculorum, atque, Ante iacta mundi fundamenta: siquidem tempus cum mundo cœpit. Temporum ciuilis obseruatio non vituperanda, *Gen.* 1. 14. superstitiosa obseruatio damnatur, *Galat.* 4. 10. vicissitudo a Deo, *Genes.* 8. 22. tempora distincta, 1. 14. *&* 8. 22. nosse non est nostrum, *Act.* 1. 7.

SENTENTIÆ BIBLICÆ.

Tempus fructuose expendendum.

Omnia tempus habent, & suis spacijs transeunt vniuersa sub cœlo. *Eccles.* 3.

Omni negocio tempus est, & opportunitas, & multa hominis est afflictio. *ibid.* 8.

Fili conserua tempus, & deuita a malo. *Eccl.* 4.

Priusquam moriaris, in amicum esto beneficus, & pro eo quod potes manum illi dando porrige. *idem* 14.

Non defrauderis a die bono, & particula boni diei non te prætereat. *ibidem.*

Nemini mandauit impie agere, & nemini dedit spacium peccandi. 15.

Videte fratres, quomodo caute ambuletis, non quasi insipientes, sed vt sapientes, redimentes tempus. *Ephes.* 5.

Superstitiose non obseruandum.

Facto vespere dicitis: Serenum erit, rubicundum est enim cœlum. Et mane, Hodie tempestas, rutilat enim triste cælum. *Matt.* 16.

Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ pater posuit in sua potestate. *Actor.* 1.

SENTENTIÆ PATRVM.

Inter temporalia, & æterna hoc interest, quod temporale plus diligitur, antequam habeatur: vilescit autem cum aduenerit. Non enim satiat animam, cui verax & certa sedes æternitas. Aeternum autem ardentius diligitur adeptum, quam desideratũ. Nulli enim desideranti conceditur plus de illo æstimare, quam se habet, vt ei vilescat, quum minus inuenerit: sed quantum quisq; veniens æstimare potuerit, plus perueniens inuenturus est. *August. lib.* 1. *de doctr. Christ.*

Discernendum est quid præcedat æternitate, quid tempore, quid electione, quid origine: æternitate, sicut Deus omnia: tempore, sicut flos fructum: electione, sicut fructus florem: origine, sicut sonus cantum. *In quodam serm.*

Fallax in temporalibus bonis suauitas, labor & perpetuus timor, & periculosa iucunditas, initium sine prouidentia: & finis cum pœnitentia. *ibid.*

Nil longum, quod finem habet, æternitati comparatum omne tẽpus breue est. *Hier. in Ier.* 1.

Ne dicas, priora tempora meliora fuere, quam nunc sunt, virtutes faciunt dies bonos, vitia malos. *In Eccl. c.* 41.

Nemo vestrum parui æstimet tempus, quod in verbis consumitur ociosis. Volat verbum irreuocabile, volat tempus irremediabile, nec aduertit insipiens quid amittat, licet fabulari dicunt, donec hora prætereat. ó donec prætereat hora, quam tibi ad agendam pœnitentiam, ad obtinendam veniam, ad acquirendã gratiam, ad promerendam gloriam, miseratio cõditoris indulgeat, donec transeat tempus, quo diuinam propitiare debueras pietatem, properare ad angelicam societatem, suspirare ad amissam hæreditatem, excitare remissam voluntatem, flere commissam iniquitatem. *Bern. serm. ad scholares.*

Nil preciosius tempore, & heu nil hodie eo vilius inuenitur: transiuit dies salutis, & nemo recogitat: nemo sibi perire diem, & numquam rediturum causatur, sed sicut capillus de capite, sic nec momentum peribit de tempore. *ibid.*

SENTENTIÆ POETICAE.

Claud. 2. Stil.

Est ignota procul, nostraque impermia menti,
Vix adeunda Deis, annorum squalida mater,
Immensi spelunca æui: quæ tempora vasto
Suppeditat reuocatque sinu complectitur antrum,
Omnia qui placido consumit numine serpens,
Perpetuumque viret squamis, caudamque reducto
Ore vorat, tacito relegens exordia lapsu,
Vestibuli custos vultu longæua decoro,
Ante fores natura sedet, cunctisque volantes
Dependent membris animæ: mansura verendus
Scribit iura senex, numeros qui diuidit astris,
Et cursus stabilesque moras: quibus omnia viuunt,
Ac pereunt fixis cum legibus ille recensit,
Incertum quid Martis iter, certumque Tonantis
Proficiat mundo: quid velox semita Lunæ,
Pigraque Saturni: quantum Cytherea sereno
Curriculo, Phœbique comes Cyllenius erret.

Virg. 3. Georg.

Et fugit interea, fugit irreparabile tempus.

Idem 10. Aen.

Stat sua cuique dies, breue & irreparabile tempus
Omnibus est vitæ.

Ouid. 10. Met.

Labitur occulte, fallitque volabilis ætas,
Et nihil est annis velocius.

Idem 15. Met.

Cuncta fluunt, omnisque vagans formatur imago:
Ipsa quoque assiduo labuntur tempora motu,
Non secus ac flumen: neque enim consistere flumen,
Nec leuis hora potest: sed & vnda impellitur vnda,
Vrgeturque eadem, veniens vrget que priorem.
Tempora sic fugiunt pariter, pariterque sequuntur,
Et noua sunt semper, nam quod fuit ante, relictum est,
Fitque quod haud fuerat: momentaque cuncta nouantur.

Idem 6. Fast.

Tempora labuntur, tacitisque senescimus annis,
Et fugiunt freno non remorante dies.

Idem 3. Art.

Eunt anni more fluentis aquæ,
Nec quæ præterijt, cursu reuocabitur vnda:
Nec quæ præterijt hora, redire potest.
Vtendum est ætate, cito pede labitur ætas,
Nec bona tam sequitur, quam bona prima fuit.

Idem 1. Amor. 8.

Labitur occulte, fallitque volatilis ætas,
Et celer amissis labitur annus equis.

Sen. Hipp.

Volat ambiguis mobilis alis
Hora
Senescimus, effugit ætas, &c.

Auf. epig. 15.

Obrepsit non intellecta senectus,
Nec reuocare potes, qui periere, dies.

Terent. And.

Nunc hic dies aliam vitam adfert, alios mores postulat.

Ouid. 1. Remed.

Aggrediar melius tum, cum sua vulnera tangi
Iam sinet, & veris vocibus aptus erit.
Quis matrem, nisi mentis inops, in funere nati
Flere vetat? non hoc illa monenda loco est.
Cum dederit lachrymas, animumque expleuerit ægrum,
Ille dolor verbis emoderandus erit.
Temporibus medicina valet: data tempore prosunt,
Et data non apto tempore vina nocent.
Quin etiam accendas vitia, irritesque vetando,
Temporibus si non aggrediare suis.

Idem 3. Pont. 9.

Læta fere lætus cecini, cano tristia tristis:
Conueniens operi tempus vtrumque suo est.

Boeth.

Cum Phoebi radijs graue
Cancri sidus inaestuat:
Tum qui larga negantibus
Sulcis semina crediderit,
Elusus Cereris fide,
Quernas pergat ad arbores.
Numquam purpureum nemus
Lecturus violas petas.
Cum saeuis aquilonibus
Stridens campus inhorruit,
Nec quaeras auida manu
Vernos stringere palmites
Vuis si libeat frui:
Autumno potius sua
Bacchus munera contulit.

Terent. Heaut. 2.

In tempore ad eam veni, quod rerum omnium est
Primum.

Sen. Med. act. 1.

Compesce verba, parce iam demens minis,
Animosque minue: tempori aptari decet.

Virg. Eclog. 9.

Omnia fert aetas, animum quoque, saepe ego longos
Cantando puerum memini me condere Soles.

Idem de Mecoenatis obitu.

Tempora dispensat vsus, & tempora cultus:
Haec homines, pecudes, haec moderantur aues.

Ouid. 15. Met.

Tempus edax rerum, tuque inuidiosa vetustas
Omnia destruitis, vitiataque dentibus aeui
Paulatim lenta consumitis omnia morte.

Idem 2. Art.

Lentescunt tempore curae,
Vanescitque absens, & nouus intrat amor.

Idem 4. Pont. 8.

Tabida consumit ferrum, lapidesque vetustas,
Nullaque res maius tempore robur habet.

Idem 4. Trist. 6.

Tempore ruricolae patiens fit taurus aratri,
Praebet & incuruo colla premenda iugo.
Tempore paret equus lentis animosus habenis;
Et placido duros accipit ore lupos,
Tempore Poenorum compescitur ira leonum,
Nec feritas animo, quae fuit ante, manet.
Quaeque sui iussis obtemperat Inda magistri
Bellua, seruitium tempore victa subit.
Tempus vt extensis tumeat, facit, vua racemis,
Vixque merum capiant grana, quod intus habent,
Tempus & in canas semen perducit aristas,
Et ne sint tristi poma sapore, facit.
Hoc dentem tenuat terram renouantis aratri,
Hoc rigidos silices, hoc adamanta terit.
Hoc etiam saeuas paulatim mitigat iras,
Hoc minuit luctus, moestaque corda leuat.
Cuncta potest igitur tacito pede lapsa vetustas,
Praeterquam curas attenuare meas.

Corn. Gallus.

Cuncta trahit secum, vertitque volubile tempus,
Nec patitur certa currere quemque via.

Mart. 2.

Quid non longa dies? quid non consumitis anni?

Tibul. 1. 4.

Longa dies homini docuit parere leones:
Longa dies molli saxa peredit aqua.
Annus in apricis maturat collibus vuas:
Annus agit certa lucida signa vice.

Claud. 2. Eutrop.

Quid non longa valebit
Permutare dies?

Nemesianus Ecl. 3.

Omnia tempus alit, tempus rapit, vsus in arcto est.

Ouid. 2. Art.

Eximit ipsa dies omnes de corpore mendas,
Quodque fuit vitium, desinit esse mora.

Ouid. 5. Trist. 9.

Nos quoque floruimus: sed flos fuit ille caducus,
Flammaque de stipula nostra, breuisque fuit.

Horat. 3. Carm. 7.

Immortalia ne speres monet annus, & almum
Quae rapit hora diem.
Frigora mitescunt Zephyris: ver proterit aestas,
Interitura simul
Pomifer autumnus fruges effuderit: & mox
Bruma recurrit iners.

Ouid. 4. Trist.

Saepe etiam lachrymae sunt me scribente profusae,
Humidaque est fletu litera facta meo:
Corque vetusta meum tamquam noua vulnera nouit,
Inque sinum moestae labitur imber aquae.
Dum vice mutata qui sim fuerimque recordor,
Et, tulerit quo me casus & vnda subit. &c.

Opera Dei sunt extra tempus.

Antholog. Sacr. Iacob. Bill.

Artifice in summo sine tempore temporis ordo est,
In Deo rerum non variat series.
Aeterno auctori simul adsunt omnia semper,
Cum quo in factorum est ordine quidquid erit.

Epitaphium Diogenis Philosophi.

Γηράσκει καὶ χαλκὸς ὑπὸ χρόνου, ἀλλὰ σὸν οὔτε
Κῦδος ὁ πᾶς αἰὼν, Διόγενες, καθελεῖ.
Μοῦνος ἐπεὶ βιοτᾶς αὐτάρκεα δόξαν ἔδειξας
Θνητοῖς, καὶ ζωᾶς οἶμον ἐλαφροτάταν.
Aera quidem absumit tempus sed tempore numquam
Interitura manet gloria, Diogenes.
Quandoquidem ad vitam miseris mortalibus aequam
Monstrata est facilis te duce, & ampla via.

Laert. lib. 6. de vitis Philosophorum.

Εἰς ὥρας δ' ἄδηλον.
Ἓξ ὧραι μόχθοις ἱκανώταται, αἱ δὲ μετ' αὐτάς,
Γράμμασι δεικνύμεναι, ζῆθι λέγουσι βροτοῖς.

Volaterranus.

Sex horae tantum rebus tribuuntur agendis,
Vtque post illas, litera Zetha monet.

Phocylides.

Temporibus semper cautus seruire memento,
Nec vesi lare velis aduersum flamina venti.

Philippides in Philippo.

Ὁ κοινὸς ἰατρός σε θεραπεύσει χρόνος.
Tempus te sanabit qui communis est medicus.

Menander Comicus.

Πάντων ἰατρὸς τῶν ἀναγκαίων κακῶν
Χρόνος ἐστὶν, οὗτος καί σε νῦν ἰάσεται.
Medicus omnium necessariorum malorum
Tempus est, quod tibi quoque nunc medebitur.

Diphilus.

Αὐτὸς δὲ πᾶσιν γίνετ' ἰατρὸς χρόνος.
Tempus omnis moestitiae medicus.

Philetas in Cerere.

Ἀλλ' ἐπεὶ χρόνος ἦλθεν, ὅτ' οὐ δεῖ ἄλγεα πάσχειν,
Ἐλλαχόν, ἐκ πολλῶν φάρμακα μῦθον ἔχει.
Καὶ γάρ τις πλάζοιο κορεσσάμενος κλαυθμοῖο,
Κήδεα δειλαίων ἦλθεν ἀπὸ πραπίδων.
Quum tempus aderit, quod a sene, vt dolores concoquat,
Destinatum est, & solum luctus remedia continet.
Nam qui miserabilis fletu satur fuerit,
Ille miseras curas expectorat.

Periander.

Μὴ πίστευε χρόνῳ.
Ne credas tempori.

Menander.

Ἦθους δὲ βάσανός ἐστιν ἀνθρώποις χρόνος.
Moris autem index est hominibus tempus.
Ἄγει δ' ἐπὶ πρὸς φῶς τὴν ἀλήθειαν χρόνος.
Ducit autem ad lucem veritatem tempus.
Μακρὸς γὰρ αἰὼν συμφορὰς πολλὰς ἔχει.
Longum enim aeuum calamitates multas habet.
Πάντα ἀνακαλύπτων ὁ χρόνος πρὸς φῶς φέρει.
Omnia detegens tempus ad lucem fert.
Σύμβουλος οὐδείς ἐστι βελτίων χρόνου.
Nullus tempore melior consiliarius.

PHILOS. ET HISTORIC. SENTENT.

Ita fac ergo, mi Lucili, vindicate tibi, & tempus quod adhuc, aut auferebatur, aut surripiebatur, aut excidebat, collige & serua. Persuade tibi hoc sic esse, vt scribo, quaedam tempora surripiuntur nobis, quaedam subducuntur, quaedam effluunt: turpissima tamen est iactura, quae per negligentiam fit: & si volueris attendere, maxima pars vitae elabitur male agentibus, tota vita aliud agentibus. Quem mihi dabis, qui aliquod precium temporis ponat? qui diem aestimet? qui intelligat se quotidie mori? In hoc enim fallimur, quod mortem non prospicimus, magna pars eius iam praeterit, quicquid aetatis retro est mors tenet. Fac ergo mi Lucili, quod facere te scribis, omnes horas complectere: sic fiet, vt minus ex crastino pendeas, si hodierno manum iniceceris. Dum differtur, vita transcurrit. Omnia, mi Lucili, aliena sunt, tempus tantum nostrum est, in huius rei vnius fugacis, ac lubricae possessionem natura nos mittit: ex qua expellitur qui-

quicumque vult, & tanta stultitia mortalium est, vt quæ minima & vilissima sunt, certe reparabilia imputari sibi cum perire patiantur. Nemo se iudicat quicquam debere, qui tempus accepit: cum interim hoc vnum est, quod nec gratus quidem potest reddere, &c. *Seneca lib. 9. epist.*

M. Varro dicere solebat, nullam iacturam esse grauiorem, præsertim scienti, quam temporis.

Non tam benignum, ac liberale natura nobis tempus dedit vt aliquid ex illo vacet perdere. *Quint. Decl. 4.*

Infimæ terrenæque mentis est memorare annos. *Cic. 2. de Diu.*

Nihil est quod longinquitas temporis efficere non possit.

Tempori cedere, id est, necessitati parere, semper sapientis est habitum. *Idem ad Marc.*

Nihil est opere aut manu factum, quod aliquando non conficiat, & consumat vetustas. *Pro Marcell.*

Horæ cedunt, dies, menses, anni: nec præteritum tempus vmquam reuertitur: nec quod sequatur, sciri potest. *Idem.*

Sensim sine sensu ætas senescit, nec subito frangitur, sed diuturnitate extinguitur. *Idem Pist. 1 1.*

Quæ potest esse in vita iucunditas, cum dies ac noctes cogitandum sit, iam iam esse moriendum. *1. Tusc.*

Tanto breuius omne, quanto felicius tempus. *Plin. in Pan. l. 1.*

Nihil horum temporalium stabile, neque solidum est: nos tamen cupimus: tamquam aut semper futura, aut semper habituri. *Senec. l. 9. epist.*

Fluunt omnia, & in assidua diminutione sunt corpora nostra, rapiuntur fluminum more. Quicquid vides, currit cum tempore: homo, fluida est materia, & caduca, & omnibus obnoxia casibus. *Idem epist. 67.*

Nemo se iudicat quicquam debere, qui tempus accepit, quum interim hoc vnum est, quod ne gratus quidem potest reddere. *Idem epist. 1.*

Omnia aliena sunt, tempus tantum nostrum quotidie est, deterior posterior dies. *In Prouerb.*

Tempus omnes res præclaras delet. *Dionys. Halic. lib. 7.*

Ipsa tempora multas res innouant. *Idem, lib. 5.*

Meliores prudentiores, constantiores, nos tempus diesque facit. *Liu. Decad. 3. l. 2.*

Nemo eos lubens perdit, quos habet belli socios: sed iuxta temporum casus princeps eo adigitur, vt multa exequatur præter animi sui sententiam. *Polyb. lib. 17.*

Tempus omnium consiliatorum optimum. *Plut. in Pericle.*

Assiduitate omnem superat eacinditque potentiam tēpus, quod plurimum auxilij fert ijs, qui prudenter occasionem captant: idem tempus inimicissimum est ijs qui importuna festinatione vtuntur. *Idem, in Sertorio.*

Tempore nihil carius esse potest homini rem magnam affectanti. *Ibid.*

Tempori seruiunt etiam ij, qui alioquin imperare videntur. *Idem in Arato.*

Temporis iactura damnosissima. *Idem in Antonio.*

Solet tempus omnia innouare, & perpetuas vicissitudines inducere. *Nicetas.*

Quidam quadrigas fecerunt, quæ sub muscæ ala possent abscondi, & in Sesamo distichon elegeium literis aureis inscripserunt. Quorum sane neutrum, mea sententia, homo prudens, & virtutum studiosus laudibus prædicabit. Quid enim hæc aliud sunt, quam temporis vana perditio. *Aelian. var. hist. l. 1. c. 17.*

Ad præclara, & generosa virtutis facinora nostris temporibus prisca longe magis propensa fuerunt. *Fr. Guicciard. hist. l. 6.*

Honestum & laudabile est seruire tempori, cedereque fortunæ ad tempus. *Ar. Ferron. lib. 7.*

Ab euentu tempora rerum causas aperiunt. *P. Iouius, hist. l. 15.*

De temporis amissione. DIAL. XV.
Francisci Petrarch.

DOL.

Temporis amissionem fleo. R. Esset hæc eo iustior, quam superior querela, quo leuior est pecuniæ iactura, quam temporis, quod nec necessaria ad bene viuendum est pecunia, & amissa restaurari potest. Tempus & necessarium, & prorsus irreparabile est, nisi quia nolenti pecunia, volenti autem tempus eripitur, quamuis illud fatear, grauiora damna esse, quæ culpa patientis exaggerat. Iustam tamen querelæ causam nego, vbi qui patitur, volens patitur. D. Nolens ego tempus amitto. R. Quis nolentem cogit, nisi cupiditas occupationum mater? Solum hoc vnum vitium, ait Comicus, affert senectus hominib. Attentiores sumus ad rem omnes quam sat est. Senes hic quidem notat. Omnes vero iam senes in hac attentione facti sunt. Omnem ætatem, omnem statum, omnem sexum inuasit auaritia. Hæc tempus miseris, & respectum vitæ breuis hominibus eripit. In hanc vnā rē soliciti æuum omne consumitis, vestri & vestrarum pene iā immemores voluptatum, quæ pestis si nolentes inuadere posset, & nolentibus tempus eripi, & iusta esset super preciosissimæ rei amissione querimonia. Dol. Non mihi cupiditas tempus extorquet, sed necessitas. RAT. Quænam quæso necessitas est ista, quæ tibi præripiat, quod vnum ex omnibus tuum est? Ita dico diuitias, honores, potentiam, clientelas, imperia, & quæ sūt eiusmodi tuo iure dat, atque eripit fortuna, tempus inuito non eripitur, sed ipsum per se sensim defluit non venit, paulatimque consumitur. Nec ante perpendis, quam consumptum est, tum querelæ sonant seræ & inutiles. Fletur temporis amissio, sed siletur culpa. D. Me necessitas sola cogit tēps amittere. R. Quæro iterum, quænam hæc tam violenta necessitas? nisi forte dominorum negocijs implicitus tua negligis, quasi vero non ad hæc te sola cupiditas, & inexplebilis lucri spes impellat. Pone cupiditates proprias, dominorum cupiditatibus non parebis. Sed hoc virus immedicabile venis infusum, & penetrans viscera, sensum hebetat. Et non solum tempus, sed libertatem, vitamque ipsam non sentientibus eripit. Quod si forte, nec tuis, nec alienis cupiditatibus, sed curis honestioribus tuæ Reip. tempus impēditur. Non hæc temporis amissio, sed laudabilis est impensa, rem carā rei omnium carissimæ, quæ in terris sunt, largitus, & viri boni, & ciuis egregij functus officio es, quamuis non ignorem homines, quicquid præter auaritiæ studium agitur, vulgo tēpus perditum vocare, cum id demum maxime, vereque sit perditum, quod illi studio tribuitur. Ecquid scimus, an tu quoque populariter perditum tempus voces? quod si crederem: omissa incurabilis morbi cura, non iam tempus, sed teipsum male perditum faterer. Nam si tempus (quod maluerim) Deo tuo non dicā donas, sed restituis, quod sine vera non geritur pietate, ingens, atque inæstimabile lucrum scito. Pro paruo enim temporis impēdio æternitatem quæris. Quis vnquā mercator permutatione tam prospera vsus est? D. Prorsus alia mihi perdendi temporis causa est. R. Non intelligo, quam tu mihi causam dicas. Nam si propter iram, propter mæstitiam, propter amorem, seu aliam animi passionem cogi credis: falleris. Omnium eadem est ratio, quam auaritiæ diximus, omnes voluntariæ. Nulla est violenta, q & sano paret intellectui, a Cicerone multis in locis disputatū, & creberrime repetitum est. Si nihil horum est in causa, quid aliud est, quam torpor & ignauia? Sic ad id reuertimur, quod ait Seneca. Turpissima est iactura, quæ per negligentiam venit. D. Vt amittam tempus, mæsta necessitas me cogit. R. Nondū capio quid rei sit. Nā si te hostis in vinculis habeat, si mors instet, possunt (fateor) actus bonos impedire, sed non pios sanctosq. cogitatus, qui maxime in eo statu eminent, atque effulgent. Quibus enim curis tempus certe non perditur, nescio an alibi vsquā minus. Quæ profecto & in dolium Reguli, & in taurū Phalaridis, introire possunt, & in crucem Theodori Cyrenensis ascendere. Sic quocumque te verteris, in te vnum amissi temporis culpa reflectitur. At vos ex more naturam accusatores, quæ volubile tēpus fecit, cum hic non esset æternitas in omnibus vosmetipsos absolutis, cum rei omnium soli sitis. Omne enim fere tēpus perditis, imo proijcitis. & quasi rem vilem abiectamque contemnitis, quod vtinam in virtute saltem, aut gloria poneretis, non in summa semper infamia, inexpiabilique dedecore, quamquā vere quicquid non in eos vsus vertitur, in quos datum est, perditū dici possit. Ad hoc sane nasci hominem, ad hoc enim tempus dari constat vt creatorem suum colat, amet, cogitet. quicquid hinc excidit, perditur haud dubie. Videte igitur quantum perditi temporis, quantumque non perditi.

APOPHTHEGMATA.

Thales sciscitatus, quidnam in tota rerum natura esset sapientissimum? respondit: Tempus, inuenit enim omnia. *Laer. l. 1. c. 1.*

Bias dicere solitus erat, vitæ tempus ita metiendum, quasi & diu & parum victuri simus. *Laert. l. 1. c. 6.*

Demetrius preciosissimum impendium esse dixit tempus, πολυτελέστατον ἀνάλωμα χρόνος. *Plut. in vita Anton. hoc dictum compluribus tribuit.*

Anaxagoras, percontanti, an Lampsaceni montes aliquando mare futuri essent? Anaxagoram respondisse ferunt: Ita sane, nisi tempus defecerit. *Brus. lib. 6. c. 26.*

Zeno Citticus aiebat, hominibus nihil magis deesse, quam tempus, longe dissentiens ab ijs, qui bonam vitæ partem perdunt somno, temulentia, nugis & alea, quasi multum temporis supersit homini. *Laert. l. 7. c. 1. Stob.*

Theophrastus habebat semper in ore, nullum esse sumptum preciosiorem tempore. Solum enim hoc recuperari non potest, & tamen vulgo nihil habetur vilius tempore. *Laer. l. 5.*

Simonides interrogatus, quantum temporis vixisset? Tempus quidem, inquit, exiguum, annos autem multos. *Stob. serm. 96.*

Plinius maior. Quum recitatorem quiddam perperam pronunciantem amicorum quispiam reuocasset, & vt repeteret coegisset: Quid, inquit, an intellexeras? quū ille annuisset: Cur ergo, inquit, reuocabas? Decem amplius versus ista tua interpellatione perdidimus. Tanta erat parsimonia temporis. *P. M. l. 8. apoph.*

Idem. Nepotem suum ambulantem videns, obiurgauit: Poteras, inquit, has horas non perdere. Nam qui lectica vehebantur, aut recitantem audiebant, aut si libuisset aliquid etiam an-

notabant, aut dictabant aliquid, quorum nihil licet ambulanti. *Ibidem.*

Cicero. quum accusator Milonis, ex argumento temporis colligens Clodio a Milone structas insidias, subinde rogaret, quo tempore occisus esset Clodius? Cicero respondit: Sero, voce ancipiti significans, è Republica fuisse futurum, si Clodius multo ante fuisset interfectus. *P.M.l.3.apoph.*

SIMILITUDINES.

Syracida. Sicut gutta aquæ a mari, & sicut calculus arenæ: Sic mille anni in diebus sæculi. *Eccle.c.18.*

Basilius. Fluunt tempora, nec moratorem expectant, festinant dies, ignauum & cessatorem prætereurrentes: & quemadmodum fieri non potest, vt decursum fluuij sistas, ac aqua eius ad necessaria vti possis, nisi in primo occursu, & vbi sese obijcit humanis: Itaneque tempus necessarijs circuitibus impulsum cohibere queas, aut iam elapsum, ad caput reuocare, aut vsum illius habere, nisi quis quum se offert arripiat. *De fame & siccitate.*

Seneca. Quemadmodum in minore corporis habitu potest homo esse perfectus: Sic & minori temporis modo esse vita perfecta. *lib. 2. epist. 93.*

P.M. Sicut vnda vndam perpetuo propellit: Ita dies diem trudit. *In simil.*

Vt in trente flumine tantum habes quantum hauris: Ita ex annis semper euntibus nihil accipis, nisi quod in res duraturas collocaris. *In simil.*

Vt ciconias nemo aduenire sentit, sed aduenisse: nemo discedere, sed discessisse, quod occulte clanculumque faciant vtrumque: Ita iuuentutem nemo intelligit discedere, sed discessisse: & senectutem non sentimus aduenire, sed aduenisse. *In simil.*

P.M. Vt natura non est eadem omnibus locis, neque flatuum, nec maris, nec pluuiæ, nec arborum, nec animantium: Ita non oportet hominem vbiuis eumdem esse, sed cum loco ac tempore variari. *In simil.*

Vt arborum aliæ gaudent montibus, aliæ vallibus: aliæ siccis locis, aliæ riguis & aquosis: Ita non omne vitæ genus omni homini conuenit. Sunt quæ quouis prouenitunt loco: Ita sunt horarum omnium homines accommodati ad mores omnium. *In simil.*

ADAGIA.

Hiberno puluere, verno luto. *Festus Pompeius ex antiquo carmine.*

Monet autem prouerbium, negocia opportune suscepta, feliciores nancisci exitus. Quemadmodum, si far hiemo sereno seminetur, & succedat ver humidum, copiosius solet prouenire.

Herniosi in campum, χάλαυξ χειλοὶ πεδίονδε. *Aristophanes in Anibus.*

Vsus adagij est, cum segnes ipsum tempus prouocat ad industriam.

Alia æstate, alia hieme. τὰ μὲν θέρευς, τὰ δ' ἐγγυστασίς χειμῶνι.

Significat aliam ætatem, aliæ vitæ conditionem alia decere, nec idem decere senem, quod iuuenem deceat.

Nunc leguminum messis. Νῦν ὄσπρίων ἀμητος.

Id est: Tempestiuum est hoc vel illud agere. Diogen. Esique translatum a ruslicis.

Beata tum hieme cum æstate bona. Βαίνω θέρευς ἐν χειμῶνι ἀγαθόν.

Dici potest de re multifaria vtili, veluti de literarum studijs & philosophia, cuius multiplicem in vita vsum Cicero demonstrat in Archiana.

Dum cessat Boreas, & incipit Auster. Α'ρχομένω τε νότοιο λήγοντος βορέαο.

Significatur tempus non nauigationi solum, sed cuiuis rei agendæ opportunum. Congruit cum illo, Cum pluit, molendum.

Nosce tempus. Γνῶθι καιρόν.

Præcipitur hoc adagio temporis, & opportunitatis obseruatio, quæ omnibus in rebus plurimum momenti habet.

Capra ad festum. Αἲξ εἰς τὴν ἑορτήν.

Dici solitum vbi quis in tempore ad negocium aliquod accederet.

Munus exiguum, sed opportunum. Δόσις δ' ὀλίγη τε φίλη τε. *Homer. Hemistich. ex alamnus.*

Significatur munus precio quidem leue, sed tamen acceptum pro tempore gratissimum.

Audi Chelidonem. Ἀκουε χελιδόνος.

Hoc est: In tempore curato negocia.

Oleum & salem oportet emere. Τὸ ἔλαιον χαὶ τὸν ἅλα δεῖ ὠνεῖσθαι. *Aristot.*

Significat in conficiendis negocijs opus esse nonnumquam remedijs contrarijs, nunc sale, id est, acrimonia, nunc oleo, ad est, lenitudine.

Iouis tergus. Διὸς κώδιον.

Dici solitum de re sordida quidem, sed tamen in vsum aliquem seruata.

Nihil homini amico est opportuno amicius. *Plautus.*

Hoc est: Officium quod præstatur in tepore, gratissimum.

Freund feynd gut bey dem Wege. *Eiusdem fermè est & illa vulgo sacritatur:*

Freundt in der Noth, Freundt in den Todt.

Freundt hinderm Rucken, das seyod drey starcke Brucken.

Omnium horarum homo.

Dici potest in eum, qui serijs pariter ac iocis est accommodatus. Quintil. Tetens, inquit, Paucorum hominum homo. Ein Mann von tausendt Frewden.

Sub manu nasci.

Dicitur de consilijs ex tempore capeis. Seneca.

Aut abi, aut exuere. ἢ ἀπιθι ἢ ἀπόδυθι.

Lex apud Lacedæmonios in publicis certaminibus. Si transferatur ad rem animi, velut ad disputandum, vel resistendum vitiosis affectibus, adagij vim obtinet. Plato.

Seruire scenæ. *Cicero.*

Hoc est: Rebus præsentibus se accommodare.

Vri foro. τῇ ἀγορᾷ χρῆσθαι.

Id est: Præsentem rerum statum boni consulere, & fortunam ad consilium flectere. Terent. Den Schragen zo Marckt richten. *Item,* Sich strecken nach der Deck n.

Aut bibat, aut abeat. ἢ πῖθι ἢ ἄπιθι.

Hoc est: Aut tempori, & loco nos accommodemus, aut hominum consuetudini se subducamus. Natum ex Græcorum veterum compotationibus.

Gladiator in arena consilium capit.

Monet adagium, in re nata mutandum aliquando consilium. That bringt Raht, Darnach es felt.

Polypi mentem obtine. πολύποδος νόον ἴσχε.

Hoc est: Pro tempore, & negociorum diuersitate alium, atque alium vultum, mores alios atque alios assume. Plutarch. Du must Fuchs vnd Hase seyn.

Spartam nactus es, hanc orna. Σπάρταν ἔλαχες ταύταν κόσμει.

Admonet adagium, vt quamcumque prouinciam erimus sorte nacti, ei nos accommodemus, proque huius dignitate nos geramus.

Et nati natorum. καὶ παῖδες παίδων.

Prouerbialis figura, qua longam rei cuiuspiam propagationem significamus. Plato.

Quoad vixero.

Quod in vita perpetuum nobis futurum intelligi volumus: indicare licebit Homerico carmine, quod est in Iliad. X.

Ὄφρ' ἂν ἔγωγε
Ζωοῖσιν μετέω, καί μοι φίλα γούνατ' ὀρώρῃ.
Donec
Viuos inter agam, genibus dum fulciar ipse.

Hoc imitatus Maro,

Dum memor ipse mei, dum spiritus hos reget artus.

HIEROGLYPHICA.

Veteres Aegyptij *serpentis imaginem*, caudam suam sub guttur attractam, occultatam in manu dextera Saturni statuebant *pro anno circuitu*, pro tempore, pro ætate, pro immortalitate. Quod vero serpens temporis signum esset, causam Cyrillus hanc subijcit: quod in longitudinem porrigitur, & multis complicatur spiris, quæ sunt multæ dierum annorumque series, taciteque; proserpit, nullo edito strepitu. Ea quoque causa esse potest suppressæ caudæ, quod tempus aut a præterito, aut a præsenti, aut a futuro consideretur, quæ omnia incerta nobis omnino sunt. Præsens quippe cum instabile sit, & velocissime trameurrat, vix percipitur: præteritum iniuers non possumus: futurum longe minus: quia nondum est, & eius finis prorsus est incognitus. *Pier. Valer. lib. 14. pag. 130. E.*

Annum significaturi veteres, *Iani & Apollinis* effigiem ponebant. Virgilius Liberum & Cererem adducit, inquiens in Georgicis:

Vos o clarissima mundi
Lumina, labentem cælo quæ ducitis annum,
Liber & alma Ceres.

Pier. Val. ibidem.

Per Basiliscum quoque Aegyptij *æternitatem* significaruot: quod inter serpentium genera, hoc vnum interfici vi non potest: quinimo tanta huic vni vis inest: vt animalia reliqua solo sibilo fuget, quo audito feruot omnes auium cantus coerceri, frutices, & herbas nou vllo morsu, sed olfactu aspectuque solo enecare. *Pier. Val. lib. 14. pag. 131. C.*

Stella quoque Temporis est hieroglyphicum: quia nihil in mundo toto statam temporis legem magis obseruat, quam cœlestia corpora, quæ sua quadam lege iterum ac sæpius mota, eodem semper temporis interuallo, certisque periodis eo redeunt, vnde ferri cœperant. *Pier. Val. l. 44. pag. 437. B.*

Falcem attribuam Saturno, cui tempora subijciuntur, ad significandum *Tempus* nonnulli voluot: quod tempus omnia metit, execat que & aufert. *Pier. Val. l. 56. pag. 536. F.*

Per populum quoque arborem *Tempus* indicabant: propterea quod arbor ea bicoloribus sit folijs prædita, ex quo præcipuas ipsius Temporis partes, quippe diem ac noctem, referre videantur. *Pier. Val. lib. 51. pag. 505. C.*

EMBLE-

EMBLEMA.

In quatuor anni tempora.

Emblema C. And. Alciat.

Aduenisse hiemem fringilla renunciat ales;
Ad nos vere nouo garrula hirundo redit.
Indicat æstatem sese expectare cuculus;
Autumno est tantum cernere ficedulas.

FABULA.

Arundo & Olea.

Disceptabant de fortitudine, robore & constantia olea, seu quercus, nihil enim refert, & arundo. Cum autem olea, siue quercus arundini exprobraret mobilitatem, & quod ad quamuis illa exiguam auram tremeret, tacuit arundo. Non ita diu post, ingruentibus ventis, & resistente flatibus ipsorum vel olea, vel quercu, ab horum illa vi eruta, & dissipata fuit, arundo autem submissione sua integritatem conseruauit.

Fabula ostendit, laudandos eos magis esse, qui tempori seruire sciant, & se non opponant valentioribus, quam eos qui cum præstantioribus se & potentioribus rixentur, atque contendant.

Significatur & hoc, quod Herodotus scripsit; Numinis hunc esse morem, vt ardua conuellat.

Vide Tit. Aetas, & Annus.

TENACITAS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Illiberalitatis quoque genera tria sunt: Turpilucrium, Parcitas, & Tenacitas.

Turpilucrium, quo quærere, lucrumque ex re qualibet facere non pudet, plurisque lucrum, quam ignominia est. Græce αἰσχροκέρδεια.

Parcitas autem, qua honestas necessariasq. ad res nostras minime sustinemus impendere. Græce φειδωλία δέ ἐστι, καθ᾽ ἣν ἀδάπανοι γίνονται τῶν χρημάτων εἰς τὸ δέον.

Tenacitas qua impendunt quidem, tenuiter vero maligneque, adeo plus vt incommodent, dum sumptus in tempore non faciunt. Græcis vocatur κιμβεία. *Arist. in libello de Virtutibus.*

Tenacitas, sordities, illiberalis parsimonia, turpis auaritia. Μικρολογία. Hebr. *Betsahh*, corrasio, turpe lucrum, quæstus inhonestus, quando per fas & nefas, opes corraduntur, a verbo *Batsahh*, corrasit, & metaphor. studuit auaritiæ pecunias corradendo. Cognationem habet cum *Patsahh*. vulnerauit: & cum *Hbatsahh*. afflixit: quoniam opes non corraduntur sine dolore, & afflictione, tum corradentium, tum pauperum quos expilant.

SENTENTIA BIBLICA.

Opes prodigalitate minuuntur, & parsimonia augentur. *Salomon in prouerb. c. 13.*

DICTA POETARUM.

Apollodorus Atheniensis comicus.

Odi fortunam iunctam infortunato corpori:
Si quis enim per diuitias suauiter agere potest,
Misere tamen viuit: quod aliud quam fortunam
Accuset, quod se homini infortunato sociauerit?
Ego non opes, quanta sint, aspexerim: sed eum, qui ipsas
Possidet superior, vt dominus, sit possessis.

Euripides in Antiope.

Si quis fortunatus & opulentus
Nihil egregium domi instituat,
Hunc ego nequaquam beatum nominauerim,
Sed potius felicem diuitiarum custodem.
Inhumana est improbitas, in statu ne miserabili quidem lachrimas
Fundere. hæc vero est malitia, cum opes affatim suppetant,
Neminem mortalium beneficijs demereri, parcitate victu improba.

Idem in Danae.

Quisquis domi rem gaudet coacerbare,
Et ventrem interea defraudans corpus, misere macerat,
Is mihi sacrilego melior non esse videtur,
Neque parcitate, aut sanguine iunctis inimico.

Philemon.

Si præsentibus non vtimur,
Abstinentes a quæsitis, hic quidem nostra culpa,
Illis vero per fortunam priuabimur.

Menander.

Numquam prædiuitem felicem existimaui
Hominem, bonis qui non vteretur suis.
Ne lucrum vndique captes, sed pudor absit,
Qui manus per nefas conquirit opes, semper sibi timet,
Ter miser ille, qui pro parcitate
Odium sibi peperit, partis opibus duplo malus.

Polyanthea Noviss.

Theocritus in εἰδυλλίοις.

Κὠλλιστα πιμελαντὰ φιλάργυρε τὸν φακὸν ἕψειν,
Μὴ πιτάμῃς τὰν χεῖρα διαπρίων τὸ κύμινον.
Dicoque lenticulam, fames tibi pastor amaro,
Quam læsisse manus: resecas dum falce cyminum.

Menander in Pseudohercule.

Ἀστοργίαν ἔχει τιν᾽ ὁ σκληρὸς βίος.
Inhumanitatis est durities vita.

Apollodorus in Apocatterunte.

Ἀλλὰ σχεδόν τι τὸ κεφάλαιον τῶν κακῶν
Εἴρηκας. ἐν φιλαργυρίᾳ γὰρ πάντ᾽ ἔνι.
Atque propemodum caput malorum
Nominasti, Auaritia etenim insunt omnia.

PHILOSOPH. SENTENTIÆ.

Vir, cui magnæ sunt opes reconditæ, quibus pro suo arbitrio ad res necessarias vti non audeat, similis est ærario quæstori publicum thesaurum suum esse persuaso. Quantum enim ad opinionem, ex æquo vterque diues est. Vsum vero diuitiarum, qui proprius est possidenti, non hic magis quam ille habet. *Eusebius Sardus.*

Εἴ τις πλεῖστα τῶν ἀγαθῶν κεκτημένος, μετὰ τοῦ λυπεῖσθαι διάγοι τὸν βίον, ἁπάντων ἂν εἴη καὶ τῶν ὄντων καὶ τῶν ἐσομένων ἀθλιώτατος.

Si dominus amplissimæ fortunæ tristem vitam transigat, næ ille mihi omnium qui sunt, quique futuri sunt hominum est miserrimus. *Theopomp.*

Οἱ φειδωλοὶ τὸν μελισσῶν οἶτον ἔχουσιν, ἐργαζόμενοι ὡς ἀεὶ βιωσόμενοι.

Qui parci præter modum sunt, similitar apicularum operantur tamquam perpetuo victuri.

Φειδώ τοι καὶ λιμὸς χρηστή· ἐν καιρῷ δὲ καὶ δαπάνη· γινώσκειν δὲ ἀγαθοῦ.

Parsimonia, & esuries, bona: suo autem tempore, sumptus etiam. Porro vir bonus discernet. *Democritus Philos.*

Εἰσί τινες, οἳ τὸν παρόντα μὲν βίον οὐ ζῶσιν, ἀλλὰ παρασκευάζονται πολλῇ σπουδῇ ὡς ἕτερόν τινα βίον βιωσόμενοι, τὸν παρόντα δ᾽ ἐν τῷ παραλειπόμενος ὁ χρόνος οἴχεται.

Non desunt, qui præsentem vitam non viuunt, sed magno studio se parant, ceu vitam quandam aliam victuri: interea tempus ipsus deserit. *Antiphon.*

Aliqui in vita præparant, quæ ad vitam pertinent, victuri postid, quod viuere dicimus: non aduertentes, lethale nobis omnibus ipsum generationis infusum esse pharmacum. *Metrodorus.*

Βίος ἀνεόρταστος, μακρὴ ὁδὸς ἀπανδόκευτος.

Vita sine festiuitatibus, longa est sine diuersorijs via. *Democrit.*

Verumtamen auaritia, & tenacitas cogit aliquos, domi repressis cupiditatibus, apud alios ingurgitari sumptuosis alimonijs, ijsque, ceu bello partis, strenue comessando. Deinde male affecti discedunt, postridianam cruditatem pro mercede ingurgitationis habentes. *Plut. Chærronensis.*

Ὁ τοῦ φιλαργύρου πλοῦτος, ὥσπερ ὁ ἥλιος καταδὺς εἰς τὴν γῆν, οὐδένα τῶν ζώντων εὐφραίνει.

Hominis auari diuitiæ, quemadmodum Sol post occasum neminem viuentium exhilarant. *Socrates.*

Virum, qui magnas opes reconditas habuerit, nec aliam ob causam, quam vt reponat, conquirentem, quo semper aliquid præsentibus addat, etsi locupletem, nihil tamen neque sui, neque alterius vtilitatis gratia insumentem, haudquaquam diuitem esse dixerim: sed custodem, & alienis pecunijs comparandis natum, qui sæpenumero sibi labores creet, & res nihil ad se pertinentes augeat. *Eusebius Sardus.*

Vt autem & hoc scias, ô Crœse, ego non illos, qui plurima habent, & custodiunt plurima, felicissimos existimo. Nam hoc pacto, qui mœnia tenentur, felicissimi forent, vt qui omnia in ciuitatibus custodiant. Sed enim, qui tum plurima iure possederit, tum plurimis honeste fuerit vsus, quod ad pecunias attinet, felicissimum esse statuo. *Xenoph. Orator.*

Auarorum vita similis est funerali conuiuio: omnia enim cum habeat, hominem, qui præsentibus hilariter fruatur, non habet. *Socrates Philosophus.*

Semel nati sumus, bis nasci non licet: sed necessarium est, ætatem finiri. Tu vero, qui ne crastinum diem quidem in tua potestate habes, tempus differs. Omnium vero vita cunctando perit: & hinc est, quod vnusquisque nostrum inter negocia moritur. *Epicurus Philos.*

Illud autem de auaris recte dictum constat, eos nec sibi commodos esse, nec alijs: quibus tametsi comparandis conseruãdisque pecunijs nimium inest studium, dandi autem voluntas minima: non æque tamen habendam ad rem, id idem consilium est omnibus. Sunt enim qui rebus suis parcentes summo etiam studio rei familiari conseruandæ intenti, & quam potest minimum de suo impendentes, ab alienis contineant, bonitate quadã naturæ ita victi, vt re sua contẽti, nihil turpe, nihil contra leges, contraque humanitatem habẽdi gratia faciant. Hos nominare parcos consueuimus, eamque animi institutionem maiores nostri dixe-

re parsimoniam, quæ in priuatis quibusdam, tenuisque in re constitutis, ac laborantibus multitudine liberorum, humanisque necessitatibus circumuentus laudari merito potest. In regibus vero ac principibus, & ijs ciuibus, quorum res est opulentior, atque authoritas maior quomodo laudari possit tam minuta diligentia, quæ panis etiam miculas colligat, nequaquam video.

Sergium Galbam quamquam alieni non appetentem, iure tamen ætas illa plurimum carpsit: quod suæ quidem pecuniæ parcus cum esset, publicæ etiam auarus foret, neque enim aut sæcula illa, dignitasque senatoris, aut opulentum Galbæ patrimonium eam parcendi, ac conseruandi diligentiam, nec aurea sella tantã è publico auaritiam patiebatur.

Didij Iuliani maximi & potentissimi viri sordes quis ferat, qui porcellum, leporemve dono ad se missum in triduanas partiretur cœnas. Sæpe etiam, cum nulla religio, aut abstinendi causa abesset, leguminibus oleribusque solis contentus cœnaret.

Pertinax Augustus dimidiatas lactucas, & carduos apponere conuiuijs est solitus: at si quando ad amicos de cœna mitteret, binas tantum offulas, aut paucula poma, atque vbi opipare magis egisse videri vellet, gallinaceos lumbos mitteret. *Iouinianus Pontanus de auaritia, & auaris, in l. de liberal.*

Complura esse auarorum genera. Inter cæteros tenaces maxime fuisse sordidum Martinum Pontificem hunc enim clanculum cereos solitum extinguere, qui in diuersis Basilicæ locis succensi a ministris essent, nocturni luminis gratia. Porro eumdem, vt oleo parceret, instituisse fertur, vt crudi familiaribus pisces a dispensatore in sportula traderentur, quos antea coctos præberi mos fuisset. Vnde hodie quoque decantatur familiaria cuiusdam eius versiculus:

Vnusquisque suam digitis contrectat arengam.

Quam autem ridicula, ac misera talium virorum vita sit, Enclio ille Plautinus docet, qui aquam plorat effundere, qui vnguium præsegmina a tonstrina domum referat. *Iouinianus Pontanus de liberalitate.*

Ὀ τιμιώτος ὁ σοφὸς πλούσιος.

Dij immortales, nõ intelligunt hoĩes, quam parsimonia magnũ sit vectigal. *Cicero in paradoxis, cap. Quod solus sapiens sit diues.*

APOPHTHEGMATA.

Antiphon. Fama est, quod cum vidisset quidam alterum argẽti multum ferre, rogauerit eum, vt sibi mutuo daret, cum fœnore reddendum. Ille vero noluit, vt qui diffideret omnibus, & neminem iuuaret. Itaque quodam in loco argentum recondit. Et cum animaduertisset quidã quid egisset, suffuratus est. Reuersus igitur ille postea, qui pecuniam absconderat, nihil inuenit: vnde magno dolore motus est ob calamitatem, tum alias, tum quia roganti non mutuo dederat pecuniam, quæ quidem salua ei mansisset, & insuper attulisset fœnus: Cumq; incidisset in virũ cui mutuare antea noluerat, infortunium suum deplorauit, vtpote qui peccasset: & pænitere se dixit, quod ei nõ obsequutus, sed ingratus fuisset: & prorsus ei omne argentum interijsse. Ille autẽ bono animo ipsum esse iussit, atque existimare lapidẽ eodem loco depositum fuisse. Omnino enim nec cum habebas quidem argẽtum, eo vtebaris. Quamobrem etiam nunc ne putaueris te illa te priuari. Illud enim quo quis nec vsus nec vsurus est, nihil siue præsens, siue absens magis minusve lædit. Nam cum Deus alicui nõ perfecte bona largiri instituit, exhibita pecuniarũ copia, bonæ mẽtis inopem facit: atque ita ab vtroque altero, vtrisq. priuat.

Theocritus: Τὶς πολλοὺς τῶν πλουσίων ἔλεγε ὅτι τρόπους εἶναι, ἀλλὰ μὴ δεσπότας τῶν χρημάτων.

Dicebat, multos diuites non dominos rerum suarum, sed tutores esse.

SIMILITVDINES.

Democritus. Quemadmodum apiculæ ita laborant, ac si perpetuo viuere velint: Ita qui parci præter modum sunt, operantur tamquam perpetuo victuri. *Apud Stob. serm. 14.*

Stobæ. Vir cui magnæ sunt opes reconditæ, quibus pro suo arbitrio ad res necessarias vti non audeat, similis est ærario quæstori, publicum thesaurum suum persuaso. Quantum enim ad opinionẽ, ex æquo vterque diues est: vsum vero diuitiarum, qui proprius est possidentis, non hic magis quam ille habet. *Serm. 13.*

Themist. Nusquam fere certius tenemus iter, quam vnde aliquando exorbitauimus: ac fere ea penitus nobis inhærent, in quibus aliquanto diutius laborauimus. *in apoph. 186.*

P. M. In Chio Dianæ facies est in sublimi posita, cuius vultus intrantibus tristis, exeuntibus exhilarata videtur: Ita sordidi quidam adeuntem amicum tristes accipiunt, timentes ne quid petat, aut ne sumptum adferat conuiua, at alacres dimittunt abeuntem. *In simil.*

Theocritus in Charitibus. Κεινὰς ὧν πυθμένι χηλούς, id est, Vacuæ fundo capsæ: Scrinium inane significans.

Seneca hanc prouerbialem sententiam in 1. epistola refert. Sera in fundo parsimonia: digna profecto, quæ omni scrinio, omni cado, omni cellæ penuariæ inscriberetur. Admonet in tempore parcendum rebus necessarijs, neque imitandum profusorum vulgus, qui tum demum incipiunt parcere, postquam viderint minimum superesse.

Vide Auaritia, Prodigalitas, Parsimonia.

TENTATIO.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Tentatio, Græce πειρασμὸς, & πειραστής, tentator, & πειράζω, tento dicitur. Hebr. Tentatio, *Massah*, dicitur, *Psalm. 95. 8. Iob 9. 23.* & sæpius apud Mosen in Deuteron. a verbo, *Nassah*, tentauit, fecit periculum, *Gen. 22. 1. Deut. 6. 16. & 13. 4. Exod. 17. 2. & 20. 20. Ps. 26. 2. & 77. 18. & 95. 9. & 105. 14. Eccl. 2. 1. & 7. 25. Esa. 7. 12. Dan. 1. 12.* Est autem tentatio experimenti sumptio de eo quod tentatur, an sciat, vel possit, vel velit, *secundum B. Thom. 2. 2. q. 97. art. 10.*

Tentare a teneo deducitur. Et est experiri, exquirere, & verbo, & quasi manu tenere. Vel a tendo, vt alij voluot, venit. Nam qui tẽtant, quasi manum, aut aliam corporis partem tendunt.

BIBLICI LOCI.

Tentare Deum quid, *Act. 15. 10.* tentare Deum non licet. *Exod. 14. v. 11. & 17. 2. Deut. 6. v. 16. Iud. 8. 1. Matth. 4. v. 7. 1. Cor. 10. v. 9.* tentare Christum, *1. Cor. 10. v. 9.* est eum velut ad certamen prouocare, vt explicatur ibidem, *v. 22.* tentat, seu verius probat & explorat Deus suos varijs modis, *Gen. 22. 1. &c. Exod. 15. 25. & 16. 4. 20. 20. Deut. 8. 2. & 13. 3. Iudic. 2. 22. & 3. 1. 2. Paral. 32. 31. Tob. 2. 8. Iob 1. 12. Sap. 3. 5. Eccl. 2. 4. & 27. 18. Zach. 13. 9. Rom. 5. 4. Iac. 1. 2. 2. Pet. 2. 9.* neminem, vt malum operetur, tentat. Tentari non patitur Deus suos supra id, quod possunt, *1. Cor. 10. 13. 2. Pet. 2. 9. Apo. 3. 10.* Tentat Satan, id est, ad malum solicitat; vnde & Tentator dicitur, *Matth. 4. 3.*

Tentatio pro eo omni quod nos solicitat, *1. Cor. 10. v. 13.* pro, ad malum solicitare, *Iac. 1. 13.* pro afflictione, & rebus aduersis, quibus exploratur fides, *1. v. 2. 3. 12. 2. Pet. 2. 9.* pro experimento, vel probatione, *Heb. 1. 18.* pro irritamento, *3. v. 8. 9.* Tentatio mala a Satana proficiscitur, *Matth. 26. 41. Actor. 5. 3.*

SENTENTIÆ BIBLICÆ.

Tentandus non est Deus.

Non tentabis Dominum Deum tuum, *Deut. 6. Matth. 4.*

Tentat Deus hominem ad sui probationem.

Tentauit Deus Abraham, *Gen. 22.*

Nunc cognoui, quod timeas Dominum, & non pepercisti vnigenito filio tuo propter me. *ibid.*

Tentat vos Dominus Deus vester, vt palam fiat, vtrum diligatis eum, an non. *Deut. 13.*

Quoniam Deus tentauit eos. & inuenit illos dignos se. *Sap. 3.*

Qui non est tentatus, pauca nouit. *Eccl. 34.*

Gratiæ incrementum.

Sic Iob permisit tentari per Satan. *Iob 1. & 2.*

Sic Tobias aduersitatibus tentatus fuit. *Tob. 2.*

In quo exultatis nunc ad breue tempus afflicti in varijs experimentis. *2. Petr. 1.*

Tentat Diabolus decipiendo per mendacium.

Sic Euam aggressus est. *Gen. 3.*

Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraueris me. *Matth. 4.*

Anania, cur tentauit Satanas cor tuum, vt mentireris Spiritui sancto? *Act. 5.*

Defectum inducenda per consensum.

Fili accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem. *Eccles. 2.*

Propterea & ego amplius non sustinens, misi ad cognoscendum fidem vestram, ne forte tentauerit vos is, qui tẽtat; & inanis fiat labor noster. *1. Thess. 3.*

Tentat homo Deum.

Non tentabis Dominum Deum tuum, *Deut. 6. Matth. 4.*

Tentatur homo.

Vnusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus, & illectus, *Iac. 1.* Tentat seipsum, *2. Cor. 13. 5.* Tentat Christus hominẽ, *Ioan. 6. 6.* Sæpius tentatus est a suis aduersarijs, vt Euangelistæ testantur: Israelitæ tentant Deum sæpe in deserto. Homo tentat hominem, vt Salomon tentatus est a regina Sabæ, *1. Reg. 10. 1.* Diabolus tentat Christum, *Matth. 4. 1.* & homines, *Act. 5. 3. 1. Cor. 7. 5. 1. Thess. 3. 5. Apoc. 3. 10.* tentatus est Christus, *Heb. 2. 18. & 4. 15.* Tentantur Christiani, *1. Cor. 10. 13. Gal. 6. 1. Heb. 2. 18. & 4. 15.*

PATRVM SENTENTIAE.

Vita nostra in hac peregrinatione non potest esse sine peccato, sine tentatione: quia profectus noster per tentationem nostram fit, nec sibi quisquã innotescit, nisi tẽtatus, nec potest coronari, nisi vicerit, nec potest vincere, nisi certauerit, nec põt certare, nisi inimicum & tentationes habuerit. *August. sup. Psal. 60.*

Tamdiu Diabolus sopitum ignem sine vllis flammis occultat, donec duas faculas iungens simul ambas accendat, & tamdiu

cessat

cessat sæuitiæ suæ tela supponere, donec sicut peritus veniat, qui iniecissus est, laquei vinculis alliget. *De sing. cle.*

Tamen admittit Diabolus tentare, quantu ibi pendet vt exercearis, vt proberis, vt qui te nesciebas, a teipso inuenaris. *in Psal. 61.*

Duplicem aciem produxit mundus contra milites Christi: blanditur enim, vt decipiat: terret, vt frangat. Non nos teneat voluptas propria, nos non terreat crudelitas aliena, & victus est mundus: ad vtrosque aditus occurrit Christus, & non vincitur Christus. *in serm. S. Vincentij.*

Bonus si fuerit qui tibi præest, nutritor tuus est: si malus si fuerit, tentator tuus est: & nutrimenta libenter accipe, & in tentatione approba te. *De verb. Domini, serm. 6.*

Nondum quæro quid viuas, sed quæro quid credas? Respondurus es credere te in Christum. Nonne audisti Apostolum, iustus ex fide viuit? fides tua, iustitia tua: quia vtique si credis caues, si autem caues, conaris: & conatum tuum nouit Deus, & voluntatem tuam inspicit, & luctam cum carne considerat, hortatur vt pugnes, adiuuat vt vincas: certantē aspectat, & deficientem subleuat, & vincentē coronat. Ergo exultate iusti in domino. Hoc dicerem, exultate fideles in domino, quia iustus ex fide viuit. *Idem in Ps. 32.*

Nulla mens est, nulla anima, quæ non recipiat etiam malarum motus agrestes cogitationum. *Amb. in lib. de Noe.*

Tentamenta tua, si ad te respicias, grandia sunt, si ad bellatorem fortissimum, ludus & vmbra certaminis. Nemo miles cum vxore pergit ad bellum. *In quadam epist.*

Deus ipse omnium rector, ac dominus, cum omni Angelorum militia certamen tuum expectat, tibique contra Diabolum dimicanti parat æternitatis coronam. *ibid.*

Dum paruus est hostis, interfice, vt nequitia elidatur in semine. *Hier. in epist.*

Præceps anima, dum ante non præuidet, ne incaute videat, quod concupiscat, cæca postea incipit considerare, quod vidit, factus vir, vt cogitationes caste defendere posset, fœdus cum oculis pepigit, ne prius incaute respiceret, quod postmodum inuitus amaret. *Greg. in moral.*

Valde namque est, quod caro deorsum trahit, & semel species formæ cordi per oculos illigata, vix magni luctaminis luctu soluitur. Ergo quæ non lubrico in cogitatione versentur, penuidendum nobis est, quia intueri non debet, quod concupisci non licet. *ibid.*

Multos sua prius felicitas straui, multos diuturna pax victos reddidit, eoque illos inopinatos hostis grauius perculit, quo longo quietis vsu negligentes inuenit. Vnde sancti viri, quum multa se proficere virtutum prosperitate considerant, quodam superna dispensationis moderamine exerceri se etiam tentationibus exultant: quia tanto robustius acceptam virtutum gloriā custodiunt quanto tentationis impulsu concussi, infirmitatem suam humiliius agnoscunt. *ibid.*

Plerumque, qui plus in contemplatione rapitur, contingit vt amplius in tentatione fatigetur, sicut quibusdam sæpe contingere bene proficientibus solet, quorum mentem dum aut compunctio mentis afficit, aut contemplatio super semetipsum rapit, statim etiam tentatio sequitur: ne de his, ad quæ rapta est, extollat. *Greg. homil. 2.*

Hostis noster, quanto magis nos sibi rebellare conspicit, tanto amplius expugnare contendit: eos enim pulsare negligit, quos quieto iure se possidere sentit. *ibid.*

Si tentationi in corde nascenti festine non resistitur, eadem, qua nutritur, hora roboratur, & exiliens foris in operibus vix præualet, quia ipsam totius membrorum dominam mentem captiuam tenet. *In past.*

Humanum est in corde tentationem perpeti, dæmoniacum vero est, in tentationis certamine, & in operatione superari. *ibid.*

Ibi inimicus disciplinam ponit, vbi semitam mentis esse cōspicit: quia illic periculum deceptionis inserit, vbi viam esse propinquæ inuenerit cogitationis. *in Mor.*

Hostis noster malitia tanta arte se palliat, vt plerumque ante deceptæ mentis oculos, culpas virtutes fingat, vt inde quisque quasi expectet præmia, vnde æterna dignus est inuenire tormēta. *ibid.*

Sicut sæpe tentatio per oculos trahitur, sic nonnumquam conceptā intrinsecus compellit sibi extrinsecus oculos deseruire. *ibid.*

Quis sit spiritus, qui loquitur, ipsa suggestio declarabit. Semper enim carnalis mollia, spiritus mundi vana, spiritus malitiæ semper amara loquitur. *ibid.*

Antiquus hostis ex proprio certamine dum se succumbere considerat, ad alia tentationum bella restaurat, intuetur humani generis vniuscuiusque mores, cui vitio sint propinqui, & illa opponit ante faciem ad quæ facilius nouit inclinare mentem. *ibid.*

Fratres, si modo præsentes videremus Adam in eo articulo positum, ascendentibus cogitationibus in cor eius, & coarctari inter precem vxoris, & præceptum Creatoris, nonne clamaremus aduersus eum dicentes: Caue tibi miser: vide ne feceris, seducta est mulier, non acquiescas ei, vt quid ergo quoties apprehendit nos tentatio similis, non persuadeamus similiter nobis ipsis? *Bern. in serm. omn. sanct.*

In tentationibus esto fortis: multos enim maiorum nostrorum illæ arguerunt. *Nol. in sent.*

Quoties grauissima cernitur vrgere tentatio, & tribulatio vehemens imminere, inuoca custodem tuum, dictatorem tuum, adiutorem tuum in opportunitatibus tuis. In tribulatione clama ad eum, & dic, Domine, salua nos, perimus, non dormitat, neque dormiet, etsi quando ad tempus dissimulet. *Serm. 1. in Psal. Qui habitat.*

Exire de carne, est in corpore commorantes vicia nostra cum carnis aculeis non sentire. *Cass. instit. mod.*

In primis grauis, & intolerabilis est impetus Diaboli. Quod si quis forte animo sustinuerit eum, quum sero venerit, inueniet Diabolum infirmiorem, quanto enim plus percussus fuerit, magis refrigescit. *Chrys. super Matth.*

Non impulit, non tetigit, sed tantum dixit: Mitte te deorsum, vt intelligamus, qui obedit Diabolo, ipse se deponit: Diabolus enim suggerere potest, cogere non potest. *ibid.*

Sicut caro, si sale non aspergatur, quamuis sit magna, & præcipua, corrumpitur ita & anima nisi tentationibus assiduis saliatur, cōtinuo resoluitur, & relaxatur. *Orig. super lib. Num.*

Non desinit antiquus hostis tot animorum laqueos vbiuis prætendere, vt quoquo modo fidem credentium valeat corrumpere. Nouit enim cui illecebras carnis ingerat, cui virus indiuiduæ infundat, cui incitamenta luxuriæ apponat: nouit, quem mœrore conturbet, quem gaudio fallat, quem metu opprimat, quem admiratione seducat: omnium discutit mores, omnium ventilat causas, omnium scrutatur affectus, & ibi quærit causas nocendi, vbi viderit quemquam diligentius occupari. *Leo Papa in serm.*

Nulla sunt sine tentationum experimentis opera virtutis, nulla fine perturbationibus fides: nullum fine hoste certamen, nulla sine congressione victoria. *Leo serm. 35.*

Fili accedens ad seruitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem. Vt sapientia Dei plenus, sciens stadium religionis laborem habere certaminis, cum præuideret pugnæ periculum, ante admonuit pugnaturum, ne forsitan, si ad ignorantem tētator accederet, imparatum citius vulneraret. *ibid.*

Sæpe antiquus hostis, postquam menti nostræ tentationum certamen inflixerit, ab ipso suo certamine ad tempus recedit, non vt illatæ malitiæ finem præbeat, sed vt corda, quæ per quietem secura reddidit, repente rediens facilius inopinate irrumpat. *Beda super Lucam.*

Ad magnam vtilitatem fidelium materia est seruata certantium, vt non superbiat sanctitas, dum pulsatur infirmitas. *Prosp. de vocatione gentium, lib. 2.*

Diabolus, quando decipere quemquam tentat, prius naturam vniuscuiusque intendit, & inde se applicat, vnde aptum hominē ad peccandum adspicit: blandis & lenibus moribus sæpe luxuriam, aut vanam gloriam proponit, asperis vero mentibus, iram & superbiam cum crudelitate. *Hug. lib. 2.*

Quatuor sunt causæ tentationū. Prima est loci amœnitates: vt ciuitates & oppida, quæ non tantū ex situ loci amœnitatē recipiunt: sed ex iobabitantiū gratia. Secunda vero causa est, locus diuitiarū. Vbi enim diuitiæ, ibi periculū. Tertia vero causa est preciosus ornatus: vt est equorum cura pinguium, & vestimentorū exquisitæ varietates. Quarta autem mulierum species, quarum vox blanditur auribus, & facies oculis. *De claustro anim. l. 2.*

Audiant igitur hæc, vt sibi caueant illi, qui loculos portant, qui pecunias seruant, qui nundinas, & fora pro necessitatibus fratrum requentant, qui sæcularium domus, & curias perlustrant: deuitent igitur huiusmodi fratres solarium Bersabeæ, biuium Thamar, thalamum Amnon: deuitent personas infames, hospitia suspecta, munus clam dare, & accipere, pecuniam plurimam congregare, ne in ipsa laqueus lateat, in quo cum alio, scilicet Iuda, pereant. *ibid.*

Bellum graue, quia occultum, quia cum fortiore, quia hostis. Hostis insidiæ non videntur: aduersarius nec labore deficit, nec victus aliquando discedit: sed tanto atrocior redditur, quāto eum per diuinam gratiam debellari posse cōtigerit. *Cass. super Ps. 51.*

Fili, accedens ad seruitutem Dei, sta, &c. Mundus aduersus desertores suos fortius pugnat: & egredientes vitæ sæcularis illecebras grauior congressus expectat. Nam & in exitu Israel de Aegypto Pharao vehementius excandescit: & Satanas egrediens ab homine, quem ab infantia tenuerat, ipsum grauius in egressu discerpit. Commouis cursus præsentis, est tentationibus apprehēdi: nam ad virtutis exercitium Hierosolymis relictus est Iebusæus: & Apostolo spiritus Satanæ datus est, ne reuelationibus extollatur. Arenam pugnæ anceps ingressus es, in qua non apprehēdes brauium, nisi certas, non coronaberis, nisi pugnes. *Pet. Chrys. in quadam epist.*

DICTA POETARVM.

Antholog. Sacr. Iac. Bill.

Diuinos fauores imminentium sæpe grauissimarum tentationum indices esse.

Vt pater æthereum vocem demisit ab arce,

Estque super Christi visa columba caput;
Mox loca sola petens sacra post seiunia, zelo
Se triplici vafro sensit ab hoste peti.
Ergo etiam ne cuncta tibi iam tuta putaris,
Si quis ab aethereo venerit axe fauor.
Militibus veniunt hæc munera promptius ipsis
Bellorum ut posthac sustineatur onus.

SIMILITVDINES.

D. Chrysostomi. Sicut vnguentum & in hieme floridum est, & boni odoris, & homines suo odore delectat, atque impinguat, quum ex eo vncti fuerint; Sic & iustus, & in hieme tentationis immarcessibilis est, & manet fidelis. *In cap. 2. Matth.*

Sicut aurum & argentum combustum in fornace sordibus colatur: Sic homo in fornacem tentationis missus, depositis peccatis sanctificatur. *In cap 4. Matt. hom. 5.*

Sicut quando per modica aura est, non permundatur tota tritici massa, sed leuiores quædam paleæ modica aura iactantur, grauiores autem remanent, similiter remanent, & vacua grana: necesse est ergo, vt maior expectetur ventus, vt & grauiores paleæ, & vacua grana iactentur: Sic & quando modica est tentatio illi proijciuntur de Ecclesia, qui multum sunt infideles. Ideo necessaria est tentatio maior, vt omnes infideles plenius expellantur, vt perpurgetur Ecclesia. *In cap. 3. Matth.*

Quemadmodum si focum posueris super terram, comburit ipsas radices herbarum, & vt in loco illo iam non facile nascatur herba: Sic & tentationis ignis positus super carnem, comburit radices concupiscentiarum in ea, vt non facile concupiscat. *In c. 3. Matth.*

Vt qui ad bellum transmittitur, ad gloriam paratur: Ita cui tentatio imponitur, correctio ostenditur. *In c. 13. Matth.*

Sicut fumus ante ignem præcedit, ante victoriam pugna: Sic & ante gloriam Christi, tentatio Antichristi. *In 24. Matt. hom. 49.*

Quemadmodum qui ludicrum instituit agonem, si cui athletarum amicitiæ iungitur vinculo, numquam eum nisi descenderit in certamine coronabit, qui proprium videlicet laborē illius desiderat: & quo magis eum diligit, eo magis victorē esse cupit: Sic & Christus quos maxime diligit, eos non solum auxilio suo duntaxat, sed a seipsis vult probari. *Hom. 56. in Matth.*

Cum agricola semina cū multo labore collecta seminauerit, Ignarus quæ fiunt, omnia cernens admirabitur, forteque ad seipsum dicet: Quid hic homo tamdem facit? Collecta dissipat, sed & terræ cum multa cura commiscet, ne facile colligi possint: nec tantum commiscet terræ; sed & optat vehementer fieri pluuiam, vt proiecta omnia marcescant, & lutum fiant: & turbabitur, cernens fulmina, & coruscationem deferri. Agricola vero non ita; sed lætatur, & gaudet, hiemem cernens: non enim præsentia respicit, sed futura: non ad fulmina spectat, sed ad manipulos: non marcentia semina, sed vernantes spicas, non grauem imbrem, sed iucundissimam areæ ventilationem, ex ipsa nascentem fructum. Expectemus itidem & nos aream, & manipulos, non præsentem laborem, & dolorem, sed orientem ex ea fructum: mentis nostræ penus ex eo implere poterimus. Et sicut aurum, etsi aquis immoretur, propriam præstat speciem, siue in conflatoriū ceciderit, splendidius rursum apparet: lutum autem & fœnum, siue aquis immisceri accidat, hoc quidem marcescit, illud vero dissoluitur: siue in ignem ceciderit, hoc quidem fugitur, illud autem comburitur: Sic certe iustos, & peccator, ille quidem siue remissione fruatur, manet splendidus, sicut aurum aquæ immersum. siue in tentationem ceciderit, splendidior fit, sicut aurum in igne: peccator vero siue remissione contristetur, dissoluitur, marcescit, sicut fœnum & lutum aquæ immorans, siue tentationem sustineat. comburitur, perditur sicut lutum & fœnum ab igne. *Homil. 4. de pœnitentia.*

Sicut caro si sale non aspergitur, corrumpitur: Ita anima si tentatione non salitur, continuo resoluitur. *Ibid.*

Theodoreti episcopi. Optimus imperator cum solisne hostibus manus conferit, & in eos sagittat, & iaculatur, phalangesque eorum & ordines perrumpit: an suos etiam milites armat, & ordinat, & ad fortiter gerēdum animos & spiritus excitat? ERRANS. Hoc est potius faciendum est. ORTHODOX. Non sunt enim partes Imperatoris, vt ipse quidem pericula adeat, ipse stet in acie, sinit autem milites in veramnis aurem dormire: sed oportet eum etiam illis animum addere, vt stent in acie, & ordines recte seruent. ER. Verum. OR. Hoc etiā dicit diuinus Apostolus. Ad eos enim qui crediderant, scribens, dicit: Accipite armaturam Dei, vt possitis resistere insidijs Diaboli. Et rursus: State ergo succincti lumbos vestros, in veritate, &c. Recordare etiam eorū, quæ antea diximus, quod medicus quoque adijcit qualitatem, quæ deest naturæ. Si enim inuenerit redundantem frigidam, adijcit calidam: & similiter alias. Hoc etiam fecit Dominus. ER. Et vbi ostendes hoc fecisse Dominum? OR. In sanctis Euangelijs. ER. Ostende ergo, & imple promissum. OR. Quid Seruatorem Christum existimant Iudæi? ER. Hominem. OR. Quod autem etiam Deus erat, omnino ignorabant. *Dialog. 2. fol. 93.*

Augustinus. Quomodo enim medicus apponit visceribus aliquid, forte epithema molestum, & ardens, vnde tamen curandus est ille, cuius viscera tumebant, cum ille inde ardere cœperit, & cruciari medicamento, rogat medicum, vt auferat medicamētum. Medicus autem consolatur, monet eum ad patientiam, quia nouit, quam vtile sit quod apposuit. Ita Deus ait: Sufficit tibi gratia mea. Ego noui quid apposuerim, noui vnde ægrotes, noui vnde sanceris. *In Psal. 130.*

Gregory. Vt folium vento ducitur: Ita homo flatibus tentationum, nunc ira, libidine, superbia, &c. eleuatur, & deponitur flatibus tentationum. *In Iobum lib. 11. c. 24.*

Thriuerii. Vt duplex est calida, & frigida aduersus venenorum malignitatem alexipharmacorum differentia. Sic duo etiam contra omnem tentationem sunt remedia, Oratio & Patientia. *in apoph. 218.*

Nemo sanæ mentis iusta medicamenta detrectat: sed molli condonandum est, qui illorum amaritudinē dulcorari, aut assimulari procurat. Et Deum quoque orare licet, ne vltra vires nos tentari sinat, sed vt indulgentissime nos habeat. *in apoph. 84.*

Sæpe vtiliter medicus medicamenti amaritudinem dissimulat: Ita & nobis quoque licet deprecari tentationis magnitudinem. *in apoph. 99.*

Sunt quidam cibi difficiles, sed semel cocti solidissimum præstant alimentum; Ita & tentationes nostræ suas morositates, & difficultates a principio exhibent, sed semel euictæ animum nostrum maxime firmant. *In apoph. 114.*

Ratio Dialectica explicat omnem falsitatem: & contemplatio ipsius finis, frangit omnem tentationem. *In apoph. 107.*

EXEMPLA BIBLICA.

Tentationis Diabolicæ *Exempla*: in Eua, *Gen. 3. v. 1. 3. 2. Cor. 11. 3.* Dauide, *1. Paral. 21. 1.* Iobo, *Iob 1. v. 11. & 27.* Christo, *Matth. 4. 3.* Petro, *Luc. 22. 31.* Iuda proditore, *Iob 13. 2.* Anania, *Act. 5. v. 3.* Tentare iubemur nosipsos, num simus in fide, *2. Cor. 13. 5.* Tētationes ad malum non esse a Deo, *Iac. 1. 13.* Tentatio humana, *1. Cor. 10. 13.* dicitur illa, quæ ab imbecillitate humana proficiscitur. Tentationes pro lucro ducendæ, *Iac. 1. 2.* nouit Dominus pios ex tētationibus eripere, *2. Pet. 2. 9.* nec sinit eos supra modum tentari, *1. Cor. 10. 13. 2. Pet. 2. 9. Apoc. 2. 10.* Tentatorum, deque fructu tētationis *Exempla*. Abraham, *Gen. 22. 1.* Iudith, *8. v. 21. 22. 1. Mach. 2. v. 52. Hebr. 11. v. 17.* Iacob: lucta Iacobi fuit quædam tentatio, *Gen. 32. 24.* Israelitæ, *Exod. 15. 25. & 16. 4. Deut. 8. v. 2. 16. & 13. 3. Iudic. 2. 22. & 3. 1.* Ezechias, *2. Paral. 32. 31.* Dauid, *Psal. 26. 2. & 119. 71.* Tobias senior, *Tob. 2. 12. & 12. 13.* Abraham, *1. Mach. 2. 52.* Ioseph, *v. 53.* Phinees, *v. 54.* Caleb, *55.* Iosuah, *v. 56.* Dauid. *v. 57.* Elias, *v. 58.* Ananias, *v. 59.* Paulum quoque expertum esse spirituales tentationes, & ignita Diaboli tela, promptum est colligere ex his locis, *2. Cor. 2. v. 11. & 7. v. 5. & 10. v. 4. & 12. v. 7. 1. Thess. 2. 18. Ephes. 6. v. 12.* fideles, *Hebr. 11. 17.*

Vide Afflictio, Tribulatio.

TERRA.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

TErra, Græce γῆ, γῆς, ἡ, vel χθών, ὀνὸς, ἡ & γήϊνος, ἡ, ὸν, terrenus dicitur, Heb. *Adhamah*, humus, terra subrufa, cultui apta, hinc δῆμος, solum publicum, & conuersio daleth in aspirationem, ἦμος, humus, terra cultui apta. *Adam*, homo de terra subrufa formatus. Hinc δέμας. corpus humanum, δῆμος. populus & cœtus hominum. *Adhamah*, oritur a verbo *Adham*, Rubuit, pauloninus rubicundus fuit, fuit subrufus. Cognationem habet cū voce *Dam*, sanguis, a colore rubro. Hinc αἱμαίνω, recte valeo. Sanguis enim rubicundior est bonæ valetudinis in homine indicium. Dicitur etiam terra *Erets*, nomine generalissimo, quod omnes terræ species comprehendit: & per Synecdochen ponitur pro hominib. in terra versantibus: Cognationem habet *Erets* cum *Rats*, cucurrit, & *Ratsats*, collisit, item cum *Atsar*, thesauros reposuit. Terrā culcant animantia, eamque pedibus collidunt. In terram thesauros ingentes Deus reposuit, vnde effodiuntur. Per apocopen Græcis ἔρα terra dicitur. Est autem terra vnum quatuor elementorum: siccum & frigidum, & graue, & immobile. a Deo ex non ente ad esse prima die deductum, *secundum Ioan. Damasc. lib. 2. c. 10.*

LOCI BIBLICI.

Terra a Deo creata, Gen. 1. 1. super aquas fundata, *Psal. 24. 2. & 136. 6. 2. Pet. 3. 5.* quorsum creata, *Exo. 9. 29. & 19. 4. Deut. 10. 14. Ps. 24. 1.* ob peccatum hominis maledicta, *Gen. 3. 17. & 5. 29.* pedū Dei scabellum, *Esa. 66. 1. Matth. 5. 35. Act. 7. 49.* stabilis & firma, *Psal. 104. v. 5.* terra exurenda, *2. Petr. 3. 10.* terra noua expectanda, *Esa. 65. 17. 2. Pet. 3. 13. Apoc. 21. 1.* Terra pro ipsis incolis metonymice, *Gen. 6. 11. & 9. 14. & 41. 57. 2. Sam. 15. 23. Esa. 37. 18.* pro prouentu,

uentu. *Gen.3.17.* terra Græcis γῆ pro regione, *Matt.9.26. Luc.4.25. Marc.15.53.* terra bibens imbrem. *Hebr.6.7.* terra Dei, *Ps.85.1.* peculiariter dicta, terra Israeli a Deo tradita. Terra omnis Dei, *Exod.9.v.29.* & *19.5. Ps.24.v.1.*

Terræ a quibus diuisæ, *Gen.10.5.*

Terrenus primus homo, *1.Cor.15.47.* terrena dicere, est crassa, & plebeio stylo vti, *Ioan.3.12.* Terræ transitus, *Matt.5.18. Luc.21.33.* Terræ venditio, quomodo facienda, *Leu.25.v.23.24.* e terra esse dicitur is, *Ioan.3.31.* qui nihil aliud est, quam homo, terreoæ videlicet fæcis opificiū, in terrā reuertetur homo. *Gen.3.19.*

Terræ varias acceptiones ita distincte nonnulli numerant, 1. generaliter significat totam hanc inferiorem, & elementarem regionem 2. terræ elementum, quod partim aquis alluitur, & rigatur, partim ab hominib. incolitur. 3. Specialiue accipitur pro regione, vel prouincia aliqua seu terræ particula, vt terra Aegypti, Chanaan, &c. 4. Nonnunquam pro infimo loco, vt cœlum pro summo. 5. Aliquādo illam proprie regionem designat, de qua in contextu sermo habetur, vt *Gen.13.6.* & *34.10.* & *36.7.* & alij sæpius. 6. Circumiacentes regiones denotat, vt *2.Cor.9.22.29.* &c. 7. Sumitur pro exigua quadam portione, & breui spatio in regione aliqua, vt *Gen.23.15.* & alijs locis passim. Item significat paululum terræ, ex qua aliquid compingitur, vt *Exod.20.24.* & al. 8. Superficies terræ, in qua quis agit, vel patitur aliquid. *Gen.33.3. Exod.34.8.* &c.

Terra metonymice sumitur pro hominibus terram incolentibus, *Ios.14.15.* & *23.14. Iud.5.31. 1.Sam.14.29. Ps.66.1.* & *100.1. Pro.28.2.* Terra mystica, *Can.2.12. Esa.49.8.* & *51.16.* Terra noua, *Esa.65.17.* & *66.22. Apoc.21.1.*

Dicta Poetarum.

Ouid.1.Met.

Magna parens terra est, lapidesq. in corpore terræ
Ossa reor dici, iacere hos post terga iubemur.

Ouid.2.Fast.

Consulitur Phœbus, sors est ita reddita: matri
Qui dederit primus oscula, victor erit.
Oscula quisq. suæ matri properata tulerunt,
Non intellecto credula turba Deo.

Ibidem.

Ille iacens pronus, matri dedit oscula terræ,
Creditus offenso procubuisse pede.

Lucret.2.

Vnde alma liquentes
Humorum guttas mater cum terra recepit,
Fœta parit nitidas fruges arbustaq. læta,
Et genus humanum: parit omnia secla ferarum,
Pabula cum præbet: quibus omnes corpora pascant,
Et dulcem ducant vitam, prolemq. propagent.
Quapropter merito maternum nomen adepta est.

Manil.1.

Vltima subsedit glomerato pondere tellus,

Ibidem.

Est igitur tellus mediam sortita cauernam
Aeris, & toto pariter sublata profundo.
Nec patulas distenta plagas, sed condita in orbem
Vndiq. surgentem pariter pariterq. cadentem.

Lucan.7.

Capit omnia tellus
Quæ genuit: cælo tegitur qui non habet vrnam.

Lucret.2.

Cedit item retro de terra, quod fuit ante,
In terras, & quod missum est ex ætheris oris,
Id rursum cæli stellantia templa receptant.

Ouid 1.Am.

Nec tellus eadem parit omnia, vitibus illa
Conuenit, hæc oleis: hic bene farra virent.

Sententiæ Philosophicæ.

Terra in omnibus locis grauitatem habet, leuitatem non habet, quapropter si terra subtrahatur, aqua in suum locum intrabit, & aer in locum aquæ. *Arist. in 4. de cæl. cap. text. 39.*

Terra videtur nauigantibus moueri, quia non solum quum sensibile mouetur, apparet moueri, sed etiam quum sensus mouetur. *Arist. de som. c.2.*

Terra igni contraria est, & propter motum, & propter locum naturalem, & crassum: item per luminis potestatem, & per perspicuitatem. *Alex. Aphr. in 2. de anim. c.39.*

Terram ideo immotam natura sua esse dicimus, quia si adesset etiā eundi, euagandique locus: nihilo tamen magis ipsa moueretur. *Themist. in 3. Phys. text. 51.*

Terra circa centrum subsistens manet, quia secundum naturam illi est ipsi locus. *Simpl. in 2. de cæl. text. 95.*

Terra secundum se totam est quiescens, secundum partem est mobilis. *Auerr. 1. de cæl. text. 57.*

Terra, vt aliquis dicere potest respectu totius, non est pars sensibilis. *Arist. in 4. metaph. c.2.*

Terram figuram sphæricam habere necessarium est, vnaquæq. n. grauitatem habet ad medium vsque, & minor à maiore pulsa non potest intumescere, sed comprimi magis, & cedere altera alteri donec veniat ad medium. *Idem in 3. de cæl. c.7.*

Terram per astrorum apparentiam non solum manifestum est, esse rotundam, sed etiam magnitudine non magnam: paruo. n. facto transitu ad meridiem & vrsam, manifeste fit alter horizon. *Arist. in 2. de cælo. c.5.*

Terra per se quidem sicca existit, & ꝑp imbres hēt multam humiditatē, vt & à Sole, & ab eo, qui in ipsa igne incalescens, multus quidē extra, multus quoque intra fiat spiritus. & hic aliquando fruit oīs extra continuus, aliquādo partitur *Arist. 2. meteor. c.2.* §

Terra & aqua sunt humidorū & siccorum passiua, frigidæ. n. ambæ sunt, & frigidū magis est passiuorū. *Arist. in 4. meteor. c.2. text. 30.*

Terræ nomen fœminæ tribuitur, quia in se generat. & solem, & cœlum patrem. *Arist. de gener. anim. c.2.*

Terra cur hyberno tempore dat nauibus ventos secundos? quia mare per hyemem calidum est. *Probl. sect. 26. nu. 54.*

Terra ab aerea natura protinus, & mare situm habent fixum, & affirmatum, stirpibus illa, animalibusque scatens: fontibus etiā & fluminibus partim per ipsam lapsus suos implicantibus, partim aquas suas in mare eructantibus. Insuper ipsa distincta innumerarum herbarum ibidem enascentium varietate, fructificantiumque simul montium verticibus nemorum opacitatib. vrbiumque frequentia, quas animantes sapientiæ participes, homines scilicet condiderunt, & maritimis insulis. & continentibus. *Arist. de mun. c.2.*

Terra in se continet aquæ, sic & spiritus, & ignis scaturigines quarum quædam sub terra latent. quædam oculis humanæ subductæ sunt, vt Lipara, Aeta, & Aeoliæ insulæ, aliæ iuxta fontes, vt aquas efferuefactas emittunt: quædam modice temperatas; alijs in locis fœdos emittunt odores, & in alijs prorsus enecat, vt in Phrygia *Idem ibi. c.4.*

Terra in Lipara reperitur, in qua si quis ollam occultarit, quodcūque voluerit, dummodo in ea imponatur, decoquitur. *Arist. de admir. aud. num. 32.*

Terræ quæcunque nascuntur ea, quæ supra terram sunt, primo sunt viridia, quæ in terra vt scalpi, & radices alba, & germina, quæ intra terram sunt alba, & ablata terra fiunt herbacea. *Idem de colorib. c.5.*

Terrā sphæricam esse signum est, quod corpora grauia descendunt ex omni parte cœli, descensu consimili. *Auerr. in 1. de cælo, text. 44.*

Terra quietis causa non est, nisi grauitas eius, scilicet grauitas simpliciter. *In 2. de cæl. text. 80.*

Terra dicitur γῆ, sed melius significat quod vult, si γαῖαν nomines: γαῖα. enim genitrix recte vocatur. *Plat. in Crat.*

Terram Democritus, & Epicurus esse continuationem quandam corpusculorum, quæ intelligantur potius, quam sentiantur, cōnexis sibi inuicem assignant in aliquo modo positis, & aliquatenus figuratis. Alij qualitatem addunt, vt Anaxagoras, qui omnium materiarum naturam & proprietatem in singulis materijs congestam esse censet. Alij propter exiguitatem indiuiduorum corporum, quorum numerus in nullo fine fit, subtilitatem materiæ contexi putant, vt Diodorus, & nonnulli Stoicorum quorum fit fortuitus tam cœtus, quam segregatio. *Chalcidius in Platon. Tim.*

Terra nutrix nostra circa polum per vniuersum conclusa est: custodem & opificem noctis & diei Deus eam construxit, primam & antiquissimam ex corporibus, quæ intra cœlum facta sunt. *Plat. in Tim.*

Terra in medio firmata, sedes Deorū, terminus, & dux noctis est, occasus, & orientes generat, secundum defectiones finium cœli, prout visu, & terræ defectione circumscribuntur, & antiquissima est omnium, quæ intra cœlum sunt, corporum, neque enim aqua facta est absq; terra, nec aer absq. humido, & ignis humore, & materia destitutus, ex qua dependet, permanere potest, Quare radix & fundamentum omnium terra firma est in codē momento. *Timæus Locrus de mundi anim. & nat.*

Terra omnis puncti vice in medio posita est, quod ex horologijs patet, quæ hoc supponentia non errant, in quauis parte ponantur. *Chal. in Plat. Tim.*

Terra omnium media posita est, circa discordiam agitationemque, quæ per totum porrigitur coarctata diei noctisque custos, Deorum omnium, qui intra cœlum sunt, antiquissima. ac post ipsam mundi totius anima dulcia nobis alimenta ministrat, circa quam cœlum voluitur, & ipsa astrum quoddam est, ideo immota permanet. quia æquilibrata est in medio similis continentium. *Iacob. Carpen. in Alcin. c.15.*

Terræ cubica figura danda est, ex quatuor enim generibus terra maxime immobilis, & ex corporeis maxime compacta, necesse est tale maxime factum esse, quod securissimas habet

bases,

bases, vt in triangulis securior secundum naturam est basis eorum, quæ æqualia latera habent, quā inæqualia, & quod ex vtroque compositum est, plane æqualium laterum triangulum, tum secundum partes, tum secundum totum, necessario stabilius cō sistit, quam inæqualium laterum triangulum. *Plat. in Time.*

Terram rotundam esse patet ea Lunæ defectibus, qui non eodem tempore, sed diuerso & orientalibus & occidentalibus apparent. *Chal. in Plat. Time.*

Terræ vmbra, quæ nox vocatur, sexagies in altum multiplicatur ab ea mensura, q̃ terræ diametros hēt. *Macrob. in som. Scip. lib. 2.*

Terra est grauis simpliciter, quia locus eius est remotissimus à corpore, quod circulariter mouetur, vt causa, quod ignis sit leuis, simpliciter est, quod propinquissimus est circulariter moto. *Auer. in 2. de cal. text. 102.*

Terra est grauis simpliciter, aqua secundum comparationem. *Idem in 3. de cal. text. 9.*

Terræ superficies est veluti locus naturalis aquæ, in quo ipsa quiescit, & non mouetur illic, nisi violenter. *ibi. text. 31.*

Terræ sitæ in medio siluarum magnarum semper habent aerem spissum & suffocatum. *Alb. Magn. de nat. loco tract. 1. c. 13.*

Terra a principio suæ creationis cauta vallibus, & eleuata montibus. *Idem de problem. lib. 1. tract. 2. c. 4.*

Terram arationem apetire necesse est, quia aliter nec semina in se iniecta recipit, nec ea, quæ in se habet, sufficienter emittit, quia soliditas superficiei superioris per pondus terræ, per hominum & bestiarum conculcationem, & per imbrium ictus hoc prohibet. *De veget. & plant. lib. tract. 1. c. 4.*

Terra est immobilis, quia cum distet a circumferentia, est in loco frigido, & per frigus fit & grauis, & immobilis, & hæc est causa efficiens: finalis autem, quia terra non participat nobilitatem causæ primæ, nec nobilitatem eius, sed potius per quietē: ideo statua & quies omniū est in ipsa. *Alb. Mag. 2. de cal. tract. 41. c. 8.*

Terræ virtus terminatiua, & formatiua, & contentiua est frigiditas, quæ proficiscitur ea perfecta distantia ab orbe, & in centro est perfecta, quia in cētro est maxima distātia: ideo terra descēdit ad centrum, vt ad perfectionem. *Idem in 4. phys. tract. 1. capit. 11.*

Terra non mouetur coercita à medio, non quia non est aliud quo feratur: manet ob id terra in medio, quia graue manet in medio, & terra grauis est, ideo manet in medio, *Arist. 3. phys. c. 4. text. 51.*

Terra est in aqua, aqua in aere, aer in æthere, æther in cœlo, cœlum non amplius in alio est. *Idem ibi. c. 9. text. 46.*

Terra ex necessitate manet in proprio loco, & ex eo violēter mouetur. *Arist. 8. Phys. c. 1. text. 24.*

Terra si esset extra hunc mundum, moueretur ad medium huius mundi, violenter mouebitur à medio istius mundi ad illud medium naturaliter, & si motus eius à medio istius mundi ad medium illius fuerit, violentus erit motus eius à medio illius mūdi, ad medium istius naturalis. *Arist. in 1. de calo tex. 77.*

Terræ immobilitatis causam asserunt Anximenes, Anaxagoras, & Democritus latitudinem eius. *Aristotel. in 1. de calo, capit. 4. textu 87.*

Terra nunquam cooperta aquis fuit, quia inferiora elemēta sunt materia respectu superiorum, & superiora sunt formalia respectu inferiorum, ideo maiorem occupant locum, quā inferiora, ideo ignis implet totam superficiem concauam Lunæ quæ est maior: aer ignis, quæ est minor: aqua cum sit multum humida & materialia, non potest implere locum aeris, fluit enim in seipsam. *Alb. Magn in 1. meteor tract. 3. c. 2.*

Terram oemn principium posuit, quia propter suam grossitatem magis videtur composita ex principijs, quam quod sit principium, *B. Tho. in 1. de ani. lib 5. text. 30.*

Terra a Sole calefacta duplicem facit exhalationem, hanc magis vaporosam, illam magis spiritnosam: illam vaporem humidi, quæ est in terra, & super terram: hanc ipsius terræ existentis siccæ fumosam & harum spirituosam. supereminere propter calidum humidiores autem subesse propter pondus. *Aris. meteor. 1. c. 1.*

Terræ partes circa centra mouentur motu alterationis virtutibus cœlestium, quia quum cœlestia moueant inferiora per radios. ibi maxima apparet radiorum virtus. *Albert. Magn. in 1. Physic. tract. 2. c.*

Terra nihil patitur à cœlesti moto circulari, quum remotissima sit, nisi secundum alterationem partium eius, *D. Tho. in 1. de cœl. lib. 4. text. 11.*

Hieroglyphica.

Quod Cybelen curru veteres inuehi finxerunt, cum eadem, & tellus sit, terræ ipsius libramentum in aere pendentis indicare Lucretius putat:

hanc veteres Graium docti cecinere Poetæ,
Sedibus in curru biiugos agitare Leones:
Aeris in spatio magnam pendere docentes
Tellurem. Io. Pierius Valer. Hierogl. li. 42. c. 20.

Macrobius tradit Aegyptios per tauri figuram significare terram: propterea quod animal hoc ad rem rusticam inprimis aptum, atque necessarium esse, compertum sit. Idq. etiam sacræ literæ testantur: nam boues pingues per somnium Iosepho oblati terræ fertilitatem, macilenti vero sterilitatem portendebant. Præterea ea Romanorum nūmis antiquis idem quoq. colligitur, in quib. nihil illis vsitatius, si vel terræ fœcunditatem, & vbertatē, vel rei frumentariæ copiā, aut coloniarum, ac municipiorum deductiones, aut agrorum designationes, & diuisiones indicare voluerunt. Aelianus quoq. li. 2. var. hist. ca. 53. hoc animal maxime vsui, & hominib. vtilissimum esse ad agriculturæ exercitationē, dicit. Boa igitur, vel taurus quem Varr. lib. 2. c. 5. socium hominū in opere rustico, & Cereris ministrū appellat, merito terræ ipsius nota hieroglyphica dicatur. Et antiquos a boue aratore. Cereris q. seruo abstineri voluisse ita seuere Varr. asserit, vt capite sanxerint, si quis talem occidisset. *Hor. Coll. l. 6.*

TERRAEMOTVS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Terræmotus, Gr. σεισμὸς, & causatur principaliter a Deo: secundario autem a vento impellente alium ventum in terram. *sec. B. Thom. super Ps. 52. co. 6.*

Philosoph. Sententiæ.

Non aqua, aut terra causa est, sed ventus terræmotus: cum accidit, vt in eius visceribus fluat id, quod foras exhalando erumpit. *Arist. li 2. meteor. c. 7.*

Plures, ac maiores terræmotus nocte existunt: qui autem interdiu, meridie oriri solent, quod meridies sit fere pars diei tranquillissima. *ibid.*

Quum flatus aduena, introrsus in terræ caua irrumpens, deinde exitu omni exclusus, intus sese versando ingenti vi terram quatiat, nequicquam exitum inde quæritans: tum fit naturæ facinus, quod vocamus terræmotum. *Aristot. libr. 1. de Mundo, cap. 4.*

Terræmotus causam Nicolaus Cusa esse dixit, quod terra tremit intus, quo motu, & tremore corruant ædificia, cuius causam Thales, & Democritus in aquam referunt, Anaximenes siccitatem, & raritatem terræ causam esse putauit, Anaxagoras aerē, alij ignem, Stoici humorem, qui in aerem succedit, & excidit, Peripatetici pugnam caloris, & frigoris. Nam quum calidum ad superiora concedat, eius aduersa exhalatio obsistat, excitat commotionem. Metrodorus non putat moueri naturaliter, sed aliquos locos ab alijs impelli. Democritus, & Parmenides non moueri terram quum æqualiter ab omnibus partibus distet, sed solum quassari. Anaximenes ob latitudinem cubare, alij malūt eam super aquam moueri, non secus, ac quæ ex latitudine pollent. *Ioann. Picus Mirandul. in examin. vanit. doctr. gent. lib. 1. cap. 12.*

Terræmotus signum est, Solem sine nube fieri caliginosum, & obscurum, & ante matutinos terræmotus aliquando tranquillitatem, & frigus forte Solem caliginosum facit, quia spiritus in terram regredi incipit, & dissoluere, & disgregare aerem, & trāquillitas fit regressu introfacto spiritus, & magis ante maiores terræmotus, quum enim totus spiritus intro fertur, magis quatitur, & frigus fit, quia exhalatio natura calida introuertitur. *Ari. 1. meteor. 2. cap. 2.*

Terræmotus signum est fieri ante ipsum, aut per diem, aut post occasum serenitate existente, nubeculam tenuem porrectam velut longitudinem lineæ, & rectitudine exacta spiritu marcescēte propter transitum. *idem ibid.*

Terræmotus signum est solis eclipsis magna in cauda draconis, quia frigidior est in capite. *Albertus Magnus in 3. meteor. tract. 2. c. 14.*

Terræmotus signa sunt, frigus, & sonus, ex motu subterraneo: sequentia signa sunt caligo, tenebræ circa solem, & stellas. *Alb. Magn. de pass. aeris.*

Terræ pulsus, & tremores, ob spiritum in ea inclusum fiunt, vt in corporibus nostris. *Arist. meteor. 2. c. 1.*

Terræmotum fieri ait Anaxagoras, quia cum æther sit natus sursū ferri, & incidit in concaua terræ quatit eam, quæ simpliciter dicta est causa. *idem ibid.*

Terræmotum fieri ait Democritus, quia terram aquæ plenam existentem, & suscipientem aliam pluuiolam aquam ab hac moueri ait. *ibid.*

Terræmotum ait Anaximenes esse, quia terra irrigata, & exsiccata rumpitur, & ab his turpia verticibus incidentibus concuti. *Arist. meteor. 2. c. 1.*

Terræmotus causa, terra, & aqua inclusa, & materia sunt, patiuntur enim, sed non agunt: Spiritus autem causa est, vt principiū. *idem ibid.c.2.*

Terræmotus fiunt secundum partem terræ, & sæpe ad modicum locum; venti vero non secundum partem. *idem ibid.7.*

Terræmotus est cum flatus adueniт introrsus in terræ caua, irrumpens, deinde exitu omni exclusus intus sese vertendo ingenti vi terram quatit, nequicquam exitum deinde quæritans, & horū alij sunt, qui ad angulos acutos in obliquum quatiunt, qui ἐπικλίνται appellantur, quasi in transuersum sese agentes, sursumq. & deorsum se ad angulos rectos iactantes, βράσται vocātur a similitudine aquæ efferuescentis. At qui labes terræ relinquunt in caua subsidentis ab hiatu χασματίας nominari sunt, Quæ hiatum hi, qui vi eruptione facta patefaciunt ῥῆκται i. effractores dicti sunt. Iam horum aliqui flatum secum eruptorum rapiunt, alij saxa, alij cœnum, alij fontium scatebras edidere, quæ antea non erant, ὦσται. i. trusores vocant, qui vno obnixu subuertunt, quod impulerunt. Sunt etiam qui quasi abundi, & vtroque declinantes, vibrantesque quod mouerint, semper exigunt: ob id παλματίας, hoc est, vibratores dicti, efficiuntq. terræmotum rumori non dissimilem. Appellantur etiam μυκητίας, terræmotus, qui cum mugitu quatiunt. *Arist. de mund. cap.4.*

Terræmotus fit cum sono, qui est diuersi generis, quia aliquando, vt sonus aeris inundantis ex multo vento, qui est quum cauernæ sunt magnæ, & vapor non multus, aliquando est sublaouus, quum vapor per riuulos dispersus, per partes cum impetu moueri compellitur: aliquando est collisiuus, qui fit quum corpora dura forti vento, sese collidunt ad inuicem: aliquando est fractiuus, qui fit quum vapor detineri non potest, sed quærit exitum. Primus est in principio: secundus in augmento: tertius in statu: quartus in fine. *Albertus Mag in 3. meteo. tract. 2. c. 1.*

Terræmotus causa materialis est, vapor siccus, & grossus valde, & terrestris; efficiens causa est calor solis penetrans in viscera terræ: locus est terra oppilata in superficie. *Albert. Magn. de pass. aer.*

Terræmotus locus oppilatus est tribus de causis, aut quia est non arenosus, mari tamen vicinus, ita vt fluxus, & refluxus fiat ad terminos ipsius, & sic humido maris oppilatur locus: aut quia pluuijs multis oppilantur pori: aut quia terra est saxosa continua saxo. *ibid.*

Terræmotus vapor, si est frigidus minor in loco non aquoso, & terræ multum oppilati pori, eleuabit terram, ita vt videbitur mons, vel collis, & si eum impetu non proijcit in alium locum, tunc residet egresso vapore in toto, vel in parte: si multus, & si sint aquæ in illo loco, absorbebit aquas donec resideat, quod eleuatum est, si aqua est in profundo, proijcit terram, & facie eam apparere. *Alb. Magn. de pass. aeris.*

Terræmotus plurimi, & maximi fiunt tranquillitate, cum tamen non sit irrationabile quosdam fieri flatu existente. *Aristot. meteo. 2. cap. 2.*

Terræmotus maxime fiunt Vere, & Autumno in pluuijs, & siccitatibus. Aestas enim, & Hiems, hic propter gelu, illa propter æstum maxime facit immobilitatem. *Arist. meteor. 2. c. 2.*

Terræmotus fortis non cessat cito, sed primo ad 40. dies agitatur: posterius, & ad vnum annum, & ad duos dominatur secundum eadem loca: & magnitudinis causa est spiritus multitudo, & locorum figura per quæ fluxerit. *Aristotel. meteor. 2. c. 4.*

Terræmotus minus fit in insulis marinis, quam in ijs, quæ sunt iuxta terram, quia multitudo maris infrigidat exhalationem, & prohibet pondere, & vim infert. Quæ autem insulæ sunt prope continentem, pars sunt continentis, & intermedium propter paruitatem nullam habet virtutem. *idem ibid.*

Terræmotus in septimo climate raro fiunt, quia radij solis, & aliarum stellarum debiliores sunt: in sexto climate versus meridiem fiunt terræmotus sæpe, quia Sol radijs fortibus, in terræ inferiori parte plus eleuat, quam consumat, & ideo restat materia multa ad faciendum terræmotum. *Alb. Magn. in 3. meteo. tr. 2. c. 10.*

Terræmotus rarissime fit in æstate, quia calor vehemens prohibet materiam, & in hieme: quia idem facit vehemens frigus, nisi qualitas loci in contrarium aliquid efficiat. *Alb. Magn. in 3. meteor. tr. 2. c. 9.*

Terræmotus tempore potius sicco quam humido, sed per accidens fit etiam tempore humido, quia pori terræ obturantur, & ab humiditate in vnum locum coarctatur de seipso, & sic fit terræmotus. *Alb. Magn. in 3. meteo. tr. 2. c. 9.*

Terræmotum sequitur frequenter pestilentia, quia vapor inclusus, & luce priuatus, & aere libero habet quasi veneni naturā ideo animalia occidit, & maxime oues, quæ os semper terræ proximum tenent. *Alb. Magn. in meteo. 3. tract. c. 11.*

Terræmotus mouet terram diuersis modis, aliquando agitat eam a dextris, & sinistris, quod fit a vapore non multo, & lateribus speluncæ fortibus: aliquando subuertit terram, quod fit quum ventus primo æqualiter impellit fundum alicuius terræ, donec eleuet ipsum, & cum fuerit eleuatum, tunc impetu magno egreditur ad latus vnum, & sic voluit terrā: aliquādo scindit terram faciens vnam aperturam, quod fit à vapore sicco calido, quia scissio est effectus siccitatis: aliquando perforat terram, quod fit a vapore in terrā disperso, aliquando mouet motu tremulo, quod fit à vapore debili, aliquando mouente, & aliquando non: aliquando facit superiorem terræ partem in profundum cadere, quod vel fit ab aqua, quæ corrodit fundamenta terræ, vt ab igne terram subtus comburente: aliquando mouet motu impulsiuo, quod fit à vapore multum impellere præcipue a calore: aliquando inferior pars superiorem vehit, quod fit, quū inferior pars terræ sequitur ipsam aliquando mouet motu depressionis & eleuationis, quod à multo vapore, & à laterib. fortib loci accidit. *Albert. Magn. in 3. meteor. tract. 2. c. 18.*

Terræmotus, tonitrum & coruscatio possunt duobus considerari modis: primo formaliter vt terræmotus, est motus; tonitrum sonus factus ab exhalatione: coruscatio ab exhalatione incēsa, & sic sunt diuersæ species: secundo ex ijsdem generantur, & sic sunt idē specie, quia sunt exhalatione sicca. D. *Tho in 2. meteo. l. 6.*

Terræmotus magnus in Lombardis fuit tempore Alberti Magni, circa tropicum hiemalem, & maxime medijs noctibus veniebar, & durabat per dies quadraginta spatio. Et anno 1570. circa tropicum hiemalem fuit maximus Ferrariæ, qui per multos menses durauit, & multas illius ciuitatis ornatas domos, & publica ædificia destruxit. *Alber. Magn. de pass. aeris.*

Erramus, si vllam terrarum partem exceptam immunemque à terræ motu credimus. Omnes sub eadem iacent lege. Nihil ita vt immobile esset natura concepit. Alia temporibus aliis cadunt. Et quemadmodum in vrbibus magnis, nunc hæc domus, nunc illa suspenditur: ita in hoc orbe terrarum nunc hæc pars facit vitiū nunc illa, Tyrus aliquando infamis ruinis fuit. Asia duodecim vrbes simul perdidit. Anno priore Achaiam & Macedoniā, quæcunque est ista vis mali quæ incurrit, nunc Campaniam læsit, Circuit fatum, & si quid diu præterit, repetit. Quædam rarius sollicitat, sæpius quædam. Nihil immune esse & innoxium sinit, Non homines tantum, qui breuis & caduca res nascimur: vrbes oræque terrarum & litora, & ipsum mare in seruitutem fati veniunt. Nos tamen nobis permansura promittimus bona fortunæ & felicitatem, cuius ex omnibus rebus humanis velocissima est leuitas, habiturā in aliquo pon sus ac moram credimus. Et perpetua sibi omnia promittentibus in mentē non venit, id ipsum sup. quod stamus, stabile nō esse. *Senec. natural. qu. lib. 6. c. 1.*

Nego quicquam esse quietis æternæ, timor sine remedio stultus est. Si vultis nihil timere, cogitate omnia esse timenda. Quam stultum est, mare horrere: cum scias stillicidio perire te posse? Nullum est maius solatium mortis, quam ipsa mortalitas. Quid stultius, quam timere nutationem aut subitos montiū lapsus, cum mors vbique præsto sit, & vndique occurrat? nihilque sit tam exiguum, quod non satis valeat in humani generis perniciem? Necesse est mori vbicunque, quādoque. Stet licet ista humus, & se suis finib. teneat, nec vlla iactetur iniuria: sup. me q̄doq. erit. Interest ergo, illā ego mihi, an ipsa se mihi imponat: Deducitur ingēti potētia nescio cuius mali: rumpitur, & me in immensam altitudinē abducit. Quid porro? Mors leuior in plano est? Quid habeo quod querar, si rerum natura me vult iacere in ignobili loco? si mihi inijcit sui partē? Egregie Agellius.

Si cauendum est mihi, cælo cecidisse velim.

Idem licet dicere, si cauendum est, cadam orbe concusso? nō quia fas est optare publicam cladem: sed quia ingens mortis solatiū est, terram quandoque videre mortalem. *Idem eo. lib. c. 2.*

De terræmotu. Dialog. XCI.

Franc. Petrarcha.

Metvs.

Terræmotus timeo, R. Magnum fateor naturæ parentis incōmodum, nec immerito à parentibus segregatum, nempe cunctis grauius sed rarius, idque remedij loco sit: Sæpe quidem instās fulmen tonitru cœli facies mœsta pronunciat, terræmotus præsagium nullum est. Etsi eum Pherecydes aqua putei hausta prædixisse feratur. Adde, quod aduersus cœli minas aliquod fortasse refugium subterraneæ offerunt cauernæ, quale illud legitur Augusti Cæsaris fulgura metuentis, quod adhuc Romæ via cernitur Flaminia, & nomen seruat authoris. Contra terræmotum nullæ sunt latebræ, nulla fuga, quo enim extra terram fugiat terrenus homuncio? aut quid fiet si & supra verticem cœlum tonat, & sub pedibus terra tremit, nisi forte quis in pelagus fugiendum dicat, quod & cœlestis, & terrestris varietatis est particeps, & suis insuper motibus inquietum. M. Non tu mihi remedium das vt soles, sed periculum exaggeras. Rat.

Sentiebam

Sentiebam ita tibi visum iri, & si haud dubie se res habet. Sunt quæ dissimulari queunt & verbis extenuari, & quæ fama terribilia visa erant, reipsa nunc tolerabilia, & nunc contemptibilia videantur. Id sane de quo agitur tale est, vt sua quadã inhumanitate eloquij argumenti decutiat, vnum est solamen vt dicebã raritas. Vidistis ætatem pene integrã terræmotibus vacantem: quo in spatio innumerabiles obijsse non est dubiũ, qui in vita solum rei terribilis nomen audierint, nullum res visa terruerit, aliqui quẽ non conspecta permoueat, vel antiqua illa, vel hæc noua, quorũ vel in libris, vel in animis hominũ qui viderũt memoria recens est, quando & olim vno eodemque de metu horrifico & concussa Rhodus & nouæ insulæ profundo maris emerserunt, & vetustæ vrbes Asiæ duodecim corruerunt, nonnulla et terræ hiatibus haustæ sunt. Dehinc eadẽ pestis in Achaia Macedoniaque desæuit. Demum in Campania illa pulcherrima non Italiæ tantum, sed totius etiam mundi parte circa Senecæ ætatem, qui inter quæstiones naturales rei huius meminit, quando & Herculanum, & Pompeios, vrbes tractus illius nobilissimas, ipsam quoque Parthenopem ea peste vexatam legis. An ne cuncta sequar, quæ infinita materia est, nuper Alpes aereas, quæ Italos à Germanis separant, quorum motus insolitos Maro ait, & motas, & multis in locis disiectas cernere potuisti. Et confestim postea ipsam vrbiũ reginam grauiter agitatã, vsque ad ruinã turrium, ac tẽplorum, aliquot alias humi stratas, moxque velut perpetuo malorum ordine, Germaniæ partem illam (quæ nobilior habetur) totam scilicet Rheni vallem tremuisse, atque in ripis Basileam vrbem funditus, & octoginta, eoq. amplius castella, vno simul temporis momento corruisse notũ est. Horrendum plane negotium, nisi arcem terribiliũ mors teneret. Hanc qui timere desierit, nil timebit, vtque elegãter ait Flaccus, *si fractus illabatur orbis, impauidum ferient ruinæ*. Nam quid refert, an in te lapis exiguus sic descendat vt perimat, an te ingens obruat Apenninus, seu potius fractus orbis, vt est dictũ. Si vtrobique nil amplius est quam mori, nisi quia quibusdã forsasse mors clarior videri potest, quo maior intelligitur instrumẽto. Hæc tandem nostri consilij summa est, quando & aduersus fulmen aliquid dicimus esse remedij, & vtrunque vel obstando, vel cadendo reliquis malis occurritur, contra hoc vnum, nec fuga valet, nec ingenium, nec vis vlla, hunc qui vnus horribilia cuncta facit ponendum ante omnia metum mortis, aliquãdo non inficior factu difficilius quam dictu, sed nequaquã impossibile. Et quoniam ab hac peste, nec tempus vllum nec locus immunis est, omnibus locis atque temporibus ad omnium, quæ vel naturaliter, vel fortuito euenire possunt tolerantiam pręparandum armandumque animum, quod nisi virtutis amor, vitijque odium accesserit, vtique fieri nequit. Denique quoniã non cœlum modo, quod in continuo motu est, & elementa vndique commutantur, sed terra cui insistitis, & quæ periculorum omnium firmissimum præsidium sperabatur, ipsa quoque concutitur, incolasque suos fallit ac territat, ad cęlum animi volatibus ascendendum. Interque hos rerum motus, atque hominũ omnem in illo spem habendam, qui respicit terram, & facit eã tremere, de quo scriptum est: Ego dominus, & non mutor. Quisquis in illo vestigia deuotæ mentis affixerit, iam in solido & in tuto erit, neq. amplius, aut ipse mouebitur, aut vllo metuet terræmotus. M Non possum terræmotibus non moueri. R. Potes autem à terra omnem spem, atq. omne desiderium remouere. Hoc fac vt secura viuas, eaque vel tremente, vel tuẽte consistas Stultum est firmam in re tremula spem habere.

Exempla Biblica.

Terræmotus *exempla*: tempore Oziæ regis, *Amos 1. vers. 1. Zacha.* *14. v. 5.* Tempore passionis & expirationis Christi, *Matth. 27. 44.* tempore resurrectionis Christi, 28. *ver.* 2. tempore Pauli & Silæ incarceratorum, *Actor. 19. 26. vide & Apocalyp. 6. 12. & 8. 5. & 12. 13. & 16. 18.*

TERROR.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Terror, Græce ... & ... terreo dicitur. Hebr. *Cheth*, *Chathath*, *Chittah*, *Chitith*, *Mechittah*, *Chathchath*, à verbo *Chathath*, consternatus est, terrore perculsus est, prostratus est, stratus est humi, deiectus est in terram, victus & superatus est. Dicitur & terror, *Pachadh*, & *Pachaddah*, à verbo *Pachad*, timuit, expauit valde, territus est. Est autem terror metus contingens, ex quo fit vt pudorẽ rubor, sic ruborẽ pallor, & tremor, & dentium crepitus consequatur. A terreo fit terror. Est enim terrere, timorem alicui incutere, & quasi in terrã prosternere, quare à terra dictum terreo quidam volunt. Hinc terrificus faciunt, & terribilis, id est formidabilis, atque horrendus.

Loci Biblici.

Tremor, & terror impijs & peccatoribus a Deo immittitur. *Exod. 23. 27. Deu. 2. 25. & 11. 25.*

Philos. et Historic. Sentent.

Terrorem quod incutit, non est omnibus idem: est enim aliquid supra hominem, quod omni homini sanæ mentis incutit terrorem, atque hominem non excedunt, atque magnitudine differunt, eo quod magis, vel minus afficiuntur, quæ fortis vir, vt homo timebit quidem, sed vt oportet, & ratio præscribit, honestatis caussa sustinebit, & feret, cum ea sit virtutis finis. *Arist. 6. Ethic. cap. 6.*

Terribilia supra omnia fuit terræmotus, fulmina, diluuia, incendia, terræ hiatus. *Enstr. 3. mor.*

Nec hostium paucitatem, nec multitudinem suam territi homines satis cernunt. *Curt. li. 5.*

Post prælium iam consertum terror obiectus magis quam præsens periculum homines perturbare solet. *Thucyd. li. 5.*

Aliquoties vanus terror, plus pene veris viribus profuit. *Liuius Decad. 1. lib. 7.*

Maior ignotarum rerum est terror. *Decad. 3. lib. 8.*

Terror absentium rerum ipsa nouitate falso augetur: consuetudo autem efficit, vt ea etiam quæ horrenda sunt natura, terrendi vim amittant. *Plut. in Mario.*

Terror hominibus mentem consiliumq. eripit, & membra debilitat. *Hirt. de bello Alex.*

Metus, & terror infirma sunt vincula Charitatis, quæ vbi remoueris, qui timere desierint, odisse incipiunt. *Tacit. in agricola.*

Fabula.

Leo, & Rana.

Leo auditis ranæ clamoribus, quos illa toto rictu edebat quã maximos, primum perculsi animo valde cœpit, quod crederet ingentem animantem esse authorem tanti clamoris. Animo tamẽ confirmato cœpto circumspicere, & contra illum clamatorem quisquis esset, sese parare, & ad pugnam accingere. Cum videt prorepentem ranam de propinquo lacu, ibi leo, simul indignatione, simul etiam pudore affectus, pede illam conculcatam atteriuit.

Docet fabula, non esse ad quemlibet strepitum expauescendum, neque nos inexplorata re terreri oportere.

Vide Metus, Timor.

TESTAMENTVM.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

Testamentum Græc. ..., & ..., testator dicitur Hebr. *Berith*, fœdus, pactum, testamentum, Cognationem hæc vox habet cum verbo *Carath*, .i. pepigit, cũ quo plerumq. etiam construitur. Vel deriuatur a verbo *Barhar*, disseruit, diuisit per medium. Nam fędera olim fiebant cęremonijs feriendarum, seu mactandarum pecudum, & fæditrago eiusmodi exitium imprecabantur fœderan. Fæderum, & testamentorum discrimina in Iurisconsultorum, & Theologorum libris explicantur. Est autem testamentum proprie, percipiendæ hęreditatis institutio filijs a patre. Ideo primo pertinet ad promissiones. secũdo ad mandata, quæ se habent, sicut via ad consequendam hæreditatem promissam. *Ex B. Thom. 3. part. quæst. 78. art. 3.*

Testamentum dicitur, quod voluntatis nostræ veluti testimonium sit, vnde vltima voluntas, & suprema voluntas appellatur. Quare Vlpianus sic illud diffinit, quod sit voluntatis nostræ iusta sententia de eo, quod post mortem nostram fieri voluerimus. Testamentum falsum illud dicitur, quod non est secundum testatoris voluntatem scriptum, sed habet aliquid additum, vel diminutum, vel mutatum, vel aliud pro alio suppositum. Irritum autem testamentum est, quod de iure inualidum, vt si is qui testatur, sit capite diminutus, vel si alia requisita defuerint, &c.

Loci Biblici.

Testamentum, *Gal. 4. v. 24. Hebr. 9. v. 1. & 13. v. 20.*

Testamentum vetus, *Gen. 12. v. 7. Heb. 9. v. 4. 18. 6. Exod. 24. v. 8.* Testamentum vetus, sanguine dedicatum, *Exod. 24. 8. Hebr. 9. 8.* Testamentum vetus corrigitur. *Heb. 7. 25.* Testamentum vetus apud Hebræos in tres ordines diuiditur: in *Torah*, Legem: *Nebiim*, Prophetas: & *Chetubim*, hoc est, scripta siue Hagiographia. Citatur secunda illa sectio veteris Testamenti cuius pars est Isaias, *Ioan. 6. vers. 45.* Testamenti veteris repetitio. *Iosu. 24. v. 3.* Te-

v.1. Testamentum nouum a Christo sancitum, *Heb.8.6.* Testamenti veteris, & noui discrimen, *Iere.31.v.31.Matt.26.28.1.Cor.11.25,2.Cor,3.7.Heb.8.v.9.10.*

SENTENTIAE BIBLICAE.

Testamentum debite ordinandum.

Dedit Abraham cuncta quæ possederat Isaac: filijs autem concubinarum largitus est munera, separauit eos ab Isaac filio suo, dum adhuc viueret, *Gen.29.*

Finitis mandatis, quibus filios instruebat, collegit pedes suos super lectum, & obijt. *Idem 49.*

Sic Tobias, cum putaret orationem suam exaudiri, vt moreretur, vocauit ad se filium suum, dicens: Audi, fili mi, verba oris mei, eaq. in corde tuo, quasi fundamentum repone. *Tob.4.*

Filio, & mulieri, fratri, & amico non des potestatem super te in vita tua, non dederis alij possessionem tuam, ne forte te pęniteat, & preceris pro illis. *Eccl.33.*

In die consummationis dierum vitæ tuę, & in tempore exitus tui, distribue hæreditatem tuam. *ibid.*

Rite obseruandum.

Fratres, secundum hominem dico, tamen hominis confirmatum testamentum nemo spernit, aut superordinat, *Galat.3.*

Vbi testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris, Testamentum enim in mortuis confirmatum est, alioqui non valet, dum viuit, qui testatus est. *Hebr.9.*

SENTENTIÆ PHILOSOPH.

Testamentum quicunque fecerit in quo bona sua legat, si filiorum pater est, primum ex filijs quemcunque voluerit hæredem instituat; quem vero ex alijs filijs adoptandum dederit itidem cōscribat. Si vero superfit aliquis filius non ad aliquam sortē adoptatus, quem secundum legem in coloniam emittendum esse sperat, huic ex alijs opib. dare liceat, quæcunq. pater voluerit, paterna sorte excepta, & instrumento omni ad sortem pertinente, & si plures fuerint, ex parte distribuat pater quomodo voluerit, ea quæ supersunt vltra sortem. Cuicūq. vero de filijs domus fuerit, ei de opib. non tribuat, & similiter filiæ cui desponsus velut maritus futurus fuerit, non tribuat: cui vero non fuerit quis desponsus ei tribuet. Si vero alicui filio, aut filiæ sors obuenerit intra regionem vernaculam post factum testamentū, hæredi eāus, qui testamētū cōdidit, relinquatur. *Plat. de leg. dia. 11.*

Testamentum qui condidit, masculos non reliquit filios, sed filias fęminas, maritum cuiuscunq. filiæ voluerit relinquat hæredem conscriptum, & si filius alicui moriatur, puer adhuc, priusquam in virum euasit, siue naturalis sit, siue adoptatus, etiam de tali fortuna scribat, qui testamentum condit, quem eius loco melio re fortuna succedere velit. *idem ibid.*

Testamentum qui condit omnino existens sine liberis, decimā partem vltra sortem, acquisitam eximat, & cuicunq. voluerit donet, reliqua vero omnia adoptato tradat, & sine reprehensione adoptatum filium placidum faciat. *idem ibid.*

Testamentum non liceat cuiq. quæcunq. voluerit relinquere, cum opęs non sint propriæ suæ, sed vniuersi generis, & superioris, & in posterum futuri, & adhuc magis ciuitatis, & totum genus, & opes, atq. his ita se habentibus si quis vos in morbis, ac senectute fluctuantes blandiujs adortus suaserit vobis, vt præter eius quod optimum est, rationem testamentum condatis, legislator non permittet, sed quod omni optimum est. *idem ibid.*

Testamentum qui condit, & eius liberi tutoribus opus habent, si tutores scribit quos, & quot voluerit, electio rata habeatur: at si non condiderit testamentum, aut tutorum electionem nō absoluerit, proximi genere a patre, & matre, tutores rati sint duo a patre, duo a matre, vnus ex mortui amicis, quos constituant legum custodes. *idem ibid.*

Testamento non facto, qui mortuus fuerit, & filios tutela egentes reliquerit, eorum egestas earundem harum legum particeps fiat. Si filias quis inexpectata fortuna vsus reliquerit, veniam ferenti legem dabit, si de tribus ad ipsum pertinentibus ad duo tātum respiciens, filiam ipsius in matrimonium locabit, & ad generis propinquitatem, & ad sortis conseruationem. Tertium quod pater considerare potuisset, vt ex omnibus ciuibus habitus, & mores intuitus idoneum sibi filium, & filiæ sponsum elegisset hoc relinquet, cum hæc consideratio ex his sit, quæ fieri non possunt, *idem ibid.*

Testamento non condito, si quis moritur, non relictis filijs, nec masculis, nec fœminis, reliqua fiant vt in lege de ijs, qui filias reliquerint, verum fœminæ, & mares, velut contubernales. ex genere subinde eant in desertam domum, quorum sors proprie fiat, prima soror, secunda patris filia, tertia sororis filia, quarta patris soror, quinta patris fratris filia, sexta patris sororis filia: hæ vero cum illis cohabitent iuxta fas, & propinquitatem, velut antea sanciuimus, *idem ibid.*

Testamentum de legibus si quis, & de quacunque re alia, & de nuptijs conqueratur, si præsens esset, & viueret legislator, nunquā ita facere cogeret, nec nubere, nec vxores ducere, eos qui nunc vtraq. facere coguntur, & si aliquis ex cognatis, & tutoribus, qui asserat & dicat, legislatorē, arbitros, patres quindecim ex legum custodib. reliquisse pupillis vtriusque sexus ad hos defugiant, & ab his iudicentur, qui de hmōi aliqua re dubitant, & horū decreta rata habeāt. si vero cui maior vis inferri videatur à legū custodib. is ad selectorū iudiciū ipsos pducat, & de cōtrouersia iudiciū ferat: victo aūt vituperiū, & opprobriū à legislatore sanciatur, quæ pęna multo grauior est apud eum, qui mente præditus est, quam vlla pecuniaria mulcta, *Idem ibid.*

Testamento non condito, si quis filias reliquerit de mortui frater ex eodem patre, aut quis sine sorte est, ex eadem matre, habet filiā & sortem defuncti: si vero frater nō extiterit, sed fratris filius, eodem modo. si in ætate inter se idonea fuerint: si vero nullus horum, sed sororis filius extiterit, eodē modo, quartus patris filius, quintus huius filius, sextus sororis patris filius: eodē modo s p genus præcedat, iuxta propinquitatem, si quis filias reliquerit p fratres, & nepotib. ex fratrib. ac sororibus præcedēs, primū masculos, deinde fęminas, in vno genere. *Idem, ibid.*

SIMILITVDINES.

Gregorij, In arca dum chorda trahitur, cornu curuatur: Sic in elogo Dei, dum Testamentum nouum legitur, duritia veteris Testamenti emollitur. *lib.19.Moral.c.28.*

Tiriueri, Tantum differt vetus testamentum à nouo, quantum succus in aliud vas transfusus à seipso. Etenim vetus testamentum & nouum ambo proficiscuntur à Deo: sed vetus per Prophetarum oracula est traductum, illud vero continetur ab ipso Deo progressum. *In apoph, 25.*

Aristoteles. Quisquis graui morbo correptus tabulas testamenti cōscribit, similis est ijs, qui marinis fluctib. vehementer agitati, tū primum incipiunt nautica instrumenta debito ordine tractare,

PROFANA EXEMPLA.

Alexan quidam moriens (quasi parum fuisset in vita lusisse) testamento religiose cauit: vt detracta cadaueri suo cute, ossibusque omnibus exemptis, ex his tesseræ fierent: ex illa vero, membranisque omnibus mensa, alueolus, fritillaque, quanta fieri posset diligentia, contegerentur. *Paschasius Iustus, lib.1. de Alea.*

Pius II. eorum Cardinalium testamenta, qui Romæ decessissent, libera esse voluit: qui intestati obijssent, eorum bona ita demū referri in ærarium est passus, si nec propinqui comparuissent. *Campan. in eius vita.*

Ius testamenti à Carolo Magno Saxonibus ademptum, à Ludouico Pio Imp. restitutum. *Aemilius lib.3.*

Comnus Calaonus & Certi comes nobilissimus, Patauinus, circa annum salutis 1505. cum liberis careret, reliquit arces suas ei, qui prior post obitum suum eas ingrederetur. Estenses sorte fortuna primi ingressi, ex legato & Certi & Calonis facti sunt domini. *Bern. Scard. lib.3. hist. Pat.*

Germanis de bonis testari non licebat: sed si liberi extarent, ad intestati patris hæreditatem admittebantur: si minus, proximores propinqui. *Alex. lib.6.c.10.*

TESTIS TESTIMONIVM.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Testis, Græ. μάρτυρ, upos. ὁ κ. & μαρτυρία, ας, ἡ, testimonium dicitur. Heb. *Hedh*, à verbo *Heilud*, testimonium perhibuit, testificatus est, affirmauit. Testes antiquitus superstites vocabantur eo, quia supra causarum statum proferebant. Nunc parte nominis ablata, testes vocantur, *de verb. sign. c. forus. §. Testes.*

Testis dicit, quasi antestis, hoc est, ante stans: vel, vt aliq voluīt, quasi tenens statum. In testibus sex sunt attendenda, Versus:

Aetas, Conditio, Sexus Discretio, Fama,
Et Fortuna, Fides, in testibus ista requiras.

A testis venit Testatio, & Testimoniū, q proprie dicta testiū sunt.

LOCI BIBLICI.

Testimonium verum commendatur, *Prouer.14.25.* falsum prohibetur, *Exod.20.16.& 23.1. Deut.5.20. Prou.6.19.& 14.5.& 19.5.& 21.28. Luc.18.20.*

Testis: In iudicio testis singulus non sufficit, teste enim vno nemo occidendus est. *Num.35.30. Deut.17.6.& 16.15. Matth.18.16.* Testis falsus quomodo puniendus, *Deut.19.v.16.12. Prouer.20.v.5.9.* testes falsi quibus similes, *Prouer.25.18.*

PATRVM SENTENTIAE.

Tres testes vnum sunt, sicut Ioannes dixit: Aqua, Sanguis, & Spiritus. Vnum in mysterio, non in natura. Aqua igitur testis est sepulturæ, sanguis vero testis est mortis, spiritus testis est vitæ. Si qua ergo in aqua gratia, non ex natura aquæ, sed ex præsentia spiritus est. *Ambr. de Spiritu sancto, lib.1.*

Duobus

Duobus aut tribus testibus stat omne verbum, sed illis testib. qui ante diem hesternum, aut nudiustertius non fuerunt inimici, ne irati nocere cupiant, ne læsi vlcisci se velint. Inoffensus igitur affectus testium quæritur: ita tamen, vt accusator propius in medium procedat. *Epist.66.*

Testibus falsis coniunctis, tarde mendacij falsitas reperitur, quod si separati fuerint, examine iudicis cito manifestantur: nam sicut in voluntate prauorum grandis est fortitudo, ita in separatione maior infirmitas. *Isid. de sum. bon. lib.3.*

Testis falsidicus tribus est personis obnoxius; primo Deo, quem peierando contemnit: consequenter iudici, quem mentiendo fallit: postremo innocenti, quem falso testimonio lædit. *Idem.*

Nihil est puero teste certius, vsque quinquennis. Nam & ad eos peruenit, ve intelligat, & ad eos, quibus fingere non valet. *Ibid.*

Si quis ea, quæ videt in proximi sui delicto, vel non indicat, vel in testimonium vocatus, non quę vera sunt, dixerit, peccatū, quod commisit ille, qui celat, ipse suscipiet, & pœna commissi reuertitur ad conscium. *Greg. super Leuit.*

Sæpe pro malis bonum testimonium dicimus, & de bonis mala dicimus nescientes, & necesse est, vt verecundiam incurrat, qui ignorans aliquid asseuerat. Sæpe enim probatur incerta suspicio, quæ viro non conuenit Christiano. *Cass. in Psal. 118.*

Poeticae Sententiæ.

Μαρτυρίαν ψευδῆ φεῦγε, τὰ δίκαι' ἀγόρευε.
Testimonium falsum fuge, sed vera loquere.

Hesiodus.

Καί τε κασιγνήτῳ γελάσας ἐπὶ μάρτυρα θέσθαι.
Et fratri ridens, testem adhibe.

Iuuen. 8.

Ambiguæ si quando citabere testis,
Incertæque rei, Phalaris licet imperet, vt sis
Falsus, & admoto dictet periuria tauro:
Summum crede nefas animam præferre pudori,
Et propter vitam viuendi perdere causas.

Ouid. 1. Amor. 10.

Non bene conducti vendunt periuria testes.

Plaut. Truc.

Pluris est oculatus testis vnus, quam auriti
Decem. Qui audiunt, audita dicunt, qui vident, plane sciunt.

Iuuen. 13.

Tam facile, & pronum est superos contemnere testes
Si mortalis idem nemo sciat, adspice, quanta
Voce neget, quæ sit ficti constantia vultus.
Per Solis radios, Tarpeiaque fulmina iurat.

Philosophicae Sententiae.

In ferendo testimonio, quantacunque alicui sit authoritas, propter coniunctionem affinitatis minor putanda est. *Tull.*

Nullum putaueris esse locum sine teste. *Senec. in prouerb.*

Testimonium falsum si quis bis dixisse compertus fuerit, cum nulla lex amplius testimonium dare cogat, si ter, non amplius testimonium dare liceat: & si quis ter deprehensus fuerit falsum testimoniū dedisse, ausus fuerit dare testimoniū, quicunq. ad magistratū deferat, si condēnatus fuerit, morte plectatur. *Idem ibi.*

Testimonium qui ferre non vult, in iudicium trahatur, si fert testimonium, ferat: si non voluerit, & nescire dicat, tres Deos, Iouem, Apollinem, & Themidem iureiurando se nescire, & sic de iudicio discedat: at qui non comparet, reus quis aliquem iudicem exciet testem, is dato testimonio, de hac causa iudicium non ferat. *Idem ibid.*

Testes multos & claros in iudicio qui producunt, se conuincere aduersarium putant. *Plat. in Gorg.*

Testibus condemnatis maior pars dimidijs si vicit, irritum sit iudicium. *Idem de leg. dial. 11.*

Testimonia manifesta in obscuris adducenda sunt. *Arist. 2. Ethic. 2.*

Testimonium certis in rebus incertis vtendum est. *Idem magn. moral. 1. c. 6.*

Testes sunt duplices, alij antiqui, vt poetæ, alij noui, & horum alij periculi participes, alij expertes. *In 1. Rhet.*

Testimonia alia de seipso, alia de aduersario, alia de facto, alia de moribus. *ibid.*

Testimonium est rei cognitæ voluntaria confessio. *Arist. Rhetor. ad Alex. c. 15.*

Testis aut probabilis, aut improbabilis, aut ambiguus est, si suspectus, demonstrandum est non gratia, non cruciatu, non lucro aliquo mendacij quicquam testificaturum. *Idem ibid.*

Testi qui contradicit improbum eum esse dicas, & videndum, an ei sit amicus, aut negotij particeps, aut si contra quem testificatur inimicus, aut pauper. *Idem ibid.*

Testis & iudex differunt, quia testis testatur veritatē conclusionis, & iudex testatur veritate syllogismi cum concludentis. *Auerr. in 2. Rhet. c. 18.*

Apophthegmata.

Socrates, eos, qui multitudini imperitiæ fidem habent, aiebat perinde facere, ac si quis tetradrachmum vnum contemnens reijceret, & aceruum e similibus congestum probaret, reciperetque. Cui non fideres soli, ei nihilo magis fidendum est in turba similium. Nec enim refert, quam multi sint, sed quam graues. Nummus adulterinus etiam in quamuis magno aceruo adulterinus est. Hoc aduersus turbam testium, & indocti vulgi iudicia. *Pau. Man. ex Laert. lib. 2. c. 5.*

Crassus. Quum Silus testis læsisset Pisonem reum, cui Crassus aderat, prolato crimine, quod se in eum dictum audisse dicebat. Potest fieri Sile, inquit Crassus, vt is, vnde te audisse dicis, iratus dixerit? Annuit Silus: Potest etiam, inquit, fieri, vt tu non recte intellexeris? Cum id quoque toto capite annuisset Silus, vt se Crasso daret, subiecit Crassus: Potest etiam fieri, vt omnino, quod te audisse dicis, nunquam audieris. Hoc adeo præter expectationem, vt Silum testem omnium risus obrueret. *Pau. Man. li. 6. apoph.*

Nero. Inter Neronem, & Thraseam graues intercedebant inimicitiæ. verum cuidam multa criminose iactanti de Thrasea dicentiq. causam ab illo perperam esse iudicatam, obstitit Nero, exclamans: Vtinam meam Thrasea diligat, quam est iudex rectus, & æquus. Hostis hosti testimonium perhibuit de fama periclitanti, nullum autem grauius testimonium, quam inimici de inimico. *P. Man. li. 6. apoph.*

Exempla Biblica.

Testimonij falsi *exempla*: Doeg aduersus Dauidem, 1. *Sam.* 22. 9. *Ps.* 5. 5. 11. Sibæ aduersus Mephiboseth, 2. *Sam.* 16. 3. Duorum testiū aduersus Naboth, 1. *Reg.* 21. 13. Ieriæ aduersus Ieremiam, *Ier.* 37. 12. principum Sedechiæ aduersus Iere. 38. 4. duorum presbyterorum aduersus Susannam, *Dan.* 13. 34. duorum falsorum testiū aduersus Christum. *Matt.* 26. *v.* 61. falsorum testium aduersus Stephanum. *Act.* 6. 11. 17. Paulum, 24. 9.

Profanum Exemplum.

Marcus Tullius pro Flacco, repudians eleuansq. Græcorum testiū fidem: veruntamen, inquit, hoc dico de toto genere Græcorū: tribuo eis literas, & multarum artium disciplinam: non adimo leporem, ingeniorum acumen, dicendi copiam: deinde si qua sibi alia sumunt, non repugno. Testimoniorum religionem, & fidem nunquam ista natio coluit: totiusque huiusce rei, quæ sit vis, quæ auctoritas, quod pondus, ignorant.

THEOLOGIA.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Theologia, vox Græca est: θεὸς Deus dicitur, & λόγος sermo, oratio, ratio, verbum, studium. Quare theologia est sermo de Deo, vel diuinis.

Theologia est dignior cæteris scientijs, propter nobilitatem materiæ, certitudinem, & altiorem finem. *Ex B. Th. 1. p. q. 1. ar. 10.*

Theologia est doctrina necessaria homini præter scientias naturaliter inuentas ab eo. *ferm. eiu. 1. p. q. 1. ar. 10.*

Theologia est rerum diuinarum Sapientia, hoc solo genere vis eius optime exprimitur, vtpote certissima principiorum index, amplissima scientiarum omnium princeps, & sapientissima omnium actionum rationumque arbitra. Diuinarum rerum adiectione, & obiectum eius diuinum indicatur, & modus eius supernaturalis principio, actione, & effectu suo notatur, ac denique finis eius perfectissimus significatur Analogice diuiditur ἀρχέτυπον & ἔκτυπον. Illa est ipsius Dei, qua seipsum, & omnia diuina diuino, & ineffabili modo intelligit, quæ (vt & omnes diuinæ proprietates) cum increata simplicissima, infinita sit, non magis communicari cum creatura potest quam ipsa diuina essentia. Hæc vero ἔκτυπος, ex illa priore per gratiosam communicationem expressa atq. informata est, ad communicantis gloriam: & communicatur tripliciter. Vel per vnionem naturæ diuinæ cum creata, qualis est in Christo θεανθρώπῳ secundum humanitatem, quæ licet alia sit a superiori, vtpote eius creatæ infinitæ, & essentialis ἀπαύγασμα creatum, finitum, & habituale: in se tamen considerata plenissima, & perfectissima est, & quanta a creatura comprehendi potest: cum alijs vero comparata, etiam infinita quodam modo, fonsq. ac scaturigo inexhausta omnis Sapientiæ, quæ in alias creaturas deriuatur: vtpote quam propterea a Patre accepit, sine mensura, vt fideles ab illo, certo demenso, singuli acciperent pro capacitate sua.

Alter

Alter communicationis modus est per visionem, qua beati Angeli & Spiritus sanctorum, qui corpore soluti cum Angelis in ea lo recepti sunt, spirituali modo creatorem suum vident vti est, lumine intellectuali perfecto. & permanenter ad id ipsis communicato de Christi plenitudine. Tertius communicationis modus, qui nos, potissimum in hac vita constitutos respicit, est per reuelationem: quæ reuelatio aut secundum naturam contingit ex principijs hominis congenitis ortum ducens, & Theologia *naturalis* dicitur, vel secundum gratiam supernaturalem, ea principijs se. undũ sentuis superioris scientiæ lumine procedẽs, supra humanæ rationis modum: & *supernaturalis* appellatur. Harum prior eum etiam et ca imperfectionem hominis velut suo subiecto præsentium, illum tamen supra naturam per se extollere non potuit, nisi adminiculo superioris gratiæ accedentis quanto minus iam collapsa, & tantum non humanæ ruinæ rudeibus sepulta, hominem ad aliquem eminentioris perfectionis gradum perducere? præsertim quum ne se quidem, quantum in se est, ad illum perduci fuit, quapropter posteriore superuenit, vt collapsam restituat, & restitutam supra ipsam euehat, omnino est opus.

Supernaturalis autem hæc spectatur tum absolute in se, & causis suis, & Theologia *abstracta* dicitur: tum relate ad subiectũ cui inest, & Theologia *concreta* appellatur. In se, & causis suis simpliciter sancta, iusta, & perfecta est, siue causam efficientem, primariam quidem Deum ipsum reuelantem, instrumentalem vero sermonem Dei προφορικόν, partim spiritualem, partim corporalem spectes, siue materiam, Deum ipsum, & res omnes ad Deũ ordinatas: siue formam, diuinam veritatem toti, & omnibus par tibus æqualiter infusam consideres: siue deniq. ad finem primarium, Dei recte agniti gloriam, & secundarium salutem nostri à præsentem, & futuram, animaduertas. Theologia vero eum subiecto suo concreta est quidem eadem rerum diuinarum sapientia (vna, tantum est in se, æterna, & immutabilis) sed pro ratione tamen hominum quibus inest varie modificatur, his amplius, his paucius de ea sapientibus: prout corrupta natura magis, vel minus gratia Dei superueniente ab infectia sua vendicatur, adeo vt, cum à summo ad imum induiti sint gradus, certus eius modus nullus assignari possit.

Est autem vera hæc Theologia (vtrouis modo acceperis,) vera diuinarum rerum sapientia communicata diuinitus ad Dei gloriam. Cumq. omnis sapientiæ ea sit ratio, vt facultatem, & sui operationem sapienti præstet, recte huic sapientiæ sua facultas, & operatio a sacris Scripturis tribuitor. Est n. facultas eius cognitio Dei, & nostri, quæ ita inter se cohærent, vt neutram sine alte ra possimus assequi: operatio vero pia, & fidelis actio, qua hæc cognitio sanctè occupatur apud Deum, & Ecclesiam ipsius, in omnib. pietatis, iustitiæ, sanctimoniæ, & veritatis, officijs secundum Deum.

Theologiæ vocabulum apud Græcos interdum minus late patet, quam a ud Latinos, qui homines in literarum sacrarum, studio versantes Theologiæ operam dare dicunt, & Theologos appellant, qui earum scientiam tenent, ac profitentur. Apud Græcos autem fere omnes θεολόγοι dicuntur, qui diuinitatis doctrinã, vel sermone, vel scripto persequuntur, & Theologi, qui in huius modi argumento studium atq. operam ponunt. Sic B. Ioannes Euangelista solus ex omnib. Euangelij Scriptorib. Theologi cognomento insignitus est, quod cæteris in exponenda Christi humanitate, idq. reb, quæ ad eam pertinebat, maxima ex parte inhære- tib. alius ipse se ereuerit, ac Diuinitatem eius literis complexus sit. Eodem nomine Greg. Naz. postea vocatus est, quod nemo ea patribus hanc materiam sublimiori, & grauiori stilo pertractarit. *I. Brilius, Schol. in ora. 8. Naz.*

Philosoph. Sententiæ.

Theologice, qui naturas, ac rerum essentias peruestigat, differere dicitur. *Ambr. in Por.*

Theologia ex Italica Academia mirifice exercebatur, & colebatur. *Psellus in 1. Phys.*

Theologica maxime manifesta parum intelliguntur: mathematica maxime intelliguntur: naturalia certum, & firmum raro habent intellectum: quia diuina sua luce nostrum superant intellectum: mathematica intellectui proportionata in se, & intellectui, & lumini intellectus permista sunt: naturalia propter priuationem, & materiam, & motum ab intellectualitate cadunt. *Alb. Magn. de intell. & intellig. tr. 3. c. 1.*

Theologica signa considerant, quorum conogelati sunt spiritus, & non bene clari propter frigus inspissans. *Id. in 1. metaph. tr. 1. c. 5.*

Theologia alia nobis vnite, alia discrete nobis tradit, & quæ vnire diuidere non est fas, neq. directa confundere, sed ipsam sequendo quantum vires suppetunt, ad diuinos splendores conferre nos expedit. *Dion. Areop. de diu. nom.*

Theologia alia inter omnia mysteria apparere euidentissimum, quod Iesus formatus est in natura nostra diuinitus, ineffabile prorsus est omni sermoni, omni ignotũ intelligentiæ, ipsi quoque ... quorum angelorum primo. Iam vero, quod esse ... vnitam assumpserit, accepimus in mysterijs, ignoramus, quo pacto ex virgineis sanguinibus lege quadam non naturali formatus fuerit, & quomodo siccis pedibus corporale pondus, & materiæ grauamen habentibus liquidam & instabilem substantiã perambulauerit, & alia perfecerit, quæ supernaturalem Iesu naturam, & rationem declarant. *Idem ibid.*

Theologis suis est supernaturalium causarum cognitio. *Alc. c. 7.*

Theologiam Platonis qui lecturus accedit, prius sobrietate animi, mentisque libertate se præparet, quam attrectare mysteria cœlestis opens audeat. *Marsil. Fic. in Plat. Parmen.*

Theologi antiqui fuerunt sex, primus Zoroaster Magnorum caput, secundus Mercurius Trismegistus princeps sacerdotum Aegyptiorum, postea Orpheus, deinde Aglaophemus, quintus Pythagoras, sextus Plato. *Idem in Plat. Theol. lib. 17. c. 1.*

Theologorum veterum mos erat, sacra ipsorum putaque arcana, ne à profanis & impuris pollucrentur figurarum vmbraculis tegere. *Marsil. Fic. in Plat. commentar. or. 4. c. 2.*

Theologorum nonnulla mysteria circa Deum sunt, quæ non vulgum modo, sed quam plerumque elegantes fatigant, è quibus id vnum est nihil ex his, quæ intelliguntur absolute de Deo affirmari debere. Quicquid intelligentia definitum est, infra infinitum Deũ cadere compellitur. Ad hæc mysteria secreuerũ ita plerique docti adhuc sunt inepti, vt vulgus ad leniora, vsq. adeo, vt etiam nonnulli, quamuis acumine, memoria, iudicio, valeant, diuque hæc audierint, nondum tamen perfecte comprehendant, quia etsi ad alia, ad Theologica nati non sunt, vel si nati, non tamen congrue eru liti & educati, vel si eruditi & educati, nondũ ætatis maturioris beneficio à perturbationibus segregati: perturbatio autem, quia distrahit, & ad materiam trahit, idcirco aliena reddit mentẽ à Deo, quo nihil à mora, à diuersitate, à materia põt remotius cogitari. *Marsil. Fic. in Platon. Epist. 2.*

Theologia Parisiensis nihil aliud mihi videtur esse, quam mixtio quædam ex diuinis sententijs, & naturalibus rationibus resultans. *Ioan. Fran. Pic. Mir. de stu. Phi. l. 1. c. 3.*

Theologia nullũ hêt altius mysteriũ, q. Patris ac Filij diuinitatẽ, & notionem: quod pp magnitudinẽ & necessitatem omnibus seculis fuit obscurum. *Aug. Steuch. de pere. philos. lib. 1. c. 3.*

Theologia antiqua, & quæ cum Theologia finitima est, pnesis ab hominibus Barbaris ad Græcos peruenit, tũ quia homines prisci primi terrarum coloni ab vna stirpe orti, in qua copiosissime viguit rerum diuinarum, magnarumque scientia, eam secũ in omnem terram detulerunt, tũ quia sciendi cupidi, terris suis relictis, ad cæteras nationes, vbi nomen sapientiæ celebrius ferretur, accedebant, tum quia lumen naturæ eum prioribus rationibus iunctum deduxit quosdam ad naturalem quandam, verisimamque de Deo scientiam. *Idem ibi. lib. 3. c. 7.*

Theologiæ Græcæ & Hebraicæ mirabilis est cum Romana concordia de animorum conditione, siue eorũ sit designandus ortus & origo, siue natura, & proprietas, siue futurus eorum post à corpore discessum status. *Idem ibi. 9. c. 12.*

Theologia profana eœlestis se deuouit, vt nullam aliam sibi metã studiorum præfixisse videatur, quam eam, quam ei doctrina cœlestis ostendit. *Idem ibi. l. 10. c. 18.*

Theologia nostra nil aliud est, quam priscorum seculorum caliganus & obscuræ iam, quam animis hominũ impresserat Deus, & voce sua in creatione, post infecuto tempore per oraclis tradiderat: secretioræ reuelatio. *Idem ibi. c. 23.*

Theologi nonnulli recentiores duabus rationibus potissimum adducti, propriam quandam atque ingenitam differentiam inter amorem ac desiderium posuerunt. *lib. Heb. de Amor. dial. 3.*

Ea est diuinarum rerum ratio, vt earum animis magis venerandæ sint, quam verbis approbandæ & demonstrandæ. *6. Pachym. inst. lib. 6.*

Theologis inter se rixantibus, in periculo est populus. *Idem, lib. 8.*

Ea est humani ingenij audacia, vt immensum Theologiæ pelagus exigua suæ imaginationis scapha transmittere non dubitet. *Idem, eo. lib.*

Similitudines.

Basilij, Cuilibet disciplinæ est necesse indemonstrata esse discenti bus principia: hoc enim manifeste in ijs, quæ sunt extra fidẽ, apparet. Nam si Geometriæ prima principia non concedas, dudum fuerit inde sympetalma deducere Item, in Arithmetica, in primis immorantes elementis, reliqua quæ ea ijs sequuntur, impediunt. Sic & medicis medicinæ principia minime demõstrantur. Deoque in quolibet studio, quod ordine in finem procedit, impossibile primorum subiectorum demonstrationes inquirere. Sed necesse omnium artium, quæ probatione vtuntur, principia sine vestigatione aut ratione posita, reliqua quæ deinceps

ceps sequuntur, cũ rõne ostendant. Sic & Theologiæ mysteriũ ex fide, minime rõnibus probata, ædificium quærit. *in Psal.* 115.

Athanasii. Quemadmodum si quis intueri solis lucem velit, oculũ purgat, clarioremq. reddit seipsum, ferme ad eius quem cernere cupit similitudinem mundans, vt ita lux effectus oculus, solis lucem queat intueri. Aut quemadmodum, si quis ciuitatem aut regionem inspicere cupiat, pergit ad locum inspiciendi gratia: Ita & qui theologorum assequi intelligentiam cupit, abluere prius animam debet atque detergere, & per vitæ morumq; similitudinem, ipsos adire sanctos, vt voto atque instituto illis coniunctus, ea etiam quæ illis Deus reuelauit, intelligat. Nam absque mundicia animi, & vita sanctitans æmula possibile non est sanctorum dicta intelligere. *lib. 2. de verbo incarnato.*

P. M. Apes exteriora tectoria faciunt ea succis amarioribus; quod dulcissimum est, in intimis recondunt: Ita Theologia insipidis quibusdam allegoriarum corticibus obtegit sapientiam, quo prophanos arcet. *In simılib.*

TIMOR.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Timor, Græce φόβος, ὁ, & φοβοῦμαι, timeo dicit. Heb. *Charadah*, à verbo *Charadh*, trepidauit, tremuit motu corporis, territus est: & *Iireah*, à verbo, *Iarè*, timuit, religiose pertimuit, reueritus est. Hinc ἱερός, Sacer, timendus, reuerendus, venerandus, qui à suis discipulis filiali timore colitur, γεραιός, honorabilis, γέρων, senex, γῆρας, senectus. Est autem timor, metus mali impendentis: *secund. Cic. l. 4. Tusc. q.*

Timor est expectatio mali, *secund. Arist. lib. 2. Eth. c. 4.*

Timor est ea imaginatione futuri mali corrumpentis, ac dolorẽ inferentis perturbatio quædam ac dolor. *secundum Arist. lib. 2. Rhet.*

Timor inter cæteros animi motus post tristitiam magis obtinet rationem passionis, & est specialis passio. *secundum S. Th. 1. 2. q. 41. art. 1 ac.*

Timor diuiditur in sex, in Segnitiem, Erubescentiam, Verecundiã, Admirationẽ, Stuporẽ & Agoniã. *ex Ioanne Damas. lib. 2. c. 15.*

Timidus est, qui cuncta fugit, & formidat, nullique resistit, *secund. Arist. lib. 2. Eth.*

Timidus est, qui naturaliter timet: timens vero, qui timet ob eãm.

Loci Biblici.

Timor, Hebræorum more pro toto Dei cultu, *Rom.* 15. 20, pro obedientia, *Rom.* 53. 7. pro religione, *Iob.* 4. 6. pro reuerentia, estque pijs necessarius, *Rom.* 11. 20. *Eph.* 5. 33. *Phil.* 2. 12. *Heb.* 4. 1. *&* 11. 7. *&* 12. 28. 1. *Pet.* 1. 17. *&* 2. 18. *&* 3. *v.* 2. 16. *Iuda ver.* 23. nec repugnat Fidei, & Spei, *Ps.* 2. 51. *Eccl.* 9. 22. *&* 5. *v.* 5. 1. *Cor.* 9. 27. *&* 10. 12. *Phil.* 3. *v.* 11. 13. *Heb.* 3. 14. 2. *Pet.* 3. 17. Timor duplex est: *Alius* est naturæ, quo timore timuisse legitur Christus. *Matth.* 26. 38. *Alius* est diffidentiæ, de quo *Rom.* 8. 15. ille ex imbecillitatis nostræ, humanæq. naturæ sensu est, neq. peccatũ est per se: hic ex incredulitatis nostræ sensu proficiscitur, ideoq. vitiũ est. Timor quis vitiosus, *Leu.* 17. 21. *Esa.* 29. 13. 1. *Pe.* 3. 24. *Io.* 4. 18. *Apo.* 21. 28.

Timere aliquando totum Dei cultum complectitur, *Luc.* 1. 50. *Act.* 10. 35. & significat idem quod religiose ac reuerenter colere. Hebraismus. Timoris filialis & seruilis distinctio trita est.

Timiditas nimia damnatur, *Prou.* 28. 8. in bello periculosa est, *Deut.* 20. 8. *Iudic.* 7. 3.

Sententiae Biblicae.

Timor Dei Deo placet.

Nolite timere, vt enim probaret vos, venit Deus: & vt terror illius esset in vobis, & non peccaretis. *Exo.* 20.

Dominum Deum tuum timebis. *Deut.* 6. *&* 10.

Vnus est Altissimus, creator omnium, omnipotens & metuendus nimis. *Eccl.* 1.

Serua timorem illius in illo, veterasce. 2.

Omne execramentum erroris odit Dominus, & non erit amabile timentibus eum. 15.

Si non in timore Domini tenueris te instanter, cito subuertetur domus tua. 27.

Dominum exercituum ipsum sanctificate, ipse pauor vester, & ipse terror vester, & erit vobis in sanctificationem. *Esa.* 8.

Audite qui longe estis, quæ fecerim, & cognoscite vicini fortitudinem meam. Conterriti sunt in Sion peccatores, possidebit timor hypocritas. *Ibi.* 33.

Me non timebitis: ait Dominus. *Ier.* 5.

Recesserunt & abierunt, & non dixerunt in corde suo: Metuamus Dominum Deum nostrum, qui dat nobis pluuiam temporaneam & serotinam in tempore suo, plenitudinem annuæ messis custodientem nobis. *Ibi.*

Si Dominus ego sum, vbi est timor meus? *Malac.* 1.

Timete eum, qui potest, & animam, & corpus perdere in gehennam. *Matt.* 10.

Ostendam vobis quem timeatis: Timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. Ita dico vobis, hunc timete. *Luc.* 12.

Noli altum sapere, sed time. *Rom.* 11.

Timeamus ergo, ne forte relicta pollicitatione introeundi in requiem eius, existimetur aliquis ex vobis deesse. *Heb.* 4.

Timete Dominum, & date illi honorem. *Apoc.* 14.

Quis non timebit te Domine rex seculorum? *ibid.*

Homini prodest ipsum bene ordinando.

Timete Deum, & seruite ei perfecto corde, atq. verissimo. *Ios.* 24.

Seruite Domino in timore. *Ps.* 2.

Confige timore tuo carnes meas. 119.

Fuerunt igitur gentes istæ timentes quidem Dominum, sed nihilo minus idolis suis seruientes. 4. *Reg.* 17.

Time Dominum, & recede a malo. Sanitas quippe erit vmbilico tuo, & irrigatio ossibus tuis. *Prou.* 3.

Timor Domini odit malum. *ibid.*

Sapiens timet, & declinat a malo. 14.

Per timorem Domini declinat omnis a malo. 15.

Timor Domini, disciplina sapientiæ. *ibid.*

In timore Domini declinatur a malo. 16.

Non æmuletur cor tuum peccatores, sed in timore Domini esto tota die, quia habebis spem in nouissimo, & præstolatio tua non auferetur. 23.

Time Dominum fili mi, & regem. 24.

Beatus homo, qui semper est pauidus: qui vero mentis est duræ, corruet in malum. 28.

Qui timet Deum, nihil negligit. *Eccl.* 7.

Deum time, & mandata eius obserua. 12.

Timor Domini expellit peccatum. *Eccl.* 1.

Qui timetis Dominum, credite illi: & non euacuabitur merces vestra. 2.

Qui timent Dominum, non erunt incredibiles verbo illius. Qui timent Dominũ, inquirent quæ beneplacita sunt illi. Qui timẽt Dominum, præparabunt corda sua, & in conspectu illius sanctificabunt animas suas. Qui timent Dominum, custodiunt mandata illius, & patientiam habebunt vsq. ad circumspectionem illius. *ibid.*

In tota anima time Dominum. 7.

Qui timet Deum, faciet bona. 15.

Qui timet Deum, conuertetur ad cor suum. 21.

Consummatio timoris Dei sapientia, & sensus. *ibid.*

Timor Dei initium dilectionis eius: fidei autem initium agglutinandum est ei. 25.

Timuerunt me mandato hominum, & doctrinis. *Es.* 29.

Dabo eis cor vnum, & viam vnam, vt timeant me vniuersis dieb. & bene sit eis, & filijs eorum post eos. *Ier.* 32.

Plene remunerando.

Quis similis tui in fortibus Domine? quis similis tui: magnificus in sanctitate, terribilis atq. laudabilis, faciens mirabilia? *Exod.* 15.

Noli timere, fili mi, pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum, & recesserimus ab omni peccato, & fecerimus bene. *Tob.* 4.

Timor Domini, ipsa est sapientia, & recedere à malo, intelligentia. *Iob* 28.

Timete Dominum omnes sancti eius. *Ps.* 34.

Dedisti hæreditatem timentibus nomen tuum. 61.

Beatus vir qui timet Dominum, potens in terra erit. Gloria, & diuitiæ in domo eius. 111.

Voluntatem timentium se faciet. 145.

Timor Domini apponet Dies. *Pro.* 10.

In timore Domini fiducia fortitudinis, & filijs eius erit spes. Timor Domini fons vitæ, vt declinet a ruina mortis. 14.

Timor Domini ad vitam, & in plenitudine commorabitur absque visitatione pessimi. 19.

Finis modestiæ, timor Domini, diuitiæ, & gloria, & vita. 22.

Timor Domini gloria, & gloriatio, & lætitia, & corona exultationis. *Eccl.* 1.

Timenti Dominum bene erit in extremis, & in die obitus sui benedicetur. *ibid.*

Plenitudo sapientiæ est, timere Deum.

Qui timetis Dominum, sperate in illum, & in oblectationem veniet vobis misericordia. Qui timetis Dominum, diligite illum, & illuminabuntur corda vestra. 2.

Semen hominum honorabitur hoc, quod timet Dominum. 10.

Oculi Domini ad timentes eum. 15.

Agnoscent, qui derelicti sunt, quoniam nihil melius est quam timor Dei. 23.

Beatus homo, cui donatum est habere timorem Dei. 25.

Timor Dei, super omnia se superposuit. *ibid.*

Qui timet Dominum, excipiet doctrinam eius, & qui vigilauerint

rint ad illum, inuenient benedictionem. 34.

Timenti Dominum non occurrunt mala, sed in tentatione Deus illum conseruabit, & liberabit a malis. *Eccl.* 33.

Qui timet Dominum, nihil trepidabit, & non pauebit: quoniam ipse est spes eius. Timentis Dominum beata est anima eius, Oculi Domini super timentes eum. 34.

Facultates & virtutes exaltant cor, & super hæc, timor Domini. Non est in timore Domini minoratio. Timor Domini sicut paradisus benedictionis. 40.

Salus erit timentibus nomen Domini. *Mich.* 5.

Orietur vobis, timentibus nomen meum, sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius, & egrediemini, & salietis, sicut vituli de armento. *Malach.* 4.

Misericordia eius a progenie in progenies, timentibus eum. *Lucæ* 1.

Timor humanus vitiosus.

Qui timent pruinam, irruet super eos nix. *Iob* 6.

Illic trepidauerunt timore, vbi non erat timor. *Psal.* 14.

Qui timet hominem, cito corruet. *Prou.* 29.

Sicut ornatus arenosus in pariete limpido, & sicut paleæ in excelsis, & cæmenta sine impensa posita contra faciem venti, nō permanebunt; sic cor timidum in cogitatione stulti contra impetū timoris non resistet. *Eccl.* 22.

Noli timere accipere Mariam coniugem tuam. *Matth.* 1.

Dico vobis amicis meis, ne terreamini ab his qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius quid faciant. *Luc.* 12.

Quis est, qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis? Timorem eorum ne timueritis, & non conturbemini. 1. *Pet.* 3.

Contemptus eius virtuosus.

Firmamentum est Dominus timentibus eum. *Psal.* 25.

Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? 27.

In Deo speraui, non timebo quid faciat mihi homo. 56.

Ne paueas repentino terrore, & irruentes tibi potentias impiorū: Dominus enim erit in latere tuo. *Prou.* 3.

Seruus meus es tu: Ne timeas, quia ego tecum sum. *Esa.* 41.

Ne timeas, ego audiui te. *ibid.*

Noli timere, quia redemi te, & vocaui te nomine tuo. Cum transieris per aquas, tecum ero: & flumina non operient te. Cum ambulaueris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te. 43.

Audite me, qui scitis iustum, populus meus, lex mea in cordibus eorum: Nolite timere opprobrium hominum, & blasphemias eorum ne metuatis. Sicut enim vestimentum, sic comedet eos vermis, & sicut lanam deuorabit eos tinea. 51.

Quis tu, vt timeas ab homine mortali, & a filio hominis, qui quasi fœnum, ita arescet? & oblitus es Domini factoris tui, qui tetendit cœlos, & fundauit terram. *ibid.*

Ne timeas a facie eorum, quia tecum ego sum, vt eruam te, dicit Dominus. *Ierem.* 1.

Si Deus pro nobis, quis contra nos? *Rom.* 8.

SENTENTIAE PATRUM.

Quando timore pœnæ, non amore iustitiæ fit bonum, nondum bene fit bonum, nec fit in corde, quod fieri videtur in opere quando mallet homo non facere, si posset impune. *Aug. contra Pelag. lib.* 2.

Quid timet hominem homo in sinu Dei positus? Tu de illius sinū noli cadere: quicquid ibi passus fueris, ad salutem valebit, non ad perniciem. *De verb. Dom.*

Timor præsens securitatem generat sempiternam. Time Deum, qui super omnes est, & hominem non formidabis. *super Psal.*

Timor Dei corrigit, timor hominum differt actione, sed voluntatem non aufert, sed audiores reddit ad crimen, quod aliquando suspendit a crimine. *Hier. super Matth.*

Qui Deum timet, nihil negligit: timere Deum est, nulla quæ facienda sunt bona præterire. *Greg. in mor.*

In via Dei a timore incipitur, vt ad fortitudinem veniatur: nam sicut in via sæculi audacia fortitudinem gignit. *ibid.*

Quum quis in timore adhuc bona agit, a malo penitus non recessit: quia eo ipso peccat, quod peccare vellet, si inulte potuisset. *ibidem.*

Nullum genus mortis bono, & recte viuenti metuendum est. *ibid.*

Si adhuc a praua actione formidata pœna prohibet, profecto formidantis animum nulla spiritus libertas tenet: nam & si pœnā non metueret, culpam procul dubio perpetraret. *in past.*

Ignorat itaque gratiam libertatis quem ligat seruitus timoris.

Cum ex peccato præsens pœna metuitur, & annexa Dei facies nō amatur, timor ex timore, non ex humilitate. *super Iob* 3.

Noueris te, vt Deum timeas, noueris ipsum, vt æque ipsum diligas, in altero initiaris ad sapientiam, in altero consummaris, quia initium salutis timor Domini, & plenitudo legis est charitas, quemadmodum ex notitia tui venit in te timor Dei, atque ex Dei notitia, Dei itidem amor: sic e contrario de ignorantia tui superbia, & de Dei ignorantia venit desperatio. *Bern. super Cant. serm.* 37.

Deum time, & mandata eius obserua: hoc est omnis homo: ergo si hoc est omnis homo, absque hoc nihil est homo. *Ibidem sermone* 20.

Fugit ouis tremebunda veniente lupo, abscondit se columba tremens accipitre viso: de cauerna mus exire non audet esuriens, ambiēte cato, & tu vidēs furē currebas cum eo. *In quadam epist.*

Facile deuiat a iustitia, qui in causis non Deum, sed homines pertimescit: hic timor peccandi facultatem differre potest, voluntatem auferre non potest, solus est Dei timor, qui mentes corrigit, fugat crimina, innocentiam seruat, & omnibus bonis tribuit facultatem. *Chrys. in serm. de Ioan. Bapt.*

Principium nostræ salutis sapientiæque, secundum scripturas, timor Domini est. De timore Domini nascitur compunctio salutaris. De compunctione cordis procedit abrenunciatio, id est, nuditas, & contemptus omnium facultatum. De nuditate humilitas procreatur. De humilitate mortificatio voluntatum generatur. De voluntatū mortificatione extirpantur, atque arescunt vniuersa vitia. Vitiorum expulsione virtutes fructificant, atque succrescunt. Virtutum pullulatione puritas cordis acquiritur, per cordis puritatem Apostolicæ charitatis profectio possidetur. *Cass. de Inst. mon. l.* 4.

Si amor Dei te tenere non potest, saltem teneat, & terreat timor iudicis, metus gehennæ, laquei mortis, dolores inferni, ignis vrens, vermis corrodens, sulphur fœtens, flamma tartarea, & omnia mala. *Hugo l. 3. de anima.*

Breuis & plena commonitio: qua Domino amabili de timore seruitur. Nam sicut remissa securitas culpas admittit, ita timor desiderabilis delicta semper excludit. *Cass. in Psal.* 2.

Humanus timor diffidentiam tribuit: diuinus autem spei firmamēta concedit. *In Psal.* 24.

Qui Deum bene timet, & amat: qui bene amat, & timet, res illæ in cœlesti deuotione sociatæ sunt. *In Psal.* 35.

Cum audis, quod Dominus tuus dulcis est, attende quid diligas: cum audis, quod rectus, attende quid timeas, vt amore, & timore Dei excitatus legem eius custodias. *Cass. in Psal.* 45.

SENTENTIÆ POETICAE.

Euripid. in Meleagro,

Δειλοὶ γὰρ ἄνδρες οὐκ ἔχουσιν ἐν μάχῃ
Ἀριθμὸν ἀλλ' ἄπεισι κἂν παρῶσ' ὅμως.
Viri enim timidi nullum habent in pugna
Numerum, sed præsentes absunt.

Euripid. in Iphigen. in Tauris.

Haud sane sapientem esse illum iudico, qui moriturus
Misericordia metum mortis superare vult.

Idem in Phryxo.

Ἀνὴρ δ' ὃς εἶναι φῂς, ἀνδρεῖος οὐκ ἄξιον
Δειλὸν κεκλῆσθαι καὶ νοσεῖν αἰσχρὰν νόσον.
Tu quidem virum te esse dicis, sed indignum est viro
Timidum vocari, & morbo laborare turpi.

Philemon in Enchiridio.

Καλὰ μὲν ποιεῖς, ἐν δὲ δειλαίας φρένες.
Bona quidem facies: at intus lateri trepida mens.
Οὐ τοῖς ἀθυμοῦσιν ἡ τύχη ξυλλαμβάνει.
Timidos fortuna non iuuat.

Idem in Archelao.

Ὁ δ' ἡδὺς αἰὼν ἡ κακή τ' ἀνανδρία,
Οὔτ' οἶκον οὔτε πόλιν ὀρθώσειεν.
Vita mollis, & mala timiditas,
Neque domum, neque ciuitatem recte gubernauerint.

Plaut. Mostell.

Qui homo timidus erit in rebus dubijs, nauci non erit.

Lucan. Pharsal. lib. 4.

Audendo magnus tegitur timor.

Ibid. lib. 7.

Multos in summa pericula misit
Venturi timor ipse mali. fortissimus ille est,
Qui promptus metuenda pati.

Iuuen. satyr. 10.

Quid enim ratione timemus,
Aut cupimus? Quid tam dextro pede concipis, vt te
Conatus non pæniteat, votique peracti?

Virg. Aen. 4.

Degeneres animos timor arguit.

Horat. in Epist. l. 1. Epist. ad Lollium.

Qui cupit, & metuit, iuuat illum sic domus aut res,
Vt lippum picta tabula, fomenta podagrum;
Auriculas citharæ collecta sorde dolentes,
Sincerum est nisi vas, quodcumque infundis acescit.

Seneca in Troade.

Miserrimum est timere, cum speres nihil.
Lentus solet timere, qui propius timet.

Laodamia Protesilao apud Ouid. Epist. 13.

Nos sumus incerta, nos anxius omnia cogit,
Quæ possunt fieri facta putare, timor.

Idem 6. Fastorum.

Abstulerat vires corporis ipse timor.

Epist. 14. Hypermnestra Lino.

Vires subtraxit ipse timor.

Octauo Aeneid. Virgilius.

Fugit ilicet ocyor Euro,
Speluncamque petit pedibus timor addidit alas.

Ouid. lib. 3. Fastor.

Exsilit & velox intentus super ausa fenestra
Se iacit: audacem fecerat ipse timor.
Cumque metu rapitur: tunica velata recincta,
Currit, vt auditis territa dama lupis.

Martial lib. 11. in Telesphorum.

Quid si me tonsor, cum stricta nouacula supra est,
Tunc libertatem, diuitiasque roget?
Promittam: nec enim rogat illo tempore tonsor,
Latro rogat, res est imperiosa timor.

Stat. lib. 3. Theb.

Inuigilant animo sceleris, quae patrati
Supplicium exercent curae, tunc plurima versat
Pessimus in dubiis augur timor.

Ouid. lib. 3. de Pont. ad amicum innominatum.

Desine mitem animum vano infamare timore,
Saxa quid in placidis saxa vereris aquis?

Senec. in Herc. fur.

Turbine magno spes sollicita
Vrbibus errant, trepidique metus.

Virg. lib. 12. Aen.

Illi membra nouus soluit formidine torpor,
Arrectaeque horrore comae, & vox faucibus haesit.

Idem 3. Aeneid.

Tum vero ancipiti mentem formidine pressus,
Obstupui, steteruntque comae, & vox faucibus haesit.

Ouid. l. 6. Metam. fab. 1. de Arachne.

Quid mihi tunc animi misera fuit, anne quod agna est,
Si qua lupos audit circum stabula alta frementes?
Aut lepori, qui vepre latens hostilia cernit
Ora canum, nullosque audet dare corpore motus.
Occupat obsessos sudor mihi frigidus artus,
Caeruleaeque cadunt toto de corpore guttae.

Item lib. 1. Fastorum.

Tunc sacer ancipiti mirandus imagine Ianus
Bina repente oculis obtulit ora meis.
Extimui, sensique metu riguisse capillos:
Et gelidum subito frigore pectus erat.

Lucan. lib. 1. Bell. Pharsal.

Diriguere metu gelidus pauor occupat artus,
Et tacitos muto voluunt in pectore questus.

Item lib. 4.

Tum frigidus artus
Alligat atque animum subducto robore torpor.

Plaut. in Amph.

Timeo: totus torpeo.
Non edepol nunc vbi terrarum sim scio si quis roget,
Nec miser me commouere possum prae formidine.

Idem in Truculento.

Neque viuus, neque mortuus sum, neque quid nunc faciam scio,
Neque vt hinc abeam, neque vt ad hunc adeam scio, timore torpeo.

Stat. lib. 2. Thebaid.

Solue metus animo, dabitur, mihi crede, merentum
Consiliis tranquilla dies.

Idem 5. Theb.

Talia cernenti mihi, quantus in ossibus horror,
Quiue per ora color? qualis cum cerua cruentis
Circumuenta lupis, nullum cui pectore molli
Robur, & in volucri tantum fiducia cursu
Praecipitat suspensa fugam, iamiamque teneri
Credit, & elusos audit concurrere morsus.

PHILOSOPH. SENTENTIAE.

Ὅστις δ' ἑτέρους δέδοικε, δοῦλος ὢν λέληθεν ἑαυτόν.

Quisquis alios metuit, seruus est, licet nesciat. *Antisthenes Philosophus.*

Omnia sane mala plus terrere solent eos, qui ipsa futura expectant, quam vbi iam acciderint molestare. Metus enim tam improbus est, vt multi tem, quam metuunt, ipsimet anticipent. Vt qui in naui tempestate periclitantur, non expectata submersione nauis, manus sibi prius inferunt. *Diogenes Synesius.*

Ὑπερίδης ὁ ῥήτωρ τὸν φόβον ἔφη ἀφωνίαν τοῦ λέγειν ποιεῖν εἶναι.

Hyperides orator timorem esse vinculum orationis aiebat.

Morbus timidis hominum est loco festi. Aegrotantes enim ad agendum prodire non coguntur. *Antiphon.*

Age videamus, an vt homines timidi iusti sint fieri possit: nam qui animo ipsis contrario sunt, hoc est, audaces iniustos esse deprehendimus, eo quod plurima per vim faciant. Est autem timiditas corruptio legitimi iudicij de rebus metuendis, aut non metuendis, aut ignorantia terribilium, non terribilium, & neutrorum. Quomodo igitur, qui corruptis, & illegitimis opinionibus iniusta detinentur, iusti esse possent? Non enim quasuis res recte aestimabunt, non permittente ipsos animi timore quamlibet quaestionem aggredi. *Hierocles in lib. de iustitia.*

Fingamus, exempli causa, belligeranti, & in acie stanti hinc fortitudinem, illinc timiditatem assistere: quantum putas diuersas orationes habebunt? Nonne fortitudo quidem permanere iubebit, & ordinem suum conseruare? sed ingruunt tela: sustinendum est. At vulnerabor: tolerato, sed moriar, morere potius, quam relinquas aciem. Haec oratio dura videtur, & immitis. Cotra vero timiditatis humana, per Iouem, atque mollis. Nimium enim recedere iubet trepidantem: sed scutum aegre fero, abijcias. Molestat me thorax, ergo resolue. Cui non haec verba benigniora viderentur, quam illius? Viden' vt hic magnum sit vtrinque discrimen? sed quis nescit huiusmodi quidem munus perniciosum suscipientibus esse, contrarium vero salutare? *Demetr.*

Qui vero minus extimescit, eum timidum, ac meticulosum dicimus: qui nec in eo solum peccat, quod etiam non metuenda paueat, sed quod ea, quae timenda sunt, nequaquam, vt oporteat, timeat. Itaq; trepidat, horrescit, pallet, fugit animus, metu membra quatiuntur: quae res efficit, vt quam hic a metu vincitur, tam illic a fiducia deseratur: nec solum viribus defectus, verum etiã spe destitutus. Siquidem cuncta nimium formidantem, necesse est spe quoque destitui. Habet metus animi fractionem, & quasi fugam: itaque meticulosos non res solum atque pericula, verum rumores ipsi etiam incerti, & vani, & rosae (vt dicitur) vmbra perfape terret. *Pont. in libello de fortitudine bellica, & heroica.*

Qui insidias timet, in nullas incidet, nec cito perit ruina, qui ruinã timet. Semper enim metuendo sapiens vitat malum.

Nam inimicum, quamuis humilem, docti est metuere, iuxta illud;

Parua necat morsu spaciosum vipera taurum,
A cane non magno saepe tenetur aper.
Causa pusilla nocet. sapiens nocentia vitat.

Timidus quidem arma contra seipsum habet, stultus autem pecunias. *Idem de fen. orator.*

Quemadmodum timidi, & qui nauseae nauigando obnoxij sunt, aestimantes se meliuscule habituros, si ex acatio in gaulum rursumque si in triremem commigrarint: nihil tamen proficiunt, bilem timiditatemque secum circumferentes: ita aliud vitae genus non eximit animo ea, quibus grauatur, & perturbatur, hoc est, rerum inscitiam, & rationis imperfectionem, ac id vitium, quod non potest, neque callet recte praesentibus vti. Haec sunt, quae diuites grauant, aut pauperes. *Plutarc. de animi tranquillitate.*

Beneuolentiae vis est maxima, metus imbecillis. *Cic. 2. Offic.*

Nulla vis imperij tanta est, quae premente metu possit esse diuturna. *1. Offic.*

Timor non diuturni magister est officij. *Philip. 2.*

Malus est custos diuturnitatis metus, contraque, beneuolentia fidelis est ad perpetuitatem: id igitur amplectamur, vt metus absit charitas retineatur. *2. Offic.*

Nos & venturo torquemur, & praeterito, multa bona nostra nobis nocent, timores tormentum membra reducit, prouidentia anticipat, nemo tantum praesentibus miser est. *Sen. epist. 13.*

Plura sunt, quae nos terrent, quae premunt: & saepius opinione amplius laboramus, quam re. Cito accedimus opinioni, & sic vertimus terga, quemadmodum aliquos puluis motus fuga pecorũ exuit castris, aut quos aliqua fabula sine authore conterruit: nescio quomodo vana perturbant. Vera enim modum suum habent, verisimile est, aliquid futurum mali, non statim verum est, quam multa inexpectata venerunt: quam multa expectata numquam comparuerunt. *ibid.*

Quid prodest mala accersere, & praesens tempus futuri metu perdere? Stultum est, quasi ante futurus miser, esse iam miserum. Quicquid vereris ne eueniat, eucorum vsque propone, & quodcumque est illud malum, totum ipse metire, actorem tuum taxa, Intelliges aut non magnum, aut non longum esse, quod metuis. *epist. 24.*

Stultitia est timore mortis mori. Venit qui occidat, expecta quod occupet. Cur suscipis alienae crudelitatis procurationem? Vtrum inuides carnifici tuo, an parcis? *epist. 71.*

Quemadmodum aues inanis fundae sonus territat: Ita nos non ad actum tantum excitamur, sed ad strepitum, inter suspecta male viuitur. Infirmus animus, antequam malis opprimatur, queritur, praesumit illa, & ante tempus cadit. Quid autem dementius, quam angi futuris, nec se tormento reseruare, sed accersere sibi miserias? *epist. 75.*

Nemo tam timidus est, vt malit semper pendere, quam semel cadere. *epist. 22.*

Quod nimis volunt miseri, hoc facile credunt. Imo quod metuunt nimis, numquam amoueri, nec tolli putant. *In epist.*

Quemadmodum perniciosior est hostis fugientibus, sic omne fortuitum incommodum magis instat timenti, & auerso. *epist. 79.*

Qui

Qui insidias timet, in nullas incidet: nec cito perit ruina, qui ruinā timet. Semper enim metuendo sapiens vitat malum. Nam inimicum, quamuis humilem, docti est metuere, iuxta illud:
Parua necat morsu spaciosum vipera taurum,
A cane non magno sæpe tenetur aper.
Causa pusilla nocet, sapiens nocentia vitat.
Idem de fen. orator.
Multos in summa pericula misit venturi timor ipse mali, fortissimus ille est, qui promptus metuenda patitur. *ibid.*
Quæ dementia est fugere, cum retinere non possis? Quotidie damnatur, qui semper timet. Res vera est, quod qui a multis timetur, multos timet. Peius est regibus, quam seuientibus reuera: quia isti singulos, illi vniuersos timent. *in Prou.*
Stultum est timere, quod vitari non potest. Tutissima est res, nil timere præter Deum. Timidum non facit animum, nisi reprehensibilis vitæ conscientia mala. *ibid.*
Fieri potest, vt eadem quis & nimium, & parum metuat: etiam vt quæ non sunt pertimescenda, æque ac illa timeat. Hinc peccata nascuntur: aliud quod timeatur id, quod timendum nō est: aliud quod non metuatur aliquid, tum cum metui debet: & si qua sunt, generis eiusdem. *lib. 3. Ethic. c. 7.*
Impossibile est timere simul atque irasci. *lib. 2. Rhetor. ad Theodect. cap. 3.*
Timemus ea omnia, quæ molestiam terroremque adferunt, quæ eadem, vt semel dicam, mala sunt. Itaque metum definiunt, mali expectationem. *lib. 3. Ethic. 6.*
Ea metuimus omnia, quæ mala sunt, vt dedecus, vt paupertatem, & amicorum penuriam, morbum, mortem: sed tamen nō in his omnibus fortis cernitur. *lib. 3. Ethic. c. 6.*
Timores ad mensuram adducti, moderatique, virtuti sunt augmento. *lib. 1. magn. mor. c. 5.*
Timor seu metus est dolor quidam, & trepidatio animi ex cogitatione profecta futuri mali: quod aut perniciem, aut molestiam videatur adaugere. *lib. 2. Rhet. c. 5.*
Iis, qui in metu sunt, partes extremæ refrigerari solent: calor enim, qui pedetentim fugit, & contrahitur, facit motum, ita in angustum locum compulsus, vt interdum animantes metu, affectione que, qua morbum parit, coecentur. *l. de Respiratione, c. 8.*
Nec vero eadem sunt formidolosa omnibus, estque aliquid, quod præstare homo possit, quod omnes profecto, qui sani sunt metuere, pertimescent. *lib. 3. Ethic. 7.*
Fortitudinis contrarium timor est. *lib. 1. Rhet. ad Theodect. c. 9.*
Qui natus est eiusmodi, vt metuat omnia, etiamsi mus strepitum edat, belluarum simili quædam ignauia timidus est habendus, & qui muscipulam vi morbi timeat. *lib. 7. Ethic c. 5.*
Timor frigiditas quædam est. *lib. 2. Rhet. ad Theodect. c. 13.*
Si timor est cum expectatione corruptiuæ passionis, manifestum est neminem timere, quū arbitretur nihil se passum: nec ea quæ non putat pati, nec eos, a quibus non putat: nec tunc, quando non putat. Quare necessarium est eos timere, qui se aliquid passuros arbitrantur, & ab ijs, & ad hæc, & tunc. *ibid.*
Nunc cuncta timemus mala: sed quæcumque vel magnos dolores, vel corruptiones adducunt. *ibid.*
Timidi ac ignaui ad desperationem formidine properant. *Tacit. hist. lib. 2.*
Anxijs suspensisque frequenter vanæ, ac inanes remotissimarum rerum imagines deceptis sensibus offeruntur. *P. Iouij, hist. l. 3.*
Nimia in republica timiditas viri ad omnem strepitum expauescētis, nihil audientis, pessimisque sese submittentis, grauissimas meretur reprehensiones. *Plut in compar. Nicia & Crassi.*
Principum timiditas, maxima est causa cædium: fiducia sui placidos eos & mansuetos, & a suspicionibus vacuos reddit. Ita ferarum quoque eæ, quæ a cicuratione sunt alienissimæ, timidæ sūt, & omni strepitu terrentur: generosæ autem non aspernatur huiusmodi blandam tractationem, qui propter fiduciam sui facilius alijs se committunt. *idem, in Artaxerxe.*
Hæsitabunda & formidolosa peritia egregium aliquid audere haud quaquam consueuit. *Procop. de bello Goth. lib. 2.*
Pro patriæ salute timidum esse, indecorum non est, propter hominum de se opinionem, calumnias, aut reprehensiones perterrefieri, id tam non viro qui alijs imperet conuenire videtur, sed qui eorum seruus esse velit, quibus male sentientibus eum imperare decet. *Plutarc. in Fabio Max.*
Canis timidus vehementius latrat, quam mordet. *Curt. l. 7.*
Non sine causa dicitur, matrem timidi flere non solere. *Aemil. Probus in Thrasybulo.*
Non minus ad temeraria consilia timidus ex desperatione, quam temerarius sua temeritate connectitur. *Fr. Guicciard. hist. l. 1.*
Sine animi præsentia ars contra periculum nihil prodest. Timor enim memoriam excutit. & ars amittitur animo languefacto. *Thucyd. lib. 2.*
Externus timor, maximum concordiæ vinculum. *Liuius, Decad. 1. lib. 2.*
Ad id quod ne timeatur fortuna facit, minime tuti sunt hoies: quod neglexeris, incautum habes, atque apertū. *Liu. Decad. 3. l. 5.*
Polyanthea Noua.
Nobis prius decedat timor, quam alijs vltro inferatur. *Idem Decad. 3. lib. 8.*
Semper in prælio ijs maximum est periculum, qui maxime timent, audacia pro muro habetur. *Salust. de coniurat. Catil.*
Quodcumque auditur subsidio, id corrumpitur timore fugientiū. *Caes. lib. de bello ciuil.*
Plerumque in summo periculo Timor misericordiam non recipit. *Idem, lib. 7.*
Hæc natura est magnis timoribus, vt quod euenit deterius credāt. *Tacit. Annal. lib. 15.*
In periculis Reip. qui singulatim pertimescunt, in timore potius quam in virtute opprimentur. *Iul. Capit. in Max. & Balbino.*
Timor mentem agens attonitam non sinit vtiliora decernere. *Procop. de bell. Pers. l. 2.*
Misericordiam haudquaquam recipit timor. *Procop. de bello Goth. lib. 3.*
Montium vertices hostium speciem præbent, animo semel timore oppresso. *G. Pachym. hist. lib. 3.*
In turba promiscua non deluni, qui etiam nulla de causa expauescant. *G. Pachym. hist. lib. 4.*
Sæpe vanos timores, non minus quam nimiam confidentiam, nocere, est cogitandum. *Fr. Guicciard. hist. lib. 7.*
Dei metus longe timorem abigit a viris potentia præditis. & reddit potentibus incutium. *Constan. Mag. Ann. pag. 542.*
Timere homines. Dei vero metum abijcere, illius est, qui quid sit metuendum ignorat. Sed diuinas leges timere, maxima est securitas, quicumque terror obijciatur. *G. Pachymer. hist. l. 3.*
Sæpe accidit, vt consilijs timore suscepta, periculo inferiora ei, qui timet videantur. *Fr. Guicciard. hist. lib. 1.*
Accidit plerumque, vt homines ea consilia, quæ alacri motu summoque animi vigore ante discrimen inierint, ea demum in præsenti periculo, quum facto maxime opus est, timidissime reformident. *P. Iou. hist. lib. 3.*

SIMILITVDINES.

Syracidi. Connexio lignea ligata in ædificium, in concussione non dissoluetur: Sic confirmatum in cogitatione consilij in omni tēpore timore non timebit. *Eccl. c. 22.*
Sustentacula in alto posita contra ventum non permanebunt: Sicut cor timidum in cogitatione fatui contra omnem timorem non sustinebit. *Eccl. c. 22.*
Chrysostomi. Sicut qui Dei iudicij obliuiscitur, tamquam freno abiecto in præcipitium defertur (inquinatæ autem sunt viæ illius in omni tempore, & causam affert, auferuntur iudicia tua a facie eius.) Item quem continuus hic percellit timor, modeste viuendi viam ingreditur. Recordare nouissima tua, inquit, & in æternum non peccabis. *Hom. 38. in Ioan.*
Quemadmodum, quæ manu tenemus, digitis stringimus, præ metu interdum excidunt omnia, dissolutis neruis nostris, corporisq; vigore remisso; Ita profecto contingit publice dicturis: qui, licet multis laboribus confectam structissimamque habeant orationem, in doctorum virorum corona obliti rerum, penitus obstupescant. *Hom. 4. Cum presbyter esset designatus.*
Themistoclis. Vt pisces qui gladioli vocātur, habent quidem arma, sed his non vtuntur: His similes sunt ij, qui instructam habent, & bene armatam aciem, sed timidi hostem non aggrediuntur. *Apud Plut. in Græcor. imper. apoph.*
Senecæ. Semper futurum aliquid, quod te offendat existima. Gubernatur numquam ita totos sinus explicuit securus, vt non expedite ad contrahendum armamenta disponeret. *l. 2. de Ira, c. 31.*
Augustini. Non potest melius explicari, quid intersit inter duos timores, castrum, & eum, quem foras mittit charitas, nisi ponas duas maritatas: quarum vnam ita constituas volentem facere adulterium, delectari nequitia, sed tamē ne damnetur a viro: huic onerosa est viri præsentia. Tales sunt, qui timent ne veniat dies iudicij, ne damnentur: Fac alteram amare virum debere illi castos amplexus, & nulla se adulterij immunditia maculari, optat præsentiam viri. Vtraque timet. V[illegible] vna, diuersus animus, illa timet, ne veniat: illa timet, ne discedat. O anima, quæ sic times Deum, ne te damnet, quomodo mulier virum, quā delectat nequitia; quomodo tibi displicet mulier illa, displice & tu tibi. Si forte habes vxorē, nūquid vis, vt sic timeat te vxor tua ne damnetur abs te, vt delectet illam nequitia: sed pondere timoris tui reprimatur, non damnatione iniquitatis? Castam eam vis, vt te diligat, non vt te timeat. Exhibe te talem Deo, qualē vis habere vxorem. Timet illa, ne oculos viri offendat: latet eū, peccat: sed tu non poteris Deum latere. Vultus eius super facientes mala. Tu ergo non times eius oculos, quem fallere non potes? Castus timor ait: Quando venicas ad me: cauet, obseruat se a peccato, ne deseratur, non vt puniatur. *In Epist. Ioan. tract. 9.*
Ciceronis. Vt qui mortem in malis ponit, non potest eam non timere: Sic nemo vlla in re potest id, quod malum decernit, non curare, idque timere. *lib. 3. de finib.*
Laurentij Iustiniani Patriarcha, quemadmodum perniciosior

est hostis fugientibus: Sic omne fortuitum incommodum magis instat timentibus. *In lib. de lingua vsu c.3.*

Plini. Crocodilus terribilis est in fugaces, fugax contra insequentes: Ita quidam, si concedas, ac metuas, tum ferociunt: si strenue contemnas, & obsistas, statim concedunt. *lib.8.c.25.*

Vt Chamaleon, quia pauidissimum animal, subinde colorem mutat: Ita qui viribus non pollent, ad varias artes confugiant necesse est. *lib.8.c.33.& l.18.c.8.*

Basily. Vt qui insitos habet corpori clauos, ad nullum opus est aptus, quod doloribus totus occupetur: Sic qui metu Domini coercetur, non vtetur ad ea, quæ non decet, non manus actionibus vetitis admouebit, nihil denique vel minimum vel maximū contra officium suscipiet, quasi dolore quodam propter minarum Dei metum percitus. *Apud Max ferm. 24.*

D. Augustini. Timor Dei sic vulnerat, quomodo medici ferramentū putredinem tollit, & videtur quasi vulnus augere. Ecce putredo, quādo erat in corpore, minus erat vulnus, sed periculosum. Accedit ferramentum medici: minus dolebat illud vulnus, quā dolet modo cum curatur, quam si non curaretur. Sed ideo plus dolet, accedente medicina, vt numquam doleat, succedente salute: Occupet ergo cor tuum timor, & inducta charitate, succedat cicatrix ferramenti medici. Talis est medicus, vt nec cicatrices appareant: tu subde te dextræ ipsius. Nam si sine timore es, non poteris iustificari. Opus ergo est, vt primo timor intret, per quem veniat charitatis sanitas. *In Epist. Ioan. tract. 9.*

Venanty Honory Clementiani. Sicut in cœlis Angeli, qui spiritus administratorij sunt, docente Paulo, voluntati diuinæ, vtpote creatori se accommodant: Ita eamdem maiestatem venerentur in terra homines. Et quemadmodum concordia illi, inculpabili charitate deuoti, in laude Dei videntur iugiter inhærere: Ita nos in suo timore, ac amore iubemur sine labe viuere. *In expositione orat. Domin.*

A d a g i a.

Vmbram suam metuere. τὴν αὑτοῦ σκιὰν δεδιέναι. *Plato.*

Dicuntur, qui pueriliter trepidant, vbi nihil omnino sit periculi. Germani etiam dicunt: Er fœrcht seinen Schatten. Item, Er fœrcht den Schatten an der Vvandt.

Timidior ex prospiciente. δειλότερος εἰ τοῦ παρακύπτοντος. *Suidas.*

Timidior Pisandro. δειλότερος Πεισάνδρου. *Zenodot.*

Dicebatur olim & hoc in immodice formidolosos.

Epeo timidior. Ἐπειοῦ δειλότερος.

De magnopere pauido dicebatur.

Timidus Plutus. δειλὸς ὁ Πλοῦτος.

Aristophanes vulgo iactatam inducit opulentiæ timiditatem, quum ait.

> Ἀλλὰ καὶ λέγουσι πάντες,
> Ὡς δειλότατόν ἐσθ' ὁ πλοῦτος.
> *Quin id omnes dictitant.*
> *Timidissimum quiddam esse diuitias.* Iuuenal.
> *Pauca licet portes argenti vascula puri,*
> *Nocte iter ingressus gladium, contumque timebis,*
> *Et mota ad lunam trepidabis arundinis vmbram,*
> *Cantabit vacuus coram latrone viator.*

In summa: In omni negocio formidolosior est diues quam pauper.

Timidi numquam statuerunt trophæum. ἀλλ' οἱ γὰρ ἀθυμοῦντες ἄνδρες οὔποτε τρόπαιον ἔστησαντο. *Euripides.*

At enim trophæum nobile haud vnquam viri statuere pauidi.

Apte dicitur in eos, qui per animi socordiam inertiamque nihil egregium, nihil arduum audent aggredi: aut qui periculi metu a magnis abstinent negocijs, quum insignis gloria non nisi magnis periculis contingat. Ein verzagter beKompt nit baldt den fahnen. Item, Ein verzagter buhler Kein schœn Vveib.

Abiecit hastam. *Philostr.*

Qui causa sua diffisus, abijcit animum, ac desinit contra conari.

Vel muscas metuit præteruolitantes.

Arist. l.7. de Repub. ἀλλὰ καὶ δεδιέναι μὲν τὰς παραπετομένας μυίας.

Qui muscas, inquiens, etiam præteruolantes metuat, quamuis friuola de causa. Idem similem quamdam commemorat, in Moralium 7. loquens de ijs, qui vsque adeo sunt timidi, vt etiam si sorex obstrepat, protinus expauescant.

Rheginis timidior. Ῥηγίνων δειλότερος.

Xenarcus, apud Zenodotum, Sophronis, qui de mensibus scripsit, filius, in gratiam Dionysij tyranni taxauit Rheginenses, vt ignauos in rebus bellicis animique pauidi.

Ante tubam trepidas.

Id est, animo consternaris, priusquam appareat periculum.

Ignaui vertitur color. τοῦ κακοῦ τρέπεται χρώς. *Plut.*

Nam id accidit in metu, vt vultus exalbescat, maxime timidis, videlicet sanguine ad vitalia refugiente.

In pulicis morsu Deum inuocat. ἐν ψύλλης δήγματι θεὸν ἐπικαλεῖται.

In eos dictum, qui quantumlibet leui de re grauiter perturbantur, perinde vt in maxima.

Mulier Imperator, & mulier miles. γυνὴ στρατηγεῖ, καὶ γυνὴ στρατιώτης.

Quoties totum negocium ignauis commissum est. Natura non dedit, impera re, suo ius.

Ceruinus vir. ἐλάφειος ἀνήρ.

Olim dicebatur formidolosus, & fuga fidens magis, quam viribus. Germani a lepore metaphorā sumētes, dicunt: Er hat ein Hasen Hertz. Item, Der Haass steckt jhme im Busen.

Gallus insilit. ἀλεκτρυὼν ἐπιπηδᾷ.

Vbi quis victus redintegrat certamen. A gallorum certaminibus sumptum.

Vir fugiens & denuo pugnabit. ἀνὴρ ὁ φεύγων, καὶ πάλιν μαχήσεται.

Senarius prouerbialis, quo monemur, non protinus abijcere animum si quid parum feliciter successerit.

Leonis vestigia quæris. τοῦ λέοντος ἴχνη ζητεῖς.

Dictum in eum, qui verbis ferox esset, re timidus. Groß geschrey vnd vvenig vvoll, sagt jener Narr, da er ein Savv beschor.

Initio confidens, in facto timidus. θρασὺς πρὸ ἔργου, ἐν δὲ τοῖς πολλοῖς κακός. *Eustathius.*

Audax ante negocium plerumque ignauus.

Lingua bellare. γλώττῃ πολεμίζειν. *Eustath.*

Dicuntur, qui magnifice comminantur, ac minantur hosti soli cum metu est, Das Schvvert im Maul haben. *De fœminis autem peculiariter.* Vvan die Vveiber mit dem Maulschvverdt kriegen, soll man sie nur auff die Scheiden schlagen.

Quum adsit vrsus, vestigia quæris. ἄρκτου παρούσης τὰ ἴχνη ζητεῖς.

De ijs dicitur, qui timiditate præsens negocium declinant, atque ad alias nugas dilabuntur.

Quum adsit via semitam quæris. ὁδοῦ παρούσης τὴν ἀτραπὸν ζητεῖς.

Conuenit in tergiuersatores, qui quæ præsens negocium subterfugiant diuerticula captant.

In formidolosum.

In hominem vehementer pauidum, animoque consternatum, quadrabunt hi versus Homeri:

> Οὐδέ μοι ἦτορ
> Ἔμπεδον, ἀλλ' ἀλαλύκτημαι, κραδίη δέ μοι ἔξω
> Στηθέων ἐκθρώσκει, τρομέει δ' ὑπὸ φαίδιμα γυῖα.
> *Nec mihi mens constat, sed mota vacillat, vt extra*
> *Pectus, cor saliat & trepidant quoque corporis artus.*

In fugitiuum.

Vbi quis impotenti animi cupiditate ad rem quampiam instigatur, præcipue parum honestam; vel potius, si quis turpiter fugiat: In hunc quadrabit, si dixeris, τοῦτον ἡ Κυνάμυια ἄγει. Cynamyia est musca canina.

Ne my quidem audet facere. οὐδὲ μῦ λέγειν τολμᾷ.

Qui metu non auderent hiscere, ij quondam negabantur my facere audere. Est enim ea litera maxime omnium muta, præsertim in fine os continens. Er darff nicht ein GuecKlein aufslassen.

Γρύζειν.

Prouerbio dicunt hiscere, seu mutire. Sunt qui putant γρύζειν esse vocem suillam edere.

Corinthijs non indignatur Ilium. Κορινθίοις δ' οὐ μέμφεται τὸ Ἴλιον.

Incusat haud quaquam Ilium Corinthios. Hoc carmine exprobramus ignauiam alicui, qui ita se gesserit, vt hostes nihil habeant, quod illi magnopere indignentur.

Λευκοπάτιας.

Olim appellabatur formidolosus. Composita vox ἀπὸ τοῦ λευκοῦ καὶ ἥπατος, quod plerumque quibus vitiatum est iepar, palleant, qui color est formidolosis, ac timidis.

In pedes retrocedit. ἐπὶ πόδα ἀναχωρεῖ.

De eo, qui metu dat locum potentiori, & reuocat se in tutum.

Mysorum præda. Μυσῶν λεία. *Arist.*

In eos olim dicebatur qui impune a quibuslibet lædumtur, ac diripiuntur.

Animus in pedes decidit.

Qui vehementer consternantur, atque expauescunt, ijs animus in pedes decidere dicitur.

Ταρβεῖται. πᾶσιν δ' ἐν παρὰ ποσὶ κάππεσε θυμός.

Pauet ingens ingens.

Omnibus, inque pedes animus mox decidit imos. Das Hertz ist ihm in die Hosen gefallen.

Trepidat in morem galli cuiuspiam. πτήσσει ὡς ἀλέκτωρ. *Aristoph.*

Id est trepidat tamquam gallus gallinaceus. In male affectum, atque commotum.

Quem mater amictum dedit obseruare. φυλάττειν τὴν περιβολὴν, ἣν ἡ τιτθὴ περιέβαλε.

Pro eo quod est, pueriliter ex alieno præscripto viuere.

Nulla candidorum virorum vtilitas. οὐδὲ λευκῶν ἀνδρῶν ὄφελος οὐ σκυτομῶν.

In molles & effœminatos dictum, ac veluti voluptatibus natos.

Teuthidum more. καθάπερ αἱ τευθίδες. *Plut.*

Quidam Teuthidas putant esse; quas nos vocamus Sepias, Sepia autem de genere mollium est piscium. Vide Plin. l.9.c.51.

Scrupulum inijcere. *Terent.*

Solicitudinem inijcere animo cuiuspiam. Et scrupulum eximere: est solicitudinem tollere.

Non incedis per ignem. οὐκ ἐπὶ πυρὸς βέβηκας.

Quo

Quo significabant aliquem plus satis festinare. Qui versatur in re periculosa, dicitur & ipse per ignem incedere.

Domi leones, in acie vulpes. οἴκοι μὲν λέοντες, ἐν μάχῃ δ' ἀλώπεκες. *De ijs dicitur, qui in suos sæui, non tetidem audent aduersus munitos.*

EXEMPLA BIBLICA.

Timiditatis *exempla*: Israelitæ, 1.*Sam*.13.6. Samuel, 16.2. Saul, 17.11. Israelitæ, *v*.24. Roboam, 2.*Par*.2.13.7. Achaz, *Esa*.7.2. Nicodemus. *Io*.3.2. parentes cœci nati, 9.22. multi principes, 12.42. Ananias, *Act*. 9.13. timiditatis pœna, *Apoc*. 21.8. timiditatis spiritus, 2.*Tim*.1.6. Timoris *exempla*: Iacob, *Gen*.32.7. fratres Iosephi, 43.18. Israelitæ, *Exod*.14.10.& 19.16. *Deut*.5.5.1.*Sam*.7.7. Saul, 17.11.& 28.5. Elias, 1.*Reg*.19.3. minister Elisæi prophetæ, 2. *Reg*.9.*v*.15.16. Achaz, *Esa*.7.2. discipuli, *Mat*.8.25.& 17.6. *Marc*.6.49. *Luc* 8.25. Porcorum custodes. *Mat*.5.15. Petrus, 9.6. Maria Magdalena, Maria Iacobi, & Salome, 16.*v*.5.8. Zacharias, *Luc*.1.12. vicini Zachariæ, *v*.65. Pastores, 2.*v* 9. Capharnaitæ, 4.36. Scribæ & Pharisæi, 5.26. Viri Naim. 7.16. Petrus & alij, 9.34. mulieres, 24.5. Pilatus, *Ioan*. 19.8. timor præposterus, *Matt*.10.28. *Luc*.12.5. Timoris, quo mali bonos timent *exempla*: Abimelech timet Abrahamum, *Gen*.21.*v*.22.23. Aegyptij Israelitas, *Exod*.14.*v*.24.25. Saul Dauidem, 1.*Sam*.18.*v*.28.29. Tertius quinquagenarius princeps, Eliam, 2.*Reg*.4.*v*.13.14. Gentes Israelitas, *Nehem*.6.*v*.15.16. Iudam Machabæum, 1.*Mach*.3.25. Principes Demetrij Ionathan, 12.*v*.27.28. Lysias Iudæos, 2.*Mach*. 11.*v*.12.13. Herodes Ioannem Baptistam, *Mar*.6.*v*.19.20. custos carceris Paulum & Silam, *Act*.16.*v*.27.28.29. Timoris Dei *exempla*: Abraham, *Gen*. 22.12. Ioseph, 39.*v*.8.9. obstetrices Hebræorum, *Exod*.1.17. Aegyptij, 9.20. Hebræi, 14.31. Israelitæ, 1.*Sam*.12.18 Dauid, 42.*v*.5.6. 1.*Paral*.13.12 *Ps*.5.8. Babylonij, Cuthæi, 2.*Reg*.17.41. Iob, *Iob* 1.8.& 2.3. Iudith, 8.*v*.8.9. Eleazar, 2.*Machab*.6.30. Simeon, *Luc*. 2.25. Fideles, *Act*.8.2. Ecclesia Christi, 9.31. Cornelius Centurio, 10.*v*.2.22. miles Centurionis, *v*.7.

EXEMPLA PROFANA.

Aiunt *Pisandrum* fuisse quempiam prodigiosa timiditate: adeo vt anxius esset, ne suam ipsius animam alicubi videret, quæ se viuum reliquisset, inde ortum adagium: Timidior Pisandro. *P.M. in adag.*

Sophronius, qui de mensibus scripsit, filius, in gratiam Dionysij tyranni taxauit Rheginenses: vt ignauos in rebus bellicis, animiq; pauidi: quemadmodum testatur Græcorum adagiorum collectanea. Hinc prouerbium, Rheginis timidior. *P.M. in Adag.*

Nerua annum agens circiter sextum & sexagesimum, Romanus princeps factus est. Cum iam vndique arcus & statuæ diruerentur, aureisq; ac argenteis conflatis, quas Domitianus locari fecerat, grandis colligeretur pecunia: oborto timore, quasi viueret Domitianus, & afforet: ita trepidare cœpit, vt colore mutato, ac voce amissa, vix cõsisteret; a Parthenio autem cõfirmatus, recepta hinc ad solĕne deliramentũ conuersus est, *teste Aur. Sexto.*

Achilles Chironis ferulæ subditus, eiusdem irato timuit: de eo sic. *Ouid. 1 Fastor.*

> *Phyllirides puerum cithara præfecit Achillem:*
> *Atque animos molli contudit arte feros.*
> *Qui toties socios, toties perterruit hostes,*
> *Creditur annosum pertimuisse senem.*
> *Quas Hector sensurus erat, poscente magistro,*
> *Verberibus iussas præbuit ille manus.*

Celtæ Adriæ vicini ad Alexandrum Magnum missis legatis amicitiam illius expetiuere: eos ille conuiuio exceptos rogauit: quidnam omnium maxime pertimescerent? responsuros existimãs: Alexandri potentiam. Cui illi: hoc vnum, ne cœlum ruat. *Strab. lib.7.*

Antemon tam timidus fuisse fertur, vt domi plurimum vixerit, duobus seruis supra caput æreum scutum tenentibus, ne quid superne caderet, lectica non nisi adoperta vtebatur.

Heliogabalus tumultu militari exterritus, non obtulit se irato militi, sed cum matre fœtidam cloacam petijt, vbi multis vulneribus confossus, turpem vitam turpissima morte finiuit.

HIEROGLYPHICVM.

Io. Pierius Valerianus cuculum timidi hominis hieroglyphicum esse affirmat, quædam ea Horatio, & Plutarcho in eum sensum proferens, aliaque lepide dicta. *lib.25.c.28.*

EMBLEMA.

A minimis quoque timendum.

Emblema CLXVIII. Andr. Alciat.

> *Bella gerit scarabeus, & hostem prouocat vltro,*
> *Robore & inferior, consilio superat.*
> *Nam plumis aquilæ clam se, neque cognitus abdit,*
> *Hostilem vt nidum summa per astra petat.*
> *Oua que confodiens, prohibet spem crescere prolis;*
> *Hocque modo illatum dedecus vltus abit.*

Vide supra, Metus.

Polyanthea Noua.

TITVLVS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Titulus, Græce ἐπιγραφή vel ἐπίγραμμα dicitur. Hebr. *Chethab, Kethobeth, & Mikettab*, Scriptio, Scriptura impressa, vel sculpta, vel etiam in carnem viuam (Leuit.19.28.) incisa: a verbo *Cathab*, Scripsit, conscripsit, inscripsit, manu pinxit literas. Est autem titulus proprie index cuiuscumque operis. In statuis enim & picturis titulũ dicimus literas, quæ vel artificis, vel eius cuius statua, siue imago est, nomen demonstrat, vel tempus, quo factum est, declarat. Dicitur autem titulus a tuendo, quasi tutulus, quod tuetur factum authoris.

PHILOSOPH. SENTENTIÆ.

De vanis titulis studiorum. DIAL. XLVI. Francisci Petrarch.

GAV.

Titulis multis ac varijs exornor. R. Fœcunda frondium est vanitas, sed inanis fructuum. G. Titulis multis abundo. R. Si veris grauis sarcina, sin falsis fœda & pudenda, quid opus est titulis, quibus aut labor inest, aut dedecus? Virtus vno, seu potius nullo titulo contenta, ipsa sibi est titulus. G. Theologiæ titulum sum adeptus. R. Erant olim huius scientiæ professores. Hodie (quod indignans dico) sacrum nomen prophani, & loquaces. Dialectici dehonestant: quod nisi sic esset, non hæc tanta tã subito pullulasses seges inutilium magistrorum. G. Philosophiæ titulum merui. R. Philosophia non sapientiam, sed amorem sapientiæ pollicetur. Quisquis hanc igitur vult, amando consequitur. Non est, vt quidam putant, operosus aut difficilis hic titulus, dummodo verus amor sit, & vera, quam ames, sapientia, Philosophus verus eris. Veram sane sapientiã non nisi purgatæ piæque animæ, vel intelligere possunt, vel amare. Ad id ergo res rediit, qđ est scriptum: Pietas est sapientia. Philosophi autem vestri huius sciẽtiæ contemptores, aut ignari, vt de Theologia nũc dicebam, ad verbolam nudamq; Dialecticam sunt redacti. Itaque de Deo illi, hi autem de natura temerarie fabulantes, illi omnipotentissimam maiestatem ventosis sophismatibus circumscribunt, & subsannãti ridentique Deo suæ insolentis inscitiæ leges ponunt. Isti vero de naturæ arcanis ita disputant, quasi è cœlo veniant, & cõsilio Dei omnipotentis interfuerint, obliti, quod scriptum est: Sẽsum Domini quis nouit? Aut quis consiliarius eius fuit? Neque nostrum audientes Ambrosium, qui sæpe id multis ac validis argumentis: eo autem libro, in quo fratris obitum luget, præcise admodum breuiterque, Philosophi, inquit, de cœlo disputantes, quid loquantur, ignorant. G. Artes profiteor multas. R. Facillimum id quidem, multas nosse difficilius, melior sane, tutiorque confessio, quam professio est. Illa enim humilitatis, & pœnitentiæ, hæc leuitatis, & insolentiæ plena est. Multo certe facilius indulgentiam confessi quærunt, quam scientiam professi. G. Diuinæ atque humanæ sapientiæ titulum consecutus sum. R. Sapientia titulis non eget, per se ipsa clara est. Quis lucernam, quæso, vmquam soli, vt videretur, adhibuit? Multi & cum his titulis obscuri, & absque his clarissimi euasere. Sæpe nullum bonis clarũ malis mercib. signum fuit. G. Quid quod poetica laurea comam construxi? R. Super tot vnus est labor verum quærere, sed his duplex, quærere & ornare, atque ad auriũ oblectationem fingere, magna res est, ardua, difficilis, eoque rarissima, veri nẽpe poetæ vtriq; operã dant. Communia vero primum negligunt, contẽti phaleris. G. Verum laureæ partum decus. R. Quæsitum, vnde Rempublicam, remque familiarem vni posthabeas curæ. Quæsitum iter ad inopiam, ni sedenti vltro prodiga tibi opes cõuehat fortuna, quæsitum, vnde alijs mens, alijs insolens videare. G. Mihi ipse lauream coronam decerpsi. R. Virẽtissima arbor si decerpitur, confestim, nisi ingenio vberi, vigiliq; studio rigetur, arescit. G. Parta mihi laurea. R. Partus labor, partus liuor, seu illa studiorum, seu armorum merces est, tenet ille tumulus animo tuo nihil omnino, signum vertici præbuit inane, ostendens te multis, quos melius latuisses. Quid aliud quam te morsibus obiecit inuidiæ? pace belloq; multis insignia nocuere. G. Artẽ oratoriã sum professus. R. Mirum audio. Ea nempe in desuetudinẽ abijsse iampridem visa erat, vt quæ immensa, & innumerabilibus rebus constat, vnde fit, vt Oratores ipsis etiam vatibus rariores semper fuerint, proinde fuere, qui dicerent: Oratoris propriũ de omni re copiose ornateq; posse dicere, quamuis ea sententia velut arrogãtissima sit reiecta, quãtis sane de rebus, & si nõ de omnibus dicere habeat Orator, adhibita in singulis artificiosa, & dulci quadã eloquẽtia, quæ per seipsa magna res est, æqua si lance librauerit, obstupesces, teque fortasse professionis temerariæ pœnitebit, vt cautas ne dum scite vel infinita, vel oĩa vis videri, nihil scire videaris, & quod sæpe accidit, sub scientiæ professione multiplicis ignorantia delitescens necessario in apertũ exeat. G. At liberalium sum professor artium. R. Sæpe etiã plus habet ea res audaciæ, quam doctrinæ. Ad vnamquamq; artium

breuis est vita. Vons tu sufficis omnibus? Vna ars vni ingenio satis est, vt ad summum æstuando, & anhelando perueniat. Multas legisse, quantum cœpti necessitas exposcit, idque ipsum nosse, quam professum esse modestius. Addaio, quod doctissimis visum est, vnam ipsam omni ea parte cognoscere, nulli etiã illustrium contigisse. De sola nempe Rhetorica notum illud Senecæ: Magna, inquit, & varia res est eloquentia, nec adhuc vlli sic indulsit, vt tota contigerit. Satis felix est, qui in aliquam eius partem receptus est. Id sane, quibus viris, & quantis testibus verum probet, audisti. Quod cum ita sit, quid agant, & quid audeant, cogiteut, agmina professorum pene iam vulgus æquantia, tam ru litate, quam numero, quæ non vna qui lem parte, sed nec vna arte contenta ex æquo omnes inuadunt. O fiducia ingens? sed iam publica. G. Quid de medicinæ tamdem iuriumque professione dictura es? R. Ad hoc ægri tui, clientesq; respõdeant, quid illis vmquam ad salutem corporis, victoriamq; eau sarum titulus iste profuerit, tibi ad lucrum fortitan sæpe profuit. In hoc artes, siue artium nomina quæritis, & quod scientiæ defuerit, suppl̃etur titulis, atque habitu, verumque fit illud Satyrici: *Purpura vendit causi dicum, vendunt amethystina*, nec id minus, *vt cedeant veteres, Ciceroni nemo ducentos nunc dederit nummos, nisi fulserit annulus ingens.* Postremo, hæc ubi horum omnium summa erit, esse quosdam raros, quorum solida, & honesta sint studia, horum finis est veritas, ac virtus. Hæc est rerum notitia, morumque correctio, & vel viræ mortalis ornamentum, vel æternæ aditus. Reliquorum vero, quæ ingens turba est, pars gloriam petit præmium inane, sed fulgidum, maiori autem parti vnus fulgor pecuniæ finis est, præmium nõ exiguum modo, sed sordidum, & labori impar, nec ingenio dignum nisu. Hisque omnibus titulis, ve dixi, habitus non spernendus quidem, ad id enim, quod intendũt, valet. Nempe omnium pene mortalium, præsertim vulgi, horum ope egentis, animus, iudiciumque vmbris eluditur. Magna pars rerum opinionibus agitur. At virtuti de titus titulis gloriati alienum prorsus, atque absonum, nimo vero ne possibile quidem reor. G. Multa profiteor. R. Prælat vnum benefacere, quam multis promittere. Beoti erent res humanæ, si, quod profiterentur homines, id essent.

TOLERANTIA.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

TOlerantia, Græc. ἀνεχὴ, ὑπομονὴ, καρτερία, ἀνοχὴ, & καρτερὸν τοῖ lero dicitur. Hebræi Onus, quod tollitur, & portatur *sebel* vocant. Hunc sabulum, & *Sable*, Galli a verbo *Sabal*, Baiulauit, portauit onus graue. Et per metathesin *Balas*, comportauit. *Massa* etiam dicitur onus, pondus, a verbo *Nasa*, leuauit, tulit. Metaphoricis vocibus onera interna, quæ tolerantiam commendant in S. Scripturis designantur. Est autem tolerantia idem quod patientia, venitque a tolero, quod est patienter fero.

LOCI BIBLICI.

Tolerantia mutua præcipitur, *Col. 3. 13. Phil. 1. 28.* ex fide nata commendatur, *2. Tim. 3. 2. Hebr. 10. v. 36. 38.* tolerantiæ, fidei, & charitatis incrementa laudantur, *2. Thess. 1. v. 3. &c.* tolerans spes, *1. Thess. 1. 3.*

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Tolerantia est perpessio molestiæ honesti gratia, perpessio laborum honesti gratia. *Speusip. Plat. defin.*

Tolerantia est preciosissimum bonum. *Mar. Fic. ep. lib. 1.*

Tolerantia est virtus, qua, quæ difficilia, aut laboriosa sunt, decori, ac honesti gratia toleramus. *Fran. Patric. de regn. lib. 7. c. 13.*

Tolerare in resistendo consistit. *Arist. 7. Ethic. c. 7.*

Agesilaus existimabat imperatorem decere potius ve tolerantia, quam molline priuatis hominibus præstet. *Xenophont. orat. de Agesil.*

Tolerantia, fortitudine animi, & consilio omnia domantur. *P. Aemyl. lib. 4.*

ADAGIA.

Chalcenterus. Χαλκέντερος.

Olim dicebatur vsurpariet passus laborum, atque indefatigabilis, velut habens area intestina, qualem fabula narrant fuisse Talo custodem insula Creta.

Socratis callus.

Socrates corporis erat patientissimi, quod ad omnem laborem occalluerat, ambulabat nudis pedibus, dormiebat humi.

Adamantinus. Ἀδαμάντινος.

Vide Fortitudo, & Patientia.

TONITRV.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

TOnitru, Græce βροντὴ, ἡ, & βροντάω, tono dicitur. Hebr. *Raham*, a verbo *Raham*. turbatus est impetuose, concitatus est magno impetu, intonuit. Hinc per metathesin literarum ὁρμάω, impetum facio, concito, &c. Est autem tonitru sonus factus in nubibus ex violenta percussione exhalationis calidæ, & siccæ ad latera nubis. *Vel sic:*

Tonitruum est sonus exhalationis siccæ, quæ includitur in transmutatione infrigidati aeris, & conuenientibus nubibus segregatur, vt autem lata, & offendens ad continentes nubes, facit per cussuram.

Tonitruum non est extinctio ignis in nube, sed fit ex percussione vaporum infra nubem *secund. S. Th. sup. Psal. 17. col. 54.*

LOCI BIBLICI.

Tonante Deo, conteruntur Philisthæi ad preces Samuelis, *1. Sam. 7. 10.*

Tonitru a Deo proficiscitur, *Exod. 9. 23. 1. Sam. 2. 10. & 7. 10. Iob 38. 25. Psal. 29. 3.* eius vis maxima, *vers. 5. 6. 7. 8. 9.* Tonitrua cum Lex promulgatur, *Exod. 19. 16.* tonitruis percutiuntur Aegyptij, *Exod. 9. 23.*

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Quantum aridæ exhalationis in aeris refrigerati mutatione comprehenditur, in concursu nubium expromitur: sed cum vi fertur, incurrit que in offusas nubes, ictum efficit, cuius sonus tonitru dicitur. *lib. 2. Meteor. c. 8.*

Non cam dem naturam esse dicimus, quæ super terram ventus, in terra terræmotus, in nubibus tonitru nominetur. *ibid.*

Flatus in nube implicitus, & crassa, & humida, continuatum nubis spissamentum violenta eruptione perfringens mugitum edere cum ingenti fragore solet, qui tonitru dicitur. *libro de Mundo, cap. 4.*

Tonitru in nubibus est sonitus propter illud, quod extinguitur in ipsis. *Arist. in 2. post lib. 2. c. 2.*

Tonitru fieri, dicebat Pythagoras, minarum gratia, ijs, qui sunt in tartaro, vt timeant. *Idem ibid. c. 11.*

Tonitru fit, quando exhalatio, quæ in flammam conuertitur, feratur, cum rumpuntur, & exsiccantur ligna. sic in nubibus cum sit spiritus, exæretio in spissitudinem nubium incidens, facit tonitruum. *Arist. in 2. Meteor. c. 1.*

Tonitru est flatus in nube implicitus crassa, & humida, condensatum nubis spissamentum perfringens violenta eruptione, modo haud absimili spiratus vehementer in aqua impulsi. *Arist. de Mundo, cap. 3.*

Tonitru non fit nisi ex vapore adusto, qui in ipsa sui eleuatione incipit inflammari, ideo præcipue sit in æstate, & tempore magni æstus. *Alb. Mag. in 3. Meteor. T. 3. c. 34.*

Tonitrui, & coruscationis generatio non fit. nisi frigore fortissime impellente nubem aqueam, & comprimente vaporẽ, quod tempore maximi caloris tantũ fit. *Idem in 5. Meteor. tract. 3. c. 24.*

Tonitrua, & huiusmodi impressiones generantur in regione altiori, quam impressiones humidæ, & maiora altius generantur, quam parua: cuius rei signum est tempus, quod interponitur inter visum coruscationis, & auditum tonitrui. & materia est humida grosso humore aquæ habens terrestre glutinosum, non facile separabile: quia hoc igne adurente magis comprimitur. & spissatur in nube. *Alb. Mag. in Meteor. T. 3. c. 34.*

Tonitrui, fulguris, & fulminis variæ opiniones fuere. *Anaximander*, de spiritu hæc originem trahere existimauit, quoties enim crassa nube comprehensus is, & violenter excussus fuerit ob subtilitatem, & leuitatem, nunc eruptio strepitum, diductio vero scissionis egredioe splendorem perficit. *Metrodori* sententia est, quum in nubem ex densitate crassam spiritus inciderit, fractura quidem perficere strepitum, percussu autem & scissione splendescere, velocitate vero delationis ex sole caliditatem assumere, & fulmen emitti. cuius debilitas desinit in fulgetrum. *Anaxagoræ* opinio est, cum calor in frigus id est, cum pars ætherea in aerem inciderit sonitu tonitruum fieri, fulgora nebulosi nigroris aspectu fieri, magnitudine autem, & multitudine luminis ita lumen oriri, vt corpulentiori typhonem igne, & nebuloso fulgetrum. *Stoicis* placuit ita finiri tonitruum, nubium colli sio: fulgur ita, ex collisio accensio, fulmen sic, violentioris collisionis coruscatio. *Aristoteles* omnia hæc putauit in euaporatione siccam esse referenda, quæ cum occurrit humidæ, vi cause parat, atque collisu, & tractatu tonitrui sonitum faciat: incensu vero & flammatione caliditatis fulgura. *Idem in exam. van. doct. gen. lib. 1. cap. 12.*

Tonitrui sonus tribus modis fit. *Primo*, quum expressione violenta exprimitur vnum ab altero. *Secundo*, quum paulatim vapor scin-

scindens nubem suam qua est euolans aliam nubem, inuenit sic cam constrictam, & impingit in illam, & ex collisione facit sonum quandoque cum coruscatione. *Tertio*, egreditur vapor parius, & siccus, inflammatus ex nube tenui, & non multum aquosa, & tunc videtur ignis, vt flamma alba per multum fumum, & in propria nube non facit sonum, sed si obuiat ei nubes aquosa, flamma extinguitur, in illa nube tumorem faciendo, vt ferrum candens in aqua. *Alb. Mag. de pass. aeris.*

Tonitru tripliciter egreditur a propria nube, ante inflammationē, in ipsa inflammatione, & post. Ante quidem, cum incipit comprimi in profundum acumen sui, eo quod siccus est, penetrat nubem, & egreditur aerem, & commouet ipsum fortiter, vel debiliter, secundum virtutem suam, ideo ante tonitrua fiunt venti calidi, & fortes. In ipsa inflammatione quandoque vterque est rarus, & debilis, & tunc quia non inuenitur resistens, egreditur sine sono vel vento, qui a nobis auditur, vt in æstate. Post inflāmationem; tunc pulsando latam nubem facit sonum, sed antequam pertranseant, extinguitur, & sonus auditur sine coruscatione. *Alb. Mag. de pass. aeris.*

Tonitrui tempus aliud est in frigidis, aliud in calidis regionibus, quia in 5. 6. & 7. raro fortior est, & eleuat vaporem: in calidis scilicet 1. 2. 3. & 4. generantur tonitrua in æquinoctialibus sole existente punctis. *ibid.*

Tonitru quum audiuntur in signis hiemalibus, tunc est initium veris, & forte per totum annum erit multus ventus, quam in alio anno, quia est signum multam esse in aere materiam. *Idem ibid.*

Tonitru veris tempore generatur, dissoluta hiemali humiditate, ob calorem aeris affecti a sole, vnde plurima sursum tollitur euaporatio. quæ, quia sol non ad perpendiculum radios iaculatur, minus intensus redditur calor, quam vt ipsum possit consumere, & inde tonitrua, & fulmina proueniunt. *Ioan. Franc. Picus Mir. de praenot. lib. 5. c. 4.*

TORMENTVM.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Tormentum, Græc. *basanos*, dicitur. Et significat omnem machinam ad torquendum saxa: quod veteres etiam tortum appellauere. Significat etiam dolorem corporis, ad eruendam veritatem. Veteres etiam posuere tormentum pro quocumque cruciatu. Venit autem a torqueo, cuius frequentatiuum est torto, & eius passiuum tortor, hoc est vehementer torqueo, hinc venit tortor, qui torquet, hoc est, cruciat, vel lapidem tormento iacit.

Tormentum, cruciatus, qui aut eruendæ veritatis, aut criminis eruendi causa fieri solet a torqueo, i. crucio. *basanizo*. Inde *basanos*. Hebr. *Deabah*, & *Daabon*, corruptio, a verbo *Daab*, tabuit, languidus fuit, vt ijs etiam accidere solet, qui vel atrocis morbi, vel carnificum manus euaserunt.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

De tormentis. DIAL. LXV.

Francisc. Petrarch.

DOL.

Iniuste torqueor. R. Quid nunc diceres, si iuste? Nullum nēpe tormentum conscientia maius est, illa incolumi, hæc externa despicito, intra te est consolator tuus. D. Torqueor prorsus indigne. R. Tortoris miserere tui, ille te grauius torquetur, quāuis enim mundus obstrepat, minus mali est pati iniuriam, quam inferre. D. Torqueor. R. Nouum mali veteris lamentum, numquid enim non antea torquebaris? inter tormenta natus, inter tormēta vixisti, inter tormenta moriturus, quid nunc noui accidit? mutantur tormentorum species, tormenta nō desinunt, excute totum tēpus ætatis, quem sine tormentis diē egeris recordare. Aliqua falsis forsan gaudijs adumbrata reperies, veros autem plena tormentis, quibus, si acriter æstimes, nullā vitæ partem vacare fateberis, vnde non immerito quibusdā omnis vita supplicium visa est, sed vos nihil minus, quam hæ philosophiæ voces tangūt, hærent quidem aurium vestibulo, mentis claustra non subeunt, hic ad omnem corporis ossiculi ingemiscitis, animi iuge mortiferumque supplicium non sentitis, alic impanentes, hic hebetes. D. In equuleum leuor. R. Quid refert, in equuleum an in lectulum torquendus ascenderis, te carnificis nodus premet? At hunc febris, hunc podagra, hunc vxor, hunc filius, hunc amica, hunc diuitiæ, hunc paupertas, hunc infinita cupiditas, spesq; anhela, hoc tortore quolibet peior metus. Perquire mortaliū status, vix vllum inuenies non in equuleo pendentem. Sed quum mille sint equulei, nisi lignum non timetis. D. Torqueor. R. Aut innocentia in tormentis, aut iustitia teipsum consolare. Nam si iniuste torqueris gaudendum est, experimentū tibi atq; alijs, &

Polyanthea Nouiss.

fulgor quidam tuæ virtutis accesserit, attrectati, ac sublati fragrantior, ac notior fama erit, vt bene oleant, teruntur aromata, & pulcherrima rerum, ne lateant, attolluntur. Sin id iuste pateris, acquiesce remedio, & concretæ sordes flammis, aut asperitatibus eluuntur, & magni mali medicina tristior si oportet, quē morborum tædet, amara non respuat, quem scelerum pœnitet, supplicia non recuset. D. In equuleum tollor. R. Si immeritus, vnde ex alto sæuitiam alienam despicias. At si meritus, vnde a terra diuulsus ipse tuum clarius aspicias crimen, quodq. commissum doles, non doleas plecti. D. Torqueor. R. Aut tentatur virtus, aut punitur vitium, alterum sæpe vtile: alterum semper expediens. Bona exercitatio iusti est pessima nocentis impunitas. D. Torqueor. R. Disce iter ad patientiam, & ad mortem.

APOPHTHEGMATA.

Perses negauit tormentis opus esse ad explorandam rei veritatem; vino enim id rectius fieri dicebat: Sensit autem vir prudentissimus, tantam esse vini immodice sumpti potentiam, vt proferat ea, quæ crudelissimis tormentis ea homine sobrio elicere non possis. *Vide prouerbium apud P. M. in vino veritas.*

Anonyma. Poppea, quæ prius adultera Neronis, mox repudiata Octauia mariti potens facta, subornauit quemdam ex Octauiæ ministris, qui ei seruilem amorem obijceret. Ancillis Octauiæ ad quæstiones pertractis, quædam cruciatu victæ, falsis annuerunt, quædam persliterunt, dominæ suæ sanctitatem prædicantes. Ex his vna instanti Tigillino respondit: castiora esse, Octauiæ muliebria, quam os eius. *P. M. 6. apoph.*

TORPOR.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

Torpor, Græce *narkē*, & *narkaō* torpeo dicitur. Hebr. *Hatslah*, *Hatsluth*, a verbo *Hatsal*. Piger fuit. Hinc *atsal*, negligo, & Lat. asellus, animal pigrum, & iners. Est autem torpor, remissio in executione boni. & est filia acediæ.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

De torpore animi. DIAL. CIX.
Francisci Petrarch.

DOL.

Torpeo in agendis. R. Quis miretur, si post gulæ studium prægrauatumque corpusculum animi torpor obrepat? D. Animi grauor torpore. R. Torpor hic ex imperfecta volūtate oritur, mox vt bonum velle cœperis, ardor erit, atque impetus, qui cum ad multa sit pessimus, est optimus ad virtutem. D. Torpeo, & ad bona opera lentus assurgo. R. Est torpor quidam animis obsitus, nec minus ardor quidam generosa pars animæ: sed & hic ardor accendetur, & ille torpor excutitur fuga temporis intellecta, quæ tanta est, vt via metiri eam, quamuis celer animus, possit, & specie virtutis adamata, quo talis est, vt si corporeis oculis cerni posset (quod vult Plato) mirum sui amorem paritura esset. Hinc te amor igitur, illinc metus excitet, vtraque res insomnis, neq; qui amat enim, neque qui metuit, torpere solet, & tamen hoc ipsum nec torpor, soporq. vos noxius premat, ad diuinas laudes surgentes nocte precamini. non est somno locus, aut inertię, vbi vos hinc mors territat, hinc honestas allicit. Quis enim inter magna pericula, magnaque præmia consopitur? Vbi ad ista respexeris, redibit vigor ad animum, fugiet somnus ab oculis cogitantis, quantum nunc etiam superest imperfecti, quantum transierit ociosi, quo quia non longas ætates inutiles effluxisse conspicimus, & senes attonitos, ac stupentes dicere. Quid hic in tot annis egimus? Comedimus, bibimus, dormiuimus, sero tandem experrecti sumus, cuius mali præcipua causa est torpor iste, quem quereris abigendis in tempore stimulis industriæ, fræno prouidentiæ, ne cunctando ad inglorium finem cum multitudine rapiaris.

Torpescimus manus potissimum, & pedes: quia torpor refrigeratio est, fit enim propter sanguinis priuationem, translationemque. Manus autem, & pedes omnium maxime partium carnis inopes sunt, & nerui vberes, sed præcipue pedes. itaque ad refrigerandum celeriter sua natura habiles redduntur. *Arist. probl. sect. 6. cap. 6.*

Vide Acedia, Pigritia.

TOTVM.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

Totum, Græce *holon to*, dicitur. Estque cui nihil deest. Differunt autem totus & omnis, quod totus ad quantitatem refertur, vt tota domus, tota vrbs, totum corpus, aliquod integrum. Oē de vniuersis dicimus numero distinctis, vt omne pecus, omnis grex. Confunditur tamen nōnumquam proprietas a poetis.

Hebr. *Col*, omnis, totus, vniuersus, cunctus: & *Calil*, totus omnimodo perfectus, absolutus: a verbo *Calal*, consummauit ex toto, absoluit in vniuersum, perfecit ex omni parte.

SENTENTIÆ PHILOSOPH.

Totum & perfectum, id est, cuius nihil extra, & non solum indiuiduis conuenit, sed & cœlo. *Arist. Phys. 3. c. 6.*

Totum & perfectum, aut idem est penitus, aut proxima natura sunt. *Idem ibid.*

Totum, & omne, & perfectum, non differunt secundum formam inuicem, nisi in materia, in qua dicuntur. *Idem 1. de cœl. Tex. 2.*

Totum est pars secundum naturam, ad idem fertur, vt tota terra, & parua gleba. *Ibidem T. 19.*

Totum, & si diuiditur in duo, vel in plura: non ob id maius, vel minus est ipsum, quam prius. *Arist. de gen. & corr. c. 2. T. 8.*

Totum vt se habet ad totum, sic & singulæ partes ad singulas partes se habent. *Idem hist. anim. 1. c. 1.*

Totum cum partibus est eiusdem speciei. *Idem de anim. c. 5.*

Totum ingenitum esse, & infinitum nihil prohibet, & ea, quæ in ipso sunt, esse terminata, & gigni, cum & principium generationis, & finem habeant. *Idem de Xenophon. Zen. Gor.*

Totum dicitur, cuius nulla partium abest, & quod naturaliter respicit partes, ex quibus est, vt continens contenta, ita vt illæ partes sunt vnum in illo toto, & hoc dupliciter, aut quia, vt vnumquodque vnum, aut ex his: vnum enim vniuersale, & quod taliter dicitur, vt aliquid vnum, est vniuersale, quasi multa continens, quia de quocumque prædicatur, & omnia sunt, & vnumquodque, vt homo, equus, quia omnia animalia. Continuum vero, & finitum, quum vnum aliquid ex pluribus est, quæ insunt maxime potestate, si autem, & actu, & magis sunt tota, quæ sũt natura, quam quæ arte. *Arist. 5. Metaph. c. 26.*

Totum dicitur de quanto habente principium, medium, & vltimum, quorum positio differẽtiam non facit, & quorum positio differentiam non facit, dicitur omne, & non totum: & quæ faciunt ambo, dicuntur omne, & totum diminutum dicitur quantũ, non quodlibet, sed partibile, & totum, & substantiam manere oportet, & quod sit partium similium: illa enim, quorum partiũ positio differentiam non facit, dici non possunt diminuta, nec omnia faciunt supra diminutionem. Sed continua esse oportet, & non omnem partem, sed extremitatem, & eam, quæ ablata est, a toto non generatur, denuo auferimus. *Arist. 5. Metaph. c. 26.*

Totum & pars an sint vnum, vel plura, considerandum est, & si plura, quomodo plura, & eadem ratio est de partibus non continuis. & si toti, vtraque est, vt indiuisibile, quia & ipsæ sibi ipsis. *Arist. Phys. 1. c. 3.*

Totum si esset vnum, vt esse indiuisibile, non erit, quantum, nec quale. *Idem ibid.*

Totum sequitur partes, quæ sunt secundum quantitatem, in paruitate, & magnitudine: ergo si compositum, est finitum, & partes sunt finitæ. *Idem ibid. 2.*

Totum est id, a quo nihil abest eorum, quæ ad propriam perfectionem, absolutamque plenitudinem requiruntur. *Thom. in 3. Phys. Text. 63.*

Totum & perfectum, aut eadem omnino sunt, aut cognatissimam significationem habent, nam totum vocamus facta ad partes relatione, perfectum ad finem relatione facta. *ibid.*

Totum & partes sunt idem & diuersa: idem vt totum partibus innititur, ac in ijs apte consistit: diuersa, vt partes per se esse, & intelligi possunt. *Psellus in 1. Phys.*

Totum & perfectum, extra quod est impossibile aliquid accipere, sunt synonyma. *Auer. in epit. Metaph. tract. 1.*

Totius opinio est triplex: *Prima*, quæ tenet, quod omne totum est generabile, & corruptibile, quando est finitum in indiuiduis. *Secunda*, quæ tenet, quod ex totis aliqua sunt æterna non habentia principium, & finem, ex eo, quod apparet de eis, quod sunt ex indiuiduis infinitis, & diuiditur in duas sectas, nam aliqui dicunt, quod talibus totis conuenit, cõtinuitas ex causa necessaria, vna numero. Si autem euenit eis, vt corrumpantur tempore infinito infinities, & hi sunt Philosophi, alij credunt, quod esse indiuidua eorum in infinitum sufficit, vt sint æterni, & hi sunt hæretici. *Auer. ex destruct. disp. 4.*

Totum non sequitur partes in mensura, nisi in partibus secundum quantitatem, quæ sunt in toto, in actu. *Auer. in 1. Phys. T. 38.*

Totum omne, & perfectum differunt. quia si est quantitas continua, dicitur totum, si discreta, omne, si in qualitate dicitur perfectum. *Auer. in 1. de cœl. T. 3.*

Totius locus, & partis non differt, nisi quod locus totius continet locum partis, videlicet partis, quæ in actu: partes enim potentia non sunt et vbi nec mobiles nisi potentia. *Idem ex paraphr. 7. de cœl. text....*

Totum dicitur, & quod cõtinuum est, vt corpus, & linea, & quod non est continuum, vt numerus, & quod vniuersale, vt homines, & quod ex quibusdam virtutibus constat, vt anima. *Boeth. de diuis.*

Totum ab eo, quod ipsum est, intelligentia separatur, quod illud quidem singulariter intelligitur, & hoc sub generis, & differentiarum enumeratione monstratur. *Idem in Topic. Cic. lib. 1.*

Totum & genus differt, quia genus vniuersale est, totum non vniuersale est. *ibid. lib. 3.*

Totum ac partes non tantum in substantia licet respicere, sed etiam in modo, in tempore, in quantitate, in loco, *Boeth. de diff. Top. lib. 2.*

Totum duplex explicite, totum in potentia, & in actu colligens, & sic definitio dicit totum esse, dicitur etiam totum, quod in se virtute habet totum, vt in causis formalibus vltimum continet omnia, quæ præcedunt, ex quibus fluit. *Alb. Mag. in prædic.*

Totum omne perfectum in naturalibus constituitur, ex partibus diuersis specie, & quod componitur ex partibus eiusdem speciei, est imperfectum in genere naturæ, vt aqua, & aer. *D. Thom. 2. Polit. lib. 1.*

Totum triplex: ante partes, in partibus, ex partibus. In partibus est natura totius, particulariter in partibus, & particulare recepta. Ex partibus vocatur totum, quod habet partem extra partem, & cuius natura non consistit in simplici esse, sed esse composito totius. Ante partes sparsim & diuisim ipsum habet, per modum vnius altiori modo. *Alex. de Alex. 5. Metaph. T. 20.*

Totum habet modum finis, & complementi: pars autem habet modum incomplementi, & finiri per totum. *Idem ibid. T. 29.*

Totum in partibus, ante partes, & post partes, & idea in totum ante partes. *Alex. de Alex. met. 7. T. 52.*

Totum duplex: aliud, cuius ratio est vnius rationis in toto, & parte, vt aer: aliud, cuius ratio totius, & partis est diuersa. *10. meth. T. 17.*

Totum duobus modis dicitur: vniuersale, & definibile. vniuersale est superius, respectu inferioris: definibile id vocatur, quod definitur. *Idem in præd. 17.*

Totum non est in partibus, nec in omnibus, nec in aliqua: si in omnibus necessario esset in vna, & cum in vna aliqua non sit: non amplius in omnib. esse poterit, si vero hoc vnum omnium est, totum vero in hoc non vno, quomodo adhuc in omnibus vnum erit, & si esset in aliquibus partibus, maius in minore esset, quod est impossibile. ergo vt sit nusquam, quatenus vnum totum est, in alio est, quatenus omnes partes est, in seipso est, & sic vnum in seipso, & in alio esse necesse est. *Plat. in Parmen.*

Totum ex multis est, cuius partes erunt partes, vnamquamque enim partem non multorum esse partem necesse est, sed totius. *Idem ibid.*

Totalitas omnis vel ante partes est, vel e partibus, vel in partibus. *Procl. eiu. Theol. prop. 67.*

Totum omne simul ens aliquod est, & particeps est entis, non omne autem totum est ens. *Idem ibid. prop. 63.*

Totum medium habet ordinem entis, & specierum, cui consequitur etiam ante species existere ens, & speciea entia esse. non tamen ens omne species est. *Idem ibid. prop. 74.*

Totum est perfectius, vbi partes sunt perfectiores. *Mars. Fic. in Plot. En. 4. lib. 3. c. 1.*

Totum est præstantius partibus. *Idem ibid.*

Totum est magis formale, vbi partes sunt magis formales. *Idem ibid.*

Totum quoduis naturale ex diuersis vel contrarijs constitutum, cuius ipsa forma totalis ab efficiente idealique causa potius, quam ab essentijs suis necessario pendet. *Idem in Plat. Parm. c. 85.*

Totum necessario refertur ad partem, & similiter pars ad totum, nec sine parte totum est reuera totum, nec pars seorsum a toto vlterius pars existit, itaque si inuicem vtrumque comparetur, neque idem, neque alterum reuera dici potest: non idem, quia totum maius est parte sua: non alterum, quia nec totum, nec pars seorsum per se subsistit, atque altera nominare solemus, seorsum subsistere iudicamus. *Idem ibid. c. 87.*

Totum est omne, quod factum est, ideo sublato toto, non potest fieri aliquod, aut esse factum, ideo cessat æterna essentia, & temporalis, quæ dicuntur generatio. *Idem in Plat. Soph. c. 26.*

ADAGIA.

Omnia frustra. πάντα χναύματα.

Dicebant olim, quoties omne negocium significabant. Zenodot.

Cum puluisculo.

Quoties omnia sic tolluntur, vt nihil fiat reliqui, ne puluis quidem. Metaphora initio sumpta ab ijs, qui frumentum ab area conuertunt non sine puluere.

Vna cum ipsis manipulis. αὐταῖς ἀμάλλαις.

Cum omnia funditus pereunt, vt ne gluma quidem sit reliqua. Germani dicunt: Es ist vveder Stumpff noch Stiel da vberblieben.

Vna cum templis & aris. ἅμα σὺν ναοῖς καὶ βωμοῖς.

Prouerbio vti solebant, quum nihil omnino prætermissum volebant significare.

Ruta cæsa.

Verba sunt peculiaria Iurisconsultis. Vtemur autem, cum significabimus,

sincle-

inclementius omnia tolli, neque qui quam fieri reliqui. Vide li. 9. Pand. leg. 18. Si rata.

Cum ramento.

Cum ramento reddidisse dicitur, qui totum reddidit, nulla ex parte decurtatum.

Et prædam, & præmium.

Quoties significabimus, omnino quippiam auferendum siue iure, siue iniuria, hoc adagio vtemur.

TRAGOEDIA.

PHILOSOPH. SENTENTIÆ.

TRagœdia ex omni poesi talis est, vt maxime populum delectet, & animos alliciat. *Plat. in Min.*

Tragœdia est imaginaria quædam hominum vita, vita hominum tragędia videtur esse verissima. *Mars. Fic. in ep. l. 5.*

Tragœdia omnis excludenda est ab optima ciuitate. *Fran. Patr. de repub. li. 2. c. 2.*

Tragœdiarum choris non sunt apta Sudorium, nec subphrygium cantandi genera, sed scenis apta sunt. *Arist. probl. sect. 19. nu. 46.*

Tragœdia diuersis mutationib. variata, quoad proprios numeros impleret, tandem quieuit, nam histrionum numeros ex vno in duos Aeschylus auxit, & quæ circa chorum sunt, imminuit, sermonemq. primarum partium instituit, quos Sophocles ipse cũ scenæ ornatu ad tertiam vsq. produxit. Ad hæc ad magnitudinem ab exiguis fabulis, & ab ridicula dictione satyris exclusis, ad grauem habitum prouecta, serio tandem quieuit, senariũq. metrum ex octonario adoptauit. *Arist. poet. c. ...*

Tragœdiæ similes est Epopęia, quia metrico sermone pręstantiũ imitatio est: deficit autem, quod simplici vtitur metro, quodq. enarratio est, longitudine præterea, in tragędiæ quidem spatio vnius solis, vel paulo plus minusve actio est: Epopęia nõ clauditur spatio temporis, & quæ sunt in hexametris partes in tragędijs esse oportet, non autem contra. *Arist. poet. c. 2.*

Tragœdiæ sex sunt partes: Fabula, Mores, Dictio, Sententia, Apparatus, Melodia. quarum duo ad ea pertinent, quibus imitamur, vna, ad id quo pacto imitamur, cæteræ tres ad ea, quæ imitamur, & horum maxima rerum constitutio. *Idem ibid.*

Tragœdia est imitatio actionis illustris, absolute magnitudinem habentis, sermone suaui. separatim singulis generibus in partibus agentibus, non per enarrationem, per misericordiam vero atq. terrorem, perturbationes huiuscemodi purgãs. Sermo suauis est, in quo numerus, harmonia, & melos inest, id vero genęris distinctum, cum metro tantum quædam absoluantur, quædam melodia. *Arist. poet. c. 3.*

Tragœdia est imitatio non hominis, sed actionis, atque vitæ, tum felicitatis, tum infelicitatis. Felicitatis enim actione pendet, & finis actio quædam est, non qualitas. *ibid. c. 4.*

Tragœdiæ pars maxime delectat animos mortalium, in qua est euentus in contrarium, & agnitionis sunt. *ibid.*

Tragœdiæ est principium, veluti anima, fabula: secundo vero loco mores: tertio sententia: quarto sermonum dictio. Melodia, ac apparatus non sunt proprie ipsius poeticæ. *ibid.*

Tragędiæ partes secundum quantitatem discretam sunt: Prologos, Episodium, Exodus, Choricum, & Chorici alterum habile, alterum mobile, & omnia hi communia sunt, propria vero, quę ad scenam pertinent, & commi. *Arist. poet. c. 9.*

Tragędiæ pulcherrimæ cõpositio non dẽt esse simplex, sed implexa, & terribilium, & miserabilium imitatrix: ideo nõ oportet bonos, & æquos viros, ex felicib. infelices factos, in scenã afferre, vt quod non habet miserandi, sed scelesti: & ab aduersa fortuna ad secundam prouectos prauos effingere: sed nec improbos ex secunda fortuna in aduersam lapsos: nam talis compositio, quæ alioqui humanitatem præ se ferre potest, miserandi, aut terrifici nihil habet. Vt enim immerentis misericordiam excitat, ita terror a simili incutitur, & idoneus est, qui intermedius talis est. Is autem erit, qui nec virtute, nec iustitia antecellat, minimeq. per vitium prauitatemq. in ipsam felicitatem lapsus fuerit, verum humano quodam errore, ex magna existimatione atque felicitate: vt Oedipus, & Thyestes. *Arist. in poet. c. 11. c. 273.*

Tragici actio aliquãdo fit, vt ab agnoscẽtib. vt Medeam necare filios: aliquãdo ab ignorãtib. vim facinoris, agnituris vero mox necessitudinẽ, vt Oedipus: aliquãdo pignora iã dẽre aliquẽ, hęc facinora patrare, sed inter patrandũ agnoscere. *Arist. in poet. c. 11.*

Tragędia vniuersa partim connexione, partim solutione continetur, quæ extra sunt, & quæ intra habentur, connexio continet, reliqua solutio: connexio est totum illud, quod a principio ad vltimum vsq. pertinet partem, ex qua mutatio fortunæ fit solutione a mutationis principio ad finem vsque. *Arist. in poet. c. 56.*

APOPHTHEOMATA.

Socrates, cum videret in imperio triginta tyrannorum multos summæ existimationis viros interfici, & locupletissimos quosq; grauissimis supplicijs per insidias circumueniri, dixisse fertur ad Antisthenem: nunquam pœnitet, quod in vita nihil magnum, neq. spectabile consecuti simus: quemadmodum videmus in tragœdia describi monarchas, Atreos illos & Thyestas, & Agamemnones, & Aegisthos: Nã illi obtruncati in tragędijs traduntur, & mala fercula cœnasse vbiq; produntur. Nemo vero poetarum eo progressus est audaciæ & impudentiæ, vt porcũ mactatum in Drama introducat. *Aelian. lib. 2. de var. histor.*

Gorgias dicebat, Tragœdiam esse deceptionem, qua qui alterum decepisset, & qui deceptus esset, sapientior foret eo, qui non esset deceptus. Fallit quippe tragędia, dum tractat rem fictam: sed adeo concinne, vt verissima esse videatur. Iustior autem videtur ille, qui fallendo hominibus prodest; & sapientior est, qui per fabulas confictas discit, quid turpe quidve sit honestum. *Plut. de audiendis poetis.*

Vide supra, Spectaculum.

TRANQVILLITAS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

TRanquillitas. Græce γαλήνη, ης & γαλήνη, ἥ, ὁ, ἡ, tranquillus dicitur. Hebr. *ScheKet*, à verbo *SchaKat*, quieuit sub scuto, id est secure, tutus & tranquillus fuit. Cognationem habet cũ *SchabaK*, stetit placidus & tranquillus, quod proprie de mari dicitur. Hinc lat. Scutum, & per aphæresin quietus. Tranquillitas omnium præstantissima, *1. Ioan. 3. 19.* De Tranquillitate animi Philosophi Christiani & Ethnici multa. Est autẽ tranquillitas quies maris, *sec. S. Tho. super lib. Metaph. 7. lect. 6. fin.*

Tranquillitas est, qua mites, ac sedati sunt animi ab omni perturbatione, sumpta à fluctibus translatione. Cuius contrarium est atrocitas, & fluctuatio.

POETICAE SENTENTIÆ.

Menander in Hydria.

Ἀγαθὸν τὸ μισοῦντι τοὺς φαύλους τρόπους
Ἐρημία, καὶ τῷ μελετῶντι μηδὲ ἓν
Πονηρὸν ἱκανὸν κτῆμ' ἀγρὸς τρέφων καλῶς.
Ἐκ τῶν ὄχλων δὲ ζῆλος, ἥ τε κατὰ πόλιν.
Αὕτη τρυφὴ λαμπρὰ μὲν ἐς δ' ὀλίγον χρόνον.
Quam iucunda res est ei, qui malos mores odit,
Solitudo: & cogitanti nihil
Mali, satis magna possessio est ager bene nutriens.
Cæterum æmulatio vulgi, & vrbana
Voluptas splendida quidem est, sed breue tempus durat.

Pindarus in hymnis.

Communem ciuium statum aliquis in tranquillitate situ relinquens,
Diligenter inquiras per mentem quietis
Sacrum lumen, seditionem à pectore
Tollens paupertatis causam,
Liberorum educationi infensam.

Cereides in Hemiamidis.

Τὸ ταῖς ῥινοῖς χελώνας ...
Οἶκος γὰρ ἄριστος ἀληθῶς καὶ φίλος.
Immemor huius dicti rugosæ testudinis.
Vere enim domus clara est, & optima.

Bion in Bucolicis.

Ignoro, neque enim conuenit quæ didicimus, agere,
Sepulchra mea carmina sunt, vel illa sola,
Gloriam mihi adferent, quã iam antea fatum mihi dedit.
Sin illa non probantur, quid est, quod amplius laborem?
Nam si nobis viuendi duo tempora dedisset
Siue Iupiter, siue Parca versuta, ita vt ageretur,
Alterum cum lætitia & gaudio, alterum cum labore.
Liceret post labores aliquando bonis frui.
Si vero dij vnum duntaxat tempus viuendi annuerunt
Hominibus, idque breue & perquam angustum:
Quamdiu vah miseri labores, & opera insumimus?
Quousq; ne animum ad lucra & artes
Applicamus, semper desiderando multo maiores opes?
Omnes sane obliti sumus mortales non esse natos,
Et breue tempus fato nobis concessum.

Apollinus ad Dionys.

Καλὸν ἐστὶν παθεῖν διδαχθῆναι πηλίκον ἐστὶν ἡσυχία.
Pulchrum autem aliud accepisse cognoscere quantum bonum sit quies

Aeschilus in vinculis Promethei.

Τὰ μηδὲν ὠφελοῦντα μὴ πόνει μάτην.
In rebus inutilibus noli frustra laborare.

PHILOSOPHICAE SENTENTIÆ.

Commodissima est tranquillitas, cum ad alia, cum ad scientiam, & prudentiæ exercitationem: non cauponariam & forensem dico, sed magnam illam, quæ Deo similem reddit sui participem. Exercitia. n. quæ in ciuitatibus, & inter hominum turbas fiunt,

dicendi

dicendi facultatem acriorem, quæ nihil aliud est, quam calliditas, augent: Ita, vt qui in ipsa excellunt, vrbanis negotijs, veluti a coquis, fartori, & variari, ministeria quæuis absurda obeant. Solitudo aūt gymnasiū existens sapientiæ, bene instituit mores, format & dirigit hominū animos. Nihil.n. impedimenti habēt, quo minus promoueant: neq; ad leges multas & paruas offendentes à rectitudine inflectuntur, vt animi ciuitatibus inclusi, sed in aere puro, & vt plurimum extra hominum consuetudinē agentes, in rectū surgunt, & pennas producunt, limpidissimo & leuissimo liquore tranquillitatis irrigati, in quo diuiniores mentis disciplinæ, & puriores conspiciūtur. Hanc ob cām Deorum quoq; delubra antiquitus cōsecrata, in locis maxime solitarijs primi hoies constituerunt, vt in primis Musarū, Panis, Nympharum, Apollinis, & omnium, qui Musicæ præfecti sunt dij: vtpote separantes disciplinas à molestis & netarijs quibusdā rerum vrbanarum negotijs. *Plut. in lib. de Tranquillitate.*

Ille, qui dixit, ad vitam tranquille agendam non multum agere oportere, nec priuatim, nec publice, hic primo magno nobis parabilem animi tranquillitatem facit, vtpote inertia venalem, & tanquam ægrotorum vnumquemq; hortans versu illo tragico

Mene ἐν τᾶ λεκτροῖς ἀτρέμας τοῖς ἐν δεμνίοις.

Mane misello tum in lectis immotus. Idem in opere eodem.

In somnis visus est Stilponi Philosopho Neptunus iratus, quod non immolasset Hecatomben, quemadmodum mos erat. At Philosophus hoc viso nihil perturbatus respondit: Quid ais, Neptune? Itane veluti puer huc venisti cum tua querimonia, quod pecunia mutuo sumpta non expleuerim nidore ciuitatem? Atqui pro rei familiaris modulo sacrificaui ubi aquas aliquot. Ad hæc arridens Neptunus, visus est illi porrecta dextera, dixisse: In tuam gratiam ingentem aquarum prouentum largiar ciuitati Megarensium. Quod & euenisse tradunt.

Tranquillitatis amantes diu non possunt esse salui, nisi simul, vbi opus est, sint fortes & acres in repellēdis hostib. *Thucyd. lib. 2.*

Regnantis est gloria subiectorum ociosa tranquillitas. *Cassiod. lib. 2. epist. 29.*

Vide Senecam philosoph. in lib. de tranquillitate animi, & quod in sapientem non cadat iniuria.

Demetrius Antigoni filius, cum Megaram cepisset, iussit Stilponis domum seruari indemnem. Admonitus igitur Stilpo, vt libellum daret rerum omnium, quas amisisset: Ergo, inquit, nihil bonorum meorum amisi, nam eruditio & eloquētia mihi sunt incolumes, quod hæc vere sunt οἰκεῖα, hoc est, domestica propriaque bona. *P. M. lib. 7. apopht.*

Quum noxium est medicamentum corpori sepulta illa segnities, sum nihil melius, animæ medicus est ægritudinis & turbulentiæ torpor & mollitia, socordiaque amicorum necessariorum, patriæque desertrix. itaq; ne Epicurus quidem hominibus ambitiosis auidisq; gloriæ, vt se otio dedant, autor est: sed vt ad gerendam Remp. natura duce accedant: tales.n. nequaquā æquo animo turbidoque laturos, se ea re orbatos esse, quam imprimis concupierint. *Plut. in lib. de anim. tranquill.*

A p o p h t h e g m a t a.

Socrates interrogatus, qui sine perturbatione viuerent? Qui, inquit, nil sibi consciunt mali. *Ant. in Meliss. part. 2. serm. 77.*

Bion percontanti, quis esset maxime anxius? Qui in maximis, inquit, rebus cupit esse fortunatus. Is enim mille curis distorquetur, vt assequatur ardua, & assequutus æque torquetur, ne amittat. *Laert. lib. 4. c. 7.*

Crates dicebat, se pro patria habere gloriæ neglectum, & paupertatem, in quæ nullum ius haberet fortuna. Aiebat item, se Diogenis ciuem esse, qui nullis inuidiæ pateba insidijs. Opes enim ac nominis splendor conciliant inuidiam. *Laert. lib. 6.*

Democritus, Tranquillum futurum non multa agere oportet, inquit, neque priuatim, neq; publice: nec omnia, quæ adsuerint, supra facultatem & naturam suam sibi sumere: sed tantam sui curam habere, vt quamuis præsentem fortunam, & quicquid opinio desiderat, suppeditaturam, declinet, ac non plura assumat, quam quibus ferendo est. Malis enim commoditas tutior est, quam eius magnitudo. *Stob. serm. 101.*

Aristippus, validissimis argumentis & sermonibus vsus, hortabatur, neque de præteritis curam postea suscipiendam, neque de futuris antea. Id enim animi bene constituti signum esse, & hilaris cogitationis argumentum. Iubebat autem in diem animum intendere: & diei illam solummodo partem, qua quisq; quid ageret, aut cogitaret. Solum enim aiebat præsens in nostra manu positum non præteritum, neque instans. Illud.n. abijsse, hoc an euenturum sit, incertum esse. *Aelian. lib. 14. de var. hist.*

Diogenes illud dixisse fertur. Quod fortunæ apponeret animi fiduciam, legi naturam, affectibus rationem, eo quod his tribus pareretur, & seruetur hominum tranquillitas. *Laer. lib. 6.*

Phocion dicere solebat, Multo satius esse humi cubantem viuere, ac bono quietoue animo esse, quam perturbatum in aureo lecto. *Stob. serm. de prudentia.*

Vides Quies, Securitas.

T R E M O R.

P h i l o s o p h. S e n t e n t i æ.

Tremor excitatus ob inopiam caloris non cuiusque, sed proprij. *Arist. probl. sect. 3. num. 25.*

Tremor fit, cum mouens quoque rem nequit superare, quam mouet. *ibid.*

Tremor fit, quum pondus membrorum corporis trahit deorsum: animæ autem vis trahit sursum, & id vicissim agitur. *Alex. Aphr. probl. 5. nu. 18.*

Tremuli homines, cur cum bibunt circumferri solent? quia vini calor immodicus neruos subit, & spiritum contentum in his perturbat, qui ea sede cerebri ducitur. *Idem probl. 7. n. 109.*

Tremor in nobis post vrinam fit, quia aer frigidus ingreditur per vrinæ vias in interiora. *D. Th. in 2. met. li. 33.*

Trepidantes facie non sudant, sed erubescunt, quoniam amplius incalescunt: itaque faciem calor siccat extrana per summa. *Arist. probl. sect. 2. n. 27.*

Trepidatio est motus super re inchoanda, *Idem ibid. n. 31.*

Trepidantes facie pallent, pedibus sollicitantur, & palpitant, sese quodammodo exercent, manus perfricare assolent, & se modo extendunt, modo inflectunt, & sæpe exiliunt, & nunquam quiescunt. *ibid.*

Trepidatio est pudor, & quos pudet, ij erubescunt, quia calor superiorem partem petit. *Prob. sect. 11. n. 53.*

Tremor, & rigor in corpore oritur, cum humores, qui in corpore sunt grandiores, minores capessunt, & in eorum sedes subire nequeuntes humiditatem nostram impellentes ex inæquali, & mobili, immobilem propter planiciem, & æqualitatem, & protrusionem efficientes congelant, hoc, dum præter naturam congelatur, repugnat, secundum naturam ipsos in contrariam sibi partem depellens, quia pugna, & concussione fit tremor, & rigor. *Plat. in Tim.*

Tremor, & rigor contingit, vbi spiritus, dum in angustum a frigore coguntur, iterum se dilatare nititur. *Mar. Ficin. in Plato. Timaeum, c. 54.*

Tremorem, & rigorem idem esse Plato affirmat, & male, nō enim vnius membri est tremor, & rigor. nec trementibus, vt his, qui rigent, est sensus frigoris. est & rigentium motus penitus inuoluntarius, trementibus autem sine voluntate nunquam. *Iac. Carp. in Alcid. c. 15.*

E x e m p l a B i b l i c a.

Tremoris *exempla*: Ciues Bethel, *Gen.* 35. 3. fratres Ioseph, 45. 3. Moab. *Exod.* 15. *v.* 15. 16. ciues Ierichuntini, *Ios.* 2. *v.* 9. 10. 11. reges Amorrhæorum, 5, 1. Gabaonitæ, 9. 24. Sisara, *Iud.* 4. 15. Philisthæi, 1. *Sam.* 7. 10. Agog. 15. *v.* 32. 33. Syri, 2. *Reg.* 7. 6. Gentes, 1. *Par.* 14. 17. nationes omnes, 17. 21. Ieroboam 2. *Par.* 13. 15. Aethiopes, 14. *v.* 12. 14. regno Iuda vicina regna, 17. 10. *&* 20. 29. viri Iuda, & Beniamin, 1. *Esd.* 10. 9. inimici Israelitarum: *Nehem.* 6. 16. principes Assyriorum, & omnis exercitus, *Iud.* 14. 17. Persæ, & Medi. *Esth.* 8. 17. *&* 9. 2. Iob, *Iob* 4. *v.* 13. 14. *&* 21. *v.* 5. 6. Ecclesiæ inimici. *Ps.* 43. 7. *&* 65. 9. *&* 76. *v.* 6. 8. Aegyptij *Ps.* 105. 38. Hypocritæ, *Esa.* 33. 14. Israelitæ, *Ier.* 30. *v.* 56. Aegyptij, 46. 5. Ammonitæ, 49. 5. Elamitæ *v.* 37. Daniel & alij quidam, *Dan.* 14. *v.* 7. 11. populus Iudaicus, 1. *Mach.* 7. 18. custodes sepulchri Christi. *Matt.* 28. 4. mulier quędam. *Mar.* 5. 33. Maria Magdalena, &c. *Marc.* 16. 8. discipuli, *Luc.* 24. 22. Moyses, *Act.* 7. *v.* 31. 32. Paulus, 9. 6. 1. *Cor.* 2. 3. custos carceris, *Act.* 16. 29. Felix, 24. 26. Corinthij. 2. *Cor.* 7. 15. Tremor impijs, & peccatorib. immittitur, *Exo.* 23. 27. *Deu.* 2. 25. *&* 11. 25. *Ps.* 14. 35. 55. 119.

Vide Metus, Timor, Formido, Terror.

T R I B V L A T I O.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Tribulatio, Græc. θλῖψις & συμφορὰ δεινὴ dicitur. Est idem quod calamitas aduersitatis. Hebr. *Lachas*, a verbo *Lachats*, pressit, oppressit. Cognationem habet eum *tilots*, molestauit. Dicitur etiam *Tsarah*, a verbo *Tsarar*, angustauit, afflixit, constrinxit, tribulauit, colligauit coarctando, & angustum stringendo. *Metsar.* etiam tribulatio dicitur, ab eodem verbo deriuata. Vide *Ps.* 116. 3. *&* 118. 5.

Tribulatio a tribulo venit. Est enim tribulus, herba pungitiua. *sec. B. Th. sup. Ps.* 3. *col.* 2.

Tribula etiam sunt genus vehiculi, quo teruntur frumenta.

Virg.

Tribulaque, traheæque, & iniquo pondere rastri.

DIVI-

DIVISIO.

TRIBULATIO, propter quinque scilicet.
- Vt Christus glorificetur. Exemplum caeci a natiuitate, Ioan. cap. 9.
- Vt meritum ei cumuletur. Exemplum Iob c. 2. In omnibus his non peccauit &c.
- Vt fastus non dominetur. Exemplum Pauli 2. ad Cor. 12. Ne magnitudo reuelationum, &c.
- Vt poenis culpa expietur. Exemplum Mariae leprosae. Num. 12. cap.
- Vt dupliciter crucietur. Exemplum Herodis Ascalonitae. Act. c. 12.

LOCI BIBLICI.

Tribulationis eiusq. vtilitatis, *Exempla*. Ioseph plus creuit in exilio, in terra paupertatis, quam in terra natiuitatis suae creuisset, *Gen.* 41. 40. *Ps.* 105. *v.* 17. 18. 19. 1. *Mach.* 2. 53, *Act.* 7. *v.* 9. 10. Israelitae afflicti a serpentibus igniitis, poenitentiam agunt. *Num.* 21. *v.* 6. 7. Dauid fugiens a facie Absalonis patiens fuit in ferendis Semei conuitijs, 2. *Sam.* 16. 10. sed post obtentam victoriam superbe populum recensendum curauit, 24. 1. & videns Dominũ iratum, petit se puniri, & populo parci, *v.* 17. Michaeas, 1. *Re.* 22. *v.* 26. 27. principes Israel, 2. *Par.* 12. *v.* 5. 6. 7. Manasses, 33. *v.* 12. 13. Israelitae, *Neh.* 9. *v.* 35. 36. 38. Tobias excaecatus, & derisus, *Tob.* 2. *v.* 11. 12. tandem consolationem accipit, 11. *v.* 10. *&c.* Iob multipliciter vexatus, & afflictus a Sabaeis, *Iob* 1. 15. igne caelitus demisso, *v.* 16. Chaldaeis, *v.* 16. Satana, *v.* 18. *&* 2. 7. coniuge, *v.* 9. *&c.* eandẽ refrigerium malorum sentit, & liberatur. *Iob* 42. 12 *&c.* Ieremias in vtero sanctificatus. *Ier.* 1. 5. tamen vae clamat sibi ipsi, 15. 10. Nabuchodonosor in prosperitate constitutus, fuit superbus, & arrogans, sed eiectus a consortio hominum, oculos ad caelum leuat, & benedicit Deo, *Dan.* 4. 31. *&c.* Susanna in condemnatione mortis posita flens suspicit ad caelum, 13. 42. Israelitae, 1. *Mach.* 9. *v.* 13. 24. 2. *Mach.* 5. *v.* 12. Apostoli, *Act.* 5. 40. Ecclesia, 8. 1. Paulus, & Silas, *Act.* 16. *v.* 19 20. Paulus, 9. *v.* 23. 24. 25. 2. *Cor.* 11. *v.* 32. 33. *Act.* 13. *v.* 45. 49. 50. *&* 14. 19. *&* 17. *v.* 5. 18. *v.* 4. 12. *&* 19. *v.* 23. *&c. &* 20. *v.* 1. 2. 3. *&* 21. 16. *&c.* 22. 22. 23. 10. *&c.* 25. 1. *&c.* 27. 39. *&c.* 2. *Cor.* 1. 8. *&* 6. *v.* 4. 5. *&* 7. *v.* 22. 24. 25.

SENTENTIAE BIBLICAE.

Merito haec patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum (Christum) videntes angustias animae illius, dum nos precaretur, non audiuimus, idcirco venit haec afflictio super nos. *Gen.* 42.

Quanto magis opprimebant eos, tanto magis multiplicabantur, & crescebant. *Exo.* 1.

Omne, quod potest transire per flammas, igne purgabitur. *Nu.* 31.

Conuenerunt ad Dauid (Christum) omnes, qui erant in angustia constituti, & oppressi aere alieno (a Diabolo) & amaro animo, & factus est eorum princeps. 1. *Reg.* 22.

Tempore angustiae suae auxit Achaz contemptum in Dominum. 2. *Par.* 28.

Cum requieuissent, reuersi sunt, vt facerent malum in conspectu Domini. *Nehem* 9.

In tempore tribulationis suae clamauerunt ad Dominum. *ibid.*

Benedictum est nomen tuum Deus patrum nostrorum, qui cum iratus fueris, misericordiam facies, & in tempore tribulationis peccata dimittes his, qui inuocant te. *Tob.* 3.

Hoc habet pro certo omnis, qui colit te, quod vita eius, si in probatione fuerit, coronabitur. si autem in tribulatione fuerit, liberabitur. *ibid.*

Post tempestatem tranquillum facis, & post lachrimationem, & fletum exultationem infundis. *ibid.*

Tu Domine flagellas & saluas, deducis ad inferos, & reducis. 13.

Ipse castigauit nos propter iniquitates nostras: & ipse saluabit nos, propter misericordiam suam. *ibid.*

In tuo flagello vindica iniquitates nostras. *Iud.* 7.

Non vlciscamur nos pro his, quae patimur: sed reputantes peccatis nostris haec ipsa supplicia minora esse flagella Domini, quibus quasi serui corripimur, ad emendationem, & non ad perditionem euenisse credamus 8.

Si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non sustineamus? *Iob* 1.

Nemo loquebatur ei verbum: videbant enim dolorem esse vehementem. *ibid.*

Homo nascitur ad laborem, & auis ad volatum. 7.

Beatus homo, qui corripitur a Deo: increpationem ergo Domini ne reprobes, quia ipse vulnerat, & medetur: percutit, & manus eius sanabunt. *ibid.*

In sex tribulationibus liberauit te, & in septima non tanget te malum. *ibid.*

Sagittae Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum, 6.

Auferas a me virgam suam, & pauor eius non me terreat, 9.

Domus illorum securae sunt & pacatae, & non est virga Dei super eos. 21.

Ipse probabit me quasi aurum, quod per ignem transit. 22.

Consumpta est caro eius à supplicijs, reuertatur ad dies adolescentiae suae. 33.

In tribulatione dilatasti mihi. *Ps.* 4.

Posteaquam multiplicatae sunt infirmitates eorum, accelerauerunt. 15.

Probasti cor meum, & visitasti nocte: igne me examinasti, & non est inuenta in me iniquitas. 16.

Disciplina tua correxit me in finem. 17.

Tu es refugium meum à tribulatione, quae circumdedit me. 31.

Iuxta est Dominus his, qui tribulato sunt corde: & humiles spiritu saluabit. 34.

Multae tribulationes iustorum. *ibid.*

Inuoca me in die tribulationis, & eruam te, & honorificabis me. 50.

Posuisti tribulationes in dorso nostro. 66.

Transiuimus per ignem & aquam. *ibid.*

Cum ipso sum in tribulatione. 91.

Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuae laetificauerunt animam meam. 94.

Bonum mihi, quia humiliasti me. 119.

Disciplinam Domini ne abijcias fili mi, nec deficias: cum ab eo corriperis: quem enim diligit Dominus, corripit, & quasi pater in filio complacet sibi. *Prou.* 3.

Sicut igne probatur argentum & aurum in camino, ita corda probat Dominus. 17.

De carcere catenisque interdum ingreditur quis ad regnum: & alius natus in regno inopia consumitur. *Eccl.* 4.

Curatio cessare faciet peccata maxima, 10.

In paucis vexati in multis bene disponentur, quoniam Deus tentauit eos, & inuenit eos dignos se. Tanquam aurum in fornace probauit illos, & quasi holocausti hostiam accepit illos, & in tempore erit respectus eorum. *Sap.* 3.

Hos quidem tanquam pater monens probasti: illos autem tanquam rex durus interrogans condemnasti, 11.

Cum audirent per sua tormenta bene secum agi, commemorati sunt Dominum, admirantes in finem exitus. *ibid.*

Cum das nobis disciplinam, inimicos nostros multipliciter flagellas, vt bonitatem tuam cogitemus. 12.

Ad correptionem in breui turbati sunt, signum habentes salutis ad commemorationem mandati legis tuae. 16.

Omne, quod tibi applicatum fuerit, accipe, & in dolore sustine, & in humilitate tua patientiam habe: quoniam in igne probatur aurum & argentum, homines vero receptibiles in camino humiliationis. *Eccl.* 2.

Quoniam pius & misericors est Dominus, & remittit in die tribulationis peccata. *ibid.*

Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis. 27.

Infirmitas grauis sobriam facit animam. 31.

Speciosa Dei misericordia in tempore tribulationis, quasi nubes pluuiae in tempore siccitatis. 35.

Defecit sufflatorium, in igne consumptum est plumbum, frustra conflauit conflator: malitiae eorum non sunt consumptae. Argentum reprobum vocate eos: quia Dominus proiecit illos. *Ierem.* 6.

Ecce ego conflabo, & probabo eos. 9.

Ecce in ciuitate, in qua inuocatum est nomen meum, ego incipio affligere, & vos quasi innocentes & immunes eritis.

Castigabo te in iudicio, vt non videaris tibi innoxius. 30.

Castigasti me Domine, & eruditus sum, quasi iuuenculus indomitus. 31.

Castigabo te in iudicio, nec quasi innocenti parcam tibi. 46.

Ecce, quibus non erat iudicium, vt biberent calicem, bibentes bibent: & tu quasi innocens relinqueris: non eris innocens, sed bibens bibes. 49.

Anima in angustijs, & spiritus anxius clamat ad te, audi Domine, & miserere. *Bar.* 3.

Omnes isti aes, & stannum, & ferrum, & plumbum in medio fornacis, scoria argenti facti sunt. *Ezech.* 22.

Multo labore sudatũ est, & non exiuit de ea nimia rubigo eius, neque per ignem. 24.

Eligentur & dealbabuntur, & quasi nix probabuntur multi: *Dan.* 12.

Sepiam viam tuam spinis (ad malum) & sepiam eam maceria, & semitas suas non inueniet. *Osea* 2.

In tribulatione sua mane consurgent ad me: Venite, & reuertamur ad Dominum, quia ipse cepit & sanabit nos. 6.

Funiculis hominum trahebam eos, & funibus dilectionis, & fui eis, vt quispiam qui leuat iugum sub maxilla eorum, & inclinaui ad eos cibum. 11.

Cũ angustiaretur in me aĩa mea, Domini recordatus sum. *Ion.* 2.

Dominus

Dominus in tempestate, & in turpitudine viæ eius, & nebulæ pul- uis pedum eius. *Nahum* 1.

Bonus Dominus & confortans in die tribulationis, & in dilu- uio prætereunt consummationem faciet loci illius. *ibid.*

Non consurget duplex tribulatio. *ibid.*

Afflixi te, & non affligam te vltra. *ibid.*

Vram eos, sicut vritur argentum: probabo eos, sicut probatur au- rum. *Zach.* 13.

Percussi vos vento vrente, & ærugine, & grandine omnia opera manuum vestrarum, & non fuit in vobis, qui reuerteretur ad me, dicit Dominus. *Aggai* 2.

Ipse enim quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum, & sede- bit conflans & emundans argentum, & purgabit filios Leui, & colabit eos quasi argentum. *Malach.* 3.

Ioseph in tempore angustiæ suæ custodiuit mandatum, & fa- ctus est dominus Aegypti. 1. *Mach.* 2.

Multo tempore non sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim vltiones adhibere, magni beneficij est indicium. Non. n. sicut in alijs nationibus Dominus patienter expectat, vt eas, cũ dies iudicij venerit, in plenitudine peccatorum puniat: ita & in nobis statuit, vt peccatis nostris in finem deuolutis, ita demum in nos vindicet. 2. *Mach.* 6.

Corripiens in aduersis populum suum, non derelinquit. *ibid.*

Tu scelestissime in præsenti vita nos perdis, sed ille Rector mundi nos pro suis legibus morientes ad æternam vitam denuo susci- tabit. 7.

Nos propter nosmetipsos hæc patimur, peccantes in Deum no- strum, & digna admiratione facta sunt in nobis: tu autem ne putes tibi impune futurum, quoniam contra Deum pugnare tentaueris. *ibid.*

Cœpit Antiochus à graui superbia deductus ad agnitionem sui venire, diuina admonitus plaga. 9.

Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. *Matth.* 5.

Si quis te percusserit in dexteram maxillã, præbe ei & alterã. *ibid.*

Qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam. 10.

Ego hic fame pereo: surgam igitur, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater, peccaui in cœlum & coram te: iam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut vnum de mercenarijs tuis. *Luca* 15.

Tradent vos in tribulationem, & occident vos, & eritis odio om- nibus gentibus propter nomen meum. *Matth.* 24.

Nonne oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? *Luca* 24.

Neque hic peccauit, neque parentes eius, sed vt manifestentur ope- ra Dei in illo. *Ioan* 9.

Omnem palmitem, qui fert fructum, purgabit vt fructum copio- siorem afferat. 15.

Venit hora, vt omnis, qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. 16.

Tristitia vestra vertetur in gaudium. *ibid.*

Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora eius: cum au- tem peperit puerum, iam non meminit pressuræ propter gau- dium: quia natus est homo in mundum. *ibid.*

Gloriamur in tribulationibus, scientes, quia tribulatio patiẽtiam operatur. *Rom.* 5.

Hæredes quidem Dei sumus, cohæredes autem Christi: si tamen compatimur, vt & conglorificemur. *ibid.* 8.

Existimo, quod non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. *ibid.*

Ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei. *ibid.*

Scimus enim, quod omnis creatura ingemiscit, & parturit vsque adhuc. *ibid.*

Quis nos separabit a charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an persecutio? an periculum? an gladius? *ibi.*

Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neq. prin cipatus, neque vlla creatura alia poterit nos separare a dilectio ne Dei. *ibid.*

In tribulatione patientes. *Rom.* 12.

Vsque in hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & laboramus operantes manibus nostris. 1. *Corinth.* 4.

Maledicimur, & benedicimus: persecutionem patimur, & sustine- mus. *ibid.*

Benedictus Deus, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra. 2. *Cor.* 1.

Sicut abundant passiones Christi in nobis, Ita & per Christum abundat consolatio nostra.

Sicut socij passionum estis, sic eritis & consolationis. *ibid.*

In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur: oppe- rimur, sed non destruimur: persecutionem patimur, sed non derelinquimur: deijcimur, sed non perimus: semper mortifi- cationem Iesu Christi in corpore nostro circumferentes, vt & vita Iesu manifestetur in corporibus nostris. 4.

Id quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis no- stræ: supra modum in sublimitate, æternum gloriæ pondus ope ratur in nobis. *ibid.*

Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribula- tione vestra. 7.

In multo experimento tribulationis abundantia gaudij ipsorum fuit. 8.

Sustinetis, si quis vos in seruitutem redigit, si quis deuorat, si quis accipit, si quis extollitur, si quis in faciem vos cædit. 11.

In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter. *ibid.*

In labore, in ærumna, in vigilijs multis, in frigore, & nuditate. *ibid.*

Virtus in infirmitate perficitur. Libenter igitur gloriabor in infir- mitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi. 12.

Placeo mihi in infirmitatibus meis, & in contumelijs, in necessita- tibus, in persecutionibus, in angustijs pro Christo. *ibid.*

Quomodo tunc is, qui secundum carnem natus fuerat, persequeba tur eum, qui secundum spiritum, ita & nunc (malus bonus.) *Gal.* 4.

Donatum est vobis pro Christo nõ solum, vt in eum credatis, sed vt & pro illo patiamini. *Phil.* 1.

Gaudeo in passionibus meis pro vobis, & adimpleo quæ desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore eius, quod est Ec- clesia. *Col.* 1.

Gloriamur pro vobis in Ecclesijs Dei, pro patientia vestra in o- mnibus persecutionibus, & tribulationibus, quas sustinetis, vt digni habeamini in regno Dei, pro quo & patimini. 2. *Thes.* 1.

Si commortui sumus, & conuiuemus: si sustinemus, & conregna- bimus. 2. *Tim.* 2.

Omnes, qui pie volunt viuere in Christo Iesu, persecutionem pa- tientur. 3.

Videmus Iesum per passionem mortis gloria, & honore corona- tum (& martyres.) *Hebr.* 2.

Et quidem quum esset Filius Dei, didicit ex ijs, quæ passus est, obe- dientiam 5.

Alij ludibria, & verbera experti, insuper, & vincula, & carceres: lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt. 11.

Egentes, angustiati, afflicti, quib. dignus non erat mundus. *ibid.*

Omnis disciplina in præsenti quidem videtur non esse gaudij, sed mœroris. Postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet iustitiæ. 12.

Quod si extra disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes: ergo adulteri, & non filij estis. Per multas tribulationes opor- tet nos intrare in regnum Dei. *Act.* 14.

Vincula, & tribulationes me manent Ierosolymis. Sed nihil ho- rum vereor, nec facio animam meam pretiosiorem, quam me, dummodo consummem cursum meum, & ministerium verbi, quod accepi a Domino Iesu. 20.

Ego non solum alligari, sed & mori in Ierusalem paratus sum no- mine Domini nostri Iesu Christi. 21.

Omne gaudium existimate fratres mei, cum in varias tentationes incideritis, scientes, quod probatio fidei vestræ patientiam ope ratur. Patientia autem opus perfectum habet. *Iacob.* 1.

Beatus vir, qui suffert tentationem: quoniam cum probatus fue- rit, accipiet coronam, quam repromisit Deus diligentibus se. *ib.*

In quo exultabitis, modicum nunc si oportet contristari in varijs tentationibus, vt probatio fidei vestræ multo pretiosior auro, quod per ignem probatur, inueniatur in laudem, & honorem in reuelationem Iesu Christi. 1. *Pet.* 1.

Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt se- quamini vestigia eius. 2.

Si quid patimini propter iustitiam, beati. 3.

Melius est benefacientes, si velit voluntas Dei pati, quam malefa- cientes. *ibid.*

Christo in carne passo, & vos eadem cogitatione armamini. 4.

Communicantes Christi passionibus, gaudete, vt in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes. *ibid.*

Tempus est, vt incipiat iudicium a domo Dei. Si autem primum a nobis, quis finis eorum, qui non credunt Dei Euangelio? *ibid.*

In Christo Iesu modicum passus ipse perficiet, confirmabit, solida bitque. 5.

Nouit Deus pios de tentatione eripere, iniquos vero in diem iudi cij reseruare cruciandos. 2. *Pet.* 2.

Ego Ioannes frater vester, & particeps in tribulatione, & regno, & patientia in Christo Iesu. *Apoc.* 1.

Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna. 7.

Non dilexerunt animas suas vsque ad mortem. 12.

Santentiae Patrum.

Intelligat homo medicum esse Deum, & tribulationem medica- mentum esse ad salutem, non pœnam ad damnationem, sub me dicamento positus vreris, secaris, clamas: non audit medicus ad voluntatem, sed audit ad sanitatem. *Aug. sup. Ps.* 21.

In fornace ardet palea,& purgatur aurum. Illa in cinerem vertitur,& illud sordibus exuitur: fornax mundus,aurum iusti,ignis tribulatio,artifex Deus.Quod vult ergo artifex,facio: vbi ponit me artifex,tolero. Iubeor ergo tolerare,nouit ille purgare. Ardeat licet palea ad incendendũ me,& ad consumendã me,illa quasi in cinerem vertitur,vt ego sordibus caream. *sup. Ps.60.*

Nullus seruus Christi sine tribulatione est.Si putas te non habere persecutiones, nondum cœpisti esse Christianus. *in quod. serm.*

Si promissa patris bene agnouisti,non timeas flagellari,sed exhæredari. *in Ps.*

Flagellum interius,& exterius glorificat. Peccatorem compellit nolentem,erudit ignorantem,custodit currentem, protegit infirmantem,excitat torpentem , humiliat superbientem, purgat pœnitentem,coronat innocentem , initiat ad mortem semper viuentem. *ibid.*

Quod te Dominus permisit pati,flagellum contigentis est,non pœna damnantis. Ad hæreditatem sempiternam erudimur,& flagellari dedignamur. *in Ioan.*

Non facile inueniuntur in aduersitate præsidia , quæ non fuerunt in pace quæsita. *in epist.*

Quanto in hoc seculo persecutionibus, paupertate, inimicorum potentia , vel morborum crudelitate fuerimus afflicti,tãto post resurrectionem in futuro maiora præmia consequemur. *in epist. ad Cypr.*

Plerunque postquam in hoc mundo nõ possumus obtinere, quod volumus,postquam in terrenis desiderijs de impossibilitate lassamur , tunc mentem ad Deum reducimus , tum placere incipit , quod displiceat,& quæ nobis amara fuerant, præcepta repente dulcescunt in memoria , peccatrix anima , quæ adultera conata esse non poterit,decernit esse fideliter coniunx. Qui ergo huius mundi aduersitatibus fracti ad Dei amorem redeũt, atque a præsentis vitæ desiderijs corriguntur : qui isti , fratres charissimi, nisi vt intrent compelluntur ? *Gregor. in homil. super Euang.*

Tanto spes in Deo solidior surgit,quanto pro illo quisque grauiora pertulerit:quia nequaquam retributionis gaudium de æternitate colligitur , quod non hic prius pia tribulatione seminatur. *in Mor.*

Omnipotens electorum suorum aduersarios temporaliter permittit excrescere , vt per malorum sæuitiam purgetur vita bonorum . Nunquam quippe Dominus aduersarijs bonis permittet, nisi inquantum prodesse viderit. Nam dum iniusti sæuiunt,iusti purgantur,& vtilitati innocentium militat vita prauorum,dum hanc , & premendo humiliat, & humiliando semper ad melius format,quia mala reproborum bonos dum cruciant, purgant. Vtilitati iustorum militat etiam potestas prauorum. *ibid.*

Nulla aduersitas deijcit, quem prosperitas nulla corrumpit. Qui enim veritati inhæret , vanitati nullo modo succumbit : quia , dum forti pede cogitationis intus in tentationem fuerit,omne, quod foris notabiliter agitur, arcem mentis minime pertingit. *ibid.*

Carmen in nocte, est lætitia in tribulatione. *ibid.*

Aurem cordis tribulatio aperit, quam sæpe prosperitas huius mũdi claudit. *ibid.*

Quisquis aduersitate , & tribulatione frangitur , a quo factus est, minime contemplatur:nam qui,quod non erat fecit, factum sine gubernatione non deserit : & qui benigne hominem condidit , nequaquam iniuste cruciari permittit, nec finit neglecte perire,quod est, qui hoc etiam quod non fuit, creauit, vt esset. *ibid.*

Tanto quisque aduersitate minus vincitur , quanto contra illam præsciendo paratus inuenitur. *ibid.*

Si iniquus quisq. in hac vita permittitur prosperari, necesse est, vt electus Dei debeat sub flagelli fræno retineri. *ibid.*

Electis suis ad se pergentibus Dominus huius mundi iter asperum facit,ne dum quisque vitæ præsentis requie quasi viæ amœnitate pascitur,magis eum diu pergere , quo citius peruenire delegit: ne dum oblectatur in via,obliuiscatur, quod desiderabat in patria. *ibid.*

Nemo quantum profecerit , nisi inter aduersa, cognoscit : quia vnusquisque superni doni gratiam in tranquillitate quietis percipit,sed quantum perceperit,in aduersitate perturbationis ostendit. *ibid.*

Sanctorum mentes æternitatis præmia præstolantes , vires ex aduersitatibus sumunt:quia crescente pugna gloriosiorem sibi nõ ambigunt manere victoriam. Electorum desideria dum premuntur,aduersitate proficiũt: sicut ignis flatu permittit,vt crescat, & vnde quasi extingui cernitur,inde roboratur. *ibid.*

Aduersitas,quæ bonis votis,aut viris obijcitur , probatio virtutis est,non iudicium reprobationis. Quis enim nesciat,quam prosperum fuit,quod B. Paulus Apostolus prædicaturus ad Italiam veniebat: & tamen veniens naufragium pertulit:sed tamen cordis in fluctibus integer stetit. *ibid.*

Cum recognosco Iob in sterquilinio , Ioannem esurientem in eremo,Petrum extensum in patibulo,Iacobum decollatum a Herodis gladio : cogito,qualiter Deus in futuro cruciabit,quos reprobat:qui ita dure affligit,quos amat. *ibid.*

Afflicti terrena perdimus , sed afflictionem humiliter sustinentes cœlestia multiplicamus. *in Mor.*

Tanto maior fiducia mentem roborat , quanto hanc fortior pro veritate angustat afflictio. *ibi.*

Virtus per quietem se exeruit, scilicet in Iob , sed virtutis opinio commota per flagella fragrauit: sicut aromata fragrantia suã, non nisi quum incenduntur , expandunt:ita sancti viri omne , quod virtutibus redolet,in tribulationibus innotescit. *ibid.*

Mala Lazari purgauit ignis inopiæ, & bona diuitis remunerauit felicitas transeuntis vitæ : illum paupertas afflixit & tersit: illum abundantia remunerauit & repulit. *hom.40.*

Tribus modis nos conditor interrogare consueuit ; quum aut flagelli districtione nos percutit,& quanta nobis insit,vel desit patientia,ostendit : aut quædam,quæ nolumus,nobis præcipit, & nostram nobis obedientiam vel inobedientiam patefacit : aut aliqua nobis occulta aperit & aliqua abscondit,& mensuram nobis nostræ humilitatis ostendit,& innotescit. *in Moral.l.28.*

Quomodo stellæ in nocte lucent,in die latent,sic vera virtus,quę sæpe in prosperis non apparet,in aduersis eminet : illud sane cautelæ est,hoc necessitatis. *Bern. super Cant.*

Fratres,in hoc mundo quasi in campo certaminis positi sumus:& qui hic dolores,aut plagas,aut tribulationes non susceperit, in futuro inglorius apparebit. *In quod serm.*

Si quis viam laboriosam æstimat, suæ desidiæ est accusatio. Si enim minaces nautis pelagi fluctus , si tempestates atque hiemes agricolis,si vulnera cædesq. militibus, si grauissimi ictus,plagęq. pugilibus leues videntur,& tolerabiles sunt, propter spem temporalium ac pereuntium commodorum : multo magis, quum cęlum præparatur in pręmium,nihil ex pręsentibus asperitatis ob. debet sentiri,maxime labores mitigat,in benignum finem venire promissum, nec aspicias, quod via est aspera, sed quo ducit , nec aliam,quæ lata est : sed vbi desinit. *Chrys. super Matt.*

Ne indignemini,si mali in hoc mundo floreant , & vos patimini , quia non est Christianæ religionis in mundo exaltari,sed deprimi : mali nihil habent in cœlo , vos nihil in mundo,sed spe illius boni,ad quod tenditis, quicquid in via contigerit, gaudere debetis. *Beda in ep. in Iac.*

Forsitan temporaliter te punit , vt æternæ mortis ardores pœnas redimat temporalis: in ædificatione enim temporali omnes lapides prius malleis tundebantur , ne in illorum positione sonus mallei audiretur : nec in horreo Domini reponitur granũ , donec flagellis aut triturantium pedibus sit excussum : sic & viui lapides,qui ponendi sunt in illa cęlesti Hierusalẽ, quæ ædificatur,vt ciuitas,varijs infortuniorũ concussionib. poliũtur,priusq̃ in ædificio cęlestis habitaculi collocentur. *Pet. Chrys. in sp.*

Hæc omnia fortasse operatur Dominus,vt det nobis vexatio intellectum : trituratur granum, vt reponatur in horreo , quadratur lapis,vt sine sonitu mallei in ædificio templi collocetur. Mouetur turbo, vt Elias rapiatur in cęlum. Maximum est remedium interioris hominis : si in hac area mundi varijs passionum flagellis trituretur exterior. *ibi.*

Omnis cordis aut corporis afflictio citra meritum & fructum salutis est,sine patientiæ condimento. *ibi.*

O quanta mortales angit anxietas, affligit cura , solicitudo molestat,dolor affligit, conturbat tristitia , contristat turbatio : pauper & diues,seruus & dominus , denique bonus & malus , omnes mundanis cruciatibus affliguntur, & mundanis afflictionibus cruciantur, experto crede magistro. *Innoc. de vilitate cond. humana.*

Parua toleramus,si recordemur , quid biberit ad patibulum , qui nos inuitat ad cęlum. *Cass. sup. Psal.*

P O E T I C A R V M D I C T A.

Ouid. 11 Met.

Aspera crescit hiems, omnique à parte feroces
Bella gerunt venti, fretaque indignantia miscent , &c.
His votis numen aderat.

Idem 3. Fast.

Vincitur ars vento,nec iam moderatur habenis,
Vtitur,ac votis is quoque poscit opem.

Ouid. ad Liuiam.

Scilicet exiguo percussa es fulminis ictu ,
Fortior vt possis cladibus esse tuis.

S I M I L I T V D I N E S.

Salomonis. Speciosa misericordia Dei in tempore tribulationis, quasi nubes pluuiæ in tempore siccitatis. *Eccl.c.35.*

D.Chrysostom. Vt in certamine athletam, sudore , calore, frigore , puluere,multo labore,periculis luctari oportet: Sic & iustũ in hac militia plurima pati,& omnia strenue ferre decet, si splen-

didam

didam, vtique palmã accipere debeat. Si corpus ita maxime laudamus, si frigus, calorẽ, famem, sitim, & cæteros labores haud grauatim ferat: multo magis laudãda anima, quę possit oẽs impetus malorũ fortiter ac strenue pati. *De patient. Iob ad virginem.*

Sicut Angeli in cœlis sunt, sed tamen cœlestes vocantur: Ita anima nostra in nobis cęlum est. Clarum est cęlum, semper idem: non conuertitur, sed nubes concurrentes id obtegunt. Cęlum solem habet, & nos solem iustitiæ: licet nobis fieri, vt cęlum, imo meliores, quando dominum solis habemus. Cęlum vbique mundũ est, sine macula: non in die, non in nocte mutatur: Ita nos neque in tribulationibus, neq; in versutijs Diaboli hoc patiamur, sed immaculati maneamus & mundi. Cęlum autem est, & multum distans à terra: hoc nos faciamus, separemus nos à terra, ex tollamus nos à terra. Cęlum superius est, & ab imbribus, & à pluuijs, & à nullo consumitur. Hoc & nos poterimus, si voluerimus. Cęlũ putatur pati, veruntamẽ nihil patitur ipsum. Sic & nos, etsi videmur pati, nõ patimur. Sicut in hieme pulchritudo eius non agnoscitur: Sic nos in tribulationibus. *Hom. 16. ad Heb.*

Sicut pluuia in terram decidens eleuat semina: sic & tribulatio animam intrans auget desiderium. *hom. 12. de muliere Chananea.*

Quemadmodum aurum in camino non læditur: Ita nec stabili animæ tribulatio nocebit. Quid operatur caminus? aurum mundat. Quid tribulatio operatur? tolerantiam ampliorem coronã. Vbi sunt, qui nos tribulant? Folia erant, & aspirante aura rapta, & purum remansit triticum: fundamentum stat supra petram. *Idem ibid.*

Sicut citharœdus neque neruum intendit, vt abrumpat, neque remittit vltra medium, ne harmoniæ concentum lædat: & Deus agit, neque in remissione continua, nec in longa tribulatione nostram constituit animam, secundum suam prudentiam vtrumq. faciens: non finit nos continua potiri remissione, ne segniores fiamus: nec rursum in continua tribulatione finit esse, ne concedamus, ne desperemus. Neque semper hiems, neque semper æstas: neque semper procella, neque semper tranquillitas: non semper nox nec semper dies: Sic neque semper tribulatio, sed erit tribulatio. *Hom. 4. de diuersis.*

Quod si nautis minaces illi pelagi fluctus, si tempestates atq. hiemes agricolis, si vulnera cædesque militibus, si grauissimi illi ictus, plagæq; pugilibus leues videntur atque tolerabiles, propter spem temporalium pereuntium commodorum: Multo magis cum cœlum proponatur in præmio, & ineffabilia illa bona atq. perpetua, nihil ex præsentibus his aduersitatibus sentietur. *Hom. de diuersis.*

Mansuetiores filiorum parentes, cum paruulos suos viderint à se quidem discedere, æqualiuorum autem suorum lusibus detineri, præcipiunt famulis terribilia multa simulare, vt ea agitati etiã metu paruuli, ad maternum sinum festinent confugere: Ita & Deus non modo ab alijs nos sinit tribulari sæpe; sed nonnunquã etiam ipse plagam minatur, non vt eam in nos inducat, sed vt nos ad se potius adducat. Si quidem cum ad eum fuerimus reuersi: continuo dissoluit timorem. *homil. 50. de diuersis.*

Patres omnium maxime filios amant, & mensa prohibent, & flagella infligunt, & afficiunt ignominia, & alijs infinitis talibus lasciuientes pueros corrigunt. Sed tamen patres sunt, non tantum dum honorant, sed dum hoc faciunt, vt tunc maxime patres sint, cum hæc faciunt. Si autem & homines, qui furore & ita sępe ab vtili declinant, nõ crudelitate, sed cura & charitate quos amant, punire putantur: Multo magis de Deo sic sentire oportet, omnem excedente paternam charitatem, propriæ bonitatis cumulo. *hom. 7. de tristitia.*

Nisi tentatio, nec corona: nisi certamina, nec brauia: nisi studia, nec honores: nisi tribulatio, nec remissio: nisi hiems, nec ęstas. Et hoc non in hominibus tantum, sed in seminibus quoque ipsis intueri licet. In his enim multam quidem pluuiam, multam vero nubium collisionem, multam denique glaciem fieri oportet, si vernans spica exurgere debet. Vbi vero sementis tẽpus, tempus & pluuiæ. Postquam igitur nunc ingruit hiems animarum, non aeris, feramus & nos in hac hieme, vt in æstate metamus. *hom. 4. de diuite & paupere.*

Quemadmodum aratrum immittens deorsum terram aperit, tutam seminibus custodiam parans, ne iacta in superficie remaneant, sed tanquam in ipsos terræ sinus immittantur, & in tuta radices figant: Sic & nos facere necessarium, & tanquam aratro, tribulatione vtentes, cordis profundum scindere. Scindite corda vestra, ait Propheta. Corda igitur scindamus, vt si qua dolosa herba, & improba cogitatio nobis inest, radicitus eam euellamus, & puras pietatis seminibus terras exhibeamus. Nisi tunc renouemus nouale, nisi nunc seramus, cum adest tribulatio, quando vnquam in compunctionem veniemus? *homil. 4. de pœnitentia.*

Neque si quis infirmum habens stomachum, amaram non admittat medicinam, ipsum curare valentem, sed potius auertatur, medicinam accusabimus, sed membri infirmitatem. Sicut & hic mẽtis facilitatem. Nam à tribulatione subuersus, multo magis hoc a remissione pateretur. Nam si ligatus cadit (hoc est enim tribulatio) multo magis lasciue viuens. *ho. 64. de pan.*

Tribulatio est spiritualis mercatura. Sicut pecunias colligere volentes, & hanc secularem exercentes mercaturam, non aliter propriam rem augere possent, nisi multa terræ marisq. pericula sustinerent, necessarium est. n. latronum insidias, piratarum incursus sufferre, & prorsus omnia, cum magna subeunt promptitudine, propter lucri expectationem, nullum capientes tristitium sensum: Eodem modo, & nos diuitias hinc nobis considerantes, & spiritualem cogitantes mercaturam, gaudere decet, & exultare, nec quæ videntur, sed quę non videntur cõsiderare. *ho. 64. de pan.*

Quod auro ignis, hoc animis tribulatio, sordes abstergens, faciens mundos, claros reddens, ac splendidos. *hom. 66. de pan.*

Basily. Athletam, qui de rebus pulcherrimis cõtendit, in stadio pietatis prudentem, plagas aduersariorum spe coronę sempiternę generosæ ferre oportet. Nam in ludis, ac certaminibus, qui ad se palęstræ labores accingit, minime cunctabundus, aut proprium dolorem respiciẽs, vltro in aduersarios percurrit, simul gloriæ, ac victoriæ cupiditate incensus, omnis incommodi obliuiscitur. Sic idem studiosus, & si aliquid acerbitatis, aut incommodũ obuenerit, animi lætitiam minime poterit amittere, quoniam (vt ait Apostolus) tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem, spes non confundit, &c. *Alicubi.*

D. Augustinus. In te tribulatio fornax artificis est: si tamen aurum sis, & non palea, vt sordibus careas, non in cinerem conuertaris. *in Ps. 30.*

Nunquid lucet aurum in fornace aurificis? In monili lucebit, in ornamento lucebit: patiatur tamen fornacem, vt purgatum a sordibus veniat ad lucem. Fornax ista, ibi palea, ibi aurũ, ibi ignis, ad hanc flat aurifex. In fornace ardet palea, & purgatur aurũ: illa in cineres vertitur, a sordibus illud exuitur. Fornax mundus, palea iniqui, aurum iusti, ignis tribulatio, aurifex Deus. Quod vult aurifex, facio: vbi me ponit, tolero: iubeor ego tolerare, nouit ille purgare. Ardeat licet palea, ad incendendũ me, & quasi consumendum me: illa in cinerem vertetur, ego sordibus carebo. *in Ps. 91.*

In torcularibus animaduertimus quædam tria, pressuram, & de pressura quædam duo, vnum recondendum, alterum proijciendũ. Est ergo in torculari conculcatio, tribulatio, pondus, & in his oleum eliquatur occulte in gemellarium: amurca publice, & per plateas currit. Putatio, quia pressuræ abundant, tu oleum esto. Nigra tenebris ignorantiæ amurca insultet. & illa tanquam per plateas proiecta, publice insultet: tu liquare in gemellariũ. Oliua in arbore, quibusdam quidem tempestatibus agitatur, nõ tamen pressuris torcularibus atteritur: ideo vtrunq. simul pendet ex arbore, & quod proijciendum est, & quod recondendũ est. At vbi ad torcular, & pressuram ventum fuerit, vtrumque discernitur, dirimitur: & aliud appetitur, aliud respuitur. *In Ps 80.*

Ductiles tubæ, æreæ sunt, tundendo producuntur. Si tundendo, ergo vapulando eritis tubæ, ductiles, ad laudem Dei productæ. Si cũ tribulamini, proficiatis, tribulatio, tunsio, profectus, productio est. Quomodo sonuit, quam suauem sonum dedit tuba ductilis, qui in tribulatione percussus gratias agit? Ecce, inquit fabricator Deus, illam tubam perficere volo, non perficiam, nisi tundam, tradam malleo tundendum: male sanabat, antequam produceretur: forte productus, & factus tuba ductilis, laudes Domini sonabit, amissa blasphemia. *in Ps. 97.*

Si aurum es, quid times paleam? quid times ignem? Simul quidem eritis in fornace: sed ignis paleas in cineres vertet, tibi sordes tollit. Si frumẽtum es, quid times tribulam? Non apparebis, qualis antea eras in spica, nisi tribula conterendo a te separauerit paleas. Si oleum es, quid times pressuram præli? Non declarabitur species tua, nisi etiam pondus lapidis a te separauerit amurcam. Verum tamen interroget se vnaquæq. anima, & videat, si iuste patitur: proferatur statera iustitiæ, appendatur amor mũdi cum amore Dei. *De temp. Barbar. c. 3.*

D. Hieronymus. Quomodo si ægrotus, & æstuans febribus, aquam frigidam postulet, & dicat ad medicum; Vim patior, crucior, vror, exanimor, vsquequo medice clamabo, & non exaudies? Et respondeat ei sapientissimus medicus: Scio quo tempore dare debeam, quod postulas, & non misereor modo, quia misericordia ista crudelitas est, & voluntas tua contra te petit: Ita & Deus noster sciens clementiæ suæ pondera, atq. mensuras, interdum non exaudit clamantem, vt eum probet, & magis prouocet eũ ad rogandum, & quasi igne excoctum, iustiorem, & puriorẽ faciat. Quod intelligens Apostolus, secundum id, quod misericordiam consecutus est a Domino, ait: Sed non deficimus in tribulationibus. Et benedicit Dominũ in omni tẽpore. Et scit, quod qui perseuerauerit vsq. in finem, hic saluus erit: & gloriatur in labore, & dolore, & cum Hieremia dicit Tribulationem & miseriam inuocabo. Et quo aliquis inuocat Deum: Sic sanctus vir bellator inuictus ad exercendum se, & probandum, tribulationem, & miseriam inuenire desiderat. *in proœm. in Abac. Proph.*

Gregorj

Gregorij. Nunc flagellatur iustus, quia vt filius ad æternæ hæreditatis patrimonium præparatur: iniustus autem ad debitam mortē currens, effrenatis voluptatibus vtitur, quia & vituli, qui mactā di sunt, in liberis pastis relinquuntur: at contra iustus a delectationis transitoriæ iucunditate restringitur, quia & vitula ad laboris vsum deputatus, sub iugo tenetur. Negantur electis hic bona terrena: quia ægris, quib. spes viuendi est, nequaquam cūcta, quæ desiderant, a medico conceduntur. Dantur reprobis bona, quæ petunt: quia & desperatis ægris, omne, quod desiderant, non negatur. *In Iob c.21.*

Vita est vita præsens, qua ad patriam tendimus, ideo conterimur frequenti perturbatione, ne viam pro patria diligamus. Solent enim nonnulli viatores, cum amœna fortassis in itinere prata conspiciunt, pergendi moras innectere, & a cœpti itineris rectitudine declinare. Electis autem suis Deus, ad se pergentibus, iter huius mundi asperum reddit, ne dum quisq. vitæ præsentis requie, qui si amœnitate vitæ pascitur, obliuiscatur patriæ. *In Iob 23.c.32.*

Quantum proficit hic pati, causa Dei. Vua calcibus tunditur, & in vini saporem liquatur: Sic oliua contusionibus expressa amurcā suam deserit, & in olei liquorem pinguescit. Sic per trituram areæ paleis grana separantur, & ad horreum purgata veniunt, ita, & quisque hic flagellatur, securus ad Deum veniat, quippe eius rubiginem ignis tribulationis purgauit. *Hom.15. de 40 super hoc: Exijt qui seminat, &c.*

Gulielmi Parisi. Fidelis medicus ægro desperato vniuersa concedit, quæ appetit, ægro vero, de cuius salute spes habetur, multa negat: Sic Dominus reprobis abundantiam bonorum temporalium tribuit, vt quæ bona egerunt in mundo isto mercedem recipiant. Ab his vero merces seruatur ad futurum seculum, ne istis transitorijs contententur. *In summa vitiorum, & virtut. tract. 9. c 2.*

Idiota. Sicut amatores huius mundi multa aduersa, atque diuersa patiuntur: Ita neque serui Dei omnia in hoc mundo prospere succedunt, vt in die malorum memores sint bonorum, ne pusillanimes fiant, ac impatientes in aduersitatibus: & e contra, in die bonorum memores fiat malorum, ne extollantur. *De vera patien.*

Sicut in medicamentis illa communiter sunt vtiliora, quæ amara sunt: Sic mundi attritio, correptio, aut tribulatio, quamuis sensualitati, ac carni sit medicina amara, tamen animæ, ac spiritui est vtilis, ac saluberrima medicina, quia retrahit hominem a peccato, ac facit, vt contemnat præsentia, & accendit ad futura. *de vera pan. §.14.*

Sicut nauis per mare transiens multis ventorum impulsibus, multis aquarum fluctibus, multis denique piratarum insultibus subijcitur, nec vnquam antequam ad portum venerit, tuta, ac secura iudicatur: Sic homo, quamdiu nauigat per mare istius amaræ, ac periculosæ vitæ, semper de vna tribulatione in aliam iactatur, ac cum iam euasisse creditur, subito nouas tribulationes sentit. *ibid.*

Sicut sagitta infixa cordi nostro nos mouet, ac impellit, vt in re aliqua remedium quæramus: Sic tribulatio dolorem adfert cordi nostro, ac nos mouet, ac impellit, vt in re alia solatium requiramus, scilicet in cogitatione boni æterni. Scriptum enim est: Sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, & confirmasti super me manum tuā. *de vera pan. §.16.*

Quemadmodum filij a patre virgis, ac plagis castigantur, non eijciuntur ex ædibus: Sic pater cœlestis corrigit etiam, ac castigat varijs tribulationibus filios suos, nec ex cœlestibus tabernaculis eijcit. Qui autem propter flagella, & tribulationes huius mundi separantur ex domesticorum Dei consortio, non sunt sane filij, sed serui. *ibid. §.20.*

Laurentij Iustiniani Patriarchæ. Sicut cera igni apposita emollitur, ac veterem imaginem deponens, nouam recipit: Ita corda ad ignem tribulationis opposita emolliuntur, deponunt pristina vitia, ac se reformant in nouum hominem. *in ligno vitæ. de patientia. c.3.*

Cursonis. Vt arca Noe, quo magis abundarunt aquæ diluuij, tanto altius ferebatur: sic mansuetus animus, quo maiores erunt tribulationis aquæ, tanto erit excelsior. *Parte 2. serm. de omnibus Sanctis.*

Theodoreti. Quemadmodum operatio secundum Deum virtus dicitur: Sic præter expectationem afflictio vocatur distinctio. *in apoph. 292.*

Vide tit. Aduersitas, Afflictio, Persecutio, Patientia, Tentatio.

TRIBVTVM.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

Tributum, Græce, τέλος, του. τῶ. & τέλωνης, ου. ὁ. tributorum collector dicitur. Est autem tributum, quod principi tribuitur pro generali regimine. Vectigal vero, quod tribuitur pro reparatione & custodia de mercimonijs. *ex b. Eco. sup. epist. ad Rom. 13. lect. 1. fin.*

Tributum, Hebr. *Mas*, non tantum de pecunijs, sed etiam de hominibus tribuendis accipitur, à verbo *Mahas*, liquefactus est. Eaugis enim tributum & liquefacit tributarios.

Tributum a tribus dicitur, quod ea pecunia, quæ populo imperata erat, tributim soluebatur. Linius tamen putat, quod tribus dicatur à tributo. Tribus autem dicta est, quoniā ager Romanus in tres partes primo diuisus fuit, & tres populi partes factæ: vna Tatiensium, à Tito Tatio rege Sabinorum amico populi Romani. Alia Ramnium siue Ramnensium à Romulo. Tertia Lucerū à Lucumone. Sed postea aliæ quoque vrbis partes factæ, quæ similiter tribus appellatæ sunt.

Tributa dicuntur priuatorū pecuniæ, quę p trib. singulas tribunorū sanctione in publicū deferebatur. *Franc. Petr. de rep. lib. 3. c. 7.*

Neque quies gentium sine armis, neq. arma sine stipendijs, neque stipendia sine tributis haberi queunt. *Tacit. hist. lib. 4.*

Dissolutionem imperij dnec, si fructus, quibus respublica sustinetur, deminuantur. *Idem, lib. 13.*

Disciplina imperandi est amare quod multis expedit: quoniam respublicanimum soliditatis accipit, si tributariorum facultas illæsa constiterit. *Cassiod. lib. 9. ep. 9.*

LOCI BIBLICI.

Tributum soluendum, *Matth. 17. 24. & 22. 17. Marc. 12. 16. Luc. 23. 25. Rom. 13. 7.* tributum in ore piscis repertum. *Matth. 17. 27.*

SIMILITVDO.

Themisti. Venter & hepar priuatis particulis alimentum suppeditant: Et male agitur cum plebecula, quando è contrario ipsa debet primatum alere iisdemque aut fiscum. *in apophe.*

Vide, Exactio, Princeps, Magistratus, Subditi.

TRINITAS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Trinitas, Græce τριάς, άδος ἡ, & τριάκοντα triginta dicitur. Trinitatis nomen significat vnitatem essentiæ in recto, & numerū personarum in obliquo, quo ad etymologiam: sed quo ad significationem est è conuerso. *ex b. Tho. 1. p. q. 31. art. 1.*

LOCI BIBLICI.

Trinitatis opera extrinseca, quæ vocantur communia sunt trib. personis, vt, Vocatio ad munus aliquod & missio nunc tribuitur Patri, à quo Christus missus dicitur. *Psal. 61. 1. Luc. 4. 18.* nunc Christo, *Io. 20. 21. Eph. 4. 11. Gal. 11.* Nunc Spiritu sancto, *Act. 13. 2. & 13. 2. & 20. 28.* Trinitatis personarum peculiares actiones ad salutē electorum simul concurrentes, *1. Pet. 1. 2.* Trinitas figurata & declarata, *Gen. 1. 26. & 18. 2. Exod. 3. v. 6. 15. 16. & 4. 5. Es. 32. 6. Es. 6. 3. & 34. 16. & 48. 16. 1. 16. Matt. 3. 16. & 10. 20. & 16. 5. & 28. 19. Luc. 4. 18. Io. 3. 35. & 14. v. 16. 26. & 15. 26. & 16. 3. 1. Ioan. 5. 7.* de S. Trinitate innumera veterum & neotericorum Theologorum scripta extant, quorum catalogus ingens volumen conficere posset. Ea veteribus, D. Gregorius Nazianzenus & Augustinus nobis instar multorum. Recentiores omittimus.

PATRVM SENTENTIAE.

Vbi quæritur vnitas Trinitatis, Patris & Filij, & Spiritus sancti, nec periculosius alicubi erratur, nec laboriosius aliquid quæritur, nec fructuosius aliquid inuenitur. Non pigebit me, sicubi hæsito, quærere: nec pudebit, sicubi erro, discere. Quisquis ergo hoc audit, vel legit, vbi pariter certus est, pergat mecū, vbi pariter hæsitat, quærat mecum, vbi errorem suum cognoscit, redeat ad me: vbi meum, reuocet me. Ita ingrediamur simul charitatis viam, tendentes ad eum, de quo scriptum est: Quærite faciem eius semper. *Aug. l. 1. de Trin.*

Qui hoc, id est, Trinitatis mysterium, vel ea parte, vel per speculū & in ænigmate videt, gaudeat cognoscens Deum, & gratias agat: qui vero non videt, tendat per pietatem ad videndū, non per cæcitatem ad calumniandum: quoniam vnus est Deus, sed tamen Trinitas. *lib. 6. de Triu.*

In summa Trinitate tantum est vna, quantum tres simul sunt: ita & singula sunt in singulis, & etiam omnia in singulis, & singula in omnibus, & omnia in omnibus, & vnum omnia. *ibid.*

Videmus solem in cælo currentem, fulgentem, & calentem. Similiter ignis tria habet, hoc est, motum, lucem, & feruorem. Diuide ergo, si potes, Ariane, solem vel ignem, & tunc demum diuide Trinitatem.

Aperte nunc videbimus, quomodo & vnum indiuisibiliter tria sunt, & indiuisibiliter tria vnum. *Greg. in mor.*

O veritas, charitas, æternitas: O beata & beatificans Trinitas: ad te mea miseria, Trinitas, miserabiliter suspirat, quoniam à te infeliciter exulat; discedens à te, quantis se intricauit erroribus, doloribus, timoribus? Ratio sæpissime in iudicijs fallitur, voluntas quadruplici perturbatione iactatur, & memoria multiplici obliuione confunditur. Triplici huic vanitati nobilis creatura subiecta est, non volens, in spe tamen, heu qualem pro te commutaui-

mutauimus Trinitatem? cor meum conturbatum est, & inde dolor: dereliquit me virtus mea, & inde pauor, & lumen oculorum meorum non est mecum, & inde error. En, quam dissimilē Trinitatem: ò animæ meæ Trinitas exules offendisti. Veruntamen quare tristis es anima mea: & quare conturbat me? spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, quum videlicet à ratione error, a voluntate dolus, atque à memoria timor omnis recesserit: & successerit illa, quam speramus, mira serenitas, plena suauitas, æterna securitas. Primum faciet veritas Deus, secundum charitas, Deus, tertium summa potestas Deus: vt sit Deus omnia in nobis, ratione recipiente lucem inextinguibilem, voluntate pacem imperturbabilem, consequente memoria fonti indeficienti æternaliter inhærente. *Bernar. serm. 11. super Cantic.*

Est Trinitas creatrix, Pater, & Filius, & Spiritus sāctus, ex qua cecidit creata Trinitas, memoria, ratio, & voluntas. Et est Trinitas, per quam cecidit, videlicet per suggestionem, delectationem & consensum. Et est Trinitas, in quam cecidit, videlicet, impotentia, cœcitas, immunditia. Rursus Trinitas, quæ cecidit, id est, memoria, ratio voluntas. Singulæ cuiusque tripartitus excidit casus. Memoria cecidit in tres species cogitationum: affectuosas, onerosas, otiosas. Ratio in triplicem ignorantiam, boni & mali, veri & falsi, commodi & incommodi. Voluntas in concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, ambitionem seculi. Est Trinitas, per quam resurgit, fides, spes, charitas. Quæ trimembres habent subdiuisiones. Est enim fides præceptorum, signorum, promissorum. Est & spes veniæ, gratiæ, gloriæ. Est & charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. *Ber. in separat. serm. 1.*

Inquirere de Trinitate peruersa curiositas est, & credere, & tenere, sicut sancta Ecclesia tenet, fides & securitas est. Videre autem eam, sicut est, perfecta & summa felicitas est. *Ibid.*

Summum proprium diuinitatis est verbum; quod tempore non mutatur, sed semper adest & ibi aliud sacramentum, quod vna syllaba tribus literis connectur, vt sancta Trinitas in cœlis vnus Deus esse docet. *Cassiod. sup. Ps. 49.*

DICTA POETARVM.

In Deitate Trinitas.
Iacob Bill. Antolog. Sacr.

Natura omnipotens vna est, quæ cuncta creauit,
Et propriè quod sunt, omnibus esse dedit
Nam quidquid mens est, non est Deus, à Patre natum
Verbum & qui amborum Spiritus est, Deus est.
Vna eademque trium quoniam est essentia quæ se
Nunquam vel maior, vel minor esse potest.

In Deo Trinitas & Vnitas.

Sic magnus Deus est, de se valet, & manet in se,
Cui summum & proprium est, semper id esse, quod est.
Splendet enim verum vero de lumine lumen,
Vt genitum agnoscens nouerit ingenitum.
Vna trium Deitas, vna est essentia, ab vno
Idem est & Verbi spiritus atque Patris.
Nullum eius abiunctum, nulla est non æqua potestas,
In cunctis vnum sunt tria principium.
Quum Pater in Verbo sit semper, & in Patre Verbum,
Sitque vnus Verbi Spiritus atque Patris.
Sic de personis tribus est tibi non dubitandum,
Vnum ut docta fides confiteare Deum,
Corde Patris genitum, creat & regit omnia Verbum,
Nec tamen est aliquid, quod sine Patre gerat.
Vnum enim amborum motus, ratio vna volenti,
Par virtus, idem Spiritus, vnus amor.

SENTENTIAE PHILOSOPH.

Trinitas essentia, deitate, bonitate superior, diuinæ Christianorū sapientiæ dux, dirigit nos in ipsum superignotum & præfulgēs, excelsum mysteriorum eloquiorum culmen, vbi simplicia & absoluta, immutabiliaque Theologiæ mysteria latent adoperta præfulgente quadam silentij clam sacram docentis caligine, quæ vbi maxime videtur obscura, ibi supra modum lucem profert exuberantem: illic quod tangi & videri non potest, splendoribus plusquam pulchris ad exuberantiam implet omnes quasi captos oculis intellectus. *Dion. Areop. de Trinit.*

Trinitatem sanctissimam ratione naturali cognoscere impossibile est, sed sacris authoritatibus probari potest. *Bess. Diad. in calum. Plat. l. 3. c. 15.*

Trinitatis Christianæ secretum in ipsis Platonis libris nunquam esse assero. *Marc. Fic. in ep. l. 12.*

Trinitas diuina non est numerus aliquis in quantitatis genere collocatus, nec in substantiæ genere collocatus, nec in essentię ordine computatus. *Idem Dionys. Areop. de Trinit.*

Trinitatem Pythagorici Philosophi totum omnium mensuram esse voluerunt, quia Deus ternario numero res gubernat, & res ipsæ ternario numero terminantur, primo enim Deus singula creat: secundo rapit, tertio perficit, singula item ab illo perē ni fonte effluunt dum nascuntur, deinde in eundem refluunt, dum illam originem repetunt, tertio perficiuntur, dum in suum principium redierunt. Hoc vaticinatus Orpheus, Iouem principium, mediū, & finem, vniuersi vocauit: principium vt producit, medium vt producta retrahit ad seipsum, finem prout redeuntia perficit. Hinc regem vniuersorum bonum pulchrum: vbi pro cuiusque merito perficit iustum: pulchritudo igitur, cuius allicere proprium est, inter bonitatem, & iustitiam locatur, a bonitate effluit, & profluit ad iustitiā. *Idem in Plat. con. or. 2. c. 1.*

Trinitas significat regressum animæ ad vnitatem tam propriam quam diuinam. *Idem in Plat. Tim. c. 33.*

SIMILITVDINES.

Nazianzeni, Quemadmodum cum humor nectareus, a fonte aliquo aquarum copiose scaturiens, profluuio suo abundantiā ostendit, inde lapsu perenni in flumina duo incidit: vnicam ex vno fontis ortu vim a principio continens, bifariam autē fluminum formatur specie, sine nocumento tamen essentię flumen illud diuiditur: humorum.n. positione tantum fluor ille discriminatur, at humoris qualitatem vnam, & eādem continet, etiamsi flumen vtrumq. vt dictum est, quam longe distare, & multum a fonte abesse videatur: principium enim ad continuitatem fontis communem cum sua habet matre. Similiter etiam omnium bonorū Deus, veritatis ille administrator, & Saluatoris Pater, prima vitæ causa, ac immortalitatis planta, fons vitæ sempiternæ, bifluā quandam Filij, & Spiritus sancti cognoscibilē ad nos demisit gratiam, ipse vero nullam propterea nocumentū in essentia est perpessus. Nullam.n. imminutionem propter illorum ad nos vsq. accessum sustinuit, nec illi propterea a Patre separationem vllam sustinuerunt: indiuisibilis.n. quemadmodum sub initium diuinitua, meliorum est natura. *Ad Euag. de Deit.*

Crede Trinitatem margaritam esse vnam, vndiq. similem, æqualiter splendentem: margarita enim, si in aliqua parte deturpetur, tota eius gratia euanescit: Ita quum Filium ignominia afficis, quo Patrem venereris, nequaquam honorem tuum suscipit, ob Filij dehonestationem. Pater minime glorificatur, si sapiens filius lætificat patrem, quanto magis filij honor erit patris? *In orat. in dictum Euang.*

Damasceni. Sicut simul ignis, & simul ab ipso lux, neque prius est ignis, & posterior lux, sed simul sunt: & quemadmodum lux ab igne semper gignitur, & nequaquam separatur ab eo: Sic & Filius a Patre gignitur, & nequaquam ab eo separatur, sed semper in eo. Sed lux, quæ ab igne inseparabiliter gignitur, in ipso semper manens, non habet propriam subsistēntiam præter ignē. Nam natiua qualitas ignis est. Verum filius Dei vnigenitus a Patre inseparabiliter genitus, & indiuisibiliter. & in eo semper manens, propriam habet subsistentiam, præter eam, quæ Patris est. Et quemadmodum non dicimus alterius substantiæ ignem, & alterius lucem: Hunc in modum fieri non potest, vt recte dicamus Patrem, & Filium alterius, & alterius substantiæ, sed vnius, & eiusdem. & quo pacto dicimus per eam lucem, quæ ab ipso est, ignem illucere, & non possumus organum administratorū ignis esse lucem, quæ ex ipso est, sed potius virtutem naturalē. Sic dicimus Patrem quæcunq. facit per vnigenitum Filiū eius, non vt per instrumentum seruile, sed vt per virtutem naturalē & substantiam. Et vt dicimus ignem illuminare. Et rursus dicimus lucem illuminare: Sic omnia, quæcunque facit Pater, similiter, & Filius facit. Sed lux quidem propriam subsistentiam propter ignem non possidet: filius autem perfecta substantia est a paterna discreta. *l. 1. Orth. fid. c. 4.*

Non nudam carnem adoramus, sed counitam diuinitati, vt in vnā personam, & vnam hypostasin Dei verbi: timeo carbonem tangere, propter ignem ligno coniunctum: adoro Christi simul vtrumque, propter carni coniunctam counitamque diuinitatem. *l. 3. c. 8. Orth. fid.*

Theodoreti Episcopi. Sicut mortale esse commune est hominum: Ita sanctæ Trinitatis commune est esse immutabile, vertique & variari non posse. *Dialog. 1. f. 14.*

Theophili Episcopi. Quemadmodum filius, & pater vnum sunt: Ita etiam, quam accepit Filius, animat & ipse vnum sunt: nesciens, quod Filius quidem, & Pater vnum sunt, propter vnam substantiam, & eandem diuinitatem. Anima autem, & Filius altera est ab altero, substantia, & natura. Si.n. quemadmodum pater, & Filius vnum sunt, ita etiam anima filij, & filius vnum sunt: erit etiam vnum pater, & anima, & licet etiam aliquando anima filij: Qui vidit me, vidit & Patrem. Sed non ita est. Absit. Filius.n. & Pater vnum: quia non sunt diuersæ qualitates. Anima autem, & filius, est & natura, & substantia alterum: quandoquidem ipsa quoque per ipsum facta est, estque eiusdem nobiscum substantiæ. *In ys, quæ scripsit aduersus Orig. meminit Theodoret. Dial. 2. f. 149.*

Iamblichi. Sicut lumen solis idem totum continuum est, vbiq. neq. potest in partes diuidi, neq. alicubi claudi, neq. a fonte proprio separari, neque miscetur aeri, licet adsit: quippe cum nihil re-

lin-

linquat luminis, calore tamen a calefaciente relicto : Ita eiusq; Dei lumen totum indiuiduε, cum mundo penitus adsit, licet parti cuidam præcipue vim suam maxime fieri accommodatæ concedat. *De myst. ter. fol.* 187.

Procli. Sicut virtutes quidem virtutum sunt differentes, vnum vero compos est cæterarum: neque fieri potest, vt sis iustitiæ particeps & temperantiæ vacuus: vel duo hæc quidem habeas, cætera vero non habeas: Sic & huiusmodi Trinitas sibi ipsi connectitur. Et omne quidem bonum simul & pulchri compos est, & iusti, similiterque de cæteris. *De anima & dæmone.*

Augustini. Attende candorē lucis, in cœlo est, & expandit candorem per terras omnes, per maria omnia, & vbiq; corporalis lux est. Si separas candorem solis a sole, separa Verbum a Patre. De sole loquor, lucerna vna flammula tenuis, quæ non flatu possit extingui, spargit lucem suam super cuncta, quæ subiacent, vides lucem sparsam a flammula generatam: emissionem vides, separationem non vides. Intelligite fratres sic Trinitatem, Patrem, Filium, Spiritum sanctū, sibi cohærere, & omnia opera vnius Dei esse hæc Patris, hæc Filij, hæc esse Spiritus sancti. *in to. tract.* 10.

Cum de fonte interrogati, non possumus dicere, quod ipse sit fluuius: nec de fluuio interrogati, possumus dicere, quod sit fons, & rursum potionem, quæ de fonte vel fluuio est, nec fluuiū, nec fontem possumus appellare, tamen in hac Trinitate, aquam nominamus. Nam si quæro, vtrum in fonte aqua sit? respondetur, aqua. Et si quærimus, vtrum aqua in fluuio, nihil aliud respondetur, & in illa potione non potuit esse alia responsio: nec tamen eas tres aquas, sed vnam dicimus. Sicut in arbore radix non est nisi radix, nec robur nisi robur, nec ramos nisi ramos, possumus dicere. Non enim id, quod dicitur radix, potest dici robur, & ramus: nec lignum, quod pertinet ad radicem, potest alio etiam trāsitu, ne in radice esse, ouue in robore, nunc in ramis: sed tantummodo in radice, cum illa regula nominis maneat, vt radix lignum sit, & robur lignum, & rami lignum, non tamen tria ligna dicantur, sed vnum. Aut si hæc habeant aliquam dissimilitudinem, non possit non absurde tria ligna dici propter firmitatis diuersitatem. Illud certe omnes concedunt: si ex fonte tria pocula repleantur, posse dici tria pocula: tres autem aquas nō posse dici, sed omnino vnam aquam, quamquam de singulis poculis interrogatus, in quolibet horum aquam esse respondeas, quamuis nullus hic transitus fiat sicut de fonte in flumina dicebamus. Hæc autem propter visibilium vnitatem, corporalia cæpla data: vt intelligatur fieri posse, vt aliqua tria non tamen singillatim, sed etiam simul, vnum singulare nomen obtineant. *lib. de fide & symbolo, c.* 9.

*Cithar*am inspice, vt musicum melos sonis dulcibus reddat, tria pariter adesse videntur: ars, manus, chorda: & tamen vnus sonus auditur. Ars dictat, manus tangit, chorda resonat. Nec ars, nec manus sonum reddant: sed cum chorda pariter operantur. Sic nec Pater, nec Spiritus sanctus susceperunt carnem, & tamen eā Filio pariter operantur. Sonum sola chorda excutit, carnem solus Christus accepit. Operatio in tribus constat: Sed quod solo pertinet ad solam chordam soni redditio: Sic pertinet ad solum Christum carnis humanæ susceptio. *De Domini incarnatione contra Iudæos.*

Gregory. Est in arcturo, quod consideratius possumus intueri: in septem quidem voluitur, & modo quidem tres ad summa eleuat, atque ad ima quatuor superius erigit, & tres inferius pmit: Sic sancta Ecclesia modo cum infidelibus Trinitatis nonnam, modo vero fidelibus quatuor virtutes quasi rotatu pdicationis, flatus sui speciem quodammodo repræsentat, 23. *mor. c.* 29.

Lactantij. Cum & pater filium suum faciat, & filius patrem vna vtrique mens, vnus spiritus, vna substantia est: sed ille quasi exuberans fons est, hic tamquam defluens ex eo riuus: ille tāquam sol hic tamquam radius ex sole porrectus: qui quoniam summo Patri & fidelis, & charus est, non separatur, sicut nec riuus a fonte, nec radius a sole: quia & aqua fontis in riuo est, & solis lumē in radio æque: neque vox ab ore seiungi, nec virtus aut manus a corpore diuelli potest. Cum igitur a Prophetis idē manus Dei, & virtus & sermo dicatur: vtique nulla discretio est, quia & lingua sermonis ministra est, & manus, in qua est virtus, indiuiduæ sunt corporis portiones. Propriore exemplo vti libet: Cū quis habet filium, quem vnice diligit, qui tamē sit in domo, & manu patris, licet ei nomen domini potestatemque concedat, ciuili tamen iure, & domus vna, & vnus dominus nominatur: Sic hic mundus vna Dei domus, & Filius, & Pater, quia vnanimes incolunt mundum: Deus vnus, quia & vnus est, tamquam duo, & duo tamquam vnus. *lib.* 4. *c.* 24. *de sapientia.*

TRISTITIA.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Tristitia, Græce λύπη, λυπηρὰ, tristis: & λυπούμενος, tristor dicitur. Tristitia Hebr. *Hatsebah, Hetseb, Hatsabon, & Hotseb*, a verbo *Hatsab*, dolore, & tristitia affecit, contristauit, conturbauit, mœrore affecit. Cognationem habet cum *Hatsab*, sauciauit, vulnerauit: nam tristitia vulnerat, & transfodit cor hominis. Est autem tristitia, apprehensio disconuenientis in appetitu intellectiuo, vel volitiuo, nobis nolentibus euenientis.

Tristitia est passio animalis, media inter duas passiones irascibiles, quia sequitur timorem, & prior est ira, quam etiam causat, *secun. S. Thom.* 1. 2. q. 26. *art.* 1. *c.*

Tristitia inter omnes animæ passiones maxime corpori nocet, *secund. eundem* 1. 2. q. 37. *art.* 4.

Tristitiæ species sunt, acedia, æchos & misericordia, *secundum Ioan. Damasc. lib.* 2.

Tristitia incertum significat, diciturque a tero, quod est consumo. Tristis quasi teritis, hinc tristitia, hoc est, mœstitia, deriuatur. Tristis capitur etiam pro docto, vt tristis Philosophus. Significat etiam amarum. Virg. *Tristesque lupini.*

Loci Biblici.

Tristari immoderate propter temporalia minime laudandum, *Prouerb.* 12. v. 25. & 15. v. 13. & 17. v. 22. *Eccl.* 30. v. 22. & 38. v. 19. 2. *Mach.* 6. v. 8. 2. *Cor.* 7. v. 10.

Tristis Christus ob Iudæorum excitatem, *Marc.* 3. v. 5. tristis iuuenis diues, *Luc.* 18. v. 23. tristis orēt, *Iacob.* 5. v. 13. tristis anima Christi vsque ad mortem, *Matth.* 26. v. 38. tristes solandi, *Prou.* 31. 6. Tristitia noxia, 1. *Thess.* 4. 13.

Tristitia duplex, 2. *Cor.* 7. 10.

Sententiae Biblicae.

Quasi tristes semper gaudentes. 2. *Cor.* 6.

Quoniam & si contristaui vos in epistola, non me pænitet. Nunc gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam. 7.

Contristari estis secundum Deum. Quæ enim secundum Deum est tristitia, pœnitentiam ad salutem stabilem operatur. *ibid.*

Inordinata bonum impedit.

Nam contristabit iustum, quicquid ei acciderit. *Prou.* 12.

In mærore cordis languescit spiritus. 15.

Noli esse pusillanimis in animo tuo. *Eccl.* 7.

Felix qui non habuit animi sui tristitiam. 14.

Tristitiam non des animæ tuæ, & non affligas temetipsum in consilio tuo. 30.

Tristatur aliquis vestrum? oret, æquo animo est aliquis? psallat. *Iacob.* 5.

Malum inducit.

Mæror in corde viri humiliabit illum, & sermone bono lætificabitur. *Prou.* 12.

Spiritus tristis exiccat ossa. 17.

Sicut tinea vestimento, & vermis ligno. Ita tristitia viri nocet cordi. 25.

Date siceram mœrentibus, & vinū his, qui amaro sunt animo. 31.

Summa plaga est mæror animi. *Eccl.* 25.

Tristitiam longe expelle a te. Multos enim occidit tristitia, & non est vtilitas in illa. 30.

A tristitia festinat mors, cooperit virtutem, & tristitia cordis flectit ceruicem. In abductione permanet tristitia. 38.

Ne dederis tristitiæ cor tuum, sed repelle eam a te. *ibid.*

Sententiae Patrum.

Memoria quasi venter est animi, lætitia vero atque tristitia quasi cibus dulcis, & amarus. *Aug. lib.* 10. *confess.*

Nulla res ita inebriat, vt animi perturbatio, id est, tristitia, quæ ducit hominem ad mortem, hæc abominanda ebrietas est. *Hieron. super Ioan.*

Vis numquam esse tristis? bene viue; bona vita semper gaudium habet. *Hugo lib.* 3. *de animo.*

Sententiæ Poeticæ.

Menand. alias Philemon.

Πολλῶν ὁ λύπη τοῖς πᾶσιν αἰτία κακῶν
Λύπη διὰ λύπην καὶ μανία γὰρ γίνεται
Πολλαῖσι καὶ νοσήματ' ἐκ ἰάσιμα.
Αὐτοὺς δ' ἀναιροῦσι διὰ λύπην τινές.

Multarum malorum causa omnibus est suapte natura.
Tristitia, propter hanc etiam insania oboritur
Multis & ægritudines incurabiles
Interficiunt etiam aliqui sepsos pro tristitia.
Quum quod inferi in terrorem inanis est, quam vnde sperat salus.

Menander.

Ἀεὶ τὸ λυποῦν ἀπόβαλλε τοῦ βίου.
Semper id quod tristitiam adfert, ex vita exturba.
Ἀρ' ἐστὶ συγγενές τι λύπη καὶ βίος.
Nam est consanguineum quid tristitia & vita.
Βίου δ' ἄλυπον ζῆν οὐκ ἔστιν ῥᾴδιον.
Viuē sine tristitia mortali existenti non facile.
Λῦπαι γὰρ ἀνθρώποισι τίκτουσιν νόσους.
Tristitia enim hominibus pariunt morbos.
Οὐκ ἔστι λύπης χεῖρον ἀνθρώποις κακόν.

Non est tristitia peius hominibus malum.
Τὸ ζῆν ἄλυπος ἀνδρὸς ἐστ' εὐτυχία.
Viuere sine tristitia viri est fortunati.

Ibidem.

Nulla est (si quis recte consideret) quam tristitia,
Maior ægritudo suapte natura inter humanas res.

Antiphanes.

Tristitia insania vicina mihi esse videtur.

Alexis.

Tristitia plusquam mediocres
Extimulare mentem solent.

Posidippus in similibus.

Difficile est tristitiam effugere, dies autem
Perpetuo secum nouas curas adfert.

Antiphanes.

Omne tristitiam morbus est homini,
Multis autem variisque nominibus appellatur.

Cleanetus poeta, qui scripsit Argonautica.

Tristitia & ira vos in vnum ani ... locum
Conuenerunt, furorem sibi obnoxijs pariunt.

Philemon Syracusanus poeta.

Morbum ferre, multo satius est, quam tristitiam.

Alexis poeta.

Tristitia nonnihil cum insania commune habet.

Euripides in Oreste.

Tristitia potissimum perdet :
Grauis enim Dea est, verum tamen curabilis.

Apollodorus in Paragizomenis.

Non appellandus est felix, qui pecunias
Habet plurimas, sed qui non tristatur.

Menander Comicus.

Quum natura cunctis hominibus mala multa
Habeant, maximum tristitia malum.

Philemon poeta.

Tristitia per, & reddere poto,
Duplo facit maiora, quam re vera sint mala.

Amphis.

Tristantibus enim & sollicitis hominibus
Quælibet nox videtur diu durare.

Martialis.

Si vis tu velis acerba quadam
Et tristes animi cauere morsus;
Nulli te facias nimis sodalem.
Gaudebis minus, & minus dolebis.

Philosoph. Sententiae.

Tristitiam si potes, non admiseris, sed nec omnibus ostenderis. *Seneca.lib. de moribus.*

Numquam tristis sis, si tibi ipsi incommodo videris. *ibid.*

Ad tristem partem strenua suspicio. *ibid.*

Sine tristitia viues, si neminem læseris, omnesque iuues, iustitia vnumquemque prosequens: ab ea huiusmodi iucunditatis fructus colligitur. Sed implorandus est Deus, ne ea nos lædant, quæ præter opinionem nostram accidunt, vt sunt mortes, morbi, ægritudines, & cætera huiusmodi. *Arist. in quæst.*

Socrates virtutæ sic coluit, vt numquam vultu eius lætitiæ blanda vanitas exhilararet, nec tristitia vlla contraheret. *Sen de fon. orat.*

Tristitia siue mœror est animi de malo præsenti contractio: vel de eo, quod iam habetur, præsenti perturbatio: est hæc omnino lætitiæ contraria, eadem a Cicerone ægritudo nominatur: comites mœroris, seu tristitiæ sunt: fletus, planctus, gemitus. Affectio hæc frigida est, & sicca, idcirco inualescit in frigidis temporib, & locis, omninoque in ijs, quæ ingenium obtinent melancholicum, vt in autumno, & hieme, & tempore nubilo, & de oc ete, tum ad septentrionem, in quibus regionibus plures absumit mestitia, quam in Hispania, vel Italia: tollitur mœror vel tristitia, vel malo sublato, vel reddito amisso bono, vel rebus lætis maioribus affluentibus, quas non pluris æstimemus, quam illas, quarum absentia dolebamus. Diluitur ijs etiam, quæ tepefaciunt atram bilem, vt cibis calidis, & h. mentibus, vino potissimum, de quo est in sacris literis, da vinum mœsto. Item, oblectamentisquoq. visus vel auditus. vt cœlo aperto, campis & pratis pa. ten ibus, musica, item, auersione cogitationis, vt in negocijs, & narratiunculis lepidis, recto iudicio, nempe reputatione, non esse tantum malum, nec tanti esse, vt sic nos affligamus. *Viues lib.3. de anima.*

De tristitia, & miseria. DIAL. CXIII. Francisc. Petrarch.

DOL.

Tristia sum. R. Refert, qua ex causa tristis sis, aut lætus. Ista enim vt alia multa indifferentia dixerim, quæ leui momento possunt esse bona, vel mala. Tristitia nempe de peccato vtilis, modo ne desperationi suncepcius clanculum manum det. At gaudium de virtute, deque memoria bonorum operum honestum, modo ne ingereniti se superbiæ fores pandat. Harum igitur passionu præmittentur causæ, vituperatio illic locum laudis inuasit nûc, tu quid sis tristis cogita. D. Huius vitæ miseria mœstus sum. R. Felicetas te lætificet alterius vitæ. Neque enim iam hæc misera, ci si profecto miserrima sit, quam illa est felix. D. Mœstus sum. R. Mali huius tot radices, quot sunt, quæ vno nomine, Aduersa dicitis, de quibus & multa iam diximus. Et vt te pronum in querelas video, multa nunc etiam sunt dicenda. Est autem, quando nulla prorsus apparens causa, non morbi, non damni, non iniuriæ, non ignominiæ, non errorum mores, neque vllus omnino rerum talium, & inopinus timor, sed dolendi voluptas quædam, quæ mœstam animam facit. Pestis eo funestior, quo ignotior causa, atque ita difficilior cura est. Itaque hanc ceu animæ scopulum, nonni bellorum, vt dici solet, ac remorum auxilio fugiendam censet Cicero. Cui in hoc quidem, vt in multis assentior. D. Præsentis me miseriæ cogitatio mœstum facit. R. Miseriam conditionis humanæ magnam multiplicemque non nego, quam quidam integris voluminibus deflevere. Sed in diuersum aspicias, multa judem, quæ feliceio vitam, ac iucundam faciant, videbis. Et si de hoc nemo hactenus (nisi fallor) scripserit, aggressique aliquid destiterint, quod difficilem, & constantiam scribentibus, sterilio rem longeque imparem materiam se fortitos intelligerent, eo quod humana miseria nimis multa prorsus euidéter emineat. Felicitas parua, & latens stylo altius fodienda sit, vt ostendi possit incredulis. An autem, vt ex multis summam delibem, patria vobis gaudij causa est? Imago illa similitudo Dei Creatoris, humana intus in anima, ingenium, memoria, prouidentia, eloquium, tot inuenta, tot artes huius animo famulantes, huic corpori, quibus necessitates vestræ omnes diuino beneficio comprehensæ sunt, tanta quoque opportunitates, necessitates, & tam variæ rerum species non necessitati tantum vestræ, sed oblectationi seruientium miris, & ineffabilibus modis, tanta vis radicum, tot herbarum succi, tot florum tam iucunda varietas, tot odorû, & colorum, & saporû, ex contrarijs orta concordia, tot animalia cælo, terris ac pelago, non nisi vestris vsibus dedita, hominiq; solius ad obsequiû creata. Nisi enim peccati iugû sponte subijfetis, omnium, quæ sub cœlo sunt, do minium haberetis. Adde collium prospectus, apricationes vallium, vmbrosos saltus, algentesque Alpes, & tepentia littora. Adde tot salubres scatebras aquarum, tot sulphureos fumantesque, tot nitidos, & gelidos fontes, tot infusa, & circumfusa terris maria, tot amnes assidue mobiles, & immobili stabilitate certissimos regnorum fines. Adde lacus maris æmulos, & stagna iacentia, & riuos inter montiû conuexa præcipites, & floreas ripas, riparumq. thoros, & prata recentia riuis, vt Virgilius ait. Quid sonoris littorib. spumâtes scopulos, arua, rosida, & flauescentes agros, & vineta gêmâtia, & commoditates vrbium, & ruris otia, & solitudinum libertatem? Quid spectaculorum omnium lucidissimum, & augustissimum stellantis cœli ambitum incomprehensibili celeritate volubilem? inque illo fixas, & errantes, quas dicitis, seu vagantes stellas, solem imprimis, ac lunam clarissima mundi lumina (vt Maro ait) Et hic lucidum cæli decus (vt Flaccus ait) hunc terræ fruges, hinc vigor animantium, hinc varietas tempestatû, hinc nos annum, hinc menses, & dies & noctes, & momenta metimur, sine quibus vita fastidio non careret? His accedit corpus licet caducum, & fragile, imperiosum tamen aspectu, sereniumque erectum, aptumque cælestibus contemplandis. Accedit immortalitas animæ, & ad cœlum iter, ac pretio exiguo merces inextimabilis, & quæ in finem sciens distuli, quia tam magna erant, vt per me illa non capere, nisi fidei magisterio didicissem, & resurgendi spes, & hoc ipsum corpus post interitum, agile quidê lucidumque & inuiolabile multa cum gloria reassumendi, & quod

quod omnem non humanam modo, sed angelicam dignitatem supereminet: ipsa humanitas sic coniuncta diuinitati, vt q Deus erat, homo fieret. Idemque vnus numero perfecte duas in se viuens naturas inciperet Deus & homo, vt hominem Deum faceret factus homo: ineffabilis Dei pietas, atque humilitas, summa hominis felicitas, ac gloria, altum vndique occultumq. mysterium, mirum & salutare commercium, quod, nescio, an cœlestis, sed profecto mortalis lingua non æquat. Parum ne tibi autem vel hoc vno nobilitata conditio humana, parumque expurgata miseria videtur? seu quid oro altius, non dicam sperare, sed optare, sed cogitare homo potuit, quam vt esset Deus? ecce iam Deus est. Quid iam restat, oro, quo vota vestra suspirent? nedū reperire quidem, sed nec fingere mauis aliquid relictum? Certe quum ad salutem vestram se diuinitas inclinaret, non aliud cum posset, nisi humanum corpus, humanamq. animam assumpsit, nec angelicæ speciei adscribi voluit, sed humanæ, vt sic quātum te Dominus tuus amet, agnoscas & gaudeas. Ita enim vt præclare ait Augustinus, demonstrauit carnalib. & non volēub. intueri mente Virtutem, corporeisque sensibus deditis, quam excelsum locum inter creaturas habeat humana natura. Quid, quod idem ipse vos, qui hac sua dignatione tam mirifica Angelis quoque prætulerat, ipsos vobis Angelos custodes adhibuit, vt modis omnibus vestram inter creaturas excellentiam demonstraret? At nempe Hieronymus, tantam dignitatem esse animarum, vt vnaquæque ab ortu suo habeat Angelum sibi ad custodiam deputatum. Paterna vere & plusquam paterna de vobis Deo cura est. Et vt dictum Satyrici parumper inflectam: Vere charior est illi homo: quam sibi. Quis hæc inter tristitiæ locus, aut querelæ? nō natura igitur vestra, sed culpa mœstos vos, & querulos facit. D. Mœstum me originis vilitas, & naturæ fragilitas, nuditasque & inopia, & fortunæ asperitas, & vitæ breuitas, & finis incertus facit. R. Multa studio conquiris, vt mœstus sis. contrario instandū erat, vt honesto gaudio lætus esses. Nunc autem mores, cupide malis vestris incumbitis, proinde quod ad vtilitatem originis attinet, aut corporis fœditatem, quicquid quorumlibet ingenijs aceruatum est, non solum admota resurrectione illa, quam vera mortalium fides sperat, & glorificandorum corporum nobilitate deliniter, sed præsenti etiam decore minuitur, interque omnia diuinæ manus opera singulari quadam hominis maiestate. Nam quid ortus obscœnitas humanæ detrahit dignitati? nonne fœda è radice proceræ frondentesque arbores, herbosum solum gratis vmbris vestiunt? Nonne fœdissimo fimo segetes lætæ fiunt? nec fastiditur origo vilissima rei optimæ, vos segetes Dei estis in area iudicij ventilandæ, summique patrisfamilias in horreo reponendæ, terrestris fuerit origo. quamquam nobilis, ac cœlestis ex parte sit, sed fuerit qualiscumque ortus, quā tumlibet difficile incrementum, sedes vltima cœlum sit. Quid illa nuditas imbecillitasque corporea, multarumque rerum grauis indigentia, quæ humanæ conditionis infamiæ ascribuntur? Variarum nonne artium, ac multiplici remediorum supplentur auxilio, vt magis ad gloriam hominis, quam miseriā trahi possit, quod animantib. cæteris ratione carentibus præualidam cutim, vnguesque & villos mater natura prouiderit, homini vnum repertorem omnium cōtulerit intellectum, vt illa scilicet alieno, hic suo quodam proprio, & interno præsidio tutus esset, cætera quaotum nascentibus obtigisset, & non amplius vnus hic tātum haberet, quantum videndo, meditandoque sagaci assequi possit ingenio. Sic seruis dominus, ac bubulcis si quid forte cibi nobilis largiatur, suam cuique portiunculam assignat, vxori nihil aut filio, vt illi hoc tantum, hi pro eorum plus minus ve percipiant, sic illis frænum præponitur, his libertas. Animantibus igitur, quæ vel senio, vel scabie depilata, aut caligantia oculis, aut pede clauda conspicimus remedij nihil est, nisi ab homine conferatur. Homo autem per se nudus ingenio vestitur, atque ornatur. Etsi res poscat, armatur claudus, atque debilitatus equo, aut naui fertur, aut vehiculo, aut auxiliantibus bacillis innititur. Denique modis sese omnibus adiuuat attollitque, quin amissis artub. pedes ligneos, manus ferreas, nasos certos fabricari didicit, & fortuitis casibus obstare. Valetudinem fatiscentem medicaminibus erigit, gustumque torpentem saporibus excitat. visum languidum ocularibus refouet, quam in re maiorib. vestris acutius cogitatis, qui vasculis vitreis aqua plenis (vt Seneca meminit) vtebantur, prope delectabilis naturæ ludus blāda parens ac benigna, quod hunc filio eripit, inde restituit, & cum tristem fecerit, cōsolatur. Quid quod equus, bos, elephas, camelus, leo, tigris, pardus, & similia quantarumlibet virium, cum senuerint, contemnuntur, cum obierint, non sunt, cedunt senio, succumbunt morti, solum hominem virtute præditum, quæ hominis solius est propria, & venerabilem senectus, & mors gloriosum ac felicem facit, transferens, non extinguens. Et ad summam animalia quædam robustiora sunt homine, quædam velociora, quædam sensibus vegetiora, nullum dignitate præstantius. Nullum cuius par cura creatori fuerit. Dedit sphæricam capitis figurā, effigiemque sideream. *Pronaque cum spectent animalia cætera terram: Os homini sublime dedit, cœlumque videre Iussit & erectos ad sidera tollere vultus* (vt præclare ait Naso) licet dictum prius a Tullio. Dedit oculos, dedit frontem, in quibus secreta animi relucerent, dedit rationem, dedit orationem, dedit lachrimas, dedit risum, affectuum signa latentium, quæ quamuis ad argumentum miseriæ quidam trahat, quod fletus præcox risus seruus sit. Ortus enim statim flet, ante diem quadragesimum nō ridet, id vel maxime prudens animal arguit, venturique præscium, non quidem finis, quem virtutis gubernaculo felicem dico, sed difficile, quod ingressus est stadij, atque instantium laborum. Denique quod quodcumque robur est alijs, quæcumque velocitas, quæcumque opportunitas, quæcumque commoditas: tota homini deseruit. Ille indomitos boues ad iugū, & feroces equos ad frænum cogit. Vrsos vnguibus, apros dentibus, ceruos cornibus metuendos decus fecit ille mēsarum: Lynces, vulpes, & infinita id genus, quia esui non erant, vitæ pellis, ac corij reseruauit, retib. maria, canibus siluas, volucribus cœlum omne lustrauit, & quibus cū multum erat homini commercium humanas voces intelligere, & humanis nutibus obsequi docuit, sic ex omni naturæ parte partium aliquid. Non est tibi bouis robur, at tibi bos arat. Non est tibi equi celeritas, tibi tamen equus ambulat. Non est tibi herodij volatus, sed herodius tibi volat. Non est tibi elephantis, aut cameli moles, sed ille tibi turrim vehit, hic sarcinam. Nō est tibi cerui cornium, non agni pellis, aut vulpeculæ, sed illi hæc tuo nomine possident. An ne igitur his, qui vos inopes talium dicunt, haud inelegans responsum illud sit Romani ducis, habere ista hominem nolle, sed hæc habentib. imperare? & hæc quidem modo breuiter, partim philosophicè, partim catholicè dixerim. Ad ægritudinē vero animi (ita enim hanc Philosophi appellāt) & depellendam, & tranquillitatem reuehēdam proderit nosse, quid de primo Cicero in Tusculano suo tertia luce disseruit, qd de secundo Seneca in eo libro, quem de animi trāquillitate composuit. Festinanti quidem ad alia, & spectanti metam non vacat vniuersa complecti. Pro tempore igitur alligatum vulnus, ostēsique mediel animorum, quibus, si hæc nō sufficiunt, vti queas. Iam tria illa, quæ vltimo questus es ne responso quidem digna credidi, quādo & asperitas fortunæ ipsa est, de qua magna pars huius secundi colloquij nostri fuit, & futura est, & asperitatem ipsam breuitas lenire debet, ac minuere, & incertum vitæ finem statuit natura, vt præsens semper, aut proximus crederetur.

A P O P H T H E G M A T A.

Socrates rogatus, quomodo quis vitam tristitia vacuam degeret? respondit, fieri non posse, vt qui in ciuitate, aut familia habitat, & hominibus conuersatur, non aliquando tristetur. *Anton. & Max. serm. de dolore, & tristitia.*

Plutarchus. Vt thoraci tunicam, ita tristitiæ mentem, & rationem induendam esse dicebat. Item: Viam planissimam eligendam, vitam vero tranquillam. *eod. serm.*

Choerus, immoderatum gaudium sæpius in dolorem exire dicebat: & immodica voluptas (inquit) accersitam sibi tristitiam producit. *ibid.*

Epictetus. Si vis, inquit, tristitia vacare, quæ futura sunt hic æstima, veluti iam accidissent. Item, Sapit qui non tristatur propter absentia, sed gaudet præsentibus. Item, Percontatus, quomodo quis hosti tristitiam excitare posset? respondit: Si ita seipsum cōparet, vt quam optime viuat. *In enchir. & dissert.*

Posidippus nullus hominum (inquit) sine tristitia vitam transegit, neque fortunatus ad finē vsque mansit. *Ant. & Max. ser. de tristitia.*

S I M I L I T V D I N E S.

Salomonis regis. Vt vestem tinea, & lignum teredo: Ita cor viri tristitia lædit. *Prou. 25.*

Chrysostom. Quemadmodum vermis in ligno natus ipsum comminuit: Sic tristitia de peccato nata (est enim pœna peccati indicta a Deo mulieri: In dolore paries filios) peccatum conterit per pœnitentiam inducta. *Homil. 7. to. 7.*

Sicut nubes quædam condensata, & sub solarem radium currens, omnem retrorsum splendorem auertit: Sic & tristitiæ nebula, cum ante animum nostrum steterit, non sinit facilem esse orationis cursum, sed suffocat, & cum multa necessitate intus reprimit. Sed cogito, quod non solum nebulæ natura radij in anteriora processum impedit, sed & contrarium ipsa sæpe patitur: nam cū sol calidior continuo illapsus nubem contriuerit, medium ipsius sæpe dissipauit, & totus simul elucens, splendidus cernentiū obtutibus incidit. Hoc ipsum & mihi futurum spero; sermone in animis vestris continue versante, & amplius immorante fractam iri spero tristitiæ nebulam, & mentem vestram solita rursum doctrina micaturam. *hom. 2. de diuers.*

Plutarchus. Vt muscæ a leuibus locis, veluti speculis, dilabuntur, asperis & cauis insident: Sic quidam bonorum obliti, tristium memoriam vrgent, ac premont. *in Moral.*

Quæ natura sunt amara, his admixtis quibusdam dulcibus gratiam addimus: Ita res per se tristes ratione sunt alleuandæ. *ibid.*

Seneca. Quemadmodum omnia vitia penitus insident, nisi, dum surgunt, oppressa sint: Ita quoque tristitia, & miseria, & in se

sæuitia ipsa, nouissime acerbitate pascuntur, & fit infœlicis animi, praua voluptas dolor. *ad Marciam de consolatione.*

Cassian. Vestimentum tinearum esu attactum, nullius precij vsus poterit vlterius habere commercium. Itidemque lignum vermibus exaratum, non iam ad ornatum, vel mediocris ædificij, sed ad combustionem ignis merebitur deputari: Ita & anima, quæ edacissimis tristitiæ morsibus deuoratur, inutilis erit vel vestimento illi pontificali, quod vnguentum Spiritus sancti de cœlo descendens, prius in barbam Aaron, deinde in oram suam solere suscipere, sancti Dauid vaticinio perhibetur: Sicut vnguentũ in capite, &c. *lib. 9. c. 3. institut.*

Pastoris nuncupati pœnitentia, sicut vinum aceto mixtum eamdem suauitatem non habet: Sic & tristitia Spiritui sancto mixta, eamdem orationem mundam non habet.

Nicephori Gregora. Sol cum moderatos radios emittit, multos attrahit ventos, & humores: si immodicos, consumit illos priusquã attrahantur. Eodem modo & modici animorum affectus dolorem suum verbis testari, & lachrimis non recusant: qui vero modum excedunt, ac animum tumultuantem quasi de gradu deijciunt, efficere solent, vt aut nihil dicas, aut quiduis potius, quam quod oportet, aut nihil potius quam quod oportet. *hist. lib. 9.*

P. M. Vrrola, flos rosæ omnium longe gratissimus, de spinis nascitur: Sic è tristibus, & asperis laboribus fructus capitur iucundissimus. *In simil.*

ADAGIA.

Irrisibilis lapis. ἀγέλαστος πέτρα.

De re vehementer acerba tristique. Quadrabit in seueros ac tetricos, quosque vocant ἀγελάστους.

Sinapi victitare.

Tristes ac supra modum tetrici sinapi victitare dicuntur, quod hodieque vulgo tritum est. Germani quoque. Er hat Senff gessen.

In antro Trophonij vaticinatus. ἐν Τροφωνίου μεμάντευται.

De homine vehementer tristi tetricoque: propterea quod olim creditum est, eum qui in Trophonij specum descendisset, postea numquam ridere.

Harmodij cantilena. Ἁρμοδίου μέλος.

De lugubribus ac tristibus dicebatur. Simillimum illud, Admeti melos.

Argiuos vides. Ἀργείους ὁρᾷς.

Id est: Stupidis & attonitis oculis: Sumptum, opinor, ab Oreste, furijs agitato.

Admeti nænia. Ἀδμήτου μέλος.

De tristi lugubrique cantione. Accommodari potest ad orationem querulam, & miserabilem.

Arctum annulum ne gestato. μὴ φορεῖν στενὸν δακτύλιον.

Hoc est: Ne vixeris anxie, & ne temet in seruitutem conijcias, aut in eiusmodi vitæ institutum, vnde te non queas extricare.

Cor ne edito. μὴ ἐσθίειν τὴν καρδίαν.

Ne cures tuum ipsius animum excrucies, aut ne sollicitudinibus vitam reddas breuiorem. Lals ein Hundt sorgen, der bedarff vier schuhe.

Mutare vestem.

Mutare vestem a M. Tullio dicuntur, qui lugent mortuum, aut sunt rei.

Ne si ad Iouis quidem aulam.

Qui metuunt malum, ad asylum, ad arcem, ad aram, ad columnas Principis, ad diuorum phana, tamquam tutissimum refugium confugiunt, Verum a morte nullum est effugium.

Canere de Telamone. ᾄδειν τὰ Τελαμῶνος.

De querulo sermone dictum prouerbium, quod Telamon impotentius fleuerit Aiacem filium.

Lithyersam cantionem canis. Λιθυέρσαν ᾄδεις ᾠδὴν.

Lithyerses erat nothus Midæ regis. Hic instituit, vt in honorem Midæ Lityerses, id est, æstiuas aut messorias hymnos canerentur, vnde ductum prouerbium, vt qui non ex animo canerent, aut qui coacte canerent, hi Lithyersam cantionem canere dicerentur. Theocr.

Tragicum tueri. τραγικὸν βλέπειν.

Quadrabit vel in fastuosos, vel in tristes, ac luctuosos.

Tauricum tueri. βλέπειν ταυρηδόν.

Pro eo, quod est, toruo.

Atrei oculi. Ἀτρέως ὄμματα.

De toruo truculentoque aspectu dicebatur.

Cepas edere aut olfacere. κρόμμυα ἐσθίειν.

Dicebantur ioco prouerbiali, qui lachrimari viderentur. Germani eadem metaphora dicunt: Er hat Zvvibeln gessen.

Superatus es a gallo quopiam. ἐπτήχεις τινὸς ἀλεκτρυόνος.

Iocus prouerbialis in seruos, qui dominos a tergo sequuntur, supplices videlicet & abiecti, cuiusmodi solent esse galli superati in pugna.

Tristis scytale. ἀχνυμένη σκυτάλη.

De re tristi seriaque dicebatur, aut de nuncio, qui dolorem afferret.

Frontem exporrigere. Frontem contrahere.

Frontem explicare, cum hilarescimus: contrahere, cum ringimur, hoc est, vbi quid molestum est, dicimus. Horat. Deme supercilio nubem. Exporrecta fronte, hilariter, Obducta fronte. Contracta, Caperata fronte. Plaut. Caperata frons seueritudine. Et nubila frons, serena frons, explicata frons.

Sanguine flere. αἵματι κλαίειν.

Prouerbialis hyperbole, significans, nihil non fieri, quo infectatur aliquis.

Lapides flere.

De re vehementer miseranda, prouerbiali hyperbole dici solet, eam esse tam lamentabilem, vt vel lapides cogantur ad fletum.

Erinnys ex Tragœdia. Ἐριννὺς ἐκ τραγῳδίας.

De fœdis aniculis. Aristophan.

Sarone magis nauticus. Σάρωνος ναυτικώτερος.

Congruet in horrido cultu hominem, & moribus feris, quod genus nautas plerosque videmus esse. Aut in negociatorem per omnia maria volitantem.

EXEMPLA BIBLICA.

Tristitiæ *exempla:* In Isaaco & Rebecca, *Genes. 26. v. 35.* Esau, 27. *v.* 34. Rebecca, *v.* 26. Iacobo, 37. *v.* 34. Pistore & Pincerna, 40. *v.* 7. Iosepho, 42. *v.* 24. Iacobo, 43. 7. Iosepho, *v.* 30. Samuele, *1. Sam.* 15. *v.* 35. Ionatha, 20. *v.* 34. Dauide, *2. Sam. 1. v. 11. & 6. v. 8. Psal. 35. v. 13. & 38. v. 7. & 42. v. 6. & 43. v. 2. & 55. v. 3.* Thamar sorore Absalonis, *2. Sam. 13. v. 19.* Achab, *1. Reg. 21. v. 5.* Esdra, *1. Esd. 9. v. 3.* Nehemia, *Nehem. 2. v. 1. 2.* Iudæis, *Esth. 3. v. 15. Nehem. 8. v. 9.* Esdra, *3. Esd. 8. v. 72.* Tobia & vxore, *Tob. 10. vers. 7.* Mardochæo, *Esth. 4. v. 1.* Iobo, *1. v. 20.* Ieremia, *Ierem. 8. v. 21.* Dario, *Dan. 6. v. 14.* Antiocho, *1. Mach. 6. v. 8. 2. Mach. 4. v. 37.* Demetrio, 10. 22. Alexandro, *v.* 68. Romanis, 14. *v.* 16. Herode, *Matth. 14. v. 9.* Discipulis, 17. *v.* 23. & 26. *v.* 22. *Ioan.* 16. 22. Conseruis, *Matth. 18. v. 31.* Diuite adolescente, 19. *v.* 22. Christo, *Matth. 26. v. 37.* Petro, *Ioan. 21. v. 17.* Paulo, *Rom. 9. v. 2. 2. Cor. 2. v. 3. Philip. 2. v. 27.*

EXEMPLA PROFANA.

Cn. Pompeius ex acie Pharsalica fugiens, ad Ptolomæum Aegypti regem confugit: huic Cornelia vxor comitata, in nauicula a Septimio, & Achilla Aegyptio misere trucidari vidit. *Plut. in Pomp.*

Philoxenus poeta Dithyrambicus, cum Dionysij tyranni poemata non probaret, vtpote indocta, in lapicidinas ab eo detrusus est: deinde reuocatus illinc amicorum precibus, vbi denuo Dionysium sua carmina pronunciantem audisset, surrexit: & rogatus a Dionysio, quid esset rei, respondit: satius ac potius esse in lapicidinis vitam degere, quam illius audire poemata. *P. M. in adagys.*

FABVLA.

Vicini duo.

Quidam videbat aberrasse de armento bouem vicini, & non procul abesse, quin deueniret in loca infesta lupis. Venit paulo post cum adhuc succurri potuisset boui, ad vicinum suum, & nũquid noui audire gestiat, quærit. Bonine, inquit ille, aliquid affers? Negante hoc: ne audire quidem igitur libet, ille inquit. Abeo igitur, inquit alter. Postridie amissam bouem, cognouerat enim a lupis laceratam esse, deplorans ille, qui nihil triste audire voluerat, audiente etiam vicino, qui nunciaturus damnum impendens fuerat: Ego quidem, inquit hic, vidi illam ante filiam oberrantem sola, & cogitaui futurum esse id, quod narras accidisse. Cur ergo non indicasset expostulanti grauissime: Quia, inquit, tu refutasti, neque admittere nuncium voluisti.

Docet fabula, castigationes non refugiendas, & tristitiam dictorũ sæpe esse fructuosam, notatque aurium delicias, quæ nihil, nisi quod iucundum sit, admittere velint.

Vide Dolor, Luctus, Mæror, Molestia.

TYRANNIS, TYRANNVS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Tyrannis, Græca dictio est, τυραννὶς, id est. Et est dominatus vnius ad proprium commodum, *secund. Arist. l. 4. Politic.*

Tyrannus est, qui, quod sibi conferens est, intendit, Rex vero, quod est vtile subditorum. *ex Arist. l. 8. Ethic.*

Tyrannus apud antiquos etiam pro bono principe accipiebatur. Virg. *Pars mihi pacis erit dextram tetigisse tyrãni.* Vnde deinde obtinuit, vt pro eo domum poneretur, qui dominatu crudeliter abuteretur. A tyrannus fit tyrannicida, qui tyrannum interficit.

Tyrannis & tyrannus, Hebr. est vox media, quæ pro ratione dominationis, & dominantis in bonam, vel in malam partem sumi potest. *Mascurl, Memschal, Memschalah, Memschelleth,* idem est ac Latinis Dominium. Dominatio, imperium, potestas: a verbo *Maschal,* Imperauit, dominatus est, dominium habuit, & vt plurimũ intelligitur de imperio monarchico, aut de Dominatione præpotentis hominis. Tribuitur quoque sermoni, significatque sententias authenticas, & graues dicere, vt sunt adagia, apophthegmata, prouerbia, parabolæ, quæ cum maiestate quadam, & imperiose proferuntur, atque vulgari modo loquendi præpollent. Hinc Græci euphoniæ causa mutantes mem, Hebr. in beta, literam eiusdem instrumenti, dicunt βασιλεύω, id est, regno, dominor, βασιλεὺς, rex, &c.

LOCI BIBLICI.

Tyranni imago, *Prouerb. 28. 15.* tyranni Dei voluntate præsunt, *Ierem.*

rem. c. 7. 8. tyranni arguuntur, *Psalm.* 14. 4. tyranni metui volunt, *Esa.* 19. 13. aliquando subditos timent, *Matth.* 14. 5. tyrannorum furorem fugere licet, *Exod.* 1. 24. tyrannorum merces, *Esa.* 33. 1.

SENTENTIÆ BIBLICÆ.

Cunctis diebus suis impius superbit, & numerus annorum incertus est tyrannidis eius. Sonitus terroris semper in auribus illius: & cum pax sit, ille semper insidias suspicatur. Non credit, quod reuerti possit de tenebris ad lucem, circumspectans vndique gladium. Dum se mouerit ad quærendum panem, nouit, quod paratus sit in manu eius tenebrarum dies. Terrebit eum tribulatio, & angustia vallabit eum. *Iob* 15.

Aufer rubiginem de argento, & egredietur vas purissimum. Aufer impietatem de vultu regis, & firmabitur iustitia thronus eius. *Prou.* 25.

Leo rugiens, & vrsus esuriens, princeps impius super populum pauperem. *ibid.* 28.

In multiplicatione iustorum lætabitur vulgus, cum impij sumpserint principatum, gemet populus. *ibid.* 29.

Oportet enim illis sine excusatione quidem superuenire interitū exercentibus tyrannidem. *Sap.* 16.

SENTENTIÆ POETICAE.

Claud. Bello Gild.

Instat terribilis viuis, morientibus hæres,
Virginibus raptor, thalamis obscœnus adulter.
Nulla quies: oritur præda cessante libido,
Diuitibusque dies, & nox metuenda maritis,
Quisquis vel locuples, pulchra vel coniuge notus,
Crimine pulsatur falso: si crimina desunt.
Accitus conuiua perit, mors nulla refugit
Artificem, varios succos spumasque requirit
Serpentum virides, & adhuc ignota nouercis
Gramina, si quisquam vultu præsentia damnet.
Liberiusue gemat, dapibus crudelis in ipsis
Emicat ad nutum stricto mucrone minister.
Fixus quisque toro tacita formidine libat
Carnificis epulas incertaque pocula pallens
Haurit, & intentos capiti circumspicit enses?
Splendet Tartareo furialis mensa paratu,
Cæde madens, atrox gladio suspecta veneno,
Vt vino calefacta Venus, tum sæuior ardet
Luxuries, mixtis redolent vnguenta coronis.
Crinitos inter famulos, pubemque canoram
Orbatas iubet ire nurus, nuperque peremptis
Arridere viris, Phalarim, tormentaque flammæ
Profuit, & Siculi mugitus ferre iuuenci,
Quam tales audire choros.

Sen. Oed. Act. 3.

Qui sceptra duro sæuus imperio regit,
Timet timentes, metus in auctorem redit,

Senec. Herc. fur. act. 2.

Qui morte cunctis luere supplicium iubet.
Nescit tyrannus esse, diuersa irroga.
Miserum vita prohibere, felicem iube.

Iuuen. 10

Ad generum Cereris sine cæde, & vulnere pauci
Descendunt reges, & sicca morte Tyranni.

Sen. Herc. fur. act. 3.

Vidi trementes carcere inclusos Duces,
Et impotentis terga plebeia manu
Scindi Tyranni.

Val. Flaccus 5.

Nec vulgi cura Tyranni,
Dum sua sit modo tuta salus.

Claud. 4 Honor.

Qui terret, plus ipse timet, sortitus Tyrannis
Conuenit, inuideant claris fortesque trucident,
Muniti gladijs viuant septique venenis
Ancipites habeant arces, trepidique minentur.

Sophocles in Aiace furente.

Τὸν τύραννον εὐσεβεῖν οὐ ῥᾴδιον.
Tyrannum bene colere non facile.

Iuuen. Sat. 4.

Sed quid violentius aure tyranni
Cum quo de pluuijs, aut æstibus, aut nimboso
Vere locuturi fatum pendebat amici.
Quicquid conspicuum pulchrumque ex æquore toto est,
Res fisci est, vbicumque natat.

Boet. de Philos. consol. l. 1. metro. 4.

Quid tantum miseri sæuos tyrannos
Mirantur sine viribus furentes?
Nec speres aliquid, nec extimescas,
Exarmaueris impotentis iram.
At quisquis trepidus pauet vel optat,

Polyanthea Nouiss.

Quod non sit stabilis, suique iuris
Abiecit clypeum locoque motus
Nectit, qua valeat trahi catenam.

Ex Græco quodam Comico.

Τυραννίδος δὲ τῆς πάλαι θρυλλουμένης
Τὸ μὲν πρόσωπον ἡδὺ, τὰς δ' ὀδύνας δὲ λυπηρά.
Vultu tyrannis est quidem lætissimo:
Intus dolores, sed fouet grauissimos.

PHILOSOPH. ET HISTOR. SENTENTIAE.

In vita tyrannorum nulla fides. *Cic. lib. de amicit.*

Nulla nobis est societas cum tyrannis, sed potius summa distractio. Neque contra naturam est spoliare eum, si potes, quem etiam honestum est necare: Atque hoc genus pestiferum, & impium ab hominum communitate exterminandū. Etenim vt membra quædam amputantur, si ipsa sanguine, & tamquā spiritu carere cœperunt, & nocent reliquis partibus corporis: Sic in ista figura hominis feritas, & immanitas beluæ a communitate, tamquam humanitate corporis segreganda est. *Idem l. 3. Offic.*

Tyrannus sibi ipsi conferens intendit, rex autem subditorum. Prauitas monarchiæ tyrannis. In tyrannide nihil vtile, parum amicitiæ est. *Idem.*

Ciues custodiunt armis reges, tyrannos haud extranei. *Arist.*

Nullæ leges tyrannis securitatem præstant. *Xenoph. de reb. gest. Græc. lib.* 7.

Qui vt obtinere possunt, quod volunt, non putant iudicijs certandum esse. *Thuc. l.* 1.

Ijs qui tyrannicam adepti sunt potentiam nihil absurdum, quod vtile est, nihil amicum, quod metuendum: & omnibus pro temporis opportunitate amicos, aut hostes esse congruit. *Idem l.* 6.

In tyrannis nulla est fides. *Dionys. Halic. l.* 11.

Tyrannorum cupiditates sunt infinitæ, vt verisimile est, quippe quæ metu non cohibentur. *Idem, lib.* 2.

Quiuis tyrannus eos sibi ducit inimicissimos, qui libertati patrocinantur. *Polyb. hist. lib.* 8.

Atrocitas ipsorum vitæ piscium commode assimilatur, de quibus fertur, quod cum eiusdem generis sint, nihilominus tamen minorum perditio maiorum fit cibus, & vita. *Idem, hist. l.* 15.

Immerito populum culpant tyranni, si vilitatis causa is modo huic, modo alteri pareat: ipsos enim imitatur, infidelitatisque, & proditionis eosdem habet magistros, qui plurimum lucrati existimant eum, qui quam minime ius sequatur. *Plut. in Pyrrho.*

Quemuis potius quam tyrannum Plato fortem esse affirmabat, ac sermone ad iustitiam conuerso, beatam iustorum, miseram iniustorum, & tyrannorum esse vitam docebat. *Idem, in Dione.*

Qui immodice sua in omnibus rebus potestate abutitur, is neque beneuolentiam veram, neque securitatem certam inuenit, quantumuis palam ficto studio homines ei adulentur ab omnibus enim ijs qui in eos summam potentiam obtinet, ijsque præsertim quibus cum eo negocium est, in suspicione habetur, timeturque. *Dion. l.* 43.

Tyrannis suos satellites commune maleficium communisque metus conciliat. *Appian. lib. 2. de bell. ciuil.*

Regibus (id est, Tyrannis, vt ex contextu liquet eo loco) boni, quā mali suspectiores sunt, semperque his aliena virtus formidolosa est. *Sallust. de coniurat. Catil.*

Facinora atque flagitia sua ipsi in supplicium vertunt. Neque frustra præstantissimus sapientiæ firmare solitus est, si recludantur tyrannorum mentes, posse aspici laniatus, & ictus: quādo vt corpora verberibus, ita sæuitia, libidine, malis cōsultis animus dilaceretur. Nec eos fortuna, aut solitudines protegunt, qui in tormenta pectoris suasque ipsi pœnas lateantur. *Tacit. Annal. l.* 6.

Voluptatib. plus aduersus subiectos, quam armis valēt. *Id. hist. l.* 4.

Prouinciarum sanguine prouincias vincunt. *ibid.*

Aequiore animo ferre solent plebeios homines libere loquentes, quam præditos aliqua dignitate. *Xiphilin. Caligul.*

Similes mihi videri solent sui Aesopicæ tyranni, qui semper in suspicionibus, & metu versantur: cum sciant, sicut sues, suam vitā omnibus deberi. *Aelian. var. hist. l. 10. c.* 5.

O diabolicas cogitationes, & inspirationes! Si nonnullis principibus persuasum est, multa piorum millia, ob qualecumque in eos delictum, sanguinarijs gentibus ouium instar ad cædem, & internecionem dedi. *Nicet. Isaac. Angel. l.* 3.

Omnes habentur & dicuntur Tyranni, qui potestate sunt perpetua in ea ciuitate, quæ libertate vsus est. *Aemyl. Prob. in Miltiade.*

Inuisa est singularis potentia, & miseranda vita eorum, qui se metui quam amari malunt. *Idem, in Dione.*

In tyrannide licet pro libidine agere omnia impune. Hæc virum, etiamsi optimus omnium fuerit, tamen, quam in ea positus est, extra consuetos abijcit sensus. Quippe quum præter inuidiam ab initio ingenitam homini, ingeneretur ex præsentibus bonis insolentia. Hæc autem duo habens, omne vitium habet tum per insolentiam, quod expletus omnibus rebus est, tum per inuidiam multa facinora admittens. At enim tyrannia, vt quis om-

nia bona obtineat, debet esse sine liuore, vt cum ita natura com paratum est, vt is sit aduersarius popularibus suis, siquidem eorum optimis quibusque qui superstites sunt, atque viuunt, inuidet, deterrimis delectatur: & quod indecentissimum est, criminationes admittere optimum putat. Nam siue admireris eum modeste, offenditur quod non essule hoc facias, offenditur, quasi sibi assenteris. Et vt exequar dicendo, q̃ maxima sunt, iura patriæ labefactat, feminis vim adfert, indemnatos interimit. *Herod.l.3.*

Tyrannide nihil est in rebus humanis, neque iniustius, neque magis mortiferum. *Idem, lib.3.*

Qui tyrannidem serunt, tribus maximis malis vexantur, oempe stultitia, animi mollicie, & ignauia. *Timeyd.l.1.*

Tyrannis cum multorum sit malorum plena, nullum tamen in se tam graue malum habet, quam quod nemo eorum, qui amici nomen vsurpant, libere cum tyranno loquitur. *Plut. in Timoleonte.*

Tyrannia omnibus studiosis libertatis est inuisa. *Dion. Halic.l.4.*

Animi inconstantia, vel victus inopia, vel desiderium licentiæ, & commodorum tyrannidem comitari solent. *Idem lib.5.*

Vnius viri dominatus si fuerit crudelis, & insolens, & tyrannica studia insectari cœperit a paucis iisque bonis viris euertitur: at paucorum dominatus qui ex optimis quibusque viris constat quum diuitijs, & sodalitijs elatus iustitiam exierasque virtutes contemnit, a prudenti populo tollitur: populus vero quum a modestia recedere, & ad iniuriam transire incipit, ab optimo viro ad suum officium vi retrahitur. *Id.l.7.*

In vulgo tyrannis nasci solet. *lib.9.*

Socordiam eorum irridere libet, qui præsenti potentia credunt extingui posse etiam sequentis æui memoriam. Nam contra punitis ingenijs gliscit auctoritas, neque aliud exteros reges, aut qui in scriptores fæuitia vsi sunt, nisi dedecus sibi atque illis gloriam peperere. *Tacit. Annal.l.4.*

Grauiorum facinorum ministri quasi exprobratores aspiciuntur. *Idem, Annal.l.14.*

Merces ab eo qui iubere potest, vim necessitatis adfert. *Idem Annal.l.14.*

Pulcherrime a Dijs immortalibus comparatum est, vt nullam tyrannidem vsque ad tertiam generationem propagent: sed aut confestim tyrannna tamquam proceras piceas perdant, & extirpent, aut liberos eorum viribus denudent, ac spolient. *Aelian. var. hist. lib.6.c.13.*

Tyrannidem nemo, nisi celeriter maturatam secreto innadit, & publice armat, huius summa est, assumpto diademate, & purpura, videri antequam sciri. *P.Orosius, hist.l.7.c.40.*

Qui è tyrannide sunt elapsi, sese (nisi retineantur) in effrænatam licentiam præcipitant, quæ quidem & ipsa iure tyrannis potest appellari: nam & populus, cū indignis dat, quod dignis adimit, eum gradus & merita ciuium confundit, tyranno est similis: eo jus tyrannis eo forte, perniciosior est, quo periculosior ignorantia, quæ nec pondus, nec mensuram, nec legem habet, quam mala, quæ tamen ipsa aliqua regula, aliquo fræno, aliquo termino gubernatur. *Fr. Guicciard hist l.1.*

Acceptus præstanti usque tyrannorum depulsoribus nihil est: quorum gratia eo demum auctior erit, si modesti ipsi, atque abstinentes sint. Quippe humanæ mentes, frustratæ boni spe, asperius offenduntur, cum mutato rectore flagitioso ærumnarum vis manet. *Aurel. Vict. lib. de Cæsarib.*

Accidere plerumque solet, vt imperia non diu maneant apud illos qui ea rapuerunt: sed auolent cito, quasi que aufugiant, tamquam si paulatim dominos ipsos incipiant agnoscere. *Constant. Manass. Annal. pag.79.*

Tyrannis quasi seminarium in se continet crudelitatia, & omnes hominum iniurias sceleraque complectitur. *Polyb.l.2.*

Tyrannum etiam tempore pacis capere, & summis afficere cruciatibus, optimum simul atque honorificum est. *Idem eod. lib.*

Nullam spem salutis nisi in subditorum diffidio inter se ac mutua diffidentia habet tyrannus. *Plut. in Dione.*

Nihil timidius est tyranno. *Idem, in Arato.*

Nullus est qui non videat manifeste ex plebis adulatione omnem tyrannum fieri: & compendiosissimam esse viam ijs qui ciuitatis libertatem opprimere volunt, eam quæ per fauorem pessimo sum ciuium ducit ad potentiam. *Dionys. Halic. lib.6.*

Vt faciendis sceleribus promptus, ita audiens, quæ facit insolens est. *Tacit. Annal.l.15.*

Tyrannum longa prædecessorum serie tumentem non manus subditorum, sed sua immanitas, sua luxuria ceruicibus publicis depellunt. *Idem hist.l.1.*

Sub tyranno inertia pro sapientia est. *Idem, in vita Agric.*

Optat mundi generale habere seruitium: causas prælij non requirit, sed quicquid commiserit, hoc putat esse legitimum. Ambitū suum brachio metitur, superbia licentiam satiat. ius fasque contemnens hostem se exhibet naturæ cunctorum. Omnium meretur hic odium, qui in communione omnium se approbat inimicum. *Iornand. lib. de reb. Getic.*

Ego felicem non existimo eum qui populi sui facultates diripit, eam aerem semper sycophantas subornat, & ipse eos accusat, si alium non inuenerit: & aurum ex vniuerso terrarum orbe coactum sibi soli recondit: & vrbes spoliatas eo redigit, vt cōstitutas tributa haud facile pendere possint. *Suidas, in Leone Macell.*

Modico si imperio non contentus erit, qui amplissimum audacia, ac scelere parari posse confidit. *P. Iouius, hist. lib.13.*

Tyranni opus est finis malefaciendo, cum terrore imperium exercere in inuitos, & mutuo odio cum subditis indesinenter versari: contra, Regis proprium est, omnibus benefaciendo, cum liberalitate, atque clementia sponte subiectos gubernare, in mutua mutuo semper beneuolentia, ac charitate viuere cum ciuibus. *Polyb. lib.5.*

De occupata tyrannide. DIAL. XCV. Francisci Petrarch.

GAV.

Inuasi tyrannidem in ciues meos. R. Rependisti dignam vicem stultis animantibus, illi te æquo altius extulerunt, illos tu iniquo iugo seruitij depressisti. G. Tyrannidem arripui. R. Abstulisti libertatem alijs, securitatem tibi, requiem vtrisque. G. Tyrannidē consecutus sum. R. Statum certi laboris: euentus ambigui, sed vt plurimum infelicis. Non te ad historias veteres, atque externas mittam. Quis Pheræi Alexandri exitus nesciat? Quis Dionysij Syracusij? Quis Agrigentini Phalaridis? Quis Annonis Pœni? Quis Eleatici Heracleensis? Quis Ephimenis Aristonymi? Quis Chalcedonij Nabidis? Quis Hipparchi denique Atheniēsis, quem occidisse immortalis gloria interfectoribus fuit. Non ad recentiores, atque domesticos Cassium Meliumque, & Manlium Romanos ciues, Catilinam quoque, & Gracchos, & Apuleium, non tyrannos quidem, sed tyrannidem affectantes, in quae impijs conatibus deprehensos, ceptoq. promissoros, atq; oppressos. Non postremo ad illos, qui maiores non minores, nisi vero imperij, trucem texere tyrannidem, atque iniustam, Caium scilicet ac Neronem, Domitianum, & Commodum, ac Bassianum, reliquosque eius ordinis solo nomine principes, quorum meos tyrannica, ac tyrannicus finis fuit, sed ad alios, quos aorum patrumque memoria, seu etiam quos ætas, ac regio præsēs videt. Hos ego, ne distantibus te fatigem, circumspicere, & contemplari iubeo, videbis, vsitatum & communem tyrannorum exitum, aut gladium, aut venenum, vereque illud a Satyrico dictum dices: *Ad generum Cereris sine cæde & vulnere pauci Descendunt reges & sicca morte tyranni.* G. Tyrannidem in ciues exerceo. R. Prædam atque escam in à auro implendus, & sanguine, aura sitiens monedula, tenaxque, *nec missura cutem nisi plena cruoris hirudo,* sed qua fronte, quo ve animo, seu sanguine illum fundis pro quo sessuando, si homo esses, sanguis tuus vltro tibi fundendus erat, seu ciuibus tuis aurum rapis, quod diris prædonibus largiaris, spolians, qui tuis pascendi opibus fuissent, ditansque, a quibus omni ingenio extorquendum legis, sic maiorum vel exēpla vel monita viluerunt? Sed hoc pessimum habet tyrannorum vita, vt quibus fidendum est, metuant semper, fidant quæ, quibus fidei nihil est, totumque hoc malum hinc immeritis irrogatæ iniuriæ faciunt, hinc indignis erogata beneficia, & ambitione turbatus ordo rerum, amici ex hostibus, hostes ex ciuibus. G. Tyrannus patriæ meæ sum. R. Numquam id esses, si illam tuam esse patriam meminisses, si obuersaretur animo publicæ matris effigies, numquam fratres lacerares tuos, cum quibus æquam pueritiam, atque adolescentiam egisses, eodem cœlo vsus, ijsdem aquis, ijsdem atque factis, ijsdem festis diebus, ijsdem ludis & luctibus, qua nunc mēte de illorum tergo potes ludere, atq; illis flentibus gaudere? qua postremo impudentia eo ex vrbe vetus, in qua vitam tuam omnibus scis inuisam, mortem cūctis optabilem? vbi esse neminem certus es, qui non male perditū te velit lupum ma de grege sæuissimum? G. Tyrannidem accepi. R. Si præterito præsens tempus confers, duram te ac miseram subijsse sarcinam intelliges, tutam agebas, & quietam vitam de hinc nisi sceleri iungis amentiam. Nulla tibi fine metu ac tumultu animi dies, nulla nox ibit, nullus non suspectus cibus, nullus sopor imperterritus, dum vbique in ceruicib. impendentem videris mucronem, quem amico opes fortunasq; suas mirāti non inepte monstrasse traditur Dionysius tyrannus quidem, sed tyrannidis æstimator acutissimus. G. Ferro mihi tyrannidem acquisiui. R. Ferro quæsitam, ferro etiam seruaturus, ferro forsitan amissurus. Præclaras plane diuitias comparasti, esse omnibus odiosum atq; terrificum, quodque hine sequitur, tibi te perpetuo grauem metu: vt enim periculi nihil sit, quod in quibuldam vrbibus natura ciuium præstat apta seruitio, quā diu tamen pauor aberit animo recolenti, quid ille huius quod legitimi nomē habet imperij mercator, ac fundator primus audiuit a Laberio Romano equite: Necesse est, inquit, multos timeat, quem multi timent: cuius dicti ratio illa est, quam posuit Nalo: *Quia quem metuit quisque perire cupit.* positam prius ab Ennio, vbi ait: *Quem metuunt, oderunt, Quem quisque odit perijsse expetit:* vt tamen & periculum, & metus etiam omnis cesset, quod nonnullos tyrannorum, vel iniuria publicis malis audacia, vel nota ciuium spon-

ſpondet ignauia, an non ſaltem vilius eſt putor his præeſſe, quibus te ſubeſſe ſit dignius? præter iniuſtam vim rebus omnibus imparem. G. Tyrannidem indui. R. Humanitatem ergo & iuſtitiam exuiſti, ſimul & procelloſam vitam, & cruentam, aut certe dubiam mortē elegiſti infelix, de quo ſola patria, quæ te genuit atque aluit, mortem ſperet. An vero non ille ſat miſer eſt, quem miſerum volunt omnes? An non ille miſerrimus, qui tam miſer eſſe non poſſit, quin ſit dignus eſſe miſerior? G. Habeo ſummum inter ciues locum. R. Habes in ciuibus tyrannidem, in arenis domum, in vepribus ſtratum, in prærupto ſedem, in rapinis inopiā, in miſerijs inuidiam.

A P O P H T H E G M A T A.

Bias rogatus, quodnam eſſet ex animalibus pernicioſiſſimum; Silueſtrium, inquit, tyrannus, domeſticorum, adulator. *Plut.*

Thales ſciſcitatus, quid difficile vnquam vidiſſet? Tyrannum, inquit, ſenem. *Plut.*

Democritus, cum apud Dionyſium quæreretur, quod æris genus eſſet optimum? Ex quo, inquit, Athenienſes ſtatuas fecerunt Harmodio & Ariſtogitoni. Quo oſtendere voluit, tyrannos è medio tollendos eſſe: & his, qui eieciſſent ex ære ſtatuas erigendas eſſe more Athenienſium. *Laert. lib. 9. idem tribuitur Diogeni a Laertio lib. 6. & Antiphonti oratori a Plutarcho.*

Diogenes, percontanti, quo pacto Dionyſius vteretur amicis? Vt vtribus, inquit: Plenos ſuſpendit, inanes abijcit, ſignificans, a tyranno diuites occidi, pauperes negligi. *Laert. l. 6.*

Idem dicebat: Cæteris mortalibus, quibus res ſunt proſperæ, vita iucunda eſt, mors odioſior: rurſus infelicibus vita grauis eſt, mors optabilis, at horum vtrumque tyrannis eſt moleſtius. Siquidem vt viuunt inſaniusij, qui mortem vehementer optant. ita mortem perinde metuunt, quaſi vitam ſuauiſſime degant.

Anaximanes interrogatus, quid ad familiaritatem difficile eſſet? Tyrannus, dixit. *Stob. ſerm. 47.*

Antiſthenes carnifices tyrannis longe præferebat. Cuius cauſam interroganti cuidam, reſpondit: A carnifice quidem homines iniuſti interimuntur, a tyranno autem etiam inſontes. *ibid.*

Timon Alcibiadis crudelitatem notans, redeunti a concione, ait: Macte virtute adoleſcens: authoritate tua potentiam auge, magnam enim huic Reip. perniciem augebis. *Plut.*

Demoſthenes audiens quorumdam improbari tyrannidem: Rex, inquit, malus, & tyrannus, res eſt inimica bonis ciuibus, & legibus contraria. *Phauorinus.*

Argeus, iter aliquando faciens per Siciliæ Selinuntem, cum in ſepulchro quodam hoc elegiacum legiſſet:

> *Hoſce Selinuntis quicumque tyrannida Mauors*
> *Extinxere, feros perdidit in foribus, &c.*

Iure perijſtis, inquit, qui ardentem tyrannidem extinguere conati eſtis. Nam permittendum potius fuit totam cremari. *Plut. in apop. Lacon.*

Demochares, apud Athenienſes cum decretum eſſe, ne Demetrij quædam epiſtolæ ad populum afferrentur, Athenienſes mox pœnitentia acti, authores eius decreti in exilium miſerūt: ac decreuerunt, vt ea omnia, quæ a Demetrio iuberentur, ſancta apud Deos, iuſtaq; apud homines eſſent. Verum, Demochares Spartiata, ad tyranni potentiam alludens: Inſaniret (inquit) Stratocles, niſi hoc pacto inſaniret. Etenim plurimum ob huiuſmodi adulationes precij ferebat ſycophanta Stratocles. *Plut. in Demetrio.*

Xerxes Græciæ bellum indicturus: conuocatis omnibus Aſiæ principibus, dixit: Ne viderer meo tantum conſilio hoc aggreſſus, contraxi vos: cæterum mementote, mihi parendum magis, quā ſuadendum. Vox bis tyrannica: & quod principum conuentu pro fuco abuteretur, & quod negocium multo periculoſiſſimum ſua vnius cupiditate verius, quam conſilio ſuſciperet. *P. M. lib. 5. apoph.*

Ariſtippus, cum Dionyſius exprobraret Ariſtippo, quod nihil vtilitatis ab eo accepiſſet: Verum ait, dixit: Si quid enim tibi profuiſſem, non ſecus a tyra[n]nide, quam a comitiali morbo liberari voluiſſes. *Stob. ſerm. 47.*

Idem regnum a tyrannide tantum differre, dixit, quantum lex a Reipublicæ ſtatu abſque legibus, & libertas a ſeruitute. *Stob. eod. ſer.*

Himera. Dionyſij tyranni mortem cum omnes Syracuſani appeterent, ſola Himera mulier Deos orabat, vt Dionyſius diu ſuperſtes eſſet. Quod vbi reſciuit tyrannus, rogauit vetulam, quā ob cauſam Deos oraret, vt longam ſibi largirentur vitam? Tum illa: Puella cum eſſem, ait, grauemque tyrannum haberemus, occidi illum cupiebam. Eo mortuo, aliquanto deterior tyrannidē occupauit: ei quoque mortem imprecata ſum, & ex ſententia euenit. Te vero longe deteriorem nunc habemus. Verita igitur, ne re abſumpto deterrimus in locum tuū ſubſtitueretur, te diu incolumem nobiſcum eſſe vnice cupio. *Bruſ. l. 6. c. 21.*

Phalaris dicere ſolebat: Ego qui expertus vtrumque ſum, tyrannidi malim ſubeſſe, quam præeſſe. Subditus enim aliorum malorū ſecurus, vnum tyrannum metuit: tyrannus autem, & eos qui foris inſidiantur, & illos, per quos ſeruatur. *Stob. ſerm. 47.*

Ptolemæus, cui cognomen fuit Philadelphus, dicebat, in tyrannide *Polyanthea Noviſſ.*

cum alia multa eſſe grauia, tum illud maxime, quod immeritos occidere cogatur, vtilitatis ſuæ gratia. *ibid.*

Anonymus quidam Bruti ſtatuæ ſubſcripſit: Vtinam viueres, quod opera Bruti Tarquinius ex vrbe depulſus eſſet. Cæſaris ſtatuæ ſubſcripſerant hos verſiculos:

> *Brutus, quia reges eiecit, conſul primus factus eſt:*
> *Hic quia conſules eiecit, rex poſtremus factus eſt.*

P. M. lib. 4. apoph.

T. Quintius contra Philippum Macedonem miſſus, quum in colloquium veniſſet, & Philippus obſides poſtularet, quoniam apud Romanos multi eſſent duces, ipſe autem ſolus inter Macedones, ſcito ſcommate illius tyrannidem taxans. Quintius: Tu nempe, ait, te ſolum effeciſti, quippe qui amicos, & cognatos occidas. *Plut.*

M. Antonius, quum Rhodum inſulam vi cepiſſet, & in ingreſſu ſalutaretur rex atque dominus: Nec rex ſum, inquit, nec dominus, ſed regis ac Domini interfector. *Plut. in Ant.*

Pompeius poſt prælium in Pharſalicis campis habitum in Aegyptū profugit, cumque è triremi deſcenſurus eſſet in ſcalmum piſcatorium ab Aegypti rege miſſum, conuerſus ad vxorem ac filiū, nihil aliud dixit, quam illud Sophocleum:

> Πρὸς τὸν τύραννον ὅστις ἐμπορεύεται,
> Κείνου ἐστὶ δοῦλος, κἂν ἐλεύθερος μόλῃ.
> *Quiſquis tyranni ad tecta demigrauerit,*
> *Fit ſeruus illi, liber etſi venerit.*

præſagiſſe videtur imminens exitium. Vbi enim deſcendiſſet in ſcapham, ictus gladio, ſemel tantum emiſit ſuſpirium: & obuoluto capite præbuit ſe occidendum. *Plut. in apoph.*

Nero, cum nihil flagitiorum ſibi non permitteret, elatus tanto rerū ſucceſſu, dicebat neminem principum ante ipſum ſciſſe, quid & quantum ſibi liceret. Verum qui hoc dixit, ſenſit tandem, quid viciſſim liceret populo in malum principem. *ex Suet. in eius vita.*

Anonymi, noctu quidam ſimulabant ſe ſæuire in ſeruos, petebantque vindicem. Vindex autem erat defectionis in Neronem dux. Et hoc ioco notabatur, iam non ferenda Cæſaris tyrannis. *Suet. in eius vita.*

Nero, deſperatis rebus noctu adijt hoſpitia ſingulorum, de fuga cōſulturus: quumque fores omnium occluſas repeiiſſet, reuerſus in cubiculum, comperit & cuſtodes diffugiſſe, direptis etiā ſtragulis, & amota veneni pyxide, quam in extremum caſum parauerat, mox Mirmillonem nomine Spiculum requiſiuit, vel aliū quemlibet, cuius manu periret: ac nemine reperto: Ergo ego, inquit, nec amicum habeo, nec inimicum? Decretum erat, eam belluam publico orbis odio immolare. *Suet.*

Batto Dalmata a Tiberio interrogatus, cur toties cum ſuis defeciſſet, & Romanis tantam cladem intuliſſet? reſpondit, vos in cauſa eſtis: qui ad greges veſtros cuſtodiendos non canes dediſtis, aut paſtores, ſed lupos. Sentiens, gubernatorum aut Cæſaris tyrannidem defectionis cauſam fuiſſe. *Dion. in Auguſto.*

Caligula, cum audiret forte reges, qui officij cauſa in turbam adueerant, inter ſe ſuper cœnam de nobilitate generis concertantes, exclamauit: De cœlo venit nobis rex, & adiecit carmen Homericum:

> Εἷς κοίρανος ἔστω, εἷς βασιλεύς.
> *Vnus Dominus ſit, vnus rex.*

Nec multum abfuit, quin ſtatim diadema ſumeret, ſpeciemque principatus in regni formam conuerteret. *Suet.*

Idem. Antoniæ auiæ pro ſua authoritate monenti, vt quædam ſecus ageret: Memēto, ait, mihi omnia in omnes licere. Talia portenta tum principum titulo pertulit mundus, quæ non commemorarem, niſi vt ex his principibus prodigioſæ feritatis horror incutiatur. *P. M. ex Suet.*

Anonymus. Scurra quidam ad Claudij tyrannidem alludens, ait, in vno annulo bonos principes poſſe ſcribi, atque depingi omnes. *Bruſ. lib. 6. c. 21.*

Ludouicus XII. Galliæ rex, plebem & ruſticos dicebat eſſe paſcua tyrannorum, & militum: tyrannos autem & milites paſcua eſſe Diabolorum. *Annal. Francis.*

S S M S L I T V D E N E S.

Chryſoſtomi. Sicut beſtia, quamuis ſit naturaliter ſæua, tamen ſi excitata non fuerit, non ſe facile ſuper hominem iactat: Si autem homine occiſo, vel aliqua beſtia, ſanguinis acceperit guſtum, iam ſi viderit hominem, ſine mora aliqua irruit ſuper eum: Sic & Herodes, etſi propoſito erat iniquus, tamen poſtquam propter correptionem adulterij eſt exaſperatus, opus peſſimum auſus eſt facere, & Ioannem recludere in carcerē, ſeipſo iniquior, & audacior quidem fuerat ſemetipſo factus, cum omnib. Iudæis in mortem Ioannis conſentientibus. *in c. 4. Matth.*

Quemadmodum prædo aliquis domum cunctis dormientibus ingreſſus, vt auferat omnia, ſi quem viderit accendere candelam, illū mox interimit, & lumen extinguit, vt auferre, & rapere alia abſque metu poſſit: Ita & Nero tunc latronem, & furem quemdam agens, dormientib. omnibus, profundoque ſomno grauatis, omnium bona diripiebat, nuptias inuadebat, domos ſubuer-

tebat, nullumque maliciæ genus intermittebat. *Homil. de profectu Euangelij.*

Theodoreti. Ideo Deus Pharaoni varias pœnas intulit, non vt illum meliorem efficeret (nouit eius durissimam mentem non posse conuerti) sed vt ea quæ olim de ipso prædicanda erant, perutilia cunctis exempla fierent. Sicut enim ciuitates, iustitiæ ministros, & carnifices alunt, per quos & parricidas, & latrones pœna afficiunt, non laudantes quidem quæ sibi carnifices peragēda munia desumpserunt, sed ad necessarios tamen vsus eorum ministeria tolerantes: Ita & mundi huius præsul ac Deus patitur tyrannos esse, ceu quosdam carnifices, vt per eos ab impijs hominib. pœnas exigat: mox eos tyrannos supplicio traditurus: ita puniuit filios Israel per Assyrios. *De Græc. curat. serm. 6.*

Phauorini. Quemadmodum feræ retia declinantes, in angustiorem locum se recipiunt: Ita & tyrannos est videre recedentes ex Græcia in ciuitatem, ex ciuitate in arcem, deinde in domum, postremo in cubiculum. *Apud Stob. serm. 47.*

Aeliani. Quemadmodum sus, cum neque lanam portet, neque quicquam aliud eius generis, quam primū deprehenditur manibus, mortem auguratur, sciens post mortem demum se vsui esse hominibus: Sic etiam tyranni semper in metu versantur, cum sciant se dum viuunt, plane esse inutiles, suam autem solam vitam omnibus deberi. *lib. 10. de var. hist.*

Quemadmodum, si etiam summam diligentiam adhibeas, tamen piscem sine spinis non inuenias: Sic neque hominem inuenire licet, qui non dolosum spinosumque quiddam habeat admixtū. *Apud Aelian. lib. 10. de var. hist.*

Plutarchi. Vt hyenæ fel, & phocæ coagulum, atque aliæ pessimarū ferarum partes, aduersus magnos morbos efficax habent remedium: Sic Deus pessimis tyrannis vtitur nonnumquam ad correctionem vitiorum. *In Moral.*

Ciceronis, vt si gladium paruo puero, aut si imbelli seni, aut debili dederis, ipse impetu suo nemini noceat, sin ad nudum, vel fortissimi viri corpus accesserit, possit acie ipsa vel ferri viribus vulnerare: Ita cum hominibus eneruatis, atque exsanguibus, magistratus tamquam gladius est datus, qui per se pungere hominē numquam potuissent, hi magistratus nomine armati Rempubl. trucidauerunt. *Pro Sext.*

Francisci Patricij Senensis. Quemadmodum ludi literarij magistri, qui minis, ac verberibus nimis in pueros sæuiunt, hebetiores illos tardioresque reddunt, & in odium disciplinarum, bonarumque artium eos compellunt, quos nimia formidine coercent, verbis vero ac verberibus obdurant: vt pessima quædam mancipia, quæ plagis consuescunt, ingenia quoque puerorum nimia seueritate emendationis deficiunt, maluntque ignorare, quam tanta cum difficultate perdiscere: Eodem pacto vecordes, & ignaui fiunt ciues, qui tyranni sæuitiam semper formidant. *lib. 2. c. 1. de Regis instit.*

Plinij, cerui cum arrexere aures, acerrimi auditus sunt: cum remisere, surdi: Ita principes si quid est, quod placeat, id procul etiā percipiunt: si quid secus, quantumuis clames non intelligunt. *lib 8. c. 33.*

Formicæ triticum arrodunt ea parte, qua germinare incipit, ne sibi reddatur inutile: Sic potentes quo ministris perpetuo vtantur, premunt: ne si emerserint, tædio seruitutis relinquant aulam. *lib. 11. c. 30.*

Crocodilus, inuictum alioqui & perniciosum animal, tamen Tentyritas adeo metuit, vt ad vocem etiam expauescat: Ita tyranni cum omnes contemnant, tamen eruditorum literas subtiment. *lib. 8. c. 25.*

Aspis, pestilentissimum malum, non vagatur, nisi cum compare: ea interfectorem pertinacissime persequitur: Ita tyranni filium, aut alium tyrannidis successorem adiungunt, ne desit vltor, si quid acciderit. *lib. 8. c. 23.*

Catoblepas & basiliscus solo aspectu necant, maxime si oculos intueare: Ita tyranni nonnulli solo oculorum conie ctu nonnullos ad laqueum adigunt: at formosa mulier, & impudica, perimit intuitu. *lib. 8. c. 21.*

Aquilarum pennæ quoque aliarum auium pennis admixtæ, eas deuorant: Ita tyrannis penitus insita vis est spoliandæ plebis, vt mortui quoque aliquid auferant. *lib. 10. c. 3.*

Quemadmodum agricola nō incidit spinam, priusquam asparagum inde ceperit: & Libyes non ante incendunt sarmentum, quam thus collegerint: Ita Deus non excidit genus regum pestilens, priusquam hinc fructus aliquis bonus cōlligerit. *l. 18. c. 8. & Plin.*

Crocodilus patitur trochilum auiculam carpere escam è faucibus suis non illius amore, sed sua ipsius causa: repurgat enim rostro suo os illius: Ita tyranni, etiamsi quid alicui concedunt, semper ad suum referunt commodum. *lib. 8. c. 25.*

P. M. Si tyranni quæris imaginem, leonem, vrsum, lupum, aut aquilam cogita, quæ laniatu viuunt, ac præda: vt quoniam intelligūt sese omnium odijs obnoxia: omnium insidijs peti, præruptis locis se continent, aut specubus, & solitudinibus abdunt sese. Nisi quod horum quoque sæuitiam superat tyrannus. Dracones, pardi, leones, cæteraque immanitatis damnata crimine animantia, a suo genere temperant, & tuta est inter feras similitudo morū. At tyrannus homo in homines, ciuis in ciues potissimum feritatem suam exercet. *Desnidis, Principis.*

Exempla Biblica.

Tyrannorum nequitia, & crudelitas *Exempla:* Gigantes, *Genes. 6. 4.* Nemrod, *10. v. 8. 9.* Nouus Pharao, *Exod. 1. v. 10. 11. 16. 22. & 5. v. 2. 5. 6. 7.* Adonibezech, *Iud. 1. 7.* Abimelech, *9. 5. & 22. v. 17. & 27. v. 1. 2.* Iesbibenob, *2. Sam. 21. 16.* Ioroboam. *1. Reg. 13. 4.* Iezabel, *10. 2.* Achab, *22. 26.* Manasses. *2. Reg. 21. 16.* Senacherib, *Tob. 1. 21.* Nabuchodonosor, *Iudith 2. 5. Dan. 2. ver. 11, 12. & 3. 19.* Holofernes, *Iud. 3. 8. &c.* Aman, *Esth. 3. 6.* Hostes Dauidis & Ecclesiæ, *Ps. 2. 2. & 32. 14. & 69. 13. & 80. 14. & 119. 2. 3.* Sedechias & Principes eius, *Ier. 38. v. 5. 6.* Rex Babylonis, *39. 6.* Antiochus, *1. Mach. 1. v. 25. 26. 63. 2. Mach. 6. v. 29. 30. & 7. 1.* Demetrius, *7. 1. &c.* Tryphon, *13. v. 15. 16.* Andronicus, *2. Mach. 4. 34.* Rex Ptolomæus, *v. 46. 47.* Herodes Ascalonita, *Matt. 2. 16. & 14. v. 9. 10. Marc. 6. v. 26. 27.* Pilatus, *Matt. 27. 18.* Herodes Tetrarcha, *Luc. 23. 8.* Herodes Agrippa, *Act. 12. v. 1. 2.* Magistratus impius, *16. v. 22. 23.* Festus *24. 27. & 25. v. 9. 12.*

Exempla Profana.

Perside liberata a fœda Magorum tyrannide, cum inter septem tyrannicidas de rerum summa consultaretur: & Otanes quidem democratiam: Megabyzus aristocratiam, Darius vero Hydaspis F. regiam statum amplectendum censuisset: Dario reliqui quatuor assenserunt: qui paulo post astu equisonis Oebaris Persarum rex fuit electus. *Herod. lib. 3.*

Cum *Hyperion Agamemnonis filius*, qui postremus Megaris regnauit, propter superbiam, & crudelitatem a Sandione occisus fuisset, non esse amplius vni parendum, Megarenses censuerūt, sed annuos magistratus, qui vicissim summæ rerum præessent, creādos. *Pausanias in Atticis.*

Mardonius Gobryæ F. Darij gener, in Siciliam cum exercitu præfectus, eiectis tyrannis, popularem ibi statum in ciuitatibus constituit. *Herod. lib. 6.*

Viguit in Rom. ciuitate *Tiberij & Caij Gracchorum* summa nobilitas, ac spes amplissima: sed quia statum ciuitatis conati erant cōuellere, insepulta cadauera iacuerunt, supremusque humanæ cōditionis honos filijs Gracchi, & nepotibus Africani defuit. Quinetiam familiares eorum, ne quis Reipublicæ inimicis amicus esse vellet, de robore præcipitati sunt. *Val. Max. lib. 6. c. 3. ex Plut.*

P. Mucius Tribunus plebis omnes collegas suos, qui duce Spurio Cassio id egerant: vt magistratibus non subrogatis communis libertas in dubium vocaretur, viuos cremauit: vnus tribunus eam pœnam nouem collegis inferre ausus est, quam nouem tribuni ab vno collega exigere exhorruissent.

Seianus, homo potens apud Tiberium Cæsarem & superbus, cum Druso aliquando alapam dedisset, eaque de causa, & Drusum & ipsum Tiberium metueret, simulque speraret, Druso sublato, Tiberium sibi magis opportunum fore: per quosdam ministros & vxorem Iuliam stupro sibi cognitam, venenum ei propinauit. Eum vero tandem Tiberius ad magnam auctoritatem euectū, desponsaque Iulia Drusi filia, curauit a Senatu capitis condemnandum: eiusque cadaueri per triduum proiecto vulgus insultauit: deinde in Tiberim proiecit. *Zonaras.*

Hieroglyphica.

Nycticorax Tyrannidis est hieroglyphicum, ob occultationem scilicet consiliorum, quæ dissimulare potentiores pro magno habent negocio. *Pier. Val. lib. 20.*

Quod si hominem Aegyptij municipij sui longe principem: sed Tyrannica in ciues dominatione vtentem notare vellent. *Polypum & locustam* appingebant. Locustæ siquidem dominationem videntur exercere in Polypodes, primasque inter eas obtinere partes. *Idem lib. 27.*

Emblema.

In eum qui truculentia suorum perierit.

Emblema CLXVI. Andr. Alciat.

Delphinem inuitum me in littora compulit æstus,
Exemplum infido quanta pericla mari.
Nam si nec proprijs Neptunus parcit alumnis,
Quis tutos homines nauibus esse putet?

Vide Regnum, Rex, Princeps, Magistratus.

FINIS LIBRI DECIMIOCTAVI.

POLYANTHEAE NOVISSIMAE LIBER XIX.

V.

VACVVM.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

VACVVM, Graec. κενὸν, τὸ κενεὸν, vacuo dicitur. Est autem vacuum, locus priuatus corpore, *secun. Ar. l. 4. Phys.* Hebr. *Rachab*, à latitudine, seu expansione, vt aeris expansio, mirum est vacuum nostri respectu.

A vacuum vaco dicitur. Est enim vacare, proprie vacuum esse. Vacare, si impersonaliter accipitur, significat vacuum tempus esse. Vaco si cum ablatiuo sine præpositione iungatur, pro careo accipitur, vt vacas sapientia. hoc est, cares; quanquam carere est vacare his quibus indiges, vel quæ aptus natus sis habere. Quare non recte dicitur homo carere alis. Cic. *Satiatus & expletis iucundius est carere, quam frui. Quamuis non caret is, qui non desiderat.* Improprie dicimus, careo damno, culpa, periculo. Si vero iungatur ablatiuo cum præpositione ab, eodem modo significat, vacuus sum, vt vaco à studijs, vaco ab agricultura. A vaco pariter fit vacatio, quæ Græce σχολάζειν dicitur.

PHILOSOPH. SENTENTIÆ.

Videtur inane locus esse, in quo nihil sit omnino. *lib. 4. de natu. c. 7. T. 57.*

Vno quidem modo inane id videtur dici, quod non est plenũ corporis, quod tangendi sensu percipitur. Altero id in quo res aut essentia corporis nulla est. *ibid. T. 58.*

Inane quiddam est quod non est, & priuatio videtur esse. *lib. 4. de natu. c. 8. T. 67.*

Inane nullam habere potest cum eo, quod plenum est, comparationem. *lib. 4. de natur. c. 8. T. 71.*

Inane nec omnino, nec in eo, quod rarum & tenue est, separatum est: sed nec potestate est, nisi quispiam velit omnino inane appellare id, quod causa est, cur moueatur loco, quicquid mouetur. *lib. 4. de natu. c. 9. T. 26.*

Recte id quod inane est, in auditu domini dicitur. *lib. 2. de anima c. 8. T. 81.*

Vacuum in rerum natura nullo modo esse potest. *Ioan Gram. in 1. Phys.*

Vacuum immobile est. *Idem in 4. Phys.*

Vacuo existente nihil prohibet sagittam, vel lapidem projici: cum sit projiciens, proiectum, & receptaculum. *Idem ibid.*

Vacuum assimilatur loco, ideo existimatur esse locus, in quo non est corpus. *Auer. in Phys. text. 1.*

Vacuum non habet differentias, quibus in superius, & inferius diuidatur. *Ibid. text. 42.*

Vacuum non habet naturam, nec vnigeneam, nec diuersam. *Idem ibid. text. 49.*

Vacuum, & locus sunt idem subiecto, diffinitione duo. *Ibid. text. 5.*

Vacuum, & corpus mathematicum non differunt, cum vtrumque habet tres dimensiones abstractas à materia *ibid. text. 51.*

Vacuum in nullo loco est. *Plat. in Tim.*

Vacuum nullibi in mundo est, omnia sunt plena. *Timæus Locrus de mundi anima & natura.*

Vacuum nihil est in rerum ordine, solum quod non est, quod existentia priuatur, vacuum nuncupandum: nihil enim reperiri potest, quod cum existat vacuum sit, aere enim plena non sunt vacua, cum aer corpus sit non ex corporalibus compositum. *Mer. Trism. c. 7.*

Vacuum vocauit abyssum Moyses: profundissimum enim est, & delitescit potentissime. *Phil. de mund. opif.*

Vacuum ne sequatur, in cucurbitulis ignitis aerem qui rapidissime fugit, sequitur aer intimus in cucurbitulam & secum rapit humorem & cutem. *Fic. in Plat. Tim. c. 83.*

Vacuum ne sequatur, postquam semel cantando vocalem aerem protulisti, quatenus ille propellit anteriorem, eatenus posterior illum repente subsequitur ad vacuum declinandum. *Fic. in Plat. Tim. c. 83.*

Vacuum ne sequatur, si orificium fistulæ in aquam demiseris, & alterum orificium labijs comprehenderis, quatenus aerem hauries e fistula, eatenus suges, & aquam consequentem. *Id. ibid.*

Vacuum ne sequatur, postquam in nubibus inclusus cum acuto vapore ventus deorsum est excussus, consequitur deinceps miro fulminis impetu. *ibid. c. 84.*

Vacuum ne sequatur, lapidum quem proiecisti non solum propellit tua vis illata, sed etiam aer deinceps repente subsequens. *Idem c. 83.*

Vacuum ne sequatur, vbi per fistulam semel tracta fuerit sursum aqua, reliqua sequitur. *Ibid. c. 84.*

Vacuum æternum si est, & sibi vndique simile, immobile etiam esse: non enim mouere potest, nisi excessent, nam quod excedit, vel in plenum, vel in vacuum excedit: quorum alterum vt plenum non possit admittere. & vacuum nullum est, *Arist. de Xeno. Zeno. & Georg.*

Vacuum affirmantes aiunt esse locum corpore priuatum. *Idem Phys. 4. c. 1.*

Vacui consideratio eodem modo pertinet ad physicum de loco, quia similem habent vt fidem, & incredulitatem pro ea, quæ putantur. *ibid.*

Vacuum est locus in quo nihil est. *Arist. Phys. 4. c. 2.*

Vacuum vno modo dicitur non plenum corpore sensibili secundum tactum: alio modo in quo non est hoc aliquid, nec substantia corporea. *Idem ibid.*

Vacuum neque separatum, nec aggregatum, nec in raris corporibus esse in potentia patet. *Thom. in 4. Phys. tex. 86.*

Vacuum, & inane nihil est. *Simpl. in 1. Phys.*

Vacuum si alicuius motus caussa esset, alterationis non potest esse caussa. *Idem in 4. Phys.*

VADIMONIVM.

PHILOSOPH. SENTENTIAE.

De Vadimonio. DIAL. XIV.

Francisc. Petrarch.

DOL.

VAdimonio exagitor. R. Amissam modo pecuniam querebare, iam proiectam quereris. Nonne vltro te obligans pecuniam proiecisti? vulgaris insania plurimorum, qua per facile & pecuniam perdideris & amicum. D. Pro altero fidem obstrinxi meã. R. Pro te ipso eã solues: & ad debere, ac sine compedibus agere quam iucundum sit tuo disces incommodo. D. Vadẽ pro amico dedi me. R. Da posthac amicis egentibus aurum, argentum, vinum, oleum, frumentum, vestes, domus, prædia, consilium, solatium, cum amicis demum omnia partire. Vnum tibi habe, nulliq; vnquam tuam dederis libertatem. D. Promisi pro altero. En soluendi dies adest. R. An tu affuturam ignorabas? an te victurũ nõ sperabas? An nõ hæredẽ saltem tuũ cogitabas quem spontaneis vinculis inuolueres? Bene autem habet quod in caput errantis pœna redũdat erroris. Sentio autem dilatio re fefellit. Media promissionis inter, ac solutionis diem spatia vana mente metimini, quæ vt reliqua tempora longa videntur dũ spectes, dum præteriere breuissima. Volant enim horæ, dies, noctes, hebdomadæ, menses, anni, lustra, sæcula, & quæ distantissima iudicantur in foribus sunt. Itaq. quod in paucorum intersitio mensium nũc stuperis, si aperti essent oculi, clare quidẽ multis in sæculis videretis. Sed vos quasi tẽpus desiderio vestro pareat non naturæ suæ, non venturũ vobis terminum, nec ituros dies fingitis, atq. hac spe velut oculis clausis præcipitium prætervecti, verbo placidi vobis esse videmini, & vrbani pro alio promittẽtes, quasi non verba hæc, & promissa clãdestina, mox in publicũ eruptura tumultusq. rerũ maximos allatura sint. D Despondi pro amico. R. Amicorum indigentijs scis præsens, si

quod

quod adest, remedio succurrendum. Non te illaques, atque in crastinum nil promittas, quod nō dicerem si succurri aliter quā promittendo non posset. Nunc quid attinet promittere, quod si implere non possis stulte facias, at si possis, superuacue. Sed vos rerum auarissimi estis, & prodigi promissorum, quasi vero res ipsas promissa illa non exigant. Quod dicas defuisse in tempore ferēdæ opis facultatē, fuisse aūt de futuro spem, qua postmodum destinatus sis. Nondum ergo didiceras, vt fallacissima rerū omnium spes est: Nihil inuenias, quod tam crebro vos fallat. Nihil est tamen cui tam cupide credatis, tam subdola, & tam blanda est, ita se dulciter, ac latenter insinuat, sic in vita diuelliur. D. Vadimonio me addixi. R. Credo oblitus illud Thaletis Milesij celebre documentum, Vadimonio adesse noxam. Et quid de hoc ille vir sapiēs dixerit, quod memorasse nō inutile crediderim, quodq. in Latinū versum ab Ausonio ad hunc modū sonat: *Sponde*, inquit, *noxa præsto tibi est*. Per mille possem currere exēpla, vt probem prædes vadesq. pænitudinis reos, sed nolo nomina eim quenquā dicere. Sibi quisq. verū dicat, & secum putet, spondere quantur damno fuerit, & malo. D. Memetipsum sponte obligans erraui. R. Error hic purgatorio igne post obitū non egebit, vbi admissua est purgabitur, de illorū.n. genere est, quæ suu supplicium secum feruot. D. Promissione me obstrinxi. R. Solutione te libera, & quem lingua vinclis innexuit, manus soluat, proderit vinctam fuisse cū euaseris, laqueoa semper horrebis.

Vide Iudicium, Iudex, Iustitia.

VALETVDO.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

Valetudo, Græce ὑγίεια, ας, ἡ. & ὑγιεινὸς, ἡ, ὁν sanus, & ὑγιαίνω, valeo dicitur, valere autem proprie significat posse. Hinc valens, potens, Ouid. *Nessus adest, pedibusq. valens, scitusq. vadorum.* Hinc validus, pariter potens, robustus, firmus, cuius contrariū est inualidus. Hinc etiam valide, & per syncopen valde, hoc est multum. Hinc bene valere, sanum esse, quasi bene posse: & male valere ægrum esse atq. infirmum, quasi male posse. Qui.n. potentes, & validi sunt, sani etiam sunt: e contra impotentes, & inualidi ægrotare dicuntur, quare valere simpliciter capitur pro eo, quod est saluū esse, Martialis, *Ne valeam si non totis Deciane diebus, Et tecum totis noctibus esse velim*. Hinc Vale vox saluantis est, cum ab aliquo recedimus, quo verbo, & qui recedit, vtitur dicens. Vale, & qui remanet respondens: Vale, & tu. Sicuti salue, & aue salutantium sunt, & eorum qui salutati resalutāt. Et quoniam absentes per hæc verba salutare solemus, vale, & salue, cōsuetudo inualuit, vt hæc duo verba, sæpe pro eo, quod est abi, & discede, vsurpemus, etiam si cum stomacho, & indignatione loquamur: Ter. *Valeant qui inter nos dissidium quærunt*. hoc est, abeāt & a nobis discedant. Cic. *Multam salutem dixi foro, & curiæ*, hoc est, reliqui forum, & curiam, & ab his discessi. Nec valere simpliciter acceptum, pro perire, aut male habere vsurpatur. vt nonnulli putant. Ab hoc valeo valetudo venit, quæ pro languore accipitur. Cic. *Valetudinem tuam cura diligenter*. hoc est languorem, infirmitatem. A qua valetudinarij dicuntur, qui male sani sunt, & frequenter ægrotant. Aliquando valetudo sanitatem significat. Cic. *Sed nunc valetudini tribuamus aliquid*. A valeo fit conualeo & cōualesco, quod est sanitatem recupero. Item inualeo, quod significat robur, & firmitatem acquiro. Vnde inualuisse consuetudinem, inualuisse mores dicimus, & ab eo valeo videtur deductum, quod significat possum.

PHILOSOPH. DICTA.

Valetudo secunda est, quædam mediocritas. *Arist. probl. sect. 1. num. 3.*

Valetudine qui fruuntur secunda, aut nullo premuntur morbo, aut pressi celeriter e vita decedunt, quia nisi magna de caussa ægrescere nequeunt. *ibid. nu. 28.*

Valetudinis ratio habenda est diligentius, quum tempora variantur. *idem nu. 3.*

Valetudo corporis ea est, vt expertes morbi sint: nō enim aliquis beatum in valetudine existimare potest, quum quis ab omnibus rebus, aut plurimis abstinet. *idem Rhet. 1.*

Valetudinis ars est caussa pulchritudinis, & magnitudinis naturæ. *Arist. Rhet. 1.*

Valetudo est bonum, quia causa est duarum rerum quæ maxime apud vulgus in precio sunt, id est voluptas, & vita. *idem.*

Valetudo quæ efficitur in ægrotante fit ex valetudinis forma rationeque in medici animo existente. *Alex. Aphrod. in 6. metaph. c. 20.*

Valetudinarij, qui habent naturam in potentia nihil a quibusuis patiendi. *Am. in prædic.*

Valere cum dicuntur cæteri, salui esse intelliguntur: amante cum vale audiant, male audiunt, imo malum. *Fic. ep. l. 1.*

Valetudinem prosperam retinere omnibus optabilius est ne pereat, quam recipere pereuntem: ideo & legislator & medicus seruant inquantum possunt & animæ & corporis sanitatem. *Idem in Plat. de leg. dial. 3.*

Valetudo ad iucundum quidem præcipue refertur, vtilis tamen quoque, nec non honesta esse videtur, *Leo Heb. de amore dial. 1.*

De valetudine corporis. DIAL. III.

Franc. Petrarcha.

GAVD.

Quid? quod valetudo prospera est. R. Quicquid de forma modo diximus, repetitum puta. G. Valetudo corporis firma est. R. Eo senectus ab aduerso mille morborum armata generibus, cō tra valetudinem, interea voluptas militat, familiare certamen. G. Valetudo corporis tuta est. R. Inconsulta iucunditas, quæq; negligētes & incautos facere soleat possessores suos, & sæpe morbos accrescere, quos valetudini propriæ diffidentis intentio declinasset. G. Valetudo corporis bona est. R. Bene vtere. Alioqui leue bonū, quin & graue malū fit (vt solita est) culpæ cuiuspiam cā fit. Multis periculo & pestilens sanitas fuit, qui tutius ægrotassent. G. Valetudo corporis optima est. R. Res pergrata: multūq. vtilis, seu corpore quid agēdū, seu aīo est. Sed vt quarundā radicib. herbarum inest vis veneni, quæ dum aliarum rerū immixtione purgata est, salubre poculum, è pluribus fit, quod ex vno pestiferū fuisset. Sic corporea sanitas ne noxia sit habēti, non aliter q̄ adiuncta animi prospera valetudine tēperanda est. Nusquam peius quam in sano corpore æger animus habitat.

De aduersa valetudine. DIAL. III.

DOL.

At aduersa valetudo est. R. Quod expectabam audio: cognatæ etenim sunt querelę. At si caro spiritui hostia est, vicissimq; cōtra se militāt, quod ut se expertus ille magnus veri amicus in omnib. verū dixit, consequens est, vt quod alteri obest prosit alteri. Quod si spiritus a carne nobilior meliorq. est, cui maxime sit fauendū vides: ac fortassis intelligis valetudinem, q̄ aduersam dicis esse ꝓsperrimā. D. Inualida valetudo est. R. At est valida hortatrix parsimoniæ, dehortatrixq; libidinum: & magistra modestiæ. D. Mala valetudo corporis. R. Si valetudo animi bona est, pone solicitudinē, quidquid corpori euenerit saluus es. D. Corpus ægrum, infirmumq. est. R. Multis ad salutē animæ profuit corporis ęgritudo, ille vir altus, ex humili, ex aquis vectus ad sidera cęliq; clauiger effectus, cuius vmbra sola morbos corporum molestiasque pellebat, interrogatus aliquando cur filiam ipse suā graui morbo pressam fineret? respondit, Sic expedit ei. Tu quid scis an & tibi sic expediat? D. Diu corpore sic affectus sum. R. Ille idē de quo loquor filiā suā vt tuto sanā fieri posse cognouit, & sanauit & sanā dir alijs habilē fecit. Et tu facito, vt secura tibi sanitas tua sit, fortasse sanaberis: Deniq. (q̄d tuū est) aīum cura, cęlestiq. medico curādū offer. De reliquo vnū hoc intrepide dixerim, & si nō quod iuuat, at profecto q̄d expedit, spera. D. Valetudo anxia est. R. Est q̄ obliuionē somnumq discutiat, & torporē abigat. D. Valetudo infirma est. R. Infirmitatib. gloriare, & virtutē ꝑfice. Duo hæc vnius magistri ore didicisti. D. Valetudo misera est. R. Comes iniucūda, sed fidelis, q̄ te crebro vellicet, iter signet, & cōditionis admoneat, optimū in periculis monitor fidus. D. Valetudo corporis extrema, sine remedio est. R. Sile, & gaude ruinoso carcere vinctum te, egredere facilius, ac citius.

SIMILITVDO.

Democriti. Vt vnctio non quæ suauis est, aut longa bona est, sed quæ sanat: Sic cibus, non qui suauis, aut multus, bonus est, sed qui valetudinem tuetur. *Apud Max serm. 27.*

Vide supra, Sanitas. Item Morbus, Medicus.

VANITAS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Vanitas, Græce Ματαιότης, ητος, ἡ. & μάταιος, α, ον. Vanus. Hebræi varijs nominibus Vanitatem designant, 1. *Elil*, id est, nihilum, res nihili & nullius momenti, atq. sæpissime tribuitur idolis, iuxta dictum Apostoli, 1. *Cor.* 8. Scimus, quod idolum nihil sit in mundo: perinde ac si scriberetur, *ALEL*, non Deus. Omnia enim idola & dij gentium non sunt *Elohim*, sed *Elilim*, id est, vanitates, res nihili, nihil, & tandem in nihilum rediguntur. Cognationem habet hæc vox cum verbo *Lalal*. vlulauit. Nam idolorum cultus nihil potest tandem in conscientijs parere aliud quam dolores & vlulatus. Hinc ὀλλύω, ὀλλύω pereo, in nihilum redigo, &c. *Allai*, væ mihi, heu mihi, *Iob.* 10. 5. *Mich.* 7. 1. Gall. *Helas*, 2. Alia vox est, nēpe *Hebel*, res vana, vilitas quo

tas, quo nomine designatus est Hebel, alter Adami & Euæ filius, præ Caino fratre primogenito despectus. Dicitur & *Habel*, *Eccl.* 1.2. Vanitas vanitatum, & omnia vanitas, à verbo *Habah*, vanus fuit, euanuit, viluit, vilis factus est. Cognationem hēt cū *Habal*, luxit, & cum *Balah*, exterritus est: itē cum *Balah*, corruptus est vetustate: & *Nabal*, emarcuit flaccescēdo. Hec enim significata omnia tendunt ad vanitatem & nihilum. Hinc bulla Lat. vnde, homo bulla: itē Gr. φαυλίζω, vilipendo, φαυλίζομαι, vileo, vilesco, φαῦλος, vilis, vanus, cōtēptus, homo nihili, Gall. *Vnfol.* 3. Tertia vox est *Cazab*, mendacium, fraus, vanitas, à verbo *Cazab*, mentitus est, defraudauit, in secunda coniugatione *Kizzeb*, mentitus est frequenter, in tertia, *Hizzib*, fecit mendacem, arguit mendacij. Cognationē habet *Cazab*, cum *Caschaph*, fascinatus est, vt is apparet qui mendacijs seductus est. Græce. καυχάομαι mentior. 4. *Cachasch*, Abnegatio, mendacium, denegatio. à verbo *Cachasch*, negauit, mentitus est, frustratus est, expectationi minime respondit. Certe vanitas & mendaciū sunt nomina reciproca & conuertibilia: ita vt vnū de altero dici queat. *Cachasch*, cognationem habet cum *Schacach*, oblitus est, & *Caschac* obtenebratus est. In mendacio mera vanitas, memoriæ confusio, & mentis obscuritas concurrunt: & hæc omnia vanitas. 5. *RiK*, vacuitas, inanitas, vanitas: *ReK*, homo nihili, vanus, stultus, in Euangelio *RaKa*, à verbo *RiK*, vacuus fuit, inanis fuit. Vanitati res opponitur, vt in arithmetica si à numeris solidis. 1. 2. 3. Cifiæ, vt vocant, remouentur & separatim collocentur, nempe o o o, nihil, sed 1. 2. 4. sex constituent: & quo plus cifras multiplicaueris, nihil illud tanto magis crescet in infinitū, ac purum purūq. fiet mēdaciū: ita nisi vanitas veritati adhæreat, in nihilū euanescet: cōtra uero uanitas in seipsa fundata firmiter stabit.

Vana gloria, Græce κενοδοξία, dicitur. Et vno modo dicit appetitum dignitatis & excellentiæ, & sic est idem cum superbia, & est vitium capitale: quia animus directe mouetur ad dignitatem & excellentiam appetendam. Alio modo dicit appetitum laudis, & sic est filia superbiæ *ex S. Bona. sen. dist. 42. q. 2.*

Vanagloria est uoluptas stulte ostentando quæ sua non sunt, aut iactando quæ minime vera sunt, & imprudenter mentiendo: quod sane vitium est summæ stultitiæ argumentum.

LOCI BIBLICI.

Vanitas omnia, *Ecc.* 1. *v.* 2. Vanitatis studiosi pietatem obliuiscuntur, 20. *Ioan.* 2. 20. Vanitatis *Exemplum*. Herodes, *Matt.* 14. *v.* 6. Vanitates idola nuncupantur, 1. *Sam.* 12. 21. 1. *Reg.* 16. *v.* 26. Vanitatis dānatur, quicquid est extra Christum, *Col.* 2. *v.* 4. Vanitati subiecta creatura, *Rom.* 8. *v.* 20.

Vanæ quæstiones reijciendæ, 1. *Tim.* 1. 4. & 6. 4.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Ex copia & rerum omnium affluentia primum arrogantia nata est. *Cic. de leg. Agra.*

Deforme est, de seipso prædicare, falsa præsertim: & cum irrisione audientium imitari militem gloriosum *Idem* 1. *Offic.*

Homines cum rem destruere non possunt, iactationem eius incessunt, *Plin. nat. lib.* 1.

Nullam magnam hominum prosperitatem integram, molestiæq. expertem esse patitur, sed vitam humanam lætis aduersa miscēdo temperat siue fortuna, siue rerū vicissitudo, siue necessitas. *Plut. in Mario.*

Parum tuta per se ipsa probitas est. *Salust. de bello Iugurt.*

Parum fidei miseris est. *Idem, ibid.*

Hormisda Persa interrogatus quid de Roma florente & triumphante sentiret? id tantum sibi placuisse aiebat, quod didicisset ibi quoque homines mori. *Amm. Marcell. lib.* 16.

Homines in vlciscendis vitijs, quibus ipsi uehementer indulgent, acres sunt. *Aurel. Vict. in Aug.*

Prudentissimus quisque filium similem fore sui credit, quod longe secus euenit, quasi naturæ legeque crebro tanquam ex industria malos è bonis, agrestes è doctoribus, & cæteros huiuscemodi seu contra gignit, quo demum exemplo, sapientium plures caruisse liberis volius duxere. *Aurel. Vict. de Cæsaribus.*

Haud quaquā nunc primū id contigit, vt egregia uirtutis probitatisq. opera per nequitiā & praua delerentur facinora. Iampridem.n. humanis rebus id aperte insitum est, & sane pleraq. proborum hominum facta, deperdita pessimorum quorundā prauitas intercedere ac corrumpere potuit. *Procop. de bello Goth.* l. 3.

Multa conuicia, multæ etiam laudationes præter æquitatem in uita uersantur; illa in eos, qui nihil commiserint, hæ in eos qui nihil laude dignum gesserint. *Niceph. Gregoras, hist. lib.* 6.

Nihil est in uita durabile: non opes, non imperium, non potēria. *Const. Manass. Ann. pag.* 26.

Nulla uitæ felicitas tēpestatis ac doloris expers est, nec prosperitas esse pōt ulla, cū qua nō exiliat ēt aliquid qđ hoiem mordeat. Etenim ipsa quoq. rosa, licet fragrās sit, crebris tñ spinis horret: itēq. multū solis nubes interdū caligine, quadā obuelant. Consimili modo inuidia comitatur eos qui uirtutem colunt, omnisq. sancta prosperitas, & uita splendens in hominum oculis, admistam quandam infelicitatem secum trahit. *Id pag.* 70.

Fortuna utrasque suis es suasio longioris uitæ regibus ostendere mortalibus præclarum ducit: & qui duces nullam nisi secundam in summis conatibus semper experti dicuntur, iuuenes fere fato functi sunt. Ita numini credo visum, ne res humanæ veram solidamq. felicitatem dare posse videantur. *P. Aem. l.* 2.

Mare, cœlum, terra, casus, natura, ius, iniuria, interitum adferūt, & vita nonnunquam morte ingratior, ac multos non natos præstaret. *Id. l.* 3.

Alienum prorsus a decreto compositi animi, inaneq. est, ea appetere, quæ ambientis animi desiderium non finiunt, & multo meliora cunctis imperijs contemplanti animo virtus ardua, & prædulcis diuinarū rerum cognitio pollicentur. *P. Iou. hist. l.* 14.

Honestiora speciosioraq. consilia eos, qui cadentibus rebus suis pertinacius cum irata fortuna colluctantur, plerunque durissimis casibus reseruant. *Id. hist. l.* 15.

ADAGIA.

Quæ apud inferos. τὰ ἐν ᾅδῃ.

Apes dicemus, quum inania somniiq. similia significabimus. Suidas Aristarchum autorem citat.

Deinde expergiscebar. εἶτα ἐξηγειρόμην. *Aristophan.*

Hoc dicto significabant vana fuisse quæ dicerentur.

Darnach ervvachte ich, darnach vvar es tag.

Cilix haud facile verum dicit. Κίλιξ οὐ ῥᾳδίως ἀληθεύει.

Quadrabit in hominem auidum lucri, & ob id sæpenumero dicentem, non quæ vera sunt, sed quæ utilia.

Cretiza cum Cretensi.

Aduersus mendacem mendacijs vtere. D. Paulus versiculum citat,

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί.

Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, uentres pigri.

Schaelck mueß man mit Schaelcken fahen. Es suecht K einer den anderen in sack, er sey denn selbs Zuuor darin gesteckt.

Mentiuntur multa cantores. πολλὰ ψεύδονται ἀοιδοί.

In eos quadrabit, qui ad gratiam loquuntur, & auribus blandiuntur. Ari.

Fumos vendere. *Martial.*

Pro eo, quod est principum beneuolentiam, simulato commendationis officio, per occasionem familiaritatis pretio vendere. Mart. l. 4. Epigr. 5.

Vendere nec vanos circum palatia fumos.

Plaudere nec Cano, plaudere nec Glaphyro.

Glatte vvort schleiffen, viel Haend vnd vvenig Hertz gibt man Zu Hof fur ein Vvetchbrunnen.

Somnium ὄναρ. *Teren.*

Rem futilem, inanem, & nihili, somnium prouerbio dicimus.

Ne si bos quidem vocem edat οὐδ᾽ εἰ βοῦς φθέγξαιτο.

Hinc dictum est, quod in annalibus frequenter commemoratur, bouem humanam vocem reddidisse.

Hiberæ næniæ.

Hiberas nænias D. Hieronymus nugas appellat, in præfatione, quam præposuit Mosi pentateucho.

Epiphyllides Ἐπιφυλλίδες ταῦτ᾽ ἐστὶ καὶ στωμύλματα.

Conuenit in blandiloquos, & phaleris verborum instructos magis quam egregijs factis.

Tantali horti. Ταντάλου κῆποι.

De bonis, quibus tamen frui non liceat, aut de ijs quæ videantur aliquid esse, quum nil sint.

Apologus Alcinoi. Ἀπόλογος Ἀλκίνου.

De longis, & anilibus fabulamentis. Refertur a Diogen.

Aniculatum deliramenta. Γραῶν ὕθλος *Plato.*

De nugis inanibus, cuiusmodi solent effutire vetulæ.

Alte Vveiber Maerlein.

Asini mortes ὄνου θανάτους. *Suidas.*

Subaudiendum, narras. Dicebatur in eos, qui narrarent absurda ridiculaque dictu, cuiusmodi fuerit, si quis longa narratione persequatur asini pericula.

Subuentanea parit: ὑπηνέμια τίκτει.

De vanis, ac friuolis inuentis.

Cyparissi fructus. Κυπαρίττου καρπούς.

De verbis dictum magnificis, cæterum inutilibus.

Thus aulicum.

Vide, Fumos vendere. Eneas de Curr. Hofvveyrauch.

Cœcum insomnium. τυφλὸν ὄνειρον.

De re friuola, vanaque.

Calidum mendacium. θερμὸν ψεῦδος.

Calidum facinus, θερμὸν ἔργον. Pro audaci dicitur. Simili figura calidum mendacium pro audaci dicitur, & impudenti. Plautus in Mostellaria.

Calidum hercle audiui esse optimum mendacium.

Psydacria.

Scholiastes Theocriti narrat apud Siculos, qui supra nares haberent pustulas, quas illi vocant ψυδράκια, siue ἰονθους, pro mendacibus haberi solitos vulgo. Man sicht dir es an der Nasen an, das du die vvarheit sparst. Leug nicht, du gevvinnest sonst ein blatter auf der Zungen.

Dosones.

Populari voce dictum fuit, quasi Latine dicas dabonem.

Ouid.

Ouid.

Promittas, facito, quid enim promittere lædis?
Promissis dones quilibet esse potest.

Vial geloben vnd vvenig halten, ist adelich. Geloben est adelich, halten ist Beurisch.

VAPOR, VAPORATIO.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

VAporatio, Græce *ἀναθυμίασις, ἀναθυμιάω* vaporo, & *ἀτμὶς, ἰδος* vapor, dicitur. Heb. *Eab*, vapor, fumus, tenuis, qui ascendit ex adustione, & humiditate resoluitur in nebulam, deriuatur ab vd, id est, torris, titio, tæda, adustio, lignum ab adustione denigratum. Hinc *αἰθω* aden, *δαΐς & δαΐς*. fax. Est autem vapor, aquę disgregatio. & natura eius humida est & calida, exhalationis autem natura calida, & sicca, *secun. Arist. l. 1. Meteor.*

Vapor est substantia calida, & humida, vi solis ab aqua vel aqueo ducta.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Vaporis natura humida est, & calida, & aqua esse potest. *l. 5. Meteor. c. 4. Arist.*

In vapore maiorem inesse calorem, quam in aqua: hinc intelligi licet quod vapor in se etiam ignem efferentem continet, Ita fit, vt maiore frigore cogatur. *l. 1. Meteo c. 10.*

Vaporis quidem concretio, aquæ est prænuntia, dissipatio ventorum, extenuatio serenitatis, *l. 3. Meteo. c. 3.*

Est vapor à calore, qui vim comburendi habet, in aera, & flatum facta expiratio, quæ madefacere possit. *l. 4. Meteo. c. 9. T. 47.*

Omnis vapor terrenus vim hẽr aeris crassioris. *li. 5. de gen. ani. c. 4.*

Vapor est aquæ disgregatio. *Arist. meteor. c. 4. D. Th in 1. met. l. 4.*

Vaporis natura, & est humida, & calida quasi potentia aqua. *Arist. Meteor. t. c. 4.*

Vapor est exhalatio ex aqua, *Idem meteor. 1. c. 1.*

Vapor est humiditas quædam. *Idem de sens. & sens. c. 5.*

Vapor non solum humidus est, sed etiam calidus. *Alex. Aphrod. in 1. mete. c 4. co. 14.*

Vapor omnis est ab aqua, vel a terra. *Alb. Mag. de pass. aer.*

Vaporis grossi materia in cœlo triplex est, aliquando flamma, aliquando est grossa nigra, & ignita, vt carbo, & videtur cometes habens, aliquando extinguitur, & videtur in cœlo, vt vorago nigra quædam, *Alb. Mag. in 1. meteor. t. 3. c. 5.*

Vaporis ignis diuersitas ex diuersitate materiæ proficiscitur. *Ib.*

Vapor est caussa materialis omnium eorum, qui in alto, vel in imo generantur, & sic eum distinguimus, quia vel est impressio ex vapore sicco tantum, vel ex humido tantum, vel ex vtroq. *Alb. Mag. de pass. aeris.*

Vapor roris, & pruinæ flamine venti, vel non eleuatur, vel si eleuatur, non potest ad formam roris, vel pruinæ formari. *Alb. Magn. in 2. meteor 4. 1. c. 12.*

Vapor est a calido combustiuo in aerem, & spiritum excretio, ex humido madefactiua. *Arist. meteor 4. c. 2.*

Vapor a caliditate sursum latus cum ad frigidiora peruenit loca ab ipsa derelictus, aut quia extincta iam sit, vel segregata, vel quia frigus super ipsa obtinuerit, derelictus consistit rursus, & in aquam transmutatus descendit. *Alex. Aph. in 2. mete. c. 3. col. 17.*

Vapor vehementer calidus, & siccus, si est æqualiter subtilis, sed non bene continuus, nec sibi adhærens, sed vna pars eius aliquantulum distans ab alia, tunc videtur subascendere post assub, sicut si euolarent scintillæ de fornace. *Alb. Mag. de pass. aer.*

Vapor humidus, & frigidus est bene terminabilis, vt humiditas, quia autem aquæ est, frigidus est propria natura, vt aqua non calefacta. *Arist. meteor. 2. c. 1.*

Vapor humidus, cũ sit aqueus, non est inflammabilis, quia igni in duab. qualitatib. cõtrarius est, in frigiditate, & humiditate potẽtia, licet actu sit aliquãtulũ calidus, & siccus. *Al. Ma. de pass. aer.*

Vapor aqueus, vt frequenter, non est ratus, subtilis, & calidus, sed potius humidus, grossus, fumosus, ideo non ascendit alte ad regionem magni frigoris, sed restat in inferiori, cuius frigus sufficit conuersioni, sed congelationi, nisi per accidens, & ideo talis vapor redditur aqua pluuia per accidens dic, quia frigore accidentali existente in aere, ipsæ guttæ pluuiæ antequam veniant ad terram congelantur, & cadunt glacies. *Alb. Mag. de pass. aer.*

Vapor nullus absq. terrena aliqua portione egreditur. *Ioan. Gram. in 5. de gen. anim. c. 5.*

Vapor terreus nunquam ascendit æqualiter in omnibus partibus, quia in eo sunt oppositæ virtutes valde. *Alb. Mag. de pass. aer.*

VARIETAS.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

VArietas, Græce *ποικιλία, ας, ἡ, & ποικιλότης* varius dicitur, Est autem varietas, vel variatio, idem quod diuersitas. Hinc variabile, id est mutabile. Venit aũt varius à varus: ita & varie verbum. Varus. n. ille propriẽ dr, qui pedes obtortos hẽr. Quare pro obtorto aliquãdo ponitur, Persius, *Et non falli pede regula varo.* Hinc varices illæ venæ in cruribus, & fere grandiores dicuntur, quæ frequenter tumidæ sunt atq. obtortæ, à quib. varicosus appellatur, qui tumidiores hẽt huiusmodi venas. *Iuuenalis.*

SENTENTIAE BIBLICAE.

Vnicuique autem datur manifestatio spũs ad vtilitatẽ. Alij quidẽ per spiritũ datur sermo sapientiæ, alij aũt sermo scientiæ sm eũdem spiritum, alteri fides in eodem spiritu, alij gratia sanitatũ in vno spiritu, alij operatio virtutum, alij genera singularum, alij interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur vnus atque idem spiritus, diuidens singulis prout vult. 1. Cor, 12.

In magna autem domo non solum sunt vasa argentea, sed lignea & fictilia, & quædam quidem in honorem, quædam in contumeliam. 2. Tim. 2.

POETICAE SENTENTIAE.

Terent. Comœd. vlt.

Verum est.
Quot homines, tot sententiæ.

Hor. Carm. lib. 3. Ode I.

Est, vt viro vir latius ordinet
Arbusta sulcis: hic generosior
Descendat in campum petitor.
Moribus hic: meliorque fama
Contendat: illi turba clientum
Sit maior.

Horat. in arte Poet.

Tristia mæstum
Vultum verba decent: iratum plena minarum:
Ludentem lasciua: seuerum, seria dictu.
Format enim natura prius nos intus ad omnem
Fortunarum habitum: iuuat aut impellit ad iram;
Aut ad humum mœrore graui deducit, & angit.
Post effert animi motus interprete lingua.

Ibid.

Intererit multum Dauusne loquatur, an heros:
Maturu sue senex, an adhuc florente iuuenta
Feruidus: an matrona potens, an sedula nutrix,
Mercatorne vagus, cultorne virentis agelli:
Colchus, an Assyrius: Thebis nutritus, an Argis.

Ibid.

Ætatis cuiusque notandi sunt tibi mores.
Mobilibusque decor naturis dandus, & annis.
Reddere qui voces iam scit puer, & pede certo
Signat humum, gestit paribus colludere: & iram
Colligit, ac ponit temere, & mutatur in horas.
Imberbis iuuenis tandem custode remoto
Gaudet equis canibusque & aprici gramine campi.
Cereus in vitium flecti, monitoribus asper,
Vtilium tardus prouisor, prodigus æris,
Sublimis, cupidusque & amata relinquere pernix:
Conuersis studijs ætas, animusque virilis
Quærit opes & amicitias, inseruit honori:
Commisisse cauet, quod mox mutare laboret.

Idem serm. lib. 1. satyr. 4.

Quemuis media erue turba:
Aut ob auaritiam aut misera ambitione laborat.
Hic nuptarum insanit amoribus, hic puerorum:
Hunc capit argenti splendor: stupet Albius ære,
Hic mutat merces surgente à Sole ad eum quo
Vespertina tepet regio quin per mala preceps
Fertur, vti puluis collectus turbine, ne quid
Summa deperdat metuens aut ampliet ve rem.

Horat. serm. lib. 2. satyr. 1.

Castor gaudet equis, ouo prognatus eodem,
Pugnis: quot capitum viuunt totidem studiorum
Millia.

Horat. Epist. lib. epist. 8.

Quæ nocuere sequar, fugiam quæ profore credam:
Romæ Tybur amem ventosus, Tybure Romam.

Idem lib. 1. epist. 19.

Oderunt hilarem tristes, tristemque iocosi,
Sedatum celeres, agilem gnauumque remissi:
Potores bibuli media de nocte falerni
Oderunt porrecta negantem pocula: quamuis
Nocturnos iures te formidare vapores.

Idem lib. 2. epist. 1.

Denique non omnes eadem mirantur, amantque
Carmine tu gaudes: hic delectatur iambis,
Ille Bioneis sermonibus, & sale nigro.
Tres mihi conuiuæ prope dissentire videntur,
Poscentes vario multum diuersa palato.

Quid dem? quid non dem? renuis tu, quod iubet alter.
Quod petis id sane est acidum inuisumque duobus.

Persius Satyr. 5.

Mille hominum species & rerum discolor vsus
Velle suum cuique est, nec voto viuitur vno.

PHILOSOPHORVM SENTENTIAE.

Non idem vnicuique delectabile est secundum naturam, sed altera alterius. *Arist. lib. 23. Polit.*

Quid inter ipsos homines, nonne & simillimis formis dispares mores, & moribus figura dissimilis? *Cic. lib. 1. de Natur. deor.*

Piget Themistoclis adolescentiam attingere, siue patrem adspiciam, abdicationis inurētem notam, siue matrem suspendio finire vitam, propter filij turpitudinem coactam: cum omniū postea Graij sanguinis virorum clarissimus extiterit, mediumque Europæ & Asiæ, vel spei, vel desperationis pignus fuerit. Hæc enim salutis eum suæ patrem habuit, illa vadem victoriæ assūpsit, *Val. Max. lib. 6. tit. de Varietate casuum, c. 11.*

In cœtu turbulento variæ fuere sententiæ. *L. Apuleius Oresius de asino aureo lib. 3.*

Assolent humanæ mutabilitati omnia sordere præsentia. *Paulus Orosius de Ormesta, lib. 2.*

Varietas semper delectat, quia appetitus facile satiatur. *Sebast. Fox. in 3. Plat. de Republ.*

SIMILE.

Vt qui locis æqualibus ambulant, magis defatigantur quam qui inæqualibus: Ita laboriosius est semper eadem aut similia repetere, quam in varijs versari negotijs. *P. M.*

VASA.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Vasa pro quauis supellectile, Hebr. *Ezech. 12. 3. 7. Matth. 12. 29.* pro quouis instrumento, *Actor. 9. 15.* Vasa belli, i. impedimenta in castris, Vasa nautica, *Act. 27. 17.* Vasa mortis, arma lethifera, *Psal. 7. 14.* Vasa musica muliebria, pastoris, peregrinatio, venationis, pro supellectili & ornatu musicorum, mulierum, &c. Vasa tabernaculi, *Num. 3. 50.* Vasa furoris Dei, id est, executores iudiciorum eius, *Ierem. 50. 51.* Vas vnusquisque, *2. Tim. 2. 21.* Vasa iniquitatis. *Gen. 49. 5.* Vasa honoris & misericordiæ, contumeliæ & iræ, *Rom. 9. 21. 23. 2. Tim. 2. 20.* Vasa testacea, mira. *2. Cor. 4. 7.* Vas infirmum & honorandum. *1. Pet. 3. 7.* Vasa fictilia corpora nostra, *1. Sam. 21. 5. 2. Cor. 4. 7.*

SENTENTIAE PHILOS.

Vasorum fundi, quibus calefacimus aquam, cur tādiu calidiores sunt, dum aqua ipsa frigidiuscula est? Quoniam aqua adhuc frigida calor concluditur, circumobsistit intus cum ei exitus omnis denegetur: & aqua concalefacta quod nihil præterea calor arcetur, sed libere spiret, diminuaturq. fundus frigidior redditur, non secus, ac balneæ: has. n. hieme, q̄ æstate calidiores experimur: quoniā calor hyberno potius quam æstiuo tempore aeris circūfundentis frigore intercluditur. *Arist. probl. sec. 24. nū. 8.*

Vasa in lapides versa ad Lydiæ metalla aiunt, atque apud Pergamum existentia, quæ aurea Crœsus confecerat bello quodam exorto, cum opifices confugisse ferunt, qui obstructo ostio suffocati sunt: & postea longi temporis spatio metallis apertis, vasa, quibus manibus abluendis oportunitate vtebantur, in lapides conuersa inuenta fuisse, & quouis liquore, ceu amphoræ, repletæ fuissent, pari modo ipsum in lapidem conuersum fuisse, nec non simili ratione ossa hominum in lapides versa vulgo produnt. *Ari. l. de admiran. audit. num. 50.*

Vasa, quæ bancalia appellantur, cur strepitum faciunt, dum implētur aqua? Quia quum nullum aquam continent, plena sunt aere, & pro sua grauitate extenditur & cum agitur, veluti pugnā inter illū humorem, & aerem, cum deorsum aerem humor premat, ac sursum humorem compellat, & cum id vicissim agatur, merito fit strepitus. *Alex. Aphrod. 1. nu. 94.*

Vasa, quæ harpagia nominamus, si digito foramen superius obstruetur, aquam nullam per foramen foras emittunt, at si apertum sit libere emittere possunt, quia ore aperto aquam deorsum aer compellit. *Idem Aphrod. probl. 1. nu. 5.*

Vas vniuersum non est locus, sed intrursus extimum caueæ. *Them. in 4. phys. c. 41.*

Vas plenum cinere tantum recipit de aqua, quantum reciperet vacuum, quia corrumpuntur ex eo partes aliquæ, & aeri qui est mistus cum cinere succedunt ex eo partes aliquæ, & aliæ partes dissoluuntur à cinere, & huius signum est, quia quum cinis exprimitur, erit quædam pars aquæ, & non tota, & quando cinis exiccatur, est minor quam erat, *Auer. in phys. 4. tex. 8.*

De vasis Corinthijs. DIAL. XLII.
Franc. Petrarcha.

GAVD.

Quem non moueant vasa Corinthia? R. Assuetum cœlestibus terrena non quatiunt, sic collata illis modicum, sic nihil, sic denique tædium atq. fastidium grata sunt. Quomodo autē animus memor originis cauernis terrestribus inhiet? Aut magni faciat, quod ex illis effoditur, dum cœlum, solemq. ac stellas, & seipsum videt, supremumq. horum oīum artificem contemplatur? G. Corinthijs delector. R. Nescis te non gelido tantū, & caenosi terræ patria, sed officinæ nigrantis, ac squallentis fabri opere, ad postremū Romanę prędę reliquijs delectari. Ad historias redi. Mummius dum Corinthum armis captam, direptamq. flāmis absumeret, aureis simulq. argenteis, atq. æneis quæcunq. victorum forte manus euaserant statuis, quarum abundantissima olim illa vrbs fuit, pari incendio liquefactis, omnium metallorum venæ vno ibi torrente fluxerunt, vnoq. ea omnib. iā nobiliore metallo, & preciosioribus vasis exordium, & a clade vrbis nomen luxuriæ partum fuit, non quod furor in ea vrbe consurgeret quæ tuebar, sed venturo furori materia parabatur. Ad hunc modum tunc Corinthus huius fons fuit insaniæ. Nunc Damascus, inde hodie vasa mittuntur vestros captura oculos animosq. G. Vasis Corinthijs delector. R. Mirum magis nisi Augustum modestissimum licet atq. grauissimum principem lectum esset apud egregios scriptores delectatione hac vsq. adeo correptum, præcipitemq. actum, vt proscriptione Triumuirali condemnasse aliquos nullam aliam ob caussam nisi huiusmodi vasorum desiderio putaretur, atq. eius ad statuam famoso epigrāmate apposito ad æternam laudati ducis infamiam Corinthiarius diceretur, quod si credimus, inter hunc optimum pessimūque omnium Antonium hac in parte quid interfit? nisi quod hunc ad iniuriam causa mouit humilior, & est omne peccatum eo maius, quo & maior peccat, & minor causa peccādi, nec peccantis magnitudo atq. imperium linguæ, vel calami vulnus euadunt, indicijsq. hominum eximuntur, illos magis in se acuunt atq. incitant. Non parcit regum maculis vulgus loquax, & si palam metuit, clam libertate vtitur, & in cauernis sibilat, gannit in tenebris, dubias voces in vrbib. acres versus in triuijs serit, subscribit statuis, nutu loquitur: silentio exclamat, minaturq. oculis, lingua ferit. Sic sæpe leuib. ex causis graues contrahūtur infamiæ, & claris quoq. nominib. obscura cognomina. Idque si principum maximo euenire potuit, quid priuati sperent, quib. esse debeat amica mediocritas, inimica luxuria. G. Corinthijs delector. R. At si pectus errorib. oculiq. fulgorib. clauderentur, liquido appareret quantum fictilia præferenda Corinthijs, quā tum vel paratu faciliora, vel iucundiora vsu, vel securiora seruatu, vel diuinæ humanisq. cultib. aptiora, certe quod ad securitatem attinet, si vera hæc Cæsaris nota est, proscripti illi securius vixissent si Corinthijs caruissent. At quo ad diuinum cultū, cum propitiam magis hominib. fuisse diuinitatem dum fictilib. coleretur, nec mihi dubium nec Senecæ. Quo vero ad humanū vsum fictilia Tuberonis, quamuis vt probrū graue apud populum cæcis domino nocuisse suffragijs certum sit, & præturæ repulsam peperisse, Maximoq. Valerio factum populi populariter excusanti, indigna fuisse publico munere videantur, ego tamen hic quoq. cum Seneca sentio, apud quem illa, multis laudib. efferuntur. Sunt. n. parsimoniæ antiquæ, & Romanis aptissimę morib. quib. vt modesti patrisfamilias parata domus, sic bene institutæ vrbis honesta Resp. regi dēt, vt frenato gressu metā teneat eius qui in terris est, compositi, ac tranquilli status. Itaq. si Aelius Tubero fictilib. suis ante cellam Iouis expositis, quib. ille frugalitatem, atq. sobrietatem (vtq. ait Seneca) paupertatem in Capitolio consecrabat, oculos populi iam lasciuientis offendit, non est ciuis egregij culpa, sed temporū. Iam tunc res ab illa prisca seueritate ad hanc mollitiē inclinabat, quę primum pateras, scyphosq. aureos gemmatos, discum argenteum corymbiatum, lancem pampinatam, pateram hederitam mirari cępit, & reliqua quæ Caius Imperator Claudio misit Imperatori post futuro, deinde alias atq. alias furorum species, quæ magnificentiæ tribuuntur: nouissime aūt his dieb. non hederas modo, vel pampinos, vel corymbos, sed ipsas cū incolis suis saltus, oē genus arborum, ac ferarum, & volucrū, & hominū vultus, & quæcunq. vel oculus vidit, audiuitq. auris, vel mens finxit in auro expressa, vel argento longa iam consuetudine nō miratur gemmis inhians, de quib. paulo ante tractauimus. Quid multa? Ipsum iā vilescit aurum arescente superbia. Pridem vero quæ laudas Corinthia viluerunt, contemptusue de vera rerum vilium extimatione, laudabilis futurus, de falsa nobilium admiratione dānabilis factus est. G. Ego vero Corinthia nūc et miror. R. Corinthus vestris vlta facibus, suo vos vsit incendio, & murorum excidiū suorum in vestros animos vlta est. Neq. id nouum, sæpenumero victores bellorum externorum simul externis vitijs vīcti estis. Sic vos Scipio Asiaticus, & Manlius Volsco. Asię victores Asiaticis delicijs lectisq. purpureis, atq. aureis vestib. exquisitæq. supellectili (quodq. vilissimum) epulis, coquisq. pessundedit. Sic Pompeius gemmis, ac margaritis, sic vos Mummius tabulis pictis, atq. Corinthijs subiugauit, vt dum de hostib. Duces vestri, & de vobis vestrisque de moribus hostilia triumpharent.

G. Cu-

G. Cupide Corinthijs vasis vtor. R. Neq. vasa Corinthia, neque aurea meliorem tibi cibum faciunt. neq. Samia peiorem, neque omnino de qualitate rerum, sed ea morbo animi hæc vestra cupiditas orta est, seu ipsa potius morbus est animi, cui vt consulens conualescas pro inutilium tot vasorum curis vnum arripe vulem, ac salubrem: vt scias ipse tuum vas in sanctificatione, & honore (sicut scriptum est) non in passione desideria possidere.

VEHEMENTIA.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

Vehementia, Græce σφοδρότης, ἐντονία, & σφοδρὸς ὤν vehemens, & σφόδρα, vehemẽter dicitur. Heb. *Chozek*, *Chezka*, *Chazkah*, à verbo *Chazak*, præualuit, fortis fuit, obfirmatus est. Cognationem habet cum *Achaz*, firmiter apprehendit, valide tenuit. Hinc ἰσχύω valeo fortis sum. Nonnulli vehementiam ad affectum, fortitudinem ad effectum, & corporis robur referunt. Est autem vehementia quædam acritudo, dicta a vi, & impetu mentis, *sec. Gell.*

SENTENTIÆ PHILOSOPH.

Vehementia, ac furor haud vitiosi duntaxat amoris, verum cuiuscunque amoris intensi, atque efficacis, vel honestus, vel turpis is esse dicatur, proprietas quædam existit. *Leo. Heb. de am. dialo.*

ADAGIA.

Oestro percitus. Οἴστρῳ πεπαταγμένος.
Ingenti animi cupiditate commotus, ac velut attonitus. Suidas.
Er hat Hummeln im Kopff.
Pyrrhichen oculis præ se ferre. Πυρρίχην βλέπειν.
Id est: Tumultum, ac bellum præ se ferre.
Πυρριχίζειν.
Si quis tumultuantem, & ira exardescentem dicat πυρριχίζειν *non carebit prouerbij specie.*
Martem tueri.
Simili tropo dicitur apud Aristophanem, ἄρη βλέπειν, *pro torue tueri.*

VELOCITAS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Velocitas, Græce ταχύτης, ὠκύτης & ταχύς, ὠκύς, velox dicitur, cuius comparatiuum velocius. Velocitas. Heb. *Meherah*, *Mahir*, velox, a verbo *Mahar*, Accelerauit, festinauit, instar aquæ fluentis de monte arduo, & præcipiti. Est autem velocius, quod in æquali tempore maius spatium pertransit, vel in minori maius, vel in minori æquale. *sec. Arist. l. 6. Polit.*

Velocitas est qua expediti sunt animi ad celeriter aliquid obeundum maturèque transigendum: quæ laus habetur propter animi multarum rerum breui tempore perceptionem: nam corporis Celeritas fere dicitur, vt Quinctus Curtius ostendit. Velocitati contrarium, tarditas. Græcis βραδύτης.

PHILOSOPH. SENTENTIÆ.

Velocitas, & tarditas non diuidunt motum, vt differentiæ essentiales. *Auer. in 5. phys. t. 43.*

Velocitas procedit in motu in infinitum, vt diuisibilitas procedit in continuo in infinitum. *Idem in 7. phys. t. 25.*

Velocitatis diuersæ quod est, in tribus modis inuenitur, aut crescit, aut minuitur, aut est vtroque modo. *Auer. in 3. phys. c. 2. t. 61.*

Velocitas dicitur æquiuoce de motu circulari, & recto. *Idem in 7. metaph. t. 24.*

Velocitas propria vnicuiq. motui sequitur excessum motoris super potentiam moti. *Id. ib. t. 35.*

Velocitas, & tarditas non sunt, nisi secundum proportionem potentiæ motoris ad potentiam moti: quanto igitur fuerit maior proportio, tanto magis erit motus velocior: quanto proportio minor, tanto motus erit tardior. *Idem in 2. de cœl. t. 36.*

Velocius aliquando motum esse, aliquando tardius ab eodẽ motore accidit necessario, propter diuersitatẽ illius proportionis, quæ est inter rem motam, & motorem. & diuersitas proportionis accidit, aut propter transmutationem contingentem motori, siue debilitatem, siue vigorem, aut propter transmutationẽ contingentem moto, aut propter vtrunq. *Auer. in 2. de cœl. t. 36.*

Velocitas in rectum non inuenitur in sphæra, nec in pyramide, nisi per accidens. *Idem in 3. de cœl t. 70.*

Velocitas motus est ex potentia motoris ea augmento super potentiam moti. *Auer. in 3. de cœl. t. 27.*

Velocitas motus est ex victima mouentis super mobile. *D. Th. in 7. phys. lect. 9. tex. 35.*

Velocitas motus minuit tẽpus, & auget lõgitudinẽ spatij. *Idem ibi.*

Velocitate inæquali quæ mouentur, quod velocius est, in æquali tẽpore per maius spatium mouetur. *Procl. elemen. phys. prop. 8.*

Velocitatis inæqualis quæ sunt si moueantur quædam tempora sumantur, maius tardioris, minus velocioris, in quibus quod velocius est maius spatium mouebitur, tardius autem spatium minus. *Idem ibi. prop. 7.*

Velocitate inæquali quæ mouentur, velocius in minori tempore transit spatium æquale. *ibi. prop. 11.*

Velociore dato in sesquialtera ratione ad tardius demonstratur, quod lineæ indiuisibiles non sunt. *ibi. prop. 14.*

Velocia habent rationem mutuam eandem quam habent spatia per quæ mota mouentur. *ibid.*

Velocitate inæquali quæ mouentur, potentia inæqualiter respondent motuum temporibus. *ibi. prop. 9.*

De velocitate corporis. DIAL. VI.

Franc. Petrarch.

GAVD.

Sed pernicitas multa est. R. Refert quonã cursus intendatur, multos sua velocitas in exitium tulit. G. Pernicitas mira est. R. Currite mortales vt libet, cæli velocitas vos præcurrit, & ad se omnẽ & ad mortem applicat. Illud vobis cursum eripiet, motum illa. G. Pernicitas summa est. R. Eo tendit, vbi desinat. G. Pernicitas inaudita est. R. Illo properat vbi tarditas multa erit. G. Pernicitas infinita est. R. Sic quantalibet, vbi se exerceat non habebit. Siquidẽ puncti vicem terra omnis obtinuit. G. Pernicitas inæstimabilis est. R. Hæc ingenij laus est, cui maria, & cœlum, & æternitas, & naturæ spacia recessusque & arcana rerum omniũ patent. Corpus puncti momentique ambitu circumscriptũ, quo sua pernicitas latura, atque vbi depositura est: Nonne, o. ut latissime pateat hoc spatium, seu temporum, seu locorum, nihilo minus quocunque se flexerit ad sepulchrum currit? Illæ saltem angustiæ sine vllis, aut astrologicis coniecturis, aut geometricis demonstrationibus notæ sunt. Ita eo curritur, vbi perfecte non curritur. G. Incredibilis mihi modo pernicitas est. R. Cum oẽs homines excesseris, lepusculum non æquabis. G. Pernicitas stupenda est. R. Hæc plerosq; pendentibus, & præruptis locis comitata plano calle destituit, quosdam per propugnacula turrium, per antennas nauium, per confraga montium innocue volitãtes post leui pedis offendiculo in via publica prolapsos extinctosq. nouit ætas nostra. Anceps est cõtraq. naturã iusueta, grauium corporum hæc leuitas, volucremq. hominem non diu factura. Nã etsi inoffensa processerit, f. ista tñ cito desinet, breue robur hominis, breuiorque pernicitas. G. Valde nunc agilis sũ. Et asellus agilis iuuenta, & senio piger pardus. Spacio leuitas ingrauescet. Prima ætas stimulos habet, frenos vltima, quicquid es eris diu, & si esse cupis, cura vt sis bonus. Senium virtus sola non metuit.

VENATIO, VENATOR.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Venator, Græce ἀγρευτής, θηρευτής, κυνηγέτης. Qui feras in siluis persequitur. Sæpe metaphorice est indignator, sectator. Venatio Hebr. *Tsaiid*, à verbo *Tsodh*, venatus est, quæsiuit prædam, indagauit, insidiatus est feris. Venator autem nominatur *Tsaiudh*, rete, *Matsudhi*, vocabulum, *Matsodh*, & rete pro piscibus *Metsodhah*.

LOCI BIBLICI.

Venator Esau, Gen. 25. v. 21. Venator robustus Nemrod; Ge. 10. v. 9.

SENTENTIÆ POETICÆ.

Hor. l. 1. Carm. Ode 1.

Manet sub Ioue frigido
Venator teneræ coniugis immemor,
Seu visa est catulis cerua fidelibus,
Seu rupit teretes Marsus aper plagas.

Clau. lib. 3.

Venator defessa thoro quum membra reponit,
Mens tamen ad syluas & sua lustra redit.

Ouid. lib. 1. de remed. amor.

Vel tu venandi studium cole. Sæpe recessit.
Turpiter a Phœbi victa sorore Venus.

PHILOSOPHICAE SENTENTIAE.

Venationem violentam decernimus, latrocinium, plagiariam, tyrannidem, & omnem bellicam violentiam. *Plato in Sophist.*

Venationis pedestris duæ sunt partes; altera animalium mansuetorum, altera agrestium. *Idem ibid.*

Venatoria ars nulla se extendit amplius, nisi venetur & capiat. *In Euthydem.*

Venatio

Venatio omnis, & quæ cum canibus fit non minus studiose ab adolescentibus fieri debet propter vtilitatem quam affert in cognoscendo suam regionem. *de legib. dial. 6.*

Venatio pedestris sola laudanda est nostris athletis: at quæ nocte fit, non est laude digna, nec quæ laborum remissiones habet, q retibus, & laqueis, sed quæ canibus & equis & corporis nostri viribus peragitur probanda est: Omnia enim illa superant cursibus & plagis & iaculatoribus, sua manu venantes. qui diuinæ virtutis studio tenentur. *Plat. de legib. dial. 7.*

Venationem legislator & laudare, & vituperare debet, ad iuuenũ labores & studia respectu habito, eamque quæ animos iuuenũ meliores reddit, laudet: quæ contra, vituperet. *Idem ibi.*

Venatio multiplex est, nam & aquatilium & volatilium & bestiarum: & hominum, & furta, & rapinæ, latronum, & exercituum venationes. *Plat. de legib. dial. 7.*

Venatorem equis & canibus & corporis viribus nemo vbicunq; voluerit venari prohibeat; nocturnum vero venatorem canibus & retibus confidentem nemo vsquam venari sinat: aucupẽ in agris & montibus nemo prohibeat, in cultis & locis sacris prohibeat quisquis in eum inciderit. *Idem ibi.*

De Venatione præclara multa leguntur in libello Xenophontis, argumentum illud noua quadam ratione tractantis, virisq militaribus venationis (quam prolixe describit) exercitium commendantis, nec non sophistas carpentis, qui in puluere Scholastico de rebus inanibus aerem ferientes. nec sibi nec reipublicę prosunt: imo varijs modis obsunt & nocent.

De Venatione & canibus DIAL. XXXII.

Franc. Petrarcha.

GAVD.

At canibus gaudeo. R. Nunc intelligo adolescentis imberbis gaudium, de quo Flaccus. *Gaudet equis, canibusque & aprici gramine campi.* Vide autem ne & quod sequitur sis. *Cereus in vitium flecti, monitoribus asper. Vtilium tardus prouisor, prodigus æris. Sublimis, cupidus & amata relinquere pernix.* Hunc te enim esse metuo, qui gaudium tuum in fugacissimis rebus loces. G. Canibus ac volucrib. delector. R. Hoc insaniæ deerat. Non satis est currere, ac vagari, volare etiam instituis. G. Rides me? non volabo equidem, sed volantibus delectabor. R. At illæ delectationem tuam despiciẽt abeuntes, nec te noscent, & ingratæ se vocanti surdas exhibebunt, quid implumis facies? Alata voluptas tua est. Finge redeãt, damnosa redit occupatio, iterum clamabis, & oblitus melioris negotij diem perdes, iterum retro accliuis & oculos fixus in nubem post auiculam tuam flebis, quasi necessarij operis vita feras. ex commodo ociosi & lenti vos volucrum seruos esse gloriamini. Natura vobis duas manus fecerat, vos hanc fræno, curuis hanc vnguibus occupatis. Sic inutiles vndique & volãdi studio manci effecti, ne nihil agere videamini multo cum strepitu ante diem surgitis & quasi sint hostes in limine præcipitanter erumpitis, tota dehinc luce iactamini stagnis, siluis, ac veprib. implentes cuncta clamoribus dissonis, & incondito vlulatu. Inq. hoc spiritum nulli maiori rei habilẽ effundentes, spiritum, quo maiores vestri bello terrebant hostes, pace iustitiã defendebant. Sero asit re velut bene gesta domini sedetis altercãtes q bene vel auis hæc volauerit vel illa digesserit, quot caudæ, quot alarũ plumæ superstites, quot emissæ. Nonne hæc ois sciẽtia vestra est? Hic amor, hæc felicitas, & hoc totũ quod creatori Deo, quod altrici patriæ, quod parẽtibus, qđ amicis redditis, accipitres, aut herodios vestros sonantes in aubibus & laniatæ prædæ paululum. & ludorem, & puluerem, & nocturnam perdixæ lucis historiã. In hac. n. indefessi semp & validi, delicati aũt & imbecilles ad seria, Liuij historias, & Ciceronis orationes. sacrasque (nec pudet) literas prolixitatis arguitis. Quis hæc inoffensis auribus audiat? Quis vos fecit ad aliud natos in his viuere, si modo viuitis hoc agentes? G. Canibus atq. auib. delector. R. Atqui ducum & illustrium multos equis, quosdam canibus, delectari solitos audiuimus, eo vsque vt Adrianus Imperator non equis solum, sicut hi quos supra memoraui, sed canib. quoque busta construxerit, oppidumq. insuper eo loci vbi vrsam prospera venatione peremerat manu sua, sæpe & mactare solitus leonẽ, auibus nullũ fere, vnde & irrisum ferunt à Vergilio Marcellã Augusti nepotẽ, quod dare his operã adolescentulis videretur. G. Venatu libenter exerceor. R. Fuit hæc quondã Latinorum, nunc Gallorũ ars propria est, quod & res probat, & illorum scriptores aliqui gloriantur. Itaque vt sileam Reges quorum tota vita venatio est, summus apud illos regum quantum ab armis otij fuit venatu (vt vides) assiduo sp exercitus, ad extremum morti proximus venatu ẽt lassitudinem senectutis, atque incommoda resouet. Mirum dictu, in rege præsertim litterato, nũc à studijs meliorib. abhorrente, sed gentilium hoc illi erat (vt perhibent) sitque gentilium, finite. Neque hanc gloriã Gallis Itali eripiant, neque velint de vanitate contendere. Nã si errore deposito in rem ipsam figis oculos, semi nobilium vltimi ordinis exercitium hoc videbitis, quos à rebus arduis torpor quidã, & ignauiæ comes diffidentia, ab humilib. autem pudor, ac superbia dehortantur, & retrahunt. Ad honestũ igitur nihil idonei, suas colunt. non vitam solitariam acturi, cui nõ minus quam politicæ se ineptos sciunt, sed feris, ac canibus, & volucribus conuicturi, quod non facerent nisi illis similitudine aliqua iuncti essent, qui si ex hoc voluptatem quandam, seu solam temporis fugam quærunt, vtriq. stulti, non compotes forsan euaserint. Sin nescio quam, ceu magnificentiæ, gloriam aucupantur, errant. Quænam quæso non principib. modo, sed ingenuis, est gloria, mechanicis immo, & seruilibus delectari artibus, atque negotijs? Vna horum excusatio. Nam qui liberalitas studijs quę maiores coluerunt sui atq. omnino literis indixerunt bellum, quonam potius quam ad hostilia castra transfugerent? Sed pudebit forsitan, si ad antiqua respiciant, seq. cum maioribus metiantur, ac cõparent. Sæpe quidem legere potuerunt, & Platonem philosophantem, & Homerum poetantem, & Tulliũ orantem, & Cæsarem triumphantem, venantem puto non legerint.

SIMILITVDO.

Plut. Pueri ludentes, petunt ranas saxis, at illæ tactæ serio emoriuntur. Sic nos animi causa venamur, sed serio occidimus. *in Mor.*

VENEFICIVM, VENENVM.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Veneficium, Græce *φαρμακεία, ας, ἡ.* & *φάρμακον, ου, τὸ* venenum, & *φαρμακός, ὁ.* veneficus dicitur. Veneficium Heb. *Caschaph*, a verbo *Kisschaph*, fascinauit, fascinis vsus est. Cognationem habet cum *Aschaph*, Sophus, magus, & cum *Schakaph*, prospexit, inspexit. Hinc per metathesin auspex, auspicium, auspicor, &c. & per conuersionem radicis *βασκαίνω*, fascino. Venefici autẽ dicuntur, qui veneno homines extinguunt. Dicuntur etiam venefici, qui malis artibus, & fascinationibus, ac poculis amatorijs vtuntur. Horum artes veneficia appellantur.

LOCI BIBLICI.

Veneficia damnãtur. *Gal. 5. 20.* veneficij pœna. *Apoc. 9. 21. & 22. 15.*

SENTENTIÆ PHILOSOPH.

Venenum quoddam in Achaia nasci aiunt, quod Pardalianches ab angore dictum est, hoc venatores victimam aspergunt, & recedunt quum ab ipsis Panthera conspecta fuerit, ea vero postquã id tetigerit, de more stercus hominis quærit, quocirca stercus, Venatores in vase reponunt, ac ex aliqua arbore vas suspendũt: fera insiliens ibidem ad extremam defatigationem perueniens ab ipsis superatur, & illorum præda efficitur. *Arist. de admir. aud. nu. 6.*

Venenum a Gallis toxicum dictum confici legitur, id adeo velocem interitum corporibus adferre aiunt, vt Galli venatores, cum ceruum, aut aliquod animal sagitta transfixerunt maxima cum festinatione accurrentes carne in vulnere infectam resecent, ne reliquæ partes animalis veneno afficiantur partim quidem cibi causa, partim ne animal putridum conficiatur. Alij tamen remedium toxico inueniri corticem roboris affirmãt. Alij alterum aliquod folium, quod coruacium appellant, cum illi ad uertissent coruum venenum degustasse, languoreq. affectum ad eum magno impetu aduolare, ac illud postquam deuorasset, a dolore quieuisse. *Arist. de admir. aud. nu. 4.*

Venenum Scythicum quo milites Scytharum sagittas respergunt, ex vipera confici aiunt: reseruant enim viperas, quæ iam sobolem procrearunt. vt apertum est, has capiunt, ac nonnullorum dierum spatio liquescere dimittunt, ac cum putrefactæ idoneæ sunt vniuersum hominis sanguinem in olla effundentes intra sterquilinia defodiendo operiunt, ac cum sanguis putruerit, eam partem, quæ aquæ effigiem repræsentat, virulentæ saniei viperæ commiscent, & lethalem veneni speciem efficiunt. *Arist. de admir. aud. nu. 137.*

Venenosis omnibus contraria est saliua hominis ieiuni, qui in fera præcedenti abstinuit a cibo. *Alb. Mag. de ani. l. 7. tr. c. 5.*

Venenum aliud est calidum, aliud frigidum: calidum quasi comburendo interficit, & cito quasi adustum reddit locum morsus. Frigidum frigidando interficit cor, cum vapor aliter ad cor defertur. *id. ibid.*

Venenum subtilius citius penetrat, & necat, sed facilius consumitur, & medicinam recipit. *ibid.*

Venenorum duæ sunt species, secundum duo principia suarum operationum: Vna habet principium suæ operationis a qualitate actiua, vel passiua, quæ in ipso est: alia forma substantiali, & tota substantia suæ naturæ. & speciei: Prima species quatuor modis operatur; aut corrodit putrefaciens ex acumine ex-

loris

soris humido: vt lepus marinus: aut inflammat calefaciens ex calore conuertente ad se humidum subtile. vt euphorbium; aut infrigidans stupefaciens ex frigiditate mortificatiua tollente sensum, vt opium: aut oppilans vias anhelitus in corpore ex grossitudine frigidæ substantiæ suæ, quæ acumen accidẽtale habet, vt plumbum adustum: nocens a tota substantia est, vt gummi napelli, fel Leopardi, & hæc sunt venena deteriora, quam prima. *Alb. Mag. de an. 25. c. 1.*

Venena alia sunt super aliquod membrum operantia perniciem quædam super totum corpus. *Alb. Mag. de an. l. 25. c. 1.*

Venenum aliquando iuuatur ad operandum complexione sumentis: aliquando impeditur. Iuuatur quum quod sumit venenum calidum calidæ complexionis, contra si frigidæ, ea propter napellus homini est venenum, cibus turdo, & passeri. *idem ib.*

Venenorum signa sunt si sentitur inordinatio, & corrosio pũcturæ, & incisio, scitur esse venenum calidum, & acutum: si accidat inflammatio vehemens, & exuberatio sudoris, & rubedo oculorum, & angustia, & sitis, significat esse venenum calidum valde: si profunditas somni, stupor, & frigus, & syncope, significat esse de venenis, quę a tota substantia operantur, & hęc sũt omnibus alijs deteriora. *Alb. Mag. de an. l. 25. c. 1.*

Venenum viperarum non est frigidum, quia frigescant venenati, sed ideo frigescunt, non quod sit frigidum venenum, sed quia contrarietas, quam habet venenum ad calorem naturalem, mortificat eum. *idem ibid.*

Veneficia in humano genere de quib. nunc traditur, duplicia sunt, aliud quod corpore corpora secundum naturam deprauat, alterum quod præstigijs quibusdam, & incantationibus, & deligationibus persuadet alijs qui ipsi lædere audent, quod hoc possit, alijs quod læduntur ab his præ omnibus qui præstigias exercere possunt. *Plat. de leg. dial. 11.*

Veneficijs qui vtitur ad detrimentum non lethale, neq. ipsius, neque hominum, sed pecorum, aut examinum, siue lethale, siue aliud detrimentum: si medicus fuerit, & veneficijs cõdemnatus, morte plectator: si idiota, iudicium iudicet quid persoluere debet, ac si deligationib. aut illecebris, aut quibusdam incantationib. aut eiusmodi, veneficiorum vsu ad lædendum paratus esse videtur, si vates est, aut prodigiorum interpres, occidatur: vt si absq. diuinationis peritia quis veneficij condemnatus fuerit, idem etiam circa hunc fiat, nam & hoc iudicium faciat æstimationem, quid ipsum pati, aut soluere oportet. *Plat. de leg. dial. 11.*

Veneficium est ars quæ iam circa materiales dæmones, & terrestres, simulacra dæmonum prouocans in aspectum, & alios velut ab inferis excitat, alios ex alto deducit. *Mich. Ps. de dæm.*

De Veneno. DIAL. CXVI.

Francisci Petrarch.

DOL.

Venenum timeo. R. Potu abstine, ciboque promiscuo, expertorũ fides amicorum excubet, suspectos limen arceat, vina turbida, fusca exulent pulmenta, dapumque permixtio, cautio adsit, & sobrietas, & tarditas. Præcipitatio autem absit, quæ & alijs, & præsertim genere hoc mortis multos perdidit. Sit ad mensã lenta manus, oculus celer, animus vigil, memorq. discriminis, nec tuis tantum, sed aliorum oculis, atq. animis obnoxius inuigila. Magnis periculis magna obstat intentio, nihil non turbat incautum. D. Venenum metuo. R. Operosum remedium audisti. Vis audire facillimum? Pauper esto, veneni metum periculumq. discusseris. Hoc siquidẽ mali genus humilior fortuna nõ recipit, vna securitas parens, & terrorum omnium extirpatrix, medicina alia quidem optima, atq. promptissima, nulliq. hominum negata, multis etiam ingesta nolentib. neque vero efficax, minus quam parabilis, tuta hercle, quamuis amariuscula, atq. horridula. Comprimit animi tumores, liuores diluit, bilem purgat, curat hydropisin, vestræ opes plenæ insidiarum, plenæque formidinum non minus cyathos metuunt quam gladios, nec minus paropsides, quam sagittas, non mensa, non domus, non cubiculum periculis suis vacat. Dubia quælibet, atque suspecta, *præsentemq. viris intentant omnia mortem*, quod in tempestate ait Maro, in tranquillo vobis accidit, & hoc vestræ illæ tam dilectæ vobis afferunt diuitiæ. Paupertas vero præter immerito apud vulgus infamati nominis notam tuta habet omnia. Et si quando turbæ inscia pulsus, ac strepitus conquiescat optabilia, ac suauia penitus, & tranquilla. Tandem ergo fictilibus, & vitreis vasculis terreni homines bibite atque edite, si securi bibere vultis, atq. edere, aureis vasis, at gemmatis venena miscẽtur. Quorsum pergis auaritia? Ipsum quoque iam venenum gemmas amat, atque aurum. Contra hanc pestem, neque Pontici regis, neque alterius efficacius antidotum, quam paupertas. D. Venenum hausi, mors præcordijs innatat. R. Vbi semel moriendum esse decreueris, quod decretum esse debet omnibus, qui se meminerint mortales, quid refert an id sitiendo facias an bibẽdo? Et rursus an tuo sanguine madidus an vino. Magnos compotores satique huius habes comites, Alexandrum, Hannibalem, Philopœmenem, Mithridatem, ipsum Claudium, Theramenem, Socratem,

ADAGIVM.

Manci pera.

Narrãt locum fuisse vicinum Hymetto, cui nomen fuerit χωλῦ πήρα id est Claudi mantica, in eo fuisse templum, similque fontem, vnde fœminæ steriles bibebant, & fiebant fecundæ. Conuenit in eos, qui bulbis, aliisve, medicamentis irritant libidinem. Quidam elleboro succurrunt ingenio, & quibusdam medicaminibus memoriæ.

Vide tit. Malitia.

VENIA.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Venia, Græce συγγνώμη dicitur. Et est debitæ pœnæ remissio. *secundum Senecam lib. de clementia.* Dicitur autẽ venia, quod optanti eueniat. Venia aliquando capitur pro indulgentia. Est autem indulgere obsequi, & aliquid delicate concedere. Quare indulgentia est mollis, & delicata permissio. Terent. *Demea nimium indulges filio.* Hebr. *Chemlah*, & *Machmal*, à verbo *Chamal*, mollis fuit animo, emollitus est erga aliquem, pepercit tactus mollitie animi, commotus est miseratione. Cognationẽ habet cum verbo *Machal*, ignouit culpam, veniam culpæ concessit. Hinc μαλάττω & μαλάσσω. item Lat. mollio, mollities, mollis. Dicitur etiam venia, Hebr. *Selichah*, *Psal.* 130. 4. à verbo *Salach*, propitius fuit, pepercit.

PATRVM SENTENTIAE.

Debet Ecclesia Catholica correctis & firmatis filijs libenter ignoscere: cum ipsi Petro personam eius gestanti, & cum in mari titubasset, & cum Deum carnaliter à passione reuocasset, & cũ autem serui gladio præcidisset, & cum ipsum Dominum etiã negasset, & cum in simulationem postea superstitiosam lapsus esset, videamus veniam esse concessam, eumque correctum atque firmatum vsq ad dominicæ passionis gloriam peruenisse. *Aug. de agone christ.*

Nullus debitæ grauioris pœnæ accipit veniam, nisi qualemcunq; etsi longe minorem quam debeat, soluerit pęnam. *Aug. de ciuit. Dei. l. 10.*

Audistis formam, si septuagies septies Christus peccata dimiserit: si huc usque ignouit, & vltra negauit: pone & tu limitem: & virtutis noli ignoscere. *Aug. de verbis Domini.*

Dicit Dominus, dimitte, & dimittetur tibi. Si ergo prior dimisi, dimitte illis postea, nam si non dimiseris, reuocabo te, & quicquid dimiseram, replicabo tibi. *ibid.*

Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Ne dicas in lingua, ignosco, & corde differas, nouit. n. cum dicas. Vocem tuam audit homo, conscientiam tuam Deus inspicit. Melius est enim, dum non clamas ore, & dimittis in corde, q̃ blandus ore, crudelis in corde. *De verbis Domini serm. 15.*

Negligens inimicitias si iræ obliuiscitur, pertinax veniã non vult concedere, sed dedignatus, his tribus inimicis viuunt homines, sed animas, in quibus non moriuntur occidunt. Vigilat contra negligentiam memoria, contra pertinaciam misericordia, contra superbiam, verecundia submissa prudentia. *In serm. de 40.*

In hac petitione si mentitur, totius orationis nullus est fructus, pecuniam aliquando repetere conceditur, sed debitis peccatorũ petenti veniam, nunquam iuste negatur. *super Matth. 6.*

Beneficium se putabat accepisse augustæ memoriæ Theodosius, cum rogaretur ignoscere & tunc propior erat veniæ, cum fuisset commotio maior iracundiæ, & optabatur in eo, quod timebatur in alijs, vt irasceretur, hoc erat remedium reorum, qui cũ haberet supra omnes potestatem, quasi parens postulari maluit, quam quasi iudex punire, æquitatis iudex, non pœnę arbiter, qui nunquam veniam cõfitenti negauit. *Ambr. de obitu Theo.*

Discas frequenter ignoscere nec indignationem tenere. Nihil est enim quo possit offendi, cui ignoscendi est consuetudo. *Ambro. in Lucam.*

Tantæ pietatis est Dominus Iesus, vt ipsi Iudæ donaret veniam, si Christi expectasset misericordiam. *ibid.*

Pulcherrimum affectandæ conuersionis exemplum, quod tam cito latroni venia relaxatur, & vberior gratia quam precatio, semper enim plus tribuit quam rogatur. *in Matth.*

Non vsque septies, sed vsque septuagesies septies: id est, quadringentis, & nonaginta vicibus, vt toties peccanti fratri dimitteret in die, quoties ipse peccare non posset. *Hier. super Matth. lib 3.*

Si peccauerit in nos frater noster, & in qualibet causa nos læserit, dimittendi habemus potestatem, imo necessitatem, quia Dominus præcepit, vt debitoribus nostris debita dimittamus. Si

autem

autem in Deum quis peccauerit, non est nostri arbitrij, vt dicit Scriptura. Si autem peccauerit homo in hominem, rogabit pro eo sacerdos, si autem peccauerit in Deum, quis rogabit pro eo, & nos e contrario in Dei iniuria benigni sumus, & in nostris cõtumeliis odia exercemus. *idem in 24.*

O formidolosa sententia: si parua fratribus non dimittimus, magna uobis a Deo non dimittuntur. *ibid.*

Apud misericordem iudicem, nequaquam fine venia culpa relinquitur, quum per feruorem zeli ex eius amore peccatur. Sæpe namque magnis hoc doctoribus mirandúsque contingit, quod vt alta charitate feruent, modum correctionis exaggerent, & lingua aliquid, quod non debet, dicat: quia mentẽ dilectio quãtum debet inflammat, sed verbum prolatæ contumeliæ tanto citius partitur, quanto & ex qua radice prodeat pensatur. *Greg. in mor.*

Peccatores, qui operum peccata deplorant, debent præsumere de misericordia quam postulant: non enim pie Dominus ante delinquentium oculos flenda peccata opponeret: si per semetipsum ea districte ferire voluisset. *in past.*

Sciendum est quod qui dimittit, & non dat, & minime dimittit: omnino nullam misericordiam facit, quia ab omnipotente Deo munus ex manu non accipitur, quod obligato corde ex malitia p: offertur. *in mor.*

Plurimum interest quo animo quisque parcat: sicut enim aliquando et misericordia puniens, ita & crudelitas parceus. *Aug. epist.* 64.

Cito parcendum est iniurianti, ne veniæ viam tibi intercludas. *l. 4. de ciuit. Dei.*

Veniam delicti assequutus, si iterum peccat, grauius iudicium sibi præparat. *Basil. in sum. m. ral.*

Sis humilis ad petendum veniam, facilis ad dandam, & sic membra erunt in pace. *Bern. de vera Apost. ser. 1.*

Iudex veniam dare peccatis non potest, quia voluntati seruit alienæ: Deus autem potest, quia legis suæ dispensator ac iudex. *Tertull.*

Sunt aliqui sic donantes iniuriam, vt non vlciscantur, quum tamẽ sæpius improperant. Sunt alii, qui licet sileant, manet tamen alta mente repostum, & rancorem tenent in animo, quarũ neutra plena indulgentia est, longe ab his omnib. benignissima diuinis natura libenter agit, ignoscit plenarie: ita dicunt, non propter fiduciam pecco, sed pœnitentiam. Vbi abundauit delictum, solet gratia superabundare. *Ber. sup. Cant.*

Tam liberaliter Dominus omnem donauit iniuriam, vt iam nec damnet vlciscendo, nec confundat improperãdo, nec minus diligat imputando. *ibid.*

Omnino propter mansuetudinem, quæ in te prædicatur, currimus post te Domine Iesu, audientes quod non spernas pauperem, peccatorem non abhorreas, non horruisti confitentem latronẽ, non lachrimantem peccatricem, non Chananæam supplicantẽ, non deprehensam in adulterio, non sedentem in telonio, non supplicantem publicanum, non negantem discipulum, non persecutorem discipulorum, non ipsos crucifixores tuos, in odore horum vnguentorum currimus. *ibid.*

Multi aliorum vitia cernunt, sua non aspiciunt, & cum ipsi maximis criminibus obnoxii teneantur, peccata minora fratrib. non dimittunt. *Isidor. l. 3. de summo bon.*

Homo sine peccato esse non potes: & vis semper tibi dimitti totum, dimitte semper, quantum vis dimitti tibi, tantum dimitte. Quoties vis dimitti tibi, toties tu dimitte, imo quia vis totum dimitti tibi, totum dimitte. homo intellige, quod remittendo alii, veniam tibi tu ipse dedisti. *Pet. Chrys. ser. 67. super illud Dimitte nobis.*

Dimittenda sunt debita, non pecuniæ solum, sed omnium causarum, culparum, criminum, quicquid homo incurrere poterit, in his tibi, cum incurrerit, alter ignosce, fidens peccatis suis veniam petit, qui peccanti libenter ignoscit. *idem in serm. 68.*

DICTA POETARVM.

Ouid. 3. de Pont.

Crede mihi miseris cœlestia numina parcunt:
Nec semper læsos, & sine fine premunt.

Terent. in Phor.

Nos itaque culpa facimus, ut malis expediat esse,
Dum nimium dici nos bonos studemus, & benignos.

Sen. in Agam.

Dat ille veniam facile, cui venia est opus.

Hor. s. ser. 3.

Qui, ne tuberibus propriis offendat amicum,
Postulat ignoscat verrucis illius: æquum est
Peccatis ueniam poscentem, reddere rursus.

Polyant. Nouiss.

Iac. Bill. Anth. Sac.

Veniam alijs dandam esse vt eam a Deo impetremus.

Multa tibi debet Titius: sed tu quoque debes
Multa Deo: si des, mox tibi cuncta dabit.
Si repetis, repetet: si dunus es, ille rogantem
Abijciet. fusas obteret atque preces.
In reliquis exempla tibi namq; omnibus ille
Præbet: at tu sequitur, quod prior ipse facit.
Vt q; solet speculum, quas cepit, reddere formas:
Æqua ita lanx lanci dissimilitura tuæ est.

POETICAE SENTENTIÆ.

Magnanimum virium est, negligere lædentem. *Sen. de mor.*

Si imbecillior est qui læsit, parce: si potentior, tibi ipsi ignosce. *idem de ira, lib. 4.*

Illis facile ignoscitur, qui non perseuerare, sed ab errato se reuocare moliuntur. *Cic. in Vatin.*

Vtilius est absolui nocentem, quam innocentem causam non dicere. *Cic. pro Rosc.*

Hominem improbum satius est accusare, quam absoluere. *Liu. 4. Dec.*

Non est modo liberale paululum nonnunquam de suo iure discedere, sed interdum etiam fructuosum. *Cic. 2. offic.*

Magna est peccandi illecebra, spes impunitatis. *idem pro Mil.*

Venia & non laus interdum datur, quando ea quæ non debet agit quispiam ob huiuscemodi, quæ humanam naturam excedunt, & a nullo sustinentur. *Arist. 1. Eth. c. 1.*

Venia quos cognouimus dignos, nunquam reprehendimus. *idem mag. mor. c. 7.*

Id dignum est venia, quod non sponte fit. *Thucyd. l. 1.*

APOPHTHEGMATA.

Epimanondas: homini contempto, qui lege quiddam admiserat, Pelopida pro eo deprecante, non ignouit: sed amica pro illo rogante, dedit veniam, dicens, eiusmodi munera a scortis accipi oportere non a militibus. Paratus erat ad ignoscendum: sed quẽadmodum non quæuis damus omnib. ita spectandum est, cui & in qua causa gratificemur. *Plut. in Græc apoph.*

Arius philosophus: Potitus Alexandria Cæsar, multis vitam donarae in gratiam Arii philosophi. Sostratum tamen, promptissimæ quidem linguæ virum, sed qui Cæsari displiceret, quod temere Academicus haberi vellet, reiecit. At is squalidus promissaque cana barba, cœpit Arium quocunque iret insequi, versiculum illum in ore habens,

Σοφοὶ σοφοὺς σῴζουσιν, ἂν ὦσιν σοφοί.

Sapientes sapientes seruant si fuerint sapientes.

Hac arte coegit Cæsarem ignoscere. *P. M. l. 4. apoph. ex Suet.*

HIEROGLYPHICVM.

Petitam a Diis sermonis veniam, cum obsecratione nostri memores delicti, vlcisci cogitarent, eo exprimebant hieroglyphico: *ut proximum a minimo digitum ad aurem dextram referrent*, quod facto prius ore institutum. Est enim locus ille Nemeseos, quã gestu hoc, vt in aure ostensum, conciliari crediderunt. *Pet. Val. lib. 344. E.*

Vide, Reconciliatio. Item, Pœna, Punitio.

VENTVS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Ventus, Græc. ἄνεμος, & ἀνεμώδης, ventosus dicitur. Heb. *Ruach* a verbo *Reach*, spirauit, flauit, actiuo, quod cognationem habet cum verbo neutro *Rauach*, fuit respiratio. Hinc dicitur ventus. Est autem ventus impetus aeris in vnam partẽ flantis. Vel sic. Ventus est magna multitudo exhalationis calidæ, & siccæ motæ lateraliter super terram ad multam distantiã. *sec. Arist. l. 3. meteor.* dicitur autem a venio. Hinc ventosus, hoc est plenus venio, vt regio ventosa: vel inanis. vt verba ventosa, oratio ventosa, hoc est, sine pondere, sine effectu. Hinc etiam ventositas, hoc est inanis iactantia, & vanitas. Hinc etiam ventilare quod est mouendo ventum capiare.

LOCI BIBLICI.

Venti in manu Dei, *Gen. 8. 1. Exod. 10. 13. & 14. 21. Num. 11. 31. Psal. 104. 3. & 135. 8. Ierem. 10. 13. Amos 4. 13. Io. 1. 4. & 4. 8.* Venti Christo obediunt, *Mat. 8. 26. Mar. 4. 39. Luc. 8. 24.* Ventus ira Dei, *Esa. 41. 16. & 17. 13. Ezech. 13. 11. & 27. 26. Os. 13. 15.* Ventus pro plaga orbis terrarum. *2. Chr. 9. 24. Ier. 49. 32. 36. Ezech. 5. 10. 12. & 12. 14. & 17. 21. & 42. 16. &c. Matt. 24. 31.* Res nullius momenti, Spes vana, Mendacium, *Ef. 41. 29. Ier. 22. 22. Ose. 8. 7. & 17. 1.* Euãgelii doctrina, Euangelici doctores. *Apoc. 7. 1.*

PHILOSOPH. SENTENTIÆ.

Ventorum quidam flatus rectus est: quidam reflexus est. Rectos habent ii, qui lineis rectis semper graffari solent, reflexos, & refractos. *natulat. Arist. de mundo, c. 3.*

Venti quidam hieme pollent, vt austri. Quidam æstate, vt ἐτησίαι, id est, anniuersarij: & ὀρνιθίαι, quasi auiarij. *idem ibid.*

Venti violenti catagides sunt, qui fiant superne, & repente exuberantes. Thyella est flatus qui repente prosilit. Lelapa, & Stroblus, qui inferne sursum versus repente conuoluitur. Anaphysema dicitur ventus sublime sese rapiens, cum e specu depresso flatus emicuerit, aut e terra in hiatum descendente. *ibi.*

Ventus vehementius per loca spirat angusta, quam ampliora, quoniam in vnum locum coactus vires, & robur pro suo profundo accipit amplius, ac per spacia ampliora diffusus imbecillus redditur, & eadem ratione omnis qualitas coacta validior est. *Alex. Aphrod. problem. 1. nu. 3.*

Ventorum nomina & situs sunt hæc: principales sunt quatuor, ab Oriente Subsolanus, a meridie Auster, ab occidente Fauonius: a septentrione Septentrio: & vnusquisque horum habet duos ventos hinc inde coniunctos: Subsolanus a latere dextro Vulturnum, a læua Eurum: Auster a dextris Euro Austrum, a sinistris Austro Africum. Fauonius a dextris Africum, a læua Corū: Septentrio a dextris versus occidentem Circium, a sinistris Aquilonem. *Alb. Mag. in 3. meteor. 1. c. 23.*

Ventus vt plurimum sit post imbres, & venti cessant aqua facta, quia cum pluit terra exiccata, & ab eo, quod est in ipsa calido, & ab eo, quod desuper exhalat, quod ventorum est corpus, & cum talis segregatio fuerit, & venti dominentur cessantib. quia segregatur calidum semper, & sursum fertur in superiorem locum, cogit vapor infrigidatus, & fit aqua. & cum in idem compulsæ fuerint nubes, & circū obtinuerit ad ipsas frigiditas: aqua fit & infrigidas siccam exhalationem. *Ari. 2. met. 2. c. 1.*

Venti sæpe fiant ante eclipses in principio noctis, ante eclipses media noctis: a media autem nocte ante dilucalares. *ibi.*

Ventorum principium est, vt mouetur Sol. *idem ibi.*

Ventus cur magna ex parte ante Lunæ defectus excitatur initio noctis, dum defectus medio incipit noctis: medio vero cur mane? quia calor Lunæ propterea hebetatur, quia cursus iam proximè est, quod defectus causet: remissiq; itaque calore, quo retentus erat aer quiescit, rursus mouetur, ac spiritus reddi incipit. *Arist. probl. sectm. 27. num. 80.*

Venti cur ad post ortum vehementissime spirant? Quia vbi vniuersi afflarunt, parum caloris relinquitur. *idem ibi. nu. 27.*

Venti cur siccant, cum frigidi sint? quia quia frigidissimi sunt, vaporem eliciunt. *ibi. nu. 30.*

Venti cur amplius siccant, quam Sol? quia vaporem non solū euocant, si deinam abducunt, sol autem relinquit, itaque vt magis humificat, sic minus siccat. *Arist. probl. sectm. 26. nu. 31.*

Ventus nihil aliud est, quam aer multus fluctuans, & coactus, qui etiam spiritus appellatur, cum alioqui spiritus appelletur substantia animata genitalis in stirpib. s, & in animantibus existēs per omnia pertinens. *Arist. de mundo, c. 3.*

Vētus si fenestræ per parietes obiectæ sint, si altera est clausa non irrumpit per alteram vehemens, quia ventus non nisi corpore constat, ergo altera clausa, aer, qui per alteram ingressus est, domum replet & nihil amplius ingredi patitur: & si fenestra aperiatur, aer aerem extrudit, & sic venti agitatio excitatur vehementior. *Alex. Aphrod. probl. 1. nu. 86.*

Venti secundum terræ partes differunt, ac distinguuntur. *Alex in 2. meteor. c. 1. co. 8.*

Venti cur alijs aliis locis imbres afferunt? quia vbi frequentia nubium cogitur, ibi pluuiam esse oportet. *Arist. probl. sect. 26. n. 58.*

Venti non videntur calidi, quia mouent aerem existentem plenū multo, & frigido vapore. *Arist. met. 2. c. 2.*

Venti sæpe de aliqua nube exeunt, qui non sunt ex duodecim ventis. *Alb. Mag. in 3. meteor. tract. c. 15.*

Ventus est agitatio aeris circa terram. *Speusippus de Platonicis.*

Venti alij e telluris habitu constant, terrigenæq; nuncupantur, alij excutiuntur e niuibus encolpiç de recessu nominati. similes hi sunt qui de fluminib. lacubus, & stagnis exeunt, qui ruptis nubibus, per operta cœli manare solent, & in crassam nubiū speciem conglobantur, vel cum imber effusus conciet flabra, quæ exhydriæ Atticorum lingua vocitantur: eurus oriens, Boreas septentrio, occidens Zephyros, austros medius dies mittit: hos quatuor alij plures interfluunt. *Apuleius de mundo.*

Ventus qui aerem infrigidat, siccat, & serenat, sua natura est salubris, si eum temperamento acceperis, & est principalis medicus contra pestis venenum. *Fic. in Epid. antid. c. 5.*

Ventos omnes philosophi siccos faciunt, genituram omnem humidam. *Io. Fran. Pic. Mir. in Astrol. l. 10. c. 9.*

Ventos esse placuit Anaximandro fluxum aeris de subtilissimis & humidissimis in eo partib. a Sole vel motis, vel liquefactis conflatum. Aristoteles siccam euaporationem censet esse. Stoici fluxum aeris simpliciter nuncupant. diuersas nominationes diuersis e regionibus a quibus flare consueuit sortitum. Metrodorus existimauit fieri ventum ex aquosa vaporatione ob solis adustionem impetu diuinorum spirituum. *Io. Fran. Pic. Mir. in exa. va. doc. gen. l. 1. c. 12.*

Ventus est de illis, quæ mouentur, cum non moueatur, nisi a generante ipsum. *Auer. Phys. 8. t. 47.*

Ventus est vapor terreus aeris superiora transcendens & aerē vehementer percutiendo impellens. *Al. Mag. in 3. meteor. trac. 1. c. 5.*

Venti omnes a quibus incipiunt flare locis, ac etiam ex ijs, quæ proxima illis sunt ad plurimam distantiam nubes impellunt. *Alex. Aphrod. in 2. meteor. c. 3. co. 14.*

VENVS.

DEFINITIO, ET ETYMOL.

Venus ἀφροδίτη dicta est propter originem, quia spuma ἀφρὸς dicitur. *Plato in Cratylo.* Multa obseruatu digna de Venere habes in etymol. trilingui Lugd. *pag.* 874. 875. 876. 877. 878. 879. 886.

POETICAE SENTENTIÆ

Virg.

Nec Veneris, nec tu vini capiaris amore,
Vno namq; modo vina Venusq; nocent.
Vt Venus eneruat vires, sic copia Bacchi
Attentat gressus, debilitatq; pedes.
Multos cæcus amor cogit secreta fateri,
Arcanum demens detegit ebrietas.
Bellum sæpe parit ferus exitiale Cupido
Sæpe manus itidem Bacchus ad arma vocat.
Perdidit horrendo Troiam Venus improba bello,
Et Lapithas bello perdis Iacche graui.
Denique cum mentes hominum furiarit vterq;
Et pudor & probitas & metus omnis abest.
Compedibus Venerem, vinclis constringe Lyæum:
Ne te muneribus lædat vterq; suis.
Vina sitim sedent, natis Venus alma creandis,
Seruatas metas finis transgressa nocet.

Ex Comica

Ἐν πλησμονῇ τοι γὰρ Κύπρις, ἐν δὲ τοῖς κακοῖς
Πεινῶσιν οὐκ ἔστιν Ἀφροδίτη βροτοῖς.
Vt saturitatis assecla est semper Venus:
Sic se fugit eos quos premit penuria.

PHILOSOPHICAE SENTENTIÆ.

Veneres duæ sunt: altera antiquior & matre carens, cœli filia, quā etiam cœlestem cognominamus: altera iunior Iouis & Dionis filia, quam vulgarem vocamus: quare amorem alteri cooperantem cœlestem: alteram vulgarem necesse est appellare. *Plato in symposio.*

Venus non est sine amore, & si vna esset, vnus esset amor, cum vero duæ sint Veneres, duo quoque amores sint. *ibid.*

Venereum iusiurandum solum non valere aiunt, amatoribus enim solis si iusiurandum transgressi fuerint, venia datur, vt vulgus ait. *ibid.*

Venerea qui peragere vult, ita peragere debet, vt a nemine videatur, veluti res visu turpissimas. *Plat. de pulchro*

Venus cara debilitorem ipsam dominans facit. *Idem de leg. dial. 8.*

Veneris stella fit Hesperus occidentalis. s. sequens Solem in tantum, vt a splendore ipsius non obscuretur: aliquando Orientalia vbi Solem præcedit, & ad auroram prius oritur: & fit Lucifer, quia cum sole currit. *Tim. Locr. aut. de mund. & nat.*

Venerem cœlestem vt e Saturno, i. intellectu genitam dicam necesse est animam diuinissimam, proxime ab ipso intellectu inuiolabili inuiolabilem natam, superneq; permanentem, vt quæ ad hæc mundana descendere nec vult, nec valet, quia ea natura prædita est, quæ ad inferiora non inclinatur, & necesse est esse substantiam separatam, & essentiam materiæ non participem: & ideo sine matre dixerunt esse, i. sine materia, quæ potius est Deus, quam dæmon, vt quæ pura & syncera, & in se ipsa consistens sit. *Plot. in En. 3. lib. 5. c. 2.*

Venus senibus fugienda est, nam & iuuenibus detrahit vitæ plurimum & non consulit natis, sed nascituris, & etiam herbas statim producto semine siccat. *Fic. de vita produc. lib. 2. c. 8.*

Venus duplex est: vna intelligentia illa, quam in mente angelica posuimus: altera est vis generandi animæ mundi tributa: vtraque sui similem comitem habet amorem, illa amore ingenito ad intelligendum Dei pulchritudinem rapitur, hæc amore suo ad procreandam eandem pulchritudinem in corporib. illa diuinitatis fulgorem in se primum complectitur: deinde hunc in venerem secundam traducit: hæc fulgoris illius scintillas in materiam mundi transfundit. *Fic. in Plat. conui. or. c. 7.*

Venus duplex, cœlestis & vulgaris: cœlestis, quæ in mente est, cœlo nata sine matre dicitur, quoniam mater apud physicos materia est, mens autem illa a materiæ consortio aliena est. Secūda Venus, quæ in anima mundi ponitur ex Ioue & Dione genita, ex Ioue, i. ea ex virtute quæ cœlos mouet: & istam creauit potentiam, quæ inferiora hæc generat, & matrē illi tribuunt, quia materiæ mundi infusa cum materia commercium habere putatur. *Fic. in Plat. conuiu. or. 2. c. 7.*

Vene-

Veneres duæ in nobis sunt: hæ vires intelligendi, & procreandi, quas gemini comitantur amores, cum primum humani corporis species nostris oculis, mens nostra quæ prima venus est veneratur, & diligit, & per hanc ad illum sæpe numero incitatur. Secunda Venus, id est, vis generandi, & formam huic similem generare concupiscit. *Fic. in Plat. conuiu. or. 2. c. 7.*

Veneris & Mercurii, ait Plato, potentiam contrariam esse soli, quia opposito ad illum motu quandoque mouêtur progredientes, & vicissim regredientes, Sol occulta prodit illic contra: præterea Solis potentia cum rebus incomparabilia est, ipsi cōparabiles moderantur, comparabilemque efficiunt. Venus conciliationis & amicitiæ, Mercurius proportionis & commixtionis est author. *Fic. in Plat. Tim. c. 19.*

Venus & Sol proximi nobis sunt, maiores enim videntur. *Idem in Plat. En. 2. lib. 1. c. 7.*

Veneri columbæ consacratæ sunt. *Leo. Heb. de am. dial. 2.*

Veneris natura propria generandi esse existimatur. *Idem ibid.*

Apophthegmata.

Theophrastus rogatus quid esset amor? respondit animæ otiosæ affectus.

Nonnulli amorem prædicant esse mentem, nonnulli cupiditatē, alii insaniam, sunt qui diuinum quendam & dæmonicū animæ motum, quidam plane diuinum faciunt. Quocirca recte aliquibus est, initio cupiditatem esse: si vero excedat, furorem.

Profanum Exemplum.

Venere abstinuerunt *Icco Tarentinus* propter Olympicum, & alia certamina per totum exercitationis vigorem. *Cœ. Astilus ibid.*

Vide supra, Amor Venereus.

VERBVM, ET VERBVM DEI.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Verbum, Λόγος, Dei filius, Sermo, sapientia patris, seu patria interpres. Ille item de quo locutus est Deus, quem ecclesiæ suę seruatorem ac mediatorem promisit & exhibuit. *Io. 1. 1. 14. & 1. Io. 1. 1. & 5. 7. Apoc. 19. 13.*

Huius vocis, extra considerationem verbi seu filii æterni multiplex acceptio occurrit in S. Scripturis, vt ex sequentibus testimoniis & aliis colligere facile est. Vide in concordantiis quod *Verbum* significat.

Loci Biblici.

Verbum. Heb. *Dabar*, pro re quapiam vel negotio, aut etiam pro particula indefinita, *Gen. 24. 50. Esa. 2. 1. Luc. 1. 37. & 15. 2. Matth. 21. 24.* pro nutu seu volūtate, *Heb. 1. 3.* κατ' ἐξοχὴν, pro promissione gratuita, fide in Christum recepta, *Ephes. 5. 6.* pro lege diuina, præceptis, decretis Dei. & prophetiis ac promissionibus Dei, *Ps. 119. n. 49. 89. Matt. 24. 35.* pro mandato, *Luc. 5. n. 5.* sicut & dicere pro iubere, *Matt. 8. n. 8.* verbum fidei pro ipso Euangelio, *Rom. 10. 8.* verbum ociosum quam noxium, *Matt. 12. 36.* verbum Dei manet in æternum, *Num. 23. 19. Tob. 14. 6. Psal. 33. 11. & 117. 2. & 119. 89. Esa. 40. 8. & 51. 6. & 54. 10. Matth. 5. 18. & 24. 35. Mar. 13. 31. Luc. 16. 17. & 21. 32. 1. Pet. 1. 25.*

Verbum caro factum est, hoc est, homo, *Io. 1. 14.* per synecdochen, sicut & *Esa. 40. 5. Ioel. 2. 28.*

Verba nō leuiter effundenda, sed ponderanda sunt, *Psal. 1 14. 5. Prov. 15. n. 2. 23. & 13. 3. & 20. 15. & 17. 27. & 21. 23. & 35. 11. Eccl. 5. 2. & 12. 10. Eccl. 5. 12. & 20. 7. 23. 7. 28. 29. & 32. 18. Matt. 13. 36. Col. 4. 6. Iac. 1. 19.*

Patrum Sententiae.

Simul pluit Dominus super segetes & super spinas, sed segeti pluit ad horreum, spinis ad ignem: & tamen vna est pluuia: sic verbū Dei omnes compulit, videat quisque qualem radicem habeat, videat quisque quo trahit pluuiam bonam: si eam trahit, vt generet spinas, nunquid pluuia Dei accusanda est ante quam veniat ad radicem? dulcis est pluuia illa, dulce est verbum Dei, donec veniat ad cor malum. *Aug. de benedict. Esau & Iacob.*

Custodtio verborum Dei intelligenda est operatione præceptorum: frustra. n. custodiuntur memoria, si non custodiuntur & vita: nam verba Dei tenendo agunt quidam ne obliuiscantur: nec agunt viuendo, ne corrigantur. *In Psal. 118.*

Quid vobis plus esse videtur verbum Dei, aut corpus Christi? Si vultis verum respondere, hoc vtiq. dicere debetis, q non sit minus verbum Dei quam corporis Christi, & ideo nō minus reus, qui verbum Dei negligenter audierit, quam ille, qui corpus Christi in terram negligentia sua cadere permisit. *In quodam ser.*

Quisquis verbo Christi pascitur, terrenum pabulum non requirit. Nec. n. potest panem seculi capere, qui pane reficitur Saluatoris. Negligit famem corporis, qui pabulo lectionis intendit, nec ventris curam habere poterit, qui alimentum cibi cœlestis acquirit: ipsa enim est omnium refectio, quæ saginat animā, quæ impinguat viscera, cum de diuinis scripturis cibum eloquij perennis accipimus. *Amb. in serm. 40.*

Polyant. Nouiss.

Quomodo possunt verba Dei dulcia esse in faucibus tuis, in quibus est amaritudo nequitiæ? *In Psal. 118.*

Plus est verbi pabulo victuram in perpetuum mentem reficere, quam ventrem moriturę carnis terreno satiare. *Greg. in homil. 6. super Euang.*

Verba Dei nunc verius mens intelligit quum in eis semetipsam quærit. *In moral.*

Quærit anima verbum, cui consentiat ad correctionē, quo illuminetur ad cognitionem, cui innitatur ad virtutem, quo reformetur ad sapientiam, cui conformetur ad decorem: cui maritetur ad fœcunditatem, quo fruatur ad iucunditatem. *Ber. sup. Can. 85.*

Poetarum Dicta.

Horat. 1. Epist. 18.

Nescit vox missa reuerti.
Et semel emissum volat irreuocabile verbum.

Ibidem.

Quid de quoq. viro, & cui dicas, sæpe videto.

Ouid. 2. Amor 16.

Verba puellarum foliis leuiora caducis,
Irritaque ut visum est, ventus & unda ferunt.

Ouid. 1. Amor. 8.

Impia sub dulci melle venena latent.

Ter. Adelph. a. 1.

Neque tu verbis solues unquam, quod mihi re male feceris.

Ouid. 4. Trist. 1.

Est aliquid fatale malum per verba leuare,
Hoc querulam Prognen, Halcyonemque facit.
Hoc erat in gelido quare Pœantius antro
Voce fatigaret Lemnia saxa sua.

Sen. Her. fur. act. 1.

Hic clamosi rabiosa fori
Iurgia vendens improbus, iras
Et verba locat.

Plaut. Rud. Act. 5.

G. Papæ, diuitias tu quidem habuisti luculentas.
L. Miserum istuc verbum, & pessimū est, habuisse, & nihil habere.

Hor. Art.

Vt siluæ foliis pronos mutantur in annos,
Prima cadunt: ita verborum vetus interit ætas,
Et iuuenum ritu florent modo nata vigentque.

Ibid.

Mortalia facta peribunt,
Nedum sermonum stet honos, & gratia viuax.
Multa renascentur quæ iam cecidere, cadentq.
Quæ nunc sunt in honore vocabula, si volet vsus,
Quem penes arbitrium est, & ius, & norma loquendi.

Ouid. 2. Remed.

Eneruant animos cythara, cantusque lyraque.
Et vox, & numeris brachia mota suis.

Philosophicae Sententiæ.

Verbum est vox ex composito, quæ significat tempus, cuius pars nihil significat seorsum, & est semper eorum, quæ de altero prędicantur, nota. *Arist. in peri her.*

Verum Est, non est prædicatum, sed compositionem prædicati cū subiecto significat. *Alex. Aphrod. in 1. prior. c. 1.*

Verba infinita naturæ actionem, vel passionem significant duntaxat, non autem actionem, vel passionem substantiæ coniunctā, vt verba, & participia declarant. *Am. in Prædicam.*

Verba sine nomine prolata, nec verum, nec falsum affirmant. *ibidem.*

Verborum casus, casus appellantur per translationem a nominū casibus. *Mag. in lib. de interp.*

Verbi proprium est, vt sit prædicatum & non subiectum. *Auer. in peri herm. c. 3.*

Verba innocenti reperire facile est: modum verborum misero tenere difficile. *Curt. l. 6.*

Compertum habeo verba virtutem non addere, neque ex ignauo strenuum neque fortem ex timido exercitum imperatoris oratione fieri. *Salust. de Coniurat. Catil.*

Nihil stultius quam res claras atque euidentes putare verbis diu posse celari. *Polyb. l. 4.*

Oratorum calliditas, auditorum imperitia & rusticitas, fidem verbis conciliat. *G. Pachimer. hist. l. 5.*

Verbum omne cum tempore est nomen sine tempore. *Boet. in lib. de interp.*

Verbum propositionis determinat qualitatem: Est. n. non terminus est, sed signat qualitatem. *Boet. in interp. ad cat. silu.*

Verbum solum est prædicatum formale. *Alb. Mag. in peri her.*

Verbum non enunciatur de nomine, nisi mediante compositione, cui accidit affirmatio, & negatio. *idem ibid.*

Verba in oratione posita, & primæ & secundæ personæ non possunt fieri per negationem infinitum. *idem ibidem.*

Verbi proprium est, vt significet actionem vel passionem. *D. Thom. in peri herm.*

Verbum infinitum habet eundem vsum, quem verbum negatiuũ. *idem ibidem.*

Verbũ in enunciatione est causa compositionis, non nomen. *Ibid.*

Verbum est declaratio quæ de actionibus est. *Plato in Soph.*

Verbum nimium curiosi homines rer bonas numquam proferre vel assequi possunt. *Ficinus Platon Euthy.*

Verbum naturæ humidæ aitans eam fouebat ex humidæ naturæ visceribus, sinceraque leuis igne protinus euolans petiit ser quo que leuior spiritu patês mediam regionem inter ignem, & aquã sortiebatur, terra vero & aqua sic inuicem commixtæ iacebant vt terræ facies aquis obruta nusquam pateret: hæc duo deinde commota sunt a spiritali verbo quod eis superferebatur, aures eorum circumsonans. *Mer. Trismegist. Pimander. c. 1.*

Verbum expressum appellatur causa causarum, quia ab eo producuntur entia. *Arist. Theologia Aegyptia l. 10. c. 17.*

Verbis extrema supremi esse prolatiora debent, nam oportet Theologicas institutiones explicationemq; nominum diuinorũ breuiore. quam Theologiam significatiuam sermone tractari: nam quatenus ad sublimiora contendimus, eatenus sermones ipsis intelligibilium conspectib. contrahuntur, vt in caliginem illam subeuntes quæ superat intellectum, non solum in sermonis breuitatem, sed etiam in silentium, & intelligendi vacuationem incidamur: sed in descendendo oratio pro quantitate descensus extenditur, & post omnem ascensum omnino motus obmutescet, & ineffabiliter coniungetur. *Dion. Areop. de trini.*

Verbum Dei superius est vniuerso mundo, antiquius omnib. creaturis. *Phil. in leg. alleg.*

Verbum Dei æternum assumpsit corpus humanum non ex cœlo, vt opinatus est Cœlestinus, & Valerianus, sed ex nobis, item totam naturam nostram non subtracta anima, vel intellectu, vt Arrius Apollinaris, suspicantur: denique naturam veram, non imaginariam qualem Manichæi somniarunt: tres enim hos errores ipsa Dionysij verba procul dubio confutant. *Mars. Fic. in Dionys. Areop. de diuinis nominib.*

Verbum de quo Plato loquitur, teste Amelio, & ante eum Heraclitus, est verbum per quod omnia sunt creata, & de quo scripsit in Euangelio suo Ioannes. *Aug. Steuch. de per. phil. 3 l. c. 31.*

Verba lineamenta, figuræ, characteres, & descripta verba nec præter, nec supra naturam operari quicquam possunt per se, quin & eaipsa, quorum prterea est natura efficere non possunt, nisi alterius ope virtutis adiuta fuerint. *Ioan. Franc. Pic. Miran. de praenotationibus. l. 7. c. 6.*

Verbum quod a Platone traditur non est creator, sed creatura. *Gab. Lurato de Ideis, lib. 1.*

Verborum Ciceronianorum religio mihi inter philosophandum va ia superstitio videtur. *Iac. Carp. defensio.*

Apophthegmata.

Socrates. Euripides obtulit Socrati librum ab Heraclio conscriptũ; eo lecto rogauit quid illi videretur? Per Iouem, inquit, quæ intellexi mihi præclara videntur, qualia puto & ea quæ non intellexi: sed opus est Delio quopiam natatore. Notauit per quã falso aff. ctatam eius scriptoris obscuritatem. *De Delio natatore vide Chiliades P. M. apoph.*

Melanthius interrogatus, quid sentiret de tragœdia Dionysij, nega uit se eam vidisse, quod esset obtecta verborum inuolucris. Notans ambitiosa verborum copia rem obscurari. *Plut. [illegible] P. M. l. 6. apoph.*

Phauorinus audiens adolescentem obscurioribus & insuetis verbis loquentem: Curius (inquit) & Fabius dilucide cum suis fabulati sunt, neque Auruncorum, Sicanorum aut Pelasgorum verbis quicquam sunt loquuti. *P. M. l. 6. apoph. ex Gellio.*

Demonax, cum quendam nescio quid interrogasset, atque is obscuris plane verbis respondisset: Non intelligo, inquit, quid dicas: loqueris enim cum aperte tecum loquente, quasi Agamemnon adhuc veniret. *P. M. l. 8. apoph.*

Similitudines.

Dionis Chrysostomi. An non vides fabros ærarios, aurifices, fabros ar gentarios, denique eos qui quamcumque exercent artem, omnia artis instrumenta habere parata, & integra: quamuis eos pellat fames, quamuis affligat inopia, omnia præoptantes sustinere potius quam vt ea instrumenta artificij quippiam vendere velint, atque hinc ali. Itaq; multi frequenter potius habuerũt ad vsura accipere, quam vel minimum aliquid ex artis instrumẽtis oppignerare: idq; iure optimo. Norunt. n. quod diuenditis il lis, sua vniuersa ipsis fit inutilis, totumq; quæstus fundamentũ sublatum: illis aũt manentib. fieri pot, vt contractum æs alienum progressu temporis aliquando dissoluant, suggerente artificio. Quod si prius quam dissoluerit æs alienum, aliis ea vendantur: non est vnde possint solatium aliquod famis inopiæque excogitare: Hoc sane animo vos quoque præditos esse oportet. Quemadmodum illis artis instrumenta sunt, malleus, incus, forceps: sic & nobis artis instrumenta sunt Apostolorum, ac Prophetarum libri, omnisque scriptura diuinitus inspirata & vtilis. Et quemadmodum illi per instrumenta quicquid faciendum susceperint, perficiunt: Ita sane & nos per hos fabricamur & animam nostram deprauatamq; corrigimus, & inueteratam renouamus. Atq; illi quidem hactenus modo præstant suam artem, vt formam addant rebus: neque. n. possunt materiam variorum transmutare, neque ex argento aurum reddere, sed tantum rerum figuras componunt duntaxat. Tu vero non ita, sed amplius quiddam potes. Nam ligneum vas acceptũ poteris aliquã do reddere aureum. *ser. 3. de Lazaro.*

Vt lanas quæ tubis de io tinctura immerguntur, crebra tinctio profundius operationem recipere facit: Ita opus est, vt animæ nostræ continuo in diuinos sermones intingantur, vt abluamur quidem a veteris opprobrio, induamur autem nouam pulchritudinem. Lanæ cum intinguntur, nomen naturæ suæ amittunt; nõ vltra vocatur lana, sed purpura, prasinum, coccinum, vel si mile aliquid. Si tinctio naturæ nomen transfert [illegible] Dei natura non hominem? *De diuersis.*

Scriptura est ostium, quũ nos ad Deum ducunt & eius nobis cognitionem aperiunt, ipsæ oues faciunt, ipsæ custodiunt, neque lupos irrumpere permittunt. Tanquam ostium. n. firmissimũ hæreticos arcent, & in tuto constituunt, neque nos modo vt inius, aberrare vnquam sinent. Et nisi hoc ostium infringamus, numquam nos inimici nostri poterunt expugnare: per hoc ostium & pastores, & omnes alii ingrediemur in ouile, ad oues, & cura n. carum. Qui n. Scriptura non vtitur facta, sed ascendit aliunde, id est, non concessa via, is fur est. Sic Pharisæi alludit ascendentem, legem Dei transgressi. *hom. 58. in Ioan.*

Audacis. Prouocaui non vt præla [illegible] pectoris pusillum libamen acciperem, sed vt ingens diuitis vberrim flumen haurirem. Tho saurum sapientiæ de [illegible] minus accepi quam volui. Opto itaque sapientiæ floribus pasci, & viui fontis haustibus irrigatu: præsta cupienti. Potest enim feminudi roboris velamen genitale viridari si meruerit tuis sensim fluentis augeri.

> *Cur mihi fons orbis parno sermone meauis,*
> *An minus apta fuit sitiunt corda fluentis?*
> *Cur pateat meus omnis aquis spectatque sequacem*
> *Religionis opem gratis das fonsibus imbre,*
> *Expectat quos plena fides Christi de stipite pendens,*
> *Ad Diuum Aurelium Augustinum epist. 139.*

Gregorij. Quid est Scriptura sacra: nisi quædam epistola Dei omnipotentis ad creaturam suam? Et certe sicubi esset gloria vestra alibi constituta, & scripta terrenijam imperatoris acciperet, non cessaret, non quiesceret, somnũ oculis non daret, nisi prius quid sibi Imperator terrenus scripsisset, agnouisset: Imperator cœli, dominus hominum & angelorum, pro vita tua epistolas suas tibi transmisit, & tamen easdem epistolas ardenter legere negligis. *lib. epist. 84.*

Sicut columbæ iuxta fluenta residere solent, vt volantium auiũ vmbram in aqua videant, supra quam se proijcientes, vngues rapacium sic effugiant: Sic sancti viri in Scriptura sancta fraudes dæmonum prospiciunt, & ex descriptione quam vident, quasi ex vmbra hostem cognoscunt: dumque se celitus Scripturæ ex toto addiderunt, vt videlicet nihil agant, nisi quod ex respon so Scripturarum audiunt, quasi in aquam se proijciente, hosti illudunt. Quæ scripturæ fluenta plenissime dicuntur, quia de quibuscũque scrupulis consilium quæritur, sine minoratione, de omnibus ad plenum inuenitur. *In Cantica Canticorum cap. 5.*

Esaia Propheta. Verba mea quasi ignis, dicit Dominus, & quasi malleus conterens petram. *c. 23.*

Chrysostom. Sicut ex thesauro si quis vel paruum fructum capere valet, multas sibi parat diuitias: Ita in sacra Scriptura etiam in breui dictione variam sententiarum vim, & indicibiles diuitias inuenire licet. Eadem similis est fontis largis & perennib. scaturientis fluentis. Hæc est spiritualium fontium & fluminum natura, quo quis plus inde sumpserit, hoc magis scaturiant. *hom. 2. in Genes.*

Sicut asserere, signum est bonæ valetudinis: Ita amare diuina eloquia, spiritualis sanitatis iudicium fuerit maximum. *homil. 14. in Genes.*

Quemadmodum floridum quoddam pratum varios & omnigenos flores ostentat: Ita diuina Scriptura iustorum virtutes nobis demonstrat, non sic vt in illorum florum fragrantia temporario fruamur, sed vt perpetuam inde vtilitatem recipiamus. Illic manu tantum accipimus flores, & protinus marcescentes suam gratiam amittent: hic non autem sic, sed quando auribus

bus iustorum virtutes accipimus, & eas in sinus mentis reponimus, per omne tempus, si voluerimus, eorum suauicolentia frui poterimus. *hom. 42. in Gen.*

Sicut gladius carnes præcidit: Sic & sermo diuinus concupiscentias carnales. *In c. 4. Matth. hom. 8.*

Sicut medicina languenti corpori: Sic verbum Dei prodest animæ ægrotanti. *ibid.*

Sicut pluuia irrigat terram, vt fructum proferat. Sic doctrina hominem irrigat, vt iustitiam operetur. *In 7. Matth.*

Sicut duram terram ferrum emollit: Sic & verbum duritiam cordis exhalat. *In 21. Matth. hom. 42.*

Sicut in bello non omnis qui pugnat, vincit: nemo tamen vincere potest, nisi pugnauerit: Sic non omnes qui student & legunt acquirunt scientiam spiritualem: nemo tamen acquirere potest, nisi aut qui studiosus fuerit ad legendũ, aut assiduus ad audiendum. *In c. 7. Matth. hom. 18.*

Quemadmodum medici grauissimorum morborum causas atque curam diligentius docent, vt in difficilioribus exercitati qui discunt, facile quid sibi in alijs faciendum sit, intelligant: Sic diuinæ literæ maxima delicta in medium posuerunt, vt inde minora etiam committentes, facilius rationem curationis inueniant. *hom. 27. in Matth.*

Quemadmodum arma regalia reposita etiamsi nemo fuerit qui possideat, tamen ijs qui habitant in ædibus multam præbent custodiam ac tutamen, dum neque latrones, neque parietum perfossores, neque alius quispiam sceleratorum audet eam aggredi domum: Sic vbicumque fuerint libri spirituales, illinc omnis expellitur vis diabolica, multaque habitantib. accedit consolatio. Quandoquidem ipse etiam per se librorum aspectus, segniores nos reddit ad peccandum. *Serm. 3. de Lazaro.*

Agricola, postquam totius vineæ vindemiam peregerit, non prius desistit, quam singulos & minutos acinos decerpserit. Quũ igitur nunc quoque videam sub literis, veluti sub folijs latere sensus occultos, age, & hos rursus diligenter amputemus, pro falce sermone vtentes. Siquidem vinea post fructus semel a vindemiatore delectos, stat nuda fructu, nihil habens præter folia: verum spiritualis diuinarum scripturarum vinea non item, sed quamuis, quicquid videbatur, sustulerimus, tamen adhuc amplius superest tollendum. Itaque cõplures ante nos disseruerũt in hanc parabolam, complures fortassis & post nos disserturi sunt, nemo tamen poterit totas opes eruere. Nam ea est huius opulentiæ natura, quo foderis altius, hoc magis exundant diuini sensus. Fons n. est nunquam deficiens. *ser. 4. de Lazaro.*

Velut in prato multos & varios video lectionis flores, & amplum rosarium, multas vero violas, nec pauciora lilia, sed & varium vbique & copiosum spiritus fructum disseminatum, & multum odoris suauitatis. Imo non vero tantummodo pratum, verum & paradisus est, diuinarum lectio scripturarum: non enim fragrantiam solum odam habent eius flores, sed & fructum, quo animam nutrire possint. *hom. 45.*

Quemadmodum arbor perpetua irrigatione in magnam excrescit altitudinem: Sic & hic diuinorum eloquiorum doctrina assidue irrigatus, ad virtutis fastigium peruenit. *hom. 8. de Anna & Samuele.*

Si præstigiatorum incantamentis bestiæ obtemperant mirum nisi eloquia Dei animæ ferocis statum tranquillum & æquabilem reddant. *de fato, serm. 2.*

Nautæ, cum procella digressi fuerint, & multum deinceps pelagus currentes, in portum decesserint quietum, demittentes vela, deponentes remos, egredientes nauem, quiete sese, somno corpus recreantes, robustiores conatus reliquam ad nauigationem præparant. Hos imitemur & ipsi, atque omni procella tumultuque & fluctib. liberati, quasi tranquillam ad quærendum portum scripturarum ad lectionem impellamus animas. *de pœnitentia serm. 7.*

Vt gemma non corporis tumore, sed naturæ pulchritudine pretium habent: Sic & diuinarum scripturarum lectio. *homil. 20. de diuersis.*

Sicut vinum, dum bibitur, tristitiam sedat, & cor mutat in lætitiam: Sic & spirituale vinum scripturarum dum bibitur, in lætitiam conuertit animam. *Tom. 4. hom. 22.*

Omnium medicinarum thesauri in diuinæ scripturæ sunt, & siue stultitiam exuere, siue affectus sedare, siue pecuniarum cupiditatẽ expellere, siue dolores contemnere, siue fortem animũ induere, siue aduersa æquo animo tolerare velimus, quam plurima hinc medicinæ inuenire possimus. *hom. 36. de Ira.*

Sicut imber in ignem cadens facile flammas deprimit: Ita concupiscentias facile euanescere facit sermo Dei, in animam admissus. *de diuersis.*

Infirmitates corporum medicorum artes sanant: Animam autem ægrotantem eloquia Dei. *de diuersis.*

Vt terra non rigata pluuiis, etiamsi infinita susceperit semina, spicas proferre nõ potest: Sic animus diuinis scripturis non illuminatus, etiamsi quis innumera verba apud eum effundat, fructum ouium proferre potest. *apud Maximum ser. 17.*

Pelgem. Nouiss.

Basilij. Omnis panis nutrimentum affert ad salutem, ægris autem sæpe inutilis: Sic & omnis scriptura diuina ex Deo est, ac admodum fructuosa, nihilque per se immundum atque impurum retinet aut præbet, nisi ei, qui illud esse putauerit immundum. *ad Chilonem, de vita solitaria.*

Origenes. Videtur mihi vnusquisque sermo scripturæ diuinæ similis esse alicui seminum, cuius natura hæc est, vt quum iactũ fuerit in terram, regeneratum in spicam, vel in quamcumque aliã sui generis speciem, multipliciter diffundatur, & tanto cumulatius, quanto vel peritus agricola plus seminibus laboris impenderit, vel beneficium terræ fœcundioris indulserit. Sic ergo efficitur, vt cultura & diligentia, exiguum semen (verbi causa) sinapis, quod est minimum omnium, efficiatur omnibus maius oleribus, & fiat arbor, ita vt veniant volatilia cœli, & habitent in ramis eius: Ita & hic sermo, qui nobis ex diuinis voluminibus recitatus est, si peritum inueniat, & diligentem colonum, quũ primo attactu videatur exiguus & breuis, vt cœperit excoli, & spiritualiter retractari, crescit in arborem, in ramos, in virgulta diffunditur: ita vt possint venire disputatores & rethores huius mundi, qui velut aues cœli, leuibus pennis, verborum dũtaxat pompa excelsa sectantur, & ardua & rationibus capi, velut habitare in ramis istis, in quibus non loquendi decor est, sed ratio viuendi. *hom. 1. in Exod.*

Multis animalibus, quamuis sit imperitus & indoctus, rationabilis homo si comparetur, videbitur eloquens ad comparationem eorum, quæ rationis & vocis expertia sunt. Si vero studiosis & eloquentibus viris, atque in omni sapientia probatissimis conferatur, ineloquens & mutus videbitur. At si ipsum quis contẽpletur diuinum verbum, ipsamq. diuinam respiciat sapientiam, quantæuis sit eruditionis, & quantæcũque sapientiæ multo amplius, quam apud nos sunt pecudes, ipse apud Deum mutum se animal profitebitur. *hom. 3. in Exod.*

Tu si filium tuum scire vis literas liberales, verbi gratia, rhetoricam disciplinam, numquid eum vacuum & liberum esse concedis ab omnibus alijs: omissis cæteris, huic vni studio operam dare iubes, pædagogos, magistros, libros, impensas das, nihilq. deesse concedis, quod ad profectum eius studij facit. Quis nostrum ita se ad diuinæ legis studia conuertit? *in Exodum homilia 12.*

Sicut in nouissimis diebus verbum Dei ex Maria carne vestitum, processit in hunc mundum, & aliud quidem erat, quod videbatur, aliud, quod intelligebatur: carnis namque aspectus patebat omnibus, paucis vero & electis dabatur diuinitatis agnitio: Ita & quum per prophetas vel legislatorem verbum Dei, profertur ad homines, non absque competentibus profertur indumentis. Nam sicut ibi carnis, ita hic literæ velamine tegitur, vt litera quidem aspiciatur, tanquam caro, latens vero intrinsecus spiritualis sensus, tanquam diuinitas sentiatur. *homilia primo, in Leuiticum.*

Non solum homo, quum viderit cibum animalium, scit eum nõ pro se, sed pro animalib. creatum: sed & ipsa aĩalia agnoscunt proprios cibos. & alius quidem (verbi causa) vtitur leo, alijs ceruus alijs bos, alijs vero aues: sed inter homines sunt quædam differentiæ in appetendis cibis. Et alius quidem, qui bene sanus est, & habitudine corporis valens, fortem cibum requirit, & credit, confiditq. se edere omnia velut robustissimi quiq. athletarum: si quis vero infirmiorem se sentit, & inualidum, delectatur olerib. & fortem cibum pro sua infirmitate reijcit, si vero sit aliquis paruulus, etiamsi voce indicare non possit, re tamen ipsa nullam quam lactis requirit alimoniam. Et ita vnusquisq. vel pro ætate, vel pro corporis valetudine, aptum sibi & cõpetentem virib. suis expetit cibum. Si sufficienter rerũ corporalium consideratis exemplum, nunc ab ijs ad intelligẽtiam spũalium veniamus. Ois natura rationabilis proprijs & competentib. nutriri indiget cibis. Cibus autẽ verus naturæ rationabilis sermo Dei, sed sicut in nutrimentis corporis multas paulo ante dedimus differentias: ita & natura rationabilis, quæ rõne, & verbo Dei (vt diximus) pascitur, non omnis vno atque eodem verbo nutritur. Vnde ad similitudinem corporalis exempli est aliquibus etiã in verbo Dei cibus lactis, apertior, s. simplicior doctrina: vt de moralib. esse solet, quæ præberi consueuit ijs, qui initia habent in diuinis studiis, & prima eruditionis rationabilis rudimenta suscipiunt. *Hom. 55. in Num.*

Omnis medicus ex herbarum succis, vel arborum, vel etiam metallorum venis, vel animantium naturis, profutura corporibus medicamenta componit: sed herbas istas si quis forte, ante quã ratione artis componantur, aspiciat, siquidem in agris aut montibus velut fœnum vile conculcat & proijcit: si vero istas intra medici scholam dispositas per ordinem viderit, licet odorem tristem forte & austerum reddant, tamen suspicabitur eas curæ vel remedii aliquid continere, etiamsi nondum, quæ vel qualis sit sanitatis ac remedii virtus, agnouerit. Veni nunc ad Iesum cœlestem medicum: intra ad hanc stationẽ medicinæ eius

Ecclesiam; & quia Iesus hic, qui medicus est, & verbum Dei est ægris suis non herbarum succis, sed verborum sacramentis medicamenta conquirit; quę verborum medicamenta si quis incultius per libros velut per agros videat esse dispersa, ignorans singulorum dictorum virtutem, vt vilia hæc, & nullum sermonis cultum habentia præteribit: qui vero ex aliqua parte didicerit animarum apud Christum esse medicinam, intelliget profecto ex his libris, qui in Ecclesia recitantur, tanquã ex agris & montib. salutares herbas assumere vnumquemq. debere sermonum dumtaxat vim: vt si quis ille est in anima languor, non tam exterioris frondis, & corticis, quam succi interioris haustæ virtute sanetur. *hom. 8. in Leuit.*

Solent medici præbere interdum cibũ aliquem, interdum & potum dare, v.g. ad discutiendam caliginem visus, nec tamen in edendo ipso cibo, vel in potando sentimus, quia vtile est, & prodest oculis, sed cum trau fierit vitium cibi illius, aut poculi virtus, paulatim purgat aspectum: & tunc demum sentire incipimus, quia cibus ille, vel potus profuit oculis. Sed & in alijs similiter corporis partib. eadem fieri solent. Hoc ergo modo credendũ est etiam de scriptura sancta, quia vtilis est, & animæ prodest, etiamsi sensus noster ad præsens intelligentiam non capit: quoniam (vt diximus), & bonæ virtutes quæ nobis adsunt, reficiuntur in iis sermonibus, & pascuntur, & contrariæ torpescunt iis meditationibus, & effugantur. *ho. 20. in Iesum Naue.*

Sic ut corpori medicamenta Deus præparauit ex herbis, arte disciplinaq. compositis: Ita & animæ medicamenta præparauit in his sermonib. quos per diuinas scripturas seminauit atq; dispersit: vt hi, qui aliqua ægritudine fuerint oppressi, statim vt vim morbi senserint, atque alicuius vulneris stimulũ doloremq. prospexeriot, requirant aptam & conuenientem sibi rationabilem disciplinam, quæ eis ex præceptis Dei possit mederi, huius medicinæ archiatros est Christus, discipuli sunt medici. *in Psal. 37.*

Cyrill. Quemadmodum, si quis scintillam ignis in fœno aut palea occultauerit, totum inde ignitum necesse est fiat: Sic verbum Dei tanquam scintilla in naturam nostrã immissum, totam inde inflammauit, atque ad vitam interitu penitus destructo reduxit. *in Ioan lib. c. 15.*

Probus auditor ac sapiens quæ intellexit, nulla intelligentia remoratus, mentis ea thesauro statim cõmendauit, si qua vero ardua videntur, sæpe ac multũ inuestigans atq. interrogans tandem assequitur, venaticos apprime canes imitatur, qui huc atq. illuc percurrunt feras quærentes: Sic affectũ esse sapientẽ propheticus quoq. sermo denotat, dicens: Conquirens quære. & apud me habita. Quærendum, n. ita semper est, vt apud eum habitemus, & ad alienas sententias non auferamur. *lib. 3. in Ioan. c. 30.*

Philonis Iudæi. Quemadmodum corpus hominis morbo obnoxium, adhibita medicina curatur: Sic anima prædicato Dei verbo. *lib. 2. allegoriarum legis.*

Vt vera sanitas, quam nullus morbus præcessit in corpore, a solo Deo largitur quidem, eis autem liberatio per artem & medicinam, dum fuit & a scientia & ab artifice non iuuare in speciem ipse sanans vel per hæc, vel citra horum operam: Sic etiam animæ bona & alimẽta largitur hominibus Deus per seipsum, per verbi autem prædicationem quicquid ad sanandos animæ morbos pertinet. *lib. 2. allegoriarum.*

Sicut oculi popilla, quamuis minima particula sit, videt tamen hos cœlestes orbes, & immẽsum mare, & aeris amplitudinem, prætereà solis tam orientis quam occidentis terminos: Pari modo sermo diuinus cernit acutissime, qui sufficit in inspiciendis rebus omnibus, per quem videbuntur quęcunque digna spectatu. *lib. 16. allegoriarum legis.*

Sicut riuorum perennium fluenta cursu irrequieto feruntur, sequentibus aquis præcedentis impellentibus: Ita sermonis semel cœpti eandem mentem omnium, quæ nobis insunt, nobilissimam, & volucribus naturis parem currendo assequitur. *lib. de sacrificio Abelis & Caini.*

Sicut ingenitus ille præuenit omnia genita: Ita ingeniti sermo sermonem creaturæ pręcurrit, nubila etiam præteruolans. *lib. de sacrificio Abelis & Caini.*

Olympiodori. Diuina ipsa scriptura est veluti ager quidam ferax, & odoratus, quasiq. paradisus optimis arboribus consitus, habensque Thesaurum occultum. Par est autem, vt qui hunc habere quærunt thesaurum, placere studeant regi domino agri huius, hoc est, Deo omnipotenti. Placebunt autem, si cunctis mundi delicijs renunciauerint. *in Eccl. c. 5.*

Procopij. Erat porro simile grano coriandri, Tradunt coriandri naturam penitus semini respondere, adeo vt si succidatur etiam coriandri semen, vim suam non amittat, vt semen idoneũ amplius non existat. Huiusmodi verbum est omnino, cuius omnis particula ad terræ cultum natura apta est, si mandatur commodæ & bonæ terræ, i. animæ. Est porro album etiam. Lumẽ enim verbum est, idque splẽdidum, ac proinde quoque album ipsum intelligenti, ab eoque nutrito. Est item sati simile. Contortum etenim est, & neutiquam flaccidum, neque fluxum, verum saxeum. Cœleste quippe verbum est, ac nobis cœlestia promittit. Non dixit verbo. Verum etiam in omni verbo: verbum, Sine etiam, tanquam si dixisset: Non in hoc quod putatis, solo, verum in hoc. Manifestum est autem, quod manna ex ore proficiscens, verbum erat. Nam commune aliquid habet manna, quo docemur, non solo pane hominem viuere, cum Dei verbo, quo vtimur. *in Deuteron.*

Iusti Episcopi Post hæc turris? Scriptura Canonica veteris, & noui Testamenti conuenienter intelligi, quæ per Spiritum sanctum, velut turris excelsa, constructa est, mille pendent clypei ex ea. Hic numerus pro plenitudine vniuersitatis accipitur, sicut in Psalmo: Verbi quod mandauit in generatione, tanquam diceret, in omnes generationes. Itaque in hac sancta scriptura omnis armatura fortium reperitur, ex qua vel contra diabolũ, vel contra ministros eius fortiter repugnatur, nam & ipse Dominus, cum in deserto a diabolo tentaretur, ex hac sunt arma produxit, cum eum prolata ex sacra scriptura testimonijs vsquequaque deuicit. *in Cantica Cantic.*

Fauus destillans labia tua: expositio scripturarum sacrarum, mel & lac in doctrina tua sub lingua tua: eo quod lacte paruulos nutris, in melle diuersorum vulnerum peccatorũ putredines tollis. *in Cantica Cant.*

Hieronymi. Quomodo in his nostris literis non potest quis ad legẽda verba texendoque procedere, nisi prius ab elementis cœperit: Ita etiam in scripturis diuinis non valemus ea, quæ maiora sunt nosse, nisi ab ipsis ethicæ mandatis habuerimus exordium secundum illud, quod Propheta dicit: A mãdatis tuis intellexi, quod videlicet post opera cęperit habere scientiam secretorũ. *ad Paulum.*

Si ut calculus genus est lapidis durissimi, & rotundi, & omni paritate leuissimi: Ita sermo Dei, qui neque hæreticorũ, neque omnium aduersariorum potest contradictionibus cedere, dicitur calculus. *ad Damasum.*

D. Augustini. Sicut stellas in cœlo non extinguit nox: sic mentes fidelium inhærentes firmamento scripturæ Dei, non vincit iniquitas. *in Psal. 93.*

Bona vita, quæ ex præceptis Dei agitur, tanquam stylus est, quod auditur scribens in corde. Si in cera scriberetur, facile deleretur. Scribite illud in cordibus vestris, & moribus, & nunquam delebitur. *in Psal. 93.*

Scriptura vt fidelis speculi nitor nullius accipit adulandum personam, sed ad laudanda & vituperanda hominum facta, illis ipsa iudicat, vel legentibus iudicanda proponit, nec solum homines ipsos vel vituperabiles, vel laudabiles intimans, verum etiam quædam in vituperabilibus laudanda, & in laudabilibus vituperanda non tacens. *l. 22. contra Faustum, c. 65.*

Animam tuam nutri diuinis lectionib. parabunt. n. tibi mensam spiritualem. Quia sicut ex carnalib. alimentis pascitur hominis caro: Sic ex diuinis eloquijs, lectionib. & orationib. nutritur noster interior homo. *Ad Iulianum, epist. 151.*

Sicut ferrum, nisi vsum fuerint, ęruginem generat: Ita & anima, nisi frequentius diuinis exerceatur lectionibus, nascentur illi peccata. *quæst. 150.*

Sicut solem non videt oculus, nisi in lumine solis: sic verum & dominicum lumen non poterit videre intelligentia, nisi in ipsius lumine, de quo loquit Propheta: Domine in lumine tuo videbimus lumen. *ad Orosium.*

Quisquis negat. ideo vtrumque testamentum ab vno Deo esse posse quod non eisdem sacramentis tenetur populus noster quib. Iudæi tenebantur, vel adhuc tenentur, potes dicere, non posse fieri, vt vnus paterfamilias iustissimus, aliud imperet eis, quib. seruitutem duriorem vtilem iudicat, aliud eis, quos in filiorũ gradum adoptare dignatur. Si autem præcepta vitæ monent, quod minora in veteri lege sunt, in Euangelio maiora, & ideo putantur non ad vnũ Deum vtraq. pertinere: potest, qui hoc putat, perturbari, si vnus medicus, alia per ministros suos imbecillioribus, alia per semetipsum valentib. præcipiat ad reparandã vel obtinendam salutem. Vt enim ars medicinę, cum eadẽ maneat, neque vllo pacto ipsa mutetur, mutat tamen præcepta languentib. quia mutabilis est nostra valetudo: Ita diuina prouidentia, cum sit ipsa omnino incommutabilis, mirabilis tamen creaturæ varie subuenit, & pro diuersitate morborum, alijs alia iubet aut vetat, vt a vitio, unde mors incipit, & ab ipsa morte ad naturam suam & essentiam, ea quæ deficiunt, i. ad nihilum tendunt, reducat & firmet. *de vera religione.*

Quemadmodum formica æstate colligit, unde in hieme pascatur: sic vnusquisque Christianus in rerum tranquillitate, quam significat ęstas, colligat uerbum Dei, ut in aduersitate, & tribulationib. quæ hiemis nomine significantur, habeat, unde spiritualiter viuat. *de decem chordis, c. 11.*

Sicut agni multo lacte pinguescunt, & sicut oues bene pastæ adipe nitent: Ita Apostolico succo pasta, fidelium pinguescit oratio. *lib. de Cain & Abel.*

Diui Ambrosii. Pascua sunt libri scripturarum cœlestium, in

quibus

quibus recreamur & reficimur, cum ea, quæ scripta sunt, degustamus, vel summo ore libata frequentius ruminamus. His pascuis grex Domini saginatur. Carpis illic nouum florem, qui bonum odorem dedit resurrectionis. Carpis lilium, in quo fit splendor æternitatis. Carpis rosam, hoc est, Dominici corporis sanguinem. Pascitur os nostrum hic, cum loquimur mandata Dei verbi: pascitur oculus interior lucernę spiritalis lumine, quę nobis in hac mundi nocte prælucet, ne sicut in tenebris ambulantes, incertis titubemus vestigijs: & viam veram inuenire nequeamus. *serm.* 14.

Ignitum eloquium tuum. Ignis est verbum Dei, quem misit, qui secretos mentium diuinæ ardore cognitionis inflammaret affectus, qui vaporem fidei & deuotionis adoleret, qui cupiditatem virtutis accenderet. Bonus ignis, qui calefacere nouit, nescit exurere, nisi sola peccata. Hoc igne super bonum fundamentum posito, Apostolicum illud uerum probatur: hoc igne illud morum vel operum examinatur argentum: hoc igne lapides illi pretiosi illuminantur, fœnum autem & stipula consumit errorem. Hoc igne vrebatur rubus, & non exurebatur. Vrit enim sermo diuinus, vt corrigat conscientiam peccatoris: non exurit, vt perdat. Hic ignis habitare per fidem Christum in cordibus facit. Hic ignis materialium extinguere sæua flammarum consueuit incendia. Denique Hebræi hoc igne succensi, fornacis ardentis vaporem nec timere, nec sentire potuerunt. *sermone* 18.

Paradisus est diuina scriptura. In qua arbor vitæ bonos fructus facit, & æternæ spei mandata diffundit per vniuersos populos: deambulat in hoc paradiso, & nunc quando diuinas scripturas lego aperiens oculos conscientiæ, deambulare mihi Deum pure recognosco: cupio me abdere, cupio fallere: sed nudus sum Deo, apud quem nuda & intecta sunt omnia. Erubescens itaque tegere pudenda facinora desidero, quasi membra mei corporis: sed quia Deus omnia videt, foliis obumbrantib. latebris tectus appareo: puto me abscondi, quia corpore amictus sum. *lib.6.epist.*41.

Mare, est scriptura diuina, habens in se sensus profundos, altitudinē propheticorum ænigmatū, in quod mare plurima introeunt flumina: ex huius fluminis plenitudine, quicunq. acceperit, eleuat vocem suam: ex hoc flumine aqua saliens in vitam æternā, quæ lætificat ciuitatem Dei. Collige hinc aquam Christi, illam quæ laudat Dominum: collige de locis plurib. quam effundunt nubes propheticæ. *lib. 7. epist.* 44.

Spiritale manna est pluuia spiritualis sapientiæ, quæ ingeniosis & quærentibus de cœlo infunditur, & irrorat mentes piorum, & obdulcat fauces eorum. Qui igitur intellexeris infusionē diuinæ sapientiæ delectatur, nec alium cibum requiret. Nec. n. in solo pane viuit, sed in omni verbo Dei. Melle dulcius est māna: est sermo, quem ordinauit Deus. hæc ordinatio Dei, hæc alimonia alit animam sapientis, & illuminat atque obdulcat, resplendens veritatis corusco, & mulcens tanquam fauo quodam diuersarum virtutum suauitate, & sermone sapientiæ: faui enim mellis sermones sunt boni, sicut scriptum est in prouerbio: Minutum est, quia granum sinapis minutum est, quod comparatur regno cœlorum, quia spiritus sapientiæ subtilis legitur. Nā spiritus ille vnicus, sanctus, multiplex, mobilis, qui sermones suos molat prius, ne quid offendat vel in sensu, vel in alloquio. Hoc manna in diem colligebatur, in diem alterum non seruabatur, eo quod inuenta sapientiæ in tempore sint gratiora. nec tā miranda, quæ spatio temporis reperiuntur, quam illa, quæ præsenti funduntur ingenij viuacitate, siue quia futura reuelantur mysterio, eo quod seruatum manna vsque ad solis exortum, esui iam esse non posset: id est, vsque ad Christi aduentum, habere gratiam oriente sole iustitiæ. perfecta illa sumenda fuerunt, *l.8. epist.*62.

Diui Cypriani. Ambulantes in tenebris sibimetipsos lumen non possunt ostendere, nisi vltroneum se ipsos non videntibus offeratur lumen; ita humana cæcitas ad Deum non dirigit viam, nisi ipse lucernam legis ostendat. *De singularitate Clericorum.*

Si canalis aquæ, qui copiose prius & largiter profluebat, subito deficiat, nonne ad fontem pergitur, vt illic defectionis ratio noscatur, vtrumne crescentib. venis, in capite siccauerit, an vero integra inde, & plena procurrens, in medio itinere destiterit? Aut si vitio interrupti vel bibuli canalis effectū est, quo minus aqua perseueranter continue ac iugiter flueret, refecto & confirmato canali, ad vsum atque potum ciuitatis, aqua collecta eadem vbertate atq. integritate repræsentatur, qua de fonte proficiscitur. Quod & nunc facere oportet Dei sacerdotes, præcepta diuina seruantes, vt in aliquo, si nutauerit & vacillauerit veritas, ad originem Dominicam, & Euangelicam, & Apostolicā traditionem reuertamur, & inde surgat actus nostri ratio, vnde & ordo & origo surrexit. Nam si ad diuinæ traditionis caput & originem reuertamur, cessat error humanus, & Sacramentorū cœlestium ratione perspecta, quicquid sub caligine ac nube tenebrarum obscurum latebat, luce veritatis aperitur. *Ad Pompeium contra epist. Stephani.*

Hilarij. Sermo Dei, quo ex errore ad veritatē retrahimur, quo per comminationem terroremq. iudicij, ad innocentis & sanctę vitæ viam regimur, virga est, per quam intra disciplinam diuini metus cohibet timoratio, ac prouidentis rectoris monitu coercemur. Apostolus monuit Corinthios, vtrum mallent eū seueritate doctrinæ atque obiurgationis adesse, an in spiritu lenitatis. Quod vtrumq. secundum molestiæ tenorem erat necessarium, vt obedientib. lenior, insolentib. vero seuerior adueniret. Virga de radice Iesse floruit, vt virgæ seueritatem floris suauitas temperaret, cum vnicuiq. nostrum doctrinæ terrore regimen perfectæ beatitudinis commoneret. *in Psal.* 2.

Vt qui nocte egressus, lucernam ante fert, & quo pedem inferat, cōtuetur, atque ad singulos gressus natum se esse existimet, ve rursum, postquam natus est, nullus esset, lumine præeunte, sollicitus esse: ita vnusquisq. nostrum manens in se verbum Dei in omnes operum processus, tanquam lucernam prætendit. Omnis etenim doctrina cœlestis dux nobis ad iter vitæ est, quę lucernæ modo in hac nocte seculi prę ferenda est, cum aliquid aut agimus, aut cogitamus, aut loquimur, vt ea in omnem progressum cuiuscumque operationis vtamur. *in Psal.* 118.

Vt per os in alimoniam corporis cibos sumimus: ita per cor ad viuificandum animam escas doctrinæ cœlestis accipimus, quæ nisi amplificato & patente corde attracta quodammodo fuerint non adibunt. *ibid.*

Paschasij. Fides catholica in vniuersum mūdum per Patriarchas & Prophetas, & gratiæ dispensatores, Spiritu sancto insinuante, diffusa est. Hanc Apostolica solitudo atque perfectio, sicut per sanctas paginas dilatauerat, ita per symboli salutare collegit, & tanquam per diuersas remediorum species dispensuit in corpus vnum, ac velut ea innumeris aromatibus pretiosum cōfecit vnguentum: cuius odor omnes fines terræ potentia fragrantiæ spiritualis impleuit, vt in ipso vniuersitatis assensu, vetus appareat veritatis. *De spiritu sancto.*

Gregorij. Scriptura sacra cibus est nobis in obscurioribus, quod quasi exponendo frangatur, & mandendo glutitur: potus est in locis apertiorib. qua ita absorbetur, sicut inuenitur. *in Moralibus lib.1.c.*21.

Manna habet omne delectamentum, & omnis saporis suauitatē: & diuinus sermo omnis congruens, qualitati audientium condescendit: quem dum electus quisque vtiliter iuxta modū suum intelligit, quasi acceptum manna in voluntarium saporem vertit. *lib.6.c.7. Moral.*

Arcus est scriptura, de qua ad corda hominum, sicut ferientes sagittæ, sic terrentes sententiæ veniunt. Hunc arcum Deus tetendit, quia peccatorib. per scripturas suas minas exhibet, in eo parauit vasa mortis: quia secundum eloqui sui sententiam, eos, qui nunc corrigi negligunt, reprobos damnat. *l.19 c.*28.

Salonij. Omnis sermo diuinæ authoritatis idcirco ignitos clypeus dicitur, quia corda electorum, quę spem suam in Deo ponunt, & igne charitatis accendit, & scientia veritatis illuminat, & sordes vitiorum, quas in eis reperit, consumit, & purgat, & ab insidiis hostium, cunctisque defendit aduersitatibus. *in Parab. Salom.* 226.

Absolonis Abbatis SprinKirch. Vita humana est vt nauis, quæ bonis operibus, velut quibusdam mercibus onusta, in portum salutis tendit: gubernaculum huius nauis est sermo Dei qui in mari huius seculi ita aduersa, & prospera debet dirigere ad portū. Sed vbi peccatrix anima repulerit verbum Dei a corde suo, tum ventus, procellis, tempestatibus irruentib. vndecunq. quasi fracto gubernaculo, periclitetur tempestate: ab Aquilone Diaboli suggesto, a meridie vana gloria. *Sermone quinto, de aduentu Christi.*

Cassiani. Satis proprie scriptura diuina agro optimo ac fertili comparatus, qui cum multa gignat ac proferat. quæ ad hominū victum, sine aliqua ignis coctione proficiant, quædam nisi prius flammę calore mitigata atque mollita, omnem asperitatem suæ deposuerunt cruditatis, vel incongrua erunt vsib. humanis, vel noxia. Nonnulla vero ita in vtrumq. nascuntur, vt nec incocta sua cruditate displiceant vel offendāt, & tamen ignis calore lenita, salubriora reddantur. Plura quoq. ad escā tantummodo irrationabiliū iumentorum, & aīalium miuū, vel ferarum, siue volatilium oriuntur vsum, cibis hominum minime profutura, quæ etiam in sua asperitate manentia, absque vlla ignis confectione vtilem iumentis conferunt saturitatem. Quam rōnem satis euidenter aspicimus in hoc vberrimo scripturarum spiritualium paradiso contineri: in quo ita quædam significatione literæ plana ac luculenta resplendent, vt, cū sublimiore interpretatione non egeant. simplici tamen literæ sono, abunde pascant ac mittant audientes, vt est, Audi Israel, &c. Diliges Dominum Deum tuum, &c. Quædam autem, si allegorię explanatione extenuata non fuerint, & spiritualis ignis examinatione mollita, nullo modo ad salutarem interioris hominis cibum sine corru-

corruptionia labe peruenient, magisque ea eorum perceptione læsio, quam vtilitas aliqua subsequatur, vt est illud. Sint lumbi, &c. Qui non habet gladium, vendat tunicam, & emat sibi gladium: &, Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus. Quod quidam districtissimi Monachorum, habentes quidem zelum, sed non secundum scientiam, simpliciter intelligentes, fecerunt sibi cruces ligneas, easq. iugiter humeris circũferentes, non ædificationem, sed risum cunctis videntibus intulerunt. Nonnulla vero ad vtramq. perceptionem, i. ad historicam, & allegoricam ita commoda sunt, ac necessaria, vt vtraq. explanatio vitales animæ succos impertiatur, vt est illud: Si quis te percusserit in maxillam dexteram, præbe illi, & alteram, &: Cum vos persecuti fuerint de vna ciuitate fugite in aliã; &, Si vis perfectus esse, vade, vende omnia. Producit sane, & fœnum iumentis, quib. pabulis omnes scripturarum repleti sunt cãpi, simplex s. puraq. narratio historicæ lectionis: qua simpliciores quiq. & minus capaces perfectæ, & integræ rationis (de quib. dicitur: Homines, & iumenta saluabis Domine) secundum statũs, ac mensuræ suæ conditionem ad opus suum, & laborem actualis vitæ vegetiores robustioresque reddantur. *Coll. 8 c. 3.*

Laurentij Iustiniani Patriarchæ. Quoties quis in tenebris ambulantibus vult præbere solatium, viarum insinuare discrimina, accensa luminaria in sublime statuit, eademq. exponit in publicum, quatenus in offenso pede valeant peragrare, quo tendunt; Hoc per semetipsum in humanitate assumpta, hoc per Apostolos, doctores, ac prædicatores suos, coæterna Deo Patri perfecit sapiẽtia, atque quotidie id agit in spiritu, ac verbi Dei annunciatione, &c. *De institutione ac regimine prælat. 27.*

Ruffini Aquilegiensis presbyteri. Sicut caro verbi Dei perfectorum cibus est, ita & sanguis eius perfectorum est poculum. Qui ergo per verbum Dei purgantur, & renouantur de die in diem, hi dicuntur lauare in vino stolam suam, i. actus suos visibiles, ac in sanguine vitæ amictum suum. *in lib. de benedictione Iuda ad Paulinum presbyterum.*

Folengi. Quemadmodum hi, qui in labyrintho aliquo diuagantur, frustra exitum sperant absque lumine: Ita in infinitos, prorsusq. inextricabiles impingere peccatorum mæandros illos necesse est, qui vitam hanc ærumnosam, sine verbi luce posse viuere somniant. *in Ps. 119.*

Pauli Manut. Draconites nec poliri potest, nec artem admittit, alioqui elegans, ac translucens: Ita diuina scriptura suum habet nitorem, nec artificium philosophiæ, aut theorices admittit: *in simil.*

Vt stultum fit relictis fontibus cõsectari riuulos: Ita ineptum est, relictis Euangelijs, somnia sequi. *in simil.*

Cedrus & iuniperus si oleo perungas, nec tineas sentiunt, nec cariem: Ita semel imbutus diuini Spiritus succo animus, nullam huius mundi sentit corruptelam. *in simil.*

Thomeri. Vt nusquam aqua magis alacrem, magis genuinum saporem exhibet, quam ex ipso fonte exhausta. Sic nec iustitiam, veritatem, humilitatem, quisquam aliunde felicius discet, quam ex sacrosancto Christi Euangelio. *in apoph. 43.*

Lapis Lydius explorat aurum: Et Euangelium Christi reuelat cogitationes hominum. *in apoph. 56.*

Aqua quæcunque manib. affusa, stirpes quidem diluit, & humectat, sed sola cœlestis implet: ita scientia philosophorum animum turgescit, sed sola, quæ desuper data est, hominem implet, ac beat. *in apoph. 54.*

Esa. Prophetæ. Quomodo descendit imber, & nix de cœlo, & illuc vltra non reuertitur, sed inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit, & dat semen serenti, & panem comedenti: Sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo. Non reuertetur ad me vacuum, sed faciet quæcunque volui, & prosperabitur in his, ad quæ misi illud. *cap. 55.*

Christi Saluatoris. Quemadmodum granum sinapis, licet omnium seminum minimum sit, iactum tamen suo tempore in terram ita excrescit, vt inter holera sit maximum: Ita etiam Euangelica prædicatio, licet a filijs huius seculi contemnatur, ac cum nulli philosophiæ, ac rationibus etiam sapientissimorum cõferri possit, vilipendatur, tamen si quis spreto splendore seculari, ipsam vera fide amplectatur, sentiet mera esse Dei oracula, Spiritus sancti mysteria, ac cœlestis sapientiæ pronuntiata, in quibus tã quam in clarissimo speculo relucet ipsissima Dei veritas, iustitia, misericordia, potentia, iustificatio, & salus. *Datur hæc similitudo a Christo. Matt. 13.*

Chrysostomi. Sapientes medici, quoties membra putrefacta sectaturi sunt, aut lapides in meatibus affixos extracturi, aut aliud aliquod naturæ vitium correcturi, non id faciunt eo, qui laborat, in angulum abducto, sed eo in medijs foris deposito, conglomeratoque prætereuntium spectaculo, ita demum admouent manum. Hoc autem faciunt, non quod velint humanas traducere calamitates, sed vt vnicuique propriæ sanitatis commendent curam: Iidem & scopum facit: vbi quem arripuit peccatũ, proponit eum in sublimi suggestu, nõ in medijs foris, sed in media terra: & posteaquam totius orbis circumsteterit theatrum, tũ curationem adhibet, erudiens nos, vt circa propriam salutem cautiores simus. Videamus igitur, quo pacto sacerdos tuc illum corrigere sit aggressus. Non dixit: O impie, o scelerate: omnia subuertisti, conculcastique, ad extremam impietatẽ prorupisti, neque sermonem accusatoris in longum producit; sed quemadmodum hi, qui secant, hoc breuiter facere student, celeritate lectionis cruciatus sensum fallentes: Iidem & hic asperitatem cohibuit obiurgationis, paucis verbis constringens regis iracundiam. *Hom. 5. in Esai.*

Vir sapiens verbum suum quod dixerit, non relinquit vacuum: Et quomodo verba diuina sine exitu vacua poterunt remanere? *in c. 5. Matth. hom. 19.*

Sicut lucerna, nisi ei subministraueris oleum, extinguetur. Sic verbũ fidei nostræ, quod credentes accepimus, nisi assiduis nutriatur doctrinis, aut meditationibus scripturarum, extinguitur, & non satis illuminat animam. *In 24. Matt. hom. 52.*

Origenis. Scriptũ est de manna, quia secundum tempus illud, si quis id ita sumpsisset: nutriretur ex eo; si quis vero contra præceptũ Dei, & contra statutum diuinitus modum, voluisset assumere, non frueretur eo, vt vitali cibo, sed vermes ebullirent ex eo: & ita fiebat, vt vna atque eadem species mannæ alijs vermes & putredines generaret, alijs vero salubrem cibum conferret, & vitæ necessarium; Igitur & nostrum manna verbum Dei est, & apud nos ergo sermo Dei alijs efficitur ad salutem, alijs ad pœnam. Et propter hoc arbitror, quod Dominus, qui est vinũ Dei verbum, dicebat: in iudicium ego veni in mundum istũ, vt non videntes videant, & videntes cœci fiant. Quanto melius esset nonnullus omnino nec audire verbum Dei, quam audire cum malitia, vel audire cum hypocrisi? Melius autem dicimus ad cõparationem malorum: vere autẽ melius, & vere rectius ac perfectius est, vt qui audit verbum Dei, audiat corde recto & parato, vt in terra bona fructificet & crescat. *Hom. 3. in Num.*

D. Hieronymi. Quomodo in coniugio sæpe viri semen in causa est, ne liberi procreentur, & nonnunquam sterilis vxor semina non tenet, & frequenter neuter ad generandum aptus est, & e contrario vterque fœcundus: Ita & in his, qui verbũ Dei seminãt, quadrifariam hæc diuisio custoditur; vt impleat quidem suum doctor officium: sed si sterilis auditor, vel auditor bonæ indolis sit, sed per imperitiam doctoris verbis semen intereat: aut certe tã vecors sit, qui docetur, quam ille est, qui præcipit, raroque contingit, & vt magister & discipulus sibi consentiant: scilicet vt tantum iste doceat, quantum ille potest haurire, vel tantũ suscipere doctus, quantum doctor ingerere. *in c. 3. ad Gal.*

Sicut in vinea multi vsque ad prælum gradus sunt, & primũ necesse est, vt vitis gemmet in pampinis, spem promittat in floribus: dehinc vt flore decusso, futuri botri species efformentur, paulatimque turgescens vuas parturiat, vt pressa torcularib. dulcia musta desudet: Ita & in doctrina singuli beatitudinẽ suos profectus, vt audiat quis verbum Dei, vt concipiat, vt in vtero animæ eius adolescat, & ad partum vsque perueniat, vt cum pepererit illũ, lacte enutriat, & per infantiam, pueritiã, adolescentiã, iuuentutem, ad perfectum virum vsq. perducat. *ad Gal. c. 4.*

D. Augustini. Vt thus non redolet, nisi ponatur in igne: nec virtus sinapis sentitur, nisi conteratur in lapide: Ita nulla sacræ scripturæ sententia vim suam declarat, nisi cocta in corde: *libro, qui inscribitur speculum peccatorum.*

Recognoscamus & recogitemus, quali honore nobis Dei legatio accipienda. Quod si legatio à rege, aut a iudicibus ad nos veniret? Nunquid non mox alijs curis posthabitis, prompta voluntate, & cum omni deuotione literas acciperemus, & legẽtes implere satageremus? Ecce de cœlo Rex regum, & Dominus Dominantium, imo & redemptor noster per Prophetas & Apostolos dignatus est nobis dirigere literas suas, non vt aliquod seruitium sibi necessarium demandet, sed quæ ad salutem & gloriã nobis prodesse possint, innotescat. *lib. de salutar. docu. c. 9.*

D. Hilarij. Vt mel per ægritudinem, æstumque febrium, ea, quæ acciderint, oris amara mitigat: Ita animæ nostræ amaritudines, & tristes cupiditatum insalutarium febres, infusa Dei eloquia mitificant, si modo non ore contineantur, sed faucibus deuorentur. *in Psal. 118.*

Hanc extitisse causam existimo, vt per literas totius iste Psalmi ordo decurreret, vt sunt paruuli, & imperiti, & ad legendum imbuendi, hæc primum, per quæ sibi verba contexta sunt literarũ elementa cognoscerent: Ita & humana ignoratio ad mores, ad disciplinã, ad cognitionẽ Dei per hanc singularum literarũ cognitionum numerum ipsis veluti infantulis doctrinæ initijs erudietur: arduum. n. & difficillimum est, hominẽ per seipsum vim, per seculique doctores rationem præceptorum cœlestium consequi; nec naturæ nostræ recipit infirmitas, diuinis institutis, nisi per eius gratiam, quæ hæc ipsi dederit, erudiri. *in Psal. 118.*

Si in viris prudentibus expectari id maxime solet, vt ea, quæ loquuntur, grauitate eorum, doctrinaq; digna sint, omnisq. sermo non sit fortuitus & vagus, sed ex rationabilibus causis pro-

fectus

fectus, & expectationi audientium vtilis, & authori congruus dissererentium: Quanto magis id in cœlestib. eloquijs opinandū est, vt quicquid in his excessum est, diuinum, rationabile, & perfectum esse existimetur? *in Psal. 135.*

Cassian. Qui sacrorum voluminum lectioni & memoriæ scripturarum diligenter insistunt, carnalia tamen vitia non relinquunt, similes sunt illi mulieri, de qua dicitur in Prouerb. c. 11. Sicut inauris aurea in narib. suis, ita mulieris malæ moratæ species. Quid. n. prodest quempiam ornamentum eloquiorum cœlestium, & illam pretiosissimam scripturarum speciem consequi, si eam lutulentis operibus, vel sensib. inhærēdo, quasi immundissimam terram subigendo confringat, aut cœnosis libidinum suarum polluat volutabris? fit. n. vt quod rectè vtentib. decori esse consueuit, non solum illos ornare non possit, verum etiam maioris cœni colluuione sordescat. Ex ore enim peccatoris nō est pulchra laudatio. *Collat. 14. c. 16.*

P. M. Rhododaphnes arboris folia quadrupedibus venena sunt, hominibus præsidia aduersus serpentes: Ita diuinæ literæ sobrijs ac prudentibus salutarem præbent alimoniam; stultis autem & impijs hæreseos, & maioris impietatis ministrant occasionem. *In similib.*

D. Chrysostom. Sicut in thymiamata quanto magis digitis atteruntur, tanto maiorem natura sua fragrantiam reddunt: Ita in diuinis Scripturis vsuuenit, quanto quis illis est familiarior, tanto magis videri potest latentem in eis thesaurum, pluresque percipere indicibilium eius diuitiarum fructus. *hom. 13. in Genes.*

Si in scriptis sæcularibus, quæ ab hominibus conficiuntur de rebus caducis, sæpe tempore corrumpuntur; tempore assignato, vel vnam procœmij syllabam deesse, multum momenti fuerit; Quanto magis id in diuinis Scripturis, a Spiritu sancto compositis inuenitur? Non enim est apiculus vel syllaba, in quo non sit thesaurus, modo intenta mente omnia consulamus. *hom. 20. in Genes.*

Sicut qui sensibiles thesauros effodere conantur, non in superficie solum fodiunt, sed in profundum descendūt, penitiores terræ sinus scrutātur, tametsi sæpe post labores & sudores via paucas portiunculas afferunt. Non sic in spiritualibus, sed labor hic minor, & magna vbertas: Ita & nos ad ima scripturarū descendentes, vim in breuiculis verbis latētem inuestigemus. *hom. 20. in Genes.*

Si hi, qui fodiunt in terris metalla, ne minima quidem frustra prætereunt, verum vbi nacti fuerint aliquam venam auream, meatus omnes exacte circumspiciunt: Multo magis hoc facere nos oportet in Scripturis. Et tamen in metallis difficile est inuenire, quod venantur. Etenim quum & metalla sint terra, & aurum nihil aliud sit, quam terra, ipsa quoque naturæ communio similitudoque celat aspectum eorum, quæ quæruntur. Attamen ne sic quidem desistunt illi, sed omnem adhibent diligentiam, quā sumunt simulatque viderint, sciunt, quid vere sit terra, quid vere sit aurum. In Scripturis autem non est eadem ratio. Neq. n. proponitur aurum terræ commixtum, sed purum est aurum. Eloquia, inquit, Dei pura, argentum igne exploratum, probatū ter. Siquidem Scripturæ non sunt metalla, quæ indigent operarijs, sed thesaurum præbent paratum ijs, qui quærunt opes in ipsis reconditas. *hom. 2. in Esa.*

Sicut margaritæ inclusæ cochleis, positæ sunt in profundum maris: Sic mysteria diuina verbis inclusa, posita sunt in altitudine sensus sacræ Scripturæ. *in 1. Matth.*

Vt qui in mari victum parant, cum in profundum descenderint, gemmas adferunt secum his, qui vident; ita nos pelagum Scripturarum cognoscentes, in profundum spiritualis sapientiæ descendimus, adferentes thesaurum bonum, ornanté animas plus quam capita regum gemmatæ coronæ. *hom. 41. in Matth.*

Qui metalla fodere aggreditur artis ignarus, auri venas non inuenit, sed confunditur, & laborem subit cassum: Ita qui diuinarū Scripturarum ordinem non intelligunt, qui earum proprietates, qui leges non disquirunt, sed omnia ad verborum sonū accipiunt, aurum terræ confundentes, nunquam reconditum in ijs thesaurum assequuntur. Hoc mihi in mente venit, quoniam propositus est nobis locus multi auri plenus, quod tamen non omnibus in promptu est, sed arcana obscuritate obrutum. Quāobrem effodiendo, & diligenter purgando, ad verum sensum perueniendum est. *hom. 39. de Ira.*

Mel de petra sugunt, non mel siluestres quæpiam apes florib. insidentes colligunt, neque torem metuentes aluearib. immittūt; sed Spiritu sancti gratia construentes profanis & aluearib. & fistulis in sanctorum animas reponūt. Has apes imitatores sanctorum voluminum fauos circumuoluamus, magnam hinc decerpentes voluptatem. *homil. 56.*

Iusti Episcopi. Notitia Scripturarum, quæ frequenti meditatione conquiritur, velut turris eburnea, in colli pulchritudine designatur. Idcirco autem turris eburnea, quia, qui verbo Dei assistunt, quotidiano profectu per nitorem iustitiæ in excelsiora proficiunt. *in Cant. Cantic.*

Hieronymus. Quomodo in stamine, ex quo dependent fimbriæ subtegmen intexitur, & tota vestimenti virtus in stamine est: Ita in varijs sensibus scripturarum, in quibus vestis Ecclesiæ omnis intexitur, miscentur aliqua de natura, de moribus: & hoc ipsum significat vestis Aaron auro, purpura, cocco, bysso, hyacinthoque contexta, quam fecerunt mulieres, quib. Deus ad texendū dedit sapientiam. *Ad Principium.*

Augustinus. Quando possumus de diuinis opibus, quæ leguntur, intellectum alicuius mysticæ significationis exculpere, quasi ab abstrusis fauorum mellis, in ella producimus: vel Christi discipulos imitantes, spicas manib. confricamus, vt ad latentia grana perueniamus, & in eis vitam inueniamus. *De verb. Domini, in Matth. serm. 14.*

Gregory. Sicut ex auro vno alii murænas, alii annulos, alii dextralia ad ornamentum faciunt: Ita ex vna scripturæ sententia expositores, quique per innumeros intellectus quasi varia ornamenta componunt, quæ tamen omnia ad decorem cœlestis sponsæ proficiunt. *in Registro, lib. 2. epist. 101.*

D. Anselmus. Sicut alimentis diuersis, ad perfectā corporis ætatem; Sic præceptis dissimilib. ad spiritualem perducitur vitam. Vt. n. educatur prius simplici lacte matris, dehinc aliquo cibo, deinde farinæ commixtu postea micis panis: postmodum et crustis, donec quolibet solido cibo valeat vti: Sic. n. primum iubetur in Deum credere, dehinc eum diligere, deinde timere, postea bene operari, postmodum etiam aduersa pati, quousque sibi præceptum quodlibet secure possit iniungi. *In sim.*

Cassian. Efficiamur secundū præceptum Domini, probabiles trapezitæ. Quorum summa peritia est ac disciplina, probare, quod nam sit aurum purissimum, & (vt vulgo dicitur) obrizum quod ve minus purgatione ignis excoctum; æreo quoque vilia denario, si pretiosum numisma sub colore seu indumento auri fulgentis imitetur; prudentissima discretione non falli: & non solum numismata tyrannorum vultum exprimentia, sapientia agnoscere, sed ē illa, quæ sunt veri quidē regis imagine, sed non legitime figurata, peritia sagaciore discernere: deinde ne quid illis a legitimo pondere diminutum sit, censura trutinæ diligenter inquirere. Et nos explorare conuenit, ne auro purissimo scripturarum praua interpretatio cooptata, metalla pretiosita te nos fallat, in quo Satan Christo tentauit imponere. *Collat. 1. c. 24.*

Ruberti Abbatis Tuitiensis. Non solum testimonia, quæ Euangelistæ & Apostoli scribunt, respicere debet Lector curiosus, & ea attendere, quæ sequuntur, quæ præcedunt: velut si domum, quæ forte per industriam absque fenestris subobscura facta est. Lucerna intromissa videre debeas, qualis sit intus, qualis situs in medio, vel in circuitu. *Matth. lib. 3.*

Quærite regnum Dei & iustitiam eius.) Quid est regnum Dei, nisi verbū eius? Nam per quod facta sunt oīa, per ipsum verbum reguntur omnia: & in hoc sermone vtique regnare est. Quoties ergo ad audiendum siue tractandum verbum Dei conuenimus, quoties lectiones sanctas legimus, vel libenter audimus, toties quærimus regnum Dei, & iustitiam eius. Hic quidem quærere possumus, inuenire autem non nisi post hanc vitam. Thesaurus est hoc Dei regnum, in agro absconditus, thesaurus in agro literæ legalis, atque propheticæ, ex magna parte parabolicæ vel ænigmaticæ, diligenter clausus atque signatus. Hunc thesaurum inuenire, est scripturas sacras intelligere, & præ gaudio thesauri omnia vendere, & agrum emere: hoc est, præ delectatione cœlestium bonorum, vel regni cœlorum, quale in scripturis promittitur, omnem solicitudinem abijcere, secundum hoc Euangelicum consilium, solumque earum amplecti studium scripturarum, vt homo semper sit expeditus, ad verbum Dei tractandū & audiendum. O quantos hoc studium non solum ad sufficientiam victus & vestitus, sed ad amplissimos honores prouexit. Super salutem, &c. Venerunt in omnia. *lib. 6. in Matth.*

Sicut Iacob virgas populeas, & virides, & amigdalinas, & ex planatas, & ex parte decorticauit eas, detractisq. corticib. in his, quæ spoliata fuerant, candor apparuit: illa vero, quæ integra, viridia permanserunt, ita effectus est color varius: Sic iuxta mysticum exemplum illud, non passim vel vbique, sed in plerisq. locis corticem literæ detrahimus, & candorem allegoriæ tenemus. *In epistola ad summum Pontificem, in libro de glorificatione Trinitatis.*

Sicut Iacob luctatus est cū Angelo, in quo Deus erat, qui se victum fatebatur: Ita luctari dēt verbi Dei amator cū sermone vel scriptura, in qua Deus est, quæ ex Deo est, nec dimittere, antequam vincat vinci volentem, sensumq. comprehendat vitilem in litera iacentem. Lucta. n. pulcherrima est, tamdiu perseuerare petendo, donec inueniat, pulsando, donec sibi aperiatur. Hæc lucta placet Deo, hac cupit ipse vinci, hac fortitudine opus est, vt nobis aperiat, & det Spiritum sanctum. *In Matth. lib. 7.*

Iacobi Apostoli. Quoniam si quis audiat sermonem, nec eum factus exprimat, hic similis est viro consideranti faciem natiuitatis

suæ in speculo. Considerat enim se ipsum, & abijt, & continuo oblitus est qualis esset. *Iac. 1.*

Vt in humanis rebus, quãdo regum diademate coronatus literas mittit, tunc is, qui adfert eas, per se nullius momenti est, sed humilis quidem, sed ad illum non spectant, qui literas suscepturi sũt: sed propter regia literas, magna reuerentia & silentio eas suscipiunt: Sic etiam auditores non ad dicentem respiciunt, neq; ad tenuitatem eius, sed quia, quæ dicit, a Deo affert, ea collecto animo, & attento accipiunt. *hom. 42. in Gen.*

Sicut grana arenæ non conueniunt in vnum, neque adhærent ad inuicem, sed semper sunt separata: Sic verba, quæ audiuntur, & non conuertuntur in vnam iustitiæ massam per opus separatæ sunt & diuersa. *in 7. Matth. hom. 20.*

Sicut qui in magno vase aceti modicam guttam mellis immisceat, etiam mel perdit, & acerbitas aceti non mutatur: Sed homini hac malorum multitudine constituto, si collocutus fueris iustitiæ verbum, & verbum perdis, & ille non temperatur in concupiscentia mundalium rerum. *in Matth. homilia 31.*

Quemadmodum si pluuia super lapidem cadat, super quidem sudat, ab intus autem siccus est, quia non descendit humor in eum: Sic & hominis mundali quando loqueris verbum Dei, tantummodo sonus verbi desuper percutit aures eius carnales, in cor autem eius nihil descendit. *in c. 53. Matth. hom. 32.*

Sicut stomacho ministrante vnumquodq. mẽbrum suscipit nutrimẽtum, & conuertit ipsum in se, secundum suam naturam: veputa quod suscipit iecur, totum fit sanguis, quod autem suscipit fel, bilis efficitur totum; quod vero in pulmonem phlegmata fiũt: quod autem in mamillas, totum efficitur lac: Sic Sacerdotib. Ecclesiæ loquentibus verbum omnes suscipiunt, vnusquisque autem conuertit illud secũdum suum cor: ita vt vnum idipsum verbum in cordibus quidem rectis procedat ad vitam, in cordibus autem peruersis suscitet iracundiam, quasi bilis: in alijs autem odium, quasi phlegma nociuum, & exponendum. *in Matth. 21. hom. 38.*

Sicut qui mittit in os suum fragmentum panis, aut qualemcumque cibum, primum molit eum dentibus, & ita dimittit eum in stomachum: Sic & quum audimus verbum, necesse est ipsum meditari in ore sensus, & videre, quid est, quod dicit aut vnde dicit, aut propter quam rem dicit. *in Matthæi 22. homilia 42.*

Quemadmodum, qualemcunq, cibum, nisi masticauerimus dentib. non sentimus saporem eius: Ita & verbum, quod audimus, nisi masticauerimus ipsum tractantes in nobis, non possumus intelligere virtutem verbi illius. *In cap. 12. Matth. hom. quadragesima prima.*

Apud Iudæos illa animalia sunt munda, quæ reuocant cibum, & ruminant. ergo animal illud est mundum, quod masticat, & tradit vtero, & iterum de vtero reuocat, & ruminat: homo ille est spiritualis & sanctus, qui audiens verbum tractat & quum intellexerit, memoriæ quasi vtero tradit, & iterum de memoria quasi vtero reuocat, & ruminat, & retractat. *In Matth. 22. homil. 42.*

Velut in corona non satis est, flores esse puros & suaues, nisi pura sit etiam & casta manus contexens: Sic non satis est, vt in sacrarũ literarum lectione verba sint sancta, & pia, nisi pura etiam & castissima mente hæc legantur, ac animo concipiantur. *hom. 4. cum presbyter esset designatus.*

De natura lapidis, quem magnetem vocant, eam esse vim constat, vt omnem aliam materiam quietam esse, immotamque dimittat, ferrum vero duntaxat ad sese trahat, nonnunquam vero altẽ a se sublatum quasi ostentet, tametsi nullis idipsum rebus ab inferi loco suffulciatur, nec superne alioqui nexu visibili colligitur, sed eius lapidis incubante virtute, occulta nobis ratione suspensum sit. Tale vero quippiam & in diuinis scripturis, & in verbis, quæ de Deo fiunt, solet contingere, vt facile is cognoscet, qui diligenter aduertet. Plurimi. n. immo (vt dicam) cuncti fere mortales aurem illis accommodant, soli vero capiuntur, qui alumni sunt fidei, eum tamen ab inferiori loco nullius terrenæ felicitatis solatio teneantur, neque quicquam appareat, vnde a superiori loco vincti dependeant, sed ad occultas duntaxat rerum spes, mentem animũq. accommodent. *De curatione infidelium Græcorum, serm. 5.*

Augustini. Cultus ager fructum non reddens, & ingratus agricolæ, pro frugibus spinas afferens, non horreum, sed ignẽ quærit Dominus Deus noster, sicut videris eum bonam hanc terram visitare imbribus solemnibus: Ita cor nostrum verbo suo, tanquam agrum suum visitare dignatur, & de corde nostro quærit fructus, quia nouit, quid ibi seminet, & quantum pluat. *in Psalm. 18.*

Dicitur aspis hinc alteram aurem, quam pressius potest terræ infigere, inde vero alteram eandẽ immissione nihilominus obturare, ne audiat. Quid ad hæc incantantis vox, quid sermo faciet prædicantis? Orabo pro eo, baptizabor pro mortuo, vberrimo quodam profluuio lachrimarum, apud quem viderim nihil humanæ incantationis quamlibet sapientiam, nihil quantamcunq. admonitionis industriam præualere. Nouerit tamen vir sapiens, non cælo sese, sed solo infigere caput: quod sapientia, quæ desursum est, non modo pudica, sed pacifica sit. Hæc autem magis (vt ita dicã) aspidica, nisi terrena esse non potest. Sed nec ideo obsurdesceret, nisi cauda quoque obturaret auditum. Cauda est finis intentionis; hæc surditas vesperata. dum hic quidem velut terræ infixus, propriæ quisq. inhæret voluntati: inde velut reflectens eandem, finem aliquem meditatur, & infigis animo, quod desideret adipisci. Inde tam mordax & amarus sermo inuenitur in ore hominis obstinati, quod nulla ad eã penetrare queat beneuolentia monitoris. Inde aspidi virus in linguæ aculeo perseuerat, quod aduersus linguam incantatoris, tanto se studio obturant. Aspis latitat in arena: etiam aues volantes flatu trahit venenato. *Psal. 90 serm. 13.*

Quicquid loquamur in nomine Dei, quoniam Dei est per nos loquentis, imber Dei est: videte vos, qualis terra sitis. Nam quando pluuia venit super terram, si bona terra est, fructus bonos parit: si mala terra, spinas parit; pluuia tamen dulcis est, & super fructus, & super spinas. Qui illis verbis auditis, peior factus fuerit, & spinas de pluuia generauerit, ignem speret, & pluuiam non accuset. Qui autem melior factus fuerit, & fruges de bona terra generauerit, horreum speret, & pluuiam laudet. Aut quid sunt nubes, aut quid est pluuia, nisi Dei misericordia, omnia facientis circa omnes, quos diligit, & quibus donauit, vt ab eis diligaretur? *in Psalm. 98.*

Verbi Dei auditor similis esse debet animalibus, quæ ad hoc, quod ruminant, munda esse dicuntur, & non pigeat cogitare, quæ in aluo cordis accipit, & cum audit, sit similis edenti: cum audita in memoriam reuocat, sit similis ruminanti. *de vera innocentia, c. 139.*

Ambrosii. Matutinos quoq. solis ortus si quis spectare desiderat, emundat oculos suos, ne quid pulueris, ne quid purgamentorũ oculis eis insidiat, quo intuentis hebetaretur obtutus, neue aliqua caligo nebulosa, corporeos visus spectantis obducat. Sol Christus incipit, oritur in lectione scripturarum, emunda oculos mentis, animiq. interiores obtutus, ne qua festuca peccati aciem tui præstringat ingenii & puri cordis turbet aspectum. Emenda autem, vt vase syncero Scripturæ diuinæ nitida fluẽta suscipias, ne qua ingrediatur contagio. Caue aũt solis perpendere magnitudinem, ne nimius fulgor eius, visus tuæ mentis obcæcet: & qui e regione in radium eius intendit, repercussio, omnem subito admittit aspectum: ac nisi in cæteras partes vultum suum oculosq. conuertat, æstimet se nihil videre, & intuendi munere esse fraudatum: si vero deflectat obtutum, integrum sibi preseruat officium. *lib. 4. c. 1. Hexamer.*

Vos auditores mei estis fœneratores vsuræ, non pecuniæ, sed verbi vsuræ: vos agricolæ reditus, ædificatores, aurum, argentum, lapides pretiosos superædificantes. Eloquia. n. Dei argentũ igne examinatum. Vos facite diuitem fœneratorem, agricolam fructuosum, atchitectum peritum. *l. 5. de fide ad Gr. 2. c. 1.*

Hilarij. Vt non omnium est, herbarum genera virtutesque nosse: & si quis imperitus aut nescius in agrum his salubribus herbis diuitem venerit, omnia inutilia, & promiscue genita existimans præteribit: at vero si peritus & doctus hunc pretiosum in his germinibus agrum fuerit ingressus: omnia, quæ ab alijs prætereita erunt, demetet, & ea, quæ ab ignaris erunt neglecta, mirabitur sciens, quando vtile metendorum eorum tempus sit, & in quæ genera sanitatum his vtendum sit, & quãtum sit, & quantum ex his, & quousque moderandum sit. Sic & in diuinis scripturis esse intelligendum est, vt si ea impia auris, & mens rustica audiat, tanquam otiosas & non necessarias negligat, at vero si cadena ad cognitionem Dei auditor ac lector abiterit, & eius frequens lectio, & spiritualis gratiæ donũ scientiam diiudicandi singula intelligendique præstiterit, mirabitur omnia. atque his secundum naturales eorum virtutes & sufficientias vtetur, non ignarus, quando quid præsumendũ sit, & in quam curationem eligendum, quando ex eo corpore sanatio, quãdo animæ medela tribuenda sit, ne quid praeproperũ, ne quid importunum ac tardum: sed collatis, & virtutibus, & temporibus, & rebus, non imperite his, quæ sibi comperta fuerint, vtatur. *in Psal. 134.*

Themist. Multi sunt, qui nequeunt solidum cibum concoquere: tamen eius corroborantur succo, ac delectantur odore: Neque omnes possunt sacrosanctum Euangelium capere, veruntamẽ aliquid est, quod oblectat eius lectione. *in apoph.*

Chrysostom. Quemadmodum sol debilem oculorum aciem perstringit, non natura sua: ita vsuuenit in his, qui diuino non attendunt sermoni? Ita & Pharaonis cor induruisse dicitur: ita his accidit, qui verbum Dei oppugnant. *homil. sexagesimaseptima in Ioan.*

Neque si quis vulnus acceperit, & medicinam imposuerit, non diligenter alligabit, sed decipere permittet, neque aquam, puluerem, & alia vulneri contraria non cauebit, & ne grauius malũ

sequa-

sequatur: non medicinæ, sed propriæ desidiæ culpa. Hoc nobis accidere solet, cum diuinis sermonibus parum secularibus semper attendimus: Ita semen omne suffocatur, fructus nullus prouenit. *Homil.* 83.

D. Basilij. Quemadmodum parui pueri doctrinam despicientes, ob ferulas flagellaq. quæ magistri & pædagogi adhibere solent, attentius dictata suscipiunt, & ipse sermo ante plagas non auditur, post verbera doloreq. velut statim apertis aurib. et auditu excipitur oratio, et memoria custoditur: sic qui diuina audiunt præcepta, et ad ea seruanda se negligenter habent postquam a Deo disciplina inflicta est, ad ipsius mandata seruanda, ac ei obtemperandum voce quadam excitati videntur. *In Pro.*

VERECVNDIA.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

VErecundia, Græce *αἰδὼς, οῦς ἡ, & αἰδήμων*, verecundor dicitur, Heb. *Buschah, Boschetb, Baschnah, Mabosch*, a verbo *Bosch*, Erubuit, pudefactus est, confusus est pudore. Cognationem habet cum *Basch*, fœtuit: & *Iabasch*, exaruit, & *Bos*, conculcauit. Nam pudore suffusi quodammodo fœtore, illorumq. virtus exarescere & conculcari videtur. Est autem verecundia timor neglectionis vel dedecoris *secund. Arist. lib. 4. Ethic.*

Verecundia est dolor quidam atque perturbatio ex malis aut præsentibus, aut futuris, quæ infamiam inferunt, proueniens, *secun. eund. lib. 2. Rhet.*

Verecundia est timor turpitudinis exprobabilis, & principaliter respicit vituperium, sed respicit culpam consequenter, & hoc dupliciter, scilicet cessando & celando. *Ex B. Tho. 2. 2. quæst. 116, art. 2.*

Verecundia a vereor, quod est timeo, dicitur.

Verecundia est, per quam, vt tempus, locus, personæq. postulant, animi se verentiæ rationē habere indicant. Cuius extrema procacitas vel petulantia, vel animi confusio: vel (secundum Ciceronem) est dolor quidam ac perturbatio ex malis, aut præsentibus, aut futuris infamiam inferentibus proueniens, Græcis vocata *αἰδώς*. Cicero de partitione oratoria appellat Verecundiā custodem omnium virtutum, dedecus fugientem, laudemq. maxime consequentem: estque medietas inter impudentiam, & stuporem in actionibus colloquijsq. constitutam: agit, & loquitur vbi quando, & quæ expedit. *Arist. in Mag. moral.*

LOCI BIBLICI.

Verecundia in mulieribus exigitur. 1. *Tim.* 2. 9.

PATRVM SENTENTIAE.

Pulchra virtus est Verecundia, & suauis gratia, quæ non solum in factis, sed etiam in ipsis spectatur sermonib. ne modum progrediaris loquendi, ne quid indecorum sermo resonet tuus. Speculum. n. mentis plerumq. in verbis refulget: ipsum vobis sonum librat modestia, ne cuiusquam offendat aurem, vox fortior denique in ipso canendi genere, prima disciplina verecundia, imo in omni vsu loquendi. *Amb. de offic. lib. 1. c. 19.*

Tacebat in periculis Susanna, & grauius verecundiæ quam vitæ damnum putabat, nec arbitrabatur periculo pudoris tuendam salutem: soli Deo loquebatur, cui poterat casta verecundia eloqui, refugiebat ora intueri virorum. *ibid.*

Est. o. Verecundia pudicitiæ comes, cuius societate castitas ipsa tutior est. Nonne hæc prætulit publicanum, & commendauit eū, qui oculos suos audebat ad cœlum leuare? Paulus orationē deferri præcepit cum verecundia & sobrietate. *ibidem.*

Verecundia, cum sit omnib. ætatib. personis, temporib. & locis apta, tamen adolescentes iuueniles q. annos maxime decet: vt artifex in materia commodiore melius operari solet: sic verecundia in ipso quoque corporis decore plus emicet. Ita tamen, vt etiam ipse non sit affectatus decor corporis, sed naturalis, simplex, neglectus magis quam expetitus. *ibidem.*

Hominem vereris præsentem, Dei Patris, & Filij, & Spiritus sancti non vereris præsentiam? *in Psal.* 118.

Vbique virgini comes singularum virtutum est pudor: hic indiuiduus debet esse virginitatis, sine quo non potest esse virginitas: teritur officijs pudor, audacia emicat, risus obrepit, modestia soluitur, dum vrbanitas affectatur. *de virgin.*

Erubescere debemus, & condemnatū peccatum, non defendere, quoniam pudore culpa minuitur, defensione cumulatur. *de Abel & Cain.*

Ingenia liberaliter educata facilius verecundia, quam metus superas, & quos tormenta non vincunt, interdum vincit pudor. *Hieron. ad Pammach.*

Sit sermo virginis pudorosus, modestus & rarus, nec tam eloquentia pretiosus, quam pudore. Est etiam in ipso motu, habitu, incessu verecundia. *ibid.*

Quicquid pudet dicere, pudeat etiam cogitare. *ibid.*

Frontem cordis imprudentia atterit culpa frequens: atque quo crebrius admittitur, eo de illa committentis animus minus verecundatur. *ibid.*

Sicut verecundia laudabilis est in bono. Erubescere. n. malum sapientiæ est, bonum vero erubescere fatuitatis. Qui erubescit mala pœnitendo, quæ facit, ad vitæ libertatem peruenit; qui vero erubescit bona facere, a statu rectitudinis cadit, atque ad damnationem tendit: Sicut per Redemptorem dicitur: Qui me erubescit, & meos sermones, &c. *In hom. 10. super Ezech.*

Quid amabilius verecundo adolescente? quam pulchra, & quam splendida gemma morum est verecundia, in vita & vultu adolescentis, quam vera & minime dubia bonæ spei nuncia, bonæ indolis index. Virga disciplinæ, expugnatrix malorum, propugnatrix puritatis innatæ, specialis gloria conscientiæ, famæ custos, vitæ decus, virtutis sedes, virtutum primitiæ, naturæ laus, & insigne totius honesti. *Bern. super Cant. serm.* 85.

Verecundia soror est incontinentiæ: nullum æque manifestum indicium columbinæ simplicitatis, & ideo etiam testis est innocentiæ. lampas pudicitiæ mentis iugiter lucens, vt nil in ea turpe vel indecorum residere attentet, quod non illa illico perdat. *ibidem.*

Hæc dicentibus erubescenda essent, si a facientibus præsumpta non fuissent: nunc autem sustineat in audiendo verecundiam, qui noluit in faciendo habere disciplinam. *Hug. de mon. stit. nouit.*

POETICA DICTA.

Hom. in Iliad.

Αἰδομένων δ' ἀνδρῶν πλέονες σόοι ἠὲ πέφανται.
Verecundantium virorum plures salui, quam interficiuntur.

Idem in ω Iliad.

Οὐδέ οἱ αἰδὼς
Γίνεται, ἥ τ' ἄνδρας μέγα σίνεται ἠδ' ὀνίνησι.
Neque ipsi verecundia.
Est quæ viros valde lædit, atque iuuat.

Idem in ρ. Odyss.

Αἰδὼς δ' οὐκ ἀγαθὴ κεχρημένῳ ἀνδρὶ παρεῖναι.
Verecundia non bona indigentem virum comitari.

Pythagoras.

Πρήξῃς δ' αἰσχρόν ποτε μήτε μετ' ἄλλου.
Μήτ' ἰδίῃ· πάντων δὲ μάλιστ' αἰσχύνεο σαυτόν.
Facies autem turpe vnquam nihil, neque cum alio.
Neque solus. Omnium autem maxime verecundare te ipsum.

PHILOSOPHICAE SENTENTIÆ.

Pudoris etiam disciplinam inter defuncta corpora natura discernit. At si quando cadauera necatorum fluctibus euehuntur, virorum supina fluctuant, prona fœminarum. *Sol. lib. de mirab.*

Custos virtutum omnium dedecus fugiens, & laudem maximam consequens, verecundia est. *Cic. de Orat.*

Verecundia parens est omnis honesti consilii, tutela solemnium officiorum, magistra innocentiæ, chara proximis, accepta alienis, omni loco, omni tempore fauorabilem præseferens vultum.

Non modo magistratum, sed etiam illos quos non metuunt, magis reuerentur homines verecundi quam inuerecundi, & mulieres quas esse verecundas animaduertunt homines intuentes vicissim reuereri volunt. *Xenoph. de Instit. Cyri, lib.* 8.

Bonum in adolescente signum est, cum illi ex alto rubor suffunditur: magis iuuenibus apparet, quib. & plus caloris est, & tenera frons, veteranos nihilominus & senes tingit. Quidam autem non magis, quam cum erubuerint, timendi sunt, quasi omnem verecundiam effuderint. *Senec. 11. epist.*

Artifices scenici hoc indicio imitantur verecundiā: deiiciunt vultum, verba submittunt, figunt in terram oculos, & deprimunt, ruborem sibi exprimere non possunt, nec prohibetur hic, nec adiicitur: nil aduersus hunc sapientia proficit, sui iuris est, iniussus venit, iniussus discedit. *ibid.*

Nutriendus est pudor, qui, quamdiu in animo durauerit, aliquis erit bonæ spei locus. *Epist.* 25.

Recta ingenia debilitat verecundia, praua confirmat audacia. *in Prouerb.*

Turpia ne dixeris, paulatim enim pudor per verba discutitur. *ibidem.*

Verborum turpium licentia impudentiæ nutrix. *ibid.*

Sine

Sine verecundia nihil rectum esse potest, nihil honestum. *Cicero 1. Offic.*

Maximum amicitiæ ornamentum tollit, qui ex ea tollit verecundiam. Itaque in ijs perniciosus est error, qui existimant, libidinum, peccatorumque omnium patere in amicitia licentiam. *In Lælio.*

Sæpe videmus fractos pudore, qui nulla ratione vincerentur. *5. Tusculan.*

Pudor in bello est maxime periculosus. *Plancus Ciceroni. Famil. 10.*

Graue est homini pudenti petere aliquid magnum ab eo, de quo se bene meritum putet: ne id, quod petit, exigere magis, quam rogare, & in mercedis potius, quam beneficii loco numerare videatur. *Cic. Curio. Fam. 5.*

Sit verecundia, dolor quidam atque perturbatio ex malis aut præsentib. aut præteritis, aut futuris, quæ infamiam inferant. In verecundis vero contemptus quidam eorum, atque impassibilitas. *Arist. lib. 2. Rhet. ad Theodect. c. 6.*

Verecundia non est illa quidem virtus, attamen qui pudore afficitur, vere laudari solet. Nam in his rebus alius modum apponit, alius eum transit. *lib. 5. Ethic. c. 7.*

Verecundia est impudentiæ & stuporis medietas, quæ quidem circa actiones & sermones est. Nam impudens is est, qui in omnia ad omnes ea loquitur & agit, quæ vtcumque acciderunt. Stupidus vero huic contrarius, qui cuncta ac erga cunctos agere veretur. *lib. 1. Mag. Mor. c. 29.*

Qui omni ex re pudore afficitur, pauidus dicitur. Tertius, qui a modo deficit, nullaque ex re omnino pudore afficitur, impudens: qui autem modum adhibet, is pudens & verecundus dicitur. *lib. 2. Ethic. c. 7.*

Verecundia perturbationi est, quam habitui similior: itaque definitur esse metus quidam dedecoris & infamiæ; eodemque modo nascitur, quo metus is, qui in rebus asperis formidolosisque cernitur. Nam vt erubescunt, qui pudore afficiuntur: & qui mortis metu exhorrescunt, terrore expalbescunt. *libro 4. Ethicorum, cap. 9.*

Pueros verecundos, pudentesque putamus esse oportere, ac adolescentes laudamus verecundos: senem autē, quod pudore afficeretur, nemo laudat vnquam. Neque bono viro digna verecundia est: siquidem ex rebus malis omnis nascitur. *ibid.*

Absurdum fit eo esse animo, vt si quid turpe agas, afficiare pudore: & propterea te virum bonum iudices. Pudor enim voluntate ac iudicio omnis suscipitur. *ibid.*

Si impudētis in malis est, & nullo pudore affici ex omnibus factis malum: nihilo magis eum, qui hæc faciat, pudore affici bonum est. *ibid.*

Patientes, aut passi, aut passuri quæcunque in ignominiam atque in opprobria ducunt, verecundantur: quæ sunt. quæ ad ministeria pertinent vel corporis, vel operum turpium, quæ vituperationem pariunt: & quæ quidem ad libidinem pertinent, & volentes, & inuiti. *lib. 2. Rhet. ad Theodect. c. 6.*

Necesse est in iis malis erubescere, quæ vel ipsis, vel iis, quæ sibi curæ sunt, dedecori esse videntur: qualia sunt, quæ a vitio proficiscuntur. *ibid.*

Potest aliqua causa verecundiam bonam reddere, vt si quis turpe aliquid gesserit, ex eoque pudore afficiatur. Atqui hoc nusquam reperitur in virtutib. Quod si impudentia in malis est, & nullo pudore affici ex turpib. factis, malū: nihilo magis eum, qui hæc faciat, pudore affici bonum est. *lib. 4. Ethicorum, cap. 9.*

Adulatorib. ad probandas iniustas preces Brutus nunq̃ se adduci patiebatur: & importunitati impudenter potentium succumbere, (id quod nonnulli verecundia vinci appellant) turpissimum magno viro iudicans esse, dicere solebat. Videri sibi male illos tempus suum collocasse, qui nihil negare didicerint. *Plut. in Bruto.*

Verecundia iustissimis viris præcepit. vt priuatas facultates negligerent, publicas quam amplissimas esse cuperent. Digna cui perinde atque cœlesti Numini extruantur templa atque aræ consecrentur: quia parens est omnis honesti consilii, tutela solemnium officiorum: magistra innocentiæ, chara proximis, accepta alienis omni loco, omni tempore, fauorabilem præferēs vultum. *Val. Max. lib. 4. c. 5.*

Verecundia dum militem prohibet fugere facit esse victorē. Quid enim prodest, si exerceatur ignauus? si pluribus stipendiis mereatur in castris. *Veget. lib. 1. c. 7.*

Profecto verecundia est generosus homines seipsis inferiores ac infra suam virtutem agere videri. *Procop. de bell. Vandal. libro secundo.*

Socrates hortabatur iuuenes, vt hæc tria haberent: in animo prudentiam, in lingua Silentium, in vultu Verecundiam. *Max. sermo. 41.*

Musonius, Verecundia, inquit, apud omnes dignus habeberis, si primum teipsum vereri inceperis. *Stob. serm. 31.*

Democritus, Malum, inquit, etiamsi solus fueris, ne feceris, neq; disce-

ris. Disce autem teipsum magis, quam alios reuererī. *Laert.*

Theophrastus, Reuerere, dicebat, teipsum, & non erubesces coram aliis. *Stob.*

Pythias Aristotelis F. interrogata, quis color esset pulcherrimus? respondit, qui per verecundiam ingenuis oboritur. *Stobæus.*

Synesius, Verecundiam dicebat esse secundum bonum hominis: nam numquam peccare palam, inquit, est diuinæ cuiusdam gratiæ, & naturæ. Verecundis autem, quæ ob non recte facta innascitur, temperantiæ iudicat colorem. *Stob. Anton. serm. de pudore honesto.*

Exempla Biblica.

Verecundiæ *exempla*, Sem & Iapheth, *Genes. 9. n. 23.* Sara, 18. v. 15. Mulier sanguinis fluxu laborans, *Matth. 19. v. 20. Marc. 5. 33.* Lahabet, *Luc. 1. 24.*

Exempla Profana.

Diogenes adolescentulum videns inhonesto dicto erubescentē: confide, inquit, fili, hicce color virtutis est. *Laert. in vita.*

L. Sylla Dictator pudore actus inuidiam erga Cn. Pompeium iuuenem triumphantem celauit. *Plut.*

Alexander Cassandri F. inuitato ad cœnam Demetrio, inde vocatus postridie ad illum, quod fidem, quæ ipsi habita erat, non tribuere deterreretur pudore, ad illū profectus est, atque a cœna obtruncatus. *Plut. de immod. verecundia.*

Hieroglyphicum.

Apud Philologos hieroglyphicum *verecundia Os videtur esse*, vnde de impudentibus dici solet: Os eos non habere. Hinc Cato Maior Lentulo, qui sputum in eius faciem eiaculatus fuerat, abstersa tantum facie, dixit: *Affirmabo omnibus Lentule*, falli eos, qui te negant Os habere, arguēs vulgatam hominis impudentiam notando, quamuis de sputi copia dicere videretur. *Pier. Val. lib. 35. p. 314. F.*

Vide Pudicitia, Pudor.

VERITAS.

Definitio et Etymolog.

Veritas. Græce ἀλήθεια, ab ἀ & λήθω, τὸ λανθάνειν, verus, dicitur. Est autem veritas, per quam immutata ea, quæ sunt aut fuerunt, aut futura sunt. *secun. Cic. lib. Rhet.* Veritas Heb. *Amin, Emeth, Emun, Emunah*, fides, veritas, fiducia, a verbo *Aman*, verax & fidelis fuit, tractatus est fideliter. Vide Etymologicon trilingue Lugdun. pag. 833. vbi nonnulla de veritate periucundæ lectuque dignissima occurrunt.

Veritas est adæquatio rei ad intellectum. *secund. Arist. l. 2. Met.* Veritas dicitur a verum, quod est, solidum, syncerum, non falsum. Venit enim verum a ver veris, quoniam verno tempore sole arietem ingresso, omnia vere nascuntur, partusq. ad maturitatem perueniunt, cum aliis temporibus nata sæpe deficiant. Hinc verifico, verisimile, & veridicus deducuntur.

Veritas, vt nunc accipimus, vis est animæ se ex seipsa statim proferens, vnde indefinitæ animi vires propagantur, Dei Opt. Max. munere homini concessæ.

Vel hoc modo: Veritas est rerum, quæ diuinitus sub animum cadunt, qualitas essentialis.

Veritas est, per quam immutata ea, quæ sunt, aut ante fuerunt, aut futura sunt, dicuntur. *Cic. in Rhetor.* Vel Veritas est adæquatio rei ad intellectum, *Arist. lib. 2. Metaph.* Græcis ἀλήθεια. Cuius contrarium linguæ vanitas. Extrema quodammodo bina: Dissimulatio & Iactantia. Huic contrarium dissimulator, pauciora & minora sua esse simulans, quæque nouit, diffitetur, occultatque, quæ cognouit.

Loci Biblici.

Veritas. I. pro vera perceptione rerum ad salutem necessariarum, *Ioan. 17.* II. Veritas, *Ioan. 4. 24.* non opponitur mendacio, vt alias sæpe, sed externis Legis cæremoniis, quæ duntaxat adumbrabāt id, quod re ipsa præstat Christus. Veritas, pro fraudis experte, *Ioan. 3. 21.* III. pro bene & voluntati diuinæ congruenter viuendi regola, *Rom. 2. 8. 1. Pet. 1. 22.* IV. veritas Euangelii, *Gal. 2. v. 5.* pro vera ac syncera Euangelii doctrina. V. Veritas in genere pro iustitia, Hebræorum more, *1. Cor. 13. 6.* VI. pro integritate animi, quæ omni dissimulationi aduersatur, *Philip. 1. 18. 5. Ioan. v. 3.* VII. non pro prædicatione verbi Dei, sed pro naturali notitia

nociua, cum voluntate diuina conuenientia. *Rom.* 1. 8. VIII. ἀλήθεια pro vera religione. *Io.* 17. 17. *Gal.* 3. 1. *Coloss.* 1. 5. *Tit.* 1. 1. IX. pro Christo, vel doctrina eius, hoc est, Euangelio, 2. *Io. v.* 1. veritas Dei, pro constantia ipsius, *Rom.* 3. 7. veritas commendatur, *Zach.* 8. *v.* 16. 19. *Matt.* 5. 37. *Ephes.* 4. 25. & 6. 14. *Iacob.* 4. 12. veritas libertatem adfert, *Io.* 8. 32. veritas per Christum, 1. 17. & in Christo, *Ephes.* 4. 21. veritatis, consensus fundamentum, *v.* 15

Veritatis aduersarij quomodo tractandi. 2. *Tim.* 2. 25. veritatis agnitio, via salutis, 1. *Tim.* 2. 4. veritatis contemptus, quam noxius 2. *Thess.* 2. 10. veritatis doctrina a Deo petenda, *Zach.* 20. 1. fructus salus hominis, 2. *Thess.* 2. 10. vis quanta, *Prou.* 28. 23. *Zach.* 13. 3. *Luc.* 21. 15. *Act.* 4. 14. & 9. 25 & 26, 28.

Veritati Euangelij refistentes. 2. *Tim.* 2. *v.* 18. & 3. *v.* 2.

Veritatem vocat Paulus, *Rom.* 1, 18. quicquid lucis ad Dei notitiam in homine relictum est: non vt hac duce in Dei gratiam redeat (quod solius Christi opus est) sed vt suo ipsorum iudicio sceleris conuincantur. Veritatem omnem dicere, est rem totam, ita vt gesta erat, narrare, *Marc.* 5. 33. contra veritatem ne propinquissimis quidem acquiescendum, *Mich.* 7. 5. veritatem facere, pro syncere agere, *Io.* 3. 21. 1. *Io.* 1. 6. pro veritatem sectari, *Ephes.* 4. 15. In veritate ambulandum, 3. *Reg.* 2. 4. 3. *Ioan.* 2. 27. In veritate seruiendum Deo, *Ios.* 24. 14.

Vera adoratio & veri adoratores, qui: *Io.* 4. 21. veri parentes Christi, *Matt.* 12. 48. *Marc.* 3, 33. *Luc.* 8. 19. veri Apostoli descriptio. 1. *Cor.* 4. 1. veri pastoris exemplar, 1. *Tim.* 1. 1. &c. verus modus interpretandi scripturas, 1. *Cor.* 14. 12.

SENTENTIAE BIBLICAE.

Veritas firmiter conseruanda.

Veritatem requirit Dominus. *Psal.* 30.

Ecce veritatem dilexisti. 50.

Et ne auferas de ore meo verbum veritatis vsquequaque. 118.

Aperite portas, & ingrediatur gens iusta, custodiens veritatem. *Esaia* 26.

Robur datum est ei contra iuge sacrificium, propter peccata, & prosternetur veritas in terra. *Dan.* 8.

Veritatem tantum & pacem diligite, *Zach.* 8.

Ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit, quia non est veritas in eo. *Ioan.* 8.

Veritatem facientes in charitate crescamus in illo per omnia. *Ephes.* 4.

Fructus lucis est in omni bonitate & iustitia, & veritate. 5.

Quibus adempta est veritas, qui existimant quaestum esse pietatem, 1. *Tim.* 6.

Reuerenter loquenda.

Super omnia vincit veritas. 3. *Esd.* 3.

Omnes populi clamauerũt, & dixerunt. Magna est veritas, & praeualet. 4.

Quare detraxistis sermonibus veritatis? *Iob.* 6.

Scuto circumdabit te veritas eius. *Psal.* 90.

Veritas Domini manet in aeternum. 116.

Labium veritatis firmum erit in perpetuum. *Prouer.* 12.

Non contradicas verbo veritatis vllo modo, & de mendacio ineruditionis tuae confundere. *Eccl.* 4.

Magister, scimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces. *Matth.* 22.

Gratia & veritas per Iesum Christum facta est. *Ioan.* 1.

Veri adoratores adorabunt Patrem & Spiritu & veritate. 4.

Si vos manseritis in sermone meo, veri discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos. 8.

Ego sum via, veritas, & vita. 14.

Et sermo tuus veritas est. 17.

Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimoniũ perhibeam veritati. 18.

Charitas non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati. 1. *Cor.* 13.

Non possumus aliquid aduersus veritatem, sed pro veritate. 2. *Corinth.* 13.

O insensati Galatae: quis vos fascinauit non obedire veritati. *Gal.* 3.

PATRUM SENTENTIAE.

Veritas dulcis est, & amara: quando dulcis est, parcit, & quando amara, curat. *Aug. ad Christian.*

Veritas panis est: mentem reficit, nec deficit, mutat vescentem, nec ipsa in vescentem mutatur. *super Ioan.*

Veritatis & sapientiae pulchritudo, nec multitudine audientium constipata excludit venientes, nec peragitur tempore, nec mitigatur locis, nec nocte interrumpitur, nec vmbra intercluditur, nec sensibus corporis subiacet. *lib. de lib. arb.*

Si de veritate scandalum sumitur, vtilius permittitur nasci scandalum, quam veritas relinquatur. *ibidem.*

Nullus reprehensor formidandus est amatori veritatis. Etenim aut inimicus reprehensurus est, aut amicus, si inimicus insultat, ferendus est: amicus autem si errat, docendus est: si audiendus. *lib. 8. de Trin.*

Incomparabiliter pulchrior est veritas Christianorum, quam Helena Graecorum. *epist. ad Hieron.*

Errat, quisquis se veritatem cognoscere putat, qui adhuc nequiter viuit. *lib. de Agone Christi.*

Qui veritatem occultat, & qui prodit mendacium, vterque reus est, ille, quia prodesse non vult, iste, quia nocere desiderat. *ibidem.*

Libere enim & sine adulatione veritatem praedicantes, & gesta prauae vitae arguentes, gratiam non habẽt apud homines. *Ambr. gl. in 1. ad Cor.* 9.

Haec est conditio veritatis, vt eam semper inimicitiae persequantur; sicut per adulationem perniciosae amicitiae comparantur. Libenter enim, quod delectat, audimus, & offendit omne quod nolumus.

Mentiri atque iurare lingua tua prorsus ignoret, tantumque in te sit veritatis amor, vt quicquid dixeris, iuratum putes. *ad Cel.*

Non meretur audire veritatem, qui fraudulenter interrogat. *In Ezech.*

Nihil est ad defendendum puritate tutius, nihil ad dicendum veritate facilius. *In hom.*

Ille veritatis defensor esse debet, qui cum recte sentit, loqui non metuit, nec erubescit. *ibid.*

Qui necessitate cogente vera Dei dona loquitur, tanto magis humilitati iungitur, quanto & veritati sociatur. *ibid.*

Bonorum mens quo duriora pro veritate tolerat, eo aeternitatis praemia certius sperat. *lib. 10. moral.*

Inquirimus veritatẽ in nobis, in proximis, in sui natura. In nobis, nosmetipsos diiudicando: in proximis, eorum mala compatiendo, in sui natura, mundo corde contẽplando. *Ber. de grad. humil.*

Cum sint tres gradus seu status veritatis, ad primum ascendimus per laborem humilitatis, ad secundum per affectum compassionis, ad tertium per excessum contemplationis. In primo veritas reperitur seuera, in secundo pia, in tertio pura. Ad primum ratio ducit, qua nos discutimus; ad secundum affectus producit, quo alijs miseremur: ad tertium puritas rapit, qua ad inuisibilia subleuamur. *ibid.*

Veritas sola liberat, sola saluat, sola lauat. *In serm.*

Non amat veritas angulos, non ei diuersoria placent. In medio stat, communi vitae disciplina, communibus studiis delectatur. *ibidem.*

Talis est conditio falsitatis vel erroris, vt etiam nullo sibi resistente consenescat ac defluat: talis autem e diuerso veritatis status, vt etiam multis impugnantibus suscitetur, & crescat.

Non solum proditor est veritatis, qui mendacium pro veritate loquitur, sed qui non libere pronunciat veritatem, quam pronunciare oportet: aut non libere defendit veritatem, quam defendere oportet. *super Matth.*

Si propter timorem mortis tacere veritatem, impietas est, quomodo non est maior impietas propter miserum ventrem, & honoris vani spem tacere veritatem? Videtur meliorem facere gratiam panis, & honoris, quam gloriam veritatis. *ibi.*

Veritas rerum, atque vtilitas semper a paucis sapientib. melius inuenitur, quam per multitudinem clamosam discutiatur: multitudo enim onerosa nil habet honesti. *Cassiod. in quad. am.*

Magno & excellenti ingenio viri, cum se doctrinae penitus dedissent, quicquid laboris poterat impendi, contemptis omnibus & publicis, & priuatis actionibus, ad inquirendae veritatis studium contulerunt: existimantes, multo esse praeclarius, humanarum, diuinarumque rerum inuestigare ac scire rationẽ, quam aut struendis opibus, aut cumulandis honoribus inhaerere. Quib. rebus quoniam fragiles, terrenaeque sunt, & ad solius corporis pertinẽt cultum, nemo melior, nemo iustior effici potest. Erant quidem illi veritatis cognitione dignissimi, quam scire tantopere cupierunt, atque ita, vt eam rebus omnib. anteponerent. Nam & abiecisse quosdam res familiares suas, & renunciasse vniuersis voluptatib. constat: vt solam nudamq. virtutem nudi, expeditiq. sequerentur: tantumq. apud eos virtutis nomẽ, atque authoritas valuit, vt ipsam summi boni praemium indicarent. Sed neq; adepti sunt id, quod volebant, & operam simul atque industriam perdiderunt: quia veritas, i. arcanum summi Dei, qui fecit omnia, ingenio, ac proprijs non potest sensibus comprehendi: alioqui nihil inter Deum hominemq. distaret, si consilia, & dispositionem illius maiestatis aeternae cogitatio adsequeretur humana.

Veritas, licet possit sine eloquentia defendi, vt a multis saepe defensa, tamen claritate, ac sermonis nitore illustranda, & quodammodo disserenda est, vt potentius influat in animos, &

visua

vi sua instructa, & luce orationis ornata. *Lact. in præfat. In/tit.*

Veritas a vulgo solet variis sermonibus esse disputata.

Quid igitur profuit te vidisse veritatem, quem nec defensurus es, nec secuturus?

Verum autem scire diuinæ sapientiæ est. *idem lib.* 20.

Qui id veritati studet, abijciat inimicas ac anxias voluptates, quæ animum sibi vinciunt: præferat vera falsis, æterna breuibus, vtilia iucundis. Nihil aspectu gratum sit, nisi quod iuste, quod pie fieri videas: nihil auditu suaue, nisi quod animam meliorem seque reddat. *idem lib.* 5.

POETICAE SENTENTIÆ.

Sen. Troad.

Veritas nunquam latet.

Sen. Oed.

Quid verba quæris? veritas odit moras.

Ter. And. 65.

Namque hoc tempore
Obsequium amicos, veritas odium parit.

Mart 8.75.

Oras Gallice, me rogasq; semper
Durum est me tibi quod petis, negare
Vero verius ergo quid sit audi.
Verum, Gallice, non libenter audis.

Plaut. Most.

Nolo te assentari mihi, &c.
Ego verum a me verum volo dici mihi, mendacem odi.

Martialis. 8.75.

Dic verum mihi, Marce, dic amabo
Nihil est, quod magis audiam libenter.

Ter. Andr. 2.6.

Potin' es mihi verum dicere? D. nihil facilius.

Euripides.

Ἁπλοῦς ὁ λόγος τῆς ἀληθείας ἔφυ.
Simplex est sermo veritatis.

Ex Græcis Comicis.

Ἄγει δὲ πρὸς φῶς τὴν ἀλήθειαν χρόνος.
At veritatem tempus in lucem extrahit.

Εἴρηται

Τἀληθὲς εἰς φῶς ἔρχεται ζητούμενον.
Aliquando non quæsita prodijt veritas.

Ἡ γλῶσσ' ἁμαρτάνουσα τἀληθῆ λέγει.
Inuita lingua veritas lapsa solet.

Ἐλεύθερον γὰρ ἄνδρα τἀληθῆ λέγειν.
Quæ vera sunt, loqui virum ingenuum decet.

Ἀεὶ κράτιστόν ἐστι τἀληθῆ λέγειν.
Ἐν παντὶ καιρῷ, τοῦτ' ἐγὼ συμφέρειν.
Εἰς ἀσφάλειαν τοῦ βίου πλεῖστον μέρος.
Est tempore omni vera proloqui optimum:
Hoc facere assertor quippe quod sit rebus
Secure ad autem transigendum maxima.

Οὐκ ἔστι ζωγράφος μὰ τοὺς θεοὺς
Οὔτ' ἀνδριάντοποιὸς ὅστις ἂν πλάσαι
Κάλλος τοιοῦτον οἷον ἡ ἀλήθει' ἔχει.
Haud arte tantam pictor vllus assequi
Tantum decorem veritas, quantum est.
Statuarius ve pulchritudinem queat

PHILOSOPH. ET HISTOR. SENTENTIAE.

Verissimum, quod causa est, cur posteriora & sequentia vera sint omnia: itaque eorum, quæ semper sunt, & æterna, principia verissima semper sint necesse est. *Arist. l. a. 5. Breu. Met. c. 1. T. 4.*

Quod vt est verum, & quod non est, vt falsum ex coniunctione & disiunctione rerum existit: totum vero in contradicentium partibus cernitur. Verum. n. in is rebus, quæ coniunctæ sunt, & copulatæ, affirmationem habet negationem vero in earum separatione & seiunctione: falsum autem harum partium habet contraria, quæ contradicentia vocantur. *l. 1. 5. Meth. c. 3. T. 8.*

Neque in rebus verum & falsum inest, quasi bonum, verũ, & malum falsum sit, sed in animo. *ibid.*

Esse, & est verum esse significat, non esse autem, non verum esse, æque in affirmatione atque in negatione. Vt si Socrates musicus sit, in hac enunciatione, Socrates est musicus. est id verum esse declaret: aut si Socrates non sit albus: in hac enunciatione: Socrates albus non est, idem verbum hoc verum esse significat. In illa autem diametros non est, vt ita dicam, incommensurabilis, hoc significat esse falsum. *lib. 5. 4. Metaph. c. 7. T. 41.*

Vera quidem sunt & perspicue ea, quæ non ab alijs, sed a se ipsis fidem habent. *Top. l. 1. c. 1.*

Neque ex veris falsum probari vllo modo potest, ex falsis autem verum concludi illud quidem potest, seu falsa sint ambo pronunciata, seu alterum: nec tamen verum nisi: sed secundũ, si pronunciatum in totum falsum sumamus, vel verum vis indiscriminatum. *l. 2. de prim. Resol. c. 2.*

Apello pronunciatum in totum falsum, quod contrarium est vero: vt si in toto esse sumptum sit, quod in nullo inest: aut contra quod in toto inest, in nullo inesse. *ibid.*

Ex veris nil vnquam nisi verum efficitur. *l. 5. de demonstr.*

Ipsum verum, eandem vim ac situm habet, ac ipsum est: nẽ ipsius pronunciati, verum esse asseuerare hoc album: non est hæc negatio contraria, verum est asseuerare, hoc non album: quin potius illi contraria est asseuerare album. *l. 1. de 1. Resol. c. 42.*

Verum & falsum coniunctione & disiunctione rerum omne existit. *lib. 1. de interpr. c. 5.*

Verum & falsum in notiarum coniunctione cernitur. *lib. 3. de anima c. 8. T. 39.*

Quamuis ex falsis verum efficiatur, id tamen non plusquam semel, vnaque conclusione euenire potest. *lib. 1. de Demonstrat. c. 25. T. 43.*

Contraria inter se sentiunt ii, qui falsum, & ij, qui verum pronunciant. *Metaph. lib. 7. 3. c. 5. T. 9.*

Vera & iuste meliora secundum naturam sunt, quam contraria. *l. 1. Rhet. ad Theodect. c. 1.*

Quod semper sic se habere videtur, verum videtur. *lib. 2. Rhet. ad Theodect. c. 9.*

Eiusdem virtutis est ueri & uerisimilis consideratio, atque homines satis ad ueritatem nati sunt, & ut plurimum ueritatem consequuntur: Quamobrem qui probabilia facile coniectura consequitur: is & ad ueritatem similiter se habet. *lib. 1. Rhet. ad Theodect. cap. 5.*

Tantam semper potentiam ueritas habuit, ut nullis machinis, aut cuiusquam hominis ingenio aut arte subuerti potuerit. Et licet in causis nullum patronum aut defensorem obtineat, tamẽ per se ipsa defenditur. *Ex Orat. in Vatin. Cic.*

O magna vis veritatis: quæ contra hominum ingenia, calliditatem, solertiam, contraque fictas omnium insidias, facile se per se ipsa defendat. *Pro M. Cælio.*

Malorum improbitate depressa ueritas emergit, & innocentiæ defensio interclusa respirat. *Pro Cluent.*

Est interdum ita perspicua ueritas, ut eam infirmare nulla res possit, tamen est adhibenda interdum uis ueritati, ut eruatur. *Pro Quintio.*

Homini est propria ueri inquisitio atque inuestigatio. *1. Offic.*

Quod uerum, simplex, syncerumque est, id naturæ hominis accommodatissimum est. *ibid.*

Veritas odium parit. *In Lælio.*

Veritas sane tum dijs, tum hominib. ad omnia bona dux est: Hec quilibet, qui felix beatusq. futurus est, ab initio statim particeps sit oportet, ut quam plurimum tẽporis uerax in uita degat. Sic enim fide dignus erit, indignus autem qui mendacium sponte elegit: demens, qui inuitus: ex quib. neutrum optandum est. Amicis. n. destituitur, quisquis fide indignus ac imperitus fuerit.

Veritate autem duce proculdubio nunquam malorum dicemus chorum consequi. *Plato l. de legib.*

Veritas prudentiæ sapientiæ initium in historiis est recondita. *Dionys. Hal. lib. 1.*

Veritas uisu & mora, falsa festinatione & incertis ualescunt. *Tacit. Ann. l. 2.*

Veritatis sermo est simplex. *Am. Marcel. lib. 14.*

Veritatis oratio soluta esse debet & libera. *lib. 17.*

Veritas historiæ anima recte dici potest, & sacrarium, cui qui mendacium præfert, plane sacrilegus est. *G. Pachym. hist. l. 1.*

Perinde ac si quis oculos animanti effoderit, quicquid superest corporis sit inutile: ita dempta ex historia ueritate, narratio omnis inutilis est. Quamobrem naq; e reprehensione amicorum, neq; ab inimicorum laudib. cum res ita feret, abstinendum est: neq; turpe putandum, si eosdem aliquando reprehendamus, interim laudemus. Siquidem eos qui in rebus gerẽdis uersantur, neque semper recte facere, neq. continuo errare, uerisimile est. Oportet itaque ut abstinens personis, de gestis illarum competenter in commentariis sentiamus ac pronunciemus. *Polyb. lib. 1.*

Antiquis scriptoribus ratus obtrectator, neque refert cuiusquam Punicas Romanasue acies lætius extulerit: at multorum qui ob stro seculo pœnam uel infamiam subijcere, posteri manent, utque familiæ ipsæ iam exstinctæ sint, reperies qui ob similitudinem morum, aliena malefacta sibi obiectari putent: etiam gloria ac uirtus infensos habet, ut nimius ex propinquo diuersa arguens. *Tacit. Annal. lib. 4.*

Veritas pluribus modis infringitur, primum inscitia Reipub. ut alienæ, mox libidine assentandi, aut rursus odio aduersus dominantes. Ire neutris cura posteritatis, inter infensos uel obnoxios. *Tacit. hist. lib. 1.*

Ita comparatum est, ut qui figmentorum portentis aures prębẽt, & ipsi mox aliquid affingunt: quo fit ut mẽdaciorum quasi colluuie veritas uitiata prorsus suam authoritatẽ perdat. *Pausan. l. 8.*

Vulgo negligitur veritatis inuestigatio. Sed ad ea quæ forte & temere

mere oblata sunt, potius feruntur homines. *Thucyd. lib. 5.*

Maxima quæque ambigua sunt, dum alii quoquo modo audita pro compertis habent, alii vera in contrarium vertunt, & gliscit vtrumque posteritati. *Tacit. Annal. lib. 3.*

Veritati maximæ vires additæ sunt: quoniam & si ab omnibus impugnetur, nonnunquam & omnis generis suadelæ vna cũ mendacio aduersus eã armentur, nescio quomodo ipsa per se animis mortalium illabatur. & nonnunquam confestim vires suas exerat: aliquando vero, vt multum temporis in obscuro destituit, tandem per se ipsam emergat, & mendacium manifestet. *Polyb. hist. lib. 3.*

Nullæ duæ res inter se tam amicæ & concordes sunt, quam virtus & veritas, nempe, germanæ, a Deo genitæ, & humanis mentibus sicut vtilissimæ, ita etiam integris iucundissimæ. *Vin. lib. 2. de anim.*

Veritas maxime conuenit menti. *Viues de contempl. l. 2.*

Rationis meta in contemplatione veritas est, in agendis autem bonum. Posteriore hac ea collatione verorum & bonorum, carẽt beluæ, vt quæ ad primum oblatum bonum rapiuntur, nostrum porro iudicium cunctatur atque ambigit, & sistit, & reuocat sese. *idem l. 2. c. de ratione.*

Vir verus, quis? in quo nihil effœminatum, nihil efferatum, nihil mendax, nihil quod non virtutis vim præseferat. & intra se ferat. *Marsil. Fic. l. 1. epist. ad barthol. Fontinum.*

Veritas virum reddit dignitate dignum, *idem l. 5. epist. ad Franciscum Soderinum.*

Sed sibi semper mentiens imprudentia rerum merita non potest immutare, nec mihi Socratico decreto fas esse arbitror, vel occuluisse veritatem, vel cõcessisse mendacium. *boet. l. 1. pros. 4. de philos. consolat.*

Vos autem suspicionibus mori ipsum eiecistis: Scimus, o Pyandre: contra hæc non ridendum. Sed adeo valida res est veritas, vt omnes humanas cogitationes superet. *Æschines contra Timarchum.*

Diuites cum omnia habeant, vnum illis deest, scilicet qui verum dicat. Sic enim in clientelam felicis hominis potentumque perueneris, aut veritas aut amicitia perdenda est. *Sen. in quadam epist.*

Magna est vis veritatis, quæ contra omnium ingenia, calliditatem, solertiam contra fictas hominum insidias facile se per se ipsam defendit. *in Epist.*

Nimium altercando veritas amittitur. *in Prou.*

Apophthegmata.

Pythagoras dicebat, hæc duo diuinitus hominibus data esse longe pulcherrima. Veritatem amplecti. Beneficiis operam dare, & addebat vtrumque cum Deorum immortalium operibus comparari posse. *Ælian. l. 12. de var. hist.*

Idem, interrogatus, quid Deo simile facerent homines? Cum veritatem exercent, respondit. *Stob. ser. 11.*

Thales a quadam percontatus, quantum a mendacio distaret veritas? Quantum, inquit, oculi ab auribus. Scosit vir sapientissimus, ea tantum pro certis haberi, quæ hominum cernuntur oculis, cum auditus sæpenumero hominem fallat. *P. M. li. 8. apoph. Max. ser. 39.*

Democritus. Pietatem palam declarandam, & veritatem constanter defendendam esse dicebat. *Ant. ser. de veritate.*

Sermus Quemadmodum, inquit, debilis & impotens aspectus solis lucem intueri non potest, sic idque multo magis debilis & infirma mens verum cernere non potest. *Max. ser. de veritate & mendacio.*

Plato. Suauissimam narrationem veritatẽ esse dicebat. *Stob. ser. 11. ex Sarini memorabilib. dictis.*

Polemon dicere solebat, multo suauius esse vera dicere, quam audire. *Stob. ser. 11.*

Anonymus. Veritas quidem amara est, & ingrata stolidis: mẽdaciũ autem suaue & gratum: nimirum vt illis, quibus dolent oculi molestus est lucis aspectus, tenebræ autem visum repe... charæ & minime molestæ sunt. *Ant. ser. de veritate.*

Æschines Veritatem rem adeo validam esse dicebat, vt omnes humanas cogitationes facile superet. *Stob. ser. 11.*

Demosthenes interrogatus, quid Deo simile haberent homines? respondit benigne facere, & veritatem amare. *Max. ser. 8.*

Carus, Veritas, inquit, nullam requirit præmeditationem. *Stob. sermo. 11.*

Epictetus, Nihil, inquiebat, veritate pretiosius haberi debet, ne amicitia quidem, vtpote obnoxia affectibus, qui, quod iustum est turbant & obumbrant. Item: Immortalis & æterna res est veritas. Non donat autem nobis pulchritudinẽ, paulatim tabescẽrem, neque dicendi fiduciam e iustitia prodeuntem aufert: sed quæ iusta & legitima sunt, ea hibet, discernens ab eis iniusta, & redarguens. *Ant. ser. de veritate.*

Themistocles. Euribiadæ quiddam aduersum cum dixisset, illeque baculũ intẽtasset, verbera inquit, intrepide, modo quæ dico, audias. Nouerat. n. ea, quæ dicturus erat, e Repub fore. Docens: Veritatem in summo bonorum simul ac vitæ periculo profitendam esse, & tum maxime, cum multorum salus inde emineat. *Ælian. l. 3. de var. hist. Plut.*

Origenes Adamantius dicere solitus est, Veritatem non idcirco partes suas omittere debere, quia eas sibi præueniens, falsitas vendicaret. Philosophiam Græcorum notans, quam cum Christianismo & doctrina veritatis confert. *Eusеb. l. 6. c. 10. Eccl. hist.*

Papias audiens, multorum clamorib. Dei veritatem lacerari atque suspectam reddi: Non multa dicentibus, inquit, sed vera tradentibus auscultandum. *Euseb. lib. 3. c. 39. Eccl.*

Alphonsus semper hoc in ore habuisse fertur, tantum valere ad fidẽ debere vnicum principis viri verbum, quantam priuatorũ iusiurandum. Veritas enim, licet omnibus conueniat, principum tamen præcipuum debet esse ornamentum. *Ant. Pan. l. de reb. gest. Alphonsi.*

Aristippus interrogatus, quam ob causam sic ipsum argueret Dionysius: ob eandem (inquit) ob quam cæteri. Significans, philosophi libertatem omnib. esse molestam: non igitur mirandum, si regi, simul illud innuens, regis iudicium nihil a vulgari differre quod fortuna non addat sapientiam. *Laert. lib. 2.*

Cambyses Rex, quum frequenter nimio se vino ingurgitaret, a Praxaspe hunc in modum reprehensus est: Noli te nimio perdere vino, o Rex, ne tibi ac ciuib. tuis perniciosus fias. Verum Rex, vt scias, inquit, quam nunquam mihi excidam, approbabo etiam post vinum, & oculos & manus in suo ac debito esse officio. Bibens igitur solito largius, iamque vinolentus iubet obiurgatoris filium in conspectum duci, ac postquam sinistram manũ capiti imposuisset, stans in cor adolescentis sagittam figit. Diaecar autem prius, id se petiturum, rescissoq. pectore, iaculũ cordi infixum ostendit, & sagittam extraxit, patriq. ostendens, ait, Reprehendis in me ebrietatem: vide igitur, quam certam post potationem habeam manum. *Herod. in Thalia. & Sen. l. 3. de ira.*

Agesilaus, cum audisset Rhetorem quendam laudari, quod rem specie tenuem multis verbis amplificare posset? Ego sane, inquit, ne furorem quidem arbitror bonum, qui paruo pedi magnos inducat calceos. Quo dicto innuit maxime, non ornatum in dicendo, sed veritatem, cuius simplex est oratio, spectandam esse. *Plut. in apoph. P. M. l. 1.*

Similitudines.

Syracides. Quemadmodum auis diuertit ad aues: Sic veritas ad studiosos suos reuertetur. *Cap. 23.*

Chrysostom. Quemadmodum hora vespertina quis stellam aliis cõparatam lucidam vocat, quam sole fulgente nullo modo lucidam diceret, eo quod splendor solis excellens, fulgorem stellæ obtegit: Ita hominem bonum veracem dicimus esse, quando eũ cum aliis hominibus conferimus: sed quando cum Deo non est verax. *in Psal. credidi.*

Si *vestimenta* empturus, gyras vnum negotiatorem, & alterum, & vbi meliores vestes inueneris, & pretio viliori, ab illo comparas: Quomodo non oportet populum circuire omnes Doctores, & inquirere, vbi syncere veritas Christi venundatur, & vbi corrupta, & animorum confessiones cognoscere, & veriorẽ eligere plus, quam vestimentum? *in 23. Matth. hom. 44*

Si propter aliquam vtilitatem, vel necessitatem mundialem, proficisci volueris ad aliquem locum, cuius viam ignoras, numquid propter ignorantiã viæ discedis a profectione proposita? Non, sed experiris nunc istam viam, nunc illam: & quos interroges quæris, & cum inueneris, rogas & postulas, vt semitam discas. Et si velis scripturarum ingredi veritatem, non petis orationibus, non quæris in scripturis, non pulsas bonis operibus, non interrogas sacerdotes, nunc istos, nunc illos non inuestigas, qui veri sunt clauicularii scripturarum, non qui falsi. *in Matth. 23. hom. 44.*

Qui margaritam habet, nouit se diuitem esse, etiamsi ignorum non nunquam illud fit, cum paruo in loco margaritam recondatur: Sic & in prædicatione veritatis, qui ei adhærent, totoq animo illam amplectuntur, opulentos esse non ignorant, quamuis infideles thesauri vim non cognoscentes, fidelium opes contẽnant. *Hom. 48. in Matth.*

Nazianzen. Si vani tempestatibus iactatæ manum porrigeremus, aut ciuitati obsessæ, aut domui igne succensæ, turmatim vasis, & instrumentis succurreremus restinctoriis, plane nos submersores vocares, aut ciuitatis vel vrbis aratores, & nõ potius præfectos, & curatores, sedatis: Non ita multis egisse videris: verum quid mea refert, si plures, immo omnes opinione potius, quam veritate ducantur, si quidem hoc in controuersia versatur, num iuste egerimus, vel Ecclesiam miserandam aut beatam reddiderimus: videri vero illud tuum, nihil ad nos, non secus ac somnia aliena. Non ita, inquis, homo multis videris nunquid terra vertiginem patientibus stare videtur? & ebriis sobrii

brij esse putantur, qui sunt sobrij? & non potius cum capite ambulare, aut inerti, mel autem nunquid amarum est? etiamsi ægrotantibus quibusdam ac male affectis ita videatur. Non igitur in his res ita se habet, quemadmodum videtur patientibus. *in orat. de seipso.*

Iamblicus. Sicut lumen naturaliter & assidue solem sequitur: Sic veritas Deum, eiusque pedissequos: præsertim cum perfecti pleniqque sint, neque egent, neque possunt sibi vltra, quam sint arrogare. *De mysterijs.*

Rhegin. Vt solare lumen imbecillus & impotens visus aspicere nequit: Ita veritatem, idq. multo magis, infirma mens & inualida conspectare non potest. *apud Stob. ser. 2. de imprudentia.*

Theodoret. Lumen hoc sensibile, quod oculis vsurpamus, siue sol sit, siue candela, intuentibus plane iodicat, quid sit aurum quid argentum, æs item, quoniam & colorum figuras, nec non plantarum atque animalium differentias idem docet. Sed hæc solū vident, qui habent acres oculorum obtutus; cæci nihil vident. His itaq. similes sunt, qui veritatem intueri nolentes amant in tenebris ignorantiæ versari, veluti aues illæ, quæ noctu tantum volant, vt vlulæ & noctuæ: hæ lucem oderunt, amant tenebras: Sed his quidem nemo sanæ mentis indignetur atque succenseat; natura enim ab initio genus hoc vitæ illis addixit. Qui vero vltro sese tenebris addicunt, nolentes cognoscere veritatem, quo modo, quæso veniam consequuntur? *serm. 2.*

Thrinert. Quemadmodum sol a nubibus sæpe intercipitur, sed nunquam funditus suffocatur: Ita veritas aliquando laborare potest, extingui vero numquam. *in apoph. 48.*

Quemadmodum, qui oculum sibi effodit atque eruit, nunquam visum recipere potent: Sic qui veritatem odit, fieri non potest, vt aliquando resipiscat. Nam spiritus veritatis, mentis nostræ lumen est. At si oculus noster nequam fuerit, vniuersum corpus tenebroso erit. *in apoph. 126.*

Menander. Vt illis, quibus dolent oculi, modestus est lucis aspectus gratiæ autem tenebræ: Sic veritas ingrata est infidelis, mendacium autem suaue, & gratum. *In Meliss. Ant. par. 1. ser. 22. & Max. ser. 35.*

D. Augustini. Si veris falsa permisceas, ijsdem sæpe vestigijs verum falsitas imitatur: sic hominem simulat pictura verum, quæ coloribus exprimit falsas facies veritaria: Sic speculi nitor vultum rapit, vt reuocet oculos tuentis. Sic offert proprios venientibus vultus, vt ipsa sibimet inuicem faciem venientis occurrat: tantumque valet immunda fallacia, vt ipsi se; quæ prævident oculi, quasi in altero sese cognoscant. Ipsa quoque vmbra cum steterit, imagines geminat, magna ex parte, mendacio diuidens vnitatem. Nunquid ideo verum est, quia figura mentitur. *l. 2. contra literas Petiliani, c. 26.*

Vt *veritate* sunt vera, quæ vera sunt: Ita similitudine similia sunt quæcunque similia. Vt ergo veritas forma verorum est, ita similitudo forma similium. *De vera religione.*

Thrinert. Ignis, quo pluribus lignis obruitur, eo magis accenditur: Sic & virtus & veritas, quo magis oppugnantur, eo magis emicant, atque illustrantur. *in apoph. 60.*

P. M. Vt speculum non reddit imaginem, nisi substernas vitro stannum, aut æs, aut aurum, aut simile quippiam solidum, quod imaginem non sinet perfluere: Ita non nisi in animis solidis, & vera virtute nixis, relucet imago veri. *In fin.*

Exempla Biblica.

Veritas odium parit *exempla:* Fratres Ioseph, *Gen. 37. v. 4. 8.* Balaam, *Num. 24. v. 10. 11.* Abimelech, *Iud. 9. v. 2.* Saul, *1. Sam. v. 20. v. 33.* Baasa, *1. Reg. 16. v. 7.* Achab, *22. v. 28. 2. Paral. 18. v. 26.* Asa. *2. Paral. 16. v. 10.* Ioas, *24. v. 21.* Ozias, *26. v. 19.* Holophernes, & eius magnates, *Iudith. 5. v. 24. 25. 26.* Sedechias, *Ierem. 32. v. 3.* Ioachim, *36. v. 23.* Princeps Iuda, *38. v. 4.* Babylonij, eo quod Daniel probauit. Bel non esse Deum verum, indignantur, eumque in lacum leonum coniiciendum curant. *Dan. 14. v. 27.* Herodes, *Mat. 14. v. 4. Luc. 3. v. 19.* Principes Sacerdotum, & Pharisæi, *Matt. 22. v. 45.* Pharisæi & Legisperiti, *Luc. 11. v. 33. 54.* Principes Sacerdotum, & Scribæ, *20. v. 16.* Mundus, *Io. 7. v. v. 7. & 17. v. 14.* Pharisæi, *9. v. 28.* Iudæi, *15. v. 24. Luca 4. v. 28. Act. 7. v. 54.* Principes Sacerdotum, *5. v. 33.* Hostes Pauli, *9. v. 23. 29.* Galatæ, *Gal. 4. v. 16.* Veritas tandem vincit, *Prou. 28. v. 23.* Veritas Christus, *Io. 14. v. 6.* Euangelium, *2. Pet. 1. v. 12.* Veritas cinctorum renum, *Ephes. 6. vers. 14.* Veritas Dei in promissionibus, *Gen. 32. v. 10.* Veritas in iudicibus. *Exod. 18. v. 21.*

Exempla Profana.

Persæ filio tam sanctis moribus imbuerunt, vt illorum disciplinæ nil addi posse videretur, & per omnes ætatis gradus illud præcipue suis inculcarunt: vt fugientes mendacium, vera semper loquerentur. *Herod. l. 1. & Plut.* περὶ τοῦ μὴ δεῖν δανείζεσθαι.

Idor. Abbas veritatis studiosissimus fuit. De eo tria commemorat Heraclides in sua historia: quod nunquam sit mentitus: nunquā alicui maledixerit: nunquid citra necessitatem locutus sit.

Epaminondas Thebanus tam seuerus veritatis cultor fuit: vt ne ioco quidem mentitus sit. *Alex. ab Alex. l. 9. c. 10.*

T. *Pompon.* eques Romanus, & amicus Ciceronis (ob linguam Atticus dictus) mendacium nec ipse dicebat, nec pati poterat: quapropter omnes ei res suas amici curandas certatim dabant: consiliumq. ab eo de repub. deq. rebus magnis petebant. *Cor. Nep.*

Hieroglyphica.

Aegyptii *veritatem ex humano corde gutturi appenso* ἱερογλυφικῶς indicabant, de quo vide prolixe apud *Pier. Valer. lib. 41. pag. 395. G.*

Sol veritatis est hierogyphicum, qua ratione videlicet is solus & vnus est: duplicia enim & multiplicia sunt veritati contraria. Simplex sit necesse est, quod verum censeri doceat. *Pier. Valer. l. 44. pag. 430. F.*

Quod si etiam Aegypti *Pomum Persicum adherescente folio vno tantum* pinxissent, *veritatis id signum erat:* quippe quod ea species linguam cordi coniunctam ostendit, ac perinde sermo cordis ipsius penetralia adaperiat, non aliud quippe sentiat, aliud peloquatur. *Pier. Val. l. 54. pag. 527. F.*

VESTIS.

Definitio et Etymol.

Vestis, Græca dictio videtur, ἐσθὴς, ἐσθῆτος, & ἔνδυμα, τοῦ τὸ vestimentum, & ἐνδύω, vestio dicitur. Heb. *Beghedim,* vestis ampla, & diffluens & excurrens. Vestes amplæ & diffluentes. *Bighadnah Psal. 55. 9.* a verbo *Baghadh,* præuaricatus est excessu, transgressus est metam, & excurrit ordinem, quemadmodū vestis ampla & diffluens ab incedentibus vane discurrit: vt in magnatum pallijs & heroinarum oblongis & discurrentibus vestibus, terram verrentibus, quas Galli *robes a queue,* appellant, cernere est. 2. Dicitur, & *Lebusch* (vnde λώπη & χλαῖνος indumentū) item *Malbusch,* & *Talboscheth.* a verbo *Labasch,* induit vestimenta induta est vestibus, 3. *Salmah, & Simlah.* vestis, vestimentum, nomen generale, vestis omnis quæ induitur, seu breuis, seu longa sit. Vide Etymolog. trilingue. *pag. 890 891.*

Vestem Iurisconsulti diffiniunt esse, quicquid induendi, præcingēdi, amiciendi, insternendi, tegendi, accubandi gratia paratū est. Sunt, qui velint vestem & vestimentum nihil differre. Alij vero ita distinguunt, quod vestis generaliter dicatur vestimentum vero particulariter. Alij dicunt, vestimenta esse non modo lanea, linea, bombycina, serica, sed etiā scortea, frondee: scirpea, palearia, & ex quacunque materia facta sunt ad corpus tegendum: Dicitur autem vestis, teste Varrone, a velando, i. tegendo, quod corpus velet, i. tegat. Vnde & inuestes imberbes dicimus.

Loci Biblici.

Vestis, quæ illicita, *Deut. 22. 1.* vestis viduæ pignori non accipienda, 24. 17. vestis virilis mulieri illicita, & contra, 27. 5. veste auferenti, tunica danda, *Luc. 6. 29.* Vestem non habentib. det, vnā, qui duas habet, 3. 11. vestis nuptialis, *Matth. 21. 11.* Vestes Christi partiuntur milites, *Mart 27. 35.* Vestes Israelitarum in deserto non attritæ. *Deut. 29. 5.* Vestes Adami & Euæ, pelliceæ, *Gen. 3. 21.* Vestes varias ob causas scindunt: Ruben, *Gen. 37. 29. Iac. v. 34.* Fratres Iosephi, 44. 13. Iosua. & Caleb. *Nu. 14. 6.* Iosua, *Ios. 7. 5.* Iephthe. *Iud. 11. 35.* Vir de Beniamin, *1. Sam. 4. v. 11. 12.* Dauid, *2. Sam. 1. 11.* Israelitæ, 3. 31. Thamar, 13. 19. Dauid & serui eius. *v. 31.* Chusai, 51. 32. Achab, *1. Reg. 21. v. 27.* Rex Israel, *2. Reg. 5. & 6. 30.* Athalia, 11. 14. *2. Par. 23. 13.* Eliacam cum collegis, *2. Reg. 18. 38.* Ezechias, 19. 1. *Esa. 27. 1.* Iosias. *2. Reg. 22. 11. 2. Paral. 34. 19.* Esdras, *1. Esd. 9. 9.* Bagoa & Principes Assyriorum, *Iudith. 4. v. 14. 17.* Mardochæus, *Esth. 4. 1.* Iob. 1. 20 Amici, *Iob. 2. 12.* Matathias & eius filij. *1. Mach. 2. 14.* Iudas & eius exercitus, 4. 39. Ionathas, 11. 71. Principes Sacerdotum, *Matth. 26. 65. Marc, 14. 36.* Paulus & Barnabas, *Act. 14. 14. & 19. 22.*

Vestimenta fimbria, *Matth. 14. 16.*

Vestitus mulierum qualis esse debeat, *1. Tim. 2. 9. 1. Petri, 3. v. 3. 4.*

Vestimenta sacra, politica, domestica, facile distinguuntur in *Libris V. & N. Testamenti.*

Sententiae Patrum.

Non induetur mulier veste virili: nec vir vtetur veste fæminea: abominabilis enim apud Deum est, qui facit hoc. *Deut. 22.*

Philosophicae Sententiæ.

Nolo, ut de ornamentis auri vel vestis properam habeas in prohibendo sententiam: nisi in eis, qui neque coniugati sunt neque

neque coniugari cupientes, cogitare debent, quomodo placeat Deo. *Aug. ad Possidon.*

Animaduertendum est, non in solo rerum corporearum nitore, atque pompa, sed etiam in ipsis sordibus luctuosis esse posse iactantiam, & eo periculosiorem, quod sub nomine seruitutis Dei decipit. *idem lib. de serm. Dom.*

Quanta amentia est, effigiem mutare naturæ, picturam quærere: tolerabiliora propemodum in adulterio crimina sunt. Ibi enim pudicitia: hic natura adulteratur. *idem ibid.*

Ornamentorum ac vestium insignia, & lenocinia formarum, non nisi prostitutis, & impudicis fœminis congruunt: & nullarum fere preciosior cultus, quam quarum pudor vilis est, &c. *Cypr. lib. de habitu virgin.*

Vince vestem, quæ virgo es, quæ Deo seruis: vince aurum, quæ carnem vincis, & sæculum: nec monilium, aut vestium quære ornamenta, sed morum. *idem ibid.*

Fœminæ manus Deo inferunt, quando id, quod ille formauit, reformare, & transfigurare contendunt: nescientes, quia opus Dei est omne, quod nascitur: Diaboli quodcumque mutatur. *idem ibidem.*

Deles picturam Dei, mulier: si vultum tuum materiali candore oblinias: si exquisito rubore perfundas. *Ambr. in Hexamer.*

Vestes pullas æque deuita, vt candidas: ornatus & sordes pari modo fugiendi sunt, quia alterum delicijs, alterum gloria redolet. *Hier. in epist. ad Nep.*

Inter sericum, & linteamina, quibus tibi videris fulgidos, & formosus, intellige te nudum, conscissum, sordidum, mendicantem. *idem in epist.*

Si vir vel mulier se ornauerit, & vultus hominum ad se prouocarit, etsi nullum inde sequatur damnum: iudicium tamen parietur æternum: quia venenum attulit, si fuisset, qui biberet. *Hieronymus.*

Quod pro sola inani gloria vestimentorum preciosius quæritur, res ipsa testatur: quia nemo vult ibi preciosis vestibus indui, vbi ab alijs non possit videri. *Greg. in hom.*

Vanum cor vanitatis notitiam ingerit corpori. Exterior enim superfluitas interioris vanitatis indicium est. Mollia indumenta animi mollitiem indicant: non tantum curarent corporis cultus, nisi prius neglecta fuisset mens inculta virtutibus. *Bernar. in Apol.*

Serico & purpura indutæ, Christum sincere induere non possunt: auro & margaritis adornatæ, & monilibus, ornamenta mentis, & corporis perdiderunt. *Cyprian. l. de habitu virginum.*

SENTENTIÆ PHILOSOPH.

De vestitu cultuque corporis. DIAL. XX. Francisc. Petrarch.

GAV.

At egregie vestior. R. Quæ pura sunt, nuda videri amant. Mos est fœda coloribus abdere. G. Exquisitissime induor. R. Pudebit cultus exterioris, quoties quid eo tegatur, cogitabis. Insana enim ambitio est simium tegere purpura. G. Mundissime vestior. R. Nō audisti, quid ille vir fortissimus apud Crispum dicat: Munditias mulieribus, laborem viris conuenire? G. Vestitus insignis, ac mollis est. R. Superbiæ vexillum, nidusque luxuriæ. G. Vestis singularis ac insolita est. R. Non obijciam tibi sacros pauperes seminudus, & rigidos, atque hirsutis togis hybernum frigus arcentes. Scio quidem, quod peccatrix opulentia sanctam spernit inopiam. Ille item ditissimus hominum, cuius altercatione retro tertia memini, veste non temere alia, quam domestica vsus est, ab vxore, & sorore, & filia, neptibusque confecta. Nam & hoc quoque de illo scriptum est. Sic ille cunctorum dominus paucas quidem sibique iunctissimas fœminas fatigabat. Tu fortassis aliorum seruus disiunctissimas fatigas gentes. Tibi nent, tibi pectunt, tibi texunt Belgæ, tibi Persæ, tibi Seres, tibi Indi, tibi Tyrius murex natat, tibi fragrans bacca hispidis pendet arbusculis, tibi oues albicant Britannicæ, tibi Indica sandix rubet, vterque tibi sudat Oceanus. Augusto autem vxor, & filia sororque, cum neptibus. Eo vsque decreuit virtus, creuitque superbia. Si contrario delectaris, exempla modestiæ viluerint. In victu igitur ac vestitu multi optimo principum contempto, post pessimos abiere, Caium & reliquos, quorum ventri ac tergo, nec ciuilis vnquam, nec virilis, nec Romanus certe, nec humanus, sed insanus, & nunc fœmineus, nunc diuinus, ab omni autem parte profusus, atque monstrificus cultus fuit. G. Exquisitissime induor. R. Operosior ornatus, & suspicione curæ ingentis formosis formæ gratiam imminuit, & fulgore suo deformium mēdas prodit, oculosque prætereuntium ad spectandum excitat. Itaque nulla re peius sibi consulit deformis homo, quam dum formosus vult videri. Vestis insignior, cultusq; corporis, qui ad famam quæritur, risus mouet. G. Electissimis coloribus exornor. R. Natura rerum humana arte non vincitur. Sæpe etiam quasi indignans se tentari, quo maiore nisu premitur tegiturq., eo magis attollitur, eminetque, natiuam mortalis corpusculi fœditatem, nec colores alterant, nec odores, quin aut magis conspectam efficiunt, aut suspectam. G. Preciosis ac varijs ornamentis ambior. R. Pone in pheretro aureo pallidum cadauer, gemmis illud ostroque circunda, quo plus ornatus, & plus erit horroris, neu, quod loquor, ad iniuriam trahas, origo nominis inquirenda est. Siquidem a cadendo dicitur cadauer, cur non mortui sic viuentis recte dicitur? Nempe illud cecidit, hoc casurum est caditque continue. G. Nouus & insolitus cultus est mihi. R. Non est locus vt defleam, vtque execrer ludibria hæc habituū externorum, quos vobis ab extremis mundi finibus furibunda præsens ætas intulit. Sed Dij hominesque male oderint has beluas humana effigie, ferino animo, lingua Latina, barbaricove habitu, compto fœmineam ad molliciem capillo, moribus ad aprinam duriciem horridis, atque incultis: hinc obscœna corporum impudentissime detegentes, illinc mentium leuitatem vano vertice volucrum plumis extantibus, apertissime designātes. An vero tam vigiles magistri, an tam dociles discipuli plus odij mereantur, in dubio est, quorum ingenijs effectum vides, vt inter mimos ducesque, inter scorta, & matronas prope iam nil intersit aspectu. Nec dum sistit, sed indies serpens crescit, & variatur insania.

APOPHTHEGMATA.

Crates a magistratu obiurgatus, quod præter leges ac morem Atheniensium sindone vestiretur, ait: Quid si Theophrastum vobis ostendam sindone amictum? diffidentes, ac vt ostenderet flagitantes, adduxit ad tonstrinam, ostenditque Theophrastū, qui tum forte tondebatur, linteo amictum, quæ Græci a contegendis humeris ἐπωμίδιον vocant, submonens, omnibus ad vsum vtā licere. Nam si per se turpe esset vti linteis, ne in tonstrina quidem esset honestum. *Laert. l. 6. c. 5.*

Stilpo videns Cratetem hybernis mensibus frigore rubentem: *Crates*, inquit, μοι χρείαν ἔχειν ἱματίου καινοῦ. Lepos qui est in vocis ambiguo, Latine reddi non potest, καινοῦ coniunctim, sonat, nouo: καὶ νοῦ disiunctim, sonat, & mente. Discrimen auribus vix sentiri potest, scripto potest ostendi. Videris, inquit, egere pallio nouo, siue pallio & mente. Nouam requirebat gelu mentem Cynici stultitia, qui vestem non accommodaret tempori. *Laert. lib. 2. c. 12.*

Xanthippe Socratis, cum vellet quamdam vestem induere, atque sic ad spectandam pompam prodire, ille dixit: Hanc non spectandi causa, sed potius, vt specteris, habes. Notabat autem communem hominum consuetudinem, qui cum in alijs, tum maxime in vestitu nouitate delectantur, quo ab omnibus ob nouum, & insolitum cultum spectentur, & celebrentur. *Aelianus lib. de var. histor.*

Socrates, cum iret, ab Agathone vocatus ad conuiuium, soleatus & vnctus, idque præter morem, & ab amico quodam obuio rogaretur: cur esset solito nitidior: ludens, dixit: Vt pulcher eam ad pulchrum, cum nullius esset ab huiusmodi affectibus alienior. *P. M. l. 3. apoph.*

Idem, pallij proscissam partem cum Antisthenes multis spectantibus ostendisset, spectandamque dedisset: Aspicio, inquit, o Socrates, per scissuram pallij tuam vanitatem. *Laert.*

Plato in Aristippum dixit, illi soli datum esse, & pannis, & chlamyde vti, quod apud Dionysium in purpura saltauerat. Ad id alludens Horatius: Omnis, inquit, Aristippum decuit color. Hoc dictum quidam tribuunt Straboni. *Laert. l. 3.*

Musonius volebat virum temperantem corpori quærere tegmen non sumptuosum, nec exquisitum. Veste nempe & calceamentis eodem modo vtendum esse aiebat, quo panoplia, nempe defendendi corporis gratia, non ostentationis. Sicut igitur ea optima sunt arma, quæ firmissima, quæque armatum tueri maxime valent, non insignia, & splendida: Ita amictus quoque & calceorum vsus, qui sit corpori commodissimus, optimus est: & non is, qui stolidorum oculos possit in se conuertere, &c. *Stob. serm. de virtute.*

Antisthenes. Diogenes cum ab Antisthene Atheniensi petijsset tunicam ad depellēdum frigus, iussit Antisthenes, vt duplicaret pallium: sic enim tunicæ speciem præbiturum: Admonens, oportere hominem vno vestitu contentum esse. *Laert. l. 6.*

Diogenes, cuidam sibi placenti, quod leonis exuuio tectus incederet: Non tu desines, inquit, virtutis stragulas pudefacere? Indecorum esse censuit, quod homo mollis Herculis amictum sibi vendicaret. Idem dici potest de ijs, qui prodigioso amictu profitentur sanctimoniam, vita non respondente. *P. M. ex Laert. libro 6.*

Idem. Cum adolescens quidam comptior Diogeni proposuisset quæstiunculam: Non tibi prius, inquit, responsurus sum, quam sublatis vestibus ostenderis, vtrum masculus sis, an fœmina. Ex vultu parum virili, notauit illius molliciem. *Laert. l. 6.*

Idem. Apud Megarenses cum videret arietes pellibus tectos aduersus frigoris iniuriam, ipsorum autem filios nudos: Satius est, inquit, Megarensis esse arietem, quam filium. Traditum est de Megarensibus, quod indiligenter haberent filios suos. *P. M. ex Plutar.*

Idem. Diuitem quemdam indoctum, sed splendide vestitam, *χρυσόμηλον* appellat, hoc est ouem aureo vellere. Nam tales fuisse proditum est a poetis, qui minimum valerent ingenio, nullis naribus, etiam prouerbio dicebatur. *Laert. l. 6.*

Demonax, cuidam qui purpura indutus, sese insolentius ostentabat, in aurem dixit. Heus tu? hoc ante dū gestabat ouis, ouis erat. Significans illum nihilominus stupidum esse, etsi gestaret purpuram. *P. M. l. 8. apoph.*

Artaxerxes. Teribazus in venatu Persicam vestem dilaceratam ostēdit, consulens quid faciendum esset? respondente autem Artaxerxe rege, aliam induendam. Vnam igitur, inquit, mihi tradas oportet. Rex suam tradidit, dicens: Dono do tibi hanc vestem, gestare prohibeo. Teribazus vir minime quidem malus, sed leuis præcipitisque consilij, neglecta regis monitione, vestem induit, muliebribus etiam ex auro donis, quæ a rege acceperat exornatam. Hoc cæteris omnibus indigne ferentibus (nam ridere nefas erat) rex effuse ridens: Tibi, inquit, vt mulieri aurum, at insano regium amictum gestandi ius potestatemque concedimus. *P. M. l. 6. e 2. apoph. ex Plut.*

Archidamus. Cum Dionysius Siciliæ tyrannus filiabus Archidami vestes splendidas multique precij dono misisset, recusauit accipere, dicens: Vereor ne hoc amictu puellæ mihi turpes videantur. Intelleait vir prudens, virgines nullo cultu melius ornari, quā simplici: porro sericis, gemmis, & auro dehonestari magis quam ornari: propterea quod vestium luxus arguit animum parum sobrium, & intuentium animos ad libidinem sollicitat citius quam ad honestam opinionem. Decet aūt vt virgo sit, nec vlla ex parte det corruptæ mentis significationem. *Plut. in Lac.*

August. Cæs. cum pro concione multos videret palliatos, indignabūdus: En, inquit, Romanos rerum dominos, gentemque togatam: Adeo studebat priscos renouare mores, vt habitum quoque vestiumque doluerit immutatum. *P. M. l. 4. apoph.*

Idem. Purpuram Tyriam empturus, de obscuritate querebatur, cūque venditor diceret: Erige altius & suscipe. Ergone, inquit, vt me populus Romanus dicat bene cultum in solario ambulaturus sum? *Macrob. l. 2. c. 4. Saturn.*

Idem, quantum potuit indumentorum luxuriam habuit odio, cuius dictum erat vulgatissimum. Vestitus insignis, ac mollis superbiæ vexillum est, nidusque luxuriæ. *Sueton.*

Alexander Seuer. cum humili vestitu contentus sæpenumero incederet, reprehensus ob id ab aulicis suis, respondit. Imperatoriā maiestatem constare virtute non corporis cultu. *Lamprid.*

Idem, Gemmas omnes quas reperit in palatio, vendidit, & aurum in ærarium contulit, dicens viris gemmas vsui non esse: matronas autē regias contentas esse debere vno reticulo, atq; inauribus, & baccato monili, & corona in qua sacrificarent, & vnico pallio auro sparso, & cyclade, q̄ plus sex vncijs auri non haberet. Hic cultus hodie vix sufficit negociatorū vxorib. *Lamprid.*

Aurelian. Imp. petenti vxori, vt se vnico pallio serico vti sineset, respondit: absit vt auro fila pensentur, libra enim auri tunc libra serici fuit. *Brus. l. 5. c. 25.*

Alphonsus, quum vestitu cultuque corporis non multum discreparet a popularibus suis, admonitus a quodam vt regio ornatu incederet, respondit: Malo moribus, & authoritate meos excellere, quam diademate, & purpura. *Panor. l. 1. de reb. gest. Alphons. Aen. Sil. de eius dictis.*

S I M I L I T V D I N E S.

Tertulliani. Aliæ quibus plane maior est palma omni vmbra, & filo, non minus capite suo abutuntur, vt bestia quædam magis quam auis licet pennata, breui capite, protracta ceruice, cætera altegradia. Hanc aiunt eum delitescendum haber, caput solum plane totum in condensum abstrudere, reliquam se in aperto relinquere. Ita dum in capite secura est, nuda qua maior est, capitur tota cum capite. Tales erunt & istæ, minus quam vtile est sectæ. *lib. de velandis virginibus.*

Socratis. Quemadmodum equus generosus non ex apparatu magnifico iudicandus: Sic nec vir bonus ex vestitu, & habitu corporis. *Apud Stob. ser. 3. de prudentia.*

Xisti Philosophi. Vestimentum putato esse animæ corpus tuum. Mundum igitur id conserua. *In Enchirid.*

Incontaminatum custodi corpus tuum, tamquam si indumentum acceperis a Deo: & sicut vestimentum corporis tui immaculatum seruare stude.

Seneca. Quemadmodum stultus est, qui equum empturus, nō ipsum inspicit, sed stratum eius, ac frena: Sic stultissimus est, qui hominem aut ex veste, aut ex conditione, quæ vestis modo nobis circumdata est, æstimat. *lib. 2. epist. 47.*

Laurenty Iustiniani patriarchæ. Sicut continens, ac pudicus vilibus induitur vestimentis, vt se oculis diuinæ maiestatis exhibeat mundum: Ita impudicus, ac incontinens, vt videatur magnificus satagit vestiri preciosioribus, ac mollibus. *In lib. de ligno vitæ, cap. 5.*

Phrynon. Statuæ vestes holosericas, ac purpureas non sentiunt: tales oportet esse qui eas induunt. *in apoph. 155.*

Optimi cibi gratiam condimenta dissimulant: & pulcherrimam sæpe formam luxuria vestium obscurat: Proinde condimentis nō eges nisi malus cibus, & vestium apparatu dumtaxat informis mulier. *in apoph. 100.*

A D A G I A.

Cercyræa scutica. *Κερκυραία μάστιξ.*

Dicitur de re superuacaneo cultu ornata. Quadrabit & in ea quibus ornatus additur, neutiquam decorus & congruus.

Pellenæa tunica. *πελληνικὸς χιτών.*

De prisco cultu, & obsoleta vestimentorum forma dicitur.

Simia in purpura. *πίθηκος ἐν πορφύρᾳ.*

In eos, quibus dignitas additur indecora, vel, qui tametsi magnifico cultu sint ornati: tamen vultu moribusque inertiam suam, ac vecordiam produnt.

Afra auis. *Λιβυκὸν ὄρνεον.*

Non inepte torquetur in hominem peregrino habitu notabilem.

Manicato vinculo. *Χειριδωτῷ δεσμῷ.*

Sic quispiam appellauit manicas vestium Ponticarum, quod manus offendant alteramque.

V E T V L A.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

VEtus, veteris, omn. gen. id quod est antiquum & multorum annorum, mensium, dierum significat. Græc. *παλαιὸς, ἀρχαῖος.* Hebr. *Zaken*, Senex, adultus. *Zaknah*, vetula, anus, adulta, a verbo *ZaKen*, senuit, senex fuit. 2. *Iaschen*, vetus, vetustus: *Ieschanah*, vetusta, a verbo *Iaschen*, dormiuit profunde. Senectus enim & ætas prouecta, in plurimis est veluti vitæ somnus, & veternus quidam. 3. *Hatik*, nominatur, homo prouectus ætate, qui in multos annos translatus est: a verbo *Hathak*, translatus est, prouectus est, & cognationem habet cum *TaKahh*, hait, id est, transfetendo aliorsum fixit tabernaculum. In dies enim migramus, vt in cœlis figamus tamdem tabernacula. 3. *kadmonah*, a verbo *kedem*, antecessit, anterior fuit.

B I B L I C V S L O C V S.

Vetularum officium quod, *Tit. 2. 3.*

A P O P H T H E G M A T A.

Pausimachus, in parasitum, qui ab anicula alebatur, dicebat illi qui cum anu consuetudinem habet, diuersum quiddam accidere, atque ipsi vetulæ. Nam illum semper aliquid ventre concipere, illam numquam: Sentiens, illum subinde fieri saturum, illam manere sterilem. *P. M. l. 6. apoph.*

Pericles. Elpinice anus, quum Pericles Samum vastasset, in eum his verbis insultauit: Admiranda sunt ista, Pericles, & coronis decoranda, qui nos multis & fortibus ciuibus spoliasti, quū nec Phœnicibus nec Medis bellum intuleris, vt meus frater Cimone, sed vt vrbem sociam, & necessitudine nobis coniunctam sub imperium redacturus esses. Hæc dicente Elpinice, subridens Pericles ad eam sedato animo illud Archilochi dixisse fertur: Vnguentem, vetula cum sis, desere. *Plut. in Pericle.*

Lamiam meretricem senescentem Demetrius rex amabat, parum sobrie. Quum igitur de ea rex apud aliam, quæ & Demo diceba tur, gloriaretur, & appositis bellarijs diceret: Vides quam multa mihi mittat Lamia? Plura, inquit, tibi mittentur a matre mea, si velis cum ea dormire. Notans solere donare ijs, a quibus subiguntur. *P. M. l. 6. apoph.*

V E T V S T A S.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

VEtustas, Antiquitas cuius magna vis est, *ἀρχαιότης.* Heb. *kedmem*, & *kedmah*, a verbo *kedem*, de quo supra.

P O E T I C A E S E N T E N T I Æ.

Propert. 3. 1.

Omnia post obitum fingit maiora vetustas,
Maius ab exsequijs nomen in ora venit.

Ouid. 3. Pont. 4.

Scripta placent a morte fere: quia lædere viuos
Liuor, & iniusto carpere dente solet.

Idem Metam. lib. 5.

Tempus edax rerum, tuque inuidiosa vetustas,
Omnia destruitis, vitiataque dentibus æui
Paulatim lenta consumitis omnia morte.

Mart. 5.

Esse quid hoc dicam, viuis quod fama negatur,
Et sua quod rarus tempora lector amat
Hi sunt inuidiæ nimirum Regule mores,
Præferat antiquos semper vt illa nouis.

PHI-

PHILOSOPH. DICTA.

Vbi ſunt ſuperbæ Carthaginis alta mœnia? vbi maritima gloria inclyti portus? Vbi cunctis littoribus terribilis claſſis? vbi tot exercitus? vbi tantus equitatus? vbi immenſo Aphricæ ſpacio non contenti ſpiritus? Omnia iſta duobus Scipionibus fortuna partita eſt. *Val. Max. l. 4.*

In minimis rebus omnia antiquæ conſuetudinis momenta ſeruanda ſunt. *Idem, l. 2.*

Quid tu ignoras, arbores magnas diu creſcere, vna hora extirpari? Nihil tam firmum eſt, cui periculum non ſit, & ab inualetudine. *Q. Curt. de geſt. Alex. l. 7.*

Non opera ſolum manufacta, ſed etiam ipſam naturam paulatim exedendo perimit vetuſtas. *Idem.*

Scito ſuper omnib. negotijs melius atq; rectius olim prouiſum, & quæ conuertuntur in deterius mutari. *Tacit. Annal. l. 15.*

Quicquid enim eſt & opere & manu factum, labi, & conſumi vetuſtate capta confirmatur, cuius vt primum ac potentiſſimum extitit, & ita primum ceſſit, vt veluti quodam iure ſuccedentis ætatis debita poſteris traderetur hæreditas, ipſis quoque eandem tradendi formulam ſeruaturis. *Paul. Oroſ. de Ormeſt. l. 2.*

Vetuſtas quæ prodidit, colenda ſunt. *An Simon. de periphal. 2. c. 1.*

ADAGIA.

Biſcis nequam eſt, niſi recens.

Dicitur peculiariter in hoſpitem aut vulgarem amicum, qui primo quidam aduentu non ingratus eſt, ceterum ante triduum exactum putet. Germani dicunt: Dreytaegiger Gaſt iſt ein Laſt. Dreytaegiger fiſch, tauget auff Kein Tiſch. Vvann der Gaſt am liebſten iſt, ſoler vvandern.

Piſcis repoſitus ἀποκείμενος ἰχθύς *Plaut.*

Vtemur aduerſus eos qui nihil ſeruant in poſterum.

Perantiquum diem. Δία παλαιῶν ἡμέρας. *Diog.*

Dicitur de re admodum vetuſta & priſca.

Quantum ex Bacchanalibus. ὅσον ἐκ Διονυσίων.

De rebus dicitur vehementer expectatis. Ductum ex more Atticorum, qui annorum accedentem numerum a Dionyſiis, ut ex Olympiadibus numerabant.

Antiquiora Diphthera loqueris. Ἀρχαιότερα Διφθέρας λαλεῖς.

In eos, qui nugas narrant, aut de rebus garriunt nimium priſcis, & iam pridem obſoletis.

Ab originum ſæculo.

A Nannaco. ἀπὸ Νάννακος.

Quadrabit vtrumque quum ſignificabimus rem ab extrema vſque repetitam antiquitate, vel origine. Poſterius aſcribitur Steph.

Res Cannacæ. Τὰ Καννάκου.

De rebus vetuſtatem admirandis.

Antiquior quam Chaos, & Saturnia tempora. ἄρχει ἀρχαιότερος καὶ κρονικώτερος *Ibycus.*

Dicitur de re admodum priſca, & obſoleta.

Pellenæa tunica. πελληνικὸς χιτών.

De priſco enim, & obſoleto veſtimentorum forma dicitur.

V I A.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Via Græce ὁδός, & ὁδίτης, viator dicitur Hebr. *Derech*, via trita, a verbo *Darach*, calcauit impreſſione pedis, inceſſit: idē quod *Darach*. Hinc τρέχω curro, & Lat. gradior, ingredior, aggredior. 2. *Halichah*, ambulatio, via quam quis ingreditur & perſequitur, a verbo *Halach*, ambulauit, abijt tractum, pretereijt. Hinc ἀλύω fugio. 3. *Orach*. Semita protenſa viatorum, longum iter, a verbo *Arach* iter longum fecit, protenſum iter ingreſſus eſt. Cognatione habet cum verbo *Achar*, tardauit, & *Arach*, prolongatus eſt, tardius venit. Hinc ἔρχομαι, venio. Vide Etymolog. trilingue. *pag. 892. 893.*

Eſt autem via locus, per quem habere iter omnibus licet. Aliquando accipitur pro ipſo itinere, hoc eſt, actu ambulandi. Interdū pro ratione. Virg. *Inuenit germana viam.* Hinc viatores, qui magiſtratibus parebant, hominesque ex agris magiſtratibus frequēter euocabant. *Ioc. Cic. l. de Senectute.*

LOCI BIBLICI.

Via *primo*, pro certo vitæ inſtituto & ratione, *Rom. 11. 33.* *Secundo*, pro vita & moribus. *Matt. 21. 32.* *Tertio*, per antonomaſiam, pro Chriſtianiſmo. *Act. 14. 16. & 19. 9.* *Quarto*, pro doctrina Euangelica, *Act. 9. 2. & 22. 4.* via arcta & ſpacioſa, *Matt. 7. 13. Luc. 13. 24.* Via Chriſtus, *Luc. 24. 6.* via per quā iuſti ambulant, quæ & qualis ſit, *Pſ. 119. 5. Prou. 3. n. 17. & 16. n. 5. 17. Eccl. 5. 12. Eſa. 26. 7. & 30. 25. & 35. 8. & 40. 3. Ier. 31. 21. Oſe. 14. 10. 1. Theſ. 4. 5. Heb. 12, 13.* via gentium, pro prophanis & impijs gentium morib. *Matt. 5.* *Quinto*, pro aperta & ſimplici profeſſione religionis Chriſtianæ, *Act. 24. 14.* via Dei, *18. 26.* id eſt, via ad Deum ducens.

Viam Dei docere, *Matth. 22. 16.* eſt docere, quid fas ſit, aut minus, ex Dei voluntate, ſiue qua via ſit hominib. incedendum, ita vt Deum non offendant. Via impiorum qualis. *Pſal. 119. 3. Prou. 4. 19. 26. & 27. & 12. 15. & 21. 2. & 21. 5. Eſa. 57. 10.* Viæ impiorū exitus & finis. *Io. 6. 58. Prou. 14. 12. & 28. 28. Eccl. 2. 16. & 25. 15. Ier. 2. 36. & 4. 18.* Via iuſtorū a Domino dirigitur. *Tob. 4. 20. Pſal. 37. 5. & 25. 4. & 119. 35. Prou. 4. n. 12. 18. & 13. 6. 16. 9. & 20. 24. Eſa. 48. 17. Ier. 10. 23. Mich. 4. 2.* Via iuſtorum, remunerationem expectat a Deo, *Pſal. 24. 12. Prou. 12. 28. Ier. 6. 16. & 7. 3.* via pacis Hebræorum more, pro ea via, quæ ad veram pacem & felicitatem ducit, *Luc. 1. 79.* pro vita pacifica & innocente, *Rom. 3. 17.*

Viæ, pro rebus geſtis, *Apoc.*

Polyant. Nouiſſ.

SENTENTIAE BIBLICAE.

Via Dei ſuper omnes exaltatur.

Iuſtus es Domine, & omnia iudicia tua iuſta ſunt: & omnes viæ tuæ miſericordia, & veritas & iudicium. *Tob.*

Non cogitationes meæ, cogitationes veſtræ: neque viæ veſtræ, viæ meæ, dicit Dominus. *Eſa. 55.*

Via virtuoſa ad Deum ordinatur.

Noe vir iuſtus atque perfectus fuit in generationibus ſuis. *Gen. 6.*

Ambula coram me, & eſto perfectus. *17.*

Vtinam dirigantur viæ meæ ad cuſtodiendas iuſtificationes tuas. *Pſal. 118.*

In omnib. vijs tuis cogita illum, & ipſe diriget greſſus tuos. *Prou. 3.*

Viæ eius, viæ pulchræ, & omnes ſemitæ eius pacificæ. *ibid.*

Initium viæ bonæ facere iuſtitiam. *16.*

Semita iuſtorum declinat a malo. *ibid.*

Eſto firmus in via Domini. *Eccl. 5.*

Semita iuſti recta, rectus callis iuſti ad ambulandum. *Eſa. 20.*

Erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, & aures tuæ audientes vocem poſt tergum monentis. Hæc eſt via, ambulate in ea: & non declinetis neque ad dexteram neque ad ſiniſtram. *30.*

Erit tibi ſemita, & via ſancta vocabitur: Non tranſibit per eam pollutus: & hæc erit vobis directa via, ita vt ſtulti non errent per eam. *35.*

Parate viam Domini, rectas facite in ſolitudine ſemitas Dei noſtri. *40.*

Statue tibi ſpeluncam, pone tibi amaritudines, erige cor tuum in viam rectam, in qua ambulaſti. *Ier. 31.*

Rectę viæ Domini, & iuſti ambulabunt in eis. Præuaricatores vero corruent in eis. *Oſe. 14.*

Per Deum moderatur.

Omni tempore benedic Deum: & pete ab eo, vt vias tuas dirigat. *Tob. 4.*

Bene ambuletis, & ſit Deus in itinere veſtro, & angelus eius comitetur vobiſcum. *5.*

Angelus Domini ſanctus ſit in itinere veſtro, perducatque vos incolumes. *10.*

Domine deduc me in iuſtitia tua. *Pſal. 5.*

Perfice greſſus meos in ſemitis tuis, vt non moueantur veſtigia mea. *10.*

Vias tuas Domine demonſtra mihi. *22.*

Deduc me in ſemita mandatorum tuorum. *118.*

Viam ſapientiæ monſtraui tibi, & duxi te per ſemitas æquitatis: quas quum ingreſſus fueris, non arctabuntur greſſus tui, & currens non habebis offendiculum. *Prou. 4.*

Iuſtorum autem ſemita quaſi lux ſplendens, procedit, & creſcit vſque ad perfectam. *ibid.*

Iuſtitia cuſtodit innocentis viam. *13.*

Cor hominis diſponit viam ſuam, ſed Domini eſt dirigere greſſus eius. *16.*

A Domino diriguntur greſſus viri, quis autem hominum poteſt intelligere viam ſuam? *20.*

Deprecare Altiſſimum, vt in veritate viam tuam dirigat. *Eccl. 37.*

Ego Dominus Deus tuus, docens te vtilia, gubernans te in via qua ambulas. *Eſa. 48.*

Scio Domine quia non eſt hominis via eius: nec viri eſt, vt ambulet & dirigat greſſus ſuos. *Ierem. 10.*

Venite aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob: Et docebit nos de vijs ſuis, & ibimus in ſemitis eius. *Mich. 4.*

Ab eo remuneratur.

Quis eſt homo qui timet Dominum? Legem ſtatuit ei in via quam elegit. Anima eius in bonis demorabitur. *Pſal. 24.*

Ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus eorum in Sion. *Pſal. 83.*

In ſemita iuſtitiæ via. *Prou. 12.*

State ſuper vias, & videte, interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in ea, & inuenietis refrigerium animabus veſtris. *Ier. 6.*

Bonas facite vias veſtras, & ſtudia veſtra, & habitabo vobiſcum in loco iſto. *9.*

Via vitioſa turpiter deordinata.

Non enim qui operantur iniquitatem, in vijs eius ambulauerunt. *Pſal. 118*

Via impiorum tenebroſa, neſciunt vbi corruunt. *Prou. 4.*

Oculi tui recta videant, & palpebræ tuæ præcedant greſſus tuos. Dirige ſemitas pedibus, & omnes viæ tuæ ſtabilientur, ne

declines ad dexteram neque ad sinistram auerte pedem tuum a malo, *ibid.*

Vias quæ a dextera sunt, nouit Dominus: peruersæ vero sunt, quæ a sinistris sunt. Ipse rectos faciet cursus tuos, itinera autem tua in pace producet. *ibid.*

Via stulti recta in oculis eius. *Prou.* 12.

Omnis via viri recta sibi videtur. 21.

Arma & gladij in via peruersi: custos autem animæ suæ longe recedit ab eis. 22.

In multitudine viæ tuę laborasti, nec dixisti: Quiescam. *Esa.* 57.

Firmiter reprobatur.

Inuolutæ sunt semitæ gressuum eorum, ambulabunt in vacuum, & peribunt. *Iob.* 6.

Iter deuium ducit ad mortem. *Prou.*

Est via quæ videtur homini recta, nouissima autem eius deducunt ad mortem. 14.

Qui peruersis graditur vijs concidet semel. 28.

Væ his qui perdiderunt sustinentiam, & qui dereliquerunt in vias prauas. *Eccl.* 2.

Via peccantium complantata lapidibus & in finem illorũ inferi, & tenebræ, & pœnæ. 21.

Quam vilis facta es nimis iterans vias tuas. *ibid.*

Viæ tuæ & cogitationes tuę fecerunt hæc (scil. mala) tibi. 4.

Poeticæ Sententiae.

Plaut. Persa.

Viam qui nescit, qua deueniat ad mare,
Eum oportet amnem quærere comitem sibi.

Seneca Oedip.

Certissima est regnare cupienti uia,
Laudare modica.

Plaut. Carcul.

Nemo ire quemquam prohibet publica uia.

Sen. Agam.

Capienda rebus in malis præceps uia est.

Philosoph. Sententiæ.

Via nobis innata est, vt a notioribus nobis, & manifestioribus ad manifestiora natura & notiora proficiamus; non enim sunt eadem nota nobis & naturæ. *Arist. phys.* 1. c. 2.

Via est, vt procedamus ex communibus ad singularia. *idem, ib.*

Viam quandam ex Italia in Galliam vsq. Celtiberorum Iberorũque reperiri aiunt, cui Herculea nomen est, in qua tam Grecus, quam incola viator indigenarum beneficio nulla iniuria molestiaq. afficitur: cæterum si quis ex ijs quempiam infestaret pœnam eiusdem generis dare ferunt. *Arist. de admir. aud.* c. 584.

Via, & methodus ad ratiocinandũ in omnibus scientijs, & artibus quæ aliquid ea proprijs ratiocinando demonstrant, eadẽ est. *Alex. Aphrod. in* 1. *prior.* c. 31.

Via ad corruptionem est ipsum præter naturam. *Simpl. in* 2. *de cælo, tex.* 38 *l.* 23.

Via ex qua soluuntur quæstiones alia debet esse a via, ex qua accidunt quæstiones. *Auer. in* 3 *metaph. tex.* 10. c. 2.

Via vna non est, qua consistimus super noto per se, & ignoto per naturam. *idem in prior. sect.* c. 23.

Via ad rem est alia ab ipsa re. *In phys.* 5. *tex.* 4.

Via omnis, quæ non sequitur finem, & terminum, ociosa est. *Alex. de Alex.* 2. *met.*

Via de ratione sui terminatur ad terminum, non ad viam. *idem* 5. *Metaph.*

Via ad inferos non est vna, & simplex, non enim duce dæmone opus haberet, & nec aberraret. *Plut. in Phædr.*

Via cum facilitate perficitur, cum sermonibus alius alium consolatur. *idem in dial. de legib.*

Viarum Dea erat Hecate. *ibid. dial.* 11.

Via longissima est, quæ ad veritatem, & sapientiã nos perducit, gradibus terræ marisque laboribus plenas. *Fic. de studios. sanit. tuen.* l. 1. c. 5.

Viæ duæ potissimum sunt ad bonum, inquisitio disputans, & oratio supplicans, illa ad cognoscendum bonum, hæc ad consequendum ducit. *Fic. in Dionys. Areop. de diuin. nom.*

Via ad inferos, vt ait Bion, facilis est, in ictu enim oculi illuc peruenitur. *Franc. Patris. de regno, l.* 6. c. 6.

VICINITAS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Vicinitas, Græce γειτνίασις, & γειτνιάω vicinus sum. Vicinia, Hebr. *Kerbbah*, a verbo *Karab*, appropinquauit. Hinc χραύω appropinquo. Vicini non tam hi, qui eundem incolunt locum, quam qui prope domum nostram habitant. hinc vicinia deducitur, & conuicinium, vbi plures inter se vicini sunt: & vicinitas, pro propinquitate vicinorum, & quandoq. pro vicinorum multitudine. Dicuntur autem hæc a vico. Est autem vicus proprie pars vrbis: quippe vrbis in vicos quasi in minora membra diuiditur, vt Romæ Suburra, Esquiliæ. Vicus autem a via dicitur, quod vias circum haberent vici.

Poetarum Dicta.

Plaut.

Heu misero mihi;
Hunc ego verum illud verbum esse experior vetus
Aliquid mali esse propter vicinum malum.

Hor. 1. epist. 18.

Ecquid.
Ad te post paulo ventura pericula sentis?
Nam tua res agitur, paries cum proximus ardet:
Et neglecta solent incendia sumere vires.

Ouid. 2. Remed.

Proximus a tectis ignis defenditur ægre.

Iuuen. 2.

Dedit hanc contagio labem,
Et dabit in plures: sicut grex totus in agris
Vnius scabie cadit, & porrigine porci,
Vuaque conspecta liuorem ducit ab vua.

Ter. And.

Quid istuc tam mirum est, de te si exemplum capit?

Iuuen. 151.

Inter finitimos vetus, atque antiqua simultas:
Immortale odium, & nunquam sanabile vulnus.

Emblema.

Aliquid mali propter vicinum malum.

Emblema CLXV. And. Alciat.

Raptabat torrens ollas, quarum vna metallo,
Altera erat figuli terrea facta manu.
Hanc igitur rogat illa, velit sibi proxima ferri,
Iuncta vt præcipites vtraque sistat aquas.
Cui testa, Haud nobis tua sunt commercia curæ,
Ne mihi proximitas hæc mala multa ferat.
Nam seu te nobis seu nos tibi conferat vnda,
Ipsa ego te fragilis sospite sola terar.

Philosoph. Sententia.

Vicinus cauere debet, vt nihil vicino contrarium faciat, ex hoc tum in alijs, tum vniuersa agrorum cultura semper vehemẽter vereatur, & qui terminos agri vicini coluerit, damnum rependat, & pœna illud duplum damni læso rependat: cognitores horum sunt curatores agrorum. *Plat. de leg. dial.*

De vicinis importunis. Dial. XXX.

Francisci Petrarchæ.

D o l.

Vicini importuni sunt mihi. R. Vide ne tu illis importunior. D. Graues vicinos perfero. R. Sumpta multis in rebus valet opinio; leues finge animo, leues erunt. D. Vicinos malos habeo. R. Multi suam culpam proximis imputant. Acutius aliena cernuntur, discutiuntur exactius, seuerius iudicantur, suarum rerũ nemo non & mitis arbiter, & pius est iudex. D. Acres amarosq. patior vicinos. R. Ne forte ipsis in gula sit vitium non in re, fastidiosis etiam dulcia amarescunt. D. Vicinos duros, ac superbos queror. R. Multũ sibi quisq. permittit, nihil alteri, hinc iniudicium terum multiplex obliquitas, & ingens offensionum causæ. Et sæpe vnde culpa est, inde primum oritur querela. Quid nũc scimus, an tu illis, qui tam duri tibi videntur, durus & tetricus, & intractabilis videare? D. Asperos patior vicinos. R. Duplex est remedium: Patientia & fuga. Primũ probo, ferendi artificio omnia mitescit asperitas. D. Vicinos pessimos ferre non valeo. R. Si nec ita proficis quis te tenet? migra illico, non vt procacet, ita & fe quaces erunt, quod ferre non potes, pondus excute, & quẽ pugnando hostem pati nequis, fugiendo euade, quid refert, quo te tramite in tutum eripias? Nullum iter ad tranquillitatem animi difficile iudicandum est, quod si sæpe idem feceris nec profeceris, scito culpam tuam esse, nec minus forsitan alienam. Magna pars litium vulgarium duos fontes, & si forte nocentiorem alterum nullum habet innoxium, quamuis nempe politicum & sociabile animal dicatur homo, si verum, tamen inspicitur, nullũ minus. Verumq. est illud Satyricum. Maiorem esse serpentũ ferarumq. concordiam, quam hominum. Siquidẽ vrsi, apri tigres, leones, deniq. viperæ, aspides, crocodili, & ad summam omne animal, præter hominem vtcumq. in sua specie quiescit interdum, homo autem nunquam. Homo hominem premit semper, atque atterit, perpetuis bellis, ac litibus, inquietam vitam sibi præstat, ac proximo. Sic. n. se res habet, vt vbi maior est locorũ vicinitas, ibi videas maiorem distantiam animorum. Rara sine iurgijs ac rancore vicinia est. Nemo vestrum (ni fallor) Arabũ, aut Indorum regibus inuidet, lippus est liuor, longinqua non aspicit. D. Vicini obsident infesti. R. Si penitus ab hac peste vis absolui, in solitudine te reconde.

Apophthegmata.

Hesiodus. Scite ab eo dictum est, Tantum damni est ex malo vicino.

vicino, quantum ex bono commodi: Et is nactus est præmium quisquis nactus est bonum vicinum *in operib.*

Diogenes Lacone quodam laudante Hesiodi carmen scilicet: Non peribit vtique, si affuerit malus vicinus: Diogenes, excipiēs. Atqui, inquit, & Messenii periere, & eorumdem boues in vicina vobis constitutis. *Laert.*

Themistocles. Cum prædium quondam vendere vellet, hoc quoq; præconem addere iussit, ὅτι καὶ ἀγαθοὺς γείτονας ἔχει, *Quod vicinos etiam haberet bonos*: quasi vicini commendatione futurum esset longe vendibilius. *Huius dictum extat apud Plutarchum, explicaturque copiosius apud P. M. in prouerb. Aliquid mali propter vicinum malum. Vide Plutarchum in apoph. Stob. serm. 35. Ant. in Meliss. par. 2. ser. 83.*

M. Cato admonebat eos qui agros empturi essent, vt ante omnia animaduerterent, ne malum haberent vicinum. *P. M. l. 6. apoph.*

Iulius Drusus. Aedes eius plurib. ex partib. vicinorum prospectui patebant. Hoc incommodum faber se quinque talentis emendare velle promittebat: Tum Drusus: Decem talenta tibi dabo, si domum meam ita pares, vt vndequaque pateat omnium oculis, quo non vicini tantum, sed omnes ciues perspicere possint, quomodo domi meæ viuatur. Sunt qui conquerantur, ædes vicinorum oculis esse expositas. Verum vir bonus nequaquam curat, qui ædes intro spiciant, quandoquidem foris ac domi agit, quæ virum bonum deceat. *P. M. l. 6. apoph. ex Plut.*

SIMILITVDINES.

Plinii Vt in re rustica non satis est, teipsum bonum esse colonum, sed magni refert cuiusmodi habeas & vicinum: Sic in vita non satis est, si teipsum integrum virum præstes, sed refert cum quibus habeas consuetudinem. *l. 18. c. 5.*

Luna præcipue mouet inferiora: non quod efficacior, sed quia propior: Ita multum habet momenti ad res conficiendas vicinitas. *ibid.*

ADAGIA.

Salsuginosa vicinia. Ἁλμυρὸν γειτόνημα.

Dicitur de sterili, atque inhumana vicinia. Translatum ab agris mari finitimis. Aristophanes. Nachbauer vber den zaun, Nachbauer wider herueber.

Aliquid mali propter vicinum malum.

Monet adagium, vt bonorum contubernium & consuetudinem expetamus, improborum autem, quam maxime possumus fugiamus. Ein Nachbauer ist dem andern einen brandtschaeldig.

Si iuxta claudū habites subclaudicare disces. ἂν χωλῷ παροικήσῃς, ὑποσκάζειν μαθήσεις.

Docet prouerbium admodum periculosam esse improborum consuetudinem ac proinde bonis vitādam. Plut. Germani varias habent huius adagii formulas: bey Kaummen lernt man hincken. item, bey volle lernt man sauffen: bey kraemern Kauffen. item, bey schnellen lauffen. Item. Ein schalck macht den andern. Item, ein reudig schaff verderbt die gantze herdte.

VICISSITVDO.

LOCI BIBLICI.

Vicissitudo, 2. *Thess.* 1. *v.* 6. 7. *Iem* 14. Vicissitudinis praxis, *Iud.* 1. *Est.* 9. 1. *Esa.* 14. 2. *&* 33. 1. *&* 34. *v.* 1. *v.* 14. 14. *Thren.* 4. *v.* 57. 8. *Soph.* 1. 14. *Zach.* 8. 13. *Luc.* 10. 15. *&* 12. 1. 16. 25. *Act.* 9. 12. *&* 14. *v.* 18. 19. *Gal.* 1. 23. *Phil.* 3. 7. *Col.* 1. 13. 1. *Pet.* 2. 25.

SENTENTIÆ POETICÆ.

Lucan. ad Pison.

Ipsa vices natura subit, variataque cursu
Ordinat, inuersis & frondibus explicat annum:
Non semper fluidis adopertus nubibus æther
Aurea terrifico obcæcat sidera nimbo:
Cessat hyems, madidos & siccat vere capillos:
Ver fugit æstati: æstatum terga lacessit
Pomifer autumnus, nimbis cessurus & undis.

Horat. Carm. 9.

Non semper imbres nubibus hispidos
Manant in agros, aut Mare Caspium
Vexant inæquales procellæ
Vsque nec Armeniis in oris,
Amice Valgi, stat glacies iners
Menses per omnes aut Aquilonibus
Querceta Gargani laborant,
Et foliis viduantur orni.

Idem 4. Carm. 7.

Diffugere niues: redeunt iam gramina campis,
Arboribusque comæ.
Mutat terra vices: & decrescentia ripas
Flumina prætereunt, &c.
Frigora mitescunt Zephyris: ver proterit æstas
Interitura simul
Pomifer autumnus fruges effuderit: & mox
Bruma recurrit iners.

Ter. Eun. 2. 2.

Omnium rerum vicissitudo est.

Propert. 2. 8.

Omnia vertuntur: certe vertuntur amores.
Vinceris, aut vincis, hæc in amore rota est.
Magni sæpe duces, magni cecidere Tyranni,
Et Thebæ steterunt, altaque Troia fuit.

Plaut. Amphit.

Nam in hominum ætate multa eueniunt huiusmodi.
Capiunt voluptates, mox rursum miserias,
Iræ interueniunt, redeunt rursum in gratiam.
Verum iræ, si quæ forte eueniunt huiusmodi
Inter eos, rursum si reuentum in gratiam est,
Bis tanto amici sunt inter se, quam prius.

SENTENTIAE HISTORICAE.

Si tibi videris esse immortalis (*Crœsi ad Cyrum verba*) & eiusmodi exercitui præesse, nihil opus est vt meā tibi dicam sententiam: sin vero te quoq. agnoscis hoīem esse, & aliis mortalib. præesse, illud in primis discito, humanarum rerum circulum esse, qui rotatus, semper eosdem fortunatos esse non finit. *Herod. lib.* 1.

In diuturno tempore multa videntur quæ nemo videre velit, & tolerantur multa quæ nolit quispiam tolerare. *idem.*

Accidit aliquando, vt casus aliquis conatib. bonorum virorum resistat: nunquam vsu venit, vt iuxta prouerbium, qui bonus est, à meliore suis votis fraudetur: quod Annibali à Scipione superato euenit: Quando vero ea quæ communem consuetudinem & mores quorundam excedunt propter magnitudinem casuū in se periclitantur, commiserationē apud spectatores & auditores merentur, & vnumquemq. nostrum rei nouitas & insolētia commouet. Si vero tale, quod propter impoſturam & hypocrisin accidere videtur non commiserationem, sed iram excitat & odium. *Polyb. hist. lib.* 10.

Est ita comparatum natura, vt rerum humanarum vicissitudo huc illuc omnia transferat. *Pausan lib.* 4.

Si cui varias humanarum rerum vices incertamq. fortunam mente contemplari libuerit, haud sane mediocri, singula queq. inspiciendo, admiratione merito capietur: cum nullum penitus ex his quæ a nobis bona putantur, purum cōprehenderit atq; sine omni prorsus molestia sincerum mortalib. vnquam obtigisse: contraq. nullum vsquam tam extrema conditione malum qui cum non aliqua quocunque modo præsidij ratio comes & voluptatis aduenïat. *Diodor. Sic. Antiq. lib.* 12.

Vtrum vobis videtur (*dictum Æmilij Pauli*) conuenire, vt homo rebus feliciter gestis, gente, vrbe, aut regno subacto, cristas erigat, animumque attollat, an potius fortunę vices secum expendat & quæ communis imbecillitatis exemplum victori proponēs, docet ne quid stabile aut perpetuum putemus. Quod. n. tempus homini est confidendi reb. suis? quando victoria de aliis parta, maxime fortunæ mutationem timere nos cogit, consideratioq. fati modo huc modo illuc decumbenōs etiam gaudentib. summam adfert anxietatem. An vos, cum Alexandri regnum, quod ad summam potentiam peruenerat vnius horæ particula euersum, regesque modo multis equitum peditumque millib. stipatos, nunc de manib. hostium quotidie cibum ac potum sumere videtis, res nostras stabilitate fortunæ in omne tempus firmatas putatis? quin vos, o iuuenes, inanem potius animi elationē, iactantiamq. victoriæ causa natam compescite, vosq. pauidi dimittite, ac futuris semper animum intendite, exspectantes quonam vnicuiq. vestrum incommodo fortuna præsentem felicitatem sit compensatura. *Plut. in Æmil. Paulo.*

Nolite existimare maiores nostros armis remp. ex parua magnam fecisse. Si ita res esset, multo pulcherrimam eā nos haberemus: quippe sociorū atque ciuium, præterea armorum, atq equorū maior nobis copia quā illis est. Sed alia fere quæ illos magnos fecere, quę nobis nulla sunt: domi industria, foris iustū imperiū, animus in consulendo liber, neque libidini obnoxius. Pro his nos habemus luxuriā, atq; auaritiā, publice egestatem, priuatim opulentiam: laudamus diuitias, sequimur inertiam: inter bonos & malos nullum discrimen est: omnia virtutis præmia ambitio possidet. *Sallust. de coniurat. Catil.*

Quæ acciderunt, accidere possunt. *Liu. Decad.* 3. *l.* 8.

Simul parta ac sperata decora vnius horæ fortuna euertere potest. *Liu. Decad.* 3. *l. c.* 10.

Multum animis hominum, & fiduciæ adijcere, & solicitudinis detrahere, potest morum ac fortunæ in claris viris recognita mutatio, siue nostros status, siue proximorum ingenia contemplemur. Nam cum aliorū fortunas spectando ex conditione abiecta atq. contempta emersisse claritatē videamus, quid oberit, quin & ipsi meliora de nobis semper cogitemus? memores stultum esse perpetuæ infelicitatis se prædam dare: spemq. quæ etiā

necessariis foueris: interdum certam in desperationem conuerterer. *Val. Max. l. 6. c. 7.*

Quemadmodum vrbium imperiorumq. ita gentium nunc floret fortuna, nunc senescit, nunc interit. *Vel. Patere. l. 2.*

Cuncta mortalia incerta sunt, quantoque quis plus erit adeptus, tanto se magis in lubrico versari præsumatur. *Tacit. Ann. l. 1.*

Breuibus momentis summa verti possunt. *Idem, l. 5.*

Quæ nunc vetustissima creduntur, noua fuere. *Tacit. Annal. l. 3.*

Nihil tam gratum est fortunæ quam vt ea, quæ suntin publicis actibus euentuum varietate mutentur. *Fl. Vopisc. in Caro.*

Omnium rerum semper quasi naturali lege mutatio est. *Spartian. in Seuero.*

Cuncta in orbis modum vertuntur, nihilque accidit, quod tot sum naturæ vis fert: nequicquam spano. *Aurel. Victor libro de Cæsaribus.*

Humana sæpe contingit a Deo mutari. *Procop. de bel. Vandal. lib. 1.*

Fortunæ commutatio, res etiam destruit bene constitutas. *Idem, eo. lib.*

Non omnia mortalibus ad vota succeduut, sed aliter sæpius eueniunt, ac visum his fuit, a mex insperato nonnunquam & temere fiunt nonnulla. *Idem, de bel. Goth. l. 2.*

Tot mutationes me narrantem cogitatio subit, quonam modo humana hæc & præsentia fortuna ipsa variando ludat, eum haud quaquam eadem se semper mortalibus præbeat, neque æquis hos oculis conspicetur, sed pro tempore simul immutetur & causis hisq. ludificari appareat calamitosorum hominum dignitatem, hanc ipsius commutando. *Idem, de bel. Goth. l. 3.*

Longe falli humana nonnunquam consueuere, quicumque enim mortalis quum sit, & difficulter deinde appareat ad temerarios se habere fortunæ casus, is sane, vt par est, ruditatis & insolentiæ arguatur necesse est, & nihilominus fortunæ vel uolens subire necessitatem. *Idem, eo. l.*

Quæ in hac vita mirabiliter nonnunquam vel insperato contingunt, temporis processu desluere solent, & labi. *Idem, eod. lib.*

Fieri non potest vt res humanæ non plerumq. in contraria aduersaque deuoluantur, vel eodem vt semper statu procedant. *Agath. hist. l. 4.*

Rerum vicissitudo, aliquoties dicto citius ingruit. *Nicet. in Alexio Manuelis F.*

Mutabiles sunt belli vices, tesseræ instar voluuntur res mortalium: nunc his, nunc illis fauet victoria: me Alexandro quidem ferunt omnia successisse ex sententia, nec Cæsaris fortuna caruit offensionibus. *Idem in Bal. Flandr.*

Nihil Deus in vita præsenti fecit stabile & immutabile. Vnde fit, vt omnia terrena mutationibus gaudere ac delectari videamus. *Niceph. Greg. hist. l. 9.*

Vnius anni quatuor sunt tempora, & paulo momento maximæ incidunt rerum mutationes. *Idem hist. l. 10.*

Siquis est, qui ex ingenti gloria per casum aliquem aduersum ad conditionem obscuram ignominiosamque peruenerit, is cum animo suo perpendens, quo pacto rotæ curulis, sursum deorsumq. ferantur, seipsum consoletur. Nam ea volutatio per quam illustri declarat imagine quam instabilis sit humana felicitas. *Mich. Glyc. Annal. pag. 4.*

Sicut per æstatem in iis locis, quæ sunt ad Septentriones, Sol, vbi occidit, minimo post interuallo & spacio temporis oritur, vicissim ac denuo conspicitur, sic enim illa quæ Gallis in Regni Neapolitani acquisitione fortuna fecunda, repente euanuit, & mistem sui memoriam reliquit, magno certe Reipublicæ detrimento. *Ph. Comin. l. 2. de bel. Neapol.*

Res quo sanctiores sunt, eo sæpius sæuiusq. iactantur cæteræ, quod temporibus magis seruiant, tutius agunt. *P. Æmil. l. 8.*

Sunt omnium Rerumpublicarum omnium que regnorum, communes casus. *F. Guic. hist. l. 8.*

Humana conditio sic fert, vt cum fastigium suum longe supergressa videatur, continuo concidat. *Arn. Fer. l. 3.*

Similitudines.

Chrysostomi. Quemadmodum maria licet ad tempus tranquilla sunt, mox tamen orto vento, erumpentib. fluctib. mirum in modum excitantur, & naues submergunt: Sic vita hominum licet ad tempus quieta & tranquilla fit, mox tamen oritur sempestas qua fluctuatur, quotidie pariens naufragia, & mille discrimina rerum. *hom. 6. quum Saturninus & Aurel. acti essent in exilium.*

Quemadmodum fumus ex camino in aerem volans, oculis quidem ad tempus videtur, mox tamen tenues euanescit in auras: Sic verum omnium humanarum conditio est, vt ea quæ iam sunt, mox mutatione a nobis auferantur. *Ibid.*

Quemadmodum stellæ cœli licet perpetuo luceant, recipiunt tamen nonnullam mutationem: Sic terrena omnia, licet in oculis hominum splendeant perpulchre, non tamen sunt stabilia, sed mutationi sunt obnoxia. *Ibid.*

Nazianzen. Deus suo ingenio temporum vices sic moderatur, sic dispensat: vt naturæ conuenienter, aliæ decedant, aliæ accedant proinde ac in choro aliquo inuicem sibi connectantur, & nihilominus inter se certis spacijs distent. *l. 2. de Theologia.*

D. Bernard. Accedit tuer cereus, non parum lumen est, sed lucerna, siquidem ignis ipse propria fomenta consumit, nec nisi ipsa eo sumptione souetur. Porro deficiente materia, etiam ipse deficiet; & vbi videris illam prorsus exustam, hunc quoque nihilominus extinctum esse reperies. Sicut ergo flammæ illius nouissima fumus occupat & caligo: Sic lætitia rei in tristitiam commutatur. *serm. de diuers. 1.*

P. M. Vt in rerum natura, quæ spectatissime florent, celerrime marcescunt, veluti rosæ, lilia, violæ: cum alia durentur ita in hominum vita, quæ florentissima sunt, citissime vertuntur in diuersum. *in fin.*

Vide, Fortuna, Sors.

VICTIMA.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Victima, Græce θυσία, vel ἱερεῖον, Hebr. Zebach, a verbo Zabach, Sacrificauit, iugulauit, mactauit ad sacrificandum, victimam immolauit. Cognationem habet cum Tabach, mactauit pecudes. Et est, quæ Dijs immolatur ob deuictos hostes, quæ ab hostia dicitur, eiusdem enim significationis sunt. Nec placet quod quidam dicunt hostias dici pecudes quæ Dijs immolantur, cum exercitum in hostes ducerent: victimas vero, quæ post victos hostes sacrificantur. Nam falsum esse liquet, Ouid.

Victima quæ dextra cecidit victrice vocatur,
Hostibus a domitis hostia nomen habet.

Loci Biblici.

Victima omnis sale salitur in lege Moysis, *Mar. 9. 49.* victimæ, & victima obstinatis non prosunt, *Iere. 14. 12.* Victimas iustitiæ immolare. *Deut. 33. 19.*

Similitudo.

D. Hieron. Quomodo solebant filii Israel, dum eorum staret religio, & templi cæremoniæ seruarentur, ferre victimas cum Psalmis in domo Domini: Ita vsque hodie in domo D. (quæ est Ecclesia) filii Israel, qui mente conspiciunt Deum, spiritualea offerunt hostias cum fructib. atque virtutibus animæ suæ, in vasis mundis hoc est in sanctis corporibus. *in c. 66. Esa.*

Vide, Sacrificium.

VICTORIA.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Victoria, Græce, νίκη, vel νίκημα, τρόπαιον, & νικητικὰ, victor, & νικάω vinco dicitur. Hebr. Netsach, victoria, a verbo Nitsach, i. Continuauit, iterauit, instituit iugiter, vt sit indesinenter vsq ad finem operis. Perseuerantia enim in bello necessaria est. Venit autem victoria a vincendo, quod est supero, quasi vim facio, vel animi compos fio. Hinc victor, qui voti compos est, & victrix, & victoriosus. Hinc victima, de qua supra.

Sententia Biblica.

Omne quod natum est ex Deo, vincit mundum: & hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra. Quis est autem qui vincit mundum, nisi qui credit, quoniam Iesus est filius Dei, *Ioan. in epist. 1. c. 5.*

Loci Biblici.

Victoria omnis solius Dei est & ab eo solo expectanda, *Gen. 14. & 14. 20. Exod. 14. 14. & 17. 9. & 18. 10. & 23. 27. & 34. 11. Num. 21. 34. Deut. 7. 18. & 20. 4. Io. 6. 2. & 18. 1. & 10. 8. 42. & 11. 6. 8. & 14. 12. & 23. 10. & 24. 8. 11. Iud. 1. 2. 4. & 3. 10. 28. & 4. 14. & 7. 2. 7. 9. & 11. 21. 32. & 15. 12. & 20. 18. 28. 35. 1. Sam. 4. 10. & 7. 14. & 11. 13. & 14. 6. 12. & 17. 45. 46. 47. & 23. 7. & 30. 23. 2. Samuel. 5. 19. 20. 23. 24. & 8. 9. 1. Paral. 14. 8. & 19. 13. & 18. 28. & 2. 1. 2. 3. 30. 35. 48. 49. & 23. 10. 12. 1. Regum. 8. 44. & 20. 13. 2. Reg. 3. 18. & 5. 1. & 19. 34. & 20. 6. 1. Paral. 14. 10. & 18. 6. & 22. 18. 2. Paral. 6. 34. & 13. 16. 14. 11. 13. & 16. 8. & 20. 7. & 24. 24. & 25. 8. & 26. 7. & 28. 5. 9. & 36. 17. Nehem. 9. 24. Psal. 3. 9. & 18. 48. & 44. 3. & 50. 14. & 98. 24. & 108. 14. & 118. 16. & 136. 16. & 44. 2. & 147. 10. Prou. 21. 31. Iud. 9. 15. Esa. 45. 1. Ier. 18. 17. & 21. 7. & 49. 35. 36. Thre. 2. 7. Ezec. 30. 21. Dan. 2. 2. Soph. 3. 15. Zach. 10. 5. Ro. 16. 20 2. Cor. 15. 28.* Victoria promittitur mulieris semini in serpentem, 3. 15. Abra-

3.15. Abrahami posteris in Ecclesiæ hostes, 22.17. Victoria genus præstantissimum, *Rom.* 12.21. Victoriæ fideicia vincēda sunt omnia aduersa 2. *Tit.* 3. v. 10. victoria agni, *Apoc.* 17.14. victoriā consecuti laudant Deum, 14.16. victoria potiuntur pauci contra multos, *Gen.* 14. *Iud.* 7. v. 24. *Ios.* 11. v. 1. 7. 1. *Sam.* 14. v. 6. 14. 2. *Par* 13. 14. & 14. v. 11. 12. & 24. 1. *Mac.* 3. v. 6. 22. Post victoriam partam triumphus constituitur. 13. 13.

DICTA PATRVM.

Non est gloriosa victoria, nisi vbi fuerint laboriosa certamina. *Ambr. de of.*

Vere tua pro Christo, & cum Christo pugna, in qua nec vulneratus, nec prostratus, nec conculcatus fraudaberis a victoria, tantum ne fugias: sola causa qua perdere possis victoriam, fuga est, fugiendo potes illam amittere, moriendo non potes: & beatus si pugnando moriaris, quia mox coronaberis.

In arbitrio Dei non tuo, posita est victoria. Et plerumque improbi & numero, & conspiratione sunt potentiores quam boni, vt ad eos superandos non tam virtus sit, quam felicitas necessaria. *Lactan. Firman.*

SENTENTIÆ POETICÆ.

Ouid. 2. Art.

Cedere pugnando cedendo victor abibis.

Idem 1. Amor. 2

Cedimus? an subitum luctando accendimus ignem?
Cedamus! leue fit quod bene fertur onus.
Vidi ego iactatas mota face crescere flammas,
Et vidi nullo concutiente mori.

Sen. Her. fur. act. 2.

Cum victor arma posuit, & victum decet
Deponere odia.

Sen. Troad. act. 3.

Victor feroces impetus primos habet.

Sen. Troad. act. 2.

Ne[illegible] primum decet.
Quid facere victor debeat, victus pati.

Sen. Troad. act. 2.

Quodcumque libeat facere victori, licet.

Stat. 8. Theb.

Si decidis hostis
Ire super satis est, vitamque relinquere victo.

Virg. 2. Aen.

Vna salus victis, nullam sperare salutem.

PHILOSOPHORVM SENTENTIAE.

Quoniam libera est anima & domina passionum, vincere autem seipsum omnium victoriarum prima & optima: vinci autem a seipso, & turpissimum est & pessimum. *Plat. de leg.*

Ea demum victoria & apud Deum. & apud homines minimum inuidiæ habitura est, quæ plurimum humanitatis haberet. *Valer. Max.*

Victoria est semper insolens. *Cic. Seru. Sulp. Fam. lib. 4.*

Victoria natura & insolens & superba est. *Pro Marcell.*

Facile est vincere non repugnantem. 2. *Tusc.*

Nulla est laus ibi esse integrum, vbi nemo est. qui aut possit, aut conetur corrumpere. *Act. in Verr.*

Victis solet esse solatio, virtute præstantis viri dextra cadere.

Victoria magno empta, non est victoria, sed calamitas: interdum enim felicius est non assequi, quam nimio mercari quod ambis.

Vnius ducis ingenio victoriam acceptam ferri oportet, non virtuti militum.

Moderanda est victoria, nec sæuiendum in eos, qui contra ferre arma desistunt.

Victoriæ spes extenuat omnia quæ solent a bello deterrere.

In bello prima ducum debet esse cura, vt quam minima ciuium iactura pareretur victoria.

Is longe inferior est, qui honesto vincitur.

Nulla speciosior est victoria, quam virtute vincere.

Victoria sine aduersario breuis est laus. Bis vincit, qui se vincit in victoria: bis interimitur, qui suis armis perit. *Sen. in Prou.*

De victoria. DIAL. 22.

GAVD.

At vici. R. Caue ne te vincat Ira, Superbia, Crudelitas, Furor, Rabies. Hi sunt.n. victoriæ comites, & victurum hostes inuisibiles & horrendi, a quibus sæpe clarissimi victores turpissime victi sunt. Nondum te vocat ad calculum fortuna, longa & perplexa rationum series: creditrix violentiæ & pertinax, cum qua tibi nunc quoq. negotij multum restat, mutuum reposcere solita est magno cum fœnore. G. Magno prælio vici. R. Victor prœlio sæpe victus est bello. G. Vici aūt. R. Quoties vicere Carthaginēses? Quoties Galli? Gentesq. aliæ quoties aūt victi sunt Romani? sed spectandus est rerum finis. earum maxime quæ voluuntur & stare nesciunt. G. Vici certe. R. Etsi certus belli exitus, adhuc euentus est dubius, & de lætis tristia, læta de tristib. erumpunt. G. Magnam victoriam quæsiui. R. Nil tam magnum, vt nō nimio quæri possit. Est vbi plus vulnerum ac funerum victoriosa pars computat, si non credis, Xerxem atq; Thermopylas, interroga. G. Magnæ victoriæ sors fuit. R. Via pōt magna victoria paruo pretio constare. De bello omnium maximo, omnium maximus Historicus cum ageret, Adeo, inquit, varia fortuna ancepsque Mars fuit, vt propius periculo fuerint, qui vicerunt. G. Plene vici. R. Non est plena victoria armatus hostis superest; quamquam & si hunc oppresseris alij renascerentur, quasdam nempe victorias ceu sementē dicas esse bellorum. Sic odia ferro trunca repullulant densanturq. & rediuiui in aciem redeunt bellatores, non vt fortassis imaginario vehemens olim Cassio a se se cæsi hostis imaginē supremo illo sui die obuiam dedit, tam tremendo aspectu vt audacissimum virum qui viuentem illum non timuerat, defuncti species in fugam verteret, sed ita vt pro vno multi redditi veris manib. verum ferrum moueant in illos qui vicisse videbantur. G. Vici. Iam secura sine hoste sum. R. Stulte: Dum erunt homines non deerunt hostes. Tu Romanæ vrbi post innumeros triumphos edomatumque orbem, non defuisse hostem legis: & tibi defuturum speras, quiescenti forsan hostis deerit, at pugnanti nunquam. G. Victor sum. R. Caue ne sis frustra, vti scientib. victoria fructuosa est, vti aūt dico nō eo modo quo Maharbal Annibali, sed quo Hanno vir melior suæ Rep. consuluerat. Nam profecto vsus fructusq. victoriæ optimus pax est, neque ad alium quam ad pacis finem iusta bella suscipiuntur. G. Victoria mecum est. R. Vide ne euolet: alata est.

APOPHTHEGMATA.

Diogenes. in Olympijs præconem ita pronunciantem, Dorippus viros vicit: correxit Diogenes. Hic, inquiens, mancipia, sed ego viros. Significans, eos qui certarent Olympia, non esse viros, sed gloriæ mancipia. Philosophus vincit viros. *Laert. l. 6.*

Alphonsus, non tam quod hostes vincere & sciret & posset, gloriabatur, quam quod victis consulere didicisset. Illud quidem fortunæ interdum munus esse, hoc autem semper suum. Refocillare.n. victos, vere regium est: debellare autem hostes, fortunæ est. *Pan. l. 1. de reb. gest. Alphons.*

Idem. Cum in obsidione Stephani, centuriones ac milites, qui male dixerant regi, post captam vrbem clementer tractasset, castigatus a suis, qui omnes morte damnandos iudicarent: respōdit, Se malle ex clemētia & humanitate erga hostes, quam ex victoria laudem adipisci. *Pan l. 3. de reb. gest. Alph.*

Brennus, capta vrbe a Gallis Senonib. diuq. obsidione oppresso Capitolio. pactum est inter Romanos. Brennumq. Gallorum regem, vt obsidio ea lege solueretur vt Romani mille pondo auri penderent. In illa forte auri pensitatione Brennus de altera lance gladium cingulumque ferreum apposuit. Interrogāte autem Sulpitio, Quid hoc esset? Quid aliud, inquit, nisi opprobriū victis? *Plut. in Camil.*

Sylla. Quum Mithridates Syllæ processisset obuiam: dextramque porrexisset: Sylla non resalutauit, sed percontatus est, nū a bello desisteret his conditionib. quas cum Archelao pactus esset? Obticēte Mithridate: Quib. pace opus est, inquit Sylla, eos priores loqui conuenit, victori silere satis est. Rursus quum Mithridates variis colorib. excusaret quæ gesta fuerant: Olim, inquit, audiui, nunc experior, te singulari eloquentia prædituū, qui tam nefariis factis colorem inuenire potueris. *Plut. in Sylla.*

Quintius Philippo victo, in Isthmiis præconio iussit euulgari, se Græcos suæ libertati. suoq. iuri permittere. Quotquot autē Romani temporib. Annibalis capti seruiebant apud Græcos, quum horum singulos Græci quingenos drachmis emissent, gratis Quintio donarunt: qui & ipsi Romæ triumphantem Quintium sequuti sunt pileati, quod facere solent e seruitute manumissi. *Plut. in Rom. apoph.*

Iulius Cæs. Pompeium æqualem ferre nolens: armis rem expediunt ambo. Verum cum commissa pugna Pompeius vicisset, & victoriam non persequeretur, sed se potius reciperet ad exercitum, tum Cæsar: Hodie quidem, inquit, penes hostes erat victoria, at non habentes ducem, qui victoria sciat vti. *Plutar. in Rom. apoph.*

August. Cæs. Quum Alexandrini post vrbem vi captam, extrema se passuros existimarent: Augustus suggestum conscendit, adiuncto sibi Ario Alexandrino, dixitque se ciuitati parcere, primum propter ipsius magnitudinem ac pulchritudinē, deinde propter Alexandrum Magnum eius vrbis conditorem, postremo in gratiam Arii amici. Raræ cuiusdam clementiæ fuit, non di-

ripere ciuitatem, quæ pertinacissime rebellarat, sed non minus laudis merebatur illa ciuitas, quod hanc beneficij gratiam non sibi vindicauit, sed vnam præcipuamque partem ipsi concessit vrbi: alteram tribuit Alexandro, cuius memoriam iactabat apud Alexandrinos esse gratiosissimam; settiam transtulit in Arium eius ciuitatis ciuem, amicum tanto titulo suis commendans Plut. in apoph.

Aurelianus Imper. Quum Tyanam venisset, eamque occlusam reperisset, iratus dixit, Canem in hoc oppido nō relinquam. Hac voce milites erecti fuerunt in spem prædæ & Heradamon Tyanensis, metu ne cum cæteris occideretur, prodidit ciuitatem. Qua capta Aurelius Heradamonem patriæ proditorem occidit, Militibus ex Cæsaris promisso direptionem oppidi flagitantibus, respondit: Agite, canem negaui relicturum, canes omnes occidite. Hoc pacto & proditori mercedem rependit & militum auaritiam elusit. Videtur autem hic sermonis color sumptus ab Hebræis, in quorum literis reges qui minantur internecio eo, negant se quemquam relicturos, vsque ad mingentem ad parietem, canem hac periphrasi significantes. P. M. *Vopisco.*

Fridericus Imper. Victus in Hungaria Gunzensibus: Magnum, inquit, actum est opus. Nunc autem vnus restat, vt scilicet vincamus nosmetipsos, atque auaritiæ & vlciscendi cupiditati frenos imponamus. Discant nostri principes victores exēplo Friderici imperare animi affectibus, neque insolescere ob res ad nutum voluntatemque cedentes, parcereque victis. *Æneas Siluius l. 2. comment. de reb. gest. Alphonsi.*

Sigismundus Imper. Obiurgatus, cur fugatos hostes non insequeretū, & competenculos occideret: Satis inquit, vici, qui hostes fugaui. Vtinam & huius exemplo monarchis nostræ ætatis persuaderi possit, magno cruore partam victoriam non existimari victoriam. *Æneas Siluius l. 4. de reb. gest. Alphonsi.*

Themistocles. Quum aduersus barbaros defensurus Athenis exerciū, & in theatro ex illius genus more producti essent galli gallinacei, atque inter sese commissi, mira pertinacia inter se depugnarent ad necem vsque, tein iudicium verteri in seriam cohortationem, Sic, n. ciues suos affatus est: At isti inquit, neque pro aris ac focis, neque pro libertis depugnant, sed tātum, quod vinci turpe sit: Quo igitur animo vos esse par est, quib. pro salute patriæ, pro chariſſimorum incolumitate, pro libertate certamen est? P. M. *l. 8. apoph. ex Plut.*

Mithridates victus a Cn. Pomp. non tantum se ipsum & filios, sed totum etiam regnum victori sua sponte obtulit, præfatus, neminem alium neque Romanum neque vllius gentis virum futurum fuisse, cuius se societati commissurus foret, quam Cn. Pompeium, Proinde omnem sibi aduersam, vel secundam, cuius author ille esset, fortunam tolerabilem futuram. Nolo, esse turpe ab eo vinci, quem vincere esset nefas, neque ei inhonestē aliquem submitti, quem fortuna super omnes extulisset. *Velleius Paterculus & Cuspinia in Consulib.*

Annonius a Minutio, quem insidijs obsederat, per Fabij copias depulsus, vbi rediisset in castra, dixisse fertur. Eo prælio a se victū Minutium, se autem a Fabio fuisse superatum: videlicet ex eadem pugna victus & victor redditus. Perierat. n. Minutius, ni Fabius succurrisset. *Plut. in Fabio.*

Traianus Valentis impijssimi Romanorū Imperatoris contra Gothos, dux, dum primum quidem congressu illorum sustinens, victus rediisset, ignauiam et timiditatem in conuitio Imperator obiecit, ille autem ea dicendi libertate, quæ virū fortem & strenuum decet: Nō ego, inquit, o Imperator victus sum, sed tu ipse sponte sua victoriam a te ipso reijcis, qui ita cum Deo belligeratis, momentumq. quo I ab eo prouenit sepellis ad hostea potius transmittis. Deus. n. semper vincit & victoria illis fauere solet, qui auspicium ductumque eius sequuntur. Is nunc ab aduersariorum partib. stat, quod eum tu bello (infestabatus enim eos, qui iam Christianam religionem receperant) persequeris. *Niceph. Callist. l. 1 c. 40. Eccl. hist.*

Demetrius Dicere solebat, vitilem non æstimare eum solum, qui armis cæteros præcelleret: sed & qui cum voluptatib. pugnam capessans, speciosam reportasset victoriam. *Stob.*

Lysander. Lacedæmonij non præficiebant pædotribas, qui pueros ad luctam exercerent: vt virtutis esset certamen, non artis. Vnde & Lysander interrogatus, quo pacto a Charonte victus esset? Respondit, Vafro artificio. Non existimabas ea genos io quauis re speciosam esse victoriam, quæ callidis consilijs contigisset, potius quam animi corporisque robore, Ars autem omnis vt a naturali simpliciter recedit, ita dolo affinis est, *Plutar. b. s.*

Alcibiades etiamnum puer, cum in palæstra nexu quodam constrictus esset, vnde se non posset explicare manum collucta toris mordicus arripuit. Illo dicente: mordes Alcibiades, vt fœminæ solent: Imo, inquit, vt leones. Iam tum agnoscere erat animum cedere nescium. *Plut. in Græc. apoph.*

Alexander, Parmenioni & alijs suadentibus vt noctu & ex insidijs Datium ad Arbellas aggrederetur, respondit, Latrunculorum & furum ista esse sollertia, quam mihi præcipitis: quippe illorum votum vnicum est fallere. Meæ vero gloriæ semper aut absentiam Darij aut angustias locorum, aut furtum noctis obstare non patiar: palam luce aggredi certum est. Malo me fortunæ pœniteat quam victoriæ pudeat. *Quint. Curt. l. 4.*

Alphonsus, cum Caietam vrbem pertinaciter obsideret, & eos foras quos oppidani tanquam bello inutiles expulissent, vt commeatum diutius in vrbe haberent (erant autem senes decrepiti, mulieres, puellæ, infantes) ab his abstinere suos milites iussit. Verum milites cum ægre hoc tulissent: malo, inquit rex, Caietā & Caietanis nonquam potiri, quam homines imbelles & innocentem iuuentutem tam fœde, tamque crudeliter trucidando vincere. Cum viris. n. nō cum mulieribus mihi dimicatio est: O segem immortalitate dignissimum: quique voluerit eum genus humanum gubernet & regat. Victoriam, quam luctuosam ac impiam existimaret, nullam iudicauit. Igitur omnem sexum atque ætatem imbellem excipi iussit, sed exceptos omnes abunde refici atque refocillari voluit. *Ant. Pan. de reb. gest. Alphonsi, & Æneas Silu. de eius dictis.*

Idem, Cum renunciatum esset a Ludouico Podio, quendam in Venetorum naualib. esse, qui illa vna cum armamentario quod in his erat exurere pollicitaretur, si sibi duo millia aureorum a Rege promitterentur, conatusq. illius facile cessurus existimanti respondit: Nequaquam insidijs, sed aut virtute vincendum esse, aut nunquam. Ea hac. n. re non aliam sibi laudem sperandam esse, quam cius qui Diana Ephesiæ templum incendisset: cuius nomen totius Asiæ decreto e memoria hominum obliteratum traditur. *Pan. l. 3. de reb. gest. Alph.*

Idem. Carolus Francorum rex in bello Britannico superatus, a militib. & pecunia iam exhaustus, cum per legatos peteret ab Alphōso Aragonum rege (cuius prouincias ab antecessoribus quidem acceperat, sed non saluo iure) ne contra se bello iam proritum suscitaret aliquod bellum, infortunio occasionem dantis, respondit Alphonsus, non est quod sibi hoc tempore timeat Carolus, ego. n. quod maiores mei in Caroli summa felicitate non penetrare, in eius calamitate petere nolo. Potuisset autem Alphonsus potentissimus, Carolum toto cauere regno, paucis admodum militib. si astu & insidijs, non aperta virtute victoria bonis viris partam iam esse iudicasset, *Ant. Pan. de reb. gest. Alph. Æneas Sil. de eius dictis.*

Idem Quum quidam se offerrent, qui Renati, Andegauensium ducis, & hostis sui atrocissimi, mortem promitterent, iussitus parandam: non tantum hoc fieri noluit, sed vix parricidas se in eosdem animaduersurum dixit. si hoc se otarent dicens, nequaquam insidijs cum hoste de regno, sed manu tantum & virtute dimicandum. *ibid.*

Idem Alphonsus, his qui se in mortem Francisci Sforziæ paratos esse significasset, respondit. Nunquam sibi victoriam placuisse, cuius postea pigendum pudendumve esset. Igitur ei ab huiusmodi consilijs abstinerent, talia se exempla in illos editurum, vt eiusmodi consilia sibi admodum molesta esse omnes intelligāt. *Pan. & Silu. supra.*

Idem Rogerius Pallantiæ comes, amplissimo atque ornatissimo genere natus impiger vir, & manu promptus, cum Alphonsum a dicens diceret in animo sibi esse Ioannem Castellæ regem, ipsius hostem, contempto omni periculo confodere, fore eq. id sibi (si modo annuat) factu perfacile. Non per scelus, sed virtute gloriam quærendam esse, respondit Alphonsus. Se. n. non solū pro Castellæ atque Hispaniæ dominatu, sed ne pro totius quidem orbis imperio adipiscendo tam crudele atque detestabile facinus permissurum. *Pan. l. 2. de reb. gest. Alphonsi.*

Idem. Simili quodam modo respondisse dicitur exuli Florentino, Cosmam Medicen occisurum pollicenti, si a X X. non amplius manu militum a rege iuuaretur: longe quidem acriores atque ampliores hostes esse, & habuisse & habere, quam Cosmas esset, quorum morte vel regna consequi se quidem potuisse, sed abstinuisse a scelere. *Idem Pan.*

Pittacus probabat victorias citra sanguinem partas: nam magno ciuium cruore emptas, hoc est, Cadmeas, vt vocant, non existimabat esse victorias. *Laert. l. 1. c. 5.*

Pyrrhus bis commisso cum Romanis prælio viceras, sed desiderata complurib. amicis & ducib. his Pyrrhus: Si vno, inquit, adhuc prælio Romanos vicerimus, actum est de nobis. Quod victis solens dicere, hoc dicebat victor declarans, victoriam magno emptam non esse victoriam, sed calamitatem. *Plut.*

Alphonsus. Cum graui atque diuturno bello confecto iam triumpharet, victos tamen & captos hostes triumphantium more curru præire non pasus est: Ob hostes seruatos rectius quam cæsos, triumphandum esse dicens. Vnde apparet, quanti rex clementissimus victorias nullo sanguine partas faceret, *Pan. l. 2. de reb. gest. Alphonsi.*

Idem, quum Florentinis ac Venetis petentib. pacem dedisset, & regiorum plerique gloriæ studio flagrantes permoleste hoc tulissent,

lisseos, eo quod in eo bello magnificũ ac gloriosum aliquod facinus edere potuissent, a quo iam pace cõparata se frustratos plane agnoscerent: Rex id quod erat suspicatus aliquando occasionem iam nactus, dixisse fertur: Bono animo estote commilitones: nam & virtuti vestræ, & mihi credite. Neque locus.n. neque honos deerit & mihi perquam speciosum fuit, petentibus pacem dare. Ita.n. arma capere consueuimus, vt sine cruore, si id modo fieri potest, victoriam adipiscimur. Et quid aliud pacem tam submisse petentes confitentur, quam se victos, non autem victores esse? *Pan.l.1.de reb.gest. Alph.Regis.*

Æneas Siluius dicere solebat, longe maiorem seruati quam cæsi hostis gloriam esse: innuit autem, eam demum victoriam reuera claram esse, quæ aut paucorum, aut omnino nullorum sanguine parta esset. *Sil.l.1.comment.de reb.gest.*

Alphonsus frequenter in ore habuisse fertur, earum triumphum victoris illustriorem esse, quanto plures relicti sunt, de quibus triumphetur. *ibid.*

Antisthenes melius esse dicebat pugnare cum bonis paucis aduersus multos malos: quam cum multis malis aduersus paucos bonos. In bello.n. non tam multitudo militum, quam pugnantium virtus parit victoriam. *Laert.6.c.1.*

Agesilaus audierat, socios moleste ferre tam crebras expeditiones, præsertim quum ipsi permulti, Lacedæmonios numero paucos sequerẽtur. Itaque volens ostendere, quanta esset Lacedæmoniorum multitudo, iussit vniuersos socios simul considere, permixtos in acem: Lacedæmonios item separatim solos. Mox per præconem edixit, vt primi omnium surgerent figuli. Hi quum surrexissent, secundo loco per præconem iussit surgere fabros ærarios, deinceps architectos ad domorum opifices, similiter & aliarum artium singulos. Ita factum est vt propemodum socii surgerent omnes. Lacedæmoniorum vero nullus: eo quod Lacedæmoniis, qui militiæ parantur, interdictũ sit, opificium, aut artem sedentariam vel exercere, vel discere. Hoc facto, risit Agesilaus. Videtis, inquit, o viri, quanto plures nos educimus, quã vos? Hoc stratagemate dux inclytus demonstrauit, non perinde referre quam numerosum militem ducas in prælium, quam fortem & exercitatum. *Plut.in Lacon.apoph.*

Alexander, audito Darium triginta myriades in aciem producere, dixit, vnus coquus non metuit multas oues. *Ant.in Meliss. par.1. serm.71.*

Tigranes, contra Romanos magna militum copia pugnaturus, cũ Luculli exercitum vidisset, paucorum exercitum irridens dixisse fertur: Si vt milites aduenissent perpaucos quidem esse: Si vero vt legati, permultos. Verum mox ipso facto intellexit, victoriam non in multitudine pugnantium, sed militum robore atque virtute consistere: a Lucullo enim adeo victus est, vt tiaram vittasque lacerans atque abiiciens aufugerit: ne iis ornamentis in turpi fuga agnitus, ad Romanos captiuus abduceretur. *Plut.in Lucull.*

Annibal, Giscone nunciante, sibi admirabilem videri Romanorũ instructorum ad pugnam numerum. Imo aliud, inquit, mirabilius te fugit. Quid autem hoc esset interroganti? Quod ex tam numerosa, inquit, hominum multitudine nullus appellatur Gisco. Timebat miles tantum militum Romanorum numerũ. Verum Annibal, qui toties Romanorum vires pugnando fregerat satis sciebat, non in numero, sed fortitudine militum consistere victoriam. *Plut.*

Alphonsus Rex Aragonum, cum agrum Surrentinum populari iure bellico cogeretur, sæpenumero ingemuisse fertur. Verum cum oppidanos pertinaciores quam illis conueniret, animaduerteret: Videte, inquit, qui vrbem inhabitatis iniuriam mihi ne vestra pertinacia id efficiat, quod postea in ea lenitate, & clementia corrigi non possit. Subindicans, non semper esse situm in ducis potestate, parta victoria militum prohibere rapacitatem. *Pan.l.1.de reb.gest. Alphonsi.*

Hermocrates ad Syracusanos dicere solebat: Non minoris virtutis esse parta victoria bene vti, quam vincere. *Brus.l.8.c.8.*

Agesilaus cum post felicem apud Corinthum victoriam ingentem numerum Corinthiorum & Atheniensium a suis trucidatorum cerneret, adeo non gauisus est, nec elatus ea victoria, vt grauiter Græciæ etiam vices deploraret, Heu, inquiẽs, Græciam, quæ tot viros intestino bello perdidit, quot vniuersis barbaris debellandis satis esse poterant. Viro magnanimo optabilis quidẽ erat victoria, sed multo gratior si paucorum sanguine parta fuisset. *Plut.in Lacon.apoph.*

Lycurgus præcipere solebat, vt postquam in bello hostem vertissent in fugam, ac superassent, tam diu fugientes insequerẽtur, donec certa esset victoria, moxq. retrocederent. Neque.n. Græcorum conuenire morib. eos trucidare qui cessissent: idque nõ solum honestius, verum etiam vtilius esse dicebat. Siquidẽ hostes quibuscum res est, vbi cognorint Lacedæmonios parcere cedentib. occidere vero qui loco non cedunt, sibi cõducibilius æstimabunt fugere quam persistere. Frequenter.n. desperatio magnum robur addit animo non minus quã spes victoriæ. Decet autem Græcos legib. ac disciplinis imbutos, etiam in bellis meminisse clementiæ. Barbaricæ feritatis est, sæuire in prostratos. Sed rursus ita temperãda est clementia, ne nobis sit exitio. Fit.n. non raro, vt hostis fugam simulet, vt redintegratis virib. acrior insurgat in victorem. *P.M. ex Plut.in Lacon.*

Epaminondas, quum alias solitus esset vncto corpore hilariq. vultu prodire in publicum, postridie eius diei, quo feliciter pugnatum est in Leuctris, processit squalidus ac summissus. Amicis autem sciscitantib. ecquid illi molesti accidisset? nihil inquit, sed heri sensi me plus æquo mihi placuisse, eius gaudij intemperãtiam hodie castigo. Adeo metuit arrogantiam vir Bœotus ac militaris, & nos non idem facimus, quoties secunda fortunæ aura res nobis succedunt? *Plut.in apoph.*

Demetrius, cum cepisset Atheniensium qui defecerant vrbem, eaque grauiter rei frumentariæ penuria laboraret, protinus conuocata concione, dilargitus est illis frumentum gratis. *Plut.in uita apoph.Demetry.*

Barcha. Quum Annibal apud Cannas felicissime pugnasset, amicis suadentib. vt fugientem hostem insequens in vrbem irrumperet, non obtemperauit. Quam rem Barcha Carthaginensis adeo indigne tulit, vt exclamarit: Vincere scis Annibal: Victoria vti nescis. *Hoc dictum T.Liuius tribuit Maharb.* *Plut.*

Scipio dicere solebat, hosti non solum esse dandam viam fugiendi, verum etiam muniendam, docens, moderandam esse victoriam, nec sæuiendum in eos, qui contra ferre arma destitissent. *Plutarchus.*

Fabius quum à Romanis missus esset legatus ad Carthaginenses, vt exploraret cur Saguntes contra fœdus a pœnis oppugnata esset, sinu ex toga facto. En (inquit) vobis bellum & pacem apportamus: vtrum igitur placet sumite. Cum pœni ferocius clamarent, daret vtrum vellet: Fabius effuso sinu, Bellum (inquit) damus. *P.M.l.6.apoph.*

Anonymus. Quum nauis, qua Granius prætorius quæstor vehebatur, in Scipionis Metelli potestatem venisset: Scipioque cæteris direptis, quæstori salutem polliceretur, quæstor respondit: Cæsaris milites salutem dare, non accipere solent. *P.M. lib. 9. apoph.*

Cato. Rebus deploratis cum amici hortarentur Catonem, vt ad Cæsaris clementiam confugeret, respondit: Victorum esse, & eorum qui deliquissent supplicare: Catonem nec victum nec captum esset, qui se per omnem vitam inuictum præstitisset. *Plut. in uita Caton.*

Pompeius audiens quosdam esse, qui inuiderent concessum sibi triumphum. Se citius omissurum triumphum, ait, quam militibus blanditurum, simulque laureatos fasces abiecit, vt illinc inciperent direptionem. *Plut.in apoph.*

Iulius Cæsar post attritos Tigurinos, ad vrbem quandam Sociorũ proficiscens, quum audiuisset Heluetios in itinere occurrere, in locum quendam munitum se recepit: ibique copiis congressus, & equo, cui insidere solebat, adducto: Hoc, inquit, post victoriam vtar in persequendis hostibus & pedes aggressus est Heluetios. *P.M.l.4.apoph.*

SENTENTIAE HISTORICAE.

Victoria præclaras res omnes atque optimas adipiscitur & tuetur. *Xenoph.de inst.Cyri,l.2.*

Illud sciamus oportet victoria nihil esse fructuosius. Qui.n. vincit, is omnia secum abripit, viros, mulieres, opes regionem vniuersam. Præter hæc videndum in primis, vt victoria etiam conseruetur, quippe qua etiam raptor ipse continetur. *idem, de Institut. Cyri, lib.4.*

De hominib. ita naturæ necessitate cõparatum est, vt haud dubie quisq. semper ei dominetur quem superauerit. *Thucyd l.5.*

Plerumq. fit, vt maior pars meliorem vincat. *Liuius Decad.3.l.1.*

Ambitione imperatorum clades acceptæ sunt, seueritate imperij victoriæ partæ: *idem, Decad.5.l.5.*

Res humanæ ita sese habent: in victoria vel ignauis gloriari licet: aduersæ res etiam bonos detrectant. *Sallust.de bel.Iugurth.*

Ita fert natura vt omnis victor inexorabili rerum secundarum desiderio efferatur, neque finem vllum cupiditati statuat. *Dion. lib.35.*

Victoria non numero hominum, sed diuino beneficio conceditur. *Appian.l.de bell. Hisp.*

Spernenda est acies auro & argento fulgens, in qua plus prædæ quam periculi est: cum victoria non armorum decore, sed ferri virtute quæratur. *Iustin.hist.11.*

Insperata interdum, sperata victoria certior est. *idem l.20.*

Modica, sed crebra damna, famam victoriæ nuper partæ lacerant. *Tacit.hist.l.4.*

Vera hæc est victoria, quæ salua fide & integra dignitate paratur *L.Flor.l.1.c.12.*

Si vis vincere, clementer te age & de ciuium nece nec cogita. *Fl. Vopisc.in Aureliano.*

Difficile vincitur, qui vere potest de suis & de aduersarii copiis iudicare. *Veges.l.3.c.26.*

Amplius

Amplius iuuat virtus quam multitudo. Amplius prodest locus sæpe, quam virtus. *ibid.*

Nunquam ad certamen publicum produxeris militem, nisi cum eum videris sperare victoriam. *ibid.*

Qui dispersis suis inconsulte sequitur, quam ipse acceperat aduersario vult dare victoriam. *ibid.*

Magna dispositio est hostem fame magis vrgere, quam ferro. *ibid.*

Non ille hostis vincitur solus qui cadit in acie, pondere armorum oppressus & virium: sed multo tutius, etiam turba iacente sub iugo mittitur voluntarius, qui sentit expertus, nec fortitudinē in rebelles, nec lenitatē in supplices animos deesse. *Amm. Marcel. hist. l.* 14

Scriptorum veterum mos est, ea ex parte quæ vicerit, occisorum non commemorare numerum, ne victoriæ gloriam maculent damna victoris: nisi forte eum adeo pauci caduni, vt admirationem terroremque virtutis augeat paucitas perditorum. *P. Orosius, hist. l.* 4. *c.* 1.

Anxietas semper solet iungi victoriæ. *Am. Marcel. l.* 23.

Longam hic opus esse orationem (*dictum Belisarij ad milites*) ad enarrandum quantam vim habeat ad victoriam iustitiæ obseruatio. Homines disciplinæ summam tum pugnæ finem atq; fortunam imperii tantum in dextris consistere existimant. Vos autem qui sæpe inimicos vicistis neque corporibus neque viribus vobis superiores, sæpe etiam victi fuistis, non ignorare puto quod homines quidem vtrinq; ea acie inter se dimicant, finem vero tantum quem Deus voluerit consequuntur. *Procop. de bel. Vand. l.* 1.

Victoria omnes opes in eam partem in quam inclinauerit, deferre est apta. *Idem eod.*

Magnam vim habet ad victoriam obseruatio iustitiæ. *Idem, ibid.*

Victoria omnia domina regit præteritorumq; oblita malorū sempiterna meditatur. *eod. l.*

Non in numero aut multitudine bellatorum, sed in ordine atque fortitudine belli casus ac robur consistit. *Idem, l.* 2.

Multa victoriam fortibus viris pollicentur: iustitia in primis (*inquit Belisarius*) pro qua cōtra iniustos & iniquos venimus, nostra quoque recuperaturi: præterea Vandalorum contra suum tyrannum odium atque maleuolentia. Deus namq; auxiliū iusta petentibus semper adesse solet. Miles quoque imperanti minime beneuolus agere fortiter ignorat. Præter hoc nos cum Scythis & Persis omne æuum res gessimus. Vandali autem ex quo Africam sunt adepti, neminem inimicum præter nudos Numidas habuerunt. Quis autem ignoret, quod omnis disciplinæ ratio exercitatione augetur, otio vero debilitatur? Nam vallum videtis nobis esse, vnde aciem progredi oportet, munitissimū. Adsunt & arma, & alia quæcunq; ferre non valemus, hic præsto parata, & demum huc reuertentibus nihil nobis necessariū deest. *idem eod. l.*

Vnam esse victoriam puram ac sinceram homines arbitrantur, nihil ab inimicis graue pati. *idem de bel. Pers.*

Nihil maiori esse voluptati mortalib. potest, quam hostem armis peruincere. *idem de bel. Goth. l.* 1.

Qui in ancipiti positi sunt, nec in hostem vnum intenti, par erit omnino vt ab aduersarijs superentur. *idem, eod. l.*

Non armis adeo ac pietate paratur victoria. Nec enim reor bonitatis illius summæ præsidio frui prauos & nefarios viros. *Agat. hist. lib.* 3.

Dei arbitrio expeditur victoria, neque ad insolentissimos quosq; illa accedit, sed ad eos duntaxat, ad quos conditor ille rerum & moderator accedere voluerit. *idem hist. lib.*

Non reor corporis viribus potius quam recto iudicio & prouida cogitatione posse hostes peruinci. *idem lib.* 5.

Sapienter, quisquis ille est, qui ait, aut vince, aut vincenti pare: fortis namque animi est, si possis, vincere, si vero non possis, potentiori obtemperare, & fortunæ tempestatique concedere. *B. Farius, hist. lib.* 4.

Ne tātum tuæ (*dictum Alphonsi regis ad Ferdinandum filium*) aut tuorū militum fortitudini fidas, vt arbitreris absq; diuina ope hostes a te superandos. Victoria etenim non ex hominū consiliis, sed ex summi Dei volūtate ac potestate proficiscitur. Tū deniq; tibi militares artes profuturas scito, cū Deum tibi pietate ac iustis factis reddideris propitiū. Eum igitur, si vincere expetis, pura mēte colito: spemq; omnē victoriæ in eo reponito. Et si quādo (quod solet in bello contingere) tibi quicquam aduersi contigerit, quo existimare possis ipsum Deum tibi subiratum esse: vide ne ab eo per impatientiam atque animi perturbationem discedas, sed potius satisfaciendo ei reconciliari stude. Solet. n. Deus quos diligit interdum malis affligere, & quos constantes in aduersis videt, rursus in meliorem fortunam restituere. Existimationis tuæ tibi diligentissima ratio habenda erit, putandūque nihil ea re in humanis reb. pluris esse aut fieri debere. Quippe cum victoria nonnunquā magis existimatione & fama, quā militum robore ac virtute comparetur. Et victoria quidem sæpe cladib. mutatur: ac fama si cum probitate ac fide coniuncta fuerit, & permanet & cum omni perdurat. *idem, hist. lib.* 10.

Victoria ferox virago est. Illius modo dexteram, modo aliam corporis partem prehendimus. Nondum totum potuimus corpus. *P. Æmilius, l.* 2.

Anteuertendo ac diuertendo, victoria ex bellis reportari solet. *Fr. Guicciard. hist. l.* 2.

Facilius est eos qui iam declinare incæperunt, quam qui adhuc existimationis culmen tuentur opprimere. *idem, l.* 4.

Nulla victoria vtilior, præclarior, magisve gloriosa est quam ea quæ absque militum suorum detrimento & sanguine comparatur. *idem, l.* 15.

Omnis victoriæ fructus in eo consistit, si ea bene vtaris: id vero prætermittere, tanto maius quam non vicisse dedecus est, quanto maiore nostra culpa in iis rebus quæ in potestate nostra sunt erramus, quam in ijs quæ ex fortunæ pendent arbitrio. *idem libro* 16.

Potior est moderata sine vulnere victoria, quam eadem, si decertes & vincas, summe optima cruentaque. *P. Iou. hist. l.* 4.

Ea plena veraq; victoria existimanda est, quæ ducis ingenio atque artib. magis quam quę aperta virtute atque audacia militum cōparatur. Sic Romani quondam omnium gentium victores, ferocia atque immania corpora, solis confisa virib. atque lacertis, sæpe prælio superarunt, quum illi disciplinam atque astus imperatorios ante capere locum castris, circumuallare exercitus, nō ordine, non acie iniussu ducis excedere, ex iniquo loco nunquā dimicare, nihil ea prouocatione commoueri, plures ex insidijs paucos circumuenire, dolum, timorem, ignauiam, proditionē appellare consueuissent. *idem, l.* 13.

Prudentissimi imperatores non in multa cæde hostium, sed in salute atque incolumitate suorum militum victoriæ gloriam posuerunt. *idem, l.* 14.

Solet Deus his qui iusta ac necessaria arma induerunt, & belli causa præstiterunt certam vincendi occasionem proponere. *idem, lib.* 17.

Perpulchrum quidem videtur esse muros superari inexpugnabiles ab hostib. sed ego longe pulchrius iudico: suum animum ita comparare, vt & pecuniis, & voluptatib. & metu sit inexpugnabilis. *Xenoph. Orator de Agesil. us laudib.*

Benignitate atque clementia hostem vincere, quam armis præstat. Hic. n. necessitate, vt pareant homines, inducuntur, illic voluntate: & hic quidem cum graui sæpe iactura errata coniunguntur, illic sine aliquo detrimento emendantur delinquentes. Præterea quod maius, hic magnam laudis partem commilitones sibi vindicant, illic omnis victoria tribuitur duci. *Polyb. l.* 5.

Alexander seipsum vincere quam hostes magis regium esse existimabat. *Plut. in Alexandro.*

Veteres philosophos, atque summos illis temporibus viros, cum eam gloriam, quæ ex sui ipsius gloria comparatur, verā firmā, æternā, immortalemq; esse affirmarunt, eamque supra omnia regna, trophea, atque triumphos extulerūt, minime errasse manifestum certissimumque est, hæc Scipioni maiori tot victorijs claro, maiorem splendorem quam Africa deuicta & Carthago domita dedit. Nonne hæc eadē res magnum illum Macedonem immortalitate donauit? quū Darius maximo prælio ab illo victus, deos immortales vt regnū suum stabilirent rogauit: quod si secus statuissent, se non alium successorem, quam tam benignum hostem, quam mansuetum victorē ab illis petere. Cæsar dictator concedendo, remittendo, condonando, qui in numerū heroum referretur dignus est iudicatus. Deniq; Senatus populusq; Romanus plures populos atque prouincias clementia, mansuetudine & æquitate quam bello armisque imperio suo subiecit. *Fr. Guicciard. hist. l.* 8.

Se ipsum quam hostem superare multo operosius est: nec aduersa propterea festinatione fugere, nec secunda effuso gaudio apprehendere. *Val. Max. l.* 4. *c.* 1.

Si egregium est hostem abiicere, non minus tamen laudabile, infelicis scire misereri. *idem, l.* 5. *c.* 1.

Cn. Pompeius Tigranem regem bello supremum certis reb. imperatis in pristinum fortunæ habitum restituit: atque pulchrum esse iudicans, & vincere reges, & parcere. *idem, ibid.*

Hi maxime omnium vincunt, qui ita colendo sponte cedentes vincuntur. *Procop. l.* 1. *de bell. Pers.*

Recte victoria vti praeclarius est quam ipsum vincere. Hermocratis dictum. *Plut. in Nicia.*

Plus est prouinciam retinere, quam facere. *L. Florus l.* 2. *c.* 17.

Viribus parantur, iure retinentur. *idem, l.* 4. *c.* 22.

Illis timidis & ignauis licet esse, qui receptum habent, quos suus ager, sua terra per tuta ac pacata itinera fugientes accipiunt militibus ab hoste circumseptis necesse est fortibus viris esse, & omnibus inter victoriam mortemve certa desperatione abruptis, aut vincere, aut (si fortuna dubitabit) in prælio potius quam in fuga mortē oppetere. Si hoc bene fixum omnibus, destinatumq; in animo est, dicam, vicistis, nullum incitamentum ad vincendum homini a Diis immortalib. acrius datum est. *Liu. Decad.* 3. *l.* 1.

Est æterna lex inter omnes homines, capta eorum vrbe qui bellū aliis faciunt, tam corpora illorum qui in vrbe sunt, quam fortunas, eis deberi, qui vrbem capiunt. *Xen. de instit. Cyri, l. 2.*

Post victoriam præstanti quadam opus est moderatione ac temperantia, ne quis prospero cursu fortunæ fiat insolentior, & ea deinde consilia sequatur, quæ ad præcipitium deducunt, id quod non paucis flore. issimis viris accidisse constat. *P. Comin. l. 2.*

Spem non dubiam rei bene gerendæ pollicentur, causa in primis longe optima, fidus ac veteranus miles, tormenta plurima, locus æquissimus, & nullius demum rei, præterquam communis salutis & gloriæ respectus. *P. Iou. hist. l. 2.*

Græcos ad certamen aduersus Persas incitans Xenophon, inter alia dicebat. Qui suos videre cupit, virum se strenuum præbeat: neque e. n. aliter quisquam sperare possit se voti compotem fore. Qui viuendi cupiditate tenetur viuere contendat: est. n. victori hostium cædes, victo mors proposita. Qui pecuniam concupiscit, in victoriæ studium incumbat: quod si vicerit, & sua tueri, & quæ in hostium sunt potestate sibi vendicare facile potest. *Xen. de expedit. Cyri l. 3.*

In victoria est eorum bonorum, quæ in hostium potestate antea fuerant, vendicatio. *idem, l. 5.*

Quamuis magni sit momenti res amplas perficere, & victoriam ab hostib. pugnando referre multo tamen maior peritia & cautio requiritur, vt recte ac commode applicentur, quæ præclare gesta sunt. *Polyb. hist. l. 10.*

Non turpe est ab eo vinci quem vincere est nefas, neque ei inhoneste aliquem summitti quem fortuna super omnes extulit. *Vell. Pater. l. 2.*

Similitudines.

Similitudo rum. Quemadmodum victoria spem belli omnem capit, Sic profligationis affectus in communem misericordiam ex humanitate deuenit. Et scire lic. t, quod clementia eos præparat ad beneuolentiam qui ex profligatione reliqui sunt. Quippe minitatorio odium parit, atq. mortales in desperationem sæpius adducit. Verum misericordia eosdem ea odio item ad beneuolentiā trahit. *incerti. l. ad Marcum Brut. fol. 52.*

P. M. Iniecto in oculos sago, leo sine vllo negocio capitur, alioqui inexpugnabilis: ita facillimum est potentissimum etiam domare, modo cognitum sit illius ingenium. *Idem.*

Sicut leo cuius sæuit in virū quam in fœminam, pueros nō nisi summa fame coactus attingit, supplicib. ac prostratis parcit: Ita potentes infirmioribus debent ignoscere, viresque in alios experiri, quos vincere pulchrum sit. *In sim.*

Themisti. Quemadmodum fatuum habet palatum, qui vinum damnat, amatque potius pro temeraria hominum opinione, quam pro legitima ipsius indole: Sic ignaui sunt, qui plus laborāt alieno arbitrio, quam proprio studio. Non enim quales habeamur, sed quales simus, curandum est. *In apoph. 119.*

Adagia.

Palmam ferre.

Palmam ferre, & palmam tribuere, & palmam præripere, prouerbiali schemate dicta sunt, pro victoriam obtinere.

Solus currens vicit. μόνος θέων ἐκράτει.

De iis, qui vincunt, nemine contra certante.

Extremum occupet scabies.

Olim pueri certantes clamare solebant. Occupet extremum scabies. Adhortantes hac voce singulos ad cursum, ac male precantes ei, qui foret omnium postremus. Hor. ut.

Occupet extremum scabies, mihi turpe relinqui est.

Inuulnerabilis es vt Cæneus, ἄτρωτος ὑπάρχεις ὡς Καινεύς.

De iis qui lædi non possunt.

Αὐτόθεν κατάβαλλε. Hoc ipso depone loco.

Vsus erit quoties statim, & absque mora iubemus aliquid exhibere, velut probationem eius, quod dixerit aliquis, vel promissum vel specimen artis, in qua glorietur sese pollere. Vsurpatur, & apud Platonem.

Dare manus.

Est se victum agnoscere. Marc. Tull. Ad extremum det manus, vincique se patiatur.

Hostis non hostis, ἀπόλεμος πόλεμος.

Citra bellum hostis dicitur, qui nulla lacessitus iniuria, tamen quia sunt in fitum facit, vt pacis obtextu facit hostilia.

Qui paratus ad resistendum.

Qui significare voles nequaquam detrectare certamen sed abunde suppetere quo pacto tueantur suas. Vsurpabis illud ex Iliad. v

Τῶν μοι δοῦρατά τ' ἐστι καὶ ἀσπίδες ὀμφαλόεσσαι,

Καὶ κόρυθες καὶ θώρηκες λαμπρὸν.

Et mihi sunt hastæ strates, clypeique rotundi.

Tum galea, tum thoraces procul igne micantes.

Qui cum contemptu vitæ inuadunt.

In eos qui gladiatorio (sicut ait Terentius) animo quempiam impetunt, vt aut perdant, aut pereant, conueniet illud ex Iliad. μ

Ἀγροτέροισι σύεσσιν ἐοικότες.

Similes agrestibus apris.

Tradunt enim venatores, hos prouocatos recta impetere prouocantem, nec lancea perterr.

Herbam dare.

Et victorem agnoscere, & se victum fateri. Festus Pompe.

Arena cedere.

Pro desistere a certamine & contentionem relinquere. Sic Horat.

Tam Scythæ laxo meditantur arcu

Cedere campis.

Mea est pila.

Id est. Vici. & voti sum compos, vt res mihi in manu est: Consimili figura dixit Plaut. in Casin: Sed si hera nunc vult facere officium suum, nostra omnis lis est: Id est, vicimus.

Quid nisi victis dolor?

Vsurpandum, vbi palam sit in contumeliam quispiam.

Victi non audent hiscere. ἐκνόευτος δ' ὄρνις τῷ ἀγγελίᾳ δ' ὅσον ταιδι.

Qui vincuntur, silentio victi sunt, conuenit cum superiore.

Tolle digitum. αἶρε δάκτυλον.

Victum se fatere. Nam hoc signo, qui in conflictu succubuisset, πλείονα agnoscebat. Persius.

Nihil tibi concessit ratio digitum exere peccas.

Hieronymus: En tollo manum, cedo, vici.

Flet Victor: Victus interiit. κλαίει ὁ νικήσας, ὁ δὲ νικηθεὶς ἀπώλετο.

Quoties vtraque pars malo suo magno discedit, ita vt plerumque solet in bellis accedere. Item in litibus forensibus, in contentionibus Haud multum ab hoc dissidet germanicum illud felt der krug auff den Stein, so zerbricht er: felt aber der Stein auff den krug, so zerbricht er auch.

Testa collisa testæ.

Quum duo conflictantur vtriusque malo Aristoph.

Καὶ πίθος πλήγεις ὑπ' ὀργῆς ἀντελάκτισε τῷ πίθῳ. Id est: At recalcitrans per iram testem vulnerat.

Victoria non incruenta.

Conueniet illud Homeri ex Iliad. ε.

Οὐ δ' οἵγ' ἀναιμωτί γ' ἐμάχοντο.

Nec hi sine sanguine pugnam,

Miscebant.

Profana Exempla.

Hostilius Manius consul, cum viginta millia militum sub signis haberet, a quatuor Numantinorum millib. victus, fœdus cum illis icere coactus est, sibi & Reipublicæ ignominiosum.

M. Seruilius vir consul. vices & ter amplius pugnauit ex prouocatione, ac semper victor in castra reuersus est hostilib. spoliis onustus. *Sab. l. 4. c. 6. ex Plut. in Paul.*

Ioan. Petrus Surra Bergomensis decies septies ex prouocatione victor euasit. *Iou. l. 12. hist.*

Demetrius Antigoni F. CL aax. nauibus Ptolomæi ducentas naues ad Cyprum vicit. Ptolomæus citato cursu, cum solis octo nauib. profugit: neque. n. plures ex omnib. euasere. Cæteræ partim in prælio depressæ, las. cum propugnatoribus & socijs naualibus captæ. *Plut. in Demet.*

Xerxis, Persarum regis exercitus Leonidam Spartanorum regem cum ccc. sociis ad internecionem cecidit. *Herodotus.* Græcorum xt. myriades, hoc est, centum decem millia, cum xxx. myriadibus Persarum (præter auxiliarios Græcos, quorum non erat numerus) ad Platæas contra Mardonium Xerxis ducem feliciter pugnarunt. *Herod. l. 9.*

Epaminondas Thebanorum dux, quatuor hominum millibus ea quibus cccc. tantum equites erant, Lacedæmoniorum exercitum viginti quatuor millium peditum, equitum vero mille sexcentum vicit. *Front. l. 4. c. 2.*

Syracusii nouem triremibus inuadentes centum & viginti triremes Carthaginensium, longe superiores extiterunt. *Ælia. l. 4.*

Leonidas Spartanorum rex cum ccc. sociis ad Thermopylas, Xerxis Persarum regis exercitum sustinuit: vt quamuis omnes cæsi fuerint: victores tamen eo ipso censeri debeant, quod Xerxem paulo maioribus copiis vinci potuisse ostenderunt. *Stob. l. 6. c. 7. & Volat. l. 16. Ambrop.*

Conon dux Atheniensium, nauali prælio victus a Lysandro Lacedæmoniorum duce, eundem post terrestri prælio vicit, & Atheniensibus libertatem restituit. *Plut.*

Nicephorus lib. c. 47. dicit Constantinum Magnum bello contra Byzantios, cum iam bis victus esset, iterum vidisse signum crucis in cælo stellis effigiatum, hac inscriptione. *In hoc signo hostes omnes vinces,* idque postridie sic accidisse. *Idem l. 7. c. 49.* auctor est, cum in bello contra Scythas tertio crucem illam vidisse.

Hieroglyphica.

Magnum bos quales vbique locorum conspiciuntur, *victoria* plurimum partique triumphi signum erat, præsertim apud Romanos. *Pier. Val. lib. 1. p. 32. D.*

Atheniensibus vero Noctua iudicium *victoria* fuit, cuius etiam volatus in adagium cessit: γλαῦξ ἵπταται. *Noctua volat:* cum profligatos hostes, & subsecutam victoriam innuerent. *Pier. Val. l. 20. pag. 188. F.*

Propter eas dotes, quas *Accipitri* natura supra volatilium aliorū conditionem elargita est, factum: vt in vniuersum *Accipiter* esset excellentiæ hieroglyphicum, præcipueque *victoriam significaret*. Nam reliquas omnino volucres volatu antecellit. *Idem lib. 21. pag. 198. F.*

EMBLEMA.

In victoriam dolo partam.
Emblema XLVIII. And. Alciat.

Aiacis tumulum lacrymis ego perluo Virtus,
Heu misera albentes dilacerata comas:
Scilicet hoc restabat adhuc, ut iudice Graio
Vinceret, & causa stet potiore dolus.

Vide, Bellum, Pax.

VICTVS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Victus, omne illud sine quo viuere non possumos. Græc. *τὰ σιτία, ὁ βίος* Heb. *Michiah*, a verbo *Chaiah*, vixit, reuixit, viguit, naturalem habuit vitæ vigorem: & metaphorice conualuit, sanus fuit. qui enim ex graui morbo conualescunt, vitæ restituti videntur: Vlpianus verborum significationibus, Victus verbo (inquit continentur quæ esui, potui, cultuique corporis, quæq. ad viuendum homini sunt necessaria. Conuictus: vna viuendi societas, quam plures simul viuunt. *συμβίωσις*

LOCI BIBLICI.

Victus, in sudore vultus parandus. *Gen. 3. 19.* Victū Deus largitur homini & bestiæ, in genere, 1. *v. 29. 30 Psal. 145. v. 15. 16. & 147. v. 9. 10.* sed viduæ, pupillo, & peregrino peculiariter. *Deut. 10. 18.* de victu non debemus esse soliciti, *Math. 6. 25. Luc. 12. 22.*

PHILOSOPH. SENTENTIÆ.

De tenui victu. DIAL. X.
Francisci Petrarchæ.

DOL.

Tenuis victus est mihi. R. Et tenuis voluptas, & modus sobrietas. An tu gulæ studio contrariū malles? D. Asper est victus. R. Aequanimis fer, gulæ illecebris caruisse eum ad manū sint alia dulciores, & quæri faciliores, & seruari. Habet & suas virtus illecebras. Ciceronis vtor verbo, has gustare & ruminare cū cœperis illas magnopere non requires. D. Durus est victus. R. Duritiei amica virtutib. mollicies voluptati. Quot aūt magni viri vltro se voluptatib. abdicantes, hunc quem tu refugis victum elegere? quorum aliqui, cum possent laute vesci, panem & aquam in delicijs habuere. An vero voluptati quemquā sic obnoxiū opinemur, vt non illa valde oderit, si adiunctum illi dedecus intueri oculis possit? Sed funesta suauitas virtutum hostis acerrima & titillatio bestialis, quā qui sequitur, homo quidem videri potest, vere aūt animal brutum est. ad hæc & familiaritas cō tracta conuitijs, & consuetudo rerum pessima mortalē præstringit intuitum, vt discerni nequeat, quā decorum sit, quod repugneat, fœdumq. quod mulceat. D. Nimis angustus est victus. R. Imo nimis ampla, nimiumq. capax gula est. Vnum visu angustum, re aūt vnum omnib. in animam irruentib. vitijs patens iter. Hac flamma libidinum, hac torpor ingenij, hac irarum, & iurgiorū feruor ingreditur, hac imperiosa cupiditas oīa pati iubens, atq. facere dum necessaria creditis, quæ damnosa sunt, & minimam vitæ dicitis, quod ruina est. Hac inuidiæ faces, & æmulatio implacata, indignātib. animis, tam gulæ alium obsequentem, quā vos esse gloriamini. Inde laudē spectantes, vnde pudor metuendus. Hac postremo superbia, dum inflatus nec se capiens venter, animo suum affricat tumorem, & persuadet illi esse se homine aliquid maius, quod Ambrosia, & nectate pastus sit. Vides vt vitium vnum est omnib. aditus, neque hunc, si aliter nequit, inopiæ vectib. clausum cupis? O paupertas amabilis, quæ continentiæ tibi sumis officium: Vtile est cogi ad id, quod facere tua sponte debueris. D. Tenuis me victus extenuat. R. Malles ne igitur tumefieri, hæc tenuitas podagram tuis pellet e finib. dolorem capitis aufert. cerebriq. vertiginem, vomitiumq. & ructum, & nausesm, & sudorem tædiumq. & fastidium tui ipsius, pallorem alternum. & ruborem, odorem quoque & oris, & corporis, tibi, atque alijs importunum sistet. Præterea pedes instabiles, manus tremolas, nutans caput (quodq. est optimum) animum ipsum moderabitur, frænabitq. Et qui igitur tam multa corporis, atque animi bona paruo cibi desiderio, ac momentaneo gustus incōmodo tibi parta conquereris dignus his præditis, gustui deseruire? D. Tenuis victus me fatigat. R. Contrarius fatigates nisi forte onus requiē vocas. Non legisti lautioris vitæ tædia magna esse, ita vt quinque dieb. continuis nō possit sine fastidio tolerari ab hominib. temperatis, & altiora spectantib. quam palatum, & ventrem? D. Supra modum victus est tenuis R. Fuit ætas quando hic fuisset, & est adhuc gentis aliqua, vbi esset victus amplissimus. Verum mundo in deterius labso vos deterrimi omnium esse nitimini publicæ semper principes ruinæ, vt qui optimi oīum fuistis, versis vsquequaq. vestigijs satis omnium pessimi, & in temporum vitijs, ac locorū, præcipuum teneatis gradum. D. Victus tenuis mihi non placet. R. Victum tenuem, & virtutis, & voluptatis amatores, ac patroni laudant. Tu quam hæresin sis amplexus nescio, Plato Syracusias mēsas dānat, nec vllo modo sibi placere ait, bis in die saturū fieri. Epicurus in olerib. suis voluptatem ac delicias ponit, & hunc quem tu fugis victum rebus, ac verbis probat. Denique vt ait Cicero. Nemo de tenui victu plura dixit. Tu duarū notissimos si viarum duces spernis, quid est reliquum nisi vt impetu tui erroris, & virtutis hostem, nec amicam voluptatis onerosam sequaris ingluuiem? fœdum finem, nec tam hominis quam iumē ti (quodq. indignanter ac dolenter dixerim) iumenta multum quidem sed pro captu suo ventri ingerunt soli vos animantiū domini mensuram vestram & nescitis & frangitis: neque de nihilo est quod multi mirantur, quia patrum, & auorum memoria vinræ multo pauciores essent? homines autem totidem aut plures, Vina tamen viliora erant. Sic in dies creuit ebriorum sitis. D. De lauto victu ad tenuem sum redactus. R. Bene habet, quod modestia neglexit, implet inopia. Optimum est sponte agere, quod debeas, proximum vel coacte.

De lauto victu. DIAL. XVIII.
Franc. Petrarch.

GAVD.

In lautissima educor familia, R. Multum tibi hoc videtur, parum est, eritque mox nihil. An ideo magis tibi quam duro agricolæ vermes parcent, an cibo molliore vescentur audias? Non iocor tecum, nec te terreo. Scis & si forte dissimules te illi conuiuio paratam escam, & forte iam cœnæ tempus instare, certe autem longius abesse iam non posse. Nam & breuis est lux, fame licitq. conuiuæ, & quæ mensam instruit mors impigra quid tibi tunc lautitiæ istæ profuturæ sint videris. G. Lautissime ab infantia educatus sum. R. O pessima pueritiæ rudimenta! neglectis bonis artibus exquisitis cibis, & peregrinis poculis assuefactus a puero præclarissimam in spem adoleuisti. Sapores atque odores nosse, mirarique doctus eximie opiparas mensas & vasa aurea venerari, neque fero vt vitorum fortium mos fuit, famem sitimque, communibus lenire, sed ambitiosa semper nausea, & damnosi stomachi sarcinis mane illis occurrere, cum tot in heremo sancti viri esurint, tot in castris gloriosi duces, parce, sobrie, atque aspere vixerint: an si tibi gemmis atque epulis obsesso, hinc Curtius, Fabritius, Corficanut secta suis manib. olera, cœnantes fictilibus, atque arantes ad vesperam ieiuni. Quintius, ac Serranus, aut post hos Cato Censorius consul in Hispaniam nauigans, vnde triumphator redijt, nō alio quam quo remiges vino vsus, omnes notissimi hostes voluptatis occurrerēt, illinc Paulus atq. Antonius fontis ad ripā missum cœlitus partientes panē, non verecundia, ac dolore faucibus hæreret iners cibus, & attoniti gustus titillario illa lentescerent? Cogitares ab his viris victu tam tenui tamq. humili labore gaudentib. & seruatā patriam subactosq. nobilissimos reges ac populos (quæ victoriarum difficillima est) ratnem proprism, ac mundum & inuisibiles hostes aīæ debellatos: te inter amplas dapes, ac superbam requiem vili perdomitū voluptate? G. Lautissimus victus est. R. Sentio: omne in eo est, vt ad fundū miseriæ curiositas fœda perueniat, nihil est actum cibi ac potus elegantia nisi accedat & copia, imo vero redondantia, atque fastidium, nec succurrit vt Augustus Cæsar, qui fortassis paululum se lautior esse potuerat cibi (sic. n. de illo traditur) minimi fuit, & vulgaris fere. Si leo quib. vesci solitus, ne quasi rusticans paterfamilias contēptui tibi sit, interq. fasianos & ficedulas, ac pauones tuos illius principis secundarius panis, & caseus bubulus, & minuti pisciculi rideantur. At quanto melius fasiani isti vestri, & mēsarum decus eaimium, & gulæ summa felicitas apud Colchon sempee Phasidē latuissent, quā huc ad corrumpendum orbem nostrū, & irritandas illecebras aduolassent. Quanto fuit honestior ætas illa de qua Naso: *Piscis adhuc illis populus sine fraude natabat. Ostreaque in conchis tuta fuere suis. Nec Latium norat quam præbet Ionia dites. Nec qua pygmæo sanguine gaudet auis* G. Vino fruor electissimo. R. Male, sed proprie ais fruor, hoc est finis vester, ad hoc nati estis. Quanto aūt tutius sitim vestrā vinum debile, vel lymphis debilitatū, siue purus fōntius extingueret: Certe princeps ille, de quo nunc loquebar, uini parcissimus (nam & id scribitur) fuit, ter non amplius super cœnā bibens dum in castris esset. Vos ter de cies ante cœnā bibitis, & in cœna cēties, nec numero quantitas cedit, & castra ipsis uinosiora sunt vrbib. Nulla nisi ab ebriis vel expeditio, vel certamen. Nō bibebat ille interdiu, uos dieb. & noctib. non cessatis: ille sitiens pro potione perfusum aqua frigida panē, vel lactuculæ thyrsum, uel succosi pomi morsum, vel frustū cucumeris capiebat, at vos sitim omni lenocinio aucupantes illā vinis ardentib. & bibendo aliam sitim parituris, extinguitis (dicā verius) accenditis. Nec iam amnis venit bibere vos sanguinē terræ, ac venenū cicuta dū sic vinū

bibi-

bibitis, vt Alexandro Macedoni scripsit Androcides. Qui, si illis praeceptis obtemperasset, profecto amicos in temulentia nō interemisset, vt ait Plin. nec ipse insuper tandem in temulentia periisset. Haec eadem cibi indifferentis, ac potus parcitas in cunctis fere claris ducib. atque principib. fuit, & in Iulio Caesaris singularis, quae quantum vestiae sit praeferenda libidini, somnus vester illorum industriae, & gestarum rerum gloriae collatus, in dicio est. G. Lautissimo tuor victu. R. Si honestis ēt reb. frui vetitū, quanto magis inhonestis ac turpib. Nec te pudet, in eo, qđ ad caduci corporis seruitium spectat, immortalis animae fructū ponis. Epicureum dogma, sed iotame olimq. reiectum, denique cunctis ex voluptatib. quae corporeis sensib. obrepunt animae illas esse fadissimas diffinitum est, quae tactu, gustuq. sese ingerunt, quod illae maxime nobis cum belluis sint cōes, & in belluinos mores rationale animal incurueit, quo nihil abiectius humana sors patitur. G. Lautia & variis cibis delector. R. Et delectare, fruere, si nil peius, pudeat more pecudis pabulo gaudere, aut reconditorium ferculorum fieri & suum dolio munua eripere, denique. sic habeto, non posse te hanc quam probas vitā diu pati, fastidio est vicina satietas, ieiunium cibos condit. Nil nisi dulce ac sapidum gustat fames. Nil tam lautum, quod non nausea reddat insipidum ac sordidum. Ii si ēt qui delectationi huic intendunt, appetitu, & varietate illa acui fatentur, vt reliquas copia frequentiaq. confundi, & in nihilum saepe & in contrarium verti. Ipse demum professor voluptatis Epicurus tenuem victum, quasi vnicum suae professionis auxilium & laudauit & coluit. Quodq. sobrietati ac modestiae tribuunt honesti viri, hoc ille tribuit voluptati, vt quamlibet viuendi viam eligas, diuersis pedib. vnum calceum cōuenire noueris. vno victu vtendum tenui semper ac modico, nisi quem honestis ex causis rara fortē licentia, illaesa sobrietate laxauerit, victus hic siccos & validos & aspectu placidos facit, & odore corporis nec sibi nec alijs molestos. Confer his madidos, aestuantes tremulos, olentes, & vt Ciceronis vtar verbis, confer & sudantes, & ructantes, tūc videbis quid inter frugalitatem intersit & crapulā, & si non virtus, at aspectus ipse monstrabit recta quonam vergat electio, vt vix sit quispiam tam gulae seruus, qui acriter re discussa non sobrietatem longe illi praeferendam fateatur. Si haec spernis vt leuia, nunquid & morbos hinc nascētes, mortemq. contēnes, quae licet per se ipsam magnis animis contemnenda sit naturaliter atque honeste; seu certe non turpiter inuecta, sic turpibus caussis accersita morte nil foedius, nilq. formidabilius. An vero non audis ecclesiasticum consultorem? Noli auidius esse, inquit, in omni epulatione, & non te effundas super omnem escam. In multis. n. escis erit infirmitas, & auiditas appropinquabit, vsque ad choleram, propter crapulam multi perierunt, qui autem abstinens est, adijciet vitam. G. Lautis, & multiplicib. vtor cibis. R. Asellum tuum, si nimis presseris, opprimes, si mollius paueris, calcitrabit, venter vero depositarius malae fidei est. Non inefficax consilium videtur ad omnea, & praesertim gulae illecebras comprimendas, exitum contemplari.

Similitudines.

Thrineri. Plantae non semper seruant indolem suorum seminum, saepe eam mutat caeli terraeq. societas: Ita victus atque consuetudo subinde mutant ipsam naturam. *in apoph.* 145.

Quemadmodum neque is qui multum collegit manus, abundauit: neque is qui parum, eguit. Sic neque vita cuiusquam est ex abundantia eorum quae possidet, sed facili ac breui victus promptitudine. *in apoph.* 151.

Vide Abstinentia, Temperantia, Luxus.

VIDVITAS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Viduitas, Graece χηρεία, ας, ἡ, & χήρα, ας, ἡ, vidua dicitur. Hebr. *Amanach*, id est, non habens partem in marito ex *Al*, i. non, & *Manah*, id est, pars a verbo *Alam*, loqui non potuit. Obmutescit enim vidua coram attingentibus eam. *Illem*, mutus, *Psal.* 38. 14. Vidua proprie ex significatione vocabuli, seu secundum etymologiam dicitur qualibet mulier sine viro. etiamsi nunquam virum habuisset, quasi sine duitate. Et dicitur à ve, quod est sine, & duo, seu duitate; vt vecors & vesanus. *ff. de verb. sig. l. malum, §. Vulnam, vel sic.*

Vidua dicitur quasi duas, hoc est a viro diuisa. Induare. n. hetrusca lingua diuidere est. Hinc viduare pro priuare capitur. Hinc etiam viduitas, calamitas dicta, quod viduet, id est, priuet bonis. A viduo pariter diuiduo per compositionem deducitur. Veteres. n. quod nunc diuido dicimus, diuiduo dicebant: vnde diuiduum, quod modo separabile, modo separatum, significat, cuius contrarium indiuiduum, quod Graece ἄτομον vocant.

Loci Biblici.

Vidua in delitiis viuens, mortua, 1. *Tim.* 5. 6.

Viduae munusculum a Christo laudatur. *Luc.* 21. 3. Viduae Deus facit iudicium, ipse dat victum, *Deut.* 10. 18. Viduae parabola, quae crebris precibus iudicium aequum obtinuit ab iniquo iudice, *Luc.* 18. 2. *&c.* Viduae filius suscitatus, *Luc.* 7. *v.* 11. Viduae quales in Ecclesiae ministerium, seu in Diaconissarum collegium recipiendae, 1. *Tim.* 5. 3. Quot annorum recipiendae, *ver.* 9. Viduae iuniores lasciuiunt, ideoque deuitandae sunt, *v.* 11. vbi non reuciuntur viduae iuniores ab Ecclesia, sed ad numerum Diaconissarū non admittuntur. Viduae verae quae, 1. *Tim.* 5. *v.* 2. quae videlicet solae sunt, & omni humano praesidio destitutae.

Viduarum domos comedere, *Matth.* 23. 14. Viduarum officium, 1. *Cor.* 7. *v.* 8. 9. 1. *Tim.* 5. 2. Viduarum habenda ratio, & benefaciendum illis, *Exod.* 22. *v* 22. *Deu.* 16. *v.* 14. & 24. *v.* 17. 19. 20. 21. & 26. *v.* 12. 13 & 27 *Iudith.* 16 28. *Iob.* 24. 3. & 31. 16. *Eccl.* 4. 10. *Esa.* 1. 17. *Ier.* 22. 3. *Zach.* 7. *v.* 10. 18. *Malach.* 3. 5. *Matt.* 23. 14. 1. *Tim.* 5. 3 *Iac.* 1. 27. Viduas pias quid deceat, *Iud.* 8. 4. *Luc.* 2. 37. 1. *Tim.* 5. *v.* 3. 5. *Tit.* 2. 3.

Sententiae Biblicae.

Viduae virtutes debent ornari.

Sic Iudith virtutibus, non vestibus ornari studuit. *Iud.* 8.

Erat Anna prophetissa filia Phanuel, & haec vidua erat vsque ad annos octoginta quatuor, quae non discedebat de templo ieiunijs & obsecrationib. seruiens nocte & die, *Luc.* 2.

Quae vere vidua est & desolata, speret in Deum, & instet obsecrationib. & orationib. die ac nocte. Nam quae in delicijs est, viuēs mortua est, & hoc praecipue, vt irreprehensibiles sint. 1. *Timoth.* 5.

Anus similiter in habitu sint, qui religionem deceat, non criminatrices, non multo vino seruientes, vt honesta doceant. *Tit.* 2.

Studio defensari.

Viduae & pupillo non nocebitis. Si laeseritis eos, vociferabuntur ad me, & ego audiam clamorem eorum: & indignabitur furor meus, percutiamq. vos gladio, & erunt vxores vestrae viduae, & filij vestri pupilli. *Exod.* 22.

Viduas eius benedicens benedicam. *Psal.* 132.

Sententiae Patrum.

Quid facit haec vidua inter familiae multitudinem, inter ministrorum greges?

Caueto omnes suspiciones, & quod de te probabiliter fingi potest.

Nesciat Vidua bigamiae indulgentiam. *Hieron. in epist.* 96.

Dicta Poetarum.

Virg. lib. 4. Aeneid. Didonis verba de Sichaeo marito suo.

Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiscat,
Vel pater omnipotens adigat me fulmine ad vmbras,
Pallentes vmbras Erebi noctemque profundam,
Ante pudor quam te violem, aut tua iura resoluam,
Ille meos, primus qui me sibi iunxit, amores
Abstulit: ille habeat secum seruetque sepulchro.

Consule Tit. de Matrimonio, Coniugio, & Castitate.

VIGILANTIA, VIGILIA.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Vigilia Graece ἀγρυπνία, ας & ἀγρυπνέω vigilio dicitur. Hebr. *SchoKedh*, a verbo *SchaKadh*. Vigilauit diligenter, vigilanter attendit, excubias egit. Cognationem habet cum *SchaKat*, quieuit: nam vigiles oportet esse quietos, atque alienos a tumultibus & strepitu. Hinc Graecum verbum σχεδιάζω studeo, ex tempore aliquid facio, celeriter exequor, quod vigilantium & operi intentorum proprium est. Vigilia, seu vigiliae vigiliarum, νυκτοφυλακία. Hebr. *Aschmoreth*, *Aschmurah*, *Schemurah*. *Schimmurim*, excubiae nocturnae, a verbo *Schamar*, Custodiuit, seruabat. Est autem vigilia, solutio & remissio sensus. *sec. Arist. lib. de Sensu & sensato.*

Vigilia est dispositio, in qua anima imperat sensibus & virtutibus exteriorib. & mouet voluntarie ad operandum, *sec. Auic.*

Vigilia dicitur a vigeo, est enim vigere validum & robustum esse, quasi vim agere. Quare vigiles non segnes, non torpentes quales sunt dormientes, sed qui vigore suo sunt. Vnde peruigiles non modo assidue vigilātes, sed diligētes & industrios dicimus

Hinc

Hinc vigilare, quod est studium se diligentiam adhibere, & invigilare alicui rei incumbere. Peruigilare que, quod est assidue vigilare. Martialis.

Nam vigilare leue est, peruigilare graue est.

LOCI BIBLICI.

Vigilantia pijs omnibus sed pastoribus imprimis necessaria. *Matt.* 24. *v.* 24. 43. & 25. 13 & 26 41. *Marc.* 13. 32. *Luc.* 12. *v.* 37. & 21. *v.* 26. *Ro.* 13. 11. 1. *Cor.* 15. 34. 2. *Tim.* 4. 5. 1. *Pet.* 4. 7. & 5. *v.* 8. 9.

Vigilemus & sobrij simus, 1. *Thess.* 5. 6. Vigilemus in orationibus. *Coloss.* 4. 4.

SANTANTIÆ BIBLICÆ.

Vigilandum est diligenter ad malum cauendum.

Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem. Spiritus quidẽ promptus est, caro autem infirma. *Matth.* 26.

Hoc autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias qua hora fur venturus esset, vigilaret vtique, & non sineret perfodi domum suam. *Luc.* 12.

Vigilate itaque, omni tempore orantes. 21.

Qui se existimat stare, videat ne cadat. Euigilate itaque iusti, & nolite peccare. 1. *Cor.* 10. & 15.

Sobrij estote, & vigilate. 1. *Pet.* 5.

Si non vigilaueris, veniam ad te tanquam fur, & nescies quando veniam ad te. *Apoc.* 3.

Bonum conferre audium.

Beatus vir qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie. *Prouerbior* 8.

Vigilia honestatis tabefaciet carnes. *Eccl.* 31.

Vigilate, state in fide, viriliter agite, & confortamini. 1. *Cor.* 6.

Orationi instate, & vigilate in ea cum gratiarũ actione. *Coloss* 4.

Indesinenter.

Vigilate, & estote parati, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit, & quia nescitis diem neque horam. *Matt.* 24. & 25.

Videte, vigilate, & orate, nescitis enim quando tempus sit. *Marc.* 13.

Vigilate ergo, nescitis enim quando dominus domus veniat, sero an media nocte, an galli cantu, an mane: ne cum venerit repente inueniat vos dormientes. *ibid.*

Estote parati, quia qua hora non putatis, filius hominis veniet. *Luc.* 12.

Beatus qui vigilat. *Apoc.* 16.

POETICÆ SENTENTIÆ.

Hor. 1. epist. 7.

Vt iugulent homines surgunt de nocte latrones;
Vt teipsum serues, non expergisceris, &c.
Si non
Intendes animum in studijs & rebus honestis
Inuidia, vel amore vigil torquebere.

Ouid. 3. Art.

Attenuant iuuenum vigilatae corpora noctes.
Curaque, & immenso qui fit amore, dolore.

Martial. 9.

Nam vigilare leue est, peruigilare graue.

Plaut. Rud.

Vigilare decet hominem.
Qui vult suo tempori conficere officia.
Nam qui dormiunt libenter, sine lucro, & cum malo quiescunt.

PHILOSOPH. SENTENTIÆ.

Quicumque viuere & sapere cupit, maxime quam longissimo tempore vigilet, sola sanitate commoditate seruata: ad hanc vero non multo opus est somno, si bene assueuerit. somnijs magistratus profecto in vrbibus noctu vigilantes hostibus terrori sunt. *Plato.* 3. *de leg.*

Hinc est Homerus tam frequens in decantandis laudibus vigiliarum, dum toties cõcilium Deorum prima luce habitum fingit. Hinc & Hesiodus auroram omnibus vitæ studiorumque agitationibus accommodatissimam esse ait. Plato li. de legib. 7. iuuentutem, vt primum lucere cœperit, ad vigilias, omnemque vitæ atque officij rationem erudiendum docet. quoque ingenij viribus tum acuendis, tum maxime excitandis conducturam matutinæ vigiliæ curam in Oeconomicis scriptum reliquit. Nec immerito Cleanthis & Aristophanis lucerna toto orbe celebratur. Quid dicam de Demosthene, quem Cicer. 4. Tuscul. quæst. lib. serio doluisse affirmat, si quando antelucana opificum industria victus fuisset. Et idem lippiens Tullius passim suas matutinas vigilias, & solitudines siluarum commemorat. *In Aurora Agrest.*

Princeps non debet incommodi sui causa, curam reipublicæ omittere. *Xiphilin. Tiber.*

Industria ac vigilantia largitione & luxu haud minus noxiæ sunt, quoties parando regno finguntur. *Tacit. Annal. l.* 4.

De vigilia. DIAL. LXXXVIII.

Francisci Petrarcha.

DOL.

Dormire non possum. R. Vigila & gaude, vitæ tibi tempus auctũ. Inter obdormiscere n. atque mori quid interest, nisi quod alter tẽporalis, perpetuus alter est sopor? Itaque nescio an non satis proprie & somnus breuis mors, & mors somnus longus siue æternus dici possit. D. Somnum perdidi. R. non vi quidem sed blanditijs reperendus est, si incumbas perdis operam cogi nequit, age illud, da requiem temporib. tuis animo curas leues, improuisus aderit, facile animis vagis & corporib. fessis obrepit. D. Sæpe mihi somnus interrumpitur. R. Fac quod solitus fertur Augustus Cæsar lectorib. aut fabulatorib. accersitis, interruptum redintegra, sin grauiorib. curis hoc accidit, pone illas, hunc acceperis. De huiusmodi. n. loquebatur Maro, vbi ait, Salubres curas somnos abrumpere. D. Somni requiem, amisi. R. Et terrorem somniorum, nocturnosque metus: quamuis. n. sapientis meliora phantasmata Aristoteles opinetur & verum sit tamen & vir ille ingenio æque magnus, & imperio, ille cũ alter sanitate & patientia æque insignis, de quib. paulo ante simul diximus, somniorum graues sensere molestias. Nam quid alij sentiant quisque nouit io se & lectulum proprium suarum testem habet illusionum, atque ambagum & formidinum. Certe horum alter tempore extremo per somnũ exterreri solebat, sicut de illo scriptum est. Alter vt dixisse dudum videor, dũ de ocio, & quiete dissereret, inter cæteras vitæ molestias queritur, quod terreant eum somnia, & visiones horrore concutiant. D. Solito minus dormio. R. Solito igitur magis viuis. Nẽpe quod doctis placet, vt mors somnus sic vera vigilia est. D. Somnum morbus expulit. R. Sanitas reducet. D. Somnum amor exclusit. R. Bis rem vnam dicis. Morbus est, n. amor, & morborum maximus. D. Somnum metus extinxit. R. Securitas suscitabit. D. Somnum senectus eripuit. R. Mors viema restituet.

APOPHTHEGMATA.

Plato somnolentiam improbabat, eoq; scripsit in legibus;

Καθεύδων οὐδεὶς οὐδενὸς ἄξιος.

Nemo dormiens vllare dignus est.

Laert l. 3.

Philippus in exercitu quodam tempore dormiens, experrectus: Tuto, inquit, dormiui, vigilauit n. Antipater. Subindicans, non esse regium indulgere somno præsertim in bello, nisi habeam fidum ac vigilem præfectum. *Plut. in apoph.*

Parmenio Idem quum inter diu dormiret, Græcique ad fores conuenientes criminarentur illum: Nolite admirari, Parmenio inquit, si nunc Philippus dormit. Nam quando vos dormiebatis, ille vigilabat. *Plut.*

P. Æmilius cum in bello contra Persem instituisset, vt milites sine armis vigilias agerent: rogatus a quodam, cur suis arma negaret? Respondit: vt metu hostium sublata resistendi fiducia aduersus somnum pugnarent. *Plut.*

M. Cato. Eo milite sibi opus esse nequaquam dicebat, qui inter eũdem manus, inter consligendum pedes agitaret: quique stertendo, quam hostibus inclamando longius sentiret. *Plut.*

HIEROGLYPHICUM.

Aegyptij sacerdotes per *Leporis* hieroglyphicum vigilantiam in primis intelligebant. Causam ponit *Horus*, quod *Lepus* oculos inter dormiendum apertos ostendat. *Pier Val. l.* 3 2, *pag.* 118, *E.*

Per Leonis etiam caput iidem Sacerdotes vigilantiam atque custodiam ostendebant, causam addebant: quod solum hoc ex animalibus recuruos vngues habentibus, simulatque natum est, cernit. *idem, l.* 1, *pag* 2. *F.*

EMBLEMA.

Vigilantia & Custodia.

Emblema Andr. Aleiat. xv.

Instantis quod signa canens det gallus Eoi,
Et reuocet famulas ad noua pensa manus:
Turribus in Sacris effingitur area peluis,
Ad superos mentem quod reuocat vigilem.
Est leo, sed custos oculis quia dormit apertis.
Templorum idcirco ponitur ante fores.

VINDEMIA.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

VINDEMIA, Græce τρυγητὸς & τρυγάω, vindemio dicitur *Batsir*, Hebræis vindemia, a verbo *Batsar*, vindemiauit, decerpsit vuas, collegit racemos, muniunt vineas, ne pateat cuilibet aditus ad decerpendum vuas. Cognationem habet cum *Parsar*, irrupit, & *Tsabar*, coaceruauit. Dicta autem est vindemia a vino demendo, vnde fit etiam

vinde-

vindemio verbum, & vindemiator qui vindemiat. Vindemia etiam ad alia transfertur. *Plin. Prima mellis vindemia melior.*

LOCI BIBLICI.

Vindemia vber obedientib. *Leui.* 26.5. Vindemiæ leges, 19. *ver.* 20.

SENTENTIÆ POETICAE.

Nemesianus Ecgl. 3.

Te cano qui gravidis hederata fronde corymbis
Vitea serta plicas: qui comptos palmite tigres
Ducis odorata perfusus colla capillo:
Vera Iouis proles, iam tunc post fulmina cælo,
Sola Iouem semele vidit, Iouis ora professum.
Hunc pater omnipotens, venturi prouidus æui,
Protulit & iusto produxit tempore partus.
Hunc Nymphæ, Faunique senes, Satyrique procaces,
Vosque etiam Nymphæ viridi nutristis in antro.
Quin & Silenus paruum veneratur alumnum
Aut gremio fouet: aut resupinis sustinet vlnis,
Et vocat ad risum digito, motuque quietem
Allicit, aut tremulis quassat crepitacula palmis.
Cui Deus arridens horrentes pectore setas
Vellicat, aut digitis aureis astringit acutas,
Applauditque manu mutilum caput: aut leue mentum,
Et simas tenero subducit pollice nares.
Interea pueri florescit pube iuuenta,
Flauaque maturo tumuerunt tempora cornu.
Tum primum læuos ostendit pampinus vuas,
Mirantur Satyri frondes, & dona Lyæi.
Tum Deus, o Satyri, maturos carpite fructus,
Dixit, & ignotos pueri calcate racemos.
Vix hæc audierant: decerpunt vitibus vuas,
Et portant calathis, celerique illidere planta
Concaua saxa super properant: vindemia feruet
Collibus in summis, crebro pede rumpitur vua,
Vdaque purpureo sparguntur pectora musto.
Tum Satyri lasciua cohors sibi pocula quisque
Obuia corripiunt quod fors dedit, hoc capit vsus.
Cantharon hic retinet, cornu bibit alter adunco,
Concauat ille manus palmasque in pocula vertit,
Pronus at ille lacu bibit, & crepitantibus vndis
Musta labris, illius venalia cymbala mergit.
Atque alius latices pressis resupinus ab vuis
Excipit at potu sæuus liquor ore resultat
Spumeus inque humeros, & pectora defluit humor
Omnia ludus habet cantusque chorosque licentes,
Et Venerem iam vina mouent, raptantur amantes
Concubitu Satyri fugientes iungere Nymphas:
Iam iamque elapsas hic crine, hic veste retentat.
Tum primum roseo Silenus cymbia musto
Plena senex auide non æquis viribus hausit.
Ex illo venas inflatus nectare dulci,
Hesternoque grauis semper ridetur Iaccho.

Vide Autumnus, Vinum.

VINDICTA.

DEFINITIO ET ETYMOL.

Vindicta, Græce ἀμυνα, καὶ ἀμυντήριος, ὁ vltor dicitur. Heb Nikamah. à verbo Nakam, vindicauit, vltus, surrexit vel stetit ad vlciscendum. Est autem vindicta iniuriæ, contumeliæve illatæ punitio, à vindico, quod est vlciscor, quod est compositum a uim & dico, unde, uindex, ultor iniuriæ, & uindicatio, ipse actus ultionis.

Vindicatio est per quam uis aut iniuria, & omnino omne quod obfuturum est, defendendo aut ulciscendo propulsatur. *secun. Cic. Rhet.* Cuius contrarium est abiectio suique contemptio.

Vindicatio est uirtus specialis, quia ad hoc natura inclinat, consistit in medio duorum uitiorum scilicet crudelitatis & sæuitiæ secundum excessum, & remissionis secundum defectum. *Ex B. Tho.* 2.2.q.80.*art.* 2.

LOCI BIBLICI.

Vindicta non appetenda, sed Deo soli, secundum Ministris, ac Magistratui legitimo relinquendi: inde & prohibita alijs est, *Gen.* 15.14. *Leu.* 19.18. *Deut.* 32.35. *Iud.* 8.20. & 16.28. *Ps.* 7.7. & 9.13. & 94.1. *Prou.* 17.11. & 20.22, 24.29. *Eccl.* 18.3. *Iere.* 51.36. *Ezech.* 25.12. *Naham.* 1.2. *Matth.* 5.36. & 6.14. & 18.*n.* 22.35.26.52. *Mar.* 11.26. *Luc.* 6.*n.* 27.28. & 6.55. & 17.*n.* 4.29. & 18.7. *Rom.* 13.19.1. *Cor.* 6.7. *Gal.* 5.10.1. *Thes.* 5.15.2. *Tim.* 4.14. *Heb.* 10.30. *Iac.* 5.*n.* 4.9.1. *Pet.* 3.9. *Apoc.* 6.*n.* 10.

SENTENTIAE BIBLICAE.

Vindicta per nos non expetenda.

Non quæras vltionē, nec memor eris iniuriæ ciuium tuorū. *Leu.* 9.

Ne dicas quomodo fecit mihi, sic faciam ei, & reddam vnicuique secundum opus suum. *Pro.* 24.

Omnis iniuriæ proximi ne memineris, & nihil agas in operibus iniuriæ, *Eccl.* 10.

Ego dico vobis, non resistere malo: sed si quis te percusserit in dextram maxillam, præbe illi & alteram. *Matth.* 5.

Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt. 26.

Nulli malum pro malo redde. Nulli vinci a malo, sed vinci in bono malum. *Rom.* 12.

Videte ne quis malum pro malo alicui reddat, sed semper quod bonum est sectamini inuicem, & omnes. 1. *Thess.* 5.

Deo relinquenda.

Mea est vltio, & ego retribuam. *Deu.* 32.

Sanguinem seruorum suorum vlciscetur. *Ib.*

Deus non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte, & patientiam habebit in illis? Dico vobis, quia cito faciet vindictam illorum. *Luc.* 18.

Qui iniuriam facit, recipiet id quod inique gessit. *Col.* 3.

Scimus qui dixit: Mihi vindictam, & ego retribuam, Heb. 10.

SENTENTIA PATRUM.

Quid discrepat a peccante, qui semper excessum nititur vindicare? *Cassiod. ep.* 28.

SENTENTIA POETARUM.

Iuuen. 13.

At vindicta, bonum vita iucundius ipsa:
Nempe hoc indocti quorum præcordia nullis
Interdum aut leuibus videas flagrantia causis,
Quantulacunque adeo est occasio, sufficit iræ,
Chrysippus non dicet idem, nec mite Thaletis
Ingenium, dulcique senex vicinus Hymetto;
Qui partem acceptæ sæua inter vincla cicutæ
Accusatori nollet dare.

Et paulo post Sat. 3.

Quippe minuti
Semper & infirmi est animi, exiguique voluptas
Vltio: continuo sic collige, quod vindicta
Nemo magis gaudet, quam fœmina.

Claud. de bello Getico.

Quæ vindicta prior, quam cum formido superbos
Flectit, & assuetum spoliis affligit egestas?

Sen. Herc fur. act. 5:

Sæpe vindicta obstitit.

Ouid. 1. Amor. 7.

At tu ne dubita, minuet vindicta dolorem.

Phocylides.

Μὴ κακὸν ἄνδρα φίλει, κ.τ.λ. [illegible]
[illegible]
Noli imitari malum virorum, sed iustitiæ relinque vindictam.
Conciliatio enim vtilitatem: sed contentio contentionem gignit.

SENTENTIAE PHILOSOPH.

Cibo vtitur iuxta naturam is, qui esurit: ac vindicta debet vti, qui nec sitit eam, nec esurit. *Plut.*

Vt pater videns puerum volentem incidere quidpiam, arrepto ferro id facit; ita ratio vindictam eripiens iræ, vtiliter castigat. *Idem.*

Quædam remedia tristiora sunt ipso morbo: vt satius sit appetere mortem, quam bis aucupari salutem: velut sugere sanguinē e vulnere recenti gladiatorum morientium: Ita quandoque satius est ferre iniuriam, quam maiore incommodo vlcisci. Ferre pacem, etiamsi parum commodam, aut æquam, quam bellum cum immensis malis suscipere. *P. M.*

Vt amnes quidam repente se condunt sub terram: nihilominus eo perferuntur, quo tendunt, ita numinis ira licet occulta: tamē in extremas calamitates aufert aliquando nocentes. *Plut.*

Vt medici quibusdam morbis occurrunt priusquam appareant: ita Deus quædam punit, ne fiant. *Plut.*

Qui nos docuit sagittare, non vetuit iaculari: sed vetuit, ne aberraremus a scopo: ita non est interdicta punitio, sed in tempore, & apte facienda. *Plut.*

Quemadmodum reus paribus sententijs absoluitur: sic sapiens, vbi paria maleficijs merita sunt, magis meminit benefactorum, quam iniuriarum. *Sen.*

Aspis pestilentissimum malum non vagatur, nisi cum compare, eius interfectorem pertinacissime persequitur: ita Tyrannus filium.

lium, aut alium tyrannidis successorem adiungit ne desit vltor, si quid acciderit. *Plin.l.3.c.23.*

Nunquam mihi placuit in imperatore vindicta sui doloris, quæ & si iustior fuerit, acrior videtur. *Vulc.Gallic.in Auidio Cassio.*

Qui non læsi iniuriam inferunt, hi alios perdere conantur, metuentes periculum, si protsus non deleantur hostes. Nam in iuste læsus cum euasit fit vehementior hostis, quam ubi mutuæ fuerunt iniuriæ. *Thucyd.l.3.*

Quædam vltiones & publicæ vindictæ iure defendi possunt, quippe tametsi atrox est facinus propter iram homines cognatos, & populares inclementer tractare, tamen necessitate vrgente dulce est (vt ait Simonides) neque durum animo, tanquam æstuanti præ dolore, remedium aliquod adhibere, cumque, essaua re. *Plut.in Arato.*

Vindicta seu vltio publica summopere est necessaria: non tam ob vltionis voluptatem, quam vt eius qui læsit pœnitentia tale reliquis exemplum præbeat, vt nemo te audeat prouocare: sicque gloria cum vtilitate coniuncta sequitur, & generosa magnanimaq. consilia commoditate quoq. & fructu plena oriuntur: sic viæ molestia multas tollit, & sæpe vnicus, ac breuis labor a multis ijsque longissimis liberat. *Fr.Guicciard.hist.l.4.*

De vindicta Diuina.

Si nihil cum potentiore ictis humani relinquitur inopi, at ego ad Deos vindices intolerandæ superbiæ confugiam, & precabor vt iras suas conuertant in eos, quib. non sua reddiditæ res, non alienæ accumulatæ satis fit: quorum sæuit a non more noxorū, non deditio exanimatorū corporum, non bona sequentia dominum deditionem satiauit, placariq. nequeant, nisi hauriendum sanguinem el niandaq. viscera nostra præbuerimus. *Liu.Dec.1.l.9.*

Superbiæ crudelitatique, & si seræ, non leues tamen penæ veniūt ab eo qui est, & humana non negligit. *Idem Dec.1.l.3.*

Lento gradu ad vindictam sui diuina procedit ira: tarditatemque supplicij grauitate compensat. *Val. Max.l.1.c.1.*

Sui muneris non oblita Dei vindicta, tametsi lento gradu procedit, venit tandem. *Zonar in Rom. Lacap.t.3.*

Etiamsi tardius inuadat iniurios, concesso pœnitentiæ spatio, tamen, nisi a malitia discesserint, lento gradu eos assequitur, & pœnas exigit. *Idem ib.*

Non perpetuo stertit vindicta diuina, sed seris gaudens mutationibus, & celeriter ingruens tacito pede consectatur eos qui nefaria facinora perpetrant. *Nicet. Alex. Ang l.3.*

Diuinæ vindictæ oculus non perpetuo dormitat, sed tandem expectatus iustas pœnas impijs irrogat. *Niceph.Greg.l.2.hist.*

Captum oppidum Dinantum a Philippo, & Carolo Burgundis solo fuit æquatum, & qui a cæde superessent circiter 800. capitui è regione, & in conspectu Bouillorum in flumē præcipitati submergebantur. Atroxa admodum fuit ista vindicta: sed credibile est diuinitus accidisse, propter ante actam Bouillorum crudelitatem in vicinos. *Ph.Comm.l.2.*

De vindicta. DIAL. CI.

Francisci Petrarcha.

G A V D.

Hostis in manus venit: vltionis oblata est facultas. R. Immo experimentum tuum, in æ mancipium, sn clementiæ sis amicus. Quod nisi ad vtramque ferri posses incertum esset. Multi enim esse credunt quod non sunt. Experti autem, quid sint sciunt. G. Est hostis in manibus, vlcisci possum. R. Alij potentiæ fines sunt, decoris alij, non quid possis, sed quid deceat æstimandum est, ne si quantum potes velis, nil posse fit melius. G. Vlcisci possum, nil dulcius est vindicta. R. Ita nihil amarius, quam cur quidam dulcem dixerint mirari soleo, sin dulce aliquid ipsesse cōsenseris, dulcedo effera, viro indigna ac propria beluarum, earumque non omnium, sed præmordacium atque ferocium. Nil humanū minus quam sæuitia & feritas. Contraq. est homini suum magis, quam misericordia & lenitas, quib. nihil tam contrarium quā vindicta est, & quicquid animi impetu homo in hominē comitsit asperius. Quod si omnino vindictæ nomen dulce est, ostendam ergo quo multa cum gloria vti possit. Nobilissimum vindictæ genus est parcere. G. Vlcisci licet. R. Multo est satius multoque formosius oblivisci iniuriæ quam vlcisci, generosior nulla est obliuio quam offensæ. hanc summus orator, summo duci, summæ laudi tribuit, quod scilicet nil soleret oblitui oblivisci. Nihil autem prohibet vnius laudem, illi non ereptam ad plurimos peruenire. Hoc inter multa præcipuum præ cūctis opibus habet animi bona non decrescunt sparsa, nec pereūt. Sume igitur & tu tibi nobilissimam hanc opinionem Cæsaream, quæ te multo faciet clariorem quam Cyneā, Tarmadamque memoria sua, illa enim naturæ fuerit, hæc virtutis. G. Vlcisci iuuat. R. Vltionis momentanea delectatio est, misericordiæ sempiterna. Duorum nempe delectabilium, illud præferendum quod diutius delectat. Fac te hodie quo perpetuo delecteris. Nulla vero maior, nulla firmior delectatio est, quam quæ de puritate conscientiæ, & rerum bene gestarum recordatione oritur. G. Honestum est vlcisci. R. Honestius misereri. Multos clementia hone- stauit, nullū vltio. Nihil tam necessariū inter mortales, nihil tā cōe q veniā. Nemo qui non peccet. Nemo qui non misa opus sit, quam grata quis tā iniquus criminū & culparū extricabit nodos? Aut distolui deruptumq societatis humanæ fœdus sarciet? Si inter sese hoī. vlt pq. in ipsos decertabit ira Dei. Nullus erit aut litium, aut pœnarum finis, nec cessabunt arma nec fulmina. Parce igitur, misere & cōpesce aium. Fac tu hoī quod tibi ab hoie fieri velles, quod à Deo vis. Impudenter à dño veniam petit, qui conseruo illa tuo negat. Ecclesiasticus doctor clamat indignans. Homo homini seruat, & à Deo quærit medelam? In hoiem sibi similem non habet misericordiam, & de peccatis suis deprecatur? G. Non infero iniuriam, sed vlciscor. R. Quid refert, primus pecces an vltimus? Nō est æquum vt qđ in alio improbat, in te probes. Vis ne laudatā in hoste damnatā sequi, sierq. illi similis morio, cui dissimilis aio sis, quodq. pessimum habet tuum facere? G. Volo quidē, & licitum est vlcisci. R. Nec debes velle, nec vlla id licitum lege, vt defensio licita sit vltio vetita. Scriptum est: Qui vindicari vult, à Deo inueniet vindictā. Et rursus (vt paulo ante dixi) Mea est vltio, & ego retribuam eis in spe, dicit Dūs. Illud tps expecta, sine te ille vindicet qui & offendentis est dūs & offensi. Solet inter seruos domini cois esse cognitio. Si quid ingenui habes, si qua sibi per sectionis habitus cura est, opera potius atq. ora ne ille quidem vindicet. Sic hostis crimen in tuā vertens salutem. G. Vlcisci est animus. R. Da iræ spacium, da consilio tps. Iræ na impetum, differ, aut desinet, aut lenietet. Breuis hora sedat iratum æquor. G. Vlciscar. R. Vno actu multos offendes. Vna iniuria sæpe innumerabiles hostes fecit. G. Vlciscar. R. Plus temetipsum læseris q̄ hostem. Illi corpus fortitan aut opes, tibi animam famamq. corrupens. G. Vlciscar. R. Quoties vlciscendi studio iniuria geminata est, ipse sæpe vnicum dissimulasse remediū. sæpe vel questū esse, vel vnito tacito secum iniuriæ prætendisse periculū sui. G. Perdere hostem possum. R. Melius est amicum quærere, quā hostem tollere, sed vtrumque simul optimum quod nulla arte melius quam parcendo fit, cum vlcisci possis. Aptissimum tollē dis hostibus instrumentum est lenitas. Id quo si creditum esset. Herennio seni sapientissimo, nec Samnitum exercitus modo victor colla iugum Romanum, nec iugum primum cum reliqs, mox securim solus Imperator Pontius pertulisset. G. Vlciscendi pungor aculeis. R. Resiste, cogitationibus pijs, exempl isque omnibus quæ leniorem, in partem inclinare animum possunt, & in primis memoria vitæ breuis & ambiguæ. Hæc enim Senecæ (cui assentior) efficacissima videtur de iracundia lenienda. Cui is ipse quem memorati) doctor accedit. Nam quid aliud sentiebat, vbi ait: Memento nouissimorum, & desine inimicari. Sic est enim, nilq. inimicitias magis alit, quam oblitio obliuio. Siquidē ille, cuius mortem sitis, ne dubita, moriturus haud dubie est, & idipsum cito, forteasse hodie, tuque illum forsitan (quod non cogitas) præcurfurus. Expecta paululum, Subsiste, fiet quod fieri optas, & si metuis, fiet. Cæterum mors quā hosti paras, sine tuo illi scelere præparata est. Quid iuuat fati cursum properantis impellere, & moriturū sanguine moriturus manus inficere? non scelestum modo sed supervacuum est imperare tua prox mū ac festinans tempus arcessere, quod si valde ue lis nulla possis pietate repellere aut differre: quanto itaquillius atque honestius ille integer & illæsus, tu siccus & innocens, quam vterque cruentus, & tu noxius hinc abibis. G. Vrgeor vlciscendi stimulis. R. Caue, ne cesseris, sed oppone eis memoriam eorum, qui non tantum mites hostibus, sed suētes, ac beneficii fuere, contraque illos tibi propone, qui membra iam cæsis hostibus adhuc rabiem spirantes, nequicquam in non sensura cadauera sæuierunt. Dehinc tecum elige, quorū similis esse malis, neque actus solos, sed & verba confer. Pars enim nō parua crudelitatis in verbis est. Crudelis pes, crudelior manus, cru delissima lingua est. Sæpe enim sæuitiam, quam manus non æquauerat, lingua transcedit, illa vero optima vt crudelitatis sic clementiæ testis est. Sonet igitur ad aurem tibi illa. cuius non multo ante meminimus. Adriani vox, simulque illa Tiberij. de quo scriptum est: quod cum audisset vnum ereis Carnulium nomine anticipasse mortem, exclamauit: Carnulius me euasit. O vox fœda. & si dici potest, ipso vocis authore ferocior, quid vsitati supplicij cogitabat, quod se in vinculis manu sua perimens euasisset? Ecce duo igitur vnius status, sed mentiū diuersatum, vno & eodem verbo quam varie vsi sunt. Ille ad præsentem hostem, euasisti, ait. Hic de absente, euasisti, inquit. Ille suo hosti vitam donauit. Hic inuidit mortem. Elige, quid horū potius ad se dictum uelis dici: an tā quillum aliud uere principis an illud alterum immane carnificis. Nec ignoro, quod sit pompeius iubere ista, quam facere, & quid his obijci possit intelligo. Difficilius in suis, quam in alienis iniurijs mitem esse, difficile fateor, sed bonum. De bono autem, ac difficili omnem esse virtutem, nec tu neges. Virtutis amatoribus sunt cūcta facilia. G. Fixum est vlcisci. R. Vincit pars deterior, obsta illi, dum adhuc potes, victoriamque illi, priusquam ea vti cœperit, eripe, iratamq.

manſuetudinem attollere. Memento hominem: multos quidem vindicaſſe pœnituit, neminem pepercifſe. G. Vltus ſum. R. Vinci a. hoſte præſtabar. Hoſtis victorem vicit ira.

SIMILITVDINES.

Vt pater videns puerum volentem incidere quippiam. ipſe arrepto ferro id facit: Ita ratio vindictam cupiens iræ, caſtigat. *Plut.*

Qui docuit ſagittare, non vetuit iaculari, ſed vetuit ne aberraremus a ſcopo: ita non eſt interdicta punitio, ſed in tempore, & apte facienda. *Plut.*

Cibo iuxta naturam vtitur is, qui eſurit: At vindicta debet vti qui nec ſiuit eam, nec eſurit. *Plut.*

Quemadmodum reus paribus ſententijs abſoluitur, ſic ſapiens, vbi paria maleficijs merita ſunt, magis meminit benefactorum, quã iniuriarum. *Senec.*

Aſpis peſtilentiſſimum malum non vagatur, niſi cum compare, ea interfectorem pertinaciſſime perſequitur: Ita tyrannus filium, aut alium tyrãnidis ſucceſſorem adiungit, ne deſit vltor ſi quid acciderit. *Plin. l. 8. c. 23.*

Quædam remedia triſtiora ſunt ipſo morbo, vt ſatius ſit oppetere mortem, quam his aucupari ſalutem: velut ſugere ſanguinem è vulnere recenti gladiatorum morientium: Ita quandoque ſatius eſt ferre iniuriam, quam maiore incommodo vlciſci: ferre pacem, etiamſi parum commodam, aut æquam, quam bellum cum immenſis malis ſuſcipere. *P. M.*

Vt amnes quidam repente ſe condunt ſub terram, nihilominus eo perferuntur, quo tendunt: Ita numinis ira licet occulta, tamen in extremas calamitates auſert aliquando nocentes. *Plut.*

Vt medici quibuſdam morbis occurrunt, priuſquam appareant: Ita Deus quædam punit, ne fiant. *Plut.*

Quemadmodum Iſchiaticis medici pollicẽ inurunt, & cum alibi doleat, alibi admouent remedium: ſic Deus nonnunquam vt patres ſanet, ſæuit in filios. *Plut.*

EXEMPLA BIBLICA.

Viod cta acceptæ iniuriæ Deo committenda *Exempla*: Ioſeph, *Gen.* 50. 19 Saul, 1. *Sam.* 11. 13 & 24. 12. Dauid. 2. *Sam.* 16. 10. & 19. v. 22. 23. Rex Iſrael, 2. *Reg* 6. 23. Dauid, *Pſal.* 7. 5. Chriſtus, *Eſ.* 53. 7. *Luc.* 23. 24. Stephanus. *Act.* 7. 66. Vindictæ expeditæ, & eorum, q̃ inde conſecuta ſunt *Exempla*: Filij Iacob, *Gen.* 34. v. 25. 26. Samſon, *Iud.* 14. v. 5. 6. Abner, 2. *Sam.* 3. 9. Abſalon, 14. 30. Aman, *Eſth.* 3. 6. Vindictam interdum Sacerdotes. & Prophetæ vi corporali exercuerunt *Exempla*: Moſes per filios Leui iubet occidi idololatras, *Exod.* 32. v. 26. 27. Phinees occidit Zambri & Gozbi, *Num.* 25. v. 7 & 1. *Mach.* 2. 54. Samuel Agagum, 1. *Sam.* 15. v. 32. 33. Elias Propheta Prophetas Baal, 1. *Reg.* 18. 40. Vindictæ propriæ pœnæ *exempla*: Idumæi, *Ezech.* 25. v. 12. 13. Palæſtini, v. 15. 16.

EXEMPLA PROFANA.

Darius Perſarum rex, vt ei nunciatum eſt, Sardes captas incenſaſq; ab Athenienſibus atque Ionibus, & huius comparandæ claſſis fuiſſe authorem Ariſtagoram Mileſium: fertur, cum primũ hæc audiuit, dixiſſe: Ionas nihil feciſſe: probe ſciens, non fuiſſe illos præ contemptu ſui rebellaturos: deinde interrogaſſe, quinam eſſent Athenienſes? Id cum audiſſet: tum arcum popoſciſſe, eoque ſumpto ſagittam, quam impoſuerat, in cœlum excuſſiſſe, & dixiſſe: o Iupiter, contingat mihi, vt Athenienſes vlciſcar. Atq; hæc locutus, cuidam famulorum præcepit: vt ſibi ſemper appoſita cœna diceret: *Here memento Athenienſium. Herod. l. 5.*

Iſter ait, moris fuiſſe Atheniẽſ, vt cognati eorum, qui violenta morte perijſſent, in efferendo funere haſtam adhiberent, aut in tumulo defigerent: ea ratione interfectoribus vltionem denunciarent. *Suidas in voce* ἐπενεγκεῖν.

Semiramis, Aſſyriorum regina, cum ei circa cultum capitis occupatæ nunciatum eſſet, Babylonem defeciſſe, altera parte crinium adhuc ſoluta, protinus ad eam expugnãdam accurrit: nec prius decorem capillorum in ordinem, quam tantam vrbem in poteſtatem ſuam, redegit. Quocirca ſtatua eius Babylone poſita eſt illo habitu, quo ad vltionem exigendam celeritate præcipiti tetenderat. *Val. l. 9 c. 3.*

C. Iul. Cæſar audiens in Gallia aliquot militum agmina conciſa eſſe, iurauit, ſe non ante capillos raſurum, quam ab interfectoribus pœnas repetiuiſſet. Hæc res magnam ei beneuolentiã omnium conciliauit. *Polyænus l. 8.*

HIEROGLYPHICVM.

Per *Leonem telo confoſſum vlciſcendi ſtudium* plerique pingere inſtituerunt. Vulneratus enim leo mira quadam obſeruatione percuſſorem nouit: & in quantalibet multitudine vnum apperit: & ſi detur copia, fœdiſſime lacerat, & diſcerpit. *Pier. Valer. lib. 1. pag. 9. a.*

EMBLEMA.

Iuſta vindicta.

Emblema CLXXI. Andr. Alciat.

Dum reſidet Cyclops ſinuoſi in faucibus antri,
Hæc ſecum teneras concinit inter oues,
Polyanthea Noviſs.
Paſcite vos herbas, ſocijs ego paſcar Achiuis,
Poſtremumque Vtin viſcera noſtra ferant.
Audijt hæc Ithacus, Cyclopaque lumina caſſum
Reddidit, en pœnas vt ſuus auctor habet.
Vide Vltio.

VINVM.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Vinum, Græce οἶνος, ὁ. & οἰνοφόρος, ὁ. vinifer dicitur. Hebr. *Iayn*. Cognationem habet cum *Iaben*, id eſt, amurca, fex, vt ſũt fæces vini. Porro quod vinum lætificet cor hominis, hinc Græ. γαίνω lætifico item γαῖνος. & γάνος, vinum, lætitia, nam *Iod* conſonans. Hebr. effertur inſtar literæ γ gamma apud Græc. γανόω. γανάω. lætifico: γάνυμαι. & γαίνυμαι lætor, γαῦρος, lætus. Vinũ aliqui volunt dictum a vi, quod vim inferat menti, alij vero volunt Græcum eſſe ab οἴομαι quod eſt puto, quoniam qui copioſe bibunt, multa, quæ non ſunt, imaginantur. A vinum fit vinolentus, quod eſt, ebrioſus vino ſe ingurgitans. & vinoſus eiuſdem fere ſignificationis. Vitis a ferendo vino, vindemia, de qua ſupra, & vindemio, vinarium, quod ad vinum ſpectat. Vinacea ſubſtantiuum plurale, quod ſignificat grana vuæ iam paſſæ, & vinaceus adiectiuum. Vnde acinus vinaceus.

LOCI BIBLICI.

Vinea, *Gen.* 9. 20. *Deut.* 23. 24. *Cantic.* 8. 11. *Eſa.* 5. 1. *Matth.* 20. 1. & 21. 33. Vinea a Noe plantatur, *Gen.* 9. 20. diuerſis generibus non ſerenda, *Deut.* 22. 9. vinea proximi non lædenda. *Exod.* 22. 5. *Deuter.* 23. 24. licet ex eius vuis decerpere, & comedere, *ibid.* vinea Dei Iudæi, *Matth.* 21. 33. *Marc.* 12. 11.

Vinum hominis cor recreat, ac reficit, *Iudic.* 6. 53. *Pſalm.* 104. 15. vinum quibus & quando prohibitum, nempe Leuitis ingredientibus Tabernaculum, & Iſraelitis facientibus votum, *Leuit.* 10. 9. *Num.* 6. 3.

Exempla: Vxor Manue, *Iudic.* 13. v. 13. 14. Ioannes Baptiſta, *Luc.* 1. v. 15. vinum in deſerto: Iſraelitæ non biberunt annis 40. *Deut.* 29. v. 6. vinum dat Deus obedientibus. 11. 14. & 28. 39. vinum myrrhatum, id eſt, myrrha conditum, Chriſto crucifixo exhibetur, *Marc.* 15. 23. vinum nouum in vtres nouos infundendum, *Matth.* 9. 17. *Luc.* 5. 36. &c. vini abuſus, quam noxius, *Prou.* 20. 1. & 23. 30. v. 4. 5. *Eſa.* 5. 11. *Epheſ.* 5. 18. *Tit.* 1. 7. & 2. 3. pauculo & modico vino vtendum. 1. *Tim.* 5. 23. vini potatorem eſſe Chriſtum criminantur Iudæi. *Matth.* 11. 19.

POETICAE SENTENTIÆ.

Homer. in ζ. Iliad.

Ἀνδρὶ δὲ κεκμηῶτι μένος μέγα οἶνος ἀέξει.
Viro autem defatigato magnum robur vinum auget.

Idem in ξ. Odyſſ.

Οἶνον καὶ ἄλειτα μυελὸν ἀνδρῶν.

Et primo Epigram.

Οἶνος καὶ τὰ λοετρὰ καὶ ἡ περὶ κύπριν ἔρως
Ὀξυτέρην πέμπει τὴν ὁδὸν εἰς Ἀΐδην.
Vinum & balnea, & circa Venerem amor,
Per velociorem mittit viam in infernum.

Niceratus.

Οἶνός τοι χαρίεντι πέλει ταχὺς ἵππος ἀοιδῷ,
Ὕδωρ δὲ πίνων, καλὸν οὐ τέκοις ἔπος.
Vinum ſane gratioſe magnus eſt equus poetæ,
Aquam autem bibens, bonum non faceres verſum,
Vinum vim habet in igni parem in igne homo
Scite ſpectat dura metalla terra,
Secreta hominum diuerſiloquentium recondita prodit,
Ac vinum exæſtuans nudat mentem,

Hor. 1. epiſt. 5.

Quid non ebrietas deſignat? operta recludit,
Spes iubet eſſe ratas, in prælia trudit inermem.
Sollicitis animis onus eximit, addocet artes.
Fœcundi calices quem non fecere diſertum?
Contracta quem non in paupertate ſolutum?

Ouid. 1. Remed.

Vina parant animos Veneri.

Idem 1. amor.

Nox & amor vinumque nihil moderabile ſuadent,
Illa pudore vacat. Liber, amorque metu.

Idem 1. Art.

Ebrietas vt vera nocet. ſic ficta iuuabit.

Idem 2. Remed.

Aut nulla ebrietas, aut tanta ſit, vt tibi curas
Eripiat: ſi qua eſt inter vtrumque nocet.

Idem 1. Art.

Vina parant animos, faciuntque caloribus aptos.

Cura fugit, multo diluiturque mero.
Tunc veniunt risus, tunc pauper cornua sumit,
Tunc dolor & curæ, rugaque frontis abit.
Tunc aperit mentes æuo rarissima nostro
Simplicitas, artes excutiente Deo.

Tibul. 1.7.

Bacchus & agricolæ magno confecta labore,
Pectora tristitiæ dissoluenda dedit.
Bacchus & afflictis requiem mortalibus adfert,
Crura licet duro compede pulsa sonent.

Plaut. Aul.

Nimis vinum vile, atque amor,
Si ebrio, atque amanti impune facere, quod lubeat licet.

Idem Pseud.

Magnum hoc vitium vino est, pedes capiat primum:
Luctator dolosus est.

Idem Truc.

Mihique ignoscas,
Quod animi impos, vini vitio fecerim.

Ibidem.

Nam vinum si
Fabulari possit, se defenderet, non vinum moderari,
Sed vino solent, qui quidem probi sunt.

Propert. 2.33.

Vino forma perit, vino corrumpitur ætas.

A P O P H T H E G M A T A.

Anacharsis. Quidam in conuiuio videns vxorem Anacharsidis: Vxorem, inquit, deformem duxisti, Anacharsi. Hic Anacharsis: Prorsus ita mihi videtur, inquit: sed heus puer, infunde mihi meracius, vt eam reddam formosam: Indicans, vinum adimere homini rectum iudicium. *Athen. l. 9.*

Idem dicebat, vitem ferre tres botros: primum voluptatis, alterũ ebrietatis, tertium molestiæ. Sentiens, parcum vini vsum esse iucundum, quia sedat sitim: largiorem gignere temulentiam: largissimum parere rixas, cædes, ac morbos. Simile huic quod alibi dictum est: Primum craterem pertinere ad sitim, alterum ad voluptatem, tertium ad ebrietatem, quartum ad insaniam. Dictum erit iucundius, si cogites, in Scythia non esse vites. *Laert. lib. 1. c. 9.*

Cicero apud Damasippum cœnans, quum conuiuator mediocre vinum appofuisset, idque conuiuis a vetustate cupiens commendare, diceret: Bibite, Phalernum hoc quadraginta annorum est: Bene, inquit, fert ætatem. Hoc modo de homine loqui solemus, cuius formæ viribusque non multum detraxit ætas. At ridiculum erat, vinum ab immodica vetustate commendare. *Plut. in Cic.*

S I M I L I T V D O.

P. M. Muli calcitratus vino crebro inhibetur: Mulieris petulantia vino prouocatur. *Infimul.*

E M B L E M A T A.

Vino prudentiam augeri.

Emblema xxii. Andr. Alciat.

Hac Bacchus Pater, & Pallas communiter ambo
Templa tenent, soboles vtraque vera Iouis.
Hæc caput, ille femur soluit: huic vsus olivi
Debitus, inuentis prœmium at ille merum.
Iunguntur merito: quod si qui abstemius odit
Vina, Deæ nullum sentiet auxilium.

Prudentes vino abstinent.

Emblema xxiv.

Quid me vexatis ramis? sum Palladis arbor,
Auferte hinc botros, Virgo fugit Bromium.

Vide Ebrietas.

V I O L E N T I A.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

Violentia, vis maior, impetus. Græc. Βία. Heb. *Chamas*, violentia, iniustitia, rapina, fraus, calumnia, a verbo *Chamas*, violauit, violenter egit, vim & iniuriam intulit, *Tachmas*, auis rapax, & violenta. Dicitur etiam *Hoschek*, a verbo *Haschak*, fraude aliquid abstulit, vi fraudulenta aliquam oppressit.

L O C I B I B L I C I.

Violentia damnatur, *Ezech. 46. v. 18.* violentiæ merces, *Prouerb. 11. v. 24.* violenti rapiunt regnum Dei, *Matth. 11. v. 12. Luc. 17. 19.*

S E N T E N T I Æ P A T R V M.

Nemo inuitus bene agit, etiamsi bonum est, quod facit. *August. lib. confess.*

Multa bona præstantur inuitis, quando eorum consulitur vtilitati, non voluntati; quia ipsi sibi inueniuntur esse inuiti. *In Enchirid. cap. 72.*

In Ecclesia non coactum, sed acquiescentem oportet ad meliora conuerti. Non est enim, qui curare possit inuitum. *Chrys. in dialog. lib. 2.*

P H I L O S O P H. P L A C I T A.

Violentia est, cum agendi causa, a quo cogimur fuerit externa. *Arist. in mag. mor. c. 13.*

Violentia duplex est, alia præter naturam, alia supra naturam, qua ignis, & aer feruntur in gyrum. *Simpl. in 1. de cæl. T. c. 12.*

Violentia non inest, nisi in respectu naturæ, & si res non habuisset motum naturalem, non intelligeretur habere motum violentum. *In 1. de cælo, T. 70.*

Violentia est, vt aliquod corpus moueat aliquod corpus ab extrinseco, ita quod non sit in natura motoris illius corporis, vt moueat illud, quod ex eo mouetur semper, sed in aliqua hora. *Auer. 3. de cæl. T. 20.*

Violenta, quæ mouentur, non habent principium motus in seipsis, sed principium motus est ab extrinseco. *D. Thomas in 7. Phys. lib. 1. T. 1.*

Violentia est, cum aliquod mouetur ab aliquo exteriori agente ad aliud, quod ex propria natura aptitudinem non habet. *Thom. in 5. met. l. 6. T. 6.*

Violentia, quod euellis, aliquid secum, seu partem, seu vestigium euulsionis ipsius, & eius, ex quo eradicatur, trahere solet. *Porph. de abstin. animal.*

Plus valet, quod violentia cogit, quam quod suadet, & præcipit verecundia. *Val. Max. l. 3.*

Nulla res tam facilis, quin difficilis sit, si inuitus facias. *Seneca in Epist.*

Da operam, ne quid vnquam inuitus facias. Non enim qui iussus aliquid facit, miser est: sed qui inuitus. Itaque sic animum componamus: vt quicquid res exigit, id velimus; & in primis finem nostri sine tristitia cogitemus. *Idem ep. 8. 62.*

E X E M P L A P R O F A N A.

Lysander, cum Argiui de ditionis finibus ambigerent cum Lacedæmoniis, asseuerarentque, se iustiorem habere causam: *Lysander* stricto ense, qui hoc, inquit, superior est: is optime de finibus disputat. Ab æquo & bono vir insolens ad vim prouocauit. *Plut. in Lacon.*

Themistocles, quum apud Andrum argentum peteret: duos, inquit, ad vos adduco Deos, vim ac suasionem: significans, si minus impetraret suadendo, se vi repturum. At illi responderunt, apud se quoque duas magnas esse Deas, inopiam & impossibilitatem, per quas non liceret dare, quæ petebat. *Plut.*

Quidam ex his, quos *Cæsar* de proroganda prouincia Romam miserat, stans in senatu: simulatque cognouit, Cæsari senatum non dare prorogationem, manu capulum percutiens: at hic, inquit, dabit: vim Reip. minitans. *P. M. l. 4. apoph.*

Vide Potentia, Vis.

V I R.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Vir, nomen sæpe dignitatis est, refertur enim ad virtutem, vimque animi, & corporis. *l. 1. C. de dignit. l. 13.*

Vir bonus in iure ciuili idea est. Item, Vir bonus dicitur qui facit alteri, quod sibi vult fieri. *lib. 1. circa medium ff. de solut. Iac. Spiegel in Diction.* Orator vir bonus dicitur, dicendi peritus.

Vir a vi dicitur, quod viribus, & robore præstet Græc. ἀνήρ. Hebr. *Isch*, præstans virtute, & potentia a verbo *Isch*, fortem se præstitit, viriliter egit. Conuenit aliquantum cum *Enosch*, id est, homine misero. Ab *Isch*, verbum Græc. ἰσχύω id est, viribus valeo, fortis sum, & validus. 2. *Geber*, superans alios virtute, authoritate, dominio. *Gheborim*, viri dicti, fortes: a verbo *Gabar*, Superauit authoritate, & potentia superior fuit. *Gibbor*, fortis, præualidus, inuictus, qui gubernat alios. Inde Græc. κυβερνάω, guberno, κυβερνήτης, gubernator, &c.

L O C I B I B L I C I.

Vir, pro indefinita particula, quidam, *Actor. 8. 27.* pro quouis homine, *Gen. 49. v. 6.* Vir a muliere seductus, 3. v. 6. 12. 1. *Tim. 2. v. 14.* Vir mulieris caput est, 1. *Cor. 13. 3. Ephes. 5. 23.* & dominus, *Gen. 3. 16. & 18. 12. 1. Petr. 3. v. 1. 6.* vir imago & gloria Dei est, 1. *Cor. 11. 7.* hoc est, imago gloriæ Dei, in qua nimirum elucet Dei maiestas, & imperium. Est enim vir in supremo gradu collocatus in hoc mundo. Viri gloria mulier, 1. *Cor. 11. 7.* Non vir ex muliere, sed mulier ex viro: neque vir propter mulierem, sed mulier propter virum condita est, 1. *Cor. 11. v. 8. 9.*

Viri vxores suas diligere debent, *Ephes. 5. versicul. 25. 28. 29. 33. Coloss. 3. 19.* Viri quomodo orare debeant, 1. *Corinthiorum* 11. 4, 1. *Tim. 2.*

1.*Tim*.2.*v*.8.virorum erga vxores officium.1.*Pet*.3.7.*Ephes*.5.25. *Coloss*.3.19.

Vir belli,id est,magnus bellator, vel bellicosissimus, *Exod*.15.3.1. *Reg*.5.3.*Esa*.42.13.*Ierem*.36.4.& 49.2.26.30.& 25.v.7. *Ezech*.27 v.10.27.*Ose*.2.7.*Ioel*.3.9.Viri belli,pro viri ad bellum apti,& idonei,*Deut*.2.14. viri Belial,pro hominibus nequam, 1.*Reg*.21.10. vir mortis,id est,reus mortis, 2.26. viri nominis,id est,celeberrimi,*Gen*.6.4. *Num*.16.2,1.*Paral*.5.24.viri roboris,id est,strenui, 2.*Sam*.24.9.*Esa*.5.22,vir sanguinarius,2.*Sam*.16.7. *Psal*.26.9. & 55.24. Vir Dei Propheta,1.*Sam* 9.6. vir ne vtatur veste muliebri,*Deut*.22.5.vxorem habeat,1.*Cor*.7.v.2. Virorum raritas in excidio Ierusalem,*Esa*.4.v.1.

Virago.*Genes*.2.23.viriliter agendum,*Deut*.21.6.

SENTENTIÆ BIBLICÆ.

Viri perfectæ vitæ homines memorantur.*Iob* 37.

Vir caput est mulieris.1.*Cor*.11.

Quando factus sum vir,euacuaui,quæ erant paruuli,1.*Cor*.13.

SENTENTIAE PATRVM.

Vir enim dicitur a virtute, eo quod libidines vincere debet. *Aug. lib*.3.*serm*.13.

Viri sunt,qui perfectis gressibus per viam Dei non fluxe, & eneruiter currunt,sed viriliter. Greg. *Mor*.*l*.26.*sup*.*illud Iob* 23. *De eius ... facerunt gemere.*

Scriptura sacra viros vocare consueuit, qui vias Domini fortibus, & non dissolutis gressibus sequuntur. *Idem* 38.*super illud Iob*, *accingere sicut vir lumbos tuos.*

Ego non fœminis,sed viris loquor: quia hi,qui fluxa mente sunt, verba mea percipere nequaquam possunt. Carnalis enim voluptas, & fœmina,mollicies,aut fluxa leuitas,& desidiosa ociositas effœminant. *Greg. Moral*.28.*super illud Prou*.*O viri ad vos cla.*

Bonus vir non audet quicquam cogitare,aut facere,quod non audeat prædicare. Semper ita viuamus,vt rationem nobis reddendam arbitremur.*Lact*.*Firm*.*l*.*diuin*.*inst*.

POETARVM DICTA.

Horat.lib.1.Epist.17.

Vir bonus est quis?
Qui consulta patrum,qui leges iuraque seruat.

Idem epist.17 lib.1.ad Quintium.

Vir bonus & sapiens audebit dicere,Pentheu
Rector Thebarum,quid me perferre patique
Indignum coges? adimam bona.nempe pecus,rem,
Lectos.argentum: tollas licet,in manicis,&
Compedibus,saeuo te sub custode tenebo.
Ipse Deus simulatque volam,me soluet,opinor,
Hoc sentit,moriar.

Vir bonus,ex Virgilio.

Vir bonus & prudens,qualem vix repperit vnum
Millibus è cunctis hominum consultus Apollo,
Iudex ipse sui,totum se explorat ad vnguem.
Quid proceres,quid leuis procax,quid opinio vulgi,
Securus,mundi instar habens,teres atque rotundus,
Externæ ne quid labis per leuia sidat,
Ille dies quam longus erit sub sidere cancri,
Quantaque nox tropico se porriget in capricorno,
Cogitat,& iusto trutinæ se examine pensat,
Ne quid hiet,ne quid protuberet,angulus æquis
Partibus vt constet,nil vt declinet amussis,
Sit solidum,quodcumque subest,nec inania subtus
Indicet admotus digitis pellentibus ictus,
Non prius in dulcem declinet lumina somnum,
Omnia quam longi reputauerit acta diei.
Quæ prætergressus,quid gestum in tempore,quid non,
Cur isti facto Deus affuit aut ratio illi?
Quid mihi præteritum? cur hæc sententia sedit?
Quam melius mutare fuit? Miseratus egentem
Cur aliquem fracta persensi mente dolorem?
Quid volui,quo nolle bonum foret? Vtile honesto
Cur malus ante tuli? num dicto,aut denique vultu
Perstrictus quisquam? Cur me natura magis quam
Disciplina trahit? sic dicta & facta per omnia
Ingrediens,ortoque & vespere cuncta reuoluens
Offensus prauis dat palmam,& præmia rectis.

Rari boni viri. Iuuen.Sat.13.

Quæ tam festa dies,vt cesset prodere furem?
Perfidiam fraudes atque omni ex crimine lucrum
Quæsitum,& partos gladio vel pyxide nummos?
Rari quippe boni,numero vix sunt totidem,quot
Thebarum portæ,vel diuitis ostia Nili.

Horat.lib.4. Od.9.ad Marcum Lollium Consulem.

Non possidentem multa vocaueris
Recte beatum,rectius occupat

Nomen beati, qui Deorum
Muneribus sapienter vti,
Duramque callet pauperiem pati,
Peiusque letho flagitium timet,
Non ille pro charis amicis,
Aut patria timidus perire.

Hor.art.

Beatus est vir,qui aduersa æquanimiter fert.
Conuersis studiis ætas,animusque virilis
Quærit opes,& amicitias,inseruit honori,
Commisisse cauet,quod mox mutare laboret.

Sen.Hip.act.2.

Detestor omneis,horreo,fugio,execror,
Sit ratio,sit natura,sit durus furor,
Odisse placuit,ignibus iungens aquas,
Et amica ratibus ante promittet vada
Incerta Syrtis; ante ab extremo sinu
Hesperia Tethys lucidum attollet diem,
Et ora damis blanda præbebunt lupi,
Quam victus animum fœminæ mitem geram.

Ouid.epist.18.

Vrimur igne pari,sed sum tibi viribus impar:
Fortius ingenium suspicor esse viris.
Vt corpus teneris sic mens infirma puellis,
Deficiam,parui temporis adde moram.

Ouid.15.Met.

Excipit autumnus posito feruore iuuentæ,
Maturus,mitisque inter iuuenemque senemque
Temperie medius,sparsis quoque tempora canis.

Ouid.de medic.faciei.

Nec tamen indignum sit vobis cura placendi,
Dum comptos habeant sæcula nostra viros.
Fœminea vestri potiuntur lege mariti,
Et vix ad cultus nupta,quod addat,habet.

Ex Comicis Græcis.

Ἀνὴρ δὲ χρηστὸς χρηστὸν οὐ μισεῖ ποτέ.
Non odit vmquam vir probus virum probum.
Τοιοῦτο γὰρ ὁ ἄλλ' ἔργα χρηστὰ γίγνεται.
Proba illius sunt facta,cui mens est proba.
Ἐσθλῷ γὰρ ἀνδρὶ ἐσθλὰ καὶ δίδωσ' Θεός.
Bono viro etenim dat Deus,quæ sunt bona.
Ζηλῶ τινὰ ἐσθλὸν ἄνδρα καὶ τὸν σώφρονα.
Probo viro illo temperantisque amulus.

PHILOSOPH. SENTENTIÆ.

Prope est a te Deus,tecum est,intus est,sacer intra nos spiritus sedet, malorum bonorumque nostrorum obseruator, & custos: hic,prout a nobis tractatus est,ita ipse nos tractat. Bonus vir sine Deo nemo est: an potest aliquis super fortunam, nisi ab illo adiutus,exurgere? ille dat consilia magnifica,& recta,in vnoquoque virorum bonorum,quis Deus incertum, habitat tamen Deus. *Ad Lucil*.*Senec*.*l*.5.*epist*.44.

Non est vir bonus habendus is, qui honestis actionibus non lætetur.*lib*.1.*Ethic*.*c*.8.

Viro quidem bono,id bonum,quod verè bonum est: improbo autem,quod occurrit,videtur.*l*.3.*Ethic*.*c*.4.& *l*.2.*Mag*.*Moral*.*c*.8.

Vere de omnibus vir bonus iudicat: & facile,quid in re quaque veri sit,perspicit.*ibid*.

Propria est sua cuiusque habitus,& honestas,& voluptas, excellit que vir bonus plurimum in perspiciendo, quid in quaque verum sit,quasi omnium rerum mensura,& norma.*l*.3.*Ethic*.*c*.4.

Est boni viri,quod bonum sit gerere,atque suam ob causam. Atq; etiam manere vult in vita,& saluus esse: eamque maxime partem vult incolumem,quæ maxime valet prudentia.*l*.9.*Eth*.*c*.4.

Vir bonus is est,quem nullius omnino rei possit pœnitere.*ibid*.

Quia multa boni viri in seipsum pietatis officia sunt: in amicum non alio animo est,quam in seipsum.*ibid*.

Quod aiunt multa,virum bonum,& amicorum causa, & Reipublicæ gerere solitum: &, si opus erit,mortem etiam oppetere, id verum est.*ibid*.

Vir bonus breui tempore summam mali,quam longo leuem percipere voluptatem.*ibid*.

Quod per se suaque vi bonum est, id bono viro sua sponte bonum est,ac voluptati.*lib*.9.*Ethic*.*c*.9.

Viri boni a quoque vulgi differunt: quemadmodum aiunt interesse inter pulchros, ac deformes: & inter ea,quæ arte depicta sunt, & ea quæ vera.*ibid*.

Vir sapiens,& bonus,& in paupertate, & in morbo,cæterisque rebus aduersis,decorum conseruabit.*lib*.7.*de Repub*.*c*.13.

Ergo in homine quoque nihil pertinet, ad rem pertinet quantum aret, quantum fœneretur, a quam multis salutetur, quam precioso incumbat lecto, quam pellucido poculo bibat, sed quam bonus sit. Bonus autem est: si ratio explicita,& recta est,

&ad naturæ suæ voluntatem accommodata. Hæc vocatur virtus, hoc est, honestum, & vnicum hominis bonum. Nam cum sola ratio perficiat hominem, sola ratio perfecte beatum facit, hoc autem vnum hominis bonum est, quo vnus beatus efficitur. *Senec. epist. 77.*

Vir bonus non potest non facere, quod facit, non est enim bonus, nisi fecerit. *Idem lib. de benefic.*

Est igitur vlla res tanti, aut commodum tam expetendum, vt viri boni nomen & splendorem amittas? *Cic. lib. de offic.*

Iam vero qui potest vir bonus non ad id, quod laudabile sit, omnia referre, quæ agit, quæque sentit? Refert autem omnia ad beate viuendum. Beata ergo vita laudabilis: nec quicquam sine virtute laudabile. Beate igitur vita virtute conficitur. *Idem lib. vlt. Tusc. quæst.*

Nihil est enim Deo similius, & gratius, quam vir animo perfecto bonus, qui tam hominibus cæteris antecellit, quam ipse a Dijs immortalibus distat. *Luc. Apul. de Deo Soc.*

Vir bonus est, qui prodest quibus potest, nocet autem nemini. *Cic. 3. Offic.*

Vir bonus non modo facere, sed ne cogitare quidem quicquam audebit, quod non audeat prædicare. *3. Offic.*

Vir bonus nihil cuiquam, quod in se transferat, detrahet. Itaque in virum bonum non cadit mentiri, emolumenti sui causa, criminari, præripere, fallere. *De Vniuers.*

Non est res vlla tanti, aut commodum vllum tam expetendum, vt viri boni splendorem, & nomen amittas. *3. Offic.*

Vt quisque est optimus, ita difficillime esse alios improbos suspicatur. *Cic. ad Quint. frat.*

Sancti viri, & religionem colentes sunt, qui meritam Dijs immortalibus gratiam iustis honoribus, & meritis, & memori mente persoluunt. *Pro Plancio.*

Omnes viri boni æquitatem, & ius ipsum amant. Nec est viri boni errare, & diligere, quod per se non diligendum, & colēdum. *1. de leg.*

Pro viro eum non habuerim, qui nec hostibus est infensus, nec suæ salutis authores beneuolentia prosequitur. *Dionys. Halicarnas. lib. 2.*

Equidem existimo indignum viro, cui virtus quantulæcumque curæ est, si sine vllo discrimine inimicos, & amicos occidat, & grauem, atque implacabilem iram gerat in eos a quibus aliqua iniuria fuerit affectus, præsertim vero si sæpius pœnas de illis, easque acerbas sumpserit. *lib. 8.*

Nullus vnquam è mortali, & caduco semine vir absolute bonus nascetur. *lib. eod.*

Vir viro præstat. *Dion. l. 3. 5.*

Si quis thesaurum reperiat, ditior quidem fuerit, non autem rei familiaris administrandæ peritior: &, si morbo affectis hostibus, victoria potiatur, fortunatior quidem sit, at disciplina rei militaris nihilo instructior. At qui tolerantia laborum antecellit, vbi laborandi sit tempus, & roboris, vbi fortitudinis sit certamen propositum, & mente, vbi res consilium poscit: hic profecto mihi videtur iure optimo vir bonus omnino putādus. *Xen. Orat. de Agesilai laudib.*

Tam viri boni officium esse iudico, seipsum patriæ vsibus conseruare, cauereque ne temere pereat, quam officio suo, neque dicēdo deesse, neque agendo, neque mortem etiam pro salute eius detractare. *Dion. lib. 45.*

Turpe est quicquam mali perpetrare. bene autem agere nullo periculo proposito, multorum: id vero proprium boni viri est, etiam cum periculo suo honestatem in agendo sequi. *Plutarch. in Mario.*

Non tantum in bacchanalibus, verum etiam in contentionibus, & ita bonum honesteque institutum ingenium sibi constat, decorumque tuetur. *Plut. in Tiber. Graccho.*

Viri boni existimatio res est, quæ innumerabilibus laudibus continetur. *Valer. Max. lib. 7. c. 2.*

Vnum boni viri verbum, vnus nutus, sexcentis argumentis, ac verborum continuationibus parem fidem meretur. *Plutarchus in Phocione.*

Mihi videntur boni viri, atque præstantes nihil pluria facere debere, quam vt necubi officium prætermittatur. *Polyb. l. 4.*

Sub tyranno egregijs viris gloriæ, & pericula gliscunt. *Tacit. Annal. lib. 15.*

Ciuis, senator, maritus, gener, amicus, cunctis vitæ officijs æquabilis, opum contemptor, recti peruicax, constans aduersus metus. *Tacit. hist. l. 4.*

Absurdum est putare eum qui ab aliquibus ex bono malus fuerit factus, eumdem ab illis iterum ex malo bonum fieri posse. *Dionys. Halic. 11.*

Minutius a Fabio Maximo, quem antea ob cunctationem in bello spreuerat, ea manibus Annibalis feliciter ereptus, cum in castra reditum esset, conuocatis militibus: Sæpe ego, inquit, audiui (milites) eum primum esse virum, qui ipse consulat quid in rem sit: secundum, eum qui bene monenti obediat: qui nec ipse consulere, nec alteri parere scit, eum extremi ingenij esse. Nobis quoniam prima animi ingenijque negata sors est, secundam ac mediam teneamus: & cum imperare nescimus, parere prudenti in animum inducamus. *Liu. Decad. 3. l. 2.*

Is demum vir erit, cuius animum nec prospera fortuna flatu suo efferet, nec aduersa infringet. *Liu. Decad. 5. l. 5.*

Sapienti viro non decorum fuerit, vnde amico infamiam parat, inde gloriam sibi recipere. *Tacit. Ann. l. 14.*

Principes atque optimi mortalium, vitæ decore potius, quam quæsitus nominibus, atque compositis cœlum adeunt, seu fama hominum Dei celebrantur modo. *Aurel. Victor.*

Magni homines virtute non fortuna a prudentibus metiuntur. *Aemyl. Probus in Eumene.*

Omnes iustos bonosque viros maior post mortem laus sequitur; inuidia non multum post temporis superueniente, nonnumquā etiam ante eorum exitum, moriente. *Plut. in Numa.*

Sciant quibus moris est illicita mirari, posse etiam sub malis principibus magnos viros esse: obsequiumque ac modestiam, si industria, ac vigor adsunt, eo laudis excedere, quo plerique per abrupta, sed in nullum rei post vsum, ambitiosa morte inclaruerunt. *Tacit. in vita Agric.*

S ᴀ ᴍ s ʟ ɪ ᴛ ᴠ ᴏ ɪ ɴ ᴇ ᴀ.

Gregorij Nisseni. Vt fragrantia aromata suo odore circumfusum complent aerem: Sic boni viri præsentia proximos iuuat. *Apud Anton. in Meliss. par. 2. serm. 31.*

Antonij Monachi. Quemadmodū odoratissima aromata, & eximia, etiamsi in vase condita sint, fragrantia sua tamen explent odorandi sensum, non solum eorum, qui prope adstant, sed etiā eorum, qui longius semoti sunt: Ita sanctus animus, & virtutis cupidus, & honeste factorum, & ad pietatem pertinentium rationem habens, vel nihil tale cogitans, omnibus modis erit nobilissimus, & clarissimus. *In Meliss. par. 2. serm. 31.*

V I R E S.

Loci Biblici.

Viribus nostris non vult Deus nos quicqnam tribuere, *Ios. 24. 8: &c. Iud. 7. 2. &c.* Vires tribuit Deus, *Deut. 7. 18.* de viribus diffidit Gedeon. *Iud. 6. 15.* Vide violentiæ etymon.

Philosoph. Sententiae.

Vires retento spiritu augentur. *Arist. de gener. anim. 2. c. 2.*

Vires sensitiuæ, vt sunt actus organorum corporalium per accidens supponunt actioni cœlestium corporum. *D. Thomas in periherm.*

Vires omnibus sufficientes tribuit ipsum bonum. *Dion. Areopagit. de diuin. nom.*

Vires omnes cum sensu, ex corpore agentes, tunc primum pullulant ad effectum, cum animus ipso intelligibili non perseuerat, similis terræ iam deprauatæ, quæ cum triticum sæpe susceperit, reddit lolium. *Porph. de abstin. anim.*

De viribus corporis. Dial. v.

Francisci Petrarchæ,

Gav.

Viriū satis, immo multum contigit. R. Quæ de forma ac valetudine dicta sunt, relege. Similium similis disciplina est. G. Multum est virium. R. Vide, ne quid aggrediare virium fiducia, quo imbecillis appareas. G. Abunde est virium. R. Taurina gloria. G. Plurimum est virium. R. Plusculum Elephanti. G. Virium nimis est. R. Facile crediderim id quidem. Super ea cessus autem in vitium vergit, seu ipsum est vitium. G. Nimis est virium. R. Nimietas hæc, si ad mediocritatem redeat, bene erit. Quid si ad defectum transeat? Quid si hoc robur fragilitas insignis excipiat? Crede mihi, nullæ tantæ vsque corporum vires, quæ vel labore immodico, vel morbo acri, vel cuncta vincente senio non frangantur, infatigabilis, & inuicta, & vis animi est. G. Ingens robur est corporis. R. Nemo Milone robustior, Clariores multi. R. Vastum & prævalidum corpus est. R. Præstantissima rerum virtus mole corporea non eget in animis habitans. G. Nihil his viribus difficile. R. Immo impossibilia permulta, atque illud imprimis, vt q in corpore spem posuit in altum scandat. G. Iam supra hominē vires sunt. R. Hac in re qui superior cunctis hominibus euaserit, multis tamen animantibus inferior erit. G. Nihil his viribus metuendum. R. Imo nunc maxime. In magnam enim virium fiduciam magnis viribus accingitur fortuna, & interdum extra æquo congredi indignans; vt ostendat, quam fragile animal est homo (dum sibi etiam robustissimus videtur) giganteos viros leui prælio confecit, Herculem ab omnibus inuictum vis latentis mali vicit. Milonem ipsum cunctis celebratum, & cognitum palæstris arbor vna detinuit, lacerandumque feris obtulit. Sic robur illud eximium sine exemplo fissæ quercus robori impar inuentum est. Tu viribus tuis fidis? G. Vires immensæ sup-

petunt

petunt. R. Omne immensum laborat mole sui. G. Vires in augmento sunt. R. Natura ferme rerum omnium hæc est, vt cum ad summam peruenerint, descendant, idque non æquo gressu. Ascensus enim lentior, descensus præceps, hæ quoque vires cum crescere desierint, non consistent, & primo quidem clanculum, post apertius tandem ruent. Omnes res mortalium præter animum solum æque fugiunt, sed non æque omniũ fugæ vestigia apparent, nisi forte minus erunt animalia, quæ vel tenebris, vel tacito repunt nisu, vel quoniam id quoque traditur, itineris indicium caudis premunt. G. Corporis mei viribus glorior. R. Quid faceres tuis? Cogita vero, quã tarum ipse sis virium, illæ enim non tuæ sunt, sed hospitij, imo carceris vires tui. Vanum est autem, cum ipse sis fragilis forti habitaculo (dicam melius) forti aduersario gloriari. G. Viribus meis lætor. R. Quid hic dicã nisi poeticum illud? *Non longum lætabere, inque laticia lacunis veniant querela.* Meministi, vt is ipse tam validus, quem bis modo memoraui, de suis viribus in senectute conqueritur.

SIMILITVDO.

Theiuari. Quo vas aliquod augustius, & breuius, eo citius exsuperat: Et quo quisque viribus impotentior, eo vel in paruis rebus gloriosior. *In apoph.* 11.

Vide Potentia, Robur.

VIRIDARIVM.

DEFINITIO, ET ETYMOLOG.

Viridarium, Græc. *παράδεισος*, a *Persico, Pardes.* Hebr. *Chan.* vn *verger.* ad verbum *vn verdier.* locus amœnus, virentibus arboribus, plantis & stirpibus viuis consitus.

SENTENTIÆ PHILOSOPH.

De viridarijs. DIAL. LVIII.

Francisc. Petrarch.

GAV.

Amœna mihi sunt viridaria. R. Habent hæc interdum fateor, honestæ aliquid voluptatis, nonnumquam etiam inhonestæ, æque igitur studiosos, ac voluptuosos videas vmbrosis secessib. delectari. Nam & ingenium locus excitat, & ad pœnitentiam quosdam, alios ad incontinentiam, & lasciuiam exhortatur. Nec do nihilo eis, quod summus orator, dum infesto reo adulterium obijceret, amœna, in quibus in commissum esset, loca descripsit. quasi ad flagitium stimulos, non locis ergo, sed animo gaudendum est, si talis obtigit, qui bene locis omnibus vti norit. G. Secretis viretis affluo. R. Secretum Tyberij viretum, & secessum capræ quis ignorat? Pudet pigetque exequi, quæ itidem omnibus nota sunt, ille senex Hircinus loca illa seposita quibus probris infecerit. Quanto autem gloriosius arido in rure exul Scipio Africanus vixerat, quam suis in voluptatibus princeps ille Romanus? Repeto igitur. Non in locis, neque vllis præter animum rebus, habitat omnis vestra felicitas. Vnde & qui solitariam vitam recessusque abditos laudarunt, sic intelligi voluerunt, si his animus vti sciret, & non aliter, proinde quem tu de viretis tuis fructum colliges, expectandum erit: ac tum demum quid pronũciem videro. Nam si locis tantum gloriaris, quæ tua nudiustertius non erant, & tua forsitan cras non erunt, ac si rite consideres, tua etiã nunc non sunt, alieno procul dubio gloriaris? Quis hic gloriæ tuæ locus? Quid adre, si gelidæ per æstatem Alpes? Si Olympus nubibus altior? Si ramosus ac frondifex Apenninus? Quid si lucidus Mincius? Si amœnus Athesis? Si sonorus Sorga? Hæ si laudes sunt, certe non suni hominum, sed locorũ, tuum sit, expedit, quo lauderis. G. Decoris spacior viretis. R. Refert, quænam curę interim tuo in pectore spacientur. Nam quid iuuat arcula in ebusnea vnguenta olida condidisse? quid pulchris in locis turpem animum? Quot in rupibus horridis sanctissimi floruerunt viri? Quot in pratis virentibus turpes adulteri marcuerunt? adde, quod non animis solum, sed corporibus vitæque hominum interdum loca huiusmodi nocuisse compertum est, non tantum haustu aeris immodico, sed ferro etiam occultoque impetu. Quis non legit apud Curtium amœnissimos nemorum recessus, & vireta illa Medorum manu consita regum, ac Satraparum curam, & præcipuam (vt perhibent) voluptatẽ? Atqui in illis iussu ebrij, ac vesani regis adolescentis interfectus est Parmenio clarus senex, & (ni fallor) Macedonum primus ducum. Quis non nouit Caietani littoris flexum illum, quo nullus sub cœlo pulchrior, nullus amœnior, illic iussu temulenti, & crudelis Antonij occisus est Cicero. Et poterat vtcumque tanto viro locus conuenire, vt postquam scilicet Romæ non fato vetitum erat, florido in rure moreretur florentissimus oratorũ, vitǽque optimus. Sed & modus & author mortis prorsus indignus fuit. Spaciabatur illis forte tunc in locis Cicero vrbanas fugiens procellas, & vel ad philosophiam, viræque cultum suo more noui aliquid cogitabat, vel Remp. miseratus de statu patriæ conceptum dolorem animi oculorum oblectatione leniebat, quando ab illo omnis hoste virtutis immissi carnifices talẽ virum abstulerunt mundo, qualem (vt auguror) sæcula nulla restituent. Sic est igitur. loca delectabilia sæpe insidijs opportuna sunt, dum licentius ibi laxiusque degitur, aduersisque magis sensibus a circumspectione periculi. Nam & laqueo densis siluis feræ, & visco volucres, facilius in armis viridibus capiuntur. G. Lætus in viridarijs. & curarum vacuus dego. R. Lætitia curarũque vacuitas cautioni semper aduersa est, dum sua nempe quisque pericula, dum communem humani generis statum omnes artius cogitant, vix aut lætus valde, aut curarum vacuus quisquam viuet, neque locorum species, neque opum spes obliuionem attulerit impendentium malorum. G. Libenter in viridarijs meis versor. R. Non hercule libentius, quam apri, & vrsi. Nõ refert autem vbi sis, sed quid ibi agas. Numquam te locus nobilitauerit. sed tu locum, neque; id aliter, quam præclarum ibi, & insigne aliquid moliendo.

Polyantheæ Nouiss.

VIRGINITAS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Virginitas, Græce *παρθενία, ας, ἡ*, & *παρθένος, ου, ὁ* virgo, *παρθένιος, α, ον*. virginalis dicitur. Hebr. plur. numero effertur nempe *Bethulim*, id est, virginitates, signa virginitatis *Bethulah*, virgo nubilis, & incorrupta. Cognationem, habet cum *Baschal*, id est, maturuit. Est autem virginitas per puram continentiam ab omni concubitu immunis, & in carne corruptibili incorruptionis perpetua meditatio, *secundum Augustinum*. Dicitur autem a viror, qui importat immunitatem a concupiscentiæ adustione circa delectationes Venereas. *ex B. Thom.* 2. 2. q. 152.

Virgo a viridiori ætate, hoc est, ualidiore, appellata est. Virgilius de Pasiphae matre trium filiorum dixit: *Ah virgo infelix. quæ te dementia cepit.* Adulta uirgo aliquando secundum Ouid. intactam, & rei Venereæ expertem significat. Ouid. *A mane, & cupido credatur reddita virgo?* Virgo nunc nomen communis generis est, tam marem, quã fœminam significat rei Venereæ expertem. A virgo fiunt virginitas, virgineus, quod est, aut fuit virginis: Virgineus: uirginalis, dignus uirgine, uirgunculam ueteres paruam uirginem dixere.

LOCA BIBLICI.

Virgo desponsata in agro ui compressa, & eius lex, *Deut.* 22. v. 25. 26. 27. *Exod.* 22. 16. Virgo desponsata in ciuitate compressa, *Deut.* 22. v. 23 24. Virgo nemini desponsata compressa, *v.* 28. 29. Virgo mater Messiæ, *Matth* 1. v. 18. 23.

Virgines in Silo rapiuntur, & quare, *Iudicum* 21. 3. Virgines in bello raptæ, seruandæ, *Numer.* 31. 18. in choreis raptæ, *Iudicum* 21. 23.

Virginum officium, 1. *Cor.* 7. 34. Virginum exeuntium obuiam spõso, parabola, *Matth.* 25. 1. *&c.*

Virginitas commendatur, *Matth.* 19. 12. 1. *Cor.* 7. 25. *&c. Apocal.* 14. 4. præfertur coniugio, 1. *Cor.* 7. v. 38. 4. Virginitatis finis quis, 7. 55. Virginitatis merita confutans locus, 7. 28. Virginitatem filiæ quomodo testati parentes apud Iudæos, *Deut.* 22. 15.

SENTENTIAE BIBLICAE.

Virginitas enim thesaurus impreciabilis. *Gen.* 24.

De uirginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do. Mulier innupta, & uirgo cogitat, quæ Domini sunt, ut sit sãcta, & corpore, & spiritu. 1. *Cor.* 7.

Nemo poterat dicere canticum, nisi illa quadragintaquatuor millia. Virgines enim sunt, & sequuntur agnum, quocumque ierit. *Apocal.* 14.

SENTENTIAE PATRVM.

Quid prodest integra caro, mente corrupta? Melius est humile cõiugium, quam superba uirginitas. *Aug. in Psal.* 29.

Quæ est uirginitas mentis? integra fides, solida spes, sincera charitas. *In Psal.* 17.

Dominica uirgo debet agnoscere, quibus præceptis conueniat insistere: uel a quantis uitijs debeat abstinere: si vult in sæculo posita cum Deo esse, & cum eodem post huius uitæ resolutionem in claritate cœlestis regnare. *lib. ad sacr. virg.*

Dominica uirgo primitus publicos, debet uitare conspectus. & platearum frequentiam deuitare: atque in domo posita operi lanifico insistere, uel lectioni diuinæ. *ibid.*

Dominica uirgo, nec ornatu capitis, nec habitu comæ, nec oculis erectis, aut lætis, sed omnibus ad terram cum uultu demisso procedat, ne in se uiles inducat amores, non pereat, nec alijs causa perditionis existat. *ibid.*

Dominica uirgo ab omni inuerecundo sermone, uel risu debet

se penitus abstinere, & cum silétio, & disciplina omnem vitam suam orare. *ibid.*

Dominica virgo, vt docet Apostolus, de viduis casta, iudicare non potest, sermone garrula, aut loquacitate verbosa, vel curiositate superflua, imo prostituta, & ad luxuriam magis accensa. *ibid.*

Dominica virgo nec sermonis iactantia, nec diuitijs, nec generis nobilitate se debet extollere, sed in humilitate, & paupertate spiritus Christo accepta, debet, quamdiu vixerit, permanere. *ibid.*

Bona pudicitia coniugalis, sed melior continentia virginalis, vel vidualis. *de sancta viduit.*

Dicat mihi Iudæus incredulus, quemadmodum arida virga frondiuit, floruit, & nuces protulit: & ego dicam illi quomodo virgo concepit, & peperit. Sed profecto Iudæus, nec virgæ poterit explicare côceptum: nec ego virginis partum. *Idem de incarn. Dom. contra Iudæos.*

Quanta est virginitatis gratia, quæ meruit a Christo eligi, vt esset corporale Dei templum, in qua corporaliter habitauit plenitudo diuinitatis: virgo genuit mundi salutem, virgo peperit vitam vniuersorum. *Amb. lib. de Offic.*

Claude vas tuum, ne vnguentum effluat, claude virginitatem verecundia loquendi, & abstinentia gloriandi. *Amb. de virg.*

Virginitas in eo facilior est, quia carnis incentiua non nouit. & viduitas in eo solicitior, quod præteritas in eo recolit voluptates. *Hier. in epist.*

Flos est, virginitas, flos martyrium, flos actio bona. In horto virginitas, in campo martyrium, bonum opus in thalamo. *Greg. in Ezech.*

Virginitas altus mons est, ad quem Angelus hortatur: sed qui videt se non posse ascendere, maneat in Segor, id est, in legitimo matrimonio, quia melius est mediocri bono vti, quam per abrupta libidinum præcipitari. *Glos. 9. Gen.*

Virgo carne, non mente, nullum præmium habet in repromissione. *Isid. de sum. bon. lib. 2.*

Nunc nobis ad virgines sermo est, quarum quo sublimior est gloria, maior est cura. Flos enim est ille ecclesiastici generis decus, atque ornamentum gratiæ spiritualis illustrior portio gregis Christi. *Cypr. in lib. de virg.*

Virginitas est soror Angelorum, victoria libidinum, regina virtutum, possessio omnium bonorum. *ibid.*

Agnum sequi quocumque ierit, est ipsius virginitatem mentis, & corporis imitari.

Gaudia virginum non sunt eadem cum non virginibus, quamuis Christi, nam sunt alijs alia, sed nullis talia. *Aug. de bono virginali, super illud: Virgines enim sunt, & sequuntur agnum quocumque ierit.*

Beatius est in carne vitam imitari Angelorum, quam ea carne augeri numerum mortalium. Hæc est vberior fœcundiorque felicitas, non ventre grauescere, sed mente grandescere, non lacescere pectore, non visceribus terram, sed orationibus cœlum parturire. *Idem epist. 128.*

Quæ est virginitas mentis? integra fides, solida spes, sincera charitas. *Idem super Psal.*

Sit sermo virginis prudens, modestus, & rarus non tam eloquentia preciosus, quam pudore. Mirentur omnes te tacente tuam verecundiam, te loquente prudentiam.

Numquam detractio ea virginis ore procedat. *Hier. ad Demetr. epist. 67.*

Bene Angelus ad virginem mittitur, quia semper est Angelis cognata virginitas. Profecto in carne præter carnem viuere, non terrena vita est, sed cœlestis. Vnde in carne angelicam gloriam acquirere, maioris est meriti, quam habere. Esse enim Angelum felicitatis est, esse vero virginem virtutis, dum hoc obtinere nititur cum gratia, quod habet Angelus ex natura, vtrumque tamen & esse virginem, & Angelum, diuini muneris est officium, non humanum. *Idem in serm. de Assumpt.*

Vbique in virgine comes singularum virtutum est pudor. Hic indiuiduus esse debet virginitati, sine quo non potest esse virginitas, teritur officij pudor, audacia emicat, risus obrepit, modestia soluitur, dum vrbanitas affectatur. *Amb. de virg.*

Trepidare virginum est, ad omnes viri ingressus pauere, omnes viri affatus vereri. Disce virgo verborum vitare lasciuiam, Maria etiam tacet in salutatione Angeli. *Idem super Lucam c. 1.*

Virgo, quæ Christum requirit, non debet esse vulgaris, non in foro, non in plateis, non esse voce querula, gressu lubrica, auditu facilis, vilis aspectu.

Supergreditur virginitas conditionem naturę humanæ, per quam homines Angelis assimulantur, maior tamen est victoria virginum, quam Angelorum. Angeli enim sine carne viuunt, virgines vero in carne triumphant. *Amb. de viduit.*

POETICAE SENTENTIÆ.

Paul. Silentiar.

Καλὰ τὰ τῆς [illegible]

Τὸν βίον [illegible]

Τὰ [illegible]

Δὶς [illegible]

Pulchri virginitatis thesauri: sed virginitas
Vitam perderes, vtique omnibus seruata.
Idcirco legitime vxorem cape, & aliquem mundo
Da mortalem pro te: fuge autem adulterium.

Plaut. 10 Epi.

Non nimis potest
Pudicitiam quisquam suæ seruare filiæ.

Ouid. Metam. lib. 5. fab. 3.

Omnia terrent
Virgineas mentes.

Idem lib. 13. fab. 6. in Iphigen.

Tunc quoque cura fuit partes velare tegendas,
Cum caderet, castique decus seruare pudoris.

Idem lib. 14. fab. 8.

Salue virginei flos intemerate pudoris.

Ouid. epist. Oenones ad Parid.

Nulla reparabilis arte
Læsa pudicitia est, deperit illa semel.

Idem epist. Paridis ad Helen.

Lis est cum forma magna pudicitia.

Catullus in Epithalamio.

Vt flos in septis secretus nascitur hortis,
Ignotus pecori, nullo contusus aratro,
Quem mulcent auræ, firmat sol, educat imber,
Multi illum pueri multæ optauere puellæ,
Idem cum tenui carptus defloruit vngui,
Nulli illum pueri, nullæ optauere puellæ.
Sic virgo, dum intacta manet, tum chara suis: sed
Cum castum amisit polluto corpore florem,
Nec pueris iucunda manet nec chara puellis.

Horat. Carm. l. 3. Ode 27.

Leuis vna mors est
Virginum culpæ.

Anthol. Sac. Iac. Bill.

Carnis virginitas intacto corpore habetur,
Virginitas animæ est intemerata fides.
Qua sine corporei nil prodest cura pudoris.
Sed mentis pietas auget vtrumque bonum.

PHILOSOPH. SENTENTIÆ.

Virginitate excepta quicquid aliud in dotem acceperis, potes, cū libuerit, omne vxori retribuere. *Apul. apolog. a.*

SIMILITVDINES.

D. Chrysostomi. Vt è palæstra luctatorem: ita decet virginem è paterna domo progredi, & matrimonio iungi, vt rei familiaris peritiam omnem habeat: sitque veluti fermentum, quod massā omnem in suam pulchritudinem transferat. *hom. 9. ad Hebræos.*

Quemadmodum non ex æquo se res habet, si puella liberalis, an illius ancilla peccet: Sic paria inter se non sunt virginis, ac viduæ delicta. *lib. 3. de Sacerdot.*

Theodorici Arch. Vlmus etsi vinum non profert, tamen vitem vinum producentem fulcit: Ita par est, eum qui virginitatem, aut aliam virtutem in se præstare non potest, in alio saltem probet, & collaudet, & admiretur, non autem impediat. *Tract. de virtut. Monach.*

Origenes. Sicut quondam rubus comburi videbatur, & ignis eum non tangebat: & sicut tres pueri in camino inclusi habebantur, & tamen eos non lædebat ignis incendium, nec ardor fumi erat in eis: vel sicut Danieli, intra lacum leonum incluso claustris non apertis allatum est prandium ab Abacuc. Ita hæc virgo genuit Dominum, sed intacta permansit: mater effecta est, sed virginitatem non amisit. *Super Euangel. Cum esset desponsata mater Iesu.*

EXEMPLA PROFANA.

Apollodorus apud Zenodotum ait: Eripham anum quamdam fuisse, quæ dicta sit γραῦς κόρη: quod in virginitate consenuisset: perinde quasi eadem, & anus esset per ætatem, & puella, quod adhuc innupta: sic in prouerbium abijsse.

Eucliam nonnulli ferunt Herculis, & Myrthus Menœtij filiæ, & sororis Patrocli filiā esse: hanc in virginitate defunctā coli apud Bœotios, & Locros: & eius per omnia fora, ara, & simulachrū, eique ante nuptias sponsi sponsæque sacrificāt. *Plut. in Aristide.*

Damo a patre Pythagora ad virginitatis votum perpetuumque cādorem inducta: virginitatem seruauit, & virgines ea tempestate discipulas habuit quamplurimas, quas voto virginitatis firmauit. *Timæus.*

Diodorus Socraticus quinque filias virgines Dialecticas habuit, quarum vitam Philo, Carneadis magister, plenissime descripsit. *Laertius.*

Bona Dea (quæ apud Roman. Calendis Maijs colitur) apud Græcos Θεὰ γυναικεία dicitur, quam Varro filiam Fauni tradidit

adeo

adeo pudicam: vt extra Gynæceium numquam sit egressa: nec nomen eius in publico fuerit auditum: nec virum vmquam viderit, vel a viro visa sit: propter quod nec vir in templum eius ingreditur. *Macrob. l. 1. c. 12.*

Lata Gynacena, M. Varronis tempore, perpetua virgo fuit in pictura Romæ excellens. *Plin. l. 35. c. 11.*

Apud Eleos virginibus ludos Olympios spectare licebat, matronis non item. *Pausan. l. 6.*

Legimus raptas plerumque fœminas, dimissas esse ab insolentissimis militibus, tantum respectu virginalis nominis: quod videlicet virgines se esse affirmassent: nefas enim existimabant propter breuissimam, & momentaneam delectationis vmbram tantum bonum imminuere: malebatque vnusquisque tanti facinoris auctorem quemuis potius esse, quam se. *Ludou. Viues de Christiana fœmina, l. 1.*

HIEROGLYPHICA.

Incorruptam *virginitatem*, & castum animi propositum, per *Apem* significari, id argumento est: quod ipsæ homines a coitu olidos acriter oderunt, vt Plutarchus in præceptis coniugalibus testatur. *Pier. Val. l. 26. pag. 244. D.*

Sunt qui perpetuo claroque *Smaragdi virore* considerato, signum id esse *virginitatis* velint, idque insuper argumento adducunt in patranda re Venerea, si quis lapidem attingat, eum sponte frangi. *Idem l. 41. pag. 430. C.*

EMBLEMA.

Custodiendas virgines.

Emblema xxii. Andr. Alciat.

Vera hæc effigies innuptæ est Palladis, eius
Hic draco qui dominæ constitit ante pedes.
Cur Diuæ comes hoc animal? custodia rerum
Huic data: sic lucos sacraque templa colit.
Innuptas opus est cura asseruare puellas,
Peruigili laqueos vndique tendit amor.

Vide Castitas, Coniugium, Matrimonium.

VIRTVS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Virtus, Græce ἀρετὴ dicit. & est animi habitus naturæ, modo, rationi consentaneus. Habetque quatuor partes: Prudentiam, Iustitiam, Temperantiam, & Fortitudinem. *De quibus omnibus vide locis suis.*

Virtus, vis animæ est, quæ corpori moderatur, quæ affectus excipit, cognoscitque, & quo iusserit recta ratio, perducit ac dirigit, in eaque perseuerans, habitum animæ comparat optimum quidem: denique Deo fruitur.

Vel: virtus est animi habitus rationi rectæ consentaneus. Recta ratio cognitio est cum legum cum sententiarum, quæ natura omnium animis inditæ sunt. Phocylides ait, virtutem esse mediam: extrema vtrinque vitiosa.

Virtus est mediocritas duorum vitiorum, alterius secundum excessum, alterius secundum defectum. *sec. Arist. l. 3. Ethic.*

Virtus est habitus electiuus in mediocritate consistens, quo ad nos ratione terminata, & vt sapiens terminaret. *secund. eundem.*

Virtus ex viro appellata est. Viri autem propria maxime est fortitudo, cuius munera duo maxima sunt, mortis dolorisque contemptio. *secund. Cic. Tusc. q. l. 2.*

Vir dicitur eo, quod maior vis est in eo, quam in fœmina, & hinc virtus nomen accepit. *secundum Lactant. Firmia. de opificio Dei in fine, c. 12.*

Virtus est perferendorum malorum fortis, atque inuicta patientia: & quoniam fortitudo cæteris omnibus virtutibus excellit, factum est, vt omnes rectæ animi affectiones virtutes appellentur, etsi, quicquid vitio contrarium est, virtus dicitur, definiturque: Virtus est affectio animi. *vt supra.*

Virtus ab Hebræis *Chesedh*, i. beneficentia, & *Tummah*, i. perfectio, seu integritas dicitur. Certe nulla virtus castas, carens integritate cordis, & reali beneficentia.

LOCI BIBLICI.

Virtus, pro sanctis, & honestis moribus, quorum fons est fides, 2. *Pet. c. 5.* virtutis habitum non a natura omnibus hominibus communi, qualis omne est, sed a gratia illa renouante proficisci, docet Paulus *Rom. 12. 2.* Virtutes Christianæ enumerantur, *ibid. v. 9. &c.* Omnibus pijs communes, in vno cumulo proferuntur, & enumerantur, 2. *Petr. c. 5. &c.* Virtutes pro edendorum illorum, quæ inter miracula excellunt, effectorum facultate, 1. *Cor 12. v. 10. 28.* Virtus Dei, Euangelium, quo nos saluat, *Rom. 1. 16.* virtute Dei custodimur in fide, 1. *Pet. 1. 5.* virtute indui ex alto, *Luc. 24. 49* virtutes operatur Deus in nobis, *Galat. 3. 5.*

SENTENTIÆ BIBLICÆ.

Fructus autem spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. *Gal. 6.*

Sectare vero iustitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam mansuetudinem. 1. *Tim. 6.*

Iuuenilia autem desideria fuge, sectare vero iustitiam, fidem, charitatem, & pacem cum his, qui inuocant Dominum de corde puro. 2. *Tim. 2.*

Fugientes eius, quæ in mundo est concupiscentiæ corruptionem, vos autem curam omnem subinferentes, ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem. Hæc enim si vobiscum adsint, & superent, non vacuos, nec sine fructu vos constituent in Domini nostri Iesu Christi cognitione. 2. *Petr. 1.*

Qui benefacit, ex Deo est: qui male facit non videt Deū. 1. *Ioan. 3.*

SENTENTIÆ PATRVM.

In hac vita virtus non est, nisi diligere, quod diligendum est, id diligere prudentia est: nullis inde auerti molestijs, fortitudo est: nullis illecebris, temperantia est: nulla superbia, iustitia est. *August. epist. ad Macedon.*

Virtus eo pluris æstimanda est, quo plura contemnit. Magnæ virtutis est cum felicitate luctari, magnæ felicitatis est a felicitate non vinci. *in quadam serm.*

Mens non potest habere regnum virtutum, nisi prius excusserit regnum vitiorum. *ibid.*

Non virtus est non posse peccare, sed nolle, atque ita tenere perseuerantiam voluntatis, vt voluntas infantiam, vsus imitetur naturam. *Ambr. super Luc.*

Qui deficit sibi, vt virtuti adhæreat, amittit, quod suum est, accipit, quod æternum. *in Psal. 118.*

Nulla sine labore virtus est, quia labor processus est virtutis. *ibidem.*

Bonus circuitus est, si Iustitia quærit, Prudentia inuenit, Fortitudo vendicat, Temperantia possidet, vt iustitia sit in affectu, Prudentia in intellectu, Fortitudo in effectu, Temperantia in vsu. *de Offic.*

Omnes virtutes sibi ita cohærent, vt qui vna caruerit, omnibus careat, qui ergo vnam habet, omnes habet. *Hier. in epist.*

Philosophus gloriæ animalis, & popularis, aut mancipium totam simul sarcinam deposuit, & tu reputas in virtutem culmine positum, si partem ex toto offeras? teipsum vult Dominus. *ibid.*

Sicut quibusdam visum est, vt de primis quatuor virtutibus loquar: Prudentia, Temperantia, Fortitudine, atque Iustitia, quanto perfectæ sunt singulæ, tanto sibi sunt coniunctæ: disiunctæ autem perfectæ esse nequaquam possunt, quia nec prudentia vera est, quæ iusta, & temperans, & fortis non est: nec temperantia perfecta, quæ fortis, iusta & prudens non est: nec fortitudo integra, quæ prudens, iusta & temperans non est. *Gregor. in moral.*

Mensuretur perfectorum fidelium vita per quadrum, & tātum habet spiritualis atrij latus vnum, quantum latera singula, quia vnusquisque tantum prudens est, quantum temperans, fortis & iustus: tantum temperans, quantum prudens, iustus & fortis fuerit. *hom. 9. 2. part. in Ezech.*

Quid est virtus, nisi medicamentum? & quid est vitium, nisi vulnus? quia ergo nos, vbi de medicamento vulnus facimus, facit Deus de vulnere medicamentum, vt qui virtute percutimur, vitio curemur. *in moral.*

Non est ad virtutem vlla talis exhortatio, qualis est peccatorum recordatio. *Hugo de S. Vict.*

Sicut virtus onerosa est vitio: ita virtutis amico vitiosa est amara voluptas. *Prosp. de vita contempl. l. 2.*

Ethicam scripserunt gentium Philosophi, in qua quasi membra quædam virtutum de corpore bonitatis truncata pinxerunt: sed membra viua esse non possunt sine corpore Charitatis Dei. *Chrys. in Matth.*

Bona magna sunt virtutes, quibus ratione viuitur. Minima sunt quorumlibet corporum species, quibus recte viui potest. Media sunt potentiæ animi, sine quibus recte viui potest. Virtutibus nemo male vtitur. Cæteris autem bonis, id est, medijs & minimis non solum bene, sed etiam male quisque vti potest. Et ideo virtutibus nemo male vtitur, quia opus virtutis est bonus vsus illorum quibus & bene & non male vti possumus. Nemo autem bene vtendo male vtitur. *Aug. de libero arbitrio, l. 2. c. 2.*

Non est vera virtus, nisi quæ ad eum finem tendit, vbi est bonum hominis, quo melius non est, vnde virtuosus homo res petere non debet. *Aug. de ciuit. Dei, l. 4.*

Cum renunciatur improbitati, statim asciscitur virtus. Egressus enim malitiæ virtutis operatur ingressum, eodemque studio, quo crimen excluditur, innocentia copulatur. *Amb. & hab. 32. q. 1. Cum renunciatur.*

Virtus enim colenda est, non imago virtutis, & colenda non est sacrificio aliquo, thure aut precatione solemni, sed voluntate sola, atque proposito.

Nam quid est aliud colere virtutem, nisi eam comprehendere animo, aut tenere?

Qui enim sic virtutes colunt, vt vmbram, & imagines virtutum consectentur, ea ipsa, quæ vera sunt, tenere non possunt. *Lactant. Firm. diuin. Instit. l. 1. c. 1.*

Seneca quoque nullum esse aliud virtutis præmium, quam immortalitatem fatetur. Laudans virtutem in eo libro, quem de immatura morte conscripsit: Vna, inquit, res est virtus, quæ nos immortalitate donare possit, & pares Dijs facere. Sed & Stoici, quos secutus est, negant sine virtute effici posse quemquā beatum. Ergo virtutis præmium beata vita est, si virtus, vt recte dictum est, beatam vitam facit: non est igitur (vt aiunt Philosophi) propter seipsam virtus expetenda, sed propter vitam beatam, quæ virtutem necessario sequitur. Quod argumentum docere eos potuit, in quo esset summum bonum.

Virtutem Stoici dicunt, quæ sola efficiat vitam beatam, nihil potest verius dici.

Nullus igitur ex virtute fructus est, vbi virtus mortalis est, & caduca. Itaque vmbram quamdam virtutis videbant, ipsam virtutē non videbant. *ibid. l. 3.*

Omne igitur virtutis officium est, non peccare: quo profecto fungi non potest, qui Deum nescit. Quoniam ignoratio eius, a quo bona oriuntur, imprudentem impingat in vitia necesse est. Itaque vt breuius, & significantius vtriusque rei summa officia determinem, scientia est, Deum noscere, virtutes colere: in illo sapientia, in hoc iustitia continetur. *idem lib. 6. c. 5.*

Vna est igitur virtutis, ac bonorū via, quæ fert nos in Elysios cāpos, vt Poetæ loquuntur, sed ad ipsam mundi arcem. At læua malorum exercet pœnas, & ad impia tartara mittit. *idem lib. 6. c. 4.*

Nemo virtuti fauet, nisi qui sequi potest. Sequi autem facile non est omnibus: Hi possunt, quos paupertas, & rerum indigentia exercuit, & capaces virtutis effecit. Nam si virtus est tolerantia malorum, non capiunt ergo virtutem, qui semper in bonis fuerunt: quia mala, nec experti sunt, nec ferre possunt assuetudine, ac desiderio bonorum, quæ sola nouerunt. Eo fit, vt pauperes, humiles Deo credant facilius: qui sunt expediti, quā diuites, q̄ sunt impedimentis plurimis implicati, immo concatenati, & cōpediti, seruiunt ad nutum dominæ cupiditatis, quæ illos inextricabilibus vinculis irretiuit: nec possunt in cælum aspicere, quoniam mens eorum in terram prona, humique defixa est. Virtutis autē via non capit magna onera gestantes. Angustus admodum est trames, per quem iustitia hominem deducit in cœlum. Hunc tenere non potest, nisi qui fuerit expeditus, ac nudus. Nā isti locupletes multis, & ingentibus sarcinis onerati, per viam mortis incedunt, quæ latissima est, quoniam late perditio dominatur. His acerba sunt, his venena, quæ Deus ad iustitiam præcepit, quæque nos Dei magisterio virtute, ac veritate differimus, quibus si repugnare audebunt, necesse est hostes se esse virtutis iustitiæque fateantur. *idem lib. 7. c. 1.*

Poeticæ Sententiae.

Silius 13.

Ille sub hac, turpis lenti solertia Martis
Audendo bella expediat: pigra extulit astris
Haud vmquam sese virtus, in magna gerendi
Præcipiti tempus mors atra impendet agenti.

Silius 1.

At dura inuigilant mentes, molemque repentini
Noctis opus, clausos acuunt extrema periclis,
Et fractis rebus violentia est vltima virtus.

Ouid. 4. Trist. 3.

Materiamque tuis tristem virtutibus imple,
Ardua per præceps gloria vadit iter.
Hectora quis nosset, felix si Troia fuisset?
Publica virtutis per mala facta via est.
Ars tua Typhi iacet, si non sit in æquore fluctus:
Si valeant homines, ars tua Phœbe iacet.
Quæ latet, inque bonis cessat non cognita rebus,
Apparet virtus, arguiturque malis.
Dat tibi nostra locum titulis fortuna, caputque
Conspicuum pietas, qua tua tollat, habet.

Hesiodus.

Τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν
Ἀθάνατοι, μακρὸς δὲ καὶ ὄρθιος οἶμος ἐπ' αὐτὴν,
Καὶ τρηχὺς τὸ πρῶτον· ἐπὴν δ' εἰς ἄκρον ἵκηται,
Ῥηϊδίη δ' ἤπειτα πέλει, χαλεπή περ ἐοῦσα.

Ante virtutem Dei sudorem posuerunt
Immortales, longa & ardua via ad ipsam,
Et aspera primum: postquam ad summum perueneris fueris,
Facilis deinde est, difficilis quamuis fuerit.

Menander.

Ὅπλον μέγιστον ἐστὶν ἡ ἀρετὴ βροτοῖς.

Telum maximum est virtus mortalibus.

Paul. Silentiar.

Μήτε βαθυκτεάνοιο τύχης κοτέσειε ῥοίζῳ.
Μήτε σέο γνάμψῃ φροντὶς ἐλευθερίην.
Πᾶς γὰρ ὁ ἀσταθὴς βίος πλάζεται αὔραις,
Τῇ καὶ τῇ θαμινῶς ἀντιμεθελκόμενος.
Ἡ δ' ἀρετῆς ἀστάθμητος ἀεὶ τῇ ἔμπεδός ἐστιν,
Κύματα θαρσαλέως τῷ ἐνὶ πορθμεύσεις.

Neque diuitis fortunæ elatum neque impetu,
Neque tuam flectat cura animi libertatem.
Omnis enim sub instabilibus vita subijcitur auris,
Huc & illuc frequenter exagitata.
Virtus autem firmum quid, & immutabile, qua sola fretus,
Vndas audacter traijcias huius vitæ.

Plaut. in Amphitr.

Virtute dixit, vos victores viuere.
Non ambitione, neque perfidia: qui minus
Eadem histrioni sit lex quæ summo viro?
Virtute ambire oportet, non fautoribus.
Sat habet fautorum semper, qui recta facit,
Si illis fides est, quibus est ea res in manu.
Virtus præmium est optimum.
Virtus omnibus rebus anteit profecto.
Libertas salus, vita, res parentes.
Patria, & prognati tutantur, seruantur.
Virtus omnia in se habet, omnia assunt bona, quem penes est virtus.

Plaut. in duob. captiu.

Qui per virtutem perit, non interit.

Virg. Aeneid. l. 3.

Ecqua iam puero est amissæ cura parentis?
Ecquid in antiquam virtutem, animosque viriles,
Et pater Æneas, & auunculus excitat Hector?

Virg. Aeneid. l. 5.

Gratior est pulchro veniens e corpore virtus.
Adsunt
Tum pudor incenditque viros, & conscia virtus,
Exiguus numero sed bello viuida virtus.
Hi proprium decus, & partum indignantur honorem,
Ni teneant, vitamque volunt pro laude pacisci.
Hos successus alit: possunt, quia posse videntur.

Idem lib. 6.

Pauci quos æquus amauit
Iupiter, aut ardens euexit ad æthera virtus,
Dijs geniti potuere.
Et dubitamus adhuc virtutem extendere factis?

Virg. Aeneid. l. 10.

Nunc prece, nunc dictis virtutem accendit amaris.
Æstuat ingens
Imo in corde pudor, mistoque insania luctu,
Et furijs agitatus amor, & conscia virtus.

Virg. Aeneid. l. 2.

Disce puer virtutem ex me verumque laborem,
Fortunam ex alijs, nunc te mea dextera bello
Defensum dabit, & magna inter præmia ducet.

Ouid. Metam. l. 10. fab. 1.

Nec virtus cura genus est.

Idem l. 14. fab. 4.

Inuia virtuti nulla est via.

Ouid. Trist. l. 3. eleg. 11.

Subruere est arces, & stantia mœnia virtus,
Quolibet ignaui præcipitata premunt.

Ouid. de Pont. l. 2. eleg. 2.

Difficile est, fateor, sed tendit in ardua virtus,
Et talis meriti gratia maior erit.

Ouid. de Pont. l. 4. eleg. 4.

Excitat auditor studium, laudataque virtus
Crescit, & immensum gloria calcar habet.

Ouid. Fast. l. 2.

Fraude perit virtus.

Hor. l. Carm. Od. 18.

Non ebur, neque aureum
Mea renidet in domo lacunar:
Non trabes Hymettiæ
Premunt columnas, vltima recisas
Africa: neque Attali
Ignotus hæres regiam occupaui:
Nec Laconicas mihi
Trahunt honestæ purpuras clientes.
At fides, & ingeni
Benigna vena est: pauperemque diues
Me petit, nil supra
Deos lacesso: nec potentem amicum
Largiora flagito,

Satis

Satis beatus vnicis Sabinis.

Hor.Carm.l.3.Od.2.

Virtus repulsæ nescia sordidæ
Intaminatis fulget honoribus:
Nec sumit, aut ponit secures
Arbitrio popularis auræ.
Virtus recludens immeritis mori
Cælum negata tentat iter via:
Cœtusque vulgares, & vdam
Spernit humum fugiente penna.
Est & fideli tuta silentio
Merces. vetabo, qui Cereris sacrum
Vulgarit arcanæ, sub ijsdem
Sit trabibus fragilemque mecum
Soluat phaselum sæpe Diespiter.
Neglectus, incesto addidit integrum,
Raro antecedentem scelestum
Deseruit pede pœna claudo.

Hor.Carm.l.4.Od.4.

Fortes creantur fortibus & bonis,
Est in iuuencis: est in equis patrum
Virtus: nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.
Doctrina sed vim promouet insitam,
Rectique cultus pectora roborant:
Vtcunque defecere mores,
Dedecorant bene nata culpæ.

Idem Od.9.4.Carm.

Non possidentem multa vocaueris
Recte beatum: rectius occupat
Nomen beati, qui Deorum
Muneribus sapienter vti.
Duramque callet pauperiem pati,
Peiusque leto flagitium timet
Non ille pro charis amicis,
Aut patria timidus perire.

Hor.l.1.epist.1.

Si quadringentis sex septem millia desunt,
Est animus tibi sunt mores & lingua fidesque
Plebs eris. At pueri ludentes rex eris, aiunt,
Si recte facies, hic murus aheneus esto:
Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.

Idem epist.2.

Rursus quid virtus & quid, sapientia possit,
Vtile proposuit nobis exemplar Vlyssem:
Qui domitor Troiæ, multorum prouidus vrbes,
Et mores hominum inspexit latumque per æquor,
Dum sibi, dum socijs reditum parat, aspera multa
Pertulit, aduersis rerum immersabilis vndis,
Syrenum voces, & Circes pocula nosti:
Quæ si cum socijs stultus cupidusque bibisset,
Sub domina meretrice fuisset turpis & excors,
Vixisset canis immundus, vel amica luto sus.

Hor.epist.l.1.ad Numi.

Si latus aut renes morbo tentantur acuto,
Quære fugam morbi. vis recte viuere? quis non?
Si virtus hoc vna potest dare: fortis omissis
Hoc age deliciis.
Oderunt peccare boni virtutis amore.
Tu nihil admittes in te formidine pœnæ.
Vir bonus & sapiens audebit dicere. Pentheu
Rector Thebarum, quid me perferre patique
Indignum coges? adimam bona, nempe pecus, rem,
Lectos, argentum: tollas licet. In manicis, &
Compedibus sæuo te sub custode tenebo.
Ipse Deus simul atque volam me soluet opinor,
Hoc sentis, moriar, mors vltima linea rerum est.

Idem epist.19.

Virtus est medium vitiorum vtrinque reductum.

Idem epist.21.

Maiores pennas nido extendisse loqueris,
Vt quantum generi demas, virtutibus addas.

Hor.epist.l.2.epist.2.ad Iul.

I bone quo virtus tua te vocat, i pede fausto,
Grandia laturus meritorum præmia. Quid stas?

Iuuen.Sat.1.

Probitas laudatur & alget. Idem Sat.10.
Maior famæ sitis est, quam
Virtutis. Quis enim virtutem amplectitur ipsam,
Præmia si tollas? B M.in Epigram.ad Falcon.
Sed propera longo Lachesis iam fessa labore,
Cogitat inuitis rumpere fila manu.
Post obitum benefacta manent, æternaque virtus
Non metuet, Stygijs ne rapiatur aquis.

Cic.l.6.epist.fam.ad Lepram.

Τὴν μὲν τοι κακότητα καὶ ἰλαδὸν ἔστιν ἑλέσθαι
Nancisci vitium cumulatim, & funeris promptum est.
Quo breuis ducit iter nimis est vicinus illo,
Virtuti contra sudorem numina diuum
Opposuere, viamque asperam longamque dederunt.

Virtus intrepida.

Sicut enim trepidare facit mens conscia culpæ:
Sic animi simplex probitas, & cognata virtus
Efficit impauidum pectus: fugit impius vltro,
Iudiciumque pauet, frontem pius audet apertam
Tollere: non regis vultum, non iudicis ora,
Non rigidos lictorum enses formidat: vt acres
Non metuit flammas, aurum, non verbera ferri
Dura potens Adamas, nec onusta pondera palmæ.
Arx est ipsa sibi virtus, ipsa eruit arces:
Ipsa feras, hominesque, domat, non horret inermis
Ire per hostiles cuneos, et inimica castra.
Hoc externa docent, & nostra plurima gentis,
Quo facerent exempla fidem: cur Scæuola dextram
Misit in ardentes prunas, & brachia flammis
Exurenda dedit pauor et tot millibus vnus,
Quem propriæ virtus gladijs armauit, & hasta.
Cur tranauit aquas, Tiberinaque flumina virgo,
Cui populus statuam posuit Romanus equestrem?
Chalcea quo clypeo fuit, cum, quibus ensibus hostem
Vicit: et lorica fuit catapultaque virtus:
Fortior vna viris ducibus, præstantior vna,
Cautior vna fuit mulier, cui prompta virtus
Præstitit ingentes animos, & ferrea corda:
Quam ducis ausa fuit correpto guttura ferro
Stringere, & in petram caput infestare tyranni,
Regulus ad Libycas iterum secta nauigat arces,
Impauidumque caput grauia ad tormenta exportat.
Prætereo Cerrillis passos immania tostes
Funera, Laurentique ignes, Pauloque catenas.
Aspice tridentem Siculis mandatu tyrannis
Zenonem, & regis versos in vulnere cines.
Sed quid tam in re me dubiam fulcire probando
Prosequimur? nihil est virtute potentius. Ego. &c.

Ex Sil.Ital.15.l. virtus loquitur:

Mecum honor, & laudes & læto gloria vultu,
Et decus & niueis victoria concolor alis:
Me cinctus lauro perducit ad astra triumphus:
Casta mihi domus, & celso stant colle penates.

Maphæus in Virg.l.13.

Valet super æthera virtus.

Virtus æterna possessio.

Sola immortalis probitas, virtusque sub orbe,
Et quæ posteritas carmina pacta probat,
Exemplum vobis mi sit, si sumite quæso,
Continuum vobis quo sit in orbe labor.
Nil superest de me quando omnis terra dehiscit,
Quam quod nunc vobis mortuus ipse loquor.
Mortuus, & viuus vates æternus in orbe est:
Et qui virtutis stemmata clara colunt:
Prima ætas puero fuerat mihi phlegmate plena.
Sanguineos subijt mox iuuenilis honos:
Tertia deinde virum fecit prudentibus annis
Quarta melancholico iam mihi vita venit.

Pictor.Poeta ad Paul.Castell.

Quomodo scintillam flant si ademeris ore,
Continuo magnas elicis inde faces:
Insita sic animis virtutum semina cum quis
Excitat, vberius exuberare facit.
Dum potes, hæc omni studio cole sæpe morantem
Agricolam glebas rumpere, fallit ager.
Humana formicam imitans, iam consule brumæ.
Bruma hominis vita est vltima Paule dies.

Sophoc.in Eriphyle.

Ἀρετῆς βέβαιαι δ' εἰσὶν αἱ κτήσεις μόναι,
Virtutis autem sola constans, perpetuaque est possessio.

Eurip.in Androm.

Οὔτοι λείψανα τῶν ἀγαθῶν
Ἀνδρῶν ἀφαιρεῖται χρόνος.
Ἁ δ' ἀρετὰ καὶ θανοῦσι λάμπει.
Οὐ τὸν ἄργυρον μόνον λευκόν τε χρυσὸν μόνον.
Καὶ χρυσὸς ἔστιν ἀλλὰ καὶ ἀρετὴ βροτοῖς
Νόμισμα κεῖται πᾶσιν ᾧ χρῆσθαι χρεών.
Nec tamen reliquias bonorum virorum aufert tempus
Sed virtus etiam morte peremptis lucet,
Non nummus splendens argenteum solum
Et aurum est, sed virtus hominibus.

Mo-

Moneta recondita est omnibus, qua uti conuenit
Ἀρετὴ δὲ κἂν θάνῃ τις οὐκ ἀπόλλυται.
Ζῇ δ' οὐκ ἔτ' ὄντος σώματος· κακοῖσι δὲ
Ἅπαντα φροῦδα συνθανόντ' ἔπι χθονός.
Virtus autem, etsi moriatur quis, non interit,
Sed viuit corpore non amplius existente: malis autem
Cuncta simul euanida commoriuntur sub terra.

Ex Iambis Monastichis.

Ταμιεῖον ἀρετῆς ἐστι σωφροσύνη μόνη.
Penus virtutis est temperantia vel sola.
Ὅπλον μέγιστον ἐστιν ἡ ἀρετὴ βροτοῖς.
Arma potentissima sunt hominibus virtus.

Virtus immortalis.

Discite virtutem iuuenes: nam sola beatos
Nos facit, & dira non timet arma necis,
Fortuna minas, aut saui spicula fati,
Quaq. facie tremula curua senecta manu.

Paraenesis ad virtutem veram.

Heu miseris quicquid misero blanditur in ore,
Illico marcescens, vt rosa verna cadit,
Nec quenquam placidis adeo complectitur vlnis
Sors vt non aliqua parte molesta premat.
Imbibe virtutes, & inania gaudia sperne.
Sunt animi comites gaudia vera boni.

SENTENTIAE PHILOSOPH.

Nunc omnes, qui virtutem definiunt, cum habitum eam esse dixerunt, & in quibus cernatur: tum habitum eum esse adiungunt, qui rectæ rationi sit consentaneus. *l.6.Eth.c.13.*

Omnes quodammodo diuinare & augurari videntur, habitum esse virtutem esse, qui prudentia dirigatur. Sed tamen parua facienda mutatio est. Neque enim solum virtus est habitus, qui prudētiæ sit consentaneus: sed is potius, qui sit cum recta ratione cōiunctus. Recta autem de his rebus recta ratio iam nomen habet prudentiæ. *ib.*

Hoc confitendum est, virtutem omnem, in quo ipsa sit, cum probe affectum reddere, officiumque, ac munus eius, in quo ipsa sit, probe exequi: vt virtus oculi, & ipsum oculum integrum efficit, & munus eius perfectum: virtute enim oculi probe cernimus. *l.2.Eth.c.6.*

Sua quæq. virtute recte absoluitur, & expletur. *li.1.Eth.c.7.*

Virtus est bonarum rerum conciliatrix, & conseruatrix facultas *l.1.Rhet.c.9.*

Iis hominibus, qui sunt studiosi honestatis, ea voluptatem afferunt, quæ vi sua iucunda sunt. Quo in genere sunt, quæ virtuti congruunt actiones. *l.3.Eth.c.8.*

Per virtutes homines bene instituti compositique euadunt: & efficientes sunt honorum, conciliatricesq. *l.1.Rhet.c.6.*

Virtutis merces, ac finis optimum quiddam est, diuinum, & beatum. *l.1.Eth.c.9.*

Nulla in re mortalium tanta inest firmitas, tanta constantia, vt in iis rebus quæ virtute geruntur. Multo enim scientiis ipsis sunt firmiores, & stabiliores: quarum vi quæque præstantissima est, ita stabilis maxime. *l.1.Eth.c.10.*

Alias virtutes in ratione esse dicimus: alias more perfectas. In ratione sunt, vt sapientia, vt sagacitas: more perfectæ, vt liberalitas, vt temperantia. *l.1.Eth.c.13.*

Nulla omnino mortalium virtutum ingenerata nobis natura. *l.2.Eth.c.1.*

Non a natura, neque præter naturam in nobis insunt virtutes; sed nati factique sumus ad eas, & percipiendas natura, & efficiendas consuetudine. *ib.*

Virtus moralis omnis inhæret voluptatibus, ac doloribus. *l.2.Eth.c.3.*

Est simplex virtus, omnigenum vitium. Estque virtus habitus animi iudicio susceptus, in mediocritate positus, ea quæ nos attingit rationeq. sic definita, vt prudens præscripserit. *l.2.Eth.c.6. & l.1 Mag.Mor.c.24.*

Virtus natura sua, & definitione, qua quid sit explicatur, mediocritas intelligitur, rei vero optimæ perfectæque ratione extremitas. *ib*

Virtus ipsa, itemq. vitium in nostra sunt potestate *l.3.Eth.c.5.*

Virtutum omnium iucundæ non sunt actiones: nisi quatenus finis copulatus coniunctusq. asciscitur. *3.Eth.c.9.*

Virtus est honorabile bonum, eam vbi ab ipsa factus studiosus euaserit quispiam: tum etiam virtutis habitum induisse certum est. *l.1.Mag.Mor.c.2.*

Virtus omnium principium conseruat: vitium labefactat, *lib. 7. c 8.*

Virtutis & morum laus omnis in animi iudicio, & voluntate consistit. *l.8.Eth.13.*

Virtutis & beneficentiæ merces est gloria, inopiæ, & indigentiæ præsidium quæsitus. *Li.8.Eth.c.14.*

Est virtus & vir bonus, mensura rerum omnium. *lib.9.Eth.c.4.*

Omnis virtus honesta est, & ad honestum tendit. *lib.1.Magn.Mor.c.21.*

Neue in potestate & imperio virtus ac ratio, à quibus honestæ actiones proficiscuntur, positæ sunt: *lib.10.Ethic.c.6.*

Habet cum perturbationibus moralis virtus magnum commercium, *lib.10.Ethic.c.8.*

Si virtutes morales in perturbationibus inhærent: in eo toto, quod ex anima & corpore concretum est, sitæ sint necesse est. *ibi.*

Non satis est virtutem habere cognitam, dandaque opera est, vt & habere eam, & colere possimus. *lib.10.Ethic.c.9.*

Neq; virtus aut vitium commutationes sunt, sed virtus perfectio est, & absolutio quædam. *lib.7.de Natura, c.3.T.13.*

Nullum præclarum facinus nec viri, nec ciuitatis est, sublata virtute atque prudentia. *lib 7.de Repub.c.11.*

Virtutis in eo posita est, vt bonis rebus gaudeamus, easque amemus: doleamusque contrariis. *lib.8.de Repub.c.5.*

Ἀνδριάντα μὲν ἐπὶ βάσεως, σπουδαῖον δὲ ἄνδρα ἐπὶ καλῆς προαιρέσεως ἑστῶτα δεῖ μὲν ἀκίνητον ὀφείλει εἶναι.

Statua quidem in sua basi, virtutis studiosus autem vir bono proposito nixus, immotus esse debet. *Socrates.*

O virtus ardua, laboriosaq; generi humano, pulcherrima vitæ inuentio: Tuam, o virgo, ob venustatem, etiam mori in Græcia optabilis habetur mors, ac labores vehementes & indefessos perpeti. Talem pectori inferis fructum immortalem, auro potiorem, & parentibus, & leuissimo somno. Tua vero gratia Hercules Ioue satus Ledæq. filii multa perpessi sunt, suis factis, quod possent declarantes. *Hym.Arist.in laud.virtut.*

Quemadmodum vehere laudibus, quæ pulchra sunt: sic quæ sunt turpia, vituperare decet: Sed inter pulchra quidem virtutes, inter turpia vero vitia primatum tenent. Laudari vero non ipsa modo virtus, sed causæ quoque, & comites, fructusque, & opus omne virtutis: vt contra reprehendi contraria debent. Cum autem animæ partes, qualiter opinatur Plato, tres sunt partes illius: qua de agendis omittendisque dispicitur, prudentia virtus est, qua sustinentur infesta, mansuetudo & robur est: qua adsciscendis idoneis cupiditas regitur, sobrietas ac continentia communesque partium omnium harum iustitia, liberalitas, ac magnanimitas. Totidem rerum earum opposita vitia in despiciendo recto, stultitiam, in arcendo infesto ferociam & ignauiam, in adsciscendo idoneo, proteruitatem ac incontinentiā, communesque partium earum omnium iniustitiam, & illiberalitatem, animique prauitatem esse oportet. In vniuersum autē animus sitne compositus vt sit, placidisque ac moderatis, & suis motibus vt feratur, omnesque per partes ipsius, quas tres esse dicimus, velut harmonia vt consonet, efficere virtutis est. Itaque Reipublicæ similis virtuosus animi status esse videtur. Est vero virtutis & hoc, beneficiis dignos afficere, bonos amicitia sua dignari, odisse malos: tum nec pœnæ, nec vindictæ cupidum esse, sed misericordem clementemque, ac veniam concedere paratum.

Comites virtutis, probitas, æquitas, candor, spes bona, & id genus alia sunt: qualia est familiarium, amicorum, sociorum, hospitum, hominum denique bonorum præsertim amor, quæ quidem laudatorum de numero sunt omnia. Vitium vero, contrariis per omnia præditum est moribus, comitanturque id plane contraria, omnia vero, quæ vitio insunt, quæque id comitantur, in ordinem eorum, quæ reprehenduntur, referuntur. *idem Arist.*

Τὰ ἐπίπονα τῶν ἡδέων μᾶλλον ἡγοῦ συντελεῖν εἰς ἀρετήν.

Cum labore coniuncta magis quam cum voluptate ducas conferre ad virtutem. *Pythagoras Samius.*

Idem ait, optimam nobis vitam esse deligendam, quam suauē mox ipsa consuetudo sit effectura. Diuitiæ ancora sunt infirma, gloria etiam infirmior, corpus itidem, magistratus, honores, omnia hæc imbecilla, & viribus destituta. Quæ ergo ancoræ sunt firmæ? Prudentia, Magnanimitas, Fortitudo: eas nulla tempestas agitat. Hæc Dei est lex, virtutem solam esse, quæ potens, solidaque sit, cætera omnia nugas & ineptias.

Quicunque enim vitæ cursum hoc itinere fecerunt, hi soli ipsam virtutem ingenue adire potuerunt: qua non res honestior, nō constantior est vlla: pulchritudo enim vel valetudine perit, vel tempore flaccescit: diuitiæ vitiorum sunt potius, quam integritatis ministræ, facultatem nempe desidiæ præbentes, & ad voluptates iuuenes excitantes. Robur prudentiæ coniunctum profuit: sine illa vero sæpius eum, qui id habet, offendit, & corpora quidem eorum, qui exercent, adornat, industriam vero mentis obscurat.

Virtutis autem possessio, quorum bona fide mentibus ipsa coaluerit, sola consenescit: diuitiis potior, vtilioreque generis splendore. Quæq. fieri nequeunt ab aliis, illa suis viribus subdens, & multitudini metuenda constanter expectans: desidiam, dedecus, laborem, laudem arbitratur. Hoc cognitu perfacile est ex gloria certaminum Herculis, operumque a Theseo gestorum,

quibus

quibus morum præstantia tantum laudis insigne operibus adie cit: veo mais temporum posteritas, rebus, quos gesserunt, obfuodere nequiuerit obliuionem. *Isocrates ad Demonicum. Thomas Morus Anglus.*

Superuacua ex animo tollēda sunt. Non dabit se in has angustias virtus. *Senec. epist. 89.*

Virtus extollit hominem, & sopra astra mortales collocat: nec ea, quæ bona aut mala vocantur, aut cupit nimis, aut expauescit. *Idem epist. 88.*

Omnibus enim natura dedit fundamenta, semenque virtutum. *Idem epist. 110.*

Virtus regna, vrbes, prouincias tēperat, fert leges, colit amicitias, inter propinquos liberosque dispensat officia, modo arcto sinu circundatur paupertatis, exilij, orbitatis. Non tamen minor est, si ex altiore fastigio in priuatum, ex regio in humilem subducitur, ex publico & spatiosa iure in angustas domos vel angulos coit. *Idem epist.*

Errare mihi videtur, qui dixit gratior est pulchro veniens è corpore virtus. Non enim vllo honestamento eget, ipsa magnū sui est decus, corpus suum consecrat. Potest ex casa vir magnus exire & ex deformi humilique corpusculo formosus animus, ac liber & magnus. *Sen. epist. 67.*

Atque laudabilis virtus est in corpore valido ac libero posita, atque in morbido ac vincto. Ergo ob tuam virtutem non magis laudaberis, si corpus tuum integrum fortuna præstitit, quam si ex aliqua parte mutilatum. Alioquin erit ex seruorum habitu dominum æstimare. Omnia enim ista, in quę dominium casus exercet serua sunt. Pecunia corpus & honores imbecilla sunt, fluida, mortalia, possessiones incertæ. Si hucusque perueneris, vt magis diligas integrum omnibus membris & illæsum, quam debilem, & luscum, paulatim fastidium tuum eo vsque procedet, vt è duobus æque iustis & prudentibus comatum & crispū malis. Sed quis vnquam censuram inter filios agit, vt filium sanum, quam ægrum magis diligat? procerum & excelsum, quā breuem ac modicum? *ibid.*

Nulla possessio, nulla vis auri & argenti, pluris quam virtus æstimanda est. *Sen. in epist.*

Vnusquisque commendat virtutem, in qua viget, & reprehendit vitium, in quo deliquit. *ibid.*

Omnia beneficium inter se collocari volunt, sed tamen nullum theatrum virtuti conscientia maius est. *ibid.*

Vnum hominis bonum ipsa virtus est, quæ inter hanc fortunam, & illa superba incedit, cum magno vtriusque contemptu. Virtus rectorem ducemque desiderat, sed sine magistro vitia discuntur. *ibid.*

Nulli non virtus & viuo & mortuo retulit gratiam, si illum bona secutus est fide. *ibid.*

Quemadmodum minora lumina claritas solis obscurat: Sic dolores, mœstitias, iniurias, virtus magnitudine sua elidit atque opprimit, nec magis vllam portionem habent incommoda, cum in virtutem inciderint, quam in mari. *ibid.*

Nulli præclusa est virtus, omnibus patet, omnes admittit, omnes inuitat; non eligit dominum, non censum, nudo homine contenta est *ibid.*

Qui autem summum bonum in virtute ponunt, præclare illi quidem: sed hæc ipsa virtus amicitiam gignit & continet, nec sine virtute amicitia esse vllo pacto potest. *Cic. lib. de Amic. in prin.*

Virtute enim ipsa non tam multi præditi esse quam videri volunt, hoc delectat assentatio.

Nihil virtute amabilius, nihil est, quod magis alliciat homines ad diligendum: quippe enim propter virtutem & probitatem eos etiam, quos nunquam videmus, quodammodo diligamus.

Neque enim illi sunt audiendi qui virtutem duram & quasi ferream esse volunt;

Quid est tam absurdum, quam delectari multis rebus inanibus, vt gloria, vt honore, vt ædificio, vt vestitu, cultuque corporis: Animo autem virtute prædito, eo qui vel amare, vel (vt ita dicam) redamare possit, non admodum delectari?

Fructus.n. ingenij & virtutis, omnisq. præstantiæ tum maxime accipitur, cum in proximum quenque transfertur.

Sine virtute nec amicitiā, nec vllā rē expetēdā cōsequi possumus.

Maxima culpa est in eo, qui & virtutem aspernatur, & in fraudem obsequio impellitur.

Omnino est amans sui virtus, optime enim se ipsa nouit, quamq. amabilis sit, intelligit.

Vos hortor, vt ita virtutem locetis (sine qua amicitia esse non potest) vt excepta, nihil amicitia præstabilius esse putetis. *Cic. lib. de Amicit. in princ.*

Sed mihi nec diuturnum quicquam videtur, in quo est aliquid extremum, cum enim aduenit id, illud tuum quod præterijt. effluxis, tantum remanet id, quod virtute & recte factis consecutus sis. Nec vero clarorum virorum post mortem honores permanerent, si nihil eorum ipsorum animi efficeretur, quod diutius memoriam sui teneremus. *Cic. de Senect.*

Sic igitur, si quid de Corinthijs tuis amiseris, posse habere te reliquam supellectilem saluam: virtutem autem si vnam amiseris, (etsi amitti non potest virtus, sed si vnam confessus fueris te nō habere, nullam te esse habiturum. *Cic. lib. 2. Tusc. Quæst.*

Etsi hoc quidem commune est virtutum: Omnes enim inter se nexæ, & iugatæ sunt. *ib. l. 3.*

Pleræque enim quæstiones, quæ ad vitam moresque pertinent, a virtutis fonte ducuntur. Quando igitur virtus est affectio animi constans conueniensque, laudabiles efficiens eos, in quibus est, & ipsa per se sua sponte, & separata etiam vtilitate, laudabilis: ex ea proficiscuntur honestæ voluntates, sententiæ, actiones, omnisque recta ratio. Quanquam ipsa virtus breuissime recta ratio dici potest. Huius igitur virtutis contraria est vitiositas. *ib. l. 4.*

Illa enim, si modo vlla est virtus, omnia, quæ cadere in hominem possunt, subter se habet, eaque despiciens, casus contemnit humanos, culpaq. omni carens, præter seipsam nihil censet ad se pertinere. At nos virtutem semper liberam volumus, semper inuictam: quæ nisi sint sublata virtus est. At qui si in virtute satis est præsidij ad bene viuendum, satis est etiam ad beate: satis.n. certe est in virtute, vt fortiter viuamus: si fortiter etiam, vt magno animo, & quidem, vt nulla re vnquam terreamur, semperque simus inuicti, sequitur, vt nihil pœniteat, nihil desit, nihil obstet, ergo omnia profluenter, absolute, prospere: igitur beate, satis autem ad fortiter viuendum virtus potest: satis ergo etiam ad beate. Etenim vt stultitia, etsi adepta est, quod concupiuit, nunquam se tamen satis consecutam putat: sic sapientia semper eo cōtenta est, quod adest. neque eam vnquam sui pænitet. *ib. lib. vlt.*

Qui virtutem habet, is nullius rei ad bene viuendum indiget.

Sæpe virtus & magnificentia in quo grauitas, & authoritas est, plus proficit ad misericordiam commouendam, quam humilitas, & obsecratio. *Cic. Rhet. vet. l. 1.*

Præmia virtutis, & officia sancta, & casta esse oportet, neque ea, aut cum improbis communicare, aut in mediocribus hominibus promulgari. *ib. l. 2.*

Nemo erit, qui censeat virtute recedendum esse.

Nulla vtilior res est incolumitate: virtutibus vti nemo potest, qui suas rationes in tuto non collocauit.

Virtus nullo tempore relinquenda est. *Cic. Rhet. nou. l. 3.*

Difficile est primum virtutes reuereri: qui semper secunda fortuna sit vsus: liber is existimandus est, qui nulli turpitudini seruit.

Omnes bene viuendi ratione in virtute sunt collocandæ, propterea quod sola virtus in sua potestate est. Omnia, præter eam, subiecta sunt fortunæ dominationi. *ib. l. 4.*

Ei non multum potest obesse fortuna: qui sibi firmius in virtute quam in casu præsidium collocauit. Nam si quis spei non multum collocarit in casu, quid est, quod ei magnopere casus obesse possit?

Diuitias sine diuitum esse, tu vero virtutem præfer diuitijs: nam si voles virtutem cum diuitijs comparare, via satis idoneæ tibi videbuntur diuitiæ, quæ virtutis pedissequæ sint. *ib. l. 4.*

Contentum vero suis rebus esse, maximæ sunt certissimæque diuitiæ. Etenim si isti callidi rerum æstimatores prata, & areas quasdam magna æstimauit, quod ei generi possessionū minime quasi noceri potest. Quanti est æstimanda virtus, quæ nec eripi, nec surripi potest, neq. naufragio, neq. incendio amittitur, nec tēpestatum, nec temporum permutatione mutatur? Qua præditi qui sunt, soli sunt diuites: soli enim possident res, & fructuosas, & sempiternas, solique (quod est proprium diuitiarum) contenti sunt rebus suis.

Quod honestum & cum virtute est, id solum opinor bonum.

In quo virtus sit, ei nihil deesse ad beate viuendum puto.

Nescis insane quantas vires habeat virtus, nomen tantum virtutis vsurpas, quid ipsa valeat, ignoras. *Cic. in Parad.*

Beatus autem esse sine virtute nemo potest.

Nihil est enim virtute amabilius, quam qui adeptus erit, vbicunq; erit gentium, a nobis diligetur. *Cic. l. 1. de Nat. Deo.*

Virtus clara æternaque habetur.

Quæ homines arant, nauigant, ædificant, virtuti omnia parent. *Salu. in Cat.*

Vbi diuitiæ honori sunt, & eas gloria, imperium, potentia sequitur, hebescere virtus, paupertas probro haberi, innocentia pro maleuolentia duci incipit. *Sal. in Cat.*

Iidem absurdum est, vna sola virtute vitam fieri beatam dicere. quoniam quum virtus abest, beata esse vita nunquam potest. *Aul. Gel. Noct. Att. l. 17.*

Virtus autem (vt isti dicunt) non accessio, neque supplementum, sed sola ipsa vitæ beatæ instar est: & propterea vitam beatam ipsa sola cum adest facit. *Aul. Gel. ib.*

Facilior virtutis ad luxuriam, quam luxuriæ ad virtutē trāsitus est.

Virtutis vberrimum alimentum est honos.

Eneruos animos odisse virtus solet. *Val. Max. l. 2.*

Magno vbique pretio virtus æstimatur.

Apud

Apud antiquos maiorum effigies in prima parte ædium poni folebant, idcirco vt eorum virtutes posteri non solum legerent, sed etiam imitarentur.

Eleuet aliquis præmia virtutis, cum animaduertat fortes viros feli cius sepeliri, quam ignauos. *Val. Max. l. 5.*

Nihil est igitur, excepta virtute, quod mortali manu, & animo immortali quæri possit. *Val. Max. l. 3. ib.*

Virtutem quidem omnes plane amant, sed quia per labores comparatur, multi quasi resiliunt, namque adipiscendi spes dubia est: in adipiscendo labores manifesti sunt. Quod si virtus quasi corpus perspici posset, homines eam fortasse minus negligerent: quia sicut a se illum, ita se ab illa videri intelligerent. Quilibet enim quum ab amato videtur, seipso melior existit. Nam nec turpia, nec indecora dicit, aut facit, ne ab illo videatur. Nunc vero probra multa, & flagitia palam admittunt, quod sc a virtute videri non putent: quippe quum eam ipsi minime perspiciant. Illa vero v b q. adest, nam immortalis est, & vt quisque erga se fuerit, honore bonos, ignominia malos afficit. Quod si ab ea se con spici nossent, labores atque doctrinam quibus illa, quamuis ægre, capitur, adirent, & ipsam acquirerent. *Xen. l. de venat.*

Non ex rerum euentu, sed quo consilio, & que delectu quid dat, virtutem perpendere fort. lque, & illustres inde viros spectare oportet. *Diod. Sic. Antiquo lib. 5.*

Quæ armis præclara facinora victoriæque parantur, plerunque fortunæ, vel ipsi tempori adiudicari solent. Verum secundas res modeste, temperanter, humane perferre, id certum propriumque virtutis existit documentum, in animis fortunatoru situ. *id. l. 13.*

Rex præclaras aggredi arduum paucisque datum. *Dionyſ. Halit. libr. 0.*

Nulla non virture superatur humanarum virium modus. *Liu. Decad. 5. l. 4.*

Quod pulcherrimum idem tutissimum est, in virtute spem positã habere. *id. Decal. 4. l. 4.*

Nihil inexpugnabile virtuti. *Curt. l. 5.*

Nihil tam alte natura constituit: quo virtus non possit eniti. *l. 7.*

Diuitiarum & formæ gloria fluxa, atq. fragilis est: virtus clara æternaq. habetur. *Sall. de coniur. Cat.*

Ea sola neque datur dono, neque accipitur. *id. de bel. Iug.*

Virtus est proprium hominis bonum. *Tac. hist. l. 4.*

In electione eorum qui Rempub. sunt gubernaturi. Natura censebat virtutem cuiusque non patriam existimari, & ponderari oportere. *Dion. in Nerua.*

Virtuti ingenium vtiusque bonæ militiæ pæne sat. *Sex. Aur. Vict. in Diocles.*

Nemo vnquam peruenit ad virtutum summum iam maturus nisi qui puer seminario virtutum generosiore coocretus inclytum designauit. *Fl. Vopisc. in Probo.*

Virtus & ars multitudini antecellit. *Xiphilin. in Pomp.*

Virtutem cuiusque, non patriam, existimare & ponderare oportet. *idem in Nerua.*

Non fastidioso aditu virtus excitata, ingenia viuida ad se penetrare patitur, neque haustum sui cum aliquo personarum discrimine largum malignumve præbet: sed omnibus æqualiter exposita, quid cupiditatis potius, quam quid dignitatis afferatis, æstimat, inque caput bonorum suorum tibi ipsi pondus examinandum relinquit, vt quantum subire animo sustinueris, tantum tecum auferas. *Val. Max. l. 3. c. 3.*

Magno vbique pretio virtus æstimatur. *id. l. 5. c. 4.*

Nihil est excepta virtute, quod mortali animo, ac manu immortali quæri possit. *id. l. 5. c. 6.*

Aeuum impedimento virtuti non est, ea facile mutatur corrupto per licentiam ingenio. *Aurel. Vict. de Cæs.*

Vt in periculis virtutem impigram esse conuenit, & audacem, ita (quum res postulat) regibilem, & consultam. *Ammia. Marc. l. 6.*

Virtus etiam in calamitate multum, vel apud hostes momenti habet. Ignauiam vero, etiam secundis in rebus extremo contemptu Romani dignam iudicant. *Zonar. Ann. to. 2.*

Nemini non virtus est venerabilis, siue sit peregrinus, siue incola, siue Græcus, siue diuersæ a Græcis linguæ, siue Scytha. Nam hæc sola sui studiosos ornare seruareque potest. *Constan. Manass. An. p. 77.*

Virtus seipsa freta, & sui fiducia fere imperterita, seipsa contenta est, semper sibi constat. *P. Aem. l. 7.*

Longe plurimum præsidij mortalibus repositum est in virtute. *Eod. l.*

Vbique virtus inuidos vrit, a calumniatoribusque oppugnatur. *id. l. 10.*

Aliena virtus uel falso etiam fulgore hostibus sæpe timorem præbet, animusque, uel aduerso successu consternatus plerunque ad alieni meius imaginem uel falso cõceptã erigit. *P. Ieu. hist. l. 3.*

Nihil interest virtutis, equis an nauibus, terra an mari dimicet. *Lu. Flo. l. 2. c. 2.*

Vt prudens etiam hostis virtutem reueretur, vt & Demosthenem acerrimum inimicum Philippus beatum iudicabar, cùm diceret: Si quis Atheniensis, Atheos degeosse patriæ me præferre dicit, e an ego argento emeriti amicitia verò mea non digna bor. Si quis verò propter patriam me odit, cum ego quod dcoi vr arcem, & murum, & nauale, & vallum oppugno: sed tarneo virturem eius admiror, & vrbem propter eam possessionem fortu natam iudico. *Nepo. Greg. hist. l. 9.*

Cui generosa indoles a maioribus innata est, ei si ad pulcherrimū exemplum domesticorum vitam suam componere instituerit, is felicitatis parte potiodum est, si maiorum suorum qui virtute alijs antecelluerunt, memoriam colat, & perpetuo aliquid de ijs vel audiat, vel loquatur, non enim propriorum bonorum penuria suam existimationem ab aliorum gloria ille suspēdit: sed maiorum suorum virtutibus suas actiones annectens, vt generis, ita etiam vitæ factorumq. suorum authores & duces eos prædicat. *Plut. in Arato.*

Videtur verum esse quod ab antiquis philosophis dictum est, morales virtutes esse mediocritates, non autem extremitates: præcipuè verò iustitiam. *Dionyſ. Halicarnaſſ. lib. 8.*

Virtutes ijsdem temporibus optimè æstimantur, quibus facillimè gignuntur. *Tacitus in vita Agricolæ.*

Duo sunt quæ ab egregijs principib. expectãtur: sanctitas domi, in armis fortitudo, vtrobiq. prudētia. *P. Diacon. histor. l. 10. in Nerua.*

Homini priuato satis est moderatio, æquitas, placabilitas, & in omni cultu & victu modus. Imperatori vero præter hæc & iustitia est colenda, & ratio ciuium habenda, & vetera instituta sunt tuenda. *Zonar. in Alex. Com. tom. 3.*

Virtutis actiones eo modo afficiunt contemplantem, vt confestim & miretur eas, & authorē imitari cupiat. Quippe bonorum quæ fortuna nobis tribuit, possessionem ac perceptionem fructuū, virtutis uero actiones diligimus: & vt illa nobis ab alijs præberi, ita his alios impertiri volumus. Ipsa enim honestas ad se al icit, cupiditatemque agendi connuò inijcit, spectatorisque animum non imitationi, sed cognitioni ipsius facti inceotum, virtutis studio informat. *Plut. in Pericle.*

Ita comparatum est, vt virtutem non suspiciamus, neque eius imitandæ studio corripiamur, nisi euoi in quo ea conspicitur, summo honore atque amore prosequamur, qui ueiò bonum aliquem laudant, quem non amant, nun uirtutem eius admirãtur, neq imitari cupiūt, sed gloriã reuerētur. *Plut. in Cat. Vticenſ.*

Omne id quod cõem fortè excedit, æmulationi inuidiæq. aliorum obnoxium est: hinc illud eorum quorum conditio est inferior, contra se superiores bellum perpetuum existit. *Dion. l. 38.*

Non semper clarissimis factis uirtutis aut uitij insunt indicia: quippe sæpe ex gna quadam res, dictumue auriocus plus de ingenio alicuius documenti præbet: quàm immensã hosti stragesedita, maximæ pugnæ, vrbiumve oppugnationes. *Plut. in Alex.*

Virtus cuilibet arti ac studio præstat. *Plut. in Theseo.*

De uirtute. Dial. x.
Franc. Petrarch.

G a v d.

Nunquid non saltem licet de uirtute gloriari? R. Vt liceat, in illo tantum licet, qui uirtutis & omnis boni author solus est, largitor est. G. Magna est animi uirtus. R. Vide autem, ne quo maior creditur, minor sit G. Spectata uirtus in rebus dubiis est. R. Proprium est uirtutis, non quid actum, sed quid agendum sit, neo quid adsit sibi, sed quid desit, attendere, unde est, ut sæpe illam non de quæsito gloriantem, sed de quærendo solicitam uideamus. Dicerem, si liceret, auaram, aut certe auaritiæ similem esse uirtutem, iugiter sitit quotidie: inardescit, quo plus quæsierit, eo sibi pauperior uidetur, & plus appetit. Nullus ei desiderii modus est. Nullus sat magnus cumulus meritorum. G. Virtus supra humanum morem est. R. Vereor, ne supe biæ sit illa profusio: non uirtutis. Gav. Vertus longe clarissima est. Rat. Fundamentum uero uirtutis humilitas, nec tanta claritas ulla est, quam elatio non obscuret. Scit ille, qui clarissimus creatus, seq. ipsum efferens, non obscurus tantum, sed prince pa meruit fieri tenebrarum. Quod si illi accidit, quid alii de se sperent? Gav. Virtus eximia est. R. Non solet esse uirtus tactatrix aut miratrix alieni. Itaque semper anhelans, semper altius aspirans, dum se comparat, paruipendit. Gav. Virtus consummata est. R. Nunquam hoc uirtus de se iudicat, non confidit, nihil arrogat. Scit hoc tempus esse militiæ, non triumphi, atque ideo nunquã torpet, & semper in actu est. Semper quasi nunc incipiens accingitur, quæ omnia perfecisse, se que undique consummatam credit. Crede mihi, non est uirtus, error est uirtuti obuius atque ad uersus. Quisquis ad summam peruenisse credit, in hoc primū fallitur, quod ubi credit esse, non est. Deinde quod illuc ferentem uiam aberrando deserit, dumque, quod non habet, anticipat, quod habere potuisset, sponte sua negligit. Siquidem

nil tam

nil tam profectui aduersum, quam profectionis opinio. Nemo studet agere, quod peregisse se putat. Error hic sæpe magna parantibus obstitit, iamque alta prehensantibus. G. Virtus pro humana capacitate plena est. R. Si omnem vitam ante oculos ponis perque dies singulos actuum, ac verborum, & cogitatuum rationem à teipso exigis, incorruptus rerum arbiter tuarum, videbis, quantum vacui in anima sit, quantum vitia occupent. G. At saltem communis, & mediocris est virtus. R. In rebus altissimis vix mediocritas locum habet. Verum habeat, non tamen hæc gaudij materia, sed laboris ac studij est. Nam quod ad summam disponitur, donec eo peruenitur, non quiescet. G. Aliqua est virtus. R. Huius quoque iudicium linq; alijs. Et si qua est virtus, non ibi finis gaudij, sed in illo, ad quem vera per arduū virtus ducit. Eam nempe philosophiam profitemur, quæ non fruēdum virtutibus, sed vtendum docet. Nondum plene igitur gaudendi tempus est, tot nunc etiam vitæ periculis circumfusis, sed optandi potius sperandique, gauisurum te sperare potes, sic tamen, vt metuas doliturum. G. Si quid boni est, sentio vnde sit, & in illo gaudeo, quicquid autem deest, scio vnde poscendum sit, & de illo spero. R. Hæc est virtus, & iam ratum iter ad verum gaudium inuenisti.

De virtutis inopia. DIAL. CIV.

DOL.

At virtutis inops sum. R. Verum damnum, iustus dolor, nisi quod aliæ omnes inopiæ naturales, aut fortuitæ, ac violentę esse possunt, hæc vna proculdubio voluntaria est. Cæteræ.n. vel in corpore, vel ingenio, memoriaque, vel eloquio, seu vel externis in rebus sunt, quę quidem omnia, non qualia exoptantur, eueniunt, qualia cuiuscunq; sors tulerit, hæc vna autem in voluntate consistit, quā pro arbitrio sibi quisque moderatur, atq. efficit. Neq. vero aliis potest homini volūtas esse, nisi quam vultis, cuius illa est, qua & hoc ipsum vult, & quæcunque vult alia. Alioqui si vt vitium, vtque ingenij, siue eloquij, siue opus defectum inuito accidit, sic acciderit volūtatis, nec præmio digna virtus, nec supplicio digna esset iniquitas. Nunc autē nō voluntas vobis hæc, aut illa, sed huius atq; illius electio, ac libertas nascentibus data est, quæ in bonum flexa bonos facit, in aduersum malos, vti licet hac, vt libet, & si, vt libet, bene vti libeat, haud dubie Dei donū, vt male aūt, peruersitas sit volentis, illud penitus nō licet, vt nō & volūtas bona virtutis, & mala vitij radix sit, atq. ita virtutis inopiā nō patitur, nisi qui vult, quoniam prima & maxima pars virtutis est, velle. D. Quid, qđ virtutē volo, nec assequor. R. Multi se id putāt velle, quod nolunt, id nolunt, quod volunt, sic quisque se fallit, seq. boni auditū, non modo alijs, sed sibi etiam persuadere nititur, nec cuiquam facilius persuadet, quā delectabilis vera virtus, falsa virtutis opinio sic delectat, vt populum & amicos fallere, & falli insuper dulce sit. D. Scio me velle, nec posse ideo bonū fieri. R. Vt si ita velle non sufficit, desiderio opus est, eoq. non modico, sed vehementi. Vos aūt mala nostra feruētissime cupitis, bona uultis tepidissime, unde fit, ut diuites multi sint, boni autē paucissimi. Nam quid miri est, si citius ad optatum ardens intentio, quam uoluntas lenta prouehitur? D. Vellem bonus esse, si possem. R. Stude, nam poteris, & si bona fide uis esse, iā incipe, sed segnitiem uita. Si.n. minima rerum nō habentur gratis, quid de uirtute speres, qua nil in rebus hominum maius est, nil altius? Non tu illam quasi diuerticulum curarum, sed ut rectum, atque unicum iter ad felicitatem cogita. Vaca illi, & insiste summo nisu, totoq. animi pondere, uerte temporis particulam, ut iucundo cuidam exercitio, sed ut ordinario uitæ officio, quod te beatum, & nullius egentem rei faciet, uniuersum tempus, omne studium impende. quod rebus sæpe uilissimis impendisti, & ad memoriam refer illud sanum magisq. efficax. quam comptum uerbum Marci Varronis ex Satyrarum eius libro: Si quantū operæ sumpsisti, inquit, ut tuus pistor bonū faceret panem, eius duodecimam philosophię dedisses, tempore bonus iampridem esses factus, quod sic accipias uelim, nō ut terrenæ philosophiæ, quæ ex frequentatis actibus habitum spōdet, cuius quāta sit promissi fides experti sciunt, sed cœlesti sapientiæ sospitatrici optimæ, suisque consilijs. atque auxilijs te virtutis, quæve per hanc quæritur, salutis debitorē statuas, sentiasque pia confessione, grato animo quoq. est scriptum. Nemo potest esse continens, nisi Deus det, & hoc ipsum erat sapientiæ scire, cuius esset hoc donum, tibi nominatim dictū credas, atq. ad omnem uirtutem intelligas referendum. D. Valde quidē esse cupio, nec sum bonus. R. An ualde cupias, res docebit. Intensæ uoluntatis indicium perseuerantia est. Siue autem gratuitū Dei donum uirtus, & profecto eam largitur ille sydereus nisi constanter optantibus, instanterq. precantibus uix tribuit, siue tan sa in re ullæ sunt partes ingenij humani, & cum intentione feruida res egeat, tum continua eget & diuturna. Nā quod studio quæritur, repente nō prouenit, sic quocunq. te uerteris, perseuerātia opus est aīo, omissis ergo, neglectisq. omnibus, hic incūbe, idque alacrius si memineris, semperque descriptum ante oculos habueris, ad hunc unum, atque ad nihil aliud te uenisse in hanc terrenam habitationem, & hoc a te vnum exigi, vt virtutum gradibus cælum petas, ita vt quicquid agis aliud vel superuacuum, vel damnosum sit.

APOPHTHEGMATA.

Antisthenes, cum nil tam difficile esse sciret, quod studio superari non posset, virtutem etiam posse dici, solebat dicere. *Laer. l. 6.*

Idem, Neque, inquit, symposium si desint congerrones, nec opes virtute carentes voluptate afficiunt. *Stob. ser. de virtute.*

Idem dicebat: Virtutem esse armaturam, quæ detrahi non possit: Ensis enim & clypeus excutiuntur: sapiens autem, ac virtute præditus nunquam non armatus est, eoque vinci non potest. *Laer. l. 6.*

Idem assidue dicere solebat: Virtutem sibi sufficere ad felicitatem nec vlla tempus habere, nisi robore Socratico. *Laert. l. 6.*

Idem dicebat, virum iustum pluris faciendum, quam cognatum. Arctiora enim sunt vincula virtutis, quam sanguinis. Et omnia bonus bono proximo cognatus est, propter animorum similitudinem. *Laer. l. 6.*

Idem negabat sapientem viuere iuxta leges ab hominibus institutas: sed iuxta normam virtutis. Sentiens, non ideo quid faciendum aut vitandum, quia leges iubent aut vetant: sed quia ipsa ratio dictat, hoc esse honestum, illud turpe. Leges non omnia præscribunt: at virtutis regula docet vbique, quid sit honestū, quid turpe. Coacta virtus non est. *Laer. l. 6.*

Idem, quum in theatro populus Atheniensium tumultuaretur, ob versiculum recitatum.

Τι δ' αἰσχρὸν, εἰ μὴ τοῖσι χρωμένοις δοκεῖ

Idest.

Quid turpe, ni videatur hoc vtentibus?

Antisthenes subiecit alterum:

Αἰσχρὸν τό γ' αἰσχρὸν κἂν δοκῇ κἂν μὴ δοκῇ.

Quod turpe turpe est siue credas siue non.

Eleganter correxit inutilem sententiam. *Plut. in Peri.*

Diogenes ab Hegesina rogatus, vt ipsi libros aliquot commodato daret: Non sapis ait, cum chartas non pictas, sed veras eligas: vera exercitatione neglecta, ad scripturam te conferas. Quo dicto notauit eos, qui per omnem vitam ex philosophorum libris virtutem haurire cupiunt: cum virtus magis vsu discatur, quam lectione. *Laert. l. 6.*

Idem dicebat, se multos quidem videre colludentes, & discursantes, non autem qui virtuti operam darent. *Stob. ser. 4. de impudentia.*

Stoicorum dogma est nihil esse expetendum, præter virtutem nihil fugiendum præter vitium. *P. M. l. 6. apoph.*

Socrates, cum aliquando in colloquium cum Theodata meretrice formosissima uenisset, quæ Callisthenem blandis ad se uerbia trahebat, ad Socratem dixisse meretrix fertur: Ego quidem, o Socrates, multum tibi præsto. Nam cum neminem ex meis a me possis abalienare, ego cum libitum est, tuos omnes a te uoco. Cui respondit Socrates: Non mirum quidem est hoc. Tu siquidem ad decliuem tramitem omnes rapis, ego uero ad uirtutem cogo, ad quam arduus plerisq. insolitus est ascensus. Sensit autem Philosophus clarissimus, adeo corruptos esse hominum mores, ut facile ducantur ad uitia, quorum lata est uia; abhorreant autem a uirtutibus, ad quarum acumen ardua, ac spinosa nobis uidetur esse uia. *Aelian. l. 13. de var. hist.*

Socrates, Equus generosus, inquit, indicatur, non quidem sumptuose ornatus, sed eximius natura: itidem nec uir honestus, qui opibus prædiues, sed qui animam uirtute præditam gerit. *Eod. serm.*

Isocrates, Virtute nullam possessionem nec honestiorem, nec durabiliorem esse dicebat. *ad Demonicum.*

Epictetus, Anima dedita uirtuti similis est, inquit, perenni fonti cuius aqua est pura, imperturbata, potabilis, dulcis, accepta, fruitioni apta, copiosa, ab omni noxa, & pernicie aliena. *Stob. sermo. 1.*

Idem, Quodam tempore, quum Euripides ita de uirtute dissereret, vt diceret:

Κράτιστον εἶναι ταῦτα ἐᾶν εἰκῇ φερόμενα.

Idest:

Hæc missa temere est optimum relinquere.

Quasi uirtus inueniri uia posset: surrexit Socrates, dicens: Ridiculum esse, quum mancipium, si non protinus inueniatur, operæ pretium existimemus inuestigare: uirtutem nulla inuestigatione dignam iudicare, si non protinus contingat homini. *P. M. l. 5. apoph.*

Demetrius Phal. quum audisset, Athenienses fuisse demolitos statuas suas, quas illi proposuerant. At uirtutem, inquit, non euerterunt, cuius gratia illas proposuerant. *Laert. 5.*

Themistocles: Seriphio cuidam dicenti, eum non sua, sed patriæ gloria splendorem assequutum. Vera, inquit, hercule, narras, veruntamen nec si ego Seriphius, ignobilis, nec tu, si Atheniensis

niensis esses, clarus nunquam fuisses. Sensit autem, non patriam, sed virtutem existimationem facere hominibus, & authoritatem. *Plutarch.*

Phocion Atheniensis hanc diuinam esse legem dicebat: Vt vnica virtus sit potens, reliqua autem cuncta nugæ. *Stob. ser. de prudentia.*

Socrates, Gorgias enim a Socrate percunctaretur, an Persarum Regem putaret felicem? Nescio hercule, inquit, quantum virtutis, & disciplinæ habeat. Sensit vir prudentissimus, neminem esse felicem, nisi omnibus virtutibus præditus sit. *Laert.*

Plato. Omnes opes, omnem rerum copiam virtuti concedere dicebat. *in Menexem.*

Iamblichus. Ad virtutem, tanquam ad asylum, semper confugiendum esse, dicere solebat: ne cui turpi iniuriæ fortunæ expositi simus. *Stob. ser. de prudentia.*

Agesilaus, quum audiret Persarum Regem magnum appellari: Quare maior me est, inquit, nisi iustior est, ac temperantior. Cēsuit vir iustissimus, eum demum magnum esse virum, qui virtutibus alios omnes superaret. *Plut. in Lacon. apopht.*

Idem. Cuidam sciscitanti, quæ potissimum pueris essent discenda. Ea, inquit, quibus vsuri sint, cum ad virilem peruenerint ætatē. Recte censuit vir prudens, solam virtutem primum ac statim a teneris vnguiculis disci oportere, nec vllam æui portionem artibus friuolis dandam: quæ vt in pueris habent ostentationem plausibilem, ita nec grandibus decori futuræ sint, nec ad seria vocatis vtiles. *Plut. in Lacon.*

Idem. Cum scelerosum quendam hominem crudelissima tormenta magna animi fortitudine, ac infracto animo pertulisse audiuisset, miserum hominem esse iudicauit: qui tam præclaram virtutem in re tam inhonesta ostendisset: quam si ad res honestiores attulisset, magno vsui Reipublicæ esse potuisset. *Plu. in Lac. apoph.*

Archidamus, ob superatos bello Arcadas, quum a quodam laudaretur. Multo, inquit, præstantius erat, si illos prudentia quam viribus superassemus. Intellexit dux nobilissimus, eam victoriam merito encomijs celebrari, in qua virtute alios vincimus, cum viribus a brutis etiam superemur animalibus. *Plut. in Lacon.*

Chæreas interroganti, quam arbitraretur optimam rempubl. In qua, inquit, plurimi ciues de virtute inter sese decertant, citra seditionem. In plerisque ciuitatibus certamen est de opibus, & honoribus, de virtute qui certent, pene nulli. Quanquam hoc quoque certamen de honesto debet hactenus seruire, ne prorumpat in seditionem. Iam enim non est concertatio virtutis, sed ambitionis. Qui vero virtute præditus est, nihil spectat, nisi vt prosit Reipub. At seditio præsens venenum est ciuitatis. *P. M. ex Plut. in Lacon. apoph.*

Anaxandridas Leontis filius, quum quendam videret acerbe ferre exilium, dixisse fertur: Noli, vir optime, exhorrescere exilium: a virtute enim & iustitia exulare, illud horrendum est. Sensit vir optimus, eos omnes exules esse, qui a virtutibus alieni sunt: eos autem nequaquam exules, qui varijs virtutibus ornati vbiq. patriam inueniunt. *Plut. in Lacon.*

Antigonus secundus adolescenti cuidam, qui patrem habuerat fortem: quamquam ipse non admodum, vt videbatur, bonus erat miles, postulanti, vt patris stipendia caperet: At ego, inquit, o adolescentule: non nisi ob proprias cuiusq. viri virtutes mercedem, ac munera dare soleo. Hoc sermone iuuenem extimulans, vt patris fortitudinem æquaret, si, quantum ille capere solebat, velit accipere. Apud Græcos maior est dicti gratia ob vocum affinitatem, ἀνδραγαθίας. πατραγαθίας, quæ vox posterior ad prioris imitationem efficta. *Plut. in apoph.*

Pittacus interrogatus quid esset optimum? Quod in præsentia, inquit, occurrit, bene agere. *Laert.*

Antisthenes, Virtutem esse rem operum, non autem plurimis verbis multisque discipulis egere dicebat. Aduersus eos qui iuris ac theologiæ pictauisque professionem studio reddunt difficillimam, ac prolixam, perque vitam omnem nihil aliud quam de virtute disputant. Notat hoc Horatius, Virtutem verba putas, vt Locum signa. *Laert. l. 6. c. 1.*

Agesilaus rogatus, quomodo quis maxime apud homines probaretur? Si dicat, inquit, optima, & faciat honestissima. Virtus enim eiusmodi est, quæ ipsis statim rebus gestis ita afficiat homines, vt nō modo admirentur opera, verum in authorem quoq. summo studio incendantur. *Plato.*

Pantholidas legatus cum in Atheniensium gymnasio philosophos egregie de virtute disputantes audiuisset, interrogatus, An placerent quæ iam disputata essent? Probæ profecto, inquit, sunt illæ disputationes, sed vobis plane inutiles: qui virtutem habetis in ore, factis autem non ostenditis. *Plutarch. in Lacon. apopht.*

Semiramis. Staurobates Indorum rex Semiramidi minitans scripsit, si acie victa foret, se illam cruci affixurum. Sed illa ridens, Non verbis sed virtute certandum esse, respondit. *Bruson. l. 7. c. 3.*

Adrianus Imp. Prætorijs viris ab Imperatore Adriano petentibus vt sibi de iure respondere liceret; rescripsit hoc munus nō peti solere, sed præstari. Quare accingerentur si qui sibi fiderent, & populo sui speciem darent. Nam Augustus, quo maior esset Iurisperitorum authoritas, constituerat, vt qui respondere vellent, id ex authoritate Cæsaris facerent: quum antea liberum fuisset, respondendi munus subire, quicunque sui fiduciam haberent. Sic & hodie creantur doctores medicinæ, iuris, artiū, theologiæ, quum hoc nomen promeruisse sit pulchrius, quam obtinuisse. *P. M. lib. 8. apoph.*

Alexander Seuerus, Romanorum iam factus Imperator, audiēs Artaxeraem instructissimo exercitu Romanū velle inuadere imperiū: Nihil refert, inquit. Vt. n. quæ cum voluptate agimus, dulcia sunt: ita quæ cum virtute & gloriosa esse solent. *Herod. lib. 6.*

Similitudines.

Chrysostomi. Quemadmodum marini fluctus videntur nunc quidē in altum extolli, mox autem deprimi: Ita & videmus, qui virtutem contemnunt, & malitiam operantur, nunc quidem sublimia sapere, & supercilia surrigere, nunc vero ad profundum inferni descendere. *Hom. 22. in Gen.*

Sicut aurum, vestemq; pretiosam, cum in publico ponimus, plurimos ad insidias prouocamus: si vero ea recondamus atque occulamus domi, in tuto cuncta seruabimus. Sic sunt etiam diuitię virtutum. Si eas in memoria quasi venales assidue portemus, armamus hostem, irritamus inimicum, & dolosum inuitamus ad furtū: sin vero nemo id alter scient, nisi quē nulla occulta latere possunt, tutissimo in loco pretiosa cōsistent. *Hom. 3. in Matth.*

Et si virtus amara sit, tamen fructus profert dulciores; vt in arboribus cortex pene semper amarus & asper est, fructus autem ipsi suauitate iucundi sunt. *Hom. 30. epist. ad Hebr.*

Non sic flāmæ natura in materiā delapsa vicina semper ligna incēdit, sicut virtutis zelus in paucas lapsus animas vlterius procedēdo omnes implere potest. *Hom. 6. de verbis Apo. Modico vino vtere.*

Quemadmodum in pecunijs, qui duos lucratus est aureos, procliuus est ad decem vel viginti colligendos: Sic vsu venit & in virtute, qui fecerit bonum opus officiumque præstiterit, extimulationem aliquam, aut exhortationem ad agendum sumit, vt alia quoque bene facta aggrediatur. *Orat. 4. aduersus Iudæos.*

D. *Basilij*, Flamma, quæ à proprio fumo supprimitur, aditum liberū non habet, sed circa illum voluitur: Sic & virtute animas dirigēte tabescere, deijcique à magnis turbationibus contigit, quum nullum ad exteriora respirationis exitum habeant. *In Ps. 59.*

Climacis, Virtuti cuilibet semper vitij aliquid se immiscet, non aliter ac haurienti aquam è fonte accidere solet, qui cum aqua & ranam simul trahit: hæc vna tamen, tanquam commune quoddam collyrium, aut pestiferum poculentum, omnibus se latenter virtutibus permiscet magno semper cessura nocumento, hospitalitati crapula, discretioni astutia prudentię malignitas, māsuetudini pigritia, iustitiæ durities cordis, amor propriæ voluntati, silentio amaritudo animi, gaudio spiritus S. iactantia.

Nazianzeni, Nequaquam inuentu facile est, quænam ex virtutibus præcellat, vt ei victoriæ tribuatur palma: quemadmodū nec in prato odorifero, ac varijs floribus distincto, flosculum discernere pulcherrimum & fragrantissimum: cum alius aliter odoratum & aspectum ad se rapiat, ac vt primum decerpatur, suadeat. *In orat. de pauper.*

Philonis Iudæi, Sicut oriens sol totum cœlum radiis illustrat: Eodem modo etiam virtutēs suis in homine radijs, postea quā mentem penetrant totam, eam reddunt lucidissimam. *In lib. de plantatione Noe.*

Quemadmodum per lubricum incedentes labuntur, fallente vestigio: qui vero per viam siccam gradiuntur, certo gradu iter faciunt: Sic qui per corporis externaque bona ducunt animam, nihil aliud quam cadere illam assuefaciunt, hæc enim lubrica & parum firma sunt. Sed qui per virtutum contemplationem ad Deum properant, tutum inoffensumque iter dirigunt. *lib. de Abrahamo.*

Quemadmodum caput prima summaque pars est in animali, secunda pectus, inguen tertia; rursumque in anima prima pars rationalis, secunda irascibilis, tertia concupiscibilis: Ita & virtutem omnium prima est, quæ circa præcipuum animæ, quod est rationale versatur, & circa summum caput habitat, prudentia. Secunda fortitudo, quia circa secundam partem animæ quidem iram, corporis vero pectus stabilitur. Tertia temperantia, quia circa inguen, tertiam regionem corporis, & circa vim concupiscibilem, quæ tertium locum habet in anima, occupatur. *lib. 1. allegoriarum legis.*

Quemadmodum canes uenatici è longinquo ad feras perueniunt, odorem sectantes, cuius eximio sensu à natura sunt præditi: Eodem modo a iustitia, cæterisque virtutibus exhalantes suaues auras amator scientiæ inuestigat, cupiens originem tātæ voluptatis

pracis assequi, huc illucque cursitans, & vel ipso honestatis odore, tanquam sacro nitore se recreans. *De somnijs.*

Sicut flamma vrit subiectam materiam, illustrans vicinum aerem: Ad eundem modum virtus exurit vitia, totam mentem replens lumine. *Lib. Quis rerum diuinarum hæres.*

Quemadmodum Solis radios extendit opifex a cœlo vsque ad terminos terræ, vt vehementia caloris eius remitteretur, laxareturque per aerem frigidum: Ad eundem modum sapientiam Dei, & scientiam, item prudentiam, iustitiam, cæterasque virtutes singulas. *In l. Quod Deus sit immutabilis.*

Sicut post obitum Musici cuiuspiam aut Grammatici, Musica Grammaticaque horum cum ipsis perijt, sed ideæ manent harum artium, duraturæ vna cum mundo in perpetuum, iuxta quas præsentes posterique fient Musici ac Grammatici: Ita etiam singulorum prudentia, temperantia, fortitudo, iustitia, aut in vniuersū sapientia si tollatur, nihilominus in huius vniuersi natura immortali, prudentia immortalis, & virtus omnis incorruptibilis insculpta est: iuxta quam & nunc probi censentur, & erunt in posterum. *Et Paulo post.*

Vnus signatorius annulus sæpe post expressas innumeras formas, easque interdum vna cum suis subiectis abolitas, tamen in sua natura illæsus perseuerat. Et nos putamus virtutes, etiamsi omnes characteres ab eis impressi in studiosorum animis, per prauam vitæ rationem, aut aliam quamuis causam euanuerint, in perpetuum conseruaturas naturam suam incorruptibilem, nullique vnquam fato obnoxiam? *In libro Quod deterius potiori insidietur.*

Pij Pontificis, Sicut hiemi necessaria per necessitatem parare consueuit homo: Ita & boni & optimi ad senectutem virtua viaticum in Pueritia vendicare debet. *Epistolarum libro, Epistola 414.*

Thalasij, Sicut anima corpus secundum naturam viuificat; Ita & animam virtus & scientia. *ad Paulin. Presbyt.*

Hierocles. Vt oculus lippous & illinunctus res nimium lucentes uisere non potest: Ita animus noster, nisi virtute præditus, pulchritudinem veritatis conspicere nequit: quum vitiatum purū attingere nefas sit, *in Pythag. fontem.*

Maximi Monachi, Quemadmodum sanitas & morbus in animantis corpore considerantur, ac lumen ac tenebræ in oculo: Sic virtua & vitium in anima: sic cognitio & ignorantia in animo, *lib. 3. de Charitate,*

Quemadmodum conuiuium sine sermone & colloquio: Sic opulentia absque virtute nullam habet voluptatem. *Sermone duodecimo. Est & dictum Antisthenis apud Stobæum sermone de Prudentia*

Tyrij Platonici, Sicut contingere solet, vt per aerem sublatæ nebulæ radios solis cohærendo eorum intercipiant fulgorem. Nec propterea sol pulchritudinem propriam amittat, tametsi eum opacitas nubium abscondit: Ita etiam virtus ab impetu cæditur fortunæ, neque ideo pulchritudinem dimittit, sed quasi in caliginem densam inciderit, vmbratilis fit ac discutitur, quo maxime tempore huic ipsi virtutis opus est, Deum auditorem certaminis socium præsentemque esse, *Serm. 26*

Agapeti Diaconi, Quemadmodum qui scalas conscendere cœperūt, non prius desistunt ab ascensu, quam supremum attigerint gradum: Sic virtutis studiosus semper altius scandendo excitabitur *apud Iustinianum. Meminit & Stob ser. 1. de ueritate.*

Epicteti. Animus virtuti dedita similis est perenni fonti, cuius aqua est pura, imperturbata, potabilis, & dulcis, accepta, fruitioni apta, copiosa, ab omni noxa & pernicie aliena. *apud Stob. ser. de veritate.*

Diogenis. Quemadmodum cithara prodest quidem suo sono alijs, ipsa tamen nec sentit, nec audit quicquam: Tales sunt illi, qui de, de virtute loquuntur, nec recte tamen viuunt. *apud Laert. l. 6.*

Plut. Vt aromata pannos ac laceras vestes odoratas reddunt: contra byssus sudore infecta male olet: Sic quæuis vita iucunda, si virtus accesserit: contra malitia etiam, quæ splendida videntur, molesta reddit & intoleranda. *In Moral.*

Vt acer equus suapte sponte facile currit: Ita qui ardet amore virtutis, non eget admonitore. *In Moral.*

Vt amantes omnia placent in amato: Sic in eo, in quo virtutem amamus, etiam gestum, incessum, & aspectum imitari gaudemus. *In moral.*

Vt qui uere amant, etiam balbutiem ac pallorem adamant in amatis: Sic admirator virtutis nō horret Aristippi exilium, nec Socratis paupertatem, nec Phocionis condemnationem. *In Moralibus.*

Laurentij Iustiniani Patriarcha. Quum esurienti cibi dulcedo ac nutrimenti vtilitas commendatur, ac sitienti fontium abundantia propalatur, non remedium, sed maior patiēti generatur cruciatus, nisi modus tribuatur, quo suum ipse patiens satiet appetitum: Sic ēt de commendatione virtutum sentiēdum est. Nā preconijs efferre virtutem, ac quo ordine ad ipsam possit perueniri, non ostendere, nihil est. quam sitienti frigidam demonstrare aquā, ac bibendi copiam denegare. *In ligno vitæ, c. 3. de Sobrietate.*

Cicer. Vt equus indomitus, quamuis natura bene compositus sit, idoneus non potest esse ad eas vtilitates, & aptus ad ea, quæ desiderantur ab equo. Sic homo indoctus, quamuis ingeniosus, ad virtutem non potest peruenire. *l. 4. ad Her.*

Vt obscuratur & offunditur luce solis lumen lucernæ. Sic rerum corporeatum æstimatio splendore virtutis, & magnitudine obscuretur, & obruatur atque intereat, necesse est. *l. 2. offic.*

Seneca. Quemadmodum corpus in procliui retineri debet, in ardua impelli: ita quædam virtutes in procliui sunt, quæ cliuum subeunt. *De vita beata, c. 25.*

Quemodo res appetere sine vllo virtutum amore, & sine cultu ingenti, ac nudas edere operas minime probabile est, misceri ea inter se illa, & conserri debent. Sic imperfectum, ac languidum bonum est, in otium sine actu proiecta virtus, nunquā id, quod didicit, ostendens. *De vita beata, c. 23.*

Vt salutaria, quæ citra gustum, tactumque odore proficiunt: Ita virtus vtilitatem etiam ex longinquo, & latēs fundit, siue ponitur, & fruitur suo iure, siue precarios habet accessus, cogiturque vela contrahere, siue otiosa mutaque est, & angustia circumscripta: siue adaperta in quocunque habitu est, prosit. *De tranquill. vita, c. 3. l.*

Quemadmodum sine mixtura lucis nihil splendidum est, nihil atrū, nisi quod tenebrās habet, aut aliquid in se traxit obscuri: quēadmodum sine adiutorio ignis nihil calidum est, nihil sine aere frigidum: Ita honesta, & turpia virtutis malitiæ societas efficit. *l. 1. ep. 35.*

Non ex ebore tantū Phidias sciebat facere simulachra, faciebat & ex ære: si marmor illi, si adhuc viliorem materiam obtulisses, fecisset quale ex illa optimum fieri posset: Sic sapiens virtutem, si licebit, in diuitijs explicabit, si minus, in paupertate: si poterit in patria, si minus, in exilio: si poterit imperator, si minus, miles: si poterit integer, si minus, debilis, quamcunque fortunam acceperit, aliquid ex illa memorabile efficit. *l. 2. ep. 85.*

Quemadmodum virtutes receptæ exire non possunt, facilisque earum tutela est: Ita initium ad illas eundi arduum, quia hoc primum imbecillæ mentis atque ægræ est, formidare inexperta. *l. 2. epist. 51.*

Sol, vix & lux integra est, etiam inter opposita, & quamuis aliquid interiaceat, quod nos prohibeat eius aspectu, in opere est, cursu suo fertur. Quoties inter nubila luxit, non est sereno minor, nec tardior quidem, quoniam multum interest, vtrum aliquid obstet tantum, an impediat. Eodem modo virtuti opposita nihil detrahunt. Non est minor, sed minus fulget, nobis forsitan non æque apparet, ac nitet, sibi eadem est. & more solis obscuri, in occulto vim suam exercet. *libro secundo, epist. 93.*

Quemadmodum Primum militiæ vinculum est religio, & signorū amor, & deserendi nefas, tunc deinde facile extera exiguntur, mandanturq. ad iusiurandum adactis: Ita in his, quos velis ad beatam vitam perducere, prima fundamenta iacienda sunt, & insinuanda virtus. *l. 2. ep. 36.*

Quemadmodum visus oculorum quibusdam medicamentis acui solet, & repurgari: Sic & nos, si aciem animi liberare impedimentis voluerimus, poterimus perspicere virtutem, etiam obrutam corpore, etiam paupertate opposita, & humilitate, & infamia obiacentibus. *l. 2. epist. 116.*

Lactantij. Vt victoria constare sine certamine non potest: Sic nec virtus quidem ipsa sine hoste. *De opif. Dei, c. 10.*

Sicut in radibus agris prius quam serere incipias, euulsis sentibus, & omnium stirpium radicibus amputatis, arua purganda: Sic de nostris animis prius vitia detrahenda: & tunc demum virtutes inserendæ, de quibus seminatæ per verbum Dei fruges immortalitatis oriuntur. *In l. Anphal. apuam.*

Sicut si fortissime pro patria dimices bonum est; si contra patriā, malum: Sic & affectus, si ad vsus bonos habeas, virtutes erunt, si ad malos, vitia dicentur. *In l. Anphal.*

Plinij. Vt ingentes obelisci magno quidem negotio stermuntur, & collocantur, ob immensum molis pondus: sed collocati semel, infinitis durant seculis: Ita arduum est, virtutis aut sapientiæ parare famam, sed parata nunquam intermoritur. *libro 36. cap. 9.*

Lotos, quam Latini fabam Græcam vocant, ramenta ligni habet amarissima, fructum dulcissimum: Ita conatus ad summam virtutem durus est, fructu nihil suauius. *libro 24. cap. 2. & libro 13. cap. 17.*

Crocum gaudet calcari, premendoq. melius prouenit: vnde iuxta semitas & fontes lætissimum est: Ita virtus aduersis exercitata rebus, lætius exultat. *l. 2. c. 6. & Theoph. l. 7. c. 6.*

Poggi Florentini, Sicut equum fortem, pulchrum, atque acrem dicimus, non cuiuscumodi genitor fuit, sed quem membrorum conuenienti aspectandum fecit, cui vires adsint ad ferendum sessorem, quem buccinæ cantus excitat: Ita non eum, qui parentes præclaros enumeret, sed qui suis virtutibus resplendet, nobilem appellabo. Itidem domum pulchram iudico, non quum

for-

formosus faber ædificauerit, sed quæ splendida, & suis parietib. fuerit composita. Rem quidem militarem, equitandi disciplinā, arteiq. eas, quæ doctrina traduntur, possumus filios edocere: virtus nulla parentum eruditione, sed diuino quodam numine fauoreq. percipitur, ac ferie occulta fatorum. *I. de nobil. f. 75.*

Hanc tam late patentem insaniam peruulgatam videmus, vt qui virtutum, & bonarum artium studijs procul ab externarum rerum dedita cupiditate, hæc adumbrata fortunæ beneficia contēnant, aut vecordes, aut imbecilli animi, aut stulti esse dicantur: Etenim omnes ferme mortales, veluti ex loco inferiori suspicientes bos ea altissima, vt videntur, basi suspensos, rerum dominos admirantur atq. obstupescont, inhiantesque ad exteriorem principum pompam, atq. ornatum, quales oculis cernuntur, tales interius esse putant; virtutem vero, & bene viuendi disciplinam pauci appetunt, pauciores quærunt satis superq. sibi sapientiæ atq. prudentiæ inesse, vel potius superesse ducentes, dummodo ea assequantur, quæ præclara, ac speciosa vulgo publica insania fecit. Sed pars maxima nostræ infelicitatis stultitia est; quia in tantum mentes hominum a vero procul abducuntur, atq. opinionib. fallacib. excæcantur, vt nihil sincerum, nihil rectum possint discernere, id tantum expetendum esse ducētes, ad quod vulgaris appetitus communi errore labatur. Nos vero, quos doctrinam sapientum virorum sequi, atq. eorū præceptis obtemperare decet, longe aliter a communi stultitia sentire, vitamq. felicem non in fortunæ arbitrio, sed in virtutis presidio constituere debemus. Non.n. reb. externis & fortuitis, sed animi bonis felicitas tribuenda est. Cui quidem sententiæ multi excellentes ingenio viri, inhærentes abiectis proprija fortunis philosophiæ studio vacarunt, vt veram felicitatem assequerentur. *I. de infel. princ. in præf. f. 390.*

Pan. Man Vt palma, quia cortice fit cultellato: difficilis quidem est ascensu, sed fructum babet dulcissimum: Itidem eruditio, & virtus aditum habent difficilē, sed fructum dulcissimum. *in simil.*

Vt speculum non reddit imaginem, nisi susternas vitro stannum, aut æs, aut aurum, aut simile quippiam solidum, quod imaginem non sinat perfluere: ita non nisi in animis solidis, & vera virtute nixis relucet imago veri. *in simil.*

Vti sol, quo magis in alto est, hoc minores iacit vmbras: quo terræ propinquior, hoc maiores, puta mane ac vesperi: Ita virtus, quo maior est, & excelsior, hoc minus videri cupit, minusq. sese ostētat: contra qui minus ipsa re valent, magis sese dilatant ostentatione. *in simil.*

Quum ad omnia adolent opes, tamen nullis nocent floribus: Ita virtus, & literæ sic ab alijs sumuntur, vt nihilo deterior sit is, qui communicauit. *in simil.*

Sicut primum pictura cœpit ab vmbris & lineis, deinde monochromata, mox accessit lumen & vmbræ vna cum colorum varietate, donec ad summum artificij peruenit admirationem: Ita virtus in nobis non statim absoluta nascitur, sed paulatim quotidianis auctibus ad summum perducit. *in simil.*

Iris gemma non nisi in opaco reddit colores arcus cælestia, ne ita vt ipse habeat in se, sed parietibus illi dat, in sole coloribus caret: Ita quidam varia virtutum simulacra præ se ferunt: sed in obscuro, quod in se non habent, tamen in aliorum animis veluti repræsentant, ac gignunt. *in simil.*

Quemadmodum in opaco gemma multarum gemmarum dotes eminent, nempe carbunculi tenuior ignis, amethysti fulgēs purpura, smaragdi virens mare, cunctaq. hæc pariter incredibili mixtura lucentia: Ita multorum virtutes in vno hoc eminent: aut in sacris literis simul inuenitur quicquid apud vllos ethnicos scriptores placere potest. *in simil.*

Thriueri, Vt agrum, qui ad sementem comparatur, scindi oportet, iterari, occari, sarriri, & alijs quam plurimis modis vexari: Sic nos quoque, dum ad virtutem erudimur, nulla laborum patientia decet frangi. *in apoph. 210.*

Quemadmodum semen ingratum quidem apparet, & iniucundum, ac multum volupe est, dum adolescit, dum floret. Ita tandem, & virtus suam alacritatem, suum fructum preter spem exhibet, cuius initia erant dura, & iniucunda. *in apoph. 38.*

Nemo, qui lactucia eget, vrticis hortum conserit, aut saburra nauim implet, qui sal mercium habet: Tanto imprudentius pueris obtruduntur fabulæ, omissis, quæ ad vitam faciunt, præceptis, ac regulis. *in apoph. 15.*

Licet fucus nunquam omnem suam naturam exuit, tamen nescio quid vitij ex vase concipit, certe gratiam amittit. Sit neque virtus suam alacritatem retinet in animi vitio, licet diuerso, obnoxio. Etenim indolem acoremque eiusdem vitij redolet. *in apoph. 32.*

Vt terra, licet culta, sed semine obruta, non statim fruges edit, sed clementiam cæli expectat: Sic virtus nequaquam solis præceptis innititur, sed sursum datur, ac cœlesti irrigatione perficitur. *in apoph. 14.*

Quas vulgus miratur virtutes, alacritatem suam accipiunt ex populi conspectu: At virtus animi sæpe eo est elegantior, quo est occultior. *In apoph. 115.*

Non est iniucunda ægris occulta medicamentorum potestas, sed abominabilis ipsorum amaritudo, acerbitas. Nec in virtutibus ingrata est ipsa gratia, sed tantum sensui displicet externa phātasia, & apparens molestia. *In apoph. 73.*

Aurum aliquando circumcisum est, atq. extenuatum, egetq. appēdice: At virtus nostra nunquam est integra, sed vt perficiatur, meritorum Christi opus habet auctuario. *In apoph. 51.*

Vt quo aliquid peculiarius est, eo fere charius & nobilius: Ita tanto est admirabilius, paucissimos virtutem colere, quia communia omnia vitia. *In apoph. 41.*

Vis est omne, quod est principium operationis. Sed virtus importat principium orationis perfecte. *ex B. Th. dis. 23. q. 1. art. 1.*

EMBLEMATA.

Ἀντέρως, id est, amor virtutis.

Emblema CIX. And. Alciat.

Dic, vbi sunt incuruus arcus? vbi tela Cupido?
Mollia queis iuuenum figere corda soles?
Fax vbi tristis? vbi pennæ? tres vnde corollas
Fert manus? vnde aliam tempora cincta geris?
Haud mihi vulgaris est hospes cum Cypride quicquam,
Vlla voluptatis nos neque forma tulit.
Sed puris hominum succendo mentibus ignes,
Disciplina animos astraque ad alta traho.
Quatuorque ipsa sexo virtutis corollas:
Quarum, quæ Sophiæ est, tempora prima tegit.

Virtuti fortuna comes.

Emblema CVIII.

Anguibus implicitis geminis caduceus alis
Inter Amaltheæ cornua rectus adest.
Pollentes sic mente viros, fandique peritos
Indicat, ut rerum copia multa beet.

In facile à virtute desciscentes.

Emblema LXXXIX.

Parua velut limax spreto Remora impete venti,
Remorumque ratem sistere sola potest:
Sic quosdam ingenio & virtute ad sidera vectos
Detinet in medio tramite causa leuis.
Anxia lis veluti est, vel qui meretricius ardor
Egregijs iuuenes seuocat à studijs.

Forma virtutem superans.

Emblema CXIX.

Cæsareo postquam superatus milite, vidit
Ciuili undantem sanguine Pharsaliam
Iam iam stricturus moribunda in pectora ferrum,
Audaces hos Brutus protulit ore sonos:
Infelix virtus, & solis prouida verbis,
Fortunam in rebus cur sequeris dominam?

Vide tit. Bonum, Probitas, Vir bonus.

VIS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Vis, Græce βία, ας ἡ & βίαιος, violentus dicitur. Significat autem aliquando vis virtutem. Virgil. *Longam multa vi muniet Albam.* Nonnunquam possibilitatem. Virg. *Non ea vis animo, nec tanta superbia victis.* Interdum violentiam: idem. *Quæ vis immanibus applicat oris.* Hinc fit violo, quod est corrumpo, contamino, polluo, & quasi vim infero, quod proprie de virgine dicitur. Vide supra in tit. *Violentia.*

SENTENTIÆ POETICÆ.

Senec. Oct. Act. 2.

Quicquid exprimitur, graue est.

Hor. 3. Carm. 4.

Vim temperatam Dij quoque prouehunt
In maius: idem odere vires
Omne nefas animo mouentes.
Testis mearum centimanus Gigas
Sententia notus, &c.

Horat. 3. Carm. 4.

Vis consili expers mole ruit sua.

Ouid. lib. 3. de arte.

Iudice me fraus est concessa repellere fraudem,
Armaque in armatos sumere iura sinunt.
Ardua ne subeas ignota pondera molis,
Ni bene sint tergi robora mensa tui.

PHILO-

Sententiæ Philosoph.

Nullum violentum perpetuum est:
Vi nihil agendum. *Arist. de cœl. & mu.*

Nam iustum quidem, cuius phalarismon times, omnia teterrime facturum puto. *Cic. ad Attic. lib. 7.*

Vis dicitur principium motus, vel mutationis, in alio, vel quatenus aliud est. Atque etiam aliquid bene recteque, aut ex voluntate efficiendi facultas. *lib. 5.4. Metaph. c. 12. T. 17.*

Præclare & bene faciendi, aut patiendi vis, & ea, quæ solum facere, aut pati potest, ita inter se affectæ sunt, vt illa hanc semper, illam hæc non semper sequatur. *lib. 8. Met. c. 2. T. 4.*

Cum vis omnibus nobis alia innata sit, vt sensus, alia consuetudine, vt tibijs canendi facultas, quædam disciplina, vt illa artium, comparetur: eæ quidem, quæ consuetudine, & ratione patiuntur a nobis, antegressis actionibus, & opera nostra comparetur necesse est: quæ autem in eo genere non sunt, quæque in patiēdo sunt, non est necesse. *lib. 8. Metaph. c. 5. T. 10.*

Vires cuiusque ex eo quod quisque maximum potest spectari, ponderarique debent. *lib. 1. de cœlo, c. 11. T. 116.*

Nulla vis aut potestas ad præteritum pertinet, sed ad præsens, aut futurum. *lib. 1. de cœl. c. 11. T. 138.*

Vim maiorem habet, quod meliores concedunt, quam quod peiores. *Plato Sophista.*

Vis, quæ numquam prodit in actum, inanis est. *Fic. in Plat. lib. 6. capit. 5.*

Vis nulla durior, & intolerabilior est, quam quæ contemptu quodam infertur. *Idem in Plat. leg. dialog. 10.*

Vim suam omnia propagare nituntur. *Idem Plat. Phileb. libro 5. cap. 20.*

Vim maximam, quod habet ad bonum, maximam quoque habere potest ad malum. *Idem in Plat. de leg dial. 6.*

Vi quod est, præter naturam est. *Arist. 5. Phys. c. 3.*

Vi manet, quod fertur vi, & secundum naturam, quod fertur secūdum naturam. *Arist. in 3. de cal. c. 1. T. 19.*

Vi quod mouetur, infinitum facit motum. *Idem ibid.*

Vi fiunt, quæ contra cupiditatem, aut ratiocinationem, per ipsos agentes fiunt. *In 1. Rhet.*

Vim eamdem habent ad agendum, quæcumque eiusdem rei causam obtinent, vel non patet, quod vltimum in omnibus sit idē est, quod autem antecedit, hoc discrimini fore nil prohibet. *Probl. sect. 9. nu. 6.*

Vim faciens dicitur necessarium. *Arist. 5. Metaph. c. 5. T. 6.*

Vis est etiam in carentibus anima. *Idem mag. mor. 5. c. 13.*

Vis non absque virtute esse videtur. *1. Polit. c. 4.*

Vis in vnum collata, & astricta firmior est, quam diffluens, & dissoluta, & partibus dissonata. *Tho. in 6. Phys. T. 37.*

Vis maior mouebit, quod a minori vi mouebitur. *Simp. in 8. Phys. T. 59.*

Vis infinita est, quæ excedit omnem finitam potentiam. *Idem ibid. tex. 80.*

Vi quanto maior est vi, tanto minus tempus, in quo monet maior vis, est tempore, in quo mouet minor vis. *ibid.*

Vis in primo mouente tradita semper minuitur, & deficit successiue, & tandem deficit. *ibid. T. 82.*

Vis intelligitur per artem, quæ agit in duo opposita, & non consequitur suam actionem necessario. *Idem in 1. Rhet. tract. 2. c. 1.*

Vis in eo consideratur, quod vnaquæque res potest efficere. *Boet. in Top. Cic. lib. 6.*

Vis cœlestium corporum indirecte redundat ad intellectum, & voluntatem, & intellectus, & voluntas vtuntur viribus sensitiuis. *D. Thom. saperi.*

Vis est, quicquid in contrarium valet. *Dan. Bar.*

Apophthegmata.

Lysander. Quum Argiui de diuinis finibus ambigerent cum Lacedæmonijs, asseuerarentque se iustiorem habere causam: Lysander stricto ense: Qui hoc, inquit, superior est, is optime de finibus disputat. Ab æquo & bono vir insolens ad vim prouocauit. *Plut. in Lacon.*

Idem. Ad Bœotos ancipites, nec huic, nec illi parti addictos quum per illorum confinia faceret iter, legatos misit, qui percontarentur, vtrum rectis an inflexis hastis per illorum agros proficisci deberet? Significans, siue amici essent Bœotij, siue inimici, nihilominus se cœpto itinere perrecturum, nisi quod per hostium agros iturus esset erectis hastis, ad propulsandum, si quis obsisteret: per amicorum inuersis, veluti nemini nociturus. Hoc dictum nonnihil resipit indolis Laconicæ, qui nec inimicis supplex esse vellet, nec amicis grauis. *Plut. in Lacon.*

Themistocles, quum apud Andrum argentum peteret: Duos, inquit, ad vos adduco Deos, Vim ac Suasionem: significans, si minus impetraret suadendo, se vi erepturum. At illi responderūt, apud se quoque duas magnas esse Deas, Inopiam & Impossibilitatem, per quas non liceret dare, quæ petebat. *Plut.*

Anonymus. Conflauit Cæsari magnam inuidiam, quod quidam ex his, quos Romam miserat, stans in senatu, simulatque cognouit, Cæsari senatum non dare prorogationem, manu capulum percutiens: At hic, inquit, dabit: vim Reipub. minitans. *P. M. lib. apoph.*

Adagia.

Leonis catulum ne alas. Λέοντος σκύμνον μὴ τρέφε.
Admonet adagium, non esse fouendam potentiam, quæ leges possit opprimere.

Lex in manibus. ἐν χερσὶν νόμος.
Dicitur, quum res vi geritur, non ex præscripto legum.

Leonina societas.
Est, quum omne commodum ad vnum aliquem redit, reliquis vi fraudatis. Mit grossen Herren ist nicht gut Kirsen essen.

Atticus aduena. Ἀττικὸς πάροικος.
In violentos, & feroces vicinos dicebatur, Proinde proprie quadrabit in eos, qui ita nuper in munus aliquod asciti sunt, vt superiores eijciant.

Ferro diuidere.
In hos, qui vi rem gerunt, & quibus ferro geritur res, & quibus leges inter arma silent. Huic simile est: Ius in manu reponere.

Ad saga ire.
Pro eo, quod est apparare bellum, & ad arma procurrere. Sagum tunicula erat militaris.

Capillis trahere. τῶν τριχῶν ἕλκειν.
Dicuntur, qui vi propellunt. Quod & hodie dicitur: Auribus trahere. Bey oder mit den haaren herzu ziehen.

Cyclopum more. Κυκλωπικῶς.
Aristoteles Cyclopicam vitam appellat, vbi nullis publicis legibus viuitur.

Oculum excludere.
Hac figura vulgus adimit omnem spem petenti, vt dicat: Si hoc impetraris, oculum mihi excludito, aut dentem extundito. Du sollest mir ehe ein Auge mit einem finger ausstechen.

Centaurice. Κενταυρικῶς.
Centaurice fieri dicebatur, quod immaniter ferociter, in ciuiliter vi fieret, sumpta voce a Centaurorum moribus. Aristoph.

> Τίς τὴν θύραν ἐπάταξεν ὡς Κενταυρικῶς.
> *Quis ostium pulsauit ita Centaurice?*

Mars rex. Ἄρης τύραννος.
In principem, qui vi non legibus Rempub. tractat.

Rus ciuitas. ἀγρὸς ἡ πόλις.
Vbi quis in vrbe neglectis legibus, vi proque sua libidine rem gerit.

Hospes indigenam. ὁ ἔπηλυς τὸν ἔνοικον.
Subaudiendum, ἐξέβαλεν, id est, eijcit. Vsus fuerit, quum aliena professionis quispiam alium in propria vincit arte.

Ἀγεωμέτρητος οὐδεὶς εἰσίτω.
Admonet, iniquum non admittendum. Geometriam enim pro æqualitate accipiunt.

Priusquam sortiaris, communia deuoras. πρὶν λαχεῖν τὰ κοινὰ κατεσθίεις.
In eum competit, qui non expectata partitione rem inuadit.

Non mouenda moues. ἀκίνητα κινεῖς.
Quadrabit aut in eos, qui moliuntur ἀδύνατον aliquid: aut qui res sacras violant: aut qui pacta mutant, siue qui conuicijs incessunt eos, quibus ob authoritatem debetur reuerentia.

In autum haud legitimum stimulum impingis. εἰς τρυμαλιὰν [illegible] τὸ κέντρον ὠθεῖς.
Dictum Socratis in Philadelphum, qui sororem Arsinoen exemplo Iouis vxorem duxerat.

Abstinenda vis a regibus.
Qui dicet, haud temere manum immittendam in reges potentes, aut viros Deo dicatos, adducet illud Homeri:

> Δεινὸν δὲ γένος βασιλήϊόν ἐστιν.
> Κτείνειν.
> *Res dura, ac plena pericli est,*
> *Regale occidisse genus.*

Cyclopica vita. βίος Κυκλωπικός.
Pro vehementer effera, ac barbara, quæ neque legibus, neque disciplina ciuili constet, neque religione Deorum gubernetur.

Cyrnia terra. Κυρνία γῆ.
Dicebatur regio latrocinijs infamis, cuiusmodi ferunt olim fuisse Cyrnum. Prouerbium non inepte detorquebitur in hominem aliени capacem, ac violentum.

Martis campus. Ἄρεος πεδίον.
In eos detorquebatur, qui militari confidentia præditi viderentur, quique rem vi, non iudicio gererent.

In caput præcipitari. ἐπὶ κεφαλὴν ὠθεῖσθαι.
Hoc est, præcipitem dari dicebant eum, qui per summam contumeliam expelleretur, vel qui funditus perderetur.

Vide Violentia.

VISVS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Visus, Græcè ὄψις, ab ὀπτὸς visibilis: & ὄψομαι video dicitur. Est autem visus non forma oculi, sed anima, secundum quod ab ea fuit visus. *Ex B.Tho sup.l.de anim.19.*

Visionis nomen extenditur ad significandum omnem cognitionem sensuum, & intellectus, propter dignitatem visus, & certitudinem eius *secundum eundem 1.par.q.67.art.1.c.*

Visus, videndi actus, vel ipsa videndi facultas, Hebr. *Ree & Reuth*, a verbo *Raáh*, vidit, intuitus est, aspexit, oculis, & mente comprehendit.

SENTENTIAE BIBLICAE.

Auerte oculos meos, ne videant vanitatem. *Psal.118.*

Oculi tui recta videant, & palpebræ tuæ præcedant gressus tuos, *Prouerb.4.*

Sapientis oculi in capite eius: stultus in tenebris ambulat. *Ecclesiast.2.*

Melius est videre, quod cupias, quam desiderare, quod nescias, *Idem 6.*

Dulce lumen & delectabile est oculis, videre solem. *ibid.22.*

Venustatem, & pulchritudinem desiderabit oculus tuus, & super hæc virides sationes. *Eccl.40.*

Qui annuit oculo, dabit dolorem. *Prou.10.*

Oculi stultorum in finibus terræ. *ibid.17.*

Exaltatio oculorum, & dilatatio cordis, lucerna impiorum peccatum. *ibid.21.*

Memento, quoniam malus est oculus nequam: nequius oculo quid creatum est? *Eccl.31.*

SENTENTIAE PATRVM.

Sunt enim oculi principes ad noscendum in sensibus. *Aug. confess lib.10.*

Impudicus oculus impudici cordis est nuncius. *Hieron.*

Non debet intueri, quod non licet concupisci. *Greg. Mor.21. super illud Iob. Pepigi fœdus cum oculis meis.*

POETICAE SENTENTIAE.

Senec. Tragic.

Visu carenti magna pars veri latet.

Plaut. in Trucul. sunt que verba Stratophanis militis.

Non laudandus est cui plus credit, qui audit, quam qui videt:
Non placet, cum illi plus laudant qui audiunt, quam qui vident;
Pluris est oculatus testis vnus, quam auriti decem:
Qui audiunt audita dicunt: qui vident, plane sciunt.
Non placet quem scurræ laudant manipulares mussitant.

SENTENTIAE PHILOSOPH.

Quocumque in loco quisquis est, idem est ei sensus, & eadem acerbitas ex interitu rerum, & publicarum, & suarum: meum oculi augent dolorem, qui ea, quæ cæteri audiunt, intueri coguntur, nec auertere a miserijs cogitationem sinunt. *Cic. ad Torq. fam.6.*

Acerba audire tolerabilius est, quam videre. *Cicer. Curio. Fam. libro 7.*

Facilius ad ea, quæ visa sunt, quam ad ea, quæ audita sunt, oculi mentis feruntur. *3.de Orat.*

A consuetudine oculorum animum abducere difficilimum est. *2. de Nat. Deor.*

Nihil est difficilius, quam a consuetudine oculorum mentis aciem abducere. *2.de Nat. Deor.*

Irritamenta sunt oculi vitiorum, duces scelerum, huic adulterium oculi ministrant, huic domum qui concupiscat. *Seneca de remedijs fortuitorum.*

Sensus visus multarum rerum nobis differentiam demonstrat. *Arist.l.1.Metaphys.*

Visus refractio fit, quum cogitur aer, & vapor in nubem, si æqualis, & paruarum partium extiterit. *Aug. in 12. meteor.c.6.*

Visus, qui minoris est, excedit, velocitas autem, quæ est, maioris. *Arist.l.1.de cæl.T.117.*

Visus quædam videt luce propria, vt per se lucentia, quædam luce aliena, vt colorata. *Alb. Magn. in poster.*

Visio differt a somno, & a prophetia, & quum hic loquimur de prophetia, non de ea, de qua Theologi loquuntur, sed de ea, vt Philosophis placet. *Alb. Mag. de somn. & vigil. lib.3. tract.1.c.3.*

Visus est aqua, & non accidit ipsum videre, vt est aqua, sed secundum quod est perspicuum, quod & aeri commune est, sed magis seruabilis est aqua aere, & magis susceptibilis: ideo pupilla, & oculus aquæ sunt. *Arist. de sen. & sen.c.2.*

Visus in omnibus aquæ tribuendus est, non igni, nec aeri. *de gener. anim.5.c.1.*

Visio fit secundum quamdam dispositionem rei visibilis, ac medij, per quod videtur ad ipsum videns. quæ habitudo statim ac est, videntur, & longinqua, & propinqua. *Alex. Aphrod. in 2. meteor.c.9.co.5.*

Visio fit eo, quod sensorium coloris excipitur, & sese quodammodo coloribus simile præbet. *Alex. Aphrod. in 2. de anim.c.13.*

Visio non est secundum aliquem motum, nec per radiorum prolationem, nec per simulachrorum defluxus, nec demum per vtraque. *Idem ibid.c.37.*

Visum propriè illud est, quom in ipso vigiliæ, & quietis adultæ interstitio positi, ea ista quæ vere sensu accepimus, & quæ initio somni impressa, atque illita nostro animo sunt, redduntur, & offerunt sese, ita vt videamur aspicere, & adhuc discernere possimus formas eas, quas in prima illa somni nebula accepimus sensu. *Themist. de insomn.c.3.*

Visus duplici modo est oculi forma. Primo vt organo viuaci vtitur ipso. Secundo, vt organum ipsum oculum viuacem facit, & oculus cum tali aspectu sine visu materia est visus ipsius, qui est vtens, & deficiente ea parte visus, quæ vtetur, non remanet oculus, quia vna deficit visus ille, qui oculum vt instrumentum effingit. *Simpl. in 2. de anim.T.9.*

Visio non fit per radium ab oculo exeuntem. *Auer. met.8.*

Visus non fit extra mittendo. *D.Thom. in 2. de cæl.l.12.c.19.*

Visus parti priori mandatus est, cernitur enim per directum: motus enim fit ante: perspiciendum enim est eodem, quo motus agitur. *Arist. de partib. anim. 2.c.8.*

Visus prior est tactu, & obiectum visus est prius tactu. *Arist. 2. de gen. & cor.c.2.*

Visus certior est tactu. *de Sen. in cap.*

Visus anticipat auditum, quia auditus indiget tempore, quum omnia motus in tempore fiat, receptio autem rei visibilis in visu non est in tempore. *Alex. Aphrod. in 2. meteor.c.9.co.51.*

Visus sensus perfectior est auditu, quia videt in non tempore. *D. Thom. in 2. met l.15.*

Visus longe porrectus voluitur per imbecillitatem. *Arist.7. de cæl. cap.2.*

Visum est, cum id quis videt, quod eodem modo apparuerat, euenit. *Macrob. in som. Scip. lib.1.*

Visio vt fiat, non opus est corpore medio: nam si densum, vt terrenum impedit: si tenue, minus impedit. *Plot. En.4.l.5.c.5.*

Visio, quæ in somnio apparet, est, quod ea diuina virtute legatur. *Chal. in Plat. Tim.*

Visio cum non fiat contactu necesse est aliquod medium esse, & hoc esse debet diaphanum, ne si forte solidum sit, & existens, impediat opaca proprietate, & tenebrifica mutuam inter se rerum luminalium actionem, ignis, inquam, ac sensuum instrumenti. *Pyo in Theophrast.c.20.*

Visionem alij Platonici putant, vt supra in præcedenti propositione, siue extra, siue intus iudicium ita perficiatur, alij vltra vibrationem eiusmodi hinc excitari sensibus obiecti formulam sensui naturaliter insitam, excitationemque talem in se sentire: non nulli præter hæc vibratum radium ad oculos vsque prouenire, alijs aliter. *Fic. in Plat. Tim.c.30.*

Visio oblata si a Deo est, etiamsi renuas cum humilitate, non recedet, sed tum perfunderis lumine, quo certior fies, vel redieris, cumulatius tibi profuturus, qui humilitatis virtute supra te sapere post habueris, nec ambitiosa curiositate fluctuauerís, at saltem te deludi posse cogita, priusquam admittas, aut refellas, quod nuncietur. *Ioan. Franc. Pic. Mir. de praenot. lib.9.c.5.*

Visus est habitus, quo corpora discernuntur. *Spensip. in Platon. definitionib.*

Visus in sublimi parte corporis velut ignis suprema mundi regione locatur, & lumen natura sua percipit, quod ignis est proprium. *Fic. in Platon. conuiuium. or.5.c.2.*

Visus longius prospicit, & momento facit, quod aures tempore, prius enim coruscatio cernitur, quam audiatur. *Fic. in Platon. conuiu. or.5.c.2.*

Visu naturaliter vtimur post auditum. *Idem in Plat. Phæd. c.4.*

Visus natura diaphana non mouetur a diaphano prorsus consimili, nisi quodammodo iam colorato. *ibid.*

Visus haud vitæ quidem corporali, siue sensibili, sed spirituali potius, atque intelligibili, quam maxime conducit. *Leo. Heb. de amor. dial.3.*

APOPHTHEGMATA.

Thales olim interrogatus, quantum a mendacio distaret veritas? Quantum, inquit, oculi ab auribus. Sensit vir prudentissimus, ea demum esse indubitatæ fidei, quæ hominum contuentur oculis: non, quæ auribus percipiuntur. *P. M. lib. apoph.8.*

Diogenes animaduertens, Olympionicem quendam fixis oculis scortum formosissimum intuentem; Ecce, inquit, vt aries Martius a puella publica obtorto collo vinctus abducitur. Notauit autem hominis oculos intemperantissimos, quibus scortum obtorto etiam collo, quamdiu poterat, intuebatur. *Laert.l.6.*

Xenocrates dicere solebat, nihil interesse, pedesne an oculos in alie-

oa domo defigeres. Eodem enim modo peccare tam eum, qui oculos in loca, io quæ non conuenit, verteret, quã eum, qui quo noo licitum est, vestigia inferret. *Aelian l. 14. de var. hist.*

Pericles Prætor collegam sortitus est Sophoclem poetam, cumque in nauigatione Sophocles vidisset adolescentē formosissimum, ait: Eo quam speciosus adolescens? respondit Pericles: Decet, ò Sophocles, prætorem oon modo manus, sed oculos, & linguam habere abstinentes. *Plut. in apoph. Stob. serm. 5. Cic. l. 1. Offic.*

Ephorus dicere solebat: Si possibile fuisset rebus ipsis omnibus adesse, eam experientiam reliquis multo fuisse præstantiorem. Sensit autem, certiora esse, quæ oculis visa sunt, quam quæ auribus percepta ab alijs. Cum enim duo homini iuxta naturam sius velut, organa quædam, quibus omnia percipit, & scrutatur, auditus scilicet, & visus, certior autem multo sit visus, iuxta Heraclitum: horum licet proprior, minoris tamen momenti organo, auribus videlicet, ad inquisitionem rerum accedit. *Polybius lib. 12. histor.*

Theopompus, eum quidem optimum bellicarum rerum scriptorem esse dicit, qui quam plurima sit pericula ipse coram expertus: illum vero dicendo potissimum esse, qui quam plurimorum ciuilium certaminum particeps extiterit. De ijs enim rebus, quibus ipse interfuit, & vidit, melius dicere poterit, quam quæ ab alijs nugantibus fortasse audit. *Polyb. lib. 12. hist.*

Isaus a quodam, qui elegantissimam ostenderat fœminam, interrogatus, num formosissima videretur? respondit, πέπαυμαι ὀφθαλμιῶν, id est, desij laborare ab oculis. *Philost. in Sophist.*

C. Sulpitius Gallus vxorem repudiauit, quod aperto capite foris exisset, inquiens: Tibi meos solus præfinit oculos lex nostra, quibus formam tuam approbes: his ornamēta comparato, his esto speciosa: alijs velle videri formosam, in suspicione, & crimine hæreat necesse est. *P. M. l. apoph.*

SIMILITVDINES.

D. Chrysostomi. Quemadmodum cum gladium a puero teneri videamus, etiamsi nondum vulneratum eum cernamus, verberamus tamen, ac sæpe minantes, denunciamus, ne quando illum rursus contingat: etiam Deus inuerecundum coercet aspectū ne quandoque in ipsam quoque incidat actionem. *Hom. 17. in Matth.*

Quod sol mundo, hoc oculus corpori. Extincto sole omnia perduntur, & perturbantur: Ita omissis oculis, pedes inutiles fiunt, & manus, & animus: Ita oculus animæ. Quare vt in regio quodam loco, altiori corporis parte, sedem sortitus est, & cæteris præfertur sensibus. Oculus lucerna omnium membrorum ornat totum corpus. *Hom. 55. in Ioan.*

Nazianzen. Visus haud facile a iucundis diuelli solet spectaculis: si vero violentia quadam abstractus fuerit, iterum illuc refertur: quemadmodum sermo a orationibus suauissimis. *De laud. Basil.*

Philonis Iudæi. Sicut in corpore principatum natura dedit capiti, cui summum locum tamquam regiam attribuit, reliquis membris omnibus, quæ a ceruice vsque ad imos pedes pertinent, ei pro basi suppositis: Ita inter cæteros sensus imperium penes oculos esse voluit: Ideo hos quoq. in sublimi collocauit, vt principes, & quidem varijs modis honoratos, sed præcipue loco tā insigni, ac conspicuo. *L. part. leg.*

Tyrij Platonici. Quemadmodum in epulo nidoris pleno, in quo permultum vini miscetur, estque tibiarum, fistularum, saltationūque strepitus multus, atque odoramentorum magna vis, is constantissimus sit, qui sese colligens, ac contrahens, ab illis omnib. auocet sensum, seque & sobrium, & temperatum præstet: Ita etiam varie obstrepentibus, magni negocij est inuenire mētem frugi, quo adeo sese ab his explicet, vt sua ipsa spectacula possit intueri. Vt interdum formosum corpus ne conspici possit, multis ac varijs inuolucris obtegitur, cuius amator, vt expleatur adspecto, ea opus habet amouere: Sic etiam necesse est, amictum hone, qui ubi oculos impedit, ratione auertere. *serm. 1.*

Hippocratis. Multi quæ sunt prope, non videntes, sua quadam affectione pereunt. Quæ vero clara sunt, ceu sub nube insuētur. Et cum longam hominum vitam pro speculo habeant, super his q̄ fieri, aut non fieri conuenit, a qua potissimum re futura prouidētur, tanto aciem magis obtundunt. *in epist. ad Damagetum.*

Plut. Vt venatores non sinunt carnes quidnis olfacere, aut mordere, sed integros eos seruant feræ: Sic oportet aures & oculos nō sinere quouis vagari, sed rebus necessarijs reseruare. *in Mor.*

Augustini. Quomodo si aliquis carbones apprehenderit, si cito eos proiecerit, nihil ei nocebunt: si vero diutius tenere voluerit, sine vulnere abire non poterit: Ita & qui ad concupiscendū, oculorum defixerit intuitum, & libidinis malum in corde suscipiens, morari in corde suo permiserit, excutere a se sine animæ plaga non poterit. Ideo iugiter clamemus cum Propheta: Oculi mei semper ad Dominum. *lib. de honestate mulierum, c. 5.*

D. Cyprian. Habent multi diuitias, quas suis vsibus negant: quibus si nulla cupiditas inhæsisset, nec cupiditatis insignia possiderēt, at vero quia cupiditate possessi sunt, perfruuntur animo, quod vsu non tangunt: Ita qui despexit vinculum nuptiarum, & aliter vinculis fœmineis obligatur, quamuis nullo concubitu misceatur, desiderio tamen, visu, colloquio, coniunctione semper oblectatur. *De singularitate clericorum.*

Ex improuiso, vel transeunses ad horam fœmineus aspectus occurrens, velut sagittas alienis oculis iactat. *De singularitate clericorum.*

Seneca. Quemadmodum ei qui amorem exuere conatur, euitanda est omnis admonitio dilecti corporis: nihil enim facilius, quam amor recrudescit: ita qui deponere vult desideria rerū omnium, quarum cupiditate flagrauit: & oculos, & aures ab his, quæ reliquit, auertat. *lib. 2. epist. 70.*

P. M. Catoblepas & basiliscus solo aspectu necant, maxime si oculos intueare: Ita tyranni nonnulli solo oculorum coniectu non nullos ad laqueum adigunt. At formosa mulier & impudica perimit intuitu. *in simil.*

Sunt qui aspectu effascinant hominem: Ita inuidus oculus perniciē adfert rebus lætis. Nec satis tutus regum oculus, si quid habeas egregie pulchrum. *in simil.*

EXEMPLA BIBLICA.

Visiones seruis Dei olim valde frequentes, *Num. 12. 6. Exempla*: in Iacobo, *Gen. 46. 2.* Samuele, *1. Sam. 3. 7. &c.* Nathan Propheta, *2. Sam. 7. 17.* Addo vidente, *2. Paral. 9. 29.* Esaia, *Esa 6. 1.* Ieremia, *Ierem. 4. 1. 2.* Ezechiele, *Ezech. 1. 4. 19. & 8. 1. 2. & 10. 1. &c. & 11. 22. &c. 37. 2. & 34. 1. 2.* Daniele, *Dan. 7. 2. & 8. 2. & 10. 5.* Amos, *Amos 8. 1.* Zacharia, *Zach. 4. 2. & 5. 2. 6. & 6. 1.* Christo, *Luc. 4. 5.* Petro, *Actor. 10. 11.* Paulo, *16. 9. & 22. 18. & 26. 13. & 27. 23. 2. Cor. 12. 12.* Ioanne, *Apoc. 1. 12. & 4. 2. & 51. & 6. 2. & 7. 1. 2. & 8. 2. & 10. 4. & 51. 4. & 12. 1. 13. & 14. 5. & 15. 1. & 17. 5. & 18. 1. & 19. 11. 17. & 20. 1. & 21. 1. & 22. 1.*

Vide supra Oculus.

VITA.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Vita, Græce βίος, ζωή, & βιοτέβω, viuo dicitur. Hebr. *Chajah.* & plurali numero *Chaiim*, id est, vitæ commoditates variæ, vt *Psalm. 34. 13.* a verbo *Chaia*, viuit, potius est vita naturali. Est autem mansio animæ in corpore, *secundum Aristotel. lib. de vita, & morte.*

Vita est mansio animæ nutritiuæ in calido, *secundum eum ibid.*

Vita (*vt Donat. affirmat.*) significat ζωήν, mores, animam, alimētum, spacium viuendi, & fortunam, quæ viuentibus accidit.

SENTENTIÆ BIBLICÆ.

Ne glorieris in crastinum: ignorans quid superuētura pariat dies. *Prou. 27.*

Tempus nascendi, & tempus moriendi. *Eccl. 3.*

Nemo est qui semper viuat, & qui huius rei habeat fiduciam. *Eccles. 9.*

Quæ est vita nostra? Vapor est ad modicum apparens. *Iacob. 4.*

Id enim quod in præsenti est, momentaneum est. *2. Cor. 4.*

LOCI BIBLICI.

Vita, pro perduratione in periculis pro Christo adeundis, *2. Cor. 4. 10.* vita æterna, μετωνυμικῶς pro Christo, *1. Ioan. 5. 20.* Vitæ optime instituendæ ratio, *Matth. 7. 12. Luc. 7. 31.* vita mandatorū Dei obseruatoribus promissa, *Leuit. 18. 5. & 25. 18. Deut. 6. 17. 18. & 21. 1. Prou. 7. 3. Ezech. 20. 11. Matth. 19. 17. Marc. 10. 19. Luc. 10. 28. & 18. 28. Galat. 3. 12.* vita per legis transgressionem perdita, *Rom. 8. 23. Ephes. 2. 1.* per Christum restituta, *Rom. 6. 23. Ephes. 2. 5. 2. Tim. 1. 10. 1. Ioan. 4. 9. & 5. 11.* in Euangelio patefacta, *Rom. 1. 17. Eph. 1. 17. Philip. 2. 16.* ex gratuita Dei bonitate, *Luc. 12. 32. Ioann. 10. 28. Rom. 6. 23. 1. Ioan. 5. 11.* ex Christi misericordia profecta, *Iud. 21.* Electis & fidelibus Deum timentibus apparata, *Matth. 19. 17. & 20. 23. & 24. 13. Marc. 10. 30. Luc. 6. 20. & 18. 30. Ioan. 3. 15. 36. & 4. 54. & 5. 24. & 6. 33. 40. 47. 54. & 10. 28. & 11. 25. & 12. 25. & 14. 2. & 17. 2. & 20. 31. Rom. 2. 7. & 6. 22. & 8. 17. 1. Cor. 9. 25. 2. Cor. 4. 17. 2. Tim. 2. 5. Tit. 3. 7. Hebr. 4. 3. & 10. 22. & 12. 14. Iac. 2. 5. 1. Pet. 1. 15. 1. Ioan. 2. 25. & 5. 13. Iud. 21.* Vitæ æternæ excellentia, *1. Pet. 1. 4.*

Vita Dei pro ea vita, qua Deus in suis viuit, *Eph. 4. 18.* vita præsens, in quo sita, *Deut. 3. 3.* certo termino definita, *Iob 14. 5.* Christo posthabenda, *Mat. 10. 39. & 16. 25. 26. Luc. 9. 24.* vitæ fideliū scopus, *Rom. 14. 7. Tit. 2. 8. 10.* vitę humanę breuitas, ac vanitas, *Gen. 3. 19. 2. Sam. 14. 14. 1. Par. 29. 15. Iob 3. 20. & 7. 1. & 8. 9. & 8. 21. & 53. 18. & 14. 1. 5. & 16. 22. Ps. 39. 6. & 62. 10. & 90. 6. 9. 10. & 102. 4. 17. & 103. 15. & 109. 23. & 144. 4. Eccl. 14. 18. & 17. 31. & 18. 8. 40. 6. & 41. 1. Tob. 4. 23. Esa. 40. 6. 7. Luc. 12. 18. 1. Cor. 7. v. 29. Eph. 5. 16. Hebr. 13. 14. Iac. 1. 10. & 4. 14. 1. Petr. 1. 14. 2. Petr. 3. 8.* Vitæ humanæ finis. *1. Cor. 10. 31.*

Vitæ longitudo quibus promissa, *Exod.* 20.12. *Deuteronom.* 25.15.1. *Reg.* 3.14. *Psal.* 91.16. *Prou.* 3.2. 16.18. *&* 9.11. *&* 10.27. *&* 11.30. *&* 28.16. *Esa.* 65.20. *Ephes.* 6.23. Vita æterna est agnoscere Deum, & Iesum, *Ioan.* 17.3. datur gratis, *Rom.* 6.23. datur ex obseruatione mandatorum, *Matth.* 19.16. Vita Christianorum abscondita in Christo, *Col.* 3.3. Vitæ arbor, *Gen.* 3.9. ostenditur, *Apoc.* 22.2. vitæ æternæ & præsentis discrimen, *Luc.* 20.34.35. vitæ anteactæ memoria haud inutilis, *Deut.* 5.15. *&* 16.12. *Ezech.* 36.31. *Ioan.* 4.29. *Act.* 22.4. *&* 26.10. *Rom.* 6.17. 1. *Cor.* 6.21. *&* 12.1. *Galat.* 1.13. *&* 4. 8. *Eph.* 2.1.11. *&* 5.8. *Col.* 1.21. *&* 2.53. *&* 3.7. 1. *Thess.* 1.9. 1. *Tim.* 1. 53. *Tit.* 3.3. 1. *Pet.* 2.10.25. *&* 4.3.

Vitæ sanctimonia electionis scopus est, *Ephes.* 1.4. *&* 2.10. 1. *Thessal.* 4.7. Itaque fideles vitæ sanctitati studere debent, *Gen.* 17.1. *Psal.* 15.1. *P. &* 24.4.5. *&* 37.37. *Mat.* 23.26. *Rom.* 6.4. *&* 8.1. 2. *Cor.* 5.17. *&* 7.1. *Ephes.* 2.10. *&* 4.17. *Phil.* 1.27. *&* 2.15. *Heb.* 10.22. *&* 12. 14. *Iacob* 3.13. 1. *Pet.* 1.15. *&* 2.11.22.24. *&* 3.16. *&* 24. 2. *Pet.* 1.4. *&* 3.11.14. 1. *Ioan.* 2.3. Vita æterna quomodo possideatur, quærit dines ex Christo, *Matth.* 19.17. *Marc.* 10.17. vita per Christum parta, cũ morte per Adamum introducta comparatur, *Rom.* 5.17. vita nostra stadij instar est, 1. *Cor.* 9.24. vapor est, *Iacob.* 4.14.

Vitæ sermo qualiter recipiendus, 1.22. vitæ sanctimonia probanda est Dei cognitio, 1. *Ioan.* 2.3. vitæ nouitas bonis operibus testanda est, 1. *Ioan.* 3.7. in vitam reuocati ad cœlum euocantur, *Apoc.* 11.52. vitæ liber, *Apoc.* 26.14. *&* 21.27. *Exod.* 32.32. *Phil.* 4.3. vitam videre pro vita frui: & vitam non videre, pro vita non frui, *Ioan.* 2.36. vitæ panis, Hebraismus, pro viuifico, seu vitali pane, *Ioann.* 6.35. vitam pro fratribus ponere, *Iud.* 13.3.24. *Esth.* 4. 25. *Ioan.* 15.13. 1. *Ioan.* 3.17. vitæ nouitas, pro noua vita, Hebraismus, *Rom.* 6.4. vita æterna merces est, *Matth.* 5. v. 32. *&* 20.8. donum Dei est, *Rom.* 6.23.

Viuere, Hebræis pro valere, *Ioan.* 4.50. viuere ex omni verbo prodeunte per os Dei, *Matth.* 4.4. dicuntur homines, quum eo viuere, quod egressum fuerit ex ore Dei: siue, quod Deus cõstituerit, & decreuerit; hoc est, non viuere ex solis causis physicis, cum Deus non sit illis adstrictus, testantibus id Mosis & Eliæ exemplis, *Exod.* 24.28. *&* 34.28.18. 1. *Deut.* 9.9. 1. *Reg.* 19.8. sed quum rerum Deus verbo suo alendi nos facultatem indit, quasi imperans ei vt hoc faciat, & suo verbo præstans, *Vide* *Deuter.* 8.3.

Viuere Deo, est opera Dei facere, *Roman.* 6.11.12. *Galat.* 2.19. Domino, *Rom.* 14.8. 2. *Cor.* 5.15. 2. *Thess.* 5.10. 1. *Pet.* 4.2. in Christo. 2. *Tim.* 3.12. viuere secundum carnem, incedere secundum carnẽ. Esse in carne, *Rom.* 7.5. *&* 8.4.5.8.12. de ijs dicitur, qui cum vno sint Spiritu donati, sese cupiditatibus carnis immergunt. Viuere autem in carne, *Gal.* 2.20. vel ambulare in carne, 2. *Cor.* 10.3. nihil aliud declarat, quam in hoc caduco corpore vitam degere tantisper, dum cœlesti & æterna vita potiamur, *vt* *Gal.* 2.20. 1. *Petr.* 4.1.

Viuere sibi latius dicitur, qui se vnum respicit, vt ex suo vnius arbitrio ac voluntate viuat, pro quo Hebræi dicunt, Benefacere animæ suæ, *Psal.* 49.19. cum ergo negat Paulus fideles sibi viuere, *Rom.* 14.7. hinc quid velit intelligitur, nempe quod fideles non suam, sed Domini voluntatem fateantur ex gratiarum actione se habere pro vitæ regula, quod denique ita viuant, vt Domino sibi reddendam vitæ rationem cogitent, cuius vnius iuri, & potestati sint sint: Vita anima tua: Asseueratio Hebræis, 1. *Sam.* 1.26. Viuit Christus in Christianis, *Gal.* 2. v. 21. viuit Dominus: iurantis vox, *Ruth* 3.13.

Viuit homo fide, etiam in fame, *Deuteronom.* 3.8. viuimus in gloriam Dei, *Rom.* 14.8. viuunt omnes Deo, *Luc.* 20.38. viuat Rex, 1. *Sam.* 10.24. vt viuamus, mandata seruanda, *Deuter.* 4.1. *&* 32.47. viuere facit Deus, & occidit, 32.49. viuens Deus, *Ios.* 3.10. viuendum Deo, non sibi, *Roman.* 14.7. 2. *Corinthiorum* 5.15. *Galat.* 2.20. 2. *Thessalonic.* 5.10. 1. *Petr.* 4.2. Viuendum in lætitia, *Eccles.* 8.15. *&* 9.7.

Santentiae Patrum.

Longitudinem vitæ huius sentiri non facit, nisi spes viuendi: nam nihil videtur esse celerius, quam quicquid in ea tam præteritum est. Quum ergo dies iudicij venerit, tunc sentient peccatores, quoniam non sit longanimis vita, quæ transijt. *Augustin. super Psalm.* 6.

Si toto tempore illo viueres, ex quo Adam de paradiso emissus est, vsque in hodiernum diem, certe videres vitam tuam non fuisse diuturnam, quæ sic euolasset, vnius autem cuiusque vita hominis quanta est? adde quantoslibet annos, duc longissimam senectutem, quid ergo? Nonne hora matutina est? ergo longe sit dies iudicij, quando erit retributio iustorum, & iniustorum: tuus certe vltimus dies abesse non potest longe, adhuc te præpara: qualis enim exieris de hac vita, talis redderis illi vitæ. *in Psalm.* 39.

Longam cœnam, malam nemo vult habere, nec ferre longam vitam, malam pene omnes volunt habere. Vtique si grande est, quod viuimus, bonum sit omnium grande. Quid enim vis male, dic mihi? Puto nihil in omnibus actionibus, cogitationibus, cupiditatibus nihil male vis, terram malam non vis, segetem malam non vis vtique, sed bonam: Bonam arborem vis, equum bonum, seruum bonum, amicum bonum, filium bonum, vxorem bonam, & quid hæc magna? quoniam quidem ipsam vestẽ malam non vis habere, sed bonam, caligam postremo non vis habere nisi bonam, aut da mihi aliquid te velle, quod malum est, solam animam vis habere malam? Quid te offendisti? Quid de te tu ipse meruisti? Non vis esse malum, nisi te solum. *in serm.*

Plenitudo est, & beatitudo perfecta, vt cito quisque intelligat, & bene viuat. Sed si forte vtrumque non potest, melius est bene viuere, quam cito intelligere. Qui enim bene viuit, meretur amplius intelligere: qui male viuit, & quod intelligit, perdit. *De doctr. Christiana.*

Non est vera vita, nisi vbi feliciter viuitur: nec vera incorruptio, nisi vbi salus nullo dolore corrumpitur. *In quodam serm.*

Hæc est iustitia hominis in hac vita: eleemosyna, ieiunia, oratio: pœnitentia cruciat, iustitia tranquillat, vita æterna glorificat. *ibidem.*

Vita hominum media est inter vitam Angelorum, & pecorũ. Si viuit homo secundum carnem, pecoribus comparatur: si viuit secundum spiritum, Angelis sociatur. *in Ioan.*

Qui æternitate Dei perspecta, breue, & pene ad puncti instar humanæ vitæ spacium cogitauerit, ante oculos suos habebit semper interitum, & erit humilis, atque deiectus. *Hieronym. ad Eph. lib.* 2.

Secreto Dei consilio agitur, vt huius peregrinationis tempore electorum vita turbetur. Via quippe est vita præsens, qua ad patriam tendimus, & idcirco hic occulto iudicio frequenti perturbatione conterimur, ne vitam pro patria diligamus. *Gregorius in Moral.*

Quot dies vitæ peragimus, quasi in itinere ad locum propositum tot passibus propinquamus. Præsentem vitam quasi viam subigendo transimus. *ibid.*

Mala vitæ præsentis tanto durius animus sentit, quanto pensare bonum, quod sequitur, negligit: nequaquam nos gratia in aduersitate deserit: quia quo nos durius ex dispensatione percutit, eo amplius ex pietate custodit. *ibid.*

Breuis est vita, & ipsa breuitas semper incerta. *Augus. de verb. Domini serm.* 16.

Quid est diu viuere, nisi diu torqueri. *Idem de verbis Domini, sermone* 17.

Diu viuere quid est, nisi ad finem currere? *Idem serm.* 40.

Neque in tempore vtiliter viuitur, nisi ad comparandum meritum, quo in æternitate viuatur. *Idem epist.* 47.

Vita hæc est vita dubia, vita cæca, vita ærumnosa, quam humores tumidant, dolores extenuant, ardores exiccant: aera morbidat, escæ inflant, ieiunia macerant, ioci dissoluunt, tristitiæ consumunt, sollicitudo coarctat, securitas hebetat, diuitiæ iactitant, paupertas deijcit, iuuentus extollit, senectus incuruat, infirmitas frangit, mœror deprimit, & post hæc omnia mors interimit, vniuersis gaudijs finem imponit, ita cum esse desierit, nec fuisse putetur. *Augustin. in original. tractans illud Iacob* 4. *Quæ enim est vita nostra.*

Nihil fugacius sæculo, rebusque sæculi; quas, dum tenemus, amittimus, & per infantiam, pueritiam, iuuentutem, ac virilem, & ingrauescentem, ac maturam ætatem, annosque vltimos senectutis, per quæ vtique septem spacia Philo vitam describit humanam, mutamur & currimus, & nescientes ad mortis terminum peruenimus. *D. Hieron. super Amos, l.* 3.

Nihil ita decipit, quam cum ignorent homines spacia viuendi, & longiorem sibi vitam tamen repromittunt. *Hier. epist.* 79.

Tantis malis hæc vita repleta est, vt comparatione eius mors remedium putetur esse, non pœna. Nam ideo breuem illam Deus facit, vt molestiæ eius, quæ prosperitate vinci, vel tolli non poterant, temporis exiguitate finirentur. Denique S. Iob dicit: Militia est vita hominis super terram. *Ambrosius serm. de Quadragesima.*

Reproborum mentes ideirco multa nequiter agunt, quia se hic viuere diutius arbitrantur: iusti vero, dum breuitatem vitæ suæ considerant, elationis, & immunditiæ culpas declinant. *Greg. in Moral. lib.* 3.

Gloria iniquorum, quum plerumque in annorum multitudinem tenditur, ab infirmorum mentibus esse longa, & quasi stabilis æstimatur. Sed quum hanc repentinus finis intercipit, breuem fuisse deprehenditur, quoniam determinans innotescit: quia quod præterire potuit, modicum fuit. *Gregor.* 17. *Mor. super illud Iob* 24. *Eleuati sunt ad modicum, & non subsistent.*

Infinita est volubilitas temporis, per quod citissime currimus. *Senec. epist.* 51.

Vita nostra nauiganti similis est. Is enim, qui nauigat, stet, sedeat, iaceat, semper vadit, quia impulsu nauis ducitur: sic & nos vigilantes, siue dormientes, per momenta temporum quotidie ad finem tendimus. *Greg. in Reg.* 3.

Hæc

Hæc enim vita temporalis, quia breuia est, idcirco & bona eius & mala breuia sint necesse est. Illa vero spiritualis, quæ huic terrenæ contraria est, quoniam sempiterna est, idcirco & bona eius & mala sempiterna sunt. Ita fit, vt & bonis breuibus mala æterna, & malis breuibus bona æterna succedant. Itaque quũ simul proposita sunt homini bona, & mala, considerare vnumquemque secum decet, quanto satius sit pro perpetuis bonis mala breuia pẽsare, quam pro breuibus, & caducis bonis mala perpetua sustinere. *Lactant. Firmian. diuin. instit. lib. 6.*

POETICAE SENTENTIÆ.

Phocylides.

Ὁ βίος τροχός.
Vita rota.

Philemon.

Τοιοῦτος ὁ βίος ἐστὶν ἀνθρώπου, γύναι,
Εὐφραινόμεσθ' εἶτ' ἀντίκρυς λυπούμεθα.
Talis est, o mulier, humana vita,
Paucioribus gaudijs fruimur, quam dolore, & molestia.
Οὐ βίος ἀληθῶς ὁ βίος, ἀλλὰ συμφορά.
Vita non est vita, sed calamitas.

Euripides.

Οὐκ ἔστι θνητῶν ὅστις ἐξεπίσταται, τὴν αὔριον μέλλουσαν εἰ βιώσεται.
Mortalium nemo est, qui crastinum sibi audeat polliceri.

Pallas apud Euripid.

Δακρυχέων γενόμην καὶ δακρύσας ἀποθνήσκω,
Δάκρυσι δ' ἐν πολλοῖς τὸν βίον εὗρον ὅλον.
Ὦ γένος ἀνθρώπων πολυδάκρυτον, ἀσθενές, οἰκτρόν,
Συρόμενον κατὰ γῆς, καὶ διαλυόμενον.
Lachrimans sum natus, sed & lachrimans morior,
In lachrimis vniuersam comperi vitam.
O genus hominum lachrimosum, debile, miserabile,
Tractum in terra solutumque.

Hominis vita fragilis, & caduca. Gregorius Tifernas.

Ecce sumus puluis, sumus ecce miserrima tellus,
Et nostri fugiunt, vt leuis aura, dies.
Languemus, medio vt fœnum quod caditur æstu,
Vt rosa Pæstano languet adempta iugo.
Obruimur morbis, aut succedente senecta,
Et mala tanellos vndique multa premunt.
Soluimur vt nebula, surgens vt in aera fumus,
Et veluti solui sole pruina solet.
Carpimur, vt stipula rapide carpuntur ab igni:
Nec nisi viuendo somnus, & vmbra sumus.
Vnde igitur fastus venit, vnde superbia nobis?
Quos facit (præter tot mala) triste caput?

Anonymus.

Nascimur in lachrimis lachrimis quoque vita madescit,
Et vitam rursus linquimus in lachrimis.
O multos hominum lachrimas: absterget at omnes
Omnibus electis ipse Deus lachrimas.

Lucianus.

Τοῖς μὲν εὖ πράττουσιν ἅπας ὁ βίος βραχύς ἐστι.
Τοῖς δὲ κακῶς μία νὺξ ἄπλετός ἐστι χρόνος.
Feliciter quidem agentibus omnis vita breuis est.
Sed male vna nox immensum est tempus.

Menander.

Καρπὸς δ' ἀρετῆς ἐστι βίος εὔτακτος.
Fructus autem virtutis est bene composita vita.
Λαβὲ πρόνοιαν τοῦ προσήκοντος βίου.
Cape prouidentiam conuenientis vitæ.
Ἀμελῶς τὸ ζῆν οὐκ ἔξεστ' εὐσχημόνως.
Negligentem viuere non licet bene compositum.
Βιοῖ μὲν οὐδεὶς ὃν προαιρεῖται βίον.
Viuit quidem nullus, quam eligit vitam.
Βίος ἐστὶν, ἄν τις τῷ βίῳ χαίρῃ βιῶν.
Vita est, si quis vita gaudeat viuens.
Βίος καλεῖται δ' ὃς βίᾳ πορίζεται.
Vita vocatur, quia vi paratur.
Βίος βίου δεόμενος οὐκ ἔστιν βίος.
Vita victu indigens non est vita.
Ζῶμεν γὰρ οὐχ ὡς θέλομεν, ἀλλ' ὡς δυνάμεθα.
Viuimus enim non vt volumus sed vt possumus.
Οὐκ ἔστιν εὑρεῖν βίον ἄλυπον οὐδενί.
Non reperitur vita cuiusquam sine molestia.
Τυφλὸν δὲ καὶ δύστηνον ἀνθρώποις βίος.
Cæcum quid & miserum hominibus, vita
Τὸ ζῆν ἀλύπως ἀνδρός ἐστιν εὐτυχοῦς.
Viuere sine tristitia viri est felicis.
Ὡς ἡδὺ ὁ βίος, εἴ τις αὐτὸν μὴ μάθῃ.
Quam suauis vita, si quis ipsam non discat.
Ζῆν βουλόμενος μὴ πρᾶττε θανάτου ἄξια.
Viuere volens ne facito morte digna.

Nouiss. Polyanthea

Ζῆν αἰσχρὸν οἷς ζῆν ἐν ὀνείδεσιν ἡ τύχη.
Viuere turpe est, quibus viuere mundat fortuna.
Πάντες καλῶς ζῆν μὲν θέλομεν, ἀλλ' οὐ δυνάμεθα.
Omnes bene viuere volumus, sed non possumus.
Ὡς ἡδὺ τὸ ζῆν καὶ φθονούσης τῆς τύχης.
Quam suaue est viuere non inuidente fortuna.
Ζήτει συνάγειν ἐκ δικαίων τὸν βίον.
Quære ducere ex iustis vitam.
Βέβαιον οὐδὲν ἐν βίῳ δοκεῖ πέλειν.
Firmum nihil in vita videtur esse.
Αὐτά σε διδάξει τοῦ βίου τὰ πράγματα.
Ipsa te docent vitæ res.

Sophocl. in Aiace furente.

Ἀλλ' ἢ καλῶς ζῆν ἢ καλῶς τεθνηκέναι τὸν εὐγενῆ χρή.
Sed vel bene viuere, vel bene mori generosum oportet,
Ζῆν αἰσχρὸν αἰσχρῶς τοῖς καλῶς πεφυκόσι.
Viuere turpiter bene natis.

Hor. Serm. l. 1. Sat. 9.

Nil sine magno
Vita labore dedit mortalibus.

Horat. 1. Odarum.

Vitæ summa breuis spem nos vetat inchoare longam.

Terent. in Adelph.

Ita vita est hominum, quasi cum ludas tesseris:
Si illud, quod maxime opus est iactu, non cadit:
Illud quod cecidit forte, id arte vt corrigas.

Menand. Iamb. Senar.

Βιοῖ μὲν οὐδεὶς ὃν προαιρεῖται βίον.
Τυφλὸν δὲ καὶ δύστηνον ἀνθρώποις βίος.
Nemo vsque viuit ex sententia.
Cæca & parum felix vita est mortalium.

Vita breuis, vana.

Non tibi viuacem furor est spondere senectam,
Quum non sit vita certa, vel hora tuæ
Finge age, Nestoreum sis peruenturus in æuum,
Longa tamen multis tempora fæta malis.
Omnia vt effugias viridis, quibus angitur ætas,
Tædia longa tibi curua senecta feret.
Tu tamen ad seros (nulli quod contigit) annos
Vt venias, nullo percitus ante malo.
Hoc tamen exiguum est, vbi nunc tot Nestoris anni?
Ex tanto superest tempore nulla dies.

Ex Græco Thom. Morus vertit.

Nugamur, mortemque procul, procul esse putamus:
At medijs latet hæc abdita visceribus.
Scilicet ex illa qua primum nascimur hora,
Prorepunt cuncto vitaque morsque pede.
Partem aliquam furtim, qua se metitur, & ipsam
Surripit è vita quælibet hora tua.
Paulatim morimur, momento extinguimur vno,
Vt lampas oleo deficiente perit.
Vt nihil interimat, tamen ipso in tempore mors est:
Quin nunc interea dum loquimur, morimur.

Vita hominis nihil est.

Nos tenuem strictis spirantes aera fibris
Viuimus, & Phœbi lampada conspicimus.
Quotquot viuimus hic sumus omnes organa, quæque
Viuificis animat flatibus aura leuis.
Quod tua si tenuem restringat palma vaporem,
Eripiens animam miseris vsque Stygem.
Sic sumus ergo nihil: Plutonis pascimur omnes,
Et tam minimo nos leuis aura fouet.

Luscinius.

Disce iocos, scena est, ludus quoque vita, repugnante
Fortuna, tristis tristia damna feres.

Aliter.

Scena est hæc vita, ludus: vel ludere disce,
Abijciens curas, vel tua damna pati.

Vita humana plena calamitatibus & miserijs.

Luscinius.

Fundebam lachrimas genitus, moribundus idem nunc
Plango, videns luctu tempora cuncta teri.
O mortale genus, male firmum, triste, misellum,
Seu te habeat tellus, seu ferat Parca feras.

Ἀρχίου.

Θρήικας αἰνείτω τις, ὅτι στοναχεῦσι μὲν υἷας
Μητέρος ἐκ κόλπων πρὸς φάος ἐρχομένους.
Ἔμπαλι δ' ὀλβίζουσιν, ὅσους αἰὼν ἀπέλειπεν
Ἀτροπίδες κηρῶν λάτρις ἔμαρψε μόρος.
Οἱ μὲν γὰρ ζώοντες ἀεὶ πάντων πειρῶσιν
Εἰς κακά, τοὶ δὲ κακῶν ἄρ' ἄκος εὑράμενοι.

D. Adr. Alciat. Latine sic fecit:

Ecquis non laudet Thracas, qui prodit vt infans
In lucem ex vtero, fletibus ora rigant,

Quique beant tenuine quos cumque relinquere seclum,
Parcarum & quos mors dira ministra rapit.
Nam vitæ vario iactantur turbine semper,
Qui moritur, finem repperit ille mali.

D. Luscinius aliter sic vertit.

Laudantur Thraces, natos quod viscera matrum
Egressos gemitu protinus excipiunt.
Quodque relinquentes vitam sine fine beatos
Credunt incautos, dum fera Parca rapit:
Illos vita malis, quia destinat omnibus: hinc hos
Pharmaca quod mortem tot reperere malis.

Vita nostra & luctuosa, ac simul ridicula est: Ergo simul defleri, ac ridere digna.

Incerto authore ἄδηλον.

Τὸν βίον Ἡράκλειτε πολὺ πλέον ἢ πότ᾽ ἔζης.
Δάκρυε νῦν ὁ βίος ἐστ᾽ ἐλεεινότερος.
Τὸν βίον ἄρτι γέλα Δημόκριτε τὸ πλέον ἢ πρίν,
Νῦν ὁ βίος πάντων ἐστὶ γελοιότερος.
Εἰς [illegible] δὲ αὐτὸς ὁρῶν τὸ μεταξὺ μερίμνω
Πῶς ἅμα σοὶ κλαίσω, πῶς ἅμα σοὶ γελάσω.

Barthol. Simoneta sic transtulit.

Defle hominum vitam plusquam Heraclite solebas:
In lacrymas totos solue age nunc oculos.
Concute maiori splenem Democrite risu,
Et toto resonans ore cachinnus eat.
Vita fuit nunquam post condita secula mundi,
Et risu pariter dignior, & lachrymis.

Vitæ diuersa officia, & studia.

Viuere diuerso mortales more videntur:
Non ratio cunctos, non regit vna viros.
In studia humana vertuntur plurima mentes,
Nec paribus cursum tramite mundus habet.
Hic opibus vacat immensis, ille ambitioni:
Hic peragrat campos, nauigat alter aquas.
Ingentes alius merces conducit: at ille
Gaudet in Eleo carcere vectus equo.
Sunt qui bella petunt, sunt quos seruire togatis
Contigit, ast alios otia lenta iuuant.
Vnus amat Venerem, vino se ingurgitat alter.
Hic hilaris ridet, tristis at ille gemit.
Hic citharam mouet, hic cantus emittit amœnos,
Viribus ille valet, lusibus ille vacat.
Sunt qui mundanos tantum venantur honores,
Sunt qui se prærupis montibus ædificant.
Hunc probat argutum pastam Sorbona sophistam,
Hunc fouet in dulci Theologia sinu.
Ille colit astra dicas, tellurem sed metit alter,
Hic numeros curat, diligit ille notas.
Suntque salutiferas qui excolant Pæonis artes,
Hic fieri rhetor, ille poeta cupit.
Sic varijs diuersa placent, sua cuique voluptas:
Ad sibi res gratas quemque libido trahit.
Omnibus at eadem strictis concedere fato
Conditio est omni cuique timenda die.

Vita humana cursus ad mortem.

Fallimur, & cæci mortem procul esse putamus:
Illa tamen medio corpore clausa latet.
Quando quidem ex illa qua primum nascimur hora,
It vitæ iuncto mors comes atra pede.
Partem aliquam vitæ semper furatur, & ipsam
Diminuit vitam qualibet hora tuam:
Et morimur sensim, & momento extinguimur vno,
Non secus ac lampas deficiente oleo.
Mors mihi ne properet, tamen ocyus in tempore præsto est,
Quin non, ah miser, ædum loquimur, morimur.

Aristotelis sententia e Græco.

Hic prope dimidium vitæ dormitur, & ipsam
Per somnum similes diues inopsque tacent.
Crœse itaque regum ditissime, num tibi ferme
Dimidio vitæ par fuit Irus egens?

Versus Martialis de vita beata, lib. 10. Epigr.

Vitam quæ faciunt beatiorem,
Iucundissime Martialis, hæc sunt:
Res non parta labore, sed relicta:
Non ingratus ager, focus perennis,
Lis nunquam, toga rara, mens quieta,
Vires ingenuæ, salubre corpus,
Prudens simplicitas, pares amici,
Conuictus facilis, sine arte mensa:
Nox non ebria, sed soluta curis:
Non tristis thorus, at tamen pudicus:
Somnus qui faciat breues tenebras:
Quod sis esse velis, nihilque malis:
Summum nec metuas diem nec optes.

Vitam humanam mari similem esse.
Anthol. Sac. Iac. Bill.

Vita mari est similis, namque vt mare, vita procellas
Has habet, & ventos naufragiumque frequens.
Nil stabile in vita, nec in æquore cernitur vnquam:
Saxa habet, & conchas vt mare, vita leues.
Qui prorsus grauitate carent, rebusque sinistris
Franguntur, conchas hos ego iure voco.
At mihi sunt firma rupes, quæ saxa, mouere
Quos nequit recta fatum procella gradu.

De fallacia vitæ præsentis.

Vita breuem se dicit (& est) cum tempora luxu
Transigimus, cum nos vina Venusque iuuant.
At longam (falso licet id) se fingit, vt quos
Ponere cum vitijs mens cupit atra modum.
Sic miseros fallax homines deludit vtrinque,
Dum longam sese clamat, & esse breuem.
Qui putat esse breuem, breuis huic quoque vita futura est:
Qui longam, huic citius, quam putat, ipsa finit.

De misero & calamitoso huius vitæ statu.

Infantem tumida mater dum gestat in aluo,
Carceris in tenebris conditus ille iacet.
Sic quoque vitales miseri dum carpimus auras,
Orbe nos rigidus lumine carcer habet.
At si certa fides sit spes in funere sancta,
Sinceriusque Dei nos comitetur amor.
Nil erit angustum nobis; lucidumque beata
Cernemus Triadis tempus in omne diem.

Viuendum hic esse more peregrini, vt ex Christi morte fructum sentiamus.

Quamuis pro toto (nec enim sine crimine quisquam est)
Sancta Dei soboles pertulit orbe necem:
Ius tamen est nullis peregrinos præter in illum,
Qui charo est Domini sanguine partus, agrum.
Ergo in eo certum tibi si cupis esse sepulchri
Expers, hoc ciuis viuere more caue:
Sed potius maneas veluti peregrinus, & exul,
Ad patriam celeri qui pede tendit humum.

Vita paucorum indiga.

Indignos quisquis non vis incurrere casus,
Innatis vanis cedere disque caue.
Mortalis vitæ breuitas non multa requirit,
Paucorum exigui temporis vsus eget.

Via ad veram vitam.

Arcta via est, vera quæ ducit ad astra vita,
Nec recipit carnis gaudia mentis iter.
Amplis incedit spacijs terrena voluptas,
Angusto virtus tramite cæli petit:
Et tamen hic calles, quos mundi vana pauescunt,
Quædam magnificis æquora sunt animis.
Difficilisque nimis per dura, per ardua gressus
Commendat fides, quod tolerare iuuat.

PHILOSOPH. SENTENTIAE.

Vita est mentis actio. *lib. λ. 11. Metaph. c. 7. T. 39.*

Vita ipsa, etiam si nullum aliud bonum consequatur, per se tamen amatur, optatur, expetitur. *lib. 1. Rhet. c. 6.*

Cum de quaque vita & principio agitur, prima vita, primumque principium cæteris multo antecellit. *lib. 2. de cælo, c. 12. T. 68.*

Cum multis modis vita dicatur, id viuere dicimus, in quo aliquid horum modo reperitur, vt mens, sensus, motus, status que in loco: præterea motus is, qui in alendo est, accessio & decessio. *lib. 2. de anim. c. 2. T. 13.*

Necesse est simul & vitam suppetere, & caloris naturalis conseruationem. *lib. de adolescent. & senect. c. 2.*

Vita in actione, non in effectu consistit. *lib. 1. de Repub. c. 13.*

Vitæ degendæ ratio non solum honesta esse debet, verum etiam iucunda. *lib. 8. de Repub. c. 5.*

Viuere est proprie sentire, & intelligere. Vita etiam in ijs est, quæ per se bona, & iucunda. *lib. 9. Ethic. c. 9.*

Incertum, ac fragile nimirum est hoc munus naturæ, quicquid datur nobis: malignum vero & breue, in ijs etiam, quibus largissime contingit, vniuersum vtique æui tempus intuentibus. Quid quod æstimatione nocturnæ quietis dimidio quisque spacio vitæ suæ viuit. Pars æqua morti similis exigitur, aut pœnæ, nisi contingit quies: nec reputantur infantiæ anni, qui sensu carent: nec senectæ in pœnam viuacis, tot periculorum genera, tot morbi, tot metus, tot curæ, toties inuocata mors, vt nullum frequentius sit votum. Natura vero nihil hominibus breuitate vitæ præstitit melius: hebescunt sensus, membra torquentur, præmoritur visus, auditus, incessus, dentes etiam ac ciborum instrumenta: & tamen vitæ hoc tempus annumeratur, &c. *Plin. lib. 7. elegantissime describit fragilem vitæ breuitatem.*

Quum res fortunasque hominum cogito, incertosque & subitos rerum motus, nihil ferme fragilius mortalium vita, nihil inquietius inuenio: Ita cunctis animantibus naturam miro remedij genere consuluisse video, ignorantia quadam sui: nobis solis memoriam, intellectum, prouidentiam, diuinas, ac præclaras animi nostri dotes, in perniciem, ac laborem versas. Tam superuacuis enim semper, nec inutilibus modo, sed damnosis, atque pestiferis curis obnoxij, & præsenti torquemur tempore, & præterito futuroque angimur, vt nihil magis metuere videamur, quam ne quando forte parum miseri simus. Tanto studio miseriarum causas, & dolorum alimenta conquirimus, quibus vitam, quæ si rite ageretur, felicissima prorsus, ac iucundissima rerum erat, miserandum, ac triste negocium efficimus, cuius initium cœcitas, & obliuio possidet, progressum labor, dolor exitum, error omnia, quod ita esse, quisquis vitæ suæ cursum acri iudicio remetietur, intelliget. Quem quietum quæso? quem tranquillum? quem nō laboriosum magis, atque anxium diem egimus? quod vmquam tam securum, aut tam lætum mane vidimus, vt non ante crepusculum solicitudo mœrorque surreperet? Cuius mali, etsi ipsis in rebus multa insit occasio, nisi tamen nos fallat amor nostri, causa maior, siue (vt ingenue fateamur) culpa omnis in nobis est. Vt vero sileam reliqua, quibus vndique erudimur, quod illud est bellum? quamque perpetuum, quod cum fortuna gerimus, cuius nos facere poterat virtus sola victores? Soli igitur imbecilles, exarmati, non æquo Marte cum implacabili hoste congredimur, quos illa vicissim, ceu leue aliquid, attollit, ac deijcit, & in gyrum rotat, ac de nobis ludit, & vinci tolerabilius foret, nunc ludibrio etiam habemur. Id vero quid aliud fecit, quam leuitas, ac mollicies nostra? Idonei visi sumus, qui pilæ in morem huc illuc tam facile iactaremur, animalia que breuissimi, sollicitudinis infinitæ: quibus tot casibus, cui puppim littori, cui animum consilio applicemus. pro consilio interim sit pendere, ac præter præsens malum, & tergo, quod doleat, & ante oculos semper habere, quod terreat. *Petrarch. de remed. fortun. in præfat. ad Azonem.*

Breuis est quidem imprimis vita, & fugacissimum vitæ tempus: rerum humanarum inquietum aduersis flatibus, & procellosū pelagus: rari & vix hominibus accessibiles portus: scopuli vndique innumerabiles, inter quos difficilis, & prorsus ambigua nauigatio est. Iam vix vni contigit ex millibus, vt integer enataret: sic nos fortunæ imperium exercet in omnes gradus hominū pari iure grassantis: ita in quibus omniū cymba fragilis nostræ mortalitatis allidítur: & possumus inter hæc nobis, aut nostris longiusculam vitam, immo (vt verius dicam) longius periculum optare: Fingatur aliquis tam benigno sidere, tam propitia fortuna, tam denique fauente Deo, iter hoc ingressus, vt nihil ei possit asperum molestumque contingere: rem impossibilem, & inauditam sæculis fingi iubeo: nec ideo tamen, quamuis periculum absit, aberit metus. Et idcireo fortasse non infelicius, nec inconsultius foret, modo nostri esset arbitrij: sicut in æquore suspecto nautæ solent circumspecti clauum flectere, diuque ante solis occasum vela submittere: sic in vita portum petere, & adhuc florenti ætate, atque animo virenti, & valentibus membris mori, priusquam eo peruentum sit, quo saltem vita lōgior perducit, ad vltimas scilicet angustias senectutis, inter quas arctati quidam & vixisse dolent, & mori metuūt, & toties votis exoptatum tempus excusant: denique quid velint, & quid nolint, nesciunt: tanta est discordia. Hæc & ijs similia cogitantes abstinere decet, ne decretum cœleste, seu mortis festinantiam accusemus: alioquin pro nobis ipsis tantūmodo conqueri videbimur. *Idem l. 4. epist. de reb. familiarib. ad Iacobum Messanensem.*

Vicit recordatio vitæ breuis, timui (fateor) insidias: quid enim quæso, fugacius vita est, quid morte sequacius? *Idem in præfat. ad Socrat. de rebus familiaribus.*

Qui nihil habet in vita iucundius vita, is cum virtute vitam non potest colere. *Cic. lib. 2. Rhet.*

Nemo est tam demens, tamque parum de se cogitans, quin alienā vitam magis, quam suam diligat. *idem in Vatin.*

Humanæ vitæ conditionem primus, & vltimus dies continet: quia plurimum interest, quibus auspicijs inchoetur, & quo fine claudatur. Ideoque eum demum felicem fuisse iudicamus, cui & accipere lucem prospere, & reddere placide contingit, medij tēporis cursus, prout fortuna gubernaculum rexit, modo aspero, modo tranquillo motu peragitur, spe semper minore, dum & cupide votis extenditur, & fere sine ratione consumitur. *Valer. Max. lib. 6. de mod. c. 12.*

Humanæ fragilitatis nimia in prosperis rebus obliuio est. *Cur. l. 4.*

Quid tu? ignoras arbores magnas diu crescere, vna hora extirpari? stultus est qui fructus earum spectat, altitudinem non metitur. Vide, ne dum ad cacumen peruenire contendis, cum ipsis ramis, quos comprehenderis, decidas. Leo quoque aliquando minimarum auium pabulum fit, & ferrum rubigo consumit. Nihil tam firmum est, cui periculum non sit, etiam ab inualido. *Idem, lib. 7.*

Nemo quam bene viuat, sed quamdiu considerat, cum omnibus possit contingere, vt bene viuant, vt diu nulli. *Seneca 22. Epistola.*

Vita non est imperfecta, si honesta est. Vbicumque desines, si bene desines, tota est, sed & fortiter desinendum est. Non est res magna viuere, omnes serui tui, & animalia viuunt. *Epist. 78.*

Quomodo fabula, sic & vita, non quamdiu, sed quam bene acta sit, refert. Nihil ad rem pertinet, quo loco desinas, quocumque voles, desine: tantum bonam clausulam impone. *ibid.*

Dum differtur vita, transcurrit, omnia. mi Lucili, aliena sunt, tempus tantum nostrum est, in huius rei fugacis, & lubricæ possessionem natura nos misit. *Senec. in epist.*

Læti dicamus, vixi, & quem dederat cursum fortuna, peregi: crastinum si adiecerit, læti recipiamus. *Epist. 12.*

Quidam tunc incipiunt viuere, quum desinendum est, immo quidam ante desierunt viuere, quam inciperent. *Epist. 23.*

Pulchrum est consummare vitam ante mortem, & expectare secure reliquam temporis partem. *Epist. 32.*

De partibus vitæ omnes deliberamus, de tota nemo deliberat. *Epist. 72.*

Omnes infantes in terra nuda vita excipit. Non te ergo pudet sordidius viuere, quam nasci? *ibid.*

Longa vita bonis optabilis: Bonis fruitur bona conscientia: Malis hominibus vtilissimum est cito fugere. *Sen. in epist.*

Hoc vnum discas, vitam contemnere. Nemo illam bene rexit, nisi qui contempserit. Nulli potest secura vita contingere, qui de producenda nimis cogitat. *ibid.*

Sapiens cogitat semper, qualis vita, non quanta sit: Non enim viuere bonum est, sed bene viuere. *ibid.*

Homo vitæ commodatus, non donatus est. Heu quam multa pœnitenda occurrunt diu viuendo. *In Prouerb.*

Male viuunt, qui se semper victuros putant, volunt homines ita præceptum esse, vt viuant, non ita viuere, vt præceptum est. *ibidem.*

Non viuit, cui nihil est in mente, nisi vt bibat. Ede & bibe, vt bene viuas: non viuas, vt tantum edas, & bibas. *Socrates in suis exhortat.*

Beate viuere est, verum intelligere, consultare bene, velle bonum, agere bona. Primum sapientiæ est, secundum prudentiæ, tertium iustitiæ, quartum perseuerantiæ. Primum a Deo, secundum a primo, tertium a Deo, atque homine, quartum est a tertio. Qui ita viuunt, viuunt homines: qui viuunt aliter, animalia viuunt. Vale ac viue homo. *Marsilius Ficinus lib. 1. epist. ad Hieron. Pasqualinum.*

Oratio in laudem hominis olim virtute prædíti, & vita functi, non est lugubris, sed potius encomium. Nam primum de ipso commemorantur ea, quæ de viuo prædicabantur: Deinde, quid a lamentatione longius abest, quam gloriosa vita, & mores præclari? Quid encomijs item conuenientius, quam victoriæ pulcherrimæ maximique momenti facinora? *Xenoph. Orat. de Agesilao.*

Vita adfert multa, eaque contra expectationem nostram. *Dion. Halic. lib. 3.*

Qualia sunt publica ciuitatum studia, talia etiam est priuatorum vita. *lib. 5.*

Spes vitæ plerumque magnos animos infringit. *Tacit. hist. l. 5.*

Hominis salus beneficio nullo pensatur. *Amm. Marcel. l. 14.*

De vita & spiritu hominis, qui pars mundi est, & animantium numerum complet, laturum sententiam, diu multumque cunctari oportet, nec præcipiti studio, vbi irreuocabile factum est, agitari. *idem, lib. 29.*

Nihil maioris est apud homines precij, quam vita. *Constan. Man. in Annal.*

Non eadem est ratio vitæ eius qui in contemplando solum, & eius qui in vita versatur. Alter enim mentis agitationem nullius instrumenti rerumque extra se positarum adminiculo indigentē pulchris rebus adhibet: is autem qui virtutem hominum vsibus applicat, non in rebus modo necessarijs, sed etiam bonis, diuitiæ quoque sunt habendæ: & ita res habebat in Pericle, qui multis pauperibus ferebat opem. *Plut. in Pericle.*

Humana vita est res quædam instabilis, & infirma, & alias alio inclinans. *Heliodor. lib. 4.* Hominibus vita est omnibus rebus preciosior. *idem l. 5.* Nullius sexus nec ætatis opem repudiat periculum de vita. *idem, lib. 9.*

Homini optimum est si cognoscat, quod Deus mortalibus dominetur, atque vt ad optimas quasque operationes non per nos ipsos consilia dirigamus: Deus enim qui cunctis dominatur, omnium opera perficit, & deducit. *Arist. in quæst.*

Habet has vices conditio mortalium, vt aduersa ex secundis, & ex aduersis secunda nascantur. Occultat vtrorumque semina Deus, & plerumque bonorum malorumque causæ sub diuersa specie latent. *Plin. in Panegyr.*

Vita Principis censura est, eaque perpetua. Ad hanc dirigimur, ad hanc conuertimur: nec tam imperio nobis opus est, quam

exemplo. Quippe infidelis recti magister est metus. Melius homines exemplis docentur, quæ in primis hoc in se boni habent, quod approbant, quæ præcipiunt fieri posse. *Idem, ibid.*

Non immerito longa vita priuantur, qui pietatis officia relinquunt. *Cassiod. l. 2. e. 14.*

Humanæ vitæ conditionem præcipue primus, & vltimus dies continet: quia plurimum interest quibus auspicijs inchoetur, & quo fine claudatur. Ideoque eum demum felicem fuisse iudicamus, cui & accipere lucem prospere, & reddere placide contigit. Medij temporis cursus, prout fortuna gubernaculum rexit, modo aspero, modo tranquillo motu peragitur: spe semper minor, dum & cupide votis extenditur, & fere sine ratione consumitur. Nam & si eo bene vti velis, etiam paruum amplissimum efficies, numerum annorum multitudine operum superando. Alioquin, quid attinet inerti vita gaudere, si magis vitam exigis, quam approbas? *Valer. Max. l. 9. c. 12.*

Omnes homines qui sese student præstare cæteris animantibus, summa ope niti decet, ne vitam silentio transigant, veluti pecora: quæ natura prona, atque ventri obedientia finxit. *Sallust. de coniurat. Catil.*

Is mihi viuere demum, atque frui anima videtur, qui aliquo negocio intentus, præclari facinoris, aut artis bonæ famam quærit. *Idem ibid.*

Nullus mortalium vniuersam vitam peccati expertem degit. *P. Aemyl. lib. 2.*

Vitam hominis quẽdam in theatro actum arbitremini. Quicquid homo cogitat molitur que, id non modo posteritatis (quæ tacor eupre iudicabit) oculis patescet, sed iam perspicitur ab ipso cœlo ad spectaculum circumfuso, cuius oculis vos ita componite, vt vitæ breuitatem tamquam vnius diei ludos, si spectatoribus probaueritis, maiora quam concipi animo in præteritia possint præmia præceptum iri sciatis. *Idem lib. 3.*

Non corpore vita constat, re mille quotidie casibus obnoxia. Spiritu, animo, mente, quæ numine afflatur, impleturque, æuum degunt. *Idem lib. 4.*

Andronicus Palæologus imperator Deo fretus, & fiducia plenus vsque adeo fuit, vt maxima ea parte sine custodia ageret: & sine imperatorijs satellitibus. Sæpe etiam eos quos retia, & laqueos contra se instruere sciret, in easdem ædes admittere, & mensæ adhibere solitus est. Dicebat enim, vitam hominis in manu Dei esse positam: a quo vbi eius destructio permittitur, tunc omnibus periculis patere fores. *Niceph. Greg. hist. l. 11.*

Vita indignus est, qui omnem clementiæ spem, vitio ipse sibi præcidit. *Zonar. in Heracl.*

V[illegible] in longiorem ætatem, quam vitiis peruenitur: eanamque & facilior [illegible], & iucundior, & eapreditior, & fortior. *Xen. de rep. & leg. Lac.*

Multi mortales dediti ventri, atque somno, indocti incultique, vitam sicut peregrinantes transegere, quibus profecto contra naturam corpus voluptati, anima oneri fuit. Eorũ ego vitam mortemque iuxta æstimo: quoniam de vtraque siletur. *Salust. de coniur. Catil.*

Victoribus vita felix & suauis est: victis autem nihil acerbius est, quam toto tempore spem in hostium misericordia collocare. *Procop. de bell. Vandal. l. 2.*

Qui paribus non cedunt, & erga superiores honeste se gerunt, erga inferiores vero moderate, hi plerumque habent felices rerũ successus. *Tucyd. l. 5.*

Supremus dies suo cuique tempore, alij serius, alij ocyus aderit, si quid serum est in hac vitæ breuitate. *P. Aemyl. l. 3.*

Turpiter agentibus tenebræ conueniunt, sed honestæ vitæ plus ornamenti lux adfert. *Xenoph. orat. de Agesilai laudib.*

Sui cuique mores plerumque fortunam conciliant. *Corn. Nepos in vita Pomp. Attici.*

Diuinarum rerum cõtemplatio, & reipublicæ administratio, haud fere coniungi solent: atque adeo optandum est, ne magna inter eas pugna, vt inter carnem, & spiritum, & sensum, atque mentẽ appareat. Mihi vero placet eum, qui ad principatum adspirat, ex vtraque contemperatum esse: sed aliæ ad grauiorem, aliæ ad acutiorem sonum, aliæ plus minusve adstrictæ, variam & cõcinnam harmoniam efficiunt. Qui enim soli diuinarum rerum speculationi est intentus, in montibus, & speluncis debet viuere: vt cuius mores a ciuili consuetudine prorsus abhorreant. Qui vero morum ciuilitatem cum virtute coniunxit, & vsu variarum rerum perpolitus est, is populum ad res optimas, & salutares facile deduxerit. *Niceph. Gregoras. hist. l. 3.*

Qui vitam suam proijciunt, eos tamquam ex insania quadam rem aliquam magnam tentaturos, reliqui omnes suspectos odioque habent: quos autem plurimam salutis propriæ rationem habere vident, eos laudant, & prædicant, tamquam nihil morti dignum commissuros. *Dion l. 45.*

Mala res est vitæ cupiditas, cum omnia diuinæ prouidẽtię mandantur, sed terrenis rebus quasi aliquid firmi habeant, inhiatur. Inde enim scatent examina vitiorum. *G. Pachym. hist. l. 12.*

Omnis actio ab hominibus ex ipsorum commutatione appellari debet: peccatum semel admissum nullo vmquam tempore efficies vt sit infectum: quod autem bonis actionibus corrigitur, illis authoribus maxime fauet, pristinamque famam erroris obliuione sempiterna restituit. *Procop. de bello Vandal. lib. 2.*

Qui in his quæ admiserunt retractando probantur, honestissimam præteritorum excusationem præ se ferunt. *Idem eodem libro.*

In lucem prodeuntibus vniuersis haudquaquam similis est vitæ finis, & mortis genere ipso, vt in alijs multis inter se differũt homines. Siquidem vel ignaui imbellesque contumelijs primum affecti, & risum de se hostibus exhibẽdo, ad præstituta per superos tempora, fatum nihilominus complent: quod tamen generosis, & fortibus viris, cum virtute, & optima abundantique gloria, ipsum vt id patiantur, contingit. *Procop. de bello Goth. l. 2.*

Apud mortales eodem statu permanere diu nihil potest. *Procop. de bello Goth. lib. 3.*

Quum Xerxes innumerum illum exercitum suum intueretur, & lachrimas funderet, ab Artabano rogatus quid fletus iste sibi vellet? respondit: Reputantem me quam breuis sit omnis humana vita, subijt horum miserari: quorum, quum tot sint, nemo ad cẽtesimum annum superstes erit. Excipiens Artabanus: Atqui, inquit, alia, quam illud est, viuendo miserabiliora patimur. Nam in tam breui vita nullus hominum adeo felix extitit, neque horum, neque aliorum, cui non crebro, nedum semel, subita sit animo moriendi voluntas potius, quam viuendi. Incidentes enim calamitates, & morbi vitam perturbant, efficiuntque vt quum breuis sit, tamen perlonga videatur. Ita mors optatissimum est perfugium ærumnosæ vitæ, quam Deus dulci gustu aspergens, ob id hominibus iuste plectere deprehenditur. *Herodot. lib. 7.*

Versatur in incerto vita mortalium, rerumque humanarum rota sursum, ac deorsum currens omnia voluat, & confuse inuertit. *Constan. Manass. Annal. pag. 163.*

Quis enumeret ea incommoda, quæ velut in scena vitæ miserorũ mortalium ærumnosa natura non secus ac nauigium lembos secum trahit? *G. Pachym. hist. lib. 8.*

Omnis splendor, vnius horæ momento in ludibrium conuertitur. *Idem, eod. lib.*

Si quis intueatur omnia propius, comperiet miserabilem esse vitæ nostræ conditionem, qui tantis laboribus, vigilijs, curis, & acerbis cogitationibus nos defatigamus ipsi, & affligimus. *Ph. Cominæus lib. 5.*

Leuissimo momento salus pestisque summorum sæpe hominum pendet. *P. Aemyl. lib. 10.*

Plerumque res paruæ non minores habent difficultates, nec minus inexplicabiles, quam maximæ. *Franc. Guicciard. histor. libro 10.*

Is melior habendus est, cui mutatio vitæ in melius accidit. Est enim ea natura præstantior, in qua deteriora consenescunt, meliora vigent, atque adolescunt. *Plutarchus in comparat. Cimonis & Luculli.*

Nihil est in hac ærumnosa vita potius, quam vt metuamus diuinũ iudicium, & studeamus in rebus omnibus æquitati, & contenti simus mediocri vitæ genere, neque defatigemur ijs curis, quales fere suscipiuntur a multis, nimia quadam cupiditate, & ambitione augescendi. Hanc viam si possemus ingredi, atque tenere, & tranquillius viueremus, & minus affligeremur valetudine aduersa, & mortem non adeo formidaremus. Etenim quanta sit vitæ nostræ miseria, facile potest ex eo colligi, quod simul atque mortuus est aliquis, quicumque sit ille, statim omnes abominantur, & exhorrescunt ipsum cadauer: & euolat anima, sistiturque mox iudicio ineuitabilis. *Ph. Comin. lib. 10.*

Vt eos qui pulcherrimas, & elegantissimas formas depingunt, si quid illis adsit minus venustum, neq. omittere plane volumus, neque exprimere exactius, quod hoc turpem, illud propositæ formæ dissimilem aspectum esset præbiturum: ita quando difficile est, imo plane fieri nequit, vt hominis vita inculpata prorsus, atque ab omni parte pura sit, in ijs quæ laudem merẽtur, est veritas, tamquam similitudo, plane exprimenda: si quæ aut vitia, & næui, seu ex affectu aliquo, seu ciuili necessitate incurrerint in ipsas actiones, existimare debemus, defectus potius virtutis esse, quam nequitiæ vitia, atque ideo nequaquam nimio studio in historia exagitare: sed quasi pudore humanæ naturę moueri, quæ nullum præclarum ingenium sincerum, & perfectæ virtuti deditum protulerit. *Plutarc. in Cimone.*

Recte dictum est a Xenophonte, præstantium virorum, iocos etiã & quæ inter potandum animi causa agunt, memorabile aliquid in se habere: at vero etiam magis est operæpretium animaduertere, quam in aduersa fortuna in agendo & loquendo modestiã seruent. *Idem, in Agesilao.*

Clarorum virorum facta moresque posteris tradere antiquitus vsitatum, ne nostris quidem temporibus quamquam incuriosa suorum ætas omisit, quoties magna aliqua, ac nobilis virtus vicit, ac supergressa est vitium, paruis magnisque ciuitatibus com-

mune

mune ignorantiam recti & inuidiam. Sed apud priores, vt agere memoratu digna pronum, magisque ingenio, ad prodendã virtutis memoriam, siue gratia aut ambitione bonæ tantum conscientiæ pretio ducebatur. Ac plerique suam ipsi vitam narrare, fiduciam potius morum, quàm arrogantiam arbitrati sunt, nec in Rutilio & Scauro citra fidem aut obtrectationẽ fuit: adeo virtutes iisdem temporibus optime æstimantur, quibus facillimè gignuntur. *Tacitus, in vita Agric.*

De tædio vitæ. DIAL. XCVIII.

Franc. Petrarcha.

DOL.

Vitæ me tædium ingens tenet. R. Ex præmissis ortum ma'um, quo nescio an vix aliud periculosius, quippe molestissimum per se, desperationi quoq; contiguum, atque ad illam via est, pro quo nominatim institutum est, vestris in templis auxilium implorare felicium animarum, quæ terrenis tædijs vinculis corporeis te solutæ, cœlestibus perfruuntur gaudijs, ac securitate mentia æterna. D. Multa me vndique vitæ tædia circumdant. R. Propellenda tædia cogitationibus lætis, ac spe bona amicorum solatio, & liberorum, & delectationum honestarum alterna varietate, atque exercitiis iucundis, inertiæ fuga, sed imprimis patientia rerum, & longanimitas inuicta, neque vel præsentium odio, vel futuri desiderio, nec metu denique, nec spe vlla anticipandus vitæ finis, quod stulti quidam, ac miseri fecerunt, qui, dum paupertatem, vitæque tædia, ac labores temporales fugiunt, in æternos incidunt. Sine Ciceronem nostrum loqui, mortem Catonis huius vltimi suis in libris Officialibus excusantem. Sine loqui Senecam, & hanc ipsam miris laudibus celebrãrem, & multis in locis disputantem, certis ex causis arcessendam manu mortem, verior altera, multoque melior Ciceroniana sententia, quia & tibi & piis omnibus retinendus est animus in custodia corporis, nec iniussu eius, à quo ille vobis est datus, ex hominum vita migrandum, ne scilicet assignatum munus diffugisse videamini, quin & illud è cœlo tibi etiam dictum crede, nisi Deus is, cuius est tẽplum hoc omne, quod aspicis, istis te corporis custodijs liberauerit, huc tibi aditus patere non potest, & adsummam caue ne aut vllo vnquam vitæ tædio ita mortem cogites, vt occupare illam tibi licitum putes, aut vllo gaudio ita non cogites, vt incautum illa animum improuisa deijciat.

APOPHTHEGMATA.

Pythagoras, Vitam humanã dicebat esse similem panegyri, hoc est, solenni hominum conuentui, ad quem alij conueniunt certaturi, alij negotiaturi, nonnulli spectatores modo futuri. Et cæteros quidem omnes esse solicitos: solum spectatorem trãquillum frui celebritate. *Laert. lib. 1. c. 1.*

Socrates, Alcæ ludo vitam similem esse dicebat: & quicquid euenit, veluti quandam tesseram disponere oportet. Non. n. denuo iacere oportet, neq; tesseram aliter ponere. *Stob. ser. 123.*

Democritus, Vitam sine festiuitatibus dicebat longam esse viam sine diuersorijs. *Stob ser. 16.*

Epictetus, Vitam fortunæ coniunctam torrenti similem esse, dicebat: Turbulenta. n. plena cœno, ingressuque difficilis, violenta & obstrepera est, & breue tempus durat. *Stobæus ser. 1.*

Diogenes, dicenti, miserum esse viuere: Non, inquit, viuere miserum est, sed male viuere miserum est. Vulgus miserã appellat vitam, laboribus, doloribus, morbis, damnis, exilijs, multisq. hoc genus incõmodis obnoxiam: at philosophus nihil malũ aut miserum esse dicebat, nisi quod cũ turpitudine coniunctũ esset. *Laert. li. 6.*

Epicurus dicebat, aliquem virum bonum nobis esse eligendum, ac semper ante oculos habendum, vt sic tanquã illo spectante viueremus, & omnia tanquam illo vidente faceremus. Eo modo vitæ humanæ errores facile corrigerentur. *Senec. epist. 1. ad Lucil.*

Idem, Neminem non ita exire e vita dicebat, tanquam modo intrauerit. Item: Neminem aliter, quam quo modo natus est, exire e vita. Et molestũ esse semper vitam inchoare. *Senec. epist. 22. & 23.*

Idem, Semel, inquit, nati sumus, bis nasci non licet: sed necessariũ est vitam finiri: Tu vero, qui ne crastinum quidem in tua potestate habes, tempus differs. Omnium vero vita cunctando perit, & hinc est, quod vnusquisque nostrum inter negotia moritur. *Stob. serm. 6.*

Plato, Non vitam, sed bonam vitam maximi faciendam esse, dicebat. *Stob. serm. 7.*

Idem dicebat. Viros bonos non longa vita, sed clara & illustri opus habere. *Eo. serm.*

Pyrrho admirari solebat illum Homeri versiculum præ cæteris:

Οἵη περ φύλλων γενεὴ, τοίηδε καὶ ἀνδρῶν.
Tale quidem genus est hominum, quale est foliorum.

Quod alijs defluentibus alij succedant. Sentiens, in rebus humanis nihil esse diuturnum, aut stabile. *Laer. l. 9. c. 11.*

Epicharmus, Inter confabulandum cum amicis quum audisset disceptantes de viuendi spatio, & quidam tres, quidam quatuor, alij plures annos sibi tribuerent adhuc viuendos, dixisse fertur: Quid mutuo contenditis, & litigatis de paucis diebus: Omnes. n. qui conuenimus, quodam fato propinqui sumus morti. Itaque tempus est nobis omnib. ocyus discedendi, antequam aliquid senectutis damnum experiamur. *Aelian. l. 1. de var. hist.*

Anonymus Philosophus quidam interrogatus, qualis esset hominis vita? quum parumper se ostendisset, mox se abscondit. Quo indicare voluit, momentaneam & per breuem esse hominis vitã. *Rudol. Agric. l. 1. c. 24. de Inuent.*

Hierocles dicebat, longe tædiosæque vitæ maximum imminere periculum; partim propter ipsarum rerum naturam, nescio quid aduersæ contumaciæ habentium, propter subitas, & inopinatas animæ perturbationes, maxime vero propter ipsam hominum malitiam, quæ nec vlla vi, nec dolo malorum stratagematum abstinet. *Stob ser. 82.*

Aristonymus, Vitam humanam similem esse theatro dicebat, vbi sæpius pessimi quiq. honoratissimum inter homines locum obtinent. *Stob. ser. 104.*

Idem, Pauperum vitam aiebat, similem esse nauigationi iuxta littus: Diuitum autem ei, quæ in profundo pelago fit. Illis enim facile esse funem eijcere, appellere, & nauim extrahere, diuitibus non item. *Stob. ser. 95.*

Socrates, De vita malorum & vitiosorum hominum hæc eius scite dicta occurrunt: Indoctorum vita tanquam histrio, multa fastus, & arrogantiæ gerit indumenta; Neque nauigantes præter loci commoditatem appellere tutum est, neque viuentes præter legem vitam agere periculo vacat. Auarorum vita similis est funerali conuiuio. Omnia enim quum habeat, hominem, qui præsentibus hilariter fruatur, non habet. *Stob. vide Xenoph. in comm. & Diog. Laert.*

Idem, in vita perinde, vt in simulachro omnes partes pulchras esse oportere dicebat. Item: Vitam instar organi musici, dum intentione, & remissione sibi concinna redditur, suauiorem fieri. *Stob. serm. 1. & 3.*

Diogenes, aiebat, de necessarijs quidem ad viuendum homines sibi prospicere, quæ vero ad bene viuendum pertinent, non comparare. *Stob ser. 4.*

Epictetus, Longiori vitæ, sed deteriori, breuiorem, sed meliorẽ ab omnibus omnino præferendam esse dicebat. *Stob.*

Apollonius, Homini fortunato, inquit, breuis est vita: infortunato longa. *Stob serm. 120.*

Simonides interrogatus, quantum temporis vixisset? tempus quidẽ exiguum, respondit, annos vero multos. *Stob serm. 96.*

Antiphon, Vita similis est, inquit, carceri vnius diei, & totum vitæ spatium vni diei æquale propemodum dixerim, per quem intuiti lucem, posteris deinde vitam tradimus. *Eod serm.*

Socrates, In vita tanquam in theatro permanendum esse, dicebat, quamdiu rerum & operum huius vitæ iucundum fuerit spectaculum. *Stob. ser. 120.* Addamus & illud Pythagoræ: Quamdiu Summo rerum Domino visum fuerit, qui e statione nos in tempore reuocabit.

Philippus, cum appararet in loco ameno castramerari, & moneretur, illic non esse pabulum pro iumentis: Qualis, inquit, est nostra vita, si etiam ad asinorum commoditatem viuere cogimur? *Plut. in apoph.*

Iulius Cæsar, cum vndique viderentur imminere insidiæ, atque admoneretur, vt sibi caueret, respondit: Satius subire semel, quã semper cauere: significans, eum non viuere, qui viuit in perpetuo mortis metu. *Pau. M. l. 4. apoph.*

Aratus, laudante quodam virum desperatum & audacem, ac idcirco & in bellis eximium, Aratus Sicyonius respondit: Multum interest inter magnifacere virtutem, & vitam contemnere. *Stob. ser. de milicia.*

Speusippum cruribus resolutum Diogenes hortabatur, vt seipsum vita priuaret. Cui ille: Non cruribus, inquit, viuimus, sed mente. *Stob. ser. 116.*

Theodorus Cythereus. Nullam satis magnam causam sapienti esse dicebat ad vitam finiendam, quod hac ratione probabat: Istum enim, qui casus humanos contemnit, vitam propter eos relinquere, quomodo non contrarium fuerit illi, qui nihil bonũ, quam honestum, & solum turpe malum asserit. *Stob. serm. 118.*

SIMILITVDINES.

Chrysost. Sicut ad seruandam prolis successionem Deus peccandi cupiditatem hominibus indidit, non tamen prohibens altiorẽ continentiæ viam: Ita & vitæ nobis inseuit desiderium prohibens, ne quis se interimat, non impediens tamen, vt præsentem vitam contemnat. *Hom. 84. in Ioan.*

Cicer.

Ciceronis. Vt in fidibus, ac tibijs, quamuis paululum discrepent, tamen id a sciente animaduerti solet. Sic videndum est in vita, ne forte quid discrepet, vel multo etiam magis, quo maior, & melior actionum, quam sonorum concentus est. *Libro 1. Officiorum*.

Histrio, si paulo se mouit extra numerum aut si versus pronuntiatus est, syllaba vna breuior, aut longior, exibilatur, & exploditur: Vita autem omni gestu moderatior, omnique versu aptior esse debet. *Parad. 3.*

Vt histrioni actio, saltatori motus, non quiuis, sed certus quidam est datus: Sic vita agenda certo genere quodam, non quolibet. *l. 3. de Fin.*

D. Chrysostomi. Vita nostra ludus est, & forte quid deterius: Non. n. rendit ad risum, sed ad intolerabilem quoq. protrahit dolorem eos qui mores suos non matur æ, & diligenter instruunt. Quo enim distamus a pueris ludendi gratia, casulas ædificantibus, nos qui ampla prætoria, & clara constituimus? Quæ autem est dissimilitudo inter eorum prandiola, ad ludum parata, & nostra hæc splendide, & delicate apparata conuiuia? Nulla plane, nisi quod ea, quæ nos ad supplicium nostrum sæpe facimus, quæ illi imitãtur ad ludum. Nondum venimus ad maturitatem verorum, quo cum venerimus, intelligimus, hæc esse omnia puerilia. Nam & illos, cum ad virilem ætatem transimus, ridere consueuimus, ob ea certe ipsa, quæ, cum pueri essemus, etiam studiose credebamus esse facienda. Nam, & testas aliquando, & lutum sæpius aggerentes, non minus gloriabamur, quam hi, qui certatim amplas porticus, & triclinia gaudent superba construere. Sed tamen peribant illa continuo, & corruebant. Et sicut nos paruulos de illa flentes structione ridemus: Sic quoque viri nobis de hac submersione mœrentibus non modo non rident, sed desent. Quousque nugis his occupamur, ac salutem nostram ipsi despicimus ac prodimus? Vt pueri, quum neglectis literis ad huiusmodi nugas studia sua conuertunt, durissimis verberib. subiacebunt: Sic nos quoque, qui in his rebus studium omne conferimus, cum a nobis spiritualium exigetur operum disciplina, nisi quæ reddenda erunt, habuerimus parata, horrenda illa supplicia perferemus. Et hæc quidem, quibus nunc dediti sumus, & cuncta pariter euanescent: quæ vero ex istis pęna colligitur, immortalis est & perpetua. Quod quidem accidere solet in paruulis, quorum puerilis illa constructio a parte tota subuertitur, ipsi etiam verberati post lusus ad lachrimas conuertuntur. *Hom. 55. in Matth.*

Cælestis Regis milites sumus, spiritualia arma induti. Cur igitur cauponarum abiectarum personarum, imo vermium vitam eligimus: quum ibi oporteat esse militem, vbi & imperator est? Militamus sub eo qui prope adest. Mortales Imperatores non omnes in prætorio, & ad latus suum esse patiuntur, at vero cœlestis omnes prope sedem suam esse desiderat. Sit cõuersatio tua integra, & aptes ei. *hom. 45. in Matth.*

Pelagus est late longeque protensum hæc vita: & quemadmodum in mari vniuerso sinus diuersi, alijs atque alijs tempestatibus commouentur, precipue veluti Aegea ventis exasperatur, propter angustias Charybdis; quæ Libyen versus, propter stagna Syrtis, & breuia portus, magnitudine fluctuum atque impetu Hispanicus Oceanus, quia inuius carentia portuũ & locorum ignorãtia intricatus, difficilis nauigantib. est, similiter alij alijs de causis: Sic & in vita nostra fieri videmus: nam præmiũ in ea pelagus statim videre licet, puerũ, ætatis conditione, quæ multis ac magnis procellis exagitatur. tum quia mẽs imbecilla est tum quia nulla firmitate adhuc roboratur, sed huc atque illuc facile flectitur. Quapropter pædagogos illi & magistros præficimus, vt defectus naturæ diligentia suppleat, velut & in nauigando gubernatoris officio maris asperitas superatur. Adolescentium fluctus pueritiæ succedũt, qui vehementioribus, sicut Aegeum pelagus, exagitantur concupiscentiæ ventis: quæ quidem ætas, quanto magis correctione indiget, tanto minus instituitur, non solum quia magnis fluctibus cæditur, verum etiam quia peccantes non redarguuntur, quum & magister & pędagogus subtrahantur, & magnitudine tempestatis, quum maiore turbine venti spirent, & gubernator sit imbecillior, nemoque alius tutor adsit, atque defensor. *Hom. 82. in Matthæum.*

Scena quædam est vita nostra atque somnium. Sic enim in scena sublato velamine, vana illa soluuntur. Et somnia, vbi solis illuxit radius, auolant omnia: Ita & modo consumptione propinqua, & omnium singulorum cuncta soluuntur, atque euanescunt. *Hom. 15. ad Hebr.*

Sancti peregrini fuerant his liberari postulantes ab hac peregrinatione, & ad patriam suam venire. Nos contra facimus: Si febris accedat, omnia relinquimus, sicut pueruli planctuosi mortem timemus. Et hæc patimur merito: quasi peregrini conuersantur in hac uita, & non veluti qui festinat ad patriam, sed velut ad pœnas ituri. Diriguescimus quasi homicidæ & duces latronum, quum producendi sunt ad tribunal. & mala considerãtes, quæ gesserunt, ideo timent, tremunt. *Hom. 24. ad Hebr.*

Vita præsens non est melior carcere. Sicut illud ingressi domicilium, omnes videmus catenis obductos: Sic & nunc si nos ab exteriori phantasia separari, cuiusque vitam intrauerimus, animam cuiusque vinculis ferro læuioribus vinctam intuebimur: & maxime, si diuitũ animas ingrediaris. Nam quanto pluribus induti fuerint, tanto magis sunt compediti. Sicut igitur captiuum quum & dorso videris, & manibus, & quandoque pedibus ferro depressum, ideo maxime miserum vocas. Sic & diuitem, cum infinitis rebus circundatũ videris, non propterea locupletem, sed propter ipsum, miserum esse puta. Nam & præter hæc vincula custodem etiã habet infestissimum pecuniarum amorem, qui prohibet hunc egredi carcerem, sed innumeras ei parat pedicas. custodes, fores & obices, & in interiorem cõiiciẽs custodiam, etiam his vinculis gaudere persuadet, ita vt nec vllã inueniat spem ab ingruentibus malis liberari. Et si cogitatione illius animam reuelaueris, non victam, sed & squalentem, & sordidam, & pediculis plenam videbis. Ideo animarum nostrarum redemptorem deprecemur, vt & vincula dirumpat, & hũc infestum nobis custodem arceat, & ab illarum absoluens ferrearum pondere catenarum, pennis leuiorem nobis sensum efficiat. *Hom. 56. ad Hebr.*

Omnia vmbra, somnia, cursus. Cursor est vita. Vt si quispiam rupis excelsæ verticem tenens, pelagus omne despiciat, multosq. inde nauigantium crebris fluctibus ferri, vnda submergi, alios in prærupti montis saxo collidi, nonnullos ad alia littora contendendo properare, aliquos tabulę unius auxilio ex fragmentis nauis inuentæ à morte defendi, aliquando pro gubernaculo atq. remigijs, manibus tantummodo suis uti. alios autem uideat turbidos fluctus multiformi atque multiplici genere cadauera ferre: Ita est, qui militat Deo, cum se à tempestatibus atque turbinibus uitæ illius separat, consistit in arduo semper ac tuto securus loco. Quid enim celsius potest esse: quid tutius, quam vnã tantum nos sollicitudinem gerere, quomodo Deo placere possimus? Vidisti naufragia huiusmodi: pelagus undaique declinat: & excelsum illum huiusmodi pelago quære nauigantem: excelsum locum occupa, à periculo captiuitatis immunem. *Hom 21. ad Theodorum monachum.*

Non est theatralib. scenis præsens uita dissimilis. Nam ut illic, ille Imperatoris, ille Iudicis, alter militis implet officium, ubi autẽ nox consequuta fuerit, nec Imperator agnoscitur Imperator, nec iudex, q fuerat iudex, uidetur, nec miles, qui fuit miles: Ita unusquisq. nostrũ in illius seculi die non personis, sed rebus atq. actibus competentem accipiet dignitatem, hanc dignitatẽ Scriptura uncat florem. *Hom. 25. ad Eutropium.*

Sicut cæstibus pugnans stadio exire festinat, ut uulneribus liberetur, & luctator spectatores exurgere concupiscit, ut laribus absoluatur: Sic in rigida & aspera uita cum uirtute uiuens finem desiderat, ut præsentibus eripiatur laboribus, & pro repositis ualeat coronis confidere, ad tranquillum nauigans portum, & in illo transmigrans, ubi non est amplius timendum naufragiũ. Ideo Deus laboriosam naturaliter uitam nostram & grauẽ instituit, ut præsenti tribulatione compulsi, futurorum desideriũ capiamus. Si enim nunc, cum sint tot tristia pericula: timores & curæ nos undique circumcuntea, tam libenter præsenti immoramur uitæ, si nihil horum esset, & absque tristitia & ærumnis omnibus iota foret uita nostra: quando unquam futura desideraremus? *Hom. 6. de virtutibus & uitijs.*

Somnus est vita præsens. Nam vt somno pressi, pleraque & superuacanea & frustra loquuntur, videntq. persæpe nihil sani. Ita & nos deteriora ijs pleraq. speramus, & siquidem qui indecora & impia, gesserint, eadenique obseruari sibi per visum conspexerint, mox somno expergefacti, turpi & indecoro aspectu liberentur à pęna, quã pro scelere meruissent: quod aliter nobis euenire solet, quibus ob ignauiam & socordiã ignominia atque supplicia perpetua sunt. Item & qui per quietem somniando ditescunt, vbi dies illuxit, inopes & diuitijs vacui arguuntur: captos vero, dum viuitur: inertiæ, somnoque plerunque, nec dum luce oborta, falli posse, compertum est, & ita vt breui eorũ insomnia euanescant. *serm. contra carnis concupiscentiam.*

D. Basilij. Quemadmodum qui in nauigijs dormiunt, a ventis vltro aguntur, etiamsi nihil sentiant, sed cursus eos ad exitum & portum defert: Sic & nos, tempore nostræ vitæ præterfluente, quasi motu quodam perpetuo & indefesso, ad suum quisq. finẽ occulto cursu vitæ nostræ festinamus. *Apud Maximum serm. 36.*

Nazianzeni, Mare vita nostra est (humana. n. multum salsi ac instabilitatis habent:) venti autem sunt tentationes incidentes, & quæ inexpectate eueniunt. Quod mihi & admirandus ille Dauid cognouisse videtur, dum ait: Salua me Domine, quoniã ingressæ sunt aquæ vsque ad animam meam, &: Libera me à profundo aquarum, &: Perueni ad imum maris, ac tempestas submersit me. Ex ijs autem, quæ tenebãtur, quæ mihi ostrearũ demortuarum testæ leuissimæ videbantur, quæ flatu hinc inde iactarentur, & nihilominus tentationibus resistebantur: Non enim in seipsis robur habebant, & grauitatem consilij sapiẽtia, quibus

quibus aduersitatibus resistere possent incidentibus. Quidam autem videbantur petra, illa digni, supra quam firmati sumus, & cui seruimus, quicunque sapienti vsi ratione, & multorum eam superantes humilitatem, omnia tolerant constanter & in concussè, oderintque eos, vel misereantur eorum, qui concutiuntur: hoc quidem propter sapientiam, illud autem propter humanitatem. Ipsi autem inter turpia ponunt absentia mala contemnere, seu potius non timenda esse, præsentia vero inculpare: & quænam ex his? transitoria nempe, non secus ac stabilia, & extra tempus philosophari, at in necessitatibus omni carere prudentia: quemadmodum si quis se optimum athletam censeat, quum tamen nunquam in stadium descenderit: aut gubernatorem eximium, qui in tranquillitate multum de arte gloriatur, in tempestate autem gubernacula relinquit. *In oratione, postquam reuertebatur ex agro.*

Philonis Iudæi, Sicut in somniorum visionibus videntes non videmus, audientes non audimus, gustantes aut tangentes nec gustamus, nec tangimus, loquentes non loquimur, deambulando non deambulamus: sed quum videamur vti motibus & habitibus, nullo prorsus vtimur, mente inaniter sine vllis verbis obiectis pingente sua simulachra rerum non existentium, tanquam existentium: Eodem modo etiam in hoc mundo corruptibili vigilantium imaginationes somnijs sunt simillimæ: veniunt, abeunt, occurrunt, refugiunt, & priusquam comprehendantur, auolant. *lib. de Ioseph.*

Cuncta, quæ sub mundo sunt, vmbris spectrisque sunt similia: & sicut quum pompæ traducuntur, prima quæque conspectū prætereunt: item in torrentibus, fallente visum celeritate vndæ præterfluunt: Sic vitæ totius negotia currentia præterlabentiaque videntur manere, quum ne momentum quidem maneat, nunquam non subterfluentia. *ibid.*

Olympiodori, Rota accipitur pro nostra hac vita, ob ipsas reuolutiones ac motus, iuxta illud: Vox tonitrui tui in rota. loquit ergo: Antequam rota huius vitæ nos secum præcipites deuoluat in lacum, propriam curemus salutem. *In Eccl. c. 12.*

Vocat vanitatis dies præsentem vitam: primo quidem, quia vinctes homines plerique, quod fas piumque est, minus sequuntur: tū vero etiam, quia fugit velut vmbra, neque consistit. *In Eccl. c. 7.*

Procopij, Vmbram.n. (inquit ille) conuenit lex futurorū bonorum. Possumus id, quod modo relatū est, & in nostro intelligere corpore. Vmbra.n. nostra vita est, quam hic agimus. In anima capiatur imago diuina, & in spiritu. *In Gen. c. 1. fol. 40.*

Synesij Cyrenai, Quemadmodum in scena tragœdos videmus, si quis voce sit bene exercitata, eum pari modo & Creontem agere, & Telephum (neque enim purpurei panni ad vocis claritatē aut bonitatem aliquid faciunt, aut ad theatrum carminis in sono occupandum) idem etiam famulam & heram eadem musica repræsentes: tum quamcūque ei personā fabulæ choragus imposuit, hanc eum belle agere postulat. Ita igitur Deus nobis, & fortuna, diuersa vitæ genera, quasi personas quasdam in hac ingēti mundi fabula induit, neque vnius conditio, quam alterius, quicquam est vel melior, vel deterior. Eam vnusquisque gerit, vt potest. Potest autem vir bonus omni loco se recte gerere, siue mendicum ille, siue regem agat: neque de persona altercari solet. Nam & in tragœdo ridiculum fuerit, hanc illum refugere, aut alteram eligere. In aniculæ enim persona, si placeat, corollas, & præconia consequitur: contra vero, si in regia se turpiter det, exploditur & exsibilatur, non etiam nonnunquam lapidibus petitur. Neque.n. vllum genus vitæ nobis proprium est, sed alienis his extrinsecus circumdamur. Non autem ij sumus, qui intus his vtimur: qui cum opera, tum repræsentatione nostra ipsi meliora, illi aut deteriora efficimus, vt actores quidam viuarum fabularum. Quapropter non aliter quam vestes illa & sumentur, & mutabuntur. *De prouid. lib. 1. fol. 77.*

Epicteti, Vita fortunæ coniuncta torrenti similis est. Turbulenta.n. & plena cœno, ingressuque difficilis, violenta & obstrepera est, & breue tempus durat. *Apud Stob. serm. de tempor.*

Diogenis, Neque aliter in vita fieri potest, nisi tanquam in cōuiuio, semper vino madidi, vertiginibus & intestinorum doloribus ab alijs duci velitis. *In epist. ad Græcos.*

Dionis Nicæi Quemadmodum in bellum exeuntibus nulla est vtilitas, si nudi ad hostes accedāt, & postea telorum volantiū vnumquodque declinare velint (non.n. fieri potest, vt omnia vitentur) opus est aūt thorace solido, & alia omni armatura, vt etsi telū aliquod incidat, nō penetrare possit: Eo modo & ijs, qui in hāc vitam procedunt, possibile non est, vt omnia declinent & euitent, vtque à nullo feriatur, eorū quæ sæcera in vnumquemque iaculatur fortuna: sed opus est animo firmo, & maxime impenetrabili, nullique cedēte, aut certe haud facile, quique nō qualibet à re vulneretur, quādoquidē necesse est pungi, & plurima accipere vulnera. Etenim qui pedes habēt teneros & penitus nō attritos, deinde nudis incedunt, nunq̄ talem inueniunt viam, vt non pungantur doleāt que. quin & leuia illis erunt molesta: exercitatis vero ne asperrima quidē via difficilis est. *Ora. 15. de agritudine.*

Plut. Plato confert hominis vitam ludo tesserarum, quid iactu cadat, non in nobis situm: at quod cecidit, recte disponere, in nobis est: Sic euentus in nobis non est, quod obuenit id in bonum vertere, nostri muneris est. *in Mor.*

D. Aug. Quomodo si essemus peregrini, qui beate viuere nisi in patria non possemus, eaque peregrinatione vtique miseri, & miseriā finire cupientes, in patriam redire vellemus, opus esset, vel terrestribus, vel marinis vehiculis, quib. vtendum esset, vt ad patriam, qua fruendum erat, peruenire valeremus. Quod si amœnitates itineris, & ipsa gestatio vehiculorum nos delectaret, cō uersi ad fruendum his, quib. vti debuimus, nollemus cito viam finire, & peruersa suauitate implicari alienaremur a patria, cuius suauitas faceret beatos: Sic in huius mortalitatis vita peregrinantes a Domino, si redire in patriam volumus, vbi beati esse possumus, vtendum est hoc mundo, non fruendum: vt inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciātur: hoc est, vt de corporalib. temporalibusque rebus æterna, & spiritualia capiamus. *De doctr. Chri. l. 1. c. 3.*

Cur sic amatur ista ærumnosa vita, quam sit amanda æterna vita? Amas istam vitam, vbi laboras, curas satagis, anhelas, & vix enumerantur, quæ necessaria sunt in misera vita. Seminare, arare, nouellare, nauigare, molere, coquere, texere, & post hæc omnia finire habes vitam. Ecce quæ pateris in misera ista, quam diligis, vita: & putas te semper victurum, & nunquam moriturū: Templa, saxa, marmora ferro plumboque consolidata, tamen cadunt, & homo nūquam putat se moriturum: dies mali hic sunt: Non sunt mali, quos agimus in corruptela huius carnis, in tanta vel sub tanta sarcina corruptibilis corporis, inter tantas tentationes, inter tantas difficultates, vbi falsa voluptas nulla securitas gaudij, timor torquens, cupiditas auida, tristitia arida? Ecce quam malos dies, & nemo vult finire dies malos, multumque rogant hinc Deum homines vt viuant. Quid est autem diu viuere, nisi diu torqueri? Quid est aliud diu viuere, nisi quam malos dies malis dieb. addere? Et concrescunt pueri, quasi accedunt illis dies, & nesciunt, quia minuuntur, & ipsa est falsa computatio. Crescentibus.n. decedunt dies potius, quam accedunt. Constitue alicui homini nato, verbi gratia, octuaginta annos: quicquid viuit de summa minuit. Et inepti homines gratulamur plurimis natalitijs, tam suis, quam filiorum suorum. O vir à prudentem: si tibi vinum minuatur in vase, tristaris, dies perdis, & gaudes? Mali ergo sunt dies, & eo peiores, quia diliguntur. Sic blanditur hic mundus, vt nemo velit finire ærumnosam vitam: vita bona non est, nisi beata. Vita beata esse non potest, nisi æterna, vbi sunt dies boni, non multi, sed vnus. *De verb. Domini in Matt. ser. 17.*

Beati Greg. Vita nostra nauiganti similis est: is, qui nauigat, stat, sedet, iacet, vadit, quia impulsu nauis ducitur: ita & nos sumus, qui siue vigilantes, siue dormientes, siue tacentes, siue loquentes, per momenta temporum quotidie ad finem tendimus. *l. 6. ep. 26.*

Homines nati in mundo sunt quasi flores in campo. Vita in carne flos in fœno est: homo more floris ex occultis, & apparet subito in publico, qui statim per mortem traditur ad occultum: carnis viriditas non ostendit, sed ariditas pulueris ab aspectibus retrahit. *Mor. l. 11. c. 7.*

Lactantij. Vt lux esse sine igne non potest: sic vita siue luce. *Li. 7. c. 1. de diuino præmio.*

Seneca, Quemadmodum per frequentia vrbis loca properanti in multos incursitandum est, & alicubi labi necesse est, alicubi retineri, alicubi respergi: Ita in hoc vitæ actu dissipato, & vago multa impedimenta, multæ querelæ incidunt. *Lib. 3. de Ira, cap. 6.*

Vt qui varijs tempestatibus, huc & illuc iactatus est, nec tamen peruenit, non multum nauigauit, sed multum iactatus est: Sic qui illo vixit, nec prædicit ad bonos mores, non diu vixit: sed diu fuit. *Apud P. M.*

Quomodo fabula, sic vita: non quam diu, sed quam bene acta sit, refert. *Idem.*

Vt in eundem amnem nemo bis descendit: Sic ob rapidum cursum vitæ homo ad singula momenta alius est. *Apud P. M.*

Supra modum deditus vino fecem quoque exsorbet: Sic admodum vitæ auidus, qui ne extrema quidem senecta vult mori. *Apud P. M.*

Pij Pontificis, Vita nostra reuera nihil aliud quam comœdia: cuius vltimus actus de morte agitur. *Comm. in Panorm. l. 3.*

Vita breuis est homini, quasi somnium fugax. Nulli crastina dies certa est: nihil enim nisi ventus, & vmbra sumus. *Epist. lib. Epist. 110.*

Pusilli est animi, lucris inhiare terrenis. Mens generosa & alta cœlestes aspirat in thesauros. Breuis est vita hominis super terrā. Fugiunt anni nostri licium: vitæ nostræ sunt aramentum tela, quæ cito dirumpuntur. Curriculum æui nostri incertum est: peregrini ambulamus in hoc mundo, ac ignoramus, quid futurus vesper vehat. *Epist. l. ep. 113.*

Non

Non hæc. quâ vivimus, vita est, sed potius mors, quæ fugit velut vmbra, & nunquam in eodem statu permanet. Sicut lilia & flores deficimus. Leuissimaq. res est, quæ hominem extinguit. Bestiolæ minimæ nobis insidiantur, & paruuli serpentis morsu, araneæ nonnunquam ictu perimus. *Epistolarum libro, ep.* 41 t.

Idiota viri sanctissimi. Vita præsens laboribus, ac tribulationibus plena est: nam cum luctu agitur, ac lachrimis amittitur. Tanta est igitur tribulatio huius miseræ vitæ, vt nec vita sit dicenda, sed potius mors, vel quippiam aliud morte deterius, semper enim in hac mundi dum viuimus malitia, luctandum, in qua nulla erit vnquam requies. *De patientia vera contemplatione,* §.2.

Engilberti Abbatis. Præsens vita non habet in se sufficientiam, sed multimodam indigentiam: propter quod secundum Philosophum ibidem, felicitas huius vitæ indiget rebus exterioribus ad operationes felicitantes: sicut amicitia, pecunia, potentia, sanitate, & huiusmodi multis. Item non est stabilis præsens vita, sed mutabilis a natura, & a casu, & a fortuna. Item non est durabilis, sed transitoria: quia est vmbra quædam, & transiens, & via ad futuram vitam, quæ est immutabilis & perpetua. Propter hoc præsentis vitæ felicitas est imperfecta simpliciter. & perfecta secundum quid solum: scilicet quantum est huic vitæ & eius conditionibus possibile suo modo. *De ortu & fine Romani Imperij, c.* 17.

Ioannis Hugonis Philonij, Breuis est vita mortalium: breuiorem facit somnus. Surgendum itaque noctu, atque vigilandum, & spatium vitæ per se breue vigilijs nocturnis promouendum: Præcipuaque danda opera, vt non solum dies, verum & noctes conciliandæ gratiæ diuino studio transfigantur. Atqui tu quiescis securus, & in modum gliris, graui sopore sepultus iaces. Verum si scires, quantum tibi præsentis nunc immineret periculi, protinus excusso corpore, melius aliquando rebus tuis consuleres.

Astat enim foribus chara mors liuida vita.
Crastina lux febrem, certum feret alteri lethum.

In Tiliano siue de scientia bene moriendi.

Mihi sane id, quod res est, expendenti, vicissim deplorandi videndentur, vt reuera miseri, ipsi uiuentes & sani, qui ægrotantes, & morituros, mortuosque ut miseros deplorant. Faciunt autẽ hoc inhumanitate quadam, ac prorsus bruta ueritatis ignorantiæ, qua mundi huius amatores obcœcantur, ut qui doctrinæ Christi neque student, neque credunt, existimantes, uitam hanc esse felicitatem aliquam, quæ nihil aliud est, quam mera miseria. Vera dicere me tum dices, quum per singulas ætates illam arbitratus fueris. *ib.*

Miseria est hæc uita, quamlibet felix non felicitas. Et hoc nomine uallis lachrimarum uere dicitur hic mundus, non campus Elysius. Nouit Hesiodus, nouit hoc Homerus, nouit utroque antiquior Orpheus, nouerunt & alij, vel paris aut maioris uetustatis, uel Ethnici, qui homines in hoc mundo uiuentes, quamlibet felices a uulgo iudicatos, peculiari semper epitheto notauerũt, & adhuc in suis monomentis uocant miseros mortales. Quid hac de re sentiant Ecclesiæ Doctores, meo iudicio non operæ pretium est referre, quum omnes paribus placitis doceant, in hac uita quemadmodum nihil esse felicitatis, ita calamitatum, & miseriarum plena esse, & referta omnia. Et ipse Seruator CHRISTVS, in omissionibus uitæ beatæ nihil aliud innuit, quã huius præsentium feriam. *ib.*

Recte sane hominem simulachrum Sophocles, atque vmbram uocat, rem sane & vanam, & contemnendam. Hunc autem propemodum secutus Horat. Flaccus inquit.

Puluis, & vmbra sumus.

Sed longe id aptius & apertius Pindarus expressit; Quid autem est ullus? Quid nullus? Vmbræ somnium. Nam quum umbra debilius nihil sit, quale sit umbræ somnium, non est intellectu difficile. Vnde igitur tanta sit nobis animi elatio, nescio: ut qui cæteris animantibus sumus fragiliores, soli uelimus ex omnibus detrectare ius mortis: quæ ut natura rationeque debetur, ita necessario communis est omnibus. Quod si intelligeremus, quantum insit in ea boni: nunquam adeo nobis essemus aduersi atq. inimici. Quæ enim imprudentia nostra est, ut ignoremus ad finem omnia referri oportere? finem uero ut bonum appeti? Finis autem uitæ huius, quam mors, alius est nullus. Quod si summum bonum, & finis ultimus conuertuntur, mortem habendam esse in ratione felicitatis, qui negarit, quæ sit felicitatis ratio non intelligit. Simul enim cum morte, & uita humana omnis finitur actio. *In consolatione ad Iacobum Antonium Marcellum, de obitu filij.*

Ioannes Pici Mirandula, Fac cogites semper instantem mortem, & punctum scilicet esse, quod uiuimus, & adhuc puncto minus, quam sit malus hostis antiquus, qui nobis regna mundi promittit, ut nobis regna cœlorum eripiat: quam falsæ uoluptates, quæ ideo nos amplectuntur, ut strangulent: quam dolosi honores, qui nos subliment, ut deinde præcipitent: quam lethales diuitiæ, quæ quanto nos magis pascunt, tanto magis venenant. Quam breue, incertum, vmbratile, falsum, imaginariũ est oẽ illud, quod hæc omnia, simul etiam si ex voto, affluant, nobis p̃stare possunt. Quam magna his & promissa parata sunt, qui cõtemptis præsentibus, illam suspirant patriam, cuius Rex diuinitas, cuius modus æternitas. *in epist. ad Io. Franc. Pic. nepotem.*

Ioannis Ludouici Viuis. Sic agamus semper, tanquam in acie armati vigilantes, accincti, intenti, occasionibus nostris non indormiẽtes. Et cum tanta sit vitæ fugacitas, in tanta incertitudine, vt ne crastinum quidem possit quisquam sibi polliceri, stultum est & periculosissimum, si spes nostras in longum tendamus, differamusque nos adornare futuro itineri, quo singulis momentis vocamur, inscij quando (velimus nolimus) in illud pertrahemur. Quamobrem paremus nobis thesaurum ad futuram vitam, cui aliquid quotidie accrescat: quo instructi & confisi, nunquam per segnitiem aut socordiam inopinantes opprimamur, aut discedamus mœsti, sed parati abire, & vitæ huius pleni agentes præ nobis magnam & optimam spem vitæ, innocenter sancteq; transactæ per fidem filij Dei, & pietatem, quo munere nullũ potuit homini a Deo maius aut pulchrius dari: quo Deũ noscimus, & quantũ effici à mortali potest, æmulamur, sequimur, cõsequimur. *In introduct. ad sapientiam, c. vlt. fol.* 99.

Laurẽtij Iustiniani Patriarchæ, Quisquis sapit, quod à vere fide lib. oportuno sciendum est, minime ambigit se in huius vitæ peregrinari exilio, quo ex quotidiana experientia innumeris se conspicit subiacere periculis. Hinc est, quod sæculum hoc amare non potest, tanquam horis singulis emigraturus ea ipso. Viatoris q̃ppe more se præparans, sarcinulas suas colligit, lauans cum Propheta per singulas noctes lectum suum, ac stratum cum lachrimis humiliter rigans. *De contemptu mundi, c.* 21.

Petri Galatini, Homo est quasi folium, quod in paradiso ab arbore vitæ cecidit quodque vento tentationum capitur, ac desideriorum flatibus leuatur, ac suorum peccatorum pondere ad inferna trahitur. *Rabbi Salomon in gl. super illo Ps.* 143. *Et non intres in iudicium cum seruo tuo Domine lib. Ps.* 5. *c.* 6.

Folengij, Quemadmodum Sole ad occasum properante, adeo prolixæ augentur vmbræ, vt cum diei interitu in noctem abeant: Sic vita est hominis, cita nimirum ad occasum, declinante luce consumitur, & in nihilum tandem resoluitur. *In Psal.* 102.

Quemadmodum vmbra, etsi grãdior Sole occidente apparet, magnitudo tamen illa eo propior sit nocti, quo maior videtur: Nõ secus sane est vita hominis, fugax nimirum, vana, ac tum vicinior infortunijs & morti, cum felix, magnaque beata vulgo existimatur, *in psal.* 102.

P. M. Cerui partu dictãni excutiũt corpore sagittas, porci à phalãgio percussi, cancrorum esu sibi medentur. Lacertæ à serpentibus ictę, herba quadam se refouent. Hirundines vexatis pullorum oculis chelidonia succurrunt. Testudo cuniculæ pastu vires aduersus serpentes reficit. Mustela in murium venatu iura se confirmat. Ciconia origano, hedera apri sibi medentur in morbis, item cancrorum esu. Anguis fœniculi succo abijcit exuuiũ. Draco veruam nauseam siluestris lactucæ succo restinguit. Pantherę aduersus aconitum hominum excrementis sibi medentur. Elephas chamæleonte fronde (nam similis est animanti color) deuorato. Vrsi, cum mandragoræ mala degustauere, formicas lambunt. Ceruus venenatis pabulis herba Cynare resistit. Palumbes, graculi, merulæ, perdices laurifolio annuum fastidium purgant. Idem faciunt columbæ, turtures, & gallinacei herba, quæ vocatur Helxine. Anates, anseres, cæteraque aquatica, herba Siderite. Grues & similes, iunco palustri: Coruus occiso chameleonte, qui etiam victori nocet, lauro infestum virus extinguit. Breuiter. nullum est animal, quod non intelligat sua remedia. Solus homo nescit, vnde vel corporis vel animi remedia petere debeat. *Ex Plin. lib.* 8. *c.* 27. *Arist. lib.* 9. *de nat. anim. c.* 6.

Thriuneri, Vitrum quo est pulchrius eo promptius rumpitur: Ita hominis vita præ alijs animantibus facilius offenditur & exoluitur. *in apoph.* 125.

ADAGIA.

Homo bulla. πομφόλυξ ὁ ἄνθρωπος.

Admonet adagium, vita humana nihil esse fragilius, fugacius, inanius.

Der Mensch ist ein wasserblase.

Spithama vitæ, Σπιθαμὴ τοῦ βίου.

Significatur modus vitæ humanæ perpusillus: Metaphora sumpta à mensoribus. Germani quoque dicunt Vnser leben ist kaum einer Spannen lang.

Temporis punctum. στιγμὴ χρόνου.

Et hoc adagio vitæ breuitas fugacitasque notatur. Plin.

Optimum non nasci, proximum cito mori.

Τὸ μὴ γενέσθαι μὲν κράτιστον ἐστ' ἀεί,
Ἐπὰν γένηται δ' ὡς τάχιστ' εἶναι τέλος.

Admonet adagium, tantas esse uitæ humanæ miserias, ut optimum censendum, uel nunquam nasci, uel ocyssime aboleri, ut ait Plin. in præfat. lib. 7.

Dimidio vitæ nihil differunt felices ab infelicibus, *ἐδὲν διαφέρειν τὸ ἥμισυ τοῦ βίου εὐδαίμονας τῶν ἀθλίων. Plut.*

Innuit prouerbium, somnum uelut fœneratorem, dimidium uitæ nostræ per se bonis, auferre. Germani quoque dicunt. Es ist Kein grosser vvucherer und dieb, dan der schlaf, der stilt und raubs das halbe theil vnsers lebens.

Fictilis homo. *κεράμεος ἄνθρωπος.*

Notatur imbecillitas & fragilitas humana, sumpta metaphora à vasis testaceis, quæ facilime comminuuntur.

Ephemeris vita. *Ἐφήμερος ζωή.*

Dicitur de ijs, qui statim emoriuntur, aut pereunt. Dictum ab animalibus, quæ ultra diem unum non uiuunt.

Vt herba solstitialis. *Plut.*

Eiusdem sententiæ cum priori proximo. Herba solstitialis est ephemeris herba, sic dicta, quod ultra diem non durat.

Salillum animæ. *Plaut.*

Innuit prouerbium, breuissimam esse hominis uitam, uidelicet, quantulum salis in conuiuio cuique apponitur.

HIEROGLYPHICVM.

Ignem & aquam vitæ Hieroglyphicum esse, authores docent. Scimus enim, ignem & aquam vitæ auspicia dedisse, vitamque, quàm diu vitales auras carpimus, conseruare. *Pier. Valer. lib. 46.*

EMBLEMATA.

In vitam humanam.

Emblema c l i. Andr. Alciat.

Plus solito humanæ nunc defle incommoda vitæ,
Heraclite, scatet pluribus illa malis.
Tu rursus si quando alias, extolle cachinnum,
Democrite: illa magis ludicra facta fuit.
Interea hæc cernens meditor quà denique tecum
Fine fleam, aut tecum quomodo splene iocer.

Vide Mors.

VITA AETERNA.

LOCI BIBLICI.

Vita æterna quomodo possideatur, quæ: vt diues ex Christo, *Matth. 19. 17. Mar. 10. n. 17.* Vita æterna metonymice dicitur Christus, *1. Ioannis 3. n. 20.* Vita æterna merces est, *Matthæ. 5. n. 12. & 20. 8.* Donum Dei, *Rom. 6. 23.*

Quibus parata, *Matth. 19. 17. & 20. 23. & 24. 23. Ioan. 3. 15. 36. & 4. 14. & 5. 24.* Vide supra tit. *vita.*

SENTENTIAE PATRVM.

Quibus inquisitus fuit semper Deus, aut totus nunquã cæci sit Christi locus, vbi iacet gratia, vbi virentib. cãpis terra luxurias almo se induit gramine, & redolẽte pascitur flore: vbi altũ nemora tollũtur in verticẽ, & vbi arbor dẽsiore coma se vestit, quicquid curantib. ramis scena deiacẽs oumorarii. Oia ibi cõn frigoris, nec ardoris, nec veris autũ o eua requiescat, aut vt terrũ vere nouo tellus fęcũda parturiat. Vnius cuncti sunt ipis. Vnius poma serũtur æstans. Quippe quũ nec mensib. suis ruite Luna deseruiat, nec Sol per horarũ momenta decurrat, aut in noctẽ lux fugata cõcedat. Hẽt populos quies læta, sedes tenet placidas, vbi fons scaturiens medius sinu aluet prorumpentis emergit, & a auco per interualla circuitu sinuosis flexibus labitur, vt in ora nascentium sibi fluminum diuidatur. *Cypri. de laude Martyrũ.*

Exultabunt sancti in gloria. videbunt Deũ, & gaudebunt, lætabũtur, delectabuntur, fruentur gloria. & in felicitate iucundabunt & satiabuntur dulcedine internea nihil eis deerit, nihil oberit: oẽ desiderium eorum Christus præsens implebit. Non senescent, non tabescent, non putrescent amplius: perpetua sanitas, felix æternitas, beatitudinis illic sufficientiã confirmabunt. Non erit cõcupiscentia in mẽbris, non vltra vlla exurget rebellio carnis, sed totus status hois pudicus & pacificus, sana ea integra natura, sine oi macula & ruga deincepe permanebit. Erit deniq; Deus oia in omnibus, & illius præsentia oẽs aiæ & corporis implebit appetitus, cessabuntq. de cætero, consummaos omnib. ministratorij angelicarum virtutum discursus: & impleta ordinata, quæ omnino ciuitate Dei nec innouabitur, nec mutabitur vltra fixæ & consummatæ beatitudinis status. *Cypr. de laude Martyrij.*

Christus nobis viam vitæ aperit, hic ad paradisum reduces facit, hic ad cęlorum regna perducit: cum ipso semper viuemus facti per ipsum filij Dei: cum ipso exultabimus semper ipsius cruore reparati. Erimus Christiani cum Christo simul gloriosi, de Deo Patre beati, de perpetua voluptate lætantes semper in conspectu Dei, & agentes Deo gratias semper. Neque. n. poterit nisi & lætus esse semper, & gratus, qui cum morti fuisset obnoxius, factus est de immortalitate securus. *Idem ad Demetriad.*

Patriam nostrã paradisum computamus, parẽtes patriarchas habere iam cępimus: quid non properamus & currimus, vt patriã nostram videre, vt parentes salutare possimus? Magnus illic nos charorum numerus expectas: parentum, fratrum, filiorũ frequens nos & copiosa turba desiderat, iam de sua immortalitate secura, & adhuc de nostra salute sollicita. Ad horum cõspectum, & complexum venire, quanta & illis & nobis in commune lætitia est qualis illic cælestium regnorũ voluptas, sine timore moriendi, & cum æternitate viuendi? quam summa & perpetua felicitas? illic Apostolorum gloriosus chorus: illis Prophetarum exultantium numerus: illic Martyrum innumerabilis populus, ob certaminis, & passionis victoriam coronatus: triumphantes illic virgines, quæ concupiscentiam carnis & corporis continentiæ robore subegerunt: remunerati misericordes, qui alimentis, & largitionib. pauperum iustitiæ opera fecerunt, qui Dominica pręcepta seruantes ad cælestes thesauros terrena patrimonia transtulerunt. *Idem tract. de mortal.*

Christianorum est, pressuram pati in hoc sæculo, & lugere, quorũ est vita æterna. Vis tu scire, quod cultus est vita ęterna, nisi eius qui credat in Christum: Audi Saluatoris ipsius vocem eleganter in Euangelijs designantem: Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Omnis enim, qui non agnoscit Patrem solum verũ Deũ, & Filium eius Iesum Christum, alienus est ab æternitate vitæ. Hæc enim ipsa agnitio, & fides designatur vita esse æterna. *Orig. in ep. ad Rom.*

Vita hominum per multas mortes, non solum in ætatis mutationes, sed etiam animarum ruinis ob peccata admissa ingreditur. In vita æterna vero nec corporis, neq. animi est mutatio: non est item cogitationum controuersia, neq. sentẽtiæ varietas, nulla perturbatione stabilitatem tranquillitatemq. animi auferente. Ea demum est regio viuentiũ, qui continuo sibi ipsis æqui ac similes existunt: in qua non nox, nõ somnus mortis imago nõ cibus aut potus humanæ infirmitatis præsidia, non morbus, non dolor, aut medicina, vel iudicia, seu mercatus: non artes, nõ pecunia malorum origo, bellorum materia, inimicitiæ radix: sed regio viuentium, non morientium ob peccatum, sed veram vitam viuentium in Christo Iesu Domino nostro. *Basil. Ps. 44.*

Vna vita est ad vitam respicere. Vna mors peccatum est: est enim animæ interitus. Alia autem, ob quæ nonnulli animis efferuntur, insomniorum visio sunt, veris rebus illudens, & fallacia animæ spectra. Si hac mente fuerimus, nec ob vitam præsentẽ animos attollemus, nec ob mortem animum angemur. Quid igitur graue nobis accidit, si hinc ad veram vitam migrauimus, si conuersio ibus, vertiginibus scurritatibus, ac turpi illa tributi exactione liberati, cum stabilib. reb. minimeq. fluxis & caducis, parua lumina fumus circum lumen illud magnum stipudiantes. *Naz. orat. 19.*

Accipe quando promittatur futura gratia iustorum. Audiui, inquit Ioãnes, vocẽ magnam de cælo dicentem: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum illis, & ipsi populus eius erunt, & ipse Deus cum illis erit illorum Deus: & delebit omnem lachrimam de oculis eorum. & mors nõ erit amplius, neq. luctus, neq. clamor, neq. dolor vltra erit. Compara nunc, si placeat, atq. contende vitam hanc cum illa vita. Eugo, si potes perpetuam corporis vitam in labore, ærumnaq. miserabili sanitarum commutationum, votorumq. tædio, fastidio voluptatum. Nam si Deus ista perpetuare velit, illa diligeres? Nã si per se vita fugienda est, vt sit molestiarum fuga, requies ærumnarum, quanto magis ea requies est expetenda: cui futuræ resurrectionis voluptas perpetua succedet, vbi nulla criminum series, nulla illecebra delictorum? *Amb. l. de resurrect.*

Facilius possumus dicere, quid non sit in vita illa æterna, quam quid ibi sit. Non est ibi mors, non est ibi luctus, non est ibi lassitudo, non est infirmitas, non est fames, nulla sitis, nullus æstus, nulla corruptio, nulla indigentia, nulla molestia, nulla tristicia. Ecce diximus, quid ibi non sit: Quid autem ibi sit, vis nosse? Hęc nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentib. se. Si in cor hominis nõ ascendit, cor hominis illuc adscendat. Cor ibi habeamus, vt non sine causa audiamus, Sursum corda: Leuemus cor sursum, ne putrescat in terra: quoniam placet nobis, quid ibi agunt Angeli. *Aug. l. 3. de sym. c. 11.*

Si homines de gaudio terreno iubilant, nos de gaudio cœlesti iubilare non debemus, quod vere verbis explicare nõ possumus? Et quẽ decet ista iubilatio, nisi ineffabilem Deũ? Et si Deũ fari nõ potes, & tacere nõ debes, quid restat, nisi vt iubiles? *in Ps. 94.*

Quæ erunt deliciæ sanctorum? delectabuntur in multitudine pacis. Delectetur hic impius in multitudine auri, in multitudine argenti, in multitudine mancipiorum, in multitudine postremo opum diuersarum, suauiolentia lautissimorum, & luxuriosorum conuiuiorum. Quæ autem erunt, o amator Dei, deliciæ tuæ, & delectabuntur in multitudine pacis? Aurum tuum pax, argentũ suũ pax, prædia tua pax, vita tua pax, Deus tuus pax. Quicquid desideras, pax tibi erit. Hic aurum quod est, non potest tibi esse argentum: quod vinum est, non potest tibi esse panis: quod tibi lux est, non potest tibi esse potus. Deus tuus totum tibi erit. Mãducabis eum, ne esurias. bibes eũ, ne sitias: illuminaberis ab eo,

ne

ne sis cæcus: fulcieris ab eo, ne deficias: possidebit totum integrum totus integer. Angustias ibi non patieris eum eo, cum quo totum possidebis. Totum habebis, totum & ille habebit, quia & tu & ille vnum eritis, quod vnum totum ille habebit, qui vos in pace possidebit. *in Ps. 36.*

In æterna vita nullum habebimus aduersarium, nullum metuemus inimicum, quum absorbebitur mors in victoria, cum illa nouissima inimica destruetur mors, cum immutati fuerimus, & æquales Angelis effecti. Modo enim nihil quietis, aut securitatis inuenire possumus, dum adhuc in nobis ipsis ingemiscimus grauati adoptionem expectãtes redemptionẽ corporis nostri. Cum autem mortale hoc induerit immortalitatẽ, tunc nulla erit diabolicæ fraudis impugnatio, nullum hæreticæ prauitatis dogma, nulla infidelis populi impietas, omnibus ita pacatis, & compositis vt in tabernaculis iustorũ sola audiatur vox exultationis & salutis. Ibi sancti sine fine laudabunt Deũ: & in lumine claritatis eius exultabunt: ciues effecti illius ciuitatis, quæ libera est, & æterna in cælis. Quam nun obscurant tenebræ, nõ obumbrat nox, non consummat vetustas, non in ea rutilat lumen Solis, aut Lunæ splendor, aut stellarum iubar; non ibi lucerna quæritur, non lampas accenditur, non lychnus aptatur. Claritas quippe diuina eum illuminat, Sol clarificat iustitiæ, lux vera illustrat sua, inquam, inaccessibilis, quæ non clauditur loco, non finitur tempore, non obumbratur tenebris, non variatur nocte: Hoc immenso & indeficiente, & lucidissimo lumine illustrata Hierusalem sancta, quæ est mater nostra, filios abdicat tenebrarũ, ciues recipit, pacificat filios videlicet lucis & diei, filios adoptionis, consortes supernæ hæreditatis. Nullus in eã ingreditur impius, nullus habitat iniquus, nullus intrat immundus. Muri eius ex lapidib. construuntur viuis, portæ eius ex optimis adornantur margaritis, plateæ eius ex auro purissimo sternuntur, & canticum lætitię sine fine in ea cantatur. Ibi est lux sine defectu, gaudium sine gemitu, desiderium sine pœna, amor sine tristitia, satietas sine fastidio, sopitas sine vitio, vita sine morte, salus sine languore. Ibi sancti & humiles corde, ibi spiritus, & animæ iustorum, ibi cuncti cælestis patriæ ciues, & beatorum spirituum ordines, regem in decore suo vidẽtes, & in gloria virtutis eius exultantes. Perfecta viget in omnib. charitas, vna omnium lætitia, vna iucunditas. *Gre. in 7. Ps. pœn.*

Præmium est videre Deum, viuere cum Deo, viuere de Deo, esse cum Deo, esse in Deo, qui erit omnia in omnibus: habere Deũ, qui est summum bonum. Et vbi est summum bonum, ibi est summa felicitas, summa iucunditas, vera libertas, perfecta charitas, æterna securitas, & secura æternitas: ibi est vera lætitia, plena scientia, omnis pulchritudo, & omnis beatitudo. Est ibi pax, pietas, bonitas, lux, virtus, honestas, gaudia, lætitiæ, dulcedo, vita perennis, gloria, laus, requies, amor, & dulcis concordia. *Bern. de præmio patr. cælest.*

Cum Deo homo beatus erit, in cuius conscientia peccatum inuentum non fuerit. Videbit Deum ad voluntatem, habebit ad voluptatem, fruetur ad iucunditatem. In æternitate vigebit, in veritate fulgebit, in bonitate gaudebit. Sicut habebit permanendi æternitatem, sic cognoscendi facilitatem, requiescendi felicitatem. Ciuis siquidem erit sanctæ illius ciuitatis, cuius Angeli ciues sunt, Deus pater templum, filius eius splendor, Spiritus sanctus charitas. *ib.*

O ciuitas cælestis, mansio secura, patria fertilis, & ampla, totũ continens, quod delectat, populus sine murmure, incolæ quieti, homines nullã indigentiã habentes. Quã gloriosa dicta sunt de te, ciuitas Dei? sicut lætantium omniũ habitatio est in te, oẽs lætantur in lætitia & exultatione, omnes delectantur de Deo, cuius aspectus pulcher, facies decora, eloquiũ dulce. Delectabilis est ad videndum, suauis ad habendum, dulcis ad perfruendum. *ib.*

Ipse per sese placet, & per se sufficit ad meritum, sufficit ad præmium, nec extra illum quidquam quærit, quia totum in illo inuenitur, quicquid desideratur. Semper liberum adijcere, semper habere, semper in illo delectari, & illo perfrui. In illo clarificatur intellectus, & purificatur affectus ad cognoscendam, & diligendam veritatem. Et hoc est totum bonum hominis, nosse scilicet & amare creatorem suum. *ib.*

Quæ ergo nos angit vesania, vitiorum sitire absinthium, huius mundi sequi naufragium, vitæ labentis pati infortunium, impiæ tyrannidis ferre dominium, & non magis conuolare ad sanctorum felicitatem, ad angelorum societatem, ad solennitatem supernæ lætitiæ, & ad iucunditatem contemplatiuæ vitæ, vt possimus intrare in potentias Domini, & videre superabundantes diuitias bonitatis eius. *ib.*

Patriam nostram, paradisum computemus: parentes patriarchas iam habere cœpimus, quid non properamus & currimus, vt patriam nostram videre, vt parres salutare possimus? Magnus nos illic charorum numerus expectat parentum, fratrum, filiorum; frequens nos & copiosa turba desiderat, iã de sua incolumitate secura, adhuc de nostra salute sollicita. Ad horum conspectum & complexum venire, quanta & illis & nobis in commune lætitia est? *Cyprian. tractat. de mortalitat.*

Facilius possumus dicere de illa vita æterna, quid ibi non sit, quam quid ibi sit. Non est ibi mors, non est ibi luctus, non est ibi lassitudo, non est infirmitas, non est fames, nulla sitis, nullus æstus, nulla corruptio, nulla indigentia, nulla mœstitia, nulla tristitia. *Aug. de Symb. l. 3.*

Illuc festinate, vbi semper viuatis. Si n. sic amatis istam miseram fluidamque vitam, vbi cum tanto labore viuitis, & ibi via currendo, satagendo, sudando, suspirando, necessarijs corporis satisfacitis; quando magis amare debetis vitam æternam, vbi nullum laborem sustinebitis? vbi semper summa securitas, summa felicitas, felix libertas, felix beatitudo? vbi implebitur illud qđ dominus dicit in Euangelio, Erunt homines similes Angelis: & illud, Fulgebunt iusti, &c. *idem de utilitate agendæ pœnit.*

Hæreditas Christi, cuius cohæredes sumus, non minuitur copia possessorum, nec fit angustior numerositate cohæredum: sed tanta est multis, quanta paucis; tanta singulis, quanta omnibus. *idem in Psal. 49.*

Diuitiæ si diliguntur, ibi seruentur vbi perire non possunt, honos si diligitur, illic habeatur, vbi nemo indignus honoratur, salus si diligitur, ibi adipiscenda desideretur, vbi adepta nihil umetur: vita si diligitur, ibi acquiratur, vbi nulla morte finitur. *idem in epist. ad Diosc.*

Talis erit illa delectatio pulchritudinis, vt semper tibi præsens sit, & nunquam satieris: imò vt semper saneris & nunquam satieris. Si enim dixero, quòd nõn satiaberis, fames erit; si dixero, quòd satiaberis; fastidium times, vbi nec fastidium, nec fames erit. Quid dicam nescio, sed Deus habet quod exhibeat. *idem in Ioan. hom. 3.*

Regnum cęlorum vim patitur: Ideo quia reatus, quem litera sine spiritu iubendo faciebat, credendo soluitur, & violẽta spiritus sancti imperatur. *idem de fide & Operibus.*

Non erit aliqua inuidia disparis claritatis, quoniam regnabit in omnibus vnitas charitatis. *idem in Ioan.*

In ciuitate Dei rea veritas, sca charitas, dignitas æquitas, pax felicitas, vita æternitas. *id. de Ciuit. Dei.*

Ibi hymnidici Angelorum Chori: ibi societas ciuium supernorum: ibi dulcis solemnitas à peregrinationis huius tristi labore redeuntium: ibi festiuitas sine fine, æternitas sine labe, serenitas sine nube. *idem in Ioan.*

Si consideremus quæ & quanta sunt quæ sanctis dabuntur in die iudicij, quæ & quanta quæ nobis promittuntur in cœlis, vilescent omnia quæ habentur in terris. Terrena namque substantia, æternæ felicitati comparata, pondus est, non subsidium. *Greg. in hom.*

Temporalis vita æternæ comparata, mors est dicenda potius quã vita. Ipse enim quotidianus defectus corruptionis, qđ est aliud quàm quædam prolixitas mortis? Quæ autem lingua dicere, vel quis intellectus capere sufficit, illa supernæ ciuitatis quanta sint gaudia, angelorum choris interesse, cum beatissimis spiritibus gloriæ conditoris assistere, præsentem Dei vultum cernere, incircumscriptum lumen videre, nullo mortis dolore affici, incorruptionis perpetuæ munere lætari? *idem ibid.*

Ibi quicquid amabitur aderit, nec desiderabitur quod non aderit: omne quod ibi erit, & quòd est bonum erit; & summus Deus summum bonum erit omnino beatissimum, atque ita semper fore certissimum erit. Ibi vacabimus & videbimus, videbimus & amabimus, amabimus, & laudabimus esse quod erit in fine sine fine. Nam quis alius noster est finis, nisi venire ad regnum, cuius nullus est finis? *Aug. lib. 22. de ciuit. Dei.*

Quod Deus præparauit diligentibus se, fide non capitur, spe non attingitur, charitate non apprehenditur, desideria & vota transgreditur: acquiri potest, æstimari non potest. *Idem, eodem lib.*

Ibi tota virtus erit, quod amas, & summa felicitas amare quod videbis. ibi beata vita in suo fonte bibitur, vbi veritatis visio clarissimè aperitur. *ibid.*

Regnum cœlorum vim patitur, grandis violentia est, generatos in terra cœlum quærere, & possidere per gratiam quod non tenuimus per naturam. *Hier. in epist.*

Quantalibet intentione se humana mens extenderit, etiam si phãtasias imaginum corporalium à cogitatione compescat, si omnes circumscriptos spiritu ab oculis cordis admoueat, adhuc tamen in carne mortali posita videre gloriam Dei non valet, sicut est. Sed quicquid de illa est, quod in mente resplendet similitudo, & non ipsa est. *Greg. sup. Ezech. hom. 8.*

Tanta vis in illa pace non socia, vt quod in se quisque non acceperit, hoc se accepisse in alio exultet. Vna cunctis erit beatitudo lætitiæ, quamuis nõ vna fuerit in omnibus sublimitas vitæ. Erit & in illa beatitudine culpæ memoria, non quæ mentem polluat, sed quæ nos lætitiæ armis adstringat. *Idem, in mor.*

O beata regio paradisi: o beata regio deliciarum: ad quam suspiro de valle lachrimarũ, vbi sapientia sine ignorantia, vbi memoria sine obliuione, vbi intellectus sine errore vbi ratio sine

obscu-

obſcuritate fulgebit.Beati qui habitant ibi: laudabũt Deũ in ſecula ſeculorũ,Amen.Regnum Dei conceditur, promittitur, oſtenditur,percipitur,conceditur in prædeſtinatione, promittitur in vocatione,oſtenditur in iuſtificatione,percipitur in glorificatione. *Ber. in ſer.*

In terrenis ciuitatibus,alia eſt fabrica ædificiorum,alij ſunt ciues inhabitantes in fabrica.Illa vero ſerualem ciuibus ſuis ædificatur,ipſi ibi ſunt lapides qui ſunt ciues. Lapides enim ſunt viui. *Aug. in Pſ. 86.*

Omnis numerus ſanctorum ex hominibus commutandorum vt fiant æquales Angelis Dei adiuncti etiam ipſis Angelis,qui modò non peregrinantur,ſed expectant nos,a peregrinatione redeuntes,omnes ſimul vnam domum Dei faciunt, & vnam ciuitatem. Ipſa eſt Hieruſalem. *Idem,in Pſ. 126.*

Quando dicis: beate viuere volo,bonã rem quæris,ſed nõ hic; ſi habuit hic iſtud Chriſtus habe & tu in regione mortis tuæ.Quid ille inuenit, attende.Veniens de alia regione,quid inuenit, niſi quod hic abũdauit? labores,dolores,mori e. Ecce quod hic habes,& quod hic abundat,manducauit tecũ.Quod hic in cella miſeriæ tuæ abundauit acetum hic bibit, fel hic bibit,ecce qd in cella tua inuenit, & ad magnã menſam te inuitauit, menſam ſolis,menſam Angelorum,vbi ipſe panis eſt. *Idem ſuper 10.13.*

Quamdiu habemus hoſtem cum quo pugnemus , tabernaculum Deo facimus. Quum autem tranſierit tempus pugnæ,& venerit pax illa quæ præcellit omnem intellectũ (quantumcumq; n. cogitauerit de pace illa, minus cã capit animus,anhuc illa cum poris grauedine conſtitutus)cum venerit,inquã,illa pax & patria,iam domus erit. Non procedemus ad pugnandum ſed pma nebimus ad laudandum. Quid n.dicitur de illa domo? Beati qui habitant in domo tua,Domine, in ſecula ſeculorum laudabunt te. In tabernaculo adhuc gemimus, in domo laudabimus. Quare?quia gemitus eſt peregrinantium, laudatio iam in patria & in domo commemorantium. Qui in illam intrant,vt inhabitẽt, ipſi ſunt qui intrant,vt inhabitentur. In domum tuam intra, vt inhabites: in domum Dei, vt inhabiteris. Eſt,n.melior Dominus,qui cum te cœperit inhabitare, beatum te facit Nam ſi tu ab illo non inhabitaris,miſer es. *Idem,in pſal. 26.& 131.*

Oſtende nobis Domine,miſericordiam tuam, & ſalutare tuũ da nobis:oſtẽde nobis ſalutare tuum & ſufficit.Qui,n.vid. t illum,videt & te: quia ipſe in te, & tu in ipſo. Hæc eſt autẽ vita æterna,vt cognoſcamus te verum Deum,& quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Itaq, tunc dim ttes ſeruum tuum,Domine, ſecundum verbum tuum in pace,cum viderint oculi mei ſalutare tuum,Ieſum tuum Dominum meum,qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſecula; Amen. *Bernar. ſer. 17.& vitam Pſ. Qui habitat.*

Sententiæ Poeticæ.

Vita æterna pijs expectanda.
Quiſquis flagrat amore veritatis.
Oſtentans fidei,atque perſeuerans
In vera pietate: qui labores
Pro Chriſto patitur libenter omnes,
Si verum ſuperest vicißitudo:
Illum regna manent beata cœli.

Philosophica Placita.

De ſpe vitæ æternæ. Dial. CXXII.

Franciſci Petrarchæ.

Gavd.

Spero æternam vitam.R. Nulla maior, nulla pulchrior, nulla ſanctior ſpes,modo nõ cæca præceps ve ſit.Sunt.n.qui ſemper male agendo bonum ſperent,quo nihil eſt ſtultius.G.Æternam vitã ſpero.R.Ea eſt virtutum conſanguinitas, atq; connexio,ſicut è philoſophis diſputatum eſt,vt neceſſe ſit,eum,qui vnã habet, omnes habere virtutes,cui illud eſt conſequens, vna virtutẽ carentem cunctis carere virtutibus, quod ſi de moralibus verum eſt,quid de theologicis opinemur? Itaque ſi ſpẽ habes,charitatem ſimul habeas oportet ac fidem , ſi qua harum deſit, nõ iam ſpes vlla,ſed præſumptio inconſulta eſt.G.Vitam ſpero æternã. R.Rem bonam,immo optimam ſperas. Illud uide, vt quod bonum agis,agas bene. Sunt & qui bona male agant, nec minus in fallibilis æſtimator,qui qualiter quam quid fiat aſpicit, nec minus aduerbia quam uerba librat ac nomina.G.Spero vitam æternam. R.Non cœleſtes tantum,ſed terreſtres domini de ſe ſpera ri amant,ſed a quibus? profecto ab his, quibus ſe charos ac dilectos ſciunt,aut qui,ſi quando forſitan odioſi fuerint , ac rebelles,redire in gratiam optantes,ad miſericordiam confugerũt. G.Vitam æternam ſpero.R.Vitam temporalem corrige,hac ad illam pergitur.G.Spero uitam æternam.R. Vna omnium ſpes eſt, quæ,ſi recte illam concipis , & felicem te faciet, & iam fecit

G.Æternam vitam ſpero. R.Primum eſt,vt miſericordiam,de hinc vitam ſperes, vtranque ſobrie,ac modeſte. G. Spero æternam vitam.R.O felix niſi te ſpes iſta fefellerit?

Similitudines.

Pauli Apoſtoli. Neſcitis , quod ij,qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt,ſed vnus accipit brauium: Sic currite,vt comprehendatis.Omnis autem, qui agone contendit , ab omnib. ſe abſtinet:& illi quidem,vt corruptibilem coronam accipiant,nos autem incorruptam. *1.Cor.9.*

Chryſoſtomus. Suſpiciamus to cœlum, quoniam nulla ſe interponit nubes,& clara eſt omnis eius corona. Solum habemus non tale,quale nunc eſt,ſed tanto melius effectum, quanto lucis tecta aurum eſt melius. Et poſt illud non ſuperius tectum,deinde angelos,archangelos, &c. Sed non valet ſermo exprimere totũ: experimento opus eſt:per experimentum quippe melius agnoſcetur, Quomodo putas (dic mihi) Adam fuiſſe in paradiſo ; Ab illa multo erit melior iſta conuerſatio , quantum terra melius eſt cœlum. Attamen & aliam ſimilitudinem inquiramus. Si contingat eum,qui non modo imperat,omnem mundum obtinere,deindeneque bellorum,neq; curarum habere vllam moleſtiam,ſed in honore eſſe tantum,& deliciari,& multa quidem habere tributa vndique,& aurum illi affluere,& reconditum eſſe,qualem illum putatis animum habere,ſi omnis terræ bellum quieſcere videat: Tale aliquid erit? Magis autem nequaquam ad ſimilitudinem illius regni peruenit: Propter,quod oportet,& aliam inquirere intelligentiam. Da mihi aliquem, qui ſit ſicut infantulus regis.Vſquequo quidem in vulua eſt,nihil ſentit:ſi autem contingat eum inde egredi, & in thronum regalem aſcendere,non paulatim,ſed confeſtim cuncta accipere: Sic eſt etiam ille ſtatus. *Hom.6.ad Heb.*

Si quis vinctus, & multa mala perpeſſus,repente ad regale ſolium rapiatur,ſed neq; ſic integre pertingere potuit ad illius regni ſimilitudinem. Hic quippe,quæcunque quis percepit bona, in prima quidem die,ac ſi ipſum regnum dixeris,viget in eo amor & gaudium,& in ſecunda die,& in tertia temporis vero procedente permanet quidem in voluptate,non tamen tanta: minuetur quippe ſemper ex conſuetudine,qualecunque bonum illud ſit.Illic autem non ſolum non decreſcit,ſed etiam augmentum accipit,intelligentiamque,quantum ſit,animam illuc pergentẽ nequaquam finem bonorum illorum expectare, neq. mutationem,quoniam potius crementum,& vitam finem non habentẽ, & vitam omni periculo liberam,omni mœrore,& cura aliena, plenam gaudijs,& mille bonis. Si enim hic in campum exeuntes,& tabernacula militum ſpectantes, ex velaminibus confecta,& tela,& galeas,vel vmbonibus, & vmbilicis ſcutorum reſplendentes,& rapimur ſpectaculi miraculo:ſi vero & iamiam imperatorem nobis contingat medium videre,ſiue currentem, ſiue equitantem in armis aureis vniuerſitatem nos habere putamus.Quid ergo putas,cum videris ſanctorum taberoacula æterna,in cœlo conſixa? Cum videris vnumquemque iuſtorum ſuper radios ſolis refulgentem,non ex ære, & ferro, ſed ex illa gloria , cuius candorem & coruſcationes oculus humanus non poteſt inſpicere. Sed quandiu non quieſcã in teipſo incompræhenſibilis? Quæ oculus non vidit, auris non audiuit. *Ho.6.ad Heb.*

Si patria quis expulſus ab hominib. miſerabilis iudicatur , & quiſquis hæreditatem amiſerit,videtur omnibus eſſe dolendus : qui cælo priuatur,qui illis repoſitis bonis , quantis lachrimis plangendus eſt Magis plangendus plangetur quiſquam, cum paſſus fuerit aliquid,cuius ipſe cauſa non eſt. Cum autem propria voluntate ſemetipſum,quiſquam infigit iniquitati,neq lachrimis dignus,ſed lamentationibus dignus, magis autem luctu Ducem millibus lamentationibus digni ſumus.Si omnes,quod in mundo eſt, vndeem enitat, ad lamentandum eos ,qui ab illis bonis excidunt,nihil dignum lamentabuntur. Si nobis ſtadm adhuc nihil agentibus tanta bona largitus eſt , paradiſum conſabulationem ſuam,immortalitatem,promiſit vitam beatam, & a cutia liberam: ijs,qui tanta fecerint, qui certauerint, pro eo ſuſtinuerint,qui non præſtaturus eſt. *Hom.in ep.ad Heb.*

Sicut in arboribus accidit,eſt qui fructum cũ folijs auferat, & ramos omnes amputet,radice manente, tota, cum maiori etiam ornatu arbor reſurgit: Sic quidem & nobis , ſi pietati radix permanent,& ſi diuitiæ auferantur,& corpus corrumpatur,omnia rurſum nobis cum maiori gloria redeunt. *Hom.4.de pan.*

Hic non domus modo,ſed & mancipia. atque vniuerſa ſæpe hæredi tas ad inimicos deuoluitur . Eiuſmodi enim humana ſunt bona, In cælis vero nihil timendum eſt tale , neque vt emorientis ſuperueniat hoſtis,hæreditatiq; ſuccedat. *De pan.ſer.7.*

Non eadem eſt ratio currentium in Chriſtiano ſtadio,quæ in Olympico. Nam hic ſolum vnus coronam aufert, eamque corruptibilem,cæteris ſine honore dimiſſis: At in agone Chriſtiano, tametſi alius alio maiorem reponat honorem, omnes tamen perpetuam cõſequuntur coronam,modo legitime certent, omnes futuri

futuri beati, & illustres. *l. 3. contra vituperat. vitæ monast.*

Quemadmodum qui iniuria afficiunt, qui vsurpant aliena, qui rapiunt, qui mala innumera proximo inferunt: quum illuc venerint, eos quæ viderint, qui hæc passi sunt: videbunt .n. videbunt, inquam, omnino (id quod perspicuum est ea diuite illo & Lazaro) neque os aperire poterunt, neque habebunt, quod dicant, aut excusent, sed multo pudore repleti, magnaque condemnatione ea illorum adspectu ad ignea lumina adducentur: Itidem qui bene viuunt, qui docent, qui instituunt: vbi viderint eos, quos iuuerint, illic patrocinantes ipsis, multa fiducia replebuntur. *Orat. 4. contra Iudæos.*

Si quis te in regias duxisset aulas, & de parietibus aurum vndique fulgens, & omnem alium ornatum tibi demonstrasset: postea te inde in pauperis cellam induxisset, & te post breue tempus in regias deducturum aulas, & perennem mansionem se tibi daturum promisisset: nunquid non deberes assici desiderio, vel ipsos dies paucos ægre ferre hoc quoque de cœlo, de terra cogites, & ingemisce cum Paulo non propter mortem, sed propter præsentem vitam. *Hom. 3. de diu.*

Neque si rex, terrenus aliquis assumens te pauperem ac mendicum repente sibi adoptaret in filium, tu iam ad tugurij tui respiceres vilitatem. Et certe non hæc discrimine separantur. Longe tamē maiora sunt, ad quæ vocatus es, capessenda. Non te in terra transponit in terram vt terrenus rex, sed a terra in cælum, a mortali ad immortalem naturam. An forte putas omnia ista, quæ cernimus, comparatione cælestis regni, mendicorum panniculis esse viliora? *Hom. 12.*

Quod sunt decem millia anni, cum secula cogitas infinita? Nonne quantum est stillicidium minimum abysso comparatum? Si in hac vita sic clarus est thalamus sponsi, sic clara sunt habitacula atque fulina, vt nullus possit intuens satisri: multo amplius ille thalamus, hoc est, cælum, & qui in cælo est sponsi thalamus, melior erat. *Hom. 28. de diuer.*

Si quis te senio confectum & viuentem in paupertate, subito iuuenem se facturum promisisset, & in ipsum ætatis florem reductu rum, & super omnes præuslidum, & speciosum redditurum esse, & regnum in mille daturum annos, regnum, inquam, pacem firmissimam possidens, quid pro hac promissione non exigerea facere & pati? Ecce Christus non hæc, sed his multo maiora promittit. Non enim quantum est senectutis, & iuuentę mediū, tantum est corruptionis & incorruptionis interuallum, neque quantum est regni, & paupertatis, tantum est gloriæ præsentis, & futuræ, sed quantum somniorum & veritatis. Quinimo nec adhuc quicquam dixi. Quomodo enim præsentibus aliquis vitam comparet sine extenta? Pacis autem illis tantum est me dium ad præsentem, quantum pacis & belli discrimen, & incorruptionis, quantum gleba lutea melior munda margarita. Immo vero quantumcunque quisque dixerit, nihil par exprimere poterit. Nam si solari lumini comparo futurorum pulchritudinem corporum sine splendidissimo fulgurı, nondum quicquā illa clarıtate dignum dico. Propter hæc, quæ pecuniæ, quæ corpora non sunt impendenda? Imo quor animas exponere dignum fuerit? Nunc vero si quis te in regiam sulsm deduxit, & vr omnibus præsentibus regem alloqueceris effecit, & sibi re reddidit commensalem, & conuiuam, omnium te dicis esse beatissimum. In cœlum autem adscensurus, & omnium regi assistere, & parem angelis debeas habere splendorem, & illa frui ineffabili gloria, dubitas an pecuniam erogare poteris? Cum opus esset etiam si vita exeunda esset gestire, exultare, & præ volupta te efferri. *Hom. 3. de diuersis.*

Cyrill. Quamuis naturaliter aqua frigidior sit, aduentu tamē ignis, frigiditatis suæ oblita æstuat. Hoc sane modo etiam nos, quamuis propter naturam carnis corruptibiles simus, participatione tamen vitæ abimbecillitate nostra reuocati, ad propnetatem illius ad vitam reformamur. Oportet enim, vt non solum anima per Spiritum sanctum in beatam vitam adscenderet, verum etiā vt rude, atq. terrestre hoc corpus cognato sibi gustu, tactu, & cibo ad immortalitatem reduceretur. *in Ioan. l. 3. c. 39.*

Greg. Naz. Quemadmodum vmbram nostram superare nobis non datur, quippe quæ tantum præit, quantum progredimur, & æqua portione semper abrecedit: neque supra caput esse potest corporis magnitudo, cum illud semper corpori superpositum sit. Sic neque Deum largiendo vincere possumus. Neque enim quippiam largimur, quod illius non sit, aut magnificentiam, & liberalitatem antecedat. Considera, vnde sit tibi ipsum quod es, quod spiras, quod sapis, & id, quod maximum est, quod Deū cognoscis, quod speras regnum cœlorum, æqualem angelis dignitatem perfectam puramque gloriæ, quam nunc in speculis, & ænigmatibus cernis, contemplationem, quod factus es filius Dei, cohæres Christi (audacter dicam) & Deus ipse. *In ora. de pauper amand. & benignitate complectenda.*

Olympiodor. Qui agriculturæ sunt periti, aiunt ante cæteras arbores efflorere amygdalum, & reliquarum postremā folia exuere, vt videatur quodammodo frondibus vtere perpetuus. Scimus autem, nuces amygdalas triplices esse: Nam extrinsecus viridē corticem, ligneæ testæ, sine duriori putamine impositū habent, cui nucleus inest, quem comedimus. Talis vero est homo è corpore, anima, spirituque compositus. Inquit ergo: Tunc florebunt iusti, sicut amygdali, habentes in vigore & gloria corpus, animam & spiritum. *In Eccl.*

Plutarchus. Vt athletæ non serunt coronam, nisi vicerint: Sic bonis viris præmia felicitatis non ante contingunt, quam peracto huius vitæ certamine. *In Moral.*

Augustinus. Et quanto maius periculum fuit in prælio, tanto maius est gaudium in triumpho. Iactat tēpestas nauigantes minaturq; naufragium, omnes futura morte pallescunt: tranquillatur cœlū, mare, & exultant nimis: qui timuerūt nimis. Aeger est char & vena eius malū renuntiat: omnes, qui eum saluum cupiunt, ægrotant simul animo. Fit ei recte, & nōdum ambulat pristinis viribus: & fit iam tale gaudium quale nō fuit, quā antea saluus & fortis ambularet. Atque ipsas voluptates humanæ vitæ etiā non inopinatus, & præter voluntatem irruentibus, sed insitutis, & voluntarijs molestijs homines acquirunt. Edendi & bibendi voluptas nulla est, nisi præcedat esuriendi & sitiendi molestia. Et ebriosi quædam salsiuscula comedunt, quo fiat molestus ardor: quem dum extinguit potatio, fit delectatio. Et institutum est, vt etiam pactæ sponsæ non tradantur, ne vilem habeat maritus datam, quam non suspirauerit sponsus dilatam. Hoc in turpi & execranda lætitia: hoc in ea, quæ concessa est, licita est: hoc in ipsa sinceritssima honestate amicitiæ: hoc in eo, qui mortuus erat, & reuixit, perierat, & inuentus est. Vbiq. maius gaudiū molestia maiore præceditur. Quid est hoc Domine Deus meus? cum tu in æternū tibi tu ipse sis gaudium, & quædam de te circa te semper gaudeant? *lib. 8. Confess. c. 3.*

Cyprian. Si in habitaculo tuo parietes vetustate nutarent, tecta desuper tremerent, domus iam fatigata, iam lassa ædificijs senectute labentibus ruinam proximam minaretur, nonne omni celeritate migrares? Si te nauiganti turbida & procellosa tēpestas fluctibus vi uenti excitatis prænunciaret futura naufragia: nonne portum velociter peteres? Mundus ecce nutat & labitur, & ruinam sui non iam senectute rerum, sed fine testatur & tu non Deo gratias agis, non tibi gratularis, quod exitu maturiore subtractus ruinis & naufragijs, & plagis imminētibus exuaris? Cōsiderandum est fratres dilectissimi, & identidem cogitandum, renuntiasse nos mundo, & tanquam hospites & peregrinos hic interim degere. Amplectamur idē, qui assignat singulos domicilio suo, qui nos hinc ereptos, & laqueis secularibus exutos, paradiso restituit & regno cœlesti. Quis non peregre cōstitutus, properet in patriam regredi? Quis non ad suos nauigare festinans ventum prosperum cupidius optaret, vt velociter charos liceret amplecti? Patriam nostram paradisum computamus, parentes nostros, Patriarchas habere iā cepimus: quid nō properamus & currimus, vt patriā nostrā videre, vt parētes salutare possimus? Magnus illic nos charorum numerus expectat, parētum, fratrum, filiorum, frequens nos & copiosa turba desiderat, iam de sua immortalitate secura, de nostra solicita. Ad horum conspectum & complexum venire, quanta & illis, & nobis in commune lætitia est? *serm. de mortalit.*

Sicut videndo speculum, homo videt seipsum, & multa alia ibidem præsentia: Ita & beatis videndo Deum, simul & semel vnica visione videt seipsum, & omnia ad beatitudinem integratem sibi necessaria. *De singul. Cleric.*

Gregor. Iustorū vita palmæ cōparatur, quia palma inferius tacta aspera est, & quasi aridis corticibus obuoluta, superius vero visu & fructibus pulchra: inferius corticū fuorū inuolutionibus angustatur, sed superius amplitudine pulchræ viriditatis expāditur: Sic & electorū vita, despecta inferius superius pulchra: in imo quasi multis corticibus obuoluitur, dū innumeris tribulationibus angustatur: in summo vero illa quasi pulchræ viriditatis folijs amplitudine retributionis expāditur. Habet quoque palma, quo è cunctis arborum generibus differt. *lib. 19. Moral. c. 25.*

Seneca. Quemadmodum summum adiectionem non recipit: (quid enim supra summum erit?) Ita ne beata quidem vita, quæ fine summo bono non est. *lib. 2. epist 78.*

Quemadmodum omnis scientia atque ars aliquid debet habere manifestum, sensuque comprehensum, ex quo oriatur & crescat; Sic beata vita fundamentum & initium à manifestis ducit, & eo quod sub sensum cadit. *lib. 2. epis. 125.*

Hugonis Philom. Nihil in his terris rerum terrestrium est tam pretiosum, vt valore suo vel minimam felicitatis æternæ æquet portionem. Neq; mercator Christus est, qui mercaturam omnē vetat ecclesiasticam, neque tam egens rerum, vt æterna perituris cōmutet. Nō vendax est rerū cęlestium, multo minus emax retrenarum. Gratuito largitur, quę gratuito promittit. Et cum omnium Dominus non vult non nostra: animum tantummodo suis verbis credulum & audientē exigit, non pretium, longe di uersas ab harum tenebrarum principibus, qui nihil don sine, nisi bis em-

bis emptum, receptis prius muneribus. *In Tiliano, vel de scientia bene moriendi.*

Neque natura mortalis eo efficaciæ virtutisque promoueret, vt cõtemneret immanium ferarum vires, maria traijceret, extrueret vrbes, respublicas constitueret, suspiceret in cœlum, astrorum reuolutiones videret, consideraret Solis & Lunæ cursus, ortus, & occasus, defectus, & celeres restitutiones, æquinoctia, solstitiaque duplicata, pleiadum, hiemis & æstatis, ventorum, & imbrium impetus, in modum fulgurum tractus, mundi deniq; passiones, laboresque, firmis fixisque veluti decretis præscriptos posthumis sæculis proderet, nisi diuinus reuera spiritus aliquis inesset animis nostris, per quem tantarum rerum intelligentiam cognitionemque assequeremur. Proinde non in mortem Axioche, sed in immortalitatem transis: non ablationem, sed sincerũ fructum bonorum; neque admistas mortali corpori, sed meras, & ab omnibus molestijs liberas voluptates percepturus. Illuc enim perueniens ex hoc carcere solutus, vbi laboris, tristitiæ, senijque expertia sunt omnia: & vbi tranquilla, omnis mali nescia vita, quieteque inconcussa, viuens rerum naturam, arcanaque philosophiæ non ad ostentationem theatricam, sed ad germanæ viuæque veritatis cognitionem contemplaberis. *In Tiliano, vel de scientia bene moriendi.*

Eucherij. Dirigenda est omnis animi intentio in spe futuri, quã spem vt plenius, ac manifestius consequaris, aperire eam etiam sub alicuius exempli conditione non abnuam. Si cui aliquis quinque hodie ex ære denarios offerat, quingentos vero aureos in crastinum spondeat, optionemque offerat, vtrum æs ad præsens sumere, an aurum mallet imposterum: dubium ne id est, quin præoptet grandia illa munera cum parua mora? Tu quoque breuis huius, atque æternæ vitæ conditione perspecta, non eligas capere vilis, cum capere possis speciosa. *Ad Valerian.*

Theriteri. Tantum cœlestia gaudia vincunt terrestria, quantum animus corpus. Nam hic magis ipsum corpus, illic vero oblectatur ipse animus. Et vbi nunc ergo sunt, qui has mundi illecebras pro cœlestibus delicijs commutare detrectant? *in apophtheg. 79.*

VITIVM.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Vitium, Græce *ἀδίκημα. ἀτοπία. τὸ κακία. κακότης.* Videtur quando virtuti opponitur, esse habitus animi naturæ, non rationi repugnans. Nunnumquam sumitur pro errore. *Plin. Librum vitijs plenum.* Hebr. Vitium, *Rab*, & *Rahab*, malum culpæ, malitia, vitiositas, a verbo *Rahab*, malus fuit, male fecit, habitum, affectum, & effectum mali denotat.

Vitium est habitus, aut affectio animi, in tota vita inconstans, & a se ipsa dissentiens. *secundum Tullium, et S. Thom. 1. 2. q. 71. ar. 1.* Dicitur autem vitium a vito, as, quod est caueo, es.

Vitium a morbo differt, quod morbus est habitus quidam contra naturam, qui vsum rei facit deteriorem, vt febris, insania, quæ phrenesis dicitur: Vitium vero perpetuum est, vt cœcitas, claudicatio, vecordia. Morbus igitur cum accessu discessuque est, vitium vero perpetuo manet.

BIBLICI LOCI.

Vitia aliena lugenda, *Ezech. 9. 4. 1 Cor. 5. 2. 2. Cor. 12. 21.*

PATRVM SENTENTIAE.

Non in seminibus, sed in voluntate nascentis causa vitiorum est, atque virtutum. *Hieronym. in epist. contra Ruffin. & hab. dist. 56. can. Nasci.*

Tibi non tantum expellenda sunt vitia, quantum refellenda, quia vtique facilius est non suscipere, quam suscepta semel deponere. Nec eorum tanta dulcedo est, vt ea debeamus præferre virtutibus, cum nec in omnibus sit delectationis illecebra, & a plerisque etiam ea, quæ videntur dulcissima, respuantur.

Quidam superbiam libertatis loco ducunt, adulationem pro humilitate suscipiunt, malitiam prudentiæ vice amplectuntur, & stultitiæ simplicitatis nomen imponunt: atque fallaci, ac pessima similitudine decepti, vitijs pro virtutibus gloriantur. *Idem, ad Demetriadem virg.*

Duo sunt ex omnibus vitia, quæ maxime homines decipiunt sui voluptate, Gula scilicet, ac Libido, quæ deponere eo difficilius est, quo eis vti dulcius. At hæc vitia tam molesta, tamque delectatione sui periculosa, ita a multis calcari vidimus, vt tota ætate sua virgines permanserint in sua abstinentia, vt de illis taceam, qui post deliciarum longum luxum, & inueteratum vsum libidinis castitati, ac temperantiæ se dederunt: & vtriusque vitium contraria sibi virtute mutauerunt. Aliorum vitiorum est longe diuersa ratio qui cum nihil iucunditatis, sed multum amaritudinis habeant, quæ cum ad vitandum sint faciliora, raro tamen, a quibus vitentur, inuenies. *ibid.*

Quid, oro, mundo delectationis præstat inuidia? Quid alter ab odio mercedis accipit? Quid iracundo furor suus confert? Similiter curre per singula, & inuenies tot animæ tormenta, quot vitia: quæ vtique eo facilius vinci possunt, quo nulla nos alliciunt voluptate. *ibid.*

Summa tibi scientia, summa notitia sit, vitia virtutesque distinguere: quæ quamquam sibi contraria semper sint, aliqua tamen ea eis tanta iunguntur similitudine, vt discerni omnino vix possint. *ibid.*

Sæpe se vitia ingerunt, & se esse virtutes mentiuntur, vt tenacitas parsimonia, effusio largitas, crudelitas zelus iustitiæ, remissio, pietas velit videri. *Gregor. & habetur distinctione 41. can. Sæpe se.*

Si forte nos studia contra vitiorum incentiua stringimus, ipsa etiã vitia ad vsum virtutis immutamus. Nonnullos namque ira possidet: sed hanc ad defensionem iustitiæ in vocem liberæ authoritatis immutat, nonnullos fortitudo carnis illecebrat, sed dum exercendis pijs oneribus corpus subdunt, vnde iniquitatis stimulum passi sunt, inde pietatis lucra merentur. *in Mor.*

Quamuis per omne vitium, quod perpetratur, humano cordi antiqui hostis virtus infunditur: in hac tamen nequitia, id est, inuidia, tota sua viscera serpens concutit, & imprimendæ malitiæ pestem vomit. *ibid.*

Prima vitia deceptæ menti quasi sub quadam ratione se ingerunt: sed quæ sequuntur, dum mentem ad omnem insaniam protrahunt, quasi bestiali clamore mentem confundunt. *ibid.*

Capitalia vitia tanta sibi coniunctione coniunguntur, vt non nisi vnum de altero proferatur: prima namque superbiæ soboles vana est gloria, quæ, dum oppressam mentem corruperit, mox inuidiam gignit: quia nimirum, dum vani hominis gloriam appetit, ne quis hanc alius adipisci valeat, tabescit inuidia, iram generat: quæ quanto interno liuoris vulnere animus sauciatur, tanto etiam mansuetudo tranquillitatis amittitur. Ex ira tristitia oritur: quia turbata mens, quo inordinate se conuertit, eo adijcienda confundit, tristitia ad auaritiam deriuatur, quia dum confusum cor bonum lætitiæ in semetipso intus amisit, vnde consolari debuerat, foris quærit, & tanto magis exteriora bona adipisci desiderat, quanto gaudium non habet, ad quod intus recurrat. *ibidem.*

Vitium est affectus naturalis præter ordinem, & supra mensuram ordinem transgrediens, quando mouetur ad ea, quæ non debet: mensuram excedens, quando mouetur plus quam debet. *Hugo.*

Iniqua via est, quæ nos perducit ad vitam, recta vero virtutum, quæ nobis indulgentiam tribuit ad salutem. *Cass. in Psalm.*

SENTENTIÆ POETICAE.

Hor. 1. Serm. 3.

Denique teipsum
Concute: numqua tibi vitiorum inseuerit olim
Natura, aut etiam consuetudo mala: namque
Neglectis vrenda filix innascitur agris.

Boet. 1. 5.

Qui serere ingenuum volet agrum,
Liberat prius arua fruticibus,
Falce rubos, filicemque resecat,
Vt noua fruge grauis Ceres eat.
Dulcior est apium mage labor,
Si malus ora prius sapor edat.
Gratius astra nitent, vbi Notus
Desinit imbriferos dare sonos.
Lucifer vt tenebras pepulerit,
Pulchra dies roseos agit equos.
Tu quoque falsa tuens bona prius,
Incipe collo iuga retrahere:
Vera dehinc animum subierint.

Claud. 2. Eutrop.

Sed quia cæcus inest vitijs amor, omne futurum
Despicitur, suadetque breuem præsentia fructum,
Et ruit in vetitum damni secura libido.

Hor. 1. Serm. 3.

Nam vitijs nemo sine nascitur, optimus ille
Qui minimis vrgetur.

Pers. 1.

Auriculas asini quis non habet?

Propert. 2. 22.

Vnicuique dedit vitium natura creato,
Mi fortuna aliquid semper amare dedit.

Martial.12.

Crine ruber niger ore, breuis pede, lumine læsus,
Rem magnam præstas, Zoile, si bonus es.

Ouid.3.Amor.8.

Si tamen è nobis aliquid nisi nomen, & umbra
Restat in Elysia valle Tibullus erit,

Idem 3.Amor.t 9.

Multa, diuque tuli, vitijs patientia victa est,
Cede fatigato pectore turpis amor,
Scilicet asserui iam me fugique catenas,
Et quæ non puduit ferre, tulisse pudet.
Vicimus, & domitum pedibus calcamus amorem,
Venerunt capiti cornua sera meo.

Anthol.Sacr.Iacob.Bill.

Flagitiosam vitam plus molestiæ, quam voluptatis habere.

Cui dicam hos similes, quibus est damnosa voluptas
Charior, æterna quam bona cuncta domus?
An phrenesi capti? an ei qui patre relicto
Optabat siliquis pellere posse famem?
An Iacoban potius de stirpe creatis,
Queis dabat æthereâ Christus ab arce cibum?
His tamen (ô miseros homines, o pectora læua!)
Hac dape porrus erat, cæpa nocensque prior?

Frustra nos ab alijs vitijs abhorrere, si vno eiusmodi laboremus, quod nos in æternum exitium conficiat.

Cætera quid prodest depellere crimina, cœli
Vna maneat labes si tibi claudat iter?
Quid iuuat aggeribus fluuios retinere furentes,
Si pars ad segetes præbeat vna viam?
Vrbem quid vallo prodest cinxisse quid altis
Mœnibus, vna hosti parte patente tuo?
Quid iuuat, si lam lepra color vndique candens,
Arceat hunc castris cum macula, à cutis?

Philosophicæ Sententiæ.

Vitia nostra, quæ amamus, defendimus: & malumus excusare illa, quam excutere. *Senec. epist. 117.*

Serpunt vitia, & contactu nocent, & in proximum quemque transiliunt. *Idem de tranquill. vitæ.*

Multum prodest vitia proiecisse, si cum alienis rixandum est. *Idem epi l.12.*

Vitia de mercede solicitant: Auaritia pecuniam promittit: Luxuria multas ac varias voluptates: Ambitio purpuram, & plausum & ea hoc potentiam, & quicquid potentia ponit. *Idem epist.59.*

In vitia alter alterum trudimus: quomodo ad salutem reuocari potest, quem nullus retrahit, & populus impellit? *Idem epist.29.*

Vitia semper facultatibus, licentiaque & assentationibus aluntur. *Vel. Paterc. lib.3.*

Vix artibus honestis pudor retinetur: quanto minus inter certamina vitiorum, pudicitia, aut modestia, aut quicquam probi moris reseruetur? *Tacit. Annal. l.14.*

Nihil prodest foris esse strenuum, si domi male viuitur. *Valer. Maxim. lib.2.c.9.*

Omnino ex alio genere impotentia est, ex alio vitium. Vitium enim omne suæ culpæ ignarum est, non ignara impotentia. *Arist. lib.7. Ethic.c.8.*

Virtus omnium principium conseruat, & vitiom labefactat. *ibid.*

Minus mala est feritas, & immanitas, quam vitium, sed terribilior tamen *lib.7. Eth.c.6.*

Vitium aliud est, quod naturam attingit humanam: quod idem absolute vitium dicitur: aliud cum adiunctione, ferinum aut morbosum vitium non absolute. *lib.7. Ethic.c.5.*

Omnis perinsignis vitiositas, amentia, timiditas, intemperantia, & duritia, vel feritati, vel morbo tribuenda. *ibid.*

Malitiæ ac vitio non est ignoscendum: neque vlli eorum, quæ ipsa vituperanda sunt. *lib.7. Ethic.c.2.*

Quæ cui tuni dantur vitia, in nostra sunt potestate. *lib.3. Ethicor, cap.5.*

Quæ vitia corporis in nostra sunt potestate, culpantur: quæ non sunt, non item. *ibid.*

Est in vino magna vis ad labefactandum principium. *lib.6. Ethic. cap.5.*

Peruertit iudicium vitiositas principiorumque inducit eorum errorem, vnde actiones, & omnia proficiscuntur. *lib.6. Ethicorum, cap.12.*

Vt belluarum nullum est vitium, nullaque virtus: sic nec Dei, sed hic virtute præstabilior est: illarum aliud est genus vitij proprium. *lib.7 Ethic c.1.*

Videndum est diligenter, ad quæ vitia simus procliuiores. Alij enim ad alia natura procliuiores sumus. Quod facile ea ex voluptate, & ægritudine, quæ nobis accidit, intelligimus. Se autem quisque ab ea debet in contrariam partem deducere. *libro 2. Ethicorum.*

Qui paulum aliquid decorum egreditur, non est in vitio: qui autem longius euagatur, is quoniam minime latere potest, non caret reprehensione. *ibid.*

Vitia nostra voluntate necesse est suscipi. *lib.3. Ethic.c.5.*

In summo ingenio, atque optimis Reipub. moribus quamuis parua vitia elucent magis, eoque notantur facile: quin etiã actus sæpe officiunt, cum ob auctoris decus in virtutes potissimum accipiuntur, atque ad imitandum inuitamento sunt. *Aurel. victor, lib. de Cæsaribus.*

Apophthegmata.

Crates negabat inter hominem quempiam inueniri posse, qui non aliqua in parte laberetur: addens, nullum inueniri malum punicum, in quo non sit aliquod granum putre. *Laertius libro 6. cap.5.*

Leon Byzantius. Pasiades, cum Leoni Byzantio lippitudinem obijceret oculorum, Leo respondit: Corporis mei vitium vides, & exprobras, haud videns filium tuum Nemesin humeris baiulantem. Erat enim Pasiadi filius contractis humeris. Nemesin autem dixit redargutionem insulcoriæ, quam veteres fingebant esse Deam. *Philost.*

Dionysius iunior regno pulsus, eadem dicebat se pati, quæ adolescentes: quemadmodum enim illi, cum peccauerint, hilari vultu fratrum consuetudine vtuntur, patris autem præ pudore fugiunt: sic sibi euenisse, vt in metropoli vitam agens verecundia teneretur, Leucade cum voluptate viueret. *Bruson. lib.7.c.1.*

Similitudines.

D.Chrysostomi Quoties diuturna quæpiam ac dura inflatio corporibus inhæsit, tum & longo tempore, multoque labore, & multa sapientia in admouendis remedijs est opus, vt collectus tumor absque vitæ periculo dissoluatur. Idem videre est in anima. Quoties enim aliquis morbum qui iam radices egit in anima multoque tempore concretus sit radicitus vellere voluerit, nõ satis est ad correctionem vnius duorumve dierum admonitio, verum oportet frequentes, ac diebus compluribus in hac cura versari: si modo non ad ambitionem, ac voluptatem, sed ad fructum, & vtilitatem munus hoc publicum gerturi sumus. *Hom.1. de Dauid & Saule.*

Sicut ex parte Dei, quamuis plures sint spiritus virtutum, tamen septem dicuntur, quia ex illis septem omnes species virtutum procedunt: quos spiritus enumerat Esaias, & Salomon signat, dicẽs: Sapientia ædificauit sibi domum, & subdidit columnas septem: Sic ex parte Diaboli quamuis multi spiritus vitiorum, tamen septem dicuntur, quoniam ex illis principalibus vitijs vitia vniuersa nascuntur. *In Matth.12.hom.13.*

Origenis. Sicut ex iustitia generatur iustitia, & ex castitate castitas, si quis enim primo tenuiter castus esse cœperit, accepto castitatis fermento quotidie castior efficitur: ita & qui semel intra se fecit patuum posuerit fermentum, quotidie semetipso nequior efficitur, ac deterior. *Hom.12. in Num.*

Nazianzeni. Quemadmodum in corporibus, quum vnum aut duo membra male sunt affecta, haud difficulter reliquis succurritur, sanitatisque bonum maioribus subuenit partibus, quo celeriter, & illa conualescant: quum vero plura diffident, & male habẽt, nullo remedio subueniri potest quin omnia ægrotent, periculũque illud iam manifeste se ostendit: Ita morbi etiam, qui singulis accidunt, a communi populo, qui melius habet, sunt abscondendi: quum vero maior pars corrupta est, tum vniuerso imminet periculum. *Contra Iul.*

Philonis Iudæi. Quemadmodum color in corpore hominis febrem indicat: Sic vitium animæ morbum. *lib. de Noe resipiscentia.*

Sicut qui febre decumbit, non vna quapiam parte, sed toto corpore ægrotat: Ita totius animæ infirmitas est vitium. *lib. de Noa resipiscentia.*

Salmani episcopi. Sicut in sentinam profundæ nauis, colluuiones sordium omnium, sic in mores eorum quasi ex omni mundo, vitia fluxerunt. Nullam enim improbitatem scio, quæ illic non redundauerit: cum vtique etiam paganæ, ac ferinæ gentes, & si habeant specialiter mala propria, non est tamen in his hoc corpus omnium Galliarum, sed paulatim idipsum tamen, vt dum pars clade cæditur, pars exemplo emendetur. *De vero iudicio, & prouidentia Dei.*

Marci Eremitæ. Sicut virtutes laboribus, & ignominia: Sic etiam vitia voluptatibus, & gloria procreari consueuerunt. Omnis corporalis voluptas præsumpta licentia prouenit. Porro licentiam incredulitas generat. *De lege spirituali.*

Lysidis Pythagorici. Nominabo primum matres eorum, recensens intemperantiam, & auaritiam; ambæ vero sunt fœcundissimæ. Ex intemperantia igitur germinant scelera, temulentiæ, ac proditiones, & abhorrentes a natura voluptates, atq. impetus quidam vehementiores, ad mortem & præcipitia impellentes. Iam

contra

enim quibusdam vim etiam intulerunt libidines, vt neq; a matribus, neque a filiabus abstinerent: & violantes legem, patré, ciuitatem, atque regem, & educentes cubitos quasi captiuos, ad extremum exitum per vim ac violentiam rapiunt. Ex auaritia vero progignuntur rapinæ, parricidia, sacrilegia, venenorum grassationes, & quæcumque horum sunt affinia. Oportet igitur primum siluas, in quibus hi affectus nutriuntur, igni, ferro, & omnibus instrumentis expurgare, & rationem ab his affectib. vindicare: ac tum demum boni aliquid inserere, atque tradere. *In Epist. ad Hipparchum, fol. 523.*

Xysti Pythagorici. Perniciosum est seruire vitijs: quia quot vitia habet anima, tot & dominos. *In Enchirid.*

Dionis Nicæi. Quemadmodum, ijs qui corporis aliquot habent vitium, melius est vt in occulto se exuant, & numquã in publico, vt neminem habeant turpitudinis, & verecundiæ testem. Eodẽ arbitror modo ijs, qui animum habent illiberalem, atque flagitiosum, omnino prodesse, vt vitæ ignorantia, tenebrisque fortunæ tecti transeant. *Orat. 6. de fortuna. 11.*

Plin. Lyncestis aqua, quæ vocatur Acidola, non secus ac vinum remulentos reddit: Ita quosdam etiam sua paupertas, & inscitia reddit feroces, & improbos: eadem enim vitia è diuersis nascuntur causis, vt ex scientia, arrogantia, eadem ex ignorantia. *lib. 31. c. 2. & l. 2. 106.*

In aspidis ictu nullum est remedium nisi vt partes contactæ putentur: Ita quædam vitia sola morte sanari possunt. *l. 8. c. 23.*

Panthera sic auida est excrementorum hominis, vt si in vase suspendantur altius, quam vt possit attingere, enecet sese defatigati porrectu corporis: Ita nonnullis quod est fœdissimum, id dulcissimum est. *lib. 8. c. 57. & c. 27. eod. lib.*

Vt Echinus semper in spinam ingreditur, quod spinas secum circumferat: Ita quibusdam in omni negocio acerbitas est propterea, quod animo secum adferant asperitatem, etiamsi res ipsa nihil habeat incommodi. *lib. 9. c. 31. & lib. 8. c. 37.*

Vultures vnguentorum odore fugantur, ad cadauera aduolant: Ita quidam a rebus honestis abhorrent, ad fœda rapiuntur. *lib. 30. c. 61. & 12. c. 53.*

Negant vllum animal venenatum fame, aut siti emori: Ita pestilentes domi habent vnde se pascant, & suo aluntur veneno. *lib. 10. cap. 72.*

P. M. In nassam facilis illapsus est, sed exitus difficilis: Sic decliue iter in vitia, reditus ad meliorem frugem non perinde facilis. *in simil.*

Thriueri. Quod mulier citra laborer, atque absurda appetat, delirans etiam absurda agat, geratque, corporis accidit ægritudine: Sic quod plus oblectamur malis, quam bonis, animi vitium est. *In apoph.*

Velut venenum, quo est dulcius, eo altius vim suam insinuat: Sic penitus quoque hominem occupant vitia, quæ speciem boni exhibent. *In apoph. 120.*

Quemadmodum occulti, hoc est, interni morbi, maiore egent artificio, ac sunt periculosiores, quam externi: Ita hodie magis offendunt, & scandalizant, hoc est, citra suspicionem in exemplũ trahunt occulta vitia, quæ prætextu aliquo excusare licet, quam quæ omnibus damnata, tam est fallax imitatio. *In apophthegmat. 12.*

Vt imbibitus fidelis odor non facile extergitur: Sic semel concepta vitia ægre eluuntur. *In apoph. 122.*

Vt nemo fere allium redolet, nisi qui allio vsus est: Sic raro impingitur macula, quæ caret omni culpa. *In apoph. 123.*

Non periclitatur vita totius corporis vbi vilior aliqua, sed vbi omnes particulæ, aut primaria elanguent viscera. Tum quoque primũ vniuersus mundus periclitatur, vbi primates ipsi incipiunt diffluere vitijs, ac quodammodo obstupescere. Nam si semel sal fuerit infatuatum, quod reliquum est, necessarium est putrescere, ac contabescere. *In apoph. 63.*

Tantisper vita speratur, dum aliquod intellectua specimen editur. Tum quoque finis huius sæculi præsens est, dum vitia pro virtutibus, ac virtutes habebuntur pro criminibus. *In apophthegmat. 63.*

Illustre speculum statim reddit obiecti sui deformitatem: Et facile propria vitia redarguuntur optimatum vita. *In apophthegmat. 79.*

Importuna in morbis voluptas sæpe cum multis alijs doloribus est fermentata: Et vitiorum iucunditas numquam citra animi dolores. *In apoph. 72.*

Corpus deformatur manifestis morbis: & si quis videret, magis animus mortalibus vitijs. *In apoph. 23.*

Non est manifesta, sed occulta, in quam plures impingunt, fouea: Ita magis offendunt vitia, quæ boni prætextum habent, quam quæ ipso carent. *In apoph. 76.*

HIEROGLYPHICVM.

Theologi nostri veteres, *Catena* significare *Vitia* contendunt: *Polyanthea Nouiss.*

quod illa te inuicem gignere, atque arctissime complecti consueuere. *Pier. Val. l. 48.*

FABVLAE.

Fur & carnifex.

Damnatus quidam furti, ad supplicium ducebatur. qui suam infelicitatem deplorans: Me miserum, inquit, cui moriendum superstite magistro meo a quo hanc artem didici, quem scilicet plecti oportebat prius. Huic carnifex: imo te, inquit, qui tam male didiceris inertiæ pœnas dare æquissimum est. Cui fur: At, inquit, non fuisse me imperitum furandi, confessio mea indicat. Debueras igitur, inquit carnifex, te exercendi finem facere.

Docet fabula optimum esse a malis facinoribus celeriter desistere. Nam quis non peccat in vita, & delictis nullis tenetur: Sed optimus ille est, qui non solum minimis, sed etiam paucissimis vrgetur, hoc est, qui quod fieri non oportet, id facere cito desinit.

Fatui cribrum.

Fatuus cum cribrum reperisset, arbitratus vitiosum redditum neglectione, cœpit obturare foramina vt aptum vsui, quemadmodum putabat, redderetur. Sed cum in opere sentiret denique foraminum crebritatem, parumque succederet inceptum, abiecit cribrum indignabundus. Neque enim, inquit, video qua parte obturare quave pertusum relinquere debeam.

Docemur, inconsiderantes in ipso demum opere difficultatem sentire, non prospicere animis suis. itaque & in agendo defatigari plurimum. & aggredi sæpe quæ absolui nequeant. Docemur & nos, satius esse extreme vitiosa non attingere, quam frustra emẽdare velle.

Fœneratores.

Qui quæstum faciebat detrahendis pellibus mortuorum animalium, quorum vendere coria soleret, obuiam forte factus fœneratori, salutatum hunc ita compellauit: vt sui ordinis, & gregis hominem, quorum vterque idem opificium factitaret. Ac admiranti fœneratori. qui sibi primarius in populo ciuis videretur, & istum nosset: percontantique quonam modo idem opificium ambo exercerent, respondit ille: Quia ipse mortuis animantibus pelles, fœneratores autem viuis hominibus res & bona detraherent, atque diriperent.

Fabula docet, in mores sæpe tanta vitia inuadere, vt pessima facinora non solum impunita, sed etiam honorata esse reperiãtur. Nonne autem interrogatus apud Ciceronem Cato, quid fœneratio? Quid, inquit, hominem occidere? &c.

Vide Virtus, Item, Malitia.

VITVPERIVM.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Vituperium, Græce ψόγος, καὶ ψέγω, vitupero dicitur. Hebr. *Gneduphah*, conuicium, vituperium, contumelia, detractio, a verbo *Gneddeph*, vituperauit, conuiciatus est, inuectus est in aliquem verbis atrocibus. Cognationem habet cum *Nadhaph*, propulsauit, & cum *Naghaph*, consternauit, quæ vituperij effecta designant. Venit autem vituperium, siue vituperatio a vitupero. Vituperare enim est, vitio aliquid dare. Terent. *Nunc quam rem vitio dent, quæso animaduertite.* Et subiungit: *Id isti vituperant factum.* Venit autem vituperare, & vituperium a vitium, *secundum August.* quia hoc quælibet res vituperatur. *Ex B. Thom. 1. 2. q. 71. art. 2. cap.*

POETICÆ SENTENTIAE.

Ex Comicis Græc.

Ἥδιστ᾽ ἐπαινῶν φαῦλος εἰ ψαύει λόγος.
Attingere probos verba non queunt mala.
Νικᾷ γὰρ ἀεὶ διαβολὴ τὰ κρείττονα.
Calumnia solet opprimere quod eminet.
Τὸν αὐτὸν αἰνεῖν καὶ ψέγειν ἀνδρὸς κακοῦ.
Laudare & infamare eundum, est improbi.

SENTENTIÆ PHILOSOPHICÆ.

Vituperationes, & laudes sunt viri vnius sapientis. & non multorum insipientium. *Plat. in Crit.*

Vituperatio est clarissimarum rerum extenuatio. *Franc. Patricius de regal. 9. c. 19.*

SIMILITVDINES.

D. Chrysostomi. Quemadmodum nullus nos lædere poterit, nisi a nobis ipsis lædamur: Sic nisi nos ipsos vituperemus, nemo alius nos vmquam dedecorabit. *Hom. 88. in Matth.*

Dic quæso si quis solem tenebrarum authorem æstimet, soline an sibi detraxit? Sibi videlicet ipsi, cum furiosi, & insanientis opinionem sequatur. Eodem profecto modo, qui prauos bonos esse putant, & e contrario seipsos vituperant. *ibid.*

Plutarch. Palæstritæ corpus humiliant, vt alios deijciant: Ita quidam seipsos vituperant, vt videantur admirari familiares. *In Moralib.*

V L T I O.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

VLcisci vindicare est, & iniuriam non impunitam relinquere, *l. sciemtiam, §. Cura aliter, ad leg. Aquil.* Hebr. *Nakam*, & *Nekamah*, vindicta, vltio, vlciscendi actus: a verbo *Nakam*, vindicauit, vltus est, stetit ad vlciscēdum: & in 4. coniugatione, *Hithnakkem*, vindicauit se, vltus est seipsum.

Loci Biblici.

Vlciscitur Dauid iniuriam seruis factam, 2. *Sam.* 10. 17.

Vltio non quærenda, *Leuit.* 19. 18. *Luc.* 9. 54. vltionem capere, Dei est, *Deut.* 32. 35. *Rom.* 12. 19. *Hebr.* 10. 14.

Sententiae Historicae.

Vltionis quemadmodum acres, ita iusti aculei sunt, qui lacessiti concitantur, acceptum dolorem pensare cupientes. *Valer. Max. lib. 9. c. 10.*

Quid forti suauius, quam vindictam manu sumere? magnum munus a natura (corrupta) animum vltione satiare. *Iornand. de reb. Geticis.*

Vltionis desiderio res proprias in tantum discrimen conijcere, minime prudentium est, neque dedecet casus, & occasiones, quas respublica sperare potest, ad vlciscendum expectare: imo admodum turpe est indignatione vinci, & in rebus ad imperia spectantibus, summa infamia est, quum imprudentiam detrimētum comitatur. *Fr. Guiccard. hist. l. 4.*

Apophthegmata.

Diogenes interrogatus a quodam, quo pacto maxime posset vlcisci inimicum? Si teipsum, inquit, probum & honestum virum præstiteris. Hoc qui facit, & sibi prodest maxime, & inimicum maxime discruciat. Nam si fundum conspiciens bene cultum, discruciatur inimicus, quid fiet si teipsum viderit veris ornatum bonis? *Laert. lib. 6.*

Idem ingressus aliquando iuuenum conuiuium, capite semitonso, non solum non comiter exceptus est, sed multis plagis onustus dimissus est. Quos ille hac ratione est vltus. Nomina iuuenum a quibus fuerat cæsus, albo inscripsit, itaque obambulabat soluto pallio: plagarum notæ loquebantur, quid esset passus, & album prodebat authores. Hoc pacto iuuenes inhumanos omnibus obiurgandos, ac reprehendendos exposuit. *Laert. l. 6.*

Idem. Midias cum Diogeni colaphum dedisset, Diogenes cōtinuo dixit: Tria millia tibi in mensa sunt posita: per ludibrium illi gratulans, quod pro colapho tantum nummorum ex mulcta ad ipsum esset rediturum, si lege ageret. At Diogenes postridie sumpto pugilum loro, eoq; impacto Midiæ, totidem verbis dixit; Tria millia tibi in mensa sunt posita. Aulus Gellius narrat de quodam, qui pro delectamento habebat, manu depalmare homines: moxque è crumena, quam in hoc circumferebat, numerabat mulctam: At Diogenes declarauit, non omnes esse ea patientia, vt mulcta contenti sint. *Laert.*

Tiberius Imperator. Diogenes Grammaticus sabbathis Rhodi disputare solitus, Tiberium ad se venientem, vt ipsum extra ordinem audiret, non admisit, sed per seruulum suum in septimum distulit. Is quum Romam venisset, & pro Cæsaris foribus adstaret, cupiens illum salutare: Tiberius iussit, vt post septimum annum rediret. Nec alia pœna tantam Grammatici superbiam vltus est. *P. M. lib. 6.*

Timon Atheniensis, quem μισάνθρωπον appellat Lucianus, quum erga cæteros esset inhumanissimis moribus, fugeretque consuetudinem hominum, solum Alcibiadem adamabat, ex osculabaturque. Id admiranti cuidam, causamque roganti, respondit: Ideo sibi charum esse adolescentem, quod perspiceret illum aliquando magno malo fore Atheniensibus, a quibus multis contumelijs affectus esset. *P. M. l. 5. apoph. Fulgos. l. 9. c. 12.*

Alcibiades nuncianti, quod ipse cum comitibus morte damnatus esset Athenis: At nos, inquit, demonstrabimus illis Alcibiadem viuere, simulque sese ad Lacedæmonios contulit, ac bellum Decelicum, ab vrbe Decelia cognominatum, excitauit in Athenienses. *Plut.*

Philoxenus, quum audisset suos versus a laterarijs perperam recitari, lateres ipsorum comminuit, dicens: Vos mea corrumpitis, ego vicissim vestra. *P. M. l. 6. apoph.*

Agesilaus. Quum puer quidam Agesilao rege vidente murem exceptum è cauo protraheret, musque conuersus momordisset tenentis manum, atque effugisset: Agesilaus indicauit his qui aderant, dixitque: Posteaquam minimum animalculum sic vlciscitur eos a quibus læditur, quid viros oporteat facere, cogitate: Ita dux fortissimus vndecumque captata occasione animum addere studebat suis, vt audentiores fierent aduersus hostem. Sed idem exemplum magis eo valet, ne quis quamlibet potens, iniuria prouocet infirmiorem. Fit enim sæpenumero, vt qui, sicut ait Flaccus, fragili quærit illidere dentem, infringat solido. *Plut. in Lacon. apoph.*

Demonides amissis furto crepidis, precatus est, vt eius qui sustulerat pedibus conuenirent. Visus est bene precari, quum illi magnum precaretur malum videlicet pedes distortos, quales habebat Demonides. *Plut. in Lac.*

Chilon fratri quærenti, quod Ephorus ipse non crearetur, quum ille esset: Ego, inquit, iniuriaxn ferre noui, tu non. *Diogenes, Laert. in eius vita.*

Thales rogatus quo modo quis facillime ferret infortunium suum? Si quis videat hostes maioribus malis obnoxios. Quidam enim ex contemplatione felicitatis alienæ, suam calamitatem exasperant. *Laert. l. 2.*

Pittacus. Habens potestatem puniendi quempiam qui contumeliosus in ipsum extiterat, dimisit, loquens: Venia vltione melior est. Illa namque mitis est ingenij, hæc autem feritatis. *Stob. ser. 47. Anton. in Meliss. par. 1. ser. 27. Max. serm. 7.*

Bion familiares suos admonebat, vt hoc argumēto putarent se profecisse in philosophia, si iurgantes, & conuiciantes perinde audirent, ac si recitarent versus illos Homericos.

> [illegible Greek verse]
> [illegible Greek verse]
> *Quando vir haud nequam, nec ibustus amice videris,*
> *Per multum salue atque vale, Dy prospera donent.*

Laert. lib. 4.

Xenocrates a Bione dictis lacessitus. Non sum, inquit, tibi responsurus. Neque enim Tragœdia, cum a Comœdia taxatur, dignatur eam responso. *Laert. l. 4.*

Democritus dicere solebat: Prudentia esse futuram iniuriam præcauere, Indolentiæ vero, quod factum est, non vlcisci. *Stob. serm. de Prudentia.*

Heraclitus dicebat, iniuriam magis extinguendam quam incendiū: Ex leuissimis offensis, si negligantur, nascuntur atroces Tragœdiæ. Sed ad restinguendum incendium, accurrunt omnes: gliscenti vero simultati citius addunt irritamenta. *Laert. l. 6.*

Socrates frequenter dicere solitus est. Peius esse iniuriam facere, quam ferre, sensit enim non semper malum esse qui iniurijs afficitur: sed potius hunc, qui bonis iniuriam infert. *Brusonius libro 3.*

Idem. Quum in via quidam illi per lasciniam calcem impegisset, admirantibus quod id pateretur: Quid facerem, inquit illis hortantibus, vt vocaret hominem in ius: Ridiculum, inquit, si quis asinus me calce percussisset, diceretis mihi: Voca illum in ius? Nihil putabat interesse inter asinum, & hominem brutum, nullaque virtute præditum: ac vehementer absurdum videri, non pati ab homine, quod ab animante bruto passurus sis. *Laert. lib. 2.*

Idem. Cum non irasceretur illi a quo conuicijs multis aspersus esset, obiurgatus cur taceret? Mihi, inquit, suis dictis non obest, quandoquidem talis non sum, qualem ipse me esse dicit. *P. M. l. 3. apoph.*

Idem. Cum Xantippe in publico pallium marito detraxisset, ac familiares admonerent, vt tantam iniuriam manu vlcisceretur: Pulchre, inquit, nimirum vt nobis colluctantibus acclametis, Eia Socrates: Eia Xanthippe: Nam huiusmodi vocibus spectatores animant duos inter se commissos. Maluit autem vir sapiens tolerantiæ exemplum de se præbere, quam ridiculum exhibere spectaculum viri cum vxore certantis. *Laert. l. 2. c. 1.*

Idem. Quum Xanthippen diu rixantem tulisset in ædibus, ac tamdem fessus consedisset ante fores, illa magis irritata quiete viri, de fenestra perfudit eum lotio. Ridentibus qui præteribant, & ipse Socrates arridebat dicens. Facile diuinabam post tantum tonitru sequuturam esse pluuiam. *Laert. l. 3.*

Idem. Sunt qui putent Socratem simul aluisse domi duas vxores, Myrrho & Xanthippen, Proinde demiranti cuidam, in quem eumdem vsum aleret duas mulieres, præsertim rixosas, nec eas domo exigeret? Hæ, inquit, me domi docent tolerantiam: qua in publico vtendum est: harum moribus exercitatus cōmodior ero ad aliorum consuetudinem. Hunc percontatorem A. Gellius facit Alcibiadem.

Idem. Alcibiadi demiranti, quod Xaothippen supra modum rixosam domi perpeteretur: Ego, inquit, iam pridem his sic assueui, vt non magis offendar, quam si rotæ, quæ aquam educit è puteo, stridorem audiam. Nam is stridor molestissimus est insuetis: eumdem qui quotidie audit, adeo moleste non fert, vt se audire nesciat. *Laert. lib. 2.*

Idem. E palæstra redeuntem Euthydemum casu factus obuius, duxit ad cœnam. Illis autem inter se multa commentantibus

Xan-

Xanthippe irata surrexit, multaque in maritum dixit conuicia: quibus, cum ille nihil commoueretur, tandem & mensam subuertit. Quum autem Euthydemus valde perturbatus, surgensque abire cœpisset: Quid habes? inquit Socrates, nonne nuper hoc idem accidit domi tuæ, vt Gallina subuolans euerteret, quæ erant in mensa: Ego tamen ob id non indignabar. *Laertius libro secundo.*

Idem colapho percussus a quodam in via, nihil aliud respondit, quā quod homines nescirent, quando prodire deberent cum galea. *Simile quiddam Laertius adscribit Diogeni l.6. sed Brusoni l.5.c.1. Socrati, quemadmodum & alij.*

Idem. Quum in Aristophanis comœdia acerbis conuicijs proscinderetur, & astantium quidam diceret: Cur hæc non moleste fers? non ægre, inquit, in theatro fero cum hic personis omnia laceant. *Laert. lib.2.c.1.*

Plato, quodam ei maledicente: Perge, inquit, maledicere, qui bene numquam didiceris. *Stob. serm. 12.*

Diogenes, pinguem falsum a quodam in facie quum accepisset, nihil motus ait: Affirmabo, falli omnes, qui negarint te os habere. Solidam illam contumeliam non modo æquo animo tulit Cynicus, sed ioco etiam irrisit. *Brusonius libro quinto, capite primo.*

Idem. Cuidam dicenti: Multi te derident, ô Diogenes: Et illos, inquit, fortassis asini. Altero subijciente, sed illi nō curant asinos. Nihilo magis, inquit, ego ipsos. Asinis irrisionem tribuit, quod subinde nudatis dentibus irrisionis speciem præbeant. Quin & deridentes quempiam, mota ab aure manu imitantur asininas auriculas. Videtur igitur & asinus motis auriculis irridere homines, nemo tamen offenditur. *Laert. lib.6.*

Idem. Conuicijs lacessitus a quodam de crimine proditionis infami: Gaudeo, inquit, me tibi factum inimicum: quando tu nō hostes, sed amicos lædere soles. *P. M. lib.8. apoph.*

Idem, Platoni ipsum ob vitæ sordes canem appellanti: Sane, inquit, nam ad eū qui me vendiderant recurri. Solent enim canes si vendantur ad veteres dominos recurrere. Non offensus est conuicio, sed commode interpretatus est. Quum Aeginam nauigaret, interceptus est a piratis, atque in Cretam productus, ibique venditus. *Laert. l.6.*

Idem. Cum de ferenda iniuria disputasset, adolescens proteruus veluti periculum faciens, an re præstaret ea, quæ docebat: inspuit illius faciem. Tulit hoc leniter: Non quidem, inquit, irascor, sed dubito tamen an propter id irasci oporteat. *Laertius libro 6.*

Idem. Ei a quo trabe fuerat percussus, dicenti: Caue. Num inquit, iterum me ferire vis? *Brus. lib.3.*

Idem. Cuidam ipsi dicenti, plurimi te derident: At ego, inquit, non derideor. Id autem videtur dicere, vt aliquis te percutiat, tu tamen non percutiaris: sed Diogenes negauit se rideri, siue quod non esset ridiculus, siue quod existimaret hominum irrisionem nihil ad se pertinere. *Laert. l.6.*

Cleantes appellatus asinus agnouit conuicium, dicens se solum esse parem ferendæ Zenonis sarcinæ. Siue quod Zenoni non multū esset supellectilis, siue quod vnius illius austeritate nihil offenderetur. *Laert. l.6.*

Antisthenes. Qui nos maledictis incesserent, eos magis tolerandos dicebat Antisthenes, quam qui nos lapidibus impeterent. Verba enim non lædunt, si quis contemnat. Vide vero num forte hic sit sensus: tolerantiores esse, qui conuicia patienter ferrent, quam si quis lapidibus impetitus ferat. Quorumdam enim dicta grauius sauciant, quam lapides. Quod si iocaturum esset graui viro lapidibus repetere a quo petitus fuerat, æque indecorum sit in conuiciantem regerere conuicia. *Laertius libro sexto.*

Idem. Quum accepisset, Platonem de ipso male loqui, nihil commotus: Regium est, inquit, quum feceris bene, audire male. Quamquam hoc idem alijs adscribitur. Excelsi animi est ingratitudine hominum non deterreri a studio bene merendi de omnibus. *ibid.*

Solon despuentem quemdam ferebat. Quum autem alter quidam eum propterea accusaret: Atqui, inquit piscatores, vt gobium vnum capiant, patiuntur se aqua marina conspergi: ego idem ferre non sustineam, vt hominem capiam? *Max. ser. 42.*

Idem dictum est ab Aristippo, quem Dionysius tyrannus conspuerat. *Laert. l.2.*

Idem. Quum a quodam conuicijs incesseretur, tacitus abijt, verum quum maledicus sequeretur abeuntem dicens: Cur aufugis? Ideo, ait, tibi siquidem potestas est loquendi ea, quæ vis, mihi vero data est potestas ea non audiendi, quæ audire nolo. *Laert. lib.2.*

Anacharsis ab adolescente in conuiuio pulsatus: Adolescens, inquit, si nunc vinum non fers, aquam feres cum senueris. Moderationis erat, & patientiæ, quod adolescentis proteruiam vino imputauit. *Laer. l.1.c.9.*

Dion, Alexandrinus, multis conuicijs, ac probris a quopiam lacessitus, non respondit. Ceterum, vbi intra ædium suarum vestibulū venisset (nam eo vsque conuiciator fuerat insectatus) nihil se turbatum ostendens, hoc tantum dixit. Ne gry quidem maledictis tuis respondeo. *Stob. ferm. 19.*

Demosth. a quodam conuicijs lacessitus: Nolim, inquit, tecum in hoc genus certaminis descendere, in quo qui vincitur: ipso victore melior est. *Stob. serm. 19.*

Aristides, quum iret exulatum, sublatis in cœlum manibus Deos comprecatus est, sic prosperarent res Atheniensium, vt illis Aristides numquam veniret in mentem. In rebus enim afflictis solet populus ad egregios viros confugere, id quod euenit. Siquidem tertio post anno, quum Xerxes Atticam adoriri statuisset, Aristides ab exilio reuocatus est. *Plut. in eius vita.*

Phocion. Quum apud Athenienses verbum faceret pro concione, reprehendens in ipsis ingratitudinem, subita voce dixisse fertur. Malle se damnum ab alijs accipere, quam damnum etiam pro meritis inferre. *Aelian. l.4. de var. hist.*

Idem. Iniuria van... suæ facta, tantum ab authoris accusatione abstinuit, vt cum ille sponte metu perculsus Phocionem accederet, & veniam postularet inquiens, ignorasse, quod eius vxor fuisset, in quam iniuriosus fuerat, hoc sermone sit vsus: Mea quidem vxor nihil abs te affecta est, sed fortassis alia quæpiam: proinde nonest, cur excusationem apud me dicas. *Mus son. apud Stob. serm. 17. Idem de Pisistrato refert Plut.*

Idem, Phocioni cum poculum cicuta temperatum porrigeretur, percontatus est quispiam, si quid filio vellet dicere, mandaret: Ego, inquit, tibi, fili præcipio, atque etiam obsecro, ne quid ob huius rei memoriam Atheniensibus male velis. Ceteris morientibus præcipuum solatium esse solet spes vindictæ: huic illud curæ fuit, ne filius patris iniustam necem vlcisceretur. *Plut. in apoph. Aelian. l.12. de var. hist.*

Idem, Post Antipatri obitum, quum Atheniensium Respub. ad gubernationem popularem rediisset, Phocion in concione capitis damnatus est. Atque huius quidem amici ceteri, qui simul cum illo damnati fuerant, flentes ducebantur: Phocion autem tacitus ibat. Cui ex inimicis quispiam factus obuius, post conuicia in faciem expuit. Tum Phocion ad magistratus respiciens: Non hunc, inquit, compescet aliquis indecore se gerentem? De tam atroci contumelia questus non est, nec flagitauit vindictam aduersus eum qui præter leges sæuiret in hominem damnatum: tantum cohiberi iussit exemplum bonis moribus aduersum, & immane facinus non aliud quam indecentes mores appellauit. *Plut. in apoph.*

Idem. Phocionem, quum pro concione dicentem quidam petulantissime maledicus interpellaret, multis conuicijs in illum debacchans, omisit quod cœperat, locumque dedit maledico. Postquam ille vix dicendi fecisset finem, Phocion reuersus in suggestum placido vultu, perinde quasi nihil esset dictum, cœptam orationem persequutus est. De peditibus, inquit, copijs audistis: superest vt de velitibus, ac leuis armaturæ milite dicam. *Plutarch.*

Timotheus dicebatur dux fortunatus. Huic inuidentes nonnulli, pinxerant ciuitates vltro se retii implicare, ipso dormiente. Hac contumelia nihil offensus Timotheus, ciuiliter respondit. Si tantas vrbes capio dormiens, quid faciam vigilans? *Plutarch. in apophthegm.*

Telecrus ad fratrem ciues criminantem, quod asperius secum, quam cum illo se gererent: Tu, inquit, iniurias pati nescis. *ibidem.*

Agesilaus audiens quosdam clam sibi infensos esse, non tantum de vltione cogitauit: sed in militum duces elegit, & magistratus ac cæteros defendit, hac arte ea hostibus sibi amicissimos reddidit. Qua prudentia quid vtilius, qua mederi malenolis maluit, quam vlcisci? *Plut. in Lacon. apoph.*

Idem. Ad Larissæos, qui non iuuerant res hostium, Xenoclem & Scythen legatos misit, vt amicitiam inirent. Verum hos quum Larissæi contumeliose tractassent, alij hoc factum grauiter tulerunt, & admonuerunt Agesilaum, vt hoc factum contra ius gētium admissum, admoto exercitu vlcisceretur. At ille negabat se vel vniuersam Thessaliam hac conditione velle capere, vt ex his quos miserat alterius faceret iacturam: amissurus vtrûque si illos bello lacessisset. *ibid.*

Agis vltimus cum captus ab Ephoris condemnaretur, aciam duceretur ad mortis supplicium, vidit quemdam rei indignitate ad fletum moueri. Cui ait: Desine meas vices flere. Morior enim præter ius & æquum, sumque multo melior his qui me occidunt. *ibid.*

Lysander. Quum multa contumelijs a quodam assidue afficeretur: Dic, inquit, ô amicule, dic, dic, nihil omittas, si qua tuum animum malis quibus videris plenus, valeas exonerare. Ingentis animi argumentum, oe ira quidem dignum arbitrari maledicum, quum in promptu esset vltio. *Plut. in Lacon. apoph.*

Lycurgus, post reformatam Rempublicam cum a populo fere dilapidatus esset, in ea seditione Alcander pertinacius insequens fuste respicienti Lycurgo in tergum, eff... oculum. Verum

huoc Alexandrum cum noxæ deditum publico decreto accepisset puniendum, nec vllo affecit incommodo, nec incusauit: sed cum illum sui instituti socium haberet, effecit, vt & ipsum Lycurgum, & vitæ rationem, quã cum eo egerat, prædicaret: nec victum modo, sed vniuersam ciuium educationem amaret, quã Lycurgus induxerat. Porro mali quod acciderat monumentum locauit dicatum in templo Mineruæ, cui ab æreo delubro nomen Chalciœco deæque cognomentum addidit, vt Optileus diceretur: nam Dores Lacedæmonem incolentes, oculos optilos vocant, ab ὄπτω, quod Græcis sonat video. Insignis tolerantiæ exemplum, quæ ex hoste capitali reddidit amicum, ac propugnatorem: quem etiamsi necasset, vt ipsi licuit: nihilo tamen minus ipse fuisset luscus, & vno legum suarum defensore minus habuisset. *Plut. in Lac. Stob. ser. 17.*

Anonymus. Duo pueri inter se pugnabant, quorum vnus alteri lethale vulnus inflixit. Puerorum autem sodales, cum saucius ille moriturus esset, polliciti sunt illi vindictam, seque vulneris authorem interfecturos. At ille, Nequaquam, inquit, per Deos. Nõ enim æquum est, quandoquidem & ipse hoc facturus eram, si anteuertissem, sique strenuus fuissem. Indolem vere Laconicã, qui victus ac moriens, iusto tamen victori fauebat: quod virtute, non dolo superasset aduersarium. Quid talibus ingenijs felicius si a teneris ad veram virtutem fuissent instituta, potius quã militarem duritiem? *Plut. in Lacon.*

Alius quidam Laconi dixit: Mentiris, ille contra. Nimirum, inquit, liberi sumus, alij vero nisi vera dixerint vapulant. Nihil commotus est Lacedæmonius, sed atrox conuicium elusit ioco, obiter taxans maledicum, quod ipse non esset Lacedæmonius, atque ob id nec liber. Porro serui si quid fallant mendacio, loris emẽdantur. *ibid.*

Lacones cum Deos comprecantur, hoc votis addunt: Vt possint iniuriam pati, quod neminem iudicarent ad gerendum imperiũ, aut alioqui ad magnas res obeundas idoneum, qui quauis iniuria commoueretur. *Plut. in Lacon. apoph.*

Archelaus, quum a quodam aqua conspersus esset, amicis illum aduersum eum qui hoc fecerat inflammantibus: Imo, inquit, non me conspersit, sed eum quem esse putauit. Quid hac moderatione ciuilius? Hoc exemplo, facile decet ijs ignoscere, qui licet in præpotentem, tamen imprudentes delinquunt. *Plut. in apoph.*

Demonax, Quum athletam reprehendisset, quod victor in Olympijs cultu molli vteretur, lapidem ille iracundus incussit in caput, ita vt sanguis e vulnere profflueret. Id factum indigne ferentes qui aderant, hortati sunt, vt adiret proconsulem: nequaquam, inquit, o viri, ad proconsulem, sed ad medicum ponus. Prius esse debet hominis, vt malo accepto medeatur, quam vt regerat in alterum. *P. M. l. 8. in apoph.*

Pausanias. Quum Atheniensium exules hortarentur Pausaniam, vt aduersus Athenienses moueret exercitum, dicerentque, quod quum in Olympijs præconis voce pronunciaretur victor, soli Athenienses ipsum exsibilassent. Cum hoc, inquit, fecerint in bene meritum, quid facturos creditis, si illis male fecero? Insigne moderationis exemplum, nihil tã atroci commoueri contumelia, at idem ingenij mire solertis argumentum, quod offerebatur, velut instigaturum Pausaniæ animum ad suscipiendum bellum, id in partem diuersam retorquere. *Plut. in Lacon. Idem supra tit. de Malitia, attribuitur Philippo Regi Macedon.*

Agathocles. Obsidens vrbem quamdam nonnullis è muro conuicia in ipsum iaculantibus, dicentibusque, Figule, vnde militibus tuis persolues stipendium? Ille placidus adridens respondit: Quum hanc cepero. At eum vi be vt potitus esset, venderetque captiuos dixit: Si me denuo conuitijs affeceritis, apud heroa vestros querar de vobis. Ciuiliter illis exprobrans, & intempestiuam maledicentiam, & seruitutem maledicẽtiæ præmium. *Plut. in apoph.*

Epaminondas. Ciuium suorum iniurias patientissime ferebat, dicens esse nefas irasci patriæ: quemadmodum parentum iniurias vlcisci pietas vetat. *P. M. l. 5. apoph.*

Alexander. Cum accepisset esse quemdam qui conuicijs ipsum impeteret: Regium est, inquit, quũ facias bene, audire male. Nihil hoc dicto generosius, quamquam idem & alijs ascribitur. *Plut.*

Antigonus. Nocte quadam milites imprecantes regi audiens, nil dixit aliud, postquam incognitus eos è lutosa via extricasset, quã: Nunc conuicijs aspergite Antigonum, cuius vitio nunc laboratis: & benedicite eidem, qui ex his vos ærumnis liberauit. *P. M. l. 4. apoph.*

Idem. Cum in exiguo quodam castello Græci obsiderentur, & loci fiducia contemnerent regem, ob corporis deformitatem, ac nunc staturam humilem, nunc collisum nasum deridentes: Gaudeo, inquit, & boni quippiam spero, quandoquidem & Silenum habeo in castris. Quasi diceret, sensuros eos esse suo tempore virum quem nunc deridentur. *P. M. l. 4. apoph. Vide prouerb. Silenus Alcibiadis.*

M. Cato a quodam in balneo percussus, obiurgatus ab amico, cur hoc pateretur? ait: Non memini me percussum esse. Sensit eam iniuriam æquo animo ferendam esse, cujus dolorem non diu sentias. *Plut.*

Idem. Quum Catoni causam in foro agenti, Lentulus attracta pingui saliua in mediam frontem quantum poterat expuisset, abstersit Cato faciem, ac dixit: Affirmabo omnibus Lentule, falli eos qui te negent os habere. Os habere negantur, quos nihil pudet: id quum eo facto maxime declarasset Lentulus, tamen Cato ludens profitetur illi esse os, non quod erubesceret, sed quod ore multam purulentiam eiacularetur. *P. M. l. 5. apoph. Idem supra Diog. tribuitur est a Brusonio.*

Tiberius Cæs. in senatu dictis quorumdam hominum parum honestis aspersus, admonitus vt maledicos puniret: Non tantum, inquit, habemus ocij, vt implicare nos pluribus negocijs debeamus; Si hanc fenestram aperueritis, nihil aliud agi sinetis. *P. M. 6. apoph.*

Idem. Quemadmodum iocis, conuicijs, famosis carminibus, ac rumoribus frequenter impeteretur, amicis ad vltionem hortantibus respondit: In ciuitate libera, linguam mentemque liberam esse debere. *ibid.*

Theodosius ab amicis interrogatus, cur neminem eorum a quibus afficeretur iniuria, capitis supplicio damnaret? Vtinam (inquit) mihi daretur, & mortuos ad vitam reuocare. Docuit hoc dicto sapientissimus princeps ad priuatas iniurias hominem debere esse facilem ad ignoscendum. *P. M. l. 8. apoph. ex hist. Eccl.*

In Fridericum Cæsarem tertium, cum nonnulli dicta probrosa iactassent, referentibus aulicis: An nescitis, inquit Fridericus, principes quasi signum ad sagittam expositos esse? Turres quidem sigura præaltas feriunt, humilia tecta prætereunt. At nobiscum bene agitur, si verbis tantum impetimur. Innuens eum qui conuicia, velut dicta, quibus nihil lenius, formidat, vix toleraturum populantium impetum. *Æneas Silu. lib. 1. Comment. de reb. gest. Alphons. 1.*

Alphonsus nonnullos de se bene meritos, sed ipsum probris clam solitos lacerare, cum audisset: Regum esse, inquit, non solum benefacere, sed mala etiam patienter audire. Legerat nimirum rex prudentissimus, Lacones Deos comprecatos, vt possent iniuriam pati, quod neminem iudicarent idoneum ad gerendum imperium, qui quauis iniuria commoueretur. *Panor. l. 1. de reb. gestis Alphonsi.*

Idem audiens a suis, quantum maledictis proscinderetur ab inimicis suis, respondit: In huiusmodi iniurijs non quid dicatur, sed a quo dicatur, in primis animaduertendum. *Idem lib. 3. de reb. gest. Alphonsi.*

Idem intellexit se multis maledictis a quodam apud exteros traductum esse, qui tamen mox accessit imploraturus eius auxilium. Nec tamen indecore se gessit: imo parum hoc referre dixit: se enim benefacturum potius, quam vanæ dictorum memorem esse. *Panor. l. 1. de reb. gest. Alphonsi.*

Ludou. XII. Gall. rex. Lugduni, viuente Carol. VIII. rege, deprehensus a quibusdam aulicis, multos verborum contumelijs vexatus est: Carolo mortuo, propter Ludouici ad regnum receptionem turbati aufugerunt. sed ille absentes sua sponte reuocauit, pristinæque restituit dignitati, dicens: Priuati personam exui: Rex constitutus hæc maledicta non curo, neque vlcisci decreui. *Annal. Franc.*

Alexander cum in Hammonis templum venisset, interrogauit sacerdotem senem a quo filius appellatus erat, num quis eorum superesset qui patrem Philippum interfecissent? Ostendit hoc dicto rex potentissimus, iniuriam & fixam animo suo vltionem, quam parabat erga eos, qui Philippum patrẽ offendissent. *Plut. in vita Alex.*

M. Brutus. Rebus in summam desperationem adductis, quum è ducibus atque amicis paucos apud se haberet, sublatis oculis in cœlum stellis plenum, dixit hunc versiculum Græcum è tragœdia quapiam:

> *Ζεῦ, μὴ λάθοι σε τῶνδ' ὃς αἴτιος κακῶν.*
> *Nec te lateat, o supreme Iupiter,*
> *Horum malorum quisquis author extitit.*

Veluti imprecans Cæsari vindictam a Dijs. *P. M. lib. 4. apoph.*

C. Figulus in petitione consulatus repulsam passus est. Id eo grauius tulit, quod patrem haberet bis consulem. Ad hunc cum postridie comitiorum complures venissent consulendi gratia (nam erat iuris ciuilis peritissimus) omnes dimisit, ita præfatus: Omnes consulere scitis, consulem facere nescitis. *P. M. l. 6. apoph.*

Seuerianus. Hadrianus Imperator Seuerianum, & Fuscum huius nepotem, eo quod moleste ferre viderentur, Commodum Lucium imperij successorem designatum, iussit occidi: quorum ille nonagenarius erat, hic annos natus decem & octo. Senex autem quum esset iugulandus, poposcit ignem, incensoque thure dixit: Vos Dij testor, me nihil sceleris commisisse, nec aliud imprecor Hadriano, nisi vt quum volet mori, non possit. Idque euenit adeo vt barbarus conductus qui ferro mortem pro beneficio daret, aufugerit. *Suet. in vita Hadria.*

Theodosius. Aliquando ex familiaribus cuidam dicenti, neminem

minem illorum ab eo morte molestatorum esse qui inimici ei fuissent respondit, Vtinam etiam eos in vitam reuocare possem, qui iam dudum mortui sunt. *Niceph. Callist. lib. 14. c. 3. Eccles. histor.*

Macarius Aegyptius, monachus, vir omnium sanctissimus olim habitus, percontantis, cur humanarum iniuriarum memoria hominibus adeo molesta esset, diabolicarum autem contumeliarum recordatio non item? Propterea inquit, quod prior illa affectio præter naturam, posterior autem secundum iræ naturam esset. *Nicephorus Callist. lib. 11. c. 43. Eccles. histor. Ex Euagrio.*

S I M I L I T V D I N E S.

Chrysostomi. Sicut malefactorum plurimos carcerem diutissime incolere permittit iudex, adeo vt plerumque vitam illic finiant, & cum ex multis aliquos punire vult, vnum ex illis, aut duos eminentiori loco statuens, circumstantibus omnibus ita demum ad mortem duci præcipit, atque ad terrorem cæterorum, sic vt eodum sibi omnibus consulet: Ita Deus cum nos emendare vult, non omnes vna malos punire necessarium existimat, sed aliquos sapiens ex iis, quos nunquam corrigendos nouit, potentiam atque iram ostendit suam; plurima ex hac vtilitate moliens: quippe malos ad execranda, si velint, vitia hortatur, & bonos cautiores efficit. *Lib. 1. de prouidentia.*

Qui placari non potest, nisi vlciscatur eum qui prouocauit, similis est pueris qui placari nolunt, nisi mater pauimentum pulset, aut rem inanimatam obiurget. *Hom. 30. tom. 4.*

Quasi ignem gestans, seque ipsum comburens vt alicui noceat, est, qui gestat iram, & quærit vindictæ tempus. Ipse multo tempore torquetur, vt alterum modicum torqueat: imo forte nunquam dabitur occasio. *Hom. 30. tom. 4.*

Sicut se excusans super irato dictis vel factis dicit, Ego illa non dixi vel feci: iræ sunt verba: Idem est, ac si diceret, Manus sunt, non vulnera. *Ibid.*

Vti stulti agunt canes, saxa mordere conantes, quando iacientes attingere non possunt: Ita & illi qui homini irato conuiciantur, aut alias vlciscuntur. Ipsi enim sunt ita, vel diabolo potius, instigari, & iactati. *Ibid.*

Theophylacti Proinde ac medicus, simul ac inflammantem & saniem fertam partem, latentem tamen seruauerit, indicat necessariam esse sectionem: hoc ipsum Scriptura nominat indignationem, post hoc iudicium insequitur sectio, cruciatum parans in eo qui sinditur: atque illud ira Dei dicitur. *In c. 4 Iona.*

Thalassij. Vt in cœno aromata non inueniuntur: Ita neque charitatis suauecolentia in anima iniuriarum memori. *Ad Paulinum presbyterum.*

Plutar. Cibo iuxta naturam vtitur is, qui esurit: At vindicta debet, vti, qui nec sitit eam, nec esurit. *In Moral.*

Vt pater videns puerum volentem incidere quippiam, ipse arrepto ferro id facit: Ita ratio vindictam eripiens iræ, vtiliter castigat. *In moral.*

Ab sciensis. Mater modo lactat filium, nutrit, fouet, modo flagellat, & increpat: magis tamen procedit de pietate materni pectoris fouere, nutriri, quam flagellare: hoc naturali pietate facit, illud a filio prouocata: ita & filius Dei naturaliter bonus nobis exhibet pietatem: prouocatus nostris peccatis facit vltionem. *de natiuitate Christi.*

Lactantij. Si quis habeat rem, domum, familiam, seruique eius contemnentes patientiam domini omnia inuaserint, ipsi bonis eius fruantur, ipsos familia eius honoret, dominus autem contemnatur ab omnibus, derideatur, relinquatur: verumne sapiens esse possit, qui contumelias non vindicet, suisque rebus eos perfrui patiatur, in quos habeat potestatem? Quæ tanta in quoquam potest patientia reperiri: si tamen patientia nominanda est, & non stupor quidam insensibilis? Sed facile est ferre contemptum. Quid si fiant illa, quæ a Cicerone dicuntur? Etenim quæro si quis paterfamilias liberis suis a seruo interfectis, vxore occisa, incensa domo, supplicium de seruo nunquam acerrimum sumpserit, vtrum is clemens ac misericors, an inhumanus & crudelissimus esse videatur? Quod si eiusmodi facinoribus ignoscere crudelitatis est potius quam pietatis: non ergo virtutis in Deo, ad ea quæ iniuste fiunt, non commoueri. Nam mundus tanquam Dei domus est, & homines tanquam serui: quibus si ludibrio sit nomen eius, qualis aut quanta patientia est, vt honoribus suis cedat, praua, & iniqua fieri videat, & non indignetur? quod proprium & naturale est ei, cui peccata non placent. *De ira Dei, cap. 17.*

Sicuti nos potestati nostræ subiectos coercere debemus: ita etiam peccata vniuersorum Deus coercere debet: quod vt faciat, irascatur necesse est: quia naturale est bono, ad alterius peccatum moueri & incitari. *Lib. de ira. c. 2.*

Seneca. Quemadmodum reus paribus sententijs absoluitur: Sic sapiens vbi paria maleficijs merita sunt, magis meminit benefactorum, quam iniuriarum. *Apud P. M.*

Plinij. Aspis pestilentissimum malum non vagantur, nisi cum compare, ea interfectorem pertinacissime persequitur. Ita tyrannicidium, aut alium tyrannidis successorem adiungunt, ne desit vltio si quid acciderit. *Lib. 8. c. 23.*

P. M. Quædam remedia tristiora sunt ipso morbo, vt satius sit oppetere mortem, quam his aucupari salutem: velut sugere sanguinem è vulnere recenti gladiatorum morientium: Ita quandoque satius ferre iniuriam, quam maiore incommodo vlcisci: ferre pacem, etiamsi parum commodam aut æquam, quam bellum cum immensis malis suscipere. *In Similibus.*

Thrinen Boni filij non solent iniuriam inuicem reponere: sed patri deponere: Ita Christiani illatum malum non debent referre, sed cœlesti patri vindictam credere. *In apoph. 121.*

A D A G I A.

Canis vindictam κυνὸς δίκην.

In eos, qui præter expectationem pœnas dant ijs, quos aliquando læserunt.

Ornatus ex tuis virtutibus.

Terentius in Adelphis ironice loquitur: Si regnum possiderem ornatus esses ex tuis virtutibus. Id est, haberes premia tuis factis digna.

Reperit Deus nocentem. εὗρε θεὸς τὸν ἀλιτρόν.

Quum vltio contigit improbis, quasi diuinitus immissa.

Sero Iupiter diphtheram inspexit. Ζεὺς κατεῖδε χρόνιος εἰς τὰς διφθέρας.

Senarius prouerbialis in eos, qui sero quidem sed aliquando tamen pro male factis dant pœnas.

Semper virgines furiæ, ἀεὶ παρθένοι ἐριννύες.

Prouerbium obscurius deterret a peccando. Erinnes enim malefactorum vltrices corrumpi non queunt, quo minus pœnas sumant de ijs, qui commeruerunt atque hac gratia dictæ virgines.

Mali bibunt improbitatis fœcem.

Dici solitum, vbi pœna maleficis digna meritis contigisset. Darnach man ringt, darnach gelingt Darnach werck, darnach lohn.

Sus acina dependes. ἀποτίσεις χοῖρε γίγαρτα.

Quadrabat vbi pusillum commodi magno dependitur malo.

Es wird dir bekommen, wie dem hune das gras. Es wird dir dein lieben halss kosten Du wirst es noch mit der haut bezahlen.

Platiadæ. πλαταιῶν καὶ πηδάλιον.

Plutarchus ostendit, dici consueuisse de deprehensis adulteris & contumeliose sicut merentur, tractatis.

Hipparchorum tabulas Ἱππάρχων πίναξ.

Dici conueniet, quoties haud impune significabimus si quid peccatum.

Habet.

Quum obtigit alicui quod expetiuit, aut quo dignus est. Terent.

Longæ regum manus.

Quod ab Ouidio scriptum est.

An nescis longas regibus esse manus?

Nimirum quod per suos, quibus brachiorum vice vtuntur, possint etiam procul dissitos affligere.

Scarabæus aquilam quærit κάνθαρος ἀετὸν μαιεύεται.

Quum imbecillior atque impotentior mali quippiam molitur, struitque insidias inimico longe potentiori.

Promeri canes.

Dici solitum, vbi quis nouo casu pœnas daret iis, quos aliquando læsisset. Diogen.

Improbi consilium in extremum incidit malum. ἡ δὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη.

In eum qui postquam diu peccauit impune tandem in calamitatem incidit, vt pœnas omnium scelerum dependat. Der Krug gieng solang zum bach, biss er endtlich zerbrach.

Il y ei gires, αἶγες Ὀθυρεῶνα ἐπαρει.

Quod dici consueuit, quoties sceleribus nouo quodam & improuiso casu proditis scelesti pœnas dant ijs, quos læserunt.

Dij laneos habent pedes. *Plut.*

Ænigma prouerbij indicat, Deos ad scelerum vltionem lente quidem procedere, sed tamen aliquando de malefactis pœnam sumere vel inopinato.

Oetæus genius. Οἰταῖος δαίμων.

Diogenianus inquit, hunc ferociam & arrogantiam non finere inultam.

Adrastia Nemesis. Rhamnusia Nemesis. Ἀδράστεια Νέμεσις.

Locabit vti, vel in eos, quibus ob insolentiam arrogantiamque fortuna ad commutationem minatur: vel qui a rebus florentissimis ad calamitosam fortunam redacti sunt.

Ad Deorum aures peruenit. εἰς θεῶν ὦτα ἦλθεν.

Vbi factum aliquod clanculum patratum resciscetur ab ijs, qui possunt vel remunerari recte factum, vel punire secus admissum.

Bos lassus fortius figit pedem.

Potest allusum uideri ad hoc quod senes corporis agilitate præpollent: Senes in stataria pugna ac viribus superiores sunt. Hieronymus.

Euenit malo male.

Quum scelerato cuipiam euenit, quod omnes imprecabantur & optabant, vsurpabitur illud Homeri.

Ὡς ἀπόλοιτο καὶ ἄλλος.

Expleuerant inimici precationem Diui.

Mala malis eueniunt.

Sensum est illud Socratis, vt se quisque prastaret re, qualis haberi cuperet. Vnde Eurip. in Hecuba rectissime,

Τὸν μὲν κακὸν
Κακά δὶ πράσσειν, τὸν δὲ χρηστὸν εὐτυχεῖν.
Bonis bona eueniunt, sed malis mala.

Salis onus, vnde venerat, illuc abijt. ἁλῶν φόρτος ὅθεν ἦλθεν αὖθ' ἔβη.

In eos, qui parta male dependunt. Aut in eos qui male parta male dependunt. So gevvunnen, so zerrunnen, vvie es kompt, facit es auch dahin.

Habet musca splenem. ἔχει καὶ ἡ μυῖα σπλῆνα.

Simillimum illi: Et pueri nasum Rhinocerotis habent. Item illi, Inest & formica bilis.

Ductus per phratores canis: ἀγόμενος διὰ φρατέρων ὁ κύων.

Vbi quis inciderit in eos, quibus pœnas det. Φρατρία erat tertia pars cuiusque tribus apud Athenienses. In comitijs autem si quis canis intercurrisset, continuo petebatur a populo.

Iunius Iupiter nouit, Ζεὺς μὲν ἐπείδεν

Vbi quis pollicetur quippiam sed inuitus. Mihi videtur recte quadraturum, vbi sceleris pœnas dant nocentes.

In tergore bouis desedit. ἐπὶ βύρσης ἐκαθίζετο.

Id est, Supplex implorat auxilium. Natum adagium a consuetudine vernacula Scythis. Nam apud hos si quis forte lęsus esset, neque suppeteret vlciscendi facultas, immolato boue carnes minutim sectas coquebat, ipse in tergore bouis strato sedebat, manibus in tergum reductis. Idque maximum supplicandi genus apud illos habebatur. Accedebat quicunque vellet opitulari, & carnium portione gustata, dextroque pede tergori imposito pollicebatur pro viribus auxilium. Atque hoc fœdus apud Scythas sanctissimum habebatur.

Inest & formicæ & serpho bilis. ἔνεστι κἀν μύρμηκι κἀν σέρφῳ χολή.

Nullum est animal tam pusillum, neque tam inualidum, quod lacessitum ob

cupiat vlcisci sese.

Stultus qui patre cæso, liberis pepercit. νήπιος ὃς πατέρα κτείνας παῖδας καταλείπει

Erit vsui adagio, quoties admonebimus, aut non prouocandos homines, aut ita conficiendos, ne in posterum reliqui nos exerceant. Von boeser Art soll man auch Keine iungen lassen bleiben.

Nunc dij beati. Νῦν θεοὶ μάκαρες.

Vox erat ad gaudentis & ad gratulantis quoties nocentibus supplicium meritis dignum contigisset, perinde quasi Dijs & iucundum & honestum sit, vt scelerati dent pœnas. Da lebet Gott. Da frevven sich die lieben Engel.

Super te hæc omnia Lepargę. ἐπὶ σοὶ τάδε πάντα Λεπαργέ.

Hemistichium Heroicum, dici solitum in eum, cui ne post laborem quidem exhaustum datur respirare.

Aous simia sero quidem. γέρων πίθηκος ἁλίσκεται μὲν μετὰ χρόνον δ' ἁλίσκεται.

Anus simia sero quidem capitur, sed tamen aliquando capitur. Vbi versutus aliquis, qui diu elusserit, tandem dat pœnas.

Boliti pœnam. Βλίτε δίκην.

Dicitur, vbi quis de re friuola, nihilique plectitur.

Vel capra mordeat nocentem. κἂν αἲξ δάκοι ἄνδρα πονηρόν.

Nam capra minime alioqui mordax est, nisi quod improbis omnia sunt infesta.

Virum improbum vel mus mordeat. κἂν μῦς δάκοι ἄνδρα πονηρόν.

Quo significatum est quacunque ratione vindictam non deesse malis, sed eos atque pacto meritas dare pœnas. Competit & in eos qui de re quauis minima friuola, rixam mouent, seseque læsos queruntur.

In me hæc cudetur faba.

Terentius in Eunucho. At enim istæc in me cudetur faba. Hoc est, in me malum hoc recidet, in me hæc vindicabitur culpa. Es vvirt mir vber mein halss oder Raecken gehen. Es vvirt vber mich aussgehen.

Obtrectatoris erratum, ἁμάρτημα Ὑπερβόλου.

Id est Obtrectatoris erratum Hyperis vapulant. Quicunque hoc peccant, alius dependit. Qui sit Hyperes nondum constat.

Aeso icos sanguis. Αἰσώπειον αἷμα.

Delphi Aesopum quondam nihil commeritum, interemerunt, vnde & ipsi grauis pestilentia immissa a Dijs puniti sunt.

Auriculam mordicus.

Quum innocentem inimicitiam significamus, impatientemque vindictæ cupiditatem, dicimus; vel auriculam illi tabens mordicus amputasset.

Qui prior læsit.

Homerus ei qui prior lacessieret, minitatur vindictam hoc versu.

Ἐπαγγέλλων
Ἀνδρ' ἀπαμύνασθαι ὅτε τις πρότερος χαλεπήνῃ.
Denuncio
Vlturum me hominem quisquis prior irritarit.

Sortem & vsuram persoluere. καὶ τὸν τόκον καὶ τὸ κεφάλαιον τίνειν.

Dicuntur qui serius quidem sed grauius puniuntur, aut qui differunt vindictam, vt per occasionem lædant grauius. Nam prorogatione crescit vsura.

Deus vlciscetur.

Quum significabimus nobis in presentia deesse facultatem depellendi, vtique optare, vt superi puniant aliquando, vsus fuerit illud Homeri.

Εὐχόμενος ἐπιθέμενος αὐτὸ δεῖται,
Αἴ κε ποθι Ζεὺς δῷσι παλίντιτα ἔργα γενέσθαι.
At il equidem immortales imploraturo diuos,
Si fors Iupiter ipse vices aliquando rependat.

Flagitiorum turpis exitus.

Quum res perperam instituta male cedit, conueniet illud Homeri:

Οὐκ ἀρετᾷ κακὰ ἔργα
Haud bene succedunt facta improba.

Male parta male dilabuntur.

Plautus in Pœnulo: Male partum, male disperit. Festus Pompeius ex Næuio citat. Vbel gevvunnen, vbel verschlungen. Vvie es her Kommen so gehet es vvider dahin.

Mala perditio, κακὴ ἀπώλεια.

Vbi quis pactam mercedem non accipit, quum turpem præstiterit conditionẽ.

Malis ter mala, τοῖς κακοῖς τρὶς κακά.

Hoc est: dignis digna eueniunt.

Miseram messem metere. πανώλεθρον ἀμᾶσθαι θέρος.

E t pro malefactis luere pœnas. Vt sementem feceris, ita & metes.

Vvas du sehest, das vvirstu eyoerndten. Vvie du sehest, so vvirstu Erndten.

Canis sæuiens in lapidem.

In eos, qui mali sui causam imputant non ipsi authori sed alteri cuipiam.

Canis peccatum sus dependit. τὰ κυνὸς κακὰ ἡ ὗς ἀποτίνει.

Canis malis suis dependit. Quoties pro ijs, qui peccarunt alius, alius dabit pœnas. Manchet muss entgelten, das er nicht genossen hat.

Fortis in alium fortiorem incidit. ἀλκίμῳ ἀλκιμώτερος ἀντέτυχεν.

Dici solitum, vbi quis nimium fretus suis viribus aliquando nanciscitur, a quo vincatur. Zenodot.

Ne spina quidẽ vulnerabit bonos. μηδ' ἄκανθα ἀμύξῃ τὸν ἀγαθόν.

Nemo malus fuerit innocenti. Nam spina natura pungit quemlibet sed vbique tutus est innocentia, vitaque integritas.

Sui cuique mores fingunt fortunam, ἰδίοις ἤθεσι τοῦ δαίμων Cornel. Nepos.

E medio vulgo videtur sumpta sententia. Nam plerumque videmus mala malis euenire, digna dignis, idque vulgo dicitant: Malum malum repperit. Ausit autem & versiculus prouerbialis.

Ἐσθλῷ γὰρ ἀνδρὶ ἡ δ' ἀγαθὴ δαὶς ἐστιν.
Viro bono fortuna suppeditat bona.

Fumantem nasum visi ne tentaueris.

Admonet non esse tentandos, qui possint nocere, Martial.

Rabido nec perditus ore
Fumantem nasum viui tentaueris vrsi.

Vindicta tarda, sed grauis.

Vbi qui diu mala patrauit impune, tandem in extremum malum adducitur simulque dependit superiora flagitia, congruet illud Homeri

Νῦν δ' ἄθροα πάντ' ἀποτίνεις.
Nunc cuncta luet semel adglomerata.

Vitanda potentum offensa.

Qui dicit formidandas diuitum & principum offensas.

Χαλεπαὶ δὲ τ' ἀνάκτων εἰσὶ κελαινὴ
Sunt formidanda regum offensaque minaque.

Aratro iaculari. ἀρότρῳ ἀκοντίζειν.

Ar atro iaculari dicuntur qui quippiam incircumspecte faciunt, haud prospicientes, quid sit in posterum euenturum, dat qui sue magis incommodo conantur alterum lædere.

Dulce pomum, cum abest custos, γλυκὺ μῆλον φυλάκος ἐκλελοιπότος.

Quum significamus impunitate malos ad peccandum prouocari. Aqua furti ac dulcedine sunt, inquit Sapiens Hebræus.

Sero molunt Deorum molæ. ὀψὲ θεῶν ἀλέουσι μύλοι.

Dici solitum de ijs, qui licet serius, tamen aliquando pœnas dant malefactorum vindici Deo. Es muss ein armer Vvirth seyn, der mit ein Iren borgen Kan. Lang geborgt ist nicht geschenckt.

EMBLEMA.

Iusta vltio.

Emblema. CLXIII. Andr. Alciati.

Raptabat volucres captam pede coruus in auras,
Scorpion, audaci præmia parta gula.
Ast ille infuso sensim per membra veneno,
Raptorem in Stygias compulit vltor aquas.
O risu res digna! aliqui qui fata parabat,
Ipse perit, proprijs succubuitque dolis.

FABVLA.

De Equo & Ceruo.

Tenuerat equus pratum aliquantisper solus, postea cum in illud & ceruus venitaret, & pabulum coosumeret, cupidus ille vindictæ, quærit ab homine, virum ope ipsius adiutus, iniurias cerui vlcisci possit? Cui respondit homo, posse, frenum si recipiat equus, & se conscendi patiatur ab armato. Annuente autem

equo

equo, tantum abfuit, vt de ceruo speratas pœnas sumere liceret, vt etiam ipsem seruiture deinceps viuere cogeretur.

Fabula monet, nec cum vllo tam graues inimicitias exerceamus vlciscendi illius cupiditate malum etiam nobis non dubitemus accersere. Horatius ita explicat:

Qui pauperiem veritus, potioris
Libertate caret, dominum vehet improbus, atque
Seruiet æternum qui paruo nesciet vti.

Vipera.

Vipera non parere fœtus suos, sed ab his perrodi traditur, quod verum esse multi negant. Sed quæ morsus illos grauida quondam sentiebat, accusasse impietatem suorum fertur, & multum questa fuisse de immanitate erga illos uo. Quibus respondentur hi: Ferendum esse ipsi a se, quod ab ipsa tulerit mater. Quin etiã se patris sui interitum vlcisci. Traditur enim ab hac maris caput mordicus auferri. Feram igitur, mater, sed & vos feretis, inquit.

Fabula scelerum vindictas, & delictorum supplicia congruentia esse docet.

Seruus fugitiuus & Pistrinum.

Fugitiuum seruum aliquantisper quæsitum conspexit quodam tẽpore dominus, quem dum insequitur, vt traheret ad se, ille pœnæ metu & conscientia delicti territus fugere, atque in pistrinum, quod proximum esset, sese abdere. Hic dominus ipso inuento: Quonam, inquit, in loco deprehendi magis idoneo poteras?

Fabula indicat, diuinam vltionem sceleratos & tempore & loco suo manere.

Vide, Vindicta.

VLTIO DIVINA.

SENTENTIAE POETICAE.

Vltio diuina.
Antholog. Sacra Iacob. Bill.

Nulla Deum oblectat miserorum pœna reorum,
Nec scelerum vindex ira mouet placidum.
Omnipotentis enim recta & tranquilla voluntas,
Quidquid decernit continet, hoc statuit.
Vt nullis pateat regis censura querelis,
Cum iuste accipiat debitus ordo malos.

SIMILITVDINES.

Plutarchi: Quemadmodum Ischiacis medici pollicem inurunt, & quum alibi doleat, alibi admouent remedium; Sic Deus oonnunquam vt patres sanet, sæuit in filios. *In Moral.*

Vt medici quibusdam morbis occurrunt, priusquam appareant: ita Deus quædam repente se condunt sub terram, nihilominus eo perferuntur, quo tendunt: Ita numinum iræ licet occultæ, tamẽ in extremas calamitates aliquando nocentes. *In Moral.*

Folengy: Quemadmodum dolor, quo mulier parturiens afficitur, eã vbicunque inuenerit, detinet, nec effugiendi locus est: Sic Ecclesiæ hostes vbi sunt, quum Dei visum fuerit, diuinam vltionẽ experiuntur, omnisque fugiendi adimitur potestas. *In Psalm. 48.*

Vt hoc terrificum est atque horrendum, nauem videre onerariam medio in freto, hinc inde a ventis impeti, agitari, spondasque fluctibus operiri, ingemiscere, rimisque fatiscere, ac suo modo nautarum aliorumque metu examinatorum implorare subsidium: Sic ẽt horrendum, imo horribilius id esse spectaculum, si humanis cerni posset oculis, cum Deus improborum corda multorum scelerum conscia, suo vehementi spiritu, in medio ipso vanitatis ac quæ ambitionis pelago & æstu exagitare cœperit. *In Psalm. Dauidis 48.*

FABVLAE.

Dominus asper seruis.

Erat cuiusdam in seruos magna sæuitia, qui neque illis quicquam temporis indulgeret ad quietem, & victum parcissime præberet. Quondam tempore quum abesse serui, illum putarent lõgius, querentur que secum miserias suas: inter quos fuit temere, seu instinctu quodam diuino: Non ille, inquit, huius anni fruetur vindemia, & me verum dixisse omoes comperietis. Sed dominus audierat hoc, ne forte ab illis non conspectus, accesserat propius, atque perculerat dictum tristius animum ipsius: contemnete eamen illud, & nihilominus durum erga suos se præbere. Com vindemia copiosa fuisset, & vinum intra dolia conditum, recordatus dicti, seruum illum, qui vaticinatus malum sibi esset, poculũ eluere, & multum afferre iubet, quod diceret se illo iouito vindemia sua frui velle. Hic quidem obsequi domino parabat, & Deo eameo volente, dicere debueras, inquit, here: Magnæ enim sæpe res, & mirabiles euentus celeriter existunt. Abi, inquit ille, nugator, & quod iussus perage. His dictis, nunciatur nescio quid in ædibus tumultus oriri. Ille procurrens, vt rem cognoscat & cõponat, de scalarum gradibus in festinatione præcipitatur, & ceruice fracta prius moritur, quam gustasset vindemiæ suæ mustum.

Fabula & diuinam vltionem præsto esse docet, & animi peruicaciam redarguit. Aristotelẽ aiunt narrasse de Ancæo filio Parthenię similem historiam. Cui deridenti seruum, quum poculum iã manibus teneret, subito nunciatum fuerit, hortum in agro, vbi eum forte esset, ab apro vastari, ibique illum procurrentem ictũ dente apri interiisse: quum quidem seruus ante ei, fidens prædictioni suæ, versum commemorasset, qui postea in prouerbium abierit, πολλὰ μεταξὺ πέλει κύλικος, vel (vt alij) κοτύλης καὶ χείλεος ἄκρου.

Aquila.

Ea auis, quam latini aquilam vocant a colore, Græci ἀετὸν, a velocitate, homo fuisse aliquando perhibetur, & quidem locuples, multisque diuitiis abundans, sed omnium mortalium inhumanissimus, & inhospitalitate exsecrabili. Quare irati Dij, quibus hoc scelus est in primis inuisum, eum in illam, quam diximus, auem converterunt, hoc insuper supplicio addito, vt postquam consenuisset, ita ei rostrum incuruaretur, vt cibo sumendo non magis idoneum, cum permitteret pascendo vitam sustentari, ipsa fœdissima morte interiret.

Fabula hoc ait, meritis Deum pœnis hominum scelera vlcisci: Esseque, vt ait Herodotus, Μεγάλων ἀδικημάτων μεγάλας τὰς τιμωρίας παρὰ τῶν θεῶν.

Aquila & Vulpes.

Inijt quondam tempore societatem aquila cũ vulpe, quæ vt vsu familiaritatis confirmaretur, etiam nidos illi vicinos habere visum. Et aquila quidem suum in arbore fixit procera, ac vulpes propinquas arbusculas occupauit. Accidit forte, vt paruulis suis relictis domi vulpes ad quærendum pastum exiret: aquila, cui eo die non suffecit præda oblata, esuriens vna cum pullis suis arreptos catulos necessariæ vulpis in suum nidum deportat, & illis sese ac suos exsaturat. Reuersa paulo post vulpes, vbi rem gestã cognouit, incredibili dolore affecta fuit, quumque suorum interitum ferret iniquissime, tum hoc illam excruciabat, & in desperatum se ab aquila, & vindicandæ tantæ iniuriæ nullam sibi viã apertam esse. Facile enim intelligebat, celeritate illam atque viribus longe præstare. Fecit igitur, quod concedebatur, vt obsequeretur animo suo, & prope arborẽ assistens, maledictis, & conuitiis, non magis iam necessariam suam, sed hostem capitalem infectata, Deos aditam indigni facinoris vltionem a duocauit. Aquila desuper hæc ridere, & illam contemnere. Non diu autẽ post hæc, quum forte eo in loco feriæ essent rusticanæ, & extra mactati pecoris adolerentur, aduolauit aquila, vt conuueuerat, ad exta, quæ dum rapit, adhæsit de fauilla ex carbonibus aliquid, quo in nidum vna cum illis delato, & forte vento exorto, materia, quã oidus congestus fuerat, flamma concepta, excussit, quumque illa incendio dissiparetur, delapsi sunt & pulli aquilæ in terram, semiusti, quos tum vulpes, inspectante aquila, io sua dumeta auferens, in magna lætitia vindictæ deuorauit.

Fabula hæc docet, perfidos & sceleratos, quamuis iniurias & vim potentia sua aliquantisper defendant, numinis tamen animaduersionem & vltionem euadere non solere: secundum Horatianum hoc:

Raro antecedentem scelestum
Deseruit pede pœna claudo.

Accipiter & Luscinia.

Inuolaocrat in arborem accipiter, auras vt captaret. Ibi forte reperto nido lusciniæ, quum prehenderet iam pullos, superueniet mater, & vt suis parcat illum obtestatur, per omnia diuina & humana, cum fletu miserabili. Quid fletu opus est, inquit accipiter, aut precibus? pretio me citius moueris. Quodnam esset, rogantem, ipsa quod persoluere posset, carmen accinere iubet, vt delectetur. Hoc mœstissima mater summo studio, de animo quidem tristissimo, sed ab intimis præcordiis promit. Cumque cessasset: non mihi placuit, inquit accipiter, cantus tuus, neque bellum carmen fuit, & arreptos pullos in conspectu matris deuorauit. Mox ab aucupe, quem in illa insolentia & superbia insidiantem sibi non animaduerterat, captus, non mediocre gaudiũ præbuit miseræ aviculæ, quæ plane diuinitus vindicari iniuriã suam cerneret.

Fabula docet, sæuitiam potentum, inferiorum dolores ludibrio habere, neque cogitare.

Vltorem post caput esse Deum.

VNCTIO

LOCI BIBLICI.

VNctio, pro Spiritu sancto, 1. *Ioan.* 2. v. 20. 27. trãslatione sumpta a consuetudine vnctionum, quæ in lege vsurpabãtur Christi, *Dan.* 9. v. 24. Spiritus sancti est, 1. *Ioan.* 2. 27.

Vnctionis

Vnctionis oleum. *Exod.* 30. 23. *&c.* Vnctio extrema Sacramentum, *Iac.* 5. 14.

Vnctio, vngendi actus, Gr. χρίσις, ἄλειμμα. Heb. *Mischchah*, à verbo *Maschach*, vnxit oleo, *Maschiach*, Messias, vnctus, sacerdotes, Reges, in lege olim Vncti, vt & prophetarum nonnulli.

Vngebantur corpora mortuorum, *Genes.* 50. 2. non vnguntur oleo suo inobedientes, *Deuteronom.* 28. 40. vngebantur Reges. 1. *Samuel* 10. 1. *&* 16. 3. Sacerdotes, *Exod.* 27. 7. Prophetæ, 1. *Reg.* 19. 16.

Sententiae Biblicae.

Vnctio miraculosa.

Exeuntes prædicabant, vt pœnitentiam agerent, & dæmonia multa eijciebant, & vngebant oleo multos ægrotos, & sanabantur. *Marc.* 6.

Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros. *Iacob.* 5. 14.

VNGVENTA

Apophthegmata.

Socrates aiebat, vnguenta relinquenda fœminis, in iuuenibus nullum vnguentum melius olere, quam oleum, quo inter exercendum vtebantur. Nam amaracino, aut foliato, pro unius idem olent seruus & ingenuus. Rogatus quid senes olere deceat: Probitatem, inquit. Rogatus, vbi hoc vnguentum venderetur? recitauit Theognidis carmen.

Ἐσθλῶν μὲν γὰρ ἄπ' ἐσθλὰ διδάξεαι,

Quæ bonus est ab eo bona disces.

Huius generis quædam congerit Xenophon in conuiuio. *P. M. lib.* 3. *apoph.*

Idem quum taxaret vnguentis delibutos. Phædo interrogatus, quisnam adeo vnguentis delibutos esset: Cui respondit Aristippus: Ego, ais, infelix, sed me multo infelicior Persarum Rex. At te vide, inquit, vt quemadmodum hac parte nullo cæterorum animalium est superior, ita nec hominum vllo sis præstantior. Quo dicto sensit, vnguentis & odoribus hominem nihil fieri meliorem cum & equus ballamo oblitus, idem oleret, quod rex: & mendicus vnguento simili delibutus non minus bene olet, quam summus pontifex. *Laert. lib.* 2.

Anacharsis, Oleum dicebat esse venenum, insaniam gignens, eo quod athletas videret vnctos in se inuicem insanire. Nec olei vsum, vt arbitror, nouerant Scythæ: vt quod nec apud illos prouenirct, nec aliunde importaretur. Athletæ non pugnant nisi vncti: putant enim corpus fieri robustius, ac Scytha simulabat se credere illis oleum esse effusum insaniæ. *Laertius lib.* 1. *cap.* 9.

Diogenes nactus vnguentum, eo pedes inunxit, præter morem publicum. Id demirantibus, dixit: Quoniam vnguentum capiti infusum exhalatur in aerem, a pedibus autem ascendit ad nares. Similiter alius reprehendit publicam consuetudinem, qua coronas capiti imponunt: cum magis conueniat infra nares ponere, quod fragrantiæ vapor non tam descendat quam ascendit. *Laert. lib.* 6.

Idem. Cuidam habenti capillos vnguento delibutos, Caue, inquit, ne capitis tui bene olentia vitæ malolentiam adducat: nam Græcarum vocum iucundam affinitatem vtcunque reddere studuimus, εὐωδίαν & δυσωδίαν. Vnguentum enim in viro arguit vitæ mollitiem: sa . a porro velut odor est hominis: Simile quiddam dixit Martialis: *Nanole, non bene olet, qui bene semper olet*, *Laert. lib.* 6. *&* *Stob.*

Idem aiebat, Faciles esse Deos ad donandum hominibus vitam: cæterum hanc ignorari ab his, qui quærunt vnguenta. *Laert. lib.* 6.

Lycurgus vnguenta eiecit è Republica, tanquam olei corruptelam ac perniciem. Nam oleum (inquit) odoribus vitiatum, nullum haber vsum, nec ad esum, nec ad membrorum vnctionem: atque dum rem necessariam ad delicia corrumpunt, fit vt minor sit copia. *Plut. in Lacon. apoph.*

Fl. Vespasianus. Et quum adolescens quidam gratias ageret, pro impetrata præfectura, quoniam vnguento fragrabat, & nutu contemptus est, & grauiter increpatus, Mallem, inquit, Vespasianus, allium oboluisses. Mox & literas concessas reuocauit. *Sueton. in eius vita.*

VOCATIO.

Loca Biblica.

Vocatio, ex Hebræorum idiotismo, interdum declarat ipsius [illegible] initium, quod Deo tribuitur, vt qui solo verbo omnes condat, *Roman.* 4. *v.* 17. Interdum contra vocandi verbo, non essentiæ principium, sed manifestatio Filij Dei significatur, *Luca.* 1. *versic.* 32. 35. Interdum publicam, eamque minime nudam nuncupationem significat, sed quæ cum re ipsa consentiat, 1. *Corinth.* 1. *versic.* 2. *Matt.* 22. *vers.* 3. Interdum vocationis nomine ipsa ministerij Apostolici functio aut vitæ genus significatur. 1. *Corinth.* 7. *v.* 7. 20. *Ephes.* 4. 1. Interdum causa efficiens capitur, a quo videlicet sit illa dignitas, ad quam quis vocatus est, nimirum a Deo. *Roman.* 1. 2. Vocare pro inuitare. *Matth.* 22. 3.

Vocare dicitur Deus eos, ex Hebræorum idiotismo, quos facit existere. Et vicissim a Domino vocari dicuntur, qui existere incipiunt, siue id referatur ad ipsam οὐσίαν καὶ ὕπαρξιν, *Roman.* 4. *v.* 17. siue ad qualitates aut attributa 1. *Corint.* 7. *v.* 20 21. 22. siue ad æternæ consilij Dei publicam declarationem, qua nos certo muneri ac veluti scopo in hoc mundo destinatos quasi in eius possessionem mittit *Romanorum* 1. *v.* 7. 1. *Corint.* 1. *versic* 2. siue id, de quo agitur, sit omnibus sanctis commune. vt cum electioni subordinatur vocatio, *Rom.* 8. 30. siue peculiarem functionem respiciat, vt cum dicit Christus se ab vtero vocatum esse. *Esai.* 49. 1. *Sic Actor.* 13. 2. *Roman.* 1. *v.* 1. 1. *Corinth.* 1. 1.

Vocari, propalam & re ipsa esse ac haberi, Hebraismus, *Luc.* 1. 76. *&* 2. 23. *Matth* 5. *v.* 9. 19. *&* 21. 13. *Marc.* 11. 17. 1. *Ioan.* 3. *vers.* 1. *Rom.* 7. *v.* 3. pro gratis asserei. *Gal.* 5. *v.* 13.

Vocatio Metonymice, non pro ipsa vocandi actione, sed pro illo ipso, ad quod fideles vocati erant, nempe pro cœlestis regni gloria, 2. *Thess.* 1. 11.

Vocationi propriæ sedulo inseruiendum, *Prou.* 27. 8. *Matth.* 8. 22. *&* 10. 5. *Luca* 9. *v.* 2. 3. 60. 61 *&* 10. *v.* 3. 4. 1. *Cor.* 7. *v.* 17. 18. 20. 24. *Eph.* 4. *v.* 1. 4. 1 *Thess.* 4. 11. *Exempla*: Christus, *Matth.* 12. 48 *Luc.* 2. 49 *&* 4. 43. *Ioan.* 4. 34 *&* 9. 4. *&* 17. 4. quidam Dæmoniacus a Christo sanatus, *Luca* 8. 19. Matthæus, *Luc.* 5. *v.* 28. ministri nuptiarum, *Ioan.* 2. 7. Ioannes Baptista, *Ioan* 3. 23. Apostoli, *Actor.* 4. *v.* 20. 33. *&* 5. 4. *&* 6. 2. Philippus, 8. 40. Paulus & Barnabas, 14. *v.* 5. 6 7 *&* 15 36. *&* 18. 6. *&* 20 *v* 20. 24. 26. 31. Paulus 28. *v.* 28. *Roman* 11. 14. *&* 15. 19. 1. *Cor* 9. *ver* 16. 23. *&* 15. 10. 2. *Cor.* 11. 5. *Coloss.* 1. 29 *&* 2. 1. *Tit.* 3. Abraham. *Hebr.* 11. 8. Petrus 2. Pet. 1. *v.* 13. 15. Vocatio gentium, *Matth.* 8. 1c. *&* 22. 9. a Prophetis prædicta, *Rom.* 9. 30 a Moyse, 10. 25. Vocationem & electionem nostram vt bonis operibus firmam efficere studeamus, monemur, 2. *Pet.* 1. 10.

VOLVNTAS.

Definitio et Etymolog.

Voluntas Græce θέλημα, βούλησις, τὸ θέλειν dicitur. Varia voluntatis nomina apud Hebræos 1. *Chephets*, id est, voluntas prompta, voluptas, beneuolentia a *Chaphets*, voluntatē habuit, voluntate plexus est amore & beneuolentia, delectatus est. Gr. ἐπιθυμία, pro, desiderio, 2. *Ebeh*, *&* *Abyonah*, appetitus, desiderium habendi aliquid, voluntas, a verbo *Abah*, voluit, affectum & propensionem habuit erga aliquem, 3. *Ratson*, acceptatio, voluntas, beneplacitum, beneuolentia, a verbo *Ratsah*, gratum habuit, acceptauit, beneuolentia complexus est. In voce passiua *Nirtsa*, acceptatus est. Est autem voluntas appetitus boni cum ratione. *sec. Arist. lib.* 1. *Rhetoric.*

Voluntarium est, cuius principium est in ipso sciente singula, quæ agit, *sec. Arist. lib.* 3. *Ethic.*

Voluntarium dicitur, quod est secundum inclinationem voluntatis. Et hoc dupliciter, scilicet agendum & patiendum, *ex B. Thom.* 1. *part. q* 82 *art.* 1 *c.*

Voluntas completa non est, nisi de possibili, quod est bonum volenti. Velleitas vero, secundum quosdam incompleta de impossibili. Qua scilicet aliquid vellet, illud si esset possibile. *ex B. Tho. prima,* 2 *nad. q.* 13. *art.* 5.

Loci Biblici.

Voluntas pro naturali propensione, *Rom* 8. 20. pro cogitatione & conatu animi, 9. 16. pro libidine, *Ioan* 1. 13. Voluntas veteris hominis peccati serua est. *Gen.* 6. 5. *&* 8 21. *Rom.* 7. *v.* 15. 19. bona hominis voluntas regenerationis donum est, *Rom* 7. 21. 22. *Phil.* 2. 13. Voluntas Dei. *Matth.* 7. 21 *&* 12. 50 *Marc.* 3. 35. *Ioan.* 6. 39. *Rom.* 12. 2. *Ephes.* 5. 17. *Coloss.* 1. 9. 1. *Thessal.* 4. 3. 1. *Timoth.* 2. 4. 1. *Ioan.* 2. 17.

Voluntas Dei non est, vt aliquis pereat, *Ezech.* 18. 23. *Ioa.* 6. 39. 1. *Tim.* 1. 4. 2. *Petr.* 3. 9. voluntas nostra diuinæ voluntati accommodanda, 1. *Sam.* 3. 18. 2. *Sa* 10 *v.* 12. *&* 15. 20. 1. *Match.* 2. 60. *Matt.* 6. 10. *&* 26. 39. *Mar.* 14. 36. *Luc.* 22. 42. *Act.* 21. 14. 1. *Cor.* 4. 19. *Heb.* 6. 3. *Iac.* 4. 15. Voluntatem pro opere acceptat Deus, *Gen.* 20 *v.* 3. 6 *&* 21. 9. 2. *Sam.* 11. *&* 12. 9 1. *Reg.* 21. 10.

Voluntas, est facultas animæ qua volumus: deinde actus huiusce facultatis. Postremo, obiectum, id est, res quam volumus. Vt. voluntas Patris cælestis est, vt quicunque credit, in filium nō pereat, sed habeat

habeat vitam æternam. In veteri testã vocatur 1. Anima, quod sit facultas animæ. *Ps.* 22.12. & tantum ad homines, qui ratione præditi sunt, refertur. 2. vocatur acquiescentia in aliquo proposito: Velle.n. proprium est, vt in ijs quæ sibi ab intellectu, vt bona proponuntur, acquiescat. 3. huic affinis est vox Complacitũ, Beneplacitũ. Placitum. Voluntas.n. ex oblatis eligit quæ magis placent. 4. Vtitur & scriptura alio vocabulo, 1. *Sam.* 15, 22. quo voluntatem cum approbatione, amore, & delectatione significat. 5. Est & alia vox, qua spontaneitas capoui potest. *Exod.* 35. 29. qua proprium voluntatis exprimitur, nempe naturalis libertas, qua homo quicquid vult, siue bonum, siue malum, liberè, voluntariè, sponte, sine coactione vult.

Voluntas proprijssimè & verissimè Deo conuenit: & quæ ante de voluntate dicta sunt, in homine imperfecta agnoscuntur. In Angelis autem voluntas magis perfecta est. Voluntas Dei variè à Theologis distinguitur, 1. In voluntatem antecedentem & cõsequentem. 2. Beneplaciti & signi, seu non reuelatam & reuelatam, 3. Absolutam, & conditionalem, 4. In voluntatem, q̃ Deus facere velit de nobis, & de omnibus rebus creatis, atque in voluntatem, quam vult fieri à nobis, in Lege & Euangelio patefactam. Omnes autem in eo consentiunt vnam totùm esse Dei voluntatem. Nam etsi varia, permultaque sunt quæ vult Deus per se vt bona: vel quæ propter aliud permittit fieri, vt mala, vel absolutè, vt quæcunq; agit, tamen si Deum ipsum volẽtem spectamus, dicemus voluntatem eius esse liberum, æternum, sapientissimum, immutabileque decretum, tum de vniuersis & singulis creaturis suis ad certos vsus & fines per certa media deducendis, tum de malis, quæ nec fecit, nec facit, nec faciet nempè peccatis, fieri permittendis idque ad suam gloriam.

Voluntatem, quam vult fieri à nobis, in Lege & Euangelio expressit. Quicquid vult in cęlo pro salute Ecclesiæ militantis in terra, sancti Angeli exequuntur. Nonnunquam Angelorum reproborum opera vtitur, vt iudicia sua erga impios, misericordiæ erga pios peculiari quadam ratione luceant. Voluntas Dei Patris, in Euangelio manifeste distinguitur. Voluntas filij dupliciter consideratur: quatenus Deus est, & quatenus mediator ac sponsor Ecclesiæ. Aliquoties essentialiter, nonnunquam personaliter consideratur, & Patrem respicit.

Voluntas Dei reuelata in N.T. 1. Charitatem Dei erga electos, & beneplacitum in eis seruandis per Christum significat. 2. Huius charitatis declarationem per Euangelium. 3. Consilium Dei, respectu electorum, nempe vt vocentur efficaciter, iustificentur, sanctificentur ad omne opus bonum, & glorificentur.

Voluntas, hominis variè consideratur pro vario eius statu, nempe hominis naturalis & regeniti, tum in rebus malis, bonis, medijs; item in rebus ad hanc & futuram vitam pertinentibus.

In voluntate patefacta Dei quædam peculiaria occurrunt. in quibus exequendis etiam non regenitorum hominum ministeriũ ei subseruit teste Nabuchdnezare Iudæos in captiuitatem deducente, & Cyro reducente.

SENTENTIÆ BIBLICÆ.

Voluntas Dei incomprehensibilis.

Nolite timere: num Dei possumus resistere voluntati; *Gen.* 50.

Deus noster in cœlo omnia, quæcunque voluit, fecit. *Ps.* 113.

Voluntas Domini in æternum permanebit. *Prou.* 19.

Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet. *Esa.* 46.

Iuxta voluntatem suam faciet Deus, tam in virtutibus cœli, quã in habitatoribus terræ, & non est, qui resistat manui eius & dicat ei: Quare fecisti? *Dan.* 4.

Voluntati eius quis resistit? *Rom.* 9.

Vtilis, adeo implenda.

Vnam petij à Domino, hanc requiram? Vt videam voluntatem Domini. Quoniam vita in voluntate eius. *Ps.* 26. & 29.

Doce me facere voluntatem tuam. 142.

Voluntas eius in his, qui simpliciter ambulant. *Prou.* 11.

Det vobis cor omnibus, vt colatis eum, & faciatis eius volũtatem corde magno, & animo volenti. 2. *Mach.* 1.

Qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum. *Matth.* 7.

In terra pax hominibus bonæ voluntatis. *Luc.* 2.

Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat. 22.

Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me, vt perficiam opus eius. *Ioan.* 4.

Non quæro voluntatẽ meam, sed voluntatem eius qui misit me. 5.

Descendi de cęlo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me. 9.

Nolite conformari huic sęculo: sed reformamini in nouitate sensus vestri, vt probetis, quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta. *Rom.* 12.

Nolite fieri imprudẽtes, sed intelligentes, q̃ sit volũtas Dei. *Eph.* 6.

Christo passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini, quia qui passus est in carne, desijt à peccatis, vt iam nõ desiderijs hominum, sed voluntati Dei, quod reliquum est, in carne viuat tẽporis. 1. *Pet.* 4.

Qui facit voluntatem Dei, manet in æternum. 1. *Ioan.* 2.

PATRVM SENTENTIAE.

Interest quemadmodum verbum procedat ex animo. Ream linguam non facit, nisi rea mens. *Aug. de verb. Apost. ser.* 28. *& hab.* 22. *q.* 2. *can. Homines falsum.*

Deus est author meriti, qui & voluntatem applicat operi, & opus applicat voluntati. *Aug. de lib. arbitr.*

Cum vult, non potest: quia quando potuit, noluit. Ideo per malum velle perdidit bonum posse.

Sola voluntate miser quisque efficitur, sed miserior, cum desiderium malæ voluntatis impletur. *August. de verb. Apostol. Petri, & Pauli.*

Mala voluntate non solum quisque miser efficitur, sed miserior potestate, qua desiderium malæ voluntatis impletur. *Aug. de Trinit. lib.* 13.

Voluntas auersa ab incommutabili bono, & conuersa ad propriũ bonum, aut ad exterius, aut ad interius, peccat. Ad proprium conuertitur, quum suæ voluntatis vult esse. Ad exterius, cum aliorum propria, vel quæcunq; quæ ad se non pertinent, cognoscere studet. Ad interius, quum voluntatem corporis diligit. *Aug. lib. de lib. arbitr.*

Si cui etiamnon contingat voluntas concumbendi cum coniuge aliena, tamen planum fit eum aliquo modo cupere, & si potestas detur esse facturum, non minus reus est, quam si in ipso facto deprehenderetur. *Aug. de lib. arb. & habet. ibid. can. Si cui.*

Voluntas nihil habet, nisi ex se iudicatur. Nec quidem tardum ingenium nec labilis memoria, nec inquietus appetitus, nec sensus obtusus, nec vita languens reum per se statuerunt hominẽ, sicut nec contraria innocentem. Et hoc non ob aliud, nisi quia & hoc necessario, & præter voluntatem posse peruenire probatur. *Aug. de lib. arbitr.*

Cum se voluntas, relicto superiore, ad inferiora conuertit, efficitur mala. Non quia malum est, quo se conuertit, sed quia peruersa est ipsa conuersio.

Nemo quærat efficientem causam voluntatis malæ. Non est efficiens, sed deficiens: quia nec effectio, sed defectio est. *Aug. lib.* 12. *de ciu. Dei.*

Iustitia Dei est aliquando, vt sanus sis, aliquando vt ægrotes. Si quando sanus es, dulcis est voluntas Dei: & quando ægrotas, amara est voluntas Dei; non recto corde es: quare? quia non vis dirigere voluntatem tuam ad voluntatem Dei: sed Dei vis curare ad tuam, illa recta est, sed tu curuus. Voluntas tua corrigẽda est ad illam, non illa curuanda est ad te, & rectum habebis cor. *Aug. super Ps.* 35.

Quia Deus cor quærit, cor inspicit intus, testis est, iudex, approbator, adiutor, coronator: sufficit, vt offeras voluntatem. Cum potes, ore confitere ad salutem, cum autem non potes ore, corde ad iustitiam, corde laudas, corde benedicis, corde in ara conscientiæ victimas sacras imponis, & respondetur tibi, pax in terra hominibus bonæ voluntatis. *Aug. super Psal.* 134.

Quicquid vis, & non potes: factum Deus computat: *idem super Psalm.* 57.

Qui quærit, quare Deus voluit mundum facere, causam quærit voluntatis Dei. Omnis autem causa efficiens maior est, quam id, quod efficitur. Nihil autem maius voluntate Dei. Non igitur causa quærenda est. *Aug. lib.* 83. *quæst.*

Non est considerandum, quid homo faciat, sed quo animo, & voluntate faciat. In eodem facto inuenimus Deũ Patrem, in quo, & Iudam; Patrem benedicimus, Iudam autem detestamur. Nã traditio Christi facta est a Deo Patre, & Iuda. Vna res facta est, quam tam et Pater, & Filius fecit in charitate: Iudas in proditione. Diuersa facit facta. *Aug. sup. Epist. Ioann. hom.* 7.

Quod non bona intentione facis, non tibi proderit, quia quæ feceris, non quomodo illi euenerit tibi imputabitur. *Aug. sup. illud Matth.* 6. *Si lumen quod in te est &c.*

Odi, & proieci festiuitates vestras, non capiam odorem cœtuum vestrorum: quod si obtuleritis mihi holocausta, & munera vestra non accipiam: & vota pinguium vestrorum respuam. Odit autem Deus, & non solum odit, sed proijcit festiuitates eorum, qui non celebrant festiuitatem Dei, sed suas: Et post pauca. Odisse autem, & proijcere, & non odorari, humana loquitur similitudine, vt nos affectum Dei nostris sermonibus agnoscemus. Et si holocausta obtulerint, vt videãtur ieiunare, dare eleemosynas, pudicitiam polliceri, quæ holocausta sunt vera: non ea suscipit Dominus. Nam & non sacrificiorum magnitudines, sed offerentium merita, causasque dijudicat. Vnde & vidua, quæ in corbonam duo minuta miserat, omnibus a Saluatore præfertur: quia Dominus non ea, quæ offeruntur: sed voluntatem respicit offerentium. *Hieron. in Amos Proph. & hab.* 24. *q.* 1. *c. Odi, & proieci.*

Si quis non iratus, sed propter disciplinam aliquem verberauit, vel palmam alicui dederit, & talis occiderit, sicut casu fieri solet: quantum ad gratiam, innocens est: quia voluntatẽ, non

opus

opus hominis Deus requirit: quantum ad legem, reus est: quia opera lex quærit. *Hieron. & hab. 15. q. 1. can. Si quis.*

Volens Deus rationalem creaturam voluntarij boni munere, & liberi arbitrij potestate dotare, vt boni, ac mali capax, vtrunq. naturaliter posset, & alterum voluntate deflecteret. Licet quippe nobis eligere, refutare, probare, respuere: nec est, quo magis rationalis creatura cæteris præferatur, nisi quod cum omnia animalia conditionis tantum, ac necessitatis bonum habeant, hæc sola habet etiam voluntatis.

Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, &c. Apud eum, cui nota sunt omnia, antequam fiant, voluntas perfecta faciendi pro opere reputatur facti. *Hier. super illud Matth. 7. Vbi est thesaurus tuus.*

Non est, quod cuiquam nostram ascribamus ærumnam, nisi nostræ voluntati. Nemo nostrum tenetur ad culpam, nisi voluntate propria deflexerit. Non habent crimen, quæ inferuntur reluctantibus. Voluntaria tantum commissa sequitur delictorum inuidia, quam in alios detrudamus. Voluntarium sibi militem eligit Christus: voluntarium seruum sibi Diabolus auctionatur, & acquirit suo iuri. Neminem iugo seruitutis astrictum possidet, nisi se ei prius peccator ære vendiderit. *Ambr. de vit. beata. & hab. 15. q. 1. can. Non est.*

Plurimum refert, vtrum ex voluntate facias, quod placeat, an necessitate. Denique voluntarius minister habet præmium, coactus dispensat obsequium. Vnde Apostolus: Si volens euangelizauero, mercedem habeo: sin autem inuitus: dispensatio mihi tradita est. *Ambr. super Beati immaculati.*

Valde laboriosum est custodire, ne mala homo faciat, ne in bonis actibus per intentionem titubet, & intra recta opera sinistra cogitatio illudat. *Greg. Mor. lib. 10.*

Deus non intuetur, quantum quilibet valeat, sed quantum velit: Et quia Deus corda pensat, iam in eius oculis fecit quod cogitauit. *ibid. li. 12.*

Caro enim concupiscitur, pensetur quid sit ex animis, & intelligitur quid amatur. Nihil quippe sic ad edomandorum desideriorum carnalium appetitum valet, quam vt quisq. quod viuum diligit, quale sit mortuum perpendat. *Greg. li. 16. Mor.*

Humanæ aures talia verba nostra iudicant, qualia foris sonant: diuina vero iudicia talia foris audiuntur, qualia ex intimis proferuntur. Certe nouerit ille, qui intentionem, & voluntatem alterius varijs explicat verbis: quia non debet aliquis verba considerare, sed voluntatem, & intentionem, quia non debet intentio verbis deseruire, sed verba intentioni. *idem lib. 26. Moral.*

Nihil offertur Deo ditius bona voluntate. Voluntas autem bona est, sic proximi aduersa sicut nostra pertimescere, sic de prosperitate proximi sicut de nostro profecto gratulari, aliena damna nostra credere, aliena lucra nostra deputare, amicum non propter mundum, sed propter Deum diligere, inimicum etiam amando tolerare, nulli, quod pati non vis, facere nulli, quod tibi iuste impendi desideras, denegare. Necessitati proximi non solum iuxta vires occurrere, sed prodesse etiam vltra vires velle. *Greg. in hom. 5 super Euang.*

Non tam praue facta Dominus, quam custodiam prauitatis insequitur. In factis enim sæpe infirmitate, sæpe negligentia, in studijs vero semper malitiosa intentione peccatur. *ibid. li. 7.*

Causa actum poterit decorare. Si autem necessitate subsistat, aut vtilitate vigeat, aut honestate splendescat, aut cum affectu mentis tota valeat substantia operis tolerare opus non ea se, sed ex causa fit crimen. Nec aliqua virtutis ostentatione clarescit, cui voluptas originem præbet. *Ioann. Chrys. de tract. Symb.*

Facile deuiat a iustitia, qui in causis non Deum formidat, sed hominem. Hic peccandi differt facultatem, sed non aufert voluntatem.

Apud Deum, qui hominem occidere disponit, antequam occidat, homicida habetur. Voluntas autem est, quæ aut remuneratur pro bono, aut condemnatur pro malo. Opera autem testimonia sunt voluntatis. Non igitur quærit Deus propter se, vt sciat, quomodo iudicet, sed propter alios, vt intelligant, quia iustus est Deus. *idem super Matth.*

Tale erit opus tuum, qualis fuerit intentio tua. *Isidor. soliloq. lib. 2. c. 10.*

In initio resiste cogitationi pessimæ: si titubat prona cogitatio, non consentias illi. *Isidor. lib. 2. cap. 3.*

SENTENTIÆ POETICAE.

Ouid. 9. Met.

Temeraria est nostra voluntas:
Vt nihil adiciam, non possum inexia dici.
Quod superest, multum est in vota, in crimina paruum.

Ouid. 3. Pont. 4.

Vt desint vires, tamen est laudanda voluntas:
Hac ego contentos augurer esse Deos.
Hæc facit, vt veniat pauper quoque gratus ad aras,
Et placeat cælo non minus agna boue.

Idem 4. Pont. 8.

Vt nihil præstet, animi sum factus amici
Debitor, & meritum velle iuuare voco.

Ibidem.

Parua quidem fateor pro magnis munera reddi,
Cum pro concessa verba salute damus.
Sed qui quam potuit dat maxima gratus abunde est.
Et finem pietas contigit illa suum.
Nec quæ de parua pauper Dijs libat acerra
Thura minus, grandi quam data lance, valent.
Agnaque tam lactens, quam gramine pasta Phalisco.
Victima Tarpeios inficit icta focos.

Lucanus ad Pisonem.

Quod si digna tua minus est mea pagina laude,
At voluisse sat est: animum non carmina iacto.

Iuuenal. 13.

Has patitur pœnas peccandi sola voluntas,
Nam scelus intra se tacitum qui cogitat vllum,
Facti crimen habet.

Proper. 2. 10.

Quod si deficiant vires, audacia certe
Laus erit, in magnis & voluisse sat est.

Terent. Andr. 2. 1.

Quoniam non potest id fieri, quod vis,
Id velis, quod possis.

Ter. Heaut. 4.

Non licet hominem esse sæpe ita vt vult, si res non sinit.

Ouid. 1. Art.

Pectoribus mores tot sunt, quod in orbe figuræ,
Qui sapit, innumeris moribus aptus erit.

Hor. 2. serm. 1.

Castor gaudet equis: ouo prognatus eodem,
Pugnis. quot capitum viuunt, totidem studiorum
Millia.

Persius 5.

Mille hominum species, & rerum discolor vsus.
Velle suum cuique est, nec voto viuitur vno.
Mercibus hic Italis mutat sub sole recenti
Rugosum piper, & pallentis grana cumini:
Hic satur irriguo mauult turgescere somno:
Hic campo indulget, hunc alea decoquit: ille
In Venerem est putris.

Ter. Phorm. 2. 4.

Verum ita est.
Quot homines, tot sententiæ: suus cuique mos.

Authol. Sacr. Iac. Bill.

Principium mundi Deus est, quo cuncta mouentur,
Et quæ permittit, vel iubet, auctor agit.
Hinc mutabilium rerum immutabilis ordo
Aeternis seruit legibus artificis.

Ibidem.

Non semper vere est felix impleta voluntas,
Cum sæpe inuictis sint mala nota animis,
Recta igitur cupiens, etiamsi non sit adeptus,
Persistendo tamen velle bonum, bonus est.
At prauus quod fert animo, si non habet actu,
Tam miser est, quam si quod cupit obtineat.
Inque suos fines procedit quæque voluntas,
Nec varijs meritis arbiter æquus abest,
Corda regens, vires tribuens, peccata remittens,
Mitis subiectis, implacidus tumidis.
Vt nec pœna malum quenquam, nec gloria iustum,
Suscipiat, nisi cum laude & honore Dei.

SENTENTIÆ PHILOSOPH.

Finem potius spectat voluntas, consiliũ & susceptio ea, q̃ ad finẽ pertinent: vt valere volumus, deligimus aũt, quibus valetudinẽ adipiscamur. Et beati omnes esse volumus, idque prædicamus: fiat si illud nos diligere dicamus: inepte loquamur. *Ethic. l. 3. c. 2.*

Idem est id, quod sub actionem cadit, & id, quod voluntate iudicioque suscipitur. *lib. 5. 5. Metaph. c. 2. T. 1.*

Quod in ptãte & voluntate est, erit. *lib. 2. Rethor. ad Theodect. c. 19.*

Omnia melius esset lege fieri, quam hominum, quæ non est tuta regula, voluntate. *lib. 2. de Repub. c. 5.*

Hoc certe confitendũ est, quarũ rerũ in nobis sita sunt principia, eas in nostra esse potestate, nostræq; esse volũtatis. *Ethic. l. 3. c. 5.*

In ijs rebus, quæ voluntate suscipiuntur, laudi & vitio locus relinquitur: in non voluntarijs, veniæ, interdum etiam misericordiæ. *Ethic. l. 3. c. 1.*

Si quis non imprudens gerit ea, ex quibus iniustus necessario fiet, profecto voluntate sua efficitur iniustus. *Ethic. l. 3. c. 5.*

Spont

Sponte facimus, quæcumque scientes, & non coacti facimus. *lib. 1. Rhet. ad Theodect. c. 10.*

Voluntate iniusta, & recte facta definita sunt. *libro 5. Ethicorum cap. 8.*

Dico voluntarium id, quod in sua quisque potestate positum sciens agit, nec enim ignorat, in quo versetur actio: nec quo quasi instrumento rem agat, nec finem ipsum: vt verbi causa, quem verberet, ac pulset, quoque instrumento, quaque de causa pulset, atque illa non in casu, aut vi faciat: veluti si quis correpta manu alterius alium pulset, non faciat ille sua voluntate: quandoquidem in eo id situm non est. *lib. 5. Ethic. c. 8.*

Quod voluntarium est, latius patet, quam electio. Eius enim quod sponte fit, & pueri sunt, & belluæ participes: consilij non sunt, nec electionis. *lib. 3. Ethic. c. 2.*

Voluntas in hisce, quæ fieri non possunt, vt in immortalitate versatur. Et voluntas in ijs etiam cernitur, quæ non statuat agere qui illa vult. *ibid.*

Voluntaria aut non voluntaria quum agit, dicenda est actio. *lib. 3. Ethic. c. 5.*

Is dicitur volens facere, qui prudens sciensque, & non coactus facit. *lib. 1. Rhet. c. 10.*

Sponte facit is, quippe in quo principium positum sit commouendarum partium, quæ actionibus eiusmodi perficiendis, quasi instrumenta adhibentur. *lib. 3. Ethic. c. 1.*

Quarum rerum in quoque sunt posita principia, eas vt agat, & nō agat in eo situm est. Sunt igitur hæc talia voluntaria. At nō sunt voluntaria omnino, quandoquidem nemo quicquam eorum per se captet. *ibid.*

Permultum interest, vtrum sponte nostra quid faciamus, an inuiti. *lib. 5. Ethic. c. 5.*

Eorum quæ voluntaria sunt partim consulto, partim inconsulte facimus. Consulto, quum antegressa est deliberatio: inconsulte, quum non est antegressa deliberatio. *lib. 5. Ethic. c. 8.*

Tum peccat quisque, quum in eo inclusum est causæ principium. *ibid.*

Quod in potestate cuiusquam est, si voluntas, cupiditasve per iracundiam, aut aliam cogitationem accesserit, etiam fiet. *lib. 2. Rhetor. c. 19.*

Incertæ sunt voluntates hominum, multique quum iusti non sint, præ se ferunt iustitiæ speciem, & opinionem. *libro 10. Ethicor. cap. 8.*

Non dubium est, quin in affectu, & voluntate perfectio, & quasi summa consistat. *ibid.*

Aliud fere est tacitum hominum iudicium, aliud palam loquūtur; & sermones quidem sunt, quam honestissimi, voluntas autem & tacitum animi iudicium id semper spectat, quod maxime velle videtur. *lib. de Reprehensione Sophistarum, c. 1.*

Voluntas est quidam appetitus: & cum ratione duce mouetur, & petitur, motus tum ille voluntarius est. *lib. 3. de Anima, c. 1. T. 50.*

Voluntas est appetitio boni cum ratione coniuncta, quia nemo vult præterquam quod suspicatur esse bonum. *lib. 1. Rhetoric. cap. 10.*

Voluntas & propositum non sine ratione sunt. *lib. 2. 50. Metaph. cap. 7.*

Vt breuiter dicam, quæcumque propter seipsos agunt, omnia vel bona sunt, vel bona esse videntur: & aut iucunda, aut videntur iucunda. Verum quoniam quæ propter seipsos agunt, hæc sponte agunt, non sponte autem, quæ non propter seipsos: omnia, quæ volentes agunt, bona erunt, vel apparentia bona: & aut iucunda, aut apparentia iucunda. *libro 1. Rhetoricor. ad Theodect. cap. 10.*

Nam sæpe mortem cogentibus causis, quam natura reformidat, voluntas amplectitur. *Boet. de Philosophiæ consola. lib. 3. prosa 2.*

Duo sunt, quibus omnis humanorum actuum constat effectus: Voluntas scilicet, ac Potestas: quorum si alterutrum desit, nihil est, quod explicari queat. Deficiente enim voluntate, ne aggreditur quidem quisque, quod non vult: at, si potestas absit, voluntas frustra sit. Quo fit, vt si quem videas velle adipisci, quod minimè adipiscatur, huic obtinendi, quod voluerit, defuisse valentiam, dubitare non possis. *ibid. lib. 4. prosa 2.*

Diuina prouidentia rebus gerendis necessitatem non imposuit, quia si omnia euenirent de necessitate, præmia bonorum, & malorum pœnæ perirent. *idem lib. 5.*

Voluntatem in omnibus rebus spectari conuenit: quæ consulto facta non sunt, in eis fraudem esse non oportet. *Cic. Rhetor. nou. lib. 2.*

Quo animo quisque facias, non quo casu vtatur, ad rem pertinet.

Voluntario facinori nulla est excusatio imprudentiæ. *idem libro 2.*

Vt promptam ad res gerendas voluntatem frangere non est honestum: ita quum illa nos reliquit, impetu violento non est opprimenda. *Plutar. in opu.*

Valentior fortuna est voluntas, & in vtramque partem ipsa res suas ducit, beatæque ac miseræ vitæ sibi causa est. *Sen. 72. epist.*

FABVLAE.

Fur & Canis.

Fur allatranti cani offerebat panem. Cui canis: At nunc ego, inquit, satiatus, quum tu domum nostram compilaueris, mussitante, vnde mihi non cibum petam, aut quomodo sedabitur fames mea?

Fabula docet, cauendas fraudes fallacium, neque facta illorum, sed consilia spectanda esse. Referri & illud potest, quod a Iurisconsultis memoratur: Tolle voluntatem, nec erit discrimen in actu. Quæ sententia in conuiuio Platonis elegantissime memoratur, Exposita & a Gellio, *lib. 17. c. 20.*

Coruus & Lupi.

Petebat a lupis partem prædæ coruus, quos totum diem sectatus fuisset. Cui illi: Non tu nos quidem, sed prædam sectatus es, eo quidem animo, vt ne corporibus quidem nostris velles parcere, si exanimaremur.

Fabula docet, spectari in actionibus non tantum quid fiat, sed etiam quo animo & voluntate fiat.

VOLVPTAS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Voluptas, Græce ἡδονὴ & ἡδυπάθεια, voluptuosus dicitur, Heb. *Hadhem, Hedhmah, & Hanegh*, delectatio, oblectatio, deliciæ, a verbis *Hadan*, & *Hanagh*, delicate vixit, voluptuosus fuit, voluptatibus abundauit. Est autem voluptas iucundus motus in sensu. *sec. Cic. lib. 2. de fin. bon. & mal.*

Voluptas est cum quadam lubrica suauitate ad illicita sordidæ mētis inclinatio. *secund. Isidor. in synon.*

Voluptas est motus quidam animæ, & affectio tota simul & sensibiliter in naturam proficiscens. Cuius contrarium est dolor. *sec. Arist. lib. 1. Rhet.*

Voluptas est præter modum elata lætitia opinione præsentis alicuius magni boni. Diciturque voluptas, quod talia maxime volumus. Hinc voluptuarium, hoc est, voluptatis plenum, & voluptuosum, eiusdem significationis.

Voluptas est citra rationem ad oblectandum commotio, & animi, vt Zeno, inquit, ad oblectandum cum proposito motus: Plato voluptatem omnium malorum escam vocat.

Aristoteles, voluptas, inquit, & eorum, quæ a nobis demum abfuerunt, cupiditatum accessio, non eamdem cuiuis afferens suauitatis rationem.

DIVISIO.

Voluptatum alia:
- *Animales, quæ per sese animæ deputantur: quemadmodum quæ circa disciplinas, atque inspectionem omnem versantur.*
- *Corporales, quæ ex communicatione corporis, atque animæ gignuntur, ob idque corporales appellatæ: sicut quæ circa cibos, & coitus existunt.*

Necessariæ pariterque naturales, sine quibus viuere impossibile est, vt cibi, potus, necessaria indumenta.

Naturales, ac non necessariæ Legitimæ Veneres: quod ad generis humani propagationem faciant.

LOCI BIBLICI.

Voluptates fugiendæ, 2. *Petr. 2. 10. 13.* Voluptates huius sæculi impediunt, ne qui verbum audierunt, referant fructum. *Luc. 8. 14.*

PATRVM SENTENTIAE.

Minus voluptatibus stimulatur, qui non est, vbi frequentia est voluptatum. Minus auaritiæ molestias patitur, qui diuitias non videt. *Aug. de sing. cleric.*

Semper voluptas famem sui habet, & transacta non satiat. *Hier. epist. ad Damas. Papam.*

Nihil prodigæ satis est voluptati. Semper famem patitur sui, quæ alimentis perpetuis nescit impleri. *Ambr. sup. Luc. 6.*

Licet sæpe in medio carnalium Deus protegat vitam electorum, tamen satis rarum est, vt quisq; inter sæculi voluptates positus, a vitijs maneat illibatus, In quibus etsi non cito implicetur, aliquando tamen attrahitur. Nec enim diu potest esse securus, qui periculo fuerit proximus. *Isid. de sum. bon.*

POETICAE SENTENTIAE.

Ouid. 7. Met.

Vsque adeo nulla est sincera voluptas,
Sollicitumque aliquid lætis interuenit.

Idem 6. Fast.

Scilicet interdum miscentur tristia lætis,

Nec

Nec populum toto pectore festa iuuant.

Idem 4. Pont. 4.

Nulla dies adeo est Australibus humida nimbis,
Non intermissis, vt fluat imber aquis.
Nec sterilis locus vllus ita est, vt non sit in illo
Mixta fere duris vtilis herba rubis.

Idem 1. Amor 4.

Impia sub dulci melle venena latent.

Horat. 2. Serm. 16.

Lætus in præsens animus quod vltra est,
Oderit curare; & amara lento
Temperet risu, nihil est ab omni
Parte beatum.

Iuuen. 10.

Sed quæ præclara, & prospera tanti,
Vt rebus lætis par sit mensura laborum.

Sen. Thyest. Act. 3.

Nulla sors longa est: dolor, ac voluptas
Inuicem cedunt: breuior voluptas.
Ima permutat breuis hora summis.

Boet. 3. 7.

Habet omnis hoc voluptas,
Stimulis agit furentes,
Apiumque par volantum,
Vbi grata mella fudit,
Fugit & nimis tenaci
Ferit icta corda morsu.

Plaut. Amph.

Satin parua res est voluptatum in vita,
Atque in ætate agunda,
Præ quam quod molestum est, ita quoque comparatum
Est in ætate hominum,
Ita dys placitum, voluptati, vt mæror comes consequatur.

Idem Curc. 2.

Nulli homini perpetuum bonum.
Iam huic voluptati hoc adiunctum est odium.

Statius 2. Sil. 7.

O sæua numinum, grauesque Parcæ?
O nunquam data festa longa summis!
Cur plus ardua casibus pietatis!
Cur sæua vice magna non senescunt?

Claud. 1. Stil.

Etenim mortalibus ex quo
Tellus cœpta coli, nunquam sincera bonorum
Sors vlli concessa viro, quem vultus honestat,
Dedecorant mores: animus quem pulcrior ornat,
Corpus destituit.

Ouid. Pont. 11.

Nec vires adimit Veneris damnosa voluptas.

Hor. 1. Epist. 12.

Sperne voluptates, nocet empta dolore voluptas.

Silius 15.

Altera Achemenium spirabat vertice odorem,
Ambrosias diffusa comas, & veste refulgens,
Ostrum quã fuluo Tyrium suffuderat auro.
Fronte decor quæsitus acu, lasciuaque crebras
Ancipiti motu iaciebant lumina flammas.

Silius 5.

Mentis certare periclis
Desine & armisona caput obiectare procella.
Ni fugis hos ritus, Virtus te sæua iubebit
Per medias volitare acies, mediosque per ignes.
Hæc patrem patruumque tuos, hæc prodiga Paulum,
Hæc Decios Stygias Erebi detrusit ad vndas;
Dum cineri titulum, memorandaque nomina bustis
Prætendit, nec sensura, quid gesserit, vmbra.
At si me comitere puer, non lumine dure
Iam tibi decurret concessi temporis ætas.
Haud vnquam trepidos abrumpet buccina somnos, &c.
Sed current albique dies, horæque serenæ;
Et molli dabitur victu sperare senectam.

Silius 15.

Sed enim indignata voluptas
Non tenuit voces: Nil nos iam demoror vltra,
Exclamat, venient, venient mea tempora quondam;
Cum docilis nostras magno certamine Roma
Seruiet imperijs, & honor mihi habebitur vni.

Silius 15.

Inde aspice late
Florentes quondam luxu quas verteris vrbes;
Quippe nec ira Deum tantum, nec tela, nec hostes
Quantum sola noces animis illapsa Voluptas.
Ebrietas tibi fida comes, tibi Luxus, & atris

Circa te semper volitans Infamia pennis.

Ter. Hec. 3. 5.

Sane hercle homo voluptati obsequens
Fuit, dum vixit, & qui sic sunt, haud multum heredem iuuant.

Virg. Eclog. 2.

Trahit sua quemque voluptas.

Antholog. Sacr. Iacob. Bill.

Sensiles voluptates præ ijs quæ animo percipiuntur, nullius momenti esse.

Ingens Abrami perfudit corda voluptas,
Ex Agar sese vidit vt esse patrem.
Ast vbi se nato sensit meliore parentem,
Lætior hunc multis partibus ipse fuit.
Ergo etiam dulcis primum solet esse voluptas;
Quam caro sensilibus percipit aucta bonis.
At cum animus meliora cupit, potiturque cupita;
Rebus ab humanis tum fugit omnis amor.

Dolorem mundi voluptates sequi.

Quem scabies vrget, tenet hunc nonnulla voluptas.
In fricta: sequitur maior at inde dolor.
Quærendis opibus gaudens insudat auarus:
Quæsitas sequitur cura, grauisque metus.
Sic quoque qui molles risus & gaudia carnis
Persequitur, Liber quemque Venusque iuuant,
Huius erit tandem risus Sardonius, huius
Lætitia in luctum desinet, inque crucem.

Quam breues sunt mundi voluptates.

Sirenes procul este, procul fuge blanda voluptas,
Desine, nos cantu perdere velle tuo.
Gaudia nam nobis quod primum ostendis & offers,
Id facis, vt miseris causa sit ista necis.
Nam velut ex molli nil vnquam excerpitur vnda,
Vt semel vt prælo fluxerit inde liquor,
Sic semel vt prælo mortis caro nostra subacta est,
Non vires ad lusus post rediuiua suos.

SENTENTIAE PHILOSOPH.

Recte Eudoxus videtur primas partes tribuisse voluptati: nam cum in bonis esset ipsa, neque laudaretur: declarari putabat eã rebus omnibus præstare, quæ essent laudabiles: in eo autem genere Deum modo ac summum bonum esse, quoniam ad ea cætera referantur. *Ethic. l. 1. c. 12.*

Voluptatum blandi[illegible]s deliniti, ad ea gerendo omnia, quæ praua sunt impellimur: & dolorum quum admouentur faces, à recte factis deducimur. *lib. 2. Eth. c. 3.*

Ob voluptatem res improbas agimus: ob dolorem vero res post habemus honestas. *lib. 2. Mag. Mor. c. 6.*

A voluptatibus & doloribus habitus vitiosi nascuntur: propterea quod ea quis sequatur aut caueat: vel quæ facienda fugiendaque non sint, vel quando vel quomodo facienda non sint, & cauenda, quæque sunt eiusdem generis, quæ ratio præscribat. *lib. 2. Ethic. 3.*

Difficilius, vt ait Heraclitus, est voluptati obsistere, quam iracundiæ. *ibid.*

Quia propensiores sumus ad voluptates natura, idcirco ad intemperantiã sumus quã ad modestiam procliuiores. *lib. 2. Eth. c. 8.*

In omni negotio, cum id omne, quod voluptatem efficit, tum vel maxime vitanda voluptas est: quippe de qua non veniamus incorrupti ad iudicandum. *lib. 2. Eth. c. 9.*

Se quisque ab ea voluptate, quæ sibi accidit, in contrariam partem debet deducere. *ibid.*

Qui in voluptatibus animi occupati sunt, nec temperantes, nec intemperantes nominantur. *lib. 3. Eth. c. 10.*

Difficilius est res molestas periculorumq. plenas ferre, quã ab ijs, quæ voluptatem afferant, abstinere. *Eth. lib. 3. c. 9.*

Voluptas expetenda est, dolorq; fugiendus. *lib. 3. Eth. c. 12.*

Dolor quidem naturam eius, in quo est, à suo statu dimouet & labefactat: Voluptas nihil tale facit, quoniam etiam à nostra voluntate proficiscitur. *ibid.*

Est enim per se voluptatis insatiabilis & inexplebilis cupiditas, tũ omni ex parte in eo, qui à ratione discedit. *ibid.*

Impedit voluptas consilium eoque magis, quo maior fit, vt Veneris. *lib. 7. Ethic. c. 11.*

Sunt quæ dolore & cupiditate vacant voluptates, quales sunt, quæ cognitionis, contemplationisque gratia suscipiuntur, tum cum natura nil desiderat. *lib. 7. Ethic.*

Illud non est præclare dictum, voluptatem motum esse quendã, cum suauitate ad sensus effluentem: sed definienda fuit potius, actus esse habitus naturæ congruentis: & pro illo ad sensus illabens, non impeditus. *ibid.*

Voluptas est quædam animi commotio subita, cum vehementi & manifesta propensione inclinationeve accipiendi perueniendi que ad suam cuique naturam. *lib. 1. Rhet. c. 11.*

Quæ

Quæ ex discendo & contemplando capiuntur voluptates, in ijs incitamenta quædam insunt, quibus magis ad discendum, cognoscendumque moueamur. *lib.7.Ethic.c.12.*

Sunt voluptates nonnullæ per se bonæ & honestæ, aliæ non honestæ, quas pueri & belluæ sequuntur. *ibid.*

Voluptas est natura diuinum quiddam insitum mortalibus. *lib.7. Eth.c.13.*

Abira & Veneris cupiditate, & quibusdam eius generis, non solū animi perturbantur, sed etiam corpora. Nonnulli etiam ad insaniam adiguntur. *lib.7.Eth.c.3.*

Venerem Cyprigenam insidias nectētem ait Homerus, baltheūq; ei tribuit, in quo doli essent. *lib.7.Eth.c.6.*

Voluptas ea saporum iudicio libidinosis non admodum placet: sed voluptas ea, quæ ex tactu percipitur, in esculentis, poculentis, ijsque rebus, quæ Venereæ nominantur. *lib.3.Eth.c.10.*

Impedit voluptas consilium, eoque magis, quo maior sit, vt Veneris: qui enim in ea sit, nihil agitare mente, nihil ratione, nihil cogitatione consequi potest. *lib.7.Eth.c.11.*

Nemo dolens parit libidini. At qui per iram facit, omnis dolens facit: & qui libidini obsequitur, libenter facit. *lib.7.c.6.*

Nihil prohibet summum bonum esse quandam voluptatem, etiā si nonnullæ numerentur in malis. *ibid.*

Non videtur bonum voluptas corporis, duabus de causis: quod aliæ sunt actiones deprauatæ naturæ: aut simul vt orta est, qualis est ferarum: aut consuetudine, vt flagitiosorum hominum. *lib.7.Eth.c.14.*

Quæ vacant dolore voluptates, earum nullæ sunt exuperantiæ quo ea genere sunt, quæ ex ijs gignuntur, quæ habent suapte natura, non fortuito & casu, obiecti nem. *ibid.*

Motus voluptas non est, quandoquidem propria est omnis motionis velocitas & tarditas: & si non per se, veluti eius, quæ mundo atri buta est, per comparationem ad aliud. At neutrum horum voluptati accidit. *lib.10.Eth.c.3.*

Nulla voluptas est generatio. *lib.2.Mag. Mor.c.7.*

Corpus non capit voluptatem. *lib.10.Eth.c.3.*

Voluptatis est in quolibet tempore perfecta forma. *lib.10.Eth. c.4.*

Perficit actionem voluptas. Et in omni sensu voluptas versatur. *ibid.*

Quoniam voluptate nemo continenter afficitur, aut laborem subit, idcirco ne voluptas quidem manet vlla sempiterna. *ibid.*

Rerum actiones vndique absolutas voluptas efficit, vitam etiam, cuius cupiditate incensi sumus omnes. *ibid.*

Voluptas sine actione esse nullo modo potest: & perficit actionem voluptas. *ibid.*

Accommodatæ & propriæ sunt voluptates, quæ actionem per se consequuntur. Alienæ vero dictæ sunt, quæ simile quiddam faciunt doloris. *lib.10.Eth.c.5.*

Quoniam tum, quum voluptas gignitur, ac dolor, virtus etiam & vitium oriuntur: voluptates autem & dolores, commutationes & motus quidam sunt eius partis, in qua sensus inest: profecto progressa alicuius commutatione ac motu & amittantur, & accipiuntur necesse est. Itemque ortus earum est cum immutatione: nec is tamen ortus commutio est. *lib.7.de Nat.c. 3.T.19.*

Et voluptate affici aut dolore, nihil aliud, nisi partem eam animi, quæ sensus est particeps, ad bonum aut malum, aut alia eiusdē generis conuertere & adhibere: in quo quidem & declinationis, & appetitionis vsus cernitur. *lib.3. de Anima, cap.7. T. 29.*

Quod dolor affert, id est, quod declinandum est: quod autem voluptatem, capetendum. *lib.de motu animant.c.6.*

Quæres voluptatem sine detrimento afferunt, eæ non solum cum fine congruunt, sed etiam ad quietem pertinent. *lib.8.de Repub.c.5.*

Qui voluptuariam vitam traducunt, is facile despiciuntur: multasque dant impetui faciendo opportunitates. *lib.5.de Republ.c. 10.*

Qui agit & persequitur, quæ voluptatem efficiunt, idque ex industria, hoc ipso, quod sibi ita animum induat, is melior videatur, eo qui non ratione, sed impotentia ducitur, ad agendum, quo facilius ei curatio adhiberi potest. *Ethic. lib. 7. cap.2.*

Voluptate affici in ijs numeratur, quæ in animo insunt. *Ethic. lib.1.c.8.*

Animia multitudinis vndique à voluptate tenduntur insidiæ: quippe quum nec bona sit, & tamen esse videatur. Itaque plerique voluptatem appetunt, vt bonum: dolorem fugiunt, vt malum. *Ethic.lib.3.c.4.*

Voluptas quid sit, quid dolor, quæque eorum vis & natura: philosophi ciuilis est tenere & cognoscere. *libro septimo Ethic. c.11.*

Omnino quidem non est bonum voluptas: quod voluptas omnis sit motus quidam, qui cum suauitate quadam naturam mouet, & ad eam affl. it, & illabitur. *Ibid.*

Non omnes voluptates esse in bonis, hinc perspici potest, quod earum quædam obscœnæ sunt, & vt probra objiciuntur, & qd' nocent. Quædam enim eorum, quæ sensum dulcedine quadam permulcent, morbos afferunt. *Ibid.*

Neque sunt motiones voluptates, nec copulatæ sunt omnes cum moto: sunt q. potius actus, & finis, nec dū gignuntur, eueniunt, sed tamen ad vsus adhibentur. *Lib.7.Ethic.c.12.*

Molestos autem philosophos in medium producamus, quib. non videtur secundum naturam voluptas esse, sed accedere naturæ consentaneis, iustitiæ, temperantiæ, liberalitati. Quid ergo, anima quidem bonis corporis exsistentibus minoribus gaudet, & tranquillatur (vt inquit Epicurus) suis autem bonis, quæ sunt maxima, non delectatur? Quib. & natura largita mihi est verecundiam, & crebro erubesco, quum quid turpe a me dici puto: iste me motus non fiori voluptati naturæ bonum, & finem vitæ. *Ex Epictetiibus.*

Otium, & requies, studiumq. literarum, voluptatem contemplationemque rerum afferens, conuenientissima est seni laboribusque domi, & militiæ defuncto recreatio. At voluptati, tanquam is finis rerum præclarè gestarum esset, se dare, & post bellicos ciuilesq. magistratus Veneris sacris vacare, ludendo, luxuriandoq. id vero indignum est academia præclara, neque eius qui Xenocratem imitetur, sed qui ad Epicurum inclinet. *Plut.in Compar.Cimonis, & Luculli.*

Quia corpora resoluit voluptas, in dies emolliens delicijs, quarū assiduus vsus tollit vigorem, relaxans vires eorum, vnde morborum, & lassitudinum copia egregiè proficit, & senectę rudimenta in iuuentute præludunt. *idem, l.cont.volupt.*

Fera est mancipans sibi homines voluptas, sed nō feriat, nam si aperte pugnaret, cito caperetur: nunc autem etiam ideo inuisa magis, quod celat inimicitiam: induta habitum beneuolentiæ: Itaque dupliciter auersanda, & quod nocet, & quod fallit. *idem, ibidem.*

Quid autem de corporis voluptatibus loquar? quarum appetentia quidem plena est anxietatis: satietas vero pœnitentię, quarum motus quid habeat iucunditatis ignoro. Tristes vero esse voluptatum exitus, quisquis volet reminisci libidinum suarum, intelliget: quæ si beatos explicare posset, nihil causæ, quia pecudes quoque beatæ esse dicantur. Nihil igitur dubium est, quia ad beatitudinem deuiæ quædam sint. Nec perducere quenquam eo valent, ad quod se perducturas esse promittunt. *Boet.li.3.de philos.consol.*

Quis hostis te quenquam tam contumeliosos fuit, quam in quosdam voluptates suæ? Quidam se voluptatibus immergunt, quibus in consuetudinem adductis, carere non possunt, & ob hoc miserrimi sunt, quod eo peruenerunt, vt illis, & quæ superuacua fuerant, facta sint necessaria. Seruiunt itaque voluptatibus suis, non fruuntur, & mala sua (quod malorum est vltimum) amant. *Senec epist.39.*

Indurandus est animus, & a blandimentis voluptatum procul abstrahendus. Vina Annibalem hyberna soluerunt, & indomitum illum niuibus atque Alpib. virum eneruauerunt fomenta Campaniæ. Armis vicit, victus est. Nobis quoq. militandum est quodam genere militiæ, quo nunquam quies, nunquam otium datur. Debellandæ sunt imprimis voluptates, quæ, vt vides, sæua quoque ad se ingenia rapuerunt. Si voluptati cessero cedendū est dolori. *idem, 52.*

Non est mihi crede, tantum ab hostibus armatis ætati nostræ periculi, quantum ab circumfusis vndique voluptatibus. Qui eas sua temperantia frenauit, ac domuit, multo maius decus maioremque victoriam sibi peperit, quam nos hoste victo habemus. *Liu.Decad.3.l.10.*

Vince animum, caue deformes multa bona vno vitio, & tot meritorum gratiam maiore culpa, quam causa culpa est, corrumpas. *Ibid.*

Peregrinę voluptates ad extinguendum vigorem animorum multum possunt: tantum contagio disciplinæ morisque accolarū valet. *Idem.Decad.4.l.8.*

Turpe est, modo ea voluptate duci cuius post pœniteat: indignūque est eos, qui hostibus suis superiores exstiterint, voluptatib. succumbere. *Diom.l.41.*

Voluptuosi imminentium periculorum remedium ipsa pericula putant. *Tacit.Annal.lib.11.*

Voluptatibus Romani plus aduersus subiectos quam armis valuerunt. *Idem,hist.l.4.*

Imitatrix est boni voluptas, malorum mater omnium, cuius blanditijs corrumpuntur, quæ natura bona sunt. *Cic.1.de Leg.*

Malorum esca, voluptas: qua homines capiuntur, vt hamo pisces. *Cato Maior.*

Voluptates capimur omnes. *2.de Leg.*

Voluptates blandissimæ dominæ sæpe maiores partes animæ a virtute detorquent. *2.Offic.*

Maxi-

Maximas virtutes iacere oportet,voluptate dominante. *Ad Attic. li.5.*

In voluptatis regno non potest virtus consistere. *Cato Maior.*

Qui voluptati deditus est,huic omnia sensu, non ratione sunt iudicanda:eaq. dicenda optima,quæ sunt suauissima. *2. de Finibus.*

Impedit consilium voluptas,rationi inimica,ac mentis, vt ita dicam,perstringit oculos, nec habet vllum cum virtute commercium. *Cato Maior.*

Semouenda est voluptas,non solum vt recta sequamur, sed etiam vt loqui doceat frugaliter. *2. de Finib.*

Quo maior est voluptas,eo magis mentem a sua sede, & statu dimouet. *Parad. 1.*

Nemo est dignus nomine hominis,qui vnum diem totum velit esse in voluptate. *2. de Finib.*

Fieri non potest,vt animus libidini deditus,amore,desiderio,cupiditate,copia,inopia etiam nonnunquam impeditus literis operam dare possit. Nec est alia causa,cur in tantis præmijs eloquentiæ,tanta voluptate dicendi,tanta laude,tanta gloria, tanto honore tam sint pauci,semperque fuerint, qui in hoc labore versarentur. Omittendæ enim sunt omnes voluptates:relinquenda studia delectationis,ludus,iocus,conuiuium,sermo etiam pene omnium familiarium deserendus:quę res in hoc genere homines a labore,studioque deterret, *Pro M. Cælio.*

Pleriq. propter voluptatem,& paruam,& non necessariam, tum in morbos graues,tum in damna, tum in dedecora incurrunt: sæpe etiam legum,iudiciorumque pœnis obligantur. *1. de Finib.*

Nulla capitalior pestis,quam corporis voluptas,hominibus a natura data est. *Cato Maior.*

Vitium ventris,& gutturis non modo minuit ætas hominibus,sed etiam aufert. *Pro M. Cælio.*

Voluptates dimittamus, & suis se finibus tenere iubeamus, ne blãditijs eius,illecebrisq. capiatur nimia voluptas. *3. de Fin.*

Amores,& deliciæ maturę, & celeriter deflorescunt. *Pro M. Cælio.*

Fuit voluptas, & prima quæque euolat: sæpiusque relinquit caussas pęnitendi,quam recordandi. *2. de Finib.*

Vna cum societate moritur memoria voluptatis. *2. Offic.*

Omnib. in rebus voluptatibus maximis fastidium finitimum est, *1. de Orat.*

APOPHTHEGMATA.

Demosthenes Corinthum aliquando nauigauit, illectus fama nobilissimi Scorti Laidis,vt & ipse famoso potiretur amore. At cum illa pro nocte decem drachmarum millia peteret: Non emo,inquit,tanti pœnitere.

Archytas Tarentin. Pythagoricus dixit, nullam pestem esse voluptate capitaliorem. Siquidem ex ea,tanquam ex fonte, prodit quicquid est in hominum vita scelerum, & calamitatum.

Aristoteles admonebat,vt voluptates contemplemur, non venientes,sed abeuntes. Venientes enim fucata specie blandiuntur: abeuntes dolorem,ac pęnitentiam relinquunt.

Zenon incusabat plerosq. inquiens: Cum liceat e laboribus voluptates capere,eos e popinis potius petere.

Musonius dicebat,extremæ impudentiæ esse in subeundis, vel sustinendis quidem laboribus meminisse corporis imbecillitatis, erga voluptates autem obliuisci.

Plato dicebat, difficile esse inuenire, intemperantibus quidem bonam voluptatem,ægrotantibus autem salubrem. *Serm. in memorabilibus dictis.*

SIMILITVDINES.

Chrysostomi. Sicut nauis aquis impleta, vt exhauriri nequeat,statim submergitur: Ita & homo,cum crapulæ,& ebrietati seipsum exponit,in præceps vadit, & rationem suam submergit. *Hom. 9. in Gen.*

Quemadmodum acuti vepres vndecunque capiuntur,atq. constringuntur,manus cruentant: Eodem modo deliciæ pedibus manibus,capiti,oculis,omnibus similiter membris officiunt. Steriles autem sunt,nullum,sicut vepres, fructum producentes,ac multo magis,quam cætera pene omnia,hominem conficiunt. Delicijs enim senectus citius subrepit, sensus obtunditur, cogitatio retardatur, corpus dissoluitur, maioris stercoris copia reconditur, atque reponitur. Ita ex ingenti afflictionum aceruo,nauigio nimium oneribus oppresso, crebra contingunt naufragia. Adeo mala deliciarum lasciuia est, vt irrationalibus quoque pestifera sit. Nam vt volucres nimia saturitate,& sibi, & nobis inutiles efficiuntur: superfluitates enim indigestę, ac putredo humidior a pinguedine oriuntur, quæ vero animalia non copiose aluntur, sed quasi ieiunantia, mediocri victu simul, & labore exercentur: hæc animalia, tam sibi sanitatem seruant, quam nobis accommodatiora sunt. Quare qui his vescuntur, sani viuunt: qui vero illis pinguioribus ventres voraciter replent,illis similes efficiuntur, tardi,& ad ęgrotandum aptiores facti, & strictiora illis vincula comparantes. Quare amentiam ipsorum inde maxime quis admirabitur, quia nec ita sibi parcere volunt, vt virib. cæteri. Nã qui vna bue illucq. traducunt,nolunt nimium vtres replere,ne distenti rũpantur:isti vero ærumnosum ventrem,nec vtris quidẽ dignitate condonant,sed distentant & replent vsq; ad fauces,duplices, non vt animalia,sibi facientes angustias. *Hom. 45. in Matth.*

Non ita fluuialium fluctuum vis ripas excedere & conuellere solet,vt deliciæ lasciuiaque bonam valetudinem, & vires omnes facile subtrahit. Vt tenuis mensa bonæ valetudinis: Ita voluptatis mater est crapula,& vt morborum: ita fastidij & fons est & radix. *Homil. 21. in Ioannem.*

Vt coronæ virginum capiti imponuntur, quod victoriæ signa sint: quod scilicet antea libidini impenetrabiles,ita demum cubiculum ingrediantur, quia scilicet à voluptate superatæ non sunt. *Homil. 9. ad Hebr.*

Viuens in delicijs mortuus est. Ventri.n. solummodo viuit, cæteris sensibus mortuus. Neque aspicit, quæ aspicienda,neque audit, quæ necessario audire conuenit,neque loquitur, quæ decet loqui. Quemadmodum mortuus quispiam in lecto iacens,cõplosis palpebris,clausisq. luminibus, nullum omnino sensum habet: Ita & hic,imo longe hic deterius, quam ille, affectus est. Ille enim bona æque atque mala eadem ratione non sentit, hic autem malorum tantum amittit sensum, nihilque boni penitus sentit. Nihil illum ex his, quæ in futura vita seruantur, mouet, sed per omnia perstat immobilis,atque ita mortuus est, quemadmodum in cuniculum quendam obscurum & tenebrosum antrum præcipitatus, atq; immunditia omni plenus, intimis & opacis vitiorum finibus conditus,semper in tenebris, instar mortuorum,degit. Iam vero quis possit tempestatem illam ingentẽ eloqui, quæ ex huiusmodi pernitioso deliciarum vsu in animã & corpus irrumpit? Quemadmodum enim vasta ac perpetua nubium densitas radios solis nunquam sinit vim sui fulgoris ostẽdere. Ita vini ac deliciarum euaporationes cerebrum, non secus quam scopulum nocte, illumque crassa nube tegentes, non permittunt libere vsquam se intendere, verum in tenebris perpetuis detinent eum. qui sic miserabiliter iacet affectus: Neque explicari potest omnino,quanta intus tempestate iactetur. Quẽadmodum enim sæpe,quum inundatio vehemẽtior facta fuerit, aquarum vis officinarum aditum occupauerit, turbari eos, qui intus,cernimus,& discos,& amphoras & spongias, & alia plurima ad exhauriendum aquam excogitata deferre, vti ne violatis fundamentis,atque commotis,omnis posthac supellex inutilis fiat: Ita & anima,quoties nimis delicijs oppressa fuerit, perturbatur omnis ratio: cæterum quod iam coactum est,cum exhaurire difficilimum,quod rursum aliud è vestigio ingrediatur,incredibile est,quanta perturbatio, quantusque fluctus immineat. Quanto corpus pinguedine, crassitudineque distenditur,tanto illa extenuatur magis,atque imbecillior fit,tanto itẽ obruitur & sepelitur. At sicuti in oculorum pupilla, si quidem exterius impositas tuniculas crassiores effecerit,cernendi vim emittere ex se nequit,& clarius intueri, quum radius ille oculorum ex ea pinguedine obtundatur, ac tenebris plena sunt omnia: Ita & corpus quum fuerit obesum, animam quoque obtusiorem euadere necesse est. At mortui (inquies) in putredinem tabemque vertuntur, ingeosque ab eis sanies defluit: Ita & in ea,quæ delicijs soluitur,videas, quippe rheuma,pituita,purgamenta narium,ructus ac vomitus extra prodeunt. Cum taceat anima mortua,quid ex eo cibo potuque percipitur emolumenti. Neque si cadauer iaceat exanime,pulchra veste contectum, ex eo flore vestis proficiet quippiam: Ita neque anima mortua, venustiori corpore amicta, aliquid ex eo decore lucrabitur, *in 1. ad Tim. hom. 13.*

Canis instar est voluptas,si pellitur, fugit: sin fouetur & nutritur,permanet. *Homil. 12. tom. 6.*

Vt ancilla voluptas dominæ mœrenti nihil confert, nec vestis magnifica debili corpori: Ita nec animæ quicquam confert, licet corpus florescit,omnibus bonis fruens. *Homil. 66. de Ira.*

Meretricem appello hanc vitam,quæ in delicijs & voluptatib. transigitur: & eam quidem turpissimam, cuius facies fœda,horrida,aspera,amara,crudelis: & licet tam turpis vultus eius & fędus, tamen multos decipit, quum videant apud eam cruenta omnia pericula, mortibus, insidijs, inuidia,tormentis plena, quumque eam stipari videant pessimis sodalibus. contumelijs, infamia,inuidia,curis perniciosis,metu iugi, tremore frequenti,& mille alijs infaustis consortibus, velut anguium corona circumdari: fructum vero in his nullum nisi interitum esse, perniciem pœnamque perpetuam: patitur tamen à pluribus,amabilis & exoptabilis habetur. Tanta est eorum, qui decipiũtur, stoliditas,vt cum eos ratio nulla ex hoc interitu reuocet,ne euidentia quidem indesinenter pereuntium exempla deterreãt. Non ego istos stolidiores multo, quam paruulos iudicem vel negem,quos puerilis ludus,vbi aut circulus voluitur, aut turbo vel trochus verberibus agitatur, & longis porticibus per tuta spacia rotantur: ita intentos & inhiantes puerilis animus

tenet,vt

tenet, vt auelli inde nullatenus queant, ignorantes penitus, per ætatis fragilitatem nihil in illo ludo vilitatis, nihil perfecti operis haberi. Sed epulis satisfacit ætas immatura. Illi quid habebunt excusationis, qui ætate perfecta puellem, imo & pueriliter imbecilliorem sententiam gerunt? *Homilia 30. Quod nemo læditur nisi a seipso.*

D. Basily: Sicut qui in ceno sese obuoluunt, continuo sibi lutum augent: Sic qui in carnis affectus facile ruunt, fœditatem ex voluptate singulis diebus sibi accumulant. *In Psal. 1.*

Sicut splendens aliquid visum perficit, nimium autem splendens, hebetat atque vastat: & magni sonitus ac strepitus ob excessum, auditum soluunt: Sic & illi oblectationem suam atque immodicam voluptatem sese vastant animo corrumpunt, & a delectatione sua omnino auertunt. *De virtute.*

Quemadmodum piscator hamo capit pisces: Sic diabolus homines voluptate. *Apud Antonium in Melissa, parte prima, sermone 16.*

Procopij. Quemadmodum interdum quidam nimis Veneris stimulis exagitati, rem habent cum muliere turpissima, omnibus ridiculum debentes, quamuis ipsi putent casu esse formosissimam: Ita accidit & mulieri. Voluptas & nimia licentia dabat, vt prohibita arbor ipsi allubesceret. Proinde non temere dicit in prouerbijs Salomon: Viro scortatori panis omnis iucundus & gratus est. *In Genes. c. 3.*

Olympiodori. Recte malum est e multiplici vitio ac iniquitate contextum. Est siquidem, & bonum rete, sagena scilicet e præceptis institutisque tum antiquis, tum recentioribus Saluatoris nostri contexta. Homines ergo, qui fluitans & instabile huius vitæ pelagus sulcant, varijs voluptatum illecebris confectantes, quasi carcinites ratione pisciculi, malis retibus implicantur. Illi quoque, qui opinione vanæ scientiæ superbiunt, & esse rumorum sibi videantur excelsi esse, atque ac rambuli, seluti volantes aues, dæmonum laqueis facile capiuntur, & incidunt in malum tempus infernorum suppliciorum, cum repentinus interitus illis aduenit. *In Eccles. c. 9.*

Xisti Pythagorici, Homo, qui a ventre vincitur beluæ similis est. *In Encb.*

Æneæ Platonici: Omne vitium, imo totam simul vitiositatem voluptas exsuscitat, non secus atque oleum flammam: dolor autē veluti mandragora sopit ac sedat. Nempe enim non modo in corporum morbis, verum in animarum quoque ægritudinibus contraria contrarijs sæpe curantur. Non semper autem futura occurrit a morbo præcedente comprimitur. *In Theophrasto.*

Maximi Monachi: Quemadmodum diebus succedunt noctes, & æstates suscipiunt hiemes: Sic inanem gloriæ cupiditatem, & voluptatem suscipiunt dolores, & tristitia aut in præsenti aut in futuro. *lib. 1. de charitate.*

Quemadmodum famelici animus panem imaginatur, & sitientis aquam: Sic homines crapulosi, & ventri seruientis ciborum varias cupedias & lautitias, & voluptatum amantis mulierum formas, & vanæ gloriæ cupidi honores, qui sibi habeantur ab hominibus, & auari lucrum, & iniuriarum memoris, vindictā eius, a quo læsus est, & inuidi afflictionem eius, cui inuidet. *ibidem.*

Diogenis Quemadmodum imperitus iaculator frustra se laborasse, & inanem operam consumpsisse fateri cogitur, eo quod scopū non attigerit: Ita illi, qui omnes curas suas ad voluptatem dirigunt, omnem beatitudinis spem amittunt, a scopo enim proposito hominibus procul aberrarunt. *Apud Laertium lib. 6.*

Plutarchi: Vt qui in carcere detinentur, vnde non fit effugium, tamen aliquando ludunt tesseris: Sic qui in vita voluptatibus vtuntur, cum sint scelerati. *In Moral.*

Vt maior dolor obscurat minorem: Sic animi voluptates corporis delectationem. *ibid.*

Lysimachus ob sitim coactus se dedere Scythis, denique quum frigidam bibisset aquam, Dij boni, inquit, quam breuis voluptatis causa, quantam deposui felicitatem: ita nobis cogitandum, post guttulam vel potatiunculam intepestiuam, aut Venerem, in lōgum morbum incurrimus *ibid.*

Si ebrij comessatores irrumpant in domum luctu funestam, non solum nihil adferunt hilaritatis, sed eiulatum potius excitabunt: Ita voluptates in corpore ægro offendunt quoque *ibid.*

Qui corpus ægre affectum ad balnea ac voluptates trahit, quasi putrem ac laceram nauem deducit in mare. *ibid.*

D. Hieronymi: Sicut vinum & ebrietas eum qui biberit, mentis facit impotem facit: ita fornicatio ac voluptas peruertit sensum, animumque debilitat, & de rationali homine brutū efficit animal, vt ganeas & lupanaria, & libidinum lustra sectetur. *In 4. c. Ose.*

D. Ambros. Duæ mulieres vniuscuiusque nostrum cohabitant, inimicitiis ac discordiis dissidentes, velut quibusdam zelotypiæ contentionibus nostræ replentes animæ domum. Vna earum nobis suauitati & amori est, blanda conciliatrix gratiæ, quæ vocatur voluptas, quæ est meretrix. Nam quid tam meretricium, quam secularis voluptas, quæ a fenestra domus suæ intrat: oculis prima tentamenta præludens, & penetrat cor: si tu in plateas progrediens, id est, in publicas transeuntium vias, non in legis in serna mysteria, obturum mentis intendas? ea profecto est, quæ validioribus vinculis, velut cubile quoddam consociatæ nobis communitatis intexit, vt qui incliorauerit se ligetur, & opprobriosæ fraudis velamen operiat corporis sui stratum, & sollicitandum animos iuuenum absentiam viri, hoc est, incurtam legis obiicens. Lex enim peccatoribus abest. Nam si adesset, non deloqueretur. Ideo ait: Non est vir in domo sua: quia in gratiam sui legem velint esse venialium. Spargit odores suos voluptas, quia Christi odorem non habet. Thesauros ostendit, regna promittit, amores spondet continuos, disciplinas sine pædagogo, sine monitore sermones, vitam sine solicitudine, mollem somnum, inexplebilem cupiditatem. *Lib. 1. de Cain & Abel, c. 4*

D. Antonij Abbatis: Vere etenim dico vobis omni mei, quia vas illud in quo sumus inhabitantes, in perditionem nobis existit, & domus est plena bellis. Pro certo filioli dico vobis, quod omnis homo illectus in voluptatibus suis, & prostratus a cogitationibus proprijs, complexusque a maligno, seminauit in corde, qui congaudet eis, & recepit semen velut magna existentia fulmenta in eo, quod agit, iustificans semetipsum: huiusmodi anima existit maligni spiritibus conciliatrix in malum: corpus quoque illius custodia est horrendorum arcanorum, quæ occultat in semetipso. *In epist. ad Arsenoitas.*

Laurentij Iustiniani Patriarchæ: Sicut phrenetico imponenda est custodia, continuenda est lex: Ita & voluntati nostræ. Ipsa enim peccatorum origo, criminum fomes, ac omnium malorum incentiuum est. *In ligno vitæ, de obedien. c. 5.*

Sicut ... *in* ... ur, vt ignis inflammetur in antiqua: Ita & præter naturam existit in compunctione cordis, & spiritualibus delectatione vigere delicias temporales. *Lib. de vita ligni, c. 4.*

Vt caro hominis mollibus nutritur: sic dura anima. Spiritus enim reficit, vbi corpus voluptatibus acquiescit. *Lib. de ligno vitæ cap. 4.*

Ciceronis: Non est necesse, tanquam meretricem in matronarum cœtum, sic voluptatem in virtutum concilium adducere. *Lib. 2. de Finibus.*

Senecæ: Sicut in aruo, quod segeti proscissum est, aliqui flores internascuntur, non tamen huic herbæ, quamuis delectet oculos, tantum operis insumptum est, aliud fuit serenti propositum, hoc superuenit: Sic voluptas non est merces, nec causa virtutis, sed accessio. Nec quia delectat placet: sed quia placet, delectat. *De beata vita c. 9.*

Sicut deprehensis mari Syrtico modo in sicco relinquuntur, modo torrente vnda fluctuantur. Eueniet autem hoc nimia intemperantia, & amore cœco rei. Nam mala pro bonis petenti periculosum, & assequi. Vt feras cum labore periculoque venamur, & captarum quoque solicita possessio est: sæpe enim laniant dominos: Ita habentis magnæ voluptates in magnum malum euasere, captæque cepere. Quæ quo plures maioresque, eo ille minor, ac plurium seruus est, quem felicem vulgus appellat. *ibid. c. 14.*

Vt viscera quædam nocitura manus appetunt, & tactu gaudent, & fœdam corporum scabiem delectat, quicquid exasperat, Non aliter dixerim his mentibus, in quas voluptates velut mala vicera erumpunt, voluptati esse laborem vexationemque. *Lib. 1. de tranquill. vitæ c. 2.*

Quemadmodum, qui bestiarum cubicula indagat, & laqueo captare feras magno æstimat, & magnis canibus circumdare saltus, vt illarum vestigia premat, potiora deserit, multisque officijs renuntiat: Ita qui sectatur voluptatem, omnia postponit, & primam libertatem negligit, ac pro ventre dependit, nec voluptates sibi emit, sed se voluptatibus vendit. *ibid.*

Vt latronum genus, quod AEgyptij Philistas vocant, in hoc amplectuntur, vt strangulent: Sic voluptates, dum blandiuntur, necāt. *Apud P. M.*

Vt æque mortuus est, qui conditus est in odoribus, & qui trahitur vnco: Ita æque sunt infelices, & qui voluptatibus indulgent, & qui ambitiosis negotijs vacant. *ibid.*

P. M. Qui biberint ex Clitorio lacu, ijs vini tædium oboritur. Ita qui semel gustarint poeticen, abhorrent a philosophiæ præceptis, aut contra: siue qui se mundanis voluptatibus ingurgitant, abhorrent ab honestis illis, ac veris oblectamentis. *In simil.*

Plinij. Sicut Maronæum vinum, cuius meminit Homerus, vicies tā io aquæ mixtum, tamen vigorem suum seruat: Ita sapiens nullis soluitur voluptatibus. *Lib. 14. c. 4.*

Traunt Physici veteres, solem marinis aquis pasci, lunam dulcibus: Ita sapientes amara quærunt, modo vtilia: stulti quæ delectant modo, sectantur. *ibidem.*

Themisti: Quemadmodum canis illis AEsopicus vana spe lusus est, qui, dum vmbram carnis venatur, ipsam carnem reuera amisit: Ita hodie falluntur, qui pro veris animi delicijs, hoc est, virtute, sequuntur voluptatem carnis. *In apoph. 34.*

Prauitas qualescunque fuerint, non citra dolorem exituut: Et nulla est corporis voluptas, quæ non saltem leuiore tormentata est dolore. *In apoph.* 125.

Non solum homines admodum desiderare, quæ optimus quisque contemnit. Tanto magis admirandum, quod omnes ad voluptates ferimur, quas sapientissimus quisque fugit. *In apophthegm.* 70.

Insipiens admodum Lysimachus, qui necessitudine sitis tradidit totum exercitum: multo incontinentiores nos, qui breuissimarũ rerum libidine contenti sumus, nos in perpetuum perdere. *In apoph.* 99.

PROFANA EXEMPLA.

Celeberrimi omnium ob delicias Persæ, quorum reges Susis hiemabant: æstate degebant Ecbatanis. Susa ob loci amœnitatem vocata fuisse, scriptum reliquit Aristobulus: ac etiam Chares, est enim Susum, lilium. Versantur per autumnum in Persepoli, ac reliquam totius anni partem in Babylonia. Parthorum Reges Rhagis vere commorantur: hiemant in Babylonia.

Byzantij notati sunt a Græcis, vt acolasti, & intemperantes, qui in Venerem & vinum ferrentur præcipites. Plurimum enim versabantur in caupona. *P. M fol.* 1204.

Ionum mollities quõ iam abijt in prouerbium. Primi vnguenti, coronarumque conuiuis dari iussarunt, & secundæ mensæ consuetudinem reperetunt. *Hinc Horat.*

Motus doceri gaudet Ionicos.

Matura virgo.

Theopompus de Thessalorum delicijs scribit lib 4. quod cum saltatricibus viuunt, ac in orchestris alij taxillis ac potu ... abiumũt sumptuosissimi sunt omnium Phalalij, ac pigerrimi. *Athen. lib.* 12. *c.* 10.

Lyderum mollitiem *Athen. lib* 12. *c.* 4. enarrat.

Sybaritæ, populi Calabriæ, delicijs & voluptatibus adeo indulserunt: vt luxuriosa omnia dicerentur Sybaritica. Hinc Sybariticus luxus, & Sybaritici libelli, id est impudici. Conuiua celebrari, anno prius per fœminas sumptuosissime vestitas inuitabãt. Erant & talia præstigia, hinc adagiũ: Sybaris per plateas. Artes, quæ somno conflabant, e ciuitate ejiciebant, ne qua ratione interpellaretur quies. *Athen. lib.* 12. *c.* 6.

Syracusani opibus florentissimi, voluptatibus ac delicijs ad lictissimi fuere. Vnde & Syracusana mensa transiit in prouerbium. *Rauisius.*

Campani eo deliciarum prouecti sunt, vt ad gladiatorum paria rõuiuas inuitarent ad cœnam, numerum eorum pro cœnarum dignitate definientes. Cum vero Annibali sese dedidissent, exercitum eius in hybernis ita corruperunt: vt Hannibal ipse viros se introduxisse: Feminas eduxisse affirmaret. *Strabo lib.* 5. *Valer. lib* 9. *c.* 1.

Tarentini populari primum dominatione potentissimi fuere: postea ... annis illecebrosæ inualuere deliciæ, propter fortunas nimium secundas: adeo vt plures dies per annum impenderent ludis, festisque celebritatibus, quam reliquis rebus. *Athen. lib.* 12. *c.* 7 *& Strabo lib.* 6.

Tyrrhenorum regionem nequitiæ officinam *Athen. lib.* 12. *c.* 5. *multis verbis describit.*

FABVLAE.

Capra & Lupus.

Conspicatus in alta rupe stantem capram, Quin tu, inquit, vel Leo vel Lupus, huc in herbidos campos, & ad lætas frondes descendis, & ista sterilia & nuda loca relinquis? Cui respondit Capra (senserat enim fraudulenter locutum) Non esse in animo sibi dulcia præponere salutaribus.

Fabula docet, Voluptatum studium interdum esse exitiale.

Ab apibus ictus.

Quidam conspecto alueo, intra quem apes acquiescerent, accessit & aperit illum, auidus mellis, tum in ipsum apes facto impetu inuolant, & quæcunque partes in corpore patebant, eas configunt aculeis suis. Hic vero pessime acceptus vix fuga se eripuit, & periculum euasit. Quem conspicatus alius, quod esset ore tumido & vlcerato, causam mali sciscitatur. Hic vero, quid sibi accidisset, narrat. Tum ille, at tu, inquit, posthac apes prius repellito & abigito: ita denique mel tuto capere, & frui illo secure poteris.

Monet fabula, non cupiditatibus temere obsequendum, & quicquid faciendum sit, vt cum ratione aggrediamur.

Muscæ.

Ad mel profusum in cella quadam aduolantes muscæ, illius dulcissimo succo iucundissime pascebantur. Sed iam satiatæ, cum auolare vellent, pedibus in tenace liquore hærentibus, nitentes etiam alis implicuerunt quasi visco quodam mellis. Itaque moriuntur: o miseræ inquiunt, quantillus nobis cibus interitum attulit?

Fabula reprehendit voluptuarios & liguritores, qui lenocinio dulcedinis in magna sæpe mala incurrere, & sæpe etiam interire solent.

Vultur.

Vultur inuitatis auiculis ad conuiuium, quod illis daturus esset die natali suo, postquam hæ affuere ad tempus, clausis foribus domus capere & occidere singulatim omnes, & de inuitatis epulas sibi instruere cœpit.

Fabula monet, voluptatis sectatores non prouisum in exitium incidere solere.

Vide Delitia, & Luxuria.

VORACITAS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

VOracitas, Græce βορακότης & φαγέτης vel βορότης, edax dicitur. Hebr. *Zolel*, voracem appellant, a verbo *Zalal*, in luxu vixit, luxuriatus est, comessatus est, prodegit bona sua nimia profusione. Metaphoricè significat hominem impurum & vilẽ, gastrimargiæ deditum, iostar porci, macelli barathrum, escarũ perniciem, fruges consumere natum, ventrem, &c. Vide *Deut.* 21. 20. *Prou.* 23. 20. 21. *&* 28. 7.

Est autem voracitas, gulositas dicta a vorando. Vorare enim propriè est cibum non confectum dentibus deglutire, & per metaphoram est auide sumere.

APOPHTHEGMATA.

Zeno Citticus quum in quodam conuiuio vidisset hominem immoderatius obsonia vorantem, ipse piscem ingentem continuo è patina sustulit, quasi solus deuoraturus. Alter intuens Zenonẽ, eius admirabatur impudentiam. At quid, inquit, potas conuictoribus tuis accidere quotidie, si meam opsophagiam ferre non potes? *Laer. l.* 7.

Diogenes vulgo canis dicebatur. Sunt autem canum multa genera. Sunt enim venatorij, sunt aucupatorij, sunt custodes ouium & ædium, sunt qui habentur in delicijs. Ergo percontanti, qualis ipse canis esset, lepide respondit. Esuriens, Melitæus: satur, Molossus, quod cibi appetens, blandiretur: saturatos, morderet. *Laer. l.* 6.

Corydus. Cũ Chærephon nudus in conuiuio distenderetur: o Chærephon, inquit, nunc te veluti lecythos intueor, quousque plenus sis. In lecythis vitreis apparet, quousque plenæ sunt, si eximantur è thecis: ita in cute illius apparebat expletio corporis. *P. M. lib.*

Vide Abstinentia, Intemperantia, Temperantia. Item, Ebrietas.

VOTVM.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

VOtum, Græc. εὐχή, ἡ & εὔχομαι, voueo dicitur Heb. votum *Nadiber* dicitur, id est, votum liberum quod quis sponte & libera voluntate promittit: a verbo *Nadiar*, vouit donum, fecit votum de aliquo munere donando. Cognationem habet cum *Derur*, id est, libertas: nãm votum est quod de libera voluntate fit. Hinc, δῶρον, donum: δωρέομαι, dono. Est autem votum alicuius boni cum deliberatione Deo facta promissio.

Votum est propositi supererogantis promissio, Deo facta propter bonum finem ex deliberatione firmata. *Richard.* 2. *distinct.* 38. *art.* 3.

Votum dicitur a voluntate, quasi a primo mouente rationem ad promittendum: *secundum S. Thomam secunda Secund. q.* 88. *ar.* 1.

Votum est testificatio quædam promissionis spontaneæ, quę debet fieri Deo de his, quæ Dei sunt. *secundum eundem ibid.*

Vouere, est aliquid Deo sanctè promittere. Quoniam vero ea vehementer desideramus, quæ voto a Deo poscimus fit, vt aliquando pro desiderio capiatur: vnde voti compos, qui desiderium suum assequutus est. Hinc deuoueo, hoc est, destino, imprecor. Hinc deuotum, quod modo ad prosperum, modo ad aduersum refertur.

SENTENTIÆ BIBLICÆ.

Quæ sanctificaueris & voueris Domino, tolles, & venies ad locũ, quem elegit Dominus, & offeres oblationes tuas. *Deut* 12.

Cum votum voueris Domino Deo tuo, nõ tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus, & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum, &c. 23.

Homo qui votum fecerit, & spoponderit animam suam Deo, sub æstimatione dabit pretium. *Leuit.* 27.

Si quis virorum Domino vouerit, aut se constrinxerit iuramento, non faciet irritum verbum suum, sed omne, quod promisit, implebit. *Num.* 3.

M... si ... vouerit, & se constrinxerit iuramento, quæ est in

est in domo patris sui, & in ætate adhuc puellari, si cognouerit pater votum, quod pollicita est, & iuramentum, quo obligauit animam suam: & tacuerit, voti rea erit: quicquid pollicita est, & iurauit, opere complebit, *ibid.*

Rogabis eum, & exaudiet te, & vota tua reddes. *Iob.* 22.

Vouete, & reddite Domino Deo vestro. *Psal.* 75.

Ruina est homini deuorare sanctos, & post vota retractare. *Prouerb.* 20.

Si quid vouisti Deo, ne moreris reddere: displicet enim ei infidelis & stulta promissio. *Eccles.* 5.

LOCI BIBLICI.

Vota quæ reddenda, *Leui* 27. v. 2. *Num.* 30. v. 3. 6. Vota Deo reddenda, *Deut.* 12. v. 17. *Psalm.* 50. v. 14 *&* 66. v. 13. *&* 76. v. 12. *Ionæ* 2. v. 10. Vota statim reddenda, *Deut.* 23. v. 21. *Eccles.* 5. v. 3. vota quomodo redimenda, *Leuit.* 27. *ver.* 15.

SENTENTIAE PATRVM.

Sunt eo iam quædam, quæ non vouentes debemus, quædam etiam, quæ nisi vouerimus, non debemus: sed postquam ea Domino promittimus, necessario reddere constringimur. *Augu. & hab.* 17. *q.* 1. *c. Sunt quædam.*

Quidam nubentes post votum asserunt adulteros esse, ego autem dico vobis, quod grauiter peccant, qui tales diuidunt. *Idem, lib. de bono coniugali, & ha. dist.* 27. *Quidam.*

Ananias Deo pecunias vouerat, quas post, victus persuasione diaboli, subtraxit, sed qua morte mulctatus est scis. Si ergo ille mortis periculo dignus fuit, qui eos, quos vouerat nũmos, Deo abstulit, considera quanto periculo in diuino iudicio dignus eris, qui non nummos, sed temetipsum Deo Omnipotenti, cum te sub monachi habitu deuoueras, subtraxisti, *Greg. in Regist. & hab.* 17. *q.* 1. *can Ananias.*

In malis promissis rescinde fidem, in turpi voto muta decretum. Quod incaute vouisti, ne facias. Impia est promissio, quæ scelere adimpletur. *Isidorus in synonymis lib.* 2. *& habet.* 22. *q.* 4. *ca. In malis.*

Quia iam vouisti, iam te adstrinxisti, aliud tibi facere non licet. Nõ talis eris, si non feceris, quod vouisti, qualis mansisses, si nihil tale vouisses. Minor enim tunc esses, non peior: modo autem, quod absit, miserior, si Deo fidem fregeris, quanto beatior, si persolueris. *Augustinus in epist. ad Armentarium & Paulinum.*

In vouendo fuit stultus, qui discretionem non adhibuit, & in reddendo impius. *Hier. in Histor. Iephte.*

Bonum quidem votum, si tamen ibi nihil admisceatur aduersum. Nam licet vbique deceat iustitiam custodiri, in illis tamen rebus maxime necessaria est, quæ diuinis obtutibus offeruntur: ne putemus ignorare Deum, vnde accipiat, si fraudatis oblationibus acquiescat. *Cassiod. lib.* 3.

Melius est, non vouere, quam vouere illud, quod sibi is, cui promittitur, nolit exsolui. *Bern. in quodam serm.*

Absque necessitate remissio voti, non dispensatio, sed præuaricatio est. & restrictio contra voluntatem, murmur est, non profectus. *De precept. & dispens.*

Iuste exigitur ad soluendum, qui non cogitur ad vouendum. *In epist.*

Ego non arbitror minora vota impedire debere maiora, nec Deũ exigere quodcunque sibi promissum bonum, si pro eo melius aliquid fuerit persolutum. Etiam vero alicui forte debenti vobis 12. nummos, nunquid si pro eis die constituta marcam solueret argenti, illi irasceremini, *Ep.* 157.

POETICÆ SENTENTIÆ.

Virgil. Æneid. lib. 6.

Cessas in vota, precesque
Tros, ait, Ænea, cessas?

Lucan. lib. 5. Pharsaliæ.

Nona vota timore
Sunt inuenta nouo.

Ouid. Fastorum. lib. 5.

Sæpe Iouem vidi cum iam sua mittere vellet
Fulmina, thure dato sustinuisse manum.

Persius satyr. 2.

Haud cuiuis promptum est, murmurque humilesque susurros
Tollere de templis, & aperto viuere voto.

Martial. Epigram. lib. 8. de columba.

Et dominum mundi flectere vota valent.

Anthol. e. Sac. Iac. Bill.

Quod voueat Domino quisquis bene corde volutat,
Ipsum se totum præparet & voueat.
Maior enim offerri nequit hostia mentis in ara,
Nec Christi exemplo suauior exit odor,
Qui in cælum homo castorum profert libamina morum.

Polyanthea Nouiss.

Et de virtutum munere sacra litat.
Sic tamen, vt meriti, qui reddit vota Tonanti,
Vnum demus omnibus esse locum.
In toto mundo quem vera Ecclesia probat,
Et sine quo nulli, nulla litat meritum.

SENTENTIÆ PHILOSOPH.

Qui optant quæ sit nefas, dicebat consentaneum esse hos æquo a dijs optata non consequi atque ab hominibus non adipisci qui ea rogant, quæ per leges petere non liceat. *Xenoph. l.* 1. *Cyriped.*

Quidam turpissima vota dijs insusurrant, si quis admouerit aurem conticescent, & quod scire hominem nolunt, Deo narrant. Sic viue cum hominibus, tanquam Deus videat. Sic loquere cum Deo tanquam homines audiant. *Seneca ad Lucilium epist.* 10.

O quam inimica sunt nobis vota nostrorum, eo quidem infelicior a quo cessare felicius. *In epist.*

Caute vota redduntο. *Cic. lib.* 2. *de Legib.*

Socrates humanæ sapientiæ quasi quoddam terrestre oraculum, nihil vltra petendum a dijs immortalibus arbitrabatur, quam vt bona tribuerent. Quia ij demum scirent, quid vnicuique esset vtile: nos autem plerunque id votis expetere, quod non impetrasse melius foret. Etenim densissimis tenebris inuoluta mortalium mens, in quam late patentes errores cæcas precationes tuas spargis? Diuitias appetis, quæ multis exitio fuerunt, honores concupiscis, qui complures pessundederunt: regna tecum ipsa voluis, quorum exitus sæpenumero miserabiles cernuntur: Splendidis coniugijs inijcis manus, at hæc vt aliquando illustrant, ita nonnunquam funditus domos euertunt: Desine igitur stulte futuris malorum tuorum causis, quasi felicissimis rebus inhiare teque totum cœlestium arbitrio permitte: quia qui tribuere bona ex facili solent, etiam eligere aptissima possunt. *Val. Max. lib.* 7 *c.* 1.

APOPHTHEGMATA.

Diagoras, cum in Samothracia in templum venisset, atque eum amicus quidam admonuisset: Tu qui deos putas humana negligere, nonne vides quam multi votis vim tempestatis effugerint, in portumque salui peruenerint? Ita fit, inquit. Illi enim nusquam pinguntur, qui naufragium fecerunt, & in mari perierunt. *Erasm. l.* 7 *c.* 15. R. sit tibi e. m. superstitionem: quid enim possit modo a & res ind ... [illegible]

Diogenes eos suo more reprehendebat, qui si quid fecissent euenisset fortunam incusarent: at quod vulgo fieri omnium solet, dicens ipsos homines potius inculandos, qui postularent a fortuna, nõ quæ vere bona essent, sed quæ ipsis bona viderentur. Nam si permitterent dij, quæ ipsi iudicant optima dari, darent, at ne acceptis his, quæ flagitarunt, impudenter incusarent Deos. *Laer. l.* 6

Anonymus. Lacon, quum votose obstrinxisset, quod se de Leucate petra præcipitem daret, conscendit montem, & conspecta altitudine sese auertit. Id cum illi per ludibrium obijceretur: Non putaram, inquit, illi voto maiore voto opus esse, inco illusit inconstantiæ formidinisque crimen. Etenim qui facinus arduum concipit animo, prius a dijs optare debet animum facinori parem. *Plut. in Lacon.*

Augustus Cæsar, cum Caium ex filia nepotem in Armeniam mitteret, optabat a dijs, vt illum Pompeij beneuolentia, audacia Alexandri, ipsius autem fortuna comitaretur. Quod in singulis erat præcipuum, id optabat viro contingere. Illud autem singularis cuiusdam erat modestiæ, quod vir ingenio, doctrina, consilioque præstans, sua præclare gesta fortunæ adscribebat. *Plut. in apoph.*

SIMILITVDINES.

Cassiani. Neque opificij cuiusquam desertio est demutatio ferramenti, aut segnitiem arguit viatoris, viæ compendiosioris ac directioris electio, Ita & in hac parte emendatio dispositionis improuidæ non spiritualis voti, est iudicanda transgressio, quicquid enim pro charitate Dei & pietatis amore perficitur, nõ solum nulla reprehensione, sed etiam laude dignissimum est. *Collatione* 17. *c.* 14.

Thomas. Qui ex infirmitate carnis perfectioribus se votis adstringunt, ij similes sunt, qui pecuniam ad vsuram accipiunt: Fere enim decoctum reddunt. *In apoph.* 45.

Res quæ nimium tenduntur, fere conuelluntur: Sic magnis conatibus & votis sæpe excidimus, paruis ac mediocribus fruimur. *In apoph.* 121.

ADAGIA.

Vtinam mihi contingant ea, quæ sunt inter Corinthum & Sicyonem.

Poteris per iocum torqueri in eum, qui quod assequi non potest, id votis tamẽ quasi somniat.

Omne æs alienum cæpe, & mulcta allium.

Cum quis obstrictus multo ære alieno, optat vt paruo dependere possit quicquid debet.

Votum munificum. εὐχὴ μεγαλόδωρος.
Vbi quis animo spes regias concipit, iamque toto diues est.

Alia dantur, alia negantur.
Quoties è duabus natura dotibus altera contingit, altera negata est. Velut si cui forma decus adsit, desit ingenij bonitas, sine cum è duobus postulatus, alterum duntaxat impetrarim, quadrauerit illud Homeri.

Τῷ δ' ἕτερον μὲν ἔδωκε πατήρ, ἕτερον δ' ἀνένευσε.
Annuit hoc illi diuum pater, abnuit illud.

Canis panes somnians, καὶ γὰρ ἐγὼ ἀρτέων πάντα κύων ἄρτους μαντεύομαι, ἰχθὺν κνώσσων.
Somnia cuncta canum, panes; ego somnio piscem.
Sensus est, vnicuique ea per somnium occurrere, quæ impensè desiderat. Theocrit.

Etiam dormiens somniat. ἀπερπτελεῖ κεκαλευδωσν.
Quoties significant aliquem toto pectore rei cupiditate addictum deditumque. Terent. Num ille somniat ea, quæ vigilans voluit.

Ne contra bouem opta. μὴ κατὰ βοὸς εὔχου.
Admonet adagium, non esse vsam insulsam taxata votum animi, neque quidvis sperandum à superis: sed vt ea duntaxat sibi quisque promittat, quæ possit industria consequi. Diogen.

Adoraturi sedeant. καθῆσθαι προσκυνοῦντας.
Significat, vota certa concipere oportere, & in his, quæ sunt optima, perseuerare. Quidam arbitrantur aliud subesse sensum, quod ostendat eos qui sacris operantur, non obiter ac velut aliud agentes, sed vacuos ac totos rei diuinæ intentos esse.

Non quiduis contingit, quod optaris.
Qui negabit omnia contingere homini quæ sperarit, aut neque conceperit, accommodabit illud Homeri.

Ἠτοι μὲν ὅ περ ἀλλὰ μνησαίατο ἀπρεπέα μῦθον
Γίγνονται καὶ ἐλπίματα τελευτῶσι ἀνθρώποισι.
Friuola scilicet existunt & inania quædam
Somnia, nec quodcunque videt, sic euenit omne.

Quæcunque in somno videntur. ὅσα ἐν ὕπνῳ βλέπεις.
De votis immodicis dicitur.

Qui amant, ipsi sibi somnia fingunt. *Virg.*
Credimus, an qui amant, ipsi sibi somnia fingunt.
Nam quod quisque credit facile sperat.

Quid non dices, profectus Arbelas? τί δ' ἂν εἶπας εἰς Ἄρβηλα;
De eo dici solitum, qui peregre proficiscens ingentia sibi pollicetur, fretus gloria aliquam demigrat, insessa barbarieque.

Semper superioris anni meliora. ἀεὶ τὰ πέρυσι βελτίω.
Cum præsentia displicent & anteferuntur anteacta. Horat.
Laudator temporis acti
Se puero.

Exempla Biblica.

Votorum *exempla:* Iacob, *Genes.* 28. v. 20. 21. & 31. 13. Israelitæ, *Exod.* 36. 3. *Num.* 21. 2 Iephthe, *Iudic.* 11. 30. Michæ mater, 17. 3. Anna Elcanæ vxor, 1. *Sam.* 1. 11. Saul 14. v. 24. Absalon, 2. *Sam* 15. 7. 8. Pater regis Asa, 1. *Regum.* 15. 15. Asa, 2. *Paral.* 15. 18. Israelitæ, 1. *Paral.* 29. 9. Iudith. 16. 22. *Dauid.* 2. *Paral* 5. 1 *Psal.* 22. 26. & 61. 9. & 66. 13. 11. & 1. 16. 14. Nautæ, *Ion.* 1. 16. Ionas, 2. 10. Heliodorus. 2. *Maccab.* 3. 35. Paulus. *Actor.* 18. 18. Quidam Iudæi, 23. v.

Exempla Profana.

Clodoueus Francorum Rex ad Tolbiacum oppidum cum Alemannis congressurus humana spe destitutus, ad opem cœlestem implorandam versus, fidei vxori Clotildi in paciscendis nuptiis datæ memor, Christum seruatorem se professurum vouit, si victor domum rediret. *Æm l. 1.*

De nauigatione Thesei sic scribit *Plato* in Phædone: Theseum profectum in Cretam cum bis septem hominibus, votum suscepisse: si ipse saluus saluos suos reduceret, singulis annis spectaculum Delphos ducturum ad Apollinem: quem morem Athenienses adhuc suo tempore seruarent, vt ipsam eandem Thesei nauem coronatam in Delum mitterent: quo toto nauigationis tempore, quousque ad Piræum rediit, nefas sit quenquam supplicio capitali afficere.

Albinus Rex Britonum a Normannis afflictus, votum vouit, cum assensu subditorum suorum: si Deus sibi victoriam largiretur: sese decimam partem omnium bonorum suorum Deo & sancto Petro Romam missurum. *Rhegino. l. 2.*

Lacedæmonij Argiuis agrum, qui Thyrea dicebatur, abstulerant, contentione vtrinque in festis fugatis: Lacedæmonij tamen victores euaserunt. Ex eo tempore Argiui tonsa coma, deuouerunt se semper ne comam alerent, neve mulieres aurum ferrent *Cic. 3. Offic.*

Africanus posterior, Censor, cum lustrum conderet inque solito sacrificio scriba ex publicis tabulis solenni eius precationi carmine præiret, quo dij immortales, vt populi Romani res meliores amplioresque facerent, rogabantur. Satis, inquit, bonæ ac magnæ sunt: itaque precor vt eas perpetuo incolumes seruent. Ac protinus in publicis tabulis ad hunc modum carmen emendari iussit. Qua votorum verecundia deinceps Censores in condendis lustris vsi sunt. Prudenter enim sensit tunc incrementum Romano Imperio petendum fuisse, cum intra septimum lapidem triumphi quærebantur. Maiorem autem totius terrarum Orbis partem possideoti, vt auidum esset quicquam vltra appetere: ita abunde felix si nihil ex eo quod obtinebat, amitteret. *Valer. l. 4. c. 1.*

Locrenses dijs vota facientes, se virgines prostituturos: *Romani* ferro se digladiaturos, & pro alterius salute se & caput suum se deuoturos, *Persæ* viuos homines se defossuros promiserunt diis. *Alex. ab Alex. lib. 3. c. 22.*

Hieroglyphicum.

Aiunt, qui sacerdotum Aegyptiorum commenta curiosius sectantur, *Tritonem i deo biformem* pingi solitum: superiori quidem parte hominem: inferiori vero piscem: vt ex humore nos, & vtilitatem, & damnum consequi moneremur: cum illi ex humana natura bonum: ex pisce, non nisi perniciem interpretarentur. *Pier. Valer. lib. 31.*

Fabulæ.

Lunæ nuptiæ.

Lunam narrant voluisse aliquando maritum habere Luciferum, Iouem autem veritum, ne liberos sui generis procreassent, tetra cœlestium perturbatio existeret, annuisse quidem, sed ea lege, vt cuius animantis maximus in terris vsus esset, ea de ipsorum concubitu nasceretur. Illo tempore proxime secuto Deucaliones aquas, ex terra innumerabiles mures prodierant, ita vt cæteris animantibus bellum facerent, quando & cum Ranis prælio decertarunt, quod carmine postea suo complexus est Homerus. Horum igitur furorem & superbiam compesci necesse fuit. Itaque felem gigni placuit Ioui & reliquis dijs, quæ ferocibus muribus opponeretur: qua cum nequaquam diutius carendum videretur, feles tres primo puerperio enisa Luna dicitur, quæ in terras dimissæ breui tempore mures attriuere, inque suos specus & cauernulas redegerunt. Originis autem suæ hæc indicia retinet hoc genus vt simul cum crescente Luna pinguescant feles, cum euanescente attenuentur & macilentes reddantur.

Fabula docet, stultorum votorum similes exitus esse solere.

Agricola.

Assiduus Cereris cultor agricola exorauerat Deam, vt sibi frumenta sua absque aristis produceret. Ita enim rebatur minore cum labore exculpi posse. Sed indefensa grana, inde maturescente tum segete, auiculæ excussere rostris & deuorarunt.

Fabula narratur contra votorum stultitiam & ostendit impudentes spe parui commodi in magnum sæpe malum deferri.

Bubulcus.

Bubulcus amiserat vitulum de armento, quod custodire debebat. Tum ille silvas & solitudines obire, & requirere vitulum. Sed multa opera & labore magno nequicquam absumpto, votum Ioui fecit, se hœdum illi cæsurum, si esset sibi fur ostensus, qui vitulum rapuisset. Ibi forte delatus in saltum, videt leonem, a quo mandebatur vitulus. Ad cuius conspectum ingenti formidine perculsus bubulcus: Magne, inquit, Iupiter reperto vituli fure hœdum me tibi ex voto debere confiteor, sed nunc optimum bouem a me accipe, & ex illius vi atque vnguibus me eripe.

Fabula monet, esse quosdam leuis animi homines, operantes temere quæ forte concupiuerint, eaque consecuti cum sint, tum animis angi, & quærere, quomodo amittere possint. Itaq; Plato censebat, nihil a dijs nominatim, sed ea, quæ profutura illi nobis scirent, petenda esse.

Vide, Oratio, Preces.

V O X.

Definitio et Etymolog.

VOx, Græce φωνὴ & φθόγγος, vocalis dicitur. Vox Hebræo, *Kol*, sonus, strepitus, tonitru. Cognationem habet cum *Kalal*, communicationem cum *kalal*, leuis fuit. Quid etiam voce velocius? Hinc καλέω, voco, κλέω dico, &c. Est autem vox percussio aeris inspirati ad vocalem arteriam moti ab anima, quæ est in illis partibus. *secund. Arist. lib. 2. de anima.*

Vox est aeris per linguam percussio, quæ per quasdam gutturis partes, quæ arteriæ vocantur, ab animali profertur. *secundum Boethium in principio additionis secundæ super librum Perihermenias.*

Vox est sonus cum quadam imaginatione significandi. *secundum Boeth. ibid.*

Vox est sonus ab ore animalis prolatus, naturalibus instrumentis formatus, *secundum Petrum Hispanum in principio suæ Logicæ.* Sunt autem naturalia instrumenta, quibus vox formatur n . . . .

In-

In sermonibus autem sunt: Guttur, Lingua, Palatum, Quatuor & dentes, & duo Labra simul.

Vox est quicquid sonat, & dicitur ἀπὸ τοῦ βοᾶν, quod est sono. Virg. *Fractasque ad litora voces.* Eius diminutiuum vocula. Hinc vociferor: quod est cum dolore, siue indignatione maiorem vocem emitto. Item vocalis, id est, sonorus.

LOCI BIBLICI.

Vox pro sono. Hebraico more, 2. *Reg.* 6. 31. *Ezech.* 43. 2. *Matth.* 24. 1. *Ioan.* 3. 8. 1. *Cor.* 14. 7. 8. pro eo, quem loquentem non videmus, *Apocal.* 1. v. 52. vox è cœlo audita, *Deute.* 4. 36. *Luc.* 9. 35. 2. *Petr.* 1. 17. *Ioan.* 12. 28. *Actor.* 9. v. 4. & 26. 14. *Apocal.* 1. 10. & 14. 13. vox Dei audienda, *Exod.* 15. 26 *Deut.* 30. v. 8. 10. vocem Dei non audientes puniuntur, *Deut.* 9. 23. vocem suam vt audiamus conuertit nos Deus, *Deut.* 4. 33. vocum nouitates vitandæ, 1. *Timoth.* 6. 20. De vocibus Dei, Patris, filij, Spiritus S. Angelorum, hominū multa in Theologorum libris.

SENTENTIAE PHILOSOPHICAE.

Vt non iisdem literis, sic nec vocibus quidem iisdem omnes vtuntur. At vero & sensa animi quorum primum verba notæ sunt, & res quarum sensus animi speciem gerunt, idem apud omnes valent. *lib.* 1. *de interpr. c.* 1.

Homonyma dicuntur, quorum nomen solum commune est: defini tio autem naturæ nomini congruens alia atque alia. *In ijs quæ Categorias antecedunt. c.* 1.

Sinonyma dicuntur, quorum & nomen commune est: & eadem nomini attributa naturæ definitio. *ibid.*

Paronyma vocantur, quæ orta ab vno varie cōmutantur: vt a Grāmatica Grammaticus: fortis a fortitudine: *ibid.*

Huius generis sunt nonnulla, quorum multiplicitatem explicare non est facile: cuiusmodi sunt ens, vnum. *lib.* 1. *de Reprehens. Sophist. c.* 6.

Sunt tres potissimum modi quibus omnis homonymia & amphibolia continetur. Vnus, quando aut oratio, aut vocabulum, proprie ac per se multa significat: vt aquila, canis: alter est quando ex vsu loquendi multiplicitas nascitur: tertius, cum verba coniūcta multis modis accipi possunt: separata simplicem habent significationem: quale est illud, scire literas. *Arist. lib.* 1. *de Repreh. Sophist. c.* 3.

Facile quid sit id de quo agitur, si explanatum sit, quot modis dicatur, intelligetur. *Topic. lib.* 1. *c.* 14.

Si quot modis id de quo agitur, dicatur, sciamus, non decipiemur. *ibid.*

Multitudinem & in promptu habere, quot quicq; modis dicatur: magnum ad perspicuitatem habet adiumentum. *Topic. lib.* 1 *c.* 14.

Perspicuum est non esse admittendum, verba, quæ de multis dicuntur, hoc aliquid significare: sed vt quantum, aut quale, aut eiusmodi quippiam, aut aliud quiduis huius generis. *lib.* 2. *de Repreh. Sophist. c.* 3.

In omnia conuenire debet synonymum. *Topic. lib.* 6. *c.* 5. *loc.* 59.

Incertus sit animus, & infinite feratur necesse est: si quis eo quod multis modis dicatur, perinde vt si non esset ambiguum, vtatur. Sic enim incertum est, qua in significatione id quod dictum est, intelligatur. *lib.* 1. *de cœl. c.* 1. *Tex.* 110.

Nominum, quæ sunt æquiuoca, cauillatori conferunt: æquiuocationibus enim fraudem parat, quæ vero synonyma sunt, poetis. Dico autem propria & synonyma, vt proficisci, ac ire: nam hæc propria & synonyma sunt ad inuicem *lib.* 3. *P. M. ad Theodect. c.* 2.

Sunt ambiguitatum aliæ obscuræ: aliæ quæ quandam habent similitudinem: quædam vicinæ sunt & finitimæ, aut genere, aut comparatione. Itaque sunt ambiguitates, quæ esse non videntur. *lib.* 7. *de Natur.* 4. *Top.* 31.

APOPHTHEGMATA.

Zeno Citticus, formam dicebat esse vocis florem: aut contra, quemadmodum ab alijs refertur, vocem esse formæ florem. Nam oratio composita gratiam addit formæ. *Laert. lib.* 7.

Idem dicebat, eos, qui differunt, similes esse oportere tragœdiarū actoribus: quibus vox magna, bona; latera debent esse, cum os immodice non diducant, quod faciunt ij, qui plurima loquuntur, sed fora vires. Dum enim os diducunt, declarant se satagere verius, quam agere. *ibid.*

Anonymus. Carneades fertur admodum fuisse vocalis. Itaque quodam tempore gymnasiarcha, id est, scholæ princeps, misit, qui diceret, ne tantopere clamaret, cui respondit: Da mihi vocis modum. Ad quod cursus eleganter princeps: Modum habes, nempe auditores. Siquidem pro numero auditorum temperanda vox. *Laert. lib.* 4. *c.* 9.

Demosthenes audiens oratorem quendam immodice vociferantem: Non, inquit, quod magnum est, bene est: sed quod bene est, magnum est. *Hoc & alij ascribitur. P. M. lib.* 4. *apoph.*

Idem Quodam tempore vox Demosthenis inter concionandum defecit ob multitudinis fremitum. Id obijcientibus ita respondit: Histriones è voce iudicare par est, oratorem è mente Græ-

Polyanthea Nouiss.

ca iucundius sonant, ὑποκριτὰς δεῖ κρίνεσθαι ἐκ τῆς φωνῆς, τοὺς δὲ ῥήτορας ἐκ τῆς γνώμης. Histrio fecit populo, orator consulit: ille delectat, hic prodest. Ad bene consulendum non refert, quam his vocalis, sed quam opportuna suadeas. Autori voce opus est, quæ vincat multitudinis fragorem: orator talis esse debet vt populus ipsum vltro tacitus & attentus auscultet. *P. M. lib.* 8. *apoph.*

Isocrates, inter familiares dicere solitus est, se quiddam docere decē minis: cæterum qui ipsum docuisset audaciam & vocalitatem, mercedis loco accepturum decem millia. Nam vocis exilitas & animi timiditas reddebant Isocratem ad dicendum inutilem. Hæc autem, quoniam naturæ sunt, non artis, a præceptoribus doceri non possunt. *ibid.*

Marcus Cato, quando docebat iuuenes intrepide pugnare, sæpenumero dicebat, verba plus quam gladium, & voces plus quam manum, hostes in fugam vertere, atonitosque reddere. Nolebat militem in prælio motum efficere, sed atrocibus dictis, clamore, vultuque truculentia terrere hostem. *Plut. in Rom. apoph.*

Cicero, Oratores, qui inter dicendum vociferarentur, dicebat claudis esse similes, qui se ad clamorem, vt illi ad equos, confugerēt. Hoc genus hominum & hodie videre est, qui cum sentiunt se causa inferiores, ad furiosa iurgia confugiunt: vt quoniam rationibus persuadere non possunt, improbitate vtcunque extorqueant. *Plut. in Rom. apoph.*

Idem, Cum M. Cœlius, qui credebatur a parentibus non liberis natus, epistolam apud senatum clara firmaque voce recitasset. Ne miremini, inquit Cicero, nam hic vnus ex his est, qui proclamarunt, significans, illum fuisse præconem & hoc vsu contigisse, vt esset vocalis. Solent autem serui venales voce præconis commendari. *P. M. lib.* 4. *Apoph.*

SIMILITVDINES.

Chrysostomi. Videtis mihi vocem factam imbecilliorem, idemque mihi nunc accidere, quasi si quis miles concisis aliquot ex hostibus, magnoque animo impressione facta in hostium condensatam aciem, pluribus prostratis, mox fracto gladio consternatus ad suos se referat. Quin potius, quod nobis accidit, periculosius est. Nam miles quidem, si fregit gladium, licet ab illo quopiam alium mutuo accipere, sicque animum ex erecere, multamq; strenuitatem ostendere. Cæterum si vox fracta fuerit, non licet ab alio vocē mutuo sumere. Quid igitur suffugiemus & nos? At non permittit hoc vestræ charitatis tyrannis ac violentia. Vereor & patris præsentiam, & vestram reuereor promptitudinem. *Contra Iudæos orat.* 3.

Plinij. Taurus satis, quum sit pusilla, tamen boum vocem imitatur: Ita nonnulli, quum re sint exigui, tamen loquuntur reges ac satrapas *lib.* 10. *c.* 42. *lib.* 9. *c.* 42. & *c.* 31 *eod lib.*

Vide, Lingua, Sermo, Verbum, Oratio.

VRBANITAS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Vrbanitas, Græcè ἀστειότης, & ἀστεϊσμός. vrbanus dicitur. *Chen* Hebr. vrbanitas dicitur, quæ appellatio Clementiæ, gratiæ, fauori tribuitur, quod vrbani homines rusticis mitiores & cultiores vt plurimum appareant. Est autem vrbanitas, quæ significamus proprium quendam gestum vrbis, & sumptam ex cōversatione doctorum tacitam eruditionem.

PHILOSOPH. SENTENTIÆ.

In iucunditate, quæ adiocum accommodatur, qui modum quendam adhibet, is festiuus seu vrbanus habendus est: & affectio vrbanitas, & festiuitas: at quæ modum egreditur, scurrilitas, & in quo ipsa inest, scurra dicitur: qui vero omnino a iocis abhorret, is agrestis & rusticus: affectio ipsa rusticitas habenda est. *lib.* 2. *Ethic. c.* 7.

Qui nec facetum dicunt ipsi, & tamen eos, qui dicunt, permoleste ferunt, & agrestes & duri videntur. *ibid.*

Qui salibus & facetijs modum quendam adhibent, ij εὐτράπελοι id est, vrbani vocantur. *ibid.*

Quoniam facetiæ ac sales patent latentissimè, compluresque ludicris ac dictis plus capiuntur, quam ratio patiatur: factum est, vt scurræ, vrbani, & quasi politi homines, appellarentur. *ibid.*

Dextri ac ingenui est ea dicere, & audire omnia, quæ bono viro ac libero digna sunt. Eum enim & talem hominem quædam & ioco dicere decet. & audire. Magna enim distinctio est ingenui & illiberalis ioci, eius etiam, qui bene institutus est, & indocti: quod in antiqua nouaque comœdia perspicuum est. Illis enim facetum erat, si rerum turpitudini adiuncta etiam esset verborū obscœnitas: his vero, si significatio potius, quibus in rebus multum est discriminis ad decorum seruandum. *ibid.*

Politus & liberalis homo ita animo affectus erit, vt sibi ipse lex esse videatur: siue dexter, siue vrbanus nominetur. At vero scurra a risu longe multumque superatur: qui nec sibi parcit, nec cæteris, si risum conciter. *ibid.*

Apophthegmata.

L. Crassus. M. Brutus, cum in accusatione C. Planci duos lectores excitasset, & alteri de Colonia Narbonensi L. Crassi, qui rei Bruti aderat, orationem legendam dedisset: alteri de lege Seruilia, ex his demonstrans, illum sibi pugnantia scribere: Crassus vicissim tres Bruti patris de iure ciuili libros tribus legēdos dedit: in quo rū primo erat. Forte euenit, vt in Priuernate essemus, hic Crassus: Audis Brute, pater testificatur, se tibi fundum Priuernatem reliquisse. In secūdo libro scriptum erat, in Albano eramus ego & Marcus filius: hic rursum Crassus: Notat hunc gurgitem, metuebat, ne eū in his nihil haberet, nihil esse ei relictū putaretur. Tum ex tertio recitatum est, cum in Taburti assedimus ego & Marcus filius: tum Crassus: Vbi sunt hi fundi, Brute, quos tibi pater publicis commentarijs consignatos reliquit? Quod nisi puberem te iam habere, quartum librum composuisset, & se etiā in balneis Lotum cum filio scriptū reliquisset. Ita Crassus duos lectores aduersum se a Bruto excitatos tribus aduersus ipsum productis vultus est. Hoc vrbanitatis exemplum refert M. Tullius, quod non astringitur paucis verbis, sed per orationem fusū est. *P. M. lia apoph.*

V R B S.

Definitio et Etymolog.

Vrbs, Græc. ἄστυ, πόλις dicitur ab vruo, aratri curuatura. Antiqui enim Hetrusco more iunctis tauro & vacca, quæ interior esset, sulcum aratro circumducebant, intra quem, vrbem ædificarent. Alij tamen ab orbe dictam volunt, quod sulcus ille in orbem duceretur. Vrbs sunt ipsa ædificia. Ciuitas vero, quæ Græce πολιτεία dicitur significat ipsos ciues, diciturque quasi ciuiū vnitas. Confunduntur tamen hæc quandoque. Virg. *Inuadunt vrbem somno vinoque sepultam.* quod tamen illic carminis necessitate factum est, cum in versu hexametro ciuitas, & ciuitatem locare non possimus.

Vrbs Hebr. *Hir*, dicitur, i. ciuitas, muris, turribus, & amplis ædificiis excitata. Cognitionem habet cum *Her*, excitauit. Hinc *nisr* custodio, &c. Vide Etymologic. Triling. Lugdun, p. 913. vbi multa obseruatu digna leguntur.

Loci Biblici.

Vrbes Leuitarum, *Numer. 35. v. 53. Iosue* 21. 2. De eorum vrbibus, sex profugis destinatæ, *Numer. 35. v. 6. 10. Deut. 4. v. 41. 42. & 19. v. 2. Ios. 20. v. 2.* vrbium protector Deus, *2. Reg. 19. 34. & 20. 6. Psal. 137. v. 1. Esa. 37. v. 35.* vrbs supra montem posita, *Matth. 5. v. 14.* vrbes ab Hebræis hæ frequenter appellantur.

Sententiæ Philosoph.

Vrbs si ex animi sententia condenda sit, & mare & agrum spectare debet. *Arist. lib. 7. de Repub. c. 5.*

In vrbe spectanda est, quæ est necessaria, salubritas. Eæ enim vrbes, quæ Orientem spectant, eosque ventos, qui inde flant, salubriores sunt. *lib. 7. de Repub. c. 11.*

Quoniam habenda est valetudinis incolarum ratio, id positum est in eo, vt vrbs sita sit in hoc, vel illo loco, & ad hoc vel illud efficiendum apte & accommodate: dein vt aquis salubribus vtatur: eaque res magnæ sit curæ. *ibid.*

Ad bellicas quidem res facile & expedite ex vrbe exercitus educi debet: hostium contra ægre ad eam penetrare, atque eam obsidione cingere. *ibid.*

Non solum muri vrbibus circumdandi sunt: sed diligentia adhibēda est, vt & ornamentum vrbi afferant, & bellicis necessitatibus cum cæteris, tum ijs, quæ nunc inuentæ sunt. *ibid.*

Vrbs & locus quicunque salubris est, qui placide aspiratur: ideo & mare salubre est. *Arist. prob. sec. 1. nu. 54.*

Vrbis situs & ad terram, & ad mare iacere debet, & communem esse locorum omnium ad auxilia ferenda, & ad importationē fructuum, & lignorum materiam facilem aduectionem. *Idem Polit. 7. c. 5.*

Vrbis curatores eligantur ad vias ædificiorum structuras, & ornatum huc pertinentem, vt & homines, & reliquæ bestiæ nullam iniuriam inferant, & tum in ipso ciuitatis ambitu, tum in suburbio ea, quæ ciuitatibus conueniunt, fiant, ad fori gubernationē Aediles, ad templa sacerdotes. *Plat. de leg. dial. 6.*

Vrbis curatorum cura sit viarum in vrbe, & quæ earum, quæ ex regione ad ciuitatem semper tendunt, & extructionum, vt omnes secundū leges fiant, & aquarum, quas custodes ad ipsas emissas miserit, & delegerint, quoad fontes iusto modo, & pure progredientes ciuitatem ornent, simulque commodent. *Idem ibid.*

Vrbis curatores oportet vt potentes sint, & otium agant, vt publicarum rerum curā gerant: quapropter quisque e maximis censibus curatorem proponat, quemcunque voluerit, de electis autem, & ad sex, quibus plurima suffragia contigerūt, redactis, sortiantur tres, quibus hoc studium incumbit. *Plato de leg. dial. 6.*

Vrbis curatores iudicent in communi mulctam vsque ad minam, & cum ædibus duplum. *Idem ibid.*

Vrbis curatores animaduertere debēt, vt nullus priuatus quicquā de publico aut extructionibus aut fossis occupet, quin & aquarum pluuialium commodæ profluxionis, hos curā gerere oportet, & omniū, quæ intra siue extra ciuitatē habitare decuerit. *ibid.*

Vrbium rectores non relinquunt curam regendorum hominum, etiamsi in cœlum recepti sint. *Macrobius in somnium Scipionis, lib. 1.*

Vrbs quomodo condi debeat, in libris de Republ. ne verbum quidem facit Plato, quia illam reliquit cœlo, in libris de legibus in terris ædificat ad exemplaris illius, quoad fieri potest, imaginē. *Fic. in Plat. de leg. dial. 4.*

Vrbem antequam veteres statuerunt, varia superstitione loci genium sacrificijs propitiare consueuerunt. *Franc. Patric. de Republ. lib. 8. c. 2.*

Non ab aspectu, sed a potētia vrbes æstimari debent. *Thucydid. li. 1.*

In bellis profundæ altæque fossæ non sunt munimenta satis idonea ad certam securæ salutis spem hominibus inclusis afferendam: sed hoc tantum pollicentur, oppidanos repentina hostium incursione obsessos cladem nullam accepturos. *Dion. Halic. l. 2.*

Vrbes exiguæ & infrequentes, ac propterea infirmæ, neque alias neque se ipsas regere possunt.

Vrbem in periculis deserere, omnibus publicæ salutis studiosis id est metuendum, *lib. 5.*

Vrbes sunt humanarum cladium consepta miseranda. *Valer. Max. lib. 7. c. 2.*

Agrestem incultamque hominum in initio sæculi vitam, a communione brutorum animalium, vel ferarum, vrbium constitutio prima discreuit. In his nomen reipublicæ peperit communis vtilitas. Ideo potentissimæ nationes ac principes consecrati, nullam maiorem gloriam putauerunt, quam aut fundare nouas ciuitates, aut ab alijs conditas, in nomen suum, sub quadam amplificatione, transferre. *Veget. lib. 4 in præfat.*

Maximæ vrbes bello magnæ fiunt solitudines, si virtutem præstes, si celeritatem adhibeas, si cunctationem tollas. *P. Aemyl. lib. 6.*

Multas vrbes magnis affecit calamitatibus ciuium suorum scelus. Sed funditus quidem perierunt, Ilium ob Alexandri in Menelaū contumeliam. Milesij etiam vrbis suæ excidio libidinem & fœdos amores Histiæi luerunt. Sic Philomelus sacrilegij sui piaculum Lacedoniorum Reipublicæ inflixit. *Plausf. l. 10.*

Corbulo donum a legatis Tigranocertæ cum honore accepit, nec quidquam vrbi detractum est, quo proximum obsequium integri retinerent. *Tacit. annal. l. 14.*

In bellis ciuilibus est grande momentum in nomine vrbis, ac prætextu senatus, *Tacit. hist. lib. 1.*

Sic est rerum humanarum natura, vt capite sublato (nempe primario oppido expugnato) cætera breui tempore corruant: *Procop. de bello Vandil. lib. 1.*

Apophthegmata.

Lycurgus, percontantibus, cur prohibuisset vrbē cingi muris? Quoniam, inquit, non caret mœnibus ciuitas, quæ non lateribus, sed viris cincta est. Indicauit, id genus monimenti magis arguere ciuium ignauiam, quam fortitudinem. *Plut.*

Agis Archidami F. cum præteriret Corinthiorum mœnia, conspiceretque excelsa munitaque esse, & in longum porrecta spatium. Quæ sunt (inquit) mulieres, hunc locum inhabitantes? Innuens, fortibus viris non esse opus mœnibus. *Plutarch. in Lacon.*

Agesilaus. Quum quidam interrogasset, cur Sparta mœnibus non cingeretur? Ciues armis instructos & vnanimes ostendit, & ait: Hi sunt vrbis mœnia. Significans, eam demum ciuitatem munitam esse, in qua infracti, & bene armati milites essent. *Plut. in Lacon.*

Theopompus. Cuidam ostendenti ciuitatis suæ mœnia, ac percontanti num valida & alta viderentur? Minime, inquit, siquidem sint mulierum. Sentiens, ciuitatem satis munitam esse, si viros habeat, sin minus, nihil prodesse quamlibet operosa munimenta. *Plut. in Lacon.*

Panthoidas legatus missus in Asiam, ostendentibus ipsi murum probe munitum: Per deos (inquit) o hospes, bellum conclaue mulierum. *Plut. in Lacon.*

Isæus sophista. Cum olim Lacedæmonij inirent consilium de ciuitate mœnibus cingenda, Isæus sophista, alijs consultantibus Homeri hæc recitauit verba.

Scutum

Scutum haſte ſcuto, galea galea, atque viro vir.

Et adiecit: Sic mihi ſtare Lacedæmonij, & muris cincti ſumus. *Phil. in Sacedæſtis.*

Alexander. Quum audiſſet de rupe quadam apud Indos, quæ ob ſublimitatem, velut auibus inacceſſa, *ἄορνος* dicebatur: quod ipſe quidem locus expugnatu difficilis eſſet, ſed qui eum teneret formidoloſus. Nunc, inquit, locus captu facilis eſt. Significans, nihil prodeſſe munimenta, niſi vir fortis ea tueatur. Arx enim non tam foſſis ac muris tuta eſt, quam viris. *Plut. in apoph.*

Vide, Ciuitas, Reſpublica.

V S V R A.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

VSura. Græce *τόκος*, id eſt, partus, quod pecunia pecuniam pariat. & *τοκιστής*, vſurarius dicitur.

Vſuram Hebrææ: *Neſchec*, id eſt, morſuram appellant. quod hominũ ſubſtantiam arrodat & mordendo perdat. Vide *Deu. 23.16. & Pſ. 15. v. vlt.* à verbo *Naſchac*, momordit, arrodit. Cognationem habet cum *Nachaſch*, Serpens, quæ omnia tanto huic malo apprime conueniunt: Eſt autem vſura, quodcunque ſolutioni rei mutuatæ accedit, ipſius rei vſus gratia pactione interpoſita: vel hac intentione habita poſt contractum, vel ex actione habita poſt contractum. *ſecund. Hoſtienſ. in ſumma.*

Vſura eſt, quicquid præter ſortem accedit ſine iuſto titulo, ſiue in mutuis, ſiue in contractibus alijs. *ſecund. B. Thom. in q. de malo. q. 13. ar. 4. cap.*

Vſura eſt pretium pecuniæ mutuatæ, vel cuiuſcunque rei, cuius vſus eſt conſumptio, vel diſtractio eius. *ſecund. eund. ſecunda ſecundæ q. 78. ar. 4. c. 1.*

LOCI BIBLICI.

Vſura inter Hebræos prohibita, *Exod. 22. 25. Deut. 23. 19. Nehemia. 5. v. 7. 8. Pſal. 14. 5. Prouerb. 28. 8. & 22. 16. Ezech. 18. 8. Ier. 15. 10. Ezech. 22. 12. Luc. 6. 34. & 19. 8.*

SENTENTIÆ BIBLICÆ.

Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, nõ vrgebis eum quaſi exactor, nec vſuris opprimes. *Exo. 22*

Pecuniam tuam non dabis ad vſuram. *Leuit. 25.*

Non fœneraberis fratri tuo. *Deut. 23.*

Qui pecuniam ſuam non dedit ad vſuram. *Pſal. 14.*

Multi non cauſa nequitiæ non fœnerati ſunt, ſed fraudari timuerunt. *Eccleſ. 29.*

PATRVM SENTENTIAE.

Si fœneraueris hominem, id eſt, ſi mutuo dederis pecuniam tuam a quo plus, quam dediſti expectes, non pecuniam ſolam, ſed aliquid plus, quam dediſti, ſiue illud triticum ſit, ſiue vinum, ſiue oleum, ſiue quodlibet aliud, ſi plus, quam dediſti, expectes accipere, fœnerator es, & hoc improbandus, non laudandus. *Auguſtinus ſuper Pſalm. 36. & habetur 14 q. 3. c. Si fœneraueris.*

Quid dicam de vſuris, quas etiam ipſæ leges & iudices reddi iubẽt: an crudelior eſt, qui ſubtrahit aliquid, vel detrahit diuiti, quam qui trucidat pauperem fœnore? Hæc vtique atque huiuſmodi male vtique poſſidentur, & vellem, vt reſtituerentur: ſed non eſt, quo iudice repetantur. Iam vero prudẽte, intueamur, quod ſcriptum eſt: Fideli homini totus mundus diuitiæ ſunt, infideli autem nec obulus. Nonne omnes, qui ſibi videntur gaudere conquiſitis, eiſque vti neſciunt, alienum poſſidere conuincimus? Hoc enim certe alienum non eſt, quod iure poſſidetur. Hoc autem iure poſſidetur, quod iuſte: & hoc iuſte, quod bene. Omne igitur, quod male poſſidetur, alienum eſt, male autem poſſidet, qui male vtitur. *Auguſt. ad Maced. & hab. 14. q. 4. can. Quid dicam.*

Putant quidam, vſuras tantum eſſe in pecunia, quod prouidens diuina ſcriptura, omnis rei auferet ſuperabundantiam, vt plus non recipias, quam dediſti. Item alij pro pecunia fœnerata ſolent munuſcula diuerſi generis accipere, & non intelligunt, ſcripturã vſuram appellare, & ſuperabundantiam, quicquid illud eſt, ſi ab eo, quod dederint, plus acceperint. *Hieron. ſuper Ezech. li. 6. & hab. 14 q. 3. can. Putant.*

Cur in fraudem conuertis naturæ induſtriam? cur affectas inopiã? cur optari facis pauperibus ſterilitatem, ſtes publicam fertilitatem? explorans, quando ſterilior prouentus. Hanc vocas induſtriam, quæ eſt calliditatis verſutia, fraudis aſtutia. Et quod tu remedium vocas, eſt commentum nequitiæ. Latrocinium autem fœnus appellem. Captentur tanquam latrocinij tempora, quibus in viſcera hominum durus inſidiator obrepias. Cui conditæ frugis multiplicatur vſura? quid imprecaris mala omnibus lucrum tuum damnum publicum. *Amb. l. 3 Offic.*

Plerique refugientes præcepta legis cum dederint pecuniam negociatoribus, non in pecunia vſuras exigunt, ſed de mercibus eorum tanquam vſurarum emolumenta percipiunt. Ideo audiã quid lex dicat: Neque, inquit, vſuram eſcarum accipies, neque omnium rerum. Item Eſca vſura eſt, & veſtis vſura eſt, & quodcunque accedit ſorti, vſura eſt, & quod velis nomen ei imponas, vſura eſt. Item, ſi quis inſtaurandum conuiuium putet, ad negotiatorem mittit, vt abſinthiaci cupellam deferat ſibi gratis: ad cauponem dirigit, vt Picenum vinum, aut Tyriacum requirat, ad lanium, vt hillam ſibi procuret: ad alium, vt ſibi poma adornet. *Amb. & hab. 14. q. 3. Plerique.*

Si quis vſuram accipit, rapinam facit, vita non viuit. *Amb. li. de bono mortis, & hab. 14. q. 4. can. Si quis vſur.*

Ab illo exige vſuram, cui merito nocere deſideras, cui iure inferũtur arma, huic legitimæ auferuntur vſuræ: quem bello vincere non potes, ab hoc vſuram exige, quem non ſit crimen occidere. Sine ferro dimicat, qui vſuras flagitat, ſine gladio ſe de hoſte vlciſcitur, qui fuit vſurarius exactor inimici: Ergo vbi ius belli eſt ibi ius vſuræ. *Ibid. can. Ab illo.*

Non ordinandos cenſemus illos, qui vſuras accepiſſe conuincuntur. *Greg. & hab. diſt 33. can. Maritum duarum.*

Mutuo da, ampliores cape vſuras, mutuo da accepturus, ſed licet vbi nulla inuidia, nulla accuſatio, inſidiario, nequeterror: mutua nulli indigenti, ſed Chriſto, & propter te neceſſitatem habenti, eſurienti, & omnes nutrienti. Hæ enim vſuræ regnum: illæ gehennam præparant. Hæ ſunt pietatis, & miſericordiæ. Illæ crudelitatis, & auaritiæ. *Ioan. Chryſoſt. ſuper Matth.*

Nihil vſuris turpius, nihil crudelius. Alienas negotiatur miſerias, & lucrum ſuum alterius aduerſitatem facit. Talis eſt quaſi nauem ſuſcipiens, & in naufragium impellens.

Similis eſt pecunia vſurarij morſui aſpidis. Percuſſus enim ab aſpide quaſi delectatus vadit in ſomnum, & per ſuauitatem ſoporis moritur, quia tunc venenum latenter per omnia membra decurrit. Sic qui ſub vſura accipit ſuo tempore quaſi beneficium ſentit, ſed vſura per omnes ſuas facultates decurrit, & totum conuertit in debitum. *Idem ibid.*

Nec hoc prætereundem quoque duximus, eſſe quoſdam lucri turpis cupiditate captos, qui vſurariam exercere pecuniam, & fœnore volunt diteſcere. Quod nos, vt non tantum dicamus in eos, qui ſunt in clericali ordine conſtituti, ſed etiam laicos cadere, qui Chriſtianos ſe dici cupiunt, condolemus, quod vindicari acrius in eos, qui fuerunt confutati, diceremus, vt omnis peccãdi opportunitas adimatur. *Leo Papa, & habetur 14. q. 4. c. Nec hoc prætereundum.*

Sicut non ſuo, ita non alieno nomine aliquid clericorum exercere fœnus attentet. Indecens eſt enim, crimen ſuum incommodis alienis impendere & exercere. Fœnus autem hoc ſolum aſpicere & exercere debemus, vt quod hic miſericorditer tribuimus, a Domino, qui multipliciter & in perpetuum manſura tribuit, recipere valeamus. *Idem & habetur diſt. 4. c. Sicut non.*

Et eſca vſura eſt, & veſtis vſura. & quodcunque ſorti accidit vſura eſt. Quod velis ei nomen imponas, vſura eſt. *Ambr. lib. 1. de Dauid.*

POETARVM SENTENTIAE.

Lucan. 1.

Hinc vſura vorax, auidumq; in tempore fœnus,
Et concuſſa fides, & multis vtile bellum.

Auſon. Ædil. 15.

Quod vita ſectabor iter, &c.
Si turpia lucra
Fœnoris, & velox inopes vſura trucidat?

Anthol. Sac. Iac. Bil.

Sterilitatem ex vſuris plerumque & crudelitate in pauperes naſci.

Quod redeant hiemes, æſtiuaque tempora rurſum
Algida ſint, fruges terra negetque ſuas.
Deſine mirari, ſtultaſque explode querelas
Hoc etenim lu ſti poſtulat ira Dei.
Nam quia iam nobis ſunt ferrea pectora, reddit
Cœlum etiam nobis durius ære Deus.
Et quia iam nummos gignunt per fœnora nummi,
Ante ferax tellus deſinit eſſe ferax.

APOPHTHEGMATA.

Thales aſſidue in ore habuiſſe fertur. Noli ditari nequiter. Quo admonuit, vt a turpi lucro vbique abſtineamus, ne grauetur proximus. *Laer. l. 1. c. 1.*

Anacharſis aiebat, forum eſſe locum mutuis hominum fraudibus ac rapinis deſtinatum. Notans mores vendentium fœneratorũ, qui per fas nefaſque plebem expilant, nummiſque exhauriunt. *Laer. l. 1. c. 9.*

Antiphanes dicere ſolebat, vſuram quæſtumque illicitum breues habere delicias, longam autem calamitatem. *Steb.*

Ageſilaus quum AEgidi perſuaſiſſet, vt debitorum fœneratitumque nomina, tabulæque vna comburerentur: adportatæ ſunt in

forum Clauium, ac coäceruatæ ſoppoſito igni, dum concremarentur, abeuntibus ergo fœnerantibus ac diuitibus cum triſtitia, Ageſilaus illorum calamitates irridens, Nunquam ſe ignem puriorem vidiſſe iactabat. *Plut. in Lac. apoph.*

Muſonius: Rutilius quum aliquando Romæ adijſſet Muſonium, rogauit; Dic mihi Muſoni, Iupiter Seruator, quem tu imitaris, nunquid fœneratur? Non tu illos inopiam, qui cogeretur interdum accipere mutuum. Ad hoc arridens Muſonius: At ne fœnerat quidem, Rutili. Turpius eſt ad fœnus dare, quam accipere. At Rutilius, cum ipſe faceret quod grauius eſt, obiecit illi quod erat leuius. *P. M. l. 6. apoph.*

M. Cato. Ex Catone Cenſorio quum quiſpiam percontaretur, quid in re domeſtica maxime expediret? reſpondit: Bene paſcere, bene veſtire, & bene agrum colere, & illi qui quæſierat: Quid fœnerari? Cato, Quid hominem (inquit) occidere? Non minus igitur fœneratorem peccare cenſuit quam homicidam. *Cic. l. 2. Offic.*

Alphonſus Fœneratores vtpote labores mortalium depaſcentes, harpyias vocare ſolitus erat. Quemadmodum enim Virgilianæ illæ Harpyiæ rapinis viuebant, ut hodie fœneratores ex pauperum laboribus magnas per nefas opes reponunt ſibi & ſuis. *P. mor. l. 4.*

Idem Iuſtitiæ & æquitatis amator ardentiſſimus, audiens illicito lucro hominibus inſidias a fœneratoribus itrui: Fœnus nil aliud ſibi quam animæ funus videri dixit. Damnauit autem vniuerſam fœnerandi rationem, quæ plane eſt contra naturæ regulam, cum ex nihilo nihil gignatur. *idem libro tertio de Alphon. reb. geſt.*

Bernard. Senenſ. Fœnus ita demum ſine peccato exerceri poſſe affirmauit, ſi pecunia ijs crederetur, qui nec capitalem ſummam reddere poſſent. *Æne. Silu. de dict. Sigiſmund. & Frederici imper. & l. 3. de di. l. Alphon.*

S I M I L I T V D I N E S.

D. Chryſoſt. Sicut qui ab aſpide percutitur, quaſi delectatus vadit in ſomnum, & ſic per ſuauitatem ſoporis moritur; Sic & qui accipit ſub vſuris, pro tempore delectatur, quaſi qui beneficium accipit, & ſic per ſuauitatem beneficij non ſentit, quomodo captiuus efficitur. *c. 5. Matt. hom. 12.*

Sicut venenum aſpidis latenter per omnia membra diſcurrit, & corrumpit: Sic vſura per totas facultates eius diſcurrit, & conuertit eas in detrimentum. *Hom. 12.*

Sicut fermentum modicum, quod mittitur in multam farinam, totam conſperſionem corrumpit, & trahit illam, & facit illam totam fermentum: Sic quum vſura in domum alicuius intrauerit, totam ſubſtantiam eius ad ſe trahit, & conuertit in debitum. *Hom. 11.*

Fœnerans quidem poſt multos annos ſortem recipere concupiſcis cum periculo, neque forte recipiendi, vt moris, maius accipias fœnus. Hic vero ſtatim repetis, & hoc eum non hic ſemper, ſed illic continuo ſis manſurus, non hic iudicari, ſed illic pœnas ſubire debeas. Et ſi quis tibi quidem domos, vbi manere non debeas, pararet, magnum exiſtimares detrimentum id factum. Nunc autem hic vis locupletari, vnde frequenter & ante veſperam es migraturus. Neſcis, quod in aliena regione moramur, tanquam hoſpites & peregrini? Neſcis quod peregrinorum eſt expelli: cum nec expectauerint, neque ſperauerint? Quod & nos patimur. *Ho. 15. epiſt. ad Hebr.*

Plut. Qui in lutum inciderit, eum oportet aut fugere, aut manere: nam ſi voluit, magis etiam inquinatur: Sic qui rem habet cum fœneratoribus. *in Moral.*

Cholerici qui purgari nolunt ſub tempus, collecta in dies maiore bile, poſtea grauiter diſcruciantur: Sic qui finunt fœnus accreſcere, cum adeſt dies, grauiter è capite laborant. *In Moralibus.*

Plato vetat aquam a vicinis petere, niſi prius domi foderis vſque ad terram, quam ceramitidem vocant, repereriſque non ſpem eſſe venæ: Ita prius excutiendum, vt parſimonia, aliaue via tibi ſuppedites, priuſquam a menſarijs pecuniam mutuam petas. *in Moralibus.*

Vt ignis inualeſcens, alia poſt alia corripit: Sic vſura. *in Mor.*

Lepus ſimul parit, & aliud alit, & rurſum ſuperfœtat: Ita fœnerator æs alienum, priuſquam conceperit, parit. Nam dantes ſtatim petunt, & ponentes tollunt & fœnerant, quod pro fœnore accipiunt: *in Moral.*

P. M. Vultures ipſi nihil occidunt, ſed ab alijs occiſa inuadunt: ita nonnulli alienis fruuntur ſudoribus. *in Similibus.*

Al. autem piſcem ſemper ſequitur piſcis nomine largus, qui illo cœnum fodiente excitatum deuorat pabulum: ita ſunt qui ſe miſceant alienis negotijs, vt eis laborantibus fructum ipſi percipiant. *in Simil.*

A D A G I A.

Citius vſura currit, quam Heraclitus. Θᾶττον ὁ τόκος Ἡρακλείτου τρέχει.

Admonet adagium abſtinendum a mutua pecunia, quæ credatur ad vſuram Nam opinione celerius recurrere diem vſurarium. VVir ſchlaffen oder vvachen, ſo ſtehet doch der hauſzinſs nicht.

Eſt pylus ante pylum. ἔστι Πύλος πρὸ Πύλοιο, Πύλος γε μὲν ἔστι γὰρ ἄλλος.

In eos accommodabitur, quibus alia vſura ex alia naſcitur, vel vbi quid alteri præferunt velut antiquius, & præſtantius. vel vbi aliquis iactat ſe, quaſi vel ſolus vel ſummus ſit, cum reperiantur & alij qui poſſint cum eo decertare.

Fœlix qui nihil debet. ὄλβιος ὁ μηδὲν ὀφείλων.

Quid enim calamitoſius, quam toties erubeſcere, toties perfricare faciem, fugitare, latitare, mentiri, diſſimulare. nunc ſupplicem agere nunc flagitari: palam appellari, vitari, notari digito, breuiter nunquam tui iuris eſſe.

Animam debet. τὴν ψυχὴν ὀφείλει.

Dicitur in ſimulo de paupertate.

Semel rubidus ac decies pallidus. ἅπαξ ποτ᾽ ἐρυθρὸς καὶ δέκατον χλωρός.

Suidas admonet dictum de ijs, qui mutuum accipiunt, quos neceſſe eſt creditorum ſubeſcere pudore, tum metu palleſcere.

V S V S.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

VSus, Græce, χρῆσις, & χρῶμαι, vtor dicitur. Hebr. *Achuzzah*, poſſeſſio, detentio, apprehenſio, vſurpatio: a verbu *Achaz*, tenuit, apprehendit, apprehenſum detinuit, firmiter retinuit, vt ſolent bonæ fidei poſſeſſores, & qui rebus ſuis vtuntur. Eſt autē vſus, ius vtendi rebus alienis ſalua rerum ſubſtantia, *ſecun. Azon. in ſumma.*

Vſus nullo modo ſignificat habitum, vel potentiam, ſed ſignificat actum cuiuſcunque habitus & potentiæ. *ſec. S. Thom. in q. de verita te, q. 17. ar. 1. 6.*

Vſus ab vtor venit, & aliquando ſignificat ipſam vtendi actionem Virg. *Nam neque erat tecum vſus.* Nonnunquam conſuetudinem, conuerſationem. Terent. *Sic mihi eſt vſus.* Aliquando opus eſt. Virg. *Nunc viribus vſus, Nunc manib. rapidis, omni nunc arte magiſtra.* Nonnunquam vtilitatem ſignificat. Apuleius, *Cum id ex vſu meo non eſſet.* Vſu venire, eſt accidere. Plin. *Id enim frequenter vſu venit, vt mali boni præferantur.*

L O C I   B I B L I C I.

Vſus rerum legitimus, 1. *Tim. 2. 9. & 4. 3. 1. Petr. 3. 3.* vſus legis, *Rom. 3. 19. Gal. 3. 24.*

S E N T E N T I Æ   P O E T I C Æ.

Ouid. 1 Amor. 8.

Æra nitent vſu: veſtis bona quærit haberi:
Canefcunt turpi tecta relicta ſitu.

Lucan. ad Piſon.

Abdita quid prodeſt generoſi vena metalli
Si cultore caret? quid inertis condita prora,
Si ductoris eget, variis efficis, omnia quamuis
Armamenta gerat, tereſque fluentra mali
Poſſit & excuſſo dimittere vela rudente?

Ouid. 1. Art.

Ferreus aſſiduo conſumitur annulus vſu,
Interit aſſidua vomer aduncus humo.
Quid magis eſt durum ſaxo? quid mollius vnda?
Dura tamen molli ſaxa cauantur aqua.

Ouid. 4. Pont. 10.

Gutta cauat lapidem, conſumitur annulus vſu,
Et teritur preſſa vomer aduncus humo.

Luc. 1.

Quin etiam multum ſolis redeuntibus annis,
Annulus in digito ſubter tenuatur habendo,
Stillicidi caſus lapidem cauat: vncus aratri
Ferreus occulte decreſcit vomer in aruis.

Idem 4.

Nam leuiter quamuis quod crebro tunditur ictu,
Vincitur in longo ſpatio tamen atque labaſcit,
Nonne vides etiam guttas in ſaxa cadentes
Humoris longo in ſpatio pertundere ſaxa?

Propt. 2. 25.

Sed tamen obſcura teritur rubigine mucro
Ferreus, & paruo ſæpe liquore ſilex.

Hor. Art.

Multa renaſcentur, quæ iam cecidere: cadentque
Quæ nunc ſunt in honore vocabula ſi volet vſus:
Quem penes arbitrium eſt & ius, & norma loquendi.

Claud. de rap. Proſ. p lib. 3.

teritur ne triuctas.

Ingenioſa vias paulatim explorat egeſtas.
Vtque artes pareret, ſollertia, nutriit vſus.

Ouid.

Ouid. 2. Art.

Adde quod eſt illis operum prudentia maior,
Solis & artifices qui facit, vſus adeſt.

Anthol. Sac. Iac. Bill.

In rebus mundi non eſt idem omnibus vſus,
Nec cunctis paribus cuncta ferunt animis.
Namque bonos non blanda inflant, non aſpera frangunt,
Sed fidei intacta gaudia vera manent.
Terra autem & ſunt breuiter florentes auctor,
Sen caret optatis ſeu fruitur, miſer eſt.

Sententiæ Philosoph.

[illegible]

Facile naturæ indoles præſtans perpetuam exercitationem nacta, laudabilium actionum incrementum ſuſcipiet, aſſequeturque. *Max. Agr. ex* [illegible]

Nec medici nec imperatores, nec oratores, quamuis artis præcepta perceperint, quicquam magna laude dignum ſine vſu & exercitatione conſequi poſſunt. *Cic. 1. Offic.*

Vſus magiſter eſt optimus. *Pro C. Rab. Poſth.*

Vſus frequens omnium magiſtrorum præcepta ſuperat. *1. de Orat.*

Vſus eſt omnium rerum magiſter. *Cæſar. l. 2. de bello Ciuili.*

Vſus longo tempore verus eſt legum corrector. *Liuius Decad. 5. lib. 5*

Omnia honeſta & vtilia videntur vtentibus, quando quis recte illis vtitur, turpia vero & detrimentoſa, quando malos patronos & defenſores ſunt nacta. Huius autem rei cauſa eſt ipſa natura, quæ addit omnibus quaſdam etiam inſitas peſtes. *Dion. Halic. lib. 5.*

Vſus eſt optabilior habitu, ſi ſis autem vſu. *Ariſt. mag. mor. 1. c. 3.*

Vſus & habitus quorum eſt, ſemper melius, & optabilius eſt vſus habitu. *idem ibid.*

Vſus proprie de vtilibus dicitur. *Alex. Aph. 3. top. c. 3.*

Vſus & poſſeſſio de inſtrumentis, & quæ his proportione reſpondet, dici conſueuit, habitus vero, & operatio de qualitatibus, quæ in alia aliqua re conſideratæ eam perficiunt. *Eu. l. Eutor.*

Vſus, & vtenſile differunt, nam vſus eſt ſecundum quem aliquibus rebus vti ſolemus: vtenſile eſt, quo ſecundum ipſum vſum vtimur: artes quidem & omnes habitus non ſunt vtenſiles, ſed tales, vt his poſſimus vti. *idem 4. Eutor. c. 1.*

Vſus omnis fit per tactum: nam vſum vocamus, prout vti eſt cum gaudio fui, & delectatione. *idem. 3. Eth. tract. 3 c. 4.*

Vſus omnis ad alterum refertur, non ad ſeipſum. *idem Eth. 4. tract. 1. c. 2.*

Vtens & quo vtitur, oportet differre. *Ar. de iuuent. & ſenec. vita & morte, c. 2.*

Similitudines.

P. M. Nihil proiectius excrementis animantium, & tamen ſtercorandis agris præcipuum habet vſum: Ita nulla res eſt tam nihili, quæ non aliqua proſit, ſi noris vti. *in Similibus.*

Sicut ſcorpius ſi poſt ictum admoueatur vulneri venenum ad ſe retrahit. Ita nihil eſt tam noxium, quin ſecum adferat remedium ſui mali, ſi quis modo vti nouerit. *in Simil.*

Adagia.

Viam qui neſcit ad mare.

Plautus in Pœnul. Id eſt, Qui rem commode conficere nequit, is, qua ratione conficiat neceſſe eſt.

Vt poſſumus, quando vt volumus non licet. [illegible]

Quo monemur tempori ac neceſſitati ſeruiendum eſſe. Es gehet wies mag, nicht wie man will, item, Man muſſ alſo vor gut nemen, biß es beſſer wird.

Quando id fieri non poteſt.

Oportet id quod adeſt boni conſulere. Et Martial. Quod ſis, eſſe velis. Wan es nicht beſſer ſeyn mag.

Bona eſt offa poſt panem. [illegible]

Dici ſolere ait Zenodotus quoties aliquid maiorum amplectitur deterius. Quo licebit vti quum indicabimus rem vſu, non opinione æſtimandam.

Si non adſint carnes, taricho contentos eſſe oportet. [illegible]

Probanda ſal ſomenta egenti carnium. Senſus hic eſt vbi non adeſt copia meliorum, boni conſulere oportet quæcunque contingunt.

Aulœdus ſit, qui citharœdus eſſe non poſſit.

Recte dicitur in eos qui malunt in multo inferiore ordine aliquis haberi momenti, quam inter excellentes negligi: nec male quadrabit in eos, qui deſperatione meliorum ad humiliora ſeſe conferunt.

Si bouem non poſſis, aſinum agas. [illegible]

Id eſt: Si non potes vt vis, vtcunque potes facito ſi fortuna ſplendidior non contingit, eam ſortem qua contingit, boni conſulas. Wer nicht Kalck hat, Der muſs mit Leymen mauren, item, Man muſs mit pferden pfluegen, Die man hat. Man muſs mit Eulen beitzen, wo nit Habich vorhanden ſein.

Altera nauigatio, [illegible]

Conuenit, vbi quoties quæ potiſſima ſorte, non contingunt, ad proxima confugitur auxilia.

Præſentem fortunam boni conſule. [illegible]

Admonet adagium ne nos maceremus alienarum rerum cupiditate, ſed quæcunque contigit ſors, eam velut optimam amplectamur. Man muſs nemen wie es Kompt. Du muſt der zeit vnd des gluecks erwarten.

Præſentem mulge, quid fugientem inſequeris? [illegible]

Præſentem non omittendum ſpe commodorum. Germani dicunt. Nimb an was dir werden mag, vnd laſt das ander fahren.

Quod adeſt boni conſule.

Oportet boni conſulere quicquid a fortuna conceditur. Eſſet waß ihr findet, vnd denckt was jhr wollet, item, Nemet fuer gut, ein ander mal wirdt es beſſer.

Quæ dantur. [illegible]

Admonet ad ignem, quod a fortuna datur, id boni conſulendum eſſe, & ferendum æquo animo quod mutare non queas.

Quod datur.

Nonius Marcell. citat hunc verſiculum è Cæcilio Plotio.

Patiere quod dant, quando optima non dantur.

Dantur antiqua dictum e, t, pro dant, conuenit cum præcedente [illegible]

Fabula.

De Satyro & igne.

Allata igne in terras, quem Heſiodus ſcribit Prometheum Ioui furto ſubtractum apportaſſe mortalibus: tum igitur Satyrū delectatum ſplendore & claritate flammæ voluiſſe aiunt amplecti ignem & oſculari: Sed Promethea monuiſſe, futurum hoc cum detrimento barbæ ipſius: Adurer enim hanc, inquit, & cum cruciatu exulcerabit mentum. Ibi ferunt Satyrum reprehendiſſe factum Promethei, qui malum ſplendidum mortalibus attuliſſet, Prometheum vero docuiſſe malum non eſſe. Nam vrere quidē ignem, ſed lucem etiam atque calorem ſuppeditare, cum ad vitæ iucunditatem, tum omnium artium vſum & opificia, ſi quis illo vti recte ſciat.

Fabula docet, exquirendum vſum verum in rebus omnibus, ne peruerſa vſurpatione damna nobis accerſamus.

VTILITAS.

Definitio et Etymolog.

Vtilitas, Græce [illegible], vtile & [illegible], vtile dicitur dupliciter, ſcilicet ſicut via ad finem, vt meritum ad beatitudinem, & ſicut pars ad totum, vt miniſteria angelorum ad beatitudinem eorum, *ex S. Tho. 1. par q. 62. art. 9.*

Vtilitas, vtilis & vtiliter, ab vtor dicuntur.

Vilitas, Græce [illegible] & [illegible], vilis dicitur. Vile autem proprie dicitur quod parum valet, cuius contrarium eſt carum. Venit autem vilis a villa, vt quidam volunt, vna litera abiecta, quoniam omnia in villa viliora ſunt, & minori pretio venduntur, quam in vrbe. Hinc vile pro abundanti ponitur, quia quicquid nimis abundat, vile eſt, hoc eſt, paruo venditur pretio. Virgil.

Vilemque phaſelum.

Sententiae Biblicae.

Communem vtilitatem apud te vniuerſæ multitudinis conſidera. *Macca. 2. c. 4.*

Sententiae Patrum.

Vtilior eſt in conflictu lorica ferrea, quam ſtola linea licet hæc ſit oneri, illa honori. *Bern in quodam ſerm.*

Hæc dicta ſunt de ſermone, de voce, de pecunijs, de omni diſpenſatione quæ vnicuique commiſſa eſt, Vnumquemque enim ad communem vtilitatem vti oportet his quæ habet, ſiue ſapientia, ſiue principatu, ſiue diuitijs, non ac nocumentum contrariorum. *Chryſ ſuper illud Matth. 25. hom.*

Commodum enim debet eſſe cum modo tantum: ſi menſuram æqualitatis exceſſerit, vim ſui nominis non habebit. *Caſſ lib. 2. Ep.*

Dicta Poetarum.

Periand. per Auſo.

Nunquam diſcedas vtile a decoro.

T. i. Hec. 5. 3.

Multa ex quo fuerint commoda eius incommoda æquum eſt ferre.

Ouid. 2 Pont. 3.

Turpe quidem dictu, ſed ſi modo vera fatemur,
Vulgus amicitias vtilitate probat.

Cura quid expediat prior eſt, quam quid ſit honeſtum.

Et

Et cum fortuna statque, caditque fides,
Nec facile inuenies multis in millibus vnum,
Virtutem pretium qui putet esse sui.
Ipse decor recti facti si præmia desint,
Non mouet, & gratis pænitet esse probum.
Nil nisi quod prodest carum est, en detrahe menti
Spem fructus auida, nemo petendus erit.
At reditus iam quisque suos amat, & sibi quid sit
Vtile sollicitis computat articulis.
Illud amicitiæ quondam venerabile nomen
Prostat, & in quæstu pro meretrice sedet.

PHILOSOPH. SENTENTIÆ.

Vtilitas est præsertim bonorum conseruatio aut absentium comparatio, aut malorum instantium propulsio, aut futurorum incommodorum inhibitio, & hoc diuiditur in corpus, animam & res exteroas. *Arist. rhet. ad Alex.*

Vtilitatem vbique quærere non congruit magnanimo, & ingenuo homini. *Idem polit. 8 c. 3.*

Vtilitas libris posteriorum prima est vtilitas scientiæ logices, ex notionū veritatis vniuersaliter, *Auer. 1. poster.*

Vtilitas introductionis Porphyrij quatuor reb. deprehenditur; facilem prædicamentorum cognitionem tradit, & integram definitionem, & perfectionem rectam diuisionis, & conclusionem verissimam demonstrationum. *Boet. in Porphyr. ex dialect.*

Vtilitas semper consideratur ratione illius, quod est vtile, necessitas autem per se. *Ibid.*

Vtilitas est circa futurum tempus, *Plat. in Theæt.*

Vtilitas in continua rei possessione consistit. *Leo Heb. de amo. dialect.*

Omnes expetimus vtilitatem, ad eamque rapimur, nec facere aliter vllo modo possumus. nam quis est qui vtilia fugiat? aut quis potius qui ea non studiose persequatur? *Cic. 3. Offic.*

Nemo est quin putet expetendam esse maxime dignitatem, sed vincit plerumque vtilitas. *Idem 2. Orat.*

Cum vtilitas ad se rapere, honestas contra reuocare ad se videtur, fit vt distrahatur deliberando animus, afferatq; ancipitem cogitandi curam.

Nostræ vtilitates nobis omittendæ non sunt cum ijs ipsi egeamus, sed quæ cuique vtilitati, quod sine alterius iniuria fieri possit seruiendum est. *Idem 2. Offic.*

Res honestæ & vtiles semper apud homines potius quam nusquā opportune dici possunt. *Dion Halic. lib. 11.*

Præcipua vtilitas est, non iniuste agere. *Thucyd. lib. 1.*

Vtile iudicamus, commune bonum tueri, & cum his qui periclitātur ex æquo bono agere. *Idem. lib. 3.*

In bellis sola spectari solet vtilitas, *Appian. lib. de bel. Pun.*

Communis vtilitas societatis maximum est vinculum. *Liu. dec. 4. lib. 6.*

Facile omnes appetunt quæ pro cunctorum vtilitate tentantur. *Jornand. de reb. Getic.*

APOPHTHEGMATA.

Antisthenes. Hostes semper obseruandos esse dicebat, ideo quod hi primi omnium sentiant, si quid delinquas. Igitur plurimum vtilitatis ex his capere possumus, cum errores nostros castigari cognoscimus, vt cognita corrigamus deinceps. *Laer. lib. 6. c. 1.*

Anacharsis, Forum esse locum mutuis hominum fraudibus ac rapinis destinatum, notaos mores vendentium, per fas nefasque lucra venantium. *Laer. lib. 1. c. 9.*

Lysander. Cum egregius simulandi artifex euasisset, at pleraque quę crudeliter & auare gerebat, callidis fucis ornaret, iustum non alia re quam vtilitate, & honestum commodo metiens, fatebatur quidem, veritatem mendacio præstantiorem esse, sed vtriusque dignitatem ac pretium vtilitate æstimādum. Incessit vir improbus philosophorum dogma, qui quod honestum est, idem volunt vtile esse: hic quicquid esset vtile, idem ducebat honestum. *Plut.*

Cato Vticensis, Cum Romam venisset, reuocatus est ab exercitu, nō quidem vt ipsi gratificarentur, sed quod per illum cito Carthaginem se capturos crederent. *Plut. in Rom. apoph.*

SIMILITVDO.

Seneca. Quemadmodum incommodorum onere vsque ad miserū non deprimitur: Sic commodorum inopia non deducitur a beatissimo, *Lib. 2. epist. 93.*

HIEROGLYPHICA.

Aiunt, qui sacerdotum Aegyptiorum commenta curiosius sectantur, *Tritonem* ideo *biformem* pingi solitum, superiori quidē parte hominem, inferiori vero piscem, vt ex humore nos vtilitatem & damnum consequi moneremur: cum illi ex humana natura bonum ex pisce, non nisi perniciem interpretarentur. *Pier. Valer. l. 31.*

EMBLEMA.

Ex damno alterius, alterius vtilitas.
Emblema. CXXV. And. Alciat.

Dum fanis ruerent in mutua vulnera telis,
Vngue leæna ferox, dente timendus aper:
Accurrit vultur spoliarum & prandia captat.
Gloria victoris, præda futura sua est.

VVLGVS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Vulgus, Græce ὁ χυδαῖος ὄχλος, & οἱ πολλοί, vulgaris dicitur, Hebr. *Hamon,* a verbo *Haman,* copiosus fuit, in copia magna fuit. Cognationem habet cum *Hamah,* tumultuatus est: itē cum *Hamam* & *Hem,* turbauit cum tumultuatione, impetu quodam cōsternauit, tumultum magnum concitauit.

Est autem vulgus & masculino & neutro genere, proprie ignobilior multitudo. Virg. *Sæuitq; animis ignobile vulgus.* Diciturque (vt quidem volunt) a voluendo, quod stulte huc atque illuc voluatur. Hinc volgaris dicitur, hoc est, vilis ac communis. Hinc vulgo, diuulgo, hoc est emitto, ac vile & quasi commune omnibus facio. Hinc etiam promulgo, quasi prouulgo. Vnde lex promulgari dicitur, cum primum in vulgus educitur.

LOCI BIBLICI.

Vulgus facile commouetur, *Matth. 27. 24. Actor. 6. 12. & 14. 19.* vulgi opinio de Christo, *Matth. 16. 13. Marc. 7. 21. Luc. 9. versic. 7. 19. Ioan. 7. 21.*

SENTENTIÆ POETARVM.

Iuuen. 12.

Sed quid
Turba Remi? sequitur fortunam, semper, & odit
Damnatos, idem populus si Nortia Tusco
Fauisset, si oppressa foret secura senectus
Principis, hac ipsa Seianum diceret hora
Augustum,

Sen. Her. fur. act. 1.

Inuidia factum ac sermo popularis premet.
Tradere turpi fasces populus
Gaudet, eosdem colit atque odit.

Sen. Oct. Act. 4.

O funestus multis populi,
Dirusque fauor, qui cum flatu
Vela secundo ratis impleuit
Vexitque procul, languidus idem
Deserit alto, sæuoque mari.

Sen. Her. fur. act. 1.

Illum populi fauor attonitum,
Fluctuque magis mobile vulgus,
Aura tumidum voluit inani,

Hor. 1. epist. 19.

Non ego ventosæ plebis suffragia venor
Impensis cœnarum & tritæ munere vestis.

Ouid. Met. 5.

Tum vero indomitas ardescit vulgus in iras
Telaque coniiciunt.

Virg. 1. Aen.

Sæuitque animis ignobile vulgus,
Iamque faces & saxa volant furor arma ministrat.

Ouid.

Vulgus amicitias vtilitate probat

Populus consentiens regnum dat & aufert.

Quicunque multis vir viris vnus præest,
Hoc debet his quibus præest.
Preesse debet nequaquam diutius
His quam volent, quibus præest.
Quid impotentes principes superbiunt
Quod imperant precario?

Ouid. lib. 1. Trist. eleg. 8.

Vtque comes radios per solis euntibus vmbra est,
Cum latet hic pressus nubibus illa fugit:
Mobile sic sequitur fortunæ lumina vulgus,
Quæ simul inducta nube teguntur, abit.

SENTENTIAE PHILOSOPHICAE.

Vulgi ingenium, sequentia dicta detegunt.

Omni populo inest malignum quiddam & querulum in imperantes. *Plut. in Polit.*

Multitudo vulgi, more magis quam iudicio, post alium alius quasi prudentiorem sequitur. *Sallust. ad Cæs.*

Vulgus ingenio mobili, seditiosum, atque discordiosum, cupidum rerum nouarum, quieti & otio aduersum. *Idem in Iugurth.*

In cit-

In circulis omnibus atque etiam in conuiuijs, sunt qui exercitum ducunt, vbi castra locanda sint sciunt, quæ loca præsidijs occupanda, quando cum hoste manus conserenda, quando quiescendum sit. *Liuius lib. 44.*

Vulgus est mutabile subitis, & tam pronum in misericordiam, quã immodicum sæuitia fuerat. *Tacit. hist. lib. 1.* Plebi non iudicium, non veritas. *Ibid.* Aegris oculis alienam felicitatem intuetur. *Idem, li. 2. hist.* Municipale vulgus pronum ad suspiciones. *Eod. lib.* Quoquo modo audita pro compertis habet. *Idem annal. lib. 3.*

Manifestum est principum disciplinam capere etiam vulgus. *Plin. in panegyr.*

SENTENTIÆ PHILOSOPHICÆ.

In conuentibus cum de rebus agitur, quo quisque est sapientior, eo minus authoritatis habet, maioreque inuidia laborat: contra illos extollitis, quorum pro concione maxime se iactat improbitas, & populariores esse ducitis ebrios quam sobrios, amentes, quam recte sentientes, peculatores, quam eos qui suis opib. rempubl. locupletant, ac vestris tam vtilitatibus, tum voluptatibus inseruiunt. Quare mirum est, quemquam esse, qui speret, dum hi consultores adhibentur, melius actum iri cum repub. Ego vero, quam arduum sit aduersari vestris cupiditatibus, non ignoro, & quanquam hic popularis est respublica, video tamen nemini licere quod sentit libere loqui, nisi stolidissimis vestrique contemptoribus in concione, poetis comicis in Theatro. *Isocr. in orat. de pace.*

Nihil imitari solet vulgus libentius, quam quod a viris principib. conspexerint factitari.

Quid tam impium est, quod mortalium vulgus non admittat ampli principatus gratia.

Quod decet plebeium, non semper decet principem.

Quæ recta sunt, semper paucissimis placent.

Vulgus hominum cupiditatibus agitur non ratione.

Apud Græcos cum certarent artifices, de his iudicabant artis expertes.

Vni sapientium nihil placet omnium, quæ vulgus vel facit vel dicit.

Vulgus hominum ea tantum approbat quibus assuevit, ab exoticis abhorret, non quia per se mala sint, sed quia peregrina.

Vulgo ingens probrum est, paupertas: magna gloria, diuitijs per fas nefasque partis abundare.

Cleon Atheniensis suos populares increpans quod contentionibus Reipublicæ perniciosissimis Oratorum inter se certantium nimium delectarentur, vulgi ingenium graphice depingens inter cætera. Quispiam (inquit) eloquentia confisus contendet manifestam veritatem obruere, aut lucro motus fucata oratione vos seducere volet. Dat enim hæc ciuitas multis præmia ex talib. certaminibus, ipsa interea in discrimen adducitur, cuius rei culpa est penes vos (*Athenienses, qui comitijs interterant, alloquitur*) qui talia certamina proponitis, & conuenitis, vt sitis verborum spectatores & alienorum operum auditores, & conijcitis tales futuros esse euentus, vt quisquam facundissime dixerit: nec tam ex factis id quod occurrit certius esse ducitis quam quæ auditis, & facilime sinitis vos decipi nouitate orationis. nec decreta facile exequimini, ac semper serui estis absurdarum opinionum, & fastidiitis vsitata, ac singuli volunt excellere dicendo, aut ne videantur inferiores ingenio certant cum oratoribus. Acute dicta laudatis & videri vultis ipsi quoque eas cogitationes præuidisse, cum tardi sitis ad ea perspicienda quæ rei usui sunt: semperque alia quæritis, vt sic dicam, quam quæ vitæ nostræ accommodata sunt, cum ne præsentia quidem consideretis aurium voluptate impediti, ac sedetis, non vt consilium daturi patriæ, sed vt ociosi spectatores eloquentiæ. *Thucyd. lib. 3.*

Talis est quælibet plebs ac turba, vt facile fallatur, & ad quiduis inducatur. Vnde illi frequenter idẽ quod mari accidit. Quẽadmodũ enim mare natura sua innoxiũ est recte vtentibus, & turbidi vero violenti flatus in illud irruerint, tale redditur ventibus, quales sunt venti, a quibus circũquaque impellitur: ita & vulgus tale redditur quales habet duces & consiliarios. *Polyb. histor. lib. 11.*

Multitudo sibi inseruiri cupit. *Plut. in Dione.*

Plebs ocio lasciuit. *Liuius, Decad. 3. l. 2.*

Vt sunt mutabiles vulgi animi, ex fauore non inuidia modo, sed suspicio etiam cum atroci crimine magnis viris oritur. *Idem, ibid.*

Natura hoc ita comparatum est, vt qui apud multitudinem sua causa loquitur, gratior eo sit, cuius mens nihil præter publicum commodum videt. *Idem. Decad. 1. lib. 3.*

Multitudo ex incertissimo sumit animos. *Dec. 1. lib. 6.*

Defensores suos in præcipitem semper locum fauore tollit, deinde in ipso discrimine periculi destituit. *Idem, eod. lib.*

Multitudo omnis, sicut natura maris, per se immobilis est: vt venti & auræ ciunt, aut tranquilli, aut procellosi. *Id. Decad. 3. lib. 8.*

Hæc natura multitudinis est, aut seruit humiliter, aut superbe dominatur, libertatem quæ media est, nec spernere modice, nec habere sciunt, & non ferme desunt irarum indulgentes ministri, qui auidos atque intemperantes plebeiorum animos ad sanguinem & cædes irritent. *Idem Decad. 3. lib. 4.*

Nihil tam incertum, nec tam inæstimabile est, quam animi multitudinis. *Id. Decad. 4. lib. 1.*

Nihil in vulgo modicum: terret, ni paueat: vbi pertimuerit, impune contemnitur. *Tacitus, Annal. lib. 1.*

Vulgus, duro imperio habitum: principi calamitate euerso probra ac verbera intentat. *Idem, lib. 12.*

Vulgus est voluptatum cupiens, & si eo princeps trahit lætum. *lib. 14.*

Vulgus est ad deteriora promptum. *lib. 15.*

Facilis est ciuitas ad accipienda, credendaque omnia noua, cum tristia sunt. *Idem hist lib 1.*

Publica expectatio est magni secreti impatiens. *Eod. lib.*

Vulgus, vt mos est, cuiusque motus noui cupidum. *Eodem libro.*

Mos vulgi est, imperatores forma ac decore corporis comparare. *Eod. lib.*

Vulgus ignauum est, & nihil vltra verba audet. *lib. 5.*

Est vulgus sine rectore præceps, pauidus, socors, arma temere rapiens, ac statim omittens. *lib. 4.*

Vulgo alimenta in dies mercari solito, vna annonæ cura. *Idem e. d. lib.*

Est multitudo leui sententia, & facile huc atque illuc impellitur. *Zonar. Annal. tom. 1.*

In Republica bene constituta plebi non concedenda est quiduis temere & impudenter audendi licentia. *Zonar. in Theodosio.*

In Republica bene constituta plebi non concedenda est quiduis temere & impudenter audendi licentia. *Idem in Grat. tom. 3.*

Vulgus, per se, nouis rebus non studebit *Idem in Basilio tom. 3.*

Iam pridem fat est leu, Vulgus rem esse inconsultissimam, nec præsentem ferre fortunam scire, nec alias de futuris consulere, sed rebus vel difficillimis perquam leniter & enixe incumbere, ac præcipitanter suam in perniciem ire duntaxat nosse. *Procop. de bello Goth. lib. 2.*

Id omni multitudini natura insitum est, vt rerum nouitate & immutatione lætetur. *Agath. lib. 3.*

Vulgus de religione rixatur, ignarum quid sit hæresis. *G. Pachym. hist. lib 5.*

Quo victoria, eodem quoque popularium fauor inclinat. *Ion. Pont. hist. lib. 4.*

Verenda est hominum inconstantia, præsertim in magna annonæ difficultate. *Idem, eod lib.*

Parum est præsidij positum in promiscua multitudine, nisi contineatur aliqua necessitate & imperio: tametsi tempus incidat, quum ipsorum furor & repentinus impetus valde est extimescendus. *Ph. Comminus, lib 3.*

Ad portenta accipienda imperitum vulgus blandiente mendacio inclinat. *P. Aemyl. lib. 1.*

Vt ab iudice rudi & imperito recta iudicia expectari nequeunt, sic a multitudine confusa & imperita, consilium sententiaue, prudẽtia & ratione munita, nisi forte casu, sperari nullo modo potest. *Fr. Guicciardin. hist. lib. 2.*

Populus, vbi minus est opus, sæpe numero profusus apparet: vbi autem res ipsa largitatem poscit, vsque adeo tenax, vt dum minimis parcere vult in maximos sumptus grauissimaque pericula incurrat. *Ibid.*

Est vulgi natura, ad plus quam par sit sperandum, minusque quam necesse sit patiendum propensa, rerum vero præsentium semper pertæsa. *Eod. lib.*

Populi, leui spe & vanis consilijs nixi, cum periculum procul est, feroces sunt, sed mox periculo imminente animo fracti, nullã moderationem retinent. *Idem lib. 7.*

Variæ sunt hominum, præterum multitudinis, cui magis speciosa quam matura consilia placere solent, quæque sæpius eos qui res minime prudenter metiuntur, magnanimus existimat, cupiditates & censuræ. *Idem lib. 16.*

Plebs suapte natura semper rerum nouarum cupida, cum facile vanis erroribus & falsis persuasionibus repleatur, ad concitantis arbitrium, vt maris fluctus a ventis impellitur. *Idem lib. 17.*

Sunt ad quæque rerum initia ardentissimi plebis animi. *P. Iouius. hist. lib. 21.*

APOPHTHEGMATA.

Stilpo, Crateti percontanti, num dij orationibus & precibus delectarentur? Istuc, inquit, o stulte, ne percontaris in via, sed solum interrogata. Subindicans, aut nullos esse Deos, aut eos non sollicitari de rebus humanis: Sed non expediret tales voces apud multitudinem efferri, cui necessarium est Deorum metu contineri. Huic simillimum est quod tribuitur Dioni, qui eam quæstionem proponenti, versu Homerico ni fallor, respondit:

Οὐκ ἀπ' ἐμοῦ σκεδάσεις ὄχλον ταλαπείριε πρέσβυ.

Non abiges miserande senex turbam procul à me.

Laert. l. 2. c. 12.

Anacharsis mirabatur, qui conueniret, vt artifices apud Græcos certarent, sed de his iudicarent artis expertes. Sentiens, de artifice

fice neminem recte iudicare, nisi artificem. In theatro certabāt histriones, mimi, cantores & sophistæ, recitabant Poetæ: quorū artes cū populus nesciret, tamen alijs applaudebat. *Idem, l. 1. c. 9.*

Antisthenes, Omnia mala pro peregrinis habenda esse putauit. Sed vulgus hominum ea tantum probat, quibus assueuit: ab exoticis abhorret, non quidem hanc ob causam, quod per se mala sint, sed quia peregrina. *P. M. lib. 7. apoph. ex Diogenes Laer. lib. 6.*

Idem, Quodam die theatrum ingressus, ipse aduersus populum nitens ingrediebatur. Interrogatus autem, quam ob rem id faceret? Hoc, inquit, in omni vita facere studeo. Sentiens, hoc sapientis esse viri in omnibus actionibus a multitudine dissidere: propterea quod vulgus hominum cupiditatibus agitur, non ratione. *Laer. l. 6.*

Chrysippus, cuidam reprehendenti, quod non apud Aristonem cum pluribus daret operam philosophiæ: Nonnunquam, inquit, philosopharet, si cum pluribus auscultarem. Dictum lepidius est apud Græcos, quod πολλοί interdum sonat multo, interdum vulgus hominum. Sensit, non statim esse optima, quæ placent compluribus. *Laer. lib. 7. c. 2.*

Demades, cum esset quæstor, populo Atheniensi persuaso vt ijs qui ab Alexandro desciuerant triremes auxiliares mitterent, iubentique vt illico pecunias depromeret: Paratæ sunt inquit, pecuniæ, o viri Athenienses, quas in congios deposueram, vt singuli minæ dimidium acciperetis: Verum si has mauultis in hunc vsū erogari, per me quidem, vt vobis quidem lubet, vtamini licet. Hoc sermone fregit impetum populi, nolentis illa distributione spoliari. Sic interdum, vt indomitæ belluæ, arte ad meliora consilia vocandus est populus. *P. M. l. 6. Apoph.*

Alcibiades habebat canem quendam insigni pulchritudine, emptū drachmarum septem millibus: huic amputauit caudam ac per vrbem obambulare passus est. Demirantibus cur id faceret, vt hoc, inquit, de me loquantur Athenienses, nec alterius rei sint curiosi. Norat ingenium populi, qui de claris viris libenter loquitur male. Illi morbo suppeditauit materiam leuiorem. *Plut. in Græc. apoph.*

Phocion, populum Atheniensem in concione quum liberius reprehenderet, eique Demades diceret: Laniabit te Phocion plebs, si paululum insanierit: Quin, inquit ille, te potius, si paululum resipuerit. *Brus. 7. c. 17. ex Plut.*

Idem, Quum Atheniensibus proditum esset oraculum, in ea ciuitate vnum esse virum qui cunctorum sententijs aduersaretur, ac populus vociferans iuberet illum inquiri, vt occiderēt: Phociō in medium processit: ego, inquiens, sum ille, quem designasset oraculum; Mihi enim ea omnia displicent, quæ vulgus ait & dicit. Quo dicto ostendere voluit, inconditam multitudinem, quoniam affectibus agitur, nihil sani nec agere nec loqui. *Plut. in apoph.*

Idem, Orationem habens apud Atheniensem populum, placebat omnibus, cumque videret ab omnibus pariter sermonem approbari, conuersus ad amicum: Quid (inquit) num mali quippiam dixi imprudens? Adeo persuasum habebat, nihil placere vulgo, quod a recto iudicio proficisceretur. *Plut. in apoph.*

Themistoclem cum Athenienses contumelia afficerent, in quos multa contulerat beneficia, aiebat se similem esse platanis, sub quarum vmbra accurrunt homines afflicti tempestate, & easdem simul vt abit tempestas vellunt. Sensit vir prudentissimus vulgi mores esse, vt belli periculis, implorent opem fortium virorū, in pace vero contemnant. *Plut. in Græc. apoph.*

Hippomachus. Quum discipulus suus aberraret arte intes fistulandū, & nihilominus plausum auditorum assequeretur, percussit eum baculo, dicens: Perperam fistula cecinisti, nam alioquin hi tibi non applauderent. *Ael. l. 4. de var. hist.*

Polycletus. Eodem tempore duo simulachra fecit: alterum quidem ad vulgi arbitrium, alterum iuxta artis normā. Gratificaturus autem plebi, ad singulorum accessum transposuit, & commutauit aliquid, morem gerens vniuscuiusque volūtati. Mox proposuit vtrumque, & alterum omnes admirationi, alterum ludibrio ac risui habuerunt. Respondens igitur Polycletus: At hoc, inquit, quod vituperatis reprehenditis, a vestra arte profectum est: quod vero suspicitis, ego mea facultate sum fabricatus. *Ael. l. 6. de var. hist.*

Appius Claudius, Quum in censura haberet competitorem Scipionem, Pauli Aemilij filium popularis auræ studiosum, magna voce, O Paule, inquit, Aemili, nonne etiam apud inferos indignaris, quod filium tuum Mallius tonsor & Licinius declamator ad censuram producunt? *Plut.*

M. Cato. Populum Romanum gregi pecudum conferre solebat: quæ singulæ nemini obtemperant, vniuersæ autem gregis ducem sequuntur. Sic & vos inquit, quos nemo vestrum priuatim consilium adhibere vellet, ab his hic cōgregati, vos agi ducique sinitis: Notans populum quod deterrimus committeret magistratus. *P. M. l. 5. apoph.*

Polycarpus, cum fidei suæ rationem Herodi proconsuli reddere paratus esset, diéque postularet, quo cum proconsule agere posset. Proconsul voluit, vt coram populo se excusaret. Cui Polycarpus, Non faciam, inquit, cum principibus & potestatibus honos debeatur, modo Deo non sit contrarius: populo autem furenti satisfacere nemo possit. *Euseb. lib. 4. Eccles. hist. c. 15.*

SIMILITVDINES.

Nazianzeni. Solet populus, etiam si ad Præsens iram cohibeat, tanquam ignis in ligno delitescens, seu fluuius vi coercitus, vbi tēpus est oblatum, se accendere & erumpere. *Contra Iulia.*

D. Basily Quemadmodum nebulæ iuxta mutationes flatuum nunc huc nunc illuc feruntur: Sic vulgus quouis vento nunc in hanc nunc in illam partem sese flectit. *Apud Anton. 2. 1. serm. 18.*

Philonis. Quemadmodum coqui omnia esculenta ad suauitatem oris comparant, vtilia negligunt: Sic ignobile vulgus securum de commodis, præsentem tantum voluptatem venatur. *l. de Ioseph.*

Sicuti coquus nihil aliud curat, quam inutiles ac supernacaneas ventris voluptates: Eodem modo vulgus ignobile totum sese oblectamentis aurium tradit, per que mentis intentio relaxatur, & eneruatur anima *lib. de Iosepho.*

Polyby. Quemadmodum mare natura sua placabile est recte ventibus ac firmum, cum vero venti violentiores irruerunt, tale redditur ventibus, quales sunt venti, a quibus agitatur. Ita etiam ignobile vulgus cum per se placabile sit, facile tamen commouetur a quouis vento, ac talis fit multitudo ventibus, quales cōsiliarios habet. *Lib. 11. hist.*

Demosthenis. Populus sane turba est, & res omnium instabilissima ac imprudentissima, vt in mari fluctus flexibilis & inquietus, qui vt contingit agitatur: alius venit, alius recedit, ac nemo reipublicæ curam gerit, imo ne meminit quidem. *In orat. de falsa lega.*

Stobæi. Ariston Chius vulgus hominum Laerti comparabat, qui cū reliqua rura diligenter omnia curaret, seipsum negligebat: Sic & illos studiosissimos quidem esse circa possessiones, animum autem feris obrutum affectibus, non excolere aiebat. *Serm. 2. de imprudent.*

Vt vulgus temere quippiam pestulans ex rebus tuis, non mouet te: Sic quāuis in te plebem iniuste aliquid orantem ne reuereatis. *Serm. 44.*

Plutarchi. Inter agathallos & acanthyllides tantum est odium, vt si sanguis eorum vi misceatur, continuo separent se rursus, ac dissiliant: Sic inter patricios & plebem, etiamsi quando pro rerū vsu coniunguntur, durat tamen vsque odium naturale. *In Moral.*

Qui captat aues, earum voces imitatur, vt alliciat in laqueos: Sic, vt multitudinem in tuam adducas sententiam, illius ingenio obsecundes & obsequias oportet. *In Moral.*

Quemadmodum ij qui ruri laborant, ingruente pluuia & tempestate ad platanos currunt, vt earum vmbra tegantur, easdem autem simul vt redit serenitas, euellunt, & domum ferentes in ignem projciunt: Sic ignobile quoque vulgus in bellicis periculis fortium virorum implorat opem & auxilium, in pace autem & tranquillitate eosdem contemnit, & nihil æstimat. *In Græcor. Imperat. apoph.*

Seneca. Vt qui in ludo versantur gladiatorio, cum ijsdem viuunt ac pugnant: Ita vulgus hominum inter sese dimicat, & alius alium spoliat, vel amicissimum. *Apud P. M.*

Nihil magis præstantissimum est, quam ne pecorum ritu sequamur antecedentium gregem, pergentes non quo eundū est, sed quo itur. *Apud P. M.*

P. M. Quemadmodum oues singulæ nemini obtemperant, vniuersæ autem gregis ducem sequuntur: Sic in vrbe populus a priuatis castigari non vult, a magistratu autem agitur & ducitur. *Lib. 5. apoph.*

Vt maiore cum voluptate cantionem audimus notam, quam ignotam, etiam si melior sit: Ita ijs literis impensius vulgus delectatur, quas didicit. *In Simil.*

Vt imperiti tempestatem non sentiunt, nisi sero, suoque malo, contra prudentes agricolæ prospiciunt, cauentque. Ita vulgus hominū improuidum suo malo discit, cum interim vt sapiens procul præuisum malum vitet, vt Democritus metente fratre ardentissimo æstu, monuit, vt reliquæ segeti parceret, raperetque desecta sub tectum: paucis mox horis sæuo imbre vaticinatione approbat. *In Simil.*

Sicut arbores aliquot, quæ post solstitium inuertunt sua folia, vt vlmos, tilia, olea, populus alba, salia: Ita vulgus procerum, simulatque princeps vitæ genus diuersum commutarit, vertunt & ipsi vultum, cultum, orationem & omnia. *In Simi.*

Thriuers. Quemadmodum sensus respectu rationis brutus est: Ita æstimatione sapientium, vulgus. Proinde qui vult sapere, debet quam longissime ab opinione vulgi discedere. *In apoph. 72.*

FABVLA.

Asinus Vulgi.

Senex pater comitatus filio adolescentulo, asinum agebat ad mercatum

catum, venditurus illum, si posset. Hos conspicati in agro, mercenarij: O homines stultos? inquiunt, qui vacuum asinum præ se agant potius, quam vt alter ipsorum vehatur, cum hic ætate senecta, hic puerili sit imbecillior. Senex verum illos dicere sentiens, filium suum in asinum imponit, neque multum viæ progressi, habent obuios notos sibi homines, qui beneuolentia, vt videbatur, erga senem moti, reprehendere, quod ipse potius decursu ætatis & annis grauis defatigaretur, quam ad laborem adolescentulum filium assuefaceret. Quos & ipsos recte monere arbitratus, mutato consilio, ipse asinum conscendit, & adolescentulum filium suum præire iubet. Non multum itineris confecerant, cum audit & hoc culpantes quosdam, quod tenellos pedes pueri exerceret itinere, ipse suis callosis parceret. Ergo assidere post se filium iubet. Cum autem incidissent in quosdā viatores, salutato illo sene, & de quibusdam alijs locuti, mox ipsius ne esset asellus, an vtetetur conducto, interrogāt? Hic enim vero suum esse dicebat, & se agere ad mercatum. Bene scilicet, inquiunt illi, venditurus ex inimatum tanto pondere vtriusque vectum. Senex dicere & hos aliquid existimans pedibus alligatis asini suspensum de pertica ipse & filius portare. Ibi vero hoc videntium maxima reprehensio & vituperatio existit: alijs vt delirum ridentibus senem, alijs vt captum mente miserantibus. Tam ille tandem perturbatus simul animo, simul indignatione percitus, vt prope fluuium forte astiterat asinum in aquas præcipitem dedit. Ita dum sermonibus hominum mouetur: asinum miser perdidit.

Docet fabula, non oportere sapientes, hoc agere, suas actiones vt vulgo probent, sed in consiliorum honestate illius belluæ multorum capitum notationes contemnere.

V V L N V S.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Vlnus, plaga, est proprie hians patensque apertum corporis ictu aliquo inflicta: Gr. τραῦμα. Hebr. *Machchab*, a verbo *hicchah*, Sauciauit, vulnerauit, & *Petsah*, a verbo *Patsah*, vulnus inflixit, lacerauit vsque ad effusionem sanguinis.

SENTENTIAE POETICÆ.

Virg. 3. Georg.

Non tamen vlla magis præsens fortuna laborum est,
Quam si quis ferro potuit rescindere summum
Vlceris os: alitur vitium, viuitque tegendo, &c.
Continuo ferro culpam compesce prius, quam ∴
Dira per incautum serpant contagia vulgus.

Claud. 2. Eutrop.

Tunc decuit sentire nefas, tunc ire recentes
Detersum maculas: vetiti post abruta morbo
Corpora, Pœonias nequidquam admoueris herbas. ∴
Vlcere possessis alte suffusa medullis
Non leuiore manu ferro sanantur & igni,
Ne noceat frustra mox eruptura cicatrix.
Ad viuum penetrant flammæ quo funditus humor ∴
Defluat, & vacuis corrupto sanguine venis
Arescat fons ille mali: truncatæ & actus,
Vt liceat reliquis securum viuere membris.

Ouid. 1. Met.

Cuncta prius tentanda, sed immedicabile vulnus
Ense recidendum est, ne pars sincera trahatur. ∴

Ouid. 2. Pont. 2.

Vulneris id genus est, quod cum sanabile non sit,
Non hoc tractari tutius esse puto.

Idem 3. Pont. 5.

Curando fieri quædam maiora videmus ∴
Vulnera, quæ melius non tetigisse, fuit.

SENTENTIÆ PHILOSOPHICÆ.

De vulneribus acceptis. DIAL. LXXVII.
Francisci Petrarchæ.
DOL.

Vulneribus crucior grauissimis. R. O si animæ tuæ vulnus aspicias, quam tibi hæc leuia videantur, sed vos delicatissima corpora insensibiles pœnæ animas habetis. Altera vestri parte nihil; Altera pati omnia parati, quodque est funestius, non sentire. D. Vulneribus inflictis afficior. R. Hostilis mucro loricam penetrat, non animum. Ille nisi vltro suis sese armis spoliet inuiolabilis ferro est. Disputatum habes a magno quodam viro, paruo quidem, sed arguto volumine, neminem lædi posse: nisi lædatur a seipso, cui sententiæ, quamuis ab opinione hominum vehementer abhorreat, pro veritate subscripserim. D. Grauissimis, multisque vulneribus laniatus sum. R. Nullum vulnus grauius esse potest, quam ad mortem, talia vero vno in corpore multa esse non possunt, si vnum ergo grauissimum, reliqua omnia leuia sint oportet. Tribus & viginti vulneribus confixus Cæsar, vnū non amplius letale habuit: vt sane fuerint cuncta letalia, plus ne quam semel mori potuit? multa licet ac profunda sint vulnera, vnus est vulnerum effectus, quorum sæpe etiam in corpus extinctum inhumana repetitio non vulnerati pœnam, sed sæuitiam vulnerantis exaggerat. D. Vulneribus debilitatus sum. R. Sit vtinam simul debilitata superbia cum sororibus suis, & accesserit vulnerum comes humilitas, ne de nihilo scriptum sit: Humiliasti sicut vulneratum superbum. Bonum vulnus & vile, quod plurimum ac maiorum vulnerū medicina est. D. Vulneribus deformatus sum. R. An adolescentis illius obliuisceris, cuius mentio bis in hoc sermone incidit? sero quidē sponte faceres, quod ab alio factum gemis. D. Transuerso vulnere facies exarata est. R. Non vulnus, sed causam vulneris attendo. iusto cicatrix bello parta miris modis honestat faciem. Viris fortibus speciosum pro iustitia susceptū vulnus multoq; speciosior est mors. D. Vulnere accepto claudus sum. R. Dictum tenes Horatij Coclitis, qui cum die illo, quo mirabili magis quam credibili fortitudine, atque constantia solus Thusci Regis exercitum Sublicio in ponte sustinuit, testudine suorum manibus a tergo fracta, & collapsa, hostibus clausum iter sentiens vtque erat armatus, & vndique hinc, atque hinc missilibus circumuentus, ex alto se in Tyberim, proiecisset, vnoque cum vulnere vnde claudus mansit inter ruendum accepto: nando ad suos corpore reliquo incolumis peruenisset, idque vitium sibi post tempus in petitione honoris obijceretur, sic elusit aduersariū. Minime enim inquit claudico, sed ita dij immortales voluere, vt per singulos passus meminerim triumphi mei: præclarū plane, factū q; par dictū. D. Manum vulnere perdidi. R. Si læuam damnum leuius. At si dexteram Marci Sergij viri fortissimi remedio vti licet, qui hac manu bello Punico amissa sibi ferreā fabrefecit, cū qua multis, ac trucib. prœlijs, non otiosus bellator interfuit. Tibi parum successerit, dextra omnium in sinistram transfer. Nosti vt Cæsareus miles Atilius bello Massiliēsi, cum iniectam puppi hostili dexterā amisisset læua præheolam tenuit, donec pelago mergeretur. D. Vtraque manus ferro abscissa est. R. Vbi plus licentiæ Fortuna, ibi plus negotij virtus habet, fortunæ tamē omnis aculeus, virtute contunditur: hac armatus etiā sine manibus fortis erit. Memento Cinigeri Atheniensis, qui post Marathoniam pugnam, opus immortale Miltiadis hostibus ad naues profugis insistens obtruncata manu dextra, qua vnam nauium fugæ plenam strinxerat, sinistram mox adhibuit, qua rursus abscissa feræ in morem morsu post affixo sic tenuit quos aliter non valebat: nec tibi miles ille Cannensis exciderit, qui vulneribus vsu manuum priuatus contra suis intentum spolijs victorem, quod vnum sibi supererat dentibus quidem pro manibus visus est, ceruicemque eius arreptam vlnis implicuit, nec laxauit prius quam ambabus truncis ac naribus, os hostis lacerum tuens, atque vltus moriens tam læto exspirauit, ferocia hæc, illa suauiora militaribusque animis aptiora remedia, vt semper ceu rem fragilem, caducamque, teque velociter deserturam corpus aspicias, vt cum id euenerit, nec concidas, nec mireris quidem. Sed exteriore membrorum ministerio amisso, in ipsos animæ sinus intimos te conuertas, vbi inuenies aliquid magnifice loquendum, agendumque, nec lingua opus esse, nec manibus. D. Vulneribus deformatus sum R. Dixi iam, imo si causa vulnerum pulchra est, honestatus, ac insignitus, viri quidem fortis pro iustitia, magnum aliquid aggressi durumque aliquid perpessi, non fœdis frons sulcata vulneribus videri debet, sed notis stellata fulgentibus, neque vero cicatrices, aut vulnera, sed virtutis sunt dicenda vestigia, & præclaris affixa frontibus signa meritorum. Proinde si Cæsarem illum quem iam Centurionem Cæsium Scæuam miræ virum fortitudinis, sed iustitiæ nullius, mille lacerum perfossumque vulneribus hostes quoque venerati, & propter vnius virtutis admirationem vulnera ipsa deosculantes armorum fragmina, & sagittas repēti cadauere eductis deorum templis ceu sacrum aliquid affigebant, quid de fortis iustique viri pretiosis vulneribus sentiendum sit intelligis. D. Vulneribus multis infirmus, ac deformis sum. R. Curate miseri vulnera, nisi nunc sanentur hæsura perpetuo. De his enim terra viderit, quæ illa contegit, consumetque cicatricosaque corpora excipiens plane restituet. D. Inflicto vulnere hac aut illa parte corporis truncus sum. R. De partibus litigas totum illico relicturus.

Vulnera quæ quisque (in prælio) excipit, indicia virtutis sunt. *Curtius lib. 4.*

APOPHTHEGMATA.

Crates. Nicodromus citharœdus Cratetis dictis lacessitus impegit illi pugnum in os, & sugillauit. At Crates fronti imposuit tabellam, in qua scriptum erat: Nicodromus faciebat. Itaque cum hoc re suo obambulans, traduxit citharœdum: festiuiter alludens ad artificum morem, qui operibus suis inscribunt. Appelles aut Phidias faciebat. Simile quiddam narratur de Diogene pulsato. *Laert. lib. 6. c. 1.*

Ale-

Alexander frequenter dicere solitus est: Vt maxime sanetur vulnus quod illatum est, manet tamen cicatrix. Sensit vir clarissimus, vulnus facile quidem sanari posse, vt dolor omnis auferatur: cicatricem tamen, hoc est, iniuriæ factæ memoriam, semper versari ob oculos, *P. M. l. 8. apoph.*

Timotheus audiens quendam acceptum in bello vulnus prædicantē ac corporis cicatrices ostentantem: Et me, inquit, pudiut, quod cum ego in Samo dux vester essem, catapultæ telum prope me ceciderat. Significans, hoc vulnus illi non factum in prælio cominus pugnanti, sed procul. Sic sunt hodie Thrasones, qui vulnera a bombardis corpori inflicta ostentant omnibus fortitudinis gloriam aucupantes, cum vulnus eminus pugnando fortassis a puero, vel ignauissimo timidissimoque homine acceperint. *P. M. l. 5. apoph.*

V V L T V S.

Sententiæ Poetarum.

Luc. ad Pison.

Talis inest habitus, qualem nec dicere mæstum,
Nec fluidum læta, sed seruitiæ decorum
Possumus: ingenita stat nobilitatis in illo
Pulcher honos, & digna suis natalibus ora.

Sen. Thyest. act. 2.

Multa sed trepidus solet
Detegere vultus, magna nolentem quoque
Consilia produnt.

Idem Agam. act. 2.

Quid tacita versas tecum?
Licet ipsa sileas, totus in vultu est dolor.

Sen. Her. Oet. act. 2.

Licet ipsa neges,
Vultus loquitur quodcunque negas.

Ouid. 2. Met.

Heu quam difficile est crimen non prodere vultu.

Hor. 7. Epod.

Tacent & ora pallor albus inficit,
Mentesque perculsæ stupent.

Iuuen. 1.

Ense velut stricto, quoties Lucilius ardens
Infremuit, rubet auditor cui frigida mens est
Criminibus, tacita sudant præcordia culpa,
Inde iræ, & lacrimæ.

Sen. Oed. act. 4.

Effare: dubitatio genas mutat colore
Quid verba quæris?

Ouid. 8. Met.

Super omnia vultus
Accessere boni, nec iners, pauperque voluntas.

Philosoph. Sententiæ.

Vultus ac frons, animi est ianua, quæ significat voluntatem abditā ac retrusam. *Cic. de Pet. Con.*

Omnis motus animi suum quendam a natura habet vultum, & sonum, & gestum: animi imago, vultus est: indices, oculi. Nam hæc est vna pars corporis, quæ quot animi motus sunt, tot significationes & commutationes possit efficere. Oculi enim sunt, quorum tum intentione, tum contectu, tum hilaritate, motus animorum significemus apte. Nam oculos natura nobis, vt equo & leoni setas, caudam, aures, ad motus animorum declarandos dedit. *3. de Orat.*

Et oculorum obtutu, superciliorum aut remissione aut contractione, facile iudicamus, quantus sit in homine dolor aut metus, aut denique tristitia. *1. Offic.*

Proditur animi natura per vultum. & sueritas corporis nubila quoque mentis abstergit. *Cassiod. lib. 3. ep. 6.*

Vultum alacrem impauidumque militibus ostentare, prosperos rerum successus, & maturam de hoste victoriam deiectis etiam militum animis pollicetur. *P. Iouius l. 3. l. 14.*

V X O R.

Definitio et Etymolog.

Vxor, Græce γυναῖκα, & γυναικεῖος, ἡ. vxorius dicitur. Vxor Heb. *Ischschah*, Vira, viro tradita ex primaria Dei institutione, *Gen. 2. c.* Fortasse a verbo *Iaschah*, Essentiam habuit firmam, fuit in substantia solida & non peruiuit. Nam Eua formata fuit ex costa Adami.

Vxor dicitur mulier postquam contraxit per verba de præsenti, licet nondum consummauerit, & hoc in omnibus fauorabilibus. Sed in odiosis apellatione vxoris venit solum illa quæ matrimonium consummauit. *Isl. si non sicut. C. de bon. qualib.*

Vxor dicitur ab vngēdo, quasi vnxior. Fuit enim veterum mos Romanorum, vt nouæ nuptæ mariti domum intrantes axungia postes vngerent. Est autem axungia adeps suillus inueteratus, aut cum sale, aut sincerus, qui quanto vetustior, tanto vtilior est. Diciturque axungia ab axe plaustrorum, vnguento, quamuis etiam Græci hoc vocabulo vsi fuerint. Hanc enim religiosam habebant, putabantque mala omnia ab ea domo arceri, propter innumeras axungiæ vtilitates, impressas etiam radicibus, quibus sues vescuntur. Vxorius modo significat, ad vxorem pertinens, modo vxori deditum.

Loci Biblici.

Vxor non inuenta virgo, & eius lex, *Deu. 22. v. 13. 14. 15.* vxor abducens a fide, occidenda. *Deuter. 13. 16.* Vxor diligenda *Prou. 5. 18. Ephes. 5. 25.* non plus amanda quam Christus. *Matth. 10. 37.* Vxor non temere relinquenda. *Matth. 5. v. 31. 32. & 19. v. 6. 8. 9. Marc 10. 9. Luc. 16. 18. 1. Corinth 7. v. 10. 11.* Vxor virum timere debet, *Ephes. 5. 33.* dominum illa compellare debet maritum suum, Saræ exemplo. *1. Petr. 3. 6.* Vxor prudens Dei donum *Prou. 19. 14.* Vxor Ieroboami mutato habitu Ahiam prophetam consulit, *1. Reg. 14. 4.* Vxor Iobi maritum spernit, *Iob. 2. 9 & 19. 17.* Vxor Loth, in salis statuam versa est. *Gen. 19. 26.* exemplo illa nobis sit. *Luc. 17. 32.* Vxoris adulterium quomodo possit deprehendi, *Num. 5. 14. &c.*

Vxoris officium, *Gen. 2. v. 22. & 3. 16. Num. 30 v. 7. 13. Deut. 22. 5. Tob. 10. 12 Esth. 1. 19 &c. Prou. 11. 16 & 12. 4 Esa. 3. v. 15. 17. 1. Corinth. 7. 1. &c. 11. v. 5. 9. & 14. 34. Ephes. 5. 22. Coloss. 3. 18. 1. Timoth. 2. 11. & 3. 11 & 5 v. 2. 10. Tit. 2. 10. 1. Petr. 3. 1.* Vxorem ducentes immunes primo anno *Deut. 24. 5.* Vxorem non licet repudiare, nisi ob solam fornicationem, *Matth. 5. 32.*

Poeticæ Sententiae.

Sen. Oct. act. 1.

Amor perennis coniugis casta manet.

Iuuen. 6.

Si verum excutias facies non vxor amatur,
Tres rugæ subeant, & se cutis arida laxet,
Fiant obscuri dentes, oculique minores:
Collige sarcinulas, dicet libertus, & exi,
Iam grauis es nobis.

Sen. Oct. act. 2.

Probitas, fidesque coniugis mores, pudor,
Placeant marito.

Plaut. Merc.

Nam vxor contenta est, quæ bona est, vno viro.

Ouid. 2. Trist.

Cumque fefellit amans aliqua nouitate maritum,
Plauditur, & magno palma fauore datur.

Plaut. Stich.

Facile inuenies & peiorem & peius moratam pater
Quam illa fuit: meliorem neque tu reperies, neque
Sol videt.

Iuuenal 10.

Nos animorum
Impulsu & cæca, magnaque cupidine ducti
Coniugium petimus partumque vxoris, at illis
Notum, qui pueri, qualisque futura sit vxor.

Iuuenal. 6.

Semper habet lites alternaque iurgia lectus,
In quo nupta iacet: minimum dormitur in illo.
Tunc grauis illa viro, tunc orba tigride peior.
Cum simulat gemitus occulti conscia facti,
Aut odit pueros, aut ficta pellice plorat.
Vberibus semper lacrymis, semperque paratis
In statione sua, atque expectantibus illam,
Quo iubeat manare modo.

Ter. Adelph. 5. 4.

Duxi vxorem: quam ibi miseriam vidi: nati filii,
Alia cura: porro autem, dum studeo, illis vt quam plurimum
Facerem, contriui in quærundo vitam atque ætatem meam.
Nunc exacta ætate hoc fructi pro labore ab his fero
Odium.

Ex Græc. Com.

Τὸ γαμεῖν, ἐάν τις τὴν ἀλήθειαν σκοπῇ,
Κακὸν μέν ἐστιν, ἀλλ' ἀναγκαῖον κακόν.

Est ducere vxorem, malum: (verum vt loquar)
Malum nec ipsum putari sed decet.

Μὴ γαμεῖν γὰρ ἂν ἔτι ἅπαξ λάβῃς, φέρειν
Μέτριά τε πολλῶν τρόπον καὶ γυναῖκα δεῖ

Ducas caue vxorem: sed vbi eam duxeris,
Fer coniugem dotemque commitens debine.

Ἀγαθῆς γυναικός ἐστιν, ὦ Νικόστρατε,
Μὴ κρείττον' εἶναι τἀνδρός, ἀλλ' ὑπήκοον.
Γυνὴ δὲ νικῶσ' ἄνδρα κακόν ἐστι μέγα.

Proba uxor, o Nicostrata, marito suo
Non debet esse superior: sed obsequens.
Nam graue malum uxor est superans virum suum.
Οἰκία δ' ἐν ᾗ τὰ πάντα πρωτεύει γυνὴ
Οὐκ ἔστιν ἥτις πώποτ' οὐκ ἀπώλετο.
Haud vna salua mansit unquam familia:
Partes priores uxor in qua gesserit.
Ὅστις γυναῖκ' ἐπίκληρον ἐπιθυμεῖ λαβεῖν
Πλουτοῦσαν, ἤτοι μῆνιν ἐκτίνει θεῶν
Ἢ βούλετ' ἀτυχεῖν μακάριος καλούμενος.
Qui ducere uxorem cupit praediuitem
Poenas vel illa pendit iratis Deis:
vel dum beatus audit, esse vult miser.
Οὐ πάντες οἵ τε δυστυχοῦσιν ἔγγαμοι,
Οἵ τ' εὐτυχοῦσι· συμφορὰ δ' ἑκάστῳ τύχη
Κακῆς γυναικός· ἐπιτυχεῖν δ' ἀγαθῆς τύχη.
Non coniugalis semper infelicitas.
Felicitasue, semper & comes thoro:
Sed praue uxor obtigit proba, aut secus.

De vxoris amissione, DIAL. XVIII.

Francisc. Petrarch.

D O L.

Vxorem heu perdidi. R. O praepostcrum ingenium stupendumque hominem: qui vxoris in funere lugear, saltet in nuptijs. D. Vxorem perdidi. R. O demens: Hymenaeum cane. Nunc est tempus, coronatum victum vidimus, dignioribus iam sertis accingere. Magno praelio vicisti, & longa obsidione liberatus es. D. Vxorē perdidi. R. Sic dicis perdidi, quasi qui febrē perdidit aut scabiē. Interdum lucri species est perdere. D. Vxorem perdidi. R. Nunquam tibi fortassis opimiorem quaestum vna lux attulit. Quantis compedibus elapsus es, quanto naufragio enatasti? D. Sed vxorē bonam perdidi. R. Solent id quidem omnes dicere, & qui contra sentiunt. Ego autem & si bona vxor, vel omnino mulier bona rarum in rerumque animal sit in terris, vitandae tamen altercationis causa permiserim vxorem tibi qualem dicis amissam. Neque ideo respondebo, quod olim quum haec eadem quaestio agitaretur apud Senecam respondit, posse te aliam bonam, vel si fecerat facere, vel si inueneras inuenire. Muto sententiam. Nolo te saepius rem periculosissimam retentare, quod & si semel bene cesserit, stulte repetitur. Citius centum sui similes mulier mala quam vnam bonam reperiet. Quamobrem qui malam habuit, similem timeat. Atqui bonam similem nec sperct, sed vterque pari ratione: ille aduersitatem cumulare, hic prosperitatem suam deformare caueat. Sic in omnem casum secundo coniugio abstinendum. Tu nunc ergo si, vt ais, bonam coniugem amisisti, praeteriti potius gratulare quam futuri spem concipias, neque quod prope integra litus attigeris, crebro nauiculam ventis credas. D. Coniugij vinculum, quo stringebar, mors dissoluit. R. Noli te rursus innectere, cogita quam optabilis, quamque incomparabilis sit libertas, & consilium Ciceronis amplectere. Qui vxorem vitiosissimam, & aduersus quam frustra vlionis auxilium expectandum esset, cum repudio dimisisset, hortantibus amicis, vt aliam duceret, non posse simul te vxori & sapientiae studio dare operam respondit. D. Vxorem bonam perdidi. R. Quid si hoc etiam non iactura, sed lucrum & magni fuga periculi est? vt enim sit bonam reperire, constantem vbi quaerimus? Notum illud summi vatis: *Varium & mutabile semper Foemina.* D. Vxorem bonam, ac iuuenili aeuo floridam amisi. R. Parumne igitur foeminei mores sunt? quam multas pudicissimas adolescentulas, impudicas, ac lasciuas anus vidimus. Ardor nempe libidinis, quoties vetulae ossibus incubuit, quasi ignis in ligno arido violentius aestuat, vel instantem ergo vitae mutationem, vel vt inde periculum non esset, ventura vsque senectutis pondus, ac fastidium declinasti. Grauis in omnibus coniugij iugum, senibus grauissimum, quorum, importabile. D. Amisi iuuenem vxorem. R. Seu proles ex coniugio quaeritur, seu voluptas, quorum alterum maturi est, alterum adulteri, ad vtrumlibet aptior iuuentus. Siue his autem ab vxore perceptis: siue eorum altero: eo iam peruenire optabas, vbi inhabilis ad vtrumque esses, siue ad haec natura inhabilem sperabas, quid nisi votum superuacuum spes insulsa est? D. Amissa dulci coniuge solus sum. R. Iucundiola vero solitudo est, malis carussse comitibus. Vacuo nihil est mollius cubili. Nihil dulcius occupato, animus dulces somnos & vigilias honestas amantibus, honestumque aliquid alicumque versantibus. Nihil egregius cuepiis infellius muliebri consortio. Nec me fugit quid aduersus haec dici soleat ab his, quos miseriae delectant suae: matrimonio totum ingenium: expertes matrimonia contemnunt. Et vt est in prouerbio vulgari: Vxorem verberat, qui non habet. Ego contra, nullos de coniugio queri solitos audiui, nisi qui diutinam coniugij pertulissent. D. Coniugem amisi optimam. R. Et quae optimae, quaeque virorum amantissimae videntur, zelo, ac suspicionibus aliquanto caeteris acrius inardescunt, quo incendio conflagrare pacem domesticam est necesse. Quorum igitur querelae? Perdidisti vxorē, inuenisti libertatem, caelibatum, pacem, somnum, requiem. Iam tranquillam sine litigio noctem ages. D. Sine vxore sum. R. Et sine aduersario iam tui, rerumque domibus tuarum esse incipis. Ante lucem lectulo matutinus domo egredi, vespertinus regredi, solus aut cum quibus voles totos dies agere nullo rationum exactore permitteris. D. Vxorem perdidi. R. Perdita dudum ac repudiata requies in cubiculum reuocanda erit. Illa tibi vxore qualibet vtilior comes. D. Vxorem bonam ac decoram perdidi. R. Stulti est compedes suas quamuis aureas, amare.

De importuna vxore. DIAL. XXII.

D O L.

Vxorem patior molestam. R. Felicius amisisses. Atqui modo perditam querebare. D. Vxorem patior inquietam. R. Primo labori venia forsan aut miseratio, secundo non nisi odium debetur, & quem vna vxor non castigat, dignus est pluribus. D. Infestam patior vxorem. R. In alijs vtcunque fortunam culpes. In vxore autem praesertim altera non alium quam teipsum: hoc tibi malum tu fecisti. D. Vxorem patior procacem. R. Vdas succende paleas, tegulas frange, se reliquo promptum tibi est. Ita vero cumulate quae te domo pellant, adesunt fumus, stillicidium, atque vxor. D. Perfidam patior vxorem. R. Iam periculo res non vacat. Vxor Agamemnonem, vxor Africanum morti dedit, vt Amphiaraū, vt Deiphobum, vt Samsonem sileam, aliosque quos numerare lōgum est. Illi quidem prorsus innumerabiles quos vxores nec mori cogunt, nec viuere patiuntur. D. Mala mihi notissima explicas: remedium quaero. R. Erunt qui suadeant vt castiges & prauos mores ad rectum reuoces, totum te huic vni negocio impēdas. Ego autem quidē castigandam vxorem si castigando proficias, non nego, si id frustra est, sola restat patientia. Hanc amare, quodque inuitus faceres, volens fac. Est Varronis Satyra Menippeam vocant, de officio mariti. Ibi de hac re illius doctissimi viri consilium breue, sed efficax his verbis expressum leges, Vitium vxoris aut tollendum, id est, corrigendum, aut ferendum est. Dictio breuis quoque, sed elegans haec effertur: Qui tollit vitium, inquit, vxorem commodiorem praestat, qui fert, sese meliorem facit. Quod dictum tempores alij sic interpretati sunt, eiusmodi vitium vxoris, si corrigi non possit ferendum esse, quod fieri a viro salua possit honestate: quod vitia nempe flagitijs leuiora sint, eamque non aliam sententiam fuisse Varronis. D. Procax, & morosa est vxor. R. Fer mores si immutari nequeunt, & qualiter foris viuas, domi disce cum Socrate. Et si ille duas simul pertulit, alij plures, vni tune succumbas farcinae? D. Molestam vxorem habeo. R. Cui vero non potuit vxor molesta contingere, nisi qui se nuptijs constanter abstineat? cum & Adriano principi & quo nil altius nil mitius Augusto Sabina illi, huic Scribonia, vtraque coniunx dura, & peruersa moribusque asperis digna repudio. Et Catoni Censorio iam rigidi tamque inuicti viro animi cū Paula quaedam violenta vxor ac superba contigerit, quod miretis, humili etiam orta progenie, ne quis hominum speret ignobilitate vel inopia vel omnino aliter quam perpetuo caelibatu coniugij subterfugisse molestias, sed quas fuga non euaserit, patientia perferendas sciat, nec luctando, nec calcitrando se torqueat, ac iugum sponte susceptum lactabundus, exsuperet. D. Importunā prorsus & indomitam fero vxorem. R. Bene ais, ferendum est etenim quod deponi nequit, etsi premat. D. Molestissimam habeo vxorem. R. Habes vnde patientiae laudem quaeras, vnde discas requiem optare, vnde peregrinari ames, reditumque oderis vbi vocem exerceas, ac bacillum.

De vxore formosa. DIAL. LXVI.

G A V.

Formosa mihi vxor obuenit. R. Difficilem prouinciam nactus es, vigila nimium durū est custodire quod a multis appetitur. G. Forma vxor est excellens. R. Solet forma corporis, vt multa alia paritate gaudere, imparitatem ac dissimilitudinem aspernari. Si par igitur tibi forma est, exerceberis, alioqui contemneris, vtrumque laboriosum. G. Forma coniugis magna est. R. Et magna superbia, vix est aliquid quod aeque animū tumefaciat & extollat. G. Forma vxoris est maxima. R. Vide ne castitas parua sit. Scitum est illud Satyricum, *Rara adeo est concordia formae atque pudicitiae,* vt haec consilect: morū insolentiam quis ferat, & cotidiana fastidia? G. Formosissima est vxor. R. Habes domi idolum supra sum, operosum, videbis indies peregrinos nouosque habitus, lauda hanc corporis habitudinem, quam omnia deceant, hunc ingenium tenue ornicis ad cuncta versatile, tum iacturam patrimonij lucrum voca. G. Habeo vxorem formosissimam. R. Habes idolum fragosum insolens, quod effusus colas, quod extra te raptus stupeas, quod adores, vnde totus pendeas. Summitte collum igo, & cōtentus forma coniugis, curasque alias, & propriam libertatem procul abijce. Dicebam modo, caue ne quoquo modo aliam prę ter illam laudes, ne quando oculos ab illius fronte diuerteris, ne solito parcius blandiaris, solito minus insanias, quicquid re-

spueris

spueris capitale erit, omnis satitas defectio. Viue denique ad vxoris edictum, & nutum dominæ suspensus obseroa, mancipiũ, non maritus. Hæc facito, si tanti existimas aliquamdiu formosã thori sociam amplecti, lenique ad tempus cute gaudere, & candidos natos ex vtero tanquam poma nobiliora pulchro de vase suscipere. G. Vxorem habeo formosam. R. Venenum dulce, cõpedes aureas, splendidam seruitutem. G. Forma delector vxoris. R. Vana, breuisque delectatio. Nil forma fugacius & præsertim fœminea: qui vxorem propter formam diligit, cito illam oderit.

De vxore fœcunda, & faecunda
DIAL. LXVII.
GAVD.

Fœcunda mihi vxor est. R. Multas tibi curas, multos pariet labores: vxor sterilis vnica tantum: at fœcunda quidem sarcina domus est multiplex. Notum est illud comicum. *Vxorem duxi, quam non ibi miseriam vidi? Nati filij alia cura.* G. Non fœcunda tantum vxor sed facunda est. R. Hinc filij, & nutrices aderunt. Hinc sales & verba non deerunt. Habes cum qua disputes & declames, & Satyricum non audisti, vbi ait: *Non habeat matrona tibi quæ iuncta recumbit Dicendi genus, nec curtum sermone rotato torqueat enthymema, nec historias sciat omnes.* coniugem quærebas, magistram inuenisti, iamque aliquid impolitum, commune aliquid loqui sine coniugis censura, & irrisione non poteris, frustra que eiusdem Satyricum illud optaueris. *Solœcismum liceat fecisse marito*. Inter mundi tædia, nullum importunius procaci fœmina & tacere nescia.

De vxore sterili DIAL. XXXI.
DOL.

Sterilis vxor est mihi. R. Vnum coniugalis incommodi remedium. Sterilitas obsequiosas facit atque humiles, quæ plurimos parit, iam non vxor creditur esse, sed domina. Sterilis autem flet & tacet, & an non Helcanæ meministi? D. Vxor mihi sterilis obtigit. R. Modo de coniugis impudicitia querebaris, nunc de sterilitate conquereris. Atqui si ea querimonia iusta fuit, hæc iniusta est. Expedit impudico viro, vt sterilis vxor sit, non pascet filios alienos, quod est in omni vxoris iniuria, ac fœditate durissimum, si miserum vxor adultera, miserrimum & fœcunda. D. Vxor est sterilis. R. Quid ergo tu perpetuam eiulantem audire & nutrices litigantes, & vagientes infantulos maluisses? sterilitas, omnia tædia hæc submouit. D. Sterilis vxor est. R. Vide ne (quod multi faciunt) vitium tuum alteri obijcias. Multæ vni viro nuptæ visæ steriles, nuptæ post alijs peperere. D. Sterilis est vxor. R. Quid scis qualem tibi filium pareret si fœcunda esset? Quarundã partus fœcunditatem odiosam, & sterilitatem fecit optabilem. Nõ tulisset imperium Romanum portenta illa feralia, Caium Caligulam, Neronem, Commodum, Bassianum, si Germanicus, si Domitios, si Marcus Antonius, si Septimus Seuerus aut nullas vxores, aut steriles habuissent.

De vxore impudica. Dial. XCI.
DOL.

Impudica vxor domi est mihi. R. Mallem rapta esset, aut etiam importuna moribusque asperis potius quam lasciuis, ac turpibus. Ferenda tamen omnia ingenti nisu ingentique animo & rerum mortalium contemptore: innumerabiles sunt hominum miseriæ quibus omnibus vna virtus obijcitur. D. Impudica mihi est vxor. R. Pudicitia insignis imperiosas efficit matronas. Nihil metuit quæ sibi nihil est conscia. Huic malo igitur hoc saltem boni inest, esse iam molesta minus incipiet, minusque insolens. Læsa enim conscientia fœmineum premit animi tumorem, & sæpe obsequentior in reliquis viro est, quæ se meminit impudicã. D. Lasciua est vxor. R. Non mirandum si formosa, non curandũ si de formis. D. Vxor impudica est. R. Pulchra si limen vxor subit, subire debet animum illud Satyrici. *Rara est adeo concordia formæ, atque pudicitiæ*. Nam si turpis insaniat prope gaudendum est causam adesse diuortij. D. Adultera vxor est. R. Adulterium sæpe quidem æque ardentius expetit coniugij, sæpe vnum alterius adulterij pœna est, eoque iustior, si multorum. Cogita an tu vnquam alius feceris, vnde hoc tibi fieri ab alio nunc dignum sit. Iniusta enim atque impudẽs est querela, pati quod feceris indignãtis. Et ab alio expectari, alteri quod feceris, lex moralis iubet. Et facere alijs, quod tibi ab alijs fieri velis sane adeo digna est, vt illud profani etiã cogẽte sententiæ grauitate, atque æquitate laudauerint. Sed mortalis petulantiæ licentia, legum salubrium abrogatrix omne fas nefasq; confundit. Itaque passim adulteri occursant, qui cum thalamos vicinorum coniugiaq; fœdauerint, suas interim cõiuges vel in publico cerni nolint, et si quis in illas oculos deflexit, infamant. Sic seueri alijs, sic indulgẽs sibi, sic iniquus rerum arbiter quisque est. D. Coniugalis mihi fides frangitur. R. Vide ne tu hanc alijs non maritis tantum, sed vxori tuæ fregens. Nam sunt qui ab vxore exigant, quod non præstãt, qui lasciuiam suam titulo vrbanitatis excusent, alienum vt grauissimum scelus seuerissime punientes qui cuncta sibi cum permiserint, cũcta alijs negent. Iniquissimi iudices, qui de pudicitia iudicent, impudici impune passim agunt omnia, & ceu soluti legibus, vaga libidine rapiũtur. Vxor oculum parumper inflexerit, adulterij rea sit, quasi vero domini non mariti ipsi quidẽ. Illæ autem non vxores diuinæ atq. humanæ domus sociæ, sed captæ ex hostib. aut emptæ precio sint ancillæ. Tametsi obsequi plusculum fidei nihil plus tua tibi coniunx debeat quam tu sibi. Par debitũ, æquus amor, mutua coniugij fides est. Nõ causo vxores, viros arguo, primãq. illis culpæ partem tribuo. Persæpe. n. vxori dux, atq. exemplum lasciuiæ vir fuit, & inde mali processit initiũ, vnde remedium debebatur, quamuis autẽ pudor fœminæ proprius, viro certe prudentia atq. constantia sua esse debet. Itaque ois in viro, quam in muliere dementia, animi leuitas eo est fœdior, quo viro debita magis est grauitas. D. Coniugis adulterio moestus sum. R. Vsitatus dolor, vetus iniuria, nec minus crebra. Vix crebrior coniugij, quam adulterij vsus est. Deniq. hoc est, quod (vt ait quidam) nec permitti, nec prohiberi põt, quia. s. alterũ fieri vetat. Tu ne tibi ergo fœminam vnam tuam solam, atque integram voluisses, quod nec ferocissimis tyrannorũ, nec regũ maximis potuit sua ætate contingere nec priore potuerat. Mitto recentia, ne quos forte præsentium offendam. Tutius est Herculẽ ferre quam villicũ: Nec vero cuncta veterum attingam. Formidatissimorum summorumq. hominum famæ parcam. Nosti autẽ hisque vel in silentio geniũ tuum frena, longius vrbem lustra, scrutare viciniam dextera læuaque, aderunt qui vel neglectũ geniũ calcatamq; thori fidẽ lugeant vel ignari soli, vulgo notu decoris rideantur. Crebriora ista quidẽ nunquam non auribus modo, sed oculis, quocunque terrarũ perrexeris, de futura. At maioribus maior inest consolatio. Reges cogita, quos vidisti, ac terrarum dominos de hinc scriptis famaque cognitos recordare, Respice & Arthuri fabulam, & historias reliquorum. In mentem redeat Olympias Philippi, Cleopatra Ptolomæi, Agamemnonis Clitemnestra, Menelai Helena, Pasiphae Minois, Phædra Thesei: neue ipsam vrbem Romam olim quoque dum quoddam quasi pudicitiæ templum esset mali huius expertem credas, redeat ad memoriam Metella, vxor Syllæ illius, qui si eius nosset adulteria, non tãtum Romæ perque omnem Italiam vulgata, sed quæ Athenis etiam per Græciam cantabantur, minime (vt arbitror) felicis nomen sibi prorsus indebitum vsurpasset. Post hanc Iulia Agrippæ, quam hinc a flagitio, vis virtus, hinc maiestas patris abstertuisse debuerat, simulque huius filia, & nomine & lasciuia matri par, harumque seu vitæ, seu fortunæ vestigijs hæres Iulia Seueri, non sit pudicitiæ faustum nomen. Quid Domitiani coniugem Domitiam? Quid Herculã illam Claudij, seu quando hic adulterarum fortunatus coniugũ princeps fuit. Eandem Messalinam summum imperij probrum loquar, quæ secordem virum, ac Cæsareum deserens cubile, noctu lupanaria circuibat, illa faciẽs quæ referre pudor prohibet. Quid has ego? Quid ne alias stringam? Ceu quis fornix augustis meretricibus nõ augustus fuit? quarum commemoratio fateor, nec honesta est, nec vlla ex parte adulterij crimen leuat, quin potius grauat. Habet tamen haud spernendam consolationis efficaciã similitudo conspectæ miseriæ, ac patitas ærumnarũ, non quod alieno quisquam nisi maleuolus delectetur malo, sed quod humilioris fortunæ hominem indignanter pati, quæ toties mundi dominos passos nouit, vel non ferenda mollicies, vel superbia videatur. Toleranda cuique sua sors. Illa æquius quam communem: paruis constat ac maximis inuidiosissimisque mortalium. Proinde non hominibus tantum nuptas, sed Deo etiam desponsatas, in hæc flagitia labi solitas vides, ac (proh pudor) nec tanti sponsi reuerentia, infelicem præcipitemque animam frænat. Cui autem parcet effrenis ac rabida libido, quæ nec cœlestem metuit vindictã? seu quibus abstineat, quæ nec Deo sacris corporibus abstinendũ censet? Nec vero tantũ hac ætate monstra hæc tam fœda libidinum cernũtur, quamuis nulla vnquam recto iudicio fœdiora esse potuerint, læsique maioris iram merita. Sed æuo illo, quo ita prodigiũ scelus erat, vt nũc virtus visa equidem ac punita noscuntur. Virgines ipsæ Vestales quarũ exactissimæ castitati tribunitiam ac censoriam potestatem cessisse non puduit, quas suorum triumphantium curribus insedisse, ne a quopiam forte triumphis impediretur, quas postremo noxios casu obuios a supplicio retraxisse, legumq; & capitalis sententiæ vim fregisse sola virginitatis maiestate comperimus, quarũ præterea ex diuerso non facinus tantũ turpe, sed habitus aut sermo liberiori pœna graui atque infamia non carebat, honoris tamẽ & dedecoris immemores, & terroris incestiuæ, damnatæq. & defossæ sub terrã viuæ per historias occursabunt. I nunc, tot exemplis, & tã claris, & tã sacris obrutus in tanta pudicitiæ ruina tot probris illustriũ concussam paululum humilioris cubiculi fidem desle. D. Vxor adultera est. R. Id nonnullis mutandæ in melius vitæ causa fuit, qui maritali cõpede liberati, resectoque graui falce reatus coeperunt. Quid te vetat coniugis fœditatem primũ quoque tibi gradum facere

ad

ad vitæ liberioris ascensum. Sæpe & pondus, sæpe & compedes expeditissimos retardauit. Ibis ocyus quocunque decreueris, solus ac vacuus. D. Turpitudine vxoris infamor. R. Ex alieno peccato damnum dolorque nasci potest, non infamia, sicut ex aliena virtute gaudium non gloria. Tua te virtus, aut vitium gloriosum efficiet, aut infamem. D. Coniugis vxor infamia. R. Vel sile, vel fuge, vel vlciscere. Medium fecit ille vir sanctus nactus de simplicitate cognomen, & profecto primum molle nimis, tertium prædurum, medium honesti, humanique consilij videatur, his præsertim quorum media itidem est fortuna. Nam superbis potentibus frustra lex ponitur. Voluntas, Libido, Ira, Impetus, hæ potentis insolentiæ leges sunt. Omne vulnus ferro rescindendum putant. Multa sunt autem, quæ non ferro egeant, sed fomentis. D. Impudica est vxor. R. Si pati eligis, ætas fortassis illam franget, & labor, & filij, & morbi, rei familiaris angustia. Quibusdam frenum vtile pudor fuit. D. Vxor infamis abiit. R. Opta ne redeat, ne abieris serum votum. D. Vxor adulterum est sequuta. R. Mallesne tuum in cubiculum adulterum induxisset? hic saltem pudor impudicæ fuit, turpem vitam procul agere, pepercit oculis, erubuitque præsentiam tuam. Impudicissimam potes accusare, non fugam. D. Fœda vxor abijt. R. Si de hoc dolea dignus es vt manserit, dignus vt redeat.

Qui in ducenda vxore honestatis nullam habet rationem, satis ostendit non liberorum, sed libidinis causa id se facere: itaque & mercedem suam habet. & ius in natos nullum sibi reliquum fecit, quibus vt natum esse sit opprobrio efficit. *Plutar. in Solone.*

Non æquum est vt vxor maritum in aduersa deserat, cui rerum secundarum socia fuit & particeps. *Zonar. Annal. tom.*

Apophthegmata.

Pittacus, interrogabat quendam, quamobrem vxorem ducere nollet? qui cum respondisset, Quoniam si formosam duxero, habiturus sum communem: sin deformem, pœnam. Haud quaquam, dixit: sed si pulchram duxeris, non erit tibi pœna: sin deformem, non habebis communem. *Stob. ser. 65.*

Idem sciscitatus a quodam, qualem vxorem ducere deberet? respondit, Aequalem tibi ducito. Ipse enim cum domi haberet opulentiorem, habebat etiam morosam & imperiosam. *Laert. lib. 1.*

Chilonis dicterium est, vxorem humilem modico apparatu ducendam, ne pro coniuge dominam accersas domum. Sat enim dotata venit puella, quæ pudicitiam & honestos mores secum adfert. Proinde hoc erat vnum ex Laconicis institutis, vt virgines sine dote nuptum irent. *Laert. lib. 1. c. 4.*

Cleobulus, Aequalem vxorem ducendam esse suadebat. Si enim ex superiori familia duxeris, inquit, non affines tibi, sed dominos comparabis. *Stob. serm. de Temperant. 1.*

Idem præterea dixit, filias viris elocandas esse ætate virgines, sed prudentia matronas. *Stob. Serm. 68.*

Antisthenes, Adolescenti consulenti, Cuiusmodi vxorem ducere expediret? Si formosam duxeris, inquit, habebis communem: sin deformem, habebis pœnam. Iucundius id effertur apud Græcos, quibus quod ad voces attinet, nummum interest inter κοινὴν & ποινήν: quod ad rem attinet, plurimum. Suadebat itaque, mediocritatque (vt vocant) forma ducendam, quæ nec fastidium viro moueret ob deformitatem, nec ob insignem formam peteretur ab adulteris. *Aulus Gelius lib. 5. c. 11. hoc dictum Bianti tribuit. Laertius autem lib. 4. Bioni. Max. vero serm. 39. Soloni. Cæter. Pittaco etiam attributum a Stob. paulo iam supra recensuimus.*

Democritus interrogatus, cur homo proceræ staturæ, tam paruam duxisset vxorem? Ego, inquit, in malo eligendo, quod minimum erat elegi. *Ant. part. 2. serm. 34. Meliss.*

Idem dicebat, eum qui bonum generum nactus sit, inuenisse filium: qui vero malum, simul & filiam perdidisse. *Stob. serm. 69.*

Cato vxorem duxit nobiliorem quam locupletiorem: ita censens, cum vtraque omnino nihil habeat grauitatis atque spirituum, tamen nobiles turpitudinis verecundia maritis ad honestas res libentius obsequi. *Plutarch. in Catone maiore.*

Aureolus philos. rogatus, pauperemne an diues vxor ducenda esset? pauperem, ait, alere difficile est: diuitem vero ferre, tormentum. *Bruf. lib. 7. c. 22.*

Lycurgus. Cuidam percontanti, quam ob causam lege cauisset, vt sine dote virgines elocarentur? Vt, inquit, neque propter inopiam vllæ relinquerentur innuptæ, neque ob diuitias expeterentur: sed vt vnusquisque ad puellæ mores respiciens, ex virtute faceret electionem: Eadem de causa fucos & ornamenta, quibus aliæ formam vel fingere vel commendare solent, ex vrbe submouit. *Plut.*

Pericles, duobus filiam eius ambientibus, quorum alter diues ac imperitus erat, alter vero pauper & studiosus, elocauit eam paupe[r]i, inquiens, illum qui diues fieri possit, meliorem esse quam qui iam sit. *Stob. Ser. 68.*

Polyanthea Noviss.

Olympias, quum accepisset adolescentem quendam aulicum duxisse vxorem eleganti quidem forma, sed famæ parum secundæ, ille, inquit, non sapit, qui vxorem oculis non etiam auribus duxerit. Forma cernitur oculis, fama auribus deprehenditur. Quidam autem nec auribus, nec oculis: sed digitis ducunt, solam spectantes dotem. *P. M. 6. Apopht.*

Aurelia Iouiani Pontani filia natu maior, amisso Paulo marito, cum a patre ad secundas nuptias hortaretur: Quin tu, inquit, pater nuptias secundas non inis? (erat enim is etiam viduus.) Quia, respondit, nullam matri tuæ similem me reperturum confido. Eadem cura (respondit illa) me quoque versat, pater, quod mihi placiturum Paulo æque similem sperem neminem. *Adrian. Barland.*

Menedemus, Cuidam sciscitanti, num sapienti ducenda esset vxor: Nam ego, inquit, videor tibi sapiens? Quum annuisset. Ego inquit, vxorem duxi. Superuacuum erat de eo dubitare, quod videret factum ab eo, quem iudicabat sapientem. *Laert. lib. 2.*

Epaminondas cum in cœlibatu viueret, a Pelopida reprehensus est hunc in modum: Non curas tu quidem Remp. qui nullos post te filios relinquis, quorum manu patriæ salus rite defendi possit. *Bruf. l. 7. c. 23.*

Metellus dicere solebat: Si sine vxoribus possemus esse omnes ea molestia careremus, sed quoniam ita natura tradit, vt nec cum iis satis commode, nec sine illis vllo modo viui possit: saluti perpetuæ potius quam breui voluptati consulendum est. *Bruf. l. 7. c. 22. ex Gell. l. 1. c. 6.*

M. Cato. Maiori laude dignum eum censebat, qui bonum se gereret maritum, quam qui ordine senatorio magnus esset. *Bruf. lib. 7. c. 22.*

Socrates rogatus ab adolescente quodam, vtrum melius censeret vxorem ducere, an non ducere? Vtrum cumque (inquit) feceris pœnitebit, indicans, & cœlibatum & coniugium habere suas molestias, ad quas perferendas esset præparandus animus. Cœlibatum comitatur solitudo, orbitas, generis interitus, hæres alienus: matrimonium, perpetua solicitudo, iuges querelæ, dotis exprobratio, affinium graue supercilium, garrula socrus lingua, subsessor alieni matrimonij, incertus liberorum euentus, aliaque innumera incommoda. Proinde non hic est electio, qualis est inter bonum & malum: sed qualis inter leuiora & grauiora incommoda. *Laert. lib. 2. Valerius Maximus lib. 7. c. 2.*

Idem dicere solebat, tria se mala assecutum: Grammaticam, Paupertatem, & perniciosam vxorem, quorum duo iam effugisse, perniciosam vxorem effugere non potuisse. *Ant. part. 2. Meliss. serm. 34.*

Idem quibusdam eum consulentibus de ratione matrimonij contrahendi dixit, Quemadmodum pisces, o adolescentuli, qui nondum intra nassas sunt, volunt intrare: qui autem iam intra sunt, volunt exire: sic & vos, ne idem vobis accidat, videte. *Ant. in Meliss. part. 2. serm. 34.*

Plato. Interroganti cuidam, an vxore ducta philosophari deberet? Cum nescias, respondit, te solum ferre, an vxorem quoque super humeris te seruaturum speras? *Stob. serm. 66.*

Idem Interroganti, quando ducenda esset vxor? Iuueni, inquit, nondum, seni nunquam. Græce iucundius, μηδέποτε, & μηδεπώποτε, subindicans, prorsus abstinendum a matrimonio. At percontator ille discere cupiebat, qua ætatis anno, aut qua anni parte expediret adsciscere coniugem, quemadmodum Aristoteles præscripsit puellæ decimumoctauum, viro trigesimumquintum: & Romani Aprilem & Iunium existimabant auspicatum nuptiis, Maium inauspicatum: *Laertius libro 6. & Bruson, libro 7. capit. 22.*

Protagoras rogatus, ob quam causam dedisset filiam inimico nuptum? Quia, inquit, nihil ei dare poteram deterius. *Ant. ser. 34. par. 2. Melissæ.*

Philoxenus. Cum quidam eum percontaretur, cur Sophocles bonas introduceret fœminas, ipse autem malas? Quia, inquit, quales oporteat esse fœminas, Sophocles dicit: ego vero quales sint. *Anton serm. 34. p. 2. Meliss.*

Solon, quum ad Thaletem Miletum venisset, admiratus dicitur, quod nuptias filiorumque procreationem contempsisset. Thaletem vero tacuisse. Interiectis autem diebus aliquot peregrinum subornasse, qui decimo post discessum die Athenis venisse fateretur. Hic rogatus a Solone, nunquid noui Athenis esset? edoctus ille a Thalete: Nihil aliud, inquit, præterquam quod adolescentis cuiusdam efferebatur funus, ciuitate omni subsequente, quod eius pater virtute & admiratione inter eius primas obtineret, quem tum abesse dixissent. O illum miserum, Solon ait. Sciscitanti vero de nomine, respondit, excidisse memoria; sed obiustitiam illius, in omnium ore versatum. His Solon in metum coniectus est. Postremo nomen peregrino subiecit, ab eoque contendit, Num illi Soloni nomen esset? Annuente homine, Solon caput cædere cœpit filium suum obijsse, ratus. Tum Thales ridens ait: Hæc me Solon a nuptijs & procreandis liberis dehortantur, quæ te hominẽ

fortitudinem infringunt. & rem fictam esse ostendit. *Plut. in Solone.*

Phoroneus legum lator moriens fratri dixisse fertur: ad summam felicitatem nihil mihi defuisset, si vxor defuisset. *Bruso.l.7.c.22.*

Cicero rogatus ab Hirtio, vt post Terentiæ repudium sororem eius duceret, negauit, dicens, non posse se vxori, & philosophiæ simul dare operam. *Brus.lib.7.cap.22. Hieronymus contra Iouinianum.*

Marianus Socinus, cum minus solito litteris operam daret, ob id reprehensus a quodam respondit: Ideo minus libros iam euoluo, quia vxorem duxi: rursus interpellatus, Cur Socrates vxoratus, non itidem philosophiæ studia neglexisset? Xanthippe (ait) morosa fuit, & deformis: mea autem vxor proba est, & forma decenti. *Æn. Silu. de dict. Sigismundi & Friderici tertij Imp. & li.3. de reb. gest. Alphonsi.*

Socrates, cum Euthydemum ad cœnam vocasset, in medio conuiuij Xanthippe irata surrexit, & post multa in Socratem iacta conuicia mensam subuertit. Verum cum Euthydemus ob id valde turbaretur: Cur, inquit, Socrates te habes? Nunne nuper cum tecum cœnarem, gallina subuolans mensam, pocula, & alia euertit? Irrisit ita morosæ vxoris indignum factum, vt interim hospitem sibi placaret iratum, & tolerantiæ exemplum de se præberet. *Laer.l.2.c.5.*

Idem. Præterea percontanti, cur Xanthippen moribus adeo incommodis fœminam haberet domi, dicebat, sic se eodam consuetudinem cum morosis vxoribus, quemadmodum qui se ad studium equestre exerceant, parant equos ingenij ferocioris: quos si subegerint, ac perpeti possint, cæteris vtuntur commodius. Ita qui morosæ coniugis mores ferre didicerit, multo facilius cum quibuslibet habebit consuetudinem. *Laertius libro 2. capitulo 5.*

Idem. Cum Alcibiades magnam, & pulcherrime confectam placentam, magni amoris testimonium Socrati misisset: Xanthippe suo more irata, eam de canistro deiectam, impuris conculcauit pedibus. His Socrates cum arrisisset, inquit, Numquid tu simul carebis ea? Quod si quis putat hæc puerilia esse, & nullius pretij: is sane non nouit, ex his etiam de fortibus & bonis viris probationem fieri, si morosis vxoribus ea ratione conniueant. *Ælia. lib.11. de Var. hist.*

Idem. Alcibiadi demiranti, quod Xanthippen morosam adeo diligeret: Ego, inquit, iampridem his assueui, vt non magis offendar, quam si rotæ, quæ aquam educit è puteo, stridorem audiam. *Laer.*

Idem. Eidem simile quidam dicenti: At tu, inquit Socrates, nonne domi tuæ gallinas toleras glocientes? Tolero, inquit Alcibiades, sed oua mihi pariunt, & pullos. Et mihi, ait Socrates, mea Xanthippe parit liberos. *Laer.*

Idem. Xanthippe, cum Socrati marito in publico pallium detraxisset ac familiares admonerent, vt tantam iniuriam manu vlcisceretur: Nolo, inquit, vt hoc certamine vobis acclamantibus derisui sim, & causa spectaculi. Maluit vir sapiens tolerantiæ exemplum de se præbere, quam ridiculum exhibere spectaculum viri cum vxore certantis. *ibid.*

Idem. Cum vxorem Xanthippen diu rixantem tulisset, ac tandem fessus sederet ante fores, illa magis irritata de fenestra perfudit eum lotio. Ridentibus autem illis qui prætereibant, & Socrates demum in risum erupit dicens: Facile futurum putabam, vt post tantum tonitru pluuiam sentiremus. *P. M. libro 3. apoph. ex Laert. libro 8.*

Idem. Demiranti cuidam, in quem vsum duas aleret vxores tam rixosas: Hæ, inquit, me domi docent tolerantiam, qua mihi in publico vtendum est. Harum enim moribus exercitatus, commodior ero ad aliorum consuetudinem. *Gellius libro 2. capitulo 7.*

Diogenes, quum aliquando vidisset mulieres ex oliua pendere, laqueo præfocatas: Vtinam, inquit, & cæteræ arbores similem ferrent fructum. Erat enim Diogenes μισογύνης, id est, mulierum osor, eoque cupiebat omnes videre pensiles. *Laertius libro 6.*

Anonymus. Philosophus quidam, cum vxorem haberet improbam, & garrulam, & ebriosam, percontantibus cur talem ferret? Vt domi, inquit, habeam philosophiæ gymnasium, & palæstram. Ero enim erga cæteros lenior, hac quotidie institutus. Sunt etiam qui ipsum ob hanc causam illam duxisse dicant. *Anton. in Meliss. par. 2. Serm 84.*

M. Cato. Obiurgans aliquando summam vxorum potentiam: Omnes, inquit, homines vxoribus dominantur, nos omnibus hominibus, nobis autem vxores, hoc modo colligens, mulieres esse rerum omnium dominas. *Plut. in Rom. apoph. Anton. in Meliss. par. 2. serm. 34. Alexand. ab Alexand. libro 6. cap. 8. Cal. Rhod. libro 14. cap. 14.*

Idem. Admodum senex, Salonini filiam male morigeram amans quum vxorem duxisset, rogatus in campo Martio a L. Portio Nasica, num ea sui animi sententia vxorem haberet? Non hercule, inquit Cato, ex mei animi sententia. Scomma autē Nasicæ in amorem Catonis fuit, Catonis autem responsum de moribus puellæ datum erat. *Brus. lib. 7. c. 52.*

Alphonsus. Eum maxime insanire dicebat, qui vxorem a se digressam fugitiuamque perquireret. Significans, magnæ felicitatis esse, ab improba & morosa vxore liberari. *Panor. lib. 4. de reb. gest. Alphonsi.*

Idem. Cum aliquando Lodouicum Podium Putium, in veste lugubri, fronte subtristem intueretur, & quid sibi vellet luctus, ille sciscitaretur; ac Putius ob vxorem mortuam mœstum se esse respondisset: ait Alphonsus, lætum potius atque hilarem esse eum conuenire, ob illius mortem. Nam si cognita mortua esset, tum & fratrem a mortuis suscitatum esse. Erat autem vxor illa intractabilis, difficilis, & viro, dum vixit, admodum molesta & infesta ac mariti prope mors quædam. *Panorm. lib. 3. de rebus gestis Alphonsi.*

Greg. Halburgensis. Is scientia iuris & facundia inter omnes Germanos facile princeps, cum domum ex curia Cæsaris, in qua diu fuerat versatus, reuertisset, atque non longe ab oppido Nurembergensi amicum offendisset, qui vxorem suam viuere, & bene valere diceret, si viuit vxor, inquit, ego sane obii. Innuit autem, morosam vxorem mariti mortem esse. *Æneas Sil. lib. 3. commen. de reb. gest. Alphonsi.*

Alphonsus, Triponius Iurisconsultus, & Alphonsi Aragonum regis consiliarius, cum trecentos aureos Alphonseos, quod superfuerat dotis, furto surreptos perdidisset, ac propterea animo angeretur, & esset illi vxor, & illa quidem admodum morosa, regem Alphonsum dixisse ferunt: Longe illi melius fore, si vxorem, quam pecuniam, fures abstulissent. *Panorm lib. 1. de rebus gestis Alphonsi.*

Anonymus. Quidam abunde comis, cum hospes vociferantem diutius vxorem eius, rixantemque cum ancillis, parum æque ferret, conuersus ipse ad hospitem: Et quæ, inquit, amice impatientia est tua? Duos, inquit, & triginta annos huius clamores dies, noctesque æquissime ipse perfero, tu vero ne diecula quidem sextantem ferre eam potes? quo dicto & hospitem leniit, & vxorē ab ira ad risum coniecit. *Adrian. Barland.*

Aristippus, mulierem paruam, sed pulchram conspicatus, Paruum, inquit, malum, sed magnum pulchrum. Vel si mauis inuertere sententiam. Paruum quidem pulchrum, magnum autem malū. Nam καλὸν & κακὸν apud Græcos facile permutari possunt. *Anton. in Meliss. par. 2. serm. 33.*

Socrates dicere solebat viros oportere ciuitatis parere legibus, vxores vero maritorum, quibus cum viuunt moribus. Norma enim coniugis vir est. Æquitas igitur docet, vt viris tanquam capiti vxores obtemperent. *P. M. lib. 3. apoph.*

Antisthenes. Cum his mulieribus habendam consuetudinem dixit, quæ beneficium beneficio pensent, χάριν εἰσομέναις, id est, quæ gratiam habituræ sint. Sentiens, abstinendum ab his quæ precio vendunt inhonestam voluptatem, nec pariunt, nec amant mutuum, aut a valetudinarijs, deformibus ac male moratis, quæ gignunt fœtus pœnitendos. *Laer. li. 6. c. 1.*

Theano Rogata, quando mulier esset munda a viro? respondit: A suo semper, alieno nunquam. *Laer. lib. 8.*

Phocionis vxor, in complurium fœminarum cœtu interrogata, cur sola ex omnibus aureo non vteretur ornatu? Satis, inquit, vxori magnus ornatus viri sui virtus est. *Ant. in Meliss. par. 5. sermon. 33.*

SIMILITVDINES.

Plutarchi. Vt orator neglectis fucis ac theatricis cultibus, rebus ipsis magis mouet auditorem: Sic vxor non meretricio corporis cultu, sed moribus commendatur viro. *In Moral.*

Vt tibicen per alienam vocem sonat: Ita mulier quædam non grauabitur per virum loqui. *In Moral.*

Luna cum soli coniungitur, tum obscuratur, & occultatur: cum abest lucet, contra proba vxor præsente marito maxime conspici debet, eodem absente maxime condi ac latere. *In Moralibus.*

Vt Philosophi colentes principem se reddunt nobiliores, non illum: Sic vxores, subdentes se viro, laudem consequuntur: conantes autem imperare deterius audiunt, quam quæ subijciuntur. *In Moral.*

Vt geometræ negant moueri lineas, & superficies sine corpore, sed vna cum corporibus moueri: Sic vxor in serijs, & ludicris, fletu & ridiculis & tristibus, accommodabit se marito. *In Moral.*

Cum spirat Boreas, conatur vi vestem reuellere, at homo magis astringit pallium: quod si sol tepido vento demulserit, iam sponte & tunicam abijcit: Sic vxor conans conuitijs maritum a luxu reuocare, magis irritat: si placide ferat, & roget, magis efficit. *In Moral.*

Qui ministrant elephantis, non sumunt lucidam vestem: qui tauris purpuream non induunt: nam his coloribus efferantur: tigrides tympanorum strepitum non ferunt: Ita vxor ab ijs debet abstinere, quibus senserit maritum vehementer offendi. *In Moralib.*

Qua vera

Quæ veretur ridere apud virum, ne videatur lasciua: nec agere quicquam, ne audax: perinde facit, quasi nec vngeretur, ne videatur vnguentis vti: nec lauaret faciem, ne fucis vti putetur. *In Moral.*

Quemadmodum speculi ex auro gemmisque constructi nulla fuerit vtilitas, nisi formam similem repræsentet: Ita neque diuitis vxoris fructus vllus est, nisi vitam exhibeat marito similem, & ingenium concors. *Apud Stob. serm.70.*

Syracida. Sicut ascensus arenosus in pedibus senis: Sic mulier linguata viro taciturno. *Eccl. c.25.*

Bouum iugum concussum, mulier nequam: qui dominatur illi, quasi qui apprehendit scorpionem. *Eccles. c.26.*

Basily. Vt cariosas naues procellæ & turbines: ita mala vxorum studia infirmas maritorum suorum animas demergunt. *Homil. de diuite.*

Maximi monachi. Vt equites decet ferocibus assuescant vti equis, quos si domuerint alijs etiam vtilius vtentur: Sic quoque prodest cum vxore iracunda consuetudinem habere, exercitationis causa. *Serm.19.*

Plutarchi. Vt nemo sentit, qua parte stringat calceus, nisi qui indutus est: Ita nemo nouit ingenium mulieris, nisi qui duxit vxorem. *In Mor.*

Sponsæ quæ statim offensæ motibus virorum, eos deserunt: perinde faciunt, ac si quis ictus ab apibus, mel relinquat. *In Moral.*

Vt ælurus vnguentis efferatur, & in rabiem agitur: Ita quædam vxores insaniunt, si senserint in viris vnguenta. *In Mor.*

Vt inutile speculum est, auro gemmisque adornatum, nisi repræsentet similem imaginem: Ita inutilis vxor quantumuis opulenta, si viro mæsto sit hilaris, hilari mæsta. *In Moral.*

HIEROGLYPHICA.

Vipera suo quodam ingenio prædita, extra ordinem, sua habet hieroglyphica, quorum illud præcipuum: quod *mulierem* quæ virum oderit suum, cui mortem etiam intentet: neque nisi coitus tantum gratia blandiatur, per *pictam viperam* sacerdotes illi intelligebant: ea si quidem, vt apud Homerum est, cum mari copulatur, caput eius ori inserit suo, atque in concubitus conflictu omnia voluptatis vi superata, capite maris mordicus amputato, maritum extinguit. *Pier. Val. l.14. p.133. B.*

Non absurde etiam *voluptatem & vsum*, quæ soleant ex uxoria consuetudine, vnanimique cōcordia percipi, qualem Homerus mirifice cōmendat, per *Ignis & Aquæ* figurā interpretabimur: cū nihil fere sit in rerum natura igne iucundius, nihil aqua vtilius, quæ sola ex rebus omnibus, necessitatibus innumeris opem affert: quare aquam Pindarus Optimam Aristotele etiam comprobante, nuncupauit Igneum etiam ardorem, auri pari Elogio prosequutus. *Idem lib.45. n.6.*

FINIS LIBRI DECIMINONI.

POLYANTHEAE NOVISSIMAE LIBER XX.

Z

ZELOTYPIA.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

ZELOTYPIA Græca dictio est composita à ζῆλος id est, æmulatio, & τύπος, id est, forma Hebr. *Kineah*, vide Zelus. Est autem ægritudo animi, ex eo proueniens, quod timeat, ne adsit alteri, quod cum nemine velit habere commune. *Secund. Chrysippum.*

LOCI BIBLICI.

Zelotypia duplex: *Vna*, cum nostri causa diligimus, ideoque non possumus riualem pati: vt assentatores, qui in aulis principum degunt, nec principis commoda propter quærunt, sed quatenus cum sua ipsorum vtilitate sunt coniuncta, ideoque id vnum solicite student, vt cæteros, quantumuis principi vtiles arceant, quo videlicet ipsi ex eo soli maiorem vtilitatem capiant. Hic vero non est principem, sed seipsum amare. Itaque illorum amor tum euanescit, cum sublata est illius causa, id est, cum ea est principis conditio, vt nullum commodum amplius ab eo expectent. *Altera* zelotypia prorsus est illi contraria, cum amicos ipsos, non nostræ causa in illis amandis spectamus: ideoque non modo soli volumus diligi, sed potius quam plurimos sinceros amicos illis cupimus conciliare, quod eorum commodis magis quam nostris ipsorum delectamur, qui demum verus & honestus ac perpetuus est amor: Illam zelotypiam tribuit Paulus Pseudapostolis. *Gal.* 4.17. vt qui sui commodi causa Galatas diligerent, ideoque summo studio niterentur Paulum, veritatem, excludere. Hanc vero sibi tribuit, 2. *Corinth.* 11.2. vt qui re honesta Corinthios dilexerit, id est, non suam gloriam, sed Dei zelo ... vt ibidem appellat zelotypiæ lex, *Numer.* 5.*versic.*15. Zelotypia spiritualis bona, *Exemplum*: Paulus, 2.*Corinth.*11.2. zelotypia spiritualis mala, *Exempla*: Pseudoapostoli, *Gal.* 4.17.

APOPHTHEGMATA.

Caius Sulpitius vxorem suam repudiauit, quod aperto capite ædes egressa esset: Lex, inquiens, tibi meos vnius oculos præfinit, quibus formam tuam approbes his ornamenta compara: his esto speciosa, non aliorum oculis placens. *Paul. M. libro sexto apophthegm.*

Alphonsus dicebat, ita demum matrimonium tranquille exigi posse, si vxor cæca, maritus autem surdus fiat. Innuit autem fœmineum genus esse zelotypiæ obnoxium, & hinc oriri rixas & querimonias, & rursus marito molestam esse vxoris garrulitatem, qua molestia carituus est, si fiat surdus. *P. M. libro octauo apophthegm.*

Mulierum innatus morbus zelotypię. *Heliodor. lib.* 7.

SIMILITVDO.

Chrysostomi. Rex quicquid aduersus regnum suum putauerit, totum verum æstimat. Animus eius semper suspectus est, regni zelo repletus. Dum omnia timet, omnia suspicatur, facile credit, quicquid fuerit suspicatus. Sicut vir si zelet vxorem, aut vxor virum, omnem auditionem turpem credit de illo, etsi non sit auditio digna, & idonea, vt credatur, tamen eandem auditionis zelus commendat. *In cap. 2. Matth.*

EXEMPLA PROFANA.

Idas & Lynceus, Arthernes & Aphareis filij, pro Leucippi filiabus Phœbe & Ilaira, aduersus Castora & Pollucem prope Spartam dimicarunt: in quo congressu perijt Castor: Polluci autem profuit immortalitas.

Persæ in amatoribus graui æmulatione præditi sunt vt non ille modo, qui appellauerit & attigerit regis pellicem, verum etiam qui propius in itinere præterlatus fuerit & prætervectus, quibus portantur plaustra, capite luat. *Plut. in Artaxerxe.*

Ea candescit *Catullus* in Gellium riualem, vt puellæ suæ furem: Idẽ ægre fert, Gellium sibi ob pulchritudinem à Lesbia præpositum, vbi ait.

> *Gellius est pulcher, quidni? quem Lesbia malit*
> *quam te cum tota gente, Catulle, tua.*

Circe venefica ægre ferens Scyllam Nympham a Glauco amari: fontem (in quo se lauabat) infecit veneno, cuius virtute Scylla in monstrum marinum mutata est. *P. M. fol.* 114.

HIEROGLYPHICA.

Sunt qui per *Camelum Zelotypiam* significent: propterea quod animalia reliqua tempore, quo rei venereæ cupidine, vel rabie potius incitata, gestiunt, in suum tantum genus sæuiunt: Camelus autem in hominem etiam atque in vnumquodque aliud animal efferascit, & vsque adeo sibi timet ab omnibus: vt solitudines petat: & id tempus ab omnium consortio separatus, solam fœmineam affectetur. *Pier. Valer. lib.* 12. *p.* 117. *a.*

ZELVS.

LOCI BIBLICI.

ZELVS: *Primo*, significat honestum illud & laudabile studiũ, quo accendimur ad alicuius virtutes imitandas aut etiam superandas, sine vllo tamen ipsius odio, 1. *Corint.* 12.13. & 14. *v.* 1. 12. 39. 2. *Corinth.* 9.2. *Gal.* 4.18. *Tit.* 2.14. *secundo*, inuidiam ac liuorem, *Act.* 5.17. & 7.9. & 13.45. & 17.5. *Rom.* 13. 3. 1. *Cor.* 3.3. & 13.4. 2. *Cor.* 12.20. *Gal.* 5.20. *Iac.* 3.14. & 14. 12. *Tertio*, accipitur pro sancta quadam zelotypia, quæ non proficiscitur a cuiusdam odio, verum ab eorum amore quos non nostri, sed ipsorum potius causa amamus, 2. *Cor.* 11.2. *Quarto*, pro sui ipsius amore, cui sancta illa zelotypia præcauetur, *Gal.* 4.17. *Quinto*, pro animi æstu ex indignatione de ijs concepta quæ indigne fiunt aduersus eũ quem amamus, pura vel aduersus homines nobis charos. 2. *Cor.* 7.7. *Coloss.* 4.13. vel aduersus Deum ipsum. Est autem hic zelus duplex: *Vnus* nimirum, cum voluntatis Dei cognitione, ac vera eum fide coniunctus, qualis est Christi zelus, de quo agitur, *Ioan.* 3.17. item qui commendatur, 2. *Cor.* 7.11. & *Apoc.* 3.19. *Alter* vero, qui non est secundum scientiam, & cęcus potius impetus ac furor dici debet, vt *Roman.* 10.2. *Phil.* 3.6. *Act.* 21.20. & 22.3. *Gal.* 1.14. Hinc demum fecata significatio orta est: cum ζῆλος ad ignis ardorem transfertur, vt *Hebr.* 18.27. zelus bonus & sanctus commendatur, *Rom.* 12.11.

Zelus, ζῆλος, Hebr. *Kineah*, a verbo *Kinne* æmulatus est, prouocauit, zelum habuit, vel ex inuidia, vel ex amore indignatus est, ægrè tulit. Hinc ἀγανακτεῖν indignor, stomachor. *Kanne*, zelotes, æmulator, qui ægrè fert iniurias. Gal. *Ialoux*, q.d. *Zelous*, *Zalous*, Zelo corruptus.

PATRVM SENTENTIAS.

Si videris Ethnicum vitæ temperatæ, & reliquæ morum honestatis studiosum supra te, tuum etiam studium intende, vt fias

vt fias similis fructuosæ ficui, quæ per caprifici viciniam vires suas colligit, ac diffusionem cohibens, melius suos fructus alit & producit. *Basil. apud Ant. serm. de zelo.*

Noli cogitare te malis videri præstantiorem, sed tristare quod sis bonis inferior. *Nazian. apud eundem.*

Animi acrimonia, cum ad pietatem accesserit zelum parit: zelus autem fidei præsidium est. *Idem orat. 23.*

Prima bene agendi ratio est, rerum honestarum commendatio. Laus enim zelum parit: zelus autem virtutem: virtus parit beatitudinem: hæc vero rerum petendarum culmen est: ad quod omnis probi viri cogitatio tendit. *ibid.*

Nihil prodest habere zelum Dei: & non habere scientiam Dei. Iudæi putantes se zelum Dei habere, sacrilegi extiterunt in filium Dei: quia non secundum scientiam zelati sunt: quia ignorantes Dei iustitiam propriam (id est, quæ hominibus iustitia videbatur) studebant implere, cum vtique ipsos magis iustitiæ Dei, nempe Christo, obedire conueniret. *Orig. in Epist. ad Rom.*

Est zelus ad vitam. & est zelus ad mortem. Ad vitam zelus est diuina præcepta seruare. & amore nominis eius, custodire mandata, vt fecit Phinees. *Amb. in Psalm. 118.*

Zelus Dei gratia est, qui ex quibus, qui superuenit, qui se iusti infundit pectori. Zelus Dei vita est. Zelum Dei qui habent, omnes sibi inimicos putant, qui sunt hostes Dei, quamuis patrem, fratres, sorores. *ibid.*

Zelo fidei populus gentium vitam sibi acquisiuit æternam, quam negligentia atque desidia Iudæorum populus amisit. Populus qui erat eruditus in lege, nullum fidei habebat ardorem. Contulit se zelus ad gentes, cuius tanta est gratia, vt electionis prærogatiuam vicerit, & eruditionis industriam superarit. Denique zelus apprehendens populum ineruditum fecit esse meliorem. *ibid.*

Zelus charitas est: valida est sicut mors charitas: durus sicut inferi zelus. Durus zelus quem nulla vincit huius vitæ illecebra, Durus sicut inferi per quem peccato morimur, vt viuamus Deo. Angeli quoque sine zelo nihil sunt, & substantiæ suæ amittunt prærogatiuam, nisi eam zeli ardore substentent. *ibid.*

Zelo vindicatur Hierusalem, zelo Ecclesia congregatur, zelo fides acquiritur: zelo pudicitia possidetur, sed non solum locum Ecclesiæ zelare debemus, sed hanc quoque interiorem in nobis domum. *ibid.*

Audi quid sit habere zelum, sed non secundum scientiam. Ignorantes, inquit Apostolus, Dei iustitiam, & suam volentes constituere, iustitiæ Dei non sunt subiecti. Si ergo ideo non secundum scientiam zelum Dei habent, qui ignorantes iustitiam Dei volunt suam statuere, qua se ex ipsis iustificant: ideo gratiam Dei cognouerunt, quia gratis saluari noluerunt. *Augustinus in Psalm. 30.*

Qui comeditur zelo domus? Qui omnia quæ ibi videt forte peruersa, satagit emendare, cupit corrigere, non quiescit. Si emendare non potest, tolerat, gemit, non excutit de area granum, sustinet paleam, vt intret in horreum cum palea fuerit separata. *Idem tract. 10 in Ioan.*

Vnumquemque Christianum zelus domus Dei comedat, in qua domo Dei membrum est. Non enim maior est domus tua, quam domus vbi habes salutem sempiternam. Domum tuam intras propter requiem temporalem, Domum Dei intras propter requiem sempiternam. Si ergo in domo tua ne quid peruersum fiat satagis, in domo Dei, vbi salus reposita est & requies sine fine, debes pati quantum in te est si quid forte peruersum videris. *ibid.*

Vnumquemque Christianum zelus domus Dei comedat, Verbi gratia, vides fratrem currere ad theatrum, prohibe, mone, contristare, si zelus domus Dei comedit te. Vides alios currere & inebriari velle, & hoc velle in locis sanctis, quod nusquam debet: prohibe quos potes, quibus potes blandire, noli quiescere: tamen si amicus est, admoneatur leniter: vxor est, seuerissime refrænetur: ancilla est, etiam verberibus compescatur. &cet. *ibid.*

Zelum Dei habent, sed non secundum scientiam, qui iustitiam Dei ignorantes suam constituere volunt. Vnde Paulus correptus ait, non habeo meam iustitiam. Illi volunt suam constituere, adhuc eos delectat in stercore iacere. Ego non habeo meam iustitiam, sed eam quæ est per fidem Iesu Christi iustitiam ex Deo quæ iustificat impium. Tolle te, tolle moram te a te, impedis te: si tu te ædificas, ruinam ædificas. *Id. de verb. Apost. serm. 15.*

Nihil vero tribulationi par philosophiæ mater est: Anna suam habens æmulam non est eam contumelijs persecuta. Sed quid? ad Deum confugit: & orans, nec eius meminit, neque dicit quoniam illa mihi improperat, defende me, tam sapiens erat mulier: erubescamus viri, & quidem scitis quod zelo nihil comparatur. *Chrys. Hom. 62. ad Pop.*

Fortis zelus qui nunc in mente doctoris agitur, in die extremi iudicij inter eum & animam quam à vitijs zelatur testis est: vt & si audire is qui docetur noluerit, doctor tamen pro zelo quem exhibet, de auditoris negligentia reus non sit &c. *Greg. in Ezech. Hom. 12.*

Nullum omnipotenti Deo tale est sacrificium, quale est zelus animarum. *ibid.*

Rectitudinis zelo, contra vitia accendimur. Phinees ante oculos deducatur. qui coeuntes gladio transfigens, castitati populum reddidit, & iram Dei iratus placauit. *ibid. hom. 5.*

Zelo domus patris Saluator impios eiecit de templo, velemus & nos, fratres charissimi, domum Dei, & quantum possumus ne quid in eam prauum geratur insistamus. Si viderimus fratrem qui ad domum Dei pertinet, superbia tumidum, detractionibus assuetum, ebrietati seruientem, luxuria eneruatum, iracundia turbidum, si alio cuiquam vitio subditum, studeamus, in quantum facultas suppetit, castigare: polluta ac peruersa corrigere: & si quid de talibus emendare nequimus, non sine acerrimo mentis sustinere dolore, & maxime in ipsa domo orationis ne quid ineptum fiat, ne quid nostram fraternamue orationem impediat, totis viribus agamus. *Beda in Ioan. c. 2.*

Cum duo sint beatæ contemplationis excessus: in intellectu vnus, & alter in affectu: vnus in lumine, alter in feruore: vnus in agnitione, alter in deuotione: pius sane affectus, & pectus amore calens, & sanctæ deuotionis infusio, etiam & spiritus vehementer repletus zelo, non plane aliunde quam è cella Christi vinaria reportantur: & cuicunque cum horum copia surgere ab oratione donatur, potest in veritate dicere, introduxit me rex in cellam vinariam. *Bern. in Can. serm. 49.*

Importabilis absque scientia est zelus. Vbi ergo vehemens æmulatio, ibi maxime discretio est necessaria, quæ est ordinatio charitatis. Semper quidem zelus absque scientia minus efficax minusque vtilis inuenitur: plerumque autem & perniciosus valde sentitur. Quo igitur zelus feruidior, ac vehementior spiritus, perfusiorque charitas, eo vigilantiori scientia opus est, quæ zelum reprimat, spiritum temperet, ordinet charitatem. *ibid.*

Zelus est feruor animi ad compassionem naturæ & vltionem culpæ & deuotionem gratiæ proni. Zelus itaque vtiliter flagellat seruum, salubriter corrigit filium, sollicite atque fideliter seruat coniugium: seruum vltione, filium compassione, coniugiũ deuotione. *Hugo in Iobelem.*

SIMILITVDINES.

Chrysostomi. Quemadmodum si quis infundat oleum super ignem ardentem, magis crescit incendium: Sic ardentem zelum Herodis, delusionis opprobrium amplius excitauit. *in Matth. cap. 4.*

Theophilacti. Vt belua aliqua irritatata, non ante sæuire desistit, quam aliquem arripiat, hæreatque, & vorans expleat iram: Sic & ignis æmulatione ductus, & zelo vlciscendi mandatorum transgressus, ob idque desæuiens, quemcunque corripiat, depascitur semper. *in Epist. ad Hebr. 6. 10.*

EXEMPLA BIBLICA.

Zeli boni *Exempla* Moses, *Exod. 32. vers. 19. 20.* Phinees, *Num. 25. versic. 7. 8. Mach. 2. 45.* Iosuah, *Ios. 7. 24* Filij Israelitarum, *22. versic. 11. 12. Iudic. 20. vers. 1. 2. 3.* Elias, *1. Reg. 18. 21. 40 & 19. 20.* Iehu, *2 Reg. 10. versic. 11. 16. 25. 27.* Ezechias, *18. 4.* Iosias, *23. versic 6.* Zacharias Ioiadæ filius *2. Paralipom. 24. 20.* Esdras, *9. 3.* Nehemias, *Nehem. 13. 25.* Mathathias. *Mach. 2. versic. 23. 24.* Dauid, *Psalm. 69. 19.* Ioannes Baptista *Matth. 3. 7 & 14. 4* Christus, *21. 12. Ioan. 2. 15.* Petrus, *Actor. 5. 3.* Stephanus, *7. 51.* Paulus, *13. 10. & 17. 16. Rom. 9. versic. 2. 3. 2. Corinth. 11. vers. 2. 29. Galat. 3. 1. & 4. 19* Barnabas & Paulus, *Act. 14. versic. 13. 14.* Apollo, *18. versic 22. 23* Zeli indiscreti *exempla* Iosuah. *Num. 11. versic 28. 29.* Abisai *2. Samuel. 16. 9.* Filij prophetarum, *2. Reg. 2. versic. 15. 16.* Ionas, *Iona 4. versic. 1. 2. 3.* Petrus, *Matth. 16. versic 21. 22.* Discipuli *Marc. 10. versic. 13. 14.* Ioannes, *Luc. 9 versic. 49.* Ioannis Baptistæ discipuli, *Ioan. 3. v. 26 27.* Principes Sacerdotum cum suis, *Act. 5. 17.* Iudæi, *7. 57. & 13. 45. Rom. 10. 2.* Paulus. *Act. 23. 3. & 26. v. 9. 10. Gal. 1. v. 13. 14. 1. Tim. 1. vers. 12. 13.*

EXEMPLA PROPHANA.

Plato vir summus, & Xenophon, haud expertes fuisse creduntur talis affectus: id indicio est, quod neuter alterius memoriam vnquam, cum multa vterque scripserit: an hoc eum, & inter se aliquin noti, Socraticæque sapientiæ ambo alumni. *Sabellicus lib. 6. cap. 9.*

Bauius & Mæuius ineptissimi poetæ, virgilio suam inuiderunt gloriam. De quibus ipse *Virgilius in Bucolic.*

Qui

Qui Bauium non odit, amet tua carmina Maui.

Asinius Pollio adeo fuit infensus nomini Ciceronis: vt eius laudes audire nequiuerit. Nam quum Sextilius poeta carmen hoc recitasset: *Deflendus Cicero, patriaque silentia linguæ.* Asinius ea re permotus, audire vlterius noluit.

Hyarbita Maurus, dum Timagenem philosophum inter pocula declamantem vellet imitari, & non posset, inuidia crepuit. *Horat. lib. 1. Epist.*

Rupit Hyarbitam Timagenis æmula lingua,
Dum studet urbanus, tenditque disertus haberi.

ZODIACVS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Zodiacus Græce *ζωδιακὸς* est circulus cœlestis, in quo 12. signa sunt, quæ sol singulis annis percurrit. Latine signifer dicitur. Vide Etymol. triling. Lugdun. *pag.* 919. 920.

Astronomi circos seu circulos cęlestes vndecim numerant, cælum ambientes. Hi circuli sunt Lacteus, Zodiacus seu signifer, Aequinoctialis, duo coluri, duo Tropici, duo Solares, Meridianus & Horizon. *Macrob. lib. 1. in Somn. Scip. c.* 15.

Circulus cælestis est linea ambiens Sphęram, ac veluti semiram faciens, per quam lumen vtrinque discurrit, & inter quam vagantium stellarum error legitimus coercetur. *Macrob. lib. 1. in Somn. Scip. cap.* 14.

Zodiacus *sensibilis* est circulus maior, obliquus, constans sua latitudine, sectus in duodecim partes seu sidera, quæ vocantur Signa: vel in duas medietates, quarum altera dicitur Austrina altera Septentrionalis: sub quo stellæ erratiles perpetuo mouentur. Huius obliquitatem nouisse, Plinius ait esse, rerum fores aperire, *lib. 2. cap.* 8. Hunc circulum prolixè describit Manilius, libr. 1. ex quo paucos versus lectori propono.

Sed nitet ingenti stellatus Baltheus orbe,
Insignemque facit cælato lumine mundum,
Et ter uicenas partes patet, atque trecentas
In longum: bis sex latescit fascia partes,
Quæ cohibet uario labentia sidera cursu.

Horum versuum sensum Manilij interpres eruditissimus Scaliger aperit, pag. 56. editionis Parisiensis. Dicitur autem Zodiacus, Macrobio teste, lib. 1. in Somn. Scip. cap. 21. a signis, quæ circa eũ sunt, Ζώδια Græcis, quasi signifer. Aratus ἀπὸ τῶν ζώων à figura animalium quæ in illo conspiciuntur, videtur denominasse, Illa (disticho comprehensa)

Sunt Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo,
Libraque, Scorpius, Arcitenens, Caper, Amphora, Pisces.

Fortasse Zodiacus ἀπὸ τῆς ζωῆς à vita, quod sol per hanc Cæli fasciam vectus lumen viuificum creaturis præbeat & sit ζωοφόρος, id est, nō tantum signifer, verum etiam vitæ lator & dator, vt experientia constat. De eo Virgilius lib. 1. Geor. & Ouid. Metam. lib. 2.

Sectus in obliquum est lato curuamine limes
Zonarumque trium contentus fine, polumque
Effugit Australem, iunctamque Aquilonibus Arcton.

Zodiacus, astronomis *imaginarius*, dictus est circulus maior obliquo meatu ambiens octauam Sphæram, & cum eadem mobilis, super proprijs polis descriptus, ita vt & duobus locis Aequinoctialem intersecet ad angulos obliquos, tangatque vna parte tropicum Cancri, ex altera tropicum Capricorni in vno pũcto: habens item longitudinem sectam in duodecim signa, seu duas medietates, & latitudinem, tribus lineis parallelis compressam, quarum media vocatur Ecliptica, distatque ab vtraque extremitate octonis graduum interuallis.

Imaginantur autem hunc circulum ex motu solis præcipuè, quo is ex meridie progreditur ad Septentrionem, quotidie fere vnum gradum in hoc circulo absoluens, & triginta diebus prope integrum signum percutiens. Dicitur obliquus, propter obliquum situm inter polos mundi. Nam altera eius medietas ad Arcticum, altera ad Antarcticum declinat, vt solis & lunæ cursus ostendunt. Quo enim plures gradus in Septentrionali medietate sol conficit, eo propius ad polum & nostrum verticem accedit.

Imaginario illo autem & ambiente cœlum Zodiaco potius quam sensibili astronomica schola vtitur, propter motum octaui orbis, quo stellæ fixæ ab occasu ad ortum, iuxta seriem signorum progrediuntur, suamque declinationem mutant super polis zodiaci, seruata eadem semper latitudine. Nam hoc motu ipsi cardines mundi ac poli mouentur, & puncta Aequinoctiorum ac solstitiorum mutantur. Reliqua videat lector studiosus apud Astronomos.

Poeticæ Sententiæ.

Virgil. 1.

Obliquus qua se signorum uerteret ordo.

Ouid. lib. 1. Metam.

Sectus in obliquum est lato curuamine limes,
Zonarumque trium contentus fine, polumque
Effugit australem, iunctamque Aquilonibus Arcton.

ZONAE.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Zona astronomis dicitur tractus Cęli vel terræ inter duos circulos parallelos, ex quinque, ab illis enumeratis, & inter ipsos mundi polos comprehensus. In cælestes & terrestres, zonæ astronomicæ diuiduntur. Quinque sunt zonæ cælestes: duæ, Septentrionales, quarum vna περίσκιος est, altera, ἑτερόσκιος, duæ meridionales, itidem vna περίσκιος, altera, ἑτερόσκιος, & vna intermedia ἀμφίσκιος, eaque latissima. Vulgo hæ zonæ nomina a qualitatibus sortitæ sunt: quæ cum nullæ sint in cælo, neque etiam a cælo immediatè simpliciterque proueniant aut excitentur, Astronomi illis appellationibus vti maluerunt, quibus veteres, doctrinæ gratia vsi sunt.

Tractus *Septentrionalis* perisKios, est tractus ille cæli, qui comprehenditur inter polum mundi Septentrionalem, & inter arcticum circulum, qui quidem est idem cum tropico Solstitiali: vel inter parallelum distantem ab Aequatore gradibus *66.* scrupulis 8. vocatur PerisKios, quia Sol, quando principium cancri obtinet, circum horizontem mouetur, & radios ita spargit, vt vmbras in eo tractu circumcirca in orbem projiciat. HeterosKios vero, est tractus ille cæli qui comprehenditur inter tropicum Solstitialem, & arcticum zonæ perisKiæ. Dicitur heterosKios, quoniam in hac zona radij solares projiciũt vmbram meridianam in eam tantum mundi partem, quæ ad polum spectat.

Tractus *Meridionalis* periskios est tractus ille cœli, Septentrionali periskiæ oppositus, qui inter polum mundi meridionalem & circulum antarcticum continetur, qui quidem cum tropico brumali idem est. Sicut autem in Septentrionali illo tractu, vmbræ circumcirca sparguntur, Sole ingresso principium Cancri, ita in hoc opposito loco vmbræ circum vndique projiciuntur, Sole circulum brumalem obtinente. Zona meridionalis ἑτερόσκιος, est ille cæli tractus qui continetur intra tropicum brumalem & circulum antarcticum regionis perisKiæ, in quo vmbræ meridianæ tantum in alteram mundi partem, versus polum antarcticũ, projiciuntur.

Zona ἀμφίσκιος, est tractus cęli comprehensus inter circulum Solstitialem & Brumalem, in quo vmbra meridiana versus mundi latera projicitur. Nam Sole ingresso Capricornum, vmbra meridiana versus Septentrionem projicitur: eodem ingresso Cancrum vmbra meridiana versus meridiem spargitur. Mediũ hunc tractum Aequinoctialis dirimit: quem cum Sol habet, nullam de se meridianam vmbram projicit. Vnde homines sub Aequatore habitantes dicuntur ἄσκιοι. Bis autem hoc illis accidit. Illis vero qui sub Tropicis habitant, semel tantum quotannis vmbræ perpendiculares accidunt. Vide Strabonem in fine, *lib. 2.*

De Zonarum differentijs *D. Basilius homil. 6 in Hexam.* dies longissimi sunt, inquit, in quibus vmbræ cadunt breuissimæ: & rursus breuissimi sunt dies qui vmbras spargunt longissimas. Id quod apud nos accidit qui vocamur ἑτερόσκιοι, & qui Arctoam mundi plagam inhabitamus. Quoniam sunt aliqui, qui binis diebus

diebus totius anni, nullam de se vmbram meridianam proijciunt. Nam horum vertices aspiciens sol, vndiquaque ex æquo illustrat: vt etiam aquam in fundo puteorum per angustum foramen radijs illuminet. Vnde illos nonnulli vocant *ἀσκίους*, id est, in vmbres. At qui vltra regionem aromatiferam (Arabiam) habitant, ij spargunt vmbras vtrinque. Soli enim sunt qui in terra habitata vmbras meridianas versus Austrum proijciunt. Ex quo a nonnullis dicti sunt *ἀμφίσκιοι*, id est, bi-umbres.

De his Zonis Cælestibus lege Virgil. libro 1. Georgic. & Tibull. *libro* 4. de laudibus Messalæ: Claudianum item *libro* 1. De raptu Proserp.

Zonæ autem terrestres sunt plagæ terrarum inclusæ duobus tropicis versus vtrunque Polum, in quibus aut caloris est excessus, aut defectus, aut mediocritas. Quinque numero, duæ frigidæ, duæ temperatæ, vna intermedia sub Aequatore, quæ Torrida vulgo dicta est. De his Strabo, *lib.* 2. *Plinius lib.* 2. *cap.* 68. Macrobius & Geographi multa tradunt, vt & recentiores qui de Sphæra scripsere, quos consulat Lector studiosus. Ingeniosus poeta de quinque Zonis cælestibus & terrestribus, elegantissimos versus nobis reliquit, 1 *lib.* Metaph.

Vtque duæ dextra Cœlum totidemque sinistra
Parte secant Zonæ, quinta est ardentior illis:
Sic onus inclusum numero distinxit eodem
Cura Dei, totidemque plagæ tellure premuntur.
Quarum quæ media est, non est habitabilis æstu.
Nix tegit alta duas, totidem inter vtramque locauit.
Temperiemque dedit, mixta cum frigore flamma.

F I N I S.

forum Clarium, ac coäceruatæ ſuppoſito igni, dum concremarentur, abeuntibus ergo fœneratoribus ac diuitibus cum triſtitia, Ageſilaus illorum calamitates irridens, Nunquam ſe ignem puriorem vidiſſe iactabat. *Plut. in Lac. apoph.*

Muſonius. Rutilius quum aliquando Romæ adiiſſet Muſonium, rogauit: Dic mihi Muſoni, Iupiter Seruator, quem tu imitaris, non fœneratur? Notus illius inopiam, qui cogeretur interdum accipere mutuum. Ad hoc arridens Muſonius: At ne fœnerat quidem. Rutil. Turpius eſt ad fœnus dare, quam accipere. At Rutilius, cum ipſe faceret quod grauius eſt, obiecit illi quod erat leuius. *P. M. l. 6. apoph.*

M. Cato. Ex Catone Cenſorio quum quiſpiam percontaretur, quid in re domeſtica maxime expediret? reſpondit: Bene paſcere, bene veſtire, & bene agrum colere, & illi qui quæſierat: Quid fœnerari? Cato, Quid hominem (inquit) occidere? Non minus igitur fœneratorem peccare cenſuit quam homicidam. *Cic. l. 2. Offic.*

Alphonſus Fœneratores vtpote labores mortalium depaſcentes, harpyias vocare ſolitus erat. Quemadmodum enim Virgilianæ illæ Harpyiæ raptu viuebant, ut hodie fœneratores ex pauperum laboribus magnas per nefas opes reponunt ſibi & ſuis. *Panor. l. 4.*

Idem Iuſtitiæ & æquitatis amator ardentiſſimus, audiens illicito lucro hominibus inſidias a fœneratoribus itrui: Fœnus nil aliud ſibi quam animæ ſanus videri dixit. Damnauit autem vniuerſam fœnerandi rationem, quæ plane eſt contra naturæ regulam, cum ex nihilo aliquid gignatur. *idem libro tertio de Alphon. reb. geſt.*

Bernard. Senenſ. Fœnus ita demum ſine peccato exerceri poſſe affirmauit, ſi pecunia iis crederetur, qui nec capitalem ſummam reddere poſſent. *Æne. Silu. de dict. Sigiſmund. & Frederici imper. & l. 3. de dict. Alphon.*

S I M I L I T V D I N E S.

D. Chryſoſt. Sicut qui ab aſpide percutitur, quaſi delectatus vadit in ſomnum, & ſic per ſuauitatem ſoporis moritur; Sic & qui accipit ſub vſuris, pro tempore delectatur, quaſi qui beneficium accipit, & ſic per ſuauitatem beneficii non ſentit, quomodo captiuus efficitur. *c. 5. Matt. hom. 12.*

Sicut venenum aſpidis latenter per omnia membra diſcurrit, & corrumpit: Sic vſura per totas facultates eius diſcurrit, & conuertit eas in detrimentum. *Hom. 12.*

Sicut fermentum modicum, quod mittitur in multam farinam, totam conſperſionem corrumpit, & trahit illam, & facit illam totam fermentum: Sic quum vſura in domum alicuius intrauerit, totam ſubſtantiam eius ad ſe trahit, & conuertit in debitum. *Hom 11.*

Fœnerator quidem poſt multos annos ſortem recipere concupiſcis cum periculo, neque forte recipiendi, vt moris, maius accipias fœnus. Hic vero ſtatim repetis, & hoc cum non hic ſemper, ſed illic continuo ſis manſurus, non hic iudicari, ſed illic pœnas luere debeas. Et ſi quis tibi quidem domos, vbi manere non debeas, paraſſet, magnum exiſtimares detrimentum ad factum. Nunc autem hic vis locupletari, vnde frequenter & ante veſperam es migraturus. Neſcis, quod in aliena regione moramur, tanquam hoſpites & peregrini? Neſcis quod peregrinorum eſt expelli: cum nec expectauerint, neque ſperauerint? Quod & nos patimur. *Ho. 15. epiſt. ad Hebr.*

Plut. Qui in lutum inciderit, eum oportet aut fugere, aut manere: nam ſi voluat, magis etiam inquinatur: Sic qui rem habet cum fœneratoribus. *in Moral.*

Cholerici qui purgari nolunt ſub tempus, collecta in dies maiore bile, poſtea grauiter diſcruciantur: Sic qui ſinunt fœnus accreſcere, cum adeſt dies, grauiter è capite laborant. *In Moralibus.*

Plato vetat aquam a vicinis petere, niſi prius domi foderis vſque ad terram, quam ceramitidem vocant, repereriſque non ſpem eſſe venæ: Ita prius eacutiendum, vt parſimonia, aliaue via tibi ſuppedites, priuſquam a menſariis pecuniam mutuam petas. *in Moralibus.*

Vt ignis inualeſcens, alia poſt alia corripit: Sic vſura. *in Mor.*

Lepus ſimul parit, & aliud alit, & rurſum ſuperfœtat: Ita fœnerator æs alienum, priuſquam conceperit, parit. Nam dantes ſtatim petunt, & ponentes tollunt & fœnerant, quod pro fœnore accipiunt. *in Moral.*

P. M. Vultures ipſi nihil occidunt, ſed ab aliis occiſa inuadunt: ita nonnulli alienis fruuntur ſudoribus. *in Similibus.*

Alcitarium piſcem ſemper ſequitur piſcis nomine largus, qui illo cęnum fodiente excitatum deuorat pabulum: ita ſunt qui ſe miſceant alienis negotiis, vt eis laborantibus fructum ipſi percipiant. *in Simil.*

A D A G I A.

Citius vſura currit, quam Heraclitus. Θᾶττον ὁ τόκος Ἡρακλείτου τρέχει.

Admonet adagium abſtinendum a mutua pecunia, quæ creditur ad vſuram. Nam opinione celerius recurrere diem vſurarum. VVir ſchlaffen oder vvachen, ſo ſchlafft doch der hauſſzinſs nicht.

Eſt pylus ante pylum. ἔστι πύλος πρὸ πύλοιο, πύλος γε μὲν ἔστι καὶ ἄλλος.

In eos accommodabitur, quibus aliæ vſuræ ex aliis naſcitur, vel vbi quod alteri præferunt valde antiquum, & præſtantius, vel vbi aliquis iactat ſe, quaſi vel ſolus vel ſummus ſit, cum reperiantur & alii qui poſſint cum eo decertare.

Fœlix qui nihil debet. ὄλβιος ὁ μηδὲν ὀφείλων.

Quid enim calamitoſius, quam toties erubeſcere, toties per ſubterfugia ſugitare, latitare, mentiri, diſſimulare, nunc ſupplicem agere, nunc flagitari: palam appellari, vitari, notari digito, breuiter nunquam tui iuris eſſe.

Animam debet. τὴν ψυχὴν ὀφείλει.

Dict. in titulo de paupertate.

Semel rubidus ac rectus pallidus. ἅπαξ μὲν ἐρυθριᾶν, δὶς ὠχριᾶν.

Suidas admonet dictum de iis, qui mutuum accipiunt, quos neceſſe eſt creato tum rubeſcere pudore, tum metu pallescere.

V S V S.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

VSus, Græce, χρῆσις & χρῆσθαι, vtor dicitur. Hebr. *Achuzzah*, poſſeſſio, detentio, apprehenſio, vſurpatio: a verbu *Achaz*, tenuit, apprehendit, apprehenſum detinuit, firmiter retinuit, vt ſolent bonæ fidei poſſeſſores, & qui rebus ſuis vtuntur. Eſt autē vſus, ius vtendi rebus alienis ſalua rerum ſubſtantia, *ſecun. Azon. in ſumma.*

Vſus nullo modo ſignificat habitum, vel potentiam, ſed ſignificat actum cuiuſcunque habitus & potentiæ. *ſec. D. Thom. in q. de veritate, q. 17. ar. 1. 6.*

Vſus ab vtor venit, & aliquando ſignificat ipſam vtendi actionem Virg. *Nam neque erat corpi vſus.* Nonnunquam conſuetudinem, conuerſationem. Terent. *Sic mihi eſt vſus.* Aliquando opus eſt. Virg. *Nunc viribus vſus, Nunc manib. rapidis, omni nunc arte magiſtra.* Nonnunquam vtilitatem ſignificat. Apuleius, *Cum id ex vſu meo non eſſet.* Vſu venire, eſt accidere. Plin. *Id enim frequenter vſu venit, vt malis bonis præferantur.*

L O C I B I B L I C I.

Vſus rerum legitimus, 1. *Tim. 2. 9. & 4. 31. Petr. 3. 3.* vſus legis, *Rom. 3. 19. Gal. 3. 24.*

S E N T E N T I Æ P O E T I C Æ.

Ouid. 1 Amor. 8.

Æra nitent vſu: veſtis bona quærit haberi:
Canescunt turpi tecta relicta ſitu.

Lucan. ad Piſon.

Abdita quid prodeſt generoſi vena metalli
Si cultore caret? quid inutilis condita parta?
Si ductoris eget, ratis efficit, omnia quamuis
Armamenta gerat, teretique fluentia malo
Poſſit & excuſſo dimittere vela rudente?

Ouid. 1. Art.

Ferreus aſſiduo conſumitur annulus vſu,
Interit aſſidua vomer aduncus humo.
Quid magis eſt durum ſaxo? quid mollius vnda?
Dura tamen molli ſaxa cauantur aqua.

Ouid. 4. Pont. 10.

Gutta cauat lapidem, conſumitur annulus vſu.
Et teritur preſſa vomer aduncus humo.

Luc. 5.

Quinetiam multis ſolis redeuntibus annis,
Annulus in digito ſubter tenuatur habendo,
Stillicidi caſus lapidem cauat: vncus aratri
Ferreus occulte decreſcit vomer in aruis.

Idem 4.

Nam leuiter quamuis quod crebro tunditur ictu,
Vincitur in longo ſpatio tamen atque labaſcit.
Nonne vides etiam guttas in ſaxa cadentes
Humoris longo in ſpatio pertundere ſaxa?

Propert. 2. 25.

Sed tamen obſcura teritur rubigine mucro
Ferreus, & paruo ſæpe liquore ſilex.

Hor. Art.

Multa renaſcentur, quæ iam cecidere: cadentque
Quæ nunc ſunt in honore vocabula ſi volet vſus:
Quem penes arbitrium eſt & ius, & norma loquendi.

Claud. de rap. Proſ. p lib. 3.

verumque remotas
Ingenioſa vias paulatim explorat egeſtas.
Vtque artes pararet, elicuit, monſtrauit vſus.

Ouid.

Ouid. 2. Art.

Adde quod eſt illis operum prudentia maior,
Solis & artifices qui facit, vſus adeſt.

Anthol. Sac. Iac. Bill.

In rebus mundi non eſt idem omnibus vſus,
Nec cunctis paribus cuncta ferunt animis.
Namque bonos non blanda inflant, non aſpera frangunt,
Sed fides iuncta gaudia vera manent.
Terra autem & ſuis breuiter florentis amator,
atq; caret optatis ſeu fruitur, miſer eſt.

Sententiæ Philosoph.

Ῥᾳδίως ἡ εὐφυὴς φύσις [illegible] προσλαβοῦσα [illegible]

Facile naturæ indoles præſtans per perpetuam exercitationem nacta, laudabilium actionum incrementum ſuſcipiet, aſſequeturque. *Mart. Agr. in Epiſt.*

Nec medici, nec imperatores, nec oratores, quamuis artis præcepta perceperint, quicquam magna laude dignum, ſine vſu & exercitatione conſequi poſſunt. *Cic. 1. Offic.*

Vſus magiſter eſt optimus. *Pro C. Rab. Poſth.*

Vſus frequens omnium magiſtrorum præcepta ſuperat. *1. de Orat.*

Vſus eſt omnium rerum magiſter. *Cæſar. l. 2. de bello Ciuili.*

Vſus longo tempore verus eſt legum corrector. *Liuius Decad. 5. lib. 5.*

Omnia honeſta & vtilia videntur vtentibus, quando quis recte illis vtitur, turpia vero & detrimentoſa, quando malos patronos & defenſores ſunt nacta. Huius autem rei cauſa eſt ipſa natura, quæ addit omnibus quaſdam etiā inſitas peſtes. *Dion. Halic. lib. 5.*

Vſus eſt optabilior habitu, finis autem vſu. *Ariſt. mag. mor. 1. c. 3.*

Vſus & habitus quorum eſt, ſemper melius, & optabilius eſt vſus habitu. *idem ibid.*

Vſus proprie de vtilibus dicitur. *Alex. Aph. 3. top. c. 3.*

Vſus & poſſeſſio de inſtrumentis, & quod his proportione reſpondet, dici cōſueuit, habitus vero, & operatio de qualitatibus, quæ in alia aliqua re conſideratæ eam perficiunt. *Euſt. l. Ethic. cor.*

Vſus, & vtenſile differunt, nam vſus eſt ſecundum quem aliquibus rebus vti ſolemus: vtenſile eſt, quo ſecundum ipſum vſum vtimur, artes quidem & omnes habitus non ſunt vtenſiles, ſed tales, vt his poſſimus vti. *idem 4. Ethic. c. 1.*

Vſus omnis ſit per tactum: nam vſum vocamus, prout vti eſt cum gaudio frui, & delectatione. *idem 3. Eth. tract. 3. c. 4.*

Vſus omnis ad alterum refertur, non ad ſeipſum. *idem Eth. 4. tract. 1. c. 2.*

Vtens & quo vtitur, oportet differre. *Ar. de iuuent. & ſenec. vita & morte, c. 2.*

Similitvdines.

P. M. Nihil proiectius excrementis animantium, & tamen ſtercorandis agris præcipuum habet vſum: ita nulla res eſt tam nihili, quæ non aliqua proſit, ſi noris vti. *in Similibus.*

Sicut ſcorpius ſe poſt ictum admouetur vulneri venenum ad ſe retrahit. Ita nihil eſt tam noxium, quin ſecum adferat remedium ſui mali, ſi quis modo vti nouerit. *in Simil.*

Adagia.

Viam qui neſcit ad mare.

Plautus in Pœnul. Id eſt. Qui rem commode conficere nequit, is, qua alia ratione conficiat neceſſe eſt.

Vt poſſumus, quando vt volumus non licet. Ζῶμεν γὰρ οὐχ ὡς θέλομεν ἀλλ᾽ ὡς δυνάμεθα.

Quo monemur tempori ac neceſſitati ſeruiendum eſſe. Es gehet wies mag, nicht wie man will, item, Man muß alſo vor gut nemen, biß es beſſer wird.

Quando id fieri non poteſt.

Oportet id quod adeſt boni conſulere. Et Martial. Quod ſis eſſe velis. Wan es nicht beſſer ſeyn mag.

Boni ſunt offæ poſt panem. Ἀγαθαὶ καὶ μᾶζαι μετ᾽ ἄρτον.

De vs diei ſolere ait Zenodotus qui penuria meliorum amplectitur deteriora. Quo licebit vti quum indicabimus eam vſu, non opinione æſtimandam.

Si non adſint carnes, taricho contentos eſſe oportet. [illegible] τοῦ ταρίχου.

Probanda ſalſamenta egenti carnium. Senſus hic eſt vbi non eſt copia meliorum, boni conſulere oportet quæcunque contingunt.

Aulœdus ſit, qui citharœdus eſſe non poſſit.

Recte dicitur in eos qui malunt in multo inferiore ordine aliculus haberi momenti, quam inter excellentes negligi: nec male quadrabit in eos, qui deſperatione meliorum ad humiliora ſeſe conferunt.

Si bouem non poſſis, aſinum agas. Εἰ μὴ δύναιο βοῦν ἐλαύνειν [illegible]

Id eſt: Si non potes vt vis, vtcunque potes facito ſi fortuna ſplendidior non contingit, eam ſortem quæ contingit, boni conſulas. Wer nicht Kalck hat, Der muß mit Leymen mauren, item, Man muß mit pferden pfluegen, Die man hat. Man muß mit Eulen beitzen, wo nit Habich vorhanden ſein.

Altera nauigatio, δεύτερος πλοῦς.

Conuenit, vbi quoties quæ potiſſima forent, non contingunt, ad proxima confugitur auxilia.

Præſentem fortunam boni conſule. τὸ παρὸν εὖ ποιεῖν [illegible]

Admonet adagium ne nos maceremus alienarum rerum cupiditate, ſed quæcunque contigit ſors, eam velut optimam amplectamur. Man muß nemen wie es kompt. Du muſt der zeit vnd des gluecks erwarten.

Præſentem mulge, quid fugientem inſequeris? τὴν παροῦσαν ἄμελγε [illegible]

Præſentium rerum non omittendum ſpe commodorum. Germani dicunt. Nimb an was dir werden mag, vnd laß das ander fahren.

Quod adeſt boni conſule.

Oportet boni conſulere quicquid a fortuna conceditur. Eſſet was jhr findet, vnd denckt was jhr woellet, item, Nemet fuer gut, ein ander mal wirdt es beſſer.

Quæ dantur. τὰ μὲν διδόμενα.

Admonet adagium, quod a fortuna datur, id boni conſulendum eſſe, & ferendum æquo animo quod mutari non queat.

Quod datur.

Nonius Marcell. citat hunc verſiculum è Cæcilio Plotio:

Patiere quod dant, quando optima non dantur.

Dantur antique dictum eſt, pro dant, conuenit cum præcedente τὰ μὲν διδόμενα.

Fabvla.

De Satyro & igne.

Allata igne in terras, quem Heſiodus ſcribit Prometheum Ioui furto ſubtractum apportaſſe mortalibus: tum igitur Satyrū delectatum ſplendore & claritate flammæ voluiſſe aiunt amplecti ignem & oſculari: Sed Promethea monuiſſe, futurum hoc cum detrimento barbæ ipſius: Adurer enim hanc, inquit, & cum cruciatu exulcerabit mentum. Ibi ferunt Satyrum reprehendiſſe factum Promethei, qui malum ſplendidum mortalibus attuliſſet. Prometheum vero docuiſſe malum non eſſe. Nam vrere quidē ignem, ſed lucem etiam atque calorem ſuppeditare, cum ad vitæ iucunditatem, tum omnium artium vſum & opificia, ſi quis illo vti recte ſciat.

Fabula docet, exquirendum vſum verum in rebus omnibus, ne peruerſa vſurpatione damna nobis accerſamus.

VTILITAS.

Definitio et Etymolog.

Vtilitas, Græce [illegible], & ὠφέλεια, vtile & [illegible] vtilis dicitur dupliciter, ſcilicet ſicut via ad finem, vt meritum ad beatitudinem, & ſicut pars ad totum, vt miniſteria angelorum ad beatitudinem eorum. *ex S. Tho. 1. par. q. 62. art. 9.*

Vtilitas, vtilis & vtiliter, ab vtor ducuntur.

Vilitas, Græce εὐτέλεια, [illegible] & εὐτελής, [illegible] vilis dicitur. Vile autem proprie dicitur quod parum valet, cuius contrarium eſt carum. Venit autem vilis a villa, vt quidam volunt, vna litera abiecta, quoniam omnia in villa viliora ſunt, & minori precio venduntur, quam in vrbe. Hinc vile pro abundanti ponitur, quia quicquid nimis abundat, vile eſt, hoc eſt, paruo venditur precio. Virgil.

Vilemque phaſelum.

Sententiae Biblicae.

Communem vtilitatem apud te vniuerſæ multitudinis conſidera. *Macca. 2. c. 4.*

Sententiae Patrvm.

Vtilior eſt in conflictu lorica ferrea, quam ſtola linea licet hæc ſit oneri, illa honori. *Bern. in quodam ſerm.*

Hæc dicta ſunt de ſermone, de ſcientia, de pecunia, de omni diſpenſatione quæ vnicuique commiſſa eſt. Vnumquemque enim ad communem vtilitatem vti oportet his quæ habet, ſiue ſapientia, ſiue principatu, ſiue diuitijs, non ad nocumentum conſeruorum. *Chryſ. ſuper illud Matth. 25. Beat.*

Commodum enim debet eſſe cum modo tantum: ſi menſuram æqualitatis exceſſerit, vim ſui nominis non habebit. *Caſſ. lib. 2. Ep.*

Dicta Poetarvm.

Periand. per Auſo.

Nunquam diſcedas vtile a decoro.

Ter. Hec. 5. 3.

Multa ex quo fuerint commoda eius incommoda æquum eſt ferre.

Ouid. 2 Pont. 3.

Turpe quidem dictu, ſed ſi modo vera fatemur,
Vulgus amicitias vtilitate probat.
Cura quid expediat prior eſt, quam quid ſit honeſtum.

Et

Et cum fortuna statque, caditque fides.
Nec facile inuenies multis in millibus vnum,
Virtutem precium qui putet esse sui.
Ipse decor recti, facti si præmia desint,
Non mouet, & gratis pænitet esse probum.
Nil nisi quod prodest carum est, en detrahe menti
Spem fructus auida, nemo petendus erit.
At reditus iam quisque suos amat, & sibi quid sit
Vtile sollicitis computat articulis.
Illud amicitiæ quondam venerabile nomen
Prostat, & in quæstu pro meretrice sedet.

PHILOSOPH. SENTENTIÆ.

Vtilitas est præsertim bonorum conseruatio aut absentium comparatio, aut malorum instantium propulsio, aut futurorum incommodorum inhibitio, & hoc diuiditur in corpus, animam & res externas. *Arist. rhet. ad Alex.*

Vtilitatem vbique quærere non congruit magnanimo, & ingenuo homini. *Idem polit. 8 c. 3.*

Vtilitas libris posteriorum prima est vtilitas scientiæ logices. ex noticia enim veritatis vniuersaliter, *Auer. 1. poster.*

Vtilitas introductionis Porphyrij quatuor reb. deprehenditur; facilem prædicamentorum cognitionem tradit, & integram definitionem, & perfectionem rectam diuisionis, & conclusionem verissimam demonstrationum. *Boet. in Porphyr. ex dialect.*

Vtilitas semper consideratur ratione illius, quod est vtile, necessitas autem per se. *Ibid.*

Vtilitas est circa futurum tempus. *Plat. in Theæt.*

Vtilitas in continua rei possessione consistit. *Leo Heb. de amo. dialect.*

Omnes expetimus vtilitatem, ad eamque rapimur, nec facere aliter vllo modo possumus. nam quis est qui vtilia fugiat? aut quis potius qui ea non studiose persequatur? *Cic. 3. Offic.*

Nemo est qui non putet expetendam esse maxime dignitatem, sed vincit plerumque vtilitas. *Idem 2. Orat.*

Cum vtilitas ad se rapere, honestas contra reuocare ad se videtur, fit vt distrahatur deliberando animus, afferatq; anceptem cogitandi curam.

Nostræ vtilitates nobis omittendæ non sunt eum ijs ipsi egeamus, sed quæ cuique vtilitati, quod sine alterius iniuria fieri possit seruiendum est. *Idem 2. Offic.*

Res honestæ & vtiles semper apud homines potius quam nusquã opportune dici possunt. *Dion Halic. lib. 1 5.*

Præcipua vtilitas est, non inutile agere. *Thucyd. lib. 1.*

Vtile iudicamus, commune bonum tueri, & cum his qui periclitãtur ex æquo bono agere. *Idem lib. 3.*

In bellis sola spectari solet vtilitas. *Appian. lib. de bel. Pun.*

Communis vtilitas societatis maximum est vinculum. *Liu. dec. 4. lib. 6.*

Facile omnes appetunt quæ pro cunctorum vtilitate tentantur. *Iornand. de reb. Getic.*

APOPHTHEGMATA.

Antisthenes. Hostes semper obseruandos esse dicebat, ideo quod hi primi omnium sentiant, si quid deliquas. Igitur plurimum vtilitatis a hit capere possumus, cum errores nostros castigari cognoscimus, vt cognita corrigamus deinceps. *Laer. lib. 6. c. 1.*

Anacharsis, Forum esse locum mutuis hominum fraudibus ac rapinis destinatum, notans mores vendentium, per fas nefasque lucra venantium. *Laer. lib. 1. c. 9.*

Lysander. Cum egregius simulandi artifex euasisset, at pleraque quæ crudeliter & auare gerebat, callidis fucis ornaret, iustum non aliare quam vtilitate, & honestum commodo metiens, fatebatur quidem, veritatem mendacio præstantiorem esse, sed vtriusque dignitatem ac pretium vtilitate æstimãdum. Inuerit vir improbus philosophorum dogma, qui quod honestum est, idem volunt vtile esse: hic quicquid esset vtile, idem ducebat honestum. *Plut.*

Cato Vticensis, Cum Romam venisset, reuocatus est ab exercitu, nõ quidem vt ipsi gratificarentur, sed quod per illum cito Carthaginem se capturos crederent. *Plut. in Rom. apoph.*

SIMILITVDO.

Seneca. Quemadmodum incommodorum onere vsque ad miserũ non deprimitur: Sic commodorum inopia non deducitur a beatissimo. *Lib. 2. epist. 93.*

HIEROGLYPHICA.

Aiunt, qui sacerdotum Aegyptiorum commenta curiosius sectantur, *Tritonem* ideo *biformem* pingi solitum, superiori quidẽ parte hominem, inferiori vero piscem, vt ex humore nos vtilitatem & damnum consequi moneremur: cum illi ex humana natura bonum ex pisce, non nisi perniciem interpretarentur. *Pier. Valer. l. 31.*

EMBLEMA.

Ex damno alterius, alterius vtilitas.
Emblema. CXXV. And. Alciat.

Dum sues ruerent in mutua vulnera telis,
Vngue leæna ferox dente timendus aper:
Accurrit vultur spectatum & prandia captat.
Gloria victoris, præda futura sua est.

VVLGVS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Vulgus, Græce ἐκκλησία, ὄχλος, & ὁ λαὸς, vulgaris dicitur, Hebr. *Hamon*, a verbo *Haman*, copiosus fuit, in copia magna fuit. Cognationem habet cum *Hamah*, tumultuatus est: itẽ cum *Hamam* & *Hem*, turbauit eum tumultuatione, impetu quodam cõsternauit, tumultum magnum concitauit.

Est autem vulgus & masculino & neutro genere, proprie ignobilior multitudo. Virg. *Sæuitq; animis ignobile vulgus.* Dicitur que (vt quidam volunt) a voluendo, quod stulte huc atque illuc voluatur. Hinc vulgaris dicitur, hoc est, vilis ac communis. Hinc vulgo, diuulgo, hoc est emitto, ac vile & quasi commune omnibus facio, Hinc etiam promulgo, quasi prouulgo. Vnde lex promulgari dicitur, cum primum in vulgus educitur.

LOCI BIBLICI.

Vulgus facile commouetur, *Matth. 27. 24. Actor. 6. 12. & 14. 19.* vulgi opinio de Christo, *Matth. 16. 13. Marc. 7. 21. Luc. 9. versic. 7. 19. Ioan. 7 21.*

SENTENTIÆ POETARVM.

Iuuen. 1 2.

Sed quid
Turba Remi? sequitur fortunam, semper, & odit
Damnatos, idem populus si Nortia Tusco
Fauisset, si oppressa foret secura senectus
Principis, hac ipsa Seianum diceret hora
Augustum,

Sen. Her. fur. act. 1.

Inuidia fallum, ac ferme populi tris primos
Tradere aurei fasces populus
Gaudet, eosdem colit, atque odit.

Sen. Oct. Act. 4.

O funestus multis populi
Dirusque fauor, qui cum flatu
Vela secundo ratem impleuit
Vexitque procul, languidus idem
Deserit alto, sæuoque mari.

Sen. Her. fur. act. 1.

Illum populi fauor attonitum,
Fluctuque magis mobile vulgus,
Aura tumidum voluit inani.

Hor. 1. epist. 19.

Non ego ventosæ plebis suffragia venor
Impensis cœnarum & tritæ munere vestis,

Ouid. Met. 5.

Tum vero indomitas ardescit vulgus in iras
Telaque concitunt.

Virg. 1. Aen.

Sæuitque animis ignobile vulgus.
Iamque faces & saxa volant furor arma ministrat.

Ouid.

Vulgus amicitias vtilitate probat

Populus consentiens regnum dat & aufert.

Quicunque multis vir viris vnus præest,
Hoc debet his quibus præest.
Præesse debet neutiquam diutius
Hi quam volent, quibus præest
Quid impotentes principes superbiunt
Quod imperant precario?

Ouid. lib. 1. Trist. eleg. 8.

Vtque comes radios per solis euntibus vmbra est,
Cum latet hic pressus nubibus illa fugit:
Mobile sic sequitur fortunæ lumina vulgus,
Quæ simul inducta nube teguntur, abit.

SENTENTIÆ PHILOSOPHICÆ.

Vulgi ingenium, sequentia dicta detegunt.

Omni populo inest malignum quiddam & querulum in imperantes. *Plut. in Polit.*

Multitudo vulgi, more magis quam iudicio, post alium alius quasi prudentiorem sequitur. *Sallust. ad Cæs.*

Vulgus ingenio mobili, seditiosum, atque discordiosum, cupidum rerum nouarum, quieti & otio aduersum. *Idem in Iugurth.*

In circulis omnibus atque etiam in conuiuijs, sunt qui exercitum ducunt, vbi castra locanda sint sciunt, quæ loca præsidijs occupanda, quando cum hoste manus conserenda, quando quiescendum sit. *Liuius lib. 44.*

Vulgus est mutabile subitis, & tam pronum in misericordiam, quā immodicum sæuitia fuerat. *Tacit. hist. lib. 1.* Plebi non iudicium, non veritas. *Ibid.* Aegris oculis alicoam felicitatem intuetur. *Idem, li. 2. hist.* Municipale vulgus pronum ad suspiciones. *Eod. lib.* Quoquo modo audita pro compertis habet. *Idem annal. lib. 3.*

Manifestum est principum disciplinam capere etiam vulgus. *Plin. in panegyr.*

Sententiæ Philosophicæ.

In conuentibus cum de rebus agitur, quo quisque est sapientior, eo minus authoritatis habet, maioreque inuidia laborat: contra illos extollitis, quorum pro concione maxime se iactat improbitas, & populatores esse ducitis ebrios quam sobrios, amentes, quam recte sentientes, peculatores, quam eos qui suis opib. rempubl. locupletant, ac vestris tam vtilitatibus, tum voluptatibus inseruiunt. Quare mirum est, quemquam esse, qui speret, dū hi consultores adhibentur, melius actum iri cum repub. Ego vero, quam arduum sit aduersari vestris cupiditatibus, non ignoro, & quanquam hic popularis est respublica, video tamen nemini licere quod sentit libere loqui, nisi stolidissimis vestrique contemptoribus in concione, poetis comicis in Theatro, *Isocr. in orat. de pace.*

Nihil imitari solet vulgus libentius, quam quod a viris principib. conspexerint factitari.

Quid iam impium est, quod mortalium vulgus non admittat ampli principatus gratia.

Quod decet plebeium, non semper decet principem.

Quæ recta sunt, semper paucissimis placent.

Vulgus hominum cupiditatibus agitur non ratione.

Apud Græcos cum certarent artifices, de his iudicabant artis expertes.

Vni sapientium nihil placet omnium, quæ vulgus vel facit vel dicit.

Vulgus hominum ea tantum approbat quibus assueuit, ab exoticis abhorret, non quia per se mala sint, sed quia peregrina.

Vulgo ingens probrum est, paupertas: magna gloria, diuitijs per fas nefasque partis abundare.

Cleon Atheniensis suos populares increpans quod contentionibus Reipublicæ perniciosissimis Oratorum inter se certantium nimium delectarentur, vulgi ingenium graphice depingens inter cætera. Quispiam (inquit) eloquentia confisus contendet manifestam veritatem obruere, aut lucro motus fucata oratione vos seducere volet. Dat enim hęc ciuitas multis pręmia ex talib. certaminibus, ipsa interea in discrimen adducitur, cuius rei culpa est penes vos (*Athenienses, qui comitijs intererant, alloquitur*) qui talia certamina proponitis, & conuenitis, vt sitis verborum spectatores & alienorum operum auditores, & conijcitis tales futura esse euentus, vt quisquam facundissime dixerit: nec tam ex factis id quod occurrit certius esse ducitis quam quæ auditis, & facillime sinitis vos decipi nouitate orationis, nec decreta facile exequimini, ac semper serui estis absurdarum opinionum, & fastiditis vsitata, ac singuli volunt excellere dicendo, aut ne videantur inferiores ingenio certant cum oratoribus. Acute dicta laudatis & videri vultis ipsi quoque eas cogitationes præuidisse, cum tardi sitis ad ea perspiciēda quæ rei, sa profunt: semperque alia quæritis, vt sic dicam, quam quæ vitæ nostræ accommodata sunt, cum ne præsentia quidem consideretis aurium voluptate impediti, ac sedentis, non vt consilium daturi patriæ, sed vt ociosi spectatores eloquentiæ. *Thucyd. lib. 3.*

Talis est quælibet plebs ac turba, vt facile fallatur, & ad quiduis inducatur. Vnde illi frequēter idē quod mari accidit. Quēadmodū enim mare natura sua innoxiū est recte vtentibus, & tutū: si vero violenti flatus in illud irruerint, tale redditur vtentibus, quales sunt venti, a quibus circūquaque impellitur: itá & vulgus tale redditur quales habet duces & consiliarios. *Polyb. histor. lib. 11*

Multitudo sibi inseruiri cupit, *Plut. in Dione.*

Plebs ocio lasciuit. *Liuius, Decad. 3. l. 2.*

Vt sunt mutabiles vulgi animi, ex fauore non inuidia modo, sed suspicio etiam cum atroci crimine magnis viris oritur. *Idem, ibid.*

Natura hoc ita comparatum est, vt qui apud multitudinem sua causa loquitur, gratior eo sit, cuius mens nihil præter publicum commodum videt. *Idem, Decad. 1. lib. 3.*

Multitudo ex incerto sinistro sumit animos. *Dec. 1. lib. 6.*

Defensores suos in præcipitem semper locum fauore tollit, deinde in ipso discrimine periculi destituit. *Idem, eod. lib.*

Multitudo omnis, sicut natura maris, per se immobilis est; vt uenti & auræ ciēt, aut tranquilli, aut procellosi. *Id. Decad. 3. lib. 8.*

Hæc natura multitudinis est, aut seruit humiliter, aut superbe dominatur, libertatem quæ media est, nec spernere modice, nec habere sciunt, & non ferre, desunt iratum indulgentes ministri, qui auidos atque intemperantes plebeiorum animos ad sanguinem & cædes irritent. *Idem Decad. 3. lib. 4.*

Nihil tam incertum, nec tam inæstimabile est, quam animi multitudinis. *Id. Decad. 4. lib. 1.*

Nihil in vulgo modicum: terret, ni paueat: vbi pertimueris, impune contemnitur. *Tacitus, Annal. lib. 1.*

Vulgus, duro imperio habitum: principi calamitate euerso probra ac verbera intentat. *Idem, lib. 12.*

Vulgus est voluptatum cupiens, & si eo princeps trahit lætum. *lib. 14.*

Vulgus est ad deteriora promptum. *lib. 15.*

Facilis est ciuitas ad accipienda, credendaque omnia noua, cum tristia sunt. *Idem hist. lib. 2.*

Publica expectatio est magni secreti impatiens. *Eod. lib.*

Vulgus, vt mos est, cuiusque motus noui cupidum. *Eodem libro.*

Mos vulgi est, imperatores forma ac decore corporis comparare. *Eod. lib.*

Vulgus ignauum est, & nihil vltra verba audet. *lib. 5.*

Est vulgus sine rectore præceps, pauidus, socors, arma temere rapiens, ac statim omittens. *lib. 4.*

Vulgo alimenta in dies mercari solito, vna annonæ cura. *Idem eod. lib.*

Est multitudo leui sententia, & facile huc atque illuc impellitur. *Zonar. Annal. tom. 1.*

In Republica bene constituta plebi non concedenda est quiduis temere & impudenter audendi licentia. *Zonar. in Theodosio.*

In Republica bene constituta plebi non concedenda est quiduis temere & impudenter audendi licentia. *Idem in Grat. tom. 3.*

Vulgus, per se, nouis rebus non studebit. *Idem in Basilio tom. 3.*

Iam pridem sat calleo, Vulgus rem esse inconsultissimam, nec præsentem ferre fortunam scire, nec alias de futuris consulere, sed rebus vel difficillimis perquam leniter & eoixe incumbere, ac præcipitanter suam in perniciem ire duntaxat nosse. *Procop. de bello Goth. lib. 2.*

Id omni multitudini natura insitum est, vt rerum nouitate & immutatione lætetur. *Agath. lib. 3.*

Vulgus de religione rixatur, ignarum quid sit hæresis. *G. Pachym. hist. lib. 5.*

Quo victoris, eodem quoque popularium fauor inclinat, *Ion. Pont. hist. lib. 4.*

Verenda est hominum inconstantia, præsertim in magna annonæ difficultate. *Idem, eod. lib.*

Parum est præsidij positum in promiscua multitudine, nisi contineatur aliqua necessitate & imperio: tametsi tempus incidat, quum ipsorum furor & repentinus impetus valde est extimescendus, *Ph. Commens, lib 3.*

Ad portenta accipienda imperitum vulgus blandiente mendacio inclinat. *P. Aemyl. lib. 1.*

Vt ab iudice rudi & imperito recta iudicia expectari nequeunt, sic a multitudine confusa & imperita, consilium sententiaue, prudētia & ratione munita, nisi forte casu, sperari nullo modo potest. *Fr. Guicciardin. hist. lib. 2.*

Populus, vbi minus est opus, sæpenumero profusus apparet: vbi autem res ipsa largitatem poscit, vsque adeo tenax, vt dum minimis parcere vult, maximos sumptus grauissimaque pericula incurrat. *Ibid.*

Est vulgi natura, ad plus quam par sit sperandum, minusque quam necesse sit patiendum propensa, rerum vero præsentium semper pertæsa. *Eod. lib.*

Populi, leui spe & vanis consilijs nixi, cum periculum procul est, feroces sunt, sed mox periculo imminente animo fracti, nullā moderationem retinent. *Idem lib. 7.*

Variæ sunt hominum, præsertim multitudinis, cui magis speciosa quam matura consilia placere solent, quæque sæpius eos qui res minime prudenter metiuntur, magnanimos existimat, cupiditates & censuræ. *Idem lib. 16.*

Plebs suapte natura leui per rerum nouarum cupida, cum facile vanis erroribus & falsis persuasionibus repleatur, ad concitantis arbitrium, vt maris fluctus a ventis impellitur. *Idem lib. 17.*

Sunt ad quæque rerum initia ardentissimi plebis animi. *P. Iouius. hist. lib. 11.*

Apophthegmata.

Stilpo, Cratetl percontanti, num dij orationibus & precibus delectarentur? Istuc, inquit, o stulte, ne perconteris in via, sed solum interrogato. Subindicans, aut nullos esse Deos, aut eos non sollicitari de rebus humanis: Sed non expediret tales voces apud multitudinem efferri, cui necessarium est Deorum metu contineri. Huic simillimum est quod tribuitur Dioni, qui eam quæstionem proponenti, versu Homerico ni fallor, respondit:

Οὐκ ἄπ' ἐμοῦ σκέδασεις ὄχλον ταλαπείριε πρέσβυ,
Non abiges miserande senex turbam procul à me.

Laert. l. 2. c. 12.

Anacharsis mirabatur, qui conueniret, vt artifices apud Græcos certarent, sed de his iudicarent artis expertes. Sentiens, de artifice

fice oeminem recte iudicare, nisi artificem. In theatro certabāt histriones, mimi, cantores & sophistæ, recitabant Poetæ: quorū artes cū populus nesciret, tamen alijs applaudebat. *Idem, l. 1. c. 9.*

Antisthenes, Omnia mala pro peregrinis habenda esse putauit. Sed vulgus hominum ea tantum probat, quibus assueuit: ab exoticis abhorret, non quidem hanc ob causam, quod per se mala sint, sed quia peregrina. *P. M. lib. 7. apoph. ex Diogene Laer. lib. 6.*

Idem, Quodam die theatrum ingressus, ipse aduersus populum nitens ingrediebatur. Interrogatus autem, quam ob rem id faceret: Hoc, inquit, in omni vita facere studeo. Sentiens, hoc lapientis esse viri in omnibus actionibus a multitudine dissidere: propterea quod vulgus hominum cupiditatibus agitur, non ratione. *Laer. l. 6.*

Chrysippus, cuidam reprehendenti, quod non apud Aristenem cum pluribus daret operam philosophiæ: Nonnunquam, inquit, philosopharet, si cum pluribus auscultarem. Dictum lepidius est apud Græcos, quod πολλοὶ interdum sonat multi, interdum vulgus hominum. Sensit, non statim esse optima, quæ placent compluribus. *Laer. lib. 7. c. 2.*

Demades, cum esset quæstor, populo Atheniensi persuaso vt ijs qui ab Alexandro desciuerant triremes auxiliares mitterent, iubentique vt illico pecunias depromeret: Paratæ sunt inquit, pecuniæ, o viri Athenienses, quas in congios deposueram, vt singuli minæ dimidium acciperetis: Verum si has mauultis in hunc vsū erogari, per me quidem, vt vobis quidem lubet, vtamini licet. Hoc sermone fregit impetum populi, nolentis illa distributione spoliari. Sic interdum, vt indomitæ belluæ, arte ad meliora consilia vocandus est populus. *P. M. l. 6. Apoph.*

Alcibiades habebat canem quendam insigni pulchritudine, emptū drachmarum septem millibus: huic amputauit caudam ac per vrbem obambulare passus est. Demirantibus cur id faceret, vt hoc, inquit, de me loquantur Athenienses, quando alterius rei sint curiosi. Notat ingenium populi, qui de claris viris libenter loquitur male. Illi morbo suppeditauit materiam leuiorem. *Plut. in Græc. apoph.*

Phocion, populum Atheniensem in concione quum liberius reprehenderet, eique Demades diceret: Laniabit te Phocion plebs, si paululum insanierit: Quin, inquit ille, te potius, si paululum resipuerit. *Brus. l. 7. c. 17. ex Plut.*

Idem, Quum Atheniensibus proditum esset oraculum, in ea ciuitate vnum esse virum qui cunctorum sententijs aduersaretur, ac populus vociferans iuberet illum inquiri, vt occideret: Phocion in medium progressus, ego, inquiens, sum ille, quem designasset oraculum; Mihi enim ea omnia displicent, quæ vulgus ait & dicit. Quo dicto ostendere voluit, inconditam multitudinem, quoniam affectibus agitur, nihil sani nec agere nec loqui. *Plut. in apoph.*

Idem, Orationem habens apud Atheniensem populum, placebat omnibus, cumque videret ab omnibus pariter sermonem approbari, conuersus ad amicum: Quid (inquit) num mali quippiam dixi imprudens? Adeo persuasum habebat, nihil placere vulgo, quod a recto iudicio proficisceretur. *Plut. in apoph.*

Themistocles, cum Athenienses contumelia afficerent, in quos multa contulerat beneficia, aiebat se similem esse platanis, sub quarum vmbra accurrunt homines afflicti tempestate, & easdem simul vt abiit tempestas vellunt. Sensit vir prudentissimus vulgi mores esse, vt belli periculis, implorent opem fortium virorum, in pace vero contemnant. *Plut. in Græc. apoph.*

Hippomachus, Quum discipulus suus aberraret arte inter fistulandū, & nihilominus plausum auditorum assequeretur, percussit eum baculo, dicens: Perperam fistula cecinisti, nam alioquin hi non applauderent. *Ael. l. 4. de var. hist.*

Polycletus, Eodem tempore duo simulachra fecit: alterum quidem ad vulgi arbitrium, alterum iuxta artis normā. Gratificaturus autem plebi, ad singulorum accessum transposuit, & commutauit aliquid, morem gerens vniuscuiusque voluntati. Mox proposuit vtrumque, & alterum omnes admirationi, alterum ludibrio ac risui habuerunt. Respondens igitur Polycletus: At hoc, inquit, quod vituperatis reprehenditis, a vestra arte profectum est: quod vero suspicitis, ego mea facultate sum fabricatus. *Ael. l. 6. de var. hist.*

Appius Claudius, Quum in censura haberet competitorem Scipionem, Paoli Aemilij filium popularis auræ studentem, magna voce, O Paule, inquit, Aemili, noone etiam apud inferos indignaris, quod filium tuum Mallius tonsor & Licinius declamator ad censuram producunt? *Plut.*

M. Cato, Populum Romanum gregi pecudum conferre solebat: quæ singulæ nemini obtemperant, vniuersæ autem gregis ducem sequuntur. Sic & vos inquit, quos nemo vestrum priuatim consilium adhibere vellet, ab his hic congregati, vos agi ducique finitis: Notans populum quod deterrimis committeret magistratus. *P. M. l. 5. apoph.*

Polycarpus, cum fidei suæ rationem Herodi proconsuli reddere paratus esset, dieque postularet, quo cum proconsule agere posset, Proconsul voluit, vt coram populo se excusaret. Cui Polycarpus, Non faciam, inquit, cum principibus & potestatibus honos debeatur, modo Deo non sit contrarius: populo autem furenti satisfacere nemo possit. *Eus. l. lib. 4. Eccles. hist. c. 15.*

S I M I L I T V D I N E S.

Nazianzeni. Solet populus, etiam si ad Præfens iram cohibeat, tanquam ignis in ligno delitescens, seu fluuius vt coercitus, vbi tēpus est oblatum, re accendere & erumpere. *Contra Iulia.*

D. Basilij. Quemadmodum nebulæ iuxta mutationes flatuum nunc huc nunc illuc feruntur: Sic vulgus quouis vento nunc in hanc nunc in illam partem sese flectit. *Apud Anton. p. 1. serm. 18.*

Philonis. Quemadmodum cnqui omnia esculenta ad suauitatem oris comparant, vtilia negligunt: Sic ignobile vulgus securum de commodis, præsentem tantum voluptatem venatur. *l. de Ioseph.*

Sicuti coquus nihil aliud curat, quam inutiles ac superuacaneas ventris voluptates: Eodem modo vulgus ignobile totum sese oblectamentis aurium tradit, per quæ mentis intentio relaxatur, & eneruatur anima. *lib. de Ioseph.*

Polybij. Quemadmodum mare natura sua placabile est recte ventibus ac firmum, cum vero venti violentiores irruerunt, tale redditur vtcunbus, quales sunt venti, a quibus agitatur. Ita etiam ignobile vulgus eum per se placabile sit, facile tamen commouetur a quouis vento, ac talis fit multitudo ventibus, quales cō siliatos habet. *Lib. 11. hi 7.*

Demosthenis. Populus sane turba est, & res omnium instabilissima ac inipudentissima, vt in mari fluctus flexibilis & inquietus, qui vt contingit agitatur: alius venit, alius recedit, ac nemo reipublicæ curam gerit, imo ne meminit quidem. *In orat. de falsa lega.*

Stobæi. Ariston Chius vulgus hominum Laerti comparabat, qui cū reliqua suti diligenter omnia curaret, ipsum negligebat: Sic & illos studiosissimos quidem esse circa possessiones, animum autem feris obrutum affectibus, non excolere aiebat. *Serm. 2. de imprudente.*

Vt vulgus temere quippiam postulans ex rebus nis, non mouet te: Sic quauis in te plebem iniuste aliquid orantem ne reuerearis. *Serm. 44.*

Plutarchi. Inter agathallos & acanthylides tantum est odium, vt si sanguis eorum vt misceatur, continuo separent se rursus, ac dissiliant: Sic inter patricios & plebem, etiamsi quando pro rerū vsu coniunguntur, durat tamen vsque odium naturale. *In Moral.*

Qui captat aues, earum voces imitatur, vt alliciat in laqueos: Sic, vt multitudinem in tuam adducas sententiam, illius ingenio obsecundes & obsecruias oportet. *In Moral.*

Quemadmodum ij qui ruri laborant, ingruente pluuia & tempestate ad platanos currunt, vt earum vmbra tegantur, easdem autem simul vt redit serenitas, euellunt, & deinde ferentes in ignem proijciunt: Sic ignobile quoque vulgus in bellicis periculis fortium virorum implorat opem & auxilium, in pace autem & tranquillitate eosdem contemnit, & nihil æstimat. *In Græcor. Imperat. apoph.*

Senecæ. Vt qui in ludo versantur gladiatorio, cum ijsdem viuunt ac pugnant: Ita vulgus hominum inter sese dimicat, & alius alium spoliat, vel amicissimum. *Apud P. M.*

Nihil magis præstantissimum est, quam ne pecorum ritu sequamur antecedentium gregem, pergentes non quo eundū est, sed quo itur. *Apud P. M.*

P. M. Quemadmodum oues singulæ nemini obtemperant, vniuersæ autem gregis ducem sequuntur: Sic in vrbe populus a priuatis castigari non vult, a magistratu autem agitur & ducitur. *Lib. 5. apoph.*

Vt maiore cum voluptate cantionem audimus notam, quam ignotam, etiam si melior sit: Ita ijs literis impensius vulgus delectatur, quas didicit. *In Simil.*

Vt imperiti tempestatem non sentiunt, nisi sero, suoque malo, contra prudentes agricolæ prospiciunt, cauentque. Ita vulgus hominū improuidum suo malo discit, cum interim vt sapiens procul præuisum malum vitet, vt Democritus metente fratre ardentissimo æstu, monuit, vt reliquæ segeti parceret, raperetque desecta sub tectum: paucis mox horis sæuo imbre vaticinatione approbata. *In Simil.*

Sicut arbores aliquot, quæ post solstitium inuertunt sua folia, vt vlmus, tilia, olea, populus alba, salix: Ita vulgus procerum, simulatque princeps vitæ genus diuersum commutarit, vertunt & ipsi vultum, cultum, orationem & omnia. *In Simil.*

Thriueri. Quemadmodum sensus respectu rationis brutus est: Ita æstimatione sapientium, vulgus. Proinde qui vult sapere, debet quam longissime ab opinione vulgi discedere. *In apoph. 72.*

F A B V L A.

Asinus Vulgi.

Senex pater comitatus filio adolescentulo, asinum agebat ad mercatum

catum, venditurus illum, si posset. Hos conspicati in agro, mercenarij: O homines stultos? inquiunt, qui vacuum asinum præ se agant potius, quam vt alter ipsorum vehatur, cum hic ætate senecta, hic puerili sit imbecillior. Senex verum illos dicere sentiens, filium suum in asinum imponit, neque multum viæ progressi, habent obuios notos sibi homines, qui beneuolentia, vt videbatur, erga senem moti, reprehendere, quod ipse potius decursu ætatis & annis grauis defatigaretur, quam ad laborem adolescentulum filium assuefaceret. Quos & ipsos recte monere arbitratus, mutato consilio, ipse asinum conscendit, & adolescentulum filium suum præire iubet. Non multum itineris confecerant, cum audit & hoc culpantes quosdam, quod tenellos pedes pueri exerceret itinere, ipse suis callosis parceret. Ergo assidere post se filium iubet. Cum autem incidissent in quosdā viatores, salutato illo sene, & de quibusdam alijs locuti, mox ipsius ne esset asellus, an veteretur conducto, interrogāt? Hic enim vero suum esse dicebat, & se agere ad mercatum. Bene scilicet, inquiunt illi, venditurus exanimatum tanto pondere vtriusque vestrum. Senex dicere & hos aliquid existimans pedibus alligatis asini suspensum de pertica ipse & filius portare. Ibi vero hoc videntium maxima reprehensio & vituperatio cœpit: alijs vt delirum ridentibus senem, alijs vt captum mente miserantibus. Tum ille tandem perturbatus simul animo, simul indignatione percitus, vt prope fluuium forte astiterat asinum in aquas præcipitem dedit. Ita dum sermonibus hominum innititur: asinum miser perdidit.

Docet fabula, non oportere sapientes, hoc agere, suas actiones vt vulgo probent, sed in consiliorum honestate illius belluæ multorum capitum orationes contemnere.

V V L N V S.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

VVlnus, plaga, est propriè hians patensque apertum corporis ictu aliquo inflicta: Gr. τραῦμα Hebr. *Machchas*, a verbo *machah*, Sauciauit, vulnerauit, & *Pes, ah*, a verbo *Patsah*, vulnus inflixit, lacerauit vsque ad effusionem sanguinis.

SENTENTIAE POETICÆ.

Virg. 3. Georg.

Non tamen vlla magis præsens fortuna laborum est,
Quam si quis ferro potuit rescindere summum
Vlceris os: alitur vitium, viuitque tegendo, &c.
Continuo ferro culpam compesce prius, quam
Dira per incautum serpant contagia vulgus. ∴

Claud. 2. Eutrop.

Tunc decuit sentire nefas, tunc ire recentes
Diuersum maculas: veteri post obruta morbo
Corpora, Pæonias nequicquam admoueris herbas. ∴
Vlcera possessis alte suffusa medullis
Non leuiore manu ferro sanantur & igni,
Ne noceat frustra mox eruptura cicatrix.
Ad viuum penetrant flammæ quo funditus humor
Defluat, & vacuis corrupto sanguine venis ∴
Arescat fons ille mali: truncatur & artus,
Vt liceat reliquis securum viuere membris.

Ouid. 1. Met.

Cuncta prius tentanda sed immedicabile vulnus
Ense recidendum est, ne pars sincera trahatur. ∴

Ouid. 2. Pont. 2.

Vulneris id genus est, quod cum sanabile non sit,
Non hoc tractari tutius esse puto.

Idem 3. Pont. 1.

Curando fieri quædam maiora videmus ∴
Vulnera, quæ melius non tetigisse, fuit.

SENTENTIÆ PHILOSOPHICÆ.

De vulneribus acceptis. DIAL. LXXVXI.
Francisci Petrarchæ.

DOL.

Vulneribus crucior grauissimis. R. O si animæ tuæ vulnus aspicias, quam tibi hæc leuia videantur, sed vos delicatissima corpora insensibiles pœnæ animas habetis. Altera vestri parte nihil; Altera pati omnia parati, quodque est funestius, non sentire. D. Vulneribus inflictis afficior. R. Hostilis mucro loricam penetrat, non animum. Ille nisi vltro suis sese armis spoliet inuiolabilis ferro est. Disputatum habes a magno quodam viro, paruo quidem, sed arguto volumine, neminem lædi posse: nisi lædatur a seipso, cui sententiæ, quamuis ab opinione hominum vehementer abhorreat, pro veritate subscripserim. D. Grauissimis, multisque vulneribus laniatus sum. R. Nullum vulnus grauius esse potest quam ad mortem, talia vero vno in corpore multa esse non possunt, si vnum ergo grauissimum, reliqua omnia leuia sint oportet. Tribus & viginti vulneribus confixus Cæsar, vnū non amplius letale habuit: vt sane fuerint cuncta letalia, plus ne quam semel mori potuit? multa licet ac profunda sint vulnera, vnus est vulnerum effectus, quorum sæpe etiam in corpus extinctum inhumana repetitio non vulnerati pœnam, sed sæuitiam vulnerantis exaggerat. D. Vulneribus debilitatus sum. R. Sit vtinam simul debilitata superbia cum sororibus suis, & accesserit vulnerum comes humilitas, ne de nihilo scriptum sit: Humiliasti sicut vulneratum superbum. Bonum vulnus & vtile, quod plurimum ac maiorum vulnerū medicina est. D. Vulneribus deformatus sum. R. An adolescentis illius oblitus eris, cuius mentio bis in hoc sermone incidit? sero quidē sponte faceres, quod ab alio factum gemis. D. Transuerso vulnere facies exarata est. R. Non vulnus, sed causam vulneris attendo. Iusto cicatrix bello parta miris modis honestat faciem. Viris fortibus speciosum pro iustitia susceptū vulnus multoq; speciosior est mors. D. Vulnere accepto claudus sum. R. Dictum tenes Horatij Coclitis, qui cum de illo, quo mirabili magis quam credibili fortitudine, atque constantia solus Thusci Regis exercitum Sublicio in ponte sustinuit, testudine suorum manibus a tergo fracta, & collapsis, hostibus clausum iter fecerat vsque erat armatus, & illic hinc, atque hinc missilibus circumuentus, ex alto se in Tyberim, proiecisset, vnoque cum vulnere vnde claudus mansit inter ruendum accepto: nando ad suos corpore reliquo incolumis peruenisset, idque vitium sibi post tempus in petitione honoris obijceretur, sic elusit aduersariū. Minime enim inquit claudico, sed nā dij immortales voluere, vt per singulos passus meminerim triumphi mei: præclarū plane, factisq; par dictū. D. Manum vulnere perdidi. R. Si læuam damnum leuius. At si dexteram Marci Sergij viri fortissimi remedio vti licet, qui hac manu bello Punico amissa sibi ferreā fabrefecit, cū qua multis, ac trucib. prœlijs, non otiosus bellator interfuit. Id si parum successerit, dextra officium in sinistram transfer. Nosti vt Cæsareus miles Attilius bello Massiliēsi, cum iniectam puppi hostili dexterā amisisset læua prehensam tenuit, donec pelago mergeretur. D. Vtraque manus ferro abscissa est. R. Vbi plus licentiæ fortuna, ibi plus negotij virtus habet, fortunæ tamē omnis aculeos, virtute contunditur: hac armatus etiā sine manibus fortis erit. Memento Cinegiri Atheniensis, qui post Marathoniam pugnam, opus immortale Miltiadis hostibus ad naues profugis imminens obtruncata manu dextra, qua vnam nauium fugæ plenam strinxerat, sinistram mox adhibuit, qua rursus abscissa feræ in morem morsu post affixa sic tenuit quos aliter non valebat: nec tibi miles ille Cannensis exciderit, qui vulneribus vsu manuum priuatus contra fortissimentum spolijs victorem, quod vnum sibi supererat dentibus quidem pro manibus vsus est, ceruicemque eius arreptam vlnis implicuit, nec laxauit prius quam auribus truncis ac naribus, os hostis lacerantem, itque vltus moriens tam lætior expirauit, feroçia hæc, illa suauiora militaribusq; eamnis aptiora remedia, vt semper ceu rem fragilem, caducamque, teque velociter deserturam corpus aspicias, vt cum id euenerit, nec concidas, nec mireris quidem. Sed exteriore membrorum ministerio amisso, in ipsos animæ sinus intimos te conuertas, vbi inuenies aliquid magnifico loquendum, agendumque, nec lingua opus esse, nec manibus. D. Vulneribus deformatus sum R. Distant, imo si causa vulnerum pulchra est, honestatus, ac insignitus. viri quidem fortis pro iustitia, magnum aliquid aggressi durumque aliquid perpessi, non fœdis frons sulcata vulneribus videri debet, sed notis stellata fulgentibus, neque vero cicatrices, aut vulnera, sed virtutis sunt dicenda vestigia, & præclaris affixa frontibus signa meritorum. Proinde si Cæsarem illum quendam Centurionem Cæsium Scæuam miræ virum fortitudinis, sed iustitiæ nullius, mille lacerum perfossumque vulneribus hostes quoque venerati, & propter vnius virtutis admirationem vulnera ipsa deosculantes armorum stagnina, & sagittas tepēti cadauere eductas deorum templis ceu sacrum aliquid affigebant, quid de fortis iustique viri pretiosis vulneribus sentiendum sit intelligis. D. Vulneribus multis infirmus, ac deformis sum. R. Curate miseri vulnera, nisi nunc sanentur hæsura perpetuo. De his enim terra viderit, quæ illa contexit, consumitque cicatricosaque corpora excipiens plane restituet. D. Inflicto vulnere hac aut illa parte corporis truncus sum. R. De partibus lingas totum illico relicturus.

Vulnera quæ quisque (in prælio) excipit, indicia virtutis sunt. *Curtius lib. 4.*

APOPHTHEGMATA.

Crates. Nicodromus citharœdus Cratetis dictis lacessitus impegit illi pugnum in os, & sugillauit. At Crates fronti imposuit tabellam, in qua scriptum erat: Nicodromus faciebat. Itaque cum hoc te suo obambulans, traduxit citharœdum: festiuiter alludens ad artificum morem, qui operibus suis inscribunt, Appelles aut Phidias faciebat. Simile quiddam narratur de Diogene pulsato. *Laert. lib. 6. c. 1.*

Alexander frequenter dicere solitus est: Vt maxime sanetur vulnus quod illatum est, manet tamen cicatrix. Sensit vir clarissimus, vulnus facile quidem sanari posse, vt dolor omnis auferatur: cicatricem tamen, hoc est, iniuriæ tactæ memoriam, semper versari ob oculos, *P.M.l.8.apoph.*

Timotheus audiens quendam acceptum in bello vulnus prædicantē ac corporis cicatrices ostentantem: Et me, inquit, pudui, quod cum ego in Samo dux vester essem, catapultæ telum prope me ecciderat. Significans, hoc vulnus illi non factum in prælio cominus pugnanti, sed procul. Sic sunt hodie Thrasones, qui vulnera a bombardis corpori inflicta ostentant omnibus fortitudinis gloriam aucupantes, cum vulnus eminus p[...]do fortassis a puero, vel ignauissimo timidissimoque homine acceperint. *P.M.l.5.apoph.*

V V L T V S.

Sententiæ Poetarvm.

Luc. ad Pison.

Talis inest habitus, qualem nec dicere maestum,
Nec fluidum læta sed seueritate decorum
Possumus: ingenita stat nobilitate in ille
Pulcher honos, & digna suis natalibus ora.

Sen. Thyest, act. 2.

Multa sed trepidus solet
Detegere vultus, magna nolentem quoque
Consilia produnt.

Idem Agam. act. 2.

Quid tacita versas? &c.
Licet ipsa sileas totus in vultu est dolor.

Sen. Her. Oed. act. 2.

Licet ipsa neges,
Vultus loquitur quodcunque negas.

Ouid. 2. Met.

Heu quam difficile est crimen non prodere vultu.

Hor. 7. Epod.

Tacent & ora pallor albus inficit.
Mentesque perculsæ stupent.

Iuuen. 1.

Ense velut stricto, quoties Lucilius ardens
Infremuit, rubet auditor, cui frigida mens est
Criminibus, tacita sudant præcordia culpa,
Inde ira, & lacrimæ.

Sen. Oed. act. 4.

Effare: dubitas? cur genas mutas colore
Quid verba quæris?

Ouid. 8. Met.

Super omnia vultus
Accessere boni, nec iners, pauperque videntur.

Philosoph. Sententiæ.

Vultus ac frons, animi est ianua, quæ significat voluntatem abditā ac retrusam. *Cic. de Pet. Con.*

Omnis motus animi suum quendam a natura habet vultum, & sonum, & gestum: animi imago, vultus est: indices, oculi. Nam hæc est vna pars corporis, quæ quot animi motus sunt, tot significationes & commutationes possit efficere. Oculi enim sunt, quorum tum intentione, tum remissione, tum coniectu, tum hilaritate, motus animorum significemus apte. Nam oculos natura nobis, vt equo & leoni setas, caudam, aures, ad motus animorum declarandos dedit. *3. de Orat.*

Ex oculorum obtutu, superciliorum aut remissione aut contractione, facile iudicamus, quantus sit in homine dolor aut metus, aut denique tristitia. *1. offic.*

Proditur animi natura per vultum, & serenitas corporis nubila quoque mentis abstergit. *Cassiod. lib. 3. ep. 6.*

Vultum alacrem impauidumque militibus ostentare, prosperos rerum successus, & maturam de hoste victoriam deiectis etiam militum animis pollicetur. *P. Iouius hist. l. 14.*

V X O R.

Definitio et etymolog.

VXor, Græce γυνὴ, ἄκοιτις, & γαμετὴ, [...] vxorius dicitur, Vxor Heb. *Ischschah*, Vira, viro tradita ex primaria Dei institutione, *Gen. 2. c.* Fortasse a verbo *Iaschah*, Essentiam habuit firmam, fuit in substantia solida & non pereunte. Nam Eua formata fuit ex costa Adami.

Vxor dicitur mulier postquam contraxit per verba de præsenti, licet nondum consummauerit, & hoc in omnibus fauorabilibus. Sed in odiosis apellatione vxoris venit solum illa quæ matrimonium consummauit. *In l. si non sicut. C. de bon. quallib.*

Vxor dicitur ab vngēdo, quasi vnxior. Fuit enim veterum mos Romanorum, vt nouæ nuptæ mariti domum intrantes axungia postes vngerent. Est autem axungia adeps suillus inueteratus, aut cum sale, aut sincerus, qui quanto vetustior, tanto vtilior est. Diciturque axungia ab axe plaustrorum, vnguento, quamuis etiam Græci hoc vocabulo vsi fuerint. Hanc enim religiosam habebant, putabantque mala omnia ab ea domo arceri, propter innumeras axungiæ vtilitates, impressas et a radicibus, quibus sues vescuntur. Vxorius modo significat, ad vxorem pertinens, modo vxori deditum.

Loci Biblici.

Vxor non inuenta virgo, & eius lex, *Deut. 22. v. 13. 14. 15.* vxor abducens a fide, occidenda. *Deuter. 13. 6.* Vxor diligenda *Prou. 5. 18. Ephes. 5. 25.* non plus ametur quam Christus. *Matth. 10. 37.* Vxor non temere relinquenda. *Matth. 5. v. 31. 32. & 19. v. 6. 8. 9. Marc 10. 9. Luc. 16. 18. 1. Corinth. 7. v. 10. 11.* Vxor virum timere debet, *Ephes. 5. 33.* dominum illa compellare debet maritum suum, Saræ exemplo. *1. Petr. 3. 6.* Vxor prudens Dei donum *Prou. 19. 14.* Vxor Ierobeami mutato habitu Eliam prophetam consulit, *1. Reg. 14. 4.* Vxor Iobi maritum spernit, *Iob. 2. 9. & 19. 17.* Vxor Loth, in salis statuam versa est. *Gen. 16. 26.* exemplo illa nobis sit. *Luc. 17. 32.* Vxoris adulterium quomodo possit deprehendi, *Num. 5. 14. &c.*

Vxoris officium, *Gen. 2. v. 22. & 3. 16. Num. 30. v. 7. 13. Deut. 22. 5. Tob. 10. 12. Esth. 1. 19. &c. Prou. 11. 16. & 12. 4. Esa. 3. v. 15. 17. 1. Corinth. 7. 1. &c. 11. v. 5. 9. & 14. 34. Ephes. 5. 22. Coloss. 3. 18. 1. Timoth. 2. 11. & 3. 11. & 5. v. 2. 10. Tit. 2. 10. 1. Petr. 3. 1.* Vxorem ducentes immunes primo anno *Deut. 24. 5.* Vxorem non licet repudiare, nisi ob solam fornicationem. *Matth. 5. 32.*

Poeticæ Sententiae,

Sen. Oct. act. 1.

Amor perennis coniugis castæ manet.

Iuuen. 6.

Si verum excutias, facies non vxor amatur,
Tres rugæ subeant, & se cutis arida laxet,
Fiant obscuri dentes oculique minores
Collige sarcinulas, dicet libertus, & exi,
Iam grauis es nobis.

Sen. Oct. act. 2.

Probitas, fidesque coniugis mores, pudor,
Placeant marito.

Plaut. Merc.

Nam vxor contenta est, quæ bona est, vno viro.

Ouid. 2. Trist.

Cumque fefellit amans aliqua nouitate maritum,
Plauditur, & magno palma fauore datur.

Plaut. Stich.

Facile inuenies & peiorem & peius moratam patet
Quam illa fuit, meliorem neque tu reperies, neque
Sol videt.

Iuuenal 10.

Nos animorum
Impulsu & cæca, magnaque cupidine ducti
Coniugium petimus partumque vxoris, at illis
Notum, qui pueri, qualisque futura sit vxor.

Iuuenal. 6.

Semper habet lites alternaque iurgia lectus,
In quo nupta iacet: minimum dormitur in illo.
Tunc grauis illa viro, tunc orba tigride peior.
Cum simulat gemitus occulti conscia facti,
Aut odit pueros, aut ficta pellice plorat.
Vberibus semper lacrymis, semperque paratis
In statione sua, atque expectantibus illam,
Quo iubeat manare modo.

Ter. Adelph. 5. 4.

Duxi vxorem: quam ibi miseriam vidi, nati filii,
Alia cura: porro autem, dum studeo, illis vt quam plurimum
Facerem contriui in quærundo vitam atque ætatem meam.
Nunc exacta ætate hoc fructi pro labore ab his fero
Odium.

Ex Græc. Com.

Τὸ γαμεῖν, ἐάν τις τὴν ἀλήθειαν σκοπῇ,
Κακὸν μέν ἐστιν, ἀλλ' ἀναγκαῖον κακόν.
Est ducere vxorem, malum: (uera ut loquar)
Malum nec ssarium putari sed decet.
Μὴ γαμεῖν γὰρ ἂν τις ἅπαξ λάβῃς, οἶσθ' ὅτι
Μένουσι τὰ πολλὰ πρᾶγμα καὶ γυναῖκα δεῖ
Ducas caue vxorem: sed vbi eam duxeris,
Fer coniugem dotemque contuens domus.
Ἀγαθὸν γυναικὸς ἐστιν ὦ Νικόστρατε,
Μὴ κρείττον' εἶναι τἀνδρός, ἀλλ' ὑπήκοον,
Γυνὴ δὲ νικῶσ' ἄνδρα κακὸν ἐστι μέγα.

Proba

Proba uxor, o Nicostrata, marito suo
Non debet esse superior: sed obsequens.
Nam graue malum uxor est superans virum suum.
Οἰκία δ' ἐν ᾗ πάντα προτεύει γυνή,
Οὐκ ἔστιν ἥτις πώποτ' οὐκ ἀπώλετο
Haud vna salua mansit vnquam familia:
Partes priores uxor in qua gesserit.
Ὅστι γυναῖκ' ἐπιλαμβάνει ἐπιθυμεῖ λαβεῖν
Πλανᾶται ἥτις μᾶλλον ἐν τίνει βίου
Η ἐλαθ' ἀποχεῖν μακάριος κακχήμενος
Qui ducere uxorem cupis praeditam omne
Poenas vel ille pendit iratis Deis:
vel dum bonam audit, esse vult miser.
Οὐ πάντες αἱ τεδυστυχοῦσιν ἐγγαμοῖς,
Οὔτ' εὐτυχοῦσι συμφορᾷ δ' ὅς ἂν τέχῃ
Κακῆς γυναικός, ἐντυχεῖ δ' ἐσθλῆς τυχών
Non coniugali semper insolentias,
Felicitatis semper est comes thoro:
Sed prout uxor obtigit proba, aut secus.

De vxoris amissione, DIAL. XVIII.

Francisc. Petrarch.

D O L.

Vxorem heu perdidi. R. O praepostcrum ingenium stupendumque hominum: qui vxoris in funere lugeat, taliet in nuptijs. D. Vxorem perdidi. R. O demens: Hymenaeum cane. Nunc est tempus, coronatum victum vidimus, dignioribus iam sertis accingere. Magno praelio vicisti, & longa obsidione liberatus es. D. Vxorē perdidi. R. Sic dicis perdidi, quasi qui febrē perdidit aut scabiē. Interdum lucri species est perdere. D. Vxorem perdidi. R. Nunquam tibi fortassis optatiorem quaestum vna lux attulit. Quantis compedibus ereptus es, quanto naufragio enatasti? D. Sed vxorē bonam perdidi. R. Solent id quidem omnes dicere, & qui contrarium sciunt. Ego autem & si bona vxor, vel omnino mulier bona rarum mirumque animal sit in terris, vitandae tamen altercationis causa permiserim vxorem tibi qualem dicis amissam. Neque ideo respondebo, quod olim quum haec eadem quaestio ageretur apud Senecam respondit, posse te aliam bonam, vel si feceras facere, vel si inueneras inuenire. Muto sententiam. Nolo te saepius rem periculosissimam retentare, quod & si semel bene cesserit, stulte repetitur. Citius centum sui similes mulier malae quam vnam bonam reperiet. Quamobrem qui malam habuit, similem timeat. At qui bonam similem ne speret, sed vterque parter, ille aduersitatem cumulare, hic prosperitatem suam deformare caueat. Sic te monent casum secundo coniugio abstinendum. Tu nunc ergo si, vt ais, bonam coniugem amisisti, praeterito potius gratulare quam futuri spem concipias, neque quod puppe integra litus attigeris, crebro nauiculam ventis credas. D. Coniugij vinculum, quo tenebar, mors dissoluit. R. Nolite rursus innectere, cogita quam optabilis, quamque incomparabilis sit libertas, & consilium Ciceronis amplectere. Qui vxorem viuacissimam, & aduersus quam frustra mortis auxilium expectandum esset, iam repudio demisisset, hortantibus amicis, vt aliam duceret, non posse simul se vxori & sapientiae studio dare operam respondit. D. Vxorem bonam perdidi. R. Quid si hoc etiam non iactura, sed lucrum & magni fuga periculi est. vt enim sit bonam reperire, constantem vbi quaerimus? Notum illud summi vatis: *varium & mutabile semper Foemina.* D. Vxorem bonam, ac iuuenili aeuo florentem amisi. R. Parumne igitur foeminei mores sunt? quam multas pudicissimas adolescentulas, impudicas, ac lasciuas anus vidimus. Ardor nempe libidinis, quoties vetulae ossibus incubuit, quasi ignis in ligno arido violentius aestuat, vel instantem ergo vitae mutationem, vel vt inde periculum non esset venturae vsque senectutis pondus, ac fastidium dechoasti. Graue iuuenibus coniugij iugum, senibus grauissimum, quidam, insupportabile. D. Amisi iuuenem vxorem. R. Seu proles ex coniugio quaeritur, seu voluptas, quorum alterum mariti est, alterum adulteri, ad vtrumlibet apuor iuuentus. Siue his autem ab vxore perceptis: siue eorum altero: eo illam peruenire optabas, vbi inhabilis ad vtrumque esset, siue ad haec natura inhabilem sperabas, quid nisi votorum superuacuum spes inclusa est? D. Amissa dulci coniuge solus sum. R. Inuidiosa vero solitudo est, malis caruisse comitibus. Vacuo nihil est mollius cubili. Nihil durius occupato, amenia dulces somnos & vigilias honestas amantibus, honestumque aliquid vtrumque versantibus. Nihil egregijs coeptis infestius muliebri consortio. Nec me fugit quid aduersus haec dici soleat ab his, quos miseriae delectant suae: matrimoniorum iniquum te experres matrimonia contemnant. Et vt est in prouerbio vulgari: Vxorem verberat, qui non habet. Ego contra, nullos de coniugio queri solitos audiui, nisi qui sarcinam coniugij pertulissent. D. Coniugem amisi optimam. R. Et quae optimae, quaeque virorum amantissimae videntur, zelo, ac suspicionibus aliquanto caeteris acrius inardescunt, quo incendio conflagrare pacem domesticam est necesse. Quorum igitur querelae? Perdidisti vxorē, inuenisti libertatem, caelibatum, pacem, somnum, requiem. Iam tranquillam sine litigio noctem ages. D. Sine vxore sum. R. Et sine aduersario iam tui, rerumque dominus tuarum esse incipis. Ante lucem lectulo matutinus domo egredi, vespertinus regredi, solus aut cum quibus voles totos dies agere nullo rationum exactore permitteris. D. Vxorem perdidi. R. Perdita dudum ac repudiata requies in cubiculum reuocanda erit. Illa tibi vxore qualibet vtilior comes. D. Vxorem bonam ac decoram perdidi. R. Stultum est compedes suas quamuis aureas, amare.

De importuna vxore. DIAL. XXI.

D O L.

Vxorem patior molestam. R. Felicius amisisses. Atqui modo perditam querebare. D. Vxorem patior inquietam. R. Primo labori venia forsan aut miseratio, secundo non nisi odium debetur, & quem vna vxor non castigat, dignus est pluribus. D. Infestam patior vxorem. R. In alijs vtcunque fortunam culpes. In vxore autem praeter nim altera non alium quam teipsum: hoc tibi malum tu fecisti. D. Vxorem patior procacem. R. Vdas succende paleas, tegulas transgredere, reliquo prouisum tibi est. Ita vero cumulare quae te domo pellant, adest non fumus, stillicidium, atque vxor. D. Perfidam patior vxorem. R. Iam periculo res non vacat. Vxor Agamemnonem, vxor Africanum morti dedit, vt Amphiaraū, vt Deiphobum, vt Samsonem stleam, aliosque quos numerare lōgum est. Illi quidem prorsus innumerabiles quos vxores nec mori cogunt, nec viuere patiuntur. D. Mala mihi notissima explicas: remedium quaero. R. Erunt qui suadeant vt castiges & prauos mores ad rectum reuoces, totum te huic vni negotio impēdas. Ego autem quidē castigandam vxorem si castigando proficias, non nego, si id frustra est, sola restat patientia. Hanc amare, quodque inuitus faceres, volens fecisti. Varronis Satyra Menippeam vocant, de officio mariti, ibi de hac re illius dicta viri consilium breui, sed efficax his verbis expressum leges, Vitium vxoris aut tollendum, id est, corrigendum, aut ferendum est, Dictatio breuis quoque sed elegans haec esse tu: Qui tollit vitium, inquit, vxorem commodiorem praestat, qui fert, sese meliorem facit. Quod dictum scriptores alij sic interpretati sunt, eiusmodi vitium vxoris, si corrigi non possit ferendum esse, quod fieri a viro salua possit honestate: quod vitia nempe flagitijs leuiora sint, eamque non aliam sententiam fuisse Varronis. D. Procax, & morosa est vxor. R. Fer mores si immutari nequeunt, & qualiter foris viuas, domi disce cum Socrate. Et si ille duas simul pertulit, alij plures, vni tune succumbas sarcinae? D. Molestam vxorem habeo. R. Cur vero non potius vxor molesta contigerit, quis se oppius constanter abstineat? cum & Adriano principi & quo nil altius nil mitius Augusto Sabina illi, huic Scribonia, vtraque coniunx dura, & peruersa moribusque asperis digna repudio. Et Catoni Censorio tam rigido tamque inuicto viro annosa cū Paula quaedam violenta vxor ac superba contigerit, quod miseris, humilis etiam orta progenie, ne quis hominum speret ignobilitate vel inopia vel omnino aliter quam perpetuo caelibatu coniugij subterfugisse molestias, sed quas fuga non euaserit, patientia perferendas sciat, nec luctando, nec calcitrando se torqueat, ac iugum sponte susceptum iactabundus, excutere t. D. Importunā prorsus & indomitam fero vxorem. R. Bene ais, ferendum est etenim quod deponi nequit, etsi premat. D. Molestissimam habeo vxorem. R. Habes vnde patientiae laudem quaeras, vnde discas requiem optare, vnde peregrinari ames, reducique oderis vbi vocem exerceas, ac bacillum.

De vxore formosa. DIAL. LXVI.

G A V.

Formosa mihi vxor obuenit. R. Difficilem prouinciam nactus es, vigila nimium durū est custodire quod a multis appetitur. G. Forma vxor est excellens. R. Solet forma corporis, vt multa alia paritate gaudere, imparitatem ac dissimilitudinem aspernari. Si par igitur tibi forma est, exerceberis, alioqui contemneris, vtrumque laboriosum. G. Forma coniugis magna est. R. Et magna superbia, vix est aliquid quod aeque animū tumefaciat & extollat. G. Forma vxoris est maxima. R. Vide ne castitas parua sit. Scitum est illud Satyricum, *Rara adeo est concordia formae atque pudicitiae,* vt haec coissent morū insolentia, quis ferat, & cotidiana fastidia? G. Formosissima est vxor. R. Habes domi idolum sumptuosum, operosum, videbis indies peregrinos nouosque habitus, lauda hunc corporis habitudinem, quam omnia deceant, hunc ingenium inuentricia ad cuncta versatile, tum iacturam patrimonij lucrum voca. G. Habeo vxorem formosissimam. R. Habes idolum litigiosum insolens, quod effusus colas, quod attonite rapitus stupeas, quod adores, vnde totus pendeas. Summitte collum igitur, & cōtentus forma coniugis, ceterasque alias, & propriam libertatem procul abijce. Dicebam modo, caue ne quoquo modo aliam praeter illam laudes, ne quando oculos ab illius fronte diuerteris, ne solito parcius blandiaris, solito minus insanias, quicquid respueria

spueris capitale erit, omnis sanitas defectio. Viue denique ad vxoris edictum, & nutum dominæ suspensus obserua, mancipiũ, non maritus. Hæc facito, si tanti existimas aliquamdiu formosã thori sociam amplecti, leníque ad tempus eius gaudere, & candidos natos ex vtero tanquam poma nobiliora pulchro de vase suscipere. G. Vxorem habeo formosam. R. Venenum dulce, cõpedes aureas, splendidam seruitutem. G. Forma delector vxoris. R. Vana, breuisque delectatio. Nil forma fugacius & præsertim fœminea: qui vxorem propter formam diligit, cito illam oderit.

De vxore fœcunda, & facunda DIAL. LXVIII. GAVD.

Fœcunda mihi vxor est. R. Multas tibi curas, multos pariet labores: vxor sterilis vnica tantum: at fœcunda quidem sarcina domus est multiplex. Notum est illud comicum. *vxorem duxi, quam non ibi miseriam vidi? Nati filij alia cura.* G. Non fœcunda tantum vxor sed facunda est. R. Hinc filij, & nutrices aderunt. Hinc sales & verba non deerunt. Habes cum qua disputes & declames, & Satyricum non audisti, vbi ait: *Non habeat matrona tibi quæ iuncta recumbit Dicendi genus, nec curtum sermone rotato torqueat enthymema, nec historias sciat omnes.* coniugem quærebas, magistram inuenisti, iamque aliquid impolitum, commune aliquid loqui sine coniugis censura, & irrisione non poteris, frustraque eiusdem Satyricum illud optaueris. *Solœcismum liceat fecisse marito*, inter mundi tædia, nullum importunius procaci fœmina & tacere nescia.

De vxore sterili DIAL. XXII. DOL.

Sterilis vxor est mihi. R. Vnum coniugalis incommodi remedium. Sterilitas obsequiosas facit atque humiles, quæ plurimos parit, iam non vxor creditur esse, sed domina. Sterilis autem flet & tacet. & an non Helcanæ meministi? D. Vxor mihi sterilis obtigit. R. Modo de coniugis impudicitia querebaris, nunc de sterilitate conquereris. Atqui si ea querimonia iusta fuit, hæc iniusta est. Expedit impudico viro, vt sterilis vxor sit, non pascet filios alienos, quod est in omni vxoris iniuria, ac fœditate durissimum, si miserum vxor adultera, miserrimum & fœcunda. D. Vxor est sterilis. R. Quid ergo tu perpetuam eiulantem audire & nutrices litigantes, & vagientes infantulos maluisses? sterilitas, omnia tædia hæc submouit. D. Sterilis vxor est. R. Vide ne (quod multi faciunt) vitium tuum alteri obijcias. Multæ vni viro nuptæ vitæ steriles, nuptæ post aliis peperere. D. Sterilis est vxor. R. Quid scis qualem tibi filium pareret si fœcunda esset? Quarundã partus fœcunditatem odiosam, & sterilitatem fecit optabilem. Nõ tulisset imperium Romanum portenta illa feralia. Caium Caligulam, Neronem, Commodum, Bassianum, si Germanicus, si Domitius, si Marcus Antonius, si Septimus Seuerus aut nullas vxores, aut steriles habuissent.

De vxore impudica. Dial. XII. DOL.

Impudica vxor domi est mihi. R. Mallem rapta esset, aut etiam importuna moribusque asperis potius quam lasciuis, ac turpibus. Ferenda tamen omnia ingenti nisu ingentique animo & rerum mortalium contemptore: innumerabiles sunt hominum miseriæ quibus omnibus vna virtus obijcitur. D. Impudica mihi est vxor. R. Pudicitia insignis imperiosas efficit matronas. Nihil metuit quæ sibi nihil est conscia. Huic malo igitur hoc saltem boni inest, esse iam molesta minus incipiet, minusque insolens. Læsa enim conscientia fœmineum premit animi tumorem, & sæpe obsequentior in reliquis viro est, quæ se meminit impudicã. D. Lasciua est vxor. R. Non mirandum si formosa, non curandũ si deformis. D. Vxor impudica est. R. Pulchra si limen vxor subit, subire debet animum illud Satyrici. *Rara est adeo concordia formæ, atque pudicitiæ.* Nam si turpis insaniat prope gaudendum est causam adesse diuortij. D. Adultera vxor est. R. Adulterium sæpe quidem æque ardentius expetiit coniugij, sæpe vnum alterius adulterij pœna est, eoque iustior, si multorum. Cogita an tu vnquam aliis feceris, vnde hoc tibi fieri ab alio nunc dignum sit. Iniusta enim atque impudẽs est querela, pati quod feceris indignãtis. Et ab alio expectari, alteri quod feceris, lex moralis iubet. Et facere aliis, quod tibi ab aliis fieri velis sane adeo digna est, vt illud profani etiã cogẽte leosentiæ grauitate, atque æquitate laudauerint. Sed mortalis petulantiæ licentia, legum salubrium abrogatrix omne fas nefasq; confundit. Itaque passim adulteri occursant, qui cum thalamos vicinorum coniugiaq; fœdauerint, suas interim cõiuges vel in publico cerni nolint, etsi quis in illas oculos deflexit, infamant. Sic seuerus aliis, sic indulgẽs sibi, sic iniquus rerum arbiter quisque est. D. Coniugalis mihi fides frangitur. R. Vide ne tu hanc aliis non maritis tantum, sed vxori tuæ fregeris. Nam sunt qui ab vxore exigunt, quod non præstãt, qui lasciuiam suam titulo vrbanitatis excusent, alienum vt grauissimum scelus seuerissime punientes qui cuncta sibi cum permiserint, cũcta aliis negent. Iniquissimi Iudices, qui de pudicitia iudicent, impudici impune passim agunt omnia, & ceu soluti legibus, vaga libidine rapiũtur. Vxor oculum parumper inflexerit, adulterij rea fit, quasi vero domini non mariti ipsi quidẽ. Illæ autem non vxores diuinæ atq. humanæ domus sociæ, sed captæ ex hostib. aut emptæ precio sint ancillæ. Tametsi obsequi plusculum fidei nihil plus tua tibi coniunx debeat quam tu sibi. Par debitũ, æquus amor, mutua coniugij fides est. Nõ excuso vxores, viros arguo, primãq. illis culpæ partem tribuo. Persæpe. n. vxori dux, atq; exemplum lasciuiæ vir fuit, & inde mali processit initiũ, vnde remedium debebatur, quamuis autẽ pudor fœminæ proprius, viri certe prudentia atq. constantia sua esse debet. Itaque ois in viro, quam in muliere dementia, animi leuitas eo est fœdior, quo viro debita magis est grauitas. D. Coniugis adulterio moestus sum. R. Vsitatus dolor, vetus iniuria, nec minus crebra. Vix crebrior coniugij quam adulterij vsus est. Deniq. hoc est, quod (vt ait quidam) nec permitti, nec prohiberi põt, quia. s. alterũ fieri vetat. Tu ne tibi ergo fœminam vnam tuam totam, atque integram voluisses, quod nec ferocissimis tyrannorũ, nec regũ maximis potuit tua ætate contingere nec priore potuerat. Mitto recentia, ne quos forte præsentium offendam. Tutius est Herculẽ ferire quam villicũ: Nec vero cuncta veterum attingam. Formidatissimorum summorumq. hominum famæ parcam. Nosti autẽ hisque vel in silentio gemitũ suum frenant, aliqui vrbem lustrant, seruare viciniam dextera læuaque, adsunt qui vel neglectũ geniũ calcatamq; thori fidẽ lugeant vel ignari soli, vulgo non decoris rideantur. Crebriora illa quidẽ nunquam non auribus modo, sed oculis, quocunque terrarũ perrexeris, desunt. At maioribus maior inest consolatio. Reges cogita, quos vidisti, ac terrarum dominos de hinc scriptis famaque cognitos recordare, Respice & Arthuri fabulam, & historias reliquorum. In mentem redeat Olympias Philippi, Cleopatra Ptolomæi, Agamemnonis Clytemnestra, Menelai Helena, Pasiphae Minois, Phædra Thesei: neue ipsam vrbem Romam olim quoque dum quoddam quasi pudicitiæ templum esset mali huius expertem credas, redeat ad memoriam Metella, vxor Syllæ illius, qui si eius nosset adulteria, non tãtum Romæ perque omnem Italiam vulgata, sed quæ Athenis etiam per Græciam cantabantur, minime (vt arbitror) felicis nomen sibi prorsus indebitum vsurpasset. Post hanc Iulia Agrippæ, quam hinc a flagitio, viri virtus, hinc maiestas patris absterruisse debuerat, simulque huius filia, & nomine & lasciuia matri par, hanc vnque seu vitæ, seu fortunæ vestigijs hærẽs Iulia Seueri, non fuit pudicitiæ faustum nomen. Quid Domitiani coniugem Domitiam? Quid Herculã illam Claudij, seu quando hic adulterarum fortunatus coniugũ princeps fuit. Eiusdem Messalinam summum imperij probrum loquar, quæ secordem virum, ac Cæsareum deserens cubile, noctu lupanaria circuibat, illa faciẽs quæ referre pudor prohibet. Quid has ego? Quid nec alias stringam? Ceu quis fornix angustis meretricibus nõ augustus sit? quarum commemoratio fateor, nec honesta est, nec vlla ex parte adulterij crimen leuat, quin potius grauat. Habet tamen haud spernendam consolationis efficaciã similitudo conspecta miseriæ, ac paritas ærumnarũ, non quod alieno quisquam nisi maleuolus delectetur malo, sed quod humilioris fortunæ hominem indignanter pati, quæ toties mundi dominos passos nouit, vel non ferenda mollicies, vel superbia videatur. Toleranda cuique sua sors. Illa æquius quam communem: paruis constat ac maximis inuidiosissimisque mortalium. Proinde non hominibus tantum nuptas, sed Deo etiam desponsatas, in hæc flagitia labi solitas vides, ac (proh pudor) nec tanti sponsi reuerentia, infelicem præcipitemque animam frænat. Cui autem parcet effrenis ac rabida libido, quæ nec cœlestem metuit vindictã? seu quibus abstineat, quæ nec Deo sacris corporibus abstinendũ censet? Nec vero tantũ hac ætate monstra hæc tam fœda libidinum cernũtur, quamuis nulla vnquam recto iudicio fœdiora esse potuerint, læsique maioris iram merita. Sed æuo illo, quo ita prodigiũ scelus erat, vt nũc virtus visa equidem ac punita noscenotur. Virgines ipsæ Vestales quarũ exactissimæ castitati tribunitiam ac censoriam potestatem cessisse non puduit, quas suorum triumphantium curribus insedisse, ne a quopiam forte triumphis impedirentur, quas postremo noxios casu obuios a supplicio retraxisse, legumq; & capitalis sententiæ vim fregisse sola virginitatis maiestate comperimus, quarũ præterea ex diuerso non facinus tantũ turpe, sed habitus aut sermo liberiori pœna graui atque infamia non carebat, honoris tamẽ & dedecoris immemores, & terrosis incestiuæ, damnatæq. & defossæ sub terrã viuæ per historias occursabunt. I nunc, tot exemplis, & iã claris, & iã sacris obrutus in tanta pudicitiæ ruina tot probris illustriũ concussam paululum humilioris cubiculi fidem defle. D. Vxor adultera est. R. Id nonnullis mutandæ in melius vitæ causa fuit, qui maritali cõpede liberati, reiectoque graui falce ire altius cœperunt. Quid te vetat coniugis fœditatem primũ quoque tibi gradum facere

ad

ad vitæ liberioris ascensum. Sæpe & pondus, sæpe & compedes expeditissimos retardauit. Ibis ocyus quocunque decreueris, solus ac vacuus. D. Turpitudine vxoris infamor. R. Ea alieno peccato damnum doloremque nasci potest, non infamia, sicut ex aliena virtute gaudium non gloria. Tua te virtus, aut vitium gloriosum efficiet, aut infamem. D. Coniugis vxor infamia. R. Vel sile, vel fuge, vel vlciscere. Medium fecit ille vir functus nactus de simplicitate cognomen, & profecto primum molle nimis, tertium prædurum, medium honesti, humanique consilij videatur, his præsertim quorum media itidem est fortuna. Nam superbis potentibus frustra lex ponitur. Voluntas, Libido, Ira, Impetus, hæ potentis insolentiæ leges sunt. Omne vulnus ferro rescindendum putant. Multa sunt autem, quæ non ferro egeant, sed fomentis. D. Impudica est vxor. R. Si pati eligis, ætas fortassis illam franget, & labor, & filij, & morbi, rei familiaris angustia. Quibusdam frenum vtile pudor fuit. D. Vxor infamis abiit. R. Opta ne redeat, ne abierit ferum votum. D. Vxor adulterum est sequuta. R. Mallesne tuum in cubiculum adulterum induxisset? hic saltem pudor impudicæ fuit, turpem vitam procul agere, pepercit oculis, erubuitque præsentiam tuam. Impudicitiam potes accusare, non fugam. D. Fœda vxor abijt. R. Si de hoc doles dignus es vt manserit, dignus vt redeat.

Qui in ducenda vxore honestatis nullam habet rationem, satis ostendit non liberorum, sed libidinis causa id se facere: itaque & mercedem suam habet, & ius in natos nullum sibi reliquum fecit, quibus vt natum esse sit opprobrio efficit. *Plutar. in Solone.*

Non æquum est vt vxor maritum in aduersis deserat, cum rerum secundarum socia fuit & particeps. *Zonar. Annal. tom. 1.*

Apophthegmata.

Pittacus, interrogabat quendam, quamobrem vxorem ducere nollet? qui cum respondisset, Quoniam si formosam duxero, habiturus sum communem: sin deformem, pœnam. Haud quaquam, dixit: sed si pulchram duxeris, non erit tibi pœna: sin deformem, non habebis communem. *Stob. ser. 65.*

Idem sciscitatus a quodam, qualem vxorem ducere deberet? respondit, Aequalem tibi ducito. Ipse enim cum domi haberet opulentiorem, habebat etiam morosam & imperiosam. *Laert. lib. 1.*

Chilonis dicterium est, vxorem humilem modico apparatu ducendam, ne pro coniuge dominam accersas domum. Sat enim dotata venit puella, quæ pudicitiam & honestos mores secum adfert. Proinde hoc erat vnum ex Laconicis institutis, vt virgines sine dote nuptum irent. *Laert. lib. 1. c. 4.*

Cleobulus, Aequalem vxorem ducendam esse suadebat. Si enim ex superiori familia duxeris, inquit, non affines tibi, sed dominos comparabis. *Stob. serm. de Temperantia.*

Idem præterea dixit, filias vitis elocandas esse ætate virgines, sed prudentia matronas. *Stob. Serm. 68.*

Antisthenes, Adolescenti consulenti, Cuiusmodi vxorem ducere expediret? Si formosam duxeris, inquit, habebis communem: sin deformem, habebis pœnam. Iucundius id effertur apud Græcos, quibus quod ad voces attinet, minimum interest inter κοινὴν & ποινὴν: quod ad rem attinet, plurimum. Suadebat itaque, mediocri staturaque (vt vocant) forma ducendam, quæ nec fastidium viro moueret ob deformitatem, nec ob insignem formam peteretur ab adulteris. *Aulus Gelius lib. 5. c. 11. hoc dictum Bianti tribuit. Laertius autem lib. 4. Bioni Max. vero serm. 39. Soloni. Cætr. Pittaco etiam attributum a Stob. paulo iam supra recensuimus.*

Democritus interrogatus, cur homo proceræ staturæ, tam paruam duxisset vxorem? Ego, inquit, in malo eligendo, quod minimum erat elegi. *Ant. part. 2. serm. 34. Meliss.*

Idem dicebat, eum qui bonum generum nactus sit, inuenisse filium: qui vero malum, simul & filiam perdidisse. *Stob. serm. 69.*

Cato vxorem duxit nobiliorem quam locupletiorem: ita censens, cum vtraque nonnihil habeat grauitatis atque spirituum, tamen nobiles turpitudinis verecundia maritis ad honestas res libentius obsequi. *Plutarch. in Catone maiore.*

Aurelius philos. rogatus, pauperne an diues vxor ducenda esset? pauperem, ait, alere difficile est; diuitem vero ferre, tormentum. *Brus. lib. 7. c. 22.*

Lycurgus. Cuidam percontanti, quam ob causam lege cauisset, vt sine dote virgines elocarentur? Vt, inquit, neque propter inopiam vllæ relinquerentur innuptæ, neque ob diuitias expeterentur: sed vt vnusquisque ad puellæ mores respiciens, ex virtute faceret electionem: Eadem de causa fucos & ornamenta, quibus aliæ formam vel fingere vel commendare solent, ex vrbe submouit. *Plut.*

Pericles, duobus filiam eius ambientibus, quorum alter diues ac imperitus erat, alter vero pauper & studiosus, elocauit eam paupe... inquiens, illum qui diues fieri possit, meliorem esse quam qui iam sit. *Stob. Ser. 68.*

Polyanthea Noviss.

Olympias, quum accepisset adolescentem quendam aulicum duxisse vxorem eleganti quidem forma, sed famæ parum secundæ, ille, inquit, non sapit, qui vxorem oculis non etiam auribus duxerit. Forma cernitur oculis, fama auribus deprehenditur. Quidam autem nec auribus, nec oculis: sed digitis ducunt, solam spectantes dotem. *P. M. 6. Apophe.*

Aurelia Iouiani Pontani filia natu maior, amisso Paulo marito, cum a patre ad secundas nuptias hortaretur: Quin tu, inquit, pater nuptias secundas non inis? (erat enim is etiam viduus.) Quia, respondit, nullam matri tuæ similem me reperturum confido. Eadem cura (respondit illa) me quoque versat, pater, quod mihi placiturum Paulo æque similem sperem neminem. *Adrian. Barland.*

Menedemus, Cuidam sciscitanti, num sapienti ducenda esset vxor: Num ego, inquit, videor tibi sapiens? Quum annuisset, Ego inquit, vxorem duxi. Superuacuum erat de eo dubitare, quod videret factum ab eo, quem iudicabat sapientem. *Laert. lib. 2.*

Epaminondas cum in cœlibatu viueret, a Pelopida reprehensus est hunc in modum: Non curas tu quidem Remp. qui nullos post te filios relinquis, quorum manu patriæ salus rite defendi possit. *Brus. l. 7. c. 23.*

Metellus dicere solebat: Si sine vxoribus possemus esse omnes ea molestia careremus, sed quoniam ita natura tradit, vt nec cum iis satis commode, nec sine illis vllo modo viui possit: saluti perpetuæ potius quam breui voluptati consulendum est. *Brus. l. 7. c. 22. ex Gell. l. 1. c. 6.*

M. Cato. Maiori laude dignum eum censebat, qui bonum se gereret maritum, quam qui ordine senatorio magnus esset. *Brus. lib. 7. c. 22.*

Socrates rogatus ab adolescente quodam, vtrum melius censeret vxorem ducere, an non ducere? Vtrumcumque (inquit) feceris pœnitebit, indicans, & cœlibatum & coniugium habere suas molestias, ad quas perferendas esset præparandus animus. Cœlibatum comitatur solitudo, orbitas, generis interitus hæres alienus: matrimonium, perpetua solicitudo, iuges querelæ, dotis exprobratio, affinium graue supercilium, garrula socrus lingua, subsessor alieni matrimonij, incertus liberorum euentus, aliaque innumera incommoda. Proinde non hic est electio, qualis est inter bonum & malum: sed qualis inter leuiora & grauiora incommoda. *Laert. lib. 2. Valerius Maximus lib. 7. c. 2.*

Idem dicere solebat, tria se mala assecutum: Grammaticam, Paupertatem, & perniciosam vxorem, quorum duo iam effugisset, perniciosam vxorem effugere non potuisse. *Ant. part. 2. Meliss. serm. 34.*

Idem quibusdam eum consulentibus de ratione matrimonij contrahendi dixit, Quemadmodum pisces, o adolescentuli, qui nondum intra nassas sunt, volunt intrare: qui autem iam intra sunt, volunt exire: sic & vos, ne idem vobis accidat, videte. *Ant. in Meliss. part. 2. serm. 34.*

Plato. Interroganti cuidam, an vxore ducta philosophari deberet? Cum oneras, respondit, te solum seruare, an vxorem quoque super humeris te seruaturum speras? *Stob. serm. 66.*

Idem Interroganti, quando ducenda esset vxor? Iuueni, inquit, nondum, seni nunquam. Græce iucundius, μηδέποτε, & μηδεπώποτε, subindicans, prorsus abstinendum a matrimonio. At percontator ille discere cupiebat, quo ætatis anno, aut qua anni parte expediret adsciscere coniugem, quemadmodum Aristoteles præcipit puellæ decimumoctauum, viro trigesimumquintum: & Romani Aprilem & Iunium existimabant auspicatum nuptiis, Maium inauspicatum: *Laertius libro 6. & Bruson. libro 7. capite 22.*

Protagoras rogatus, ob quam causam dedisset filiam inimico nuptum? Quia, inquit, nihil ei dare poteram deterius. *Ant. ser. 34. par. 2. Meliss.*

Philoxenus. Cum quidam eum percontaretur, cur Sophocles bonas introduceret fœminas, ipse autem malas? Quia, inquit, quales oporteat esse fœminas, Sophocles dicit: ego vero quales sint: *Antun serm. 34. p. 2. Meliss.*

Solon, quum ad Thaletem Miletum venisset, admiratus dicitur, quod nuptias filiorumque procreationem contempsisset. Thaletem vero tacuisse. Interiectis autem diebus aliquot peregrinum subornasse, qui decimo post discessum die Athenis venisse fateretur. Hic rogatus a Solone, nunquid noui Athenis esset? edoctus ille a Thalete: Nihil aliud, inquit, præterquam quod adolescentis cuiusdam efferebatur funus, ciuitate omni subsequente, quod eius pater virtute & admiratione inter eius primas obtineret, quem tum abesse dixissent. O illum miserum. Solon ait. Sciscitanti vero de nomine, respondit, excidisse memoria: sed obiustitiam illius, in omnium ore versatum. His Solon in metum coniectus est. Postremo nomen peregrino subiecit, ab eoque contendit, Num illi Soloni nomen esset? Annuente homine, Solon caput cædere cœpit filium suum obijsse, ratus. Tum Thales ridens ait: Hæc me Solon a nuptijs & procreandis liberis dehortantur, quæ te hominẽ

fortissimum infringunt. & tum rem fictam esse ostendit. *Plut. in Selone.*

Phoroneus legum lator moriens fratri dixisse fertur: ad summam felicitatem nihil mihi defuisset, si vxor defuisset. *Bruso.l.7.c.22.*

Cicero rogatus ab Hirtio, vt post Terentiæ repudium sororem eius duceret, negauit, dicens, non posse se vxori, & philosophiæ simul dare operam. *Brus.lib.7.cap.22.Hieronymus contra Iouinianum.*

Marianus Socinus, cum minus solito litteris operam daret, ob id reprehensus a quodam respondit: Ideo minus libros iam euoluo, quia vxorem duxi: rursus interpellatus, Cur Socrates vxoratus, non itidem philosophiæ studia neglexisset? Xanthippe (ait) morosa fuit, & deformis: mea autem vxor proba est, & forma decenti. *Æn.Silu.de dict. Sigismundi & Friderici tertij Imp. & li.3. de reb.gest.Alphonsi.*

Socrates, cum Euthydemum ad cœnam vocasset, in medio conuiuij Xanthippe irata surrexit, & post multa in Socratem iacta conuicia mensam subuertit. Verum cum Euthydemus ob id valde turbaretur: Cur, inquit, Socra. ita te habes? Nonne nuper cum tecum cœnarem, gallina subuolans mensam, pocula, & alia euertit? Irrisit ita morosæ vxoris indignum facinus, vt interim hospitem sibi placaret iratum, & tolerantiæ exemplum de se præberet. *Laer.l.2.c.5.*

Idem. Præterea percontanti, cur Xanthippen moribus adeo incompositis fœminam haberet domi, dicebat, sic habendam consuetudinem cum morosis vxoribus, quemadmodum qui se ad studium equestre exercent, parant equos ingenij ferocioris: quos si subegerint, ac perpeti possint, cæteris vtuntur commodius. Ita qui morosæ coniugis mores ferre didicerit, multo facilius cum quibuslibet habebit consuetudinem. *Laertius libro 2, capitulo 5.*

Idem. Cum Alcibiades magnam, & pulcherrime confectam placentam, magni amoris testimonium Socrati misisset: Xanthippe suo more irata, eam de canistro deiectam, impuris conculcauit pedibus. His Socrates cum arrisisset, inquit, Namquid tu similiter carebis ea? Quod si quis putat hæc puerilia esse, & nullius pretij: is sane non nouit, ex his etiam de fortibus & bonis viris probationem fieri, si morosis vxoribus ea ratione conniueant. *Æli. lib.11.de Var.hist.*

Idem. Alcibiadi demiranti, quod Xanthippen morosam adeo diligeret: Ego, inquit, iampridem his assueui, vt non magis offendar, quam si rotæ, quæ aquam educit e puteo, stridorem audiam. *Laer.*

Idem. Eidem simile quiddam dicenti: At tu, inquit Socrates, nonne domi tuæ gallinas toleras glocientes? Tolero, inquit Alcibiades, sed oua mihi pariunt, & pullos. Et mihi, ait Socrates, mea Xanthippe parit liberos. *Laer.*

Idem. Xanthippe cum Socrati marito in publico pallium detraxisset, ac familiares admonerent, vt tantam iniuriam manu vlcisceretur: Nolo, inquit, vt hoc certamine vobis acclamantibus derisui sim, & causa spectaculi. Maluit vir sapiens tolerantiæ exemplum de se præbere, quam ridiculum exhibere spectaculum viri cum vxore certantis. *ibid.*

Idem. Cum vxorem Xanthippen diu rixantem tulisset, ac tandem fessus sederet ante fores, illa magis irritata, de fenestra perfudit eum lotio. Ridentibus autem illis qui prætëribant, & Socrates demum in risum erupit dicens: Facile futurum putabam, vt post tantum tonitru pluuiam sentirem. *P.M.libro 3.apoph.ex Laert. libro 8.*

Idem. Demiranti cuidam, in quem vsum duas aleret vxores tam rixosas: Hæ, inquit, me domi docent tolerantiam, qua mihi in publico vtendum est. Harum enim moribus exercitatus, commodior ero ad aliorum consuetudinem. *Gellius libro 2. capitulo 7.*

Diogenes, quum aliquando vidisset mulieres ex oliua pendere, laqueo præfocatas: Vtinam, inquit, & cæteræ arbores similem ferrent fructum. Erat enim Diogenes μισογύνης, id est, mulierum osor, eoque cupiebat omnes videre pensiles. *Laertius libro 6.*

Anonymus. Philosophus quidam, cum vxorem haberet improbam, & garrulam, & ebriosam, percontantibus cur talem ferret? Vt domi, inquit, habeam philosophiæ gymnasium, & palæstram. Ero enim erga cæteros lenior, hac quotidie tolerantius. Sunt etiam qui ipsum ob hanc causam illam duxisse dicant. *Anton. in Meliss. par. 2. Serm 84.*

M. Cato. Obiurgans aliquando summam vxorum potentiam: Omnes, inquit, homines vxoribus dominantur, nos omnibus hominibus, nobis autem vxores, hoc modo colligens, mulieres esse rerum omnium dominas. *Plut. in Rom.apoph. Anton. in Meliss. par.2.serm.34.Alexand.ab Alexand.libro 6.cap.8.Cal.Rhod. libro 14. cap.14.*

Idem. Admodum senex, Salonini filiam male morigeram amans quum vxorem duxisset, rogatus in campo Martio a L. Portio Nasica, num ex sui animi sententia vxorem haberet? Non hercule, inquit Cato, ex mei animi sententia. Scomma autẽ Nasicæ in amorem Catonis fuit, Catonis autem responsum de moribus puellæ datum erat. *Brus.lib.7.c.22.*

Alphonsus. Eum maxime insanire dicebat, qui vxorem a se digressam fugitiuamque perquireret. Significans, magnæ felicitatis esse, ab improba & morosa vxore liberari. *Panor. lib.4. de reb. gest. Alphonsi.*

Idem. Cum aliquando Lodouicum Podium Putium, in veste lugubri, fronte subtristem intueretur, & quid sibi vellet luctus, ille sciscitaretur: ac Putius ob vxorem mortuam mœstum se esse respondisset: ait Alphonsus, lætum potius atque hilarem esse eum conuenire, ob illius mortem. Nam si cognita mortua esset, tum & fratrem a mortuis suscitatum esse. Erat autem vxor illa intractabilis, difficilis, & viro, dum vixit, admodum molesta & infesta ac mariti prope mors quædam. *Panorm. lib.3. de rebus gestis Alphonsi.*

Greg. Halburgensis. Is scientia iuris & facundia inter omnes Germanos facile princeps, cum domum ea curia Cæsaris, in qua diu fuerat versatus, reuertisset, atque non longe ab oppido Nurembergensi amicum offendisset, qui vxorem suam viuere, & bene valere diceret, si viuit vxor, inquit, ego sane obii. Innuit autem, morosam vxorem mariti mortem esse. *Æneas Sil. lib.3.commen. de reb.gest. Alphonsi.*

Alphonsus. Trisponius Iurisconsultus, & Alphonsi Aragonum regis consiliarius, cum trecentos aureos Alphonseos, quod superera dotis, furto surreptos perdidisset, ac propterea animo angeretur, & esset illi vxor, & illa quidem admodum morosa, regem Alphonsum dixisse ferunt: Longe illi melius fore, si vxorem, quam pecuniam, fures abstulissent. *Panorm lib.1.de rebus gestis Alphonsi.*

Anonymus. Quidam abunde comis, cum hospes vociferantem diutius vxorem eius, rixantemque cum ancillis, parum æque ferret, conuersus ipse ad hospitem: Et quæ, inquit, amice impatientia est tua? Duos, inquit, & triginta annos huius clamores dies noctesque æquissime ipse perfero, tu vero ne diecula quidem sextantem ferre eam potes? quo dicto & hospitem leniit, & vxorẽ ab ira ad risum conuertit. *Adrian.Barland.*

Aristippus, mulierem paruam, sed pulchram conspicatus, Paruum, inquit, malum, sed magnum pulchrum. Vel si mauis inuertere sententiam, Paruum quidem pulchrum, magnum autem malũ. Nam καλὸν & κακὸν apud Græcos facile permutari possunt. *Anton.in Meliss.par.2.serm.33.*

Socrates dicere solebat viros oportere ciuitatis parere legibus, vxores vero maritorum, quibus cum viuunt moribus. Norma enim coniugis vir est. Æquitas igitur docet, vt viris tanquam capiti vxores obtemperent. *P.M.lib.3.apoph.*

Antisthenes. Cum iis mulieribus habendam consuetudinem dixit, quæ beneficium beneficio pensent, χάριν εἰδυίαις, id est, quæ gratiam habituræ sint. Sentiens, abstinendum ab his quæ precio vendunt inhonestam voluptatem, nec pariunt, nec amant mutuum, aut a valetudinarijs, deformibus ac male moratis, quæ gignunt fœtus pœnitendos. *Laer.li.6.c.1.*

Theano Rogata, quando mulier esset munda a viro? respondit: A suo semper, alieno nunquam. *Laer.lib.8.*

Phocionis vxor, in complurium fœminarum cœtu interrogata, cur sola ex omnibus aureo non vteretur ornatu? Satis, inquit, vxorĩ magnus ornatus viri sui virtus est. *Ant.in Meliss.par.2.sermon.33.*

SIMILITVDINES.

Plutarchi. Vt orator neglectis fucis ac theatricis cultibus, rebus ipsis magis mouet auditorem: Sic vxor non meretricio corporis cultu, sed moribus commendatur viro. *In Moral.*

Vt tibicen per alienam vocem sonat: Ita mulier quædam non grauabitur per virum loqui. *In Moral.*

Luna cum soli coniungitur, tum obscuratur, & occultatur: cum abest lucet, contra proba vxor præsente marito maxime conspici debet, eodem absente maxime condi ac latere. *In Moralibus.*

Vt Philosophi colentes principem se reddunt nobiliores, non illum: Sic vxores, subuenientes se viro, laudem consequuntur: conantes autem imperare deterius audiunt, quam quæ subijciuntur. *In Moral.*

Vt geometræ negant moueri lineas, & superficies sine corpore, sed vna cum corporibus moueri: Sic vxor in serijs, & ludicris, fletu & hilaritatis & tristibus, accommodabit se marito. *In Mora.*

Cum spirat Boreas, conatur vi vestem reuellere, at homo magis astringit pallium: quod si sol tepido vento demulserit, iam sponte & tunicam abijcit: Sic vxor conans conuitijs maritum a luxu reuocare, magis irritat: si placide ferat, & roget, magis efficit. *In Moral.*

Qui ministrant elephantis, non sumunt lucidam vestem: qui tauris purpuream non induunt: nam his coloribus efferantur: tigrides tympanorum strepitum non ferunt: Ita vxor ab ijs debet abstinere, quibus senserit maritum vehementer offendi. *In Moralib.*

Quæ vera

Quæ veretur ridere apud virum, ne videatur lasciua: nec agere quicquam, ne audax: perinde facit, quasi nec vngeretur, ne videatur vnguentis vti: nec lauaret faciem, ne fucis vti putetur. *In Moral.*

Quemadmodum speculi ex auro gemmisque constructi nulla fuerit vtilitas, nisi formam similem repræsentet: Ita neque diuitis vxoris fructus vllus est, nisi vitam exhibeat marito similem, & ingenium concors. *Apud Stob. serm. 70.*

Syracida. Sicut ascensus arenosus in pedibus senis: Sic mulier linguata viro taciturno. *Eccl. c. 21.*

Bonum iugum concussum, mulier nequam: qui dominatur illi, quasi qui apprehendit scorpionem. *Eccles. c. 26.*

Basily. Vt cariosas naues procellæ & turbines: ita mala vxorum studia infirmas maritorum suorum animas demergunt. *Homil. de diuit.*

Maximi monachi. Vt equites decet ferocibus assuescant vti equis, quos si domuerint alijs etiam vtilius vtentur: Sic quoque prodest cum vxore iracunda consuetudinem habere, exercitationis causa. *Serm. 19.*

Plutarchi. Vt nemo sentit, qua parte stringat calceus, nisi qui indutus est: Ita nemo nouit ingenium mulieris, nisi qui duxit vxorem. *In Mor.*

Sponsæ quæ statim offensæ motibus virorum, eos deserunt: perinde faciunt, ac si quis ictus ab apibus, mel relinquat. *In Moral.*

Vt aluros vnguentis efferatur, & in rabiem agitur: Ita quædam vxores insaniunt, si senserint in viris vnguenta. *In Mor.*

Vt inutile speculum est, auro gemmisque adornatum, nisi repræsentet similem imaginem: Ita inutilis vxor quantumuis opulenta, si viro mæsto sit hilaris, hilari mæsta. *In Moral.*

HIEROGLYPHICA.

Vipera suo quodam ingenio prædita, extra ordinem, sua habet hieroglyphica, quorum illud præcipuum: quod *mulierem* quæ virum oderit suum, cui mortem etiam intentet: neque nisi coitus tantum gratia blandiatur, per *pictam viperam* sacerdotes illi intelligebant: ea si quidem, vt apud Homerum est, cum mari copulatur, caput eius ori inserit suo, atque in concubitus conflictu nimia voluptatis vi superata, capite maris mordicus amputato, maritum extinguit. *Pier. Val. l. 14. p. 133. B.*

Non absurde etiam *voluptatem & vsum*, quæ soleant ex uxoria consuetudine, vnanimique cōcordia percipi, qualem Homerus mirifice cōmendat, per *Ignis & Aquæ* figurā interpretabimur: cū nihil fere sit in rerum natura igne iucundius, nihil aqua vtilius, quæ sola ex rebus omnibus, necessitatibus innumeris, opem affert: quare aquam Pindarus Optimam Aristotele etiam comprobante, nuncupauit Igneum etiam ardorem, auri pari elogio prosequutus. *Idem lib. 45. n. 6.*

FINIS LIBRI DECIMINONI.

vt fias similis fructuosæ ficui, quæ per caprifici viciniam vires suas colligit, ac diffusionem cohibens,melius suos fructus alit & producit. *Basil.apud Ant.ferm.de zelo.*

Noli cogitare te malis videri præstantiorem,sed tristare quod sis bonis inferior. *Nazian. ad eundem.*

Animi acrimonia,cum ad pietatem accesserit zelum parit:zelus autem fidei præsidium est. *Idem orat.*23.

Prima bene agendi ratio est, rerum honestarum commendatio. Laus enim zelum parit: zelus autem virtutem:virtus parit beatitudinem: hæc vero rerum percondarum culmen est, & quod omnis probi viri cogitatio tendit. *ibid.*

Nihil prodest habere zelum Dei: & non habere scientiam Dei. Iudæi putantes se zelum Dei habere, sacrilegi extiterunt in filium Dei, quia non secundum scient. zelati sunt: quia ignorantes Dei iustitiam propriam (id est, quæ hominibus iustitia videbatur) studebant implere, cum vtique ipsius magis iustitiæ Dei, nempe Christo, obedire conueniret. *Orig.in Epist.ad Rom.*

Est zelus ad vitam, & est zelus ad mortem. Ad vitam zelus est diuina præcepta seruare, & amore nominis eius, custodire mandata, vt fecit Phinees. *Ambros.in Psalm.*118.

Zelus Dei est, qui exquirit, quæ superuenit, qui se usti infundit pectori. Zelus Dei vita est. Zelum Dei qui habent, omnes sibi inimicos putant, qui sunt hostes Dei, quamuis patrem, fratres, sorores. *ibid.*

Zelo fidei populus gentium vitam sibi acquisiuit æternam, quam negligentia atque desidia Iudæorum populus amisit. Populus qui erat eruditus in lege, nullum fidei habebat ardorem. Contulit se zel. ad gentes, cuius tanta est gratia, vt electionis prærogatiuam vicerit, & eruditionis industriam superarit. Denique zelus apprehendens populum ineruditum fecit esse meliorem. *ibid.*

Zelus charitas est: valida est sicut mors charitas: durus sicut inferi zelus. Durus zelus quem nulla vincit huius vitæ illecebra, Durus sicut inferi per quem peccato morimur, vt viuamus Deo. Angeli quoque sine zelo nihil sunt, & suauitatem suæ amittunt prærogatiuam, nisi eam zeli ardore sustinerent. *ibid.*

Zelo vindicatur Hierusalem, zelo Ecclesia congregatur, zelo fides acquiritur: zelo pudicitia possidetur, sed non solum locum Ecclesiæ zelare debemus, sed hanc quoque interiorem in nobis domum. *ibid.*

Audi quid sit habere zelum, sed non secundum scientiam. Ignorantes, inquit Apostolus, Dei iustitiam, & suam volentes constituere, iustitiæ Dei non sunt subiecti. Si ergo idem non secundum scientiam zelum Dei habeo, qui ignorantes iustitiam Dei volunt suam statuere, qua se ex ipsis iustificant: ideo gratiam Dei cognouerunt, quia gratis saluati noluerunt. *Augustinus in Psalm.*30.

Quis comeditur zelo domus? Qui omnia quæ ibi videt forte peruersa, satagit emendare, cupit corrigere, non quiescit. Si emendare non potest, tolerat, gemit, non excutit de area granum, sustinet paleam, vt intret in horreum cum palea fuerit separata. *Idem tract.*10 *in Ioan.*

Vnumquemque Christianum zelus domus Dei comedat, in qua domo Dei membrum est. Non enim maior est domus tua, quam domus vbi habes salutem sempiternam. Domum tuam intras propter requiem temporalem, Domum Dei intras propter requiem sempiternam. Si ergo in domo tua ne quid peruersum fiat satagis, in domo Dei, vbi salus reposita est & requies sine fine, debes pati quantum in te est si quid forte peruersum videris. *ibid.*

Vnumquemque Christianum zelus domus Dei comedat, Verbi gratia, vides fratrem currere ad theatrum, prohibe, mone, contristare. si zelus domus Dei comedit te. Vides alios currere & inebriari velle, & hoc velle in locis sanctis, quod nusquam debet prohibe quos potes, quibus potes blandire, noli quiescere: tamen si amicus est, admoneatur leniter: vxor est, seuerissime refrænetur: ancilla est, etiam verberibus compescatur. *&cæt. ibid.*

Zelum Dei habent, sed non secundum scientiam, qui iustitiam Dei ignorantes suam constituere volunt. Vnde Paulus corruptus ait, non habeo meam iustitiam. Illi volunt suam constituere, adhuc eos delectat in stercore iacere. Ego non habeo meam iustitiam, sed eam quæ est per fidem Iesu Christi iustitiam ex Deo quæ iustificat impium. Tolle te, tolle meam te a te, impedis te: si tu te ædificas, ruinam ædificas. *Id. de verb. Apost. ferm.*15.

Nihil vero tribulationi parphilosophiæ mater est: Anna suam habens æmulam non est eam contumelijs persecuta. Sed quid? ad Deum confugit: & orans, nec eius meminit, neque dicit quoniā illa mihi improperat, delende me, tam sapiens erat mulier: taceamus vnus, & quidem sciens quod zelo nihil comparatur. *Chrys. Hom.*62.*ad Pop.*

Fortis zelus qui nunc in mente doctoris agitur, in die extremi iudicij inter eum & animam quam à vitijs zelatur testis est: vt & si audire is qui docetur noluerit, doctor tamen pro z lo quem exhibet, de auditoris negligentia reus non sit &c. *Greg. in Ezech. Hom.*12.

Nullum omnipotenti Deo tale est sacrificium, quale est zelus animarum. *ibid.*

Rectitudinis zelo, contra vitia accendimur. Phinees ante oculos deducatur, qui coeuntes gladio transfigens, castitati populum reddidit, & iram Dei iratus placauit. *ibid.hom.*5.

Zelo domus patris Saluator impios eiecit de templo, vdeamus & nos, fratres charissimi, domum Dei, & quantum possumus ne quid in eam prauum geratur insistamus. Si viderimus fratrem qui ad dom. m Dei pertinet, superbia tumidum, detractionibus assuetum, ebrietati seruientem, luxuria enervatum, iracundia turbidum, si alio cuiquam vitio subiectum, studeamus, in quantum facultas suppetit, castigare: polluta ac peruersa corrigere: & si quid de talibus emendare nequimus, non sine acerrimo mentis sustinere dolore, & maxime in ipsa domo orationis ne quid nos piorum fiat, ne quid nostram fraternam amnium orationem impediat, totis viribus agamus. *Beda in Ioan.c.*2.

Cum duo sint beatæ contemplationis excessus: in intellectu vnus, & alter in affectu: vnus in lumine, alter in feruore: vnus in agnitione, alter in deuotione: plus tunc affectus, & pectus amore calens, & sanctæ deuotionis infusio, etiam & spiritus vehementer repletus zelo, non plane aliunde quam è cella Christi vinaria reportatur: & cuicunque cum horum copia surgere ab oratione donatur, potest in veritate dicere, introduxit me rex in cellam vinariam. *Bern in Can.ferm.*49.

Importabilis absque scientia est zelus. Vbi ergo vehemens æmulatio, ibi maxime discretio est nec ssaria, quæ est ordinatio charitatis. Semper quidem zelus absque scientia minus efficax minusque vtilis inuenitur, plerumque autem & perniciosus valde sentitur. Quo igitur zelus feruidior, ac vehementior spiritus, profusiorque charitas, eo vigilantiori scientia opus est, quæ zelum reprimat, spiritum temperet, ordinet charitatem. *ibid.*

Zelus est feruor animi ad compassionem naturæ & vltionem culpæ & deuotionem gratiæ proni. Zelus itaque vtitur flagellae ferrum, salubriter corrigit filium, foliere atque fideliter seruat coniugium: ferrum vltione, filium compassione, coniugiū deuotione. *Hugo in Iohelem.*

SIMILITVDINES.

Chrysostomi. Quemadmodum si quis infundat oleum super ignem ardentem, magis crescit incendium: Sic ardentem zelum Herodis, delusionis opprobrium amplius excitauit. *in Matth. cap.*4.

Theophilacti. Vt belua aliqua irritatata, non ante sæuire desistit, quam aliquem arripiat, laceretque, & vorans explearit iram: Sic & ignis æmulatione dictus, & zelo vlciscendi mandatorum transgressus, ob idque deuorans, quemcunque corripiat, depascitur semper. *in Epist. ad Hebr.*6.5n.

EXEMPLA BIBLICA.

Zeli boni *Exempla* Moses, *Exod* 31.*vers.*19.20. Phinees, *Num.*25.*versic.*7.8. *Mach* 2.45. Iosuah. *Iosu.*7.24 Filij Israel, *Iosu.*22. *versic.*11.12. *Iudic.*20.*vers.*1.2.3. Elias, 1.*Reg.*18.21.40 & 19.10. Iehu, 2.*Reg.*10.*versic.*11.16.25.17. Ezechias, 2.*Reg.*18.4. It. s.23.*versic.*6. Zacharias Ioa. æ filius 2. *Paralipom.*24.20. Esdras, 9.3. Nehemias, Nehem.13.25. Mathathias. *Mach.*2.*versic.*23.24. Dauid, *Psalm.*69.19. Ioannes Baptista *Matth.*3.7. & 14.4. Christus, 2.11.12. *Ioan.*2.15. Petrus, *Actor.*5.3. Stephanus, 7.51. Paulus, 13.10. & 17.16. *Rom.*9.*versic.*2.3. 2.*Corinth.*11.*versic.*2.29. *Galat.*3.1. & 4.19. Barnabas & Paulus, *Act.*14.*versic.*13.14. Apollo, 18 *versic* 22.23 Zeli indiscreti *exempla* Iosuah. *Num* 11. *versic* 28.29. Abisai. *Samuel*, 16.9. Filij prophet. rum, 2.*Reg.*2.*versic.*15.16. Ionas. *Iona* 4.*versic.*1.3. Petrus, *Matth* 16.*versic* 21.22. Discipuli *Marc.*10.*versic.*13.14. Ioannes, *Luc.*9.*versic.*49. Ioannis Baptistæ discipuli, *Ioan.*3.*v.*26.27. Principes Sacerdotum cum suis, *Act.*5.17. Iudæi, 7.57. & 13.45. *Rom.*10.2. Paulus. *Act.*23.3. & 26.*v.*9.10. *Gal.*1.*v.*13.14. 1.*Tim.*1.*vers.*12.13.

EXEMPLA PROPHANA.

Plato vir summus, & Xenophon, haud expertes fuisse creduntur ralis affectus: id indicio est, quod neuter alterius meminit vnquam, cum multa vterque scripserit: ambo clari, & inter se zelotypi noti, Socraticæque sapientiæ ambo alumni. *Sabelli. enslib.*6.*cap.*9.

Bauius & Mæuius ineptissimi poetæ, virgilio suam inuiderunt gloriam. De quibus ipse *Virgilius in Bucolic.*

Qui

Qui Bauium non odit, amet tua carmina Maui.

Asinius Pollio adeo fuit infensus nomini Ciceronis: vt eius laudes audire nequiuerit. Nam quum Sextilius poeta carmen hoc recitasset: *Deflendus Cicero, patriaque silentia linguæ.* Asinius ea re permotus, audire vlterius noluit.

Hyarbita Maurus, dum Timagenem philosophum inter pocula declamantem vellet imitari, & non posset, inuidia crepuit. *Horat. lib. 1. Epist.*

Rupit Hyarbitam Timagenis æmula lingua,
Dum studet urbanus, tenditque disertus haberi.

ZODIACVS.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

ZOdiacus Græce *ζωδιακὸς* est circulus cœlestis, in quo 12. signa sunt, quæ sol singulis annis percurrit. Latine signifer dicitur. Vide Etymol. triling. Lugdun. *pag. 919. 920.*

Astronomi circos seu circulos celestes vndecim numerant, cælum ambientes. Hi circuli sunt Lacteus, Zodiacus seu signifer, Aequinoctialis, duo coluri, duo Tropici, duo Solares, Meridianus & Horizon. *Macrob. lib. 1. in Somn. Scip. c. 15.*

Circulus cælestis est linea ambiens Sphæram, ac veluti semitam faciens, per quam lumen vtrinque discurrit, & inter quam vagantium stellarum error legitimus coercetur. *Macrob. lib. 1. in Somn. Scip. cap. 14.*

Zodiacus *sensibilis* est circulus maior, obliquus, constans sua latitudine, sectus in duodecim partes seu sidera, quæ vocantur Signa: vel in duas medietates, quarum altera dicitur Austrina altera Septentrionalis: sub quo stellæ erratiles perpetuo mouentur. Huius obliquitatem nouisse, Plinius ait esse, rerum fores aperire, *lib. 2. cap.* 8. Hunc circulum prolixè describit Manilius, libr. 1. ex quo paucos versus lectori propono.

Sed nitet ingenti stellatus Baltheus orbe,
Insignemque facit cælato lumine mundum,
Et ter vicenas partes patet, atque trecentas
In longum: bis sex latescit fascia partes,
Quæ cohibet vario labentia sidera cursu.

Horum versuum sensum Manilij interpres eruditissimus Scaliger aperit, pag. 56. editionis Parisiensis. Dicitur autem Zodiacus, Macrobio teste, lib. 1. in Somn. Scip. cap. 21. a signis, quæ circa eum sunt, *ζῴδια* Græcis, quasi signifer. Aratus *ἀπὸ τῶν ζῴων* à figura animalium quæ in illo conspiciuntur, videtur denominasse, illa (disticho comprehensa)

Sunt Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo,
Libraque, Scorpius, Arcitenens, Caper, Amphora, Pisces.

Fortasse Zodiacus *ἀπὸ τῆς ζωῆς* à vita, quod sol per hanc Cæli fasciam vectus lumen viuificum creaturis præbeat & sit ζωοφόρος, id est, nō tantum signifer, verum etiam vitæ lator & dator, vt experientia constat. De eo Virgilius lib. 1. Geor. & Ouid. Metam. lib. 2.

Sectus in obliquum est lato curuamine limes
Zonarumque trium contentus fine, polumque
Effugit Australem, iunctamque Aquilonibus Arcton.

Zodiacus, astronomis *imaginarius*, dictus est circulus maior obliquo meatu ambiens octauam Sphæram, & cum eadem mobilis, super proprijs polis descriptus, ita vt & duobus locis Aequinoctialem intersecet ad angulos obliquos, tangatque vna parte tropicum Cancri, ex altera tropicum Capricorni in vno puncto: habens item longitudinem sectam in duodecim signa, seu duas medietates, & latitudinem, tribus lineis parallelis comprehensam, quarum media vocatur Ecliptica, distatque ab vtraque extremitate octonis graduum interuallis.

Imaginantur autem hunc circulum ex motu solis præcipuè, quo is ex meridie progreditur ad Septentrionem, quotidie fere vnum gradum in hoc circulo absoluens, & triginta diebus prope integrum signum percurrens. Dicitur obliquus, propter obliquum situm inter polos mundi. Nam altera eius medietas ad Arcticum, altera ad Antarcticum declinat, vt solis & lunæ cursus ostendunt. Quo enim plures gradus in Septentrionali medietate sol conficit, eo propius ad polum & nostrum verticem accedit.

Imaginario illo autem & ambiente cœlum Zodiaco potius quam sensibili astronomica schola vtitur, propter motum octaui orbis, quo stellæ fixæ ab occasu ad ortum, iuxta seriem signorum progrediuntur, suamque declinationem mutant super polis zodiaci, seruata eadem semper latitudine. Nam hoc motu ipsi cardines mundi ac poli mouentur, & puncta Aequinoctiorum ac solstitiorum mutantur. Reliqua videat lector studiosus apud Astronomos.

POETICÆ SENTENTIÆ.

Virgil. 1.

Obliquus qua se signorum verteret ordo.

Ouid. lib. 1. Metam.

Sectus in obliquum est lato curuamine limes.
Zonarumque trium contentus fine, polumque
Effugit australem, iunctamque Aquilonibus Arcton.

ZONAE.

DEFINITIO ET ETYMOLOG.

ZOna astronomis dicitur tractus Cæli vel terræ inter duos circulos parallelos, ex quinque, ab illis enumeratis, & inter ipsos mundi polos comprehensus. In cælestes & terrestres, zonæ astronomicæ diuiduntur. Quinque sunt zonæ cælestes: duæ, Septentrionales, quarum vna *περίσκιος*, est, altera, *ἑτερόσκιος*, duæ meridionales, itidem vna *περίσκιος*, altera, *ἑτερόσκιος*, & vna intermedia *ἀμφίσκιος*, eaque latissima. Vulgo hæ zonæ nomina a qualitatibus sortitæ sunt: quæ cum nullæ sint in cælo, neque etiam a cælo immediatè simpliciterque proueniant aut excitentur, Astronomi illis appellationibus vti maluerunt, quibus veteres, doctrinæ gratia vsi sunt.

Tractus *Septentrionalis* perisKios, est tractus ille cæli, qui comprehenditur inter polum mundi Septentrionalem, & inter arcticum circulum, qui quidem est idem cum tropico Solstitiali: vel inter parallelum distantem ab Aequatore gradibus *66.* scrupulis 8. vocatur PerisKios, quia Sol, quando principium cancri obtinet, circum horizontem mouetur, & radios ita spargit, vt vmbras in eo tractu circumcirca in orbem projiciat. HeterosKios vero, est tractus ille cæli qui comprehenditur inter tropicum Solstitialem, & arcticum zonæ perisKiæ Dicitur heterosKios, quoniam in hac zona radij solares projiciūt vmbram meridianam in eam tantum mundi partem, quæ ad polum spectat.

Tractus *Meridionalis* periskios est tractus ille cœli, Septentrionali periskiæ oppositus, qui inter polum mundi meridionalem & circulum antarcticum continetur, qui quidem cum tropico brumali idem est. Sicut autem in Septentrionali illo tractu, vmbræ circumcirca sparguntur, Sole ingresso principium Cancri, ita in hoc opposito loco vmbræ circum vndique projiciuntur, Sole circulum brumalem obtinente. Zona meridionalis *ἑτερόσκιος*, est ille cæli tractus qui continetur intra tropicum brumalem & circulum antarcticum regionis perisKiæ, in quo vmbræ meridianæ tantum in alteram mundi partem, versus polum antarcticū, projiciuntur.

Zona *ἀμφίσκιος*, est tractus cæli comprehensus inter circulum Solstitialem & Brumalem, in quo vmbra meridiana versus mundi latera projicitur. Nam Sole ingresso Capricornum, vmbra meridiana versus Septentrionem projicitur: eodem ingresso Cancrum vmbra meridiana versus meridiem spargitur. Mediū hunc tractum Aequinoctialis dirimit: quem cum Sol habet, nullam de se meridianam vmbram projicit. Vnde homines sub Aequatore habitantes dicuntur *ἄσκιοι*. Bis autem hoc illis accidit. Illis vero qui sub Tropicis habitant, semel tantum quotannis vmbræ perpendiculares accidunt. Vide Strabonem in fine, *lib. 2.*

De Zonarum differentijs D. *Basilius homil. 6 in Hexam.* dies longissimi sunt, inquit, in quibus vmbræ cadunt breuissimæ: & rursus breuissimi sunt dies qui vmbras spargunt longissimas. Id quod apud nos accidit qui vocamur *ἑτερόσκιοι*, & qui Arctoam mundi plagam inhabitamus. Quoniam sunt aliqui, qui binis

diebus

diebus totius anni, nullam de se vmbram meridianam proijciunt. Nam horum vertices aspiciens sol, vndiquaque ex æquo illustrat: vt etiam aquam in fundo puteorum per angustum foramen radijs illuminet. Vnde illos nonnulli vocant *ἄσκιοι*, id est, in vmbres. At qui vltra regionem aromatiferam (Arabiam) habitant, ij spargunt vmbras vtrinque. Soli enim sunt qui in terra habitata vmbras meridianas versus Austrum projciunt. Ex quo a nonnullis dicti sunt *ἀμφίσκιοι* id est, bi-umbres.

De his Zonis Cælestibus lege Virgil. libro 1. Georgic. & Tibull. *libro* 4. de laudibus Messalæ: Claudianum item *libro* 1. De raptu Proserp.

Zonæ autem terrestres sunt plagæ terrarum inclusæ duobus tropicis versus vtruoque Polum, in quibus aut caloris est excessus, aut defectus, aut mediocritas. Quinque numero, duæ frigidæ, duæ temperatæ, vna intermedia sub Aequatore, quæ Torrida vulgo dicta est. De his Strabo, *lib.* 2. *Plinius lib.* 2. *cap.* 68. Macrobius & Geographi multa tradunt, vt & recentiores qui de Sphæra scripsere, quos consulat Lector studiosus. Ingeniosus poeta de quinque Zonis cælestibus & terrestribus, elegantissimos versus nobis reliquit, 1. *lib.* Metaph.

Vtque duæ dextra Cœlum totidemque sinistra
Parte secant Zonæ, quinta est ardentior illis:
Sic onus inclusum numero distinxit eodem
Cura Dei, totidemque plagæ tellure premuntur.
Quarum quæ media est, non est habitabilis æstu.
Nix tegit alta duas, totidem inter vtramque locauit.
Temperiemque dedit, mixta cum frigore flamma.

F I N I S.